B

CRITICORUM SACRORUM

SIVE

ANNOTATORUM

AD

LIBROS PROPHETICOS

VETERIS TESTAMENTI

TOMUS QUARTUS.

ANNOTATORES IN PROPHETAS HI SUNT,

Sebastianus Munsterus.

Franciscus Vatablus.

Sebastianus Castalio.

Isidorus Clarius.

* Andreas Masius in quædam Loca Cap. 2, 3, & 4. *Jeremiæ.*

Franciscus Forerius in *Jesaiam.*

Johannes Drusius.

* - - - - Ejusdem Annotationes in Versionem Vulgatam Hoseæ, Joelis, Amosi, Michææ, Habacuc & Sophoniæ.

* - - - - ut & Lectiones ad Michæam, Habacuc, Zephaniam, & Zachariam.

Edv. Liveleus in 5. priores Prophetas Minores.

Hugo Grotius.

TRACTATUS inserti.

Lud. Cappelli Excerpta ex *Villalpando* ad Cap. XL. XLI. XLII. & XLVI. Ezechielis.

M. Martini Helvici Diatribe de Lxx Hebdomad. Danielis, ad Caput IX. Danielis.

* Joh. Drusii Additamenta ad Initium Jesaiæ, ad calcem hujus Tomi.

SEBASTIANI MUNSTERI
IN
PROPHETAS
PRÆFATIO.

NON ignoramus, Christiane lector, *Prophetiam voluntate humanâ non allatam, sed Spiritu S. inspirati locuti sunt sancti homines Dei:* atque ob id *nulla Prophetia propriâ fit interpretatione*, sed qui sibi sumit Prophetas enarrandos, huic scimus multis esse opus, nempe Historiarum cujusque temporis exactâ notitiâ, linguæ Hebrææ perfectâ cognitione, Filii Dei incarnati sincerâ agnitione, fideique certissimis experientiis. Quæ enim illi ad posteritatem scripserunt, Metaphoris & tropis involverunt, & libris commiserunt, ut Spiritu explicante cum magno commodo à studiosis perciperentur, porcis autem & canibus contecta manerent. Porrò post Christum natum nullus fuit Propheta qui libros ad posteritatem ederet, cùm nihil superesset nec supersit futurum de Christo, sine Legis & Prophetarum, prædicendum. Omnia enim jam sunt parata, omnia consummata & expedita, nisi quòd revelationem Domini nostri Jesu Christi exspectamus, qui *reformabit corpus humilitatis nostræ*. Et si post tempora Apostolorum fuerunt Prophetæ, hi solùm suæ ætati inservierunt; sicut & ante Christum quidam putantur fuisse qui suis consuluerunt temporibus: etiam si non negemus, Prophetas illos veteres æquè nunc ad amandum sectandúmque Christum nos incitare sicut olim præparabant corda ad exspectandum Christum. Atque hæc est illa Prophetas legendi docendíque ratio, contra eos qui ipsos calumniantur acsi nihil ad Ecclesiam pertinerent. Et ut majus quiddam dicam, verbum Propheticum idem est cum verbo Apostolico; hoc est, Euangelium ab utraque prædicatur parte, quamquam diversâ ratione: in Prophetis enim futura justitia, in Apostolis præsens annunciatur. Unde fit ut illi Legem servandam alicubi doceant, & purificationes externas testentur, hi verò tempus expletum asserant: sicut & 1. Pet. 1. dicitur, *De qua salute exquisierunt & scrutati sunt Prophetæ, qui de ventura in nos gratia vaticinati sunt.* Non itaque vulgares sunt fructus Prophetarum, si attento animo à fidelibus legantur. Sunt enim Legis Divinæ, imò voluntatis Dei, interpretes, juxta illud Amos 3. *Non faciet Dominus Deus quicquam, nisi revelaverit secretum servis suis Prophetis.* Docuerunt evidenter quando Regnum Christi erat venturum, quo tempore, quo loco & quibus circumstantiis Redemptor orbis erat proditurus. Describunt Regnum Christi esse Regnum gratiæ & benedictionis, in quo Deus suorum agit curam, versante in medio illorum Principe illo ipso David, quo duce ac propugnatore omnia sunt in tuto. Docent & diligentissimè ostendunt, perditionem ex nobis esse, salutem autem non ex nostra dignitate sed una Dei misericordia constare. Damnant justitias humanas, non quòd inutiles sint in suo ordine, sed nihil ad conscientiam conducunt. Delineant nobis per varios typos & ænigmata Christum, in quem omnes Prophetæ prospectarunt ceu in colophonem omnium rerum, præparantes animos hominum ad lucem Euangelicam, quæ per ipsum Salvatorem nobis illuxit: etiam si plerisque Jehudæis fuerint majoris impietatis occasio, sicut & naturali lumine abusi sunt Philosophi ad fastum. Et cùm loquuntur contra certa Regna & Principes, sic intelligendi sunt quod simul loquantur omnibus Regnis, civitatibus & privatis hominibus qui similibus injuriis Deum & populum ejus afficiunt, atque idolorum cultu, perfidiâ, immanitate, fastu, luxuriâ, rapinis & cædibus Deum vindicem in se provocant. Gravissimè quidem reprehendunt monstra vitiorum, Superbiam, Impietatem, Perfidiam, Crudelitatem, Injustitiam, Avaritiam, Luxum vitæ, & reliquas hominum cupiditates, quæ singula etiam subverterunt nedum homines singulares sed & civitates florentissimas & amplissima Regna. At interim habent quoque promissiones magnificentissimas, quibus ægrotus erigitur & consolatur animus. Confirmant pios, & persuadent ut certò sciant se Deo curæ esse. Docent, calamitate incidente, non alienandum à Deo, nec anxiè externa quærenda refugia. Pleni sunt suavissimis consolationibus: quibus afflictas deliniunt mentes & turbatas erigunt conscientias. Induratos verò, superbos & pertinaces impiorum animos tentant frangere comminationibus, si quid eâ ratione promovere possint. Loquuntur magnificè de Regno Christi. Sed quia illud futurum erat Regnum fidei, Jehudæi his magnificis promissionibus decepti exspectant corporale Regnum: & cùm id hactenus non contigerit, non putant per Christum nostrum omnia impleta & exhibita esse. Promissiones igitur illæ Spiritu intelligi debent, & non pertinent ad corporale Regnum. Neque enim sustinere posset hoc corporale seculum plenitudinem tantarum promissionum quibus tota Scriptura adeò est re-

mendaciis & reluctantibus Scripturis suum tueri errorem, & perpetuò in sua consistere pervicacia, ut nunquam illis objicere possis טול קיסם מבין עיניך quin illi apposito proverbio respondeant טול קורה מבין עיניך quo adagio & Christus ipse Matth. 7. usus est. Sed omissis illis cœcis & ducibus cœcorum, revertamur ad Prophetas. Post Mosem & David, ex Prophetis qui scripserunt antiquissimi fuerunt Jona & Obadia, qui sub Ahab & Jorobeam Regibus Israel vixerunt. Tempore autem migrationis decem Tribuum, sub Uzija & Hizkijahu Regibus claruerunt Jesaia, Hosea, Joel, Amos & Micha. Post quos non multo tempore sub Menasse secuti sunt Nahum & Habakuk. Instante autem migratione Jehuda prophetizarunt Jeremia & Zephania. Porrò in ipsa captivitate vaticinati sunt Jehezkel & Daniel. Demum postquam è Babylone rediit populus, habuit hos tres Prophetas, Haggai, Zechariam & Maleachi. De his in Catalogo Regum Jehuda & Jerusalem fusiùs videre poteris, quem ex Seder Olam huic subjecimus præfationi. Quòd autem S. Scriptura præter Prophetas habet etiam Historias, scias in historiis illis exempla fidei & Divinas promissiones non esse percurrenda, sicut fecerunt Origenes & Hieronymus, ac si essent mortuæ & inutiles historiæ, at oporteat majora quærere in eis. Si res ipsæ quæ promittuntur attenduntur, non sunt quidem nisi temporalia bona: si autem promissiones ipsæ attenduntur, sunt viva & æterna Dei verba, quæ justificaverunt & beatificaverunt eos qui illo tempore crediderunt in ea. Quorum fides est magnum & efficax exemplum ad roborandum fidem nostram. Verùm de his apud alios scriptores copiosiora invenies. Nunc tandem ratio est à me reddenda quo labore atque ingenio hunc posteriorem S. Bibliorum paraverim tomum. De labore nihil aliud dicam quàm quòd is fuerit immensus. Queruntur alii qui in unum scripserunt librum, labores, difficultates, vigilias & sudores: at quantò justius à me fieri possunt querelæ, qui singulos S. libros & singula eorum verba pensitare, versare & reversare cogor, atque lustrare Rabinorum expositiones, & seligere meliora? Non licuit hîc LXX aut Vulgatam, aut etiam aliorum quorumcunque ubique sequi editionem, præsertim cùm in plerisque locis ab Hebraica veritate dissidere deprehendantur, & alicubi nonnihil obscurum, vel alienum, vel minùs proprium advehere, ità ut non rarò mens Prophetarum vel non sit expressa, aut certe non valuerit intelligi. Atque hæc scribo, non ut contempserim ea quæ ab Interpretibus nostris sunt tradita; sed cùm possem è fonte bibere, quid opus erat ad rivum descendere? Nemo ignorat qui vel à limine salutavit S. literas, in V. Instrumento Hebraicam veritatem consulendam & observandam. Hoc fateri cogor, quòd pleraque Scripturæ loca ex Vulgata editione nunquam intellexissem nisi Hebraicè legere valuissem atque Hebræorum consuluissem Commentarios. Fuerunt autem mihi in Prophetis magno subsidio boni quidam viri quorum nomina scripta sint in libro vitæ, qui Hebraicâ observatâ veritate in privatos scripserunt Prophetas, quorum sententiæ in obscurioribus locis non rarò subscripsi, etiam propriis eorum utens verbis; id quod hic indicare volui, nè quis me tam impudentem arbitretur quasi non veritus aliena mihi arrogarim. Unde si quid ad ædificationem inibi legeris, Domino omnium bonorum largitori habe gratiam, ac deinde bonis & doctis illis viris quorum usus fui præsidio: sin offenderint aliqua, ea mihi homini tribuas, cui probe constat quàm angustum mihi sit ingenium, præsertim in rebus illis Divinis quas eximii illi tractant Vates, non semper aperto sermone, sed non rarò celant mysteria translationibus, tropis, parabolis, similitudinibus, epitasibus, emphasibus, hyperbolis, amplificationibus, aliisque id genus schematibus & ornamentis, habentes & sententias atque quasdam voces tantâ obscuritate involutas ut ab homine vix explicari queant. Nos in talibus locis adduximus varias opiniones, prudenti lectori judicium relinquentes, ut ille eligat quod præsentibus rebus potissimùm congruit.

CATALOGUS ET SUCCESSIO
REGUM JEHUDA ET JERUSALEM, OSTENDENS
quando & sub quibus Regibus vixerint singuli Prophetæ, & quid memorabile contigerit sub illis. Sunt autem hæc huc relata ex Seder Olam minori.

David regnavit super Israel anno CCCXC introitûs eorum in terram, qui est annus CCCCXXX exitûs de Ægypto, & annus MMDCCCLXXV à creatione mundi. Regnavítque XL annis & genuit Salomonem. Salomo autem fundavit Templum: fuerúntque in diebus ejus Jonathan, Iddo & Ahija Silonites Prophetæ. Et regnavit post eum Rehabeam filius ejus XVII annis, Semajahu & Iddo prophetantibus. Post hunc regnavit filius ejus Abijahu III annis: fuítque Iddo Propheta. Regnavit autem post eum Asa filius ejus XLI annis; Azarjahu filio Oded, Hanani Vidente, & Jehu filio Hanani prophetantibus.

כסדר עולם זוטא

דוד מלך על ישראל בשנת ג׳ מאות ותשע׳ שנה לכניסתן לארץ והיא שנת ארבע מאות ושלשים שנה ליציאתן ממצרים ושנת שני אלפים ושמנה מאות שנה ושבעים וחמש לבריאת עולם · ומלך ארבעים שנה והוליד את שלמה ושלמה יסד הבירה והיו בימיו יונתן ועדו ואחיה השלוני נביאים · מלך אחריו רחבעם בנו י״ז שנה ושמעיהו ועדו נביאים · אביה בנו מלך אחריו שלש שנים ועדו נביא · אסא

Post hunc regnavit Jehosaphat filius ejus XXV annis; Jehu filio Hanani, Obadia, Micha, Jehiel filio Zachariæ, & Eleazar filio patrui ejus prophetantibus. Huic successit in Regno Joram filius ejus, regnavítque VIII annis, & fuit Elija Propheta. Post eum regnavit Ahazjahu filius ejus anno uno; fuítque Elisa Propheta. Postea surrexit Athalia mater Ahazia, & perdidit semen Regium, & non est relictus nisi Joas puer parvus; regnavítque Athalia VI annis: & occiderunt eam, regnavítque Joas XL annis. Post hunc regnavit filius ejus Amazjahu XXIX annis. Fuerunt autem Amoz & Amazia fratres,

בנו מלך אחריו מא׳ שנה ועזריהו בן עודד וחנני הרואה ויהוא בן חנני נביאים · יהושפט בנו מלך אחריו כה׳ שנה ויהוא בן חנני ועובדיה ומיכה ויחיאל בן זכריה ואלעזר בן דודהו נביאים · יורם בנו מלך אחריו ח׳ שנים והיה אליהו נביא: אחזיהו בנו מלך אחריו שנה אחת ואלישע נביא · אחר כן קמה עתליה אם אחזיה ותאבד זרע הממלכה ולא נשאר אלא יואש תינוק קטן ותמלך עתליה ו׳ שנים והרגו אותה ומלך יואש כ׳ שנה:

& Amoz pater Jesaiæ Prophetæ. Post hunc regnavit Uzijahu filius ejus LII annis. Prophetæ autem, Hosea, Amos, & Jesaia. Filius ejus Jotham regnavit post eum XVI annis: & Prophetæ fuerunt Hosea, Jesajahu, Amos, Uzijahu, & Micha Morasthites. Porro Ahaz filius ejus regnavit post ipsum XVI annis: & prophetarunt Hosea, Jesaia, Amos, Micha atque Odad. Post eum regnavit filius ejus Hizkijahu XXIX annis: Hosea, Jesaia, Amos, & Micha, Prophetæ. Cui successit Menasse, regnans annis LV: Joel, Nahum, & Habbakuk, Prophetæ. Post hunc regnavit Amon filius ejus II annis: Hozai Propheta. Cujus filius Josijahu regnavit post ipsum XXXI annis: Zephania, Jirmeia, & Holda Prophetæ. Jehoahaz filius ejus regnavit post ipsum III mensibus: Jirmeia Propheta. Cujus frater Jehojakim regnavit post ipsum XI annis: Jirmeia & Urija Prophetæ. Anno tertio regni sui transtulit illum Nebuchadnezar Rex Babylonis; mortuúsque est in vinculis ejus, ut adimpleretur quod dictum erat, *Sepulturâ asini sepelietur*. Ipse transtulit Jerosolymam & omnes Principes, & de Benjamin atque de reliquis Tribubus VII M captivos, qui omnes fortes erant & bellicosi. Regnavit autem post ipsum Jehoiachin filius ejus III mensibus atque X diebus, Jirmeiâ prophetante: Transtulítque eum Nebuchadnezar Rex Babel ipsum & XVIII millia cum eo; & constituit Regem Zidkija fratrem patris ejus filium Josijahu, qui regnavit XI annis, Jirmeiâ & Jehezkel prophetantibus. Anno quinto Regni ejus venit exercitus Babylonis contra Jerusalem: & in anno undecimo Regni ejus capta est Civitas, translatúsque est Jehuda de terra sua. Ipse est annus DCCCIII introitûs eorum in Terram, annus autem MMMCCCVIII creationis mundi. Et non est relictus de domo David nisi Jechoniahu solus; qui genuit Schealthiel, Malkiram, Pedaiam & Gemariam. Regnavit autem Nebuchadnezar usque ad annum XXXVII transmigrationis Regis Jehoiachin: & regnavit Evilmedorach filius ejus XXIII annis, & anno I Regni sui eduxit Jehoiachin de domo carceris, & postea mortuus est in Babel post mortem Zidkijæ. Regnavit præterea Belschæzer III annis: & mortuus est Schealthiel, stetítque post eum Zerubabel filius ejus, anno scilicet LII desolationis Templi, qui est annus LXX Regni Babylonis. Regnante autem Darjaves Medo, abolitum est Regnum Chaldæorum: ascendítque Zerubabel in Jerusalem, & transmigratio cum eo, anno primo Chores Regis Persarum. Porrò Jehosua filius Jehozadac Sacerdos magnus & Haggai, Zaccharia & Ezra erant Prophetæ. Stans verò Ahasueros impedivit opus domûs Sanctuarii, conatúsque est eliminare Israel: sed eliminavit eum Sanctus qui est benedictus, tam ipsum quàm Haman impium, de mundo. Anno XVIII Medorum, qui fuit annus LXX desolationis Templi, ascendit Ezra scriba in Jerusalem, atque reliqua transmigratio cum eo, & ædificavit murum Jerusalem, & instauravit domum Sanctuarii: & reversus est Zerubabel in Babel, mortuusque est ibi. Stetit autem post eum Mesullam filius ejus: & in diebus ejus imperium habuit Regnum Græcorum. Anno LII Medorum & Persarum mortui sunt Haggai, Zecharia & Maleachi. Et eo tempore cessavit Prophetia in Israel. Ipse est annus à creatione mundi MMMCDIV. Abhinc & ultrà inclina aurem tuam, & audi verba sapientum. Alexander Macedo Rex Græciæ regnavit XII annis: mortuúsque est Mesullam, & stetit post eum Hanania filius ejus. Anno CXL Græcorum mortuus est Hanania atque Mathathia filius Johanan filii Simeonis, stetítque post eum Bærechia filius ejus. In diebus ejus fuit Seleucus & Antiochus, qui ædificavit Antiochiam, & Ptolemæus qui descripsit Pentateuchon Græcè. Anno CLXX Græcorum mortuus est Bærechia, stetítque post eum Hasadia filius ejus. In diebus ejus fuit tribulatio magna contra Israelem, in diebus scilicet Nicanoris Regis Græciæ: egredientésque filii Hasmonim (qui & *Machabæi*) occiderunt eum atque omnem militiam ejus. Ipse est annus CLXXV Græcorum. Regnavítque Johanan filius Simeonis filii Mathathiæ, filii Hasmoni XXXVII annis. Et cùm dormiisset Hasadia, stetit post eum Jesaia: & regnavit Janai filius Johanan Sacerdotis magni XXVII annis. Et cùm dormisset Janai, stetit post eum Aristobolus filius ejus, regnavítque XIII annis, & occisus est. Regnavit verò post eum Antigonus filius ejus XXVI annis, & occisus est anno CIII Regni domûs Chasmonæorum: stetítque post eum Herodes filius Antipatri servus Chasmonæorum, qui rebellionem movens occidit omnes qui erant de domo domini sui, regnavítque XL annis. Post eum regnavit Agrippas filius Herodis: & rursum post illum regnavit Munabas filius ejus. Anno CIII Regni Romanorum, qui est annus CDXL exstructi Templi, & annus MMMDLVIII à creatione mundi, venit Vespasianus, & destruxit Templum, transtulítque Israelem & plurimos de familia David & Jehuda in Hispaniam.

כ׳ שנה׃ אמציהו בנו מלך אחריו כט׳ שנים׃ אמון ואמציה אחים היו ואמון אבי ישעיהו נביא׃ עזיהו בנו מלך אחריו נב׳ שנה הושע ועמוס וישעיהו נביאים׃ יותם בנו מלך אחריו שש עשרה שנה הושע ישעיהו ועמוס ועזיהו. ומיכה המורשתי נביאים׃ אחז בנו מלך אחריו יו׳ שנה הושע וישעיה ועמוס ומיכה ועודד נביאים׃ חזקיהו בנו מלך אחריו כט׳ שנה הושע ישעיה ועמוס ומיכה נביאים׃ מנשה מלך אחריו נה׳ שנה יואל ונחום וחבקוק נביאים׃ אמון בנו מלך אחריו ב׳ שנים חוזי נביא׃ יאשיהו בנו מלך אחריו לא׳ שנה צפניה וירמיה וחלדה נביאים׃ יהואחז בנו מלך אחריו שלש חדשים ירמיה נביא׃ יהויקים אחיו מלך אחריו יא׳ שנה ירמיה ואוריה נביאים׃ ובשנת השלישית למלכו הגלה אתו נבוכדנצר מלך בבל ומת באיסורו לקיים מה שנא׳ קבורת חמור יקבר׃ הוא הגלה את ירושלם ואת כל השרי׳ ומבנימן ומשאר שבטים ז׳ אלפי גולה הכל גברים עושים מלחמה׃ ומלך אחריו יהויכין בנו שלש חדשים וי׳ ימים ירמיה נביא והגלה אתו נבוכדנצר מלך בבל הוא וי״ח אלף עמו והמליך את צדקיהו בן אבי בן יאשיהו ומלך יא׳ שנה ירמיה ויחזקאל נביאים׃ בשנ׳ ה׳ למלכו באו חיל בבל על ירושלם ובשנת יא׳ למלכו נלכדה העיר ונגלה יהודה מעל אדמתם היא שנת שמונה מאות ושלש שנים לכניסתן לארץ ושנת שלשת אלפים ושלש מאות ושמנ׳ שנה לבריאת עולם׃ ולא נשאר מבית דוד אלא יכניהו לבדו והוא הוליד שאלתיאל ומלכירם ופדיה וגמריה׃ ונבוכדנצר מלך עד שנת לז׳ לגלות המלך יהויכין ומלך אוילמרודך בנו כג׳ שנים בשנת א׳ למלכו הוציא יהויכין מבית כלא ואחר כן מת בבבל אחרי מות צדקיהו׃ ומלך בלשצר ג׳ שנים ומת שאלתיאל ועמד אחריו זרבבל בנו בשנת נב׳ לחרבן הבית היא שנת ע׳ למלכות בבל׃ מלך דריוש המדי ובטלה מלכות כשדים ועלה זרובבל לירושלם וגלות עמו בשנת אחת לכורש מלך פרס ויהושע בן יהוצדק כהן גדול וחגי זכריה ועזרא נביאים׃ עמד אחשורוש ובטל מלאכת בית המקדש ובקש לעקור את ישראל ועקרו הק״בה לו ולהמן הרשע מן העולם׃ בשנת יח׳ למדי היא שנת ע׳ לחרבן הבית עלה עזרא הסופר לירושלם וגלות אחרת עמו ובנה חומת ירושלם והכין את בית המקדש וחזר זרובבל לבבל ומת שם׃ ועמד אחריו משלם בנו ובימיו מלכה מלכות יון׃ בשנת נב׳ למדי ופרס מתו חגי זכריה ומלאכי׃ באותו הזמן פסקה נבואה מישראל היא שנת ג׳ אלפים וד׳ מאות וארבע לבריאת עולם׃ מכאן ואילך הט אזנך ושמע דברי חכמים׃ אלכסנדרוס מוקדון מלך יון מלך יב׳ שנה ומת משלם ועמד אחריו חנניה בנו׃ בשנת קמ׳ ליון מת חנניה ומתתיה בן יוחנן בן שמעון ועמד אחריו ברכיה בנו בימיו היה סליקוס ואנטיכס הוא בנה אנטוכיא ותלמי הוא כתב את התורה יונית׃ בשנת קע׳ ליון מת ברכיה ועמד אחריו חסדיה בנו׃ בימיו היתה צרה גדול לישראל בימי נקנור מלך יון ויצאו בני חשמנים והרגו אותו וכל חילותיו היא שנת קע״ה ליון ומלך יוחנן בן שמעון בן מתתיה בן חשמוני לז׳ שנים ושכב חסדיה ועמד אחריו ישעיה ומלך ינאי בן יוחנן כהן גדול כז׳ שנים ושכב ינאי ואריסתבלוס בנו עמד אחריו ומלך יג׳ שנה ונהרג ומלך אחריו אנטיגנוס בנו כו׳ שנים ונהרג בשנת מאה ושלש למלכות בית חשמנאי ועמד אחריו הורדוס בן אנטיפטר עבד חשמני ומרד והרג כל בית אדניו ומלך מ׳ שנים ומלך אחריו אגריפס בן הורדוס ואחריו מלך מונבס בנו׃ בשנת קג׳ למלכות רומי היא שנת תמ׳ לבנין הבית ושנת ג׳ אלפים ות׳ מאות נח׳ שנים לבריאת עולם בא אספסיאנוס והחריב הבית והגלה את ישראל והרבה מבית דוד ויהודה לאספמיא׃

ANNO-

ANNOTATA
AD
ESAIAM.

CAP. I.

MUNSTERUS.

NUmerant Hebræi inter Prophetas posteriores Jesaiam, Jirmeiam, Jehæzkel, & XII Prophetas minores, quos vocant Chaldaico vocabulo תרי עשר, i. *Duodecim*. Et in his omnibus inveniuntur hæc tria, futurorum enunciatio, castigationes, & consolationes. Inter eos autem primum tenet locum Jesaia, qui prophetavit sub quatuor Regibus sibi invicem in Jehuda succedentibus, videlicet Uzijahu, Jotham, Ahaz, & Hizkijahu. Sub Menasse filio Hizkijahu quinto Rege occisus putatur. Is enim impius Rex bonos quosque viros trucidavit qui Dei cultui vacantes suæ impietati consentire noluerunt. Porrò principium suæ Prophetiæ fuit id quod infrà scribitur in sexto capite, *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum*, &c. Illic enim sic habetur, *Audivi vocem Domini dicentis, Quem mittam? & quis ibit pro nobis?* tunc Jesaia respondit, *Ecce ego; mitte me*, &c. Hic præ cæteris Prophetis clariora & magnificentiora de Christo Salvatore protulit testimonia, ut à D. Hieronymo non tam *Propheta* quàm *Euangelista* vocari censeatur: id quod suis quibusque monebimus locis. In primis itaque arguit corruptos mores Magistratûs, Sacerdotum & populi. Taxat autem, ut emendentur & convertantur, nisi perire malint. Amplificat proinde orationem exquisitis verbis hujuscemodi, *Filios educavi, adoptavi, duxi ex Ægypto, portavi in sinu, dedi terram optimam, alui, extuli, dedi victorias, religionem præscripsi*, &c.

4. *Væ genti peccatrici*] Sunt inter Hebræos qui הוי legunt pro לשון קריאה *dictione vocativa*: ut sit sensus, *O gens peccatrix, semen pravum, filii degeneres*, referentes Amorræum patrem.

5. *Languori*] Subaudiendum מוכן, h.e. *destinatum*, seu *præparatum*, *est omne caput ad languorem*.

6. *Circumligata*] Est hîc זרו idem quod זררו: scribitúrque in passivo Piel: quod me annotare coegit quidam ex recentioribus scriptoribus, qui hunc locum, refragante & Grammaticâ & sensu, sic reddidit, *Non separaverunt, & non alligaverunt, & non mollitio in oleo*. Et hujusmodi interpretes hodie multi surgunt, qui vel ignoratâ vel contemptâ Hebræâ Grammaticâ pergunt interpretari S. libros. Est proinde hic זרו passivum Piel, scribitúrque Holem loco Kybuz & Dages, propter Resch mediam radicalem literam. Sunt tamen qui putant esse verbum neutrum, ejusdem formæ cum בושו. Hinc derivatur nomen מזור *emplastrum*, Hos. 5.

12. *Conculcare atria mea*] Frustrà, inquit, calcatis atria mea in solennitatibus vestris, cùm sacrificia vestra mihi non sint accepta, propter enormia scelera vestra.

18. *Ut nostram agamus causam*] Heb. *& arguemur*: & est sensus, Expostulate mecum, si non plurima vobis exhibuerim beneficia, & vos vicissim pessimè contra me egistis. Vos contra me nihil queri potestis: ego autem multa habeo contra vos, cùm & timorem meum & omnem peccandi pudorem in universum abjeceritis. Percussi vos variis morbis & plagis, mœrore quoque cordis; ac deinde ex omni parte afflicta est urbs vestra; & adhuc perseveratis in vestra perfidia: imò non vultis esse perfidi, ob id quòd habetis Dei cultum, sacrificia, lectiones sacras, festa, orationes publicas, &c. Perinde quasi Deus delectetur cultu illo externo, quo voluerunt tegere sceleratam vitam suam, putantes omnia esse integra quando externam custodiebant observantiam. Sed quid ad hæc dicit Dominus? *Hostiæ vestræ sunt mihi abominatio; solennitates vestras odit anima mea; non exaudiam orationes vestras; quia manus vestræ plenæ sunt sanguine*, &c. Subjiciuntur deinde quædam antitheses, *Quomodo facta est meretrix civitas fidelis? Pernoctavit justitia in ea, nunc autem homicidæ*, &c.

VATABLUS.

1. V*isio* חזון] *Visum*. Chald. P. vertit *Prophetia*. Quòd Dominus per visum Prophetis appareret; vide Num. 12. 6. Unde & *Videntes* appellabantur, 1 Sam. 9. 9. ¶ *Amos* אמוץ] Hic per א in principio, & ץ in fine scribitur. Qui verò *Propheta Amos* dicitur, scribitur per ע & ס sic, עמוס. ¶ *Super Jehudah* על יהודה] *De Juda: ad Judam*. Sub hac tribu comprehenditur & Benjamin in qua sita erat Jerusalem. ¶ *Uzijahu* עזיהו] Hic *Ozias* dicitur, & *Azarias* 2 Reg. 15. 1.

2. *Locutus est* דבר] Præt. Heb. pro præsenti, ut quidam vertunt. Sunt qui Hebraismum esse putant, explicantes, *Audite verba Dei, me interprete*; aut, *quæ Deo revelante dicturus sum*. ¶ *Enutrivi* גדלתי] *Educavi*. Ad verb. *magnificavi*, vel *crescere feci*. ¶ *Et exaltavi* ורוממתי] *Et evexi*, sub. *ad honores*. ¶ *Prævaricati*, &c. פשעו בי] *Iniquè egerunt contra me*. Alii, *rebellaverunt in me*. Vel, *defecerunt à me*.

3. *Cognovit* ידע] Præterit. Heb. pro præs. *Agnoscit*, &c. *at Israel non intelligit*, i. non dat operam ut intelligat. Sic reddi debere verba octavæ conjugationis Hebraicæ, annotant docti quidam.

4. *Væ genti peccatrici* הוי גוי חוטא] *Heu gentem peccatricem*. Vel, *O gentem scelestam*. הוי particula est deplorantis alienam miseriam & calamitatem. ¶ *Gravi* כבד *Onusto*.] ¶ *Semini malorum* זרע מרעים] *Proli malorum*, i. quorum patres fuerunt etiam mali. Alii, *semini noxio*, vel *maligno*, aut *malitioso*. ¶ *Corruptoribus* משחיתים] *Corrumpentibus*; i. perdentibus se, aut rationem suam vivendi. Quidam vertunt *corruptorum*: aut *subversorum*, vel *dissipantium*. ¶ *Irasci fecerunt* נאצו] *Ad iram provocaverunt*. Alii, *probris affecerunt*, vel *spreverunt*, aut *rejecerunt*. ¶ *Alienaverunt se* נזרו] *Abalienati sunt*, i. retrocedentes destiterunt eum sequi. Hoc est, dereliquerunt eum.

5. *Propter quid*, &c. על מה תכו] *Quare percutiemini ultrà?* Vel, *Ad quid percuteremini?* q. d. Frustrà certè laborarem. Dictio *ultrà* referri potest & ad sequentia, *ultrà addetis*, &c. ¶ *Perversitatem* סרה] *Perversum factum*. Vel, *prævaricationem*: aut, *aversionem, & apostasiam*. ¶ *Ad infirmitatem* לחלי] *Languori*, sub. *est expositum*. Vel, *morbo*, sub. *obnoxium est*. Alii, *morbidum*: q. d. Corpora vestra morbis affeci, & animos molestiis: neque propterea redistis in bonam viam. ¶ *Infirmum* דוי] *Ægrum: mœrens*.

6. *Perfectio* מתם] *Integritas*: i. sanitas. Quidam Hebræorum, *firmitas*: aut, *bona valetudo*. Alii à מתים deducentes vertunt *viros*, sive *homines*: q. d. Non est in eo figura, aut aliquid quod sit hominis, & sic ם redundat. ¶ *Vulnus* פצע] Hebræi subaudiunt אך *sed*. Sing. pro plur. *vulnera*, unde scilicet defluit cruor. ¶ *Et livor* וחבורה] *Et vibex: contusio*: unde scilicet non fluit cruor. Alii, *tumor*. ¶ *Recens* טריה] *Purulenta, saniosa*. Alii, *putrida*. ¶ *Constricta* זרו] *Compressa*: vel, *expressa*, sub. *hæc omnia*: nam premendo extruditur sanies. Alii, *fracta*, i. aperta, vel curata, sub. *emplastro*. Alii, *fota*. ¶ *Emollita* רככה] *Lenita*: sive, *delinita*: q. d. Non fuerunt curata, malagmate superposito.

7. *Desolatio* שממה] i. Desolata. Nomen pro verbo *desolabitur*. Quidam, *in squalorem redigetur*. *Terram* pro *patria* aut

aut *regione* posuit. Subauditur *tamen*, q. d. Percutiam tamen vos, ut sitis inexcusabiles. Futuram desolationem Regni Israel prædicit. ¶ *Succensæ* שרפות] Et hic nomen pro verbo *succendentur*, vel *absumentur incendio*. ¶ *Comedunt* אכלים] *Devorant*: pro *devorabunt*. ¶ *Sicut subversio*, &c. כמהפכת זרים] *Juxta subversionem alienigenarum*: i. sicut subversi fuerunt qui alieni fuerunt à Deo, ut Sodomitæ. Alii, *ceu subversio extraneorum*: i. sicut terra quæ subvertitur ab extraneis, sive ab exercitu hostili.

8. *Et derelinquetur* ונותרה] *Et remanebit residua*. ¶ *Velut tugurium* כמלונה] *Velut diversoriolum nocturnum*. Habitaculum est in quo pernoctat custos, à לון *morari & pernoctare*. ¶ *Desolata* נצורה] *Obsessa*.

9. *Reliquisset* הותיר] *Residuos fecisset*: vel, *reliquos fecisset*. ¶ *Paucos* כמעט] *Planè paucos*: nam כ est affirmantis, ut annotant docti inter Hebræos. Alii, *vel tantillos*. Alii, *citò*: *brevi*: *extemplo*. Nonnulli, *sicut parùm*, i. ferè.

11. *Ut quid*, &c. למה לי רוב זבחיכם] Ad verb. *Ad quid mihi multitudo sacrificiorum vestrorum*, &c. ¶ *Satur sum* שבעתי] *Plenus sum*: i. fastidio instar hominis pleni & saturi. Quidam jungunt huic verbo sequentia, vertentes, *satur sum holocaustis arietum & adipe animalium saginatorum*: *etiam sanguinem*, &c. ¶ *Bubalorum* מריאים] *Pinguium animalium*. ¶ *Et sanguinem* ודם] *Etiam sanguinem*. ¶ *Nolui* לא חפצתי] Præt. Heb. pro præs. *nolo*: *non amo*: *non desidero*.

12. *Cùm veniretis*, &c. כי תבאו וגו'] Ad verb. *Cùm venietis* [sive, *Cùm veneritis*] *ut conspiciamini*. ¶ *Quæsivit* בקש] Præt. pro fut. *quis quæret*, aut *quærat*. ¶ *Ut conculcaretis* רמס] Ad verb. *calcare*, sive *conculcare*, sub. *nimirum*, vel *nempe*.

13. *Addatis* תוסיפו] Fut. Heb. pro imperat. Latinè, *Nè ultrà offeratis*. Vel, *Nè pergatis offerre*. ¶ *Mendax* שוא] Ad verb. *mendacii*, aut *vanitatis*: i. vanum & irritum, acsi dicat, *sacrificia quæ floccipendo*. ¶ *Suffimentum* קטרת] *Thymiama*: *incensum*. ¶ *Quòd convocetis convocationem* קרא מקרא] Ad verb. *convocare convocationem*. Vel, (ut alii) *congregare* [i. congregatio, sive indictio] *festivitatis*, aut *diei festi*, i. festum indictum sive institutum à vobis certa de causa. Vel קרא infinitivus accipitur pro secunda persona plurali futuri, *vocabitis*, i. quæ vocatis, *solennitates*: ut sit per appositionem dictum. ¶ *Non possum*, &c. לא אוכל וגו'] Ad verb. *Non possum iniquitatem & cœtum*. Sermo imperfectus; propterea Hebræi subaudiunt *ferre*. Hebraismus autem est, pro, *Non possum ferre aut videre cœtus vestros iniquos*, aut *solennitates vestras iniquas*. Quidam vertunt, *non possum*, *vana res est*, *nec cœtum*.

14. *Odio habuit* שנאה] Præt. Heb. pro præs. *odio habet anima mea*, i. odi ex animo. ¶ *Sunt mihi oneri* היו עלי לטרח] Ad verb. *fuerunt super me in laborem*: vel, *labori*: i. sunt mihi molesta. ¶ *Fatigatus*, &c. נלאיתי נשא] *Laboravi* [vel *defeci*] *ferendo*: q. d. ferre non possum.

16 *Vos*] Alii subaudiunt *corda vestra*. ¶ *Malum* רוע] *Malitiam*: *pravitatem*.

17. *Quærite judicium* דרשו משפט] i. Disquirite diligenter jus causæ. Judices & patronos alloquitur. ¶ *Dirigite oppressum* אשרו חמוץ] i. Dirigite negotia oppressi. Alii, *deducite oppressum*, sub. *per viam rectam*, ferte illi opem. Propriè significat *rectificate*, i. sententiam iniquè latam emendate sive dirigite. Quidam, *restituite oppressum*. ¶ *Judicate pupillo* שפטו יתום] *Jus dicite pupillo*. Alii, *agite in judicio* causam *pupilli*. ¶ *Judicate* ריבו] Ad verb. *litigate*, sub. *causam*: i. causam agite viduæ, vel causam viduæ suscipite.

18. *Venite nunc* לכו נא] *Adeste*, *quæso*: aut, *Agite*. *Eia*. ¶ *Et increpemus nos* ונוכחה] *Et disceptemus inter nos*: i. argumentis mutuis causam nostram tueamur, & videamus vestrâne causa sit melior, an mea. Quidam, *& nostram agamus causam*.

19. *Si volueritis & audieritis* אם תאבו ושמעתם] Hebraismus, pro, *Si volueritis audire*, vel, *obtemperare*. Alterum verbum præcedenti junctum per conjunctionem, quod per infinitivum redditur à Latinis.

20. *Et irritaveritis* ומריתם] *Et rebelles fueritis*. Vel, *& contumaces fueritis*.

21. *Quomodo* איכה] Admirantis vel deplorantis particula est, *Quâ ratione*. *Quo pacto*. ¶ *Ut meretrix* לזונה] Ad verb. *in meretricem*, vel *in scortum*. ¶ *Judicii* משפט] *Æquitatis*: i. in qua plures erant æquissimi Judices. ¶ *Morabatur* ילין] Præt. Heb. pro imperf. *manebat*, *versabatur*.

23. *Declinantes* סוררים] Sub. *ab æquitate*. Alii, *recedentes*. Alii, *perversi*. ¶ *Omnes diligunt* כלו אהב] *unusquisque eorum diligit*. ¶ *Et sequuntur* ורדף] *Persequitur*: i. captant retributiones: vel, inhiant retributionibus. ¶ *Judicant* ישפטו] Ad verb. *judicabunt*. Fut. Heb. pro præs. i. non reddunt jus pupillo. ¶ *Non ingreditur* לא יבוא] Fut. Heb. pro præs. i. non admittitur ab illis. Gallicè, *Ils ne leur baillent point d'audience*.

24. *Consolationem capiam* אנחם] q. d. O gentem miseram, ego sumam pœnas acerbas ac dignas de te; & ità capiam voluptatem & consolationem.

25. *Et convertam* ואשיבה] *Et reducam*: i. frequenter sive identidem te percutiam & affligam. Quidam, *Et admoliar manum meam tibi*. ¶ *Ut purificativum* כבר] i. Ut res quæ vim purificandi & purgandi habet, qualis est sapo. Quidam vertunt *ad purum*, vel *ad liquidum*.

26. *Vocaberis* יקרא לך] Ad verb. *vocabitur tibi*. Vel., *indetur tibi*. sub. *nomen*.

27 *Redimetur* תפדה] i. Liberabitur de manu hostium propter justitiam quam fecerit. ¶ *Et conversi ejus* ושביה] i. Qui in ea conversi fuerint sive resipuerint, liberabuntur etiam *ob justitiam* quam fecerint.

28. *Et peccatorum* וחטאים] *Et sceleratorum* vel, *improborum*.

29. *Pudore enim afficiemini* כי יבשו] Ad verb. *Confundentur*, vel *erubescent*. Confusio personarum, tertiæ pro secunda, pro *Erubescetis*, vel *Pudebit vos arborum*. ¶ *Propter arbores* מאילים] *Propter quercus*: vel, *ulmos*. Quidam, *propter deos*, vel *idola*. ¶ *Elegistis* בחרתם Sub. *ut in illis coleretis idola*, *& faceretis sacrificia*.

30. *Quando*, &c. כי תהיו כאלה] *Eritis enim velut ulmus* [aut *arbor*] *cujus folia deciderunt*, vel *defluunt*. ¶ *Cui aqua non est* אשר מים אין לה] i. Quem nulla irrigat aqua: h. e. qui propter ariditatem nullis oleribus aut floribus ornatus est: q. d. Omni honore spoliabimini.

31. *Fortis* החסן] *Fortissimus*, sub. *idolorum vestrorum*: quem putabatis esse fortissimum æstimatione vestra, aut propter materiam ex qua factum erat, vel ratione basium firmarum. ¶ *Et operator ejus* ופעלו] *Et artifex ejus*, vel *opifex*, & *factor*.

C A S T A L I O.

1. O*Raculum Esaiæ*] חזה non solùm *videre* sed etiam *providere*, & ad animum translatum *præsentire* est: sicut & alia Hebræa verba sæpe simplicia ponuntur pro compositis, ut alibi declaravimus. Hinc חזון non modò *visum quod oculis cernatur* sed etiam *quod animo perspiciatur* denotat, quod Latinè dici potest *præsensio*. Sed quia hoc verbo utuntur Vates, quò declarent se quæ divinitus præsentiant ea hominibus prædicere, propterea ego aliquando *oraculum* aut *prædictionem* interpretor, nonnunquam etiam *fatum*, ut Dan. 8. ubi sic ad verbum legitur *Quousque visio perenne inexpiatum in calamitate?* h. e. Quousque significaretur illâ prædictione & oraculo id quod in fatis esset, videlicet perenne sacrum vastatum jacere? *Fatum* autem voco certam fixámque Dei voluntatem atque decretum. Quod ideo dico nè quis forte *fati* nomine fallatur, ut dicat, quod solent multi, *Si fatale est damnari me*, *non possum servari*. Ego non ità *fatum* in hac parte intelligo; sed ità, *Si fatale est* (ut est) *damnari contumaces*, *& servari obedientes*, *non potest nec obediens damnari*, *nec contumax servari*: *proinde obediendum Deo est si salvus esse velis*. Aliud ego *fatum* in universis Sacris literis non invenio quod ad hominum salutem attinet.

16. *Lavamini*] Heb. *Lavate*: sed verbum activum ponitur sæpe pro passivo, aut neutro; ut Latinè fit in *movere*, *lavare*, *præcipitare*, *vertere*, & aliis multis.

18. *Agite*, *corrigamus nos*] i. *Corrigite vos*: nam ità ponitur eleganter prima pluralis persona pro secunda utriusvis numeri: id quod fit etiam in cap. 2. his verbis, *Jacobea stirps*, *agite*, *gradiamur in luce Jovæ*. Et hoc modo sæpe Gallicè loquimur. Latinè quoque Cicero ità dixit in Verrem, actione tertiâ, *Verùm si causam cognosci opus est*, *parúmne cognita est? Dissimulamus*, *Hortensi*, *quod sæpe in dicendo experti sumus?* i. *Dissimulásne*, *Hortensi?*

21. *Urbs fidelis*] h.e. Casta: nam castæ fidem servant.

24. *Heu! ut in meos adversarios vindicabo*, *ut hostes ulciscar*] Scilicet Israelitas, ut & Psal. 9.

C L A R I U S.

NUmerant Hebræi inter Prophetas posteriores Esaiam, Jeremiam, Ezechielem, & 12 Prophetas minores. Et in his omnibus inveniuntur hæc tria, futurorum enunciatio, castigationes, & consolationes. Inter eos autem primum tenet locum Esaias,

Esaias, qui prophetavit sub quatuor Regibus sibi deinceps in Juda succedentibus, videlicet Ozia, Joathan, Achaz, Ezechia. Sub Manasse filio Ezechiæ, quinto Rege, occisus putatur. Is enim impius Rex optimos quosque viros trucidavit qui Dei cultui vacantes suæ impietati subscribere noluerunt. Porrò principium ejus Prophetiæ esse volunt id quod infra scribitur sexto capite, *Vidi Dominum sedentem*, &c. Illic enim sic habetur, *Audivi vocem Domini dicentis*, *Quem mittam? & quis ibit pro nobis?* Tunc Esaias respondit: *Ecce ego! mitte me.* Hic præ cæteris Prophetis clariora & magnificentiora de Christo Servatore protulit testimonia, ut à D. Hieronymo non tam *Propheta* quàm *Euangelista* vocandus censeatur.

2. *Audite, cæli*] Magnificum exordium, sed cui tota operis series pulcrè respondeat. Heroicâ enim quadam dicendi majestate fertur, miscétque Oratoriæ virtuti etiam Poetica ornamenta, ut gloriari possimus, habere nos qui idem Divinus Poeta & vehementissimus Orator exstiterit, quod apud Ethnicos non facilè reperias. Atque ut agnoscas ab ipso initio Poeticum spiritum, observa & Mosen ejusmodi principio usum in eo Cantico quod Heroico metro scriptum fuisse ferunt: sic enim exorsus fuit, *Audite, cæli, quæ loquor; audiat terra verba oris mei.* Hic ergò cùm vocasset Cœlum ac Terram ad audiendum, confestim reddit causam cur sic invitet, *quoniam*, inquit, *Dominus locutus est.* Cùm enim verba facturus sit is qui verbo ac jussu omnia fecit, quid omnium non ei aurem accommodet? Quod cùm unus Homo, cujus tamen causâ facta ista omnia sunt, renuat, meritò hæc rerum fabrica vocatur ut saltem testis sit adversùs Hominem.

4. *Væ genti peccatrici*] Potest etiam esse exclamatio, sic, *O gentem peccatricem*, &c. Quòd autem ait *peccatricem*, idem est ac si dixisset *assiduè peccantem*.

5. *Super quo percutiam*] h.e. Quid ad plagas vestras accedere poterit? Ostendit autem se plagas adhibere unam tantùm ob causam, ut corrigantur, quod verè paternæ est curæ. Verùm cùm novas quotidie inter verbera adjiciant prævaricationes, penè ambigere se dicit utrùm laborem hunc percutiendi ferre posthac debeat.

6. *Non est circumligata*] Ostendit deploratum esse malum, ubi medicamentum non admittitur.

9. *Reliquisset nobis semen*] Vel *reliquias*, ut est in Hebræo. *Semen* appellat exiguas bonorum reliquias quæ servandæ essent, quemadmodum Paulus ad Romanos interpretatur, & quarum gratiâ Judæorum gens non everteretur funditus. Accepta autem est similitudo à re rustica, ubi cùm exiguam messem esse querimur, dicimus *vix semina superfuisse*. Cùm ergò dixisset hoc exiguum semen obstare nè id paterentur quod Sodomæ accidit ac Gomorræ, quòd horum scelera illis æquarentur, meritò & Judæorum Principes appellat *Principes Sodomorum*, & populum vocat non *Judæorum populum* sed *Gomorræ*.

12. *Quis quæsivit hoc*] Nam quod in primis quærit Deus est ut lex ejus servetur: Sacrificia verò instituta fuerunt ut in officio continerentur homines: nam per se ipsa sacrificia nihil habebant cur Deo placerent. *Num quid manducabo*, inquit, *carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?* ¶ *Conculcare atria mea*] Magnam habet emphasim, ut dicat, accessum sceleratorum hominum ad atria Dei esse quandam *conculcationem*.

18. *Et venite, & arguite me*] Subintelligi debet *ubi hæc feceritis.* In disceptationem, inquit, tum veniamus, & videatur utrùm justam habituri sitis causam querendi de me, & nisi plurima vobis exhibuerim beneficia, cùm vos vicissim contra me pessimè egeritis. Vos quidem contra me nihil queri potestis: ego autem multa habeo contra vos, cùm & timorem mei & omnem peccandi pudorem in universum abjeceritis.

24. *Heu consolabor me*] Quidam sic intelligunt, *Væ hostibus meis ubi consolari me cœpero, indulgens iræ meæ*: humano enim more loquitur. Vel exclamantis est, *O cogor consolari me*, &c. quod fortasse est aptius. At cur hoc facit? Non indignationis causâ, sed ut, quemadmodum subdit, *excoquat ad purum scoriam ejus*, & in pulcriorem statum reponat.

27. *Et captivi ejus*] Alius vertit, *revertenturque ad eam in justitia.*

29. *Quibus sacrificaverunt*] Heb. *quæ concupivistis.* ¶ *Super hortis quos elegeratis*] Nempe ad sacrificandum ibi idolis.

31. *Fortitudo vestra*] Idola intelligit quibus nitebantur.

LUCAS BRUG.

v. 11. P*Lenus sum. Holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum & agnorum & hircorum nolui.*] Ità plerique codices legunt. Porrò Parisiensium duo (Ge.p.o.) Hentenii duo, nosterque unus (Tril.) cum textu Hieronymi Commentariis adjuncto, habent, *Plenus sum holocausto arietum & adipe pinguium, & sanguinem vitulorum & agnorum & hircorum nolui.* Alter ex nostris, E literâ insignitus, scribit, *Plenus sum holocaustis arietum, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum & agnorum & hircorum nolui.* Alius M. notatus, *Plenus sum holocausto arietum, & adipe pinguium, & sanguine vitulorum & agnorum & hircorum nolui.* [*Holocaust.* Hebræis, Græcis & Chaldæis multitudinis numero legitur.] Quatuor his modis ut Latinè legitur, sic verti ex Hebræo potest. Quarto modo Chald. Paraph. transtulit; tertio Græci sunt interpretati; secundo Latinorum neotericorum nonnulli, Hebræorum distinctionem secuti, reddiderunt; primo alii Latinorum neotericorum [Pagninus, Forerius] convertêre, &, quod opinor, Vetus noster Interpres. Neque enim plerique tantùm codices, verùm etiam castigatissimi ferè quique, ad eum scribunt modum: quibus adstipulantur Tractatores, Richelius, Carensis, Lyranus, Thomas, Haymo, atque adeò, quem nostræ versionis autorem crediderim, Hieronymus. Etsi enim textus commentario adjunctus, sicut antè notavimus, legat; commentarius tamen, τὸ *plenus sum*, ut per se positum, exponit, *nullâ re indigeo.*

12. *Cum veniretis ante conspectum meum.*] Quædam exemplaria, Parisiensium duo, (Vet. Ge. p. Compl.) Hentenii tria, nostra novem, *veneritis* pro *veniretis* legunt. Hebræa utramque lectionem patiuntur (quamquam sit ad verbum, *cùm venietis*) cæterùm ut pleraque ità & integriora nostra, vulgatæ editionis manuscripta (Brug. Leod. Lob. P,O,L.) cum Haymone enarratore, *veniretis* probant. Hieronymi commentariis junctus textus *veneritis* legit, nectitque partem istam iis quæ præcedunt, *Nolui, cùm veneritis ante conspectum meum*; cui distinctioni meliùs *veniretis* conveniat: indicat tamen suo scribendi modo alteram distinctionem, eam quæ sequentibus hanc partem copulat, ità ut sit duodecimi versûs initium, quæ celebrior est.

FORERIUS.

1. V*Isio Jesaiæ*, &c.] *Jesaiam* dixi, sicut *Jeremiam*, quòd id petere videbatur ipsa analogia & orthographia nominis: cùm tamen in nominibus propriis Vulgatum interpretem sequi maluerim quàm innovandis nominibus sacris aures Christianorum offendere. Prophetiam suam *visionem* vocavit, quia & Prophetæ *Videntes* dicebantur, non solùm quòd ea viderent quæ aliis essent occulta, verùm etiam quia erant veluti aliorum oculi, quorum munus erat quæ præviderant prædicere aliis, ut timerent & caverent ab imminente gladio. ¶ *Fili Amos*] Solenne est Prophetis patrum suorum nomina apponere: quibusdam autem & patriam: quod non servarunt Scriptores Euangelici, fortè quia non tantam carnis & sanguinis rationem habebant. Est autem manifestum, hunc veluti titulum totius voluminis præfixum esse: continet enim liber *visiones* seu *visa* plurimarum rerum quas Jesaias, Spiritu Domini revelante, prævidit multò antè quàm essent. Neque obstitit temporis venturi distantia quò minùs *visionem* vocaret: nam ille cui adsunt ea quæ nondum sunt, sicut ea quæ sunt, oculos quoque quibus ea viderentur apertè, sicut ea quæ manibus tenemus, dare potuit. ¶ *Super Judam*] Hujus nominis rationem Scriptura declarat Gen. 29. nimirum à *confessione*, *laude* seu *celebratione*: *Pro hoc*, inquit, *celebrabo Jehova.* Ab hoc deinde tota Tribus & sors ejus nomen sortitæ sunt. Porrò Tribus Jehuda 2 Sam. 1. *domus Jehuda* dicitur, super quam initio David inauctoratus est. Reliqua autem populi pars, & undecim Tribus, quæ cesserunt Isboseth filio Saulis, dictæ sunt *Israel*; sicut apertè dicitur 2 Sam. 2, & 3, & 19. & 1 Reg. 11. Sed postea sub Roboam accessit ad Regnum Jehuda etiam Tribus Benjamin, & reliquæ decem nomen *Israelis* retinuere, 1 Reg. 12. ¶ *Jerusalem*] Olim *Salem* dicebatur, quæ profanis auctoribus *Solyma* urbs: cujus Rex & Sacerdos fuit Melchisedech, qui Abrahæ benedixit. Porrò, cùm duplex esset Salem, altera in campestri sita, altera autem in montibus omnium oculis exposita, dicta est hæc composito nomine *Jerusalaim*, q. d. duarum Salaim illa quæ conspicua est; illa verò simpliciter *Salem*, quæ erat in Samaria: quæ etiam *Sichem* dicta fuit, Gen. 33. At quia SALEM Hebræis *pacem* sonat, & ראה est *videre*, *Pacis visionem* interpretaberis, seu *visam pacem.* Ubi tamen in Ps. 76. legis, *Factus est in pace locus ejus*, ego mallem dicere, *Fuit in Salem habitaculum ejus*, &c. Erat autem in confinibus Jehuda & Benjamin; quæ duæ Tribus Regnum Jehuda constituebant: cujus metropolis Jerusalem erat. Atque ob hanc causam cùm *Jehudam* nominasset, *Jerusalem* quoque meminit; quia quæ ad Regnum pertinent, ad urbem regiam peculiari quadam ratione magis videntur pertinere. ¶ *In diebus*

bus Ozia, &c.] Opus est optime historias horum quatuor Regum tenere, ut quæ in hoc volumine continentur possit lector intelligere. Quòd si visio illa quæ infrà cap. 6. describitur, quam habuit Propheta *anno quo mortuus est Ozias*, post ejus obitum fuit, ut S. Patres annotarunt, licèt ex verbis Prophetæ id non usque adeò sit manifestum; certè quæ præcedunt cap. 2, 3, 4, & 5. sub Ozia Prophetæ fuerunt revelata. De his autem quæ continentur hoc primo capite quid mihi videatur, jam subjungam.

2. *Audite*, *cæli*, &c.] Sunt qui Prophetiam quæ hoc capite continetur non primam omnium fuisse, neque sub Ozia contigisse, putent propter ea quæ sequuntur de regionis vastatione: quæ certè sub Ozia non contigerat. Sed non video quantum momenti habeat ratio: nam quæ postea ventura erant, quid obest quò minùs multò antea, ut jam transacta, à Prophetis commemorentur? An quæ posteriùs acciderunt, priùs revelata esse non potuerunt? Nihilominus, ut semel mentem meam aperiam, ego hoc primum caput esse veluti argumentum totius libri existimo, quod tamen in modum cujusdam egregiæ concionis à Propheta proponitur, quam post universas revelationes edidit. Quâ quidem concione nihil est apud ullos ullius linguæ doctos, sive Poetas sive Rhetores, eruditius, nihil gravius, nihil elegantius. Non enim hîc figuras, non dictionis coloribus discriminatas sententias, non appositissimas comparationes ac similitudines, non denique alia omnia quæ in orationibus laudari solent, desiderare quis quantumvis harum rerum studiosus lector poterit, non solùm hoc capite, sed etiam in plerisque sequentibus; quæ tamen ego sciens prudénsque aliis consideranda relinquo, ut qui mihi elucidandorum obscurorum locorum hujus Prophetæ tantummodo provinciam desumpserim. Nomine ergò *cæli* & *terræ* non hîc puto Prophetam nisi universum orbem intellexisse, vel universos orbis incolas: sicut cùm dicitur, *Audite*, *cæli*, *quæ loquor: audiat terra verba oris mei*, &c. quod nihil aliud est quàm quod alibi dicitur, *Audite hæc*, *omnes gentes*; *auribus percipite*, *qui habitatis orbem*, &c. quibus attentionem captant Prophetæ quando de rebus magnis loqui incipiunt. Et verba hæc ad omnia quæ in volumine continentur existimo pertinere; quorum summam jam hoc primo capite proponebat: quasi dicat, omnia attentissimè consideranda: nam universa quæ dicturus erat, Domino dictante, exceperat. Cùm igitur ait, *Filios enutrivi*, &c. perinde est ac si dicat, Videbitis in hoc volumine quàm ingrati fuerint Judæi & Jerosolymitani erga Dominum, qui eos magnis beneficiis affecerat. ¶ *Enutrivi*] Verbum propriè *magnos facere* notat, ut Jos. 4. *magnificavit Jehova*, *ut celebre fieret nomen ejus.* Hoc tamen verbo Hebræi etiam *educationem* seu *nutricationem* significant: nam pueri dum nutriuntur, augmentum capiunt, ut 2 Reg. 10. מגדלים, i. *educantes.* Quare hoc loco utroque modo vertere poteris, vel cum Vulgato, vel utrumque verbum ad dignitatem referendo & populi illius amplitudinem ad quam evexit Dominus Israelem: de qua videre poteris Deut. 4. & Ezech. 7. ubi etiam ingratitudinem populi suis coloribus depingit Propheta. Recole hoc loco, quàm ignobile vulgus in Ægypto fuerit, quámque delicatè eos *enutrierit* Dominus seu *magnos fecerit*, & in amplissimam rempub. evexerit, in *gentem sanctam*, *genus electum*, *Regnum Sacerdotale*, *Domini peculium*, & multa hujusmodi, quæ commemorare longum esset. Quæ tamen parva sunt si cum eis quæ populus Christianus accepit conferantur: ut multò gravior sit nostra quam illorum ingratitudo. Quamvis verò *super Judam & Jerusalem* revelationes sibi factas dixisset, omnium tamen gentium attentionem exegit, quòd ad nos quoque hæc omnia, & quæcunque per Prophetas dicta sunt, pertinerent, licèt aliis atque aliis rationibus, juxta illud 1 Pet. 1. *Reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum vestrarum: de qua salute exquisierunt & scrutati sunt Prophetæ, qui de ventura in nos gratia vaticinati sunt, scrutantes ad quem aut cujusmodi temporis articulum significaret qui in illis erat Spiritus Christi, qui priùs quàm acciderent testabatur venturas in Christum afflictiones, & quæ has secuturæ essent glorias. Quibus & illud revelatum est, quòd haud sibi ipsis, imo nobis, ministrarent hæc*, &c. ¶ *Spreverunt*] פשע est *transgredi.* Similis constructio cum Beth adversativo habetur sæpe: sed ejus significatio apparet 2 Reg. 1. *Transgressus est Moab contra Israel:* & 1 Reg. 12. *Transgressus est Israel contra domum David:* est itaque verbum seditiosorum & rebellium.

3. *Cognovit bos*, &c.] q. d. Videbis in hoc volumine quòd amentiores brutis ipsis sint Judæi. Nam *bos*, &c. seu *taurus.* שור enim non quemcunque *bovem* significat, sed eum qui armenta præit velut dux, & generat, habétque suam feritatem, & Chaldæis תור, unde Græcis & Latinis *taurus.* Facit ergò magis ad indignitatem rei. Tribuit quoque hîc Tauris & Asinis verbum ידע, i. *cognovit:* nam & inanimatis etiam tribuitur, sed Metaphoricè, ut Soli Psalm. 104. quòd ità ad occasum tendat rectà ac si *agnosceret* & *bene affectus esset*, &c. nam hoc verbum in oratione affirmativa ultra *cognitionem* notat *affectum* aut *curam*; in negativa autem *neglectum* seu *contemptum*, ut de filiis Heli 1 Sam. 2. & Gen. 4. de Chain: & hoc loco utriusque exemplum habes. ¶ *Possessorem*] Verbum קנה propriè est *acquirere*, *comparare*, vel industriâ, vel pretio: hinc pro *possidere* seu *in potestate habere* accipitur: hinc participium, quod vice nominis quoque solet accipi, i. *possessor* seu *emptor.* Et si hoc loco *emptorem* velis dicere, magis auget rei indignitatem; quòd *cùm cognoscat taurus*, *qui ipsum paulò ante emerit & sibi pretio acquisierit aut comparaverit*, *Israel tamen*, &c. ¶ *Et asinus*] In Tauro ferocia, in Asino stoliditas non auferunt cognitionem sive sensum dominorum: plùs ergò quàm Tauri sunt intractabiles Judæi, & magis quàm Asini stolidi, qui non cognoverunt Deum, qui fecit, redemit, aluit, pavit, protexit eos & evexit. ¶ *Præsepe*] אבוס *locus est in quo & juxta quem calcant & aluntur animalia:* & ex hoc nomine credo derivari participium seu participiale nomen אבוס, i. *altus*, *saginatus* seu *pinguefactus*, Prov. 15. & 1 Reg. 4. ¶ *Non intellexit*] *Non cognovit Deum*, *neque intellexit* quonam in loco alimenta accipere deberet à Domino, veræ scilicet doctrinæ: sed & Deum & Templum Deique veri cultum abjecit, quasi aliunde sibi victum meliùs aut faciliùs quæreret: quales erant illi qui dicebant quòd ex eo tempore quo omisissent cultum Solis, &c. malè haberent. Est autem hîc verbum quod præter *cognitionem* notat *conatum* seu *diligentiam* vel *diligentem observationem*: ut Job. 37. *Sta*, *& observa mirabilia Dei:* & 1 Reg. 3. *Observavi videndo*, &c. *Et ecce erat mortuus.* Quòd verò verbo *cognoscendi* sive *observandi* absolutè utitur Propheta, i. nullo addito casu, puto emphaticum esse, neque non parùm ad amplificandam rei indignitatem facere. Omitto quòd insinuare tacitè videatur, quidquid scirent, quidquid observarent, quamdiu Deum ignorabant & ejus nullâ ratione tangebantur, quòd omnino *nihil scire*, *nihil intelligere* dicendi essent, & eos brutis amentiores & omni sensu carentes reputare deberemus. Si enim, ut Augustinus loquitur, *omnis copia quæ Deus meus non est*, *egestas mihi est*, omnis quoque scientia omnísque cognitio quæ sine Dei cognitione est, ignorantiæ instar nobis existimari debet.

4. *Væ genti peccatrici*, &c.] הוי Hebræis interdum est Condolentis, interdum Dolentis, interdum tantùm Exclamantis & Vocantis, infrà v. 24. Insultantis, interdum verò Ex dolore abominantis, non sine animi indignatione ob rei indignitatem, sicut *heu* Latinis, & *ô*; *Heu gentem aberrantem*, &c. Intelligimus ergò ex hoc loco, quòd in hoc volumine Jesaiæ tractabuntur orationes invectivæ in Judæos ob innumera eorum scelera, quæ hoc loco quatuor titulis summatim exponit: *Aberrabant* à recto: Sed quia id quoque leviter fieri poterat, *gravatos iniquitate* dicit, quòd alia aliqua graviora scelera admisissent: Verùm quia interdum qui sic sceleribus deprimuntur, onus abjicere cupiunt, *semen malignorum* eos vocat, quasi in naturam abierit pravitas, ut qui genus à pessimis patribus traherent, illósque libenter imitarentur: Denique, ut ad cumulum malorum eos pervenisse significaret, ità ut vix ulla esset spes recuperandæ salutis, *filios perditos.* השחית enim in Hiphil etiam neutraliter accipitur: nam *funditus perdere*, seu etiam *perditum esse* notat & *excisum*, ut cùm arbor radicitus exciditur, ut rursus pullulare nequeat. Est itaque in verbis istis haud invenusta gradatio. ¶ *Dereliquerunt Dominum*, &c.] De nomine יהוה, quod legendum & proferendum duco ubicunque in Bibliis reperiatur, dixi in Præfatione. Cùm ergò notet *eum qui est*, *& à quo cætera omnia habent id quod sunt*, aptissimè ad indignitatem addidit hoc nomen verbo *derelinquendi* seu *deserendi*; ut si rivulus fontem desereret, quasi à se vel aliunde aquas haberet. Eodem etiam consilio verbo *blaspemandi* seu *exsecrandi & convitiis impetendi* apposuit nomen *Sancti.* Quid enim *sanctum* nisi reverentiam, cultum, religionem, obsequium, ipsâ etiam instigante naturâ, mentibus quantumvis barbaris notat atque requirit? Quid ergò indignius quàm quem sanctè colere debuissent (erat enim *Sanctus Israëlis*, i. quem Israël sanctissimè coluerat & posteris colendum reliquerat, à quo esset quidquid sanctum dici posset) exsecrari & convitiis lacessere? ¶ *Abalienati sunt*] נזרו hoc loco quasi esset à verbo זור accepit Vulgatus, & plures alii: potest tamen esse (si puncta mutes: quod sæpe facere necesse est, ut in Præfatione admonui) à verbo נזר, quod in Kal non nisi in voce passiva reperitur. Significat autem *religione*, *sanctimoniâ aut* *singu-*

singulari voto vel reverentiâ, *aut etiam dignitate separari ab aliis*: à quo nomen *Nazarenorum*: neque malè convenit. Nam cùm dixisset *Sanctum Israëlis*, non jam ut sanctum sed ut pollutum, *conviciis ab eis lacessitum*, sicut cùm dicebat, *Meliùs se habuisse quando astra colebant*, &c, *Deos sequi se malle qui dabant vinum*, *triticum*, &c. aut, *quòd non esset aqua via Domini*, & multa hujusmodi, subdidit, *separati sunt retrorsum*, quasi separarent se à Deo veluti ab immunditiis, & faciem verterent ad Idola: quod iis Jesaias sub fine Prophetiæ objicit, & multis aliis locis. Estque apud Ezechielem cap. 14. locus qui hunc illustrat, *Quicunque separatus fuerit post me*, & *reduxerit abominationes suas* (i. idola) *in cor suum*, &c. ubi bis ponitur hoc verbum.

5. *Super quo percutiam*, &c.] Sensum reddidit paululùm obscurè. על מה תכו *Ad quid*, i. Quorsum, *percutiemini?* Vox עוד (si distinctiones Rabinorum non curemus) antecedentibus, vel consequentibus annecti potest: *Quorsum ulteriùs percutiemini?* vel, *Quorsum percutimini? adhuc additis prævaricationem?* & hunc posteriorem sensum in versione secutus sum: nam futura pro præsentibus passim accipi videas. Quid opus est, inquit, castigationibus & flagellis? perdetur oleum & opera: in dies pejores efficimini. Ex quo percipimus causam reddi in hoc volumine ob quam percussi sint à Deo Judæi, videlicet ipsorum scelera: ut causam agnoscentes suæ afflictionis, à peccando desisterent. Illi verò castigationibus pejores efficerentur: *neque ad percutientem se redirent*, ut suis locis indicabimus. Ubi interim vides in quem usum immittat sua flagella Deus. Vide cap. 26. ¶ *Prævaricationem*] סרה, i. *aversio*. Omnia quoque hoc nomine significantur quæ qui sequitur à Deo avertitur. Lege initium capitis 13. Deut. & hujus vocis vim ex parte intelliges, ubi dicitur, *non audiendos Prophetas vel divinos qui aversionem contra Deum prædicant*: cui opponitur, *Deum sequimini*, & *ipsum timete*, & *mandata illius custodite*, & *audite vocem ejus*: *ipsi servietis*, & *ipsi adhærebitis*: & jubet interfici, *qui aversionem locuti sunt contra Jehova*. Ad quem locum respiciens Jeremias 21. prædicit hujusmodi Prophetæ mendacis mortem, quòd *contra Jehova aversionem locutus fuisset*. Significat ergo perversum dogma, & ipsa scelera in quæ à Deo aversi ruimus, vel quæ persequentes à Deo avertimur, ut infrà 31. Hic in genere libet accipere. ¶ *Omne caput languidum*] Hebræi dicunt *languori est* seu *ægritudini*: i. *omne caput occupat ægritudo*, i. Nemo est cui caput non doleat. Etsi hæc referri possunt ad primum illud membrum, *Quare percutiemini*, quasi explicare velit Propheta haud vulgariter illos jam cæcos esse: ego tamen libentiùs ad posterius refero, *additis prævaricationem*; quasi explicet Propheta morbos spiritales quibus laborabant omnes, propter quos temporaliter affligebantur, ut ver. 7. continetur. Est autem חלי *ægritudo quæ cum dolore & cruciatu est ex violatione*. Infrà 53. *expertus ægritudinem*, de Christo Domino dicitur. ¶ *Et omne cor mærens*] Seu *languidum*, vel in abstracto *languiditas*, ut Psal. 41. i. nemo est cujus cor non langueat. דוי dicitur de *languiditate illa quam patiuntur mulieres tempore menstrui*; aut *quando corpus aut membrum viribus destituitur*. Cordi etiam tribuitur Jer. 8. & Thren. 1. Meminit porrò *capitis* & *cordis* præcipuarum corporis humani partium, ut in toto Regno nihil sanum esse intelligeretur. Quod mox exponens, ait,

6. *Non est in eo sanitas*] מתם *integritas*. Estque quantitatis, Psal. 38. Puto autem quòd ad Mosis verba Deut. 28. hoc loco respiciat Propheta, *Percutiet te Dominus ulcere pessimo*, *à planta pedis usque ad verticem*, &c. Si hæc & quæ sequuntur de afflictionibus quas tam in corpore quàm etiam in bonis fortunæ passi sunt Judæi, intelligenda existimes, sunt veluti ratio & expositio ejus quod dixerat, *Quorsum percutiemini*, cùm jam adeò sitis cæci & percussi ut nulla in toto corpore sit integritas? oportebat autem in tam percusso & cæso corpore mentem sanam esse. Sed cùm jam corporis viribus omnino sitis destituti, & omnibus bonis externis sitis exspoliati, ad peccandum tamen & malè agendum integri estis. Et hoc quoque ad argumentum libri pertinet: nam in eo non uno loco flagella Dei in Regnum illud immissa legimus, Regnúmque adeò devastatum ut nihil in eo sanum appareat. ¶ *Vulnus & livor*, &c.] *Livor* Hebræis חבורה dicitur, à *conjunctione* scilicet sanguinis: manet autem ex percussionibus, à quibus interdum *vulnera* quoque fiunt; quibus nisi medicina adhibeatur, in *putridam plagam* abeunt. Et hic tria commemorantur quæ omnia indigent *superalligamentis*, *fomentis* & *medicaminibus*: & quidem *olei fomentum Livori*, *superalligatio* seu *compressio Vulneri* summopere est necessaria, *medicamina* verò *plagis putridis*: imò omnia hæc singulis necessaria sunt, quæ si desint, actum est de percusso. Adeò ergò percussos notat ut non haberent qui remedium afferret. ¶ *Tumens*] מרה *putrida*, *saniosa*. Hanc ipsam dictionem Vulgatus Jud. 15. dictam de Mandibula sic vertit, *quæ jacebat*, hic *tumentem* dixit: sed utroque loco *putridam* seu *fœtidam* dicere possis.

7. *Deserta*] שממה. Frequenter occurrit vox hæc, & propriè *flatum* seu *afflatum*, ac deinde rem ipsam significat super quam flatum horrentes seu abominantes emittimus, juxta sui verbi שמם significationem. Quamobrem variè reddi solet, *desolatio*, *vastatio*, *deserta*: est enim vel substantivum vel adjectivum nomen. Exod. 23. *Non expellam eum à facie tua anno uno*, *ne fiat terra ipsa afflatio*. Jos. 8. *Posuit eam in acervum seculi*, *afflandum usque in diem hanc*, &c. Et hæc est significatio affinium nominum, quæ multa sunt ab eadem radice & cognatis ejus: & mox, ¶ *Et desolabitur*] ושממה verbaliter accipitur: Potest & nominaliter accipi, & *afflatio*, *quasi subversio alienorum*: & כ (ut interdum solet) non tam est Similitudinis quàm Affirmantis, i. qualem ab alienis exspectare meritò quis posset: *alienos* enim vox זרים notat, qui sanguine seu religione seu societate Politicâ alieni sunt. Sensum expressit Vulgatus. Hâc itaque unâ voce extremam subversionem Regni Jehudæ notat. Scimus enim quid barbari hostes in nostris regionibus faciant quando eas victores penetrant. Est ergò pars argumenti hujus libri Judææ desolatio; quam non uno loco neque paucis verbis apud Prophetam hunc descriptam videre licet.

8. *Et derelinquetur*, &c.] i. In hoc quoque volumine invenies quòd Jerusalem funditus sit evertenda. Neque enim eorum expositio placet qui volunt hæc ad ea tempora referre quando Jerusalem sola mansit, neque capta fuit ab Assyriis. Expende verba singula, & meam (ni fallor) sententiam comprobabis. Cúmque hæc verba ad argumentum putem pertinere, ut dixi, perinde mihi est sive in præsenti sive in præterito sive futuro vertas: licet enim quodvis, neque repugnat Hebraismus propter conjunctionem in ונותרה, posthabitâ punctatione Rabinorum. Certè præsens superioribus convenit, *Et residua manet sicut umbraculum in vinea*, vel *sicut manere solet umbraculum* (seu *tugurium*) *quod uvarum tempore custos sibi erigit* ut in eo pernoctet & speculetur; post vindemiam verò deseritur, & per seipsum labitur. Idem de *pernoctatorio in cucumerario*. ¶ *Civitas quæ vastatur*] נצורה est participium significationis passivæ, à verbo quod *servare* seu *observare* significat, q. d. *civitas observata*, seu potiùs *observanda*: nam in malum hoc loco accipitur, i. à qua timent homines, *quam* (seu *à qua*) *cavent*, sicut infrà 65. dicitur de locis abominandis & tetris, à quibus cavere oportebat & præservare se nè contaminarentur; vel à quibus solent cavere homines propter metum qui obscura, opaca & solitaria loca pertranseuntes solet invadere. Neque hæc acceptio videtur latuisse Kim. quamvis in assignanda propria verbi significatione minùs bene sentiat: quod quia non animadverterunt nonnulli interpretes, in bonam partem accipientes vocem, quæ parùm conveniunt hic adscripsere. Nota *cucumerarium* Hebræis à *perplexitate* nomen habere, seu *crispitudine*; ipsum verò *tugurium* à *pernoctando*: quare *pernoctatorium* dixi. *Civitas* autem עיר ab *excitando* dicitur: nam Hebræis personam, animal, ædificium, & alia multa *excitari* dicuntur.

9. *Nisi Dominus*, &c.] De nomine צבא, i. *exercitus*, infrà nonnulla dicentur. Dicitur autem *Jehova Tsebaoth*, quòd vel in exercitibus Angelorum, vel in corporibus coelestibus, vel in ministerio Templi, vel etiam in præliis potentia ipsius maximè appareat. ¶ *Semen*] Vulgatus de sensu solicitus *semen* posuit pro שריד, i. *residuum*: nam שרד est *residuum manere*, vel *sui relinquere semen*. Ego Hebræa utcunque expressi: nam in כמעט non tam nota est Similitudinis quàm affirmantis, ut suprà ver. 7. Perinde est ergò ac si dicas *residuum propemodum nullum*, vel *residuum profectò modicum*. ¶ *Similes fuissemus*] Sensum non meliùs potuit Vulgatus reddere: nam verbum דמה *silere*, ac proinde *quiescere*, notat. Si verò construatur cum dativo, est *alteri rei acquiescere*, *non dissentire*: quod Latini ità efferre solent, *Hæc res similis est illi*, vel secùs. Quod quia nonnulli interpretes non animadverterunt, illud Psalmi *Te decet hymnus*, *Deus*, malè redditum putant, & reddunt, *Tibi silet laus*, aut quid simile: cùm verbum juxta constructionem hanc nihil aliud notet quàm *Deo convenire & optime aptari laudem*, &c. Notum autem est in subversione Sodomæ & Gomorrhæ neminem ex habitatoribus terræ superstitem relictum. Quòd si Dominus ex Judæis non reservasset reliquias quasdam, in cæteris nihilo minor vastatio esset

Jero-

Jerosolymitana quàm illarum civitatum. Quod certè de eversione ultima intelligendum est, quam prævidit Jesaias. Estque non minor pars materiæ hujus voluminis. Perinde est ergò ac si diceret Jesaias, Multa canam de eversione Jerosolymæ, quæ hoc tantùm inferior futura est subversione Sodomæ, quòd in hac *reliquia*, i. pauci, nonnulli homines, ab illo incendio eripientur, in quos non grassabitur impietas seu infidelitas, quare neque cum civitate interibunt, qui veluti *semen* pietatis futuri sunt in toto orbe. Suis itaque locis de his reliquiis nos quoque plura dicemus. Nam, ut infrà c. 8. videbimus, hic est ferè totius Prophetiæ Jesaiæ scopus: alia tamen interim canet, quorum capita jam à Propheta proponuntur.

10. *Audite*, &c.] q. d. In hoc quoque volumine exhortiones pleræque sunt ad Principes & Magistratus & Sacerdotes populi Judaici, ut ab iniquitate desistant; neque se satisfecisse Legi & Deo putent si sacrificia offerant, Sabbata & alias festivitates celebrent, interim autem animo impii & irreligiosi sint: hujusmodi enim cultus Deo est abominationi. Quòd si velint agere pœnitentiam, possent adhuc justitiam consequi, & frui bonis à Deo datis: alioqui omnes peribunt. ¶ *Verbum*] דבר Hebræis non unam seu simplicem aliquam *vocem* aut *dictionem*, sed integram *sententiam*, seu *narrationem* rei cum omnibus suis partibus & circumstantiis significat. *Princeps*] קצינים Hebræis propriè sunt *duces* seu (ut populariter loquar) *capitanei*, sic dicti quod in *extremitatibus* sint, ut dirigant, & in ordinem vel res vel personas redigant. Magistratus hic & primarios Pontifices puto significare. ¶ *Legem*] תורה non *legem* tantùm, sed in genere *constitutionem*, *institutionem*, seu *doctrinam* notat, quâ docemur de voluntate Dei erga nos, & quo pacto formare mores nostros debeamus. Est autem à verbo ירה, i. *jecit* seu *jaculatus est*, i. lapidem, vel sagittas, vel verba, vel rem aliam. Habet autem verborum jaculatio similitudinem cum jaculatione guttarum pluviæ, quibus homines alioquin ignari imbuuntur ac fœcundantur. Sed cùm sermo Latinus non patiatur ut hoc verbis *jaciendi* seu *jaculandi* exprimamus, verbo *docendi* seu *instituendi* reddere necesse est. ¶ *Sodoma*, &c.] Nè mireris, inquit, Jerusalem, imminere tibi vastationem similem Sodomæ: nam Principes tui Principibus, & populus tuus populo illarum civitatum moribus similes sunt. Innuit ergò quòd non solùm prædicturus sit Jerosolymorum ruinam, sed & causas tantæ vastationis descripturus. Hic interim considera, Christiane lector, quantâ libertate præditus sit qui visu & Spiritu Dei plenus loquitur. Quid durius in Magistratus & Pontifices dici potuit?

11. *Quò mihi*, &c.] Hæc est concio quam vult eos attentissimè audire, Quòd non suscipiat Deus sacrificia absque misericordia, justitia, &c. de qua re infrà latiùs nobis dicendum erit: neque hîc nisi rerum capita cum Propheta attingimus Adeò autem invaluerat impietas in populo illo, ut sacrificiorum & oblationum ratio non solùm ob lucrum quod ex ipsis aucupabantur, verùm etiam propter sanctitatis nomen, quod propter Dei cultum sibi comparaverant, fuso nihilominus ad omne genus vitiorum animo, inter Dei præcepta non infimum locum tenere videretur, neque cuivis alteri Dei præcepto dignitate cedere. Unde ortam illam quæstionem quâ tentare volebat quidam in Lege peritus Christum Dominum existimo, *Quodnam esset maximum mandatum in Lege.* Nam cùm Charitatis præceptum primas habere Dominus dixisset, ille, comprobatâ Domini sententiâ, dixit quòd *Diligere præstaret omnibus sacrificiis & holocaustis.* Ob quod jam Prophetarum tempestate huic morbo adhiberi medicamenta necesse fuit. ¶ *Plenus sum*] Vel *satur sum:* & ità cum Vulgato malui distinguere, ut quæ sequuntur à verbo חפצתי לא *non accepi*, i. nolui, regantur, quàm cum Rabinis, quorum distinctiones sensum interdum magis interturbant quam eelucidant. ¶ *Holocausta*] Hebraicè singulare est, sed collectivè capitur. Et nomen quidem Hebræis עלה ab *ascendendo* dicitur, quòd supra altare elevaretur, in altúmque odor cum fumo ascenderet. Græci & ab ipsis Latini, parùm immutatâ voce Hebræâ, *holocaustum* dicunt, aliâ tamen etymologiâ, scilicet quòd *totum cremaretur.* ¶ *Pinguium*] מריא significat *pecus ex saginatione pinguefactum.* Et fortè est à verbo מרא, quòd tunc sit dignum in quod oculos conjiciamus. ¶ *Arietum*] Nomen Hebræis est à *fortitudine*; *juvencorum*, à *fructificatione.* פר enim propriè est cùm desiit esse vitulus, & *fructificare* incipit: *agnorum* verò, à *subjectione*; at *hircorum*, ab *incumbendo*, *imminendo*, &c.

12. *Cùm veniretis*] Futurum est Hebræis, & pro præsenti libet accipere, & consuetudinem notat, *quando venitis*, seu *venire soletis.* *Ante conspectum*] Ego Hebraismum retinui, *ad videndum faciem meam.* Qui ad Templum veniebant, dicebantur *videre Dei faciem*, quia ea videbant in quibus Deus adesse consueverat & unde responsa dabat. Itaque cultus, & sacræ res, altaria, sacrificia, ministri Domini, laudum Divinarum decantatio, & similia, quæ oculis cernimus & auribus percipimus, *facies Domini* dicuntur; ut quantâ animi reverentiâ ad hæc accedere debeamus, vel ex hac loquendi consuetudine perspiciamus. Quæ in Ecclesia Christi eò rationabilior est quò veriùs dicimur *videre Dei faciem*: adest enim secundùm substantiam sub visibilibus illis speciebus seu formis in Eucharistia. ¶ *Hæc de manibus*, &c.] Hebr. *hanc.* Sed manifestum est feminino pro neutro uti Hebræos, & potest ad sequentia referri hoc modo, *Quis quæsivit hoc*, nempe, *quatere atria mea?* nihil enim aliud facitis: vel cum Vulgato, *Quis propter hoc à vobis exegit ut quateretis atria mea?* q. d. non propter oblationes & sacrificia præceptum fuisse in Lege, ut appareretis ante Dominum, &c. Nullâ enim necessitate aut cupiditate harum rerum tangitur. Quinimo iccirco ipsa sacrificia & oblationes præcepit Dominus, ut veniretis ante ipsum, venientes autem tales vos exhiberetis quales ex ipsa Lege nostis oportere ante ipsum apparere, sanctos scilicet, quia ipse sanctus sit, & ab omni iniquitate alienos, ut ver. 16. dicitur. Et hæc interpretatio augusta est & summo Interprete digna; ac si dictum esset, *Quis quando vobis præcepit quatere atria mea* (vel *ut ambularetis in atriis meis*) *hæc quæsivit de manibus vestris? ad hoc respexit? an huc tendebat præceptio?* &c. Possumus & sic accipere, *Quis quæsivit de manibus vestris hoc*, i. hæc quæ dixi? Quæsivit quidem hæc Dominus & præcepit, sed à talibus manibus quales vos geritis nunquam Dominum velle accipere oblationes legistis. Ab iis qui innocentes habent manus & cor mundum, accepturum se munera Dominus pollicebatur & credebatur; non autem à vobis, qui manus prorsus impuras habetis, i. variis sacrilegiis & sanguine proximorum contaminatas, sicut statim explicabit. Illud verò quod sequitur, & absolutè & per extenuationem dictum accipi potest, *quatere atria mea:* hic enim usus est infinitivorum in omnibus ferè linguis, q. d. Putatísne quicquam aliud à vobis agi? an verò existimandum est cultum esse Deo dignum & gratum, si nihil aliud agas quàm calcibus terere aut *quatere atria mea?* itaque tantundem vos facere existimetis: nam quid de sacrificiis vestris sentiam, jam accipite.

13. *Nè offeratis ultrà*, &c.] Hebraismum doctè reddidit Vulgatus, ego retinui, quòd planus esset, *nè addatis afferre.* Verùm nomen *minchah* olim dicebatur de *donariis & muneribus*, tam quæ hominibus, ut Gen. 32, & 43. quàm quæ Deo offerebantur, ut Gen. 4. de oblationibus Kain & Abel. At in Lege non nisi de oblationibus dicitur quæ ex farre fiebant, quarum quinque species Lev. 2. numerantur, & cap. 7. habetur quibus illæ cesserint. Et hâc ratione differt hoc à *Corban*, quod de sacrificiis pecorum etiam in Lege dicebatur Lev. 1. Est autem à verbo נחה, quod *sensim & cum pompa afferre* significat: & iccirco nomine *oblationis* reddere soleo ¶ *Frustra*] Nomen est, quod *temeritatem* seu *præcipitantiam* notat שוא. Estque in nominibus ipsis quædam pugnantia haud invenusta: nam *mincha* in sui ratione indicabat *pompam*, *moram & circumspectionem*; at illi שוא, i. *temere*, illam afferebant, non quòd præcipitantiam gressuum damnet hoc loco, sed potiùs animorum. Quid enim magis temerarium quàm Deum, qui Spiritus est, placare velle externis muneribus, animis in impietate perseverantibus? Videant Christiani nè ipsorum interdum munera & oblationes à temeritate profecta esse videantur, ac proinde *munera temeritatis* jure rectéque dicantur. Est autem hujus nominis radix verbum שאה, i. *repentè seu præcipitanter ingruit.* Vulgatus adverbialiter accipit, quòd nomina verbis juncta soleant Hebræis sæpe adverbia fieri, ut Exod. 20. *Non eleves nomen Jehova temere*, i. Nè efferas temere, seu præcipitanter. Tanquam nomen autem Prov. 30. *Temeritatem & verba mendacii remove procul à me:* & Ps. 60. *Præceps est salus hominis*, &c. ¶ *Incensum*] קטרת *suffitus*, seu *thymiama.* Et quidem de suffitu prædixerat Moses, quòd Levitæ furentem Dominum suffitu placarent. Deut. 33. Hîc autem vides quòd si ipsi sint peccatores, suffitus sit ipsa abominatio coram Deo, eâ maximè ratione quâ à peccatoribus offertur. ¶ *Neomeniam, & Sabbatum*, &c.] Quid sibi velit Vulgatus manifestum est; neque Hebrææ voces repugnant: nam *vocare concionem*, sicuti est in Hebræo, pro *aliis festivitatibus* accipere, non nimis durum est: verùm aliter quoque accipi poterunt. Et si quidem ultima duo nomina און ועצרה in accusativo accipias, sensus erit, *Kalendis, & Sabbatis, quibus vocare soletis concionem & ecclesiam congregare, nequeo ferre vim & tyrannidem:* siquidem inhiabant ad munera, & quemadmodum de filiis Heli dicitur, *vim inferebant offerentibus*,

& ty-

& tyrannidem exercebant. Quòd si in nominandi casu accipiantur, sic vertes, *Novilunium*, *& Sabbatum*, *quando convocatur concio*, *non fero: vis & tyrannis sunt:* ut hæc sit ratio quare nequeat illa ferre: quæ enim in laudem Dei cedere decebat, illi suæ tyrannidi & cupiditati deservire volebant. De nomine און, quod variè admodum reddunt interpretes, non semel nobis inferius dicendum erit. Est autem à verbo אוה, quod voce & significatione convenit cum Latino *aveo:* quare *concupiscentiam noxiam* videtur significare, & plerumque in malum accipitur: sed sæpissime pro *viribus* ipsis, sine quibus debilis admodum est concupiscentia, accipitur; ac tandem pro *vi* ipsa & *violentia*, quæ plerumque ex illa concupiscentia oritur, ut latiùs in sequentibus ostendemus. Hîc enim cum Propheta tantùm capita dicendorum attingimus. Nomen עצרה verò est propriè *coarctatio*; quare pro ipsa *congregatione*, in qua est mutua coarctatio, accipitur, ut 2 Reg. 10. & pro ipso *cœtu*, ut accipit Vulg. sicut Joel 2. *Vocate cœtum.* Vide infrà c. 53. ubi Vulg. habet, *De angustia & judicio sublatus est*, &c. ¶ *Non feram*] יכל, i. *potuit*, aliquando idem Hebræis est quod *sustinere*, *audere*, sicut Græcis τολμάω Ose. 8. *Quousque non poterunt innocentiam:* & Ps. 101. *Hunc non sustinebo*, *non feram*, &c.

14. *Kalendas*] Idem nomen est Hebræis quod versu superiori. Vulg. dicit *neomenias.* Est autem Græcis *neomenia*, Latinis *novilunium*, i. primus dies Lunæ, ac proinde mensis, quem antiqui dixere *Kalendas:* sumitúrque Hebræis pro ipso festo quod primis diebus mensium celebrabatur. Et eodem nomine festum ipsum & primùm diem mensis ipsúmque mensem appellant, nempe חדש, quod à *novando* dicitur: nam & vulgò *Luna nova* dicitur, quasi singulis mensibus innovetur. Ego tamen hoc loco accipio pro *festis Innovationis* seu *Dedicationis*, quod festum *Encania* Euangelistæ dicitur. Puto enim maximè celebrem fuisse diem illum quo Salomon Templum dedicavit Domino, quod septem annis absolvit, & celeberrimè dedicavit. Vide lib. Regum. ¶ *Solennitates vestras*] Nomen מועד de quavis *re certa*, *attestata ac definita* dicitur, de tempore, festis, congregatione & conventu, de castris, &c. In plurali quoque pro *status temporibus* & pro *festivitatibus* passim accipitur, ut 1 Par. 23. & Lev. 23. Vides Deo nostro illa quæ à justis fiunt esse gratissima; eadémque si ab iniquis fiunt, esse molestissima; quódque non solùm nostra sed sua quoque nostrî ratione metiatur? si enim piè vivamus, nos nostráque omnia libenter sustinet & amantissimè curat: sin impiè, nos nostráque omnia odio habet, fastidit, neque ferre potest; imò neque sua ipsius, cultus, laudes, & cætera id genus. Isti verò sunt peccatorum nostrorum fructus.

15. *Et cùm extenderitis manus*, &c.] Futurum rursus pro præsenti, *cum expanditis manus*, &c. Erat autem gestus & habitus hic omnibus supplicibus & Deum orantibus communis, maximè verò Judæis, ut cùm orarent manus ad cœlum expanderent, nimirum à Patribus edocti: & illi fortè à Deo aut S. Angelis id acceperunt: ut Moses Exo. 17. David frequentissimè, adeò ut *totâ die* diceret *extollere se manus*, &c. Salomon in Dedicatione Templi *utroque* etiam *genu in terra defixo*, &c. Verbum est פרש, unde dictos volunt *Pharisæos*, vel quòd Legem *exponerent*, vel potiùs quòd eorum vita omnium oculis esset *conspicua*, ut qui laudes appeterent hominum, & nihil non facerent ut viderentur ab hominibus, &c. Sed quanquam de nominis etymologia diversa diversi sentiunt, hoc pro comperto habeo (teste etiam R. Salomone, & aliis) quòd Pharisæi in locum Nazaræorum successerunt: & hoc quidem apud priscos Hebræos valde usitatum erat, eo quòd separati essent à reliquo populo, & Domino ritu quodam solenni consecrati. Nomen autem *Pharisæorum* neotericum erat & Syriacum: addiderunt tamen Pharisæi multa quæ Nazaræi ignorabant. ¶ *Avertam oculos meos*] Vel *abscondam*, *operiam oculos*, *nè manuum extensionem videam: orationes quoque non audiam:* pro præsentibus, *abscondo*, *non audio.* Nota, Christiane lector, virum pium de profundo maris & ventre belluæ exauditum, impios verò in Templo manus expandentes & preces fundentes non exaudiri. ¶ *Sanguine plenæ*, &c.] *Plenas* dixit, ut multitudinem homicidiorum & injuriarum notaret. Impudentiam quoque exaggerat, quòd illas manus ad Deum expanderent quas fratrum sanguine contaminassent. Si de terra clamabat sanguis Abelis adversùs Kain, quomodo contaminatæ manus sanguine misericordiam & non potiùs vindictam impetrarent? Quid si sit hoc loco allusio ad ritum illum initiandi Sacerdotes, quorum manus partibus sacrificiorum implebantur, &c? Exo. 18, & 29. quasi viderentur esse potiùs Ministri & Sacerdotes illius qui *homicida fuit ab initio:* eos enim talis initiatio deceret, non Ministros Dei. Vide infrà 13, 3.

16. *Lavamini*] רחץ *ablutionem* notat *quæ cum abstersione fit*; & neutraliter interdum accipitur: quare rectè per passivum vertitur. Hoc est aliud caput argumenti, in quo non parùm laborat Propheta, scilicet Exhortationes ad Pœnitentiam, cujus est præterita *delicta auferre*, conscientiam *emundare*, studia commutare, *cessare* denique *à malo*, & *bonum operari:* quale est *quærere judicium*, i. rectè & juxta Divinas humanásque leges *jus dicere*, nè scilicet pauper propriâ causa cadat; tantùm eò quòd pauper sit: unde additur,

17. *Subvenite oppresso*] Sensum reddidit Vulg. non malè. Verbum אשר propriè est *recto pede incedere*, quod nos *felicem esse* dicimus: & activè sumptum de Homine est *dictis vel factis facere ut bene habeat.* Participium vero חמוץ *infectum* seu *vitiatum* notat: & si de pane dicitur, est *panis fermentatus & acidus:* de Homine & Vestibus infrà 63. hîc verò translatè de *hominibus miseris variisque injuriis affectis*, vel potiùs *afflictis*, & *malis undique confectis* dictum putari potest. Tantum abesse vos volo ab injuriis inferendis ut per vos bene habere debeat calumniis & infamiæ labe aspersus. Potest quoque sumi pro *eo, cujus cor est perturbatum*, *& veluti tinctum & exacerbatum*, sicut Ps. 73. Verbum in Hitpael, *infectum est cor meum*, i. perturbatum. Et ità verbum אשר accipere poteris de *consolatione quæ verbis fit.* ¶ *Judicate pupillo*] Seu *pupillum.* Verbum *judicandi* Hebræis nunc in bonum; nunc malum accipitur; interdum etiam indifferenter pro *jus dicere:* hîc in bonum accipio, pro *justificare:* nam & *judicium* aliquando pro *damnatione*, & aliquando pro *justitia* accipitur; ut, *Judica me, Deus*, *judica causam*, &c. Ità etiam quod sequitur verbum ריב est *litigare*, & cum accusativo in bonum & in malum capitur; ut rectè Vulg. dixerit, *defendite viduam.*

18. *Et venite*, &c.] Heb. לכו נא, *ite nunc*, vel *ambulate, quæso.* Et, ut periti inter Hebræos sentiunt, sunt quædam verba Hebræis quæ in imperativis usurpantur pro particulis indeclinabilibus, ut *vide*, *revertere*, *venite*, &c. Estque Adhortantis, q. d. *Eja jam judicio contendamus*, *agite jam:* quò loquendi modo nihil aliud significare voluisse existimo quàm, statim ubi illa præstarent quæ suprà dixerat, absque ulla mora posse illos secum contendere, sicut qui non peccassent: q. d. Etsi vestra scelera me à vestris sacrificiis, precibus vobísquemet ipsis abhorrere faciant, adhuc tamen pœnitentiæ locus est, quâ si lavabimini, mutatis in melius vestris studiis, ut pro injuriis in proximos omnia charitatis officia exerceatis, sancti reputabimini, veluti qui nunquam peccatis se contaminarunt. *Contendere* itaque *cum Deo* figuratè & Hyperbolicè pro omnimoda puritate & sanctitate accipio. Nam cum in Scripturis dicatur *sanctissimos coram Deo immundos reputari*, & *neminem esse qui*, *si ejus peccata diligenter observarentur*, *Dei judicium posset sustinere*, &c. nullâ loquendi figurâ adeò magnificè potuit Pœnitentiæ virtus commendari quàm si diceret, *Adeò sancti eritis ut possitis cum Deo judicio contendere:* non poterit in judicium adducere errata quæ pœnitentiâ deleta sunt. Et hunc esse germanum sensum, similitudines *Nivis* & *Lanæ*, quæ sequuntur, confirmant. Adde quòd, ut aliorum interpretationes hoc loco consistent, multa verba supplenda sunt, ut apud ipsos videre poteris: quod violentæ expositionis indicio manifesto mihi esse consuevit. ¶ *Arguite me*] יכח in voce passiva est *coràm disceptare*, vel in judicio vel extra. ¶ *Si fuerint peccata*, &c.] Ecce quid dixerit *disceptare cum Deo*; esse nempe *album ut lanam*, seu *nivem*, etiam si innumera & gravissima peccassent. ¶ *Ut coccinum*] Est תולע vermiculi quædam species qui ex grano cujusdam fruticis figurâ lentis aut pisi nascitur: ideóque Græcis similiter & Latinis *coccus*, lana autem & vestis eo colore tincta *coccinum* dicitur; vulgò *scarlata*; fortè voce Græcâ σκωλήκιον, quæ *vermiculum* sonat. Pausanias fruticem nasci in Phocensi testatur; nascitur & in Narbonensi Gallia, & in Lusitania prope oppidum Setubal, ex cujus granis vermiculi oriuntur. In Scripturis aliquando construitur cum nomine שני, & significat *coccinum bis tinctum* vel *secundò tinctum*, ut Exo. 25. & Num. 4, &c. aliquando etiam per se ponitur, ut hoc loco. שני autem est à verbo שנה, i. *iteravit*, & in plurali pro ipsis *pannis vermiculatis* accipitur, ut Prov. 31. & hic, ni fallor. Quæ autem bis tingebantur, erant colore aliquantò subnigro, neque ità lucido ut quæ semel. Fortassis hujus potiùs coloris quàm alterius meminit quòd sit maximè conspicuus & diuturnus: deinde & propter peccata, quæ nomine *sanguinum* significaverat.

19, 20. *Si volueritis*, &c.] Est veluti conclusio superioris exhortationis, q. d. *Summa eorum quæ dixi hæc est*, *Si volueritis*, &c. אבה est *propenso esse animo in rem*, *vel personam:* שמע verò, i. *audivit*, absolutè positum, interdum est obedientiæ. Constructa autem duo verba hoc modo ut hîc vides, Hebræis perinde sonat ut nobis verbum cum adverbio, *si volueritis*,

& au-

& audieritis, i. *Si volendo* (vel *Si ex animo*) *obedieritis*; vel, *Si volueritis*, *audire*, *auscultare*, *obedire*, &c. *pracipua bona terra comedetis*, & quidquid super terram *boni* nomine dignum fuerit, in vestros usus cedet. His opponit sequenti versu *proterviam & inobedientiam*. Similiter enim duo illa verba מאנו & ומריתם construi debent ut superiora, *Si renuendo mutabiles fueritis*, i. inobedientes, &c. nam מרה propriè *mutationem in pejus* notat; & aliquando est neutrum, aliquando activum. Thren. 1. *Mutando mutabilis fuit*, i. rebellans rebellavit: & Psal. 5. Infrà cap. 3. activè accipitur, ubi videbis quâ ratione hoc verbum pro *irritare* acceperint Interpretes. Hîc habes fructum obedientiæ, simul & inobedientæ. Obedientiæ est, *frui bonis*: nam in lætitia comedes panem tuum, si Deo placuerint opera tua. Inobedientiæ verò, *gladio*, seu *siccitate*, *absumi*; nam חרב *siccitatem* notat: deinde & pro *gladio* accipitur, quo sanguis funditur & corpora exsiccantur. Singula autem singulis opponuntur: *bonum* & *siccitas*; *absumere* seu *comedere*, *absumi* seu *devorari*: & est allusio ad verba Mosis Deut. 28. Addítque, ¶ *Quia os Domini locutum est*] Innuens jamdudum ità à Domino constitutum fuisse, neque infringi posse hanc sententiam, penès quam vitam suam instituere oporteret. *Ecce in manu tua est bonum & malum*, *vita & mors*, *ad utrum volueris extende manum tuam*. Dicant hæretici qui libertatem arbitrii tollunt, quid hæc sibi velint verba. Dispeream, si imposturæ notam effugere posset Propheta, si hæc diceret homini libertate carenti: sed eorum temeritas ab aliis jam satis repressa est.

21. *Quomodo*] Jam aliud caput suæ Prophetiæ præcipuum tractare incipit Propheta, nempe de spirituali Redemtione Jerusalem. Hoc autem caput sub se nonnulla continet. Primum est, scelera habitatorum illius terrenæ Jerosolymæ. Perinde est ergò ac si Propheta diceret, Dicturus quoque sum de redemptione Jerosolymorum seu reparatione spirituali; sed priùs civitatis illius terrenæ scelera commemorabo: non possum enim non admirari quo pacto factum sit ut civitas illa adeò corrupta moribus fuerit, &c. ¶ *Meretrix*] Cùm nomen זונה sit à verbo quod Latinis est *mereo* seu *mereor*, nunc de *meretrice*, nunc de *lotrice*, nunc de *caupona* dicitur Hebræis: imò eodem nomine collectivè omnia *eduliorum genera qua in caupona venduntur* Joel. 4. significantur. Ratio autem quare Civitas illa à Prophetis *meretrix* jure appellari posset, manifesta est. At si *cauponam* hic vertas, optimè convenire videbitur sequentibus, sive de muliere sive de taberna ipsa intelligas; quasi civitatem deditam imposturis & dolis, quibus caupones abundare solent, significare velit Propheta: exciperet etiam homicidas & sicarios, quod genus hominum ad caupones quoque solet divertere. Admiratur autem, quia fuisset. ¶ *Civitas fidelis*, *plena judicii*] i. Æquitatis. Verisimile namque est quòd in ea civitate, in qua erat Dei cultus & S. Scripturæ intelligentia, fuerint aliquando Judices incorrupti, sancti Pontifices & ingens sanctorum hominum turba. Scio quidem jam Davidis tempore, cùm Psal. 54. David edidit, similes mores huic civitati tribui qui hîc adscribuntur; sed puto Propheticè illic Christi tempora describi: sufficeréque nobis debet Jesaiæ testimonium, quòd scilicet olim fuisset *civitas* illa fidei, & *sanctitatis* totius *domicilium*: cui non repugnat quòd David singulis diebus morti adjudicaret improbos, ut *disperderet de civitate Domini omnes operantes iniquitatem*. Et hoc est *justitiam habitasse in ea*, non quod nulli ibi fuerint injusti, sed quòd unicuique suum daretur, & improbi pœnas sui sceleris quoque darent: vel quòd in ea qui justitiam quæreret inveniret; & ad illam confugiebat *Justitia* ut ad *domicilium* suum, ut ex verbo apparet. ¶ *Habitavit*] Heb. *pernoctavit* seu *pernoctabat*; i. in ea habuit domicilium, & quasi ab injuriis sese protegebat. ¶ *Et nunc homicida*] Summa enim injustitia est Homicidium. Verùm pro justis Magistratibus erant improbi & iniquissimi homines. Etiam si nonnulli privatim sanctè fortè viverent, verè dicere potuit esse *homicidarum domicilium*, ad quod sicarii confugiebant, ut meritò diceretur *spelunca latronum*. Vide Josephum. Hebraismum, *facta est in cauponam*, rectè mollivit Vulgatus *facta est meretrix*; sic versu seq. *fuit in scoriam*, &c.

22. *Argentum tuum*, &c.] Solent caupones falso nomismate hospites decipere, & potum aquâ diluere, & pro meraco vinum non parùm dilutum vendere, omnia denique corrumpere, & quæstui turpiter servire. Puto esse expositionem versûs superioris, quòd scilicet *facta fuerit caupona*: nam de *habitatione homicidarum* seq. versu verba facit. Cæterùm quid per *argenti* & *vini* depravationem intelligat facile est divinare, præsertim cùm eloquia Dei *argentum septies purgatum* appellentur in Scripturis; & in Euangelio Dominus dicat Pharisæos corrupisse Legem Dei & perversis interpretationibus depravasse, adeò ut vulgo imponerent, & suas fictiones pro Dei verbo inculcarent: ob quod etiam eorum doctrinam *fermentum*, in quo vis inest massam corrumpendi, vocat. Scribarum ergo dogmata erant *scoria*, quâ adulterabatur *argentum* verbi Dei. Neque mirum si ad hunc Jesaiæ locum respexerit Paulus quando falsos Apostolos dicit *adulterare verbum Dei*: per participium namque καπηλεύοντας non solùm cum Hieronymo intelligo *vendentes*, sed etiam cum Vulgato & Ambrosio *adulterantes* seu *corrumpentes*: id enim per *cauponantes* intelligere possumus: siquidem veteres quidquid esset *dolo vel fraude vitiatum* id κάπηλον appellabant. Quinetiam Ennius vetus Poëta, ut est apud *Ciceronem*, *cauponantes bellum* vocat eos qui contra rationem & disciplinam militarem bellum gerunt. Unde apud Æschylum *cauponia artes*, proverbiali formâ; eò quòd illud hominum genus (ut quod quæstu omnia metiatur) ad fraudes & dolos promptum sit. Idem de corruptione *vini* sentiendum est. Verba enim Dei incorrupta & pro dignitate tractata vim habent admirabilem, & sanctam ebrietatem inducunt, à sensu inferiorum abstrahentia; at corrupta & diluta languent, & auditores languere faciunt. Unde Paulus in Episcopo requirit, ut *possit exhortari alios in doctrina sana* τῇ ὑγιαινούσῃ, *& contradicentes arguere*. *Sunt enim quidam*, inquit, &c. *docentes qua non oportet turpis lucri causâ*, &c. *Quamobrem argue eos acriter*, *ut* ὑγιαίνωσιν *in fide*, *non attendentes Judaicis fabulis*, &c. Tit. 1. Vide etiam 1 Tim. 6. Adde quòd quæcunque externa habebant Israëlitæ *argentum* ac *vinum* rectè dici poterant, quia magnifica, speciosa, splendida & ambitiosa erant; ut, Genus ducere ex Patribus, Habere Divinas promissiones, Federa, Ritus, Lex, Sacramenta, &c. Omnia tamen hæc corrupta & adulterata per impios fuerunt: nam Generis splendor jactantiæ & superbiæ deserviebat; Promissiones tanquam de rebus temporalibus factas interpretabantur; Federa securitati in malis dabant patrocinium; Legem denique & Ritus omnes traditionibus superstitiosis conspurcabant: id quod manifestum est in Euangeliis & Scripturis Apostolicis. ¶ *Scoriam*] A *retrocedendo* dicitur Hebræis *scoria*; *argentum a desiderando*. Dixi autem *potum* pro *vino*: nam סבא *potus* est, vel vini vel siceræ, à verbo quod *potando absumere* notat. Vides quo pacto hæc verbo illi quod præcessit מרה, i. *in deterius mutari*, conveniant; ut dignum & justissimum fuerit eos *gladio* seu *fame interiisse*? *Justitia* in *homicidia*, *argentum* in *scoriam*, *vinum* in *aquam*, omnia denique mutationem in deterius perpessa sunt. Quis, quæso, similes vicissitudines in Ecclesia non admiretur & defleat? Nam si res digna luctu est (ut est apud Sapientem) cùm justus ad improbitatem deflectit, quid de Regnis atque magnis Provinciis sentiendum?

23. *Principes infideles*] Exponit quod dixerat, Urbem esse *homicidarum domicilium*. Est autem venusta Paronomasia in nominibus in Hebræo שריך סוררים, *Principes tui immorigeri*, *contumaces*, qui nullâ disciplinâ regi volunt, sed pro libidine cuncta agunt. Hoc vitium ἀπείθειαν vocat Paulus Eph. 5. & Col. 3. & *in eos iram Dei descendere* affirmat: quo loco alludere videtur ad legem Deut. 21. in qua jubetur ut *filius contumax lapidibus obruatur*, *ut auferatur malum de Israële*. Quid si Magistratus ipsi, quorum erat contumaces filios morti adjudicare, contumaces fuissent? quis in eos animadverteret? certè experientur *iram Dei*, *qua venit in filios* ἀπειθείας. Non solùm autem hæc contumacia respectu legis Dei in Magistratibus intelligenda est, verùm etiam propter admonitiones Prophetarum & Ministrorum Domini, quibus Reges debent obtemperare: quod quia Saul non fecit, abjectus est. Quo fit ut ex Spiritu Dei nequaquam proficisci morem illum existimem qui in plerisque Principibus Christianis hodie perseverat, quo parùm Episcopis deferunt, & coram se genua flectere eos sinunt. Profectò cùm Dominus providisset ut Josue esset Princeps pro Mose in populo Dei, eum coram Eleazaro *stare* jussit, & *ut ad verbum ejus egrederetur tam ipse quàm universus Israel*. ¶ *Socii furum*] Si eos non damnant qui fures sunt & aliena diripiunt, si vivere patiuntur, cùm officium eos plectere jubeat, nónne meritò *socii & federati furum* dici debent? Perseverare videtur in Similitudine Cauponum, qui consentiunt furtis, & partem ex illis accipiunt. Similes sunt Magistratus qui *muneribus* aut maximis præmiis ab aliquibus donati non modò *pupillos* ac *viduas* non tuentur defendúntque, verùm etiam eos fraudant, atque in federatorum furtis maximísque sceleribus connivent. Vide, Christiane lector, quòd hæc conjungat Propheta ut cognata vitia, veluti causam & effectus. *Appetunt munera & dona*; *non judicant pupillum*, &c. *Retributiones* verò vocat Hebraismus vel *dona* simpliciter: nam *retribuere* interdum est *donare*, sed plerumque *vicissitudinem* indicat:

quare

quare quæ donantur Magistratibus, hoc nomine vocantur, quia ut illi munera capiunt, ità quoque dant impunitatem criminum; & impios pro muneribus justificant, i. absolvunt, & ne causâ cadant omnem lapidem movent.

24. *Propter hoc*, &c.] Propter Magistratuum & Sacerdotum peccata, à quibus universa mala in populum emanarant, necesse fuit emundari Jerusalem. Quare occisis aut in exsilium missis impiis, nova Jerusalem ædificata est, & floruit Ecclesia: quæ hic noster Propheta à fine 45. capitis usque in finem prosequitur, hoc ipso ordine; licèt sæpius idem per transitum in pluribus locis insinuarit. Cùm verò hoc sit ex præcipuis capitibus Prophetiæ hujus, asseverationem insolitam & Dei nominibus præcipuè signatam præmittit. ¶ *Ait Dominus*] Hebræam vocem נאם (quod lubet Rabini dicant) esse participiale nomen non dubito, & idem valere quod *sermo certus & indubitatus*, quódque Paulus dicit, *Fidelis sermo*; tantùmque in Scripturis Deo & à Deo inspiratis hominibus tribuitur: quare illud Psal. 36. *Dixit injustus*, &c. sic vertendum putarem, *Sermo certus de transgressione improbi in corde meo: non est timor Dei coram oculis ejus*, &c. i. *Hoc certò apud me statuo de transgressionibus*, vel *circa transgressiones improborum*, *nempe quòd non sit timor Dei*, &c. Est autem Hebræis hujus vocis usus qualis est Paulo illius, *fidelis sermo*: Interdum enim præcedit ea quæ affirmat, ut 1 Tim. 3. & 2 Tim. 2. & 1 Tim. 1. ubi vim vocis pluribus explicavit: Interdum verò subsequitur, ut Tit. 3. Verbum autem נאם, i. *certò affirmavit*, tantùm reperitur Jer. 13. Et licèt hanc vocem ut verbum accipere possimus, ubique tamen ut nomen verti. Et cùm venit in medio orationis, quasi parenthesi includenda videtur. Hîc quoque & ut nomen & ut verbum capi potest, *Propterea certò affirmavit*, &c. vel, *Propterea sermo certus Domini Jehova*, &c. Sup. *hic est*. ¶ *Dominus*] In Hebræis sunt duo nomina Dei, *Adonai*, *Jehova*; de quibus in Præfatione. ¶ *Fortis*] אביר dicitur de Deo, de Angelis, de Hominibus, de Tauris, &c. significátque *potentem*, *robustum*, *validum*, &c. Et quando de Deo dicitur sæpe construitur cum nominibus *Israel* aut *Jacob*: q. d. quòd in Israele appareat quàm sit validus & potens; cujus vires & potentiam expertus sit Jacob, & ejus hostes. ¶ *Heu*] Est particula quam suprà Vulgatus dicit *Væ*, neque est Dolentis hoc loco, sed potiùs Insultantis, ut *ah*, sive *aha*. Vide suprà ver. 4. & verba quæ sequuntur sic accipiendam interjectionem ostendunt. *Hostes* & *inimicos* vocat, & ex vindicta *consolationem* accepturum se esse affirmat: id quod Ezech. 5: 13. explicatur, *Complebo furorem meum*, *& requiescere faciam indignationem meam in eis*, *& consolationem accipiam*: *& scient quia ego Dominus locutus sum*: & Deut. 28. *Sicut antè lætatus est Dominus super vos bene vobis faciens*, *vósque multiplicans*; *sic lætabitur dispergens vos atque subvertens*, *ut auferamini*, &c. Hostes autem suos vocat eos qui fratres lædebant, quos dixerat homicidas, crudeles, avaros, qui munera accipiebant, & impios ministros, quia omnia corrumpebant, &c.

25. *Convertam manum meam ad te*] Vel *reducam super te*. Est Hebraismus, quem nos Lusitani satis bene exprimimus cùm dicimus, *alteram manum huic rei admovebo*, significantes jam nos in ea re aliquantulùm elaborasse, etiam aliquid effecisse, sed nondum absolvisse ac perfecisse id quod volumus & perficere antea cogitaveramus. Quemadmodum etiam Latinè dicimus aliquid *refricandum* seu *repurgandum*, quod non sit ex omni parte purgatum, & summam adhuc manum poscat atque desideret; sic etiam similitudine sumptâ ab Aurificibus, vel etiam à Fullonibus, qui sordes à vestibus etiam atque etiam refricando abstergunt, in punitionibus loquimur, *Admovebo illi alteram manum*, significantes nos aliquid priùs laboris & studii insumpsisse ut quempiam ad sanam mentem reduceremus, nondum tamen id consecutos velle rursus rem tentare. Quare hoc loco, ut ego quidem sentio, multò aliud significari puto quàm nonnulli sentiunt, nempe quòd exsilio Babylonico & exustione illâ Civitatis & Templi, quasi primâ manu, non satis expurgata fuerit Jerosolyma, neque suffecerit extersio illa ad revocandam fidei puritatem, religionis, justitiæ atque doctrinæ: itaque ait *se iterum manum applicaturum ad scorias exurendas*, *& quidquid stanni argento immistum fuisset*. Exponit ergò quod dixerat de *vindicta* sumenda, quòd de illis tantùm intelligat qui ex Israelitis degenerarant, pietatémque & fidem abjecerant, de homicidis, avaris, adulteris, & cæteris, quos Paulus dicit *ad Regnum Dei non pertinere*: non autem quòd populum suum sit repulsurus; imò hoc beneficium præstiturus Jerosolymæ ut eam expurget & omnibus sordibus abstergat. Excidium itaque Jerosolymitanum per Romanos (quod præcesserat aliud spirituale, hujus argumentum, initium & causa, quando scilicet omnia devastaverat infidelitas expulso Christo & fide) fuit opus illius supremi Aurificis & Conflatoris ad *exurendas scorias* & excutiendas paleas & permundandam aream suam. Perierunt ergò & absumpti sunt hostes ejus; & revixit pietas & fides, &c. ut mox dicetur. Intellige hoc loco, Christiane lector, quòd interdum vastationes & captivitates, imo & hæresium inundatio, quæ fere totam terram occupat, sint veluti Divinitus missæ conflagrationes in *vindictam* hostium Dei, *& absumendas scorias*, & ut fides electorum probata inveniatur. Sunt itaque flagella, & quasi initium damnationis impiorum: si autem mentem Dei attendes, sunt beneficia in pios. Finge argentum cui admistum est Stannum sensum habere & mentem; nónne pro beneficio duceret conflari & exuri? Doleret quidem Stannum & gemeret, quia aliquid contra voluntatem ejus fieret, & ei vis inferretur; gauderet verò Argentum, quòd ab injuria vindicatur & expurgatur. Hâc profectò cogitatione in tanta Reip. Christianæ conflagratione animus meus paulisper excitatur atque recreatur. Idem quoque cogita in singulis electis Deum facere, dum afflictionibus rubiginem exurit: id quod optabat David cùm ait, *Proba me*, *Deus*, *& tenta me*; *ure renes meos & cor meum*, &c. Revocatúrque animus ad amoris puritatem & fidei; *Sedet* enim *Dominus conflans & emundans argentum*, *& purgat Ministros suos*, *& urit eos*, *quasi aurum & argentum*, *ut offerre possint sacrificia in justitia*. Felices qui sic uruntur, nè in æternum urantur; & igne afflictionis uruntur, ut suaviter igne amoris exardescant. *Quis stare*t ad videndum hunc conflatorem? optantis enim puto esse similia verba apud Malachiam, c. 3.

26. *Et restituam Judices*, &c.] Ecce quorsum purgat & exurit Dominus. Vide autem, quòd eodem verbo quo usus fuerat quando superiori versu de afflictione inferenda verba fecerat, hîc quoque utitur: illic verò *convertendi*, hîc *restituendi* reddidit Vulgatus: ego utrobique verbo *reducendi* reddidi, ואשיבה. q. d. Ad hoc *reduxi manum meam super te*, ut *reducerem* etiam ad te bona quæ amiseras: Quorum summam hâc unâ promissione comprehendisse videtur, de *restituendis Judicibus & Magistratibus*, præsertim si *ablata sint scoria & stanna*. Si enim pura sit religio, purus cultus, pura & sana doctrina, Magistratus quoque & consiliarii justitiam colant, remp. felicem dicere meritò poteris. Sed quid est *quales initio*, *quales in principio*, i. olim, antiquitus? Putarem quòd Mosen, Josue, Samuelem & similes intelligat: nam illi propriè שפטים dicebantur, feliciúsque habuit resp. illa sub Judicibus quàm sub Regibus, præterquam sub David & initio Regni Salomonis. Ex libro autem Samuelis habemus, magis gratam fuisse Deo formam illam reip. quàm quæ postea sub Regibus subsecuta est. Displicuit enim Domino verbum illud, *Da nobis Regem*, &c. Illos itaque vocabat Antiquitas *Judices* qui non habebant jus Regium, ut pro jure Regio possent tributa exigere, aliorum famulitium accersere, bona & possessiones exactione gravare, militem publicis populi impensis conducere, & similia, quæ illi possunt penès quos est totius reip. auctoritas. Erant tum veluti libertatis assertores & vindices; ut quando populus premebatur ab hostibus, Dominus virum aliquem excitabat qui rursus populum liberaret & in pristinam libertatem assereret. Adde quòd istorum potestas successione, sicut postea Regum, non derivabatur in posteros, sed ut Deo placebat, ità jam ex ista mox ex alia tribu & familia eligebat Judicem. Proinde cùm populus Regem à Samuele postularet, neque vellet ampliùs habere Judices, respondit Dominus, *Non te abjecerunt*, *sed me*, *ne regnem super eos*; insinuans quòd tempore Judicum ipse pro suo arbitrio regnasset, non ut solent Reges hujus seculi, qui fastu & ambitione, quasi domini, sibi subditos moderantur, qui equis, curribus, famulorum servorúmque copiâ & apparatu militari sua Regna & suos limites propagant & tuentur; sed ipse populum regeret per Judices Divino Spiritu afflatos, qui in domo paterna commorantes, nullas arces aut civitates aut regias exstruebant, neque fortunæ splendorem & inanem gloriam nimis concupiscebant. Unde Abimelechum, qui, ut rerum summâ potiretur, militem conducebat, & vi dignitatem retinere cogitabat, Regióque dominatu studebat clarescere, ac contra morem & exemplum aliorum Judicum Regiâ quadam magnificentiâ utebatur, *regem* Jud. 9. Scriptura appellat. Secùs Gedeon, qui dicenti sibi populo ut *esset dominus ipsorum*, *& filius ipsius post eum*, respondit, *Non ego dominabor in vos*, *neque filius meus*; *sed dominabitur in vos Dominus Deus vester*. Meritò itaque non שרים, i. *Principes*, non *Dominos* dicit se *restituturum* Dominus, sed *Judices ac Consiliarios*, qui remp. pacatiùs & humaniùs administrarent. Cùm igitur hæc in Christo impleta sint, (non enim satis hæc temporibus post reditum è Babylone conveniunt: nam licèt ex parte verum sit quòd tunc habuerit Jerusalem *Judices sicut à principio*, non tamen *civitas* tunc dici

potuit

potuit *justitia*, & *fidelis*, &c.) superest ut qui Christi Ecclesiæ præsunt, non se ut Reges gerant, sed ut Dominus in Evangelio præscribit cùm ait, *Reges Gentium dominantur eorum*, &c. *vos autem non sic.* Quare qui hoc audierunt à Christo, *non dominati sunt in clero*, *sed forma fuerunt gregis*, ut est apud Apostolum: hoc tamen non impedit quò minùs secularis potestas Ecclesiæ quoque Ministro concedi possit. Verùm de Ecclesiæ Ministris mihi & Prophetæ est sermo quà Ecclesiæ præsunt & vices Christi gerunt. De abusibus quoque qui consequenti tempore inundarunt, quibus hæc gloria obnubilata est, non est hujus loci sermonem instituere. Certe hoc verissimum est, multò sanctiores & justiores habuisse novam Jerusalem Judices quàm qui Israelitico populo præfuerunt. Non enim puto illos cum Apostolis conferendos, neque cum pluribus Apostolicis viris, qui primitias Spiritûs acceperunt, & in quos Deus *divitias bonitatis* suæ dicitur effudisse. Horum profectò tempore vocari poterat. ¶ *Civitas justitiæ, urbs fidelis*] Sed & in finem usque seculi Justitia habitabit in ea, & fides non deficiet: nam qui fidem amittunt ad eam non pertinent: injusti verò in ea tolerantur, &c, ut resipiscant, foventur; quod si non faciant, tandem ab ea expellentur. Vides quòd cùm de Redemptione Jerusalem sit sermo, nihil hîc de divitiis, nihil de armorum strepitu dicatur? Quis dubitat existimasse Prophetam fidem atque justitiam Ecclesiæ ad felicitatem atque securitatem sufficere? Sed de his latiùs in postremis hujus Prophetæ capitibus. Nota quòd nomen *consilii* עצה & *consiliariorum* יעצים à verbo יעץ dicantur, quod *sternere* propriè significat, quòd consilium sit veluti stratum super quo actiones nostræ consistunt; vel potiùs quia quod ex consultatione & deliberatione faciendum statuitur, sit veluti fundamentum actionum. Et ità nos aliquando verbo *fundandi* barbarè utimur, quando in consultationibus sententiam nostram volentes proferre, dicimus, *Fundor in hoc*, i. Hæc est basis, hoc fundamentum, hæc sententia mea, quam operi quasi substernendam & instar fundamenti jaciendam statuo, &c. Ut vel ex hac etymologia, quanti consilia & consultationes facere debeamus, intelligi voluerit auctor linguæ Sanctæ. Quid enim magnum absque fundamento diu possit consistere? Vide quoque, quòd ad felicitatem reip. non satis putavit Spiritus S. dictum, si *Judices restituerentur* integri & incorrupti, nisi quoque *consiliarios restituendos* diceret, nam malis consultoribus vix quidquam boni præcipi à Magistratibus & Principibus; & si præcipiatur, vix executioni mandari possit; adeò ut quidam olim sapienter dixisse credatur, quòd *mallet iniquum Regem optimis consultoribus reip. præesse quàm justum & sapientem iniquis consiliariis constipatum.* ¶ *Initium*] Hebræis dicitur תחלה, à חלל, i. *profanari*, quòd inceptio rei sit quasi ejus profanatio seu incisio. ¶ Notus quoque est Hebraismus אחרי כן *post sic*, i. statim ubi hæc gesta sunt aut erunt. Nequaquam enim absque incorruptis *Magistratibus* & *Consiliariis* poterit unquam dici quævis civitas *civitas justitiæ*, aut *fidelis*. Ea enim est humana fragilitas ut vix nisi ab altero in officio contineamur: illi verò qui alios in officio continere debent, non nisi à Deo dari possunt. Quare iratus Deus istos negat, ut videbis cap. 3.

27. *Tcion in judicio*, &c.] Hòc intelligitur, vel quòd Dominus pretium persolverit pro ea, neque sibi quidquam remitti voluerit ex debito: pretium autem fuit sanguis ipsius, cui non potest comparari aurum & argentum: multò enim acceptior fuit in oculis Domini Christi obedientia quàm ingrata & invisa omnium simul hominum inobedientia: adeóque justa fuit hæc compensatio, ut si aliquis, v. g. iis qui per fidem vivam Christo adhæserint, peccata imputare vellet, eósque damnare quibus Dei Filius justitiam suam impertierit, injustitiam & injuriam in se committi meritò Christus Dominus proclamare posset. Vel *in judicio & justitia* est, optimè expensis ac perspectis causæ circumstantiis, *Tcionem absolvere & à captivitate eripere.* Quid si *judicium* & *justitiam* pro *Dei bonitate*, ut sæpe aliàs, accipiamus? Quid rursus, si *judicium* & *justitiam* pro *sanctificatione* ipsi Tcioni collata capiamus? Certè nihil ab Hebræorum phrasi & locutione alienum dixerimus: ut scilicet intelligamus quòd non sit hæc redemptio qualis fuit aut ex Ægypto aut ex Babylone, sed nihil aliud sit *Tcionem redimi* quàm *Tcionem justificari*, collatâ ei ex Dei misericordia justitiâ, quâ electi Dei intus justi sint liberati à servitute peccati, ut *justificati gratiâ ipsius heredes simus juxta spem, quam nobis quoque dedit, vitæ æternæ in Christo Jesu Domino nostro:* Porrò illud membrum, *reducent eam in justitia*, variè reddi potest. Nam si שבי sit plurale participii שב in forma affixi, quam vocant, & activè accipiatur, i. *reducentes eam*, vertemus cum Vulgato *reducent eam in justitia:* quòd si ut neutrum accipiatur, ut accipiunt ferè omnes Rabini, erit dicendum, *revertentes ejus*, i. qui ad eam redeunt, *redibunt in justitia*, seu *redimentur in justitia:* quòd si, neglectâ punctatione Rabinorum, שבי esse nomen singulare dixerimus à verbo שבה, i. *in captivitatem abduxit*, cùm affixo feminino שביה, ut Deut. 21. 13. *auferet vestimentum captivitatis suæ*, planus erit sensus, *captivitas ejus in justitia redimetur:* & hunc sensum magis probo; sicut etiam infrà c. 59. ubi ferè eadem verba reperies. Quam versionem eò libentiùs amplector quo *redeuntes transgressionis* seu *peccati* juxta Hebræorum loquendi consuetudinem potiùs illi sint qui ad transgressionem redeunt quàm qui à transgressione seu iniquitate convertuntur. Adde quòd expressus locus est quo Judæorum redemptionem à peccatis futuram fore testatur, quam Judæi negant, tantùm optantes è potestate Romanorum eripi. Adde quòd etiam dicitur שביה formâ femineâ, i. *captivitas*; ut vertere possis, *& captivitas in justitia*, scilicet *redimetur.* ¶ *Redimetur*] פדה, cujus hic passivum legitur, est *liberari ex periculo*, *angustia* seu *captivitate:* aptissiméque dicitur de redemptione per Christum. Nam pericula & scandala ubi similia iis quæ in Regione Peccati passim sunt obvia? *Pericula inferni* hæc sunt & *portæ mortis:* minimo enim interstitio à morte perpetua illi dividuntur qui in peccatis degunt. Quid de angustiis referam? sunt verè *dolores mortis* & veluti *funes* quidam qui mentes sensúsque constringunt, & quasi *captivos abducunt nos in legem Peccati*; quod quidem dolenter conqueritur Paulus Rom. 7. Neque id latet eos qui aliquem sensum peccati aut gustum Dei habent. Quæ enim latitudo animi illi contingere poterit qui Deum sibi iratum agnoscit? Adde quòd mala conscientia semper est pavida. His malis tandem accedit tyrannis impiissimorum & crudelium dominorum, à quibus non nisi per Filium liberari poteramus. *Tunc* autem *verè liberi sumus*, ut ipse apud Joannem affirmat, *si ab eodem fuerimus liberati. Eramus* itaque *servi peccati*, *at per Christum verè liberati à peccato*, *servi autem facti Deo*, *habemus fructum*, *sanctificationem*, *finem verò vitam æternam.* Summa igitur lætitia est nobis percipienda, gratiæque perpetuò agendæ, juxta illud Psal. *Confitemini Domino*, *quoniam bonus*, *quoniam in seculum misericordia ejus.* Sed quorumnam est hoc Canticum? quis has laudes Domino decantabit? *Dicant*, iniquit, *qui redempti sunt à Domino*, &c. Ubi certè nonnullas liberationes numerat ex Errore viæ, ex Maris periculis, ex Captivitate, &c. quæ si conferantur cum ea libertate quæ nobis per Dei Filium contigit *in judicio & justitia*, pueriles videbuntur. Ignorant itaque miseri Judæi majestatem Redemptoris sibi promissi, quia latet eos quanta sit Peccati captivitas quâ usque ad hoc tempus detinentur.

28. *Et conteret*, &c.] Etiamsi priùs jam exstirpandos improbos dixisset, rursus tamen ad idem redit, nè putarent Judæi, adveniente Messia suo omnia sibi tuta fore. Hoc enim sæpissime Propheta solet repetere, nè unquam sibi impunitatem promitterent. Imò verò cùm redemptio esset *in Justitia*, manifestum esse vult, quod quicunque justitiam quæ per Christum est non amplecterentur, interituri essent. Ex quibus alteram intelligentiam superioris versus à superioribus elicere possumus, scilicet quòd *Tcion redimeretur in judicio & justitia*, i. ut nihil in ea liberatione contra jus factum videri possit: justus enim est Deus, & justitiam in ipsa misericordia nunquam deserit: neque ei unquam placere poterit impietas aut iniquitas, nè putent impii, quòd quia *liberabitur Tcion & Jerusalem*, ipsi impunè vivent, & rerum domini futuri sint Judæi, quoquo pacto tandem vivant: alienum hoc prorsus est à Dei justitia, cui odio est impius & impietas ejus. *Redimetur* itaque *Jerusalem*, sed summo *cum judicio:* quod mox explicat, i. ut *conterantur* omnes *peccatores & scelerati*; pii vero, seu qui abjectâ impietate Christo Domino adhærere velint, libertate fruantur; cæteri vero deficiant à terra ità ut non sint, i. funditus omnino deleantur. Ergo juxta hanc expositionem quæ sequuntur usque ad finem capitis sunt expositio ejus quod dixerat, *Tcion in judicio redimetur*, *& captivitas ejus in justitia.* Sed verba hujus versûs nonnullâ indigent animadversione. Vocem שבר, si tollas puncta, ut sæpe necesse est, & ut verbum accipiatur, optimè vertit Vulg. *conteret:* *frangere* enim seu *conterere* significat. Ut nomen autem, est *fractura* seu *contritio.* Dicit ergo, *Simul cum redemptione Tcionis & captivorum ejus erit contritio transgressorum & errantium; & qui deseruerunt Jehova, deficient & de medio tollentur. Justum enim est ut quies detur* servis Domini & à tyrannide *oppressis*; *simul etiam & iis qui eos affligunt* (ut inquit Paulus) *juxta ipsorum merita rependatur.* Simul verò sunt & piorum redemptio & improborum damnatio; ut isti magis torqueantur, illis autem jucundior sit redemptio quod in tanta rerum perturbatione securi ac læti permaneant. Hoc illud est quod *arescentibus hominibus præ timore*,

more, &c. Dominus jubet ut sui *caput sublevent*, *quòd in januis sit eorum redemptio.* ¶ *Peccatorum*] Possumus quoque vocem חטאים pro *erratis* accipere & *peccatis*; ut sit sensus, *Erit*, inquit, *contritio trangressorum & erratorum simul*; i. conteret transgressores & errata simul, ut mox de idolis dicit. Quoniam autem & שבר, si cum sinistro puncto scribatur, quasi contrariâ significatione notat *infractis oculis & animo intueri* (unde & pro *exspectare* accipitur ab Interpretibus) potest hic subesse sensus, neque contemnendus, *& intuitus transgressorum* (seu *spes & fiducia transgressorum*) *simul cum ipsis suis erratis* (vel *cum ipsis simul errantibus*) *ipsi denique Jehova desertores deficient*, *cessabunt & absumentur.* Sic שבר accipitur Psal. 119. & Psal. 146. Ut videas quantum juvet ex fontibus ipsis haurire S. Bibliorum intelligentiam. Quàm verò iis quæ sequuntur hic sensus conveniat, facilè lector animadvertet.

29. *Confundentur*] Cùm se nihil auxilii consecutos viderint ab iis in quos, ut in Deum, oculos conjecerant, vel cum eorum delubra conflagrare viderint, simul cum arboribus quas ordine conserebant ut inter illas se oblectarent in honorem Deorum suorum, non poterunt non pudore suffundi. ¶ *Quibus sacrificaverunt*] Vulg. verbi significationem non reddidit, sed sensum tantum. Quid enim est *Deos appetere*, *concupiscere* seu *adamare* nisi illis immolare? nam חמד propriè est *appetere*, *expetere*, *concupiscere*, scilicet ea quæ hominibus jucunda, grata, voluptaria, utilia, pretiosa sunt. Quare semper hoc verbum emphaticum est. ¶ *Erubescetis*] Hebræis חפר significat *fodere* seu *infodere*: hinc interdum *explorare*, & *oculis ac animo in rem intendere* significat; quòd hoc sit quædam fossio & rei penetratio, Exod. 1. Hinc etiam pro *pudefieri*; vel quia qui pudefiunt, abdere se velint; vel quia est quædam animorum exploratio. Sic Job. 6. & Psal. 34, & 40. &c. Ecce quonam pacto defecit spes illorum de qua versu superiore. ¶ *Hortus* Hebraicè dicitur גן, à verbo גנן, quasi *circummunitus septo*: hoc enim differt ab agro seu prato quòd circumseptus est.

30. *Cùm fueritis*] כי potest esse Temporis, potest quoque esse Rationalis particula. ¶ *Quercus*] אלה speciem esse Quercûs ferè omnes consentiunt. Ego congruente voce *ilicem* esse credo. Etymologia quoque favet: verbum enim אלה *adjurare* significat *additâ imprecatione mali*: Ilicem autem diris imprecationibus devotam antiquis, nè cæderetur, nemo est qui nesciat. Gentiles etiam hujusmodi arbores & silvas *sacras* & *incaduas* dixere: Vel sic dicitur ab *expansione* & *præminentia* ramorum. ¶ *Folii*] עלה vero *folium* dicitur, & *supremum in ramis arborum excrementum*, à verbo quod *ascendere* significat. ¶ *Defluentibus*] Verbum נבל *humore naturali destitutum esse*, *emarcescere* seu *elanguescere* significat propriè. Sensum expressit Vulg. Certè istæ similitudines statum illius Reip. satis exprimunt, cujus aspectus fuit horridus, à qua recessit omnis decor atque ornatus; quemadmodum ab illis recedat illosque deserat, justum est, de quibus v. 28. dixerat quod *deseruissent Jehova.* In quo statu qui fieri posset ut non puderet aliorum Deorum cultores, qui ignem in lucis & arboribus quæ in ipsorum honorem fuerant plantatæ non exstinxissent, ac multo minus ipsos cultores suos non servassent? Hi sunt in quibus habuistis fiduciam; surgant, & opitulentur vobis, &c. Hæc omnia in amatores mundi, qui idola colunt, & brachio carnis innituntur, satis aptè conveniunt: quorum finis interitus, ut ultimo versu concludit Jesaias.

31. *Fortitudo*] Heb. חסן *illud præsidium* notat *in quo fiducia collocatur*: & pro *umbra* videtur accipi Amos. 2. *Ego delevi Amorrhæum à facie ipsorum*, *cujus altitudo erat quasi cedrorum*, *& protectio* (seu *umbra*) *sicut quercuum*: & dicitur à verbo חסן, quod *recondere* significat: & rarum verbum est Hebræis; tantùm enim semel legitur in voce pass. infrà 23. at Chaldæis frequentius est. Hoc autem nomine hìc vocat Idola: quem enim Deum credimus, eundem *protectionem* nostram reputamus. ¶ *Stupa*] Hebræis dicitur נערת, à verbo quod *excussum esse* significat, quod è lino excutiatur. ¶ ניצוץ nomen geminatum à verbo נוץ, quod *prorumpere ad volandum* seu *evolare* significat. Notat ergo *eruptionem ignis* vel *flammæ*, &c. Hinc vides peccatores esse sibimetipsis & operibus manuum suarum conflagrationis atque perditionis auctores. Ob quod in Scripturis *seminatores* dicuntur *malorum*, quódque *labores & afflictiones metent.* Ipsi sunt flamma, & incendiarii; & adversùs semetipsos flammas excitant temporales, & æternas, quas nemo possit exstinguere. Ecce quod v. 28. dixerat, nempe *fiduciam impiorum simul cum ipsis interituram esse.* O infelices, qui dum dulcedine ac blanditiis voluptatum illecti, bona hujus vitæ jucunda ac voluptaria seu utilia nimis magno studio quærunt, ut v. 29. dixit, nihil aliud quàm sibi & suis incendium præparant. Detestor igitur Deos atque hortos qui sunt ignis fomenta, aut in quos ignis suam vim potest exercere. Hæc itaque est Prophetiæ totius materies, hoc argumentum: nulla enim in toto hoc volumine aliqua insignis est Prophetia cujus in hac prima Concione caput non attigerit, adeò ut ultimum verbum hujus capitis cum ultimis libri verbis apertè conveniat, *Vermis eorum non moritur*, *& ignis non extinguitur.* Nulla autem hìc in argumento mentio fit vastationum aliorum Regnorum, quæ in sequentibus commemorantur, quòd tantùm in exempla ea adscripserit Propheta.

D R U S I U S.

1. עַל־יְהוּדָה וִירוּשָׁלִָם Sym. *de Juda & Jerusalem*] Περὶ Ἰούδα. Pro *Juda* Lxx & Th. *Judæam* posuerunt. Verba Hieronymi hac de re sunt in Comment. ad h. l. *Pro* JUDA, *in quo significantur duæ Tribus*, *Lxx & Th. posuere* JUDÆAM. *quæ totam terram* 12 *Tribuum ostendit.* Cum venia, Hieronyme, *Judæa* & strictè sumitur & latè. Cùm strictè sumitur tum duas duntaxat Tribus comprehendit: nihil verius. Verba Græca sunt in ed. Lxx, κατὰ τῆς Ἰουδαίας καὶ κατὰ Ἱερουσαλὴμ *contra Judæam & contra Jerusalem.* Infra 2. 1. habent περὶ τῆς Ἰουδαίας καὶ περὶ Ἱερουσαλὴμ, ubi Sym. teste Eusebio, ὑπὲρ τῆς Ἰουδαίας καὶ ὑπὲρ Ἱερουσαλὴμ, ut Hieron. hic *super Judam & Jerusalem.*

2. בָּנִים גִּדַּלְתִּי וְרוֹמַמְתִּי. Sym. Th. *filios enutrivi & exaltavi.*

4 זֶרַע מְרֵעִים. Cæteri, *semen pessimorum*] Hieron. *Et pro* SEMINE NEQUAM, semen pessimum: *quod cæteri sequentes Ebraicum* מרעים *interpretati sunt* PESSIMORUM: *ut non tam seminis vitium sit*, *nè boni & mali diversa putetur esse natura*, *quàm eorum malitiæ*, *qui voluntate propriâ Dominum dereliquerunt.* ¶ בָּנִים מַשְׁחִיתִים. Reliqui, υἱοὶ διαφθείροντες *filii corrumpentes*] Hieron. *Qui primùm per beneficium* FILII *appellati sunt* DOMINI, *postea vitio suo vocarentur* FILII SCELERATI, *sive*, *ut reliqui consonâ voce dixerunt*, FILII CORRUMPENTES, *i.* υἱοὶ διαφθείροντες, *qui naturæ bonum suo vitio perdiderunt.* ¶ נָזֹרוּ אָחוֹר. A. Th. ἀπηλλοτριώθησαν εἰς τὰ ὀπίσω *abalienati sunt retrorsum*] Hoc Basilius Theodotioni, Procopius Aquilæ tribuit. Vide Rom. ed.

5. סָרָה. Th. *declinatio*] Hieron. *Quantò enim tormenta majora sunt*, *tanto magis crescit impietas & iniquitas*, *sive*, *ut Theodotio transtulit*, DECINATIO, *ut recedatis & declinetis à Domino.* Infrà v. 23. סוררים. Aq. *recedentes.* Sym. *declinantes.*

6. וְלֹא חֻבָּשׁוּ. *nec est circumligata*] Hieron. *Usque hodie vulnus & livor & plaga tumens populi Israel non est circumligata fasciolis*, *nec curata medicamine. Quod Aquila interpretatus est* μότωσιν, linteola *videlicet*, *quæ ad exsiccandam saniem & purulentias extrahendas injiciuntur vulneribus.* Hos. 6. 1. ויחבשנו. Aq. & cæteri, καὶ μοτώσει ἡμᾶς, i. *indito penicillo vulnerario curabit nos.* Vide quæ notavimus ad illum locum.

14. נִלְאֵיתִי נְשֹׂא. Aq. *laboravi sustinens.* Sym. ἐκοπώθην ἱλασκόμενος *lassatus sum expians*] Hieron. *Pro quo interpretatus est Aquila* LABORAVI SUSTINENS: *Sym.* ἐκοπώθην ἱλασκόμενος, *quod est* DEFECI MISERANS: *ut ostendat se nequaquam ultrà misereri.* ¶ *Lassatus*: fatigatus, labore fractus & exanimatus. ¶ *Expians*: vel *condonans*: quod נשא potiùs designat. Nam *expio*, i. כפר: & *miserans*, רחם.

21. יָלִין. Lxx ἐκοιμήθη] Aq. & Th. per futurum transferunt. Hieron. *Verbum Ebraicum* ילין, *pro quo Lxx transtulerunt* ἐκοιμήθη, *i.* dormivit, *&* requievit *&* requiescet, *i. & præteritum & futurum tempus*, *significat. Unde & Aq. & Th. quasi de futuro dicunt.*

22. סָבְאֵךְ מָהוּל בַּמָּיִם. Sym. *vinum tuum mixtum* est *aquâ.* Aq. πότος σου *potatio tua*] Licet etiam vertere *convivium tuum*, ut Cohel. 7. 2. εἰς οἶκον πότου *in domum convivii.* Athenæus lib. 4. ὅταν ὁ βασιλεὺς πότον ποιῆται. Gen. 29. 22. משתה *convivium.* Aq. Sym. πότον. In Comment. Hieron. *Pro* VINO *Aquila* συμπόσιον, *i.* CONVIVIUM, *interpretatur*, *quod apud Græcos ἀπὸ τοῦ πότου*, *apud nos à convictu rectiùs appellatur.* Nihil affirmo, sed tamen divino Hieronymum scripsisse πότον, i. *convivium.*

23. סוֹרְרִים. Aq. *recedentes.* Sym. *declinantes*] Hier. *Pro INOBEDIENTIBUS Aq. RESIDENTES, Sym. DECLINANTES interpretatus est.* Psal. 68. 6, סוררים. Sym. ἀπειθεῖς. Aq. οἱ ἀφιστάμενοι *deficientes.* Th. ἐκκλίνοντες *declinantes.* Prov. 7. 11. סוררת. Aq. ἀφισταμένη. Sym. ἀφεστηκυῖα. ¶ שַׁלְמֹנִים. Sym. *vicissitudines*, vel *ultiones*] Hier.

Pro

Pro RETRIBUTIONIBUS Sym. VICISSITUDINES vel ULTIONES interpretatus est: ut hi quoque in culpa sint qui reddunt malum pro malo, & dentem pro dente, oculum pro oculo.

24. אֲבִיר יִשְׂרָאֵל. Omnes, *fortis Israel.* Hier. *Propter hoc ait DOMINUS exercituum fortis Israel*] *Pro FORTIS ISRAEL, quod omnes similiter transtulerunt, soli Lxx, nescio quid volentes posuerunt* οὐαὶ οἱ ἰσχύοντες Ἰσραήλ, *i. VÆ FORTES ISRAEL,* ¶ *Fortis*] ἰσχυρός. Thren. 1. 15. אבירי, Chald. תקיפי *fortes meos.* Lxx τοὺς ἰσχυρούς μου. Potest etiam fieri ut in Græco fuerit ἰσχύων Ἰσραήλ.

25. וְאֶצְרֹף כַּבֹּר סִגָיִךְ. Aq. *excoquam ad purum acinum tuum.* Sym. καὶ πυρώσω εἰς καθαρὸν τὴν σκωρίαν σου, *& igne purgabo ad purum scoriam tuam.* Th. καὶ πυρώσω εἰς καθαρὸν τὸ γιγαρτῶδές σου, *& igne probabo* (seu *excoquam*) *quod in te plenum est acinis vinaciis*] Sumpsi ex libro MS. cui titulus, *Symbola commentariorum collecta ab Huone Haltilio Groningano*, cujus copiam mihi fecit Folcerus Frisius Rector Scholæ Daventriensis. πυρώσω εἰς καθαρόν. Videtur mihi legisse כבר, h. e. Beth pro Caph. ¶ *Acinum tuum*] Hier. in Comment. ad h. l. *Pro SCORIA, quod interpretatus est Symmachus, Aquila* στέμφυλα, *i. VINACIA, Theodotio* τὸ γιγαρτῶδες, *i. ACINUM UVÆ, interpretatus est.* Ità leg. non ut est in libris Antuerpiæ vulgatis, *Symmachus & Aquila.* Res est, non conjectura. Idem Ezec. 22. סיג. *Symmachus SCORIAM, Aquilæ prima editio* στέμφυλον *&* γίγαρτον, *i. ACINUM VINARII, secunda & Lxx COMMISTIONEM. Porrò scoria sordes & purgamenta metallorum sunt.* סגים Psal. 119. 119. Aq. στέμφυλα. Prov. 25. 4. Sym. γίγαρτα. ¶ Σκωρίαν σου. Psal. 119. Sym σκωρίαν, alias σκαιωρίαν. ¶ *Acinis vinaciis.* γίγαρτον propriè *acini vinacii lignum* seu *nucleus.* τὸ γιγαρτῶδες hinc originem habet.

30. אֵלָה. Sym. *quercus*] Nec aliter Hier. Sic 2 Sam. 18. Lxx δρῦς. Hier. *quercus.* 1 Sam. 17. 2. בעמק אלה. Sym. ἐν κοιλάδι Ἠλά. Aq. Th. *in valle quercûs.* Lxx & Hier. *Terebinthi*, 1 Par. 10. 12. Lxx. δρῦν Hier. *quercus.*

31. לִנְעֹרֶת. Hier. *ut favilla stupæ*] Idem in Comment. *pro FAVILLA* ἀποτίναγμα *interpretatus est Symmachus, quando stupa pectitur, & quicquid sordidum habet projicitur.* Ἀποτίναγμα, *id quod decutitur.*

IDEM EX PROCOPIO.

2. *Enutrivi*] Ἐξέθρεψα.

3. יָדַע. Aq. Th. μου οὐκ ἔγνω, *meus non cognovit*] Ed. vulgata με habet. In Ebræo nullum est pronomen. Est autem ordo & constructio, Ἰσραὴλ δέ μου *Israel autem meus,* οὐκ ἔγνω *non cognovit.* Sic mox ὁ λαός μου *populus meus*, οὐ συνῆκεν, *non intellexit.* Vulgò aliter, Ἰσραὴλ οὐκ ἔγνω με *non cognovit me.* Sic dicimus, Γνῶθι σεαυτὸν, *Cognosce teipsum.* Procopius, Ἐμὲ οὖν, φησὶν, οὐκ ἔγνω τὸν εὐεργέτην, τὸν πάντων δημιουργόν.

4. כֶּבֶד. βεβαρημένον *gravata*] Subintelligitur ἔθνος *gens*, vel aliquid tale. Aut lege λαὸς βεβαρημένος *populus gravatus.* ¶ מְרֵעִים. πονηρευομένων *nequiter agentium, malignantium, pessimorum*] Ità Hier. interpretatur. Ergò adde ad Frag. olim collecta. *Semen pessimorum* σπέρμα πονηρευομένων.

5. לָחֳלִי. Aq. εἰς ἀρρώστημα. Sym. εἰς νόσον *in morbum*: i. morbidum. ἀρρώστημα *ægrotatio*, vel *ægritudo, morbus.*

6. מִכַּף. Sym. Th. ἀπὸ ἴχνους *à vestigio.* ¶ אֵין בּוֹ מְתֹם פֶּצַע וְחַבּוּרָה וּמַכָּה טְרִיָּה לֹא זֹרוּ וְלֹא חֻבָּשׁוּ וְלֹא רֻכְּכָה בַּשָּׁמֶן. Sym. οὐκ ἔστιν ἐν αὐτῷ ὑγιὲς, ἀλλὰ τραῦμα καὶ μώλωψ καὶ πληγὴ τραύματος οὐ σφιγγομένου, οὐδὲ ἐπιδεσμουμένου, οὐδὲ ἀπαλυνομένου ἐλαίῳ, *non est in eo sanitas, sed vulnus & vibex & plaga, vulnere non coëunte, neque obligato, neque oleo emollito.*

9. יְהוָה צְבָאוֹת. Sym. Th. Κύριος τῶν δυνάμεων *Dominus exercituum.* Aq. στρατιῶν *militiarum*, sive *copiarum militarium*] Psal. 69:6. ארני יהוה צבאות. Aq. Κύριε ὁ Θεὸς στρατιῶν. Sym. Κύριε Θεὲ τῶν δυνάμεων. Th. Κύριε ὁ Θεὸς τῶν δυνάμεων.

10. תּוֹרַת אֱלֹהֵינוּ. Aq. Sym. Th. νόμον Θεοῦ ἡμῶν, *legem Dei nostri*] In Procopio est οἱ Γ, quo significat tres Interpretes modò nominatos.

11. שָׂבַעְתִּי. Aq. Sym. ἐμπέπλησμαι *expletus sum*, seu *exsatiatus.*

13. קְרֹא מִקְרָא. Vulgata ἡμέραν μεγάλην. Aq. κλητήν. Th. ἐπίκλητον] Procopius, Ἀντὶ δὲ τῆς μεγάλης ἡμέρας, Κλητὴν ἐξεδώκασιν οἱ λοιποὶ, ὡς μὴ μίαν σημαίνεσθαι, πᾶσαν δὲ τὴν ἐν τῷ νόμῳ καλουμένην Κλητὴν οἷα ἡ πρώτη καὶ ἑβδόμη τῶν ἀζύμων, καὶ ἡ τῆς πεντηκοστῆς, καὶ ἡ δεκάτη τοῦ μηνὸς, καὶ πᾶσαι ἁπλῶς ἐπίσημοι ἑορταί, i. *Cæterùm pro Magno die CELEBREM reliqui transtulerunt: ut non unum aliquem, sed quemlibet in Lege celebrem, primum videlicet & septimum azymorum, ipsamque Pentecosten, & mensis decimum, ipsas denique, ut summatim dicam, solennitates universas significarent.* Eadem vis in illo, ἡμέραν ἐπίκλητον, *diem quo advocantur homines ad aliquam solennitatem*, aut *diem solennem.*

14. לָטֹרַח. Aq. Sym. Th. εἰς ἐνόχλησιν] i. *Molestiam exhibuistis, interturbastis, molestastis.* Verbum è verbo *fuistis mihi in molestationem.* Lex. Vet. Ἐνοχλῶ, *molesto, convicior.* Alibi est, Ἐνόχλησις, *molestiæ exhibitio, interturbatio.*

16. הָרֵעַ. Sym. πονηρευόμενοι] Idem cum illo, *cessate agere nequiter, male*, aut *perversè.* Nam præcedit παύσασθε.

18. נָא. Aq. Sym. Th. δὴ, *nunc*, vel *obsecro.* ¶ יַאְדִּימוּ כַתּוֹלָע. πυῤῥιάσωσιν ὡς κόκκινον, *rubra* (sive *rufa*) *fuerunt ut coccinum*] Ità correxi: priùs erat πυρράσωσιν. Est autem verbum πυῤῥιάω, quod sig. *rubescere* sive *rufum esse*, videlicet à πυῤῥὸς *rufus.*

21. יָלִין. Sym. ηὐλίζετο *diversabatur, pernoctabat*] Procopii exemplar quo usus sum, κυλίζετο. Id primus emendavi, scribens ηὐλίζετο, rectè an secùs judicium esto eorum qui harum rerum intelligentiam habent. αὐλίζομαι propriè *stabulor*: item *cubo, pernocto.* Lex. Vet. Αὐλίζομαι ἐπὶ ἀνθρώπου *demoror, commoror, conversor.*

23. סוֹרְרִים. Sym. ἀπειθεῖς *inobedientes.* Th. ἐκκλίνοντες *declinantes*] In Hier. pro *Symmachus* reponendum videtur *Theodotio.* Cui firmando fragmentum ibidem citatum ex Psal. 68. ἀπειθὴς autem non tantùm sig. *inobedientem*, sed etiam *incredulum.* Unde Hier. hoc loco habet *infideles*, & in dicto loco Psalmorum *incredulos.* Lex Vet. Ἀπειθὴς, ὁ αὐθάδης, *contumax, inobtemperans, inobediens.* Ἀπειθὴς, ὁ μὴ πιστεύων, *incredulus, diffidens.* ¶ כֻּלּוֹ אֹהֵב. Aq. πᾶς αὐτὸς ἀγαπῶν. Sym. ἅπας ἀγαπᾷ. Th. πᾶς εἷς ἀγαπᾷ. Aq. *omnis ipse diligit.* Sym. *omnis diligit.* Th. *unusquisque* (sive *quilibet*) *diligit.* ¶ אַלְמָנָה. Sym. Th. χήρας *vidua.*

24. יְהוָה צְבָאוֹת. Lxx Κύριος σαβαὼθ] Procopius, Σαβαὼθ ἑρμηνεύεται Κύριος τῶν δυνάμεων, ἢ Κύριος στρατιῶν. Id hausit ex aliis ed. Nam suprà vers. 9. Aq. στρατιῶν *militiarum.* Sym. verò & Th. τῶν δυνάμεων *virtutum*, sive *exercituum.*

25. וְאֶצְרֹף כַּבֹּר סִגָיִךְ. Sym. Καὶ πυρώσω εἰς καθαρὸν τὴν σκωρίαν σου. Th. καὶ πυρώσω εἰς καθαρὸν τὸ γιγαρτῶδές σου. Aq. καὶ πυρώσω εἰς ἐκλεκτὸν στέμφυλά σου. Procop. in Comment. διὸ ὁ Σύμμαχος μὲν εἶπεν, Εἰς καθαρὸν τὴν σκωρίαν σου· ὁ δὲ Ἀκύλας, (legendum perspicuè, ὁ δὲ Θεοδοτίων,) Τὸ γιγαρτῶδές σου, ὥσπερ οἱ πυροῦντες χαλκὸν ἢ σίδηρον, τὴν σκωρίαν ἀποβάλλουσι καὶ τὸ γιγαρτῶδες ἐν τοῖς ληνοῖς. ¶ בְּדִילָיִךְ. Aq. Sym. Th. κασσίτερόν σου *stannum tuum*] Proc. οἱ λοιποὶ Κασσίτερον ἐκδεδώκασι. Priùs erat in Lxx τοὺς ἀνόμους καὶ ὑπερηφάνους.

26. וְאָשִׁיבָה. Sym. Th. ἀποκαταστήσω *restituam.*

27. בִּצְדָקָה. cæteri μετὰ δικαιοσύνης *cum justitia*] Proc. μετὰ ἐλεημοσύνης, ἢ ὡς οἱ λοιποὶ ἑρμηνεύκασι μετὰ δικαιοσύνης.

29. יֵבֹשׁוּ מֵאֵילִים. Aq. Sym. αἰσχυνθήσονται ἀπὸ τῶν εἰδώλων *confundentur ab idolis.* Th. καταισχυνθήσονται ἀπὸ τῶν εἰδώλων *pudefient ab idolis*] Vide sequentia.

30. כְּאֵלָה. Aq. Sym. Th. ὥσπερ δρῦς *sicut quercus*] Priùs erat ὥσπερ τερέβινθος. Proc. ὥστε δρυὶ τὰ κατ' αὐτοὺς ἀπεικάζεσθαι· οὕτω γὰρ οἱ λοιποὶ τὴν τερέβινθον ἐκδεδώκασιν· καὶ ἐν τῇ Γενέσει δὲ τὴν αὐτὴν δρῦν καὶ τερέβινθον μεμαθήκασιν. Gen. 35. 4.

31. לִנְעֹרֶת וּפֹעֲלוֹ לְנִיצוֹץ. Aq. Sym. εἰς σπινθῆρα καὶ ἀνάφθησιν *in scintillam & exustionem*] Videntur accepisse בערו pro בערות, quemadmodum מלכו dicimus מלכות *regnum.* Sed ampliandum censeo. ¶ שְׁנֵיהֶם יַחְדָּו. Aq. δύο αὐτοί. Sym. ἀμφότεροι *ambo*] Fortè δὶς, *bis.*

GROTIUS.

Absolutis libris Legum, Historicis & Poeticis, sequuntur Prophetici. Præmitti autem solent Prophetæ quorum majora sunt opera; sequi, quorum minora. Hi duodecim sunt; illi tres Hebræis, Esaias, Jeremias, Ezechiel: nam Danielem Hebræi Prophetis non adscribunt, non magis quàm Davidem, non quòd non multa eximia prædixerint, sed quia vitæ genus Propheticum non sectabantur, sed alter Rex erat, alter Satrapa. In Græco codice præcedunt minores, sequuntur majores, & in his Daniel. Latini majoribus priorem dant locum. Græcos id spectasse arbitror, quòd inter minores multi sunt valde antiqui. Est enim temporis hic ordo inter Prophetas; Oseas, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Esaias, Micheas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Daniel, Jeremias, Ezechiel, Aggæus, Zacharias, Malachias. Initium à Rege Azaria vel Ozia; Finis exstructo Templo secundo.

2. *Audite cæli, & auribus percipe, terra*] Verba Mosis repetit ex Deuter. XXXII. ut significet jam illa venisse tempora quæ Moses præviderat, eversâ pietate ac justitiâ, Lege in solis ritibus remanente. Sic & versus 10. est ex versu 32. dicti capitis Deuteronomii.

7. *Terra vestra deserta*] Supple *erit*: sic sume & sequentia. Prædicitur enim obsidio per Rasinem ac Phaceen.

8. *Et derelinquetur filia Sion ut umbraculum in vinea*] Res urbis Hierosolymorum valde erunt accisæ, agris undique ereptis.

CAP. II.

MUNSTERUS.

In priori capite prædixit Propheta futuram calamitatem populi, promittens simul Dominum interim servaturum reliquias. In hoc autem capite nihil aliud agitur quàm quòd Regnum Christi spirituale describitur. Regnum Christi est Regnum gratiæ, quod coepit tempore prædicationis Christi, & durabit usque ad finem mundi.

2. *In novissimo dierum*] Secundùm Hebræos, ubi in Prophetis invenitur *in novissimo dierum*, id de tempore Messiæ est intelligendum. Unde tam Hebræi quàm Christiani hoc caput de Christo intelligendum docent, quòd scilicet Ecclesia Christi ex Gentibus in magnam congreganda sit multitudinem, idque prædicatione novæ *legis ex Jerusalem prodeuntis*. Crevit ergò Ecclesia Christi ex Gentibus. Sed per quid crevit? Per doctrinam Christi. Non est ergò frustrà externa prædicatio. Sed quis est fructus verbi Christi? Cognitio peccatorum, consolatio, pax & quies conscientiæ. Hæc pulcherrimo ordine describit hic Propheta. Et quando textus dicit, *omnes gentes properaturas* ad Ecclesiam Christi, docent catholici Doctores universale *omnis* hic distribuere pro generibus singulorum, & non pro singulis generum; in quo sensu dicitur etiam *omne animal fuisse in arca Noe*. Porrò verbum נהר hîc idem est quod רץ *currere*.

4. *Concident gladios suos*] Objiciunt Judæi perpetuò hunc locum Christianis, quando tempore Christi nostri impletus fuerit, præsertim cùm post adventum Christi nostri plura & majora bella in mundo fuerint quàm antea. Sed horum objectio facilè confutatur per id quod Propheta dicit, *docebit nos de viis suis*. Ideo qui docti fuerint à Christo, illi non belligerabuntur, *nec discent ultrà prælium*, præsertim in re sua & privata, cùm & *pallium auferenti tunicam parati sint tradere*, & *obvertere maxillam dextram percutienti sinistram*. Ergò qui per verbum Domini conversi fuerint & ex toto corde compuncti, illi *conflabunt gladios suos in vomeres*; tantum abest ut arma sumant. Gestat tamen nihilominus Magistratus gladium, sed ad defensionem eorum qui ab iniquis opprimentur.

6. *In filiis alienigenarum satis se habere putaverunt*] Jonathan hunc locum sic reddidit, *& in legibus populorum ambulaverunt*: q. d. desertâ lege Domini satis sibi putabunt esse ambulare in ritibus Gentium.

13. *Cedros Libani*] Intelliguntur per *cedros* & *quercus* Reges, Principes & magnates quique, & per *turrim* & *murum*, qui se in illis locis tutos putant; & per *desiderabiles figuras*, hi qui gloriantur & superbiunt ob rem quamlibet pretiosam, ut sunt דירות גדולות נאות ומצוירות, i. *habitacula magna, egregia & figurata*.

20. *In fossuram talparum*] Hebræi communiter hunc locum sic exponunt, לחפר חפירות *ut fodiant fossuras*: ut sit hîc sensus, *Fodient in tempore illo foramina in morem vespertilionum, in quæ projiciant idola aurea & argentea*. Sunt etiam qui per פרות intelligunt עוף *avem*. Sunt rursum alii qui per פרות העטלפים intelligunt *idola habentia formas avium & vespertilionum*. Totus itaque locus ille, *Ingredere petram*, usque in finem capitis, est amplificatio quædam; q. d. *Hactenus fuerunt multi Dii & Domini; nobis autem jam est futurus unus Dominus, una religio, una fides, unus Baptismus*. Christus enim per Euangelium regnat super omnia. Reliqui omnia nihil sunt sive ea sint in rebus exterioribus sive in falsa religione: & qui aliud quippiam sibi præscribit quàm purum Christum, hic toto errat coelo. Vana sunt omnia extra unum Christum, & irritamenta quædam carnis. Colligunt Hebræi ex hoc textu unum ex decem signis quæ dicunt ventura in fine mundi: sed quàm aptè id faciant ipsi viderint. Scribunt autem sic, הבה' מוציא את החמה מנרתקה ושרף. כה כל יום אלף אלפים מאכות העולם עד שבוכים כל אומות העולם ואומרים אוי לנו אנה נלך ואנה נברח ונחבא ונוחפרין כולם מערות בארץ למצוא קורת רוח לעצמן שנ' ובאו במערות צורים ואומרים זה לזה בא בצור והטמן בעפר ועל אתו שמש נבא מלאכי שנ' כי הנה יום ה' בוער כתנור ואתו שמש יהדה לישראל רפואה שנ' וזרחה לכם יראי שמי שמש צדקה ומרפא בכנפיה. Talis est Theologia eorum qui sunt extra Christum, ut videntes non videant.

22. *Cessate igitur*] Sensus est, *In diebus illis dicetur, Nolite timere hominem, qui per nares vitalem carpit spiritum: sed magis eum timete, qui potest corpus & animam projicere in gehennam.*

VATABLUS.

2. *In novissimis diebus* באחרית הימים] *Postremis temporibus*. ¶ *Et elevabit se præ collibus* ונשא מגבעות] *Et elevabitur supra colles*. Alii, *& editior erit cunctis collibus*.

3. *Vias suas* מדרכיו] Ad verb. *de viis suis*.

4. *Et contundent* וכתתו] *Concident*, *comerent*, i. conflabunt. ¶ *In ligones* לאתים] *In vomeres*, q. d. Mutabunt instrumenta sua bellica, tanquam inutilia, in instrumenta pacis & agriculturæ. ¶ *In falces* למזמרות] Nempe putatorias, quibus arbores & vites putantur.

5. *Venite* לכו] *Agite*, *eja*.

6. *Demisisti* נטשתה] *Deseruisti*. ¶ *Præ Oriente* מקדם] *Præ filiis Orientis*: i. præ Aramæis sive Chaldæis, qui sunt ad Orientem Israeli. Alii transitivè exponunt, *Qui repleverunt* terram suam maleficiis *præ Oriente*: i. Orientalibus vel Ismaelitis, ut quidam exponunt. ¶ *Et augures fuerunt* ועננים] *Et divini sunt*, &c. ¶ *Et in scientiis*, &c. ובילדי וגו'] Ad verb. *& in natis alienorum contenti erunt*. Fut. pro præs. *acquiescunt*. *Natos* more Hebræorum vocat cogitationes, consilia & foeturas: q. d. In libris editis ab exteris de auguriis & maleficiis acquiescunt. Vel (ut quidam Hebræi exponunt) *applauserunt*: ut sit futurum pro præt. sive præs. *applaudunt*. Docti etiam inter Hebræos vertunt, *Et in scientiis alienorum occupant se*, sub. *omissâ lege Divinâ, & præceptis*. Legitur ישפיקו per ש vel per ס, in eadem tamen significatione.

7. *Equis* סוסים] Sub. *bellatoribus*: q. d. Valuit arte militari, falcatos habuit currus innumerabiles.

8. *Manuum suarum* ידיו] Singul. pronomen pro plur. aut vertendum *manuum ejus*, sub. *conflatoris*, vel *fabri*: ut sit relativum pro antecedente. ¶ *Incurvaverunt se* ישתחוו] Fut. Heb. pro præt. Alii, *adoraverunt*. ¶ *Digiti eorum* אצבעתיו] *Digiti illius*: i. cujusque ipsorum artificum.

9. *Et incurvavit se* וישח] *Et inclinatus est*, sub. *idolis*: *ideò non parces*. Quidam per futurum, *Proinde deprimetur*, aut *dejicietur*. Vel per plurale (ut alii) *Quapropter deprimentur homines*, *& dejicientur viri*, &c. q. d. tandem Dominus animadvertet in eos.

10. *Ingredere in petram*, &c. בא בצור וגו'] Hebræi ità per imperativum vertunt, ut indignitate rei & zelo gloriæ Divinæ commotus Propheta imprecetur seu vaticinetur peccatum hoc eorum nullâ veniâ dignum esse. Alii infinitivum esse volunt pro futuro, vertentes per plurale, Nam *ingredientur in rupes* urbi propinquas, *& abscondent se in ipsum pulverem*: vel, *in terram* i. cavernas subterraneas, tempore scilicet ultionis Domini. Ità etiam Chaldæus Par. ¶ *A facie formidinis* מפני פחד] Hebraismus, pro *præ pavore quem incutient hostes immissi à Domino*. ¶ *Et à decore*, &c. ומהדר גאונו] *Et à gloria majestatis ejus*, vel *sublimitatis*.

11. *Oculi elati* עיני גבהות] Ad verb. *Oculi sublimitatis*, vel *superbiæ*, aut *tumoris*: i. Oculi sublimes & superbi. Quidam, *Sublimitas oculorum*. ¶ *Humiliabuntur* שפל] Præt. Heb. pro præs. *dejicientur*. ¶ *Et incurvabitur altitudo* ושח רום] *Et incurvabitur elatio*, Vel, *& deprimetur* [aut *dejicietur*] *exaltatio*, sive *excellentia*.

12. *Et excelsum*, &c. רם ועל וגו'] *Et elatum*, *& super omnem sublimem*, *& dejicietur*.

66. *Tharsis* תרשיש] Vide Interpretationes nominum Hebraicorum. *Naves* autem *Tharsis* intelligit naves onerarias magnas, quibus negotiatores & alii vehebantur in Tharsis, auri causâ, ut vides 1 Reg. 10. 22. ¶ *Picturas concupiscibiles* שכיות החמדה] Ad verb. *picturas desiderii*, sive *concupiscentiæ*. Chald. *super palatia pulcritudinis*. Ità & quidam Hebræorum. Alii, *super omnia quæ visu aut spectatione desiderabilia sunt*. Alii vertunt *naves pulcherrimas*, vel *machinamenta pulcherrima & ornatissima*. Naves elegantes & summâ arte constructas sic vocat, h. e. bellicas. Gallicè dicimus *bien équipées*. Tales solent esse in deliciis & magno pretio Regibus. LXX in eundem sensum habent, *& super omnem aspectum navium pulcritudinis*.

27. *Et incurvabitur* ושח גבהות] *Proinde dejicietur arrogantia*, vel *sublimitas*. Repetitio est versus 11.

18. *Concidet* יחליף] *Perdet*; *destruet*; *exterminabit.* Chald. *peribunt*; aut, *evanescent.*

19 *Petrarum* צורים[*Rupium*, *saxorum.* ¶ *Et in foveas subterraneas* ובמחלות עפר] *Et in cavernas terræ*, vel, *cavitates.* Alii, *voragines*, aut *hiatus.* ¶ *A facie*, &c. מפני פחד יהוה] Vide eadem v. 10. ¶ *Ut conterat* לערוץ] *Ut concutiat.* Chald. *ut conterat impios terræ.* Alii, *ut terreat.*

20. *Fecerunt sibi* עשו לו] *Fecerunt ei*, sub. *statuarii*, sive *artifices.* ¶ *Ut incurvarent*, &c. להשתחוות וגו'] *Ut adoraret illa*, *talpis & vespertilionibus*, sub. *projiciet fugiendo.* Juxta hanc interpretationem una est dictio לחפר פרות. Alii duas esse volunt, & vertunt *ad adorandum*, *in cavernam talparum & vespertilionum*, Alii, in locum quem faciunt *fodiendo fossas* [i. in locum plenum cavernarum] *& vespertilionibus.* Doctus quidam inter Hebræos, *ad fodiendum fossas*; *acsi dicat*, *In die illa projiciet homo idola sua*, *videns quòd eum non servaverint: dabitque operam ut foveas fodiat in quibus lateat*, *ut faciunt vespertiliones*, *qui interdiu latent in suis foraminibus.* Alii, *in foramen* [vel *fossuram*] *talparum & vespertilionum*, sub. *projicient.*

21. *Ut ingrediatur* לבוא] i. Ut citra impedimentum citiùs se recipiat in cavernas. ¶ *In foramina petrarum* בנקרות הצרים] *In scissuras petrarum*, i. in cavernas & speluncas. ¶ *Et in cavernas saxorum* ובסעפי הסלעים] *Et in cacumina rupium.* Vel, *& in promontoria.* Partes rupium longiùs excurrentes significat, in quas conscendebant. Alii, *& in prominentias petrarum*, quæ sunt velut rami qui egrediuntur è petris.

22. *Cujus anima*, &c. אשר נשמה באפו] Hebraismus, altero relativo redundante, pro *in cujus naribus est anima*, sive *spiraculum*, vel *flatus*: i. ab hominibus quorum vita consistit in aspiratione & respiratione, qui spiritum vitalem per nares hauriunt: qui si comprimatur, protinus pereunt aeris inopiâ. ¶ *Quid enim*, &c. כי בכה וגו'] *Nam in quo æstimatus est?* Vel, *quanti enim æstimandus est?* q. d. *Nihili.* Hic versus ad sequentia pertinet, debuitque ab eo sequens caput incipere; ac si dicat, *Desinite timere homines mortales*, *qui nullarum sunt virium si cum Deo conferantur: & Deum timete. Babylonios & Assyrios timetis: quantò magis Deum timere debetis? Nam ecce*, *nisi resipueritis*, *ablaturus est*, &c.

CASTALIO.

6. Q*Uòd cùm sint jam olim pleni*] i. Divites.

22 *Desinite hominem*, *qui flatum habet in naribus*] Nè pendete ab homine, qui potest exstingui. Vide Lam. 4. ad finem, & Psal. 146.

CLARIUS.

2. E*T erit in novissimis diebus*] Prædixit primo capite salutem terrenæ Jerusalem & excidium impiorum sub Ezechia. Nunc subjicit umbræ veritatem, & explicat quid typus ille voluerit, nempe quòd sub Christo, vero Ezechia, vere liberi erimus. Is mos Prophetæ & in multis locis occurret: nam Scriptura omnis ad Christum tanquam ad scopum emittitur. Quin & secundùm Hebræos, ubi in Prophetis invenitur *in novissimis diebus*, id de tempore Messiæ est intelligendum. Unde tam Hebræi quàm Christiani hoc caput de Christo intelligendum docent, quòd scilicet Ecclesia Christi ex Gentibus in magnam congreganda sit multitudinem, idque prædicatione novæ *legis ex Jerusalem prodeuntis.* Iccirco hanc Ecclesiam appellat hic *montem domus Domini*, quam & *Sion* infrà & *Jerusalem* vocat.

4 *Et conflabunt*] Prædicit pacem quam allaturus erat Christus orbi terrarum: Quam quia non intelligunt Judæi, objiciunt perpetuò hunc locum Christianis, quando scilicet tempore Christi nostri impletus fuerit; præsertim cùm post ejus adventum plura & majora bella in mundo fuerint quàm antea. Sed horum objectio facilè confutatur per id quod Propheta dicit, *docebit nos vias suas.* Ideo qui docti fuerint à Christo, illi non belligerabuntur *nec discent ultrà prælium*, præsertim in re sua & privata, cùm & *pallium auferenti tunicam etiam parati sint tradere*, & *obvertere maxillam dextram percutienti sinistram.* Gestat tamen nihilominus Magistratus gladium, sed ad defensionem eorum qui ab iniquis opprimuntur.

5. *Domus Jacob*, *venite*] Quasi imitetur adhortationem superiorem Gentium, quæ mutuò sese invitabant, dicentes, *Venite*, *ascendamus ad montem Domini*, &c. sic nunc *domum Jacob* invitat, ut Gentium æmulatione & ipsa accedat. Prædictum enim erat, fore ut *ad æmulationem provocarentur à Gentibus.*

6. *Repleti sunt præ Chaldæis*] Vel *à Chaldæis*, h. e. superstitiosis Chaldæorum scientiis. ¶ *Studiis alienis*] Explicuimus sensum: nam in Hebræo est *filiis alienigenarum.*

13. *Cedros Libani*] Intelliguntur per *cedros* & *quercus* Reges ac Principes; & per *turrim* & *murum*, qui se in illis locis tutos putant; & per id *quod visu pulcrum est*, ii qui gloriantur & superbiunt ob rem quamlibet pretiosam. His autem minis significatur, in Regno Christi omnes qui externis hisce rebus fidunt esse dejiciendos & eâ afficiendos ignominiâ ut in conspectu sanctorum apparere non audeant.

20. *Ut adoraret talpas*] Alii intelligunt, *projicienda idola in fossuras talparum & vespertilionum.* Alii sic, *facere conabitur foramina more vespertilionum*, *ut latere possit in illis.*

22. *Quiescite ergò*] Monet nè impingant in lapidem offensionis, quia propter hoc peccatum judicium eis impendebat. ¶ *Cujus spiritus in naribus ejus*, &c.] h. e. Qui humilis est ac fragilis, & talis qui propediem exspiraturus videatur, ut dicatis, *In quo enim reputatus est ipse?* Vel, *in naribus ejus*, i. in ira ejus: nam vox Hebraica *iram* & *nares* significat: h. e. Videte nè dum hominem, qui vobis despectus videtur, offenditis, Judicem mundi exasperetis. Judæi autem exponunt, *ne in ullo homine spes habeatur*; ut sit sensus, *In diebus illis dicetur*, *Nolite timere hominem*, *qui per nares vitalem carpit spiritum: sed magis eum timete qui potest corpus & animam projicere in gehennam.*

FORERIUS.

2. H*Anc puto esse primam omnium Visionem seu Prophetiam*, quæ durat usque ad 6. cap. & meritò primum locum obtinere. Est enim de Christo Domino omnium Prophetarum fine, & de Religionis quam ipse instituit & Ecclesiæ ipsius dignitate, de vastatione Israelis ob ingentia eorum crimina, & de sanctis reliquiis quæ salvatæ sunt ut replerent totum orbem fide ac cognitione veritatis. ¶ *Præparatus*] In Hebræo bis ponitur verbum substantivum, sicut ego in versione expressi. Sed prius sic accipi potest, *Verbum quod vidit Jesaias*, &c. *Et erit*, vel potiùs *est*: q. d. *Hoc est verbum quod vidit Jesaias*, &c. *nempe quod in novissimis diebus præparatus* (seu *firmus*) *erit mons*, &c. Possumus etiam participium נכון, posthabitâ distinctione Rabinorum, cum præcedentibus conjungere, *Verbum quod vidit Jesaias*, &c. *& erit in postremis temporibus firmum*, seu *ratum*: i. ejus firmitudo atque certitudo postremis temporibus comprobabitur: q. d. non brevi, neque diebus nostris adimplebitur. Quare vertere poteris, *& erit in novissimum dierum destinatum.* Quod autem verbum hoc נכן in hac significatione dicatur, apparet ex Gen. 41. *Decretum est verbum ab Jehova*, *& festinabit Deus facere*, &c. Nulli autem dubium quin nos simus in quos fines seculorum devenerunt. ¶ *In vertice montium*] Nulla erit religio, nullus cultus, quem religio Jehova dignitate non superet. Cultus Domini, qui in Tcione colitur, perficiet ut cæteræ religiones contemptæ atque abjectæ sint, ac perversæ & impiæ appareant; atque etiam ut nihil sic emineat in toto orbe ut Ecclesia & domus Dei. Erat autem in montibus frequens cultus, & in excelsis libentiùs colebant homines Deos suos; fortè quòd cultus Dei ab imis abstrahat, neque possint Divinis vacare qui terrena non transcendunt. O Judæos cæcos, si unquam futurum exspectent ut mons ille Tcion ad majorem altitudinem excrescat! Illud autem non prætereundum est, quòd cùm Ecclesiam Dei *excelsiorem cunctis montibus* dicat, cùm de venientibus ad eum est sermo, verbo utitur נהר, quod *affluentiam*, & *instar fluminis cum celeritate cursum*, sive *motum spontaneum ac minimè violentum* notat, cujusmodi esse solent in rebus naturâ propensis. Verùm cùm flumina non in montes sed à montibus impetu fluant, satis vel hoc uno verbo significat nobis Spiritus S. quòd etiamsi hominibus juxta carnis naturam ardua videatur Christiana perfectio, sui tamen splendore ità animos hominum raperet, ut eo impetu ad eam consequendam anhelarent quo solent flumina in præceps labi. Et, ut ego quidem sentio, nihil est quod religionem nostram magis commendet, neque ejus veritatem sic illustrem reddat, quàm quòd tantam ejus difficultatem & arduitatem tot millia hominum superaverint jam olim, & nunc superare contendant. Et quidem, si in illa sola esset difficultas ea credendi quæ humanum captum ac sensum transcendunt, quæ autem ad rationem vitæ spectant, illa omnia mortalibus permitteret, videlicet quæ caro & sanguis appetunt, nihil omnino mirum mihi foret si infiniti eam amplecterentur, aut *mons supra montes positus* à Propheta diceretur. Nam semel libertate carnis concessâ, nihil adeò præter rationem credendum proponeretur hominibus, quod illi ambabus ulnis amplectendum, & totis viribus, si necesse foret, propugnandum non

judi-

judicarent. Ecquis enim, obsecro, absurdiora & rationi humanæ magis dissona credenda hominibus proposuit quàm Mahumetes? at illa omnia, ut Divina oracula, absque ulla hæsitatione verissima esse judicat infinita hominum multitudo, & armis atque vi tuetur, quam, quæso, ob causam? Certè quia carni quæ volebat concessit, & hanc concessionem à Deo profectam prædicavit. Hoc ergò pro miraculo ducitur, & admiratione ac stupore dignissimum est, quòd cùm Christiana religio *mons excelsus* appareat, non solùm dum invisibilia & supra humanum captum credenda mysteria hominibus proponit, qui sensu omnia dijudicare consuevissent, verùm etiam dum austeræ vitæ rationem imperat & contendere per angustam portam, ac crucem humeris per totam vitam ferre suadet hominibus ex carne prognatis & in libertate carnis plures annos versatis; tot tamen virorum millia, tot fœminæ, tot pueri, tot senes, nullâ itineris asperitate, nullius conscensûs difficultate deterriti, eâ animi contentione, propensione & impetu montem scandere aggressi sunt, quâ à montibus flumina ad ima loca properare, & imas valles complere consuevêre. O montem planum! ô vias Domini pulcras! ô *jugum suave & onus leve!*

3. Imperativum לכו accipiendum puto ut dixi v. 18. superioris capitis: utuntur enim hujusmodi imperativis sicut Græci δεῦρο & δεῦτε, ad exhortandum & excitandum, ut etiam Latini *ades* & *adeste*. ¶ *Et docebit*] Seu *instituet*. Potest sic accipi, *ut instituat nos*, &c. quasi hic sit euntium præcipuus scopus & finis, ut erudiantur: atque eruditi ambulent in viis ipsius. Ad hoc enim erudit Dominus ut simus sectatores bonorum operum. ¶ *Quia de Tcion*] Puto futurum *exibit* in præsens convertendum, si euntium sit sermo, &c. Sive hæc accipiantur ut verba Prophetæ, sive ut verba eorum qui sese mutuò adhortantur ad conscendendum montem, rationem continent quare eundum sit. Nihil mirum quòd ad hunc montem confluunt populi. Nam non aliunde promanat salutaris doctrina, neque verbum salutis, quàm à Tcione. Non jam ad montem Sinai aut Horeb properandum. *Litera* enim *occidit*, *at Spiritus vivificat*, qui datus est in monte Tcion paucis illis Israelitis, ut compleant Orbem Divino semine. Quònam gentium justiùs properare debeant homines quibus eruditione multâ est opus quàm ubi intellexerint esse verbum Domini & institutionem Jehova? tantùm enim illi quos ipse erudierit beati esse possunt. Ad domum ergò Dei meritò confluunt. Verùm nè carnales Judæi putarent de monte illo & Templo illo loqui Prophetam, non dixit quòd ibi esset verbum Domini, sed quòd indè flueret & egrederetur; ut quisquis verbum Euangelii perceperit, licèt sit apud Garamantas & Indos, is conscendisse montem Domini judicandus sit.

4. *Judicabit gentes*] Heb. *inter gentes judicabit*, i. jus dicet. Jehova ipse verbo suo Euangelico lites dirimet, controversias componet, ob quas belligerabant inter sese gentes. Et quando opus fuerit alterutros increpare, ut ad pacem redeant & amicitiam colant, liberè id per Ministros sui verbi efficiet. Non solùm enim privatas personas pacem colere compellet verbum Euangelii, sed etiam magni ponderis controversias & inveterata quarundam nationum odia delebit. Nihil enim mansuefacere barbaras nationes, & humanitatem inducere efferatis gentibus, eásque ex feritate ad justitiam; ex cædibus & rapinis ad mansuetudinem atque mutuam amicitiam traducere unquam potuisset nisi verbum & institutio Jehovæ. Notanda ergò hoc loco est vis verbi, & quòd ejus primum munus sit charitatem & pacem animis suadere. Ad quod facit quod sequitur, de contundendis bellicis instrumentis, ut ex eis fiant quæ agriculturæ, quæ pace gaudet & odit bellum, necessaria sunt. Sicut enim apud Virgilium Æneid. 7. de præparatione ad bellum dicitur,

Vomeris huc & falcis honos, huc omnis aratri
Cessit amor: recoquent patrios fornacibus enses.

Sic cùm pacis studium significaret Propheta, dicit quòd *gladios in vomeres, & lanceas in falculas converterent*, qui Christo Domino obsequerentur. His enim tropis, i. verborum immutationibus, hoc tantùm significare vult Propheta, quòd quantum ex Euangelio est, qui prædicaverint, & qui Euangelio obedierint, pacis erunt cultores, ut qui didicerint citiùs bona omnia externa ipsámque vitam quàm charitatem amittere. ¶ *Et arguet*] יכח in tertia conj. etsi interdum de ea castigatione dicatur quæ fit virgâ & flagello adhibito, tamen frequentiùs dicitur de ea quæ solis verbis fit, non etiam verberibus. Est & peculiaris acceptio hujus verbi Gen. 24. *Hanc correxisti servo tuo Isaac*, i. castigasti, erudiisti tanquam puerum: & mox, *Illa sit mulier quam correxit Jehova*, &c. quam ut pædagogus effinxit, instituit & informavit. Quam significationem seu modum significandi libenter hîc amplector, licèt similis non sit constructio. Similem autem constructionem hujus verbi cum ל habes infrà cap. 11. *arguet in rectitudine pro oppressis terræ:* vel, *correctionem adhibebit mansuetis terræ.* Atque sic etiam hîc accipi potest, etiamsi non sit eadem constructio quæ prædicto Geneseos loco. ¶ *Vomeris*] Hebr. אתים à verbo אתה, i. *venit*, instrumentum ferreum ad proscindendam terram atque sulcandam, ab *eundo & redeundo* dictum. At vox חנית, i. *hasta*, *hastile*, est à חנה, quod verbum est castrense, & significat *sensim se collocare & castrametari*, *quiescendi gratiâ residere:* & propriè dicitur de exercitu. מזמרות sunt *falculæ*, quales sunt quibus utuntur in putandis vineis & arboribus, à זמר verbo, quod *putare raptim* seu *incidere* significat. למד in prima conj. est *exercendo discere.* Verbum quoque נשא propriè significat quod nos his duobus verbis exprimimus, *tollere* & *sublevare.* Et quod Hebræis est *levare gladium*, Latinis est *stringere gladium:* aliquando est *capere*; ut cùm de ducenda uxore sermo est. In hac significatione hîc potest etiam accipi, *non capiet ensem*, ut Latini *arma capere* dicunt.

5. *Domus Jacob*, &c.] Sunt qui has voces Prophetæ esse dicant. Possunt autem esse eorum qui ex Gentibus in Christum credidere, qui dolent quòd Judæi nolint communem cum ipsis Deum & cultum habere, quódque exciderint neque rursus inseri velint. Nequeunt enim sibi persuadere quòd, derelicto populo circumciso, Jehova Deus eorum ad incircumcisos transierit. Cunctantes ergò eos, seu potiùs renuentes, ac renitentes, ex Gentibus conversi excitant, *Domus*, seu *posteri*, *Jacob*, *adesti*, *ac unà nobiscum lucem hanc*, quæ sese terris diffundit, *sequamur*. Est *lux Jehova* Dei vestri, quem hactenus coluistis: *ambulate dum lucem habetis, ne vos tenebræ comprehendant.* Credite nobiscum in lucem, ut filii lucis simus omnes. Prodiit lux hæc è monte vestro Tcion; ex domo Jacob sidus hoc juxta Balaam prophetiam ortum est. Quem dicunt vester Moses & Prophetæ, invenimus Messiam. Est autem אור verbum Hebræum Græcis ὀρῶ consentiente voce, i. *illucescere.*

6. *Projecisti enim populum*, &c.] q. d. Nemo miretur quòd Gentes, quæ ignorabant Deum, Judæos, quibus solis notus erat Deus, ad agnitionem veri luminis adhortationibus pertrahant; quandoquidem tu, ô Jehova, populum tuum dimisisti. Verbum enim נטש significat *rem aut personam quæ aliquâ lege vel loco*, &c. *astricta erat*, *liberè dimittere:* & tam in bonum quàm in malum accipitur. Vocat autem Scriptura *à Domino relinqui*, omnimodam miseriam; cui opponit *esse Deum cum quoquam.* Ad salutationem Angeli, *Dominus tecum*, respondit Gideon, *Si Dominus nobiscum*, *quare invenit nos totum istud? & ubi sunt mirabilia*, &c. Jud. 6. *At nunc dimisit nos Dominus*, &c. ¶ *Quia repleti*, &c.] Causas aperit hujus derelictionis, & initio collocat quòd *pleni essem*, & observarent astra, aut more Gentium aves aut intestina animalium, ut futura conjectarent. Ferè omnes interpretes hanc *plenitudinem* referunt ad Idololatriam, vel Magiam, &c. Quorum interpretationem non damno, sed non video cur verbum כלא, præsertim absolutè positum, ad *divitias & copiam* atque *abundantiam rerum* non referatur. *Orientales* autem *divitiæ* in proverbio sunt. Summum porrò nefas erat, quòd cùm bonis temporalibus abundarent, ut Orientalibus populis non solùm conferri sed & præferri possent, impietatem idololatriæ & auguriorum cum opulentia conjungerent. Nam quòd inferiores artes illas sectentur, ut possint quoquomodo ventrem implere, & mendaciis ac inanibus promissionibus alios deludendo aliquid in suos usus derivare, non adeò mirandum foret: at saginatis ac dilatatis & beneficio Domini opulentis, id certè turpissimum. Hunc autem sensum quæ proximis versibus sequuntur confirmant. ¶ *Augures*] Originem vocis עננים video plerosque ignorare etiam ex Rabinis. Scito ergò à nomine עין, i. *oculus*, formari verbum ענן: q. d. *oculavit*, i. oculis observavit: unde participium primæ עון 1 Sam. 18. i. *oculis observans.* In secunda autem conjugatione ענן *oculis observavit*, & intendit significationem, Num. 26. & 2 Reg. 21. Hinc participium מעונן, *qui observat horas*, *dies*, *menses*, *annos & tempora negotiis agendis idonea:* De quibus Paulus Gal. 4. Deut 18. in sing. Plur. autem Deut. 15. & Mach. 7. *Observatores non erunt tibi.* Ab hac quoque conjugatione manat nomen ענן, quod hîc habemus, & in plurali *observatores* dicere possumus de quibus etiam Jer. 27. *Et vos ne audiatis observatores vestros.* Et femininum habes infrà 57. Ex eo autem Deuteronomii loco habes quàm dediti ac devincti fuerint illi populi augu-

riis & hujuſmodi obſervationibus. In his verò quæ ſequuntur magna eſt varietas; at ſenſus mox patebit ſi ſingularum vocum ſignificationes proprias attenderimus. Et quidem nomen ילד *natum* ſignificare indicant infiniti loci, à verbo ילד, i. *genuit*. *Pueros* ergò vel *natos* hîc dicere poſſumus, ſicut Oſe. 1. *pueros* (vel *natos*) *fornicationum* dixit Propheta. At נכר Hebræis eſt idem quod Latinis *nothus*. Et ſicut Latinis differunt *notus* & *nothus*, ità Hebræis נכר & נכר ab eodem verbo, quod in prima ſignificat *agnoſci*, & ſecunda, quaſi ſignificatione contrariâ, *occultare* ſeu *celare*, *nè appareat aut exſtet*, &c. Sicut ergò נכר ſignificat *notum* aliquem, qui ſcilicet eſt unius & ejuſdem ſeminis, generis, nationis, religionis, earundémque legum; ità è contrario נכר *nothum*, i. rem aut perſonam quæ non eſt ejuſdem ſeminis, &c. ſed illegitima, aliena, extranea à proprietate & veritate. Verbum autem ספק *ſatisfacere* ſeu *ſufficere* ſignificat. Poteſt ergò hic eſſe ſenſus, *& in filiis nothis ſatisfaciunt*, i. nothos gignunt ſufficienter, i. ſatis multos: quaſi notet Propheta modeſtè multitudinem adulterinorum filiorum, imò adulteriorum frequentiam, hâc periphraſi. Poſſunt & verba intelligi quòd *alienigenas ducerent uxores*: nam qui ex illis gignebantur, filii נכרים dici poterant. Sed & cùm uſitatiſſimum ſit in Scripturis *filios* dici diſcipulos; neque enim *filii Prophetarum* erant niſi diſcipuli Prophetarum, quos ipſi in vera Scripturæ intelligentia & vera ac germana religione inſtituebant; non erit abſurdum dicere hîc taxari Judæos quòd augures & divinos alerent, eſſéntque ex eis qui magiæ, necromantiæ & cæteris damnatis artibus dediti eſſent; inſuper & hujuſmodi diſciplinis ſatis multos diſcipulos inſtruerent. Quòd ſi נכרים pro *Diis alienis* accipias, ut interdum ſolet uſurpare Hebraiſmus, hoc fortaſſe notat Propheta, quòd *In genealogiis Deorum ſatis inſtructi eſſent* ſeu *ſufficienter inſtituti*. Et hic ſenſus eſt planus & inſtituto ſatis accommodatus. Si autem ישפיק accipiamus ut nos cùm dicimus, *mihi ſatisfeci*, ſeu *complaceo*, & *congratulor mihi*, (nam cognationem habet cum verbo ספק, quod *plaudere manibus* ſeu *complodere manus* ſignificat, licèt plerumque in malum) ità commodè reddi poſſet verbum Hebræum, *Et in filiis nothis* (ſive *ſpuriis*) *ſibi acquieſcunt*, *ſatisfaciunt & placent*; ſeu *vehementer amant procreare*, ſeu *habere*, *filios adulterinos*.

7. Ecce explicat quod dixerat, *impletos eſſe*, *& opulentiores Oriente*. Nomen ארץ, quod *terram* in genere ſignificat, eſt à verbo רוץ, i. *cucurrit*, *accurrit*, &c. Et notat ſimul *inclinationem*, *promptitudinem*, *propenſionem*, &c. quòd ſit infima omnium elementorum, ad eámque tendant & inclinentur gravia, vel quòd curſus aliorum elementorum ſit circa illam. *Aurum* autem dicitur זהב, à colore *fulvo* ſeu *flavo*: unde & ad *oleum* ſignificandum transfertur Zach. 4. אוצר tam de ipſo *reconditorio*, *theca*, *apotheca*, *penu*, &c. quàm de *re ipſa repoſita* dicitur, à verbo quod *recondere* ſignificat, ſeu *recludere*. ¶ Per *equos* autem & *currus* ſeu *quadrigas* omnem bellicum apparatum intellige & robur exercitûs. *Theſauros* priùs nominavit, qui ſunt nervi belli. Hoc ergò verſu ea complexus eſt quæ ad temporalem reip. felicitatem ac dignitatem faciunt, ut cùm ſubinferret illos cultores eſſe falſorum Deorum, indignitatem rei magis amplificaret. Nam nonnulli populi ab aliis ſubjugati Deos victores colere coacti ſunt, vel vi vel metu vel religione ducti, cùm illos potentiores Deos crederent qui cultoribus ſuis in bello faviſſent. At Iſraelitas nulla neceſſitas, nulla vis induxit, ut idola colerent, ſiquidem abundabant omni genere bonorum; terra plena erat argento & auro: exercitum ad propulſandas finitimorum injurias, aut etiam propagandum imperium, dandáſque aliis leges, ad manum comparare & in dies multos alere poterant: nihilominus

8. *Repleta eſt terra idolis*] Habet itaque conjunctio illa magnam vim, *& repleta eſt terra*, &c. Sicut dixerat *repletam auro & argento*, *equis & quadrigis*, ut quàm bellè reſponderint Divino muneri & Dei ſui beneficentiæ ſignificaret, dixit *etiam terram idolis plenam*: quod aliâ figurâ Jeremias dixerat, *nullam eſſe arborem frondoſam ſub qua meretrix illa non proſterneretur*. Animis ergò auditorum relinquitur ut hæc duo conferant, videántque quàm intolerabilis impietas ſit, terram Divinis beneficiis plenam, pro innumeris beneficiis, innumerabilibus idolis repleri. Cæterùm *idolum* אליל quidam à *vanitate*, alii à *ſtultitia* dictum volunt. Mihi videtur quòd à nomine אל vel אלהים Prophetæ quadam Paronomaſiâ fecerunt אלילים, quòd nomine & ſimilitudine cultûs vel potiùs ſuperſtitione referat quidem verum Deum, non tamen ſit Deus, ſed ſit q. d. לא אלהים *non Deus*, umbra Dei, neq; ullam potentiam habeat, ſeu conſolationem ſeu opem ferre poſſit; q. d. *inops*. Job. 13. *Medici idoli univerſi vos*, i. ſine ope. Sicut enim, ut Paulus ait, *idolum nihil eſt*, ità cultus idoli nihil eſt: unde & dicitur *ſuperſtitio*, i. *cultus falſus*, quemadmodum definivit nobis Lactantius Firmianus in lib. Div. Inſt. Pro ſimplici verbo & irregulari השתחוה poſui nomen & verbum ut viri verbi exprimerem, ut à doctiſſimo præceptore meo Caninio accepi: uno autem verbo *ſupplicandi* dicere poſſemus; quo verbo uſus eſt Suetonius in Cæſare Auguſto. Hoc Interpres Matthæi videtur reddidiſſe duabus etiam vocibus cap. 4. *ſi proſtratus adoraveris me*: & 15. *procidens adorabat eum*, &c.

9. Quando hæc duo nomina אדם *homo* & איש *vir* conjunguntur, plerúmque cujuſcunq; conditionis homines ſignificant, q. d. *plebeius & nobilis*. Uſitatiſſima eſt emphaſis Prophetis verborum parciſſimis, etiam in communibus & tritis vocibus; quamvis & nomen איש alioqui ſuam emphaſim habeat, ſicut Latinis *vir* à *virtute*. Placet autem eorum ſententia qui hoc nomen à verbo ſeu nomine יש deducunt, i. *exſiſtentia*, eò quòd Vir prior ſit Viriſsâ, atque ætate, auctoritate, dignitate, gloriâ, præſtantiâ, & exiſtimatione non tantùm Feminino generi verùm etiam vel Juvenibus vel Plebeiis hominibus præſtat & anteponitur, &c. Habet quoque & *Adam* interdum emphaſim. Perinde ergò eſt acſi dicat, *Homo*, quem *Deus ad imaginem ſuam fecit*, ille qui cæteris animalibus ratione ſupereminet, qui Deum agnoſcit, &c. *Homo*, inquam, quem *rectum Deus formavit*, *& erectos ad ſidera tollere vultus Juſſit*; *Viri quoque*, qui inter cæteros homines excellunt, &c. *incurvantur*, *proſternuntur*, *humiliantur*, *& ſupplicant illis ſimulacris quæ manibus & digitis ſuis formarunt & effinxerunt*. Sed quid ad hujuſmodi indignitatem Propheta? ואל תשא להם. Non malè Vulg. conjunctionem *&* in *ergò* convertit, *ne ergò condones illis*. Inter modos enim ſignificandi quibus abundat verbum נשא, hic frequens eſt Hebræis, ut idem valeat quod *tollere* Latinis, *onus* ſcilicet vel *pondus peccati*, *remittere*, *condonare*, &c. Ità accipiendum eſt illud Gen. 4. *Nónne ſi bene egeris*, *ſublevatio?* Et Pſal. 32. *Beatus ille cui levata eſt tranſgreſſio*, i. condonata: vel ſic, *exoneratus tranſgreſſione*, &c. Commotus ergò Propheta ſancto zelo, & unus ſpiritus cum Deo factus hæc addidit. Sicut autem extulit indignitatem rei per conjunctiones, quæ res maximè ſeparatas copulant, *Et repleti ſunt argento & auro*, *& repleti ſunt equis & quadrigis & repleti ſunt idolis*, ità Mimeſi quadam & Imitatione elegantiſſimâ peccata ipſorum cum indignatione Divina ſimili conjunctione connectere voluit, dicens, *Et incurvatur homo*, *& humiliatur vir*, *& non remittes illis*. Illi beneficia tua impietate compenſant: tu impietatem ipſorum ſeveritate; quod multò æquius eſt.

10. *Ingredere in petram*, *& abſcondere*, &c.] Si peccata non condonentur, in januis eſt ira Dei. Loquitur ergò Propheta ac ſi jam imminere videret peccatoribus perditionem. Ad hunc locum & alios ſimiles eſt alluſio in Euangelio, cùm dicitur, *Qui in Judæa ſunt*, *fugiant ad montes*: &, *Dicent montibus*, *Cadite ſuper nos*; *& collibus*, *Operite nos*: pavor enim latebras optare ac petere facit. *Petram* autem ſæpe Hebræi montes & rupes vocant à verbo צור, quod *concluſionem*, *coarctationem*, *conſtrictionem* ſeu *obſidionem* ſignificat. At עפר propriè partem illam terræ leviorem ſignificat quam Latini *pulverem* dicunt. Sed Vulg. rectè vertit, *à facie pavoris Domini*, i. à facie Domini pavorem incutientis ſplendore ac majeſtate ſuâ. Et huc reſpicit Euangeliſta quando dicit *Dominum venturum cum poteſtate magna & majeſtate*. גאון propriè eſt *ſuperbia*, à verbo גאה, i. *ſuperbivit*; & tam de Deo quàm de hominibus dicitur.

11. Omnia verba hæc per præteritum reddenda, ſed pro futuris (quod Prophetis eſt familiare) accipienda exiſtimo. Ad verbum ſic habet Hebraiſmus, *Oculi elationis hominis humiliatus eſt*, i. Quiſque homo qui ſublimes habet oculos humiliatus eſt. Hæc eſt vis Hebraiſmi: ſenſum expreſſit Vulg. *Oculi ſublimes hominis humiliati ſunt*. Nam ſicut homo modeſtus & humilis frequenter oculos demittit, ità contrà immodeſtus & ſuperbus frequenter oculos elevare ſolet atque defigere. Conſidera quàm juſtus Dominus! Illi ſuperbiâ & faſtu turgebant, & efferebantur; volentes tamen ſeſe curvabant & humiliabant coram idolis quæ fecerant. Porrò non bene convenit ſuperbiæ humanæ cum adoratione & proſtratione coram inanibus ſimulacris. Deſerant igitur ſuperbiam, obliviſcantur faſtus; omnia occupet humilitas; relinquant Deo ſoli celſitudinem atque magnificentiam & gloriam; perdurent illi toti in ſua humilitate: *ſublimes oculi hominum humiliabuntur*, *& elatio virorum deprimetur*, non à reverentia idolorum, ſed *à pavore* illius *excelſi* & *decori* Dei qui ſolus habet celſitudinem, imperium & gloriam, qui ſolus homini metuendus. *Ipſe ſit terror veſter*, *ipſe ſit pavor veſter*; ut habet Scriptura.

12. Jam explicat quare fugiendum ſit: *Adeſt enim dies Jehova*, vel potiùs, *Eſt enim hic dies ipſi Jehova*, i. quem ille delegit

ac

ac destinavit adversùs impios. Inter cæteras autem acceptiones nominis יום *dies* non infrequens est hæc, scilicet pro *revelatione rerum, inspectione* & *judicio*: ut Prov. 12. *Stulti in die cognoscetur ira ejus*, i. tempore quo omnia conspicua fiunt. Sic Paulus 1 Cor. 3. *dies enim declarabit*, &c. & 4. *Ab humano die*: & 5. *In die Domini JESU*: & ad Phil. 2. ¶ *Super*] על pro *contra* accipere possumus & pro *super*. Vocem שפל ut nomen accipiendam putavi. Nam qui ut verbum accipiunt, *& humiliabitur*, præter hoc quòd intempestivè pœnam intelligi volunt de qua paulò pòst, non animadverterunt suprà v. 9. dictum fuisse quòd *homines & viri idolis inanibus prosternerentur & humiliarentur*, cùm tamen *superbi* forent, ut v. 11. significavit. De hac ergò humilitate est sermo, *diémque Domini* imminere dicit *contra superbos* illos qui coram idolis humiles sunt.

13. Nominibus autem quæ sequuntur, quorum ferè proverbialis usus est Hebræis, Metaphoricè fastuosos, superbos, viribus suis ac divitiis confidentes, mundo gloriâ atque dignitate spectabiles, intelligit. Proceræ enim erant *cedri Libani* plùs quàm abietes: & *Quercus Basan* in proverbio erant: quæ arbores radices agunt neque facilè convelluntur, neque lignum hoc ità facilè incidenti cedit. *Montes* quoque ac *colles* firmitudinem, constantiam ac superbiam notant. Quid de *turribus*, *muris*, ac *propugnaculis* dicam? His addidit *naves Tharsis*; quæ quoque in proverbio erant, ut apud nos Lusitanos *naves Indicæ*, quòd majores & maris tempestatibus sufferendis aptiores reliquis essent. Denique neque *toreumata* prætermisit *quæ sunt ingeniosè facta*, *quæ appeti solent ob pulcritudinem*: nos Lusitani *curiosidates* communi vocabulo appellamus. Adversus ergò nobiles, divites, in deliciis vitam ducentes, & bonorum hujus vitæ possessores ac dominos *diem Domini imminere* affirmat Propheta: isti enim cum Deo bellum gerere videntur, aut de Deo parùm curant. Cæterùm quòd ad vocum proprietatem attinet, Hebræis *Cedri* ארזים dicuntur à *gracilitate* & *proceritate*: arbitror enim deduci hoc nomen à verbo רזה, i. *attenuavit*. *Libanus* autem à *ture* sic dictus videtur, quod Hebræis dicitur לבונה.

14. Hebræis *mons* הרר: & dictum credo a *festinantia*, quasi festinus deorsum feratur, atque etiam flumina & fontes deorsum præcipitet: habétque cognationem cum verbo נהר. Hæc ideo dixi ut videas elegantem Paronomasiam in 2. versu hujus capitis, *Erit* הר *in capite montium* & נהרו.

15. *Turrim*] מגדל, à verbo quod *magnum esse* significat, Hebræis est *turris*, quæ antiquitas erat instar arcis. Gen. 11. *Ædificemus nobis civitatem & turrim*, &c. *Murum* autem vocant חומה, à verbo חמם, quod *æstuare* significat, quòd ex coctilibus ædificaretur. Quid verbum בצר propriè significet ignorant Rabini, qui suo more novam significationem verbo tribuunt prout locus illis exigere videtur. Et quidam ex nostris duas significationes nonnihil sibi contrarias assignant, ut pleraque verba Hebræa habent: at collatis Scripturæ testimoniis tantùm dicitur de *collectione fructuum & uvarum*, & de *civitatibus*, quæ muris includuntur ut uvæ in cophino, &c. Dicitur etiam Hebræis de ipsis *muris*, qui ædes civitatum cingunt, coarctant & veluti collectas habent.

16. Ubi gentium sit *Tharsis* (præter enim Tharsum Ciliciæ in mari Orientali altera ex Scripturis necessariò ponenda videtur) infrà diffusiùs disputabimus: satis nunc sit quòd sic dicerentur naves magnæ, longis navigationibus aptæ. In proverbio fuisse indicat præter alios locos Ps. *In spiritu vehementi conteres naves Tharsis*. שכוי Hebræis est *cogitatio*, è verbo quod non est in usu: שכה cognationem tamen habet cum verbo סכך, i. *celavit*: hinc שכיות nomen plurale tantùm, & *ingeniosè facta* significat, quæ Græci τορεύματα vocant: unde etiam משכית, quod & *cogitationem* & *ingeniosum opus* significat. *Toreumata* autem *desiderii*, i. desiderabilia, dixit Vulg. *omne quod visu pulcrum est*, paraphrasticè sensum explicans. Igitur tam adversùs ea quæ naturâ magna & pretiosa sunt quàm quæ arte fabricata erant, i. adversus homines istæc amantes, & factorem Deum & omnium bonorum largitorem ignorantes, imò & contemnentes, & de ipsis beneficiis contra Dominum tumentes, *imminere diem* & judicium *Jehovæ* clamat Phropheta. Horum consideratio contemptum mundi posset hominum mentibus inducere, & eos in officio continere, nè cum hoc mundo damnarentur. Nè autem adversùs creaturas, quæ culpâ carent, intelligeres iratum Deum, audi:

17, 18. *Et incurvabitur*, &c.] Bis térque eadem repetit, quòd videat oscitantiam auditorum & in re tanti momenti desidiam & torporem, & ut nemo sit qui dubitare audeat de his quæ dicuntur. Verbum חלף propriè *mutationem* significat, generaliter vel loci, vel temporis, conditionis seu qualitatis, sive in bonum sive in malum: unde Ps. 90. *Manè tanquam fœnum quod mutabitur: manè florebit, & mutabitur*. Sic Paulus 1 Cor. 7. dixit *præterire habitum hujus mundi*. Vide infrà 21. 5. & c 24. Quod si puncta auferas, כליל, quod alioquin integra dictio esse putatur, & *totum* seu *prorsus* significare, poterit esse dictio composita ex כ nota Similitudinis & ליל *nox*, i. *sicut nox*; quòd *idola sicut nox*, quæ immutatur & in diem transit, *immutabuntur*. Et hic sensus planus est; quem eò libentiùs amplector quòd videam vix unquam nomen כליל sic accipi ut hoc loco interpretes accipiunt. Quòd si illa etymologia placeat ut אלילים sit dictio composita ex אל nomine Divino & ליל *nox*, pulcerrima erit allusio, videlicet, *Dii noctium*, vel *tenebrarum instar noctis tenebricosi erunt*: ab igne scilicet omnia vastante vel spatio unius noctis evanescent; vel *sic quasi in nocte*, i. in tenebris & squalore, jacebunt inglorii & sine cultu, nimirum pereuntibus cultoribus & in rerum natura minimè existentibus. Quemadmodum enim verus Deus dicitur *Deus lucis*, quippe qui *lucem habitat inaccessibilem*, ità è contrario idola rectè dicerentur *Dii tenebrarum*.

19. At ערה in secunda *evacuare* seu *nudare* significat: hinc מערה *caverna*, *spelunca*, *locus denudatus*, i. evacuatus. ¶ חלל autem, ut suprà dixi, à quo מחלות, propriè *vim pati* seu *profanari* significat, idcóque & nomen *hiatus* seu *apertiones terræ* notat, quòd illis pateant ejus viscera & interiora. Et ad hujusmodi specus tempore belli refugium erat.

20. *Abjiciet homo idola argenti sui*, &c.] Non amore, inquit, auri & argenti, non religione tenebuntur. Metus enim illius Judicis etiam quæ charissima erunt faciet negligi atque contemni. Et hic est pretiosissimarum rerum exitus. ¶ Meminit vero *talparum* & *vespertilionum*, quorum animalium imagines ipsi colebant, ut quàm similes illis fiant cultores ostendat: dicebat enim quòd *festini aditurì essent latebras & cavernas*: at quis ignorat animalia illa lucis esse inimica? & Talpæ quidem sub terra latent, Vespertiliones autem in antris seu speluncis libenter commorantur. Huc facit quoque etymon nominis *talparum*, quæ Hebræis dicuntur nomine geminato (sic enim conjunctim legendum est) חפרפרות, quòd terram magnâ curâ, totis viribus & quàm citissimè possint, ut sese oculis hominum subducant, fodere soleant. At nomen *vespertilionum* עטלפים à verbo עטף, insertâ literâ ל, quod *obtegi*, *operiri* seu *obrui* significat, deducitur, quòd in obscuro volitent. Ecce similes *talpis* & *vespertilionibus* homines factos, Deósque ipsos pejoris conditionis ipsis animalibus & cultoribus suis, quòd ad cavernas & latebras nequeant confugere. Illud autem ל versûs sequentis,

21. *Ad ingrediendum*] significat quòd, nè sint impedimento sese in antra proripientibus, illa abjicant, ut scilicet expeditiùs fugiant. Vide, quæso, ô lector, quonam pacto ea studia quæ invexerunt nobis mala ac calamitates, illa, inquam, ipsa sint impedimento nè ab ipsis malis nos expedire possimus. Porrò non rarò contingit ut dum quid facto opus sit nobiscum pensitamus, & intra nosmetipsos consultamus relinqueréne ea an retinere debeamus, (relinquere enim ea non sinit amor & inveterata consuetudo, retinere autem metus advenientis Judicis vetat) *veniat sponsus*, *& quæ parata erant ingrediantur ad nuptias*, *& claudatur janua*. Multò igitur satius fuerit antè quàm veniat dies Domini, talpas & vespertiliones nostros abjicere, omniáque opera tenebrarum, cum quibus in lucem prodire nequaquam audebimus. ¶ *Cavernas*] סעיף significat cujuslibet rei *progressionem*, *protensionem*, *prominentiam*, *præminentiam excellentiam*, *excelsum*, &c. Sic intelligitur illud 1 Reg. 18. *Quamdiu transilietis inter duas prominentias*, i. inter duo extrema, id est, extremè opposita? *si Jehova est Deus*, *sequimini eum*; *sin Baal*, *ite post eum*. Ad quem locum alludens Paulus & duo extrema opponens ait, *Ne ducatis jugum cum incredulis: quod enim consortium justitiæ cum injustitia? aut quæ communio luci cum tenebris? aut quæ concordia Christo cum Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? aut quid convenit templo Dei cum simulacris?* ubi singulari consilio & industriâ pro *Jehova* dixit *Christum*, & pro *Baal* quadam allusione *Belijal* substituit. Rectè ergò *prominentias* seu *extremitates rupium* dicemus hoc loco, sicut infrà 57. De hoc nomine etiam infrà 27, & 17. cap.

22. In hoc ultimo versu magna est varietas. Et quidem Judæi satis multis doctisque viris ex nostris imposuerunt hoc loco, ut crederent nihil ad Christum Dominum hunc locum pertinere, credántque hîc præcipi *nè sibi ab hominibus timerent, cùm sint mortales, & spirando ac respirando vivant: ob quod nihil eorum*, neque odium neque studium, *sit faciundum magni*: hæcque ad sequentia referunt, q. d. *Quòd si nolueritis huic monitioni parere*,

rere,

rère, sed ad Assyrios, &c. *respexeritis, futurum est ut auferat Dominus a vobis sapientem,* &c. quæ mox sequuntur. Hæc & his similia quidam afferunt. Sed valde mirum est si homines Christiani ac bonis literis non mediocriter instructi malint cum perfidis Judæis Judaizare, quàm cum orthodoxis Christianis rectè sentire & interpretari. Quid, quæso, præcessit de fiducia in hominis auxilium? Nihil certè, nisi *idola, opulentiam, superbiam, talpas* denique & *vespertiliones* eis objecit. Rursus, quid tot verba supplere necesse est ut sequentibus hic versus cohæreat? Certè hujusmodi hiatus non fiunt nisi ob detortum sensum, quem nobis infideles obtrudere conantur. At nónne de Ecclesia, de religione Christiana, de vocatione Gentium & pertinacia Judæorum sermonem instituit Propheta? quis sanæ mentis hoc negabit? Nónne causas mox aperuit ob quas Deus dimiserit populum suum? nónne *diem Domini imminere* illis ob illorum scelera multis ac magnificis verbis explicavit? annon ad *cavernas & cacumina montium* ob *metum* illis fugiendum prædixit? quid aliud usque ad hunc versum præcessit? at hæc quis non intelligit quantum cum iis quæ in Euangeliis sunt conveniant? Nónne *deridebant* Dominum *Pharisæi avari?* Quid illud est, *Quomodo vos potestis credere qui gloriam ab invicem quæritis?* quid rursum illud, *Occidamus eum, & nostra erit hereditas?* nónne *argentea* & *aurea idola* hæc sunt? An non quoque passim superbi *montes* & *colles* dicuntur? Quid mirum igitur si cum hîc dicit *diem Domini contra montes excelsos, contra quercus,* &c. *instare*; de moribus illius gentis interpretemur, qui erant superbi, elati & inanis gloriæ cupidi? At quis est qui ignoret quòd cùm de vastatione illius populi Dominus in Euangelio loquitur, ut magnitudinem periculi ob instans judicium Domini significaret, dixerit, *Qui in Judæâ sunt, fugiant ad montes; & qui in agro, nè ingrediantur tollere quidquam,* &c? an non hoc est *abjicere idola argentea & aurea, ut sese proripiant in latibula & cavernas terræ?* Nam quòd *talpas* & *vespertiliones* nominat, tropus est Propheticus, nè sermo omnino esset perspicuus. Obscuritatem enim affectasse Spiritum S. in Prophetis nè ipsi quidem adversarii negabunt. Intelligebat autem omnia ea quæ homines brutis amentiores, obliti dignitatis suæ, maximo cum sui dedecore colere & adorare solent. Quòd si quæ præcedunt ómnia Christo Christíque temporibus adeò consonant, cur versum hunc, in quo apertè Propheta Euangelicus causam præcipuam desolationis illius denunciat, ad eadem tempora non referemus, præsertim cùm neque ipsæ voces neque earum significatio & usus repugnent? quid dico, repugnent? imò, quæ ipsi afferunt, nullâ ratione fulciantur? quæ autem dicemus, neque ipsi adversarii negare possint? Ac primò quidem verbum חדל idem est quòd *cessavit, desiit, abstinuit,* & sæpe absolutè ponitur: interdum autem in regimine, ut hîc cum præpositione מן *à* vel *ab*, ut 1 Sam. 9. *cesset ab asinabus,* &c. & Exo. 14. *Desiste a nobis, & serviemus Ægyptiis,* & Prov. 23. *A prudentia tua desiste:* & mediante dativo pronominis (ut hoc loco) 2 Par. 35. *Abstine tibi à Deo, qui mecum est.* In his & similibus locis vides quid significet verbum חדל. Neque adducere poterunt locum aliquem ubi hoc verbum absolutè positum vel in regimine significet *desinite timere.* Nam in illo loco 1 Sam. 9. de asinabus, perinde valet ac si dicat, *cesset solicitus esse pro asinabus,* &c. Et ni obstarent præcedentia quæ jam commemoravi, & hic inciperet divisio, fateor posse hunc subesse sensum, q. d. *Nè vobis complaceatis in quovis homine: non enim est homo qui plurimi faciendus sit. Neque vos satis tutos esse putetis quod habeatis sapientes viros,* &c. *ecce enim Dominus auferet,* &c. Porrò constructio quam hoc loco habemus eadem omnino est cum ea quæ est 2 Par. 31. & ubicunque reperiatur, nihil aliud significat quàm Latinis *cavete vobis à,* vel *timete vobis à.* Nam Rex Ægypti volens avertere Josiam nè sibi obsisteret adversùs Assyrios proficiscenti dicebat, quòd *jussu Dei iter illud suscepisset; proinde caveret sibi à Deo, qui cum ipso esset;* חדל לך מאלהים אשר עמי ואל ישחיתך. *Cave,* inquit, *tibi à Deo, qui mecum est.* Quódque hic sit sensus, confirmat quod sequitur, *nè perdat te funditus.* Tantum igitur abest ut hoc loco significet *cessationem à timore,* ut ex phrasi Scripturæ oppositum præcipiat, scilicet *caveant,* aut *timeant, sibi ab homine:* neque est quisquam qui vel primoribus labris Hebræa attigerit qui hæc inficiari possit; sed neque, quòd vox במה cum aliis atque aliis punctis significationem variet. בַּמֶּה BAMEH enim valet *in quo,* vel *eo,* ut Gen. 11. & Exod. 22. At בָּמָה BAMAH in infinitis locis *excelsum* significat, i. *sacellum* scilicet *excelsum,* seu *altare,* ab *altitudine* & *sublimitate,* eò quòd in altum, & plerumque etiam loco alto & excelso exstructa fuerint. In plurali autem de aliis rebus excelsis etiam dicitur. Vide Lexic. Cùm igitur olim Biblia absque punctis fuerint, & alias motiones Chaldæus, alias LXX, alias nos in eisdem vocibus multis in locis habeamus (ut in Præfatione admonui) quis audeat hoc loco Vulg. editionem abjicere? *quoniam excelsum* (vel *excelsus*) *reputatus est ipse.* Ut si *excelsum* legas, admonet Judæos nè contemnant hominem illum, etiamsi juxta formam servilem similis hominibus cæteris appareat, sed religiosè *caveant ab ipso* perinde quasi à loco sacro, cujusmodi est altare aut templum. Nam *de templo corporis sui dixit* ipse Christus in Euangelio, *Solvite templum hoc,* &c. Déque eodem dicit Paulus, *In quo habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter:* nè scilicet eum audeant temerare, vel vim ipsi inferre, imò venerentur & adorent, juxta illud Psal. 2. *Adorate Filium:* ubi Vulg. vertit, *Apprehendite disciplinam*; vel (si dativum pronominis non curemus, ut aliquando necesse est; quod tamen hoc loco non probo) *cessent ab illo,* i. illum dimittant liberè, neque illi negotium facessant; sicut cùm Judæi dicebant Mosi, *Cessa à nobis,* vel *Desiste à nobis, & serviemus Ægyptiis.* Nam interpretatio quem superioribus annis quidam in suis scriptis reliquit (quem nominare nolo quòd eum hoc honore indignum putem, eò quòd à fide Christi defecerit) nempe CAVETE, i. *cavere soletis, ab homine,* IN CUIUS NARIBUS EST SPIRITUS, *i. per iram stomachante; nihil enim cum delectu operatur: quantò magis iram Dei declinare deberetis?* Hæc, inquam, interpretatio (si hoc nomine dicenda est) adeò est violenta ut nemini viro erudito sit probabilis. Quòd si quis contendat legendum esse BAMEH, etiam de Christo intelligi non incommodè potest locus in hunc modum, *Cavete vobis ab homine,* vel *Desistite ab homine, in cujus nare est halitus, nam in eo halitu,* ac ex ejus spiritu *æstimandus, reputandus,* seu *magni faciendus est:* nam *spiritus* ille seu *halitus* Spiritum S. designabat, qui *testimonium* de Domino nostro *perhibuit* & *mundum de peccato arguit,* &c. Huc facit quòd *insufflante Domino acceperunt discipuli Spiritum S. ad remittenda peccata:* denique, teste Paulo, *qui apparuit in carne, justificatus est in Spiritu,* &c. Quod si durum cuiquam videatur ut pro *in quo* dicatur *in eo,* certè hoc nulli perito durum videri debet ut non *in quo,* sed *in quantum,* i. quanti, dicamus, & sit potiùs Admirantis quàm Floccipendentis (sic enim sæpe accipitur מה Hebræum) q. d. *Cavete vobis ab homine qui,* sicut alii homines, *spirat: sed quanti æstimandus est?* vel, *sed quanti pro vestro judicio faciendus est?* etsi enim mortalis est, mirum quanti illum facere deberetis? simul enim Deus est, ille, inquam, Deus qui *auferet ab Jerusalem,* &c. Pio zelo, ô Christiane lector, commotus contra incredulos Judæos & Judaizantes Christianos, qui Christi Domini gloriam ob suam oscitantiam & in Scripturis evolvendis, conferendis atque exponendis negligentiam obscurant, illa tantùm afferentes atque admirantes quæ impii & indocti Rabini probant, hoc loco paulò diffusior fui quàm consueverim, nequaquam id alibi facturus quàm ubi gloria Christi Domini idipsum postulaverit. De voce tamen נשמה aliquid dicendum videtur; quod nomen à verbo נשם, i. *anhelavit, anhelitum emisit,* deductum volunt; éstque idem quod Græcis πνοὴ, de quo Gen. 2. *Inspiravit in nares ejus halitum vitæ,* quæ duo conjunctim posita Paulus Act. 17. divisim & per Diæresin jucundo Græcarum vocum concentu elocutus est, ubi inquit, *Cùm ipse det omnibus ζωὴν καὶ πνοὴν,* i. *vitam & halitum,* neque re differt à רוח. Potest nihilominus deduci à verbo שמם, i. *afflatu & abominatione dignum fuit,* de quo suprà 1. 7. Indè nomen נשמה Jer. 11. & Psal. 69. *habitatio eorum afflatus,* ubi Vulg. ex Græco *deserta,* & aliis locis. Dicitur autem hoc nomen tam de ipso *flatu quo rem abominamur* quàm de ipsa *re afflabili,* aut *super quam* (vel *quam*) *exsufflamus* sive *exsibilamus per contemptum,* vel *præ admiratione.* Abjectis ergò punctis, hic sensus neque contemnendus in his verbis latet, *Cavete vobis ab homine, in cujus ira est afflatio,* i. desolandi vis; vel, *in cujus naso est afflatio,* indignationis scilicet & abominationis (sicut Deut. 29. *Fumabit tunc nasus Jehovæ.* אף enim primò *nasum,* deinde *iram,* quæ in naso apparet, significat) *nam in eo magnum momentum atque pondus habet ipse flatus, & plurimi faciendus est, neque contemnendus: væ enim illi in quem sufflaverit,* vel *quem abominatus fuerit.* Et si quæ sequuntur, optimè conveniunt: qui enim nihili fecerunt afflatum ejus, eis evenerunt quæ proximo capite sequuntur. Vide v. 8.

DRUSIUS.

1. עַל־יְהוּדָה וִירוּשָׁלִָם. Sym. ὑπὲρ τῆς Ἰουδαίας καὶ ὑπὲρ Ἱερουσαλήμ. *Pro Judæa & pro Jerusalem*] Citat Eusebius Ἀποδείξ. lib. 2. pag. 43. Hier. *pro Juda & Jerusalem* ὑπὲρ Ἰούδα καὶ Ἱερουσαλήμ quæ lectio melior est. Verba sunt, *CONTRA JUDAM ET JERUSALEM, vel PRO JUDA ET JERUSALEM, ut Sym. transtulit.*

6. ילדי

6. וּבְיַלְדֵי נָכְרִים יַשְׂפִּיקוּ. Sym. *& cum filiis alienis applauserunt*] Hier. *Sym.* *ET CUM FILIIS ALIENIS APPLAUSERUNT*, *pro quo scriptum est in Ebræo* ישפיקו, *quod Ebræi interpretantur* ἐσφλυάσθησαν, *& nos vertimus* *ADHÆSERUNT*, *ut vitiorum in gente Judæa turpitudo monstretur.* Idem paulò pòst, *Symmachus quodam circuitu & honesto sermone plaudentium eandem cum pueris turpitudinem demonstravit.*

13. אַלּוֹנֵי הַבָּשָׁן. A. δρυὰς Βασὰν *quercus Basan.* Sym. Th. βαλάνως – *glandes*] i. Arbores glandiferas. Sic alibi & Lxx convertunt.

16. אֳנִיּוֹת תַּרְשִׁישׁ. Cæteri, *naves* Θαρσὶς] Hier. *Pro THARSIS, quod omnes similiter transtulerunt, soli Lxx MARE interpretati sunt*, καὶ ἐπὶ πᾶν πλοῖον θαλάσσης. *Ebræi putant lingua propriâ suâ Mare THARSIS appellari: quando autem dicitur* ים, *non Ebraico sermone appellari, sed Syriaco.* Hier. *Naves Tharsis*, i. πλοῖα Θαρσίς. Est autem propriè regio quæ nobis *Cilicia* dicitur: unde & metropolis ejus portu mercatuque nobilis nomen habuit. Græci enim Ταρσὸν dixere. Hæc Paulo fuit patria. Sunt qui Africæ urbem fuisse censent, quæ nunc *Tunes*, olim *Carthago* nominabatur. Hanc opinionem secuti Lxx תרשיש Ezech. 27. reddunt Καρχηδόνιοι. Eustathius in Dionysium Alexandrinum, De situ orbis Ἱστόρηται δὲ καὶ ὅτι Θαρσεῖς ἡ θεία γραφὴ οὐ τὴν Ταρσὸν καλεῖ τινας, ἀλλὰ τὴν Καρχηδόνα παλαί, περιφανεστάτην τῆς Ἀφρικῆς. Sed vide sis quæ scripsimus Obser. lib. 6. cap. 3.

20. לַחְפֹּר פֵּרוֹת. Aq. ὀρυγὰς *fossiones*, sive *fossuras*. Sym. *infructuosa*. Th. ἀφαρφερὼθ] *Infructuosa*, ἄκαρπα. ¶ Ἀφαρφερὼθ. Rectiùs, Ἀφαρφερῶθ, penultimâ productâ. Hier. *talpas.* Idem in Comm. *Est autem animal absque oculis, quod semper terram fodit & humum egerit, & radices subter comedens frugibus noxium est, quod Græci ἀσπάλακα vocant.* Fieri potest ut fallar, tamen inclino ut credam Aquilam quoque cùm ὀρυγὰς transferret, *talpas* designasse. Sanè ὀρυχὴ sive ὀρυγὴ vocatur aliquando *rostrum suis* quo fodit & vertit terram. Rursum Hier. *Pro TALPIS, quas nos interpretati sumus, Lxx VANA*, i. τοῖς ματαίοις, *Aquila* ὀρυγάς, *Symmachus INFRUCTUOSA. Theodotio ipsum verbum Ebraicum posuit, HAPHARPHEROTH.*

22. חִדְלוּ לָכֶם מִן הָאָדָם אֲשֶׁר נְשָׁמָה בְּאַפּוֹ כִּי בַמֶּה נֶחְשָׁב הוּא. Aq. Παύσασθε ὑμῶν ἀπὸ ἀνθρώπου ᾧ ἀναπνοὴ ἐν μυκτῆρι αὐτοῦ ὅτι ἐν τίνι ἐλογίσθη; *Cessate vobis ab homine, cui respiratio in naribus ejus; quia in quo reputatus est?*] Hier. *Hoc prætermisere Lxx, & in Græcis exemplaribus ab Origene sub asteriscis de editione Aquilæ additum est.* Idem scribit Cyrillus. Apud Procopium habetur sub asterisco. Basilius, τοῦτο ἐν τῷ Ἑβραϊκῷ κείμενον ἐκ τῶν λοιπῶν μετεκομίσθη. *Hoc in Ebraico ponitur, & ex reliquis interpretibus huc translatum est.* Sequitur in Hieronymo, *Ubi nos diximus, EXCELSUS REPUTATUS EST IPSE, Aquila interpretatus est, IN QUO REPUTATUS EST ISTE?* ἐλογίσθη. Deest pronomen, cui respondet הוא in Ebræo, addendum vel ex loco Hieronymi modò citato, *in quo reputatus est iste?* ἐν τίνι ἐλογίσθη αὐτός; Vide Procopium.

IDEM EX PROCOPIO.

1. עַל יְהוּדָה. κατὰ τὸν Σύμμαχον, ὑπὲρ τοῦ Ἰσραὴλ] Ajo legendum ὑπὲρ τῆς Ἰουδαίας. Vide Fragmenta. In Procopio etiam invenies κατὰ τῆς Ἰουδαίας *contra Judæam.*

2. נָכוֹן יִהְיֶה הַר בֵּית יְהוָה. Aq. Sym. ἕτοιμον ἔσαι τὸ ὄρος τοῦ οἴκου Κυρίου, *paratus erit mons domûs DOMINI*] i. Firmus, stabilis. Sic apud Davidem, ἕτοιμος ὁ θρόνος σου, Hier. *firmum solium tuum.*

3. עַמִּים רַבִּים. Aq. Sym. Th. λαοὶ πολλοὶ *populi multi.* ¶ אֶל הַר יְהוָה. Aq Sym. Th. εἰς τὸ ὄρος Κυρίου *ad montem DOMINI*] Sic etiam Lxx. Quòd autem in Procopio ὁμοίως, huic adverbio significat tres reliquos similiter interpretatos fuisse.

4. לֹא יִשָּׂא גוֹי. Th. οὐ μὴ ἄρῃ ἔθνος *non tollet gens.* ¶ ¶ וְלֹא יִלְמְדוּ. Sym. οὐδὲ μὴ μάθωσιν *neque discent.*

6. נָטַשְׁתָּה. Aq. εἴασας *dereliquisti.* Sym. ἀπέῤῥιψας *adjecisti.* Th ἀνῆκας *reliquisti*] Vel *dimisisti*, *missum fecisti.* Interpres Procopii *rejecisti.* Quid vidit cùm ità verteret?

9. אַל תִּשָּׂא לָהֶם. Aq. οὐ μὴ ἀνῇς αὐτοῖς. *Ne remittas illis.* Sym. μὴ ἀφῇς αὐτοῖς *ne dimittas illis*, i. Condones.

12. וַיִּשְׁפַּל. Aq. Sym. Th. καὶ ταπεινωθήσεται *& humiliabitur*] In ed. Vulgata ταπεινωθήσονται sed ex nota marginali discimus Lxx etiam usos verbo sing. fuisse. Nota, quæ hoc docet, hæc est. Α. Σ. Θ. ὁμοίως τε οἱ ό. ταπεινωθήσεται.

14. עַל כָּל הֶהָרִים הָרָמִים. Aq. Sym. Th. πᾶν ὄρος ὑψηλὸν *omnem montem excelsum.*

20. בַּיּוֹם הַהוּא. Aq. Sym. Th. ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ *in die illa.*

GROTIUS.

2. ET *erit in novissimis diebus præparatus mons domûs Domini in vertice montium*] Pro *novissimis diebus* rectè ex Hebræo ponas *posthac.* Spectat id tempus quo Urbs ab obsidione Rasinis & Phaceæ liberata est. ¶ *Et fluent ad eum omnes gentes*] i. Multi ex populis hostibus Syrorum Hierosolyma se ut ad locum tutissimum conferent, & ibi in atrio Gentium Deum adorabunt. Cæterum sublimiore sensu hunc locum de Messiæ temporibus etiam Hebræi intelligunt. Confer Dan. 2. 35.

6. *Projecisti enim populum tuum*] i. *Projeceras*: Permiseras durâ obsidione eum premi. ¶ *Et pueris alienis adhæserunt*] Quia placuerunt illis mores Assyrii, tradentur Assyriis. At Hebræi quidam per *natos alienos* intelligunt doctrinas & instituta Gentium.

7, 8. *Repleta est terra argento & auro, & non est finis thesaurorum ejus: & repleta est terra ejus equis, & innumerabiles quadrigæ ejus: & repleta est terra ejus idolis*] Ex divitiis luxus, ex luxu contemptus Legis. Confer Deut. 32. 15, 16. Et thesauros habere & equorum agmina Lex provida disertè Regi interdixerat.

11, 12. *Exaltabitur autem Dominus solus in die illa: quia dies Domini exercituum super omnem superbum & excelsum*] Redit ad tempora liberatæ Urbis: quo tempore multos Judæos ab idololatris pessimè vexatos, à Deo autem liberatos, tæderet cultûs præstiti idolis.

13. *Super omnes cedros Libani*] Regem & Principes Syriæ. ¶ *Super omnes quercus Basan*] i. Super Regem & Principes Israelis.

16. *Super omnes naves Tharsis*] Super Tyrum, quæ Syriis federata eo tempore.

20. *Talpas*] Legit hîc Interpres unâ voce חפרפרות ut & Abenesdras, qui & ipse *talpas* intelligit. Nullum ferme est animantis genus quod non in aliqua parte Ægypti sit cultum pro Numine.

22. *Quiescite ergò ab homine*] Nolite fiduciam in ullo hominum ponere. ¶ *Cujus spiritus in naribus ejus est*] Vita ejus ab aëre pendet, quo intercluso peribit. ¶ *Quia excelsus reputatus est ipse*] Heb. *Quantilli enim ille faciendus est?*

CAP. III.

MUNSTERUS.

OStendit Propheta in præcedente capite quid futurum erat in diebus Messiæ; in hoc verò capite redit ad Judæos suos, qui tempore suo contemnebant verbum Domini. Erat valde stulta prædicatio apud Judæos, quando Prophetæ minabantur desolationem terræ. Nam jactabant se habere promissiones Dei: gloriabantur de Regno & Sacerdotio, quod à Deo erat institutum & ordinatum: putabant hæc perpetuò mansura, quòd Deus mentiri nequiret: unde dicebant apud Jeremiam, *Non perbit Lex à Sacerdote.* Sed quàm falsi sint miseri homines, constat omnibus hominibus.

1. *Sustentans & roborans*] Immittet, inquit Propheta, Dominus magnam famem Hierosolymitanis & Judæis Christum non recipientibus; eritque tandem in illo populo tam sæva clades ut amissuri sint omnes *fortes viros*, *Prophetas*, *Judices*, &c. Et nota quòd hîc משען cum Pathah est participium Hiphil, sed cum Hirec nomen Hæmanthicum. Porrò מעוללים capitur hîc pro עוללים. Et נגש scribitur cum puncto sinistro non cum dextro: quod me vulgata editio annotare coegit.

6. *Ruina*] Vocat regimen populi tumultuantis *ruinam & offendiculum.*

7. *Curator*] Seu *sanator.* Exponit Kimhi חבש pro חובש *incarceratore, & qui rebelles quosque & legum transgressores reprimit.*

9. *Agnitio vultûs eorum*] h. e. Usque adeò pleni sunt malitiâ ut illa ex vultu ipso dignosci possit: ut taceam quòd publicè *prædicaverunt peccatum suum.*

11. Per *impium malum* intellige obstinatum in impietate.

12. מעולל] Intellige עולל, non *racematorem*, ut Oecolampadius vertit. Repetitur enim sententia quæ prius posita est, *Dabo pueros Principes eorum*, &c.

16. &c.

16. &c. *Oculis vagantibus*] Scribitur hic משקרות cum puncto sinistro non cum dextro. Perperàm igitur vertunt qui interpretantur *oculis mendacibus*. Significat autem שקר *impudicis nutibus allicere*, & טפף *aliis corporis gestibus lasciviam ostendere*. Porrò dictio עכס significat *tinnitum facere per monilia pedibus* seu *calceamentis affixa*. Per *jocalia animæ* intelligeodoriferas sphærulas inter ubera suspensas. Habet tamen Hebraismus *domos animæ*. Exponit etiam Kimhi החריטים non pro *acubus*, sed pro *marsupiis*. Reliqua vertimus ut Hebræi exponunt, etiamsi hæc ornamenta per tempora & loca mutentur; sicut & Aben Ezra scribit, אלה ישתנו בכנות הפקרות. *Nostro tempore procedunt mulierculæ in publicum, stibiatæ, fucatæ, cerussatæ, cum coraliis, succino, spathalibus, dextrocheriis, inauribus, annulis & unionibus oneratæ, indutæ vestibus sericis, bombycinis, institis, fasciis, zonis, semizonis, mitellis, umbellis*, &c. Et nota quòd כי *adustio* est à verbo כוה.

V A T A B L U S.

1. A*ufert* מסיר] Præs. Heb. pro fut. *auferre paratus est, ablaturus est, amoturus*. ¶ *Fulcimentum & fulcimentum* משען ומשענה] Ad verb. *baculum & baculum*: vel *fulcrum & fulcrum*: aut, *sustentaculum & sustentaculum*: i. robur & vigorem. Sic mox. Psal. 104. 15. *Panis cor hominis confirmat.*

2. *Et divinum* וקוסם] *Et præscium futurorum*: i. eos qui summâ prudentiâ prævident futura. In bonam partem accipitur.

3. *Quinquagenarium* שר חמשים] Ad verb. *Principem* super *quinquaginta*. Gallicè *Capitaine*. ¶ *Et honorabilem vultu* ונשוא פנים] Ad verb. *& elevatum faciebus*: i. spectabilem vultu & conspicuum. Vel (ut alii) *& autoritate suspiciendum*: i. qui valent autoritate & gratiâ, suntque in pretio apud populum, quos populus honore prosequitur. ¶ *Et sapientem artificum* וחכם חרשים] *Et sapientem sapientum*. A *cogitatione & inventione*: i. doctissimum inter doctos. Alii, *acutum acutissimorum*, i. maximè geniosum ad excogitanda omnia instrumenta bellica. Alii, *& eximium quemque inter architectos* Sunt qui vertant, *& sapientem, architectos*, &c. ¶ *Et intelligentem incantationis* ונבון לחש] Ad verb. *& peritum eloquii*. Vel, *scientem eloquentiæ*. Significat sermonem modestum sive demissum, h. e. gravem. Intelligit homines eloquentes, & facundos oratores, qui etiam sunt usui reip. q. d. Perdam remp. Jerosolymitanam. Quidam, *intelligentem mussitationis*, sive, *occultæ locutionis, ænigmatis*, aut *consilii secreti*.

5. *Et opprimetur populus* ונגש העם] *Et expilabitur populus*. Alii, *Violenter aget populus*. Alii, *Fietque exactor populus*. i. Plebeii ipsi vendicabunt sibi potestatem & dominium autoritatémque exactoris, i. Principis. Innuit seditionem delecto Magistratu suboriendam in rep. Quæ quidem seditio pestis est nocentissima ipsius reip. ¶ *Vir in virum*, &c. איש באיש וגו'] Hebraismus, pro *alter in alterum, & quisque in proximum suum*. Vel, *& unus erit exactor alterius, & quisque proximi sui*. q. d. Quisque volet esse dominus alterius. איש enim & *virum* & *quemque* significat. ¶ *Invalescent* ירהבו] *Superbient*, vel, *superbè & arroganter agent*:

6. *Fratrem suum*, &c. באחיו בית אביו] *Fratrem suum*, qui fuerit *de familia patris sui*, i. de eadem familia. Si quis (inquit) viderit quempiam de familia sua egregiè ornatum, illi, &c. *Fratrem de eadem familia* dicunt Hebræi pro *fratre germano*, sive *eo qui est ejusden gentis aut sanguinis*. ¶ *Eris* תהיה] Fut. Heb. pro imperat. *sis*, ut quidam vertunt. ¶ *Ruináque*, &c. והמכשלה] Hypallage est, pro *sitque manus tua sub hac ruina*: i. sustentes patriam, aut subvenias patriæ jamjam ruinam minanti, nisi quis illi supponat manum.

7. *Dominus* חבש] *Curator*. Alii, *dux; rector; gubernator*. ¶ *Nam in domo mea* ובביתי] Ad verb. *& in domo mea*. Hic ו pro *nam* ponitur.

8. *Ruit* כשלה] Præt. Heb. pro fut. *Corruet enim*. ¶ *Et opera eorum* ומעלליהם] *Et conatus eorum*; aut, *studia & inventiones*. ¶ *Ad irritandum* למרות] *Ut ad iracundiam provocent*: aut, *ut exacerbent*. *Irritare oculos gloriæ Dei* Hebræi exponunt, publicè irritare: quòd postea sequatur, *& peccatum suum sicut Sodoma prædicaverunt*, &c.

9. *Agnitio* &c. הכרת וגו'] A נכר *agnovit*: & in כ ponitur Daghes ob defectum נ, ut ait doctus quidam inter Hebræos. Taxat eos impudentiæ: acsi dicat, *Ex vultu illorum facilè deprehenditur pravitas eorum; legitur enim*, sive *relucet, in facie*, consuetudine scilicet peccandi. Alii volunt ה esse radicale, *duritiam* exponentes, *Duritia faciei eorum respondet eis*: nam id etiam significat ענתה, quod est præteritum pro præs. Vel, *superbia*, aut *arrogantia, vultus eorum*, &c. ¶ *Annunciaverunt* הגידו] Præterita quæ quidam vertunt per præsens, *prædicant, nec occultant*. ¶ *Reddiderunt* גמלו] Præt. Heb. pro præs. *faciunt*, aut *accersunt*.

10. *Justo*, &c. צדיק כי טוב כי פרי] *Justo quòd bene agat, siquidem fructum*, &c. Alii volunt כי non esse positum suo loco (ut aliàs sæpe apud Hebræos) & vertunt, *Dicite quòd justi cùm fuerint boni, fructum*, &c. Sing. pro plur. nam verbum plurale *comedent* sequitur.

11. In *malum* רע] *Malo*: i. e. qui malus est.

12. *Oppressores ejus* נגשיו] *Exactores ejus*, i. Principes; sic dicti quòd habeant jus exigendi à populo. Redundat relativum *ejus*, propterea quidam vertunt, *Principes populi mei erunt parvuli*. ¶ *Parvulus* מעולל] Sing. pro plur. *parvuli*; ætate scilicet & moribus. ¶ *Dominatæ sunt* משלו] Præt. Heb. pro præs. *dominantur*, vel *imperant*. Vel præt. pro futuro, *dominabuntur*. ¶ *Errant* מתעים] *Seductores sunt; errare faciunt*. Alii, *seducunt*. ¶ *Perdunt* בלעו] *Corrumpunt, depravant*.

13. *Ad judicandum* לריב] *Ad disceptandum*, vel *litigandum*: i. præstò est ut disceptet vobiscum.

14. *Ad judicium veniet cum senibus*, &c. במשפט יבוא וגו'] Hebraismus pro *judicabit senes*, &c. ¶ *Depasti estis* בערתם] *Perdidistis*. Vel, *succendistis*.

15. *Atteritis* תדכאו] *Contunditis; conteritis*. Fut. Heb. pro præs. ¶ *Commolitis* תטחנו] Fut. Heb. pro præs. *commolitis*: i. in faciem percutitis, ut sese molæ contundunt.

16. *Elevatæ sunt* גבהו] *Superbierunt*. Vel est præt. pro præs. *superbiunt*. ¶ *Gutture* גרון] i. Collo, vel erectâ fronte. ¶ *Et innuentes oculis* ומשקרות עינים] *Oculisque vagantibus*. ¶ *Ibverunt* הלכנה] Fut. pro præs. i. more puerorum in publico ac propatulo saltitare solent. ¶ *Strepitum*, &c. תעכסנה] Gallicè dicimus, *Elles battent les sonnettes*. Alii, *Et in pedibus ferunt ornamentum cui affiguntur tintinnabula*. Alii, *Et in pedibus ornantur ornamentis factis instar squamarum*.

17. *Et decalvabit* ושפח] *Et scabie inficiet*, vel lepra. ¶ *Nates earum* פתהן] *Pudenda; anum eorum*: q. d. Efficiet ut nudæ abducantur captivæ.

18. *Gloriam ornamentorum*, &c. את תפארת העכסים] *ornamentum monilium pedum*: vel *ornamentum crepitaculorum*. Aut, *ornamentum crurum plenum crepitaculis*. Gallice, *des jarretieres*. Alii volunt ornamentum pedum fuisse non absimile illi quo utuntur mulieres Hispanæ quæ crepidas gestant cum tintinnabulis dum saltant. ¶ *Et vittas*, &c. והשביסים] *Et vela ocellata*, vel *reticulata*: quibus capita tegebant. ¶ *Et lunulas* והשהרונים] Monilia formam Lunæ præferentia.

19. *Torques* הנטפות] Hebræi dicunt esse *torques factos ex bdeliis parvis*. Alii putant significare *thecculas in quibus ponitur & includitur opobalsamum, aut aliquod aliud odoramentum, quas appendunt mulieres collis suis*. ¶ *Et armillas* והשרות] Gallicè *des braselets*. ¶ *Et mitras* והרעלות] *Et vela*: quibus scilicet totam faciem præter oculos tegunt, & à parte inferiore ligantur. Alii dicunt id esse quod Gallicè dicimus *tabourets*.

20. *Pileos* הפארים] *Et tiaras*. ¶ *Et periscelides* והצעדות] *Et ornamenta crurum*: fortasse quod Gallicè dicimus *des jartieres*. ¶ *Et murenulas* והקשרים] Fortasse quod Gallicè dicimus *des carcans*. Quidam Hebræorum dicunt fuisse *ornamenta quæ mulieres alligabant capitibus, aut gutturi*. ¶ *Et pectoralia* ובתי הנפש] Ad verb. *& domos animæ*. Sunt monilia quædam dependentia à collo inter ubera super pectus, sic dicta quòd muniant domum animæ, i. cor. Quidam *vittas sericas quibus mulieres alligant capillos capiti* interpretantur.

21. *Et circulos naris* ונזמי האף] *Et ornamenta narium*. Ut ab auribus mulierum Orientalium ornamenta quædam dependebant aurea & argentea aut gemmea, ità etiam è naribus.

22. *Mutatoria* המחלצות] *Vestes mutatorias* significat. Ità dicuntur vestes pretiosiores, quòd illis non semper utamur. ¶ *Et vela* והמעטפות] *Et operimenta*, aut *velamina*; quibus scilicet se mulieres operiebant: *palliola; amictus*. ¶ *Et linteamina* והמטפחות] *Et chirothecas*. ¶ *Et crumenas* והחריטים] *Et acus*.

23. *Et vittas* והצניפות] *Et cidares*; tegumenta capitis. ¶ *Et theristra* והרדידים] Dicunt vestimenta esse subtilia æstiva. Alii scribunt fuisse sindonem quam mulieres expandebant super caput ob æstum.

24. *Putredo* מק] *Dissolutio*: vel, *liquefactio*, sub. *carnis earum*: q. d. Putrescent tandem corpora earum, neque aromatibus asserentur à putredine. ¶ *Excisio* נקפה] *Confractio; ruptura*: i. in ea parte vestis in qua est zona, erit ruptura: acsi dicat, Vestes earum usque ad nates præcidentur ab hosti-

ftibus. Alii, *percuſſura:* i. caro percuſſa, ut non poſſint ſe accingere ſuper eam. ¶ Grinium *diſpoſitione æquali* מעשׂה מקשׁה] *Cincinnis*; i. pro crinibus arte & induſtriâ compoſitis. ¶ *Faſciâ pectorali* פתיגיל] Doctus inter Hebræos ſcribit fuiſſe genus veſtis quam mulieres induebant ad gloriam & decorem. Alii, cingulum ſericeum latum quo ſe cingebant. Alii, veſtem tenuem ac ſubtilem quæ cæteris veſtibus ſuperponebatur: veſtem, inquam, brevem, quæ ſuperiorem tantùm partem tegebat, nempe uſque ad partem infernè proximam pectori: quâ etiam Reginæ videntur olim fuiſſe ornatæ. ¶ *Aduſtio* כי] i. Deformitas: quòd mulieres aduſtæ ſint deformes. Juxta hanc interpretationem כי erit à כוה, quod improbant docti quidam Hebræorum, potiùs vertentes, *Quoniam* omnia illa ſupradicta erunt *vice pulcritudinis*, i. eò quòd pulcritudinis & elegantiæ ſtudioſiores erant.

25. *Et fortitudo tua* וגבורתך] Sing. pro plur. *fortitudines tuæ:* i. viri fortes. Vel ſubauditur אנשׁי, ut ſit, *viri fortitudinis tuæ*, eodem ſenſu.

26. *Porta ejus* פתחיה] Infrequentiâ ſcilicet populi: nam tum erunt pauci intrantes & exeuntes. ¶ *Et mundata* ונקתה] i. Evacuata habitatoribus ſuis, & privata, more lugentis ſedebit in terra, ut Job. Quidam, *deſolata*. Alii, *deſtituta*.

C A S T A L I O.

7. NON *ego is ero qui iſti malo medear*] Ubi magnates infeſtantur, nemo vult eſſe Princeps.

C L A R I U S.

3. A*Uferet à Jeruſalem*] Immittet, inquit Propheta, Dominus magnam famem Jeroſolymitanis & Judæis Chriſtum non recipientibus. Eritque tandem in illo populo tam ſæva clades ut amiſſuri ſint omnes *fortes viros*, *Prophetas*, *Judices*, &c. Ubi manifeſta eſt de Chriſto Prophetia; de quo dictum ſit, *Non auferetur ſceptrum*, &c. Hic vides Judices & primates in ejus adventu auferri.

3. *Peritum incantationis*] Vel *induſtrium oratorem*.

5. *Corruet populus*, &c.] i. Irruet alter in alterum, & expilabit quiſque proximum ſuum. ¶ *Tumultuabitur puer*] Sublatis judiciis, neceſſe eſt rerum ſequi confuſionem, & inverti vitæ ordinem.

7. *Non ero curator*] h. e. Non erit poteſtas mihi quenquam coercendi.

9. *Agnitio vultûs*] h. e. Ex vultu illorum conjicere licet quales ſint. Eò enim impudentiæ pervenerunt ut nihil ampliùs diſſimulent.

10. *Dicite juſto, quòd bene*] h. e. Quòd felix ſit.

11. *Væ impio in malum*] Vel, *Væ impio malo*, h. e. obſtinato in impietate.

14. *Cum ſenibus populi*] Qui ſcilicet præcipua malorum cauſa erant. Icciroo in eos primùm expoſtulabitur.

16. *Compoſito gradu*] Vel, *tinnitum faciebant pedibus*, i. ornamentis pedum.

F O R E R I U S.

1. R*Obur panis*, &c.] שען in prima conj. tantùm legitur in paſſiva, & ſignificat neutraliter, *inniti*, *incumbere*, *recumbere*, *reclinare:* in ſecunda autem tantùm hæc duo participia leguntur, alterum maſculinum, alterum feminium: quibus ſimul poſitis ſignificat Hebraiſmus ſummatim omnis generis fulcimenta, ſicut mox enumeratione explicat, *ſuſtentaculum*, inquiens, *panis*, *& ſuſtentaculum aquæ*, &c. Et juxta hanc phraſin etiam illud non vanâ opinione intelligendum eſſe duco, Eccl. 2. *Feci mihi* שׁרים ושׁרות *cantores & cantatrices*, i. omnis generis inſtrumenta muſica: & nos per maſculinum & femininum univerſitatem in illo genere notamus. Sumpta eſt autem phraſis, quòd ſpecies omnis animalium maribus aut feminis contineatur. Per *panem* quoque & *aquam* omnia eſculenta & potulenta intellige: quod non raró reperies, ut infrà, *Panis ei datus eſt, aquæ ejus ſtabiles ſunt*, &c.

2. *Fortem*] גבור *heroem*, *gigantem*, *prævalidum* ſignificat, nempe eum qui aliis virtute præſtat, &c. unde hic pro *duce in bello* accipio. Virum autem belli *militem* vocat. *Ablato* ergò *duce & milite*, ſi ingruat bellum, quid futurum ſit nemo ignorat. Per *Judicem* Magiſtratus, per *Prophetas* eos per quos Deus ſuam voluntatem ſignificare conſueverat, & qui in anguſtiis conſolabantur populum, & nonnunquam in rebus afflictis & deſperatis, quid facto opus eſſet, nè perirent, prædicabant. Lege Jeremiam. Per *divinos* autem & *ſenes*, eos qui longâ rerum experientiâ atque prudentiâ, circumſtantiis omnibus inter ſeſe collatis, quando non eſt Propheta aut Princeps, ſolent aliis conſulere, & mutuò exhortari ad munus ſuum exſequendum tam in pace quàm in bello, támque in tranquillis & proſperis quàm adverſis rebus. Eſt autem נביא *Propheta* à verbo בוא *venit:* quo nomine dicebatur qui immediatè adeò excitabatur ut quod ei Divinitus revelatum eſſet, aliis venturum ſeu faciendum nunciaret. Magna autem fuit ſemper Prophetarum non modò in Eccleſia Dei verùm etiam apud Gentes gloria & reverentia, quia Deus hujuſmodi perſonam ſubindè novis ſignis & mirabilibus prodigiis clarere volebat, & ornabat, quibus vocatio ipſius & verbum confirmaretur. Olim dicebatur *Videns*. Vide 1 Sam. 9. Et 1 Par. 29. ponuntur tria nomina quaſi ſynonyma, & Samuel dicitur הראה *videns*, Nathan נביא *propheta*, & Gad חזה *prævidens*. Deinde abuſivè *Propheta* nomen ad quoſvis Divinæ voluntatis interpretes accommodatum eſt, Exo. 7, &c. Populus autem ille Prophetis ſemper abundavit. Unde inter ſigna abjectionis non infimum locum habebat Prophetarum ablatio: *Jam non eſt Propheta, & nos non cognoſcet ampliùs*. Quòd ſi deſint prudentes ac ſenes, malè in pace, pejùs in bello habebit Reſp.

3. Non ſolùm autem auferet Principes & Magiſtratus, ſed etiam *eum qui quinquaginta viris præeſſe poſſit:* erant namque ad manum Regis multi ex iſtis *quinquagenariis Præfectis*, ut tempore Heliæ: neque id ſolùm, ſed quicunque ſunt aliquâ *auctoritate ſuſpiciendi*, vel vultu ipſo præ ſe ferunt quicquam auctoritatis, gravitatis ac dignitatis, hoc etiam removebit à civitate. Et ad cumulum miſeriæ, nemo erit qui inter *fabros* & artifices artium mechanicarum (quæ in rep. non parùm neceſſariæ ſunt) excellat, ut præfectus eſſe poſſit alicui publico operi conficiendo. Ad hæc mala, neque erit qui *eloquentiâ & oratione*, i. facultate dicendi, *excellat*, aut etiam valeat ad alios perſuadendos: quæ tamen ars ſummopere ſemper domi militiæque neceſſaria fuit. Neque enim ſuum honorem unquam amittet illa quæ dicitur *flexanima oratio*, ut quæ ſit *omnium regina rerum*, ut eſt apud Ciceronem. Quis, quæſo, ſtatus, quæ forma foret reip. quæ omnibus his deſtituta eſſet? Sed quando, rogo, hæc completa ſunt? num in vaſtatione Babylonica? Nemo adeò imperitus eſt qui id affirmet. Certè velint, nolint Judæi hæc experti ſunt, poſtquam *non abſtinuerunt neque caverunt ſibi ab homine illo in cujus naſo erat flatus*, &c. ut mox explicabit. ¶ *Honorabilem vultu*] נשׂוא פנים i. *elevatus faciе*. Notanda eſt phraſis. Hebræis *elevare faciem*, ſi de Deo dicitur, eſt benevolentiæ & gratiæ ſignificatio; ſi autem de homine, auſus, audacia, impudentia & præſumptio ſignificatur. *Levare* autem *faciem alterius* eſt ſuſcipere, præferre, anteferre, habere alicujus hominis rationem, reſpectum: quod vulgò dicitur *accipere perſonam*, ſeu *acceptio perſonæ:* ſed potiùs dicendum *ſuſceptio perſonæ*, vel *vultûs*. Hinc in participio *elevatus facie*, i. qui aliis honore & dignitate præfertur, *honorabilis facie*, ut dixit Vulg. qui etiam ob egregiam quandam vultûs dignitatem aliis antefertur, juxta illud, *Priami forma digna eſt imperio*. ¶ *Prudentem eloquii myſtici*] *Oratoria* Hebr. לחשׁ dicitur à verbo defectivo לחשׁ, quod in prima conjugatione non habet niſi participium לחשׁ, i. *qui ex arte & conceptis verbis cauſam agit; ut quod animo conceperat evincat & obtineat*, ut ſolent facere oratores, incantatores, exorciſtæ, & quicunque alii qui rem aliquam ex arte exſequi aut perficere ſtudent ut perſuadeant. Hinc nomen ad *incantationem*, *oratoriam orationem*, &c. de quo etiam infrà cap. 26. Quos verò gens illa bonarum artium peritos, quos Magiſtratus unquam poſt vaſtationem illam, quos milites, quos duces, quos Prophetas, ſapientes aut conſiliarios habuit? quæ, quæſo, gens bonarum artium magis inimica unquam fuit in toto orbe? cùm tamen olim ſapientiores, ditiores, magis induſtrii cæteris nationibus fuiſſent; adde, quod & rei militaris gloriâ cæteris præſtiterint. Sed quid mirum ſi cum Deo omnia amiſerint?

4. *Pueros*] Verbum נער propriè *excuſſum eſt* ſignificat: & in hoc verbo miſerè hallucinati ſunt etiam Rabini, ſicut in multis aliis. Ab hoc verbo eſt nomen נער *excuſſus*, quo nomine Hebræi vocant Puerum, ſeu Juvenem ejus ætatis quâ jam è molliore parentum cura exceſſit, & quaſi à jugo gravi excuſſus eſt aut proximè excutiendus, quemadmodum olim apud Romanos ſumptâ virili togâ. Quare Miniſtri hoc nomine appellantur, quòd in ea ætate ad quotidianas functiones & miniſteria adhiberi ſoleant. Dicitur autem Puer hoc nomine quouſque ad eam conditionem perveniat ut incipiat eſſe ſui juris: quanquam per Catachreſin interdum etiam largiùs uſur-

usurpent, i. pro *juniore*, vel *rudiore* & *ineptiore*. Hoc nomine dicitur David XVI annos natus, 1 Sam. 17. & Absalon 1 Sam. 18, &c. Unde quia Græcus Interpres vidit hanc esse propriam significationem verbi Psal. 127. vocavit *filios excussorum* sive *excussionum*. Vocant enim Hebræi נעורים *dies* seu *tempus excussionis* ex curatione molliore: nos *adolescentiam* dicimus. Sumpta est autem Metaphora à sagittariis, cùm sagittas emittunt: at hoc in loco videtur accipiendum pro *sensu pueri*. Nomen quoque תעלולים, quod *effeminatos* vertit Vulg. quasi esset à verbo עלה & significatione passivâ: neque male. Verùm potest quoque esse à nomine עויל *puer*, & à verbo התעולל *illusit*: & putare meritò possemus significare *ludicra* seu *puerilia*. Neque est ad ætatem referendum, sed ad mores; q.d. qui tanquam pueri neque judicio neque ratione neque consiliis ac prudentià pollent, sed pueriliter in omnibus negotiis & rerum administratione agunt. Vide infrà 66. Qualis Paulus aliquando, qui ait 1 Cor. 13. *Cùm essem puer, ut puer loquebar, sentiebam, cogitabam; at ubi factus sum vir, abolevi puerilia. Væ autem terræ cujus Rex puer est*, Eccles. 10. Ubi est hæc vox נער, cui in versu sequenti opponit בן חורים *filium candidorum*, i. liberum, ingenuum, claro genere natum, hujusmodi enim albis induebantur; quod erat ἀξίωμα ingenuorum, ac felicem dicit Remp. ubi isti regnant. Verùm quæ consecuta fuerint mala sequens versus habet. Sed priùs de verbo משל aliquid dicendum videtur. Plerumque construitur, ut hoc loco, cum casu mediante ב *in*. Gen. 4. *Ad virum tuum acclinatio tua; & ipse habebit potestatem in te.* Ad quod respiciens Paulus 1 Tim. 2. ait, *Mulieri docere non permitto, neque auctoritatem usurpare in viros, sed esse in silentio:* reddidit ergò verbo αὐθεντεῖν. Et de peccato, *Tu dominaberis in illum.* Ad quem locum respiciens Paulus ad Rom. 6. reddidit verbo κυριεύειν, *Peccatum in vobis non dominabitur*; quòd Græcis non tantùm *dominari* significat, sed etiam *jus habere & auctoritatem*. Ex his, interprete Paulo, intelliges vim verbi

5. *Corruet*] Heb. ונגש *& adauctus est*. Nam verbum נגש sicut cum dextro puncto *accedere*, ità cum sinistro *adigere* significat, vel *ad retribuendum debitum & ad solutionem æris alieni*, vel *ad aliquid aliud operis faciendum*; simul quoque vim quandam notat; hîc autem in voce passiva. Vide infrà cap. 53. ¶ *Vir in virum*] i. Alter adversùs alterum; quod mox repetit, tanquam se exponens. Ecce quæ geruntur in rep. à qua auferuntur sapientes & magistratus, & dominantur juvenes & infensati! Furor, libido dominandi, avaritia cæteræque pestes adigent populum in seipsos: non lex, non ratio locum habebit; vis & injuria omnia occupabunt; omnia erunt confusione plena: detrudent juvenes sapientes & senes; ignobiles adversùs nobiles insurgent, atque prævalebunt, ut appareat malum illud de quo Eccles. 10. Ut *servi inequitent, & domini sint in conditionem servorum redacti.* Hæc in Jerosolymitana subversione completa sunt. In his itaque versibus felicia illa tempora in memoriam revocat, quibus sub sanctissimis ac sapientissimis Magistratibus in observatione Divinæ legis summo ordine ac decore resp. Judæorum floruerat, quando Deus adeò familiaris ipsis erat ut etiam ad artes mechanicas Spiritum suum daret hominibus (quæ nimirum absque Spiritu Dei addisci poterant) quò peritiores essent; hæc, inquam, revocat in mentem, ut quæ causa esset tantæ perturbationis animo volverent. De verbo כבד, à quo נכבד, i. *honoratus*, quod *gravem esse* significat, vide in initio cap. noni. At נקלה *vilipensus* est à verbo קלה *siccare*; quod magnam cognationem habet cum קלל *levem esse*: de quo eodem loco.

6. Explicat quanta futura esset tum virorum tum aliarum rerum Reip. necessariarum inopia: ut scilicet quicunque pallio amictus inveniretur (nam שמלה pro *summa veste* accipiendum puto, ut Gen. 9.) is aptus imperio judicandus foret: neque obesset invidia, quæ inter cognatos vigere solet: *nemo* enim *Propheta acceptus est in patria sua aut cognatione sua. Fratrem*, iniquit quemcunque viderit (non dicit *nobilem*, non cujus progeniem ignoret, & Regio genere natum suspicetur; sed vel *fratrem suum*, cognatum ex eadem familia & sanguine ortum: nam hunc vocat Hebraismus *fratrem domûs*, seu *familiæ, patris sui*) pallio amictum, illum non precibus modò sed quadam vi ad capessendum imperium adiget atque compellet. Jam suprà dixi quid sit קצין propriè suprà cap. 1. 10. interpretatus sum nempe *dux*, seu *capitaneus*; hinc pro *Principe*. ¶ *Labefactatio hæc*] Verbum כשל propriè est *dejici, delabi, impingere, illidere, offendere ut decidas*; hinc nomen מכשלה *offensio, obstaculum, offendiculum, labefactatio, casus.* Ajunt ergò, In hac Reip. *labefactatione*, seu *offensione* seu *illisione* nostrî curam geras, subvenias nobis. Existimo autem propriè significare eam *illisionem* seu *collisionem in corpore quæ medici seu chirurgi operâ indigeat*: hinc ad *Reip.* *ejusmodi labefactationem* significandam transfertur *quæ periti ducis operam desiderat*; ut quando sunt seditiones, tumultus in Rep. & vis, non autem jus regnat, laboratúrque summâ rerum inopià. Paucissimis itaque verbis & eleganti translatione summam Reip. miseriam significavit. Quòd autem pauca illa verba hunc sensum habeant, sequens versus explicat.

7. *Respondebit*] Oblatum imperium non erit qui accipiat, quòd nemo sit qui sibi suæ inopiæ & imbecillitatis aut etiam indignitatis non sit conscius in tanta rerum perturbatione & tanta Reip. tempestate. Inter cæteras acceptiones verbi נשא, de quo jam non semel dixi, hæc una neque infrequens est, ut cùm propriè *tollere* aut *elevare* significet, *levare nomen Dei*, vel *manum*, sit Jurare, absolutè autem positum, ut hoc loco, & infrà 42. 2. etiam sic accipiendum videtur. Vel certè tantùm de *elevatione vocis* accipe, quòd alta voce, ut percipiatur, dicet quæ sequuntur. Neque malè verbo *suscipiendi* redderetur; quod quia est respondere, Vulg. sensum reddens, *respondebit* dixit. ¶ *Medicus*] חבש verbum, cujus hoc est participium, propriè *superalligare* significat. Vide suprà 1. 6. ubi dixit *vulnera non fuisse compressa neque superalligata*, cùm de hoc ipso Reip. statu ageret. Jurat ergò se non *esse chirurgum*: nam futurum illud אהיה *ero*, sicut alia, Hebræis frequentissimè pro præsenti accipitur, ut cum in Exod. dicit Domi-
SUM: neque unquam viris doctis hoc fuit dubium. Inquit
nus, ERO QUI ERO, optimè Vulg. reddidit, SUM QUI
ergò, *Non consuevi superalligare; nunquam chirurgus fui.* Respondet itaque eodem tropo; & quidem nomini *labefactatio* respondet nomine *chirurgi*: illàque figurâ sermonis ait, se reparare non posse labefactationem illam Reip. ac tanto muneri aptum se esse negat. Quod verò de *pallio* dixerant, quod pro argumento abundantiæ rei familiaris usurpabant, dicit *se domi non* aliam *vestem, neque cibos habere*. Ut interim videant qui aliis præesse ambiunt, oportere eos imitari Medicos & Chirugos, ut scilicet morbis & vulneribus animorum & reip. mederi sciant, domique habere non sibi solis necessaria, sed quibus aliis in tempore subvenire possint. A Præsidentibus enim & Prælatis, velut à penu refertissima, petere debent subditi omnia humanæ vitæ subsidia, quo induti atque pasti integrâque valetudine Domino vivant. Quæ autem induenda, & quis sit cibus atque integritas seu sanitas, pete à Paulo.

8. Quæ sit illa *labefactatio* seu *offensio* & *allisio* cui desit chirurgus, jam manifestè aperit Jesaias, eodémque verbo utitur cujus nomine usus fuerat ver. 6. כשל, q. d. Quid opus est figuris atque tropis? *Jerusalem offendit, corruit, ruit alto à culmine.* Est autem verbum ferè ejusdem significationis cum נפל, quod mox sequitur. Si causam requiris, paucis aperiam. Putarunt quòd hominem mortalem aliis similem læderent, neque sibi ab eo caverunt; at in petram longè durissimam offenderunt, *superque eam ceciderunt, & collisi sunt*, ut est in Euangelio, nempe ipsum *Jehovah:* cujus *splendidissimos oculos* & omni labe vacuos, quorum aspectus beatos reddit, illos, inquam, oculos; quibus placere summa est beatitudo, sermonibus *studiis*que suis pessimis *læserunt* & injurià affecerunt. Quoniam autem læsio oculorum ad iram inflammat, effectum pro causa posuit V. interpres. At verbum מרות, ut suprà 1. 20. jam indicavi, propriè *in pejus commutationem* significat, & tam de malo pœnæ quàm culpæ dicitur. Notus est etiam Hebraismus, *oculos gloriæ* seu *splendoris*, i. splendidos, gloriosos. Apposuítque epitheton, ut indignitatem exaggeraret: *oculi* enim *splendidissimi Domini* indignum est ut à quoquam *lædantur*. De verbo כבד, à quo כבוד *gloria*, *splendor*, &c. vide infrà c. 9. Porrò cùm posset dicere, *Filium Dei impiè interemerunt*, &c. tantùm dixit, *Oculos Jehovæ læserunt*, q. significet quòd, quocunque modo id fecissent, sufficeret hujusmodi temeritas ad quasvis pœnas meritò luendas. Planus itaque erit sensus si sic interpreteris, *Concidit Jerusalem, quia sermones eorum & studia eorum erga Dominum*, vel *in Dominum*, ejusmodi sunt ut *afficiant oculos splendoris*, &c. Nam & *afficere* pro *lædere* dixit alicubi Cicero.

9. *Agnitio*] Heb. הכרת *apertio*, seu *denudatio*, seu *manifestatio*, i. impudentia. Nam quos facti pudet, faciem operiunt: at impudentes canes faciem denudatam ostentant, quos *perfrictâ fronte* dicunt Latini, & *frontem perfricare*. Possumus quoque dicere quòd sicut apud Latinos *explicatio frontis* seu *exporrectio* hilaritatem securitatémque notat, cujus oppositum est *obducta frons* seu *corrugata*; ità etiam apud Hebræos *apertio vultûs*. Nam verbum נכר primæ conjugationis

vocis passivæ significat *agnosci*; éstque ejusdem significationis cum verbo הכר, quod *apparere*, *ostendere*, *exhibere se cognoscendum* significat, ut Job. 19. Est ergò *apertio vultûs* signum securitatis, hilaritatis, quod in peccatore insignis impudentia est. Hæcque expositio sequentibus convenit. *Agnitio* autem *vultûs* sic quoque potest accipi: neque ab hac expositione declines, sed phrasim observa, quam video plerosque parùm attendisse. ¶ *Respondit*] ענתה verbo varias tribuunt acceptiones Hebræi, quas in Lexicis poteris videre. Quanquam ego quidem nescio an aliquis eorum quos ego viderim assecutus fuerit propriam vim hujus verbi. Ego sanè puto esse de numero eorum quæ contrarias habent acceptiones, nunc enim *respondere*, nunc *non respondere*, i. non subvenire, destituere, seu etiam neutraliter *destitutum esse*, *miserum*, *inopem*, &c. Psal. 116. *Credidi*, *ideo locutus sum*; *ego ope destitutus fui valde.* Zach. 10. *miseri effecti sunt*, *quia non erat pastor.* Infrà 25, &c, activè, Ruth. 1. & multis aliis locis. Hinc nomen de quo infrà num. 14. Hìc autem verbo *respondendi* non malè vertitur. ¶ *Erratum suum*, *ut Sodomitæ*, *annunciaverunt*] Publicè efflagitabant illi ut sibi traderentur juvenes quos domum Loth ingressos viderant, ut eis abuterentur. Quid autem sit *agnitio* seu *manifestatio vultùs respondit eis* explicat, *Væ animæ ipsorum*, &c. Non dubium quin נפש interdum pro ipsa *anima*, altera scilicet parte hominis, interdum pro toto composito usurpetur. Cæteras acceptiones aliis locis reservemus. Utroque autem modo hìc sumi potest, *Væ ipsis*, *ô miseros*, *quòd sibi ipsis auctores tot tantorúmque malorum fuerint.* Neque ab re erit si animarum perditionem defleat Propheta.

10. *Dicite justo*, &c.] Sensum reddidit Vulg. Et concisio illa non minimam emphasim habet. Cùm ergò de subversione illius gentis ageret Propheta, & illos suæ calamitatis sibi fuisse auctores significasset, noluit ut quisquam existimaret illa tantùm ad Judæos pertinere. Generale ergò documentum edicit, quod altà mente reponendum esse suà illà brevitate significat; q. d. *Discite*, *ô mortales*, *hoc exemplo*, *atque alieno periculo sapere. Hoc sentite*, *hoc prædicate*, *quòd justum esse sit bonum*, i. amabile, volupe, jucundum, utile & gratum: (nam hoc propriè טוב significat.) Quid enim jucundius quàm frui suis laboribus? Nam viri justi studia atque labores sancti sunt & pietate pleni. Justus enim ille est qui justa justè agit. Bonorum autem laborum gloriosus est fructus. Nónne vides gloriam æternam & animorum illam felicem jucunditatem hic, sicut aliis infinitis locis, *fructum* dici bonorum operum ac studiorum nostrorum, quæ proficiscuntur quidem ex nobis; sed non ità quasi ex nobis, sed potiùs ex Deo seu gratia Dei? Quis autem neget in radice arboris virtutem esse ad producendos fructus? aut secundùm virtutem, ità quoque & fructus produci? cùm Christus dicat in Euangelio Joannis, *Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum*: &, *Qui fert fructum*, *purgabit eum*, *ut fructum plùs afferat*: &, *Qui manet in me*, *hic fert fructum multum*, *quia sine me nihil potestis facere.* Non ergò audiendi qui opera nostra nihil aliud esse volunt quàm signa fidei. Neque mihi hoc loco confugiant ut *studia* & *manus* Fidem esse dicant, hoc enim desipere & ineptire est.

11. *Væ impio*] Particula *quòd* hic ex superiori versu repetenda est ad hunc modum, *Væ improbo*, *quod malum sit*, videlicet *improbum esse.* Opponitur autem רשע צדיק, sicut רע טוב, éstque a verbo quod propriè *improbe & seditiose agere contra Deum* significat. Vir quidam doctus רע hìc adjectivè accipit, רשע autem substantivè, in hunc modum, *Væ improbo malo.* Sed aptius mihi visum est ut hæc superioris versûs verbis respondeant. Vulgatus, quem ferè omnes sequuntur, *impium* reddere solet: ego ubique *improbum* dixi. Quæ autem superiore versu *studia* מעלליהם dixit, hìc ידים *manus*; improbi enim manibus suis sibi mortem & perditionem acquirunt. Malui quoque dicere *faciet sibi*, *reddet*, quàm *fiet ipsi*, ut hoc ipsum significarem, quòd scilicet sicut pii sibi *fructus* parant quos *comedant*, sic improbi sibi ipsi *vicem rependunt*, imò illis Deus fructum dat pro laboribus; at *Deus mortem non fecit.*

12. *Exactores*] De verbo נגש, à quo hoc nomen à vide, suprà ver. 5. *Exactores* autem vocat Principes, Magistratus, Pontifices atque Doctores, quòd non ut legitimi Magistratus, non ut sancti Pontifices & Prophetæ ad salutem populi munus suum obibant, sed veluti tyranni crudeléśque exactores, qui in suam utilitatem & privata commoda omnia corradant. Hos dicit esse מעולל, de qua voce non sibi constant Interpretes, non Latini modò, verùm etiam Hebræi. Et sunt qui putant esse à à verbo עלל, quod in secunda conjug. significat *injustè*, seu *injuriâ agere*, *defraudare*, *dehonestare*, *incommodare*, &c. Quod autem nos dicimus *facere racemationem*, i. collectionem racemorum qui à vindemiatoribus sunt præteriti, i. ultimos racemos in vinea succidere, id Hebræi hoc verbo secundæ conjugationis efferunt, q. d. defraudare contra legem à Deo datam pauperes, & egenos suo jure privare. Isti ergò sentiunt esse participium ab hoc verbo, & hunc habere sensum, *Populi mei exactores sunt racematores*, qui scilicet contra jus pauperi sua auferunt; spoliant populum usque ad ultimum quadrantem, per fas & nefas populi bona diripiunt. Quemadmodum enim paulò antè non עוללים sed מעלליהם dixit Propheta, ità etiam hic eodem verbo translato usus est, ut vehementer & graviter imposturas & avaritiam Magistratuum sui temporis perstringeret, qui etiam ultimos racemos pauperibus eriperent. Atque hunc propè sensum Vulg. secutus est. Possumus quoque dicere esse à verbo geminante secundam, עלל, esse autem participium secundæ conjug. quod formâ interdum convenit cum quiescentibus in media Vau, ut à verbo חנן, חונן *benignè agens* Prov. 14. & alia hujus generis; aut esse nomen participiale, & ejusdem esse significationis cum עולל, de quo suprà v. 4. Est ergò מעולל *puer*, vel *puerilis*, vel *puerilitas.* Augétque statûs illius miseriam, quòd puerilibus studiis dediti & ad nullas res serias tractandas apti essent, ac proinde non jam *rectores* & *Magistratus* sed potiùs *tyranni*, *exactores*, *populique expilatores* dici mererentur. Quos altero mox membro *mulieres* appellat, ut mores eorum muliebres modestè notaret atque ostenderet. Putóque idem hìc dici quod supra v. 4. repeti autem ut in ipsos Magistratus jam invehatur. Suprà quidem id non fecerat, digressus paululùm ad populi calamitatem describendam: at nunc ad Magistratus redit, quos feminis similiores quàm viris dicit, nimiùmque quæstui deditos. Erant ergò avari & voluptuarii, parúmque humani & misericordes, ut mox ostendit. Interim tamen ad populum sermonem convertit, nè, cùm tales habeant Magistratus, audiant illos qui vel in gratiam Principum, vel populi, vel potiùs quia ad rem suam tantùm attenti erant, non cessabant turpis lucri causâ ipsos laudare; quòd esset ille populus Dei peculiaris & quasi primogenitus, quòd soli Deum verè agnoscerent & colerent, ac proinde nihil sibi timendum esse: nec enim posse fieri ut Deus pro sua infinita justitia & bonitate unquam abjiceret populum suum dilectum atque electum ex omnibus, atque fidelem, &c. *Mi popule*, hujusmodi homines, quicunque illi sint, & quocunque nomine, vel *Pharisæorum*, vel *Prophetarum*, insignes, *te*, *dum sic laudant*, *seducunt*; vel potiùs, *dum te sic laudabant*, *seducebant*; *viámque*, *quia eundum tibi erat*, *præcipitabant*, *absorbebant*, nè appareret *semita*: auferebant clavem scientiæ, pro præceptis Dei ingerebant somnia sua ad quæstum composita. Hic locus nos monet nè populus sibi unquam placeat, nec sibi multa & magna de Divina bonitate, quæ est infinita, polliceatur, etiamsi id affirment viri graves & docti, si Principes habeat quales hìc depingit Propheta: imo id pro evidenti iræ Dei signo habeat. Ob peccata enim populi permittit Deus tales eos habere dominos. Scio quidem nonnullos hìc & cap. 9. מאשרים non pro *laudatoribus* aut *beatos prædicantibus* sed pro *rectoribus* seu *directoribus* accipere; neque absque ratione: nam verbum propriè significat *recto pede incedere*, *rectà ingredi*, *dirigere gressum.* Sed interpretatio superior magis placet: de hoc tamen infrà cap. 9. nonnihil dicendum erit: est enim similis huic locus; sed jam in ipsos Magistratus invehitur.

13. *Stat ad judicandum*, &c.] Hæc subita sermonis conversio indignitatem rei ostendit; q. d. Hæc quæ commemoro, nequit fieri ut diutiùs Deus Opt. Max. toleret: video illum jam jam accelerare judicium, &c. Quare ut sensus esset planior, ad verbum dixi, *Stat ad litigandum*, *venit in judicium cum senioribus*, &c.

14. *Cum senibus*] זקנים plerumque in Scriptura sunt *Consiliarii in aulis Regum*; at in civitatibus sive regionibus sive populo, ipsi *Magistratus*, qui prudentia & consiliis Resp. gubernant. Et in statu regiminis & affixorum semper hoc nomen de illis dicitur *qui alios antecedunt dignitate & sunt in magistratu.* Cùm dixisset *Dominum populos judicare* velle, mox ad eos qui in populo Principes sunt sermonem convertit, quòd ab ipsis pendeat res ferè tota. ¶ Emphasin habet tam conjunctio quàm pronomen, *& vos.* Hoccine est quod à vobis præstari debebat? ut scilicet *depasceremini vineam*? Nónne hoc brutorum est? *Qui plantat vineam*, *de fructu ejus comedat*: idem faciat qui custodit, idem colonus: at nónne vobis tradidit Deus vineam custodiendam, fodiendam? quid aliud est *Principem esse populi*, aut *Seniores*? Hoc profectò est quod in Euangelio dicebant, *Nostra erit hereditas*, nostra in omnes usus, ut evellamus, eradicemus, depascamur, & quod libuerit in ea faciamus. Quid autem sit *depasci vineam* mox aperit, *Rapinâ oppressi*, &c. Malui verò cum Vulgata dicere *depasti estis* quàm *succendistis.* Nam etsi בער in secunda conj. propriè *succendere* sign.

ſign. ſeu *accendere*, transfertur tamen etiam ad alia, & ſign. *depaſcere*; ut Exo. 22. *emiſerit pecus*, *ut depaſcat agrum alterius*, &c. עני verò quod Vulg. nunc *pauperem*, nunc *humilem* vertit, proprie eſt *oppreſſus*, *humiliatus*, *afflictus*; indè dictus, ut ego quidem ſentio, quia nemo ei reſpondet re ipſâ & facto, i. opem non fert, vel non ſubvenit, quantumvis clamanti aut conquerenti; à verbo ענה, quod contrarias habere ſignificationes diximus ſuprà v. 9. & infrà 25.

15. *Quare*] Heb. מלכם pro מה לכם *quid vobis*, ſicut מזה pro מה זה Exo. 4. *quid eſt*, &c. *Quid vobis*, inquit, *eſt quòd contunditis*, &c. *Depaſcitis vineam* dixi, quia & fructus aufertis & vites arroditis. *Vinea*, *populus meus* eſt: *pauperum bona in domibus veſtris* ſunt: ecce ablatos fructus. *Contunditis* ipſos, & *facies* eorum pugnis & alapis *commolitis* ſeu *attenuatis*, i. omne genus injuriis afficitis: annon hoc eſt *vineam* brutorum more *depaſcere*? *Quid vobis?* quæ eſt hæc inhumanitas? Nam rapere bona fuerit avaritiæ atque cupiditatis, ad quam naturâ ipſâ poſt lapſum propenſi ſumus; at pugnis *facies oppreſſorum* & pauperum *contundere*, humanitatem prorſus exuiſſe eſt. Quod autem ſequitur, *certus ſermo*, &c. licèt ad præcedentia referri poſſit, ego tamen præfatiunculam dicendorum eſſe exiſtimo, de qua loquendi forma vide ſuprà 1. 24.

16. *Filiæ Sion*] Non dubito quin intelligat hîc eas feminas quas paulò antè *dominari in populum* dixerat, Principes ſcilicet & Magiſtratus, more feminarum, deliciis deditos. Sunt autem hæc omnia figuratè accipienda, neque opus fuerit ſingula interpretari: ſed omnibus illis nominibus quæ ad mundum muliebrem pertinent, effeminatos animos atque mores deſignat. Quòd ſi quis dixerit, ſuprà quoque de ipſis feminis debere intelligi quòd auctoritatem habuerint in viros, quaſi taxaret quòd uxorii eſſent & ipſis parêrent, dicat hæc quoque ad ipſas feminas pertinere. Cæterùm cùm hîc ſint multæ voces quarum rarus eſt in Scripturis uſus, earum proprias ſignificationes etymologiis indagare volui, nè quid ſtudioſo lectori deeſſet; præſertim cùm nihil non ſit in S. Scripturis magnifaciendum. ¶ *Collo*] Hebraicè *guttur* dicitur גרון ab *attrahendo*, ſcilicet ſpiritum: nam verbum גרה *trahere* ſeu *attrahere* ſignificat. Verbum autem טפף, quod hic in infinitivo legitur, neque alibi in Bibliis invenitur, Chaldæus (ad quem in ſimilibus difficultatibus recurrendum eſt) ſic vertit, *cum applauſu ſuo ambulabant:* atque in hoc convenit inter Interpretes, quòd *geſtum* ſignificet *corporis mulierum feſtivè incedentium*. Videturque affinitatem habere cum verbo תפף, quod *pulſare*, i. plaudere, ſign. & videtur ſatis commodè redditum verbo *plaudendi*, quod fit pedum ſeu (quod magis probo) longioris veſtitûs in terram feſtivâ, eleganti & blandâ ſupploſione. Vel eſt ſermo de ſonitu quem excitant veſtes pretioſæ ex ſerico: Unde nos *Taphetath*, à ſono. Et congruit vox Hebræa cum ſono *taphtoph*. ¶ *Compoſito gradu incedebant*] De voce תעכסנה magna eſt ſententiarum varietas, ut ſolet eſſe de vocibus quæ tantùm ſemel aut rarò in Scripturis reperiuntur. Et mihi probabile eſt quod vir doctus quidam annotatum reliquit. Quòd nomen עכס *compedem* ſeu *vinculum* ſignificet; ut Prov. 7. manifeſtum eſt à verbo כעס, (factâ literarum tranſpoſitione; quæ non infrequens eſt Hebræis) quòd moleſtiam afferat: & in plurali עכסים *compedes*. Unde à ſimilitudine, vel ab eo quòd animos videntium irretiebant, i. valde alliciebant, ornatus quidam mulierum ſic dictus eſt: Erant enim illecebræ & irritamenta libidinis. Unde infra, *in die illo auferet Dominus ornatum compedum*, in calceamentis ſcilicet, &c. Hinc verbum ſecundæ conjug. quo Jeſaias hoc loco utitur, quod eſt *ornare pedes ejuſmodi corrigiis*, ſeu *laqueolis*. Neque Chaldæus multùm ab hac ſententia diſtat, nec etiam Vulg. interpres. Hîc quoque notes velim quòd affixum hoc loco ſit maſculinum, *in pedibus eorum*; ut videas interpretationem illam eſſe ſolidam quâ dicebam hæc ad viros effeminatos pertinere.

17. *Decalvabit*, &c.] Dicere poſſumus *humiliabit*, i. deprimet, cum Chaldæo. Ab hoc enim verbo ספח deducitur nomen Hebræis frequens שפחה, quod *ancillam* ſeu *famulam* ſignificat. Et rectè opponitur pœna culpæ: *erectâ* enim *cervice & extento gutture incedebant*. קדקד omnes *verticem capitis* dicunt, à verbo קדד quod *inclinare* ſignificat: eſt autem poſterior pars capitis interdum tamen pro toto capitur. ¶ *Crinem*] Non etiam ſibi conſtant Interpretes in voce פת: eſt autem Chald. *angulus*; vel pro *corymbis capillorum* accipitur. *Denudandam* itaque puto notari *eam partem capitis quæ in frontem deſinit*, & *detondendos eos capillos qui ſupra frontem ſunt*, quorum magna eſt cura feminis: eſtque ſumma ignominia ipſis nudari.

18. *Calceamentorum*] Vide ſuprà v. 16. עכסים Heb. is genus eſt ornamenti habens appellationem à *circulatione* vel *circumitione*: *rotulas* dicere poſſumus, ſeu *circulos*. Vulg. *lunas* dixit. שהרנים quoque ſunt *bullæ in modum Lunæ rotundæ*, quæ adhibebantur ornatûs causâ: Et quidem סהרא Chaldæis *Luna* dicitur à *rotunditate*, & סהר *rotunditas* eſt Hebræis, Cant 7. Poſſumus autem hæc nomina in accuſativo aut in genitivo vertere. Vulg. *torques* vertit.

19. *Monilia*] A verbo נטף, quod propriè eſt *guttavit* ſeu *ſtillavit*; eſt nomen נטף, i. *gutta*, ſcilicet *balſami*. Indè נטפות *ornamenta*, & *vaſcula aurea quibus continebatur gutta*, q. d. *guttatoria*, *ſtillatoria*. Legitúrque tantùm Jud. 8. & hîc. ¶ *Armillas*] שרה nodus ille eſt concatenatus qui in medio ventris conſpicitur, quem *umbilicum* dicunt: שרות verò ſunt *catenulæ*. ¶ *Mitras*] רעל eſt *tremor*, ut Zach. 12. Pluraliter autem ſignificat ornamentum mulierum, à *tremore* dictum. Vulg. *mitras* dixit.

20. *Diſcriminalia*] Vulg. nomen Hebræum, quod *ornatum* in genere notat, pro peculiari aliquo ornamento accepit. Quas verò *periſcelides* dixit, Hebræi צעדים appellant, à verbo צעד, quod *incedere cum pompa* ſign. ab eo enim fit nomen צעדה, quod *motum*, *commotionem*, *agitationem* ſign. in plurali autem ſumitur pro *ornamento crurium*, ſeu *circumferentia in parte inferiore veſtis circa crura*. LXX περισκέλια, i. *clavatas veſtes ex purpureis fimbriis factas*, reddiderunt. Rectiùs Hieron. Græcâ etiam voce περισκελίδας appellavit. At à verbo קשר eſt nomen plurale קשרים, i. *tæniæ ſtrictiores*, quibus virgines ſeſe ornant. ¶ *Domos animæ* ſeu *fragrantiæ* vocat Hebraiſmus capſulas ſuaviter ſpirantes, in quibus bene ſpirantia incluſa erant. Solent autem nobiles & delicatæ mulieres inter ornamenta habere quædam minutula vaſcula aurea, quæ ſecum deferunt inter ubera pendentia, quæ odoriferis rebus implentur. Rectè Vulg. *olfactoriola*. Fortè non tam eſt genus ornamenti quàm quibus inter ornandum ſe utuntur. ¶ *Inaures*] V. 3. dixi de ſingulari hujus nominis, ſcilicet לחש, quòd *incantationem* ſeu *oratoriam* ſignificaret; at hîc in plurali *aurium ornamenta* notat, quo ſignificare voluerunt oratoriam ad aures permulcendas accommodatam eſſe; vel quòd mulieres illis contra imprecationum ac incantationum præſtigia aures præmunierint, deinde etiam ornarint.

21. *Annuli* dicuntur Hebræis טבעות, quòd in illos immergatur res aliqua. ¶ *Gemmas in fronte pendentes*] Nomen נזם, quod *monile* interpretamur, puto cum præceptore meo à זמן deductum, factâ duarum priorum literarum tranſpoſitione, & additâ literâ Mem. Et generaliter ſignificat ornamentum quod publicè vel in fronte vel in naribus vel in auribus proſtituitur causâ quærendæ ſibi bonæ gratiæ.

22. *Mutatoria*] A verbo חלץ, quod *detrahere* ſeu *extrahere* ſign. fit nomen מחלצות, i. *veſtes extractæ & pretioſæ*, ſeu *feſtivæ*, & *delectæ à communi & vulgari uſu*, ut ſunt Latinis *paludamenta*, Zach. 3. ¶ *Palliola*] Ab *operiendo* dicuntur Hebræis, q. d. *opercula*. ¶ *Linteamina*] Nomine טפח, i. *palma*, fit verbum טפח *palmâ planavit*, *explanavit*, *diſtendit*, &c. hinc nomen מטפחות *linteamen* ſeu *velamen*, *velum explanatum & extenſum*, quo mulieres caput velant & ornant: *peplum* dicitur Latinis. ¶ *Acus*] חרט *ſtylus* eſt Hebræis, cujus hic plurale: quod quale ornamentum fuerit, ignoramus. Fortè pro inſtrumentis illis accipitur quibus mulieres utuntur ad diſcriminandos, concinnandos vel etiam criſpandos crines, quæ *calamiſtros* vocant Latini.

23. *Specula*] Heb. גליונים, à verbo quod (ni fallor) *apparere*, & contrariâ ſignificatione *diſparere*, ſign. גלה juxta variam conſtructionem. Ab utravis ſignificatione congruit derivatio nominis *ſpeculi*. ¶ Nomen autem *ſindon* à voce Hebræa petitum apparet, SEDINIM. ¶ At *cidaris* ſeu *tiara* pileolum erat rotundum, non acuminatum, quo Reges, Sacerdotes & Judices ſunt uſi & inſigniti in capite: cujuſmodi & mulieres interdum utuntur. *Vittas* dixit Vulgatus. ¶ *Velamina*] Vel *theriſtra*. רדידים Hebræis eſt à verbo רדד, quod *actionem ſuperioris in inferiorem rem aut perſonam* ſignificat. *Velamen* ergò Hebræis, quo mulieres utebantur in ſignum quòd ſubjectæ eſſent viris, ſic dicebatur: Unde intelligere poteris quare Paulus 1 Cor. 11. velamen ἐξουσίαν appellarit: quam vocem omnes per *velamen* reddiderunt; at rationem plurimi ignorant. Per Antiphraſin ergò ſignum ſubjectionis *poteſtatem* vocabant. Cùm autem, ut dixi, ſermo hîc ſit de viris effeminatis potiùs quàm de ipſis feminis, aptè & feſtivè inter muliebria ornamenta *cidarim* & *poteſtatem* in fine nominavit.

24. *Pro ſuavi odore*] Seu *pro odoramentis*. בשם *odor pretioſus* eſt Hebræis, Græcis ἄρωμα, Chald. בוסמא; item *ſpecies odorifera & pretioſa*, *ſatione & curâ hominum in hor-*

tis

tis crescens, cujus usus vel per se simpliciter, vel in cibis condiendis, vel medicaminibus gratus & salutaris est. ¶ *Fator*] פקק verbum, quod tantùm in passiva legitur, propriè sign. *tabescere* seu *contabescere*, atque per Metalepsin *fœtere*, *fœtidum fieri*; quòd illa quæ corrumpuntur fiant tandem fœtida. Hinc nomen מק *fœtor*, seu *putredo fœtida*. ¶ *Pro zona*] Heb. חגורה propriè est *balteus* vel *cingulum*, quo donabantur vel qui idonei essent ad bella gerenda, vel præclara in bello gesserant facinora, 2 Sam. 18. Ego tamen malim hîc accipere simpliciter pro *cinctura*, ut opponitur *scissura* illi quæ in luctu erat familiaris Judæis. ¶ *Pro crispante crine*] Vel *pro crispitudine*, seu *factura crispitiei*. Paulò superiùs dixi esse quædam instrumenta stylo similia quibus in crispandis crinibus utuntur feminæ. De hac ergò crispitudine facta curâ & diligentiâ ad venustatem est sermo, & eam *calvitio* pensandam dicit. Differt autem קרחה *calvitium* à קרחת *calvitie*, quòd hoc de calvitie naturali vel fortuita dicitur, ut ex morbo, &c. at illud de calvitio facto manu vel forcipe, &c. quod erat indicium & signum luctûs. ¶ *Fascia pectorali*] Vox Hebræa פתיגיל quid propriè significet incertum est, neque alibi quàm hoc loco legitur. Kimhi in libro Kad. sentit esse *genus vestis quâ usa sunt matronæ supernè ad decorem*: & tamen hoc loco *cingulum* esse scribit *subtile ex serico*. Alii aliud. Hieron. *fasciam pectoralem* dicit. Ego, si divinare liceret, dicerem ex פתיל esse factum, quod *fasciam* sign. *ex multiplicibus filis contextam*: quæ Latinis vocatur *latus clavus*, ut contrarium sit *cincturæ sacci*, i. vili alicui cingulo seu cinctorio. Jactatur enim proverbiali formâ *cinctorium sacci*. Vel est dictio composita ex nomine prædicto & ex verbo duplicato גילגל, quod *volvere* sig. q. *circumvolvens fascia*, ut optimè redditum sit ab Hieronymo *fasciâ pectorali*, quam Latini *strophium* dicunt. Hanc enim virgines non semel ad ubera circumvolvunt ac circumcingunt, quæ est ex delicata materia, lino vel serico, opponiturque *cilicio*. ¶ *Pulcerrimi viri*] Duas voces כי תחת non videtur exemplar Hieronymi habuisse, neque distinctiones quibus nunc in Bibliis utimur: nam nomen יפי, quæ est ultima vox versûs 24. Hieronymus cum versu sequenti conjunxit, *Pulcerrimi viri tui*, &c. eas tamen si legamus ut omnia exemplaria habent, rectè vertas, *ustio pro formositate*: nam כי potest esse à verbo כוה, quod *adurere* significat.

25. *Viri tui*] Sicut Latini à conditione sua homines vocant *mortales*, ità Hebræi eâdem ratione vocant מתים; nisi quòd Hebræis (quantum ex S. literis deprehenditur) paulò arctiùs hoc vocabulo utuntur pro *viris* seu *hominibus* seu *mortalibus ejusdem familiæ*, *tribus*, *sortis*, *societatis*, seu *civitatis & reip.* ¶ *Et fortes tui*] Hebræis est nomen in abstracto, quod *potentiam* seu *præpotentiam* dicere possumus. Sed rectè Vulg. vertit, i. *qui in te aliis prævalent*, seu *viri fortes*, & bello rebúsque aliis gerendis apti. Verbum enim גבר est *prævaluit*, *superior fuit*, &c. Quòd si tollas distinctionem, hunc sensum habere possunt hæc verba, *Induemini sacco, & scindetis indumenta vestra præ luctu*, &c. *quia pro venustate* (vel *propter venustatem*, cui scilicet tantopere studebatis ut viris placeretis & gratiam eorum aucuparemini) *ipsi viri tui cadent gladio, & prævalidi tui in bello.* O Tcion, ità occisis viris, quid erit ab hoste feminis exspectandum? quis erit civitatis status? quæ forma? *Portæ civitatis*, propugnacula, loca publica, in quibus solebant esse hominum concursus, videbuntur *lugere*: & ipsa Tcion, totáque civitas, veluti matrona orbata liberis, *mœrore confecta*, *humi sedebit*. Et quidem si de mulieribus ipsis intelliguntur quæ præcesserunt, quæ in viros auctoritatem usurpabant, &c. ut suprà jam dixi, non erit interpretatio hæc contemnenda. Quòd si de viris (quod magis probo) fiat sermo, illud כי non tam rationis quàm continuationis, & quasi expositiva particula fuerit, ut solet sæpe, in hunc modum, Hæc quæ commemoravi adversùs viros, adversùs nobiles & magistratus tuos, ô Tcion, luxui & diliciis deditos sub feminarum nomine, non aliter accipias quàm quòd pro venustate illa formæ, vel propter ipsam formæ elegantiam, cui tantopere deditì ac devincti sunt, ut similiores sint feminis quàm viris; propter hoc, inquam, illi ipsi *viri tui gladio cadent.* Nihil enim magis horrent effeminati animi quàm mortem gladii: & nobiles illi *tui principes ac duces*, qui cùm deberent alios virtute antecellere, formæ venustate aliis tantùm præstant, *in prælio corruent*: *in luctu* itaque *civibus viduata deges.* Et hunc sensum lectio Vulg. admittit. Nam quamvis non sit insolita formatio Hebræis ut כי à כוה derivetur & *adustionem* significet, nullibi tamen in tota Scriptura in hac significatione nisi hoc loco invenitur. Ego certè, si pro *adustione* non acciperem, postremam, quam attuli, expositionem libenter amplecterer.

D R U S I U S.

1. מַשְׁעֵן וּמַשְׁעֵנָה. Aq. ἔρεισμα καὶ ἐρεισμόν, *fulcimen & fulcimentum.* Sym. στήριγμα καὶ στηριγμόν *stabilimentum & stabilitas*] In Symbolis sive Centonibus Patrum, Eusebii Episcopi, *Aq. sustentaculum & sustentationem*: *Sym. firmamentum & firmitatem*: ex libro MS. Vide Procop.

2. גִּבּוֹר. Alius ἰσχύοντα *validum.* Lxx γίγαντα καὶ ἰσχύοντα] Mihi non dubium quin hoc posterius redundet ex alia versione huc translatum. Aliter Hier. quod declarant hæc ipsius verba, *Pro Forti, quod solum est in Ebræo, duo simul Lxx transtulerunt, Gigantem & Fortem, eundem volentes gigantem esse quem fortem.* Non recedo à mea sententia. ¶ קֹסֵם. Omnes *divinum*] Hier. *Quærimus juxta Ebraicum quomodo interpretemur Hariolum; quem omnes interpretati sunt Divinum, exceptis Lxx, qui pro hoc Conjectorem transtulerunt. Et dicendum quòd sæpe etiam per hariolos futura dicantur, sicut in Balaam divino legimus*, &c.

3. חֲכַם חֲרָשִׁים. Aq. *sapientissimum artificum*] Hier. *Aquila transtulit SAPIENTISSIMUM ARTIFICUM, ut ostenderet eos quondam plures habuisse artifices* ¶ נְבוֹן לָחַשׁ. Aq. *prudentem susurratorem.* Sym. *prudentem eloquii mystici.* Th. *prudentem incantatorem*] Hier. in Comm. *Symmachus PRUDENTEM ELOQUII MYSTICI quem & nos in hoc loco secuti sumus.*

4. תַּעֲלוּלִים. Th. ἐμπαῖκται *illusores.* Aq. ἐναλλάκται, *qui se mutent & turpitudinis exerceant vices.*

6. הַמַּכְשֵׁלָה. Sym. Th. *infirmitas*] Ἀσθένεια. Sanè נכשל interpretatione Græcâ, ἀσθενής, *debilis*, *infirmus*, *imbecillis.* Sic etiam Jonathan exponit. Sed & R. David homo Ebræus.

7. חֹבֵשׁ. Sym. & Lxx ἀρχηγὸς *princeps.* Th. ἐπιδεσμεύων *obligans*] *qui liget vulnera & provideat sanitati*, Hier.

8. לְשׁוֹנָם וּמַעַלְלֵיהֶם. Aq. αἱ γλῶσσαι αὐτῶν καὶ τὰ ἐπιτηδεύματα αὐτῶν, *lingua ipsorum & studia ipsorum.* In Centonibus memoratis ex Eusebio Episcopo adduntur מעלליהם. *Aq. studia eorum.* ¶ אֶל־יְהוָה לַמְרוֹת עֵנֵי כְבוֹדוֹ. Sym. κατὰ τοῦ Κυρίου γέγονεν εἰς τὸ παραπικρᾶναι αὐτόν, *contra Dominum fuit ad provocandum eum*] In Centone Eusebii Episcopi, *Sym. ad irritandum indignationem ejus.* Locus vitii suspectus.

12. נָשִׁים. Sym. *mulieres.* Aq. ἀπαιτοῦντας *exactores.* Th. δανειστὰς *fœneratores*] *Mulieres.* q. d. *Non viri, sed mulieres*: quo nomine significantur viri effeminati. Quale illud,

O verè Phrygiæ, neque enim Phryges. ——

&,

—— Ἀχαιΐδες, οὐκ ἔτ' Ἀχαιοί.

Vide nunc Proverbia mea. ¶ *Exactores.* נגשים. Psal. 109. 11. נושה. Hier. *exactor.* Gallica ed. postrema *le creancier usant d'exaction.* Lxx δανειστής. Santes & Trem. *fœnerator.*

18. וְהַשַּׂהֲרֹנִים. Alius μανιακὰς, *& collaria*, sive *armillas*] Vel *torques*: μανιάκας enim *torques à collo dependens*, unde *collare* vocatur. Est ubi reperiatur μανιάκας cùm accentu in penultima. Origo nominis, ut apparet, ex Chaldæo מניכא, quo *torquem* significant, vel, ut alii volunt, *armillam*, quod est ornamentum manuum. Sunt qui ornamentum brachiorum esse tradant. In Centone Eusebiano, *Etiam torques. Idem pro Armillis, quod paulò pòst, dixit Pensilia.* Cæterùm οἱ ὁ hîc ediderunt μηνίσκους, ut Lat. interpres qui à vulgo nomen habet *lunulas.* Sic Jud. 8. 21. שהרנים iidem μηνίσκους *lunulas.* Quâ voce usus est Plautus Epidico,

Lunulam atque anellum aureolum in digitum.

exponunt *lapillum sive gemmam rotundam instar Lunæ.* Alii, μηνίσκοι sunt *monilia ad Lunæ similitudinem in rotundum formata.* Contextus postea ענקות, i. *torques*, appellat, videlicet, Judic. 8. 26.

19. וְנְּטִיפוֹת. Alius χαλαστὰ *catenas*] ¶ Siquid video in his rebus, μανιακὰς potiùs respondet τῷ נטיפות, i. *torques* aut *monilia*, sic dicta quòd in pectus à collo stillarent. Appellatio à *stillando*, ut *stalagmia* & σταλαγμὸς dicimus gemmas oblongas aurium lobis appendentes, à guttæ, quæ σταλαγμὸς dicitur, similitudine. Sanè χαλαστὰ, cùm *catenas* denotet, potiùs interpretamentum est vocis proximè sequentis, שרות: unde & σειρὰ, ἡ ἅλυσις, i. *catena*, quæ & σειράς. Obvia hæc dictio 2 Par. 3. ἔγλυψεν ἐπ' αὐτοῦ φοίνικας καὶ χαλαστά. Ubi Complutensis ed. ἁλύσεις habet, ut & paulò pòst ἁλύσεων pro eo quod in aliis est χαλαστῶν i. *catenarum.*

22. הַמַּעֲטָפוֹת. Sym. ἀναβόλαια *pallia*, sive *amictus*] Hier. *Mutatoria autem & pallia, quæ significantiùs Symmachus transtulit*

tulit ἀναβόλαια, ornamenta sunt vestium mulierbrium, quibus humeri & pectora proteguntur.

24. פְּתִיגִיל. Aq. *cingulum exsultationis.* Sym. *fascia pectoralis.* Th. φετιγίλ] Hier. *Pro FASCIA PECTORALI, quam interpretatus est Symmachus, Lxx TUNICAM μεσοπόρφυρον, i. CLAVATAM PURPURAM, transtulerunt, quod Aquila CINGULUM EXSULTATIONIS expressit. Theodotio ipsum verbum Ebraicum posuit, quod genus ornamenti muliebris est.* ¶ *Cingulum exsultationis.* גיל ἀγαλλίασις.

IDEM EX PROCOPIO.

2. גִּבּוֹר. Aq. δυνατὸν *potentem.* Sym. ἄνδρειον [aliàs ἀνδρεῖον] *virilem.* Th. δυνάστην *dynastam*] Ἀνδρεῖον. i. ἀνδρεῖον, ut σύπιον dicimus & συπεῖον, *stupa.* Sic ἀνδρία & ἀνδρεία. גבר ἀνὴρ, indè גבור ἀνδρεῖος vel ἀνδρικός. Sunt qui scribant ἀνδρεῖον. sed hoc aliud significat. Fortè mendum est pro ἀνδρεῖον, quod extat in Commentario. ¶ Δυνάστην. Sic interpretantur οἱ ὁ Amos 2. 16. Nam ver. 14 reddunt μαχητὴς, & Jes. 10. 21. ἰσχύων. Hîc est γίγας ϗ ἰσχύων. Sunt qui hoc nomine propriè significari putant eum quem Græci μάχιμον vocant; quales erant quos Ægyptii Καλασίριες & Ἑρμοτύβιες appellabant, de quibus Herodotus lib. 2. pag. 98.

3. וּנְבוֹן לָחַשׁ. Aq. ϗ συνετὸν ψιθυρισμῷ. Sym. ὁμιλίᾳ μυστικῇ. Th. ἐπῳδῇ] Symmachum secutus est Hier. nam vertit, *prudentem eloquii mystici:* ψιθυρισμὸς autem est *susurratio*, & ἐπῳδὴ *incantatio*, *incantamentum.* Psal. 58. 5. מלחשים. Aq. Th. ἐπᾳδόντων. Sym. ψιθυριζόντων. Hier. *murmurantium.* Cohel. 10. 11. לחש. Aq. ἐπῳδή. Sym. ἐπαοιδὸς *incantator*, i. לחש.

8. מַעַלְלֵיהֶם. Aq. τὰ ἐπιτηδεύματα αὐτῶν *studia ipsorum.* ¶ לַמְרוֹת. Sym. εἰς τὸ παραπικρᾶναι αὐτὸν *ut provocarent eum*] Pronomen αὐτὸν non est in Ebræo.

9. הִגִּידוּ. Aq. Sym. Th. ἀπήγγειλαν] Similiter οἱ ό. Quanquam in ed. vulgata ἀνήγγειλαν.

15. [illegible] צְבָאוֹת. Aq. φησὶ Κύριος, Κύριος τῶν στρατιῶν, *ait Dominus, DOMINUS copiarum.* Sym. T. λέγει Κύριος τῶν δυνάμεων, *dicit DOMINUS exercituum.*

17. יְעָרֶה. Lxx ἀνακαλύψει] In vulgata est ἀποκαλύψει *reteget.*

18. הַשְּׁבִיסִים Aq. τελαμῶνας *fascias.* ¶ הַשַּׂהֲרֹנִים. Sym. μανιακὰς

19. הַנְּטִפוֹת. Th. τὰ καθέματα *monilia.* Aq. κρεκυφάντες. Sym. χαλασά] Hier. Ezec. 16. scribit κάθεμα esse *ex variis gemmis in pectus mulierum monile descendens.* *Torquem* tamen ibidem interpretatur, juxta Aquilæ secundam edit. & Symmachum. Κρεκύφαντος autem est *peplus* seu *velum ex trama textum.* ¶ Χαλασά. Vide Fragmenta. Ibidem pro eo quod in Græca vulgata ϗ τὰς χλιδῶνας *& armillas*, ex Theodotione notatum τὰ βραχιάλια, τὰ ἐγκομβώματα. Sunt autem βραχιάλια *brachialia*, & ἐγκομβώματα *manuum vincula:* item vestimenti genus quoddam ἐγκόμβωμα dicitur. Lex. Vet. Βραχιάλιον *veriola.* Id exstat 2 Sam. 1. 10. in Aquila, ubi Lxx χλιδῶνα ediderunt. Cæterùm in fonte est אצעדה *armilla.* Fortè ei respondet ver. 20. הצעדות, & sequenti הקשרים τὰ ἐγκομβώματα.

23. Ubi Lxx θέριστρα κατάκλιτα, Sym. habet σπαθάρικα *spatharica*] Hoc quid sit aliis quærendum relinquo. Fortè σπαθάλιον, i. muliebre ornamentum quod brachio inserebant armillæ sive brachialis loco. Sed aliud videtur.

25. מְתַיִךְ בַּחֶרֶב יִפֹּלוּ. οἱ ἄνδρες σου ἐν μαχαίρᾳ πεσοῦνται, *viri tui gladio cadent*] Sed vide sis Procopium: nam corruptus videtur hoc in loco.

GROTIUS.

1. A*Uferet à Jerusalem & Juda validum & fortem*] Describit tempora illa de quibus agitur 2 Reg. 24. & 25.

2. *Ariolum*] Bonam in partem hîc sumitur, pro *sagace.*

4. *Et effeminati dominabuntur eis*] Pro Hebræo *parvuli.* Videntur autem *puerorum* & *parvulorum* nomine intelligi Reges nullius consilii, qualis Joakin, Joachim, Sedecias. Sic & infrà *mulierum* nomine intelligendi videntur viri muliebris animi.

5. *Tumultuabitur puer contra senem*] Egregia ἀναρχίας [*dissoluti imperii*] scriptio.

7. *Non sum medicus*] Non habeo unde inopiæ vestræ subveniam.

9. *Peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt*] Perfrictam frontem designat.

17. *Decalvabit Dominus verticem filiarum Sion*] Quod servis fieri solebat. ¶ *Et Dominus crinem earum nudabit*] Rectiùs *nates.* Nam vox פת θύρωμα [*ostium*] vertitur, & per similitudinem sic appellatur Podex. Solebat id feminis ignominiæ causâ fieri. Vide infrà 20. 4.

18. *Ornamentum calceamentorum*] Græci: τὴν δόξαν τοῦ ἱματισμοῦ αὐτῶν [*gloriam vestitus ipsorum*]. Sed עכס, ut docent nos Hebræi, erant *crepitacula in pedibus mulierum, quibus inter saltandum utebantur.* Sequitur in Hebræo השביסים quæ sunt *vittæ ocellatæ*, ἐμπλόκια Græcis: pro quibus *lunulas* noster posuit. Sunt monilia de collo pendentia, Lunulæ in modum.

19. *Et torques*] Sic & Thargum. Intelligunt autem lineam ex unionibus quâ collum cingebatur. ¶ *Et monilia*] Hic in Hebræo est *& armillas.* ¶ *Et armillas*] Quod hîc in Hebræo est magis significat *velamina*, quibus mulierum facies, præter oculos, obtegitur.

20. *Et discriminalia*] In Hebræo potiùs est *mitellas.* ¶ *Et periscelidas*] Quæ *genualia* Ovidio. ¶ *Et murenulas*] *Catenas contextas ex auro in virgulas sentescente, flexuoso ordine.* Ità hanc vocem interpretatur Hieronymus ad Marcellam. ¶ *Et olfactoriola*] i. Pyxides odoriferas. Heb. בתי הנפש [*domunculas halitûs.*] ¶ *Et inaures*] Nomen Hebræum ab *incantando* est. Causam videbis ad Gen. 35. 4.

21. *Et annulos*] In digitis. ¶ *Et gemmas in fronte pendentes*] Heb. *circulos narium.* Id unâ voce etiam נזם dici solet, ut Prov. 11. 22. Ezech. 16. 12.

22. *Et mutatoria*] Εἵματά τ' ἐξημοιβά - [*Vestésque alternas*] Homero. Vide quæ ad Matth. 10. 10. ¶ *Et palliola*] Vox Hebræa המעטפות *operimenta* significat. Videntur intelligi peristromata lectorum. ὁλοπόρφυρα & μεσοπόρφυρα ea fuisse, i. *purpurâ circumtexi* aut *intertexi solita*, colligimus ex Græca hîc interpretatione. ¶ *Et linteamina*] המטפחות. Ex loco Ruth. 3. 15. apparet esse περιζώματα, *succinctus* illos subter pectus quibus mulieres domi solent uti. Itaque Lxx non malè hîc vertunt τὰ ἐπιβλήματα τὰ κατὰ τὴν οἰκίαν. [*injectus domesticos*]. ¶ *Et acus*] חריטים esse *crumenas* sive *folles* apparet 2 Reg. 5. 23. ubi Græci ἐν θυλακίοις [*in sacculis*] verterunt. Solent feminæ habere crumenulas quasdam de sinu pendentes.

23. *Et specula*] Consilium formæ. τὰ διαφανῆ Λακωνικὰ [*Laconica perspicua*] apud Lxx. ¶ *Et sindones*] Vide quæ ad Mat. 27. 59. ¶ *Et vittas*] Vox Hebræa *involucra* significat, circum frontem, ut videtur. Miror Græcos hoc tot verbis exprimere, τὰ ὑακίνθινα, ϗ κόκκινα, ϗ τὴν βύσσον σὺν χρυσῷ ϗ ὑακίνθῳ συγκαθυφασμένα. [*hyacinthina, & coccina, & byssum cum auro & hyacintho contexta*]. ¶ *Et theristra*] Nempe, θέριστρα κατάκλιτα, id est, *stragulas æstivas*, ut hîc habent Græci. Cùm hunc censum mundi & ornatûs muliebris apud Judæos lego, in mentem venit loci ad feminas Romanas pertinentis, & quidem temporibus non corruptis adeo, belli scilicet Punici secundi, in Plauti Aulularia,

> *Stat fullo, phrygio, aurifex, lanarius,*
> *Caupones, patagiarii, indusiarii,*
> *Flammearii, violarii, carinarii,*
> *Aut manulearii, aut murrobatharii,*
> *Propolæ, linteones, calceolarii,*
> *Sedentarii, sutores, diabathrarii.*
> *Solearii adstant, adstant molochinarii.*
> *Petunt fullones, sarcinatores petunt.*
> *Strophiarii adstant, adstant semizonarii.*
> *Jam hosce absolutos censeas: cedunt, petunt,*
> *Trecenti cùm adstant phylacistæ in atriis,*
> *Textores, limbolarii, arcularii.*

Et in Epidico.

> *Quid erat induta? an regillam induculam, aut mendiculam,*
> *An impluviatam? ut istæ faciunt vestimentis nomina.*

Deinde,

> *Quid istæ quæ vesti quotannis nomina inveniunt nova:*
> *Tunicam rallam, tunicam spissam, linteolum casicium,*
> *Indusiatam, patagiatam, caltulam aut crocotulam,*
> *Supparum aut subminiam, ricam, basilicum aut exoticum,*
> *Cumatile, aut plumatile, cerinum aut melinum.*

24. *Et erit pro suavi odore fœtor*] Heb. *Loco aromatis, dissolutio*, i. putredo & illuvies. ¶ *Et pro zona funiculus*] *Loco cinguli, confractio*, id est, vestes laceræ. ¶ *Et pro crispanti crine calvitium*] Heb. *pro opere & æqualitate*, i. pro pulcrè pexis ac dispositis comis. ¶ *Et pro fascia pectorali cilicium*] פתיגיל est vox barbara, significans, ut multi Hebræi censent, zonæ genus magnificum, cui opponitur *cingulum sacci*, id est, funis quo cilicia constringi solent.

25. *Pulcerrimi quoque viri tui*] Pro hoc in Hebræo est, *adu-*

stio

ſtio pro pulchritudine: Et cohæret cum præcedentibus, non, ut in Latino, cum ſequentibus: nam כי [uſtio] non eſt hic præpoſitio, ſed nomen, ut רי [irrigatio] à רוה [irrigare ſe]. Pro forma cultu feminæ ſolibus urentur.

26. Et mœrebunt atque lugebunt portæ ejus] Tranſitio à ſecunda perſona ad tertiam, quæ Hebræis frequens. ¶ Et deſolata in terra ſedebit] Mundata eſt in Hebræo, i. privata rebus omnibus: ſicut munditiés dentium pro fame ponitur Amos 4. 6. Judæa humi ſedebit, non in ſolio.

CAP. IV.

MUNSTERUS.

1. Septem mulieres] i. Multæ contendent pro uno viro: tanta erit virorum penuria. Cùm enim prædicantur interficiendi plurimi viri, conſequens eſt, multas mulieres remanſuras orbatas; & hæ catervatim current *ad virum unum, dicentes, Commoremur ſimul, providebimus nobis de victu & amictu; tu auferes à nobis opprobrium ſterilitatis*, &c. ¶ Collige opprobrium noſtrum] Capitur hic *colligere* pro *auferre*.

2. Germen Domini] Etiam ſecundùm Judæos hîc per *germen* intelligitur Meſſias Filius David; quem Propheta & *germen Domini* & *fructum terræ* vocat, tectis verbis Divinitatem illius & Humanitatem exprimens. Sed perverſi Judæi in alium ſenſum hæc torquent verba, ut *Meſſias in pueritia futurus ſit quaſi gratiſſimum germen, ſed ſine fructu: at cùm creverit, producet fructum redemptionis, liberans à tyrannide Gog & Magog.* ¶ His qui ſalvati fuerint de Iſrael] Hebraica obſcurius habent *evaſioni Iſraelis.*

6. Obumbratio] Noſtri hîc verterunt *tabernaculum*; cùm magis ſit *obumbratio* vel *protectio*. Nam ſcribitur hîc *Succa*, & non *Succo* per Holem, & eſt סכה idem quod סוכ. Eſt autem ſenſus, *Filios gloriæ Dominus proteget, ne nulla tentationis tempeſtas illos abſumat.* Sanctificabit eos, remittet peccata, & aderit in periculis. Chriſtus eſt *nubes* illa quæ refrigerat & conſolatur ſuos in afflictionibus, ipſe eſt *ignis* qui lucet in tentationibus. *Super omnem gloriam*, inquit, *erit protectio.* Electus quiſque & qui ſcriptus eſt in libro vitæ vocatur *gloria*, quia eſt vas gloriæ & honoris, in quo habitat Chriſtus per gratiam & operationem ſuam.

VATABLUS.

1. Septem שבע] Numerus certus pro incerto, & pro *multis*. ¶ Et veſtimentis noſtris ושמלתנו] Ac ſi dicant, Teneantur mariti dare uxoribus ſuis victum, veſtitum & debitum conjugale: at unum tantùm petimus, nempe debitum: alia ære noſtro comparabimus. ¶ Invocetur, &c. יקרא שמך] Hebraiſmus, pro *dicamur uxores tuæ.* ¶ Opprobrium noſtrum חרפתנו] i. Cœlibatum & ſterilitatem.

2. In decorem & gloriam לצבי ולכבוד] i. Inclytum & glorioſum, ac in magno honore, & gratioſum. ¶ In ſublimitatem לגאון] *Ad magnificentiam*, vel *exaltationem.* ¶ Evaſori Iſrael, לפליטת ישראל] *Evaſioni Iſraelis.* Phraſis eſt Hebraica pro *iis qui ex Iſraele evaſerint, vel iis qui evaſerint Iſraelitis.*

3. Dicitur illi יאמר לו] *Nomen imponetur ei, ſanctus*: aut, *vocabitur ſanctus.* ¶ In vita לחיים] *Ad vitam.* Alii, *inter vivos.* Quidam vertunt, *Omnéſque Jeroſolymis inter vivos adſcripti erunt.*

4. Sordem צאת] *Stercus; excrementum.* ¶ Laverit רחץ] *Eluerit; expiaverit*: vel, *lavando ejecerit.* ¶ Exciſionis בער] *Conſumptionis.* Alii, *ejectionis.* Alii, *ardoris.*

5. Loca convocationis ejus מקראה] *Concilia ejus; eccleſias ejus*, ſub. *particulares*: vel, *congregationes.* Significat loca in quæ convocantur homines. ¶ Flammantis להבה] Ad verb. *flammæ*: i. flammantis, aut ardentis.

6. Et tabernaculum וסכה] *Et obumbratio.* ¶ Et abſconſionem à turbine ולמסתור מזרם] *Et in latibulum ab inundatione*: vel *nimbo.*

CASTALIO.

2. Videlicet elapſi Iſraelitæ] In Hebræo litera Lamed articulus eſt caſus nominativi, ut in 1 Par. 22. & 2 Par. 1.

CLARIUS.

1. Septem mulieres] h. e. Multæ contendent pro uno viro, tanta erit virorum penuria.

2. Germen Domini] Etiam ſecundùm Judæos hîc per *Germen* intelligitur Meſſias Filius David, quem Propheta et *germen Domini* & *Fructum terræ* vocat, tectis verbis Divinitatem illius & Humanitatem exprimens. Sed perverſi Judæi in alium ſenſum hæc torquent verba, ut *Meſſias in pueritia futurus ſit quaſi gratiſſimum germen, ſed ſine fructu; at cùm creverit, producet fructum redemptionis, liberans à tyrannide Gog & Magog.*

4. In ſpiritu judicii] Quo ſcilicet credentes ab incredulis diſcernuntur.

5, 6. Ubi in eo convocationes fiunt] h. e. Celebritates & feſtivitates. Alius vertit *ſuper loca ejus.* ¶ Nubem per diem] Quæ apud Iſraelitas in exitu ex Ægypto acciderunt miracula columnarum Nubis & Ignis, non deerunt temporibus Eccleſiæ Chriſti, ſed in ſpiritu implebuntur, ſicut & cætera quæ per figuram contingebant illis. ¶ Super omnem gloriam protectio] h. e. Super omnem locum ità glorificatum erit protectio Dei, quaſi munimentum & certitudo. Et quod ait *ab æſtu & à pluvia* eos protegendos, idem ſignificat, videlicet filios gloriæ protegendos ne ulla tentationis tempeſtas eos abſumat. Quòd verò ait *fumum*, &c. intelligunt *fumum* lucidam nubem, & *ſplendorem ignis flammantis*, h. e. ſcintillantis, ut luceat ac calefaciat.

FORERIUS.

Ultimis verbis tertii capitis connectunt Hebræi primum verſum capitis ſequentis, neque incongruenter. Significant enim illa verba maximam virorum inopiam. Sed Hieronymus myſterium ſuboleſcit: nam ſi paulò ſuperiùs dicebant homines cuivis amicto pallio ut ipſis imperaret, ſuſpicati nimirum quòd cibos domi haberet, &c. unde nunc iſtis feminis panis & indumentum? aut unde ſperarent operâ & induſtriâ ſuâ poſſe ſe victum & veſtitum quærere? Liceat ergò viris Chriſtianis non adeò addictis eſſe Rabinorum traditionibus & diſtinctionibus (quas ſæpe in odium Chriſti excogitarunt) ut non interdum hac in re libertatem amplectantur propter gloriam Chriſti, præſertim duce tanto viro, & in Hebraicis haud inerudito. Non tamen hîc de vocatione Gentium agi exiſtimo, ſed (ſi myſterium latet) de Judæorum converſione; qui dum patriam vaſtatam viderent, ſuo jam malo edocti, intellexerunt tum ob incredulitatem ſuam, tum etiam quòd Heredem vineæ occidiſſent, illa ſe mala perpeſſos; illi, inquam, dolentes ob opprobrium quo ſeſe obrutos gentémque ſuam videbant quòd Dominum ſuum occidiſſent, ad Dominum reverſi & religionem Chriſtianam amplexati, pœnitentiámque agentes, Chriſtiani dici volunt, ut non de numero Deicidarum ſint, neque eos opprobrium infidelitatis attingat. Non video cur hæc vir Chriſtianus deſpiciat, præſertim cùm quæ ſequuntur (niſi infidelitatis ipſe notâ inuri velis) de illis temporibus intelligenda ſint quibus, Judæa manibus Gentium traditâ, Eccleſia Chriſti ex reliquiis Judæorum collecta maximè floruit. Sed jam verba penſitemus.

1. Apprehendent] *Apprehendendi* verbum חזק emphaticum eſt, & quando activum eſt, & caſum regit cum ב vel abſque eo, propriè ſignificat Hebræis *firmiter & fortiter apprehendere cum quadam comprehenſione, quemadmodum apprehendere, vel potius retinere, fugientem ſolemus.* Quo fortaſſe verbo uſus eſt Paulus ad Hebræos quando ait quòd *Dominus ſemen Abrahæ apprehendit.* Quando verò eſt abſolutè poſitum, eſt *ſeipſum firmare, ut qui corpus aut corporis nervos & membra conſtringit ac etiam ſpiritus retentione confirmat, ut firmior & compactior eſſe poſſit*, &c. ¶ Septem] Numerus certus pro incerto, & Hebræis שבע *multitudinem* ſeu *copiam* deſignat. ¶ Vocetur, &c.] Hebraiſmus ſatis notus eſt, *vocari nomen alicujus ſuper aliqua perſona aut re*, pro *ſortiri nomen ſeu appellationem ab aliquo.* Deut. 28. *Videbunt quòd nomen Jehovæ vocatum eſt ſuper te*, quòd ſcilicet populus Jehovæ dicaris, & ſis. Jer. 7. *Statis in domo ſuper quam vocatum eſt nomen meum*, i. quæ dicitur domus Dei. Gen. 48. *Invocetur ſuper eos nomen meum*, i. Manaſſe & Ephraim dicantur mei filii, &c. *Vocetur ſuper nos nomen tuum*, i. dicamur de nomine tuo, uxores tuæ, &c. & *Chriſtiani à Chriſto.* ¶ Auſer] Heb. *collige*; ut Latinis verbum *Colligo* interdum *in unum redigere*, interdum etiam *carptim auferre* ſignificat, ità Hebræis verbum אסף: hîc autem pro *auferre*, ut non rectè hoc loco mihi quidam philoſophari videatur, & Metalepſim eſſe dicat. *Quia enim*, inquit, *qui aliò ſe confert, ſarcinas colligit, fit ut priore utantur pro poſteriore.* Putátque in nomine JOSEPH eſſe alluſionem ad utramque ſignificationem verbi; cùm tamen hoc nomen à verbo יסף derivetur, i. *addidit.*

dit. Dixit enim mater, *Addat mihi Dominus adhuc alium:* non enim illo uno erat contenta. ¶ *Opprobrium*] Hebræa vox חרפה, sicut & verbum חרף, non solùm dicitur de *probro* seu *convitio*, sed etiam de *deformatione* seu *defloratione*, sive de *vastatione* & *corruptione*, quæ fit vel gladio vel fame aut aliis calamitatibus, ut Jer. 5. & Ezech. 36, &c. Vide interim quanti faciendum sit *vocari de nomine Domini.* Qui enim verè ipsius sunt, omni opprobrio & fœditate carent, nihilque non æquo animo ferunt, & omnia detrimenta pro lucro ducunt, modò Christum lucrifaciant: illum quærunt, illum sequuntur, non propter *cibum qui perit*, *sed* propter *eum qui permanet in vitam æternam.* Tu ergò, Christiane, si Judæum videris qui Christo nomen dederit, nè eum opprobrio dignum censeas quòd Judæus sit, sed honore dignissimum quòd Christianus: *abstulit* enim illi Christus, cujus *nomen invocatum est super ipsum*, *opprobrium* quo premebatur.

2. *In die illa erit germen Domini*, &c.] Diluit, ni fallor, hoc loco Propheta opinionem quæ ex superiori narratione oriri potuisset: Cùm, inquit, Judæa & Tcion conciderit, & omnia susque déque ferri visa fuerint, ingensque illa calamitas veluti tempestas in Judæos ingruerit nec opinantes oppresserit atque conculcaverit, in illa non modò rerum sed & hominum penuria, quando jam non Regnum, non Resp. dici possit, in vastatione, inquam, illa non corporali tantùm sed & spirituali oppressis Israelitis, & peccato & peccati pœnâ, nempe post occisum Dominum Jesum, nemo credat repulisse Dominum populum suum & actum esse de Israelitis: quinimo tunc *germinatio* seu *crescentia Domini succrescere incipiet summa cum jucunditate & gloria.* Memineris, Christiane lector, *Grani* illius Evangelici, quod *cadens in terram*, *si mortuum fuisset*, *fructum multum erat allaturum.* Hæc illa ergò *germinatio Domini est*, quæ post mortem inauditámque ignominiam gloriosè propagata est: quod more suo mox aliis verbis repetit, *Fructus terræ erit in magnificentiam & ornamentum.* Quæ verò esset illa *germinatio* & qui *fructus* apertius dicit, *iis qui evaserint Israelitis*, q. d. *In eos hæc dicuntur*, *illis hæc competunt qui ex Israelitis evaserint.* Pauci, inquit, illi Israelitæ qui ex incendio illo magnáque infidelitatis tempestate, quæ totam ferè gentem occupavit, evaserint, qui non consenserunt actis impiorum, aut mox resipuere, illi sunt *satio Domini*, *germinatio* & *fructus* quos Granum illud produxit. Quàm gloriosi autem fuerint sancti illi filii & *germen Domini*, quàm digni ad quos contuendos totus orbis accurreret, quàm omnia terræ fastigia transcenderint, ut in quorum corde Christus habitabat, ex quorum ore loquebatur Christus, quantum hinc etiam gloriæ accreverit ipsi Domino, qui in illis admirabilis apparebat, nemo est qui, si Acta Apostolorum & Pauli Epistolas legerit, ignoret. Ac fortè hæc est illa majestas & gloria de qua Dominus morti propinquus dicebat Sacerdotibus & Pharisæis, *A modò videbitis Filium hominis sedentem à dexteris Dei*, *& venientem in nubibus cœli.* ¶ *In jucunditatem*] צבי de qualibet re dicitur quæ eleganter, aptè & appositè constituta est, animósque videntium & oculos in se convertit, allicit ac rapit in contemplationem & amorem sui, atque etiam mirabili jucunditate & lætitiâ perfundit: unde & Chaldæus reddidit חדוה. ¶ *Qui evaserint*] In Hebræo est nomen פליטה, q. d. *evasio*, à verbo quod *ex periculo seu malo salvum evadere* significat; & sumitur pro ipsa *re*, seu *persona*, *qua evasit*; sicut *captivitas* pro *captivis.*

3. Versus tertius declarat in quo consistat illa *gloria*, illa *jucunditas*, illa *magnificentia* atque *ornamentum germinis Domini*, nempe in Sanctitate vitæ, hæc enim sola splendorem, gloriam & amplitudinem secum affert; quæ autem illâ carent, ingloria sunt & nullius æstimationis. Et ponitur numerus singularis pro plurali, ut sæpe solet. Quotquot manserint reliquiæ, inquit, illius sanctæ civitatis, quæ ex illa quam dixi calamitate servatæ fuerint, sanctæ erunt; illæ scilicet quæ ad vitam æternam prædestinatæ sunt, vel quos Deus vivere voluit. Retinui autem, ut sæpe facio, Hebraismum, præsertim ubi non est obscuritas: potuissem enim sic apertè reddere, *Futurum est enim ut eos qui residui fuerint in Tcion, & reliqui fuerint in Jerusalem, sanctos appellent; eos, inquam, qui vivi remanserint:* vel, *qui ad vitam servati fuerint.* Mos autem est Hebræorum ut quæ certò futura sint, ea *scripta esse* dicatur. Adde quòd & respexisse videtur Propheta ad locum illum Mosis Exo. 32. *Dele me de libro tuo.* Cui Dominus, *Qui peccaverit in me*, *delebo eum de libro meo*, &c.

4. *Si abluerit Dominus*, &c.] Quamvis אם Affirmantis esse possit, aut etiam Optantis, Temporis tamen esse hoc loco existimo, quòd tunc *gloriosi* erunt illi residui, & *sancti* meritò dici possent, *quando Dominus sordes abstersisset & sanguinem eluisset*, &c. Per *sordes* autem peccata quibus quisque in corpus suum & contra semetipsum peccat, per *sanguinem* quæ in proximum intelligo. Quomodo autem id factum sit, jam sic accipe. Primo capite dixerat Dominus quòd *purgaturus* & quasi conflator *excocturus* esset Jerusalem, post quam excoctionem habitura esset *Judices & Magistratus quales olim habuisset.* Possumus ergò hæc sic accipere, ut vastatio illa Jerosolymitana quæ per Romanos facta est, fuerit quædam *excoctio*, in qua *scoria* tanquam scoria abjecta fuerit, & reprobi igni & morti traditi justo Dei *judicio zelóque* Domini ingenti; manserunt autem reliquiæ quædam totius sanctitatis seminarium. Ut de hoc quoque judicio & zelo dixerit Joannes Baptista, quòd Dominus JESUS habere *ventilabrum in manu sua ad permundandam aream suam*, *& triticum quidem in horrea gregaret*, *paleas autem combureret igni inextinguibili:* & infrà non semel, cùm de puniendis improbis & sanctificandis suis loquitur, dicit, *Zelus Domini exercituum faciet istud.* Et si ad hunc modum accipias, illud אם, i. *si*, valet *postquam.* *Sordes* autem & *sanguines* sunt immundi & homicidæ; *spiritus* verò *judicii* & *accendendi* seu *accensionis*, i. qui ignem accendit & ardere quidpiam facit, est executio justitiæ Dei, quæ cùm adventare dicitur vento validissimo ac igni comparatur, quòd hæc duo separandi, purgandi ac probandi vim habeant. Unde dicitur, *Ignis ante ipsum præcedet*, *& tempestas*, &c. Quapropter & *spiritus judicii*, i. dijudicationis & discretionis, dicitur, & spiritus qui ignem excitat, quo aduruntur scoriæ & paleæ. Estque similitudo & typus quidam postremi Judicii in hujusmodi castigationibus. Sicut enim tunc Regnum Christi perfectè vigebit, sic fuit post vastatam Judæam: Et sicut tunc sancti ad beatitudinem profecturi sunt, sic post conflagrationem illam Jerosolymitanam, Regno Christi per totum orbem propagato, ad Deum electi congregati sunt; & multa hujusmodi. Quæ si prudens lector consideret, omnia illa quæ in Euangelio multi existimant nonnisi de fine mundi intelligi posse, manifestè percipiet priùs de judicio illo Domini de quo præcedenti capite & hoc loco Propheta loquitur, intelligenda esse, ac deinde tanquam in typo de ultima orbis vastatione, ut etiam in sequentibus ostendemus. Est & aliud judicium quod Dominus Jesus exercuit per prædicationem Euangelii, de quo ipse dicebat, *In judicium ego veni in mundum*, *ut qui non vident*, *videant*, *& qui vident*, *cæci fiant:* de quo & Simeon ille senex, quòd *positus esset in ruinam & resurrectionem multorum in Israel*, *& ad revelandas multorum cordium cogitationes.* Cùm enim Dominus cœpit ostendere Regnum Messiæ, quale esset, mox quid quisque in animo gereret, dum Messiam suum Judæi omnes jactarent, nihilque aliud se exspectare dicerent, apparere cœpit quid item quisque speraret, quæ studia cuique cordi essent; &c. Ubi ergò impurissimi illi Pharisæi judicio Domini à populo Dei sunt separati, ubi flare cœpit Spiritus ille Euangelii qui *separat patrem à filio & matrem à filia*, & ignem in cordibus electorum excitat, ut amare discant cœlestia & Deum tantorum bonorum auctorem, & cœpit ædificari Tcion non in sanguinibus sed lapidibus vivis, manentibus infidelibus tanquam impuris extra muros novæ Jerusalem, tunc reliquiæ *sancta* fuerunt appellatæ, ut quæ in sanctitate & Ecclesia Christi primatum haberent. Quid si de illis electis sit sermo qui priùs sordidi & immundi erant & in proximos injurii, quos Dominus *Spiritu S. & igni baptizavit*, ut dicebat Joannes Baptista? Nonne Spiritus S. *Spiritus judicii* seu *justitiæ* & *sanctificationis* est? Nonne & ipse inflammat corda in amorem Dei? Quid, quæso, est illud Pauli, ubi sordes & sanguines annumerasset, *Hæc fuistis*; *sed abluti estis*, *sed sanctificati estis?* &c. nonne *sancti* isti dicebantur, & erant? Quid si Euangelicus hic Propheta Spiritu prævidit Dominum insufflantem in Apostolos, ac dicentem, *Accipite Spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata*, *remittuntur eis?* Annon *Spiritus judicii* est qui absolvit aut detinet peccata? ut *Spiritum judicii* referamus ad jurisdictionem spiritalem simul & virtutem Sacramentorum; *Spiritum* autem *ardoris* seu *accensionis* seu *adustionis* ad Spiritum qui igneis linguis apparuit, ut significaret Propheta, sanctitatem Apostolorum, qui erant *germen Domini*, tunc maximè resplenduisse cùm hujusmodi Spiritu & ipsi sanctificati sunt & alios ejusdem sanctitatis participes faciebant. Quis hujusmodi divitias S. literarum non admiretur & amet? ¶ *Sordes*] צואה est à verbo יצא, i. *exivit*, & hoc nomine vocant Hebræi *excrementa*; & pro *egestione vomitûs* accipitur infrà 28. *Omnes mensæ plenæ vomitu*, &c. Accipiturque & pro quacunque *sorde*, ut Prov. 30. & hoc loco. ¶ *Sanguinem*] דם est à verbo אדם *rubuit*, & tam in singulari quàm in plurali pro *peccatis in proximum* in Scriptura accipi solet, ut suprà cap. 1, &c. ¶ *Repulerit*] Hoc verbum דוח propriè *vi*

impel-

impellere seu *repellere* significat, neque legitur in hac forma nisi in tertia. Vulg. *laverit* dixit, sensum non significationem verbi exprimens. ¶ *De medio ejus*] Hebraismus קרב est frequentissimus, *ab intimis ipsius* pro *ab eo*. Est enim קרב quod *intimum* seu *propinquissimum* est in homine sive in pecude, ut est Cor & cætera viscera. Deinde etiam dicitur de *Mente* & *Cogitationibus*; tandem generalissimè, de *intimo cujuscunque rei*. Exempla sunt passim obvia. Noti sunt autem Hebraismi; *Spiritus judicii*, i. dijudicans; & *ardoris*, i. adurens seu incendens.

5. *Et creabit Dominus*] Possunt hæc cum præcedenti versu in hunc modum connecti, *Quando Dominus Jerusalem ad modum excoctoris conflaverit, & eam expurgaverit spiritu judicii & adustionis, tunc creabit Dominus super universam regionem*, seu *basim*, *montis Tcion nubem*, &c. i. tunc immunis erit mons Tcion, & *congregationes* seu *conventicula ejus*, vel Ecclesiæ omnes ex Judæis collectæ, ab omni illa calamitate & incendio. Admoniti enim fuerunt, ut narrat Eusebius, & impiam civitatem deseruerunt; neque eis Divinus favor unquam defuit. Imò ex spiritali Ægypto illos egredientes comitatus est Dominus, *in columna ignis per noctem, & in columna nubis per diem:* i. non minùs illorum curam egit quàm olim totius populi Israelitici. Quin imo sicut olim cùm per desertum iter facerent, Arca cum Propitiatorio (quæ *gloria Domini* dici solet in Scripturis), erat ab omni cœli injuria protecta, ità discipuli Domini fuerunt protecti in illa calamitate, &c. Possunt quoque cum ver. 2. & 3. conjungi, *Erit germinatio Domini in honorem*, &c. *qui evaserint*, *sancti dicentur: & super ipsos*, qui sunt *mons Tcion*, & Ecclesias ex ipsis congregatas, quæ exceperunt verbum quod à monte Tcionis profluxit, expandit Dominus protectionem suam, ut non minùs habeant Deum propitium quàm olim habuerunt ex Ægypto egredientes Israelitæ: nec minùs sint ab omni injuria liberi quàm Arca & Propitiatorium fuerint. Neque dubitandum est quin in ver. 5, & 6. duplex sit allusio: prior est ad columnam Ignis & Nubis, posterior ad tegumenta illa varia quæ Dominus construi jussit ut tutum esset ab injuria aeris Sanctum illud sanctorum. Nam quòd Arca dicatur in Scripturis *gloria Domini*, habes in Psal. *Ut viderem virtutem tuam & gloriam tuam*, & 1 Sam. cùm capta fuit Arca à Philisthæis, *translata est gloria*, & aliis locis plurimis. Locus hic valde declarat curam quam Dominus suorum gerit, ut nihil illis noceat. Sunt Dei populus, quos elegit de mundo, quos odit mundus, sicut Ægyptii fugientes Israelitas; sunt mons Tcion, sunt Templum Dei & Sanctum sanctorum; gloria Domini eos protegit, liberat & servat ex pelago omnium malorum. Superbi autem, quia derelinquuntur à Deo, non solùm inducuntur in tentationem, sed etiam omnium sunt injuriis expositi, ut vasa in ignominiam & contumeliam deputata. ¶ *Locum*] מכון à verbo כון, quod in voce passiva est *confirmari*, *constitui*, *decerni*, *certificari*, *perfici*, &c. Hinc nomen ipsum *sedes certa & firma*, cui opponitur incerta sedes, & incertis sedibus vagari. Ego perinde esse credo ac si diceret, *super totum ipsum montem ab imis ejus radicibus usque ad verticem.* ¶ *Et ubi invocatus est*] Sensum reddidit Vulg. ego *conventus* dixi: nam Hebraice à verbo קרא, i. *vocare*, dicitur nomen מקרא, i. *convocatio*, *synodus*, *conventus*; & relativum est feminini generis, & *Tcionem* refert. Posset & nomen pro *vocationibus* accipi; ut sit sensus, *& super nominationes* vel *vocationes* seu *invocationes ipsius Tcionis*, i. super eos qui nominant Tcion seu nomine vocant, vel ex ipsius nomine dicuntur; vel *super omnes vocatos ipsius*, quos ipsa vocavit ac invitavit ad cognitionem veritatis, &c. & hic sensus non mihi displicet. ¶ *Ignis flammantis*] Hebraismus, *ignis flammæ*. ¶ *Gloriam*] Ver. 2. *germinationem* dicit *futuram in gloriam*, &c. *super germinationem* ergò *gloriosam* illam, super illos *sanctos* Domini, sicut super *gloriam* & Arcam, erit חפה, i. *protectorium* seu *protectio*.

6. Ponuntur hinc quinque voces ferè ejusdem significationis. סכך est *abscondere superponendo aliquid*; hinc סכה *tegumentum*. צלל *obtectus est defensionis causâ*; hinc צל *umbra*, *protectio*, &c. חסה *latibulum* seu *protectionem quærere*; hinc מחסה *latibulum*, *receptaculum*, *protectorium*. סתר, quod in passiva est in usu, *absconditus fuit*; indè מסתר *absconsio*, *latibulum*, &c.

D R U S I U S E X P R O C O P I O.

4. אֶת־דְּמֵי יְרוּשָׁלִַם. Aq. Sym. Th. τὸ αἷμα Ἱερουσαλὴμ *sanguinem Jerusalem.*

5. עָשָׁן וְנֹגַהּ. Aq. Sym. Th. καὶ καπνὸν καὶ φέγγος *& fumum & splendorem.*

G R O T I U S.

1. **E**T *apprehendent septem mulieres virum unum*] Tanta erit clades, ut septenæ feminæ, tutelæ præsidiique causâ, contentæ futuræ sint uno communi marito, & quidem suis impensis victuræ: contrà quàm mos habebat.

Invocetur nomen tuum super nos] Lucanus:

——— *liceat tumulo scripsisse, Catonis Marcia.*

Aufer opprobrium nostrum] Cœlibatum in ætate ὑπερήμερον [*superadulta*].

2. *In illa die erit germen Domini in magnificentia & gloria*] Hic debuerat inchoari nova sectio. Est enim sermo de realia. *Germen Domini* sunt primo sensu reliquiæ exsulum, quæ Esdræ ac Nehemiæ temporibus domum reversæ, laudabilem vitam duxerunt; μυστικῶς [*mysticè*] autem Christus & Christiani.

3. *Omnis qui scriptus est in vita in Jerusalem*] Quicunque scribetur in matricula reducum.

4. *Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion*] Pro *si* pone *postquam*. Sensus est: fient ista, ubi Deus populum longâ calamitate expurgaverit, & ostenderit illis quali ingenio sint populi idolis addicti.

5. *Et creabit Dominus super omnem locum montis Sion, & ubi invocatus est, nubem per diem, & fumum, & splendorem ignis flammantis in nocte*] In Hebræo est: *Super omne habitaculum montis Sion, & super omnem cœtum ejus.* Sæpe autem apud Hebræos per res similes aliæ res similes intelliguntur, ut hìc per *nubem de die* & *ignem de nocte* præsidium Dei, non minùs præsens quàm olim Israelitis ex Ægypto egressis adfuit. Et experti id sunt Hebræi ferme ad tempora usque Antiochi.

Super omnem enim gloriam protectio] Id est, magis etiam protegentur quàm illo tempore exitus. Nam in illa nube erat *gloria Domini*, id est, conspicua majestas, Exodi XVI. 10. XXIV. 16. Numerorum XIV. 10.

6. *Et tabernaculum erit in umbraculum dici ab æstu, & in securitatem & absconsionem à turbine & à pluvia*] Id est, sicut tentorii tegmen defendebat olim Israelitas à sole, vento & pluvia, sic nunc hos Deus ab omnibus malis tutos præstabit. Vide historiam Esdræ IV. V. VI. Nehem. IV.

CAP. V.

M U N S T E R U S.

1. **C***Anticum amici mei*] Vocat Propheta *canticum* parabolam illam quâ Israelem comparat Vineæ & Deum Cultori ejus. Porrò tam ידיד quàm דוד hic capitur pro אוהב *dilecto amico*. *Cornu* verò hìc idem est quod *mons* vel *præcipua terra*, *olei ferax*, ut est terra Israel, fluens lacte & melle. Porrò sensus hujus Cantici hic est, Propter insultationes, comminationes & increpationes meas, inquit Propheta, non sunt commoti neque revocati ad pœnitentiam & meliorem vitam; atque ideo componam nunc de ea re cantilenam, si vel hoc pacto ad compunctionem moveri possint. Habet autem hæc cantilena parabolam Vineæ. *Vinea* fuit populus Judaicus, *sepes* lex Mosi, *vites* viri sancti & Zelosi, *turris* Templum & Dei cultus, *torcular* pœnitentia & mortificatio veteris Adam, *labruscæ* pessimi fructus, adulteria, rapinæ, homicidia, &c. *Spinæ* sunt errores, odia, blasphemiæ, cæcitas mentis. *Pluvia* est verbum Dei, per quod offertur remissio peccatorum, gratia Dei, & vita æterna.

5. *Sepem ejus*] Kimhi intelligit per משוכה *sepem spinarum quæ juxta lapidum maceriam vineam ambientem plantatur.*

7. *Oppressio*] Habet hìc Hebraismus Paronomasiam & pulcram vocabulorum allusionem, quam Hebræi vocant צחות הלשון *linguæ politiem.* Kimhi exponit משפח pro נגע *plaga.*

10. *Decem jugera*] h. e. Vinea quam decem paria boum uno die arant non proferet nisi *unum Batum* vini. De *Bato*, *Ephi* & *Homer* diximus 3 Reg. 7. Vos rapuistis & vi abstulistis pauperibus prædia eorum, & propterea ego immittam maledictionem in agros & vineas vestras, &c.

14. *Dilatavit infernus animam suam*] Sensus est, quòd plurimi interierint fame & siti, quorum corpora terra devoravit. Et intelligunt quidam hoc caput de primo excidio Jerosolymitano, alii de secundo, quod post Christi passionem contigit.

17. *Consuetudinem*] Exponitur ab Hebræis דובר pro כנהג *gubernatione*, & מחים pro *divitibus*.

18. *Væ qui trahunt iniquitatem*] i. *Væ qui per mendacia veluti per funes ad se trahunt iniquitates*, &c. Et nota quòd מָשַׁךְ hic

hìc eſt ſing. numeri, ejuſdem formæ cum יאור, & eſt propriè *funis denſus ex tribus conſtans funiculis.*

25. *Laterum projectum*] Kimhi exponit dictionem כסוחה pro כרותה, Aben Ezra verò pro מושלכה.

29. *Spolia corradet*] Verbum Hebræum יפליט propriè ſign. *aliquid ſalvare ab interitu vel perditione.* Eſt igitur ſenſus, quòd hoſtis ea quæ ab exterminio ſalvaverit tam mordicus tenebit ut nemo poſſit ex manibus ejus eruere.

30. *In cœlis*] Vocantur hîc *cœli* עריפים quòd *rorent pluviam.* Siquidem ערף idem ſignificat quod נזל *ſtillavit*, *roravit*. Erit, inquit, ubique triſtis imago mortis, ubique deſperatio ac luctus, ità ut etiam hoc jucundum cœli lumen ingratum eis futurum ſit.

V A T A B L U S.

1. E*Jus* דודי] Ad verb. *dilecti mei.* Antecedens pro relativo. ¶ *Vineæ ſuæ* לכרמו] *De vinea ſua.* Alii, *ad vineam ſuam.* Alii, *propter vineam ſuam.* ¶ *Fuit* היה] Verti poſſunt præterita perf. per imperfecta, *erat*, *ſepiverat*, &c. ¶ *In colle*] &c. בקרן בן שמן] Ad verb. *in cornu filio olei*: i. in loco ſublimi & valde pingui. Quidam Hebræorum putant fuiſſe nomen loci. *Cornu* autem ſive *excelſum* vocat terram Iſrael, quòd celſior eſſet cæteris terris. Chald. *in monte excelſo, & in terra pingui.*

2. *Et ſepivit eam* ויעזקהו] *Et fodit eam*, i. coluit. ¶ *Plantis vitis optimæ* שורק] Verbale nomen eſt in potentia ſui verbi, quod *laudatum* ſignificat: unde quidam vertunt *laudatiſſima*, ſub. *planta.* Alii putant ſpeciem fuiſſe vitis optimæ carentis acinis. ¶ *Excidit* חצב] *Fodit*: vel *fabricavit*: *conſtruxit*, ſive *conſtruxerat.* ¶ *Labruſcas* באשים] i. Uvas ſimiles uvis labruſcæ, h. e. acerbas ac inſuaves. Quidam vertunt *Produxit acerbos*, ſub. *racemos.* Alii genus ſpinarum fuiſſe ſcribunt.

3. *Jam* נא] *Nunc*: vel *quaſo.*

4. *Labruſcas* באשים] Vide ver. 2. Totum verſum ſic reddunt quidam, *Quid ultrà faciendum erat vineæ meæ quod non fecerim ei? cur igitur me ſperante uvas redditur am, labruſcas protulit?*

5. *Indicabo vobis* אודיעה נא אתכם] Ad verb. *ſcire facio nunc vos.* Redundat נא, & præſentia ſunt pro fut. *oſtendam vobis.* ¶ *Removebo* הסר] Infinitivus pro futuro, *auferam.* ¶ *Ad paſcendum* לבער] *In depaſtionem*, i. depaſcentur eam homines, vel animalia. ¶ *Diruam* פרוץ] Rurſum Infinit. pro fut. *rumpam.*

6. *In deſolationem* בתה] i. *Deſolatam.* Alii, *deſertam*, *vaſtam.*

7. *Lætitiarum ejus* שעשועיו] *Delectationum ejus*: aut *voluptatum*: i. planta gratiſſima. Repetitio eſt. ¶ *Plaga lepræ* משפח] i. Planta illa eſt infecta leprâ, h. e. injuſtitiâ. Elegans autem Paronomaſia & pulcra vocabulorum alluſio, quam Hebræi vocant *politiem* vel *nitorem linguæ*, conjunxit enim משפט cum משפח, & צדקה cum צעקה. ¶ *Clamor* צעקה] Sub. *eorum qui opprimuntur.*

8. *Appropinquare faciunt* יקריבו] *Copulant*: *continuant*: vi ſcilicet, aut fraude. ¶ *Et putatis*, &c. והושבתם וגו'] Ad verb. *& conſtituamini* [vel *ſiamini habitare*] *ſoli*, &c. Mutatio eſt perſonæ, pro *& donec conſtituantur*, vel *collocentur*, *ſoli*, &c. i. ut ſoli poſſideant regionem, ſententiâ ſcilicet iniquâ Judicum iniquorum & impiorum.

9. *In auribus*, &c. באזני יהוה צבאות] *In auribus meis* ſunt conſilia veſtra, ſum enim *Jehova exercituum*: i. audio quæ etiam clàm dicitis. ¶ *Multæ* רבים] *Magnificæ*: *ſumptuoſæ.* ¶ *Grandes & pulcræ* גדולים וטובים] Ad verb. *magnæ & bonæ*, i. amplæ & præclaræ.

10. *Bathum* בת] Menſura liquidorum Hebræis, decima pars menſuræ illius quæ dicitur חומר, de qua aliis locis. ¶ *Et ſementis eorum*, &c. וזרע חומר וגו'] Ad verb. *Et ſemen Homer faciet Ephi.* Homer menſura eſt aridorum, ut & Ephi. Ephi autem eſt decima pars Homer, reſpondens ipſi Batho. Magnam vini & tritici famem prædicit.

11. *Inebriativa* שכר] Significat hæc dictio *ſechar* vinum, merum, & quicquid inebriare poteſt. ¶ *Uſque ad crepuſculum* בנשף] Sub. *nocturnum.* ¶ *Æſtuare faciat eos* ידליקם] *Incendat eos*: i. donec incaluerint vino. Alii, *perſequatur eos*: ac ſi dicat, illi ſequuntur vinum, & vinum illos perſequitur & ruere facit.

12. *Et nebel* ונבל] *Et lyra.* ¶ *Reſpiciunt* יביטו] Fut. Heb. pro præſ. ¶ *Vident* ראו] Præt. Heb. pro præſ. *conſiderant.*

13. *Captivus ductus eſt* גלה] Præt. Heb. pro fut. *demigrabit*: *ducetur captivus.* ¶ *Eo quòd*, &c. מבלי דעת] Ad verb. *abſque ſcientia*, vel *cognitione*: i. per dementiam ſuam: aut, quia non fuit præditus ſcientiâ. ¶ *Et viri gloriæ ejus* וכבודו] Hebraiſmus, pro *nobiliores*, *clariores*, ſive *inclyti ejus erunt famelici, & plebeii ejus morientur ſiti.*

14. *Dilatavit* הרחיבה] Præt. Heb. pro fut. *dilatabit ſepulcrum ſeſe.* Metaphoricè ſignificat multos morituros: acſi dicat, Quia tam multi fame & ſiti peribunt, ſepulcrum, ſive foſſa in quam mortui conjiciuntur, dilatabit ſeſe ut ſit capacior plurium cadaverum. Quidam vertunt, *dilatavit ſepulcrum ingluviem ſuam.* Alii, *habitum ſuum.* ¶ *Animam ſuam* נפשה] i. Seſe. ¶ *Decorus ejus* הדרה] *Decor ejus.* Sing. pro plur. i. nobiles ejus, inclyti & magnifici ejus, ſub. *Terræ ſanctæ*, vel *Jeruſalem.* Relativum ſine antecedente. ¶ *Et lætus in ea* ועלז בה] Sing. pro plur. *& gaudentes*, vel *læti in ea*: i. quotquot in ea deliciis & voluptatibus ſunt dediti.

15. *Et incurvabitur* וישח] *Deprimetur itaque.* Singularia pro pluralibus. ¶ *Humiliabitur* השפלנה] *Dejicientur.*

16. *Et exaltabitur* ויגבה] Præt. Heb. pro fut. *Exaltabitur autem.* ¶ *Propter judicium* במשפט] Quo ſcilicet perdet improbos. ¶ *Apparebit ſanctus* נקדש] Ad verb. *ſanctificatus eſt*: pro *ſanctificabitur.*

17. *Juxta morem ſuum* כדברם] *Juxta ductum ſuum*: ſive, *ducatum*, i. juxta locum ad quem ducuntur & congregantur: h. e. ovile. ¶ *Et in deſertis*, &c. וחרבות מחים וגו'] Prædicit futurum ut domus deſolentur, adeò ut in illis paſcant agni ut ſolent in paſcuis. Alii vertunt *ac deſolationes pinguium advenæ comedent.* Vel, *deſolatis medullatorum* [i. divitum] *advenæ fruentur*: q. d. Tum pauperes qui patriâ ſuâ & agris pulſi fuerunt, revertentur, & fruentur fructibus agrorum derelictorum à divitibus, qui tum in captivitatem abducti fuerint. *Pingues* & *medullatos* vocat divites.

18. *Mendacii* השוא] *Vanitatis*: i. miſeri ſunt qui rationibus illicitis aut prætextibus aut illecebris addunt peccata peccatis, & in illis ſeſe obſtinant.

19. *Sancti Iſrael* קדוש ישראל] i. Domini Dei qui ſanctificatus eſt in Iſraele, collatis illi tot ac tantis beneficiis. ¶ *Et ſciemus* ונדעה] *Ut cognoſcamus*, i. ut intelligamus quod evenerit, & ſciamus te eſſe veracem.

20. *Ponunt tenebras* שמים חשך] i. Affirmant tenebras eſſe lucem, &c.

21. *In oculis ſuis* בעיניהם] Hebraiſmus, pro *Qui ſibi videntur ſapientes & prudentes.*

22. *Qui ſunt potentes*, &c. גבורים לשתות יין] Hebraiſmus, acſi dicat, qui putant ſummam felicitatem ſitam eſſe in compotationibus, & in illis gloriantur.

23. *Qui juſtificant impium* מצדיקי רשע] Phraſis eſt Hebraica, pro *qui pronunciant ac declarant impium eſſe juſtum*, ſive, *qui dicunt cauſam impii eſſe juſtam.* ¶ *Auferunt ab eis* יסירו ממנו] Ad verb. *auferent ab eo.* Fut. Heb. pro præſ. Et *ab eo* pro *ab unoquoque eorum* poſitum eſt.

24. *Lingua ignis* לשון אש] i. Flamma: quòd ea ſpeciem linguæ præ ſe fert: nam rubet, & in acutiem tendit. ¶ *Debilitat* ירפה] Fut. Heb. pró præſ. *debilitat*, *quieſcere facit.* Vertitur etiam, *quiſquiliæ flammâ debilitantur*, i. flacceſcunt & pereunt. ¶ *Et germen eorum* ופרחם] *Et flos eorum.* ¶ *Spreverunt* מאסו] *Abjecerunt.*

25. *Iratus eſt furor* חרה אף] Ad verb. *irata eſt ira Jehova*: pro *exarſit ira*, vel *incenſa eſt ira Jehovæ*: aut, *excanduit Jehova.* ¶ *Morticinum eorum exciſum* נבלתם כסוחה] *Cadaver eorum lacerum*, projectum *in*, &c. Alii per plurale, *Jacueruntque cadavera illorum exciſa*, i. confecta plagis & vulneribus. ¶ *In omni*, &c. בכל זאת וגו'] Hebraiſmum quidam ſic reddunt. *Et tamen* [vel *nihilominus*] *necdum ob id conquievit furor*, &c.

26. *Elevabit enim* ונשא] Fut. pro præt. ut quidam vertunt, *Elevavit enim*, i. *Elevato vexillo dedit ſignum.* ¶ *A longè* מרחוק] *E longinquo*, i. remotas: vel, quæ venturæ ſunt è regione longinqua & remota. ¶ *Et ſibilabit ei* ושרק לו] i. Sibilo advocabit illum, ſub. *Regem*, vel *Imperatorem Gentium.* Relativum ſine antecedente. ¶ *Citò levis* מהרה קל] *Confeſtim velox.* Duabus dictionibus indicavit maximam celeritatem.

27. *Deficiens* עיף] *Laſſus*: *fatigatus*, ſub. *de via.* ¶ *Laborans in eo* כושל בו] *Corruens in eo*, i. in toto illo exercitu. Alii, *impingens*, vel *infirmus.*

28. *Quia ſagittæ ejus* אשר חציו] Ad verb. *Cujus ſagittæ ejus.* Redundat alterum relativum, pro *Cujus ſagittæ*: vel, *Et ſagittæ ejus.* ¶ *Ut ſilex reputatæ* כצר נחשבו] *Tanquam rupes* [vel, *ſaxum duriſſimum*] *reputabuntur.* Præt. Heb. pro fut. ¶ *Tanquam tempeſtas* כסופה] *Velut turbo*: i. tam veloces erunt quàm turbo.

29. *Et*

29. *Et rapiet* ויפליט] Ad verb. *& salvabit*, i. erutam abducet salvam in domum suam.

30. *Super illum* עליו] *Adversus illum*, sub. *populum.* ¶ *Sicut fremit mare* כנהמת ים] Ad verb. *juxta fremitum maris.* ¶ *Aspiciet* ונבט] Sub. *populus*: i. circumferet oculos ut videat si qui sint qui veniant ad ferendam opem: aut, *aspiciet ad terram*, ut solent tristes & mœsti. ¶ *Angustia* צר] Et *tribulatio.* ¶ *Obtenebrata est*, &c. חשך בעריפיה] Præt. Heb. pro. fut. *obtenebrescet in cœlis ejus*, sub. *Terræ sanctæ.* Relativum femineum est, i. in ea parte cœli sub qua sita est Terra sancta. Quidam Hebræorum, *obtenebrescet in desolationibus ejus*, sive *destructionibus.*

C A S T A L I O.

27. N*Emo cujus aut laterum balteus solvatur, aut calceamenti corrigia rumpatur*] Quem res ulla remoretur.

C L A R I U S.

1. C*Antabo dilecto meo Canticum*] Cantabo, inquit, in honorem amatoris mei, amatoris, inquam, viri, quàm infeliciter amaverit vineam suam. Olim enim res maximas carminibus complectebantur, ut perpetua illorum servaretur memoria. *Canticum* autem hîc appellat Parabolam illam quâ Israelem comparat *vineæ*, & Deum *cultori* ejus. Quod autem ait *in cornu filio olei*, Hebraismus est. Per *cornu* enim intelligit eminentem locum, quem vocat *filium olei* ob feracitatem. Idem ergò est ac si dixisset *in edito ac feracissimo loco.* Significat ergò terram Israel, quæ magna ex parte montosa est, *terra fluens lacte & melle*, in qua *vinea* hæc *Domini* populus Israel fuerat collocatus. Quod autem hic dicitur *plantavit vineam electam*, alii verterunt *vineam Soreth*, quod genus est vitis electissimæ uvas absque acinis producentis. Sed antequam plantaret, *sepem* circumdedit ei, nempe Legem; *& ejecit lapides ex ea*, populos scilicet impios; *ædificavit turrim*, celeberrimum Templum; *exstruxit torcular*, cultum legitimum, & sacrificiorum ordinem. Hanc ipsam Parabolam imitatus est Dominus adversùs principes Sacerdotum & Seniores populi. Duo autem hîc præcipuè taxat, avaritiam & vitæ luxum, quæ duo in primis animum à Deo abalienant, & à quibus cætera vitia omnia proficiscuntur.

7. *Et ecce iniquitas*] Vel *oppressio.* Hoc loco ubi nos habemus, *judicium* & *iniquitas*, *justitia* & *clamor*, in Hebræo est pulcra allusio vocabulorum, quam Hebræi vocant *politiem linguæ.*

12. *Et opus Domini non respicitis*] Sunt qui hunc locum sic interpretentur, *non consideratis cujus causâ ista sint facta atque instituta, sed eis abutimini ad luxuriam.*

14. *Dilatavit infernus animam suam*] Significat plurimos interiisse fame & siti, quorum corpora terra devoravit. Nam frequentissimè *infernus* in Scriptura pro *sepulcro* accipitur. Et intelligunt quidam hoc de primo excidio Jerosolymitano; alii de secundo, quod post Christi passionem contigit: ad utrumque enim referri potest.

17. *Et deserta pinguium*] h. e. Ea quæ relicta fuerunt ab illis divitibus ventri deditis, quorum paulò antè meminit.

18. *Væ, qui trahitis iniquitatem*] *Væ, qui per mendacia veluti per funes ad se trahunt iniquitates.*

19. *Qui dicitis, Festinet*] Verba sunt eorum qui non credebant verbis Prophetarum. *Veniat*, inquiunt, si vera hæc sunt, & acceleret judicium Domini, *ut videamus.*

30. *In caligine*] Vel, *in cœlis*: nam hoc loco in Hebræo est dictio nomen habens ab eo quòd *rorent pluviam.*

F O R E R I U S.

1. C*Antabo*] De verbo שיר quid Hebræi & quid nostri sentiant in Lexicis videre poteris: Ego, qui in hac semper fui sententia ut nonnisi unam habere significationem verba Hebræa existimarem (omitto ea quæ contrarias habent) quando omnium Hebraicarum vocum vim examinabam ex collatione omnium locorum in quibus reperirentur, reperi hoc verbum generali significatione non aliud esse quàm *præire*, aut activè *prævenire*, vel *tanquam dux*, vel *tanquam insidiator*, vel *tanquam præcentor*, vel *tanquam speculator*, &c. quare non mirum si variè reddere oportet. Hic verbo *canendi* aptè redditur: aliarum acceptionum exempla in sequentibus occurrent. ¶ קרן Hebræis *cornu* est, quo nomine dicuntur etiam quæ cornu similitudinem habent; quidquid *oblongum est & prominet*: hîc pro *angulo.* ¶ *Filio olei*] Notus Hebraismus. *Filius pinguedinis* dicitur locus pinguis & uber. Ad literam dicendum esset *in cornu filio pinguedinis*: sed cùm Hebraismus hic non valde planus esset, sensum reddidi, *in angulo terræ pinguissimæ.* Habet enim Palæstina, si situm spectes, cornu seu cuspides similitudinem: multò enim longior quàm lata est. ¶ *Patruelis* &c.] Quantum ego conjecturâ augurari possum, habuit Jesaias Propheta patruum nobilem ac notum in populo illo, quocum Prophetæ familiaritas intercesserat haud vulgaris. Is dicterium hoc sæpe in ore habere solebat, ut cùm vellet significare quempiam oleum & operam perdidisse & malè labores suos & studia collocasse, diceret, *Amicus meus habuit vineam in loco uberi*, &c. *usque exspectavit ut faceret uvas, fecit labruscas.* Inquit ergò Jesaias, *Volo canere dilecto meo, domino meo, quem diligit anima mea, canticum de vinea ipsius, quod patruus meus solebat canere.* Neque hæc conjectura considerantibus voces & constructionem earum in textu Hebraico inanis (ni fallor) judicabitur à viris doctis, qui & Vulg. Interpretem rectiùs quàm cæteri Hebraica reddidisse animadvertent. Nam nomen שירת in regimine est: extra quod est שירה formâ femininâ, Exo. 14. & Num. 21. Dicendum ergò fuit *canticum patrui*, vel *patruelis mei.* Si cui tamen conjectura illa de Patruo Jesaiæ displiceat, דוד pro *dilecto* accipiat, ut ponatur antecedens pro relativo, sicut non rarò consueverunt Hebræi. *Cantabo*, inquit, *dilecto meo canticum ipsius de vinea sua*, i. canticum quod me Deus jussit canere: vel sic, *Cantabo dilecto meo* populo Israelitico *canticum* Dei *mihi dilectissimi*, quod jussit me canere *de vinea sua*, ipso nempe populo. דוד enim *patruum* & *charum* sign. 1 Sam. 14. *Patruus Saulis.* Levit. 25. Amós 6. &c. & femininum דודה *amitam*, sororem patris, Exo. 6. Levit. 18. Quid verò hæc significent in sequentibus aperiam.

2. *Et sepivit*] Verbum עזק hoc loco tantùm legitur, & habet cognationem cum verbo חזק: significat autem *munire* vel *sepe*, vel *maceriâ.* ¶ *Et lapidavit*] Verbum Hebræum סקל dicitur de *Lapidibus*, ut ירה de *sagittis.* Est ergò *lapides in destinatum locum librando mittere*: & in secunda conjugatione cum accusativo nominis seu pronominis illam significationem quam dixi videtur habere, ut 2 Sam. 16. *& lapidavit Davidem.* Proinde hîc *lapidare* dixi. Et more Hebræo hæc duo verba possunt construi simul sic, *munivit & lapidavit*, i. lapidibus munivit: ut non sepem fecisse intelligas, quam facilè transcendere quis posset, sed muro eam munierit: vel, *sepivit & lapidavit*, quasi sepem ex vepribus superponeret maceriæ ex lapidibus. Vide v. 5. Nec me latet, verbum hoc quasi contrariâ significatione *elapidare* vel *delapidare* significare, i. lapides auferre, sicut accepit Vulg. verùm quia in hac significatione construitur cum casu auferendi mediante præpositione מן ut infrà cap. 62. iccircò aliam acceptionem in versione secutus sum. ¶ *Sorek*] Pro quo ego verti *surculo*: nam congruit vox hæc cum Hebræa שרק. Latine *malleolos* dicunt, qui, ut inquit Plinius, sunt *surculi capitulati terræ infixi*, &c. Et Jer. 2. *Ego plantavi* שרק *semen veritatis*, &c. Ut non opus sit dicere *genus esse vitis laudatissimæ*, ut multi existimarunt. Est quidem & nomen proprium vallis in Palæstina ubi Simson adamavit Dalila, Jud. 16. quam credo sic dictam à *vinetis* quæ habuit. Quòd autem *surculum* sign. ostendit locus Gen. 49. & infrà cap. 16. *Domini gentium percusserunt surculos ejus*: ubi Vulg. non malè reddidit *flagella ejus*, &c. ¶ *Torcular*] Hebræis vas seu locus est à *cavitate* appellationem habens, in quo uvæ calcantur & exprimuntur: *lacum* dixissem, nisi esset vox πολύσημος. ¶ *Exspectavi*] Vel *intentus fui*, vel *vehementer exspectavi.* Nam verbum קוה non satis exprimitur verbo *exspectandi*, sed neque alio verbo Latino. Et quidem primariâ significatione puto esse artis Perspectivæ & lineas ducentium, de quo nonnihil infrà cap. 27. deinde ad motum seu inclinationem animi & voluntatis transfertur: variátque modum significandi ex constructione, & poteris nunc transferre verbo *affectandi*, nunc *apprehendendi*, nunc *amplectendi*, nunc *intendendi.* Neque sanè abludit Paulus cùm utitur voce ἀποκαραδοκία, quæ quidem Græcis propriè significat *vehementem, solicitam & anxiam exspectationem, quæ sanè non est sine aliquo gestu capitis.* Ferè idem significat verbum ἀτενίζειν, i. *defixis oculis*, seu *immotis & irreverberatis oculis, intueri*, & *quasi oculis pendere*: quo verbo usus est Lucas Act. 1. ¶ *Faceret uvas*] Hebraismus planus est, *produceret* vel *proferret uvas.* ¶ *Labruscas*] Heb. באשים, q. d. *fœtidas*, i. odibiles (באש enim *fœtor* est) has enim qui gustat, abominatur ut rem fœtidam. Græci hujusmodi uvas ὄμφακας appellant: & ὀμφάκιον *succus est acerba uva nondum maturescentis*, Diosc. lib. 5. cap. 7. Significat ergò *fructus insuaves protulisse & gustui acerbos.*

3. Hactenus erat Canticum patrui Jesaiæ, quod cùm in Dominum convenire diceret Propheta, infert jam v. 3. *Et nunc*, vel potiùs, *Nunc ergò, habitatores Jerusalem, & viri Judai*

dai, (est enim numerus singularis pro plur.) *jus dicite*, &c. sub persona ipsius Domini. In sequentibus exponit Propheta hoc Canticum, quod quædam Parabola seu Allegoria erat, & Remp. Judæorum *vineam Domini* esse aperit. Hanc habuisse Dominum *in cornu* dicitur v. 1. Tota enim Palæstina & terra illa ad quam Dominus Israelitas adduxit *cornu* dici meritò potuit. Oblonga enim erat, neque in latitudinem admodum extendebatur. Vide librum Josue. Quàm pinguis autem fuerit narrant historiæ & sacræ & profanæ. Quæ verò sequuntur & v. 2. continentur, per singula exponere nequaquam necessarium fuerit. Significant autem omnia quæ ad prosperitatem & felicitatem Reipub. pertinere possent, à Domino in eam collata fuisse. Nam & tutos eos ab hostibus reddidit; de novo enim Regnum illud formaverat ac propagaverat, leges ad conformandos mores optimas condiderat, Templo & cultu Dei ornaverat, Regnum Sacerdotale vel Regale Sacerdotium illud fecerat. Erant itaque & hostibus formidini, & inter se pacem colere & in Deum pii atque religiosi esse poterant. Denique nihil desiderabatur ad illius Reip. felicitatem. Quomodo autem *labruscas* pro *uvis* fecerit postea videbimus. Versu autem tertio *cives Jerosolymitanos* & ipsos *Judæos judices esse* vult in hac causa. Ad quem profectò locum respexit Dominus quando, ubi parabolam de Vinea in Euangelio proposuisset, subintulit, *Quid vobis videtur? quid faciet Dominus colonis illis?* &c.

4. *Quid est quod debui*, &c.] Hebraismus, *Quid ad faciendum ultrà, & non feci?* i. Quid supererat faciendum quod non fecerim? Hæc est Domini causa, hæc querimonia. Qui autem sic interrogat, certus est quòd nihil ei objici possit. Homo autem verè dicere poterit, *Quid debui facere Domino meo quod fecerim? quis ego? qualis ego? quid non mali ego?* dicebat Augustinus. ¶ *An quòd exspectavi*, &c.] Est hic dictio quædam in Hebræo מדוע, de qua illis assentior qui dictionem esse compositam dicunt ex מה & verbo ידע, servítque interrogationibus quæ fiunt ad cognoscendam causam alicujus rei, i. *Cur*, *Quare*. Est autem Hebraismus, *Cur exspectavi ut faceret uvas, & fecit labruscas?* i. Cur fecit labruscas, cùm justè ego uvas exspectarem? quasi ponatur prius verbum pro ablativo absoluto, *Cur exspectante me, ut*, &c. *fecit labruscas?* & ità quidam doctè transtulit. Cùm etiam *cur fecerit labruscas* interrogat, scit nihil posse responderi. Et quidem annotatione dignum est, quòd nullam excusatiorem obtendere atque afferre possimus quò minus per omnia Dei exspectationi respondeamus, & sat pro ratione nobis esse debet exspectatio Domini. Non enim est (ut dicebat ille malus servus) *Dominus austerus, qui reposcat quod non reposuit, aut metat ubi non seminavit.*

5. *Et nunc*] Vel, *Nunc ergò*. *Agè* נא Adhortantis est. ¶ *Auferam & diruam*] Dixit Vulg. de sensu solicitus, quasi infinitivi essent, quibus pro aliis temporibus utuntur. Ego malui in forma imperativorum accipere, quòd indignationem quandam forma hæc loquendi notet, similémque loquendi modum in sequentibus non semel videbimus. ¶ *Septem ejus*] A verbo שוך, quod *vepribus sepire* sig. est nomen משוכה, quod *spinam* collectivè significet, ut Mich. 7. & Prov. 15. Solent autem super maceriam spinæ collocari; ideo *spinetum* dixi. Suprà jam dixi de verbo בער, quòd *adurere*, deinde & *depasci* significaret. ¶ *Maceriam*] גדר est *sepire macerià*, indè nomen pro ipsa *maceria ex lapidibus*, quamvis ex alia quoque materia fieret. Eâdem figurâ loquitur Scriptura Prov. 24. nam de vinea loquens ait, *Spinæ operuerunt superficiem ejus, & sepes lapidum ejus diruta est.* Hujus quoque vocis significationem videntur Paulus expressisse Ephes. 4. *Ipse*, inquit, *est pax nostra, qui fecit ex utrisque unum, & interstitium maceriæ diruit.*

6. *Desertam*] בתה *Vacuitas* est Hebræis, seu *concavitas*, seu potiùs *effossiones*; cujusmodi sunt quæ post evulsas arbores seu plantas manent, aut quæ in torrentibus post delapsas aquas apparent. Vide infrà cap. 7. Congruit autem cum voce תהו. ¶ *Non fodietur*] Vel *sarculabitur*. Nam verbum עדר Hebræis propriè est *cogi*, *congeri*, *contrahi*, *congregari*, *colligi in unum*, unde in voce passiva est *instrumento aliquo terram contrahi in cumulum*, ut fit circa vites, ad quas terra sarculo contrahitur, sicut etiam fit arando. Vide infrà cap. 7. Possemus ergò reddere *non coacervabitur*. Verbum עלה *ascendit* Hebræis multis rebus accommodatur, &, ut vides, hìc è terra nascentibus & alibi sæpe tribuitur; valétque quod Latinis *crescere*, *succrescere*. ¶ *Vepres*] Seu *vepricetum*. A verbo שמר, quod *custodire* significat, venit hoc nomen שמיר, nomen collectivum, quod *vepricetum* seu *senticetum* sig. vel quòd aculeis *servet retineátque* homines aut pecudes, vel quòd sata *detineat aut suffocet*, aut sanè quòd ab ipsis se *custodiat* homo & *sibi caveat*. Infrà cap. 7, & 18. ¶ *Et mandabo nubibus*] Ego Hebraismum expressi, *Contra nubes præceptum ponam.* Et planus est sensus. Possumus & aliter hanc loquendi formam explicare, cum quodam viro docto in Hebraicis. Inquit enim quòd si post verbum צוה sequatur dictio privativa, eandem virtutem habeat quam Latinis verbum *veto* & *prohibeo*, q. d. *nubésque vetabo pluere*: ut Gen. 3. Thren. 1. &c. Nomen autem עב propriè *densum* seu *densitatem* designat. At hoc nomine plerumque vocant Hebræi *nubem densiorem*. עבה enim est *condensatum esse*, Deut. 32. *Impinguatus est, saginatus est, condensatus est.* Illas ergò nubes significat quæ densiores vel graviores sunt, & in pluvias facilè resolvuntur. Hæc mala quæ hìc minatur Dominus vers 5. Psalmista etiam sub nomine Vineæ jam Remp. Judæorum expertam suo tempore deflet Psal. 80. *Destruxisti maceriam ejus: vindemiant eam qui prætergrediuntur viam*, & multa hujusmodi, quòd *incensa igni*, & *suffossa*, &c. Qui locus Psalmi admonuit me ut alium hìc sensum subodorarer, videlicet, ut illa verba הסר משוכתו והיה לבער ità reddantur, *remove propagines ejus* (vel *ramos ejus*) *& sit in exustionem*: nam ab eodem verbo שוך venit nomen שוך; quod *ramum frondosum* significat. Jud. 9. *Succiderunt quisque ramum suum*: & in forma femin. שוכה ibidem. Ex quo suspicari jure & meritò possimus propriam significationem verbi שוך non tam esse *sepire* quàm *condensare*, *obstruere*, & *ramis*, seu *vepribus*, *viam aut rem aliquam impedire, ut munitior sit & magis inaccessa.* Unde & שוכה *pali super quos pelles & alia ad siccandum extenduntur*: quapropter משוכה videtur etiam significare quod nos *stacas* vocamus, quæ sunt veluti clavi lignei quorum usus est in tentoriis, quod ver. 2. vocavit שורק *surculum*, ipsas denique plantas & vites. Facile jam fuerit intelligere quando Resp. Judæorum hæc perpessa sit: non quòd similia ante adventum Domini non experti fuerint, sed vix hæc de altera vastatione intelligi possunt quàm de ultima. Quapropter & cùm de ea Propheta præcedentibus capitibus locutus fuisset, & de paucis reliquiis servatis, tempestivè jam ei videbatur in canticum prorumpere quod rem totam comprehenderet atque explanaret, initia, media & finem. Hic enim mos fuit Prophetis & S. scriptoribus. Vide lib. Judicum, & Deut. & infrà iterum observatum videbimus. Atque hanc Prophetæ promptitudinem & spiritûs impetum nonnihil significabat Adhortantis illa particula נא. Quando, quæso, sic patuit Israel hostium incursionibus ut ardere tota resp. & conflagrare visa fuerit? quando sic concidit fortitudo bellica, & contritæ sunt universæ vires Judæorum? quando sic ruptus & dirutus fuit murus Civitatis sanctæ & Templum & totum ipsum Regnum ut omnino spes etiam restitutionis & restaurationis interierit? quando, inquam, nisi post occisum Dominum? In superioribus enim captivitatibus non eradicabatur penitus vinea; adhuc remanebant vites, & forma Reip. aliqua ex parte apparebat. At à mille & quingentis annis nè speciem quidem Reip. habent. Olim calamitas quæ accidebat, putatio quædam esse videbatur, ut uberiores postea fructus ederet: At Titus & post ipsum Hadrianus omnia funditus everterunt, & infideles sedes illas occupant: in animis verò Judæorum nihil nisi fraudes regnant & imposturæ omnéque genus spinarum. Quòd si hæc negaverint, quid dicent aut respondebunt ad illud de *nubibus*, quod eruditè satis Hieronymus de Prophetis & S. verbi interpretibus exponit, quibus nunquam caruere Judæi nisi in hac ultima captivitate? Ut nos interim erudiamur quæ sit sors inimicorum Dei: Nihil apud ipsos decorum, nihil viride: bestiarum dentibus & pedibus expositi semper sunt: senticosos & morosos videas, sibi & aliis graves ac molestos: omnia occupat sterilitas, ut eorum curam Dominus abjecisse videri possit; adeò ut bonus ille Pater cœlestis, qui *pluit super justos & injustos*, i. super utrorumque agros, animos impiorum sæpe verbi sui imbre & cœlestibus pluviis destituat, aut certè adeò steriles esse sinat ac si nunquam super eos nubes pluviam depluerent. De felicitate autem justorum quid sentiendum sit suis quoque locis indicabo.

7. *Et viri*] Heb. איש, *vir*. In singulari aliquando collectivè capitur. ¶ *Germen delectabile*] Vel *plantatio delectationum*. Hebræis verbum duplicatum שעשע secundæ conjugationis semper in bonam partem accipitur, significátque blandam applicationem ad rem aliquam, ex qua voluptatem & oblectationem accipimus; & includit gestum applaudentium & blandè se applicantium, de quo infrà 11. & 66. Hinc nomen plurale tantùm שעשועים *blandi & amabiles amplexus & basia*. Vulg. Prov. 8. dixit *delicias*. Sunt autem blandimenta amantium. *Intentus exspectabat*, i. exspectaverat. Vide suprà vers. 2. ¶ *Humiliatio*] Quid sentiendum sit de verbo ספח, à quo

à quo nomen משפח, vide suprà 3. 17. Somnia enim existimo esse quæ hîc alii afferunt de *plaga*, de *scabie*, de *lepra*. Alii *conciliabulum*, alii *plagam lepræ* vertunt. Ego, quia verbum *deprimere* seu *humiliare*, quemadmodum ancillæ & servi humiliantur, significat; *humiliationem* dixi. Neque est quod rectiùs *judicio* opponatur: nihil enim aliud est in Reip. *judicium* quàm sublevatio quædam miserorum, qui à potentioribus, si absit judicium, opprimi solent: quòd si ipsi Judices sint qui pauperes opprimant, quid erit nisi pauperum, pupillorum & viduarum conculcatio? Hoc profectò est quod dicit alius Propheta, *Judicium in absinthium conversum*, ut unde solamen pauperes exspectant, indè amaritudo dimanet. Hoc & sequens membrum explicat, dum *pro justitia clamorem* (seu *vociferationem*) *reddidisse eos* affirmat. Est autem צעק non *clamare* tantùm, sed *ex dolore animi aliquid valde indignum ferentis vociferari*. Et omnino idem est cum verbo זעק. Eâdem ratione צעקה non simpliciter *clamor* est, sed *querimonia*, *questus*, seu *querela cum clamore*. Cùm autem Justitiæ sit, cuique suum reddere; ea si abest, omnia sunt ejulatu, questu & gemitu plena. Ecce habes *labruscas* pro *uvis*, & quàm amari fructus sint palato Domini injuriæ & oppressiones. Omphacion profectò propinant Domino qui pauperes opprimunt, non minus acerbum quàm quod in cruce pendenti vinitores hujus vineæ obtulerunt. Veritatem profectò hujus Prophetiæ tunc comprobarunt Judæi nescientes quid facerent. Elegantem Paronomasiam in verbis hîc meritò ac jure annotant Rabini: quam qui Hebraicè nesciunt hîc videre possunt.

Uvæ,	Judicium, MISPAT. Justitia, TSADAKA.	Labruscæ;	Humiliatio, MISPACH. Vociferatio, TSA'AKAH.

In verbis quoque illis, *plantatio blanditiarum ejus*, nè omittas conferre felicitatem hanc cum sorte illa impiorum quam hoc capite, superiori versu, descripsit Propheta. *Si hoc non est de cælo in terram, imò in abyssum præcipitari*, quid aliud sit ignorat Bernardus. Væ illis qui tantam ruinam non sentiunt. Blanditias has Domini ad Judæos, præsertim ad Regnum Judæ, describunt S. historiæ: *quorum*, teste Paulo Rom. 9. *erat adoptio, gloria, testamenta, legislatio, obsequium* (seu *cultus*) & *promissiones*; *quorum sunt patres*, & *ex quibus Christus secundùm carnem*. Quæ blandimenta amoris majora ostendere potuisset? quæ oscula, qui amplexus huic quod ultimo loco dixit comparari possunt? Hunc profectò totum amoris thesaurum longè superat, quòd novissimis diebus *non Angelos*, *sed* humanum genus & *semen Abrahæ apprehendit*, & quidem ità apprehendit & sibi, cùm *in forma Dei esset*, mirabiliter conjunxit, ut neque illud verbum שעשע, quod ad indicandam ejusmodi arctissimam atque suavissimam conjunctionem affictum esse videtur, explicare pro dignitate sufficiat.

8. Jam particulatim describere incipit acerbitatem fructuum, & à Cupidate incipit, quæ *omnium malorum radix* est. Quamvis autem aliorum possessiones hîc direptas non dicat neque vi extortas, sed tantùm *prædia prædiis adjuncta*, atque *ædes ædibus*, quod per commutationem atque emptionem fieri posse videtur, nihilominus fieri haud quaquam potest ut qui ejusmodi studio laborant, non faciant injuriam, non vim inferant, non metu & minis ad vendendum cogant, non interdum minoris quàm res sit emant, & in hujusmodi laqueos non incidant; qui fructus Deo & proximis acerbi nimis sunt. ¶ *Usque ad terminum loci*] Vel *donec nihil loci*, vel *non locus*, scilicet *supersit*. Vox enim אפס *defectum*, *cessationem*, *finem*, *terminum*, ultra quem nihil ampliùs superest, notat: quanquam commodè linguâ Latinâ *nisi* particulâ exclusivâ seu terminativâ reddi posse videatur, infrà 41. bis. ¶ *Numquid soli vos*, &c.] In Hebræo non est illa nota Interrogationis; sed cùm interdum omittatur, possumus accipere hæc verba cum Vulgato. Ad verbum autem sic habetur, & *habitatores constituamini soli vos in medio terræ*. Et quidem sic conjunctionem pro particula Consecutionis accipiamus, planus erit sensus; *copulatis agrum agro*, &c. *ut soli vos habitetis in medio terræ*, i. soli vos optimis quibusque fruamini, nihilque vobis desit tanquam rerum dominis. Sic enim interdum usurpant Hebræi phrasim hanc, ut in lib. Reg. *In medio populi mei habito*, i. nullius indigeo.

9. *In auribus Jehovæ*] Si hæc ad ea quæ præcedunt referas, sicut Vulg. accepit, Aposiopesis est seu Reticentia indignationis & minarum plena, q. d. *Hoc vestrum studium quo pertingere facitis domum ad domum*, vel potiùs *quo conjungere & continuare studetis plures domos*, *item illud quod agrum ad agrum appropinquare* (vel potiùs *pervenire*) *facitis*, *jam appropinquat* (vel *pervenit*) *ad aures Domini*. Clamor oppressorum à vestra cupiditate auribus Jehovæ percipitur. Ità in Deut. ubi oppressiones has numeravit, *Nónne hæc condita sunt apud me*, & *signata in thesauris meis? mea ultio*, &c. Possunt tamen ad sequentia referri, *In auribus Jehovæ*, i. teste seu audiente Jehova, *dico*. ¶ *Nisi domus multæ desertæ*, &c.] Forma est Jurantis cum imprecationibus, quæ tamen religionis causâ non exprimuntur ab Hebræis, nisi raro. Latini, *Dispeream*, *nisi* &c. Pro quibus etiam dicere solent, *Faciat mihi Dominus*, & *hæc addat*, *nisi*, &c. quæ tamen non explicant quæ sint. Pœnam autem accommodat culpæ. *Anhelabatis ad multitudinem domorum*, *ut amplas ædes* & *magnificè constructas haberetis? erunt ergò multæ illæ* & *amplæ* & *artificiosè ornatæ domus in afflatum*. De verbo autem שמם, à quo שמה, vide suprà 1. 7. Non malè Vulg. per *desertum esse* solet reddere. Suprà enim vastitatem & inexspectatam subversionem afflare solent homines, quasi indignati ob culpam, vel admirantes ob pœnam. ¶ *Absque habitatore*] Heb. *præ non exsistente habitatore*. Nam particula negandi אין apud Hebræos verbum substantivum in sua significatione includit; & מ interdum valet *præ* seu *propter*.

10. Quia *agrum agro copulabant* (vox autem Hebræa שדה *quamlibet partem terræ cultam arvis*, *pascuis*, *pratis*, *arboribus*, *herbis* & *hortis* significat) pœnam accommodat cupiditati. Est autem בת nomen mensuræ liquidorum, habens appellationem à *vacuitate* & *capacitate*, ut pleraque alia, & tantum liquidorum capit quantum aridorum Epha, nempe decimam partem Homer. Est autem Homer quam *Corum* dicere possumus; continétque decem Ephos. Multi putant esse idem quod צמד. ¶ *Jugera*] Nomen Hebræum צמד est *conjugium* seu *jugum*, & *unius ad alterum conjugatio* seu *copulatio*. Possumus ergò *jugera* vertere cum Vulg. vel *decem parium canistrorum* (vel *cistarum*) *uvis plena*, quæ mulis aut aliis jugalibus superimponuntur.

11. *Væ, qui consurgitis manè*] Vel *manicamibus*. Verbum שכם, quod non est in usu nisi in tertia, est *manè surgere*, quod Gellius *manicare* dicit. Et sicut nos ità Hebræi aliquando apponunt nomen בקר, i. *multo manè*, *diluculo*, *primâ luce*; aliquando non. Quomodo alii hanc orationem reddant, apud ipsos videas: ego certè & verba & phrasim & sensum simul expressi. Si interpretes Hispanè nossent, intellexissent quid significaret vox מאחרי absolutè posita. Non enim ex *de* & *post* facimus *despois*, i. *deinde*, *postea*, quando non regit casum. Ità Hebræi componentes מ cum אחר, adverbium Temporis faciunt. Item forma est regiminis; unde non videtur participium esse, i. *manicantes* vel *surgentes*, sed pro *manè* seu *manicationibus* accipiendum: nam & in singulari משכים sæpe subit rationem adverbii. Jer. 5. *Velut equi saginati manè fuerunt*, &c. Et in plurali in hac ipsa forma Ps. 127. *In vanum* (vel *Vana*) *sunt vobis manicationes*, *surgendo*, *deinde sedendo*, &c. ubi etiam habes vocem מאחרי, de qua paulò antè: quare non puto esse participium verbi 2. conjugationis אחר, ut quidam putarunt. Invehitur ergò in manicantes, & ipsas manicationes detestatur quòd non ad orandum, non ad laudandum Deum propter opera ipsius, sed ad ebrietatem & luxum, quibus gravata corpora non possunt nisi terrena sapere. Et has voluptates *acerbas uvas* vocat, sicut in Euangelio delicias & divitias *spinas* dixit Dominus. Est autem שכר generaliter Hebræis omnis *potus factitius qui inebriare potest*. Redditur ferè *sicera*, parùm deflexâ voce Hebræâ. *Inebriativum* vel *temetum* dicere possumus. ¶ *Ad vesperum*] Hebræis tempus illud obscurius vel post vesperum ante noctem vel post noctem ante diem, quod utrumque Latini *crepusculum* vocant, dicitur נשף, a verbo quod *flare* sig. quòd eo tempore aura flare soleat. Objicit ergò quòd cùm tempus matutinum compotationibus insumpserint, vesperi sive nocte toti vino maderent & inflammarentur. Ebrietatibus enim noctem aptam esse vel Paulus ipse significavit, quando ait, *Qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt*, &c.

12. In 12 autem versu, quòd in eorum conviviis omnia sint profana, nihil sacrum, nulli hymni, nulla Divinorum memoria beneficiorum, sed omnia musicis instrumentis & ebriorum vocibus prestreperent; Convivia, inquit, eorum nihil aliud sunt, nihil aliud in eis conspicitur, nisi *cithara*, &c. Vox Hebræa כנור congruit cum altera צנור, i. *canalis per quem aqua dilabitur*. Ità & in Cithara est aliquid instar canalis, unde chordæ quodammodò defluunt quæ sonitum reddunt. Hinc fortè lacus ille Tiberiadis כנרת dictus est, quòd figuram Citharæ haberet: postea dictus est Syriacè גנסר, unde tempore Christi *Genesareth*, cujus etymologiam dicebat Caninius ille præceptor meus

meus esse à שר *Princeps* & גן *hortus*: tota enim illa regio quæ circumjacebat lacui Regiis hortis consita erat. ¶ *Nabla*] Consentit vox cum Hebræa נבל. Josephus lib. Antiq. 7. cap. 12. scribit כנור *decem habuisse chordas, & plectro percuti solitum*, נבל *verò duodecim, & tangi consuevisse digitis.* Unde verisimile est fuisse vas seu instrumentum nostræ chelyi seu testudini non dissimile: à *vacuitate* autem, ut pleraque alia, nomen habet. ¶ *Tympanum*] תף credo, quòd à sono nomen habet, sicut & verbum תפף. ¶ *Tibia*] Hebræis nomen habet à *profanatione* חליל. ¶ *Convivia*] Hebræis nomen habent à *potu*: à שתה dicitur משתה, q. *compotatio.* Sic quoque putarem Latinis *convivium*, q. *combibium* dictum, nisi Ciceronis auctoritas obsisteret, qui à *convivendo* dici vult. Certè Græcis συμπόσιον à *compotando* etiam dicitur. Verba autem *sectantur, inflammat, est, aspiciunt*, in Hebræo sunt in forma futuri, sed sine dubio pro præsentibus ponuntur, & consuetudinem notant. Verbum autem *vident* est in forma præteriti. Notántque interdum hæc duo verba נבט & ראה non tantùm *visionem* aut *aspectum*, sed etiam *pressam considerationem*; cujusmodi erat illius qui ubi de operibus Domini verba fecisset, prorupit, *Quàm magnificata sunt opera tua*, &c. *& meditabar in omnibus operibus tuis & in factis manuum tuarum*, &c. Nihílque dignius videtur quàm ut qui creaturis Domini fruuntur, illarum auctorem recognoscant, & pro beneficiis gratias referant. Vide Psal. 28. 5. *Quoniam non intelligunt ad opera Domini & ad factum manuum ejus, eruis eos, & non ædificas*, &c. Certè satius fuisset ante lucem surgere, & manè & vesperi & meridie annunciare laudes Domini. Verùm si hoc loco *opus Domini* & *facta Domini* pro *eis quæ facturus esset Dominus, seque facturum comminabatur per Prophetas*, intelligamus, ut infrà v. 19. fortasse nihil alienum à mente Prophetæ diceremus.

13. *Captivus ductus est*] Vel *disparuit.* Nam verbum גלה est de numero eorum verborum quæ contrarias habent significationes, *appareo* & *dispareo*, &c. Hinc factum est ut pro *migrare* seu *exsulare* accipiatur. At quod sequitur variè ab aliis intelligitur; quæ apud ipsos videre poteris. Mihi simplicissima interpretatio videtur ut illud *absque scientia* idem sit quòd *insperatò, inopinatò, subitò*, cùm nihil minùs timerent: nam sicut *quidquam agere absque scientia* est Hebræis interdum Ignoranter agere ut Deut. 19. *Qui percusserit sodalem absque scientia*; ità *quidquam pati absque scientia* hoc loco accipi potest pro *inopinatò* seu *insperatò*. Congruit autem pœna culpæ. Nam totos dies in gaudio ducebant repellentes à se quidquid mœrorem afferre posset, ingruat in eos inopinata tempestas, veluti in nautas ebrios. ¶ *Nobiles interierunt fame*] Heb. *gloria ejus viri famis.* Nomen כבוד collectivè pro *gloriosis* accipitur. Hos dicit *mortuos fame*, si Vulg. sequaris, vel *viros famis*: nam vox aliis atque aliis punctis & *viros* & *mortuos* sign. ut immeritò hîc quidam Hieronymum taxet quòd in punctis deceptus sit: quasi verò tempore Hieronymi punctata fuerint Biblia. Vides convivantium & totos dies comedentium atque bibentium pœnam? ¶ *Multitudo*] Vel *turba ejus.* המון, à verbo quod *multiplicari* sign. cujuslibet rei *multitudinem, copiam, turbam*, à tumultu seu strepitu quem multitudo facit, notat: imò etiam pro ipso *tumultu* seu *strepitu* usu venit; ut Græcis ὄχλος & *turbam* & *tumultum* notat. Hic pro *turba* visum est accipere, ut à *nobilibus, divitibus* & *præpotentibus* dividitur: nam *populum disparuisse* seu *migrasse* dixit, deinde *nobiles* & *ignobiles* commemorare videtur.

14. *Infernus*] Hebræum שאול nemo rectiùs quàm Vulg. vertit. Plerumque autem pro *statu mortuorum* accipitur: & sic dicitur quòd gravia quæque deorsum petant ac tendant; vel quòd satiari non possit, & semper plura petere videatur, ut indicat locus ille Prov. 30. *Tria sunt quæ nunquam saturantur, Infernus*, &c. Sicut & Lactantius in quodam carmine etymologiam reddidisse videtur, cùm scribit,

Inferus insatiabiliter cava guttura pandit.

Id ipsum Deut. 32. vocat Moses *infernum inferiorem*, & David, quem locum alio nomine Ezechiel, ארץ תחתית *terram inferiorem* vocat. Ad quem locum fortè allusit Paulus cùm ait *Dominum descendisse in inferiores partes terræ.* ¶ *Animam*] Sumitur interdum נפש pro *affectu, appetitu, desiderio, concupiscentia*; quod etiam Inferno abusivè tribuitur. ¶ *Modo*] Hebræum חק propriè est *præscripta forma* seu *norma, statutum, constitutum*: hinc ad *ritus* & *ceremonias, cultus*, &c. Vulg. sensum expressit, *absque ullo termino.* ¶ *Fortes ejus, & populus ejus*] Vel *splendor ejus, & turba ejus*, &c. Relativum Hebræis est fem. generis in his tribus nominibus: supplendum est ergò antecedens, scilicet *terra*, cujus quasi medullam & meditullium illi soli volebant possidere. Dicit itaque *ad infernum descensuros nobiles & ignobiles, totúmque strepitum illum in conviviis exsultantium, & tripudiaturos illic.* Festiva Ironia. Et hic sensus simplicissimus est, nisi malis *tripudiare* verbum ad *infernum* referre, quòd *in* vel *cum splendore & cum turba illuc descendente tripudiabit.* Sed prior sensus magis placet. Nam verbum est masculinum, & nomen *inferni* femininum. Eleganter autem *tripudiare ad infernum* jubet eos quorum vita erat *convivia*, ipsa verò convivia nihil aliud quàm *cithara, tibia*, &c. ¶ *Strepitus*] Hebræa dictio שאון propriè *ruinam* seu *irruptionem, interitum* seu *præcipitium*, juxta significationem verbi שאה sign. at per Metalepsin est *sonitus, fragor, tumultus, strepitus, fremitus, sonus*; qui ubi profunditas est ruinam subsequitur. Dicit ergò *splendorem & turbam & strepitum ejus*, i. cum fragore & strepitu suo, *illuc descendere.* Vel *strepitus* hic est quem exsultantes reddunt: nam hâc voce utitur Propheta infrà 24. cùm ait, *Cessavit strepitus exsultantium.*

15, 16. Quàm gloriosus appareat Deus ubi damnat impios & pios conservat, quod in Scripturis est *facere judicium & justitiam*, indicat hic versus & sequentes duo, qui ex parte in præcedentibus expositi sunt. *Humiliantur* superbi, *exaltatur Deus, justus & sanctus* prædicatur, qui *non reliquerit virgam improborum super sortem justorum.*

17. In hoc versu tanta est varietas quot sunt Interpretes, quorum interpretationes non damno. Debuissent profectò diligentiùs verba examinasse, & rerum consecutionem considerasse. Et quidem, ut solent viri docti, in locis difficilibus (neque enim abstrahentium est mendacium) primò puncta cogitatione detrahenda & quasi abradenda sunt: quod ubi fecerimus, licèt significationes vocum latiùs pateant, id tamen non parùm juvabit ad verum sensum investigandum. Quòd vox חרבות *gladios* & *siccitates* significet, nemini dubium est: de quo jam suprà 1. 20. Certum est etiam vocem גרים posse esse participium à verbo גרר, quod *attrahere* sign. & cùm de animalibus dicitur, *ruminare* interpretatur Hieronymus, quia quæ ruminant animalia cibum in os attrahant. Potest quoque esse à verbo גור, & significabit *peregrinos*, quemadmodum accepit Vulg. & alii. Rursus vox כדבר potest accipi vel *juxta ordinem*, vel *juxta verbum.* Nam pro eo quod scribitur 1 Par. 21. *Ascendit David* בדבר *Gad*, i. *in verbo* (vel *jussu*) *Gad*, scribitur 2 Sam. 24. כדבר *juxta verbum*, ut quasi idem sit. Et Ps. 17. *ab studiis hominum* בדבר *in verbo* (vel *juxta verbum*) *labiorum tuorum ego abstinui*, i. ut tu diffinieras, juxta præscriptum tuum, & ut tu verbis significaveras. Potest ergò hoc loco esse quod alibi dicitur *voluntas labiorum*; ut sic vertere liceat, *Et pascentur agni juxta verbum ipsorum, & gladii medullata ruminantia devorabunt*: quasi explicet quomodo *Dominus exaltabitur vel sanctificabitur in judicio & justitia*: Cùm scilicet *agni* innocentes, secundùm quod optaverint, *in pascuis uberrimis* à Domino *pascantur* (de quibus Dominus in Euangelio, *Ingredientur & egredientur, & pascua invenient*, i. quocunque se vertant) ut non fraudentur à desiderio suo neque *voluntate labiorum* suorum: Ventres autem illi *pingues*, & qui ab alio Propheta vocantur *vaccæ pingues*, homines vino & crapulæ deditî, quorum stomachus crudum eructat, qui potu cibóque ventrem distendunt seséque ingurgitant, ut ob nimiam repletionem ad os redeant cibi; isti, inquam, *gladio devorentur*: ut idem sit quod c. 1. 19, 20. dixerat eisdem ferme verbis, *Si dicto audientes fueritis, bona terræ comedetis: si nolueritis*, &c. *gladio absumemini*, vel *siccitate.* Hic sensus planus est neque aliqua ex parte violentus. Possumus quoque חרבות pro *siccitatibus* accipere, i. aridis pascuis, & in casu accusandi: q. d. *medullata ruminantia comedent siccitates*; ut opponatur *pastui agnorum*: juxta illud, *Ecce servi mei comedent, & vos esurietis.* Quòd si quis totum versum in bonam partem velit accipere, poterit in hunc modum, *Pascentur agni juxta verbum ipsorum, & siccitates medullatorum*, i. jugulata medullata, vel medullatorum sicca & exsanguia cadavera, *advenæ comedent*: ut idem sit quod in Euangelio Dominus dicit, *Auferetur à vobis Regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus*, &c. Quòd si quis ירעו verbum ex duplicato רעע dixerit esse, quòd cùm regit accusativum, ut Job. 34. (de quo infrà cap. 24.) est quasi oppositæ significationis verbo רעה, i. *depascere ad similitudinem pecorum quæ agros depascunt*, hic erit sensus, *Depascent agnos juxta ordinem ipsorum, & sine sanguine sicca corpora medullatorum ruminantium comedent*; i. Vescentur carnibus pinguibus & mundis, non juxta ritus Gentium, sed juxta formam à Deo ipsis præscriptam, absque sanguine. Quid si de Sacrificiis hæc intelligenda sint? quòd *depascent agnos juxta ritum à Deo præscriptum, & gladiis occidant animalia pinguia & munda*: ut sit similis locus illi Mal. 3. Postquam dixit

quòd

quòd *Dominus excoqueret suos quasi aurum & argentum*, subinfert, *Et erunt Domino offerentes sacrificia in justitia, & placebunt Domino sacrificia Juda & Jerusalem, sicut diebus seculi*, &c. Et illud Psal. *Ædificentur muri Jerusalem. Tunc acceptabis sacrificium justitiæ; tunc imponent super altare tuum vitulos.* Alii alia afferunt, sed nimis violenta. Ego libenter amplector primam expositionem, ut prior pars versûs ad felicitatem piorum, posterior ad pœnam improborum referatur. Congruit enim cum verbis quæ præcedunt, quòd *in judicio & Justitia exaltabitur Dominus*: & divitum epulonum illa est satis digna pœna: quemadmodum qui in Euangelio *intinctum digitum in aqua* petebat, neque obtinebat, *ad refrigerationem linguæ.* Et in his omnibus expositionibus מחים sumimus pro *medullatis*, q. sit à verbo מחה, cujus non legitur nisi hoc participium. Quòd si deducamus à verbo מחה *abstersit*, *diluit*, unde & כרי instrumentum bellicum quod *aries* esse putatur à viris doctis, ut infrà videbimus cap. 26. *arietes* sic vocari dicemus quòd graminia deleant & absumant. Neque erit tunc contemnenda versio illius qui ità transtulit, *& solitudines arietes palantes arrodent*: quod cum *agnis juxta suum ordinem pascentibus* convenit: ut *solitudines*, non *horrida loca*, intelligamus, sed alendis pecoribus apta. Hujusmodi autem pecorum pastus argumentum est quietis & pacis. Sed præter hoc quòd *siccitates* vel חרבות in hac acceptione non memini me legisse, מחים pro *arietibus* nusquam in Scripturis invenies: licèt כרי in sing. pro instrumento bellico, ut dixi, inveniatur.

18. *Qui trahitis*] Hebræum משכי participium sic tanquam nomen usurpatum, plerumque notat Consuetudinem, q. d. *Væ, qui solent trahere, veluti ex officio, iniquitatem.* Nomen עון interdum est *pœna*; sicut cùm dixit Saul pythonissæ, *Vivit Jehova, si accidet tibi* עון *propter rem istam*, &c. &, ni fallor, ità hoc loco accipiendum est. Eodem modo accipio & nomen חטאה, quod *erratum* propriè dici potest. Sensus ergò est, *Væ vobis qui damnationem vestram adversum vosmetipsos trahitis, & magnâ vi nitimini ut ad vos accedat, veluti qui plaustrum onustum fune trahunt: trahitis autem perditionem vestram funibus temeritatis*, i. vestrâ temeritate, audaciâ ac proterviâ. Quæ sit autem hæc *temeritas* sequenti versu explicat. Nomen עבות singulare est, cujus plur. עבותות legitur Exod. 28. & Os. 11. &c. & à verbo deducitur quod *condensationem* seu *complicationem* significat, qualis est in frondibus aut funibus & catenis. Et plerique in regimine accipiunt; quod à me non probatur: nomen enim עגלה, i. *plaustrum*, quòd super rotis volvatur, à verbo quod *rotunditatem* & *devolutionem* notat, à participio *trahentes* regitur.

19. *Qui dicitis, Festinet*] Quæ major temeritas excogitari potest quàm ut dicat peccator. *Festinet Dominus ad puniendos nos; exsequantur consilium suum quod tu Jesaias adversùm nos denuncias: jam illud experiri percupimus?* In profundum enim malorum venientes impii minas contemnunt, neque minantibus servis Dei fidem adhibent; & nihil aliud quàm minas esse arbitrantur. Hic genius est eorum qui vitam luxuriosè degunt. Solent autem Ministri Domini, dum admonent malos, sæpius inculcare, quòd nesciant quid facturus sit Dominus, quòd caveant sibi, &c. Ideo & ipsi *opus Domini* vocant, quidquid illud sit quod facturus prædicitur. *Opus*, quod toties dicitis Dominum facturum, *consilium*, quod tantâ præmeditatione indiget, in quo per tot annos Dominus deliberare videtur, dignum est quod *videatur*, quod *agnoscatur*. *Festinet*, &c. congeminatio verborum ferè idem significantium satis temeritatem & irrisionem notat. Et quia Prophetæ sæpius *Sanctum Israelis* inculcabant, ut ad venerationem & reverentiam animos permoverent (ut infrà videbimus, ubi ipsi aiunt, *cesset à nobis Sanctus Israelis*) easdem voces ipsi irridentes repetunt. Possunt & hæc accipi de ipsis peccatis & iniquitatibus quas peccatores nonnulli magnâ animi contentione per summam temeritatem ad se trahunt, neque quiescunt donec perpetraverint quæ animo priùs conceperant: nec satis est illis scelera perpetrasse, nisi etiam minas Domini contemnant, credentes se impunè semper victuros.

20. *Væ, qui dicitis malum bonum*, &c.] Hebraismos ego retinui, quòd triti & faciles essent. Omnibus hoc vitium est filiis hujus seculi, ut juxta leges & decreta mundi de rebus judicent. Eos igitur intelligo de *malo dicere*, *quòd bonum sit*, & contrà, qui patientiam & humilitatem ut res viles damnant, vindictam verò ac fastum hominem decere dicunt, idem de paupertate, modestia reliquáque sanctorum vivendi ratione sentientes. Cæterùm *lucem in tenebras*, & contrà *ponunt*, qui Legem Domini, quæ lux est, superstitionibus aut non sanâ doctrinâ obscurant aut corrumpunt, veluti qui contra præceptum de Honore parentum docebant filios in ærarium mittere quod parentum vitæ necessarium erat: idem in præcepto de Dilectione, de Non jurando, de Non mœchando, &c. statuebant. Quas *tenebras* Dominus apud Matthæum discutit, & veram *lucem* terris rursus restituit. *Dulce* autem *in amarum convertunt*, qui *judicium in absinthium commutabant*, de quo suprà v. 7.

21. *Væ, qui sapientes estis*] Hæc est mens & sensus mundi. Quòd si perversis hisce moribus accedat etiam scientia, mirum quæ monstra indè oriantur. Isti inflati omnia pervertunt, & nimiâ auctoritate juxta carnis sapientiam immutant leges atque jura; & quod ipsis sapit, id sapientiam esse definiunt. Et quia plerumque à sic inflatis opinione scientiæ mentibus perversa illa judicia aut oriuntur aut vim habent atque stabiliuntur, iccirco Propheta in eos qui sibi ipsis sapientes videntur invehitur. Quòd si, ut oportet, ad tempora Christi hæc referas, omnia plana erunt. In Euangelio enim horum omnium interpretationes leges Christo affirmante *auferre eos clavem scientiæ*, ut qui essent *cæci*, *& duces cæcorum*, &c. ¶ *Malum*] רעע verbum sign. *malum*, *durum*, *asperum*, *adversum*, *triste esse*: éstque interdum culpæ, interdum pœnæ: sic & nomen. ¶ *Tenebras*] De verbo, quod *obscuratum esse* significat, infrà cap. 13. nonnihil dicetur. Hoc autem loco quodammodo allusio esse videtur ad locum illum Gen. 1. ubi dicitur *distinxisse Deum lucem à tenebris*, quasi isti voluerint opus Dei invertere: quâ quidem nulla potest esse major perversitas. *Quæ* enim *conventio luci ad tenebras?* ut inquit Paulus 2 Cor. 11. Verùm quia Vinea Domini has labruscas attulit tempore Christi, hæc paulò secùs accipi possunt. Quid enim dictis & factis Domini Salvatoris melius, illustrius ac dulcius? *Verba* erant *vitæ æternæ*, ipse totus erat *Lux*, totúsque desiderabilis; & tamen Pharisæis & Sacerdotibus nihil visum est pejus, nihil obscurius aut amarius. Hunc *habere dæmonium*, hunc *seductorem populi*, hunc dignum cruce judicarunt, Barabbæ latroni & sicario ipsum postponentes, datâ ipsis optione utrum illorum vellent vivere. Cætera conferat prudens lector.

22. *Væ*, inquit, *iis qui ad hoc potentes* videntur esse, & ad hoc potentiâ supra alios pollent, *ut largiùs bibant.* De Magistratibus est sermo, quorum potestas in publicos usus est, quam illi ad suum commodum exercebant. Vulg. *potentes* dixit. Possumus dicere *heroes.* גברים enim propriè sunt *heroes* gigantes, seu *præpotentes*, &c. de quo infrà 49. *Nunquid auferetur ab heroe præda*, &c. ¶ *Viri fortes*] Heb. *strenuitatis.* Hoc enim est חיל à verbo חול, quod est *dolore affici*, & *cruciatu* seu *dolore angi.* Unde HIL *dolor vehemens*, & HAIL *strenuitas*, quæ scilicet in labore & exercitio consistit, & quodammodo enititur facinora & præclarè facta. Sæpissime autem collectivè accipitur, & pro *exercitu* usurpatur, in quo sunt viri strenui, unde hîc pro *bellatoribus* accipi potest. Sumitur interdum pro *facultatibus strenuitate partis.* Exempla inferiùs occurrent. Unde & pro *divitibus* potest hîc accipi. Suprà ver. 11. dixi de nomine שכר. Nomen autem יין *vinum* Latinis, & Græcis οἶνος, consentientibus vocibus, videtur habere cognationem cum nomine יון, i. *lutum liquidum*, seu *fæx*, à *turbiditate*, quòd in terra Canaan vina fuerint turbida & fæculenta rubríque coloris. Noach autem à *Vino*, quo inebriatus est, quique ipsum primus reperit, Græcis Ὀινότρος, Latinis *Janus* dicitur, à voce nimirum JAIN. ¶ *Ad infundendum*] Propriè מסך sign. *infundere è supernis*, ut è vase in vas inferius. Hinc nomina quæ Hebræis *infusionem liquidorum* notant. Vide infrà c. 65.

23. *Qui justificatis*] In Hebræo est tertia persona in verbo sequenti, *auferunt*: ideo participium etiam per tertiam reddidi, *qui justificant*, vel *sunt justificatores*, i. absolvunt & justum pronunciant eum qui ob improbitatem *sons*, i. reus est. Propriè enim רשע *improbus* est: hinc pro *sonte & reo*, quod isti sunt digni morte. Respicit hic locus ad locum Num. 35. ubi dicitur, *Non accipies pretium redemptionis pro vita homicidæ, quando ipse* רשע *ad moriendum, sed morte moriatur*; i. *reus mortis*: sicut in Matthæo est Græcè redditum ἔνοχος θανάτου. Credo autem hâc voce usos Judæos, quam Joannes Græcè dixit κακοποιὸς *malefactor*: nisi esset hîc *improbus*, *nocens*, *seditiosus*, &c. Quòd si redimi vitam improbi pretio etiam in publicam utilitatem conferendo nolebat Dominus, quomodo justitiam largitionibus corrumpi pateretur? ¶ *Propter*] Vel *pro.* Heb. עקב. Vox hæc à verbo est quod *pessundare* seu *supplantare* significat, ut apparet ex nomine *Jacob*, cujus etymologiam habes Gen. 27. cum hoc ipso verbo. Significat autem *calcem*, *calcaneum*, *plantam*, *vestigium.* Verùm quia Calcaneus seu Planta ultimum est in animale, transsumitur aliquando pro *fine*, deinde pro *fine laboris*, i. *mercede*, *fructu*, *compensatione*

satione

satione, non aliter atque apud Græcos τέλ☉ *finis* pro *fructu* & *emolumento quod ex re quapiam capitur* usurpatur. Sæpius autem subit præpositionis officium, *pro*, *propter*, &c. quia ejusmodi particulæ notant Causam finalem, ut vel hinc videas proprietatem linguæ Hebrææ, & quàm sit naturæ conveniens. Illud quoque *pro munere* repetendum est in secundo membro, *& pro munere auferunt justitiam*, &c. At *potestas est à Deo in laudem bonorum*, *vindictam autem improborum*, teste Paulo. Considera hìc consecutiones verborum, in quibus & rerum consecutionem intelliges, unde non parùm eruditionis in Scripturis eruere poteris. Luxui nobilium & Magistratuum connectit Acceptiones munerum; his mox Justitiæ perversionem, &c. Pro alendo enim luxu pullulat cupiditas, ex qua omne scelus: quod suo malo experta est Romana Resp. aliæque plurimæ. Quare nescio an aliud pestilentius malum possit in quavis Rep. reperiri quàm Luxus: hinc enim cupiditas; ab hac Injustitia & omne malorum genus, quæ diutiùs inulta manere non patitur *justus Dominus*, qui *justitias dilexit*, &c. Unde Poeta Romanus,

—patimur longæ pacis mala: sævior armis
Luxuria incubuit, victùmque ulciscitur orbem.

Sed audi quod sequitur.

24. *Propter hoc*, *sicut devorat*, &c.] Trahebant ad se pœnam & perditionem; & ut citò appareret, nimirum irridentes minas, exoptare se dicebant. Quare inquit Propheta, Sic omnino futurum est; non diu tardabit; non diutiùs quàm quantum temporis opus est ad hoc quòd *ignis quisquilias* & levissima quæque *absumat*. Jam jam quidquid roboris in ipsis est, quidquid virile & solidum, insuper quidquid pulcrum & floridum, tota denique ipsa arbor, quæ radicibus, trunco, ramis, foliis & fructu constat, veluti quid *putridum*, quod dum percutitur dissolvitur & in *pulverem* resolvitur, ità Resp. populi mei jam jam evanescet, nec immeritò: nam doctrinam, statuta, leges Divinásque admonitiones (quæ si corde complectimur & intimis sensibus tenemus, sumus, vivimus, & veluti fructiferæ arbores juxta fluenta aquarum plantatæ & florescimus & fructus uberrimos producimus) illi non solùm contempserunt sed & *abjecerunt*, & ut rem vilissimam à se expulerunt, & conviciis & probris incesserunt. ¶ *Stramen*] Heb. חשש est *quidquid celeriter ignem concipit*, ut Stramen, Stupa, Fomes, &c. & cognationem habet cum verbo חוש *festinavit*, quo verbo illi utebantur ver. 19. Sic & nomen קש est *quisquiliæ*, quæ festinanter aut vento corripiuntur aut igne inflammantur Exod. 15. (quò fortè respexit Jesaias) *Misisti furorem tuum*, *& consumpsit eos tanquam quisquilias* קש: & est à verbo quod *colligere* sign. קשש, vel שקק, quod *complicare*, vel fortè à sono quem excitant dum colliguntur & complicantur, vel dum comburuntur. ¶ *Putredo*] Vide suprà 3. 24. ¶ *Rejecerunt*] Varias constructiones habet verbum מאס, de quibus aliàs. Et quidem quando regit accusativum, ut hoc loco, idem propemodum valet quod verbum נאץ, & opponitur verbo בחר *elegit*, ut infrà c. 7. videbimus. Significat autem *fastidio quodam rem aliquam aut personam*, *tanquam vilem & contemnendam*, *rejicere*. Notanda est quoque in hoc versu comparatio occulta Reip. ad Arborem quæ *radices* habet & *germen*, quod comprehendit quidquid in arbore præter radicem est; quódque hujus arboris vita sit *Lex*, seu Verbum Domini: nam sine Dei cultu & religione nulla Resp. vel constare vel durare potest. ¶ *Eloquium Sancti Israelis*, &c.] Possunt hæc verba de Filio Dei intelligi, qui in Scripturis dicitur אמר vel אמרה, à verbo אמר *dico*. Et fortè quod Græcè Joannes dixit Λόγ☉ hanc vocem potiùs voluit exprimere quàm Ebraice דבר, quæ *rem* aut *ordinem* potius notat quàm *sermonem*: at vox אמר, de qua loquimur, est *dictum*, *sermo*, *pronunciatum*, seu etiam *promissio*: unde à Joanne Λόγ☉ dicitur quòd ex æterna mente Patris cogitando nascitur, & per eum Pater dicit decretum Creationis omnium & Reparationis hominum; ipse verò profertur ex sinu Patris, in quo est, qui vidit & novit, nempe arcana cœlestia & verba salutis æternæ. Quare & Moses in descriptione Creationis non verbo דבר sed אמר est usus, *dixit Deus*, *Fiat lux*, &c. Constat autem ex Joanne quòd illud Verbum quo creata sunt omnia sit Deus: *& Deus*, inquit, *erat illud Verbum*, & quòd *verbum illud factum sit caro*. Quare ista tria indè colliges, אמר dici *Verbum* seu *Sermonem*; *Sermonem* autem, *quo condita sunt omnia*, *esse Deum*; *Deum* autem illum, i. secundam in Divinis Personam, *factam carnem*, i. assumpsisse naturam humanam. Non erit igitur absurdum si de Dei Filio incarnato intelligas locum hunc: nam in ea tempora hæc referenda sunt quando ipsum Dei Filium conviciis lacessierunt, & injuriis affectum extra vineam ejecerunt & occiderunt.

25. *Ideo iratus est furor Domini*, &c.] Hoc versu apertiùs dicit quod superiori aliquantò obscuriùs. Vis scire quorsum pacto arbor illa interierit, aut quæ sit illa arbor, &c? Dominus iratus est in populum suum, & cecidit eum percussione adeò prævalidâ ut montes visi sint loco moveri, omniáque sint cadaveribus plena. Dicitur autem Hebræis *cadaver* à verbo נבל, quod est *destitutum esse humido naturali*: seu *emarcescere*, *flaccescere*, *elanguescere*, *desipere*, &c. Vocant ergò נבלה *corpus exanime*, *destitutum animâ* seu *vita muniis*. Vide infrà c. 26. *In illa verba vivent mortui tui*, &c. ¶ *Sicut purgamentum*] Illud כ cum Vulgato notam Similitudinis esse existimo, סוחה autem esse nomen à verbo סחה *purgavit*, scilicet scopis, vel alio instrumento, & congruere cum verbo נסח: unde hoc nomine dicitur *purgamentum* vel *cœnum*, quod purgari solet: nihil autem illo contemptibilius aut vilius. Unde & Jeremias alterius formæ nomine, ab hoc verbo tamen deducto, סחי usus Thren. 3. ait, *Purgamentum & rejectamenta posuisti nos*. Quò respiciens Paulus 1 Cor. 4. & phrasim imitatus reddidit nomine περίψημα, quod *purgamentum* dicere licet. Ultima verba significant Dominum nondum tantâ occasione contentum. Eadem verò ipsa verba sæpius in sequentibus repetit, quibus (ni fallor) perpetua vindicta, quæ usque ad finem mundi duratura est, in Judæos significatur.

26. *Et elevabit signum in nationibus*, &c.] Id ipsum quod ver. 24, & 25. dixerat, nunc jam manifestiùs narrat, ipsum scilicet exercitum hostium, per quos percutere decrevisset populum suum arborémque illam magnam exscindere, describens. Si hæc autem de Assyriorum exercitu accipere velis, sit tibi veluti typus adventûs Romanorum. Et quidem primò adversùs eos qui dicebant ut festinaret Divina vindicta, describit celerem adventum velocissimúmque exercitum. Et nè aliam causam adventûs eorum esse existimes, describitur Deus quasi dux belli, qui signum jubet erigi, & sono tubæ milites convocat. Interim nota quòd non sit Deo difficilius innumerum hostium multitudinem numerare & adversùs quodlibet Regnum armare quàm sit homini sibilare: Et sicut in navi ad sibilum naucleri ministri omnes præstò adsunt ut jussa faciant, sic Dominus à longinquo & ab ultimis orbis partibus quos vult convocat, ut qui *ea qua non sunt tanquam ea quæ sunt vocare possit*.

27. *Non dormitabit*] Seu *dormituriet*. Heb. נום est *indormire* seu *dormiturire*; ישן verò *dormire*, at רדם *gravi somno opprimi*: differunt igitur gradibus suis. ¶ *Neque solvetur*] Verbum Hebræum פתח est *aperire*, vel *rem clausam*, vel *ligatam*. ¶ *Renum*] Vel *lumborum*. Ab Hebræo verbo חלץ *extraxit*, *detraxit*, &c. venit nomen formâ duali חלצים, i. *lumbi*, quòd ex illis natura humana & semen genitale libidinoso impetu extrahitur. Unde frequens est Hebræis figura hæc loquendi, *egredi ex lumbis* 1 Reg. 8. *Reges ex lumbis tuis egredientur* Gen. 35, &c. vel fortè quia verbum in voce passiva significat *extractum esse*, i. expeditum esse, (quæ enim detenta sunt expedita non sunt) qui autem sese expediunt ad quid operis agendum, accingunt lumbos: hinc *lumbi* sic dicti sunt quasi *præcincti*. ¶ *Nec rumpetur*] נתק *rumpere* seu *avellere* est. Significat ergò vel quòd non extraherent unquam calceps, vel quòd valde præparati & instrumentis ad iter necessariis instructi advenirent, quod non accidit imperitis militibus tumultuariè collectis. ¶ *Corrigiam*] Heb. שרוך à *circumgyrare* deductum est vel *circumflectere*. Ligabant enim antiqui calceos corrigiis quibusdam in superiore parte pedis: unde & נעל *calceamentum* vel *solea* dicitur, à verbo quod *supernè astringere* seu *obligare* significat: induebatur enim pes, & corrigia supernè obfirmabatur.

28. Nomen חץ *sagitta* à verbo quod *dimidiare* sign. deducitur: penetrando enim dividit. ¶ *Arcus*] קשת à *rigiditate*, *duritie* seu *difficultate* dicitur Hebræis. ¶ *Extenti*] Heb. *calcati*. Verbum enim דרך *calcare pedibus* est, vel *terram*, vel *viam*, vel *quid aliud*. Pede autem præparatur arcus, & nervus suo loco reponitur, à quo extrahitur; nè arcus rigiditatem suam perdat. At hostium arcus hujusmodi erant quibus nequaquam necessaria esset remissio, i. qui perpetuò parati essent, neque ullâ morâ indigerent, si sagittas mittere opus fuisset. Et tam in his quàm in sequentibus Hyperbolicus sermo est, nihil aliud significans quàm ardorem, audaciam, vires, diligentiam & omnium armorum necessariorum ad prælium copiam atque excellentiam. ¶ *Quasi impetus tempestatis*] Hebræa à verbo סוף, quod *cessationem* seu *defectum* notat; dicitur סופה *turbo* seu *tempestas*, quòd obruendo auferat. De Turbine vide Plinium. Ego *turbinem* dixi: nam turba rotationes quasdam efficit, adeò ut ipsum nomen גלגל, quod *rotam* seu *sphæram* sign. *turbinem* etiam, i. rotationes illas quas efficit turbo, interdum designet; ut infrà 17. *sicut turbo coram vento*, &c. Velocitatem ergò curruum intelligi vult.

29. Ru-

29. *Rugitus ei*] Gens illa, exercitus ille, vel quivis miles rugitum edet qualem leo. Propriè enim שאגה Leonum est, licèt ad alia quoque transferatur. ¶ *Ut leonis*] Hebræis *leo* dicitur לביא, consentiente voce, ut ab Hebræa nostra sine dubio derivata sit. Dicitúrque à לבב, i. *corde*, q. d. *cordatus* vel *animatus* vel potiùs *animosus*, i. imperterritus, ab animositate & generositate & præsentia animi. Unde 2 Sam. 17. *cujus cor est sicut leonis*, de viro animoso dicitur. ¶ *Leunculi*] Hebræis כפיר est à verbo כפר, quod est *tegere* vel *abscondere*: unde sic dicitur à *latibulis*. Est autem leo juvenis, qui desiit esse catulus, neque tamen annos perfectæ ætatis attigit. Etymologiam videtur explicare locus ille Job. 38. *Nam ingluviem* כפירים *leunculorum satiabis, qui cubant in caveis, & manent in latibulis, ut insidientur?* Et quia leones juvenes maximè sunt famelici, cupidi prædæ, & sævi, transfertur non raro hoc nomen in Scripturis ad Homines rapaces & sævos & insatiabiles. ¶ *Et prædam*] טרף propriè *præda* est seu *esca quæ carpitur seu discerpitur*: unde nunc *escam*, nunc *prædam* seu *rapinam* & *prædationem* vertere oportet. Verbum enim *carpere*, *discerpere*, *dilacerare* tantùm significat. Neque habet sermo Latinus nomen quod significationem hujus nominis satis exprimat: dicere posses *discerptum* seu *discerpendum* substantivè. ¶ *Et amplexabitur*] Vel *evadet*. Verbum enim פלט *evadere* sign. in prima. In Hiphil quoque, sicut alia plurima verba, maximè si neutraliter capiantur, non mutat modum significandi primæ. Possumus ergò sic exponere, *apprehendat prædam, & evadet incolumis, sicut leo, & nemo erit*, &c. vel transitivè in hunc modum, *apprehendet prædam, & salvam deferet* (seu *evadere faciet*) i. retinebit, conservabit: *neque erit qui eripiat*.

30. *Et sonabit*] Vel, *& fremet super eum quasi fremitus maris*, i. quasi mare, dum fremit: vel, *fremet super eum, & fremitus ejus erit veluti fremitus maris*, qui metum solet incutere, non navigantibus modò, sed etiam iis qui propè sunt in terra. ¶ *Et aspiciemus terram*] Vulg. pro prima persona futuri plur. accepit נבט: potest quoque esse tertia singularis, *& respiciet ad terram*, &c. Solent autem Hebræi tertiis personis sæpe uti veluti impersonaliter, i. *respicietur in terram*. Est quoque tropus hic Hebræis frequens, ut cùm animi angustiam in magnis calamitatibus describere volunt, *in cælo tenebras, & in terra angustiam seu pressuram*, seu etiam *tenebras*, *adfore* dicant; i. quocunque se vertant, respirare non poterunt. Adducúntque *obscurationem Solis & stellarum*, *fremitum maris*; *terræ tremefactionem*; sicut in sequentibus videbimus non semel: ut non perperàm interpretari censendus sit qui in Euangelio signa illa vastationem Hierosolymitanam aut etiam totius mundi præcedentia ad hunc modum interpretetur. ¶ *Et lux obtenebrata est*] Potest oratio per futurum reddi propter conjunctionem quæ præcessit, etiam si cum verbo non conjungatur: & fortè præcedentibus magis conveniet. ¶ *In caligine ejus*] Nomen Hebræum עריפים varie ab ipsis Rabinis exponitur; & qui meliùs sentiunt, pro *cælis* accipiunt: sed rationem videntur ignorare: neque enim vox *cælos* significat. Sciendum igitur quòd à nomine ערף, quo Hebræi *cervicem* appellant, formatur verbum ערף, quod est *dissecare animalis cervicem*; ut nonnulla alia quæ à nominibus quasi contrariâ significatione formantur. Quando autem hoc verbum non de victimis dicitur, sed de pluvia seu rore, tum figuratè & Poeticè sign. *influere* seu *destillare*, Metaphorâ sumptâ à Cervice, quæ quasi stillatorium quoddam est per quod medulla è cerebro defluit in spinam dorsi, & exinde in cætera ossa, ut ea alat & irriget: hinc nomen hoc numero multitudinis, *influentia*, i. loci è quibus sit fluxus: fluit autem lux è cœlis. Hæc est sententia cujusdam viri eruditi. Ego tamen verbum ערף non à nomine formari dixerim, sed congruere cum verbo רעף, (à quo non differt nisi literarum situ) quod *sensim fluere* sign. unde si activè accipiatur, sign. *fluere facere*, ut Ose. 10. *Ipse fluere faciet altaria ipsorum*, ut scilicet ad similitudinem rei alicujus liquidæ dissolvantur & corruant. Qui autem jugulat aut caput præscindit, sanguinem fluere facit: hinc pro *jugulare* seu *caput præscindere* accipitur. Quòd si accipiatur neutraliter, est simpliciter *fluere*. Quare rectè Deut. 32. vertas, *stillet sicut pluvia doctrina mea*: & cum nomine *roris* aut *pluviæ* etiam in accusativo Deut. 33. *Cæli distillabant rorem*. Hinc nomen ערף formâ participii pro ipsa *posteriori colli parte*, quòd per eam fluat medulla, &c. ut dictum est: q. d. *stillatorium*: hinc prædictum nomen, q. d. *stillatores* vel *stillatoria*. *Lucem ergò obtenebrari in stillatoribus suis* è cœlis lucem non profluere. Similis locus est infrà 13. *Sol obscuratus est in ortu suo*. Hæc paulò diffusiùs annotavi pro elucidatione hujus obscuræ vocis עריפים, cujus vis à plerisque etiam Hebræis ignoratur.

LUCAS BRUG.

1. *In auribus meis sunt hæc, dicit* [*ait* 1 MS.] *Dominus exercituum.*] Hebraice non est verbum *dicit*; tantùm באזני יהוה צבאות, *In auribus meis Adonai Sabaoth.* Quidam subaudiunt *dicit*: sic enim Pagninus vertit, *In auribus meis sunt, dicit Dominus exercituum.* Porrò Hieronymus transtulit, *In auribus meis sunt hæc Domini exercituum. Pro eo*, inquit, *quod nos juxta Hebraicum vertimus*, In auribus meis sunt hæc Domini exercituum, *i. verba quæ locutus est Dominus adhuc resonant in auribus meis, Lxx transtulerunt*, ἠκούσθη γὰρ [Hieronymus non transfert] εἰς τὰ ὦτα Κυρίου σαβαὼθ ταῦτα, [Posset de Judæorum quæ præcedunt iniquis studiis intelligi LXXII translatio, quo modo Cyrillus intelligit.] *i.* Audita sunt hæc in auribus Domini Sabaoth. *Non quòd Propheta verba Domini audierit, sed in auribus Domini audita sint quæ propheta dicturus est: cùm consequentius sit intelligere, audisse prophetam quæ Dominus sit locutus. Dominus autem locutus est quòd post captivitatem domus magnæ atque pulcerrimæ desertæ futuræ sint, non habentes habitationem.* Hæc Hieronymus; quibus suam ipse indicat, explanat, probátque interpretationem. Hoc autem quo Hieronymus interpretatus est modo, *In auribus meis sunt hæc Domini exercituum*, [*Domini exercituum*, hæc sunt Pl. m.] legunt antiqui Epanorthotæ codices. Habent similiter antiqui & probati nostri, Brugensis, Leodiensis, Lobiensis, P, O, L, cum aliis octo: quibus volunt Expositores, Haymo Halberstattensis & Hugo Carensis. Parisienses ex suis veteribus exemplaribus Di. o. l. Ge. o. l. v. p. hunc ad modum correxerunt. Ante hos eundem ad modum Dominicani in Francia castigarunt. Quare dubium esse non potest quin vera ea sit nostræ editionis lectio.

DRUSIUS.

1. דודי. Aq. πατράδελφός μου *patruus*, vel *patruelis meus*] Hier. *DILECTUM atque CHARISSIMUM Aquila interpretatus est* πατράδελφον, *PATRUUM vel PATRUELEM.* ¶ כֶּרֶם הָיָה לִידִידִי בְּקֶרֶן בֶּן־שָׁמֶן. Sym. *Vinea facta est dilecto meo in cornu in medio olivarum.* Aq. Th. *in cornu filio olei*] *In medio*: בין pro בן. ¶ *Filio olei*; sic Hier.

2. שׂרק. Sym. ἐκλεκτήν *electam*] Cyrilli scholion est, SOREC, *i. electam.* Eusebius & Basilius Symmachum nominant. Hier. *ET PLANTAVIT EAM VINEAM SOREC, quam solus Symmachus ELECTAM interpretatus est, non verbum è verbo, ut mihi videtur, exprimens, sed sensum qui tenetur in verbo. Ajunt enim Ebræi SOREC genus esse vitis optimæ quod uberes fructus faciat atque perpetuos. Denique Sorec à quibusdam* καλλίκαρπος *interpretatur; quod nos in* pulcerrimos fructus *vertere possumus.* ¶ בְּאֻשִׁים. Aq. σαπρίας *fructus pessimos.* Sym. ἀτελῆ *imperfectos.* Th. ἀκάνθας *spinas.* Hier. *labruscas.*

6. שָׁיִת. Omnes *spinas*] Hier. *Verbum Ebraicum SAITH omnes voce simili* Spinas *interpretati sunt. Si ergò SAITH in præsenti loco* spinæ *dicuntur, juxta Aquilam & Theodotionem & LXX, respondeant, Quomodo supra BUSIM non* labruscas *sed* spinas *transtulerunt?*

7. מִשְׂפָּח. Aq. *dissipatio*] Διασκέδασις.

8. עַד אֶפֶס מָקוֹם. Sym. Th. ἕως τοῦ μὴ ὑπάρχειν τόπον *donec non sit locus*] Hier. *Pro eo quod nos diximus* usque ad terminum loci, *Lxx transtulerunt* ἵνα τοῦ πλησίον ἀφέλωνταί τι, *i.* ut auferant aliquid proximo: *Sym. & Th.* donec deficiat (*vel* non sit) locus: *ut deficiente terrâ nequaquam saturetur avaritia.*

10. בַּת. Omnes βάτον *Batus*] Hier. *Pro* κεραμίῳ, *i.* laguncula, *quam soli Lxx transtulerunt, omnes alii* Batum *interpretati sunt, quod Ebraicè dicitur* בת. Idem pòst aliquantò, *Batus autem in liquidis speciebus dicitur, & Ephi sive Epha ejusdem mensuræ in aridis.* Vide sequentia.

11. שֵׁכָר. σίκερα. Cæteri, μέθυσμα] Scholion, τὸ Σίκερα οἱ λοιποὶ ἑρμηνευταὶ Μέθυσμα ὠνόμασαν. Hier. *Pro* ebrietate, *quam Aquila est interpretatus & Symmachus, Lxx ipsum Ebraicum posuerunt* σίκερα, *quo omnem significant potionem quæ inebriare potest & statum mentis evertere.* Cæsareensis Eusebius in Centonibus Patrum, Σίκερα *alii interpretes* ebrietatem *dixerunt*, pag. 103. libri nostri quo usus sum.

18. בְּחַבְלֵי הַשָּׁוְא. Omnes *in funiculis vanitatis*] Ἐν σχοινίοις ματαιότητος forte. Hier. *Quod autem juxta Ebraicum & omnes alios interpretes appellantur* funiculi vanitatis, *hoc significat, quod facientibus peccatum facilè texitur, & tam inane ac futile est ut aranearum fila texuntur: sed cùm indè voluerimus exire, solidissimis vinculis nectimur.*

20. הוֹי הָאֹמְרִים לָרַע טוֹב וְלַטּוֹב רָע. Aq. *Va qui dicunt malo, Bonus es; & bono, Malus es*] Videndus Hier. in Comment. ad hunc locum.

25. וַיִּרְגְּזוּ הֶהָרִים. Aq. *commoti sunt montes.* Sym. Th. *turbati sunt*] Hier. *conturbati sunt.* Idem in Comment. *Omnes Judaea montes* turbati sunt, *ut interpretatus est Th. & Sym. vel* commoti, *ut Aquila; vel* παρωξύνθη, *i.* acerbati, *ut Lxx transtulerunt.*

IDEM EX PROCOPIO.

1. לְכַרְמוֹ. Aq. Th. ἀμπελῶνι αὐτοῦ. Sym. εἰς τὸν ἀμπελῶνα αὐτοῦ *in vineam ejus*] ¶ בְּקֶרֶן. Aq. Sym. Th. ἐν κέρατι *in cornu.*

2. שֹׂרֵק. Sym. ἐκλεκτὴν. Aq. Th. Σωρὴκ] Alibi est Σωρὴχ, sed minùs bene. Nam literæ p respondet κ Græcum, & c tenue apud Latinos. ¶ וַיַּעַשׂ. Sym. Th. ποίησε δὲ *fecit autem.*

3. שִׁפְטוּ־נָא. Aq. Sym. Th. κρίνατε δὴ *judicate nunc, aut quaeso.*

4. מַה. Aq. τί ἦν. Sym. Th. τί ὅτι.

5. נָא. Tres, δή.

7. צְבָאוֹת. Aq. Sym. στρατιῶν. Th. δυνάμεων *exercituum.*

8. עַד אֶפֶס מָקוֹם. A. ἕως πέρατος τόπου *usque ad finem loci.* Sym. ἕως τοῦ μὴ εἶναι τόπον *donec non sit locus.* Th. ἕως τοῦ μὴ ὑπάρχειν τόπον *donec non exsistat locus*] Hier. *usque ad terminum loci.*

11. הוֹי מַשְׁכִּימֵי בַבֹּקֶר. Lxx οὐαὶ οἱ ἐγειρόμενοι τὸ πρωΐ. Th. μόνος ὁμοίως, *solus similiter,* h. e. ita transtulit quemadmodum οἱ ό.

12. וְהָיָה כִנּוֹר וָנֶבֶל תֹּף וְחָלִיל וָיַיִן מִשְׁתֵּיהֶם. καὶ ἐγένετο κιθάρα, καὶ νάβλα, καὶ τύμπανον, καὶ αὐλὸς, καὶ οἶνος πότοι αὐτῶν, *& fuit cithara, & nabla, & tympanum, & tibia, & vinum convivia eorum.*

14. פִּיהָ. Aq. Sym. Th. τὸ στόμα αὐτοῦ *os suum.* Lxx τὸ στόμα τοῦ μὴ, &c. ¶ וְעָלֵז בָּהּ. Sym. Th. καὶ ὁ ἀγαλλιώμενος ἐν αὐτῇ *& qui exsultat in ea.*

16. בַּמִּשְׁפָּט. Aq. & Lxx. ἐν κρίσει. Sym. Th. ἐν κρίματι *in judicio.*

17. וְרָעוּ כְבָשִׂים כְּדָבְרָם וְחָרְבוֹת מֵחִים גָּרִים יֹאכֵלוּ. Sym. καὶ νεμηθήσονται οἱ ἀμνοὶ αὐτῶν, τὰ δὲ ἔρημα τῶν παρανόμων πάροικοι φάγονται *& pascentur agni eorum, deserta verò iniquorum advenæ comedent*] Αὐτῶν' ἴσ. κατὰ τάξιν αὐτῶν *secundum ordinem eorum.*

18. הוֹי מֹשְׁכֵי הֶעָוֹן בְּחַבְלֵי הַשָּׁוְא וְכַעֲבוֹת הָעֲגָלָה חַטָּאָה. Sym. οὐαὶ οἱ ἕλκοντες τὰς ἀνομίας ὡς σχοινίῳ ματαιότητος, καὶ ὡς βρόχῳ τῆς ἁμάξης τὴν ἁμαρτίαν, *Va qui trahitis iniquitates tanquam funiculo vanitatis; & tanquam laqueo plaustri, peccatum*]. הֶעָוֹן Aq. Th. τὴν ἀνομίαν *iniquitatem.*

25. עַל־כֵּן. Th. διὰ τοῦτο *propter hoc.* ¶ וַיִּרְגְּזוּ הֶהָרִים. Aq. καὶ ἐκλονήθησαν τὰ ὄρη *commoti sunt montes.* Sym. ἐταράχθη *turbati sunt*] Legitur & ἐκλονήθη. Est autem κλονῆσαι propriè *tumultuosè commoveri.* Job. 3. 17. רגז. Aq. κλονῆσαι. Sym. ὀργῆς θυμόν. 26. Schol. κλόνος. ¶ Ἐταράχθη, ויזגזו: confundit Zai cum Sin. ¶ [אפו] Aq. Sym. Th. ὁ θυμὸς αὐτοῦ *furor ejus*] Sic etiam Lxx. Vide Procopium.

26. וְשָׁרַק לוֹ. Aq. Sym. Th. καὶ συρίσει αὐτῷ *& sibilabit ei*] Vel *sibi*, ut legas αὑτῷ.

27. נַעֲלָיו. Aq. Sym. ὑπόδημα *calcei.* Th. τὸ ὑπόδημα αὐτοῦ *calcei ejus.*

28. פַּרְסוֹת. Lxx αἱ ὁπλαὶ *ungulæ.* ¶ כַּסּוּפָה. Aq. ὡς συστροφῇ *cum turbine*] Hæc significatio convenit cum expositione Suidæ, Συστρεμμὸς, λαίλαψ καὶ συστροφὴ ἀνέμων. Hoc sensu accipitur 2. Reg. 2. ubi agitur de raptu Eliæ. Similiter Prov. 1. 27. כסופה, Lxx ὁμοίως καταιγίδι. Aq. συστρεμμῷ.

29. שְׁאָגָה לוֹ. Aq. βρύχημα αὐτῷ *rugitus ei.* Th. Sym. ὤρυγμα αὐτοῦ *rugitus ejus*]. Αὐτῷ. Sic restitui. Priùs erat αὐτῶν *eorum.* βρύχημα autem est *rugitus*, idem videlicet quod ὤρυγμα sive ὠρυγμὸς, nisi quòd hoc ultimum etiam *ululatum* denotet, qui Luporum est proprius.

30. וְיִנְהֹם עָלָיו. Sym. καὶ ἠχήσει ἐπ' αὐτὸν *& sonabit super eam.* Th. καὶ βοήσεται ἐπ' αὐτὸν *& clamabit contra eum.*

GROTIUS.

1. CAntabo dilecto meo] In honorem Dei, quem maximè diligo, cantabo. Hunc sensum esse patet infrà 7.

Canticum patruelis mei] Pro דודי [*patrui mei*] etiam hîc ידידי [*dilecti mei*] legerunt Lxx, rectiùs omnino. Dicit se ea dicturum quæ Deus jure optimo dicere posset.

Vinea sua] Id est, *de vinea sua.* Populo scilicet duodecim Tribuum, ut ipsa vox explicat.

In cornu filio olei] Id est, *in monte pinguissimo.* Ità & Chaldæus hic accepit.

2. *Et sepivit eam*] Nè viatores in eam facilè incurrerent. Sic Deus populum sibi parentem à vi finitimorum tutum præstitit.

Et lapides elegit ex illa] *Elapidavit eam*, ut Plinius loquitur. Sic Deus è terra Israëlitica ejecit lapideos deos, & illorum cultores.

Et plantavit eam electam] Meliùs: *consevit eam generosa vite.* Dedit ei terræ Josuam & Judices viros egregios.

Et ædificavit turrim in medio ejus] Nempe ad custodiam vineæ. Sic urbs Hierosolyma in loco munitissimo, in medio Judææ.

Et torcular exstruxit in ea] Altare manans sanguine victimarum.

Et fecit labruscas] Græci, ἀκάνθας [*spinas*]. Vox Hebræa באש vel באושים omne agri vitium significat, vertiturque & ἀκαθαρσία [*immundities*] & βάτος [*vepres*]. Sic Israëlitæ idololatriam, cædes, adulteria protulerunt.

3. *Judicate inter me & vineam meam*] Magna Dei bonitas, qui de actionibus suis judicium hominibus permittit. Confer Genes. XVIII. 25. & sequentibus.

4. *An quod exspectavi ut faceret uvas, & fecit labruscas*] Meliùs vertas: *Cur me exspectante, ut produceret uvas, produxit lolium?*

5. *Auferam sepem ejus*] Exponam eam gentibus.

6. *Non putabitur & non fodietur*] Nemo ejus curam geret.

Et nubibus mandabo nè pluant super eam imbrem] Benevolentiam meam ei subducam.

8. *Va qui conjungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis*] Qui undique vicinos submovetis, & sine fine dicitis:

> —— *ô si angulus ille*
> *Proximus accedat, qui nunc denormat agellum,*

ut ait Horatius, cujus est & illud,

> *Jam pauca aratro jugera regia*
> *Moles relinquent.*

& quæ sequuntur Carminum II. 15.

10. *Facient laguunculam unam*] *Batum*, quæ minima mensura in liquidis.

12. *Et opus Domini non respicitis, nec opera manuum ejus consideratis*] Non consideratis mala quæ vobis Deus præparat. Confer Amosi VI. 6.

14. *Propterea dilatavit infernus animam suam*] *Animam* pro *semet*, κατὰ προσωποποιΐαν [*per personæ fictionem*]. Sepulchra dilatanda erunt ob ingentem turbam morientium.

20. *Va qui dicitis malum bonum, & bonum malum*] Qui honesti & inhonesti limites ac nomina confunditis.

CAP. VI.

MUNSTERUS.

MIrabilis est Propheta, mirâque utitur copiâ, dum eandem rem multis & variis modis nititur inculcare obstinatis Judæis. Prædixit Vaticinio futuram calamitatem, prædixit deinde Cantilenâ, jam idem signat Visione quadam, si qui fortè resipiscant. Confidebant, quantumlibet pessimi erant, in Templum & in cultum Dei quem habebant, sed minatur illis Propheta, dicens, Non juvabit vos Templum vestrum: Non comprehendit majestatem Dei Templum vestrum. *Vidi Dominum sedentem supra Templum*, & illud vix capit *fimbriam vestimenti ejus*; de quo tamen vos tantum præsumitis. Nec est quòd vos jactetis Dei cultores esse. Habet ille *Seraphim* cultores qui amore Dei ardent. ¶ *Fimbria ejus*] Quidam referunt *fimbrias* illas ad basim solii; alii ad vestimenta Dei quibus indutus à Propheta videbatur.

2. *Seraphim stabant super ipsum*] Aben Ezra & Kimhi exponunt *juxta ipsum*, ad dexteram scilicet & sinistram. Sunt autem *Seraphim* כאש מלאכים *Angeli fulgentes quasi ignis*, ut Hebræi dicunt.

4. *Superliminaria*] Capiuntur hîc ספים pro מזוזות. Et אמות quidam exponunt pro *cubito*, quòd scilicet cubiti mensurâ postes Templi de loco suo amoti fuerint.

12. *Elongabit*] i. In regionem longè hinc distantem permittes eos captivos abduci; non quidem hoc tempore, sed post decadem Regum. Alii verò per *decimas* intelligunt reliquias servatas in captivitate, q. d. Propheta, Maxima pars populi peribit, & reliquiæ erunt in novum populum & novam Ecclesiam. Et significat vim & efficaciam Euangelii, quòd ex modica massa & sterili grano ingens multitudo sit proventura.

13. *Tem-*

13. *Tempore projectionis*] h.e. Licèt tempore hiemali abjiciant folia & omnem extrinsecum virorem, habent tamen adhuc virorem quendam secretum, qui arborem rursus tempore æstivo floridam reddit. Sic Dominus populum suum universum non delebit, sed reliquias quasdam & *semen sanctum*, unde Sanctus sanctorum propagetur, conservabit. Capitur verò hic מצבת pro מִכָּר.

V A T A B L U S.

2. S*Uper illud* [כמעל לו] *juxta illum:* i. astabant illi: vel, supernè imminebant ei.

3. *Plena est*, &c. [מלא כל הארץ כבודו] *Plenitudo totius terræ* est *gloria ejus:* i. miraculis & prodigiis Dei plena est terra. Vel, omnia creata quæ sunt in terra testantur sive ostendunt Deum esse dignum omni gloriâ & laude: in illis enim relucet gloria virtutis & omnipotentiæ Dei.

4. *Et moverunt se* [וינעו] *Tunc commota sunt*, vel *concussa:* aut *intremuerunt.* ¶ *Superliminaria postium* [אמות הספים] i. Superliminaria cum postibus, & postes cum superliminaribus. Alii, *postes liminum.* Alii, *cubitis* aliquot *postes ostii.*

5. *Væ mihi* [אוי לי] *Hei mihi.* ¶ *Tacui* [נדמיתי] *Excisus sum:* vel *perii:* i. actum est de me: brevi tollar de medio.

7. *Et tetigit os meum* [ויגע על פי] *Et applicuit ori meo.* ¶ *Et auferet*, &c. [וסר עונך] *Et recedit iniquitas tua:* q.d. Hoc signo, contractu scilicet carbonis, indicat Dominus condonata tibi esse omnia peccata tua.

9. *Vade*, *& dicas*, &c. [לך ואמרת וגו'] i. Prædic huic populo futuram cœcitatem & obstinationem. Sunt autem imperativa pro futuris: & ità verterunt Lxx, juxta quorum versionem hæc eadem verba sic adducit Christus. Matth. 13. 14. & Paulus Act. 28. 26. *Vade ad populum istum*, *& dic*, *Auribus audietis*, *& non intelligetis*; *& videntes videbitis*, *& non perspicietis.*

10. *Impingua* [השמן] *Inunge*, *obline*; sive *Obtura unguento pingui:* i. excœca mentem ac intellectum. Nimiâ enim pinguedine suffocatur cor, nec potest fungi suis officiis. q. d. Denuncia ac declara fore ut mens ejus sit excœcata. Imperativa verterunt Lxx. per præteritum, juxta quos etiam in præterito Christus Matt. 13. 15. & Paulus hoc testimonium adducit Act. 28. 27. *Incrassatum est enim cor populi hujus*, *& auribus graviter audierunt*, *& oculos suos compresserunt*, *nequando videant oculis*, *& auribus audiant*, *& corde intelligant & convertantur*, *& sanem eos.* ¶ *Aggrava* [הכבד] i. Velut mole aliquâ obtura, sordibus aut re aliquâ imple, nè possint exaudire. ¶ *Et sanet eum* [ורפא לו] *Medeatur illi*; sub. *medicus Deus:* i. misereatur ejus. Lxx legunt *sanem eos*, ut vides paulò antè ex verbis Christi & Pauli.

11. *Usquequo* [עד מתי] Sub. *duratura est hæc cæcitas & obstinatio.* ¶ *Desolentur* [שאו]. Præt. Heb. pro fut. *vastatæ fuerint*, aut *destruantur.* ¶ *Desoletur desolatione* [תשאה שממה] Hebraismus, pro *omnino sit desolata.*

12. *Et elongaverit*, &c. [ורחק יהוה וגו'] *Et longè fecerit Jehova homines*, *& magna fuerit desertio* [vel *derelictio*] *in*, &c. i. donec incolas Decem Tribuum in regiones longinquas ac remotas & longè distantes ejecerit. Loquitur Deus de se in secunda persona. *Multiplicare dies* dicitur *deserta* quæ multo tempore deseritur. Quidam vertunt, *Eritque multo tempore derelictio*, &c.

13. *Decima* [עשיריה]. *Decimatio*, vel *decimum*, sub. *Regum.* i. Post Oziam regnabunt adhuc decem Reges in Judæa, & sub decimo Rege, nempe Sedechia, abducentur in captivitatem. Quidam vertunt, *successio* decem *Regum.* ¶ *Et revertetur*, *& erit in*, &c. [ושבה והיתה לבער] *Et convertetur*, *& erit in exterminium*, aut *ablationem*, Alii, *abjectionem.* Hebraismum istum sic quidam vertunt, *& iterum erit in ejectionem:* i. iterum pellentur patriâ reliquæ Tribus. ¶ *Sicut terebinthus* [כאלה] Vide cap. 1. 30. ¶. *Quibus statio est in Sallecheth* [בשלכת] i. Sicut ulmus & quercus quæ sunt plantatæ juxta (vel ad) portam Templi quæ dicitur *Sallecheth*, de qua legis 1 Par. 26. 16. Alii, *quæ tempore projectionis* hiemalis *habent in se subsistentiam*, sic *semen sanctum in sua substantia* permanebit. Alii dilucidiùs, *Ut ulmus & quercus in quibus in emissione* frondium est *subsistentia* quædam, sic *semen sanctum*, *planta ejus*; vel *plantatio ejus*, nempe *regionis:* q. d. Ut ulmus & quercus arbores se habent, quæ cùm abjecerit frondes ac folia sua, videntur mortuæ, retinent tamen adhuc vigorem suum, i. vivunt hieme, quâ transactâ, iterum frondes ac flores producunt; sic se habebit tribus Juda: nam iterum revertentur, & inhabitabunt regionem, unde tandem proditurus est Christus.

C A S T A L I O.

8. Q*Uis nobis ibit?*] Erit noster nuncius.

9. *Audite*, *& ne intelligite*] Imperativus pro indicativo: quod fieri solet ubi est oratio vehemens & concitata, ut illud, *Implete mensuram patrum vestrorum:* i. implebitis, aut oportet ut impleatis. Et Ezech. 20. *Ite*, *servite suis quisque stercoreis Divis.* Itá quod hic dicitur, *Stupefac istorum animos*, perinde est ac si dicat, *Stupent & torpent eorum animi.* Itaque Græci hanc Esaiæ orationem verterunt per indicativum. Atque hoc pacto loquuntur etiam Latini; ut apud Livium quartæ Decadis 10. sic filios suos alloquitur Rex Philippus, *Agite*, *conscelerate aures paternas*, *decernite criminibus*, *mox ferro decreturi*; *dicite palam quicquid aut veri potestis*, *aut comminisci libet.*

13. *Cùmque fuerit adhuc in ea denarius numerus*] Decem Reges: nam sub Sedecia captivos abduxit Nabuchodonosor; qui Sedecias fuit decimus à Jothamo sub quo hæc dicit Vates. ¶ *Quæ depositis foliis habent statum*] Non planè perierunt, sed superest adhuc eis vita.

C L A R I U S.

1. E*T fimbriæ ejus*] Dicendo, *fimbrias illius replesse templum*, significat minimum Divinæ potentiæ majus esse summâ gloriâ hominum. Quidam autem referunt *fimbrias* illas ad basim solii, alii ad vestimenta Dei, quibus indutus cernebatur à Propheta. *Seraphim* autem quos ait *stetisse juxta illum*, Hebræi dicunt esse Angelos fulgentes quasi ignis.

4. *Et domus repleta est fumo*] Prædicebatur enim excæcatio & obduratio Judæorum. At Euangelium ortum habuit à cantu Angelorum, & Divino ac immenso lumine.

5. *Pollutus labiis*] Quid hoc ad visionem? Opinor eum intellexisse ex ea visione se ad munus Propheticum invitari, quod & Mosi usu venit, qui & ipse impeditam linguam excusavit.

8. *Ecce Ego*, *mitte me*] Hoc autem non dixit priùs quàm ab illo Seraphim tangeretur, & mundaretur os ejus, nè quis hoc exemplo prætexat sibi causas facilè accurrendi ad Ecclesiasticos gradus.

10. *Excæca cor*] Hebraismum hunc, & asperitatem quæ videtur in hoc sermone, explicuit & leniorem fecit Luc. Act. ult. cùm hujus loci mentionem faciens ait, *Incrassatum est cor populi hujus*, *& auribus graviter audierunt*, &c. sic Matth. 13. Qui dicendi modus etiam aliis observandus est scripturarum locis. Hunc autem locum manifestè de Christo loqui apertè admonet Joannes Euangelista, qui c. 12. hunc locum citans, dicit, *Hæc dixit Esaias*, *quando vidit gloriam ejus*, *& locutus est de eo.*

12. *Longè faciet*] h. e. In regionem longè hinc distantem permittet eos captivos abduci, non quidem hoc tempore, sed post decadem Regum: sic enim interpretantur quidam vocem illam *decimatio*, ut intelligatur successio decem Regum. Et quod sequitur, *Sicut terebinthus*, *& sicut quercus*, &c. hunc volunt habere sensum; sicut hæ arbores licèt tempore hiemali abjiciant folia, & omnem extrinsecum virorem, habent tamen secretum vigorem quendam, qui arborem rursus tempore æstivo floridam reddit; sic Dominus populum suum universum non delebit, sed reliquias quasdam & semen unctum, unde Sanctus sanctorum propagetur, conservabit.

F O R E R I U S.

1. H*ÆC* est secunda Prophetia, in qua Deus Prophetæ revelavit periturum Regnum propter infidelitatem & cœcitatem atque duritiem Judæorum. Meminit tamen etiam sanctarum reliquiarum, propter consolationem piorum. ¶ *In anno quo mortuus est*] Heb. *In anno mortuus est*, &c. Sed Vulg. doctè vitavit Hebraismum. Utuntur enim Hebræi præteritis tanquam nominibus, præsertim cum nominibus temporis positis in regimine; *In anno mortuus est*; *In principio creavit Deus cælum & terram*, i. *Initio quando Deus cœlum & terram creavit.* Sequitur autem in hujuscemodi locutionibus conjunctio cum altero verbo. Sic Gen 1. *Et terra erat inanis & vacua*, i. tunc; vel omnino omittendum est. Vide infrà 14. 3. & 4. Itá hoc loco, *Et vidi Dominum*, i. *tunc vidi*, &c. Et Hos. 1. *Principio locutus est Dominus cum Osea*, *& dixit*, &c. i. *Quando initio Dominus locutus cum Osea*, *tunc dixit*, &c. Hebræis Annus שנה dicitur à *mutatione* seu *revolutione*, quòd videlicet annus annum perpetuâ serie sequatur, atque in anno perpetuæ rerum ac temporum sint mutationes ac vicissitudines. ¶ *Super thronum*] A verbo כסה, quod *operire* seu *tegere* sig. dicitur nomen כסא *thronus* vel *sedes quam tapetibus operiri solebant*; qualis est Regum & Judicum: & hoc

hoc differt à כסא, quod quamlibet in genere *sedem* notat, &c. ¶ *Fimbriæ*] Ego nomen שולים non *fimbrias* modò, quas *limbos* dicimus, sed *inferiores vestium partes* significare existimo, quæ eò prolixiores fieri solent quò magis majorem quisque fastum præ se fert: unde cognationem habet cum verbis quæ *detractionem* seu *dejectionem* significant, quod dejiciantur & quasi detrahi & præscindi possint, veste adhuc integrâ remanente. Vide locos in quibus invenitur hoc nomen, & sententiam meam comprobabis: neque huic loco aliud congruere posse videtur: quapropter Periphrasis, quâ usus est Vulg. *quæ sub ipso erant*, contemnenda non est. ¶ *Templum*] Vel *regiam*. Nomen Hebræum היכל nesciunt plerique Rabini ad quam radicem referri debeat. Est autem à verbo יכל; quod *potentiam* notat, q. d. *Dominica*, vel *Basilica*, *Regia*, ubi *Rex* seu Dominus aliquis potenter regnat & dominatur, & ה est litera formativa. Hoc nomine Tabernaculum Domini, postea Templum Hierosolymitanum dictum est, quod utrumque fuit Deo velut aula in qua peculiarem majestatis suæ præsentiam seu potentiam exhibuit ac declaravit.

2. *Seraphim*] A verbo שרף, quod est *cremare*, *concremare*, *comburere*, deducitur hoc nomen, quo dicuntur *serpentes*, seu *dracones alati & volantes*, qui nedum igniti coloris sunt, verùm etiam homines quos mordent letali ardore inflammant, frugésque & viridia alia afflatu suo adurunt. Et Græcis hujusmodi serpens πρηστὴρ dicitur, ab *urendo* seu *inflammando*, de quo Lucanus,

Oráque distendens avidus spumantia prester.

Vide in lib. Num. cap. 21. Eodem nomine dicuntur etiam Spiritus quidam Angelici alati & volantes, eò quòd *ignei* sint *& ardentes*, quos Ezechiel 28. vocat אבני אש *lapides ignitos*, quòd & toti dilectione arderent & splendorem haud vulgarem emitterent. ¶ *Sex alæ uni, & sex alæ alteri*] Heb. *sex alæ, sex alæ uni*, i. singuli senas alas habebant, seu tria paria alarum, quarum quis esset usus mox aperit. Mihi verò fit verisimile, non tantùm duos Seraphim Domino astitisse, imò plurimos & innumerabiles; neque quòd duabus alis illinc avolarent, sed quòd volitarent supra Dominum, i. alas agitarent, ut aves quæ eodem loco consistentes tamen alas movent atque expandunt. Per *pedes* autem inferiorem totam corporis partem accipe, ut sæpe in Scripturis accipiendum est. In *velata facie* reverentiam tantæ Majestatis cogita, conjunctam tamen summo videndi atque cognoscendi desiderio, quam volitatio illa suprà Dominum designabat. Reverentia verò verecundiam quoque cognatam habet, quam in *velatis pedibus* intellige. Neque prætereas, quod cùm igniti sint & toti amore ardeant, adhuc tamen verecundè & reverenter se ergà Dominum gerant. *Claudit quidem oculos majestati dilectio*, ut loquitur Bernardus, *ut eam scilicet deponat qui diligit, non ut eam non agnoscat dilectus:* quòd si adhuc contendas etiam majestati oculos claudere dilectionem, ut audeat multa quæ nisi diligeret non auderet; & hoc quoque verum esse fatebor libenter. Sed quæ major audacia quàm quòd tantùm Dominum amare quis audeat! Quid si *occultatio* illa *faciei* non tam timorem ac reverentiam quàm intolerabilem, & qui oculis creatis sustineri nequeat, splendorem Divinæ majestatis designabat? nequit enim comprehendi Divina majestas. Volitant ergò beati Spiritus, & videre desiderant; neque aliud agunt, & in hoc toti sunt: quia tamen sibi opus esse vident ut facies suas operiant, nè opprimantur à gloria, corpus quoque suum operiunt, nè videantur & ipsi: quonam enim pacto undi apparerent coram eo cujus splendores ipsi sustinere non possent? aut quid in se ipsis dignum admiratione atque inspectione intelligent, qui majestatem illam intuentur? Hanc visionem vidisse Jesaiam *anno quo mortuus est Rex Ozias*, certum est: utrum verò ante ejus mortem aut post, incertum: & hoc an illud fuerit, parùm refert. Neque alicujus momenti apud me sunt quæ hic somnia Rabini afferunt. Quò autem tetenderit hæc visio, infrà videbitur.

3. *Alter ad alterum*] Heb. *hic ad hunc*, i. ad se invicem. ¶ *Plena est*] Heb. *plenitudo terræ gloria ejus:* & potest suppleri verbum *est*, vel *sit*.

4. *Postes*] Hebræis à verbo אמן, quod *fidem*, *firmitudinem*, *certitudinem*, seu *stabilitatem* notat, venit nomen אמנות, i. *postes*, à *firmitudine*, sicut alia multa quæ *firmitatem*, *veritatem* & similia significant. Eâdem quoque ratione ab eadem radice אמה in sing. significat *cubitum*, à *certitudine & firmitate:* nam mensura debet esse res firma & certa. אמות verò hoc loco idem est quod אמנות: nam licèt sint formâ diversâ, idem tamen significant. ¶ *Liminarium*] Hebræa vox ספים à סוף, quod *cessare*, *finire*, seu *deficere* sig. derivatur. Sicut ergò *limen* Latinis à *limitando*, i. terminando, appellationem habet, ità Hebræis סף à סוף: licèt interdum capiatur pro ipso poste ut Ezech. 40. ¶ *Et domus*] Quod ver. 1. *Templum* vocatat, hic *domum* appellat. *Fumus* autem seu *nebula* symbolum erat gloriæ Domini; & ad Domini præsentiam solebat excitari olim fumus seu nebula. Vide Exod. 24. & Num. 16. & 1 Reg. 8. adeò ut ipsum Fumum *gloriam Domini* appellare Scriptura interdum videatur. Sed quid est quòd præsentiam suam Deus olim nebulâ significabat? Numquid *habitare se lucem inaccessibilem*, & eos qui gloriam ipsius intueri ac speculari auderent, tenebris involvendos? an omnia illis esse nebulosa & fumo plena? & si quid interdum splendoris illis illucesceret, id esse peregrinum & modicum, præsertim si comparetur cum luce Euangelica? Nam *neque in vultum Mosis*, qui resplendebat, *poterant intendere oculorum aciem filii Israel:* at Paulus se & cæteros Apostolos *gloriam Domini revelatâ facie*, ut munda specula, *recipere* gloriabatur. Hanc autem visionem imaginariam fuisse ferè omnes existimant: Sed si quis dicat oculis carnis Prophetæ oblatam, & Dominum humanâ specie, veluti Regem, in solio sedentem Jesaiæ apparuisse, meritò reprehendi nequaquam poterit, præsertim cùm hujus versûs verba id confirmare videantur, maximè autem ver. 5. in quo Propheta affirmat se valde timere *quòd Deum vidisset præsentem oculis suis*. Fuisse autem hanc primam omnium visionum, neque ordinem servari in describendis revelationibus, etiam nonnulli probabiliter affirmant: nam hic munus ei commissum atque injunctum videtur, ut statim ipse narrat. Quorum tamen sententiam non video cur probare debeam: nam quod de munere prophetandi injuncto afferunt, non simpliciter de munere prophetandi intelligo, sed ad peculiarem Prophetiam, quæ statim explicabitur, puto referendum. Sed hæc parùm ad rem. Illud potiùs considerandum, voluisse Dominum ut Propheta, qui nunciaturus esset populi excæcationem, specimen quoddam Divinæ gloriæ priùs videret, beatos quoque Spiritus Jehova sanctitatem, ac quàm dignus esset quem tota terra coleret & sanctificaret, prædicantes magnis vocibus, & auribus audiret & oculis intueretur, ab ipsísque Spiritibus disceret quo pacto Divina tractanda essent ac quo pacto erga Dominum affectus esse deberet. Gloriam enim majestatémque intuitus est, non tantùm dum *in excelso throno sedentem vidit*, aut *domum fumo plenam*, sed & cùm *fimbrias imásque vestes regiam implere*, i. magna ex parte occupare, conspiceret. Quid hoc, quæso, erat nisi quòd vel sola destillatio quædam Divini luminis, quo Dominus ille excelsus amicitur tanquam vestimento, ad illustrandam universam Ecclesiam suam sufficeret? *Per speculum* enim *videmus*, & *per fidem ambulamus*, & *ex parte cognoscimus*. Mansionem quidem illam beatorum se ipso illustrat Dominus, & Agnus ipse est Sol: at nostram hanc Ecclesiam, quæ & *Templum* & *Regia* quoque ipsius est, *fimbriis suis implet* ac divitem & illustrem reddit. Nec enim caro Christi, & quæ in carne Dominus gessit, humanitatis denique mysteria omnia, ac quæ ad nostra salutem nobis reliquit Sacramenta, aliud sunt quàm *fimbriæ* quædam Divinæ majestatis, si conferantur cum illa *immensa gloria quæ revelabitur in nobis* quando *eum videbimus sicuti est*. Hanc igitur visionem intuitus Jesaias, jam quid senserit videamus: hinc enim quid portenderit Dominus visione istâ aliqua saltem ex parte colligemus.

5. *Væ mihi, quia tacui*] Ad culpam hoc plerique referunt, *Me miserum*, quòd & silentio & loquelâ sæpius peccavi, cùmque *sim pollutus labiis*, & in sermone sæpius offendam, & inter mei similes *habitem*, *viderim* nihilominus *meis ipse oculis Regem illum*, &c. Ubi annotatione dignum est quòd, cùm Propheta indignitatem suam libenter agnoscat & planè confiteatur, nullius tamen criminis à conscientia quàm lapsûs verborum damnatus fuerit. Hic sensus planus est & sequentibus convenire videtur, ubi est sermo de *ablata iniquitate & peccato*, &c. Sed alius poterit subesse sensus ab hoc maximè diversus, si hæc ad malum pœnæ referas, & כי duobus primis locis positum aut affirmativè aut disjunctivè accipias, ut solent Hebræi quando in eadem clausula bis aut sæpius ponitur; ut 1 Reg. 18. 27. *aut colloquium, aut occupatio est illi, aut iter*, &c. ubi etiam Vulg. disjunctivè vertit: illud autem *contaminatus labiis* pœnæ sit, non culpæ: sicut & Moses (si Vulg. sequaris Interpretem; scio enim & illa verba aliter accipi posse) ex quo cœpisset loqui cum Domino, *præpeditum* se sensit, & in *lingua* & *labiis duritiem* quandam seu *gravedinem* passus est, i. hæsitantiam linguæ traxit, ac balbutire cœpit. Vide Exod. 4. Unde Exod. 6. dicebatur Moses *incircumcisus labiis*; seu *præputium in labiis habere: incircumcisum* autem *esse* & *pollutum* seu *contaminatum* idem sæpe sunt & ut cognata in Scripturis conjunguntur. Illud quoque quod secundo loco est, אנכי, conjungatur cum pronomine primæ personæ, ut in priori parte versûs, *contaminatus labiis ego habitabo in medio populi*. Inquit ergò Propheta, *Heu me*;

nam

nam in ſilemium redactus ſum, i. perii, vel certè ero mutus ſeu blæſus ac balbus, *inter meos deinceps vulgi irriſioni expoſitus aut admirationi: nam vidi oculis meis Jehova.* Vulgata enim erat opinio quòd qui viſiones vidiſſent periculum mortis vix evaderent. Vide Jud. 13. & Gen. 31. admiratur enim Jacob quòd vidiſſet Dominum & non moreretur. Quòd verò נדמיתי non *tacui* ſed *perii* aut *actum eſt* interpretor, ſcito quòd quamvis דמה in voce activa *ſilere* ac ſubindè *quieſcere* ſignificet (de quo jam ſuprà cap. 1. 9.) in voce tamen paſſiva eſt *in ſilentium* ſeu *quietem redigi*, & ſemper eſt pœnæ, & idem valet quod *actum eſt*, *diſperiit*, &c. de quo vide infrà 15. 1. Sentiebat enim Jeſaias præpeditam linguam; quod ſolenne eſt iis qui viſione quapiam terrentur ac ſtupent. Hanc autem interpretationem in verſione ſecutus ſum, tantùm ut ſic poſſe Hebræa reddi ſignificarem, eámque amplecterer niſi novitas obſtaret, quæ tamen interdum non modò veniâ verùm etiam laude digna eſt; præſertim cùm communis interpretatio ſuos habeat nodos.

6, 7. Metu correptum Prophetam & propè attonitum ſuo more ſublevat ac conſolatur Deus, & veluti cauterio quodam *labiorum delicta*, ſi priorem interpretationem ſequaris, aut *gravitatem*, *præputium*, i. hæſitantiam ſeu debilitatem, *linguæ*, omne denique *impedimentum*; ſi poſteriorem, *aufert* atque delet. Hebræis enim quæ nomina culpam, eadem propè omnia & malum pœnæ quoque ſignificant. Cúmque *carbo ignitus ori appoſitus* ſoleat impedimentum afferre etiam expeditè loquenti, Prophetæ tamen facultatem loquendi facilè præbet atque reſtituit per Divinam virtutem. ¶ *Quem forcipe tulerat*] Hebraiſmus non habet hîc relativum; ſed eis familiare eſt illud omittere, ità ut præteritum pro participio acceptum videatur, q. d. *& in manu ejus carbo accenſus forcipe ab altari acceptus.* ¶ *Altari*] Hebræis à verbo זבח, quod *mactare* propriè ſign. deinde etiam & *mactatas pecudes in ſacrificio offerre*, venit nomen מזבח, i. *ara* ſeu *altare*, ſuper quo mactatæ pecudes ſacrificabantur. Hic autem locus oſtendit, rectè Vulgatum ſuprà v. 1. tranſtuliſſe *templum*; ego verò dixi *regiam*, tantùm ut propria ſignificatio nominis conſtaret. Erat autem Templum *regia* Jehovæ, ut ibi annotavi. ¶ *Mundabitur*] Vel *expiatum eſt*. Verbum autem כפר proprie *tegere*, *operire*, *abſcondere*, *oblinire*, &c. ſign. & in ſecunda conjugatione eſt etiam *abſtergere immunditiem* vel *ſordes*, vel *erratum* vel *iram* vel *offenſam amovere è conſpectu*, *nè ampliùs appareat*, *imputetur vel offendat*. Noſtri verbo *expiandi* reddiderunt: poteſt etiam reddi verbo *emundandi* ſeu *depurgandi*.

8. Majeſtatem ſuam exhibuerat Dominus Prophetæ, quam Spiritus Angelici laudabant ac ſumma cum reverentia prædicabant, ut quam dignus eſſet qui à mortalibus etiam coleretur intelligeret, atque pro ſua virili eos imitaretur qui magnis vocibus *Sanctum* ſæpius vocabant, & dignum eſſe *cujus gloriâ* & confeſſione *univerſa terra impleretur* prædicabant, optarétque ut hominum corda religione ac timore tanti Numinis tangerentur ac contremiſcerent, & prædicatione verbi commoverentur, præſertim cùm firmiſſima quæque illius aulæ ſeu templi Seraphim vocibus tremefacta videret. Sed cùm hæc ipſa Prophetam quoque ſtupefeciſſent, nè fortè agnoſcens imbecillitatem ſuam munus detractaret, ubi *carbone ignito* impedimento illo ac indignitate liberatus eſt, viréſque loquendi recuperavit, audit vocem interrogantis *quemnam mitteret*. Unde intelligere poſſumus quorſum tenderet iſthæc viſio. Dignum quippe viſum eſt Domino ut hujuſcemodi viſum præcederet creationem ac delegationem Prophetæ ad populum illum durum & intractabilem. Poterat ſanè Seraphim mittere, ſed mavult Hominem, qui ut culpâ non vacaſſet ſi antequam Divino adureretur carbone id muneris ſuſcepiſſet, ità laude dignus eſſet ſi à Deo purgatus & jam Divinâ viſione inſtructus id libenter obire ſe velle profiteretur. Is enim Divini verbi aptus Miniſter cenſendus eſt qui & Divina percepit & dono ſermonis donatus eſt. Illud quoque nequaquam prætereundum videtur, quòd non dicit, *Ego eo*; aut *ibo*, ſed, *Mitte me*, q. d. Si miſeris, ibo: *quomodo enim prædicabunt niſi mittantur?* ¶ *Quis ibit nobis?*] Dativus additur more Hebræorum per Pleonaſmum: hîc tamen numerum multitudinis myſterio non vacare S. Patres annotarunt.

9. Illa etiam verba, *nolite intelligere*, *nolite cognoſcere*, per futurum verti poſſunt, *non intelligetis*, *non cognoſcetis*: ſed quæ ſequuntur ut imperativè dicta accipiantur videntur exigere, *nè intelligatis*, *nè cognoſcatis*: & accipienda ſunt ſicut quæ ſequuntur.

10. *Impingua*] A nomine שמן, quod in genere omnem *pinguedinem* notat, fit verbum quod *pingueſcere* ſign. & in tertia fit activum, *craſſum redde & obtuſum.* Ventres enim pingues non gignunt mentem tenuem. Et ſicut corpora pinguia minùs ſunt agilia neque facilè moventur, ſic Metaphoricè *cor pingue* ſeu *mens craſſa* illa dicitur quæ non penetrat, non ratiocinatur. ¶ *Claude*] Vel *præſtringe*. Hebræis enim שעע eſt *reprimi* ſeu *retineri*; ut ſit contrarium verbo *exſerendi* ſeu *proferendi* & *emicandi*, de quo infrà 29. Hîc eſt in tertia *reſtringe* ſive *præſtringe*, *reprime oculos*, *nè videant*, &c. Quæ his duobus verſibus continentur accipienda exiſtimo ut verba irati animi, quæ nihil aliud ſignificant quàm Illos ob malitiam ſuam audientes non intellecturos, neque percepturos quod ipſis expediret & quæ Domini juſſu ipſis proponebantur; certumque eſſe quòd obruti vitiis ac longâ peccandi conſuetudine non attenderent monitionibus Prophetarum, ut eſſent in auribus eorum verba Prophetæ *ſicut verba libri ſignati*, &c. ut infrà 29. dicitur, qui locus hunc explicat. Quòd autem tota hebetudo ab ipſis proveniat, neque Deus ſit qui (ſi propriè loquaris) illos excœcet, probat hic quoque locus, dum Prophetæ præcipitur ut *ipſorum cor impinguet*, *& aures eorum obturet*, &c. Qui enim fieri poſſet ut id Propheta præſtaret? Significat ergò illos nihil minùs intellecturos quàm ſi quis eorum aures obturaſſet aut oculos repreſſiſſet, &c. Nam quod Joannes 12. dicit, *Propterea non poterant credere*, *quia iterum dixit Jeſaias*, *Excœcavit oculos eorum*, &c. non ità accipiendum eſt ut ſonant verba, ſed, *Propterea non poterant credere*, *quia tales erant quales prævidit Jeſaias ipſos futuros quando illa verba dixit.* Notandum quoque quod magnus ille Baſilius atque Athanaſius annotatum reliquerunt, quòd in Propheta videntur hæc verba eſſe Dei Patris, Joannes autem loco citato videtur dicere fuiſſe verba Dei Filii, at apud Lucam in Actis Apoſtolorum dicantur eſſe verba Spiritûs S. ut probabile videri poſſit, revelatum in hac viſione fuiſſe Prophetæ Trinitatis myſterium, non ſolùm quia ter *Sanctum* clamabant Seraphim Dominum illum Regem Jehova, aut quia, *Quis ibit nobis*, dixit Deus, verùm etiam quando vocem hanc audivit tanquam à ſingulis Perſonis prolatam. ¶ *Convertatur*] Verbum שוב Hebræis abſolutè poſitum interdum idem valet quod *reſipiſcere* ſeu *pœnitere*, ut Deut. 30. *Tu autem converteris*, &c. & Jer. 5. poteſt quoque conſtrui cum verbo ſequenti, *convertantur & ſanem*, i. iterum ſanem. Vide infrà v. 13. ¶ *Et ſanem*] Heb. *reſtituatur ei ſanitas.* Hebræis verbum רפא eſt *morbum lenire*, *medicari*, *ſanare*, interdum cum accuſativo, interdum cum dativo, ut hoc loco. Ad verb. *& ſanitatem illi conferat*, i. ſanitas conferatur. Utuntur enim tertiis perſonis Hebræi non rarò imperſonaliter.

11, 12, 13. *Uſquequo Domine*, &c.] Admiratur Propheta ſeveritatem Divinæ ſententiæ in populum ſuum, neque dubitans quin ità futurum ſit, de duratione illius cœcitatis ſolicitus, interrogat, *Quamdiu*, *Adonai?* Cui reſpondet Dominus, duraturam cœcitatem quouſque omnino perirent, ac eorum Reſp. penitus deleretur, & civitates deſolarentur, & vaſtatio ubique obtineret. Illud autem *donec* non eſt ità accipiendum ut poſt illud exſilium & devaſtationem exſules depoſituri eſſent cœcitatem; ſed nihil aliud notat juxta Hebræorum idiotiſmum quàm quòd cœcitas ſeu obcœcatio contingeret deſolationem illam. Itaque non dubito quin quæ v. 11, & 12. dicuntur, ad tempora Titi & Veſpaſiani referenda ſint, quod autem ultimo loco v. 13. ad tempora Hadriani: *Adhuc*, inquit, poſt illam inſignem cladem Jeroſolymitanam, iterum *decimabuntur*, iterúmque *erit in depaſtionem* ſeu *exuſtionem*, *ut ſimilis ſit illici*, *aut quercui*, tempore quo *eis folia defluunt*, *ſtipite* tantùm apparente. Quam ſimilitudinem ſuprà habes c. 1. 30. Sed voces examinemus. ¶ *Longe faciet*] Vel *procul removebit*. Vide Joſephum, quot millia Judæorum abducta fuerint in captivitatem ac diſperſa per totum orbem: quos hodie etiam ubique terrarum videmus diſperſos. ¶ *Quæ derelicta fuerat*] A verbo עזב, quod eſt *dereliquit*, *deſeruit*, &c. præſertim ſi cum accuſativo tantùm conſtruatur (mutat enim modum ſignificandi ex varia conſtructione, ut Pſal. 14. *ſuper te reliquit ſe*. Et Gen. 39. *reliquit omnia ſua in manu Joſeph*, i. commiſit: & Neh. 3. *reliquerunt uſque ad*, i. extenderunt) venit participium עזב, quod in genere fem. in abſtracto interdum accipitur, i. *derelictio*. Vide infrà c. 17. ¶ *Decimatio*] A nomine numerali עשר *decem* venit nomen עשיריה *decima* ſeu *decimatio*, quod aliqui accipiunt in bonam partem pro *electis*, quos ultimis verbis *ſemen ſanctum* vocat: quibus nequaquam aſſentior, quòd quæ ſequuntur non conveniant, *& erit iterum in depaſtionem* ſeu *combuſtionem*: quare (ut jam expoſui) ſic accipiendum eſt ut idem ſit *adhuc in ea erit decimatio*, & quod mox additur, *& revertetur*, *& erit in depaſtionem*: vel ſic, *poſt illam multam deſolationem adhuc tamen decima*, i. nonnulli & pauci remanebunt: *ſed revertetur & erit*, i. iterum

erit, *in depastionem* : semel enim atque iterum vastati sunt, ut jam dixi. Notandus est autem Hebraismus, & usus illius verbi שוב, quod est *redire*, & juxta variam constructionem variè reddi debet. Si construatur cum altero verbo, optimè redditur per adverbium, ut Job. 7. *non revertetur oculus meus videre bonum*, i. non iterum videbit. Psal. 85. *Nonne reversus, vivificabis nos?* i. iterum vivificabis: & Jos. 5, &c. Jam suprà dixi de verbo בער, quod *adurere*, deinde *depasci* sign. quòd si comparationem quæ sequitur cum his conjungas, verte *depastionem*; *erit in depastionem*, *sicut ilex*, &c. sed melius videtur ut ad superiora omnia referantur, repetito verbo *erit*, ut suprà cap. 1. *Quando fuerit sicut ilex*, &c. ¶ *Quæ expandit*, &c.] Vulg. à verbo שלך participium שלכת accepit verbaliter pro *emittente* seu *expandente*, בצבת pro *ramis*. Ego in abstracto accepi, quasi sit idem quod in primo cap. In hac eadem similitudine dicitur עלה נבלת, i. *quando marcescit folium*, vel, ut Vulg. *defluentibus foliis*. Est autem à verbo שלך, quod tantùm in tertia est in usu, & sign. *dejicere deorsum*: de quo infrà 34. *Interfecti eorum dejicientur*: hinc שלכת *dejectio*: & porta quædam apud Ezechielem *porta dejectionis* dicitur, quia per eam sordes dejiciebantur: quod Rabinos ignorasse nihil mirum, qui hìc somnia afferunt; quos plerique ex nostris sequuntur. ¶ *Ramos*] Ego *stipitem* dixi: nam Hebræum מצבה est à verbo quod sign. *stare*, nempe יצב, quod in voce passiva significationem habet neutram, ut alia, quæ videre potes in Lexicis, & non à נצב, in qua forma verbaliter non legitur: unde pro *statuis* frequentissimè accipitur: hìc autem pro *statua arboris*, i. trunco seu stipite: quod qui non animadverterunt pro *subsistentia* acceperunt, alii pro *fulcro*; alii aliud somniarunt: cum tamen de Quercubus sit sermo, quales amissis foliis maneant, immobilibus truncis, & horridæ visu. Sed annotatione dignissimum est, quòd Prophetico more similitudinem deflectit paululùm Propheta ad consolationem, in trunco illo considerans vim producendorum iterum foliorum & fructuum: *Semen*, inquit, *sanctitatis*, vel *sanctum*, *truncus ejus*: ubi opus est meminisse quod jam suprà annotavi, quæ de vastatione populi Israelitici hìc Propheta & alii commemorant, non intelligenda tantùm esse de corporali seu visibili vastatione, sed etiam de amissione omnium bonorum per peccata & infidelitatem, quæ corporalis vastationis in causa fuerunt. Semper autem reliquias superfuturas significat, quas *semen sanctum* appellat: qui enim incolumes superfuerunt & in sua infidelitate persistunt, illi jam inter Israelitas non computantur. Vel sic, *Truncus* ille idcirco remanebit ut sit quoddam *sanctitatis seminarium*. In hoc enim nonnulli superstites remanserunt, quia ex illis orituri erant sanctissimi illi viri quos in primitiva Ecclesia scimus floruisse. Quid si *truncum* appellet pauculos quosdam pios; apud quos mansit fides illa Patriarcharum; qui quidem Patriarchæ fuerant veluti radix sancta ex qua orta fuerat non solùm secundùm carnem sed secundùm fidem innumerabilis illa Israelitarum multitudo, qui ubi exciderunt à fide, ab arbore quoque ipsa deciderunt, seu tanquam rami præcisi sunt, & projecti sunt in conculcationem omnium gentium, ut paucissimi tantùm manserint filii fideles, quibus inseri possent Gentes, ut fierent filii Abrahæ? Certè ad hunc locum videtur alludere Paulus ad Rom. 11. ubi postquam dixisset *reliquias* seu *electos quosdam salutem consecutos*, *cæteros autem excæcatos*, *& oculos habuisse*, *neque vidisse*, *& aures*, *neque audivisse*, dicit *massam & radicem sanctam esse*; & *quosdam ex ramis fractos esse*, *ut Gentes insererentur*: quæ omnia in hoc capite ita habes ut non indigeat Jesaias meliori interprete. Est ergò sensus, *& erit similis ilici & quercui*, *quarum in dejectione foliorum tantùm truncus quidam remanet*; *truncus* autem ille in populo *semen* quoddam *sanctum* est, seu *radix* quædam *sancta*, quæ nunquam interibit.

LUCAS BRUG.

1. ET *plena erat* [io MS. G.] *domus à majestate ejus*, *& ea quæ sub ipso* [eo MS.] *erant replebant* [*implebant* MS. antiquiora; Hieron.] *templum*.]. Priorem partem, *Et plena erat domus à majestate ejus*, spectatiora exemplaria, Hieronymi & Haymonis commentariis suffragantibus, auferunt; decem nostra, quinque Parisiensium, correcta Lyrani, antiqua Dominicanorum. Lugdunenses & complures alii quibusdam haud legi notant. Nec mirum: est enim altera ex Hebræo interpretatio, nostræ adjecta. Quod est Hebraicè ושליו מלאים את ההיכל, Hieronymus quidem Interpres noster, Theodotioni & Symmacho similiter, transtulit, *Et ea quæ sub eo erant implebant templum*; Lxx verò interpretati sunt, καὶ πλήρης ὁ οἶκος τῆς δόξης αὐτοῦ, *& plena domus gloriâ*, seu *majestate*, *ejus*. Meritò igitur prætermittendam Dominicani atque Epanorthotes docent; rectéque Hentenius textu expulit. Neque enim commiscendæ sunt variæ interpretationes. Quidam codices eorum qui utramque lectionem jungunt, legunt, *& plena erat terra*, seu, *omnis terra*, *majestate ejus*, id quod acceptum crediderim ex Responsorio, quod Ecclesia primum canit in officio matutino Dominicæ primæ Novembris, & solennitatis omnibus Sanctis sacræ. Jonathæ Chaldæi paraphrasis persimilis est Septuaginta duorum versioni, ומזיו יקרה אתמלי הכלא *& de splendore gloriæ ejus replebatur templum*. Alii plerique reddunt, *Et fimbriæ ejus*, vel, *inferiores vestis partes*, *replebant templum*.

DRUSIUS.

1. וְשׁוּלָיו מְלֵאִים אֶת־הַהֵיכָל. Sym. Th. *& ea quæ sub pedibus ejus erant implebant Templum.*

2. מִמַּעַל לוֹ. Alii ἐπάνω αὐτοῦ *super illud*] Hier. *Hoc quod nos, sequentes alios interpretes & Ebraicam veritatem, in qua scriptum est* ממעל לו, *i.* ἐπάνω αὐτοῦ; *quod Latinè dicitur* super illud, *vertimus*, *Lxx transtulerunt* κύκλῳ αὐτοῦ, *i.* in circuitu ejus; *ut non super Templum stare Seraphim sed in circuitu Domini describantur.*

6. וַיָּעָף אֵלַי אֶחָד מִן־הַשְּׂרָפִים. Aq. Th. *& volavit ad me unum de Seraphim.* Sym. *unus Seraphim*] *Unum de Seraphim*, ἓν τῶν Σεραφὶμ & πνεῦμα subintelligitur. Sic dicimus τὰ Σεραφὶμ, τὰ Χερουβίμ. Vide Observ. meas. ¶ *Unus*, *&c.* ex epistola ad Damasum quæ in operibus Hieronymi 143. ¶ וּבְיָדוֹ רִצְפָּה. Aq. Sym. Th. *& in manu ejus calculus.* ¶ בְּמֶלְקָחַיִם לָקַח מֵעַל הַמִּזְבֵּחַ. Aq. Th. *in forcipe quem acceperat de altari.* Sym. *in forcipibus quos sumpserat de altari*] *In forcipe*, vel *forcipe*, i. τῇ λαβίδι. Hæc sumpta sunt ex Epistola Hier. ad Damasum. Cæterùm in Commentariis aliter hac de re scribit; *In manu sua*, inquit, *tenet calculum*, *quem juxta LXX & Theodotionem* τῇ λαβίδι, *i.* forcipe, *juxta Aquilam & Symmachum*, *qui Ebraicum secuti sunt*, forcipibus *apprehendis*, *i.* במלקחים, *ut tangeret os ejus*, *& pristina delicta purgaret.* Igitur במלקחים Aquila vertit non *forcipe*, sed *forcipibus*.

7. וַיַּגַּע עַל־פִּי. Aq. Th. *& tetigit os meum.* Sym. *& detulit ad os meum*] ¶ וַיֹּאמֶר הִנֵּה נָגַע זֶה עַל־שְׂפָתֶיךָ וְסָר עֲוֹנֶךָ וְחַטָּאתְךָ תְּכֻפָּר. Aq. — *ecce tegit hic labia tua*, *& recedit iniquitas tua*, *& peccatum tuum propitiabitur. Cæteri in Aquilæ verba consentiunt*; ex Epistola Damaso scripta.

8. וָאֶשְׁמַע אֶת־קוֹל אֲדֹנָי אֹמֵר אֶת־מִי אֶשְׁלַח וּמִי יֵלֶךְ־לָנוּ. Aq. Sym. Th. *Et audivi vocem Domini dicentis*, *Quem mittam? aut quis ibit nobis?*] Ἡμῖν. Hieron. in Comment. לנו *nos & alii omnes interpretes transtulerunt* NOBIS. ¶ הִנְנִי שְׁלָחֵנִי. Aq. Th. *Ecce adsum*, *mitte me.* Sym. *Ecce mitte me.*

12. וְרִחַק יְהוָה אֶת־הָאָדָם. Sym. μακρὰν ποιήσει Κύριος τοὺς ἀνθρώπους, *longè faciet Dominus homines*] Exstat in ed. Rom. tum etiam in Centonibus Patrum ex Eusebio Cæsareensi descriptum.

13. זֶרַע קֹדֶשׁ מַצַּבְתָּהּ. Th. σπέρμα ἅγιον τὸ στήλωμα αὐτῆς. Aq. *semen sanctum germen ejus*] Hieron. *Quod diximus*, SANCTUM SEMEN ERIT QUOD STETERIT IN EA, *vel juxta Aquilam*, SEMEN SANCTUM EJUS GERMEN EJUS, *in Lxx non habetur*, *sed de Ebraico & Theodotionis editione ab Origene additum in Ecclesiæ fertur exemplaribus.* ¶ Τὸ στήλωμα αὐτῆς. Basilius, ἐκ τοῦ Θεοδοτίωνος πρόσκειται μὴ κείμενον παρὰ τοῖς Ἑβδομήκοντα. ¶ *Germen ejus*, βλάστημα αὐτῆς. In Comment. Hieron. Zach. 6. 12. צמח ἀνατολή, ἀναφυή, βλάστημα. Hinc intelliges quid sit ἀνατολὴ ἐξ ὕψους.

IDEM EX PROCOPIO.

1. ושוליו וגו׳. Th. καὶ τὰ πρὸς ποδῶν αὐτοῦ ἔπλησαν τὸν ναόν. *& ea quæ ad pedes ejus erant implebant Templum.* Locus iste plenior exstat ex Symmacho citatus, ואראה את יהוה ישב על כסא רם ונשא ושוליו מלאים את ההיכל, Εἶδον τὸν Κύριον καθήμενον ἐπὶ θρόνου ὑψηλοῦ καὶ ἐπηρμένου, καὶ τὰ πρὸς ποδῶν αὐτοῦ ἔπλησαν τὸν ναόν, *Vidi Dominum sedentem in solio excelso & exaltato*, *& quæ ad pedes ejus implebant Templum.*

2. שְׂרָפִים עֹמְדִים מִמַּעַל לוֹ. Idem, Σεραφεὶν ἑστῶτα ἐπάνωθεν *Seraphim stantem supernè.* ¶ פָּנָיו. Sym. τὸ πρόσωπον αὐτοῦ *faciem suam*] Aliàs ἑαυτοῦ.

5. אוֹי־לִי כִּי־נִדְמֵיתִי. Sym. οἴμοι ὅτι ἐσιώπησα *væ mihi quoniam tacui*] Sic etiam οἱ ὁ quanquam in editione vulgata κατανένυγμαι.

6. בְּיָדוֹ. Aq. Sym. Th. ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ *in manu sua*] Sic etiam οἱ ό.

12. וְרִחַק יְהוָה אֶת־הָאָדָם. Sym. μακρὰν ποιήσει Κύριος τοὺς ἀνθρώπους, *longè faciet Dominus homines.*

13. וְעוֹד בָּהּ עֲשִׂירִיָּה וְשָׁבָה וְהָיְתָה לְבָעֵר כָּאֵלָה וְכָאַלּוֹן אֲשֶׁר בְּשַׁלֶּכֶת מַצֶּבֶת בָּם Sym. ϰαὶ πάλιν ἔϛαι εἰς ϰαταβόσϰησιν ὡς δρῦς ϰαὶ ὡς βάλανος, ἥτις ἀποβαλῦσα ἵϛαται μόνη, *& rursum erit in devastationem tanquam quercus & ut glans, quæ dejectis foliis stat sola*] Βάλανος non tantùm *glandem* sign. sed ipsam arborem glandiferam, i. *quercum*. Gen. 35, 8. ὑπὸ τὴν βάλανον *sub quercu*. Gen. 2, 13. אלוני. Aq. δρύας. Sym. βαλάνυς. ¶ Ἀποβαλῦσα, *dejiciens*, vel *postquam dejecit*, nempe *fructum* aut *folia*. Procopius, ὡς τερέβινθον, ἢ ϰατὰ τὰς ἄλλας ἑρμηνευτὰς, ὡς δρῦν ϰαὶ βάλανον. זרע קדש מצבתה. Th. σπέρμα ἅγιον τὸ ϛήλωμα αὐτῆς, *semen sanctum fulcimentum ejus*. Aq. —— ϛήλωσις. Sym. ἡ ϛάσις αὐτῆς *firmitas, stabilitas ejus*. Procopius aliquantò post, ἐν τῷ γνήσιῳ τὸ σπέρμα ἅγιον ἐν τῇ ϛάσει ϰαὶ βεβαιότητι αὐτῆς, ϰατὰ τὴν προσϑήϰην Θεοδοτίωνος.

G R O T I U S.

1. **V***Idi Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum*] Vide, ἐν ἐϰϛάσει [*in mentis alienatione*] scilicet, ut Petrus Act. x. 10. xi. 11. *Dominum* intellige fulgorem eximium. *Tribunal Deo erectum* significat ipsum judicium velle instituere de Rege, & primoribus, & populo. Visum autem est ei hoc tribunal erectum in *Templo* tanquam in Dei regia, ut ex sequentibus apparebit.

2. *Seraphim stabant super illud*] Meliùs: *juxta illud*, scilicet *solium*. Seraphim Angeli formâ igneâ, ministri divinæ iræ, quæ flammæ comparatur.

Duabus velabant faciem ejus] Meliùs, *suam*. Nempe sicut homines Solem contra tueri non audent, ità Angeli Deum.

Duabus velabant pedes ejus] Et hîc intellige *suos*, & per *pedes* more Hebræo ea quæ in hominibus velari jubet pudor, quibus respondent in ipsis etiam Angelis imbecillitates quædam, si Deo comparentur. Vide Jobum iv. 18.

Et duabus volabant] Hoc significat celerrima Angelorum ministeria.

3. *Et dicebant, Sanctus, Sanctus, Sanctus*] Id est, Justa sunt Dei judicia in Regem, proceres, & populum. Trina vocis unius repetitio vehementer affirmat. Vide Ezech. xxi 27. Jerem. xxii. 29. Ex hoc loco sumtum est τὸ τερσάγιον [*Ter Sanctum*] hymni nomen in Ecclesia Græca.

Plena est omnis terra gloriâ ejus] In Hebræo: *Omnis hæc terra*, Judæa scilicet. Deus in his ipsis locis mirificè se patefaciet.

4. *Et commota sunt superliminaria cardinum à voce clamantis*] In Græco, ἐπήρϑη τὸ ὑπέρϑυρον [*elevatum est limen illud superum*]. Illud τὸ ostendit de limine supero Templi hîc agi. Si id contremuit, quantò magis homines debent tremere?

Impletáque est domus ipsa] Nempe Templi.

Fumo] Signo iræ divinæ.

5. *Væ mihi quia tacui*] Id est, quia non liberè reprehendi Regis aliorúmque peccata.

Quia vir pollutus labiis ego sum] Non dignus sum qui Dei laudes prædicem.

6. *Et in manu ejus calculus*] *Pruna*. Sic & Hebræi libri & Græci.

Quem forcipe tulerat de altari] Nempe holocaustorum. Hic ignis ab ipso altari sumtus significat donum Prophetiæ, ut rectè interpretatur Chaldæus, ac simul emundationem, ad eam enim aptus ignis.

7. *Et auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur*] Non impedient ista quæ metuis, quò minùs ad meas laudes ac judicia prædicanda tuo utar ministerio.

8. *Quem mittam, & quis ibit nobis?*] Loquitur tanquam de sententia consilii Angelorum.

Ecce ego] Paratus sum jussa exsequi. De hac locutione vide, 1 Sam. ii. 4. 6. 8. & Matth. xxi. 30.

9. *Audite audientes, & nolite intelligere: & videte visionem, & nolite cognoscere*] Propriè in Hebræo sonat, *Audite*, (sed fiet) *ne intelligatis*; *& videte*, (sed fiet) *ne cognoscatis*: & sic accepêre Græci. Vide quæ diximus de hoc loco ad Matth. xiii. 14.

10. *Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava*] Diximus eodem ad Matthæum loco, quosdam Hebræos hoc sumere in modo infinitivo, & subintelligere על [*ad*] vel בן [*per*]. Vide quæ ibi dicta.

11. *Donec desolentur civitates absque habitatore, & domus sine homine, & terra deserta relinquetur*] Tamdiu contumaces erunt, donec Sennacheribus terram omnem vastet.

12. *Et multiplicabitur quæ derelicta fuerat in medio terræ*] In Hebræo, *Et augebitur vastitas in hac terra*; magis magisque increscet.

13. *Et adhuc in ea decimatio*] Imò *decima*: id est, decima ferme pars populi, urbs nempe Hierosolymorum, immunis erit ab hoc malo.

Et erit in ostensionem] In Hebræo: *Et convertetur, & erit in depastionem*. Id verò valet: *iterum depascetur*. Idem loquendi genus Psal. lxxviii. 41.

Sicut terebinthus, & sicut quercus] Græci: ὡς τερέβινϑος ϰαὶ ὡς βάλανος [*tanquam terebinthus & glans*]. Vocem אלה sæpe Lxx vertunt τερέβινϑον, Chaldæus interdum *castaneam*, *ulmum* alii, aut *ilicem*.

Quæ expandit ramos suos] In Hebræo, *in ejectione*. Id Lxx interpretantur, ὅταν ἐϰπέσῃ ἐϰ τῆς ϑήϰης αὐτῆς [*ubi exciderit ex theca sua*]. Solent arboribus, teneris maximè, circumponi velamenta quædam, quæ eas à pecudum admorsu defendant: iis ablatis arbores ad omnem injuriam patent. Sic omnes circa Hierosolyma agri à Sennacheribo corrupti fuêre. Sequitur in Hebræo, *statio in eis*: id est, *stabunt tamen*. cujus rei causa jam sequitur.

Semen sanctum erit id quod steterit in ea] In Hebræo: *Semen sanctum, statio ejus*. Id est, multi in Urbe viri pii, causa erunt cur Deus non passurus sit Urbem capi.

C A P. VII.

M U N S T E R U S.

2. **M***Anet Syria cum Ephraim*] h. e. Exercitus Syriæ conjunctus est exercitui Israel, ut paribus copiis oppugnent Israelem, capitúrque נחה pro חנה, transpositis literis.

3. *Sear Jasub*] Sic vocavit Jesaias unum filium, in signum quòd reliquiæ Jehuda tandem ad Dominum convertentur illatis multis plagis; sicut & alium vocavit מהר שלל, de quo infrà. Est igitur Sear Jasub nomen fatale, sicut & omnes ferè Patriarchæ habuerunt nomina ob certas causas imposita. Designat autem Sear Jasub *Reliquias populi*, qui residuus mansit post bella & defectionem impiorum.

4 *Ne timeas à titionibus*] Quæritur quomodo potentissimi illi Reges vocantur *titiones*, cùm magis fuerint ardentes fornaces & magna incendia? Quis diceret hodie Turcam esse *titionem* & non magis *flammam ingentem omnia comburentem*? At vera fides in Deum dicit, *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Sunt omnes *titiones adusti & fumigantes* qui contra pios & in Deum sperantes suscipiunt arma & acuunt ingenium. Non ardent sed fumant ac mox in cinerem redigentur.

6 *Excitabimus*] i. Oppugnabimus civitatem eorum tam fortiter donec nobis aperiant, & tunc demoliemur muros, &c. ¶ *Ben Tabeal*] Putant fuisse virum insignem de Ephrajim.

8. *Caput Syriæ Damascus*] i. Manebit Rex Syriæ Rex in Regno suo, & similiter Rex Ephrajim in Regno suo, & non consequentur imperium super Jehudam, quin & post aliquot annos populus Ephrajim amittet imperium suum, ducetúrque captivus, &c. Hoc cùm impius Rex Ahaz non crederet, amplissimásque promissiones negligeret, & mitteret pro auxilio ad Regem Assur, dixit ei Dominus per Prophetam, *Pete tibi signum*.

11. העמק שאלה] Sunt imperativus & infinitivus, ut sit hic sensus, העמק לשאל.

13. *Molestare homines*] Sive, ut Hebræi vertunt, *fatigare*. Vocat autem Propheta *fatigationem* incredulitatem illam quâ nec verbis hominum nec Dei fidebant. Unde Rex noluit petere signum quòd Deum impotentem crederet. Deus verò ex bonitate sua signum promittit, & magnificum quidem, piis & credentibus salutare, sed quod *in ruinam quoque positum est multorum in Israel*. Nec absurdum tibi videri debet quòd Propheta post historiam sui seculi Prophetiam de Christo subnectit. Id enim frequens est apud Prophetas, ut scilicet impiis celarent mysteria Dei, & piis nihilominus salutares darent consolationes. Eâdem ratione nonnunquam ambiguis utuntur vocabulis, sicut hoc loco עלמה *juvencula* seu *puella* pro בתולה *virgine*, etiamsi non rarum sit in Scripturâ quòd virgo עלמה vocetur. Sic enim Rebecca vocatur Alma priusquam desponsaretur Isahac; sic Miriam soror Mosi, puella sex annorum, vocatur Alma. Quòd autem hæc Prophetia de Christo & matre ejus Virgine sit prædicta, non modò probatur au-

toritate Euangeliſtarum, quæ apud Judæos nulla eſt, ſed ex textu quoque colligitur, cùm virginis partus pro miraculo habeatur, nullius patris fiat mentio, & nomen pueri עמנואל, i. NOBISCUM DEUS, à matre vocari jubeatur. Sed cùm Judæis nunc pauliſper loquar, qui omnes in hoc loco invehuntur contra Chriſtianos præſertim Kimhi, Aben Ezra & autor libri Nizahon, aſſerentes hunc *filium* eſſe filium Prophetæ aut filium Regis. אמר נביא לכן יתן ה' הוא אות לכם פי' שישלח כנו בתוך נערה בתולה והוליד כבנה והוא נקראת העלמה משמע הבתולה שלא נשאת לבעל׳ ועוד תמצא בקבלה בתרגם יונתן שהמם של העלמה סם כתוכת והוא רמז שהיא היתה בתולה קודם הלידה ואחר הלידה׳ וכאשר כת״ב וקראת שמו עמנו אל תמצא במסורת עמנו אל ל׳ ישועה כי הוא מושיענו וגואלנו אבל חכמיכם קוראין אתו בלשון קצור ודרך בזיון ישו כדיל לגדף אתו׳ ועוד אמר נביא שהילד ההוא לא יהיה כשאר ילדים כי יאכל לדעתו מה שיאכל ומתוך מדתו יהיה נכר כה שיהיה מעשיו וסופו מוכיח על תחלתו לתחלתו מוכיח על סופו׳ טעם אחר חמאה ודבש יאכל לדעתו כלו׳ ידע תורה כלנו בנערותו שאינו צורך לרב כדרך הילדים והתורה נמשלת לחמאה ודבש׳ ואם תאמר אם הוא אלהים הלא היה יכולת בידו לבא על הארץ בלא לידה ולילך בה ולמה נכנס באדם טמא כי הביאה מרים אמו שני תורים אחר לידתה א״כ בודאי שטמאה היתה׳ ו״ל בודאי טהורה היתה ולא הביאה תורים משום שהיתה טמאה אלא שאינה יכולה לעבור על תורה וכמשום הוראות שלא יבא קלקול לעולם על ידה׳ וכנה לא נולד אלא לכלאות תורת משה ולקים מצות מילה׳ ואין לך רשות להרהר אחריו לכה הוא נכנס באשה ולמה הלך על הארץ כבר אדם אלא גזרת הכתוב הוא ונבאו עליו כל הנביאים :

16. *Antequam ſciat reprobare*] i. Priuſquam natus fuerit & guſtaverit butyrum, ſentiet terra auxilium ejus: nam *relinquetur à Regibus* illis qui jam eam poſſidere videbantur. Aperit hîc Propheta piis feneſtram veræ liberationis & ſalutis. *Nobiſcum Deus*, nedum eo tempore quando incarnatus venit in mundum, ſed ut virtus ſalutis ejus extenditur ad priora tempora, ut etiam ævo Iſaiæ ſenſerint beneficia Emanuelis. Moderatur autem ſic verba ſua ut myſteria pandantur piis, & rurſum oracula illa cœleſtia celentur ab impiis. Quando verò dicit Propheta, *Butyrum & mel comedit*, non vult aliud quàm quòd Chriſtus futurus erat verus homo, educandus ſicut reliqui pueri, etiamſi interim fuerit verè IMMANUEL.

V A T A B L U S.

1. **E**Xpugnare eam *להלחם עליה*] Ad verb. *bellare contra eam.*

2. *Dicendo* לאמר] In hunc modum. ¶ *Requievit* נחה] *Requieſcit. Societatem init*: i. Copiæ Syrorum junctæ ſunt copiis Regis Iſrael ad obſidendum Jeruſalem. ¶ *Et commovit ſe* וינע] *Commotum eſt itaque*, i. contremuit, metu ſcilicet. ¶ *A facie venti* מפני רוח] Hebraiſmus, pro *flante vento.*

3. *Ad extremum* אל קצה] *Ad extremitatem*, i. finem. Chald. *uſque ad extremam partem canalis lacunæ ſuperioris, quæ* pars extrema reſpondet *viæ*, i. eſt è regione, vel eſt juxta viam, *quà itur ad agrum fullonum*, in quo fullones ſiccant pannos quos curaverunt, & purgarunt in canali ipſius lacunæ ſuperioris. Prope Jeruſalem erant duæ lacunæ, quarum altera à ſitu dicitur *Inferior*, altera *Superior.*

4. *Cave, & quiſce* השמר והשקט] *Obſerva ut ſis quieto animo*, vel *tanquillo.* Alii à שמרים, i. *fæcibus*, derivantes, vertunt, *Reſide, & quieſce.* ut ſcilicet vinum reſidere ſolet ſuper fæcem ſuam: i. eſto animo ſecuro. ¶ *Caudis* זנבות] *Extremitatibus*: in quibus ſcilicet durat ignis. Alluſio ad titiones quibus ſolent coqui componere ignem ſuum: qui cùm devenerint ad extremitatem, abjiciunt illos. ¶ *In ira furoris* בחרי אף] Sub. *venientium.* Alii, *præ furore iræ.* Comparat Iram fumo, i. fumigantium præ furore.

6. *Aſcendamus* נעלה] Sub. *cum magno exercitu*: paremus expeditionem in Jeruſalem. Fut. Heb. pro imperat. ¶ *Et obſideamus eam* ונקיצנה] *Et expergiſci faciamus illam.* Vel, ut alii, *excitabimus illam.* Fut. pro imperat. Alii, *& tædio afficiamus illam*, longâ ſcilicet obſidione. ¶ *Et ſcindamus eam nobis* ונבקיענה] *Perrumpamúſque eam ad nos*, i. perrupto muro, irrumpamus in eam vi armorum, ità ut hâc ratione veniat in poteſtatem noſtram. Alii, *diruemúſque eam, ut ſit noſtra.* ¶ *Filium Tabeal* בן טבאל] i. Unum ex viris Iſrael.

7. *Non ſtabit* לא תקום] *Non conſiſtet*; i. non erit ratum & ſtabile. Alii, *Non conſurget.*

8. *Et caput* וראש] i. Metropoli. Ac ſi dicat, Raſin erit Rex Damaſci tantum, non etiam Jeruſalem. Damaſcenorum interitum prædicit, quorum urbs non fuit everſa tempore pro Ephraim, ſed paulò antè, 2 Reg. 16. 9. ¶ *Et adhuc*, &c.] ובעוד וגו'] Hebraiſmus, pro *& ſexageſimo quinto anno.* Non eſt à tempore hujus Prophetiæ numerandum, ſed à Prophetia Amos, qui fuit æqualis Eſaiæ: q. d. Veriſſimum eſt quod prædictum fuit ab Amos æquali meo: nam intra LXV annos frangentur vires Aſſyriorum & Iſraelitarum. Amos prophetavit contra Damaſcum & Iſraelitas. Cœpit prophetare adversùs eos anno XVII Jeroboam filii Joas, qui à Prophetia hac regnavit XXIV annos. Quibus ſi addas X Manahem, II Phaceia, XX Phacee, & Oſee IX, conſtitues LXV annos, præter ſeptem menſes Sellum & Zachariæ. Cùm hæc ſcripſit Eſaias, ſupererant è Prophetia Amos XII anni, i. tres ultimi anni Phacee, & novem Oſee. ¶ *Frangetur* יחת] *Aram*: i. frangentur vires Syriæ & Regni Iſrael: ambo venient in poteſtatem Regni Aſſyriorum.

9. *Et caput Ephraim*, &c. וראש אפרים וגו'] q. d. Quod dictum eſt de Aram, idem dici debet de Iſrael Nam Phacee erit Rex Samariæ tantùm, non etiam Jeruſalem. Prædicit captivitatem Iſrael, cujus caput erat Samaria. ¶ *Eſtis ſtabiles* תאמנו] *Robuſti*, ſub. *in fide.* Alii, *fideles.*

11. *Demitte te* העמק] *Deſcende in imum*: q. d. Si non credis & adhuc hæſitas, *pete ſignum in imo, aut ſurſum*, i. in terra, vel in cœlo. Quidam Hebræorum vertunt *multiplica petendo.*

13. *Et dixit* ויאמר] Sub. *Propheta.* ¶ *Numquid*, &c. המעט מכם] *An minus quàm vos deceat, videtur eſſe.* ¶ *Labore*, &c. הלאות אנשים] *Vos moleſtos eſſe hominibus*: vel, *afficere tædio & moleſtiâ homines*, i. Prophetas. ¶ *Labore afficitis* תלאו] *Tædio* [vel *faſtidio* & *moleſtiâ*] *afficitis.* Alii, *quòd etiam Deum facitis debilem*, vel *infirmum*; aut *fatigabilem.* Nam quòd Achaz petere noluit, ideo factum eſt quòd credebat Dominum non facturum, ideo perditurum operam.

14. *Vobis* לכם] i. Nepotibus tuis, ô Achaz: ac ſi dicat, Tu cogitas Deum non ſatis eſſe potentem ut te liberet à Raſin & Phacee; at falleris: nam longè majus argumentum ſuæ potentiæ daturus eſt tuis nepotibus. Faciet enim ut ex virgine naſcatur Meſſias, qui liberabit populum à pernicioſioribus multò hoſtibus, Peccato, Morte, & Satana. ¶ *Virgo* העלמה] In principio hujus dictionis ה Hajediah aut *ſignificativum* indicat eum loqui de inſigni quadam ac præclara Virgine, nempe Maria. Ab עלם *abſcondit, occultavit*, derivatur hæc dictio, ſic appellata quòd eſſet occulta viro. ¶ *Et pariens* וילדת] Particip. pro fut. *& pariet.* ¶ *Et vocabis* וקראת] Sub. העלמה *virgo.* Alii exiſtimant veriorem eſſe lectionem *vocabis* in ſecunda perſona, ſcribentes ità legi in emendatioribus Hebræorum libris, in quibus Cames ſupponitur ipſi ת, & de Maſculo dici: nam ſi de Muliere, pro Cames ſupponeretur Seva: & ſi eſſet tertia perſona feminea, legeretur וקראה. Hinc quidam Hebræorum legentes *vocabit* maſculinè, ſubaudiunt *Spiritus ſanctus.* Sabaudiri etiam poſſet (quod frequens eſt Hebræis) participium ejuſdem verbi, *vocans*, i. qui illi nomen imponet, *vocavit eum Immanuel.*

15. *Butyrum*, &c. חמאה] His locutionibus declarat eum fore verum hominem, & non habiturum corpus phantaſticum: nam comedet & bibet; ſciet præterea abhorrere à cibo amaro & inſuavi, & proſequi cibum dulcem ac ſuavem. Habebit corpus præditum ſenſibus ſicut & nos.

16. *Reprobare malum* מאוס ברע] Hâc periphraſi inculcat nobis Chriſti incarnationem: i. antequam aſſumpſerit humanam naturam in qua edet & bibet. ¶ *Derelinquetur*, &c. תעזב וגו'] *Deſeretur terra à qua* nunc *abhorres propter duos Reges ſuos*: i. Syria & Samaria deſolabuntur, quas tu odio proſequeris propter duos ejus Reges qui te obſident. *A facie* pro *propter* frequens eſt Hebræis.

18. *Fluminum* יארי] *Rivorum.* Abundat enim Ægyptus variis rivulis Nili quibus alluitur. De extrema parte Ægypti loquitur quæ proxima eſt Libyæ.

19. *Omnes ipſi* כלם] *Omnes*, ſub. *muſcæ & apes.* ¶ *Deſertorum* הבתות] *Deſolationem*: i. deſolatis. ¶ *Et in cavernis petrarum* ובנקיקי הסלעים] *Et in foraminibus ſaxorum.* Proſequitur Metaphoram: nam apes quærunt cavernas. Urbes autem aut in montibus aut in ſcopulis ſitas intelligit. ¶ *Arboribus vilibus* הנעצוצים] *Dumetis.* Pagos intelligit, qui ſpinis & dumis cingi ſolent.

20. *Conductitiâ* השכירה] Ad verb. *conductionis*, i. optimâ & acutiſſimâ: nam quæ conducimus, optima eſſe ſolent & ad rem gerendam accommoda. Chald. *enſe acuto.* ¶ *In iis qui*, &c. בעברי נהר] Ad verb. *in trans flumen*: i. in exercitu qui veniet à regione quæ eſt ad latera Euphratis. Quidam, *in accolis Euphratis.* ¶ *Cum Rege* במלך] Ad verb. *in exercitu Regis.* ¶ *Et pilos pedum* ושער הרגלים] Honeſto vocabulo

rem

rem turpem significat, nempe pubem & pudenda: ut urinam vocant *aquam pedum.* Veteres Hebræi cæsariem radebant & pubem; barbam non item: idque ex regionis consuetudine, secundùm quam barba erat in maximo pretio. *Capilli capitis* sunt duces, *Pubes* sunt milites gregarii; *Barba* est Rex Sennacherib, qui à filiis reversus in patriam fuit occisus 2 Reg. 19. 38. q. d. Tam facilè perdet Dominus Assyrios tempore Ezeciæ quàm facile novacula dejicit cæsariem, pubem & barbam. ¶ *Barba absumetur* הזקן תספה] *Barbam absumet:* quæ alioqui radi non consuevit.

21. *Nutriet*, &c. יחיה איש עגלת בקר] Ad verb. *vivificabit vir vitulam* filiam *bovis*, i. juvencam. Futuram felicitatem prædicit post liberationem à Rege Assyriorum: q. d. Exiguo grege facilè quis vitam tuebitur, & omnibus cibis delicatis & suavibus abundabit. ¶ *Et duas oves* ושתי צאן] *Aut duas oves gregis.*

22. *Lactis quod faciet* עשות חלב] Ad verb. *faciendi lac*, i. quam facient, vel reddent, sub. *vacca illa & duæ oves.* ¶ *In medio terræ* בקרב הארץ] i. In ipsa terra Judææ reliquus fuerit.

23. *Argenteis* כסף] Sub. *siclis*, aut *minis:* i. pretii mille nummorum argenteorum. Maximam felicitatem sequitur maxima desolatio. ¶ *In veprem*, &c. לשמיר וגו'] Hebraismus, pro *obsitus erit spinis & vepribus:* q. d. Tempore illo omnis locus in quo ante obsidionem Sennacherib erant optimæ vites, quæ singulæ singulis siclis argenteis vendi poterant, conspicietur squalidus & spinis obsitus ob diutinam obsidionem: & tandem illi squalori ubertas maxima succedet.

24. *Ingredietur* יבוא] Sub. *agricola:* q. d. Qui adire volet loca illa, ingredietur armatus, metu ferarum aut serpentium. ¶ *Vepris enim*, &c. כי שמיר] Hebraismum sic quidam reddunt, *quoniam spinæ & vepres erunt per universam terram:* vel, *occupabunt totam terram.*

25. *Qui sarculo sarrientur* אשר במעדר יעדרון] *Qui ligone excoli solent.* Hebraismus, pro, *In omnibus autem montibus qui coli solent, non nascentur spinæ aut vepres.* ¶ *In pascuum* למשלח] Ad verb. *in missionem* pedis *bovis:* i. illuc mittentur boves, & conculcabunt pecora. Idem sunt *missio pedis* & *conculcatio:* i. illic pascentur armenta & pecora: q. d. Tempore obsidionis tota planities terræ Judæ (Gallicè *le plat pais*) desolata erit, plena spinis & vepribus; ac montium fertilium vertices non erunt obsiti spinis; cùm talia loca tempore belli soleant coli ab iis qui in ea se receperunt metu hostium. Propterea obsidione solutâ erunt bobus & ovibus in locum pascuum, cùm in planis locis ali non poterunt ob vastitatem.

C A S T A L I O.

8. E*Xactis annis sexaginta quinque*] Videlicet ab Amoso prædictis, Am. 5.

9. *Quòd si non creditis (ut estis increduli) pete tibi signum, inquit*, &c.] Ad verbum sic legitur, *Quòd si non creditis, ut estis increduli, pergit Jova sic alloqui Achazum, Pete*, &c. quæ oratio Latinè per parenthesim clarior fit, cujusmodi est illa Marc. 2. *Ut autem sciatis hominem habere potestatem remittendi in terris peccata, dicit siderato, Tibi dico, surge:* quæ sic fiet illustrior, *Jubeo te surgere, inquit siderato.*

13. *Audite, Davididæ*] Hierosolymitani. ¶ *Parùmne vobis est hominibus exhibere negotium*] Non solùm mihi, qui *homo* sum, *facessitis negotium*, dum propter improbitatem vestram vos cogor admonere; sed etiam *Deo*, quem vestrâ diffidentiâ impellitis ad edendum vobis signum aliquod quo faciat vobis hujusce promissi fidem. Hoc ergò *signum* accipite; Est *puella* quædam jam *prægnans*, quæ *filium pariet*, *eumque vocabit Emmanuelem*, à Dei auxilio, qui nobis sub ejus pueri ortum aderit. Is puer *butyro melléque vescetur*, *discendo* (sic enim verto infinitivum subjunctum literæ Lamed per gerundium, ut fit sæpe, ut 4 Reg. 19. & Dan. 9.) h. e. eâ ætate quâ discitur quid inter *bonum malúmque* intersit, videlicet infantiâ: h. e. *antequam possit is puer bonum à malo per ætatem discernere*, erit hæc urbs obsidione liberata, Samariáque & Syria (quarum vos *Reges* obsident) in tantam per Assyrios *redigentur solitudinem*, ut etiam culta loca *vepribus & virgultis* præ vastitate repleantur, ità ut *pecora* ubique liberè pascantur, & ideo pinguescant, tantúmque *lactis reddant ut si quis buculam unam, aut duas oves habeat, is lacte abundet.* Ità fiet ut *butyrum* eo lacte confectum, & eâdem ratione *mel* (nam & mellis copia est cùm est pabulum, quippe abundantibus floribus) in hanc urbem importentur (id quod nunc prohibet obsidio) iisque nutriri possit is puer qui est adhuc in utero: ut intelligatis quàm brevi sit vobis adfutura salus. Quod autem interpretor *puella prægnans* per præsens tempus, est & alibi & Gen. 16. ejusmodi loquendi modus, ubi gravidam Hagarem alloquitur Angelus. Sed cur hunc locum de Christo citaverit Matthæus dicemus in cap. 9.

18. *Evocabit sibilo Jova muscas*] Hostes acerrimos & infestissimos, qui omnia occupabunt & infesta reddent.

20. *Tum radet Dominus conductitiâ novaculâ*] Vide Ezechielem 29. ad finem.

24. *Adeò ut eò cum sagittis & arcubus veniatur*] Scilicet ferarum metu.

C L A R I U S.

1. R*Asin*] Hic fuit Rex Aram. Ea est Cœlesyria & Damascene, ab Antilibano usque ad Perusam. Habes hanc historiam 4 Reg. 16.

2. *Requievit Syria super Ephraim*] h. e. Exercitus Syriæ conjunctus est exercitui Israel, ut paribus copiis oppugnet Jerusalem.

3. *Sear-Jasub*] Sic vocavit Esaias unum filium, in signum quòd reliquiæ Juda tandem ad Dominum converterentur, illatis multis plagis. Significat enim SEAR-JASUB *Reliquiæ convertentur*, h. e. salvæ erunt. Jubetur ergò Esaias assumere secum filium eo nomine, ut ipsâ nominis significatione intelligeretur eventus rei.

8, &c. *Caput Syriæ Damascus*] h. e. Unusquisque horum Regum intra suos terminos continebitur; neque propagabunt Regnum, ut sperant: quin non post longum tempus utrumque Regnum destruendum est, tam Syriæ quàm Samariæ, sicut & jam antè Amos Propheta prædixit. A qua Prophetia computandi sunt *anni sexaginta quinque* quorum Esaias hîc meminit. Nam sexto Ezechiæ anno Israelis Regnum cessavit, sicut & antea Syriæ. ¶ Quod autem ait, *& quidem caput Ephraim Samaria*, subauditur *interim:* ut dicatur, Intra hoc annorum spatium Samaria, non Jerusalem, ut sperant, sicut nunc est metropolis Ephraim, i. Regni Israel, sic & erit. Hoc cùm impius Rex Achaz non crederet, sed mitteret pro auxilio ad Regem Assur, dixit ei Dominus per Prophetam, *Pete tibi signum:* ille autem, cùm impius esset, nolens à Deo signum petere, excusavit, quòd *nollet tentare Deum.* Vox autem Hebræa & *tentare* & *exaltare* significat.

13. *Molestos esse*] Sive, ut Hebræi vertunt, *fatigare.* Vocat autem Propheta *fatigationem* incredulitatem illam quâ nec verbis hominum nec Dei fidebant: unde Rex *noluit petere signum* quòd Deum impotentem crederet. Deus verò suâ bonitate signum promittit, & magnificum quidem, quod *& in ruinam positum est multorum in Israel, atque etiam in resurrectionem.* Nec absurdum videri debet quòd Propheta post historiam sui seculi Prophetiam de Christo subnectit. Id enim frequens est apud Prophetas, ut scilicet impiis celarent mysteria, & piis nihilominus salutares darent consolationes. Quòd autem hæc Prophetia de Christo & Matre ejus Virgine sit prædicta, non modò probatur autoritate Euangelistarum, sed ex Textu quoque colligitur, cùm Virginis partus pro miraculo habeatur, nullius patris fiat mentio, & nomen puer EMANUEL, h. e. *Nobiscum Deus*, à matre vocari jubeatur. Quid autem est aliud quod Joannes dixit, *Et Verbum caro factum est* quàm *Nobiscum Deus.*

14. *Ecce virgo*] HAALMA: quod nomen de ea dicitur quæ sit adolescentula simul & virgo; & volunt derivari à verbo quod *abscondere* significat: ut intelligamus *puellam ab aspectibus hominum absconditam*; de cujus integritate dubitari non possit. Et *linguâ Punicâ*, ait Hier. *quæ de Hebræorum fontibus manare dicitur, propriè Virgo* ALMA *appellatur.* In Hebræo autem est *vocabis* in genere fem. ut referatur ad matrem.

15. *Butyrum & mel comedet*] Corporalem præsentiam veram indicat, ut iisdem pascatur cibis quibus & pueri peculiariter pasci solent; ut discernat cibos sicut alius homo, & more puerili abhorreat ab amaris, & appetat suavia. ¶ *Ut sciat*] Vel rectiùs atque apertiùs, *Et innatâ sibi prudentiâ sciet reprobare malum & eligere bonum.*

16. *Antequam sciat puer reprobare malum*] h. e. Priùs quàm nascatur, ut gustet butyrum & mel, sentiet terra auxilium ejus: nam *relinquetur à Regibus* illis qui jam eam possidere videbantur. Et vide ut orationem ità attemperavit ut suo olim tempore intelligi à posteris posset, & tamen non daretur sanctum canibus. Et profectò res tantæ majestatis fuerant his involucris obtegendæ.

17. *Adducet Dominus super te*] Liberaberis quidem nunc ab his duobus Regibus: sed ob impietatem tuam accersam adversùm te Regem Assyriorum.

18. *Sibilabit Dominus Muscæ*] Ægyptios vocat *Muscas*, alludens ad hoc quòd multæ muscæ sunt in Ægypto. Assyrios

verò comparat *Api*, eò quòd apum & mellis copiam habeat Assyria, & simul in magno numero conglobentur, ut apes: ut Ps. 118. *Circumdederunt me sicut apes.* Eâdem allusione dixit *venient & requiescent*, ut apes & muscæ in ramis quiescentes.

20. *In Rege Assyriorum caput & pilos*] Per Regem, inquit, Assyriorum & Chaldæorum exercitum excidentur Judaicum Regnum: hi enim instar novaculæ abradent omnia, & Regem ac Principes & infimos etiam auferent. *Novaculam* autem *conductam* appellat ipsos hostes quibus tanquam conductis operariis utitur Deus ad suorum castigationem.

21. *Nutriet homo vaccam*] Docet his verbis futuram ingentem solitudinem: & dum non erunt cultores agrorum, redigendam regionem in saltus & desertum; ut qui vivere illic velit, opus ei sit more pastorum lacte vivere, idque tenuiter, *alendo vaccam unam ac duas oves*, ut futuros omnes pauperes indicet; nullâque alia copia rerum futura sit quàm *lactis* & *mellis* etiam, quod nimirum silvestre existimandum est. Atque ex hoc cibo *mellis* ac *butyri* terræ vastitatem colligere potes.

23. *Omnis locus*] Ubi fuerant olim *mille vites* æstimatæ *mille argenteis*, tunc *erunt in spinas & in vepres.*

25. *Qui in sarculo*] Ostendit fore ut homines metu hostium relictis campestribus confugiant ad montana, & aspera montium excolant, atque idcirco minùs illic vepres crescent, ibique eorum depascent armenta. Alius interpretatur, *montes, qui alioqui sarculo sarriri solent*, &c.

FORERIUS.

1. Historia nota est: lege in ultimo lib. Reg. cap. 17. ¶ *Ascendit*] עלה, i. *ascendit*, non semper *ab inferiori loco ad superiorem conscendere* significat Hebræis, verùm etiam *ferri aliorsum*, seu *transferri*. Exempla passim obvia. ¶ *Syriæ*] Heb. *Aram.* Est autem ARAM *Armenia*, quæ nomen sortita est ab ארם filio seu nepote Noach. Si etymologiam spectes, à *situs altitudine* nomen habere certum est. *Equidem omnium in toto terrarum orbe Armeniam celsissimam esse indicio est, ut Scriptura testatur, *in montanis* ארם, quæ pars ejus exsistit, exacto diluvio *Arcam* Noach *resedisse* Gen. 8. Deinde verò quia Amos 9. dicitur *Syros translatos fuisse ex Kir in Armeniam*, ex illo eventu postea dictam *Syriam* verisimile est, quæ priùs appellata est *Armenia*: quanquam adhuc aliqua pars Armeniæ primævum nomen retinuerit. Porrò ut longa & lata est, ità quoque in multas regiones divisam, & secundùm urbes earum distinctis appellationibus cognominatam legimus. Illa in qua est Damascus *Syria Damasci* dicitur 2 Sam. 8. & in qua est Tcoba dicitur *Syria Tcoba*, quæ scilicet inter Libanum & Antilibanum jacet, & corrupto vocabulo *Cava Syria* dicitur, Græcis *Cœle*, ob dimissam à declivitate montium planitiem, id quod צובא Hebræis sonat 2 Sam. 8. & Ps. 60. Sic quoque dicitur Hebræis *Syria duorum fluminum*, quam Græci vocant *Mesopotamiam*, Latini *Interamnem*, quòd inter Euphratem & Tigrim sita sit. Est & *Syria Maacha*, fortè à מעכה filio Nachor ex Reuma uxore, qui civitatem de suo nomine appellavit. Hæc commemoravi ex quodam viro docto, ut faciliùs intelligat lector quæ 2 Sam. 8, & 10. scribuntur. ¶ *Ad præliandum*] Hebr. nomen est, quod propriè *cædem* seu *incisionem* sig. *quæ fit ore gladii*, ut Hebræi loquuntur, i. in bello, quare *bellum* vertunt Interpretes. ¶ *Et non potuit*] i. Neuter illorum potuit. ¶ *Expugnare*] Verbum Hebræum לחם in voce passiva significationem habet activam, & credo significare *pugnare* cùm suis compositis. In lib. Reg. est absolutè positum ולא יכלו להלחם, *& non potuerunt debellare*: hic exprimitur pronomen & præpositio עלי, i. *super*.

2. *Requievit*] Vel *consedit*. Heb. verbum נוח *considere, conquiescere*, &c. sig. hic autem terminatio est feminina propter nomen ארם: transfertúrque ad *pacem*; ut interpretari possimus, *quievit Syria super Ephraim*, i. pacem iniit Syria cum Israel. Regnum enim X Tribuum sæpe *Ephraim* dicitur. Jeroboam enim primus Rex Ephratæus fuerat. Erat quoque potentissima illa Tribus inter cæteras. Vel, *exercitus Syrorum interra Israel confederat* cùm adversùs Regnum Juda properaret: unde conjectari poterant, illos junctis viribus velle aggredi Judæam. Non tamen prætereundum est quòd נחה potest esse integrum verbum seu radix; & significat *sensim & placide ducere, deducere, ut pastor gregem*: ut neutrum autem acceptum, hujusmodi sensum efficit, *sensim accessit exercitus Syrorum ad Israel.* Nec obstat quòd hæc sit terminatio masculina, ארם autem videatur esse femininum, ut cætera nomina regionum: nam mox paulò inferiùs dicitur, ארם יעץ *consilium iniit Aram*, &c. terminatione etiam masculinâ quia pro ipsis *Syris* accipitur. Alii supplent nomen, *duxit exercitum* quasi sit verbum castrense: sed quia non memini me legisse verbum נחה absolutè positum, propterea per verbum *considere* verti: idque significare existimo quod mox dicitur, *Syriam & Ephraim inisse consilium adversùm Judam.* ¶ *Commotum est cor*] Idem verbum mox repetitur, *moventur arbores*, &c. Et ponitur verbum sing. cum nomine plur. quasi significaret *singulorum corda trepidasse*: est autem in trepidatione cordis frequens palpitatio ac commotio; sicut nulla est arbor in silva quæ non commoveatur flante vento.

3. *Qui relictus est filius tuus*] Heb. SEAR-JASUB, nomen proprium filii Jesaiæ; quod si interpretari velis, valet *Reliquiæ revertentur.* Quod nomen non dubium quin filio indiderit ob mysterium de quo suprà 1, & 4. & frequentissimè apud hunc Prophetam, ut vel ex hoc nomine & ejus significatione & præcepto Domini, qui voluit ut Propheta secum duceret hunc filium ad Regem Ahaz, possimus aliqua ex parte conjicere quò tendant verba Prophetæ quæ infrà explicabuntur. ¶ *Aquæ ductus*] Nomen Hebræum ab *ascendendo* appellationem habet; à superioribus enim locis per aquæ ductus aquæ decurrunt. ¶ *Piscinæ*] Nomen Hebræum ברכה est à verbo quod *placidè & benignè alloqui*, aut**genu flectere* significat: unde ברך *genu*, & ברכה *benedictio*, tam quæ verbis quàm quæ re præstatur. Quare sic dicta est Piscina Hebræis, vel quòd in ea sint aquæ placidæ stagnantes, vel potiùs à copia & multitudine aquarum. Copiam enim interdum *benedictionem* vocat Hebraismus. ¶ *Fullonis*] A verbo כבס, i. *lavit, lavando candidavit*, venit nomen כובס, quod nomine γναφεὺς reddidit Marcus 9. ubi & significationem explicavit, quando dicit, *Vestimenta illius facta sunt splendida & candida valde, sicut nix, qualia γναφεὺς, fullo, super terra non valet candida facere.*

4. *Vide*] Vel *Cave.* Nam שמר in voce passiva utuntur Hebræi non rarò in dehortationibus & vetationibus; & verbo *cavendi* reddi potest, & in imperativo valet *cave.* Ego existimo constructum cum altero verbo, ut hoc loco, hunc habere sensum, *Cave, & quiesce*; i. *Attende nihil aliud, quàm quiescas*; vel, *Vide ut quiescas*: quem sensum expressit Vulg. &c. ¶ *Formidet*] Nos *mollescat*: id enim propriè significat verbum רכך. Vulg. sensum expressit. Opponitur enim rei condensatæ & induratæ. Cor autem pavidorum videtur liquescere & tenerum fieri, audacium autem ac fortium virorum obdurescere ac firmari. ¶ *Titionum*] אוד est *torris, titio, lignum adustum quod ex igne extrahitur.* Zach. 3. *Titio ereptus ex igne.* Quò respexit Judas, *Illos*, inquiens, *per timorem salvos facite ex incendio rapientes.* Et fortè est à verbo ידה, quod *projicere* seu *jaculari* significat, quamvis Rabini radicem non assignent. Per extenuationem autem duos illos Reges *duas extremitates* (seu *caudas*) *titionum* vocat, quòd duo tantùm ligna fumantia haud ingentem flammam possint emittere. Unde & *fumantium* dixit, quòd non tam ignem quàm fumum excitarent, & modicâ aquâ possent exstingui. ¶ *In ardore*] Nomen חרי semper est Hebræis in regimine, à verbo חרה. Est autem *ardor* seu *excandescentia*, & jungitur nomini אף, quod propriè *nasum*, deinde & *iram* significat. Iram ergò illorum Regum comparat *fumo titionum*: irati enim fumum naribus efflare dicuntur. *Commotum* itaque Judæorum *cor* præ timore cùm commemorasset Propheta (quia solent meticulosi plerumque, dum remedium quærunt, multa indigna committere contra Dei voluntatem, sicut fecit Ahaz, qui ad Assyrios misit, &c. Vide lib. Regum) introducitur jam nunc jussus à Domino ut timorem auferat, Regémque ac populum confirmet, præmuniátque iter ad aperiendum mysterium Christi. Solet autem Deus in adversitatibus quietem seu silentium suis indicere, contrà quàm mundus solet. Mundani enim aut desperatione obruuntur, aut facilè tumultuantur & conturbantur: Quibus autem Deus sese offert, non opus est eis mundano præsidio; sed quò magis quieverint, magis in tuto sunt: quietis enim pectoribus sese diffundit copiosiùs Spiritus ille Divinus. Hîc quoque cogita quantum possit fiducia in Deum; quam si trepidantia corda admittant in maxima rerum perturbatione, qualis tunc erat, possint ex summa trepidatione ad summam quietem ac tranquillitatem transferri. Nisi enim in rebus afflictis beatam illam quietem & pacem animi retinere possemus, nequaquam per Prophetam suis Deus juberet ut quieti essent, ut nihil timerent, &c.

5. *Inierit consilium*] Nè, inquit, ob hoc timeas quòd *Syria & Ephraim consilium inierint*, &c. Unica vox est Heb. יעץ, *consiliaverint adversùm te*, vel *super te*, על enim sæpe notat materiam subjectam super qua vel de qua agitur.

6. *Suscitemus*] Vel *expergefaciamus.* Verbum קוץ Hebræis idem est quod *compunctus fuit*; ut idem propè sit cum verbo נקף. Sed variè construitur, & Latinè variè reddere oportet:

Et quando cùm מפני, i. *à facie* seu *conspectu*, construitur, benè redditur verbo *abhorrendi à re quapiam metu:* Quando verò cum ב, *horrorem* seu *fastidium & nauseam habere in re aliqua.* Locum illum Prov. 3. *Ne compungaris in correptione ejus*, i. Nè tibi molestum sit, aut nè detrectes fastidiendo ab eo corripi, Paulus ad Hebr. 12. reddidit verbo ἐκλύομαι, *deficio*, *defatigor*; *Neque deficias cùm ab eo argueris*; effectum ponens pro causa. Non enim persistimus in illis quæ fastidimus. Lucas Act. 2. videtur expressisse verbo κατανύττω, *His auditis*, inquiens, *compuncti sunt corde*, fastidium & dolorem actæ vitæ significans. Hoc verbum in tertia conjug. modum significandi paululùm mutat: Quia enim qui exstimulantur vel compunguntur, excitantur & evigilant, pro *evigilare* accipitur, & hîc activè pro *excitare:* de quo vide infrà 22. *evigilabit*, *& vacua erit anima ejus.* Ex his apparet, posse hunc locum reddi sic, *exstimulemus eum.* Sed Metaphora illa somni magis festiva est, & arrogantiam hostium magis significat. ¶ *Avellamus eum ad nos*] Vel *dissecando pertrahamus eum ad nos.* Quod nos non nisi duobus verbis, altero actionem ipsam, altero motum significante, rectè reddere possumus, Hebræi uno verbo quod actionem ipsam significat, cum præpositione Motûs, eleganter exprimunt: *evellere in terram*, i. evulsum dejicere in terram; *conculcet in terram*, i. dejiciat in terram, & conculcet, &c. *abscindamus ad nos*, i. abscindamus & pertrahamus, &c. Verbum autem בקע propriè est *impetu ac vi discindere*, *dissecare*, seu *findere ad imum usque:* de quo infrà cap. 34. In tertia eandem significationem retinet; sed constructio quam dixi facit ut duobus verbis reddamus, ut 2 Reg. 3. *Accepit secum septingentos viros nudantes gladium*, *ut dissecarent ad Regem*, i. ut dissecando prorumperent ad Regem. Ità hoc loco. Decreverant enim plurimos ex Judæis secum adducere in captivitatem, super reliquos autem Regem constituere, quem vellent qui cum moribus eorum congrueret: quod facere illis nequaquam difficile fuisset, pensatis Judæ viribus, quas tantùm Syri & infideles ipsi Judæi respiciebant. Unde & istis magna diffidentia & metus, illis autem magna arrogantia oriebatur, &c. Sed quid Dominus? *Ne timeatis*, &c.

7. *Non stabit*] Vel *non consistet.* Verbum קום non dubium est quin *surgere* significet: sed latiùs patet Hebræis quàm Latinis *surgo:* dicitur enim de Consiliis, de Consultationibus, de Verbo, de Doctrina, de Promissionibus aut Votis, &c. & tunc verbis *standi*, *consistendi*, *firmandi*, *stabiliendi* rectiùs vertitur. Suprà autem dicitur hostes Judæ iniisse consilium adversùs Judam; deinde consilium expressit, & nè timerent hortatus est: In hoc autem versu explicatur cur ab ullo consilio non metuendum esset; *Non consistet*, inquit, i. non succedet, neque erit quod cogitant.

8. *Caput*] Hebræis ראש *caput* est. Et quia Caput in corpore humano est summum & præcipuum, etiam aliæ res summæ & præcipuæ hoc nomine dicuntur. Metropolis urbs dicitur *caput* provinciæ, & Principes dicuntur *capita*, &c. ¶ *Damascus*] Nomen est urbis & regionis circa illam in Syria sitæ, Hebraicè דמשק, voce, ut videtur, compositâ ex דם & שק, quasi *saccus sanguinis*, seu *rubri vini.* Hinc & Græci ab αἷμα & ἀσκὸς dictam esse volunt, vocibus idem significantibus quod Hebrææ. Et quia magna fuit ibidem vini fertilitas & copia, Bacchum ibi in sacco habitasse finxerunt. ¶ *Desinet esse populus*] Ego Hebraismum retinui, *dejicietur.* Verbum Heb. יחת congruit cum cognatis suis significatione נחת & חתת: proinde *dejici* seu *prosterni* puto significare. Dicit autem Hebraismus *dejicietur à populo* pro *ne sit ampliùs populus.* Vulg. sensum reddidit. Isti autem LXV anni computandi sunt, ut annotat Vatablus, quorum jam bona pars elapsa erat. Propterea בעוד non *adhuc* sed *adhuc infrà* reddidi. q. d. Adhuc futurum est quod Amos prædixit, in captivitatem ducendos Israelitas: nec præterlabentur illi, qui in ore multorum sunt, LXV anni quin Israel desinat esse populus.

9. *Si non credideritis*, *non permanebitis*] Vel, *si non credideritis*, *etiam non suffulciemini.* Nam אם & כי mediatè posita ità solent Hebræis accipi, *Si*, *etiam.* Et verbum אמן in voce passiva *fidum*, *fidele*, *firmum*, *verum*, *certum*, *ratum*, *stabile esse* significat; & dicitur de Homine, de Sermone, & de re quapiam: in qua quidem voce ponitur in secundo membro; in primo autem est in tertia conjug. ubi idem valet quod Græcis πιστεύω, & Latinis *credo*, *fisus sum*, *fidem habuit*, &c. Inquit ergò Propheta, *Nisi adhibueritis dictis meis fidem*, *& fisi fueritis promissionibus Domini*, *nec vos etiam ipse stabiliet* aut *confirmabit*; *sed vos sinet dilabi & dejici*, *ut sicut Israelitæ*, *à statu vestro cadatis*, *& regnum amittatis.* Hanc interpretationem confirmat locus 2 Par. 20. ubi inquit Josaphat האמינו ביהוה אלהיכם ותאמנו, האמינו בנביאיו והצליחו, i. *Credite in Jehova Deum vestrum*, *& stabiliemini*; *credite Prophetis ejus*, *& proficietis*, i. fortunati eritis: ubi quod priori membro dixit (in quo sunt eadem verba quæ in hoc loco nostro Jesaiæ) posteriori declarando repetit. De verbo illo autem צלח, per quod videtur exposuisse verbum אמן passivum, infrà aliquid dicetur cap. 54. ubi dicitur, *Omne instrumentum paratum contra te*, *non proficiet.* Significat ergò Propheta fidem in Deum esse veluti ancoram quâ & Deum apprehendimus & nos ipsos firmamus: si autem fiduciam amittamus, esse nos veluti naves quæ vi ventorum ac fluctuum huc atque illuc impelluntur. Quid enim aliud firmare animum poterit in tentationibus ac rebus adversis? Eccl. 2. *Væ dissolutis corde*, *qui non credunt Deo*, *& ideo non protegentur ab eo.* Et hic sensus planus est. Possent tamen hæc sequentibus connecti, neglectis Rabinorum distinctionibus in hunc modum, *Si non credideritis* (*nam infideles estis*) *tunc addidit Jehova loqui ad Ahaz*, *dicendo*, *Pete tibi signum*, &c. Qui Hebraismus sic mollietur, si transpositis verbis dicas, *& addidit Jehova loqui ad Ahaz*, *dicendo*, *Si non credideritis* (*nam infideles estis*) *pete tibi signum*, &c. Vel sic, *Si non credideritis* (*nam infideles estis*) *iterum tibi dicit Jehova*, *Pete tibi signum*, &c. Sicut in Euangelio, *Ut autem sciatis quòd Filius hominis habet potestatem in terra remittendi peccata*, *tunc ait paralytico*, &c. Hæc interpretatio aliquantò durior est, sed non valde absurda.

10. *Locutus est iterum*] Heb. *Et addidit loqui.*

11. *Signum*] אות est Heb. à verbo אתה, i. *venit*; quòd significet rem futuram seu venturam; vel quòd facit homines venire in cognitionem alicujus rei, quasi cum illo veniat alterius rei memoria seu recordatio. ¶ *Profunda*] Non dubium quin verbum עמק modò neutrum modò activum sit Hebræis etiam in Hiphil. Activè sumptum habes infrà 31. *Profundaverunt perfectionem*, &c. & Ose. 5. Hic autem neutraliter, & Ose. 9. Vox quoque שאלה non dubium quin & *petitionem* & *infernum* possit significare. Puncta non moror, ut sæpe jam admonui. Vide suprà 5. 14. quòd infernus à *petendo* dictus sit: unde factum est ut quidam vertendum putent, *Profunda petitionem*, *vel eleva sursum*, scilicet *petitionem.* Vulg. nominaliter accepit has voces, & dixit *in profundum inferni*, *sive in excelsum suprà:* neque malè: nam & עמק *profundum* & גבה *excelsum* tanquam nomina aliis atque aliis punctis accipi possunt. In utroque autem nomine litera ה Motum potest designare. Ego in imperativo tanquam verba utrumque verti, & nomen שאלה pro *inferno*, quasi opponatur ultimæ dictioni למעלה *sursum.* Sed parvi refert hoc vel illo modo vertas: nam sensus idem est. Optionem enim dabat Propheta ut quodlibet signum postularet, vel sursum vel deorsum, vel è cœlo vel ab inferno: *Ascende*, inquit, *sursum*, *vel descende deorsùm: mente cœlum vel infernum adi*, *& signum quod libuerit postula.* Vide, quæso, Dei etiam erga incredulos benignitatem, & quam cuperet gentem illam in fide confirmare atque retinere! Quis ergò dubitet quin voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet?

12. Vide quoque hominis ingratitudinem! *Non petam*, inquit, religionémque prætexens, *non tentabo*, inquit, *Dominum.* Verbum autem נסה, quamvis in prima *levare* seu *elevare* significet, in tertia tamen est *elevare ad altiora*, *altiora petere* seu *affectare*; notátque nisum, ausum, conatum. Neque alio verbo meliùs reddere possumus quàm verbo *tentandi.* Interdúmque valet idem quod *periculum facere* seu *experiri.* Hanc autem *tentationem* non ad petitionem signi tantùm referendam puto, sed etiam ad superiora, & ad rem ipsam de qua agebatur: q. diceret Ahaz, *Dicis quòd nihil mihi nocebunt hostes*; *jubes me quiescere*, *neque aliud agere. Id planè est tentare Deum: Ipse enim in hujusmodi periculis vult nos ipsos facere quæcunque possumus. Ego pecunias habeo*; *conducere possum milites Assyrios*, &c. *Nolo igitur signum petere*, *neque inerti otio torpere*, *nè Deum tentem.* Hunc germanum esse sensum hujus loci res ipsa ostendit. Vide 4 Reg. 16.

13. *Parùm vobis*] Omnes, quos vidi, ità distinguunt ut vides. Scias tamen Hebræa sic etiam posse reddi, *An parvi sit à vobis defatigare homines? quandoquidem defatigatis etiam Deum meum.* Quæ versio aut habebit sensum quem altera habet; aut illud est quod alibi dicitur, *Non te abjecerunt*, *sed me:* &, *Qui vos audit*, *me audit*; *qui vos spernit*, *me spernit.* q. d. *Ne parvi faciatis me & verba mea*, *quasi cujusvis alterius hominis: scitote quòd dum me fatigatis*, *Deo quoque meo negotium facessitis.* Eò autem libentiùs *à vobis* quàm *vobis*, ut alii, verterem, quòd non לכם sed מכם legitur Heb. Infidelitatem autem & hypocrisim, & religionis prætextu Dei monitis non

 parere,

parere, rogantémque Deum & ex animo benefacere volentem contemnere, humanam verò prudentiam ſequi, ac viribus humanis inniti potiùs quàm Deo, vocat Propheta *Dei defatigationem.* Ut enim Deo grata eſt pietas, ità impii Deum ipſum videntur *defatigare:* quod multis in locis Judæis improperat. Interim quoque conſidera Jeſaiæ mentem, pietatem in Deum, & in proximos charitatem. Illud enim נא *quæſo*; illud etiam *Deum meum*, charitatem atque eximiam in Deum pietatem profectò indicant.

14. *Propter hoc ecce Dominus*, &c.] Nemo putet hoc quod jam à Propheta proponitur, ſignum datum fuiſſe à Domino, aut à Propheta commemoratum, tanquam ſignum illius de qua locutus fuerat liberationis. Neque enim quod poſt quingentos annos futurum erat illius temporis ſignum eſſe poterat. Quamvis dici poſſet quòd ſi Prophetæ iſthæc proponenti & Domino promittenti fidem adhiberent, per hanc quoque fidem ab illo quod imminebat tunc temporis periculo eriperentur. Verùm ego exiſtimarem hanc difficultatem totam emergere propter nomen *ſigni*, quod ſemper vulgò accipi ſolet pro *alterius rei indicio*; cùm tamen Hebræi ſuo nomine אות in ſignificatione abſoluta, non ſemper autem relativa, utantur. Miracula enim & quæcunque præter communem uſum ordinémque naturæ eveniunt, *ſigna* vocant. Quare hoc loco ſic accipiendum eſt. Et quidem primo loco, quando à Propheta dictum eſt Regi, *Pete tibi ſignum*, &c. fateor hoc voluiſſe Prophetam, ut peteret ſcilicet Ahaz aliquod miraculum ex quo intelligeret ac colligere poſſet promiſſionem illam de fugandis hoſtibus atque nihil adversùs Judam effecturis veram eſſe. Verùm cùm Ahaz infidelitatem ſuam prodidiſſet, & gratiam oblatam contempſiſſet, ſumptâ occaſione ex hac re & aliis quamplurimis quæ illo tempore aut gerebantur, aut certè propè erant ut acciderent, ad contemplandum Chriſti myſterium, atque ea quæ ſub ipſius adventum eventura erant, mentem Prophetæ ſuſtulit, & ut ea prænunciaret impulit: quippe quòd omnia quæ noviſſimis temporibus futura erant, in illis quæ tunc gerebantur planè delineata & tanquam typo adumbrata eſſe viderentur. Quare ut Chriſtianus lector eorum quæ his capitibus à Propheta dicuntur ordinem ac veram intelligentiam aſſequatur, ea ſummatim hîc jam propono.

Temporibus Jeſaiæ	Temporibus Chriſti Domini,
Periclitabantur Judæi nè Regnum amitterent: obtulit Dominus liberationem.	Paulò antè quàm naſceretur Dominus, Reſp. Judæorum in maximum diſcrimen venerat, & parùm aberat quin funditus interiret.
Hujus oblationis exhibere voluit ad fidem faciendam miraculum.	Obtulit nihil minùs cogitanti Iſraeli Dominus ſalutem & veram liberationem: quòd veram libertatem exhiberet, miraculis confirmabat.
Rex neque liberari ſe poſſe credit, neque oblationem ſuſcipit.	Judæi neque ſe per Chriſtum liberari, neque ejus miraculis fidem adhibere volunt;
Populus diffidens Divinis promiſſionibus de deditione & defectione ad hoſtes cogitat.	Malúntque ſub Rom. Imperio agere & Cæſari ſubjecti eſſe quàm ſic redimi.
Rex de auxiliaribus copiis ſolicitus ad Aſſyrios mittit.	Humanam ſapientiam & carnis prudentiam ſequuntur, nè Regnum amittant.
Aſſyrii ipſi populum Iſraeliticum ſubigunt, captivum ducunt, Regnum perdunt, totam terram depopulantur,	Tandem ab ipſiſmet Romanis omne genus calamitatis experti, Regnum amittunt & locum, & in exſilium per eoſdem ducuntur, & captivi peccati uſque in hodiernum diem perſeverant.
Judæam quoque devaſtant; non tamen Jeroſolymam capiunt.	Servantur tamen nonnulli, qui ſunt veri Iſraelitæ & vera Jeruſalem: in quos neque peccatum neque tyranni jus habent.

Vides temporum & rerum ſimilitudinem. Facile itaque fuit Prophetæ à typo & figura ad rem atque veritatem tranſire; præſertim cùm moleſtia quam illi exhibebant figura quoque eſſet alterius multò majoris quam experturi erant ſervi Dei, imò ipſe Dei Filius, ab eodem populo. Nomina quoque filiorum ſuorum quos domi habebat, quorum alterum *Celerem deprædationem*, alterum *Reliquias convertendas* ſignificabat, non poterant non commonefacere myſterii. Omnia igitur hæc deinceps incipit Propheta aperire, ità veritatem umbris intermiſcens, ut niſi oculatus magníque & acerrimi ingenii lector fuerit, vix poſſit veram intelligentiam verborum Prophetæ conſequi. *Propter hoc*, inquit, *dabit Dominus vobis ſignum. Vobis*; jam enim cum toto populo illi res erat. Quia ſervis Dei, Prophetis, moleſti eſtis, quia Divina beneficia contemnitis & oblatam ſalutem reſpuitis, & per homines remedium habere non poteſtis, adeò deploratæ ſunt rés veſtræ; propterea Dominus ipſe propter ſemetipſum faciet miraculum inauditum retro ſeculis, ut ex virgine naſcatur, & dici verè poſſit de nobis, IMMANUEL. Non enim ſignum ad conceptum & partum Virginis tantùm referendum eſt, ſed etiam ad omnia quæ ſequuntur.

¶ *Virgo*] Hebræis ſicut עלם eſt *adoleſcens* ſeu *juvenis quamdiu eſt privatus & privatam vitam agit, neque in publico aut politico officio & adminiſtratione exſiſtit*, congruâ derivatione à verbo quod *abſconditum eſſe* ſign. (vide 1 Sam. 20.) neque enim hoc nomine veniunt niſi juvenes cœlibes, &c. quòd ſint quaſi abſconditi & ignoti; ſic femininum עלמה eſt *adoleſcentula, juvencula*, ſcilicet *innupta*, quæ nondum eſt in matrimonium alicui collocata neque nuptias celebravit aut publicum conjugii ſtatum ingreſſa eſt. Sic autem appellantur quaſi *abſconditæ*, i. non cognitæ à viro, & quarum turpitudo (ut loquitur Scriptura) nondum revelata eſt. Unde fit, ut hoc nomine nonniſi virgines in Scripturis vocentur, quamvis nomen non propriè *virginem* ſignificet. Hoc teſtantur omnes loci V. T. in quibus legitur hoc nomen. De Rebecca Gen. 24. de ſorore Moſi Exod. 2, &c. Quare non dubium quin *virginem* hìc deſignet. Ego *illibatam* dixi, ut aliquo modo vim vocis exprimerem. Alioqui nullum fuiſſet miraculum ſi juvencula facta gravida peperiſſet. Scio quidem Judæos locum illum Prov. 30. *Via viri in adoleſcentula*, ut ſunt imprudentes, interpretari de ſcorto: quod eo faciunt conſilio ut hunc locum Jeſaiæ labefactent & nobis præripiant. Ego verò exiſtimo etiam de *adoleſcentula innupta & virgine* eſſe ſermonem in illo Salomonis loco; nec per me unquam efficient ut aut de *viro adoleſcentulam depereunte* loquatur Sapiens, aut de *juvene in adoleſcentia*, aut de *viro rem cum ſcorto habente.* Nam præter hoc quòd contextûs ſeries & S. Scripturæ auctoritas has interpretationes vix bene admittunt, uſus ipſe vocum illas damnare videtur. Oſtendant enim oportet ubinam vox illa עלמה *adoleſcentiam* in abſtracto, aut *ſcortum* notet; aut quomodo amor ille juvenum poſſit his vocibus explicari, *via viri per adoleſcentulam.* Quare ſi contextus & ſimilitudines expendantur, myſterium partûs Virginei, ni fallor, explicatur. Multò enim difficilius eſt cognoſcere quà Vir ille tranſierit quàm quà Navis, aut Serpens, aut Aquila: Singula enim iſta aliquid efficiunt, aliquid ſcindunt ac dividunt; in partu verò Virgineo adeò nullum veſtigium tranſitûs remanſit ut, ſi negare vellet mater ſe peperiſſe, non eſſet unde mendacii convinci poſſet; non ſecùs quàm *adultera*, ſi dicant *ſe nihil mali perpetraſſe:* & hæc eſt redditio comparationis quæ in Salomone ſequitur. Nonnullorum verò ex noſtris oſcitantiam nunquam ſatis admirabor, quibus tam impuri & indocti homines toties imponunt, adeò ut credant nomen עלמה etiam corruptis convenire, à Judæorum interpretatione in illo Proverbiorum loco, decepti: qui ſi conſiderarent preſſiùs uſitatiſſimam illam Hebræorum phraſim, quâ vitiatam mulierem honeſtè *à viro cognitam* appellant, profectò intelligerent quare nomen quod *abſconſionem* notat, à verbo quod *cognitioni* atque *revelationi* opponitur derivatum, nonniſi Virginibus & nondum viro cognitis uſus Hebræorum accommodavet. Nam & congreſſum viri cum femina verbo *revelandi* honeſtè declarant. Unde quarum pudor adhuc intactus & illibatus manet, neque turpitudo per virilem congreſſum revelata eſt, necdum ſanguis index virginitatis palàm oſtenſus in ſindone certam fidem judicibus fecerat virginitatis (qui mos olim fuit in Veteri lege, ut patet Deut. 22.) & quæ viri congreſſum nondum expertæ ſunt, aptiſſimè ab Hebræis עלמות dicuntur, non quòd domi manerent incluſæ aut à viris non conſpicerentur (id enim falſum eſſe ex Scripturis manifeſtum eſt) ſed certè propter cauſas ſuperiùs aſſignatas. Unde poſtquam Gen. 24. Rebeccam *virginem* Moſes vocaſſet, quaſi exponens addit, *& vir non cognoverat eam.* Nota quoque illa emphatica hoc loco non otioſa omnino eſt, העלמה, q. d. *Virgo illa, intacta illa*, & *illibata illa*, quæ non cognoverat virum, neque à viro cognita unquam erit, *gravida fiet, uterum geſtabit, edétque fœtum*, &c. ¶ *Concipiet*] הרה forma eſt præteriti, ut certitudinem deſignet, ſi tanquam verbum accipias. Sed nomen in eadem forma *eam* ſignificat *quæ fluxum ſeminis in utero recepit*; unde uterus inſtar montis tumeſcit. Habet enim cognationem cum voce הרר, & הר. Unde Græcè verſum eſt Matth. 1. ἐν

γαςρὶ

γαςρὶ ἔχει, *in utero habens.* Latini *pragnantem* seu *gravidam* dicunt. Reddere ergò tam apud Matthæum quàm hìc non malè possumus, *Ecce virgo gravida* erit, *& pariet*, &c. ¶ *Pariet*] Vel *& pariens.* Propriè autem ילד *gignere* est; & tam Feminæ quàm Viro competit, ut Græcis γεννάω nec de externa tantùm partûs editione, verùm etiam de fœtûs, qui in utero materno est post conceptionem, generatione dicitur: hìc autem de partu est sermo. ¶ *Immanuel*] Compositum nomen ex præpositione עם *cum* & pronomine נו *nobis* & nomine *Dei* אל. ¶ *Et vocabitur*] Aliis atque aliis punctis וקראת potest esse secunda persona, *& vocabis*, vel tertia feminina, *& vocabit*, *virgo* ipsa scilicet: vel certè sumitur impersonaliter, ut interpres Matth. reddidit, ut solent tertiæ personæ Hebræis. De quo latiùs infrà 9. cap.

15. *Butyrum & mel comedet*] Aluntur pueri pinguibus & dulcibus, quæ sunt amica naturæ. Veritatem ergò humanæ naturæ, eámque infantiam (quæ lactea & dulcia appetit, acria autem & acetosa abominatur, &, ut potest, se ea repudiare & fastidio habere significat) locus hic comprobat. Est ergò Pueritiæ periphrasis in his verbis: q. d. Erit similis cæteris pueris: Cibo puerorum nutrietur: Quæ illi appetunt, appetet; quæ vitant, vitabit. Atque hic locus non minùs mihi fidem facit quòd de Incarnationis mysterio Propheta loquatur quàm qui præcessit de Virgine gravida & paritura. Si enim hic IMMANUEL Filius Dei non erat, sed tantùm homo, quare, obsecro, diceret Propheta, *Butyrum & mel comedet*, &c.? Quid mirum? quid novi? Certè quia rem novam dixerat, *Virginem* scilicet *gravidam futuram*, *& Deum parituram*, necesse fuit veritatem quoque Humanæ naturæ in puero illo significare. ¶ *Ut sciat*] לדעתו ad verbum reddendum esset *ad scire ipsius*, vel *suum*, i. ut sciat ipse: non quòd Causam finalem notet, sed Consecutionem. Sic Latini quoque utuntur particulâ *ut*. Dicere poteris, *ut experiundo sciat* (vel *discat*) *reprobare malum*, &c. Quidam hic vertit, *quousque sciat reprobare malum*, &c. Sed non vidi exempla hujusmodi acceptionis. Ego cùm viderem דעת tanquam nomen ab Hebræis sæpe usurpari, nominibus autem cum ל tanquam adverbiis uti, consideránsque formam locutionis cum affixo pronomine, idem esse existimavi לדעתו quod *utpote qui sciat* (vel *ut qui novit*) *reprobare malum & eligere bonum.* Hoc enim notat ille Hebraismus *ad scire suum* vel *ipsius*; vel *ad scientiam ipsius:* quemadmodum dicunt *ad solitudinem suam*, i. solus ipse, & multa hujusmodi. ¶ *Reprobare malum*] Vel *fastidium habere.* Variam constructionem habet apud Hebræos verbum מאס: & si propriè velis interpretem agere juxta variam constructionem, variè reddere quoque oportebit. Cum accusativo seq. capite videbis. Quando autem cum ablativo & ב, ut hoc loco, plerumque refertur ad animum quem satietas alicujus personæ vel rei cepit, ut præ fastidio eam rejiciat; ac tunc bene redditur per *abhorrere ab.* Verbum quoque hujus oppositum sæpe cum ablativo & ב construitur, q. d. *in re electa & approbata sibi complacere.*

16. *Detestaris*] De verbo קוץ dixi hoc capite v. 6. Veterem hìc libenter; *in qua tu compungeris propter duos Reges ejus*, i. cujus Reges te affligunt & quasi aculeis compungunt. Dicebant enim suprà v. 6. *Compungendo excitemus eum*, &c. ¶ *Propter*] Heb. *à facie*: deseretur Samaria & Syria, quarum Regum præsentiâ tu compungeris. Hæc autem fient antè quàm Dominus in carne appareat. Id enim occultè significavit Propheta Periphrasi illâ, *Priùs quàm sciat puer fastidire malum & eligere bonum:* priùs quàm sit puer: priùs quàm nascatur. Ità enim mysterium tangit ut statim ad sua tempora redeat: nec mirum. Sunt enim in Scripturis Propheticis multi loci obscuri, in quibus infideles Judæi per occasionem excæcantur, & fideles per diligentiam commodè exercentur atque proficiunt, ut sæpe annotat Augustinus.

17. *Adducet Dominus*, &c.] Prædixerat suprà v. 8, & 9. inane esse consilium illorum Regum adversùs Judam, & quòd non regnaturi essent nisi in suis provinciis, tandémque devastandos fore: Quæ nisi crederent, ipsi quoque dilaberentur & adeò non stabilirentur. Eadem ergò hìc conjungit. Superiori quidem versu devastandam Samariam atque Syriam breviter significavit, seq. capite id latiùs explicaturus: Quod quia non credebant, connectit jam nunc Judæorum vastationem, non per Israelitas aut Damascenos futuram, sed per Assyrios ipsos, quos Ahaz conducebat in auxilium: taliáque affirmat eos passuros qualia à multis annis non passi fuissent. Quæ jam narrare incipit. ¶ *Cum Rege Assyriorum*] Heb. absolutè *Regem Assur* seu *Assyriorum*, quasi sit appositio, & summam omnium malorum hàc unâ voce explicet, *Adducet Regem Assur*, cujus vel solum nomen omnes pavere faciebat.

18. *Et erit in die illa*, *sibilabit*] Vel *adsibilabit.* Vide c. 5. 26. ¶ *Musca*] Hebræum nomen זבוב credit quidam vir doctus significare *muscæ venenatæ speciem mittentis fluxum* (seu *humorem*) *teterrimi fœtoris*, *quo læsum hominem rostro inficit*, quasi congruat cum vocibus זוב & זוב: ego verò existimo *genus muscarum* significare, quæ sonum volitando emittunt; unde & nomen ipsum *Zebub*; atque illud de fœtore inventum esse Rabinorum, propter locum Eccles. 10. *musca mortis fœtere facit unguentum*, &c. qui tamen de quibusvis muscis incidentibus in pretiosum unguentum intelligitur. Idolum quoque illud Deus Akaron propter hujuscemodi muscas, quæ carnes mortuas amant quibúsque insident, BAAL-ZEBUB vocatur, i. *Princeps muscarum*, seu *Habens muscas*, seu *Plenus muscarum:* quod loco huic convenit, ut vides v. seq. ¶ *Rivorum*] יאר vel יאור dicitur *rivus* seu *meatus fossus ad irrigandos agros*, quales multos Ægyptus ex Nilo, & Mesopotamia ex Tigri & Euphrate deductos habet. Et verisimile est appellationem habere ab אור *limpiditate* & *claritate* aquarum, quòd clariores sint & minùs turbidæ quàm in ipsis fluminibus rapidioribus; vel ab ארר, i. *corrodere*, quòd rivi arrodant ripas. *In fine* ergò *rivorum Ægypti* dicit pro *ab extremis Ægypti partibus.* Ægyptiósque Muscis comparat cùm ob multitudinem tum ob molestiam & importunitatem. ¶ *Api*] Nomen Hebræum דבורה ab *ordine* operarum quas mirâ industriâ facit deductum est: & credo Vespas quoque complecti, quæ acerrimè aculeis pungunt: utræque autem libenter advolant ubi mel invenitur, neque facile est eas abigere. Ægyptii autem & Assyrii à diversis partibus sæpe molesti fuerunt Judæis.

19. *In torrentibus*] Nomen נחל est à verbo quod *hereditatem adire* omnes dicunt significare, neque dubium quin sic vertendum sit. Propriè tamen *successionem rei in familiam* notat & quasi *continuationem:* unde & nomen נחלה *hereditatem* significat, quæ jure successionis in aliquem legitimè derivatur ac manat, ceu in alveum torrens defertur, neque aliò extra lineam transfertur, ut videas quare ab eadem radice veniat nomen נחל, i. *torrens*, & nomen *hereditatis.* Significat quoque & ipsam *vallem* scilicet *angustam alveum habentem*, *in quam tempore pluviæ torrens rapiim defertur.* Possumus ergò hìc & pro *vallibus* accipere, sensus tamen idem est. ¶ *Vallium*] Vel *excavationum*, i. excavatis. Vide suprà 5. 6. In hujusmodi autem locis solent apes & vespæ desidere. ¶ *Et in cavernis*] נקיק est *locus cavus*, *concavus & vacuus*, seu *caverna.* Hic tantùm & Jer. 16. legitur. ¶ *Frutetis*] Heb. נעצוץ, ut apparet, cum עץ, quod *lignum* seu *arborem* notat, & cum nomine עצה, quod *spinam dorsi*, eò quòd sicut arbor ramos ità illa costas extendat, referátque figuram arboris; affinitatem habet. Nonnulli igitur pro *rubo* accipiunt. Vulgatus *fruteta* vertit, ego *contignationes*, quia & ratio ac compositio nominis convenit, & contextus ab hac acceptione non abhorret. Vocem quoque quæ sequitur נהללים, quem Vulg. *foramina* interpretatus est, ad naturam Apum attendens, & de sensu potiùs solicitus quàm de verbis, ego juxta nominis etymologiam, & Chald. imitatus, *domos laudatas* dixi: הלל enim *laudare* est. Poteris & pro *testudinibus* accipere, in quibus Echo sonat: domus enim aut contignationibus aut testudinibus supernè constant. Neque, ut quidem sentio, is malè verteret qui priorem vocem ad humiles domos, quæ quædam tantùm contignationes esse videntur, posteriorem verò ad palatia Regum & divitum domos, quæ sunt magnificæ & laudatæ, referret. Utcunque tamen accipias, nihil aliud istis nominibus voluisse Prophetam significare existimo quàm quòd Assyrii & Ægyptii omnia, tam foris quàm intus, tam in agro quàm in urbibus, tam in domibus pauperum quàm in palatiis Regum, tam in munitis naturâ quàm arte, latè essent occupaturi. In libris Regum reperies eisdem ferme temporibus Judæos tam ab Assyriis quàm ab Ægyptiis dira passos, 4 Reg. c. 23, & 24. & 2 Par. 35, & 36. In quibus locis admonitum te, Lector, volo ut memineris circa illa tempora Imperium Chaldæorum & Assyriorum fuisse confusa atque permista: quod ex profanis quoque auctoribus satis constat. De qua re in sequentibus nonnihil nobis dicendum erit.

20. Propter versus 21, & 22. tam Judæi quàm plerique ex nostris, quòd non intelligerent quonam pacto de eversione Judææ intelligi possent, hæc omnia violenter admodum exponere conati sunt. Ego autem à versu 17. usque ad finem capitis de eversione & afflictione Judææ per Assyrios, & de eversione & afflictione altera, cujus illa typus quidam erat, intelligenda omnia existimo; cujus interpretationis firmitas constare potest ex ipso toto expositionis nostræ quasi filo atque contextu. ¶ *Radet Dominus*, &c.] Quàm nudatum pilis & quàm tersum maneat hominis corpus postquam novacula totum percurrerit, manifestum est. Judæam ergò corpori humano comparat, in quo sunt

Sunt alii quidam ad decorem & honestatem pertinentes, ut *capilli* & *barbæ*; alii non tam ad ornamentum quàm ad necessitatem à natura inventi, quos honesto vocabulo *pilos pedum* vocat Scriptura: hos omnes novacula facilè aufert. Significabat ergo Judæorum tam nobilium quàm ignobilium captivitatem. Et *Regem Assur* ejúsque milites *novaculam conductam mercede* appellat, quòd spe spoliorum & à Deo ipso incitati advenirent. Quod igitur dicit, *novaculâ mercede conductâ, quæ est trans flumen*, appositione exponit, *Rege Assur*. ¶ *Et barbam universam*] כפה verbum de numero esse eorum quæ Hebræis contrarias significationes habent, nempe *addere* & *adimere* seu *detrahere*, certum est. Potest ergò hic locus sic verti, *adde insuper & barbam*, vel *& barba quoque absumetur:* nam verbum potest esse vel secunda persona masc. vel tertia fem. & Hebræis *barba* nomen generis est utriusque.

21. *Et erit in die illo*, &c.] Cùm non est qui agros colat, uberrima sunt pascua: ubi autem pinguia pascua, ibi lactis & butyri ingens copia. Superiori versu captivitatem expressit: Hanc confirmat exponens quàm rari sint futuri habitatores, qui non frumento aut vino abundabunt, sed *butyro* & *melle*, cujus etiam est abundantia in saltibus. ¶ *Vaccam*] עגלה *plaustrum* est *quod super rotis volvitur*, & עגל *vitulus*, quasi *plaustralis* dictus, & עגלה *vitula*. ¶ *Armenti*] Nomen בקר communis generis collectivè de *majoribus animalibus domesticis* dicitur, qualia sunt Boves, Vaccæ, Vituli. Hier. *boves* dicit, sicut & צאן *oves*, cùm etiam sit collectivum, & *minuta animalia*, Oves, Capras, Agnos, Hœdos, &c. significet; neque unquam de una ove aut capra dicitur. *Pecudes* dicere possumus; & habent appellationem Hebræis quòd gramina & herbas erodant & depascant, ut ex cognatis vocibus apparet. *Duas igitur oves* aut *capras* hîc intellige, i. Ex paucissimis ovibus aut capris & ex una tantùm vacca copiam lactis exprimet, quicunque eas habebit.

22. *Præ ubertate lactis*] Heb. *propter multam facturam lactis*; est enim infinitivus; i. eò quòd multum lactis educet, ipse *homo*, vel *vitula*, & *oves*. ¶ *Omnis qui relictus*] *Butyrum comedet & lac*. Nihil hoc significat nisi incultos agros, & omnia in saltum redigenda. Non tamen dubito quin ad mysterium Jesaias hîc oculum converterit. Nam hæc dicebat Regi secum adducens filium suum cui nomen erat SEAR-JASUB, i. *Reliquiæ revertentur* vel *convertentur*, &c. de quo suprà v. 3. Per *mel* ergò & *butyrum* optima quæque & suavia intelligimus, quæ pii à puero illo Immanuele, qui *butyrum & mel comedet*, accipiunt. Nec tamen est abjicienda veritas historiæ. Quod enim superiori versu dixit, hîc aliis verbis repetit. Estque ipse Propheta sui ipsius interpres. Et ad hunc quoque locum pertinent quæ sequuntur.

23. *Mille vites*, &c.] Numerus certus pro incerto; i. locus qui fuerit consitus selectissimis vitibus & magno pretio æstimandis vertetur in vepricetum. Jam vides quo modo omnia conveniant, & de vastatione Judææ intelligenda sint.

24. *Cum sagittis & arcu*, &c.] Sicut qui silvam aut saltum ingreditur sagittis instructus & arcu vel venationis causâ vel metu ferarum. ¶ *Ingredientur*] Vel *eundum erit*. Heb. יבוא. Tertia hæc persona futuri impersonaliter accipienda est, ut sæpe solet, i. *cuivis illuc ire licebit*.

25. *Omnes montes qui in sarculo sarrientur*] Ego existimo esse Periphrasim vinearum & hortorum, in quibus sunt plantæ fructiferæ, quæ solent semel atque iterum fodi & in monticulos redigi, juxta agriculturæ præcepta. Jam enim suprà dixi cap. 5. verbum עדר propriè *coacervare* significare. ¶ *Non venit illuc timor*, &c.] i. *Quò timor veprium & spinarum non solet venire*, i. *Et loca illa quæ solent in monticulos coacervari, quæ tuta solent esse à vepribus & sentibus, erunt in senticetum & vepricetum; & armenta & pecudes illuc liberè ingredientur*. Hic sensus planus est. Potest & sic accipi, *Loca illa quæ in monticulos sarculari solebant, non erit cur quisquam timeat illuc ingredi propter vepres & sentes, quibus circumvallari solent: patebunt enim bobus & pecudibus*. Sed prior sensus minus nodosus est: itaque omnia in malam partem commodè interpretari licet. Neque hoc loco audiendi sunt Rabini, neque qui eos sequuntur ex nostris. Si quis tamen contendat hîc subesse mysterium, dicat hoc ultimo versu loqui Prophetam de ubertate illorum locorum quos reliquiæ colent: solent enim ad montes confugere tempore belli, & illic nonnihil agriculturæ operam dare. Illa igitur, inquit, loca immunia erunt à spinis & vepribus; quin imo adeò luxuriabunt ut necesse sit immittere boves & pecudes, ne omni fructu præ nimia illa luxuria priventur. Quæ de prosperitate spiritali in illorum pectoribus intelliguntur, qui non consenserunt actibus Judæorum, qui ad montes confugerunt juxta Euangelium, &c. ¶ *Erit in pascua bovis*] Heb. *in immissionem bovis*, vel *emissionem*; ei *immittere licebit boves*. Ità etiam *pecudem* dixit collectivè.

LUCAS BRUG.

1. ET *vocabitur nomen ejus Emmanuel.*] Sic plerique codices legunt. Tres Parisiensium, sex Hentenii & tres nostri scribunt *vocabitis*. Rursus septem Hentenii & quatuor nostri habent *vocabis*. Hebraice est קרא, quod si legas, ut in punctatis ferè est libris, וְקָרָאת, est vel *vocabis* (nam præcedens conjunctio præteritum convertit in futurum) in feminino genere, vel, accepto ה loco ת, *vocabit*, eodem genere. Si קָרָאתָ legas, quod scribunt quidam in emendatioribus Hebræorum libris legi, est *vocabis* masculino genere. *Vocabis* igitur, inter illas Latinorum codicum lectiones, Hebræo conformior est. Hieronymus, post Interpretes LXXII & Aquilam, Symmachum ac Theodotionem, *vocabis* reddidit. *Quódque sequitur*, habet in commentariis. Et vocabis nomen ejus Emmanuel, *& Lxx & tres reliqui similiter transtulerunt, pro quo in Matthæo scriptum est* c. 1. v. 23. vocabunt, *quod in Hebræo non habetur. Ergo iste puer qui nascetur ex virgine, ô domus David, nunc à te appelletur* EMMANUEL i. nobiscum Deus, *quia rebus ipsis probabis, a duobus inimicis regibus liberata, Deum te habere præsentem: & qui postea vocabitur* JESUS, i. Salvator, *eò quòd hominum universum genus salvaturus sit, nunc à te* EMANUELIS *appelletur vocabulo. Verbum* קראת, *quod omnes interpretati sunt* vocabis, *potest intelligi &* vocabit, *quòd ipsa scilicet virgo quæ concipiet & pariet hoc Christum appellatura sit nomine. In multis testimoniis quæ Euangelista vel Apostoli de libris veteribus assumpserunt, curiosius attendendum est, non eos verborum ordinem secutos esse, sed sensum. Unde & in præsenti loco pro* concipiet in utero *Matthæus posuit* in utero habebit; *& pro* vocabis, vocabunt. Hæc Hieronymus, cujus hodie encomiis Catholicorum per orbem sacræ ædes resonant. Hieronymus ut vertit, sic ex præstantissimis nostris MSS. exemplaribus, Brugense, Lobiense & O legunt: quibus antiqua Epanorthotæ & antiqua Dominicanorum consonant. Itaque genuina est procul dubio nostræ editionis scriptura, *Et vocabis nomen ejus Emmanuel*; non *vocabitis*, non *vocabitur*, nec, quod Carensis legit, *vocabit*. [Santes Pagninus Paraphrasticas transtulit. *Et vocabis tu mater nomen ejus Himmanuel.*] Verisimile est, quia dicit Hieronymus *vocabit* ex Hebræo intelligi posse, fuisse id in aliquorum primùm librorum marginibus annotatum, ac tandem in aliquorum textum relatum. Cæteroqui ego nullis in libris inveni, nisi in impressis duobus, quorum unum Parisiensis typographus, alterum Clarius, suo sæpe pro arbitrio, emendarunt. Notant quoque Dominicani & Interlinearis glossa, *Aliàs, Vocabit:* verùm an ex Latinis exemplaribus, an ex ambiguo Hebræo, addubito: attamen certum est non esse versionis Vulgatæ. Porrò Hebræorum doctores, Pagnino teste in Thesauro linguæ sanctæ, Abraham, David & Selomoh, *vocabit* intelligunt: subaudiúntque *puella* (id enim, quà sunt impietate, malunt intelligere quàm *virgo*) vel *Spiritus sanctus*; nam & Spiritùs sancti nomen Hebræis est femininum. Posset fidelium congregatio subaudiri, in quem fortè sensum Euangelista accepit. Chaldæus Paraph. transtulit תקרי, quod quidem *vocabit* redditur, sed anceps est ad tertiam femininam & secundam masculinam personam.

DRUSIUS.

9. אִם לֹא תַאֲמִינוּ כִּי לֹא תֵאָמֵנוּ. Sym. *Si non credideritis, non permanebitis*] i. *Vos non permanebitis in Regno vestro, sed in captivitatem ducemini, sustinentes eorum pœnas quorum imitati estis infidelitatem:* ex Hieron. August. De doctr. Christ. l. 2. p. 18. *Alius interpres, Nisi credideritis, non permanebitis*.

11. שְׁאַל־לְךָ אוֹת מֵעִם יְהוָה אֱלֹהֶיךָ הַעְמֵק שְׁאָלָה אוֹ הַגְבֵּהַּ לְמָעְלָה. Sym. *Pete tibi signum à Domino Deo tuo; pessum abi in infernum, vel in excelsum suprà*. Aq. *Postula tibi signum à Domino Deo tuo, pessum abi in infernum, exalta in excelsum*. Th. *Pete tibi signum à Domino Deo tuo; pessum abi in infernum, exalta sursum*] Citat Eusebius Cæsareensis in codice manu descripto, quem toties laudo. In ed. Romana, *Sym.* βάθυνον εἰς ᾅδην, ἢ εἰς ὕψος ἄνω, *profundum fac in infernum, vel in altum sursum. Aq.* βάθυνον εἰς ᾅδην, μετεώρισον εἰς ὕψος, *profundum fac infernum, extolle in altum. Th.* βάθυνον εἰς ᾅδην, ὕψωσον ἄνω, *profundum fac in infernum, exalta sursum.* Hieron. *In profundum inferni, sive in excelsum suprà*. Idem in Comment. *Cæteri significantiùs transtulerunt*, DE PROFUNDO INFERNI. Theodoretus, *Th. & Aq. interpretati sunt*, PESSUM ABI IN INFERNUM, EXALTA SURSUM.

12.

12. לא־אנסה את־יהוה. Omnes, *Non tentabo Dominum.*

13. שמעו־נא בית דוד המעט מכם הלאות אנשים כי תלאו גם את־אלהי. A. *Audite ergò, domus David, Numquid parum est molestare virum, quoniam molesti estis etiam Deo meo?* Sym. *Audite ergò, domus David; Numquid nobis satis est negotium facessere hominibus, quia negotium facessitis insuper etiam Deo meo?* Th. *Audite igitur, domus David, Numquid parum vobis est certamen exhibere viris, quia certamen exhibetis etiam Deo meo?*] Ex Centonibus Patrum ex Eusebio. In ed. Rom. Μήτι ὀλίγον μοχθεῖν ἄνδρα, ὅτι μοχθεῖτε καίγε τὸν Θεόν μου; *Sym.* μὴ οὐκ αὐταρκες ὑμῖν κοπῶν ἀνθρώπους, ὅτι κοποῦτε ἔτι καὶ τὸν Θεόν μου; *Th.* μὴ μικρὸν ὑμῖν ἀγῶνα παρέχειν ἀνδράσιν, ὅτι ἀγῶνα παρέχετε καίγε τῷ Θεῷ μου; Hieron. in Comment. *Pro Labore & Molestia, quod Aq. & Sym. transtulerunt, Lxx & Th.* ἀγῶνα *interpretati sunt, i. Luctam atque Certamen, quia contentiosè non subjiciant collum Domini servituti, sed illo vulnera eorum volente curare respuant sanitatem.*

14. העלמה. Omnes, *adolescentula*] Hieron. *In præsenti loco non scribitur* בתולה *sed* עלמה *quod præter Lxx, qui posuerunt* ἡ παρθένος, *omnes Adolescentulam transtulerunt. Porrò ALMA apud nos verbum ambiguum est: dicitur enim & Adolescentula, & Abscondita, i.* ἀπόκρυφος. *Unde in Genesi legimus, ubi Rebecca dicitur ALMA, Aquilam non Adolescentulam nec Puellam sed Absconditam transtulisse.* Et paulò post, *Ergò ALMA non solum Puella vel Virgo, sed cum* ἐπιτάσει *Virgo abscondita dicitur & secreta, quæ nunquam virorum patuerit aspectibus, sed magnâ parentum diligentiâ custodita sit. Linguâ quoque Punicâ, quæ de Ebræorum fontibus manare dicitur, propriè Virgo ALMA appellatur.* ¶ וקראת שמו עמנואל] Omnes, *& vocabis nomen ejus* EMMANUEL] Ex Eusebio, qui etiam quod apud Matthæum legitur καλέσουσι putat corruptum esse à scribis, pag. 136. libri manuscripti, quem optarim editum esse. Hieron. *Verbum* וקראת *omnes interpretati sunt* ET VOCABIS, καὶ καλέσεις. ¶ הנה העלמה הרה וילדת בן] Aq. Th. *Ecce adolescentula uterum feret, & pariet filium*] Irenæus lib. 3. cap. 24. pag. 215. *Uterum feret:* ἐν γαστρὶ ἕξει, *in ventre* (sive *utero*) *habebit*, i. concipiet, prægnans erit. ¶ *Adolescentula* ἡ νεᾶνις. Locus integer exstat apud Eusebium Ἀποδείξ. Ζ. pag. 195. edit. Roberti Stephani, ΑΚΥΛΑΣ, Ἀκούσατε δὴ οἶκος Δαβίδ· Μήτι ὀλίγον ἀπὸ ὑμῶν μοχθεῖν ἄνδρας, ὅτι μοχθεῖτε γε καὶ τὸν Κύριον Θεόν μου; Διὰ τοῦτο δώσει αὐτὸς ὑμῖν σημεῖον· Ἰδοὺ ἡ νεᾶνις ἐν γαστρὶ συλλαμβάνει, καὶ τίκτει υἱόν, καὶ καλέσεις ὄνομα αὐτοῦ Ἐμμανουήλ. ΣΥΜΜΑΧΟΣ, Ἀκούσατε οἶκος Δαβίδ· Μὴ οὐκ αὐταρκες ὑμῖν κοπῶν ἀνθρώπους, ὅτι κοποῦτε τὸν Θεόν μου; Διὰ τοῦτο δώσει αὐτὸς ὑμῖν σημεῖον· Ἰδοὺ ἡ νεᾶνις συλλαμβάνει, καὶ τίκτει υἱόν, καὶ καλέσεις ὄνομα αὐτοῦ Ἐμμανουήλ. Th. —— καὶ ἀγῶνα παρέχετε καίγε τῷ Θεῷ μου; ——

16. תעזב האדמה אשר־אתה קץ מפני שני מלכיה. Aq. ἐγκαταλειφθήσεται ἡ χθὼν ἣν σὺ σικχαίνεις ἀπὸ προσώπου τῶν δύο βασιλέων αὐτῆς, *derelinquetur terra quam tu fastidis à facie duorum Regum ejus.* Sym. ἐγκαταλειφθήσεται ἡ γῆ ἀφ' ἧς σὺ ἐγκακεῖς ἀπὸ προσώπου τῶν δύο βασιλέων αὐτῆς, *derelinquetur terra quæ tibi tædio est à facie duorum Regum ejus.* Th. ἐγκαταλειφθήσεται ἡ γῆ ἣν σὺ βδελύσσῃ ὑπὸ προσώπου τῶν δύο βασιλέων αὐτῆς, *derelinquetur terra quam tu abominaris à facie duorum Regum ejus.*

20. במלך אשור, Aq. ἐν βασιλείᾳ Ἀσσυρίων *in Regno Assyriorum.* T. ἐν τῷ βασιλεῖ τῶν Ἀσσυρίων *cum Rege Assyriorum:* ὁμοίως καὶ Σύμμαχος.] Interpres Vulg. Dan. 2. 44. מלכיא reddit *Regnorum*, ubi Th. βασιλέων, i. *Regum.* Sic in Græcis Bibliis, *Libri Regnorum*, qui ab aliis vocantur *Libri Regum.* Sanè Chaldæi dictionem מלכים, quæ *Reges* denotant, modò מלכין mostò מלכן i. *Regna*, interpretantur. Autor Elias in Lexico Chaldaico.

IDEM EX PROCOPIO.

1. מלך־ארם. Aq. Sym. βασιλεὺς Συρίας *Rex Syriæ.*

2. כנוע עצי־יער מפני־רוח. ὡς σαλεύεται ξύλα δρυμοῦ ἐκ προσώπου ἀνέμου *ut commoventur ligna silvæ à facie venti*] i. arbores.

3. כובס. Aq. Sym. Th. τοῦ κναφέως *fullonis.*

4. השמר והשקט. Sym. φύλαξαι καὶ ἡσύχασον *cave & quiesce.* Th. πρόσεχε καὶ ἡσύχασον *attende & quiesce*] Attende, i. cave. Sic in Euangelio, *Attendite à falsis Prophetis*, idem cum illo, *Cavete falsos Prophetas.*

5. אפרים ובן־רמליהו. Th. Ἐφραΐμ, καὶ ὁ υἱὸς Ῥομελίου, *Ephraim, & filius Romeliæ.*

6. ונבקענה. καὶ ἀποσχίσωμεν αὐτὴν *& abscindamus eam.*

8. ראש ארם. Th. κεφαλὴ Ἀράμ. Aq. Sym, Συρίας.

9. שמרון. Th. Σομόρων. Aq. Sym. Σαμάρεια *Samaria.*

13. המעט מכם הלאות אנשים כי תלאו גם את־אלהי. Aq. Μήτι ὀλίγον ἀπὸ μοχθεῖν ἄνδρας ὅτι μοχθεῖτε καί γε τὸν Θεόν μου; Sym. Μὴ οὐκ αὐταρκες ὑμῖν κοπῶν ἀνθρώπους, ὅτι κοποῦτε ἔτι καὶ τὸν Θεόν μου;] Hieron. *virum*, i. ἄνδρα.

14. וקראת. Aq. Sym. Th. καὶ καλέσεις *& vocabis.*

15. לדעתו מאוס ברע ובחור בטוב. Aq. τοῦ γνῶναι αὐτὸν ἀποῤῥίψαι ἐν κακῷ καὶ ἐκλέξασθαι ἐν ἀγαθῷ, *ut sciat ipse abjicere in malo, & eligere in bono.* Sym. εἰς τὸ γνῶναι αὐτὸν ἀποδοκιμάσαι τὸ κακόν, καὶ ἐκλέξασθαι τὸ ἀγαθόν, *ut sciat ipse reprobare malum, & eligere bonum.*

16. קץ. Aq. σιγχαίνεις. Th. βδελύσσῃ] Emendo σικχαίνεις. Gen. 27. 46. קצתי. Aq. ἐσίκχανα *tædio affectus sum.* Exod. 1. 12. ויקצו. Aq. ἐσικχαίνοντο. Num. 21. 5. קצה. Aq. σικχαίνει. Hier. *nauseat.*

18. ישרק. Aq. συρίσει *sibilabit.*

19. ובאו. Sym. καὶ ἥξουσιν, A. Th. καὶ ἐλεύσονται.

20. בתער השכירה. Lxx. ἐν τῷ ξυρῷ τῷ μεγάλῳ. Aq. Th. μεμισθωμένῳ *novaculâ mercede conductâ.* ¶ השכירה בעברי נהר] Sym. τοῖς μεμισθωμένοις ἐν τῷ πέραν τοῦ ποταμοῦ *mercede conductos in locis trans fluvium.*

22. יאכל חמאה. Π. φάγεται βούτυρον *comedet butyrum*] In margine versionis antiquæ quâ usus est Procopius habetur litera Π, quam interpres Curterius *Pamphilum* denotare putat. Potest ità esse: tamen inclino ut credam hoc loco significare πάντες, i. *omnes:* quo designant reliquos omnes interpretes præter Lxx.

23. יהיה. Π. ἔσται *erit.*

24. בחצים ובקשת. Aq. ἐν βέλεσι καὶ ἐν τόξῳ *in jaculis & in arcu.*

GROTIUS.

1. ET *factum est in diebus Achaz*] Non repetemus hic quæ ad intellectum hujus capitis & sequentis satis copiosè congessimus ad Matth. 1. 22. 23.

In Jerusalem ad præliandum contra eam] Id est, *ad expugnandam Jerusalem.*

2. *Requievit Syria super Ephraim*] Id est, cum suis copiis consedit in terra Decem tribuum, quarum princeps erat tribus Ephraim.

Et commotum est cor ejus, & cor populi ejus sicut moventur ligna silvarum à facie venti] Ità perterriti sunt, ut statim se Syris socios adjunxerint contra Judæos, II Reg. XVI. 5.

3. *Et qui derelictus est Jasub filius tuus*] In Hebræo, *& Sear-Jasub filius tuus. Sear-Jasub* autem significat, *reliquiæ revertentur.* In eo nomine erat vaticinium illorum paucorum qui adventante Sennacheribo Hierosolyma se receperant, & mox prostrato Sennacheribo & exercitu ejus, reversuri essent in sua quisque oppida & agros, velut semen populi renascentis. Infrà dicit Esaias VIII. 18. *filios suos in signum datos*, nempe quia ipsis nominibus rerum futurarum significationem continebant.

Ad extremum aquæ ductûs piscinæ superioris] Erat is locus extra Urbem, ut apparet II Reg. XVIII. 17. Voluit autem Deus eodem in loco Judæos ab Esaia confirmari, ubi Assyriorum minas illis elocuturus esset Rabsaces.

In via agri fullonis,] Id est, proximè eam partem quà fullones habitant, qui ad opificium suum aquis multis indigent.

4. *A duabus caudis titionum fumigantium istorum*] *Caudas* vocat extrema titionum, in quibus solet ignis retineri.

5. *Eò quòd consilium inierit contra te Syria in malum Ephraim & filius Romeliæ*] Est transpositio. Sensus est, *Eò quòd consilium ad nocendum tibi inierit Syria, & Ephraim, & filius Romeliæ. Filium* autem *Romeliæ* appellat Phaceen per contemtum, ut filium privati hominis, per scelus Regem factum.

8. *Caput Syriæ Damascus, & caput Damasci Rasin*] Non latiùs imperabit Rex Syriæ quàm nunc imperat.

Et adhuc sexaginta & quinque anni, & desinet Ephraim esse populus] Omnino videtur error esse in scriptura Hebræa, addito ים ad שש [*sex*]. Nam ab hoc tempore ad deportationem Decem tribuum, quam fecit Salmanasar II Reg. XVII. sunt anni sex & quinque, id est, undecim: ex quibus duo pertinent ad ultima tempora Phaceæ Regis, novem autem ad tempora Oseæ itidem Regis Decem tribuum. Vide II Reg. XV. 27. XVI. 1. XVIII. 10. videbis hæc esse verissima. At Hebræi, ut codicum suorum fidem tueantur, hos LXV annos retro trahunt

hunt ad id tempus quo Amosus contra Syrum & Israëlitas vaticinari cœperat.

9. *Et caput Ephraim Samaria, & caput Samariæ filius Romeliæ*] Id est, interea temporis manebit regnum Decem tribuum intra suos terminos, nec ultrà propagabitur.

Si non credideritis, non permanebitis] Videtur congruentiùs sensui Hebræum sic posse verti, *An ideo non creditis, quia non confirmamini?* signo scilicet aliquo conspicuo.

11. *Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni*] Putà, ut terra statim moveatur, aut dehiscat.

Sive in excelsum suprà] Putà, ut Sol subitò deficiat.

12. *Et dixit Achaz, Non petam, & non tentabo Dominum*] Id est, Nolo Deo molestus esse; quæ dicis planè incredibilia sunt. Nam Deo diffisus, ambibat muneribus opem Regis Assyrii II Reg. XVI. 7.

13. *Quia molesti estis & Deo meo*] Injuriosi in eum, cui putatis non satis esse virium ad vos liberandos.

14. *Dabit Dominus ipse vobis signum*] Non petentibus.

Vocabitur nomen ejus Emmanuel] Præter alterum nomen *Maher-Schalal-Hasbaz* VIII. I. Significat nomen Emmanuel certum Dei auxilium contra Syros & Israëlitas, & in Urbe conservanda contra Sennacheribum. Alterum nomen, vastitatem agri & oppidorum excidia.

15. *Butyrum & mel comedet*] Victus ei affluet. Hoc ideo dicit, quia ex obsidione famem sibi metuebant Judæi.

Ut sciat reprobare malum, & eligere bonum] Verte ex Hebræo, *donec sciat:* id est, donec is puer ad usum rationis pervenerit. Nam qui in prima sunt infantia describi solent per *ignorantiam boni & mali*, Deuteron. I. 39. ubi ostendimus sic & Homerum loqui. Sic capite sequenti: *antequam sciat puer vocare patrem suum & matrem suam.*

16. *Derelinquetur terra quam tu detestaris à facie duorum Regum suorum*] Id est, Morientur Reges illi duo Syriæ & Israëlis. Terram, intellige utramque. Phacees huic tempori non totos tres annos supervixit.

17. *Cum Rege Assyriorum*] את hîc est *per*. Adducet tibi mala nunquam audita, per eum cui tu, Deo posthabito, confidis.

18. *Sibilabit Dominus muscæ, quæ est in extremo fluminum Ægyptii*] Innuet Pharaoni Nechao ut contra Judæam veniat: II Reg. XXIII. 33. Musca animal inverecundum, tales Ægyptii.

Et api quæ est in terra Assur] Apes pungunt, quod muscæ non faciunt. Tales futuri erant Assyrii sub Sennacheribo.

29. *Et requiescent omnes*] Castra ponent; ut suprà 2.

In torrentibus vallium] In Hebræo, *in vallibus agri:* ut solent muscæ.

Et in cavernis petrarum] Ut solent apes.

Et in omnibus frutetis] Ubi insidiæ poni solent. Eadem vox infrà LV. 13. Hîc ad similitudinem muscarum redit.

Et in universis foraminibus] Sic Græci: εἰς πᾶσαν ῥαγάδα. Hîc redit ad apum similitudinem. Chaldæus: *in omnibus palatiis.*

20. *In die illa radet Dominus*] Abradet Judæam, quam comparat humano corpori.

In novacula conducta] Id est, per Assyrios, & *Regem Assyriorum*, ut mox sequitur, quem Deus magnâ mercede prædæ illexit.

Caput] Comam.

Et pilos pedum] Pubem. Nam pedes σεμνῶς [*verecundè*] Hebræi vocant τὰ αἰδοῖα [*pudenda*], ut notatum aliquoties.

21. *Et erit in die illa, nutriet homo vaccam boum, & duas oves*] Pauci restabunt in terra à Sennacheribo desolata homines; qui non armenta habebunt, ut antè, sed buculam unam, oves duas, unde vivant. Illæ autem buculæ & oves plurimum daturæ sunt lactis, quia omnis ager erit pascuus, & omnibus patens ob hominum infrequentiam. Sic & apes latissimè vagabuntur.

23. *Ubi fuerint mille vites, mille argenteis*] Vineta quæ singula mille siclorum mercede locabantur: id est, optima vineta. Vide Cant. VIII. 11.

In spinas & vepres erunt] Ob colentium penuriam vertentur in vepreta & senticeta.

24. *Cum sagittis & arcu ingredientur illuc*] Nemo nisi armatus eò audebit procedere, metu ferarum & serpentium. Vide Levit. XXVI. 22.

25. *Et omnes montes*] Loca fertilissima in montibus.

Quæ in sarculo sarrientur] Quæ loca diligentissimè coli, ac sarculo purgari solebant, nequid usquam noxii resideret.

Non veniet illuc terror spinarum & veprium] Terrorem vocat sepes è vepribus & sentibus, quæ aditum ad agros arcent.

Et erit in pascua bovis, & in conculcationem pecoris] Passim ibi vagabuntur boves & pecudes, ut solent in locis incultis & incustoditis.

CAP. VIII.

MUNSTERUS.

1. SCribe in eo] Scilicet has quatuor dictiones, *Accelera ad prædam, festina ad direptionem*, scriptura prophetans quid futurum sit populo. Duplicatur autem more Prophetico eadem sententia aliis & aliis verbis, לחוש חשיך ut res ipsa exaggeretur. Sic filius qui natus est ex uxore Prophetæ, quæ hîc *Prophetissa* vocatur, in hujus rei signum vocatus fuit ACCELERA SPOLIUM, sive, ACCELERA DIREPTIONEM. Quemadmodum enim suprà posuit signum offensionis & scandali, sic hîc aliud ponit signum, Volumen scilicet, & Filium, qui gerebat personam Regis Assyriorum. Et est sensus, Propter incredulitatem vestram pœnas dabitis, devastabitur terra vestra, Israel peribit, & Juda in captivitatem ducetur.

6,7,8. *Aquas Siloah*] Comparat hic Propheta Regnum Jehuda fluviolo leniter currenti, & exercitum Regis Assyriæ comparat gravissimo fluvio, qui totam terram infundit & nullis ripis & stagnis excipi potest. ¶ אפיק sunt עמקים *profunditates & loca quæque demissiora*, in quibus aquæ sese continent; & גדות sunt talium fovearum *suprema labia* seu *margines.* ¶ Per *collum terræ* intellige Jerusalem.

9. *Conterite*] רעו cum Holem in quarto ordine, & non cum Zere in quinto ordine, sicut nostri verterunt, *congregamini*, seu *sociamini.*

11. *In fortitudine manûs*] h. e. Per Prophetiam infallibilem.

20. *Per Legem*] Modus est jurandi; & est sensus, Verè dicent ad vos, Quare non consultatis pythonicos & divinos? an non illi mussitando & dictitando futura cognoscunt? Sed respondete illis, Num mortui consultandi sunt, cùm sint vivi qui consultentur? Numquid est gens ulla quæ dimissis Diis suis consultet mortuos? Divinatio enim & Pythonis consultatio olim fiebat per ossa mortuorum, & à mortuis responsa petebantur, sicut in Pentateucho explicuimus. Alii exponunt *mortuos* pro illis qui docere nesciunt, ut sunt falsi fratres. Vos ergò talibus sic respondete, Vivis potiùs credendum quàm mortuis. Vos mortui estis doctores: nos malumus audire verbum Dei quàm vos. Vocat deinde Euangelium *auroram*, quo illuminantur, pacificantur & serenantur corda. Hanc verbi lucem & cordis pacem amiserunt miseri Judæi. *Transeunt per terram, indurantur* & torquentur exspectatione Messiæ, fiuntque de die in diem cupidiores & induratiores. *Famescunt* & desiderio liberatoris fatigantur. *Suspiciunt in excelsum* & clamant, sed Dominus non exaudit eos. *In terra* quoque nihil nisi *tribulationes* cernunt. Indignantur Christo nostro, *Regi suo maledicentes.* Hæc autem tribulatio Judæorum fuit multiplex. Prima levis fuit, quando transmigrator leviter se fudit in terram, abducens scilicet duas Tribus. Tunc Israel non fuit *obscuratus*, nec magnum sensit dolorem & lassitudinem. Posterior autem fuit multò *gravior*, Sanherib scilicet: & postrema gravissima sub Romanis. D. Matthæus c. 4. citat hunc locum, facitque ex speciali sententia generalem, & trahit hanc lucem de qua hic dicit ad præsentiam Christi Capernaum.

22. *Impulsio*] Kimhi hunc elicit sensum, מנדח אל־ האפלה *impulsus in tenebras.* Et הקל־ exponit pro הגלה *transmigravit.* Idem sentiendum de הכביד. Primus transmigrator fuit Thiglath Pilæser, posterior Sanherib.

VATABLUS.

1. STylo hominis בחרט אנוש] *Calamo humano*, i. literis hominibus tuæ regionis notis, & quibus utuntur. Chald. *characteribus explicitis*, i. notis & manifestis. ¶ *Ad festinandum*, &c. למהר שלל וגו׳] *Ut festinet* Assur *spoliom*, *acceleret prædam*, i. ut festinet spoliare, acceleret prædari. Confirmatio est Prophetiæ superioris quâ Regni Israel & Syriæ vastationem prædixerat. Alii infinitum (quod omnium est temporum) per imperativum vertunt, tanquam adhortetur ipsum Assyrium ut acceleret vastationem, *Accelera* ad *prædam*, *festina* ad *direptionem:* vel, *Festina* ad *diripiendum*, *accelera* ad *prædam.* Alii scribunt למהר esse Toar vice Benoni, ver-

ten-

tentes, *Acceleranti* diripere *spolium*, *festinat præda:* ut sint hæc verba, *Acceleranti spolium*, vel *spolia*, vice tituli; ac si dicat, *Regi Assyriorum qui optat devictis hostibus reportare spolia in patriam suam:* duo autem sequentia; *Festinat præda*, sint verba Epistolæ: quibus vocabulis, & iisdem monosyllabis, voluit innuere tempus desolationis instare, esséque in foribus. *Festinat præda:* i. instat tempus prædæ: intra paucos annos superabit hostes suos, quibus devictis reportabit ingentem prædam.

2. *Et testificare mihi faciam testes* [ואעידה לי עדים]. Fut. Heb. pro præt. *Et adhibui* [vel *vocavi in testimonium*] *mihi testes.*

3. *Accessi*, &c. [ואקרב וגו'] i. Cognovi uxorem meam. ¶ *Ad festinandum*, &c. [מהר שלל וגו'] Quidam hæc verba non interpretantur, sed tanquam duo tantùm nomina idem significantia relinquunt, scribentes, MAHERSALAL HASBAZ, i. *Accelerans spolium*, aut *Festinat præda*.

4. *Vocare* [קרא] *Clamare.*

6. *Populus iste* [העם הזה] *Judaicus* scilicet, sive *Regni Juda.* Prædicit obsidionem urbis Jerosolymitanæ. ¶ *Quæ vadunt quietè* [ההלכים לאט] *Quæ decurrunt pacificè*, vel *defluunt leniter:* i. quia populus meus Juda, cujus Regnum est simile leni Siloah fonti & innoxio, viresque ipsius Regni sui spernit, quòd exiguæ sint, velletque lubens subjici ipsi Rasin & Phacee Regibus potentissimis, qui velut Euphrates omnia secum rapiunt, qui eum fortiùs defenderent à periculis, ut existimat. ¶ *Et gaudium*, &c. [ומשוש וגו'] Hebraismus, pro *apud semetipsum & in animo suo libenter subderetur ipsi Rasin.*

7. *Ascendetque*, &c. [ועלה וגו'] Sub. *amnis ille:* i. excedet alveos suos, & transcendet, vel transgredietur omnes, &c.

8. *Inundabit, & transibit* [שטף ועבר] Phrasis Hebraica, pro *inundando transgredietur*, i. transeundo obruet totam eam regionem.

9. *Confringite populi, & conteramini* [רעו עמים וחתו] *Conterite, ô populi, & confringamini:* vel *confringemini.* Imperat. pro fut. q. d. Permittit Dominus ut omnia perdatis in Juda, licet vobis nunc omnia perdere: at tandem perdemini. Initiò belli feliciter vobis cedet; tandem tamen corruetis. Alii vertunt, *Consociate vos, ô populi, & contundite vos.* i. Congregate vos populi cum Rege Assur, & postea eritis contriti. Chald. *Sociate vos pariter exercitus Sennacherib, & conteremini.* ¶ *Longinqui* [מרחק ארץ] Ad verb. viri *distantiarum terræ*, i. incolæ regionum longinquarum, sive qui habitatis in regionibus procul distantibus.

10. *Loquimini verbum* [דברו דבר] i. Decernite decretum. ¶ *Stabit* [יקום] *Stabilietur, erit firmum.*

11. *In fortitudine prophetiæ* [כחזקת היד] Ad verb. *in roboratione manûs*, i. in visione prophetica admirabili, non vulgari, sed admodum insigni. Alii, *in apprehensione manûs.* ¶ *Nè irem*, &c. [מלכת בדרך וגו'] *Nè incederem per viam populi hujus.* Hebraismus, pro *nè sectarer ac imitarer studia & mores hujus populi*, cui persuasum est Regem Assyriorum esse multò potentiorem Deo Jacob.

12. *Nè dicat, Conjuratio est* [לא תאמרון קשר] *Nè dixeritis* verba *conjurationis*, i. seditiosa in vestrum Regem & locum; Deus eum proteget. q. d. Nè cogitetis de deditione facienda his Regibus, quasi à me liberari non possitis. ¶ *Omnia quæ dicit* [לכל אשר יאמר] *In omnibus quæ dicere solet*, &c. i. omnes sermones hujus populi eò pertinent ut se subdant his Regibus. Alii jungunt præcedentibus, vertentes, *ad omnia in quibus populus iste dicit, Conspiratio.* Vel, *in quibuscunque populus iste dicit, Conspiratio.*

13. *Sanctificabitis* [אתו תקדישו] Ad verb. *ipsum sanctificate.* Redundat *ipsum:* i. tribuite sanctitatem, roboris & virium gloriam huic uni date. Quidam vertunt imperat. in fut. *sanctificabitis.*

14. *In palatium* [למקדש] *In arcem:* vel *vice arcis & asyli.* Alii, *in sanctuarium*, vel *sanctificationem.*

15. *In ea* [בם] Nempe *in laqueum & tendiculam.* Alii, *in eis*, sive *inter eos.*

16. *Liga testimonium* [צור תעודה] *Colliga contestationem. Complica:* i. tege involucris & obscuritatibus, sub ænigmate. Metaphora ducta à mercatoribus, qui complicare solent merces suas postquam exposuerunt eas venales. Quidam Hebræorum legunt, *Custodi testimonium*, ut & Chaldæus P. ¶ *Obsigna* [חתום] i. Tege etiam. Metaphora ducta à scribis, qui literas quas scripserunt obsignant, nè ab aliis legantur. ¶ *In discipulis meis* [בלמדי] *Inter discipulos meos.* Alii, *una cum discipulis meis:* vel, *apud discipulos meos.* Alii, *cum doctis meis*, vel *à me:* i. adhibitis in testimonium discipulis meis.

19. *Garriunt & loquuntur* [המצפצפים והמהגים] *Mussitant & demurmurant*, i. submissâ voce loquuntur, ut faciliùs imponant. ¶ *Num populus* [הלא עם] Sing. pro plur. *Nónne populi alii Deos suos consulunt?* sub. *non alienos:* quantò magis nos, qui Dominum habemus pro Deo? ¶ *À mortuis* [אל המתים] Sub. *requiret:* vel *mortuos*, sub. *consulet aliquis.* q. d. Nè idololatræ quidem id facere solent, ut mortuos consulant pro vivorum negotiis.

20. *Ad Legem, & ad testimonium* [לתורה ולתעודה] Sub. *revertendum:* in quibus præscribitur quid agendum nobis, & testimonium habemus Divinæ erga nos bonitatis. ¶ *Quia non est ei aurora* [אשר אין לו שחר] i. Si idololatræ non idem sentiunt quod ego, hoc ideo fit quòd nihil fit in eis lucis. Alii totum versum sic vertunt, *Per Legem & testimonium*, & dispeream *nisi dicant juxta hunc sermonem in quo non est aurora:* jurantis est ל, juxta horum versionem. q. d. *Ita res habet ut dixi, Tam verum est quòd aliqui hortabuntur vos ut consulatis pythones & Divinos, quàm vera est lex Divina.* Addit aliud juramentum ad majorem expressionem, *Non habear verax*, aut aliquid simile, *si non futuri sint aliqui in populo Dei qui alios hortaturi sint juxta verbum hoc;* nempe consulere divinos: *qui sermo*, sive *quæ doctrina, nihil habet lucis*, aut abhorret à communi sensu.

21. *Et transibit* [ועבר] Sing. Heb. pro plur. i. erunt qui dura ac dira patientur in terra illa Judææ in qua fuerint homines illi idololatræ ac superstitiosi. ¶ *Induratus* [נקשה] Significat eum qui difficultatem vivendi patientur, dura & gravia perpessus. ¶ *Sursum* [למעלה] Sub. *opem exspectando à Deo:* i. nunc sursum, modò deorsum aspiciet unde habeat auxilium.

22. *Obscuratio angustiæ* [מעוף צוקה] *Caligo* & *angustia:* vel *caligo* præ *angustia.* Alii, *obscuritas tribulationis.* ¶ *Et* ad *caliginem* [ואפלה מנדח] *Et in caliginem detrudetur.* Alii, *& caligo* & *impulsio.* Alii conjungunt præcedenti, *& obscuritas angustiæ & caliginis dispersa:* quòd quæ propelluntur, dispergantur. Alii, *& caliginis dispersæ:* ut concordia sit in sensu, non in voce: nam אפלה est femineum, & מנדח masculum. Non desunt qui vertant *obtenebratus angustiâ & caligine expulsus*, nomen מעוף convertentes in participium.

CASTALIO.

2. ADhibitis fidis testibus] Qui scilicet adessent in partu, nè quis calumniari posset, editam esse feminam, in ejusque locum clàm suppositum marem.

10. *Nobis adest Deus*] Hebraicè, *Emmanuel*, propter nomen Pueri superiùs positum.

11. *Sic enim me Jova quasi manu prehensum*] *Jova me*, inquit, *quasi manu prehensum*, h. e. seorsum & de re arcana, *allocutus est*, quasi ità diceret, Quòd vobis contra Assyrios salutem nato Emmanuele promitto, intelligite, non me de isto Emmanuele tantum, aut de Senacheribo loqui: nam futurus est alius verus EMMANUEL, h. e. Messias Servator & Deus inter vos habitaturus, qui vos à longè gravioribus defendat periculis. Quòd si quæritis quo pacto possit is, cùm venerit, agnosci, dicam, sed obscurè: Erit ejusmodi ut eum populus iste seditiosum dicat, fugiendúmque putet. Sed vos mei nolite cum *populo* sentire, aut vobis ab isto Messia *metuere:* potiúsque metuite nè Messiam repudiantes offendatis *Jovam*, qui Messiam miserit. *Is autem* Messias *erit sanctus* quidem, & salutaris eis à quibus agnoscetur: sed multi eum non agnoscentes *offendent*, & per eum suâ culpâ *peribunt.* Quod dico *oraculum* est, obscurum sanè & clausum, quippe à *meis* solis intelligendum. *Ergò ego* (inquit Esaias, & quivis piorum) *Jovam* Messiam *exspectabo*, *qui* ità venturus est ut *Israelitas lateat.* Sed quo pacto eum agnoscent sui *discipuli?* Hoc pacto, inquit, *Ecce me*, & *juvenes*, &c. h. e. Quidam erit qui juvenes discipulos habebit, *sibi attributos à Jova*, cum quibus *ostenta miraculáque edet apud Israelitas.* Hunc agnoscite Servatorem, & ei paretote. *Quod si qui vobis suaserint Magos* aut Apollinem *consulendos*, respondetote, *debere suum cuique Deum consuli.* Jovam vestrum esse Deum, itaque ab eo consilium perituros. Nam absurdum esse *pro vivis consulere mortuos;* id quod faciant Magi. Eundum *ad Legem*, h. e. ad Mosis libros, in quibus sint de Christo *oracula*, cujus adventu silebit Apollo, obmutescet Pan, facessent errores. Itaque Magi illi & harioli Deos ejusmodi consulere soliti, cùm videbunt oraculorum esse *famem*, Delphos, Dodonam, omnia silere, nihil usquam certi quod respondeant esse, incerta dicent: & eâ *difficultate irati & Deos & Reges detestabuntur suos*, *in quibus nihil sit eis præsidii.* Vide Mich. 3. Erit igitur à Christo petenda doctrina, postquam ea alibi nusquam invenietur.

C L A R I U S.

1. *Scribe in eo stylo hominis*] h. e. Stylo quo homines vulgò scribere solent, ut legi ab omnibus possit. Jubet autem scribi has dictiones, VELOCITER DETRAHE SPOLIA, CITÒ PRÆDARE: quæ erat Prophetia eorum quæ eventura erat populo. Duplicatur autem more Prophetico eadem sententia aliis & aliis verbis, ut res ipsa exaggeretur. Sic filius qui natus est ex uxore Prophetæ, quæ hic *Prophetissa* vocatur, in hujus rei signum vocatus fuit, ACCELERA SPOLIUM, sive ACCELERA DIREPTIONEM. Prædicit ergò & hic superiora duo Regna delenda, quorum metropoles erant Damascus & Samaria. Cessavit autem Regnum Israel & Syriæ, ut habetur 4 Reg. 15. ad mortem Phaceæ filii Romeliæ, sub quo Assyrius maximam partem Regni Israel cepit, & successorem illiusque occisorem Oseam filium Ela tributarium tenuit, donec rebellantem sibi cum regia Samaria cepit, & transtulit residuos in Medos.

2. *Et adhibui mihi testes*] De *Uria* quodam *Sacerdote* legitur 4 Reg. 16. De *Zacharia filio* non *Barachiæ* sed *Jebrechiæ* legimus 2 Par. 26. nam fuisse hunc Zachariam Prophetam qui sub Dario fuit, non videtur consentaneum vero.

6. *Aquas Siloe*] Comparat hic Propheta Regnum Juda fluviolo leniter currenti; & exercitum Regis Assyriæ comparat gravissimo fluvio, qui in totam terram funditur & nullis ripis ac stagnis excipi potest. Reprehendit ergò eos qui Regni Juda attenuatum statum spernebant, & favebant Regibus Syriæ & Israelis.

8. *Usque ad collum terræ*] Intelligit Jerusalem, quæ sola dempta tunc fuit excidio. Habet autem emphasim illa vox, *ô Emanuel*, cùm ait, *& erit extensio alarum ejus, implens latitudinem terræ tuæ, ô Emanuel:* ubi subindicat & majestatem ejus qui verè Dominus futurus sit Judææ gentis; & fore etiam ut non ei genti parcatur, quamvis ipsius Emanuelis esset gens.

9. *Conterite populi*] Sensus est, *Quantumvis corroboraveritis vos, vincemini tamen.* Loquitur enim contra Regnum Syriæ & Samariæ, vel, ut alii volunt, contra Assyriam.

11. *In fortitudine Prophetiæ*] h. e. Dixit Dominus ad me per Prophetiam infallibilem. Heb. *in manu forti.* Jubet, inquit, Dominus, nè incredulorum multitudine territus eos sequar: & addit, *Ne dicatis, Conspiratio*, &c. h. e. Non consentiatis conjurationi, quantumvis multis verbis conetur populus iste invitare vos ad defectionem.

14. *Et erit vobis in sanctificationem*] Quibus *vobis*? Nimirum fidelibus & credituris: nam reliquis omnibus, quod per *duas domus Israel* significatur, *futurus erat in lapidem offensionis & petram scandali:* cujus & B. Petrus in Epistola sua fecit mentionem.

16. *Liga testimonium*] Videntur esse verba Domini ad Prophetam admonentis ut obsignet hæc quæ ei revelata sint, neque communicet nisi cum *discipulis* Domini, qui horum capaces futuri essent. Deinde Propheta addit *se exspectaturum Dominum* ac promissa ejus.

18. *Ecce ego & pueri mei*] Hoc in persona Christi dictum esse Epistola ad Hebræos indicat.

19. *Et cùm dixerint*] *Si dixerint*, inquit, Quare non *consultatis Pythonicos & divinos?* annon illi mussitando & dictando futura prænunciant? Respondere illis, *Num mortui* consultandi sunt, cùm sint *vivi* qui consultentur? *Num gens est ulla quæ dimissis Diis suis consultet mortuos? Pro vivisne ad mortuos eundum est?* Divinatio enim & Pythonis consultatio olim fiebat per ossa mortuorum, & à mortuis responsa petebantur. Tu verò considera ut Propheta: & de Christi temporibus interserat verba, & tamen ab historia sui temporis non recedat, quod plurimum afferet lucis si in omnibus Prophetis id observetis.

20. *Per Legem & testimonium, si non dixerint*] Modus est jurandi, & est sensus, *Verè dicent ad vos superiora illa verba* de consultatione divinorum, *in quibus verbis nihil est luminis*, h. e. quod penitus est absurdum.

21. *Et transibit per eam*] Scilicet *terram*. Et intelligit eum qui relicto Deo idololatriam sequitur, & perversâ graditur viâ. Nam ejusmodi hominibus quid accidere potest commodi?

22. *Et non poterit avolare*] Alius vertit, *Nec obscuratus est ille cui hæc accidit angustia.*

F O R E R I U S.

1. Rursus Jesaias ad Vastationem Syriæ & Samariæ redit, quam priùs attigerat; & brevi futuram exponit. Verùm quia ad Jehudam & Jerusalem præcipuè missus fuerat, omisso sermone de Vastatione Syriæ & Samariæ, ad Judæos statim redibit, & eos, quia non credebant de exterminandis hostibus differenti, interituros quoque prædicit, non tamen omnino delendos. In *volumine* autem *magno* duas voces monosyllabas חש בז, HAS BAZ, scribere jubetur, quo magnas res celerrimè eventuras significaret. ¶ *Volumen*] Hebræum nomen גליון est à verbo quod *apertionem* seu *apparitionem* aut, ut alii volunt, *convolutionem* notat. In libro autem expressa apparent quæ alioqui latebant: unde idem nomen in plurali *specula* significat. ¶ *Stylo hominis*] i. Vulgari & noto. Fortè præcipiebat Dominus magnis characteribus scribi duas illas voces, & ad hoc erat *volumen magnum*, ut à quovis legi possent; unde & vulgaribus literis scribi præcipiebat. ¶ *Velociter spolia detrahere*] Quàm variè reddi possint hæc verba notum est iis qui Hebraicè norunt: unde hoc loco magna varietas interpretationum orta est, sed idem fere omnibus significatur. Egò eam quæ mihi simplicissima videbatur apposui: nam literæ Lamed ille interdum est usus ut materiam de qua fit sermo significet. De verbis מהר & חוש dixi suprà cap. 5. Verbum autem בז verbo *diripiendi* rectè vertitur: unde & nomen בז *direptio*. Et notat *despectum*, *contemptum* & *proconculcationem*. Scribe, inquit, de ea præda seu spoliatione quæ citò eventura est, his verbis, FESTINAT DIREPTIO.

2. *Et adhibui mihi*] i. effeci ut testes digni fide mihi testes essent. Est enim verbum העד in tertia, à verbo עוד, quod in prima non invenitur; in secunda autem עודד aliquoties, & est *comprobare*, *sustentare ac tueri verbo vel facto*; quod Vulg. verbo *suscipiendi* reddidit Psal. 146. & 147. Cum aliis autem punctis potest esse à verbo עוד, quod *adhibere* seu *applicare* sig. & ità accepit Vulg. quamvis de applicatione ornatus ferè semper dicatur, sed debuisset scribi ואעידה absque Jod. Iccirco ego tanquam esset à verbo עוד accepi, ut ה sit paragogicum, quod frequentissimum est in prima persona futuri, i. *obtestatus sum.* Verùm non usque adeò est manifestum cujus rei voluerit illos esse testes, aut super qua re eos obtestabatur. Crediderim sanè quòd quia non credebat populus Domino promittenti devastationem Syriæ & Samariæ, obtestatus sit viros duos prædictos, ut essent sibi testes quòd eis denunciarit tam illorum Regnorum quàm ipsorum Judæorum, qui verbis ipsius nolebant fidem adhibere, devastationem, quin etiam illius temporis quo scriptura exarata est testes idonei & memores essent.

3. *Et accessi ad Prophetissam*, &c.] Antiqui Patres & nonnulli ex modernis scriptoribus hæc de Christo interpretantur; quod is esset *celer spoliator*, qui mox ut natus est ab Oriente vocarit Magos, &c. & multa hujusce modi, quæ tantum abest ut rejiciam, ut ea ambabus manibus amplectar. Neque possum non vehementer laudare in Patribus ingens illud & prorsus Christianum studium investigandi in Scripturis Christum. Verùm cùm non unica imò varia sit ratio Christum in Scripturis inveniendi, nihil me à religione Christiana alienum duxerim tentare si in hac Prophetia aliâ ratione Christum nitar invenire. Infrà hoc ipso capite loquitur Propheta de *suis pueris qui dati erant à Deo in signum & portentum in Israel*, & de altero cui nomen erat *Sear-Jasub* superiùs dictum est, quo nomine *salutem reliquiarum* significari volebat Dominus. De altero verò jam hic loquitur, cujus nomen Israelis devastationem indicabat, non solùm illam quæ proximè imminebat X Tribubus & Regno Jehuda, (quam quidem paulò post passi sunt Judæi propter infidelitatem suam) verùm etiam illam quam universi sunt experti propter contemptum sui Messiæ Filii Dei veram salutem afferentis. Non itaque durum videatur cuiquam si dixero hic, juxta historiam, Jesaiæ uxorem vocari *prophetissam*, & filium, *Festinam direptionem.*

4. *Aufert*] Si passivè interpreteris *auferetur*, planus est sensus: nam את interdum nominativo servit. Sin autem activè, Hebraismus est, i. *auferent* (scilicet *milites*, vel *homines*) *spolium coram Rege Assur.* Ego tamen in ea sum sententia ut Jod in voce ישא sit affixum pronomen (reclament licèt Rabini) sintque verba Dei; ut sit sensus, *auferet strenuitatem Damasci & spolium Samariæ ante faciem meam Rex Assur.* Videntur itaque intercessisse inter hanc & superiorem Prophetiam aliquot anni. Nam hæc revelata videntur Prophetæ uno anno ante quàm Assyrii Syriam devastassent & Damascum caperent: nondum enim infans ille primas voces infantum loqui incipientium poterat efferre. ¶ *Strenuitatem*] Suprà dixi accipi interdum nomen hoc pro ipsis *viris strenuis & bellicosis:* milites ergò significat in captivitatem ducendos, & Regna illa spolianda ac diripienda. Fateor quoque *opes*, quæ strenuitate parantur, posse significare.

5. 6. *Pro eo quòd abjecit*, &c.] Etsi hæc possunt de Syris & Is-

& Israelitis intelligi, qui sibi in suis Regibus complacebant, & Regnum Jehuda despiciebant, ea tamen quæ sequuntur faciunt ut de ipsis Judæis & civibus Jerusalem interpreter, qui fortè sui Regis mores fastidientes ac non probantes, potentiámque adventantium Regum considerantes, ac Deo diffidentes, novis rebus studebant & de deditione ac defectione cogitabant. De verbo מאס, i. *fastidiendo rejecit*, superiori cap. dictum est. ¶ *Quæ vadunt cum silentio*] i. Placidè fluentes. Heb. לאט idem est quod *occultum*, *arcanum*, &c. cúmque ad verbum adjungitur, fit adverbium: q. d. *insensibiliter*, i. sine strepitu atque murmure. Per canales enim defluebant, neque magnâ copiâ. Per quas quietos animos & pacis amicos & à bellicis tumultibus alienos intelligit Jesaias. ¶ *Et assumpsit magis Resin*] In Hebræo non est verbum, sed legitur in forma nominis משוש, i. *gaudium*, sed tanquam verbum est accipiendum, i. *& gaudet cum Resin*; à verbo שוש, i. *affectum est gaudio, voluptatem & oblectationem habuit in animo:* & non est gestus, sed affectus cordis & animi. Quid si sit infinitivus verbi משש perfectè conjugati? i. *contrectare*, *palpare*; quasi tentarent inire fœdera & amicitiam cum illis Regibus, seu de deditione tractare.

7. *Ecce Dominus adducet super eos*] Respondet pœna sceleri, ut experiantur impetum aquarum valdissimarum qui lenes aquas contemnebant, & exercitum multorum militum in suam perniciem conglobatorum, Regémque virum belli cupidum ac truculentum, qui paucorum militum exercitum & Regem pacis amicum præ fastidio abjiciebant. His similes sunt qui Regnum JESU CHRISTI contemnunt, qui paupertatem, mansuetudinem & patientiam piorum tanquam ignavorum hominum commenta abominantur, nihil nisi divitias, elationem animi atque vindictæ studium suspicientes. Hi justum est inundatione aliorum superborum & gloriâ opprimantur, &c. Certè *aquæ Siloah* (quod interpretatur *Missus*) mysterio serviunt, si Euangelium Joannis consulimus. Neque enim præferendæ sunt aquæ Damasci aquis Jordanis, quæ leprosos mundant; neque aquæ fluminum mundi, aquis illius qui missus est in salutem Gentium. Nam qui *in mansuetudine suscipiunt verbum*, per verbum *animorum salutem* consequuntur, teste Apostolo. Mihi quoque non est dubium quin Jesaias hoc loco prævideriт quanam ratione moti Jehudæi in posterum tempus Regnum Christi essent contempturi, volentes potiùs Cæsari servire quàm pauperis Christi discipuli fieri. ¶ *Fortes*] עצומים part. à verbo est עצם, quod propriè sign. *corroboratum*, *condensatum*, *confirmatum*, *consolidatum*, *compactum esse accessione*; & juxta proprietatem substantivi vertendum est. ¶ *Universam gloriam*] Ità vocat potentiam & robur exercitûs, ob multitudinem, vires apparatúmque bellicum, quæ Regem maximâ apud omnes auctoritate, gloriâ gratiâque constituunt. ¶ *Alveos*] Persistit in Metaphora. Inundantis enim fluvii est alveos omnes replere absque mora & & absque ullo impedimento. Nomen autem Hebræum אפיק est à verbo אפק, quod in quarta tantùm conjugatione reperitur, *coegit* seu *compulit se*, *compressit*, *coercuit se*. Hinc nomen quòd *vim* seu *violentiam* notat, & in plurali, quando dicitur de re, interdum de *fluminibus* ipsis dicitur, ut Psal. 127. &c. interdum de *alveis*. ¶ *Sinus*] A verbo גדד, quod *excursionem*, *incursionem* seu *irruptionem facere* sign. deducitur nomen גדות plurale tantùm, i. *excursiones*, *irruptiones in terram*, quæ flumina aut maria faciunt. Latini *sinus* appellant.

8. *Ivit per Judam*] Vel *mutabit se*. חלף nihil aliud quàm *mutare* sign. aliquando activè, quando scilicet casum regit, aliquando neutraliter, ut suprà 1. 18. & 1 Sam. 10. & Job. 4. &c. Lege lib. Regum, & 1 Par. c. 28. videbísque plures adventus Assyriorum in terram Israel. Et sub Ahaz legitur quòd *adduxerit Dominus Talgath-Phalnasar, qui afflixit eum, & nullo resistente vastavit, neque ei profuerunt munera quæ ad ipsum misit*. Mihi itaque verisimile est quòd cùm secundò Assyrius adversùs X Tribus venisset, in Judæam quoque deflexerit, eamque depopulatus fuerit. Et hoc est quod hîc dicitur, *mutabit se in Judam*, ut intelligatur versus hic in universum de bello quod movere cœperunt Assyrii adversùs Regnum Jehuda, vastato jam Regno X Tribuum, non solùm sub Ezechia verùm etiam sub Ahaz. *Mutarunt* ergò seu verterunt Assyrii pondus belli adversùm Regnum Juda, & omnia occuparunt; tandémque sub Ezechia caput ipsum, nempe civitatem Jerosolymitanam, expugnare conati sunt. Sed quia prævidit Propheta adventum Assyriorum adversùs Regnum Juda, & quæ in eo bello acciderunt, quendam typum esse & umbram quâ mysterium Regni Dei adumbrare posset, quò commodiùs de Christi victoria, & propagatione & gloria Regni ejus verba faceret, & mentes auditorum ad ea quæ significare volebat excitaret, Apostrophem facit ad ipsum Salvatorem; *Implebunt*, inquit, *alæ*, vel exercitus hostium Regni Judæ, *totam terram tuam, ô Immanuel*. Quæ verba cum exclamatione etiam nescio quid doloris præ se ferunt. Non enim poterat Propheta non dolere cùm ei in mentem veniebat quæ popolus ille passurus esset ab hostibus: *Tuæ*, inquit, *terræ, ô Immanuel, latitudinem implebunt*, te sciente atque vidente, etiam si nobiscum sis. Verùm prævidens Propheta quòd neque tunc temporis Jerosolyma vastanda esset, neque ultimis temporibus prorsus essent ab hostibus delendi Judæi, quinimo tunc temporis prope Jerosolymam occidendi essent hostes, & in novissimis diebus reliquiis sanctis subditurus esset Deus orbem, non potest se continere quin exclamet, *Congregamini populi*, &c. Hujusmodi autem transitiones observare diligenter oportet in Prophetis, nè animadvertens quòd historiam prosequantur, putemus cum Judæis nihil aliud Prophetas quàm historias texere sui temporis, aut ea quæ paulò pòst eventura essent. ¶ *Collum*] Nomen צואר (in quo א est adtitia & formativa litera) à verbo צור dicitur, quod *contractionem* seu *coarctationem* notat. In angustum enim illic contrahitur totum corpus, ut vides. Neque à *firmitudine* dictum puto, ut alii volunt.

9. *Congregamini*] Vel *consociamini*. Potest vox Hebræa רעו esse à verbo רעה, quod *pascere* significat tam homines quàm pecora: unde in secunda conjug. pro *associare:* qui enim pascit, gregatim deducit, neque dissipari gregem patitur. Et juxta variam punctationem potest esse vel imperativus, *consociamini*, vel præteritum, *consociati sunt*; quod hîc non malè quadrat, quasi rem novam toti mundo velit notam esse, *Audite qui in ultimis orbis partibus estis; Consociati sunt populi adversus populum Dei, & consternati sunt*. Et quæ sequuntur etiam verba eodem modo accipi possunt, nempe in præterito, *inierunt consilium*, &c. Potest esse etiam à verbo רעע, i. *malum esse*, & *malum machinari:* undè non malè vertas, *Machinamini malum, & consternamini*. Quod verò sequitur, *& audite universi longinqui terræ*, quasi per Parenthesim includi debet. Quid si sit à verbo רוע, licèt in prima vix inveniatur? Significat autem *voce plenâ & latâ personare*, sive id fiat ore sive tubâ aut buccinâ: de quo verbo infrà 15. quæ interpretatio haud erit incongrua, *Ovate populi*, &c. ¶ *Vincimini*] Cùm verbum חתת propriè *dejici* seu *consternari*, vel animo vel virtute & robore corporis, significet, aptè verbo *consternandi* vel *prosternendi* redditur. ¶ *Confortamini*] Vel *accingite vos*. Id propriè significat verbum, & sæpe est castrense. Bis idem dicit, i. *Etiamsi iterum atque iterum accingamini, & ad præliandum, ut viri fortes, præparemini, corruetis tamen & prosternemini*. Quòd si in præterito vertas, tanquam transacta commemorat quæ futura prævidebat, *accincti sunt, & consternati sunt*.

10. *Inite consilium*] Verbum יעץ per se *inire consilium* sign. Hebraismus ergò est, *Consulite consilium*, i. Magnis deliberationibus statuite, consultate, quid facto vobis opus sit, sed nihil agetis. ¶ *Dissipabitur*] Vel *labefactabitur*. Hæc est propria significatio verbi פור in tertia: est autem hîc passivum; opponitur enim verbo הקים *erexit*, *ratificavit*. Vide Num. 30. *Omne votum & omne juramentum quod constringit ut affligatur anima, maritus ejus potest hoc ratificare, vel labefactare*. Quæ verba quoque Paulus opposuit Rom. 3. *Legem ergò irritam facimus per fidem? Absit: imò Legem stabilimus*. Inquit itaque Propheta, Neque consilium stabit, neque sermo vester habebit exitum quem optatis: nihil vestra studia, nihil cogitationes adversùs populum Dei efficient: *est enim nobiscum Deus*; nos tuebitur; res nostræ illi sunt curæ: frustrà igitur conjutatis & frustrà laboratis. Jam incipit aperire Propheta *nihil damnationis esse iis qui sunt in Christo Jesu*, & quòd *nemo rapiet oves de manu ipsius*, neque eos quos per Divinam prædestinationem ei Pater tradiderit.

11, 12, 13. *Quia sic dicit Dominus*, &c.] Quàm obscurè hunc locum & vertant & interpretentur alii, considerabit prudens lector. Certè nos simplicissimam interpretationem afferemus, & servatâ proprietate sermonis Hebraici Christianè omnia interpretabimur. Irritos futuros conatus hostium adversùs populum Dei versibus superioribus dixerat: Jam gradatim ad Christum descendit, & se à Deo missum dicit Propheta ut impedimenta auferret quæ prævidebat futura in populo nè illis temporibus à Deo protegerentur, & in futuris Christum Dominum non reciperent; unde futurum quoque erat ut perirent. Sic autem sermonem temperat ut cùm quæ sunt sui temporis intermittere non videatur, qui tamen Scripturas legunt, manifestè intelligant, altiora simul & majoris ponderis negotia eum mente volvere, & suis istis concisis verbis velando aperire. Dixi, inquit, quòd frustrà populum Dei oppugnarent

hostes;

hostes; i. frustrà obsiderent Jerusalem: non solùm enim eam non caperent, verùm illi ipsi interirent: quo significabam in illa altera horrenda tempestate quæ novissimis temporibus futura est, non universos Israelitas interituros. Hæc, inquit, dicebam, *quandoquidem Dominus manu suâ illa forti avertit me, nè similes populo huic essemus ego & pueri mei, dicens nobis, Nè dicatis*, tu & filii tui, vos electi mei, nè dicatis; *Conjuratio, sicut populus hic dicit: de quacunque enim re dicit, conjuratio*, & hoc verbum in ore eorum perpetuò est. Perterriti siquidem adventu hostium conventicula faciunt & inter sese colloquuntur, neque aliud deliberant nisi de deditione facienda: conjurant adversùs Regem & Civitatem. Vos ergò, electi mei, *timorem ejus*, i. quod ille populus timet, *ne timeatis*, sed tantummodo *Deum* vestrum *timere*, & ad ejus mandata *expavescite*, &c. Sed verba examinemus. ¶ *Et corripuit me*] Juxta punctationem quam habent Biblia ità omnino dicendum est. יסר enim *corripere* est, & dicitur sæpius de disciplina quæ facto & opere constat quàm quæ verbo tantummodo: quòd si puncta auferas, potest esse à verbo סור, i. *discedere*, & in tertia *auferre, avertere*, &c. Sensus tamen idem est. ¶ *Conjuratio*] Verbum קשר propriè *ligare* sign. transfertur autem ad *animorum colligationem*: unde tunc Hebræis idem valet quod Latinis *conjurare, conspirare*. Indè nomen קשר *conspiratio, conjuratio*. Et hæc vel ut suprà exposui accipienda sunt, vel mores & ingenium eorum qui obsessi valde timent exprimunt. Nam qui timore hostium premuntur suspicacissimi sunt & undequaque sibi metuunt, scientes nihil perniciosius esse civitati obsessæ quàmsi qui intus sunt cum hostibus conspirent. Unde sæpius accusationes injustas & acceleratam damnationem multorum qui sæpe nihil hostile cogitabant audivimus & in historiis legimus. Quare illud לכל אשר יאמר planè & propriè arbitror me reddidisse, *de quacunque re dicere solet populus*, &c. Nam is est futurorum usus Hebræis frequentissimus. ¶ *Nè paveatis*] ערץ est *exercere potentiam* ac *prævalescere*. Notanda tamen est quædam peculiaris Hebræorum phrasis, quando scilicet construitur præcedente negatione & sequente casu auferendi cum præpositione Mem, i. *à* vel *ab*. Perinde enim est ac *timore succumbere & vi illatæ cedere*, Deut. 1. & 7. ubi quoque Vulgatus ità reddidit. Vide infrà c. 29. 23. Eandem hic significationem habet etiam absque מ. ¶ *Timorem ejus*] Relativum masculinum: unde ad *conjurationem* potest referri, si quæ de conspiratione duorum Regum, Syriæ videlicet & Israelis, adversùs Jehudam præcesserunt, de hac quoque dicta quisquam velit accipere, quasi de nulla re alia loquerentur quàm de illorum Regum inter se fœdere: de quo cùm audiissent, superiùs dixit Propheta *trepidasse omnes sicut movetur silva à vento*. Vel potiùs *timorem ejus*, scilicet *populi*, i. quòd ille timet. ¶ *Sanctificate*] i. Ut sanctum colite, laudate, prædicate, & omnes ad cultum ejus inducite, non polluentes nomen ejus, neque alios impuritate vitæ vestræ ab ejus religione absterrentes. Hoc enim est *sanctificare Deum*. ¶ *Terror*] Vel *pavor*: i. illi præ timore succumbatis. Innuit itaque Propheta humanum timorem etiam impedimento esse nè per Deum servarentur; timorem autem solius Dei illos potuisse tutos reddere. Quòd si superiora non de conspirationibus quas superiùs dicebam accipias, sed de conspiratione & conjuratione impiorum quâ simul conspirabant ut à Deo deficerent ejúsque Prophetas contemnerent, ac Deos alienos colerent, quorum favore putabant hostes superiores esse, ut habes 2 Par. 28. de Ahaz, quòd *tempore angustiæ suæ auxit contemptum in Dominum; immolavitque Diis Damasci victimas percussoribus suis; & dixit, Dii Syriæ auxiliantur eis, quos ego placabo hostiis, & aderunt mihi*, &c. de qua etiam conjuratione eodem nomine קשר habes Jer. 11. multa; si hæc, inquam, ità accipias, planus erit sensus, & transitus ad mysterium Christi suavior: q. d. *de quacunque re*, vel *ad quamcunque rem, dicere solet hic populus, conjuratio*; vel, *quidquid dicit populus hic, conjuratio est*; i. facile conjurant, & sese mutuò adhortantur etiam ex levioribus causis, ut à Deo deficiant, &c.

14. *Et erit in sanctificationem*, &c.] Profectò hoc canebat Simeon ille: *Ecce positus est hic in resurrectionem & in ruinam multorum in Israel*: quibusdam quidem in *sanctificationem*, qui sanctificationem animarum suarum ab ipso percipient; quæ est Divina quædam animi stabilitas & firmitudo, quæ Hebraïsmo dicitur *erectio* seu *suscitatio*: quam *resurrectionem* dixit Lucas, ut *casui* seu *ruinæ* opponeret. Quod autem Lucas de puero Jesu dixit, hîc Propheta de Jehova dicit: unde & quæ hic Jesaias scribit, ad tempora redemptionis nostræ nemo nisi impius referenda esse dubitabit. Occasione ergò illius oppressionis quam ab Assyriis passi sunt Israelitæ, & illius defectionis à Deo vero ad idola Gentium, (quæ defectio omnia mala in populum illum invexit) propter cognationem causarum & effectuum, transit paululùm latenter Prophetico more Jesaias ad defectionem, conjurationem & obstinationem Judæorum tempore Messiæ; quæ caput atque finis totius calamitatis Israeliticæ futura erat. Unde non contentus dixisse, *futurum Jehovam in lapidem offensionis plurimis ex utraque domo Israel*, i. ex utroque Regno, addidit, *in laqueum habitatoribus Jerusalem*, quòd isti & duriores fuerunt & magis rebelles, graviùs cæteris adversùs Dominum conjurantes, neque aliud diu noctúque cogitantes quàm quo modo eum perderent: quapropter & graviora eos passos fuisse narrant & Sacræ & profanæ historiæ. ¶ *Offensionis*] Vel *consternationis*. נגף enim propriè sign. quamlibet *consternationem quæ fit cum impetu & impulsione*; de quo infrà 19. ità ut *lapidem plagæ* hic dicere possemus.

15. *Impingent in ea*] Videlicet in *lapidem* & *laqueos*; & *plurimi cadent*, tam qui *in lapidem impegerint*, quàm qui *in laqueum inciderint*. *Frangentur* autem qui *in lapidem*; & *illaqueabuntur* & *capientur* qui *in laqueum*. Per hæc autem significantur gravissima flagitia in quæ prolapsi sunt infideles Judæi cùm noluissent per Christum sanctificari, nec non ingentes calamitates quas experti sunt propter ipsa scelera quæ Dominus etiam significavit in Euangelio quando dicebat quod *qui ex eis impegissent in illum lapidem, ab ipsis reprobatum, à Deo autem electum, confringerentur; super quos autem lapis caderet, comminuerentur*. Et hæc est eorum sors & hereditas qui oblatam per Filium Dei salutem respuunt, & Deo non credunt, & ab eo veluti conjurantes deficiunt. A quorum *via* Deus abstraxit Jesaiam, nè illàc incederet: A qua longè sit anima mea.

16. *Liga testimonium*] Prophetiam hanc de Ruina Judæorum & Reliquiis servandis, cum testimonio illorum testium quos suprà dicit se adhibuisse, jubet Dominus ut *concludat, constringat* atque *obsignet*; sicut Dan. 12. *Claude verba*, i. tege, absconde, ænigmaticè efferas, &c. nimirum significans intelligi non posse nisi ab his qui sunt Divinitus edocti. *Mysterium* hoc *absconditum fuit à seculo*, & *per Apostolos patefactum est*; atque hujus revelationis dicit se Paulus *ministrum* esse. Nam Vocatio Gentium hic includitur. Si enim Judæi repellendi erant, & pauci tantùm servandi, necesse erat aliunde advenirent qui in semine Abrahæ censerentur, ut adimpleretur promissio Domini, *Sic erit semen tuum, sicut arena maris*, &c. Vide Paulum ad Eph. 3. ibique hujus versûs interpretationem invenies. Possunt *testimonium* & *constitutio* seu *doctrina* vel *lex* hic pro eodem accipi, vel *testimonium* ad testes illos referendum est de quibus suprà v. 2. ¶ *In discipulis meis*] Vel *in doctos meos*. למד enim *doctus* seu *assuetus* est, infrà 54. *Omnes filios tuos doctos Jehovæ*, i. à Jehova. Possunt quoque hæc absolutè & genericè accipi pro tota Prophetia & toto Veteri Instrumento; ut sit idem quod suprà, *Excæca cor populi hujus*, i. Excœcandos prædic; *Conclude prophetias, & obsigna legem* seu *testamentum*, i. Scito populo huic obsignatum esse librum, neque intellecturos quid dicas, aut quid Deus velit; *Velamen* enim *super cor eorum positum est*.

17. *Et exspectabo*] Vel *inhiabo*. Hoc propriè sign. verbum חכה. Plùs enim quàm verbum *exspectandi* notat. Hoc verbo utitur Habachuch 2. *Inhiabo ad illum, quoniam veniens veniet, & non tardabit*. Quem locum adducens Paulus ad Hebr. 10. verbum reddidit nomine ὑπομονῆς, quod non simplicem sonat *patientiam quâ toleramus mala*, sed *patientem exspectationem*, ut cùm spe præmii duramus in malis, & nos rebus melioribus servamus. *Sustinentiam* dicere possumus, vel, ut Cicero, *sustentationem*: cujus contrarium est nomen ὑποστολῆς, i. *subtractionis* seu *detractationis*. Ad eandem obedientiam quoque facit verbum קוה, quod *spem cum desiderio & intentione & gestu avide exspectantium* notat ut suprà 5. 2. dictum est. Huc quoque facit illud הנני אנכי, quod Hebræis Obedientiæ est, *adsum, præstò sum ad quodvis paratus*. Propheta ergò Jesaias, ut erat erga Deum valde pius, & in gentem suam haud vulgari studio propensus, audiens à Deo quòd adveniens Dei Filius non universam Israelem servaret, quinimo esset in ruinam plurimorum, intelligénsque vastandam illam Remp. ob infidelitatem Judæorum, ac paucos tantùm salutem consecuturos: vastationísque symbolum esse nomen illud quod filio Dominus præcepisset imponi, H A S B A Z, i. *Acceleratum spolium*, sicut & servandorum alterum illud S E A R J A S U B, i. *Reliquiæ convertentur*, vidénsque velle Dominum hanc Prophetiam manere obscuram, neque intelligendam nisi Apostolorum tempore, in has voces obedientiæ & fidei & ingentis pietatis prorumpit. Quidquid Dominus faciat, *ego ad ipsum inhiabo*, ab ipso pendebo, totúmque me ipsi committam: *qui sicut abscondit faciem suam à domo Jacob*, quasi ipsam detestatus & abomina

minatus; ità me quoque eorum scelere & pœnâ involvi sinere potuisset; servavit autem suâ illâ bonitate: justitiæ igitur in eos qui cadent, & bonitatis in me, quem *forti manu* tenuit, contemplatione suspensus, *intentis oculis in ipsum spectabo*, si fortè aliorum quoque misereatur aliquando, aut mihi aliquid injungat quod dicam; aut faciam; aut patiar.

18. *Ecce ego*] Jam dixi obedientiæ esse vocem, quam passim in Scripturis invenies. Paulus ad Hebræos hæc tanquam verba Christi accipit. Fuit enim Jesaias figura Christi, tam suâ hâc obedientiâ & omnimodâ subjectione, quàm filiis istis. Nam *reliquiæ* illæ quæ *reversæ* sunt aut *conversæ* ad Deum, Apostoli Domini fuerunt & Discipuli ejus, qui ex incendio illò servati sunt in quo cæteri brevi tempore sunt absumpti. Cùm ergò sub Christo Domino & Judæi perierint & pauci fuerint servati, (quæ duo nomina illa filiorum Jesaiæ portendebant) meritò Paulus verba hæc Christo Domino accommodavit; quinimo ea Jesaias in persona obedientissimi Jesu Christi dixisse videtur, qui fecit sicut ei injunctum fuerat à Patre. ¶ *In signa & potenta*] Nomen מופת est à verbo יפה, i. *formosum, venustum, elegans fuit & allexit ad aspiciendum*, &c. Indè nomen, quod nomine *prodigii* seu *portenti* non malè vertitur, contrariâ significatione dicitur, quasi מ sit privativum: יפי enim *venustas* seu *formositas* est. Summam omnium quæ hactenus dixit Jesaias, & omnium ferè quæ dicturus est, illis duobus nominibus filiorum suorum comprehendit. In hoc enim totus Jesaias versatur, ut Abjectionem Judæorum & Salutem reliquiarum, quæ quasi fidei seminarium futuræ erant in universo mundo, exponat. ¶ *Ab Jehova*] Quoties hæc phrasis in Scripturis occurrit, *Dedit mihi Dominus à Domino*; *Fecit Jehova ab Jehova*; *Pluit Jehova ab Jehova*, &c. intellige singularem Dei providentiam super ea re, & opus aliquod magni ponderis quod Dominus singulari consilio occultóque judicio perpetrat. ¶ *Qui habitat in monte Tsion*] Epitheton est Dei in Scripturis: ibi enim & colebatur & suæ præsentiæ signa evidentiora dabat: indè responsa prodibant: erátque Templum illic veluti quædam Dei regia in terra, ut suprà cap. 6. dictum est.

19. *Quærite*] Versus superior & 17. quasi per Parenthesim legendi sunt. Conjungenda ergò sunt hæc cum v. 16. vel *ite sciscitandum*, vel *euntes sciscitamini*: sic enim per duo verba reddendum est unum Hebræum דרש quando construitur cum præpositione אֶל vel לְ, ut hoc loco: de qua eleganti Hebræorum phrasi suprà dictum est cap. 7. ver. 6. ¶ *Pythonibus*] אוב vox est haud dubiè peregrina, & quantum ex locis Scripturæ in quibus reperitur & eorum circumstantiis conjicitur, est *spiritus in sepulcris mortuorum & locis subterraneis qui rogatus voce stridulâ respondet*: deinde etiam ejusmodi Sciscitator, qui talem artem exercet; atque etiam umbras & manes evocat, isto nomine dicitur, sive vir sive femina. Vide infrà 29. Porrò hæc vox אבות Job. 31. *utres* sign. *Ecce venter meus est sicut vinum non apertum; sicut utres novi, ità rumpetur*. Ex quo loco quidam non levi conjecturâ arbitrantur Pythones ab *utribus* dici, quòd qui tali spiritu afflati erant, ore clauso, ex ventre perinde ac si ex utre seu laguncula responsa depromerent: & hinc Græcis ἐγγαστριμύθους, i. *ventriloquos*, esse appellatos existimant. ¶ *Divinos*] Vel *gnostas*. Vox ידענים videtur esse peregrina & à Gentibus assumpta; cujus si etymologiam Hebræam consideraveris, à *scientia* seu *notitia* dicta apparebit, *gnostem* ergò seu *prognostem* appellare licebit: Et, sicut vox præcedens, nunc pro ipso *spiritu qui ex mortuorum locis responsa dabat*, nunc pro *ipsis qui eam artem exercebant*, accipitur. ¶ *Qui strident*] Verbum צפצף, cujus hìc participium habes, videtur formatum à verbo צפה: significátque *ore aperto* seu *rostro liberè clangere* seu *stridere*, sicut Grues, Anseres, Hirundines, Striges, & id genus aves aperto ore liberè sonant, non gementes, ut Columbæ aut Turtures. ¶ *An non populus*] Concisæ sunt orationes more Prophetico. Supplendum est *respondere*, vel quid simile. ¶ *Vos*, inquit, *docti à Domino, vos discipuli Domini, si populares vestri in rebus dubiis & tempore calamitatis, volentes scire quid sibi sit agendum, ad divinos & pythones sibi eundum esse constituerint* (sicut olim Saul fecit) *eos gravissimè increpate, dicentes; Nónne gentes Deos suos consulunt? numquid par est ut pro rebus vivorum mortui consulantur?*

20. *Ad Legem*, &c.] Proficiscimini ad consulendam *Legem & statuta & testimonia* Dei. Tenete, dicite illis, præcepta Dei vestri: Et si obedieritis, non est quid ultrà agere debeatis: ipse enim curam geret vestri, neque vos deseret. Hic locus quid in rerum humanarum difficultatibus agendum sit & quò confugiendum apertè docet. *Pax* enim *multa diligentibus legem Domini, & non est illis scandalum*. Quid si prævideri Jesaias perplexos Judæorum animas, quando à Romanis obsessi extrema malorum experiebantur? aut cùm videntes terram desolatam & populum fame pereuntem aut gladio cæsum, neque id tamen ob infidelitatem sibi evenisse credentes, consulendos sibi esse divinos & magos existimabant? Quasi præcipiat discipulis suis Dominus ut incredulos illos ad hanc doctrinam & Prophetiam Jesaiæ & testimonium, de quo suprà hoc eodem capite dictum est, remitterent, quòd ex hac Prophetia erudiri possent de causis vastationis terræ Sanctæ & calamitate Judæorum; & quid ipsis agendum esset, nempe ut contenderent ad reliquias illas pertinere quæ servandæ prædicuntur. ¶ *Si non dixerint juxta verbum hoc*] i. Quicunque non ità responderit, *huic* profectò *nondum* refulsit *aurora*, adhuc in tenebris agit, neque ad diem pertinet, de quo Paulus, *Nox præcessit, dies appropinquavit*. Numerus pluralis cum relativo singulari distributionem importat Hebræis. Potest & illud *si non* esse Jurantis: & sensus erit, *Dispeream si non juxta verbum hoc dicturi sint illi infideles*; nempe, *Ità sciscitaturi pythones*, &c. *cui dicto nulla lux inest, quinimo densissimæ tenebræ*: vel potiùs, *Dispeream si non dicturi sint juxta verbum hoc*, nempe *quòd non sit illi lux* seu *aurora*, i. quòd nihil lucis à Deo accipiant, ac propterea velint *quærere à pythonibus*: quemadmodum de Saule legimus, quòd *cùm illi non respondisset Dominus per Sacerdotes neque Prophetas, ad pythonissam sese contulerit*. Hoc autem & quæ sequuntur explicant statum illum rerum in Judæa, quando scilicet impegerant Judæi in lapidem Christum. Tunc enim ablata est illis *lux*, & quò se verterent nesciebant: tunc Scripturas habentes ac si non haberent: cœperunt veritatem aliunde quærere. Itaque *quærere à pythonibus* figuratè dictum arbitror, ut scilicet significaret Propheta quàm destituendi verâ scientiâ essent & Scripturarum intelligentiâ post offensionem illam, simúlque insinuaret angustiam animorum in ultima illa vastatione Judææ, quam sequentibus verbis satis apertè describere Propheta videbitur; modò non consulat lector hoc in loco aut similibus eos qui luce destituti sunt & somnia sectantur, nempe Rabinos.

21. *Et transibit per eam*] Relativum est absque antecedente; sed quod facilè lector ex contextu & versu seq. potest supplere. Est enim sermo de *Judæa* cujus habitatores offenderunt ad lapidem: post quam offensionem & luce internâ destituti & Regno externo privati sunt. Quàm horrida autem manserit provincia illa atque deserta, his figuris explicat Propheta. Verùm, si cui durum videatur (ut mihi quoque videtur) hoc antecedens supplere, dicat pronomen *eam* referre *legem*, vel neutraliter, sumptum illud totum quod eis ab electis & Apostolis dicebatur, ut scilicet *consulerent legem & Prophetarum testimonia*: *Per hoc*, inquit, *transibunt*, i. nihil hæc curabunt, sed *indurati* seu *obstinati exsecrabuntur Regem suum*, nempe Messiam, *& Deum suum*, quòd scilicet populum suum ità dereliquerit, &c. ¶ *Et corruet*] Verbum קשה, cujus passivum non legitur, nisi si hoc loco participium, significat *perplexum, implicatum, rigidum esse, ut non facile resolvi aut explicari aut tractari & flecti possit*: indè נקשה *induratus*, i. qui dura patitur. Inquit ergò, *Qui per eam provinciam transierit* (potest enim verti, *Et transiens per eam erit induratus*) ob desolationem & vastitatem *dura patietur*, non hospitia, non ubi pernoctet inveniens: unde etiam *fame laborabit*. Inediâ autem laborantes facilè ad iram excitantur. *Quare viatores illi inhospitalitate & fame exacerbati & irâ succensi probra jacient in Regem & in Deos suos*. Hæc figuratè ingentem vastationem significant. Quod mox apertiùs dicit; Sive *in cælum oculos converterit*, sive *in terram aspexerit*, i. quocunque se vertat qui per Judæam transierit, tristia omnia & afflictione plena reperiet.

22. *Dissolutio*] Ego *advolans*. Vox Hebræa מעוף variè redditur, & quidem verbum עוף non dubium quin *volare* significet. Quidam aiunt significatione contrariâ etiam *defatigationem* significare; quod non probo. Sed ab Avibus transfertur ad *commotionem laterum frequentem, quæ frequenti respiratione fit*; quod quia fatigatis accidit, videtur accipi posse pro *fatigatione*. Quare malui hoc loco propriam significationem retinere, quæ sequentibus congruit. Nam Scriptura more suo idem mox aliis verbis repetit. Idem enim est *angustia & obscuritas advolans* & quod mox sequitur *pressura & caligo irruens*. ¶ *Pressura*] צוקה à verbo צוק, i. *coegit, impulit, compulit, coarctavit, pressit*. ¶ *Persequens*] Vel *irruens*. מנדח participium est secundæ conjug. à verbo נדח, quod *impellere* sign. *Caligo* ergò *impulsa* dicitur quæ seipsam videtur propellere cùm diffunditur.

23. *Non poterit avolare*] Vel *non fiet avolare*; vel *ut avolet*. Sic reddendam vocem מועף existimo, quæ est participium significationis passivæ, tertiæ conjug. à verbo יעף, de quo paulò antè, ut Dan. 9. *factus volare*. ¶ *Effusa est*] Credo מוצק esse participium in tertia à verbo יצק, i. *fudit, effudit*, &c.

Caligò ergò *quæ superfusa est ei terra*, *non fiet ut avolet*, i. non effugabitur, non evanescet, sed perdurabit & perpetua erit. Adhuc enim durat, & in tenebris degunt tam corporalibus quàm spiritalibus. *Velamen* namque *super cor eorum positum est*, & vivunt *absque Regno*, *Rege & Sacerdote*, &c. Quid alii de his vocibus sentiant apud ipsos videbis. Certè interpretationem quam attuli neque ipsi Rabini poterunt infringere, neque etiam Vulgatam, quæ ferè eandem sententiam continet. Hic locus insignis & valde conspicuus est adversùs Judæos, quem eorum Magistri, ut cæci & veritatis hostes, ità detorquent & adeò obscurant, ut quid sentiant, neque qui eos sequuntur ex nostris, vix diligens lector possit percipere. Distinctionem quoque Vulg. Interpretis veram & germanam esse sentio; cujus nolo aliam confirmationem quàm aliorum interpretum angustias & nimis implicatas interpretationes.

D R U S I U S.

1. גִּלָּיוֹן. Eusebius, ἢ τεῦχος, ἢ διφθέρωμα, ἢ κεφαλίδα κατὰ τοὺς λοιποὺς] Τεῦχος, *liber*, *volumen*. Unde *Pentateuchus*, à numero librorum. Sunt autem Genesis, Exodus, Numeri, Leviticus, Deuteronomium. Lex. V. Τεῦχος, *volumen*. ¶ Διφθέρωμα. Interpres *membranam* exponit. Zach. 5. 1. מְגִלָּה. Aq. Th. διφθέρα *membrana*. Sym. κεφαλὶς *volumen*. Autor Herodotus τὰς βίβλους *ab Ionibus priscâ consuetudine* διφθέρας *nominatas fuisse*, *quia*, inquit, *aliquando* ἐν σπάνει βίβλων ἐχρέωντο διφθέρῃσι αἰγέῃσί τε καὶ οἰέῃσι, *in penuria papyri utebantur membranis* (seu *pellibus*) *caprinis & ovinis*: ἔτι δὲ καὶ τὸ κατ' ἐμὲ πολλοὶ τῶν βαρβάρων ἐς τοιαύτας διφθέρας γράφουσι. ¶ Κεφαλὶς alii *caput* sive *capitulum*, ego *volumen* interpretatus sum. Psal. 40. בִּמְגִלַּת סֵפֶר. Lxx ἐν κεφαλίδι βιβλίου *in volumine libri*. Zach. 5. 1. מְגִלָּה. Sym. κεφαλὶς *volumen*. Ezech. 2. κεφαλὶς βιβλίου. Scholion, ἀντὶ τοῦ τόμος, οὕτω γὰρ τὸν τόμον Ἑβραῖοι προσαγορεύουσιν. Ezr. 6. 2. Εὑρέθη ἐν τῇ βάρει τῆς Μήδων πόλεως κεφαλὶς μία, *volumen unum*. Qui locus omnem omnino tollet dubitationem.

4. לִפְנֵי מֶלֶךְ אַשּׁוּר. Aq. εἰς πρόσωπον βασιλέως Ἀσσυρίων, *in faciem Regis Assyriorum*] Euseb. Ἀποδείξ. pag. 205.

9. רֹעוּ. Alius *congregamini*: alius *infirmamini*: alius *confringimini*] *Congregamini*, ità Hieron. *Confringimini*. Santes æmulatus est. Vide, si placet.

12. קֶשֶׁר. Sym. ἄνταρσις *conjuratio*, *rebellio*] *Insurrectio*: q. d. ipsa actio tollendi manus contra aliquem. Dicitur & ἀνταρσία. Lex. V. Ἀνταρσία, *rebellacio*. Ἀντάρτης, *rebellio*, *perduellio*. Hieron. *Noli duorum Regum timere conjurationem*: *sed hoc magis considera*, *quòd omne quod loquitur hic populus adversùm me conjuratio sit*; *& secundùm Symmachum*, *qui interpretatus est* Ἄνταρσις, *in me exstiterit perduellis*.

16. צוֹר תְּעוּדָה חֲתוֹם תּוֹרָה בְּלִמֻּדָי. Aq. ἔνδησον μαρτύριον, σφράγισον νόμον ἐν διδακτοῖς μου. *Illiga testimonium obsigna legem cum iis qui à me edocti sunt*. Sym. δῆσον μαρτύριον, σφράγισον νόμον ἐν τοῖς διατάγμασί μου, *Liga testimonium*, *obsigna legem in editis meis*] *Cum iis qui à me edocti sunt*; vel *cum discipulis meis*: διδακτὸς *doctus*; & διδακτοὶ Θεοῦ, qui & θεοδίδακτοι, *edocti à Deo*.

17. וְחִכִּיתִי לַיהוָה הַמַּסְתִּיר פָּנָיו מִבֵּית יַעֲקֹב וְקִוֵּיתִי לוֹ. Aq. καὶ προσδέξομαι τὸν Θεὸν τὸν ἀποκρύβοντα τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἀπὸ τοῦ οἴκου Ἰακώβ, καὶ ὑπομενῶ αὐτόν, *Et exspectabo Deum qui abscondit faciem suam à domo Jacob*, *& præstolabor ipsum*. Sym. καὶ προσδοκήσω τὸν Κύριον τὸν κρύβοντα τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἀπὸ τοῦ οἴκου Ἰακώβ, καὶ ἀναμενῶ αὐτόν, *sperabo Dominum qui abscondit faciem suam à domo Jacob*, *& exspectabo ipsum*] Προσδέχομαι *exspecto*, i. προσδοκέω. Hoc significatu usurpant aliquoties Euangelistæ. Sed & Lxx ità utuntur Ruth. 1. 13. & alibi. ¶ *Exspectabo ipsum*; vel *manebo ipsum*. Nam ἀναμένω *maneo*, *exspecto*.

IDEM EX PROCOPIO.

1. גִּלָּיוֹן גָּדוֹל. Aq. κεφαλίδα μεγάλην *volumen magnum*. Sym. τεῦχος μέγα *librum magnum*] Procopius, προστάττει τῷ προφήτῃ λαβεῖν τόμον, ἢ τεῦχος, ἢ διφθέρωμα, ἢ κεφαλίδα κατὰ τοὺς λοιπούς. Malim διφθέρωμα. Sign. autem *membranam*, aut *librum pelle sive corio obtectum*. Nam διφθέρα *pellis*. Zach. 5. 1. מְגִלָּה. Aq. Th. διφθέρα. Sym. κεφαλίς. Psal. 40. 7. בִּמְגִלַּת סֵפֶר. Aq. Sym. *in volumine libri*. Jer. 36. 25. χαρτίον. Sed vide sis Fragm. ad h. l. Τὸ διφθέρωμα Theodotionis esse videtur. Interpres *membranam* reddit.

2. אוּרִיָּה הַכֹּהֵן. Aq. Sym. Th. τὸν Οὐρίαν τὸν ἱερέα *Uriam Sacerdotem*.

4. אֶת־חֵיל. τὴν δύναμιν.

5. לֵאמֹר. λέγων *dicens*.

6. מָאַס. Sym. ἀπεδοκίμασαν *reprobarunt*. ¶ הַשִּׁלֹחַ. Aq. Sym. Th. Σιλωὰ *Siloa*] Hier. *Siloe*, i. Σιλωέ. Sic נֹחַ Νῶε. Vulgata Σιλωάμ, cum μ in fine: quæ addita & in Νεφθαλείμ, & aliis quibusdam. ¶ אֶת־רְצִין. Aq. Sym. Th. Ῥασὶν *Rasin*.

8. רֹחַב אַרְצְךָ. Lxx τὸ πλάτος τῆς χώρας σου *latitudinem regionis tuæ*. Οἱ Γ ὁμοίως, *similiter Aq. Sym. Th.* ¶ עִמָּנוּאֵל. Aq. Μεθ' ἡμῶν ἰσχυρός. *Nobiscum Deus fortis*]. In margine Procopiano, ἡ Ἑβραϊκὴ λέξις ἀντὶ τοῦ Μεθ' ἡμῶν ὁ Θεός, Ἐμμανουὴλ περιέχει. Καὶ εὐθὺς ἐν τῷ τέλει πρὸς τῷ λέγεσθαι, Καὶ λόγον ὃν ἂν λαλήσητε οὐ μὴ ἐμμείνῃ ὑμῖν, ὅτι μεθ' ἡμῶν ὁ Θεός, Ἐμμανουὴλ εἴρηται.

10. כִּי עִמָּנוּ אֵל. Aq. Th. ὅτι μεθ' ἡμῶν ὁ ἰσχυρὸς *quoniam nobiscum Deus fortis*.

11. כִּי כֹה אָמַר יְהוָה אֵלַי כְּחֶזְקַת הַיָּד וְיִסְּרֵנִי מִלֶּכֶת בְּדֶרֶךְ הָעָם הַזֶּה לֵאמֹר. Sym. εἶπε Κύριος πρός με ὡς ἐν κράτει τῆς χειρός, καὶ ἀπέστησέν με μὴ πορεύεσθαι τῇ ὁδῷ τοῦ λαοῦ τούτου, λέγων, *Dixit DOMINUS ad me tanquam in forti manu*, *etiam me recedere fecit*, *nè in hujus populi via ambularem dicens*.

12. לֹא־תֹאמְרוּן קֶשֶׁר לְכֹל אֲשֶׁר־יֹאמַר הָעָם הַזֶּה קָשֶׁר. Sym. Οὐκ ἐρεῖτε, Ἄνταρσις· πᾶν ὃ ἐὰν εἴποι ὁ λαός, ἄνταρσις, *Non dicetis*, *Conjuratio*: *quicquid dicit populus hic*, *conjuratio est*] Ἄνταρσις, ipsa actio attollendi manus adversùs aliquem, *insurrectio*. Apud Suidam συνωμοσία exponitur ἀνταρσία. Ἀντάρτης, *qui insurgit adversus regem*. Jer. 11. קֶשֶׁר. Sym. & Hier. *conjuratio*. Aq. Th. σύνδεσμος. Amos 7. 10. Lxx συστροφή. Alibi est συνωμοσία.

13. אֶת־יְהוָה. Aq. Th. τὸν Κύριον. ¶ צְבָאוֹת. Sym. Th. τῶν δυνάμεων *exercituum*.

14. לְאֶבֶן נֶגֶף וּלְצוּר מִכְשׁוֹל לִשְׁנֵי בָתֵּי יִשְׂרָאֵל לְפַח וּלְמוֹקֵשׁ לְיוֹשֵׁב יְרוּשָׁלִָם. Sym. εἰς λίθον προσκόμματος καὶ εἰς πέτραν πτώματος τοῖς δύο [alias δυσὶν] οἴκοις Ἰσραήλ, εἰς παγίδα καὶ εἰς σκάνδαλον τῶν οἰκούντων Ἱερουσαλήμ, *in lapidem offensionis & in petram ruinæ duabus domibus Israel*, *in laqueum & in scandalum habitantium Jerusalem*. Porrò ad textum in margine est, *Aq. Sym. Th.* τοῖς δυσὶν οἴκοις. ¶ וּלְאֶבֶן נֶגֶף, Th. καὶ λίθον προσκόμματος *& in lapidem offendiculi*; וּלְצוּר מִכְשׁוֹל, Aq. καὶ εἰς στερεὸν σκανδάλου *& in solidam rupem scandali*. Th. καὶ εἰς πέτραν πτώματος *& in petram casus*, sive *ruinæ*. לְמוֹקֵשׁ. Aq. εἰς σκῶλον *in offendiculum*. Psal. 69. 22. לְמוֹקֵשׁ, Lxx εἰς σκάνδαλον· Aq. εἰς σκῶλον. Exod. 10. 7. Lxx σκῶλον. Aq. πρόσκομμα. Prov. 18. 7. Aq. Sym. Th. σκῶλον, i. *impedimentum in via occurrens*.

15. וְנוֹקְשׁוּ וְנִלְכָּדוּ. Sym. καὶ παγιδευθήσονται καὶ συλληφθήσονται *& irretientur & capientur*] Hic sequitur in Græca vulgata ἄνθρωποι ἐν ἀσφαλείᾳ ὄντες, quod non legitur apud alios interpretes, nec etiam est in Ebræo.

16. צוֹר תְּעוּדָה חֲתוֹם תּוֹרָה בְּלִמֻּדָי. Aq. Ἔνδησον μαρτύριον, σφράγισαι νόμον ἐν διδακτοῖς μου, *Liga testimonium*, *signa legem in discipulis meis*. Sym. Δῆσον μαρτύριον, σφράγισαι τὸν νόμον ἐν τοῖς διδακτοῖς μου, *Liga testimonium*, *signa legem in discipulis meis*] Verbum è verbo *edoctis meis*.

18. הִנֵּה אָנֹכִי וְהַיְלָדִים אֲשֶׁר נָתַן־לִי יְהוָה לְאֹתוֹת וּלְמוֹפְתִים בְּיִשְׂרָאֵל. Οἱ λοιποί, Ἰδοὺ ἐγὼ καὶ τὰ παιδία, ἃ δέδωκέ μοι ὁ Κύριος εἰς σημεῖα καὶ εἰς τέρατα ἐν Ἰσραήλ, *RELIQUI*, *Ecce ego & pueri quos dedit mihi DOMINUS*, *in signa & prodigia in Israel*] In margine textûs, Θ. Α. ἔδωκέ μοι. Σ. Α. ὁμοίως ὁ. quæ non carent suspicione mendi.

19. יִדְרֹשׁ. Aq. Th. ἐκζητήσει *exquiret*.

21. וְעָבַר בָּהּ נִקְשֶׁה וְרָעֵב וְהָיָה כִי־יִרְעַב וְהִתְקַצַּף וְקִלֵּל בְּמַלְכּוֹ. Sym. καὶ παρελεύσεται ἐξ αὐτοῦ σκανδαλιζόμενος καὶ πεινάσει. ἔσται δὲ ὅταν πεινάσῃ καὶ παροξυνθῇ, καὶ καταράσεται βασιλέα ἑαυτοῦ, *Et transibit ab eo scandalizatus*, *& famebit*: *erit autem cum famuerit & exacerbatus fuerit*, *etiam maledicet Regi suo*. Aq. Th. —— καὶ καταράσεται ἐν τῷ βασιλεῖ αὐτοῦ *& maledicet in Rege suo*.

G R O T I U S.

1. *Sume tibi librum grandem*] Id est, paginam grandem, quæ & convolvi & evolvi possit.

Et scribe in eo stylo hominis] Id est, *scripturâ clarâ*, ut hîc habet Chaldæus, quam facilè quilibet vel eminus legat, ut Abac. 11. 2.

Velociter spolia detrahe, *citò prædare*] Deus nomen filii quem daturus erat Esaiæ, quod longum erat, vult perscribi, nè memoriæ elaberetur. Id nomen est *Mahar-salal Haz-baz*: id est, *festina ad spolium*, *celera ad prædam*. Significat hoc nomen decretum Dei de advocando Sennacheribo.

2. *Adhibui mihi testes fideles*] Matrimonia contrahi coram decem minimùm testibus solebant. At Esaias, ut in negotio maxi-

maximi momenti, inter eos testes duos esse voluit maximæ auctoritatis, Uriam summum Sacerdotem, de quo 2 Reg. XVI. 10. & Zachariam Prophetam 2 Paralipomen. XXVI. 5. eundem fortè qui ex Asaphi posteris fuisse dicitur 2 Paralip. XXIX. 13.

3. *Et accessi ad prophetissam*] Virginem Prophetiæ dono claram mihi in uxorem sumsi, ut Dei mandata quàm magnificentissimè peragerentur.

Et dixit Dominus ad me, Voca nomen ejus] Impone illi id nomen quod te jussi perscribere. Huic quoque rei testes adhibiti iidem qui ad matrimonium.

4. *Auferetur fortitudo Damasci & spolia Samariæ coram rege Assyriorum*] *Fortitudo* hîc opes significat. opes & spolia tum Syriæ, tum Decem tribuum, tanquam tropæa perferentur ad Regem Assyriæ.

6. *Pro eo quòd abjecit populus iste aquas Siloë, quæ vadunt cum silentio, & assumsit magis Rasin & filium Romeliæ*] Per *aquas Siloë lentè euntes* intelligit domum Davidis, viribus humanis tenuem, sed Dei præsidio suffultam, sicut jam in continenti *aquas fluminis*, nempe Euphratis, ità κατ' ἐξοχὴν [*per excellentiam*] dicti, explicat Regem Assyriorum: quia *aquæ sunt populi*, Apoc. XVII. 15. & Reges vim populorum in se continent. Significat hic locus multos Judæos, spretâ domo Davidis, optasse transferri regnum ad Syros & ad Reges Israëlis Syris adhærentes, & horum prosperis gavisos. Id enim sonant Hebræa.

7. 8. *Regem Assyriorum, & omnem gloriam ejus*] *Gloria* hîc more Hebræo potentiam significat.

Et ascendet super omnes rivos ejus, & fluet super universas ripas ejus, & ibit per Judam, inundans & transiens usque ad collum veniet] Perstat in comparatione magni & exundantis fluminis. Sic Pompejum fluvio comparat Lucanus VI.

Sic pleno Padus ore tumens super aggere tutas
Excurrit ripas, & totos concutit agros.
Succubuit siquà tellus, cumulúmque furentem
Undarum non passa ruit, tum flumine toto
Transit, & ignotos aperit sibi gurgite campos.

Horatius IV. 14.

Sic tauriformis volvitur Aufidus,
Qui regna Dauni præfluit Appuli,
Cum sævit, horrendámque cultis
Diluviem meditatur agris:
Ut barbarorum Claudius agmina
Ferrata vasto diruit impetu,
Primósque & extremos metendo
Stravit humum sine clade victor.

8. *Et erit extensio alarum ejus*] *Alas* Hebræi vocant omnes copias, non equestres tantùm, ut Latini, sed & pedestres.

Implens latitudinem terræ tuæ, ô Emmanuel] Nihil aut agrorum aut oppidorum manebit intactum. Puerum alloquitur testem futurorum horum malorum.

9. *Congregamini populi*] Vos Assyrii, eorúmque socii. Est συγχύθητε [*Concessio*].

Et vincimini] Hîc quoque imperativus est pro futuro, ut suprà. *Vincemini* nempe à Deo, qui Sennacheribi exercitum destruet.

10. *Quia nobiscum Deus*] Hîc explicat vim prioris nominis puero dati. *Nobiscum Deus*, id est, Deus adjutor noster. Vide quæ dicta ad finem Matthæi.

11. *Hæc enim ait Dominus ad me, sicut in manu forti erudivit me*] Meliùs, *Cùm in manu forti erudisset me*: id est, cùm animum mihi addidisset suis hortamentis. Nam cum illis *ad me* cohæret quod sequetur, *Dominum exercituum ipsum sanctificate.* Cætera vim habent παρενθέσεως [*interpositionis*].

12. *Non dicatis, Conjuratio*] Supple, *fiat.* Nè dicite cum cæteris, Agè, conjuremus cum hostibus contra Regem nostrum.

Omnia enim quæ loquitur populus iste, conjuratio] In Hebræo: *ad omnia quæ populus iste dicet, Conjuratio.* Id est, quoties populus iste defectionem animo agitat, qualem multi jam hoc ipso tempore ad Syros & Israëlitas moliebantur, suprà 6. & secundùm Hebræos molitus idem est ad Sennacheribum Sobna nominatus infrà XXII. 15. cum hominum CXXX millibus, ut ajunt iidem Hebræi.

Et timorem ejus ne timeatis, neque paveatis] Nolite illorum pavori vosmet addere.

14. *Et erit vobis in sanctificationem*] In Hebræo: *in sanctuarium*, id est, asyli loco.

In lapidem autem offensionis, & in petram scandali duabus domibus Israël] Id est, populo Decem tribuum, & populo Duarum tribuum. Qui in lapidem durum impingit graviter cadit.

In laqueum & ruinam habitantibus in Jerusalem] Non toti civitati, quæ & hoc tempore & sub Sennacheribo servata est, sed multis eorum, ut sequitur, nempe iis qui hostium fidem sequi quàm civitatis fata opperiri potius ducent.

16. *Liga testimonium, signa legem in discipulis meis*] Testificationem hanc obliga, & signa ei impone, & da custodiendam discipulis post te, ut omnino apud posteros certum sit hæc abs te Regi ac populo esse denuntiata. תורה non ubique *legem* sed & διδαχὴν [*doctrinam*] significat: ita idem hîc erit quod *testificatio.*

17. *Et exspectabo Dominum qui abscondit faciem suam à domo Jacob, & præstolabor eum*] Hîc finitis Dei verbis incipit iterum Esaias loqui: quare & hîc est pro *tamen* hoc modo, *Quanquam Deus benevolentiam suam adversus Jacobi posteros abscondit*, id est, factis nondum ostendit, *ego tamen promissis ejus fretus opem ejus patienter opperiar.*

18. *Et pueri mei quos dedit mihi Dominus in signum, & in portentum Israël*] Nempe per nomina ipsis Divinitùs imposita, significationem habentia rerum futurarum.

A Domino exercituum] Pro, *à sese, pro sua voluntate.*

19. *Et cùm dixerint ad vos, Quærite à pythonibus & à divinis qui strident in incantationibus suis: numquid non populus à Deo suo requiret?*] Hucusque sunt verba idololatrarum, *An non æquum est quisque populus suum Deum consulat?*

Pro vivis à mortuis?] In Hebræo, *pro vivis ad mortuos?* Hoc jam est quod illis idololatris responderi vult Deus: *An pro vivis ibitur ad mortuos?* Id verò ideo, quia plerique dii gentium erant Reges pridem mortui, quos alii simpliciter, alii ut in astra relatos venerabantur.

20. *Ad legem magis & ad testimonium*] Teneant se isti meæ testificationi ac doctrinæ. Vox תורה [*doctrina*] hîc iterum sumitur, ut modò.

Quod si non dixerint juxta verbum hoc, non erit eis matutina lux] Si aliter loquentur, omnis prosperitas (hanc *lucis* nomine significant Hebræi, ut jamjam *caligo* ponetur pro *rebus adversis*) ab ipsis longè aberit.

21. *Et transibit per eam*] *Per hanc.* Hoc dixit Propheta digito terram monstrans.

Et maledicet regi suo] Defectiones molietur, de quibus actum est modò.

Et suspiciet sursum] A Deo quem spreverunt nullum auxilium ipsis veniet.

22. *Et ad terram*] Nec ab hominibus.

23. *Et non poterit avolare de angustia sua*] In Hebræo: *Non avolabit qui constrictus fuerit isto tempore.* Meliùs autem hæc verba Græci & Latinus capiti huic attexuêre, quàm Hebræi capiti quod sequetur. Sed in Græcis ἀπορηθήσεται [*in angustiis erit*] scriptum videtur pro ἀπωσθήσεται [*despicietur*].

C A P. IX.

M U N S T E R U S.

2. IN *terra umbra mortis*] Repetitio est prioris sententiæ per alia verba: Intelligitúrque iste locus secundùm Judæos de liberatione Jerosolymitanorum, quando à Sanherib Rege Assyriorum obsidebantur. Christiani verò de eo intelligunt qui dicit, *Ego sum lux mundi.*

3. *Multiplicasti gentem*] Hebræi communiter legunt לא *non* pro לו *ei*: ut sit sensus, Nemo non fuit in tanta multitudine qui non summo affectus fuerit gaudio propter irradiantem lucem.

6. *Puer natus est nobis*] Non multa hîc scribam, cùm verba Prophetæ sint aperta & gratiæ plena. Versipelles tamen Judæi hunc textum sic corrumpunt & legunt, *Et vocavit nomen ejus is qui est admirabilis Consiliarius, Deus fortis & Pater æternitatis, Principem pacis.* Et alius verpus meras blasphemias in Christum nostrum deblaterans, in hunc modum hîc scribit, loquens ad Christianos, ויקרא . לפי דבריכם היה לו לכתוב כן
שמתי : ועוד היאך נקרא שמו של ישו פלא יועץ והלא יהודה מכל
את עצתו : וגם גבור לא היה כיון שנהרג : אבי עד לא היה כי מת
בחצי ימיו וגם שר שלום לא היה כי כל ימיו היה תגר וכאן והלאה
לא נשקט העולם ממלחמות וגם הוא אמר לא באתי לשום שלום
בארץ כי אם חרב : Vides, Lector, technas Judæorum? Possem hîc multa citare loca in quibus verbum קרא impersonaliter accipitur, sicut & hîc à Jonathan passivè per אתקרי exponitur; etiam si priori errori subscribere videatur. Habet enim sic,

Puer

Puer natus est nobis, Filius datus est nobis: & suscipiet legem super se, ut custodiat illam: & vocabitur nomen ejus à præsentia mirificantis consilium, Deo fortissimo, qui manet in secula, Meschia, cujus pax multiplicabitur super nos in diebus ejus. De Mem clauso in dictione למרבה scripto Latini interpretes multa scripserunt. Vide apud illos. Hebræi putant ejus esse ut significet Principatum Judæorum à tempore Captivitatis arctatum & clausum manere usque ad tempus Meschiæ. Sensus itaque catholicus hujus loci est, *Nobis* qui sumus in tenebris & in peccatis *natus est parvulus*, non Rex qui tractet arma, sed Pacificus, qui nos in suum Regnum pacis transferat. *Principatus super humerum ejus:* nos gestamur in humeris ejus. Est servus noster, ut nos simus liberi. Dicitur *mirabilis*, quia Regnum ejus est supra omnem experientiam, quod non sentitur sed creditur; *Consiliarius*, qui per verbum suum nobis in omnibus periculis consulit; *Deus fortis*, defendens nos potenter contra adversarios; *Pater æternitatis*, semper gignens novam sobolem in Ecclesia, &c.

10. *Lateres ceciderunt*] Sic incredulus populus deridebat Dei verbum & comminationes, dicens, Etiamsi ex fato mala quædam incidant, tamen sequentur paulò pòst felicia tempora. Exiguum est damnum illud quod per Syriæ Regem passi sumus, id facilè resarcietur. Sumus enim populus Dei. At Propheta dicit, Non sic erit, sed acriora & graviora sequentur.

18. *Quasi ignis impietas*] i. Impietas quasi ignis ardet in populo illo, à minimo usque ad maximum; & adeò ardet ut quasi in fumum ascendentem redigantur; & ab omnibus circumjacentibus regionibus vanitas eorum cognoscatur. Nec tantùm erga Deum sed contra proximum sunt impii, rapientes bona illius, & devorantes carnem ejus usque ad ossa.

VATABLUS.

1. QUia non erit ei obscuratio, &c. כי לא מועף וגו׳] *Quia non* erit *obtenebratus* [vel *obscuratus*, sive *tenebris circumfusus*] *juxta angustiam*, &c. i. (ut docti inter Hebræos sentiunt) gravior erit ista obscuratio & afflictio Judæorum quàm cùm à Theglath-phalasar aut à Salmanasar afflicti sunt. Prior gravem cladem intulit, posterior longè graviorem, quia Decem Tribus in captivitatem abduxit, & delevit populi nomen. Graviorem igitur omnium cladem hîc prædici putant. Alii diverso sensu vertunt, *Non tamen obscurabitur cui hæc angustia* continget *juxta tempus primum*, &c. consolationem esse existimantes. Incipit enim temperare quæ de horrendis illis tenebris & impulsu dixerat, & pœnarum illarum acerbitatem mitigat; ac si diceret, *Et tamen in atroci illa clade quam sustinebunt Judæi, non erunt tales tenebræ quales cùm terra Israel primùm à Theglath-phalasar, deinde aliquantò duriùs à Salmanasare afflicta est.* Poterant enim alioqui fideles in tantis angustiis deficere, nisi consolatione erigerentur. ¶ *Alleviare fecit* הקל] *Allevavit:* nam terram Zabulon leviùs afflixit Theglath-phalasar cùm populum demigrare fecit, comparatione factâ cum ea demigratione quæ facta fuit à Salmanasar, qui mox *aggravasse* dicitur *Galilæam Gentium*, quòd eam graviùs afflixit, ut dictum est. Quidam vertunt *leviùs afflixit*, & *graviùs afflixit*.

2. *Populus*, &c. העם וגו׳] Ad verb. *Populus ambulantes in tenebris, viderunt*, &c. ¶ *Splenduit super eos*, נגה עליהם] *Affulsit.* Redundat *super eos*.

3. *Non magnificasti* לא הגדלת] *Non auxisti.* Legitur & לו *ei: magnificasti ei lætitiam*, vel *cumulasti ei:* i. reddidisti subinde majorem.

4. *Oneris ejus* סבלו] i. Onerosum. ¶ *Et virgam humeri ejus* ואת מטה שכמו] i. Servitutem ipsorum. ¶ *In eo* בו] *Ejus:* i. vices eorum qui exercebant tyrannidem in eos. ¶ *Secundùm diem* כיום] *Sicut in die quo*, &c.

5. *Nam omnis*, &c. כי כל סאון וגו׳] *Nam omnis pugna pugnantium* fuit *cum impetu, vestesque* fuerunt *inquinatæ sanguine:* ipsa quoque urbs *fuit incensa & absumpta igni.* q. d. Pugna fuit acris, sive pugnatum est acriter, contra ipsos Judæos, nec pugna fuit incruenta: nam tandem ipsi cæsi sunt, & urbs capta fuit & incensa. Alii diverso sensu vertunt, *Omne quidem prælium quod fit per prælantem, fit cum strepitu & volutatione vestimenti in sanguine:* hoc verò bellum *erit per combustionem & devorationem ignis.* vel, *Quanquam omne prælium bellantis fiat cum strepitu & volutatione vestis in sanguine, erit tamen hoc in combustionem & cibum ignis.* Opponit Esaias victoriam quam Deus daturus erat populo aliis victoriis: Alii enim vincunt editâ hostium strage; hic verò Dominus solâ suâ manu vincet. Nam pleniùs exponit quod dixerat, *sicut in die Madian.* Dominus enim multorum operâ non utetur, sed de cœlo sibi victoriam pariet. Quidam vertunt, *Omnis bellator præliatur cum tremore.* vel, *Omne quidem bellum bellantis est cum strepitu.*

6. *Et fuit* ויהי] *Et factus est.* Alii, *& constitutus est.* ¶ *Et vocabit* ויקרא] *Et vocavit*, sub. *Spiritus sanctus.* Alii, *vocatum est*, aut *fuit appellatum.* ¶ *Deus fortis* אל גבור] *Heros fortis.* ¶ *Pater æternitatis* אבי עד] *Pater seculi:* i. autor vitæ æternæ.

7. *Ad multiplicandum principatum* למרבה המשרה] *Ad proferendum imperium.* Alii, *Multitudinis illius principatûs*, &c. vel, *Multiplicitatis*, sive, *Multiplicationis illius*, &c. Alii, *Multiplicationis principatûs & pacis*, &c. ¶ *Ut confirmet* להכין] *Ut stabiliat, fulciat.*

9. *Et in magnitudine cordis* ובגדל לבב] i. In elatione & arrogantia.

10. *Sed levigato* גזית] *Sed secto, exsecto, quadro, cæso.* ¶ *Immutabimus* נחליף] Phrasis Hebraica, pro *cedros in locum earum substituemus.*

11. *Elevabit autem* וישגב] i. Reddet superiores & victores. Alii, *& roborabit.* ¶ *Confundet* יסכסך] *Permiscebit*, sub. *populo ipsius:* i. efficiet ut inimici Regis Syriæ veniant in Damascum, & illic habitent, ac in toto Regno ejus.

12. *Ab Oriente*, &c. מקדם ופלשתים וגו׳] *A fronte, & Philisthæi à tergo:* vel, *Syria erit à priori parte, & Philisthæi à posteriori.* ¶ *Toto ore* בכל פה] i. Avidè & summo affectu, studio & curâ. ¶ *In omni hoc* בכל זאת] Hebraismus, pro *& tamen necdum.* Alii, *Nec hoc toto*, &c. q. d. Necdum tamen resipiscet Israel cùm fuerit ità percussus, & ità nondum conquiescet ira Dei, sed paratus erit percutere.

14. *Excidetque* ויכרת] *Excidet itaque:* vel, *Amputabit igitur.*

16. *Et erunt* ויהיו] Hebraismus, pro *Qui beatum & felicem dicunt ac prædicant populum istum, seducunt illum: & qui ex hoc populo beati dicuntur, absorbebuntur*, i. perdentur ab illis. Alii vertunt, *Qui dirigunt populum istum*, [vel *deducunt*] *errare faciunt illum: & deducti ejus absorbebuntur*, i. absumentur. q. d. Et qui regunt, & qui reguntur, simul peribunt.

17. *Hypocrita* חנף] Sing. Heb. pro plur. *seductores, fallaces, improbi, acceptores personarum.*

18. *Succendetùrque in densitatibus* ותצת בסבכי] *Ardebitque in perplexitatibus.*

19. *Quisque fratri suo* איש אל אחיו] Hebraismus, pro *alter alteri.*

20. *Et retrahet se* ויגזר] Ad verb. *Et separabit se.* vel, *Et excidet.* Præt. Heb. pro fut. Alii, *Et rapiet.* quòd qui excidit, aufert rem de loco suo. ¶ *Et comedet* ויאכל] *Vocabitque:* sic mox: i. neque labore suo neque furto poterit sibi comparare victum. ¶ *Brachii sui comedet* זרועו יאכלו] *Brachii sui vorabit:* i. privabit opibus fratrem & proximum suum. Plur. pro sing.

CASTALIO.

QUanquam quod dico angustiam fore, expugnatis videlicet à Christo Magis falsisque Diis, ea angustia erit deastricolis quidem & impiis perniciosa ad Christi lucem *cæcutientibus*; sed erit electis Christùmque admittentibus salutaris: erit enim doctrina clarior in iis terris in quibus docebit Christus, quàm fuerit ante ejus adventum apud *Zabulonios* & *Nephthalenses*; quæ duæ Tribus doctrinâ claruerunt, quemadmodum apparet ex Jacobi & Mosis novissimis verbis, Gen. 49. & Deut. 33. & ex Deboræ carmine Jud. 5. Sed illorum doctrina levis obscuráque fuit, prout futura est Christi lux illa quâ aliquando Galilæam cæterásque gentes indoctas ità illustrabit ut magnus eorum numerus Christianus fiat. Quæ res *lætitiam*, tanquam præda parta; pariet: quippe Christo de suis hostibus triumphante, suósque in libertatem asserente, ut olim à Gedeone contra *Madianitas* factum est. Sed & Gedeonis & aliorum certamina ferro geruntur; at Christi certamen *igni* geretur Euangelico, quo totus incendetur orbis terrarum. *Nam puer nobis nascitur*, Christus Dei *Filius*, nostrâ causâ mittendus in terras, *qui humero suo*, h. e. suâ potentiâ & autoritate, *principatum gerit: qui vocatur*, h. e. qui est, *Admirabilis Consiliarius*, ideóque consulendus; non magi, aut harioli, aut Zabulonii, & reliqui, si qui docti habentur. *Deus*, ut sit verus EMMANUEL, i. *Nobiscum Deus.* Nam puer iste qui in obsidione Hierosolymæ nascitur, non est Deus, sed hujus Christi Dei significatio. *Potens*, ut intelligatur, ab eo facile superatum iri hostes, ut fuerunt à Gedeone Madianitæ. *Pater æternitatis*, ut speretur ejus Regnum perpetuum. *Princeps pacis*, nè eo regnante bella metuantur. *Qui in Davidis solio regnet æternus*, sed regno Divino, ut erit ipse Deus. Vides, lector, Esaiam ità super

Emma-

Emmanuele vaticinari ut nos sensim ad verum adducat Emmanuelem Christum: quod idem postea à cap. 45. facit in Cyro; ut Ezech. 16. fit transitus à Sodomitanis ad gentes Sodomitanorum similes, & in 20. à simulacricolis Israelitis ad veros Israelitas, & Ezech. 31. & Dan. 4. ab Arbore ad Hominem. Cujusmodi transitus nisi intelligemus, necesse erit nos in magnis erroribus versari. Sed hoc magnopere animadvertendum est quod dicit Esaias, *Puer nobis nascitur.* Nam si *puer* est, homo est; si *nascitur*, ex muliere nascitur, cùm non nisi ex muliere nasci possit homo. Rursum quod dicit, *Deus potens, Pater æternitatis*, ostendit, non esse à viro procreatum. Nam vir mortalis Deum immortalem procreare nequit, ut docet his verbis Sibylla,

Quòd si progenitum est, prorsum interit, éxque virili
Femineoque nequit membro Deus esse creatus.

Atqui si à viro procreatus non est, & tamen natus est, necesse est virgine natum esse, quemadmodum Sibylla dicit,

Accipe Virgo Deum gremio intemerata pudico.

Quòd si ità est, apparet hîc Esaiam de Christo ex virgine gignendo vaticinari. Itaque Matthæus, cùm Christi describeret originem, ritè adduxit hujus de Christo vaticinationis initium, *Ecce puella prægnans.* Nam dum initium vaticinationis adducit, remittit nos ad ipsum Vatem, ut totam hanc vaticinationem consideremus. Non enim hoc sic intelligi debet, Esaiam verbis illis, *Puella prægnans*, Virginis prædixisse partum, sed hâc totâ vaticinatione, cujus initium est, *Ecce puella prægnans.* Nec refert quòd apud Matthæum *virgo* dicitur, non *puella.* Nam sive scripsit Hebraicè (ut tradit in ejus Vita Sophronius) adduxit ipsa Esaiæ verba; sive Græcè (neutrum enim affirmare possum) secutus est in hoc verbo Græcum interpretem, apud quem *virgo* est. Et hoc non ineptè fecit, cùm de vero Emmanuele verba faceret, quem ex Virgine gignendum Esaias non verbo sed re ipsâ & sententiâ prædixisset. Quod autem suprà transtulit *tantâque afficiente lætitiâ*, intellige לא pro לו positum, ut & alibi factum deprehenditur, ut infrà cap. 49.

CLARIUS.

1. S*Icut primo tempore*] Videntur postrema superioris capitis verba conjungi cum istis, sic, *Et non poterit evadere de angustia sua, sicut primo tempore*, &c. Judæi referunt ad tempus cùm terra X Tribuum bis capta fuit, primùm à Theglathphalassar 4 Reg. 15. deinde à Salmanassar 4 Reg. 17. Et ideo dicunt primam transmigrationem *levem*, secundam *gravem* fuisse. Primò enim pars populi translata est in Assyrios, capta *terra Zabulon* & *Nephtalim* cum duabus Tribubus & dimidia ultra Jordanem: posteriori autem tempore, cùm Rex Osee rebellasset, graviùs afflixit totam terram X Tribuum Salmanassar, & Sennacherib quoque Judæam insuper oppressit, nihil relinquens salvum, usque ad maritima loca Magni maris, ubi Tribus Aser, Isachar, Manasses, Ephraim & Dan habitabant, quos omnes in Medos transtulit & Persas. Et addunt Judæi, sub Ezechia *populum sedentem in tenebris* liberatum ab obsidione & exercitu Sennacherib. Neque mirum eos ignorare mysteria quibus *adhuc super cor velamen positum est.* Nos verò autoritate Euangelistæ Matthæi fulti dicimus, Sicut hostes primò paucos avexerunt ex Galilæa, ità & Christus velox spoliator primùm prædicans in Galilæa, in Capernaum & Bethsaida, assumpsit indè seminarium quoddam nascentis Ecclesiæ: Deinde per Apostolos è regione Salmanasar vel Sennacherib, ubi resurrexit, captivos suos ex Judæis & Gentibus revexit. Hoc unum enim captivitatis genus Deum decet. Quòd si ubi legitur *aggravata est* dicas *magis illustrata est*, quod quidam vir eruditissimus vertendum dicebat, & sanè Hebræa dictio id etiam significat, aptiùs ad Prophetiam de Christo quadrabit. ¶ *Via maris*] Describitur tota terra Israel, quæ ad Occidentem habet *mare* Mediterraneum, *transitum* autem *Jordanis* ad Orientem; confinium verò *Gentium* Tyrum & Sidonem & Cæsaream Philippi, quà Gentes attingit ad Septentrionem: Altera autem *Galilæa* est circa Tiberiadem.

3. *Multiplicasti gentem*] Ad literam loquitur ad Assyrium Sennacherib, quòd cum *multa* quidem *gente* venerit, sed iis *non magnificaverit lætitiam*, quando occisis unâ nocte centum octoginta quinque millibus confusus aufugerit. At si mysterium spectes, dicendum mihi videtur, *multiplicatam* esse *gentem* quidem credentium populorum, sed *non* planè *magnifica fuit lætitia*, ob excæcationem Judæorum. Vir tamen eruditus dicebat legendum esse, *Multiplicasti gentem ei, magnificasti lætitiam.* Nam vox Hebræa utrumque significat, ut possit esse & Negatio & Pronomen: & Hebræi etiam consentiunt, ut sit sensus, Nemo fuit in tanta multitudine qui non summo affectus fuerit gaudio propter irradiantem lucem.

4. *Sicut in die Madian*] Habes in libro Judicum hanc historiam, quando Madianitarum exercitus à Gedeone victus est cum paucis. Sic Christi victoria fuit, qui per piscatores & rudes ac ignobiles viros omnem & potentiam & sapientiam mundi subegit.

5. *Quia omnis violenta prædatio*] *Omne*, inquit, *prælium & deprædatio fieri solet non sine magno tumultu & cruentatione vestimentorum: hoc* autem prælium, tam Angeli cum Assyriis, quàm Christi Domini cum adversaria potestate, factum est spiritu oris Dei, & *ignis* Assyriorum corpora redegit in pulverem, & fidelium mentes purgavit, *comburens* omne vitiosum.

6. *Parvulus natus*] Ut homo. ¶ *Filius datus*] Ut Deus. ¶ *Et factus est principatus super humerum ejus*] Super quem tulit crucem. *Propter quod Deus exaltavit illum, & dedit ei nomen super omne nomen.* ¶ *Et vocabitur nomen ejus*] Audi quo pacto olim quidam Hebræus ante Christi adventum fuerit hunc locum interpretatus. Sic enim ait, *Quia Messias Deus & homo futurus est, vocatum est nomen ejus* EMMANUEL, *h. e. Nobiscum Deus; nempe in corpore & carne nostra, quemadmodum Job testatur cap. 19. dicens,* ET EX CARNE MEA VIDEBO DEUM. *Item quia Deus est,* MIRABILIS CONSILIARIUS *dicitur: excogitavit enim mirabile consilium salvandi omnes animas, quæ propter Adæ peccatum condemnatæ sunt: nec possunt ullo pacto servari nisi Rex Messias mortem acerbissimam multáque tormenta subeat. Iccirco dictus est* VIR. *Et quia ipsius est omnis fortitudo,* DEUS FORTIS *vocatur. Item quia est æternus,* PATER SEMPITERNUS *dicitur. Item quia in diebus ejus pax multiplicabitur,* PRINCEPS *ac* PAX *appellatur. Et quia ipse festinabit ut auferat animarum spolia quæ in inferno torquentur, vocatur* EXPEDITUS SPOLIATOR, FESTINUS PRÆDATOR. *Quia autem eos servabit & ad paradisum adducet, vocabitur* JESUS, *quod idem est quod* SERVATOR. Hæc ille. Judæi autem, ut adulterent sensum, legunt *& vocavit*, & exponunt, *Admirabilis, consiliarius, Deus fortis, Pater futuri seculi, vocavit Principem pacis.* Sed manifestus est dolus: Nam dictionem Hebræam aliàs ferè ubique impersonaliter exponunt *vocabitur*, vel subintelligunt *unusquisque vocabit.* Lxx autem ante alia ponunt nomen *Angeli magni consilii*; quod apud Hebræos non habetur. Et nota Christum & hîc & Jer. 33. & aliis locis *Deum* dici. Prioribus autem quatuor illis nominibus Potentia & Sapientia Dei indicatur, duobus sequentibus Bonitas & Misericordia.

7. *In judicio & justitia*] Nam Christus judicat inter nos & hostes; & quod judicat, justè exsequitur.

8. *Verbum misit*] Pergit loqui contra X Tribus, dicens, Sæpius Deum misisse Prophetas qui eos officii sui admonerent, alioqui mala super eos ventura: at illi increduli deridebant Dei verbum & comminationes, & dicebant, *Lateres ceciderunt, sed quadris lapidibus ædificabimus*, h. e. Etiam si ex fato mala quædam incidunt, tamen sequentur paulò pòst felicia tempora.

11. *Hostes Rasim*] Ut desinant favere Regibus Syriæ, docet & eos conterendos.

14. *Ramum & juncum*] Vel, *validum & debilem.*

18. *Succensa est enim quasi ignis impietas*] *Impietas*, inquit, *quasi ignis ardet* in populo illo, à minimo usque ad maximum, & adeò ardet ut quasi in fumum ascendentem redigantur, & ab omnibus circumjacentibus regionibus vanitas eorum agnoscatur. Nec tantùm erga Deum sed & contra proximum sunt impii, rapientes bona illius & *devorantes carnem* ejus usque ad ossa, &c.

FORERIUS.

1. H*Ebræi legunt* כעת, i. *sicut tempore*, vel *secundum tempus.* Vulg. בעת; i. *in tempore.* Est autem facilis mutatio ב in כ, & contra: sed sensus valde diversus esse videtur. Judæi ergò sub illâ distinctione & mutato Beth in Caph locum hunc ità obscurarunt ut qui Commentarios eorum legerit nequaquam ex eis quid sibi hoc loco Propheta velit possit unquam intelligere. In eodémque luto hærent nostri qui hanc illorum impietatem non perceperunt. Cùm enim nullus sit locus in Prophetis qui apertiùs vocationem Discipulorum Domini denunciet quàm hic, ut apud Matthæum videre potes, impii illi, ut tenebras nobis offunderent, & ut locum quem Matthæus adducit penitus enervarent, inventum hoc distinctionis excogitarunt, ut cùm hæc pertinere ad captivitatem

Babylonicam dicerent, & tria tempora & tres captivitates hîc commemorarent, cásque inter se conferrent, quod sequitur de *populo qui ambulabat in tenebris* quò referendum esset incertum remaneret. Nos tamen Matthæi auctoritate & antiquâ Hieronymi versione suffulti, posthabitis Judæorum commentis, servatâ tamen Hebræi sermonis proprietate, locum multò aliter tibi, Christiane Lector, & interpretabimur, & omnino ità interpretandum esse ostendemus. ¶ *Primo tempore*] *In primo tempore* dicendum foret ni Latinus sermo præpositionem hanc superfluam duceret, ut apud Vulg. vides, apud quem quoque distinctionem habes multò à Judæorum distinctione diversam. ¶ *Alleviata est*] i. Vilis fuit, nullius existimationis & pretii. Quam acceptionem verbi קלל non possunt Judæi negare, cùm infinita habeat exempla. Significat autem verbum ipsum *alleviari* vel *pondere*, vel *divitiis*, vel *honore & existimatione*; & opponitur verbo כבד, de quo paulò pòst. Et, ut jam non semel admonui, Hebræis verba in tertia conjug. si non sequatur casus, neutraliter, ut in prima, accipi solent. Et, ut videas, Lector Christiane, quàm hoc loco Judæi cæcutiant, dic proferant tibi vel unum locum in quo verbum קלל significet *levius puniri*, vel *leviter opprimi* seu *affligi*. Quòd si dicant *alleviatam*, i. *habitatoribus & bonis spoliatam*, cùm huic opponatur quod mox sequitur, *aggravata est*, non *gravius oppressam*, sed *hominibus & bonis refertam* significabit: quod tamen secundùm fictiones illorum non succedit. Si verò cum Rabinis legamus כ & non ב, hæc non conjungemus præcedentibus, sed cum Vulgato exordiemur hoc pacto, *Juxta priora tempora vilis fuit terra Zabulon*, &c. *at novissimo* &c. ut idem omnino sit sensus ac si esset Beth. ¶ *Aggravata est*] De כבד idem sentiendum est: superiori enim opponitur, & *gravem esse* vel *pondere*, vel *dignitate & honore*, seu *divitiis* significat: à quo nomen illud frequentissimum in Scripturis כבוד, i. *gloria*, *splendor*, *claritas*, &c. Rectè igitur, quamvis sit in tertia, redditur verbo *honorandi* seu *illustrandi*. Porrò cùm superiori capite Propheta explicasset *plurimos ex Israelitis*, *ex utraque domo Israelis*, *perituros*, & tantùm quibusdam futurum Christum *Dominum in sanctificationem*, nempe *discipulis Domini*, quorum esset intelligere *legem* Domini, & omnem impiam doctrinam explodere, utpote quibus inprimis orta esset *lux* cœlestis, & quos Spiritu S. Dominus erudíturus esset; jam Propheta dignum judicavit ut ostenderet quinam isti essent, & quonam pacto, aliis in cæcitate & *tenebris* permanentibus, istis *orta fuerit lux*. Quibus de mysterio Christi plurima annectit. *Olim*, inquit, *Zabulonitæ & Nephthalinitæ* totúsque ille *Galilææ* tractus, usque ad Tyrum, *viles fuerunt*, non gloriâ rei militaris, non nobilitate sanguinis, non scientiâ aut artibus ullis clari, omnésque Galilæi contemptibiles erant (unde illud, *Num tu Galilæus es? Scrutare Scripturas, & vide quod à Galilæa Propheta non surgit*: & illud, *A Galilæa potest aliquid boni esse?*) *At novissimis temporibus* regio illa illustrata fuit præsentiâ, habitatione, consuetudine, doctrinâ & miraculis Domini, præsertim *via maris*, i. quâ versùs mare Galilæa itur: qui tractus vulgò dicebatur *trans Jordanem* seu *Galilæa gentium*; in qua multi Gentiles mìsti Judæis degebant, vel quæ Gentes attingebat. *Galil* enim nomen proprium regionis esse potest, & nomen appellativum. Bona autem Discipulorum pars ex illis locis erat, de quibus Psalmista, *Principes Zabulon*, *& principes Nephthalim*, &c. ut alibi latiùs explicabimus. Jam quod sequitur ità hanc interpretationem confirmat ut nihil obstare posse videatur quò minùs eam amplectatur Christianus lector nisi nimia (si nimia dici potest) Prophetæ cum Euangelio concinnitas atque concordia. Interim tamen admonendum lectorem judicavi, ne miretur quòd cùm nomen *terra* sit femininum, hic verba sint masculina: nam non pro Elemento ponitur sed pro Habitatoribus, ac si diceret, *Zabulon*, & *Nephthalim*, &c. Quòd si quis contendat propter ה in nomine ארץ verba ad *Deum* esse referenda, non prohibeo, modo in prædicta significatione ea accipiat, q. d. *vilem reputavit terram*: se erga illam tanquam erga vilem gessit, &c.

2. *Populus qui ambulabat*, &c.] Est expositio ejus quod dixerat: nam explicat quo pacto honoraverit gentem vilem. ¶ *Umbra mortis*] Unica dictio est Hebræis composita ex צל *umbra* & מות *mors*; dicitúrque de illa *umbrâ quâ oculi morientium occupantur*; quæ equidem tristissima est, & porta ad mortem & inferos. *Ambulare* autem seu *habitare in umbra mortis* est, In maximis vitæ periculis versari, in quibus de vita solent homines desperare. Huc certè respexit pater Joannis Baptistæ, *Visitavit nos oriens ex alto*, *illuminare iis qui in tenebris & umbra mortis sedent*. Hinc quoque ad Animum transfertur; sicut & *tenebræ* pro *peccatis* & peccatorum effectibus, *ignorantia*, *tristitia*, &c. hæc enim cum Morte ipsa magnam habent cognationem. Super Galilæos igitur piscatores, super ignotos & nullius nominis homines & obscuro loco natos, super peccatores & publicanos, & omnium novissimos, &c. *resplenduit lux* cœli: & *Illis datum est nosse mysterium Regni Dei*, &c.

3. *Multiplicasti gentem*] Non toti populo illuxisse ostendit. *Multiplicasti*, inquit, *gentem* Judæorum juxta generationem carnis; sed *in pluribus eorum non fuit beneplacitum Deo* neque omnium sed paucissimorum fuit *gaudium*. Quibus quidem *orta est lux*, *gavisi sunt & exsultaverunt gaudio inenarrabili*, ut inquit Petrus. Propheta verò *lætitiam* comparat gaudio *Messorum* & Militum *quando post victoriam spolia dividunt*. In Discipulis enim, teste Domino, *verum fuit verbum quod dicebatur*, *Alius est qui seminat*, *& alius est qui metit. Alii laboraverunt*, *& ipsi in labores aliorum intraverunt: ut qui seminat simul gaudeat*, *& qui metit. Et qui metit mercedem accipit & congregat fructum*, &c. Joan. 4. Et illis iterum dictum est, *Messis quidem multa*, *operarii autem pauci*. Et Paulus *gaudium & coronam suam* vocabat discipulos suos. Quòd si victorum exsultationem velis videre, lege Psal. *Omnes gentes*, *plaudite manibus*, &c. *Subjecit populos nobis*, *& gentes*, &c. ¶ *Quando dividunt*] Vel *in divisione*. Hebræis infinitivus est cum affixo pronomine, q. d. *in suo dividere spolium*.

4. *Jugum enim oneris*, &c.] Hæc est præcipua lætitiæ ratio, quòd confregerint inimici potentiam, & regnum ejus & tyrannidem everterint. Jugum quod suis imponit Diabolus gravissimum est, & totum ejus imperium (quod per *baculum* & *sceptrum* significatur) acerbum & importabile. Dominus autem JESUS tum per se tum per suos totum ejus imperium dejecit; Principem ejecit de mundo, & de eo planè triumphavit, ut non habeat potestatem nisi in eos qui volunt sese illi subdere. Consuevit Scriptura cùm de Regno agit hæc duo nomina *baculum* & *sceptrum* connectere, ut pro eodem accipi videantur. Consuetudo autem fuit Regibus sceptrum gestare seu baculum. Hîc verò dicitur *baculus humeri*, vel quia dum gestatur in manu humero applicatur, vel *humerus* ad subditos est referendus: pondera enim humeris sustinentur: q. d. Imperium grave, quod humeris sustinebant, abstulisti. Hebræa vox עֹל vel à verbo עלה, ut quidam volunt, i. *ascendit*, quòd jugum cervicibus jumentorum superinducatur, vel potiùs ab עול, quod *injuriâ afficere* vel *defraudare*, *dehonestare*, &c. quasi significet *servitutem*, *disciplinam* seu *castigationem severiorem*, *quâ vel jumenta vel homines cohibentur & coërcentur continenturque in officio*. ¶ *Virgam*] A verbo נטה, quod *extendere* seu *protendere* sign. venit nomen מטה *baculus*, cui innitimur, vel quem extendimus aliquid indicando. *Virgam* solent vertere: & accipitur per Synecdochen pro *familia illius baculi in quo nomen ipsius scriptum erat*. Et ut XII fuerunt baculi, ità secundùm illos erant & XII familiæ filiorum Israel. Transtulit autem Hieronymus, & post ipsum cæteri, *tribum*, Romano nimirum & gentili vocabulo. Vide Num. 27. unde hæc acceptio originem habuit. Figuratè autem pro *Regno*, ut jam dixi, accipi solet, à consuetudine gestandi sceptri, vel à Pastoribus. ¶ *Humeri*] Vox Hebræa appellationem habet à *surgendo*, quòd sit pars corporis erectior & sublimior. ¶ *Exactoris ejus*] Heb. בו *sceptrum exactoris cum ipso*, scilicet exactore, *prostravisti*. Vulg. sensum reddidit: nam potest & sic verti, *sceptrum*, seu *virgam*, *quâ adigebat*, ut נגש sit participium, & illud ב sit instrumentale. ¶ *Sceptrum*] שבט, i. *baculus*, seu *virga quæ nascitur ex arbore*, seu *radice arboris*. Est ergò idem quod מטה: sed ratione appellationis differunt: & figuratè etiam accipitur pro *tribu* seu *familia*, quòd ex arbore seu stirpe orta sit, i. patre. Unde XII Tribus *baculi* sunt dicti, quòd ex uno patre Jacobo nati sunt, ut Gen. 49. Utrumque quoque pro *sceptro*, i. regimine seu Regno, figuratè accipitur. ¶ *Prostravisti*] Verbum חתת hoc propriè sign. ut suprà dictum est 8. 9. hîc in tertia activè accipitur, ut Jer. 49. *Prosternam Elam coram inimicis suis*. Sunt qui hæc de libertate à Lege intelligant; alii, ab oppressione quâ premebantur primi illi Christiani à Judæis. Sed ego malim intelligere de libertate ex potestate tenebrarum & peccati, quæ fuit lætitiæ ratio tam primis illis à Deo illuminatis, quàm eis qui per eos vocati sunt, ut ambularent in lumine Domini. Et illa relativa populum referre existimo: *Jugum grave seu onerosum ejus populi*, *& baculum quo premebatur*, *& virgam quâ adigebatur*, *prostrasti* seu *dejecisti*. ¶ *Sicut in die*] Vel *secundum diem*, *Madian*. Non minùs inaudita, inquit, erit & inspetata victoria quàm fuit illa quâ Madianitæ à

Gedeone

Gedeone victi sunt, quando paucissimi & inermes tubis & lampadibus infinitam hostium multitudinem fuderunt. Sic paucissimi Discipuli Domini prædicatione & sanctitate ac miraculorum splendore imperium Diaboli prostraverunt. De quo exercitu & nova vincendi ratione, non sine allusione ad Gedeonis victoriam, canit versus ille Davidicus juxta lectionem Hebraicam, *Tecum principes in die exercitus tui, in splendoribus sanctitatum, ex utero auroræ tibi ros juventutis tuæ*, &c. Lege Pauli Epistolas, & genus armorum, Crucem, Euangelium & Virtutem esse intelliges; Christum autem in Apostolis Victorem orbis.

5. *Violenta prædatio*] Ego *conculcatio conculcantis.* Quòd verbo סאן, cujus non legitur nisi hic participium, hanc significationem tribuam, facit nomen רעש cum quo jungitur, quod *commotionem* sign. *quæ fragorem edit*: deinde quòd in Chaldæo *calceos* etiam nomen sign. à *calcando* dictos, habet quoque cognationem cum verbo אוס *conculcavit, proculcavit, stragem fecit*, & cum nomine אסון, quod ab eodem verbo, literis transpositis, *stragem* seu *violentiam* sign. *Conculcationem* ergò *militum in prælio* accipe pro ipsis *conculcatoribus*; sicut in posteriori membro *vestes sanguine conspersas* pro *militibus ferocibus & sanguinis sitientibus*: ut sensus sit, *Omnes conculcatores, qui proculcant & stragem edunt cum commotione & strepitu, omnes sanguinarii milites, qui occisorum sanguine conspersa arma & vestes gerunt, cedent igni Divino.* Quis autem sit iste Ignis facilè ex Euangelio est intelligere. Descendit enim in Discipulos Domini ignis de cœlo. Nulla, inquit, erit vis, nulla ferocia, nulla barbaries ac crudelitas quæ stare possit ante ignem illum quem missurus veniet Dominus in terram. Crediderim ego typum hujus Christi victoriæ, nempe occisionem illam exercitûs Senacherib, de qua non rarò in sequentibus fit mentio, imposuisse multis scriptoribus, ut non intelligerent locum hunc. Neque mihi placet interpretatio eorum qui hic multa supplent. Id certè faciunt quia quò tenderet Prophetia non pressiùs consideraverunt. Vulgatus itaque rectè vertit si sensum spectes. Jam quæ sequuntur, nostræ expositioni favent.

6. *Puer enim natus est nobis*, &c.] Aperit bonorum omnium quæ dixerat fontem atque originem, nempe Incarnationem Domini. Hinc *lux*, hinc *messis* & *victoria*, hinc *dejectio tyrannidis*, & *ignis* ille cui omnis vis cessura erat. Nam *qui Filium suum dedit, quid non cum illo nobis donaret?* ¶ *Erit imperium super humerum ejus*] Potest reddi, *super cujus humerum imperium erit*, i. qui quamvis sit puer, habet tamen humeros aptos ad imperium sustinendum: nam dignus erit qui vocetur *Admirabilis*, &c. ¶ *Et vocabitur*] Juxta puncta quæ nunc habent Biblia dicendum esset *& vocabit*: quod certè Rabini fecerunt ut locum hunc enervarent: legunt enim, *& admirabilis & consiliarius Deus*, &c. *vocabit eum Principem pacis*; nè scilicet ex his nominibus cogerentur fateri quòd Messias esset Deus. Sed quòd tertiæ personæ accipiantur sæpius impersonaliter seu passivè, neque ipsi negare possunt; ut Gen. 16. *Vocabitur nomen puteo*, &c. Lev. 13. *Immundus, immundus vocabitur.* Deut. 15. *Quoniam vocabitur remissio Jehovæ.* Psal. 49. *Vocabuntur nominibus suis super terram*, &c. Adde quòd eædem literæ sunt vocis activæ & passivæ יקרא aliis atque aliis punctis. Atque ità planus erit locus ille Exo. 34. ubi vulgatus, *Stetit Moses cum eo, invocans nomen Domini*, ויקרא בשם יהוה, *& vocatum est in nomine Jehova, & transivit Jehova ante faciem ejus, & vocatum est, Jehova, Jehova, Deus misericors*, i. sonuit hæc vox *Jehova, Jehova*, &c. neque enim sunt voces Mosis, sicut ex cap. 33. ejusdem libri manifestum est. ¶ *Admirabilis*] Est nomen à verbo פלא, quòd non solùm sign. *admirabile* vel *admiratione dignum esse*, sed etiam *arduum, difficile* ac *impossibile*; ut Gen. 18. & Jer. 32. ubi Vulg. reddidit. *Non Deo difficile omne verbum:* quod Lucas dixit eisdem verbis. Quare nomen פלא juxta verbi sui significationem non solùm videtur significare *admirabilem* vel *admiratione dignum*, sed etiam *mirificum* vel *miraculorum patratorem*: & videtur hoc loco esse adjectivum nominis *Consiliarii*, quòd appellandus esset *Consiliarius admirabilis*, cujus videlicet consilia essent supra naturam & humanum captum atque rationem. Atque ità quoque conjungendæ videntur & combinandæ voces quæ sequuntur. ¶ *Deus fortis*] Seu *prævalidus*, *qui cæteris virtute præstat.* Familiare enim est Scripturæ Deum cum cæteris fictitiis diis conferre; *Magnus super omnes Deos. Quis similis tui in diis, Domine? Omnes dii Gentium, dæmonia: Dominus autem cœlos fecit*, &c. Alias גבור *heroem, gigantem*, & *qui cæteros antecellit* significat. ¶ *Pater futuri seculi*] Vel *Pater æternitatis*: quòd עד interdum *tempus determinatum*, ut *seculum*, interdum verò *æternitatem* significet, non est cur dubitetur. Dei autem Filius homo factus æternitatis nobis aditum devictâ Morte reseravit, & factus est nobis *resurrectio & vita*, ut *non moreremur in æternum. Pater* autem more Hebræo auctor cujuscunque rei dicitur. ¶ *Princeps pacis*] שלום omnimodam prosperitatem designat Hebræis, & non pacem tantùm. *Principem* ergò *pacis* intellige Pacificum, Felicem, Cui omnia ex voto cedunt; Benéque fortunatum, ut aiunt. Non tamen negandum est quin aliquando opponatur Gladio & Bello, ut Num. 25. Eccles. 3. Sic & Dominus Matth. 10. *Non veni pacem mittere, sed gladium:* quæ verba Lucas 12. exponens, pro *gladio* reddidit propriè *separationem.* Et Paulus Ephes. 2. explicat *pacis* significationem, *Vos*, inquiens, *qui quondam eratis longinqui, propinqui facti estis per sanguinem Christi. Ipse enim est pax nostra, qui fecit ex utrisque unum, & interstitium maceriæ diruit, simultatem per carnem suam, legem mandatorum in decretis sitam abrogans, ut duos conderet in semetipso in unum novum hominem, faciens pacem, & ut reconciliaret ambos in uno corpore Deo per crucem, peremptâ inimicitiâ per eam. Et veniens euangelizavit pacem vobis qui procul aberatis, & his qui propè*; &c. Est igitur *pax* etiam, ut definit ipse Paulus, Hebræis Duorum inter se dissidentium reintegratio seu reconciliatio: & ità hìc quoque accipi potest.

7. *Multiplicabitur*] Vel *ad multiplicandum.* Hic scribitur Mem finale seu clausum pro aperto, ubi Judæi sua afferunt somnia. Ego nihil mysterii subesse credo, & potiùs deridendos quàm audiendos Cabalistas existimo. Scribæ lapsus esse videtur. Est autem מרבה participium, & videtur accipiendum pro infinitivo, vel pro nomine, *ad multiplicationem* seu *propagationem imperii & pacis*, quod præcedentibus connecti potest, *Princeps pacis.* q. d. *Vocabitur Auctor pacis: nam ad multiplicandum suum imperium & pacem nullus erit finis.* Imperium enim suum summa cum pace propagare studebit, ut neque imperii neque pacis ullus sit finis. Est enim Regnum Christi Regnum omnium seculorum, & Regnum quod non auferetur: quod non bello, ut Regna mundi, sed pace & dilectione propagatum fuit. Et quamdiu stabit Regnum Christi, tamdiu stabilis erit pax illa quam Deus suis testamento reliquit, & quam mundus ignorat. *Multiplicabit* autem *principatum & pacem.* ¶ *Super solium David*] *Erit Princeps pacis, qui Principatum & pacem multiplicabit super thronum & super Regnum David*, i. præsidens & regnans in domo David. Id quod Angelus ad Mariam dicebat; *Regnabit in domo Jacob in æternum: & Regni ejus non erit finis.* A Jacob enim & Jerusalem exivit verbum Euangelii, & per posteros Jacob Regnum Christi propagatum est. ¶ *In judicio & justitia*] Nutare & quasi omnino prolabi videbatur Regnum David jam indè à captivitate Babylonica; in Herode autem prorsus corruere & interire visum est: Christus autem Dominus Filius David secundùm carnem, factus Rex, Regnum David confirmavit & in perpetuum stabilivit; non expeditionibus aut vi ullâ, sed *judicio & justitiâ*, quod suprà expositum est, *Tcion in judicio redimetur, & captivitas ejus in justitia*, cap. 1. 27. ¶ *Zelus*] קנאה, Græcis ζῆλος seu ζηλοτυπία, Latinè *æmulatio*, i. studium seu passio animi ex eo proveniens quòd quis timeat nè habeat alter quod cum nemine sibi velit esse commune. Et Paulus reddidit duabus vocibus ut pleniùs exprimeret vocis significationem, Rom. 13. *Non in contentione & æmulatione*, i. contentiosâ æmulatione: item Phil. 1. *Per invidiam & contentionem*, i. invidiosam contentionem. Cæterùm quia passio hæc ex amore oritur, interdum pro ipso *amore* videtur accipi, ut Cant. 5, &c. Quia verò hunc affectum consequitur indignatio, interdum pro ipsa *indignatione* videtur accipi, ut infrà 42. Sæpius autem in propria significatione, ut Prov. 6, & 14, &c. Igitur hoc loco pro ipsa *dilectione* aut etiam in propria significatione accipi potest. Nam zelatus est Dominus populum suum & Regnum David, & quòd ad extraneos devolveretur doluit; ipse ergò requirere voluit oves suas, & Pastor esse voluit, justus, & justificans eos, & à servitute peccati asserens Israelitas suos, non ex operibus justitiæ, sed quia ipse voluit. ¶ *Faciet hoc*] Ad ea omnia quæ præcesserunt referendum est, vel potiùs ad Incarnationis mysterium. *Sic enim Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret:* in quibus verbis fortè Euangelista, imò ipse Dominus, ad locum hunc Jesaiæ respexit, Joan. 3.

8. *Verbum misit*, &c.] Exordium est novæ Prophetiæ adversùs Regnum Israel, ejus vastationem denunciantis, quam suprà non semel tetigerat, sed propter Jehudam omiserat. Nomen autem דבר initio dictionis Hebræis idem interdum est quod Latinis *hoc, hæc res. Hoc*, inquit Jesaias, hæc Prophetia, *à Domino dirigitur in Jacob, & certè eveniet ipsi Israeli.* Neque est habenda

 ratio

ratio temporum hoc loco, sicut sæpe aliàs. Accipe etiam pro eodem *Jacob* & *Israel*.

9. *Et sciet omnis populus*, &c.] Ironia est quâ utimur in eos quos punimus, præsertim in superbos & contumaces. Sicut si filius consuevit dicere, *Nihil timeo patrem*, cùm eum pater verberat, dicit, *Scies deinceps dicere, Nihil patrem timeo*, significans nimirum audacter ac temere ea verba jactitasse filium: q. d. *Scies posthac quàm imprudens fueris; nunc intelliges quantùm erraveris*, &c. Cùm igitur Israelitæ superbi admodum essent, & præ elatione animi eas voces jactarent quas exprimit Propheta v. 10. inquit Jesaias, *Omnino ita futurum est ut Dominus dixit ad me*, *Vastandos scilicet Israelitas: & scient dicere in* (vel *cum*) *elatione cordis*, &c. intelligent quàm impudenter omnes ruinas & incommoda quæ sibi accidissent posse se restaurare gloriarentur.

10. *Lateres ceciderunt*] *Ceciderunt*, inquiunt, quasi nolint fateri diruta ab hoste ædificia. ¶ *Et quadris lapidibus*] Nomen est Hebræis cujus usus est in singulari, à verbo גז, quod *vellere* sign. seu *detondere*: significat ergò illam *lapidum durorum elegantem dedolationem* sive *lævigationem*. Vulg. sensum doctè vertit *quadris lapidibus*, scilicet politis & lævigatis. ¶ *Sycomori*] Vel *Sycamini*. Legitur hoc nomen pluraliter tantùm, propter multitudinem & copiam earum arborum. Habent autem nomen ab *altitudine* & *proceritate*. Viles porrò sunt & nullius ferè pretii: contrà verò *Cedri* in pretio erant. Unde 1 Reg. 10. *Dedit Rex argentum in Jerusalem quasi lapides, & cedros veluti sycomoros quæ in campestribus sunt in copia*. Luc. 17. συκάμινον appellavit, & 19. συκομωραίαν, si eadem sit: nam Hebræi quoque formâ femininâ efferunt שקמות Psal. 27. Videntur autem proverbiales loquendi formæ.

11. *Et elevabit*, &c.] שגב, si locos consideres in quibus legitur hoc verbum, significat *altiorem esse quàm ut transcendi aut capi possit*: In secunda autem activum est. *Exaltare* itaque *hostes* est superiores seu potentiores reddere. ¶ *Super eum*] Non *super Resin*, ut multi putarunt, sed *super ipsum populum Israel & habitatorem Samariæ*. Illi enim ipsi Assyrii qui conducti ab Ahaz venerunt contra Regem Syriæ, ipsumque occiderunt, illi, inquam, ipsi venerunt contra Israel, & in captivitatem abduxerunt. Vide librum Regum. ¶ *In tumultum vertet*] Vel *condensabit*, vel *conglomerabit*. Nam סכסך est *instar veprium commiscere*. Repetendum est autem illud *super eum*, ut scilicet conglomerati ipsum adoriantur, vel quòd eodem tempore ex diversis partibus eum adoriantur: quod seq. versu mox exponit.

12. *Syrus*] ARAM nunc *Syrum* nunc *Syriam* bene vertas. ¶ *A fronte*] Seu *anteriore parte*. Adjacet enim Palæstinæ Syria ab Oriente: ideo Vulg. non malè *ab Oriente* vertit. *Philistini* autem *à tergo* & *ab Occidentali parte*. ¶ *Toto ore*] Sumpta Metaphora à devorantibus animalibus, cùm vehementi cibi desiderio tenentur. ¶ *In omnibus his*] Heb. *& in omni hoc*. *Et nè sic quidem quievit Dominus, neque iræ suæ satisfecit, sed adhuc iterum percutere paratus est*. Existimo autem hunc Hebraismum non per *in* reddendum sed per *cum*, sicut & nos Hispani utimur. *Contudo isto*; ad verbum, *cum omni hoc*. Et oratione affirmativâ valet *& super hæc omnia*, i. & præterea; in negativa, *& nè sic quidem*. Lucas cap. 16. Hebraismum retinuit, ἐπὶ πᾶσι τούτοις, *Et in his omnibus chaos magnum*, &c. i. *Et præterea*: Etiamsi hoc non esset, &c. Vide suprà 5. 25. ¶ *Non est aversus furor*] Vel *non est conversa ira*; non rediit, non retrogressa est: quod fit dum satis vindictæ sumptum est, vel misericordiâ commotus Dominus à vindicando desistit.

13. *Et populus non est*, &c.] Hic versus causam continet quare Dominus ab ira non cessaverit, Quia scilicet populus impœnitens est, neque flagellis emendatur. *Vultum non vertere ad percutientem* signum est indurati animi, & qui indignationem, quâ commoveri debuisset adversùm scelus admissum, concipit contra flagellantem. ¶ *Non exquisiverunt*] Verbum דרש *quærere*, *inquirere* seu *exquirere* sign. Plerumque autem, ut annotavit quidam vir doctus, quando *Deus* dicitur *quæri*, aut *non quæri*, significat peculiari phrasi *quærere verbum & voluntatem Dei ex Sacerdotibus aut Prophetis*; ut Jer. 21. *Quære pro nobis Jehova*, i. consule. Ezec. 20. Gen. 25. &c. Significat ergò quòd cùm punirentur non fuerint soliciti ut consulerent Prophetas aut Deum quare sic flagellarentur, nimirum ut postquam intellexissent causam, eámque sustulissent, quiesceret quoque ira Domini; quasi hæc sit expositio ejus quod præcessit, & *vertere se ad percutientem* sit humiliter rogare quam ob causam sic cæderentur; vel etiam ut sibi parceretur. Ex hoc loco nos quoque, qui tot adversis à Deo atterimur & quasi concatenatis malis premimur, intelligere poterimus id nobis accidere quòd *non convertimur ad Deum percutientem*.

14. *Incurvantem & depravantem*] Ego dixi cum Hebræis *ramum & juncum*: cujus varietatis curioso lectori reddenda est ratio. *Ramus* Hebræis כפה videtur esse à verbo כפף, i. *curvo*, *incurvo*: unde *ramus* à *curvitate* sic dictus est. De voce autem אגמון, quam Hebræi *juncum* vertunt, sic accipe: אגמון *stagnum* significare videtur, i. *ahenum*, quod, ceu stagnum, multum aquæ capit (sicut ים tam *mare* ipsum quàm *vas amplum multâ aquâ plenum* abusivè Hebræis solet notare) quasi sit denominativum ab אגם, quod manifestum est *stagnum* significare. Unde quidam vir doctus *juncum* quoque significare dicit, qui in stagno crescit. Ego verò radicem esse existimo גמא, quod *in rem quampiam* sig. *impetum facere*. Ab hoc verbo deducitur nomen גמא, quod *scirpum* seu *juncum* sig. seu *papyrum*, quæ scilicet immersa est in aquis; & transposito א ad initium, significat *stagnum* ab *immergendo* dictum: hinc etiam אגמון juncum eadem ratione qua גמא sig. Quia vero Vulg. credidit אגמון *circulum* posse significare ex loco Jes. 59. *Contorquere quasi circulum collum tuum*, & ex Job 40. *Numquid pones circulum in naribus ejus*, qui est veluti frænum quoddam nonnullis animalibus apud Orientales, idcirco hoc loco pro RAMO *incurvantem* & pro JUNCO *infrænantem* reddidit. In Commentariis tamen Hieronymus *depravantem* legit & interpretatur. Nam Hebræis *incurvare* est depravare. Nos verò eo loco Jes. 59. *juncum* interpretabimur, & verba Job de *reste facto ex junco* intelligemus. Quid autem per *caput* & *caudam* intelligat, versu seq. habes. Per *ramum* autem & *juncum* credo significari nobiles & ignobiles, seu mendaces & hypocritas, qui virere videantur, sunt tamen inanes, ut Junci, & nullius ponderis ac momenti. Quemadmodum autem suprà *ab Jehuda auferendos esse senes & Prophetas*, &c. dixit, ità nunc *ab Israel*: quod initium est iræ Dei. Sed quid pœnæ haberet carere *falsis Prophetis* (nam eos per *caudam* significari ait ver. 15.) existimo hoc sequenti

16. Versu 16. explicari; quòd scilicet non esset jam locus falsis Prophetis. *Erunt*, inquit, *seductores*, i. habebuntur pro seductoribus. Convictus enim populus rerum eventu, & sese *præcipitatum* in extremam miseriam vel *absorptum* & calamitatibus obrutum conspiciens; intelliget eos fuisse fallaces, &, cùm pacem ac felicitatem promitterent, mentitos. De his vocibus vide suprà 3. 12. Ait ergò quòd neque illo inani gaudio jam fruerentur quod habebant quando spe falsâ allecti à falsis Prophetis sibi impunitatem promittebant. Et hâc ratione inter adversa connumeratur *præcisio caudæ*.

17. *Super juvenibus*] Nomen Hebræum à verbo quod *eligere* sig. derivatur, & in plurali frequentissimè pro *juvenibus* accipitur, quòd illi sunt qui eligi solent ad bellum. *Electa juventus* dici consuevit; & delectus juvenum solet esse, qui viribus valent, &c. ¶ *Non miserebitur*] Verbum רחם propriè, si liceret ità dicere, est *invisceravit*, i. intimo commiserationis affectu aliquem prosecutus seu complexus est. In N. T. redditum est verbo σπλαγχνίζομαι, Matth. interp. 9. *affectu misericordiæ tactus est super eos*; Luc. 15. ¶ *Fatuitatem*] Hebraismus nomine נבלה vocat *factum contra publicam honestatem*, vel *contra mandatum Dei*, vel *contra naturam*, præsertim cùm illud factum turpitudo seu ignominia comitatur. De Stupro virgini illato Gen. 34. & Deut. 22. de Fornicatione & Adulterio Jer. 29. de inconcessa libidine ratione consanguinitatis 2 Sam. 13. de Furto anathematis Jos. 7. Est autem à verbo quod sig. *humido naturali destitui*, ac proinde *flaccescere*, *elanguere*; deinde Metaphoricè *desipere*, seu quid simile. Post ablatos sapientes & nobiles sequitur ut juventus omnis trucidetur aut in captivitatem abigatur. Hoc est enim *non lætari super illis*. Nam cùm illi fortiter bellum gererent, Deus tanquam pater super ipsis exsultare videbatur: at nefanda totius populi scelera fecerunt ut qui se *Patrem pupillorum* & *Judicem viduarum* appellabat atque præbebat, nihil prorsùs ipsorum misereatur. Nec adhuc hìc est miseriarum finis, sed, ut in Euangelio dicitur, *initia dolorum hæc*. Perseverantibus enim Judæis in sceleribus suis, Dominus quoque in indignatione perdurat.

18. *Impietas*] Vel *improbitas*, seu *seditio*. Nam cùm id interdum nomen Hebræum significet, proposito quoque satis nomen *seditionis* vel *improbitatis* convenit. Comparatur enim *Igni* qui in *sentes* & *spinas* grassatur; quasi significet improbitatem ipsos perdidisse, & periisse ipsos propter iniquitatem suam. Universi namque erant inutiles & in proximos iniqui, veluti *Spinæ*: *Ignem* autem *in senticeto ardentem* aut *in condensa silva* non facile est exstinguere; & tamdiu durat quamdiu adest materia: finis itaque incendii est *absumptio silvæ*. Idcirco in similitudine perseverans ait, *dissipabuntur cum elevatione fumi* (sic enim verti potest) i. simul cum fumo, i. omnino & funditus. Vel repetenda est in toto versu more Hebræo nota

Simili-

Similitudinis, *Accendetur velut ignis; & absumet eos veluti spinas & vepres; & accendentur velut ignis in condensis silva; & dissipabuntur veluti elevatio fumi*, qui minimo negotio dissolvitur. Qui autem superbi erant & in altum sese erigebant, meritò *elevationi fumi* comparantur. *Vidi improbum superexaltatum & elevatum suprà cedros Libani; Transivi, & ecce non erat*, inquit David. ¶ [*Et convolvetur*] Ego dixi *dissipabuntur!* Verbum enim אבך, quod in quarta hîc legitur, neque alibi in Scripturis reperitur, quantum ex cognatis ejus conjicere licet, sig. *dissipari*, *dispelli*, ut nebula aut fumus, &c. ¶ *In superbia fumi*] Ego *elevationem* dixi. Verbum enim גאו Hebræis est *elatum esse*, & ad Superbiam transfertur.

19. *In ira Domini*] Seu *in ardore*. Verbum עבר, quod generali significatione *transire* sig. modum variat significandi, non solùm ratione constructionis, sed etiam variæ conjugationis. Denique in quarta transfertur ad *animi inflammationem*. Est enim Ira veluti radius quidam qui pervadit & pertransit universum hominem. Cæterùm quòd *inflammata est* dixi, id feci quia cùm hoc verbum non nisi hoc loco in tota Scriptura reperiatur, contextui videbatur magis hæc significatio convenire, *incensa est*, seu *inflammata est*, seu *conflagravit*. Quid enim magis convenit ardori quàm *conflagratio*? Sequitur etiam, *& erit populus cibus ignis*. Quare aut ità vertendum est ut dixi, aut cum Vulg. *conturbata est*. Nam satis apte sequitur ad furorem Domini *conturbatio terræ*.

20. *Et declinabit ad dexteram*, &c.] Ecce quomodo *conflagrabat terra!* Se mutuò trucidabant Israelitæ: familia in familiam consurgebat, absque ulla aut amicitia aut consanguinitatis ratione: unusquisque eâ sævitiâ in quosvis ferebatur, quâ leo aut altera feta & immanis bellua, quæ inter armenta *ad dexteram & sinistram* jugulat, *neque sanguine satiatur*. *Decidit*, inquit, *ad dexteram*, *neque satiatus* vertet se ut *comedat ad sinistram*, i. ut decidens ad sinistram iterum comedat ac devoret; ità ut nulla sit cædis satietas. ¶ *Unusquisque carnem brachii sui devorabit*] Quid hoc significet versus sequens exponit.

21. Fratres & consanguinei sunt veluti *brachia* nostra: *Manasses* autem & *Ephraim* erant uterini fratres. Quantis se cladibus confecerint Israelitæ ex historia libr. Regum possumus conjicere. Nam cùm servi in dominos insurgerent, & Reges occiderent regnandi cupidine, quas cædes non verisimile est patratas fuisse? Quas seditiones non excitatas? Quæ ergò superioribus versibus continentur, non ad ea tempora referenda esse existimo quando in Assyrios translati sunt: sed cùm vastationem Israeliticam vellet Propheta narrare, ea commemorat quæ successu temporum in Israel acciderunt, nempe clades, seditiones, civilia Bella, tam inter Israelitas quàm adversùs Judam. Quæ omnia erant propter eorum peccata; quæ quia non cessabant, neque ipse *Dominus ab ira sua desistebat*. Hæc igitur omnia de vastatione quæ Regno Israelitarum accidit tempore Regum intelligenda esse puto. Nam etsi ex Captivitate Babylonica nonnulli redierunt, non ampliùs speciem Regni habuerunt, neque adversùm Judam belligerati sunt. At in fine dicitur quòd *Manasses & Ephraim in Judam consurgerent*. Sed quia peccata eorum eadem fuerunt cum peccatis Judæorum seu Regni Judæ, utrosque eadem pœna involvit: Propterea dicitur in fine, *adhuc manum Domini extentam esse*.

LUCAS BRUG.

14.* I*Ncurvantem* [* *Et* o.] *& refrænantem*,] Non pauci codices *depravantem* legunt pro *refrænantem*, quibus D. Hieronymi commentarius adstipulatur: cæterùm vetustissimi atque emendatissimi quique *refrænantem* habent, nec nostri tantùm, verùm & Parisiensium atque Epanorthotæ. Duo, E. & Pl. m. utrumque connectunt, *Incurvantem* [*Non curvantem* Pl. m.] *& depravantem & refrænantem*. Notat Epanorthotes quosdam prò *refrænantem*, *depravantem* posuisse, propter Hieronymi retractationem; sicut infrà, c. 19. v. 17. *in pavorem* pro *in festivitatem*. Hieronymus, hoc caput enarrans, non meminit hujus *refrænantem*; solummodo legit atque exponit *depravantem*. Cæterùm in 19. scribens caput l. 5. Commentariorum, ubi id ipsum legitur v. 15. annotat hunc in modum: *In eo quoque quod nos transtulimus*, Incurvantem & refrænantem, *possumus dicere* Incurvum & lascivientem, *ut intelligamus senem & puerum. Nos autem verbum Hebraicum* אגמון, *dum celeriter quæ scripta sunt vertimus, ambiguitate decepti*, refrænantem [referentem o.] *diximus, quod significantiùs Aquila transtulit* ϰαϰῶς πράττοντα, i. *qui nihil rectè agit, sed omne perversum, ut puerum significaret*. Videtur igitur in commentariis 9. capitis, quod ibi similiter verterat *refrænantem*, latenter correxisse, aut mutavisse in *depravantem*. Veruntamen, quod diximus, optimi quique libri *refrænantem* servarunt, ac cap. 19. non optimi tantum, sed etiam plerique omnes. Nullum ibi nos invenimus librum qui legat aliter: tantùm ab Epanorthote notatum, *Propter quod quidam ponunt ibi* Incurvantem & depravantem: similiter & suprà 9. Eodem 19. capite quod reddiderat Hieronymus *in festivitatem*, correxit dum commentaria scriberet *in pavorem*: & multi quidem codices ità legunt, sed antiquiores & castigatiores *in festivitatem* retinuerunt. Postea igitur, dum in Hieronymi commentariis lecta hæc atque observata fuere, facta mutatio est, *refrænantem* in *depravantem*, *festivitatem* in *pavorem*: quam si sequi voluerimus, quæ à se versa editionis nostræ autor castiganda duxit immutabimus. אגמון, quod est Hebraicè pro *incurvantem* & *depravantem*, plerique hodie quoad verba ipsa reddunt, *ramum & juncum*. Chaldæus interpretatus est שלטון ואמרכל *dominatorem & principem*; LXX nono quidem capite, μέγαν ϰ μιϰρὸν *magnum & parvum*, 19. verò ἀρχὴν ϰ τέλος *principium & finem*: quos posteriori loco Symmachus est secutus, teste Hieronymo in 7 Commentariorum libro. *Pro principio, ait, & fine, quod Symmachus & Lxx transtulerunt* (ἀρχὴν ϰ τέλος) *Theodotio more suo ipsa verba Hebraica posuit* כפה ואגמון, *quod Aquila interpretatus est* incurvum atque perversum.

DRUSIUS.

1. גְּלִיל הַגּוֹיִם. Aq. θῖνας ἐθνῶν. Sym. *terminos gentium*] Hier. *Pro* GALILÆA GENTIUM, *Aq.* θῖνας GENTIUM, *Sym.* TERMINOS GENTIUM *interpretati sunt*. Θῖνας, i. *tumulos arenarum qui vel in litoribus vel in ripis sunt*. ¶ *Terminos*. Joel. 3. 4. גלילת. Sym. *terminos*, ut & Hier. Aq. θῖνας, quos *arenarum tumulos* Hier. exponit. Jonathan Chaldæus Paraph. תחומים *fines, termini*.

3. הִגְדַּלְתָּ. Alii *magnificasti*] Ἐμεγάλυνας. ¶ שָׂמְחוּ לְפָנֶיךָ כְּשִׂמְחַת בַּקָּצִיר. Sym. *lætitiâ lætati sunt in conspectu tuo tanquam lætitiâ in messe*] Citatur in Centonibus Patrum ex Eusebio Cæsareensi. Porrò *Lætitia in messe* proverbiale est pro *magna*. Consule sodes Adagia mea.

4. הַנֹּגֵשׂ. Th. *exactoris*] ꙋ ἀπαιτοῦντος ἢ ἐϰπράϰτορος. *Exactor* etiam εἰσπράϰτωρ dicitur.

6. וַיִּקְרָא שְׁמוֹ פֶּלֶא יוֹעֵץ אֵל גִּבּוֹר אֲבִי־עַד שַׂר־שָׁלוֹם. Aq. *Et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Fortis, Potens, Princeps pacis*. Sym. *Et vocabitur nomen ejus Admiratio, Consultus, Fortis, Potens; Pater postea, Princeps pacis*. Th. *Et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consultor, Fortis, Dynasta, Pater seculi. Princeps pacis*] Ex Comment. Eusebii. ¶ כִּי־יֶלֶד יֻלַּד־לָנוּ בֵּן נִתַּן־לָנוּ וַתְּהִי הַמִּשְׂרָה עַל־שִׁכְמוֹ וַיִּקְרָא שְׁמוֹ פֶּלֶא יוֹעֵץ אֵל גִּבּוֹר אֲבִי־עַד שַׂר־שָׁלוֹם. ΑΚΥΛΑΣ. Ὅτι παιδίον ἐγεννήθη ἡμῖν, υἱὸς ἐδόθη ἡμῖν ϰ ἐγένετο μέτρον ἐπ' ὤμου αὐτοῦ, ϰ ἐϰλήθη [ϰαλεῖται est in ed. Rom.] τὸ ὄνομα αὐτοῦ, Θαυμαστὸς, Σύμβουλος, Ἰσχυρὸς, Δυνατὸς, Πατὴρ ἔτι, Ἄρχων εἰρήνης, *Quia puer natus est nobis, filius datus nobis: & fuit mensura in humero ejus: & vocatum est nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Fortis, Potens, Pater adhuc, Princeps pacis*. ΣΥΜΜΑΧΟΣ, Νεανίας γὰρ ἐδόθη ἡμῖν, υἱὸς ἐδόθη ἡμῖν ϰ ἔσαι ἡ παιδεία αὐτοῦ ἐπὶ ꙋ ὤμου αὐτοῦ ϰ ϰληθήσεται τὸ ὄνομα αὐτοῦ Παραδοξασμὸς, Βουλευτικὸς, Ἰσχυρὸς, Δυνατὸς, Πατὴρ αἰῶνος, Ἄρχων εἰρήνης, *Adolescens enim datus est nobis, filius datus est nobis, & erit disciplina ejus in humero ejus; & vocabitur nomen ejus Admirabilitas, Consultus, Fortis, Potens, Pater seculi, & Princeps pacis*. Th. —— Θαυμαστῶς βουλεύων, Ἰσχυρὸς, Δυνάστης, Πατὴρ, —— Ἄρχων εἰρήνης, *Admirabiliter consulens, Fortis, Dynasta, Pater: Princeps pacis*] *Pater adhuc*. Malè Interpres, ut suprà vidimus, *Pater postea*. Nam *postea*, i. אחרי כן: hic in fonte est עד, quod fortè legit עד ἔτι *adhuc*. ¶ *Disciplina ejus*. מוסרו, quod cum pronomine Chaldaico esset מוסרה ἡ παιδεία αὐτοῦ. Heu pravam lectionem! ¶ *Admirabilitas* παραδοξασμός. Verbum est παραδοξάζω, quod inter alia sig. *admirabile reddo*, *valde honoro*, *illustro*: & παράδοξος *admirabilis*. In Theodotionis ver. 6. addendum ex ed. Rom. ϰ ἐϰάλεσε τὸ ὄνομα αὐτοῦ Θαυμαστὸς, Συμβουλεύων, Ἰσχυρὸς, Δυνάστης, Πατὴρ αἰῶνος, Ἄρχων εἰρήνης, *& vocavit nomen ejus Admirabilis, Consulens, Fortis, Dynasta, Pater seculi, Princeps pacis*] *Fortis*, אל. Eusebius, ἡ Ἑβραϊϰὴ φωνὴ ἀντὶ ꙋ, Ἰσχυρὸς, Ἠλ περιέχει, δι' ꙋ σημαίνεται ὁ Θεὸς, &c. Vide Rom. ed.

7. הַמִּשְׂרָה Aq. μέτρον *mensuram*] הַמְּשָׂרָה aliis punctis. Hier. *Aquila verbi ambiguitate deceptus* μέτρον, i. *Mensuram*, *interpretatus est, quæ Ebraicè & Latinè eodem appellatur nomine*.

ne. Sic & ver. 6. ¶ לְמַרְבֵּה הַמִּשְׂרָה Th. τῷ πληθύνειν τὴν παιδείαν *multiplicandi disciplinam.* ¶ וּלְשָׁלוֹם אֵין קֵץ Aq. καὶ τῆς εἰρήνης αὐτοῦ οὐκ ἔστι πέρας, *& pacis ejus non est finis*] Sic etiam Symmachus. Hæc descriptio ex Eusebii libris Ἀποδείξ.

8. דָּבָר שָׁלַח אֲדֹנָי בְּיַעֲקֹב Lxx θάνατον ἀπέστειλε] i. דֶּבֶר Cyrillus, λόγον ἀπέστειλε ἐπὶ Ἰακὼβ, κατὰ τὴν ἔκδοσιν τῶν Ἑβραίων. Sig. autem Aquilæ editionem, nisi fallor.

14. וַיַּכְרֵת יְהוָה Aq. καὶ ὀλοθρεύσει *exterminabit DOMINUS.* Sym. *& disperdet DOMINUS.* Th. *& auferet*] i. ἀφελεῖ.

15. וּנְשׂוּא פָנִים. Sym. καὶ αἰδέσιμον *& venerandum.*

IDEM EX PROCOPIO.

1. הָרִאשׁוֹן הֵקַל אַרְצָה זְבֻלוּן וְאַרְצָה נַפְתָּלִי וְהָאַחֲרוֹן הִכְבִּיד דֶּרֶךְ הַיָּם עֵבֶר הַיַּרְדֵּן גְּלִיל הַגּוֹיִם. Symmachus, quem secuti sunt reliqui, Ὁ πρῶτος ἐτάχυνεν τὴν Ζαβουλὼν καὶ γῆν Νεφθαλείμ· καὶ ὁ ἔσχατος ἐβάρυνεν ὁδὸν τὴν κατὰ θάλασσαν πέραν τοῦ Ἰορδάνου, ὅρια τῶν ἐθνῶν, *Primus acceleravit terram Zabulon & terram Nephthalim, & ultimus aggregavit viam quæ juxta mare est, trans Jordanem, terminum Gentium*] Malim Νεφθαλεί. Aq. θινὰς τῶν ἐθνῶν. Interpres reddit *litora Gentium.* Hier. autem ait θινὰς esse *arenarum tumulos in litore.* Procopius, ἀντὶ δὲ τοῦ; ὅρια τῶν ἐθνῶν, ὅπερ ἐξέδωκε Σύμμαχος ἀντὶ τοῦ, Γαλιλαία, παρὰ τοῖς Ἑβδομήκοντα, θινὰς τῶν ἐθνῶν Ἀκύλας ἐξέδωκε, τὰ πλήθη δηλῶν τῶν ἀλλοφύλων. Ezec. 46. 8. גלילה. Aq. θινάς. Sym. μεθόριον. Joel. 3. 4. גלילות. Aq. θινάς. Jonathan תחומין, i. *terminos*, sive *fines.* Pro θινὰς scriptura varians habet θεινάς alia θῖνας.

3. הִרְבִּיתָ הַגּוֹי לֹא הִגְדַּלְתָּ Sym. Ἐπλήθυνας τὸ ἔθνος ὃ οὐκ ἐμεγάλυνας, *Multiplicasti gentem, quam non magnificasti*] Procopius pag. 146. ἀντὶ δὲ τοῦ, κατήγαγες, ἐμεγάλυνας, ἐξεδώκασιν οἱ λοιποὶ, *Pro DEDUXISTI, MAGNIFICASTI transtulerunt reliqui.* Idem pag. 144. in margine, οἱ ὁ οὐκ ἐμεγάλυνας. Quâ notâ significat Senes quoque vertisse *non magnificasti*, licèt in vulgata sit *deduxisti.* הרבית. Th. τὸ πλῆθος *multitudinem*, i. הרבה vel רוב.

5. כִּי כָל־סְאוֹן סֹאֵן בְּרַעַשׁ וְשִׂמְלָה מְגוֹלָלָה בְדָמִים וְהָיְתָה לִשְׂרֵפָה מַאֲכֹלֶת אֵשׁ. Sym. Πᾶσα βία ἐβιάσθη ἐν σεισμῷ, καὶ περιβόλαιον ἐφύρη ἐν αἵματι, καὶ ἔσται εἰς καῦσιν καὶ εἰς κατάβρωμα πυρὸς, *Omnis vis violata est in concussione, & amictus maceratus est sanguine eritque in combustionem & cibum ignis*] *Maceratus: dilutus, perfusus, conspersus.* Interpres Procopii *vestimentum fœdatum sanguine.* Hier. ex Ebræo, *& vestimentum mistum sanguine.* Videtur Symmachum secutus esse: Nam φυρέω, *misceo, commisceo.*

6. In verbis Aquilæ pro μέτρον in Procopio est τὸ μέτρον, quod magis probo: item pro ἐκλήθη τὸ ὄνομα in eodem est ἐκάλεσε τὸ ὄνομα *vocavit nomen.* In Symmachi, Νεανίας παρεγεννήθη ἡμῖν, ex quo emendabis Eusebium; & mox ἡ παιδεία, absque pronomine. In Theodotionis, Θαυμαστὸς, Βουλεύων. Ἰσχυρός, Δυνατὸς, *Admirabilis, Consiliarius, Fortis, Potens*] Deinde sequitur, Πατὴρ, Ἄρχων τῆς εἰρήνης, τῷ πληθύνειν τὴν παιδείαν. Sed in Commentario est Θαυμαστὸς, Συμβουλεύων, Ἰσχυρός. Notabis autem omnes reddidisse אל ἰσχυρός. excipio Senes, qui pro eo Θεὸς posuerunt. Qua de re consulendus Procopius. Vide quoque Fragmenta nostra.

7. לְמַרְבֵּה הַמִּשְׂרָה. Aq. πολλῆς τοῦ μέτρου. Th. ἐπλεονάσθη παιδεία] Fortè ἐπληθύνθη. Sed alibi est τῷ πληθύνειν τὴν παιδείαν, quod rectum esse puto, & fortasse hic peccatum in nomine. Nam proclivis sanè lapsus de Σ in Θ. ¶ קץ Aq. τέλος *finis.* Sym. Th. πέρας *terminus, finis*] Hinc emendanda putarim Fragmenta, ubi ex editione Aquilæ, καὶ τῆς εἰρήνης αὐτοῦ οὐκ ἔστι πέρας. ¶ עַד־עוֹלָם קִנְאַת Aq. καὶ ἕως αἰῶνος ζῆλος, *& usque in seculum. Zelus.*

8. דָּבָר. Aq. ῥῆμα Cæteri τὸν λόγον *sermonem*] Procopius, θάνατον, οἱ λοιποὶ λόγον ἐξέδωκαν, *Pro MORTE reliquit λόγον ediderunt.* Θάνατον, i. דֶּבֶר quod in edit. vulgata: nam οἱ ό. teste Procopio, λόγον interpretati sunt, ut Aquila ῥῆμα, i. *verbum.*

11. אֶת־אֹיְבָיו. Aq. Sym. Th. τοὺς ἐχθροὺς αὐτοῦ *hostes ejus.*

14. וַיַּכְרֵת. Th. ἀφελεῖ *auferet.* Aq. ὀλοθρεύσει *disperdet.* Sym. ἐξολοθρεύσει *internecione delebit.*

15. וּנְשׂוּא פָנִים. Sym. καὶ αἰδέσιμος *& venerabilis.* ¶ הוּא הָרֹאשׁ. οἱ Δ΄. αὐτὸς κεφαλὴ *ipse caput*] Δ. i. τέσσαρες; videlicet Aq. Sym. Th. & οἱ ό. i. LXX. In ed. vulgata, αὕτη ἡ ἀρχὴ *ipsum est principium.*

17. אֶת־יְתֹמָיו וְאֶת־אַלְמְנוֹתָיו. Aq. Sym. Th. τοὺς ὀρφανοὺς αὐτοῦ καὶ τὰς χήρας αὐτοῦ *pupillos ejus & viduas ejus.*

21. ידו. Aq. Sym. Th. ἡ χεὶρ αὐτοῦ *manus ejus.*

GROTIUS.

1. P*Rimo tempore alleviata est terra Zabulon, & terra Nephthali*] Id est, *Prius leviter affligetur terra Zabulon, & terra Nephthali:* nempe per Theglath-Phalasarem, qui paucos transtulit ex illis locis, multos reliquit, II Reg. xv. 29.

Et novissimo aggravata est via maris trans Iordanem Galilææ Gentium] Id est, *post verò gravius affligetur via maris trans Iordanem* (nempe iis qui ab Euphrate veniunt) *& Galilææ Gentium*, sive *convenarum*, ut hanc vocem interpretati sumus ad Math. IV. 15. Hæc *afflictio gravior* est illa deportatio facta per Salmanassarem II Reg. XVII. & XVIII. nam bis eandem historiam repeti, ibi notavimus. *Via illa* à Syria venientibus ad *mare*, cui cohæret *Galilææ Gentium*, magnam partem comprehendit terræ Decem tribuum, quam planè vacuam Indigenis fecit Salmanassar.

2. *Populus qui ambulabat in tenebris*] Populus Hierosolymitanus in gravissimis constitutus periculis, quæ *tenebrarum* nomine appellant Hebræi.

Vidit lucem magnam] Experietur egregiam liberationem, cæso Divinitus Sennacheribi tam valido exercitu.

3. *Multiplicasti gentem, non magnificasti lætitiam*] O tu Assyrie, magnum quidem exercitum contraxisti, ad CLXXXV millia, sed non eo magis gaudebis.

Lætabuntur coram te] Nempe Hierosolymitani. Hic ad Deum iterum se vertit Esaias, ut frequentes sunt tales in Prophetis ἀποστροφαί [*sermonis conversiones*].

4. *Jugum enim oneris ejus*] Obsidionem gravissimam.

Et virgam humeri ejus] Imminentem scapulis illorum.

Et sceptrum exactoris] Durissima tributa quæ imposituri fuerant Hierosolymitis Assyrii.

Superasti] Depulisti.

Sicut in die Madian] Cùm eos devicit Gedeon, Judic. VII. Vide & infrà x. 26.

5. *Quia omnis violenta prædatio cum tumultu, & vestimentum mistum sanguine erit in combustionem, & cibus ignis*] In Hebræo sic est: *Omnis pugna bellantium* (solet esse) *cum strepitu & vestimentis obvolutis sanguine*; (hæc verò erit ut) *pabulum ignis ad combustionem.* Aliæ clades hostium solent parari multo labore multóque sanguine; hæc verò similis erit incendio subitò consumenti. Planè enim subitò, sine tumultu, sine vulnere, sine Hebræorum labore aut periculo, ab Angelo exstincti sunt Assyriii. Nulla flamma tam celeriter eos occidere potuisset. Vide. x. 16.

6. *Parvulus enim natus est nobis*] Id est, *nascetur.* Nam Hebræa præterita sumuntur pro futuris.

Et filius datus est nobis] Dabitur. Ezechias patri Achazo multùm dissimilis. de eodem infrà XI. Sic tamen ut multò excellentiùs hæc ad Messiam pertinere non Christiani tantùm agnoscant, sed & Chaldæus hoc loco.

Et factus est principatus ejus super humerum ejus] Id est, erit πορφυρογέννητος [*in purpura natus*]. *ab ipsis cunis purpuram feret regiam*, ut in regnum natus. Confer Ezech. XXVIII. 13.

Et vocabitur nomen ejus] In Hebræo est, *vocabit*; supple *quisque.* Etiam Chaldæus *vocabitur* transtulit. Notum autem Hebræis *dici sic* vel *sic vocari* aliquem, cui tales tituli aut ἐπίθετα [*agnomina*] conveniunt.

Admirabilis] Ob summas quæ in eo erunt virtutes.

Consiliarius, Deus fortis] Imo *consultator Dei fortis:* id est, qui in omnibus negotiis consilia à Deo poscet, per Prophetas scilicet, ut jam sequetur.

Pater futuri seculi] In Hebræo non est *futuri.* *Pater seculi* est qui multos post se relicturus sit posteros, & in longum tempus.

Princeps pacis] Princeps pacificus, & in pace victurus.

7. *Multiplicabitur ejus imperium*] Id est, durabit per annos XXIX. In verbo hoc quod *multiplicationem* significat, est ם clausum in media dictione. Eo stabilitatem significari volunt Hebræi; ut per ם apertum in fine, rupturam Nehem. II. 13. Non incredibile est, quod unus scriba properans commiserat, id alios superstitiosè imitatos.

Et pacis ejus non erit finis] Ad finem dierum suorum pace fruetur, II Reg. XX. 19.

Super solium David, & super regnum ejus sedebit] Supplevit bene hic Interpres illud *sedebit*, quod in Hebræo & Græco subintelligitur.

Ut confirmet illud, & corroboret in judicio & in justitia] Hic *judicium* juris administrationem, *justitia* beneficentiam significat: per quæ florent vigentque Imperia.

A mo-

A modò & usque in sempiternum] Ab initio ad finem vitæ. ità enim sæpè sumitur עולם [*seculum*], ut Psal. LXXXIX. 2. CXIX. 93. Sed in Christo & hæc & quæ præcedunt habent significationem multò ut augustiorem, ità & planiorem.

Zelus Domini exercituum faciet hoc] Id est, ardens amor Dei erga pios, qui insunt populo, dabit nobis ac servabit tam bonum Principem.

8. *Verbum misit Dominus in Jacob*] Minas suas per Legem & Prophetas sæpè significavit omnibus Jacobi posteris. At Græci דבר [*verbum*] legerunt punctis aliis, ut *pestem* significet. Vertunt enim θάνατον θανατ☉ ἀπέστειλε Κύρι☉ [*mortem misit Dominus*]. Est autem [*mors*] illorum linguâ *pestilentia*, ut ostendimus ad Matth. XXIV. 7.

Et cecidit in Israel] Sed Decem tribus earum minarum plenissimum effectum sentient, non item Hierosolyma.

10. *Lateres ceciderunt, sed quadris ædificabimus*] Id est, ex marmore. Quæ hactenus passi erant mala isti Decem tribuum homines ea parvi ducebant, rati facilè damna posse resarciri.

11. *Et elevabit Dominus hostes Rasin super eum*] Hostes Regis Syriæ, cujus auxilio se tutos putant. Hostes illi sunt Theglathphalasar cum sociis suis, II Reg. XVI. 7.

Et inimicos ejus in tumultum vertet] *Conglomerabit.* Id enim est יסכסך, quod præter hunc locum invenitur infrà XIX. 2. Ab omni parte inimicos Israëlitis accerset. Nam *ejus* hic refertur non ad proximum, sed ad *Ephraim.*

12. *Syriam ab Oriente*] Nam Syri post mortem Rasinis adjunxerant se Assyriis.

Et Philisthiim ab Occidente] Qui ab antiquo infesti Israëlitis omnes occasiones eis nocendi capiebant. Et solet sic fieri:

Δρυὸς πεσούσης πᾶς ἀνὴρ ξυλεύεται.
[*Ubi lapsa quercu, nemo lignatu abstinet.*]

In omnibus his non est aversus furor ejus; sed adhuc manus ejus extenta] Non est saturatus Deus tot Israëlitarum malis.

13. *Et populus non est reversus ad percutientem se, & Dominum exercituum non inquisierunt*] *Et* hic est pro *nam.* Caussa enim additur cur Deus illorum pœnis non fuerit satiatus, quia culpam nec agnoverant, nec emendaverant.

14. *Et disperdet Dominus ab Israel caput & caudam*] Summos & infimos. summi sunt senatores, infimi sunt arioli, ut jam explicabit.

Incurvantem & refrænantem] In Hebræo est, *ramum & juncum*: id est, validos & invalidos. Sed interpres respexit verbum כפף, quod est *incurvare*, & significatum alterum nominis אגמון quod κρίκον [*circulum*] interdum vertunt Græci. Vide Job. XL. 21.

15. *Longævus*] Senator.

16. *Qui beatificant*] *Qui laudant.*

Et qui beatificantur] *Qui laudantur.*

17. *Super adolescentulis ejus non lætabitur*] Cùm soleat alioqui juventus esse amabilis.

Locutum est stultitiam] Id est, *mendacium*, ut hîc Chaldæus.

18. *Succensa est enim quasi ignis impietas*] Id est, impii homines.

Et succendetur in densitate saltus] Id est, lignorum.

20. *Et declinabit ad dexteram*] *Rapiet*, Kimchi. Præ victûs egestate raptu undique vivent, nec saturabuntur, temporibus Sennacheribi.

Unusquisque carnem brachii sui vorabit] Figurata locutio, pro res cognatorum vi raptas consument.

21. *Manasses Ephraim, & Ephraim Manassem*] Discordes inter se alii hostibus se aggregabunt, alii se opponent.

Simul ipsi contra Iudam] Nempe postquam Sennacheribus omnem terram Decem tribuum perdomuerit, II Reg. XVIII. 34. 35.

CAP. X.

MUNSTERUS.

1. QUI *scribunt decreta iniqua*] Ponit hic Propheta peccatum eorum qui præsunt populo & condunt leges; ut sunt Judices & Jurisconsulti, quorum constitutiones sunt retia & venabula. Nam ut pecuniam eliciant præcipiunt populo dura mandata, & deinde pro pecunia illa remittunt & indulgentias concedunt. Per חוקקים intellige מכתבים *scribas*, & per מכתבים *Judices*, qui iniqua jubebant scribi. Transit enim significatio hujus verbi ad duo, cùm sit de secunda conjugatione.

5. *Assur*] Subaudiendum, *veni, ut sis virga mea, castigans populum meum in loco suo. Etiamsi tu non cogites quod in hac re meus sis minister; sed præsumis tibi subjicere omnes gentes, & omnes Principes tuos facere Reges, loquens magnifica de corde tuo. Et ego cùm complevero per te opus meum, visitabo quoque te juxta superbiam tuam, qui ea opera quæ ego per te feci, tibi ascribis, perinde quasi securis glorietur contra secantem. Assyrius est serra & securis mea quâ utor ad populum meum affligendum. Stultè facit quòd jactat vires & fortunam suam, quasi suo consilio & non meo hæc fiant. Facit perinde ac si virga agitet levantem se, quasi, inquam, virga hominem levare possit, & ampliùs non sit lignum sed homo vel animal.* Sunt Hebraica hic valde obscura.

16. *Subter locum gloriæ*] Per *gloriam* istam intelligitur magnificus exercitus Regis Assyriorum, qui unâ nocte quasi per ignem in favillam redactus fuit. Vocat quoque eundem exercitum, *silvam* magnarum arborum & *campum* optimè cultum, quòd magni in eo essent Principes, & multi ex agricolis & vinitoribus. Reliqua reddidi ut à David Kimhi exponuntur. Nam ille exponit נמאס pro נושא הנס, & כמוס pro יכס *dissolvantur.*

22. *Consummatio perfecta inundat eos in justitia*] i. Reliquiæ aliquæ salvæ fient, & pauci ex multis in hoc naufragio enatabunt. Differunt *inundare* & *submergere.* Quod submergitur, perit; quod autem inundat, ex periculo liberatur. Cunctus populus Judaicus fuit in hoc naufragio cùm amiserint Regnum & Sacerdotium, sed non fuerunt penitus deleti, cùm Dominus sibi reliquias aliquas reservaverit. Fuit ergò *consummatio perfecta*, quantum attinet ad desolationem Regni, reservatis reliquiis.

27. *Dissipabitur jugum à facie unctionis*] Seu *olei.* Quidam ità intelligunt, *peribit jugum ejus præ pinguedine*, i. felicitate. Chald. verò intelligit per *oleum* Messiam, nempe Ezechiam. Quid si Propheta hic respexerit ad Christum Domini?

29. *Pernoctaverunt*] Omnes interpretes nostri hallucinati sunt in dictione לנו, quam pro *nobis* verterunt, cùm sit verbum plurale à sing. לן *pernoctavit.*

VATABLUS.

1. SCribentibus, &c. הוי החוקקים חקקי און] *Exarantibus decreta iniquitatis*, i. sententias iniquè latas à Judicibus. Doctus inter Hebræos dicit priorem hujus versûs partem adversus scribas dici, alteram contra Judices iniquos. Alii vertunt *statuentibus statuta mendacia*, vel *iniqua.* Alii, *condentibus leges*, vel *decernentibus decreta iniqua.* ¶ *Et qui scribentes*, &c. ומכתבים עמל כתבו] *Et scribere facientes, mendacium scribere fecerunt. Loquitur*, inquiunt Hebræi, *contra Judices & eorum scribas.* Alii, *& dictantibus mendacium quod dictarunt*, vel *dictant*: i. qui scribendum curant sententias injustas quas dictare solent. עמל significat *dolorem*: significat & *injuriam* sive *injustitiam*, quòd sit gravis & laboriosa. Alii, *& qui dictatores, dictant injuriam.* Alii, *& qui dictant & jubent scribere miseriam.*

2. *Ut pervertant judicium pauperum* להטות מדין דלים] Ad verb. *Ut declinare faciant pauperes à jure*: vel, *Ad declinandum à judicio pauperes*: i. ut depellant à jure. Quidam vertunt, *Ut arceant pauperes à judicio.* Alii, *Ut detrudant tenues à causa.* Alii, *Ut cadere faciant causâ inopes.* ¶ *Et rapiant in judicio pauperes* ולגזל משפט עני] *Et furentur jus pauperum.* Alii, *& eripiant jus pauperibus*, i. ut spolient pauperes jure suo.

3. *A longinquo veniet* ממרחק תבוא] *Delongè* [vel *procul*] *ventura est?* i. è regione longinqua, h. e. ab Assyria. ¶ *Gloriam vestram* כבודכם] i. Opes ac divitias vestras ob quas gloriari soletis.

4. *Nisi qui incurvaverit*, &c. בלתי כרע תחת וגו'] Hebraïcè tantùm legitur, *Nisi incurvaverit se sub vincto*, i. inter vinctos. Ut dilucidior esset sensus, interpres addidit, *Non evadet quispiam, nisi se abscondat inter vinctos*, nè vivus putetur, & ità evadat. Ità quidam Hebræorum. Alii, *Absque* [vel *sine*] *me corruit inter vinctos*: i. Quia populus iste est *sine me* [h. e. non est populus meus, neque obtemperat mihi] *ideo incurvavit se sub vinctis*, ut cum illis esset; i. curvatus est compedibus & in servitutem abductus. Caussa interitûs eorum est quòd me dereliquerunt: vel, *Absque me incurvabitur*, ut sit præt: pro fut. i. Si illum non juvero, illius pars altera abducetur, &c. aut, *Absque me*, i. non meâ culpâ, sed illius, *incurvatus est*, vel *incurvabitur.* Alii etiam inter Hebræos docti vertunt, *Præter*

alia

alia mala, *incurvabitur in loco vinctorum, aut in loco interfectorum cadet*: h. e. partim conjicietur in vincula, partim interficietur. ¶ *In toto hoc* בכל זאת] Vide c. 9. 12.

5. *O Assur* הוי אשור] *O Assyrii*, vel, *O Rex Assyriorum*. הוי adverbium est Hortandi, vel Vocandi. Prædicit eversionem Israel faciendam ab Assyriis. ¶ *Et virga*, &c. ומטה הוא' בידם וגו'] *Et virga ipse est, in manu eorum indignatio mea*. Alii, *& virga iræ meæ est in manu eorum*. Alii, *qui & baculus est ira mea in loco* [vel *terra*] *ipsorum*.

6. *Impiam* חנף] *Hypocritam: simulatricem: fallacem*. ¶ *Et super populum furoris mei mandabo ei* ועל עם עברתי אצונו] *Et contra populum indignationis meæ mandabo illi*: sub. *ut veniat*. Hebraismus, pro *& contra populum cui indignatus sum*. ¶ *Ut spoliet spolia* לשלל שלל] *Ut detrahat spolia*, vel capiat.

8. *Simul Reges sunt* יחדו מלכים] *Pariter Reges?* Alii, *universi Reges?* i. sunt æquales, non sunt inferiores Regibus virtute & opibus: aut, Reges quos superavi sunt in aula mea.

9. *Chalno* כלנו] Sub. *fuit*: q. d. *Nonne sicut Charchamis expugnata fuit viribus meis, ità expugnata fuit Chalno?* Urbes sunt Syriæ ad Euphratem sitæ.

10. *Idoli* האליל] Sing. pro plur. *idolorum*. Hebraismus, pro *quemadmodum superavi & vici alia Regna in quibus colebantur idola*. ¶ *Et simulacra*, &c. ופסיליהם וגו'] *Ità inveniet sculptilia eorum* quæ fuerunt allata *è Jerusalaim & de Someron*. De urbibus Israel & Juda loquitur. Meminit autem *Samariæ* & *Jerusalem*, quòd essent urbes metropoles; solèntque urbes reliquæ colere Deos suarum metropolium. Alii dicunt מ hoc loco non significare *de*, sed esse comparativum, vertentes, *Cùm simulacra eorum* sint fortiora *ipsa Jerusalem & Samariâ*. Vel, *fortiora simulacris Jerusalem & Samariæ*.

12. *Visitabo* אפקד] Mutatio personæ, pro *visitabit*: nam priùs dixit *cùm compleverit Dominus*. ¶ *Magnitudinis* גדל] *Magnificentiæ*. *Magnitudo cordis* Arrogantiam, ut *celsitudo* (sive *elatio*) *oculorum* Fastum & Supercilium significat. i. Puniam illum propter arrogantiam.

13. *Intellexi* נבונותי] *Prudens fui*: i. usus sum magnâ prudentiâ. Alii, *perspicax fui*. ¶ *Et amovi* ואסיר] Fut. Heb. pro præt. *abstulique*. ¶ *Et descendere feci* ואוריד] Fut. item Heb. pro præt. *ac detraxi tanquam gigas sedentes*, sub. *in soliis regiis*. Alii, *ac deturbavi* [sive *dejeci*] *eos qui habitabant in locis fortissimis*. Hi videntur legisse כ *in* pro כ *tanquam*. Et est sing. Heb. pro plur. כאביר.

14. *Substantiam* לחיל] *Opes*. Alii, *vires: robur*. Alii, *exercitum*. ¶ *Et sicut colliguntur* וכאסף] *Et sicut congregat*, sub. *quispiam*, utpote viator, qui sibi aufert *ova derelicta* in nido. ¶ *Qui moveret alam* נודד כנף] *Qui moveret sese alâ*, vel *alis*. ¶ *Aut aperiret* ופוצה] Ad verb. *& aperiret*, ו pro *aut*.

15. *Sicut elevaret*, &c. כהניף שבט וגו'] Duo infinitivi sunt Hebræis, quos variè interpretes vertunt. Plures (quos hic noster secutus est) vertunt per præsens. Quidam sic, *Et sic agitat* acsi esset *virga*: & *sic eam levat* acsi levaret *baculum non arborem*. Alii per nomen verbale, *Sicut elevatio virgæ est penès elevantes illam, sic elevatio baculi non* est penès *lignum*: i. ut exaltatio baculi debet tribui elevanti, ità exaltatio baculi non debet tribui ligno, sed elevanti. Vel, ut alii, *Ut elevatio virgæ ad elevantem ipsam: & elevationes baculi, non in ligno*, sub. *sunt*: q. d. Non sunt in virtute ligni. Quidam liberiùs sic per verbum subauditis pauculis. Quod perinde esset *acsi virga sese elevaret contra eum qui ipsam fert, & baculus sese extolleret* quasi *lignum non esset*.

16. *Et in loco gloriæ*, &c. ותחת כבודו יקד יקוד וגו'] Ad verb. *& sub loco gloriæ suæ ardebit ardore juxta ardorem ignis*, i. simili ardoris ignis. Prædicit interitum exercitûs Regis Assyriorum, quòd milites ejus robustissimi (nam ut plurimùm pingues sunt robusti) absumendi essent igni juxta muros Jerusalem quam obsidebat. Alii vertunt, *& subtus gloriam ejus succendet incendium quasi incendium ignis*.

17. *Spinam ejus & veprem ejus* שיתו ושמירו] Sing. pro plur. Sic vocat militem gregarium, quòd infinitis molestiis afficiat.

18. *Et Charmels ejus* וכרמלו] Alii omnes interpretantur vocem Hebraicam, vertentes, *& agri ejus consiti arboribus*, vel *& frugiferi campi ejus*. *Metaphoricè significat*, inquiunt Hebræi, *quòd qui excelsi sunt ut cedri Libani excelsæ, futuri sunt sicut arbores Charmeli, quæ sunt humiles*. *Et Charmel in silvam reputabitur*, infrà 29. 17. q. d. Deus perdet duces ac principes & magnates sive nobiles exercitûs Regis Assyriorum. ¶ *Ab anima*, &c. מנפש ועד בשר יכלה] Hebraismus, pro, *non solùm morientur, sed etiam cadavera eorum vertentur in cinerem*. ¶ *Ut dissolutio vexilliferi* כמסס נסס] *Quasi dissolutio signiferi*. Alii, *quemadmodum dissolvitur vexillifer*. Alii, *sicut* castra quæ *dissolvit vexillifer*. *Cùm enim*, inquit doctus inter Hebræos *dissolvitur vexillifer*, sive *liquescit*, aut *deficit*, *omnes milites dissolvuntur & fugiunt*. q. d. *Tanta erit clades quanta esse solet in exercitu cujus vexillifer cecidit*.

19. Pauca *numero* מספר] Ad verb. *numerus*, i. numerari poterunt: sequitur enim, *Puer scribet eas*.

20. *Residuum Israelis* שאר ישראל] *Reliquiæ Israelis*: vel, *reliqui Israelitæ*.

22. *Residuum*, &c. שאר ישוב בו] *Reliquiæ convertentur ex eo*, i. reliquiæ ejus convertentur ad te: acsi dicat, Quamvis plurimi perituri sint, tandem tamen aliquot servabuntur, & convertentur ad Dominum Deum. ¶ *Consumptio*, &c. כליון חרוץ שוטף צדקה] Nam *consumptio certa inundans* erit in *justitia*. Alii, *consumptio definita*, vel *determinata*: i. nam Dominus decrevit, idque justo judicio, sumere pœnas de Israele, & illum perdere. Alii, *consummatio perfecta inundat* eos in *justitia*.

23. *Et* quidem *decisam* ונחרצה] *Et determinatam*, aut *decretam*: pro *consumptionem definitam & certam*. Repetitio proximè præcedentis sententiæ. ¶ *Facit* עשה] Particip. præs. Heb. pro fut. *facturus est*.

24. *In via Ægypti* בדרך מצרים] Hebraismus, pro *more*, *modo*, *ritu Ægyptiorum*: q. d. Eo modo quo afflixerunt te Ægyptii, sic te affligent Assyrii.

25. *Ad consumptionem eorum* על תבליתם] *In perniciem illorum*. Alii *in abolitione eorum*: vel, *ad eversionem eorum*: aut *in perniciem*: i. Intra brevissimum tempus perdam Assyrios, & ità iræ meæ finis imponetur.

26. *Et suscitabit* ועורר] *Et excitabit*. Mutatio personæ: sunt enim verba Prophetæ, vel ipsius Dei loquentis de se in tertia persona. ¶ *In Petra Oreb* בצור עורב] *In rupe Oreb*. Quidam vocem Hebræam relinquunt, *in Sur Oreb*. ¶ *Et virgam*, &c. ומטהו על הים] *Et juxta virgam suam super mare*, i. ut percussit Ægyptios in Mari rubro. ¶ *In via Ægypti* בדרך מצרים] Hebraismus de quo v. 24. pro *eo modo quo levavit super Ægyptios*.

27. *Auferetur* יסור] *Recedet*. Alii *auferet*. ¶ *A collo tuo* מעל צוארך] *A cervice tua*. ¶ *Corrumpeturque jugum* וחבל על מפני שמן] *Perdetùrque jugum propter oleum*, i. in gratiam Ezeciæ uncti Dei; sive potiùs in gratiam Messiæ sive Christi promissi.

28. *Venit* בא] Præterita Heb. pro fut. Describit urbes Tribûs Juda & Benjamin per quas transiturus erat Rex Assyriæ cùm venit obsessum Jerusalem. ¶ *Parabit*, &c. יפקיד כליו] *Deponet vasa sua*: vel *reponet*: sive *constituet*, *instrumenta sua*, i. supellectilem suam, sive impedimenta sua bellica.

29. *Transierunt* עברו] Præterita Heb. pro futuris. ¶ *In Geba diversorio pernoctarunt* גבע מלון לנו] *Geba* erit *diversorium* in quo *pernoctabunt*. ¶ *Obstupuit* חרדה] *intremuit*: sive *intremet*: *territa est*.

30. *Exalta vocem tuam* צהלי קולך] Ut scilicet aliæ urbes exaudiant. Alii, *Hinni*. ¶ *Attende Laisa* הקשיבי לישה] *Attendere fac Laisam*.

31. *Elongavit se* נדדה] *Fugit*. *Mota est*. Etiem hic præt. pro futuris. ¶ *Congregaverunt seipsos* העיזו] Ut scilicet fugiant: nam id sign. verbum Hebraicum.

32. *Adhuc*, &c. עוד היום וגו'] *Adhuc die ipsâ in Nob stare poterit*. Alii, *Cùm adhuc dies* erit, deveniet *in Nob*, *ut* illic *subsistat*: vel *interquiescat*. ¶ *Levabit* ינופף] *Agitabit*, *Movebit*: juxta illud 2 Reg. 19. 21. *Post te caput movit filia Jerusalaim*.

33. *Excidet* מסעף] Præs. Heb. pro fut. Ad verb. *deramificat*, pro *amputabit*. ¶ *Cum robore* במערצה] i. Magnâ vi, sive potenter. Alii, *cum terrore*. ¶ *Et excelsi*, &c. ורמי הקומה וגו'] Particip. passivum pro fut. *& excelsâ staturâ arbores succidentur*: vel, *excelsæ staturâ* arbores *succidentur*. ¶ *Et sublimes*, &c. והגבהים ישפלו] *Et sublimia dejicientur*. Alii, *& altè dejicientur*: aut *alta*, sub. *arbores*.

34. *Arbores perplexas* סבכי] *Perplexa*: i. ramos perplexos, vel densos, arborum. Alii, *densitates illius silvæ*: i. arbores densas. ¶ *Et arbores Libanon*, &c. והלבנון וגו'] Ad verb. *& Libanon ille in forti cadet*, sub. *ferro*: vel *Angelo*, i. operâ Angeli. Per *Libanum* exercitum, & per *arbores* milites intelligit: q. d. Perdet omnes milites illius exercitûs.

CASTALIO.

16. E*Jusque nobilitatem*] Nobilem exercitum.

17. *Illius virgulta & vepres*] Milites.

20. *Non amplius in eo nitantur à quo cæsi fuerint*] Assyrio.

21. *Re-*

21. *Reliquiæ revertentur, reliquiæ Jacobidarum ad Deum potentem*] Alludit ad nomen S A R I A S U B positum cap. 7. quod significat, *Reliquiæ revertentur*, h. e. pauci.

24. *Cedet ille quidem te baculo, suaque virgâ petet Ægyptiaco more*] Ut olim Pharao.

26. *Et elatâ in mare suâ virgâ, eum auferet Ægyptiaco modo*] Eum perimet ut Pharaonem fisso virgâ mari peremit.

27. *Jugo præpinguitudine corrupto*] Ejus imperio ob nimias opes & superbiam deleto.

34. *Libanus generosè cadat*] Senacheribi exercitus.

C L A R I U S.

3. *GLoriam vestram*] Videtur idem esse quod alibi scriptum est, *mutaverunt gloriam suam*, i. Deum: q. d. *Ubi destituti eritis auxilo meo, quid erit vobis reliqui?*

4. *Quia non estis mei*] Heb. *Absque me corruit inter vinctos.*

5. *Væ Assur*] Vel, *ô Assur*; & subaudiendum est, *veni ut sis virga mea, castigans populum meum in loco suo. Etiamsi tu non cogites quòd in hac re meus sis minister; sed præsumis tibi subjicere omnes gentes, & omnes Principes tuos facere Reges, loquens magnifica de corde tuo. Et ego cùm complevero per te opus meum, visitabo quoque te juxta superbiam tuam, qui ea opera quæ ego per te feci, tibi ascribis, perinde quasi securis gloriaretur contra secantem*, &c. Ex hoc atque hujusmodi Scripturæ locis discere debemus, cùm alicujus tyrannide premimur, æquò animo ferre, & meminisse manum illam esse Domini, qui cùm castigationem impleverit, suo tempore Tyrannos amovet, ipsósque castigat. *Cum enim impleverit Dominus cuncta opera sua in monte Sion & in Jerusalem, visitabo*, inquit, *super fructum magnifici cordis Regis Assur.* ¶ *Baculus iræ meæ*, &c.] Potest etiam verti sic, *Et baculus ipse qui est in manu eorum, est ira mea.*

15. *Et exaltetur baculus qui in justam arborem non excrescet*] Alius sic vertit, *Et sic eam virgam levat ac si levaret baculum, non arborem:* vel, *cùm exaltet baculum, non arborem:* & sic interpretatur, *Baculus non est arbor, quæ ex sese fructum faciat, sed eo utitur Deus percussurus graviter.*

16. *Et subtus gloriam ejus*] Per *gloriam* illam intelligitur magnificus exercitus Regis Assyriorum, qui unâ nocte quasi per ignem in favillam redactus fuit. Vocat quoque eundem exercitum *silvam* magnarum arborum & *campum optimè cultum*, quòd per *Carmelum* intelligit, eò quòd magni in eo essent Principes, & multi ex agricolis & vinitoribus.

17. *Lumen Israel*] Intelligit Deum, qui futurus erat in *ignem* & in *flammam* peccatoribus, qui in morem *spinarum* & *veprium* consumentur.

19. *Et reliquiæ*] Evasit enim Rex cum nonnullis, qui tam pauci erant ut *puerulus* quisque *numerare eos* potuerit.

22. *Si enim fuerit populus*] Quod quidam sic interpretantur. *Si residuum quod convertetur in eo sit tantum quantus est numerus arenæ, adhuc tamen appellaveris reliquias.* Potest & sic dici, *Ex illa Judæorum infinitate reliquiæ tantùm servabuntur.* Quem locum Paulus ad Romanos produxit cùm docere vellet eos cur non mirandum esset si tam pauci ex Judæis converterentur, cùm hoc jam olim ab Esaia prædictum fuisset. ¶ *Consummatio abbreviata inundabit justitiam*] Ex compendiosa fidei prædicatione immensa justitiæ copia, quod per *inundationem* intelligitur, proficiscetur. Vocem autem illam *abbreviata* alii verterunt *decreta & acris*, alii *perfecta.*

24. *Super te in via Ægypti*] h. e. Sicut olim in Ægypto servierunt, & ab ea tandem servitute fuerunt liberati.

26. *In petrâ Horeb*] Sicut Horeb & Zeb, duo Principes, victi sunt Jud. 7. *Occisi autem sunt, Horeb in petra Horeb, & Zeb in torculari Zeb.* ¶ *Et virgam suam super mare*] Sicut, inquit, olim aquis Rubri maris Ægyptios prostravi solâ baculi elevatione per Mosen, &c.

27. *A facie olei*] Uncti videlicet Christi.

28. *Veniet in Aiath*] Descripturus exercitûs Sennacherib perditionem, iter ejus ex Ægypto versùs Jerusalem primùm describit.

30. *Hinni voce tuâ, filia Gallim*] Transire dicitur tanto furore, ut ejulans civitas illa audiatur in ultimis finibus Israel, nempe in Dan, ubi est origo Jordanis, quæ hic *Laisa* vocatur.

32. *Adhuc dies est*] Vel, *Adhuc ipsâ die stare poterit in Nobe.* Futura quasi præsentia describit Propheta, quasi jam ventum esset ad Nobe ubi esset pernoctandum.

34. *Confringet ramum*] Tandem interitum exercitûs narrat.

34. *Per fortem cadet*] Nempe per Angelum.

F O R E R I U S.

1. VUlt, ni fallor, Propheta his primis versibus explicare præcipuam causam illius vastationis populi Israelitici quæ per Assyrios contigit, nempe injustitiam, & oppressionem pauperum & cæterorum qui humano favore aut viribus destituuntur. Neque alia frequentior causa est eversionis Regnorum. ¶ *Statuentibus*] חקק Hebræis propriè est *constituere formam* alicujus rei, *imprimere imaginem* seu *effigiem*: & haud dubiè Hebræis idem est quod Græcis χαράττω. Hinc חקק participium & nomen ejusdem significationis מחקק part. secundæ, *qui constituit formam aliquam & constituit normam vivendi.* Sed de hac voce & loco Gen. 49. Vide infrà 33. *Jehova judex noster, Jehova legifer.* ¶ *Iniquitas*] Nomen און est à verbo אוה, quod Hebræis est *affectavit, desideravit, concupivit*: & accipitur nomen hoc plerumque in malum, dicitúrque de affectu illo pravo & naturæ vi quâ quispiam alteri dolorem & vim infert, aut ipse afficitur. Psal. 6. *Discedite à me, operarii violentiæ.* Ad quæ verba alludens Dominus Matth. 7. de illis ea videtur interpretari qui *per nomen Domini prophetaverunt, dæmonia ejecerunt*, &c. i. de Pseudoprophetis & ipsorum traditionibus. Interpres Matth. dixit ἀνομίαν, Lucas ἀδικίαν. Conjungitúrque sæpe nomen hoc cum nomine עמל, ut hoc loco vides. Num. 23. dicitur, *Non vidi violentiam in Jacob, neque laborem in Israel.* Ex quo loco deinde omnes Prophetæ hanc phrasim sumentes (est enim Moses fons omnium prophetarum) ad *impietatem*, i. impiam doctrinam, & *idololatriam* seu *superstitionem*, transtulerunt; vel etiam ad *oppressionem innocentium*, quos impii ex innata illa vi dolore afficiunt & laborare faciunt. Possumus ergò hæc *statuta* interpretari vel de legibus Politicis quas ferebant Principes & Magistratus ad propriam ipsorum utilitatem summa cum pauperum injuria, ut mox sequitur; vel de interpretationibus & additionibus impiis quas addebant ad Divinam legem, perversè illam interpretantes, cujusmodi erat illa tempore Christi circa præceptum de Honorandis parentibus.

2. *Ut opprimerent*, &c.] Verbum נטה in tertia activum est, *inclinare, declinare*, &c. nomen autem מדין *tribunal* sign. ut apparet ex Judic. 5. *Qui vehimini asinabus albis, sedentes super tribunali*: sic enim vertendus est locus: quòd non malè reddidit Vulg. *Sedetis super judicium.* Unde & pro ipso *judicio* videtur hîc accipiendum. *Inclinare* autem *judicium* seu *sententiam pauperum* seu *exhaustorum* est torquere judicium, & facere ut causâ cadant. Sensum Vulgatus reddidisse contentus fuit. Est ergò nomen deductum à verbo דין, vel דון. Sunt tamen quibus videtur מ esse præpositio, q. d. *ad declinandum à judicio exhaustos, ne illis jus diceretur*: nam דין *judicium* est: sed priori sententiæ libentiùs accedo. Quid si מדין sit à verbo מדד, & *mensuram* significet, pro מדין? & vertendum sit *ad inclinandam mensuram exhaustorum?* quo tropo significat injurias quas patiebantur pauperes in emptionibus & venditionibus & rerum commutationibus. Nam alibi *inæqualia pondera & mensuras iniquas* objicit. Unde illud, *Quâ mensura mensi fueritis, remetietur vobis. Inclinare* ergò *mensuram* est inæqualiter jus dicere divitibus ac pauperibus: quod mox versu seq. explicare videtur. Nec reprobanda est hæc interpretatio. ¶ *Pauperes*] Ego *exhaustos* soleo vertere, ut propriam significationem vocis Hebrææ retineremus. Est enim דלל *exhaustum esse, extractum* seu *attenuatum esse exhauriendo.* Indè nomen דל *exhaustus facultatibus* seu *viribus, attenuatus, tenuis fortunæ homo*; & opponitur nomini עשיר. ¶ *Et vim facerent*, &c.] Ego Hebraismum retinui, *ad rapiendum judicium.* Est phrasis Hebræis familiaris, quâ etiam vulgò utimur. *Rapuerunt judicium* seu *justitiam*, i. vi abstulerunt jus, nè juxta jus & æquum pauperes judicarentur. ¶ *Humilium*] Sicut Hebræis Pauperes ab *exhaustis facultatibus* דלים, ità ab *oppressione* seu *humiliatione* dicuntur עניים, vel potiùs quòd *eis nemo subveniat, neque juxta votum quidquam eis respondeat*, ut jam superiùs annotavi. ¶ *Ut essent*, &c.] Quasi huc tendant illa statuta ut liberè simul & specie aliquâ aut religionis aut justitiæ possint jus eripere pauperibus, pupillis ac viduis. At legislatores omni affectu vacuos esse oportebat, quasi Reip. leges conderent in qua non essent victuri.

3. *Visitationis*] Quid verbum usitatissimum פקד significet Hebræi aut ignorant aut non satis exprimunt. Accipitur autem nunc in bonam nunc in malam partem; nec uno verbo Latino commodè semper reddi potest; est enim nunc Gratiæ & Beneficii, nunc Iræ seu Pœnæ. Itaque puto idem esse quod Latinis *rationem habere, sumere, inire, ducere rationes*, & similia. Redditur igitur commodè nunc verbo *visitandi*, nunc *requirendi*, nunc *recensendi*, quæ affinia sunt. Nam qui *visitat*, ille *requirit*; & qui *requirit*, ille *recenset*, & ejus rei curam habet: & contrà qui *recenset*, is *requirit*; & qui *requirit*, is *visitat.* Estque sem-

semper superioris erga inferiores. Nomen ergò פקדה, quod hîc habetur, est *visitatio*, *inspectio*; *requisitio*, *officium inspectionis*, *munus Episcopi*, *officium demandatum*, *præfectura*, *delegatio*. Vide infrà cap. 60. ¶ *Et calamitatis*, &c.] Heb. *& tempestati è longinquo veniet*. Deest relativum, quod sæpius omittunt. Est autem Hebræa phrasis, quâ etiam nos Lusitani utimur, *Quid facietis tempestati?* i. Quomodo vos geretis adveniente tempestate, vel quando ingruerit tempestas? Tempestates autem quæ è longinquo adveniunt impetuosiores sunt. Hic versus omninò significat, *Immitibus*, & qui affectus humanitatis exuerunt, *imminere judicium absque misericordia*. Nam qui aliis in rebus peccaverunt, si misericordes in fratres fuerint, habent quod faciant in die visitationis & tempestatis: habent enim placatum Judicem. Nam quæ indigentibus dederunt, Christo Domino dederunt. Et pauperes ipsis sunt patroni, qui tandem eos *in æterna tabernacula recipiunt*. Interim verò *Eleemosyna orat apud Deum*, ut loquitur Scriptura. Habere enim quod faciant, est non carere remedio. ¶ *Pro auxilio*] Hic interdum est usus literæ ל: לעזרה *pro auxilio*: non est enim qui crudelibus subveniat. ¶ *Ubi relinquetis gloriam vestram?*] Nomen כבוד non tam hîc *gloriam* quàm *gloriosos ipsos Principes & Magistratus* significat; qui plerumque evadere solent ex prælio, & ad loca tuta naturâ & arte munita confugere, aut etiam auxilia ab amicis Regibus petere, quibus amissam provinciam rursus recipiant: quando autem ipsi quoque Principes in potestatem hostium veniunt, actum est de Regno. In superioribus non semel ità accipi hoc nomen vidisti, & sæpius aliàs. Quæ sequuntur, hoc confirmant.

4. *Ne incurvemini*] כרע *curvavit*, scilicet *crura*. Et hoc differt à verbo השתחוה, quod *prosternere se in terram corpore & facie* significat. Qui hæc à superioribus distinguunt, sensum afferunt nimis violentum. Ego Vulg. secutus בלתי pro *ne* accepi. *Quò*, inquit, *se proripient Principes tui*, *ne sub vincto*, i. *sub vinctis*, aut potiùs *pro vinctis*, *curventur*, *& pro interfectis*, i. tanquam interfecti cadant? Is enim usus est interdum vocis תחת. אסיר collectivè accipi videbis Psal. 79. & alibi. Significat ergò Principes aut interficiendos aut inter captivos abducendos.

5. *Væ*] הוי hoc loco Compellantis esse videtur. *O Assur*, *ipsa est virga iræ meæ*, *& baculus*: quod exponens ait, *in manu eorum* (scilicet *Assyriorum*) *est furor meus*: i. O Assyrii, vos estis ministri iræ & furoris mei.

6. *Fallacem*] Vacant Hebræi *hypocritam* hoc nomine חנף, à verbo quod sign. *aliam speciam præ se ferre quàm antea habuit* aut *quàm habere debuit*. Nam & Latinè *tectum hominem* appellant & *obscurum*: cui opponitur *apertus*, *candidus*, *sincerus*. Latini nunc verbo *contaminandi*, nunc verbo *polluendi* verterunt, & nomen ipsum nomine *hypocritæ*: ut vel hinc videas illos esse propriè *contaminatos* & *infectos* qui ficti sunt, illámque speciem sanctitatis fictitiam esse in oculis Domini insignem *contaminationem*. Quod genus hominum describens Paulus ait, *Speciem virtutis habentes*, *virtutem autem ejus abnegantes*. ¶ *Populum*] *furoris mei*] Vel *ardoris*. Vocant autem *populum furoris sui* in quem furorem suum effunderet & quem duriter tractare decreverat: ut videas quantùm illum populum peccata immutarint, ut eum quem *primogenitum suum* & *filium dilectum*, & *quasi peculium* vocare consuevisset, nunc *populum furoris sui* appellet. ¶ *Mandabo*] Similis constructio hujus verbi צוה est Jer. 27.

7. *Non sic arbitrabitur*] De verbo דמה vide suprà 1. 9. quibus adde quòd juxta secundum modum significandi, quo sign. *assimilare*, notet quoque *formare similitudinem in animo*, i. quod quodammodo etiam est facere silere seu acquiescere ut scilicet res rei consentiat. ¶ *Ad conterendum*] Vel *ad abolendum*: nam id propriè sign. verbum שמד. Latini nunc verbo *delendi*, nunc *dissipandi*, nunc *disperdendi*, nunc *atterendi*, nunc *dissolvendi* reddiderunt. Verùm ubique verbo *abolendi* reddere aptè poteris. *Ego*, inquit, *illum misi ut tanquam virga punirem populum in quem iratus sum*: *Ille verò neque se à me missum cogitabit*, *neque leviter affligere*, *sed funditus perdere in animo habebit*. ¶ *Gentium non paucarum*] Sic ferè omnes reddiderunt vocem מעט. Ego quia non memini in sing. מעט sic accipi, cum negatione adjunctum verbo, adverbium esse credo, i. *non parùm*, *omninò*, *funditus*. Videtur enim quòd de populo tantùm Israelitico nunc loquatur Propheta. Non tamen aliorum interpretationes damno.

8. *Principes mei*] שר *Princeps* est: & si propriè accipiatur, est, *qui mensuratam habet aliquam gubernationem*. Non malè hoc loco *proceres* diceres. ¶ *Reges simul sunt*] Proceres mei in palatio meo, Reges quoque sunt, ut *Rex Regum* dici meritò possim.

9. *Et ut*] Heb. *si non*. Estque vel Jurantis, vel Affirmantis; *Disperеam*, *si non Hamath*, &c. vel, *Videant*, *si non acciderit*, &c. Potentissimæ autem fuerunt illæ civitates.

10. *Invenit manus mea Regna*] i. Potentia mea venit ad Regna ut ea apprehenderem & caperem sicut rem quampiam manu, neque eam potuerunt effugere. Vel potiùs est phrasis Hebræis peculiaris, *Invenit manus mea Regna*, i. Regna venerunt in manum meam & redacta sunt in meam potestatem: quemadmodum in Psal. *Dextera tua inveniat eos qui te oderunt*. *Regna* autem *idoli* vocat quæ idola colebant. ¶ *Sic & simulacra eorum*] *Sic* addidit Vulg. de suo. Mihi videdetur כ esse Comparationis, & isti duo versus conjungendi ad hunc modum, *Quemadmodum Regna idolorum venerunt in potestatem meam: erant autem plura simulacra eorum quàm Jerusalem & Samariæ: nónne*, *inquam*, *quemadmodum feci Samariæ*, *sic faciam Jerusalem?*

11. Notandum autem quòd S. literæ sæpissime *idola* vocent nomine עצבים, eò quod cultus eorum conscientiis, multum doloris ac laboris afferat: nam verbum עצב est *discruciare animum*, *contristare*, *dolore afficere*. In his autem versibus satis manifestè apparet quàm facilè Homo Divinas metas transgrediatur; cùm tamen cæteræ creaturæ suis sint contentæ terminis. Commendat enim Scriptura obdientiam quam servant Aquæ, quibus Deus arenam posuit pro meta, ut in ea frangerentur tumentes fluctus. Unde quidam de elemento Aquæ ex Davide cecinit,

——— ——— resonantia plangit
Litora, *præscriptas metuens transcendere metas*.

Voluntas quidem Domini erat quòd punirentur Israelitæ, sed non quòd omninò deleretur Regnum illud: at Homo hujus voluntatis minister omnia sibi pro arbitrio putat licere. Considera etiam quòd cùm Idolis vim Divinam hic Tyrannus inesse crederet, tantùm ex hoc quòd sibi non restitissent existimabat Deo vires defuisse ad resistendum, quasi repugnaret Divinæ bonitati permittere quòd sui cultores aliquid mali patiantur: ut videas Humani cordis superbiam simul & ignorantiam? Quòd autem non culpæ duceret coli Idola, vel illa argumentatio satis ostendit quæ à majori ad minus est, *Quod feci Regnis quæ plura Idola habebant*, *non faciam Regno quæ pauciora?* nam si peccatum putabit Idola colere, malè colligebat.

12. *Cum impleverit*] Ego, *studiosè compleverit*, vel *magno cum studio ac contentione absolverit* vel *perfecerit*. Nam sicut verbum נשך *mordere* sign. & *fœnus exercere*, eò quòd fœnus homines mordeat, sic verbum בצע *vulnerare* sign. atque *exercere avaritiam*, quæ tanquam gladius hominem vulnerat & illius sanguinem exsugit & substantiam absumit: Sed quia sermo Latinus non patitur ut *vulnerare* pro *avaritiam exercere* dicamus, nunc illo modo nunc hoc reddere oportet. In secunda verò conjugatione, in qua hîc legitur, accipit modum significandi ab altera conditione avari, quâ naturâ cupidus est & avidus aliquid complendi, & tam in bonam quàm in malam partem solet capi. Hîc vides quantâ irâ & vindictæ studio exarserit Dominus adversùs populum suum, & quàm verè illum vocaverit *populum furoris sui*. ¶ *In monte Tcion*] Vel *adversùs montem Tcion*. ¶ *Cuncta opera sua*] *Omne opus*, vel *totum opus*. Quia verò non intermittebat populus peccata, etiam inter afflictiones, non intermittebat quoque Dominus opus suum. Ex hoc quoque loco habes, quàm proprium sit supremæ illi Bonitati improbos punire. ¶ *Visitabo*] Vel *requiram*. Quamdiu virga necessaria est integra servatur: Quando autem nullus usus ejus jam ampliùs est, & ipsa quoque confringitur & in ignem mittitur. Non est ergò quòd glorientur victores populi si victoriâ potiuntur: postquam enim victi pœnas dederint meritas, Dominus quoque requiret super victorum insolentia atque crudelitate. ¶ *Magnifici*] Nomen גדל in abstracto *magnitudinem* seu *magnificentiam* declarat: ad verb. *super fructu magnitudinis cordis Regis*, &c. Vocat autem *fructum magnitudinis cordis* ea quæ ex arrogantia cordis & elatione animi atque superbia proveniunt. Et quod sequitur idem quoque declarat, *super decore* (*seu gloria*) *elationis oculorum*, i. super elatis oculis ejus cum fastu & majestate omnia despicientis: quæ omnia à v. 7. usque ad 11. continentur, & mox sequentibus explicantur. Est enim Cor veluti radix cogitationum atque actionum nostrarum; & prout affectum est, tales quoque fructus producit, ut in Euangelio Dominus Matth. 15. docet. ¶ *Decore*] Heb. תפארת, à verbo quod *ornare* seu *decorare* sign. Græcis μεγαλοπρέπεια. Psal. 78. Vulg. *pulcritudinem* dixit: *Dedit in captivitatem potentiam ejus*, i. Arcam, *& decorem ejus*, i. cultum,

tum, *in manum hostis.* Nam loquitur de cultu in Silo decenter instituto. Sic & Paulus hortatur ut in Ecclesia *omnia decenter & secundùm ordinem fiant.* Hanc eandem vocem videtur ipse Paulus nunc *gaudium* nunc *coronam* reddidisse: & ad Phil. 4. utramque simul complexus dixit, *Gaudium meum & coronam meam:* & 1 Thess. 2. *Gaudium, & corona gloriæ:* quæ verba videtur accepisse ex Ezec. 24. *In die quo tulero ab eis gaudium decoris sui.* Hîc ergò accipere possumus pro *venustate* & *gratia*, quam qui sibi placent, & cui omnia ex sententia succedunt, in oculis præ se ferunt, qui sunt indices animi certiores quàm verba.

13. *In fortitudine manûs meæ*] Vel *potenti manu meâ.* Est autem כח non ἀρετὴ sed δύναμις, i. *fortitudo*, *robur*, *facultas*, &c. ¶ *Abstuli*] Vel *transtuli.* Est autem *translatio* seu *ablatio populorum* ejus qui ad libitum dominatur, qui miscet Regna & dividit Præfecturas ad suam utilitatem & libidinem; & habitatores sedes mutare compellit, quò reddat regiones pacatas, & rebellionum ac defectionum occasiones amputet. סר autem in tertia est *discedere facere*, i. *auferre*, *transferre*, &c. Gen. 48. *Transferret de capite Ephraim*, &c. ¶ *Principes eorum*] Variant Interpretes in hac voce; & radix quidem manifesta est, עתד, i. *institit*, *incubuit operi*, *instanter exercuit.* Neque probo quod Hebræi, & Sanctes eos secutus, dicunt, nempe quòd sit *præparare*, & עתידות esse idem quod *præparata*, i. thesauros. Et in re quidem facilè consenserim cum eis, sed etymologiam non probo: vocem enim credo significare *reposita* seu *thesauros*, *universamque supellectilem quibus possessores incumbunt.* Quia verò ab hac ipsa radice venit nomen עתודים, quod *hircos* & *arietes*, *quibus grex nititur & quasi incumbit*, & per translationem *Duces* & *Gubernatores populi* sign. ut Zach. 10. (de quo dicemus infrà 14.) idcirco Vulg. hîc *Principes* vertit; cùm tamen in hac forma alibi sic acceptum non inveniamus. In hac enim forma feminina hîc tantùm, & Deut. 32. reperitur: & in Deut. quidem *ea quæ imminent* significat; hîc autem *ea quibus incumbunt & student homines*, *promptuaria*, *reposita*, *thesauros*, & similia. ¶ *Quasi potentes*] De voce כאביר est hic controversia. Quidam enim sentiunt idem esse quod כביר, i. *multus*, *copiosus*, &c. & א interpositam per Epenthesim; quod in aliis nominibus interdum fit. Alii rectiùs dicunt, כ esse Similitudinis notam, & אביר pro *robusto* & *viribus pollente* accipiendum. Quid si עתידות *cubilia* interpretemur, & כאביר *stragulum?* id enim significare כביר perspicuum est, quasi ex multiplicibus pilis contextum, sicut מכבר. Sensus itaque iste erit *Cubilia eorum diripui*, *& deposui stragulum habitatorum*, seu *quietè habitantium*; quibus subitum adventum significat & omnimodam direptionem; quæ non est difficilis illis qui super in cubilibus jacentes irruunt. Et hic sensus sequentibus quoque congruit.

14. *Nidum*] Hebraismus *nidum* vocat non tam nidum ipsum quàm pullos avium qui adhuc nido continentur: Deut. 32. *Sicut aquila suscitabit nidum suum.* ¶ *Fortitudinem*] Jam suprà dixi propriam significationem hujus vocis חיל, quæ primariâ significatione *strenuitatem* declarat, quæ labore & exercitio constat, & facinora & præclarè facta quodammodo enititur: hinc pro *exercitu:* interdum & pro *substantia* seu *facultatibus strenuitate partis*, ut hoc loco, & Deut. 8. & Job. 20. *Strenuitatem*, *quam devoravit*, *evomet*, &c. Quod si ità est, non mirum quòd superiorem versum non tam de thesauris & bonis repositis quis velit interpretari, nè idem hîc repetere videatur Assur, quàm de subito adventu hostium, & potentia omnia disponendi ad libitum. ¶ *Sicut colliguntur*, &c.] Participium esse existimo, quasi scriptum sit OSEPH. Quemadmodum autem Latinis *colligo* est In unum redigo, interdum etiam Carptim aufero, ità hoc verbum Hebræis: neque alias significationes habet. Eleganti certè Metaphorâ ac similitudine potentiam suam exprimit, quâ in subjectos usus omnia & diripere & ad libitum disponere potuit: Neque sat illi fuit si se nidum invenienti, populos aviculis, substantiam ac liberos eorum pullis & ovis avium compararet, nisi etiam id quod avibus nunquam denegatum fuit, ut garriendo ac stridendo & querulis vocibus obstrependo ac volitando direptionem nidorum suorum quoad ejus fieri potest impediant, populos non fecisse præ timore & stupore affirmaret. Isti sunt fructus superbi cordis, quod gloriatur in alienis bonis quasi in suis, & in iis quæ accepit quasi non acceperit. Quam mentem procul abesse à suis vult Dominus, Deut. 8. *Ne dicas in corde tuo*, *Virtus mea & fortitudo manûs meæ fecit mihi divitias istas*, &c. & multis aliis locis. Adeóque illam Deus detestatur ut affirmet Moses in suo illo Cantico proptereà pepercisse Dominum populo suo, nè superbirent hostes eorum, & dicerent, *Manus nostra excelsa*, *& non Dominus*, *fecit hæc omnia.* Porrò quæ sequuntur satis hoc ipsum confirmant.

15. *Numquid gloriabitur securis*, &c.] Variant quidem docti interpretes hoc loco; neque sibi constant Rabini, & multa supplent absque ulla causa. Et quidem in priore versûs parte nulla est difficultas; at in posteriore non minima, quæ ortum habuit ab ignorantia significationis verbi נוף, cui cùm sex significationes, eásque diversas, assignent, propriam & veram dubito an assignaverint. Sed de hoc errore alias. Scito interim, Christiane Lector, unicam tantùm esse verbi significationem, scilicet *agitavit*, neque in vocibus ab hoc verbo deductis aliam quæras. Huc accessit quòd nomen שבט non putarunt in recto esse, cùm planus hujusmodi sit sensus, si in recto accipias; Posset quidem Assur sibi victoriam tribuere, si verè diceretur Baculum agitare & huc atque illuc circumagere eos qui se manu tenent atque elevant; aut si dum quispiam baculum levat, non lignum elevaret. At manifestum est & virgam agitari ab elevante, & baculum nihil aliud quàm quoddam lignum esse: Insana igitur est Assur gloriatio, qui per se nullas vires neque motum ullum habuisset ut noceret populo Dei, & tot aliena Regna occuparet, nisi hæc Divinitus accepisset, ipse verò nihil aliud sit in conspectu Dei quàm quoddam lignum putredini obnoxium, & mortalis quidam homuncio. Quæ sententia si mentibus hominum insedisset, non adeò *delirarent Reges*, neque adeò *plecterentur Achivi.* ¶ *Quasi qui elevat baculum*, *non lignum* elevaret] Supplevi relativum *qui*, & expressi verbum quod repetendum erat, nè Latinis auribus insuavis esset oratio, cujus concisio Hebræis est perelegans. Posses quoque vertere, *Quasi elevare baculum non* sit *lignum* elevare.

16. Habes in his versibus pœnam arrogantiæ Regis Assyriorum. Et primò quidem, dum floreret & victor aliorum Regna invaderet, eum comparat corpori pingui, cui scilicet integræ sunt vires, quas solet amittere dum in maciem & tenuitatem ex aliquo morbo aut inedia devenit. Quia etiam nihil sic res gloriosas, charas & pretiosas corrumpit & in nihilum redigit sicut Ignis, dicitur quòd *sub ejus gloriam ardere faciet ignem.*

17. *Lumen Israelis*, &c.] Quæ est hæc *lux Israelis* nisi Dominus ipse, quem mox *Sanctum ejus* appellat? Ipse, ipse, inquam, Dominus, qui *Israelitis* est *lux*, & quem ut *sanctum* Israelitæ colunt, Assyrios, veluti *ignis spinas*, *absumet.* Fortè alludit Propheta ad cultum Ignis, qui perpetuò ardebat & conservabatur in Templo. Cùm enim ibi esset perpetuus ignis ad perpetua sacrificia, & sanctitas in cultu vigeret, essent autem Assyrii in circuitu Jerusalem veluti spinetum quoddam, armis hispidi & ad pungendum parati, fingitur veluti è Templo egressus ignis qui milites absumpserit exercitúmque deleverit. Quemadmodum etiam ignis columna Judæis luci & Ægyptiis terrori erat, ità ignis Templi in lucem & sanctificationem fuit piis, Assyriis autem in vastationem & consumptionem. Quasi significare velit Propheta quòd propter cultum & religionem Dominus deleret hostes Israelis. De his vide in ultimis verbis cap. 31. ¶ *In die uno*] i. Simul & brevi tempore.

11. *Silvam* Metaphorice vocat constipationem armatorum militum, qui cristis, galeis & hastis densissimam silvam imitantur. Ità & *Carmelum* vocat copiosum commeatum & omnium rerum abundantiam quam secum deferebant. Ob fertilitatem enim loci abiit *Carmel* in proverbium apud Hebræos. ¶ *Ab anima usque ad carnem*] Hoc quoque proverbiali formâ jactatur, i. *penitus.* ¶ *Et erit terrore profugus*] Variant hoc loco Interpretes. Et מסס, ni fallor, est nomen à verbo מסס *liquefecit ut defluat:* nomen autem *liquefactionem* seu *dissolutionem* notat. Atque ità dupliciter interpretari possumus: *erit quasi res quædam levissima*, ut pulvis aut cinis, quæ non consistunt, sed vento tolluntur ac fugantur: vel *erit quasi dissolutio* seu *liquefactio*; i. dissolvetur sicut quæ liquescunt, ut in Psal. 68. *Dissipentur inimici ejus*, *& fugiant qui oderunt eum à facie ejus*, *sicut deficit fumus*; *deficiant*, *sicut fluit cera à facie ignis*, &c. Quod videtur sumptum ex libro Num. cap. 10. vel, *erunt sicut dissolutio fugientis*, i. sicut qui metu dissoluti aufugiunt. Hunc sensum, sive priorem, qui ferè idem est, libenter amplector, quòd verba propriè id sonant; & eundem expressit Vulg. ut qui in *liquefactione* metum intellexerit: nam Hebræi *liquefactionem cordis* Metum seu Terrorem vocant. Et ferè idem est quod Chal. *erit contritus & fugatus.* Qui autem *dissolutionem vexilliferi* hic afferunt, non placent: nam nullibi invenio נוסס *vexilliferum* significare in Scripturis, quamvis נס *signum* sit. Est ergo hîc נוסס participium in quadrata, quam vocant, conjugatione, neque desunt Rabini qui ità putent. Existimo autem quòd de ipso Rege Assyriorum sit sermo, qui, ut infrà dicetur, & in lib. Regum narratur, cæso exercitu nocte unâ per Angelum

Domini, cum paucis aufugit in Assyriam: vel de exercitu ipso & militibus quorum corpora, quasi igni absumpta, in cinerem resoluta sunt.

19. De paucitate autem loquitur ver. 19. qui ad verbum ità sonat, *Et reliquum ligni silvæ ejus numerus erunt*: i. Quæ relinquentur arbores erunt numerabiles, i. pauci numero erunt qui superfuerint à cæde illa, &c. Solent autem nomina militum conscribi. Quod munus pueris committi non consuevit, ut qui neque nomina numerorum teneant, neque rationes numerorum inire valeant.

20. *Et erit*, &c.] Fructum illius miraculi exponit. Videntes enim pii aliquot Israelitæ Dominum Jerusalem liberasse, cœperunt confidere Domino, ipsique inniti, neque ultra spem suam in hominibus collocare: qui licet interdum auxilium præberent, paulò tamen post, mutato animo, hostiliter ipsos vexabant. Assyrii enim, qui Ahaz opem tulerunt adversùs Regem Syriæ & Israel (ut suprà ostendimus) adversùs domum Jehuda, postea non semel profecti Judæam vastarunt. Sed quia Assyriorum fastus, crudelitas ac tyrannis imperium Diaboli ac Peccati designabat, ad mysterium & veritatem ab umbris transit. Nam & liberatio illa liberationem quæ per Christum facta est designabat, & qui tunc evaserunt Israelitæ eos qui ex Judæis ad Christum conversi sunt. Et has transitiones in Prophetis quas Judæi nolunt intelligere, cœci; & interpretes, qui Rabinos tanquam oraculum sequuntur in suis interpretionibus, parùm Christiani sunt. ¶ *Qui fugerint*] פליטה *evasio*, i. qui evaserint, & dicitur tam de personis quàm de aliis rebus. ¶ *In veritate*] Heb. באמת: sic vertendum est, non *ex fide*, ut quidam volunt. *Inniti* autem *in veritate* est Ex animo & verè, non fictè & oretenus, Domino confidere. Juvat autem ad confirmandam spem atque fiduciam nostram considerare beneficia Domini quibus suos ab exordio mundi prosecutus est. Sed numquid non insani sunt qui super percussores suos innituntur? Hujusmodi sunt mortales, qui ex amicis inimici sæpe fiunt. *Verè in Deo nostro salus Israel*, &c.

21. *Reliquiæ convertentur*] Quia *reliquos* & *qui evasissent* dixerat, nè quis fortè putaret ingentem numerum futurum Israelitarum Deo fidentium, *reliquias* hîc vocat. Et ex iis quæ sequuntur, atque etiam ex D. Paulo Rom. 9. apparet manifestè *reliquias* paucitatem declarare. Sunt autem hîc illæ duæ voces quæ nomen alterius filii Jesaiæ componebant: SEAR JASUB, i. *Reliquiæ revertentur* vel *convertentur*: Quod nomen suprà dixi mysterium significasse, nempe Quòd ex vastatione illa Israelitarum, & strage quam peccata ipsorum commeruerant, & hostes qui à Deo propter ipsa peccata immissi sunt, edidérant, pauci evaderent Israelitæ. Id manifestè hîc exponit Propheta, nempe quòd *reliquiæ Jacob*, quas significabat nomen illud filii sui, *converterentur ad Deum* גבור *prævalidum* seu *præpotentem*.

22. *Consummatio abbreviata*, &c.] In dubio non est quin prius nomen כליון sit à verbo quod & *consummare* & *consumere* significet, unde & *consummationem* & *consumptionem* reddere possumus: quamvis Deut. 28. *consumptionem* videatur omnino significare, *consumptionem oculorum*, &c. neque alibi legi. Posterius autem, nempe חרוץ, variè accipi potest, & adjectivè quidem optimè reddit Vulg. *abbreviata* vel *concisa*. Et sunt qui in malum accipiant, quòd *Deus justitiâ inundante & copiosâ abbreviavit populum illum atque consumpsit*. Sed neque constructio huic expositioni favet, neque præcedentibus & consequentibus cohæret. Nam si nomen *justitiæ* accipiatur in casu nominandi, tunc planior erit sensus, *consumptionem abbreviatam inundabit justitia*, Intellige autem per *consumptionem abbreviatam* pauculos illos & reliquias quæ ex Israele servatæ sunt, qui sanctissimi fuerunt, ut suprà jam dixit, *Omnem reliquum in Tcion sanctum vocandum*, &c. cap. 4. Quid si nomen חרוץ substantivè accipiatur, pro *rastro* seu *tribula*? ut infrà c. 28. & Amos 11. (nam hoc instrumento utuntur agricolæ ad comminuendas glebas post jacta semina in agro) significabit, quòd post *consumptionem* & vastationem illam quæ ventura erat populo Israelitico, similem illi comminutioni glebarum quæ fit rastro, vel excussioni granorum, quæ alio instrumento fit (de quo infrà 28.) *inundabit justitia*, eò quòd maxima fuerit donorum cœlestium abundantia postquam peccatum & infidelitas ferè totum Israelem vastasset. Qui sensus si placuerit, sic, consentientibus vocibus Hebræis, reddere poteris, *consumptionem rastri inundat justitia*. Nam *imminutio eorum divitiæ mundi*, ut inquit Apostolus.

23. Quod superiori versu כליון, hîc כלה ab eodem verbo, nempe *consummationem* seu *consumptionem* significat. *Abbreviationem* cum Vulg. reddere volui: nam Paulus Rom. 9. hunc locum citans reddidit per *συντέμνων*; i. *abbrevians*, *decurtans*, & Matth. 24. videtur redditum ἐκολοβώθησαν *decurtati fuissent*, & Mar. 13. *decurtasset* amputatâ scilicet aliquâ parte prioris mensuræ. Significat igitur hoc participium, tanquam nomen sumptum, *determinationem*, *decisionem* seu *decurtationem*, vel rei de qua dicitur, vel temporis. Et verbum ipsum Hebræum juxta materiam subjectam reddendum est: nam unicâ voce semper reddi non potest, respondet autem nostris *acuere*, *acutum esse*, *penetrare*. Possunt autem hæc accipi ut dixi superiori versu, pro *ipsis qui ex præcisione manserunt*; vel in malum, pro ipsa *consumptione*, ex qua superfuerunt reliquiæ. Illud autem *in medio universæ terræ* more Hebræorum accipe, i. *in medio hujus terræ*: in hac terra, ubi est nunc ingens numerus hominum: *in pluribus* enim *eorum non beneplacitum fuit Domino*. Nam Deus longè abest à nonnullorum insania, qui sibi multitudine hominum sibi subjectorum placent. Vides cum summa cum æquitate (ità videtur interpretari Paulus) ab infinita illa hominum colluvie qui erant veluti *arena maris* pusillum quendam gregem segregasse? Hoc vocat *verbum consummatum & abbreviatum*, i. rem brevem & decurtatam. Vel verbum quo illam abbreviationem effecit (omnia enim verbo suo facit Deus) dicitur *verbum consummans & abbrevians*.

24. *In via Ægypti*] Hebraismus est, i. quemadmodum Ægyptus. Sicut, inquit, ab Ægyptiis indigna passi estis, non tamen afflictio illa perpetua fuit, sed finem habuit, eundémque gloriosum vobis; nè despondeatis quoque animum cùm videtis Assyriorum adversùs vos ferociam & crudelitatem. Erit veluti flagellatio filii, quem pater corripit. Habitatores enim Hierosolymitani obsidione pressi sunt, & omnia quæ extra muros possidebant vastata sunt: sed non diu duravit illa vexatio, ut sequenti versu promittit.

25. *Paullulum, modicúmque*] Sic etiam legitur suprà 16. in fine מזער כמעט, i. *valde parum*, vel *post pusillum*, & *minus pusillo*. ¶ *Consummabitur*] Si de Assyriis est sermo, *consummabitur* dicendum est, i. ad summum perveniet, explebitur, satiabitur, ut nihil amplius exspectandum sit, neque diutiùs ferre possim: Si autem de Judæis (non enim relativum *eorum* obest, cùm sit frequens mutatio personarum Hebræis) dicendum *consumetur*, *finietur*, *cessabit*. Vide suprà v. 22, & 23. *consumetur & cessabit indignatio*. ¶ *Super scelus*] In voce תבלית non consentiunt interpretes. Crediderim ego quòd sit à verbo בלה; quod verbo *inveterascendi* reddi potest, & significare *inveteratam malitiam*. Et sicut nomen בלי ab eodem verbo transfertur ad significandam *corruptionem quæ vetustatem consequitur*, ut infrà cap. 38. ità hoc nomen congruè *inveteratam malitiam* & *morum corruptionem* videtur significare.

26. *Flagellum*] שוט sic dictum, quòd *circumpungat* & *circumagat*. ¶ *Super mare, & levabit eam*] i. Sicut *levavit virgam suam super mare, & super Ægyptios*, ut in mari perirent, ità super Assyrios, &c. Vers 24. dixerat, quòd *Assyrii percussissent Judæos, sicut Ægyptus*; hic autem quod *Dominus percussurus sit Assyrios, sicut Ægyptum. Justum enim est*, ut inquit Paulus, *quòd reddat Dominus vicem impiis qui* filios Dei *divexant*, sive Ægyptii sive Assyrii sint, etiamsi permittente vel etiam jubente Domino illud faciant: nam & quòd iniquo animo id faciant, & propter alia quoque scelera, irâ Dei digni sunt. Nec tibi durum videatur quòd cùm superioribus versibus de Christi tempore verba inseruerit, hîc rursum ad historiæ filum redeat. Nam is mos est Prophetis quoties Historia umbra & delineatio quædam est futuræ veritatis. Adde quòd quæ his versibus tribus commemorat, facilè neque nimis violentâ interpretatione in eos dicta accipi possunt qui reliquias illas sanctas persecuti sunt, quos Dominus delevit ante faciem servorum suorum. Facit hic locus ad confirmandos animos servorum Dei, adversùm quos etsi flumina & maria fluctus suos elevant, Dominus jubet ne animum despondeant. Nam tamdiu durabit afflictio quamdiu ira Domini adversùs impios non fuerit consummata: Consummatur autem brevissimo tempore si illi in sua crudelitate perseverent: *non enim relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum, ne extendant justi ad iniquitatem manum suam*.

27. *Auferetur onus*] Hæc etiamsi intelligi optimè possunt de ea libertate qua à Domino asserti sunt Judæi sub Ezechia, deleto per Angelum Domini exercitu Assyriorum, ut præcedentia & ordo historiæ postulant, non minus congruenter ad Mysterium referri possunt cujus Historia typus fuit. Illud autem *à facie olei*, i. propter unctum Ezechiam, vel propter Christum Dominum, vel potius (quasi in Metaphora perseveret sumpta ab Animalibus, quæ si pinguia sunt, præ pinguedine laxatis nexibus dissolvuntur juga, vel quòd nodos jugi induratos adhibito oleo seu pinguedine solvant agricolæ) *pinguedo* illa ad abundantiam & copiam spiritalium donorum & cœlestis unctionis refe-

referenda est, quâ qui uncti sunt facilè jugum mundi excutiunt, ut Tyrannos ipsi devinciant, usque adeò ab ipsis non constringantur. Judæi quoque sub Ezechia ditati Assyriorum spoliis & affluentiâ omnium rerum saginati in libertatem asserti sunt. Nota verbum חבל de classe esse eorum quæ contrarias habent significationes: significat enim *obligare* & *dissolvi*, *disrumpi*, &c. ¶ *A facie olei*] Nomen non *oleum* tantùm sed & universam *pinguedinem* sign. Quòd si de unctione Regum est sermo, rectiùs *oleum* quàm *pinguedinem* vertas.

28. *Veniet*, &c.] Describit per Hypotyposim celerem Assyriorum adventum, potentiam ac robur exercitûs, narrans quòd quocunque appulisset, omnia illi cederent, diffugientibus cunctis præ metu; ut victoriam & Dei virtutem magis illustrem reddat. Loca autem quæ commemorat in via erant venientibus ab Assyria versùs Jerusalem; quamvis, quantum conjicere possum ex Geographis, ordine oppida non enumeret. Quod Vulg. dixit *commendabit*, יפקד, dixi *recensere faciet*, clariùs aliquantulùm: & in tertia verbum ità reddendum videtur. Cùm à longinqua regione profecti fuissent, antè quam ad oppugnationem Urbis accederent, juxta peritorum Ducum consuetudinem arma instrumentáque bellica recensuerunt. Nomen כלי in genere omne *vas* vel *instrumentum* sign. & quidem Latinis vetustioribus omnis quoque supellex *vasa* dicebatur, perinde ut Hebræis.

29. *Cursim*] Ut adverbium accepit Vulg. quod nonnulli pro nomine proprio loci accipiunt, מעברה. Ego propter locum 1 Sam. 13. in quo de statione Philisthinorum dicitur quòd *egressa est ad* מעבר *Machmas*, pro *transitu* accipio, quem eodem libro cap. 14. videtur describere, per quem transivit Jonathas ad stationem Philisthinorum. ה vero in fine dictionis est terminatio feminina; nam in utraque forma reperitur. Latini *vadum* appellant, sed non nisi in fluminibus. Hebræi verò מעבר etiam montibus tribuunt, sicut Hispani *porto*, i. locus asper, angustus ac difficilis ad transeundum. Hinc Hebræis ביתעברה (quam vocem legimus in Euangelio) i. *Domus vadi* vel *trajectûs*, quòd ibi essent vada Jordanis, vel quòd cymbâ trajiciebatur in eo loco. Ego propter *Machmas*, cujus mentionem facit versu superiore, hîc potiùs *transitum* quàm *vadum* dicerem. ¶ *Sedes*] Hebræis מלון à *pernoctando*, *pernoctatorium* seu *diversorium* dicere licebit. ¶ *Nobis*] Mutat personam, quasi ipsi loquantur, vel לנו pro למו *ipsis*. ¶ *Obstupuit*] Verbum propriè *commotionem* sign. sive ex *cura* sive ex *metu*, apertam & visibilem, tam animi quàm corporis, vel utriusque simul; & opponitur *quieti* & *tranquillitati*.

30. *Attende Laisa*] Verbum קשב sign. *auscultare*, *attendere*, *intendere animum* seu *cogitationem*, *esse aure & mente attentum ad verba*, vel *ad personam*, vel *ad res alterius*. Monet igitur habitatores Laisæ nè despiciant voces ejulatûs habitatorum viculi *Anathoth*, sibi tantùm consulentes.

31, 32. *Migravit*] Vel *ablata est*, vel *aufugit*. Verbum enim נדד *motum celerem*, *commotionem celerem*, *fugam* seu *agitationem* sign. neque habet sermo Latinus unum verbum quo omnibus locis reddi possit hoc Hebræum. Quod sequitur, *habitatores Gabim confortamini*, potest reddi per præteritum *confortati sunt*, vel *obfirmati sunt*. Mihi non malè cohærere videtur cum priori parte sequentis versûs, *Obfirmemini: nam unius diei spatium* habetis quo *in Nob* exercitus hostium *subsistet*. Quòd si Ironicè dictum accipias, non malè conveniet. ¶ *Agitabit*] Propriam verbi significationem expressit Vulg. Interpres; de qua suprà v. 15. sed constructio hæc nova est, ut sit cum duobus accusativis absque ulla præpositione: nam quam addunt, *ad*, *super*, *contra*, &c. non est in textu, unde fortè sic reddendus esset locus, *Agitabit manus suas mons filiæ Tsion*, &c. Concussi sunt enim timore habitatores Jerusalem cùm adventum hostium intellexerunt, sicut suprà dixit quòd *commoti sunt sicut arbores silvæ*, & alibi, *sicut arundo in aquis*. Verùm dicere possumus omitti præpositionem in Hebræo, sicut sæpe consueverunt quando motum significant, *versùs montem*, &c.

33. *Confringet*] Vox סעף rara est, similiter & nomen פארה, quod *lagunculam* vertit Vulg. Hinc fit ut non planè nota sit earum acceptio & significatio. Congruit autem hujusmodi lectio cum victoria quam Israelitæ de Madianitis reportarunt, cui hanc suprà comparaverat: Confractis enim lagunculis magno cum terrore hostes fudit Gedeon. Si autem conjecturis locus est in investigandis nonnullarum vocum significationibus, videtur esse participium verbi secundæ conjug. quòd à nomine סעיף formatur, quod cujuslibet rei *protensionem* seu *prominentiam* significat, de quo suprà cap. 2. & infrà 27, & 57, & 17. ubi pro *ramorum prominentiis* sumitur. Similis autem formatio plerumque contrariam significationem inducit, & huic loco non malè convenit, *deramare*, (si Latinè diceretur) i. ramos præscindere. Nomen verò פארה manifestum est esse à verbo quod *decorare* seu *ornare* sign. & pro *frondibus*, quæ ornamenta sunt arboribus, accipi videtur Ezech. 17. ubi Vulg. *propagines* vertit; & 31. ubi Vulg. *frondes* vertit: & superiorem vocem, à qua diximus formari verbum, *ramos* interpretatus est, *In ramis ejus fecerunt nidos omnia volatilia cæli, & sub frondibus ejus genuerunt omnes bestiæ saltûs.* In quo quidem loco Ezechielis vides Regem Assur proceræ arbori comparari, cujus cùm perditionem narret, *confringendos ramos ejus & arbusta ejus* dicit, ut videatur locus hic Jesaiæ illis verbis Ezechielis explicari. Hoc autem loco Vulg. secutus Aquilam, qui κεράμιον vertit, *lagunculam* reddidit. At Lxx *gloriosos* interpretati sunt juxta nostram etymologiam. ¶ *In terrore*] Vel *cum terrore*. Verbum à quo vox מערצה derivatur non tàm *terrorem* quàm *violentiam* notat. Vide suprà 8. 12. hanc autem terror consequitur: unde & pro *terrore* capi potest.

34. *Et subvertentur*, &c.] Jam suprà de his similitudinibus dictum est: Ità enim succisi sunt quasi si quis magnâ vi ramos arborum in terram trahat, aut ferro arbores silvæ prosternat. Quoniam verò ille non intellexit se esse Securim quâ Deus aliorum Regna dejiciebat, iccirco arboribus securi dejectis comparantur milites ac duces ejus, & Libano, in quo cedri sublimes erant. Vide Ezech. 31. ¶ *Cum excelsis*] Vulg. accipit ב pro præpositione *cum*, & singulare pro plurali. אדיר est *peramplum*, *prægrande*, *præpotens*. Ego hic Angelum Domini significare arbitror, per quem Dominus Assyrios nocte unâ delevit: quod certè symbolum quoddam fuit illius victoriæ & occisionis spiritalis quæ per Dominum illum præpotentem patrata est, quando vis omnis atque potentia inimici corruit, aut illius quam postea per Apostolos exercuit, quando Tyrannos jugo fidei subdiderunt, & de mundo ejectus est hostis humani generis: Quæ omnia potentiâ illius fortis Domini JESU perfecta sunt. De qua mox apertiora oracula audies.

Juvat autem considerare Scripturæ hoc in loco brevitatem pariter & majestatem. Ubi descripsit hostium adventum & totius Judææ consternationem, mox nullâ transitione factâ opponit Dei in illos ipsos hostes potentiam, hostium subversionem, eandémque ipsi Deo facilem; ut in medio umbræ mortis jam sine metu ambulemus: quod Propheta ver. 20. hujus capitis quasi probandum seu persuadendum proposuerat, *Erit*, inquit, *in die illo, non adjiciet residuum Israel inniti super eo qui percutit eos, sed innitetur super Dominum sanctum Israel in veritate.*

DRUSIUS.

4. וְתַחַת הֲרוּגִים יִפֹּלוּ. Alius, καὶ ὑποκάτω τῶν ἀνῃρημένων πεσοῦνται, *& sub interfectis cadent.*] Hæc apud Procopium margini adscripta sunt sub Asterisco.

14. וּפֹצֶה פֶה וּמְצַפְצֵף. Alius, καὶ ἀνοίγων τὸ στόμα, καὶ στρουθίζων, *& aperiens os, & passeris in morem stridens*] Et hoc ibidem additum est sub asterisco.

17. וּקְדוֹשׁוֹ לְלֶהָבָה. Sym. καὶ ὁ ἅγιος αὐτοῦ εἰς φλόγα, *& Sanctus ejus in flammam*] Ex Comment. Eusebii.

18. וְכַרְמִלּוֹ. Sym. *Carmelus*] Ex eodem Eusebio.

26. צוּר עוֹרֵב. Aq. *petra Oreb.* Sym. Th. Σὼρ Ὠρὴβ, *Sor* vel *Sur Oreb*] In libro Locorum, *Sur Oreb*, quod Aquila interpretatur *petra Oreb.* ¶ Σὼρ, vel potiùs Σόρ. Nam Σὼρ *Tyrus*, unde *Sarra*, & Pœnos Ennius dixit *Sarrâ oriundos.*

30. צַהֲלִי קוֹלֵךְ. Alius, χρεμέτισον φωνῇ σου *ede vocem tuam ceu hinnitum.*

33. פֻּארָה. Aq. κεράμιον *figlina.* Sym. Th. ληνὸν *torcular*] *Figlina*, i. figuli officina. ¶ *Torcular*, ità Hieron. cùm Græca vox potiùs denotet *locum torcularis*, i. יקב.

IDEM EX PROCOPIO.

2. וְלִגְזֹל מִשְׁפַּט. Aq. Sym. Th. καὶ ἁρπάζοντες κρίσιν *& diripientes judicium.*

4. בִּלְתִּי כָרַע תַּחַת אַסִּיר. Th. τοῦ μὴ κάμψαι ὑπὸ δεσμόν, *nè incurvemini sub vinculo.* ¶ וְתַחַת הֲרוּגִים יִפֹּלוּ. καὶ ὑποκάτω ἀνῃρημένων πεσοῦνται, *& sub interfectis corruent.* ¶ אַפּוֹ. Lxx ἡ ὀργὴ *ira.*

6. לִשְׁלֹל שָׁלָל. τοῦ ποιῆσαι σκῦλα *ut faciat spolia.*

7. לְהַכְרִית גּוֹיִם לֹא מְעָט. Aq. Sym. Th. similitérque Lxx ἔθνη οὐκ ὀλίγα, *gentes non parum.*

10. כַּאֲשֶׁר מָצְאָה יָדִי לְמַמְלְכֹת הָאֱלִיל. Th. καθάπερ εὗρεν ἡ χείρ μου τὰς βασιλείας τοῦ εἰδώλου, *Quemadmodum invenit manus mea Regna idoli.*

14. יָדִי. Π. τῇ χειρί μου *manu mea.* ¶ וּפֹצֶה פֶה וּמְצַפְצֵף.

Th. καὶ ἀνοίγων τὸ στόμα, καὶ στρουθίζων, *& aperiens os, & passeris in modum stridens.*

17. וְהָיָה אוֹר־יִשְׂרָאֵל לְאֵשׁ וּקְדוֹשׁוֹ לְלֶהָבָה. Sym. καὶ ὁ ἅγιος αὐτοῦ εἰς φλόγα, *& sanctus ejus in flammam.* ¶ וְאָכְלָה שִׁיתוֹ וּשְׁמִירוֹ בְּיוֹם אֶחָד. Sym. καὶ καταφάγεται τὰ ἀποκείμενα αὐτοῦ καὶ τὰ πεφυλαγμένα αὐτοῦ ἐν ἡμέρᾳ μιᾷ, *& devorabit reposita ejus & custodita ejus in die una*: sive *recondita ejus & qua ab ipso servantur*; ut habet interpres Procopii.

18. וּכְבוֹד יַעְרוֹ וְכַרְמִלּוֹ מִנֶּפֶשׁ וְעַד בָּשָׂר יְכַלֶּה וְהָיָה כִּמְסֹס נֹסֵס. Sym. καὶ ἡ δόξα τοῦ δρυμοῦ αὐτοῦ καὶ τοῦ Καρμήλου αὐτοῦ, ἀπὸ ψυχῆς ἕως σαρκὸς ἀναλωθήσεται, καὶ ἔσται ὡς τετμημένος φεύγων, *& gloria saltûs ejus & Carmeli ejus ab anima ad carnem ejus consumetur, & erit tanquam casus fugiens.*

19. וּשְׁאָר עֵץ יַעְרוֹ מִסְפָּר יִהְיוּ וְנַעַר יִכְתְּבֵם. Sym. τὰ δὲ ἐπίλοιπα τῶν ξύλων τοῦ δρυμοῦ αὐτοῦ ἀριθμοῦ ἔσονται, καὶ παιδίον γράψει αὐτά, *reliqua verò ligna saltûs ejus numero pauca erunt, & puer scribet ea.* Th. παιδάριον. Aq. παῖς.

22. עַמְּךָ. Th. ὁ λαός σου.

23. אֲדֹנָי יֱהוִה צְבָאוֹת. Aq. Κύριος ὁ Θεὸς στρατειῶν. Sym. Th. τῶν δυνάμεων.

24. יַכֶּכָּה. Aq. ἀρεῖ. Sym. ἐπαρεῖ. ¶ בַּשֵּׁבֶט יַכֶּכָּה וּמַטֵּהוּ יִשָּׂא־עָלֶיךָ בְּדֶרֶךְ מִצְרָיִם. Sym. ἐν ῥάβδῳ πλήξει, καὶ τὴν βακτηρίαν αὐτοῦ ἐπαρεῖ ἐπὶ σε διὰ τὴν ὁδὸν Αἰγύπτου, *virgâ percutiet, & baculum suum elevabit supra te propter viam Ægypti.*

26. יְהוָה צְבָאוֹת. Th. Κύριος τῶν δυνάμεων, DOMINUS *exercituum.* ¶ בְּצוּר עוֹרֵב. Sym. ἐν Σοὺρ Χωρήβ, *in Sur Choreb*] Procopius annotat *Sur* esse nomen deserti, *Choreb* autem montis.

27. וְחֻבַּל עֹל. Th. καὶ διαφθαρήσεται κλοιὸς *& corrumpetur boia.*

28. בְּמִגְרוֹן. Th. Μαγγεδών. Aq. Sym. κατὰ τὸ Ἑβραϊκὸν, Μαγρών, i. *Magron*] מִגְרוֹן *Magron*, ut מִדְיָן *Madiam.*

29. מָלוֹן. Aq. αὐλιστήριον *diversorium.* Sym. αὐλισμὸς *pernoctatio.* Th. κατάλυμα *diversorium*] Αὐλιστήριον, ut ἐκλυτήριον.

30. צַהֲלִי קוֹלֵךְ. χρεμέτισον φωνῇ σου, *hinni voce tuâ.* ¶ לַיְשָׁה. Aq. ἐν Λαΐς. Th. ἐν Λαΐς.

33. וְהַגְּבֹהִים יִשְׁפָּלוּ. Aq. Sym. Th. καὶ οἱ μετέωροι ταπεινωθήσονται, *& sublimes humiliabuntur.*

GROTIUS.

1. VÆ *qui condunt leges iniquas*] Imò *decreta*, sive *sententias.*

Et scribentes injustitiam scripserunt] Rectiùs sic: *Et scribis qui injusta scribunt. Scribas* intelligit jurisperitos, adsessores magistratuum, quorum erat officium judices ab officio declinantes monere.

3. *In die visitationis & calamitatis de longè venientis*] Assyria abusque.

4. *Ne incurvemini sub vinculo, & cum interfectis cadatis*] Optimè vertas: *Nisi quis se incurvaverit inter vinctos, aut inter occisos se abjecerit*, scilicet *non evadet.*

5. *Væ Assur*] Id est, Assyrio Sennacheribo, & exercitui ejus. Non impunè ferent qui decreta Dei non ob Deum exsequuntur, gloriámque victoriarum aut sibi aut idolis attribuunt.

In manu eorum] Id est, per eos.

Indignatio mea] *Severitas mea*, exercitus scilicet.

6. *Contra populum furoris mei*] Contra eos qui iram meam sunt meriti.

Mandabo illi ut auferat spolia, & diripiat prædam] Explicatio nominis *Mahar salal-hasbaz.*

Et ponat illum] Populum.

9. *Numquid non principes mei simul Reges sunt?*] Nonne & Reges habeo instrumenta servitutis? Sic postea Romani.

Numquid non ut Charcamis] *Circusium* ad Euphratem, 2 Paralip. xxxv. 20.

Sic Calano] Meliùs *ut Calano*: id est, *Callinisum*, de quo diximus ad librum I. de Veritate Religionis Christianæ. Aut potiùs *ut urbs Chalonitidis*; cujus terræ mentio apud Strabonem, Plinium, Dionysium Periegeten.

Et ut Arphad] *Ut Aradus.* Vide 2 Reg. xviii. 34.

Sic Emath] Rectiùs, *ut Emath.* Amathus Syriæ, 2 Reg. xvii. 24.

Numquid non ut Damascus sic Samaria] Supple *mea est*, pari jure quo urbes aliæ.

10. *Quomodo invenit manus mea*] Id est, bello peperit.

Regna idoli] Tot regna hujus aut illius minuti Dei, non comparandi cum Sole Deo Assyriorum.

Sic & simulacra eorum de Jerusalem & de Samaria] Veteris rectiùs: *Quorum simulacra præ* (Diis) *Jerusalem & Samaria.* Nam Deum Hierosolymorum habet in numero Deorum, ut populi unius numen. Vide 2 Reg. xviii. 34. 35.

11. *Sic faciam Jerusalem ac simulacris ejus*] In Hebræo, *terriculis ejus*: id est, diis ejus.

12. *Cùm impleverit Dominus cuncta opera sua in monte Sion & in Jerusalem*] Cùm eam urbem arctâ obsidione, quantum æquum judicat, castigaverit.

Visitabo super fructum magnificum cordis regis Assur] Animadvertam in cogitata ac verba ejus insolentia.

13. *Quasi potens*] Hic כ habet Patach, א verò sine puncto est: quæ scriptura Syriaca est, ut apparet Jerém. xxv. 36. Prov. xxx. 17. Ecclesiast. ii. 13. Zachariæ xii. 5.

14. *Sic universam terram ego congregavi*] Id est, addidi ditionibus meis.

15. *Et exaltetur baculus qui utique lignum est*] *Et baculus* (contra eum qui) *non est lignum*: id est, contra hominem qui se movere suapte vi potest. Illa quæ addidimus repetuntur ἀπὸ κοινοῦ [*ex dicto in commune*] ex superiore.

16. *Propter hoc mittet dominator Dominus exercituum in pinguibus ejus tenuitatem*] Ex maximis copiis paucissimi evadent, 2 Reg. xix. 35. & infrà hic 19.

Et subtus gloriam ejus succensa ardebit quasi combustio ignis] Transpositio, pro *quasi combustio succensa*, quasi rogus ardens. *Gloria*, id est, exercitus. Explicationem vide suprà ix. 5.

17. *Et erit lumen Israel in igne*] Deus erit vice ignis.

Et Sanctus ejus in flamma] Idem bis dicit.

Spina ejus & vepres] Qui Israëlem pupugerunt.

In die una] Id est, uno eodémque tempore. Nam nocte hoc evenit. Sic vocem *diei* sumi notavimus & alibi.

18. *Et gloria saltûs ejus & Carmeli ejus*] כרמל [*Carmel*] non semper nomen est proprium, sed significat & *campos consitos.* Perstat in comparatione incendii; & exercitum sub *silvæ* nomine depingit, cujus milites sint *arbores silvæ*, proceres *arbores consitæ.*

20. *Non adjiciet residuum Israel, & hi qui fugerint de domo Jacob, inniti super eo qui percutit eos*] Super Assyriis aut Ægyptiis, qui sub specie federum exitium Israëli meditantur.

21. *Reliquiæ convertentur*] Explicatio nominis *Sear-Iasub*, quod habuimus suprà vii. 3. *convertentur*: id est, redibunt in agros & minora oppida pauci, qui statim adventante Sennacheribo Hierosolyma se receperant, 2 Reg. xix. 31. 2 Paralipomen. xxxi. 1.

22. *Consummatio abbreviata inundabit justitiam*] Λόγον συντελῶν καὶ συντέμνων [*rationem conficiens & contrahens*] Græci. Sicut ubi rationes accepti & expensi exputantur, sæpe parva est quæ remanet summa: ità & tunc pauci erunt illi reduces, sed pleni virtutis.

23. *In medio omnis terræ*] Judææ. Exiguus erit populus præ eo qui fuit. Vide suprà vii. 21.

24. *In via Ægypti*] Id est, *ad modum Ægypti.* Sicut Ægyptios olim tractavit, sic tractabit Assyrios.

26. *Juxta plagam Madian in petra Oreb*] Judicum vii. 25.

Et virgam suam super mare] Id est, in mari Rubro.

27. *Et computrescet jugum à facie olei*] Jugum illud quod Assyrii Judææ imposuerant planè interibit, propter Ezechiam unctum sacro oleo. Alluditur ad vim olei, quod nodos quosvis facilè laxat.

28. *Veniet in Aiath*] Est ἐπάνοδος [*retrogressio*], quæ totum iter Sennacheribi describit. Ajunt autem Hebræi Assyrios decem dierum iter uno die confecisse: quod intellige de antesignanis illis præmissis sub Rabsace. *Aiath* sive *Haiath* est regio ubi Hai oppidum fuerat.

Transibit in Magron] 1 Sam. xiv. 2.

Apud Machmas commendabit vasa sua] Sarcinas ibi reponet quò sit expeditior. Vide 1 Sam. xiii. 2.

29. *Transierunt cursim: Gaba sedes nostra*] In Hebræo, *Transierunt vadum*, nempe Jordanis; *Gaba in diversorio pernoctarunt*, id est, ibi primùm sub tecto quiescent.

Obstupuit Rama] *Trepidavit Rama.* Ramam Benjaminis intellige, de qua Jos. xviii. 25. & Matthæi ii. 18.

Gabaath Saulis fugit] 1 Regum xiv. 2.

30. *Hinni voce tuâ, filia Gallim*] *Ejula. Filia*, id est, oppidum *Gallim. Anathoth* (unde Jeremias i. 1.). *Medemena, Gabim* ad Benjaminem pertinent.

Attende Laisa] Meliùs; *Fac audire Laisam*: ità altum ejulatum tolle, ut ad ultimos fines exaudiatur, ubi Laisa. Judic. xviii. 7.

Paupercula Anathoth] Id est, misera erit.

31. *Habitatores Gabim confortamini*] Meliùs: *congregarunt se*, nempe ad fugam.

32. *Adhuc dies est ut in Nobe stetur*] Post tot loca capta restabit adhuc satis diei ut Nobam perveniatur; unde Hierosolyma cerni poterat. Vide 1 Samuel. XXI. 1. Nehem. XI. 32.

Agitabit manum suam super montem filiæ Sion, collem Jerusalem] Minatus dira est urbi, 2 Reg. XVIII. 19. & sequentibus, XIX. 21. & sequentibus.

33. *Confringet laguncuIam in terrore*] In Hebræo: *Abrumpet ramum istum terribiliter.* Per *ramum* autem intelligendus videtur Rabsaces, qui & Urbem & Deum contemserat.

Et excelsi staturâ succidentur] *Excelsæ*, supple *arbores*: per quas Principes significantur.

Et sublimes humiliabuntur] Idem bis dicit, ut sæpe.

34. *Et subvertentur condensa saltûs ferro*] Virgulta, id est, milites.

Et Libanus cum excelsis cadet] *Libanus per fortem cadet.* Libanus mons arbores plurimas sustinet: sic Rex sustinuerat exercitum. Is autem cadet per potentem, id est, per ipsum heredem regni destinatum, 2 Reg. XIX. 37.

CAP. XI.

MUNSTERUS.

1. DE *stirpe Isai*] Est גזע propriè *truncus qui resectâ arbore adhuc cum radicibus manet in terra*, unde temporis successu repullulant surculi. Et intelligitur totum istud caput, etiam secundùm Judæos, de Meschia, sub quo Regnum Israel reparari debuit, non corporaliter, ut Judæi expectant, sed in spiritu. Nascetur, inquit Christus, cùm truncus & successio Isai desperata fuerit, quando nemo cogitabit de tribu David, eò quòd Regnum David jam diu abolitum fuit, & Herodes alienigena esset Rex. Illo, inquam, tempore, cùm Regnum & Sacerdotium amissum fuerit, atque truncus Isai emortuus, quando Regnum David translatum fuit in aliam Tribum, tunc repullulabat truncus Isai. Hic enim est ordo Dei in operibus suis, ut tempore desperationis tempus sit salutis; & cùm longissimè abesse videtur, proximè adesse credendus est. Describitur deinde apparatus Regni Christi. Et quia est Regnum spirituale, administratur per Spiritum sanctum, qui omnia operatur in hoc Regno. Ostendit autem qualis sit Spiritus Domini. Est, *Spiritus sapientiæ, scientiæ*, &c.

3. *Et faciet odorari eum*] Kimhi hunc locum sic exponit, *Tanta prudentia & scientia erit in eo ut quasi odore narium discernere possit inter pios & impios, nec opus sit illi ut aliquid videat oculis suis, & audiat auribus suis, cùm tam sublimi sapientiâ Divinâ sit replendus ut nihil eum latere possit de factis hominum.* Nos verò Christiani asserimus hic insinuari Divinitatem Christi, cùm ipse *intueatur cor & renes, sciátque quid sit in homine.* Id voluit Propheta exprimere subtilissimo & spirituali sensu Odoratûs.

5. *Fides cinctorium*] Capitur hìc *fides* pro *fidelitate*: ut sit sensus, *justus & fidelis erit.* Jonathan tamen sic hunc locum vertit, *Et erunt justi per circuitum ejus, & cultores fidei appropinquabunt ei.*

6. *Habitabit lupus cum agno*, &c.] Plerique Judæi hæc ad literam intelligunt, quòd in diebus Meschiæ hæc animalia mutabunt naturas suas, eruntque mitia sicut fuerunt à principio creationis, quando nullum alterum devoravit. Alioquin si Lupus tunc devorasset Ovem, species Ovis fuisset abolita, cùm Dominus in qualibet specie duntaxat masculum unum & femellam unam creaverit. Alii dicunt quòd hæc sæva animalia solùm in terra Israel nocere non possunt tempore Messiæ, cùm textus dicat, *In universo monte sanctitatis meæ.* Sed his præfractis Judæis objicimus hìc R. Mosen Ægyptium, qui sic scribit de temporibus Meschiæ, לא יעלה על לבך שבימות המשיח תחסר מאומה מדרך הזה העלם או שתתחדש אז מאומה כמעשה ששת ימי הבראשית אלא העלם יהיה נוהג כמנהגו עתה: h. e. *Non ascendat in cor tuum ut in diebus Meschiæ aliquid deficiat de consuetudine hujus seculi, aut innovetur tunc quicquam de opere sex dierum creationis; sed regetur tunc mundus haud aliter quàm nunc.* Intelligendus est igitur locus iste דרך משל: ut scilicet intelligamus per sæva animalia gentes efferas & homines crudeles, quos verbum Christi mansuefacit. Quàm verò in reliquis hujus capitis Judæi ineptiant, qui hæc omnia tempore Meschiæ corporaliter futura credunt, pudet me referre. Vult hoc unum Propheta, quòd contrahentur in Regnum Christi varia Regna, varii homines, varia ingenia, varii mores: Hi omnes in Christo unum erunt.

VATABLUS.

1. ET *egredietur* ויצא] *Prodibit autem.* ¶ *De semine* מגזע] *De trunco.* גזע propriè sig. arborem excisam cujus radix in terra manet: *truncum* appellamus. Accipitur & pro *semine*, ut scribit doctus inter Hebræos. Quidam vertunt *radicem*, alii *germen*, alii *stirpem*, alii *stipitem*. ¶ *Et surculus* ונצר] *Et virgultum.* ¶ *Crescet* יפרה] *Germinabit*, *nascetur*, *fructicabit*, *proveniet.* Chaldæus P. sic reddit istum versum, *Egredietur autem Rex de filiis Jessæ, & Messias de filiis filiorum ejus crescet.*

2. *Scientiæ* דעת] *Cognitionis.*

3. *Et odorari faciet* והריחו ביראת] *Et odorari faciet eum timorem Jehovæ*: i. parvo indicio agnoscet illum qui fuerit justus & timens Dei. Alii, *Et sagacem illum reddet in timore Jehovæ.* Alii, *Et odoratus ejus* erit *in timore Jehovæ. Odoratum* sive *odorationem* vel *olfactionem* sive *olfactum* vocat acre judicium. q. d. Erit præditus acerrimo ac infallibili judicio, quod erit conjunctum cum timore Domini, nec recedet ab eo. ¶ *Arguet* יוכיח] *Reprehendet*, *carpet.*

4. *In rectitudine* &c. במישור וגו] *In æquitate pro mansuetis terræ*: vel, *causâ mansuetorum terræ*, i. pauperum & afflictorum ab illis.

6. *Et bubalus* ומריא] *Et pecus pingue.* Vox Hebræa significat *pecus pingue* & *armenta domi saginata*, ut sunt oves & boves pingues. Alii existimant Bubali esse speciem.

7. *Pascentur* תרעינה] Sub. *simul*: nam יחדו quod sequitur repeti debet, ut duobus inserviat. ¶ *Nati earum* ילדיהן] *Catuli earum.*

8. *Delectabitúrque* ושעשע] *Oblectabitúrque.* Alii, *Ludétque.* Phrasis Hebraica, quæ significat futurum ut temporibus Christi nemo alterum lædat: quòd homines noxii reddi debeant innoxii, renovati à Spiritu Dei. Se ipsum declarat ver. seq.

9. *Perdent* ישחיתו] *Injuriam inferent*: sive *detrimento afficient.* ¶ *Repleta est* מלאה] Præt. Heb. pro fut. *replebitur.* ¶ *Cognitione* דעה] Infinit. pro nomine, *scire* vel *cognoscere* pro *scientia* vel *cognitione.* ¶ *Mare operientes* לים מכסים] Quæ *mare tegunt*: i. operiunt superficiem maris. Ut numerum magnum per *arenam maris* significare solet Esaias, ità hìc magnam extensionem & latitudinem per *superficiem maris* significat, Hebraico dicendi tropo.

10. *Qui stabit*, &c. אשר עמד לנס עמים] *Quæ stabit in signum populorum.* Præs. Heb. pro fut.

11. *Erit denique in die illa* והיה ביום ההוא] Ad verb. *Et erit in die illa.* Quidam vertunt, *Porrò eo tempore.* Alii, *Futurum quoque est ut illâ die Dominus*, &c.

12. *In nationibus* לגוים] *In populis*: vel *gentibus.* ¶ *Profugos* נדחי] *Ejectos*, *proscriptos.* ¶ *Et dispersas* ונפצות] Sub. *animas.* Quidam *dispersiones.* ¶ *Angulis* כנפות] *Alis.*

13. *Zelus* קנאת] *Æmulatio*; *simultas.* ¶ *Non æmulabitur* לא יקנא] Declaratio est præcedentis partis versûs. ¶ *Non angustiabit* לא יצר] *Non affliget*; *non exagitabit.* Alii, *non pugnabit.* Alii, *non pugnabit contra Ephraim*, more scilicet hostis.

14. *In humerum* בכתף] i. In regionem. Accipitur enim pro *latere* & *angulo.* ¶ *Filios Orientis* בני קדם] Phrasis Hebraica pro *Orientalibus.* Syros intelligit, quos erepturi erant Apostoli è manu Diaboli. ¶ *Immissio manus eorum* משלוח ידם] i. Mittent manum suam more hostis. Hebraismus, pro *Idumæos & Moabitas spoliabunt opibus & divitiis.* ¶ *Obedientia ipsorum* משמעתם] Ad verb. *auditus eorum*: id est Ammonitæ erunt audientes ipsis, & obedientia, q. d. Convertent multos ex Ammonitis.

15. *Scopulum* את לשון] Ad verb. *linguam*, i. sinum: quòd Sinus præ se ferat figuram linguæ exsertæ, excurrendo scilicet longiùs in continentem: h. e. Quemadmodum olim Dominus sustulit omne impedimentum quo transire posset populus ipsius, ità etiam auferet ille omnia impedimenta ut faciliùs accedant electi ad Christum. ¶ *Maris Ægypti* ים מצרים] Mare Rubrum dicitur *mare Ægypti*; aut quòd in eo Ægypti fuerint submersi, aut quòd pars illa sit propinqua Ægypto. ¶ *In fortitudine spiritus sui* בעים רוחו] *Robore venti sui*: i. immittet ventum maximum qui *dividet flumen illud in septem rivos* [h. e. multos: numerus certus pro incerto] *qui vado transiri possint.* ¶ *Flumina* נחלים] *Torrentes*; *rivos*: i. reddet illud simile flumini habenti septem rivos. ¶ *Et ambulare faciet*, &c. והדריך בנעלים] *Et calcare faciet* illud *cum calceamentis.* Alii, *& deducet* illos *suos calceatos*: q. d. Quia Euphrates posset esse impedimento electis venientibus ab Assyria

in Ecclesiam Jerusalem, dividet illum Dominus in tot partes ut etiam à calceatis citra ullum aquæ periculum transmitti possit: dividet, & per eum deducet eos qui se recipere voluerint in Jerusalem.

16. *Via* מסלה] *Via trita*: vel *via lapidibus strata*. Id significat vox ista: q. d. Et erit in flumine hoc via velut lapidibus strata, aut trita perinde acsi jam diu ibi fuisset via, sine lapidibus aut aliis offendiculis, per quam sese conferre poterunt in Jerusalem. ¶ *Relinquetur* ישאר] *Residuus erit.*

CLARIUS.

1. V*Irga de radice Jesse*] Vel, *de stirpe*. Fit autem hîc *Jesse* mentio, quia Tribus Jesse antè quàm regnaret David contempta erat. STIRPS hic dicitur truncus qui resectâ arbore adhuc cum radicibus manet in terra, unde temporis successu repullulant surculi. Tribus ergò David arido trunco videbatur similis. *Surps* est Virgo Maria, quia absque virili semine peperit. Idem autem significat *stirps* & *radix*, sicut *virga* & *flos* sive *surculus*, qui CHRISTUM significat. Et intelligitur totum istud caput, etiam secundùm Judæos, de Messia, sub quo Regnum Israel reparari debuit, non corporaliter, ut Judæi exspectant, sed in spiritu.

2. *Spiritus sapientiæ*] *Sapientia* in delectatione & contemplatione summi boni sita est, *intellectus* in agnitione consistit; quo dono Christus illustravit Discipulos, ut intelligerent Scripturas. Quod & David petit cùm ait, *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam.* *Consilium* in judicando versatur & amplectendo; quo instructi Apostoli Principibus Sacerdotum præcipientibus nè docerent in nomine Jesu responderunt, *Oportet plus obedire Deo quàm hominibus.* *Fortitudo* roborat nè vel adversis frangamur vel prosperis dissolvamur, sine qua consilium inutile esset: ut in iis apparet qui *ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.* *Scientia* in elaboratione boni collocatur, quando hoc dono scit quisque declinare à malo & facere bonum. Sine qua scientia nè zelus quidem Dei bonus est: quod de Judæis scribit Paulus, dicens, *Zelum quidem Dei habent, sed non secundùm scientiam.* *Pietas* si refertur ad Deum, significat affectum & cultum erga eum, unde vitam & omnia accepimus: & idem videtur quibusdam cum *sapientia*. Sin ad proximum quemque respicias, significat propensum animum ad benemerendum de proximo, idque causâ Dei. Ad hanc hortatur Apostolus cùm ait, *Exerce te ad pietatem.* Donum *timoris* est quædam reverentia erga Deum, quâ veremur nè ulla ex parte Deus offendatur, non metu pœnæ, sed filiorum affectu. Vel sic; *Sapientia* est Doctori opus, ad manifestè, sanè & ad ædificationem docendum; *intellectus* verò auditori ad capienda audita & intellecta. *Spiritus consilii* datur Consiliario & magni consilii Angelo; *Spiritus fortitudinis*, consilium accipienti, ut perficiat quod consulitur. *Spiritus scientiæ* datur Sacerdoti docenti Legem Domini; *Timor* autem iis qui cum pietate Legem suscipiunt. Eodem autem nomine apud Prophetam exprimitur *timor* & *pietas*. Videtur autem mihi voluisse Propheta horum Spirituum appellatione significare, eum habiturum omnem plenitudinem Spiritûs. Sicut cùm præcipitur ut *Deum amemus toto corde, totâ animâ, omnibus viribus, omni mente*, nihil aliud videtur voluisse quàm id quod alibi dicitur, *Benedic, anima mea, Domino, & omnia quæ intra me sunt nomini sancto ejus*; sic hoc loco dicit omnes virtutes Spiritûs, quotquot usquam reperiuntur, in eo futuras.

3. *Et faciet odorari*] *Odoratu suo valebit propter timorem Domini*, maximè, sine sagacitate. Quare *non secundùm visionem oculorum judicabit*, &c.

5. *Et erit justitia*] Justus & fidelis erit. Capitur enim hîc *fides* pro *fidelitate*. Sive ergò eripiendi sint pauperes per justitiam à calumniatore, sive beneficiis adjuvandi, ut sit fidelis, utrâque accinctus erit.

6. *Habitabit lupus cum agno*] Plerique Judæi hæc ad literam intelligunt. Sunt tamen etiam ex eis qui dicant intelligendas esse per sæva animalia gentes efferas & homines crudeles, quos verbum Christi mansuefacit.

10. *Et erit requies ejus gloria*] h. e. Crux & mors.

11. *Secundò manum suam*] Nempe per novam legem. ¶ *Phetros*] *Petra*: unde *Arabia Petræa*. Sic *Elam*, *Sennaar*, *Hemat* intelligunt Medos, Sogdianos, Bactrianos, Babylonios, Chaldæos, Antiochiam, Ciliciam, Tauros, Armeniam. Per *insulas maris* intelligitur Græcia & omnis Occidentalis mundi pars.

12. *Levabit signum*] *Vexillum*, ut dux magnificus: & signum illud, Crux.

14. *Et volabunt in humerum Philisthiim*] h. e. *Alienigenæ*: unde Interpres interdum pro *Philisthæis* vertit *alienigenas*.

15. *Linguam maris Ægypti*] Nilum intelligit, ἐξαφασικῶς. ¶ *Et levabit manum suam super flumen*] Per *flumen* Hebræi intelligunt Euphraten. ¶ *Et percutiet eum in septem rivis*] Faciet ut transiri possit in omnibus locis.

FORERIUS.

1. E*Gredietur*, &c.] Jam qualis futura esset redemptio illa de qua superiori cap. nonnihil dixerat manifestiùs exponit, nempe per verbum Christi, fidem, ac justitiam seu morum sanctitatem. ¶ *Virga*] Bis tantùm in Scripturis reperitur hoc nomen חטר, hic, & Prov. 14. *In ore stulti virga superbiæ.* Chald. enim ibi *virgam* vertit. Cognatum ejus חרט *stilum* significat, quæ virgula quædam est. ¶ *Et flos*] A verbo quod *servare* sign. est nomen נצר, *surculus*, indè dictus, quòd ejus potissimùm *habeatur ratio*, *conservetur* ac *foveatur*; alioquin facilè confringitur. Atque hic unus locus est in quo Christus Dominus dicitur נצר, ut verum sit quòd *apud Prophetas NATSAREUS vocandus esset*, si per צ scribi debet nomen *Nazareus* & *Nazareth*. ¶ *Ascendet*] Sensum expressit Vulg. Nam verbum פרה propriè *fructuosum esse* vel *fructificare* sign. hic *pullulabit* vel *germinabit* dicere possemus. Quòd autem hæc de Messia intelligenda sint, præter Chaldæum P. qui *Regem* & *Messiam* dixit pro *virga* & *surculo*, quæ sequuntur omnia confirmant. Quamvis גזע, ut doctè annotavit Kimhi, propriè significet *eam radicis partem quæ supra terram eminet dissectæ arboris, non quæ sub terra latet & infixa est*, שרש autem *eam partem arboris aut herbæ quæ sub terra est*, ut ex Job. 14. apparet; hîc tamen idem bis repeti dicere possumus: nam & שרש pro *ea parte quæ terræ supereminet & ex radice oritur* hoc eodem capite & infrà 53. accipitur. Inquit ergò quòd ex progenie Jesse oriturus esset Dominus JESUS. Noluit autem dicere *ex David*, sed *Jesse*, nè quis existimaret quòd surculo huic aliquid accresceret ex dignitate Davidis.

2. *Et requiescet*] De verbo נוח nonnihil jam suprà dictum est c. 7. 2. Enumerat autem nonnulla, eáque præcipua, dona quibus donantur à Spiritu S. super quos ipse quiescit. Ille autem qui ex Spiritu S. conceptus est, *præ participibus suis unctus fuit.* De qua quidem unctione plura dicit Propheta in sequentibus: unde & *requiescere super eum* seu *considere* dicitur. Atque ad hunc fortè locum respexit Euangelista cùm dicitur, *Super quem videris Spiritum Sanctum descendentem, & manentem*, &c. Notandum quoque in Scripturis quòd *quies Spiritus S. super aliquem* perpetuitatem ejus muneris significet. Sic *super Helisæum quievit spiritus Heliæ*, &c. ¶ *Spiritus sapientiæ & intellectûs*] Sunt qui hæc duo ità distinguunt ut חכמה sit lux & cognitio rerum, quæ dicitur *sapientia*, בינה verò judicium quod ex hac sapientia oritur, quo inter res discernimus, & quod Græci δείνωσιν vocant, & Latini *intelligentiam* seu *prudentiam*: sicut & נבון est *intellectu* seu *prudentiâ præditus*, qui in rebus agendis industriam habet & peritiam. Neque est cur de distinctione horum donorum subtiliùs nunc agamus, præsertim cùm eas operationes Spiritûs S. hic tantùm enumerari existimem quæ supremum Judicem aut Magistratum decent. ¶ *Spiritus consilii & fortitudinis*] De his vocibus jam in superioribus dictum est. Duo hæc Judici summopere necessaria sunt; ut optimum scilicet *consilium* sequatur, neque inter deliberandum apparentibus rationibus cedat; & ut *fortitudine* animi vel *robore* cæteris superior factus, quod statuerit faciendum nullâ difficultate territus constanter exsequatur. Vel *spiritus consilii* id præstat ut rectè valeat quisquam consulere vel consulendo mederi rebus afflictis; & גבורה ad hoc sit, ut animum in adversis non despondeat, aut animo cedat: hæc enim duo ei qui Remp. administrat omnino necessaria sunt. Et alibi in Scriptura hæc duo conjunguntur. ¶ *Spiritus scientiæ & pietatis*] Hæc duo, ni fallor, nè cum superioribus, *sapientia* & *prudentia*, confundamus, ad Divinæ legis cognitionem & Scripturarum intelligentiam, & quæ ex hujusmodi studio ac cognitione oriuntur reverentiam, religionem, cultum, quæ unâ voce יראה, i. *timore*, Hebræi significant, referenda sunt. דעת autem infinitivus à verbo ידע sæpe vice nominis capitur: & licèt in genere universam *scientiam* declaret, tamen Mal. 3. & alibi *cognitioni voluntatis Dei* ex Scripturis tribuitur. Vocem autem quam hîc *pietatem* dixit Vulg. mox sequenti versu *timorem* interpretatur.

3. *Et replebit eum Spiritus timoris Domini*] והריחו propriè est *olfacere*, *respirare*, *inspirare*, &c. & fortè est Hiphil radicis רוח. Neque dubium mihi est quin sit hîc in infinitivo, licèt quidam vir doctus reddendum putet *& olfaciet ipse*: neque moror puncta. Sensus itaque est, *Respirare ipsius erit in timore* (vel *cum timore*) *Jehova*, i. Nihil nisi timorem, religio-

ligionem ac pietatem spirabit. Cùm enim *zelus domûs Dei* viscera ejus *depasceret*, & *ex abundantia cordis os* & oculi & manus *loquantur*, quid aliud spiraret? Et hunc sensum voluit Vulg. sequi, dum *eum replendum Spiritu timoris Domini* dixit. Sed significantiora sunt verba Hebræa. Est & alius sensus non contemnendus, scilicet, *Olfacere ipsius erit cum timore Domini:* ut *olfacere* Metaphoricè accipiatur pro *præsentiscere*, seu etiam *judicium ferre*, quod Latini dicunt *sagire:* unde *saga anus*, & *sagaces canes*. Sic Metaphoricè sumitur Job. 39. *Longè olfacit bellum:* & Jud. 16. quòd Samson *disrupit funes, sicut rumpitur filum quando olfacit ignem*. Opponitur ergò *judicio oculorum*, &c. Hic itaque vides, judicium sensûs falli posse; judicium autem timoris Domini non itá facilè. Illud autem, *non secundùm visionem*, *non secundùm auditum*, &c. proverbiali formâ dicitur, i. Non ex apparentia & signis externis judicium feret: vel, non respiciet ad personam & ea quæ extra causam sunt. Et itá intellexisse videtur Vulg. qui conjunctionem quæ est initio versûs seq. pro adversativa accipit.

4. *Sed judicabit*] Vau enim interdum hanc vim habet; alioqui suam vim hic poterit retinere, ut à genere in speciem descendat. Si enim non feret judicium nisi dictante *timore Domini*, ut de judicio hominum non curet, sed, ut in Lege scriptum est, *Dei judicium judicet*, quid superest nisi ut pauperes à vi liberet, & derelictorum sit patronus? Etsi enim pauperum causa interdum mala esse potest, tamen quod communi usu evenire consuevit Scriptura commemorat, significans non icirco esse damnandos qui tenues sint & exhausti & ab aliis omnibus despecti. *Exhaustos* & *derelictos* pro *pauperibus* & *mansuetis* dixi, ut propriam vocum significationem retinerem; etsi scio hæc interdum confundi. ¶ *Virgâ oris sui*] Idem est *virga oris* & *spiritus labiorum*, verba nimirum quæ spiritu & labiis formantur. Verbo autem Dominus *terram percussit* dum ad sanam mentem prædicatione Euangelii redire habitatores terræ compulit: Damnavit quoque omnem improbitatem & omnia peccata: & ex verbis Euangelii quàm digni morte sint improbi omnes satis manifestum factum est. Neque aliud facere posset qui *Spiritu timoris Domini* plenus est, aut qui dictante *timore Domini judicium fert*. Ideo enim Rex ille Israel damnationis sententiam promeruit quia dimisit virum dignum morte.

5. Utque *timor Domini* damnat improbos atque peccatum omne eliminat, itá justos non deserit aut derelinquit, imò semper magno favore prosequitur tanquam sibi conjunctissimos. Eodem affectu præditi sunt Deum timentes: hi enim vitam & institutum justorum probant & complectuntur, ubicunque illi tandem sint: quemadmodum David, qui *in matutino interficiebat omnes operantes iniquitatem*, & *oculos conjiciebat ad fideles terræ ut secum sederent*, & *ambulantes in via immaculata pro ministris habebat*. Sive autem in abstracto sive in concreto *justitiam* atque *veritatem* seu *fidem* accipiamus, per *cingulum* conjunctionem, familiaritatem, quam nulla oblivio intercipit, intelligere opus est ex Hebræorum usu. ¶ *Fides*] אמונה *constantia*, *certitudo*, *veritas*, *firmitas*, *virtus*, scilicet promissa seu pacta servans. Et Latinis *fides* dicitur quasi *fiat quod dicitur*.

6. *Habitabit lupus*, &c.] Quæ sit efficacia verbi Dei, verbi scilicet Euangelii, seu *percussionis* illius salutaris de qua superioribus versibus locutus est, in istis declaratur: Abigit feritatem morum, pacem & charitatem mutuam colere facit, ut in pace & tranquillitate vitam ducentes cœlestibus possimus vacare. ¶ *Hædo*] גדי est à גרר, quod sign. *excursionem* seu *incursionem facere*. Et nomen sign. *parvulos* tam *caprini* quàm *ovilli generis*. Atque tam diu retinet hoc nomen quamdiu fronte incurrit in ubera matris & saltibus gaudet. ¶ *Ovis*] Nomen quod Vulg. hic *ovem* dixit, cap. 1. dixit *pinguia*; *adipem pinguium*, &c. Scito ergò quòd sicut nomen בריא sig. *corpus*, sive *hominis* sive *pecoris*, *recreatum ut niteat*, quod fit quando est pinguefactum, itá מריא sig. *pecus mutatum e macilentia in pinguedinem saginatione: altum* ergò seu *saginatum* seu *pingue* reddere licet. Vide Ezech. 39. *Juvencorum altilium vestrorum*, &c. Leones autem & feræ in pinguia libentiùs irruunt. ¶ *Minabit*] Participium est נהג à verbo נהג: quod *abducere* seu *abigere* sig. neque malè verbo *minandi* redditur. Sed similem constructionem hujus verbi non memini me legisse: solet enim accusativum regere: quare fortasse tanquam nomen accipi debet, pro *abductore* seu *duce*, i. pastore, & ב pro *inter*, ut sæpe solet, q. d. *pastor inter eos*. Missi enim sunt Apostoli sicut *agni inter lupos:* & simplicissimis atque inermibus viris scimus paruisse ferissimas gentes. ¶ Verbum *morabuntur* addidit Interpres de suo.

7. *Vitulus*] Non est eadem vox quæ præcedenti versu, sed femininum nomen est à *fructificando* dictum. ¶ *Requiescent*] Quod superiori versu *accubabunt* rectè vertit. Est autem proprium Quadrupedum, sicut שכב est Hominum. ¶ *Catuli*] Cùm non ad Ursum tantùm referri debeat nomen ילדים, quod à *gigendo* deducitur, malui *filios* dicere, quod nomen etiam Brutis tribuunt boni auctores. Pro *urso* autem *ursam* quoque dicere possemus: דב à דבב, à sono proprio huic animali, sive ab *infamia*; malè enim audit propter truculentiam; vel à gravi odore quem spirat. ¶ *Paleas*] תבן à verbo בנה deduci verisimile est. Ejus enim non minimus usus fuit in exstruendis domibus atque in compingendis lateribus. Vide Exod. 5. Est quoque cibus equorum & pecorum. Hàc autem figurâ sign. quòd eos qui cædibus & rapinis gaudebant, piratas, atque sicarios, nationésque barbaras Numidarum atque Scytharum, ad morum mansuetudinem per verbum Euangelii reducerent Apostoli: quod non minùs admiratione dignum est quàm si Leonem quis comedere paleas assuefaceret. Ad hunc quoque locum facit ver. 8. Hinc etiam discimus, in Rep. si justitia vigeat, brevi fore ut bene conveniat divitibus cum pauperibus, neque pateant imbecilles rapacitati vel crudelitati potentum.

8. *Delectabitur*, &c.] De hoc verbo שעשע vide suprà. 5. 7. Ego periphrasi expressi utcunque vim verbi. Hæc adimpleta existimo quando in delubris & templis Dæmonibus dicatis Discipuli Domini verbum ipsius prædicabant, & loca illa in templa Dei cœli convertebant, traducentes cultores Dæmonum ad lucem & agnitionem veritatis: quæ ingentis voluptatis erant amplissima argumenta. Hic quoque considera quibus nominibus Spiritus S. appellet suos, *agnos*, *hædos*, *vitulos*, *altilia*, *boves*, *pueros*, *parvulos*, *lactentes*, *ablactatos*; quibus nominibus ipsos quoque verbi Ministros intelligit: quæ omnia simplicitatem, mansuetudinem, innocentiam declarant. Juvat etiam videre quibus appellentur peccatores. Quid sunt nisi *lupi*, *ursi*, *leones*, *aspides*, *viperæ*, & similia? O jucundam Spiritûs Domini *percussionem!* ô cædem salutarem, quâ omnis improbitas tollitur, & innocentia terris redditur? ¶ *Aspidis*] Quænam sit species animantis incertum est. Nomen Hebræis videtur habere à *persuadendo*, quòd minimè persuadeatur, פתן à פתה, quæ etymologia videtur haberi ex Psal. 58. ¶ *Cavernam*] Vel *foramen*. Hebr. מאורת quasi *absque luce* dicitur. ¶ *Reguli*] Neque quale sit hoc animal constat apud Hebræos. Videtur dici Hebræis à *vulnerando*, צפעני transpositis literis à פצע. Ego crediderim esse nomen compositum à צפה *speculatus est* & ענה *affixit*, quòd *visu noceat & interimat*.

9. *Non nocebunt*, &c.] Fateor hæc verba ut à Vulg. versa sunt non malè reddita: quia tamen ex locis Scripturæ, quando sine casu ponuntur, illam aliam acceptionem, *Non malè afficient*, vidi esse frequentiorem, volui eam in versione indicare: ut prius ad injustitiam in alterum referatur; quod & Vulgatus sensit, *non nocebunt*; posterius ad perditos cujusque mores, *non perditè agent*, quòd scilicet neque alios neque se ipsos perdent. Hæc sunt veluti superiorum versuum expositio, Significat autem ingentem justitiæ totiúsque sanctitatis abundantiam, quæ in Christi Ecclesia vigere debebat; sicut viguisse per plures annos olim novimus. Quòd si ad hunc modum accipias, videbis quòd locus hic Prophetæ non excludit ab Ecclesia peccatores, neque usum gladii Reip. Christianæ adimit. Hanc autem virtutem ac cœlestium donorum inundationem *scientiæ Dei*, i. prædicationi Euangelicæ, tribuit, per quam fides & vera rerum cognito reddita est mundo. Etsi enim multi qui fidem habent, perditi sunt moribus, *scientia* tamen *Domini* principium & fundamentum est totius sanctitatis: quod si quis æmuletur & actionibus suis accommodet, neque alteri nocebit neque ipse apud se quidquam perversè aget. ¶ *Operientes*] Adjectivum est *aquarum*. Neque verti potest *aquæ maris:* nam nomen מים est forma integra. Potest itaque sic reddi, *sicut aquæ à mari operientes* (is enim interdum usus est ל) i. veluti si mare redundaret & operiret terram, ut in Diluvio factum fuit. Et hunc sensum videtur sequi Vulg. vel, ut transtuli, *sicut aquæ mari operientes*, tropo quodam, quasi dicantur Aquæ *operire mare*; quòd scilicet operiant omnia quæ sub mari sunt, i. sicut mare aquis suis operiens bonam terræ partem: hoc est illud, *Erunt omnes docti à Domino*, &c. Hic vides Affectus per intellectum mitigari; quàm etiam necessarium sit sanam Euangelii doctrinam perpetuò mentibus hominum inculcari: nam si hâc careant, veluti ager incultus spinas, i. affectus illos ferinos & agrestes, germinabunt, de quibus superiùs dictum est. Neque est quòd quisquam existimet posse meliori ratione aut viâ magis compendiariâ à mundo vitia penitus exstirpari quàm eâ quâ Dei Filius, ipsa Patris Sapientia & humanarum mentium Artifex, id olim fecit, & alios exemplo suo, ut sic facerent, instituit. Sed lege quæ sequuntur.

10. *In die illa radix Jesse*, &c.] Postquam lux Euangelii Gentes illustraverit, quid putas futurum nisi, quemadmodum in Euangelio ipse Dominus dixit, *ut exaltatus à terra omnia trahat ad se*? Ubi enim Gentes intellexerunt quanto studio Deus prosecutus mundum fuisset, eúmque amore hominum confixum intellexerunt, ad eum sese contulerunt. Crux ergò CHRISTI, sive Christus crucifixus, est illa *Virga de stirpe Jesse* de qua 1. versu hujus capitis dictum est; quæ etiam est *in signum populis*, ut tanquam ad vexillum invicti Imperatoris confluant Gentes, ubi intellexerint per crucem de Morte & Peccato Dominum triumphasse, & damnatum mundi Principem; confluant, inquam, ad crucifixum Dominum, ut sub ipso degant, illum consulant, ab eo pendeant. Nam verbum דרש constuctum cum præpositione אל, ut hoc loco, peculiari phrasi sign. *spe quadam conceptâ conferre se ad aliquem pro consilio seu auxilio.* Vide suprà 8. 19. & infrà cap. 19. Congruit itaque locus hic cum aliis Scripturæ locis, quibus multitudinem Gentium ad Christum congregandum Prophetæ, aliis licèt verbis, prædixerunt. Qui, inquam, omnes in Prophetiam Jacobi Patriarchæ respexerunt Gen. 49. *Et erit ad ipsum aggregatio populorum.* Suprà 2. cap. *Confluent ad eum*, &c. Usi sunt autem verbis quæ motum, & quidem voluntarium, & pronam animi inclinationem notant. Vulg. hanc phrasim per *deprecari* vertit, neque malè, secutus Chaldæum. Hîc quoque vides nomen שרש, quod aliàs *radicem* notat, abusivè accipi pro *surculo qui ex radice pullulat.* ¶ Jam quòd Vulg. dixit *sepulcrum* nemo miretur. Nam vox Hebræa propriè non solùm *quietem* sed etiam *locum quietis*, aut *in quo sibi quisquam acquiescit*, significat: ego *mansionem* dixi. Nam video vocem non semel significare non unam aliquam domum, sed totas ædes & quidem amplas, cujusmodi sunt Regum palatia: unde pro ipsa *regia* & *templo Dei* sæpe accipi videbis; & Psal. 95. pro *tota terra Promissionis.* Libenter ego hîc pro *regia* acciperem. Ecclesia enim Christi plena fuit *gloriâ Domini*, erítque in perpetuum; & tota ipsa nihil aliud est quàm quædam *Domini gloria.* Cæterùm si mihi liceret omnino aliquid novi afferre, ego מנחתו, quæ vox hîc cum affixo est, non à verbo נוח deducerem, neque esse idem nomen quod מנוח MANOAH seu מנוחה MENUHAH, ut omnes existimant, atque ut ego ipse quoque interpretatus sum, sed esse illam quam Hebræi à tempore punctationis Bibliorum sic punctarunt, MINHAH; cujus origo est, ut jam suprà dictum est, à verbo נחה; sign. autem *donarium* seu *donum quod homini* aut *Deo honoris causâ offertur*, eò quòd sensim & cum pompa quadam deferatur. *Oblationem Deo factum* sign. Gen. 4. de *donario* autem *homini facto* Gen. 32, & 43. & Jud. 4. Ex quibus locis & aliis quamplurimis intelligas consuetum fuisse jam olim deferre Regibus ac Principibus, illísque quos placare vellent, munera atque donaria. Dicerem ergò hoc loco de his muneribus esse sermonem, nempe quòd Gentes, quæ ad Dominum venirent, donaria gloriosa afferrent, vel darent Domino gloriam, & Dei magnificentiam atque misericordiam prædicarent cum Paulo, ex Psalmo, *Gentes autem super misericordia laudare Deum.* Nec me moratur punctatio: nam, ut ipse jam monui, parvi interdum facienda est. Et in hac ipsa voce Jer. 51. ubi Vulg. habet *princeps prophetiæ*, & Hebræi vertunt *princeps quietis*, MANUHAH, quòd scilicet cum Rege quiesceret aut Regem recrearet, Chald. Targhum, q. scriptum esset MINHAH, *princeps muneris*, i. *munerum*, dixit, *princeps* [illegible]: quod satis probat Biblia tunc non fuisse punctata, & liberiorem fuisse interpretandi rationem.

11. De nominibus istis gentium & regionum vide Gen. 10. & Hieronymum lib. De quæstionibus Hebr. De *Assyria*, & *Ægypto* quæ MISRAIM, & *Æthiopia* quæ HUS dicitur Hebræis, nemo dubitat. *Pathros* autem ignotum est, crediderim hujus plurale esse Gen. 10. 14. פתרסים, quos genuit Misraim filius Cham. Fortasse sunt qui Arabiam Petræam incoluerunt, quæ sic dicta est à metropoli *Petra*, quæ est in regione Nabathæorum. Vide Strab. lib. 16. *Ælam* Medi sunt & Sogdiani & Bactriani. Per *Sinear* autem sunt qui Babylonios & Chaldæos intelligunt: nam Gen. 10. dicitur *Babylon* & *Chalane*, &c. esse *in terra Sinear.* Sunt & populi ad Orientem qui *Sina* dicuntur, quorum jam meminit Ptolemæus lib. 7. cap. 3. Indis ultra Gangem finitimi, nobis Lusitanis notissimi, quos *Chinas* appellamus. Et fortè totus ille terræ tractus à Mesopotamia versùs Orientem שנער dictus est à שער *horruit*, insertâ literâ Nun, quòd naturâ & moribus horridi sint populi qui terras illas incolunt. *Hamath*, Antiochia, Cilica, Taurus, Armenia, &c. *Insulæ maris*, Græcia, Italia, Hispania, Mauritania, & cæteræ regionis maritimæ ad quas Phœnices navigabant, *insulas* passim Scripturæ eas vocant. Hæc carnales Judæi adhuc carnaliter futura exspectant: nos jam spiritaliter adimpleta esse credimus, & quotidie impleri, quando Dominus *filios Dei, qui sunt dispersi, in unum congregat*, ut Joannes ait.

12. *Et levabit signum*, &c.] Hoc versu repetit aliquantò clariùs quod superiori dixerat. Pro *profugis* dixi *expulsos*, ut vim verbi נדח exprimerem; & *dispersiones* pro *dispersis*: est enim femin. forma, sed ad sensum parùm facit. Dixi quoque *alas*, & Hebraismum retinui, quòd non obscurus esset. Dicitur autem Hebræis à *curvitate*, de Volucribus, de Vestibus, & de Cœlis.

13. *Hostes Juda peribunt*] Tumebant Judæi propter Regiam Davidis stirpem, & propter Templum & cultum: Decem autem Tribus, etiamsi numero vincerent, invidiâ tamen laborabant ob felicitatem Regni Jehuda: Fides autem Christiana abstulit hæc omnia: In Christo enim Jesu non est distinctio Tribuum & Regnorum, ut neque Judæi & Græci, sed omnes in Christo fratres sumus & filii Dei. Dominus autem Discipulos suos & primores illos Ecclesiæ ex Judæis delegit: & cùm plures essent ex Galilæis, non est quòd ultrà inviderent Judæis, quinimo omnes uno atque eodem Spiritu rem Christianam auxerunt & Regnum Christi propagarunt, ut mox narrat.

14. *Et volabunt in humeros*, &c.] Hæc de conversione Gentium per Apostolos intelligenda sunt, quibus cessit Palæstina omnis, & regiones illæ ad quas per mare Mediterraneum adiri potest, tota scilicet Europa, & Oriens atque Occidens. Quòd autem hæc spiritaliter, ut dixi, intelligenda sint, probant quæ sequuntur v. 15. & 16. Nam cum hoc versu dicat quòd Judæi, veluti aves, *in terga Palæstinorum involarent, subjugarénque Idumæos, Moabitas, Ammonitas, & Orientales populos deprædarentur*; quonam pacto v. 15. & 16. non victoriam sed regressum filiorum Israel ex captivitate commemorat? Intelligant ergò Judæi victoriam hanc esse per verbum Dei & prædicationem Euangelii, quâ auditâ filii Dei, qui erant dispersi, ad Deum Israelis convenerunt, sublato omni impedimento. Neque te conturbent nomina *Assyriorum*, & *fluminis*, scilicet Euphratis, quasi hîc de reditu ex Assyriis sit sermo. Nam neque ab Assyria leguntur rediisse Israelitæ, neque aliter redituri sunt quàm modò exposui: sicut neque ex Ægypto: neque enim rursus exsiccandum est illud mare, neque rursus suffocandi Ægyptii. Quam interpretandi rationem si in Prophetis non adhibeas, aperte Judaizare te passim oportebit. *Volabunt in humeros*, velocitatem prædicantium significat, insuper & subjectionem credentium. Cùm enim Leo aut fera alia truculenta in Bovis (ut solent) aut alterius animalis scapulas insilit, sine mora ipsum discerpit; sic Apostolorum discipuli se suáque omnia illorum arbitrio tradebant; & *si oportuisset, oculos eruissent libenter*, ut loquitur Paulus. ¶ *Præceptum*] Nomen משלח *immissio* vel *missio* est. Passivè videtur accipi, i. *in quos manus suas mittent*, ejusdem significationis cum משלוח, de quo suprà 7. *in immissionem bovis*, &c. ¶ *Obedientes erunt*] Sensum expressit: nam nomen משמעת est *auditus*, *audientia*, deinde & *obedientia.*

15. *Et desolabit*] Verbum חרם *funditus perdere ut nihil remaneat* sign. ut fiebat in anathemate: proinde verbo *anathematizandi* reddere volui, ut vim exprimerem. ¶ *Linguam* autem *maris Ægypti* non dubium quim mare סוף, quod *Rubrum* vocant, appellet: Linguæ enim similitudinem habet, atque Ægyptum ex ea parte terminat. Per *exsiccationem* autem *maris* & *fluminis* ablationem impedimentorum omnium intellige. At *flumen* ipsum Euphratem cum Chaldæo accipio. ¶ *In septem rivis*] Vel *in septem rivos*, i. in multiplices meatus. Sic enim solet fieri ut vado pertransiri possint flumina. Vel est nomen proprium loci, *ad Septem rivos*, in ipso Euphrate. ¶ *In fortitudine*] Hæc vox nullibi in Scripturis præterquam hoc loco reperitur; neque unde originem trahat certum est. Quantum certè ex cognatis vocibus colligere possumus, verisimile est *collectionem* significare. Sed sensus idem est, nam *collectio spiritûs* ad vim facit. Ego *vehementiam* dixi. Nam de Spiritu Domini est sermo, qui impedimenta omnia abstulit: is autem quando in Apostolos descendit, *auditus est sonus tanquam spiritûs vehementis.* ¶ *Ut transeant per eam calceati*] Hebraismum mollivit & optimè reddidit Vulgatus; ego retinui, quia facilis erat, *& calcare faciet in* (vel *cum*) *calceis*, & est proverbialis forma loquendi.

D R U S I U S.

1. [illegible]. Aq. Sym. Th. *ex trunco*] Eusebius, *Reliqui concordanter* DE TRUNCO, i. οἱ λοιποί. Græca exstant in ed. Rom. ἀπὸ τοῦ κορμοῦ, ἡρμήνευσαν οἱ λοιποί. Hieron. in Comment. ad

ad h. l. גזע, *Aq. Sym. & Th.* κορμὸν *interpretati sunt*, *i. Truncum.* ¶ נֵצֶר, οἱ λοιποὶ *& germen*] Hieron. *Pro Flore, qui Ebraicè dicitur* נצר. *Aq. Sym. & Th. Germen transtulerunt.* Idem Jes. 14. 19. נצר *propriè Virgultum appellatur, quod ad radices arborum nascitur, & quasi inutile ab agricolis imputatur.* In schedis meis: נצר. Aq. ἀκρέμων *virgultum.* Th. βλαστὸν *germen.* Vide infrà 14. 19.

10. מְנֻחָתוֹ. Omnes *requies ejus*, ἡ ἀνάπαυσις αὐτοῦ.

11. יוסיף אֲדֹנָי שֵׁנִית יָדוֹ לִקְנוֹת אֶת־שְׁאָר עַמּוֹ אֲשֶׁר יִשָּׁאֵר מֵאַשּׁוּר. Aq. Προσθήσει Κύριος δεύτερον τὴν χεῖρα αὐτοῦ, κτήσασθαι τὸ ὑπόλειμμα τοῦ λαοῦ αὐτοῦ, ὃ ὑπολειφθήσεται ἀπὸ τῆς Ἀσσυρίων, *Adjiciet Dominus secundò manum suam, ut possideat reliquias populi sui quæ relinquentur ex Assyriis.* Sym. προσθήσει Κύριος ἐκ δευτέρου τὴν χεῖρα αὐτοῦ τοῦ ζηλῶσαι τὸ ὑπόλειμμα τοῦ λαοῦ αὐτοῦ — *Adjiciet Dominus iterum manum suam ad zelandum pro reliquiis populi sui.* — Th. τοῦ κτήσασθαι τὸ ὑπόλειμμα τοῦ λαοῦ αὐτοῦ, ὃ ἂν καταλίπῃ ἀπὸ τῆς Ἀσσυρίων, *Ad possidendum residuum populi sui, quod relictum fuerit ab Assyriis*] *Ut possideat reliquias.* Interpres Eusebii *ad possidendum residuum.* Citatur hic locus in ed. Rom. ex Comment. Eusebii. Cæterùm plenior exstat in libris Ἀποδείξ. pag. 49 καὶ ἔσται ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ, προσθήσει Κύριος, &c.

15. וְהֶחֱרִים יְהוָה אֵת לְשׁוֹן יָם־מִצְרַיִם. Aq. Sym. Th. καὶ ἀναθεματίσει Κύριος τὴν γλῶσσαν θαλάσσης Αἰγύπτου, *& penitus vastabit Dominus linguam maris Ægyptii*] Euseb. οἱ τρεῖς συμφώνως οὕτως ἡρμήνευσαν, Καὶ ἀναθεματίσει &c. Hiero. DESOLABIT *igitur, sive* INTERFICIET, *h. e.* ἀναθεματίσει (vulgò ἀναθεματίσαι) *ut Th. Aq. & Sym. transtulerunt,* LINGUAM MARIS ÆGYPTI. ¶ *Penitus vastabit, anathemate devovebit.* Deut. 3. 6. ונחרם. Aq. ἀναθεματίζομεν. Lxx ἐξολοθρεύσαμεν. חרם Ezec. 44. Aq. Sym. Th. ἀνάθεμα. Zach. 14. 11. Vet. *anathema.* Chald. קטלא *cædes, occisio.* Lxx ἀνάθεμα. Exod. 22. 20. יחרם. Schol. ἀναθεματισθήσεται. Hieron: *occidetur.* Lxx θανάτῳ ἐξολοθρευθήσεται *morte exterminabitur.*

IDEM EX PROCOPIO.

1. חֹטֶר. Aq ῥαβδίον *virgula.*

3. וְלֹא־לְמַרְאֵה עֵינָיו יִשְׁפּוֹט וְלֹא־לְמִשְׁמַע אָזְנָיו יוֹכִיחַ. Sym. οὐ τῇ ὁράσει τῶν ὀφθαλμῶν αὐτοῦ κρινεῖ, οὐδὲ τῇ ἀκοῇ τῶν ὤτων αὐτοῦ ἐλέγξει, *non secundùm visionem oculorum judicabit, neque secundùm auditum aurium arguet.*

4. וְהוֹכִיחַ בְּמִישׁוֹר לְעַנְוֵי־אָרֶץ. Sym. καὶ ἐλέγξει ἐν εὐθύτητι πτωχοὺς γῆς, * *& arguet in aquitate pauperes terræ.* Aq. — τοῖς πραέσι τῆς γῆς *mitibus terræ.* Th. τοὺς ταπεινοὺς τῆς γῆς *humiles terræ*] * Alibi τοὺς πτωχοὺς τῆς γῆς.

5. וְהָיָה צֶדֶק אֵזוֹר מָתְנָיו וְהָאֱמוּנָה אֵזוֹר חֲלָצָיו. Sym. καὶ ἔσται δικαιοσύνη περίζωμα τῆς ὀσφύος αὐτοῦ, καὶ ἡ πίστις περίζωμα τῶν λαγόνων αὐτοῦ, *Et erit justitia cingulum lumbrorum ejus, & fides cingulum renum ejus*] Interpres videtur legisse τῶν ὀσφύων nam vertit *lumborum ejus.*

7. וּפָרָה וָדֹב תִּרְעֶינָה יַחְדָּו יִרְבְּצוּ יַלְדֵיהֶן. Aq. Th. καὶ δαμάλια † νεμηθήσονται, ὁμοῦ καταλιθήσονται παιδία αὐτῶν. * Sym. καὶ βοῦς καὶ ἄρκτος βοσκήσονται ὁμοθυμαδόν, κατακλιθήσονται τὰ παιδία αὐτῶν] † Fortè δαμάλεις, i. *juvencæ* aut *bucula.* * Hic litera erat Θ, quæ *Theodotionem* significat. ¶ כַּבָּקָר. Aq. Th. ὡς βουκόλιον] Ad quod exemplum referri posset δαμάλιον, de quo suprà. Est autem βουκόλιον *armentum boum.*

10. אֲשֶׁר עֹמֵד לְנֵס עַמִּים. Aq. ὃς ἀνίσταται εἰς σύσσημον λαῶν, *qui consurgit in signum populorum.* Sym. ὃς ἀνίσταται εἰς σύσσημον τῶν ἐθνῶν, *qui consurgit in signum gentium*] Marc. 14. 44. δεδώκει δὲ σύσσημον αὐτοῖς, ubi Erasmus exponit *commune signum de composito datum, cujusmodi sunt quæ militer vocant Symbola, quorum alia sunt vocalia, alia muta.* ¶ מְנֻחָתוֹ כָּבוֹד. Lxx ἡ ἀνάπαυσις αὐτοῦ τιμή. Aq. Sym. δόξα, *gloria.*

11. יוסיף אֲדֹנָי שֵׁנִית יָדוֹ לִקְנוֹת אֶת־שְׁאָר עַמּוֹ. Aq. προσθήσει Κύριος δεύτερον τὴν χεῖρα αὐτοῦ τοῦ κτήσασθαι τὸ ὑπόλειμμα τοῦ αὐτοῦ, *Adjicit Dominus iterum manum suam, ut possideat reliquias populi sui*] Δεύτερον, *secundò.* Sym. ἐκ δευτέρου, quod Interpres reddit *de integro.*

14. אֱדוֹם וּמוֹאָב מִשְׁלוֹחַ יָדָם. Aq. Ἰδουμαία καὶ Μωὰβ ἀποστολὴ χειρὸς αὐτῶν, *Idumæa & Moab missio manus eorum.* Th. Ἰδουμαία Μωὰβ ἔκτασις χειρὸς αὐτῶν, *Idumæa Moab extensio manûs eorum.* Sym. Ἐδὼμ καὶ Μωὰβ ἔκτασις χειρὸς αὐτῶν, *Edom & Moab extensio manûs eorum*] Ità correxi: nam in libris ἔκστασις, i. *dimotio, excessus.* Notum ut שלח inter alia sign. ἐκτείνω, *extendo, protendo*, &c. Inde משלח ἔκτασις.

15. וְהֶחֱרִים אֲדֹנָי אֵת לְשׁוֹן יָם־מִצְרַיִם. Aq. Sym. Th. Καὶ ἀναθεματίσει Κύριος τὴν γλῶσσαν θαλάσσης Αἰγύπτου, *Et quasi anathemate delebit Dominus linguam maris Ægypti.*

GROTIUS.

1. **E**T *egredietur virga de radice Jesse*] Redit ad laudes Ezechiæ, sub quibus sensu sublimiore latent Messiæ laudes. Pro *radice* in Hebræo hic est *trunco*, rectè: quia amissione Decem tribuum, & tot hostium incursionibus valde accisæ erant res domûs Davidis.

Et flos] *Surculus* tener ex illo trunco enatus. Vide LIII. 2.

2. *Et requiescet super eum spiritus Domini*] Perpetuò ipsi aderit. Qui spiritus in suas partes distribuitur. Crevit autem in Christianismo: ideo distribuitur in septem Apoc. 1. 4.

Spiritus sapientiæ] *Sapientia* חכמה est cognitio rerum divinarum, Hebræis מרכבה [*Currus*].

Et intellectus] Cognitio rerum naturalium, בראשית [*in principio*] Hebræis.

Spiritus consilii] Prudentia, in rebus politicis maximè.

Et fortitudinis] Constantia in adversis, quam tempore Sennacheribi egregiè ostendit Ezechias.

Spiritus scientiæ] Circa interpretationem Legis.

Et pietatis] In Hebræo: *& timoris Domini*, quod pietatem significat. Hoc donum cætera omnia superat.

3. *Et replebit eum spiritus timoris Domini*] In Hebræo: *Et consolari ipsius* (id est, solatium) *in timore Domini*, sive *pietate.* pro pietate sua in maximis periculis Deo confidet.

Non secundùm visionem oculorum judicabit] Non desperabit, etiamsi maximum contra se exercitum hostilem videat.

Neque secundùm aurium auditum arguet] *Disputabit.* Non ex rumoribus de futuro conjecturam faciet. Credet enim Prophetis.

4. *Sed judicabit in justitia pauperes*] In Hebræo pro *sed* est *&*: novus enim sensus inchoatur. Æquum, ait, jus præstabit pauperi & diviti.

Et arguet in æquitate pro mansuetis terræ] Id est: erit eorum defensor, ut Reges esse debent.

Et percutiet terram virgâ oris sui] *Terram* vocat homines impios, ut ex sequenti membro eundem sensum verbis aliis continente apparet: quod scilicet nihil de Deo congitent, sed humi affigant *divinæ particulam auræ.* *Virgâ oris sui*, & quod sequitur, *spiritu labiorum suorum*, id est, precibus suis: per has enim confecit Assyrios.

5. *Et erit justitia cingulum lumborum ejus, & fides cinctorium renum ejus*] Id est, *pios viros ac justos semper circùm se habebit.* Ità hic Chaldæus, optimè.

6. *Habitabit lupus cum agno*] Omnes hæ locutiones figuratæ significant altam & inconcussam pacem, quæ post Sennacheribi tempora futura erant sub Ezechia, per quam etiam infirmissimi quique suum erant obtenturi, sine metu rapinæ. Hi sunt effectus justitiæ Regum.

8. *Super foramine aspidis*] Aspides amant latebras.

Et in caverna reguli] צפע Græci modò κεράστην [*cerasten*] vertunt, modò ἀσπίδα [*aspidem*], id est, genus quoddam aspidum ab aliis distinctum.

10. *In die illa radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur*] In Hebræo, *quærent*: id est, ad Ezechiam concurrent multi ex gentibus ad verum Deum conversi.

Et erit sepulchrum ejus gloriosum] *Et erit requies ejus gloria*: id est, gloriæ plena. *Requies* habitationem significat.

11. *Adjiciet Dominus secundò manum suam ad possidendum residuum populi sui*] Trajectio est, pro *adjiciet manum suam ad secundò possidendum.* Non putem hæc ad Cyri tempora referenda: nam nondum ad res Nabuchodonosoris devênit Esaias, nec cùm hæc scriberet earum rerum revelationem acceperat; sed ex Israëlitis Decem tribuum, qui ad Theglathphalasaris & Salmanassaris incursus in varias terras se receperant, multos dicit Ezechiæ temporibus ad ipsum venturos.

Et à Phetros] Pharusiis vel Phaurusiis in Æthiopia. Vide quæ nobis dicta ad librum 1. de Religione Christiana.

Et ab Ælam] Ab Elymæis qui Medis contigui. Vide eodem libro.

Et à Sennaar] A Babylonia. Vide iterum dicto libro.

Et ab Emath] Vide suprà X. 9.

Et ab insulis maris] A Cypro, Creta, Macedonia, & locis Asiæ maritimis. Nam omnia mari adsita sunt איים [*insulæ*] Hebræis.

12. *Et congregabit profugos Israël*] Illos de quibus diximus ad comma 11.

Et dispersos Judæ] Qui sub Sennacheribo profugerant.

13. *Et auferetur zelus Ephraim*] Odium illud quo Decem tribuum homines adversùs Judæos ardebant cessabit, ex communi periculo, & quia perfugium habebunt apud Judæos: explicant id sequentia.

14. *Et volabunt in humeros Philisthiim*] Historiam habes 2 Reg. XVIII. 8. quæ sequuntur gentes videntur fuisse in auxiliis Philisthinorum.

Filios Orientis] Arabas, qui ad Orientem Judæis. Vide quæ diximus ad initium capitis II Matthæi. Ab his prædas agent Judæi.

Idumæa & Moab præceptum manus eorum] *Immissio manuum eorum.* Id est, Judæi manum immittent, expeditiones facient in eorum fines.

Et filii Ammon obedientes erunt] In Hebræo, *Auditus eorum:* id est, sub Judæorum ductu militabunt contra Philisthinos.

15. *Et desolabit Dominus linguam maris Ægypti*] In Hebræo est החרים, quod primitivo significatu est *consecrabit.* Quia autem res Deo sacratæ attingi non poterant, ideo intelligi hic debet, Isthmum illum qui est inter mare Ægypto objacens & Rubrum mare, intactum ab omnibus fore, Deo ità res disponente, ut qui in Ægyptum confugerunt Israëlitæ (vide suprà 11.) tutò domum redire possent.

Et levabit manum suam super flumen] *Flumen*, cùm simpliciter dicitur, significat Euphratem.

In fortitudine spiritûs sui] Vi suâ.

Et percutiet eum in septem rivis] Imò *in septem rivos* dividet Euphratem, id est, imperium Assyriorum in plurimas partes. Medi enim ab Assyriis, Chaldæi a Medis defecerunt. Ità gentes illæ Hebræis infestissimæ domesticis dissidiis impeditæ faciles apud se exsultantibus reditus dedêre, quod sequetur. Frequens est sacris literis per *flumina* significare Imperia, quod & Græci Latinique faciunt; ut

Euphrates ibit jam mollior undis.

Item:

Fractùmque cornu jam ter improbo Rhenum.

Ad hunc locum respicit Apocryphus posterior Esdræ dictum nomine XIII. 44. 47.

Ità ut transeant per eum calceati] Figuratâ locutione facilem significat reditum.

16. *Et erit via residuo populo meo qui relinquetur ab Assyriis*] Rectiùs sic: *Et via erit ab Assyria populo meo relinquo ac superstiti.* Ostendunt id sequentia: ità tutò indè venient, ut olim ex Ægypto.

CAP. XII.

MUNSTERUS.

3. HAurietis aquas] Comparat Propheta salutem Domini למקור תמיד *scaturigini jugiter mananti & quæ exhauriri nequit.*

4. *Et dicetis in die illa*] i. In tempore illo unusquisque incitabit alterum ut confiteatur Domino & invocet in nomine ejus. Erit in N. T. unicus cultus vice omnium sacrificiorum & rituum Veteris legis, scilicet sacrificium Laudis, Confessio & Gratiarum actio. In V. T. mactabantur pecudes, in Novo jugulantur studia hominum & sapientia humana. Exigit enim Deus hodie rationalem hostiam.

VATABLUS.

1. COnfitebor tibi אודך] *Celebrabo te. Summis laudibus efferam te. Gratias agam tibi.* Id significat propriè hæc vox quando absolutè ponitur. ¶ *Quoniam*, &c. כי אנפת בי] *Quamvis iratus sis mihi, avertetur furor tuus, & consolaberis me:* vel, quòd *tametsi iratus fueris mihi, aversus est tamen furor tuus, & consolatus es me.*

2. *Ecce* הנה] *Certè.* ¶ *Et laus*, &c. וזמרת יה יהוה] *Et canticum Ja Jehova:* vel *musica*, sive *cantio.* JA unum ex nominibus Dei, pro quo vertunt nonnulli *Deus.*

3. *Salutis* הישועה] *Salvatoris.*

4. *Et dicetis* ואמרתם] *Proinde dicetis.* ¶ *Confitemini* הודו] vide v. 1. ¶ *Invocate nomen ejus* קראו בשמו] *Invocate* [vel *clamate*] *in nomine ejus.* Alii, *implorate nomen ejus.* Alii, *prædicate*, &c. ¶ *Mementote*, &c. הזכירו כי נשגב] *Commemorate quòd excelsum* [vel *sublime*] *est*, &c. Alii, *prædicate:* sive *palam dicite*, aut *narrate quod nobile & clarum sit nomen ejus*, i. quod sit clarus & insignis, quòd plurima gessit unde clarum nomen sibi comparavit.

5. *Magnifica* גאות] Ad verb. *magnificentiam:* i. Res præclaras & magnas gessit. ¶ *Notum* est מודעת] *Notum* erit: *vulgatum* erit. Alii, *notum* fiat.

6. *Exalta vocem & lauda* צהלי ורני] *Hinni & jubila.* Alii, *Jubila & canta:* vel *clama*, i. effer laudibus.

CASTALIO.

2. ME *A potentia & camio Ja Jova est*] Ja idem qui JOVA dicitur, decurtato verbo.

6. *Exclama & ova, Sionis habitarix*] h. e. Sion.

CLARIUS.

1. COnfitebor tibi, *Domine*] Erumpit Propheta in canticum gratulationis: Qui mos erat Hebræis cùm insignem aliquam salutem essent assecuti.

3. *Haurietis aquas*] Comparat Propheta salutem Domini scaturigini jugiter mananti & quæ exhauriri nequit.

4. *Et dicetis in illa die*] In tempore illo unusquisque incitabit alterum ut confiteatur Domino & invocet in nomine ejus.

FORERIUS.

1. CAnticum est gratiarum actionis pro redemptione per Christum. Qui enim se peccatorum mole obrutum antea agnovit, ob quæ iratum Deum senserat, dum percipit ex misericordia Filium Dei advenisse, peccata condonasse, Patrem cœlestem hominibus reconciliasse, quid aliud faciet? *Dicet*, inquam, *Celebrabo te*, &c.

2. *Ecce Deus*] Ut præsentem redemptionem celebrat. ¶ *Salvator*] Nomen etiam in abstracto accipitur; neque *salutem* tantùm sed & *opem* & *auxilium* significat. ¶ *Fiducialiter agam*] Verbum בטח valet idem quod *confidens fuit*, *fiduciam habuit*; verùm, quia Confidentiam sequitur Securitas, per Metalepsim *audax & securus fuit*, ut Jud. 15. & Prov. 14. in quo modo significandi hic libenter accipio. Opponitur autem Pusillanimitati, Dubitationi, & Timori seu Trepidationi. ¶ *Non timebo*] פחד est vel *metu mali trepidare*, vel *reverentiâ seu admiratione moveri & quasi obstupescere*; & verbo *expavescendi* optimè redditur: unde nomen illud פחד, quod pro *religione* vel *Deo* ipso videtur accipi Gen. 31. *Per pavorem patris sui*, &c. ¶ *Laus*] A verbo זמר, quod *incidere* sign. & ad *incisionem musicam* & *metricam modulationem* transfertur, venit nomen זמרה, quod tam *instrumentum* quàm ipsam *modulationem* seu *psalmum* significat. Quando ergò dicit *Deum esse psalmum*, sign. vel se nihil aliud canere neque celebrare nisi Deum, vel quòd Deus sit ipsius gaudium. Hic simul duo nomina ponuntur, JAH, JEHOVAH, quod raro fit: & utrumque à verbo substantivo appellationem habet. Alterum existimo esse alterius contractionem, quidquid dicant Rabini. Sunt tamen pii viri & docti ex nostris qui JA Filio Dei cum assumpta humanitate tribuendum putent, quod hoc loco maximè amplector, q. d. *se canere* JA, JEHOVA, i. *Deum de Deo*, seu Dei Filium, qui nos redemit, & *datus est nobis à Deo in salutem, justitiam & sanctificationem.*

3. *Haurietis*, &c.] Non tantùm redemit & salutem dedit, sed & *fontes salutis* scaturire fecit, ad quos frequenter properare licebit ad hauriendam sautem, vel ad recuperandam amissam, vel ad conservandam acquisitam, vel etiam augendam. Sacramenta enim Ecclesiæ quasi *fontes* sunt saluberrimi, qui omnibus patent, ex quibus cuique licet summa *cum animi oblectatione* & *jucunditate salutem haurire.*

4. *In die illa*] Passim *diem* pro *tempore* usurpat Hebraismus. ¶ *Dicetis*] Non possunt se continere qui salutem hauriunt, quin maximè cupiant bonorum, quibus ipsi fruuntur, alios participes esse & testes; neque sibi satisfaciunt nisi cùm vident alios omnes Deo pro acceptis beneficiis similiter gratias agere. Affirmat ergò futurum Propheta eos qui *hauserint aquam* illam dicturos aliis, *Confitemini*, &c. Nisi malis pro imperativo accipere, *& dicite*, ut solent Hebræi futuris uti, vel etiam præteritis in futurum mutatis. ¶ *Invocate nomen ejus*] Quamvis Vulg. Interpretem non malè Hebraismum reddidisse putem, malui tamen retinere, quòd variè reddi posset: & vide quidem non paucis locis verbum קרא constructum cum voce שם & præpositione ב, ut hoc loco idem esse quod *prædicare, profiteri publicè*, seu *colere nomen Jehova*, Gen. 4. 26. Video quoque phrasim hanc Joel. 2. *Omnis qui vocaverit in nomine Jehova evadet.* Paulum Rom. 10. & Petrum Act. 2. reddidisse, *Omnis quicunque invocaverit nomen Domini salvus erit.* De ea autem Invocatione,

tione sermo est quæ ex animo pleno fidei proficiscitur: quod dicitur *invocare Deum in veritate*, seu *fide*, ut habet Psalmista. ¶ *Adinventiones*] Nomen עלילות sign. *studia*, *molimina*, *adinventiones*; indè etiam *opera*, &c. sive bona, sive mala. ¶ *Mementote*] Verbum est in tertia, & verbo *commemorandi* bene redditur, *adducite in mentes hominibus*, *facite ut vigeat memoria excelsi nominis ipsius*. Unde etiam intelligitur phrasis illa Euangelii, *Hoc facite in recordationem mei*, i. ut commemoretis me; sicut & Paulus interpretatur, *Mortem Domini annunciabitis donec venerit*, &c.

5. *Cantate*] זמר cum accusativo est *Psalmis & canticis celebrare*, *prædicare*, &c. ¶ *Annunciate hoc*] Ad verb. *notum factum hoc in universa terra*, libenter subaudirem verbum *sit*; & pronomen quidem Demonstrandi Hebræis vicem supplet verbi substantivi: sed & affirmativè legi potest, & Hebraismus id magis exigit, *notum factum est in universa terra*, quasi sit responsio ad superiora, q. d. *ut optastis*, *ità factum est*, &c.

6. *Exsulta*] צהלי propriè *hinnivit*, *mugivit*, vel præ lætitia, vel petulantia, & lascivia, ut solent Equi & Tauri, quanquàm figuratè ad Homines quoque transferatur: in malum Jer. 5. *Hinniebant ad uxorem*, &c. hic in bonum, & infrà 24, &c. ideo Vulg. verbo *exsultandi* reddidit. ¶ *Lauda*] Verbum רנן, sicut ex רן, est plerumque Ovationis & Acclamationis gratulandi causâ, & verbo *congratulandi* non malè interdum redditur. Plerumque autem est Lætitiæ, & *exclamationem ex lætitia* notat. *Jubilare* dicunt Latini, infrà 24, 35, 54. &c. Hujus autem *gaudii & exsultationis* causam jam reddit. ¶ *Quia magnus in medio tui Sanctus Israelis*] Quod de verbo incarnato omnino intelligendum existimo, non de Arca fœderis. Nam de die seu tempore redemptionis ex quatuor plagis terræ erat sermo: & cùm *nobiscum sit usque ad consummationem seculi*, perpetuæ nobis est exsultationis causa. Quid cùm eum intra viscera nostra reconditus? quid dicat homo Deo plenus? *Exsultet*, *hinniat* convocet ad congratulationem mutuam omnes, quòd *magnus* ille etiam usque in ipsa viscera hominis descenderit. Nam & vox קרב *intimum animalis* propriè declarat, deinde & *cujuscunque rei*.

DRUSIUS EX PROCOPIO.

1. אודך. Aq. Sym. Th. ἐξομολογήσομαί σοι, *Confitebor tibi*.

2. ישועתי אבטח Th. σωτήρ μου, ἐλπιῶ *Servator meus*, *sperabo*. ¶ יה יהוה Π. Ἰα Κύριος, *Ja DOMINUS*] Π i. πάντες, si quid video in his rebus.

GROTIUS.

1. *Confitebor tibi*, *Domine*] *Gratias ago tibi*. ¶ *Quoniam iratus es mihi*, *conversus est furor tuus*] Hebraicum loquendi genus, pro quo Latinè diceremus, *Quia cùm iratus fueris mihi*, *resedit ira tua*.

3. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*] Frueris bonis à Deo concessis. Sensu mystico rectè accipi potest de perfectissima doctrina, ut hic sumsit Jonathan, qui titulus Euangelio optimè convenit.

4. *Notas facite in populis adinventiones ejus*] Id est, consilia quibus ad vos liberandos usus est Deus. Respicit præcipuè bella illa civilia gentium ad Euphratem.

CAP. XIII.

MUNSTERUS.

Quæ hactenus à Propheta sunt tractata pertinent propriè ad Judaicum populum: Scripsit enim de præsenti Judæorum Regno, & de futuro Regno Christi. In hoc verò capite transit Propheta à Judæis, & prophetat vicinis gentibus futuram vastitatem.

1. *Onus Babylonis*] Vocatur hîc Prophetia *onus*, præsertim quæ afflictionem annunciat.

2, 3. Per *agitationem manûs* intellige vocationem hostis, quæ voce, manu & vexilli erectione fieri jubetur. Per *portas* verò *munificorum* intelliguntur domus Principum, & per *sanctificatos*, Medi & Persæ Divino parentes jussui, & undique etiam à remotissimis locis concurrentes, & communi auxilio Babyloniam devastantes. Chald. pro *sanctificatis* vertit *præparatis*; qui scilicet parati erant ad perdendum Babyloniam. Misera itaque depingitur hic facies capræ urbis. Erit sine ope, sine duce; nemo repentè oppressos liberabit: Nemini parcetur, non sexui, non ætati. Erit illis sicut *capreæ* vel *damulæ exagitatæ*, quam undique premunt canes, quæ nescit quo fugiat. Ubique hiant rictus ad lacerandum.

10. *Stella non expandent lumen suum*] Est familiare Scripturæ ut vocet tempus magnæ tribulationis *tempus tenebrosum*, *in quo Sol & Luna radios suos abscondunt*. Porrò כסלים est *constellatio quædam* secundùm Aben Ezra *quæ invenitur circa Cor Scorpii*. Verbum autem יהלו habet pro radice הלל idem significans quod נגה.

12. *Pretiosiorem auro*] i. Non accipient Medi aurum è Babyloniis ut sese redimant.

20. *Arabs*] Sunt quidem Arabes qui certa domicilia non habent, sed deferunt secum tabernacula sua, vagantes in desertis & pascuosis locis. In loco autem Babyloniæ tunc brevi futurum erat ut præ horrore ruinarum & horrendorum animalium nemo vel tentorium suum per noctem extendere posset. Hæc itaque historia de Babylonis vastitate meritò terrere debet Tyrannos & omnes illos qui vel potentiâ vel sapientiâ vel opibus vel gloriâ abutuntur ad suam libidinem. Hic hujus historiâ usus & fructus apud fideles esse debet.

VATABLUS.

1. *Prophetia* משא] Ad verb. *Onus*; i. Prophetia de futura destructione Babyloniorum. Oneris nomine durior & onerosior Prophetis quoties aliquid adversum denunciare volebant; ut sciret populus nihil accidere adversi quod non Dominus ipse velut *onus* hominum humeris imponeret.

2. *Contra eos* להם] *Ad eos*. Relativum pro antecedente: sub. *milites*. ¶ *Levate* הניפו] *Agitate*. Metaphoricè (inquit doctus inter Hebræos) *dixit*, *Super montem excelsum elevate vexillum*, *exaltate vocem ad eos*, *elevate ad eos manum*, *ut citò veniant ad Babel ut perdant eam*, sub. *Medi ac Persæ*. *Elevatio* autem *manûs* significat advocationem: ut cùm quispiam advocans alterum, quòd propter distantiam loci non possit exaudiri, manum elevat, innuens ut veniat. ¶ *Ducum* נדיבים] *Principum*, *munificorum*, sub. *Babyloniorum*. Sic vocantur Principes à *munificentia & liberalitate*.

3. *Præparatis à me* למקדשי] Ad verb. *sanctificatis meis*, i. instructis & præparatis à me, ad hanc rem tanquam sacramento militari astrictis. ¶ *In ira mea* לאפי] *Ad exsequendam iram meam*. ¶ In *gloria mea* גאותי] Ad verb. *gloria mea*, i. ob gloriam meam, cùm honore & gloriâ afficior.

4. *Sonitus* שאון] *Strepitûs*. Quidam, *Vox fragoris* acsi *regna Gentium coivissent*.

5. *Et vasa furoris ejus* וכלי זעמו] i. Cum militibus, qui ipsius irati mandato obsequentur.

6. *Ab Omnipotente* משדי] i. Imminet à duce forti & insuperabili. q. d. Quæ nullâ ratione vitari potest.

7. *Debiles erunt* תרפינה] *Flaccescent*, *remittentur*.

8. *Angustiæ* צירים] *Tormina*, *torsiones*. Verti potest, *angustias & dolores apprehendent*. ¶ *Facies*, &c. פני להבים פניהם] Hebraismus, pro *Suffundentur rubore & erubescent*.

9. *Venit* בא] Præt. Heb. pro præs. *instat*. Alii in futurum convertunt, *veniet*. ¶ *Et indignatio* ועברה] *Et plena indignatione*: i. in qua ostendet Dominus se maximè iratum esse. ¶ *Disperdat* ישמיד] *Deleat*, *conterat*.

10. *Et Orion eorum* וכסיליהם] *Et sidus eorum*. Alii, *& congregatio stellarum*. q. d. Præ summa calamitate & miseria omnia videbuntur eis obscura. Per *tenebras* enim intelliguntur omnia infelicia, calamitosa & tristia. ¶ *Obscurabitur*, &c. חשך השמש וגו'] Præt. Heb. pro fut. *Obtenebrabitur Sol in exortu suo*.

11. *Et visitabo*, &c. ופקדתי וגו'] *Visitabo enim super orbem terrarum malitiam*. i. Animadvertam in flagitia orbis terrarum, sive in homines propter scelera eorum. Quidam vertunt *ob malitiam* eorum. Seipsum declarat seq. verbis. ¶ *Et cessare faciam* והשבתי] *Et quiescere faciam*: i. perdam. ¶ *Fortium humiliare faciam* עריצים אשפיל] *Tyrannorum humiliabo*, vel *dejiciam*.

12. *Pretiosiorem*, &c. אוקיר אנוש מפז] *Pretiosiorem reddam hominem auro puro*. Alii, *Reddam chariores viros auro obrizo*. q. d. Pauci evadent. Vel, Propter aurum non parcetur vitæ Babyloniorum; neque parcent milites cuiquam propter pecuniam.

13. *Commovere faciam* ארגיז] *Concutiam*, *agitabo*. q. d. Tunc videbitur cœlum tremere & terra moveri loco suo horrore eorum quæ gerentur. Describit acerbitatem illius expugnationis. ¶ *Propter iram* בעברת] Ad verb. *in indignatione*, vel *in* die *indignationis Jehovæ exercituum*, *& in die caloris furoris ejus*. Loquitur Deus de se in tertia persona.

14. *Et erit* והיה] Sub. *Babylon*, *& qui in ea habitat*, aut *miles*

3. *Sanctificatis meis*] Milites qui Dei bellum gesturi erant *sanctificatos suos* vocat, quasi ad bellum sacrum conscriptos. Bella enim cùm apud Judæos tum etiam Gentes certis ceremoniis, legibus, ritibus, solennitatibus, insuper etiam jurisjurandi sacramento interposito, suscipiebantur ac gerebantur, ut testatur Deut. 20. ubi jura belli ordine commemorantur: & extant Historiæ in libris Sacris quæ id testantur, ut 2 Sam. 15, & 18. unde *sanctificare bellum* Jer. 6. & Joel. 4. ut interim taceam quòd bella piorum cultus fuerint Deo placens. Adde quòd qui jussu Domini interficiuntur sunt veluti quædam victimæ morti destinatæ, ut patet infrà 34. & Jer. 46. quia morte illorum quodammodo expiatur terra. Quare & interficiendi *sanctificari* dicuntur Jer. 12. & ipsi interfectores *sanctificati* Zoph. 1. *Præparavit Jehova victimam, & sanctificavit vocatos suos*, scilicet Chaldæos, tanquam illam victimam devoraturos. Quâ propemodum figurâ loquendi usus est Moses Exod. 32. ubi dicitur, *Implete manum vestram hodie ipsi Jehova, unusquisque in filio suo & in fratre suo*, &c. nimirum alludens ad ritum consecrandi Sacerdotes quo pecudis sanguine manus eorum tingebantur, pii autem à Mose manus suas seditiosorum sanguine cruentare jubebantur. ¶ *Et vocavi*] Vel *quin & vocavi*. ¶ *Fortes*] Vel *heroas*, seu *prævalidos*. ¶ *In ira mea*] לאפי, vel *ad iram meam*, vel *iræ meæ*, i. ut iræ meæ exercendæ inserviant. ¶ *Exsultantes in gloria mea*] Hebraismum retinui: nam variè reddi potest; vel, *qui in gloria mea exsultent*, ut reddidit Vulg. & plerique alii, quòd scilicet altitudo & gloria Dei eos exsultare faciat; vel, *quorum exsultatio faciat ad gloriam Dei*, quia videlicet libenti & læto animo id exsequebantur quod magnopere pertinebat ad gloriam & honorem Dei; vel, *exsultantes gloriosi mei*, i. milites alacres & gloriosi.

4. *Vox multitudinis*] Nomen המון, ut jam dixi, non *multitudinem* tantùm sed etiam *strepitum* & *tumultum* sign. sicut Græcis ὄχλος unde Luc. 22. *ut traderet eum sine turba*, vel *sine tumultu*. Quare hîc reddidi, *Vox tumultûs*, seu *strepitûs*: ut 1 Sam. 4. *Et dixit, Quæ vox tumultûs hujus?* & 14. *Tumultus, qui erat in castris*, &c. ¶ *Quasi populorum frequentium*] Hebraismum retinui, *similitudo populi magni*, i. qualem solet edere populus magnus. Vulg. doctè Hebraismum mollivit. ¶ *Vox sonitûs*] שאון propriè *ruinam*, *irruptionem* seu *præcipitium* declarat, & per Metalepsin *sonitum*, *fragorem*, *tumultum*, &c. qui ruinam subsequitur. Posset non malè reddi *vox præcipitationis Regnorum*, &c. ¶ *Regum*] Credo Interpretem initio scripsisse *Regnorum*, ut habet Hebraismus. Solebant, ut etiam nunc fit, gentes barbaræ, ut terrorem incuterent & sese accenderent ad prælium, ingentes edere clamores. ¶ *Præcepit militiæ belli*] Suprà jam dixi de verbo פקד quod interdum verbo *recensendi* verti debeat: & juxta hunc sensum intellige Vulgatum. Fingit Deum veluti Imperatorem ac Ducem, qui conscribere nomina militum jubet, eósque recenset & ad sacramentum adigit, & unumquemque suæ fortitudinis specimen coram se edere facit, ut significet vastationem illam quæ Babyloniis impendebat, non solùm ex præcepto Domini fieri, sed & gratissimam illi fore. Quare hoc loco, quia vidi esse allusionem in vocibus *tcebaoth* & צבא, nomen interpretatus sum, ut in versione eadem allusio appareret. Potest autem hoc nomen collectivum צבא, (de quo plura infrà 40.) quod *exercitum* hîc verti, construi cum participio pluraris numeri sequentis versûs, *venientem de terra*, &c. *Exercitum* verò *prælii* seu *belli* vocat, ad bellum & cædem paratum, vel bellicosum. Quod verò sequitur sic accepi, *Jehova, & vasa ejus ad dissolvendam terram*, scilicet *adsunt*;

5. Vel; servatâ distinctione, in hunc modum, *Veniunt de terra procul Jehova, & vasa*, &c.] Ubi inducitur *Dominus* ut Dux, & milites Medi & Persæ ut *instrumenta indignationis* & justitiæ ejus: ur intelligamus in Regnorum vastationibus non semper odia nationum aut avaritiam aut superbiam præcipuam esse causam; sed altiùs philosophantes, hostes esse *instrumenta Divinæ indignationis*, quam peccatis nostris provocavimus, nobiscum reputemus. ¶ *A summitate*] i. *Ab extremitate cœli*. Cum vulgo loquitur, quasi regio quæ nimiùm distat cœlum contingat.

6. *Dies Domini*] Phrasis est Hebræis frequentissima ut *dies Domini* dicatur dies quo punit immorigeros & rebelles; fortè hinc sumpta quòd cùm dissimulat, dormire videatur: (unde ut *exsurgat, nè ultra dormiat*, petit Psalmista.) Nox autem tempus est somno deputatum, Dies verò actionibus: hinc ad significandum judicium Domini accommodatur, ut interdum idem sit *dies Domini & judicium Domini*. Hinc etiam *dies hominis* sive *humanus*, i. judicium hominis. ¶ *A Domino*] Hic nomen est SADAI, quod plerique per *Omnipotentem* reddunt. Est autem attributum Divinum, q. d. *Uberrimus*, cujus bonitas permeat per universas creaturas, dans illis essentiam, vitam & motum; q. sit à verbo שדד, quod *permeare* sign. Sed quia hoc verbum capitur semper in malum, à שד, quod *mamma* seu *uber* est, quidam illud deduci volunt. At ego illis potiùs assentior qui nomen שדי compositum esse dicunt ex relativo ש & nomine די, q. d. *Qui sufficit, Sufficientissimus, Abundantissimus*, quòd ipse per sese non modò bonis omnibus abundat, sed etiam aliis abunde tribuat: sicut de Filio Dei dicit Joannes, *De plenitudine ejus accepimus omnes*. Et Paulus 1 Tim. 6. ad hoc nomen videtur alludere, *Qui præbet nobis omnia abunde ad fruendum*, &c. Dicitur ergò שדי vel *quod sibi*, vel *quòd nobis sufficiat*, neque alio indigeamus. Si quis tamen diceret nomen שדי à *devastando* dici, ideóque & hoc loco esse allusionem in voce שד, quæ *vastationem* notat, ad nomen שדי, non improbarem: q. diceret Propheta, *Ululate, quia venit vastatio, quasi vastatio à Deo vastatore*. Sic enim loquitur Scriptura; ut apud Paulum, *Tanquam à Domini Spiritu*, i. claritatem maximam, qualem par est à Spiritu Domini donari, &c.

7. *Propter hoc omnes manus*, &c.] *Dissolutione* seu *remissione manuum*, & *liquefactione cordium*, & similibus, quæ sequuntur, Hyperbolicis similitudinibus venustè admodum insinuat Propheta quæ mala passuri sint Babylonii adventante hostium exercitu, cujus Dux esset Jehova; cujus solius est, etiam antè quàm adveniat calamitas, ità perturbare impiorum animos in quos iram suam effundere decrevit, ut consilii & opis egeni quò sese vertant nesciant, neque manu neque mente satis suum officium facientibus. ¶ Pro *contabescet, liquefiet*; pro *dissolventur, remittentur*, dixi, sensu eodem, & propriâ verborum significatione servatâ.

8. *Conterentur*] Numero multitudinis legendum. ¶ *Torsiones*] Nomen ציר à verbo ציר *cardinem*, i. locum angustum illum in quo janua vertitur, significat; hinc ad *legatos* transfertur, tam in sing. quàm in plurali: interdum tamen suam simplicem significationem servat, ut *angustias* significet. ¶ *Dolores*] Cum Vulg. verti: nomen verò propriè *funes* sign. transfertur autem ad *eos dolores* significandos *qui veluti funes circumligant & complexum detinent eum qui patitur, ut sese indè expedire nequeat*: unde, *Circumdederunt me funes mortis*, &c. *& funes inferni circumdederunt me*: ubi Vulg. in Psal. *dolores* dixit: secundùm quam significationem Petrus dixit, *Quem Deus suscitavit*] *solutis doloribus inferni*. ¶ *Facies combustæ*] Sensum expressit: ego Hebraismum servavi, quòd facilis esset, *facies flammarum*. Qui anxii sunt & in metu degunt, quæ inedia & vigiliæ consequuntur, macilentiores facti, nigrescunt & exsiccantur, veluti carnes quæ ad ignem suspenduntur exsiccandæ. Unde apud alium Prophetam dicitur, *Universæ facies retraxerunt splendorem suum*. Hoc facit scelerum conscientia & metus instantis judicii.

9. *Crudelis*] כזר, præpositâ literâ א. *crudelis, sævus, immitis*, tam adjectivè quàm substantivè: sumítque sæpe Jod in fine paragogicum, ut hîc. ¶ *Plenus*] Hoc supplevit Vulg. Potest & repeti verbum *venit* hoc modo, & *ardor, & excandescentia vultus: venit ad*, &c. ¶ *Furorisque*] Illud *que* delendum est in Vulgato. Nomen חרון interdum per se *iram* seu *excandescentiam* sign. interdum autem construitur cum nomine אף, quod propriè *nasum*, quasi אנף à *flando*, sign. deinde & totum *vultum*; deinde & *iram*, quæ vultu & naribus proditur: in qua constructione ego libenter חרון pro *excandescentia*, אף verò pro *vultu* acciperem, ut Vulgatus accepit in eo loco Gen. 3. *In sudore vultûs tui*. Conjunctas has voces habes Exod. 32. & Num. 25. ubi *ardorem iræ* vel *excandescentiam vultûs* dicere possumus. ¶ *Peccatores*] Dix cum vulgato; nam alioqui dicere consuevi *errantes*, servatâ proprietate significationis. Verbum enim חטא verbo *errandi* seu *delinquendi* aptè redditur. 1 Reg. 1. *Cùm dormierit dominus meus cum patribus suis, ero ego & filius meus errantes*, i. extorres, exsules. Ex quo loco significatio nominis acipitur. Hîc interim habes occultè causam desolationis terræ, quòd scilicet habeat *peccatores*, & eos alat.

10. *Stellæ cœli*] Nomen ככב non assignant Hebræi unde deducatur. Mihi placet cujusdam docti viri sententia, qui putat esse à verbo כבה, primâ geminatâ, quòd scilicet nunquam *exstinguatur*, quasi oppositâ significatione. ¶ *Et splendor earum*] Relativum Hebræum ad *cœlos* referendum est: Vulg. ad *stellas* retulit; accepit enim כסל pro *splendore*. Neque de significatione hujus nominis apud Interpretes constat. Nomen esse sideris docti existimant, & Hieronymus *Oriona* alibi interpretatur. Et hæc opinio confirmatur, quòd nonus mensis, qui nostro Novembri ex parte respondet, quo oritur Orion, כסלו

voca-

alia mala, *incurvabitur in loco vinctorum*, *aut in loco interfectorum cadet*: h. e. partim conjicietur in vincula, partim interficietur. ¶ *In toto hoc* בכל זאת] Vide c. 9. 12.

5. *O Aſſur* הוי אשור] *O Aſſyrii*, vel, *O Rex Aſſyriorum*. הוי adverbium eſt Hortandi, vel Vocandi. Prædicit everſionem Iſrael faciendam ab Aſſyriis. ¶ *Et virga*, &c. ומטה הוא בידם וגו'] *Et virga ipſe eſt, in manu eorum indignatio mea*. Alii, *& virga iræ meæ eſt in manu eorum*. Alii, *qui & baculus eſt iræ meæ in loco* [vel *terra*] *ipſorum*.

6. *Impiam* חנף] *Hypocritam: ſimulatricem: fallacem*. ¶ *Et ſuper populum furoris mei mandabo ei* ועל עם עברתי אצונו] *Et contra populum indignationis meæ mandabo illi*: ſub. *ut veniat*. Hebraiſmus, pro *& contra populum cui indignatus ſum*. ¶ *Ut ſpoliet ſpolia* לשלל שלל] *Ut detrahat ſpolia*, vel capiat.

8. *Simul Reges ſunt* יחדו מלכים] *Pariter Reges?* Alii, *univerſi Reges?* i. ſunt æquales, non ſunt inferiores Regibus virtute & opibus: aut, Reges quos ſuperavi ſunt in aula mea.

9. *Chalno* כלנו] Sub. *fuit*: q. d. *Nonne ſicut Charchamis expugnata fuit viribus meis, ità expugnata fuit Chalno?* Urbes ſunt Syriæ ad Euphratem ſitæ.

10. *Idoli* האליל] Sing. pro plur. *idolorum*. Hebraiſmus, pro *quemadmodum ſuperavi & vici alia Regna in quibus colebantur idola*. ¶ *Et ſimulacra*, &c. ופסיליהם וגו'] *Ità inveniet ſculptilia eorum* quæ fuerunt allata *è Jeruſalaim & de Someron*. De urbibus Iſrael & Juda loquitur. Meminit autem *Samariæ* & *Jeruſalem*, quòd eſſent urbes metropoles; ſoleántque urbes reliquæ colere Deos ſuarum metropolium. Alii dicunt מ hoc loco non ſignificare *de*, ſed eſſe comparativum, vertentes, *Cùm ſimulacra eorum* ſint fortiora *ipſâ Jeruſalem & Samariâ*. Vel, *fortiora ſimulacris Jeruſalem & Samariæ*.

12. *Viſitabo* אפקד] Mutatio perſonæ, pro *viſitabit*: nam priùs dixit *cùm compleverit Dominus*. ¶ *Magnitudinis* גדל] *Magnificentiæ*. *Magnitudo cordis* Arrogantiam, ut *celſitudo* (ſive *elatio*) *oculorum* Faſtum & Supercilium ſignificat. i. Puniam illum propter arrogantiam.

13. *Intellexi* נבונתי] *Prudens fui*: i. uſus ſum magnâ prudentiâ. Alii, *perſpicax fui*. ¶ *Et amovi* ואסיר] Fut. Heb. pro præt. *abſtulique*. ¶ *Et deſcendere feci* ואוריד] Fut. item Heb. pro præt. *ac detraxi tanquam gigas ſedentes*, ſub. *in ſoliis regiis*. Alii, *ac deturbavi* [ſive *dejeci*] *eos qui habitabant in locis fortiſſimis*. Hi videntur legiſſe ב *in* pro כ *tanquam*. Et eſt ſing. Heb. pro plur. כאביר.

14. *Subſtantiam* לחיל] *Opes*. Alii, *vires: robur*. Alii, *exercitum*. ¶ *Et ſicut colliguntur* וכאסף] *Et ſicut congregat*, ſub. *quiſpiam*, utpote viator, qui ſibi aufert *ova derelicta* in nido. ¶ *Qui moveret alam* נודד כנף] *Qui moveret ſeſe alâ*, vel *alis*. ¶ *Aut aperiret* ופוצה] Ad verb. *& aperiret*, ו pro *aut*.

15. *Sicut elevaret*, &c. כהניף שבט וגו'] Duo infinitivi ſunt Hebræis, quos variè interpretes vertunt. Plures (quos hic noſter ſecutus eſt) vertunt per præſens. Quidam ſic, *Et ſic agitat* acſi eſſet *virga*: & *ſic eam levat* acſi levaret *baculum non arborem*. Alii per nomen verbale, *Sicut elevatio virgæ eſt penes elevantes illam, ſic elevatio baculi non* eſt penès *lignum*: i. ut exaltatio baculi debet tribui elevanti, ità exaltatio baculi non debet tribui ligno, ſed elevanti. Vel, ut alii, *Ut elevatio virgæ ad elevantem ipſam: & elevationes baculi, non in ligno*, ſub. *ſunt*: q. d. Non ſunt in virtute ligni. Quidam liberiùs ſic per verbum ſubauditis pauculis. Quod perinde eſſet *acſi virga ſeſe elevaret contra eum qui ipſam fert, & baculus ſeſe extolleret* quaſi *lignum non eſſet*.

16. *Et in loco gloriæ*, &c. ותחת כבודו יקד יקוד וגו'] Ad verb. *& ſub loco gloriæ ſuæ ardebit ardore juxta ardorem ignis*, i. ſimili ardoris ignis. Prædicit interitum exercitûs Regis Aſſyriorum, quòd milites ejus robuſtiſſimi (nam ut plurimùm pingues ſunt robuſti) abſumendi eſſent igni juxta muros Jeruſalem quam obſidebat. Alii vertunt, *& ſubtus gloriam ejus ſuccendet incendium quaſi incendium ignis*.

17. *Spinam ejus & veprem ejus* שיתו ושמירו] Sing. pro plur. Sic vocat militem gregarium, quòd infinitis moleſtiis afficiat.

18. *Et Charmeli ejus* וכרמלו] Alii omnes interpretantur vocem Hebraicam, vertentes, *& agri ejus conſiti arboribus*, vel *& frugiferi campi ejus*. *Metaphoricè ſignificat*, inquiunt Hebræi, *quòd qui excelſi ſunt ut cedri Libani excelſæ, futuri ſint ſicut arbores Charmeli, quæ ſunt humiles*. *Et Charmel in ſilvam reputabitur*, infrà 29. 17. q. d. Deus perdet duces ac principes & magnates ſive nobiles exercitûs Regis Aſſyriorum. ¶ *Ab anima*, &c. מנפש ועד בשר יכלה] Hebraiſmus, pro, *non ſolùm morientur, ſed etiam cadavera eorum vertentur in cinerem*. ¶ *Ut diſſolutio vexilliferi* כמסס נסס] *Quaſi diſſolutio ſigniferi*. Alii, *quemadmadmodum diſſolvitur vexillifer*. Alii, *ſicut* caſtra quæ *diſſolvit vexillifer*. *Cùm enim*, inquit doctus inter Hebræos *diſſolvitur vexillifer*, ſive *liqueſcit*, aut *deficit*, *omnes milites diſſolvuntur & fugiunt*. q. d. *Tanta erit clades quanta eſſe ſolet in exercitu cujus vexillifer cecidit*.

19. Pauca *numero* מספר] Ad verb. *numerus*, i. numerari poterunt: ſequitur enim, *Puer ſcribet eas*.

20. *Reſiduum Iſraelis* שאר ישראל] *Reliquiæ Iſraelis*: vel, *reliqui Iſraelitæ*.

22. *Reſiduum*, &c. שאר ישוב בו] *Reliquiæ convertentur ex eo*, i. reliquiæ ejus convertentur ad te: acſi dicat, Quamvis plurimi perituri ſint, tandem tamen aliquot ſervabuntur, & convertentur ad Dominum Deum. ¶ *Conſumptio*, &c. כליון חרוץ שוטף צדקה] Nam *conſumptio certa inundans* erit in *juſtitia*. Alii, *conſumptio definita*, vel *determinata*: i. nam Dominus decrevit, idque juſto judicio, ſumere pœnas de Iſraele, & illum perdere. Alii, *conſummatio perfecta inundat* eos in *juſtitia*.

23. *Et* quidem *deciſam* ונחרצה] *Et determinatam*, aut *decretam*: pro *conſumptionem definitam & certam*. Repetitio proximè præcedentis ſententiæ. ¶ *Facit* עשה] Particip. præſ. Heb. pro fut. *facturus eſt*.

24. *In via Ægypti* בדרך מצרים] Hebraiſmus, pro *more, modo, ritu Ægyptiorum*: q. d. Eo modo quo afflixerunt te Ægyptii, ſic te affligent Aſſyrii.

25. *Ad conſumptionem eorum* על תבליתם] *In perniciem illorum*. Alii *in abolitione eorum*: vel, *ad everſionem eorum*: aut *in perniciem*: i. Intra breviſſimum tempus perdam Aſſyrios, & ità iræ meæ finis imponetur.

26. *Et ſuſcitabit* ויעורר] *Et excitabit*. Mutatio perſonæ: ſunt enim verba Prophetæ, vel ipſius Dei loquentis de ſe in tertia perſona. ¶ *In Petra Oreb* בצור עורב] *In rupe Oreb*. Quidam vocem Hebræam relinquunt, *in Sur Oreb*. ¶ *Et virgam*, &c. ומטהו על הים] *Et* juxta *virgam ſuam ſuper mare*, i. ut percuſſit Ægyptios in Mari rubro. ¶ *In via Ægypti* בדרך מצרים] Hebraiſmus de quo v. 24. pro *eo modo quo levavit ſuper Ægyptios*.

27. *Auferetur* יסור] *Recedet*. Alii *auferet*. ¶ *A collo tuo* מעל צוארך] *A cervice tua*. ¶ *Corrumpeturque jugum* וחבל על מפני שמן] *Perdeturque jugum propter oleum*, i. in gratiam Ezeciæ uncti Dei; ſive potiùs in gratiam Meſſiæ ſive Chriſti promiſſi.

28. *Venit* בא] Præterita Heb. pro fut. Deſcribit urbes Tribûs Juda & Benjamin per quas tranſiturus erat Rex Aſſyriæ cùm venit obſeſſum Jeruſalem. ¶ *Parabit*, &c. יפקיד כליו] *Deponet vaſa ſua*: vel *reponet*: ſive *conſtituet*, *inſtrumenta ſua*, i. ſuppellectilem ſuam, ſive impedimenta ſua bellica.

29. *Tranſierunt* עברו] Præterita Heb. pro futuris. ¶ *In Geba diverſorio pernoctarunt* גבע מלון לנו] *Geba* erit *diverſorium* in quo *pernoctabunt*. ¶ *Obſtupuit* חרדה] *intremuit*: ſive *intremet*: *territa eſt*.

30. *Exalta vocem tuam* צהלי קולך] Ut ſcilicet aliæ urbes exaudiant. Alii, *Hinni*. ¶ *Attende Laiſa* הקשיבי לישה] *Attendere fac Laiſam*.

31. *Elongavit ſe* נדדה] *Fugit*. *Mota eſt*. Etiam hìc præt. pro futuris. ¶ *Congregaverunt ſeipſos* העיזו] Ut ſcilicet fugiant: nam id ſign. verbum Hebraicum.

32. *Adhuc*, &c. עוד היום וגו'] *Adhuc die ipſâ in Nob ſtare poterit*. Alii, *Cùm adhuc dies* erit, deveniet *in Nob, ut* illic *ſubſiſtat*: vel *interquieſcat*. ¶ *Levabit* ינופף] *Agitabit*, *Movebit*: juxta illud 2 Reg. 19. 21. *Poſt te caput movit filia Jeruſalaim*.

33. *Excidet* מסעף] Præſ. Heb. pro fut. Ad verb. *deramificat*, pro *amputabit*. ¶ *Cum robore* במערצה] i. Magnâ vi, ſive potenter. Alii, *cum terrore*. ¶ *Et excelſi*, &c. ורמי הקומה וגו'] Particip. paſſivum pro fut. *& excelſæ ſtaturâ* arbores *ſuccidentur*: vel, *excelſæ ſtaturæ* arbores *ſuccidentur*. ¶ *Et ſublimes*, &c. והגבהים ישפלו] *Et ſublimia dejicientur*. Alii, *& altè dejicientur*: aut *alta*, ſub. *arbores*.

34. *Arbores perplexas* סבכי] *Perplexa*: i. ramos perplexos, vel denſos, arborum. Alii, *denſitates illius ſilvæ*: i. arbores denſas. ¶ *Et* arbores *Lebanon*, &c. והלבנון וגו'] Ad verb. *& Lebanon ille in forti cadet*, ſub. *ferro*: vel *Angelo*, i. operâ Angeli. Per *Libanum* exercitum, & per *arbores* milites intelligit: q. d. Perdet omnes milites illius exercitûs.

C A S T A L I O.

16. *Ejuſque nobilitatem*] Nobilem exercitum.

17. *Illius virgulta & vepres*] Milites.

20. *Non ampliùs in eo nitantur à quo caſi fuerint*] Aſſyrio.

21. *Re-*

21. *Reliquiæ revertentur, reliquiæ Jacobidarum ad Deum potentem*] Alludit ad nomen S A R I A S U B positum cap. 7. quod significat, *Reliquiæ revertentur*, h. e. pauci.

24. *Cedet ille quidem te baculo, suâque virgâ petet Ægyptiaco more*] Ut olim Pharao.

26. *Et elatâ in mare suâ virgâ, eum auferet Ægyptiaco modo*] Eum perimet ut Pharaonem fisso virgâ mari peremit.

27. *Jugo præ pinguitudine corrupto*] Ejus imperio ob nimias opes & superbiam deleto.

34. *Libanus generosè cadat*] Senacheribi exercitus.

C L A R I U S.

3. **G**Loriam vestram] Videtur idem esse quod alibi scriptum est, *mutaverunt gloriam suam*, i. Deum: q. d. *Ubi destituti eritis auxilo meo, quid erit vobis reliqui?*

4. *Quia non estis mei*] Heb. *Absque me corruit inter vinctos.*

5. *Væ Assur*] Vel, *ô Assur*; & subaudiendum est, *veni ut sis virga mea, castigans populum meum in loco suo. Etiamsi tu non cogites quod in hac re meus sis minister; sed præsumis tibi subjicere omnes gentes, & omnes Principes tuos facere Reges, loquens magnifica de corde tuo. Et ego cùm compleverо per te opus meum, visitabo quoque te juxta superbiam tuam, qui ea opera quæ ego per te feci, tibi ascribis, perinde quasi securis gloriaretur contra secantem*, &c. Ex hoc atque hujusmodi Scripturæ locis discere debemus, cùm alicujus tyrannide premimur, æquo animo ferre, & meminisse manum illam esse Domini, qui cùm castigationem impleverit, suo tempore Tyrannos amovet, ipsósque castigat. *Cùm enim impleverit Dominus cuncta opera sua in monte Sion & in Jerusalem, visitabo*, inquit, *super fructum magnifici cordis Regis Assur.* ¶ *Baculus iræ meæ*, &c.] Potest etiam verti sic, *Et baculus ipse qui est in manu eorum, est ira mea.*

15. *Et exaltetur baculus qui in justam arborem non excrescet*] Alius sic vertit, *Et sic eam virgam levat ac si levaret baculum, non arborem*: vel, *cùm exaltet baculum, non arborem*: & sic interpretatur, *Baculus non est arbor, quæ ex sese fructum faciat, sed eo utitur Deus percussurus graviter.*

16. *Et subtus gloriam ejus*] Per *gloriam* illam intelligitur magnificus exercitus Regis Assyriorum, qui unâ nocte quasi per ignem in favillam redactus fuit. Vocat quoque eundem exercitum *silvam* magnarum arborum & *campum optimè cultum*, quòd per *Carmelum* intelligit, eò quòd magni in eo essent Principes, & multi ex agricolis & vinitoribus.

17. *Lumen Israel*] Intelligit Deum, qui futurus erat in *ignem* & in *flammam* peccatoribus, qui in morem *spinarum & veprium* consumentur.

19. *Et reliquiæ*] Evasit enim Rex cum nonnullis, qui tam pauci erant ut *puerulus* quisque *numerare eos* potuerit.

22. *Si enim fuerit populus*] Quod quidam sic interpretantur. *Si residuum quod convertetur in eo sit tantum quantus est numerus arenæ, adhuc tamen appellaveris reliquias.* Potest & sic dici, *Ex illa Judæorum infinitate reliquiæ tantùm servabuntur.* Quem locum Paulus ad Romanos produxit cùm docere vellet eos cur non mirandum esset si tam pauci ex Judæis converterentur, cùm hoc jam olim ab Esaia prædictum fuisset. ¶ *Consummatio abbreviata inundabit justitiam*] Ex compendiosa fidei prædicatione immensa justitiæ capia, quod per *inundationem* intelligitur, proficiscetur. Vocem autem illam *abbreviata* alii verterunt *decreta & acris*, alii *perfecta.*

24. *Super te in via Ægypti*] h. e. Sicut olim in Ægypto servierunt, & ab ea tandem servitute fuerunt liberati.

26. *In petrâ Horeb*] Sicut Horeb & Zeb, duo Principes, victi sunt Jud. 7. *Occisi autem sunt, Horeb in petra Horeb, & Zeb in torculari Zeb.* ¶ *Et virgam suam super mare*] Sicut, inquit, olim aquis Rubri maris Ægyptios prostravi solâ baculi elevatione per Mosen, &c.

27. *A facie olei*] Uncti videlicet Christi.

28. *Veniet in Aiath*] Descripturus exercitûs Sennacherib perditionem, iter ejus ex Ægypto versùs Jerusalem primùm describit.

30. *Hinni voce tuâ, filia Gallim*] Transire dicitur tanto furore, ut ejulans civitas illa audiatur in ultimis finibus Israel, nempe in Dan, ubi est origo Jordanis, quæ hîc *Laisa* vocatur.

32. *Adhuc dies est*] Vel, *Adhuc ipsâ die stare poterit in Nobe.* Futura quasi præsentia describit Propheta, quasi jam ventum esset ad Nobe ubi esset pernoctandum.

34. *Confringet ramum*] Tandem interitum exercitûs narrat.

34. *Per fortem cadet*] Nempe per Angelum.

F O R E R I U S.

1. **V**Ult, ni fallor, Propheta his primis versibus explicare præcipuam causam illius vastationis populi Israelitici quæ per Assyrios contigit, nempe injustitiam, & oppressionem pauperum & cæterorum qui humano favore aut viribus destituuntur. Neque alia frequentior causa est eversionis Regnorum. ¶ *Statuentibus*] חקק Hebræis propriè est *constituere formam* alicujus rei, *imprimere imaginem* seu *effigiem*: & haud dubiè Hebræis idem est quod Græcis χαράττω. Hinc חקק participium & nomen ejusdem significationis מחקק part. secundæ, *qui constituit formam aliquam & constituit normam vivendi.* Sed de hac voce & loco Gen. 49. Vide infrà 33. *Jehova judex noster, Jehova legifer.* ¶ *Iniquitas*] Nomen און est à verbo אוה, quod Hebræis est *affectavit, desideravit, concupivit*: & accipitur nomen hoc plerumque in malum, dicitúrque de affectu illo pravo & naturæ vi quâ quispiam alteri dolorem & vim infert, aut ipse afficitur. Psal. 6. *Discedite à me, operarii violentiæ.* Ad quæ verba alludens Dominus Matth. 7. de illis ea videtur interpretari qui *per nomen Domini prophetaverunt, dæmonia ejecerunt*, &c. i. de Pseudoprophetis & ipsorum traditionibus. Interpres Matth. dixit ἀνομίαν, Lucas ἀδικίαν. Conjungitúrque sæpe nomen hoc cum nomine עמל, ut hoc loco vides. Num. 23. dicitur, *Non vidi violentiam in Jacob, neque laborem in Israel.* Ex quo loco deinde omnes Prophetæ hanc phrasim sumentes (est enim Moses fons omnium prophetarum) ad *impietatem*, i. impiam doctrinam, & *idololatriam* seu *superstitionem*, transtulerunt; vel etiam ad *oppressionem innocentium*, quos impii ex innata illa vi dolore afficiunt & laborare faciunt. Possumus ergò hæc *statuta* interpretari vel de legibus Politicis quas ferebant Principes & Magistratus ad propriam ipsorum utilitatem summa cum pauperum injuria, ut mox sequitur; vel de interpretationibus & additionibus impiis quas addebant ad Divinam legem, perversè illam interpretantes, cujusmodi erat illa tempore Christi circa præceptum de Honorandis parentibus.

2. *Ut opprimerent*, &c.] Verbum נטה in tertia activum est, *inclinare, declinare*, &c. nomen autem מדין *tribunal* sign. ut apparet ex Judic. 5. *Qui vehimini asinabus albis, sedentes super tribunali*: sic enim vertendus est locus: quòd non malè reddidit Vulg. *Sedetis super judicium.* Unde & pro ipso *judicio* videtur hîc accipiendum. *Inclinare* autem *judicium* seu *sententiam pauperum* seu *exhaustorum* est torquere judicium, & facere ut causâ cadant. Sensum Vulgatus reddidisse contentus fuit. Est ergò nomen deductum à verbo דין, vel דן. Sunt tamen quibus videtur מ esse præpositio, q. d. *ad declinandum à judicio exhaustos, nè illis jus diceretur*: nam דין *judicium* est: sed priori sententiæ libentiùs accedo. Quid si מדין sit à verbo מדד, & *mensuram* significet, pro מדן? & vertendum sit *ad inclinandam mensuram exhaustorum?* quo tropo significat injurias quas patiebantur pauperes in emptionibus & venditionibus & rerum commutationibus. Nam alibi *inæqualia pondera & mensuras iniquas* objicit. Unde illud, *Quâ mensurâ mensi fueritis, remetietur vobis. Inclinare* ergò *mensuram* est inæqualiter jus dicere divitibus ac pauperibus: quod mox versu seq. explicare videtur. Nec reprobanda est hæc interpretatio. ¶ *Pauperes*] Ego *exhaustos* soleo vertere, ut propriam significationem vocis Hebrææ retineremus. Est enim דלל *exhaustum esse, extractum* seu *attenuatum esse exhauriendo.* Indè nomen דל *exhaustus facultatibus* seu *viribus, attenuatus, tenuis fortunæ homo*; & opponitur nomini עשר. ¶ *Et vim facerent*, &c.] Ego Hebraismum retinui, *ad rapiendum judicium.* Est phrasis Hebræis familiaris, quâ etiam vulgò utimur. *Rapuerunt judicium* seu *justitiam*, i. vi abstulerunt jus, nè juxta jus & æquum pauperes judicarentur. ¶ *Humilium*] Sicut Hebræis Pauperes ab *exhaustis facultatibus* דלים, ità ab *oppressione* seu *humiliatione* dicuntur עניים, vel potiùs quòd *eis nemo subveniat, neque juxta votum quidquam eis respondeat*, ut jam superiùs annotavi. ¶ *Ut essent*, &c.] Quasi huc tendant illa statuta ut liberè simul & specie aliquâ aut religionis aut justitiæ possint jus eripere pauperibus, pupillis ac viduis. At legislatores omni affectu vacuos esse oportebat, quasi Reip. leges conderent in qua non essent victuri.

3. *Visitationis*] Quid verbum usitatissimum פקד significet Hebræi aut ignorant aut non satis exprimunt. Accipitur autem nunc in bonam nunc in malam partem; nec uno verbo Latino commodè semper reddi potest: est enim nunc Gratiæ & Beneficii, nunc Iræ seu Pœnæ. Itaque puto idem esse quod Latinis *rationem habere, sumere, inire, ducere rationes*, & similia. Redditur igitur commodà nunc verbo *visitandi*, nunc *requirendi*, nunc *recensendi*, quæ affinia sunt. Nam qui *visitat*, ille *requirit*; & qui *requirit*, ille *recenset*, & ejus rei curam habet: & contrà qui *recenset*, is *requirit*; & qui *requirit*, is *visitat.* Estque sem-

ſemper ſuperioris erga inferiores. Nomen ergò פקדה, quod hic habetur, eſt *viſitatio*, *inſpectio*, *requiſitio*, *officium inſpectionis*, *munus Epiſcopi*, *officium demandatum*, *præfectura*, *delegatio*. Vide infrà cap. 60. ¶ *Et calamitatis*, &c.] Heb. *& tempeſtati è longinquo veniet.* Deeſt relativum, quod ſæpius omittunt. Eſt autem Hebræa phraſis, quâ etiam nos Luſitani utimur, *Quid facietis tempeſtati?* i. Quomodo vos geretis adveniente tempeſtate, vel quando ingruerit tempeſtas? Tempeſtates autem quæ è longinquo adveniunt impetuoſiores ſunt. Hic verſus omninò ſignificat, *Immitibus*, & qui affectus humanitatis exuerunt, *imminere judicium abſque miſericordia.* Nam qui aliis in rebus peccaverunt, ſi miſericordes in fratres fuerint, habent quod faciant in die viſitationis & tempeſtatis: habent enim placatum Judicem. Nam quæ indigentibus dederunt, Chriſto Domino dederunt. Et pauperes ipſis ſunt patroni, qui tandem eos *in æterna tabernacula recipiunt.* Interim verò *Eleemoſina orat apud Deum*, ut loquitur Scriptura. Habere enim quod faciant, eſt non carere remedio. ¶ *Pro auxilio*] Hic interdum eſt uſus literæ ל: לעזרה *pro auxilio:* non eſt enim qui crudelibus ſubveniat. ¶ *Ubi relinquetis gloriam veſtram?*] Nomen כבוד non tam hic *gloriam* quàm *glorioſos ipſos Principes & Magiſtratus* ſignificat; qui plerumque evadere ſolent ex prælio, & ad loca tuta naturâ & arte munita confugere, aut etiam auxilia ab amicis Regibus petere, quibus amiſſam provinciam rurſus recipiant: quando autem ipſi quoque Principes in poteſtatem hoſtium veniunt, actum eſt de Regno. In ſuperioribus non ſemel ità accipi hoc nomen vidiſti, & ſæpius aliis. Quæ ſequuntur, hoc confirmant.

4. *Ne incurvemini*] כרע *curvavit*, ſcilicet *crura.* Et hoc differt à verbo השתחוה, quod *proſternere ſe in terram corpore & facie* ſignificat. Qui hæc à ſuperioribus diſtinguunt, ſenſum afferunt nimis violentum. Ego Vulg. ſecutus בלתי pro *nè* accepi. *Quò*, inquit, *ſe proripient Principes tui, nè ſub vincto*, i. *ſub vinctis*, aut potiùs *pro vinctis*, *curventur*, *& pro interfectis*, i. tanquam interfecti cadant? Is enim uſus eſt interdum vocis תחת. אסיר collectivè accipi videbis Pſal. 79. & alibi. Significat ergò Principes aut interficiendos aut inter captivos abducendos.

5. *Væ*] הוי hoc loco Compellantis eſſe videtur. *O Aſſur, ipſa eſt virga iræ meæ*, *& baculus:* quod exponens ait, *in manu eorum* (ſcilicet *Aſſyriorum*) *eſt furor meus:* i. O Aſſyrii, vos eſtis miniſtri iræ & furoris mei.

6. *Fallacem*] Vacant Hebræi *hypocritam* hoc nomine חנף, à verbo quod ſign. *aliam ſpeciam præ ſe ferre quàm antea habuit* aut *quàm habere debuit.* Nam & Latine *tectum hominem* appellant & *obſcurum:* cui opponitur *apertus*, *candidus*, *ſincerus.* Latini nunc verbo *contaminandi*, nunc verbo *polluendi* verterunt, & nomen ipſum nomine *hypocritæ:* ut vel hinc videas illos eſſe propriè *contaminatos* & *infectos* qui ficti ſunt, illámque ſpeciem ſanctitatis fictitiam eſſe in oculis Domini inſignem *contaminationem.* Quod genus hominum deſcribens Paulus ait, *Speciem virtutis habentes*, *virtutem autem ejus abnegantes.* ¶ *Populum*] *furoris mei*] Vel *ardoris.* Vocant autem *populum furoris ſui* in quem furorem ſuum effunderet & quem duriter tractare decreverat: ut videas quantùm illum populum peccata immutarint, ut eum quem *primogenitum ſuum* & *filium dilectum*, & *quaſi peculium* vocare conſuevisset, nunc *populum furoris ſui* appellet. ¶ *Mandabo*] Similis conſtructio hujus verbi צוה eſt Jer. 27.

7. *Non ſic arbitrabitur*] De verbo דמה vide ſuprà 1. 9. quibus adde quòd juxta ſecundum modum ſignificandi, quo ſign. *aſſimilare*, notet quoque *formare ſimilitudinem in animo*, i. quod quodammodo etiam eſt facere ſilere ſeu acquieſcere ut ſcilicet res rei conſentiat. ¶ *Ad conterendum*] Vel *ad abolendum:* nam id propriè ſign. verbum שכר. Latini nunc verbo *delendi*, nunc *diſſipandi*, nunc *diſperdendi*, nunc *atterendi*, nunc *diſſolvendi* reddiderunt. Verùm ubique verbo *abolendi* reddere aptè poteris. *Ego*, inquit, *illum miſi ut tanquam virga punirem populum in quem iratus ſum: Ille verò neque ſe à me miſſum cogitabit*, *neque leviter affligere*, *ſed funditus perdere in animo habebit.* ¶ *Gentium non paucarum*] Sic ferè omnes reddiderunt vocem מעט. Ego quia non memini in ſing. מעט ſic accipi, cum negatione adjunctum verbo, adverbium eſſe credo, i. *non parùm*, *omnino*, *funditus.* Videtur enim quòd de populo tantùm Iſraelitico nunc loquatur Propheta. Non tamen aliorum interpretationes damno.

8. *Principes mei*] שר *Princeps* eſt: & ſi propriè accipiatur, eſt, *qui menſuratam habet aliquam gubernationem.* Non malè hoc loco *proceres* diceres. ¶ *Reges ſimul ſunt*] Proceres mei in palatio meo, Reges quoque ſunt, ut *Rex Regum* dici meritò poſſim.

9. *Et ut*] Heb. *ſi non.* Eſtque vel Jurantis, vel Affirmantis; *Diſpeream*, *ſi non Hamath*, &c. vel, *Videant*, *ſi non acciderit*, &c. Potentiſſimæ autem fuerunt illæ civitates.

10. *Invenit manus mea Regna*] i. Potentia mea venit ad Regna ut ea apprehenderem & caperem ſicut rem quampiam manu, neque eam potuerunt effugere. Vel potiùs eſt phraſis Hebræis peculiaris, *Invenit manus mea Regna*, i. Regna venerunt in manum meam & redacta ſunt in meam poteſtatem: quemadmodum in Pſal. *Dextera tua inveniat eos qui te oderunt.* *Regna* autem *idoli* vocat quæ idola colebant. ¶ *Sic & ſimulacra eorum*] *Sic* addidit Vulg. de ſuo. Mihi videtur כ eſſe Comparationis, & iſti duo verſus conjungendi ad hunc modum, *Quemadmodum Regna idolorum venerunt in poteſtatem meam: erant autem plura ſimulacra eorum quàm Jeruſalem & Samariæ: nónne, inquam, quemadmodum feci Samariæ, ſic faciam Jeruſalem?*

11. Notandum autem quòd S. literæ ſæpiſſime *idola* vocent nomine עצבים, eò quod cultus eorum conſcientiis multum doloris ac laboris afferat: nam verbum עצב eſt *diſcruciare animum*, *contriſtare*, *dolore afficere.* In his autem verſibus ſatis manifeſtè apparet quàm facilè Homo Divinas metas tranſgrediatur; cùm tamen cæteræ creaturæ ſuis ſint contentæ terminis. Commendat enim Scriptura obdientiam quam ſervant Aquæ, quibus Deus arenam poſuit pro meta, ut in ea frangerentur tumentes fluctus. Unde quidam de clemento Aquæ ex Davide cecinit,

——— reſonantia plangit
Litora, præſcriptas metuens tranſcendere metas.

Voluntas quidem Domini erat quòd punirentur Iſraelitæ, ſed non quòd omnino deleretur Regnum illud: at Homo hujus voluntatis miniſter omnia ſibi pro arbitrio putat licere. Conſidera etiam quòd cùm Idolis vim Divinam hic Tyrannus ineſſe crederet, tantùm ex hoc quòd ſibi non reſtitiſſent exiſtimabat Deo vires defuiſſe ad reſiſtendum, quaſi repugnaret Divinæ bonitati permittere quòd ſui cultores aliquid mali patiantur: ut videas Humani cordis ſuperbiam ſimul & ignorantiam? Quòd autem non culpæ duceret coli Idola, vel illa argumentatio ſatis oſtendit quæ à majori ad minus eſt, *Quod feci Regnis quæ plura Idola habebant, non faciam Regno quæ paucicra?* nam ſi peccatum putabit Idola colere, male colligebat.

12. *Cum impleverit*] Ego, *ſtudioſè compleverit*, vel *magno cum ſtudio ac contentione abſolverit* vel *perfecerit.* Nam ſicut verbum נשך *mordere* ſign. & *fœnus exercere*, eò quòd fœnus homines mordeat, ſic verbum בצע *vulnerare* ſign. atque *exercere avaritiam*, quæ tanquam gladius hominem vulnerat & illius ſanguinem exſugit & ſubſtantiam abſumit: Sed quia ſermo Latinus non patitur ut *vulnerare* pro *avaritiam exercere* dicamus, nunc illo modo, nunc hoc reddere oportet. In ſecunda verò conjugatione, in qua hic legitur, accipit modum ſignificandi ab altera conditione avari, quâ naturâ cupidus eſt & avidus aliquid complendi, & tam in bonam quàm in malam partem ſolet capi. Hic vides quantâ irâ & vindictæ ſtudio exarſerit Dominus adversùs populum ſuum, & quàm verè illum vocaverit *populum furoris ſui.* ¶ *In monte Tcion*] Vel *adversùs montem Tcion.* ¶ *Cuncta opera ſua*] *Omne opus*, vel *totum opus.* Quia verò non intermittebat populus peccata, etiam inter afflictiones, non intermittebat quoque Dominus opus ſuum. Ex hoc quoque loco habes, quàm proprium ſit ſupremæ illi Bonitati improbos punire. ¶ *Viſitabo*] Vel *requiram.* Quamdiu virga neceſſaria eſt integra ſervatur: Quando autem nullus uſus ejus jam ampliùs eſt, & ipſa quoque confringitur & in ignem mittitur. Non eſt ergò quòd glorientur victores populi ſi victoriâ potiuntur: poſtquam enim victi pœnas dederint meritas, Dominus quoque requiret ſuper victorum inſolentiâ atque crudelitate. ¶ *Magnifici*] Nomen גדל in abſtracto *magnitudinem* ſeu *magnificentiam* declarat; ad verb. *ſuper fructu magnitudinis cordis Regis*, &c. Vocat autem *fructum magnitudinis cordis* ea quæ ex arrogantia cordis & elatione animi atque ſuperbia proveniunt. Et quod ſequitur idem quoque declarat, *ſuper decore* (ſeu *gloria*) *elationis oculorum*, i. ſuper elatis oculis ejus cum faſtu & majeſtate omnia deſpicientis: quæ omnia à v. 7. uſque ad 11. continentur, & mox ſequentibus explicantur. Eſt enim Cor veluti radix cogitationum atque actionum noſtrarum; & prout affectum eſt, tales quoque fructus producit, ut in Euangelio Dominus Matth. 15. docet. ¶ *Decore*] Heb. תפארת, à verbo quod *ornare* ſeu *decorare* ſign. Græcis *μεγαλοπρέπεια.* Pſal. 78. Vulg. *pulcritudinem* dixit: *Dedit in captivitatem potentiam ejus*, i. Arcam, *& decorem ejus*, i. cultum,

tum, *in manum hostis*. Nam loquitur de cultu in Silo decenter institu̇to. Sic & Paulus hortatur ut in Ecclesia *omnia decenter & secundùm ordinem fiant*. Hanc eandem vocem videtur ipse Paulus nunc *gaudium* nunc *coronam* reddidisse: & ad Phil. 4. utramque simul complexus dixit, *Gaudium meum & coronam meam*: & 1 Thess. 2. *Gaudium, & corona gloriæ*: quæ verba videtur accepisse ex Ezec. 24. *In die quo tulero ab eis gaudium decoris sui*. Hic ergò accipere possumus pro *venustate* & *gratia*, quam qui sibi placent, & cui omnia ex sententia succedunt, in oculis præ se ferunt, qui sunt indices animi certiores quàm verba.

13. *In fortitudine manûs meæ*] Vel *potenti manu meâ*. Est autem כח non ἀρετή sed δύναμις, i. *fortitudo*, *robur*, *facultas*, &c. ¶ *Abstuli*] Vel *transtuli*. Est autem *translatio* seu *ablatio populorum* ejus qui ad libitum dominatur, qui miscet Regna & dividit Præfecturas ad suam utilitatem & libidinem; & habitatores sedes mutare compellit, quò reddat regiones pacatas, & rebellionum ac defectionum occasiones amputet. סור autem in tertia est *discedere facere*, i. *auferre*, *transferre*, &c. Gen. 48. *Transferret de capite Ephraim*, &c. ¶ *Principes eorum*] Variant Interpretes in hac voce; & radix quidem manifesta est, עתד, i. *institit*, *incubuit operi*, *instanter exercuit*. Neque probo quod Hebræi, & Sanctes eos secutus, dicunt, nempe quòd sit *præparare*, & עתידות esse idem quod *præparata*, i. thesauros. Et in re quidem facilè consenserim cum eis, sed etymologiam non probo: vocem enim credo significare *reposita* seu *thesauros*, *universámque supellectilem quibus possessores incumbunt*. Quia verò ab hac ipsa radice venit nomen עתודים, quod *hircos* & *arietes*, *quibus grex nititur & quasi incumbit*, & per translationem *Duces* & *Gubernatores populi* sign. ut Zach. 10. (de quo dicemus infrà 14.) idcirco Vulg. hic *Principes* vertit; cùm tamen in hac forma alibi sic acceptum non inveniamus. In hac enim forma feminina hîc tantùm, & Deut. 32. reperitur: & in Deut. quidem *ea quæ imminent* significat; hîc autem *ea quibus incumbunt & student homines*, *promptuaria*, *reposita*, *thesauros*, & similia. ¶ *Quasi potentes*] De voce כאביר est hic controversia. Quidam enim sentiunt idem esse quod כביר, i. *multus*, *copiosus*, &c. & א interpositam per Epenthesim; quod in aliis nominibus interdum fit. Alii rectiùs dicunt, כ esse Similitudinis notam, & אביר pro *robusto* & *viribus pollente* accipiendum. Quid si עתידות *cubilia* interpretemur, & כאביר *stragulum*? id enim significare כביר perspicuum est, quasi ex multiplicibus pilis contextum, sicut מכבר. Sensus itaque iste erit *Cubilia eorum diripui, & deposui stragulum habitatorum*, seu *quieti habitantium*; quibus subitum adventum significat & omnimodam direptionem; quæ non est difficilis illis qui super in cubilibus jacentes irruunt. Et hic sensus sequentibus quoque congruit.

14. *Nidum*] Hebraismus *nidum* vocat non tam nidum ipsum quàm pullos avium qui adhuc nido continentur: Deut. 32. *Sicut aquila suscitabit nidum suum*. ¶ *Fortitudinem*] Jam suprà dixi propriam significationem hujus vocis חיל, quæ primariâ significatione *strenuitatem* declarat, quæ labore & exercitio constat, & facinora & præclarè facta quodammodo enititur: hinc pro *exercitu*: interdum & pro *substantia* seu *facultatibus strenuitate partis*, ut hoc loco, & Deut. 8. & Job. 20. *Strenuitatem, quam devoravit, evomet*, &c. Quod si ità est, non mirum quòd superiorem versum non tam de thesauris & bonis repositis quis velit interpretari, nè idem hîc repetere videatur Assur, quàm de subito adventu hostium, & potentia omnia disponendi ad libitum. ¶ *Sicut colliguntur*, &c.] Participium esse existimo, quasi scriptum sit O S E P H. Quemadmodum autem Latinis *colligo* est in unum redigo, interdum etiam Carptim aufero, ità hoc verbum Hebræis: neque alias significationes habet. Eleganti certè Metaphorâ ac similitudine potentiam suam exprimit, quâ in subjectos usus omnia & diripere & ad libitum disponere potuit: Neque sat illi fuit si se nidum invenienti, populos aviculis, substantiam ac liberos eorum pullis & ovis avium compararet, nisi etiam id quod avibus nunquam denegatum fuit, ut garriendo ac stridendo & querulis vocibus obstrependo ac volitando direptionem nidorum suorum quoad ejus fieri potest impediant, populos non fecisse præ timore & stupore affirmaret. Isti sunt fructus superbi cordis, quod gloriatur in alienis bonis quasi in suis, & in iis quæ accepit quasi non acceperit. Quam mentem procul abesse à suis vult Dominus, Deut. 8. *Ne dicas in corde tuo, Virtus mea & fortitudo manûs meæ fecit mihi divitias istas*, &c. & multis aliis locis. Adeóque illam Deus detestatur ut affirmet Moses in suo illo Cantico propterea pepercisse Dominum populo suo, nè superbirent hostes eorum, & dicerent, *Manus nostra excelsa, & non Dominus, fecit hæc omnia*. Porrò quæ sequuntur satis hoc ipsum confirmant.

15. *Numquid gloriabitur securis*, &c.] Variant quidem docti interpretes hoc loco; neque sibi constant Rabini, & multa supplent absque ulla causa. Et quidem in priore versûs parte nulla est difficultas; at in posteriore non minima, quæ ortum habuit ab ignorantia significationis verbi נוף, cui cùm sex significationes, easque diversas, assignent, propriam & veram dubito an assignaverint. Sed de hoc errore alias. Scito interim, Christiane Lector, unicam tantùm esse verbi significationem, scilicet *agitavit*, neque in vocibus ab hoc verbo deductis aliam quæras. Huc accessit quòd nomen שבט non putarunt in recto esse, cùm planus hujusmodi sit sensus, si in recto accipias; Posset quidem Assur sibi victoriam tribuere, si verè diceretur Baculum agitare & huc atque illuc circumagere eos qui se manu tenent atque elevant; aut si dum quispiam baculum levat, non lignum elevaret. At manifestum est & virgam agitari ab elevante, & baculum nihil aliud quàm quoddam lignum esse: Insana igitur est Assur gloriatio, qui per se nullas vires neque motum ullum habuisset ut noceret populo Dei, & tot aliena Regna occuparet, nisi hæc Divinitus accepisset, ipse verò nihil aliud sit in conspectu Dei quàm quoddam lignum putredini obnoxium, & mortalis quidam homuncio. Quæ sententia si mentibus hominum insedisset, non adeò *delirarent Reges*, neque adeò *plecterentur Achivi*. ¶ *Quasi qui elevat baculum, non lignum elevaret*] Supplevi relativum *qui*, & expressi verbum quod repetendum erat, nè Latinis auribus insuavis esset oratio, cujus concisio Hebræis est perelegans. Posses quoque vertere, *Quasi elevare baculum non sit lignum elevare*.

16. Habes in his versibus pœnam arrogantiæ Regis Assyriorum. Et primò quidem, dum floreret & victor aliorum Regna invaderet, cum comparat corpori pingui, cui scilicet integræ sunt vires, quas solet amittere dum in maciem & tenuitatem ex aliquo morbo aut inedia devenit. Quia etiam nihil sic res gloriosas, charas & pretiosas corrumpit & in nihilum redigit sicut Ignis, dicitur quòd *sub ejus gloriam ardere faciet ignem*.

17. *Lumen Israelis*, &c.] Quæ est hæc *lux Israelis* nisi Dominus ipse, quem mox *Sanctum ejus* appellat? Ipse, ipse, inquam, Dominus, qui *Israelitis est lux*, & quem ut *sanctum* Israelitæ colunt, Assyrios, veluti *ignis spinas*, *absumet*. Forte alludit Propheta ad cultum Ignis, qui perpetuò ardebat & conservabatur in Templo. Cùm enim ibi esset perpetuus ignis ad perpetua sacrificia, & sanctitas in cultu vigeret, essent autem Assyrii in circuitu Jerusalem veluti spinetum quoddam, armis hispidi & ad pungendum parati, fingitur veluti è Templo egressus ignis qui milites absumpserit exercitúmque deleverit. Quemadmodum etiam ignis columna Judæis luci & Ægyptiis terrori erat, ità ignis Templi in lucem & sanctificationem fuit piis, Assyriis autem in vastationem & consumptionem. Quasi significare velit Propheta quòd propter cultum & religionem Dominus deleret hostes Israelis. De his vide in ultimis verbis cap. 31. ¶ *In die uno*] i. Simul & brevi tempore.

18. *Silvam* Metaphorice vocat constipationem armatorum militum, qui cristis, galeis & hastis densissimam silvam imitantur. Ità & *Carmelum* vocat copiosum commeatum & omnium rerum abundantiam quam secum deferebant. Ob fertilitatem enim loci abiit *Carmel* in proverbium apud Hebræos. ¶ *Ab anima usque ad carnem*] Hoc quoque proverbiali formâ jactatur, i. *penitus*. ¶ *Et erit terrore profugus*] Variant hoc loco Interpretes. Et מסס, ni fallor, est nomen à verbo מסס *liquefecit ut defluat*: nomen autem *liquefactionem* seu *dissolutionem* notat. Atque ità dupliciter interpretari possumus: *erit quasi res quædam levissima*, ut pulvis aut cinis, quæ non consistunt, sed vento tolluntur ac fugantur: vel *erit quasi dissolutio* seu *liquefactio*; i. dissolvetur sicut quæ liquescunt, ut in Psal. 68. *Dissipentur inimici ejus, & fugiant qui oderunt eum à facie ejus, sicut deficit fumus; deficiant, sicut fluit cera à facie ignis*, &c. Quod videtur sumptum ex libro Num. cap. 10. vel, *erunt sicut dissolutio fugientis*, i. sicut qui metu dissoluti aufugiunt. Hunc sensum, sive priorem, qui ferè idem est, libenter amplector, quòd verba propriè id sonant; & eundem expressit Vulg. ut qui in *liquefactione* metum intellexerit: nam Hebræi *liquefactionem cordis* Metum seu Terrorem vocant. Et ferè idem est quod Chal. *erit contritus & fugatus*. Qui autem *dissolutionem vexilliferi* hic afferunt, non placent: nam nullibi invenio נסס *vexilliferum* significare in Scripturis, quamvis נס *signum* sit. Est ergo hic נסס participium in quadrata, quam vocant, conjugatione, neque desunt Rabini qui ità putent. Existimo autem quòd de ipso Rege Assyriorum sit sermo, qui, ut infrà dicetur, & in lib. Regum narratur, cæso exercitu nocte unâ per Angelum

Domini, cum paucis aufugit in Assyriam: vel de exercitu ipso & militibus quorum corpora, quasi igni absumpta, in cinerem resoluta sunt.

19. De paucitate autem loquitur ver. 19. qui ad verbum ità sonat, *Et reliquum ligni silvæ ejus numerus erunt*: i. Quæ relinquentur arbores erunt numerabiles, & pauci numero erunt qui superfuerint à cæde illa, &c. Solent autem nomina militum conscribi. Quod munus pueris committi non consuevit, ut qui neque nomina numerorum teneant, neque rationes numerorum inire valeant.

20. *Et erit*, &c.] Fructum illius miraculi exponit. Videntes enim pii aliquot Israelitæ Dominum Jerusalem liberasse, cœperunt confidere Domino, ipsique inniti, neque ultra spem suam in hominibus collocare: qui licet interdum auxilium præberent, paulò tamen post, mutato animo, hostiliter ipsos vexabant. Assyrii enim, qui Ahaz opem tulerunt adversùs Regem Syriæ & Israel (ut suprà ostendimus) adversùs domum Jehuda, postea non semel profecti Judæam vastarunt. Sed quia Assyriorum fastus, crudelitas ac tyrannis imperium Diaboli ac Peccati designabat, ad mysterium & veritatem ab umbris transit. Nam & liberatio illa liberationem quæ per Christum facta est designabat, & qui tunc evaserunt Israelitæ eos qui ex Judæis ad Christum conversi sunt. Et has transitiones in Prophetis quas Judæi nolunt intelligere, cœci; & interpretes, qui Rabinos tanquam oraculum sequuntur in suis interpretionibus, parùm Christiani sunt. ¶ *Qui fugerint*] פליטה *evasio*, i. qui evaserint, & dicitur tam de personis quàm de aliis rebus. ¶ *In veritate*] Heb. באמת: sic vertendum est, non *ex fide*, ut quidam volunt. *Inniti* autem *in veritate* est Ex animo & verè, non fictè & oretenus, Domino confidere. Juvat autem ad confirmandam spem atque fiduciam nostram considerare beneficia Domini quibus suos ab exordio mundi prosecutus est. Sed numquid non insani sunt qui super percussores suos innituntur? Hujusmodi sunt mortales, qui ex amicis inimici sæpe fiunt. *Verè in Deo nostro salus Israel*, &c.

21. *Reliquiæ convertentur*] Quia *reliquos* & *qui evasissent* dixerat, nè quis fortè putaret ingentem numerum futurum Israelitarum Deo fidentium, *reliquias* hic vocat. Et ex iis quæ sequuntur, atque etiam ex D. Paulo Rom. 9. apparet manifestè *reliquias* paucitatem declarare. Sunt autem hic illæ duæ voces quæ nomen alterius filii Jesaiæ componebant: S E A R J A S U B, i. *Reliquiæ revertentur* vel *convertentur*: Quod nomen suprà dixi mysterium significasse, nempe Quòd ex vastatione illa Israelitarum, & strage quam peccata ipsorum commeruerant, & hostes qui à Deo propter ipsa peccata immissi sunt, ediderant, pauci evaderent Israelitæ. Id manifestè hic exponit Propheta, nempe quòd *reliquiæ Jacob*, quas significabat nomen illud filii sui, *converterentur ad Deum* גבור *prævalidum* seu *præpotentem*.

22. *Consummatio abbreviata*, &c.] In dubio non est quin prius nomen כליון sit à verbo quod & *consummare* & *consumere* significet, unde & *consummationem* & *consumptionem* reddere possumus: quamvis Deut. 28. *consumptionem* videatur omnino significare, *consumptionem oculorum*, &c. neque alibi legi. Posterius autem, nempe חרוץ, variè accipi potest, & adjectivè quidem optimè reddit Vulg. *abbreviata* vel *concisa*. Et sunt qui in malum accipiant, quòd *Deus justitiâ inundante & copiosâ abbreviavit populum illum atque consumpsit*. Sed neque constructio huic expositioni favet, neque præcedentibus & consequentibus cohæret. Nam si nomen *justitiæ* accipiatur in casu nominandi, tunc planior erit sensus, *consumptionem abbreviatam inundabit justitia*, Intellige autem per *consumptionem abbreviatam* pauculos illos & reliquias quæ ex Israele servatæ sunt, qui sanctissimi fuerunt, ut suprà jam dixit, *Omnem reliquum in Tcion sanctum vocandum*, &c. cap. 4. Quid si nomen חרוץ substantivè accipatur, pro *rastro* seu *tribula*? ut infrà c. 28. & Amos 11. (nam hoc instrumento utuntur agricolæ ad comminuendas glebas post jacta semina in agro) significabit, quòd post *consumptionem* & vastationem illam quæ ventura erat populo Israelitico, similem illi comminutioni glebarum quæ fit rastro; vel excussioni granorum, quæ alio instrumento fit (de quo infrà 28.) *inundabit justitia*, eò quòd maxima fuerit donorum cœlestium abundantia postquam peccatum & infidelitas ferè totum Israelem vastasset. Qui sensus si placuerit, sic, consentientibus vocibus Hebræis, reddere poteris, *consumptionem rastri inundat justitia*. Nam *imminutio eorum divitiæ mundi*, ut inquit Apostolus.

23. Quod superiori versu כליון, hîc כלה ab eodem verbo, nempe *consummationem* seu *consumptionem* significat. *Abbreviationem* cum Vulg. reddere volui: nam Paulus Rom. 9. hunc locum citans reddidit per συντέμνων, i. *abbrevians*, *decurtans*, & Matth. 24. videtur redditum ἐκολοβώθησαν *decurtati fuissent*, & Mar. 13. *decurtasset* amputatâ scilicet aliquâ parte prioris mensuræ. Significat igitur hoc participium, tanquam nomen sumptum, *determinationem*, *decisionem* seu *decurtationem*, vel rei de qua dicitur, vel temporis. Et verbum ipsum Hebræum juxta materiam subjectam reddendum est: nam unicâ voce semper reddi non potest, respondet autem nostris *acuere*, *acutum esse*, *penetrare*. Possunt autem hæc accipi ut dixi superiori versu, pro *ipsis qui ex præcisione manserunt*; vel in malum, pro ipsa *consumptione*, ex qua superfuerunt reliquiæ. Illud autem *in medio universæ terræ* more Hebræorum accipe, i. *in medio hujus terræ*: in hac terra, ubi est nunc ingens numerus hominum: *in pluribus* enim *eorum non beneplacitum fuit Domino*. Nam Deus longè abest à nonnullorum insania, qui sibi multitudine hominum sibi subjectorum placent. Vides eum summa cum æquitate (ità videtur interpretari Paulus) ab infinita illa hominum colluvie qui erant veluti *arena maris* pusillum quendam gregem segregasse? Hoc vocat *verbum consummatum & abbreviatum*, i. rem brevem & decurtatam. Vel verbum quo illam abbreviationem effecit (omnia enim verbo suo facit Deus) dicitur *verbum consummans & abbrevians*.

24. *In via Ægypti*] Hebraismus est, i. quemadmodum Ægyptus. Sicut, inquit, ab Ægyptiis indigna passi estis, non tamen afflictio illa perpetua fuit, sed finem habuit, eundémque gloriosum vobis; nè despondeatis quoque animum cùm videtis Assyriorum adversùs vos ferociam & crudelitatem. Erit veluti flagellatio filii, quem pater corripit. Habitatores enim Hierosolymitani obsidione pressi sunt, & omnia quæ extra muros possidebant vastata sunt: sed non diu duravit illa vexatio, ut sequenti versu promittit.

25. *Paullulum, modicùmque*] Sic etiam legitur suprà 16. in fine כמעט מזער, i. *valde parùm*, vel *post pusillum*, & *minus pusillo*. ¶ *Consummabitur*] Si de Assyriis est sermo, *consummabitur* dicendum est, i. ad summum perveniet, explebitur, satiabitur, ut nihil amplius exspectandum sit, neque diutiùs ferre possim: Si autem de Judæis (non enim relativum *eorum* obest, cùm sit frequens mutatio personarum Hebræis) dicendum *consumetur*, *finietur*, *cessabit*. Vide suprà v. 22, & 23. *consumetur & cessabit indignatio*. ¶ *Super scelus*] In voce תבלית non consentiunt interpretes. Crediderim ego quòd sit à verbo בלה; quod verbo *inveterascendi* reddi potest, & significare *inveteratam malitiam*. Et sicut nomen בלי ab eodem verbo transfertur ad significandam *corruptionem quæ vetustatem consequitur*, ut infrà cap. 38. ità hoc nomen congruè *inveteratam malitiam* & *morum corruptionem* videtur significare.

26. *Flagellum*] שוט sic dictum, quòd *circumpungat* & *circumagat*. ¶ *Super mare, & levabit eam*] i. Sicut *levavit virgam suam super mare, & super Ægyptios*, ut in mari perirent, ità super Assyrios, &c. Vers 24. dixerat, quòd *Assyrii percussissent Judæos, sicut Ægyptus*; hîc autem quod *Dominus percussurus sit Assyrios, sicut Ægyptum*. *Justum enim est*, ut inquit Paulus, *quòd reddat Dominus vicem impiis qui* filios Dei *divexant*, sive Ægyptii sive Assyrii sint, etiamsi permittente vel etiam jubente Domino illud faciant: nam & quòd iniquo animo id faciant, & propter alia quoque scelera, irâ Dei digni sunt. Nec tibi durum videatur quòd cùm superioribus versibus de Christi tempore verba inseruerit, hîc rursum ad historiæ filum redeat. Nam is mos est Prophetis quoties Historia umbra & delineatio quædam est futuræ veritatis. Adde quòd quæ his versibus tribus commemorat, facilè neque nimis violentâ interpretatione in eos dicta accipi possunt qui reliquias illas sanctas persecuti sunt, quos Dominus delevit ante faciem servorum suorum. Facit hic locus ad confirmandos animos servorum Dei, adversùm quos etsi flumina & maria fluctus suos elevant, Dominus jubet ne animum despondeant. Nam tamdiu durabit afflictio quamdiu ira Domini adversùs impios non fuerit consummata: Consummatur autem brevissimo tempore si illi in sua crudelitate perseverent: *non* enim *relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum, nè extendant justi ad iniquitatem manum suam*.

27. *Auferetur onus*] Hæc etiamsi intelligi optimè possunt de ea libertate quâ à Domino asserti sunt Judæi sub Ezechia, deleto per Angelum Domini exercitu Assyriorum, ut præcedentia & ordo historiæ postulant, non minùs congruenter ad Mysterium referri possunt cujus Historia typus fuit. Illud autem *à facie olei*, i. propter unctum Ezechiam, vel propter Christum Dominum, vel potius (quasi in Metaphora perseveret sumpta ab Animalibus, quæ si pinguia sunt, præ pinguedine laxatis nexibus dissolvuntur juga, vel quòd nodos jugi induratos adhibito oleo seu pinguedine solvant agricolæ) *pinguedo* illa ad abundantiam & copiam spiritalium donorum & cœlestis unctionis refe-

referenda est, quâ qui uncti sunt facilè jugum mundi excutiunt, ut Tyrannos ipsi devinciant, usque adeò ab ipsis non constringantur. Judæi quoque sub Ezechia ditati Assyriorum spoliis & affluentiâ omnium rerum saginati in libertatem asserti sunt. Nota verbum חבל de classe esse eorum quæ contrarias habent significationes: significat enim *obligare* & *dissolvi*, *disrumpi*, &c. ¶ *A facie olei*] Nomen non *oleum* tantùm sed & universam *pinguedinem* sign. Quòd si de unctione Regum est sermo, rectiùs *oleum* quàm *pinguedinem* vertas.

28. *Veniet*, &c.] Describit per Hypotyposim celerem Assyriorum adventum, potentiam ac robur exercitûs, narrans quòd quocunque appulisset, omnia illi cederent, diffugientibus cunctis præ metu; ut victoriam & Dei virtutem magis illustrem reddat. Loca autem quæ commemorat in via erant venientibus ab Assyria versùs Jerusalem; quamvis, quantum conjicere possum ex Geographis, ordine oppida non enumeret. Quod Vulg. dixit *commendabit*, יפקיד, dixi *recensere faciet*, clariùs aliquantulùm: & in tertia verbum ità reddendum videtur. Cùm à longinqua regione profecti fuissent, antè quam ad oppugnationem Urbis accederent, juxta peritorum Ducum consuetudinem arma instrumentáque bellica recensuerunt. Nomen כלי in genere omne *vas* vel *instrumentum* sign. & quidem Latinis vetustioribus omnis quoque supellex *vasa* dicebatur, perinde ut Hebræis.

29. *Cursim*] Ut adverbium accepit Vulg. quod nonnulli pro nomine proprio loci accipiunt, מעברה. Ego propter locum 1 Sam. 13. in quo de statione Philisthinorum dicitur quòd *egressa est ad* מעבר *Machmas*, pro *transitu* accipio, quem eodem libro cap. 14. videtur describere, per quem transivit Jonathas ad stationem Philisthinorum. ה verò in fine dictionis est terminatio feminina; nam in utraque forma reperitur. Latini *vadum* appellant, sed non nisi in fluminibus. Hebræi verò מעבר etiam montibus tribuunt, sicut Hispani *porto*, i. locus asper, angustus ac difficilis ad transeundum. Hine Hebræis ביתעברה (quam vocem legimus in Euangelio) i. *Domus vadi* vel *trajectûs*, quòd ibi essent vada Jordanis, vel quòd cymbâ trajiciebatur in eo loco. Ego propter *Machmas*, cujus mentionem facit versu superiore, hic potiùs *transitum* quàm *vadum* dicerem. ¶ *Sedes*] Hebræis מלון à *pernoctando*, *pernoctatorium* seu *diversorium* dicere licebit. ¶ *Nobis*] Mutat personam, quasi ipsi loquantur, vel לו pro למו *ipsis*. ¶ *Obstupuit*] Verbum propriè *commotionem* sign. sive ex *cura* sive ex *metu*, apertam & visibilem, tam animi quàm corporis, vel utriusque simul; & opponitur *quieti* & *tranquillitati*.

30. *Attende Laisa*] Verbum קשב sign. *auscultare*, *attendere*, *intendere animum* seu *cogitationem*, *esse aure & mente attentum ad verba*, vel *ad personam*, vel *ad res alterius*. Monet igitur habitatores Laisæ nè despiciant voces ejulatûs habitatorum viculi *Anathoth*, sibi tantùm consulentes.

31, 32. *Migravit*] Vel *ablata est*, vel *aufugit*. Verbum enim נדד *motum celerem*, *commotionem celerem*, *fugam* seu *agitationem* sign. neque habet sermo Latinus unum verbum quo omnibus locis reddi possit hoc Hebræum. Quod sequitur, *habitatores Gabim confortamini*, potest reddi per præteritum *confortati sunt*, vel *obfirmati sunt*. Mihi non malè cohærere videtur cum priori parte sequentis versûs, *Obfirmemini*: nam *unius diei spatium* habetis quo *in Nob* exercitus hostium *subsistet*. Quòd si Ironicè dictum accipias, non malè conveniet. ¶ *Agitabit*] Propriam verbi significationem expressit Vulg. Interpres; de qua suprà v. 15. sed constructio hæc nova est, ut sit cum duobus accusativis absque ulla præpositione: nam quam addunt, *ad*, *super*, *contra*, &c. non est in textu, unde fortè sic reddendus esset locus, *Agitabit manus suas mons filiæ Tcion*, &c. Concussi sunt enim timore habitatores Jerusalem cùm adventum hostium intellexerunt, sicut suprà dixit quòd *commoti sunt sicut arbores silvæ*, & alibi, *sicut arundo in aquis*. Verùm dicere possumus omitti præpositionem in Hebræo, sicut sæpe consueverunt quando motum significant, *versùs montem*, &c.

33. *Confringet*] Vox סעף rara est, similiter & nomen פארה, quod *Lagunculam* vertit Vulg. Hinc fit ut non planè nota sit earum acceptio & significatio. Congruit autem hujusmodi lectio cum victoria quam Israelitæ de Madianitis reportarunt, cui hanc suprà comparaverat: Confractis enim lagunculis magno cum terrore hostes fudit Gedeon. Si autem conjecturis locus est in investigandis nonnullarum vocum significationibus, videtur esse participium verbi secundæ conjug. quòd à nomine סעף formatur, quod cujuslibet rei *protensionem* seu *prominentiam* significat, de quo suprà cap. 2. & infrà 27, & 57, & 17. ubi pro *ramorum prominentiis* sumitur. Similis autem formatio plerumque contrariam significationem inducit, & huic loco non malè convenit, *deramare*, (si Latinè diceretur) i. ramos præscindere. Nomen verò פארה manifestum est esse à verbo quod *decorare* seu *ornare* sign. & pro *frondibus*, quæ ornamenta sunt arboribus, accipi videtur Ezech. 17. ubi Vulg. *propagines* vertit; & 31. ubi Vulg. *frondes* vertit: & superiorem vocem, à qua diximus formari verbum, *ramos* interpretatus est, *In ramis ejus fecerunt nidos omnia volatilia cœli, & sub frondibus ejus genuerunt omnes bestiæ saltùs*. In quo quidem loco Ezechielis vides Regem Assur proceræ arbori comparari, cujus cùm perditionem narret, *confringendos ramos ejus & arbusta ejus* dicit, ut videatur locus hic Jesaiæ illis verbis Ezechielis explicari. Hoc autem loco Vulg. secutus Aquilam, qui κεράμιον vertit, *lagunculam* reddidit. At Lxx *gloriosos* interpretati sunt juxta nostram etymologiam. ¶ *In terrore*] Vel *cum terrore*. Verbum à quo vox מערצה derivatur non tàm *terrorem* quàm *violentiam* notat. Vide suprà 8. 12. hanc autem terror consequitur: unde & pro *terrore* capi potest.

34. *Et subvertentur*, &c.] Jam suprà de his similitudinibus dictum est: Ità enim succisi sunt quasi si quis magnâ vi ramos arborum in terram trahat, aut ferro arbores silvæ prosternat. Quoniam verò ille non intellexit se esse Securim quâ Deus aliorum Regna dejiciebat, iccirco arboribus securi dejectis comparantur milites ac duces ejus; & Libano, in quo cedri sublimes erant. Vide Ezech. 31. ¶ *Cum excelsis*] Vulg. accipit ב pro præpositione *cum*, & singulare pro plurali. אדיר est *peramplum*, *prægrande*, *præpotens*. Ego hîc Angelum Domini significare arbitror, per quem Dominus Assyrios nocte unâ delevit: quod certè symbolum quoddam fuit illius victoriæ & occisionis spiritalis quæ per Dominum illum præpotentem patrata est, quando vis omnis atque potentia inimici corruit, aut illius quam postea per Apostolos exercuit, quando Tyrannos jugo fidei subdiderunt, & de mundo ejectus est hostis humani generis: Quæ omnia potentiâ illius fortis Domini JESU perfecta sunt. De qua mox apertiora oracula audies.

Juvat autem considerare Scripturæ hoc in loco brevitatem pariter & majestatem. Ubi descripsit hostium adventum & totius Judææ consternationem, mox nullâ transitione factâ opponit Dei in illos ipsos hostes potentiam, hostium subversionem, eandémque ipsi Deo facilem; ut in medio umbræ mortis jam sine metu ambulemus: quod Propheta ver. 20. hujus capitis quasi probandum seu persuadendum proposuerat, *Erit*, inquit, *in die illo, non adjiciet residuum Israel inniti super eo qui percutit eos, sed innitetur super Dominum sanctum Israel in veritate*.

DRUSIUS.

4. וְתַחַת הֲרוּגִים יִפֹּלוּ. Alius, καὶ ὑποκάτω τῶν ἀνῃρημένων πεσοῦνται, *& sub interfectis cadent*.] Hæc apud Procopium margini adscripta sunt sub Asterisco.

14. וּפֹצֶה פֶה וּמְצַפְצֵף. Alius, καὶ ἀνοίγων τὸ στόμα, καὶ στρουθίζων; *& aperiens os, & passeris in morem stridens*] Et hoc ibidem additum est sub asterisco.

17. וּקְדוֹשׁוֹ לְלֶהָבָה. Sym. καὶ ὁ ἅγιος αὐτοῦ εἰς φλόγα, *& Sanctus ejus in flammam*] Ex Comment. Eusebii.

18. וְכַרְמִלּוֹ. Sym. *Carmelus*] Ex eodem Eusebio.

26. צוּר עוֹרֵב. Aq. *petra Oreb*. Sym. Th. Σοὺρ Ὠρὴβ, *Sor* vel *Sur Oreb*] In libro Locorum, *Sur Oreb*, quòd Aquila interpretatur *petra Oreb*. ¶ Σοὺρ, vel potiùs Σώρ. Nam Σοὺρ *Tyrus*, unde *Sarra*, & Pœnos Ennius dixit *Sarrâ oriundos*.

30. צַהֲלִי קוֹלֵךְ. Alius, χρεμέτισον φωνήν σου *ede vocem tuam ceu hinnitum*.

33. פֻּארָה. Aq. κεραμεῖον *figlina*. Sym. Th. ληνὸν *torcular*] *Figlina*, i. figuli officina. ¶ *Torcular*, ità Hieron. cùm Græca vox potiùs denotet *locum torcularis*, i. יקב.

IDEM EX PROCOPIO.

2. וְלִגְזֹל מִשְׁפָּט. Aq. Sym. Th. καὶ ἁρπάζοντες κρίσιν *& diripientes judicium*.

4. בִּלְתִּי כָרַע תַּחַת אַסִּיר. Th. τοῦ μὴ κάμψαι ὑπὸ δεσμόν, *ne incurvemini sub vinculo*. ¶ וְתַחַת הֲרוּגִים יִפֹּלוּ. καὶ ὑποκάτω ἀνῃρημένων πεσοῦνται, *& sub interfectis corruent*. ¶ אַפּוֹ. Lxx ἡ ὀργὴ *ira*.

6. לִשְׁלֹל שָׁלָל. τοῦ ποιῆσαι σκῦλα *ut faciat spolia*.

7. לְהַכְרִית גּוֹיִם לֹא מְעָט. Aq. Sym. Th. similitérque Lxx ἔθνη οὐκ ὀλίγας, *gentes non parum*.

10. כַּאֲשֶׁר מָצְאָה יָדִי לְמַמְלְכֹת הָאֱלִיל. Th. καθάπερ εὗρεν ἡ χείρ μου τὰς βασιλείας τοῦ εἰδώλου, *Quemadmodum invenit manus mea Regna idoli*.

14. יָדִי. Π. τῇ χειρί μου *manu mea*. ¶ וּפֹצֶה פֶה וּמְצַפְצֵף.

Th.

Th. καὶ ἀνοίγων τὸ στόμα, καὶ τερετίζων, *& aperiens os, & passeris in modum stridens.*

17. קְדוֹשׁוֹ לְלֶהָבָה. Sym. καὶ ὁ ἅγιος αὐτοῦ εἰς φλόγα, *& sanctus ejus in flammam.* ¶ וְאָכְלָה שִׁיתוֹ וּשְׁמִירוֹ בְּיוֹם אֶחָד. Sym. καὶ καταφάγεται τὰ ἀποκείμενα αὐτοῦ καὶ τὰ πεφυλαγμένα αὐτοῦ ἐν ἡμέρᾳ μιᾷ, *& devorabit reposita ejus & custodita ejus in die una:* sive *recondita ejus & quæ ab ipso servantur*; ut habet interpres Procopii.

18. וּכְבוֹד יַעְרוֹ וְכַרְמִלּוֹ מִנֶּפֶשׁ וְעַד בָּשָׂר יְכַלֶּה וְהָיָה כִּמְסֹס נֹסֵס. Sym. καὶ ἡ δόξα τοῦ δρυμοῦ αὐτοῦ καὶ τοῦ Καρμήλου αὐτοῦ, ἀπὸ ψυχῆς ἕως σαρκὸς ἀναλωθήσεται, καὶ ἔσται ὡς τετμημένος φεύγων, *& gloria saltûs ejus & Carmeli ejus ab anima ad carnem ejus consumetur, & erit tanquam casus fugiens.*

19. וּשְׁאָר עֵץ יַעְרוֹ מִסְפָּר יִהְיוּ וְנַעַר יִכְתְּבֵם. Sym. τὰ δὲ ὑπόλοιπα τῶν ξύλων τοῦ δρυμοῦ αὐτοῦ ἀριθμοῦ ἔσονται, καὶ παιδίον γράψει αὐτά, *reliqua verò ligna saltûs ejus numero pauca erunt, & puer scribet ea.* Th. παιδάριον. Aq. παῖς.

22. עַמְּךָ. Th. ὁ λαός σου.

23. אֲדֹנָי יְהוִה צְבָאוֹת. Aq. Κύριος ὁ Θεὸς στρατιῶν. Sym. Th. τῶν δυνάμεων.

24. יַכֶּכָּה. Aq. ἀρεῖ. Sym. ἐπαρεῖ. ¶ בַּשֵּׁבֶט יַכֶּכָּה וּמַטֵּהוּ יִשָּׂא עָלֶיךָ בְּדֶרֶךְ מִצְרָיִם. Sym. ἐν ῥάβδῳ πλήξει, καὶ τὴν βακτηρίαν αὐτοῦ ἐπαρεῖ ἐπὶ σὲ διὰ τὴν ὁδὸν Αἰγύπτου, *virgâ percutiet, & baculum suum elevabit supra te propter viam Ægypti.*

26. יְהוָה צְבָאוֹת. Th. Κύριος τῶν δυνάμεων, *DOMINUS exercituum.* ¶ בְּצוּר עוֹרֵב. Sym. ἐν Σὺρ Χωρήβ, *in Sur Choreb*] Procopius annotat *Sur* esse nomen deserti, *Choreb* autem montis.

27. וְחֻבַּל עֹל. Th. καὶ διαφθαρήσεται κλοιὸς *& corrumpetur boia.*

28. בְּמִגְרוֹן. Th. Μαγγεδών. Aq. Sym. κατὰ τὸ Ἑβραϊκὸν, Μαγρών, i. *Magron*] מִגְרוֹן *Magron*, ut מִדְיָן *Madiam.*

29. מָלוֹן. Aq. αὐλιστήριον *diversorium.* Sym. αὐλισμὸς *pernoctatio.* Th. κατάλυμα *diversorium*] Αὐλιστήριον, ut ἐκλυτήριον.

30. צַהֲלִי קוֹלֵךְ. χρεμέτισον φωνήν σου, *hinni voce tuâ.* ¶ לַיְשָׁה. Aq. ἐν Λαΐς. Th. ἐν Λαΐς.

33. וְהַגְּבֹהִים יִשְׁפָּלוּ. Aq. Sym. Th. καὶ οἱ μετέωροι ταπεινωθήσονται, *& sublimes humiliabuntur.*

GROTIUS.

1. VÆ *qui condunt leges iniquas*] Imò *decreta*, sive *sententias.*

Et scribentes injustitiam scripserunt] Rectiùs sic: *Et scribis qui injusta scribunt. Scribas* intelligit jurisperitos, adsessores magistratuum, quorum erat officium judices ab officio declinantes monere.

3. *In die visitationis & calamitatis de longè venientis*] Assyria abusque.

4. *Ne incurvemini sub vinculo, & cum interfectis cadatis*] Optimè vertas: *Nisi quis se incurvaverit inter vinctos, aut inter occisos se abjecerit*, scilicet *non evadet.*

5. *Væ Assur*] Id est, Assyrio Sennacheribo, & exercitui ejus. Non impunè ferent qui decreta Dei non ob Deum exsequuntur, gloriámque victoriarum aut sibi aut idolis attribuunt.

In manu eorum] Id est, per eos.

Indignatio mea] *Severitas mea*, exercitus scilicet.

6. *Contra populum furoris mei*] Contra eos qui iram meam sunt meriti.

Mandabo illi ut auferat spolia, & diripiat prædam] Explicatio nominis *Mahar salal-hasbaz.*

Et ponat illum] Populum.

9. *Numquid non principes mei simul Reges sunt?*] Nonne & Reges habeo instrumenta servitutis? Sic postea Romani.

Numquid non ut Charcamis] *Cercusium* ad Euphratem, 2 Paralip. XXXV. 20.

Sic Calano] Meliùs *ut Calano*: id est, *Callinisum*, de quo diximus ad librum I. de Veritate Religionis Christianæ. Aut potiùs *ut urbs Chalonitidis*; cujus terræ mentio apud Strabonem, Plinium, Dionysium Periegeten.

Et ut Arphad] *Ut Aradus.* Vide 2 Reg. XVIII. 34.

Sic Emath] Rectiùs, *ut Emath.* Amathus Syriæ, 2 Reg. XVII. 24.

Numquid non ut Damascus sic Samaria] Supple *mea est*, pari jure quo urbes aliæ.

10. *Quomodo invenit manus mea*] Id est, bello peperit.

Regna idoli] Tot regna hujus aut illius minuti Dei, non comparandi cum Sole Deo Assyriorum.

Sic & simulacra eorum de Jerusalem & de Samaria] Veteris rectiùs: *Quorum simulacra præ* (Diis) *Jerusalem & Samaria.* Nam Deum Hierosolymorum habet in numero Deorum, ut populi unius numen. Vide 2 Reg. XVIII. 34. 35.

11. *Sic faciam Jerusalem ac simulacris ejus*] In Hebræo, *terriculis ejus*: id est, diis ejus.

12. *Cùm impleverit Dominus cuncta opera sua in monte Sion & in Jerusalem*] Cùm eam urbem arctâ obsidione, quantum æquum judicat, castigaverit.

Visitabo super fructum magnificum cordis regis Assur] Animadvertam in cogitata ac verba ejus insolentia.

13. *Quasi potens*] Hic כ habet Patach, א verò sine puncto est: quæ scriptura Syriaca est, ut apparet Jerem. XXV. 36. Prov. XXX. 17. Ecclesiast. 11. 13. Zachariæ XII. 5.

14. *Sic universam terram ego congregavi*] Id est, addidi ditionibus meis.

15. *Et exaltetur baculus qui utique lignum est*] *Et baculus* (contra eum qui) *non est lignum*: id est, contra hominem qui se movere suapte vi potest. Illa quæ addidimus repetuntur ἀπὸ κοινοῦ [*ex dicto in commune*] ex superiore.

16. *Propter hoc mittet dominator Dominus exercituum in pinguibus ejus tenuitatem*] Ex maximis copiis paucissimi evadent, 2 Reg. XIX. 35. & infrà hic 19.

Et subtus gloriam ejus succensa ardebit quasi combustio ignis] Transpositio, pro *quasi combustio succensa*, quasi rogus ardens. *Gloria*, id est, exercitus. Explicationem vide suprà IX. 5.

17. *Et erit lumen Israel in igne*] Deus erit vice ignis.

Et Sanctus ejus in flamma] Idem bis dicit.

Spina ejus & vepres] Qui Israëlem pupugerunt.

In die una] Id est, uno eodémque tempore. Nam nocte hoc evenit. Sic vocem *diei* sumi notavimus & alibi.

18. *Et gloria saltûs ejus & Carmeli ejus*] כרמל [*Carmel*] non semper nomen est proprium, sed significat & *campos consitos.* Perstat in comparatione incendii; & exercitum sub *silvæ* nomine depingit, cujus milites sint *arbores silvæ*, proceres *arbores consitæ.*

20. *Non adjiciet residuum Israel, & hi qui fugerint de domo Jacob, inniti super eo qui percutit eos*] Super Assyriis aut Ægyptiis, qui sub specie federum exitium Israëli meditantur.

21. *Reliquiæ convertentur*] Explicatio nominis *Sear-Iasub*, quod habuimus suprà VII. 3. *convertentur*: id est, redibunt in agros & minora oppida pauci, qui statim adventante Sennacheribo Hierosolyma se receperant, 2 Reg. XIX. 31. 2 Paralipomen. XXXI. 1.

22. *Consummatio abbreviata inundabit justitiam*] Λόγον συντελῶν καὶ συντέμνων [*rationem conficiens & contrahens*] Græci. Sicut ubi rationes accepti & expensi exputantur, sæpe parva est quæ remanet summa: ità & tunc pauci erunt illi reduces, sed pleni virtutis.

23. *In medio omnis terræ*] Judææ. Exiguus erit populus præ eo qui fuit. Vide suprà VII. 21.

24. *In via Ægypti*] Id est, *ad modum Ægypti.* Sicut Ægyptios olim tractavit, sic tractabit Assyrios.

26. *Juxta plagam Madian in petra Oreb*] Judicum VII. 25.

Et virgam suam super mare] Id est, in mari Rubro.

27. *Et computrescet jugum à facie olei*] Jugum illud quod Assyrii Judææ imposuerant planè interibit, propter Ezechiam unctum sacro oleo. Alluditur ad vim olei, quod nodos quosvis facilè laxat.

28. *Veniet in Aiath*] Est ἐπάνοδος [*retrogressio*], quæ totum iter Sennacheribi describit. Ajunt autem Hebræi Assyrios decem dierum iter uno die confecisse: quod intellige de antesignanis illis præmissis sub Rabsace. *Aiath* sive *Haiath* est regio ubi Hai oppidum fuerat.

Transibit in Magron] 1 Sam. XIV. 2.

Apud Machmas commendabit vasa sua] Sarcinas ibi reponet quò sit expeditior. Vide 1 Sam. XIII. 2.

29. *Transierunt cursim: Gaba sedes nostra*] In Hebræo, *Transierunt vadum*, nempe Jordanis; *Gaba in diversorio pernoctarunt*, id est, ibi primùm sub tecto quiescent.

Obstupuit Rama] *Trepidavit Rama.* Ramam Benjaminis intellige, de qua Jos. XVIII. 25. & Matthæi II. 18.

Gabaath Saulis fugit] 1 Regum XIV. 2.

30. *Hinni voce tuâ, filia Gallim*] *Ejula. Filia*, id est, oppidum *Gallim. Anathoth* (unde Jeremias I. 1.). *Medemena, Gabim* ad Benjaminem pertinent.

Attende Laisa] Meliùs; *Fac audire Laisam*: ità altum ejulatum tolle, ut ad ultimos fines exaudiatur, ubi Laisa. Judic. XVIII. 7.

Pax-

Paupercula Anathoth] Id est, misera erit.

31. *Habitatores Gabim confortamini*] Meliùs: *congregarunt se*, nempe ad fugam.

32. *Adhuc dies est ut in Nobe stetur*] Post tot loca capta restabit adhuc satis diei ut Nobam perveniatur; unde Hierosolyma cerni poterat. Vide 1 Samuel. XXI. 1. Nehem. XI. 32.

Agitabit manum suam super montem filiæ Sion, collem Jerusalem] Minatus dira est urbi, 2 Reg. XVIII. 19. & sequentibus, XIX. 21. & sequentibus.

33. *Confringet laguneulam in terrore*] In Hebræo: *Abrumpet ramum istum terribiliter.* Per *ramum* autem intelligendus videtur Rabsaces, qui & Urbem & Deum contempserat.

Et excelsi staturâ succidentur] *Excelsæ*, supple *arbores*: per quas Principes significantur.

Et sublimes humiliabuntur] Idem bis dicit, ut sæpe.

34. *Et subvertentur condensa saltûs ferro*] Virgulta, id est, milites.

Et Libanus cum excelsis cadet] *Libanus per fortem cadet.* Libanus mons arbores plurimas sustinet: sic Rex sustinuerat exercitum. Is autem cadet per potentem, id est, per ipsum heredem regni destinatum, 2 Reg. XIX. 37.

CAP. XI.

MUNSTERUS.

1. DE *stirpe Isai*] Est גזע propriè *truncus qui resectâ arbore adhuc cum radicibus manet in terra*, unde temporis successu repullulant surculi. Et intelligitur totum istud caput, etiam secundùm Judæos, de Meschia, sub quo Regnum Israel reparari debuit, non corporaliter, ut Judæi exspectant, sed in spiritu. Nascetur, inquit Christus, cùm truncus & successio Isai desperata fuerit, quando nemo cogitabit de tribu David, eò quòd Regnum David jam diu abolitum fuit, & Herodes alienigena esset Rex. Illo, inquam, tempore, cùm Regnum & Sacerdotium amissum fuerit, atque truncus Isai emortuus, quando Regnum David translatum fuit in aliam Tribum, tunc repullulabat truncus Isai. Hic enim est ordo Dei in operibus suis, ut tempore desperationis tempus sit salutis; & cùm longissimè abesse videtur, proximè adesse credendus est. Describitur deinde apparatus Regni Christi. Et quia est Regnum spirituale, administratur per Spiritum sanctum, qui omnia operatur in hoc Regno. Ostendit autem qualis sit Spiritus Domini. Est, *Spiritus sapientiæ, scientiæ*, &c.

3. *Et faciet odorari eum*] Kimhi hunc locum sic exponit, *Tanta prudentia & scientia erit in eo ut quasi odore narium discernere possit inter pios & impios, nec opus sit illi ut aliquid videat oculis suis, & audiat auribus suis, cùm tam sublimi sapientiâ Divinâ sit replendus ut nihil eum latere possit de factis hominum.* Nos verò Christiani asserimus hic insinuari Divinitatem Christi, cùm ipse *intueatur cor & renes, sciátque quid sit in homine.* Id voluit Propheta exprimere subtilissimo & spirituali sensu Odoratûs.

5. *Fides cinctorium*] Capitur hîc *fides* pro *fidelitate*: ut sit sensus, *justus & fidelis erit.* Jonathan tamen sic hunc locum vertit, *Et erunt justi per circuitum ejus, & cultores fidei appropinquabunt ei.*

6. *Habitabit lupus cum agno*, &c.] Plerique Judæi hæc ad literam intelligunt, quòd in diebus Meschiæ hæc animalia mutabunt naturas suas, eruntque mitia sicut fuerunt à principio creationis, quando nullum alterum devoravit. Alioquin si Lupus tunc devorasset Ovem, species Ovis fuisset abolita, cùm Dominus in qualibet specie duntaxat masculum unum & femellam unam creaverit. Alii dicunt quòd hæc sæva animalia solùm in terra Israel nocere non possunt tempore Messiæ, cùm textus dicit, *in universo monte sanctitatis meæ.* Sed his præfractis Judæis objicimus hîc R. Mosen Ægyptium, qui sic scribit de temporibus Meschiæ, לא יעלה על לבך שבימות המשיח יתבטל דבר ממנהגו של עולם או יהיה שם חדוש במעשה בראשית אלא עולם כמנהגו נוהג h. e. *Non ascendat in cor tuum ut in diebus Meschiæ aliquid deficiat de consuetudine hujus seculi, aut innovetur tunc quicquam de opere sex dierum creationis; sed regetur tunc mundus haud aliter quam nunc.* Intelligendus est igitur locus iste דרך משל: ut scilicet intelligamus per sæva animalia gentes efferas & homines crudeles, quos verbum Christi mansuefacit. Quàm verò in reliquis hujus capitis Judæi ineptiant, qui hæc omnia tempore Meschiæ corporaliter futura credunt, pudet me referre. Vult hoc unum Propheta, quòd contrahentur in Regnum Christi varia Regna, varii homines, varia ingenia, varii mores: Hi omnes in Christo unum erunt.

VATABLUS.

1. ET *egredietur* ויצא] *Prodibit autem.* ¶ *De semine* מגזע] *De trunco.* גזע propriè sig. arborem excisam cujus radix in terra manet: *truncum* appellamus. Accipitur & pro *semine*, ut scribit doctus inter Hebræos. Quidam vertunt *radicem*, alii *germen*, alii *stirpem*, alii *stipitem*. ¶ *Et surculus* ונצר] *Et virgultum.* ¶ *Crescet* יפרה] *Germinabit, nascetur, fruticabit, proveniet.* Chaldæus P. sic reddit istum versum, *Egredietur autem Rex de filiis Jessæ, & Messias de filiis filiorum ejus crescet.*

2. *Scientiæ* דעת] *Cognitionis.*

3. *Et odorari faciet* והריחו ביראת] *Et odorari faciet eum timorem Jehovæ*: i. parvo indicio agnoscet illum qui fuerit justus & timens Dei. Alii, *Et sagacem illum reddet in timore Jehovæ.* Alii, *Et odoratus ejus* erit *in timore Jehovæ. Odoratum* sive *odorationem* vel *olfactionem* sive *olfactum* vocat acre judicium. q. d. Erit præditus acerrimo ac infallibili judicio, quod erit conjunctum cum timore Domini, nec recedet ab eo. ¶ *Arguet* יוכיח] *Reprehendet, carpet.*

4. *In rectitudine* &c. במישור וגו'] *In æquitate pro mansuetis terræ*: vel, *causâ mansuetorum terræ*, i. pauperum & afflictorum ab illis.

6. *Et bubalus* ומריא] *Et pecus pingue.* Vox Hebræa significat *pecus pingue* & *armenta domi saginata*, ut sunt oves & boves pingues. Alii existimant Bubali esse speciem.

7. *Pascentur* תרעינה] Sub. *simul*: nam יחדו quod sequitur repeti debet, ut duobus inserviat. ¶ *Nati earum* ילדיהן] *Catuli earum.*

8. *Delectabiturque* ושעשע] *Oblectabiturque.* Alii, *Ludétque.* Phrasis Hebraica, quæ significat futurum ut temporibus Christi nemo alterum lædat: quòd homines noxii reddi debeant innoxii, renovati à Spiritu Dei. Se ipsum declarat ver. seq.

9. *Perdent* ישחיתו] *Injuriam inferent*: sive *detrimento afficient.* ¶ *Repleta est* מלאה] Præt. Heb. pro fut. *replebitur.* ¶ *Cognitione* דעה] Infinit. pro nomine, *scire* vel *cognoscere* pro *scientia* vel *cognitione.* ¶ *Mare operientes* לים מכסים] Quæ *mare tegunt*: i. operiunt superficiem maris. Ut numerum magnum per *arenam maris* significare solet Esaias, ità hîc magnam extensionem & latitudinem per *superficiem maris* significat, Hebraico dicendi tropo.

10. *Qui stabit*, &c. אשר עומד לנס עמים] *Quæ stabit in signum populorum.* Præs. Heb. pro fut.

11. *Erit denique in die illa* והיה ביום ההוא] Ad verb. *Et erit in die illa.* Quidam vertunt, *Porrò eo tempore.* Alii, *Futurum quoque est ut illâ die Dominus*, &c.

12. *In nationibus* לגוים] *In populis*: vel *gentibus.* ¶ *Profugos* נדחי] *Ejectos, proscriptos.* ¶ *Et dispersas* ונפוצות] Sub. *animas.* Quidam *dispersiones.* ¶ *Angulis* כנפות] *Alis.*

13. *Zelus* קנאת] *Æmulatio*; *simultas.* ¶ *Non æmulabitur* לא יקנא] Declaratio est præcedentis partis versûs. ¶ *Non angustiabit* לא יצר] *Non affliget*; *non exagitabit.* Alii, *non pugnabit.* Alii, *non pugnabit contra Ephraim*, more scilicet hostis.

14. *In humerum* בכתף] i. In regionem. Accipitur enim pro *latere* & *angulo.* ¶ *Filios Orientis* בני קדם] Phrasis Hebraica pro *Orientalibus.* Syros intelligit, quos erepturi erant Apostoli è manu Diaboli. ¶ *Immissio manûs eorum* משלוח ידם] i. Mittent manum suam more hostis. Hebraismus, pro *Idumæos & Moabitas spoliabunt opibus & divitiis.* ¶ *Obedientia ipsorum* משמעתם] Ad verb. *auditus eorum*: id est Ammonitæ erunt audientes ipsis, & obedientia, q. d. Convertent multos ex Ammonitis.

15. *Scopulum* את לשון] Ad verb. *linguam*, i. sinum: quòd Sinus præ se ferat figuram linguæ exsertæ, excurrendo scilicet longiùs in continentem: h. e. Quemadmodum olim Dominus sustulit omne impedimentum quo transire posset populus ipsius, ità etiam auferet ille omnia impedimenta ut faciliùs accedant electi ad Christum. ¶ *Maris Ægypti* ים מצרים] Mare Rubrum dicitur *mare Ægypti*, aut quòd in eo Ægypti fuerint submersi, aut quòd pars illa sit propinqua Ægypto. ¶ *In fortitudine spiritûs sui* בעים רוחו] *Robore venti sui*: i. immittet ventum maximum qui *dividet flumen illud in septem rivos* [h. e. multos: numerus certus pro incerto] *qui vado transiri possint.* ¶ *Flumina* נחלים] *Torrentes*; *rivos*: i. reddet illud simile flumini habenti septem rivos. ¶ *Et ambulare faciet*, &c. והדריך בנעלים] *Et calcare faciet* illud *cum calceamentis.* Alii, *& deducet illos suos calceatos*: q. d. Quia Euphrates posset esse impedimento electis venientibus ab Assyria

in

in Ecclesiam Jerusalem, dividet illum Dominus in tot partes ut etiam à calceatis citra ullum aquæ periculum transmitti possit: dividet, & per eum deducet eos qui se recipere voluerint in Jerusalem.

16. *Via* מסלה] *Via trita*: vel *via lapidibus strata*. Id significat vox ista: q. d. Et erit in flumine hoc via velut lapidibus strata, aut trita perinde acsi jam diu ibi fuisset via, sine lapidibus aut aliis offendiculis, per quam sese conferre poterunt in Jerusalem. ¶ *Relinquetur* שאר] *Residuus erit.*

CLARIUS.

1. V*Irga de radice Jesse*] Vel, *de stirpe.* Fit autem hîc *Jesse* mentio, quia Tribus Jesse antè quàm regnaret David contempta erat. STIRPS hîc dicitur truncus qui resectâ arbore adhuc cum radicibus manet in terra, unde temporis successu repullulant surculi. Tribus ergò David arido trunco videbatur similis. *Stirps* est Virgo Maria, quia absque virili semine peperit. Idem autem significat *stirps* & *radix*, sicut *virga* & *flos* sive *surculus*, qui CHRISTUM significat. Et intelligitur totum istud caput, etiam secundùm Judæos, de Messia, sub quo Regnum Israel reparari debuit, non corporaliter, ut Judæi exspectant, sed in spiritu.

2. *Spiritus sapientiæ*] *Sapientia* in delectatione & contemplatione summi boni sita est, *intellectus* in agnitione consistit; quo dono Christus illustravit Discipulos, ut intelligerent Scripturas. Quod & David petit cùm ait, *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam.* *Consilium* in judicando versatur & amplectendo; quo instructi Apostoli Principibus Sacerdotum præcipientibus nè docerent in nomine Jesu responderunt, *Oportet plus obedire Deo quàm hominibus.* *Fortitudo* roborat nè vel adversis frangamur vel prosperis dissolvamur, sine qua consilium inutile esset: ut in iis apparet qui *ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.* *Scientia* in elaboratione boni collocatur, quando hoc dono scit quisque declinare à malo & facere bonum. Sine qua scientia nè zelus quidem Dei bonus est: quod de Judæis scribit Paulus, dicens, *Zelum quidem Dei habent, sed non secundùm scientiam.* *Pietas* si referatur ad Deum, significat affectum & cultum erga eum, unde vitam & omnia accepimus: & idem videtur quibusdam cum *sapientia.* Sin ad proximum quemque respicias, significat propensum animum ad benemerendum de proximo, idque causâ Dei. Ad hanc hortatur Apostolus cùm ait, *Exerce te ad pietatem.* Donum *timoris* est quædam reverentia erga Deum, quâ veremur nè ulla ex parte Deus offendatur, non metu pœnæ, sed filiorum affectu. Vel sic; *Sapientia* est Doctori opus, ad manifestè, sanè & ad ædificationem docendum; *intellectus* verò auditori ad capienda audita & intellecta. *Spiritus consilii* datur Consiliario & magni consilii Angelo; *Spiritus fortitudinis*, consilium accipienti, ut perficiat quod consulitur. *Spiritus scientiæ* datur Sacerdoti docenti Legem Domini; *Timor* autem iis qui cum pietate Legem suscipiunt. Eodem autem nomine apud Prophetam exprimitur *timor* & *pietas.* Videtur autem mihi voluisse Propheta horum Spirituum appellatione significare, cum habiturum omnem plenitudinem Spiritûs. Sicut cùm præcipitur ut *Deum amemus toto corde, totâ animâ, omnibus viribus, omni mente*, nihil aliud videtur voluisse quàm id quod alibi dicitur, *Benedic, anima mea, Domino, & omnia quæ intra me sunt nomini sancto ejus*; sic hoc loco dicit omnes virtutes Spiritûs, quotquot usquam reperiuntur, in eo futuras.

3. *Et faciet odorari*] *Odoratu suo valebit propter timorem Domini*, maximè, sine sagacitate. Quare *non secundùm visionem oculorum judicabit*, &c.

5. *Et erit justitia*] Justus & fidelis erit. Capitur enim hîc *fides* pro *fidelitate.* Sive ergò eripiendi sint pauperes per justitiam à calumniatore, sive beneficiis adjuvandi, ut sit fidelis, utrâque accinctus erit.

6. *Habitabit lupus cum agno*] Plerique Judæi hæc ad literam intelligunt. Sunt tamen etiam ex eis qui dicant intelligendas esse per sæva animalia gentes efferas & homines crudeles, quos verbum Christi mansuefacit.

10. *Et erit requies ejus gloria*] h. e. Crux & mors.

11. *Secundò manum suam*] Nempe per novam legem. ¶ *Phetros*] *Petra*: unde *Arabia Petræa.* Sic *Elam*, *Sennaar*, *Hemat* intelligunt Medos, Sogdianos, Bactrianos, Babylonios, Chaldæos, Antiochiam, Ciliciam, Tauros, Armeniam. Per *insulas maris* intelligitur Græcia & omnis Occidentalis mundi pars.

12. *Levabit signum*] *Vexillum*, ut dux magnificus: & signum illud, Crux.

14. *Et volabunt in humerum Philisthiim*] h. e. *Alienigenæ*: unde Interpres interdum pro *Philisthæis* vertit *alienigenas.*

15. *Linguam maris Ægypti*] Nilum intelligit, ἀλληγορικῶς. ¶ *Et levabit manum suam super flumen*]. Per *flumen* Hebræi intelligunt Euphraten. ¶ *Et percutiet eum in septem rivis*] Faciet ut transiri possit in omnibus locis.

FORERIUS.

1. E*Gredietur*, &c.] Jam qualis futura esset redemptio illa de qua superiori cap. nonnihil dixerat manifestiùs exponit, nempe per verbum Christi, fidem, ac justitiam seu morum sanctitatem. ¶ *Virga*] Bis tantùm in Scripturis reperitur hoc nomen חטר, hic, & Prov. 14. *In ore stulti virga superbiæ.* Chald. enim ibi *virgam* vertit. Cognatum ejus חרט *stilum* significat, quæ virgula quædam est. ¶ *Et flos*] A verbo quod *servare* sign. est nomen נצר, *surculus*, indè dictus, quòd ejus potissimùm *habeatur ratio*, *conservetur* ac *foveatur*; alioquin facilè confringitur. Atque hic unus locus est in quo Christus Dominus dicitur נצר, ut verum sit quòd *apud Prophetas NATSAREUS vocandus esset*, si per צ scribi debet nomen *Nazareus* & *Nazareth.* ¶ *Ascendet*] Sensum expressit Vulg. Nam verbum פרה propriè *fructuosum esse* vel *fructificare* sign. hîc *pullulabit* vel *germinabit* dicere possemus. Quòd autem hæc de Messia intelligenda sint, præter Chaldæum P. qui *Regem* & *Messiam* dixit pro *virga* & *surculo*, quæ sequuntur omnia confirmant. Quamvis גזע, ut doctè annotavit Kimhi, propriè significet *eam radicis partem quæ supra terram eminet dissectæ arboris*, *non quæ sub terra latet & infixa est*, שרש autem *eam partem arboris aut herbæ quæ sub terra est*, ut ex Job. 14 apparet; hîc tamen idem bis repeti dicere possumus: nam & שרש pro *ea parte quæ terræ supereminet & ex radice oritur* hoc eodem capite & infrà 53. accipitur. Inquit ergò quòd ex progenie Jesse oriturus esset Dominus JESUS. Noluit autem dicere *ex David*, sed *Jesse*, nè quis existimaret quòd surculo huic aliquid accresceret ex dignitate Davidis.

2. *Et requiescet*] De verbo נוח nonnihil jam suprà dictum est c. 7. 2. Enumerat autem nonnulla, eáque præcipua, dona quibus donantur à Spiritu S. super quos ipse quiescit. Ille autem qui ex Spiritu S. conceptus est, *præ participibus suis unctus fuit.* De qua quidem unctione plura dicit Propheta in sequentibus: unde & *requiescere super eum* seu *considere* dicitur. Atque ad hunc fortè locum respexit Euangelista cùm dicitur, *Super quem videris Spiritum Sanctum descendentem, & manentem*, &c. Notandum quoque in Scripturis quòd *quies Spiritus S. super aliquem* perpetuitatem ejus muneris significet. Sic *super Helisæum quievit spiritus Heliæ*, &c. ¶ *Spiritus sapientiæ & intellectûs*] Sunt qui hæc duo ità distinguunt ut חכמה sit lux & cognitio rerum, quæ dicitur *sapientia*, בינה verò judicium quod ex hac sapientia oritur, quo inter res discernimus, & quod Græci σύνεσιν vocant, & Latini *intelligentiam* seu *prudentiam*: sicut & נבון est *intellectu* seu *prudentiâ præditus*, qui in rebus agendis industriam habet & peritiam. Neque est cur de distinctione horum donorum subtiliùs nunc agamus, præsertim cùm eas operationes Spiritûs S. hîc tantùm enumerari existimem quæ supremum Judicem aut Magistratum decent. ¶ *Spiritus consilii & fortitudinis*] De his vocibus jam in superioribus dictum est. Duo hæc Judici summopere necessaria sunt; ut optimum scilicet *consilium* sequatur, neque inter deliberandum apparentibus rationibus cedat; & ut *fortitudine* animi vel *robore* cæteris superior factus, quod statuerit faciendum nullâ difficultate territus constanter exsequatur. Vel *spiritus consilii* id præstat ut rectè valeat quisquam consulere vel consulendo mederi rebus afflictis; & גבורה ad hoc fit, ut animum in adversis non despondeat, aut animo cedat: hæc enim duo ei qui Remp. administrat omnino necessaria sunt. Et alibi in Scriptura hæc duo conjunguntur. ¶ *Spiritus scientiæ & pietatis*] Hæc duo, ni fallor, nè cum superioribus, *sapientia* & *prudentia*, confundamus, ad Divinæ legis cognitionem & Scripturarum intelligentiam, & quæ ex hujusmodi studio ac cognitione oriuntur reverentiam, religionem, cultum, quæ unâ voce יראת, i. *timore*, Hebræi significant, referenda sunt. דעת autem infinitivus à verbo ידע sæpe vice nominis capitur: & licèt in genere universam *scientiam* declaret, tamen Mal. 3. & alibi *cognitioni voluntatis Dei* ex Scripturis tribuitur. Vocem autem quam hîc *pietatem* dixit Vulg. mox sequenti versu *timorem* interpretatur.

3. *Et replebit eum Spiritus timoris Domini*] הריח propriè est *olfacere*, *respirare*, *inspirare*, &c. & fortè est Hiphil radicis רוח. Neque dubium mihi est quin sit hîc in infinitivo, licèt quidam vir doctus reddendum putet *& olfaciet ipse*: neque moror puncta. Sensus itaque est, *Respirare ipsius erit in timore* (vel *cum timore*) *Jehova*, i. Nihil nisi timorem, religio-

ligionem ac pietatem spirabit. Cùm enim *zelus domûs Dei* viscera ejus *depasceret*, & *ex abundantia cordis os* & oculi & manus *loquantur*, quid aliud spiraret? Et hunc sensum voluit Vulg. sequi, dum *eum replendum Spiritu timoris Domini* dixit. Sed significantiora sunt verba Hebræa. Est & alius sensus non contemnendus, scilicet, *Olfacere ipsius erit cum timore Domini:* ut *olfacere* Metaphoricè accipiatur pro *præsentiscere*, seu etiam *judicium ferre*, quod Latini dicunt *sagire:* unde *sagæ anus*, & *sagaces canes*. Sic Metaphoricè sumitur Job. 39. *Longè olfacit bellum:* & Jud. 16. quòd Samson *disrupit funes, sicut rumpitur filum quando olfacit ignem*. Opponitur ergò *judicio oculorum*, &c. Hic itaque vides, judicium sensûs falli posse; judicium autem timoris Domini non ità facilè. Illud autem, *non secundum visionem, non secundùm auditum*, &c. proverbiali formâ dicitur, i. Non ex apparentia & signis externis judicium feret: vel, non respiciet ad personam & ea quæ extra causam sunt. Et ità intellexisse videtur Vulg. qui conjunctionem quæ est initio versûs seq. pro adversativa accipit.

4. *Sed judicabit*] Vau enim interdum hanc vim habet; alioqui suam vim hîc poterit retinere, ut à genere in speciem descendat. Si enim non feret judicium nisi dictante *timore Domini*, ut de judicio hominum non curet, sed, ut in Lege scriptum est, *Dei judicium judicet*, quid superest nisi ut pauperes à vi liberet, & derelictorum sit patronus? Etsi enim pauperum causa interdum mala esse potest, tamen quod communi usu evenire consuevit Scriptura commemorat, significans non iccirco esse damnandos qui tenues sint & exhausti & ab aliis omnibus despecti. *Exhaustos* & *derelictos* pro *pauperibus* & *mansuetis* dixi, ut propriam vocum significationem retinerem; etsi scio hæc interdum confundi. ¶ *Virgâ oris sui*] Idem est *virga oris* & *spiritus labiorum*, verba nimirum quæ spiritu & labiis formantur. Verbo autem Dominus *terram percussit* dum ad sanam mentem prædicatione Euangelii redire habitatores terræ compulit: Damnavit quoque omnem improbitatem & omnia peccata: & ex verbis Euangelii quàm digni morte sint improbi omnes satis manifestum factum est. Neque aliud facere posset qui *Spiritu timoris Domini* plenus est, aut qui dictante *timore Domini judicium fert*. Ideo enim Rex ille Israël damnationis sententiam promeruit quia dimisit virum dignum morte.

5. Utque *timor Domini* damnat improbos atque peccatum omne eliminat, ità justos non deserit aut derelinquit, imò semper magno favore prosequitur tanquam sibi conjunctissimos. Eodem affectu præditi sunt Deum timentes: hi enim vitam & institutum justorum probant & complectuntur, ubicunque illi tandem sint: quemadmodum David, qui *in matutino interficiebat omnes operantes iniquitatem*, & *oculos conjiciebat ad fideles terræ ut secum sederent*, & *ambulantes in via immaculata pro ministris habebat*. Sive autem in abstracto sive in concreto *justitiam* atque *veritatem* seu *fidem* accipiamus, per *cingulum* conjunctionem, familiaritatem, quam nulla oblivio intercipit, intelligere opus est ex Hebræorum usu. ¶ *Fides*] אמונה *constantia, certitudo, veritas, firmitas, virtus*, scilicet promissa seu pacta servans. Et Latinis *fides* dicitur quasi *fiat quod dicitur*.

6. *Habitabit lupus*, &c.] Quæ sit efficacia verbi Dei, verbi scilicet Euangelii, seu *percussionis* illius salutaris de qua superioribus versibus locutus est, in istis declaratur: Abigit feritatem morum, pacem & charitatem mutuam colere facit, ut in pace & tranquillitate vitam ducentes cœlestibus possimus vacare. ¶ *Hædo*] גדי est à גדד, quod sign. *excursionem* seu *incursionem facere*. Et nomen sign. *parvulos* tam *caprini* quàm *ovilli generis*. Atque tam diu retinet hoc nomen quamdiu fronte incurrit in ubera matris & saltibus gaudet. ¶ *Ovis*] Nomen quod Vulg. hîc *ovem* dixit, cap. 1. dixit *pinguia*; *adipem pinguium*, &c. Scito ergò quòd sicut nomen בריא sig. *corpus*, sive *hominis* sive *pecoris*, *recreatum ut niteat*, quod fit quando est pinguefactum, ità מריא sig. *pecus mutatum e macilentia in pinguedinem saginatione: altum* ergò seu *saginatum* seu *pingue* reddere licet. Vide Ezech. 39. *Juvencorum altilium vestrorum*, &c. Leones autem & feræ in pinguia libentiùs irruunt. ¶ *Minabit*] Participium est נהג à verbo נהג: quod *abducere* seu *abigere* sig. neque malè verbo *minandi* redditur. Sed similem constructionem hujus verbi non memini me legisse: solet enim accusativum regere: quare fortasse tanquam nomen accipi debet, pro *abductore* seu *duce*, i. pastore, & ב pro *inter*, ut sæpe solet, q. d. *pastor inter eos*. Missi enim sunt Apostoli sicut *agni inter lupos:* & simplicissimis atque inermibus viris scimus paruisse ferissimas gentes. ¶ Verbum *morabuntur* addidit Interpres de suo.

7. *Vitulus*] Non est eadem vox quæ præcedenti versu, sed femininum nomen est à *fructificando* dictum. ¶ *Requiescent*] Quod superiori versu *accubabunt* rectè vertit. Est autem proprium Quadrupedum, sicut שכב est Hominum. ¶ *Catuli*] Cùm non ad Ursum tantùm referri debeat nomen ילדים, quod à *gigendo* deducitur, malui *filios* dicere, quod nomen etiam Brutis tribuunt boni auctores. Pro *urso* autem *ursam* quoque dicere possemus: דב à דבב, à sono proprio huic animali, sive ab *infamia*; malè enim audit propter truculentiam; vel à gravi odore quem spirat. ¶ *Paleas*] תבן à verbo בנה deduci verisimile est. Ejus enim non minimus usus fuit in extruendis domibus atque in compingendis lateribus. Vide Exod. 5. Est quoque cibus equorum & pecorum. Hâc autem figurâ sign. quòd eos qui cædibus & rapinis gaudebant, piratas, atque sicarios, nationésque barbaras Numidarum atque Scytharum, ad morum mansuetudinem per verbum Euangelii reducerent Apostoli: quod non minùs admiratione dignum est quàm si Leonem quis comedere paleas assuefaceret. Ad hunc quoque locum facit ver. 8. Hinc etiam discimus, in Rep. si justitia vigeat, brevi fore ut bene conveniat divitibus cum pauperibus, neque pateant imbecilles rapacitati vel crudelitati potentum.

8. *Delectabitur*, &c.] De hoc verbo שעשע vide suprà. 5. 7. Ego periphrasi expressi utcunque vim verbi. Hæc adimpleta existimo quando in delubris & templis Dæmonibus dicatis Discipuli Domini verbum ipsius prædicabant, & loca illa in templa Dei cœli convertebant, traducentes cultores Dæmonum ad lucem & agnitionem veritatis: quæ ingentis voluptatis erant amplissima argumenta. Hîc quoque considera quibus nominibus Spiritus S. appellet suos, *agnos, hædos, vitulos, altilia, boves, pueros, parvulos, lactentes, ablactatos*; quibus nominibus ipsos quoque verbi Ministros intelligit: quæ omnia simplicitatem, mansuetudinem, innocentiam declarant. Juvat etiam videre quibus appellentur peccatores. Quid sunt nisi *lupi, ursi, leones, aspides, viperæ*, & similia? O jucundam Spiritûs Domini *percussionem!* ô cædem salutarem, quâ omnis improbitas tollitur, & innocentia terris redditur? ¶ *Aspidis*] Quænam sit species animantis incertum est. Nomen Hebræis videtur habere à *persuadendo*, quòd minimè persuadeatur, פתן à פתה, quæ etymologia videtur haberi ex Psal. 58. ¶ *Cavernam*] Vel *foramen*. Hebr. מאורה quasi *absque luce* dicitur. ¶ *Reguli*] Neque quale sit hoc animal constat apud Hebræos. Videtur dici Hebræis à *vulnerando*, צפעני transpositis literis à פצע. Ego crediderim esse nomen compositum à צפה *speculatus est* & ענה *affixit*, quòd *visu noceat & interimat*.

9. *Non nocebunt*, &c.] Fateor hæc verba ut à Vulg. versa sunt non malè reddita: quia tamen ex locis Scripturæ, quando sine causu ponuntur, illam aliam acceptionem, *Non malè afficient*, vidi esse frequentiorem, volui eam in versione indicare: ut prius ad injustitiam in alterum referatur; quod & Vulgatus sensit, *non nocebunt*; posterius ad perditos cujusque mores, *non perditè agent*, quòd scilicet neque alios neque se ipsos perdent. Hæc sunt veluti superiorum versuum expositio. Significat autem ingentem justitiæ totiúsque sanctitatis abundantiam, quæ in Christi Ecclesia vigere debebat; sicut viguisse per plures annos olim novimus. Quòd si ad hunc modum accipias, videbis quòd locus hic Prophetæ non excludit ab Ecclesia peccatores, neque usum gladii Reip. Christianæ adimit. Hanc autem virtutem ac cœlestium donorum inundationem *scientiæ Dei*, i. prædicationi Euangelicæ, tribuit, per quam fides & vera rerum cognito reddita est mundo. Etsi enim multi qui fidem habent, perditi sunt moribus, *scientia* tamen *Domini* principium & fundamentum est totius sanctitatis: quod si quis æmuletur & actionibus suis accommodet, neque alteri nocebit neque ipse apud se quidquam perversè aget. ¶ *Operientes*] Adjectivum est *aquarum*. Neque verti potest *aquæ maris:* nam nomen מים est forma integra. Potest itaque sic reddi, *sicut aqua à mari operientes* (is enim interdum usus est ל) i. veluti si mare redundaret & operiret terram, ut in Diluvio factum fuit. Et hunc sensum videtur sequi Vulg. vel, ut transtuli, *sicut aqua mari operientes*, tropo quodam, quasi dicantur Aquæ *operire mare*, quòd scilicet operiant omnia quæ sub mari sunt, i. sicut mare aquis suis operiens bonam terræ partem: hoc est illud, *Erunt omnes docti à Domino*, &c. Hîc vides Affectus per intellectum mitigari; quàm etiam necessarium sit sanam Euangelii doctrinam perpetuò mentibus hominum inculcari: nam si hâc careant, veluti ager incultus spinas, i. affectus illos ferinos & agrestes, germinabunt, de quibus superiùs dictum est. Neque est quòd quisquam existimet posse meliori ratione aut viâ magis compendiariâ à mundo vitia penitus exstirpari quàm eâ quâ Dei Filius, ipsa Patris Sapientia & humanarum mentium Artifex, id olim fecit, & alios exemplo suo, ut sic facerent, instituit. Sed lege quæ sequuntur.

10. *In die illa radix Jesse*, &c.] Postquam lux Euangelii Gentes illustraverit, quid putas futurum nisi, quemadmodum in Euangelio ipse Dominus dixit, *ut exaltatus à terra omnia trahat ad se*? Ubi enim Gentes intellexerunt quanto studio Deus prosecutus mundum fuisset, eúmque amore hominum confixum intellèxerunt, ad eum sese contulerunt. Crux ergò CHRISTI, sive Christus crucifixus, est illa *Virga de stirpe Jesse* de qua 1. versu hujus capitis dictum est; quæ etiam est *in signum populis*, ut tanquam ad vexillum invicti Imperatoris confluant Gentes, ubi intellexerint per crucem de Morte & Peccato Dominum triumphasse, & damnatum mundi Principem; confluant, inquam, ad crucifixum Dominum, ut sub ipso degant, illum consulant, ab eo pendeant. Nam verbum דרש constructum cum præpositione אל, ut hoc loco, peculiari phrasi sign. *spe quadam conceptâ conferre se ad aliquem pro consilio seu auxilio.* Vide suprà 8. 19. & infrà cap. 19. Congruit itaque locus hic cum aliis Scripturæ locis, quibus multitudinem Gentium ad Christum congregandum Prophetæ, aliis licèt verbis, prædixerunt. Qui, inquam, omnes in Prophetiam Jacobi Patriarchæ respexerunt Gen. 49. *Et erit ad ipsum aggregatio populorum.* Suprà 2. cap. *Confluent ad eum*, &c. Usi sunt autem verbis quæ motum, & quidem voluntarium, & pronam animi inclinationem notant. Vulg. hanc phrasim per *deprecari* vertit, neque malè, secutus Chaldæum. Hic quoque vides nomen שרש, quod aliàs *radicem* notat, abusivè accipi pro *surculo qui ex radice pullulat.* ¶ Jam quòd Vulg. dixit *sepulcrum* nemo miretur. Nam vox Hebræa propriè non solùm *quietem* sed etiam *locum quietis*, aut *in quo sibi quisquam acquiescit*, significat: ego *mansionem* dixi. Nam video vocem non semel significare non unam aliquam domum, sed totas ædes & quidem amplas, cujusmodi sunt Regum palatia: unde pro ipsa *regia* & *templo Dei* sæpe accipi videbis; & Psal. 95. pro *tota terra Promissionis.* Libenter ego hìc pro *regia* acciperem. Ecclesia enim Christi plena fuit *gloriâ Domini*, eritque in perpetuum; & tota ipsa nihil aliud est quàm quædam *Domini gloria.* Cæterùm si mihi liceret omnino aliquid novi afferre, ego מנחה, quæ vox hic cum affixo est, non à verbo נוח deducerem, neque esse idem nomen quod מנוח MANOAH seu מנוחה MENUHAH, ut omnes existimant, atque ut ego ipse quoque interpretatus sum, sed esse illam quam Hebræi à tempore punctationis Bibliorum sic punctarunt, MINHAH; cujus origo est, ut jam suprà dictum est, à verbo נחה; sign. autem *donarium* seu *donum quod homini* aut *Deo honoris causâ offertur*, eò quòd sensim & cum pompa quadam deferatur. *Oblationem Deo factum* sign. Gen. 4. de *donario* autem *homini facto* Gen. 32, & 43. & Jud. 4. Ex quibus locis & aliis quamplurimis intelligas consuetum fuisse jam olim deferre Regibus ac Principibus, illísque quos placare vellent, munera atque donaria. Dicerem ergò hoc loco de his muneribus esse sermonem, nempe quòd Gentes, quæ ad Dominum venirent, donaria gloriosa afferrent, vel darent Domino gloriam, & Dei magnificentiam atque misericordiam prædicarent cum Paulo, ex Psalmo, *Gentes autem super misericordia laudare Deum.* Nec me moratur punctatio: nam, ut ipse jam monui, parvi interdum facienda est. Et in hac ipsa voce Jer. 51. ubi Vulg. habet *princeps prophetiæ*, & Hebræi vertunt *princeps quietis*, MANUHAH, quòd scilicet cum Rege quiesceret aut Regem recrearet, Chald. Targhum, q. scriptum esset MINHAH, *princeps muneris*, i. *munerum*, dixit, *princeps* תקרובתא: quod satis probat Biblia tunc non fuisse punctata, & liberiorem fuisse interpretandi rationem.

11. De nominibus istis gentium & regionum vide Gen. 10. & Hieronymum lib. De quæstionibus Hebr. De *Assyria*, & *Ægypto* quæ MISRAIM, & *Æthiopia* quæ HUS dicitur Hebræis, nemo dubitat. *Pathros* autem ignotum est, crediderim hujus plurale esse Gen. 10. 14. פתרסים, quos genuit Misraim filius Cham. Fortasse sunt qui Arabiam Petræam incoluerunt, quæ sic dicta est à metropoli *Petra*, quæ est in regione Nabathæorum. Vide Strab. lib. 16. *Ælam* Medi sunt & Sogdiani & Bactriani. Per *Sinear* autem sunt qui Babylonios & Chaldæos intelligunt: nam Gen. 10. dicitur *Babylon* & *Chalane*, &c. esse *in terra Sinear.* Sunt & populi ad Orientem qui *Sinæ* dicuntur, quorum jam meminit Ptolemæus lib. 7. cap. 3. Indis ultra Gangem finitimi, nobis Lusitanis notissimi, quos *Chinas* appellamus. Et fortè totus ille terræ tractus à Mesopotamia versùs Orientem שנער dictus est à שער *horruit*, insertâ literâ Nun, quòd naturâ & moribus horridi sint populi qui terras illas incolunt. *Hamath*, Antiochia, Cilica, Taurus, Armenia, &c. *Insulæ maris*, Græcia, Italia, Hispania, Mauritania, & cæteræ regionis maritimæ ad quas Phœnices navigabant, *insulas* passim Scripturæ eas vocant. Hæc carnales Judæi adhuc carnaliter futura exspectant: nos jam spiritaliter adimpleta esse credimus, & quotidie impleri, quando Dominus *filios Dei*, *qui sunt dispersi*, *in unum congregat*, ut Joannes ait.

12. *Et levabit signum*, &c.] Hoc versu repetit aliquantò clariùs quod superiori dixerat. Pro *profugis* dixi *expulsos*, ut vim verbi נדח exprimerem; & *dispersiones* pro *dispersis*: est enim femin. forma, sed ad sensum parùm facit. Dixi quoque *alas*, & Hebraismum retinui, quòd non obscurus esset. Dicitur autem Hebræis à *curvitate*, de Volucribus, de Vestibus, & de Cœlis.

13. *Hostes Juda peribunt*] Tumebant Judæi propter Regiam Davidis stirpem, & propter Templum & cultum: Decem autem Tribus, etiamsi numero vincerent, invidiâ tamen laborabant ob felicitatem Regni Jehuda: Fides autem Christiana abstulit hæc omnia: In Christo enim Jesu non est distinctio Tribuum & Regnorum, ut neque Judæi & Græci, sed omnes in Christo fratres sumus & filii Dei. Dominus autem Discipulos suos & primores illos Ecclesiæ ex Judæis delegit: & cùm plures essent ex Galilæis, non est quòd ultrà inviderent Judæis, quinimo omnes uno atque eodem Spiritu rem Christianam auxerunt & Regnum Christi propagarunt, ut mox narrat.

14. *Et volabunt in humeros*, &c.] Hæc de conversione Gentium per Apostolos intelligenda sunt, quibus cessit Palæstina omnis, & regiones illæ ad quas per mare Mediterraneum adiri potest, tota scilicet Europa, & Oriens atque Occidens. Quòd autem hæc spiritaliter, ut dixi, intelligenda sint, probant quæ sequuntur v. 15. & 16. Nam cum hoc versu dicat quòd Judæi, veluti aves, *in terga Palæstinorum involarent*, *subjugarentque Idumæos*, *Moabitas*, *Ammonitas*, & *Orientales populos deprædarentur*; quonam pacto v. 15. & 16. non victoriam sed regressum filiorum Israel ex captivitate commemorat? Intelligant ergò Judæi victoriam hanc esse per verbum Dei & prædicationem Euangelii, quâ auditâ filii Dei, qui erant dispersi, ad Deum Israelis convenerunt, sublato omni impedimento. Neque te conturbent nomina *Assyriorum*, & *fluminis*, scilicet Euphratis, quasi hic de reditu ex Assyriis sit sermo. Nam neque ab Assyria leguntur rediisse Israelitæ, neque aliter redituri sunt quàm modò exposui: sicut neque ex Ægypto: neque enim rursus exsiccandum est illud mare, neque rursus suffocandi Ægyptii. Quam interpretandi rationem si in Prophetis non adhibeas, apertè Judaizare te passim oportebit. *Volabunt in humeros*, velocitatem prædicantium significat, insuper & subjectionem credentium. Cùm enim Leo aut fera alia truculenta in Bovis (ut solent) aut alterius animalis scapulas insilit, sine mora ipsum discerpit; sic Apostolorum discipuli se suáque omnia illorum arbitrio tradebant; & *si oportuisset*, *oculos eruissent libenter*, ut loquitur Paulus. ¶ *Præceptum*] Nomen משלוח *immissio* vel *missio* est. Passivè videtur accipi, i. *in quos manus suas mittent*, ejusdem significationis cum משלח, de quo suprà 7. *in immissionem bovis*, &c. ¶ *Obedientes erunt*] Sensum expressit: nam nomen משמעת est *auditus*, *audientia*, deinde & *obedientia.*

15. *Et desolabit*] Verbum חרם *funditus perdere ut nihil remaneat* sign. ut fiebat in anathemate: proinde verbo *anathematizandi* reddere volui, ut vim exprimerem. ¶ *Linguam* autem *maris Ægypti* non dubium quin mare סוף, quod *Rubrum* vocant, appellet: Linguæ enim similitudinem habet, atque Ægyptum ex ea parte terminat. Per *exsiccationem* autem *maris* & *fluminis* ablationem impedimentorum omnium intellige. At *flumen* ipsum Euphratem cum Chaldæo accipio. ¶ *In septem rivis*] Vel *in septem rivos*, i. in multiplices meatus. Sic enim solet fieri ut vado pertransiri possint flumina. Vel est nomen proprium loci, *ad Septem rivos*, in ipso Euphrate. ¶ *In fortitudine*] Hæc vox nullibi in Scripturis præterquam hoc loco reperitur; neque unde originem trahat certum est. Quantum certè ex cognatis vocibus colligere possumus, verisimile est *collectionem* significare. Sed sensus idem est, nam *collectio spiritûs* ad vim facit. Ego *vehementiam* dixi. Nam de Spiritu Domini est sermo, qui impedimenta omnia abstulit: is autem quando in Apostolos descendit, *auditus est sonus tanquam spiritûs vehementis.* ¶ *Ut transeant per eam calceati*] Hebraismum mollivit & optimè reddidit Vulgatus; ego retinui, quia facilis erat, *& calcare faciet in* (vel *cum*) *calceis*, & est proverbialis forma loquendi.

DRUSIUS.

1. מגזע. Aq. Sym. Th. *ex trunco*] Eusebius, *Reliqui concordanter* DE TRUNCO, i. οἱ λοιποί. Græca exstant in ed. Rom. ἀπὸ τοῦ κορμοῦ, ἡρμήνευσαν οἱ λοιποί. Hieron. in Comment.

ad

ad h. l. גזע, *Aq. Sym. & Th.* κορμὸν *interpretati sunt*, *i. Truncum.* ¶ נֵצֶר, οἱ λοιποὶ *& germen*] Hieron. *Pro Flore, qui Ebraicè dicitur* נצר. *Aq. Sym. & Th. Germen transtulerunt.* Idem Jes. 14. 19. נצר *propriè Virgultum appellatur, quod ad radices arborum nascitur, & quasi inutile ab agricolis imputatur.* In schedis meis: נצר. Aq. ἀκρέμονα *virgultum.* Th. βλαστὸν *germen.* Vide infrà 14. 19.

10. מְנֻחָתוֹ. Omnes *requies ejus*, ἡ ἀνάπαυσις αὐτοῦ.

11. יוֹסִיף אֲדֹנָי שֵׁנִית יָדוֹ לִקְנוֹת אֶת־שְׁאָר עַמּוֹ אֲשֶׁר יִשָּׁאֵר מֵאַשּׁוּר Aq. Προσθήσει Κύριος δεύτερον τὴν χεῖρα αὐτοῦ, κτήσασθαι ὑπόλειμμα τοῦ λαοῦ αὐτοῦ, ὃ ὑπολειφθήσεται ἀπὸ τῶν Ἀσσυρίων, *Adjiciet Dominus secundò manum suam, ut possideat reliquias populi sui quæ relinquentur ex Assyriis.* Sym. προσθήσει Κύριος ἐκ δευτέρου τὴν χεῖρα αὐτοῦ τοῦ ζηλῶσαι τὸ ὑπόλειμμα τοῦ λαοῦ αὐτοῦ — *Adjiciet Dominus iterum manum suam ad zelandum pro reliquiis populi sui.* — Th. τοῦ κτήσασθαι τὸ ὑπόλειμμα τοῦ λαοῦ αὐτοῦ, ὃ ἂν καταλίπῃ ἀπὸ τῶν Ἀσσυρίων, *Ad possidendum residuum populi sui, quod relictum fuerit ab Assyriis*] Ut possideat reliquias. Interpres Eusebii *ad possidendum residuum.* Citatur hic locus in ed. Rom. ex Comment. Eusebii. Cæterùm plenior exstat in libris Ἀποδείξ. pag. 49 καὶ ἔσται ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ, προσθήσει Κύριος, &c.

15. וְהֶחֱרִים יְהוָה אֵת לְשׁוֹן יָם־מִצְרַיִם. Aq. Sym. Th. καὶ ἀναθεματίσει Κύριος τὴν γλῶσσαν θαλάσσης Αἰγύπτου, *& penitus vastabit Dominus linguam maris Ægyptii*] Euseb. οἱ τρεῖς συμφώνως οὕτως ἡρμήνευσαν, Καὶ ἀναθεματίσει &c. Hiero. DESOLABIT *igitur*, *sive* INTERFICIET, *h. e.* ἀναθεματίσει (vulgò ἀναθεματίσαι) *ut Th. Aq. & Sym. transtulerunt*, LINGUAM MARIS ÆGYPTI. ¶ *Penitus vastabit*, *anathemate devovebit.* Deut. 3. 6. ונחרם. Aq. ἀναθεματίσαμεν. Lxx ἐξολοθρεύσαμεν. חרם Ezec. 44. Aq. Sym. Th. ἀνάθεμα. Zach. 14. 11. Vet. *anathema.* Chald. קטלא *cædes*, *occisio.* Lxx. ἀνάθεμα. Exod. 22. 20. יחרם. Schol. ἀναθεματισθήσεται. Hieron. *occidetur.* Lxx θανάτῳ ἐξολοθρευθήσεται *morte exterminabitur.*

IDEM EX PROCOPIO.

1. חֹטֶר. Aq ῥαβδίον *virgula.*

3. וְלֹא־לְמַרְאֵה עֵינָיו יִשְׁפּוֹט וְלֹא־לְמִשְׁמַע אָזְנָיו יוֹכִיחַ. Sym. οὐ τῇ ὁράσει τῶν ὀφθαλμῶν αὐτοῦ κρινεῖ, οὐδὲ τῇ ἀκοῇ τῶν ὤτων αὐτοῦ ἐλέγξει, *non secundum visionem oculorum judicabit, neque secundum auditum aurium arguet.*

4. וְהוֹכִיחַ בְּמִישׁוֹר לְעַנְוֵי־אָרֶץ. Sym. καὶ ἐλέγξει ἐν εὐθύτητι πτωχοὺς γῆς, * *& arguet in æquitate pauperes terræ.* Aq. — τοῖς πρᾳέσι τῆς γῆς *mitibus terræ.* Th. τοὺς ταπεινοὺς τῆς γῆς *humiles terræ*] * Alibi τοὺς πτωχοὺς τῆς γῆς.

5. וְהָיָה צֶדֶק אֵזוֹר מָתְנָיו וְהָאֱמוּנָה אֵזוֹר חֲלָצָיו. Sym. καὶ ἔσται δικαιοσύνη περίζωμα τῆς ὀσφύος αὐτοῦ, καὶ ἡ πίστις περίζωμα τῶν λαγόνων αὐτοῦ, *Et erit justitia cingulum lumbrorum ejus, & fides cingulum renum ejus*] Interpres videtur legisse τῶν ὀσφύων nam vertit *lumborum ejus.*

7. וּפָרָה וָדֹב תִּרְעֶינָה יַחְדָּו יִרְבְּצוּ יַלְדֵיהֶן. Aq. Th. καὶ δαμάλια † νεμηθήσονται, ὁμοῦ κατακλιθήσονται παιδία αὐτῶν. * Sym. καὶ βοῦς καὶ ἄρκτος βοσκήσονται ὁμοθυμαδὸν, κατακλιθήσονται τὰ παιδία αὐτῶν] † Fortè δαμάλεις, i. *juvencæ* aut *buculæ.* * Hic litera erat Θ, quæ *Theodotionem* significat. ¶ כַּבָּקָר. Aq. Th. ὡς βουκόλιον] Ad quod exemplum referri posset δαμάλιον, de quo suprà. Est autem βουκόλιον *armentum boum.*

10. אֲשֶׁר עֹמֵד לְנֵס עַמִּים. Aq. ὃς ἀνίσταται εἰς σύσσημον λαῶν, *qui consurgit in signum populorum.* Sym. ὃς ἀνίσταται εἰς σύσσημον τῶν ἐθνῶν, *qui consurgit in signum gentium*] Marc. 14. 44. δεδώκει δὲ σύσσημον αὐτοῖς, ubi Erasmus exponit *commune signum de composito datum*, *cujusmodi sunt quæ militer vocant Symbola, quorum alia sunt vocalia, alia muta.* ¶ מְנֻחָתוֹ כָּבוֹד. Lxx ἡ ἀνάπαυσις αὐτοῦ τιμή. Aq. Sym. δόξα, *gloria.*

11. יוֹסִיף אֲדֹנָי שֵׁנִית יָדוֹ לִקְנוֹת אֶת־שְׁאָר עַמּוֹ. Aq. προσθήσει Κύριος δεύτερον τὴν χεῖρα αὐτοῦ τοῦ κτήσασθαι τὸ ὑπόλειμμα τοῦ αὐτοῦ, *Adjicit Dominus iterum manum suam, ut possideat reliquias populi sui*] Δεύτερον, *secundò.* Sym. ἐκ δευτέρου, quod Interpres reddit *de integro.*

14. אֱדוֹם וּמוֹאָב מִשְׁלוֹחַ יָדָם. Aq. Ἰδουμαία καὶ Μωὰβ ἀποστολὴ χειρὸς αὐτῶν, *Idumæa & Moab missio manûs eorum.* Th. Ἰδουμαία Μωὰβ ἔκτασις χειρὸς αὐτῶν, *Idumæa Moab extensio manûs eorum.* Sym. Ἐδὼμ καὶ Μωὰβ ἔκτασις χειρὸς αὐτῶν, *Edom & Moab extensio manûs eorum*] Ità correxi: nam in libris ἔκστασις, i. *dimotio*, *excessus.* Notum ut שלח inter alia sign. ἐκτείνω, *extendo*, *protendo*, &c. Indè משלח ἔκτασις.

15. וְהֶחֱרִים אֲדֹנָי אֵת לְשׁוֹן יָם־מִצְרַיִם. Aq. Sym. Th. Καὶ ἀναθεματίσει Κύριος τὴν γλῶσσαν θαλάσσης Αἰγύπτου, *Et quasi anathemate delebit Dominus linguam maris Ægypti.*

GROTIUS.

1. ET *egredietur virga de radice Jesse*] Redit ad laudes Ezechiæ, sub quibus sensu sublimiore latent Messiæ laudes. Pro *radice* in Hebræo hîc est *trunco*, rectè: quia amissione Decem tribuum, & tot hostium incursionibus valde accisæ erant res domûs Davidis.

Et flos] *Surculus* tener ex illo trunco enatus. Vide LIII. 2.

2. *Et requiescet super eum spiritus Domini*] Perpetuò ipsi aderit. Qui spiritus in suas partes distribuitur. Crevit autem in Christianismo: ideo distribuitur in septem Apoc. 1. 4.

Spiritus sapientiæ] *Sapientia* חכמה est cognitio rerum divinarum, Hebræis מרכבה [*Currus*].

Et intellectus] Cognitio rerum naturalium, ברשית [*in principio*] Hebræis.

Spiritus consilii] Prudentia, in rebus politicis maximè.

Et fortitudinis] Constantia in adversis, quam tempore Sennacheribi egregiè ostendit Ezechias.

Spiritus scientiæ] Circa interpretationem Legis.

Et pietatis] In Hebræo: *& timoris Domini*, quod pietatem significat. Hoc donum cætera omnia superat.

3. *Et replebit eum spiritus timoris Domini*] In Hebræo: *Et consolari ipsius* (id est, solatium) *in timore Domini*, sive *pietate.* pro pietate sua in maximis periculis Deo confidet.

Non secundùm visionem oculorum judicabit] Non desperabit, etiamsi maximum contra se exercitum hostilem videat.

Neque secundùm aurium auditum arguet] *Disputabit.* Non ex rumoribus de futuro conjecturam faciet. Credet enim Prophetis.

4. *Sed judicabit in justitia pauperes*] In Hebræo pro *sed* est *&:* novus enim sensus inchoatur. Æquum, ait, jus præstabit pauperi & diviti.

Et arguet in æquitate pro mansuetis terræ] Id est: erit eorum defensor, ut Reges esse debent.

Et percutiet terram virgâ oris sui] *Terram* vocat homines impios, ut ex sequenti membro eundem sensum verbis aliis continente apparet: quod scilicet nihil de Deo congitent, sed humi affigant *divinæ particulam auræ. Virgâ oris sui*, & quod sequitur, *spiritu labiorum suorum*, id est, precibus suis: per has enim confecit Assyrios.

5. *Et erit justitia cingulum lumborum ejus*, *& fides cinctorium renum ejus*] Id est, *pios viros ac justos semper circùm se habebit.* Ità hîc Chaldæus, optimè.

6. *Habitabit lupus cum agno*] Omnes hæ locutiones figuratæ significant altam & inconcussam pacem, quæ post Sennacheribi tempora futura erant sub Ezechia, per quam etiam infirmissimi quique suum erant obtenturi, sine metu rapinæ. Hi sunt effectus justitiæ Regum.

8. *Super foramine aspidis*] Aspides amant latebras.

Et in caverna reguli] צפע Græci modò κεράστην [*cerasten*] vertunt, modò ἀσπίδα [*aspidem*], id est, genus quoddam aspidum ab aliis distinctum.

10. *In die illa radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur*] In Hebræo, *quærent:* id est, ad Ezechiam concurrent multi ex gentibus ad verum Deum conversi.

Et erit sepulchrum ejus gloriosum] *Et erit requies ejus gloria:* id est, gloriæ plena. *Requies* habitationem significat.

11. *Adjiciet Dominus secundò manum suam ad possidendum residuum populi sui*] Trajectio est, pro *adjiciet manum suam ad secundò possidendum.* Non putem hæc ad Cyri tempora referenda: nam nondum ad res Nabuchodonosoris devênit Esaias, nec cùm hæc scriberet earum rerum revelationem acceperat; sed ex Israëlitis Decem tribuum, qui ad Theglathphalasaris & Salmanassaris incursus in varias terras se receperant, multos dicit Ezechiæ temporibus ad ipsum venturos.

Et à Phetros] Pharusis vel Phaurusiis in Æthiopia. Vide quæ nobis dicta ad librum 1. de Religione Christiana.

Et ab Ælam] Ab Elymæis qui Medis contigui. Vide eodem libro.

Et à Sennaar] A Babylonia. Vide iterum dicto libro.

Et ab Emath] Vide suprà X. 9.

Et ab insulis maris] A Cypro, Creta, Macedonia, & locis Asiæ maritimis. Nam omnia mari adsita sunt איים [*insulæ*] Hebræis.

12. *Et congregabit profugos Israël*] Illos de quibus diximus ad comma 11.

Et dispersos Judæ] Qui sub Sennacheribo profugerant.

13. *Et auferetur zelus Ephraim*] Odium illud quo Decem tribuum homines adversùs Judæos ardebant cessabit, ex communi periculo, & quia perfugium habebunt apud Judæos: explicant id sequentia.

14. *Et volabunt in humeros Philisthiim*] Historiam habes 2 Reg. XVIII. 8. quæ sequuntur gentes videntur fuisse in auxiliis Philisthinorum.

Filios Orientis] Arabas, qui ad Orientem Judæis. Vide quæ diximus ad initium capitis 11 Matthæi. Ab his prædas agent Judæi.

Idumæa & Moab præceptum manus eorum] *Immissio manuum eorum.* Id est, Judæi manum immittent, expeditiones facient in eorum fines.

Et filii Ammon obedientes erunt] In Hebræo, *Auditus eorum:* id est, sub Judæorum ductu militabunt contra Philisthinos.

15. *Et desolabit Dominus linguam maris Ægypti*] In Hebræo est החרים, quod primitivo significatu est *consecrabit.* Quia autem res Deo sacratæ attingi non poterant, ideo intelligi hîc debet, Isthmum illum qui est inter mare Ægypto objacens & Rubrum mare, intactum ab omnibus fore, Deo ità res disponente, ut qui in Ægyptum confugerunt Israelitæ (vide suprà 11.) tutò domum redire possent.

Et levabit manum suam super flumen] *Flumen*, cùm simpliciter dicitur, significat Euphratem.

In fortitudine spiritûs sui] Vi suâ.

Et percutiet eum in septem rivis] Imò *in septem rivos* dividet Euphratem, id est, imperium Assyriorum in plurimas partes. Medi enim ab Assyriis, Chaldæi a Medis defecerunt. Ità gentes illæ Hebræis infestissimæ domesticis dissidiis impeditæ faciles apud se exsultantibus reditus dedêre, quod sequetur. Frequens est sacris literis per *flumina* significare Imperia, quod & Græci Latinique faciunt; ut

Euphrates ibit jam mollior undis.

Item:

Fractùmque cornu jam ter improbo Rhenum.

Ad hunc locum respicit Apocryphus posterior Esdræ dictum nomine XIII. 44. 47.

Ità ut transeant per eam calceati] Figuratâ locutione facilem significat reditum.

16. *Et erit via residuo populo meo qui relinquetur ab Assyriis*] Rectiùs sic: *Et via erit ab Assyria populo meo relinquo ac superstiti.* Ostendunt id sequentia: ità tutò indè venient, ut olim ex Ægypto.

CAP. XII.

MUNSTERUS.

3. HAurietis aquas] Comparat Propheta salutem Domini לִמְקוֹר תמיד *scaturigini jugiter mananti & quæ exhauriri nequit.*

4. *Et dicetis in die illa*] i. In tempore illo unusquisque incitabit alterum ut confiteatur Domino & invocet in nomine ejus. Erit in N. T. unicus cultus vice omnium sacrificiorum & rituum Veteris legis, scilicet sacrificium Laudis, Confessio & Gratiarum actio. In V. T. mactabantur pecudes, in Novo jugulantur studia hominum & sapientia humana. Exigit enim Deus hodie rationalem hostiam.

VATABLUS.

1. COnfitebor tibi אודך] *Celebrabo te. Summis laudibus efferam te. Gratias agam tibi.* Id significat propriè hæc vox quando absolutè ponitur. ¶ *Quoniam*, &c. כי אנפת וגו׳] *Quamvis iratus sis mihi, avertetur furor tuus, & consolaberis me:* vel, quòd *tametsi iratus fueris mihi, aversus est* tamen *furor tuus, & consolatus es me.*

2. *Ecce* הנה] *Certè.* ¶ *Et laus*, &c. וזמרת יה יהוה] *Et canticum Ja Jehova:* vel *musica*, sive *cantio.* JA unum ex nominibus Dei, pro quo vertunt nonnulli *Deus.*

3. *Salutis* הישועה] *Salvatoris.*

4. *Et dicetis* ואמרתם] *Proinde dicetis.* ¶ *Confitemini* הודו] vide v. 1. ¶ *Invocate nomen ejus* קראו בשמו] *Invocate* [vel *clamate*] *in nomine ejus.* Alii, *implorate nomen ejus.* Alii, *prædicate*, &c. ¶ *Mementote*, &c. הזכירו כי נשגב] *Commemorate quòd excelsum* [vel *sublime*] *est*, &c. Alii, *prædicate:* sive *palam dicite*, aut *narrate quod nobile & clarum sit nomen ejus*, i. quod sit clarus & insignis, quòd plurima gessit unde clarum nomen sibi comparavit.

5. *Magnifica* גאות] Ad verb. *magnificentiam:* i. Res præclaras & magnas gessit. ¶ *Notum* est מודעת] *Notum* erit: *vulgatum* erit. Alii, *notum* fiat.

6. *Exalta vocem & lauda* צהלי ורני] *Hinni & jubila.* Alii, *Jubila & canta:* vel *clama*, i. effer laudibus.

CASTALIO.

2. ME*A potentia & cantio Ja Jova est*] Ja idem qui JOVA dicitur, decurtato verbo.

6. *Exclama & ova, Sionis habitarix*] h. e. Sion.

CLARIUS.

1. COnfitebor tibi, *Domine*] Erumpit Propheta in canticum gratulationis: Qui mos erat Hebræis cùm insignem aliquam salutem essent assecuti.

3. *Haurietis aquas*] Comparat Propheta salutem Domini scaturigini jugiter mananti & quæ exhauriri nequit.

4. *Et dicetis in illa die*] In tempore illo unusquisque incitabit alterum ut confiteatur Domino & invocet in nomine ejus.

FORERIUS.

1. CAnticum est gratiarum actionis pro redemptione per Christum. Qui enim se peccatorum mole obrutum antea agnovit, ob quæ iratum Deum senserat, dum percipit ex misericordia Filium Dei advenisse, peccata condonasse, Patrem cœlestem hominibus reconciliasse, quid aliud faciet? *Dicet*, inquam, *Celebrabo te*, &c.

2. *Ecce Deus*] Ut præsentem redemptionem celebrat. ¶ *Salvator*] Nomen etiam in abstracto accipitur; neque *salutem* tantùm sed & *opem* & *auxilium* significat. ¶ *Fiducialiter agam*] Verbum בטח valet idem quod *confidens fuit*, *fiduciam habuit*; verùm, quia Confidentiam sequitur Securitas, per Metalepsim *audax & securus fuit*, ut Jud. 15. & Prov. 14. in quo modo significandi hic libenter accipio. Opponitur autem Pusillanimitati, Dubitationi, & Timori seu Trepidationi. ¶ *Non timebo*] פחד est vel *metu mali trepidare*, vel *reverentiâ seu admiratione moveri & quasi obstupescere*; & verbo *expavescendi* optimè redditur: unde nomen illud פחד, quod pro *religione* vel *Deo* ipso videtur accipi Gen. 31. *Per pavorem patris sui*, &c. ¶ *Laus*] A verbo זמר, quod *incidere* sign. & ad *incisionem musicam* & *metricam modulationem* transfertur, venit nomen זמרה, quod tam *instrumentum* quàm ipsam *modulationem* seu *psalmum* significat. Quando ergò dicit *Deum esse psalmum*, sign. vel se nihil aliud canere neque celebrare nisi Deum, vel quòd Deus sit ipsius gaudium. Hîc simul duo nomina ponuntur, JAH, JEHOVAH, quod raro fit: & utrumque à verbo substantivo appellationem habet. Alterum existimo esse alterius contractionem, quidquid dicant Rabini. Sunt tamen pii viri & docti ex nostris qui JA Filio Dei cum assumpta humanitate tribuendum putent, quod hoc loco maximè amplector, q. d. *se canere* JA, JEHOVA, i. *Deum de Deo*, seu Dei Filium, qui nos redemit, & *datus est nobis à Deo in salutem, justitiam & sanctificationem.*

3. *Haurietis*, &c.] Non tantùm redemit & salutem dedit, sed & *fontes salutis* scaturire fecit, ad quos frequenter properare licebit ad hauriendam salutem, vel ad recuperandam amissam, vel ad conservandam acquisitam, vel etiam augendam. Sacramenta enim Ecclesiæ quasi *fontes* sunt saluberrimi, qui omnibus patent, ex quibus cuique licet summa *cum animi oblectatione* & *jucunditate salutem haurire.*

4. *In die illa*] Passim *diem* pro *tempore* usurpat Hebraismus. ¶ *Dicetis*] Non possunt se continere qui salutem hauriunt, quin maximè cupiant bonorum, quibus ipsi fruuntur, alios participes esse & testes; neque sibi satisfaciunt nisi cùm vident alios omnes Deo pro acceptis beneficiis similiter gratias agere. Affirmat ergò futurum Propheta eos qui *hauserint aquam* illam dicturos aliis, *Confitemini*, &c. Nisi malis pro imperativo accipere, *& dicite*, ut solent Hebræi futuris uti, vel etiam præteritis in futurum mutatis. ¶ *Invocate nomen ejus*] Quamvis Vulg. Interpretem non malè Hebraismum reddidisse putem, malui tamen retinere, quòd variè reddi posset: & vide quidem non paucis locis verbum קרא constructum cum voce שם & præpositione ב, ut hoc loco idem esse quod *prædicare, profiteri publicè*, seu *colere nomen Jehova*, Gen. 4. 26. Video quoque phrasim hanc, Joel. 2. *Omnis qui vocaverit in nomine Jehova evadet.* Paulum Rom. 10. & Petrum Act. 2. reddidisse, *Omnis quicunque invocaverit nomen Domini salvus erit.* De ea autem Invocatione.

tione sermo est quæ ex animo pleno fidei præscisscitur: quod dicitur *invocare Deum in veritate*, seu *fide*, ut habet Psalmista. ¶ *Adinventiones*] Nomen עלילות sign. *studia*, *molimina*, *adinventiones*; indè etiam *opera*, &c. sive bona, sive mala. ¶ *Mementote*] Verbum est in tertia, & verbo *commemorandi* bene redditur, *adducite in mentes hominibus*, *facite ut vigeat memoria excelsi nominis ipsius*. Unde etiam intelligitur phrasis illa Euangelii, *Hoc facite in recordationem mei*, i. ut commemoretis me; sicut & Paulus interpretatur, *Mortem Domini annunciabitis donec venerit*, &c.

5. *Cantate*] זמר cum accusativo est *Psalmis & canticis celebrare*, *prædicare*, &c. ¶ *Annunciate hoc*] Ad verb. *notum factum hoc in universa terra*, libenter subaudirem verbum *sit*; & pronomen quidem Demonstrandi Hebræis vicem supplet verbi substantivi: sed & affirmativè legi potest, & Hebraismus id magis exigit, *notum factum est in universa terra*, quasi sit responsio ad superiora, q. d. *ut optastis*, *ità factum est*, &c.

6. *Exsulta*] צהלי propriè *hinnivit*, *mugivit*, vel præ lætitia, vel petulantia, & lascivia, ut solent Equi & Tauri, quanquàm figuratè ad Homines quoque transferatur: in malum Jer. 5. *Hinniebant ad uxorem*, &c. hìc in bonum, & infrà 24, &c. ideo Vulg. verbo *exsultandi* reddidit. ¶ *Lauda*] Verbum רנן, sicut ex רנן, est plerumque Ovationis & Acclamationis gratulandi causâ, & verbo *congratulandi* non malè interdum redditur: Plerumque autem est Lætitiæ, & *exclamationem ex lætitia* notat. *Jubilare* dicunt Latini, infrà 24, 35, 54 &c. Hujus autem *gaudii* & *exsultationis* causam jam reddit. ¶ *Quia magnus in medio tui Sanctus Israelis*] Quod de verbo incarnato omnino intelligendum existimo, non de Arca federis. Nam de die seu tempore redemptionis ex quatuor plagis terræ erat sermo: & cùm *nobiscum sit usque ad consummationem seculi*, perpetuæ nobis est exsultationis causa. Quid cùm eum intra viscera nostra reconditus? quid dicat homo Deo plenus? *Exsultet*; *hinniat* convocet ad congratulationem mutuam omnes, quòd *magnus* ille etiam usque in ipsa viscera hominis descenderit. Nam & vox קרב *intimum animalis* propriè declarat, deinde & *cujuscunque rei*.

DRUSIUS EX PROCOPIO.

1. אודך. Aq. Sym. Th. ἐξομολογήσομαί σοι, *Confitebor tibi*.

2. ישועתי אבטח. Th. σωτήρ μου, ἐλπιῶ *Servator meus*, *sperabo*. ¶ יה יהוה: Π. Ἰα Κύριος, *Ja DOMINUS*] Π i. πάντες, si quid video in his rebus.

GROTIUS.

1. *Confitebor tibi*, *Domine*] *Gratias ago tibi*. ¶ *Quoniam iratus es mihi*, *conversus est furor tuus*] Hebraicum loquendi genus, pro quo Latinè diceremus, *Quia cùm iratus fueris mihi*, *resedit ira tua*.

3. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*] Fruêris bonis à Deo concessis. Sensu mystico rectè accipi potest de perfectissima doctrina, ut hic sumsit Jonathan, qui titulus Euangelio optimè convenit.

4. *Notas facite in populis adinventiones ejus*] Id est, consilia quibus ad vos liberandos usus est Deus. Respicit præcipuè bella illa civilia gentium ad Euphratem.

CAP. XIII.

MUNSTERUS.

Quæ hactenus à Propheta sunt tractata pertinent propriè ad Judaicum populum: Scripsit enim de præsenti Judæorum Regno, & de futuro Regno Christi. In hoc verò capite transit Propheta à Judæis, & prophetat vicinis gentibus futuram vastitatem.

1. *Onus Babylonis*] Vocatur hìc Prophetia *onus*, præsertim quæ afflictionem annunciat.

2, 3. Per *agitationem manûs* intellige vocationem hostis, quæ voce, manu & vexilli erectione fieri jubetur. Per *portas* verò *munificorum* intelliguntur domus Principum, & per *sanctificatos*, Medi & Persæ Divino parentes jussui, & undique etiam à remotissimis locis concurrentes, & communi auxilio Babyloniam devastantes. Chald. pro *sanctificatis* vertit *præparatis*; qui scilicet parati erant ad perdendum Babyloniam. Misera itaque depingitur hic facies capræ urbis. Erit sine ope, sine duce; nemo repentè oppressos liberabit: Nemini parcetur, non sexui, non ætati. Erit illis sicut *capreæ* vel *damulæ exagitatæ*, quam undique premunt canes, quæ nescit quo fugiat. Ubique hiant rictus ad lacerandum.

10. *Stella non expandent lumen suum*] Est familiare Scripturæ ut vocet tempus magnæ tribulationis *tempus tenebrosum*, *in quo Sol & Luna radios suos abscondunt*. Porrò כסילים est *constellatio quædam* secundùm Aben Ezra *quæ invenitur circa Cor Scorpii*. Verbum autem יהלו habet pro radice הלל idem significans quod נגה.

12. *Pretiosiorem auro*] i. Non accipient Medi autem è Babyloniis ut sese redimant.

20. *Arabs*] Sunt quidem Arabes qui certa domicilia non habent, sed deferunt secum tabernacula sua, vagantes in desertis & pascuosis locis. In loco autem Babyloniæ tunc brevi futurum erat ut præ horrore ruinarum & horrendorum animalium nemo vel tentorium suum per noctem extendere posset. Hæc itaque historia de Babylonis vastitate meritò terrere debet Tyrannos & omnes illos qui vel potentiâ vel sapientiâ vel opibus vel gloriâ abutuntur ad suam libidinem. Hic hujus historiâ usus & fructus apud fideles esse debet.

VATABLUS.

1. *Prophetia* משא] Ad verb. *Onus*; i. Prophetia de futura destructione Babyloniorum. *Oneris* nomine durior & onerosior Prophetis quoties aliquid adversum denunciare volebant; ut sciret populus nihil accidere adversi quod non Dominus ipse velut *onus* hominum humeris imponeret.

2. *Contra eos* להם] *Ad eos*. Relativum pro antecedente: sub. *milites*. ¶ *Levate* הניפו] *Agitate*. *Metaphoricè* (inquit doctus inter Hebræos) *dixit*, *Super montem excelsum elevate vexillum*, *exaltate vocem ad eos*, *elevate ad eos manum*, *ut citò veniant ad Babel ut perdant eam*, sub. *Medi ac Persæ*. *Elevatio* autem *manûs* significat advocationem: ut cùm quispiam advocans alterum, quòd propter distantiam loci non possit exaudiri, manum elevat, innuens ut veniat. ¶ *Ducum* נדיבים] *Principum*, *munificorum*, sub. *Babyloniorum*. Sic vocantur Principes à *munificentia* & *liberalitate*.

3. *Præparatis à me* למקדשי] Ad verb. *sanctificatis meis*, i. instructis & præparatis à me, ad hanc rem tanquam sacramento militari astrictis. ¶ *In ira mea* לאפי] *Ad exsequendam iram meam*. ¶ In *gloria mea* גאותי] Ad verb. *gloria mea*, i. ob gloriam meam, cùm honore & gloriâ afficior.

4 *Sonitus* שאון] *Strepitus*. Quidam, *Vox fragoris* acsi *regna Gentium coivissent*.

5. *Et vasa furoris ejus* וכלי זעמו] i. Cum militibus, qui ipsius irati mandato obsequentur.

6. *Ab Omnipotente* משדי] i. Imminet à duce forti & insuperabili. q. d. Quæ nullâ ratione vitari potest.

7. *Debiles erunt* תרפינה] *Flaccescent*, *remittentur*.

8. *Angustiæ* צירים] *Tormina*, *torsiones*. Verti potest, *angustias & dolores apprehendent*. ¶ *Facies*, &c. פני להבים פניהם] Hebraismus, pro *Suffundentur rubore & erubescent*.

9. *Venit* בא] Præt. Heb. pro præs. *instat*. Alii in futurum convertunt, *veniet*. ¶ *Et indignatione* ועברה] *Et plena indignatione*: i. in qua ostendet Dominus se maximè iratum esse. ¶ *Disperdas* ישמיד] *Deleat*, *conterat*.

10. *Et Orion eorum* וכסיליהם] *Et sidus eorum*. Alii, *& congregatio stellarum*. q. d. Præ summa calamitate & miseria omnia videbuntur eis obscura. Per *tenebras* enim intelliguntur omnia infelicia, calamitosa & tristia. ¶ *Obscurabitur*, &c. חשך השמש וגו'] Præt. Heb. pro fut. *Obtenebrabitur Sol in exortu suo*.

11. *Et visitabo*, &c. ופקדתי וגו'] *Visitabo enim super orbem terrarum malitiam*. i. Animadvertam in flagitia orbis terrarum, sive in homines propter scelera eorum. Quidam vertunt *ob malitiam* eorum. Seipsum declarat seq. verbis. ¶ *Et cessare faciam* והשבתי] *Et quiescere faciam*: i. perdam. ¶ *Fortium humiliare faciam* עריצים אשפיל] *Tyrannorum humiliabo*, vel *dejiciam*.

12. *Pretiosiorem*, &c. אוקיר אנוש מפז] *Pretiosiorem reddam hominem auro puro*. Alii, *Reddam chariores viros auro obrizo*. q. d. Pauci evadent. Vel, Propter aurum non parcetur vitæ Babyloniorum; neque parcent milites cuiquam propter pecuniam.

13. *Commovere faciam* ארגיז] *Concutiam*, *agitabo*. q. d. Tunc videbitur cœlum tremere & terra moveri loco suo horrore eorum quæ gerentur. Describit acerbitatem illius expugnationis. ¶ *Propter iram* בעברת] Ad verb. *in indignatione*, vel *in* die *indignationis Jehovæ exercituum*, *& in* die *caloris furoris ejus*. Loquitur Deus de se in tertia persona.

14. *Et erit* והיה] Sub. *Babylon*, *& qui in ea habitat*, aut

miles

miles externus quem conduxerint Babylonii. ¶ *Tanquam cervus ejectus* כצבי מדח] *Sicut caprea acta in fugam*, vel *profuga*, aut *fugiens*, persequentibus scilicet canibus. ¶ *Revertentur* יפנו] Ad verb. *respicient*, vel *convertent faciem ad regionem suam.*

15. *Additus* הנספה] Sub. *illis :* vel *adjectus*, sive *adjectitius*, aut *adventitius*, i. conductitius aut auxiliarius miles. Quidam Hebræorum exponunt, *Quicunque se junxerit filiis urbis ut evadat cum eis in arce, cadet gladio cum capietur civitas :* & sic Chaldæus P. *Et omnis qui ingressus fuerit munitionem, fugiens interficietur gladio.*

17. *Suscito* מעיר] Præs. Heb. pro fut. *suscitaturus sum.* ¶ *Non æstimabunt* לא יחשבו] i. Parvi pendent, aut nihili æstimabunt. q. d. Nemini parcent propter pecuniam. ¶ *Et aurum*, &c. וזהב לא יחפצו בו] *Et auro non oblectabuntur*, vel *nec aurum ipsum appetent*, aut *amabunt.*

18. *Et arcus*, &c. וקשתות נערים תרטשנה] Chald. *& arcubus suis parvulos scindent.* Quidam, *Et arcubus eorum parvuli allidentur.*

19. *Gloria* צבי] *Decor*, *inclyta*, i. quæ inter cæteras urbes primas tenet. Quidam vertunt *deliciæ Regnorum.* ¶ *Decus superbiæ* תפארת גאון] *Gloria superbiæ:* vel *decor & magnificentia*, i. ob quam gloriari & superbire solent Chaldæi.

20. *Non incoletur*, &c. לא תשב לנצח ולא תשכן] Ad verb. *Non sedebit in perpetuum*, *neque habitabit*, i. non sedebunt neque habitabunt in ea incolæ. Nam hoc pertinet ad incolas: est enim Metonymia.

21. *Bestiæ silvestres* ציים] Quidam relinquunt vocem Hebræam SIIM. Alii exponunt *bestias desertum incolentes.* Alii, *bestias horrendas.* ¶ *Furunculis* אוחים] *Viverris.* Gallicè *furets.* *Mustelas* quidam esse volunt, quas (ut nonnulli existimant) vocamus *belettes.* Alii vertunt *Cercopithecis.* Quidam Hebræorum dicunt, *bestias esse, quas qui viderit obstupescit.* Alii dicunt *nomen potiùs esse Volatilis.* Alii vocem Hebræam relinquunt, OHIM; quam *feles marinos* alii exponunt. ¶ *Filiæ struthionis* בנות יענה] *Filiæ ululæ*, sive *ulularum.* *Filias* vocat pullos, qui penuriâ cibi ululant : unde Mich. 1. 8. *Faciam planctum sicut draconum, & luctum sicut filiæ ululæ.* *Sirenas* LXX vertunt. ¶ *Dæmones quoque* ושעירים] *Et Fauni*, vel *Satyri.* Solent enim spectra illa apparere in locis desertis, apparéntque ceu pilosa. Quidam Hebræorum dicunt significare *hircos silvestres.*

22. *Et cantabunt ululæ* וענה איים] *Et clamabunt* [vel *vociferabuntur*] *feles :* vel *mustelæ silvestres.* Alii *picus* interpretantur, quas vulgò *Piverts* dicimus. ¶ *In ædibus ejus*] באל מנותיו] *In magnificis ædibus eorum :* vel *in palatiis.* Doctus inter Hebræos exponit *in viduis eorum*, i. in urbibus desertis. ¶ *Deliciarum* ענג] *Voluptatis.*

CASTALIO.

2. PRincipum portas] Babyloniorum.

12. *Efficiens ut viri obrizo, ut homines Ophirio præponantur auro*] Milites malint eos interficere quàm auro pacisci.

20. *Non ibi tendet Arabs, non ibi stabulabuntur pastores*] Arabes erant pastores vagi; sedémque subindè mutantes.

CLARIUS.

1. O*Nus Babylonis*] Vocatur hic Prophetia *onus*, præsertim quæ afflictionem annunciat.

2, 3. *Levate manum*] Per *levationem* sive *agitationem manûs* intellige vocationem hostis, quæ voce, manu & vexilli erectione fieri jubetur. Per *portas ducum* sive *beneficorum* intelliguntur domus principum; & per *sanctificatos* Medi & Persæ Divino parentes imperio, & undique, etiam à remotissimis locis, concurrentes, & communi auxilio Babyloniam devastantes, quæ à Semiramide condita Chaldæorum regia erat. Pro ea conditæ sunt insignes civitates, Ctesiphon & Seleucia, de quibus Strabo l. 15. Geographiæ.

5. *Ut perdat omnem terram*] Scilicet Babyloniorum. Per Allegoriam verò de toto mundo & terra intelligamus.

8. *Facies rubentes*] Præ pudore scilicet, quia scelerum sibi conscii sunt.

10. *Stellæ cæli*] Est familiare Scripturæ ut vocet tempus magnæ tribulationis *tempus tenebrosum, in quo Sol & Luna radios suos abscondunt.*

12. *Pretiosior erit vir auro*] i. Non accipient Medi aurum à Babyloniis, ut sese redimant.

14. *Unusquisque ad populum suum convertetur*] Quicunque in Babylone negotiator & peregrinus invenitur.

20. *Arabs*] Sunt quidam Arabes qui certa domicilia non habent, sed deferunt secum tabernacula sua, vagantes in desertis & pascuosis locis. In loco autem Babyloniæ tunc brevi futurum erat præ horrore ruinarum & horrendorum animalium nemo vel tentorium suum per noctem extendere posset.

22. *In delubris voluptatis*] Ubi scilicet olim palatia regia erant.

FORERIUS.

1. O*Nus Babylonis*, &c.] Figuras veritati commiscent Prophetæ, ex qua commistione & cœci magis excæcantur & pii homines plus confirmantur. Redemptio ex Babylone typus fuit Redemptionis quæ per Christum contigit, ut omnibus planum est. Jam igitur Babylonis eversionem commemorat, quam consecuta est libertas populi Dei: quemadmodum & in fine mundi evenient. Quò enim propinquior fuerit ejus desolatio, & redemptio filiorum Dei propior erit, ut Dominus suos adhortatur, cùm ait, *His fieri incipientibus, levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.* Non solùm autem hâc ratione his quæ sequuntur capitibus Prophetias texit Jesaias de Babylone & aliis nonnullis provinciis ac Regnis evertendis, sed etiam propter Jehudam & Jerusalem, ut Dei justitiam discerent, qui omnium gentium rationem habeat, & scelera earum suo tempore puniat, intelligeréntque perstultum esse, dum res prosperæ sunt, ità eis incumbere ut non etiam meminerint posse earum omnium rerum brevi tempore fieri commutationem, atque aliam vissitudinem multò diversam se posse experiri. Eas autem nationes & Regna tantùm commemorat quæ populo Judæorum nota erant & quorum res ad populum Hebræorum aliquà ratione pertinebant. Ità tamen orationes disponit Propheta ut ferè nulla sit Prophetia exterorum Regnorum in qua Redemptionis per Christum futuræ quidquam non interserat: nam huc tendebant omnia. Hujusmodi autem Prophetias in quibus gravia ac tristia nunciabant Prophetæ, *onera* appellabant; non solùm quia quæ dicebant, gravia, veluti onera, essent; verùm etiam quia ea quoque audire grave, imò neque ea prænunciare valde esset jucundum: sed parendum erat Spiritui.

2. *Super*] Vel *contra :* nam על etiam pro *contra* sæpe accipitur. ¶ *Caliginosum*] Vulg. נשפה tanquam esset נשף forma fem. quod *tempus obscurum* sign. accepit : neque est qui meritò hanc interpretationem improbare possit : nam infrà 59. dicuntur *montes* נשף *crepusculi*, i. caliginosi, &c. de quo ibi dicendum nobis erit. Quasi Babylonem, quamvis in planitie sita fuerit, *montem* ob ædificiorum & murorum superbiam vocet; *obscurum* autem, quasi ad nomen BABEL alludens, propter *confusionem* & peccati & ignorantiæ tenebras, vel propter imminentia mala, quæ nomine *tenebrarum* censentur in Scripturis. Chaldæus exponens ait *super munitionem quæ habitat pacificè.* Possumus quoque dicere esse participium seu nomen à voce passiva verbi שפה, i. *excelsum*, *eminentem* seu *præruptum*, ut sentiunt docti ex Rabinis. Non vocari autem hîc Babylonem *montem*, ex iis quæ sequuntur arbitror constare. ¶ *Levate manum*] Jam suprà dixi verbum hoc הניף propriè *agitare* significare : & illud quod in textu Hebræo est להם *ad eos*, tam ad *exaltationem vocis*, quod præcedit, quàm ad *agitationem manûs*, quod sequitur, referri potest. ¶ *Ingrediantur portas duces*] Nomen פתחי apparet esse in regimine, proindè *ducum* dicendum fuisset : sed dici potest quòd interdum forma regiminis servatur in locutione absoluta : unde Hieronymus *duces Medorum* intelligit. Est autem nomen פתח, i. *ostium*, à verbo quod *aperire* sign. at Hebræi omnes *portas Principum* interpretantur seu *magnificorum.* Nam Hebraismus nomine נדיבים vocat *Principes*, à *magnificentia & liberalitate:* unde intelligi potest illud Lucæ 22. *Qui potestatem habent super eos*, εὐεργέται, i. *benefici*, *vocantur*, i. Principes. Ego pro abstracto accipiendum putavi, *portas amplitudinum* seu *magnificentiarum*, i. amplissimas; quamvis in forma masculina nullibi sic accipi meminerim; in feminina autem נדבות non semel, *pluvia magnificentiarum*, &c. Psal. 68. &c. Videtur autem hoc loco esse irrisio, quasi irrideat portarum Babylonis multitudinem atque magnitudinem, vel ostia domorum amplissimarum atque magnificentissimarum, cujusmodi sunt palatia Principium sive magnatum : ut quæ sufficerent ad capiendum vel ingentem hostium exercitum. Verisimile autem mihi est נשפה nomen proprium esse montis qui Medos & Persas à Chaldæis disterminet; ut sensus sit, *Super illum montem levate vexillum, & voce ac manu convocate Medos & Persas: & Principes eorum conveniant ad portas, ut de bello gerendo rationem ineant :* & cum Vulg. formam regiminis pro absoluta accipiamus; neque sit sermo de portis Babylonis. Eligat prudens lector alterutram interpretationem.

3. *Sanctificatis meis*] Milites qui Dei bellum gesturi erant, *sanctificatos suos* vocat, quasi ad bellum sacrum conscriptos. Bella enim cùm apud Judæos tum etiam Gentes certis ceremoniis, legibus, ritibus, solennitatibus, insuper etiam jurisjurandi sacramento interposito, suscipiebantur ac gerebantur, ut testatur Deut. 20. ubi jura belli ordine commemorantur: & exstant Historiæ in libris Sacris quæ id testantur, ut 2 Sam. 15, & 18. unde *sanctificare bellum* Jer. 6. & Joel. 4. ut interim taceam quòd bella piorum cultus fuerint Deo placens. Adde quòd qui jussu Domini interficiuntur sunt veluti quædam victimæ morti destinatæ, ut patet infrà 34. & Jer. 46. quia morte illorum quodammodo expiatur terra. Quare & interficiendi *sanctificari* dicuntur Jer. 12. & ipsi interfectores *sanctificati* Zoph. 1. *Præparavit Jehova victimam, & sanctificavit vocatos suos*, scilicet Chaldæos, tanquam illam victimam devoraturos. Quâ propemodum figurâ loquendi usus est Moses Exod. 32. ubi dicitur, *Implete manum vestram hodie ipsi Jehova, unusquisque in filio suo & in fratre suo*, &c. nimirum alludens ad ritum consecrandi Sacerdotes quo pecudis sanguine manus eorum tingebantur, pii autem à Mose manus suas seditiosorum sanguine cruentare jubebantur. ¶ *Et vocavi*] Vel *quin & vocavi.* ¶ *Fortes*] Vel *heroas*, seu *prævalidos.* ¶ *In ira mea*] לאפי, vel *ad iram meam*, vel *iræ meæ*, i. ut iræ meæ exercendæ inserviant. ¶ *Exsultantes in gloria mea*] Hebraismum retinui: nam variè reddi potest; vel, *qui in gloria mea exsultent*, ut reddidit Vulg. & plerique alii, quòd scilicet altitudo & gloria Dei eos exsultare faciat; vel, *quorum exsultatio faciat ad gloriam Dei*, quia videlicet libenti & læto animo id exsequebantur quod magnopere pertinebat ad gloriam & honorem Dei; vel, *exsultantes gloriosi mei*, i. milites alacres & gloriosi.

4. *Vox multitudinis*] Nomen המון, ut jam dixi, non *multitudinem* tantùm sed etiam *strepitum* & *tumultum* sign. sicut Græcis ὄχλος· unde Luc. 22. *ut traderet eum sine turba*, vel *sine tumultu.* Quare hîc reddidi, *Vox tumultûs*, seu *strepitûs*: ut 1 Sam. 4. *Et dixit, Quæ vox tumultûs hujus?* & 14. *Tumultus, qui erat in castris*, &c. ¶ *Quasi populorum frequentium*] Hebraismum retinui, *similitudo populi magni*, i. qualem solet edere populus magnus. Vulg. doctè Hebraismum mollivit. ¶ *Vox sonitûs*] שאון propriè *ruinam*, *irruptionem* seu *præcipitium* declarat, & per Metalepsin *sonitum*, *fragorem*, *tumultum*, &c. qui ruinam subsequitur. Posset non malè reddi *vox præcipitationis Regnorum*, &c. ¶ *Regum*] Credo Interpretem initio scripsisse *Regnorum*, ut habet Hebraismus. Solebant, ut etiam nunc fit, gentes barbaræ, ut terrorem incuterent & sese accenderent ad prælium, ingentes edere clamores. ¶ *Præcepit militiæ belli*] Suprà jam dixi de verbo פקד quod interdum verbo *recensendi* verti debeat: & juxta hunc sensum intellige Vulgatum. Fingit Deum veluti Imperatorem ac Ducem, qui conscribere nomina militum jubet, eósque recenset & ad sacramentum adigit, & unumquemque suæ fortitudinis specimen coram se edere facit, ut significet vastationem illam quæ Babyloniis impendebat, non solùm ex præcepto Domini fieri, sed & gratissimam illi fore. Quare hoc loco, quia vidi esse allusionem in vocibus *tcebaoth* & צבא, nomen interpretatus sum, ut in versione eadem allusio appareret. Potest autem hoc nomen collectivum צבא, (de quo plura infrà 40.) quod *exercitum* hîc verti, construi cum participio pluraris numeri sequentis versûs, *venientem de terra*, &c. *Exercitum* verò *prælii* seu *belli* vocat, ad bellum & cædem paratum, vel bellicosum. Quod verò sequitur sic accepi, *Jehova, & vasa ejus ad dissolvendam terram*, scilicet *adsunt*;

5. Vel; servatâ distinctione, in hunc modum, *Veniunt de terra procul Jehova, & vasa*, &c.] Ubi inducitur *Dominus* ut Dux, & milites Medi & Persæ ut *instrumenta indignationis* & *justitiæ* ejus: ut intelligamus in Regnorum vastationibus non semper odia nationum aut avaritiam aut superbiam præcipuam esse causam; sed altiùs philosophantes, hostes esse *instrumenta Divinæ indignationis*, quam peccatis nostris provocavimus, nobiscum reputemus. ¶ *A summitate*] i. *Ab extremitate cæli.* Cum vulgo loquitur, quasi regio quæ nimiùm distat cœlum contingat.

6. *Dies Domini*] Phrasis est Hebræis frequentissima ut *dies Domini* dicatur dies quo punit immorigeros & rebelles; fortè hinc sumpta quòd cùm dissimulat, dormire videatur: (unde ut *exsurgat, ne ultra dormiat*, petit Psalmista.) Nox autem tempus est somno deputatum, Dies verò actionibus: hinc ad significandum judicium Domini accommodatur, ut interdum idem sit *dies Domini* & *judicium Domini.* Hinc etiam *dies hominis* sive *humanus*, i. judicium hominis. ¶ *A Domino*] Hîc nomen est SADAI, quod plerique per *Omnipotentem* reddunt. Est autem attributum Divinum, q. d. *Uberrimus*, cujus bonitas permeat per universas creaturas, dans illis essentiam, vitam & motum; q. sit à verbo שדד, quod *permeare* sign. Sed quia hoc verbum capitur semper in malum, à שד, quod *mamma* seu *uber* est, quidam illud deduci volunt. At ego illis potiùs assentior qui nomen שדי compositum esse dicunt ex relativo ש & nomine די, q. d. *Qui sufficit, Sufficientissimus, Abundantissimus*, quòd ipse per sese non modò bonis omnibus abundat, sed etiam aliis abunde tribuat: sicut de Filio Dei dicit Joannes, *De plenitudine ejus accepimus omnes.* Et Paulus 1 Tim. 6. ad hoc nomen videtur alludere, *Qui præbet nobis omnia abunde ad fruendum*, &c. Dicitur ergò שדי vel *quod sibi*, vel *quòd nobis sufficiat*, neque alio indigeamus. Si quis tamen diceret nomen שדי à *devastando* dici, ideóque & hoc loco esse allusionem in voce שד, quæ *vastationem* notat, ad nomen שדי, non improbarem: q. diceret Propheta, *Ululate, quia venit vastatio, quasi vastatio à Deo vastatore.* Sic enim loquitur Scriptura; ut apud Paulum, *Tanquam à Domini Spiritu*, i. claritatem maximam, qualem par est à Spiritu Domini donari, &c.

7. *Propter hoc omnes manus*, &c.] *Dissolutione* seu *remissione manuum*, & *liquefactione cordium*, & similibus, quæ sequuntur, Hyperbolicis similitudinibus venustè admodum insinuat Propheta quæ mala passuri sint Babylonii adventante hostium exercitu, cujus Dux esset Jehova; cujus solius est, etiam antè quàm adveniat calamitas, ità perturbare impiorum animos in quos iram suam effundere decrevit, ut consilii & opis egeni quò sese vertant nesciant, neque manu neque mente satis suum officium facientibus. ¶ Pro *contabescet*, *liquefiet*; pro *dissolventur*, *remittentur*, dixi, sensu eodem, & propriâ verborum significatione servatâ.

8. *Conterentur*] Numero multitudinis legendum. ¶ *Torsiones*] Nomen ציר à verbo צור *cardinem*, i. locum angustum illum in quo janua vertitur, significat; hinc ad *legatos* transfertur, tam in sing. quàm in plurali: interdum tamen suam simplicem significationem servat, ut *angustias* significet. ¶ *Dolores*] Cum Vulg. verti: nomen verò propriè *funes* sign. transfertur autem ad *eos dolores* significandos *qui veluti funes circumligant & complexum detinent eum qui patitur, ut sese indè expedire nequeat*: unde, *Circumdederunt me funes mortis*, &c. *& funes inferni circumdederunt me*: ubi Vulg. in Psal. *dolores* dixit: secundùm quam significationem Petrus dixit, *Quem Deus suscitavit*] *solutis doloribus inferni.* ¶ *Facies combustæ*] Sensum expressit: ego Hebraismum servavi, quòd facilis esset, *facies flammarum.* Qui anxii sunt & in metu degunt, quæ inedia & vigiliæ consequuntur, macilentiores facti, nigrescunt & exsiccantur, veluti carnes quæ ad ignem suspenduntur exsiccandæ. Unde apud alium Prophetam dicitur, *Universæ facies retraxerunt splendorem suum.* Hoc facit scelerum conscientia & metus instantis judicii.

9. *Crudelis*] כזר, præpositâ literâ א. *crudelis*, *sævus*, *immitis*, tam adjectivè quàm substantivè: sumitque sæpe Jod in fine paragogicum, ut hîc. ¶ *Plenus*] Hoc supplevit Vulg. Potest & repeti verbum *venit* hoc modo, & *ardor, & excandescentia vultûs: venit ad*, &c. ¶ *Furorisque*] Illud *que* delendum est in Vulgato. Nomen חרון interdum per *se iram* seu *excandescentiam* sign. interdum autem construitur cum nomine אף, quod propriè *nasum*, quasi אף à *flando*, sign. deinde & totum *vultum*; deinde & *iram*, quæ vultu & naribus proditur: in qua constructione ego libenter חרון pro *excandescentia*, אף verò pro *vultu* acciperem, ut Vulgatus accepit in eo loco Gen. 3. *In sudore vultûs tui.* Conjunctas has voces habes Exod. 31. & Num. 25. ubi *ardorem iræ* vel *excandescentiam vultûs* dicere possumus. ¶ *Peccatores*] Dix cum vulgato; nam alioqui dicere consuevi *errantes*, servatâ proprietate significationis. Verbum enim חטא verbo *errandi* seu *delinquendi* aptè redditur. 1 Reg. 1. *Cùm dormierit dominus meus cum patribus suis, ero ego & filius meus errantes*, i. extorres, exsules. Ex quo loco significatio nominis acipitur. Hîc interim habes occultè causam desolationis terræ, quòd scilicet habeat *peccatores*, & eos alat.

10. *Stellæ cæli*] Nomen כוכב non assignant Hebræi unde deducatur. Mihi placet cujusdam docti viri sententia, qui putat esse à verbo כבה, primâ geminatâ, quòd scilicet nunquam *exstinguatur*, quasi oppositâ significatione. ¶ *Et splendor earum*] Relativum Hebræum ad *cælos* referendum est: Vulg. ad *stellas* retulit; accepit enim כסיל pro *splendore.* Neque de significatione hujus nominis apud Interpretes constat. Nomen esse sideris docti existimant, & Hieronymus *Orionæ* alibi interpretatur. Et hæc opinio confirmatur, quòd nonus mensis, qui nostro Novembri ex parte respondet, quo oritur Orion, כסלו

voca-

vocatur. Numero tamen multitudinis pro *constellationibus* existimo hîc accipi, &, ni fallor, comprehendere ipsos *Planetas*, qui ut Latinis *errones*, sic & Græcis ab *errando* seu *fallendo* seu *inconstantia* nomen habent. Nam nomen quoque Hebræum ab *inconstantia* dicitur: unde & *stultum* seu *inconstantem* sæpe apud Salomonem notat, & Psal. 49. & Eccl. 2. Ego certè quantum conjicere possum, nomen *inconstantiam lucis* notare arbitror, quod *micare* seu *scintillare* dicimus. Dicuntur ergò hoc nomine *astra scintillantia*. Cùm verò in Homine Ratio instar lucis sit, qui tantùm per intervalla judicio & ratione utuntur, meritò hoc nomine in Scripturis appellantur. Unde & quodam loco Salomon hâc voce utitur pro *divite* Prov. 19. 1. cùm enim eandem sententiam repetat cap. 28. pro כסיל dixit עשיר. Quare autem dives *stultus* seu *inconstans* dicatur, vide in epistola Jacobi cap. 1. & apud Luc. 12. de Stulto divite. Neque inelegans est Translatio, quòd divites hujus mundi sint veluti stellæ scintillantes seu micantes, qui interdum fulgere, & mox lumen suum videntur amittere. ¶ *Obtenebratus est Sol in ortu* (vel *in egressu*) *suo*] i. Nè tantillum quidem lucis super terram sparsit, sed dies cum nocte conjunctus fuit, & omnia tenebris involuta. Qui loquendi modus Hebræis extremam infelicitatem declarat: ut jam signa illa Euangelii, *Sol obscurabitur, & Luna*, &c. ex hoc & similibus intelligi facilè possint: vide suprà cap. 5. v. ult. ¶ *Non splendebit*] Ego verbum verbo reddidi. Est enim hîc נגה in tertia, quod habet suprà 9. 2. *Lux splenduit super eos.* Hic juvat considerare quàm paratæ Deo sint creaturæ omnes ad vindictam sumendam de improbis; & quemadmodum quæ propter Hominem condita sunt, adversùs Hominem, si Deo sit inobediens, præstò adsint. Justum enim est ut ingratis omnia auferantur, & ea quibus abusi sunt beneficia in pœnam convertantur, ut eam tandem agnoscant cui omnia subjecta sunt, atque ex obedientia elementorum ipsi quoque erudiantur, & discant voluntati Dei obtemperare.

11. *Et visitabo super orbis mala*] Hoc versu apertiùs indignationis suæ aperit causas, & quorsum tendat illa sua severitas. Jam suprà dictum est de verbo פקד, quòd augustiorem habeat significationem quàm ut verbo *visitandi* semper reddi possit: & hoc genere constructionis quod hîc habet, in malum accipi solet. Vulg. primo membro על vertit *super*, & in altero *contra*: sensus idem est. Quòd si verbo *recensendi* velumus reddere & nomina רעה & עון non pro *malitia* & *iniquitate*, sed pro *pœna* earum, ut sæpe consuevere, alium sensum haud contemnendum habebis. ¶ *Quiescere faciam*] Hic habes ob *superbiam* periisse Babylonios. Cùm enim se rerum dominos considerassent, in superbiam elati, in fortitudine sua gloriabantur, quasi non esset major quispiam alius qui providentiâ suâ rebus omnibus præsideret, ex cujus nutu potentia, vires, victoria atque principatus penderent: Cui morbo plerumque subjecti sunt illi quibus omnia ex voto eveniunt. Pro *infidelibus* dixi *superbos*. Nam verbum זוד est *intumuit*, *efferbuit*, *superbivit*. Quæ significatio apparet ex loco Gen. 25. ubi idem est quod *ebullire*; *Ebullivit Jacob ebullitionem*, &c.

12. *Pretiosior erit*] Hebraismum expressi, *pretiosiorem faciam*. Raritatem futuram denunciat; quæ autem rara sunt, chara sunt. ¶ *Auro*] Heb. *pretiosum faciam* פז, i. *præ Paz*. Est autem PAZ appellativum *auri*, ut multi volunt: quanquam alii *margaritam* esse putant. Si ab פזז velis deducere, (ut verisimile est) videtur significare *aurum optimum*, à *soliditate* quam habet. Vulg. Psal. 19. vertit *lapidem pretiosum*, at 119. dixit *topazion*. Denique Hebræi non sibi constant: ego autem idem quod *solidum* esse existimo. Fortasse à loco sic appellatum est Aurum: sæpe enim per se ponitur, & sæpe cum nomine quod *aurum* sign. Et si à loco dicitur, idem est quod אופז, de quo Jer. 10. & Dan. 10. & idem quod מופז 1 Reg. 10. pro quo 2 Par. 9. positum est *aurum* טהור, i. *mundum*. ¶ *Mundo*] Vox כתם quid propriè significet incertum est. Ego vocem peregrinam esse credo: & aliquando absolutè ponitur, aliquando cum nomine loci, *Ophir*, *vel Uphaz*. *Aurum* ergò significat tanquam unum ex nominibus appellativis, cujusmodi habentur multa apud Hebræos. Quidam vir doctus existimat esse *massam*, *portionem*, *grumam* seu *frustum*, scilicet auri. Ex Ophir autem, loco Orientali, effodi optimum aurum testis est Moses.

13. *Super hoc*] Heb. *Super sic*. Et solet esse Causalis particula: interdum tamen idem est quod *præterea*, *præter hæc*, &c. ¶ *Propter indignationem*] Ad verb. *in indignatione*, vel *furore*, i. tempore indignationis: nam sequitur, *& in die iræ*, &c. vel (ut frequenter loquuntur Hebræi) *in ira*, i. indignatus. Et est mutatio personæ, etiam Hebræis frequentissima, ut sit sensus, *Insuper, & accensus furore commovebo cælos, & in die ardoris iræ* (vel *excandescentiæ*) *vultus mei commovebitur terra de loco suo*; ut binæ partes posterioris membri binis partibus prioris respondeant: quod etiam non rarò in usu est Hebræis. Per *commotionem* autem *cæli & terræ* summam rerum perturbationem solent sacri Scriptores significare.

14. *Quasi damula fugiens*] A *jucunditate* dicitur Hebræis. Vide vers. 19. ¶ *Quasi ovis*] Nè putes nomen צאן unquam in S. literis *ovem singularem* aut *capram* significare: semper enim de collectione istorum animalium dicitur: propterea *gregem* dixi. ¶ *Et non erit qui congreget*] Significat ergò Babylonios huc atque illuc dispergendos, ut quisque, quocunque illis licebit, diffugiat absque ullo vel ordine vel duce. De exteris autem qui apud Babylonios degebant, dicit futurum, quod solenne est hominibus apud alias nationes alicujus negotii causâ agentibus, ut ingruente bello se ad suos conferant.

15. *Occidetur*] Verbum דקר non propriè *occidere* sed *transfodere* aut *transfigere* seu *configere* sign. ut apparet ex Zach. 12. *Respicient ad me quem transfoderunt*: quem Joannes 19. reddidit, *Videbunt in quem* ἐξεκέντησαν, i. *pupugerunt*, & Apoc. 1.

26. *Allidentur*] Hoc Babyloni imprecabatur Psaltes, *Beatus qui allidet parvulos tuos ad petram.* ¶ *Uxores violabuntur*] Hæc sunt mala quæ contemptoribus verbi sui Dominus apud Mosem in Deuteronomio minabatur. Quamvis autem extra Legem essent Babylonii, eisdem tamen pœnis afficiuntur quibus & qui sub Lege. Sicut enim idem est Deus omnibus invocantibus eum, idem est etiam omnibus peccatoribus, nisi quòd isti *judicantur* seu *condemnantur per Legem*, illi *sine Lege*: quandoquidem suprema illa ratio potissima lex est, quâ *redditur unicuique secundum opera sua*. Vide Rom. 2. Molestissima sunt autem omnia hæc sensum humanum habentibus.

17. *Ecce ego*, &c.] Jam omnia quæ suprà aliquantò obscuriùs dixerat, more Prophetico, aperit. *Medos* hostes nominat, quorum ut crudelitatem declaret, contempturos *aurum* & *argentum* affirmat. Etsi enim cupiditas alioqui crudelitatem & feritatem animis inducit, multò tamen erga victos crudeliores sunt hostes qui odio aut instinctu aliquo Numinis occulto feruntur quàm qui cupiditate auri cæterorum Regna invadunt: plurimos enim in vita spe pretii conservant. ¶ *Suscitabo*] Participium est, & non ineptè verbo præsentis temporis redditur. Eleganti sanè Metaphorâ occultam hominum oculis sed passim obviam (modò sensu communi non careant) Dei providentiam universa permeantem & suo tempore summa cum æquitate omnia peragentem Propheta hîc expressit uno hoc verbo, *Excito Medos*, qui nihil minùs tunc fortè cùm hoc prædicebat Propheta cogitabant quàm bellum Babylonis inferre. Cogitemus & nos in adversis quibus jactamur quotidie, à Deo sæpe excitari hostes, Turcas, Maria, Ventos, &c. adversùs peccatores. ¶ *Reputare* dixi pro *quærere*: nam manifestum est חשב *cogitationem* propriè significare; quia verò quæ plurimi facimus, de eis sæpius cogitamus, etiam pro *æstimare* seu *reputare* interdum accipitur.

18. *Sagittis interficient*] Sensum expressit Vulg. ego verba: קשת enim *arcus* est à *rigiditate* & *pertinacia* appellationem habens. ¶ *Et lactantibus uteris*] Legendum est *lactentibus uteri*, ut habent emendati codices. Vocat autem *lactentes uteri* fœtus qui in utero adhuc aluntur lacteâ quadam substantiâ. Hebraismus hîc ad verbum *fructum ventris* appellat. Posterius autem membrum de jam natis *filiis* loquitur. Dicitur ergò quòd discinderent uteros, & extractos infantes discerperent: quod est extremæ feritatis. ¶ *Non parcet oculus*] Verbum חום (sicut vir quidam doctus observavit) propriè sign. *connivere*, vel *oculos genis obtegere*: éstque Misericordiæ, quâ alicui parcitur. Quibus enim irasci nolumus, ad eorum errata connivemus. Et construitur cum על *super*. Vulg. & cæteri verbo *parcendi* reddere solent.

19. *Gloriosa*] Vocat Babylonem *jucunditatem Regnorum*, vel quòd inter Regna præcipuum esset, vel quod esset veluti curia & regia ad quam concurrerent ex aliis Regnis, ut in jucunditate & voluptatibus vitam ducerent. ¶ *Inclyta in superbia*] Vel *in superbiam*. Ego proprietatem verborum servavi. Vocat autem *ornamentum superbiæ*, de qua potissimùm superbirent & gloriarentur Chaldæi. Vide Strabonem De situ orbis, initio lib. 16. ¶ *Sicut subvertit*, &c.] Sensum optimè expressit: ego ad verbum reddidi *juxta subversionem Dei*, &c. quasi Sodomam vocet *subversionem Dei*, i. à Deo subversam, &c. Est autem sæpe את Appositionis nota, i. *juxta subversionem* (seu *vastationem*) *aliquam maximam, qualis fuit Sodoma*, &c.

20. *Non*.

20. *Non habitabitur*] Quòd hîc sit vox activa, malunt aliqui vertere *non sedebit*; & verbum quod sequitur תשכן, eodem modo, *non habitabit*. Ego (quod plurimis verbis accidere solet, ut absolutè posita significationem veluti neutro-passivam habeant) cum Vulgato & docto quopiam Hebræo volui *non habitabitur*. ¶ *In finem*] De nomine נצח vide infrà 25. cap. *Absorpsit mortem in victoriam*. ¶ *Arabs*] Sic dictus vel quòd deserta incolat, i. loca quæ non seruntur neque arantur, & in quibus terra indiscriminatim omnia germinat, vel à mistione colorum. ערב enim est *miscere*.

21. *Bestiæ*] ציים. Quid hoc loco significet hæc vox, quæ & aliis quoque legitur, non usque adeò certum est; neque ipsi Rabini sibi constant: Videtur autem à *siccitate* appellationem habere. Crediderim ego esse generale nomen Ferarum, quæ in solitudinibus arenosisque locis degunt, cujusmodi sunt in Arabia Deserta & prope mare Rubrum quamplurimæ. Vulg. in Psalmis bis *Æthiopes* dixit: sed rectiùs, ni fallor, hoc loco Hieronymus *bestias* vertit. Ego *feras* dixi: nam & cum feralibus avibus conjunguntur. Transferuntur autem hæc nomina ad gentes barbaras & ad Cacodæmones, ut ex B. Joanne apparet, & ex Psal. 72. nam utrique feri sunt. Adde quòd *immundi spiritus ambulant loca arida*, ut est in Euangelio: unde Vulg. infrà 34. 14. *Dæmonia* vertit. ¶ *Draconibus*] אחים. Etiam de hac voce variæ sunt sententiæ. Ego cum quodam viro docto existimo esse generale nomen ad omnes Aves ferales, quæ alio nomine איים vocantur infrà v. 22. quæ sic dicuntur à *tristi & gemebunda acclamatione*, quâ alternis & simul vociferantur. ¶ *Struthiones*] Heb. *filiæ struthionis*. Semper hoc nomen יענה in sing. construitur cum nomine *filia* vel *filiæ*; fortè quia hæc avis non incubat, neque fovet ova, neque excludit, ut reliquæ aves; ut potiùs videatur esse *filia* quàm *mater*, imò *filia sine matre*. Dicitur Latinis *struthio* & *struthiocamelus*: fortè à voce & planctu ferali, quo fame vel siti pressi sibi invicem responsant: vel ab altero modo significandi verbi ענה, nempe *destitutum esse*, quasi hæc avis destituatur à matre, neque illi respondeat. ¶ *Pilosi*] Hebræum nomen שעירים non dubium quin à *pilis* sit dictum, quasi *hirsuti* seu *pilosi*. Et nomen *Satyri* cum hoc Hebræo convenit. Ego *Simias* dicerem. Chaldæus *Dæmones* dixit.

22. *Et respondebunt*] Vel *alternis canent*. Etiamsi verbum sit in sing. juxta Hebraismum, tamen cum nomine plurali Distributionem notat. איים idem quod suprà אחים. Vulg. non malè *ululas* dixit: *striges* dicere posses: infrà 34. 14. *onocentaurum* dixit. ¶ *In ædibus*] Nomen אלמנות ego peregrinum nomen esse puto, & congruere cum voce Hispana *almenas*, quæ sunt *pinnæ murorum*: pro *mœniis* ergò rectè accipitur: & Chaldæis *ædes* seu *palatia* dicitur significare. Vide Ezech. 19. Solent autem hujusmodi aves in summitatibus murorum voces illas lugubres edere. ¶ *Sirenes*] Nomen sing. est תנין, & plurale תנינים, & per Syncopen hoc loco תנים, i. *dracones*. Sunt autem tam terrestres quàm marini. Meminit Plinius lib. 9. cap. 3. *Thynnorum*, quos nomen vetus retinuisse arbitror: & scribit eos magnitudine superare balænas, &c. Parùm refert scire quæ genera animalium hæc nomina propriè indicent: Sàt est hîc intelligere Prophetam, quòd omnes aves ferales & animalia quæ solitudinibus gaudent ad ruinas Babylonis concurrerent: quo significat vastitatem & desolationem illius inclytæ civitatis. Vide Hieronymum. Sed cùm captivitas filiorum Israel apud Babylonem alteram Captivitatem, & liberatio alteram Liberationem figuraret, quæ filiis Dei dispersis contigit, non durum fuerit si hæc quoque de demolitione Regni tenebrarum & confusionis interpreteris, quòd scilicet apud improbos & in Regno Satanæ degentes nullæ sint deliciæ, nullus splendor, &c. sed omnia sint Dæmonum immundorum habitationes, & illi omnia occupent. Joannes Apoc. 18. hunc locum sic reddidit, *Cecidit, cecidit Babylon magna, & facta est habitatio dæmoniorum, & custodia omnis spiritûs immundi, & custodia omnis volucris immundæ & odibilis*. Toto autem illo capite ad hunc locum Jesaiæ respicit, ut interim videamus quales maneant in quos Deus vindictam exercuit. ¶ *Propè est*]. Concludit propositum Propheta dum ait, *Appropinquat tempus*, &c. Cujus rationem reddit initio capitis sequentis. Sed obsecro, Christiane lector, nè cum Judæis tantùm nudam historiam attendas.

D R U S I U S.

2. הניפו יד ויבאו פתחי. Sym. κινήσατε χεῖρα, καὶ ἐξελθέτωσαν θύρας, *movete manum, & egrediantur portas*] Malim εἰσελθέτωσαν, *ingrediantur*: nam ἐξελθέτωσαν potiùs est יצאו.

3. גם קראתי גבורי. Th. καί γε ἐκάλεσα τοὺς γίγαντάς μου, *etiam vocavi gigantes meos*. Aq. Sym. δυνατοὺς *potentes*] In Centonibus Patrum, גבורי Th. & *Lxx GIGANTES. Aq. Sym. POTENTES.*

10. כְּסִילֵיהֶם. Sym. *stellæ eorum*] Hier. *Verbum Ebraicum* כסלים *Lxx* Ὠρίωνα *transtulerunt. Ebræus quo ego præceptore usus sum ARCTURUM interpretatus est. Nos generaliter sequentes Symmachum STELLAS diximus.* Hæc ille: tamen in versione ipsius *splendor earum*. כסליהם. Aq. Th. χεσιλεὶμ ἢ ξιλεὶμ *Xileem*. Hier. *Pro eo quod nos interpretati sumus SPLENDOR EARUM, haud dubium quin stellarum, Aq. & Th. ipsum verbum posuerunt Ebraicum: pro quo Lxx ORIONEM transtulerunt, addentes de suo ET OMNIS ORNATUS COELI: quod obelo prænotandum est.*

11. גָּאוֹן. Th. ὕβριν *contumeliam*] Vel, ut Hier. *injuriam*.

12. כֶּתֶם *aurum*] *Quod Aquila interpretatus est* πυῤῥὸν, *& coloris optimi atque sanguinei est.* Hæc Hier. Cæterùm pro πυῤῥὸν non dubito quin emendandum sit κιῤῥόν. Sanè Prov. 8. 19. מפז. Aq. ὑπὲρ κιῤῥόν. Esse autem aurum quod Ebræi פז vocant, docet etymologia nominis *Phez*, quam Johannes Leo in Descriptione Africæ notavit per hæc verba, *Fessan dictam opinantur ex eo quòd cùm prima ejus jacerentur fundamenta; eo loco inventus fuerit auri cumulus, quod Arabibus FES appellatur.* ¶ כֶּתֶם אוֹפִיר. Aq. σπίλωμα Ὠφεὶρ *macula Ophir*] Nam כתם *macula*. Chaldaicè כתמא usurpatur de *maculis vestium* Mal. 3. in Camianis. Est etiam כתם *nota* vel *signum rei alicujus*, i. רושם הדבר: quo significatu Rabbini utuntur.

21. צִיִּים. οἱ λοιποὶ, Σιειν] Vel Σιείμ. Sed novum non est ut ν pro μ scribatur. Sic reperies χερουβὶν & σεραφεὶν pro χερουβὶμ & σεραφείμ. Eusebius, ἀντὶ τοῦ θηρία, σιειν, οἱ λοιποὶ ἑρμηνευταὶ ἐκδεδώκασι. Hier. ציים *soli Lxx* θηρία, *i. Bestias, transtulerunt. Alii ipso nomine quod apud Ebræos scriptum est, volentes genera Dæmonum intelligi vel phantasmata.* ¶ אחים. Aq. *typhonibus*. Sym. ὠχείμ. Th. ἤχου *sonitu*] Hier. *ET REPLEBUNTUR, inquit, DOMUS, ut nos diximus, DRACONIBUS, ut Aquila transtulit, TYPHONIBUS. Symmachus* ὠχεὶμ *ipsum verbum Ebraicum exprimens, Lxx verò & Th.* ἤχους, *i. Clamores, vel Sonitus, interpretati sunt.* Τυφῶν nomen Dæmonis, quem Hier. inter Ægyptios Deos numerat, inquiens, *Significat quòd Ægyptii Heroas & Deos autores suæ gentis simulent, Oron, & Isin, & Osirin, & Typhonem.* De Ægyptio autem Typhone videndi sunt Herodotus & Diodorus Siculus. Est & nomen gigantis. ¶ Ὠχείμ. Ebræorum alii *cercopithecos* interpretantur, alii *simias*, alii *mustelas*, alii *viverras*. Santes *furunculos*. Apud Sylvaticum, *OACH*, *salamandra*. ¶ Ἤχου. Hier. videtur legisse ἤχους, quod interpretatur *Clamores, vel Sonitus*. Interpretatio hæc communis est Theodotioni cum Lxx. Si conjecturæ locus esset, conjicerem initio scriptum fuisse ὠχεὶς sive ἠχεὶς, h. e. ipsum nomen Ebraicum Græcâ formâ declinatum. ¶ בְּנוֹת יַעֲנָה. Οἱ λοιποὶ, στρουθιοκάμηλοι *struthiocameli*] Euseb. ἀντὶ τοῦ σειρῆνες, οἱ λοιποὶ ἑρμηνευταὶ στρουθιοκαμήλους εἰρήκασι. Basilius, *Aq. struthiocameli.* Theodoretus, *Aq. Sym. Th.* στρουθιοκάμηλοι. Cyrillus, *noctuæ secundùm expositionem Ebræorum.* ¶ שְׂעִירִים. Aq. τριχιῶντας] Nomen à *pilis* deductum, q. *pilosos* dicas. In Lexico Constantini reperio, Τριχιῶνες, *Dæmonum genus tenebrosum* καὶ κάθυλον, h. e. *materiæ addictum*. Cæterùm errant, & quidem graviter, qui hæc ad sequens nomen איים, quod Lxx ὀνοκένταυρος interpretantur, referunt: in queis Basilius ità scribens, ὀνοκένταυροι, οὓς εἶπον Ἑβδομήκοντα, τριχιῶντας ὀνόμασεν ὁ Ἀκύλας: quæ pleniùs leguntur apud interpretem in Centonibus, pag. 246. *Quos Lxx dixerunt Onocentauros, eos Aquila nominat Trichiontas. Videtur autem significare genus quoddam dæmonum materiæ addictum & apparitione tenebrosum; quorum opus est instabilitas, nec unquam fixis pedibus nec firmâ mente uti.*

22. אִיִּים. Omnes Ειειν] Vel Ειείμ, i. *Iim*. Basilius, καὶ ἀντὶ τοῦ Ὀνοκένταυροι, Σιειν ἀνέγραψαν, αὐτῇ χρησάμενοι τῇ Ἑβραϊκῇ φωνῇ διὰ τὸ ἄδηλον τῆς ἑρμηνείας, *Pro Onocentauri SIEIN scripserunt, ipsâ voce Ebraicâ propter interpretationis obscuritatem usi.* Quis non videt mendum esse in Σιειν, emendandum vel ex hoc loco? Nam etiam apud Hieronymum rectè *Iim* legitur. Verba sunt, *Pro Ululis quoque omnes ipsum verbum Ebraicum IIM: soli Lxx Onocentauros transtulerunt.* Theodoretus, Καλεῖ ὀνοκενταύρους, ἃς οἱ παλαιοὶ μὲν ἐμπίδας, οἱ δὲ νῦν ὀνοσκελίδας προσαγορεύουσι. ¶ תַּנִּים. Aq. Sym. Th. σειρῆνας] Euseb. ἀλλὰ καὶ ἀντὶ ἐχίνων, ὁμοίως οἱ τρεῖς ἑρμηνευταὶ σειρῆνας ἡρμήνευσαν. Hier. *Sirenæ autem* תנים *vocantur, quas nos aut Dæmones, aut Monstra quædam, vel certè Dracones magnos*

interpretati sumus, qui cristati sunt & volantes. Idem pag. 65. *Pro Bestiis Aq. Sym. & Th. ipsum verbum Ebraicum posuerunt SIIM. ET IMPLEBUNTUR DOMUS EORUM, h.e. Babyloniorum, juxta Lxx & Th. ἤχου, i. Sonitu & Clamoribus; juxta Aq. Typhonibus, quos nos in Dracones vertimus; juxta Sym. Ωχειμ, quod verbum in Ebraico continetur. ET HABITABUNT IBI STRUTHIONES, animal semper solitudines appetens; de quo in Job plenius scribitur: qui cum pennas habere videatur, tamen de terra altius non elevatur. Pro quo Lxx σειρῆνας, i. Sirenas, interpretati sunt. Pilosos autem, qui dicuntur Ebraicè SEIRIM, Th. ERECTIS ET STANTIBUS PILIS interpretatus est, Sym. & Lxx DÆMONAS transtulerunt. Pro Onocentauris quoque, quos soli Lxx interpretati sunt, imitantes Gentilium fabulas, qui dicunt fuisse Hippocentauros, tres reliqui Interpretes ipsum posuere verbum Ebraicum* אים*, quod nos in Ululas vertimus. Ubi autem Lxx dixerunt, CUBILIA FACIENT HERICII IN DOMIBUS EORUM, & in Ebraico positum est* תנים*, Aq. Sym. & Th. Sirenas interpretati sunt, significantes vel bestias aliquas esse, vel dæmonas, juxta errorem Gentilium, dulcè cantantes & decipientes homines, qui hujus seculi naufragium clausis auribus transire non possunt.* ¶ וְיָמֶיהָ לֹא יִמָּשֵׁכוּ. Th. *καὶ ἡμέραι αὐτῆς οὐ μὴ ἑφελκυσθῶσι, & dies ejus non protrahentur*] Hæc apud Procopium sub asteriscis habentur. Hier. nos admonuit de Theodotionis editione addita fuisse: sic enim certè scribit, *Quod sequitur, ET DIES EJUS NON PROTRAHENTUR, asteriscis notandum est, quòd de Theodotione addita sunt.*

IDEM EX PROCOPIO.

2. קוֹל לָהֶם. Aq. Sym. Th. *φωνὴν αὐτῶν vocem eorum.* ¶ הָנִיפוּ יָד. Aq. *ἐξάρετε χεῖρα, elevate manum.* Sym. *κινήσατε χεῖρα, movete manum.* Th. *ἀφορίσατε χειρὶ, separate manum.* ¶ וְיָבֹאוּ פִּתְחֵי נְדִיבִים. Aq. *καὶ εἰσελθέτωσαν ἀνοίγματα ἑκουσιαζομένων ingrediantur ostia* (sive *apertiones*) *sponte offerentium.* Sym. *καὶ ἐξελευθέτωσαν θύρας, & egrediantur portis*] *Ostia*; ut 1 Reg. 14. *εἰσερχομένης αὐτῆς ἐν τῷ ἀνοίγματι, cùm ipsa ingrederetur:* propriè פתח, i. *apertura, ostium.*

3. אֲנִי צִוֵּיתִי לִמְקֻדָּשָׁי גַּם קָרָאתִי גִבּוֹרַי לְאַפִּי עַלִּיזֵי גַּאֲוָתִי. Aq. *ἐγὼ ἐνετειλάμην τοῖς ἡγιασμένοις μου, καὶ ἐκάλεσα δυνατοὺς μου τῷ θυμῷ μου, ἀγαυριωμένους — Ego præcepi sanctificatis meis, & vocavi potentes irâ meâ, gloriantes*] Ἐγώ. Malè Σιὼν in edit. Procop. ¶ Δυνατοὺς sic etiam Sym. Procopius, Ἀντὶ τοῦ, γίγαντας, Ἀκύλας καὶ Σύμμαχος, δυνατοὺς, ἐκδεδώκασι. ¶ עַלִּיזֵי גַּאֲוָתִי. Sym. *χαίροντας τῇ ὕβρει μου gaudentes de contumelia mea*] Aliàs ἐν τῷ δοξασμῷ μου. Reperio etiam hoc loco ὑπερφανιασμοῦ.

4. מַמְלְכוֹת. Aq. Sym. Th. *βασιλειῶν regnorum.*

5. יְהוָה וּכְלֵי זַעְמוֹ. Sym. Κύριος, *καὶ σκεύη ὀργῆς αὐτοῦ, DOMINUS, & vasa iræ ejus*] Καὶ perperàm κύριος in Procopio. Qui error fortè manavit ex compendio scribendi κς pro κύριος· nam id magnam affinitatem habet cum καὶ.

8. יְחִילוּן. Aq. Sym. Th. *ὠδινήσουσιν dolebunt*] Ita legendum, non ὀδυνήσουσιν, ut est in exemplari Lutetiano.

9. וְעֶבְרָה וַחֲרוֹן אַף. Th. *καὶ μήνιδος καὶ ὀργῆς καὶ θυμοῦ, & indignationis & iræ & furoris.*

10. אוֹרָם. *τὸ φῶς αὐτῶν lucem suam.* ¶ הַשֶּׁמֶשׁ בְּצֵאתוֹ. Sym. Th. *ἥλιος ἐν τῇ ἐξόδῳ αὐτοῦ, Sol in exitu suo.*

13. שָׁמַיִם אַרְגִּיז. Aq. *οὐρανοὺς κλονήσω cælos commovebo.* Sym. *οὐρανὸν ταράξω cælum turbabo.* Th. *οὐρανὸν θυμώσω cælum iratum reddam*, sive *ad iram concitabo*] Κλονήσω· suprà 5. 25. וירגזו Aq. *ἐκλονήθησαν.* Sym. *ἐταράχθη.* Vide quæ scripsimus ad illum locum. ¶ Θυμώσω· usi sunt hoc verbo Senes Hos. 1.

14. וְאֵין מְקַבֵּץ אִישׁ אֶל־עַמּוֹ יִפְנוּ וְאִישׁ אֶל־אַרְצוֹ יָנוּסוּ. Aq. *καὶ οὐκ ἔστιν ἀθροίζων· ἀνὴρ πρὸς λαὸν αὐτοῦ νεύσουσι, καὶ ἀνὴρ πρὸς γῆν αὐτοῦ φεύξονται, & non est congregans: singuli ad populum suum vergent, & singuli ad terram suam fugient.*

15. יִדָּקֵר. Aq. Sym. Th. *ἐκκεντηθήσεται transfigetur*] In Comment. Procopii est ἐκκεντηθήσονται *transfigentur.* Prius est in margine ad textum.

17. אֲשֶׁר־כֶּסֶף לֹא יַחְשֹׁבוּ וְזָהָב לֹא יַחְפְּצוּ־בוֹ. Aq. *οἳ ἀργύριον οὐ λογίζονται, καὶ χρυσίον οὐκ εὐδοκήσουσιν, qui argentum non reputant, & erga aurum bene affecti sunt.*

20. וְלֹא־יַהֵל שָׁם עֲרָבִי. Sym. *οὐδὲ σκηνοπηγήσει ἐκεῖ Ἄραψ, neque tentoria ponet ibi Arabs.*

21. צִיִּים. Σιεὶμ, Aq. Sym. Th.] Procopius, διά τε τῶν θηρίων τὸ ἄγνωστον, τὴν Ἑβραϊκὴν θέντες λέξιν ΣΙΕΙ'Ν, οἱ λοιποὶ τῶν ἑρμηνευτῶν ἐκδεδώκασιν. Vide Fragmenta. ¶ אֹחִים. Aq. *τυφώνων typhonibus*] Perperam φώνων in Procopio. Consule Fragmenta nostra. ¶ בְּנוֹת יַעֲנָה. Aq. Sym. Th. στρουθοκάμηλοι] In margine textûs, A. Σ. sed in Comment. οἱ λοιποὶ τῶν ἑρμηνευτῶν. ¶ שְׂעִירִים. Aq. τετριχωμένοι. Th. ὀρθοτετριχωμένοι] Procopius, τούτους δέ, φασι, Τετριχῶντας Ἀκύλας ὠνόμασε, δηλῶν κάθυλον καὶ ἐσκοτισμένον δαίμονα. Interpres, *itaque & istos, aiunt, Hirsutos nominavit Aquilas, ut obscænum Dæmonem & caliginosum indicaret.*

22. אִיִּים. Ἰεὶν] Quanquam in Procopio Σιεὶν, qui sic etiam legisse videtur: quod docent hæc ipsius verba, ἀντὶ τοῦ, ὀνοκένταυροι, ΣΙΕΙ'Ν πάλιν ἐξέδωκαν. ¶ תַנִּים. Π. *σειρῆνες Sirenes*] Hîc perspicuè Π. valet πάντες. ¶ וְיָמֶיהָ לֹא יִמָּשֵׁכוּ. Th. *καὶ αἱ ἡμέραι αὐτῶν οὐ μὴ ἑφελκυσθῶσι, & dies eorum non protrahentur*] Procop. Τινὲς δὲ Σειρῆνας ἐξηγήσαντο, τὰ ᾀδόμενα εἰδέτα πτηνά· ἢ κατά γε, φασι, τὴν Ἑβραίων ἔκδοσιν, τὴν γλαῦκα, *Sunt verò qui Sirenas volucrum genus esse quoddam interpretantur, quod modulari & canere didicerit: vel Noctuam, ut Ebræis placet.*

GROTIUS.

1. **O***Nus Babylonis*] Triste vaticinium in Babylonios. Possemus clariùs exactiùsque interpretari hunc Prophetam, & alios, si Assyriaca Abydeni, & Berosi Babylonica exstarent. Nunc & in sacris literis pauca earum rerum & ferme ad Judæos pertinentia attinguntur, & profanæ historiæ nos deficiunt. Illud tamen pro certo habeo, malum quod hic Babyloni eventurum dicitur, evenisse inter tempora Sennacheribi Assyrii, & Nabuchodonosori Chaldæi. Inter enim illa tempora Medi præpolluêre sub Deioce, aliisque Regibus, quorum Herodotus & Ctesias mentionem faciunt. His autem facile fuit Babylonem expugnare, quòd ea ante Nabuchodonosori tempora neque magna admodum, neque bene munita fuerit, ut cognosci potest ex iis quæ Berosi & Abydeni verbis retulimus in Annotata ad librum III. de Veritate Religionis Christianæ.

2. *Super montem caliginosum*] Id ideo quia vetus Babylon in palustribus locis sita erat, unde ascendens vapor urbem obscurabat.

3. *Ego mandavi sanctificatis meis*] Id est, *paratis à me*, Medis scilicet, est translatio, quia sacra facturi priùs se parant.

10. *Stellæ cæli & splendor earum non expandent lumen suum: obtenebratus est Sol in ortu suo, & Luna non splendebit in lumine suo*] Vide quæ diximus ad Matth. XXIV. 29.

12. *Pretiosior erit vir auro*] Id est, Medi nullo pretio induci poterunt ut viris parcant. Vide infrà 17.

20. *Non habitabitur usque in finem*] Id est, usque ad tempus à Deo determinatum. Græci vertunt εἰς τέλος [*ad finem usque*].

21. *Sed requiescent ibi bestiæ*] Græci θηρία [*feræ*]. Sic hoc nomen sumitur & Jerem. L. 39.

Et replebuntur domus eorum draconibus] *Viverris.* Sic Hebræi. In Græco ἤχου· sed credo eos retinuisse vocem Hebræam, & scripsisse ἠχίμ [*echim*].

Et habitabunt ibi struthiones] Vide Thren. IV. 3.

Et pilosi saltabunt ibi] Δαιμόνια [*dæmonia*] vertunt Græci, nempe τραγόμορφα [*in forma hircina*], ut hîc explicat Kimchi. Alii scopas aut otos hic volunt intelligi.

22. *Et respondebunt ibi ululæ in ædibus ejus*] *Alternis canent feles feræ in palatiis.* Sic Chaldæus.

Et sirenes in delubris voluptatis] *Serpentes in prætoriis voluptariis.* Benjamin Tudelensis suis quoque temporibus in ruinis Babylonis ait fuisse serpentes & scorpiones.

C A P. XIV.

MUNSTERUS.

1. **S***Ociabuntur*] Est נספחו idem quod יתחברו. Oecolampadius perperàm legit נשפחו Sin pro Samech, atque ideo non satis appositè vertit *cognati erunt*. Consolatur autem Propheta suos. Fiet, inquit, aliquando ut Babylonii captivos vos abducant. Nè desperetis tum: certò enim restituemini & miserebitur vestri Deus; dabúntque vicissim Babylonii pœnas pro injuriis quas vobis intulerunt, & servient vobis. Accessisse autem Gentes Judæis testatur liber Ezræ. In reditu enim magna potestas concessa fuit Judæis à Regibus Persarum: Subegerunt eos qui se priùs oppresserant. Pleniùs tamen hæc impleta fuerunt tempore Christi.

4. *Aurum tributarium*] Quidam exponunt dictionem מדהבה pro מטה *virga*: alii pro זהב *auro*, ut sit magis Chaldaica vox quàm Hebraica. Mutant enim Chaldæi Zain in Daleth.

6. *Persecutionem passis*] h. e. Eum confringet Dominus à quo multæ gentes persecutionem sunt passæ. Est enim hîc מרדף passivum, & non activum, ut quidam ex recentioribus ineptè verterunt. Vel, *ipse persecutionem jam sustinet absque miseratione qui alios afflixit sine cessatione.*

9. *Infernus propter te commotus est*] Cùm, inquit, Rex Babylonis, Tyrannus ille insignis, morte interiit, lætati sunt vivi & mortui. Apud inferos, h. e. in sepulcro jacentes, excitati sunt עתודים *hirci*, per quos populi rectores, Reges & Principes intelliguntur, quos omnes Rex Babylonis sibi tyrannicè subjecit, qui excipientes in consortium suum tantum Regem, dicunt, *Etiam tu nobis similis factus es? quomodo huc descendisti, qui putabas te Luciferum esse cæli, & solium tuum æquasti solio Altissimi?* Et utitur hîc Propheta pulcerrimo figmento Poetico, perinde quasi apud inferos sit Regnum, cujus Principes & Proceres omnes obviàm venerint mortuo Regi Babylonis, & exprobrantes illi arrogantiam & crudelitatem dixerint, *Quomodo de cælo cecidisti*, &c.

13. *In monte testificationis*] Hic est mons Zion, ubi Israelitæ ad Templum Domini conveniebant, & in quo erat Arca testamenti Domini.

19. *Lapides laci*] Intelligitur sepulcrum, in quod unà cum cadavere projiciuntur vestimenta sanguinolenta.

20. *Non vocabitur in æternum semen malignantium*] h. e. Memoria eorum citò delebitur.

21. *Hostibus*] Participium est à verbo ער. Sunt tamen qui exponunt ערים pro *civitatibus* & *arcibus*; ut sit sensus, *Si semen malignantium non surrexerit & possederit terram, filii hominum in brevi replebunt orbem civitatibus.*

25. *Ut conteram Assur*] Respondet hîc Propheta tacitæ quæstioni. Dicere poterant Judæi, Quid ad nos quòd Babylon subvertetur? nunc Assyrii vexant nos. Si prædiceres hunc perdendum. Respondet, *Juravit Dominus quòd excisurus sit & Assyrium & Babylonium:* Assyrium, in terra Judææ, & Babylonium, qui consummationem faciet Judææ, in Regno suo.

30. *Pascentur primogeniti*] Per hos intelliguntur Judæi, qui olim fuerint populus Dei electus. ¶ Per *radicem* verò intelliguntur hîc hostes populi Dei. Alii aliter explicant hunc locum.

VATABLUS.

1. ET *requiescere*, &c. 'והניחם וגו] i. Statuet eos in terra sua: sive, reducet eos ex Assyria in Terram sanctam. ¶ *Et copulabit*, &c. ונלוה הגר] Sing. pro plur. *adjungent se illis proselyti*, i. religionem familiæ Jacob amplectentur proselyti multi Chaldæi.

2. *Et tollent eos.* ולקחום] *Et assument eos:* h. e. deducent honoris causâ: i. populi varii sese illis adjungent. ¶ *Et hereditabunt ex eis* והתנחלום] *Possidebuntque ex illis*, vel *eos*, &c. i. Aliquot ex Gentibus servient in Terra sancta.

3. *A labore tuo, & à timore tuo* מעצבך ומרגזך] *A dolore tuo, & perturbatione tua:* vel, *à tristitia tua, & commotione animi tui:* sive, *ab indignatione & ira tua.* ¶ *Quam serviisti*, &c. אשר עבד בך] Ad verb. *quâ servitum fuit de te:* i. quæ fuit exacta à te, sive quam exegerunt à te.

4. *Parabolam* המשל] Significat sermonem obscurum & figuratum. *Assumes*, sub. *in ore tuo*; *pronunciabis*, h. e. dicere poteris, *de Rege Babylonis.* ¶ *Cupida auri* שבתה מדהבה] *Exactrix auri?* vel, *congregatrix auri? auri cupida?* q. d. Quâ ratione fieri potuit ut Rex Assyriæ desierit opprimere Jerusalem?

5. *Baculum* מטה] *Virgam:* i. imperium. ¶ *Virgam* שבט] *Sceptrum:* q. d. Dominus asseruit nos à servitute in libertatem.

6. *Indesinente* בלתי סרה] Ad verb. *non recedente:* i. jugi & perpetuâ. ¶ *Persecutionem passum* &c. מרדף בלי חשך] i. Non prohibuit persequentem nè persequeretur illum. Ad verb. *persecutum est*, passivè, & est sing. pro plur. *persecutionem passi sunt, nec prohibuit*, sub. *suos milites nè aliis injuriam inferrent:* vel, *persecutionem patiebantur, non prohibebat.* Alii *à persecutore non prohibuit.*

7. *Cecinerunt laudem* פצחו רנה] Sub. *propter pacem restitutam.*

8. *Qui succideret nos* הכורת עלינו] Ad verb. *excisor contra nos.*

9. *Expavit* רגזה] *Commotus est.* Metaphoricè hoc dixit, eò quòd ipso vivente universus orbis paveret. ¶ *Tibi mortuos* לך רפאים] *Propter te gigantes*, i. fortissimos quosque mortuos, ut tibi resisterent.

10. *Vociferabuntur* יענו] *Respondebunt:* vel fut. est pro præt. *locuti sunt, & dixerunt.*

11. *Detracta est*, &c. הורד שאול גאונך] *Deposita est in sepulcrum magnificentia tua.* ¶ *Sonitus*, &c. המית נבליך] *Strepitus lyrarum tuarum:* vel *chororum tuorum:* i. jam non audiuntur in aula tua instrumenta musica. ¶ *Sternitur* יצע] Fut. Heb. pro præs. & sing. pro plur. *strati sunt vermes, & operiunt te vermes:* i. plenus es vermibus. Præteritum est יצע si ' est radicale.

12. *Lucifer fili auroræ* הילל בן שחר] Alludit ad Satanam, qui olim decidit de dignitate in qua creatus fuerat, quem vocat *Luciferum & filium auroræ*, quod creatus fuisset in maximo splendore & honore. Vocat autem Nabuchodonosorem *Luciferum filium auroræ* propter summam illam & Imperatoriam dignitatem quâ imperabat ferè toti orbi. Verti etiam potest, *Quomodo cecidisti de cælo* [sub. ô *Nabuchodonosor*] sicut *Lucifer filius auroræ?* i. sicut olim corruit Lucifer Princeps Dæmonum &c. Luciferum vocat *filium auroræ* quòd splendere & lucere soleat ante auroram. ¶ *Succisus es* נגדעת] i. Succisus corruisti in terram. Quidam vertunt *detractus es.*

13. *Tu autem dixisti* ואתה אמרת] *Tu verò priùs dixerat.* Alii, *Atqui tu dicebas:* Alii, *Cum tamen in corde tuo sic cogitares:* q. d. Tu dicebas te fore dominatorem totius orbis: priùs aspiraveras ad summam dignitatem. ¶ *Congregationis* מועד] Sic dicebatur mons Sion sive Jerusalem quòd in eo esset Templum, ad quod conveniebat populus ter quotannis, vel quòd populus illuc conveniret precationis causâ. Alii vertunt *testimonii*, sive *testificationis.* Alii *festivitatis.* Alii *federis*, i. ubi Dominus ratum fecit fedus suum. Alii *tabernaculi.* Sic Psal. 74. 8. *Incenderunt omnia* מועדי אל *tabernacula Dei.* ¶ *In lateribus* בירכתי] Plur. pro sing. *in uno è lateribus Aquilonis.* Sion sita est ad Aquilonem respectu Jerusalem. Similis descriptio & Psal. 48. 3.

15. *Ad infernum detraheris* אל שאול תורד] Fut. Heb. pro præt. *in sepulcrum detractus es:* vel *dejectus.* ¶ *Sepulcri* בור] *Laci*, i. foveæ sepulcralis.

16. *Te prospicient* אליך ישגיחו] *Intentè aspicient te.* Alii, *inclinabunt se ad te*, mirantes scilicet sortem tuam.

17. *Carcerem* ביתה] Ad verb. *domum.* Est enim Carcer domus sive locus vinctorum: i. Quos semel conjecerat in carcerem, nunquam postea indè revocabat. Alii, *vinctos suos non solvit* ut redirent *domum*, i. ut sineret reverti domum suam.

18. *Quisque*, &c. איש בביתו] Ad verb. *vir in domo sua.* Est enim Sepulcrum domus sempiterna. q. d. Fuerunt hactenus sepulti cum gloria & honore.

19. *Qui descenderunt*, &c. יורדי אל אבני בור] *Qui descendunt ad lapides sepulcri:* i. conjiciuntur in sepulcrum stratum lapide, sive lapide constans. Alii vertunt, aut ut vestes *quæ conjiciuntur ad lapides sepulcri*, i. quæ demittuntur in lapideum sepulcrum unà cum cadavere conculcato. Videtur ad morem militarem alludere. Militum enim interfectorum cadavera unà cum vestibus luto fœdatis conjiciuntur in foveam. ¶ *Conculcatum* מובס] Ab hominibus scilicet in cœno volutatum.

20. *Non unies te* לא תחד] Hebraismus, pro, *Non eris similis illis quantum ad sepulturam attinet*; non assequêris in sepultura honorem similem honori illorum. ¶ *Non vocabitur* לא יקרא] Sub. *de nomine tuo.* q. d. *Semen malignantium*, quale est tuum, *peribit in æternum:* h. e. brevi peribit memoria posteritatis tuæ. Alii vertunt, *non memorabitur perpetuò semen impiorum.*

21. *Filios ejus occisioni* לבניו מטבח] *Filiis ejus mactationem.* i. Præparate vos, ô Medi, ut nepotes Nabuchodonosor interficiatis. ¶ *Nè consurgant* בל יקמו] *Non consistent.* ¶ *Inimicis* ערים] *Osoribus.* Alii *urbibus:* i. *non consistent, neque possidebunt terram, & tunc replebitur facies terræ urbibus.* Ver. 17. dixit, *& urbes ejus destruxit:* cùm autem mortui fuerint ipse & filii ejus, *implebitur facies terræ civitatibus.*

22. *Et consurgam* וקמתי] Ego quoque insurgam in eos. ¶ *Et succidam* והכרתי לבבל שם] *Et delebo nomen* Regis *Babylonis*, i. reddam Babylonios obscuros & ignobiles. ¶ *Et propinquum* ושאר] i. Propinquos & consanguineos. Quidam Hebræorum intelligunt *patrem*, quod sequatur *& filium.* Alii vertunt *& reliquias.*

23. *Ericii* קפד] *Erinacii.* Alii *testudinis.* Sing. pro plur. Hebraismus, pro, *Efficiam ut ubi nunc est Babylon, ibi sint multa stagna in quibus sint testudines.* ¶ *Et in paludes* ואגמי] *Et in stagna.* ¶ *Dissipationis* השמד] *Perditionis:* i. omnia perdentibus. Alii *evacuatricibus:* i. privabo eam omnibus rebus, reddámque illam omnino vacuam & inanem.

 24. *Fixit*

24. *Fiet* והיתה] Præt. Heb. pro fut. ¶ *Consurget* תקום] *Stabit*, i. eveniet.

25. *Ab humero eorum* מעל שכמו] Ad verb. *Desuper humero ejus.* Sing. pronomen pro plur. q. d. Populus meus postea non pendet tributa Assyriis, & à servitute in libertatem asseretur.

27. *Irritabit* יפר] *Dissolvet.* ¶ *Redire faciet eam* ישיבנה] *Avertet eam*, vel *retrahet*, aut *reducet*. Alii, *reflectet*.

28. *Prophetia ista* המשא הזה] *Onus istud.* Vide cap. 13. 1.

29. *Percutionis tuæ* מכך] *Percutiens te.* Alii *percutientis te.* ¶ *Cerastes volans* שרף מעופף] *Serpens ignitus volans*, i. saltitans. Videntur enim volare serpentes illi dum saltitant, magisque nocent quàm alii.

30. *Primogeniti pauperum* בכורי דלים] i. Homines pauperrimi & miserrimi ac calamitosi, quales esse solent qui succedunt parentibus pauperibus. ¶ *Interficiet* יהרג] *Interimet*, sub. *hostis tuus Ezechias*, *me autore*.

31. *O porta, clama, ô civitas* שער זעקי עיר] In *porta clama* in *urbe*, sub. *media*. In portis enim conveniebant cives, ubi illis à Judicibus jus dicebatur. ¶ *Defluxit* נמוג] *Liquefacta est. Verti potest* (inquit doctus inter Hebræos) *dissolve te, Peleseth, omnis tu*, aut *tota tu*. Præcedunt enim duo imperativa, *Ulula, porta*; *clama, civitas*; *liquesce*, aut *dissolve te*, &c. Præteritum enim capitur pro imperativo in lingua Hebraica. ¶ *Venit* בא] Præt. Heb. pro fut. ¶ *Solitarius*, &c. בודד במועדיו] Qui *solus* remaneat *tempore illius*: vel *tempore præfixo & statuto ab ipso*, Ezecia scilicet: i. omnes venient ad tempus præfixum. q. d. Adducet Ezecias militem voluntarium.

32. *Nunciorum* מלאכי גוי] *Nunciorum gentium*: sub. *exterarum & vicinarum quæ se ad nos conferunt, cum rogabuntur quid rerum novarum afferant à Judæa.* q. d. Post insignem illam Assyriorum cladem fama pervagabitur, Sion defendi à Domino, & ob id esse invictam. Sic Hebræi. Quidam vertunt, *Quid respondebit* quisque *nunciis gentis?* vel *Quid respondebitur nunciis gentis?* ¶ *Fundavit* יסד] *Firmavit*, *stabilivit*: i. protegit ac tuetur, reddidit eam inexpugnabilem & invictam.

C A S T A L I O.

29. EX *colubri stirpe orietur vipera, cujus fœtus erit prester volucris*] Achazo succedet alius qui in te sæviat acrius.

C L A R I U S.

2. ET *tenebunt eos populi*] Vel *accipient*. Juxta historiam à Cyro & Dario adjuti fuerunt muneribus pro reparando Templo & muris.

8. *Abietes quoque*] Per *abietes & cedros Libani* intelligit Principes ac Reges subactos, quos indignè tractabat.

9. *Infernus propter te*] Cùm, inquit, Rex Babylonis, Tyrannus ille insignis, mortem obiit, lætati sunt vivi & mortui. Apud inferos, h. e. in sepulcro jacentes, excitati sunt Reges & Principes, quos omnis Rex Babylonis sibi tyrannicè subjecit, qui excipientes in consortium suum tantum Regem dicunt, *Etiam tu nobis similis mortalis factus es? Quomodo huc descendisti, qui putabas te Luciferum esse cæli, & solium tuum æquasti solio Altissimi?* Et pulcerrimo profectò utitur hic Propheta figmento Poëtico, perinde quasi apud Inferos sit Regnum, cujus Principes & Proceres omnes obviam venerint mortuo Regi Babylonis, & exprobrantes illi dixerint, *Quomodo è cælo cecidisti*, &c. ¶ *Suscitabit tibi mortuos*] h. e. Nobiliores mortuos. Nam Hebræam dictionem alibi vertunt *medicos*, alibi *mortuos*; ut illud, *aut Medici suscitabunt.* Significantur enim insigniores mortui.

13. *Super astra Dei*] Intelligunt Israelitas. Sic *in monte testamenti, in lateribus Aquilonis*; significat montem Sion, qui ad Aquilonem Jerusalem situs est, ubi Israelitæ ad Templum Domini congregabantur. Et Psal. 48. *Fundatur exsultatione universæ terræ mons Sion, latera Aquilonis.*

19. *Tu autem projectus es*] h. e. Sepultis aliis qui à te interfecti sunt, tu solus insepultus jacebis. Ferunt enim Evilmerodach, qui, patre suo Nabuchodonosor vivente per septem annos inter bestias, antè regnaverat, postquam ille restitutus in Regnum est, usque ad mortem patris cum Joachin Rege Judæ in vinculis fuisse, quo mortuo cùm rursus in Regnum succederet, & non susciperetur à Principibus, qui metuebant nè viveret is qui dicebatur exstinctus, ut fidem patris mortui faceret, aperuit sepulcrum, & cadaver ejus unco traxit & funibus. ¶ *Ad fundamenta laci*] Intelligit sepulcrum, in quod unà cum cadavere projiciuntur vestimenta sanguinolenta.

20. *Non vocabitur in æternum*] h. e. Memoria eorum citò delebitur.

21. *In iniquitate patrum eorum*] Qui eorundem parentum vitia imitantur. ¶ *Faciem orbis civitatibus*] Alius vertit *hostibus*. Sunt qui & hunc sensum afferant, *Si semen malignorum non possederit terram, filii hominum brevi replebunt orbem civitatibus.*

25. *Ut conteram Assyrium*] Nunc loquitur de Rege Sennacherib.

29. *Nè læteris*] Prophetat contra Palæstinos, & ait, *Nè læteris quod contrita sit virga percussoris tui*; h. e. potestas Oziæ, sub quo quasdam civitates amiserant; *quia de radice colubri egredietur regulus*, h. e. de Regibus posteritatis David nascetur Ezechias, qui te vastabit.

30. *Pascentur primogeniti*] Per hos intelliguntur Judæi, qui olim fuerunt populus Dei electus; per *radicem* verò, hostes populi Dei.

31. *Ab Aquilone enim fumus veniet*] h. e. A Jerusalem, quæ est ex parte Aquilonaris Palæstinæ; & non erit, inquit, qui detrectet proficisci contra te temporibus ejus. ¶ *Et non est qui effugiat*] Vel, *& nè unus quidem manebit in cœtibus ejus.*

32. *Et quid respondebitur nunciis gentis?*] Cum maritima sit Philistæa, ad cujus nobiles urbes legati ac nuncii plurimi mittantur ex toto orbe, quid illi renunciabunt ad suos reversi de Palæstinæ negotiis? nempe, *Quod ipse Dominus, qui fundavit Sion*, etiam *populum suum* proteget adversus hostes eorum.

F O R E R I U S.

1. E*Liget*] Juxta historiam Judam & Benjamin ex Babylone reduxit; juxta mysterium autem, cùm omnes sub peccato essent, *elegit* discipulos suos, reliquias illas de quibus supra, quas Apostolus *electionem* vocat. Istis autem electis non malè convenit verbum castrense *habere delectum*: nam per istos quos ex infinita illa multitudine noster Gedeon elegit, mundum sibi subjugavit; his *adhæserunt advenæ*; horum fidem secutæ sunt Gentes, & connumerati inter filios Abrahæ. ¶ *Adhærebit*] Vel *adjicietur* vel *apponetur ad domum*. Hæc est propria verbi לוה significatio in hoc genere constructionis: & est verbum ministrantium Domino: unde & nomen LEVI; de quo in Benedictionibus nostris.

2. *Tenebunt*] Verbum Hebræum *capere*, *accipere*, *sumere*, &c. sign. Hebraismus est, *& assument*, *& adducent*, i. assumptos adducent vel deducent precibus importunis & obsequiis, tanquam bajuli onerum, &, ut alibi scribitur, lecticis & carrucis, &c. ¶ *Ad locum suum*] Ad patriam, ad proprias sedes & antiquas habitationes. Relativum ad *Israelitas* est referendum. ¶ *Et possidebit*] Verbum est plurale, sed cum nomine collectivo *domus*. Ego vim verbi, quantum potui, expressi. In quarta *jure hereditario sibi appropriare*, seu *distribuere*; non quòd semper de hereditaria possessione dicatur, sed *legitimam* hoc verbo *possessionem* declarare solent Hebræi. ¶ *Super terram Domini*] Quam paulò antè dixerat *locum ipsorum*, nunc *terram Jehova* appellat; ut intelligeremus hanc gloriam & honorem, hanc potestatem & dominationem ex hoc illis provenire quòd *terram Domini* habitarent. Nihil enim sic sub pedibus nostris omnia subjicit sicut nos ipsos Deo subjicere & gratos nos Domino exhibere, ut qui ex liberalitate ipsius donis ejus fruamur. Unde jamjam ingressuris filiis Israel Terram promissam dicebat Moses, *nè cùm domos refertas omni bono, vineas & oliveta possedissent, obliviscerentur Domini, cogitantes hæc sibi propriâ se virtute comparasse.*, non gratiâ & dono Domini. Animadverte, Lector, quòd qui extra *terram Domini* aliis serviebant, ingressi *terram Domini* dominis suis imperarare cœperunt. Sed quia hæc nunquam consecutos legimus Israelitas, etiam Babylone vastatâ, postquam in patriam remeassent, superest ut *electionem* de quâ suprà diximus ver. 1. hanc benedictionem accepisse dicamus. Nam si adhuc adimplenda hæc dicant Judæi, ergò rursus instaurabitur Babylon, quod Prophetæ prorsus negant, & rursus captivi ducentur Judæi in Babylonem: hæc autem dixit Jesaias antè quàm illi captivi ducerentur, & Babylon vastaretur. ¶ *Capientes eos qui se ceperant*] Hebræi hunc sensum habent, *Abducent in captivitatem eos à quibus in captivitatem abducti fuerant*: id enim sign. verbum שבה. Quando hoc, quæso, factum est? aut quando fiet? Dicant Judæi, si possunt. De altera ergò libertate, nempe spiritali, quâ jam fruimur, hæc rectè intelligi possunt. Hostes qui in exsilium mittebant servos Domini, aut servis Dei manus victas dederunt, & ministri fuerunt ad omnia quæ servis Dei opus erant, ut vitam tranquillam & beatam ducere possent, aut

auĉto

aucto Christi imperio & Imperatoribus factis Christianis passi sunt interdum à Christianis eadem quibus priùs Christianos affecerant.

3. *Et erit in die*] Non est in Hebræo nisi *in die requiem dederit*: de qua loquendi forma suprà cap. 6. 1. *Et in die requiem dederit, & sumes*, i. Quando dederit, tunc sumes, &c. ¶ *A servitute dura*] Qui extra *humum Jehova* sunt, in *labore* & *commotione* & *servitute* vitam degunt: Dominus autem est qui liberat ab his omnibus; neque solum ab his liberat, sed sæpe quoque facit ut videant vindictam, & manus suas lavent in sanguine inimicorum.

4. *Sumes*] Vel *levabis*. Omitti potest conjunctio. *Assumere* autem vel *levare parabolam* seu *dicterium* aiunt idem esse quod *proponere*. Ego verò nonnihil amplius significare puto, ut ex locis in quibus reperitur apparet: & esse mutuatam formam à Cantoribus: inter quos qui incipit cantilenam aut hymnum, &c. dicitur *levare canticum*, quod dicitur tam de iis qui cantilenam componunt quàm de incipientibus cantionem, i. præcentoribus, quos alii sequuntur. Nomen autem משל, quo inscripsit Salomon librum qui PROVERBIORUM dicitur, non tantùm *comparationem* aut *similitudinem* sign. sed quemvis *sententiosum* seu *figuratum sermonem, qui dignitatem & gravitatem magnámque aliquem significationem in se continet, ac proinde attentionem meretur atque requirit, neque non admirationem conciliat*: Cujusmodi sermones Græcis ἀποφθέγματα dicuntur. Unde & in Actis Apostolorum rectè & propriè dicuntur Apostoli repleti Spiritu Sancto ἀποφθέγγεσθαι, i. *breviter, sententiose, graviter, cum dignitate, & denique sapienter eloqui*, ut non immeritò Hebræi à *dominio* & *auctoritate* hujusmodi sermones משל appellent. ¶ *Tributum*] Nomen מדהבה *auri tributum* declarat. Nam quod Hebræis est, זהב, hoc Chaldæis mutato ז in ד significat, nempe *aurum*, idem addito Mem quasi *ex auro tributum* designat. Hæc autem irrisionem continuent, quæ valde urget eos qui commutata fortunâ ex oppressione & tyrannide in servitutem deciderunt. Solent quoque & redempti per Dominum secum admirari quo pacto factum sit ut de potestate tenebrarum educti nunc liberos se sentiant in Regno lucis, & dilecti filii Dei. Quomodo enim non admirentur vires gratiæ, cùm in semetipsis experiantur tantam rerum commutationem quantam in toto orbe diversæ constellationes & temporum vicissitudines efficere nequeant?

5. *Contrivit*] Nomine *virgæ* & *baculi* Regni potentiam simul & usum ad percutiendum comprehendit, & ad utrumque respexit.

6. *Insanabili*] Hebræa ad verb. *absque aversione*. Est enim nomen סרה à verbo סור, unde pro *apostasia* & *discessione* plerumque accipitur. *Plaga* itaque *absque aversione* est vel quæ non potest averti, vel potiùs à qua non avertit manum qui cædit, ut continuationem percussionis declaret: quæ autem hujusmodi est non potest averti. Ego libenter sic verterem, *cædentem populos læsione assiduâ*, i. qui non cessabat percutere populos. ¶ *Persequentem*] Si sequaris punctationem quam nunc habent Biblia, MURDAPH, *persecutionem passum* dicendum est: & ità nonnulli Rabini interpretantur, *persecutionem passum non prohibuit*; quod nequaquam probo: neque quod R. David affert, *à persecutore non prohibuit*; quia ità posse interpretari ut Vulg. vertit, non negat: quod tamen servatâ superiori punctatione fieri non potest. Sequor ego punctationem quam secutus est Vulg. ut sit formæ activæ, quasi scriptum sit MERADEPH *persequentem* seu *insectantem*. ¶ *Crudeliter*] Sensum expressit. Verbum חשך est *prohibere*, seu *cohibere, detinere*. Accipiendum ergò est formâ infinitivi, tanquam nomen; vel dicendum est esse nomen quòd *prohibitionem* seu *detensionem* sign. & est ferè idem quod superiori membro dictum est, quòd scilicet *non cohiberet manum* vel *se ipsum non detineret à persecutione*, i. qui continenter gentes persequebatur. His versibus quatuor habes qui sint Tyrannorum mores: *Laborare* faciunt seu molestiâ afficiunt, *concutiunt* seu *commovent*, & *irrequietos* reddunt subjectos, eos *servituti* subjiciunt, exigunt *tributa, cædunt, indignantur*, pessundant atque *persequuntur*, omni humanitate depositâ, quasi hostes naturæ, ut feras eos potiùs quàm homines esse arbitreris. De istis dicit Salomon Prov. 24. *Leo rugiens & ursus excurrens, dominatur improbus in populum pauperem*. Sed quæ sint eorum lucra mox intelliges.

7. *Conquievit, & siluit*] Vulg. conjunctionem supplevit, sicut & seq. versu, quam interdum Hebraismus omittit. ¶ *Gavisa est, & exsultavit*] Hic quoque conjunctionem addidit de suo, & רנה pro verbo accepit, & ad sensum quidem parùm facit, ego verbum verbo reddidi.

8. *Abietes*] Nomen ברוש speciem *cedri* sig. Hieronymus *abietem* dixit. Ego existimo esse arborem, quam, mutuato ab Hebræis nomine, *fraxinum* dicunt Latini. ¶ *Super te*] Ad verb. dicendum esset *tibi*: sed non dubium quin ל hanc interdum vim habeat Hebræis quam *super* vel *de* Latinis. ¶ *Et cedri*, &c.] Addidit conjunctionem: & repetendum est verbum *lætati sunt*. ¶ *Ex quo*, &c.] Istæ sunt voces ovationis & exsultationis arborum; per quas intelligit Reges aliorum Regnorum. Fingit itaque Regem Babylonis, veluti lignatorem, qui totus intentus est ad excidendas arbores. ¶ *Dormisti*] Verbum propriè non *dormire*, sed *cubare* significat. ¶ *Ascendit*] In futuro legendum. Tuti posthac erimus. Tuus interitus initium est nostræ quietis: tu enim solus in hoc natus esse videbaris ut aliorum Regna invaderes, Reges deturbares, terram vastares, ut in toto orbe tu solus stares, &c. ¶ *Qui succidat nos*] Vulg. sensum expressit, ego verba & sensum: nam illud עלינו *super nos* ad verbum יעלה *ascendet* referendum est. Qui enim ramos arborum præscindunt, arbores conscendunt. Hoc commodum referunt Tyranni, ut de eorum casu cæteri gaudeant.

9. *In occursum adventûs tui*] בואך vel est nomen, & sign. *introitum* seu *ingressum*; vel est infinitivus pro nomine sumptus. *Infernus* autem hic accipitur pro *Regno* & *statione inferorum*; cui figuratè animam tribuit, actiones vivorum, atque quas vocamus passiones. Primò eum inducit *commotum ad adventum Babylonii Tyranni*, ut solent commoveri homines alicujus præpotentis Tyranni inopinato adventu. Deinde honoris causâ, admistâ irrisione vehemeni, fingit *excitantem manes, ut obviam prodeant adventanti regi*. רפא enim vel רפה nomen fuit proprium viri gigantis in Nob, 2 Sam. 21. verùm cùm esset monstrosæ magnitudinis, factum deinde fuit ut numero multitudinis omnes Gigantes *Rephaim* dicti sint, q. dicantur *Sani* & *Validi*. Porrò quia Gigantes malè audiebant, quasi certò damnati, ideo sæpe prò *inferorum manibus* accipitur; vel quia cùm apparent, monstrosæ videntur magnitudinis. ¶ *Omnes Principes*] Nomen propriè *hircos* sign. seu *arietes*, qui totum gregem velut duces præcedunt, quibus veluti incumbit totus grex, &c. Hinc ad *Duces* & *Principes* accommodatur, ut suprà 10. 13. ¶ *Surrexerunt*] הקים *excitavit, stare fecit*, vel *surgere fecit*. Ego distinctionem Judæorum hoc loco non probo, sed ad hunc modum distinguo, *Infernus de subter commotus est tibi*, (id est propter te, vel te adventante: *de subter* autem additur per Pleonasmum, ut *volucres cæli*, & *cæli sursum, terra deorsum*, &c.) *in occursum tuum suscitans tibi gigantes*, (participium enim tanquam participium accipio, ut commmotionis genus explicet) *Omnes duces terræ surgere fecit de soliis suis, omnes Reges gentium*.

10. *Respondebunt*] Verbum ענה absolutè positum ad Cantum aliquando refertur in quo aliis alii respondere solent, suprà 13. 22. Cùmque multi simul idem dicunt, iterúmque repetunt, hoc in eos verbum competit. ¶ *Nostrî similis effectus es*] Ità quoque vertunt qui nunc Hebraicam veritatem se interpretari dicunt, quos reprehendere non est animus; neque aliam interpretationem affero, nisi ut non ignoret diligens lector propriam vim verbi, *In eminentia super nos eras constitutus*: at nunc *dejecta es in infernum*, &c. ut cùm sequentibus conjungatur: vel sic, *Ab eminentia, in qua super nos constitutus eras, in ordinem redactus es*. Nam cùm verbum משל *in eminentia constitutum esse* in voce activa significet, in passiva hanc habere significationem potest, nempe *ab eminentia deponi, & in ordinem redigi, æquari*, sicut quæ dominium aliorum ferunt. Vide Psal. 143. 7. *Æquatus sum cum descendentibus in foveam*. Quod posterius non multùm distat à versione Vulg. nostri, *similis effectus es*: sed ego vim verbi exprimere utcunque volui.

11. *Concidit cadaver tuum*] Hic locus apertè probat, aliis atque aliis punctis olim etiam doctos Hebræos legisse, neque eisdem ubique gentium motionibus vocalibus prolata fuisse verba. Quis enim non videat המית posse esse à verbo מות, i. *mortuus est*, & in Hiphil *mori fecit, occidit*? Quis etiam ignorat נבלה significare *corpus exanime*? de quo plura infrà 26. Nam Jod, quod nunc habet, positum dici potest pro ה, quod in ה erat convertendum, si ubique regulæ servarentur Grammaticorum. Quare nemo meritò hîc flagellare potest Vulg. Interpretem; cujus interpretatio non admodum violenta est: nam tertia persona Hiphil tanquam neutrum accipi potest, *concisum est cadaver tuum*. Et quod sequitur quoque convenit: Allusio enim est ad Regum sepeliendorum morem, quorum cadaveribus substernuntur panni serici & auro contexti, & aromatum ingens copia: At huic *vermes pro strato* & *vermiculos pro operimento* datos fuisse dicit. Vide infrà ver. 18, & 19. Aliorum autem interpretatio suam habet probabilitatem: quamvis nullus alius locus sit ubi in hac forma המית nomen *sonitum* seu *strepitum* significet, sed המון Ezec. 7. De

nomine autem נבל pro *instrumento musico* suprà cap. 5.

12. *Lucifer*] Dicitur הילל ab *expansione lucis* stella matutina. Ego si ad mysterium hæc referrem, potiùs ad casum Principis mundi hujus de imperio quod habebat in seculo quàm de priori illa ruina interpretatur. Et ad hunc fortè locum respexit Dominus in Euangelio. *Videbam Satanam tanquam fulgur de cælo cadentem.* Loquebatur autem, interpretante Magno illo Basilio, de casu Diaboli per Christum: dabat enim suis *virtutem calcandi super serpentes & scorpiones & omnem virtutem inimici.* ¶ *Qui manè oriebaris*] Sensum expressit Vulg. & doctè Hebraismum vitavit: ego retinui, quia ex Vulg. manifestum est quid vocet *filium auroræ.* ¶ *Corruisti*] נגדע, suprà 10. *excelsi staturâ succisi sunt* גדועים. Dupliciter autem reddi potest cum ל, ut hoc loco est, quasi suppleatur verbum Motûs, i. *corruens in terram succisus & confractus es*, vel ut ל accipiatur pro *de*, ut aliquando solet, q. d. *de terra succisus es*; quasi sit antithesis cum membro sequenti, *qui domabas* vel *subjiciebas gentes. Tu*, inquit, *subjiciebas*, *& super eos insidens domabas*, *veluti jumenta*, (hæc est enim vis verbi hoc loco חלש) *nunc non modò non subjicies*, *sed & de terra succisus disperes.* Hæc sic ad historiam referas, casum Luciferi Hyperbolicè accipe. Sicut enim superiùs ipsam Babylonem vocaverat *gloriam* & *gaudium* & *suavitatem Regnorum*, ità nunc ipsum Regem præcipuam inter stellas, quòd in se oculos omnium splendore & majestate suâ converteret. Sed non possunt omnia propriè Regi convenire, ut in sequentibus apparebit. More itaque Prophetico in historia mysterium subesse intelligito.

13. *Qui dicebas*] Scio ità accipi pronomina ista Hebræis ut doctus Interpres accepit; sed hoc loco malui ad verbum exprimere propter emphasim pronominis *tui*, & conjunctionis *&*, cui respondet in 15. versu *at*, *veruntamen*, &c. ¶ *In cælum conscendam*] Si erat *Lucifer*, & *in cælo*, quomodo statuebat *in cælum conscendere?* Figuratè ergò accipienda sunt ista; ut quod Hierosolymis decreverat facere, nempe in Templum Dei, quod erat ad *Aquilonalem* partem Civitatis, & in Sancta sanctorum intrare, & super Cherubinos & Propitiatorium regale solium constituere, eòque sedere, id significet Propheta, ut sequens membrum ostendit. ¶ *In monte testamenti*] מועד. Varias acceptiones hujus vocis, quæ est à verbo יעד *testatus est*, *certò constituit*, &c. vide suprà cap. 1. Significat autem in genere *rem quampiam constitutam*: *attestatam atque definitam*, *tempus*, *locum*, *conventum*, *castra*, *tesseram militarem*: constructum autem cum nomine *tabernaculi* seu *tentorii*, discernit hoc tentorium ab aliis, ut apparet Exod. 33. *Accepit Moses tentorium*, *& tetendit illud extra castra*, *procul à castris*, *& appellavit illud OHEL MOED: & quicunque vellet quærere Jehova*, *egrediebatur ad tentorium constitutum*, &c. Quia ergò in hoc tantùm volebat Deus testificari populo suo voluntatem suam, Exod. 25. Stephanus Act. 7. vocat illud *tabernaculum testimonii.* Hinc etiam attribuitur Civitati toti, & monti Tcion propter Templum & cultum in eo constitutum. ¶ *In lateribus Aquilonis*] Vox ירך à verbo רכך *molle*, *tenerum fuit*, &c. propriè *femur* declarat: hinc pro *latere* frequenter accipitur. Vide v. 15. de hac voce. Erat autem epithetum Templi Psal. 48. Portò *Septentrio* Hebræis dicitur צפון ab *absconsione*, non quòd exsistentibus in Judæa non appareat, ut quidam putarunt quia situm Palæstinæ ignorarunt, sed quòd impenetrabilis esset illa regio, vulgatâ opinione hominum.

14. *Similis ero Altissimo*] עליון attributum Dei, *altissimus*, *summus*, *supremus*, *qui est super omnia benedictus*, sicut Paulus de Christo dicit quòd *exaltavit illum*, *& dedit illi nomen super omne nomen:* quamvis interdum attribuatur Homini, Gen. 40. & Deut. 26. & aliis rebus Jos. 16, &c.

15. *In profundum laci*] Hîc est illud nomen de quo suprà v. 13. quod *femora* & *latera* sign. sed hoc loco & similibus *capacitatem intimumque rei* notat. Quæ enim latera habent, capacia sunt. Unde de Jona dicitur, *Descendit ad latera navis:* ità hîc *latera laci*; & 1 Sam. 24. *latera caverna*, i. intimum, &c. Idcirco doctus Interpres superiùs *latera* vertit, hîc *profundum* dixit. Hîc mecum considera, Lector, quis sit arrogantiæ ac superbiæ finis, quò properent fastus, divitiæ, deliciæ, & imperii majestas. Confer quoque singula singulis, *infernum cælo*, *latera lateribus*, *ascensionem dejectioni*, &c.

16. *Qui te viderint*] ראה simpliciter *videre* sign. at השגיח notat quoque *animi observationem cum gestu.* Unde Vulg. *inclinari ad te* dixit, scilicet *contemplandum.* Verbum autem בין, quod est *intelligere*, in quarta *diligentem observationem ad cognoscendum* declarat. Idcirco non uno verbo reddidi, *Videntes te*, *ad te prospicient*, *te diligenter observabunt.* Gradus ergò sunt in his tribus verbis, quibus significat tantam futuram commutationem, gloriæ in ignominiam, dignitatis in abjectionem, superbiæ in subjectionem, ut vix credi possit unum & eundem esse qui utramque hanc fortunam experiatur. ¶ *Concussit*] Dicitur רעש de *concussione quæ contingit in vehementi metu.* Ego expressi significationem verbi in tertia, *faciebat trepidare.* Sunt autem participia, & reddi possunt aut per præteritum aut per imperfectum.

17. *Vinctis ejus non aperuit*, &c.] Vel *vinctis suis.* Fortè est Periphrasis inhumanitatis ac tyrannidis. Legitimi enim Reges (quorum est clementia ac magnificentia) solent in civitatibus quas ingrediuntur, aut capiunt, vinctos solvere. Possumus autem sic quoque reddere, *Vinctos ejus non solvit interiùs.* Nam פתח & *solutioni* & *clausuræ* opponitur, & nomen ביתה interdum est adverbium *interius.* Ezec. 44. Exod. 25. &c. Est autem inhumanum, reclusos in penetralibus carceris, compedibus & catenis oneratos, detinere. Vulg. *carcerem* dixit; quia quamvis nomen nonnisi *domum* significet, at cùm de Vinctis sermo est quid nisi *carcerem* intelligas?

18. *Dormierunt*] Jam suprà dixi verbum propriè *cubare* cum suis compositis significare. *Cubant* autem Reges *in gloria*, vel *cum gloria*, quia honorificè sepeliuntur aromatibus conditi & sericis pannis obvoluti, &c. Vide suprà v. 11. ¶ *Vir in domo sua*] Notus est Hebraismus. *Domum* autem vocat mansiunculam in qua cujusque Regis corpus sepultum jacet.

19. *Tu autem projectus es*] Rectè conjunctionem in adversativam mutavit Interpres, *& tu abjectus es*, vel *dejectus:* hoc enim שלך notat propriè, *è superiori loco dejicere.* Neque putes sepultum fuisse, ac deinde effossum cadaver projectum vel dejectum fuisse, sed quòd illâ gloriâ & dignitate caruerit quæ ipsum pro Regia dignitate decebat. ¶ *Quasi stirps inutilis*] De nomine נצר vide suprà 11. 1. Dixi autem *abominabilem* pro *inutili:* id enim sign. verbum, quando scilicet indignam ducimus personam vel rem aliquam nostrâ consuetudine vel usu, Job. 15. & 9. &c. Hinc nomen תועבה, i. *abominatio*, Gen. 43. ubi Vulg. circumloquio usus dixit *profanum putant hujusmodi convivium.* ¶ *Pollutus*] Ni fallor, hanc vocem existimo Vulg. Interpretem pro *abominabili* posuisse, & illam superiorem *inutilis* de suo addidisse, quòd *projectus esset quasi surculus* scilicet *inutilis*, *pollutus* ipse, & *obvolutus:* accepit enim לבש pro participio, & conjunctionem supplevit, quæ sæpe deest Hebræis. Neque dubium quin Hebræa sensum hunc admittere possint quem Vulg. expressit: quem autem ego profero simplicior est. לבוש enim & לבש substantivè etiam *vestem* seu *indumentum* declarat. Psal. 22. *Super vestem miserunt sortem:* & Gen. 49, &c. Et repetenda est nota Similitudinis, *quasi vestis interfectorum.* ¶ *Ad fundamenta laci*] Vulg. *lacum* hic accepit ut suprà v. 15. pro *loco damnatorum* aut *mortuorum mansione*, *non in qua jacent tantùm cadavera*, *sed quò conveniunt spiritus corporibus soluti:* cui *latera* & *profunditatem* tribuit Propheta. Atque hanc mansionem lapidibus stratam putavit Vulg. significari à Propheta: quapropter non malè pro *lapidibus*, *fundamenta* posuit, i. ad imum laci. בור autem propriè *fossam* declarat, & si contineat aquam, *cisterna* dicitur. Aliquando autem *captivorum locum* notat. Et ut proverbium Hebræis *descendere in foveam* dicitur, ut Latinis *ad malam crucem*, Psal. 28. Abominanda autem sunt *indumenta interfectorum* seu *transfossorum gladio*, & Judæis quorumcunque mortuorum vestes abominationi erant & immundæ judicabantur, & omnia quæ domi erant; & qui ea tangebat, immundus reddebatur, Num. 19. Vel vocat hîc *vestes descendentium ad lapides foveæ* sepultorum linteamina illa quibus cadavera obvolvebantur; quæ si quis è sepulcris auferat, nemo erit qui vel tangere non maximè abhorreat: atque istis comparat corpus Regis Babylonii. Jam verò quod sequitur ad sequentem versum credo pertinere, *Quasi cadaver putridum non habebis consortium*, &c.

20. *Tu terram*, &c.] Hæc sic accipi possunt, quia Reges Babylonii ob tyrannidem suam, ob superbiam & fastum commeriti sunt ut Regnum illud vastaretur: quod versu seq. videtur Propheta innuere. ¶ *Non vocabitur*] Vel *non nominabitur*, i. nusquam erit. Et Tyrannos illos *malignos* seu *malitiæ deditos* vocat.

21. *Præparate filios*, &c.] Sensum expressit. Heb. *decernite* (seu *præparate*) *mactationem filiis.* Illud autem *in iniquitate patrum* tam præcedenti quàm sequenti membro jungi potest, vel potiùs utrique ex idiotismo. ¶ *Non consurgent*] i. *Non consistent*, i. *non procedent*, *non proficient:* interdum enim hæc est vis verbi קום. Ecce quomodo filii ob patrum scelera puniuntur temporali pœnâ, vel potiùs patres in filiis pœ-

nas

nas dant. ¶ *Neque hereditabunt*, &c.] Hebraismum vitavit Vulg. Solent enim Hebræi positam semel negationem non repetere, sed loco ejus conjunctionem opponunt; *non panem, & vinum, & oleum*, pro *non panem, neque vinum, neque oleum*. Potest quoque illud Vau sic accipi, *non consistent*; *ut hereditent terram, & impleant*, &c.

22. *Germen*] נין non differt à בן nisi ratione: ut enim בן à verbo בנה *exstructionem* & *incrementum* sign. quod fit filiorum procreatione & educatione; ità נין *filiationem*, i. propagationem, notat. Est quoque collectivum, & *genus* seu *generationem* notat: unde non malè Vulg. *germen* dixit.

23. *Ericii*] Quid significet nomen קפד non ità constat. Ego cum quodam viro docto ex circumstantiis avem esse puto quæ supra paludes rapidissimo volatu fertur, ex Hirundinum genere, quæ quia quasi carent pedibus *apodes*, aliàs (Plinio referente, consonâ cum Hebræa voce) *cypseli* vocantur, infrà 34. Zoph. 2. idem quod קפוז, de quo infra 34. Aves autem istæ in ruinis & desertis ædibus nidificant. Metaphora verò *Scopæ*, demolitionem significat.

25. *Ut conteram Assyrium*, &c.] Hic versus, qui omnino videtur intelligendus de cæde exercitûs Assyriorum per Angelum, torquet eos qui omnia hæc intelligi debere (ut primâ fronte apparet) de Babylonis excidio contendunt. At nos, qui sub typo delineari putamus Libertatem filiorum Dei per Christum, (quod quoties Prophetæ faciunt, quædam admiscere solent quæ non tam typo & historiæ quadrare videntur quàm veritati, in quam oculos defixerant, aut ordinem narrationis pervertere, dum aliena consuunt) nihil hic transitus moratur. Intelligimus enim Babylonis Regnum deletum, ac Tenebrarum potestatem per Euangelium eversam, & Tyrannum illum qui opprimebat *gentes*, in Judæa atque adeò Hierosolymis cum toto ejus exercitu victum, fugatum, expulsum atque deletum. Triumphavit certè de *Assyrio* illo in cruce Dominus noster JESUS, & totam ejus virtutem *proculcavit in monte* Calvariæ, atque ità liberavit suos. Hoc multò ante *cogitaverat*, id non semel se facturum *juraverat*: Jam nos factum & adimpletum novimus, neque exstitisse qui hoc Domini *consilium labefactaret*. Qui hæc non credunt Judæi, & qui cæcos istos duces sequuntur Christiani, in tractandis similibus Prophetarum locis quò se vertant plerumque nesciunt. Nam de Babylone erat sermo, cujus nemo negare potest, qui Scripturas legit, his quatuor versibus conclusionem contineri. *Juramentum* ergò atque *consilium* de vastanda Babylone & occidendo Rege erat; at loco *Babylonis* & *Regis* substituit *Assyrium* in Judæa delendum, quasi idem fuerit. Erat profectò idem quod utriusque victoriâ significabatur; historiæ autem, ut constat, longè diversæ. Scio quid ex Historiis responderi potest, propter mutationes Imperii Assyriorum & Chaldæorum; sed malo Christum præ oculis habere, & omnia, salvâ tamen veritate & fide interpretis, ad ipsum referre.

26. *Super omnem terram*] Fateor interdum *universam terram* Hebræis debere intelligi de tota illa provincia de qua est sermo; sed non possum hoc loco mihi aliud persuadere quàm ut per *omnem terram*, & *omnes gentes*, nempe quod fides loquitur, accipiam, quòd non Judæorum Deus sit tantùm, sed omnium gentium, & de omnium salute cogitaverit Dominus: ut victoriam illam quam in Judæa reportavit de hoste humani generis, omnium nostrûm fuisse putemus. Toti enim mundo & natus & mortuus est Filius Dei. ¶ *Hæc est manus*, &c.] *Extensio manus Dei* nunc in bonum nunc in malum accipitur, & si de redemptione est sermo, vide quòd & sapientiæ & potentiæ opus sit, quæ duo per *consilium* & *manum* intelligimus.

27. *Avertet*] Ad verb. *redire faciet*, i. retrahet, ut *extensioni* opponatur. כי primam vocem hujus versûs 27. omisit Vulgatus, quòd interdum vacet, & hoc loco Continuationis particula est; vel pro relativo ponitur, ut aliquando Hebræi solent. Hinc colligamus, debere nos tam nosmet ipsos quàm nostra Deo committere, & ab eo petere ut de nobis cogitet, & nostri velit curam gerere, dicátque atque statuat salus esse nostra, manúmque extendat ut liberet nos de aquis multis: nemo enim infirmare poterit consilium ejus, & de manu ejus nemo rapiet quas apprehenderit oves.

29. *Omnis tu*] Existimo esse phrasim quâ nos utimur, *Totus gaudio perfundor*, ut non ad quantitatem *Palæstinæ* sed *gaudii* potiùs referatur: *Nè tota gaudio perfundaris*, *nè omnibus partibus vel modis gaudeas*, *nè nimium exsultes*, *ô Palæstina*, *quòd obierit Rex qui te domuerat*. Nam Ozias multis victoriis debilitaverat vires Palæstinorum, ut est 2 Par. 26. & usque ad Ægyptum omnia subjugaverat sibi. Huic successit Joathan, heres felicitatis paternæ. Filium autem hujus Ahaz, quod improbus fuisset, vexarunt rebellantes Idumæi & Palæstini, & urbes quasdam Jehuda occuparunt. Mortuo autem Ahaz, verisimile est quòd deposito jam paulatim metu quem à diebus Oziæ conceperant & confirmatis animis ob victoriam adversùs Ahaz, in morte ejus exsultassent, nihil sibi jam à posteris Oziæ timentes. Nè, inquit, efferaris animo: nam etsi nepos Oziæ obierit, qui quamvis non te oppresserit, ut avus suus, quia tamen nepos erat, non omnino te tutam putabas; pronepos ejus jam jam habenas Regni suscipit, qui te graviùs affligat. Lege 2 Reg. 18. q. d. Ozias fuit veluti quidam serpens vulgaris, qui non magnopere formidatur; at pronepos ejus erit vobis veluti aspis, & veluti serpens ignitus, alatus. Et fortè est allusio ad virgam Mosis, quæ versa est in colubrum. ¶ *Volucrem*] *Volucris* legendum. Est autem participium secundæ עופף, i. *volitans*. Quò sanctior fuit Ezechias avo suo, eo quoque & hostibus magis fuit timendus, & inimicis populi Dei majora damna intulit. Ut videas quantâ imprudentiâ plena sint impiorum gaudia, quódque, si saperent, gaudii sui occasiones luctus esse causas suspicari deberent.

30. *Primogeniti*] Hebræi בכור vocant non solùm *qui ante alios nascitur*, sed etiam *quod præcipuum* seu *primarium est in aliis rebus*, ut Job 18. dicitur *primogenitus Mortis*, i. princeps. Sic Paulus vocat Christum *primogenitum creaturæ & primogenitum mortuorum*. Ergò *primogeniti pauperum* sunt pauperrimi quique. Juxta historiam hæc de Regno Jehuda dicta sunt à Propheta, quòd sub Ahaz infinita propè multitudo Judæorum interierit, & extrema passum sit Regnum illud tam à Syris quàm à fratribus Israelitis, qui *uno die interfecerunt centum & viginti millia virorum*, & *in captivitatem abduxerunt bis centum millia feminarum, puerorum*, &c. quamvis jussu Domini captivos postea liberos reliquerint. Vide 2 Par. 28. Sub Ezechia autem floruit ac planè revixit Regnum Jehuda, ut videas *homini homo quid præstet*, & quantum differat idem Regnum à se ipso quando regnat Ahaz, vel quando Ezechias. Sed numquid non infideles Judæi *incircumcisi* dicendi sunt & *Philisthiim*? Nónne Dominus JESUS *alatus est Serpens*, *exaltatus in ligno*, *ut omnis qui credit in eum non pereat*, *sed habeat vitam æternam*? Nónne *principes* illi *pauperum pauperrimi*, ipsi, inquam, Discipuli ejus, sub ejus imperio *securi* vitam duxerunt, in omnibus spiritalibus divitiis divites facti, deletis incredulis Judæis? ¶ *Interficiam*] Est tertia persona, *interficiet*, scilicet *serpens* ille *ignitus*. Per *radicem* autem & *reliquias* intellige patres & liberos.

31. *Ulula*] Verba Latina *ejulare*, *ululare*, ab hoc verbo Hebræo sumpta sunt, הליל, quod tantùm in tertia reperitur. ¶ *Porta*] Tropo Scripturis familiari *portæ* nomen, quod collectivè hic accipe, nunc Leges, atque adeò ipsos Magistratus, qui in portis judicium exercebant, nunc Robur & Potentiam declarat, quòd in portis essent propugnacula, à verbo שער, quod *spectrum* seu *terriculamentum apparere* sign. Hic itaque libenter pro *magistratibus* accipio, *urbes* autem pro *habitatoribus* ac *civibus*. Potest quoque accipi ut idem sit bis positum. ¶ *Prostrata*] Verbum מוג *resolvi* seu *liquefieri quod durum & compactum erat* sign. ¶ *Veniet*] Exercitum hostium *fumo* comparat, non solùm ob molestiam, sed ob densitatem acierum operientium faciem terræ. Vel potiùs *fumum* vocat id quod fumo simile est, nempe excitatum pedibus equorum ac militum pulverem; qui & adventantium hostium signum est castrense, ex quo etiam multitudinem hostium colligere solent: & ei quod sequitur congruit. ¶ *Et non est qui effugiat agmen ejus*] i. Nemo est qui militiam illam detrectet. Ego sensum & verba expressi, *& nè unus quidem in castris*, scilicet *remanebit*, vel *& nè unus quidem in tabernaculis suis*, scilicet *manet*: adsunt accincti omnes. Est autem Jehuda ad *Septentrionem* ejus partis Palæstinæ quæ totius provinciæ nomen retinuit, ubi remanserunt Philisthæi, quos non deleverunt Israelitæ: in qua erat Azotus, Gaza, &c.

32. *Quid respondebitur nunciis*] Quia verbum est singulare, propterea per passivum reddiderunt. At solet Hebraismus nomini plur. numeri opponere verbum sing. & distributionem notat. Unde nomen *nunciorum* in nominandi casu accipio: *Quid novi afferet nuncius cujusvis gentis à Judæa? Quando*, inquit, *reversi fuerint nuncii* (seu *legati*) *gentium ad suos*, *quid putatis novi referent? Quod* nimirum *Dominus fundaverit*, &c. Epilogus est, quo brevi explicat Propheta felicitatem Regni Jehuda sub Ezechia, non solùm ob victoriam de Palæstinis, sed etiam ob deletos Assyrios, & divitias atque potentiam quam comparavit Ezechias, ut legis in libro Regum & Paralipomenon. *Fundare* autem pro *stabilire* & *confirmare* usurpant Hebræi: quæ enim bene fundata sunt firma sunt. ¶ *Et in ipsa sperabunt*] Verbum חסה, quod nostri ferè verbo *confidendi* aut *sperandi* vertunt, propriè est *latibulum* seu *protectionem quærere* in

est virga percussoris tui] Id est, noli tibi placere ob mortem Oziæ sive Azariæ Regis, qui res tuas vehementer afflixerat, capitis etiam urbium non minimis, 2 Paralipom. XXVI. 6.

De radice enim colubri] Ex sanguine Oziæ per Jothamum & Achazum.

Egredietur regulus] Ezechias, multò vobis plùs nociturus, quàm Ozias fecerat. De voce צפע diximus suprà aliquid XI. 8. quicquid sit, est serpens aliquis colubro nocentior.

Et semen ejus absorbens volucrem] Meliùs vertas: *serpens volans* cum Græcis, id est, jaculus. Coluber lentè procedit, & propterea faciliùs caveri potest; jaculus improvisus supervenit.

30. *Et pascentur primogeniti pauperum, & pauperes fiducialiter quiescent*] Etiam pauperrimi inter Judæos habebunt de se unde vivant. בכורים [*primogeniti*] sunt qui in quoque genere excellunt.

Et interire faciam in fame radicem tuam, & reliquias tuas interficiam] Ex tuis & summates & infimates morientur fame.

31. *Ab Aquilone enim fumus veniet*] Judæa enim Philisthinis ad Aquilonem est.

Non est qui effugiet agmen ejus] Id est, nemo Judæorum non promtissimus erit ad hanc expeditionem. Nam בודד est *is qui se segregat*. Græca hic, ut & alibi, valde corrupta sunt.

32. *Et quid respondebitur nuntiis gentis*] Sciscitantibus de iis quæ aguntur. Legit, ut nos nunc in Hebræo מלאכי [*nuntiis*]. At Græci מלכי βασιλεῖς ἐθνῶν [*Reges gentium*], hoc est, *Quid ad hæc dicent* (sic enim sumitur sæpe Hebræum יענה) *Reges illi gentium vicinarum?* nempe cogentur fateri Deum esse qui Judæos, quamvis contemtos, sublevet.

CAP. XV.

MUNSTERUS.

1. *IN nocte*] Nocte, inquit, cùm nemo de hoc solicitus esset, supervenit repentinus urbis interitus. Et nota quòd hic שודד & נדמה pro eodem accipiuntur. Nati fuerunt Moabitæ & Ammonitæ ex incestu Lot; ideo quædam inter eos & Judæos fuit consanguinitas, quæ debebat illos connectere cum Judæis, sed illi hos graviter affligebant. Notantúrque in eis tria vitia, Superbia erga Deum, Inhumanitas ad Judæos fratres, & Perfidia erga Regem Judæorum, cui nolebant ampliùs pendere tributum. Prædicitur ergò excidium per Sanherib. At metropolis dicta est *Ariopolis*; fuitque nocte subversa. Quæ autem nocte fiunt terribiliora sunt: Exaggerat itaque malum ex tempore.

5. *Vitula triennis*] Comparat Propheta regionem Moab *vitulæ triennali*, quæ pinguis & opima est, propter multas opes quæ tunc in ea fuerunt. ¶ *Excitabunt*] Quidam exponunt verbum יעיר per העיר, sicut nos vertimus: alii per שבר עצמו *seipsum percussit*, sicut faciunt qui summo repleti sunt mœrore, qui pilos capitis extrahunt, barbam evellunt & corpus lacerant.

7. *Opes illorum*] Capitur hic פקדת pro מכון, sicut & פקד significat *eum qui hominibus vel rebus est præfectus*. *Doluit*, inquit, *quòd residuum illud quod fecit etiam abduxit ad torrentem salicum*, ubi hostis spolia divisit.

VATABLUS.

1. *PRophetia* משא] *Onus*. Vide c. 13. 1. ¶ *Quia nocte vastatus est* כי בליל שדד] Præterita Heb. pro fut. *Sane per noctem vastabitur*, vel, *certum est quòd nocte diripietur*. ¶ *Succisus est* נדמה] *In silentium redacta est: excidetur.*

2. *Ascendit* עלה] Præt. Heb. pro fut. *Ascendet*, scilicet *Moab*: i. conferent se in ædem Dei sui Chamos, ploraturi, & rogaturi illum, 2 Reg. 23. 13. ¶ *In planctum* לבכי] *Ad fletum*, vel *propter fletum*: aut fletûs causâ. ¶ *Ululabit* ייליל] *Ejulabit*. ¶ *Capitibus ejus* ראשיו] Scilicet *Moab*: i. Moabitarum. Solebant enim homines valde afflicti vellere sibi crines capitis præ dolore & tristitia, & ità habebant capita calva: q. d. Præ tristitia sibi crines vellent & barbam radent.

3. *Tota ipsa*, &c. כלה ילל וגו] Sing. pro plur. *universi ipsi ejulabunt descendentes in fletum*: i. conversi in lacrymas: q. d. Profusissimè flentes.

4. *Armati* חלצי] *Accincti armis*. Alii *expediti*. Alii *qui ad militiam accincti sunt* in *Moab*: i. Ad talem vocem, qui parati erant se & patriam tueri, despondebunt animum. ¶ *Anima ejus*, &c. נפשו ירעה לו] Phrasis Hebraica, quam nonnulli transferunt, *Anima cujusque ululabit sibi*. Alii, *anima cujusque vociferabitur apud se*. Alii, *anima eorum vociferabitur propter ipsos*: i. illi vociferabuntur ad imminens periculum mortémque imminentem.

5. *Ad Moab* למואב] *Propter Moab*. Verba sunt Prophetæ: acsi dicat, *Me miseret Moab*. Alii, *in Moab*: ut Propheta loquatur in persona Moabitarum, hoc modo, *Moabitæ jam in corde meo videntur mihi vociferari*: i. Scio & sentio in corde meo Moabitas vociferaturos. ¶ *Vitulam triennem* עגלת שלשיה] i. Quæ comparari poterat vitulæ trienni formosæ, forti & in robore suo. ¶ *Adscendent* יעלה בו] Ad verb. *adscendet* quisque eorum *in eum*, sub. *adscensum*. Posteriore loco Hebraicè posita est præpositio, pro qua interpretes verterunt *per*, priore loco, *per adscensum*. Qui effugerint (inquit) & periculum evaserint, recipient se partim in Luith & partim in Horonaim. ¶ *Calamorem contritionis suscitabunt*, &c. זעקת שבר יעערו] *Clamorem fractionis excitabunt*. A verbo עור *suscitavit*, geminatâ tantùm literâ. Alii à רוע *contrivit*, *fregit*, geminato ע, vertunt *clamore contritionis frangent sese*, vel *conterent*. *Clamorem contritionis* vocat horrendum clamorem & miserandum. Exprimit extremum luctum & mœrorem: q. d. Euntes in Horonaim flebunt acerbè.

6. *Quia aruit*, &c. כי יבש וגו] Præt. Heb. pro fut. *nam arescet herba*, *deficiet gramen*, *nullus viror erit*. Alii, *unde & viride exarescet*, &c. Alii in præterito relinquunt, *unde & gramen exaruit*, &c.

7. *Ideo*, &c. על כן יתרה וגו] *Propterea opes* quas *peperit*, *& divitias eorum* [scilicet *Moabitarum*] *deferent* hostes *ad torrentem salicum*; ut scilicet inter se partiantur. Alii, *itaque quod residuum* quisque *fecit*, *& opes suas*: i. ad locum alium suas divitias deferent. Alii, *Propter residuum* quod *fecit*, doluit: *& opes illorum ad torrentem salicum portaverunt eas*: Redundat pronomen *eas*. ¶ *Salicum* ערבים] *Arabum*.

8. *Circuivit* הקיפה] Præt. Heb. pro præs. *cinget*, *circumdabit*: i. in tota regione Moabitide exaudietur tumultus ille bellicus.

9. *Addita* נוספות] *Additiones*, *additamenta*: i. Addam novos rivos canalésque recentes in ipsum Dimon: q. d. Augebo Dimon sanguine interfectorum. ¶ *Evasori* לפליטת] Sing. pro plur. *evasoribus Moab*. Alii, *iis qui evaserint de Moab*. ¶ *Et residuo* ולשארית] *Et reliquiis*.

CASTALIO.

3. *PER ejus compita saxis induti sunt*] In Hebræo relativum *ejus* masc. generis est; refert enim *Moab*, h. e. Moabitam; sed alia sequuntur relativa feminina; referunt enim *Moab*, h. e. Moabitidem terram. Hæc mutatio animadvertenda est: nam & alibi fit idem, ut Jer. 11. & Ezech. 32. & suprà initio cap. 9.

CLARIUS.

1. *QUia nocte*] h. e. Repentinò, & cùm nemo de hoc solicitus esset, supervenit eis interitus.

2. *Ascendit domum*] h. e. Templum Dei sui.

5. *Cor meum ad Moab*] Vel, *Cor meum*, *unusquisque ad Moab clamabit*: h. e. omnes clamabunt, *O cor meum!* & heu quàm doleo toto corde! ¶ *Vitulam trimam*] Comparat Propheta regionem Moab *vitulæ triennali*, quæ pinguis & opima sit, ob multas opes quæ tunc in ea fuerunt.

7. *Ad torrentem salicum*] Ubi hostis spolia divisit.

9. *Ponam enim super Dimon additamenta*] Videlicet *sanguinis*, nempe *leones*, vel efferos ut leones.

FORERIUS.

1. *QUÆ* in hoc capite continentur, ex historia pendent quæ in S. literis non habetur. Arbitror autem quòd de ea vastatione agatur quæ ab Assyriis facta est in universis illis provinciis ab Assyria usque ad Æthiopiam. Sed hoc intelligere non usque adeò nobis necessarium erat. Satis nobis sit etiam in hac vita eos qui non sunt de populo Dei ob scelera sua puniri, ne si perpetuò impunè agerent, aut Deum esse ignorarent, aut rationem vitæ suæ Deo placere putarent. Erant autem Moabitæ vicini Israeli, & posteri Loth nepotis Abrahæ: quapropter & causa eorum non omnino aliena erat à rebus Israelitarum. ¶ *Vastata*] Hoc verbum ad *Ar* refero, sequens *conticuit* ad *Moab*. Neque de genere nimium sis solicitus; nam neque Hebræis scriptoribus multum curæ est: sicut infrà nomen צור cap. 23. jungitur verbo masc. שדד, quòd hìc quoque ponitur. *Moab*, inquit, *redactus est ad silentium*, *periit*, *actum est de Moab*, *quòd una nocte Ar præcipua civitas vastata sit*. Eodem modo distingue membrum sequens: unde קיר, quam

quamvis *murum* seu *parietem* significet, pro nomine proprio hîc accipe. Notandum autem quòd עד ab *excitando* dicta est, sicut & עיר, ut suprà jam annotavimus, à verbo עור: idcirco datâ operâ usus esse videtur Propheta verbo דמה, quod *silere* & *quiescere* significat.

2. *Domus*] Videtur esse nomen proprium *Habaith*, & ה esse radicalis litera, ut vocant. Loquitur autem de *ascensu* ad loca idolorum. In adversis enim ad Deos suos unaquæque gens solet confugere. At sicut *ascenderunt* ut coram Diis suis *flerent*, ita etiam *descenderunt flentes:* hoc enim est *descendere in fletu*, quod seq. versu dixit.

4. *Expediti*] Solent Hebræi milites qui ex populo in militiam extrahuntur חלוצים, i. *electos* seu *expeditos*, appellare, à verbo חלץ, quod *extrahere*, *subtrahere*, seu *expedire* sign. ¶ *Ululabunt*] Verbum רוע non propriè *ululare* sign. sed *voce plena personare*, sive id fiat ore sive buccinâ. Plerumque autem de *læta vociferatione* dicitur, sed & interdum de *tristi & infausta*, Jud. 7. & hoc loco. ¶ *Ululabit tibi*] *Sibi* legendum est.

5. *Cor meum ad Moab*] Sunt qui hæc verba ut voces Moabitarum accipiant; quod nè mihi placeat facit locus Jer. 48. *Idcirco cor meum ad Moab sonabit velut cithara*, &c. ut etiam seq. capite v. 11. Mihi ergò magis placet ut sint verba Prophetæ, non quasi doleat de vastatione Moabitarum, sed quasi dicat, *Mihi in animo est edere carmen de clamoribus & afflictionibus Moab:* quem sensum confirmat v. 9. capitis seq. ¶ *Vectes ejus*] A *fugiendo* dicuntur Hebræis *Vectes* בריחים, quòd ab una in alteram partem veluti motu suo fugiant. Deinde transfertur ad significandos *optimates*, de quo infrà 43. quòd sint munimenta & veluti repagula populi: in qua significatione hîc accipi posset nomen, quòd scilicet *optimates Moabitarum fugerint usque ad Segor*, seu *Tzoar*, quæ est in finibus Moabiticæ provinciæ. Sed simplicius est ut juxta naturalem significationem pro *profugis* accipiamus. ¶ *Vitulam conternantem*] Potest hoc ad Moab pertinere, & repetendum est, *cor meum ad vitulam triennem clamabit.* Sic vocat regionem illam ob pinguedinem & fertilitatem soli. ¶ *Per ascensum Luith*] ה in nomine isto proprio Motum notat. מעלה pro præpositione *supra* accepi: is enim interdum usus est hujus vocis. ¶ *Flens ascendet*] Hebraismum mollivit, *in fletu* (vel *cum fletu*) *ascendet*.

6. *Deserta erunt*] Vel *abominationi erunt*, vel *in stuporem erunt.* Vulg. apud Jeremiam dicit *pessima erunt.* Utrobique autem est illud nomen de quo jam non semel dixi, משמה, i. *afflatus*, *sibilus*, *horror* & *admiratio*. *Excitabunt*, inquit, *vocem qualem edere solent quando nullæ sunt aquæ Nemrim*, quando propter arriditatem agrorum ejulatus edunt & planctum.

7. *Magnitudinem*] Verbum יתר est quod nos dicimus *superesse*, *excedere*, & similia; notátque interdum excellentiam. Nomen autem hoc יתרה pro *abundantia* & *rerum affluentia* accipio, ut Jer. 48. ubi cum ת legitur. ¶ *Operis*] Multò aliter vertit Interpres hæc verba apud Jeremiam. Ego ut verbum accepi hanc vocem, & relativum more Hebræorum deesse puto. ¶ *Et visitatio eorum*] Ego cum docto quodam viro *visitationem* hîc pro rebus ipsis quas qui habet sæpe visitat atque recenset, & quarum rationem habet, accipiendum puto, i. pro *divitiis repositis*; sicut Levit. 5. hoc verbum in 2. conjug. in voce passiva pro *depositum esse*, & nomen indè deductum פקדון *depositum* vel *repositum* sig. Hoc ipsum quoque numen de quo nunc agitur, in plur. Vulg. Jer. 52. *carcerem* dixit, alibi *custodias:* ergò hîc *reposita* vel *repositum* vertere poteris. ¶ *Ducent*] Jam de verbo נשא sæpe dictum est. Verbo *deferendi* seu *portandi*, ut hoc loco, sæpius necesse est vertere. ¶ *Torrens* autem *salicum* erat in finibus Moab, ubi hostes prædam fortè dividere statuerant. Quòd si *abundantiam suam* & *divitias suas*, non *eorum*, vertas, intellige ipsos Moabitas aufugientes illuc detulisse bona sua, &c.

8. *Circumibit clamor*, &c.] Hic versus ejulationem & ululatum describit qui direptionem bonorum secutus est. Et sicut כי על כן pro כי superiori versu positum videtur, ità hîc pro על כן. ¶ *Terminus* autem Hebræis non tantùm *extremitates provinciæ* sign. sed & *quidquid est spatii inter terminos; Æglaim* verò & *Beer* (i. *Puteus*) *Elim* erant in finibus Moab.

9. Erat quoque *Dimon* in finibus Moab, ut patet ex libro Numerorum. Torrentem ergò illum *sanguine* occisorum *repletum* dicit (qui fortè idem est cum *Torrente salicum*) quòd ibi hostes multos ex captivis occiderent, quorum sanguine *augendas aquas Dimon* dicit Dominus: *siquis* verò *evaderet*, in *leonem* incurreret. Est autem proverbialis forma Scripturis familiaris, *leo*, *laqueus*, &c. *fugientibus*. Vide Jer. 48, ubi hæc eadem historia describitur, & ferè eisdem verbis.

DRUSIUS.

1. משא מואב. Sym. Th. *Assumptio Moab.* Aq. Ἆρμα Onus] *Assumptio*, λῆμμα. ¶ עיר. Aq Sym. *urbs.* Th. *Ar*] *Urbs*, i. עיר. Hieron. *Pro* עיר, *quod solus Theodotio ita posuit ut legitur in Ebræo, Aq. & Sym.* URBEM *interpretati sunt, non considerantes quòd inter Ain & Res elementa Ebraica Joth literam non haberet; quæ si esset, rectè Civitas diceretur.* ¶ *Ar*, ab Hieronymo interpretatur ἀντίδικος, i. *adversarius.*

5. דרך חרנים. Aq. *via Oraniam.* Sym. *Oranaim.* Eusebius De locis, *ARNONIM juxta Jesaiam via nomen est, pro quo Aq. ORONAIM posuit, & Sym. ORANIM.*

9. Ἀδαμα. Aq. & Sym. *humus.* Th. *terra.* Euseb. De locis, *ADAMA in Esaia, pro quo Aq. & Sym. HUMUM Th. TERRAM interpretatur.*

IDEM EX PROCOPIO.

3. וברחובתיה. Aq. Sym. Th. καὶ ἐν ταῖς πλατείαις αὐτῆς, & *in plateis ejus.*

4. ואלעלה. Iidem, καὶ Ἐλεαλὴ & *Eleale.*

5. כי מעלה הלוחית בבכי יעלה בו כי דרך חרנים זעקת־שבר יעערו. ὅτι ἀναβάσει τῆς Λουιθ ἐν κλαυθμῷ ἀναβήσεται ἐν αὐτῷ, ὅτι ὁδῷ Ὡρωναὶμ κραυγὴν συντρίμμον ἐξανεγεροῦσιν, *Quoniam ascensu Luith cum ploratu ascendet in eo, quia viâ Oroniam clamorem contritum excitabunt.*

8. הזעקה. Aq. Sym. Th. ἡ κραυγὴ *clamor.* ¶ יללתה. ὀλολυγμὸς αὐτῆς *ejulatus ejus.*

9. דימון. Aq. Sym. Th. Διμων *Dimon:* aliàs Δεμμὼν & in Comment. ὕδωρ τὸ Δηβὼν *aqua Dibon.*

GROTIUS.

1. ONus *Moab*] Hoc vaticinium durat ad caput XVII. Pertinet autem ad tempora Salmanasaris. Nam Moabitis vicina illis partibus Decem Tribuum quæ hîc nominantur, ac proinde particeps eorundem malorum.

Quia nocte vastata est Ar-Moab, conticuit] *Hoc dico*, inquit, *fore ut Ar-Moab nocte vastetur, imò ut & exscindatur.* Nam נדמה sæpe est *exscindi*. Ar-Moab est antiquissima urbs ejus gentis in monte sita. Numerorum XXI. 28.

Quia nocte vastatus est murus Moab, conticuit] Sensus est, *fore ut itidem nocte vastetur, imò exscindatur Kir-Moab.* קיר idem est quod קריה [*urbs*]. Dicitur hæc urbs hoc loco *urbs Moab*, quòd præcipua esset ejus regionis, infrà autem XVI. 7. & 11. *urbs Solis*, ob Solis cultum.

2. *Ascendit domus & Dibon ad excelsa in planctum super Nabo & super Medaba, Moab ululavit*] In Hebræo, *Ascendet in Baith*, id est, Templum eximium, quod plenè vocatur *Beth-Baal-Mehon* Josuæ XIII. 17. contractiùs *Baal-Mehon* XXXII. 38. 1 Paralipom. V. 8. *Dibon* urbem Moabitarum habes apud Josuam dicto loco: ibi colles fuêre idololatriæ sacrati, ut ex hoc loco apparet: ii colles dicebantur במות בעל [*colles Baalis*], Josuæ XIII. 17. *Super Nabo*, id est, ob excisam Nabuntem, cujus mentio Num. XXXII. 38. *Medaba*, aut, ut Ptolemæus enuntiat, μήδαυα (nam littera ב utrumque sonum recipit), nominatur & Numer. XXI. 30. & Josuæ XIII. 16.

In cunctis capitibus ejus calvitium, & omnes barba radetur] Qui mos lugentium illis in locis. Jerem. XLVII. 37. Ezech. VII. 18. His moribus opponit se lex Levit. XIX. 27. Deuteron. XIV. 1.

4. *Clamabit Hesebon*] Vide Num. XXXII. 37. Josuæ XIII. 21. Nam multa loca Israëlitis attributa, partim possessa ab ipsis nunquam fuêre per ipsorum ignaviam, partim recepta à Moabitis & aliis, per occasiones quas dederunt Hebræorum inter se dissidia.

Usque Jasa audita est vox eorum] Id est, ad extremos usque fines, nam ibi Jasa Num. XXI. 23. Josuæ XXI. 36. Ptolemæo Ζίζα dicitur. Locutionem quod attinet, similem habuimus suprà X. 30.

Super hoc expediti Moab ululabunt] Id est, etiam milites qui præ aliis bene animati esse debuerant.

Anima ejus ululabit sibi] Meliùs alii: *Anima ipsius displicebit ipsi.* Id est, quemque vitæ suæ tædebit.

5. *Cor meum ad Moab clamabit*] Subaudi, *dicet quisque.* Hoc verbum sæpe reticetur. *ad Moab* pro *ob Moab.*

Vectes ejus] Significare quidem hoc potest vox Hebræa: sed rectiùs vertas, *& ob Principes ejus:* argumento loci infrà XXVII. 1.

Usque ad Segor] Id est, *clamor exaudietur usque ad Segor*, qui locus est in Judææ limite, Genes. XIX. 22.

Vitulam consternantem] Scripsit Interpres, ut quidam libri habent, *conternantem*, id est trimam; τελετὴς [*trima*] apud

Græ-

Græcos. Sed vertendum est, ut *junicis trima*, supple *clamor*, ex superiori.

Per ascensum enim Luith flens ascendet] Egregia allusio, *Si scandent ad montana, fletus simul ascendet*. Eadem locutio in re eadem Jeremiæ XLVIII. 5. *Luith* Ptolemæo est Λύσα.

Et in via Oronaim] Qua descendebatur in humilia: docet id idem Jeremiæ locus. Hæc est *Avara* Ptolemæo.

Clamorem contritionis levabunt] Id est, voce humili lugebunt. Par allusio isti quæ in priore membro.

6. *Aquæ enim Nemrim deserta erunt*] Per *aquas* Pascua aquis adsita intelligit, quæ tempore pacis erant uberrima. Vide Num. XXXII. 3. & 36. Jos. XIII. 27.

7. *Secundum magnitudinem operis & visitatio eorum: ad torrentem Salicum ducent eos*] Veteris rectiùs: *Præterea quod reliquum fecit* (supple *occidio*) *& opes eorum* (Moabitarum) *ad torrentem Arabum perferent*. Vallis Arabum est via per quam itur ex Moabitide in Assyriam, ut nos docet Hieronymus. In vallibus autem non desunt torrentes.

8. *Usque ad Gallim ululatus ejus*] Vide suprà X. 30. Hic א nomini additum, more Moabitarum & Syrorum. Confer quod suprà 4.

Et usque ad puteum Elim] Causam nominis vide Num. XXI. 18. Nam qui שרים [*princeps*] Hebræis, ii Moabitis & Syris אלים.

9. *Qui aquæ Dibon repletæ sunt sanguine*] Legendum est *Dimon* ex Hebræo & Græco. Fit autem allusio ad nomen *Dimon*, quod originem habet à *sanguine*. Sunt qui putent indè datum nomen, quòd olim cæsi ibi sint Moabitæ, II Regum III. 24. 25.

Ponam enim super Diban additamenta] Iterum *Dimon* legendum. Sensus est: novas dabo causas cur ità meritò vocetur is fluvius.

His qui fugerint de Moab leonem & reliquiis terræ] Transpositio. Sensus est, *His Moabitarum qui fugerint ab hoste, aut quos hostis reliquerit superstites*, (immittam) *leonem*: id est, efficiam ut in feras incidant. Simile vide II Reg. XVII. 25.

CAP. XVI.

MUNSTERUS.

1. Mittite agnum dominatori terræ*] Quidam per כר intelligunt hic מכס *munera* vel *tributa* mittenda *de Petra deserti ad montem Sion*. Est autem hic *Petra* civitas principalis in Regno Moab. Ab hac, inquit, nisi *miseritis dominatori universæ terræ munera*, & placaveritis faciem ejus, *eritis sicut aves ex nido dimissæ*, & transferent hostes *filias* vestras, &c. Alii putant esse Ironiam, q. dicat Propheta: *Mittite nunc victimas ad Templum Domini*, si fortè possitis à vobis depellere imminens malum: At nihil vobis proderit ea religio. Nullis hostiis calamitas hæc vobis impendens curari potest. Olim id oportebat factum.

4. *Moab, tu sis illis latibulum*] Ironia quoque est, q. dicat Dominus, *Cùm ejecti mei apud te vagarentur*, vexati ab Assyriis, *præsidium* nullum habere potuerunt: nunc autem cùm illorum defecerint & *in nihilum redacti sint hostes*, & regium *solium in misericordiâ* illis *sit præparatum*, tu exsulabis, &c.

6. *Indignatio ejus*] Quia scilicet absque causa furore concitatus est in vicinos quosque. *Superbia* enim & *indignatio ejus* magna fuit, sed hæc cùm *mendacia* & doli fuerint, non liberabunt à perditione. Alii exponunt בדים pro *viribus* & *robore*, q. d. Plus præsumpserunt quàm potuerint. *Non responderunt vires præsumptioni eorum*. Videturque proverbium fuisse, cùm בדים sint *vectes*.

7. *Propter fundamenta Civitatis fictilis*] Intelliguntur per hæc *fundamenta* Principes illius civitatis, quæ Hebraicè *Kir-Hareseth* vocatur: sicut per *claudos* intelliguntur reliquiæ inermes. ¶ Porrò per varias *vites* intelliguntur nobiliores quique homines, quorum quidam occisi fuerunt, alii in captivitatem abducti.

10. *Collectum est gaudium*] h. e. Ablatum. Sic enim plerumque utuntur verbo *colligere*.

12. *Ad sanctuarium suum*] Ubi scilicet in excelsis frustrà se fatigaverit oblationibus, confugiet ad Deos sanctuarii, si modò præ fletu orare possit.

14. *Anni mercenarii*] *Annus mercenarii* prolongationem non admittit, sed mox finito anno dejicitur mercenarius. Sic operarii iniquitatis à Deo accipiunt salarium. Ubi monemur ut paulù-lùm exspectemus in adversis, risuri paulò pòst retributionem peccatorum & ultiones Divinas.

VATABLUS.

1. Dominatoris terræ* מושל ארץ] *Dominatori*. Pervicaciam & obstinationem exprobrat Moabitis Propheta, quòd non resipuerint: propterea frustrà missuros Deo oblationes & sacrificia in Jerusalem. Ironia enim est.

2. *Fugiens*, &c. נודד קן משלח] *Vaga*, & velut *nidus abjectus*: i. erunt Moabitæ sicut avis discedens, sive recedens è nido suo, & velut pulli recèns ejecti è nido suo, qui nesciunt quò se recipiant. Alii legunt totum versum hoc modo, *Erit autem, sicut avis emissa recedens è nido*, ità *erunt filiæ Moab ad transitus Arnon*; cùm scilicet captivi ducentur in Assyriam, trajecto fluvio Arnon. Alii, *Et erit, sicut avis migrans nido ejecta, erant filiæ Moab* in *transitu Arnon*.

3. *Affer consilium, fac* הביאו עצה עשו] *Afferte consilium, facite*. Varia est lectio cod. Hebraicorum, הביא femineum, *Affer*, & הביאו *afferte*, עשי *fac*, & עשו *facite*. Revocat Moabitis in memoriam scelera ipsorum, quòd afflictis Judæis tantum abest ut succurrerint ut etiam ipsos magis afflixerint. ¶ *Fugientem* נודד] *Vagum, profugum*.

4 *A facie populatoris* מפני שודד] *Propter vastatorem*: i. nè veniant in manus hostis. ¶ *Defecit enim expressor* אפס המץ] *Quoniam cassavit emunctor*: vel, *finitus est*, aut *esse desiit*, *emulsor*. ¶ *Consumpta sunt*, &c. תמו רומס מן הארץ] *Consumptus est conculcator de terra ipsa*. Verbum plurale nomini sing. junctum: vel, *consumptus est* exercitus *conculcans è terra*.

5. *Et præparabitur* והוכן] *Stabilieturque*. Christi Regnum describit. ¶ *Et festinans ad justitiam* ומהיר צדק] Ad verb. *& festinator justitiæ*: vel *festinus justitiâ*, sive *justitiæ*. q. d. Dirimet litem sibi oblatam, unicuique jus reddendo: & inquiret lites non oblatas, quas quæret etiamsi nulli queri audeant: citóque faciet justitiam.

6. *Audivimus* שמענו] Hæc sub persona Gentium dicuntur, acsi dicat, *Tunc dicent multi*, *Moab meritò pœnas dedit: erat enim arrogantissimus*. ¶ *Non* erant *recta*, &c. לא כן בדיו] Variè hic locus versus est ab Interpretibus: nam quidam sic, *Non erunt veri sermones illius*. Alii, *non rata erunt mendacia ejus*: vel, *non erit veritas mendaciorum ejus*, i. non sortientur effectum quæ jactat. Alii, *non rectum cogitationes ejus*. Alii, *Superbia ejus & arrogantia ejus, atque indignatio ejus, verè non sunt nisi mendacia ejus*. Alii, *superbia ejus, & arrogantia ejus, & indignatio ejus non sicut fortitudo ejus*, i. Fortitudo ejus non est tanta quanta est ejus superbia. In istum sensum sic quidam liberius, *Arrogantiæ ejus, fastui ejus, & furori ejus lacerti ejus non respondent*. Nonnulli vertunt, *Non sic filii ejus*, sub. *facient*: quia desinet Regnum ejus.

7. *Moab super*, &c. מואב למואב כלוה ייליל] *Moab ad Moab, totus ipse ululabit*, vel, *lugebit*, i. Moabitæ superstites lugebunt Moabitas interfectos: universi superstites lugebunt. Alii sic ordinant, *Idcirco lugebit Moab, propter Moab universi lugebunt*: ut sit sing. pro plur. ¶ *Super fundamenta*, &c. לאשישי קיר חרשת וגו'] *Propter fundamenta Cir-hareseth gemetis, sed percussi*: i. propter eversionem illius urbis quæ eversa fuit a fundamentis. Quidam Hebræorum intelligunt per *fundamenta* Principes, primores & magnates. Nonnulli proprium nomen in appellativum convertunt, *Propter fundamenta civitatis fictilis* dolentes *meditabimini*: *qui tantum claudi*, sub. *remansistis*; per *claudos* reliquias inermes intelligentes. Alii, *propter dolia Cir-hareseth gemetis, sed abjecti*, aut *tristes*, vel *dolore affecti*: nam sequitur, *Quia vites Hesbon*, &c.

8. *Vites* שדמות] *Arva, campi suburbani*. ¶ *Desolata sunt* אמלל] Ad verb. *debilitabuntur*: aut *infirmabuntur*: aut *erunt excisa*. ¶ *Vitis* גפן] Sub. *excidetur*, *inquam*. ¶ *Contriverunt* הלמו] *Conculcarunt*. Quidam in futurum convertunt, *conculcabunt*, *conterent pedibus*, & sic verba sequentia. ¶ *Optimas vites ejus* שרוקיה] *Propagines ejus*: vel *palmites ejus*, ipsius *Hesbon* scilicet & *Sibma*, i. cujusque earum. ¶ *Erraverunt in deserto* תעו מדבר] *Erraverunt* usque ad *desertum*. ¶ *Propagines ejus*, &c. שלחותיה נטשו עברו ים] *Nobiles ejus plantæ prostratæ sunt* quæ *transibant mare*: vel, *nobiles surculi ejus prostrati sunt, ut mare transierint*. Alii, *propagines ejus extendent sese, transibunt mare*.

9. *In fletu* בבכי] i. *Unà cum civibus Jaazer & civibus Sibma*, sub. *dicet aliquis Moabita*: q. d. Deflebo sortem Jaazer & vineæ Sibma, cùm audiero miseriam eorum. Quidam vertunt, *Propterea plorabo fletu Jaazer*, i. pari fletu quo plo-

 rave-

raverunt Jaazer, *vitem*, i. cives, *Sibma*. ¶ *Inebriabo te* אריך] *Irrigabo te*. ¶ *Celeusma cecidit* הידד נפל] *Jubilus* hostium *irruit*: vel *irruet*. κέλευσμα, exhortatio nautarum mutua, & aliorum, cùm uno jubente, alii uno concentu respondent. Hic significat vocem militum exhortantium sese mutuò in expugnatione urbis: ac si dicat, Tempore quo fructus tuos & messem tuam colliges, irruent in te milites, qui sese cohortabuntur mutuò in expugnatione urbium tuarum.

10. *Et deficiet lætitia* ונאסף שמחה] Ab verb. *Collectum est autem gaudium*, i. sublatum, sive ablatum. Sic enim utuntur Hebræi verbo *colligendi*. Quidam, *Auferetúrque*, vel *Tolletur*: sive *Finietur*. ¶ *Celeusma* הידד] *Canticum*. Vide ver. 9. Significat hic calcantium vocem adhortantium se ad opus.

11. *Ad Moab* למואב] *Super Moab*. Alii, *propter* miseriam *Moab*. ¶ *Resonabunt* יהמו] Futurum Heb. pro præs. ut quidam vertunt, *resonant*, *murmurant*, *fremitum edunt*. ¶ *Ad Cir hâres* לקיר חרש] *Super Cir-hâres*, i. propter eversionem illius urbis.

12. *Quòd fatigatus fuerit*, &c. נלאה מואב על הבמה] *Fatigatum esse Moab juxta excelsum*, i. quòd defecerit Moab rogando & plorando juxta altare constructum in honorem Dei sui in colle: *tunc conabitur ingredi sacrarium* Dei *sui ut oret* eùm, *& non poterit* illuc ire præ fatigatione.

13. *Ex eo tempore* מאז] Ad verb. *extunc*: i. à tempore illo, vel *jam olim*, aut *jampridem*. Prædixerat Deus longè antè hanc eversionem: nunc autem dicit venturam intra triennium. Non præfixerat tempus, nunc autem præfigit.

14. *In tribus annis* בשלש שנים] *Intra tres annos similes annis*, &c. i. intra triennium præfixum & certum. Mercenariis enim certum tempus præstituitur, neque ipsis patiuntur aliquid addi: neque qui conducit, quicquam demi patitur. ¶ *Vilipendetur* ונקלה] *Et reddetur contemptibilis*. Alii, *in ignominiam vertetur*. ¶ *In omni populo multo* בכל ההמון הרב] *In omni multitudine multa*, i. quæ posita est in magno populi numero quem habet. Alii, *in tota multitudine* ejus quamvis *multa*. ¶ *Et residuum*, &c. 'ושאר מעט וגו] *Et reliquiæ* erunt *parvæ* & *modicæ* & *non fortes*. Alii, *quod residuum* manserit, erit *modicum valde & invalidum*. q.d. Maxima pars cadet, & qui supervixerint, erunt admodum pauci, nec recipient vires pristinas.

C A S T A L I O.

1. M*Ittite agnos dominatori terræ, ex Petra solitudinis ad montem puellæ Sionis*] Pendite tributum Judæis, ut olim 2 Reg. 8. quod facere desiistis 3 Reg. 1.

7. *Mutilis quoque ad Cirharesæ murorum radicem plangentibus*] Scil. mendicis.

9. *Cecidit æstatis messisque tuæ celeusma*] Heb. ad verb. *In æstatem messémque tuam cecidit celeusma*, h. e. Jubilum & lætus cantus quo solent uti qui metunt aut vindemiant periit tibi, vastatis agris: ut sit *celeusma in æstatem* pro adjectivo *æstivum*, jungatúrque nomen *celeusma* cum *æstatem*: id quod Græcè melius per articulum exprimi posset, τὸ ἐπὶ τ̃ θερισμὸν κέλευσμα. & verbum *cecidit* positum sit (ut sæpe fit) pro *periit*, ut declarant sequentia. Confer cum Jer 48.

C L A R I U S.

1. E*Mittite agnum dominatori terræ*] Legimus 4 Reg. 3. de *Mesa Rege Moabitarum*, quòd paverit multa pecora, & *solverit tributum Regi Israel* Achab; *quo mortuo*, *prævaricatus est fedus*. Tributum autem erat *centum millia agnorum*, *& centum millia arietum*, *cum lana eorum*. Est autem *Petra deserti* arx & civitas principalis in Regno Moab. Ab hac, inquit, nisi *miseritis Dominatori universæ terræ munera*, & placaveritis faciem ejus, *eritis sicut aves è nido dimissæ*, & transferent hostes *filias* vestras, & exsulabitis *ultra fluvium Arnon*, &c.

3. *Ini consilium*] Voluisses, inquit, nunc *coegisse concilium* pro suscipiendis profugis nostris cùm ad vos confugerent. ¶ *Pone quasi noctem umbram tuam in meridie*] h. e. Voluisses recreare in afflictionibus: ut sit Ironia, q. dicat Dominus, *Cùm ejecti mei apud te vagarentur*, *præsidium nullum habere potuerunt: nunc autem*, *cùm illorum defecerim & in nihilum redacti sint hostes*, *& regium solium in misericordia illis sit præparatum*, *tu exsulabis*, &c. Alii sic, *Jam venit tempus consultandi de rebus vestris*; *jam vicem vobis hostes rependunt pro crudeli austeritate vestra*, *quâ profugos Israelis ad vos confugientes suscipere renuistis. Quàm nunc in medio calamitatum*, *in ardentissimo meridiano æstu optaretis umbram refrigerii & hospitalitatis refugium consequi? Quare ergò non nostros quoque profugos suscepistis*, *sed vagos palamésque prodidistis Assyrio?*

6. *Indignatio*] Quia scilicet absque causa furore concitatus est in vicinos quosque. *Superbia* enim & *indignatio ejus* magna fuit: sed hæc cùm *mendacia* & doli fuerint, non liberabunt, à perditione.

7. *Propter fundamenta Civitatis fictilis*] Quæ Hebraicè *Cir-Hareseth* vocatur. Per varias *vites* intelliguntur nobiliores quique homines, quorum quidam occisi fuerunt, alii in captivitatem abducti. Fieri tamen potest ut eleganter filios ebrietatis conferat Vineæ, & eos contristet vinearum ablatione. Tradunt enim Historici quasdam Ammonitarum & Moabitarum civitates à Baccho conditas. ¶ *Loquimini voce submissâ dolentes*] Heb. *Meditabimini tantùm claudi*.

8. *Usque ad Jazer*] Quæ erat terminus Moabitarum, urbs nobilis in Tribu Gad sita.

9. *Super hoc plorabo*] *Ego Moab flebo in fletu civitatem Jazer*, *& flebo vineam Sabama*.

12. *Cùm apparuerit quòd laboraverit*] Cùm visus fuerit frustrà se fatigasse in excelsis per oblationes, confugiet ad Deos sanctuarii, si tamen præ fletu orare possit.

14. *Quasi anni mercenarii*] *Annus mercenarii* prolongationem non admittit, sed mox finito anno ejicitur mercenarius.

F O R E R I U S.

1. Q*Uid alii hoc loco sentiant non opus est referre: Ego quia participium* מושל non video cui rectè attribuatur nisi nomini כר, alium hìc subesse sensum putavi, nempe ut sit Ironia, quæ notat & pulsat ferociam illam atque arrogantiam Moabitarum, quando junctis Ammonitis venerunt adversùs Josaphat Regem Jehuda, q. d. *Mittite nunc militem seu exercitum ab urbe quæ dicitur Rupes deserti seu Petra*, *ad montem Tcion*, *qui dominetur*, *& terram sibi subjiciat. Scilicet in eo statu res vestræ sunt: nihil equidem minus poteritis facere: quinimo vestræ illius arrogantiæ nunc pœnas luetis*, &c. Est autem כר *aries*, cujus plurale interdum etiam instrumenta quædam bellica significat quæ Latini *arietes* vocant. Et כרי, quod positum est pro כרים, *viros fortes & bellicosos* sign. 2 Reg. 11. sicut figuratè qui fortitudine aliis antecellunt dicuntur in Scripturis עתודים *hirci* & אילים *arietes*. Hìc autem כר collectivè accipitur. Quòd si מושל in dandi casu velis accipere, (ut quidam volunt) erit etiam Ironia in hunc modum, *Vos*, *qui divites estis arietum & ovium*, *mittite tributum: videte an placare possitis muneribus Regem & Ducem qui nunc dominatur*, *Regem nostrum Ezechiam*. *Sed sera est pœnitentia*, &c.

2. *Et erit*] *Futurum est ut Moabita sint similes avi*, &c. ¶ *Fugiens*] נודד, sive à נד sive à נדד, sign. *motum celerem*, *fugam*, *agitationem*: neque potest commodè uno semper verbo reddi: *vagam* vel *vagabundam* hìc dicere possumus. ¶ *Et pulli*, &c. Sensum expressit Vulg. Usurpat enim Hebraismus nomen *nidi* interdum pro ipsis *pullis*: & vocat *nidum dimissum* pullos dejecto nido huc atque illuc volitantes. Et repetenda est nota Similitudinis, & supplenda nota quæ illi solet respondere, *sic*, vel *ità*, &c. quas non rarò Hebræi omittunt. ¶ *In transcensu*] Sensum non mutavit Vulg. Ego, abrasis punctis, video מעברות posse esse participium quod præteritum vocant 3 conjug. i. *facta transire*: & ità intellexisse videtur Vulg. Alioqui vox hæc *vada* sign. in qua significatione si velis hìc accipere, sunt aliæ voces supplendæ: *Hic erit*, *ô Moab*, *status rerum tuarum: quem confer cum arrogantia tuâ quâ subjicere tibi volebas montem Tcion*.

3. *Ini consilium*, &c.] Continet hic versus alteram Ironiam non minùs acrem adversùs Moabitas. Isti enim (ut est verisimile) cùm Rex Assyrius adversùs Jehudam contenderet, & civitates Regni Jehuda cœpisset subjugare, *concilium cogebant*, & (quod fit in arduis deliberationibus) vocatis Regni Satrapis in dubium vocabant an excipiendi essent profugi Judæi qui metu Assyriorum ad Moabitas confugiebant: timere enim poterant nè in se provocarent Assyriorum indignationem. Insumebant itaque dies in hujusmodi deliberationibus; cùm interim Israelitæ vagi huc atque illuc abirent latebras quærentes. Hos irridet Propheta, quòd Regnum Jehuda sub Ezechia fuerit à Deo confirmatum, & Assyrii deleti; ipsi autem Moabitæ pœnas luerent hujusmodi crudelitatis, eadem perpessi quæ Israelitæ. ¶ *Coge concilium*] Ad verb. *fac judicium*. Sed sensus est quem Vulg. expressit. Verba Hebræa habent Vau pro Jod. ¶ *In meridie*] Sic verba expresseris, *in medio meridie*, i. in fervore meridiano, in ipso nempe persecutionis fervore. ¶ *Pone*, *abscondé*, &c.] Non inducta persona loquentis, sed posita hæc verba juxta illa,

illa, *Ini consilium*, *coge concilium*, significant inhumanitatem Moabitarum, qui, cùm res proximorum præsens postularet auxilium, ad deliberationes sese convertebant.

4. *Habitabunt*] Carent modis Hebræi, quos Latini habent, utuntúrque futuris pro ipsis, *habitent*, *agant*, seu *peregrinentur*, *in te*, *inter vos*, *apud te*. ¶ *Finitus est enim pulvis*] Vox מץ *glumam*, i. folliculum triturando decussum de granis frumenti, deinde *paleas*, *quisquilias*, &c. sign. si cum Holem proferatur: At *M E Z emulsorem* seu *emunctorem* sign. à verbo מצץ vel מוץ: neque alibi memini me legisse in hac forma: sed Pro. 30. מיץ eâdem significatione. Eundem autem subesse sensum putato, sive dicas *defecisse emunctorem* sive *expressorem*, i. qui grana ex folliculis excutiat, sive *defecisse pulverem*, i. glumam, folliculos, paleas, &c. i. defecit trituratio, vel defecit gluma; i. qui erant excutiendi excussi sunt, & qui erant ventilandi ventilati sunt: jam non sunt paleæ inter nos, jam grana munda sumus. Est autem ratio irrisionis, q. d. Non est quòd jam *consilium ineas*, aut *concilium cogas*, an debeas profugos recipere: jam defecit qui triturabat Israelitas, &c. ¶ *Qui conculcabat*] Additur verbum plurale participio sing. i. consumpti sunt omnes conculcatores. ¶ *Terram*] Heb. *è terra*, i. qui conculcando è terra ejiciebat. Vel potiùs hoc conjungendum est cum verbis præcedentibus, *cessavit è terra*, *consumpti sunt è terra*, &c.

5. *Et præparabitur*] Conjunctio Vau conjungit sententiam hanc verbis præteriti quæ præcedunt: ideo per præteritum potiùs verterem: Non solùm, inquit, non est qui nos cruciet, sed & Regnum Jehuda *confirmatum est* bonitate & *misericordiâ* Dei nostri. ¶ *Et sedebit*] In præterito quoque dicendum: sic enim magis confirmatur irrisio. Jam habemus, inquit, qui *sedeat in solio in veritate*. Sunt hîc attributa boni Regis, qui summa cum *veritate* seu fidelitate Regium munus exercet, Deo obediens, & populum suum non defraudans, neque dolis res eorum avertens, justitiæ administrandæ studiosus atque adeò *festinus* ad respondendum de jure, & tribuendum cuique quod suum est. ¶ *Et velociter reddens*] Duabus vocibus expressit vim nominis מהיר, quod propriè *festinum* sign. *Festinus* ergò *justitiæ* est qui nullâ morâ, nullis tergiversationibus jus reddit, causas justè dirimit. Nam in jure dicendo vel ipsa cunctatio sæpe non parùm injustitiæ continet. Quamvis hæc de Ezechia pro Israële adversùs Moabitas dicta videantur, nè dubitet Christianus lector hæc in Christum Dominum rectiùs convenire, qui populo suo dum extrema pateretur adfuit, Regnum David stabilivit, deletis hostibus, Peccato, Morte & Inferno; ut universos nobis inimicos irridere meritò possimus. Facit quoque hic locus adversùs divites avaros, qui negligentes & difficiles sunt ad subveniendum pauperibus, & in nulla re magis cunctabundi quàm in eleemosynis erogandis, cùm interim pauperes fame & frigore pereant, &c. Non hæc diu perferent pauperes Christi, ô divites; non semper vobis erunt ludibrio: deficient hostes; cessabunt gemitus & lacrymæ, & Dominus judicabit in justitia pauperes, &c.

6. *Audivimus superbiam*, &c. Ecce quod v. 1. dicebamus de superbia & arrogantia Moabitarum. ¶ Illud autem *plus quàm fortitudo ejus*] Vulg. non malè vertit. Ego verba & Hebraismum retinui, quòd facilis esset. *Vectes* enim interdum vocat Hebraismus fortitudinem seu potentiam, ut infrà 41. & Job. 11, &c. Eâdem voce utitur Jeremias c. 48. quæ Osee 11. pro *optimatibus* videtur accipi. Et credo quòd à *solitudine* sic dicantur Vectes, & aliæ res quæ rem aliquam solæ sustentant, ut Magistratus, &c. Nam בדד esse radicem puto.

7. *His qui lætantur*] אשישים ferè omnes Hebræi hic pro *fundamentis* accipiunt. Sed neque locum aliquem proferunt ex Scripturis ubi hoc nomen sic accipiatur, neque certas conjecturas quibus ostendant vocem id significare. Nam quòd אשיה *fundamenta* significet, à verbo שית *posuit*, facilè concedam: at unde geminatum אשישים? Et quidem Vulg. à verbo שוש vel שיש deductum putavit, i. *gavisus* seu *lætatus est*. Neque est aspernandus sensus quem nobis affert. Nam חרשת *fabrefacturam* sign. & חרש *fictile vas*, & קיר *murum*, q. d. *Proferte plagas* (seu *fracturas*) *illis qui sibi placent in fabrefacturis murorum*. Nam & הגה verbum *canere* seu *promere* interdum notat, & נכאים potest esse à verbo נכה, ה in א commutato, & *læsos* seu *percussos* sign. Quibus adde quòd aliis punctis nomen נכאים potest esse in plur. cum affixo pronomine, ut significet *læsos eorum*; vel *percussuras eorum* vel *suas*, &c. Quæ dixi ut nemo audeat re minimè consideratâ dictis tantùm Rabinorum contentus Vulg. Interpretem damnare; quod plerique solent. Ego alium sensum indicavi in mea editione, non quòd eum præferam interpretationi Vulgatæ, sed ut sciat lector aliter hæc juxta Hebraismum posse accipi. Posthabitis enim Rabinorum commentis, nomen אשישים, sicut & verbum 4. conjug. התאששו, de quo infrà 64. à nomine איש deduci potest. Et quidem verbum notat *viriliter agere*; & nomen hoc geminatum, id quod maximè virile est, i. *virtutem*, *fortitudinem*, *robur*. Nos perspicuitatis causâ vertimus *viros*: nam Jer. 48. ubi hæc eadem sententia ponitur, pro אשישים est אנשים, *Propterea*, inquit, *super Moab ululabo*, *& ad Moab universum exclamabo*, *ad viros Chir-heres*, &c. Accipio itaque *Kirhereseth* pro nomine proprio, & verbum הגה cum Vulg. *promere*, *canere*, *loqui*: de quo jam suprà. q. d. *Cantu lugubri promite nomina perturbatorum*: *nihil aliud quàm numerum consternatorum* (seu potiùs *cæsorum*) *proferatis ad viros qui in sua fortitudine confidebant*: vel, *totus ululabit super viris Kebereseth*: *commemorabitis tantummodo vulneratos* (seu *percussos*) *eorum*. Illud enim *super viris* tam præcedentibus quàm sequentibus connecti potest.

8. *Suburbana*] Moabitas comparat *Propaginibus*, quæ longè latéque emittuntur. Irridet itaque Propheta florentem statum Moabitarum, qui adventantibus hostibus huc atque illuc dispersi, quidam ad ultimos fines Regni properaturi erant; alii per desertum, quod Moabitis adjacet, vagi erant abituri; quidam verò mare Mortuum transituri, ut saluti & rebus suis consulere possent.

9. *Irruit*] נפל *cecidit*, *ruit*. Interdum verbo *intercidendi* optimè redditur, Jos. 21. *Non cecidit quidquam de omni verbo*, &c. Et juxta hanc phrasim habetur Luc. 16. *Facilius est cœlum & terram transire quàm Legis unum apicem cadere*: sic & hoc loco, quod seq. versu explicatur. Sensum tamen Vulgati interpretis, quòd scilicet hostes in *messem* & *vindemiam* Moabitarum summo cum clamore irruerent, confirmat locus Jer. 48. ubi dicitur *prædo irruisse super messem*, &c. Vide locum, qui omnino idem est.

11. Versum hunc accipiendum existimo ut præcedenti cap. ¶ *Venter meus*] Nomen מעי Hebræis est *acervus*: infrà 17. à verbo עוה *curvum fuit*.

12. *Et erit*, *cùm apparuerit*, &c.] Vel, *Futurum est autem*, *cùm apparuerit*, (scilicet *malum hoc quod prædico*) *quòd defatigatus Moab super excelsum* [scilicet *velit conscendere*] *& veniat ad sanctuarium suum*, (i. venire velit) *neque valeat*, scilicet *præ lassitudine*. Parum distat hic sensus ab altero quem in versione expressi: & hanc germanam interpretationem hujus versûs esse existimo. Neque distinguere oportet *excelsum* à *sanctuario*. Atque hoc præter alia malum habet superstitio eorum qui falsos Deos colunt, ut, quia certo loco addictum & affixum putant Divinum Numen, cùm corpore illuc accedere non possint, omnino eis desperandum sit in rebus adversis. Cultores autem veri Numinis itâ religionem certis locis ac temporibus assignant ut tamen intelligant Deum ubique adesse, & omni tempore & loco, ut, si manus cordis levent, & genua flectant Deo suo, exaudiantur. Nè existimes autem Prophetam in miseria aut infelicitate numerasse quòd *non possent adire excelsa sua Moabitæ*: nihil enim auxilii à Diis suis possent, etiam si maximè adiissent, impetrare: sed secundùm depravatam opinionem eorum hoc addidit. Nemo enim est qui non torqueatur & crucietur animo, si in adversis rebus intelligat præpeditam sibi esse viam quominus queat pro Deo colit, possit adire, precari atque consulere. Neque quisquam est tam barbarus qui, cùm humana omnia adversa sibi experiatur, à Deo petendum auxilium non arbitretur.

13. *Hoc verbum*] Itâ habet Hebraismus, quem ego mollivi. Est autem idem quod Jer. 48. *Hucusque judicia Moab*. ¶ *Ex tunc*] Id est, multò antè quàm fierent: olim; ex multo tempore; infrà 45.

15. *Quasi anni mercenarii*] Quibus nihil deest neque superest. ¶ *Auferetur*] Verbum קלה propriè est *torrere*: in passiva *levem fieri* seu *extenuari*. Quare Vulg. non malè reddidit. Potest & pro *vilipensione* accipi. Quod enim torretur, leve fit. Et habet affinitatem cum verbo קלל. Vide suprà 3. 5. ubi participium vocis passivæ pro *vili* seu *levi penso* accipitur. ¶ *Gloria*] Pro *divitiis* aut pro *nobilitate* & *magnatibus* solet accipi כבוד. ¶ *Super omni populo multo*] Non dubium quin המון interdum *populum*, *multitudinem*, *vulgus* significet: de qua voce jam suprà dixi, quòd & *strepitum qui ex multitudine oritur* designet. רב autem & adjectivè & substantivè accipi potest. Sensus idem est: *strepitus* enim *multitudinis* pro ipso *populo* seu *turba*, imò & pro *exercitu*, accipi potest. Ego libenter nomine *gloriæ* nobiles & primates, nomine autem *turba* seu *strepitûs multitudinis* vulgus & populum reliquum intelligo. ¶ *Sicut racemus*] In Hebræis Bibliis non habentur quæ nunc circumferuntur.

DRUSIUS.

5. וְהוּכַן בַּחֶסֶד כִּסֵּא. Aq. κ̀ ἑτοιμασθήσεται ἐν ἐλαίῳ θρόνος *& firmabitur oleo sedes.* Sym. κ̀ ἑτοιμασθήσεται μετ' ἐλέους θρόνος *& stabilietur cum misericordia thronus*] Ἐν ἐλαίῳ leg. ἐν ἐλέῳ *misericordia.* Nam ἐν ἐλαίῳ, i. בשמן. Sic alibi ἀναίμων permutatur cum ἀνέμων. Res est, non conjectura. Emendatio tam certa quàm quæ ad Sagram. Igitur in versione Latina repones, pro *oleo*, *misericordia*, quod est interpretamentum antiquum τοῦ חסד. Nihil certius. Sumptum est hoc testimonium ex Eusebio cujus interpres Frisius. Aq. *& apparabitur in misericordia* (legit ergò ἐν ἐλέῳ) Sym. *& apparabitur cum misericordia solium.*

11. לְקִיר חָרֶשׂ. Th. *ad murum dissipatum*] Hieron. OMNIA VISCERA MEA AD MURUM COCTI LATERIS; *pro quo interpretatus est Th.* AD MURUM DISSIPATUM.

13. מֵאָז. Sym. Th. *ex tunc*, ἀπὸ τότε.

14. וְעַתָּה דִּבֶּר יְהוָה לֵאמֹר בְּשָׁלֹשׁ שָׁנִים כִּשְׁנֵי שָׂכִיר. Sym. *Et nunc locutus est Dominus, dicens, In tribus annis quasi mercenarii tempore.* Th. *Et nunc locutus est Dominus, dicens, In tribus annis quasi annis mercenarii.* Aq. *In tribus annis mercenarii*] Græcè ista leguntur in ed. Rom. Sumpta autem sunt ex Comment. Eusebianis, Κατὰ Ἑβραϊκὴν φωνὴν, ἡ κατὰ τοὺς λοιποὺς ἑρμηνευτὰς, διαστολὴ μεταξὺ βληθεῖσα σαφεστέραν κατέστησε τὴν διάνοιαν· κατὰ μὲν τὸν Ἀκύλαν εἴρηται, Ἐν τρισὶν ἔτεσι μισθωτοῦ· κατὰ δὲ τὸν Σύμμαχον, Ἐκ τότε κ̀ νῦν ἐλάλησε Κύριος, λέγων, Ἐν τρισὶν ἔτεσιν ὡς ἐπὶ μισθωτοῦ (correxerim ὡς ἔτη·) κατὰ δὲ τὸν Θεοδοτίωνα, Ἀπὸ τότε κ̀ νῦν ἐλάλησε Κύριος, λέγων, Ἐν τρισὶν ἔτεσιν ὡς ἐνιαυτοῖς μισθωτοῦ. Sequitur in eodem versu, ¶ וְנִקְלָה כְּבוֹד מוֹאָב בְּכֹל הֶהָמוֹן הָרָב. Οἱ λοιποὶ, Καὶ ἀτιμασθήσεται ἡ δόξα Μωὰβ σὺν παντὶ τῷ πλούτῳ τῷ πολλῷ, *Et dehonestabitur gloria Moab cum omnibus divitiis multis*] Hoc *secundum istos interpretes & secundum linguam Ebraicam ab alio principio dicitur.* Eusebius, εἶτα ἀφ' ἑτέρας ἀρχῆς εἴρηται παρὰ τοῖς λοιποῖς ἑρμηνευταῖς κ̀ κατὰ τὴν Ἑβραϊκὴν φωνὴν, τὸ, Καὶ ἀτιμασθήσεται, &c. Πλούτῳ, legerim πλήθει quomodo sanè legisse videtur Interpres, qui vertit, *cum omni multitudine multa.* Sanè המון *multitudo. Divitiæ* autem, i. πλοῦτος, עשר appellantur.

IDEM EX PROCOPIO.

1. הַר בַּת־צִיּוֹן. Aq. Sym. Th. τὸ ὄρος θυγατρὸς Σιὼν, *montem filiæ Sion.*

2. וְהָיָה כְעוֹף־נוֹדֵד קֵן מְשֻׁלָּח תִּהְיֶינָה בְּנוֹת מוֹאָב מַעְבָּרוֹת לְאַרְנוֹן. Aq. κ̀ ἔσται ὡς πετεινὸν μεταναστεῦον, νοσσιὰ ἐξαπεσταλμένη ἔσονται θυγατέρες Μωὰβ, διαβάσεις τοῦ Ἀρνών, *Et erit avis solum mutans, nidus emissus erunt filiæ Moab, transitus Arnon*] Πετεινὸν, *volatile, volucre.* Νοσσιὰ, desideratur in Procopio. Τοῦ Ἀρνών ità restitui. Nam in libris τῶν ἀρνῶν. Mendum quale in Evangelio Johannis, ubi τῶν κέδρων legitur pro τοῦ Κεδρών. Vide Commentarium ad Voces N. T. alterum.

3. הָבִיאוּ עֵצָה. Aq. φέρετε βουλὴν *adducite*, sive *adferte*, *consilium.* Th. αἱ διαβάσεις Ἀρνὼν φέρετε βουλὴν, *trajectus Arnon, adferte consilium.* ¶ אַל־תְּגַלִּי. Th. μὴ ἀποκαλύψῃς *nè reveles.* * μὴ ἀχθῇς. Sym. μὴ ἀποδιώξῃς *nè persequaris.* Suspectum.

4. הֱוִי־סֵתֶר לָמוֹ. γίνου ἀποκρυβὴ αὐτοῖς, *esto latibulum eis.* ¶ מִן־הָאָרֶץ. Sym. Th. ἐκ τῆς γῆς, *è terra.* Aq. ὁμοίως τε ὁ.

5. וְהוּכַן בַּחֶסֶד כִּסֵּא. Aq. Th. κ̀ ἑτοιμασθήσεται ἐν ἐλέῳ θρόνος, *& præparabitur in misericordia thronus*] Ἤγουν μετ' ἐλέους *cum misericordia.*

6. גְּאוֹ מְאֹד גַּאֲוָתוֹ וּגְאוֹנוֹ וְעֶבְרָתוֹ. Sym. ὑπερήφανος σφόδρα κατὰ τὸ ἔπαρμα αὐτοῦ, κ̀ κατὰ τὴν ὑπερηφανίαν αὐτοῦ, κ̀ τὴν ὀργὴν αὐτοῦ, *superbus valde secundum elationem ejus, & juxta superbiam ejus, & iram ejus.* Alius, —— κ̀ ἡ ὕβρις αὐτοῦ κ̀ ἡ μῆνις αὐτοῦ, *& superbia ejus & ira ejus.* ¶ לֹא־כֵן בַּדָּיו. Sym. οὐχ οὕτω οἱ βραχίονες αὐτοῦ, *non sic brachia ejus.*

7. לַאֲשִׁישֵׁי קִיר־חֲרֶשֶׂת תֶּהְגּוּ. Sym. τοῖς εὐφραινομένοις ἐν τῷ τείχει τῷ ὀστρακίνῳ φθέγξασθε, *lætantibus in muro testaceo dicite.* Aq. τοῖς πολυχρονίοις μου τοίχῳ ὀστρακίνῳ μελετήσατε, *longævis meis muro testaceo meditemini.* Th. τοῖς αὐχμώδεσιν *squalidis*] Legerim πολυχρονίοις. Nam πολυχρόνιος dicimus, non πολυκρόνιος· quanquam Κρόνος, ἀπὸ τοῦ χρόνου.

8. שַׁדְמוֹת. Aq. ἄρουραι *arva.* Sym. κλήματα *palmites.* Th. ἀγροὶ θανάτου *agri mortis*] שדי מות, vel, si placet, שדי מות, *Sede Moth.* Nam *Moth* legebant antiqui pro *Maveth.* ¶ שְׁלֻחוֹתֶיהָ. Aq. Sym. οἱ ἀπεσταλμένοι ἀπ' αὐτῆς *missi ab ea.* ¶ עָבְרוּ יָם. Aq. Sym. Th. διέβησαν τὴν θάλασσαν *transierunt mare.*

9. חֶשְׁבּוֹן. Sym. Ἐσβὼν *Hesbon.* ¶ וְאֶלְעָלֵה. Aq. Sym. Th. κ̀ Ἐλεαλὴ *& Eleale*] Id corruptum in ἐλάλησεν in ed. antiqua.

10. מִן־הַכַּרְמֶל. Aq. ἀπὸ τοῦ Καρμήλου *à Karmelo*] Sym. Th. ἐκ τοῦ Καρμήλου *ex Carmelo.* ¶ וּבַכְּרָמִים לֹא־יְרֻנָּן. Aq. κ̀ ἐν ἀμπελῶσιν οὐκ αἰνέσει *& in vineis non laudabit*] ירנן aliis punctis.

11. לְקִיר חָרֶשׂ. Sym. τῷ τείχει ὀστρακίνῳ *parieti testaceo.*

13, 14. מֵאָז וְעַתָּה דִּבֶּר. Οἱ λοιποὶ, Ἐκ τότε κ̀ νῦν ἐλάλησεν, *jam inde & nunc locutus est*] Hodie κ̀ νῦν ἐλάλησεν initium est v. 14. ¶ כִּשְׁנֵי שָׂכִיר. Sym. ὡς ἔτη μισθωτοῦ *tanquam anni mercenarii*] Priùs erat ἐπὶ, quod legit Curterius: nam vertit *quasi sub mercenario.* Ego non dubito quin vera sit emendatio mea. ¶ וְנִקְלָה כְּבוֹד מוֹאָב. Aq. Sym. Th. κ̀ ἀτιμασθήσεται ἡ δόξα Μωὰβ, *& negligetur gloria Moab*] Vel *contemnetur, ignominiâ notabitur.* Malè interpres *auferetur.* Idem pòst bene reddit *ignominiâ afficietur.*

GROTIUS.

1. E*Mitte agnum, Domine, dominatorem terræ de Petra deserti ad montem filiæ Sion*] In Hebræo est tantum: *Mittite agnum dominatori terræ.* Pergit ad Moabitas loqui, monétque eos ut agnum, id est agnos, quos pro tributo Davidi olim pependerant pro pace ac tutela 2 Reg. VIII. 2. deinde Regibus Israëlis ad Achabi usque tempora 2 Reg. III. 4. nunc è verso Israëlis regno, pendant legitimo heredi Davidis, id est, Ezechiæ. Meliùs autem vertas, *de Petra ad desertum*, quàm *de Petra deserti*: ut intelligas hæc imperari Moabitis omnibus, quorum fines à Petra ab Idumæis possessa ad desertum Jordanis pertingebant.

2. *Et erit sicut avis fugiens, & pulli de nido avolantes: sic erunt filiæ Moab in transcensu Arnon*] Est sermo ἐλλειπτικὸς [*defectivus*]. Sensus enim est, *Sicut avi profugæ & pullis è nido suo ejectis arbores sunt pro perfugio: sic urbes Moabitarum quæ sunt ad vada Arnonis* (id est, propinquæ Israëlitis, Jud. XI.) *Israëlitis sint pro perfugio.*

3. *Ini consilium*] In Hebræo: *Adfer consilium.*

Coge concilium] In Hebræo, *Fac judicium*: id est, præsta Israëlitis quod debes ex fœdere veteri.

Pone quasi noctem umbram tuam in meridie] In gravissimo æstu (id est, in illo incursu Salmanasaris qui priùs Israëlitas bello perculit quàm Moabitas attingeret) refrigera eos, tanquam nox esset, per quam cessat æstus.

Absconde fugientes, & vagos nè prodas] Sit illis miseris tutus apud vos receptus.

4. *Habitabunt apud te profugi mei*] Habitantes, quod & sequentia explicant.

Finitus est enim pulvis, consummatus est miser, defecit qui conculcabat terram] Verte ex Hebræo, præteritis sumtis in sensum futuri, ut fieri solet, in Prophetis maximè. *Finiet enim expressor, definet populator, abibit de terra conculcator.* Id est, si faciatis quæ jam dixi, Deus efficiet ut abeat Salmanasar, vobis intactis.

5. *Et præparabitur in misericordia solium*] *Firmabitur* in Hebræo. Deus propter ista misericordiæ opera dabit vobis statum felicem.

Et sedebit super illud in veritate in tabernaculo David, judicans & quærens judicium, & velociter reddens quod justum est] Habebitis bonos judices, idque sub tutela domûs Davidicæ. Sicut tentorium à Sole protegit homines, sic Reges posteri Davidis vos defensabunt.

6. *Audivimus superbiam Moab*] Quasi dicat Propheta, Surdis canimus: frustra bona illis monita damus: nihil minùs illi facient quàm quod rectum est.

Superbia ejus, & arrogantia ejus, & indignatio ejus plusquam fortitudo ejus] Bene vertit בדיו [*fortitudo ejus*]. Vide Job. XLI. 3.

7. *Iccirco ululabit Moab ad Moab*] Planget Moabita ob Moabitam.

His qui lætantur super muros cocti lateris loquimini plagas suas] חרשת alibi quidem *testam* significat; at hic *Solem*, ut apparet infrà 11. Diximus suprà XV. 1. Vertas hunc locum optimè sic ex Hebræo, *De fundamentis Kirchareseth* (*Oppidi Solis*) *dicetis: attamen eversa sunt*, id est, Confisi quidem eramus istis tantis munimentis: sed stare contra Assyrios non potuerunt. Vide quæ dicemus ad Jeremiam XLVIII. 31.

8. *Suburbana Hesebon*] Vide suprà XV. 4.

Et vineam Sabama domini gentium exciderunt] Connecte cum superioribus, *& vinea Sabama.* De Sabama vide Num. XXXII. 38. Per *vineam* aut *vinetum* civitatem intelligit.

Domini gentium exciderunt flagella ejus] In Hebræo: *optimus plantas ejus*, id est, cives præstantissimos.

Ad Jazer pervenerunt] Vide Josuen xxi. 39.

Erraverunt in deserto] Moabitæ errabunt in deserto ad Jordanem.

Propagines ejus relictæ sunt] In Hebræo: *emissiones ejus extensæ sunt*: id est, longè exsulabunt.

Transierunt mare] Quidam præ metu etiam mare trajicient, putà in Cyprum.

9. *Eleale*] Suprà xv. 4.

Vox calcantium] Barritus omnia corrumpentium.

10. *Auferetur lætitia & exsultatio de Carmelo*] *A campo ubere*. Id enim est כרמל [*Carmel*] ubi communiter sumitur.

Vocem calcantium abstuli] Calcare enim solebant cum canticis.

11. *Quasi cithara*] Quæ non sonat, nisi percussa.

Ad murum cocti lateris] *Ob Kircharesch*, sive *Kircharesth*.

12. *Et erit cùm apparuerit quòd laboravit Moab super excelsis suis*] Id est, cùm videbunt Moabitæ se in frondosis collibus multùm orando nihil proficere.

Ingredietur ad sancta sua] Volent ire ad commune Gentis idolium, quasi ibi potiùs exaudiendi.

Et non valebit] Non poterunt eousque pervenire.

13. *Hoc verbum quod locutus est Dominus ad Moab ex tunc*] Id est, quæ hactenus dixi, sine præfinitione temporis jam pridem mihi Deus revelaverat.

14. *Et nunc locutus est Dominus dicens*] Nunc verò etiam tempus mihi significavit.

In tribus annis] Post tres annos ex quo postrema hæc revelatio mihi contigit.

Quasi anni mercenarii] Id est, præcisè numerati, ut solet fieri ab his qui operas locant: infrà xxi. 16.

CAP. XVII.

MUNSTERUS.

3. *Præsidium ab Ephraim*] Per *Ephraim* intellige Regnum Israel, quod cum Rege Syriæ se conjunxerat, & arma contra Jehudam movit. Prophetat igitur Jesaias simul contra Syriam & Regnum Israel, quòd gloria utriusque Regni eodem tempore sit migratura in captivitatem. Nam omnium sors est æqualis qui affligunt populum Dei, sive sint Syri sive Israelitæ sive Assyrii. Et quando dicitur *Damascum ablatam*, hoc non est intelligendum de urbe, quæ adhuc stat, sed de hominibus tunc in ea habitantibus. Quomodo autem sint tractandi ostenditur similitudine. Resecabit sine delectu omnes homines: Et *sicut in valle Rephaim*, ubi fertiliores sunt *spicæ*, derelictæ quæruntur & *colliguntur*, ità hostis quæret per Regnum homines, quos abducat & perdat.

5. *Qui colligunt messem segetum*] *Erit*, inquit, quando hæc duo Regna devastabuntur, *sicut in messe*, in qua *spicæ* omnes *demetuntur*, & paucissimæ *relinquuntur*: & si quædam relinquuntur, veniunt *racematores*, & colligunt quæcunque in agro invenerint. Porrò per *grana olivæ in summo ramo relicta* putant Hebræi intelligendos Jerosolymitanos, qui pauci erant respectu X Tribuum.

7. *Respiciet homo*] Exponitur ab Hebræis ישעה per פנה *convertet se*, & per בטח *sperabit*. Calamitas, inquit, coget eos ut ad Deum respiciant convertántque se.

9. *Quas dereliquerunt*] Sicut, inquit, olim Chananæi dereliquerunt civitates suas Israelitis, sic nunc Israelitæ derelinquent eas, relictis paucis virgultis & frondibus.

10. *Idcirco plantabis*] Hebræi hunc locum sic exponunt, *Cùm Deum coleres, plantabas plantas jucundas; nunc verò cùm illius oblitus sis, plantas vitem alienam & reprobam, aut plantas pro alienis. Tunc quæ plantabas illico germinabant: nunc verò cùm putes te habere messem, nihil invenis præter dolorem.* Exponunt autem quidam נד pro נר, & alii pro גדיש נדיש *acervo*. Sunt etiam qui נחלה interpretantur pro *infirmitate percussum*; ut sit passivum à verbo חלה.

12. *Væ multitudini*] Id ad exercitum Sanherib referunt; quem cùm Deus *increpasset*, perdito unâ nocte toto exercitu, Rex cum paucis *aufugit* in Assyriam. Hic venit cum *strepitu* maximo contra Jerusalem, comparatúrque *aquis vehementibus* omnia submergentibus. At Deus *increpavit* has aquas, sicut olim quoque imperavit mari Rubro. Ipse tam faciè *abegit illum* quàm *ventus tollit paleam à monte*, &c.

VATABLUS.

1. *Prophetia* משא] *Onus*. Vide c. 13. 1. ¶ *Removetur* מוסר] *Ablata est*. Particip. pass. Hebr. pro fut. ut quidam vertunt, *Ablata erit*. ¶ *Cumulus ruinæ* מעי מפלה] *Acervus ruinæ*: i. acervus lapidum, qualis esse solet in ruinis.

2. *Gregibus erunt* לעדרים תהיינה] i. In caulas vertentur, sive fient caulæ ovium.

3. *Munitio* מבצר] *Præsidium*: i. Regnum Israel carebit arcibus & propugnaculis captâ Samariâ, neque Damascus erit posthac regia Regum Syriæ: q. d. Regnum Syriæ perdetur: meminit autem simul destructionis Regni Israel, quòd Rex Israel & Rex Syriæ essent confœderati ¶ *Et residuum Aram* ושאר ארם] *Et reliqua Syria*. Quidam istud conjungunt sequentibus sic, *Et reliquia Syriæ sicut gloria*, &c.

5. *Sicut colligit* כאסף] Sub. *sic auferent Assyrii Israelitas pro maxima parte*. Quidam sic, *Et erit hostis Assyrius sicut qui colligit messem segetis, qui brachio suo spicas metit, similiter ut qui colligit*, &c.

6. *Racemi* עוללת] *Racematio*. Significat racemos qui remanent factâ vindemiâ. Hunc locum sic exponit doctus inter Hebræos, *Remanebunt habitatores Jerusalem pauci, sicut racemi vindemiâ factâ (respectu scilicet aliorum Israelitarum, qui sunt multi) & sicut excussio oleæ: ut enim excussâ oleâ remanent pauca grana in vertice ramorum superiorum, quæ non potuerunt excuti; ità pauci remanebunt in Jerusalaim cùm illam excusserit Rex Assur.* ¶ *Rami* אמיר] Sub. *altiores*, sive *excelsi*, i. verberis, qui extremus est ramus in summitate arboris. ¶ *In cacuminibus ejus fructûs* בסעיפיה פריה] *In expansis ramis ejus fructûs*. Genitivus est *fructûs*. *Ramos fructûs* vocat ramos fructiferos. Propterea quidam vertunt *ramis ejus frugiferis*. Alii, *in ramis ejus* nempe *fructifera*, sub. *vitis*.

8. *Et lucos* והאשרים] *Neque lucos*. Ità quidam vertunt ו hoc loco, ut subaudias *aspiciet*.

9. *Fortitudinis ejus* מעזו] Hebraismus pro *munitissima*, sive *fortissima*. ¶ *Virgulti & rami* החרש והאמיר] *Virgulti & verberis*, sive *frondis*: i. similes fructibus relictis in ramis inferioribus superioribus. ¶ *Et id quod*, &c. אשר עזבו וגו'] *Quando dereliquerunt* civitates Chananæi *à facie*, &c. Alii, *quemadmodum reliquerunt coram filiis*, &c. Alii, & sicut urbes *quas deseruerunt* Chananæi *à facie*, &c. h. e. deserentur, & paucissimæ remanebunt intactæ: deserentur, inquam, non aliter quàm Chananæi deseruerunt urbes suas ad adventum filiorum Israel. ¶ *Desolatio* שממה] i. Terra erit omnino deserta.

10. *Salutis tuæ* ישעך] i. Salvatoris tui. ¶ *Et petræ fortitudinis tuæ* וצור מעזך] *Et rupis fortitudinis tuæ*. Alii, *Et Dei fortitudinis tuæ*, &c. Nam Deus dicitur *petra* & *rupes* sive *propugnaculum*, quòd servet suos. *Deum fortitudinis tuæ* dicit, in quo fortitudo tua sita est. ¶ *Pulcras* נעמנים] *Pulcrarum*. sub. *plantarum*. Alii *elegantes*. Alii *amœnas*. ¶ *Et palmitem*, &c. וזמרת זר תזרעני] Ad verb. *& palmitem alieni seres eum*. Quidam, *& palmites* regionis, vel vitis *alienæ seres*: i. vitem optimam allatam è regionibus remotissimis plantabis. Usus est his duabus dictionibus, *plantabis* & *seminabis*, quòd plantæ proveniant tam ex plantatione quàm ex satione.

11. *Crescere facies* תשגשגי] Sub. *plantam tuam*: i. die quo plantaveris vitem tuam, virgultum tuum quod plantaveris accipiet incrementum: q. d. Initio omnia tibi succedent pro voto, eruntque priora felicia ac prospera; at postea incides in summas ærumnas & calamitates. Legi potest *cresces*, vel *valde cresces*, propter geminationem literarum in verbo Hebraico. *Germinare facies* תפריחי] *Florere facies*: i. tua opera germinabit, sive florebit. ¶ *At commotio*, &c. נד קציר ביום וגו'] At *agitatio plantæ* erit *in die* plagæ *infirmitatem efficientis*, *& dolores desperati*. Vel, *die* plagæ *dolorosæ* [sive *doloris plena*] *& doloris desperati*, i. *summi* sive *acerbi*: ab חלה *ægrotavit*. Alii ab נחל *hereditate accepit* sive *possedit*, vertunt. *At acervus messis in die hereditatis* [vel *possessionis*] *& dolor afflicti*. Alii, *sed recedet messis in die fruendi*, *& dolor desperatus*. Alii, *sed recedit messis in die possessionis*, *& dolor desperabilis*. Quidam paraphrasticè, *At quo die metendus & possidendus erit* fructus, *cumulatim* demetes *dolorem desperatum & ærumnosum*.

12. *Væ multitudini* הוי המון] *Væ strepitui*. Alii, *Væ turbæ*. Alii, *O multitudinem*. Vel, *Heus multitudo*, sive *Hei multitudo*: q. d. O infelicem multitudinem. Describit Assyriorum calamitatem quibus Dominus fuerat usus in eversione Israelitarum. ¶ *Sonabunt: & tumultus*, &c. יהמיון ושאון וגו']

ונו] *Frement: & strepitus nationum* quæ *instar strepitûs aquarum validarum frement.* Alii, *frement: & strepitus gentium* quæ *juxta strepitum aquarum vehementium strepent*: sive, *aquarum magnarum*, aut *fortium*, *strepunt*.

13. *Populi*, &c. לאומים כשאון ונו׳] *Populorum*, inquam, qui *juxta strepitum aquarum multarum strepent*: vel *frement*. Duplicat sententiam ad vehementiam strepitûs, & ut indicet magnitudinem exercitûs. ¶ *Delonge* ממרחק] *Procul*: i. dum adhuc procul abfuerit à Jerusalem, fugiet. Ad verb. *de procul*. Quidam vertunt *plusquam procul*. ¶ *Et persecutionem patietur sicut gluma* ורדף כמץ] *Fugabitur velut palea*. Significat rem levissimam. *Montium* dixit, quòd suprà montes magis vigeant venti. Quidam exponunt, *velocissimè fugiet, quemadmodum rapiatur palea à vento flante*, sive *flante vento*: nam id sign. *à facie venti*.

14. *Turbatio* בלהה] *Terror*, *stupor*. Quidam vertunt, Venient *ad tempus vespertinum*, *& ecce*, &c. ¶ *Pars prædantium nos* חלק שוסינו] *Portio conculcantium nos*; aut *vastantium*: q. d. Hoc est quod velut pro sorte & portione hereditatis continget hostibus nostris: sic solet Dominus affligere eos qui nos affligunt.

CASTALIO.

4. *Illo tempore autem attenuabitur*] Ut hoc & sequens caput intelligas, lege diligenter Ezech. 36, 37, 38, 39. & invenies eundem sententiæ tenorem, qui hic sic habet, *Damascenos* & *Syros* (inquit Jova) sic imminuam, ut *Jacobeorum nobilitatem*, h. e. ut Jacobeos nobiles. Quos quidem Jacobeos ità diminuam ut pauci restent, sicut *factâ messe* paucæ *spicæ* supersunt ad spicilegium, &c. Sed nè putent Syri aut alii id fore perpetuum: nam Israelitas revocabo, futuros postea in sua patria, & ibi me verè adoraturos. Sed antequam id fiat diruentur *eorum urbes*, ità ut in eorum adventu vix tenues earum reliquiæ supersint; sicut excisâ sylva supersunt virgulta quædam quæ ibi fuisse silvam testentur. Atque *hæc calamitas* tibi, gens Israelitica, *accidet quòd tuum Deum non colueris*. *Propterea cùm* tibi videberis instaurata, cùm à Cyro revocata consederis in tua patria, & te ibi perpetuò futuram sperabis, quoniam tamen nè tum quidem me coles, aliæ super alias calamitates te prement: neque quicquam proficies, quin postremò (qui dolor erit gravissimus) à Romanis delebere, atque ità diu manebis deserta. Deinde post illam calamitatem revocaberis, & me tum demum verè coles. Hunc locum confer cum iis quæ scripsimus in capite 31.

11. *Eâque peregrinâ stirpe conseveris*] Excellenti, quales aliunde importari solent.

12. *O nationum multarum turbam*] Oraculum videtur esse de Gog & Magog: de quibus quinque videor animadvertisse oracula, præter Sibyllina; quorum primum est hoc, alterum est Esa. 56. tertium Ezech. 38. quartum Mich. 5. quintum Apoc. 20. Atque horum postremum quodque apertissimum est, ut & in aliis oraculis fieri solet. Sed declaremus quæ de eodem Gogo sequuntur.

CLARIUS.

3. *Et cessabit munitio ab Ephraim*] Per *Ephraim* intellige Regnum Israel; quia de tribu Ephraim fuit Jeroboam, & plerique alii Reges. Hoc ergò Regnum cum Rege Syriæ se conjunxerat, & arma contra Judam movit. Prophetat igitur Esaias simul contra Syriam & Regnum Israel, quòd gloria utriusque Regni eodem tempore sit migratura in captivitatem. ¶ *Sicut gloria filiorum Israel*] *Gloriam* Ironicè appellat.

6. *Et sicut excussio oleæ*] Relictum in eo erit tam rarum quàm raræ solent esse baccæ relictæ ab excutiente oleam, in qua relinqui solent baccæ duæ aut tres.

9. *Sicut palmes & racemus*] Ut solet palmes relinqui cum paucissimis fructibus. ¶ *Quæ derelicta sunt propter filios Israel*] Sicut, inquit, olim Cananæi dereliquerunt civitates suas Israelitis, sic nunc Israelitæ derelinquent eas, relictis paucis virgultis & frondibus.

10. *Propterea quòd plantata es*] *Plantata fuisti plantatio pulcerrima, sed superseminasti semen pessimum. In die plantationis tuæ crescebas, & postridie* diei illius *proferre germen* videbaris. Nunc autem, quando ad *excussionem ramorum* ventum est, *in die hoc calamitoso*, nihil invenitur *præter mœrorem & desperationem*.

12. *Væ multitudini populorum*] Vel, *O multitudinem*. Est enim dictio & Deplorantis & Vocantis. Id autem ad exercitum Sennacherib referunt, quem cùm Deus *increpasset*, perdito unà nocte toto exercitu, Rex cum paucis *aufugit* in Assyriam.

14. *In tempore vesperæ*] *Vesperi* erat *turbatio* & metus Hierosolymitanis, & ecce *manè* apparuit consumptus exercitus.

FORERIUS.

1. *Desinet esse civitas*] Hebraismum doctè vitavit Vulg. sensum reddens. Heb. *ablata à civitate*. ¶ *Acervus lapidum*] *Lapidum* addidit Interpres. De nomine autem מעי vide cap. præcedenti.

3. *Adjutorium*] Heb. מבצר. Est à verbo בצר, cujus significatio propria est *circumcludere*, *sicut qui canistro fructus includit*. Hinc est quòd de *civitatibus muris inclusis* dicitur: hinc nomen pro *munimento*. Erat autem Syria seu Damascus munimentum Israelis adversùs Regnum Jehuda. Isti ergò, qui simul Judæos devastabant, in supplicio similes fuerunt. Quia verò penè incredibile videbatur ut *Damascus in acervum lapidum foret*, addit confirmationis notam, *Fidelis sermo Jehova*.

4. *Attenuabitur gloria Jacob*, &c.] Ecce quo pacto in supplicio similes futuri sint. Verùm in punitione Israelitarum mysterium subodorari oportet lectorem: neque enim ruinam solùm corporalem intuetur Propheta, sed & spiritalem. *Attenuabitur*, vel *exhaurietur*, ut verbum דלל significare videtur. Paulus Rom. 9. 4. *Israelitarum* fuisse *gloriam* testatur. Soli enim dicebantur & erant populus Dei. Quâ tamen gloriâ magna ex parte spoliati sunt. Sed & corporali vastatione Principes & nobiles eorum perierunt. Divitiæ quoque & opulentia omnis interiit. Fastus quoque superbiæque tumor evanuit, qui prosperitate alitur. Abierunt enim Israelitæ in captivitatem ad Assyrios: neque semel vastati sunt.

5. *Et erit sicut*, &c.] Hic versus superiorem explicat quòd hostis scilicet eos demessurus esset tanquam segetem, quam & *demetit*, & *brachio* constringit, ut in fasciculos *colligat*. Non ergò Israelitas messori comparat, sed segeti & manipulis. Hebraismum itaque, quem retinuit Vulg. ego mollivi, ut perspicua esset oratio. ¶ *Quod restiterit*] קמה nomen est, & non rarò Hebræis pro *segete* sumitur, ab *stando*. Exod. 22. *acervus*, vel *seges* Jud. 15. Potest & esse participium fem. ab eodem verbo קום. ¶ *Spicas*] שבלים existimo esse plurale à nomine שבל, non habitâ ratione punctorum, ut interdum necesse est. De hoc nomine vide infrà 47. ubi *tibiam* interpretabimur. Unde & pro *culmo*, seu *frumenti calamo*, qui à radice usque ad spicam succrevit, tanquam tibia quædam, accipitur; adeòque & pro ipsis *spicis*, sicut & שבלת. Unde credo antiquos nomen *Cybeles* mutuasse, quam *Deam frugum* vocabant; quam postea *Cererem*, & *Rheam*, aliisque, nescientes vocis originem, nominibus appellarunt. ¶ *Rephaim*] vel *Gigantum*: de qua Josue 15. cujus hìc meminit quia ob segetum abundantiam illuc messores accurrebant.

6. *Relinquetur in eo*, &c.] Paucitatem remanentium Israelitarum ex illa clade hic versus continet. In quo loco meminisse oportet reliquiarum illarum de quibus hìc Propheta sermonem frequentissimè inserit; quæ haud minima pars est argumenti totius libri, ut suprà jam dixi. ¶ *Racemus*] Vel *racematio*: nomen plur. tantùm à verbo 2. conjug. עלל, i. *injuriâ agere*, *defraudare*, *dehonestare*, &c. Et quod nos *racemare*, i. ultimos racemos in vinea decerpere, dicimus, Hebræi verbo isto 2. conjug. efferunt. Levit 19. & Deut. 24. *Vineam tuam non exactè* (seu *penitus*) *deracemabis*, &c. Hinc nomen pro *ultimis racemis*, qui subterfugere solent oculos manúsque vindemiantium, Jud. 8. ¶ *Sicut excussio*] i. *Sicut post excussionem oliva remanent duæ aut tres*, &c. *quatuor aut quinque in prominentiis ejus*, i. ramis qui prominent. Solent Hebræi, sicut nos Hispani, nomina numerorum sine disjunctione interdum efferre, *duo*, *tres*, &c. ¶ *In cacuminibus ejus*, *fructus ejus*] Vel *frugiferæ*, i. in extremis ramis ejus fructiferæ, quæ erat olim in patribus fructifera, sed in posteris degeneravit. Cùm pro felicitate patribus sæpius promissa fuerit à Deo multitudo prolis, & quòd *multiplicandi forent sicut arena maris*, non dubium quin non æquo animo ferrent in tantum redigi paucitatem. Unde non semel conqueruntur quòd imminuti essent plùs quàm omnes gentes, &c.

7. *In die illa inclinabitur homo*, &c.] Possunt hi duo versus cum Vulg. legi per verba futuri, quasi significet paucos illos qui relinquentur per adversa erudiendos ut in Deo spem suam collocent, &c. Nisi potiùs non tam quod futurum est quàm quod nimia calamitas eos facere coget aperit Propheta: quod magis probo. Huic affinis est alter sensus, quem in versione indicavi, in hunc tantummodo usum, ut qui Hebraicè ignorant, ità posse Hebraica interpretari intelligentes, eligant sensum rei propositæ magis consentaneum. Verbum שעה juxta variam constructionem variè quoque reddere oportet, & cum

על

על quidem cum verbo *innitor*, *incumbo* congruit, ut hoc loco; cum אל verò, ut seq. v. notat *benignè & blandè respicere*, sive *rationem habere*, & *respectum agere alicujus*, *cum quodam favore & propensione animi.* Gen. 4. *Respexit Abel*, &c. Alias constructiones vide infrà 22, & 32.

8. *Altaria*] Nomen est à verbo quod *mactare*, deinde & *mactatas pecudes offerre* sign. unde Ara sic dicebatur, quòd super ea fieret sacrificium, &c. ¶ *Delubra*] חמנים, sunt *solaria:* HAMAH enim *Sol* est, infrà 24. Per *solaria* autem vel intelligit *delubra Solis*, vel *domata*, i. cœnacula, vel *superiores partes domûs*, in quibus, propterea quòd remotæ erant à turba, orare solebant; quemadmodum legimus Petrum Apostolum in Actis *ascendisse superiora domûs ad orandum.*

9. *In die illa erunt*, &c.] Cùm promiserit de Damasco dicere, multò plura de Israel commemorat, quòd similis futura esset utriusque pœna, quódque non nisi propter Israelitas de cæteris vicinísque nationibus Prophetæ Prophetias suas contexerent. ¶ *Civitates fortitudinis*] מעז *munitio*, *munimentum* seu *præsidium* est. Urbes ergò munitas intelligit, ad quas desertis villis solent tempore belli profugere. ¶ *Sicut aratra*] חרש in hac forma pro *aratro* non memini me legisse. חריש quidem *aratio* est Exod. 34. & 1 Sam. 8. & מחרשה *vomer* 1 Sam. 13. & utrumque ab eadem radice: חרש autem pro *ramo* collectivè Ezech. 31. *Ecce Assur velut cedrus in Libano, plucrâ fronde & ramo umbroso.* Et quidem verisimile mihi est significare *umbracula quæ ex ramis fiunt*, & utramque vocem ferè pro eodem accipiendam: unde hîc pro *silvis* & *rure* meritò sumetur. ¶ *Segetes*] Fortè exemplar Hieronymi aliud nomen habuit pro אמיר, quam vocem suprà v. 6. *ramum* vertit, hîc autem *segetes.* ¶ *Et erit deserta*] Scilicet *terra*; vel potiùs *desertio* seu *desolatio:* nam hic est nomen illud de quo jam non semel, שממה *afflatio* seu *afflatus qui in desolatione ab intuentibus emittitur*, & pro *desolatione* accipitur. Neque est legendum, ut quædam exemplaria habent, *eris*, sed in tertia persona.

10. *Quia oblita es*] Omnis generis peccata & scelera nomine *oblivionis Dei* intelligit sæpius Scriptura, quòd omnia illinc tanquam à fonte oriantur. Quemadmodum enim Memoria Dei in ejus timore conservat, sic & Oblivio ipsius ad ruinam præparat. Nomina autem *Salutis* ישע & צור *Petræ* frequenter Deo tribuuntur, quòd & ab ipso & in ipso sit nobis salus & præsidium maximum. Sicut enim in rupe firmissima ità in ipso contra omnes adversitates & injurias hostium tuti consistimus, Deut. 32. &c. ¶ *Plantationem fidelem*] Sic legendum est in Vulg. at cùm נעם verbum *jucundum esse* significet, hinc nomen plurale tantùm נעמנים *jucunditates.* Vulg. autem, tanquam scriptum esset ע pro א, *fidelem* vertit. Est enim אמונה *veritas* Ose. 5. ¶ *Et germen alienum seminabis*] Ità ferè habent Hebræa, nisi quòd pronomen affixum omisit, *seminabis eum.* Quem locum, quoniam varietatem Interpretum vidi, quâ potui diligentiâ elucidare institui. Animadverti enim totam difficultatem indè oriri quia à verbis Hebræis volunt absque ulla causa Interpretes recedere. Primò ergò scito sensum in hoc versu non perfici, sed sequenti. Deinde cùm vox זמרת *germen* seu *palmes* sit in regimine, vox זר necesse est sit in gignendi casu, i. *alienæ*, *alius*, *alterius*, scilicet *plantæ:* ut sit sensus, *plantabis plantas optimas, electas, & suavissimos fructus afferentes; neque hoc contenta, palmitem alienum alterius speciei, alterius plantæ*, vel *aliunde allatum*, *inseres ei*, *ut jucundiores fructus facias:* i. tota in hoc eris ut nihil tibi ad voluptatem desit. Est autem זרע *seminare*, *serere* cum suis compositis. Ergò affixum in verbo תזרענו vel superfluit vel certè alterum modum significandi facit, quem in interpretatione expressi. Sed reliquas voces inspiciamus, ut tandem germanum sensum eruere possimus.

11. *Labruscam*] Fateor me non intelligere quare vocem תשגשגי *labruscam* dixerit Vulg. Sed cùm nullibi hæc vox præterquam hoc loco reperiatur, fortè ità eum docuerunt illius temporis Judæi: à quibus se doctum hoc loco Hieronymus ipse fatetur, ut à Lxx deviet. Sensus tamen idem est quem nos sequemur, maximè si *labruscas* pro *uvis immaturis* in Vulgata editione accipias, seu *omphacio.* Inquit ergò propheta, *In die plantationis tuæ*, i. mox ubi plantaveris, *botros germinabunt palmites, & sequenti die fructus perfectos edent: sed cùm colligere & possidere volueris eos, dolebis vehementer:* hunc ferè sensum in nostra versione juxta Hebraismum expressimus. ¶ *Multiplicabis multùm*] Vel *augebis*, *promovebis valde:* est enim שגה *augeri*, *ampliari*, &c. Psal. 92. *Sicut cedrus Libani condensabitur, multiplicabitur.* At שגשג est verbum duplicatum, & significationem intendit, ut verba quæ Frequentativa vocamus: propterea addidi *vehementer.* Hebræis autem *in die*, si sequatur *& mane*, idem est quod *hodie & cras*, i. primo quoque tempore. Inquit ergò, *Statim initio augebis plantationem tuam, germinabunt arbores, multiplicabuntur palmites, & ingens spes erit infiniti fructûs; at tempore colligendorum fructuum aufugit, & evanuit messis; imò pro messe habebis dolorem desperatum.* Hanc interpretationem nemo Hebraicè doctus reprehendere poterit: nam nemini dubium quin נד possit esse à נדד *aufugit*, *ablatum est.* Suprà 10. *Ablata est Madmena.* Esth. 6. *Ablatus est somnus*, &c. & קציר *messem* sign. נחלה *hereditatem* seu *possessionem*, כאב *dolorem*, אנוש *desperatum*, *incurabilem*, *insanabilem.* Possunt autem hæc dupliciter accipi: primò, *Quia oblitus es Dei tui*, ô Israel, propterea posteriora tua non respondebunt principiis tuis: initio enim floruisti, & brevissimo tempore in florentissimum Regnum evectus es; sed tandem miserè periisti: secundò, *Quia oblitus es Dei tui*, propterea factum est ut ex illa magnifica specie justitiæ quam oculis hominum tam studiosè exhibuisti, ob quam toti mundo admirationi eras, nulli fructus colligerentur; quinimo *cùm tempus fructûs ferendi appropinquaret*, ut est in Euangelio, subitò universa messis periit, & occisis servis Domini vineæ insuper, & ipso herede, tibi ingentem & *desperatum dolorem* peperisti: ut meritò statim initio, cùm promptam obedientiam promitteres sub Mose, dixerit, nimirum finem tuum prævidens, Dominus, *Quis det talem eos semper habere mentem, ut timeant me omni tempore, & bene sit illis*, &c. Quis enim ignorat quàm jucundæ fuerint primæ illæ plantationes, quàm suaves ritus, quàm suavia judicia? Nihil erat in ulla alienigenarum Rep. observatione dignum quod in sua multò meliùs insertum non viderent Judæi. Nulla enim gens erat ità sapiens & intelligens, ità Deum colens: nullus populus ità sanctus, teste Mose. Fructus verò qui indè exspectabatur erat Fides in Christum, & ejus cùm adveniret Susceptio: At *Israel sectando justitiam in legem justitiæ non pervenit*, quia *ex operibus* illis & dignitate meritorum illorum arbitrabatur se dignum esse cui omnia Deus præstaret: Cúmque in exteriora tantùm intentus esset, & cor ejus longè esset à Deo, quia *oblitus est salutis suæ & totius fortitudinis suæ*, i. Dei sui, interiit & spe suâ frustratus est. ¶ *In die hereditatis*] Non dubium quin נחל formâ masc. & נחלה etiam formâ fem. *torrentem* significet, ut Num. 34. Psal. 124. *Torrens transivit super animam nostram*, & Ezech. 47. Unde hîc vertere possumus *in die torrentis*, i. quando hostis veluti torrens irruit in Israelem. Nam juxta historiam, Israel, qui propter victoriam quam de Jehuda reportavit, florere & gloriari videbatur, paulò pòst usque ad internecionem deletus est. Ut nemo in rebus prosperis sibi valde placeat.

12. *Væ multitudini*, &c.] Hæc ferè omnes de Assyriis interpretantur: quàm aptè ipsi viderint. Ego historiæ filum secutus, hos versus de Syris & Israelitis, qui Judæos vehementer afflixerunt, intelligendos existimo. Jam enim supra ex lib. Reg. & Paral. ostendi quantum Israel & Syri divexaverint Judam: hos comparat *frementi mari* & *inundantibus fluviis.* ¶ *Ut multitudo maris sonantis*] Heb. *instar fremere maria, frement.* המות enim infinitivus est verbi המה, quod est *sonitum incertum & confusum emittere.* Et variè reddere necesse est pro varietate rerum quibus tribuitur, *murmurare*, *garrire*, *fremere*, *sonare*, &c.

13. *Increpabit eum*] גער est *invehere in aliquem verbis duriùs*, *objurgare*, &c. & aliquando cum accusativo, aliquando cum ב. Significat autem quòd Dominus increpaverit Israelem quòd crudeliter vexasset Judam. Ubi enim occidissent centum viginti millia de Jehuda, secum abducebant captivorum infinitam multitudinem: quibus obviàm factus Prophetà Domini Oded dixit, *Ecce iratus Deus patrum vestrorum contra Jehuda tradidit eos in manibus vestris, & occidistis eos atrociter, ità ut ad cœlum pertingeret vestra crudelitas*, &c. *reducite captivos*, &c. *quia magnus furor Domini imminet vobis*, &c. Sed & de *increpatione quæ opere constat* non semel dicitur hoc verbum; & ità hîc accipiendum puto, *castigabit*, *puniet*, &c. ¶ *Et fugiet procul*] *Abibit celeriter in regionem longinquam, ac si fugeret.* De celeri captivitate est sermo. ממרחק rectè vertit Vulg. *procul.* מ enim hoc loco non est præpositio. ¶ *Rapietur*] Sensum expressit Vulg. ego vim verbi retinui, ut nota esset, רדף. ¶ *Sicut turbo coram tempestate*] Sic verti possunt Hebræa, sive, ut ego verti, *ut globus coram turbine:* sed parùm refert.

14. *In tempore vesperæ, & matutino*] Frequens est Hebræis hic tropus, quo significant rei de qua loquuntur celeritatem. *Ad vesperum fletus, & ad matutinum lætitia*, &c. ¶ *Turbatio*] בלהה est à verbo בהל per Metalepsim literarum: est enim

בהל *subito terrore percelli:* unde nomen *subitum terrorem* sign.
¶ *Hac pars*, &c.] Hic erit finis Syrorum, quorum caput est Damascus, & Israelitarum, qui Regnum Jehuda *vastaverunt* & diripuerunt.

LUCAS BRUG.

11. IN *die * plantationis* [* *illo* o.] " *tua labrusca*, [" *sua* o. *Lambrus.*] Quædam exemplaria *labrusca*; quædam *labruscas* legunt. Hebraicè est תשגשגי, id quod verbum esse Hebræi docent. Lxx interpretes πλανηθήσῃ *errabis* transtulere; neoterici *cresces*, vel *crescere facies*: nam שגה si punctum dextro cornu literæ ש insideat, *errare*, *ignorare*; si sinistro, *crescere*, *multiplicare*, significat: est autem illud verbum à שגה duplicatum. Nonnulli itaque existimant corruptam esse nostræ editionis lectionem, ac pro *labrusca* aliud quid legendum. Franciscus Raphelengius legendum conjiciebat *labasces*; certè dextrè: id enim ut voci *labruscas*, ità significationi dictionis שגה perquam propinquum est, multùmque cum Lxxii interpretatione conveniat. Atqui dum Hieronymi commentarium lego, tum quinto tum septimo libro, non aliud queo colligere quàm *labruscam* ab eo translatam. Suspicatus primùm fui, duntaxat explicationis ergò *labruscæ* eum fecisse mentionem: sed non id ausim asserere. Fortè igitur sensum volens, non verbum ipsum, reddere, *labruscam* vertit: nam si cum Lxxii verbum ipsum *errabis* transtulisset, sensus fuisset, Vitis tua optima in labruscam degenerabit; labruscam non uvam quam exspectaveras vindemiabis. Porrò si *labrusca* nomen translulerit, ambiguum, ob emendatiorum librorum varietatem, est, primóne singularis numeri casu *labrusca*, an quarto pluralis *labruscas* dixerit. Epanorthotes antiquis suis vulgatæ editionis codicibus *labruscas* attribuit: quibus ex integrioribus nostris Burgensis D. Donatiani & O. Hunnæi consentiunt; sed plures, cum D. Hieronymi textu & Haymone atque Hugone, *labrusca* scribunt. Cæterùm sensus idem est, utrovis legas modo; si *labrusca*, subaudi *nascetur*, si *labruscas*, supple *plantabis*.

DRUSIUS.

1. מַשָּׂא דַּמָּשֶׂק. Sym. Th. *Assumptio Damasci.* ¶ מוּסָר מֵעִיר. Th. μετασαθήσεται ἐκ πόλεως. Interpres Eusebii *migratura est à civitate.* Quod autem in Lxx εἰς τὸ αἰῶνα abest à cæteris editionibus.

10. נִטְעֵי נַעֲמָנִים. Hier. *plantationem fidelem.* Aq. Th. *pulcram.* Sym. *bonam*] Malim *plantationes pulcras.* Ità Santes. Sed Arias reposuit *jocundas.* Unde נָעִים, i. *jocunda:* cui opponitur מרה *amara*, *tristis.*

11. בְּיוֹם נַחֲלָה. Aq. Sym. *in die hereditatis*] Hier. *Pro eo quod nos juxta Aq. & Sym. & Lxx interpretati sumus IN DIE HEREDITATIS, legi potest in Ebraico IN DIE PESSIMA.* ¶ וּכְאֵב אָנוּשׁ. Aq. Th. *dolebit homo*] *Dolebit* כאב, *homo* אנוש: quod nunc aliter legunt, etiam olim. Hier. *Pro eo quod Aq. & Th. interpretati sunt ET DOLEBIT HOMO, nos docti ab Ebræis pro HOMINE, qui linguâ eorum dicitur ENOS, interpretati sumus ANUS, i. graviter.*

13. וְגָעַר בּוֹ וְנָס מִמֶּרְחָק. Aq. καὶ ἐπιτιμήσει ἐν αὐτῷ, καὶ φεύξεται μακρόθεν, *& increpabit eum, & fugiet longè.* Sym. καὶ ἐμβριμήσεται αὐτῷ, καὶ φεύξεται πόῤῥω, *& graviter interminabitur ei, & fugit procul*] *Fremet in illum.*

IDEM EX PROCOPIO.

2. עֲזֻבוֹת עָרֵי. Aq. Sym. Th. καταλελειμμέναι πόλεις *derelictæ urbes.*

13. וְגָעַר בּוֹ. Aq. ἐπιτιμήσει αὐτῷ. Sym. ἐμβριμήσεται] Interpres, *Quo loco notandum est, ab Aq. Increpandi verbum, à Sym. autem Comminandi usurpari.* ¶ הָרִים. Sym. Th. ὀρέων *montium.*

14. לְעֵת עֶרֶב. Sym. Th. τὸ πρὸς ἑσπέραν.

GROTIUS.

1. ONus *Damasci*] Capta fuerat Damascus à Theglathphalasaro, 2 Reg. xvi. 9. Sed excisa fuit à Salmanassaro ob societatem quam contra Assyrios fecerat cum Decem tribubus. Ob id mala Damasci cum malis Decem tribuum, ut communem causam habentia, Propheta hic conjungit. Si haberemus historias Nicolai Damasceni hæc omnia luce clariùs apparerent.

2. *Derelictæ civitates Aroer*] Tractus Syriæ qui contractiùs Ptolemæo Αὔειρα.

Gregibus erunt, & requiescent ibi, & non erit qui exterreat. 5. *Et erit sicut congregans in messe quod restiterat*] Nihil de populo Israelitico in terra relinquet. Tam diligenter eos auferet, quàm qui post messem spicas legunt.

In valle Raphaim] Est vallis frumenti ferax apud Hierosolyma, Josuæ xv. 8.

In die illa inclinabitur homo] Meliùs, *inclinetur:* & mox *respiciant:* ut & hoc consilium sit, quale suprà xvi. 3.

9. *Civitates fortitudinis ejus*] Syriæ Decapolitanæ.

10, 11. *Propterea plantabis plantationem fidelem, & germen alienum seminabis. In die plantationis tuæ labrusca, & manè semen tuum florebit: ablata est messis in die hereditatis, & dolebit graviter*] Obscura hæc sic collocabis: *Propterea* (quamvis) *plantaveris plantam egregiam, etiam alienos surculos ei inseveris;* (juxta illud,

Veneris insitio, fac ramum ramus adoptet)

de die laboraveris ut crescat planta, & primo manè, ut quod insitum est bene proveniat, migrabit (id enim est נד) *messis in die* (speratæ) *possessionis, &* (succedet) *dolor desperationis.* Græci cum aliis punctis legerunt כאב אנש ὡς πατὴρ ἀνθρώπου [*tanquam pater hominis*].

12. *Væ multitudini populorum multorum*] Eos intelligit qui Syris adhæserant.

14. *In tempore vesperæ, & ecce turbatio: in matutino, & non subsistet*] Subitò fortuna mutabitur.

Hæc est pars eorum qui vastaverunt nos; & sors diripientium nos] Syri enim illi Damasceni, eorúmque vicini valde semper infesti fuerant Judæis. Vide quæ ex Nicolao Damasceno protulimus in Annotatis ad librum iii. de Veritate Religionis Christianæ.

CAP. XVIII.

MUNSTERUS.

DIfficilis est sensus hujus capitis propter insuetata verba, propter figuratas sententias, & propter dubiam & obscuram historiam. Tarhaka potentissimus Æthiopum Rex extendit imperium suum per totam Africam: & huic erant confederati Judæi contra verbum Dei. Hic veniens ad Pelusium usque voluit repellere à Judæa Sanherib, sed fusus est ab Assyrio. Reversus tunc Sanherib voluit subvertere Jerusalem, sed subversus est ipse ab Angelo.

1. *Umbra alarum*] Intelliguntur per *alas* istas vela navium, quæ naves ipsas ducunt in mari sicut alæ avem portant & ducunt in aere. Porro צלצל est à radice צלל, & sign. propriè *adumbrationem.*

2. Per *juncea vasa* intelliguntur quoque naviculæ levissimæ, quæ in superficie aquæ velocissimè moveri possunt, quibus gentes illæ utuntur quæ ultra Ægyptum in Æthiopum regionibus habitant, quos Troglodytas esse putant. ¶ *Ad gentem dissipatam*] Vel *laceratam.* Hebraismus tamen habet *tractam.* Et per hanc *gentem* quidam intelligunt Judæos, qui fuerunt populus mirabilis, cum quibus Deus tam mirabilia egit ab eo tempore quo populus esse cœpit. Ad quos Tarhaka *misit legatos celeres per mare in naviculis scirpeis:* Qui cùm exposuisset literas, lectæque fuissent à Rege, dantur duo signa; *Observate*, inquit, hæc *signa*, & cùm *audieritis buccinas*, erumpite vos ex urbe, & utrinque aggrediemur hostem. Sed Dominus dicit vana esse consilia quæ fiunt eo inconsulto. Cúmque venerint ad extremum periculum, ipse suis succurrit *veluti calor serenus post pluviam, aut veluti nubes refrigerans.* Alii verò putant hanc *terribilem gentem* esse כושים *Æthiopes* ipsos, ad quos Rex Assyriæ *misit nuncios*, indicens eis bellum. Et ità variè exponitur hoc caput nedum à Christianis verùm & à Judæis. Recentiores tamen Hebræorum scriptores referunt ad dies Messiæ. ¶ *Flumina*] Per *flumina* intelliguntur inundationes hostilium exercituum.

4. *Quiescam*] i. Postquam *Dominus id dixit ad me, quiescam ego* & consolationem meam habeo haud secùs quàm terra quæ *post susceptam pluviam* calore Solari lætificatur. Et nota quòd אור hic capitur pro מטר seu גשם *pluvia.* Et quia mentionem fecit *messis*, mox per Metaphoram transit ad messem & vindemiam hominum. Creverunt, inquit, & *floruerunt* Assyrii haud secùs quàm *germina* terræ, quæ ubi per gradus *ad maturitatem pervenerint*, *resecantur* per messorem. Sic venit Angelus Domini, & *resecavit palmites atque propagines*, i. totam vindemiam & saltum exercitùs Assyriorum. Alii hunc locum sic reddunt, *Ante messem cùm fructus maturi esse deberent, adhuc immaturus est, dum maturescere deberet, floret: tam messor exscindit malleolos falcibus*, &c.

VATABLUS.

1. V*Æ terræ inumbranti alis* הוי ארץ צלצל כנ'] *O terra umbra alarum.* Vela navium Alis comparat. q. d. O regio maritima quæ abundat navibus quæ reguntur velis, quæ recipit umbram velorum multarum navium: sive quæ tegitur umbrâ velorum, &c. *Ob multitudinem enim navium in quibus vela obumbrantia tenduntur cùm ambulant, similis erat avibus volantibus alis suis*, inquiunt docti inter Hebræos: qui etiam dicunt, hâc locutione Metaphoricâ significari multitudinem negotiorum & species varias rerum quæ ad alias terras ex illa egrediebantur. Chald. *Væ terræ ad quam veniunt cum navibus è terra longinqua, & extendunt vela sua ut aquila volans alis suis.*

2. *Et in navibus junceis* ובכלי גמא] Ad verb. *& in vasis papyri.* Junci species est Papyrus, quo navigia construi solere scribit Plinius lib. 13. cap. 11. His significat naviculas velocissimas quæ in superficie aquarum facillimè moveri possunt. ¶ *Distractam & expilatam* ממשך ומורט] *Convulsam & dilaniatam.* Vel, *disjectam & dilaceratam*, h. e. dispersam. Alii, *dissipatam & expilatam.* Quidam, *abstractam*, sive *extensam*, aut *elongatam*, i. & evulsam, sive depilatam, aut decapillatam: id significant voces Hebrææ: i. maximè afflictam. ¶ *Terribilem* נורא] *Formidabilem:* in cujus scilicet gratiam Dominus stupenda miracula edidit. ¶ *Ex quo fuit* מן הוא] Ad verb. *ab ipso* [sub. *populo*] *& ultra:* i. ex quo cœpit esse populus Dei, jam indè ab initio, à suo exortu, ab egressu videlicet ex Ægypto, & postea. Alii, *ab eo tempore & deinceps.* Quidam Hebræorum exponunt, *populum longinquum* magis *quam ille, & ultrà:* i. magis longinquum & exsulem à patria sua quàm distant Æthiopes ac qui ultra eos habitant à Jerosolymis, &, ut Moses dicit, *dispersi ad cardines cœli.* Quam expositionem doctus inter Hebræos rejicit. ¶ *Lineæ lineæ, & conculcatam* קו קו ומבוסה] *Funiculi funiculi, & conculcationis.* Metaphora tracta ab Architectis qui ordinem unum post ordinem alterum collocare solent: i. cui paulatim conculcatio evenit. Quidam Hebraismum vertunt, *quæ sensim afflicta fuit, & tandem conculcata.* Alii, *undique conculcatam:* ac si quis duceret lineas, iisque inter se conjunctis nullum locum vacuum relinqueret, vel sulcos duceret in agro quibus omnes glebas subigeret. Quidam vertunt, *exspectantem, exspectantem, & conculcatam.* Alii, *avidè exspectantem.* ¶ *Terram* ארצו] Ad verb. *terram ejus.* Redundat pronomen *ejus.*

3. In *montibus* הרים] Ad verb. *montium:* i. quod collocabitur in uno montium. ¶ *Videbitis* תראו] Quidam futura convertunt in imperativa, *videte, audite*; vel *videatis, audiatis.*

4. *In loco meo* במכוני] *Ex sede mea:* vel, *ex habitaculo meo.* ¶ *Sicut aer*, &c. כחם צח עלי'] *Tanquam aerem serenum post pluviam.* Vel, *tanquam Solem* in terra *post imbrem.* Clarus enim Sol super terram post pluviam gratissimus est, & germinibus optimus. Quidam, *sicut calor serenus post pluviam.* Alii, *sicut calor siccans pluviam:* vel *post pluviam.*

5. *Cùm consummatus fuerit flos* כתם פרח] *Cùm consummata fuerit gemmatio* vitis: vel *cùm perfectum erit germen:* i. ante messem & ante vindemiam. ¶ *Et uva*, &c. ובוסר גמ'] Inversus dictionum ordo sic converti debet, *Et flos* ejus *fuerit uva acerba maturescens*, i. fuerit versus in uvam acerbam jam maturescentem. Admonet doctus inter Hebræos ה in נצה esse Raphatum, nec habere Mappic signum pronominis feminei, unde fit ut pronomen *ejus* subauditum sit. Quidam sic vertunt, *Et ex flore fructus fuerit maturescens.* ¶ *Ramusculos* זלזלים] *palmites*; *malleolos*; *surculos:* falces autem putatorias intelligit. ¶ *Succidet* והתז] Præt. Heb. pro fut. *amputabit.* Ad messem refertur hoc verbum.

6. *Relinquentur* יעזבו] *Deserentur*, sub. *interfecti*, vel *corpora interfectorum in eo bello.* ¶ *Super eum avis* עליו העיט] Sing. pro plur. *ad* [vel *juxta*] *illos volucres ipsæ:* i. totâ æstate & totâ hieme comedent cadavera insepulta.

7. *A populo distracto & depilato* עם ממשך ומורט] Subaudienda fuit præpositio proximè sequens *à populo terribili.* Eadem vocabula habes v. 2. *à populo convulso & dilacerato, à populo*, inquam, *terribili*, &c. Quidam in nominativo vertunt, *populus distractus* sive *laceratus, & expilatus.*

CASTALIO.

1. O *Alis umbrosa tellus*] Telluris *alæ* dicuntur extrema & oræ. Estque *alis umbrosa tellus*, spatiosa: ut si *alis umbrosam avem* dicas, significes grandem atque amplam. Alloquitur gentem positam trans Æthiopiæ fluvios, videlicet trans Nilum, qui antequam defluat in Ægyptum, spatia immensa terrarum peragrat: cujus accolæ, ut docet Plinius, utuntur scirpeis & arundineis navigiis. Ad hanc gentem postquam exclamavit, alloquitur ejus gentis nuncios: *Ite*, inquit, vos ejus gentis *nuncii*, qui res novas nunciare soletis, ferte hunc nuncium ad gentem vestram, *ad populum omnium qui ulterius habitant formidabilissimum, ad gentem distractam direptámque*; h. e. magnis fluminibus accolentem, quæ flumina ejus terram atterunt & depopulantur, & alluvionibus, circumluvionibus, declinationibúsque distrahunt & dirimunt, atque ità sæpe limites mutant & alios atque alios reddunt. Deinde declarat cur gentem illam appellet: quasi hoc dicat, Quòd remotissimam gentium appello, hoc significare volo, Facturum esse me rem quæ sit remotissimæ genti; h. e. toti orbi, nuncianda; h. e. rem maximam. Nam quæ remotis nunciantur, ea & magna sunt, & propinquis multò etiam magis nunciantur. *Aspicite* igitur *omnes mortales elatum montanum signum, & audite tubam:* h. e. nuncio vobis bellum quod fiet in montibus Israelitarum, in quo bello *ego quietus spectabo*, & meos Israelitas adversùs hostes mollissimè fovebo ac tuebor, *tanquam æstus post pluviam, & tanquam roscida nubes in calore*; h. e. eos recreabo suaviter, & contra vim omnem protegam. Hostes autem, cùm se putabunt propè jam adeptos victoriam, peribunt, eísque perinde accidet ac si segetes *ante messem*, aut vineæ ante vindemiam vastentur, spémque agricolarum frustrentur. Atque ità interfecti jacebunt humi à *bestiis* devorandi. Cujus victoriæ adeò clara erit fama, adeóque *Jova nomen formidabile*, ut *ultimi gentium afferant in Sionem munera* supplices.

CLARIUS.

1. U*Mbra alarum*] h. e. Quæ *inumbrat* tanquam *alis*, velis navium, videlicet Arabum, Ægyptiorum, qui à Syria usque ad Meroen habitant, sinum Arabicum ad Orientem, Nilum, & Æthiopas qui sub Ægypto, ad Occidentem habentes.

2. *In vasis papyri*] Intelliguntur naviculæ levissimæ, quæ in superficie aquæ velocissimè moveri possunt, quibus gentes illæ utuntur quæ ultra Ægyptum in Æthiopum regionibus habitant, quos Troglodytas esse putant. ¶ *Ad gentem convulsam*] Per hanc *gentem* quidam intelligunt Judæos, qui fuerunt populus mirabilis, cum quibus Deus tam mirabilia egit ab eo tempore quo populus esse cœpit. Alii verò putant hanc *terribilem gentem* esse Æthiopas ipsos, ad quos Rex Assyriæ misit nuncios indicens eis bellum. Et ità variè exponitur hoc caput non solùm à Christianis verùm & à Judæis. Recentiores tamen Hebræorum scriptores referunt ad dies Messiæ. ¶ *Diripuerunt flumina*] Per *flumina* intelliguntur inundationes hostilium exercituum.

4. *Ego*] Postquam, inquit, *Dominus id dixit ad me, quiescam ego*, & consolationem meam habebo haud secùs quàm terra quæ *post susceptam pluviam* calore Solari lætificatur. Alii referunt ad Deum, ut dicat, *Ero quasi calor siccans post pluviam*, h. e. Post afflictionem populi mei succurram illi, & hostes ejus perdam.

5. *Ante messem*] Ait hanc Domini vineam ingentem primò præ se tulisse spem fructuum, sed fuisse devastatam. Hunc locum sic alius vertit, *Quia ante messem cùm perfectum fuerit germen, erit ex flore fructus sensim maturescens, at succidet palmites falcibus, & propagines auferet per incisuram*, &c.

7. *Deferetur munus Domino exercituum populus*] Prænunciantur Gentes crediruræ & per Apostolos convertendæ ad Dominum: quanquam obtectè videtur describi sub persona populi Israelitici, qui *divulsus & dilaceratus* tandem sub Ezechia gratiam habebit Domino Deo suo. ¶ *Populus terribilis*] Heb. *à populo terribili.*

FORERIUS.

QUàm parùm sibi convenientia hìc Interpretum turba afferat, penès prudentem lectorem esto judicium. Ineptiunt hìc quoque suo more Rabini. Ego simplicissimam interpretationem toto huic capiti, difficultatibus alioqui refertissimo, conabor afferre. Cùm itaque Propheta capite superiori Israelis vastationem exposuisset, & alterius vastationis, scilicet illius postremæ, sub typo meminisset; nè quis crederet repulisse Dominum populum suum, & penitus deletum iri, quanta adhuc sit ejus dignitas hoc capite, ni fallor, ostendit.

1. *Væ terræ*] הוי hìc Vocantis & Excitantis esse potest, ut sæpe alias. ¶ *Cymbalo*] צלצל. Nomen צל geminatum *frequentiam umbrarum* notat, i. frequentiam & copiam velorum, quæ sunt instar alarum: q. d. *Heus terra quæ frequentibus na-*

 vium

mo ea quæ attuli comprobare: atque id censuit Adamus Sasbout, olimque in Francia Dominicani judicarunt.

DRUSIUS.

1. הוֹי אֶרֶץ צִלְצַל כְּנָפָיִם אֲשֶׁר מֵעֵבֶר לְנַהֲרֵי־כוּשׁ. Sym. *Væ terræ sono alato quæ est ultra flumina Æthiopiæ.* A. —— *umbræ alarum*] *Sonus alatus*, ἦχ@- πτερωτός. Quod citatum ex Sym. ed. in Bibliis Romanis. ¶ *Umbra alarum.* Hieron. *Alas autem navium, vela, quibus suspenduntur & extrahuntur, intellige.* Et mox, *unde Aquila, pro* CYMBALO, UMBRAM ALARUM *interpretatus est. Non enim habent alas, sed alarum similitudinem.*

2. הַשֹּׁלֵחַ בַּיָּם צִירִים. Aq. ὁ ἀποστέλλων ἐν θαλάσσῃ πρεσβύτας, *qui mittit in mari legatos.* Sym. *qui mittit apostolos* (sive *nuncios*) *mari*] Lege πρεσβευτὰς nam πρεσβύτας est *senes.* Hoc in ed. Rom. Symmacho tribuitur. Nos secuti sumus interpretem Eusebium, qui videtur habuisse exemplar emendatius. Euseb. A POSTOLOS *autem etiam nunc mos est apud Judæos nominare eos qui quotidianas literas à Principibus suis perferunt.* ¶ מִן־הוּא וָהָלְאָה. Sym. μεθ' ὃν ἔστιν ἐπέκεινα, *post quem non est ultrà*] sive *ulterius.* Et hoc Eusebio debemus.

4. בִּמְכוֹנִי. Aq. *in firmamento*] Hieron. *Quiescit & contemplatur Deus in loco suo, sive juxta Aq. in firmamento, i. in Ecclesia, quæ est columna & firmamentum veritatis.*

IDEM EX PROCOPIO.

1. הוֹי אֶרֶץ צִלְצַל וגו׳. Sym. Οὐαὶ γῆς, ὁ ἦχ@- πτερωτὸς, ἡ πέραθεν ποταμῶν Αἰθιοπίας] Vide sis Fragmenta. Interpres Curterius, *Væ terræ, sonus alatus ultra Æthiopiæ fluvios pervenit.*

2. צִירִים וּבִכְלֵי־גֹמֶא. Aq. πρεσβευτὰς καὶ ἐν σκεύεσι βιβλίνοις, *legatos & in vasis papyri.* Sym. ἀποστόλους, καὶ διὰ σκευῶν παπυρίνων, *apostolos, & in vasis papyraceis.* Th. ὅμηρα, καὶ ἐν σκεύεσι παπύρου, *obsides & in vasis papyri*] Alibi est πρεσβύτας, & apud Interpretem *senes.* Βιβλὶς, i. βυβλὶς, vel certè βύβλος, i. *papyri.* Alioqui βιβλίον est *libellus,* & βίβλ@- *liber.* ¶ לְכוּ. Cæteri πορεύεσθε *ite.* ¶ מִן־הוּא וָהָלְאָה. μεθ' ὃν οὐκ ἔστιν ἐπέκεινα, *post quem non est ultrà.* ¶ גּוֹי קַו־קָו וּמְבוּסָה. Aq. ἔθν@- ὑπομένον καὶ συμπεπατημένον, *gens tolerans & conculcata.* ¶ אֲשֶׁר־בָּזְאוּ נְהָרִים אַרְצוֹ. Alii interpretes, οὗ διήρπασαν ποταμοὶ τὴν γῆν, *cujus diripuerunt flumina terram.*

3. תִּרְאוּ. Aq. Sym. T. ὄψεσθε.

7. מֵעַם נוֹרָא. Lxx. ἀπὸ λαοῦ φοβεροῦ *à populo terribili* ¶ קַו־קָו וּמְבוּסָה. Aq. ὑπομένοντ@- καὶ συμπεπατημένου, *tolerantis & conculcati.*

GROTIUS.

1. **V***Æ terræ cymbalo alarum*] In Hebræo, *Væ terræ umbræ alarum:* id est, cujus extremæ partes montibus obumbrantur. Vide Strabonem. Ostendit hæc Prophetia Deum Æthiopum operâ uti nolle contra Sennacheribum, cui Æthiops bellum indixerat, nè præda illius esset, quam Judæorum esse Deus voluit. Hinc discimus Tharacæ Regi malè successisse expeditionem, quam per absentiam Sennacheribi in Assyriam susceperat, II Regum XIX. 9.

Quæ est trans flumina] עֵבֶר non semper *trans*, sed sæpe *ad* significat. Vertas ergò rectè, *quæ est ad flumina Æthiopiæ;* ut hæc postrema vox cohæreat cum voce *terra.*

2. *Qui mittit in mare legatos*] *Per mare*, Arabicum scilicet, *legatos*, id est, feciales ad bellum indicendum Assyriæ.

Et in vasis papyri super aquas] Id est, *navibus papyraceis*, ut Plinius loquitur, VI. 22. Meminit earum & Diodorus Siculus I. & Theophrastus. Adde Lucani locum productum nobis ad Exodi II. 2.

Ite Angeli veloces] Verba Regis Æthiopum. Pro *angeli* pone *nuntii.*

Ad gentem convulsam & dilaceratam] Cujus magna pars in longinquis expeditionibus occupata est.

Ad populum terribilem post quem non est alius] In Hebræo: *ad populum terribilem ab ipso* (id est, ab antiquissimo tempore) *& deinceps.* Antiquissimum enim erat & multis victoriis inclytum regnum Assyriorum, sed Æthiops suam occasionem natam putabat.

Ad gentem exspectantem & conculcatam] In Hebræo, *Gentem lineæ lineæ & conculcationis:* id est, Gentem quæ paulatim protendit imperii sui terminos, & superbo pede victos proterit. Justinus ex Trogo, initio historiæ: *Primus omnium Ninus*, Rex *Assyriorum*, *veterem & quasi avitum gentibus morem novâ imperii cupiditate mutavit. Hic primus intulit bella finitimis, & rudes adhuc ad resistendum populos, terminos usque Libyæ perdomuit.*

Cujus diripuerunt flumina terram ejus] *Ejus* hic Hebræo more abundat. Tigris violentum flumen multum abradit ab Assyrio.

3. *Omnes habitatores orbis qui moramini in terra, cùm elevatum fuerit signum in montibus videbitis, & clangorem tubæ audietis*] Verba adhuc sunt Æthiopis. Meliùs, *cùm tuba clanget.* Ubi mea vexilla in montibus Assyriæ attollentur, meúmque ibi classicum sonabit, tunc videbitis & audietis res magnas.

4. *Quia hæc dicit Dominus ad me*] כִּי hic est *verùm.* Opponit Propheta Dei consilia jactationi Æthiopis.

Quiescam & considerabo in loco meo] Sinam illum agere quæ vult, ego interim Judææ providebo.

Sicut meridiana lux clara est, & sicut nubes roris in die messis] Meliùs vertas: *Sicut calor serenus post pluviam, & sicut nubes roscida in æstu messis.* Hæc enim valde desiderantur, calor post imbrem, & imber post æstum. Tale futurum dicit Dei præsidium.

5. *Ante messem enim totus effloruit, & immatura perfectio germinabit, & præcidentur ramusculi ejus falcibus, & quæ derelicta fuerint abscindentur & excutientur*] Meliùs sic: *Ante messem enim* (id est, vindemiam) *gemma erat quasi perfecta* (vitis), *sed ubi maturuit* (apparuit) *omphax. Flos* (fuit;) *sed abscinduntur falce palmites: propagines quoque auferuntur amputando.* Hæ similitudines ostendunt ante tempus prælii egregias fuisse spes Æthiopum, sed eas ante eventum concidisse.

6. *Et relinquentur simul avibus montium*] Cadavera Æthiopum.

7. *In tempore illo*] Dum ista in Assyria absente Sennacheribo geruntur.

Deferetur munus Domino exercituum]. Pars de præda, Num. XXXI. 28. II Sam. VIII. 11.

A populo divulso & dilacerato] Repetit Propheta omnia contumeliosa verba Æthiopis in Assyrios, approbans ea ut verè dicta, sed simul significans Æthiopem indignum fuisse qui illorum spoliis gauderet.

CAP. XIX.

MUNSTERUS.

1. **D**Enunciatur in hoc capite interitus Ægypti fiendus per Assyrium, qui erat commune flagellum omnium vicinarum gentium. Perstringuntur etiam scelera eorum. Idololatria, Superstitio, Studia curiosarum artium, Luxus vitæ. ¶ *Vehitur super levem nubem*] Sensus est, Dominus subitò immittet malum Ægyptiis, à quo *Dii eorum* eos liberare non poterunt: sed nec sapientes eorum eis consulere poterunt contra consilium Domini, qui *evacuabit animos* eorum ut salubre *consilium* afferre nequeant; & sic tandem sequentur seditiones & tumultus. Sic enim solet Deus pugnare contra hostes suos. Non arripit gladium, sed *aufert illis animum*, *evacuat sapientiam, consilium*, vires, &c. & actum est. Quin & Rex Assur, commune gentium flagellum, veniet contra eos, sæviturus in eos: Qui hic vocatur אֲדֹנִים קָשֶׁה *dominus durus*, אֲדֹנִים scilicet pro אָדוֹן: sicut & אֲדֹנֵי plurale constructivum vel cum affixo sæpe usurpatur pro sing. אָדוֹן. Erit, inquit Propheta, Rex Assur Ægyptiis tam *durus* ac si *exsiccatus esset* Nilus & cæteri *rivi Ægypti*, à quibus Ægyptii omnem suam habent commoditatem, cùm in Ægypto nunquam pluat, sed terra ab inundatione Nili fœcundetur. Et sub hac Allegoria inducit Propheta *piscatores* & *textores retium*, *lacunas* & *vivaria.*

13. *Seducti sunt*] Scribitur hoc verbum hic in passiva voce, altero Nun per Dages in Sin abscondito, habétque punctum Jamin & non Smol, quod ferè omnes Interpretes nostri non adverterunt. Invenitur etiam Gen. 3. הִשִּׁיאַנִי *Serpens decepit me*, &c. ¶ Porrò per *angulum tribuum* putant intelligi Regem. Decepto autem Rege oportuit cadere totum Regnum. Vocatur itaque Rex *angulus populorum Ægypti.*

15. *Caput vel cauda*] h. e. Tam majores & qui primo sunt loco quàm minores, ut ebrii errant: sicut *ramus & juncus*, i. fortis & debilis.

17. *In tremorem*] Non credent, inquit Propheta, Ægyptii modò verbis meis; sed veniet dies ut sine *tremore* non possint audire

audire nomen *Jehuda*, in qua *terra* hoc *Domini conſilium* longè antè revelatum fuit.

18. *Civitas Deſolationis*] Quidam hîc legunt הרס pro חרס *civitas Solis*. Hebræi tamen communiter legunt *civitas deſolationis*, ut ſcilicet ex multis civitatibus paucæ fuerint quæ *Domino exercituum* non crediderint poſt ſummam cladem Ægypto illatam. Dominus enim percutit, & ſimul medetur.

19. Per *altare* intellige cultum idolorum commutatum in cultum Dei. Non enim intelligi poteſt de corporali ara, ſed videtur ſignificare quòd Chriſtus ubique coletur, & quòd verbum ejus ubique prædicabitur. Sic cùm dicit v. 21. *Colent eum ſacrificiis*, id intelligendum eſt de ſacrificiis ſpiritualibus. *Sacrificium laudis*, inquit, *honorificabit me*. Oſtenditur etiam hîc quòd Gentes converſæ ab impietate æquabuntur Iſraëli, fiéntque *populus Dei*; niſi quòd Iſraëlitæ hanc prærogativam habent, quòd eis peculiariter promiſſus fuit Chriſtus.

V A T A B L U S.

1. ONus משא] *Prophetia*. Vide cap. 13. 1. ¶ *Vehitur ſuper nubem levem* רוכב עַל עָב קַל] *Inſidet nubi veloci*. Hoc genere dicendi indicat celeritatem exſecutionis decreti Divini. ¶ *Et movebunt ſe* ונעו] Sub. *loco ſuo*, *& vertent ſolum*. Alii, *commovebunturque*.

2. *Et confundam* וסכסכתי] *Et permiſcebo*. Alii, *Et committam*. Alii, *Et concurrere faciam Ægyptios in Ægyptios*. ¶ *Vir in fratre*, &c. איש באחיו וגו׳] Hebraiſmus, pro *alter in alterum*, *& quiſque in ſocium ſuum*.

3. *Et evacuabitur* ונבקה] *Exinanieturque*, vel, *forás ejicietur*: i. Adimam illis ſapientiam & prudentiam, quâ antea maximè commendabantur. ¶ *In medio ejus* בקרבו] *Juxta ipſam*. Alii, *intra viſcera ejus*, i. in ipſa. ¶ *Interrogabuntque* ודרשו] *Conſulentque*: q. d. Nihil omittent quo avertere poſſint imminentem afflictionem. Quidam, *etiamſi quærant* illud *apud idola*, &c.

4. *Durorum* קשה] Singulare plurali junctum, *dominorum duri*, pro *dominorum durorum*, ſive *moroſorum & ſævorum*. ¶ *Fortis* עז] *Violentus*, *durus*.

5. *Et deperdentur* ונשתו] *Et deficient*.

6. *Et elongabunt ſeſe* והאזניחו] *Et ſubducent ſeſe*: vel, *Elongabuntur*, ne ſcilicet poſtea defluant in Ægyptum. ¶ *Attenuabuntur* דללו] *Exhaurientur*. ¶ *Ægypti* מצור] *Arcis*. Alii *aggeris*. *Rivos Ægypti* vocat per quos aqua Nili deducebatur in varia loca.

7. *Gramineta* ערות] *Virentia*, ſub. *olera*: i. herbæ virentes. ¶ *Juxta ripam fluminis* על פי יאר] *Juxta litus rivi*: i. quæ ſunt juxta rivum. Alii, *& ſuper os rivi*. ¶ *Propulſabitur* נדף] Præt. Heb. pro fut. *propelletur*: i. tolletur de medio ſementis; ſive ſeminarium quod creſcebat juxta fluvium & ad ripas ejus.

8. *Infirmabuntur* אמללו] *Debilitabuntur*. Alii, *excidentur*, ſive *exterminabuntur*. Præt. Heb. pro fut.

9. *Pectinata* שריקות] E quibus ſcilicet fiunt retia piſcatoria. Quidam vertunt *reticulata opera*. Doctioribus Hebræorum magis placet ut vertatur *optima*, ſive *electa*. Alii *varia*, ſive *multicoloria*.

10. *Retia ejus* שתתיה] Nempe *Ægypti*. ¶ *Clauſuram*, &c. שכר אגמי נפש] Ad verb. *clauſuram ſtagnorum animæ*, i. qui ſtagna muro claudunt, ſive vivaria in quibus ſunt *animæ*: h. e. piſces viventes. Docti quidam inter Hebræos vertunt, *Omnes facientes clauſuram erunt anxii animo*: ut אגמי accipiatur pro עגמי, & א poſitum ſit pro ע: i. omnes qui concludunt aquas, ut in illis congregatis piſcentur, erunt triſtes animo.

11. *Verumtamen* אך] *Jam*, *Attamen*, *Atqui*, *Certè*. ¶ *Soan* צען] Chald. *Tanes*. Urbs Ægypti celeberrima, quæ eſt ad unum ex oſtiis Nili: unde dictus eſt *Sinus Taniticus*. ¶ *Sapientes conſiliarii*, &c. חכמי יעצי וגו׳] *Prudentum conſiliariorum Pharaonis conſilium infatuabitur*. Alii *ſapientes conſiliarii Pharaonis & conſilium inſanum eſt*, aut *ſtultum*, ſub. *erit illis*. Præt. Heb. pro fut. ut quidam vertunt. ¶ *Pro Paroh* אל פרעה] i. In perſona Pharaonis. Alii, *ipſi Pharaoni*, ſive *ad Pharaonem*. ¶ *Antiquorum* קדם] Ad verb. *antiquitatis*, vel *prioritatis*: i. priorum ſive priſcorum. Alii *Orientis*, pro *Orientalium*: i. duco originem à ſapientibus & ab antiquis Regibus.

12. *Ubi ſunt nunc* איס אפוא] *Ubi* ſunt *illi nunc*. Alii, *Ubi ipſi*, *ubi* inquam ſunt. ¶ *Nunc* נא] *Quæſo*. ¶ *Et ſcire faciant*, &c. וידעו מה יעץ] *Et cognoſcant quid conſuluerit*. More humano loquitur. Solent priùs homines conſulere quàm ſtatuere.

13. *Infatuati ſunt* נואלו] *Stulti facti ſunt*. *Inſanierunt*. *Obtuſi facti ſunt*. Alii, *Infatuabuntur*. ¶ *Erraverunt* נשאו] *ſeducti ſunt*: *decepti ſunt*. Alii, *hallucinabuntur*. ¶ *Angulus tribuum ejus* פנת שבטיה] Subaudiunt quidam *qui putabantur*; ut legas, *errare fecerunt Ægyptum* qui putabantur *angulus tribuum ejus*. *Angulum* vocat illos ſapientes quibus ſe valde munitos gloriabantur Ægyptii, tanquam iis quibus ædificium ſive reſpublica illorum fulciretur, velut angulo tota moles ædificii ſuſtinetur. Alii *Principes* intelligunt & *majores tribuum*, i. populi, ſive familiarum. Quidam in accuſativo legunt *angulum tribuum ejus* per appoſitionem, i. optimam partem, regionem ſcilicet celeberrimam, totius Ægypti, h. e. urbes capitales & primarias; quòd ſint fulcimentum, robur & decus patriæ, perinde atque anguli ſuſtinent totam domum.

14. *Perverſitatem* עועים] i. Perverſum, inverſum & immutatum: q. d. Pervertet Dominus judicium eorum. ¶ *Sicut errat* כהתעות] *Quemadmodum circumagitur*, i. volutat ſeſe, ſive volvere ſolet.

15. *Faciat* יעשה] *Facere poſſit*: i. neque magnates neque plebeii agent quicquam quod ſit illis utile, neque eorum operâ aut induſtriâ liberari poterit Ægyptus ab Aſſyriis. *Caput & ramus*, homines primi ordinis; *cauda & juncus*; plebeii & ignobiles. ¶ *Vel cauda* זנב] Hîc ו pro *vel* ſive *aut* ponitur. Bis autem idem dicit: nam *caput* & *ramus* idem ſignificant ſicut *cauda* & *juncus*.

16. *Et ſtupebit & timebit* וחרד ופחד] *Nam horrebit & pavebit*. Vel, *nam tremet & timebit*: i. erunt in maximo metu cùm videbunt manum Domini paratam ipſos ferire. ¶ *Elevationis* תנופת] *Agitationis*. Et mox, *quam ipſe agitat*, ſive *motitat*, *ſuper eam*.

17. *In pavorem* לחגא] *In commotionem*: vel *in terrorem*, ſive *terriculamentum*. ¶ *Recordatus fuerit*, &c. יזכיר אותה אליו יפחד] *Meminerit illius*, *pavebit ſuper eam*. Vel, *ad eam pavebit*. Alii, *mentionem fecerit illius*; *apud ſemetipſum timebit*. ¶ *A facie conſilii* מפני עצת] *Propter conſilium*: vel *propter decretum*: nam mox ſequitur verbum, *Quod decrevit*, &c.

18. *Quinque civitates* חמש ערים] i. Quinque ex urbibus præſtantioribus regionis Ægypti. Vel *quinque* pro *multis*, & iis celebrioribus: ut ſit numerus certus pro incerto. ¶ *Labio Chenaan* שפת כנען] i. Sermone Chananæorum: q. d. Tempore gratiæ erit tantum commercii Judæis cum Ægyptiis ut multæ urbes Ægypti ſint locuturæ ſermone Hebræo. *Labium* vocat Sermonem, quòd labia ſint organa & inſtrumenta locutionis. ¶ *Et jurantes* ונשבעות] Declarat quod dixerat; nempe colent Deum, & fidem Chriſtianam recipient. Solemus enim ſermonem noſtrum confirmare per eum quem colimus. ¶ *Civitas Heres*, &c. עיר ההרס וגו׳] i. *Una vocabitur*, ſive *nomen uni imponetur*, *Civitas Solis*. Græcè Ἡλιόπολις dicitur, urbs clariſſima Ægypti. Legitur & ההרס per ה, & *deſolationem* ſign. unde quidam legunt, *Civitas deſolationis*, Ut ſcilicet ex multis civitatibus paucæ fuerint quæ Domino exercituum non crediderint poſt ſummam cladem Ægypto illatam.

19. *Et titulus* ומצבה] *Et ſtatua*.

20. *Et erit* והיה] Sub. *hoc quod diximus*: q. d. Hæc erectio altaris & tituli ſive ſtatuæ erit in ſignum & teſtimonium Domino quòd Ægyptii receperint fidem ejus. ¶ *A facie opprimentium* מפני לוחצים] Hebraiſmus, *propter oppreſſores*. ¶ *Et magnatem* ורב] *Et primatem*, ſive *primarium virum*.

21. *Et cognoſcetur*, &c. ונודע יהוה למצרים] *Et notus erit Jehovah Ægyptiis*. Vel, *Et cognoſcetur Jehovah in Ægypto*.

22. *Percutiendo & ſanando* נגוף ורפוא] i. Infliget vulnera, ſed ſanabilia: h. e. ità percutiet ut non perdat: corripiet enim eos ut revocet eos ad ſe. ¶ *Et placabitur eis* ונעתר להם] *Et exorabitur ab eis*: i. orationem eorum exaudiet.

23. *Via* מסלה] Significat viam inſignem, propriè *ſtratam lapidibus*, Gallicè *une chauſſee*. ¶ *Et Aſſur* את אשור] *Cum Aſſyriis*, ſub. *Dominum*.

25. *Cui benedixit* אשר ברכו] Ad verb. *Cui benedixit ei*. Redundat alterum relativum. *Cui*, ſcilicet *populo*. Quidam vertunt, *Nam benedicet illi*, &c.

C A S T A L I O.

10. LAceris illius caſſibus] Scilicet Ægypti.

15. *Caput caudáve*, *ramus juncuſve*] Primarius aut plebeius, potens aut inops.

23. *Una cum Aſſyriis colent Ægyptii*] Scil. Jovam.

C L A R I U S.

1. ONus *Ægypti*] Cùm devaſtarent terram Iſraël Aſſyrii, Taraches Æthiopum Rex & Ægyptii ſe armaverunt adversùs Aſſyrios, qui mox contra Ægyptios & Æthiopes move-

quamvis *murum* seu *parietem* significet, pro nomine proprio hic accipe. Notandum autem quòd עִר ab *excitando* dictă est, sicut & עִיר, ut suprà jam annotavimus, à verbo עוּר: idcirco datâ operâ usus esse videtur Propheta verbo דמה, quod *silere* & *quiescere* significat.

2. *Domus*] Videtur esse nomen proprium *Habaith*, & ה esse radicalis litera, ut vocant. Loquitur autem de *ascensu* ad loca idolorum. In adversis enim ad Deos suos unaquæque gens solet confugere. At sicut *ascenderunt* ut coram Diis suis *flerent*, ità etiam *descenderunt flentes*: hoc enim est *descendere in fletu*, quod seq. versu dixit.

4. *Expediti*] Solent Hebræi milites qui ex populo in militiam extrahuntur חלוצים, i. *electos* seu *expeditos*, appellare, à verbo חלץ, quod *extrahere*, *subtrahere*, seu *expedire* sign. ¶ *Ululabunt*] Verbum רוע non propriè *ululare* sign. sed *voce plena personare*, sive id fiat ore sive buccinâ. Plerumque autem de *læta vociferatione* dicitur, sed & interdum de *tristi & infausta*, Jud. 7. & hoc loco. ¶ *Ululabit tibi*] *Sibi* legendum est.

5. *Cor meum ad Moab*] Sunt qui hæc verba ut voces Moabitarum accipiant; quod nè mihi placeat facit locus Jer. 48. *Idcirco cor meum ad Moab sonabit velut cithara*, &c. ut etiam seq. capite v. 11. Mihi ergò magis placet ut sint verba Prophetæ, non quasi doleat de vastatione Moabitarum, sed quasi dicat, *Mihi in animo est edere carmen de clamoribus & afflictionibus Moab*: quem sensum confirmat v. 9. capitis seq. ¶ *Vectes ejus*] A *fugiendo* dicuntur Hebræis *Vectes* בריחים, quòd ab una in alteram partem veluti motu suo fugiant. Deinde transfertur ad significandos *optimates*, de quo infrà 43. quòd sint munimenta & veluti repagula populi: in qua significatione hic accipi posset nomen, quòd scilicet *optimates Moabitarum fugerint usque ad Segor*, seu *Tzoar*, quæ est in finibus Moabiticæ provinciæ. Sed simplicius est ut juxta naturalem significationem pro *profugis* accipiamus. ¶ *Vitulam consternantem*] Potest hoc ad Moab pertinere, & repetendum est, *cor meum ad vitulam triennem clamabit*. Sic vocat regionem illam ob pinguedinem & fertilitatem soli. ¶ *Per ascensum Luith*] ה in nomine isto proprio Motum notat. מעלה pro præpositione *supra* accepi: is enim interdum usus est hujus vocis. ¶ *Flens ascendet*] Hebraismum mollivit, *in fletu* (vel *cum fletu*) *ascendet*.

6. *Deserta erunt*] Vel *abominationi erunt*, vel *in stuporem erunt*. Vulg. apud Jeremiam dicit *pessima erunt*. Utrobique autem est illud nomen de quo jam non semel dixi, משמה, i. *afflatus*, *sibilus*, *horror* & *admiratio*. *Excitabunt*, inquit, *vocem qualem edere solent quando nulla sunt aqua Nemrim*, quando propter arriditatem agrorum ejulatus edunt & planctum.

7. *Magnitudinem*] Verbum יתר est quod nos dicimus *superesse*, *excedere*, & similia; notátque interdum excellentiam. Nomen autem hoc יתרה pro *abundantia* & *rerum affluentia* accipio, ut Jer. 48. ubi cum ה legitur. ¶ *Operis*] Multò aliter vertit Interpres hæc verba apud Jeremiam. Ego ut verbum accepi hanc vocem, & relativum more Hebræorum deesse puto. ¶ *Et visitatio eorum*] Ego cum docto quodam viro *visitationem* hic pro rebus ipsis quas qui habet sæpe visitat atque recenset, & quarum rationem habet, accipiendum puto, i. pro *divitiis repositis*; sicut Levit. 5. hoc verbum in 2. conjug. in voce passiva pro *depositum esse*, & nomen indè deductum פקדון *depositum* vel *repositum* sig. Hoc ipsum quoque numen de quo nunc agitur, in plur. Vulg. Jer. 52. *carcerem* dixit, alibi *custodias*: ergò hic *reposita* vel *repositum* vertere poteris. ¶ *Ducent*] Jam de verbo נשא sæpe dictum est. Verbo *deferendi* seu *portandi*, ut hoc loco, sæpius necesse est vertere. ¶ *Torrens* autem *salicum* erat in finibus Moab, ubi hostes prædam fortè dividere statuerant. Quòd si *abundantiam suam* & *divitias suas*, non *eorum*, vertas, intellige ipsos Moabitas aufugientes illuc detulisse bona sua, &c.

8. *Circumibit clamor*, &c.] Hic versus ejulationem & ululatum describit qui direptionem bonorum secutus est. Et sicut על כן pro כי superiori versu positum videtur, ità hic כי pro על כן. ¶ *Terminus* autem Hebræis non tantùm *extremitates provinciæ* sign. sed & *quidquid est spatii inter terminos*: *Æglaim* verò & *Beer* (i. *Puteus*) *Elim* erant in finibus Moab.

9. Erat quoque *Dimon* in finibus Moab, ut patet ex libro Numerorum. Torrentem ergò illum *sanguine* occisorum *repletum* dicit (qui fortè idem est cum *Torrente salicum*) quòd ibi hostes multos ex captivis occiderent, quorum sanguine *augendas aquas Dimon* dicit Dominus: *siquis verò evaderet*, in *leonem* incurreret. Est autem proverbialis forma Scripturis familiaris, *leo*, *laqueus*, &c. *fugientibus*. Vide Jer. 48. ubi hæc eadem historia describitur, & ferè eisdem verbis.

DRUSIUS.

1. משא מואב. Sym. Th. *Assumptio Moab*. Aq. Ἆρμα Onus] *Assumptio*, λῆμμα. ¶ עִר. Aq Sym. *urbs*. Th. *Ar*] *Urbs*, i. עיר. Hieron. *Pro* עִר, *quod solus Theodotio ita posuit ut legitur in Ebræo, Aq. & Sym.* URBEM *interpretati sunt, non considerantes quod inter Ain & Res elementa Ebraica Joth literam non haberet; quæ si esset, rectè Civitas diceretur.* ¶ *Ar*, ab Hieronymo interpretatur ἀντίδικος, i. *adversarius*.

5. דרך חרנים. Aq. *via Oraniam*. Sym. *Oranaim*. Eusebius De locis, *ARNONIM juxta Jesaiam via nomen est, pro quo Aq. ORONAIM posuit, & Sym. ORANIM.*

9. Ἀδαμα. Aq. & Sym. *humus*. Th. *terra*. Euseb. De locis, *ADAMA in Esaia, pro quo Aq. & Sym. HUMUM Th. TERRAM interpretatur.*

IDEM EX PROCOPIO.

3. וברחובתיה. Aq. Sym. Th. καὶ ἐν ταῖς πλατείαις αὐτῆς, & *in plateis ejus*.

4. אלעלה. Iidem, καὶ Ἐλεαλὴ & *Eleale*.

5. כי מעלה הלוחית בבכי יעלה בו כי דרך חרנים זעקת שבר יעערו. ὅτι ἀναβάσει τῆς Λουὶθ ἐν κλαυθμῷ ἀναβήσεται ἐν αὐτῷ, ὅτι ὁδῷ Ὡρωναΐμ κραυγὴν συντριμμοῦ ἐξεγείρουσιν, *Quoniam ascensu Luith cum ploratu ascendet in eo, quia via Oroniam clamorem contritum excitabunt*.

8. הזעקה. Aq. Sym. Th. ἡ κραυγὴ *clamor*. ¶ יללתה. ὀλολυγμὸς αὐτῆς *ejulatus ejus*.

9. דימון. Aq. Sym. Th. Διμὼν *Dimon*: aliàs Δεμμὼν & in Comment. ὕδωρ τὸ Δαιβὼν *aqua Dibon*.

GROTIUS.

1. ONus Moab] Hoc vaticinium durat ad caput XVII. Pertinet autem ad tempora Salmanasaris. Nam Moabitis vicina illis partibus Decem Tribuum quæ hic nominantur, ac proinde particeps eorundem malorum.

Quia nocte vastata est Ar-Moab, conticuit] *Hoc dico*, inquit, *fore ut Ar-Moab nocte vastetur, imò ut & exscindatur*. Nam נדמה sæpe est *exscindi*. Ar-Moab est antiquissima urbs ejus gentis in monte sita. Numerorum XXI. 28.

Quia nocte vastatus est murus Moab, conticuit] Sensus est, *fore ut itidem nocte vastetur, imò exscindatur Kir-Moab*. קר idem est quod קריה [*urbs*]. Dicitur hæc urbs hoc loco *urbs Moab*, quòd præcipua esset ejus regionis, infrà autem XVI. 7. & 11. *urbs Solis*, ob Solis cultum.

2. *Ascendit domus & Dibon ad excelsa in planctum super Nabo & super Medaba, Moab ululavit*] In Hebræo, *Ascendet in Baith*, id est, Templum eximium, quod plenè vocatur *Beth-Baal-Mehon* Josuæ XIII. 17. contractiùs *Baal-Mehon* XXXII. 38. 1 Paralipom. V. 8. *Dibon* urbem Moabitarum habes apud Josuam dicto loco: ibi colles fuêre idololatriæ sacrati, ut ex hoc loco apparet: ii colles dicebantur במות בעל [*colles Baalis*], Josuæ XIII. 17. *Super Nabo*, id est, ob excisam Nabuntem, cujus mentio Num. XXXII. 38. *Medaba*, aut, ut Ptolemæus enuntiat, μήδαβα (nam littera ב utrumque sonum recipit), nominatur & Numer. XXI. 30. & Josuæ XIII. 16.

In cunctis capitibus ejus calvitium, & omnis barba radetur] Qui mos lugentium illis in locis. Jerem. XLVII. 37. Ezech. VII. 18. His moribus opponit se lex Levit. XIX. 27. Deuteron. XIV. 1.

4. *Clamabit Hesebon*] Vide Num. XXXII. 37. Josuæ XIII. 21. Nam multa loca Israëlitis attributa, partim possessa ab ipsis nunquam fuêre per ipsorum ignaviam, partim recepta à Moabitis & aliis, per occasiones quas dederunt Hebræorum inter se dissidia.

Usque Jasa audita est vox eorum] Id est, ad extremos usque fines, nam ibi Jasa Num. XXI. 23. Josuæ XXI. 36. Ptolemæo Ζίζα dicitur. Locutionem quod attinet, similem habuimus suprà X. 30.

Super hoc expediti Moab ululabunt] Id est, etiam milites qui præ aliis bene animati esse debuerant.

Anima ejus ululabit sibi] Meliùs alii: *Anima ipsius displicebit ipsi*. Id est, quemque vitæ suæ tædebit.

5. *Cor meum ad Moab clamabit*] Subaudi, *dicet quisque*. Hoc verbum sæpe reticetur. *ad Moab* pro *ob Moab*.

Vectes ejus] Significare quidem hoc potest vox Hebræa: sed rectiùs vertas, *& ob Principes ejus*: argumento loci infrà XXVII. 1.

Usque ad Segor] Id est, *clamor exaudietur usque ad Segor*, qui locus est in Judææ limite, Genes. XIX. 22.

Vitulam consternantem] Scripsit Interpres, ut quidam libri habent, *consternantem*, id est trimam; τρίετις [*trima*] apud Græ-

Græcos. Sed vertendum eſt, ut *junicis trima*, ſupple *clamor*, ex ſuperiori.

Per aſcenſum enim Luith flens aſcendet] Egregia alluſio, *Si ſcandent ad montana, fletus ſimul aſcendet.* Eadem locutio in re eadem Jeremiæ XLVIII. 5. *Luith* Ptolemæo eſt Λύσα.

Et in via Oronaim] Qua deſcendebatur in humilia: docet id idem Jeremiæ locus. Hæc eſt *Avara* Ptolemæo.

Clamorem contritionis levabunt] Id eſt, voce humili lugebunt. Par alluſio iſti quæ in priore membro.

6. *Aquæ enim Nemrim deſertæ erunt*] Per *aquas* Paſcua aquis adſita intelligit, quæ tempore pacis erant uberrima. Vide Num. XXXII. 3. & 36. Joſ. XIII. 27.

7. *Secundùm magnitudinem operis & viſitatio eorum: ad torrentem Salicum ducent eos*] Verteris rectiùs: *Præterea quod reliquum fecit* (ſupple *occidio*) *& opes eorum* (Moabitarum) *ad torrentem Arabum perferent.* Vallis Arabum eſt via per quam itur ex Moabitide in Aſſyriam, ut nos docet Hieronymus. In vallibus autem non deſunt torrentes.

8. *Uſque ad Gallim ululatus ejus*] Vide ſuprà X. 30. Hic א nomini additum, more Moabitarum & Syrorum. Confer quod ſuprà 4.

Et uſque ad puteum Elim] Cauſam nominis vide Num. XXI. 18. Nam qui שרים [*princeps*] Hebræis, ii Moabitis & Syris אלים.

9. *Qui aquæ Dibon repletæ ſunt ſanguine*] Legendum eſt *Dimon* ex Hebræo & Græco. Fit autem alluſio ad nomen *Dimon*, quod originem habet à *ſanguine.* Sunt qui putent indè datum nomen, quòd olim cæſi ibi ſint Moabitæ, II Regum III. 24. 25.

Ponam enim ſuper Diban additamenta] Iterum *Dimon* legendum. Senſus eſt: novas dabo cauſas cur ità meritò vocetur is fluvius.

His qui fugerint de Moab leonem & reliquiis terræ] Tranſpoſitio. Senſus eſt, *His Moabitarum qui fugerint ab hoſte, aut quos hoſtis reliquerit ſuperſtites,* (immittam) *leonem*: id eſt, efficiam ut in feras incidant. Simile vide II Reg. XVII. 25.

C A P. XVI.

M U N S T E R U S.

1. *MIttite agnum dominatori terræ*] Quidam per כר intelligunt hìc מכן *munera* vel *tributa* mittenda *de Petra deſerti ad montem Sion.* Eſt autem hic *Petra* civitas principalis in Regno Moab. Ab hac, inquit, niſi *miſeritis dominatori univerſæ terræ munera*, & placaveritis faciem ejus, *eritis ſicut aves ex nido dimiſſa*, & transferent hoſtes *filias* veſtras, &c. Alii putant eſſe Ironiam, q. dicat Propheta: *Mittite nunc victimas ad Templum Domini*, ſi fortè poſſitis à vobis depellere imminens malum: At nihil vobis proderit ea religio. Nullis hoſtiis calamitas hæc vobis impendens curari poteſt. Olim id oportebat factum.

4. *Moab, tu ſis illis latibulum*] Ironia quoque eſt, q. dicat Dominus, *Cùm ejecti mei apud te vagarentur*, vexati ab Aſſiriis, *præſidium* nullum habere potuerunt: nunc autem cùm illorum defecerint & *in nihilum redacti ſint hoſtes*, & regium *ſolium in miſericordiâ* illis *ſit præparatum*, tu exſulabis, &c.

6. *Indignatio ejus*] Quia ſcilicet abſque cauſa furore concitatus eſt in vicinos quoſque. *Superbia* enim & *indignatio ejus* magna fuit, ſed hæc cùm *mendacia* & doli fuerint, non liberabunt à perditione. Alii exponunt בדים pro *viribus* & *robore*, q. d. Plus præſumpſerunt quàm potuerint. *Non reſponderunt vires præſumptioni eorum.* Videtùrque proverbium fuiſſe, cùm בדים ſint *vectes.*

7. *Propter fundamenta Civitatis fictilis*] Intelliguntur per hæc *fundamenta* Principes illius civitatis, quæ Hebraicè *Kir-Hareſeth* vocatur: ſicut per *claudos* intelliguntur reliquiæ inermes. ¶ Porrò per varias *vites* intelliguntur nobiliores quique homines, quorum quidam occiſi fuerunt, alii in captivitatem abducti.

10. *Collectum eſt gaudium*] h. e. Ablatum. Sic enim plerumque utuntur verbo *colligere.*

12. *Ad ſanctuarium ſuum*] Ubi ſcilicet in excelſis fruſtrà ſe fatigaverit oblationibus, confugiet ad Deos ſanctuarii, ſi modò præ fletu orare poſſit.

14. *Anni mercenarii*] *Annus mercenarii* prolongationem non admittit, ſed mox finito anno dejicitur mercenarius. Sic operarii iniquitatis à Deo accipiunt ſalarium. Ubi monemur ut paulùm exſpectemus in adverſis; riſuri paulò pòſt retributionem peccatorum & ultiones Divinas.

V A T A B L U S.

1. *DOminatoris terræ* [מושל ארץ] *Dominatori.* Pervicaciam & obſtinationem exprobrat Moabitis Propheta, quòd non reſipuerint: propterea fruſtrà miſſuros Deo oblationes & ſacrificia in Jeruſalem. Ironia enim eſt.

2. *Fugiens*, &c. [נודד קן משלח] *Vaga*, & velut *nidus abjectus*: i. erunt Moabitæ ſicut avis diſcedens, ſive recedens è nido ſuo, & velut pulli recèns ejecti è nido ſuo, qui neſciunt quò ſe recipiant. Alii legunt totum verſum hoc modo, *Erit autem, ſicut avis emiſſa recedens è nido*, ità *erunt filiæ Moab ad tranſitus Arnon*; cùm ſcilicet captivi ducentur in Aſſyriam, trajecto fluvio Arnon. Alii, *Et erit, ſicut avis migrans nido ejecta, erant filiæ Moab* in *tranſitu Arnon.*

3. *Affer conſilium, fac* [הביאו עצה עשו] *Afferte conſilium, facite.* Varia eſt lectio cod. Hebraicorum, הביאי femineum, *Affer*, & הביאו *afferte*, עשי *fac*, & עשו *facite.* Revocat Moabitis in memoriam ſcelera ipſorum; quòd afflictis Judæis tantum abeſt ut ſuccurrerint ut etiam ipſos magis afflixerint. ¶ *Fugientem* [נודד] *Vagum, profugum.*

4. *A facie populatoris* [מפני שודד] *Propter vaſtatorem*: i. nè veniant in manus hoſtis. ¶ *Defecit enim expreſſor* [אפס המץ] *Quoniam caſſavit emunctor*: vel, *finitus eſt*, aut *eſſe deſiit, emulſor.* ¶ *Conſumpta ſunt*, &c. [תמו רמס מן הארץ] *Conſumptus eſt conculcator de terra ipſa.* Verbum plurale nomini ſing. junctum: vel, *conſumptus eſt* exercitus *conculcans è terra.*

5. *Et præparabitur* [והוכן] *Stabilietùrque.* Chriſti Regnum deſcribit. ¶ *Et feſtinans ad juſtitiam* [ומהיר צדק] Ad verb. *& feſtinator juſtitiæ*: vel *feſtinus juſtitiâ*, ſive *juſtitiæ.* q. d. Dirimet litem ſibi oblatam, unicuique jus reddendo: & inquiret lites non oblatas, quas quæret etiamſi nulli queri audeant: citóque faciet juſtitiam.

6. *Audivimus* [שמענו] Hæc ſub perſona Gentium dicuntur, acſi dicat, *Tunc dicent multi, Moab meritò pœnas dedit: erat enim arrogantiſſimus.* ¶ *Non* erant *recta*, &c. [לא כן בדיו] Variè hic locus verſus eſt ab Interpretibus: nam quidam ſic, *Non erunt veri ſermones illius.* Alii, *non rata erunt mendacia ejus*: vel, *non erit veritas mendaciorum ejus*, i. non ſortientur effectum quæ jactat. Alii, *non rectum cogitationes ejus.* Alii, *Superbia ejus & arrogantia ejus, atque indignatio ejus, verè non ſunt niſi mendacia ejus.* Alii, *ſuperbia ejus, & arrogantia ejus, & indignatio ejus non ſicut fortitudo ejus*, i. Fortitudo ejus non eſt tanta quanta eſt ejus ſuperbia. In iſtum ſenſum ſic quidam liberius, *Arrogantiæ ejus, faſtui ejus, & furori ejus lacerti ejus non reſpondent.* Nonnulii vertunt, *Non ſic filii ejus*, ſub. *facient*: quia deſinet Regnum ejus.

7. *Moab ſuper*, &c. [למואב כלוה ייליל מואב] *Moab ad Moab, totus ipſe ululabit*, vel, *lugebit*, i. Moabitæ ſuperſtites lugebunt Moabitas interfectos: univerſi ſuperſtites lugebunt. Alii ſic ordinant, *Idcirco lugebit Moab, propter Moab univerſi lugebunt*: ut ſit ſing. pro plur. ¶ *Super fundamenta*, &c. [לאשישי קיר חרשת וגו'] *Propter fundamenta Cir-hareſeth gemetis, ſed percuſſi*: i. propter everſionem illius urbis quæ everſa fuit a fundamentis. Quidam Hebræorum intelligunt per *fundamenta* Principes, primores & magnates. Nonnulli proprium nomen in appellativum convertunt, *Propter fundamenta civitatis fictilis* dolentes *meditabimini*: *qui tantùm claudi*, ſub. *remanſiſtis*; per *claudos* reliquias inermes intelligentes. Alii, *propter dolia Cir-hareſeth gemetis, ſed abjecti*, aut *triſtes*, vel *dolore affecti*: nam ſequitur, *Quia vites Heſbon*, &c.

8. *Vites* [שדמות] *Arva, campi ſuburbani.* ¶ *Deſolatæ ſunt* [אמלל] Ad verb. *debilitabuntur*: aut *infirmabuntur*: aut *erunt exciſæ.* ¶ *Vitis* [גפן] Sub. *excidetur, inquam.* ¶ *Contriverunt* [הלמו] *Conculcarunt.* Quidam in futurum convertunt, *conculcabunt, conterent pedibus*, & ſic verba ſequentia. ¶ *Optimas vites ejus* [שרוקיה] *Propagines ejus*: vel *palmites ejus*, ipſius *Heſbon* ſcilicet & *Sibma*, i. cujuſque earum. ¶ *Erraverunt in deſerto* [תעו מדבר] *Erraverunt* uſque ad *deſertum.* ¶ *Propagines ejus*, &c. [שלוחותיה נטשו עברו ים] *Nobiles ejus plantæ proſtratæ ſunt quæ tranſibant mare*: vel, *nobiles ſurculi ejus proſtrati ſunt, ut mare tranſierint.* Alii, *propagines ejus extendent ſeſe, tranſibunt mare.*

9. *In fletu* [בבכי] i. *Una cum civibus Jaazer & civibus Sibma*, ſub. *dicet aliquis Moabita*: q. d. Deflebo ſortem Jaazer & vineæ Sibma, cùm audiero miſeriam eorum. Quidam vertunt, *Propterea plorabo fletu Jaazer*, i. pari fletu quo plo-

raverunt Jaazer, *vitem*, i. cives, *Sibma*. ¶ *Inebriabo te* אריך] *Irrigabo te*. ¶ *Celeusma cecidit* הידד נפל] *Jubilus* hostium *irruit*: vel *irruet*, κέλευσμα, exhortatio nautarum mutua, & aliorum, cùm uno jubente, alii uno concentu respondent. Hic significat vocem militum exhortantium sese mutuò in expugnatione urbis: ac si dicat, Tempore quo fructus tuos & messem tuam colliges, irruent in te milites, qui sese cohortabuntur mutuò in expugnatione urbium tuarum.

10. *Et deficiet lætitia* ונאסף שמחה] Ab verb. *Collectum est autem gaudium*, i. sublatum, sive ablatum. Sic enim utuntur Hebræi verbo *colligendi*. Quidam, *Auferetúrque*, vel *Tolletur*: sive *Finietur*. ¶ *Celeusma* הידד] *Canticum*. Vide ver. 9. Significat hic calcantium vocem adhortantium se ad opus.

11. *Ad Moab* למואב] *Super Moab*. Alii, *propter* miseriam *Moab*. ¶ *Resonabunt* יהמו] Futurum Heb. pro præs. ut quidam vertunt, *resonant*, *murmurant*, *fremitum edunt*. ¶ *Ad Cir háres* לקיר חרש] *Super Cir-háres*, i. propter eversionem illius urbis.

12. *Quòd fatigatus fuerit*, &c. נלאה מואב על הבמה] *Fatigatum esse Moab juxta excelsum*, i. quòd defecerit Moab rogando & plorando juxta altare constructum in honorem Dei sui in colle: *tunc conabitur ingredi sacrarium* Dei *sui ut oret* eum, *& non poterit* illuc ire præ fatigatione.

13. *Ex eo tempore* מאז] Ad verb. *extunc*: i. à tempore illo, vel *jam olim*, aut *jampridem*. Prædixerat Deus longè antè hanc eversionem: nunc autem dicit venturam intra triennium. Non præfixerat tempus, nunc autem præfigit.

14. *In tribus annis* בשלש שנים] *Intra tres annos similes annis*, &c. i. intra triennium præfixum & certum. Mercenariis enim certum tempus præstituitur, neque ipsis patiuntur aliquid addi: neque qui conducit, quicquam demi patitur. ¶ *Vilipendetur* ונקלה] *Et reddetur contemptibilis*. Alii, *in ignominiam vertetur*. ¶ *In omni populo multo* בכל ההמון הרב] *In omni multitudine multa*, i. quæ posita est in magno populi numero quem habet. Alii, *in tota multitudine* ejus *quamvis multa*. ¶ *Et residuum*, &c. 'ושאר מעט וגו] *Et reliquiæ* erunt *parvæ* & *modicæ* & *non fortes*. Alii, *quod residuum* manserit, erit *modicum valde & invalidum*. q.d. Maxima pars cadet, & qui supervixerint, erunt admodum pauci, nec recipient vires pristinas.

CASTALIO.

1. M*Ittite agnos dominatori terræ*, *ex Petra solitudinis ad montem puellæ Sionis*] Pendite tributum Judæis, ut olim 2 Reg. 8. quod facere desiistis 3 Reg. 1.

7. *Mutilis quoque ad Cirharesæ murorum radicem plangentibus*] Scil. mendicis.

9. *Cecidit æstatis messisque tuæ celeusma*] Heb. ad verb. *In æstatem messémque tuam cecidit celeusma*, h.e. Jubilum & lætus cantus quo solent uti qui metunt aut vindemiant periit tibi, vastatis agris: ut sit *celeusma in æstatem* pro adjectivo *æstivum*, jungatúrque nomen *celeusma* cum *æstatem*: id quod Græcè melius per articulum exprimi posset, τὸ ἐπὶ τὸ θερισμὸν κέλευσμα. & verbum *cecidit* positum sit (ut sæpe fit) pro *periit*, ut declarant sequentia. Confer cum Jer 48.

CLARIUS.

1. E*Mittite agnum dominatori terræ*] Legimus 4 Reg. 3. de *Mesa Rege Moabitarum*, quòd paverit multa pecora, & *solverit tributum Regi Israel* Achab; *quo mortuo*, *prævaricatus est fedus*. Tributum autem erat *centum millia agnorum*, *& centum millia arietum*, *cum lana eorum*. Est autem *Petra deserti* arx & civitas principalis in Regno Moab. Ab hac, inquit, nisi *miseritis Dominatori universæ terræ munera*, & placaveritis faciem ejus, *eritis sicut aves è nido dimissæ*, & transferent hostes *filias* vestras, & exsulabitis *ultra fluvium Arnon*, &c.

3. *Ini consilium*] Voluisses, inquit, nunc *coegisse concilium* pro suscipiendis profugis nostris cùm ad vos confugerent. ¶ *Pone quasi noctem umbram tuam in meridie*] h.e. Voluisses recreare in afflictionibus: ut sit Ironia, q. dicat Dominus, *Cùm ejecti mei apud te vagarentur*, *præsidium nullum habere potuerunt*: *nunc autem*, *cùm illorum defecerim & in nihilum redacti sint hostes*, *& regnum solium in misericordia illis sit præparatum*, *tu exsulabis*, &c. Alii sic, *Jam venit tempus consultandi de rebus vestris*; *jam vicem vobis hostes rependunt pro crudeli austeritate vestra*, *quâ profugos Israelis ad vos confugientes suscipere renuistis*. *Quàm nunc in medio calamitatum*, *in ardentissimo meridiano æstu optaretis umbram refrigerii & hospitalitatis refugium consequi*? *Quare ergò non nostros quæ profugos suscepistis*, *sed vagos palamésque prodidistis Assyrio*?

6. *Indignatio*] Quia scilicet absque causa furore concitatus est in vicinos quosque. *Superbia* enim & *indignatio ejus* magna fuit: sed hæc cùm *mendacia* & doli fuerint, non liberabunt à perditione.

7. *Propter fundamenta Civitatis fictilis*] Quæ Hebraicè *Cir-Hareseth* vocatur. Per varias *vites* intelliguntur nobiliores quique homines, quorum quidam occisi fuerunt, alii in captivitatem abducti. Fieri tamen potest ut eleganter filios ebrietatis conferat Vineæ, & eos contristet vinearum ablatione. Tradunt enim Historici quasdam Ammonitarum & Moabitarum civitates à Baccho conditas. ¶ *Loquimini voce submissâ dolentes*] Heb. *Meditabimini tantùm claudi*.

8. *Usque ad Jazer*] Quæ erat terminus Moabitarum, urbs nobilis in Tribu Gad sita.

9. *Super hoc plorabo*] *Ego Moab flebo in fletu civitatem Jazer*, *& flebo vineam Sabama*.

12. *Cùm apparuerit quòd laboraverit*] Cùm visus fuerit frustrà se fatigasse in excelsis per oblationes, confugiet ad Deos sanctuarii, si tamen præ fletu orare possit.

14. *Quasi anni mercenarii*] *Annus mercenarii* prolongationem non admittit, sed mox finito anno ejicitur mercenarius.

FORERIUS.

1. Q*Uid alii hoc loco sentiant non opus est referre*: Ego quia participium מושל non video cui rectè attribuatur nisi nomini כר, alium hic subesse sensum putavi, nempe ut sit Ironia, quæ notat & pulsat ferociam illam atque arrogantiam Moabitarum, quando junctis Ammonitis venerunt adversùs Josaphat Regem Jehuda, q. d. *Mittite nunc militem seu exercitum ab urbe quæ dicitur Rupes deserti seu Petra*, *ad montem Tcion*, *qui dominetur*, *& terram sibi subjiciat*. *Scilicet in eo statu res vestræ sunt*: *nihil equidem minus poteritis facere*: *quinimo vestræ illius arrogantiæ nunc pœnas luetis*, &c. Est autem כר *aries*, cujus plurale interdum etiam instrumenta quædam bellica significat quæ Latini *arietes* vocant. Et כר, quod positum est pro כרים, *viros fortes & bellicosos* sign. 2 Reg. 11. sicut figuratè qui fortitudine aliis antecellunt dicuntur in Scripturis עתודים *hirci* & אילים *arietes*. Hic autem כר collectivè accipitur. Quòd si מושל in dandi casu velis accipere, (ut quidam volunt) erit etiam Ironia in hunc modum, *Vos*, *qui divites estis arietum & ovium*, *mittite tributum*: *videte an placare possitis muneribus Regem & Ducem qui nunc dominatur*, *Regem nostrum Ezechiam*. *Sed sera est pœnitentia*, &c.

2. *Et erit*] *Futurum est ut Moabita sint similes avi*, &c. ¶ *Fugiens*] נודד, sive à נד sive à נדד, sign. *motum celerem*, *fugam*, *agitationem*: neque potest commodè uno semper verbo reddi: *vagam* vel *vagabundam* hîc dicere possumus. ¶ *Et pulli*, &c. Sensum expressit Vulg. Usurpat enim Hebraismus nomen *nidi* interdum pro ipsis *pullis*: & vocat *nidum dimissum* pullos dejecto nido huc atque illuc volitantes. Et repetenda est nota Similitudinis, & supplenda nota quæ illi solet respondere, *sic*, vel *ità*, &c. quas non rarò Hebræi omittunt. ¶ *In transcensu*] Sensum non mutavit Vulg. Ego, abrasis punctis, video מעברות posse esse participium quod præteritum vocant 3 conjug. i. *factæ transire*: & ità intellexisse videtur Vulg. Alioqui vox hæc *vada* sign. in qua significatione si velis hîc accipere, sunt aliæ voces supplendæ: *Hic erit*, *ô Moab*, *status rerum tuarum*: *quem confer cum arrogantia tuâ quâ subjicere tibi volebas montem Tcion*.

3. *Ini consilium*, &c.] Continet hic versus alteram Ironiam non minùs acrem adversùs Moabitas. Isti enim (ut est verisimile) cùm Rex Assyrius adversùs Jehudam contenderet, & civitates Regni Jehuda cœpisset subjugare, *concilium cogebant*, & (quod fit in arduis deliberationibus) vocatis Regni Satrapis in dubium vocabant an excipiendi essent profugi Judæi qui metu Assyriorum ad Moabitas confugiebant: timere enim poterant nè in se provocarent Assyriorum indignationem. Insumebant itaque dies in hujusmodi deliberationibus; cùm interim Israelitæ vagi huc atque illuc abirent latebras quærentes. Hos irridet Propheta, quòd Regnum Jehuda sub Ezechia fuerit à Deo confirmatum, & Assyrii deleti; ipsi autem Moabitæ pœnas luerent hujusmodi crudelitatis, eadem perpessi quæ Israelitæ. ¶ *Coge concilium*] Ad verb. *fac judicium*. Sed sensus est quem Vulg. expressit. Verba Hebræa habent Vau pro Jod. ¶ *In meridie*] Sic verba expresseris, *in medio meridie*, i. in fervore meridiano, in ipso nempe persecutionis fervore. ¶ *Pone*, *absconde*, &c.] Non inducta persona loquentis, sed posita hæc verba juxta illa,

illa, *Ini consilium, coge concilium*, significant inhumanitatem Moabitarum, qui, cùm res proximorum præsens postularet auxilium, ad deliberationes sese convertebant.

4. *Habitabunt*] Carent modis Hebræi, quos Latini habent, uturitúrque futuris pro ipsis, *habitent, agant*, seu *peregrinentur, in te, inter vos, apud te*. ¶ *Finitus est enim pulvis*] Vox מץ *glumam*, i. folliculum triturando decussum de granis frumenti, deinde *paleas, quisquilias*, &c. sign. si cum Holem proferatur: At *M E Z emulsorem* seu *emunctorem* sign. à verbo מצץ vel מוץ: neque alibi memini me legisse in hac forma: sed Pro. 30. מיץ eadem significatione. Eundem autem subesse sensum putato, sive dicas *defecisse emunctorem* sive *expressorem*, i. qui grana ex folliculis excutiat, sive *defecisse pulverem*, i. glumam, folliculos, paleas, &c. i. defecit trituratio, vel defecit gluma; i. qui erant excutiendi excussi sunt, & qui erant ventilandi ventilati sunt: jam non sunt paleæ inter nos, jam grana munda sumus. Est autem ratio irrisionis, q. d. Non est quòd jam *consilium ineas*, aut *concilium cogas*, an debeas profugos recipere: jam defecit qui triturabat Israelitas, &c. ¶ *Qui conculcabat*] Additur verbum plurale participio sing. i. consumpti sunt omnes conculcatores. ¶ *Terram*] Heb. *è terra*, i. qui conculcando è terra ejiciebat. Vel potiùs hoc conjungendum est cum verbis præcedentibus, *cessavit è terra, consumpti sunt è terra*, &c.

5. *Et præparabitur*] Conjunctio Vau conjungit sententiam hanc verbis præteriti quæ præcedunt: ideo per præteritum potiùs verterem: Non solùm, inquit, non est qui nos cruciet, sed & Regnum Jehuda *confirmatum est* bonitate & *misericordiâ* Dei nostri. ¶ *Et sedebit*] In præterito quoque dicendum: sic enim magis confirmatur irrisio. Jam habemus, inquit, qui *sedeat in solio in veritate*. Sunt hic attributa boni Regis, qui summa cum *veritate* seu fidelitate Regium munus exercet, Deo obediens, & populum suum non defraudans, neque dolis res eorum avertens; justitiæ administrandæ studiosus atque adeò *festinus* ad respondendum de jure, & tribuendum cuique quod suum est. ¶ *Et velociter reddens*] Duabus vocibus expressit vim nominis מהיר, quod propriè *festinum* sign. *Festinus* ergò *justitiæ* est qui nullâ morâ, nullis tergiversationibus jus reddit, causas justè dirimit. Nam in jure dicendo vel ipsa cunctatio sæpe non parùm injustitiæ continet. Quamvis hæc de Ezechiâ pro Israele adversùs Moabitas dicta videantur, nè dubitet Christianus lector hæc in Christum Dominum rectiùs convenire, qui populo suo dum extrema pateretur adfuit, Regnum David stabilivit, deletis hostibus, Peccato, Morte & Inferno; ut universos nobis inimicos irridere meritò possimus. Facit quoque hic locus adversùs divites avaros, qui negligentes & difficiles sunt ad subveniendum pauperibus, & in nulla re magis cunctabundi quàm in eleemosynis erogandis, cùm interim pauperes fame & frigore pereant, &c. Non hæc diu perferent pauperes Christi, ô divites; non semper vobis erunt ludibrio: deficient hostes, cessabunt gemitus & lacrymæ, & Dominus judicabit in justitia pauperes, &c.

6. *Audivimus superbiam*, &c. Ecce quod v. 1. dicebamus de superbia & arrogantia Moabitarum. ¶ Illud autem *plus quàm fortitudo ejus*] Vulg. non malè vertit. Ego verba & Hebraismum retinui, quòd facilis esset. *Vectes* enim interdum vocat Hebraismus fortitudinem seu potentiam, ut infrà 41. & Job. 11, &c. Eadem voce utitur Jeremias c. 48. quæ Osee 11. pro *optimatibus* videtur accipi. Et credo quòd à *solitudine* sic dicantur Vectes, & aliæ res quæ rem aliquam solæ sustentant, ut Magistratus, &c. Nam בדד esse radicem puto.

7. *His qui lætantur*] אשישים fere omnes Hebræi hîc pro *fundamentis* accipiunt. Sed neque locum aliquem proferunt ex Scripturis ubi hoc nomen sic accipiatur, neque certas conjecturas quibus ostendant vocem id significare. Nam quòd שתות *fundamenta* significet, à verbo שית *posuit*, facilè concedam: at unde geminatum אשישים? Et quidem Vulg. à verbo שוש vel שיש deductum putavit, i. *gavisus* seu *lætatus est*. Neque est aspernandus sensus quem nobis affert. Nam חרשת *fabrefacturam* sign. & חרש *fictile vas*, & קיר *murum*, q. d. *Proferte plagas* (seu *fracturas*) *illis qui sibi placent in fabrefacturis murorum*. Nam & הגה verbum *canere* seu *promere* interdum notat, & נכאים potest esse à verbo נכה, ה in א commutato, & *læsos* seu *percussos* sign. Quibus adde quòd aliis punctis nomen נכאים potest esse in plur. cum affixo pronomine, ut significet *læsos eorum*, vel *percussuras eorum* vel *suas*, &c. Quæ dixi ut nemo audeat re minimè consideratâ dictis tantùm Rabinorum contentus Vulg. Interpretem damnare; quod plerique solent. Ego alium sensum indicavi in mea editione, non quòd eum præferam interpretationi Vulgatæ; sed ut sciat lector aliter hæc juxta Hebraismum posse accipi. Posthabitis enim Rabinorum commentis, nomen אשישים, sicut & verbum 4. conjug. התאששו, de quo infrà 64. à nomine איש deduci potest. Et quidem verbum notat *viriliter agere*; & nomen hoc geminatum, id quod maximè virile est, i. *virtutem, fortitudinem, robur*. Nos perspicuitatis causâ vertimus *viros*: nam Jer. 48. ubi hæc eadem sententia ponitur, pro אשישי est אנשי, *Propterea*, inquit, *super Moab ululabo, & ad Moab universum exclamabo, ad viros Chir-heres*, &c. Accipio itaque *Kirhereseth* pro nomine proprio, & verbum הגה cum Vulg. *promere, canere, loqui*: de quo jam suprà. q. d. *Cantu lugubri promite nomina perturbatorum: nihil aliud quàm numerum consternatorum* (seu potiùs *cæsorum*) *proferatis ad viros qui in sua fortitudine confidebant*: vel, *totus ululabit super viris Kehereseth: commemorabitis tantummodo vulneratos* (seu *percussos*) *eorum*. Illud enim *super viris* tam præcedentibus quàm sequentibus connecti potest.

8. *Suburbana*] Moabitas comparat *Propaginibus*, quæ longè latéque emittuntur. Irridet itaque Propheta florentem statum Moabitarum, qui adventantibus hostibus huc atque illuc dispersi, quidam ad ultimos fines Regni properaturi erant; alii per desertum, quod Moabitis adjacet, vagi erant abituri; quidam verò mare Mortuum transituri, ut saluti & rebus suis consulere possent.

9. *Irruit*] נפל *cecidit, ruit*. Interdum verbo *intercidendi* optimè redditur. Jos. 21. *Non cecidit quidquam de omni verbo*, &c. Et juxta hanc phrasim habetur Luc. 16. *Facilius est cælum & terram transire quàm Legis unum apicem cadere*: sic & hoc loco, quod seq. versu explicatur. Sensum tamen Vulgati interpretis, quòd scilicet hostes in *messem* & *vindemiam* Moabitarum summo cum clamore irruerent, confirmat locus Jer. 48. ubi dicitur *prædo irruisse super messem*, &c. Vide locum, qui omnino idem est.

11. Versum hunc accipiendum existimo ut præcedenti cap. ¶ *Venter meus*] Nomen מעי Hebræis est *acervus*: infrà 17. à verbo עוה *curvum fuit*.

12. *Et erit, cùm apparuerit*, &c.] Vel, *Futurum est autem, cùm apparuerit*, (scilicet *malum hoc quod prædico*) *quòd defatigatus Moab super excelsum* [scilicet *velit conscendere*] *& veniat ad sanctuarium suum*, (i. venire velit) *neque valeat*, scilicet *præ lassitudine*. Parum distat hic sensus ab altero quem in versione expressi: & hanc germanam interpretationem hujus versùs esse existimo. Neque distinguere oportet *excelsum* à *sanctuario*. Atque hoc præter alia malum habet superstitio eorum qui falsos Deos colunt, ut, quia certo loco addictum & affixum putant Divinum Numen, cùm corpore illuc accedere non possint, omnino eis desperandum sit in rebus adversis. Cultores autem veri Numinis ità religionem certis locis ac temporibus assignant ut tamen intelligant Deum ubique adesse, & omni tempore & loco, ut, si manus cordis levent, & genua flectant Deo suo, exaudiantur. Nè existimes autem Prophetam in miseria aut infelicitate numerasse quòd *non possent adire excelsa sua Moabitæ*: nihil enim auxilii à Diis suis possent, etiam si maximè adiissent, impetrare: sed secundùm depravatam opinionem eorum hoc addidit. Nemo enim est qui non torqueatur & cruciatur animo, si in adversis rebus intelligat præpeditam sibi esse viam quominus quem pro Deo colit, possit adire, precari atque consulere. Neque quisquam est tam barbarus qui, cùm humana omnia adversa sibi experiatur, à Deo petendum auxilium non arbitretur.

13. *Hoc verbum*] Ità habet Hebraismus, quem ego mollivi. Est autem idem quod Jer. 48. *Hucusque judicia Moab*. ¶ *Ex tunc*] Id est, multò antè quàm fierent: olim; ex multo tempore; infrà 45.

15. *Quasi anni mercenarii*] Quibus nihil deest neque superest. ¶ *Auferetur*] Verbum קלה propriè est *torrere*: in passiva *levem fieri* seu *extenuari*. Quare Vulg. non malè reddidit. Potest & pro *vilipensione* accipi. Quod enim torretur, leve fit. Et habet affinitatem cum verbo קלל. Vide suprà 3. 5. ubi participium vocis passivæ pro *vili* seu *levi penso* accipitur. ¶ *Gloria*] Pro *divitiis* aut pro *nobilitate* & *magnatibus* solet accipi כבוד. ¶ *Super omni populo multo*] Non dubium quin המון interdum *populum, multitudinem, vulgus* significet: de qua voce jam suprà dixi, quòd & *strepitum qui ex multitudine oritur* designet. רב autem & adjectivè & substantivè accipi potest. Sensus idem est: *strepitus* enim *multitudinis* pro ipso *populo* seu *turba*, imò & pro *exercitu*, accipi potest. Ego libenter nomine *gloriæ* nobiles & primates, nomine autem *turbæ* seu *strepitus multitudinis* vulgus & populum reliquum intelligo. ¶ *Sicut racemus*] In Hebræis Bibliis non habentur quæ nunc circumferuntur.

DRUSIUS.

5. וְהוּכַן בַּחֶסֶד כִּסֵּא . Aq. καὶ ἑτοιμασθήσεται ἐν ἐλαίῳ θρόνος *& firmabitur oleo sedes.* Sym. καὶ ἑτοιμασθήσεται μετ' ἐλέους θρόνος *& stabilietur cum misericordia thronus*] Ἐν ἐλαίῳ leg. ἐν ἐλέῳ *misericordia.* Nam ἐν ἐλαίῳ, i. בשמן. Sic alibi ἀναίμῳ permutatur cum ἀνέμῳ. Res est, non conjectura. Emendatio tam certa quàm quæ ad Sagram. Igitur in versione Latina repones, pro *oleo*, *misericordia*, quod est interpretamentum antiquum τοῦ חסד. Nihil certius. Sumptum est hoc testimonium ex Eusebio cujus interpres Frisius. Aq. *& apparabitur in misericordia* (legit ergò ἐν ἐλέῳ) Sym. *& apparabitur cum misericordia solium.*

11. לְקִר חָרֶשׂ. Th. *ad murum dissipatum*] Hieron. OMNIA VISCERA MEA AD MURUM COCTI LATERIS; *pro quo interpretatus est Th.* AD MURUM DISSIPATUM.

13. מֵאָז. Sym. Th. *ex tunc*, ἀπὸ τότε.

14. וְעַתָּה דִּבֶּר יְהוָה לֵאמֹר בְּשָׁלֹשׁ שָׁנִים כִּשְׁנֵי שָׂכִיר . Sym. *Et nunc locutus est Dominus, dicens, In tribus annis quasi mercenarii tempore.* Th. *Et nunc locutus est Dominus, dicens, In tribus annis quasi annis mercenarii.* Aq. *In tribus annis mercenarii*] Græcè ista leguntur in ed. Rom. Sumpta autem sunt ex Comment. Eusebianis, Κατὰ Ἑβραϊκὴν φωνὴν, ἢ κατὰ τοὺς λοιποὺς ἑρμηνευτὰς, διαφορὰ μεταξὺ βλήθεῖσα σαφεστέραν κατέστησε τὴν διάνοιαν· κατὰ μὲν τὸν Ἀκύλαν εἴρηται, Ἐν τρισὶν ἔτεσι μισθωτοῦ· κατὰ δὲ τὸν Σύμμαχον, Ἐκ τότε καὶ νῦν ἐλάλησε Κύριος, λέγων, Ἐν τρισὶν ἔτεσιν ὡς ἐπὶ μισθωτοῦ (correxerim ὡς ἔτη) κατὰ δὲ Θεοδοτίωνα, Ἀπὸ τότε καὶ νῦν ἐλάλησε Κύριος, λέγων, Ἐν τρισὶν ἔτεσιν ὡς ἐνιαυτοὺς μισθωτοῦ. Sequitur in eodem versu, ¶ וְנִקְלָה כְּבוֹד מוֹאָב בְּכֹל הֶהָמוֹן הָרָב . Οἱ λοιποὶ, Καὶ ἀτιμασθήσεται ἡ δόξα Μωὰβ σὺν παντὶ τῷ πλήτῳ τῷ πολλῷ, *Et dehonestabitur gloria Moab cum omnibus divitiis multis*] Hoc *secundum istos interpretes & secundum linguam Ebraicam ab alio principio dicitur.* Eusebius, εἶτα ἀφ' ἑτέρας ἀρχῆς εἴρηται πρὸς τοῖς λοιποῖς ἑρμηνευταῖς καὶ κατὰ τὴν Ἑβραϊκὴν φωνὴν, τὸ, Καὶ ἀτιμασθήσεται, &c. Πλήτῳ, legerim πλήθει quomodo sanè legisse videtur Interpres, qui vertit, *cum omni multitudine multa.* Sanè המון *multitudo. Divitiæ* autem, i. πλοῦτος, עשר appellantur.

IDEM EX PROCOPIO.

1. הַר בַּת־צִיּוֹן . Aq. Sym. Th. τὸ ὄρος θυγατρὸς Σιὼν, *montem filiæ Sion.*

2. וְהָיָה כְעוֹף־נוֹדֵד קֵן מְשֻׁלָּח תִּהְיֶינָה בְּנוֹת מוֹאָב מַעְבָּרֹת לְאַרְנוֹן . Aq. καὶ ἔσαι ὡς πετεινὸν μεταναστεῦον, νοσσιὰ ἐξαπεσαλμένη ἔσονται θυγατέρες Μωὰβ, διαβάσεις τοῦ Ἀρνὼν, *Et erit avis solum mutans, nidus emissus erunt filiæ Moab, transitus Arnon*] Πετεινὸν, *volatile, volucre.* Νοσσιὰ, desideratur in Procopio. Τοῦ Ἀρνὼν ità restitui. Nam in libris τῶν ἀρνῶν. Mendum quale in Euangelio Johannis, ubi τῶν κέδρων legitur pro τοῦ Κεδρὼν. Vide Commentarium ad Voces N. T. alterum.

3. הָבִיאוּ עֵצָה . Aq. φέρετε βουλὴν *adducite*, sive *adferte, consilium.* Th. αἱ διαβάσεις Ἀρνὼν φέρετε βουλὴν, *trajectus Arnon, adferte consilium.* ¶ אַל־תְּגַלִּי . Th. μὴ ἀποκαλύψῃς *ne reveles.* * μὴ ἀχθῇς. Sym. μὴ ἀποδιώξῃς *ne persequaris.* Suspectum.

4. הֱוִי־סֵתֶר לָמוֹ . γίνου ἀποκρυφὴ αὐτοῖς, *esto latibulum eis.* ¶ מִן־הָאָרֶץ . Sym. Th. ἐκ τῆς γῆς, *è terra.* Aq. ὁμοῦ τε ὁ.

5. וְהוּכַן בַּחֶסֶד כִּסֵּא . Aq. Th. καὶ ἑτοιμασθήσεται ἐν ἐλέῳ θρόνος, *& præparabitur in misericordia thronus*] Ἥγουν μετ' ἐλέους *cum misericordia.*

6. גֵּא מְאֹד גַּאֲוָתוֹ וְעֶבְרָתוֹ . Sym. ὑπερήφανος σφόδρα κατὰ τὸ ἔπαρμα αὐτοῦ, καὶ κατὰ τὴν ὑπερηφανίαν αὐτοῦ, καὶ τὴν ὀργὴν αὐτοῦ, *superbus valde secundùm elationem ejus, & juxta superbiam ejus, & iram ejus.* Alius, —— καὶ ἡ ὕβρις αὐτοῦ καὶ ἡ μῆνις αὐτοῦ, *& superbia ejus & ira ejus.* ¶ לֹא־כֵן בַּדָּיו . Sym. οὐχ οὕτω οἱ βραχίονες αὐτοῦ, *non sic brachia ejus.*

7. לַאֲשִׁישֵׁי קִיר־חֲרֶשֶׂת תֶּהְגּוּ . Sym. τοῖς εὐφραινομένοις ἐν τῷ τείχει τῷ ὀστρακίνῳ φθέγξασθε, *latantibus in muro testaceo dicite.* Aq. τοῖς πολυχρονίοις μου τοίχῳ ὀστρακίνῳ μελετήσατε, *longævis meis muro testaceo meditemini.* Th. τοῖς αὐχμώδεσιν *squalidis*] Legerim πολυχρονίοις. Nam πολυχρόνιος dicimus, non πολυχρόνος quanquam Κρόνος, ἀπὸ τοῦ χρόνου.

8. שַׁדְמוֹת . Aq. ἄρουραι *arva.* Sym. κλήματα *palmites.* Th. ἀγροὶ θανάτου *agri mortis*] שדי מות, vel, si placet, שדי מות, *Sede Moth.* Nam *Moth* legebant antiqui pro *Maveth.* ¶ שְׁלֻחוֹתֶיהָ . Aq. Sym. οἱ ἀπεσαλμένοι ἀπ' αὐτῆς *missi ab ea.* ¶ עָבְרוּ יָם . Aq. Sym. Th. διέβησαν τὴν θάλασσαν *transierunt mare.*

9. חֶשְׁבּוֹן . Sym. Ἐσβὼν *Hesbon.* ¶ וְאֶלְעָלֵה . Aq. Sym. Th. καὶ Ἐλεαλὴ *& Eleale*] Id corruptum in ἐλάλησεν in ed. antiqua.

10. מִן־הַכַּרְמֶל . Aq. ἀπὸ τοῦ Καρμήλου *à Karmelo*] Sym. Th. ἐκ τοῦ Καρμήλου *ex Carmelo.* ¶ וּבַכְּרָמִים לֹא־יְרֻנָּן . Aq. καὶ ἐν ἀμπελῶσιν οὐκ αἰνέσει *& in vineis non laudabit*] ירנן aliis punctis.

11. לְקִיר חָרֶשׂ . Sym. τῷ τείχει ὀστρακίνῳ *parieti testaceo.*

13, 14. מֵאָז וְעַתָּה דִּבֶּר . Οἱ λοιποὶ, Ἐκ τότε καὶ νῦν ἐλάλησεν, *jam inde & nunc locutus est*] Hodie καὶ νῦν ἐλάλησεν initium est v. 14. ¶ כִּשְׁנֵי שָׂכִיר . Sym. ὡς ἔτη μισθωτοῦ *tanquam anni mercenarii*] Priùs erat ἐπὶ, quod legit Curterius: nam vertit *quasi sub mercenario.* Ego non dubito quin vera sit emendatio mea. ¶ וְנִקְלָה כְּבוֹד מוֹאָב . Aq. Sym. Th. καὶ ἀτιμασθήσεται ἡ δόξα Μωὰβ, *& negligetur gloria Moab*] Vel *contemnetur, ignominiâ notabitur.* Malè interpres *auferetur.* Idem pòst benè reddit *ignominiâ afficietur.*

GROTIUS.

1. *Emitte agnum, Domine, dominatorem terræ de Petra deserti ad montem filiæ Sion*] In Hebræo est tantum: *Mittite agnum dominatori terræ.* Pergit ad Moabitas loqui, monétque eos ut agnum, id est agnos, quos pro tributo Davidi olim pependerant pro pace ac tutela 2 Reg. VIII. 2. deinde Regibus Israëlis ad Achabi usque tempora 2 Reg. III. 4. nunc è-verso Israëlis regno, pendant legitimo heredi Davidis, id est, Ezechiæ. Meliùs autem vertas, *de Petra ad desertum*, quàm *de Petra deserti*: ut intelligas hæc imperari Moabitis omnibus, quorum fines à Petra ab Idumæis possessa ad desertum Jordanis pertingebant.

2. *Et erit sicut avis fugiens, & pulli de nido avolantes: sic erunt filiæ Moab in transcensu Arnon*] Est sermo ἐλλειπτικὸς [*defectivus*]. Sensus enim est, *Sicut avi profugæ & pullis è nido suo ejectis arbores sunt pro perfugio: sic urbes Moabitarum quæ sunt ad vada Arnonis* (id est, propinquæ Israëlitis, Jud. XI.) *Israëlitis sint pro perfugio.*

3. *Ini consilium*] In Hebræo: *Adfer consilium.*

Coge concilium] In Hebræo, *Fac judicium*: id est, præsta Israëlitis quod debes ex fœdere veteri.

Pone quasi noctem umbram tuam in meridie] In gravissimo æstu (id est, in illo incursu Salmanasaris qui priùs Israëlitas bello perculit quam Moabitas attingeret) refrigera eos, tanquam nox esset, per quam cessat æstus.

Absconde fugientes, & vagos ne prodas] Sit illis miseris tutus apud vos receptus.

4. *Habitabunt apud te profugi mei*] Habitantes, quod & sequentia explicant.

Finitus est enim pulvis, consummatus est miser, defecit qui conculcabat terram] Verte ex Hebræo, præteritis sumtis in sensum futuri, ut fieri solet, in Prophetis maximè. *Finiet enim expressor, desinet populator, abibit de terra conculcator.* Id est, si faciatis quæ jam dixi, Deus efficiet ut abeat Salmanasar, vobis intactis.

5. *Et præparabitur in misericordia solium*] *Firmabitur* in Hebræo. Deus propter ista misericordiæ opera dabit vobis statum felicem.

Et sedebit super illud in veritate in tabernaculo David, judicans & quærens judicium, & velociter reddens quod justum est] Habebitis bonos judices, idque sub tutela domûs Davidicæ. Sicut tentorium à Sole protegit homines, sic Reges posteri Davidis vos defensabunt.

6. *Audivimus superbiam Moab*] Quasi dicat Propheta, Surdis canimus: frustra bona illis monita damus: nihil minùs illi facient quàm quod rectum est.

Superbia ejus, & arrogantia ejus, & indignatio ejus plusquam fortitudo ejus] Bene vertit בדיו [*fortitudo ejus*]. Vide Job. XLI. 3.

7. *Iccirco ululabit Moab ad Moab*] Planget Moabita ob Moabitam.

His qui lætantur super muros cocti lateris loquimini plagas suas] חרשת alibi quidem *testam* significat; at hic *Solem*, ut apparet infrà 11. Diximus suprà XV. 1. Vertas hunc locum optimè sic ex Hebræo, *De fundamentis Kirchareseth* (*Oppidi Solis*) *dicetis: attamen eversa sunt*, id est, Confisi quidem eramus istis tantis munimentis: sed stare contra Assyrios non potuerunt. Vide quæ dicemus ad Jeremiam XLVIII. 31.

8. *Suburbana Hesebon*] Vide suprà XV. 4.

Et vineam Sabama domini gentium exciderunt] Connecte cum superioribus, *& vinea Sabama.* De Sabama vide Num. XXXII. 38. Per *vineam* aut *vinetum* civitatem intelligit.

Domini

Domini gentium exciderunt flagella ejus] In Hebræo: *optimas plantas ejus*, id est, cives præstantissimos.

Ad Jazer pervenerunt] Vide Josuen XXI. 39.

Erraverunt in deserto] Moabitæ errabunt in deserto ad Jordanem.

Propagines ejus relictæ sunt] In Hebræo: *emissiones ejus extensæ sunt:* id est, longè exsulabunt.

Transierunt mare] Quidam præ metu etiam mare trajicient, putà in Cyprum.

9. *Eleale*] Suprà XV. 4.

Vox calcantium] Barritus omnia corrumpentium.

10. *Auferetur lætitia & exsultatio de Carmelo*] *A campo uberi.* Id enim est כרמל [*Carmel*] ubi communiter sumitur.

Vocem calcantium abstuli] Calcare enim solebant cum canticis.

11. *Quasi cithara*] Quæ non sonat, nisi percussa.

Ad murum cocti lateris] Ob *Kircharesch*, sive *Kircharesch*.

12. *Et erit cùm apparuerit quòd laboravit Moab super excelsis suis*] Id est, cùm videbunt Moabitæ se in frondosis collibus multùm orando nihil proficere.

Ingredietur ad sancta sua] Volent ire ad commune Gentis idolium, quasi ibi potiùs exaudiendi.

Et non valebit] Non poterunt eousque pervenire.

13. *Hoc verbum quod locutus est Dominus ad Moab ex tunc*] Id est, quæ hactenus dixi, sine præfinitione temporis jam pridem mihi Deus revelaverat.

14. *Et nunc locutus est Dominus dicens*] Nunc verò etiam tempus mihi significavit.

In tribus annis] Post tres annos ex quo postrema hæc revelatio mihi contigit.

Quasi anni mercenarii] Id est, præcisè numerati, ut solet fieri ab his qui operas locant: infrà XXI. 16.

CAP. XVII.

MUNSTERUS.

3. *Præsidium ab Ephraïm*] Per *Ephraïm* intellige Regnum Israel, quod cum Rege Syriæ se conjunxerat, & arma contra Jehudam movit. Prophetat igitur Jesaias simul contra Syriam & Regnum Israel, quòd gloria utriusque Regni eodem tempore sit migratura in captivitatem. Nam omnium sors est æqualis qui affligunt populum Dei, sive sint Syri sive Israelitæ sive Assyrii. Et quando dicitur *Damascum ablatam*, hoc non est intelligendum de urbe, quæ adhuc stat, sed de hominibus tunc in ea habitantibus. Quomodo autem sint tractandi ostenditur similitudine. Resecabit sine delectu omnes homines: Et *sicut in valle Rephaim*, ubi fertiliores sunt *spicæ*, derelictæ quæruntur & *colliguntur*, ità hostis quæret per Regnum homines, quos abducat & perdat.

5. *Qui colligunt messem segetum*] *Erit*, inquit, quando hæc duo Regna devastabuntur, *sicut in messe*, in qua *spicæ* omnes *demetuntur*, & paucissimæ *relinquuntur:* & si quædam relinquuntur, veniunt *racematores*, & colligunt quascunque in agro invenerint. Porrò per *grana olivæ in summo ramo relicta* putant Hebræi intelligendos Jerosolymitanos, qui pauci erant respectu X Tribuum.

7. *Respiciet homo*] Exponitur ab Hebræis ישעה per פנה *convertet se*, & per יבטח *sperabit*. Calamitas, inquit, coget eos ut ad Deum respiciant convertántque se.

9. *Quas dereliquerunt*] Sicut, inquit, olim Chananæi dereliquerunt civitates suas Israelitis, sic nunc Israelitæ derelinquent eas, relictis paucis virgultis & frondibus.

10. *Idcirco plantabis*] Hebræi hunc locum sic exponunt, *Cùm Deum coleres, plantabas plantas jucundas; nunc verò cum illius oblitus sis, plantas vitem alienam & reprobam, aut plantas pro alienis. Tunc quæ plantabas illico germinabant: nunc verò cùm putes te habere messem, nihil inveneris præter dolorem.* Exponunt autem quidam נד pro נר, & alii pro גדיש *acervo*. Sunt etiam qui נחלה interpretantur pro *infirmitate percussum*; ut sit passivum à verbo חלה.

12. *Væ multitudini*] Id ad exercitum Sanherib referunt, quem cùm Deus *increpasset*, perdito unâ nocte toto exercitu, Rex cum paucis *aufugit* in Assyriam. Hic venit cum *strepitu* maximo contra Jerusalem, comparatúrque *aquis vehementibus* omnia submergentibus. At Deus *increpavit* has aquas, sicut olim quoque imperavit mari Rubro. Ipse tam facilè *abegit illum* quàm *ventus tollit paleam à monte*, &c.

VATABLUS.

1. *Prophetia* משא] *Onus.* Vide c. 13. 1. ¶ *Removetur* מוסר] *Ablata est.* Particip. pass. Hebr. pro fut. ut quidam vertunt, *Ablata erit.* ¶ *Cumulus ruinæ* מעי מפלה] *Acervus ruinæ:* i. acervus lapidum, qualis esse solet in ruinis.

2. *Gregibus erunt* לעדרים תהיינה] i. In caulas vertentur, sive fient caulæ ovium.

3. *Munitio* מבצר] *Præsidium:* i. Regnum Israel carebit arcibus & propugnaculis captâ Samariâ, neque Damascus erit posthac regia Regum Syriæ: q. d. Regnum Syriæ perdetur: meminit autem simul destructionis Regni Israel, quòd Rex Israel & Rex Syriæ essent confœderati ¶ *Et residuum Aram* ושאר ארם] *Et reliqua Syria.* Quidam istud conjungunt sequentibus sic, *Et reliquiæ Syriæ sicut gloria*, &c.

5. *Sicut colligit* כאסף] Sub. *sic auferent Assyrii Israelitas pro maxima parte.* Quidam sic, *Et erit hostis* Assyrius *sicut qui colligit messem segetis, qui brachio suo spicas metit, similiter ut qui colligit*, &c.

6. *Racemi* עוללת] *Racematio.* Significat racemos qui remanent factâ vindemiâ. Hunc locum sic exponit doctus inter Hebræos, *Remanebunt habitatores Jerusalem pauci, sicut racemi vindemiâ factâ (respectu scilicet aliorum Israelitarum, qui sunt multi) & sicut excussio oleæ: ut enim excussâ oleâ remanent pauca grana in vertice ramorum superiorum, quæ non potuerunt excuti; ità pauci remanebunt in Jerusalaim cùm illam excusserit Rex Assur.* ¶ *Rami* אמיר] Sub. *altiores*, sive *excelsi*, i. verberis, qui extremus est ramus in summitate arboris. ¶ *In cacuminibus ejus fructûs* בסעפיה פוריה] *In expansis ramis ejus fructûs.* Genitivus est *fructûs*. *Ramos fructûs* vocat ramos fructiferos. Propterea quidam vertunt *ramis ejus frugiferis.* Alii, *in ramis ejus* nempe *fructifera*, sub. *vitis.*

8. *Et lucos* והאשרים] *Neque lucos.* Ità quidam vertunt in hoc loco, ut subaudias *aspiciet.*

9. *Fortitudinis ejus* מעזו] Hebraismus pro *munitissimæ*, sive *fortissimæ.* ¶ *Virgulti & rami* החרש והאמיר] *Virgulti & verberis*, sive *frondis:* i. similes fructibus relictis in ramis inferioribus superioribus. ¶ *Et id quod*, &c. אשר עזבו וגו'] *Quando dereliquerunt* civitates Chananæi *à facie*, &c. Alii, *quemadmodum reliquerunt coram filiis*, &c. Alii, & sicut urbes *quas deseruerunt* Chananæi *à facie*, &c. h. e. deserentur, & paucissimæ remanebunt intactæ: deserentur, inquam, non aliter quàm Chananæi deseruerunt urbes suas ad adventum filiorum Israel. ¶ *Desolatio* שממה] i. Terra erit omnino deserta.

10. *Salutis tuæ* ישעך] i. Salvatoris tui. ¶ *Et petræ fortitudinis tuæ* וצור מעזך] *Et rupis fortitudinis tuæ.* Alii, *Et Dei fortitudinis tuæ*, &c. Nam Deus dicitur *petra* & *rupes* sive *propugnaculum*, quòd servet suos. *Deum fortitudinis tuæ* dicit, in quo fortitudo tua sita est. ¶ [*Pulcras* נעמנים] *Pulcrarum.* sub. *plantarum.* Alii *elegantes.* Alii *amœnas.* ¶ *Et palmitem*, &c. וזמרת זר תזרענו] Ad verb. *& palmitem alieni seres eum.* Quidam, *& palmites* regionis, vel vitis *alienæ seres:* i. vitem optimam allatam è regionibus remotissimis plantabis. Usus est his duabus dictionibus, *plantabis* & *seminabis*, quòd plantæ proveniant tam ex plantatione quàm ex satione.

11. *Crescere facies* תשגשגי] Sub. *plantam tuam:* i. die quo plantaveris vitem tuam, virgultum tuum quod plantaveris accipiet incrementum: q. d. Initio omnia tibi succedent pro voto, eruntque priora felicia ac prospera; at postea incides in summas ærumnas & calamitates. Legi potest *cresces*, vel *valde cresces*, propter geminationem literarum in verbo Hebraico. *Germinare facies* תפריחי] *Florere facies:* i. tua opera germinabit, sive florebit. ¶ *At commotio*, &c. נד קציר ביום וגו'] At *agitatio plantæ* erit *in die* plagæ *infirmitatem efficientis*, *& dolores desperati.* Vel, *die* plagæ *dolorosæ* [sive *doloris plena*] *& doloris desperati*, i. *summi* sive *acerbi:* ab חלה *ægrotavit.* Alii ab נחל *hereditate accepit* sive *possedit*, vertunt. *At acervus messis in die hereditatis* [vel *possessionis*] *& dolor afflicti.* Alii, *sed recedet messis in die fruendi*, *& dolor desperatus.* Alii, *sed recedit messis in die possessionis*, *& dolor desperabilis.* Quidam paraphrasticè, *At quo die metendus & possidendus erit* fructus, *tumulatim* demetes *dolorem desperatum & ærumnosum.*

12. *Væ multitudini* הוי המון] *Væ strepitui.* Alii, *Væ turbæ.* Alii, *O multitudinem.* Vel, *Heus multitudo*, sive *Hei multitudo:* q. d. O infelicem multitudinem. Describit Assyriorum calamitatem quibus Dominus fuerat usus in eversione Israelitarum. ¶ *Sonabunt: & tumultus*, &c. יהמיון ושאון וגו']

ינו] *Frement: & strepitus nationum* quæ *instar strepitûs aquarum validarum frement.* Alii, *frement: & strepitus gentium quæ juxta strepitum aquarum vehementium strepent:* sive, *aquarum magnarum*, aut *fortium*, *strepunt.*

13. *Populi*, &c. לאמים כשאון ונו׳] *Populorum*, inquam, qui *juxta strepitum aquarum multarum strepent:* vel *frement.* Duplicat sententiam ad vehementiam strepitûs, & ut indicet magnitudinem exercitûs. ¶ *Delonge* ממרחק] *Procul:* i. dum adhuc procul abfuerit à Jerusalem, fugiet. Ad verb. *de procul.* Quidam vertunt *plusquam procul.* ¶ *Et persecutionem patietur sicut gluma* ורדף כמוץ] *Fugabitur velut palea.* Significat rem levissimam. *Montium* dixit, quòd suprà montes magis vigeant venti. Quidam exponunt, *velocissimè fugiet*, *quemadmodum raptatur palea à vento flante*, sive *flante vento:* nam id sign. *à facie venti.*

14. *Turbatio* בלהה] *Terror*, *stupor.* Quidam vertunt, Venient *ad tempus vespertinum*, *& ecce*, &c. ¶ *Pars prædantium nos* חלק שוסינו] *Portio conculcantium nos*; aut *vastantium:* q. d. Hoc est quod velut pro sorte & portione hereditatis continget hostibus nostris: sic solet Dominus affligere eos qui nos affligunt.

CASTALIO.

4. ILlo tempore autem attenuabitur] Ut hoc & sequens caput intelligas, lege diligenter Ezech. 36, 37, 38, 39. & invenies eundem sententiæ tenorem, qui hîc sic habet, *Damascenos* & *Syros* (inquit Jova) sic imminuam, ut *Jacobeorum nobilitatem*, h. e. ut Jacobeos nobiles. Quos quidem Jacobeos ità diminuam ut pauci restent, sicut *factâ messe* paucæ *spicæ* supersunt ad spicilegium, &c. Sed nè putent Syri aut alii id fore perpetuum: nam Israelitas revocabo, futuros postea in sua patria, & ibi me verè adoraturos. Sed antequam id fiat diruentur *eorum urbes*, ità ut in eorum adventu vix tenues earum reliquiæ supersint; sicut excisâ sylva supersunt virgulta quædam quæ ibi fuisse silvam testentur. Atque *hæc calamitas* tibi, gens Israelitica, *accidet quòd tuum Deum non colueris. Propterea cùm* tibi videberis instaurata, cùm à Cyro revocata consederis in tua patria, & te ibi perpetuò futuram sperabis, quoniam tamen nè tum quidem me coles, aliæ super alias calamitates te prement: neque quicquam proficies, quin postremò (qui dolor erit gravissimus) à Romanis delebere, atque ità diu manebis deserta. Deinde post illam calamitatem revocaberis, & me tum demum verè coles. Hunc locum confer cum iis quæ scripsimus in capite 31.

11. *Eâque peregrinâ stirpe conseveris*] Excellenti, quales aliunde importari solent.

12. *O nationum multarum turbam*] Oraculum videtur esse de Gog & Magog: de quibus quinque videor animadvertisse oracula, præter Sibyllina; quorum primum est hoc, alterum est Esa. 56. tertium Ezech. 38. quartum Mich. 5. quintum Apoc. 20. Atque horum postremum quodque apertissimum est, ut & in aliis oraculis fieri solet. Sed declaremus quæ de eodem Gogo sequuntur.

CLARIUS.

3. ET cessabit munitio ab Ephraim] Per *Ephraim* intellige Regnum Israel; quia de tribu Ephraim fuit Jeroboam, & plerique alii Reges. Hoc ergò Regnum cum Rege Syriæ se conjunxerat, & arma contra Judam movit. Prophetat igitur Esaias simul contra Syriam & Regnum Israel, quòd gloria utriusque Regni eodem tempore sit migratura in captivitatem. ¶ *Sicut gloria filiorum Israel*] *Gloriam* Ironicè appellat.

6. *Et sicut excussio oleæ*] Relictum in eo erit tam rarum quàm raræ solent esse baccæ relictæ ab excutiente oleam, in qua relinqui solent baccæ duæ aut tres.

9. *Sicut palmes & racemus*] Ut solet palmes relinqui cum paucissimis fructibus. ¶ *Quæ derelicta sunt propter filios Israel*] Sicut, inquit, olim Cananæi dereliquerunt civitates suas Israelitis, sic nunc Israelitæ derelinquent eas, relictis paucis virgultis & frondibus.

10. *Propterea quòd plantata es*] *Plantata fuisti plantatio pulcerrima*, *sed superseminasti semen pessimum. In die plantationis tuæ crescebas*, *& postridie* diei illius *proferre germen* videbaris. Nunc autem, quando ad *excussionem ramorum* ventum est, *in die hoc calamitoso*, nihil invenitur *præter mærorem & desperationem.*

12. *Væ multitudini populorum*] Vel, *O multitudinem.* Est enim dictio & Deplorantis & Vocantis. Id autem ad exercitum Sennacherib referunt, quem cùm Deus *increpasset*, perdito unâ nocte toto exercitu, Rex cum paucis *aufugit* in Assyriam.

14. *In tempore vesperæ*] *Vesperi* erat *turbatio* & metus Hierosolymitanis, & ecce *manè* apparuit consumptus exercitus.

FORERIUS.

1. DEsinet esse civitas] Hebraismum doctè vitavit Vulg. sensum reddens. Heb. *ablata à civitate.* ¶ *Acervus lapidum*] *Lapidum* addidit Interpres. De nomine autem עי vide cap. præcedenti.

3. *Adjutorium*] Heb. מבצר. Est à verbo בצר, cujus significatio propria est *circumcludere*, *sicut qui canistro fructus includit.* Hinc est quòd de *civitatibus muris inclusis* dicitur: hinc nomen pro *munimento.* Erat autem Syria, seu Damascus munimentum Israelis adversùs Regnum Jehuda. Isti ergò, qui simul Judæos devastabant, in supplicio similes fuerunt. Quia verò penè incredibile videbatur ut *Damascus in acervum lapidum foret*, addit confirmationis notam, *Fidelis sermo Jehova.*

4. *Attenuabitur gloria Jacob*, &c.] Ecce quo pacto in supplicio similes futuri sunt. Verùm in punitione Israelitarum mysterium subodorari oportet lectorem: neque enim ruinam solùm corporalem intuetur Propheta, sed & spiritalem. *Attenuabitur*, vel *exhaurietur*, ut verbum דלל significare videtur. Paulus Rom. 9. 4. *Israelitarum* fuisse *gloriam* testatur. Soli enim dicebantur & erant populus Dei. Quâ tamen gloriâ magna ex parte spoliati sunt. Sed & corporali vastatione Principes & nobiles eorum perierunt. Divitiæ quoque & opulentia omnis interiit. Fastus quoque superbiæque tumor evanuit, qui prosperitate alitur. Abierunt enim Israelitæ in captivitatem ad Assyrios: neque semel vastati sunt.

5. *Et erit sicut*, &c.] Hic versus superiorem explicat quòd hostis scilicet eos demessurus esset tanquam segetem, quam & *demetis*, & *brachio* constringit, ut in fasciculos *colligat.* Non ergò Israelitas messori comparat, sed segeti & manipulis. Hebraismum itaque, quem retinuit Vulg. ego mollivi, ut perspicua esset oratio. ¶ *Quod restiterit*] קמה nomen est, & non rarò Hebræis pro *segete* sumitur, ab *stando.* Exod. 22. *acervus*, vel *seges* Jud. 15. Potest & esse participium fem. ab eodem verbo קם. ¶ *Spicas*] שבלים existimo esse plurale à nomine שבל, non habitâ ratione punctorum, ut interdum necesse est. De hoc nomine vide infrà 47. ubi *tibiam* interpretabimur. Unde & pro *culmo*, seu *frumenti calamo*, qui à radice usque ad spicam succrevit, tanquam tibia quædam, accipitur; adeòque & pro ipsis *spicis*, sicut & שבלת. Unde credo antiquos nomen *Cybeles* mutuasse, quam *Deam frugum* vocabant; quam postea *Cererem*, & *Rheam*, aliisque, nescientes vocis originem, nominibus appellarunt. ¶ *Rephaim*] vel *Gigantum:* de qua Josue 15. cujus hic meminit quia ob segetum abundantiam illuc messores accurrebant.

6. *Relinquetur in eo*, &c.] Paucitatem remanentium Israelitarum ex illa clade hic versus continet. In quo loco meminisse oportet reliquiarum illarum de quibus hîc Propheta sermonem frequentissimè inserit; quæ haud minima pars est argumenti totius libri, ut suprà jam dixi. ¶ *Racemus*] Vel *racematio:* nomen plur. tantùm à verbo 2. conjug. עלל, i. *injuriâ agere*, *defraudare*, *dehonestare*, &c. Et quod nos *racemare*, i. ultimos racemos in vinea decerpere, dicimus, Hebræi verbo isto 2. conjug. efferunt. Levit 19. & Deut. 24. *Vineam tuam non exactè* (seu *penitus*) *deracemabis*, &c. Hinc nomen pro *ultimis racemis*, qui subterfugere solent oculos manúsque vindemiantium, Jud. 8. ¶ *Sicut excussio*] i. *Sicut post excussionem olivæ remanent duæ aut tres*, &c. *quatuor aut quinque in prominentiis ejus*, i. ramis qui prominent. Solent Hebræi, sicut nos Hispani, nomina numerorum sine disjunctione interdum efferre, *duo*, *tres*, &c. ¶ *In cacuminibus ejus*, *fructus ejus*] Vel *frugiferæ*, i. in extremis ramis ejus fructiferæ, quæ erat olim in patribus fructifera, sed in posteris degeneravit. Cùm pro felicitate patribus sæpius promissa fuerit à Deo multitudo prolis, & quòd *multiplicandi forent sicut arena maris*, non dubium quin non æquo animo ferrent in tantum redigi paucitatem. Unde non semel conqueruntur quòd imminuti essent plùs quàm omnes gentes, &c.

7. *In die illa inclinabitur homo*, &c.] Possunt hi duo versus cum Vulg. legi per verba futuri, quasi significet paucos illos qui relinquentur per adversa erudiendos ut in Deo spem suam collocent, &c. Nisi potiùs non tam quod futurum est quàm quod magis nimia calamitas eos facere coget aperit Propheta: quod magis probo. Huic affinis est alter sensus, quem in versione indicavi, in hunc tantummodo usum, ut qui Hebraicè ignorant, ità posse Hebraica interpretari intelligentes, eligant sensum rei propositæ magis consentaneum. Verbum שעה juxta variam constructionem variè quoque reddere oportet, & cum

על quidem cum verbo *innitor*, *incumbo* congruit, ut hoc loco; cum אל verò, ut seq. v. notat *benignè & blandè respicere*, sive *rationem habere*, & *respectum agere alicujus*, *cum quodam favore & propensione animi*. Gen. 4. *Respexit Abel*, &c. Alias constructiones vide infrà 22, & 32.

8. *Altaria*] Nomen est à verbo quod *mactare*, deinde & *mactatas pecudes offerre* sign. unde Ara sic dicebatur, quòd super ea fieret sacrificium, &c. ¶ *Delubra*] חמנים sunt *solaria:* HAMAH enim *Sol* est, infrà 24. Per *solaria* autem vel intelligit *delubra Solis*, vel *domata*, i. cœnacula, vel *superiores partes domûs*, in quibus, propterea quòd remotæ erant à turba, orare solebant; quemadmodum legimus Petrum Apostolum in Actis *ascendisse superiora domûs ad orandum*.

9. *In die illa erunt*, &c.] Cùm promiserit de Damasco dicere, multò plura de Israel commemorat, quòd similis futura esset utriusque pœna, quódque non nisi propter Israelitas de exteris viciniśque nationibus Prophetæ Prophetias suas contexerent. ¶ *Civitates fortitudinis*] מעז *munitio*, *munimentum* seu *præsidium* est. Urbes ergò munitas intelligit, ad quas desertis villis solent tempore belli profugere. ¶ *Sicut aratra*] חרש in hac forma pro *aratro* non memini me legisse. חריש quidem *aratio* est Exod. 34. & 1 Sam. 8. & מחרשת *vomer* 1 Sam. 13. & utrumque ab eadem radice: חרש autem pro *ramo* collectivè Ezech. 31. *Ecce Assur velut cedrus in Libano, pulcrâ fronde & ramo umbroso.* Et quidem verisimile mihi est significare *umbracula quæ ex ramis fiunt*, & utramque vocem ferè pro eodem accipiendam: unde hîc pro *villis* & *rure* meritò sumetur. ¶ *Segetes*] Fortè exemplar Hieronymi aliud nomen habuit pro אמיר, quam vocem suprà v. 6. *ramum* vertit, hîc autem *segetes*. ¶ *Et erit deserta*] Scilicet *terra*; vel potiùs *desertio* seu *desolatio:* nam hic est nomen illud de quo jam non semel, שממה *afflatio* seu *afflatus qui in desolatione ab intuentibus emittitur*, & pro *desolatione* accipitur. Neque est legendum, ut quædam exemplaria habent, *eris*, sed in tertia persona.

10. *Quia oblita es*] Omnis generis peccata & scelera nomine *oblivionis Dei* intelligit sæpius Scriptura, quòd omnia illinc tanquam à fonte oriantur. Quemadmodum enim Memoria Dei in ejus timore conservat, sic & Oblivio ipsius ad ruinam præparat. Nomina autem *Salutis* ישע & צור *Petræ* frequenter Deo tribuuntur, quòd & ab ipso & in ipso sit nobis salus & præsidium maximum. Sicut enim in rupe firmissima ità in ipso contra omnes adversitates & injurias hostium tuti consistimus, Deut. 32. &c. ¶ *Plantationem fidelem*] Sic legendum est in Vulg. at cùm נעם verbum *jucundum esse* significet, hinc nomen plurale tantùm נעמנים *jucunditates*. Vulg. autem, tanquam scriptum esset ע pro א, *fidelem* vertit. Est enim אמונים *veritas* Ose. 5. ¶ *Et germen alienum seminabis*] Ità ferè habent Hebræa, nisi quòd pronomen affixum omisit, *seminabis eum*. Quem locum, quoniam varietatem Interpretum vidi, quâ potui diligentiâ elucidare institui. Animadverti enim totam difficultatem indè oriri quia à verbis Hebræis volunt absque ulla causa Interpretes recedere. Primò ergò scito sensum in hoc versu non perfici, sed sequenti. Deinde cùm vox זמורת *germen* seu *palmes* sit in regimine, vox זר necesse est sit in gignendi casu, i. *aliena*, *alius*, *alterius*, scilicet *plantæ:* ut sit sensus, *plantabis plantas optimas*, *electas*, *& suavissimos fructus afferentes; neque hoc contenta*, *palmitem alienum alterius speciei*, *alterius plantæ*, vel *aliunde allatum*, *inseres ei*, *ut jucundiores fructus facias:* i. tota in hoc eris ut nihil tibi ad voluptatem desit. Est autem זרע *seminare*, *serere* cum suis compositis. Ergò affixum in verbo תזרענו vel superfluit vel certè alterum modum significandi facit, quem in interpretatione expressi. Sed reliquas voces inspiciamus, ut tandem germanum sensum eruere possimus.

11. *Labrusca*] Fateor me non intelligere quare vocem תשגשגי *labruscam* dixerit Vulg. Sed cùm nullibi hæc vox præterquam hoc loco reperiatur, fortè ità eum docuerunt illius temporis Judæi: à quibus se doctum hoc loco Hieronymus ipse fatetur, ut à LXX deviet. Sensus tamen idem est quem nos sequimur, maximè si *labruscas* pro *uvis immaturis* in Vulgata editione accipias, seu *omphacio*. Inquit ergò propheta, *In die plantationis tuæ*, i. mox ubi plantaveris, *botros germinabunt palmites, & sequenti die fructus perfectos edent: sed cùm colligere & possidere volueris eos, dolebis vehementer:* hunc ferè sensum in nostra versione juxta Hebraismum expressimus. ¶ *Multiplicabis multum*] Vel *augebis*, *promovebis valde:* est enim שגה *augeri*, *ampliari*, &c. Psal. 92. *Sicut cedrus Libani condensabitur, multiplicabitur.* At שגשג est verbum duplicatum, & significationem intendit, ut verba quæ Frequentativa vocamus: propterea addidi *vehementer*. Hebræis autem *in die*, si sequatur *& mane*, idem est quod *hodie & cras*, i. primo quoque tempore. Inquit ergò, *Statim initio augebis plantationem tuam, germinabunt arbores, multiplicabuntur palmites, & ingens spes erit infiniti fructûs; at tempore colligendorum fructuum aufugit, & evanuit messis; imò pro messe habebis dolorem desperatum.* Hanc interpretationem nemo Hebraicè doctus reprehendere poterit: nam nemini dubium quin נד possit esse à נדד *aufugit*, *ablatum est*. Suprà 10. *Ablata est Madmena.* Esth. 6. *Ablatus est somnus*, &c. & קציר *messem* sign. נחלה *hereditatem* seu *possessionem*, כאב *dolorem*, אנוש *desperatum*, *incurabilem*, *insanabilem*. Possunt autem hæc dupliciter accipi: primò, *Quia oblitus es Dei tui*, ô Israel, propterea posteriora tua non respondebunt principiis tuis: initio enim floruisti, & brevissimo tempore in florentissimum Regnum evectus es; sed tandem miserè periisti: secundò, *Quia oblitus es Dei tui*, propterea factum est ut ex illa magnifica specie justitiæ quam oculis hominum tam studiosè exhibuisti, ob quam toti mundo admirationi eras, nulli fructus colligerentur; quinimo *cùm tempus fructûs ferendi appropinquaret*, ut est in Euangelio, subitò universa messis periit, & occisis servis Domini vineæ insuper, & ipso herede, tibi ingentem & *desperatum dolorem* peperisti: ut meritò statim initio, cùm promptam obedientiam promitteres sub Mose, dixerit, nimirum finem tuum prævidens, Dominus, *Quis det talem eos semper habere mentem, ut timeant me omni tempore, & bene sit illis*, &c. Quis enim ignorat quàm jucundæ fuerint primæ illæ plantationes, quàm suaves ritus, quàm suavia judicia? Nihil erat in ulla alienigenarum Rep. observatione dignum quod in sua multò meliùs insertum non viderent Judæi. Nulla enim gens erat ità sapiens & intelligens, ità Deum colens: nullus populus ità sanctus, teste Mose. Fructus verò qui indè exspectabatur erat Fides in Christum, & ejus cùm adveniret Susceptio: At *Israel sectando justitiam in legem justitiæ non pervenit*, quia *ex operibus* illis & dignitate meritorum illorum arbitrabatur se dignum esse cui omnia Deus præstaret: Cúmque in exteriora tantùm intentus esset, & cor ejus longè esset à Deo, quia *oblitus est salutis suæ & totius fortitudinis suæ*, i. Dei sui, interiit & spe suâ frustratus est. ¶ *In die hereditatis*] Non dubium quin נחל formâ masc. & נחלה etiam formâ fem. *torrentem* significet, ut Num. 34. Psal. 124. *Torrens transivit super animam nostram*, & Ezech. 47. Unde hîc vertere possumus *in die torrentis*, i. quando hostis veluti torrens irruit in Israelem. Nam juxta historiam, Israel, qui propter victoriam quam de Jehuda reportavit, florere & gloriari videbatur, paulò pòst usque ad internecionem deletus est. Ut nemo in rebus prosperis sibi valde placeat.

12. *Væ multitudini*, &c.] Hæc ferè omnes de Assyriis interpretantur: quàm aptè ipsi viderint. Ego historiæ filum secutus, hos versus de Syris & Israelitis, qui Judæos vehementer afflixerunt, intelligendos existimo. Jam enim supra ex lib. Reg. & Paral. ostendi quantum Israel & Syri divexaverint Judam: hos comparat *frementi mari* & *inundantibus fluviis*. ¶ *Ut multitudo maris sonantis*] Heb. *instar fremere maria*, *frement.* המות enim infinitivus est verbi המה, quod est *sonitum incertum & confusum emittere.* Et variè reddere necesse est pro varietate rerum quibus tribuitur, *murmurare*, *garrire*, *fremere*, *sonare*, &c.

13. *Increpabit eum*] גער est *invehere in aliquem verbis duriùs*, *objurgare*, &c. & aliquando cum accusativo, aliquando cum ב. Significat autem quòd Dominus increpaverit Israelem quòd crudeliter vexasset Judam. Ubi enim occidissent centum viginti millia de Jehuda, secum abducebant captivorum infinitam multitudinem: quibus obviàm factus Propheta Domini Oded dixit, *Ecce iratus Deus patrum vestrorum contra Jehuda tradidit eos in manibus vestris, & occidistis eos atrociter, ità ut ad cœlum pertingeret vestra crudelitas*, &c. *reducite captivos*, &c. *quia magnus furor Domini imminet vobis*, &c. Sed & de *increpatione quæ opere constat* non semel dicitur hoc verbum; & ità hîc accipiendum puto, *castigabit*, *puniet*, &c. ¶ *Et fugiet procul*] *Abibit celeriter in regionem longinquam, ac si fugeret.* De celeri captivitate est sermo. ממרחק rectè vertit Vulg. *procul.* מ enim hoc loco non est præpositio. ¶ *Rapietur*] Sensum expressit Vulg. ego vim verbi retinui, ut nota esset, רדף. ¶ *Sicut turbo coram tempestate*] Sic verti possunt Hebræa, sive, ut ego verti, *ut globus coram turbine:* sed parùm refert.

14. *In tempore vesperæ, & matutino*] Frequens est Hebræis hic tropus, quo significant rei de qua loquuntur celeritatem. *Ad vesperum fletus, & ad matutinum lætitia*, &c. ¶ *Turbatio*] בלהה est à verbo בהל per Metalepsim literarum: est enim

בהל *subito terrore percelli*: unde nomen *subitum terrorem* sign. ¶ *Hac pars*, &c.] Hic erit finis Syrorum, quorum caput est Damascus, & Israelitarum, qui Regnum Jehuda *vastaverunt* & *diripuerunt*.

LUCAS BRUG.

11. IN *die * plantationis* [* *illo* o.] ″ *tua labrusca*, [″ *sua* o. *Lambrus.*] Quædam exemplaria *labrusca*; quædam *labruscas* legunt. Hebraicè est תשגשגי, id quod verbum esse Hebræi docent. Lxx interpretes πλανηθήσῃ *errabis* transtulere; neoterici *cresces*, vel *crescere facies*: nam שגה si punctum dextro cornu literæ ש insideat, *errare*, *ignorare*; si sinistro, *crescere*, *multiplicare*, significat: est autem illud verbum à שגה duplicatum. Nonnulli itaque existimant corruptam esse nostræ editionis lectionem, ac pro *labrusca* aliud quid legendum. Franciscus Raphelengius legendum conjiciebat *labasces*; certè dextrè: id enim ut voci *labruscas*, ità significationi dictionis שגה perquam propinquum est, multúmque cum Lxx I interpretatione conveniat. Atqui dum Hieronymi commentarium lego, tum quinto tum septimo libro, non aliud queo colligere quàm *labruscam* ab eo translatam. Suspicatus primùm fui, duntaxat explicationis ergò *labrusca* eum fecisse mentionem: sed non id ausim asserere. Fortè igitur sensum volens, non verbum ipsum, reddere, *labruscam* vertit: nam si cum Lxx I verbum ipsum *errabis* transtulisset, sensus fuisset, Vitis tua optima in labruscam degenerabit; labruscam non uvam quam exspectaveras vindemiabis. Porrò si *labrusca* nomen transtulerit, ambiguum, ob emendatiorum librorum varietatem, est, primóne singularis numeri casu *labrusca*, an quarto pluralis *labruscas* dixerit. Epanorthotes antiquis suis vulgatæ editionis codicibus *labruscas* attribuit: quibus ex integrioribus nostris Burgensis D. Donatiani & O. Hunnæi consentiunt; sed plures, cum D. Hieronymi textu & Haymone atque Hugone, *labrusca* scribunt. Cæterùm sensus idem est, utrovis legas modo; si *labrusca*, subaudi *nascetur*, si *labruscas*, supple *plantabis*.

DRUSIUS.

1. מַשָּׂא דַּמָּשֶׂק. Sym. Th. *Assumptio Damasci.* ¶ מוּסָר מֵעִיר. Th. μετασταθήσεται ἐκ πόλεως. Interpres Eusebii *migratura est à civitate.* Quod autem in Lxx εἰς τὸν αἰῶνα abest à cæteris editionibus.

10. נִטְעֵי נַעֲמָנִים. Hier. *plantationem fidelem.* Aq. Th. *pulcram.* Sym. *bonam*] Malim *plantationes pulcras.* Ità Santes. Sed Arias reposuit *jocundas.* Unde נעם, i. *jocunda*: cui opponitur מרה *amara*, *tristis.*

11. בְּיוֹם נַחֲלָה. Aq. Sym. *in die hereditatis*] Hier. *Pro eo quod nos juxta Aq. & Sym. & Lxx interpretati sumus IN DIE HEREDITATIS, legi potest in Ebraico IN DIE PESSIMA.* ¶ וּכְאֵב אָנוּשׁ. Aq. Th. *dolebit homo*] *Dolebit* כאב, *homo* אנוש: quod nunc aliter legunt, etiam olim. Hier. *Pro eo quod Aq. & Th. interpretati sunt ET DOLEBIT HOMO, nos docti ab Ebræis pro HOMINE, qui linguâ eorum dicitur ENOS, interpretati sumus ANUS, i. graviter.*

13. וְגָעַר בּוֹ וְנָס מִמֶּרְחָק. Aq. καὶ ἐπιτιμήσει ἐν αὐτῷ, καὶ φεύξεται μακρόθεν, *& increpabit eum, & fugiet longè.* Sym. καὶ ἐμβριμήσεται αὐτῷ, καὶ φεύξεται πόῤῥω, *& graviter interminabitur ei, & fugit procul*] *Fremet in illum.*

IDEM EX PROCOPIO.

2. עֲזֻבוֹת עָרֵי. Aq. Sym. Th. καταλελειμμέναι πόλεις *derelictæ urbes.*

13. וְגָעַר בּוֹ. Aq. ἐπιτιμήσει αὐτῷ. Sym. ἐμβριμήσεται] Interpres, *Quo loco notandum est, ab Aq. Increpandi verbum, à Sym. autem Comminandi usurpari.* ¶ הָרִים. Sym. Th. ὀρέων *montium.*

14. לְעֵת עֶרֶב. Sym. Th. τὸ πρὸς ἑσπέραν.

GROTIUS.

1. ONus *Damasci*] Capta fuerat Damascus à Theglathphalasaro, 2 Reg. xvi. 9. Sed excisa fuit à Salmanassaro ob societatem quam contra Assyrios fecerat cum Decem tribubus. Ob id mala Damasci cum malis Decem tribuum, ut communem causam habentia, Propheta hic conjungit. Si haberemus historias Nicolai Damasceni hæc omnia luce clariùs apparerent.

2. *Derelictæ civitates Aroer*] Tractus Syriæ qui contractiùs Ptolemæo Αὐειρα.

Gregibus erunt, & requiescent tibi, & non erit qui exterreat. 5. *Et eris sicut congregans in messe quod restiterat*] Nihil de populo Israëlitico in terra relinquet. Tam diligenter eos auferet, quàm qui post messem spicas legunt.

In valle Raphaim] Est vallis frumenti ferax apud Hierosolyma, Josuæ xv. 8.

In die illa inclinabitur homo] Meliùs, *inclinetur*: & mox *respiciant*: ut & hoc consilium fit, quale suprà xvi. 3.

9. *Civitates fortitudinis ejus*] Syriæ Decapolitanæ.

10, 11. *Propterea plantabis plantationem fidelem, & germen alienum seminabis. In die plantationis tuæ labrusca, & manè semen tuum florebit: ablata est messis in die hereditatis, & dolebit graviter*] Obscura hæc sic collocabis: *Propterea* (quamvis) *plantaveris plantam egregiam, etiam alienos surculos ei inseveris*; (juxta illud,

Veneris insitio, fac ramum ramus adoptet)

de die laboraveris ut crescat planta, & primo manè, ut quod insitum est bene proveniat, migrabit (id enim est נד) *messis in die* (speratæ) *possessionis, &* (succedet) *dolor desperationis.* Græci cum aliis punctis legerunt כאב אנוש ὡς πατὴρ ἀνθρώπου [*tanquam pater hominis*].

12. *Væ multitudini populorum multorum*] Eos intelligit qui Syris adhæserant.

14. *In tempore vesperæ, & ecce turbatio: in matutino, & non subsistet*] Subitò fortuna mutabitur.

Hæc est pars eorum qui vastaverunt nos; & sors diripientium nos] Syri enim illi Damasceni, eorúmque vicini valde semper infesti fuerant Judæis. Vide quæ ex Nicolao Damasceno protulimus in Annotatis ad librum III. de Veritate Religionis Christianæ.

CAP. XVIII.

MUNSTERUS.

DIfficilis est sensus hujus capitis propter inusitata verba, propter figuratas sententias, & propter dubiam & obscuram historiam. Tarhaka potentissimus Æthiopum Rex extendit imperium suum per totam Africam: & huic erant confœderati Judæi contra verbum Dei. Hic veniens ad Pelusium usque voluit repellere à Judæa Sanherib, sed fusus est ab Assyrio. Reversus tunc Sanherib voluit subvertere Jerusalem, sed subversus est ipse ab Angelo.

1. *Umbra alarum*] Intelliguntur per *alas* istas vela navium, quæ naves ipsas ducunt in mari sicut alæ avem portant & ducunt in aere. Porro צלצל est à radice צלל, & sign. propriè *adumbrationem.*

2. Per *juncea vasa* intelliguntur quoque naviculæ levissimæ, quæ in superficie aquæ velocissimè moveri possunt, quibus gentes illæ utuntur quæ ultra Ægyptum in Æthiopum regionibus habitant, quos Troglodytas esse putant. ¶ *Ad gentem dissipatam*] Vel *laceratam.* Hebraismus tamen habet *tractam.* Et per hanc *gentem* quidam intelligunt Judæos, qui fuerunt populus mirabilis, cum quibus Deus tam mirabilia egit ab eo tempore quo populus esse cœpit. Ad quos Tarhaka *misit legatos celeres per mare in naviculis scirpeis*: Qui cùm exposuissent literas, lectæque fuissent à Rege, dantur duo signa; *Observate*, inquit, hæc *signa*, & cùm *audieritis buccinas*, erumpite vos ex urbe, & utrinque aggrediemur hostem. Sed Dominus dicit vana esse consilia quæ fiunt eo inconsulto. Cúmque venerint ad extremum periculum, ipse suis succurrit *veluti calor serenus post pluviam*, *aut veluti nubes refrigerans.* Alii verò putant hanc *terribilem gentem* esse כושים *Æthiopes* ipsos, ad quos Rex Assyriæ *misit nuncios*, indicens eis bellum. Et ità variè exponitur hoc caput nedum à Christianis verùm & à Judæis. Recentiores tamen Hebræorum scriptores referunt ad dies Messiæ. ¶ *Flumina*] Per *flumina* intelliguntur inundationes hostilium exercituum.

4. *Quiescam*] i. Postquam *Dominus id dixit ad me*, *quiescam ego* & consolationem meam habeo haud secùs quàm terra quæ *post susceptam pluviam* calore Solari lætificatur. Et nota quòd אור hic capitur pro מטר seu גשם *pluvia.* Et quia mentionem fecit *messis*, mox per Metaphoram transit ad messem & vindemiam hominum. Creverunt, inquit, & *floruerunt* Assyrii haud secùs quàm *germina* terræ, quæ ubi per gradus *ad maturitatem pervenerint*, *resecantur* per messorem. Sic venit Angelus Domini, & *resecavit palmites atque propagines*, i. totam vindemiam & saltum exercitûs Assyriorum. Alii hunc locum sic reddunt, *Ante messem cum fructus maturi esse deberent*, *adhuc immaturus est*, *dum maturescere deberet*, *floret*: *tam messor exscindit malleolos falcibus*, &c.

TA-

VATABLUS.

1. **V***Æ terræ inumbranti alis* הוי ארץ צלצל כנפים] *O terra umbra alarum.* Vela navium Alis comparat. q. d. O regio maritima quæ abundat navibus quæ reguntur velis, quæ recipit umbram velorum multarum navium: sive quæ tegitur umbrâ velorum, &c. *Ob multitudinem enim navium in quibus vela obumbrantia tenduntur cùm ambulant, similis erat avibus volantibus alis suis*, inquiunt docti inter Hebræos: qui etiam dicunt, hâc locutione Metaphoricâ significari multitudinem negotiorum & species varias rerum quæ ad alias terras ex illa egrediebantur. Chald. *Væ terræ ad quam veniunt cum navibus è terra longinqua, & extendunt vela sua ut aquila volans alis suis.*

2. *Et in navibus junceis* ובכלי גמא] Ad verb. *& in vasis papyri.* Junci species est Papyrus, quo navigia construi solere scribit Plinius lib. 13. cap. 11. His significat naviculas velocissimas quæ in superficie aquarum facillimè moveri possunt. ¶ *Distractam & expilatam* ממשך ומורט] *Convulsam & dilaniatam.* Vel, *disjectam & dilaceratam*, h. e. dispersam. Alii, *dissipatam & expilatam.* Quidam, *abstractam*, sive *extensam*, aut *elongatam*, i. & evulsam, sive depilatam, aut decapillatam: id significant voces Hebrææ: i. maximè afflictam. ¶ *Terribilem* נורא] *Formidabilem:* in cujus scilicet gratiam Dominus stupenda miracula edidit. ¶ *Ex quo fuit* מן הוא] Ad verb. *ab ipso* [sub. *populo*] *& ultra:* i. ex quo cœpit esse populus Dei, jam indè ab initio, à suo exortu, ab egressu videlicet ex Ægypto, & postea. Alii, *ab eo tempore & deinceps.* Quidam Hebræorum exponunt, *populum longinquum magis quàm ille, & ultrà:* i. magis longinquum & exsulem à patria sua quàm distant Æthiopes ac qui ultra eos habitant à Jerosolymis, &, ut Moses dicit, *dispersi ad cardines cæli.* Quam expositionem doctus inter Hebræos rejicit. ¶ *Lineæ lineæ, & conculcatam* קו קו ומבוסה] *Funiculi funiculi, & conculcationis.* Metaphora tracta ab Architectis qui ordinem unum post ordinem alterum collocare solent: i. cui paulatim conculcatio evenit. Quidam Hebraismum vertunt, *quæ sensim afflicta fuit, & tandem conculcata.* Alii, *undique conculcatam:* ac si quis duceret lineas, iisque inter se conjunctis nullum locum vacuum relinqueret, vel sulcos duceret in agro quibus omnes glebas subigeret. Quidam vertunt, *exspectantem, exspectantem, & conculcatam.* Alii, *avidè exspectantem.* ¶ *Terram* ארצו] Ad verb. *terram ejus.* Redundat pronomen *ejus.*

3. In *montibus* הרים] Ad verb. *montium:* i. quod collocabitur in uno montium. ¶ *Videbitis* תראו] Quidam futura convertunt in imperativa, *videte, audite*; vel *videatis, audiatis.*

4. *In loco meo* במכוני] *Ex sede mea:* vel, *ex habitaculo meo.* ¶ *Sicut aer*, &c. כחם צח 'וגו] *Tanquam aerem serenum post pluviam.* Vel, *tanquam Solem* in terra *post imbrem.* Clarus enim Sol super terram post pluviam gratissimus est, & germinibus optimus. Quidam, *sicut calor serenus post pluviam.* Alii, *sicut calor siccans pluviam:* vel *post pluviam.*

5. *Cùm consummatus fuerit flos* כתם פרח] *Cùm consummata fuerit gemmatio* vitis: vel *cùm perfectum erit germen:* i. ante messem & ante vindemiam. ¶ *Et uva*, &c. ובוסר 'וגו] Inversus dictionum ordo sic converti debet, *Et flos ejus fuerit uva acerba maturescens*, i. fuerit versus in uvam acerbam jam maturescentem. Admonet doctus inter Hebræos ה in נצה esse Raphatum, nec habere Mappic signum pronominis feminei, unde fit ut pronomen *ejus* subauditum sit. Quidam sic vertunt, *Et ex flore fructus fuerit maturescens.* ¶ *Ramusculos* הזלזלים] *palmites*; *malleolos*; *surculos:* falces autem putatorias intelligit. ¶ *Succidet* התז] Præt. Heb. pro fut. *amputabit.* Ad messem refertur hoc verbum.

6. *Relinquentur* יעזבו] *Deserentur*, sub. *interfecti*, vel *corpora interfectorum in eo bello.* ¶ *Super eum avis* עליו העיט] Sing. pro plur. *ad* [vel *juxta*] *illos volucres ipsæ:* i. totâ æstate & totâ hieme comedent cadavera insepulta.

7. *A populo distracto & depilato* עם ממשך ומורט] Subaudienda fuit præpositio proximè sequens *à populo terribili.* Eadem vocabula habes v. 2. *à populo convulso & dilacerato*, *à populo*, inquam, *terribili*, &c. Quidam in nominativo vertunt, *populus distractus sive laceratus, & expilatus.*

CASTALIO.

1. **O** *Alis umbrosa tellus*] Telluris *alæ* dicuntur extrema & oræ. Estque *alis umbrosa tellus*, spatiosa: ut si *alis umbrosam avem* dicas, significes grandem atque amplam. Alloquitur gentem positam trans Æthiopiæ fluvios, videlicet trans Nilum, qui antequam defluat in Ægyptum, spatia immensa terrarum peragrat: cujus accolæ, ut docet Plinius, utuntur scirpeis & arundineis navigiis. Ad hanc gentem postquam exclamavit, alloquitur ejus gentis nuncios: *Ite*, inquit, vos ejus gentis *nuncii*, qui res novas nunciare soletis, ferte hunc nuncium ad gentem vestram, *ad populum omnium qui ulteriùs habitant formidabilissimum*, *ad gentem distractam direptámque*, h. e. magnis fluminibus accolentem, quæ flumina ejus terram atterunt & depopulantur, & alluvionibus, circumluvionibus, declinationibúsque distrahunt & dirimunt, atque ità sæpe limites mutant & alios atque alios reddunt. Deinde declarat cur gentem illam appellet: quasi hoc dicat, Quòd remotissimam gentium appello, hoc significare volo, Facturum esse me rem quæ sit remotissimæ genti; h. e. toti orbi, nuncianda; h. e. rem maximam. Nam quæ remotis nunciantur, ea & magna sunt; & propinquis multò etiam magis nunciantur. *Aspicite* igitur *omnes mortales elatum montanum signum, & audite tubam:* h. e. nuncio vobis bellum quod fiet in montibus Israelitarum, in quo bello *ego quietus spectabo*, & meos Israelitas adversùs hostes mollissimè fovebo ac tuebor, *tanquam æstus post pluviam, & tanquam roscida nubes in calore*; h. e. eos recreabo suaviter, & contra vim omnem protegam. Hostes autem, cùm se putabunt propè jam adeptos victoriam, peribunt, eisque perinde accidet ac si segetes *ante messem*, aut vineæ ante vindemiam vastentur, spémque agricolarum frustrentur. Atque ità interfecti jacebunt humi à *bestiis* devorandi. Cujus victoriæ adeò clara erit fama, adeóque *Jovæ nomen formidabile*, ut *ultimi gentium afferant in Sionem munera* supplices.

CLARIUS.

1. **U***Mbra alarum*] h. e. Quæ *inumbrat* tanquam *alis*, velis navium, videlicet Arabum, Ægyptiorum, qui à Syria usque ad Meroen habitant, sinum Arabicum ad Orientem, Nilum, & Æthiopas qui sub Ægypto, ad Occidentem habentes.

2. *In vasis papyri*] Intelliguntur naviculæ levissimæ, quæ in superficie aquæ velocissimè moveri possunt, quibus gentes illæ utuntur quæ ultra Ægyptum in Æthiopum regionibus habitant, quos Troglodytas esse putant. ¶ *Ad gentem convulsam*] Per hanc *gentem* quidam intelligunt Judæos, qui fuerunt populus mirabilis, cum quibus Deus tam mirabilia egit ab eo tempore quo populus esse cœpit. Alii verò putant hanc *terribilem gentem* esse Æthiopas ipsos, ad quos Rex Assyriæ misit nuncios indicens eis bellum. Et ità variè exponitur hoc caput non solùm à Christianis verùm & à Judæis. Recentiores tamen Hebræorum scriptores referunt ad dies Messiæ. ¶ *Diripuerunt flumina*] Per *flumina* intelliguntur inundationes hostilium exercituum.

4. *Ego*] Postquam, inquit, *Dominus id dixit ad me*, *quiescam ego*, & consolationem meam habebo haud secùs quàm terra quæ *post susceptam pluviam* calore Solari lætificatur. Alii referunt ad Deum, ut dicat, *Ero quasi calor siccans post pluviam*, h. e. Post afflictionem populi mei succurram illi, & hostes ejus perdam.

5. *Ante messem*] Ait hanc Domini vineam ingentem primò præ se tulisse spem fructuum, sed fuisse devastatam. Hunc locum sic alius vertit, *Quia ante messem cùm perfectum fuerit germen, erit ex flore fructus sensim maturescens, at succidet palmites falcibus, & propagines auferet per incisuram*, &c.

7. *Deferetur munus Domino exercituum populus*] Prænunciantur Gentes crediturae & per Apostolos convertendæ ad Dominum: quanquam obtectè videtur describi sub persona populi Israelitici, qui *divulsus & dilaceratus* tandem sub Ezechia gratiam habebit Domino Deo suo. ¶ *Populus terribilis*] Heb. *à populo terribili.*

FORERIUS.

QUàm parùm sibi convenientia hîc Interpretum turba afferat, penès prudentem lectorem esto judicium. Ineptiunt hic quoque suo more Rabini. Ego simplicissimam interpretationem toto huic capiti, difficultatibus alioqui refertissimo, conabor afferre. Cùm itaque Propheta capite superiori Israelis vastationem exposuisset, & alterius vastationis, scilicet illius postremæ, sub typo meminisset; nè quis crederet repulisse Dominum populum suum, & penitus deletum iri, quanta adhuc sit ejus dignitas hoc capite, ni fallor, ostendit.

1. *Væ terræ*] הוי hic Vocantis & Excitantis esse potest, ut sæpe alias. ¶ *Cymbalo*] צלצל. Nomen צל geminatum *frequentiam umbrarum* notat, i. frequentiam & copiam velorum, quæ sunt instar alarum: q. d. *Heus terra quæ frequentibus navium*

viam velis mare adumbras & flumina. Vide Plinium lib. 13. cap. 1. & Strabonem lib. 17. de genere navium ex juncis, &c. Existimo autem significari interiorem Ægyptum, & partem illam Æthiopiæ quam nunc incolunt Christiani sub Rege quem vulgò *Præstem Joannem* vocant, qui imperium habet juxta Nilum & usque ad mare Rubrum; ac deinde remotissimas quasque Orbis partes, quas nonnisi per mare adire licebat, &c. quæ frequenter in Prophetis *insulæ* vocantur. ¶ *Quæ est trans*] Fateor מעבר nihil aliud interdum esse quàm *trans*, ut nemo Vulg. hoc loco reprehendat: sed ego מ pro *ex* accipio, & cum participio conjungo עבר, reclamantibus licèt Rabinis. Sic accipitur Zoph. 3. *A trans flumen Æthiopiæ mihi supplicabunt.* Hæc constructio facilis est, & sensum planum facit. Neque obest quòd participium sit masculinum: nam cùm nomina provinciarum & terræ ponantur pro ipsis habitatoribus, adeóque & pro Rege earum, &c. sæpe relativa & verba non respondent in genere. Exempla passim obvia.

2. *Legatos*] צר *legatum* sign. Metaphoricè, quòd scilicet in eo vertatur summa negotii, sicut ostium in cardine. ¶ *Ite angeli*] Vel *nuncii*: q. d. *Tu quæ soles mittere legatos per mare, quocunque tibi libuerit, mitte nunc nuncios tuos, & dic eis, Ite nuncii*, &c. ¶ *Gentem convulsam* &c.] Propriam significationem expressi. *Distractum populum* Israeliticum intelligo: qui etsi sæpe vastatus, dispersus & dissipatus est, adhuc tamen haberet cur ad eum ex toto orbe legati mitterentur, videlicet ut ab eis veritas doctrinæ disceretur. *Salus* enim *ex Judæis est.* ¶ *Post quem non est alius*] Hebraicè ad verbum, *ex ipso, & ultrà.* Sed cùm Hebræi pronomen pro verbo substantivo passim usurpent, & relativum אשר in eo sæpe includatur, docti ex Hebræis interpretantur, *ex quo fuit, & deinceps.* Hic est autem populus Israel. De quo enim altero dicere possis, quòd *à suo usque exordio terribilis fuerit?* In Abrahamo enim & cæteris Patriarchis terribilis esse cœpit? quantò magis ex quo cœpit multiplicari & propagari? ¶ *Expectantem exspectantem*] Si de Vocatione Judæorum, ut quidam volunt, hæc intelligi deberent, quadrat hæc in eos interpretatio, quòd nulla sit gens etiam hodie quæ spe (si spes dici meretur) majori teneatur. Verùm quia non video quomodo hæc interpretatio cum initio capitis conveniat, iccirco קו קו *lineam lineam* interpretor, i. valde lineatum, i. frequentibus lineis complanatum, & solo æquatum, sicut solent facere qui diruta complanare volunt. Non solùm enim servit קו ædificatoribus sed etiam destructoribus: quo pacto accipi debet 2 Reg. 12. ut etiam dicemus infrà 34. *Extendit super eum funiculum desolationis*, &c. De verbo autem בזא jam superiùs diximus. Vide etiam infrà 28. cap. Facit ad confirmationem hujus interpretationis quòd *conculcationem* addidit (מבוסה enim nomen est à verbo בוס, quod in abstracto *conculcationem* notat, de quo etiam infrà 22.) quòd non solùm *complanata* fuerit *fune*, sed & *conculcata*: quæ vastationem omnimodam significant, non tantùm eam quæ per Assyrios facta est, sed quam à Romanis passi sunt: de qua in Euangelio, quòd *non maneret lapis super lapidem*, & quòd *Jerusalem calcaretur à Gentibus.* ¶ *Cujus diripuerunt flumina*, &c.] Inundationem hostium designat: qui locus confirmare videtur ultimam illam expositionem quam attuli c. 17. 11. nominis נחלה. ¶ *Ad montem nominis Domini exercituum, montem Sion*] Hæc in Hebræo modò non leguntur: facilè autem adducar ut credam exemplar antiquum hæc habuisse: nam cùm tota hæc periodus infrà repetatur, hæc ibi verba reperias. Nisi quis dicat, illinc à librario sciolo desumpta: neque enim apud Hieronymum hoc loco leguntur, neque à LXX.

3. *Omnes habitatores*, &c.] Jam manifestiùs explicat quid per *terram ultra flumina* intellexerit. Quod illis dixi de *mittendis legatis ad populum Israelticum*, *omnibus habitatoribus orbis* notum facio, & omnes oculis intentis esse jubeo, ut *cùm elevatum fuerit signum montium*, i. super montes, cùm verbum Crucis cœperit sonare ex Judæa, tempus esse noveritis ut ad Israelitas vos conferatis ad *audiendum* verbum salutis. Animadverte *clangorem tubæ* cum *elevatione signi* nihil aliud esse quàm prædicare Christum crucifixum: quasi dicat Propheta, Non Judæorum tantùm sed vestra etiam res agitur. ¶ *Cùm elevatum fuerit*] Gerundia sunt Hebræis, quæ non possunt meliùs reddi quàm à Vulg. *in elevando signum, in increpando tubâ*: Cùm primùm sublatum fuerit signum, mox ubi insonuerit tuba, ne avertatis oculos, ne obturetis aures.

4. *Quia hæc*, &c.] i. Non enim sic afflixit populum suum ut perdat funditus: *mihi enim Deus in hunc modum locutus est*, Jam posthac *quiescam*: non indignabor ultrà adversus populum meum: satisfactum est iræ meæ: cessare faciam *conculcationem*: non *diripient* ultrà *flumina terram* populi mei: *aspiciam summa cum voluptate* deinceps *in sedem meam*, in locum sanctitatis meæ; neque illi minùs gratus ero quàm sit *color* serenissimi diei *post pluvias*, aut *nubes roris*, *messis tempore*, *dum fervet æstus.* Hunc esse puto germanum sensum horum verborum: redditur enim hoc versu ratio cur meritò mitti debeant legati ad Israelem, & à Judæis pendere debeant animi & oculi omnium gentium: *Non enim in perpetuum irascetur Dominus*, &c. ¶ *Quiescam*] Verbum שקט in tertia si habet casum, est transitivum: si autem absolutè ponatur, ut hîc, est *quiescere* & *se à motu compescere*: quod optimè quadrat in Deum postquam pœnas sumpsit de pessimis illis colonis. ¶ *Considerabo*] Verbum נבט variam habet constructionem, & non dubium quin *considerationem* interdum notat: at cum ב, ut annotavit præceptor meus Caninius & alii viri docti, est nonnunquam *cum animi voluptate aspicere*, sicut etiam verbum ראה. Unde non hîc de Cœlis sermonem esse puto, sed de Ecclesia quæ ex electis Judæis erat; qui postea per Euangelium Gentes genuerunt in Christo. Hic est מכון, Dei certa & firma *sedes*, in qua Deus præsidet, *firmamentum, basis & columna veritatis*: In hanc *aspicit* Deus *libenter*, neque primitivâ illâ Ecclesiâ unquam aliud vidit gratius atque acceptius: Hæc est illa *illuminatio vultûs Dei* quam expetebat David & viri sancti, ob ineffabilem voluptatem quam ipsi vicissim experiuntur dum eos Deus intuetur: Quam subjectæ similitudines mirè explicant. ¶ *Clara est*] Vulg. אור pro *luce* accepit, & verbum supplevit quod existimat deesse, ut solet; ideóque & præpositionem עלי *super* omisit, quasi diceret Hebraismus, *sicut meridiana lux super lucem*, scilicet *est.* Sed cùm אור *pluviam* interdum significare videatur, ità hîc cum multis Interpretibus acciperem libenter. Est autem phrasis Hebræa *super pluviam*, i. post pluviam. Qui autem אור pro *pluvia* accipiunt, nescio an animadverterint esse tunc à verbo ירה, quod *jaculari* sign. & de *pluvia* dicitur: ab ipso enim est מורה, quod nomen *pluviam* quoque designat. Non minùs gratus est dies cœlo puro & sereno post nimios imbres quàm nubes rorida in æstu messis: Neque intelligere possunt alii quàm gratiosus & suavis sit Dei vultus, nisi qui mundo corde eum intuentur. His autem similitudinibus solet Scriptura rem gratissimam declarare, ut infrà 32, &c.

5. *Ante messem enim*, &c.] Quis vel primoribus labris Hebræa attigerit, modò sit pio animo & à temeritate hæreticorum alieno, non poterit non admirari hoc loco Interpretum plurimorum audaciam, qui fortè quorsum tenderent verba Prophetæ non intelligentes, de suo addunt multa, ut sensum adulterinum, quem imprudenter conceperunt, exprimant. Ego Vulg. Interpretem sensum germanum reddidisse existimo, licèt à verbis nonnihil deviaverit: quod in Interprete fideli vitium non est. Hoc ut manifestum appareat, singula verba expendamus. קציר *messem* omnes interpretantur; nec dubium quin id significet. Est autem à verbo קצר, quod *abbreviare, decurtare, abscindere* sign. quo fit ut nomen ipsum *abbreviationem, decurtationem* ac *messem* notet: unde pro *putatione* optimè accipi potest; imò & pro ipsis *palmitibus qui demetuntur & amputantur* interdum accipitur, ut Job. 18. *Subtus radices ejus arescent, & supernè amputabitur messis ejus:* & Psal. 80. *Extendit messes suas usque ad mare*, i. palmites. כתם Vulg. *totus* dixit; accepit enim תם pro nomine & כ pro *juxta, secundum*, &c. q. d. *juxta integritatem*, vel *secundum integritatem*, i. totus: פרח autem tanquam verbum accepit, *floruit, germinavit*; i. *Antè quàm tempus putationis adveniat, totus germinabit*; vel, ut ego verti, *quasi perfectum* (seu *integrum*) *erit germen ejus*: botros emittet quasi perfectos antè quàm tempus putationis adveniat, quod aliis verbis Scripturæ more repetit. ¶ *Et immatura*] Est בסר *uva immatura, acida*, quæ Græcis ὄμφαξ. Dioscorides *uvam acerbam* vocat, & succum ejus *omphacium*, ut Plinius. Hanc vocavit Vulg. *immaturam.* גמל *ablactationem* sign. Metaphoricè autem primis & imperfectis fructibus dicitur inesse *lac*: Unde cùm jam ad debitam quantitatem accedunt, *ablactatos* dicit Hebraismus fructus ejusmodi. Acida uva ergò *ablactationis* est, quæ jam à lacte in magnitudinem quandam evasit, sed adhuc in pubertate est, ut loquitur Plinius lib. 23. in prologo: dicit enim *omphacium fieri, incipiente uva pubertate.* At נץ, à verbo נוץ *erupit*, de Avibus & Plantis dicitur. Nomen ergò sign. generaliter *aves omnes quæ magno impetu ad volatum erumpunt*, quas *rapaces* vocamus, & etiam *gemmas & folliculos in plantis*, ut Gen. 40. *Ascendebátque flos ejus.* נצה. ה potest accipi pro affixo relativo: quanquam & in hac forma נצה accipitur pro *flore* Job. 15. נצה *florem suum.* Dicit ergò Propheta quòd *ante putationem prima illa vitium eruptio erit omphax ablactationis*, i. erit uva acida in pubertate sua, sive, ut Vulg. dixit *perfectio.* Vulg.

au-

autem non malè accepit נצה pro participio fem. *erit erumpens*, i. germinabit, quod eundem sensum generat. Quâ loquendi figurâ, cui similis est illa c. 17. 11. nihil aliud Propheta significat quàm inauditam & insolitam ubertatem, quæ miraculo potiùs quàm naturæ adscribi possit. Et in bonam partem hæc & quæ sequuntur accipienda sunt; Quibus delineabat Spiritus sanctus primitivæ illius Ecclesiæ, quæ ex discipulis Domini constabat, lacteam ubertatem, fœcunditatem & omnium bonorum spiritalium abundantiam, quibus nihil deerat in omni gratia spiritali; qui cum *pauperes* essent, *plurimos tamen locupletabant*. Vide quanta de discipulis suis Corinthiis narret Paulus, quòd *in omnibus divites facti essent*, &c. Quapropter Propheta in eadem Metaphora perseverans, dixit, *amputatis palmitibus jam fructuum plenus ac onustis, habituras bestias atque aves quod per æstatem & hiemem*, i. toto vitæ tempore, *comedant*. Gentes enim, quæ veluti bruta animalia huc atque illuc vagabantur ut escas quærerent, distractæ varietate sectarum Philosophorum, mundi quoque illecebris atque versutiis Diaboli deceptæ, nunquam in quo consisterent inveniebant: doctrinâ autem Apostolorum eruditæ, quasi ex superfluitate divitiarum ipsorum consecutæ sunt ubi quiescerent, neque ultrà vagarentur, aut æstate aut hieme. Dives enim est Ecclesia, eritque usque in finem seculi, doctrinâ & veritate, non solùm ex Scripturis Apostolicis, verùm etiam ex Traditionibus per manus ab ipsis accepimus. Hæreticorum ergò hominum est & mente corruptorum, alias regiones, alia prata quærere, ubi juxta sensum palati sui hiemare aut æstatem agere possint, aliud Euangelium somniare præter id quod à Patribus accepimus. Felices qui non alia æstiva non alia hiberna quærunt quàm quæ jam olim nobis relicta sunt. Has omnes divitias atque hæc omnia bona nobis peperit benignus ille & beneficus Dei aspectus, de quo v. 4. Quæ omnia in ascensionem Domini & missionem Spiritûs S. conveniunt. Sed ad Prophetæ verba redeamus. ¶ *Quæ derelicta sunt*] A verbo נטש, quod *liberè demittere* sign. est nomen נטישות, quod *palmites* sign. qui ex vite emittuntur. Jer. 5. Vulg. *propagines* vertit. Vide etiam Jer. 48. ¶ *Pracidentur, abscindentur*] Hebræa verba sunt singularia tertiæ personæ, ut ego verti, sed ità solet Hebraismus tertiis personis uti quasi impersonaliter. Sensum ergò reddidit Vulg. ¶ *Et excutientur*] Hoc tantùm loco legitur hoc verbum תזז in tertia, quod *resecare* dicunt Hebræi.

6. *Avibus*] Nomen עיט collectivè *turbam ferarum avium* sign. à verbo עיט, i. *involavit celeriter more avium quæ involant super prædam*, &c. 1 Sam. 25. vel verbum est à nomine; quod magis probo.

7. *Deferetur munus*] Postquam Apostoli ditati sunt à Domino, (qui populum illum suum etsi castigavit non tamen repulit, sed ex ipso elegit sanctum semen) Gentes prædicationi eorum fidem præstare cœperunt. Ipsas ergo & eorum fidem Apostoli Domino offerebant: Cujus oblationis & sacrificii plenæ sunt Epistolæ Pauli & Actus Apostolorum. ¶ *A populo dilaceratio*] Hebræi nunc præpositionem non habent, sed eam nunc quoque supplent alii Interpretes. Ego, ut in Hebræo est, verti *populus distractus*, quasi ipsum populum Israeliticum significet, primò futuram oblationem. Apostoli enim primùm Judæis, deinde Gentibus prædicarunt, siquidem ipsis primùm verbum salutis missum est. Obtulerunt ergò Domino hostiam primò ex Judæis, deinde verò ex Gentibus. ¶ *A populo*] Legendum est *& à populo*. Judæi enim & oblati sunt, & ipsi alios obtulerunt. Et in hunc finem initio capitis dicebat Propheta *habitatoribus* extremi *orbis* ut *legatos mitterent* etiam *per mare*, quando terrâ nequirent, ad populum Israeliticum. Etsi enim is *populus* esset *dilaceratus* & *conculcatus*, redeunte Dei Gratiâ, adhuc habiturus esset unde illis valde possent commodare. *Salus* enim, ut jam dixi, *ex Judæis est*. Cæterùm expositionem vocum hujus versiculi vide suprà v. 2. Quæ in 20. capite continentur de Captivitate Æthiopum faciunt ut aliam expositionem nonnullis locis hujus 18. cap. afferamus, ab ea quæ præcessit diversam; scilicet ut hîc de Vastatione Æthiopiæ illius quæ post Ægyptum est, quæ interdum *Ægypti* nomine continetur; nempe totius tractûs terræ qui est supra verticem Deltæ usque ad Nili fontes, sit sermo. Æthiopiam ergò illam quam Nilus interluit, hîc devastatam cum Ægypto intelligere possumus, & tandem per Deum sanatam: Quæ typus est totius Mundi, qui oppressus fuit à Tyranno illo, & tandem ab ejus tyrannide assertus. Hanc terram vocat *nassam allatam* propter similitudinem situs. Ægyptum enim universam comparabant antiqui Manui extensæ, ut est videre apud Strabonem. Interjectionem ergò illam הוי cum vulgato pro *væ* accipiamus, quòd illius vastationem significet Propheta. Cùm interim Rex Æthiopum vel per Nilum ad mare Mediterraneum, & per hoc ad Judæam, vel per mare Rubrum, & indè per desertum & Palæstinos ad Judæos, nuncios mitteret, ut bono essent animo, & auxilium adversus Assyrios promitteret; ejus itaque Vastationem quasi jam factam denunciat, simul & ad Christum Conversionem. Sunt ergò verba Dei, quæ hunc habent sensum, *Heu miseram terram, quæ nassæ allatæ figuram habes*, vel *quæ te quasi umbram esse existimas*, & aliis auxilia promittis; *quæ mittere soles legatos per mare*, &c. tu quæ Judæis auxilio esse volebas, periisti, vastata es. *Mittebas legatos* ad eos confirmandos: sed quia ego illis & tibi infensus eram, utrosque perdidi; verùm plagâ non insanabili. *Ite* ergò *nuncii mei veloces*, Discipuli mei, *ite ad gentem hanc quæ omnino distracta & expilata est, ad populum terribilem* naturâ & moribus, vultúque ipso barbaricum, ferum & horridum, *ex quo cæpit esse, & deinceps; ad gentem quæ frequentibus lineis terram metiri solet, quam flumina vastant*, & nunc Assyrii veluti *flumina exæquarunt & conculcarunt*; ite, prædicate illis Christum. *O universi habitatores orbis, auscultate* horum prædicationi. *Ego enim placido vultu intueor habitaculum illud meum*: ut *de Tcion exeat Lex, & verbum Domini de Jerusalem*. Abundabit omnibus divitiis spiritalibus, &c. quæ toti orbi sufficient. *Tunc temporis hic dilaceratus populus erit munus Domino, & ab ipso quoque vicissim deferentur munera*: nam & se & sua omnia Deo offerent. Vide Soph. 3. *Ultra flumina Æthiopiæ, indè supplices mei, filii dispersorum meorum deferent munus mihi*, &c. Plenæ sunt historiæ sanctitatis Thebaidæ & totius illius regionis. ¶ *Post quem non alius*] Potest verti *post ipsum, & ultrà*, ut repetatur verbum *ite*. ¶ *Exspectantem exspectantem*] קו קו *linea linea* i. qui frequentibus utitur lineis dimensoriis. Quem locum quia verba Strabonis illustrant, libuit ea adscribere ex lib. 17. Is cum multiplices divisiones quæ erant in terrâ Ægypti dinumerasset, *Opus*, inquit, *fuit tam diligenti ac subtili locorum divisione, propter continuas finium confusiones quas Nilus auctus efficiebat, nunc addendo, nunc adimendo, nunc immutando figuras, & signa quædam obruendo quibus proprium discernitur ab alieno: unde iterum atque iterum mensurari oportebat. Quare ab illis Geometriam ortum credunt habuisse*. Quæ quamvis in Ægyptum dicta sint, cùm bona pars Æthiopiæ eodem modo & flumine irrigaretur, verisimile est eisdem dimensionibus quæ funibus fieri solent, usos fuisse Æthiopes, quamvis non tantâ peritiâ quanta Ægyptii.

LUCAS BRUG.

2. AD [25 MS. H, G, C.] *gentem exspectantem & conculcatam* [*conculcantem* O.] Manuscripta Parisiensium quatuor (Di. o l. Gc. o l.) Hentenii quatuor, nostra octo (Brug. Leod. O, P, Q, &c.) repetunt *exspectantem*; *Gentem exspectantem* * *exspectantem* [* & o,] *& conculcatam*; qua in re eis Hieronymi & Haymonis commentaria adstipulantur. Adstipulantur & Hebraica: iterum enim eandem vocem legunt קו קו (קוקו quam plerique quidem hodie *lineam*, noster verò interpres *exspectantem* reddidit, quòd קוה, à quo derivatur, *sperare*, *exspectare* significet. Lxx transtulerunt ἔθνος ἀνέλπιστον καὶ καταπεπατημένον *gentem sine spe* (*desperatam*) *& conculcatam*. Videntur intellexisse, *Sperantem, sperantem nec consequentem*; multùm diúque exspectantem, nec accipientem.

5. *Ante messem enim totus* [*ortus* o.] *effloruit*] Bibliorum editiones Moguntinensis & Coloniensis anni 1479. futuro tempore *efflorebit* legunt: cæteri autem nostri libri, & impressi & scripti, *effloruit* retinent; quibus Hebræa suffragantur: nam תמם, si ut verbum accipias, præteritum est, non futurum.

Quod sequitur, *Et immatura perfectio germinabit*, non pauci codices præterito tempore *germinavit* scribunt, ità ut ei quod præcedit tempore respondeat. Verùm emendatiores, Brugensis, Leodiensis, Lobiensis, O, P, L, & antiqui Epanorthotæ, *germinabit* habent; id quod Hebræo consonat, יהיה נצה *erit erumpens*. Quomodo nostra hujus loci versio Hebraicæ scripturæ conveniat, ostendit Franciscus Forerius.

Versu 7. quo eadem penè leguntur quæ secundo, plura exemplaria repetunt *exspectante*, *A gente exspectante exspectante, & conculcata* [*conculcante* o.] & quidem eadem omnia nostra quæ priori loco *exspectantem* repetunt, uno P excepto. Suffragantur hic similiter Hebræa, Haymo & Hieronymus. *Septuaginta*, inquit Hieronymus, *pro eo quod nos diximus* exspectante exspectante, *& in Hebraico scriptum est* קו קו sperante sperante, *e contrario interpretati sunt* ἀνέλπιστον, i. non sperantem. Nostri hodie Græci libri, Græco autore Cyrillo adstipulante, priori solùm loco ἀνέλπιστον legunt: posteriori ἐλπίζον *sperans*, idque semel duntaxat, scribunt. Porrò nobis iterandum esse participium *exspectans*, & posteriori & priori loco, existi-

mo ea quæ attuli comprobare: atque id censuit Adamus Sasbout, olímque in Francia Dominicani judicarunt.

D R U S I U S.

1. הוֹי אֶרֶץ צִלְצַל כְּנָפָיִם אֲשֶׁר מֵעֵבֶר לְנַהֲרֵי־כוּשׁ. Sym. *Væ terra sono alato quæ est ultra flumina Æthiopiæ.* A. —— *umbra alarum*] *Sonus alatus*, ἦχος πτερωτός. Quod citatum ex Sym. ed. in Bibliis Romanis. ¶ *Umbra alarum.* Hieron. *Alas autem navium, vela, quibus suspenduntur & extrahuntur, intellige.* Et mox, *unde Aquila, pro* CYMBALO, UMBRAM ALARUM *interpretatus est. Non enim habent alas, sed alarum similitudinem.*

2. הַשֹּׁלֵחַ בַּיָּם צִירִים. Aq. ὁ ἀποστέλλων ἐν θαλάσσῃ πρεσβύτας, *qui mittit in mari legatos.* Sym. *qui mittit apostolos* (sive *nuncios*) *mari*] Lege πρεσβευτὰς nam πρεσβύτας est *senes.* Hoc in ed. Rom. Symmacho tribuitur. Nos secuti sumus interpretem Eusebium, qui videtur habuisse exemplar emendatius. Euseb. APOSTOLOS *autem etiam nunc mos est apud Judæos nominare eos qui quotidianas literas à Principibus suis perferunt.* ¶ כֵּן־הוּא וָהָלְאָה. Sym. μεθ' ὃν ἔστιν ἐπέκεινα, *post quem non est ultrà*] sive *ulterius.* Et hoc Eusebio debemus.

4. בִּמְכוֹנִי. Aq. *in firmamento*] Hieron. *Quiescit & contemplatur Deus in loco suo, sive juxta Aq. in firmamento, i. in Ecclesia, quæ est columna & firmamentum veritatis.*

I D E M E X P R O C O P I O.

1. הוֹי אֶרֶץ צִלְצַל וגו׳. Sym. Οὐαὶ γῆς, ὁ ἦχος πτερωτὸς, ἣ πέραθεν ποταμῶν Αἰθιοπίας] Vide sis Fragmenta. Interpres Curterius, *Væ terra, sonus alatus ultra Æthiopiæ fluvios pervenit.*

2. צִירִים וּבִכְלֵי־גֹמֶא. Aq. πρεσβευτὰς καὶ ἐν σκεύεσι βιβλίου, *legatos & in vasis papyri.* Sym. ἀποστόλους, καὶ διὰ σκευῶν παπυρίνων, *apostolos, & in vasis papyraceis.* Th. ὅμηρα, καὶ ἐν σκεύεσι παπύρου, *obsides & in vasis papyri*] Alibi est πρεσβύτας, & apud Interpretem *senes.* Βιβλίου, i. βυβλίου, vel certè βύβλου, i. *papyri.* Alioqui βιβλίον est *libellus*, & βίβλος *liber.* ¶ לְכוּ. Cæteri πορεύεσθε *ite.* ¶ מִן־הוּא וָהָלְאָה. μεθ' ὃν οὐκ ἔστιν ἐπέκεινα, *post quem non est ultrà.* ¶ גּוֹי קַו־קָו וּמְבוּסָה. Aq. ἔθνος ὑπομένον καὶ συμπεπατημένον, *gens tolerans & conculcata.* ¶ אֲשֶׁר־בָּזְאוּ נְהָרִים אַרְצוֹ. Alii interpretes, οὗ διήρπασαν ποταμοὶ τὴν γῆν, *cujus diripuerunt flumina terram.*

3. תִּרְאוּ. Aq. Sym. T. ὄψεσθε.

7. מֵעַם נוֹרָא. Lxx. ἀπὸ λαοῦ φοβεροῦ *à populo terribili* ¶ קַו־קָו וּמְבוּסָה. Aq. ὑπομένοντος καὶ συμπεπατημένου, *tolerantis & conculcati.*

G R O T I U S.

1. V*Æ terræ cymbalo alarum*] In Hebræo, *Væ terræ umbræ alarum*: id est, cujus extremæ partes montibus obumbrantur. Vide Strabonem. Ostendit hæc Prophetia Deum Æthiopum operâ uti nolle contra Sennacheribum, cui Æthiops bellum indixerat, nè præda illius esset, quam Judæorum esse Deus voluit. Hinc discimus Tharacæ Regi malè successisse expeditionem, quam per absentiam Sennacheribi in Assyriam susceperat, II Regum XIX. 9.

Quæ est trans flumina] עבר non semper *trans*, sed sæpe *ad* significat. Vertas ergò rectè, *quæ est ad flumina Æthiopiæ*; ut hæc postrema vox cohæreat cum voce *terræ*.

2. *Qui mittit in mare legatos*] *Per mare*, Arabicum scilicet, *legatos*, id est, feciales ad bellum indicendum Assyriæ.

Et in vasis papyri super aquas] Id est, *navibus papyraceis*, ut Plinius loquitur, VI. 22. Meminit earum & Diodorus Siculus I. & Theophrastus. Adde Lucani locum productum nobis ad Exodi II. 2.

Ite Angeli veloces] Verba Regis Æthiopum. Pro *angeli* pone *nuntii*.

Ad gentem convulsam & dilaceratam] Cujus magna pars in longinquis expeditionibus occupata est.

Ad populum terribilem post quem non est alius] In Hebræo: *ad populum terribilem ab ipso* (id est, ab antiquissimo tempore) *& deinceps.* Antiquissimum enim erat & multis victoriis inclytum regnum Assyriorum, sed Æthiops suam occasionem natam putabat.

Ad gentem exspectantem & conculcatam] In Hebræo, *Gentem lineæ lineæ & conculcationis*: id est, Gentem quæ paulatim protendit imperii sui terminos, & superbo pede victos proterit. Justinus ex Trogo, initio historiæ: *Primus omnium Ninus, Rex Assyriorum, veterem & quasi avitum gentibus morem novâ imperii cupiditate mutavit. Hic primus intulit bella finitimis, & rudes adhuc ad resistendum populos, terminos usque Libyæ perdomuit.*

Cujus diripuerunt flumina terram ejus] *Ejus* hîc Hebræo more abundat. Tigris violentum flumen multum abradit ab Assyrio.

3. *Omnes habitatores orbis qui moramini in terra, cùm elevatum fuerit signum in montibus videbitis, & clangorem tubæ audietis*] Verba adhuc sunt Æthiopis. Meliùs, *cùm tuba clanget.* Ubi mea vexilla in montibus Assyriæ attollentur, meúmque ibi classicum sonabit, tunc videbitis & audietis res magnas.

4. *Quia hæc dicit Dominus ad me*] כי hîc est *verùm.* Opponit Propheta Dei consilia jactationi Æthiopis.

Quiescam & considerabo in loco meo] Sinam illum agere quæ vult, ego interim Judææ providebo.

Sicut meridiana lux clara est, & sicut nubes roris in die messis] Meliùs vertas: *Sicut calor serenus post pluviam, & sicut nubes roscida in æstu messis.* Hæc enim valde desiderantur, calor post imbrem, & imber post æstum. Tale futurum dicit Dei præsidium.

5. *Ante messem enim totus effloruit, & immatura perfectio germinabit, & præcidentur ramusculi ejus falcibus, & quæ derelicta fuerint abscindentur & excutientur*] Meliùs sic: *Ante messem enim* (id est, vindemiam) *gemma erat quasi perfecta* (vitis), *sed ubi maturuit* (apparuit) *omphax. Flos* (fuit;) *sed abscinduntur falce palmites: propagines quoque auferuntur amputando.* Hæ similitudines ostendunt ante tempus prælii egregias fuisse spes Æthiopum, sed eas ante eventum concidisse.

6. *Et relinquentur simul avibus montium*] Cadavera Æthiopum.

7. *In tempore illo*] Dum ista in Assyria absente Sennacheribo geruntur.

Deferetur munus Domino exercituum]. Pars de præda, Num. XXXI. 28. II Sam. VIII. 11.

A populo divulso & dilacerato] Repetit Propheta omnia contumeliosa verba Æthiopis in Assyrios, approbans ea ut verè dicta, sed simul significans Æthiopem indignum fuisse qui illorum spoliis gauderet.

C A P. XIX.

M U N S T E R U S.

1. DEnunciatur in hoc capite interitus Ægypti fiendus per Assyrium, qui erat commune flagellum omnium vicinarum gentium. Perstringuntur etiam scelera eorum. Idololatria, Superstitio, Studia curiosarum artium, Luxus vitæ. ¶ *Vehitur super levem nubem*] Sensus est, Dominus subitò immittet malum Ægyptiis, à quo *Dii eorum* eos liberare non poterunt: sed nec sapientes eorum eis consulere poterunt contra consilium Domini, qui *evacuabit animos* eorum ut salubre *consilium* afferre nequeant; & sic tandem sequentur seditiones & tumultus. Sic enim solet Deus pugnare contra hostes suos. Non arripit gladium, sed *aufert illis animum, evacuat sapientiam, consilium*, vires, &c. & actum est. Quin & Rex Assur, commune gentium flagellum, veniet contra eos, sæviturus in eos: Qui hic vocatur ארנים קשה *dominus durus*, ארנים scilicet pro ארון: sicut & ארני plurale constructivum vel cum affixo sæpe usurpatur pro sing. ארון. Erit, inquit Propheta, Rex Assur Ægyptiis tam *durus* ac si *exsiccatus esset* Nilus & cæteri *rivi Ægypti*, à quibus Ægyptii omnem suam habent commoditatem, cùm in Ægypto nunquam pluat, sed terra ab inundatione Nili fœcundetur. Et sub hac Allegoria inducit Propheta *piscatores* & *textores retium*, *lacunas* & *vivaria*.

13. *Seducti sunt*] Scribitur hoc verbum hic in passiva voce, altero Nun per Dages in Sin abscondito, habétque punctum Jamin & non Smol, quod ferè omnes Interpretes nostri non adverterunt. Invenitur etiam Gen. 3. השיאני *Serpens decepit me*, &c. ¶ Porrò per *angulum tribuum* putant intelligi Regem. Decepto autem Rege oportuit cadere totum Regnum. Vocatur itaque Rex *angulus populorum Ægypti*.

15. *Caput vel cauda*] h. e. Tam majores & qui primo sunt loco quàm minores, ut ebrii errant: sicut *ramus & juncus*, i. fortis & debilis.

17. *In tremorem*] Non credent, inquit Propheta, Ægyptii modò verbis meis; sed veniet dies ut sine *tremore* non possint audire

audire nomen *Jehuda*, in qua *terra* hoc *Domini consilium* longè antè revelatum fuit.

18. *Civitas Desolationis*] Quidam hîc legunt הרס pro חרס *civitas Solis*. Hebræi tamen communiter legunt *civitas desolationis*, ut scilicet ex multis civitatibus paucæ fuerint quæ *Domino exercituum* non crediderint post summam cladem Ægypto illatam. Dominus enim percutit, & simul medetur.

19. Per *altare* intellige cultum idolorum commutatum in cultum Dei. Non enim intelligi potest de corporali ara, sed videtur significare quòd Christus ubique coletur, & quòd verbum ejus ubique prædicabitur. Sic enim dicit v. 21. *Colent eum sacrificiis*, id intelligendum est de sacrificiis spiritualibus. *Sacrificium laudis*, inquit, *honorificabit me*. Ostenditur etiam hîc quòd Gentes conversæ ab impietate æquabuntur Israeli, fiéntque *populus Dei*; nisi quòd Israelitæ hanc prærogativam habent, quòd eis peculiariter promissus fuit Christus.

V A T A B L U S.

1. ONus משא] *Prophetia*. Vide cap. 13. 1. ¶ *Vehitur super nubem levem* רוכב על עב קל] *Insidet nubi veloci*. Hoc genere dicendi indicat celeritatem exsecutionis decreti Divini. ¶ *Et movebunt se* ונעו] Sub. *loco suo*, *& vertent solum*. Alii, *commovebunturque*.

2. *Et confundam* וסכסכתי] *Et permiscebo*. Alii, *Et committam*. Alii, *Et concurrere faciam Ægyptios in Ægyptios*. ¶ *Vir in fratre*, &c. איש באחיו וגו'] Hebraismus, pro *alter in alterum*, *& quisque in socium suum*.

3. *Et evacuabitur* ונבקה] *Exinanieturque*, vel, *foràs ejicietur*: i. Adimam illis sapientiam & prudentiam, quâ antea maximè commendabantur. ¶ *In medio ejus* בקרבו] *Juxta ipsam*. Alii, *intra viscera ejus*, i. in ipsa. ¶ *Interrogabuntque* ודרשו] *Consulentque*: q. d. Nihil omittent quo avertere possint imminentem afflictionem. Quidam, *etiamsi quærant* illud *apud idola*, &c.

4. *Durorum* קשה] Singulare plurali junctum, *dominorum duri*, pro *dominorum durorum*, sive *morosorum & sævorum*. ¶ *Fortis* עז] *Violentus*, *durus*.

5. *Et deperdentur* ונשתו] *Et deficient*.

6. *Et elongabunt sese* והאזניחו] *Et subducent sese*: vel, *Elongabuntur*, ne scilicet postea defluant in Ægyptum. ¶ *Attenuabuntur* ודללו] *Exhaurientur*. ¶ *Ægypti* מצור] *Arcis*. Alii *aggeris*. *Rivos Ægypti* vocat per quos aqua Nili deducebatur in varia loca.

7. *Gramineta* ערות] *Virentia*, sub. *olera*: i. herbæ virentes. ¶ *Juxta ripam fluminis* על פי יאור] *Juxta litus rivi*: i. quæ sunt juxta rivum. Alii, *& super os rivi*. ¶ *Propulsabitur* נדף] Præt. Heb. pro fut. *propelletur*: i. tolletur de medio sementis, sive seminarium quod crescebat juxta fluvium & ad ripas ejus.

8. *Infirmabuntur* אמללו] *Debilitabuntur*. Alii, *excidentur*, sive *exterminabuntur*. Præt. Heb. pro fut.

9. *Pectinata* שריקות] E quibus scilicet fiunt retia piscatoria. Quidam vertunt *reticulata opera*. Doctioribus Hebræorum magis placet ut vertatur *optima*, sive *electa*. Alii *varia*, sive *multicoloria*.

10. *Retia ejus* שתתיה] Nempe *Ægypti*. ¶ *Clausuram*, &c. שכר אגמי נפש] Ad verb. *clausuram stagnorum animæ*, i. qui stagna muro claudunt, sive vivaria in quibus sunt *animæ*: h. e. pisces viventes. Docti quidam inter Hebræos vertunt, *Omnes facientes clausuram erunt anxii animo*: ut אגמי accipiatur pro עגמי, & א positum sit pro ע: i. omnes qui concludunt aquas, ut in illis congregatis piscentur, erunt tristes animo.

11. *Verumtamen* אך] *Jam*, *Attamen*, *Atqui*, *Certè*. ¶ *Soan* צען] Chald. *Tanes*. Urbs Ægypti celeberrima, quæ est ad unum ex ostiis Nili: unde dictus est *Sinus Taniticus*. ¶ *Sapientes consiliarii*, &c. חכמי יעצי וגו'] *Prudentum consiliariorum Pharaonis consilium infatuabitur*. Alii *sapientes consiliarii Pharaonis & consilium insanum est*, aut *stultum*, sub. *erit illis*. Præt. Heb. pro fut. ut quidam vertunt. ¶ *Pro Paroh* אל פרעה] i. In persona Pharaonis. Alii, *ipsi Pharaoni*, sive *ad Pharaonem*. ¶ *Antiquorum* קדם] Ad verb. *antiquitatis*, vel *prioritatis*: i. priorum sive priscorum. Alii *Orientis*, pro *Orientalium*: i. duco originem à sapientibus & ab antiquis Regibus.

12. *Ubi sunt nunc* איםֹ אפוא] *Ubi sunt illi nunc*. Alii, *Ubi ipsi*, *ubi* inquam sunt. ¶ *Nunc* נא] *Quæso*. ¶ *Et scire faciant*, &c. וידעו מה יעץ] *Et cognoscant quid consuluerit*. More humano loquitur. Solent priùs homines consulere quàm statuere.

13. *Infatuati sunt* נואלו] *Stulti facti sunt*. *Insanierunt*. *Obtusi facti sunt*. Alii, *Infatuabuntur*. ¶ *Erraverunt* נשאו] *seducti sunt*: *decepti sunt*. Alii, *hallucinabuntur*. ¶ *Angulus tribuum ejus* פנת שבטיה] Subaudiunt quidam *qui putabantur*: ut legas, *errare fecerunt Ægyptum* qui putabantur *angulus tribuum ejus*. *Angulum* vocat illos sapientes quibus se valde munitos gloriabantur Ægyptii, tanquam iis quibus ædificium sive respublica illorum fulciretur, velut angulo tota moles ædificii sustinetur. Alii *Principes* intelligunt & *majores tribuum*; i. populi, sive familiarum. Quidam in accusativo legunt *angulum tribuum ejus* per appositionem, i. optimam partem; regionem scilicet celeberrimam, totius Ægypti, h. e. urbes capitales & primarias; quòd sint fulcimentum, robur & decus patriæ, perinde atque anguli sustinent totam domum.

14. *Perversitatem* עועים] i. Perversum, inversum & immutatum: q. d. Pervertet Dominus judicium eorum. ¶ *Sicut errat* כהתעות] *Quemadmodum circumagitur*, i. volutat sese, sive volvere solet.

15. *Faciat* יעשה] *Facere possit*: i. neque magnates neque plebeii agent quicquam quod sit illis utile, neque eorum operâ aut industriâ liberari poterit Ægyptus ab Assyriis. *Caput* & *ramus*, homines primi ordinis; *cauda* & *juncus*; plebeii & ignobiles. ¶ *Vel cauda* וזנב] Hic ו pro *vel* sive *aut* ponitur. Bis autem idem dicit: nam *caput* & *ramus* idem significant sicut *cauda* & *juncus*.

16. *Et stupebit & timebit* וחרד ופחד] *Nam horrebit & pavebit*. Vel, *nam tremet & timebit*: i. erunt in maximo metu cùm videbunt manum Domini paratam ipsos ferire. ¶ *Elevationis* תנופת] *Agitationis*. Et mox, *quam ipse agitat*, sive *motitat*, *super eam*.

17. *In pavorem* לחגא] *In commotionem*: vel *in terrorem*, sive *terriculamentum*. ¶ *Recordatus fuerit*, &c. יזכיר אתה אליו יפחד] *Meminerit illius*, *pavebit super eam*. Vel, *ad eam pavebit*. Alii, *mentionem fecerit illius*; *apud semetipsum timebit*. ¶ *A facie consilii* מפני עצת] *Propter consilium*: vel *propter decretum*: nam mox sequitur verbum, *Quod decrevit*, &c.

18. *Quinque civitates* חמש ערים] i. Quinque ex urbibus præstantioribus regionis Ægypti. Vel *quinque* pro *multis*, & iis celebrioribus: ut sit numerus certus pro incerto. ¶ *Labio Chenaan* שפת כנען] i. Sermone Chananæorum: q. d. Tempore gratiæ erit tantum commercii Judæis cum Ægyptiis ut multæ urbes Ægypti sint locuturæ sermone Hebræo. *Labium* vocat Sermonem, quòd labia sint organa & instrumenta locutionis. ¶ *Et jurantes* ונשבעות] Declarat quod dixerat; nempe colent Deum, & fidem Christianam recipient. Solemus enim sermonem nostrum confirmare per eum quem colimus. ¶ *Civitas Heres*, &c. עיר ההרס וגו'] i. *Una vocabitur*, sive *nomen uni imponetur*, *Civitas Solis*. Græcè Ἡλιόπολις dicitur, urbs clarissima Ægypti. Legitur & הרס per ה, & *desolationem* sign. unde quidam legunt, *Civitas desolationis*, Ut scilicet ex multis civitatibus paucæ fuerint quæ Domino exercituum non crediderint post summam cladem Ægypto illatam.

19. *Et titulus* ומצבה] *Et statua*.

20. *Et erit* והיה] Sub. *hoc quod diximus*: q. d. Hæc erectio altaris & tituli sive statuæ erit in signum & testimonium Domino quòd Ægyptii receperint fidem ejus. ¶ *A facie opprimentium* מפני לחצים] Hebraismus, *propter oppressores*. ¶ *Et magnatem* ורב] *Et primatem*, sive *primarium virum*.

21. *Et cognoscetur*, &c. ונודע יהוה למצרים] *Et notus erit Jehovah Ægyptiis*. Vel, *Et cognoscetur Jehovah in Ægypto*.

22. *Percutiendo & sanando* נגף ורפוא] i. Infliget vulnera, sed sanabilia: h. e. itâ percutiet ut non perdat: corripiet enim eos ut revocet eos ad se. ¶ *Et placabitur eis* ונעתר להם] *Et exorabitur ab eis*: i. orationem eorum exaudiet.

23. *Via* מסלה] Significat viam insignem, propriè *stratam lapidibus*, Gallicè *une chaussee*. ¶ *Et Assur* את אשור] *Cum Assyriis*, sub. *Dominum*.

25. *Cui benedixit* אשר ברכו] Ad verb. *Cui benedixit ei*. Redundat alterum relativum. *Cui*, scilicet *populo*. Quidam vertunt, *Nam benedicet illi*, &c.

C A S T A L I O.

10. LAceris illius cassibus] Scilicet Ægypti.

15. *Caput caudáve*, *ramus juncúsve*] Primarius aut plebeius, potens aut inops.

23. *Una cum Assyriis colent Ægyptii*] Scil. Jovam.

C L A R I U S.

1. ONus Ægypti] Cùm devastarent terram Israel Assyrii, Taraches Æthiopum Rex & Ægyptii se armaverunt adversùs Assyrios, qui mox contra Ægyptios & Æthiopes move-

moverunt exercitum. ¶ *Super nubem levem*] Significat Dominum subitò immissurum malum Ægyptiis, à quo *Dii eorum* eos liberare non poterunt, sed nec *sapientes* eorum eis *consulere* poterunt contra consilium Domini, qui *evacuabit animos eorum*, ut salubre *consilium afferre nequeant*: & sic tandem sequentur seditiones & tumultus. Quin & Rex Assur, commune gentium flagellum, veniet contra eos, sæviturus in eos. Erit, inquit Propheta, Rex Assur Ægyptiis tam *durus* ac si *exsiccatus esset* Nilus & cæteri *rivi Ægypti*, à quibus Ægyptii omnem suam habent commoditatem, cùm in Ægypto nunquam pluat sed terra inundatione Nili fœcundetur. Et sub hac Allegoria inducit Propheta *piscatores* & *textores retium*, *lacunas* & *vivaria*. Mirum profectò in hoc Propheta & penè plusquam Poeticum dicendi artificium.

2. *Concurrere faciam Ægyptios*] Apud Ægyptios, cùm à Sennacherib invaderentur, orta est seditio, violentibus aliis se tradere hostibus, aliis repugnantibus.

5. *Et arescet aqua de mari*] Hieronymus hic intelligit lacum Mareotidem.

13. *Angulum populorum*] h. e. Primates Regni, quasi *lapides angulares*.

15. *Caput & caudam*] Tam majores scilicet & qui primo loco sunt quàm minores. Sic *ramus & juncus*, h. e. fortis ac debilis.

17. *Ægypto in pavorem*] Vel *terrorem*. Non credent, inquit, Ægyptii modò verbis meis, sed veniet dies ut sine *tremore* non possint audire nomen *Juda*, in qua *terra* hoc *Domini consilium* longè antè revelatum fuit.

18. *Quinque civitates*] h.e. Aliquot. Et per *linguam Chanaan* intelligitur lingua Hebræorum, qui terram Chanaan habitant. Hebræorum autem traditio habet, Sennacherib victos Ægyptios & Æthiopes secum duxisse ad expugnationem Jerusalem, suo autem Assyriaco exercitu percusso, Ezechiam Ægyptios remisisse salvos cum Æthiopibus, ut narrarent magnalia Dei Israel, & erectis eum aris colerent & venerarentur sacrificiis: & hoc esse quod hic dicitur, *quinque Ægyptiorum* celebriores *urbes* conversas ad Dominum, *Hebræa linguâ*, quâ utebantur fideles, *Dominum laudaturos*. Quæ figura erat convertendarum per Christum Gentium, cujus typum gerebat Ezechias. ¶ *Civitas Solis*] Alii verterunt *civitas Desolationis*, i. quæ Deum non noverit, digna quæ devastetur. Hebræa enim dictio & *Solem* & *devastationem* significat. Quod & Oniæ Sacerdoti imposuit, ut altare Domino in Ægypto exstruendum putarit. Per *altare* ergò intellige cultum idolorum commutatum in cultum Dei, ut ex multis civitatibus paucæ fuerint quæ *Domino exercituum* non crediderint post summam cladem Ægypto illatam. Sic Dominus simul percutit & medetur, & dum aliud agere videtur, agnitionem sui affert hominibus.

19. *Et titulus*] Columna vel *statua*.

23. *Erit via de Ægyptio in Assyrios*] Concordia & pax significatur, quæ sub Ezechia reddita, uberiùs per Christum toti orbi restituta est.

FORERIUS.

1. QUòd non omnia quæ hoc capite de Ægypto dicuntur in Ægyptum conveniant, neque juxta historiam de provincia illa intelligenda sint, vide Hieronymum hoc loco. Non dubium autem quin Ægyptus typum gerat Mundi, quem Dominus in Euangelio dicit *se vicisse*. Hinc est quòd nonnulla de Victoria verbi Dei intelligi debeant. Certum quoque est & Ægyptum per Assyrios depopulatam fuisse. ¶ *Super nubem levem*] i. Velocem, ut suprà jam dictum est. Dicitur autem Deus *vehi nubibus* non semel in Scripturis, ut velocitatem adventûs ejus intelligant homines rudes. Sic hoc loco nihil nisi adventum celerem designat. ¶ *Liquefieri* verò *cor* Hebræis est Animo cedere, Viribus corporis ac animi destitui. Sicut enim Assyriis resistere non potuerunt, ità neque prædicationi verbi, quà perierunt idola & cultus eorum interiit. Animadverte autem, ante *liquefactionem cordis* poni *idolorum commotionem* seu *mutationem*. Nam cùm Dæmones interrogati silerent & adventu Christi fugarentur, quid faceret Homo Deo destitutus, nisi trepidare, & illum timere quem videbat Diis suis formidabilem? Hinc est quòd nonnulli etiam hodie ad sanam mentem redeunt cùm collapsos deos suos Dei solius virtute conspiciunt: huc enim tendit illa *liquefactio cordis* quam Dominus in hominum cordibus operatur quando ad pœnitentiam adducere eos incipit.

2. *Concurrere faciam*] Verbum *complicationem* & *commistionem* notat, *instar veprium*, *ut se mutuò pungant*, ut cùm acies adversùs aciem concurrit. *Committi* dicunt Latini. Quemadmodum dicit Dominus in Euangelio Luc. 21. *Insurget gens adversùs gentem*, &c. Quando autem hoc impletum sit juxta historiam Scriptura non commemorat: at juxta mysterium hoc illud est quod Dominus in Euangelio dicebat futurum, & non semel factum scimus: *Frater in mortem tradet fratrem, & pater filium* &c. *Ignem* enim & *gladium misit Dominus in terram*, &c.

3. *Dirumpetur*] *Dirumpi* seu *evacuari spiritum* est Obstupescere. Huic malo affine est *perire*, *absorberi* seu *deglutiri consilium* (id enim notat verbum בלע) ut neque consilium capere possint, neque si ceperint quidquam proficiant, aut juxta consilium efficiant. Hàc pœnâ sæpe puniuntur qui Deum ignorant, aut Deo non fidunt: hanc experti sunt infideles, qui ob contumaciam suam Dei consilium spreverunt, & collum jugo fidei submittere recusarunt. ¶ *Divinos*] Hebræum nomen ab *arcano* seu *secreto* dicitur, quòd arcanis & secretis verbis artem suam exerceant: *magos* reddere posses. De Pythonibus autem & Ariolis seu Gnostis vide suprà 8. 19. Nulla gens autem adeò barbara est quæ in adversitatibus ad eos quos Deos putat non sibi recurrendum esse existimet.

3. *Ægyptum*] i. Ægyptios. Hi, & quotquot Christo non paruerunt, tradendi erant *in manus dominorum qui asperè cum ipsis agerent*. Quâ traditione pleni sunt annales Gentium. Est & altera *traditio* seu *conclusio* multò illâ corporali pejor, de qua est Paulo sermo Rom. 1. *in passiones ignominiosas, ut faciant ea quæ non decet*, &c. ¶ *Dominorum crudelium*] Vel *dominantium duriter*. Nomen enim קשה adverbium esse videtur; ut 1 Sam. 20. *Si responderit tibi pater tuus pertinaciter*. Et idem ferè est quod sequitur. ¶ *Rex fortis*] *i. pertinax*, *durus*, *violentus*, *qui non flectitur ad misericordiam*, *aut precibus cedit*; sicut quæ condensantur & obdurantur. Hujusmodi est *Princeps hujus mundi* qui *imperium exercet in filios infidelitatis* sive *inobedientiæ*. Cui similis etiam est humana Voluntas, quâ, si Deo non serviat & tota ab ipso non pendeat, nullus reperiri potest crudelior tyrannus: Justum autem est ut qui non consentiunt veritati, credant iniquitati & mendacio, &c. Ob hoc claudit sententiam illis suis maximi ponderis verbis, *Fidelis sermo Domini Jehova tzebaoth*, i. supremi illius Dei qui est universorum Dominus, & potest commutare Regna & Imperia, &c.

5. *Et arescet*, &c.] Hyperbolica sunt hæc omnia & figuris referta, in quibus hoc loco multus est Jesaias. Quia ex aquis tam *maris* quàm *fluminis* Nili pendebant omnes ferè res Ægyptiorum, neque quidquam erat quod sic eorum mentes posset mœrore conficere quàm si *aqua fluminis & maris* Rubri *exsiccarentur* harum defectu tristissima quæque intelligit atque denunciat. Ego in versione horum verbum propriam significationem vocum quantum potui expressi. Sensus autem ferè idem est quem Vulg. reddidit. Hic considerare juvat quomodo Deus peccatores puniat in illis rebus quas ipsi magnifaciunt. Quòd si Deo in promptu est *fluvium* Nili *arefacere* & *mare exsiccare*, quid rivulis nostris fidimus, ô miseri?

6. *Aggerum*] מצור, à verbo צור, sig. *obsidionem*, *munitionem* atque *propugnaculum*. Deut. 20. Ezec. 4. *Pones obsidionem contra eam*. Mich. 5. Jer. 52. Quare non malè pro *aggeribus* vertitur. Nam qui obsident, aggeres excitant. Infrà 29. 3. *Erigam contra te aggeres*. Sunt tamen qui per Paronomasiam hic מצור pro מצרים, i. *Ægypto*, accipi putent, ab arcibus, munitionibus ac civitatibus, quas ubique ad aquas habuit munitissimas, ut 2 Reg. 19. *Siccavi plantis meis omnes rivos* מצור, i. *Ægypti*; q. d. munitissima, &c. Quam sententiam secutus sum in versione. Quamvis ergò à filio Ham dicta sit Ægyptus מצרים, congruit tamen etymon vocis à verbo צור. ¶ *Calamus*] A voce Hebræa קנה tam Græca quam Latini nomen *canna* mutuarunt.

7. *Nudabitur alveus*, &c.] Sensum reddidit Vulg. quasi ad verbum reddendum foret, *Nuditates* seu *evacuationes juxta rivum*, *juxta os rivi*, i. alvei & concavitates quæ sunt ad ripam fluvii, atque etiam ea quæ proxima sunt ori vel litori fluvii, *& omnis sementis fluvii exsiccabitur*, *& expulsa*, & quasi eradicata, *non erit*. ¶ *Sementis irrigua*] Heb. *semen rivi*, i. sementes rivorum, quæ propre rivos fieri solent, qui in Ægypto à magno illo flumine derivantur ad irrigandam terram, quæ pluviarum expers est.

8. *Piscatores*] Omne genus hominum enumerat qui beneficio aquarum vitam degebant. Et commoda omnia quæ Ægyptiis ex aquis proveniebant enumerando, denunciat defutura & omnino abolenda: ut nemo sit qui calamitatis sit expers, præter eos qui Dominum venientem susceperant.

9. *Qui operantur linum*] *Cultores linorum*, i. qui summo studio & diligentiâ linum nutriunt & educant, ut ex eo quæ ne-

necessaria sunt ad humanos usus operentur. Verbum autem *cultus* & *servitutis* his opificibus tribuit, quòd nihil sit ex terræ nascentibus quod tantam industriam requirat quantam Linum. Vox verò quæ sequitur שריקות cum voce quam Latini usurpant convenit, *serica*, & Græcis σηρικός. Est autem Sericum lanæ pretiosissimæ genus, quæ ex arborum frondibus, vel potiùs, ut hîc vides, ex herbis depectitur. Hinc puto usu mutuatum nomen ad vermiculi lanificium quod nunc *sericum* vocamus: quanquam ignorarent Latini & Græci vocis hujus originem. Quidam enim *Seres* populum Scythicum dixerunt apud quem sericum oriretur: alii vermiculum apud Indos dictum σὴρ, unde *sericum* finxerunt; quod facere solent qui aliquid se ignorare fateri verentur. Ego certè vocem Hebræam esse non dubito, vel Ægyptiacam: Et mihi verisimile est à sono quem edit dum contrectatur aut discinditur, sic dici; quandoquidem & Hebræis שרק est *sibilare*. Nunc ad nos defertur ab Indis quoddam lini genus quod vocamus *pannum ex herbis*, quod propriè Sericum esse existimo. Possumus ergò cum *lino* construere, ut ego verti. ¶ *Subtilia*] חורי, sicut legunt Hebræi pro חורים, i. *foramina*; atque *retia* interpretantur. Nam חר *foramen* est. Possumus & *foraminata* non retia modò, sed quæcunque feminæ ad ornatum efficiunt ex subtilissimis filis lini, in quibus sunt aliquot suo ordine perforationes, intelligere, &c. Unde non malè Vulg. *subtilia* dixit. Sed cùm videam nomen חר in plurali nunquam ità accipi, sed tantùm pro *foraminibus* & *cavernis*, durior aliquantò mihi videtur interpretatio. Esth. autem 1, & 8. video accipi חור pro *candido*, *indumento* scilicet, quo utebantur nobiles: unde & חורים *candidi* ipsi nobiles & ingenui dicuntur, de quo infrà 34. Libenter hîc חורי pro *candidis* accipio, ut ad *opificia lini* referatur: quod intelligentes Lxx *byssum* verterunt. Potes & hoc referre ad *texturam*, quæ fit ex candidissimis virgulis ex fruticibus, quæ aquis gaudent. Unde dicuntur Gen. 40. *corbes* seu *canistra* חרי, i. *candoris*; ubi Vulg. *farinam* vertit. Hebræi nonnulli *perforata* intelligunt: sed non malè *candoris* dicas; sunt enim candidissima, præsertim quæ panibus Regiis inservirent.

10. *Irrigua*] Vocem שתתיה Vulg. à verbo שתה *bibere* deduxit: alii à verbo שית, & pro *iis quæ ponuntur in imo* accipiunt, i. pro *sagenis* seu *nassis*. Ego libenter dicerem esse participium verbi geminati שתת, & pro *aggeribus* accipi, quòd opponantur ad sustinendum & prohibendum impetum aquarum. ¶ *Lacunas ad capiendos pisces*] Vox שכר juxta diversam prolationem diversa sig. unde Lxx *siceram* dixerunt. Sed hoc loco cum sinistro puncto existimo scribendam, esséque adverbium, i. *mercenariè*, *pro mercede*. Vocat autem Hebraismus *stagna animæ*, vivaria, piscinas, &c. Hæc quidem omnia in Ægyptum illam conveniunt; non quòd aruerit unquam Nilius, &c. sed his significat Propheta post captivitatem, summam inopiam & terræ desolationem. Quæ omnia facilè fuerit ad alteram Ægyptum accommodare, quam Dominus spiritaliter debellavit.

11. Quòd juxta historiam malè sibi consuluerint Ægyptii, eventus rerum satis ostendit. Quapropter affirmativè accipio particulam אך, quam omisit Vulg. Quàm stulti etiam sapientes mundi fuerint, qui *stultitiam* reputarunt prædicationem Euangelii & verbum Crucis, res ipsa prædicat. In hoc enim conveniebant mundi sapientes, ut dicerent religionem Christianam eversionem esse Regnorum, & omnes malè habituros qui eam admitterent. ¶ *Pharaoni*] אל Hebræis sæpe idem est quod *ad*; & ità accepit Vulg. Neque desunt qui de *sapientibus* hoc dictum velint, quòd *quivis ex ipsis diceret Pharaoni se esse filium sapientum*, & in maximo pretio habitos sapientes apud Reges Ægyptiorum; quamobrem meritò sibi fidem adhibendam à Pharaone. Ego diversam interpretationem affero, non quòd eam præferam, sed ut Hebræa aliter posse intelligi videat Christianus lector: אל enim interdum accipitur pro *de* seu *pro*, ut Gen. 20. *Dixit Abraham de Sara, quòd soror*, &c. Adulantes enim Pharaoni sapientes ejus sapientiam & nobilitatem in cœlum extollebant; quapropter nihil sibi adversi timeret, duraturúmque ejus imperium, quòd antiquissimum esset & sapientiâ summâ stabilitum. In Timæo leges Ægyptios de sapientia summopere gloriari solitos.

12. *Ubi nunc sunt*] Insultat Tyrannis & sapientibus mundi, quòd non præviderint quæ super ipsis cogitaverit Deus. Mundi enim sapientia *non cognovit sensum Domini: Spiritus* tantùm *Dei* est qui *scrutatur arcana Dei.* Ad hunc locum alludit Paulus dum ait, *Ubi sapiens? ubi scriba?* &c.

13. *Emarcuerunt*] נשאו est *obrui verbis persuasibilibus & sophisticis*, & accipitur semper in malum. Hoc verbo usa est Heva, *Serpens decepit me*, *obruit me fallaciis*, &c. de quo infrà 36. *Non seducat vos Ezechias*, &c. ¶ *Angulum populorum*] Non dubium quin פנת *angulum* significet, non *recessum*, ut vulgò accipitur, sed *flexum* seu *aciem exteriorem ædificii*; à verbo פנה, eò quòd prostet, & sit in conspectu, vel quòd ad diversa loca respiciat. Quia verò in angulis ponuntur majores atque meliores lapides, qui duos parietes conjungant sustenténtque ædificium, figuratè transfertur ad significandos *Principes*, qui sunt veluti *anguli populorum*, ut Jud. 20. & 1 Sam. 14. & ità hîc accipiendum puto, & in nominandi casu: ad verbum, *deceperunt Ægyptum*, *angulus baculorum ejus*, i. quisque angulus & caput familiæ decepit familiam suam, atque ità tota Ægyptus decepa est. Unde Lxx *Decipient Ægyptum per tribus.* Neque insolitum est Hebræis nomen sing. cum verbo plur. conjungere, præsertim si distributionem velint significare, & nomine *baculorum* familias & tribus designare: de qua loquendi forma jam suprà locuti sumus. Vel, *Illi stulti facti errare fecerunt Ægyptum*, *angulum familiarum ejus*, i. angulos cujusque familiæ.

14. *Miscuit*] מסך verbum Hebræum literis congruit cum Latino *misceo*: sig. autem *infundere è supernis*, ut ex cognatis verbis apparet Psal. 102. *Potum meum cum fletu infundebam.* De hoc suprà cap. 5. ¶ *Vertiginis*] Nomen est plurale עועים à verbo עוה, geminatâ primâ thematis, *incurvationes*, i. vertigines. Vertigo autem morbus est quo qui laborant, omnia ipsis videntur circumrotari seu circumferri, tandémque corruunt in terram. *Spiritum incurvationum* dicere possumus; ut nihil rectum videre aut intelligere possent; ut omnia multò aliter evenirent quàm illi putarent: *spiritum omnia pervertentem atque evertentem*; ut sit quod Ezec. 21. nomine עוה ter repetito significatur, *Incurvationem, incurvationem, incurvationem ponam eam: sed hoc non fiet donec veniat cujus est judicium, & cui tradam illud:* i. Inclinatio major atque major subindè erit, tam Politiæ quàm Sacerdotii, donec venerit Christus. ¶ *Sicut errat*] Sensum expressi cum Vulg. vel *juxta errorem ebrii.* Eadem comparatio est Job. 12. 25. ¶ *Et vomens*] Heb. *in vomitu suo*, i. sicut volutatur ebrius in vomitu suo, vel sicut errat ebrius dum ore egerit ebrietatem, i. perfectè ebrius, cui neque honesti neque decoris cura est.

15. *Caput & caudam*] Potest & in nominandi casu verti. Neque magni neque parvi, nobiles neque ignobiles, *habebunt quod faciant*: vel cum Vulgato in accusativo, *non habebunt quod faciant*, neque rem parvi momenti, neque magni, &c. i. nihil remedii, nihil auxilii sperabunt: adeò omnia desperata erunt. Quid autem intelligatur his nominibus vide suprà 9. 14.

16. *Erit Ægyptus quasi mulieres*] Suprà quanta mala perpessuri essent Ægyptii narravit: deinde eorum stultitiam, ignorantiam atque cœcitatem multis verbis exposuit. Propter peccata enim affliguntur filii hujus seculi; ac deinceps, si perseverant, majoribus tenebris involvuntur. *Deus* enim *hujus seculi excæcat mentes eorum, ut non fulgeat illis lumen Euangelii*, ut est apud Paulum. Ex quibus rursum tenebris aliud malorum examen oritur, cujusmodi sunt Metus, & Effeminatus animus, & cætera id genus. Sed ejusmodi mala Propheta commemorat, ex quibus ad mysterium facilior esset transitio. ¶ *Super eum*] In masc. genere legendum est relativum, quia nomen *Ægypti* pro *habitatoribus*, ut suprà dixi, sicut & alia quæ cum utroque genere conjunguntur. Quapropter ego quoque in masculino transtuli: quod necesse fuisse versu seq. patebit.

17. *In festivitatem*] Fatetur quodam loco Hieronymus errorem suum, quòd *pavorem* verterit, cùm *festivitatem* debuisset interpretari, quòd utrumque dictio significaret. Sicut enim verbum חגג, licèt propriè significet *gyrare*, *circumagi*, *in orbem agi*, &c. transfertur tamen ad *festivitates quæ celebrabantur in epulis*, *potationibus*, *choreis*, *& circumrotationibus*: ità nomen חגא potest ad *festivitatem* transferri, & si propriè *circumagitationem* designat; sicut & חג. Ego *circumagitationem* dixi eâ ratione quam jamjam exponam. Cum intelligerent Ægyptii adventum Assyriorum, non minùs præ timore inepti facti sunt ad bellum quàm si omnes essent feminæ, quòd iratum adversùs se Deum perciperent, quasi decrevisset Ægyptum totam veluti in oblationem sibi offerri. Est enim tacita allusio in nomine תנופה ad ritum & ceremonias Legis, in qua quoddam genus oblationis *Thenupha* dicitur, quæ hinc & indè in sublime agitabatur. Quia autem Deus in Judæa colebatur, quod de *agitatione manus Jehova* & *pavore* qui agitationem illam consequebatur dixerat, nominibus *telluris Jehuda*, *& festivitatis*, *& consilii quod Deus cogitasset*, repetit, ut mysterio campum aperiret. Timor, inquit, ingens universam Ægyptum pervadet, timor, inquam, irati Dei; adeò ut *Judæa* (in qua scilicet Deus colitur & habitat, & unde ad cæteras Orbis

partes proficisci dicitur) *sit Ægypto festivitas* seu *circumagitatio*, i. ut audito nomine *Judææ Ægyptii circumrotentur* & huc atque illuc discurrant, sicut in *festivitatibus* Judæorum fieri solet. Et si quis *Judæam commemoret* & populi Dei mentionem ingerat, super sic *commemorantem* Ægyptii *expavescent*, intelligentes quid Judæorum Deus *super ipsos statuisset*. Hæc eò admirabiliora erant quò Reges Ægyptii potentiores erant, & parvi faciebant Judæos. Unde postea sub Josia, quem prælio vicerunt, Judæam oppresserunt, & Regem quem voluit præfecit illis Pharao. Quamobrem non multò pòst tempore per Assyrios ipsi oppressi sunt. Adde quòd mundum totum perterruit Rex Judæorum, & perinde imbecilles fuerunt ipsi Ægyptii ut verbo Dei & exercitui ejus resisterent, *ut femina* in prælio. Agnoverunt enim esse *agitationem manûs Domini*, & *expaverunt*; proindéque *terra Jehuda Ægypto fuit terrori*, ex qua prodibat tantæ virtutis exercitus, & *super narrantes* quæ in *Judæa* gesta fuerant *expavebant Ægyptii*, intelligentes *consilium Dei* esse ut Crucifixo cederent cultus omnes & religio universa, corruerentque atque perirent Dii Gentium, sola autem religio à Judæa profecta & per Apostolos annunciata obtineret. Quod manifestiùs Propheta mox aperit.

18. *Lingua*] שפה *labium*: sed utrumque Hebræis pro *loquela* sumitur: Gen. 11. *Labii unius*, &c. Dixit autem *labio Canaan* potiùs quàm *Hebræo*, ut obscurior esset Prophetia, & nè Judæi ad literam acciperent quòd Hebræâ linguâ locuturi essent Ægyptii, ac si de lege Mosaica & litera tantùm occidente esset sermo. Nihil enim aliud significabat quàm quòd Ægyptii à viris terræ illius, nempe Discipulis Domini, fidem Christi edocti, eadem crederent, eadem loquerentur quæ Cananæi illi; quinimo & eisdem Scripturis incumberent, & linguam Hebræam addiscerent, ut Scripturas meliùs penetrarent. Puto autem significari quòd ex omnibus civitatibus Ægypti quinque totæ fidem Christi amplecterentur, ut omnes habitatores earum Christiani essent. ¶ *Jurantes Domino*] Vel quòd illi fidem darent nè unquam à suscepta semel religione deficerent; vel nomine *juramenti* universa religio intelligitur, ut sæpe aliás. Per quem enim juramus, eum pro Deo colimus: unde *jurare per Jehova* est Jehova religionem amplecti. q. d. Non per alios Deos jurabunt, sed per Jehova. Sed constructio priori expositioni favet. ¶ *Civitas Solis*] Optimè vertit Vulg. Non enim legendum est הרס sed חרס, ut in margine annotatum invenies in Bibliis Hebræis. Miror autem Judæorum Rabinorum quorundam, inter quos est R. David, tam in libro Radicum quàm in Commentariis, incogitantiam, qui aut הרס quasi nomen proprium retinentes, quos sequitur Pagninus, aut *desolationem* interpretantes, quòd *civitas Destructionis* dicenda esset, quæ scilicet credere nollet, quos sequitur Munsterus, non vident hoc esse figmentum, neque posse intelligi unam illam non esse ex illis quinque quæ fidem excepturæ erant: præsertim cùm docti inter Rabinos, qualis fuit Helias ille Germanus, sentiant lectionem quæ in margine habetur esse germanam, & eam esse interpretandam, licèt aliter legendum sit. Cui etiamsi omni ex parte non assentior, hoc tamen indubitatum esse debet Christiano lectori, frequentiùs germaniorem esse marginalem lectionem quàm sit quæ in textu habetur. Et hoc quidem loco ח non ה legendum est: in quibus literis magna est affinitas & facilis lapsus. Adde quòd Chaldæus P. *Domum Solis* dixit, quamvis *Destructionis* seu *Exsiccationis* quoque meminerit. Certè Hieronymus in Commentariis unam hanc lectionem tantùm affert, neque alterius meminit. Sed cùm sciamus inter præcipuas civitates Ægypti computatam Heliopolim (i. *Civitatem Solis*) quid moramur quo minus hic *Civitatem Solis* legendum putemus? præsertim cùm sciamus ex probatis auctoribus, in civitate illa (quæ supra Deltam Ægypti sita est, ad lævam Nili per Nilum ascendentibus, teste Strabone) studia scientiarum floruisse, & ibi gymnasia omnium disciplinarum exstitisse. Nam Herodotus Heliopolitanos omnium Ægyptiorum solertissimos fuisse testatur. Sed audi Strabonem lib. 17. *Hæc*, inquit, *loca ipsius Deltæ proxima sunt. Ibi est Bubastus civitas*, & *Bubastica præfectura: supra quam est regio Heliopolitana; ubi Solis civitas est in aggere ingenti posita, quæ Solis templum habet. Nunc urbs deserta est: in ea est pervetustum templum Ægyptio more structum*, &c. Atque ubi struendi morem depinxit, addit, *Heliopoli domos amplas vidimus, in quibus Sacerdotes habitabant. Imò dicunt hanc olim habitationem Sacerdotum fuisse, hominum Philosophiæ & Astronomiæ deditorum. Ostendebantur itaque ibi Sacerdotum domicilia, & loca ubi Eudoxus & Plato habitaverunt. Nam Eudoxus cum Platone eò profectus est, ambo cum sacerdotibus annos XII sunt versati, ut quidam volunt*, & plura hujusmodi. Quia igitur in hac florentissima scientiarum civitate erant Sapientes & Sacerdotes, qui difficiliùs à patria religione deficere solent, hujus tantùm civitatis meminit, & hanc *primam* futuram vel *unam* (utroque enim modo sumi potest nomen אחת) quæ religionem Christi amplecteretur: quod qui crederet, non illi dubium foret quin & reliquiæ religionem commutaturæ viderentur. Hic locus maximè commendat virtutem Crucis & efficaciam verbi Dei. Perinde est enim ac si dixisset *quinque civitates Græciæ verbo fidei obedisse*, *de quarum numero fuerit civitas Atheniensis*, &c. ¶ *Dicetur uni*] i. *Civitas Solis appellatur prima*, vel *una*, quæ linguâ Cananæâ locutura est.

19. *Altare Domini*] Manifestiùs religionem cultúmque veri Dei in Ægypto pullulaturum ostendit. Est autem in dandi casu nomen *Jehova*; propterea pronomen addidi, *ipsi Jehova*; i. *Jehova habebit altare in medio terræ Ægypti*, i. intra Ægyptum; vel *dedicabitur altare ipsi Jehova*; ut idem repetatur in posteriori versûs parte. ¶ *Et titulus ipsi Jehova juxta terminum ejus*] i. In extremitate altaris, vel Ægypti (*titulum* accipias pro *monumento aliquo cum inscriptione*, ut & Latinis interdum in usu est) scriptum erit ליהוה: hunc enim dicit esse *titulum*. Atque hic est germanus sensus juxta Vulg. Interpretem. Ego tamen, ut interdum facio, aliam interpretationem attuli, tantùm ut sciat qui Hebraicè ignorat, alium sub Hebræis vocibus posse subesse sensum: omitto interpretationem eorum qui pro מצבה non *titulum* sed *statuam* vertunt, quòd sæpe hæc vox pro *statua* accipiatur, à verbo נצב, quòd omnino præter rem eam esse existimem. Certè nomen *quidquid stat* sign. ut Jos. 6. dicitur de *trunco*, &c. & de *lapide erecto* Gen. 28. & de *tumulo* 31, &c. Non dubium etiam quin נצב formâ masculinâ, & מצבה femininâ, pro *statione* accipiatur & *præsidio militum*, quòd ibi positi sint & stent parati ad propugnandum, ut 1 Sam. 14, & 13. de *statione* Philistinorum. Sensus itaque est, quòd *in medio terræ Ægypti Jehova habiturus esset altare*, & *juxta terminos Ægypti stationes dispositas & præsidia*. Quâ loquendi figurâ significabat Propheta fidem ac religionem non tanquam hospitem peregrinaturam in Ægypto, sed diu mansuram & radices acturam; sumptâ similitudine à subjugatione Regnorum, quæ qui pacata habere volunt, præsidia disponunt in limitibus ad reprimendos hostium incursus, &c. Favent huic interpretationi res ipsa, & nomina.

20. *Erit in signum*, &c.] Sensus quem in versione expressi planus est, scilicet quòd *altare & monumentum*, quòd cultus & propugnatores *essent signum* & videns argumentum *quòd Ægyptii oppressi clamaverint*, & *Dominus* eos exaudierit. Qui locus satis ostendit quòd non omnia quæ præcedunt sint juxta historiam intelligenda, sed quòd oppressi à Diabolo ipsâ suâ miseriâ *exclamaverint*, &c. De quo in Psal. *Dominus de cælo in terram aspexit*, *ut audiret gemitus compeditorum*, &c. Cultus enim exterior, altaria & cæteræ Ecclesiæ ceremoniæ, quibus utitur ab usque initio, testificantur quòd sumus populus Dei, Christiani *asserti de potestate tenebrarum in Regnum Filii dilecti Dei*, qui *non propter Opera justitiæ quæ fecimus*, *sed propter misericordiam*, quâ *audivit gemitus compeditorum*, *misit nobis Salvatorem Filium suum*, &c. Hic locus contra hæreticos cultum Dei externum commendat, ut qui ad gloriam ipsius Dei testetur quòd ab ipso simus redempti, &c. Commendat & charitatem Dei, qui, cùm oppressi essemus ob peccata, *misit Filium*, *non qui judicaret mundum*, *sed servaret*. Ostendit quoque miserias hominum esse *clamores* in auribus Dei nostri. Unde David, *Vide humilitatem meam & laborem meum*, & *dimitte omnia delicta mea*, &c. Unde fiducia nostra fulciri potest, qui scimus habere nos Deum qui *propter miseriam inopum & gemitum pauperum dicit*, *Nunc exsurgam*. Nec quominus hanc nostram versionem probes, tempora verborum, quæ Hebræis futura sunt, te morentur: non enim possent elegantiùs dicere quod nos in versione dicimus quàm per sua illa futura: quod miror alios Interpretes non animadvertisse. ¶ *Et propugnatorem*] רב propriè & *magnum in quavis re* designat, & *multum*: unde, ni fallor, Hebræi hoc nomine vocant *Præfectum cujuscunque actionis seu artis*, tam *belli* quàm *domi*. Sic *Magistrum coquorum* Dan. 1. & *Magistrum eunuchorum* 2 Reg. 21. & Dan. 1, &c. denique ut Galli *magistrum* usurpant, non solùm *eum qui docet*, sed etiam *herum* & *dominum* & *ducem*, sic Hebræi. Quinimo & Græci διδάσκαλον interdum *auctorem* vocant. Hic pro *duce* & *imperatore*, vel fortè etiam pro *doctore*, accipitur. Ideo *magistrum* dixi, modò hanc vocem ut Galli & aliæ pleræque nationes accipiamus.

21. *Colent eum in hostiis*, &c.] Sensum rectè exposuit Vulg. Ego verba servavi, quòd perspicua satis essent. Verbum enim עבד cum accusativo rectè vertitur verbo *colendi*. *Sacrificium* autem

autem *& oblationem colere* est magnificare, & magno studio sacrificia & oblationes offerre. Est autem מנחה *sacrificium* hîc in singulari; fortè quòd unico illi Christianorum sacrificio, quo quotidie summâ veneratione sacrificium Christi iteramus, (invitis licèt Lutheranis) maximus cultus debeatur. Unde non *sacrificiis colendum* dixit, sed ipsum *sacrificium colendum*, quòd Deus ipse sit nostrum Sacrificium & Hostia. Suprà autem jam monui זבח propriè esse *mactare*: indè ad *sacrificare* transfertur: & nomen propriè de *sacrificio* dicitur, in quo quid mactatum offertur. De nomine autem MINHAH dixi suprà 11. 10. ¶ *Et vovebunt votum*] Cùm de Christianismo sit sermo, impudentes sunt Lutherani, qui Vota ab Ecclesia eliminare conantur, ut suæ parùm Christianæ imò impuræ liberati prætextum aliquem afferant. Hic vides non solùm redditionem Votorum laudabilem, sed ipsum quoque Vovere inter cultus Christianorum annumerari, quasi non infimi ordinis cultus sit. Quæ autem sint quæ vovenda sunt, ex antiquis Patrum traditionibus & usu Ecclesiæ petere oportet, non ab istis perversis innovatoribus, quibus quia tantùm quæ carnis sunt sapiunt, impossibile videtur Continentiæ votum adimplere. Sed Soli tenebras offundere nunquam poterunt.

22. *Percutiet*] נגף vehementiorem significationem habet quàm נגע: eam enim *consternationem* notat *quæ fit magnâ vi adhibitâ*: unde verbo *consternandi* ferè semper reddo. ¶ *Plagâ*] Ad verbum est, ut ego verti, *consternando, & sanando*: sed sensus hîc est quem Vulg. reddidit. ¶ *Et revertentur ad Dominum*] Non in media afflictione: nam tunc ad divinos, &c. proficiscebantur, & tandem stupefacti extrema passi sunt; sed de *conversione ad Dominum*, quando scilicet fidem susceperunt, est sermo. Unde verbum שוב verbo *convertendi* hîc reddidi, ut sæpe oportet. ¶ *Placabitur eis*] Vel *exorabilis fiet*. Nam עתר propriè est *suavibus verbis orare pro rei alicujus impetratione, amanter ac familiariter supplicare Domino*, ut Ishac Gen. 25. & Manue Jud. 13. In passiva ergò *oratione flecti*, seu *exorari* ¶ *Et sanabit*] Vel *medicabitur*: id enim propriè sonat verbum רפא. Hinc intelligimus quanta sit necessitas & utilitas Orationis ad conversionem cordis: nam sine oratione non sunt conversi. Cùm enim quis agnoscit errores suos, & tantùm in Deo suam salutem sitam esse, mirum quantâ teneritudine animi preces fundit: Quibus *Dominum se exorabilem præstare* vel ex hoc loco discere possumus, solisque *conversis* omnino *mederi Dominum*. Aliis enim licèt interdum auferat calamitates, ægritudines tamen & languores animorum non aufert, neque perfectam sanitatem confert. Quòd si iis qui ex inimicitiis ad amicitiam redeunt Deus adeò amanter *exorabilis* fit, quàm suavem eum putas ab amicis & familiaribus persentiri?

23. *Via*] Nomen Hebræum ab *sternendo* dicta est: *stratam* dicere possemus, seu *viam pervagatam, tritam* & *regiam*. ¶ *Servient*] Suprà v. 21. Hoc loco verbum עבד cum accusativo verbo *colendi* redditur congruè. Nam hîc non de *servitute dura servorum* videtur esse sermo, sed de *cultu benevolentia & concordia*: q. d. Ægyptii, qui antè solebant atque debebant (utpote inferiores) timere Assyrios propter eximiam potentiam, jam deinceps eos non timebunt, sed potiùs *colent magnóque studio complectentur*.

24. *Tertius*] i. Per quem amicitia inter Ægyptios & Assyrios coalescet: vel potiùs *tertia*, aut *tanquam tertia, & media quadam benedictio*, unde promanabit ac derivabitur omnis benedictio, i. sanctitas sive gratia spiritalis, non solùm ad Ægyptios & Assyrios, verùm etiam ad cæteras omnes nationes, juxta illud quod promissum est Abrahæ, *In semine tuo benedicentur omnes cognationes terræ*. Ut pro eodem sumamus *tertium* & *medium*; quemadmodum etiam *colorem medium* vel *tertium* indifferenter vocare solemus eum qui, etsi differat ab extremis, tamen aliquid illis communicat vel participat. Item mediatorem *tertium* vulgò dicimus: Mediator enim unius non est, sed duorum, aut etiam plurium. ¶ *Benedictio*] Cum hoc nomine *benedictionis* construxi in versione mea nomen שלישיה: fœmininum namque est, ut suprà, ubi *vitulam triennem* dixit Jesaias. ¶ *In medio terræ*] Hoc certè est quod Abrahæ dictum est, *Omnes tribus terræ*: nec dubitandum est quin ad illam benedictionem alluserit Propheta.

25. *Cui benedixit*, &c.] Exponit quâ ratione dixerit *Israelem fore benedictionem medio terræ*, seu *in medio terræ*. *Benedixit*, inquit, *Israeli Jehova*, *dicendo*, *Benedictus populus meus Ægyptius: & dicendo*, *Assyrius opus manuum mearum*. Exspectaret fortasse quispiam ut diceret Propheta, *dicendo*, *Benedictus populus meus Israel*: verùm cum exponere vellet, ut dixi, quo pacto *foret media benedictio*, & cæteri ejus benedictionis futuri essent participes, dixit, *Benedictus populus meus Ægyptius*, &c. insinuans ex benedictione Israelis profectum ut Ægyptii essent benedicti, & Assyrii *opus manuum Dei* dicerentur; i. omnes nationes terræ, quæ ab Israele plurimùm & animis & religione erant separatæ, ad Deum pertinerent, utpote factæ *populus ejus*, & in respectu habitæ sicut *opera* apud suum artificem. Ut autem excellentiam Israelis, à quo tota illa felicitas promanarat, significaret; addit. ¶ *Et hereditas mea Israel*] Assyrios *opus manuum suarum* vocat; quod habet suam dignitatem & laudem: perfecta enim sunt Dei opera; & quæ quisque facit, diligit, protegit, &c. Ægyptios autem *Dei populum* appellat: *Beatus* autem *populus cujus Jehova Deus est*. At Israelitas *Dei hereditatem*, qui quasi quodam jure hereditario ad Deum pertinerent. Dum enim cætera amittuntur, æquo animo ferimus, modò hereditas intacta maneat. Bene autem Vulg. in hoc ultimo membro Vau pro Adversativa accepit; *hereditas autem mea Israel*. Nam inter Christianos, in quibus non est distinctio Judæi & Græci, ut scilicet hunc repellat quòd Græcus, illum eligat quòd Judæus, Discipuli Domini primum locum obtinent Deo dilectissimi, in quos primitias Spiritûs sui effudit, & principes esse voluit in Regno suo. Quamvis propter Christum Dominum, qui erat ex semine Abrahæ, populus ille & *benedictio* & *hereditas Domini* dictus sit.

DRUSIUS.

1. מַשָּׂא. A. Ἆρμα, *Onus*, sive *Pondus*. Sym. Th. Λῆμμα, *Assumptio*] Hier. *Quod nos interpretati sumus ONUS, vel PONDUS, ÆGYPTI, Aquila transtulit* Ἆρμα Αἰγύπτου. Ità legendum, non, ut in quibusdam libris, Ὅραμα, i. *Visio*: quæ interpretatio magis sensum exprimit, cùm Aquila ipsas etiam etymologias amet exprimere. Unde non est credibile ipsum vertisse Ὅραμα, sed potius Ἆρμα, i. *Onus*, vel *Pondus*. ¶ הִנֵּה יְהוָה רֹכֵב עַל־עָב קַל וּבָא מִצְרַיִם. Ἀκύλας, Ἰδοὺ Κύριος ἐπιβαίνει ἐπὶ πάχος ἐλαφρὸν, καὶ ἔρχεται ἐπ' Αἴγυπτον; *Ecce Dominus equitat super levi crassitie, & veniet in Ægyptum*] Ex lib. Ἀποδείξ. pag. 183. Citatur etiam ex parte in ed. Rom.

2. וְסִכְסַכְתִּי מִצְרַיִם בְּמִצְרַיִם. Aq. Καὶ στασιάσω Αἰγυπτίους Αἰγυπτίοις, *Et seditionem concitabo inter Ægyptios*. Sym. συμβαλῶ *committam*] Plenum est, *committam Ægyptios cum Ægyptiis*. Hier. *Et concurrere faciam Ægyptios adversùs Ægyptios*.

3. וְנָבְקָה רוּחַ־מִצְרַיִם בְּקִרְבּוֹ. Aq. Καὶ πλαδαρωθήσεται πνεῦμα Αἰγύπτου ἐν ἐγκάτῳ αὐτῆς, *Et flaccescet spiritus Ægypti in intestino ejus*. Sym. Καὶ ῥαγήσεται πνεῦμα Αἰγύπτου ἐν αὐτῇ, *Et dirumpetur spiritus Ægypti in ea*. Th. Καὶ σχισθήσεται πνεῦμα Αἰγύπτου ἐν αὐτῇ; *Et scindetur spiritus Ægypti in ea*] *In intestino*, i. in medio. Ἔγκατον autor Etymologici negat dici singulariter, ut ἔντερον dicimus: tamen Aquila usus est non hîc solum, sed etiam Psal. 64. 6. ¶ *Dirumpetur*] Ità Hier. ונבקה (ut hoc ἐν παρέργῳ notem) Grammatici deducunt à בקק, quorum sententiam secutus Santes vertit *evacuabitur*. Est autem anomalon & irregulare pro נִבְקְקָה, sicut נָסַבָּה dicimus pro נְסַבְּבָה in Niphal.

4. וּמֶלֶךְ עַז יִמְשָׁל־בָּם. Aq. καὶ βασιλεὺς κεκραταιωμένος βασιλεύσει αὐτῶν, *& Rex corroboratus regnabit super eos*. Sym. καὶ βασιλεὺς σκληρὸς ἐξουσιάσει αὐτῶν, *& Rex durus potestatem habebit in eos*. Th. *& Rex fortis dominabitur eis*] Βασιλεύσει αὐτῶν, qui Eusebii Centones Latinè transtulit vertit *regnabit super eos*. Cæterùm in libris Ἀποδείξ. pag. 185. reperio ἐξουσιάσει ἐν αὐτοῖς *potestatem habebit in eos*. ¶ Σκληρὸς, קשה. In Eusebii loco citato ἰσχυρὸς, quod magis probo. Interpres Centonum, *Rex durus*. ¶ *Rex fortis dominabitur eis*, βασιλεὺς ἰσχυρὸς κυριεύσει αὐτῶν. Græca invenies in ed. Rom.

5. וְנִשְּׁתוּ־מַיִם מֵהַיָּם. Aq. καὶ ἀναποθήσεται ὕδατα ἀπὸ θαλάσσης, *& resorbebuntur* [Interpres *desiderabuntur*] *aquæ à mari*. Sym. καὶ ἀφανισθήσεται *& auferetur* [Idem, *& evanescent*, sive *è conspectu removebitur*] Hier. *& arescet*. Sensum expressit.

15. כִּפָּה וְאַגְמוֹן. Aq. *incurvum atque perversum*. Sym. ἀρχὴν καὶ τέλος *principium & finem*. Th. κεπφὰ καὶ ἀγμὸν *cepha & agmon*] Hier. *Pro Principio & Fine, quod & Sym. & Lxx transtulerunt*, ἀρχὴν καὶ τέλος, *Theodotio more suo ipsa verba Ebraica posuit, CEPHA ET AGMON; quod Aquila interpretatus est INCURVUM ATQUE PERVERSUM*. Vide sequentia. *Ceppha & agmon*, i. interprete Pagnino, *ramus & juncus*.

18. עִיר הַהֶרֶס. Sym. πόλις ἡλίου, *civitas Solis*. Aq. Th. *Civitas Ars*, sive *Ares*] *Civitas Solis*. עיר החרס. Nam חרס inter nomina Solis, qui & שמש dicitur, & חמה, à *calore*. Apud Eusebium perperàm *Asedec* scriptum pro *Aheres*,

res, pag. 319. Idem ait, *Secundùm exactam dictionis significationem dictum est CIVITAS TERRÆ VOCABITUR UNA CIVITAS.* Confundit הרס cum ארץ voce *terram* significante. ¶ *Civitas Ars:* Hier. *Ex quibus una juxta Lxx appellatur* Ἀσεδὲκ, *juxta alios interpretes ARS* (malè *Ar* in editis à Plantino) *sive ARES, vel Civitas Solis.* Hieron. De locis, *ASEDEC, & hanc Esaias futuram in Ægypto vaticinatur. Sciendum autem quòd in Ebræo pro hoc nomine sit* חרס, *quod à* siccitate *quidam interpretantur in* Solem; *& alii in* testam *transferunt, volentes vel Heliopolim significari, vel Ostracinen.* Hæc ibi. Vide sequentia.

IDEM EX PROCOPIO.

1. הִנֵּה יְהוָה רֹכֵב עַל־עָב קַל. Aq. Ἰδὲ Κύριος ἐπιβαίνει ἐπὶ πάχυς ἐλαφρῦ, *Ecce DOMINUS equitat super crassitiem levem*] Nubem significat, quæ Ebraicè עב dicitur, à *crassitie* & *densitate*. Nam עב propriè *densus*: unde ענן עב *nubes densa*. Est igitur interpretamentum κατὰ πόδα, ut לבנה *alba*, & חמה *calor*; quorum altero Lunam innuit, altero Solem. ¶ וּלְבַב. Aq. Sym. Th. ἡ καρδία *cor*. ¶ יִמַּס. reliqui τακήσεται *tabe conficietur*.

2. וְסִכְסַכְתִּי מִצְרַיִם בְּמִצְרַיִם. Aq. Καὶ ϛασιάσω Αἰγυπτίους Αἰγυπτίοις. Sym. συμβαλῶ, *committam & factionibus contendere faciam Ægyptios cum Ægyptiis*] Στασιάσω lectio hæc marginalis in omnes partes melior est eâ quæ in textu ἠτήσω. Notabis ϛασιάζω pro *contendere facio*. Nam communiter sign. *contendo, certo*; item *seditiosè dissideo, seditionibus laboro*. ¶ וְאִישׁ. Aq. Sym. Th. καὶ ἀνήρ.

3. וְנָבְקָה. Sym. ῥαγήσεται *rumpetur*. Th. χρωθήσεται *discindetur*. Aq. πλαδαρωθήσεται *laxabitur*. Vide Fragmenta.

4. וְסִכַּרְתִּי. Aq. Sym. Th. καὶ παραδώσω *& tradam*.

5. וְנִשְּׁתוּ־מַיִם מֵהַיָּם. Aq. καὶ ἀναποθήσεται ὕδατα ἀπὸ θαλάσσης, *& absorbebuntur aquæ à mari*. Sym. ἀφανισθήσεται *exterminabuntur*.

9. פִּשְׁתִּים שְׂרִיקוֹת. Sym. τὸ λινὸν τὸ κτενιστὸν *linum pectinatum*.

10. שָׁתֹתֶיהָ מְדֻכָּאִים. Aq. αἱ ἀποθῆκαι αὐτῆς τεταπεινωμέναι, *horrea ejus humiliata*. Th. ταπεινὰ αὐτῆς τεταπεινωμένα *humilia ejus humiliata*. ¶ עֹשֵׂי. ἐργαζόμενοι *operantes*.

13. הִתְעוּ. Aq. Sym. Th. ἐπλάνησαν.

14. אֶת־מִצְרַיִם. Aq. Sym. Th. τὴν Αἴγυπτον. ¶ בְּכָל־מַעֲשֵׂהוּ. Iidem, ἐν πᾶσι τοῖς ἔργοις αὐτῆς *in omnibus operibus ejus*] An legerunt מעשה?

17. יְהוָה צְבָאוֹת. Κύριος σαβαώθ.

18. וְנִשְׁבָּעוֹת. Aq. Sym. Th. καὶ ὀμνύοντες *& jurantes*. ¶ עִיר הַהֶרֶס. Sym. πόλις Ἡλίου, *civitas Solis*. Aq. πόλις Ἄρες. Sic etiam Theodotio] Nam leg. Θ. Ἄρες, non Θάρες.

20. מוֹשִׁיעַ. Aq. Sym. Th. σωτῆρα *Servatorem*. ὅπερ ἑρμηνεύεται ἸΗΣΟΥΣ, *quod interpretatur* JESUS.

21. זֶבַח. Sym. θυσίαν. Aq. θυσίᾳ. ¶ וּמִנְחָה. Aq. καὶ δώρῳ *& dono*.

22. נָגֹף וְרָפוֹא. Th. θραύσει καὶ ἰάσει *franget & sanabit*.

24. וְאַשּׁוּר. Οἱ λοιποί, καὶ Ἀσσύρ.

GROTIUS.

1. ONus *Ægypti*] Vaticinium hoc ad eadem ferme tempora pertinet ad quæ priora. Nam, ut ex Herodoti Euterpe discimus, Sennacheribo Assyriorum Regi coævus fuit Sethon Vulcani Sacerdos Rex Ægypti: nam & bellum Sethoni intulit Sennacheribus. Sethone mortuo divisa est Ægyptus in Reges duodecim, quorum fuit Psammitichus; is in paludes ab Ægyptiis relegatus, collectâ factione, & Jonum ac Carum, qui mare infestum habuerant, ope adjutus, undecim Reges alios vicit atque interfecit. Huic autem in regnum successit is Nechos qui Josiæ bellum fecit, memorantibus Paralipomenis & Zachariâ.

Ascendet super nubem levem] Domini *descensus* alibi beneficia, sæpe, ut hîc, judicia Dei significat.

Commovebuntur simulacra Ægypti] Numina Ægyptiis culta eo tempore erant Vulcanus, Latona, Osiris, Isis, Orus, Bubastis, Apis, ut ex Herodoto discimus. Illis omnibus, inquit Propheta, nulla vis erit ad tutandam Ægyptum contra Dei judicia.

2. *Concurrere faciam Ægyptios adversus Ægyptios*] Bello illo Psammitichi.

Regnum adversus regnum] Id est, ut Græci rectè interpretantur, νόμος ἐπὶ νόμον [*Præfectura in Præfecturam*].

3. *Et dirumpetur spiritus Ægypti in visceribus ejus*] In Hebræo est, *deficiet*: nihil illis erit animi, ac propterea (ut sequitur) consilii erunt inopes.

4. *Et rex fortis dominabitur eorum*] Psammitichus.

5. *Et arescet aqua de mari*] Hæc omnia sunt figurata. Res ità se habebit, quasi nulla esset aqua in mari, quia commercia deficient per piratas illos Caras & Jonas. Ità Herodotus. Strabo Jonas interpretatur Milesios, à quibus conditum ait murum Milesiorum, Naucratim & Schediam Psammitichi temporibus.

Et fluvius desolabitur atque siccabitur] Omnes Nili partes aliáque flumina minora navigari desinent.

6. *Et deficient flumina*] Hîc in verbo Hebræo והאזניחו abundat Aleph.

Calamus & juncus marescent] Inutiles erunt arundines & papyri, unde naves strui solebant. Vide quæ suprà XVIII. 1.

11. *Stulti principes Taneos*] Urbs erat hæc Ægypti antiquissima, Num. XIII. 23. quomodo ex צען factum sit Τάνις diximus ad Matth. I. 21.

Quomodo dicetis Pharaoni] Illi Regi qui Taniticum Nomum tenebat.

Filius regum antiquorum] Multi enim sacerdotes Ægyptii ad Reges antiquos genus suum referebant.

13. *Emarcuerunt principes Mempheos*] Est hîc in Hebræo נף, sed rectiùs scribitur Oseæ IX. 6. מף [*Moph*]. Sic mons ei adsitus Μῶφι [*Mophi*] Herodoto, Euterpe. Frequens autem illis gentibus in media voce נ interponere, quam sequente consonâ Græci in μ vertunt. ita ex מף facta Μέμφις.

Deceperunt Ægyptum, angulum populorum ejus] Pro Patach putem hîc fuisse Holem, פנת שבטיה, id est, *eximii tribuum*, ut Jud. XX. 2. Ergò פנה idem quod שרי [*principes*].

14. *Dominus miscuit in medio ejus spiritum vertiginis*] Nempe ut undecim illi Reges nihil in commune consulerent, sed dum pugnant singuli, vincerentur universi.

15. *Et non erit Ægypto opus quod faciat caput & caudam incurvantem & refrænantem*] Verte: *Non erit in Ægypto officium quod faciant caput aut cauda, ramus aut juncus.* Nemo officium faciet, non Senator, non sacerdos, non senex, non juvenis. Idem loquendi genus habuimus & explicavimus IX. 14.

17. *Et erit terra Juda Ægypto in pavorem*] Cùm intelligent quomodo Judæam invaserit Sennacheribus, Ægyptii quoque sibi metuent.

18. *In die illa erunt quinque civitates in terra Ægypti loquentes linguâ Canaan*] Id est, Hebræâ, quam Abrahamus, Isaacus, & Jacobus addidicerant, dum in Cananæa vivebant. Eadem lingua Phœnissa, sive Cananæa & Hebræa, aut certè paululùm diversa. Vide quæ ex Chœrilo, Plauto, Luciano attulimus ad librum primum de Veritate Religionis Christianæ, ubi de literis agimus. Cùm Sennacheribus Judæam primùm invasit, Psammiticho, ut videtur, per Ægyptum regnante, multi Judæi se recepêre in Ægyptum. Apparet id suprà XI. 14. 15. atque ibi verum Deum, ut oportet, colentes, multis Ægyptiis exemplum dedêre, derelictis idolis, eundem Deum colendi, quod per Dei misericordiam toti Ægypto saluti fuit. Josephus hæc refert ad tempora mille annis posteriora hoc vaticinio; sed contextus totus ostendit hoc ad eadem tempora, de quibus egit hactenus, referendum. Latet autem in hoc vaticinio per sensum sublimiorem vocatio Gentium per Euangelium.

Et jurantes per Dominum exercituum] Ità ut lex præcipit Exodi XXIII. 13. Deuteron. VI. 13. X. 20.

Civitas Solis vocabitur una] *Heliopolis* Græcis. Urbs antiqua. vide Josephum Originum 11. 3. Hoc dicit, etiam in ipsa urbe, quæ præcipua idololatriæ sedes jampridem erat, Judæos victuros ex suis legibus.

19. *In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti*] Nempe ad memoriam, non ad sacrificia. Confer Josuæ XXII. 22. 23. 24. 25. 26.

Et titulus Domini juxta terminum ejus] Columnæ in quibus inscriptum erit nomen Dei.

20. *Clamabunt enim ad Dominum in facie tribulantis*] Judæi ad Deum clamabunt, dum terram eorum insidebit Sennacheribus.

Et mittet eis salvatorem ac propugnatorem qui liberet eos] Angelum, qui Sennacheribi exercitum confecit.

21. *Et cognoscetur Dominus ab Ægypto*] Tanto miraculo multi Ægyptiorum ad Deum verum se convertent.

Et colent eum in hostiis & muneribus] Ità ut Syrus Naaman 2 Reg. V. 17.

22. *Et percutiet Dominus Ægyptum plagâ, & sanabit eam*] Hebræa locutio, pro quo dicere liceat: *Et sanabit Dominus Ægyptum à plaga quâ eam percusserat*, id est, à bellis civilibus.

23. *In die illa erit via de Ægypto in Assyrios, & intrabit Assyrius Ægyptum, & Ægyptius in Assyrios*] Id est, Psammiticho jam plenè regnante alta pax erit, & commercia inter Assyrios & Ægyptios qui diu hostes inter se fuerant.

Et servient Ægyptii Assur] Id est, comiter majestatem Regis Assyrii observabunt.

24. *In die illa erit Israel tertius Ægyptio & Assyrio*] Id est, utrique erit fœderatus. id duravit per tempora Ezechiæ, 2 Reg. xx. 19.

Benedictio in medio terræ] Pax & felicitas incorrupta.

25. *Benedictus populus meus Ægypti*] *Populus meus* dicit propter multos pios qui tunc in Ægypto fuêre.

Et opus manuum mearum Assyria] Imò *Assyrius*; quo, inquit, ego utor ut volo, sicut figulus opere figulino.

Hereditas autem mea Israel] Populus mihi peculiaris.

CAP. XX.

MUNSTERUS.

1. *SArgon*] Hic fuit Sanherib, qui multa secundùm Hebræos habuit nomina.

2. *Solve saccum*] Portabat enim in lumbis suis cilicium ob captivitatem X Tribuum. Sunt tamen qui putant hæc in visione imaginaria gesta, & quòd Propheta non tribus annis discalceatus incesserit; sicut nec ad literam intelligendum est quòd *Hosea accesserit ad mulierem fornicariam, & ab ea sustulerit prolem*, aut quòd *Jehezkel comederit panem in stercore bovino decoctum.*

5. *Quò respiciunt*] Est מבט dominativum à verbo נבט, capiturque hîc pro *confidentia*, sicut & Chald. vertit רוחצנא. Kimhi exponit השגחה *providentiam* sive *respectum*. Et idem intelligit per *insulam* terram Israel, quòd mari alluatur. Vel intelligitur per *insulam* Jerusalem, quæ sola superfuit in mari Assyriaci exercitûs, qui omnia inundavit.

VATABLUS.

1. *SArgon* סרגון] Hebræi interpretantur *Sennacherib*.

3. *Trium annorum signum* שלש שנים אות] *Ad tres annos in signum.* Quidam præcedentibus hæc conjungunt, tametsi Hebraica distinctio Athnah adversetur, *discalceatus tribus annis*, in *signum*, &c.

4. *Et transmigrationem Æthiopicam* ואת גלות כוש] i. Æthiopas captivos. *Captivitas* pro *captivis*, & *transmigratio* pro *abactis in exsilium* ponitur. ¶ *Nudum & discalceatum* ערום ויחף] *Nudam & discalceatam.* Refert *captivitatem.* ¶ *Et discoopertos natibus* וחשופי שת] Aut *nudatos natibus*, i. scissis vestibus usque ad nates. De hac ignominia vide 2 Sam. 10. 4. ¶ *Turpitudine Ægypti* ערות מצרים] Appositivè dictum, ut videantur nates & pudenda, quæ sunt ignominia & confusio. q. d. Abducet captivos Ægyptios ità accisis vestibus eorum ut pudenda ostentent.

5. *Et confringentur* וחתו] Sub. *Israelitæ*: i. erunt animo fracto ubi viderint Ægyptios, de quorum auxilio gloriabantur, sic affligi. Quidam vertunt, *Tunc timebunt.* Alii, *Tunc perterrefient.* ¶ *Ab Æthiopia aspectu suo* מכוש מבטם] *Propter Æthiopiam aspectum suum*, i. spem suam: q. d. Tunc Israelitæ frustrabuntur spe sua quam conceperant de Æthiopibus & Ægyptiis, à quibus sperabant opem & auxilium contra Assyrios, de quo & gloriabantur. *Aspectum* autem dicit pro *spe*, quòd conjicere soleamus oculos in eos à quibus exspectamus opem. Seipsum declarat v. seq.

6. *Insulæ* האי] *Insulam* vocat Judæam quòd ab Occasu mari Mediterraneo, à Meridie mari Genesareth cingatur. ¶ *Ecce sic* הנה כה] *Siccine*, sub. *est*, vel *habet*. Aut, *Siccine*, sub. *afflicta est.* Quidam vertunt, *Ecce talis est aspectus noster*, &c. ¶ *Evademus nos* נמלט אנחנו] *Eripiemur nos?* Alii, *evaderemus nos?*

CASTALIO.

6. *ITA tum dicent istius habitatores insulæ*] Judææ. ¶ *Cum ejusmodi sit nostra spes*] Ægyptus.

CLARIUS.

1. *SArgon*] Hic fuit Sennacherib, qui multa secundùm Hebræos habuit nomina.

2. *Solve saccum*] Portabat enim in lumbis suis cilicium ob captivitatem X Tribuum. Sunt tamen qui putent hæc in visione imaginaria gesta, & quod Propheta non tribus annis discalceatus incesserit: sicut nec ad literam intelligendum quòd *Osea accesserit ad mulierem fornicariam, & ab ea sustulerit prolem*, aut quòd *Ezechiel comederit panem in stercore bovino coctum.*

3. *Trium annorum signum*] Intellige quòd post triennium hoc futurum prædixerat, fortasse enim ter sic incesserat.

5. *Spe suâ*] Quod alius vertit *respectu suo*, h. e. confidentiâ; ut sit Appositio. Alius tamen legit *aspectus eorum.*

6. *Habitator insulæ*] Terra Israel *insula* dicitur quòd mari alluatur. Est enim qui malit legi *habitator regionis hujus*, h. e. Judææ.

FORERIUS.

1. *JUxta Vulg.* Interpretem sensus prioris versûs suspensus est usque ad secundum, quasi nihil aliud faciat quàm tempus describere quo facta fuerit hæc revelatio. Potest tamen juxta Hebraismum perfecta esse sententia in primo versu, quasi significet Propheta *eodem ipso anno quo* dux ille *Assyrius venit ut oppugnaret Azotum, eam oppugnasse ac cepisse.* Nam de hac loquendi forma apud Hebræos eleganti; quâ præterita videntur à nomine regi, sequente alio verbo cum Vau, jam suprà 6. 1. dictum est. *Azotum* fortissimum fuisse oppidum Palæstinorum aiunt, ejúsque expugnationem difficilem, necessariam tamen volentibus Ægyptum debellare. Erat enim in ultimis Palæstinæ finibus Ægyptum versùs, prope mare. Quanquam verò Gaza & Ascalon magis propinquæ erant, captâ tamen Azoto nihil supererat impedimenti ad alias capiendas. Hinc sumptâ occasione super Ægyptum factus est sermo Domini ad Jesaiam. Azotum vocabant olim Hebræi *Asdod*: postea *Azotus* dicta est à Græcis; ζ enim valet σ & δ.

2. *In manu Isaiæ*] Interpretantur plerique viri docti *per manum*, quòd Jesaias fuerit velut instrumentum Dei. ¶ *Vade, & solve*] i. Abiens solve: nam Hebræi *aperiri* dicunt quod Latini *solvere* aut *exuere*. ¶ *Saccum*] Vox communis est ferè omnibus linguis. Fiebat verò ex pilis hircorum, & usurpabatur in luctu. Videtur autem hæc vestis fuisse Prophetis peculiaris, super quam alias vestes superinduebant: nè qui cæteros ad pœnitentiam exhortabantur, delicatè vivere viderentur. ¶ Porrò Hebræis non semper *nudi* dicuntur qui nihil omnio vestium deferunt, sed etiam qui summas vestes deponunt; ut quando David saltavit coram Arca Domini. Si quis ergò interiores vestes exueret, & pallio tantùm amictus incederet, *nudus* diceretur *incedere*: atque ità existimo *Jesaiam nudum ambulasse*, cui apparerent *denudata crura*, & *excalceati pedes.*

3. *Trium annorum signum*] *Tres annos*: ut sit sensus; *Quemadmodum servus meus tres annos ambulavit nudus & discalceatus, signum & portentum super Ægyptum, sic*, &c. Sed nónne admiratione dignissimum est, quòd Propheta vir nobilis Jesaias ità ignominiosè incesserit in hoc tantùm ut signum esset captivitatis Ægypti? Non enim illis assentior qui hoc in visione tantùm fuisse contendunt. Quo pacto, quæso, signum fuisset si nullatenus videbatur? Et quidem de aliis signis suis in locis quid sentiam explicabo; de hoc autem quod præ manibus habeo aliud mihi persuadere non possum quàm quod suprà dixi. Sed quid miramur, si pro salute hominum nudus pependit in cruce Dei Filius? Profectò infidelibus nihil non necessarium est. Itaque ut à cordibus Israelitarum inanem fiduciam quam in Ægyptum & in Æthiopiam habebant exstirparet Dominus, & in Deum fiduciam eorum mentibus insereret, nudus incedit Jesaias, Domini præcepto; qui servis utitur ad gloriam suam, quâ ipsi nihil antiquius habent; neque quidquam vehementiùs expetunt quàm ut *glorificetur Deus in suis ipsorum corporibus, sive per mortem, sive per vitam.*

4. *Juvenem & senem*] Hebræis pluralia sunt; *nudum* autem & *discalceatum* singularia: sed hoc ad sensum parùm facit, qui facilis est; ideo eosdem numeros servavi. ¶ *Discoopertis natibus*] Nonnihil Hyperboles in his verbis suspicor inesse: nam & nos, cùm quispiam seminudus incedit, sic loquimur. ¶ *Ignominiam Ægypti*] Nomen ערוה propriè *nuditatem* sig. sed quia nuditas turpis est & dedecorosa, maximè in partibus verendis, hinc Hebræis pro ipsis accipitur, Exod. 20. 26. & 28. 42. &c. hinc etiam ad alias res turpes & fœdas transfertur, quarum nos pudet, & quas tectas esse volumus, ut sunt *infirmiora terræ*, &c. Gen. 42. *Nuditatem terræ*, &c. Quare non malè Vulg. *ignominiam* dixit, quod appositivè dictum est. Ubi sub nomine *Ægypti* Æthiopiam quoque comprehendit.

5. *Spe suâ*] *Spe suâ* & *gloriâ suâ* Appositiones sunt. Qui מבט *respectum* interpretantur (quod Vulg. *spem* vertit) usum Hebræi sermonis non bene tenent. Quamvis enim verbum

נבט (unde derivatur hoc nomen) *respicere* significet, ut suprà jam diximus, cùm etiam gestum notet, nomen ipsum ad mentem refertur, & *respectum* sign. *quem quis cum fiducia habet ad personam seu rem aliquam, ut ab ea adjuvetur:* quare *spem* aut *fiduciam* dicere possumus. Neque putavit Hieronymus esse נבט, ut quidam falsò putavit: sed ut peritus linguæ sensum penetravit, & reddidit. ¶ *Ab Æthiopia*] Vel *propter:* id enim interdum sign. מן.

6. *Insulæ*] Cùm exercitus Assyriorum terram illam velut mare vel flumen inundaret, (ut suprà non uno loco Propheta hâc eâdem Metaphorâ Fluminum & Inundationis significavit) & Jerusalem tantùm remaneret, quam non cepit, neque ingressus est, meritò *insulam* vocavit. Non est ergò cur propter hunc locum dicant Hebræi & nonnulli ex nostris אי *provinciam* quoque significare. Nam & Judæi per *Sargon* Sennacherib intelligunt. De aliis vocibus jam suprà dictum est. Hic vides quorsum tenderet captivitas ignominiosa Ægyptiorum & portentum illud Jesaiæ, Ne videlicet ponerent carnem brachium suum, sed in Domino Deo fiderent, ut fecit Ezechias prædicatione Jesaiæ, sicut infrà videbimus.

LUCAS BRUG.

4. SIc *minabit rex Assyriorum captivitatem Ægypti & transmigrationem Æthiopiæ, juvenem & senem, nudam & discalceatam.*] Perperàm scripserunt quidam *Babyloniæ* pro *Æthiopiæ.* Porrò quod sequitur, rectiùs id nonnulli *juvenum & senum* scripsere, quàm ut plerique, *juvenem & senem.* Primùm enim sunt concorditer Hebræis, Græcis & Chaldæis pluralis numeri nomina. Tum veriora Latinorum exemplaria *juvenum & senum* legunt, pluralis numeri secundo casu: id quod Epanorthotes quidem ex suis, nos ex nostris codicibus (Brug. Leod. Lob. O, P, A.) animadvertimus, quibus adstipulatur Hieronymi commentariis & quinti & septimi libri junctus textus. Quia vero illud in *juvenem & senem* mutatum fuit, hâc occasione & quod subsequitur, *nudam & discalceatam,* cum *nudum & discalceatum* est mutatum: sic enim, masculino inquam genere, habent unus Hentenii, duo nostri (Q. V.) & quatuor Parisiensium (Vet. Di. l. Ge. o. p. V.) codices. Cæterùm pleraque antigrapha, & quidem quæcunque *juvenum & senum* scribunt, *nudam & discalceatam* feminino genere retinent, quod ad *transmigrationem* & *captivitatem* referendum est. Atqui videntur eò Hebræa referri non posse. Nam ערום יחף masculini sunt generis; גלות verò quod proximè antecedit, feminini. Hinc vertunt plerique hodie, quod per se ponatur, *nudum & discalceatum.* Verùm non per se id posuisse Propheta videtur, quasi significarit inter eos qui ex Ægypto atque Æthiopia captivi ducendi essent, nudos quosdam & discalceatos fore: sed toti Ægyptiorum atque Æthiopum captæ multitudini attribuisse, *nudam & discalceatam* ab Assyriis abduci. Porrò autem adjectivum & substantivum non semper Hebræis genere conveniunt. Cæterùm etsi גלות, quod *transmigrationem* denotat, feminei generis sit, שבי, quod *captivitatem* significat, masculei est: quare Hebraicus Scholiastes *nudam & discalceatam* vertit, *& refert,* inquit, *captivitatem.* Chaldæus & Græci interpretes sensum magis quàm verba secuti transtulerunt, *Juvenes & senes nudos & discalceatos.*

DRUSIUS EX PROCOPIO.

1. תרתן. Θαρθὰν *Thartan*] In Vulgata Θαναθὰν legitur pro Θαραθὰν, *Tharathan,* quod se tuetur ex antiquitate. תרתן *Tharathan,* ut סרגון *Saragon.* ¶ סרגון. Aq. Th. Σαραγὼν *Saragon.* Sym. Σαργὼν *Sargon.*

2. נעלך. Aq. τὰ ὑποδήματά σου *calceos tuos.* Sic etiam Sym. Priùs erat τὰ σανδάλιά σου *sandalia,* sive *calceamenta, tua.* Gen. 14. 23. נעל ὑπόδημα. Hieron. *caliga.* Jonathan & autor Jerosolymitanæ סנדלא. Onkelos סנדל, i. *calceum.* ὑποδήματα propriè *soleæ quibus plantæ pedis duntaxat obteguntur.* Vide Gell. lib. 13. c. 20. *Vincula pedum* vocantur à Poetis. ¶ ויעש. Aq. καὶ ἐποίησε *& fecit.*

5. ובשו מכוש מבטם. Th. καὶ αἰσχυνθήσονται ἀπὸ Αἰθιοπίας ἐλπίδος αὐτῶν, *& pudefient ab Æthiopia spe sua.*

6. ביום ההוא. Aq. Sym. Th. ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ *in die illa.*

GROTIUS.

1. IN *anno quo ingressus est Tharthan*] Hic idem est qui nominatur 2 Reg. XVIII. 17. Hunc ante se præmiserat Sennacherib.

Cùm misisset eum Sargon rex Assyriorum] Idem qui Sennacherib. Solebant enim Reges illi plura habere nomina, quod multas tenebras offudit Historiæ.

Et pugnasset contra Azotum & cepisset eam] Ut quæ ditionis esset Ezechiæ, 2 Reg. XVIII. 8.

2. *Solve saccum de lumbis tuis*] Villosam vestem propheticam. Vide quæ ad Matth. III. 4.

Nudus] Interulâ indutus. Vide Marci XIV. 52. Joh. XXI. 7. Solebant autem taliter se habere qui captivi abducebantur, detractâ per victores veste meliore.

3. *Trium annorum signum erit*] Id est, eventurum post annos tres. Tantum igitur temporis duravit bellum Æthiopum in Assyrios.

4. *Sic minabit rex Assyriorum captivitatem Ægypti*] Ægyptiorum qui Æthiopi se adjunxerint. *Rex Assyriorum* est Asarhaddon Sennacheribi filius.

Et transmigrationem Æthiopiæ] Æthiopes qui sub Tharaca in Assyriam usque venerant. Vide suprà XVIII.

Discoopertis natibus] Vide 2 Samuel. x. 4. & suprà III. 17.

6. *Et dicet habitator insulæ hujus*] Id est, oræ maritimæ Philisthinorum in qua Azotus. Vide Ptolemæum. Oras autem maritimas ab Hebræis *insulas* vocari annotatum jam aliquoties.

Ad quos confugimus] Qui sunt illi in quibus cùm obsideremur spem nostram collocaveramus?

Et quomodo effugere poterimus nos?] Meliùs, *Quomodò fieri poterat ut nos evaderemus?* Ezechias liberatus est, quia in Deo spem suam collocaverat. Philisthini non sunt liberati, quia opi humanæ confisi fuerant, quam perquam inanem experti sunt.

C A P. XXI.

MUNSTERUS.

GRavissimè invehitur Propheta in hoc capite contra Babylonios, quòd vastaverint etiam reliquias populi Judæ & Templum, id quod Assyrii nunquam fecerant. Dicitur proinde Babylon *mare,* sicut Jerusalem *insula* dicitur. Sic *desertum,* officio & opere, quòd faciat deserta. Dicitur *mare:* Sicut enim mare accipit multa flumina, sic Babylon multa Regna. Sunt ergò tropi.

2. *Omnem gemitum ejus*] Babylonia, inquit, quæ multas gentes afflixit & ad gemitum provocavit, quæ devastavit regiones, & injuriam fecit quibusque vicinis nationibus, tantâ hostium premetur tempestate ut in modum parturientis passura sit dolores & angustias, &c.

4. *Noctem desiderii mei*] Loquitur Propheta in persona Belsazer Regis Babyloniorum, qui cùm solennem instituisset noctem & vino æstuaret, subitò irrumpentes Medi & Persæ ceperunt Urbem, & conversum est omne gaudium in luctum.

6. *Vade & constitue*] Sic, inquit Propheta, dicturi sunt Principes Babyloniæ ad alterutrum, cùm imminuerit vox illa, (ut *mihi Dominus revelavit*) *Vade & constitue speculatorem,* &c. Et subditur quid viderint speculatores, nempe *exercitum cum curribus, equitibus, & asinis & camelis* oneratis.

7. *Advertit advertendo,* &c.] Heb. *advertit advertentiâ, multâ advertentiâ:* h. e. advertit speculator undiquaque. Et videns exercitum hostium, *clamavit, Leo,* scilicet, *devorans adest,* &c.

10. *Tritura mea* (scilicet *facta est Babylonia*) *& filius areæ*] i. Conquassabitur ab hostibus sicut triticum in horreo. Sunt autem verba ista Dei.

11. *Onus Dumæ*] Hic Duma, à quo Dumitæ descenderunt, fuit filius Ismael. Prophetatúrque contra eum malum *de Seir* venturum. Cujus *custodes* cùm interrogarentur num superventura *nox* aliquid mali paritura esset, illi *responderunt, Succedet mane post noctem,* atque ideo si per noctem nihil mali incidit, sequenti die incidere potest. Est autem Prophetia perquam obscura, idque propter brevitatem verborum. Ea verò Prophetia quæ mox huic de filiis *Kedar,* qui sunt *Arabes,* subjicitur, est paulò clarior, nisi quòd hæc verba, *in occursum tulerunt aquam sitienti,* sunt ironicè intelligenda. Non enim fuerunt hospitales in profugos.

VATABLUS.

1. PRophetia משא] Vide suprà 13. 1. ¶ *Deserti maris* מדבר ים] Sic vocat Babylonem, quòd magnum ac vastum desertum, & quidem Australe, sive ad Austrum, intercedebat

cedebat. Mediam & Babylonem. ¶ *In Austro*, &c. [כנגב לחלוף] *In deserto ad prætereundum*: i. ut citissimè discurrunt ac feruntur turbines per desertum, ità tanto impetu oppugnaturus est hostis Babylonem. Copias militares comparat turbinibus, & quidem deserti. Etenim flatus ventorum vehementior est in deserto quàm in aliis locis, quòd illic nihil habeat quod remoretur ipsum. Alii vertunt, *Sicut tempestates in Meridie* excitatæ *quæ transeunt* ut veniant *à deserto, terrâ horribili*. Alii, *Sicut turbines in Australi regione, transitura à deserto*, &c. Alii, *Non aliter quàm cùm procella ab Africo lata à deserto terrâ horribili advenit.* ¶ Ità *è deserto venit* [ממדבר בא] *E deserto venturus est*, sub. *hostis*. *Desertum* vocat quod inter jacebat inter Mediam & Babylonem.

2. *Prævaricatori*, &c. [הבוגד בוגד וגו'] i. Qui in alios prævaricari solebat, prævaricator veniet contra eum: & injuria inferetur ei qui injuriam intulit. Alii, *Transgressor transgressori, & vastator vastatori*. Alii, *Prævaricator prævaricatorem, & vastatorem vastatorem*, sub. *inveniet*. Alii, Veniat *prævaricator* contra *prævaricatorem, & devastator* contra *devastatorem*. Quidam vertunt per verbum, *Qui prævaricatur, prævaricabitur* alius in eum; *& qui vastat, vastabitur* ab alio. ¶ *Elam* [עילם] Persidis pars pro *Persia* ponitur. Sunt autem voces hæ summi Dei Imperatoris ad milites suos, quos contra Babylonios excitat. ¶ *Gemitum ejus* [אנחתה] Sub. *Babylonis*: habet enim significationem agentem. q. d. Chaldæa illa, quæ alios gemere cogebat propter illatam injuriam, id desinet facere posthac. Quidam cod. non habent Mappic in ה, notam pronominis feminei: quod & annotant Hebræi.

3. *Lumbi mei* [מתני] Induit Propheta personam hominis Babylonii. q. d. *Dicere poterit quilibet Babylonius.* ¶ *Angustiæ* [צירים] *Dolores, tormina.* ¶ *Incurvavi me*, &c. [נעויתי וגו'] *Contorsi me ab audiendo, conturbatus sum à videndo*: i. distorsi corpus meum propterea quòd, aut cùm, audirem tam dura & infelicia; conturbatus sum cùm viderem tantam calamitatem evenire. Quidam, *incurvatus sum audiendo, & videndo obstupui*. Alii, *distorsi me nè audirem, conturbatus sum nè viderem*; i. averti non tantùm faciem sed & totum corpus nè audirem: adeò perturbatus sum ut nè videre quidem possim.

4. *Erravit cor meum* [תעה לבבי] *Concussum est cor meum*: i. factus sum mentis emotæ sive mens mea non constitit sibi. ¶ *Noctem*, &c. [נשף חשקי וגו'] *Crepusculum desiderii mei posuit mihi* Deus *in timorem*: i. noctem à me desideratam convertit in noctem terrificam. q. d. Eâ nocte quam antea concupieram plurimùm videre, cœpi timere maximè. In hunc locum sic doctus inter Hebræos, *Loquitur Propheta in persona Balsasar, qui noctu magnum fecit convivium: quæ nox fuit ei amabilis, quòd confirmatus esset Rex, & ob id cum servis lætabatur. Posuit autem illi Dominus noctem illam in pavorem, quando scripsit manus in pariete palatii: tunc admodum expavit*: ut in Daniele, c. 5. scriptum est.

5. *Dispone*, &c. [ערך וגו'] Imperativa sunt pro præt. imperfectis, aut plusquam perf. & sing. pro plur. *Disposuerant mensam, & speculatus est* speculator *è specula: comedebant & bibebant. Surgite*, &c. i. Cùm jam instruxissent mensam regiam, dixerunt speculatori ut in speculam ascenderet, specularetùrque an advenirent hostes. Antequam autem absolutum esset convivium, renunciavit speculator adesse hostes, & dixit, *Surgite*. Verti potest, *speculare*, quod est *speculandum*: formidabant enim Medos atque Persas.

7. *Et vidit currum*, &c. [וראה רכב] Concisa est oratio, pro *Et statim renunciavit mihi se videre currus in quorum singulis duo milites armati vehebantur.* Quidam vertunt, *Et vidit currum* quem *par equitum* conscendit. ¶ *Et attendit*, &c. [והקשיב וגו'] Sic loquuntur Hebræi cùm diligentissimam & attentissimam attentionem significant, aut quid aliud summâ curâ factum: verbo suum verbale conjungunt etiam repetitum, ut hìc vides. Quidam per futurum convertunt, *Et contemplabitur contemplatione* [i. multum contemplans] *multus attentione*.

8. *Et clamavit*, &c. [ויקרא אריה וגו'] *Tum clamavit*, [vel, *Et clamabat*] *Leo* est *super speculam*: q. d. *Speculator clamavit, Video Leonem stantem in loco eminenti, & aspicit ut prædam capiat*, i. Darius Medorum Rex paratus est oppugnare Babylonem: Dan. 5. 31. Quidam vertunt & distinguunt, *Tunc clamavit Leo, In specula, Domine mi*, &c. ¶ *Domine*, &c. [אדני וגו'] Quidam admonent hæc legenda esse per Parenthesim usque ad medium seq. versûs.

9. *Et ecce*. [והנה] Dum scilicet hæc diceret. ¶ *Currus uniuscujusque* &c. [רכב איש וגו'] *Currus virorum*, currus, inquam, *paris equitum*. Alii, *currus hominum cum duobus equitibus*: q. d. non currus ferentes impedimenta, sed currus bellicos. ¶ *Contrivit* [שבר] *Confregit*, sub. *Deus*, vel *Persa*, sive *Medus*, aut *is qui confringit*.

10. *Et filius areæ meæ* [ובן גרני] Hebraismus, pro *frumento*, sive *palea quæ atteritur in area*. Verba Prophetæ in Dei persona: q. d. Babylon conteretur à me quemadmodum triturari solet seges & palea in area. ¶ *Quæ audivi*, &c. [אשר שמעתי] q. d. Hæc prophetia est verissima, nempe quæ à Deo est.

11. *Prophetia Dumah* [משא דומה] *Onus Dumah*. Vide cap. 31. 1. Dumah, urbs Ismaelitarum, quæ fuit destructa ab incolis Seir. Vide nomina Hebræa. ¶ *Ad me clamat è Seir* [אלי קורא משעיר] Sub. *quispiam*. Alii distinguunt, *Ad me clamat, Ex Seir*: q. d. Videor mihi audire vocem Dei aut Angeli, dicentis, De Seir venient propediem qui perdent ac destruent Dumah. ¶ *Custos*, &c. [שומר וגו'] i. *Quid accidit ex quo nox est?* Qui habitant, inquit, timebunt maximè, surgéntque nocte, & interrogabunt vigiles, ac dicent, *Custos*, &c.

12. *Dixit* [אמר] Præt. Heb. pro fut. *dicet*. ¶ Venit [אתה] Præt. pro fut. *Veniet manè*, ut quidam vertunt: i. idem interrogabitis cras manè, & cùm supervenerit nox, & tamen nihil proficietis. ¶ *Quæritis, quærite* [תבעיון בעיו] *Interrogaveritis, interrogate*. q. d. Facimus vobis potestatem frequenter inculcandi hanc interrogationem: interrogate quantum voletis: nihil tamen proficietis. Gallicè dicimus, *Demandez tant que vous voudrez, vous n'aurez autre chose.* ¶ *Venite* [אתיו] Sub. *ut iterum quæratis*.

13. *Prophetia in Arab* [משא בערב] *Onus super Arab*, sive *Arabiam*: ut sit ב loco על. Alii, *Onus de Arab*, i. de destructione Arabiæ. ¶ *Morabimini* [תלינו] *Pernoctabitis*, i. pernoctare cogemini. ¶ *O semitæ* [אורחות] Hìc *semitæ* pro *iis qui faciunt iter* accipiuntur: q. d. O viatores Dedanitæ (solebant enim frequenter ire in Arabiam) qui antea solebatis pernoctare in tentoriis Arabum, posthac nulla invenietis, quoniam Arabia erit destructa.

14. *Sitienti venite aqua* [לקראת צמא התיו מים] i. Excipite Arabes fugientes siti confectos, alioqui perituros. Sing. pro plur. *sitientium*. Alii, *sitienti ferte aquam*. Alii, *sitienti tulerunt aquam*. ¶ *Cum pane ejus*, &c. [בלחמו קדמו נודד] Sing. Heb. pro plur. & præt. pro fut. & iterum futurum vice deprecationis, *Pane eorum excipiant fugientes*, aut *præveniant*: q. d. Afferant escas illis necessarias & quibus opus habent. Quidam, *pane suo succurrite profugo*.

15. ¶ *A facie enim*, &c. [כי מפני וגו'] Præt. pro fut. *Et à facie*, pro *propter*; Hebraismus frequens. Quidam hæc sic convertunt, *Propter gladios profugi facti sunt, propter gladium extentum*. Alii, *A facie gladiorum fugient, à facie ensis evaginati*, vel, *politi & tersi*, sive *splendentis*.

16. *In termino anni* [כעוד שנה] *In fine anni*: i. exacto anno uno simili annis mercenarii, h. e. integro & perfecto. Nam anni mercenarii sunt præcisi, neque redundantes neque diminuti. A die Prophetiæ hujus usque ad destructionem Arabiæ fuit unicus annus, integris suis diebus constans. Quidam, *Adhuc est annus juxta annos mercenarii.* Ad verb. *Cùm adhuc fuerit annus.* ¶ *Deficiet* [וכלה] *Et finietur: peribit, & evanescet.*

17. *Et reliquiæ numeri arcus* [ושאר מספר קשת] Hebraismus, pro *Sagittarii pauci, iique fortes, qui superfuerunt, in dies fient pauciores numero. Reliquias numeri* vocat paucas; quòd quæ pauca sunt faciliùs numero comprehendantur. Quidam vertunt, *Et residuum arcûs* quod *numerabitur fortium filiorum Cedar, imminuetur.*

C A S T A L I O.

2. OPpressoris] Assyrii.

5. *Adornatur mensa*, &c.] Epulabuntur Babylonii quâ nocte capietur Babylon.

8. *Clamat leo*] Speculator, leonis more speculans.

10. *O tritura mea, areaque mea destinati*] Hos quos ego triturandos, h. e. malis opprimendos, prædico.

11. *Custos quid de nocte? custos quid de nocte?*] Trepidationis summíque pavoris descriptio.

13. *In Arabiæ silva pernoctabitis*] Scilicet fugientes.

16. *Exacto anno, ut sunt anni mercenarii*] Anno certo & definito.

C L A R I U S.

1. ONus deserti maris] Vel *deserti Occidentalis*, i. Babylonis, quæ ad Occidentem sita est respectu Persarum & Medorum, à quibus deletum est illius imperium. Et quia

Jeru-

Jerusalem quoque vastanda erat per Babyloniam, ideo non semel sed sæpius prophetavit contra eam. Ait ergò, Subitò & vehementi cum tumultu, velut ab *Australi turbine*, qui solet esse impetuosior, eam esse vastandam populo *venturo de terra horribili*, h. e. longinqua, de Persia scilicet ac Media. Indè enim venit Cyrus & Darius, qui eam ceperunt.

2. *Ascende Ælam*] Devastatores Babylonis Elamitæ, Medi & Persæ. ¶ *Omnem gemitum ejus cessare feci*] Intellige gemitum afflictarum gentium à Babylone.

3. *Repleti sunt lumbi mei*] In persona Balthasaris Regis hæc dicuntur. *Lumbos* autem *impleri dolore* vel *defectione* est Infirmum atque imbecillum esse, sicut contrà *lumbos succingere* Strenuitatem significat.

4. *Noctem desiderabilem*] Cùm enim is Balthasar solennem instituisset noctem & vino æstuaret, subitò irrumpentes Medi & Persæ ceperunt Urbem, & conversum est omne gaudium in luctum.

5. *Pone mensam*] Nunc, inquit Propheta, *adorna* vasis sacris *mensam* tuam, oblecta oculos *contemplatione*. vel *Cum adornarent mensam speculator speculabatur, & dum comederem ac biberem dictum est, Surgite Principes, ungite clypeum.*

6. *Vade, & pone*] Sic, inquit, dicturi sunt Principes Babyloniæ inter se cùm imminuerit nox illa, ut *mihi Dominus revelavit, Vade & constitue speculatorem*, &c.

7. *Currum duorum equitum*] Cyrum scilicet adventurum cum duobus populis, Persis videlicet ac Medis. Per *asinum* intellige Regnum Persarum, quod hactenus humilius fuerat Regno Medorum, quod per *camelum* signatur.

8. *Et clamavit ut leo*] Vel, *clamavit, Leo*, scilicet *devorans adest.* ¶ *Super speculam Domini*] Vel, *Domine mi.* Verba sunt Esaiæ.

9. *Ecce iste venit*] Juxta historiam nunciatur venturus Darius, trahens post se duorum potentissimorum populorum exercitum, nempe Medorum & Persarum, qui Regi tanquam jumenta obsequentur.

10. *Tritura mea* (scilicet *facta est Babylonia*) *& filius areæ*] h. e. Conquassabitur ab hostibus sicut triticum in horreo. Sunt autem verba ista Dei. Hieronymus ad Jerusalem Apostropham esse putat.

11. *Onus Duma*] Hic Duma, à quo Dumitæ descenderunt, fuit filius Ismael. Prophetaturque contra eum malum *de Seir* venturum. Cujus *custodes* cùm interrogarentur num superventura *nox* aliquid mali paritura esset, illi responderunt, *Succedet mane post noctem*; atque ideo si per noctem nihil mali incidit, sequenti die incidere potest. Est autem Prophetia perquam obscura. Sic autem dici potest, *Custos quid de nocte? Custos, quid de nocte?* h. e. Quæ hora noctis? & qui tumultus? vel, Quot noctes & quot dies supersunt ad expugnandam eam?

12. *Dixit custos, Venit manè, & etiam nox*] h. e. *Appropinquat manè*, sed altera *nox* sequetur; vel perinde erit atque nox. ¶ *Si quæritis, quærite: revertimini, & venite*] h. e. Si interrogare libuerit, interrogabitis, iterum interrogate: tanquam dicat, Quod hâc nocte non evenit, vobis eveniet aliis sequentibus.

13. *Onus in Arabiam*] Arabes illi Moabitæ sunt & Ammonitæ, qui usque ad Trachonitidem & per omnem solitudinem habitant; nimirum σκηνῖται, & qui *Cedareni*, hodie *Saraceni* dicuntur. Hinc apud Salomonem *tabernacula Cedar*. Quoniam autem *Arabia* & *vespera* iisdem literis, & per Metathesin etiam *saltus*, scribitur, vel *in saltu*, ideo eruditè Hebraico more Esaias ludit in verbis, sic dicens, Cùm in captivitatem ducemini, ab Assyriis nimirum vel Chaldæis, *In saltu ad vesperam pernoctabitis in itinere ad urbem Dodanim.* Alius interpretatur *in semitis Dodanim*, i. facti comites & socii vilissimorum mancipiorum.

14. *Occurrentes sitienti*] Taxatur eorum inhumanitas erga Israelitas profugos. *Habitantes* autem *terram Austri* intelligit Themanitas.

17. *Et reliquiæ numeri*] Hebraismus est: h. e. facilè numerabiles, vel numero paucæ.

F O R E R I U S.

1. DEserti maris] Transponenda sunt verba, *Onus maris deserti*, i. Babylonis, quæ non, ut quidam volunt, *desertum maris* dicitur; ad quod frigidas rationes afferunt; sed *mari deserti*, i. mare quod in deserto est, ad differentiam veri maris. Babylon enim ob multitudinem hominum & strepitum gentium amplitudinémque civitatis, atque etiam propter aquarum copiam, non imperitè *mare* appellabatur. *Deserti* verò dicitur propter desertum illud horridum & vastum quod jacet inter ipsam & mare. Neque dura est Translatio neque infrequens Hebræis ut per *maria* & *aquas* gentium multitudinem intelligant. Vide suprà 17. 12. & Psal. 65. *Compescite fremitum marium*, &c. ¶ *Sicut turbines*] A verbo סוף, quod *cessare* vel *finire* notat, est nomen סופה, quod *turbinem* seu *tempestatem omnia proterentem* seu *devastantem*, significat. ¶ *Ab Austro*] נגב est *Meridies* seu *plaga Meridionalis*, ut ferè omnes affirmant. Ego dicerem primò significare *Austrum* seu *Africum ventum*, qui tempestates excitat, præsertim in Palæstina. Videtur enim affinitatem habere cum verbo נגף, quod *consternare* sign. deinde & pro *plaga* ipsa accipitur, ac demum pro *locis aridis & infrugiferis*, quòd plaga Australis Palæstinæ deserta esset, &c. Hoc certè loco pro *vento ipso Austro* seu *Africa* accipio. *Sicut turbines*, inquit, (seu *tempestates*) *in Austro*, i. flantibus ventis Australibus, quemadmodum Psal. 126. *Reduc captivitatem nostram sicut torrentes in Austro*, i. flante Austro pluvioso & tempestates ciente, quando torrentes aquas vehementes deferunt: i. Celerrimè & nemine prohibente reduc captivitatem, &c. ¶ *A deserto venit*] *Onus* scilicet. De visione enim est sermo, ut mox explicabit. Comparat autem revelationem hanc quam super Babylone viderat *turbini* seu *tempestati Australi*, unde *à deserto & terra horribili* dicit *adventare.*

2. *Visio dura*] Idem est *onus* apud Prophetas quod *visio rerum difficilium & quæ vix tolerari possunt.* ¶ *Qui incredulus est*] De significatione verbi בגד multa incerta tradunt Hebræi. Ego, quantum conjicere possum ex Scripturis, atque adeo ex modo constructionis cum Mem aut cum Beth, arbitror significare *depopulari, grassari, excurrere* seu *incurrere ad diripienda aliorum bona & vim inferendam.* Vulg. sæpe verbo *prævaricandi* reddidit, hîc aliter. Vide infrà 33. cap. ubi etiam verbo *vastandi* conjungitur, sicut hoc loco. Est autem hîc participium bis positum, priùs in figura emphatica הבוגד, quod tanquam nomen cum Vulg. accipio, *depopulator, grassator, qui in alios solet vi incurrere*; posteriùs verò pro verbo, q. d. *depopulatores depopulantur, vastatores devastant*, significans se videre velocissimos Medos & Persas, qui excursionibus & depopulationibus faciendis præstantissimi habebantur, in Babylonem properare. Quid si ה præpositum nominibus illis Motum notet? certè tunc sic reddere potes, *ad incursorem incursor, & ad vastatorem vastator adventat*: sed priorem interpretationem magis probo, ut accepit Vulg. licèt in reddenda verbi significatione variet. ¶ *Ascende Ælam*, &c.] Ipse quod dixerat interpretatur. Videbat autem Propheta Deum, tanquam summum Imperatorem, Medos & Persas adversùs Babylonios incitantem. ¶ *Cessare feci omnem gemitum ejus*] Vel quem Babylonii edere faciebant, vel gemitum Medorum & Persarum: q. significet Medos & Persas strenue dimicaturos & itineris laborem alacri animo devoraturos: ut sit idem quod suprà 5. 26, 27. *Festinus veniet; non erit deficiens neque laborans in eo.* Poterimus etiam dicere esse Periphrasim crudelitatis eorum; ut sit quod suprà, cùm de eversione Babylonis ageret, dicebat cap. 13. 17, 18. quod *interficerent parvulos, & discinderent uteros absque ulla miseratione.* Quid si puncta negligas, & verbum השבתי non primam personam שבת, sed verbi שוב in Hiphil esse dicas? i. *reduxi, revocavi*, vel *reddidi*: in qua significatione accipitur Gen. 50. *Reddendo reddet nobis omne malum.* Esset itaque sensus, *Reddam Babylonis omnem gemitum eorum, ut gemant ipsi, sicut alios gemere fecerunt.*

3. *Impleti sunt lumbi mei*, &c.] In seipso exprimit Propheta quàm dura, quàm difficilis & quàm terribilis fuerit illa visio, quâ cùm damna Babylonis intelligeret, quæ nihil ad Judæos affinitate pertinebat, adeò tamen eum conturbarit & perterruerit. Voces faciles sunt & frequentissimæ Prophetis in luctu & tristitia; & earum propriam significationem quoad potui expressi. Sequens quoque versiculus eò tendit.

4. *Emarcuit*] תעה verbo *errandi* reddidit Vulg. non uno loco, ut infrà 53. *Omnes nos quasi oves erravimus. Errare* autem *cor* est timentium; cujus oppositum est *invenire cor*, i. audere. Alii, neque malè, verbo *palpitandi* hic reddunt: sed ego propriam significationem volui retinere. ¶ *Tenebræ*] פלצות Vulg. Job. 21. *tremorem* vertit: atque ea est propria nominis significatio, à verbo פלץ, quod semel tantùm legitur, idque in quarta, Job. 9. *Contremiscent*, &c. ¶ *Babylon*] Vulg. Interpres נשף nomen *obscuritatis* seu *crepusculi* figuratè pro *Babylone* hî poni existimavit. Neque desunt inter Rabinos qui dicant versus hos dixisse Jesaiam in persona Balthasaris Regis Babylonis, qui grande convivium cùm fecisset, vidit *manum scribentem*, &c. unde cum ingens *horror* invasit, &c. at nihil obstat quominus hæc omnia de Jesaia intelligamus, qui describat quàm gravis & horrenda visio isthæc fuerit, dicatque

no-

noctem desiderii sui, i. etiam tempus otio & quieti accommodatum, cujusmodi est nocturnum tempus, unde & ab omnibus desideratum, *versum sibi fuisse in horrorem*; cúmque à diuturnis laboribus sese quieti vellet dare, hâc visione maximè se perterritum. Quemadmodum Job. 7. *Si dixero, Consolabitur me lectulus meus, & relevabor loquens mecum in strato meo, terrebis me per somnia, & per visiones horrore concuties* (vel *exagitabis*) *me*: id enim propriè sign. verbum בעת, quo hîc etiam usus est Jesaias. Cæterùm de nomine נשף jam suprà dictum est, quòd *tempus illud* designet *quo aut tenebræ luci aut lux tenebris adveniens miscetur*: hic ergò *noctem* sig. parte pro toto sumptâ: ut vel hinc videas quàm fuerint Prophetæ à deliciis & voluptatibus hujus vitæ alieni, qui nè de nocte quidem quiescere poterant, aliena mala cogitantes & vehementer sentientes.

5. *Contemplare in specula*] In accusativo legendum puto *in speculam*: illud enim ה præpositum nomini Motum significat. Qui enim sibi timent ab hostibus, oculos frequentissimè dirigunt in speculatores, quos in speculis & editis locis habent constitutos. Et צפה aliis atque aliis punctis variè accipi potest. Vulg. in imperativo; ego libenter in infinitivo acciperem, & cum singulis verbis conjungerem, *Pone mensam, speculando comede, bibe speculando*: q. significet Propheta Babyloniis jam jam instare hostes, neque cibum sumendum absque solicitudine, neque debere eos vel tantillùm à speculatore oculos detorquere: quòd etiam magìs exprimit dum subitò addit, *Surgite Principes*. Illa itaque duo verba שתה & אכל in imperandi forma legenda puto, sicut & primum ערך: sic enim sensus planus erit. ¶ *Arripite*] Non dubium quin sensum voluerit reddere: nam verbum *ungere* sign. ungebantur autem olim clypei quando eundum erat ad prælium.

6. *Dominus*] אלי ארני. Ferè omnes interpretantur אלי *ad me*: nec dubium quin ità interpretari possit. At cùm Vulg. hoc omiserit, probabile mihi visum fuit eum pro nomine *Dei* cum affixo accepisse, *Deus meus*. Jam nomen quod sequitur etiam esse cum affixo puto, ארני, *Dominus meus*. Neque mihi objicias puncta, quæ sæpe parvi sunt facienda. Reddit autem Propheta rationem quare Principes ad arma sic compellaverit, simúlque aperit manifestiùs quænam fuerit *visio* illa *horrenda*. Per visum ergò sibi visus est Jesaias ex præcepto Domini *speculatorem constituere*, eique imperare ut *quidquid viderit annunciaret*. ¶ *Et quodcunque*] Vulg. conjunctionem supplevit, ego relativum subintellectum.

7. *Currum*] Statim eandem vocem *ascensorem* interpretatur: utrumque enim interdum רכב sign. à verbo רכב *supervectus est* vel *superferebatur*. ¶ *Duorum equitum*] צמד est, quod Latinis *par*. פרשים verò dicunt sæpius *equites* significare. Itaque hâc interpretatione Vulg. vult ut intelligamus *currum unum qui trahebatur ab asino atque camelo*, porrò *tam asinum quàm camelum suum habuisse vectorem*. Neque est qui meritò hanc interpretationem vituperet. At alteram adducere nemo prohibet, quam ut non priori præfero, ità in gratiam eorum qui Hebraicè nesciunt eam proponam, videlicet quòd *speculator viderit currum qui trahebatur ab asino & camelo*, *unum autem vectorem haberet currus*, qui dicebat quæ versu 9. continentur, &c. Ter ergò in hoc versu רכב pro *curru* accipio, פרשים autem pro *animalibus jugalibus*, seu *quæ jugo junguntur*: id enim interdum sign. vox, etiam si equi non sint. Vide infrà 28. 28. quid de hac voce sentiendum sit. Quòd ergò priùs dixit צמד פרשים *currum bijugorum*, i. duorum animalium junctorum, idem repetit exponendo cùm ait, *currum asini*, *currum cameli*; i. currum qui ab asino camelóque trahebatur. Latini dicerent, *Vidit bigam asini & cameli*: nam antiqui numero quoque singulari *bigam* dicebant. Equi autem bigarum *bijugi* appellantur. Ideo *currum bijugorum* dixi, nè *equos* dicerem qui equi non essent, sed *asinus* atque *camelus*. Significationem autem & causam hujus conjugationis vide versu 9. ¶ *Diligenter; multo intuitu*] Vulg. sensum expressit, nisi quòd ad sensum Cernendi retulit; videtur autem Propheta significare quòd non solùm *vidit currum*, sed *summâ attentione attenderit* speculator si quid audiret.

8. *Ut leo*] Vulg. supplevit notam Similitudinis, quòd Hebræi eam interdum omittant. *Vocavit* (seu *clamavit*) *ut leo*, i. ingenti voce & horribili. Si quis tamen diceret אריה pronomine proprio speculatoris accipiendum, secutus Lxx, qui, teste Hieronymo, Οὐρίαν hoc loco dixerunt, quem suprà cap. 8. *testem fide dignum* vocaverat, quasi eundem per visionem constituisset Jesaias speculatorem, fortasse non valde absurdam sententiam affirmaret, etiam si eam Hieronymus non probet.

9. *Fui*, inquit, *super speculam atque custodiam meam*, *& ecce iste venit currus viri biga*, *& respondit*,] i. Ecce qui vehebatur illâ bigâ quam vidi, respondit, &c. Verbum autem *respondendi* Hebræis, præsertim si sequitur verbum *dicendi*, aut simile, non semper est *ad interrogata respondere*, sed novum sermonem subjicit vel attexit, q. d. *iterum dixit*, vel *& subjiciens dixit*. Non enim puto ad speculatorem verba, *Cecidit*, *cecidit*, &c. referenda, sed ad vectorem. ¶ *Contrita sunt*] Sensum expressit. Verbum enim est sing. *confregit*, nempe *Deus*, vel *hostis*. Sed quis erat hic qui *bigâ vehebatur* quam trahebat *asinus* atque *camelus*? Deum profectò hic *vir* designabat, qui per consociatos Persas atque Medos in Babylonem ferebatur. Asinus enim atque Camelus ad labores tolerandos apta sunt animalia, quibus indefessi milites Medorum atque Persarum designantur; de quibus suprà ver. 2. dictum est. Sed cùm *Babylonis eversio* victoriam Christi de Mundo per Crucem & Euangelium figurarit, *vector* quoque hujus *bigæ* Christum Dominum designabat, qui *Mundum vicit*, vectus per universum Orbem per indefessos Apostolos, qui *non se sed Christum Dominum prædicabant*. Unde hic non falcatos currus, non feroces equos, sed mansueta animalia, eáque imbellia, audis currum trahere. *Infirma* enim *elegit Deus*, *ut confundat fortia*. Vector hic ergò Christus est, qui in hodiernum usque diem *Babylonem* & *ejus idola* non cessat *confringere*, Ecclesiæ suæ *moderator* & *rector*. Nam vox רכב simul cum *supervectatione*, etiam *moderationem*, *gubernationem*, *præsidentiam* & *administrationem rerumpublicarum* notat Hebræis scriptoribus; quòd nimirum illi qui vel ad Regni administrationem accersendi & inauctorandi erant, aut qui jam rerum gubernacula tenerent, curru vehi non rarò solerent, ut etiam mulo vel equo; sicut cùm Josephum gubernatorem Ægypti designavit Pharao. David quoque filium suum *super mulam*, &c. 1 Reg. 1. Aut etiam quia ut vectores seu rectores currum seu alia jumenta habenis pro arbitrio moderantur, ità illi etiam consiliis, prudentiâ, legibus populum sibi subditum gubernent. Unde & Deus *vector cœlorum* dicitur Deut. 33. i. qui ubique, quáque patet cœlum, omnia gubernet. Quare & Scriptura rerum omnium administrationem tanquam Vehiculum seu Quadrigam adumbrat, ut in visione Ezechielis cap. 1, & 10. apparet: In qua veluti in quadriga sunt *quatuor Animalia & quatuor Rotæ*: & quidem supernè apparet *firmamentum*, quod *super quadrigam ceu operimentum expanditur*, & *super tegumento est sella* seu *sedes*, in qua *gloria Dei residet*, qui quadrigam *voce omnipotentiæ suæ* regit moderatúrque, in quatuor partes orbis, i. quocunque vult, pro nutu & arbitrio suo agit. Ad quem Vectorem & Quadrigam Paulus ad Hebræos initio statim haud dubiè alludit, cùm ait, *Qui moderatur omnia verbo potentiæ suæ*. Nam si singula collatione perpenderis, similitudinem reperies. Ut enim Ezechiel *gloriam Domini* dicit *vehi super quadriga*, atque *voce omnipotentiæ eam moderari*; ità Paulus Christum, quem vocat *splendorem gloriæ*, *moderari omnia verbo potentiæ suæ* scribit: deinde vertit vocem Hebræam רוכב participio Græco φέρων, quod hoc præcipuè in loco non tam est *portans*, i. bajulans, quàm *agens* seu *movens* ac *gubernans*; siquidem φερόμενα Græcis dicuntur *quæ impetu quodam aguntur*, sicut & Petrus in posteriore epist. cap. 1. usus est, *Spiritu sancto agitati* seu *impulsi*: & ἄγειν καὶ φέρειν dicitur *qui suo arbitratu moderatur aliquid*; non aliter atque Hebræis verbum רכב. Regnum ergò Christi per Euangelii vocem per totum orbem divulgandum, quod Ezechielis visio significabat, hic paulò aliter Jesaiæ revelatum est, dum videt *ruere Babylonem*, *& universa idola ejus confringi*.

10. *Tritura mea*] Sermo est Jesaiæ ad populares suos, quos vocat granum excussum, quòd videret ingentia mala quæ illis imminerent, quódque decrevisset Dominus eos veluti frumentum conterere; ut infrà copiosiùs dicetur. Neque affectu compassionis carent verba hæc: In commemoratione enim calamitatum harum gentium semper Prophetæ animus ad populum Dei intentus erat. Propter eos enim isthæc omnia Deus revelabat, & Prophetas annunciare compellebat, nunc ut sibi caverent, nunc ut externis auxiliis non fiderent, sed Deo, qui esset universorum Dominus & Judex, morem gererent. Innuit ergò se esse speculatorem à Deo constitutum in populo, qui ei annunciet quæ forent necessaria; quæ autem præcesserunt, figurata esse. Potest hic versus & ad Babylonios pertinere: sed prior sensus magìs mihi placet. Notus autem Hebraismus est *filius areæ* pro *tritico*, &c.

11. *Ad me clamat*] Tertia persona impersonaliter accipitur, i. *Ad me clamatur*; vel potiùs, *Videor mihi audire clamorem ex Seir usque*, *in hanc sententiam*, *Custos quid*, &c. Significat itaque Jesaias se *speculatorem*, ut suprà dixi, & Idumæos, qui montana *Seir* habitabant, vel indè *rogare se*, *quidnam* vidisset, vel quid *noctu* de adventu hostium percepisset. His respondet *custos* seu *speculator* ille;

12. *Venit manè & nox*] q. d. Cur ex Seir interrogatis si quid observatum aut exploratum habeam? Istud est hominum parùm res suas curantium, aut minimè credentium me posse quæ futura sunt eis annunciare. *Venit manè, atque etiam nox.* Succedit nocti dies, & diei rursus nox. Nihil aliud audire digni estis. *Si vultis* ex me verum *elicere*, studiosè & diligenter *elicite*, nimirum me *convenientes*, neque ex tam longinquo loco rem tanti momenti negligenter & oscitanter interrogate. Hanc credo esse hujus loci germanam expositionem. Possumus & per *manè* ac *noctem* prospera atque adversa intelligere; q. d. *Video prospera atque adversa: si quis autem quibus aut quando prospera, rursus quando & quibus adversa ventura sint, ediscere vult, non ex Seir interroget, sed seriò veniat, accedat, roget, redeátque iterum*, &c. ¶ *Quæritis*] בעה est *eruere* seu *elicere aliquid ex persona seu re quod latebat.* Est autem futurum, *elicietis*, i. *si vultis, si in animo statuistis elicere*, &c. ¶ *Convertimini*] Vel *revertimini, venite*, i. iterum venit. Conjunctio non est in Hebræo. Quamvis nihil durius hîc in Idumæam loquatur, *onus* nihilominus & visionem gravem vocavit, quia imminentibus undique malis illi magnâ securitate, quasi res sua non ageretur, perfruerentur, atque ex longinquo percunctarentur num *custos de nocte* quidquam animadvertisset.

13. *In Arabia*] Vel *in Arabiam.* ב enim utroque modo sumi potest. Cùm autem sit *onus*, i. visio gravis, & rerum adversarum, non abs re fuerit pro *in* seu *contra* accipere. ¶ *Dormietis*] Crediderim esse sermonem de Israelitis qui ad Arabes ituri erant profugi cùm vastaretur Judæa, apud quos tamen nihil humanitatis experirentur: quare & ipsi Arabes vastati sunt. Ergò v. 13. 14; & 15. causam calamitatis exponit, non ipsam calamitatem. Vide alteram expositionem num. 15. ¶ *In semitis*] Hebr. non habet *in*, sed repetendum videtur ב, quod præcessit in nomine *silva.* *Pernoctabitis*, inquit, *in silva quà itur Dedanim*, i. ad populum qui ex Dedan filio Cus, qui fuit filius Ham, genitus est. Non ergò legendum *Dodanim*; hic enim filius fuit Javan, à quo *Rhodios* dictos arbitror. Utrumque habes Gen. 10. Sunt autem *Dedanim* Arabes qui Desertam Arabiam incolebant, vicinam Moabitis atque Ammonitis; de quibus legitur Deut. 23. & Neh. 13. *Non prævenerunt Israelitas egredientes ex Ægypto cum pane & aqua.* Ad quem locum hic alludit Jesaias, quasi eorum exemplum secuti sint vicini Arabes. Nam quod sequitur v. 14. Ironicè accipiendum est; quòd tam ex nomine *oneris* quàm ex v. 16. colligi potest.

14. *Ferte*] Verbum est אתה vel אתא, quod anomalum est, & *venire* sign. hîc irregulariter in præterito tertiæ accipitur, *fecerunt venire, attulerunt*: nam & Vulg. in tertia accepit: habétque Jod mobile pro ה finali, & primum ה abjecit propter ה characteristicon conjugationis. Ut autem potiùs accipiam in præterito affirmativè, Ironicè tamen, facit relativum quod sequitur, *occurrerunt cum pane suo*, quòd Vulg. omisit, secutus orationem imperativam, quæ non multùm alienum sensum generat. ¶ *Austri*] Vel *meridiei*: id enim videtur significare תימא, ut Hier. & Chald. interpretati sunt: quanquam rarum est hoc nomen. Cum א hîc & Job. 6. tantùm legitur, cum Nun autem frequentiùs תימן, quasi dextra pars mundi aspicientibus ad Orientem. Et Arabia, de qua est hîc sermo, ad Meridiem est Palæstinæ. Fortè est nomen proprium loci. Utcunque sit, hospitalitas commendatur, & ut alienis malis condoleamus. Unde & v. sequenti miseriam auget.

15. *Imminentis*] נטש *liberè dimittere rem vel personam* significat. Hinc *gladium dimissum* intellige cædem grassantem absque lege, jure & modo. ¶ *Gravis prælii*] *Gravem* interdum usurpant Hebræi pro *magno.* מלחמה autem propriè *incisionem & cædem* sign. *quæ gladio fit*: unde reddere posses *à facie maximæ cædis.* Quos autem non inanis metus fugat, sed ingentia pericula extra suos lares exsulare compellunt, digni sunt quorum alii misereantur: In fictas verò calamitates & ementita pericula aut levia, quæ nonnisi ignavos terrent, misericordiâ non commoveri non usque adeò inhumanum est. Charitas tamen Christiana semper misericordiæ plena est. Possunt & hæc accipi, *Vos, Arabes, fugientes hostes, sub noctem pernoctabitis in silva versùs Dedanim. In occursum fugientibus vobis attulerunt aquas, & cum panibus suis habitatores terræ Temæ occurrerunt vobis* (præterita pro futuris) *nam fugiebatis à facie gladiorum*: vel certè in imperativo legendum cum Vulgato, *occurrite cum pane suo*, i. suo indigenti: vel *suo*, qui eis ratione humanitatis & hospitalitatis debetur. Quibus significat fugam Arabum præcipitem & acceleratam.

16. *In uno anno*] Vel *dum adhuc annus*, i. infra unum annum. ¶ *Quasi in anno mercenarii*] Est in plurali, i. non ultrà extendetur: quemadmodum mercenarii non patiuntur addi aliquot dies dies anno pro quo conducti sunt. ¶ *Cedar* vel *Kedar* nepos fuit Abrahæ filius Ismaelis, à quo regio eodem nomine cognominata fuit Arabiæ Petrææ, & populus illius regionis *Agareni* ab ancilla Abrahæ, *Agar* dicti sunt: Qui corpore ob Solis æstum fusco, sagittandi artis peritissimi, & pecoribus tantùm & raptu vivunt. קדר enim est *obscurum esse.* De his infrà 42, & 60. Sunt enim populi infensissimi populo Dei.

17. *Et reliquiæ numeri*] Ad verb. *relinquetur numerus arcûs*, i. pauci. Ità enim accipitur interdum nomen hoc מספר, ut suprà jam dictum est. Potest ad verbum sic reddi, *Et residuus numerus arcûs fortium filiorum Kedar, pauci erunt.* Nam שאר nomen collectivum cum verbo plurali construitur. Hujusmodi sensum expressit Vulgatus. Per Assyrios enim debellati sunt. Verùm quia credere hujusmodi gentem debellandam, quæ desertis assueta, cursu velocissimorum equorum hostes facilè eludere solebat, neque civitates habebat quæ obsideri possent, non ità facile erat, addit confirmationem, quòd *Dominus sit locutus*, ad cujus iram vitandam nullæ vires aut artes valent.

DRUSIUS.

2. הבוגד בוגד והשודד שודד. Sym. Ὁ ἀθετῶν ἀθετεῖται, καὶ ὁ ταλαιπωρίζων ταλαιπωρεῖ, *Qui rejicit rejicitur, & qui affligit affligitur*] Sumptum testimonium ex Theodoreto. Exstat autem in Centonibus Patrum. Interpres reddit, *Qui rejiciebat; rejicitur, & qui ærumnâ afficiebat, ærumnâ afficitur.* ¶ *Qui rejicit*, &c. vel, *Qui prævaricatur, contemnitur.* Sanè Ἀθετεῖται (nescio an ex hoc loco) Hesychius exponit, καταφρονεῖται ὑβρίζεται. ¶ *Affligit*; *miserum reddit, in calamitates conjicit.*

4. נשף. Aq. Th. *tenebras*] Hier. *Babylon dilecta mea*, Idem in Comment. *Pro BABYLON Aq. & Th. TENEBRAS interpretati sunt.* Prov. 7. 9. בנשף בערב, Lxx ἐν σκότει σπερινῷ *in tenebris vespertinis.*

8. ויקרא אריה. Aq. λέοντα *leonem.* Sym. λέαιναν *leænam.* Th. Αριήλ *Ariel*] Eusebius in Symbolis Patrum.

11. דומה. Aq. Δοῦμα, i. *silentium*, aut *similitudo*] Hier. *Aquila DUMA, h. e. Silentium, posuit, vel Similitudinem.* ¶ אלי קרא. Alii, *ad me voca*] Hier. *Verbum Ebraicum* אלי, *quod omnes interpretati sunt AD ME, si volueris legere* אלי *interpretatur DEUS MEUS, vel FORTIS MEUS. Quódque nos diximus CLAMAT vel VOCAT, i.* καλεῖ, *secundùm Ebræi & Græci sermonis ambiguitatem dici potest CLAMA vel VOCA.* In Symbolis Patrum, *Secundùm alios Interpretes, AD ME VOCA QUI DE SEIR FUGIUNT.* Vide sequentia. ¶ משעיר. Euseb. Φεύγοντας παρὰ τοῦ Σηΐρ, κατὰ τοὺς λοιποὺς ἑρμηνευτάς, *FUGIENTES DE SEIR, secundùm alios interpretes.*

IDEM EX PROCOPIO.

1. מדבר ים. τῆς ἐρήμου θαλάσσης *deserti maris.*

2. עלי עילם צורי מדי. Sym. ἀνάστηθι Ἐλὰμ, πολιορκεῖτε Μῆδοι, *surge Elam, obsidete Medi*] * Procopius, τὸ δὲ Ἑβραϊκὸν καὶ οἱ λοιποὶ τὸ, θαλάσσης, προσέθηκαν, ὡς τῆς πόλεως πάλαι κυμαινούσης τοῖς πλήθεσιν, *Ebraica verò lectio & cæteri Interpretes MARIS vocabulum addiderunt, quo significant urbem illam plebe olim abundasse & quasi fluctuasse.*

5. צפה הצפית. σκόπευσον τὴν σκοπιὰν *speculare speculam.*

6. אשר יראה יגיד וראה. Aq. καὶ ὅσα ὄψεται ἀναγγελεῖ, καὶ ὄψεται, *& quæcunque cernet annunciabit, & cernet.* Sym. Ὃ ἂν ἴδῃ ἀναγγελεῖ· καὶ ἴδεν, *quod viderit, nunciabit: & vidit.* Th. Ὃ ἐὰν ἴδῃ ἀναγγελεῖ, καὶ ὄψεται, *quicquid viderit annunciabit, & cernet.*

7. רכב צמד פרשים. Sym. ἅρμα ζεῦγος ἵππων *currum par equorum*] Ἅρμα, i. רכב. Interpres Curterius, *Hoc loco Bigas interpretatur Symmachus.* ¶ קשב. Sym. Th. ἀκρόασιν *auditionem.*

8. אריה. Aq. λέοντα *leonem.* Sym. λέαιναν *leænam*, sive *leam.* Th. Ἀριὴλ *Ariel*: οὕτω δὲ ἔχει καὶ τὸ Ἑβραϊκὸν, *sic habet & Ebraica lectio.*

9. נפלה נפלה בבל. Aq. Sym. Th. Πέπτωκε, πέπτωκε Βαβυλών, *cecidit, cecidit Babylon.*

11. משעיר. Οἱ λοιποὶ, τοὺς φεύγοντας παρὰ τοῦ Σηείρ, *fugientes de Seir.*

12. אם תבעיון בעיו. Ap. ἐὰν ἐπιζητῆτε, ἐπιζητεῖτε, *si quæsiveritis, quærite.* ¶ שבו אתיו. Idem, ἐπιστρέψατε, ἥκατε, *revertimini, venite.*

8. משא

13. מַשָּׂא בַּעְרָב, Aq. Ἆρμα Ἀραβίας, *Onus Arabiæ.* Sym. Λῆμμα Ἀραβίας. Th. Λῆμμα ἐν τῇ Ἀραβίᾳ, *Assumptio in Arabia.* ¶ דְּדָנִים. Aq. Sym. Δωδανὶμ *Dodanim.* Th. Δαιδὰν *Daidan*, Φ Δαιλὰν *Dailan.*

15. חֲרָבוֹת. Aq. Sym. Th. μαχαιρῶν *ensium*, sive *gladiorum* :o: ὁ. πεφονευμένων *occisorum.*

17. כִּי יְהוָה אֱלֹהֵי־יִשְׂרָאֵל דִּבֵּר. Aq. Sym. Th. ὅτι Κύριος ὁ Θεὸς Ἰσραὴλ ἐλάλησε, *quia DOMINUS Deus Israel locutus est.*

GROTIUS.

1. ONus deserti maris] Propheta, sicut reprehenderat eos qui in Æthiope & Ægypto spem suam collocaverant: ità nunc ad eos se vertit qui Assyriorum partes secuti, in illis, non in Deo habuerant spes repositas. Sunt autem quos hoc capite alloquitur tres populi: Primi Idumæi qui habitabant *in deserto* Sur sive Etham, ad ipsam oram Arabici sinûs. Vide Exod. XIII. 20. XV. 22. Num. XXXIII. 8. & adde quæ de hoc deserto habet Hieronymus in præloquio ad Amosum; & Strabonem libro XVI. Deinde *Dumathæi* ab Ismaële, (vide Genes. XXV. 14.) Deinde *Arabes* Petrææ, orti à Cethurâ. Hi omnes quanquam per Abrahamum cognati Iudæis, tamen Assyriis contra Judæos se addiderant.

1. 2. *Sicut turbines ab Africo veniunt, de deserto venit, de terra horribili, visio dura nuntiata est mihi*] Sensus est: Quales Austri à desertis & horridis Isthmi locis flant subitò, talis res est quæ mihi per visum revelata est.

2. *Qui incredulus est, infideliter agit; & qui depopulator est, vastat*] Rectè verteris: *Perfidus perfidum, populator populatorem*, supple *opprimet.* Nempe Medus Assyrium, quo tempore etiam Babylon à Medis capta est. Vide suprà XIII. 17. & quæ ibi dicta.

Ascende Elam] Elymæi Medis contigui, Strabo libro XVI.

Omnem gemitum ejus cessare feci] *Gemitum ejus*, nempe perfidi Assyrii. Intellige *gemitum ejus* quem ipse excitabat; ut *vulnere tardus Vlyssi*, quod Vlysses fecerat.

3. *Propterea repleti sunt lumbi mei dolore*] His verbis usuros ait illos qui in deserto ad mare habitabant.

4. *Emarcuit cor meum*] Placet mihi distinctio quam hîc secutus est Latinus interpres. In Hebræo, *Palpitat cor meum præ horrore.*

Tenebræ stupefecerunt me] In Hebræo, *Terruit me crepusculum*: id est, illa mutatio bonæ fortunæ Assyriorum in adversam vehementer me percelluit.

Babylon dilecta mea posita est mihi in miraculum] Illud *Babylon* Interpres addidit ad sensum non malè. Pro *dilecta mea* in Hebræo est נִשְׁפִּי [*amplexus mei*]. Pro *in miraculum* vox Hebræa habet *in pavorem.*

5. *Pone mensam, contemplare in specula comedentes & bibentes: surgite principes, arripite clypeum*] In Hebræo, *Ungite clypeum.* Sic in Plautino Milite:

Curate ut splendor meo sit clypeo clarior
Quàm Solis radii esse olim cùm sudum est solent,
Ut, ubi usus veniat contrà consertâ manu,
Oculorum perstringat aciem in acie hostibus.

Sensus hic est: *Dum ponunt mensam* (Babylonii), *dum speculator* (ab illis constitutus) *speculatur, dum comedunt* (illi), *dum bibunt, surgite Principes* (vos Medi), *& clypeos unctos habete.* Imperativo enuntiat quod futurum videt, ut Babylonii in magno periculo securi, dum ipsi epulantur, vilissimis hominibus delegato excubandi munere, opprimantur subitò.

6. *Vade & pone speculatorem*] Fac quòd ipsi facturi sunt. Pone aliquem amicorum tuorum in specula. Ego faciam ut ea videat quæ agentur, tibíque enuntiet.

7. *Et vidit currum duorum equitum, ascensorem asini, & ascensorem cameli*] *Vidit currum* (id est, currus duos, per ἐναλλαγὴν [*commutationem numeri*] satis familiarem illis gentibus) *& aurigas duas* (in quoque curru: nam alter currum regebat, alter jumenta) *quorum curruum alter mulis* (hîc quoque singulare est pro plurali, & *asini* dicuntur oro *mulis*) *alter camelis vectabatur.* Elymæi, ut & Persæ, mulis utebantur, Medi, ut Bactris propiores, camelis. Per *duos* ergò illos *currus* intellexit speculator ab Esaia positus quæ gentes expugnaturæ essent Babylonem.

8. *Et clamavit leo*] Legerunt Græci אוּרִיָּה, id est, *Vrias* ille nominatus suprà VIII. 2. Quis enim dignior in specula collocari quàm Sacerdos?

9. *Ecce iste venit ascensor vir bigæ equitum*] *Venit currus* (unus & alter) *& singulis duo insessores.*

Cecidit, cecidit Babylon] Planè cecidit. Eadem verba de Roma usurpat Johannes in Apocalypsi XIV. 8.

10. *Tritura mea, & filii areæ meæ*] Hæc referenda ad Babylonem, quæ Medo sit futura ut id quod in area à bubus calcatur.

Quæ audivi à Domino exercituum Deo Israel, annuntiavi vobis] Hucusque verba Vriæ renuntiantis Esaiæ quæ de specula Deo procurante viderat.

11. *Onus Duma*] *Tristis Prophetia contra Ismaëlis posteros.*

Ad me clamat ex Seir] Quidam ex Idumæis illis ad mare habitantibus ad me clamat, ait Duma.

Custos quid de Nocte] Miles quid ità de nocte advenis? milites honorifico vocabulo appellantur *custodes terræ.*

12. *Dixit custos: venit mane & nox*] Id est, floruit Babylon, sed cecidit.

Si quæritis, quærite] Frustra eam quæretis.

Convertimini, venite] Id est; venite quam primum ad nos tuendos qui periculo propriores sumus. *Convertimini*: id est, vertite vos ad nos.

13. *Onus in Arabia*] *Triste vaticinium contra Arabas Cedarenos.*

In saltu ad vesperam dormietis, in semitis Dedanim] Meliùs vertas: *An ità quiescetis in saltu Arabum, viisque Dedanim?* De *Dedan* vide XXV. 3. An nunc tempus est otiandi?

Occurrentes sitienti ferte aquam] Tempus erat jam refovendi Assyrios federatos vestros.

Qui habitatis terram Austri] Meliùs: *ô incolæ Themæ.* Vide Genes. XXV. 15.

Cum panibus occurrite fugienti] Assyrio.

15. *De facie enim gladiorum fugerunt*] Medis insequentibus.

16. *Hæc dicit Dominus ad me*] Hoc quod dicam, mihi Deus ipse patefecit.

Adhuc in uno anno, quasi in anno mercenarii] Vide suprà XVI. in fine.

Et auferetur omnis gloria Cedar] Cedræorum sive Scenitarum Arabum, qui ab Ismaële nati, Genes. XXV. 13. cum posteris Cethuræ in unam gentem coaluerant. Videtur autem hoc malum Arabibus istis illatum per Æthiopas.

CAP. XXII.

MUNSTERUS.

1. VAllis visionis] Hæc est Jerosolyma, quæ propter Prophetias vocatur *Vallis visionis.* Et ipsâ obsessâ à Rege Babylonis, confugerunt habitatores ejus ad *tecta* & ad loca quæque sublimiora, ubi vel tuti essent, vel unde se defendere possent. Et quæ priùs fuit populosissima, *plena strepitu hominum* & *exsultans* in abundantia rerum temporalium, tempore obsessionis amisit magnum hominum numerum, *non gladio* sed fame *intereuntium.* Et qui *fugerunt* diruptâ civitate, *à sagittariis comprehensi, vinculis ligati sunt.*

5. *Et dissipationis*] Est מְבוּכָה propriè *perplexitas animi*, quando nescis quò te vertas. ¶ *Diruens civitatem*] i. Quoniam hostis subvertit civitatem, *clamor ad montes usque* tollitur! ut sit שׁוֹעַ idem quod שַׁוְעָה.

8. *Operimentum*] Per hoc putant intelligendum Templum, quo Judæi se putabant protegendos à quolibet hostis incursu. Alii fidebant munitionibus urbis. *Respexistis*, inquit, *ad armamentarium, ad domum saltûs*; unde proferebantur arma & tormenta.

10. *Numerastis domos*] Quæ redundantes repertæ sunt *diruerunt*, & cum lapidibus earum *diruptiones muri obstruere* fategerunt. Et loquitur Propheta per verba præteriti temporis, licèt hæc omnia suo tempore adhuc futura essent, propter certitudinem Prophetiæ.

13. *Ecce habent gaudium*] i. Cùm hæc à Propheta prædicerentur, populus incredulus verba ejus deridens à luxu vitæ non abstinuit, sed in Prophetæ contemptum dicebat, *Comedemus & bibemus: cras enim*, ut ille delirus ait, *moriemur.* Et nota quòd omnia verba hujus Pasuc ponuntur in infinitivo: ideo perperàm quidam hîc vertit verbum שָׁתוֹ pro *bibere illud*, cùm Vau ponatur loco He.

16. *Quid est tibi hic*] Putant hunc *Sebnam* alienigenam fuisse, & Jerosolymitanis suasisse nè audirent Prophetas. Jubetur igitur Propheta contra eum vaticinari, quia fuit potens in aula, arrogans & ambitiosus, quem nemo audebat reprehen-

dere præter Isaiam. *Dominus*, inquit, *subvertet te*, &c. Insignis est locus, docens quomodo pestilentes expelli debeant è Repub. & pii liberari à Tyrannis.

18. *Longinquam manibus*] Hebraismus est, pro *longo distantem intervallo.*

19. *Propulsabo te*] Verba sunt Dei. Et mox loquens Propheta de Deo, dicit in tertia persona, *subvertet te*, &c.

21. *Tunicis tuis*] h. e. Omnia ornamenta tua & officia quæ habuisti in domo Regia tradam Eliakim: sed & *clavem dabo* illi, h. e. Consiliarius Regis erit: & quicquid ille consuluerit fiet, & quod dissuaserit vitabitur. Hoc significat hic *claudere* & *aperire*. Et quod sequitur de *clavo fideli* figurativa locutio est, quòd Eliakim solidum possidebit dignitatis gradum, de quo gloriabuntur omnes posteri ejus, majores & minores, cujuscunque sint ordinis & gradûs.

25. *In die illa recedet clavus fixus*] De Sæbna dictum putant.

VATABLUS.

1. PRophetia Vallis visionis [משא גיא חזיון] *Prophetia vallis visionis.* Vide suprà 13. 1. *Vallem visionis* juxta Hebræorum interpretes vocat Jerusalem, quòd victa & destructa demittenda esset in vallem; *Visionis* verò, propter Prophetias. Quidam Tribum Juda significari dicunt quæ circumquaque montibus cingebatur. ¶ *Nunc* אפוא] i. Quid tibi accidit quòd salutis causâ ascendas in tecta?

2. *Tumultibus plena* הומיה] *Fremens, vociferans*: q. d. Quæ antea populosa eras, & ob id plena clamoribus & strepitibus & lætitiâ, voluptati dedita, non bello morieris, sed fame.

3. *Fugerunt* נדדו] *Profugi facti sunt: profugerunt.* Vertunt quidam hæc omnia præterita per futura, *fugient, ligabuntur, vincientur.* Prædicit fugam Sedeciæ & nobilium. ¶ *A jaculatoribus* מקשת] Ad verb. *ab arcu*, i. à ferentibus arcum. ¶ Et sic qui *procul fugerant* מרחוק ברחו] Qui *à longinquo fugerant.* Alii, & *longissimè aufugerunt.* Alii, & qui *eminus fugient*: i. etiam cùm procul fuerint ab Jerusalem, adhuc fugient: q. d. Omnes, sive fugerint sive non, venient in potestatem hostium.

4. *Cessate à me* שעו מני] *Sinite me.* Alii, *Dimittite me.* Alii, *Avertite* oculos *à me.* ¶ *Me*]: Vel, animam meam. ¶ *Ne festinetis* אל תאיצו] i. Nè incumbatis in hoc ut me solemini. Alii, *Nè contendatis.* Alii. *Nè urgeatis ut consolemini me.* ¶ *Filiæ populi mei* בת עמי] i. Congregationis hominum gentis meæ.

5. *Contritionis* מהומה] *Commotionis*, vel *perturbationis.* ¶ *Et coartationis* ומבוכה]. *Et perplexitatis*, vel *confusionis.* Quidam *dissipationis.* h. e. Brevi inducturus est Dominus diem quo fracturus est vires hujus populi, & conculcaturus ac perditurus eam urbem. ¶ *Diruens parietem* מקרקר קר] Ad verb. *exparietans parietem*: i. diruet hostis parietem. Alii, *subruet hostis murum*, sub. *urbis.* Nonnulli jungunt ablativo, sive dativo *Domino*, sic, *diruenti urbem*, *& clamanti ad montem*: sive à *Domino Jehovah exercituum in Valle visionis, diruente urbem*, *& clamante*, &c. Quidam convertunt singularia hæc in pluralia, *Subruent murum*, *& clamabunt ad montem*: q. d. Et interim hostes illi qui subruunt murum, exhortabuntur alios ut ingrediantur urbem, quam hic vocat *montem*, respiciendo situm, quòd esset sita in monte. Alii referunt hoc ad cives Jerusalem, acsi dicat, *Cum clamore conferent sese in montem*: vel, *egredientes cohortabuntur sese ut confugiant ad montem tutissimum.*

6. *Sumpsit* נשא] Præterita sunt Hebræis, ut & aliis seq. versibus, quibus rem futuram tanquam jam factam narrat: ea quidam vertunt in futura, *tollet, sumet*: q. d. Elamitæ venient oppugnatum Jerusalem ferentes pharetras. Erant autem milites conductitii, ut plurimùm arcubus utentes. ¶ *Equitum* פרשים] Significat milites tam qui vehuntur equis quàm qui vehuntur curribus. *In curru hominis & equitum* dixit pro *in curribus quibus milites vehuntur.* ¶ *Et Cir*, &c. וקיר ערה מגן] *Et Cir manifestabit clypeum.* Sing. pro plur. i. depromet & exseret clypeos: q. d. è Cyrene venient qui oppugnabunt Jerusalem. Alii vertunt, *& parieti adhæsit clypeus.* Vel, *& parieti adhærere fecit clypeum*, ad pugnandum scilicet contra civitatem, & sub illis clypeis perfodere murum. Latiniùs verteris, *Et ad murum admovebit testudines.* Solent enim obsidentes admovere testudines muro urbis quam obsident, nè scilicet cives impediant quominus illi murum subruant; & ut interim ipsi defendantur illis testudinibus ab injuriis civium.

7. *Et fuit*, &c. 'ויהי וג] Ad verb. *Et erit*, *electio vallium tuarum repletæ sunt curru.* Præt. Heb. pro fut. Quidam Hebraismum sic convertunt, *Optimæ autem valles tuæ replebuntur* *curribus.* Alii, *Fuitque electissima vallium tuarum plena curribus.* ¶ *Locando locaverunt*, &c. שות שתו השערה] Præt. Heb. pro fut. *ponendo ponent versùs portam*, sub. *faciem suam*: i. convertent se ut oppugnent portas tuas. Quidam subaudiunt מלחמה *pugnam*, sive *bellum*, vertentes, *Dirigent aciem contra portam.*

8. *Et discooperuit* ויגל] Præt. Heb. pro fut. Quidam totum versum sic convertunt, *Et revelabit* hostis *operimentum Jehudah: aspiciétque* Jehudah *eo tempore ad arma domûs saltûs*, i. palàm erit Judam esse Dei auxilio destitutum, & ab eo desertum: propterea ad armorum auxilia confugient potiùs quàm ad Dei præsidium.

11. *Et lacum* ומקוה] Ad verb. *& congregationem*, i. stagnum, sive scrobem, sive foveam magnam. Contentum pro continente. ¶ *Aquis* למי] *Propter aquas*: i. ad recipiendas aquas quæ effluunt ex piscina illa prisca, ut habeatis aquam necessariam ad murum faciendum. ¶ *Nec suspexerunt* ולא הבטתם] Quidam liberiùs, *non habitâ ratione illius qui eam fecit.* ¶ *Et formatorem*, &c. ויוצרה מרחוק] *Et ad Factorem ipsius delonge*: vel *eminus*, sive *ab antiquo*, i. ad eum qui olim fecit illam: sive, ad priscum autorem illius piscinæ: q. d. Non confugietis ad Deum, sed ad vestram prudentiam.

12. *Et ad cingulum sacci* ולחגר שק] *Et ad induendum saccum.*

13. *Occidere boves*, &c. 'הרג וג] Infinitivi sunt Heb. pro futuris & imperat. ut quidam vertunt, *Interficietis boves*, *& occidetis oves*, *comedetis carnes*, *& bibetis vinum*: dicetisque, *Comedamus & bibamus: cras*, &c.

14. *Et revelabitur* ונגלה] *Et revelatum est*: q. d. Hoc non latebit me; nam audiam & intelligam. Hebraismus. ¶ *Si expiabitur* אם יכפר] *Si condonabitur. Si remittetur*, sub. *ne posthac credatis me veracem esse*, aut quid simile.

15. *Vade, ingredere* לך בא] *Age, vade.* ¶ *Qui est super domum* אשר על הבית] Hebraismus, *præfectum domui*, sive *regiæ*, sub. *Ezeciæ.*

16. *Et quis* est *tibi* ומי לך] i. Quos habes hîc propinquos, cùm sis proditor heri tui? Ex obliquo ostendit eum fuisse alienigenam & externum. ¶ In *excelso* מרום] Ad verb. in *altitudine*: i. loco alto & eminenti. ¶ *Sculpit* חקקי] *Insculpit, cavat.* Alii *statuit.*

17. *Migrare facit*, &c. 'מטלטלך וג] *Curabit te transportandum asportatione viri*, i. in regionem remotissimam. Solent enim longiùs asportari viri quàm mulieres. Alii *asportatione insigni.* Alii, *traducet te in captivitatem, ô vir*, i. ô tu qui modò fidis viribus tuis, & putas te magnum esse. ¶ *Et amiciet*, &c. ועוטך עטה] *Et operiet te operiendo*, i. obruet te confusione & opprobrio.

18. *Latam locis* רחבת ידים] Ad verb. *Latam manibus*, i. locis. Hebraismus, pro *spatiosam & amplam.* Alludit ad jactum pilæ sive globi qui per locum planum facilè discurrere solet. Quidam subauditis pauculis vertunt, *Convolvendo volvet te* Jehovah *convolutione*, & quasi *globum*, *in terram longinquam manibus* projiciet. ¶ *Currus gloriæ tuæ* מרכבות כבודך] Hebraismus, pro *currus*, *quibus utebaris cùm eras in gloria Jerosolymis*, *erunt tibi ignominiosi*, *quia domum domini tui voluisti prodere.* Quidam vertunt, pro *curribus gloriæ tuæ ignominia*, &c.

19. *De statu*, &c. וממעמדך יהרסך] *De statione quoque tua destruet te*: vel *dejiciet.* Personæ mutatio subita, pro *dejiciam*: nam Deus loquitur de se in tertia persona: i. Privabo te omni honore. Metaphora à domibus, quæ cùm diruuntur, lapides deorsum dejiciuntur.

20. *Vocabo* וקראתי] Ad verb. *& vocabo.* Redundat ו more Hebræorum. *Vocabo* autem pro *efficiam ut Ezecias vocet eum*, *& sufficiat in locum tuum.*

21. *Et erit in patrem*, &c. 'והיה לאב וג] Hebraismus, pro *moderabitur cives Jerusalem affectu paterno.*

22. *Et ponam clavem*, &c. 'ונתתי מפתח וג] Hebraismus, pro *donabo illum consilio quo totam aulam Ezeciæ possit regere*: *quicquid statuerit*, *fiet*: *quicquid fieri noluerit*, *non fiet.*

23. *Ut clavem in loco stabili* יתד במקום נאמן] Tanquam *paxillum in loco fideli*, i. firmo & stabili. Paxillum intelligit parieti affixum in quo suspenditur supellex. Gallicè *cheville.* Acsi dicat, Eliacim plurima negotia domûs Ezeciæ sustinebit, & sors illius erit stabilis: reddétque familiam paternam clarissimam ac nobilissimam.

24. *Et suspendent*, &c. 'ותלו עליו וג] Perstat in Metaphora sua, *Inferet*, inquit, *nobilitatem in domum suam*, *illique acceptum referent omnem suum splendorem & claritatem.* ¶ *Filii & nepotes* הצאצאים והצפעות] *Filii & filiæ.* Alii, *nepotes*

tes & neptes. Chald. Par. *filii, & filii filiorum*, i. nepotes. ¶ *Vas parvum* כלי הקטן] *Vas parvi*, sub. *ministerii*, sive *ignobilioris*; h. e. dignitatis, sive honoris mimini. Alii subaudiunt *hominis*, i. qui fuerint inferioris conditionis: q. d. Omnes gradus honoris, & cujuscunque generis. ¶ *Nebelim* הנבלים] *Melodiarum.* Vel *musica.* Quidam *choros* vertunt. Alii *tympana*, alii *nabla*, alii *lyras.* Est autem genus pro specie; i. tam vasa quæ pertinent ad mensam quàm quæ pertinent ad musicam.

25. *Removebitur* תמוש] *Recedet*, *loco suo movebitur.* ¶ *Clavus* היתד] *Paxillus*, de quo v. 23. ¶ *Onus* המשא] i. Quod dependebat ex eo: q. d. Qui pendebant ab eo, corruent.

CASTALIO.

1. IN *fatidicam vallem*] Hierosolymam.

3. *Omnes tui primates emigrarunt simul*] In exsilium. ¶ *Sine arcubus vincti*] Sine prælio. Idem antè dixerat, *Non ense saucii.*

8. *Spectabis ad arma domûs silvestris*] Erat à Solomone constructa domus Hierosolymis in qua arma ponebantur 3 Reg. 7.

9. *Cogetis aquam inferioris piscinæ*] Scilicet ad intritam.

CLARIUS.

1. ONus *Vallis visionis*] Hæc est Hierosolyma, quæ, quia seminarium erat Prophetarum, vocatur *Vallis visionis: vallis* tamen, quia ab hostibus dejecta. Et hàc obsessâ à Rege Babylonis, confugerunt habitatores ejus ad *tecta* & ad loca quæque sublimiora, ubi vel tuti essent, vel unde se defendere possent. Et quæ priùs fuit populosissima, *plena strepitu* hominum ob *frequentiam*, & *exsultans* in abundantia rerum, tempore obsidionis amisit magnum hominum numerum *non gladio* sed fame *pereuntium.* Et qui *fugerunt* direptâ civitate, *à sagittariis comprehensi*, *vinculis ligati sunt.* Vide 4 Reg. ult. de Sedechia.

5. *Rumpens murum*] h. e. Quoniam hostis subvertit civitatem *clamor ad montes* usque tollitur.

8. *Operimentum Juda*] Putant intelligendum Templum, quo Judæi existimabant se protegendos à quolibet hostis incursu. Quam ob causam etiam Uriam, Micheam, Jeremiam morti adjudicarunt, quia adversùs Civitatem & Templum prophetarunt. ¶ *Et videbis*] h. e. *Spectabis armamentarium domûs saltûs*, cùm defecerit fides in Deum.

9. *Et scissuras civitatis*] Nempe reparandas. Alii intelligunt fenestras & foramina, è quibus se defendere poterant. Sic objicit quòd *congregaverint aquas cisternarum*, cùm è cœlo potiùs auxilium præstolandum esset.

10. *Et domos Jerusalem numerastis*] Quæ redundantes repertæ sunt diruerunt, & cum lapidibus earum diruptiones muri obstruere satagerunt. Et loquitur Propheta per verba præteriti temporis, licèt hæc omnia suo tempore adhuc futura essent, propter certitudinem Prophetiæ.

11. *Et lacum*] Collectionem aquarum.

13. *Et ecce gaudium*] Cùm hæc à Propheta prædicerentur, populus incredulus verba ejus deridens à luxu vitæ non abstinuit, sed in Prophetæ contemptum dicebat, *Comedemus, & bibemus: cras enim*, ut ille delirus ait, *moriemur.*

16. *Quid tu hic?*] Vel, *Quid tibi*, scilicet *rei est?* Putant hunc *Sobnam* alienigenam fuisse, & Hierosolymitanis suasisse nè audirent Prophetas. Jubetur ergò Propheta contra eum vaticinari.

18. *Et apprehensâ comâ*] Hic usi sumus paraphrasi ut apertiorem locum faceremus. Heb. habet, *pila in terram longinquam manibus*, vel potiùs *latam manibus*: nam perstat in Metaphora Pilæ.

21. *Tunicâ tuâ*] h. e. Omnia ornamenta tua & officia quæ habuisti in domo Regia tradam Eliachim. Sed & *clavem dabo illi*, h. e. Consiliarius Regis erit. Et quicquid ille consuluerit fiet, & quod dissuaserit vitabitur: hoc enim significat hîc *claudere & aperire.* Et quod sequitur de *paxillo* sive *clavo fideli*, figurata locutio est; quòd Eliachim solidum possidebit dignitatis gradum, de quo gloriabuntur omnes posteri ejus, majores & minores, cujuscunque sint ordinis & gradûs.

25. *In die illa auferetur paxillus*] De Sobna dictum putant.

FORERIUS.

1. VAllis *visionis*] Manifestum est quòd de Jerusalem sit sermo; Quæ cùm non in valle sita fuerit, ideo *Vallis visionis* dicitur quòd in eam veluti in vallem visiones Prophetarum confluerent, & super Jerusalem multæ visiones factæ fuerint Prophetis. Vel allusio est ad Montem in quo *Dominus vidit* seu *providit sibi de victima*, qui *Moriah* dicebatur, in quo postea Templum fuit constructum; quòd scilicet jam indigna esset Jerusalem in qua Dominus aliam sibi victimam provideret quæ mactari deberet: sed ipsa Jerusalem funditus everti ob sua scelera merebatur, ut jam non *Mons visionis* sed *Vallis* dicenda esset. Favet huic expositioni interpretatio Vulgata, quæ in eo loco Gen. 22. MORIAH *Visionem* interpretatur, quasi esset à verbo ראה, mutatâ א in Jod, & per anticipationem sic dictus sit mons ille, & nomen sortitus sit postea à *provisione* illa victimæ pro Isaac. Quam Etymologiam non est cur quis improbet, alias vide suo loco. Fortè ad ipsum nomen *Jerusalem* est allusio, quasi voluerit Propheta nomen invertere. Nam, ut 1. cap. dictum est, nomen *Jerusalem* dictum erat à *celsitudine*, quasi *conspicua Salem.* Nunc autem jam indigna videretur hoc nomine, & *Vallis* potiùs dicenda esset, sed *visionis*, quia omnium ferè Prophetarum esset quasi subjecta materia & scopus. ¶ *Quidnam tibi*] Hic Hebraismus per verbum *habes* optime redditur. Admiratur Propheta subitam rerum permutationem. Estque de ea vastatione sermo quæ sub Zedechia facta fuit. In perturbationibus autem magnis & tumultibus consueverant cives tecta conscendere, ex quibus possent & meliùs percipere causas tumultûs, & tutiores esse. Notum est autem plana fuisse tecta olim in Palæstina & in calidis regionibus aliis.

2. *Clamoris*] Nomen plurale תשאות est à verbo שאה, i. *repente irruit*, *obruit cum magno impetu*, *fragore & strepitu*: unde nomen *sonitum*, *vociferationes*, *tumultuationes* certum est significare. Hic autem puto incipere narrationem malorum, *Urbs frequens*, *civitas exsultans*, *plena est tumultuationibus.* ¶ *Frequens*] Malui cum Vulg. sic vertere quàm *sonoram*, *garrulam* aut *obstreperam*, ut alii vertunt. Nam quamvis hæ significationes conveniant cum radice המה, tamen video derivatorum significationes latiùs patere. Significat ergò הומיה *frequentiam* substantivè, & in plurali ipsas *turbas*, ut Prov. 1. Et est epitheton laudis, sicut & quod sequitur *civitas exsultans.* ¶ *Interfecti tui*] Ex tumultuationibus sequuntur cædes, & rursus ex cædibus tumultuationes oriuntur. Vox autem Hebræa & *vulneratos* & *interfectos* sign. nam verbum חלל sign. in genere *vim pati*, *violentari*, *profanatum esse*: unde nomen ad *vulneratos* & *interfectos* extenditur.

3. *Cuncti Principes*] Ità legitur ultimo capite lib. Reg. & in Jer. quòd *omnes viri fortes cum Rege aufugerint.* ¶ *Duréque*] מקשת *arcus* est: unde nonnulli conjungunt cum verbo *fugerunt*, quòd *ab arcu fugerent.* Alii *ab arcu ligati sunt*, i. à sagittariis. Ego Mem pro *præ* & comparativa particula acciperem, quasi significet eos *magis vinctos quàm astringatur arcus.* Et hunc sensum expressit Vulg. In gratiam tamen curiosi lectoris aliam interpretationem adducam, quam etsi non sequor, existimo tamen meritò reprehendi non posse. Est Hebræis verbum נקש, quod, quantum conjicere potui, est *cursu capi* seu *intercipi.* Nota autem est lex hujus ordinis verborum, ut in infinitivo hanc habeant formam quam hic vides. Unde sic verti posset, *à capiendo vincti sunt*: i. fugerunt; sed ubi cursu intercepti sunt à Chaldæis; vincti adducti sunt: de aliis autem qui in civitate inventi sunt sequitur, *Omnes inventi tui*, &c. ¶ *Procul fugerunt*] i. Transmissi sunt: nam & id patitur usus verbi ברח: & Mem hoc loco in dictione מרחוק non habet vim præpositionis *à* vel *ab*, *à longè*, &c. sed absolutè, *longè*, *procul*, &c. ut infrà 23. 6. & alibi.

4. *Recedite*] Verbum שעו juxta variam constructionem variè reddere oportet, & quidem cum ablativo mediante præpositione Mem sign. *divertere*, Job. 14, &c. ¶ *Amare flebo*] Sensum optimè reddidit Vulg. ego verba expressi, quòd manifestus esset Hebraismus. ¶ *Nolite incumbere*] Sensum reddidit: ego significationem verbi retinui, *ne urgeatis*, &c. Quanto studio patriam suam civitatem Hierosolymitanam & populum Dei prosecutus fuerit his verbis ostendit Propheta: neque enim cum a fletu cohibebat, intelligere à Deo proficisci ultionem & vastationem illam. Et hæc sunt sanctorum viscera etiam in punitionibus peccatorum.

5. 6. *Dies enim ultionis*, &c.] Hæc est, inquit, mœstitiæ meæ causa, Constituit *Dominus meus Jehova exercituum*, cœli & terræ Moderator, sibi *diem* in quo Hierosolymitanos, ad quos omnes Prophetarum *visiones* diriguntur, *conturbet*, *conculcet*, *distrahat ac disperdat.* Hunc diem ostendit mihi Dominus. Quæ autem sequuntur sunt descriptio hujusce tumultûs ac distractionis. Per Hypotyposim enim describit adventum hostium, & quæ Jerusalem sit perpessa. Sunt autem singularia pro pluralibus, figura Hebræis frequentissima. Adsunt;

ſunt, inquit, *deſtructores murorum*; *clamores* ſeu *acclamationes ad montes* extenduntur. Peritiſſimi etiam adſunt ſagittarii: neque deſunt *currus* aut qui ex eis prælientur vectores: *ſcutariorum* quoque militum non deeſt multitudo. ¶ *Interfectionis*] Verbum מהו *turbationem* propriè notat: ſed Vulg. *eam perturbationem* ſeu *tumultum* intelligit *qui fit dum interficiuntur cives.* ¶ *Fletuum*] Vulg. deduxit nomen à בכה: ideo *fletum* vertit. Eſt autem ſingulare, & deduci poteſt à בוך. ¶ *Scrutans murum*] מקרקר participium eſt verbi geminati, quod formari videtur à nomine קיר quod *parietem* ſeu *murum* ſign. Porrò geminatum illud verbum, ut nonnulla alia ſecundæ conjug. à nominibus formata, ſignificationem quodammodo contrariam habet nomini; q. d. *exparietavit*: hinc participium vice nominis pro *iis qui ex officio habent parietes ſeu muros ſuffodere.* In hac autem vaſtatione de qua eſt ſermo *muri* Civitatis *diruti* ſunt. Vide ult. caput lib. Reg. ¶ *Magnificus*] Non dubium quin Vulg. nomen שוע à verbo ישע deduxerit, ſicut infrà 32. *opitulator*, ubi *magnificum* vertit Vulg. Poteſt autem eſſe & à verbo שוע, quod *vocem extendere* ſign. & pro *acclamatione* accipi. Libenter ego hoc loco intelligerem *illos qui montes diruunt & complanant ad expugnationes urbium*; unde terram ad aggeres circa muros collocandos afferunt: vel pro ipſa *acclamatione militum quæ in montibus reboat.* ¶ *Ælam*] Non hic pro ipſis *Ælamitis* ſeu *Perſis* accipio, ſed pro *peritiſſimis ſagittandi*; eo modo quo *Arabs* pro *latrone* accipitur Hebræis. Sic etiam accipio in hoc eodem verſu קיר pro *Kireis*; *Kireos* verò, non qui ex illa civitate eſſent Moabitarum de qua ſuprà in vaſtatione Moab dictum eſt, ſed pro *ſcutatis militibus*; quòd Kirei, ut ajunt, in eo genere armorum excellerent, ſicut Perſæ in arte ſagittandi, aut Parthi. Sed quia קיר etiam *parietem* deſignat, Vulg. *parietem* dixit *denudatum clypeo*. Pendent enim ex parietibus clypei. Quòd ſi priorem ſenſum ſequaris, dicas clypeos ſervari obtectos coriis vel aliis operimentis; inſtante autem pugnâ nudari. Poſſumus & verbum ערה pro *evacuare* accipere, q. d. *Civitas Kir videtur effudiſſe turbam ſuorum ſcutariorum.*

7. Verſus hic ad ſuperiores etiam pertinent. *Electæ valles*, &c.] Senſum expreſſit Vulg. neque ineruditè. Ad verb. in Hebræo eſt, *electionem vallium tuarum impleverunt currus*, &c. ubi רכב collectivè accipitur, & פרשים pro *equis & aliis animalibus quæ currus trahunt*: & cum verbo *impleverunt* conjungenda puto. Vulg. pro *equitibus* accepit PERASIM, ut interdum videtur accipiendum. ¶ *Ponent ſedes*] Senſum expreſſit, non verba: & videtur hoc retuliſſe ad ingreſſum Principum Regis Babylonis, de quibus dicit Jeremias c. 39. *Ingreſſi ſunt omnes Principes Regis Babylonis, & ſederunt in porta*, &c. Poſſumus tamen hæc de caſtrametatione illa intelligere quæ fuit ante quàm aperiretur Civitas: quod audaciam atque potentiam hoſtium ſignificat. Quòd autem verti *ponendo poſiti ſunt ad portam*, nemini mirum videatur: nam ſi ſine caſu ponatur verbum שית ſignificationem neutralem habet, ut Pſ. 49. *Tanquam oves in inferno poſiti ſunt.*

8. *Revelabitur*] Optimè Vulg. tertiam perſonam activam accepit quaſi imperſonaliter. Quid autem per *operimentum* ſeu *tegumentum* accipiamus non uſque adeò manifeſtum eſt. Quidam non indoctè hoc ad theſauros refert; *revelabitur abſconditum*, ſeu *revelatum eſt*, ut incipiat narrare quæ ipſi obſeſſi fecerint. Alii pro *antemurali* accipiunt, & ad hoſtes referunt. Sed prior expoſitio magis mihi arridet, & ſequentibus convenit. Nam inter alia quæ, qui ſe humanis viribus defendunt, præ oculis habent, non inferiorem locum habent pecuniæ, quæ ſunt bellorum nervi. Intimis autem & abſconditis theſauris non ſolent parcere obſeſſi. ¶ *Armamentarium*] Simul etiam armorum omnis generis rationem habet. Nomen נשק generale eſt ad omnem *armaturam*: neque dubito quin hoc nomen Paulus Græcè reddiderit πανοπλία, quod Ambroſius vertit *univerſitas armorum*, Eph. 6. *Quapropter aſſumite πανοπλίαν, ut poſſitis reſiſtere in die mala, & omnibus profligatis conſiſtere*, &c. & poſtea ſpecies aliquot armaturæ hujus enumerat, non aliter quàm Ezechiel c. 39. ubi ponitur initio hoc nomen, poſtea ad ejus ſpecies deſcenditur, *ſcutum*, *peltam*, *arcum*, *ſagittas*, &c. Ex eo autem loco & Job. 20. & 1 Reg. 10. etiam hanc eſſe vocis ſignificationem comprobatur. Sed hoc non obeſt quò minùs pro ipſo *armamentario* accipi poſſit. Hic tamen pro *armatura* potiùs acciperem, quæ repoſita erat in eo loco qui dicebatur *domus ſilvæ*; vel quòd Reges ibi haberent arma quibus utebantur in venatione; vel ob denſitatem & multitudinem armorum *domus ſilvæ* dicebatur. Cæterùm quod ad Etymologiam attinet, quidquid alii dicant, ego cum ſiniſtro puncto ſcribendum exiſtimo, reclamantibus licèt Maſſoritis, quòd à verbo נשק, i. *ſuccendit ignem*, deductum videatur. Unde Ezechiel c. 39. alludens ad ipſam nominis originem ait quòd *accenderent ignem cum* נשק: ubi & eodem verbo uſus eſt ובערו והשיקו בנשק, neque aliis lignis opus foret. Ratio autem in promptu eſt, quòd bella, quæ armis geruntur, Igni comparentur in Scripturis: unde & ipſa armatura, quâ bellum geritur, hoc nomine, quaſi incentiva illius ignis, meritò appellatur.

9, 10, 11. *Videbitis*] Heb. in præterito *vidiſtis*, i. *Cùmque videretis* rupturas murorum & ipſius arcis Tſionis *diſſectiones*, quas hoſtes machinis bellicis faciebant, *aquas congregaſtis, & domos demoliti eſtis*, &c. *ad reficiendos muros*, &c. *Numeratio domorum* ad hoc erat, ut juxtà numerum & proportionem loci quem occupabant, aut ſolverent aut etiam diruerent quantum neceſſarium judicarent Magiſtratus civitatis. Denique omnia ab ipſis præſtita fuiſſe quæ humana prudentia neceſſaria judicaſſet, inſinuat. ¶ *Non ſuſpexiſtis*] Cùm omnia facerent quæ humana providentia facienda judicaret, Dei, qui conatus noſtros aut irritos reddit aut finem optatum conſequi facit, quem tanquam omnium actionum noſtrarum finem atque principium deberemus ſuſpicere, Dei, inquam, *in quo vivimus, movemur & ſumus*, obliviſcebantur, neque ejus auxilium implorabant: aut à peccatis, quibus iram ejus provocaverant, abſtinebant: ad quem vel ob illam rationem reſpicere debuiſſent, quòd is ipſe diceretur *conſtructor* civitatis & arcis illius, ubi etiam erat Templum, cujus ædificii ratio tota à Deo fuerat profecta. ¶ *De longè*] Vel, *de longinquo*, i. veterem & antiquum, qui olim civitatem ipſam formaverat, cujus muros deſcriptos in manibus gerebat & tecta. Ego, inquit, Dominus ſum civitatis & domorum: quid eſt quòd inconſulto me *domos recenſuiſtis ac demoliti eſtis?* Quid putas dicturum Deum in eos qui Eccleſiam Chriſti, quam ſanguine ſuo fundavit, erexit atque ſtabilivit, devaſtant? aut qui humanâ tantùm ſapientiâ fulti diſſectionibus & rupturis ejus obviare volunt, neque eum conſulunt quid fieri velit, neque eum deprecantur ut iram ponat, hoſtes profliget, diruta reſtauret; neque à peccatis manus avertunt, quinimo illis ipſis ſanguine tinctis domum ac civitatem Dei communire præſumunt? O cœcas hominum mentes! ô inauditam temeritatem! ô ſtolidam ſapientiam! Ad *Factorem*, ad Formatorem ejus quoadusque non reſpicietis? Sed quid aliis verbis in iſtos amentes homines quàm ipſius Prophetæ invehimur?

12. *Vocavit ad fletum*] Vel Jeroſolymitanos; vel, conſtructione Hebræis familiari, *vocavit ad fletum*, i. compellavit. Fletum, ut ſcilicet veniret. Ubi ſunt hæretici, qui fletum & planctum, victúmque planctui conſentaneum, aſperiorémque veſtitûs rationem damnant, neque de mente Domini eſſe dicunt? Quid Spiritus dicat non intelligunt delicati carnis auditores & ſenſûs mancipia. Nónne apertè ſignificat Propheta hoſtes inſtare, & omnia in circuitu civitatis hoſtilia eſſe, voces eſſe Dei quibus homines ad fletum provocat & ad pœnitentiam invitat? Huc tendunt minæ; in hunc finem adducit hoſtes & immittit adverſa. Quiſquis eo tempore aliud facit, Deum non intelligit, Spiritum non audit, Deo non obtemperat. Sed quid cives Jeroſolymitani?

13. *Et ecce gaudium*, &c.] Hæc manifeſtum eſt in adverſis Domino diſplicere, & quæ ſequuntur. Ut quàm iniqui ſint novi hæretici in delectum ciborum, vel ex hoc loco percipiat pius & fidelis lector. Nam ſi cùm opus erat Dominum in luctu deprecari ut hoſtes ſubmoveret, indignum dicit Dominus quòd *comederent carnes & vino indulgerent*, quis ſanæ mentis non videat inſtitutionem Spiritu S. dignam eſſe, ut illis diebus quibus aut Paſſionem Domini aut Sanctorum tranſitum celebramus, aut etiam quibus anteactam vitam deflere præceptum eſt, à carnibus & delicatis omnibus abſtineamus? Sed hæc interim omittamus. Illud interim de verbo *mactandi* ſeu *jugulandi* admonendum duxi Lectorem, quòd שחט ſignificet Hebræis non ſolùm *mactare*, ſed *expanſam pecudem mactare, ut ſanguis largiùs effluat.* Hujus indicium præbet participium ſignificationis paſſivæ שחוט, quod *expanſum* ſign. ut 2 Par. 9. *Fecit Rex Salomon ducenta ſcuta ex auro expanſa.* Quo etiam verbo uſus eſt Moſes in ſacrificio Iſaac; ubi quaſi in typo Moſes hoc verbo præmonſtrare voluit quòd Chriſtus victima expanſione in cruce mactandus erat, & ſanguis ejus copioſè effundendus in emundationem peccatorum noſtrorum. De cæteris vocibus ſatis ſuprà dictum eſt. ¶ *Comedamus & bibamus*] Infinitiva ſunt in Hebræo: ſed Vulg. quid vellent optimè expreſſit; quod & Paulus quoque in eundem modum interpretatus eſt. Hic mecum interim conſidera cœcitatem hominum qui juxta carnem vivunt: ex hoc enim quòd *poſtridie ſint morituri* inferunt hodie genio indulgendum: at Spiritus Domini,

nè

nè postridie moriantur, hodie abstinentiam & carnis macerationem suadet. Cujus sensum qui cum Paulo habent, ideo duriter vivunt quòd Mors sit in januis: & quia *figuram habitumque mundi transire* animadvertunt, non rident, non lætantur, sed omnibus *utuntur ac si non uterentur.*

14. *Et revelata est vox*, &c.] Vulg. doctè admodum expressit sensum, supplens nomen *vox*. Nemo enim putare debet quòd de *auribus Domini* sit sermo, ut quidam qui se putant Hebraicè scire putarunt; nimirum quòd punctis Rabinorum absque judicio addicti erant. Quare neque verbum יכפר in voce passiva legendum est, sed activè JECAPER. Favet huic interpretationi Chaldæus, qui ait, *Dicit Propheta*, *In auribus meis fuit auditum*, &c. ¶ *Si dimittetur*] Manifestum est esse Jurantis. ¶ *Donec moriamini*] i. Non priùs moriemini quàm puniamini. Vel idem est quod, *Toto vitæ vestræ tempore non remittet iniquitatem:* quod aliis verbis Dominus in Euangelio Joannis ait, *In peccato vestro moriemini.* Quòd si *iniquitatem* pro *pœna iniquitati debita* accipias, ut interdum capitur nomen עון, perinde est ac si dicat, *Perpetuò luetis pœnas quousque moriamini.* Vide interim quid apud Dominum mereatur Genio indulgere, & Ad Dominum non redire dum percutimur, & Factoris omnium oblivisci.

15. *Qui habitat in tabernaculo*] Quid propriè sit סכן neque ipsis Judæis satis compertum est. Nonnulli Rabini *thesaurarium* interpretantur: ego tamen magis generalem vocis significationem existimo; deducitur enim à verbo סכן *conveniebat*, *conferebat*, *conducebat*. Hinc puella illa quæ Regi Davidi inserviebat & ejus jam senis curam gerebat, dicitur סכנת 1. Reg. 1. Habebat ergò iste curam Templi, ut provideret quid facto opus esset ad reparationem, sicut mulier illa curam habebat omnium quibus Rex senex indigebat: virum ego *apothecarium* dixi, licèt nomen non omnino exprimat vim vocis Hebrææ, crediderim autem hanc vocem mox explicari. ¶ *Qui est super domum*] Vel *Præfectum domûs*, i. Templi: quod verò sequitur, ¶ *Et dices ad eum*] quia omnino supplendum est, supplevit Vulgatus. Biblia quæ nunc habemus non habent hæc verba.

16. *Quid tu hîc?*] Vel, *Quid tibi hîc habes? Quid hîc tibi negotii est?* Profectò supersedere posses. Rursus. ¶ *Quasi quis hîc?*] Vel, *Quis tibi hîc?* i. Quemnam hîc habes? His duabus interrogationibus solent Hebræi præstringere imprudentes & eos qui frustrà laborant, neque ea quæ opus esset considerare animadvertunt. Nos diceremus, *Quid causæ habes? aut in cujus gratiam huic operi incumbis?* Possumus & sic accipere, *Quidnam hîc substantiæ habes? aut quis tuus hîc heres erit?* q. significet ipsum Præfectum universámque ejus substantiam atque familiam illinc auferendam; idcóque superfluam & inanem esse ejus curam excidendi sepulcri. ¶ *Excidisti in excelso memoriale*] Vulg. mutationem personæ noluit servare, sensum tantummodo expressit ut obscuritatem vitaret, quod fidi interpretes interdum faciunt. Ego verba expressi, in quibus videbis transitum à secunda in tertiam personam, quasi conversus Dominus ad Prophetam, vel Propheta ad alios, affirmet ità factum, ut eum deridendum proponat. Hebræis ergò חצבי est participium cum Jod paragogico, & per verbum præteriti imperfecti reddi potest, quasi essent Parenthesi inclusa in hunc modum, *Quid tibi*, &c. *quòd excidisti tibi sepulcrum* (*excidebat nempe celsitudinem sepulcri sui*, *constituebat in rupe habitaculum sibi*) *ecce Dominus*, &c. Est etiam חקקי participium cum Jod paragogico à verbo quod *constituere formam alicujus rei* notat. Vulg. pro adverbio accepit.

17. *Asportari te*, &c.] Sensum expressit. Ego enim מטלטל puto esse *eorum qui res*, *ut faciliùs deferri possint*, *circumvolvunt atque constringunt*. Meminisse autem oportet quòd feminæ super capita majora onera portent: at viri, præsertim qui magna itinera conficiunt, parva admodum involucra humero deferant. Unde sequitur, *& obtegit te operiendo*, i. iterum atque iterum operiendo; deinde iterum atque iterum, *quasi tiarâ circumcingendo atque constringendo*, *quasi globum*, &c. Hunc esse germanum sensum puto. Nam de *gallo gallinaceo* fateor me non intelligere quid velit Vulg. Interpres. Quæ etiam alii de *asportatione* vel *exoneratione viri*, i. fortis, dicunt, non placent hoc loco.

18. *Coronans*, &c.] Non dubito quin quæ Hebræis est צניף & צנפה, sit quam capiti circumvolvebant in Oriente Reges & Sacerdotes & Judices, ex filis tenuissimis contexta. Dicit ergò per Sarcasmum, *Convolutum & obtectum asportari te faciet*, *tanquam onus viri*, *& cidarizando cidarizabit te cidari*, i. iterum atque iterum te circumcinget atque constringet, *ut quasi in globum compactus facilè transporteris.* Illud autem *ad terram latam* conjungendum est cùm verbo *transportari te faciet:* vel supplendum est verbum Motûs, ut fecit Vulgatus. Ea enim natura est Lamed vel אל quando jungitur verbo quod non significat Motum. ¶ *Et spatiosam*] Hebraismum doctè vitavit. Hebræi dicunt *latum manibus*, vel *manuum*, quidquid sinus & recessus habet: sicut de Mari in Psal. *spatiosum manibus*, quæ vulgò *brachia* appellamus. Hoc verò dixit ad augmentum miseriæ in exsilio. Non enim ità facile est redimi eum qui in amplissimum Regnum ductus est captivus sicut qui in parvum, ubi omnes noti sunt, neque qui eos emere possunt in longinquas regiones transferunt. ¶ *Currus gloriæ tuæ*] i. Gloriosi currus tui, in quibus gloriosus equitabas, istuc te deferent. Non quòd in eis abductus fuerit, sed quòd propter illius fastum & inanem gloriam illuc captivus abductus fuerit. Estque perquam festivè dictum, ut *currus gloriæ quempiam adducant ad ignominiam.*

19. *Deponam te*] In Hebræo est mutatio personæ.

20. *Vocabo servum meum*, &c.] Quando hoc factum sit non commemorat Scriptura. Ego non puto in visionibus servatum ordinem. Suprà de vastatione Hierosolymitana sub Zedechia verba fecerat; hanc multo tempore puto præcessisse Sobnæ captivitatem. Certè cum Eliachim filio Helchiæ missus est Sobna quidam ad Duces Regis Babylonis sub Ezechia, ut infrà videbimus.

21. *Tunica*] Nomen כתנת, quod duplici formâ legitur sed eâdem significatione, peregrinum videtur. Hinc puto Græcos mutuasse χιτῶν, & Latinos conversione literarum *tunicam* appellasse. ¶ *Cingulo tuo*] Etiam אבנט peregrina vox mihi esse videtur. Est *balteus*, *cingulum militare*. Erátque in militia sua stantium, præsertim Sacerdotum, qui mandato Divino utebantur duobus Balteis: De pretioso qualis fuerit habetur Exod. 39. de altero, qui erat lineus, legitur Levit. 16. Usus autem Baltei vel ex hoc loco Jesaiæ habetur. Cingebantur enim nè vestes defluerent, & ut redderentur ad opera conficienda expeditiores ac firmiores constantioréśque. Unde huc alludens Paulus 1 Tim. dicebat, *Gratias ago ei qui me confortavit in Christo*, *quia fidelem me existimavit*, *ponens in ministerio*, &c. Robore enim opus est Ministro Dei, & fide: illud dat Dominus, hanc verò exigit; & utrumque donum ipsius est. Proinde figuratè pro *fortitudine* & *constantia* sumitur, ut Ephes. 6. *State lumbis circumcinctis balteo veritatis.* Non tamen existimo Sacerdotes tantùm balteo usos fuisse: neque scio an Sacerdos fuerit Sobna; quamvis mihi sit probabile quòd qui curam Templi haberet Sacerdos esset: nisi dicas quòd curam domûs Regiæ haberet, non Templi, unde dicitur suprà ver. 18. *Ignominia domûs heri ejus*, 1 Regis Jehuda. Fortè erat qui in regia post Regem major est, qui *tunicâ* & *balteo* utebatur, quæ erant veluti muneris quædam notæ: quod exponens ait *Potestatem tuam*, &c.

22. *Clavem domûs David*] Hic quoque locus videtur innuere Sobnam ministrum Regis fuisse. ¶ *Super humerum*] Magnas claves solent claviculari super humeros deferre. Non dubium autem esse debet viro Christiano & docto, *clavium* nomine, imò totâ hâc Periphrasi, potestatem designari: ubique enim Claves potestatem declarant. Claves devicti populi victori deferunt. Claves quoque tradunt Magistratus eis quos in possessionem legitimè introducunt. Quapropter non erat cur novi hæretici tenebras populo Dei offunderent, dum locum Euangelii, *Tibi dabo claves Regni cœlorum*, &c. enervare volentes, conantur persuadere indoctis, non ibi potestatem à Domino concessam, sed de Scientia esse sermonem, juxta alium locum Euangelii, *Tulistis clavem scientiæ.* Sed miror istorum hominum cæcitatem, qui cùm ex Scripturis volunt Scripturas interpretari (ut aiunt belli interpretes) Scripturarum locos quos ad sui erroris confirmationem afferunt non satis expendunt. Quid, quæso, in illo ipso Euangelii loco, quem adducunt de *clave scientiæ*, aliud nomine *clavis* quàm quod nos dicimus intellexit Christus? Certè illos increpabat quòd neque scientiam ipsi haberent, neque sinebant ut alii intelligerent quod intelligere summopere necessarium esset. Facitis, inquit, ut neque vobis neque aliis aditus ad scientiam pateat. Vos quod intelligitis non sequimini, estísque veluti si non sciretis neque intelligeretis; prohibetísque totis viribus nè aliis veritas pateat. An, quæso, hoc est Scientiam *claves* appellare, & non magis Potestatem *clavem* dicere? Quid aliud est, *Quodcunque ligaveris*, *sit ligatum*, quàm quod hoc loco dicit, *Claudet*, *neque erit qui aperiat?* & illud, *Quodcunque solveris*, *sit solutum*, quàm *Aperiet*, *& non erit qui claudat?* nam & ligata appellat interdum Hebraismus *clausa*, & aperta *soluta*. Quibus, quæso, verbis Joannes in Apocalypsi omnimodam potestatem Domino tribuit nisi his, *Hæc dicit Sanctus & Verus*, *qui habet clavem David*, *qui*

aperit

aperit & nemo claudit; claudit, & nemo aperit? Quid aliud est *claves abyssi habere* quàm Posse illuc mittere quem volet, & Claudere cui voluerit? quod ejus est qui habet imperium Vitæ & Mortis. Sed omissis cœcis istis, ad verba Prophetæ redeamus; de quibus hoc sentio; quòd quia ad mysterium respiciebat Jesaias, *domûs David* mentionem fecit, in qua regnaturus erat Christus Dominus: quò faciunt & nomina: nam אליקים est *Deus stare facit*, & חלקיהו est *Portio Dei*. Sed interim historiam texit, & de Eliachim loquitur, qui in regia domo Ezechiæ plenam habuit post Regem potestatem: & hunc jam, cùm venerunt Chaldæi, vocat Scriptura *Præfectum domûs*, seu *qui erat super domum*. Hîc notandum videtur, quòd non solùm Reges Dominus deponat è solio, aut instituat, sed & alios qui post Regem sunt, eorúmque rationem habeat. Non enim tantùm Regum mores Reip. aut prosunt aut nocent, verùm etiam illorum per quos regnant & imperium in alios exercent. Unde hîc Helchias dicitur civibus Jerosolymitanis pro *patre* futurus, & tanquam *pater* eorum curam habiturus. Cujus exemplum utinam nostri Proceres sectarentur.

23. *Figam illum*] Quemadmodum *clavus firmo loco infixus* sustinet quæ ipsi suspenduntur, præsertim si *clavus* ipse vel *paxillus* tenax fuerit; si autem *avellatur* vel *frangatur*, *qua ab ipso pendebant corruunt*: ità quoque Primates & Proceres plurima in se habent quæ ab ipsis omnino pendêre videntur; quæ mortuis ipsis aut à dignitate depositis corruunt & ferè pereunt, ut explicatur ver. ult. *Infigere* ergò *in loco fideli* est Facere ut stabilis sit dignitas ipsius, & ut multo tempore ex eo pendêre possint res aliorum & suæ; cognati quoque ejus & amici atque affinitate conjuncti ad eum confugiant, tanquam ad præsidium & locum tutum in quo res suas collocent: unde ait, *Et erit in solium* (seu *thronum*) *gloria domui patris sui*, quòd scilicet ad eum, ut columen totius familiæ & cognationis, imò verò tanquam ad Regem, respiciant. Interdum enim *throni* nomen Regiam dignitatem notat. Omnibus quidem erit pater, suis autem honor & gloria. Neque si à Deo hæc fiant, poterit unquam, quæ hujusmodi gloriam sequitur, invidia impedimento esse quò minùs quispiam sit *gloria domûs patris sui*, imò & ipsiusmet patris. Annon Joseph fuit *in thronum gloria domui patris sui*, qui fratribus fuit & pro patre & pro Rege?

24. *Omnem gloriam*] Certum est nomen כבוד, quod *gravitatem* vel honoris & dignitatis vel divitiarum designat, interdum nomine *substantia* rectè verti, ut Gen. 31. *Fecit Jacob ex illis qua sunt patris nostri omnem hanc gravitatem.* Significat autem his verbis Propheta futurum Eliachim heredem omnium bonorum patris sui, ità ut nihil de tota hereditate periret sub potestate filii: quod inter laudes filiorum reputatur. Unde Dominus in Euangelio *ex eis quos sibi Pater tradidisset non periisse quenquam* gloriatur, *præter filium perditionis.* ¶ *Vasorum diversa genera*] De sensu solicitus Vulg. Interpres nominum non multum anxiam rationem habuit. Sunt autem & ipsa satis obscura: sed ex aliis locis & Etymologiis illustrari possunt. Et quidem צאצאים nomen geminatum plurale à verbo יצא *egressus est*, pro cujuslibet rei *propagine* seu *progenie* sumi potest, ut infrà 28. de *progerminationibus terra*, Job. verò 27. de *progenie filiorum*. At צפעות non alio in loco reperitur; tamen ex cognatis צפע & צפעני *genimina* interpretari possumus. His ergò nominibus intelligit Propheta omnia quæ vivunt tam ex terra orta quàm ex ventre animalium; nominibus autem *Vasorum*, cætera omnia inanimata. ¶ *Craterarum*] Heb. אגן à *rotunditate* nomen habet, vel *vas* sign. *quod circumseptum est. Phialas* dicere possumus. Est à גן. ¶ *Musicorum*] Suprà jam cap. 5. dixi de nomine נבל quòd *instrumentum musicum* designet: sign. etiam cætera *vasa utensilia* ex quavis materia, coriacea, vel fictilia, &c. Et fortè hoc loco in genere pro *vilibus vasis* accipitur, qualia sunt figulina. Habet autem appellationem à *vacuitate*: neque habent Latini nomen quod illi respondeat.

25. Hunc versum eleganter Vulg. reddidit. Ego significationem propriam vocum expressi. Iterum de Sobna est sermo: quem confirmat duplici asseveratione: Priorem, nempe, *fidelis sermo*, referre possumus ad *evulsionem clavi*; posteriorem; *ad confractionem eorum qua ex ipso pendebant.* Ille pereat propter fastum & superbiam; alii autem, propter stultitiam; quòd spes suas in homine collocabant quem non in timore Dei videbant vitam degere, illúmque ornabant ob rerum abundantiam atque potentiam qui ob vitam & mores indignus erat honore.

LUCAS BRUG.

8. ET [o.] *videbitis in die illa armamentarium* [*armentarium* o.] *domûs saltûs.*] Moguntina & post eam aliæ haud paucæ typographorum editiones, cum Haymone enarratore, *videbitis* habent. Porrò MSS. pleraque omnia, cum Richelio, Carensi, Lyrano, &c, quod ex 7. commentariorum libro perspicuum est, Hieronymo, singularis numeri lectionem, *videbis*, probant. Eandem Hebraica probant: legunt enim ותבט, quod est, *& videbis*, vel, *& vidisti*, masculino genere. Eam ipsam lectionem probarunt & castigatores, Dominicani, Parisienses, Hentenius.

DRUSIUS.

1. אפוא. Aq. *καί περ τοι*, *quam conjunctionem Latinus sermo non explicat*] Ex Comment. Hier.

15. אֶל הַסֹּכֵן. Aq. *ad degentem in tabernaculo*, τὸ σκηνοῦντα. Sym. *tabernaculorum opificem*, τὸ σκηνοποιοῦντα] Græca sumpsi ex ed. Rom. Latina verò ex Symbolis Patrum.

17. גָּבֶר. Omnes *viri*] Hier. *Sicut transferri solet* גבר, *quod omnes* VIRUM *interpretati sunt. Ebræus autem qui nos in V. Instrumenti lectione erudivit*, GALLUM GALLINACEUM *transtulit.*

21. אֲחַזְּקֶנּוּ. Th. *κρατιώσω αὐτὸν roborabo ipsum.*

24. הַצֶּאֱצָאִים וְהַצְּפִעוֹת. Sym. *nepotes atque commixtos.* Aq. *] Hier. *Vasorum diversa genera, pro quibus Aquila interpretatus est* צאצאים והצפיעות, *quod Sym. vertit* NEPOTES ATQUE COMMIXTOS. ¶ כֹּל כְּלֵי הַקָּטָן מִכְּלֵי הָאַגָּנוֹת. Th. *πᾶν τὸ σκεῦος τὸ μικρὸν ἀπὸ σκεύους τῶν ἀγανὼθ*, *omne vas parvum à vase Aganoth*] Hæc apud Procopium signata asterisco Theodotioni tribuuntur. Hier. *A vasis craterarum, pro quibus Th.* AGANOTH *posuit.*

25. יָתֵד. Omnes similiter, *paxillum*] Ex Comment. Hier.

IDEM EX PROCOPIO.

1. מַשָּׂא גֵּיא חִזָּיוֹן. Sym. Th. Λῆμμα φάραγγος ὁράσεως, *Assumptio Vallis visionis.*

2. קִרְיָה עַלִּיזָה. *ἡ πόλις γαυριῶσα civitas glorians*, aut *efferens se.* ¶ מֵתֵי מִלְחָמָה. Lxx *νεκροὶ πολέμου mortui bello.* Sic etiam Sym. A. Th. *πόλεμος bellum.*

3. נָדְדוּ. Sym. *ἀνεστατώθησαν.* Th. *μετεκινήθησαν.* Vide Procopium] Ἀνεστατώθησαν Interpres vertit *deturbati sunt.* In Thesauro Ἀναστατόω, *everto, vasto, diripio*: item *conturbo, seditionem aut tumultum concito.* ¶ Μετεκινήθησαν, *dimoti* sive *transmoti sunt.* Interpres *commoti sunt.* ¶ אֻסְּרוּ יַחְדָּו. Th. *ἐδέθησαν ὁμοθυμαδὸν vincti sunt unanimiter.*

6. בְּרֶכֶב אָדָם פָּרָשִׁים. Aq. *ἐν ἅρματι ἀνθρώπων ἱππέων*, *in curru hominum equitum.* Sym. *συνεπιβάται ἀνθρώπων ἱππέων*, *vectores cum hominibus equitibus.*

7. מִבְחַר־עֲמָקַיִךְ. Aq. *ἐκλογαὶ κοιλάδων σου electiones vallium tuarum.* Sym. *ἐκλεκταὶ κοιλάδες σου electa valles tua.*

9. וְאֵת בְּקִיעֵי עִיר־דָּוִד רְאִיתֶם כִּי־רָבּוּ. *καὶ τὰ ῥήγματα οἴκου Δαυὶδ ὄψεσθε, ὅτι ἐπληθύνθη*, *& rupturas domûs David videbitis, quia multiplicata sunt*] Sic emendavi ex conjectura. Priùs erat *ῥήματα*, & apud Interpretem *verba.*

10. וְאֶת־בָּתֵּי יְרוּשָׁלִַם סְפַרְתֶּם. Sym. *τὰς οἰκίας Ἱερουσαλὴμ ἀριθμήσαντες*, *domus Jerusalem numerantes.*

11. עֲשִׂיתֶם. Sym. Th. *ἐποιήσατε fecistis.* ¶ וּמִקְוָה עֲשִׂיתֶם בֵּין הַחֹמֹתַיִם לְמֵי הַבְּרֵכָה הַיְשָׁנָה. Sym. *καὶ τὸ τῆς ἀρχαίας κολυμβήθρας ὕδωρ εἰς τὴν πόλιν μετοχετεύσαντες*, *& piscina veteris aquam in Urbem derivantes.* ¶ מֵרָחוֹק. *πόῤῥωθεν.*

14. אָמַר אֲדֹנָי יֱהֹוִה צְבָאוֹת. Aq. Th. *εἶπεν Κύριος Κύριος τῶν δυνάμεων*, *dicit DOMINUS DOMINUS exercituum*] Divino legendum *Sym. Th.* Nam Aq. solet vertere צבאות *στρατιῶν*, i. *copiarum militarium.*

15. בֹּא. Aq. Sym. Th. *εἴσελθε ingredere.* ¶ הַסֹּכֵן. Aq. τὸ *σκηνοῦντα.* Interpres *tabernacula figentem.* Sym. τὸ *σκηνοποιοῦντα·* idem, *tabernaculorum confectorem.* Sed vide sis Fragmenta.

21. וְאַבְנֵטְךָ. Lxx *καὶ τὸν στέφανόν σου & coronam tuam*: *σου* habent etiam Aq. Sym. Th.

22. וְנָתַתִּי מַפְתֵּחַ בֵּית־דָּוִד עַל־שִׁכְמוֹ וּפָתַח וְאֵין סֹגֵר וְסָגַר וְאֵין פֹּתֵחַ. A. Th. *Καὶ δώσω τὴν κλεῖδα οἴκου Δαβὶδ ἐπὶ τοῦ ὤμου αὐτοῦ· καὶ ἀνοίξει, καὶ οὐκ ἔσται ὁ ἀποκλείων· καὶ κλείσει, καὶ οὐκ ἔσται ὁ ἀνοίγων*, *Et ponam clavem domûs David super humerum ipsius: & aperiet, & non erit qui claudat; & claudet, & non erit qui aperiat.* Sym. *καὶ ἐπιθήσω & imponam.*

25. וְנִכְרְתָה. Th. *καὶ ἐξολοθρευθήσεται & exscindetur.*

GROTIUS.

1. ONus vallis visionis] Id est, Admonitio ad civitatem Hierosolymorum, quæ urbs in valle est posita, & eo tempore Prophetarum visis illustrabatur, quod cùm maximum esset Dei beneficium, à multis parvi fiebat.

Quidnam

Quidnam quoque tibi est] Cùm hæc pronuntiavit & scripsit Esaias, nondum Eliacim erat Magister domûs dominicæ sive κυροπαλάτης [*Curator palatii*], quam dignitatem, secundùm ea quæ hîc vaticinatur Esaias, postea accepit, eámque gessit cùm Sennacheribus venit ad Urbem 2 Reg. XVIII. 18. 37. Quare hæc visa dictáque sunt cùm Salmanasar Samariam cepisset, & Sobna, tunc adhuc Magister domûs dominicæ, homo impius, & ex Achazi disciplina, Deo Prophetísque diffisus, deditionem faciendam Salmanasari censeret, multósque haberet ejus socordiæ socios. Vide suprà VIII. 12.

Quia ascendisti & tu omnis in tecta] Quasi jam ad muros esset hostis.

2. *Clamoris plena*] Ob metum & consternationem.

Interfecti tui non interfecti gladio, nec mortui in bello] Metu solo exanimantur.

3. *Cuncti principes tui fugerunt simul*] *Fugiunt*, id est, transfugium adornant.

Duréque] In Hebræo, *ab arcu:* quod connectendum cum illo *fugerunt*. *Ab arcu:* id est, metu sagittariorum, qui plurimi in exercitu Assyrio.

Ligati sunt] Id est, conjurarunt inter se ut fugam caperent. Idem significant verba sequentia. Vide simile VIII. vers. 12.

Omnes qui inventi sunt] Supple *in te: Omnes*, id est, principum plurimi.

Fugerunt] Fugam parant, ut suprà.

4. *Propterea dixi*] Hîc respondet Prophetæ civitas Hierosolyma. Illud autem *propterea* referendum est ad id quod sequetur,

Super vastitate filiæ populi mei] Quia Decem tribus, quæ ejusdem mecum sunt sanguinis, ita sævè tractantur, cædibus, vastatione, exsilio.

5. *Dies enim interfectionis & conculcationis*] Nempe Israelitis.

Et fletuum Domino exercituum in valle visionis] Mihi autem, pergit dicere Hierosolyma, materia hæc est cum fletu clamandi ad Deum.

Scrutans murum, & magnificans super montem] In Hebræo, *Suffossor parietis, & clamor super montem*, nempe Samariæ, 1 Reg. XVI. 24.

6. *Et Ælam sumsit pharetram*] Elymæi, qui tunc adhuc Assyriis parebant: nam secessio postea facta est. In Elymaïde plurimos fuisse sagittarios dicit Strabo. Vide & Jerem. XLIX. 35.

Et parietem nudavit clypeus] In Hebræo, *Et Kir eduxit clypeum:* id est, Medus Assyriorum subditus eo tempore. Vide 2 Regum XVI. 9.

7. *Et erunt electæ valles tuæ plenæ quadrigarum*] Hîc Propheta sermonem resumit, & ea quæ aliquando per Sennacheribum eventura erant prænuntiat. Etiam *tuæ valles*, id est, loca suburbana, implebuntur copiis gentis ejusdem.

In porta] Id est, ad portam.

8. *Et revelabitur operimentum Judæ*] Id est, munimenta circumsita Urbi rapientur.

Et videbis in die illa armamentarium domûs saltûs] Omnia quæ humanitus provideri possunt pulchrè perspicies, sed frustra, quamdiu Deum non habebis propitium. Armamentarium hoc necesse est in Urbe fuerit, sed nomen habet ab eo armamentario quod in Libani saltu Salomon struxerat, 1 Regum VII. 1. quia ejus in locum successerat. Vide 2 Paralipomen. XXXII. 5.

9. *Et scissuras civitatis David videbitis, quia multiplicatæ sunt*] Sarcietis mœnium hiantia, quæ non pauca erunt per superiorum temporum incuriam. Vide dictum locum Paralipomenων.

Et congregastis aquas piscinæ inferioris] Id est, aquas illas in Urbem ducetis, ne hostis eis utatur. Nam duo erant extra Urbem lacus, quos *piscinas* Hebræi vocant, 2 Reg. XVIII. 17. suprà VII. 3. Est hujus derivationis mentio 2 Paralipom. XXXII. 3. & Nehemiæ III. 16.

10. *Et domos Jerusalem numerastis*] Ad certum numerum domos sorte legetis, unde sumatis materiam ad turres faciendas. Vide dictum locum Paralipomenων.

11. *Et lacum fecistis inter duos muros ad aquam piscinæ veteris*] Inter duos muros fossam facietis, in quam deducetis aquam è piscina vetere sive superiore. Vide 2 Paralipomen. XXXII. 30. 2 Regum XX. 20.

Et non suspexistis ad eum qui fecerat eam] Nempe urbem Hierosolyma, cujus possessionem Deus dedit Davidi, simúlque omnia quæ ad urbem augendam tuendámque erant necessaria.

Et operatorem ejus de longè] Eum qui pridem urbis ejus condendæ auctor fuit.

Non vidistis] Non curabitis.

12. *Et vocabit Dominus Deus exercituum illâ die ad fletum*] Id est, *cum Deus vos ad fletum vocaturus est*, &c.

Ad calvitium] Id in luctu funebri erat vetitum, non in publico malo, Mich. I. 16.

13. *Et ecce gaudium & lætitia*] Vos interim non desinetis convivia, tanquam in rebus lætis, agitare.

Comedamus & bibamus: cras enim moriemur] Id est, *fortè moriemur*. Sic Horatius:

> *Quid sit futurum cras fuge quærere, &*
> *Quem sors dierum cunque dabit lucro*
> *Appone.*

Item:

> *Carpe diem, quàm minimum credula postero.*

Et alibi:

> ——— *ille potens sui*
> *Lætúsque deget, cui licet in diem*
> *Dixisse, Vixi; cras vel atra*
> *Nube polum, Pater, occupato,*
> *Vel sole puro.*

14. *Si dimittetur*] Ἀποσιώπησις. [*Subticentia*]. Nè habeat Deus, si id condono.

Donec moriamini] Per totam vitam eos qui hæc fecerunt pœnæ sequentur. Ad mortem secundam refert Chaldæus Paraphrastes.

15. *Vade, ingredere ad eum qui habitat in tabernaculo*] Meliùs: *Qui pecunias tractat.*

Præpositum templi] In Hebræo: *domûs*, non divinæ, sed regiæ, ut apparet infrà XXI. 22.

16. *Quid tu hîc*]? Quid tibi hîc negotii est? Videtur fuisse externus, ut Doeg. Considera oppositum in Eliakimo XXI. 23.

Aut quasi quis hîc?] In Hebræo: *aut quis tibi hîc?* supple, *cognatus est.*

Quia excidisti tibi hîc sepulchrum, excidisti in excelso memoriale diligenter] Viri magni solebant sibi heredibusque suis monumenta egregia struere: id iste homo divitiis inflatus imitabatur.

17. *Ecce Dominus asportari te faciet, sicut asportatur gallus gallinaceus*] In Hebræo, *Dominus te projiciendo projiciet, ô vir potens:* id est, efficiet ut longè extra Urbem habites. Sensus est, leprosum fore, quod & sequentia explicant.

Et quasi amictum sic sublevabit te] *Et obtegendo obteget te.* Nempe mystacem tuum, ex lege de leprosis Levit. XIII. 45. ubi idem verbum quod hîc עטה [*obtegere*].

18. *Coronans coronabit te tribulatione*] In Hebræo, *Convolvendo convolvet te involucris:* idem quod *obteget.*

Et quasi pilam mittet te in terram latam & spatiosam] Longè extra Urbem, ut pilæ mitti solent. Idem quod *projiciendo projiciet.*

Ibi morieris] Id est, eris par mortuo, quod de leprosis dici solet, Num. XII. 12. Josephus de iis, νεκρῶ μηδὲν διαφέροντας [*à mortuo nil discrepantes*]. Nam Sobna non mortuus fuit ex lepra, sed ab ea sanatus in Urbem rediit, non quidem recuperatâ illâ eximiâ dignitate κυροπαλάτου [*Curatoris palatii*], quam interim, ut hîc prædicit Esaias, Eliacim vir optimus acceperat, sed tamen admotus ob ætatem & experientiam Consilio regio: quod apparet 2 Regum XVIII. 18. 26. 37.

Et ibi erit currus gloriæ tuæ, ignominia domûs domini tui] Ubi eris relegatus ab Urbe, vehere quantum lubet curru tuo magnifico, quem tibi parasti, cedet id dedecori Achazo, qui te hominem nullius fidei in summo loco posuit.

19. *Et expellam te de statione tua*] Nempe per occasionem lepræ.

20. *Eliacim filium Elciæ*]. Planissimum est hunc eum esse qui erat κυροπαλάτης [*Curator palatii*] tempore Rabsacis. Vide dictum locum 2 Regum.

21. *Et induam illum tunicâ tuâ, & cingulo tuo confortabo eum*] Habebant enim summi procerum vestes & cinctus eximios.

Et erit quasi pater habitantibus Jerusalem & domui Juda] Optimè voce *patris* expressit boni Magistratus officium.

22. *Et dabo clavem domûs David super humerum ejus*] Clavis figuram intextam epomidi, unde functio ejus nosceretur.

Et aperiet, & non erit qui claudat, & claudet, & non erit qui aperiat] Id est, summa cum omnium approbatione fungetur suo munere, nemine contradicente. Mysticus sensus in Euangelio Matth. XVI. 19.

23. *Et figam illum paxillum in loco fideli*] Ponam illum in statu eximio, θαυμαστῷ [*admirabili*], ut נפלא vertitur Deuter. XXVIII. 59. Confer quod infrà 25.

Et erit in solium gloriæ] Meliùs vertas, *Et erit honori solio*, id est, Regi.

Domui patris sui] Subaudi *&*: ut Regi honori erit, sic & domui Judæ, unde ortus est; ut suprà 21.

24. *Et suspendent super eum omnem gloriam domûs patris ejus*] Ab ipso pendebunt omnes dignitates aulicæ domûs Judæ: redit enim ad similitudinem paxilli.

Vasorum diversa genera, omne vas parvulum, a vasis craterarum usque ad omne vas musicorum] Pro *vasorum diversa genera* est in Hebræo הצאצאים והצפעות [*exituum & excrementorum*]; quod nonnulli *filios & nepotes* vertunt. Sed continuatio translationis magis facit credibile esse hæc nomina clavium, quarum altera ad exitum è domo pertinebat, altera πρὸς τὸν ἀφεδρῶνα [*ad latrinam*]. id enim sonant Hebrææ voces. Porrò per *claves*, ut & per *vasa*, intelliguntur ipsa aulæ ministeria, quæ planè futura erant in Eliakimi potestate. Pro *vas musicorum* bene reponas *vas lagenarum*, id est, lagenas; sicut *vas craterum* sunt crateres: ex crateribus vinum funditur in lagenas.

25. *Auferetur paxillus qui fixus fuerat in loco fideli*] Eximio: id est, Sobna destituetur ob lepram.

Et frangetur, & cadet, & peribit quod pependerat in eo] Ipso remoto, simul removebuntur omnes ejus clientelæ. Volunt enim novi Magistri aulæ ministros per totam aulam habere sibi obnoxios.

Quia Dominus locutus est] Dei hoc est decretum.

CAP. XXIII.

MUNSTERUS.

1. **T***Yri onus*] Fuit Tyrus vetustissima urbs, ceciditque olim in Tribum Aser, sed non fuit occupata, quia fuit munitissima urbs collocata in rupe, cujus ambitus complectebatur XIX milliaria. Fuit etiam ibi celeberrimum emporium, cui hodie nullum comparari posset. Auctæ sunt ex negotiationibus opes; ex opibus crevit luxus & libido vitæ. Salmanasar & Sanherib oppugnarunt, Nabuchodonosor cepit. ¶ *Tharsis*] Civitas fuit maritima, in negotiationibus haud inferior ipsâ Tyro. Quidam intelligunt per eam Carthaginem, alii Tarsum Ciliciæ, alii mare ipsum. ¶ Per *Kittim* verò, qui filius fuit Javan, Hebræi intelligunt Romanos, qui Babylonios sollicitarunt contra Tyrios.

2. *Negotiator Zidonis*] Loquitur ad Tyrum, quæ semper redundabat mercatoribus marinis, præsertim Zidoniis: & adducens frumentum ex Ægypto, quod illic propter inundationem Nili in maxima crescit copia.

4. *Erubesce, Zidon*] Sensus est, Nec te præteribit ultio Divina. Ecce ad hoc ventum est ut Tyrus, quæ quasi *maris* est *fortitudo*, sic sit humiliata & devastata ut dicere possit, *Non peperi* in hoc loco *filios & filias*, &c. Sed & quæ *vetustissima* est *civitas*, sic in nihilum est redacta ut *pedibus suis* cogatur ire in captivitatem. *Quis hoc* unquam *cogitasset de illa* magnificentissima urbe, quæ etiam aliis nationibus *coronas* Regias imposuit, ut sic humiliaretur?

12. *Calumniâ oppressa*] i. *Tu* quoque, *Zidon*, quæ adhuc *virgo* es, à nullo externo Principe subacta, *calumniæ* & depopulationi consimili *obnoxia eris*, &c.

13. *Assur fundavit eam*] Exponitur hic versus variè ab Hebræis. Nos illam secuti sumus expositionem quæ dicit Tyrios non fuisse colonos suæ urbis, sed quòd *Assur fundaverit eam*: etiamsi profanæ historiæ dicant Tyrum coloniam fuisse Zidonis, & conditam ab Agenore, tempore quo Troja capta est à Græcis. Qui igitur hujus sunt opinionis exponunt ציים pro ספינות, & שרדו pro עברו, sicut nos vertimus.

17. *Ad mercedem suam*] Sicut *fornicari* hîc Metaphoricè capitur pro *negotiari*, ità *merces meretricis* accipitur pro *lucro ex mercimonia emuncto*. Sunt autem apud Hebræos qui hunc versum ad tempus Christi dictum putant, id quod nobis minimè displicet, cùm Lucas in Actis testetur Tyrum quoque amplexam Euangelium Christi.

VATABLUS.

1. **P***Rophetia* משא] *Onus.* Vide c. 13. 1. ¶ *Sor* צור] Ità Hebraicè vocatur Tyrus. ¶ *Ululate* הילילו] Quidam per futurum, *Ululabitis*. ¶ *Tarsis* תרשיש] i. Maris Mediterranei: q. d. O negotiatores qui Mari mediterraneo importatis merces, Tyrum lugete. Chald. interpretatur THARSIS *mare*. Aliàs interpretari solet *Africam*. Doctus inter Hebræos putat esse nomen cujusdam urbis maritimæ quæ non procul distat à Tyro & Sidone. Alii *Tharsum* esse existimant. ¶ *Ità ut nulla*, &c. מבית מבוא וגו'] Ad verb. *à domo, ab introitu de terra Chitthim, revelatus est eis.* Quidam vertunt, Ità ut *non* sit *domus*, *non* sit *commeatus è terra Chitthim: revelatum est hoc eis.* Alii, ità ut *ne domus* quidem supersit, non ultrà *veniens de terra Chitthim: revelatum est eis.* Alii, ità ut *non* sit *domus quam ingrediantur* qui sunt *de terra Chitthim: revelatum est eis* malum hoc. Alii, mutatâ distinctione, Ità ut *nulla sit domus*, & ut posthac eò *nullus venturus sit*: *de terra Chitthim revelatus est* hostis *illis*. i. Chitthæi fuerunt vel erunt causa tantæ destructionis. Dicunt Chitthæos incitasse Nabuchodonosor contra Tyrum. CHITHÆOS quidam *Italos* exponunt, alii *Græcos*.

2. *Insulæ* אי] Sing. pro plur. *Insularum.* O vos insulares, præ tristitia & dolore animi tacete. ¶ *Repleverunt te* מלאוך] *Replebant te*; aut, *implere solebant te*: q. d. ô Tyre, negotiatores Sidonis, & qui navibus merces vehere solent, præ magna frequentia te replebant.

3. *Et in aquis*, &c. ובמים וגו'] i. Semen jactum in Ægypto quæ alluitur multâ irrigatione Nili, segetes, inquam, quæ multâ irrigatione fluminis Nili proveniunt, erant proventus illius: Ægyptus enim alebat Tyrum. *Sihor* vocabatur Nilus à *nigrore*, quòd aquæ ejus essent turbidæ ac turbulentæ. ¶ *Fructus ejus* תבואתה] *Fruges ejus.* Alii, *proventus ejus.*

4. *Mare* ים] i. Urbs maritima, nempe Tyrus, maritimarum urbium fortissima: id significat *Fortitudo maris*. ¶ *Extuli* רוממתי] *Evexi*: vel *educavi*, & *ad incrementum perduxi*: i. sum perinde atque si non parturiissem. Olim eram populosa; nunc deserta: ità civibus careo perinde ac si nullos unquam habuissem.

5. *Simul atque*, &c. כאשר שמע וגו'] Ad verb. *Cùm auditus erit Ægyptiis, dolebunt juxta auditum Sor*: sive *Tyri*: i. Cùm rumor adventûs Nabuchodonosor pervenerit usque ad Ægyptios, dolore afficientur, timentes destructionem qualem passa fuerit Tyrus: q. d. Non solùm Tyrus sed & Ægyptus destruetur, quæ victum Tyriis suppeditabat. *Auditus* nomen est pro *rumore* & *fama*. *Juxta auditum Tyri* exponi etiam potest, quemadmodum timuit vehementer Tyrus cùm audivit adventum hostium. Quidam vertunt, *dolebunt de rumore Tyri*.

6. *Insulæ* אי] Sing. pro plur. *insularum.*

7. *Vobis*, &c. הזאת לכם עליזה] *Vestra læta?* ¶ *Longè* מרחוק] *Eminus*: vel (ut alii) *in locum remotissimum*: aut *in terram longinquam*.

8. *Consuluit* יעץ] *Consultavit.* Alii, *decrevit*, aut *statuit*: q. d. Cujus consilio vel decreto factum est hoc? ¶ *Coronantem* viros suos המעטירה] i. Dantem coronam & gloriam viris suis, sive (ut Hebræi exponunt) *dantem coronam regno & populo ejus ob multitudinem divitiarum*. Alii, *coronantem* se, i. quæ capiti suo coronam imponebat, & se reginam esse dicebat maritimarum urbium.

9. *Consuluit* יעצה] Vide v. 8. ¶ *Ut profanaret* לחלל] *Ut violaret*, i. perderet. Quidam, *ut infirmaret.* ¶ *Omnis gloriæ* כל צבי] *Omnis* regionis *gloria*, i. gloriosæ & inclytæ. Alii, *cujusque magnifici*. Alii, *omnis jucunditatis*. Alii, *omnium magnificorum*.

10. *Transi*, &c. עברי ארצך כיאר] Hebraismus, pro *Fuge aliò velocissimè, recipe te in Tharsis*.

11. *Commovit* הרגיז] *Concussit, conturbavit, perturbavit*. Quidam, qui antea *terruit*, &c. ¶ *Super Chanaan* אל־כנען] *De Chanaan*: i. præcepit Israelitis ut Chananæos ejicerent è terra, & expugnarent omnes urbes & arces ejus.

12. *Oppressa*, &c. המעשקה וגו'] *Injuriis affecta virgo filia Sidon*: vel, *ubi oppressa fueris*, &c. sub. *à Nabuchodonosor*. *Virginem* vocat quòd antea nunquam fuisset capta. Quidam vertunt, *calumniâ oppressa*, aut *vim passa virgo*, &c. ¶ Ad *Chitthim surge, transi* כתיים קומי עבורי] Ordo inversus, pro *Surge & transeas Chitthim*, i. in Græciam, vel Italiam.

13. *Iste populus non erat* זה העם לא היה] i. Iste populus qui nunc habitat in ea: h. e. Chaldæi olim non incolebant eam regionem, nam Assyrii priùs eam ædificarant; postea illis pulsis, Chaldæi pro illis habitarunt. Argumentatur à majori ad minus, innuens tralationem Regnorum possibilem esse. Quidam Hebræorum vertunt, *iste populus non fuit*, i. populus non fuit ei similis. ¶ *Navibus* לציים] i. Ut esset navium portus. Alii, *deserti incolis*: sive, *iis qui habitabant in desertis*: i. in ea terra condiderunt urbes in quibus cœperunt habitare homines qui antea habitare solebant in desertis. ¶ *Contriverunt* עוררו] *Fregerunt, destruxerunt*, sub. *Chaldæi postea*. ¶ *Posuit* שמה] Sub. *Rex Chaldæorum*.

14. *Vastata est*, &c. שדד מעזכן] *Vastatum est robur vestrum*:

strum: i. Urbs Tyri in qua opes & divitias congregabatis vobis ex negotiatione vestra: vel *Robur* est portus; quod portus sit robur navibus. Redit ad destructionem Tyri, repetendo quod v. 1. dixerat.

15. *Regis unius* כמלך אחד] i. Tamdiu quamdiu homo vivere solet, etiam Rex qui delicatè vivit & optimè alitur. Vita enim humana ut plurimùm non excedit septuagesimum annum. Alii, *juxta dies Davidis Regis*, qui vixit LXX annis, 2 Sam. 5. 4. fuitque & Salomon filius suus amici Hiram Regis Tyri. Hæc Hebræi. ¶ *Veluti*, &c. כשירת הזונה] h. e. Dabit operam Tyrus ut alliciat ad se negotiatores, ut cantu allicit ad se amatores meretrix, à quibus neglecta fuerat.

16. *Stude bene canere* היטיבי נגן] Ad verb. *benefac, cane*: aut, *pulsa instrumenta musica*: nam id propriè sign. נגן. Similis locutio est & Psal. 33. 3. Quidam vertunt, *bonam fac melodiam*: q. d. O Tyre, omni ratione allice mercatores, ut meretrix omnibus modis allicere solet amatores. ¶ *Ut sis in memoriam* למען תזכרי] Ad verb. *ut memoreris*, passivè: quo verbo utitur Plautus: i. ut in memoriam redeas mercatoribus tuis, & tui recordentur qui tui sunt obliti.

17. *Ad mercedes suas* לאתננה] *Ad mercedem suam*. Perstat in Metaphora. Vox Hebræa ut plurimùm & propriè accipitur pro *dono* & *quæstu meretricio*, *quod datur scorto*: q. d. Revertetur ad quæstum suum pristinum; habebitur in pretio, & replebitur mercatoribus: habebit enim commercium cum mercatoribus omnium regionum.

18. *Et mercedes ejus* ואתננה] Eadem dictio quæ v. 17. ¶ *Sanctitas ipsi Jehova* קדש ליהוה] i. Futurum est ut omnis quæstus ejus sive omnes ejus opes consecrentur Domino. ¶ *Vetus* עתיק] *Honestum*: vel, *decorum*. Alii *robustum*, aut *densum*.

CASTALIO.

4. NAM *mare, nam marina sic loquitur potentia*] Tyrus.

5. *Non enixa sum, non peperi, non alui juvenes, aut virgines educavi*] Nullos jam habeo natos perinde ac si nunquam peperissem.

10. *Peragra terram tuam ritu fluminis, puella Cilicia: non jam est robur*] Liquesce in lacrymas: nam Tyrus, navium tuarum potestas, periit.

14. *En terram illam Chaldæam hominibus destitutam Assyrii condidere Silvanis*] Etiam Babylon ab Assyriis condita vastabitur, eámque hominibus desertam incolent Silvani: nè dum ut Tyrus tantò minor evadat.

CLARIUS.

1. NAves *maris*] Vel *naves Tharsis*, quæ civitas fuerit maritima, in negotiationibus haud inferior ipsâ Tyro. Quidam intelligunt per eam Carthaginem, alii Tarsum Ciliciæ. Per *Cethim* verò, qui filius fuit Javan, Hebræi intelligunt Romanos, qui Babylonios solicitaverint contra Tyrios. Alii intelligunt Græcorum Insulanos. ¶ *Vastata est domus*] Non habet domum ampliùs hospitibus excipiendis aptam. *De terra Cethim* hæc vastitas revelata est eis. In hac autem vastatione Nabuchodonosor terrâ & mari Tyrios aggressus est. Et in terra quidem conabatur eam conjungere continenti, in mari autem navali Græcorum subsidio usus est. ¶ *De terra Cethim*] *Terram Cethim*, ait Hieronymus, quidam Cyprum intelligunt, apud quos est urbs Citium, de qua Zeno Stoicæ sectæ princeps fuit: alii *Cethim* Italiæ & Macedoniæ insulas credunt.

2. *Tacete qui habitatis*] Vel sic, *Quieverunt habitatores insularum, negotiator Sidonis transfretantes mare, qui repleverunt te. Semen propter abundantiam aquarum Nili jactum, & messis beneficio earundem copiosè proveniens annonam suppeditabat illi*: adducebatur enim frumentum ex Ægypto. In summa facta emporium fuit multarum nationum.

4. *Erubesce, Sidon, ait mare*] h. e. Ait Tyrus. Sensus est, Nec te præteribit ultio Divina; ecce ad hoc ventum est ut Tyrus, quæ quasi *maris* est *fortitudo*, ità sit humiliata & devastata ut dicere possit, Non peperi in hoc loco filios & filias. Vel sic, Ecce ego, ait Tyrus, emporium & præsidium tuum perii: ut & tibi, cujus colonia sum, futura sim rubori, & facta sum *quasi mulier quæ non parturit*. Tyrus enim potentissimas colonias dedit. Plinius lib. 5. cap. 19. *Olim partu clara, urbibus genitis Lepti, Uticâ, Carthagine, Gadibus.*

5. *Cùm audierint de Tyro*] Metuentes nè idem accidat sibi quod illi accidisse audierant.

7. *Numquid non vestra*] Num huc recidit *vobis gloriatio de* antiquissima *vetustate* illius? Quis hoc unquam cogitasset de illa magnificentissima *urbe*, quæ etiam aliis nationibus *coronas* regias imposuit, ut sic dejiceretur & cogeretur delicata *ire pedibus suis* in captivitatem?

10. *Transi terram tuam quasi flumen*] Comparat Scriptura transitum populorum *fluvio*, *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei*. ¶ *Non est cingulum ultrà tibi*] h. e. Fortitudo.

11. *Manum suam extendit*] Supple *Dominus*.

12. *Calumniam sustinens*] *Tu* quoque *Sidon* (inquit) quæ adhuc *virgo* es, à nullo externo principe subacta, *calumniæ* & depopulationi simili *obnoxia eris*.

13. *Ecce de terra Chaldæorum*] *Iste*, inquit, *populus non fuit* colonus suæ urbis, sed à *Chaldæis* profectus est, & *Assyriorum* jussu *fundatus*: ut dicat, O Tyre, quæ es *terra Chaldæorum*, *ecce* hoc tibi contingit *à conditoribus tuis*. Quamvis profanæ historiæ dicant Tyrum coloniam Sidoniorum, & conditam ab Agenore, tempore quo Troja capta est à Græcis. Sed variè etiam ab Hebræis exponitur hic versus. Quare alius sic vertit, *Ecce terra Chaldæorum, hujus populi qui nunc occupat eam olim non fuit, sed Assur fundavit eam.* ¶ *Assur fundavit eam pro erronibus*] In gratiam scilicet illorum qui incertis sedibus in solitudinibus vagari consueverant. Alii vertunt, *Assur fundavit eam navibus*, sive *trieribus*. ¶ *Traduxerunt robustos ejus*] Chaldæi videlicet.

15. *Septuaginta annis, sicut dies Regis unius*] Hebræi per *unum Regem* intelligunt David, qui tot annis vixit, alii Nabuchodonosor & filios ejus tanquam *unum Regem* intelligunt. ¶ *Quasi canticum meretricis*] Quæ scilicet oblitos sui cantu allicit. Appellat autem ostentationem opum & mercium *carmen* & *citharam*, negotiationem verò *fornicationem*.

18. *Et merces ejus sanctificata Domino*] Ob hæc, opinor, verba hunc locum Hebræi quidam ad tempus Christi dictum putant, id quod nobis minimè displicet, cùm Lucas in Actis testetur Tyrum quoque amplexam Evangelium Christi. ¶ *Non condentur neque reponentur*] Nam ii divitiis illis opera pietatis exercebunt.

FORERIUS.

1. T*Yrios* Judæis vicinos aggreditur. Ipsorum enim Judæorum res agebatur in hujusmodi vicinorum vastationibus, non modò ob generales rationes quas suprà attigi, sed & quia in his omnibus provinciis ac civitatibus quamplurimi Judæi habitabant. Dicebatur autem *Tyrus* Hebræis צר, quòd in *petra* fuerit exstructa, atque instar promontorii mari & tempestatibus maris fuerit opposita; aut etiam propter robur, munitiones & firmitudinem, unde 2 Sam. 24. & Zach. 9. & alibi fit *munitionum Tyri* mentio. ¶ *Vastata est*] Video Hebræis non in universum observari ut nominibus urbium attribuantur verba femininæ formæ. Non dubium quin hoc loco *Tsor* dicatur *devastatus*, bene ergò vertitur in femininum; sicut suprà de *Ar Moab*. ¶ *Domus, unde venire consueverant*] Duæ tantùm sunt in Hebræo voces. Ad verbum dicendum esset *à domo*, *à veniendo*, quarum vocum conjunctionem & acceptionem, cujusmodi hoc loco est, non ità passim invenies in Scripturis. Quare ingens est hoc loco interpretationum varietas, dum quisque pro arbitrio suo quæ vult addit aut supplet, prout in ipsorum libris videre poteris. Mihi certè simplicissima interpretatio, quæ nihil addit, solet placere. Puto ergò has duas voces cum verbo *vastata est* esse construendas, & nihil aliud significare quàm *prorsus*, *omnino*, *funditus*, *ex omni parte*, ut idem sit quòd מבית ומחוץ Gen. 6. *Bituminavit eam extrinsecùs & intrinsecùs*, & Exod. 25. *Extrinsecùs tegens eam & intrinsecùs.* Sic accipitur etiam מבית 2 Reg. 11. & 2 Par. 23. Cæterùm verbum בא *venit*, quando construitur cum verbo יצא *egressus est*, frequentissimè idem est quod Latini dicunt *domi & foris*, *ubique*, *ubicunque*, seu *omnibus modis conversari*, *officio fungi*, &c. Psalm. 121. *Dominus custodiat ingredi tuum & egredi tuum*, 1 Reg. 3. *Ego sum puer parvus, neque scio egredi & ingredi*, i. Nihil scio facere, &c. Et infrà 24. 10. manifestè מבוא ità accipitur; *clausa est omnis domus extrinsecus.* Non absurdum igitur erit si hoc loco dicamus *è domo* nihil aliud esse quàm ab interiori parte unde est egressus, & *à veniendo* nihil aliud quàm ab exteriori parte unde est ingressus seu adventus; i. Tam intra civitatem quàm extra, tam in domibus quàm in muris, ex omni denique parte & funditus vastata est Tyrus. ¶ *De terra Cethim*] Puto *Cithæos* esse Græcos, nempe Macedones, voce congruenti. Dicebantur autem *habere insulas*, tum propter infinitas insulas quas habebant in mari Ægeo sub suo imperio, tum etiam quia Hebræis *insulæ* dicebantur

bantur provinciæ illæ ad quas non nisi per mare erat transitus, nondum illustratis ex omni parte regionibus, an mari cingerentur, an minùs. Quinimo & Italos Græcis vicinos nomine *Cethim* alibi comprehensos intelligo. Vide Benedictiones Balaam. Fuit autem *Cethim* filius Javan, à quo *Iones* dicti sunt, frater Dodanim, ex quo *Rhodii*, & Tarsis, ex quo *Tarsenses* orti putantur. *Ex his* dicit Scriptura *habitatas fuisse insulas gentium*. Non multùm itaque distant à se invicem istæ regiones, ut Geographis compertum est. At Alexander Macedo Tyrum cepit, & continenti junxit. Neque obest quòd per Chaldæos quoque vastata priùs fuisset: sæpe enim Prophetis altera vastatio unius regionis in mentem veniebat cùm de altera ejusdem loquerentur. Quare *Tyriis de terra Cethim revelatum hoc fuisse*, i. hoc malum prodiisse, apparuisse seu revelatum fuisse, dicit. Nam verbum נגלה cum nomine כתים construendum est. Quòd si malis hæc, ut plurima alia in sequentibus, de vastatione per Chaldæos intelligere, dicas à negotiatoribus Cithæis nunciatum fuisse Tyriis quòd Chaldæi decrevissent devastare eos, &c. Sed prior sententia magis arridet. Eodem versu *naves Tarsis* jubet *ululare*, significans quòd non ampliùs advenirent ad Tyrum naves Tarsis, proinde mercatoribus, qui lucri gratiâ ad Tyrum venire consueverant & naves mercium plenas adducere, lugendum fore. Ego quidem *naves Tarsis* hoc loco, ut in Psal. *Spiritus vehemens conterens naves Tarsis*, pro navibus magnis, quas *onerarias* vocant, accipio, eâ ratione quam superiùs indicavi.

2. *Tacete* (vel *Quiescite*) *habitatores insulæ*] Aut de ipsis Tyriis intelligendum est, (tunc autem verbum *tacendi* ad luctum & tristitiam pertinet; ut Thren. 2. *Desiderunt in terra: siluerunt seniores filiæ Tzion*) aut nomen *insula* collectivè capitur, i. *insularum*: ut *quiescere insulanos omnes* jubeat, vel etiam *silere* & *lugere*; quasi sit ferè idem quòd, *ululate*, *naves Tarsis*. Prior tamen expositio sequentibus magis congruit. ¶ *Negotiatio*] Incipit recensere felicitatem Tyri. *Negotiatores*, sive *mercatores*, *Sidonis per mare ad te confluebant*. Dicuntur autem mercatores סחרים Hebræis à *circumeundo*, seu *circumferendis mercibus*. Et ad hanc Etymologiam respexisse videtur Dominus in Euangelio, cùm dicit Scribis, quòd *circumirent mare & aridam ut facerent unum proselytum*, &c.

3. *In aquis multis*] Mare Mediterraneum appellabant Hebræi *mare Magnum*. Idem hic intelligo per *aquas magnas* seu *multas*, & ב pro *per* accipio. ¶ *Semen* autem *Nili* vocat frumenta quæ Nili beneficio Ægyptus profert. Et ad verbum *repleverunt* referendum est nomen *seminis*. Non est ergò omittenda conjunctio, *& per aquas magnas* vel *multas*. ¶ *Fruges ejus*] Cùm תבואה sit à verbo בוא *venit*, propriè videtur significare *quæ singulis annis à terra proveniunt*. *Proventum* ergò rectè dixeris. *Messis*, inquit, *fluvii*, i. demessi fructus qui rivulis à Nilo deductis meritò adscribuntur, *erant annui proventus Tyri*, *adeò ut esset Tyrus negotiatio gentium*, i. emporium quò omnes gentes negotiandi gratiâ convenirent.

4. *Erubesce*] Tam frequens mutatio formæ orationis ingentem ac stupendam rerum vicissitudinem solet in Prophetis comitari. Descripserat ex parte felicitatem Tyri: Subitò ad Sidonios convertit se, & Tyrum ipsam (quam & *mare* & *maritimam munitionem* vocat, quòd locus esset arte & naturâ munitissimus & undequaque mari allueretur) loquentem inducit, ut similia quoque ipsi sperent neque ampliùs glorientur, imò tales se exhibeant quales sunt qui pudefiunt, tacent, abscondun-tur & dolent. ¶ *Non parturivi*] Mihi omnino persuasum habeo לא hoc loco interrogare, & affirmativam responsionem postulare, ut Exod. 8. & Job. 3. ubi Vulg. per *nónne* vertit, *Nónne silui*, &c. Verbum autem חול propriè est *dolore angi* seu *cruciatu affici*. Et ut nos nomen *dolores* usurpamus pro *doloribus parturientis*, ità Hebræi hoc verbum parturientibus tribuunt; ut hic meliùs vertisse putem Vulgatum quàm qui verbo *dolendi* reddunt; q. dicat Tyrus, tanquam femina, *Nónne sum vere mater? habitatores & cives mei suntne omnes exteri? nónne edidi filios electos ad bellum, qui ingenti amore pro patria pugnarent: nónne nutrivi virgines, quas defenderent viri, & occumbere mallent quàm sinere ut exteri hostes eas raperent? Si ergò ego, maris quoddam promontorium tam egregiè munitum, tot pugnatorum mater, hæc passa sum, nè efferaris, Sidon amica, quinimo pudore afficiaris, & mihi condoleas.* Vel *generatio* hæc ad colonias quas deduxerat referenda est: Carthago enim Tyriorum erat colonia. Tyrum autem coloniam & filiam fuisse Sidonis existimo: unde ut *pudefieret* dicit, neque se immunem putaret; nam ipsa quoque populo abundaret & civibus, colonias etiam duxerit, nihilominus vastaretur. Vide infrà v. 12.

5. *Cùm auditum fuerit in Ægypto*] Doctè admodum Vulg. sensum expressit: nam כאשר interdum pro adverbio Temporis videntur uti Hebræi. Inquit ergò ad verbum, *Quamprimùm fama Ægyptiis*, i. quamprimùm rumorem aure perceperint *dolebunt juxta famam Tyri*, i. erit dolor famæ similis, & juxta magnitudinem calamitatis erit & tristitia & dolor Ægyptiorum.

6. *Transite*] Ad ipsos Tyrios iterum convertit sermonem. ¶ *Maria*] Hic rursus est nomen *Tarsis*: de quo, cùm tam varia cæteri scriptores afferant, quid certi statuere ego possim non habeo. Et quidem interdum nomen esse proprium loci, à *Tarsis* filio Javan, verisimile admodum est; de quo in sequentibus aliquando erit sermo. At an *mare* significet, ut magnæ auctoritatis viri senserunt, non usque adeò est manifestum. Certè si pro *mari* libet accipere, non contemnenda est Etymologia nominis, quasi sit à verbo רוש, quod *ejectum* vel *destitutum esse* sign. unde nomen רש *destitutus*, *pauper*, ut sit epitheton Maris, q. d. *inhospitale*; ut dicantur *naves Tarsis* sicut *volucres cœli*, *pecora campi*, *pisces maris*: non tamen significet nisi *mare magnum*, *altum*, vel *Mediterraneum*, vel *Oceanum*, per quod naves magnæ navigant (quæ תרשיש dicuntur) & in hoc differt à ים, quo etiam Lacus atque multò minores aquarum collectiones dicuntur. Ego tamen vocem ipsam retinebo, quæ cùm verbo Motùs conjungitur habet ה in fine, ut hoc loco. Fugam ergò & luctum indicit Tyriis, vel captivitatem *ultra magnum ac profundum mare*. Vide infrà v. 10. & 12.

7. *Numquid non* (*An hæc est*, *Hæccine est*, העליזה) *vestra*.] Heb. *vobis*: sed optimè reddidit. Habet autem apud Hebræos, ut etiam apud nos Lusitanos, hæc forma loquendi magnam vim in irrisionibus. ¶ *Quæ gloriabatur*] Nomen est deductum à verbo עלז, *exsultavit*, *tripudiavit*; *gestiit præ gaudio*. Placuit autem hic ad *tripudium* & *saltationem* referre, propter verbum quod mox sequitur, יבלוה: est enim in eo occulta Ironia valde venusta; nam sign. *cum mora & pompa ducere*, *deducere*, &c. At hic *pedibus ipsius* tribuitur quòd *eam ad peregrinandum procul deducerent*, &c. ¶ *A diebus pristinis in antiquitate sua*] Vel *antiquitas ejus*, i. cujus antiquitas, seu potiùs *origo*, *est à diebus antiquis*. Aliquando enim קדמה adverbium, aliquando nomen est. Non ergò munitio, non divitiæ, non honor, quem cæteræ nationes ei deferebant, non deliciæ, non tripudia, non nobilitas obsistere potuerunt advenienti calamitati. Hoc etsi luce est clarius, animales tamen homines indigent verbis ac verborum figuris ut hoc tandem intelligant. Quapropter & figura jam loquendi mutata, dum ipse secum admiratur, alios ad eandem admirationem provocat.

8. *Quis cogitavit*] Verbum יעץ verbo *consulendi* solet reddi, quod aliud commodius non reperiatur. Hic reddidit verbo *cogitandi*, quòd convenire rei videbatur. Sensus est, *Quis secum statuisset unquam quòd ità futurum esset de Tyro? Quis unquam sic statuisset de Tyro?* ¶ *Coronatam*] Alii *coronantem*, quod participium sit significationis activæ: sed certè pro nomine ponitur, ut pleraque alia, nempe pro *corona*. *Tyrum* autem *corona*, *coronatam* rectè dixit Vulg. vel certè cum motionibus participii significationis passivæ notandum fuit. Tyrum ergò tanquam Reginam aliarum urbium commemorat. Quod magis declarat cùm ejus mercatores *Principes* dicit: quod dupliciter intelligitur; vel quòd qui alibi essent Principes, apud Tyrum essent negotiatores, neque dedignarentur mercimonia in Tyro exercere; vel potiùs, quòd Tyri negotiatores & mercatores adeò essent divites & potentes ut Principibus aliarum provinciarum nihilo inferiores essent. ¶ *Institores*] כנען filius Cham fuit, à quo terra illa quam possederunt Israelitæ nomen est sortita. Quia autem populus hujus terræ deditus fuit mercaturæ & negotiationi, hinc ipsum nomen sæpe pro *mercatore*, interdum & pro *mercatura* accipitur, Ose 12. Zeph. 1, &c.

9. *Ut detraheret*, &c.] Respondet sibi per subjectionem. חלל in secunda est *profanavit*, *commune fecit*, *violavit*. Sensum ergò expressit Vulg. Opponitur enim verbo הקדיש *sanctificavit*. Vide infrà 43. *Profanabo principes sanctitatis*. Hic opponitur *Superbiæ*, cujus est se quasi sanctum segregare ab aliis, nè contaminetur, & alios indignos reputare qui ad se accedant. *Superbiam* autem *universæ jucunditatis* vocat ipsos superbos Tyrios, qui jucundè & suaviter vivebant; ipsamque Tyrum, quæ erat jucunditas aliarum nationum. De voce autem צבי dictum est suprà c. 13. ubi Babel dicitur *jucunditas Regnorum*. ¶ *Ad ignominiam deduceret*] Manifestum est קלל & כבד opponi, ut suprà cap. 9. dictum est. Hoc de *gravitate honoris*, *substantiæ* vel *ponderis* dicitur; illud, de *alleviatione*. Potest ergò non de *honoratis* tantùm *ignominiâ afficiendis* intelligi, sed & de *divitibus ad paupertatem redigendis*: ut totum hunc ver-

versum Mater Domini in suo illo Cantico, cùm dixit, *Deposuit potentes de sede*, & rursum; *Divites dimisit inanes*, expressisse videri possit: hoc enim est *alleviare graves*. Quare sic quoque hic reddere possemus, *& divites inanes*, seu *alleviatos, redderet*.

10. *Transi terram tuam*] Cùm Tyrum hic *filiam maris* vocet, ut mox dicam, quòd totum se marinis transvectionibus dedidisset, non dubito quin terram ejus seu patriam ejus dicat ipsum *mare*: *Filia maris* cùm sis, *transi mare*, *perambula patriam tuam*: nihil tibi durum præcipere videbor. Irrisionem ergò non invenustam in hac voce inclusam intellige. ¶ *Filia maris*] Hic rursus habes nomen *Tarsis*: ex quo mihi verisimile fit *Tarsis* esse nomen Maris, ut suprà v. 5. annotavi. Cur enim diceretur Tyrus *filia Tarsis*? Nam quod quidam dicunt, *Tarsis* esse Carthaginem, vel ex hoc loco falsum esse convincitur. Quomodo enim *filia Carthaginis* diceretur Tyrus, cùm potiùs filia Tyri esset Carthago? Certè etiamsi verissimum sit *Tarsum* Ciliciæ a *Tarsis* filio Javan nomen accepisse, nihilominus sic appellatum *mare altum* tamdiu existimabo quamdiu probabiliorem sententiam alius non attulerit. Si quis tamen diceret *Tarsis* esse Tartessum in Hispania, unde Phœnices infinitam multitudinem auri & argenti olim (si historiis fides adhibenda est) deferebant, cum vox consentiat, mihi non absurdam afferre sententiam videbitur. Quando autem cum ה motus invenitur, credo idem esse quod *ultra mare*: sic Jonas ultra Mediterraneum mare fugere constituerat, ut sunt Græcia, Italia, &c. & naves, quæ ad oram maris Rubri conficiebantur, per mare Rubrum in Oceanum indicum proficiscebantur, quod pertranseuntes applicabant ad Ophir & littora alia Orientalia, unde aurum, &c. deferebant. ¶ *Cingulum*] Nomen Hebræum propriè *obfirmationem* sign. licèt transferatur interdum ad significandum *balteum* quo firmantur renes. Ego libenter pro *muro* quo cingebatur Tyrus acciperem: vel per *ablationem cinguli* nuditatem seu spoliationem notat, quasi in Metaphora perseveret; q. d. *Ad natandum jam apta es*; *transi mare*, *transnata mare Mediterraneum*, *quasi rivulum quempiam*.

11. *Super mare*] Hæc omnia de Tyro intelligo, quam suprà quoque vocavit *mare*, cujus habitatores erant *Chananæi*, i. mercatores; *cujus* quoque *munitiones Dominus decreverat devastare*. Possunt & de Phœnicia tota intelligi, & de tota *Chananitido*, cujus *Regna commovit* potentia Chaldæorum, &c. Sed priori interpretationi subscribo, & *conturbationem* seu *commotionem Regnorum* intelligo provocationem: excitavit enim Dominus & quasi ad iram provocavit exteros Reges ut adversùs Tyrum consurgerent. ¶ *Mandavit adversus*] Sensum expressit: ego ad verbum reddidi. Estque phrasis castrensis, i. exercitum conscripsit & misit ut Tyrum opprimerent, quasi *Regnis commotis mandatum dederit Jehova contra Chananæum*: ut sic vertere possis, *Manum suam extendit Jehova versùs mare, commovit Regna, amandavit* [scilicet *ea*] *ad Chananæum* (seu *mercatorem*) *ut perderet munitiones ejus*: quem sensum magis laudo.

12. *Calumniam sustinens*] Vocem *ultrà* additam à quopiam puto, & *virgo* legendum ejus loco, i. *Defraudata*, & præter spem tuam à gloria tua detrusa, *transi*, &c. Ità ferè omnes quos vidi in significatione passiva accipiunt. Cæterùm cum aliis punctis significationis activæ esse possit, à verbo עשק in secunda, & Mercatoribus familiare sit alios defraudare, omissis Rabinorum punctis, non video cur *defraudatricem* aut *calumniatricem* dicere non possimus Tyrum, quæ tota mercaturæ vacabat. Sunt enim qui gloriantur & exsultant cùm quempiam defraudarint, ut est in Ps. 73. ubi usus est voce עשק ab hac radice, quòd nomen *rem ipsam* interdum *fraude partam* significat. Unde Lxx Interpretes *Dominus voluit dissolvere omnem contumeliam gloriantium* verterunt. ¶ *Filia Sidonis*] De ipsa Sidone intelligi possunt hæc, quòd videlicet ipsa *gloriaretur* in afflictione Tyri, quasi aliena esset ab illa tempestate, quam suprà ut *erubesceret* seu *pudefieret* suadebat Tyrus: nunc autem quòd eandem sortem subitura esset cum Tyro denunciat Propheta. Possunt nihilominus & de Tyro intelligi, quasi antiquior fuerit Sidon Tyro, & Sidonii eam ædificarint. Scio quidem dubium controversùmque esse apud probatos auctores utra fuerit metropolis Phœniciæ. Neque certum est utra antiquior fuisset. Mihi probabile est, Sidonem, quæ in continenti erat, antiquiorem fuisse Tyro, quæ in insula sita erat. Sed hoc ad rem parùm facit: prior sensus planus est. ¶ *Non erit tibi requies*] Tibi quoque, sicut & Tyro, accidet, ut *in Cethim* captiva ducaris. Quòd si hanc interpretationem sequaris, suprà versum 10. de *tota Cananitide* intellige, *adversus* quam *Dominus provocavit Regna*, *ut præcipuas civitates ejus*, Tyrum scilicet & Sidonem, *perderent*, i. munitissima loca. Ubi vides non inultas semper manere mercatorum fraudes, Dominúmque eos qui alienis bonis per varias ac non bonas artes sese ornarunt, ut suprà dixit, *alleviare* & *inanes reddere*. Ubi quoque animadverte, quòd in Regnorum vastationibus, quasi fato aut casu eveniant, non liceat nobis deliciosis & fraudulentis esse. Hoc etiam non prætereundum putavi, quòd videatur Joannes Apoc. 18. Antichristianorum civitatem per Tyrum intelligere, etiamsi eam non nominat, *Væ, væ*, inquit, *civitas illa magna*, *in qua divites facti sunt omnes qui habebant naves in mari*, *de pretiis ejus*; *quoniam unâ horâ desolata est*.

13. *Ecce*, &c.] Quid mirum, inquit, si Phœnices devastentur? Chaldæi ferocissimi ac ditissimi populi, qui suas quoque *munitiones* habebant & *turres*, perierunt: & Dominus Babylonem subvertit cum *turribus* & *palatiis ejus*: quidni Phœnices mercimoniis gentem non ità bellicosam delebit? Si quæ præcesserunt de vastatione Tyri ad tempora Alexandri referas, memineris hoc loco ab eo quoque deletum Persarum, Assyriorum & Chaldæorum Imperium. ¶ *Talis populus*] Cum Vulg. ità malui vertere, tum quòd sensum aptum faceret, tum etiam quia multiplex usus pronominis זה hanc acceptionem non respuit. ¶ *In captivitatem*] ציים conjunxit Vulg. sequentibus, quasi sic vertisset, *ad naves surgere fecerunt robustos*, &c. i. in captivitatem abduxerunt. Et *suscitare* vel *excitare* non pro *ædificare* accepit, sed *jam* domos *ædificatas subvertere*: qui enim domorum fundamenta in lucem educit, *excitare* videtur. Hæc annotavi ut nemo non bene expensis omnibus audeat Vulg. Interpretem reprehendere; & alium sensum apposui, qui non rejiciendus mihi videtur, *Assur fundavit eam navibus*, i. aptam navibus stationem. Cum enim ingentibus fluminibus alluatur, Tigri & Euphrate, ibi ingentem triremium numerum habebant Chaldæi; quibus verisimile est eos mare Persicum, atque indicam oram adnavigasse. Nam infrà c. 43. legis *Chaldæos navibus ovantes*: & Babylon ipse dicitur c. 21. *mare deserti*, &c. ציי autem pro *navibus* accipi vide Dan. 11. & cum simplici Jod Num. 25. & Ezech. 30. Hujus nominis se Hieronymus hoc loco Etymologiam non legisse dicit; neque Rabini assignant: verisimile autem est sic naves à *siccitate* (quæ Hebraicè dicitur ציה) appellatas, quòd sint in mari siccæ, velut insulæ. De alia acceptione dixi suprà c. 13. ¶ *Robustos*] Nomen בחונים à verbo בחן *probavit*, *munitiones* designat, quasi probatæ sint adversùs oppugnationes hostium. Scribitur per Jod sed ut Vau proferendum. ¶ *Domos*] Vel *palatia*. Lxx *turres* dixerunt. Est nomen à verbo רום *elevavit*, *sublevavit*, &c. ¶ *Posuerunt eam*] In Hebræo est verbum sing. & ad *Deum* referendum. Cùm *talis* esset *populus*, cùm sit antiquissima civitas, cùm *munitiones* & *palatia* haberet, &c. tamen *Dominus demolitus est eam & in ruinas redegit*. In hoc versu videre licet quàm parùm soliciti sint Hebræi de numeris & genere.

14. *Ululate*] Conclusionem repetit, quam jam suprà proposuerat v. 1. ¶ *Fortitudo*] Nomen מעז *locum, naturâ vel arte munitum* designat. Duplicem autem habebat portum Tyrus, alterum apertum, alterum clausum, ut est apud Strabonem. Vel igitur de fida statione navium loquitur, vel de arce, quæ naves defendebat, &c. Sed ego de statione & portu intelligo, ad quem naves confugientes à tempestate & ventis tutæ erant.

15. Versu 13. exemplo rei magis incredibilis ostendit posse Tyrum destrui. Ex quo quanta sit cæcitas quam res prosperæ invehunt discere possumus, qui videamus necesse fuisse exemplo ostendere ruinam contingere posse Tyro. Hinc quoque quis sit usus casuum & fortuitorum eventuum, quos alia Regna & provinciæ experiuntur, habemus. Ex vastatione enim Babyloniæ posset Tyrus & Sidon & aliæ urbes sibi consulere. Alexander autem, qui Tyrum cepit, Babyloniæ provinciam quoque subjugavit. Quòd si de vastatione per Chaldæos est sermo, exemplum quoque ad rem facit. Nam & Babylon à Persis capta est atque diruta, cùm eam tamen florentissimam possedissent per multos annos Assyrii ab uxore Nini ædificatam. Vide Strabonem; apud quem etiam videbis navium usum in Babylone, & quo modo Alexander navibus partim ibi confectis, partim ex Syriaco mari plicatilibus per terram ad Euphratem advectis, & in Babylone compactis, Arabes invasit. Ex quo auctore disces, Tyrum terræmotibus licèt ferè totam collapsam, & ab Alexandro obsidione captam, calamitates omnes evicisse, & seipsam navigando instaurasse. Navalis enim ejus potentiæ & apparatûs signum est multitudo & magnitudo coloniarum; quas ad Iberiam usque emisit. Sed nescio an de hac restauratione hîc sit sermo. Quid si cum populo Dei capti, & eodem tempore redempti sunt? Certè Propheta à restauratione visibili ad invisibilem per Christum statim transit, ut mox videbis. ¶ *Sicut*

cut dies Regis unius] Paucissimos enim reperias ultra Lxx annos regnasse. Adde quòd Hebræi ætatem totam Regis Lxx annis circumscriptam volunt, quòd hanc excedere non soleant Reges. ¶ *Post septuaginta autem annos*] Sensum expressit. Hebræa ad verbum, *à fine septuaginta annorum:* ubi accipe expressum antecedens pro relativo, ut sæpe solent: quare reddidi *quibus expletis*, nè opus sit particulam ullam supplere. ¶ *Velut canticum meretricis*] Seu *canticum velut meretricis*, i. dulciter & suaviter canet, ut ad se alliciat gentes. Ubi vides Mercaturam rei meretriciæ comparari: habent enim maximam inter se similitudinem concupiscentiæ Carnis ac Divitiarum.

16. *Cane*] נגן de *symphonia* dicitur: éstque *sonare in instrumento Musico.* Et Psalm. 68. distinguuntur *cantores* à ננגים, qui sunt *Musici instrumentales.* Et de Davide dicitur 1 Sam. 18. *David sonabat manu suâ*, &c. Ergò hìc cùm sit infinitivus secundæ, reddere possumus *pulcrè ludendo multiplica* (vel *frequenta*) *canticum*: ut scilicet utrumque genus Musicæ exerceat. Est & quoddam Musicæ genus quo alienatum à nobis Deum revocamus, dum pectus, sceleris conscii, pulsamus, gemitus & lacrymas fundimus: Ille verò nostri memor, cor contritum non despicit, & auribus percipit lacrymas nostras; & rursus in amplexus meretricum & peccatorum ruit amabilis illa Puritas, qui & convivium facit & symphoniam adesse jubet, redeunte ad se filio prodigo.

17. *Visitabit*] Jam dixi multò augustioris significationis esse Hebræum פקד quàm Latinis *visitandi* verbum: hìc *curam habere ac rationem* dicere possumus: *non enim in perpetuum irascitur* Deus. ¶ *Ad merces suas*] Credo legendum *mercedem*. Nam vox Hebræa אתנן est à verbo תנה *mercedem dedit* vel *donum pro opere turpi*, ut solent amatores invicem merendo tribuere. Estque synonymum cum כרים & נדה, ut ex Ezechiele liquidò constat. Et quamvis de mercibus earúmque commutatione sit sermo, erat tamen Metaphora servanda: quod & mox explicat. ¶ *Super faciem terræ*] Non est invenusta Hebræis hæc redundantia, & supplent participium verbi substantivi *exsistentibus*, vel *quæ sunt*, *super faciem terræ*. Ex omnibus enim regionibus Orientalibus ad Tyrum merces deferebantur, atque indè in totam oram maris Mediterranei, & contrà. Ut igitur nobilitatem emporii & multitudinem negotiatorum significaret, Pleonasmo usus est.

18. *Mercèdes ejus*] Hìc rursus *merces* in significatione superiori accipienda est. Atque eâdem voce hìc uti voluit Jesaias quâ usus fuerat Moses Deut. 23. quando prohibuit *nè merces meretricis inferretur in domum Dei*, non solùm ut de qua mercede loqueretur insinuaret, verùm etiam propter mysterium, ut scilicet adesse significaret qui sanctificaret omnia immunda, & Regnum Dei meretricibus & peccatoribus patefaceret. Quo pacto autem *lucra ex mercatura Domino sanctificarentur* mox explicat; quòd scilicet essent in usus servorum Dei, cui opponit *recondi & reponi:* hoc enim est avarorum, qui *in hoc seculo thesaurizant, neque sunt in Deum divites.* At quos Deus *visitat*, quorum *curam suscipit*, etiamsi sint negotiatores & à mercatura non abstineant, eam tamen sanctissimè pertractant, & juxta consilium Apostoli *facilè communicant divitias suas*, & in sinum pauperum eas malunt recondere quàm *ubi ærugo & tinea vim suam exercere possunt, & fures effodere & furari.* Hic, quæso, considera, Christiane Lector, quàm liberali loquendi formâ usus sit Propheta. *Erunt*, inquit, *habitantibus coram Domino.* Illi erunt veluti illarum facultatum domini. Ab aliis quidem velut ipsorum ministris acquirentur; sed ipsarum usus cedet servis Dei, ministris Domini, qui ei assistunt, qui Domino perpetuò famulantur. Neque illis est otium ad ea comparanda quæ humanæ vitæ sunt necessaria. Ubi animadvertere in Regno Christi illas facultates *Domino Deo sanctificatas* dici quæ in *victum & vestitum* servorum Dei & ministrorum domûs ejus expenduntur: & hæc præstare Tyrios postquam Deos eos *visitat* & illorum *habet rationem.* Ut vel ex hoc loco convincantur hæretici, qui præter mentem Dei esse asserunt alere homines qui in Ecclesia Dei die noctéque Domino assistunt ac ministrant: cùm *ad saturitatem usque* arcas divitum patere velit Spiritus Christi famulis suis. Et quidem eos decet *victu & quibus tegantur contentos esse*; at qui ea acquisierunt, paratos *ad satietatem usque* illis suppeditare. ¶ *Et vestiantur usque ad vetustatem*] Ad verb. *& ad operimentum durabile*, i. ut nunquam eis desit operimentum. Quem sensum nequaquam rejicio. Sed licèt verbis Hebræis ea significatio quam omnes hìc afferunt tribuatur, non alia est adhibenda interpretatio. Non enim vestes diu duraturas significat; sed potiùs habituros servos Dei ad manum quo vestimenta semper coëmant. Nihil enim hìc frugale legis, sed liberalitatem spirant verba. Cæterùm aliam interpretationem attuli, quam à nemine observatam hactenus vidi; ut sciat Lector Hebræa eam quoque admittere, & ut ego quidem sentio, non contemnendam. Est ergò Hebræis verbum כסס *annumeravit*, *collegit*, *additionem fecit*; & opponitur verbo מנה *de summa* seu *multitudine detraxit:* adeò ut hæc duo verba duas primas Arithmetices species, Additionis & Subtractionis, significent. Ab illo autem verbo est nomen מכסה ejusdem significationis cum מכס *annumeratio*, *additio*, *collecta*, *collatio*, *contributio*, Exod. 12. & Num. 27. Quare si puncta auferas, hunc sensum subesse posse nemo vir doctus dubitabit, *erit negotiatio ejus ad comedendum ad saturitatem, & ad contributionem* (seu *collectam*, seu *collectionem*) *durabilem*, *quæ non exhauriatur*; *sed semper habeant unde eis necessaria suppeditentur.* Similes volebat Paulus *collectas* & *collationes quæ fiebant in sanctos qui erant Jerosolymis*; *amplas*, *liberales*, *non ex tristitia aut necessitate*, *neque parcas*: *sed quæ abunde sarcirent inopiam sanctorum.* Et verisimile est ad hunc locum allusisse in Epistolis suis cùm de collectis in sanctos loquitur.

DRUSIUS.

1. אֳנִיּוֹת תַּרְשִׁישׁ. Omnes similiter transtulerunt, *Naves Tharsis* ait Hier. qui *naves Carthaginis* interpretatur, secutus Lxx, in quorum ed. πλοῖα Καρχηδόνος.

7. יֹבִלוּהָ רַגְלֶיהָ מֵרָחוֹק לָגוּר. Th. ἀπάξουσιν αὐτὴν οἱ πόδες αὐτῆς πόῤῥωθεν εἰς ἀποικίαν, *abducent eam pedes ejus in coloniam*] Apud Procopium, ut de Theodotionis editione sumpta, notantur asteriscis.

8. כְּנַעֲנֶיהָ. Aq. *negotiatores.* Th. *Chanaan*] Hier. *Verbum CHANAAN de Theodotionis editione additum est, pro quo Aq. NEGOTIATORES edidit.*

11. הִרְגִּיז. Sym. *conturbabat*] Hier. *quæ priùs in mari provocabat Reges, sive juxta Sym. conturbabat.* Malim *commovebat.*

13. יְסָדָהּ לְצִיִּים הֵקִימוּ בְחוּנָיו עֹרְרוּ אַרְמְנוֹתֶיהָ. Th. ἐθεμελίωσεν αὐτὴν εἰς Σηείμ, ἔστησαν ἐπάλξεις αὐτῆς, ἐξήγειραν βάρεις αὐτῆς] Quæ apud Procopium asterisco signata sunt. Sumpta autem esse ex Theodotione docet nos Hier. ità scribens, *Quódque sequitur de Theodotionis editione sub asteriscis additum est,* [*Fundavit eam Siim, statuerunt propugnacula ejus, suscitaverunt turrim ejus*] *Turres ejus.*

14. אֳנִיּוֹת תַּרְשִׁישׁ. Aq. Sym. Th. *naves Tharsis.* Vide Hier. Ezech. 27. 12.

IDEM EX PROCOPIO.

1. מַשָּׂא צֹר. Aq. Τὸ ἆρμα Τύρου, *Onus Tyri.* Sym. Th. Λῆμμα, *Assumptio.* ¶ אֳנִיּוֹת תַּרְשִׁישׁ. Aq. Sym. Th. πλοῖα Θαρσίς, *naves Tharsis*] Vel Θαρσεῖς. ¶ כִּתִּים. reliqui Χετιείμ *Chetiim*] Procopius, λέγεται ἡ Κύπρος οὕτω δηλοῦσθαι, καὶ Κίτιον εἶναι πόλις ἐν αὐτῇ, &c. Alii Macedoniam significari putant.

2. דֹּמּוּ. σιωπήσατε *tacete.* Sym. σιγήσατε *silete.* ¶ יֹשְׁבֵי אִי Sym. κατοικοῦντες τὴν νῆσον *habitantes insulam.*

6. תַּרְשִׁישָׁה. Aq. Sym. Th. εἰς Θαρσεῖς.

7. יֹבִלוּהָ רַגְלֶיהָ מֵרָחוֹק לָגוּר. Th. ἀπάξουσιν αὐτὴν οἱ πόδες αὐτῆς πόῤῥωθεν εἰς παροικίαν, *abducunt illam pedes ejus longè ut sit incola.*

12. בְּתוּלַת בַּת־צִידוֹן. Aq. Sym. Th. παρθένον θυγατέρα Σιδῶνος, *virginem filiam Sidonis.*

13. יְסָדָהּ לְצִיִּים הֵקִימוּ בְחוּנָיו עֹרְרוּ אַרְמְנוֹתֶיהָ. ἐθεμελίωσεν αὐτὴν εἰς Σηείμ, ἔστησαν ἐπάλξεις αὐτῆς, *fundarunt eam in Sejim, statuerunt propugnacula ejus.* Sequitur in Procopio, τούτων τῶν ἠστερισμένων quod nescio cui respondeat. Nam in Ebræo שמה למפלה *posuit eam in ruinam.*

15. מֶלֶךְ אֶחָד. Aq. Sym. Th. βασιλέως ἑνὸς *Regis unius.* ¶ לְצֹר. Iidem, Τύρῳ *Tyro.*

17. עַל־פְּנֵי הָאֲדָמָה. Th. ἐπὶ πρόσωπον τῆς γῆς *in superficie terræ.*

18. וְהָיָה סַחְרָהּ וְאֶתְנַנָּהּ קֹדֶשׁ לַיהוָה. Aq. καὶ ἔσται ἐμπόρευμα αὐτῆς καὶ μίσθωμα ἡγιασμένον τῷ Κυρίῳ, *& erit emporium ejus & merces sanctificata DOMINO.* ¶ כִּי לַיֹּשְׁבִים לִפְנֵי יְהוָה יִהְיֶה סַחְרָהּ לֶאֱכֹל לְשָׂבְעָה וְלִמְכַסֶּה עָתִיק. Sym. τοῖς γὰρ κατοικοῦσιν ἐνώπιον Κυρίου ἔσται ἐμπορεία αὐτῆς φαγεῖν εἰς πλησμονὴν, καὶ περιβαλέσθαι εἰς τὸ παλαιῶσαι, *his enim qui habitant coram DOMINO erit ejus negotiatio ut comedant ad satietatem & vestiantur ut veterascant.* Aq. τοῖς καθημένοις εἰς τὸ πρόσωπον Κυρίου ἔσται ἐμπόριον αὐτῆς τοῦ φαγεῖν εἰς πλησμονὴν, εἰς ἔνδυσιν μετάρσεως, *His qui coram facie DOMINI sedent, erit emporium ejus ut edant ad satietatem,*

&

& mutatoriis vestiantur. Th. --- καὶ περιβαλέσθαι εἰς παλαιὸν, *& ut amiciantur ad vetustatem.*

GROTIUS.

1. *ONus Tyri*] Nihil hîc de Nabuchodonosoro, multóque minùs de Alexandro Magno cogitandum. Omnia enim hæc vaticinia inter se cohærent, & ad tempora proxima pertinent. Quod præcessit vaticinium, pronuntiatum est Salmanasaro Urbem obsidente, continéque & res istas, & quæ secuta sunt sub Sennacheribo. Eodem tempore & revelatum est à Deo, & à Propheta prædicatum conscriptúmque est, quod de Tyro nunc sequitur, impletúmque non multò pòst. Nam, ut ex Menandro Ephesio discimus, & ex Josepho libro nono Historiæ Antiquæ, Rex Assyriorum Salmanasar, subactâ Samariâ, quam sub *Phœnices* nomine comprehendit Menander, (ostendimus autem ad librum 1. de Veritate Religionis Christianæ apud Græcos satis latè extendi *Phœnicum* nomen) Tyriis bellum intulit, certavit classe, fecit ut pretia rerum apud Tyrios multùm incenderentur. Tandem ipse decedens reliquit custodes ad flumina & aquæductus, qui Tyrios ab aqua omni (haud dubiè & à commercio) arcerent: idque toleratum Tyriis per annos quinque. His quinque annis si duos addas, per quos Rex in illis locis mansit ipse, habebis septem annos: quem numerum omnino tribus hujus capitis locis restituendum censeo, sicut pro שבעים [*sexaginta*] legendum שש [*sex*] diximus suprà VII. 8. Nimirum par utrobique error, ים per librarios malè adjecto, sive notis septenarii & septuagenarii numeri (quæ olim fortè, ut nunc apud Arabas, uno punctulo adjecto, qui ex singulis faceret denos, distinguebantur) confusis.

Vlulate, naves maris] *Tharsis* in Hebræo, id est, à Tartesso sive Hispania, cui frequens cum Tyro commercium. Græci, πλοῖα Καρχηδόνος [*naves Carthaginis*], positâ urbe Africæ non longè distante, pro urbe Hispaniæ. Vide quæ dicta ad 1 Regum x. 22.

Quia vastata est] Id est, opibus exuta.

Domus] *Urbs*, more Hebræo. Sic *Bethel*, *Bethain*, *Bethsemesch*, & alia.

Unde venire consueverant] Imò *introitus:* id est, quò invehi naves solebant.

De terra Cethim revelatum est eis] Cittiæi in Cypro ad imperium Assyriorum reducti, statim in Hispaniam nuntiaverunt Tyrum Assyriorum armis claudi undique.

2. *Tacete qui habitatis in insula*] Erat quidem Tyri pars in insula; sed latiùs sumere vocem satius est pro *ora maritima*, ex more Hebræo.

Negotiatores Sidonis transfretantes mare repleverunt te] Veterem urbis fortunam describit, quo tristior appareat ea quæ erat ventura. Sidonii & ligna à Libano, & vitrum, & vestes apud se factas in ratibus Tyrum deferebant.

3. *In aquis multis semen Nili, messis fluminis fruges ejus, & facta est negotiatio gentium*] Ex Hebræo optimè vertas: *Cujus proventus sunt sata Nili aquis multis*, (*terras irrigantis* nimirum), *messis flumine* (educata) *quæ est taberna gentium.* Sic Dyrrachium Adriæ taberna. Frumentum Niloticum Tyrus omnibus populis cum lucro suo vendebat.

4. *Erubesce Sidon*] Parens Tyri. Docent Curtius & Justinus. Erubesce, quòd Tyro proli tuæ opitulari non valueris.

Ait enim mare, fortitudo maris] Meliùs: *Ait enim maris, maris*, inquam, *munimentum.* Ipsam attigit significationem nominis עז [*munimentum*], quod πέτραν solent vertere Græci Interpretes, unde Græca vox τύρσις, & Ethrusca *turris.* Fuère autem mari ità potentes Tyrii, ut indè in proverbium iverint *Tyria maria*, Festo docente.

Non parturivi, & non peperi, & non enutrivi juvenes, nec ad incrementum perduxi virgines] Hebræi optativum & subjunctivum non habent; itaque pro eo utuntur indicativo. Sensus est: *Utinam unquam mihi fuisset soboles ulla.* In rerum enim necessariarum penuria multitudo aut deficit, aut oneri est.

5. *Cùm auditum fuerit in Ægypto, dolebunt cùm audierint de Tyro*] Nempe ob cessationem commercii, Ægyptiis non minùs quàm Tyriis utilissimi.

6. *Transite maria*] Heb. *in Tharsisch:* id est, ite in Tartessum. Græci, ἀπέλθατε εἰς Καρχηδόνα [*ite Carthaginem*]. Non dubium est quin antequam clauderentur exitus, multi migraverint in loca maritima, quamvis longinqua; ut & sequentia indicant.

In insula] Interpretare ut suprà 2.

7. *In antiquitate sua*] Ab Agenoris temporibus.

Ducent eam pedes sui longè ad peregrinandum] Per pedes intellige pedes navium, vela & remos. Latini funes quibus tenduntur vela *pedes* vocant; Plautus nautas ipsos *navales pedes.*

8. *Quis cogitavit hoc super Tyrum?*] *Quis hoc constituit?* Ità vertendum ostendit responsio ad interrogatum.

Cujus negotiatores principes] Opulenti non minùs quàm Principes.

Institores ejus] In Hebræo: *mercatores.* Nam כנען pro *mercatore* sumitur, quia maximus & antiquissimus mercatus penes Phœnices. Φοίνικες ἔμποροι [*Phœnices mercatores*], Ælianus IV. 26. Strabo XVI. ἐμπορικοὺς ὡς τοὺς Φοίνικας [*mercatura deditos non minùs quàm Phœnices*]. Sophocles:

> Ὠνῶν ἴθ᾽ ἰνδικὸν ἢ πέρδειν ὡς Φοῖνιξ ἀνήρ.
>
> [*Mercem indicas pretiumque ceu Phœnix fores.*]

10. *Transi terram tuam*] *In terram tuam*, id est, in aliquam coloniarum tuarum.

Quasi flumen] Quod à fonte fertur in mare. Sic tu ad Oceanum usque abi, si potes.

Filia maris] In Hebræo: *ad filiam* (id est urbem) *Tharsisch*, id est, Tartessum.

Non est cingulum ultrà tibi] Per *cingulum* intellige munimenta urbi circumposita, quæ tunc hostis tenebat.

11. *Conturbavit regna*] In Hebræo: *Perterrefecit regna*, nempe exemplo tantæ urbis in tantas reductæ angustias.

Dominus mandavit] Id est, decretum fecit, ut suprà 8. 9.

Adversùs Chanaan] Potest aut proprium esse nomen, nam Tyrus pars Phœnices; aut commune, ut suprà XIX. 18.

Ut contereret fortes ejus) Vires ejus. Est hic in Hebræo, מעזניה, litterâ נ positâ more Chaldaico pro Dagesch. Dagesch autem ipsum fuerat vice ז repetitæ.

12. *Calumniam sustinens*] In Hebræo: *oppressa.*

Virgo] Sic dicta ob pulchritudinem.

Filia Sidonis] Vide suprà 3.

In Cethim consurgens transfreta] In Cyprum, ubi Cittium urbs, colonia & ipsa Phœnicum. Vide Menandri locum à nobis productum dicto libro III. de Veritate Religionis Christianæ.

13. *Ecce terra Chaldæorum*] In qua urbs Babylon. Unde Berosi libri aliis *Chaldaica*, aliis *Babylonica.*

Talis populus non fuit] Meliùs: *Iste populus non est.* Fuère Chaldæi populus: nunc provincia sunt Assyriorum. Quid ergò mirum si iidem Assyrii Tyrios vexant?

Assur fundavit eam: in captivitatem traduxerunt robustos ejus] Ex Hebræo vertas optimè: *Assyrius illam* (terram) *replevit hominibus deserti: erexerunt arces ejus.* Assyrius homines σκηνίτας [*Scenitas* sive *Arabas in tentoriis habitare solitos*] eò deduxit: arces quæ ibi apparent condidère Assyrii.

Suffoderunt domos ejus] Imò *excitârunt.* Nam hic significatus verbi עור meliùs cum præcedentibus & sequentibus cohæret.

Posuerunt eam in ruinam] Id est, terram eam sive gentem fecère sibi famulam, aut oppida eorum fecerunt mapalia. Nam *mapalia* vox est Punica, ut notant Festus & Servius, quæ Hebraicè scribitur, ut hic, מפלה. *Casas* interpretatur Festus: *casas in eremo habitantium* Philargyrius.

15. *Septuaginta annis*] *Septem annis*, ut suprà diximus. Eadem scriptura bis infrà reponenda.

Sicut dies regis unius] Quantum durabit vita Salmanasaris.

Quasi canticum meretricis] Quasi canticum quod canitur meretrici quæ diu abfuit. Canticum autem est id quod sequitur.

16. *Sume citharam*] Sallustius: *Psallere, saltare elegantiùs quàm necesse est probæ.* Tales fidicinæ in comœdiis.

Ut memoria tui sit] Ut norint omnes te & vivere & adesse.

17. *Ad mercedes suas*] Ad lucra sua.

Et rursum fornicabitur cum universis regnis terræ super faciem terræ] Non significatur hic εἰδωλολατρεία, [*idolorum cultus*], ut alibi; sed quia meretricis similitudinem sumserat, indè sumit translationem, nihilque vult dicere aliud quàm *quæstum undique faciet*, ut solent meretrices. Tyrii purpuras vendebant omnibus Regibus.

18. *Et erunt negotiationes ejus & mercedes ejus sanctificatæ Domino*] Quæstus ejus fiet peculium Dei, id est, cultorum Dei Hebræorum.

Non condentur, neque reponentur] Non multum indè in arcas reponent. Tyrii & quærere amabant, & quæsita prodigere.

Quia his qui habitaverint coram Domino erit negotiatio ejus]

jus] Quæstus illius pecuniæ ad Hebræos Tyriis vicinos perveniet.

Ut manducent in saturitatem] Nempe illi Tyrii magna convivia celebrabunt: ideóque pecuniam impendent in frumentum & vinum, & carnes pecudum emendas, quibus abundat Judæa.

Et in operimentum vetus] Ex Hebræo optimè vertas *densum:* id est, lanam optimam, qualem itidem Judæa subministrabat.

CAP. XXIV.

MUNSTERUS.

HActenus Propheta variis gentibus cecinit sua fata. Jam generaliter omnibus gentibus & ætatibus vaticinatur. Ubi duo sunt observanda. Primum; Peccatores, nisi mutent vitam, pœnas dabunt, nec quicquam liberabit eos. Secundum; Cùm Dominus venit judicaturus, non negliget justos.

2. *Sicut populus, sic Sacerdos*] Hinc patet Prophetiam istam quoque dictam contra populum Israeliticum, qui dispergendus prædicitur in terras, quòd *prævaricatus fuerit legem Domini*, ut Jonathan in sua translatione addit. Et paulò post etiam in textu exprimitur quomodo *prævaricati fuerint leges, violaverint federa, dejerarint*, &c.

6. *Æstu perierunt*] h. e. Clausi sunt cœli, ut terræ nascentia provenire non potuerint. Alii intelligunt de æstu malorum affectuum, quo homines inflammati passim in scelera sese præcipitant.

14. *De mari*] Capitur hîc *mare* pro מערב *Occidente. Ab Occidente*, inquit, erunt reliquiæ quæ *jubilabunt in magnificentia Domini.*

15. *In vallibus*] Kimhi post Aben Ezram exponit עמקים. Chald. verò interpretatur כיתי נהורא *adventum lucis.*

16. *Secretum meum mihi*] Sic Joseph Kimhi post Chald. Interpretem exponit. Aben Ezra verò interpretatur רזי *maciem & defectum animæ*, cui Propheta obnoxius fuit cùm videret tam licenter & impudenter peccari contra Dominum. Qui pro רז *secreto* accipiunt, sic exponunt, *Secretum est apud me, quòd omnes habitatores terræ transmigrabuntur.*

21. *Super exercitum supernum*] Quidam accipiunt de Luminaribus, in quibus Dominus aliquando signa ostendit cùm gentem aliquam eliminare constituit. Alii intelligunt de Angelis dictum. Tertii de Sublimibus hominibus, qui videntur agere in supernis, ut sunt Reges, præditi sapientiâ & opibus. Hi detrahentur & non evadent.

22. *Post dies multos visitabuntur*] Judæi ineptè de se hoc putant dictum, quòd quasi in carcere jam multis annis inter Gentes vixerint, & exspectent liberatorem. Nostri rectiùs de impiis ad extremum servatis judicium, intelligunt. ¶ Non est autem hîc *fasciculus*, ut nostri communiter verterunt, sed sign. אסיר *vinctum*. Alludit Propheta ad Tyrannorum ritum, qui vix post mensem vident quid conclusus agat in carcere. Sic Deus tardè videbit quid impii agant, non quòd dimittat, sed sicut ipsi tyrannicè egerunt cum miseris, ità Deus justè aget cum ipsis.

VATABLUS.

1. E*Vacuat* בוקק] Præs. pro fut. *vacuam habitatoribus reddet.* ¶ *Et desolare facit eam* ובולקה] *Et desolat eam:* aut *devastat eam.* Alii, *denudat eam.* Alii, *aperit eam.* sub. *hostibus ingressuris:* i. reddet eam perviam hostibus. ¶ *Et subvertet faciem ejus* ועוה פניה] i. Dabit illi aliam faciem, & priorem immutabit: h. e. urbes ejus incendentur, & arces evertentur. ¶ *Et dispergere faciet* והפיץ] *Et disperget*, sub. *ad adventum hostium.*

2. *Sicut qui fœnerat*, &c. כנושה כאשר וגו'] *Sicut qui dat ad fœnus, sic qui accipit ad fœnus:* q. d. Omnes ex æquo citra ullum respectum perimentur: nulli ætati, gradui aut sexui parcet hostis: non enim pluris faciet Sacerdotem quàm plebeium, neque hominem liberum quàm servum, &c.

4. *Destructa est, ruit* אבלה נבלה] *Luxit*, & *defluxit.* Alii, *Periit*, & *cecidit.* Alii, *Corrupta est*, & *decidit terra.* ¶ *Desolata est*, &c. אמללה נבלה וגו'] Ad verb. *infirmatus est, defluxit orbis: infirmatæ sunt altitudo populi.* Quidam vertunt, *periit, ruit orbis, periit clarissimus populus terræ.* Alii, *elanguit*, & *emarcuit orbis, enervati sunt populi sublimes terræ.* Alii, *elanguit & cecidit orbis, elanguerunt qui erant sublimis populus terræ.*

5. *Impiè egit propter habitatores suos* חנפה תחת ישביה] Præt. Heb. pro fut. *impiè aget* [*impia erit*] *incolis suis:* i. videbitur esse impia erga incolas suos; nam desinet producere fructus suos necessarios incolis suis. Quidam Hebræorum exponunt, *impiè aget propter habitatores suos*, i. pœnas luet ac si impie egisset; nam erit desolata. Alii vertunt, *inutilis facta est* [aut, *fallax fuit*] *incolis suis.* ¶ *Præceptum* חק] *Statutum; jus.* ¶ *Fedus sempiternum* ברית עולם] Ad verb. *pactum seculi:* quod scilicet inierant cum Deo, & Deus cum illis, perpetuis temporibus observandum.

6. *Desolavit* אכלה] Præterita Heb. pro futuris, *consumet:* q. d. Tandem ulciscetur Dominus injuriam sibi illatam ab habitatoribus terræ. ¶ *Exusti sunt* חרו] *Exarserunt; æstu perierunt:* i. perdentur in ira Domini ut res quæ absumitur igni. ¶ *Et relinquentur homines pauci* ונשאר אנוש מזער] Ad verb. *& relinquetur homo paucus:* pro, *remanebuntque homines pauci*, sub. *incolumes.*

7. *Desolatum est vinum* אבל תירוש *Defecit vinum:* vel *periit.* Alii, *Luxit mustum.* ¶ *Desolata est* אמללה] *Enervata est: elanguit: infirmata est:* i. non producet racemos.

8. *Sonitus* שאון] *Strepitus.*

9. *Sechar* שכר] *Sichera*; sign. *omnem potum inebriativum.*

10. *Vanitatis* תהו] Ad verb. *inanitatis:* h. e. inanis: ità dicta à suo fine, quòd expugnata reddenda esset inanis. Quidam vertunt *vanitati dedita.* ¶ *Nequis ingrediatur* מבוא] Ad verb. *ab ingrediendo*; vel *ab introeundo:* i. nequis ingrediatur in illam.

11. *Propter vinum* על היין] *Super vino*, i. propter vini penuriam. ¶ *Obtenebrata est omnis lætitia* ערבה כל שמחה] Vel per futurum, *obscurabitur omne gaudium:* i. vertetur in tenebras & tristitiam. Sequentibus seipsum exponit.

12. *Solitudo* שמה] *Vastitas.* Alii *desolatio.* ¶ *Et desolatione* ושאיה] *Et devastatione:* q. d. Nullus ingredietur in eam urbem.

13. *Sicut excussio oleæ* כנוקף זית] h. e. Tam pauci remanebunt in ea regione quæ est in medio populorum & in umbilico orbis terræ quàm paucæ remanent olivæ jam excussâ oleâ, & racemi factâ vindemiâ.

14. *Et laudabunt* ירנו] Et *jubilabunt*; aut *vociferabuntur*, præ lætitia scilicet. ¶ *Exsultabunt à mari* צהלו מים] Præt. Heb. pro fut. *vociferabuntur de mari.* Alii, *prorumpent in laudes ab Occidente*, i. ab extrema Orbis parte, cùm scilicet viderint Dominum sumpsisse pœnas de perfidia Judæorum.

16. *Gloriam* צבי] *Decus.* Alii, *jucunditatem*; vel *exsultationem:* i. quæ dicebantur in gloriam & honorem Christi. Alii, *gratulationem.* Quidam in nominativo sic, *laudes* [sive *cantiones*] *audivimus*, continentes quæ sequuntur, *Gloria* sit *Justo.* ¶ *Secretum meum*, &c. רזי לי וגו'] Ità exponunt quidam Hebræorum ut vertit noster; addentes ideo bis positum esse *Secretum*, quòd duo secreta revelata sint ipsi Prophetæ, Ultionum nempe & Salutis. Sic & Chald. P. qui totum versum sic transfert, *A domo sanctuarii, unde egressura est lætitia omnibus habitatoribus terræ, laudes audivimus justis. Dixit Propheta, Secretum mercedis justi conspectum est mihi; secretum ultionum impiorum revelatum est mihi, Væ*, &c. Doctiores inter Hebræos vertunt, *Macies mihi, macies mihi; væ mihi.* Et exponunt, *quando venturam vidi ultionem in Israel tempore redemptionis, quando conflabuntur, & non remanebunt nisi justi, pinguedo carnis meæ macruit: Propterea væ mihi: qui multi sunt inter illos prævaricatores, consumendi sunt universi.* Alii *maciem* sive *macilentiam* accipiunt pro *morte*, & vertunt, *Mors mihi, mors mihi; væ mihi:* q. d. Perii, perii, heu me, ô me miserum. Verba Prophetæ in Spiritu videntis suos non recepturos Christum. Quidam vertunt, *Intestina mea, intestina mea.* ¶ *Prævaricantium* בוגדים] *Prævaricatores.*

18. *Cataractæ* ארבות] *Fenestra:* q. d. Demittet Dominus de cœlo miserias plurimas. Alludit ad pluvias Diluvii. ¶ *Et contremiscent* וירעשו] *Et concutientur:* vel, *& agitabuntur.* q. d. Terra ipsa metu & formidine quatietur.

19. *Dissipando dissipata est* פור התפוררה] *Dissolutione dissoluta est.*

20. *Et movebitur* והתנודדה] *Et transferetur.* Alii, *agitabitur.* Alii, *dilaniabitur*; *dilacerabitur.* ¶ *Et aggravabitur*, &c. וכבד וגו'] *Et gravis erit super eam transgressio sua:* vel, *iniquitas:* i. terra transgressione suâ gravabitur.

21. *Exercitum excelsi* צבא המרום] i. Exercitum Israelis quem Dominus cunctis aliis nationibus prætulerat, donatum Lege maximisque beneficiis: q. d. Affliget Israelitas in excelso, sive in Terra sancta.

22. *Congregatione vinctorum* אספה אסיר] *Congregatione vincti.* Sing. pro plur. *vinctorum.* Subaudiunt quidam adverbium

bium Similitudinis, hoc modo, *congregatione* instar *vinctorum*, i. congregabuntur in unum locum perinde atque vincti, vel more, vinctorum. ¶ *Et post multos dies* ומרב ימים] Ad verb. *Et à multitudine dierum.*

23. *Itaque erubescet Luna* וחפרה הלבנה] Hyperbole, acsi dicat, *Cùm Luna & Sol viderint afflictionem hujus populi, & Dominum sumere tam acerbas pœnas de illo, videbuntur quasi erubescere & pudore suffundi.*

CASTALIO.

15. ERgò *Jovam, ergò Jova Israelitarum Dei nomen honorate per claritatem, vos insulares*] h. e. Facti Christiani. Alludit ad verba monilis Pontificis, de quibus vide Deut. 33. super LEVI.

CLARIUS.

1. ECce *Dominus vacuam reddet terram*] Quid, inquit, sigillatim enumero ruinas civitatum? ecce universæ terræ interitum cerno. Quidam tamen Hebræorum ad captivitatem X Tribuum referunt; quod videtur ex eo quod ait, *& erit sicut populus, sic Sacerdos*: qui dispergendi prædicuntur in terras, nullo habito personarum respectu, quòd *prævaricati fuerint legem Domini*, & ordinem omnem confuderint, nullàque fuerit aut charitas mutua aut reverentia: Et quia omnes peccaverunt, omnes pariter affligentur.

5. *Et terra infecta est ab habitatoribus suis*] Sterilissima & infructuosa facta est propter habitatores suos.

11. *Clamor erit super vino*] Deflebunt enim ebrietatem suam.

13. *Quomodo si pauca oliva*] Sic in consummatione seculi exiguus erit electorum numerus.

14. *Vociferabuntur de mari*] Vel, *exsultabunt de mari*, h. e. *ab Occidente. Ab occidente*, inquit, erunt reliquiæ quæ *jubilabunt in magnificentia Domini*. Et fortasse *ab Occidente* dixit, quia occidente mundo justorum salus apparebit. *Cùm incipient*, inquit, *hæc fieri, suspicite & attollite capita vestra, quoniam ecce appropinquat redemptio vestra.*

15. *In doctrinis*] Alius vertit *in vallibus*. Chald. verò interpretatur *adventum lucis.*

16. *Secretum meum mihi*] h. e. *Secretum est apud me* quòd omnes habitatores terræ transmigrabunt. Alii verterunt, *Macies mihi*, h. e. defectus animæ, cui Propheta obnoxius fuit cùm videret tam licenter & impudenter peccari contra Dominum; sive ob exiguum electorum numerum.

21. *Super militiam cœli*] Quidam accipiunt de Luminaribus in quibus Dominus aliquando signa ostendit cùm gentem aliquam eliminare constituit. Alii intelligunt de Diabolo & Angelis ejus.

22. *Et post multos dies visitabuntur*] h. e. Exigetur ab iis ratio. Vide Apoc. 20. Judæi ineptè de se hoc putant dictum, quòd quasi in carcere jam multis annis inter Gentes vixerint, & exspectent liberatorem.

FORERIUS.

1. QUÆ in hoc capite continentur, de universo Orbe intelligunt Rabini; quos sequuntur nonnulli ex nostris. At res ipsa clamat & verba ipsa satis ostendunt de Judæa esse sermonem. Mos autem est omnibus ferè gentibus, cùm de patria sua loquuntur, quòd bene aut malè habeat, *terram* absolutè nominare. In ea certè tempora hæc conveniunt quando Israel, & postea Jehuda, in captivitatem ducti sunt, in sequentibus enim dicitur quòd *relinquendi essent paucissimi*, &c. Multò autem magis quadrant in postremam vastationem. ¶ *Dissipabit*] Participium est בוקק verbi בקק *evacuavit*. Per præsens reddidi, nam præsenti quoque utimur cùm de re futura loquimur, quando jam rem instare significamus. Aliud etiam participium mox sequitur בולק verbi cujus tantùm participia reperiuntur: at, ut ex Chaldæis, quibus *rei clausæ apertionem* significat, & ex cognatis verbis conjicimus, sign. *confringere* seu *dissipare*, *ut aliorum injuriis pateat*, vel *murum*, vel *oppidum*, vel *vineam*, &c. Vulg. transposuisse videtur significata, dum dicit *dissipabit, & nudabit*, ordinem rerum secutus. ¶ *Affligit*] Ego propriam significationem expressi. Dicit ergò civitates & muros *dissipandos*, populum in captivitatem *abducendum*, *fœdandam* formam terræ propter excisas arbores, exustas segetes, vineta & oliveta; reliquos *dispergendos* per orbem universum: quæ an Judæis conveniant quis dubitet?

2. *Sicut populus*, &c.] Nulla conditionis ratio habebitur. Eadem sors, eadem calamitas *Sacerdotes* & *populum*, *dominos* & *servos*, divites ac pauperes involvet. ¶ *Sacerdos*] Verbum כהן non meliùs reddere possumus quàm *Sacerdotio fungi*, *ministrare in sacris*, hinc כהן *Sacerdos*, neque propriè aliud notat. Et quidem abusivè interdum non est Ecclesiastici officii, sed dignitatis & honoris: nequaquam tamen *principem* absolutè designat, ut mentiuntur nonnulli Rabini, Christi hostes, sed eos tantùm qui erant Regi secretissimi, ut 2 Sam. 20. de *Irà Jairita*, quod *esset* כהן *David*, & 1 Reg. 4. de *Zabud*, & in plurali 2 Sam. 8. *filii David* dicuntur כהנים, pro quo 1 Par. 18. habetur, *Filii David erant primi ad manum Regis*, i. ad officia Regis. Quà ratione autem ad seculares ministros transferatur vide infrà c. 61. Hìc interim considera quàm indignum sit Ministros Domini eandem cum populo sortem subire. Usurpant autem Hebræi notam Similitudinis in utroque extremo, quando mutuam comparationem & omnimodam collationem explicare volunt, q. d. *Erit populus sicut Sacerdos, & Sacerdos sicut populus.* ¶ *Sicut qui repetit*, &c.] Sensum expressit. Ego priorem vocem pro *debitore* & *oppresso* accipi puto; posteriorem verò pro *repetente* & *opprimente*: nam posterior construitur cum ב, verbum autem propriè *irruere* sign. & sine regimine pro *oppressum esse* accipitur. Infrà 41. *siti oppressa*, & Jer. 51. *Obruta* (seu *oppressa*) *est fortitudo eorum*. Cum ב autem sign. *irruere in aliquem*, ut fœneratores facere solent exigendo credita, & in debitores esse duriores, sicut Dominus eorum ingenium depingit Matth. 18. atque in hoc modo significandi accipit interdum א pro ה, ut hoc loco vides. Ex his Prophetæ verbis colliget Christianus Lector quàm meritò parvi fiant à prudentibus ac sapientibus viris speciosi isti tituli ac dignitates quibus alii alios desideramus antecellere, atque ea omnia quæ à nobis vel invitis tolli possunt; illa autem bona meritò magni fieri quæ nemo perturbare, nemo auferre potest, quæ scilicet animo constant, non fortunâ, aut linguâ aut opinione hominum. Alios itaque virtute antecellere studium sapientis erit.

4. *Defluxit*] De iis rebus dicitur verbum נבל quæ *amittunt succum*, *virorem*, *vim*, *sensum*, &c. Vulg. voluit servare Paronomasiam, quæ in Hebræis verbis est ABLAH, NABLAH; ideo dixit *luxit*, *defluxit*. ¶ *Infirmata est altitudo*] Verbum est plur. cum nomine singulari, quod collectivè capitur, & accipitur pro *nobilitate*, i. nobilibus & Regni proceribus. Hos *excelsos* seu *elevatos* vocare solet Scriptura: hîc *elevatos populi*, i. qui in populo sunt quasi proceræ arbores aliis brevioribus comparatæ. Nec quò minùs hæc de Judæa intelligas, te conturbet nomen *orbis*, nam & suprà 13. de *orbe Babylonico* dicitur, & 14. similiter de *particulari orbe*.

5. *Infecta*] Vel *polluta*, nam חנף, ut jam suprà dixi, est *rem aliam speciem præ se ferre quam antea habuerit*: nostri verbo *contaminandi* aut *polluendi* reddere solent. *Infici* autem *sub aliquo* Hebræis est. Ideo pollutam rem reddi quòd id super se habeat, sicut *sub aliquo contremiscere terram* est Insolitum & importabile quid & indignum perpetrare, quod nequeant homines ferre. Prov. 30. *Sub tribus contremiscit terra, sub servo dominante*, &c. Ità *contaminari sub habitatoribus* est vel eo tantùm nomine pollui terram quòd tales habeat habitatores. Unde Vulg. *ab habitatoribus*, alii *propter habitatores*: ego Hebraismum retinui, quòd significantior esset. ¶ *Leges*] Suprà dixi de nomine תורה quòd latiùs pateat quàm nomen *legis*. חק etiam *statuta* in genere sign. sæpe tamen pro *ritibus* & *ceremoniis* capitur. Ego hîc nomine תורה in plurali pro משפט accipio, i. pro *Politicis constitutionibus & legibus quibus vita humana conservatur & tranquillitas in Rep.* quæ *præcepta judicialia* vocant Scholastici; at חק pro *ceremoniis*, ut dixi; ברית verò pro *Decalogo*, hic enim peculiari *federis* seu *pacti* nomine censetur. Terminatio autem illa עולם, i. *seculi* seu *antiquum*, ad singula membra referenda est. Universam itaque Legem dicit ab illis violari, & *judicia* quidem & *Leges Politicas*, quæ sunt veluti repagula quædam & valla nè in illicita prorumpamus, dicit *transgressos*, veluti indomita animalia & petulantes pecudes; ritus autem & cultus, quæ *statuta* firma & certa esse oportebat, dicit *mutasse*, *convulsisse*, *abrogasse*, tanquam irreligiosos, superbos, ac verbi Dei contemptores; at *fedus* quod cum Deo ferierant, quod sanxerant, in quo fides utrinque data fuerat & conventiones declaratæ, dicit illos *labefactasse*. Est autem *labefactare fedus*, irritum facere. Ita loquitur Paulus Gal. 3. *Lex non facit irritum testamentum*, i. fedus. Singulis ergò nominibus propria verba accommodare Prophetam videbis; atque eos damnare, tanquam in Deum protervos, superbos, atque fedifragos & perduelles. Cæterùm quòd עולם non *sempiternum* dixi, sed pro *antiquo* interpretatus sum, id præter auctoritatem Scripturæ non est. Nam Gen. 17. dicitur *data terra Chanaan in possessionem* עולם, i. *diu duraturam*, & Deut. 32. *Recordare dierum seculi*, i. priorum. Mal. 3. *Grata erit oblatio sicut in diebus seculi*, i. olim, nè Judæi putent ex hac voce posse se probare aut Circumcisionem aut alia Legalia in æternum fore

fore observanda. Nota quoque hoc loco, quod supra dixit *terram evacuatam, deformem, luctu & mœrore confectam, & marcidam*, hic unico vocabulo *pollutam* dicere. Quod enim in Hominibus faciunt scelera, hoc in Terra ipsa & Regno faciunt scelerum puniriones & pœnæ; ut sunt Inundationes, Siccitates, Terræmotus, & hujusmodi mala, quæ, ni fallor, Apostolus dicit *gemitus* & veluti *parturientis dolores*, quibus plenus est Orbis: non quòd id naturâ suâ habeat, sed propter Hominem, is enim culpâ suâ fecit ut Terra perpetuâ spe melioris conditionis laborare videatur, quando videlicet Homo plenè restitutus toti creaturæ suam pulcritudinem & gratiam restituet.

6. Est in Hebræis Paronomasia non invenusta, ALAH, ACLAH, *maledictio devoravit, absumpsit*, &c. אלה propriè *adjuratio* est, quâ quis cum imprecatione mali astringitur. Et quia in hujusmodi imprecationibus ingentia mala solemus imprecari, crediderim nonnunquam pro ipsis *malis* sumi, ut hoc loco, & Jer. 29. *Tradam eos in imprecationem & vastitatem*, &c. Quanquam in hoc Jeremiæ loco *esse in imprecationem* sumi posset in hunc modum, *Faciam ut cùm quis alteri malum ingens voluerit imprecari, dicat, Veniat tibi quod venit illis*, &c. sicut *dare in benedictionem* hunc sensum habet. Adde quòd in pactis fiebant imprecationes, ut dicitur Deut. 29. & Ezech. 16. improperat Dominus quòd *despexissent imprecationes*, & *labefactassent pactum*. Harum igitur *imprecationum* quæ erant in Lege in *labefactantes pactum* meminit hic Propheta, quòd scilicet terra in desolationem iret juxta imprecationes pacti. ¶ *Peccabunt*] Ego propriam verbi significationem retinui, quod non tam *peccare* quam *propter culpam vel pœnam esse afflandum, exsibilandum*, ac proinde *abominandum* significat. Quare verbum *peccandi* hoc loco in Vulgato ad *reatum* refer & *pœnam*, i. pro peccatoribus & reis habebuntur, & abominationi erunt, vel potiùs fuerunt, quia conjungitur verbo præteriti *devoravit*. ¶ *Insanient*] Verbum חרו *aduri* propriè sign. hinc ad *ardorem iræ* transfertur; in qua significatione videtur Vulg. accepisse. Ego pro *adustione* simpliciter acciperem, sicut quando Job. c. 30. hoc verbo usus ait, *Os meum adustum est siccitate*. Comparatur autem calamitas in Scripturis Igni. Verbis tantùm ergò differre existimo quod præcessit, *maledictio devoravit terram*, & *adusti habitatores ejus*. ¶ *Derelinquentur homines pauci*] Hebraismum meritò vitavit, *relinquetur homo paucus*. Hoc versu & seq. apertè videre licet qui sint fructus & effectus transgressionis & fractionis Divini federis, ut cùm talia experimur, causam non ignoremus. Aufert enim sua beneficia ingratis Deus, &, ut est apud alium Prophetam, *liberat lanam suam, panem suum & vinum suum*, tanquam ab injustis possessoribus & tyrannis; & eis relinquit quæ ipsos decent, tristitiam, luctum, clamores, ejulatus, & similia.

10. *Attrita est*] Verbum propriè est *frangere*; & de dissipatione murorum videtur esse sermo. ¶ *Vanitatis*] Hìc illud nomen est quod initio Geneseos *inanem* dixit Vulg. *Terra erat inanis*. Et juxta Etymologiam intellige *inanitatem* seu *vanitatem*, quæ dicitur de re quæ alioqui ordinem debitum rerum habere posset, illóque caret. Dicitur autem initio Terra fuisse *inordinata*, indigesta, non redacta in ordinem, ut quæ non montibus, non vallibus, non pratis, non hortis, non silvis, non agris esset distincta, sed *rudis* quædam *indigestáque moles*. Hìc ego *civitatem inordinatam* & *rudem* accipio, quòd gubernatione, Magistratibus, judiciis, mercimoniis, cultibus & sacrificiis, cæterísque hujusmodi rebus, quæ in florenti Reip. statu certis locis temporibúsque peraguntur, careret ob solitudinem: unde mox addit, *clausa est omnis domus*, &c. quod accidit propter pestem, bella & hujusmodi calamitates. ¶ *Nullo introeunte*] Sensum expressit, ut potuit, Vulg. Interpres. Nam quod alii vertunt, *ne quis ingrediatur*, est non intelligere Hebraismum de quo cap. 23. ver. 1. Sicut enim utuntur Hebræi *à domo* pro *intrinsecus*, ità & *ab introeundo* pro *extrinsecus*. Quando autem domus ab interiori parte clauduntur, habitatores habent, neque est in civitate solitudo: Quando ab exteriori parte clausæ sunt, indicium est manifestum solitudinis.

11. *Clamor super vinum*] Inopiam esculentorum & poculentorum notat. Nomen *clamorem qualis est querulorum* sign. seu *vociferationem quæ excitatur quando plures simul capere vel emere volunt eandem rem*, ut fit famis tempore: vel intellige *querimoniam*, quæ fieret propter vini inopiam. ¶ *Deserta est lætitia*] A ערב verbo *advesperascendi* rectè vertas, Jud 19. & 1 Sam. 17. Notat itaque *gaudium*, quasi cursu suo peracto, *ad finem usque deductum*. Sicut enim dicitur de Die quòd *ad vesperam tendit*, & de Sole quòd *occubuit* vel *occidit*; sic quia gaudium Diei & Luci comparatur, dicitur *gaudium occidisse* & *ad occasum pervenisse*. Sensum ergò expressit Vulg. nam ערבה *desertum* quoque designat, quod tanquam nomen accepisse videtur.

12. *Oppressit*] Manifestum est vulg. hic verbum יכת in activa voce accepisse. Neque enim tunc Biblia punctata erant. At nunc legunt Hebræi puncta vocis passivæ, & supplent præpositionem *in*, i. *contusa est janua in ruina*, vel *tumultu*. Mihi tamen magis placet lectio vulgata quòd *ruina contuderit portam*, seu *portas*. Sensus idem est. Planum est autem in portis fuisse propugnacula & turres; has dicit collapsas, & munitiones omnes ruinâ comminutas. Hæc de civitate Hierosolymitana dicta non dubito. Pro *solitudine* dixi *stupendam solitudinem*, ut aliquo pacto exprimerem vim vocis Hebraicæ, de qua c. 1. & sæpius jam dictum est, quod notet *gestum horrentium, abominantium*, seu *admirantium*.

13. *In medio*] Judæa in Scripturis sæpe dicitur *medium terræ*. Nec dubium quin juxta dimensiones Geographorum Palæstina in medio vel circa medium habitati orbis esse videatur. Vel dicitur *futurum in medio terræ* & *in medio populorum* phrasi Hebræâ, i. in regione cui nihil deesse posse videbatur, & plaga orbis hominum feracissima, nempe Judæa: à qua videbatur impossibile homines posse exterminari & tantam fore solitudinem, ubi erat hominum maxima frequentia, juxta promissionem Abrahæ factam: ut majori admirationi esset oratio; sicut si diceret, Futurum est ut in mari non reperiantur nisi tres guttulæ aquæ, aut in litore maris paucissimæ arenulæ. ¶ *Quomodo si pauca*] Vulg. paraphrastem egit hoc loco: ego verbum verbo reddidi, quòd non obscura esset oratio. *Excussionem* enim *olivæ* vocat Hebraismus baccas olivarum quæ post excussionem, quæ in orbem & circumquaque fit, remanent in extremitatibus ramorum; quemadmodum & *racemationem* vocant racemos qui oculos manúsque vindemiantium effugerunt. Fiet, inquit, *excussio* generalis ac *vindemia* universalis in Judæa; & immensa hominum multitudo interibit: pauci autem nonnulli, qui remanserint, isti excutientur & deracemabuntur: de quibus reliquiis mox seq. versu loquitur. Certè in vastatione Judææ sic prorsus sese res habuit, præsertim in ea quæ per Romanos facta est. Memineris autem hic, Lector, non tantùm corporalis devastationis, sed illius etiam spiritalis quam fecit Infidelitas ac Peccatum. Ex immensâ enim illa strage pauci & reliquiæ quædam salvæ factæ sunt: de quibus jam dixi esse apud hunc Prophetam frequentem sermonem, imò esse totius libri præcipuum argumentum & veluti scopum. Ut autem intelligeremus de vastatione ultima Prophetam loqui, ait.

14. *Hi levabunt*, &c. *hinnient de mari*] i. Ab Occidente; ità enim sæpe Occidentalem plagam vocat Scriptura, quòd mare Mediterraneum ad Occidentem esset Palæstinæ. At quando, quæso, reliquiæ Judæorum ab Occidente laudarunt Deum? Non de Assyria, non de Chaldæa dici potest quòd *ad Occidentem* essent. Certè vastatâ Judæâ, reliquiæ eorum trans mare Mediterraneum in Græciam, Italiam, Germaniam, Galliam atque Hispaniam translatæ sunt. ¶ *Cùm glorificatus*, &c.] Ad verbum reddidi *in magnificentia Jehovæ*. Hanc autem *magnificentiam* seu *glorificationem* dicere possumus fuisse quando Imperium Romanum jugo Christi collum submisit: Tunc certè reliquiæ Israelitici populi, Apostoli, Apostolicique viri, & quos ipsi primos converterant, lætabundi *glorificabant Deum*, & *congratulabantur gloriæ Christi*; & Gentes, quas ad veritatis agnitionem adduxerant, ut *plauderent manu* invitabant, & *jubilarent Deo in voce exsultationis*, quòd *subjecisset populos ipsis, & gentes sub pedibus ipsorum*. Quod enim gaudium fuisse putamus servorum Dei cùm Romanos rerum dominos servos Christi effici vidissent?

15. *Propter hoc*] Vel *Super hoc, Super hac re*, (nempe quòd Judæos perdidit, & eorum reliquias servaverit, quæ essent veluti semen fidei in toto orbe) *Honorate Deum* barbaræ nationes, & qui à Judæa & vitæ instituto & toto orbe dissidetis. Certè mysterium intellexit Jesaias, ut mox videbis: & *Judæorum ruinam reparationem Gentium, & eorum diminutionem divitias mundi esse* prævidit. ¶ *In doctrinis*] Hunc subesse sensum putavit Vulgatus, Postquam ità à Domino factum est ut vos pauci Israelitæ in regiones Gentium dispergamini, ibi Dominum agnoscentes, docete Gentes, & *doctrina vestrâ Dominum glorificate*. Vocem enim אורים solet *doctrinas* interpretari, quòd lux sit doctrina. Vox autem hæc Hebræis cognationem habet cum derivatis à verbo ירה, quæ *doctrinam* & *institutionem* notant. Ità etiam interpretatur אורים in Pectorali Sacerdotis: non quòd non intelligeret vocem *luces* significare i. lapides lucidissimos; sed mysterium olfaciens intelligebat per *luces & perfectiones* seu *integritates*, doctrinam cum vitæ integritate conjunctam à Sacerdote requiri: ut nemo sit tam argutus, qui dum non vult à dictis imperitorum Rabinorum vel latum unguem disce-

discedere; virum doctum & sanctum Hieronymum statim audeat reprehendere, quasi à Judæo quopiam deceptum, cùm planum sit hos ipsos censores nullibi non à Judæis, qui scripserunt, seductos: nisi non turpius sit a scribente quàm tecum colloquente decipi. Sed ad rem redeo. Ego aliam interpretationem attuli, quòd non inepta esset, & ארים non pro *vallibus* accipio sed pro *cavernis*, quæ luce carent, quasi oppositâ significatione suæ radici: quamvis possit esse ab אור, ut ferè idem notet quod nomen מאורה, i. *caverna*: de quo suprà cap. 11. Intelligo ergò eum quodam viro dicto Troglodytas, qui ἀπὸ τῶν τρωγλῶν, i. *speccubus*, in quibus habitant, nomen sortiti sunt: de quibus vide Plin. lib. 5. c. 8. Hujusmodi homines olim sub Ægypto versùs mare Rubrum habitabant, supra modum barbari. Per hos autem intelligit Propheta cæteras barbaras nationes: Quibus mox jungit *insulas maris*, i. extremos quosque populos & *toto orbe divisos*, quales erant Europæi respectu Judæorum, & quales sunt nunc habitatores Novi orbis qui ad Occidentem est, qui nunc quoque Deum laudant ad fidem Christi conversi. Intellige ergò moribus & situ à Judæa longè remotas gentes.

16. *A finibus terræ*, &c.] Invitaverat Gentes ad celebrandum Deum & Dei misericordiam: Nunc ità factum esse significat; *Ab ala*, inquit, *terræ* (sic enim finem & extremitatem vocant Hebræi) *audivimus decantari Psalmos*, qui *Justo* illi Christo Domino *jucundissimi* sunt. Mos enim fuit omnium Christianorum primis illis Ecclesiæ temporibus *Psalmos & hymnos Christo Domino decantare* præsertim *in antelucanis cœtibus*: qui mos tantùm apud Ecclesiasticos nunc retinetur. Vide Tertull. in Apologetico. Hos *Psalmos*, has *laudes* per Appositionem vocat Propheta *jucunditatem*, quòd res esset Domino acceptissima. Et quos per *cavernas* & *insulas maris* intellexerat, hos nunc *extremi habitatores Orbis* vocat. ¶ *Secretum meum*] Ità malui transferre secutus Vulg. & P.Chald. quàm cum aliis *macilentiam* aut *maciem*. Nam licet רזי *macrescere* significet, & in usu sit hæc formatio, ut à verbis in ה desinentibus fiant nomina, mutatâ ה in Jod, ad rem tamen de qua est sermo magis accommoda mihi visa est Vulgata interpretatio. Neque obest quòd in S. literis non inveniatur vox hæc pro *secreto*: nam neque רי pro *macie* alibi reperitur. At Chaldæis in usu est רז & רזא pro *secreto*: & Hebræis in usu est nomen רזון, cujus etymon ignorant Rabini, & *Principes* vertunt, quod tamen, ut ex locis in quibus reperitur conjicitur, non simpliciter *Principes* notat, sed eos *qui post Reges sunt, qui secretis consultationibus Principum adhibentur*, & à *secreto* appellationem habent. Sunt ergò hæc nomina à radice quæ non est in usu רז, i. *secretum fuit*. R. quoque Joseph & R. Salomon cum Vulgato sentiunt: & quia bis hic ponitur, duo secreta Jesaiæ revelata dicunt, Ultionem videlicet ac Salutem: quod à Chaldæo in hoc loco mutuati sunt. Neque dubium mihi est quin de Judæorum ruina & salute Gentium Jesaias loquatur: quod *mysterium* Apostolus dicit non semel *absconditum fuisse prioribus generationibus, illis autem temporibus revelatum fuisse Apostolis, Gentes videlicet esse heredes & comparticipes*, &c. Neque dubito quin ad hunc locum Jesaiæ respexerit, qui ait se hoc in secreto continere, & sibi tantùm id indicatum esse: q. d. *Non vult Dominus hanc rem palàm omnibus fieri, sed involutam permanere.* Nos diceremus, *Tacere volo, silere volo:* quod solemus dicere postquam aliquid cœpimus aperire quod tamen silentio premere oportebat: vel, *Præcipitur mihi ut taceam, præcipitur mihi ut taceam, & ne exponam quid sit* PSALMOS AUDIRI A FINIBUS TERRÆ, *&* GRATISSIMOS ESSE PSALMOS GENTIUM JUSTO. Sed non potest se continere Propheta quin dolorem suum prodat ob perditionem populi sui: unde ait, *Væ mihi! heu me miserum!* quod exponens R. David, licèt inimicus mysteriorum Christi, non animadvertens quid diceret, veritatem fassus est; *Quando venturam*, inquit, *vidi ultionem in Israel tempore redemptionis, quando conflabuntur, & non remanebunt nisi justi, pinguedo carnis meæ macruit:* (nam רזי pro *macie* accepit) *propterea væ mihi, quia multi sunt inter eos prævaricatores, qui consumendi sunt universi.* De verbo autem בגד, quod est *excurrere*, vel *incurrere vi & injuriâ seu direptione aliorum*, suprà dixi cap. 21. Repetitione autem nominum & verbi multitudinem peccantium, & quòd ex animo peccatis & injuriis dediti essent, designat.

17. *Formido, & fovea*, &c.] His Translationibus solent Hebræi seriem malorem se invicem excipientium significare, quorum qui quædam vult fugere, in alia, & fortè majora, incidit; ut Latinis,

Incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdim.

Estque Paronomasia in his vocibus, quâ solent gaudere Prophetæ, cujus venustatem Latinis non possumus exprimere; PAHAD, VAPAHATH, VAPAH; *pavor, & fovea, & laqueus.*

18. *A facie*] In Hebræo est *à voce*; sed apud Jeremiam, ubi eadem sententia legitur, est *à facie*: idem ergò est. *Pavorem* verò vel *terrorem* quem hostes terram ingressi incusserunt intelligere possumus. ¶ *Cataractæ*] Nomen ארבה est *foramen*, à verbo quòd *insidiari* vel *ex insidiis erumpere* vel *prospicere* sign. Dicitur de *camino* Osee 13. de *columbarum fenestris* infrà 60. de *fictitiis* autem *fenestris in cælo* seu *aere*, vulgò dicimus tempore Diluvii & ingentium imbrium *fieri*, seu *aperiri*, dicitur Gen. 7. & 2. Reg. 7. & hoc loco. Hic ergò veluti formâ proverbiali dicitur *apertio fenestrarum cæli & commotio fundamentorum terræ* pro *gravissima tempestate* & *maximis periculis*, qualia sunt in magnis inundationibus, vel in terræmotibus. His itaque magnis calamitatibus ac periculis comparantur illa quæ Judæi perpessuri erant à Romanis: de quibus usque ad finem capitis etiam loquitur.

19. *Confractione*, &c.] Infinitivi sunt cum verbo præteriti aut futuri positi, Hebraico idiotismo, tum ad confirmationem rei de qua loquuntur, tum etiam ad augmentum & amplificationem: *Depascendo depasta est terra.* Potest etiam reddi, *Malè habendo malè se habuit terra:* nam & hanc significationem habet verbum רעע, quando absolutè ponitur: estque tam *culpæ* quàm *pœnæ*: sed hic de pœna est sermo. Vulg. rem expressit.

20. *Auferetur*] *Amovebitur*. De habitatoribus & de ornatu Judææ intellige. Comparatio autem *pernoctatorii* continet non solùm facilitatem seu celeritatem in re, verùm etiam nullum doloris sensum in auferente & diripiente seu in captivitatem ducente, quasi rem consuetam, & quæ ut sic fieret expectare videbatur, peragat. ¶ *Gravabit eam*] Hic, quæso, Lector, vide venustam antithesim. Tanquam res levis & parvi momenti aut ponderis *auferetur*: *gravatur* autem *transgressione* seu *defectione*: gravitas enim & pondus peccati eam levem & transportationi aptam reddiderat. In his quoque verbis *gravabitur* & *cadet* altera similitudo latet: Tacitè enim comparatur jumentis plùs æquo onustis, quæ sub onere labuntur. Tanta, inquit, fuit terræ iniquitas & noxa, ut non valens pondus sustinere, collapsa sit. ¶ *Non adjiciet ut resurgat*] *Non iterùm surget, stabit, consistet.* De civitate Jerusalem non iterum ædificanda, & Judæa ad suum splendorem & dignitatem non ultra restauranda sub Judæis Principibus, intelligere oportet, velint nolint Rabini.

21. *Militiam cæli*] Vel *excelsi*. Quando nomen צבא conjungitur nomini *excelsi* vel *cælorum*, dicitur vel de *militia Angelorum*, ut 1 Reg. 22. vel de *Sole*, *Luna*, *Stellis*, ut Gen. 2. vel figuratè de *ministerio* seu *cultu in Templo*, infrà 34. & Dan. 8. quo pacto etiam hoc loco accipio, pro *militia* scilicet & *Ministris Templi*, qui, sicut Angeli in cœlo Deo, ità illi ipsi Domino in Templo & assistunt & ministrant: nam *& ingredi in militiam* est peculiari phrasi Fungi ministerio Ecclesiastico, Num. 4. & alibi. Quòd autem Templum & Propitiatorium in Scripturis *cælum* dicatur, manifestum est, Deut. 26. 1 Reg. 8, &c. ¶ *In excelso*] Supple *existentibus*; sicut mox *super Reges in terra*, qui scilicet sunt in terra: de quibus Pleonasmis jam suprà dictum est. Hic interim vide quantum præstet dignitas Sacerdotalis Regiæ. Illi enim *in excelso* habitant, Reges *super terram*: Illi similes Angelis dicuntur; isti, homines mortales, &c. Quapropter si illi in homines degenerant, majori periculo ruant necesse est. Verùm quod dicitur de Regibus facit ut membrum superius pro Sacerdotibus accipiam. Super utrosque ergò, tam Principes Ecclesiasticos quàm Seculares *requisiturum se* dicit Dominus, & rationem eorum habiturum ut pro meritis pœnas luere faciat; quasi impunitas, quâ hactenus abusi fuissent, non nisi ex indulgentia & quasi inadvertentia Domini conniventis accidisset. Hoc indicat verbum פקד.

22. *Congregatione unius fascis*] Nomen אסיר *vinctum* notat simpliciter: hine Vulg. pro *fasce* accepit, qui vincitur & constringitur; & nomen אספה ac si esset in forma regiminis accepit, (nam interdum etiam in regimine ה non vertitur in ת) sensum potiùs quam verba volens exprimere. Ego ad verbum reddidi, nisi quòd nomen sing. אסיר in plurale mutavi, *vincti*: nam collectivè illo utuntur Hebræi, ut suprà 10. & infrà 42. ¶ *In carcere*] Rectè Vulg. על pro *in* accepit, ut Gen. 27. *In gladio tuo vives*: & infrà 38. *Psalmos nostros psallemus in domo Domini*. ¶ *Post multos dies visitabuntur*] Hæc enim est vis præpositionis מן, ut præposita nominibus Temporis significet *post*. Hic locus torsit plurimos, eos præsertim qui hoc caput de Vastatione seculi in die Judicii acceperunt: hinc Millenarii, hinc Ori-

Origenistæ decepti. Ego certè, cùm figuratus sermo sit Prophetis adeò familiaris ut rarò absque figuris loquantur, non video (præsertim cùm id non exigat series præcedentium verborum) cur hanc *collectionem* seu *congregationem vinctorum* Regum & Sacerdotum non accipiamus de conclusione tam corporali quàm spiritali sub peccato infidelitatis, sub quo vincti detinentur quosque ingrediatur plenitudo Gentium.

23. *Et erubescet Luna*] Hanc *Lunæ erubescentiam* & *Solis confusionem* intellige ob excellentiorem gloriam, splendorem & majestatem regnantis Christi; quasi significet occultandum luminarium cœlestium splendorem propter splendorem Christi, quemadmodum splendente Sole lumen Stellarum delitescit. Hunc itaque defectum Metaphoricè *erubescentiam* & *aversionem oculorum* vocavit. Hic habes gloriam Euangelii, gloriam Regni Dei, quam Apostolus Paulus sæpe commemorat, quòd magis splendeat quàm facies Mosis, quódque tanta sit Domini JESU gloria ut Apostoli ejus *gloriam veluti speculâ excipientes; ob ingentem virtutem & efficaciam gloriæ illius in claritatem & ipsi quoque transformarentur*, essentque lucidissimi, veluti Soles, in orbe. Disparet profectò omnis alia claritas, omnis alia majestas, si cum majestate & gloria illius conferatur; quia *Deus cùm esset, manifestatus est in carne, justificatus est in Spiritu, apparuit Angelis, prædicatus est Gentibus, creditus est mundo, assumptus est in gloria.* Volens ergò Propheta nullam alterius rei gloriam huic esse comparandam significare, elegantissimè id *confusione Lunæ* & *Solis* significavit, quòd majus Luminare esset Christus Dominus luminaribus illis magnis. ¶ *In monte Sion & in Jerusalem*] Nemo hîc cum Judæis aut Millenariis decipiatur: his enim nominibus velabant Prophetæ quæ dicebant de Regno Christi. ¶ *Senum suorum*] Manifestum est, hoc nomen tam in sing. quàm plurali interdum non tam ætatis esse quàm dignitatis & officii publici in administratione cùm Oeconomica, tum Politica & Ecclesiastica. Verba autem Hebræa eum sensum generant quem Vulgatus expressit. Ego verba verbis reddidi, *& in conspectu Seniorum suorum gloria*, vel *honor*: quando videlicet *Dominus fuerit gloria*, i. gloriosus, *coram Senioribus suis*, primis illis Ecclesiæ principibus, Apostolis Domini. Vel si suppleas verbum substantivum, hic erit sensus, *& in conspectu Seniorum erit gloria*, quasi eam semper speculaturi sint: neque facies avertent, etiamsi gloriam Solis excedat: non erunt sicut populus Judaicus. Non ponet Dominus super faciem suam velamen: seniores ejus, veluti aquilæ, aciem oculorum in gloriam ejus figent: ut ad hunc locum alluserit Apostolus in illis verbis quæ suprà apposui ex 2 Cor. 3. Hic locus facit ad consolationem piorum, quò non despondeant animum, neque admirentur inanem gloriam Regnorum mundi, sed malint ad Regnum Christi pertinere; Quod sicut *non est de hoc mundo*, ità ejus gloria, splendor, dignitas & magnificentia istæc omnia pudefieri facit & disparere. Hic quoque animadverte, quòd cùm de gloria Christi sit sermo, eum vocet nomine *Jehova*: quod nunquam nisi vero Deo tribuitur, testibus etiam ipsis Rabinis.

DRUSIUS.

1. וְהֵפִיץ. Aq. Th. διασκορπίσει *disperget*] Euseb. in Symbolis, pag. 360.

14. צָהֲלוּ מִיָּם. Th. ἤχησαν ὕδατα θαλάσσης *sonuerunt aqua maris*] Euseb. pag. 467.

16. מִכְּנַף הָאָרֶץ זְמִרֹת שָׁמַעְנוּ. Sym. Th. *Ab alis terræ* ἀπὸ τῶν πτερύγων τῆς γῆς, *psalmos audivimus*. In ed. Rom. ψαλμὸς ἠκούσαμεν. Aq. *melodias*] In eadem μελῳδίας. i. Dulces cantus. ¶ רָזִי־לִי. Th. *Mysterium meum mihi*] Hieron. *Hoc quod dicitur, [Mysterium meum mihi] in Lxx. non habetur, sed de Theodotionis translatione in Græco additum est.* Locus plenior in ed. Rom. τὸ μυστήριόν μου ἐμοί, τὸ μυστήριόν μου ἐμοί· quæ apud Procopium sub asterisco addita sunt. ¶ אוֹי לִי בֹּגְדִים בָּגָדוּ. Aq. ὢ οἴμοι ἀθετοῦντες ἠθέτησαν, *Heu væ mihi, aspernantes aspernati sunt*. Sym. οἴμοι ἀθετοῦντες ἠθέτησαν, *veh mihi, aspernantes aspernati sunt*. Ex Eusebio.

23. וְחָפְרָה הַלְּבָנָה וּבוֹשָׁה הַחַמָּה. καὶ ἐντραπήσεται ἡ σελήνη, καὶ αἰσχυνθήσεται ὁ ἥλιος, *& erubescet Luna, & confundetur Sol*] Apud Procopium addita sunt margini ex alia quapiam versione. Priùs erat in Lxx, καὶ τακήσεται ἡ πλίνθος, καὶ πεσεῖται τὸ τεῖχος, *& liquefiet later, & cadet murus*. Vide Hieron.

DRUSIUS EX PROCOPIO.

1. פָנֶיהָ. τὰ ὅρια αὐτῆς *terminos ejus*.

2. כַּעֶבֶד כַּאדֹנָיו. Aq. ὡς ὁ δοῦλος, ὡς ὁ Κύριος αὐτοῦ, *ut servus, ità dominus ejus*. ¶ כַּנֹּשֶׁה כַּאֲשֶׁר נֹשֶׁה בוֹ. Sym. ὡς ὁ ἀπαιτῶν, οὕτως ὁ ἀπαιτούμενος, *ut qui exigit, ità qui exigitur*.

3. אֶת־הַדָּבָר הַזֶּה. Th. τὸ ῥῆμα τοῦτο *verbum hoc*.

4. נָבְלָה. Sym. Th. κατερρίφη *dejecta est*. Sic mox אמללה; נבלה iidem ἐφθάρη κατερρίφη.

5. וְהָאָרֶץ חָנְפָה תַּחַת יֹשְׁבֶיהָ. Sym. ἡ γῆ ἐφονοκτονήθη ὑπὸ τῶν κατοικούντων αὐτὴν, *terra cade contaminata fuit à suis habitatoribus*] Sic interpres Curterius. Similiter in Lexicis ex Num. 25. adfertur οὐ μὴ φονοκτονήσητε τὴν γῆν, pro *terram cæde non polluetis*. Alioqui φονοκτονέω est *cædem perpetro, interficio*. Jer. 3. 2. ותחניפי. Hieron. *polluisti*, sive *interfecisti*. Jes. 24. 5. חנפה. Hieron. *infecta*; aliàs *interfecta*. Quod posterius ex Symmacho sumptum videtur. ¶ עָבְרוּ. παρῆλθον *transgressi sunt*. ¶ הֵפֵרוּ. Aq. ἠκύρωσαν *irritum fecerunt*. Sym. Th. διεσκέδασαν *dissiparunt*. Sic etiam οἱ ό.

6. עַל־כֵּן חָרוּ. Sym. διὰ τοῦτο ἐκτρυχωθήσονται *propterea conterentur & opprimentur*] Vel *atterentur*. Nam ἐκτρυχόω *attero, attenuo, accido, affligo, vexo, exhaurio*. ¶ וְנִשְׁאַר אֱנוֹשׁ מִזְעָר. Aq. καὶ ὑπολειφθήσεται ἄνθρωπος ἐλάχιστος, *& relinquetur homo minimus*. Sym. ἄνθρωπος ὀλίγος *homo paucus*. Th. ἄνθρωποι ὀλίγοι *homines pauci*.

7. אָבַל תִּירוֹשׁ. Aq. ἐπένθησεν ὁ παρωρισμὸς *luxit tempestivitas*] Alias παρωρισμός. σημαίνει δὲ διὰ τοῦ παραδείγματος τῆς ὀπώρας τὸ ἀφανισμὸν τοῦ τῶν σωμάτων ὡρισμοῦ, &c. Zach. 10. 2. תירש. Aq. οἶνον. Hieron. *vinum*.

11. עָרְבָה מָשׂוֹשׂ. Th. ἀπῳκίσθη χαρὰ *abscissum est gaudium*.

13. כְּעוֹלֵלֹת אִם־כָּלָה בָצִיר. Sym. ὡς ἐπιφυλλίδες ἐὰν συντελεσθῇ τρυγητὸς, *tanquam racemi, si confecta fuerit vindemia*.

14. הֵמָּה יִשְׂאוּ קוֹלָם. οὗτοι ἐπαροῦσι τὴν φωνὴν αὐτῶν, *illi extollent vocem suam*. ¶ צָהֲלוּ מִיָּם. Th. ἤχησαν ὕδατα θαλάσσης *sonuerunt aqua maris*.

16. זְמִרֹת. Sym. Th. ψαλμοὺς *psalmos*. Aq. μελῳδίας *melodias*. ¶ וָאֹמַר רָזִי־לִי רָזִי־לִי. Sym. καὶ εἶπεν, τὸ μυστήριόν μου ἐμοί, τὸ μυστήριόν μου ἐμοί. *& dixit, Mysterium meum mihi; mysterium meum mihi*] Aq. Th. καὶ εἶπεν, אמר. Dubito an legendum sit καὶ εἶπεν. ¶ אוֹי לִי בֹּגְדִים בָּגָדוּ. Aq. Sym. οὐαί μοι· ἀθετοῦντες ἠθέτησαν, *væ mihi, prævaricantes prævaricati sunt*. ¶ וּבֶגֶד בּוֹגְדִים. Th. καὶ ἀθετίαν ἀθετούντων *prævaricationem prævaricantium*.

19. רֹעָה הִתְרֹעֲעָה הָאָרֶץ פּוֹר הִתְפּוֹרְרָה אֶרֶץ מוֹט הִתְמוֹטְטָה אָרֶץ. Th. Θραύσει θραυσθήσεται ἡ γῆ, καὶ διασκεδάσει διασκεδασθήσεται ἡ γῆ, κλινομένη κλιθήσεται ἡ γῆ, *Fractione frangetur terra, & dissipatione dissipabitur terra, & reclinata reclinabitur terra*.

20. נוֹעַ תָּנוּעַ אֶרֶץ כַּשִּׁכּוֹר וְהִתְנוֹדְדָה כַּמְּלוּנָה וְכָבַד עָלֶיהָ פִּשְׁעָהּ וְנָפְלָה וְלֹא־תֹסִיף קוּם. Th. Σάλῳ σαλευθήσεται ἡ γῆ ὡς μεθύων, καὶ σεισθήσεται ὡς ὀπωροφυλάκιον, καὶ καταβαρυνθήσεται ἐπ' αὐτῆς ἡ ἀνομία αὐτῆς, καὶ πεσεῖται, καὶ οὐ προσθήσει ἀναστῆναι, *Et agitatione agitabitur terra sicut ebrius, & concutietur ut pomorum custodia, & aggravabitur super ipsam iniquitas ejus, cadétque nec addet surgere*.

21. וְהָיָה בַּיּוֹם הַהוּא. Aq. Sym. Th. Καὶ ἔσται ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ, *Et erit in die illa*.

22. וְאֻסְּפוּ אֲסֵפָה אַסִּיר עַל־בּוֹר וְסֻגְּרוּ עַל־מַסְגֵּר. Sym. Καὶ ἀθροισθήσονται ἀθροισμὸν δεσμίου εἰς λάκκον, καὶ συγκλεισθήσονται εἰς συγκλεισμὸν, *Et colligentur collectione vincti in locum, & concludentur in carcerem*.

23. וְחָפְרָה הַלְּבָנָה וּבוֹשָׁה הַחַמָּה. Sym. Καὶ ἐντραπήσεται ἡ σελήνη, καὶ αἰσχυνθήσεται ὁ ἥλιος, *Et erubescet Luna, & confundetur Sol*] καὶ οἱ λοιποὶ δὲ τὰ ὅμοια. ¶ בְּהַר צִיּוֹן. ἐν τῷ ὄρει Σιὼν *in monte Sion*.

GROTIUS.

1. Ecce Dominus dissipabit terram] Solent Prophetæ eadem quæ antè dixerunt repetere sub aliis verbis ac figuris, quò magis res futuras imprimant animo. Pertinet autem hoc vaticinium ad devastationem terræ Decem tribuum factam per Salmanasarem; ut maximè apparet versu 10. & ad liberationem Hierosolymorum à Sennacheribo, fine capitis.

2. *Et erit sicut populus, sic sacerdos*] Sacerdotes intellige illos ab Jeroboamo institutos 1 Regum XII. 31.

Sicut fenerator, sic is qui mutuum accepit] Id est, *fenori*. Nam & illa lex Mosis quæ fenus vetat, à Decem tribubus sperni cœperat, ut multæ aliæ, infrà 5.

4. *Defluxit terra*] Id est, *desolata est*: ut hic Chaldæus.

Defluxit orbis] Fuerat enim terra illa velut *orbis* quidam proprius, secretus ab institutis aliarum gentium.

5. *Infecta est ab habitatoribus suis*] *Contaminata peccatis*, ut hic idem Chaldæus.

Dissipaverunt fedus sempiternum] Quod illi semper servare debuerant quamdiu Deus id servari vellet. Vide quæ ad IV. librum de Veritate Religionis Christianæ.

6. *Et peccabunt habitatores ejus*] Peccata luent.

9. *Amara erit potio bibentibus illam*] Vinum illis non sapiet præ moerore.

10. *Attrita est civitas vanitatis*] Aliis nominibus idem significantibus expressit eam urbem quæ Judæis vocabatur בית און [*urbs vanitatis*], Israelitis autem בית אל [*Bethel*].

11. *Clamor erit super vino in plateis*] *Super vinum:* id est, major clamor quàm esse ebriorum solet.

13. *Quomodo si pauca olivæ quæ remanserunt excutiantur ab olea, & racemi cùm fuerit finita vindemia*] Hoc ideo, quia multos de decem tribubus jam antè transtulerat Teglathphalasar, II Reg. XV. 29.

14. *Hi levabunt vocem suam*] Hi quibuscum ego vivo, Judæ & Benjaminis populus.

Hinnient de mari] Canent triumphum Judæi etiam qui Joppen, aliáque loca maritima habitant, quòd malum illud à Salmanasare ipsi evaserint.

15. *In doctrinis glorificate Dominum*] *In vallibus.* Nam & sic accipi hanc vocem notant Hebræi, & is sensus loco convenit.

16. *Et dixi, Secretum meum mihi, secretum meum mihi*] Altera versio videtur loco meliùs convenire: *Macies mihi, macies mihi.* Erit quidem magna causa gaudendi, sed non diuturna. Nam peccata Judæorum tanta sunt, ut & ipsa attractura sint magnas clades.

17. *Qui fugerit à voce formidinis cadet in foveam*]
Incidet in Scyllam cupiens vitare Charybdim.

Quia catarractæ de excelsis apertæ sunt] Quasi in diluvio Genes. VII. 11.

19. *Confractione confringetur terra*] Terra Duarum tribuum, & ipsa miserè vastabitur.

20. *Agitatione agitabitur terra sicut ebrius*] Nescient homines quò eundum sit.

Et auferetur quasi tabernaculum unius noctis] Sic auferentur oppida, sicut tabernacula, ubi manè iter faciendum est, tolli solent.

Et non adjiciet ut resurgat] Multa oppida à Sennacheribo destructa in ruinis suis manebunt. Vide suprà X. 9. 28. 29.

21. *In die illa visitabit Dominus super militiam cœli in excelso*] Animadvertet in illas imagines astrorum, quas in collibus venerantur Assyrii. Nam & in castris tales habebant imagines, quæ omnes cum ipsis Assyriis concidêre.

Et super reges terræ qui sunt super terram] Reges intellige, tum summum Regem Sennacheribum, tum Principes ejus. Sic enim vocem מלך [*Regis*] sumi sæpe ostendimus. Vide & suprà X. 9.

22. *Et congregabuntur in congregatione unius fascis in lacum*] Sicut solent res inutiles simul collectæ dejici, sic illi Assyrii Principes dejicientur.

Et claudentur ibi in carcere] Non poterunt è castris suis exire, non magis quàm qui in carcere vincti sunt.

23. *Erubescet Luna, & confundetur Sol*] Hæc LXX cùm putarent malè sonatura apud Platonicos, quales erant Ægyptii Reges, pro חפרה [*erubescet*] legerunt הפרכה [*frangetur*]; pro לבנה [*Luna*], mutatis tantùm punctis, לבנה, quod est *later*; pro חמה [*Sol*], mutato Patach in Holem, חמה quod est *murus*. Itaque verterunt τακήσεται ἡ πλίνθος καὶ πεσεῖται τὸ τεῖχος [*contabescet later & corruet murus*]; sensu non malo. Retinenda tamen lectio recepta: & per *Solem* & *Lunam* intelligendæ imagines Solis & Lunæ, quæ per translationem dicuntur *erubitura*, quòd suos cultores servare nequiverint.

Cùm regnaverit Dominus exercituum in monte Sion] Cùm in liberanda urbe Hierosolymorum vim suam ostenderit.

Et in conspectu senum suorum fuerit glorificatus] Omnes Senatores Synedrii cum magnificentissimis vestibus in Templum venient ad Deum laudandum.

CAP. XXV.

MUNSTERUS.

1. **C**Aput istud hymnus & gratiarum actio est de gloria piorum in die Judicii. Nam electi, visâ majestate Dei, & advertentes à quibus malis liberati sunt, incipient canere, dicéntque singuli, *Dominus Deus meus es tu*, &c. ¶ *Veritatem inconcussam*] Heb. *fidelem veritatem*: h. e. promissiones tuæ fideliter sunt adimpletæ.

2. *Palatium extraneorum*] Per *extraneos* Hebræi intelligunt Gentiles, quorum delubra in adventu Christi erant destruenda.

5. *Æstus in arido loco*] Ubi scilicet nemo refrigerium invenire potest. Sic qui *alieni* sunt à Deo, & pro voto suo tyrannidem exercuerunt in proximum, *eos Deus humiliabit*, ut nullus evadere possit. Patiuntur quidem & justi *æstum* tribulationum, sed *æstus* eorum est *sub umbra nubis*, ut ferre possint. ¶ *Propago robustorum humiliabitur*] Aliqui sic legunt, *Exterminatio quâ tyranni utuntur aliquando cessabit.*

6. *Convivium faciam*] h. e. Ut paulò pòst Propheta explicat, Vinum quod in hoc convivio potabunt erit segregatum ab omni fæce. Constabit, inquit, *convivium* illud optimis rebus, *pinguibus* ferculis, & optimo *vino*, unde omnes inebriabuntur. Hebræi secundùm errorem suum putant per id significari dementationem Gog & Magog, qui tempore Meschiæ conabuntur cum maximo exercitu expugnare Jerusalem & Regem ejus Meschiam: sed Dominus tanquam ebrios faciet eos ruere in mutuam cædem. Nec erit quisquam qui illic non apertè ostendat quo animo fuerit contra populum Dei: id quod Propheta per *involucrum* & *operimentum* significat. Et nemo deinceps ex Judæis morietur *morte* מקרה, i. *immaturâ* & innaturali, &c. Sic Judæi hunc locum pervertunt, qui tamen apertam facit mentionem de Dei judicio, quod vel in morte Christi factum est; vel in fine mundi futurum est, quando *perdet Mortem* & Peccatum, & *absterget omnem lacrymam ab oculis suorum*, & *manifesta erunt secreta cordis*, & *bibituri sunt impii calicem furoris Domini*, *retegetúrque* omne *involucrum* quod præteximus operibus nostris, omnis hypocrisis & fucus quibus adornamus nostra mala facta.

VATABLUS.

1. **C**Onfitebor nomini tuo אודה שמך] *Celebrabo nomen tuum.* ¶ *A longè* מרחוק] *A* tempore *longinquo*: i. jam olim, sive ante multa tempora. Quidam vertunt hanc versùs partem in accusativum, ut pendeat à verbo præcedenti *fecisti*, hoc modo, *Consilia jam olim* decreta *veritatem*, *veritatem*: vel *stabilitatem firmitatem*: aut *stabilia* & *firma*: i. tu fecisti ut vera essent & stabilia: q. d. Præstitisti quæ jam olim pollicitus fueras Patribus.

2. *Palatium alienorum*, &c. ארמון זרים מעיר] *Arcem externorum ex urbe*: vel, *ex urbe arcem externorum* fecisti: i. ex urbe clarissima in qua te colebant, fecisti ut esset arx eorum qui alieni sunt à fide tua.

4. *Tegmen à turbine* מחסה מזרם] *Refugium* [vel *protectio*] *ab inundatione*, aut *tempestate*. ¶ *Umbraculum* צל] *Umbra*. ¶ *Spiritus*, &c. כי רוח עז'] *Ira* [vel *indignatio*] *fortium ut inundatio parietis*, sive *muri*: i. similis est inundationi dejicienti parietem obvium.

5. *In loco sicco* בציון] Ad verb. *in siccitate*, i. in regione arente. ¶ Sicut *æstus*, &c. חרב בצל ע'] *Æstus in* [vel *cum*] *umbra nubis* erit populo tuo, & *fremitus fortium humiliabitur*: aut *cantus* [sive *cantio*, vel *clamor*] *fortium humiliabit sese.* q. d. Permittes quidem populum tuum affligi, interim tamen aderis illis. Posteriorem partem sic doctus inter Hebræos vertit, *Et excisionem* [vel *putationem*] *fortium humiliabit*, sub. *Deus.* *Excisionem* vocat ferociam & crudelitatem.

6. *Pinguium* שמנים] Sub. *rerum*: i. in quo erunt fercula pinguia. Doctus inter Hebræos aliam affert expositionem, *Faciet quoque*, i. præparabit, *omnibus populis*, excepto Israele, *poculum pinguium* (i. pingue, h. e. liquoris pinguis, à quo scilicet natura nostra maximè abhorret: nocet enim cordi) *poculum fæcis*, sive *fæcum* (i. fæculentum & meras fæces) *pinguium*, *inquam*, *medullatorum*, *& fæcis purgatæ à vino.* ¶ *Defæcatorum* שמרים [Sub. *vinorum*: i. vini defæcati & optimi, quod insideat suæ fæci. ¶ *Purgatorum* מזקקים] *Colatorum*, i. purissimorum.

7. *Operimenti expansi* הלוט הלוט] Ad verb. *operimenti operti*: i. expansi & extensi super, &c. Doctus inter Hebræos exponit, *Operimenti quo operiunt & occultant se gentes quæ feliciter vivunt*, q. d. Perdet Deus ipsum operimentum, & manifestabuntur, & præparabuntur disponentúrque ad malum illis venturum: neque erit illis operimentum ab illo. Et dixit *facies*, quia hactenus fuerint acsi facies eorum non fuissent conspectæ, juxta illud Job. 3. 23. *Viro cujus via est occulta.* Quidam vertunt, *involucri quo involuti sunt omnes populi.* ¶ *Et*

tegmen expansum המסכה הנסוכה] Ad verb. *& velamentum velatum*, i. extensum.

10. *Subter eum* תחתיו] *Apud se*, i. in loco suo.

11. *Cum cubitis manuum suarum* עם ארבות ידיו] i. brachiis suis. Intelligit partem illam quæ est à cubito ad manum. Solet enim natator illis partibus ducere, agitare, projicere ac depellere aquam.

12. *Incurvabit*, &c. הגיע השפיל השח] Præt. Heb. pro fut. *stravit*, *humiliavit*, *deduxit*: vel *sternet*, *humiliabit*, & *dejiciet in terram*. Hebraismus autem est, pro *Mœnia tua alta & munita deprimet*, sive *sternet*, *dejiciet*, *& pervenire faciet ad terram*, *ità ut contingant pulverem*.

CASTALIO.

4. *Ferocium spiritus*] Fastus & violentia.

5. *Ut æstus in æstuoso loco, tu hostium fastum deprimis, æstus in umbra nubis ferocium stirpem opprimis*] Deus quasi æstu stirpes, superbos exstirpat, suos interim contra æstum illum quasi nubis umbra tegens.

CLARIUS.

1. *Confitebor tibi, quoniam fecisti mirabilia*] Intuere morem sanctorum virorum. Dudum Propheta ingemuerat ob interitum hominum: nunc in ipsis Divinis judiciis laudat Deum, & debitum ei honorem reservat. ¶ *Cogitationes antiquas fideles*] Consilia tua à multis prædicta rata videmus & firma.

2. *Domum alienorum*] Per *alienos* Hebræi intelligunt Gentiles, quorum delubra in adventu Christi erant destruenda.

3. *Populus fortis*] Populus scilicet fidelium: vel quælibet hominum potentia ac Regnorum timebit te.

5. *Sicut æstus in siti*] *In siti*, h. e. in arido loco: ubi scilicet nemo refrigerium invenire potest. Sic qui *alieni* sunt à Deo, & pro voto suo tyrannidem exercent in proximum, *eos Deus humiliabit*, ut nullus evadere possit. Patiuntur quidem & justi *æstum* tribulationum, sed *æstus* eorum est *sub umbra nubis*, ut ferre possint.

6. *Convivium vindemiæ*] Vel *convivium defæcatum*; ut sit quod paulò pòst Propheta explicat. Vinum quod in hoc convivio potabunt, erit segregatum ab omni fæce. Constabit, inquit, *convivium* illud optimis rebus, *pinguibus* ferculis, & optimo *vino*, unde omnes inebriabuntur. Hebræi secundùm errorem suum putant per id significari dementationem Gog & Magog, qui tempore Messiæ conabuntur cum maximo exercitu expugnare Jerusalem & Regem ejus Messiam; sed Dominus tanquam ebrios faciet eos ruere in mutuam cædem: nec erit quisquam qui illic non apertè ostendat quo animo fuerit contra populum Dei, id quod Propheta per *involucrum* & *operimentum* significat. Et nemo deinceps ex Judæis morietur *morte immaturâ* & innaturali. Sic Judæi hunc locum pervertunt, qui tamen apertam facit mentionem de Dei judicio, quod vel in morte Christi factum est, vel in fine mundi futurum, quando *perdet Mortem & Peccatum*, & *absterget omnem lacrymam ab oculis suorum*, & manifesta erunt secreta cordis, & *bibituri sunt impii calicem furoris Domini*.

7. *In monte isto*] Nempe in Ecclesia & Sion spirituali, sicut & per *Moab* intelliguntur impii. Quod verò ait, *perdendam* vel *detegendam faciem cujuslibet velaminis*, videtur illud esse quod ait Paulus, *Donec veniat Dominus*, *qui & illuminabit abscondita tenebrarum*, &c.

11. *Cum allisione manuum ejus*] Vel, *cum artubus* (sive *brachiis*) *manuum suarum*.

FORERIUS.

1. *Defleverat ruinam patriæ, populique sui perfidiam*, & nonnihil hac in re carni indulsisse videbatur Propheta. Jam tempus erat ut perfectum virum ageret, & quomodo se habeant in hujusmodi Dei indiciis servi Domini in seipso exprimeret. ¶ *Exaltabo te*] Verbum propriè *in altitudinem evehere* est, corporis primum; deinde ad alia quæ etiam provehuntur transfertur, ut cùm *ad dignitates quempiam ascendere facimus*, aut *laudibus evehimus*, &c. De *laudibus* hic sermo est. ¶ *Mirabilia*] פלא sing. est, sed passim collectivè capitur, & *rem arduam* notat *quam homines arte aut ratiocinatione assequi nequeunt*: de quo nonnihil suprà cap. 9. ubi Vulg. *Vocabitur Admirabilis*. ¶ *Cogitationes*] Vox non nudas *cogitationes* & simplices notat, sed eas quæ in nobis manent post deliberationes, quæ sunt veluti strata & fundamenta super quæ actiones quasi ædificamus. Sunt ergò veluti consultationum conclusiones: *consilia* dicere posses. Nos etiam in vulgari sermone *cogitationes* ipsa consilia ac sententias vocamus. Per Appositionem autem *ardua* illa & *mirabilia opera quæ Deus fecisset* vocat *consilia antiqua*, vel, ut est in Hebræo, *à longinquo*, i. quæ à multo tempore decreverat facere: quod Paulus dicit *ante tempora secularia*, i. antè quàm esset & tempus & seculum aut mundus. Sic etiam accipienda puto nomina quæ sequuntur; *fidem*, *veritatem*, i. fidei & veritatis plenissima. In hunc enim usum abstractis utuntur Hebræi: quod & Vulg. assecutus est, *cogitationes antiquas fideles*, *amen*, i. stabiles. Servavit enim vocem Hebræam, quæ interdum est Approbantis: ejus autem propria significatio est *veritas*, *firmitas*. Sed pro adverbiis utuntur nominibus Hebræi frequentissimè, ut sit interdum idem quòd *verè*; ut in Euangelio, *Amen dico vobis*. Epitheta ergò Divinarum *cogitationum* seu *consiliorum* sunt *Antiqua*, *Fidelia*, *Veracia*. Primum Levitati, secundum Inconstantiæ, tertium Mendacio aut certè Injustitiæ crediderim opponi. Hæc omnia inesse judiciis illis quæ admiratur Paulus ad Rom. oportet fideles fateri, juxta quæ factum est ut Judæi laberentur, & Gentes ad dignitatem eorum adsciscerentur. De quibus est in hoc capite Prophetæ sermo.

2. Jam quæ sint *ardua* illa & *stupenda* quæ Dominus fecerit aperit. *Posuisti civitatem*] Heb. *posuisti ex civitate in*, &c. Credo esse phrasim quâ nos utimur, *Ex civitate acervos lapidum fecisti*. ¶ *Tumulum*] גל est in genere *convolutio*, seu *volutio*, seu *res ipsa quæ volvitur*. Dicitur de Aquis frequentius; hic de Lapidibus in acervos redactis videtur dici. Rectè per *acervos* aut *tumulos lapidum* vertas. Hæc civitas Jerusalem est, quæ *fortis* & *circummunita* erat muris. ¶ *Domum alienorum*] Vel *palatium*; est enim à verbo רום, quod *celsitudinem* notat. Habitationes autem Principum excelsiores sunt cæteris: Ipsam verò Civitatem hoc nomine vocat, quòd tota esset regia & superbè ædificata; *alienorum* verò seu *extraneorum*, quòd à vero Deo alieni essent postquam legitimum Regem ac Dominum negarunt, & se ab ejus Regno per infidelitatem extorres fecerunt. Unde eos *vineam alienam*, & *filios alienos*, & *non filios* Scriptura vocat. ¶ *Ut non sit civitas*] Ad verb. *ex* vel *à civitate*, quam phrasim cum Vulg. ferè omnes accipiunt. Potest & alter subesse sensus haud contemnendus, *posuisti palatium* (seu *domum*) *alienorum à civitate*, i. civitate privasti, ut ad tuam civitatem nihil pertinerent. Totam infidelium domum ac familiam damnasti, nè civium tuorum censerentur nomine; non ad domum Israel, non ad semen Abrahæ, non ad veram civitatem Jerusalem pertinerent, sed cum filiis servæ quæ in servitutem generat connumerarentur. Huic sensui favent phrasis & sequentia. ¶ *In æternum non*, &c. Verba non convincunt non reædificandam Jerusalem: nam עולם tempus quoque finitum designat: At alii sunt loci ex quibus id colligitur, ut superiori cap. v. 20, &c. Faciunt tamen adversùs Judæos, qui ex hac voce volunt probare Legem Mosis esse perpetuam, quia Deus vocavit *legitima sempiterna*, usus hâc voce non semel.

3. *Laudabit*] Hebræis יכבדו *honorabunt*, *honorem deferent*, judicium tuum comprobantes, quòd dignè *malos malè perdideris*, *& vineam tuam aliis locaveris*, &c. ¶ *Populus fortis*, *civitas gentium robustarum*] Ego proprias significationes apposui: sensus idem. De civitate fidelium est sermo tam ex Judæis quàm ex Gentibus collecta, qui ad fidem Abrahæ pertinent, quia amplexati sunt semen Abrahæ Christum, inserti in bonam radicem ex misericordia, qui cùm essent *non populus*, *non gens*, *gens stulta*, ut vocat Moses, cùm essent *pauperes*, *debiles*, *claudi*, ad nuptias Filii Dei vocati sunt, & civitate donati, ut essent jam *non hospites & advenæ*, *sed cives sanctorum & domestici Dei*. Isti ergò cum illis qui non ceciderunt neque scandalizati sunt Judæis, quibus non fuit Christus *in ruinam* sed *in resurrectionem*, qui non fuerunt *rebelles lumini*, *laudabunt*, *honorabunt* & perpetuò *colent Dominum*, qui se indignos *vocaverit in Regnum dilecti Filii sui* & *in sortem sanctorum*.

4. *Fortitudo pauperi*] Ecce quos vocaverit *fortes*, & quâ ratione facti sint *prævalidi*. Erant *pauperes*, ut dixi ex Euangelio, & extra civitatem, *cæci* ac *debiles* antè quàm vocarentur; Erant *exhausti* (nam id propriè sonat nomen Hebræum) ut quibus nullæ suppetebant vires quibus veras divitias possent apprehendere; Erant *egeni*, omnium rerum indigentes, ut qui perpetuis desideriis divexarentur; (id enim sonat nomen אביון) prædæ patebant, & ducebantur à Dæmoniis quò volebant; denique tales quales Paulus ad Ephes. & aliis multis locis depingit: Hos vocatos honestavit, ditavit, ab injuriis liberavit, & de potestate tyrannorum eripuit; insuper & fortes ac prævalidos reddidit, ut non solùm in tuto ipsi essent, sed & bellum inferrent illis à quibus captivi tenerantur, & vi cœlum raperent. ¶ *In tribulatione*] Ad verb. *in angustia illi*, i. *quæ illi*, *quæ*

illum

illum premebat, vel *in qua ipse erat.* Ego sensum reddidi, *egeno in angustia constituto.* ¶ *Spes à turbine*] חסה *protectionem* seu *latibulum* propriè designat, & interdum ad *spem* seu *fiduciam* transfertur. זרם quoque *id quod repentè & præcipitanter irruit* significat; dicitúrque de *vehementibus imbribus*, & de iis, quas efficiunt, *inundationibus*. Vulg. de *vento* intellexit *qui turbinatim & repentè fertur*. Pro *imbre* hîc primo loco videtur accipi, mox pro *inundatione*. ¶ *Turbo impellens parietem*] Participium *impellens* supplevit Vulg. Sunt enim tantùm duo nomina זרם קיר *repentina inundatio parietis*, i. in parietem. Explicat enim quidnam vocaverit *imbrem repentinum* & *æstum*. De Hominibus, inquit, loquor: *Spiritus* enim hominum *prævalidorum*, eorúmque superbia & fastus quo inflati in alios feruntur, non minùs aliis damno est quàm *impetus aquarum ex repentinis imbribus collectarum parieti* in quem fertur: Neque minùs fratribus molesti sunt injusti isti & violentiæ amici quàm *æstus in locis aridis*, in quibus neque aqua ad exstinguendam sitim, neque arbores umbrosæ, quæ umbrâ æstum temperent, reperiuntur: Damnosi ergò sunt & molesti ac graves.

5. At Dominus *fremitum* superborum & frementes Tyrannos *humiliat*; *æstum* quoque, & æstuantes ipsos ac molestantes, suos protegendo velut *nubes*, aufert, & eorum posteritatem delet. Credentes in Christum ex Hebræis prædæ patebant incredulis; divexabantur ab ipsis, proscribebantur, carceribus & morti tradebantur: at eorum civitatem succendit Deus, superbos humiliavit, molestias & injurias abstulit: & hanc ob caussam ingentes gratias Domino retulerunt servi Christi. Possumus & hæc omnia aliter accipere, quòd cæteri populi & civitates videntes quæ passa esset Jerosolymitana civitas, timuerunt Deum & eum glorificaverunt, & ab injuriis abstinuerunt, cùm viderent atque intelligerent Dei ingenium, qui paupetibus subvenit, & superbos deprimit; pauperes protegit, & eos qui eos adurere solent opprimit; ut *factus es* idem sit quod *esse soles*. Hic sensus planus est; at superior mysterio plùs quadrat. Illud, *Sicut æstus in siti*, ad v. quartum puto pertinere, ut alter incipiat, *Tumultum*, &c.] Et est supplenda dictio adversativa, quam sæpe omittunt Hebræi, res ipsas tantùm oppositas opponentes: q. d. Isti quidem istis rebus similes sunt, & non minùs noxii atque metuendi: at tu, Domine, *tumultum*, *fremitum*, &c. ¶ *Humiliabis*] Heb. *facies curvari*: & ad animum refertur. ¶ *Quasi calore sub nube torrente*] Verba Hebræa hunc habere sensum possunt quem Vulg. expressit, ea sequentibus conjungendo. Possunt nihilominus sic quoque verti, *æstus in umbra nubis*, i. calor inter umbrosas nubes: q. d. *Affliges propaginem prævalidorum æstu* seu *calore*, *qui è medio umbrosarum nubium prodit.* Solaribus enim radiis non latè diffusis, sed veluti constipatis & condensatis & è mediis nubibus vibratis in unum locum, Sol vehementiùs dicitur adurere. Hunc sensum assecutus videtur Vulg. non ergò inconsideratè flagellandus. Poteris quoque tria membra facere, ut vides in interpretatione mea, *Fremitum alienorum humiliabis*, *æstum umbrâ nubis: palmes prævalidorum opprimetur*: comparaverat enim tyrannos *inundationi* atque *æstui*. De primo dixit, *eorum tumultum humiliabis*: at *æstum in umbra nubis*, i. auferes nubis beneficio. *Palmites* quoque & eorum filii, nè patrum mortem vindicare velint, aut patres imitari, *opprimentur*.

6. Non sunt in hoc & similibus locis audiendi Rabini. Quandam *civitatem* dixerat *destructam*, & *nunquam readificandam*, nempe materialem illam. Alterius verò, nempe fidelium, meminerat, Jerusalem scilicet novæ, ex novis creaturis in Christo adunatis, à qua ablegavit omnes incredulos. Hanc nunc vocat sanctum montem Tcionis, & hanc omnibus patere significat, atque in ea dicit Dominum *convivio lautissimo excepturum omnes gentes.* Certè hæc est illa Cœna Dominica ad quam admissæ sunt Gentes, postquam Dominus juravit quòd *nemo virorum illorum qui vocati erant gustaret cœnam suam.* *Convivium* autem dicit constare *ex pinguibus & medullatis carnibus* atque *ex optimo vino*, quæ duo sunt in conviviis potissima; per quæ cætera intelligit Propheta: Quibus etiam adumbrat spiritales cibos & mensas quæ paratæ sunt in Ecclesia Christi ad fidelium alimoniam & spiritales delicias; Inter quæ primum locum habet Sacramentum corporis & sanguinis Domini. ¶ *Vindemia*] Nomen est Heb. quod singulari caret שמרים, & à *custodiendo* derivatur. Significat autem *vini reliquias in dolio*, quæ & suaves & odoriferæ sunt. Ego *asservatum vinum* dixi, quod non aliud nomen haberem. Neque enim est *vinum* quod Latini *fæcatum* vocant, i. ex fæcibus expressum, sed quod immediatè suprà fæces residet. Est autem in hoc versu venustissima Paronomasia in vocibus Hebræis, quam hîc literis Latinis volui apponere, nè quis horridam & insuavem linguam Hebræam putet. *Faciet Dominus in monte hoc* MISTE SEMANIM, MISTE SEMARIM; SEMANIM MEMUHAIM, SEMARIM MEZUKAKIM.

7. *Præcipitabit*] Verbum בלע *præcipitationem* quandam notat, sed *eam* potissimùm *quæ fit in absorptionibus & in devorationibus*, seu *in deglutiendo*: hinc ad aliarum rerum *præcipitationem* transfertur: idcirco hîc vertere posses verbo *absumendi*. ¶ *Vinculi*] לוט hîc in eadem omnino forma bis ponitur: at Vulg. primo loco *vinculi*, secundo dixit *colligati*. Est autem à verbo quod *involvere* seu *velare* sign. ut *involucrum* dicere posses, vel *velamen*. Neque alibi invenitur hoc nomen in Scriptura in hac significatione. Et quidem nonnulli Rabini secundo loco ut participium accipiunt cum Vulg. neque malè: sensus autem idem est. R. David nescio quid de Regum mundi felicitate hic somniat: neque mirum; non enim intellexit mysterium Christi: *Et adhuc velamen super cor eorum positum est.* Ego certè idem quod secundo membro repetit existimo hîc significari, & *faciem involucri* vel *involuti* nihil aliud vocare quàm *involucrum multarum facierum*, i. quod expansum plurimum spatii occupat: hoc mox dicit *tegumentum quod expansum est super omnes gentes. Præcipitanter auferet*, inquit, *Dominus ac subitò disparere faciet involucrum quod involutum est super omnes populos*, i. quo omnes populi obvoluti sunt, seu *velamen velatum super omnes populos*, i. quo velati sunt omnes populi. ¶ *Et telam*] Est nomen מסכה à verbo נסך, quod *fundere* significat. Et sicut Latinis *fundere* à liquidis transfertur ad non liquida, (nam & *fusum exercitum*, i. sparsos hostes, & *fusum aerem*, *vaporem*, *velamen*, &c. dicunt) ità Hebræi, & aliquantò audaciùs, hoc verbum ad solida, quæ quomodocunque expanduntur seu extenduntur, transferunt. Hinc nomen ipsum ad *operimenta* & *stragula* transfertur; ut interdum sit idem quod *operimentum* in genere. Vulg. itaque, non reclamante origine vocis, *telam* dixit. Nam & ab hoc ipso verbo est nomen quod *liciatorium* seu *pectinem textorium*, per quod fila fluunt, significat, מסכת. Idcirco etiam quod sequitur appositè vertit. ¶ *Quam orditus est*] *Quam fudit*, *quam expandit.* Est enim participium significationis passivæ ejusdem verbi נסוכה, q. d. *telam expansam*, *fusam*. Nos *tegumentum expansum* aptè vertimus: nam obscurum erat quis esset orditus telam. Sed hactenus de Grammaticis significationibus; quas omnino priùs tenere oportebat; nam earum ignoratio in obscuris locis S. Scripturæ viros alioqui doctos præcipites dedit. Et nè ab eadem similitudine longiùs recedamus, ut mea est sententia, cùm nihil sic faciat homines ruere aut præcipitari quàm implicatio, obscuritas, operimenta, & ipsa denique cœcitas; cùm de ablatione harum rerum per Dominum montis Tcionis Prophera loqueretur, aptissimè eodem verbo usus est. Dicit enim, *Dominum præcipitaturum* ea quæ ad præcipitium Gentes adducebant, nempe ignorantiam seu cœcitatem, quâ, veluti quodam *velo* seu amplissimo *tegumento* per omnium nationum animos *diffuso*, non erat qui qua eundum esset posset intelligere, neque erant qui *Deum aut agnoscerent, aut sicut Deum glorificarent. In monte* autem *illo*, dato per Dominum Discipulis Spiritu S. à quo edocti possent docere omnes gentes, discissum est *velamen*. *Notam* enim *fecit Dominus salutem suam, & in conspectu Gentium revelavit justitiam suam.* Frequens autem in Scripturis est *velaminis* ad Ignorantiam declarandam similitudo. Nam & *velamen super cor Judæorum adhuc positum* dicit Paulus, & *auferendum cùm conversi fuerint ad Dominum* 2 Cor. 3. Neque discissio illa veli in Templo aliud, credo, notabat, quàm per Domini mortem sanctissima & occultissima quæque omnibus patere; neque in cœcitate mansuros nisi qui velamen suis manibus iterum super oculos ponerent, aut sese Deo hujus seculi, cujus est *mentes excæcare, nè fulgeat hominibus splendor Euangelii*, traderent; de quibus Paulus Ephes. 4. *Testificor, nè jam ambuletis sicut & Gentes, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam quæ est in illis propter cæcitatem cordis ipsorum.* Non erat autem in postremo loco hoc beneficium Christi collocandum. Quòd si quis de Regno Peccati velit intelligere, quod regnavit super omnes (nam & Chaldæus hîc *principatûs* meminit *qui erat super omnes nationes*) non repugno.

8. *Præcipitabit*] De verbo בלע superiori versu dictum est quòd *præcipitantiam* notaret, præsertim in cibis, &c. Quare Paulus 2 Cor. 15. verbo *absorbendi* reddidit hæc ipsa verba Jesaiæ; ubi pro *in perpetuum* reddidit *in victoriam*: quem secutus sum in versione. Nam verbum נצח, quantum conjicere possum sign. *urgere*, *instare*, *perducere opera victoriosè*, *magnâ animi contentione ad finem usque.* Hinc נצח, *Victor*, *Triumphator*, epitheton Dei gloriosi, 1 Sam. 15. *Victor Israelis non mentietur*, &c. i. Deus Israelis est talis ut evincat ac

persi

perficiat si quid semel decrevit, & quod dixit opere exsequatur. Hinc etiam nomen, quod cum verbis est adverbium, quod significat actionis vel rei de qua dicitur *victoriam* seu *excellentiam*. Assumit autem sæpe ל à fronte, ut hoc loco, i. *ad victoriam*, *in finem*, *perpetuò*, *prorsus*. Hab. 1. *Non pervenit ad victoriam judicium*; *ad exsecutionem*, seu *finem*: sicut Paulus Heb. 7. dicit, *nihil* ἐτελείωσεν, i. *ad finem adduxit Lex*, i. ad exsecutionem, perfectionem atque consummationem. Et hunc Jesaiæ locum sic vertit, *Absorpta est mors in victoriam*, volens significare, quòd absorptâ Morte vicerit & prævaluerit regnétque & triumphet Vita, atque adeo quidem ut nullum ampliùs jus sive imperium habeat Mors: vel *absorpsit mortem victoriosè*, *omnino*, seu *in perpetuum*. Sic 1 Thess. 2. *pervenit autem in illos ira Dei in finem*. Quid si vocem hanc ad modum quo Mortem vicit referas, quòd videlicet instando maximè operi, & summo nixu totísque viribus operi redemptionis institerit, quousque tandem eam à nobis propulsaverit, surgendo ipse quoque à mortuis? *Absorbere* ergò *mortem victoriosè* est animo ad vincendum parato operi redemptionis incumbere, quo delenda & absorbenda erat Mors. Ob quod dicebat Dominus *se coarctari donec perficeretur*. Ut sic quoque accipiatur illud Joannis, *In finem dilexit eos*, i. tanquam qui vincere cæteros amore decrevisset, & ad finem usque amoris pertingere. ¶ *Et auferet*] ומחה est *abstergere*, seu *abstergendo delere & loco movere*. Restituit itaque mundo vitam, & eam vitam quæ non finiatur. Vita enim gratiæ *vita æterna* dicitur. Et *qui Dominum audit*, *& ejus verba servat*, *mortem non videbit in æternum*, *transit enim per mortem ad vitam*. Neque hoc tantùm præstitit nobis Dominus, sed ut tranquillam lætámque vitam ducere possemus, ut qui suos illis bonis contentos faciat quæ nulla vis auferre possit. Hoc significat *lacrymarum abstersio*. ¶ *Opprobrium*] Nullum majus excogitari potuit in toto orbe quàm Dei creaturas honorem Creatoris Lapidibus & Lignis, imò & immundis Spiritibus, tribuere. Hoc *opprobrium ablatum est*. Suprà quoque cap. 3. dixi nomen חרפה de *opprobrio* dici *quod in re aut opere consistit*, i. *deformatione*, *defloratione*, *devastatione* & *corruptione*, &c. *quæ fit per gladium*, *per famem*, &c. ut Jer. 5. & Ezech. 36. Quæ interpretatio huic quoque loco convenit, modò spiritaliter intelligatur. Quæ enim hic patiuntur servi Christi, ea non opprobria, non deformitates & damna reputant, sed lucra, sed gloriam. ¶ *Quia Dominus locutus est*] Hæc, inquit, ità ut dixi futura sunt: nam Dominus ea futura dixit; neque aliâ indigent confirmatione.

9. *Et dicet*] Eo tempore dicetur, & passim in ore omnium hujusmodi verba sonabunt, *Ecce Deus noster*, &c. quæ absque ulla controversia continent congratulationem ob Filii Dei in carne præsentiam. ¶ *Ecce Deus noster iste*] Dupliciter potest reddi pronomen זה. Primò, ut accipiatur relativè simul & demonstrativè, ut solet quando postponitur, *Ecce Deus noster*, *iste est quem exspectavimus*. Sic accipitur Psal. 74. *Montem Tcion illum quo habitasti*, &c. & Psal. 104. *Locum illum quem fundasti*, &c. & Prov. 23. *Obtempera patri tuo*, *illi qui te genuit*, &c. Vel simpliciùs, ut nihil aliud sit quam verbum *adest*; *Ecce Deus noster adest*. Nam pro verbis substantivis usurpatur frequenter. Priorem tamen versionem probo, *Iste est quem intentis oculis animisque præstolabamur*: nam verbum קוה Gestum quoque notat qualis est nimis anxiè exspectantium, translatione factâ à Perspectiva, ut suprà jam annotavi, & infrà cap. 28. dicetur. ¶ *Et sanavit nos*] In præterito legendum est, quomodocunque Hebræi puncta apponant; *Ità ut exspectavimus*, *juxta nostram spem*, *ita factum videmus*. ¶ *Iste Dominus*] Vel, *hic est Jehova*; *hic*, quem videmus oculis carnis nostræ, *est* natura atque essentiâ *Deus*. Priori enim loco vocaverat *Elohim*, quod nomen creaturis quoque tribuitur, ideo Divinitatis nomen *Jehova* ei statim tribuit. ¶ *Sustinuimus eum*] Est idem verbum quod hoc ipso versu verbo *exspectandi* reddiderat. ¶ *Exsultabimus*] Verbum גיל tam in prima quàm in tertia propriè dicitur cùm quis revelat gaudium cordis externis gestibus. Verbum Græcum ἀγαλλιάω non multùm ab Hebræo dissonat, quo utitur Lucas cap. 1. *Exsultavit præ gaudio infans*, &c. Et paulò pòst, *Et exsultavit spiritus meus*, &c. neque aliud habemus quo aptiùs reddamus. *Justum*, inquit, *est*: *Gestiamus*, *exsultemus*, *& tristitiam omnino à nobis abigamus*; *quorum exspectationi Deus noster adeò satisfecit ut eum videre*, *ejus præsentiâ frui*, *ejúsque salutem oculis cernere*, *manibus contrectare*, *auribus audire*, *ore gustare concessum est*. *Quod audivimus*, inquit Joannes, *quod vidimus*, *& manus nostra contrectaverunt de verbo vitæ*, &c. Neque video quæ tristitia obrepere possit animis beneficium Redemptionis dignè considerantibus. Abeant Judæi, aut dicant quomodo quibúsve verbis manifestiùs potuisset Propheta Salvatorem Deum Hominémque significare, si voluisset. Nam si quæ præcedunt, de *convivio*, de *opprobrio auferendo*, de *lacrymis abstergendis*, de *Morte præcipitanda* seu *absorbenda*, non de Messia dicta contenderint, indicent, quæso, nobis in quem hæc conveniant. Quòd si de tempore Messiæ intelligenda sunt, quomodo *in illa die dicetur*. *Iste est quem exspectavimus*; *iste est Jehova*; *hic Deus noster*, si Deus non est? Quid signis ostensionis opus est si non possunt ostendere? Si de cœlo per hominem tantùm salvavit, sat fuisse dicere, *sicut exspectavimus*, *ità salvati sumus*; *gaudeamus*, *Deo gratias agamus*, &c. Sed cæcos omittamus. ¶ *In salutari*] Vel *salute*. infrà 49. *In die salutis adjuvi te*. Et Gen. 49. pro *salvatore* seu *salute* accipere licebit; *Salutare tuum*, vel *Salvatorem tuum*, *exspectabo*: loquitur enim de Christo. Nam & Simeon ad hæc verba Jacobi respiciens ait, *Viderunt oculi mei* σωτήριόν *tuum*.

10. *Requiescet manus*] *Manus Domini esse super aliquem* dicitur tropo Hebraico pro *gratia* & *favore*; ut Esd. 7. *Dedit ei Rex*, *Juxta manum Jehova Dei sui super ipsum*, *omnem petitionem ejus*, i. pro magno illo favore quo persequebatur Esdram Deus, sive per Dei gratiam. Ità usurpatur Esdr. 8. & Psal. 80. *Sit manus tua super virum dexteræ tuæ*; i. Appareat virtus tua sive auxilium tuum ad nos liberandos, &c. Majus autem nonnihil est *quiescere manum Domini in aliquo*, vel *super aliquem*, quo etiam verbo utitur Scriptura 2 Reg. 2. *Consedit spiritus Eliæ super Eliseum*, quem nunquam postea deseruit. Accipe ergò hoc loco perpetuitatem favoris, auxilii & virtutis Domini in Ecclesia Filii Dei; ut sit quod Dominus in Euangelio promisit, *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi*: neque solùm ut faveat protegendo, sed ut hostes quoque debellet; ut mox aperit. Hic tamen interim considera hanc quoque esse exsultationis causam. Nam dicere possunt qui Christum non viderunt in carne, *Vos*, *qui vidistis*, *exsultate*: *sed nobis quæ causa lætitiæ?* his respondent, *Manus Domini*, *quievit in monte hoc*, consedit in Ecclesia sua: hîc in æternum manet; ibi adest; Vobis quoque est eadem lætitiæ ratio. *Beati* enim *qui*, *etsi non viderunt*, *tamen crediderunt*. ¶ *Triturabitur Moab*] Intellige omnes hostes populi Dei. Nam tempore hujus Prophetiæ res erat cum Moabitis, quos subegit Ezechias. Et hujusmodi nominibus exœcantur in Prophetis Judæi. ¶ *In plaustro*] Quòd במדמנה *plaustrum* dixit nemo vitio vertat: nam sententiam tantùm reddere curavit Interpres. Est autem דמן *sterquilinium* seu *fimetum*, quasi *quod in silentium* seu *quietem redactum sit*, à verbo דמם. Hinc velut denominativum quidam deducunt prædictam vocem: neque alibi legitur hoc nomen in Scriptura. Constructio autem exigit Hebræis aliud verbum Motûs, *sicut trituratur in sterquilinium*, i. sicut stramentum comminutum, quod in sterquilinium mittitur. Non desunt tamen qui מדמנה dicant esse nomen urbis Moab. Jer. 48. dicitur מדמן, quod certè nomen est urbis Moab: cujus nomen interpretatur ibi Vulg. *Silens*, fortè ut exprimeret allusionem ad nomen. Nam Propheta id innuere videtur cùm dixit; *Madmen*, *conticesces*, vel *tacebis*, מדמן תדמי: quæ sanè interpretatio mihi arridet. Verisimile autem est quòd ad Moabitas verba faciens Propheta, urbis Moabitarum meminerit. Verùm cùm de palearum trituratione agitur, ferè semper de ea est sermo quæ fit dum frumentum excutitur, vel de ea quæ in usu erat in Palæstina & in Oriente, quam commemorat Hieronymus hoc loco, ob fœni penuriam, quò fit ut Vulg. meritò *plaustri* meminerit. Interpretationem de *sterquilinio* invexit R. David, cujus tamen pater, ut ipse ait, pro nomine proprio hìc accepit.

11. *In medio ejus*] Seu *in intimo*. Perseverat in Metaphora Natantium; & Judæam, i. Ecclesiam, comparat Mari: In qua Moabitæ, i. hostes populi Dei, rari, imbelles, & in periculo, undique aquis circumdati reperiuntur: Quæ conditiones in servos competunt, & servitutem crediderim his loquendi formis ac figuris significari. Adde quòd est gestus sese humiliantium & sese devictos fatentium. Toto corpore, brachiis extensis prosterni. Fortè etiam allusio est ad quoddam gentilicæ devotionis genus, quæ etiam nunc apud quasdam barbaras nationes in usu est, ut currui quo vehitur idolum sese in via prosternant, ut medii præscindantur rotis currûs: quâ re se Deo gratissimum obsequium præstare arbitrantur. ¶ *Cum allisione manuum*] Est hoc loco magna varietas: neque constat vel ipsis Judæis de significatione vocis ארבות: & quidem de radice constat, quæ *insidiari* sign. seu *insidias struere*: atque hinc deduci nomen ארבה, i. *foramen*, de quo cap. 24. 18. Quid igitur impedit quominus hìc pro *perforationibus* accipiamus? Neque aliud est *cum perforationibus manuum ejus* quam quod

Vulg.

Vulg. dixit, *cum allusione manuum ejus*, quæ enim *collidun-tur, perforantur.* Hæc est simplicissima interpretatio. Vir ta-men quidam doctus, quia radix *insidiari* sign. hoc nomen *præ-dationes* interpretatur. Quid autem alii afferant, videat apud ipsos, & judicet prudens Lector. Ego Vulg. rectè vertisse ar-bitror. Nam hæc locutio convenit cum iis quæ præcesserunt, *triturabitur sub eo. Expandet manus suas in medio ejus*, &c. Quòd si puncta negligas, ut interdum opus est, alius sensus his verbis subesse potest à superioribus longè diversus, sed non pro-pterea contemnendus: is sic habet, *Et humiliabit superbiam ejus populus insidiarum manuum ejus*, i. populus qui hactenus insidiis Moabitarum erat expositus, nempe Israelitæ: עם e-nim certum est *populum* significare cum altera motione: cætera patent.

12. *Concident*] In Hebræo est oratio activa, & in singulari, ut interpretatus sum. Sensus idem est, & in verbis videtur esse gradatio; *curvabit* seu *curvari faciet*, *humiliabit*, *dejiciet*: נגע autem est *tangere*, & in tertia *attingere facere*. Nos dice-remus, *faciam ut osculetur terram.* Sic Ezec. 13. *Attingere faciam eum ad terram*, ubi Vulg. *adæquabo eum terræ*: & est sermo de pariete. Id Latini *dejicere* dicunt: & illud *usque ad pulverem* omnimodam dejectionem designat, ut non maneat suprà faciem terræ lapis super lapidem. Notus quoque Hebrais-mus est, *munitionem exaltationis murorum* pro *munitione sub-limium murorum*, ut dixit Vulg. Cæterùm sicut MOABITAS hîc intelligit hostes Ecclesiæ, ità per *eorum* MUNITIONES & MUROS *altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei* in-telligimus, & *munitiones* illas quas Paulus affirmat *suis se armis destruere, ut in captivitatem redigat omnem intellectum in ob-sequium Christi* 2 Cor. 10. qui locus ità hunc explicat ut ad hunc allusisse mihi videatur Apostolus. Sed de hac Captivitate ac Vi-ctoria plura in sequentibus. His autem omnibus convenit ulti-ma illa interpretatio versûs superioris: Populus enim ille qui in-sidiis infidelium initio videbatur expositus, armis illis quæ com-memorat Paulus, mundi superbiam dejecit & omnes mundanas sublimitates subvertit; quandoquidem Imperium Romanum cum Roma Mundi domina illis cessit. Quam victoriam animo vol-vens Propheta, simul & novam Jerusalem animo contempla-tus, vastatâ illâ impiorum hominum & homicidarum civitate, Canticum Prophetico more annectit.

DRUSIUS.

3. יְכַבְּדוּךָ. Οἱ λοιποί, δοξάσουσί σε *glorificabunt te*] Descripsi ex ed. Rom. ubi perperàm adducuntur ad verbum sequens ייראוך *timebunt te*, cui respondet in Lxx εὐλογήσουσί σε.

5. חֹרֶב בְּצֵל עָב זְמִיר עָרִיצִים יַעֲנֶה. Th. καύσωνα ἐν σκέπῃ νέ-φους κληματίδα ἰσχυρῶν ταπεινώσει, *Æstus sub tegmine nubis palmitem fortium humiliabit*] Leguntur apud Procopium sub asterisco, cum litera *Theodotionem* significante.

6. מִשְׁתֵּה שְׁמָנִים מִשְׁתֵּה שְׁמָרִים. Alii Interpretes, πότον λιπασμά-των, *rerum pinguefactarum*, πότον τρυγιῶν *Fæcium*] Euseb pag. 477. משתה. *Alii Interpretes* πότον, i. *convivium*, aut συμπόσιον. Cætera leguntur in quibusdam libris editionis Lxx.

7. פְּנֵי הַלּוֹט הַלּוֹט עַל־כָּל־הָעַמִּים. Aq. *Faciem tenebrarum tenebrarum super omnes populos.* Sym. *faciem dominatoris, qui dominatur super omnes populos.* Th. *faciem tenebrarum su-per omnes populos*] Hier. *Pro eo quod nos vertimus* faciem vin-culi colligati super omnes populos, *Aq. interpretatus est* faciem tenebrarum tenebrarum super omnes populos. *Cùmque Aq. bis* tenebras *dixerit*, *Th. semel* tenebras *nominavit: cætera si-militer. Pro quo Sym. transtulit*, faciem dominatoris qui do-minatur super omnes populos.

10. וְנָדוֹשׁ מוֹאָב תַּחְתָּיו כְּהִדּוֹשׁ מַתְבֵּן בְּמֵי מַדְמֵנָה. Sym. καὶ ἀ-λοηθήσεται Μωὰβ ὑποκάτω αὐτῆς, ὡς ἀλοητὸν ἄχυρον, ὡς πηλόν, *Et triturabimus Moab sub ea perinde atque trituratur palea, vel sicuti proculcatur lutum*] Eusebius pag. 282. Cæ-terùm תחתיו alius vertit ἐν τῷ τόπῳ αὐτῆς, quod in quibusdam libris edit. Lxx.

11. וּפֵרַשׂ יָדָיו בְּקִרְבּוֹ כַּאֲשֶׁר יְפָרֵשׂ הַשֹּׂחֶה לִשְׂחוֹת. * Ἐξαπλώ-σει τὰς χεῖρας αὐτοῦ ἐν μέσῳ αὐτοῦ, καθὼς ἀναπλώσει ὁ λυόμενος εἰς τὸ κολυμβῆσαι, *expandet manus suas in medio ejus, quem-admodum expandit lotus ad natandum.*

IDEM EX PROCOPIO.

1. אֹמֶן. Aq. πεπιστωμένως *fideliter.* Legit אָמֵן, quod ità red-dere solet. Sic etiam legerunt, ut credibile est, Th. & Lxx. Sym. πίστει *fide.* Th. γένοιτο *fiat.* Sic etiam οἱ ὁ.

3. יְכַבְּדוּךָ. οἱ λοιποί, δοξάσουσί σε *glorificabunt te*] Proco-pius, εὐλογήσουσί σε, ἢ δοξάσουσι, κατὰ τοὺς λοιπούς. Cæterùm pro εὐλογήσουσι, quod legit Procopius, in ed. vulg. est εὐλογήσει, numero unitatis.

5. תַּכְנִיעַ. Ταπεινώσεις *humiliabis.* Th. καταισχύνεις. Præce-dit autem γενῶν, pro quo legendum putarim ἀλλογενῶν, i. זרים *extraneorum.* Sequitur ¶ חֹרֶב בְּצֵל עָב זְמִיר עָרִיצִים. Th. καύσωνα ἐν σκέπῃ νέφους, κληματίδα ἰσχυρῶν, *æstum in tegmine nubis, clematidem fortium.*

6. מִשְׁתֵּה. Cæteri πότον *convivium.* ¶ שְׁמָרִים מְזֻקָּקִים וּבִלַּע. Sym. τρυγιῶν διυλισμένων, καὶ καταπίεται, *fæcum defæcato-rum, & absorbebit*] Psal. 12. 6. מזקק. Aq. διυλισμένον *defæ-catum.*

7. וּבִלַּע בָּהָר הַזֶּה פְּנֵי־הַלּוֹט הַלּוֹט עַל־כָּל־הָעַמִּים וְהַמַּסֵּכָה הַנְּסוּכָה עַל־כָּל־הַגּוֹיִם. Sym. Καταποντιεῖ ἐν τῷ ὄρει τούτῳ πρόσω-πον τοῦ ἐξουσιαστοῦ τοῦ ἐξουσιάζοντος πάντων τῶν ἐθνῶν, καὶ ἡ χρῆσις (alias κρίσις) ἡ κεχρημένη κατὰ πάντων τῶν ἐθνῶν, *Et præcipitem dabit in monte isto faciem dominatoris qui in omnes gentes dominatur, & judicium quod in omnes gentes judicatum est*] Aq. Th. ἐπὶ τὸ ὄρος *super montem.* Procopius, οἷς Ἀκύλας καὶ Θεοδοτίων συμ-φώνως ἐξέδωκαν, &c. Aq. & Th. τὸ πρόσωπον τῆς σκοτίας *fa-ciem tenebrarum.* Vide Procopium, ubi, pro Ἀκύλας, Σύμ-μαχος legitur. In eodem est τὸ συμπόσιον ἐν ὄρει, & in mar-gine ad textum καὶ παραδόσει παραδοθήσονται ἐν τῷ ὄρει, *& tra-ditione tradentur in monte.*

8. בִּלַּע הַמָּוֶת לָנֶצַח וּמָחָה אֲדֹנָי יְהוִה דִּמְעָה מֵעַל כָּל־פָּנִים וְחֶרְפַּת עַמּוֹ יָסִיר מֵעַל כָּל־הָאָרֶץ כִּי יְהוָה דִּבֵּר. Sym. Καταποθῆναι ποιή-σει τὸν θάνατον εἰς τέλος, καὶ ἐξαλείψει Κύριος ὁ Θεὸς ἀπὸ προ-σώπου πᾶν δάκρυον, καὶ τὸ ὄνειδος τοῦ λαοῦ αὐτοῦ περιελεῖ ἀπὸ πά-σης τῆς γῆς· ὅτι Κύριος ἐλάλησεν, *Absorberi faciet mortem in finem, & absterget Dominus Deus à facie omnem lacrymam, & opprobrium populi sui tollet ab omni terra: quia Dominus locutus est*] Aq. καταποντίσει τὸν θάνατον εἰς νῖκος. Th. κατεπόθη ὁ θάνατος εἰς νῖκος, *absorpta est mors ad victoriam.*

9. וְיוֹשִׁיעֵנוּ זֶה יְהוָה קִוִּינוּ לוֹ. Sym. Th. καὶ σώσει ἡμᾶς. οὗτος Κύριος. ὑπεμείναμεν αὐτῷ, *& servabit nos: ipse Dominus; exspectavimus illum.* ¶ וְנִשְׂמְחָה בִּישׁוּעָתוֹ. Καὶ εὐφρανθησό-μεθα ἐπὶ τῇ σωτηρίᾳ ἡμῶν, *& lætabimur in salute nostra.*

12. וּמִבְצַר מִשְׂגַּב חוֹמֹתֶיךָ הֵשַׁח. Sym. καὶ τὸ ὀχύρωμα τοῦ ὕψους τῶν τειχῶν σου κύψει, *& munimentum altitudinis murorum tuo-rum inclinare faciet.*

GROTIUS.

1. DOmine Deus] Et hoc caput & sequens laudationem Dei continent, velut canendam ubi ea quæ modò dixit evenerint.

Cogitationes antiquas fideles Amen] Rectiùs: *Consilia tua pridem* (supple *prædicta*) *jam vera ac firma* apparent.

2. *Posuisti civitatem in tumulum*] Samariam.

Domum alienorum] Supple *deorum*, 1 Reg. XVI. 32.

3. *Populus fortis*] Constans in religione, nempe Hierosolymitæ.

Civitas gentium robustarum timebit te] Enallage, id est, ci-vitates vicinæ exemplo hoc terrebuntur.

4. *Factus es fortitudo pauperi*] Hierosolymis gravi obsidio-ne pressis.

Spiritus enim robustorum] Ira Assyriorum. Sic & mox 5.

Quasi turbo impellens parietem] Turbinis modo muros no-stros quatiebat.

6. *Convivium pinguium*] Vindicta Dei sæpe à Prophetis con-vivio comparatur; quia & consumit hostes, ut cibi consumun-tur, & Deo gaudium parit.

Vindemiæ defæcatæ] Ex vino optimo.

7. *Et præcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati su-per omnes populos, & telam quam orditus est super omnes na-tiones*] Rectiùs sic: *Præcipitabit Dominus in monte isto* (id est, apud hanc urbem) *faciem involucri quod involutum est super omnes populos, & operimentum quod oppansum est omni-bus gentibus. Involucri & operimenti* nomine notat terrorem illum ab Assyrio, qui populos omnes velut excæcaverat.

8. *Præcipitabit mortem*] Id est, pericula mortis.

In sempiternum] Id est, donec vivet Ezechias.

Et auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie] Eorum scilicet qui obsessi fuerunt.

10. *Et triturabitur Moab sub eo, sicut teruntur palea in plaustro*] Hieronymus: *Hoc juxta ritum loquitur Palæstinæ & multarum Orientis provinciarum, quæ ob pratorum & fæ-ni penuriam paleas præparant esui animantium. Sunt autem carpenta ferrata rotis in serracorum modum revolventibus, quæ stipulam conterunt & comminuunt in paleas.* Quando hoc evenerit vide suprà XI. 14.

11. *Et extendet manus suas sub eo, sicut extendit natans ad natandum*] Pressus hoc onere Moabita, omnia tentabit ut evadat, quomodo illi solent qui è naufragio cupiunt enatare, sed frustra.

CAP. XXVI.

MUNSTERUS.

1. CAntabitur canticum] Cùm Prophetæ loquuntur de rebus magnificis, concinnant plerumque carmen quò minùs oblivioni tradantur ea quæ inculcare nituntur. Est autem res maxima tractatio judiciorum Dei, quorum ignorantia facit contemptum. Licentiùs enim homines peccant quando non cogitant se reddituros rationem. ¶ *Salutem ponet*] *Urbs* hæc est Ecclesia Christi, cujus *muri & antemurale* est *salus* & triumphus Christi. *Contra hanc portæ inferi non prævalebunt.* Cives ejus *custodiunt veritatem & justitiam:* quorum *iniquus affectus* sic cum Domino *crucifixus est* ut *regnent in pace.*

8. *Via judiciorum*] h. e. Cùm justo *tuo judicio* super nos calamitates venire permittis, adhuc *speramus in te.* Quin & multi *habitatores orbis emendantur*, quando vident *judicia tua.* Qui autem adeò obstinatus est, sicut Pharao fuit, ut judiciis tuis non terreatur & corrigatur, *is nunquam videbit gloriam tuam.*

12. *Ordinabis pacem*] Est תשפות idem quod תשית, non תאית, ut quidam perperàm legit.

16. *Effuderunt precationem*] Nostri ineptè sic verterunt hunc locum, *Clamor murmuris disciplina tua eis: cùm* צקון hic idem sit quod צעק, & לחש idem quod תפלה.

18. *Ventum*] *Ventum parimus* quando unâ superatâ tribulatione, mox aliam, quæ nos incessat, exspectamus. Et in hoc certamine est nobis luctandum donec post mortem *salus* animæ obtingat. Est autem in Hebræo ישועות *salutes*, נעשה in singulari, ideo docent Hebræi subintelligendum דבר *verbum* vel *causam*, ut sit sensus, *Verbum salvationum non factum est nobis.*

19. *Ros herbarum*] Ut ros herbam languescentem excitat, sic tu tuâ virtute excitas mortuos. Vocat autem Hebraismus mortuos per Antiphrasin רפאים, quòd nullo medicamine sanari à morte possint.

VATABLUS.

1. FOrtitudinis עז] Substant. pro adject. *fortis.* De Jerusalem loquitur. ¶ *Ponet*] ישית Fut. Heb. pro præsent. ut quidam vertunt: i. *Salutis causâ cinxit eam Deus muro & antemurali:* q. d. Qui sunt in Ecclesia, immunes sunt ab omni periculo. ¶ *Muros & antemurale* חומות וחל] Controversia est inter Doctores Hebræorum de hac dictione חל. Quidam enim dicunt eam significare *murum inferiorem*, & חומה *superiorem.* Alii contrà, dicunt חל significare *murum superiorem*, & חומה *inferiorem.* Alii verò asserunt חל significare *fossam quæ ducitur ante murum ipsum.*

3. *Eum cujus*, &c. יצר סמוך וגו׳] *Cogitationem* [vel *figmentum*, aut *imaginationem:* i. animum] *innixam* tibi *custodies: pax, pax* erit illi, *quia in te confidit.* Doctus inter Hebræos exponit, *Desiderium justi qui est conjunctus tibi & innixus, custodies illum à malo: dabisque illi pacem, quia sperat in te.* Alii vertunt, *Affectu firmo custodis pacem, pacem*, inquam, *eò quòd in te speratum sit.* Alii Cogitatio fixa [sive *firmata*] *custodies pacem, pacem: quoniam in te confisum est.* Alii *figmento fulto servabis pacem*, &c.

4. *Quia*, &c. כי ביה וגו׳] *Quoniam in Deo Jehovah robore sempiterno*, sub. *fidendum est.* Vel, *fortitudine æternâ & perpetuâ.* Alii, *quoniam in Deo Jehovah est fortitudo seculorum*, i. quæ nunquam finem inveniet.

5. *Incurvabit*, &c. השח ישבי מרום] Præt. Heb. pro fut. *Dejiciet habitatores altitudinis*, vel *sublimitatis:* i. Deprimet eos qui habitant in loco sublimi, qui in summa autoritate constituti sunt. ¶ *Sublimem* נשגבה] *Exaltatam, elevatam*, i. quæ est in magno honore.

7. *Semita justo recta* ארח לצדיק מישרים] Ad verb. *Via justo rectitudines:* i. Via æqua sive æquabilis & plana erit justo. Alii, *Semita justi recta est.* Alii, *Semitam æquitatum* dabis *justo.* ¶ O Deus, *rectè*, &c. ישר מעגל וגו׳] Tu qui *rectus es, Viam justi æquabis.* Alii *rectam viam justi librabis*, vel, *libratam reddes, ad libellam & perpendiculum æquabis*, ne scilicet offendat in ea.

8. *Exspectavimus te* קוינוך] *Speravimus in te.* ¶ *Ad nomen*, &c. לשמך ולזכרך] *In nomine tuo & memoriali erit desiderium*, i. anima nostra tenebitur desiderio nominis ac memorialis tui. Idem sunt *nomen & memoriale.*

9. *Animo meo desideravi te* נפשי אויתיך] *Animâ meâ concupivi te.* Quidam per futurum, *Ex animo concupiscam te.* ¶ *Spiritu meo*, &c. רוחי וגו׳] Quamdiu *spiritus meus* fuerit *intra me, mane te quæram*, vel, *sedulò te quæram.* Ad verb. *diluculabo ad te.* ¶ *Quando*, &c. כאשר משפטיך] Præt. Heb. pro fut. ut ferè omnes vertunt, *cùm judicia tua fuerint in terra, justitiam discent*, &c.

10. *Fiat misericordia impio*, יחן רשע בל למד] *Impius gratiam obtinebit, nec discet* [præt. Heb. pro fut.] *justitiam: in terra rectorum* operum *perversè aget, nec videbit magnificentiam Jehovæ.* Alii, subauditis pauculis, Numquid *misericordiam consequetur improbus*, qui *non didicit justitiam*, sed *in terra rectorum* operum *iniquè agit, & non considerat magnificentiam Jehovæ?* Alii, *Impius etiam beneficiis affectus non discit justitiam, sed in terra plana iniquè agit, & non videbit*, &c. Nonnulli fut. in præt. convertunt, *Misericordiam assecutus est impius*, & *non didicit*, &c.

11. *Exaltata est manus tua, nè videant* רמה ידך בל יחזיון] *Magnificata est manus tua*, & *non vident:* i. magnifica fecisti opera, nec advertunt. Per *manum* intelligitur opus. Verti potest, *cùm exaltata fuerit manus tua, non aspicient.* Alii, utcunque *exaltata fuerit manus tua, non videbunt.* Alii, *cùm exaltatur manus tua* ut percutias, *ipsi non vident.* ¶ *Videbunt*, &c. יחזו ויבשו וגו׳] *Videbunt, & confundentur zelo populi.* Alii, *videbunt* aliquando, *& pudefient æmulatione* quadam *populi* tui. Alii converso ordine vocum Hebraicarum, *videbunt zelum populi* tui, *& erubescent. Zelum populi*, i. æmulationem quâ prosequeris populum tuum. ¶ *Ignis hostes tuos consumet* אש צריך תאכלם] *Ignis hostes tuos absumet eos.* Redundat pronomen *eos.* Alii, *ignis inimicorum tuorum absumet eos.* Doctus inter Hebræos per *ignem* intelligit pudorem qui apparet in genis: q. d. Pudor quo perfundere soles inimicos tuos, absumet eos. Gallicè dicimus, *ils mourront de honte.* Alii mutato ordine dictionum Hebraicarum, *devorabitque eos ignis* qui *hostes tuos* absumit. Alii eodem sensu, *igne hostium tuorum devorabis eos.*

12. *Dispones* תשפות] *Stabilies, præparabis, ordinabis.* Vel, *dispone*, vel *stabili:* i. da nobis pacem. ¶ *Operatus es* פעלת] Quidam convertunt præt. in præs. *operaris:* q. d. Tu autor es omnium rerum quæ nobis accidunt.

13. *Dominati sunt nobis* בעלונו] *Subjugaverunt nos.* ¶ *Tantùm in te recordati sumus*, &c. לבד בך נזכיר שמך] *Tantùm in te recordabimur nominis tui.* Alii, *duntaxat* tamen *tui, nominisque tui recordabimur.* Alii, *sed nos recordabimur tantùm tui & nominis tui.* Alii, & tamen *tantùm de te memorabimus nomen tuum:* i. in gloriam tuam mentionem faciemus tantùm nominis tui: vel, tibi uni gloriam & honorem dabimus. Quidam subaudiunt *sperabimus*, hoc modo, *tantùm in te* sperabimus, *& memorabimus*, &c.

14. *Mortui* sunt רפאים] *Exanimes* sunt. Alii, *vitâ defuncti.* Alii, *occisi.* ¶ *Visitasti* פקדת] Præterita sunt Heb. pro futuris, ut quidam vertunt, *visitabis, & disperdes*, sive *exterminabis eos, perdésque*, &c.

15. *Addidisti genti*, &c. יספת לגוי יהוה] Quidam per futurum vertunt, *Augebis genti* tuæ, *Jehovah, augebis*, inquam, *genti* tuæ beneficia: *glorificaberis* in ea posteaquam *ejeceris* illam *in omnes fines terræ:* q. d. Multis ac variis beneficiis afficies eos: disperges quidem illos, sed tamen aderis illis.

16. *Visitaverunt te* פקדוך] *Recordati sunt tui.* Vel per futurum, *memores erunt tui.* ¶ Cùm *correctio tua* מוסרך] Dum *castigatio tua.*

18. *Parturivimus* חלנו] *Doluimus.* ¶ *Tanquam si*, &c. כמו ילדנו רוח] Sed *peperimus tanquam ventum:* ordo inversus; i. non verum fœtum, sed rem similem vento. q. d. Non verè peperimus: nam mulier cùm peperit, soluta est omnibus doloribus: nos autem cùm liberati sumus ex una tribulatione, mox incurrimus in aliam. ¶ *Salutes non sunt factæ* ישועת בל נעשה] Res *salutum non est facta:* i. needum omnino liberati sumus.

19. Cum *cadavere meo resurgent* נבלתי יקומון] i. Cum corpore meo, sive unà mecum: q. d. *Vivent vitâ æternâ electi tui qui propter te & propter gloriam nominis tui morientur: unáque cum illis scio me resurrecturum.* Quidam subaudito ב Similitudinis, vertunt, & quemadmodum *corpus meum resurgent.* ¶ *Ros olerum* טל אורת] i. Quo pullulant ac germinant, aluntúrque herbæ: quantò magis virtus tua excitatura est mortuos ac sepultos in terra? ¶ *Et terra*, &c. וארץ רפאים תפיל] i. Ejiciet à se, ut mulier abortivum. Verti potest, *& terra gigantes projiciet.* Quidam volunt ה esse signum secundæ personæ, vertentes, *Et in terram mortuos dejicies*, sub. *ò Deus:* i. improbos

probos in infernum detrudes. Doctus inter Hebræos sic exponit, *Tu, Deus, vivificabis mortuos tuos; sed impios qui sunt gigantes, cadere facies in terram: quia non vivificabis eos.* Quod rectè intelligendum est, quia non vivificabit eos vitâ gloriæ: nam quantum attinet ad corpus, omnes resurgemus. Chaldæus P. sic totum versum transtulit, *Tu es qui vivificas mortuos, corpora cadaverum illorum tu suscitas: vivent, & laudes canent coram te qui fuerunt projecti in pulverem: quia ros lucis ros tuus, servus Legis tuæ: at impios quibus dedisti robur, & transgressi sunt sermonem tuum, gehennæ trades.*

20. *Vade* לך] *Veni.* ¶ *Post te* בעדך] *Post te:* ingressum scilicet in cubiculum tuum. Quidam vertunt *ante te.* Alii *pro te.* ¶ *Ad momentum* רגע] *Paulatim: ad brevissimum tempus.* ¶ *Ira* זעם] *Indignatio:* i. donec deferbuerit ira tyrannorum.

21. *Et revelabit* וגלתה] *Et discooperiet.* ¶ *Interfectos suos* על הרוגיה] i. Occisos quos continet intra se, quorum scilicet sanguis innocens effusus est in ea à tyrannis.

C A S T A L I O.

3. N*Atura fixa pacem pacem tuebitur*] Justa gens ad permanendum creata.

4. *Ja Jova numinis est sempiterni*] J A idem qui J O V A.

10. *In terra correctionis nequiter agens*] In hac vita, in qua est pœnitentiæ locus.

12. *Qui nobis omnia nostra perficias opera*] Vide Psal. 90.

14. *Mortui non reviviscent, manes non resurgent*] Scil. improbi in priore resurrectione. Vide Apoc. 20.

19. *Tuus ros herbarius ros est, maniumque demoliris terram*] Ut ros herbas, sic tu manes in vitam elicis, dejectâ, & reclusâ terrâ quâ teguntur.

C L A R I U S.

1. U*Rbs fortitudinis*] More suo Propheta post historiam *hymnum & canticum* subdit. *Cantici* autem nomine apud Prophetas Parabolam intelligimus. *Urbs* hæc est Ecclesia Christi, cujus *muri* & *antemurale* est *Salus* & triumphus Christi. *Contra hanc portæ inferi non prævalebunt.* Cives ejus *custodium veritatem & justitiam.* Quorum iniquus *affectus* (quem *veterem errorem* appellasse videtur Interpres evidentiæ gratiâ) sic cum Domino crucifixus est ut regnet *in pace.* Sed proprius videtur sensus illius loci, *Vetus error,* &c. hic esse, *Huic, cujus affectus & cogitatio tibi, Deus, adhæsit, servabis pacem;* vel, *longa in pace illum custodies.*

8. *Et in semita judiciorum tuorum*] h. e. Cùm justo *tuo judicio* super nos calamitates venire permittis, adhuc *speramus in te:* quin & multi *habitatores orbis emendantur* quando vident *judicia tua.* Qui autem adeò obstinatus est, sicut Pharao fuit, ut judiciis tuis non terreatur & corrigatur, *is nunquam videbit gloriam tuam.* Atque hunc *impium* ideo vocat *miserabilem, quem judicia Dei non erudiant.*

10. *Miserabilis impius*] Vel, *gratia non fiet impio.*

11. *Ut non videant*] Scilicet *gloriam tuam.* ¶ *Videant & confundantur zelo populi*] h. e. Ob favorem quo prosequeris populum tuum.

14. *Gigantes non resurgent*] Alius vertit *potentes inferni* h. e. præcipui inter mortuos, qui ad vitam & felicitatem non sunt resurrecturi.

15. *Auxisti gentem*] Videlicet *fidelium.*

16. *Effuderunt precationem*] Fundebant submissâ voce preces, agnoscentes se illis adversis admoneri abs te ut resipiscant.

18. *Peperimus ventum*] *Ventum parimus* quando unâ superatâ tribulatione, mox aliam, quæ non incessat, exspectamus. Et in hoc certamine est nobis luctandum donec post mortem *salus* animæ obtingat. ¶ *Salus non est facta*] Vel *victoriæ non sunt factæ,* dejectis scilicet hostibus.

19. *Vivent mortui tui*] Contrà atque dixerat dudum de impiis, qui scilicet *mortui non vivent.* Ait ergò Propheta Deo, *vivent mortui tui,* nempe fideles, *cum corporibus* vel *cum cadavere meo resurgent.* Quod videtur dictum in persona corporis Christi, h. e. sicut cadaver meum restitutum est vitæ, idque fiet cùm inclamaverit, *Expergiscimini,* &c. Manifestus de Resurrectione locus. ¶ *Ros herbam proferens*] h. e. Mortuos in vitam revocans. Ut enim ros herbam languescentem excitat, sic tu tuâ virtute excitas mortuos.

21. *Revelabit terra sanguinem*] Qui latebat scilicet dum ultio non apparebat.

F O R E R I U S.

1. H*OC Canticum* dicit *decantandum in terra Jehuda.* Est enim fidelium Canticum, & quorum est veritatem, quam agnoverunt & *corde crediderunt, ore ad salutem confiteri.* ¶ *Urbs fortitudinis nostra*] i. Habemus urbem fortissimam, obfirmatam, munitissimam. Hebræi hanc orationem per dandi casum cum verbo, quem supplent, afferunt, *Urbs obfirmationis nobis,* scilicet *est;* Nostra civitas est obfirmata & munitissima. ¶ *Sion*] Etiamsi de Tcione sit sermo, aliquis nomen apposuit, neque in emendatis cod. legitur. ¶ Salvator] de nomine ישועה vide suprà cap. 25. 9. Utroque modo hîc reddi potest, & sensus idem est, *Salus ponet muros,* vel *Salvator.* Vulg. verbum Hebræum accepit pro passivo *ponetur,* quòd *ipsemet Salvator esset murus,* &c. Est autem explicatio *fortitudinis* seu *obfirmationis.* Vis scire quàm *obfirmata* sit *nostra civitas? Ipsa Salus muris & propugnaculis eam cinxit:* vel, *Deus scilicet posuit ipsam Salutem muros & propugnacula.* Nemo autem est qui ipsi Saluti & Incolumitati possit incommodare. Rebus quidem quæ salutem nunc habent crastinâ die salus auferri potest; at Salutem ipsam quis labefactabit? Nec aliud est quod infrà cap. 60. legitur, *Et vocabis Salutem muros tuos, portas tuas, Laudationem.* Ubi Vulg. *Occupabit Salus muros tuos,* &c. ut qui salvus & incolumis esse velit, hoc faciat, ut scilicet ad te confugiat. Quid aliud, quæso, est, *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam?* ¶ *Antemurale*] Linguâ Punicâ *barboca* dicitur, teste Galeoto Marcio in libr. De doctrina promiscua; hinc vulgo *barbacan.* Quantum autem ex voce Hebræa conjicere possum, propugnacula puto significari quæ è muris prominent, certis quibusdam spatiis distincta, ex quibus latera eorum qui muros subruere volunt petuntur. Habet autem appellationem ab *strenuitate,* quæ in labore, & exercitio consistit: fortè quòd ibi constituantur strenui milites.

2. *Aperite*] Hâc Apostrophê aperit Jesaias affectum suum super multitudine novi populi Dei ad Ecclesiam & sanctam Civitatem properantis. Neque dubium quin allusio sit ad Psalmum Davidis, ubi ait, *Aperite portas justitiæ: ingressus in eas confitebor Domino. Hæc porta Domini; justi intrabunt per eam.* Nam & ibi de Ecclesia & sanctorum Civitate est sermo. ¶ *Gens justa*] Sugillatio & tacita reprehensio est eorum qui hactenus ingressi fuerunt: quibus *auferendum erat regnum Dei, & dandum aliis qui facerent fructus ejus.* ¶ *Custodiens veritatem*] Numero multitudinis hîc est, אמנים. Carere autem Judæos אמן dixerat multò antè Moses, dicens, *Natio perversissima est, filii in quibus non est* אמן *fides.* Quam phrasim imitatus Paulus vocat *filios diffidentiæ, incredulitatis, inobedientiæ.* His opponit *gentem justam, servantem fidelitates,* i. fidelissimam, & fidei atque obedientiæ tenacissimam: quæ sunt epitheta novi populi, quem Apostolus vocat *gentem sanctam,* &c.

3. *Vetus error abiit*] Neminem reperi qui hujus versionis mihi rationem redderet, cùm tamen omnes multò aliter vertant; sed nemo, meâ sententiâ, sensum Hebræorum verborum fidelitèr reddidit: quod manifestum reddere non adeò difficile fuerit. Quis enim ex Hebræis dubitet יצר *cogitationem* seu *figmentum humani cordis; formationem* seu *fictionem quæ animo cogitantis fit,* significare? Exempla passim sunt, & infinita in Lexicis invenies. Gen. 8. Vulg. etiam *cogitationem* reddidit, quæ *prona esset ad malum,* &c. At סמוך quis negabit esse participium significationis passivæ à verbo סמך, quod *sustentare* seu *confirmare* interdum significat? Ergò יצר סמוך est *cogitatio firma, suffulta, stabilis:* qualia sunt ea quæ sustentantur desuper, nè decidant aut convellantur & fluctuent. Sic de corde dicitur hoc ipsum participium Psal. 112. *Sustentatum cor ejus.* Vulg. *Confirmatum est cor ejus, non commovebitur,* &c. Et Psal. 111. de *mandatis Dei,* quòd sunt *confirmata* (seu *sustentata*) *in omnia secula.* Ergò hoc in loco si suppleas substantivum verbum, quod sæpissime omittunt Hebræi, hic sensus est, *Firma, certa, stabilis est in nobis hæc cogitatio; Hoc certò statuimus, firmiter credimus; quòd tu, Domine, conserves pacem, quia in te speravimus. Non ultra fluctuabimus, neque erit animus noster in dubio; non errabit, ut hactenus fecit. Abiit hic error noster: Firmi in hac cogitatione sumus,* &c. Jam, credo, vides quid velit doctus Interpres. Quis, quæso, reprehendat Interpretem qui hanc orationem, *Certus sum,* reddat hâc, *Non dubito,* aut contra? Hic certè locus sufficere deberet nasutis quibusdam censoribus, qui non nisi sua probant ad elevandam aliorum auctoritatem, ut deinceps non tam faciles essent in damnando Vet. Interprete, præsertim cùm ipsi suis sæpenumero versionibus pro sensu Spiritûs S. sua afferant somnia & Christianis lectoribus imponant, dicentes se Hebraicam veritatem reddere, cùm tamen toto cœlo à veritate devient. Cæterùm ego mallem hic formam orationis nonnihil mutare, *Sit hæc firma cogitatio,* vel *Vetus error abeat. Nemo posthac in dubio sit, sed hoc firmiter apud se statuat, quòd tu, Domine, pacem conser-*

conserves, incolumitatem, felicitatem & omnium rerum abundantiam dones, (id enim nomen שלום comprehendit) *quando in te speratum est,* &c. ¶ *Speravimus*] Participium est significationis passivæ בטוח *speratum, confisum,* &c. & כי pro *quando* non raro accipitur.

4. *Sperastis*] Eisdem literis, licèt diversis punctis, constat tertia pluralis præteriti & secunda pluralis imperativi, *sperarunt, sperate.* Vulg. formâ præteriti accepit, & personam mutavit: at in imperativo facilis est sensus; nam & præcedentia ita videntur exigere. ¶ *In seculis æternis*] עדי עד *ultrà & ultrà, assidue magis, assiduè assiduè:* quod non solùm ad Tempus referri potest sed etiam ad ipsam Actionem. ¶ *In Domino Deo forti*] Est hîc nomen JAH & nomen JEHOVA & nomen צור, i. *Petra,* quod interdum est nomen Dei. Et Hebræa habere sensum possunt quem Vulg. expressit. Sed cùm videam Hieronymum in Commentariis secutum sui temporis Hebræos, qui nomen JEHOVA יהוה ineffabile dicebant, adeò ut dicat significare Deum prout est ineffabilis, & hujus rei nulla sit probatio præter Rabinorum superstitionem, & nomen esse à verbo היה, ità ut, explicante ipso Domino in Exodo, significet EUM QUI EST, cujus Esse est ejus essentia, per quem cætera habent illud esse quod habent, JAH etiam esse ejusdem nominis quandam abbreviationem, non possum non subolfacere mysterium, ut putem JAH JEHOVA esse ac si diceres *Deum de Deo,* aut *Filium Dei.* Ità habet suprà cap. 12. ver. 2. *Fortitudo mea & canticum meum est Jah Jehova,* i. Filius Dei. Et Psal. 68. dicitur quòd *in JAH* sit *nomen Dei.* Quare hoc loco ità libenter interpretor, *Confidite in Deo assidue magis, quia in Filio Dei est petra seculorum,* firmitas, tranquillitas, securitas: quia *beneplacitum fuit Deo in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, quæ in cælis, & quæ in terra sunt,* ut inquit Paulus Ephes. 1. & Col. 1. quod *in ipso condita sunt universa, in cælis & in terra, visibilia & invisibilia, sive throni, sive dominationes,* &c. *Et ipse est ante omnia, & omnia in ipso constant. Et ipse est Caput corporis Ecclesiæ.* In Filio ergò Dei est *petra* & *firmitudo omnium seculorum,* tum quantum ad creationem, tum etiam quantum ad restaurationem, ut solùm illi possint consistere, tam ex prioris seculi hominibus quàm nostri, quàm futuri, qui isti Petræ innixi fuerint. Cùm ergò Deus habeat hujusmodi Filium, quem daturus est mundo, inquit Jesaias, *Sperate in Deo assiduè, assiduè; magis ac magis; ultrà & ultrà.*

5. *Quia incurvavit*] Inter cætera quæ commemorat Dei opera, ob quæ sit Deo confidendum, est *vastatio civitatis* impiorum. Intellige hîc victoriam Christi non solùm per Euangelium, quo altitudinem superborum depressit, &c. sed etiam vindictam de hostibus & perfidis Judæis sumptam. Hujus autem versûs intelligentia ex superiori capite petenda est, ubi voces quoque singulæ explicantur. Primum verbum est in præterito, posteriora in futuro: ut videas parùm solicitos esse oportere Interpretes de temporibus.

6. *Conculcabit eam pes,* &c.] Hic versus cum superiori conjungendus est, & ad *dejectionem* illius *civitatis* infidelium facit, & de *pauperibus* Euangelicis intelligitur, qui universam mundi gloriam & superbiam *calcarunt,* non solùm quia eam nihili fecerunt, sed etiam quòd à superbis civitatibus se tantùm non veluti Deos quosdam adorari fecerunt, quos initio sicut mundi rejectamenta (ut qui *pauperes* essent, & quibus omnia deessent) habebant. Quòd si de terrena illa Jerusalem hæc velis intelligere, sicut cætera commodè possunt, quam Deus vastavit & cujus fastum *humiliavit,* hæc significant non fore rursus habitandam neque iterum palatia habituram aut domos superbas, sed habitationem fore pauperculorum hominum & ignobilium, ut certè factum res ipsa comprobat. Tunc sanè illud verbum רמס *conculcare* non erit contemptùs, sed, ut in Scripturis sæpe accipitur, omnium animalium quæ pedibus ambulant & terram pedibus quatiunt, ut suprà cap. 1. de illis qui frequentabant & pedibus pavimenta Templi terebant. Atque hanc arbitror germanam expositionem.

7. *Semita justi,* &c.] Exemplum adduxerat vers. 5, & 6. quo comprobabat Deo esse confidendum. Nam etiamsi differre videatur impiorum vindictam, suo tamen tempore *novit & suos eripere, & iis qui eos vexant vicem reddere,* atque ità erga Judæos se gessisse. Jam nunc opus hoc Dei & cætera omnia commendat argumento à minori ad majus, in hunc modum; *Semita, quam quivis justus ambulat, rectissima est; nulli injuriæ est: Æquitatem redolent mores justi: nihil in ejus vitæ ratione tortuosum reperitur, aut præter jus & æquum factum: Denique ipsa æquitates sunt viro justo via. Atque hanc ipsam rectitudinem tu, Domine, illi præstas: semitam ejus tu regulas; tu lineas ducis, & signa in itinere figis, nè deviare possit. Quid igitur sentiendum fuerit de via tua, de judiciis tuis? quanto, putas, rectior erit, & majoris æquitatis plena? Quantum enim distat cælum à terra, tantum distant viæ ipsius à viis hominum,* &c. Certò scio quòd viri docti hanc elucidationem probabunt. ¶ *Recta est*] מישרים *æquitates, rectitudines,* i. rectissima. ¶ *Callis*] מעגל sign. *viam tritam plaustris, & quæ orbitas habet.* Prov. 4. hoc nomen cum hoc ipso verbo habetur, *Regula actum pedis tui; fac ut iter tuum rectum sit.* Transfertur ergò ad vitæ rationem, quam rectissimam esse oportet si Deo placere nobis in animo est; juxta prædicationem Joannis Baptistæ, *Rectas facite vias ejus,* &c. ut infrà dicetur. ¶ *Ad ambulandum*] In Hebræo est secunda persona futuri תפלס *regulabis,* i. regulare soles. Ponitur autem Hebræo more hîc antecedens pro relativo: *rectum actum justi tu regulabis,* pro *via justi recta est, quam tu regulare soles:* cujus rectitudo universa à te uno est.

8. *Et*] Hebr. אף. Hujusmodi particulas difficile est alienâ linguâ reddere. Hæc sanè Impetum animi notat, & juxta exigentiam loci sic quoque reddenda est. Quidam hanc vocant Augmentativam, *etiam, quoque, insuper,* &c. Vulg. variè quoque reddere solet. Infra ver. 9. reddit *sed &*; hîc per conjunctionem *&*. Certè in sententiis in quibus fit rerum collatio, si affirmativa fuerit, valet *quanto magis,* vel *multo magis;* si negativa, *multò minus;* ut Job. 4. *Quantò magis qui habitant domos luteas?* & ità ibi vertit Vulg. & Ezech. 15. Quare nemo mihi vitio vertat quòd sic verterim, præsertim cùm sententia sit aptissima, & illud *in* non sit in Hebræo, sed ab Interpretibus addatur ut sequentibus conjungant. Unde mox infert, *Domine, sustinuimus te.* Digna est autem hæc vox Apostolis & primis illis Christianis, quos persequebantur infideles Judæi ante Urbis vastationem: Est & omnium piorum quando adversis premuntur, ad quorum solatium editum videtur Canticum istud. ¶ *Nomen tuum*] Heb. לשמך *ad nomen tuum.* Sic quod sequitur, *ad memoriale, memoriam, commemorationem* seu *recordationem. Audite,* inquit, *tuo nomine,* vel *ad levem tui commemorationem* seu *recordationem, ardens desiderium tui mox in animis nostris excitari solet.*

9. *Sed & spiritu meo*] In recto potest non malè verti, *imò spiritus meus in præcordiis meis,* i. quamdiu *spiritus hos reget artus,* quoad vivam, *te ante lucem conveniam, te quæram summo mane.* ¶ *Mane vigilabo*] Una dictio, unúmque verbum est Hebræis secundæ conjugationis שחר, *summo mane aliquid facere.* Si verbum fingeremus, diceremus activè *aurorare.* Prov. 7. *Auroravi faciem tuam: summo mane te conveni.* Job. 8. *Aurorare Deum:* ut interdum omnino videatur idem esse quod nobis Lusitanis *matinar,* i. facere nè quis de nocte dormiat: & interdum idem est quod *manicare; summo mane surgere.* Job. 24. *Manicantes ad rapinam.* Potest ergò hic subesse sensus, *sed & spiritu meo intra me te excito, te solicito: non committo ut sinam te dormire. Perpetuò ad te clamat spiritus meus intra me,* &c. *Noctis* meminit, quòd id tempus orationi aptissimum sit. Sed & antelucanum tempus cæteris præstare judicatur. ¶ *Cùm feceris,* &c.] Sensum reddidit: ego verba verbis, *secundùm quod judicia tua,* i. juxta normam judiciorum tuorum quæ in homines exerces; *illi quoque justitiam addiscunt;* ut talia videlicet judicia exerceant qualia te exercere vident: vel quòd tunc justitiæ student mortales, & eam colunt, cùm te animadvertunt in injustos in severum. Hujusmodi affectus videbis passim in Davide, *Memor fui nocte nominis tui, Domine, & custodivi legem tuam. Memor fui judiciorum tuorum antiquorum, & consolationem accepi. Defectio tenuit me pro peccatoribus,* &c. Huc denique facit totus ille Octonarius; sempérque David peccatorum perditionem celebrare reperitur: nam id maximum momentum habet ad justitiam adipiscendam: *Neque Dominus relinquere virgam impiorum super sortem justorum diutiùs solet, nè extendant justi ad iniquitatem manus suas:* unde sequitur,

10. *Misereamur*] In Hebræo est tertia persona futuri, *Assequetur* (vel *assequatur*) *improbus misericordiam,* seu *gratiam.* Finge, inquit, improbum non puniri, quinimo bene habere & beneficiis affici, actum est: scio nunquam ad sanam mentem rediturum. Hanc certitudinem præterito expressit, *nequaquam didicit justitiam,* non est quòd ab eo speres unquam justitiam. Hîc mecum considera quàm Dei pietati conveniat improbos punire, cùm ad salutem tum ipsorum tum aliorum hoc unum sit salubre remedium. ¶ *In terra sanctorum*] Crediderim sic Judæam vocari. In Hebræo est *rectitudinum;* sed pro concreto accipi potest. Judæi enim *filii sanctorum* dicebantur: & in Judæa tantùm erat vera Dei cognitio, jura & leges Divinæ, erat ergò *terra rectitudinum.* Dicit itaque Propheta, Etiamsi parceres Judæis, nihilo tamen meliores redderentur: quinimo

cùm

eùm *in terra sancta*, quam à sanctis Patribus, veluti sanctificatam, in hæreditatem acceperunt, *injustè agant*, jus est *nè videant magnificentiam* (seu *majestatem*) *Dei*. ¶ *Et non*] i. Nè ergò, *videant*. Estque sermo de gloria quam Dominus sibi per prædicationem Euangelii peperit. *Quantò* igitur, ô Lector, *majora merebitur supplicia qui Filium Dei conculcaverit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit?*

11. *Exalietur manus tua*] Est in præterito, *exaltata* (vel *elevata*) *est manus tua*; i. Propè est ut elevetur aut magnificetur & gloriosus sit Filius tuus: vel, Propè est ut intelligant gentes quantum possis, quanta sit tua virtus atque potestas. Domine, *nè* hoc, quæso, *videant* infideles Judæi: indigni enim sunt qui ejus gloriam videant quem ut impium ignominiâ affecerunt. Possumus & יחזו ut participium accipere, mutato accentu; eritque sensus planus, ut totus locus sic transferatur, *In terra rectitudinum injustè agent: nè ergò videant majestatem Jehovæ: Jehova, elevatam manum tuam nè videant*, &c. ¶ *Videant*] Correctio est iracundiæ & zeli plena. *Quid peto? nè videant? imò, imò videant.* Futura sunt, sed pro optativis: & multò vehementior est oratio quàm si futuris redderes. ¶ *Zelantes populi*] Ad verb. *pudefiant zelus populi*: ubi *zelus* collectivè pro *zelantibus* ponitur: ut doctissimè Vulg. *zelantes* verterit. *Zelantem* autem *populum* seu *zelotypum* vocat Judæorum genus, qui cùm tantùm sibi Deum vellent, iniquo animo ferebant Gentes fieri Dei & beneficiorum ejus participes; adeò ut ingredi nollent in domum paternam in qua structum videbant convivium fratri prodigo, qui perierat, & à benignissimo Patre amanter suscipiebatur. Dixit autem in abstracto *zelum populi*, quòd nulla gens magis hoc vitiò laboravit. Vel Hebraismo non inusitato *zelum populi* dixit pro *populo zeli*. Non dolebant autem tantum de conversione Gentium quantum de exaltatione & gloria Domini JESU, quam in dies propagari videbant. *Pudefiant* ergò homines isti, & præ invidia dirumpantur eorum viscera. ¶ *Et ignis*] Hic rursus est dictio illa augmentativa de qua ver. 8. אף, *insuper &*, *sed &*, *quinimo*, *ignis hostes tuos absumat.* Nam juxta Euangelium *civitatem eorum succendit*, postquam *nuptiæ impletæ sunt discumbentium.* Dominus enim JESUS, confirmato Regno, inimicos suos ad occisionem requisivit. ¶ *Devoret*] Videtur in Hebræo esse secunda persona futuri תאכלם: quare sic quidam religiosè nimis vertere voluerunt, *etiam igni hostium tuorum devorabis eos.* Quorum interpretationem etsi non damno (nam *ignis hostium* dici potest crudele incendium & inexstinguibile) puto tamen esse tertiam personam femininam: nam nomen *ignis* Hebræis utriusque generis est, imò frequentiùs in feminino reperitur.

12. *Dabis*] Vel *da.* שפת est *ponere* seu *collocare quidpiam inter certos limites.* *Collocare* autem sic *pacem* est firmare pacem, & firmatam conservare. Nomine verò *pacis* reliqua ad felicitatem pertinentia intellige. Est autem vox piorum, qui perditis hostibus Dei atque suis, certò sperant & postulant quòd respirare paululùm possint & tranquillam vitam agere. Idque eò confidentiùs precantur & firmiùs sperant quò se magis Divinis beneficiis cumulatos vident. Per manus autem Apostolorum faciebat Deus signa inaudita, quibus gloriam sibi, quâ cruciabantur adversarii, parabat. Quid superest, inquiunt, nisi ut deletis hostibus nobis pacem reddas? Imò verò qui ingentia illa & admiranda opera patrarat, qui gratis redemerat, qui indignos ad Regnum Filii sui vocaverat, dato proprio Filio suo, quidni & cætera donabit? Adde quòd neque est novum neque inauditum, aut eum qui magna accepit, plura postulare, (nam ingenui animi est, cui multum debeas, ei plurimum velle debere) aut qui magna dedit, plura in dies majora præstare: eos enim magis in dies diligimus, & nostra eos beneficia ex alienis nostros faciunt.

13. *Possederunt nos*] Verbum בעל est generali significatione *magno animi ardore super re aliqua ferri, ut eâ potiare*, adeò ut interdum verbo *ambiendi* seu *adamandi* reddere oporteat, ut Mal. 2. *Adamavit filiam dei nothi*: & infrà cap. 62. quem modum significandi hîc libenter amplecterer nisi de tyrannis videretur esse sermo: quasi dicant pii & fideles servi, *Plures alios dominos ambiisse suum amorem*, (nam variæ fuerunt sectæ & religiones, quarum sectatores in suam opinionem cæteros adducere conabantur) *se autem tantùm veri Dei præconia semper cecinisse*: qui sensus non est contemnendus. Vulg. tamen sequor, ut dicant fideles servi Domino Deo, *Alios dominos præter ipsum se expertos fuisse; sed nullius illorum nisi tantùm Dei sui laudes se annunciaturos.* Jam enim suprà dixi de verbo זכר, quòd in tertia sit *annunciare*, *prædicare*, &c. *Te*, inquiunt, *tantùm nomenque tuum prædicabimus.* Commendant igitur hoc loco suam fidem, quòd non sint ingenio servorum qui præteritos dominos semper laudant, præsentes incusant: vel quòd sub aliorum dominorum jugo agentes, nunquam ab ipsorum memoria Deus verus exciderit: ut illud futurum *commemorabimus* positum sit pro *commemorare consuevimus*, ut sæpe solent Hebræi futura usurpare; sitque simile illi, *Hæc omnia venerunt super nos: neque obliti sumus te*, &c. Interim quoque memineris quantùm Judæi discipulos Domini persecuti sint.

14. *Morientes*] Seu *mortui.* Tyranni isti qui nos subjugarunt, qui servos tuos morti tradebant, *nequaquam* iterum *vivent*: nam resurrectio eorum non erit ad veram vitam atque felicem. Unde *perpetuò mori* dicuntur, & *mors depascet eos.* ¶ *Gigantes*] Nomine à *sanitate* derivato appellabantur olim Gigantes propter sanitatem & rectam corporis habitudinem quâ pollebant. Sic vocare videtur quoslibet Tyrannos. ¶ *Propterea*] לכן *idcirco enim*, vel *ad hoc enim*, *eos abolevisti*, *nè rursus consurgerent*, &c. Hîc quoque verba hæc consuetudinem notare videntur, non rem aliquam gestam: *idcirco eos*, inquit, *requirere soles*, *& eorum memoriam exstinguere.*

15. *Indulsisti genti*] Verbum יסף tam in prima quàm in tertia interdum in malum accipitur, ut Ps. 120. *Quid addet tibi, lingua dolosa?* & passim in imprecationibus, *Sic addat Deus*, &c. Est ergò *inferre malum.* Accipitur autem in hoc modo significandi constructum cum dativo & ל: at cum על, in bonum; ut Psal. 115. *Addet Jehova super vos & super filios vestros*, i. cumulet vos bonis. Hîc autem est cum ל, Vulgatus tamen in bonum accepit. ¶ *Numquid glorificatus es?*] In Hebræo nunc nulla legitur nota Interrogationis, sed tantùm verbum *glorificatus es*; quasi insinuet Deum ingentem sibi gloriam ex perditione impiorum peperisse; quemadmodum de se dicit quòd *glorificaretur in Pharaone & in omni exercitu ejus.* Vulg. intelligit, *beneficia Judæis præstita non cessisse in gloriam Dei, ac propterea eos amovisse longissimè.* ¶ *Elongasti*] Vel *longè amovisti.* Ego nomen גוי, i. *gentem*, repetendum puto, & illud *omnes fines terræ* ut adverbium accipiendum, *longissimè*, *ultra omnes fines terræ.* Vir tamen quidam doctus *terminos terræ longè amotos*, i. propagatos, intelligit; quòd hæc fuerit Dei gloria, non intrà Judæam tantùm coli, ut iidem essent fines & Orbis & Imperii. Quam interpretationem, nisi duriuscula videretur, libenter amplecterer. Quòd sic hanc additionem in bonam partem velis accipere in hunc modum, non ineptè poteris, ut sit idem quod in Euangelio habetur de homine qui *distribuit bona sua servis suis, & abiit in regionem longinquam accipere Regnum, & reverti.* Illud enim, *addidisti*, *addidisti*, distributionem videtur notare bonorum; illud etiam *glorificatus es* ad gloriam Resurrectionis referri potest; *elongasti* verò, vel *procul factus es*, *ultra fines terræ* ad Ascensionem & Regnum Patris accommodamus: ità ut eo Euangelii loco videatur ad hunc facta allusio. Parabola enim tota statum Ecclesiæ notat inter Ascensionem & Adventum ad judicium. Atque in hunc modum quæ sequuntur aptissimè connectuntur.

16. *Domine, in angustia*] Hoc est omnium piorum proprium ut in afflictione ad Deum currant. Nec dubito quin discipuli Domini, ablato Sponso, in afflictionibus, quas singulis penè momentis patiebantur, frequentissimè orationes funderent; ut ex Actis Apostolorum & Pauli Epistolis manifestum est. ¶ *In tribulatione*] Vulg. צקון ut nomen accepit: repetito autem ב ex nomine צר dixit *in tribulatione* cum Chald. ut sit sensus, *Cùm premuntur, & queritantur, doctrinæ tuæ auscultant, & ejus rationem habent, & tribulationibus erudiuntur.* Nam מוסר est *disciplina*, & quod Græcis παιδεία, & tam activè quàm passivè sumitur: competit enim tam ei qui corripitur, arceturque à peccatis per doctrinam, minas, castigationem, &c. quàm ei qui corripit, docet, castigat, &c. Non est ergò abjicienda Vulgati versio. At לחש *incantationes*, & *obmurmurationes*, seu *compositas arte orationes* notat, i. *effundunt querulationes* seu *orationes aptè concinnatas*, *quando* videlicet *disciplina tua & castigatio tua ad eos accedit.* Quamvis autem verba sint in præterito, Consuetudinem notant interdum, ut futura.

17. *Sicut quæ conceperit*] Hic versus & sequens continent illas *querimonias* atque *obmurmurationes* quas solent pii homines fundere. ¶ *Cum appropinquaverit*] Vulg. doctè vitavit Hebraismum, qui tria futura conjungit, quæ ego per præsens verti: is enim usus est futurorum. ¶ *In doloribus suis*] Vox propriè *funes* sign. transfertur autem ad *vehementissimos dolores*, quibus non minùs constringimur quàm funibus, & ex quibus nosmetipsos explicare non possumus. Vide suprà c. 13. Nos eàdem Metaphorâ utimur; *dolores illam constringunt.*

¶ *A facie tua*] Hebraiſmus eſt, i. propter te; & ſequentibus poteſt conjungi. Hæc eſt illamet querimonia quam adducit ex Davide Paulus Rom. 8. & in ſe & diſcipulis adimpletam ſignificat, *Propter te mortificamur totâ die; æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis. Exſurge; quare obdormis;* &c.

18. *Concepimus, parturivimus*, &c.] Gravidis & parturientibus atque parientibus meritò comparari poſſumus: partus tamen noſtri ſpirituales ſunt. Laboramus non minùs quàm gravidæ, gemimus & dolemus non minùs quàm parturientes, ſimili curâ angimur quaſi matres erga infantulos ſuos: at *ſalutes non fecimus in terra*; nihil enim dignum tuâ miſericordiâ egimus: propterea adhuc perſiſtunt in ſua infidelitate *habitatores orbis.* Hæc eſt lectio Vulg. Interpretis, & hunc ſenſum elicit Hieronymus ex Hebræo in Commentariis. Supplenda eſt ergò præpoſititio על *ſuper*, vel ב *in*, *ſalutes non fecimus ſuper terram:* nam in Hebræo nihil eſt ejuſmodi. Quam interpretationem tantum abeſt ut abjiciam ut eam dictis Apoſtolorum facilè confirmari poſſe putem. Adduco tamen alteram quæ nihil ſupplet, ſed verbum verbo reddit, quam nemo eorum qui veritatem Hebraicam ſe vertere affirmant reprehendere meritò poterit: Hebræo enim reſpondet, & præcedentibus cohæret. Et quidem vocem רוח non pro *vento*, ut multi à Rabinis edocti, hoc in loco accipio, ſed cum nomine ſequenti conjungo ישועת, *ſpiritum ſalutum. Quamvis*, inquiunt, *ſimiles ſimus gravidis, parturientibus & parientibus, propter dolores, curas & ſolicitudines quibus angimur, patienter ferimus: maledicimur, & benedicimus; blaſphemamur, & obſecramus; nulli malum pro malo reddimus: imò ſpiritum ſalutum ſaluberrimum & gratiſſimum ſpiramus. Chriſti enim bonus odor ſumus.* Poſtea verbum עשה (cujus ampliſſima eſt ſignificatio ſeu, ut veriùs dicam, acceptio, & varius uſus) pro *conficere* ſeu *comprimere*, non pro *facere*, abſolutè accipio. Soph. 3. *Ecce ego conficio omnes affligentes te*, &c. & Ezech. 23. *Ibi compreſſerunt* (vel *confecerunt*) *ubera virginitatis earum.* Vulg. *fracta ſunt mammæ*, &c. & Soph. 3. verbo *interficiendi* reddidit. Inquiunt ergò pii, *Non compreſſimus, non confecimus, non confregimus terram. Neminem læſimus, neminem corrupimus, neminem circumvenimus. Ne quem veſtrûm gravemus, pro his quibus indigemus manibus noſtris laboramus. Lucrari omnes volumus & ad ſalutem perducere; homines quærimus, non eorum bona. Flemus cum flentibus, gaudemus cum gaudentibus. Denique imperium non exercemus in homines, neque terram nobis ſubigimus.* Tandem illam vocem ובל non pro *ideo* aut *Propterea* ſed (ut manifeſtè ſonat) pro *& non* ſeu *neque* accipio: *Neque*, inquiunt, *ceciderunt habitatores orbis: non de ſua poſſeſſione ejecti ſunt: neque eos delevimus aut interfecimus:* vel potiùs ובל accipiendum pro *Non tamen*, ut ſit ſenſus, *Illi nos premunt, nos perſequuntur immerentes: nos contrà ſpiritum ſalutis ſpiramus, illis non nocemus, neque bona eorum diripimus. Tu tamen, Domine, hac cùm ſcias, ſinis eos vivere & regnare; non cadunt habitatores orbis.* Quæ querimoniæ etſi omnibus qui piè vivunt conveniunt, maximè Diſcipulis Domini, poſtquam in cœlum conſcendit, ante Jeroſolymorum everſionem. Unde verſu ſeq. eos conſolatur Dominus.

19. *Vivent mortui tui*] Illi quos nunc Tyranni interficiunt, veluti oves aut arietes, rurſum *vivent ac reſurgent* ad veram vitam; non ſicut ipſi Tyranni, de quibus ſuprà v. 14. ¶ *Interfecti mei*] *Tui* ſunt, ac *mei.* Eſtque veluti correctio, Quid *tuos* dico? *mei, mei*, inquam, ſunt. Meorum ego rationem habebo. Nolite ergo triſtari; *neque timeatis eos qui tantùm occidunt corpus.* Ego quoque Deus mortuorum ſum: apud me vivunt, iterùmque vivent. Notandum tamen videtur, eſſe hic nomen ſingulare נבלה, quod non dubium quin *corpus exſangue & animâ vacuum* ſignificet, *ac vitæ muniis carens.* Et collectivè videtur capi, ſicut Pſal. 79. *Dederunt cadaver ſervorum tuorum volatili in eſcam.* Manifeſtum eſt autem quòd de corporibus interfectorum erat ſermo. Quare hic non malè Vulg. *interfectos* vertit. Vir tamen quidam doctus myſterium hoc loco olfecit, quòd corpora fidelium collectivè *corpus ſuum* vocavit, quòd omnes ſint corpus Chriſti, & tanquam membra cum capite Chriſto ſint reſurrecturi; ideóque nomini ſingulari addidiſſe verbum plurale, *corpus meum reſurgent.* ¶ *Qui habitatis in pulvere*] Ità defunctorum corpora vocat, in pulverem & cineres jam redacta. ¶ *Ros lucis*] אור *lux eſt.* Hîc legitur אורת numero multitudinis, formâ femininâ; quod tam Rabini quàm noſtri *olera* interpretantur. Cujus non habent aliud ſignum quàm verba 2 Reg. 4. *Egreſſus eſt unus in agrum ut colligeret* אורת, pro quo Chald. dixit ירקין, i. *viridia.* A *gratia* ergò ſic dictas Herbas exiſtimo. Et quæ viridia ſunt, Metaphoricè hoc nomine appellantur: ſunt enim jucunda & grata oculis. At אור nomen eſt *refocillationis, gratiæ, lætitiæ, vitæ*, adeóque omnis boni; neque *lucem* tantùm hanc quam videmus deſignat. Quare licèt hoc loco vertere poſſemus *ros olerum*, vel *viridium*, &c. i. qui olera recreat & herbis gratiſſimus eſt, malui tamen pro *luce* cum Vulg. accipere, & *rorem matutinum* dicere, ut ſignificationem & numerum aliquo pacto exprimerem: quæ verſio eundem ſenſum habere poteſt quem altera. *Ros*, inquit, *qui ſuper te decide- rit, & quo irrorabitur pulvis tuus, erit ſicut ros matutinus; quo videlicet excitantur olera, herbæ & viridia omnia, atque reviviſcunt.* Quid ſi ſit alluſio ad locum Pſalmi juxta Hebræum, *Ex utero auroræ tibi ros juventus tua?* quo in loco Propheta agit de exercitu & electa juventute per Chriſtum ad deſtruendum imperium Satanæ & propagandum Euangelium per totum orbem: Quam juventutem comparat *rori matutino* tum ob gratiam & virtutem, tum etiam ob copiam, & deſcenſum ſine ſtrepitu. Certè ſi hic locus non de jam mortuis & cadaveribus intelligatur, ſed de iis qui tanquam mortui reputantur, & *cum deſcendentibus in lacum* & *in pulvere habitantibus connumerantur*, ob continuas afflictiones, & mortem, quam præ oculis ſemper habere videntur (cujuſmodi erant Diſcipuli Domini) non fuerit hæc nimis violenta interpretatio: *Tua juventus, ô mi popule, erit veluti ros matutinus, qua terram gigantum detrahat in ruinam, patriam gigantum vaſtet, violentorum tyrannidem deleat.* Adde quòd Judæa (quam ſuperiori verſu dicebant adhuc ſtare, *neque ejus habitatores corruiſſe*) ideo vaſtata eſt quia Judæi prædicationem Apoſtolorum recipere noluerunt.

20. *Intra in cubicula*] חדר *penetrale*, ſeu *conclave internum & ſecretum* eſt. ¶ *Super te*] Vel *per te. Tuis ipſe manibus, ubi ingreſſus fueris, converſus ad oſtium, claude januas:* quod eſt eorum qui ſeſe domum recipiunt, & nolunt à quoquam interpellari, ſed quieſcere, aut quidquam ſecretò facere, aut aliorum actibus ſe non immiſcere. Neque aliud hîc commendat Deus ſuis niſi ut quieti ſint, neque deſperatione aut diffidentiâ deſpondeant animum, utque in ſilentio Deum toto cordis affectu deprecentur (eiſdem enim propè verbis in Euangelio Dominus orare docens ſuos erudiebat) atque ut actionibus ac negotiis aliorum abſtinerent, neque ſoliciti eſſent de quarumvis rerum viſibilium facie aut viciſſitudine aut tranſmutatione, ſed de Deo, cujus providentiâ omnia diſpenſantur. ¶ *Modicum ad momentum*] Ego verba expreſſi, eodem tamen ſenſu, *circiter modicum momentum.* Latine *tantiſperdum*, &c. Significat interdum dura pati probos propter improborum viciniam. Imò verò cùm hæc iis qui ab aliis vexabantur dicta ſint, manifeſtè vel ex hoc loco apparet, ex Domini *indignatione* interdum proficiſci ut improbi probos affligant, ex *indignatione*, inquam, quâ ad vindictam improborum commovetur. Non eſt autem leve ultionis genus, adeò depravari rationalem creaturam ut innocuis injuriam faciant: Sed bene eſt quòd audivimus licere probis vel in mediis afflictionibus perinde tutis & quietis eſſe atque iis qui *intra penetralia, clauſo oſtio*, in utramque aurem dormiunt. Ubi quoque vides quamcunque calamitatem patiatur vir pius, vel ab aliis, vel quia inter improbos degit, quos Deus fame, peſte aut bellis divexat, non fore diuturnam, ſed *ad modicum momentum* tantùm durare. Nam ſi filium pater à ſervo verberari præcepit, qui fieri poteſt ut diu diſſimulet? abibitne in forum, aut aliud quidpiam negotii faciet, oblitus tamdiu ſe filium verberari juſſiſſe quoad ipſe aliud ſignificaret? Minimè gentium. *Ingrediamur* igitur *penetralia*, & conſilium Domini ſequamur, & *momentum* breviſſimumque tempus omne afflictionis eſſe putabimus. Huc fortè reſpexit Apoſtolus cùm *leve* & *momentaneum tribulationis* dixit. In foro autem commorantibus, tepidis, & orare ad Deum neſcientibus, nihil mirum ſi longum afflictionis ac tempeſtatis tempus appareat.

21. *Egredietur*] Mos eſt Scripturæ affingere Deo actus humanos. *Egredietur*, inquit, *ut viſitet, requirat* ſeu *recenſeat & rationem ducat iniquitatum infidelium Judæorum*, & aliorum qui ſervos ſuos malè tractabant atque accipiebant. ¶ *Sanguinem*] Vel *ſanguines*, i. homicidia. Quare mox idem repetens *interfectos* dixit. Idem autem eſt *operire ſuper interfectos* & *operire interfectos*, utroque enim modo loquuntur Hebræi. Pſal. 85. *Operuiſti omne erratum eorum*, & Prov. 10. *Super omnes tranſgreſſiones operiet charitas*, i. operimentum extendet: quam ſententiam ſic reddidit Petrus Apoſtolus 1 Epiſt. c. 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Eſt autem *operire interfectiones*, connivere, diſſimulare, non punire. Significat vero his verbis, tunc manifeſtum fore quantam cædem fecerint improbi, quot quantiſque injuriis ſervos Dei affecerint. Neque erit ullus prætextus aut excuſatio: nam & muta

ele-

elementa adversùs impios testabuntur. Intellige autem hæc de vastatione Judææ, quæ fuit typus quidam postremæ illius totius Orbis.

D R U S I U S.

1. יוּשַׁר הַשִּׁיר־הַזֶּה בְּאֶרֶץ יְהוּדָה עִיר עָז־לָנוּ. Sym. ἐρῶσιν οἱ ᾄδοντες τὸ ᾆσμα * Πόλιν ἰσχυρὰν ἔχομεν, *dicent cantantes canticum * Civitatem fortem habemus.* Aq. Πόλις κράτους ἡμῖν, *Civitas valida nobis*] Eusebius Emisenus in Symbolis Patrum. ¶ יְשׁוּעָה. Aq. σωτήριον *salutare*, vel *salus*] Eusebius idem, κατὰ τὸν Ἀκύλαν, πόλις κράτους ἡμῖν σωτήριον· ἡ δὲ Ἑβραϊκὴ λέξις ἀντὶ τοῦ Σωτήριον τὸ ὄνομα Ἰησοῦ λευκῶς οὕτω περιέχει· αὐτοῖς γράμμασιν ὁ Σωτὴρ ἡμῶν Ἑβραϊκῶς γράφεται, *Textus Ebraicus pro* Salutari *nomen* JESU *clare sic comprehendit: iisdem enim literis nomen Servatoris nostri Ebraice scribitur.* Non planè iisdem: nam ישועה terminatur literâ ה, quæ in ישוע nulla est; à quo ישו, & indè Ἰησοῦς. ¶ חֵל. Sym. *firmamentum*] Hieron. *Pro eo quod nos vertimus* antemurale, *Sym.* firmamentum *interpretatus est, ut ipsi muri munitionibus cincti sint, & vallo fossâque & aliis muris, quos in ædificatione castrorum solent* loriculas *dicere.*

2. פִּתְחוּ שְׁעָרִים וְיָבֹא גוֹי־צַדִּיק שֹׁמֵר אֱמֻנִים. Aq. Ἀνοίξατε πύλας, εἰσελθέτω ἔθνος δίκαιον, φυλάττον πίστιν, *Aperite portas, ingrediatur gens justa, custodiens fidem*] Ex Epiphanio contra Ἀνομοίους.

3. יֵצֶר סָמוּךְ. Aq. Sym. τὸ πλάσμα ἡμῶν ἐπηρμένον, ἤτοι ἐπηρεισμένον, *figmentum nostrum sublatum, vel firmatum*] יצרנו. Hieron. in Comment. ad h. l. *Aq. & Sym. similiter transtulerunt* τὸ πλάσμα ἡμῶν ἐπηρεισμένον, *h. e.* error noster ablatus est, *sive* cogitatio nostra firmata est. Olim in schedis meis descripseram ex Hieronymo ἐπηρμένον, i. *sublatum*: ¶ יֵצֶר סָמוּךְ תִּצֹּר שָׁלוֹם שָׁלוֹם כִּי בְךָ בָּטוּחַ. Aq. πλάσμα ἐστηριγμένον, φύλαξις εἰρήνης ὅτι ἐπ' αὐτῷ πεποίθασι, *figmentum stabile, custoditio pacis, quia in ipso confisi sunt.*

4. בִּטְחוּ בַיהוָה עֲדֵי־עַד כִּי בְּיָהּ יְהוָה צוּר עוֹלָמִים. Idem, Πεποίθατε ἐπὶ Κυρίῳ ἕως αἰῶνος, ὅτι ἐν τῷ Κυρίῳ Κύριος ὁ στερεώσας τοὺς αἰῶνας, *Confidite in Domino usque in seculum, quoniam in Domino Dominus qui firmat secula*] Descripsi ex Epiphanio contra Ἀνομοίους sive Aëtianos, pag. 391.

5. קִרְיָה. Aq. πολίχνη *civitatula*] Hieron. *Nec vocatur* civitas, *quæ Ebraicè dicitur* עיר, *sed* קריה, *quam Aq.* πολίχνην *interpretatus est, & quam nos vel* civitatulam, *vel* viculum, *vel* oppidulum *possumus dicere. Et frequenter in Scripturis hoc nomine appellatur Jerusalem.*

10. יֻחַן רָשָׁע. Aq. Th. ἠλεήθη ἀσεβής, *misericordiam consecutus est impius.* Sym. ἐδωρήθη ἀσεβής, *donatus est impius*] Prov. 19. חונן דל *qui donat tenui.* Hieron. *Misereamur impio*] *quod exceptis Lxx omnes similiter transtulerunt. Et est sensus Magis, impius misericordiam consequatur, & discat clementiam meam, dum etiam ipse salvatur.* Quomodo *omnes similiter transtulerunt* si alii verterunt ἠλεήθη, & alius ἐδωρήθη?

14. מֵתִים בַּל־יִחְיוּ רְפָאִים בַּל־יָקֻמוּ לָכֵן פָּקַדְתָּ וַתַּשְׁמִידֵם וַתְּאַבֵּד כָּל־זֵכֶר לָמוֹ. Sym. *Mortui non vivificabunt, gigantes non suscitabunt: propterea visitasti & contrivisti eos, & disperdidisti omnem memoriam eorum*] Sym. πᾶσαν τὴν μνήμην αὐτῶν. Aq. Th. πᾶν τὸ μνημόσυνον αὐτῶν, ex ed. Rom. vel potiùs ex Eusebio. Vide Symbola Patrum, p. 493. Hieron. *Mortui vitam non videbunt*, &c. Idem in Comment. *Symmachus more suo manifestius*, Mortui non vivificabunt, gigantes, &c. Aq. *Raphaim.*

15. יָסַפְתָּ לַגּוֹי נִכְבָּדְתָּ. Οἱ λοιποί, Προσέθηκας τῷ ἔθνει ἐν ᾧ ἐδοξάσθης, *Addidisti genti in quo glorificatus es*] Euseb. Vide Rom. ed.

19. יִחְיוּ מֵתֶיךָ. Aq. Ζήσονται οἱ τεθνεῶτές σου, *Vivent defuncti tui.* Sym. Th. Ζήσονται οἱ νεκροί σου, *Vivent mortui tui*] *Qui mortem obierunt, qui vitâ functi sunt.* ¶ הָקִיצוּ. Οἱ λοιποί, ἐξυπνισθήσονται *è somno expergiscentur.* ¶ וְרַנְּנוּ. Aq. Αἰνέσουσι *laudabunt.* Sym. ἀγαλλιάσονται *exsultabunt.* Th. ἀλαλάξουσι *jubilabunt*] Ex ed. Rom. & Eusebio. ¶ שֹׁכְנֵי עָפָר. Cæteri, οἱ ἐν τοῖς μνημείοις *qui in monumentis.*

I D E M E X P R O C O P I O.

1. בַּיּוֹם הַהוּא יוּשַׁר הַשִּׁיר־הַזֶּה בְּאֶרֶץ יְהוּדָה עִיר עָז־לָנוּ. Τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ ᾄσονται τὸ ᾆσμα τοῦτο ἐν τῇ Ἰούδα, [Leg. ἐν γῇ Ἰούδα.] Πόλιν κράτους αὐτοῦ, [Ἡμῶν non αὐτοῦ est in fonte Ebræo] *In die illa cantabitur canticum istud in Juda, Urbem roboris ejus.*

3. שָׁלוֹם שָׁלוֹם. Aq. Th. εἰρήνην, εἰρήνην, *pacem, pacem.*

5. עַד־עָפָר. ἕως χώματος *usque ad aggerem.*

6. דַּלִּים. Th. πενήτων *egenorum.*

10. בַּל־לָמַד צֶדֶק. Lxx. οὐ μὴ μάθῃ δικαιοσύνην *non discet justitiam.* Sym. Th. οὐκ ἔμαθε *non didicit.* Aq. οὐ μὴ ἔμαθε *nequaquam didicit.*

11. וְיֵבֹשׁוּ. Sym. Th. αἰσχυνθήτωσαν *pudore afficiantur.* Aq. αἰσχυνθείησαν.

12. תִּשְׁפֹּת שָׁלוֹם לָנוּ. Θήσεις εἰρήνην ἡμῖν, *pones pacem nobis.* ¶ כָּל־מַעֲשֵׂינוּ. Πάντα τὰ ἔργα ἡμῶν *omnia opera nostra.*

14. מֵתִים בַּל־יִחְיוּ רְפָאִים בַּל־יָקֻמוּ. Aq. Ἀποθνήσκοντες οὐ μὴ ζήσωσιν, Ῥαφαΐν -- *morientes non vivent, Raphaim,* --- οὐ μὴ ἀναστῶσιν οἱ νεκροί, οὐ μὴ ζωοποιήσωσι -- *non resurgent mortui, non vivificabunt.* --- Sequitur in Procopio οἱ Δ. ὁμοίως ὁ. Quod non intelligo. ¶ כָּל־זֵכֶר לָמוֹ. Sym. Πᾶσαν τὴν μνήμην αὐτῶν *omnem memoriam eorum*] In ed. vulg. πᾶν ἄρσεν αὐτῶν, i. זָכָר, ex absoluto זָכָר *masculinum genus.*

15. רִחַקְתָּ כָּל־קַצְוֵי־אָרֶץ. ἐμάκρυνας πάντα τὰ πέρατα τῆς γῆς, *longè fecisti omnes fines terræ.*

19. הָקִיצוּ. Οἱ λοιποί, ἐξυπνίσεσθε *expergiscimini*] Aliàs ἐξυπνίσονται *expergiscentur.*

21. מִמְּקוֹמוֹ. Aq. Sym. Th. ἀπὸ -- Sic etiam Lxx. ¶ לִפְקֹד עֲוֹן יֹשֵׁב־הָאָרֶץ. Sym. ἐπισκέψασθαι τὴν ἀνομίαν τῶν κατοικούντων αὐτήν, * *visitare iniquitatem habitantium eam*] * Τὴν γῆν videlicet.

G R O T I U S.

1. IN *die illa cantabitur*] *Canetur.* Ideo enim id composui.

Urbs fortitudinis nostræ Sion salvator, ponetur in ea murus & antemurale] Non est *Sion* in Hebræo, sed glossematis vice additum. Rectè verteris, *Urbs nobis est firma. Salus* (ipsa, id est, Deus) *posuit muros & antemurale ejus.* Ideo invicta nobis urbs est, quia optimo omine, Deo ipso jubente, est condita. Sensu sublimiore rectè referes ad civitatem cœlestem, cujus conditor Jesus ישוע.

2. *Aperite portas, & ingrediatur gens justorum, custodiens veritatem*] Illi Judæi, qui ex cæteris oppidis agrisque in loca longinqua profugere quàm religionem mutare maluerunt.

3. *Vetus error abiit*] Vox יצר *figmentum* quidem sive *opus fictile* significat, sed apud Hebræos poni solet pro *cogitatione.* Itaque optimè vertamus, *Cogitationi suffultæ* (supple, *tui fiduciâ, ô Deus*) *præstabis res prosperas: res prosperas*, inquam; *quia tibi confisa est.*

4. *Sperastis in Domino in seculis æternis*] *Fidite Domino indesinenter.*

Quia incurvabit] *Incurvavit.* Factum est enim hoc canticum, ut tunc caneretur cùm res gesta esset.

Civitatem sublimem] Niniven.

Humiliabit] *Humiliavit:* gloriam ei abstulit.

6. *Conculcabit eam pes, pedes pauperis, gressus egenorum*] Contemnent Assyrios Hierosolymitæ, pro perditis habiti.

7. *Semita justi recta est, rectus callis justi ad ambulandum*] Sensus est, Semitam justi esse æquabilem: à Deo enim vias ejus complanari. Est enim apostrophe ad Deum.

8. *In semita judiciorum tuorum*] Tuæ legi semper obsequentes.

Sustinuimus te] *Exspectavimus.*

10. *Misereamur impio, & non discet justitiam: in terra sanctorum iniqua gessit, & non videbit gloriam Domini*] In Hebræo, *Si gratia fiat impio, non* (tamen) *discet justitiam:* nam *in ipsa terra rectitudinum* (id est, Judæa) *iniquè agit, neque considerat Dei sublimitatem:* id est, potentiam super omnes mortales.

11. *Domine exaltetur manus tua, & non videant: videant & confundantur zelantes populi tui, & ignis hostes tuos devoret*] Vertas optimè, *Domine ità excelsa manus tua, ut eam non videant qui invident populo tuo; sed ubi videbunt, pudefient: imò ignis devorabit hostes tuos. Ignis*, id est, mors subita, quasi ex incendio: suprà 18. 5.

12. *Domine dabis pacem nobis*] Da nobis res prosperas.

Omnia enim opera nostra operatus es nobis] Id est, quicquid nobis evênit boni malive te curante evênit.

13. *Domine Deus noster, possederunt nos domini absque te*] Ut maximè alii domini nos opprimant.

Tantum in te] Scilicet *spes nostra erit.*

14. *Mortui non vivent*] Non opprimens nos ultrà isti.

Gigantes non resurgent] Id est, tyranni isti non redibunt ad nos vexandos.

Propterea visitasti] Quia animadvertisti in eos.

15. *Indulsisti genti, Domine, indulsisti genti*] *Addidisti gen:*

genti, Domine, addidisti genti. nempe multis qui profugerant restitutis, auxisti civitatem Hierosolymitanam. Græci de malis additis genti Assyriæ intellexere.

Numquid glorificatus es?] In Hebræo: *Gloriam tibi acquisivisti.* At Græci legerunt non נכברת [*gloriam acquisivisti*], sed נכברים ἐνδόξοις [*illustribus*].

Elongasti omnes terminos terræ] Antè compressi eramus in omnem urbem, nunc paulatim extendimur in agros & oppida deserta.

16. *Domine in angustia requisierunt te*] Judæi.

In tribulatione murmuris doctrina tua eis] Ex Hebræo: *Effuderunt submissas preces, te eos instigante.*

17. *Sic facti sumus à facie tua Domine*] Te disponente causas.

18. *Et peperimus spiritum*] *Ventum peperimus:* ut aves quæ edunt ὠὰ ὑπηνέμια [*ova subventanea*].

Πλήθουσι γάρ τοι καὶ ἀνέμων διέξοδοι
Θήλειαν ὄρνιν, πλὴν ὅταν τόκος παρῇ.
[*Implere namque feminam solet alitem*
Ventus, nisi cum partus ipse advenerit.]

Plinius x. 58. *Pariunt ova irrita ex quibus nihil gignitur, quæ Hypenemia Græci vocant.*

Salutes non fecimus in terra: ideo non ceciderunt habitatores terræ] In Hebræo non est *in terra* sed *terram*, neque est *ideo non* sed *nec.* Sensus: *Non potuimus servare terram nostram* (extra urbem), *neque ceciderunt qui habitant orbem.* Id est, latissimè potentes Assyrii non prostrati sunt abs te, ut olim Ægyptii, Madianitæ, & alii. Hæ sunt querelæ Judæorum cùm adhuc obsiderentur; quibus Deus jam respondet.

19. *Vivent mortui tui*] Id est, qui in summis periculis mortis versabantur, more loquendi Hebræo. Mysticè tamen Hebræi ad resurrectionem hoc referunt.

Interfecti mei resurgent] In Hebræo: *Cadaver meum resurget.* Id est, civitas mea pro cadavere habita florebit iterum.

Qui habitatis in pulvere] Id est, qui projecti jacetis, ut Psal. VII. 6. XXII. 15. & alibi.

Quia ros lucis ros tuus] Semen tuum fœcundum erit ut ros auroræ. Vide Psal. CX. 3.

Terram gigantum] Tyrannorum, ut suprà.

20. *Intra in cubiculo tuo*] Tenete vos omnes intra urbem.

Claude ostia tua super te] Portas tantùm clausas tenete.

Abscondere modicum ad momentum] Contine te intra istas latebras.

Donec pertranseat indignatio] Donec Assyrii furor omnes impetus suos in te effuderit.

21. *Dominus egredietur de loco suo*] De cœlo. Mos loquendi Scripturæ ad exprimenda Dei judicia.

Ut visitet iniquitatem habitatoris terræ] Latè habitantis, ut suprà 18.

Et revelabit terra sanguinem suum] Non poterit terra absorbere sanguinem, tam multus erit.

Et non operiet ultrà interfectos suos] Nemo erit qui humo eos mandet.

CAP. XXVII.

MUNSTERUS.

1. IN *die illa*] Cohæret caput istud cum superioribus, ubi multa aguntur de resurrectione mortuorum, Glorificatione piorum, & damnatione malorum: Hîc autem loquitur de damnatione Diaboli & ministrorum ejus. Habet Diabolus hîc multa & varia nomina. Vocatur *Satan*, i. *Adversarius*; *Malus spiritus*; *Belijaal*; *Apostata*; *Leviathan*, i. *Cetus magnus marinus*; *Vectis*, quia ponit se pessulum inter Deum & hominem; *Vectis*, excludens a Deo & fratribus; *Tortuosus*, propter mille artes; *Serpens*, quia intoxicavit genus humanum. ¶ *Leviathan*] Est לויתן & תנין idem quod דג הגדול *piscis magnus, cetus & draco marinus.* Hîc verò per has belluas significantur maximi Reges & principes mundi, qui veluti *fugaces* & *tortuosi serpentes* in magnis Regnis jam se extendunt & jam contrahunt.

2. *Ipsi*] Referunt id Judæi ad כנסת suam Synagogam: nos rectiùs intelligimus de Ecclesia Christi, quæ *Vinea* est *Domini exercituum*, *proferens* חמר, i. *vinum optimum.* Et licèt multæ *spinæ & vepres* crescant in hac vinea, dissimulat tamen Deus per longanimitatem, exspectans si fortè tales homines qui sunt *vepres apprehendant robur illius*, i. Legem, ut Judæi exponunt, & *faciant pacem cum eo.*

8. *In mensura*] Incerta, inquit, mensura percutit Deus populum suum, cupiens eos flagello suo emendari, non interire. *Dimittit* eos ad tempus, immittitque famem & penuriam victualium in populum suum, claudens cœlum nè pluat, &c. Porrò summa iniquitas quæ in Israel fuit, fuit Idololatria & Negatio Dei altissimi, quâ abolitâ, reliqua peccata facilè per Legem cohiberi poterant. Et ubi illa vires suscepit; ad hoc ventum est ut etiam *civitates munitissimæ in solitudinem redigerentur, & pascua fierent pecorum.*

11. *Dum arescunt palmites*] Redit ad vineam. *Aridi*, inquit, *palmites franguntur* de arbore & vite, & projiciuntur in ignem.

13. *Clangetur cum tuba magna*] Per *tubam magnam* nostri intelligendam docent vocem Euangelicam; per quam vocantur ex Gentibus omnes qui pertinent ad Ecclesiam.

VATABLUS.

1. T*Ranseuntem* בריח] *Penetratorem, i transeuntem & penetrantem mare ab extremo ad extremum*, ut exponit doctus inter Hebræos. Alii, *fugacem.* Alii, *oblongum instar vectis.* ¶ *Tortuosum* עקלתון] *Flexuosum.* Alii, *contortum*, i. tortuosè ambulantem in mari, quòd non possit se extendere ob suam & magnitudinem & longitudinem.

2. *Ruboris* חמר] i. Vini rubri, sive ferens vinum rubrum. Erat enim vinum rubrum olim commendatissimum. Quidam ordinem inversum esse dicunt, vertentes, *In die illa cantate illi, Vinea ruboris*, i. cantando vocate illam vineam optimam quæ vinum optimum afferat. Alii vertunt, *vineæ ruboris canite:* atque ità redundat pronomen femineum לה.

3. *Rigare faciam eam* אשקנה] *Irrigabo illam.* ¶ *Visitet eam* יפקד עליה] *Recordetur illius*, sub. *hostis.*

4. *Ira* חמה] *Indignatio.* Est enim Deus longanimis, tardus ad iram, & multus misericordiâ. ¶ *Quis det*, &c. מי יתנני וגו'] *Quis ponet me tanquam spinas & vepres* (sing. Heb. pro plur.) *in ipso conflictu? ingrediar per illam, & incendam eam simul:* i. Utinam essem similis spinis & vepribus, quæ habent aculeos, &c. q. d. Careo quidem irâ & indignatione: sed si haberem aculeos, cùm offenderent me, perderem eos. Alii, eodem sensu, *Quis dabit me veprem & spinam in prælium? gradiar in eam, comburam eam simul.* Vel, ut alii, *Quis me committat cum vepre & spina in prælium? gradiar per eam, incendam penitus.*

5. *Apprehendet* יחזק] *Compellet.* ¶ *Mecum* לי] *Mihi*, pro *mecum.*

6. *Veniunt* dies quibus הבאים] *In posterum. Posthac.* Ad verb. *Venturis*, sub. *diebus.* ¶ *Implebuntque faciem*, &c. ומלאו פני וגו'] *Replebunturque superficies orbis germine.* Chald. *filiis filiorum.* Doctus inter Hebræos subaudit כ Similitudinis, & vertit, *replebuntque superficies orbis* sicut *germen*, aut *fructus.*

7. *Percutientis illum* מכהו] Sub. *Israelem.* Dicit Deum non percussisse populum suum quemadmodum homines (Sennacherib nempe & Pharao) percusserant ipsum. ¶ *Occisorum ejus* הרגיו] i. Eorum qui occisi sunt ab ipso Deo in gratiam ejus, populi sui scilicet.

8. *In mensura*, &c. בסאסאה וגו'] *In modo in emissione ejus contendes cum illa*, i. Servato modo punies populum tuum in hortis, pomariis, agrisque ejus frugiferis, (id intelligit per *emissiones*, sive *plantationes*) immittendo rubiginem, siccitatem, locustas, bruchos, & hujusmodi, quibus fruges fructusque consumes. ¶ *Removebit* הגה] Præt. Heb. pro fut. & personæ mutatio, pro *tolles*, sive *decuties*, ô *Deus, fructus vento tuo molesto & violento, tempore quo flabit ventus Orientalis* maximè noxius fructibus ipsis ac frugibus.

9. *Hoc pacto removebitur* בזאת יכפר] Ad verb. *in hoc* [vel, *ad hoc*] *remittetur*, i. hâc ratione, sive hoc modo expiabitur aut condonabitur, &c. ¶ *Et iste* וזה] *Et istud*, i. hunc fructum reportabit Israel, nempe veniam peccatorum, si converterit se à sua idololatria. ¶ *Ut removeat peccatum* הסר חטאתו] Infinitivus est, *removere.* Quidam vertunt, *quòd Deus auferet peccatum ejus, cùm*, &c. Alii volunt esse verbale, vertentes, *ablatio peccati sui.* ¶ *Altaris* מזבח] Sing. pro plur. *altarium*, exstructorum scilicet in honorem idolorum. ¶ *Dirutos* מנפצות] *Dissipatos, in frusta & in varias partes disjectos.* ¶ Et *non stent*, &c. לא יקמו וגו'] Ut *non resurgant luci & imagines.* Alii, & *non consistant* [i. instaurentur] *luci, neque simulacra solaria*, i. in honorem Solis facta; h. e. si penitus everterint omnes aras & omnia simulacra, & posteà non exstruxerint illa, חמנים signi. *simulacra lignea, præcipuè sic appellata* (ut ait doctus inter Hebræos) *quod cultores* החמה, i. *Solis, illa facerent.*

10. Ci-

10. *Civitas enim* כי עיר] *Alioqui civitas.* Alii, *Civitas tamen.* ¶ *Solitaria* בדד] Ad verb. *in solitudine* : i. destruitur, & ità carebit ovibus, sub. *nisi resipiscat.* ¶ *Habitaculum* נוה] i. Regia, vel templum. ¶ *Ramos ejus* קציריה] *Virgulta* [surculos, palmites] *ejus.*

11. *Cùm aruerint*, &c. ביבש קצירה תשברנה] Macor, sive infinit. Heb. & sing. junctum plurali verbo, *Cum exaruerint palmites ejus*, [Synagogæ: fem. pron.] *suâ sponte frangentur.* Quidam per præsens vertunt, *Dum arescunt palmites ejus, franguntur.*] Redit ad vineam. Aridi, inquit, palmites franguntur de arbore & vite, & projiciuntur in ignem. Alii, *dum arescet messis, frangent eam*, vel *secabunt.* ¶ *Succendent eos* מאירות אותה] Particip. præs. Heb. pro fut. à verbo אור. Quidam ab ארה, quod sign. *collegit*, deducentes, vertunt *colligunt eam*, sub. *Synagogam*, pro *colligent eos ramusculos qui Synagogam significabant.* ¶ *Intelligentiarum* בינות] Hebraismus, pro *Intelligens & prudens.* ¶ *Et qui formavit eum* ויצרו] *Et formator* [vel *fictor*] *ejus.*

12. *Excutiet* יחבט] i. Seliget suos ab aliis, more agricolæ excutientis triticum à palea. Quidam, *faciet trituram.* ¶ *Sigillatim* לאחד אחד] Ad verb. *per unum unius*, sub. *loci* : i. per singulos singulorum, sub. *locorum.* Unde quidam, *singuli è singulis locis.* Alii, *unus ad unum.*

13. *Et incurvabunt se Jehovæ* והשתחוו ליהוה] *Et adorabunt Jehovam.*

CASTALIO.

7, 8. NUmquid *eum cadet simili cæde cæsoris sui?* &c.] Hos duos versus non intelligo, ideóque de mea translatione dubito.

12. *A fluminis alveo*] Sc. Euphratis.

CLARIUS.

1. SUper *Leviathan*] Per *Leviathan* piscem magnum sive *cetum* & *draconem marinum* significantur hic maximi Reges & Principes mundi, qui veluti *fugaces* & *tortuosi serpentes* in magnis Regnis nunc se extendunt, nunc contrahunt. Hi ergò cum eorum capite Diabolo subigendi prædicuntur.

2. *Vinea vinum proferet*] Illa *Vinea* quæ suprà cap. 5. dicta est *protulisse labruscas*, hîc *fit vini ferax.* Hæc ergò *vinea*, h. e. Ecclesia Christi, non more Synagogæ ingrata, quæ pro vino propinavit Domino suo acetum & fel, sed *vinum optimum proferet.* Et licèt multæ *spinæ* & *vepres* crescant in hac vinea, dissimulat tamen Deus per longanimitatem, exspectans si fortè tales homines qui sunt *vepres apprehendant robur illius*, i. Legem, & *faciant pacem cum eo.*

3. *Per momenta irrigabo eam*] *Momentis singulis*, quando opus erit, *humectabit illam*, nè fortè nocere conetur hostis illi.

4. *Quis dabit me spinam?*] Nullus est, inquit, qui contra electos meos exasperare me possit. *Nulla est* enim *damnatio jam his qui sunt in Christo Jesu.* Alius aptè sic vertit hunc locum, *Furor non est apud me, alioqui cum illa vinea det mihi vepres & spinas, per bellum graderer per eam, & incenderem eam simul. Vel apprehendat robur meum, & faciet pacem mecum*, &c.

7. *Numquid juxta*] Verba sunt Prophetæ dicentis, Numquid sicut percutit eos qui percutiunt filios ejus, ità & filios percutit? Nam impii & hostes Dei duplici morte percutiuntur; filii non ità. *Plagam* ergò *percutientis se* intellige plagam quâ hostem illius percutit.

8. *In mensura*] In mensura certa, inquit, percutit Deus populum suum, cupiens eos flagello suo emendari, non interire. Alius vertit, *In emissionibus ejus dijudicabit eam*, h. e. in hortis; fortasse taxans idololatriam: sicut & illud, *Et erubescetis super hortis quos elegeratis.*

9, 10, 11. *Cùm posuerit omnes lapides*] h. e. *Si destruxerit altaria, nè stent luci & delubra*, sive *imagines.* Nam summa iniquitas quæ fuit in Israel fuit Idololatria & Negatio Dei altissimi; quâ abolitâ, reliqua peccata facile per Legem cohiberi poterant. Et ubi illa vires suscepit, ad hoc ventum est ut etiam *civitates munitissimæ in solitudinem redigerentur*, & *pascua fierent pecorum.* Videtur autem prædicere interitum Israelis secundùm carnem, cùm sequatur, *Ubi aruerint, rami ejus confringentur* : redit enim ad Vineam. Aridi, inquit, palmites franguntur de vite, & projiciuntur in ignem.

12, 13. *Excutiet Dominus*] Scilicet sicut frumentum ex aristis solet. Et vide ut latenter indicet reliquias tantùm de Israelitis servandas, dum dicit *unum & unum congregandos filios Israel*, h. e. paucos ac facilè numerabiles. At eùm vocandæ sunt Gentes, dicit *clangendum tubâ magnâ, & eos qui perditi fuerant venturos*; quos Joannes Evangelista vocat *filios Dei qui erant dispersi.* ¶ *Ab alveo fluminis usque ad torrentem Ægypti*] Tangit terminos illius terræ.

FORERIUS.

1. IN verbis hæc annotanda sunt. *Leviathan* dicitur à verbo לוה *additum fuit*, quòd & membra & squamæ sibi cohæreant, &c. Ejus descriptionem habes apud Job. 40. ¶ *Vectem*] בריח ego hîc *teretem* dixi. Nam Job. 26. & hoc loco, ubi de serpente dicitur, scribitur sine Jod, & aliis punctis. Unde non levi conjecturâ ductus existimo esse nomen adjectivum, ut sit idem quod *teres* seu *lubricus* : quæ sunt Serpentis epitheta, & cum significatione radicis conveniunt. ¶ *Tortuosum*] Serpenti tribuitur, vel quòd in gyros torqueatur dum serpit, vel quòd orbiculatus quiescat. Non solùm autem figuram sig. sed quietem, imò & confidentiam in astutia & viribus suis. ¶ *Cetum*] תנין *draco* est tam terrestris quàm marinus. De *terrestri* dicitur Exod. 7. & Ps. 91. de marino Job. 7. Vide Plinium lib. 9. cap. 3. Manifestum est autem quòd tam Leviathan quàm *Thynnus* typum gerant Satanæ & Antichristi, & Regni quod in mundo habebat. Nam sicut Mundum Scriptura *mare*, sic & mundi Principes magnorum Piscium nomine appellat. Ps. 74. *Tu conculcasti capita Leviathan*, i. Principes Pharaonis Regis Ægyptiorum. Interpretationem tamen eorum qui hoc loco Regem Assyrium & Ægyptium intelligunt, quorum alter ad Nilum, alter ad Euphratem imperabat, non probo. Nam sicut superiora de vastatione Judææ propter incredulitatem intelligenda sunt, ità hæc de ejectione Principis hujus mundi accipienda existimo, qui prædicatione *verbi Dei, quod est penetrabilius omni gladio ancipiti*, post vastatam Judæam de imperio cecidit. Nam idolorum cultus per Evangelium interiit, & Discipuli Domini *serpentes tollebant*, & *calcabant super serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici.*

2. *Vinea meri*] Puto in hac voce consistere bonam partem intelligentiæ totius hujus capitis, quam assequi non ità facile est. Verbum חמר *turbidum esse* seu *lutulentum esse* sign. unde HEMER nomen, quo *vinum rubrum* vocant Hebræi; quod olim in pretio erat, ut apparet ex Deut. 32. Idem quoque vinum ex tropo Hebræis familiari symbolum erat calamitatis, afflictionis & vindictæ Divinæ, ut apparet ex Ps. 75. ubi dicitur quòd *Dominus propinaret peccatoribus calicem, in quo vinum esset rubrum*, seu *turbidum*, &c. Cùm ergò de vastatione populi Dei superiùs verba fecisset, jam nunc quamnam ob causam hæc mala immissurus esset Deus in populum suum explicare decrevit Propheta Cantico, prout Prophetis mos erat, quod *alternis* jubet *decantari vinea* populi Dei, quam vocat *vineam turbidi* : quo nomine quodammodo ludit. Nam quæ vini pretiosi ferax fuerat, quod *turbidum* seu *rubrum* dicebatur, vinum turbidum de calice Divinæ iræ esset ebibitura. Pro *cantare* dixi *alternis canere*; quia hæc est acceptio verbi interdum cum dandi casu constructi, ut Num. 21. *Ascende* BEER, *respondete illi*, i. alternis canite: & 1 Sam. 21. *Nonne huic respondebant in choris*, &c.

3. *Ego Dominus, qui*, &c.] Negare non possunt vel ipsi Rabini Vulg. Interpretem hoc in loco Hebræa reddidisse: nam juxta eorum distinctiones & ab eis assignatas interpretationes singula reddidit. Dicunt autem esse veluti dialogum quendam Dei secum colloquentis, qui nunc propensum se ad misericordiam, nunc ad iram ostendit. Sed cùm (ut ingenuè fatear) non intelligerem quâ ratione partes hujus colloquii cohærerent, & varietatem interpretationum (quæ difficultatis mihi est sæpe signum) conspicerem atque conferrem, hæsi planè, quousque abrasis punctis ac distinctionibus, rem mecum ac cum Deo tacitus cœpi expendere. Tandem altera mihi interpretatio affulsit, quam hîc apponere volui, non ut eam Vulg. aut aliorum commentariis præferam, sed in gratiam pii ac diligentis lectoris. Existimo autem esse dialogismum, cujus veluti titulus, in quo argumentum continetur, est, *Alternis canite vineæ turbidi.* Hoc autem tertio versu, qui est primus Cantici, Deus loquitur ad hunc modum, *Ego Jehovah servo vineam hanc*, vel *conservator ejus sum*; qui rego, qui protego, qui curam ejus gero; *ad singula quoque momenta irrigo eam* : hîc mihi mos semper fuit, semper ad populum meum misi Prophetas atque Doctores, qui eum, tanquam vineam, cœlestis doctrinæ imbribus rigarent. רגע *momentum* est: numero multitudinis cum ל, ut hoc loco, est *ad momenta*, i. singulis momentis, seu frequentissimè. ¶ *Nè forte visitetur*, &c.] Neque his, inquit Deus, beneficiis contentus, nè animalia aut fures eam devastent, *eam die noctùque cingo*, circumeo, non minùs intentus, nè quis irruat ut noceat, quàm qui obsidet civitatem, nè quis elabatur, aut in auxilium veniat. Potest enim esse hoc futurum à multis verbis, præsertim si puncta deleas. Mihi placuit iste sensus cui favent

Verba R. Immanuelis in illud Psalmi, *Tu formasti me*, vel potiùs, inquit, *obsedisti me*, i. circumdedisti me undequaque scientiâ tuâ instar exercitûs, qui manet in obsidione contra civitatem, & circumdat eam, nè fugiant & evadant homines ex ea. Significat ergò Dominus quòd pro muro & custodibus illi populo fuerit: *nè visitetur*, inquit, *contra eam*; vel *nè recenseatur*, i. nè quis secum rationem ducat ei nocendi. Hæc est enim vis hujus constructionis, ut suprà cap. 24. *Requiret contra militiam cœli:* & suprà v. 1. *super Leviathan*, vel *contra*, &c. Malui autem verbo *cingendi* reddere propter verbum, *nè visitetur*, aut *requiratur*, *contra eam:* vigiliis enim & hujusmodi circumvallationibus obviare solemus & præcavere repentinas irruptiones. Has avertebat Dominus à populo suo.

4. Hoc secundo Cantici versu inducitur ipsa Vinea loquens in hunc modum, *Murus non est mihi: quis daret me sentes & spinas in bello?* Quæ certè verba sunt & ingrati & infidelis animi, qui spreto Dei favore & Dei protectioni diffidens humana auxilia anxius quærit: qui morbus adeò Judæorum peculiaris fuit ut vix sit in Scripturis pagina quæ eorum ingratitudinem atque diffidentiam non coarguat. Loquitur autem populus sub nomine Vineæ; ideoque in eadem similitudine perseverans, ubi sibi deesse murum dixit, *senticetum* seu *vepricetum* optat, quo circummuniri solent vineæ. Vide suprà 5, 5. & 7. 25. Populus ergò Israel non satis muris & munitionibus civitatum suarum fidens, auxiliares copias hastatorum & sagittariorum sibi adesse optat, quibus possit belli tempore hostibus resistere, & Romanos aut quosvis alios propulsare. Suprà 10. 17. videbis his ipsis nominibus *spinarum* & *veprium* significatas militum acies. At quis ignorat חמה aliis atque aliis punctis *Solem*, *socerum*, *iram*, atque *murum* significare? Non dicit autem, *Quis dabit mihi*, sed *me*; nempe quòd totus optaret in armatos milites converti. Quæ sequuntur autem in eodem versu verba sunt Domini, *Transgrediar contra eam, succendam eam pariter.* Hæc est diffidentiæ & ingratitudinis Judæorum pœna. *Transgrediar*, inquit, *contra eam*, i. transferam me ad hostes, hostium posthac jam partes agam, & adversùs eam pugnabo. Hæc est vis verbi פשע cum ב constructi. Quòd si in *vepres* & *spinas* tota versa sit, *succendam eam pariter*, veluti ignis qui senticetum depascit. Hic mecum considera, Christiane Lector, quàm iniquo animo ferat bonus Deus noster, si oblatum ipsius auxilium (quod certè omnibus piis & in se confidentibus certò promittit) respuentes, aliunde nobis vires & alia nobis propugnacula paremus. Quod comprobant historiæ lib. Reg. & caput hujus Prophetæ 7. &c. Nota quoque est illa maledictio Jeremiæ in eos qui *ponunt carnem brachium suum, & à Deo recedit cor eorum.*

5. Etiam hoc versu & sequenti verba sunt Domini. או *Utinam, ô si apprehenderet munitionem meam!* ô si *pacem mihi* (vel *mecum*) *faceret*; *pacem*, inquam, *mecum faceret!* Quantum, inquit, præstitisset populum hunc firmiter ac tenaciter meam munitionem apprehendere! O quàm bene sibi consuluisset! ô si non alium murum, non alios milites, quàm me voluisset! ô si mecum pacem voluisset facere! ô utinam pacem mecum stabilem servare voluisset! Sequenti versu sequitur quid inde lucri consequeretur. Similis locus est Psal. 81. *Utinam populus meus audisset me, & Israel in viis meis ambulasset!* ubi repetenda est particula optantis, & futurum eodem modo accipiendum ut hoc loco. מעז hic accepi sicut suprà 23. ubi dicitur de Tyro quòd esset *munitio maris*, & 25. quòd Dominus fuisset *munitio inopi*, & mille aliis locis. Suprà autem v. 3. Dominus dixerat quòd *eam servasset & cinxisset*, &c. De hac munitione hîc ergò sermo est. Hanc certè apprehendit Josaphat quando in oratione dicebat hoc tantùm residui sibi esse ut *oculos suos ad Deum dirigerent*, &c. Alii etiam sancti viri hoc nomine מעז sæpe Deum suum vocabant. Ps. 37. 31, & 27. *Dominus munitio vitæ meæ: à quo trepidabo?* Hanc mentem igitur illis optat benignissimus Pater quam habent pii omnes: insuper ut cum Deo voluissent pacem, non bellum. Hanc quoque Dominus flens super Jerusalem Judæis optabat, cùm diceret, *O si cognovisses & tu, Jerusalem*, quæ ego novi; *certe in hac die tua, quæ ad pacem tibi necessaria forent* comparares, fidem videlicet in Filium Dei & agnitionem visitationis Divinæ. Huc quoque facit quod ex Euangelio habemus, Prudentem *Regem* qui pauciores habet copias *legationem de pace mittere ad eum qui cum multò majoribus venit.* Verùm etiam si qui Dei adjutorium despicit, Deum non sibi tantùm redderet inimicum, adhuc tamen imprudentiæ convinceretur. Quid si ad hostes hâc ipsâ diffidentia eum transire compellimus? Illa quoque *pacis* repetitio indicat quantum hanc pacem optarit piissimus Deus. Non dubium quin, cùm de vastatione populi Israelitici hîc fit sermo, Filius Dei Dominus JESUS sit illa *munitio* quam *apprehendere*, & *pax*, seu *pacis* auctor, per quem reconciliari velle debuissent.

6. *Qui egredientur*] Quia juxta interpretationem nostram hic versus à superiori pendet, quo explicatur quæ bona consequerentur Israelitæ si cum Deo pacem facerent, &c. futura per subjunctivum, quo carent Hebræi, vertenda duxi: quod quia plerique Interpretes non animadverterunt, secuti Rabinos participium הבאים, i. *venientes*, Temporis esse dixerunt, & nomen *dies* de suo supplent, nescio quâ auctoritate. At Vulg. Interpres ישרש in secunda conjug. accepit, in qua *eradicare* sign. & pro *egredientes eradicabitur Jacob* dixit, *Qui impetu egredientur à Jacob*, i. e. qui ab eo resiliunt, & infidelitatem aliorum sequi nolunt, *faciunt* scilicet *pacem mecum.* Ego eam quam cœpi interpretationem secutus, participium *venientes* cum nomine *Jacob*, proinde etiam cum verbo singulari *radices aget* construendum putavi. Abutuntur autem verbo *veniendi* sæpissime pro continuationis aut pro Temporis particula, *tandem*, *paulò post*; *Venientes venient cum exsultatione*, i. paulò post venient, tandem venient: sicut suprà cap. 2. pro *agite* seu *adeste* dixit, *Venite, & ambulemus.* Ità accipere possemus hoc loco, *Tandem radices ageret Jacob.* Nam שרש in tertia est *radicare*, *radices agere*; ut Psal. 80. *radicavit radices suas, & implevit terram. Radices*, inquit, *agerent filii Jacob*, non irent in captivitatem, sed stabiles essent in patria; *florerent* etiam, seu prosperè agerent, ut fuit in diebus Davidis & Salomonis: *germinarent* quoque, & fructus suavissimos producerent; *uvas*, non *labruscas*; *justitiam*, non *clamorem*; fidem & misericordiam, non perfidiam & immanitatem: *insuper & totum orbem proventu* (seu *fructu*) *implerent*, suprà modum multiplicarentur, & per totum orbem colonias possent deducere. Similis usus est futurorum in eo loco Psal. quem supra adduxi, *Utinam Israel audisset me*, &c. *Citò citius inimicos illorum humiliabo, & super oppressores eorum reducam manum meam*, i. humiliarem, reducerem, &c.

6. *Numquid juxta*, &c.] Chorus loquitur. Dixerat iratus, *Transgrediar contra eam, succendam eam pariter:* Interrogatur ergò Propheta, *numquid ità offenderent ut caderent? numquid repelleret Dominus populum suum?* num funditus delere decrevisset? *Numquid percussit eum juxta plagam percutientium Israelem?* i. num Dominus percussit Israelem ut eum percutere solent percussores ejus? vel sic, *Numquid ità interficiendus est totus Israel quemadmodum occisi jam sunt plurimi ex eis?* Hunc sensum videtur secutus Vulgatus; alii aliter aliquantulum. Juxta variationem enim punctorum variè quoque reddere potes, sed eodem ferè sensu; *an* scilicet *plagâ inimici*, ut alibi ait, *percussit Israelem?* Ego certè phrasim quandam Hebræis peculiarem hîc esse existimo, quâ interdum & nos utimur, *An percussit eum quasi percuteret eum?* i. Percussitne eum, quemadmodum percutit is qui ex animo percutit, & nihil aliud vult quàm percutere? aut ita interfecit & eo animo quo hostes eum hactenus interfecerunt: qui nihil aliud volebant quàm delere & impotenti animo satisfacere? Nam הרגיו diversâ punctatione activum aut passivum est. Ipsi enim Hebræi in his variant, ut manifestum sit non eandem omnibus & invariabilem fuisse prolationem, & vocales non olim appositas fuisse in Bibliis. Quod ideo sæpius repetimus quia ex hac una re explicationem difficilium locorum pendêre videmus.

8. *In mensura contra mensuram*] i. Ut mensuravit, sic remetietur ei. Hunc sensum putavit Vulg. latêre in duplicato nomine סאה, quod duplicatum fit בסאסאה: q. d. *In mensura mensura.* Sed dicere possumus esse verbum secundæ conjug. à nomine סאה deductum, quod mensuram aridorum notat quam existimo in Euangelio voce consonâ *Satum* dici. Hinc verbum duplicatum pro *mensurare sato.* Respondet ergò Propheta, *non repulit populum suum, non plagâ inimici percussit*; non quasi ex animo, ac delere volens; *non simul effundet omnem iram suam: Sed tu, Domine, castigabis eam atque corripies in mensurando, in dimittendo*, i. implendo mensuram, atque effundendo eam. Similis in castigando eris mensuranti sato triticum. Quo significat, neque omnino delendos, neque omnino à castigatione supersedendum; sed adhibito modo & regulâ quadam, ut post flagella alia flagella congeminet, quasi qui non punire ex animo velit, sed justum judicium exercendo ad pœnitentiam adducere. Quòd autem verbum שלח, i. *misit*, etiam de *effusione* dicatur, vide Job. 5. *Mittit aquas super superficiem platearum*, &c. Unde quod hîc nonnulli afferunt ex Rabinis, ut שלחה sit *fructus hortorum* (præterquam quòd nusquam in singulari, sed semel in plurali reperitur שלחיך, i. *emissiones* seu *plantæ*, Cant. 4.) ridiculum est, & nihil ad rem facit, cùm non nocendum hortis, sed civitates exurendas, & terram vastandam hoc capite non obscurè significet. Est ergò infinitivus

cum

cum affixo feminino, & ità accepit Vulgatus, qui veritati propiùs ſemper accedit. Pudet hîc Munſteri verſionem, quam rectiùs *corruptionem* dixeris, apponere. ¶ *Judicabis illam*] ריב non ſolùm dicitur de *ea contentione quæ fit verbis*, *de diſceptatione* videlicet & *lite*, ſed interdum de *ea quæ factis & operibus conſtat*, ut Jud. 11. & Gen. 26. Hic etiam ſenſus hoc loco eſſe poteſt, *In menſurando*, *in dimittendo litigabis cum ea*, i. Æquo jure cum ea litigabis. Sed prior interpretatio ſimplicior eſt. ¶ *Meditata eſt*] De populo Iſraelitico intelligenda ſunt hæc: éſtque rurſus vox chori, *Ingemuit Iſrael in ſpiritu ſuo illo duro ac pertinaci*, quem ad pœnitentiam flectere vix quiſquam poteſt. Jam dolet, jam pœnitet: vel jam præ vi doloris gemens ſpiritum difficulter trahit, cum ſpiritu difficili gemit, ſicut accidere ſolet dum flat ventus *Subſolanus* ſeu *Orientalis*, qui in æſtate eſt calidiſſimus: ſic Iſrael, dum affligitur, dum uritur, ingemiſcit. Et de iis dicitur qui ad cognitionem erroris & infidelitatis ſuæ pervenerunt ex conſideratione Divinæ vindictæ.

9. *Iccirco*] Reſpondet Propheta, *Igitur propter hoc ipſum*, quod ſic ingemiſcit & dolet, *expiabitur ejus iniquitas: imò hic omnis fructus eſt*, nihil aliud Deus illâ correptione volebat quàm *auferre erratum ejus*. Non percutiebat ut percuteret, ſicut hoſtes faciunt; ſed ad hoc percutiebat, *ut auferret peccatum*, adducendo videlicet Iſraelem ad pœnitentiam; quam veram eſſe hâc unà re comprobabit, *ſi redigat lapides altarium*, quæ in honorem falſorum Deorum erexerat, in pulverem, *quemadmodum lapides calcis; nec poſthac luci aut ſimulacra erigantur*, aut *conſiſtant*. Et hanc puto germanam expoſitionem hujus loci. ¶ *Super hoc*] בזאת *in hoc*, i. hâc unâ re, & hâc unâ lege ſeu contentione, nempe ſi doleat: vel *in hoc*, i. propter hoc, quòd ſic doluit. ¶ *Dimittetur iniquitas*] כפר, ut jam dixi, propriè eſt *oblinire*, vel *rem quampiam pice*, *bitumine*, *calce*, &c. *tegere*. Hinc (quia quæ non videntur & occulta ſunt non puniuntur) transfertur ad *expiationem* ſeu *emundationem*, ut apparet ex Ezech. 43. *Accipies de ſanguine ejus, & pones ſuper quatuor cornua ejus, expiabiſque illud, & expurgabis illud:* & Levit. 16. non ſemel. Hanc Tranſlationem eleganter inſinuavit Jacob, cùm ait de muneribus quæ mittebant fratri ſuo, אכפרה *faciem ejus munere*; *Operiam*, inquit, *faciem ejus*; i. Faciam muneribus his ut erga errata mea ſit veluti obtectâ facie, & immemor ſit omnis injuriæ. Hoc ipſum crediderim Abimelech voluiſſe ſignificare Gen. 20. quando *mille argenteos* quos dabat Abrahæ vocavit *operimentum* (ſeu *velamen*) *oculorum Sarræ, & omnium domeſticorum ipſius*; ut omnes illi condonarent injuriam, tanquam qui oculos velatos haberent, & nihil criminis vidiſſent. Quare non malè hic verbo *dimittendi*, *condonandi* aut *expiandi* reddere poterimus. ¶ *Et hic omnis fructus*] *Hunc ſolum fructum* caſtigationis ſuæ habere vult Dominus, *auferre erratum ejus*. Quid manifeſtius ad commendandam nobis Divinam bonitatem, adeóque ipſam Dei juſtitiam, dici potuiſſet? ¶ *Cùm poſuerit*] Ad verb. *in ponere ipſius*, i. *ſi ponat ipſe*, vel *modò ponat ipſe*. Vel *ablatio peccati* in hoc conſiſtit, *ſi ponat ipſe lapides*, &c. Hic nota, non ſufficere gemitus, ſuſpiria & dolorem animi, niſi etiam tollantur peccati & ſigna & incitamenta, & ſuus Deo honos reddatur; dum videlicet nihil eorum quæ oculis Divinæ majeſtatis diſplicent ſtare ultrà conſpicitur. Quò facit vehemens illa Hyperbole, ut *lapides altarium in pulverem redigantur*; quemadmodum & Moſes Vitulum aureum in pulverem comminutum in potum dedit, ut in ſeceſſum mitteretur, nulláque impietatis veſtigia remanerent. Quod quamdiu non fit, neque dimiſſum erratum nobis confidamus. ¶ *Delubra*] Jam ſuprà dixi propriè eſſe *Solis ſimulacra*. Sed credo pro aliis idolis etiam accipi. Hæc autem nomina *lucorum* & *ſimulacrorum* ſolent cœcis Judæis imponere, ut hunc & ſimiles locos ad tempora J E S U non referant; cùm, ut jam ſuprà non ſemel annotavi, iſtis vocibus obtexerint Prophetæ ſua oracula. Per ea autem intelliguntur Avaritia, Invidia, Superbia, cæteræque hujuſmodi peſtes, quas colentes Judæi, & ab eis recedere nolentes, à Deo percuſſi ſunt: neque ejus vindictam unquam evadent niſi qui pœnitentiam egerint.

10. *Civitas enim*] Ego hîc conjunctionem, ut ſæpe aliàs, vim adverſativam habere exiſtimo; q. d. At non ità futurum eſt; non aget pœnitentiam; non *auferetur ejus peccatum*; non *deſtruet aras*, &c. non igitur *florebit*, non *germinabit*, &c. *Sed civitas munita deſolata erit*, &c. *Civitas* autem collectivè pro *civitatibus* accipitur: éſtque ſermo de vaſtatione Judææ tam temporali quàm ſpirituali: ſimul enim utraque contigit. *Civitates*, inquit, ad quas ſolent ex pagis confugere propter *muros*, &c. *erunt ſolitariæ*. ¶ *Speci󠁯ſa*] Nomen נוה paſſim in Scriptura pro *loco amæno*, *graminoſo* & *paſcuo* accipi videas: deinde & pro *rure*, adeóque & pro *ipſis qui ruri habitant*, accipitur, Pſal. 68. Cùm ergò *civitates* dixiſſet *in ſolitudinem redigendas*, *loca amæna & paſcua* dicit quoque *derelinquenda*; ut tam civitates quàm villulæ ſint deſertis ſimiles. ¶ *Ibi paſcetur vitulus*] Hîc jam figuratè Titum deſignari puto Veſpaſiani filium, qui *ſummitates* ſeu *prominentias* omnes, & quidquid excelſum, quidquid eminens, quidquid veluti à corroſione & *conſumptione* tutum videbatur in populo illo, imò quidquid fructiferum, cujuſmodi ſunt vineæ prominentes palmites, corroſit, decerpſit atque abſumpſit, ſicut ſi *vituli vineam depaſcerent*. Ad Metaphoram itaque Vineæ redit.

11. *In ſiccitate*] ב, i. *Cum*. Eſt autem Hebraiſmus, quo nos quoque Luſitani utimur, i. *præ ſiccitate*; *cum frigore*, i. *præ frigore*. ¶ *Meſſis illius*] De nomine & acceptione קציר vide ſuprà 18. quòd *decurtationem putationémque* ſignificet, & aliquando *palmites* ipſos *qui amputantur*. ¶ *Docentes eam*] Participium מאירות eſt à verbo אור, quod in Hiphil ſign. *illuſtrare*, *illuminare*, *lucidum facere*. Quare non mirum quòd Vulg. pro *docere* acceperit, præſertim cùm mox appellet populum *inſipientem*. Quæ eſt autem major inſipientia quàm à feminis doceri? Sed perſeverando in Vineæ Metaphora alius ſenſus eſt, quem in verſione expreſſi. Solent enim feminæ colligere fractas vites & ramuſculos, ut ignem ſuccendant. Comparat itaque Synagogam, imò totam Judæorum Remp. *vineæ cujus palmites præ ariditate franguntur*, quos in ignem colligere ſolent. Hunc locum illuſtrat ille Joan. 15. ubi Dominus ſe Vineæ comparat, nos palmitibus; ubi tandem ait, *Si quis in me non manſerit, mittetur foràs, ſicut palmes, & areſcet, & colligent eum, & in ignem mittent*, &c. Cùm ergò maxima Judæorum pars exciderit & aruerit, igni aptos eos eſſe declarat; ut ad hunc locum alluſiſſe Dominum exiſtimem. Accipitur autem hic participium מאירות ſicut verbum ipſum Pſal. 18. *Tu illuminas lucernam meam: accendis*, &c. ¶ *Non eſt populus ſapiens*] Non hoc tantùm loco ſed & aliis plurimis tribuitur Judæorum perditio ignorantiæ: nam *Deus hujus ſeculi obcæcavit mentes eorum, ne fulgeret illis Euangelium glorioſum Dei beatiſſimi. Videntes non viderunt*, & *noviſſima non conſideraverunt, neque agnoverunt tempus viſitationis ſuæ*, &c. Non *apprehendentes* ergò Chriſtum, neque *munitionem Dei*, imò reprobantes eum, & Cæſari volentes ſubjecti eſſe, à Cæſare vaſtati ſunt. Nam quia obliti ſunt Dei, & eum *qui ipſos fecerat* non cognoverunt, tradidit eos dilaniandos *abſque miſericordia*, &c. *neque eos gratificare voluit*, i. in gratiam recipere, atque illis reconciliari: *ſed projiciens repulit, iratus contra eos vehementer*, ut eſt in ultimis Lamentationum Jeremiæ verbis.

12. *Percutiet*] Verbum חבט propriè eſt *excutere cum quadam ſucceſſione*, ut fit in excuſſione frumentorum: unde & verbo *terendi* reddi poſſet. ¶ *Ab alveo*] Nomen in genere ſign. *ductum*, *actum*, *curſum* ſeu *fluxum*, ſecundùm ejus rei de qua dicitur conditionem. Hoc certè loco שבלת נהר ipſe fluvius Euphrates dicitur, qui, veluti quædam ſemita, ſuo alveo fertur placidus. Quia verò de *trituratione* erat ſermo, venuſtè ludit in verbis. *Culmi* enim cum *ſpicis*, qui eâdem voce Hebræis dicuntur, *triturantur*; quaſi ſignificet *habitatores Euphratis* triturandos, veluti frumentum, ut ex illis, veluti ex paleis, educat *Iſraelitas*, veluti grana. Idem intellige de *fluvio Ægypti*, i. Ægyptiis. Per utroſque autem intellige omnes hoſtes populi Dei, qui divexarant ſervos Dei: è quorum tyrannide, cùm Domino videtur, eripiuntur pii. Imò intellige univerſas gentium nationes, inter quas erant *diſperſi filii Dei*, quos *ante mundi conſtitutionem Deus in Regnum Filii ſui prædeſtinaverat*; qui ſunt *veri Iſraelitæ*, qui *ſectantur fidem patris ſui Abrahæ*; quos venit Filius Dei *ut congregaret in unum*, ut eſt apud Joannem. Quam *diſperſionem* atque *collectionem* ſi Judæi intelligerent, nequaquam in peccato morerentur. Cùm ergò Propheta vaſtationem Vineæ Dei deſcripſiſſet, & abjectionem Populi electi, cauſis etiam appoſitis, decantaſſet, more Prophetico, quonam pacto promiſſiones factæ Patribus adimplendæ forent, non potuit tacere; & de ſanctis Reliquiis, quas totius Prophetiæ ſuæ bonam partem ſuprà eſſe diximus, inſerit ſermonem: Paucitatem autem ſervandorum explicat illâ loquendi formâ. ¶ *Unus & unus*] Vel, ut eſt in Hebræo, *ad unum unus*, vel *poſt unum unus*: quod non dicitur niſi ubi eſt electio & paucitas. Unde has Reliquias *electionem* vocat Paulus ad Rom. Neque aliud in his verbis *triturationis* & *collectionis* hoc loco intelligas quèm electionem filiorum Dei ex medio nationum.

13. *In tuba magna*] Jam quod obſcurè dixerat planiùs effert, quòd ſcilicet per prædicationem Euangelii facta fuerit illa trituratio & electio. *Habere* enim *ventilabrum in manu* dicebat

bat Joannes *ad permundandam aream suam*, &c. eandem rem aliis verbis significans. Concutiuntur autem mentes prædicatione Euangelii, *& manifestantur consilia cordium*, & *præordinati ad vitam fidem adhibent*, ut est in Actis Apostolorum, *cæteri verò indurantur*; & *è duobus quo in uno lecto sunt alter assumitur, & alter relinquitur.* Verùm enimvero quia *terendi* seu *excutiendi* verbum durum aliquantulùm videbatur, possentque dicere homines, *Si ego palea sum, non est quod triticum effici possim. Me fecit Deus in contumeliam; non possum esse vas in honorem. Quid commerui?* omittit Propheta illam Metaphoram, in qua non nisi efficaciam Verbi & dignitatem filiorum Dei voluit significare; & nomen *tubæ* inducit, cujus *clangor* ab omnibus auditur; Sed non omnes obediunt Euangelio; ut cujusque voluntatem præcipuam indurationis & derelictionis causam insinuaret, non Domini ordinationem. Cæterum שופר *tubam* in S. literis, non *cornu*, ut quidam volunt, sign. Habet autem appellationem ab *expansione* seu *diffusione clangoris*, qui formatur *impressione* cùm spiritûs tum manuum: & ipsa radix שפר *explicationem* notat, & verbum quocum construitur *impressionem*. ¶ *Adorabunt in monte*, &c.] Nominibus *montis sancti* & *Jerusalem* non possunt decipi nisi increduli Judæi, qui restitutionem suæ Reip. exspectant. Nos autem scimus esse Ecclesiæ nomina, quæ est *in vertice montium*, extra quam non est pax aut felicitas, sed neque morum sanctitas.

L U C A S B R U G.

6. QUi *ingrediuntur* * *impetu* [* *in* o.] *ad Jacob.*] Exemplarium quædam *ingrediuntur*, quædam *ingredientur*, quædam *egrediuntur*, quædam *egredientur*, legunt. Rursus quædam *ad Jacob*, quædam *ab Jacob*, quædam *à Jacob* scribunt. Genuina lectio discerni haud facilè potest, quòd præstantiora etiam exemplaria varient. Cæterùm tempus præsens in plerisque omnibus præstantibus exemplaribus lego: & quidem *egrediuntur*, cùm in quinque præstantibus exemplaribus, tum in textu Hieronymi commentariis juncto, reperio: atque apud Hebræos præsentis temporis participium באים, quod est, *venientes*, invenio. Deinde in quinque emendatis codicibus *ab Jacob* deprehendo, ut in Hieronymi textu *de*. Videri itaque possit vera esse lectio, *Qui egrediuntur impetu ab Jacob*, quam habent, eo undequaque modo, lectissima MS. E, Brugense & Plantini medium. Fortè primùm *ab* in *ad*, postea etiam *egrediuntur* in *ingrediuntur*, mutatum fuit. Verùm undenam τὸ *impetu* legitur, cùm Hieronymi textus habeat *radice*, *Qui egrediuntur de radice Jacob?* sic enim & Hieronymum scripsisse satis loquitur commentarius, *Qui in excelsis*, vel, ut Sasbout legendum putat, *Qui egredientes fuerint de semine Jacob, & in Apostolicam pervenerint dignitatem.* An fortè, ut & aliàs nonnunquam, alio atque alio modo Hieronymus est interpretatus, primùm *impetu*, postea, dum scriberet commentaria, *radice?* [Richelius utrunque & legit & exponit. Uni codici *in impetu* cum *de radice* mutatum fuit.] Sed unde *impetu* verti potuit? שרש enim, unde est verbum ישרש, quod Hebraicè legitur, *radicem*, minimè verò *impetum* significat. Forerius existimat ישרש in secunda conjugatione acceptum, in qua *eradicare* denotat; ac pro *Egredientes eradicabitur Jacob*, dictum, *Qui egredientur impetu à Jacob.* Hebræa sic habent הבאים ישרש יעקב, id quod ad verbum reddas, *Venientes radicabit Jacob*, Lxx transtulerunt οἱ ἐρχόμενοι τέκνα Ἰακώβ, *Venientes filii Jacob.*

8. *In mensura contra mensuram, cùm abjecta* [*adjecta* o.] *fuerit* *, [* *vinea mea* o.] *judicabis eam.*] Multùm hoc loco fallitur Adamus Sasbout, qui quod legitur, *cùm abjecta fuerit*, non esse in Hebræo notat, & dubium an aliquis studiosus ex commentariis Hieronymi textui adjecerit. Nam quod est Hebraicè בשלחה, atque ad verbum vertas *in dimittendo eam*, reddidit Interpres noster Hieronymus, *Cùm abjecta fuerit*, quod omnes Enarratores agnoscunt, & codices omnes legunt. Existimavit vir bonus quod Hieronymus vertit, *Contra mensuram*, ei respondere in Hebræo quod alii vertunt, *in emissione ejus*: cùm hoc quidem ex eo translatum sit ex quo Hieronymus transtulit, *cùm abjecta fuerit*, nimirum ex בשלחה; illud verò cum eo quod præcedit, *In mensura contra mensuram*, ex hoc בסאסאה, quod alii tantùm *In mensura* interpretantur. Hinc error. Hieronymus dixit *in mensura contra mensuram*, vel quòd vox סאה, quæ *mensuram* significat, in illo verbo duplicetur, quasi esset, *In mensura mensura*, vel quòd sensum non verba solùm transferre voluerit. Pro *judicabis* multi libri, cum Hugone Carensi, *judicabit* legunt. Lobiense MS. cum Haymone Halberstattensi, *judicabunt* habet. Antiqui verò Epanorthotæ codices, atque ex nostris Brugensis, Leodiensis, P & Q, cum aliis aliquot, *judicabis* retinent: quibus Hieronymi textum adstipulari etiam Epanorthotes annotavit. Adstipulatur & Hebraicus textus: nam תריב secundæ personæ est, non tertiæ, nisi feminino genere, quod, cùm ad Deum respiciatur, loco non convenit. Exstimarim *judicabis* in *judicabit* versum, cùm quòd compendio scripta fuerit ultima syllaba, tum quòd mutata persona sequatur, *Meditatus est in spiritu suo*, &c.

D R U S I U S.

1. בריח. A. *vectem.* Sym. *concludentem.* Th. *robustam*] Hier. *Coluber fugiens in Ebraica dicitur* ברח, *quod Aquila interpretatus est* vectem, *Sym.* concludentem, *Th.* robustum.

4. שמיר שית. Aq. *spinam & veprem*] Hier. *adamantem & loca sentium plena.* Vide sis Commentar. ipsius.

11. נשים באות מאירות אותה. Aq. γυναῖκες ἐρχόμεναι φωτίζουσιν αὐτήν, *feminæ venientes illustrant eam.* Sym. γυναῖκες ἐρχόμεναι καὶ δηλοῦσαι αὐτήν, *mulieres venientes & manifestantes eam*] Ex Eusebio.

12. יחבט. Aq. Th. ῥαβδιεῖ *virgâ percutiet*, vel *ad virgam recensebit numerum gregis sui.* Ex Hier. ¶ עד נחל מצרים] Lxx ἕως Ῥινοκορούρων. alii *usque ad torrentem Ægypti*] Eusebius in Symbolis & in Comment. ¶ בני ישראל. Sym. *domus Israel*] Ex Hier.

IDEM EX PROCOPIO.

1. הקשה. Aq. Sym. Th. τὴν σκληρὰν *duram*] Procopius, ἀντὶ τῆς, τὴν ἁγίαν, σκληρὰν ἐξέδωκαν οἱ λοιποί. ¶ על לויתן נחש ברח] ועל לויתן נחש עקלתון והרג את התנין אשר בים. Sym. καὶ ἐπὶ Λευιαθὰν τὸν ὄφεως τοῦ συγκλείοντος, καὶ ἐπὶ τοῦ ὄφεως τοῦ σκολιοῦ, καὶ ἀποκτενεῖ τὸν δράκοντα τὸν ἐν τῇ θαλάσσῃ, *contra Leviathan serpentem concludentem, & contra serpentem tortuosum*, vel *sinuosum, & interficiet draconem qui in mari.* Aq. ἐπὶ Λευιαθὰν ὄφιν μοχλὸν, καὶ ὄφιν ἐσκολιωμένον καὶ ἐπεστραμμένον, καὶ ἀποκτενεῖ σὺν τὸ κῆτος τὸ ἐν τῇ θαλάσσῃ, *super Leviathan serpentem vectem, & serpentem squalidum aut invalidum, & occidet cetum qui est in mari.* Th. ἐπὶ Λευιαθὰν ὄφιν σκληρὸν, hîc aliqua desiderantur, quæ supplebis ex Hier. *Super Leviathan serpentem robustum, & super serpentem squalidum, & interficiet.* Vide Fragmenta. Καὶ ἀποκτενεῖ τὸ κῆτος ἐν θαλάσσῃ, *super Leviathan serpentem squalidum, & interficiet cetum in mari.*]

2. ביום ההוא. Aq. Sym. ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ *in die illa*] Quæ cum præcedentibus connectunt, *& interficiet cetum qui in mari in die illa.* Vide Procopium.

10. כי עיר בצורה בדד נוה משלח ונעזב כמדבר שם ירעה עגל ושם ירבץ וכלה סעפיה. Sym. Πόλις γὰρ ὠχυρωμένη μόνη, καλὴ ἀφεῖται, καὶ ἐγκαταλέλειπται ὡς ἔρημος. ἐκεῖ νεμηθήσεται μόσχος, καὶ ἐκεῖ κοιταθήσεται, καὶ ἀναλώσει τοὺς κλάδους αὐτῆς, *Civitas enim munita sola, speciosa relinquetur, & dimittetur tanquam desertum: ibi pascetur vitulus, & ibi accubabit, & consumet ramos ejus.*

11. ביבש קצירה תשברנה. Idem, ἐν τῷ ξηρανθῆναι τὸν θερισμὸν αὐτῆς, συντριβήσονται, *cùm siccabitur messis ejus, contenentur.*

12. יחבט. Aq. Sym. Th. ῥαβδιεῖ *virgâ cædet* sive *excutiet.* ¶ משבלת הנהר עד נחל מצרים]. Sym. ἀπὸ ῥεῖθρου ποταμοῦ ἕως τοῦ χειμάρρου Αἰγύπτου, *à rivo Fluminis usque ad torrentem Ægypti*] Procopius, τῷ Συμμάχῳ ἰσοδυναμοῦσι καὶ οἱ λοιποί. Idem post, μέχρι τοῦ χειμάρρου Ῥινοκορούρων, ὅπερ ἐστὶν Αἰγύπτου μεθόριον.

G R O T I U S.

1. IN *die illa*] Continuatio prioris Cantici.

Super Leviathan] Nam, ut ait Varro,

Qui potis plùs, urget; pisces ut sæpe minutos
Magnus comest.

Ideo ii Reges qui minutiores Principes opprimunt, in sacris litteris Ceto vocantur.

Serpentem vectem] Hebræi vocem נחש & תנין tam de piscibus quàm de serpentibus usurpant. *Vectem*, id est, validum.

Serpentem tortuosum] Deceptorem.

Qui in mari est] In magno Imperio. Nam aquæ, populi.

2. *In die illa, vinea meri, cantabit ei*] *In die illa vinea rubentis vini* (id est optimi, Genes. XLIX. 12. Prov. XXIII. 31.) *accinite*: hæc quæ sequuntur ex Dei persona. Civitatem Hierosolymitanam vocat *vineam optimi vini*, quòd fructus egregiæ fidei in Deum & patientiæ protulisset.

3. *Repente propinabo ei*] In Hebræo, *In tempore rigabo eam*; id est, diligenter curabo vineam istam.

Ne forte visitetur contra eam] *Ne visitet eam*, nempe *hostis*; id est, fractâ sepe irrumpat. Est enim in voce *visitandi* λιτότης [*Extenuatio*], ut in voce *videndi* II Regum XIV. 8.

4. *Indignatio non est mihi*] Non possum irasci vineæ meæ.

Quis dabit me spinam & veprem in prælio] Iræ meæ materia sunt, non vineæ, sed spinæ & vepres. Vide suprà x. 17.

Gradiar super eam, succendam eam pariter] Non conculcabò tantùm ista damnosa terræ onera, sed & incendam. nam in illis locis ex rhamno ignis fieri solet, ut notatum alibi.

5. *An potiùs tenebit fortitudinem meam*] In Hebræo, *Aut apprehendet fortitudinem meam*: id est, aut si irasceretur vineæ, illa vim meam quasi devinctam teneret, nempe precibus demississimis. Allusit ad historiam Genes. XXXII. 28.

Faciet pacem mihi, pacem faciet mihi] Quàm celerrimè mecum pacem faceret. Clarior explicatio ejus quod præcesserat.

6. *Qui ingredientur impetu ex Jacob*] In Hebræo: *Venturis* (supple *temporibus*) *radices aget Jacob*. Sub Ezechia post cladem Sennacheribi populus Judæus in statu erat firmo.

Florebit & germinabit Israel] Multi ex Decem tribubus qui in locis longinquis exsulabant, ipsius regno se addent. Suprà XI. II. 12.

Et implebunt faciem orbis semine] *Orbis*, sui scilicet, ut suprà XXIV. 4. De *semine* vide suprà XXVI. 19.

7. *Numquid juxta plagam percutientis se percussit eum?*] Ostendit Dei bonitatem erga Judæos. Castigavit quidem eos, inquit, bono ipsorum; sed an eos ità tractavit ut Sennacheribi exercitum?

Aut sicut occidit interfectos ejus, sic occisus est?] In Hebræo: *An ad instar occisionem occisorum illius* (nempe Assyrii) *occisus est*, nempe populus Judaicus?

8. *In mensura contra mensuram, cùm abjecta fuerit, judicabis eam*] Respondet populus, Dei dicta approbans. Verba Hebræa sic sonant, *Moderatè relegando castigabis eam*, nempe *vineam tuam*: sicut patres filios minùs obsequentes rus amandant.

Meditatus est in spiritu suo duro per diem æstûs] In Hebræo: *Aufertur* (est enim activum pro passivo) *vento violento, tempore Euri*, nempe Assyrius. Est oppositio perpetua castigationum populi Judæi, & pœnarum quas pependit Assyrius, velut æstu suffocatus. Vide suprà XXVI. II.

9. *Iccirco super hoc*] Sensus est, *Contrà verò*.

Dimittetur iniquitas domui Jacob] Non durabit ejus calamitas.

Et iste omnis fructus ejus] Omnis felicitas ejus in hoc sita est.

Ut auferatur peccatum ejus] *Ut auferat* (ipse populus) *peccatum suum*; ut se bene repurget: quod explicant sequentia.

Cùm posuerit omnes lapides altaris ut lapides cineris allisos] *Ut faciat lapides altaris* (nempe cujusque altaris extra Templum positi) *tanquam lapides in calcem comminutos*. גר hoc loco est *calx*, ut גר apud Danielem v. 5.

Non stabunt luci & delubra] *Ut non exstent luci & πυρεῖα* [*Ignitaria*]. De hac voce posteriori vide quæ dicta ad Levit. XXVI. 30.

10. *Civitas enim munita desolata erit*] כי hîc est *at*. Sensus: *At verò Babylon misere vastabitur*. Vide suprà XIII. & XXI.

Ibi pascetur vitulus] Ubique nemine impediente vagabitur.

Et ibi accubabit] Securè admodum.

Et consumet summitates ejus] *Ramos*, nempe hortorum, qui pulcherrimi in urbe Babylone.

11. *In siccitate messes ejus conterentur*] In ipso æstatis tempore, cùm spes erat fruendi.

Mulieres venientes & docentes eam] *Incendent eam Mulieres*, id est, Medi contemti antea ut molliores. Horum vestes ἀναξυρίδες, κάνδυς, τιάρα [*feminalia, candys, tiara*], Vide Plutarchum Alexandro.

Non est enim populus sapiens] Assyrius.

12. *Ab alveo fluminis usque ad torrentem Ægypti*] Medi à Babylone ad ultimos fines qui Ægyptum versus sunt pervadent. *Flumen* κατ' ἐξοχὴν [*per excellentiam*] in his libris ubique Euphrates.

Et vos congregabimini unus & unus filii Israël] Dissidia ista in Imperio Assyriorum occasionem dabunt multis Hebræis tutò, nemine impediente, ad suos revertendi. Est aliis verbis idem quod suprà XI. 15.

13. *Clangetur in tuba magna*] Ità res se habebit quasi in exercitu canatur receptui.

Et venient qui perditi erant de terra Assyriorum] Idem sensus qui commate præcedente.

Et qui ejecti erant de terra Ægypti] Nam & eo multi concesserant, adventante primùm Salmanasare, deinde Sennacheribo. Vide suprà XI. II.

Et adorabunt Dominum in monte sancto in Jerusalem] Omissa sacra instaurabunt.

CAP. XXVIII.

MUNSTERUS.

Hinc usque ad 36 caput loquitur Propheta de Assyrio bello. Punitæ fuerunt X Tribus, paucis ex eis sub corona Judæ relictis. Retinebant vetus ingenium, homines crapulosi & contemptores verbi Dei.

1. *Super caput vallis pinguium*] Loquitur contra Regnum Israel, appellâtque habitatores ejus Metaphoricè *Vallem pinguedinum*, quòd jugiter vino oppressi in terra jacebant, vomentes, & omnia loca suis immunditiis inquinantes. Prædicítque illis futurum quod solet accidere præcocibus fructibus æstivis, &c.

6. *Aversantibus pugnam*] h. e. Cùm hostem impulerint usque ad loca sua munita, tunc *fortitudo* Domini aderit eis, ut & fortalitia hostium facilè obtineant.

7. *Sed & illi*] Notat hîc Tribum Jehuda & Benjamin. Per *Prophetam* verò significantur Prophetæ falsi. Veri enim Prophetæ ebrietatem redarguerunt; tantum abest ut ipsi sese vino ingurgitarint. ¶ *Impegerunt*] Est verbum פק idem quod כשל.

10. *Præceptum ad præceptum*] Sunt hîc צו & קו nomina: & est sensus, Sicut parvulis successivè multa dantur præcepta, primò quidem minora, & quorum ætas illa est capax, deinde grandiora; sic populus ille rudis instituendus est & sensim ad cognitionem Dei ducendus: alioquin si mox illi cibum grandium proposuens, dicent te *loqui alienâ linguâ*, & deridebunt te. Quòd si nec minima audire voluerint, & contempserint omnem Propheticam increpationem, non restat nisi ut *corruant, irretiantur & capiantur*. Alii sic vertunt, *Præcipe ad præceptum, exspecta ad exspectationem*, &c.

15. *Percussimus fedus cum Morte*] Sensus est; Non terrent nos minæ tuæ, nec veniet super nos mors aut interitus quem venturum prædicis; quoniam *nos fecimus fedus cum Morte, sed & Infernum facie ad faciem vidimus, & pactum fecimus cum eo*, ut non absorbeat nos. Et hæc responderunt impii דרך מליצה *per modum derisionis, fiduciam habentes in mendaciis* falsorum Prophetarum.

16. *Lapidem probatum*] Hebraismus propriè habet *lapidem probationis*. Est enim בחן ejusdem formæ cum קדש, nisi quòd litera gutturalis mutat Segol in Pathah. Ejusdem ferè formæ est מוסד cum Pathah: alterum verò cum Camez est Pual in Hiphil. ¶ *Qui credit non festinet*] *Qui*, inquit, *credit* his verbis meis, *non festinet*. videre hunc *Lapidem angularem*. Nondum enim impletum est tempus quod Pater cœlestis præfinivit Filio suo incarnando. Vel sic, *Qui credit non festinet* ad sua consilia, sed exspectet Dei consilium, & non convertatur ad illicita media.

17. *Grando*] Comparat Propheta hostem *Grandini* & *Inundationi aquarum*.

20. *Contractus est lectus*] Per *lectum angustum* intellige fiduciam in mortalem hominem locatam; sicut Judæi sæpe frustrà spem suam collocaverunt in Reges Gentium.

21. De *monte Perazim* habes 2 Sam. 5. quomodo Dominus steterit pro David contra Philistæos; & de *valle Gibeon*, Jos. 10. *Opus alienum* vocat ultionem Dei quam erat sumpturus de Israelitis, quibus antea contra hostes eorum tam magnificam tulerat opem.

24, 25. *Arat arator*] Secundùm Hebræos in hac similitudine insinuatur Dei mirabilis operatio, quâ excoluit populum Israeliticum tanquam agrum squalidum, ad susceptionem seminis Divini verbi. Kimhi ad longum hanc exponit שורה. Porrò קצח dicit esse *legumen parvum & nigrum*. Judæi tamen Germani interpretantur **Wicken**; Item נסמן hîc idem est quod סמן.

28. *Trituratur*] Heb. *Attenuatur*, h. e. circumductione rotæ & rastri è paleis excutitur, non tamen comminuitur, cùm hoc per molarem fiat lapidem. Porrò in אדוש Aleph otiosè superadditur, cùm sit infinitivus in quarto ordine: & פרשים capiendum putant pro כנפים *calcaribus*, h. e. pro *dentibus rastri*. Sensus hujus similitudinis est, Sicut trituratione hoc quæritur ut panis fiat, non ut conculcentur grana, sic Deus quærit salutem reliquiarum quando consummationem immittit impiis.

VATABLUS.

1. CORONÆ *superbiæ* עטרת גאות] Hebraismus, pro *Regibus superbis*, vel *Regno superbo*, Regno Israelitico, quod vocat *Ephraim*. Invehitur in mores hominum sui temporis qui erant mollitiei & ebrietati dediti. ¶ *Ebriis* שכורי] *Temulentorum*. ¶ *Et flori*, &c. וציץ וגו'] Quidam converso ordine sic vertunt, pauculis subauditis, *cujus gloria decoris* est velut *flos deciduus*. *Gloriam decoris* vocat gloriam inclytam & decoram. Superbiebant enim propter opes, quas ceu fluxas comparat *flori deciduo*. Alii, *cujus eximia gloria* est veluti *flos marcescens*. Alii, *quia decor gloriæ ejus erit flos deciduus*. Alii, præcedentibus conjungentes, vertunt, *& deciduo flori decoris gloriæ ejus*. ¶ *Quæ* est, &c. אשר על ראש וגו'] *Quæ* est *super caput vallis pinguium oppressorum à vino*: sive, & qui *oppressi sunt vino*. Alii, *super quorum capita* est velut *vallis unguentorum*, & sunt *percussi vino*. *Valles* vocantur amnes, quòd soleant abundare amnibus & fluminibus: q. d. qui in conviviis suis perfunduntur multo unguento & vino; aut, in quorum capita descendit ut amnis unguentorum copia, & inebriari solent. Quidam dicunt Prophetam vocare eos *vallem pinguedinum* quòd madentes unguentis, jugiter vino oppressi, in terra jacerent, vomentes, & omnia loca suis immunditiis inquinantes.

2. Dies] Alii subaudiunt *exercitus*. ¶ *Domino* לאדני] Hebraismus, pro *quem missurus est Dominus*. ¶ *Turbo excisionis* שער קטב] Hebraismus, pro *excidens*. Alii, *tempestas proterens*, aut *subvertens*. ¶ *Multarum* כבירים] *Fortium*; *validarum*; *vehementium*. ¶ *In fortitudine* ביד] Ad verb. *in manu*: i. in fortitudine, fortiter, sive fortissimè & validissimè.

3. Et *ebrii* שכורי] *Temulentorum*: vel *ebriorum*. Vide v. 1.

4. *Flos decidens*, &c. ציצת נובל וגו'] *Flos deciduus*, *gloria decoris ejus*, *super quorum capita* est velut *vallis pinguium*. Alii, *flos deciduus*, *decor gloriæ ejus qui* est *super caput vallis pinguium*. Alii, *flos pulcritudinis & decoris ejus*, *qui* est *in capite vallis pinguedinum*. Vide eadem verba & v. 1. ¶ *Videns* הרואה] i. Quispiam; Hebraismus. ¶ *Deglutiet eam* יבלענה] *Devorabit illam*; vel *absumet*. Alii, *cùm adhuc fuerit in ramo*: i. statim à ramo, sive cùm primùm decerpserit illam, devorat: q. d. statim legetur, & statim absumetur. Ità venient qui citò diripiant opes ac divitias Israelitarum.

5. *Et cidaris* ולצפירת] *Et diadema*. *Residuum populi* vocat duas reliquas Tribus.

6. *Vertentibus* משיבי] *Propulsantibus*: i. dabit virtutem ac robur his qui vertent in fugam hostes suos, fugabúntque eos usque ad portas urbium ad quas illi fugient: sive, in quas se recipere conabuntur.

7. *Et propter sechar*, &c. ובשכר תעו] *Et à temeto* [vel *mero*] *hallucinati sunt*. Alii, *& præ sechar perplexi sunt*.

8. *Sorde* צואה] *Stercore*. ¶ *Ità ut*, &c. בלי מקום] Ad verb. *in non loco*: vel *absque loco*.

9. *Quod audivit* שמועה] Ad verb. *auditum*, sub. *à Deo per Spiritum*. Quidam exponunt *verbum Propheticum*. Sic infrà 53. 1. *Quis credidit auditui nostro?* ¶ *Avulsi* עתיקי] *Amoti*; *abstracti*. Quidam vertunt per accusativum, *ablactatos à lacte*, *amotos ab uberibus*.

10. *Præceptum post præceptum*, &c. צו לצו וגו'] *Præceptum ad præceptum*, &c. q. d. Adeo rudes & tardi ac stupidi sunt ut sint docendi sicut pueri paulatim & sensim: multa illis simul tradenda non sunt. Alii per imperativum vertunt, *Nam præcipe ad præceptum*, *præcipe ad præceptum*: ut voces Judæorum imitetur qui sannis & cum contemptu irrisionéve excipiebant verbum Dei per Prophetas missum. Alii, *Manda ad manda*, &c. ¶ *Linea post lineam*, &c. קו לקו וגו'] Metaphora ducta ab iis qui murum construunt: q. d. pedetentim docendi sunt. Alii, *ædificium ad* [vel *post*] *ædificium*, &c. quia præceptum & statutum est velut ædificium: ædificium autem fit extensione lineæ cum regula & perpendiculo. Alii, *instructio ad instructionem*. Alii per imperativum, ut dictum est, *Exspecta ad exspectationem*, *exspecta ad exspectationem*: vel, *Exspecta ad exspecta*; *exspecta ad exspecta*. ¶ *Parùm ibi*, &c. זעיר שם זעיר שם] q. d. Paululum nunc ex uno libro, cras iterum paululum ex altero libro: portio exigua ex una parte libri tradenda est, & portio exigua ex alia parte libri, pro ratione obscuritatis locorum.

11. *Quia balbutientibus labiis* כי בלעגי שפה] Ad verb. *Certè cum blæsitatibus labii*: ac si dicat, Similes, inquam, erunt pueris rudibus: nam verus Propheta qui eos docebit, videbitur illis loqui linguâ balbutiente & peregrinâ ignotâve; adeò alienus erit à sacris ipse populus propter ebriositatem Prophetarum & Sacerdotum suorum.

12. *Ad quos dixit* אשר אמר] Ad verb. *Qui dixit ad eos*: vel per præt. plusquam perf. *dixerat*, nempe Propheta verus Sacerdotibus & Prophetis illis falsis. Alii, *Quoniam dixit ad eos*: ut sit ratio quare Propheta Dei futurus esset tanquam balbus populo. Quidam vertunt, *Si dixerit quispiam ad eos*, *En hæc est quies quâ potestis refocillare lassum*, *& hoc est refrigerium*, &c. ¶ *Requiem præstate lasso* הניחו לעיף] q. d. Vos Sacerdotes & Pseudoprophetæ sinite in pace, & date requiem populo huic fesso & fatigato, jam multa perpesso propter ignorantiam Dei & peccata sua, quòd mendaciis vestris crediderit: desinite fallere ipsum. ¶ *Et hæc est requies* וזאת המרגעה] *Et istud est refrigerium*, sub. *verum*: q. d. Si veram doctrinam docueritis, requiem consequetur populus, & desinet affligi: in mea doctrina invenietis refrigerium: si feceritis quæ dico, requiem invenietis.

13. *Præceptum post præceptum* צו לצו] Eadem verba quæ v. 10. acsi dicat, Propterea erit illis magna penuria verbi Dei & eorum quæ pertinent ad scientiam & cognitionem rerum sacrarum: verbum Dei erit illis rarum: docebuntur pauca præcepta accepta modò in uno loco modò in alio: non docebunt libros sacros integros, sed proponent tantummodo fragmenta quædam. ¶ *Ut vadant*, *& corruant* למען ילכו וכשלו] *Propterea ibunt*, *& corruent*, &c. i. ut cùm volent procedere, retrocedant.

15. *Percussimus*, &c. כרתנו וגו'] Hebraismus est, pro *Non moriemur*. q. d. Non terrent nos minæ tuæ: neque enim veniet super nos mors aut interitus quem venturum prædicis. ¶ *Pactum* חזות] Ad verb. *visionem*: i. venimus in colloquium pacis causâ, collocuti sumus cum illo nè nos absorbeat. ¶ *Inundans* שוטף] i. Cum magno impetu veniens. ¶ *Quia posuimus* כי שמנו] Hoc dicunt Ironicè, *Nam posuimus spem nostram non in re mendaci aut fallaci*, *sed in Diis qui nos eripient de manu hostium*; vel *mendacium*: i. Quod putas, ô Propheta, esse mendacium, rem inanem & fallacem. Doctus quidam inter Hebræos vertit, *quamvis posuerimus*. ¶ *Spem nostram* מחסנו] *Refugium nostrum*. ¶ *Occultati erimus* נסתרנו] Fut. pro præt. *abdidimus nos*: salutis scilicet causâ.

16. *Fundo*, &c. יסד בציון וגו'] Ad verb. *fundator in Sion lapidis*, *lapidis munitionis*, *anguli pretiositatis*, *fundamenti fundati*. יסד Toar est sive verbale, vice Benoni sive participii præsentis. Quidam hæc vertunt, *Fundaturus sum in Sion lapidem*, *lapidem*, inquam, *munitum*, *angulum pretiosum*, *fundamentum fundatum*, i. solidum, firmum & stabile. *Angulum pretiosum* vocat lapidem positum in angulo ædificii elegantissimo. Alii, *Pono pro fundamento in Sion lapidem probatum*, *angulum pretiosum*, *fundamentum solidum*. ¶ *Nè festinet* לא יחיש] Sub. *ut videat hoc*: i. nè existimet eam esse adimplendam brevi & ante multos annos.

17. *Ad trutinam* למשקלת] *Ad perpendiculum*. Alii, *ad regulam*: i. disponam sive dirigam judicium in justitia & rectitudine: q. d. Eo tempore vigebit judicium & justitia. ¶ *Et verret* ויעה] i. Et more scoparum ejiciet, sive quasi scopâ amovebit fiduciam vanam. ¶ *Spem mendacii* מחסה כזב] *Fiduciam mendacem*: h. e. idola & alia in quibus spem collocabunt homines. ¶ *Et occultationem* וסתר] *Et latibulum*: sub. *fallax*. Alludit ad id quod dixerat ver. 15. significat spem fallacem quâ se protegent. Quidam vertunt, *& latibulum aquæ inundantes obruent*.

18. *Et removebitur* וכפר] *Et auferetur*. Alii, *Et abolebitur*. Alii, *Et diluetur*. ¶ *Et visio vestra* וחזותכם] i. Pactum vestrum. Vide v. 15. ¶ *Non stabit* לא תקום] *Non consurget*: vel *consistet*: aut *non erit firmum*. ¶ *Eritis* והייתם לו] Ad verb. *& eritis ei*. Quidam convertunt, *flagellum inundans cùm transierit*, *tunc eritis ei in conculcationem*.

19. *Singulis diebus* בבקר בבקר] Ad verb. *in manè*, *in manè*. ¶ *Et erit*, &c. והיה וגו'] Hebraismus, pro *fama eorum quæ vobis accident incutiet metum audientibus*. Alii vertunt, *Et fiet ut duntaxat vexatio faciat intelligere auscultationem*: vel, *Et erit ut terror* [aut *commotio*] *duntaxat intelligere faciat auditum*: sive, *& erit*, *tantummodo terror faciet ut intelligant auditum*.

20. *Bre-*

20. *Brevius*, &c. 'כי קצר וגו Ad verb. *Angustum enim est stratum nè superfluat:* vel, *ut non supersit*, sub. *in quo se extendant.* Quidam, *Quoniam contractus erit lectus ut non sufficiat.* Obsidionem Jerusalem lecto nimium structo comparat. *Stratum*, urbs est plena populo: q. d. Cinget vos Romanus exercitus obsidione, & ità constringet ut urbs vix possit capere multitudinem. ¶ *Et operimentum*, &c. 'והמסכה וגו] Ad verb. *& angusta erit stragula in colligendo*, sub. *se*, vel *membra sua*: i. arctior erit quàm ut qui sub illo jacebit, eo tegere possit membra sua.

21. *Extraneum opus suum* 'זר מעשהו] *Alienum opus ejus*, i. insolitum & insuetum.

22. *Nè illudatis* אל תתלוצצו] *Nè sitis illusores: nolite esse irrisores*] i. nè irrideatis Prophetiam istam. ¶ *Invalescant* יחזקו] Ad verb. *fortificentur*, sive *validiora fiant:* i. ne constringamini arctioribus vinculis: h. e. nè severiùs animadvertat in vos Dominus. Pro *vinculis* quidam vertunt *castigationes.* ¶ *Et quidem decisam* ונחרצה] *Et eam quidem definitam*, vel *consummatam:* q. d. Revelavit mihi Dominus certò eventuram destructionem universæ terræ Israel. Verti etiam potest, *Quia completum & difinitum* [sive *determinatum*] *audivi.*

24. *Arabit arans* יחרש החרש] Fut. Heb. pro præt. *arat arator:* sive *arare solet.* Hâc parabolâ significat Deum non semper exserere manum suam, nec ulcisci assiduè hominum flagitia. *Numquid omnibus diebus* (sive *semper*) *arare solet agricola, ut jaciat sementem:* q. d. Non. ¶ *Proscindet*, &c. 'יפתח וגו] Fut. Heb. pro præs. Quidam vertunt, *aperit & confringit glebas agri sui.* Alii, *solvit* enim boves suos, *& comminuit glebas terræ suæ.*

25. *Tunc disperget nigellam* והפיץ קצח] Fut. Heb. pro præs. & ו pro *tunc* positum; *tunc serit*, sive *seminat*, *nigellam Romanam*, sive *git:* genus leguminis optimi & commendati à suavi odore & nigredine. ¶ *Mensuratum* שורה] *In mensura.* Quidam, *ordine*, sive *serie suâ.* Alii, *optimum & laudatissimum*, quasi Principe dignum, aut principem locum obtinens in suo genere. Alii, *in optima terra.* ¶ *Signatum* נסמן] *Designatum*, *insigne*; i. optimum. ¶ *In termino suo* גבלתו] i. In terra speltæ sive zeæ suscipiendæ apta: alioqui perderet operam: q. d. Singula semina seminat in terra propria.

26. *Erudit eum satorem illum* ויסרו] Ad verb. *& erudiet eum*, sub. *Deus.* Fut. Heb. pro præs. & ו pro *enim.* ¶ *Ad judicium* למשפט] *Rectitudinem.* Alii, *debitè*, *aptè*; sive *debito more:* i. ut omnia aptissimè faciat: q. d. Hanc scientiam serendi singula suis locis habet à Deo. ¶ *Docet eum* יורנו] Fut. Heb. pro præs. sub. *agriculturam illam.*

27. *Circumducitur* יוסב] Fut. Heb. pro præs. *agitatur: volvitur: agitur in orbem*, ad grana ejus excutienda scilicet.

28. *Panis* לחם] i. Grana unde fieri solet panis, nempe grana tritici, hordei & zeæ, triturari sive excuti solent majore vi & aliâ ratione. ¶ *Comminuetur*, &c. 'יודק כי לא וגו] Fut. Heb. pro præs. *comminuitur*, *quanquam non perpetuò triturando triturabit* [sub. *agricola*, vel *tribula* aut *rota*] *illum*, scilicet panem. Alii, Sed semen dans *panem trituratur*, *quamvis non in perpetuum* rota *triturando trituret ipsum.* Alii, *Triticum licet trituretur*, *non in perpetuum triturat ipsum.* ¶ *Nec conteret* והמם גלגל] *Nec contundet*, sub. *grana illa:* q. d. Servatur modus in tritico triturando. ¶ *Plaustri ejus* עגלתו] Sub. *agricola.* ¶ *Et dentibus illius* ופרשיו] Sub. *traha*, sive *tribula.*

29. *Mirificavit*, &c. הפליא עצה הגדיל תושיה] Præt. Heb. pro præs. *qui mirificat consilium*, *magnificat sapientiam:* vel *opus.* Hebraismus quem quidam sic reddunt, *qui mirificus est consilio & magnificus opere.* Alii, *qui miro agit consilio & magnifico instituto.*

C A S T A L I O.

9, 10. DEliculos, *& ab uberibus remotos*, *ità ut ad præcipe, præcipe; ad præcipe, præcipe; ad normam, normam; ad normam, normam: paulum ibi, paulum ibi. Nam ridiculo sermone aliâque linguâ alloquendus est ei hic populus*] Non plus intelligunt quàm infantes, qui docendi sunt balbutiendo & syllabas præeundo.

19. *Hanc quidem orationem vexatio tantùm docebit*] Non priùs intelligetur quàm sentiatur.

20. *Erit enim brevior lectus quàm ut se quis in eo experrigat*, &c.] Mendacium, in quo tanquam in lecto jacetis, non vos proteget.

21. *Insuetum suum facinus*] Ingens & mirabile.

24. *Num semper arat arator ad seminandum*, &c.] Ut agricola omnibus suis operibus ordine & ratione perfunctus, postremò triturat: sic Deus postremò puniet.

28. *Panificia quidem teruntur: non enim perpetuò triturat ea, aut plostelli stridente orbe equisque terit*] Idem faciet Deus quod agricola ipso docente facit.

C L A R I U S.

1. IN *vertice vallis pinguissima*] Loquitur hic Propheta contra Regnum Israel; appellátque habitatores ejus Metaphoricè *vallem pinguedinum*, quod jugiter vino oppressi in terrâ jacebant, vomentes & omnia loca suis immunditiis inquinantes; prædicitque illis futurum quod solet accidere præcocibus fructibus æstivis, qui præ novitate avidiùs decerpuntur, & pereunt.

6. *Et fortitudo in revertentes*] Ut scilicet cogere possint copias adversariorum recipere se intra portas. Vel, cùm hostem impulerint usque ad loca munita, tunc *fortitudo* Domini aderit eis ut & præsidia hostium facilè obtineant.

7. *Verùm hi quoque*] Notat hic Tribum Juda & Benjamin. Per *Prophetam* verò significantur Prophetæ falsi. Veri enim Prophetæ ebrietatem redarguerunt: tantum abest ut ipsi sese vino ingurgitaverint.

9. *Ablactatos à lacte*] Cùm similes sint ablactatis à lacte ac parvulis, quibus sicut successivè multa dantur præcepta, primò quidem minora & quorum ætas illa est capax, deinde grandiora, sic populus iste rudis instituendus est, & sensim ad cognitionem Dei ducendus, ut tanquam *balbutienti linguâ* utendum fuerit erga eum. Alioqui si mox illi cibum grandium proposueris, dicet te vacillare, vel *loqui linguâ alienâ*, & deridebunt te. Quòd si nec minima audire voluerint, & contempserint omnem Propheticam increpationem, non restat nisi ut *corruant & irretiantur & capiantur.* Quòd verò eadem repetit verba, significat opus fuisse frequenter repetitis monitionibus obstinato & rebelli populo. Adducitur autem hic locus à Paulo 1 Cor. 14. ut qui prædixerit fore ut Apostoli variis linguis loquantur, & tamen Judæos non credituros. Quare illud, *in balbutie labii & linguâ altera*, &c. significabat futurum ut audientes Judæi crederent eos vacillare linguâ, quod accidit cùm duxerunt eos esse *ebrios.*

15. *Percussimus fedus cum Morte*] Sensus est, non terrent nos minæ tuæ, nec veniet super nos mors aut interitus quem venturum prædicis, quoniam *nos fecimus fedus cum Morte*, *sed & Infernum facie ad faciem vidimus*, *& pactum fecimus cum eo*, ut non absorbeat nos. Et hæc responderunt impii per modum derisionis, *fiduciam habentes in mendaciis* falsorum Prophetarum.

16. *Lapidem probatum*] Cujus & Apostoli Petrus & Paulus meminerunt. ¶ *Qui crediderit*, *non festinet*] *Qui credit*, inquit, his verbis meis, *non festinet* videre hunc *lapidem angularem.* Nondum enim impletum est tempus quod Pater cœlestis præfinivit Filio suo incarnando.

17. *Inpondere judicium*] Vel, *judicium ad funiculum*, ut perstet in Metaphora, quia de *lapide* mentionem fecerat. ¶ *Grando*] Comparat Propheta hostem *grandini*, qui omnem eorum spem mendacem & protectionem quam promittebant sibi subvertet: comparat etiam *inundationi aquarum.*

20. *Coangustatum est*] h. e. *Angustior* reddetur vobis *lectus* quàm ut aliquid habiturus sit loci vacui, quo volvere vos in eo quocunque modo positis; *& cooperculum brevius* quàm ut contegere vos sufficere possit. Per *lectum angustum* intellige fiduciam in hominem mortalem positam, sicut Judæi sæpe frustrà spem suam collocaverunt in Reges Gentium.

21. *In monte Perazim*] De hoc monte habes 2 Reg. 5. quomodo Dominus steterit pro David contra Philistæos; & de *valle Gabaon* Jos. 10. ¶ *Alienum est opus ejus*] *Opus alienum* vocat ultionem Dei quam erat sumpturus de Israelitis, quibus antea contra hostes eorum tam magnificam tulerat opem.

22. *Consummationem enim*] Sic suprà c. 10.

24. *Numquid totâ die arabit arans*] In hac similitudine indicatur Dei mirabilis operatio, quâ excoluit populum Israelem tanquam agrum squalidum ad susceptionem Divini verbi. Et quam rationem habent agricolæ cum terra, eandem habet Deus cum suis: Nunc *aratoris* vice fungitur, nunc *satoris*, aliàs *triturantis*, atque hæc omnia ut fructum afferant. *Aravit* Israelitas miraculis per Mosen, *seminavit* præceptis, *trituravit* afflictionibus. Sed non semper arandum est, sed tempus est etiam ferendi fructus, & colligendi.

27. *Non enim in serris*] Cœlestis Agricola novit quos *plaustris* infirmitatum & persecutionum, quos verò *ferulis* & *baculis* probet paupertatis & afflictionum, sicut *non trituratur vicia cum tabula dentata*, *nec rota plaustri circumducitur per cyminum*, *sed baculo excutitur vicia*, *& cyminum virgâ*; *& non comminuitur:* hoc enim fit per molarem lapidem, cùm videlicet fidelis quis panis mundus faciendus est & Christo dignus.

FO-

F O R E R I U S.

1. HOC capite, ni fallor, utriusque Regni Israelitici vastationem describit ob cœcitatem, ignorantiam, & alia peccata ex quibus hæc oriuntur. Et primò de Regno x Tribuum verba facit. ¶ *Corona superbiæ*] Væ Regno *Ephraim*, (nam hoc nomine vocabatur Regnum x Tribuum) cujus initio mox *superbiam* commemorat. Plurimùm enim suis viribus confidebant, & Regnum Jehuda despiciebant. Secundò *ebriosos* vocat Israelitas, quòd dediti essent compotationibus & gulæ, ut ex aliis Prophetis apparet. Existimo autem hic civitatem metropolim designari, quæ erat opulentissima & deliciis dedita ac devincta, *sita in capite vallis pinguissimæ*; quòd ad felicitatem civitatis plurimum facit. Significat quoque Regnum illud aut civitatem Regiam ex *ebriosis* constare. Imò per *cororam* coronatos Principes ac nobiles intelligit, qui & superbi & deliciis dediti erant. Vide infrà v. 3. & 4. intelligentiam & constructionem harum vocum. ¶ *Et flori decidenti*] De significatione נבל jam suprà dictum est. Verbo *marcescendi* optimè redditur, cùm de *flore* est sermo. Comparat autem gloriam Regni Israelitici *flori marcescenti*, quòd parùm duratura esset. ¶ *Gloriæ exsultationis*] i. Cujus *jucunditas* & *decor* est similis *flori marcido* seu *marcescenti*; *qui flos est in capite vallis pinguissimæ*, i. qui habitant in initio *vallis pinguissimæ*: i. qui habitant in initio *vallis pinguissimæ: qui à vino solent conquassari*, dum huc atque illuc jactantur & ruunt. ¶ *Qui erant*] Supplevit præt. imperfectum Vulgatus. Possumus & præsens supplere, *qui sunt* vel *habitant*. Relativum autem ad *florem* vel *decorem* refertur. Ego proprias significationes quantum potui reddidi: sensus est quem Vulg. expressit. ¶ *Errantes*] Verbum הלם verbo *quassandi* seu *conquassandi* non malè redditur: suprà 16. Ps. 74. Est autem participium significationis passivæ, & reddi potest *conquassantur* vel *conculcantur à vino*: quasi sit ratio quare *flori marcescenti* comparentur. Quis enim *decor*, quæ *gloria*, quæ *jucunditas* illis esse potest quos *vinum contundit* huc atque illuc collapsos? Paraphrasticè ergò sic reddere posses, *O vos miseros, quantumvis coronati & superbi sitis, ô temulenti Ephraitæ! vestra jucunditas decórque vester similis est flori marcescenti: væ, inquam, vobis qui habitatis in capite vallis pinguissimæ, & semper vino repleti, nunc huc nunc illuc collapsi conquassamini.*

2. *Ecce*] Aperit commiserationis causam. ¶ *Dominus*] Est nomen *Adonai* cum articulo Lamed, qui interdum valet *à*, *ab*, *de*. Epitheta autem illa אמץ, חזק videntur esse adjectiva nominis מים, Hebraismo non inusitato Prophetis, pro *Ecce imber pertinax & vehemens venit tanquam imber grandinis*, &c. Est autem זרם *repentinus fluxus* seu imber *rapidus*; deinde *inundatio impetuosa*, quæ ab hujusmodi imbribus fit. ¶ *Turbo confringens*] שער *horrorem* propriè sign. & pro *spectro* accipitur Prov. 23. cum puncto dextro; at cum sinistro pro horrore Ezech. 32. Job. 18. Quia autem ingentes tempestates consequitur horror, hinc Vulg. pro *turbine*. Cæterum קטב sign. *evulsionem*, i. luem subitò evellentem, qualis est pestis, aut Apoplexia, mors subitanea, &c. Deut. 32. Ps. 91. *Ab evulsione qua vastat in meridie*. Cum aliis punctis Osee 12. *Ubi est, Mors, evulsio tua?* quod Apostolus 1 Cor. 15. vertit νῖκος, ad significandam *victoriosam evulsionem*. Hieron. *morsus*: alii aliter. Certè ex cognatis verbis quam apposui significatio probabiliorem habet. ¶ *Emissarum*] הניח Vulg. accepit intransitivè, & supplevit relativum, ut sæpe solent Hebræi, quasi scriptum esset *qui se dimittit super terram*, &c. ut alii non indoctè vertunt. Sign. autem propriè *quiescere facere*. At *quiescere facere ad terram* est Dejicere in terram. Manifestum verò est inundationes prævalidarum aquarum omnia prosternere. ¶ *Spatiosam*] Vulg. ביד, i. *cum manu*, conjungit cum nomine *terræ*. Dicitur autem tam Mare quam Terra habere *manus* Hebræis. Vide suprà 22. 18. *Terram* autem *cum manu* accepit pro *terra spatiosa*. Alii *manum* pro *vi* & *violentia* accipiunt, & cum verbo construunt, ac si superflua esset præpositio *cum*. Possumus etiam dicere esse phrasim quâ nos Lusitani utimur. Cùm enim quidpiam volumus significare absque ulla difficultate translatum alibi ubi placidè quiescere videatur, dicimus *manu situm* aut *collocatum*. *Facere* ergò *quiescere ad terram cum manu* est Ita dejicere ut immota maneant, & quasi manu illic sita ac collocata, idque facili negotio: qui sensus quia non est durus, Hebraismum volui retinere. Hæc autem significant hostium adventum qui universum Regnum Israel devastaturi erant.

3. *Pedibus conculcabitur*] Gloria, dignitas Regni illius, ipsi principes & coronati occisi & pedibus conculcati, aut in captivitatem ducti sunt. Lege librum Regum. Hic autem versus indicat in v. 1. *coronam* esse *ebriosorum*, atque ità construendum.

4. *Et erit flos decidens*, &c.] Hic quoque versus indicat has voces צבי תפארתו v. 1. per Appositionem esse accipiendas in hunc modum, *& væ flori marcescenti, jucunditati decoris ejus, væ jucunditati decoris, quæ est similis flori marcescenti*: quod quasi exponens ait, *Væ iis qui juxta caput vallis pinguissimæ conquassantur à vino*. Isti erant Principes & nobiles qui in metropoli Regni Samariæ habitabant, deliciis & gulæ dediti. Hos dicit prædam futuros cum tota Regni gloria & dignitate, quam elegantissimè comparat *præcoci fructui, quem avidissimè devoramus, neque diutiùs in manibus tenemus*. ¶ *Quod cum aspexerit videns*, &c.] Qui hìc כף pro *ramo* accipiunt, decipiuntur: nam affixum est masculinum; at בכורה fem. & in hoc genere respondent affixa aliarum vocum. Adde quòd כף non *ramum* designat, nisi cum ה in fine כפה, suprà 9. & Job. 15. Vulg. doctissimè Hebraismum vitavit, quem ego retinere volui, tum quòd facilis esset, tum ut etiam veritas Vulg. Interpretis magis conspicua esset. De vocibus autem hujus versûs jam in superioribus dictum est.

5. *Corona gloriæ*] Sensus idem est. Heb. *in*, vel *ad*, *coronam*. ¶ *Sertum*] צפירת: hoc nomine appellant Hebræi *folliculum qui primò in arboribus quasi protruditur*. Ezech. 7. *Prodiit folliculus, floruit virga, germinavit superbia*. Ego *flosculum* dixi: nam solent flosculi manu deferri propter gratiam & odorem. Est autem צפר *manicare*, *maturare*. Dicit ergò Propheta Dominum Regno Judæ post vastationem 10 Tribuum *futurum ornamentum* & *gloriam*, atque *jucunditatem* Judæis: quod & factum est sub Ezechia. Chald. suo more de Messia interpretatur: quod amplecterer nisi obstaret v. 7. & qui sequuntur. Certum tamen nihilominus est verba hæc ad felicitatem servorum Dei pertinere, quibus in hac etiam vita Deus ipse est *pro ornamento, gloria, suavitate, jucunditate*, pro omnibus denique quæ solent magnifieri ab omnibus: ut sanum consilium fuerit, illud unum Bonum semper amplecti in quo sunt omnia bona. Prov. 8. *Qui invenit me, invênit vitam, & depromit benevolentiam à Jehova*, i. Dominus erit ei promptuarium, ex quo accipiet homo quidquid sibi placuerit.

6. *Et in spiritum judicii*] Non solùm, inquit, *erit jucunditas & ornamentum*, sed faciet ut domi ac militiæ, in pace atque in bello, bene habeant. Nullâ autem re magis indigemus in pace quàm recto *judicio*, ut unusquisque suo fruatur pacificè. Ad hoc autem indigent qui judiciis præsunt Justitiæ virtute, quæ non est nisi à Domini *Spiritu*. *Erit*, inquit, *in spiritum judicii*; instigabit ad jus reddendum justè: faciet ut intelligant Judices quid rectum sit, deinde ut quod justum judicaverint exsequantur. ¶ *Super judicium*] משפט pro ipso *Judicum tribunali* videtur accipi, aut certè pro ipsa *ordinatione*, *sanctione* ac *ministerio publico*, ut *sedentes super judicium* sint qui judiciis præsunt & juri dicendo. ¶ *Revertentibus de bello*] Vulg. participium intransitivè accepit, & præpositionem supplevit: & sensus planus est. At שוב in tertia transitivum ferè semper est, & sign. *reducere*, *revocare*, *convertere*, &c. Inter cæteras ergò expositiones quæ hìc adduci possunt alteram è duabus tantùm eligerem; Vel quòd Deus sit *virtus* ac *robur prælium reparantibus* aut *reintegrantibus usque ad* ipsorum inimicorum *portas*, i. dabit fortitudinem, ut nunquam satientur hostium cæde, sed juxta benedictiones Patrum *usque ad portas* civitatum hostes persequantur, neque desistant à victoria quousque hostes intra suas civitates includant: Vel ut *reducentes* (seu *revocantes*) *ad portam bellum* sit Periphrasis stationariorum seu præsidiariorum militum, qui in propugnaculis portarum semper aderant ad colligendos suos à bello redeuntes, & hostes à civitatibus arcendos. Isti *revocabant*, *renovabant* seu *reparabant prælium ad portas*: his *virtus* & *fortitudo* maximè necessaria erat. Sed prior expositio phrasibus Hebræis innititur, & mihi magis placet. Parùm enim erat insequentes hostes ante portas reprimere; at à campis *ad portas* ipsas hostium *prælium reducere* arduum magis & promissionibus Dei dignius. Igitur Dominus suos in pace justos, in bello fortes ac victoriosos reddit.

7. Cùm de felicitate Regni Jehuda ageret Propheta, vastato jam Israele, subitò vidit Judæorum in peccatis similitudinem cum Israelitis, & totam Jacobi posteritatem eâdem cæcitate involvendam, non solùm Regum tempore, sed multò magis in Messiæ adventu. Quare subitò utrorumque cæcitatem detestatus eorum perditionem denunciat. ¶ *Præ vino nescierunt*] Non dubium quin hæc interdum sit vis ב apud Hebræos, *præ*, *propter*, &c. Planum quoque est שגה significare *errare inscienter*, Num. 15. Job. 6. &c. Nemo igitur Vulg. meritò hoc loco reprehenderit. Ego Hebraismum retinui, quòd alium quoque sen-

sensum posset gignere. Nam quia qui errat modò huc modò illuc properat, hinc fit ut interdum pro *incedere*, *degere*, *versari* accipiatur: ut Prov. 5. *In amore ejus erres jugiter*, i. incedas, te vertas, voluteris, &c. & Prov. 20. *Derisorem facit vinum, & turbatorem sicera: & quicunque errat in eo non erit sapiens*, i. quicunque inter compotationes versatur, &c. Idem quoque usus est verbi תעה, quod *errare* etiam notat; ut Gen. 37. *Ecce errans erat in agro.* Vulg. in Proverbiis reddidit hoc ipsum verbum verbo *delectandi*, quòd sensus idem esset, *In amore ejus delectare jugiter*, &c. Vide infrà 30. 28. Quare hîc assiduitatem & studium in epotandis calicibus objici Judæis intelligere possumus; unde sequitur ebrietas, & hebetatio sensuum ac mentis: Quam mox eisdem verbis constructis cum præpositione à significat, *erraverunt à vino*, &c. i. vinum eos errare facit & præcipites fert. Ludit itaque in verbis Propheta haud invenustè, *ut sicut in vino errabunt, ità à vino quoque errent*, &c. ¶ *Absorpti sunt à vino*] Jam suprà dictum est de verbo בלע, quòd propriè de *præcipitatione cibi* dicatur *in stomachum*: indè ad alia transfertur. Cùm ergò vinum ab ebriosis absorbeatur, hîc non illepide *à vino eos absorberi*, *deglutiri* seu *præcipitari* dicit: nam mentem & sensum eripit, ut non jam Homines videantur. ¶ *Nescierunt videntem*] בראה, i. *in visione erraverunt.* Nam ראה hîc & Gen. 16, *visionem* videtur notare. At si contendas vocem non nisi *videntem* significare, possumus ב pro *in* accipere, quòd *Prophetæ errarent contra videntem*, i. contra Deum, in quo Prophetæ solent videre ea quæ vident: at falsi Prophetæ dum Deum ignorant, multa à Deo profecta asserunt quæ à Deo non sunt. Sed prior expositio simplicior est, ut ראה pro ראי positum videatur. Prophetæ ergò sensu destituti præ ebrietate incerta pro certis afferebant: at *Sacerdotes*, quorum erat de rebus sanum judicium ferre & Sententiam justam in omnibus proferre, *eructabant judicium*, vel *evomebant*, i. tam turpiter, tam inconsideratè, tam intempestivè judicium ferebant quàm ebrius quæ in stomacho habet egerit. Perseverat autem in Metaphora Ebrietatis, Vulgatus *nescierunt* dixit, ad sensum magis quam ad verba attendens. Ego quia venustate plenam vidi Metaphoram, Hebræa utcunque expressi. Nam verbum פוק verbo *depromendi*, *auferendi*, *desumendi* reddi potest; imò & verbo *eructandi*, ut hoc loco; quasi inter ructus judicium quoque de rebus ferrent: hinc quale esset judicium conjicere nobis licet. Locus hic satis indicat quàm indecorum sit Sacerdotibus & Ministris verbi Dei vino indulgere.

8. Hanc turpitudinem adhuc describit, cùm v. 8. *mensas omnes*, quibus assiderent aut accumberent tam Sacerdotes quàm Prophetæ, *plenas vomitu & sordibus*, aut *vomitu sordido*, vel *vomitu egestionis*, affirmat. Hoc autem solet consequi longas compotationes, ob quas nonnullæ nationes malè audiunt; Quantum turpitudines in mensis non hujus loci est commemorare. Hic tamen locus lectorem Christianum commonefaciet ut attendat quâ ratione factum sit ut illæ nationes, quarum nomina taceo in tantam hebetudinem mentis & cœcitatem devenerint, ut pro verbo Dei somnia ebriosorum hominum ebriosi ipsi secuti sint, & tam turpe judicium hodie de rebus ferant ut inconvulsam Ecclesiæ tot millium annorum auctoritatem, tot doctissimorum pariter & sanctissimorum Patrum unanimi consensu confirmatam vellicantes, furiosi cujusdam hominis judicia illi præferant, & ejus sensa, qui nunquam sibi constitit, amplectenda esse pro veris & certis contendant. Certè si in vino & sicera non dies noctésque agerent, sed sobriè S. literas pertractarent, non *in visionibus* adeò *errarent*, non hujusmodi *judicia eructarent.* Caveant igitur cæteræ nationes ab hujusmodi vitiis, si ab erroribus cavere volunt. Quàm inepta autem vasa sint ebriosorum mentes ad sensa Spiritûs S. percipienda jam audiamus; si priùs tamen monuerimus illum Laconismum, *absque loco*, Vulg. rectè elucidasse, *ut non esset ultrà locus*, qui scilicet vacuus esset à sordibus.

9. *Quem docebit scientiam*, &c.] Si etiam Judæi dediti sunt crapulæ & ebrietati, *quosnam*, inquit Propheta, *docebit* Dominus? *quinam* futuri sunt *auditores* verbi Dei? quibusnam significabit quid facto opus sit? quis minas ejus timebit? quis consilia ejus auscultabit, & voluntati ipsius parebit? Si nemo est, actum est de populo. Tamdiu enim superstes est regnum aut Respub. quamdiu in ea sunt qui timorem, obedientiam & fidem Deo præstant. Nam apud Jeremiam dicebat Dominus ut *circumirent plateas & vicos Jerusalem, & quærerent virum unum justi æquique amantem, ut illi posset parcere.* At *si omnium mensæ vomitu plena* sunt, quis erit capax doctrinæ Dei? *Auditum* vocant Hebræi verbum, doctrinam, &c. quæ auribus percipiuntur. ¶ *Ablactatos à lacte?*] Vulg. sensum interrogatione expressit, q. d. *Istósne docebit qui non differunt à puerulis recens ablactatis?* Minimè gentium. Indigni enim sunt quos instruat Deus; imò percipere non poterunt scientiam Domini. Ego Hebræa expressi, *Ablactati à lacte*, supple *sunt*, *translati ab uberibus*, i. similes sunt istis & tam inepti ad percipiendam doctrinam.

10. *Manda, remanda*] Tanquam Verba accepit Vulgatus: nam & in imperativo cum defectu ה invenitur צו non semel. Ad verbum dicendum erat, *Manda mandando*: id per *remanda* expressit Vulg. Eodem quoque modo accepit voces קו לקו, q. d. *exspecta exspectando*; *exspecta*, *reexspecta.* Quid autem intellexerit per hæc verba videre potes apud Hieronymum in Commentariis in h. l. quòd videlicet sint verba Judæorum irridentium Prophetas Domini. Rabini multò aliter interpretantur, quos tamen non omnino assecutos mentem Prophetæ existimo. Quantum autem conjicere possum tum ex contextu & significatione verborum, tum maximè ex loco Apostoli 1 Cor. 14. qui optimus est Prophetarum Interpres, Jesaias hoc loco Judæos pueros esse sensibus affirmat & incapaces doctrinæ cœlestis, ut qui nec prima ipsa rudimenta, quæ chartis puerilibus continentur, valeant percipere. Crediderim autem temporibus illis hæc verba fuisse vulgatissima, & quasi proverbium passim in ore omnium circumferri: צו לצו, קו לקו, זעיר שם זעיר שם: quibus admonebantur tam præceptores quam discipuli nè simul omnia vel tradere vel percipere vellent, sed *mandatum post mandatum*, & *lineam post lineam*, pedetentímque & docerent pueros, & ipsi quoque addiscerent. Quæ verba cùm in ore essent puerorum, & suo more ea proferrent sæpius syllabatim, ac mox conjunctim, ferè in proverbium abiisse videntur, ut pro puerorum lectione, doctrina atque prolatione accipiantur, ut apud nos Lusitanos, *ba*, *be*, &c. cúmque aliquem, veluti puerum, nihil scire volumus significare, dicimus nescire *b*, *a*, *ba.* Quare etsi voces istæ Hebrææ significativæ sunt, & ea significant quæ in interpretationibus vides, hîc tamen non ut significantes accipi puto, sed ut sint veluti mimicum exemplum quo Propheta puerorum nuper ablactatorum prolationem balbutientem exprimit, quando prima illa elementa addiscunt: unde & voces repetit. Nam quamvis vulgò non repeterentur, pueri tamen, dum legere incipiunt, bis singula proferre à præceptoribus, aut ter etiam, coguntur. Primò enim singula elementa dictionis singillatim, deinde syllabatim, mox conjunctim efferunt. Cùm ergò superiori versu diceret similes esse *ablactatis pueris*, jam eorum voces effingit, צו, ו, צ. &c. i. Pueri sunt, & pueris similis, quandoquidem puerilia tantùm eos decent: sunt veluti pueri qui addiscunt prima elementa, *a*, *b*, *c*, &c. Quid autem hâc Mimesi seu Imitatione voluerit significare jam explicat.

11. *In loquela enim labii*] Vel, *in balbutie labii.* Est enim ליץ *subsannare*, & Gestum notat. Hinc nomen quod *sannam*, *subsannationem*, *irrisionem*, &c. sign. unde in plurali pro *subsannatoribus.* Psal. 35. *Cum hypocritis subsannatoribus.* Et passivè hoc loco pro *subsannatoribus labii*, i. balbutientibus labiis, quod vitium subsannationi subjectum est, accipitur. Pro quo Apostolus sensum considerans, & verba transponens, dixit *labiis aliis*; ut pro eodem acceperit *balbutiones labii* & *linguam alteram*: ut non hîc linguam peregrinam, sed immutatam prolationem, qualis solet esse eorum qui cum balbutientibus volunt balbutire, accipiamus. Quemadmodum dicebat Paulus ad quosdam qui ad infantiam redierant, *Filioli mei, quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis, vellem autem esse apud vos, & mutare vocem meam.*

12. Jam quid *balbutientibus labiis*, i. quid tanquam prima rudimenta eis commendavit, ostendit, nempe *Quietem date lasso*, vel *Reficite lassum.* Brevissimam sanè lectionem vobis addiscendam propono, *Hæc quies*: hîc quiescendum, hîc sit pausa: *hæc*, inquam, *requies*, hîc quiescite. Nolo mentem vestram longâ mandatorum serie vexare: hoc unum vobis commendo, *Reficite lassum*, *subvenite oppresso*, &c. Hîc Dilectionis proximi præceptum intelligito, quod qui adimplet, *Legem implevit*, teste Apostolo. Vulg. pronomina addidit de suo, *Requies mea*, *meum refrigerium*, quòd Dilectione proximi tanquam suavissimo sacrificio Deus quiescat at reficiatur. Qui sensus nequaquam est contemnendus: nam ex Euangelio habemus, quòd *Misericordiam velit magis quam sacrificia: & Diligere proximum majus sit omnibus holocaustis & sacrificiis.* Est & alia horum verborum interpretatio haud contemnenda, quòd *Dominus dixerit populo illi quòd tunc quietem haberet à laboribus & afflictionibus & Divinis castigationibus si ipsi quietem quoque concederent afflictis, & tunc in refrigerio & consolatione agerent si tales etiam se erga fratres exhiberent*: ut huc respexerit Dominus in Euangelio cùm ait, *In qua mensura mensi fueritis*, &c. *Pater meus non remittet vobis, nisi remiseritis unusquisque*, &c. Hanc interpretationem confirmat quod infrà dicit cap. 58. *Cùm effuderis esurienti animam tuam*, &c. *& requies tibi dabit Dominus Deus tuus semper*, &c. ¶ *Refrigerium*] המרגעה *requiem* pro-

propriè designat; sed ea quoque notat quæ quietem habentibus non desunt, ut est *mentis tranquillitas*, & *animi complacentia* seu *satisfactio*, &c. ¶ *Et noluerunt audire*] i. Obedire, obtemperare, &c. Pro quibus verbis Paulus loco citato, *Et ne sic exaudient me*, *dicet Dominus*: quæ verba Pauli hunc mihi locum Prophetæ planum fecerunt; nempe quòd *Deum dicere*, *Reficite lassum*, sit *Deum loqui ad populum illum balbutientibus labiis & linguâ alterâ*: & hoc rursus idem sit quod צו לצו קו לקו, &c. ut mirum sit quòd cùm Dominus ad populum suum brevissimam, eámque facillimam, lectionem, tanquam pueros prælegerit, ídque quod natura ipsa præcipit commendarit, ne scilicet afflictos affligerent, sed compaterentur afflictis atque in paupertate degentibus; *nec sic tamen audire voluerint*, adeò indociles, hebetes & immorigeri fuerint. Huc facit quod cap. 1. eis dicebat, si *subvenirent oppresso*, possent cum Deo *judicio contendere*. Locus autem Pauli in hunc modum se habet, Cùm suaderet nè mallent *loqui linguis* quàm *prophetar*, quod erat intelligentis & intelligere facientis, loqui autem linguis absque Prophetiæ dono, i. doctrinæ, esset penè barbarorum & modicæ admodum utilitatis, maximè verò curandum ut intelligerent, subinfert, *Fratres*, *nolite pueri effici sensibus*, *sed malitiâ parvuli estote*, *sensibus autem perfecti estote*. *In lege enim scriptum est*, *Quoniam in aliis linguis & aliis labiis loquar populo huic*, *& nec sic exaudient me*, *dicit Dominus*, q. d. Nè sitis, quæso, illis similes patribus vestris de quibus in Legis volumine scriptum est quòd adeò essent indociles & idiotæ ut neque balbutientem Dominum & doctrinam capacitati eorum attemperantem auscultare voluerint, & mentem ipsius capere. Non igitur admittenda est expositio eorum qui 11 versum tanquam asperam comminationem accipiunt, quòd per alterius linguæ homines illis collocuturus esset in pœnam suæ cæcitatis, &c. nam illud *& noluerunt audire*, & illud Apostoli, *& nec sic exaudient me*, indicant quod præcessit indulgentiæ fuisse, non pœnæ.

13. *Et erit*] Vel *Et fuit*, ut Vau illud (sicut vocant Grammatici) non sit Conversivum. *Noluerunt*, inquit, *audire*; sed illud breve *verbum Domini*, quod *tanquam balbutiens* eos docuerat, fuit eis tanquam balbutientium puerorum sermo. Deriserunt & subsannarunt & despexerunt illud, quemadmodum solent derideri ac despici balbutientis sermones, seu chartulæ pueriles cum doctrina & rudimentis quæ in eis continentur, tanquam viris indigna. Quod igitur tanquam beneficium offerebatur & secundùm indulgentiam tradebatur, (*cùm* enim *magistri esse debuissent*, *facti erant quibus lacte opus esset*, *non solido cibo*) in pejus illis cessit; & balbuties, quæ juvare poterat, ob malitiam eorum scandalo illis fuit. Quare sequitur, *ut vadant*, *& cadant*, i. quo factum est *ut abeuntes laberentur*, *confringerentur*, *illaquearentur & caperentur*. Hic est sensus planus istorum verborum, ut verba illa צו לצו, &c. non significativè accipiantur, sed sint à parte prædicati (ut loquuntur Logici) tanquam materialiter seu proverbialiter sumpta. Quod quia Rabini non intellexerunt, ubi ex priori nodo se explicuissent, quod scilicet *mandatum post mandatum* illis tradi deberet tanquam pueris, hic jam prorsus hærent nescientes quid sit, *Erit eis verbum Domini*, *mandatum post mandatum*, *ut cadant*, &c. Quare faciliùs locus hic intelligeretur, ni fallor, si verba ipsa non verterentur, sed sic legerentur, *Erit eis verbum Domini* TCAU LATCAU, TCAU LATCAU, KAU, LAKAU, &c. Sed nè quid omittere videamur, verba ipsa examinemus. *Et erit* potest referri, ut dixi, ad illud præceptum, *Quietem date fatigato*, vel ad alia etiam Dei verba. ¶ *Exspecta*] Potest esse imperativus; sed nomen usitatissimum est, sicut & verbum קוה, cujus propriam significationem cùm plerique tam Hebræi quàm nostri ignorent, plures ei tribuunt, ut solent. Ego propriam unam tantùm habere existimo, ut cætera ferè omnia verba Hebraica, nempe *lineas ducere intentâ oculorum acie*: quod est propriè Perspectivæ & Geometriæ. Quare ubi in Genesi Vulg. dixit, *Congregentur aqua in locum unum*; sic intelligi potest ratione quadam veluti Geometricâ, *Circumscribantur aquæ in loco uno*: & illud Jer. 3. *Congregabuntur ad eam*, nos diceremus, *Rectà*, *veluti per lineam*, *tendent ad eam omnes gentes*. Hinc quia qui aliquid exspectant magno animæ desiderio, similes sunt mensoribus Geometricis, quòd animum intentum habeant in rem, tempora locaque mensurantes, &c. transfertur ad eam animi applicationem significandam, in qua significatione frequentissimè usurpatur. At nomen קו non nisi *funiculum* sign. eum potissimùm quo mensores & fabri lignari & latomi utuntur: unde pro *mensura* pro *dimenso* accipitur; ut præceptum fuerit præceptoribus nè onerarent puerorum memoriam longis lectionibus, &c. sed lineatim & certâ dimensione, &c. ¶ *Modicum ibi*, &c.] i. Per intervalla temporis, ut nonnihil temporis in uno præcepto & nonnihil in altero insumerent. Verùm, ut jam dixi, non significative hæc accipienda sunt, sed primo loco pro mimicia expressione puerilium rudimentorum, hoc autem loco pro derisione cui balbutientis prolatio subjecta est. ¶ *Ut vadant*, &c.] i. *Quo factum est*, vel *quo fiet*. Nam ex contemptu verbi Dei orta est perditio Judæorum: perditio autem significatur verbis quæ *lapsum*, *confractionem*, *illaqueationem* ac *captionem* significant. Vide suprà 8. 15. Dixit autem *retrorsum cadere*, proptereà quòd periculosior lapsus is sit. Et in eis impleri Prophetiam hanc significavit Euangelista cùm ad vocem Domini, EGO SUM, *cecidisse retrorsum* Judæos commemorat. Hujusmodi autem ruina designat eos non advertere in quæ mala collapsi sint. Deinde *confractio* irreparabilem Reip. labefactationem designare videtur: *illaqueatio* verò non solùm complicationem scelerum, verùm etiam animorum perplexitatem, in qua perpetuò degunt, nescientes quid sequantur, aut cui credant, cùm *non Regem*, *non Sacerdotem*, *non Prophetam habeant*. At *captio* designat omnimodam potestatem atque tyrannidem quam in eos exercet Peccatum & Diabolus: ducit enim infideles quò vult: nam sunt servi Peccati. Et quæ patiuntur aviculæ in manibus puerorum qui eas laqueis ceperunt, multóque graviora, patiuntur ipsi à Peccato & Diabolo. Hæc quoque animadvertat cætera peccatorum turba, qui, quia contemnunt verbum Dei, similibus malis subjecti sunt eruntque perpetuò.

14. Cum præcepta Divina despicerent tanquam puerilia rudimenta, & Prophetis, qui eis comminabantur, negotium facesserent, non poterat non indignari Dominus. Sed quia quod hanc indignationem consecutum est, maximè Divinam bonitatem illustrat, antè quàm sententiam Dei promat, voluit Propheta eorum irrisiones exprimere, quibus certè nullæ poterant esse graviores aut molestiores. ¶ *Qui dominamini*] Nè quis ad vulgus hæc pertinere putaret, *dominatores* seu *principes populi* compellat. Isti enim fuerunt qui *deridebant* verbum Domini, ut in Euangelio legis de Scribis & Pharisæis & principibus Sacerdotum. Nam ad istorum tempora jam propheta respicit, ac de istis jam nobis quoque futurus est sermo: Qui *cùm essent avari*, de Eleemosynis in pauperes erogandis disserentem *Dominum deridebant*. Quorum ingenium exactissimè versu seq. Propheta depingit.

15. *Dixistis enim*] Vel, *Quandoquidem dixistis*. Suspendenda enim est sententia usque ad versus sequentes. ¶ *Percussimus fedus*] Cùm Prophetæ & Dominus ipse Judæis flagella, mortem & Divinas alias ultiones imminere ob ipsorum avaritiam, inhumanitatem falsamque doctrinam denunciarent, isti contrà irridentes, quòd veluti inanes minas esse putarent, ex infidelitate dicebant, si non verbo, saltem opere, Non timemus mortem: *pepigimus* enim *fedus cum Morte*; *etiamsi venerit*, *non nobis nocebit*. Frustrà ergò nobis mortem minamini. Ubi cùm rem omnino impossibilem prætexant, nempe *cum Morte & inferno pactionem*, frivolas, inanes ac mendacii plenas comminationes esse significare volunt. ¶ *Fecimus pactum*] חזה est *videre*, *prævidere* seu *providere*. Hinc nomen quod *provisionem*, deinde etiam *ea quæ in futurum providentes nobis tanquam necessaria comparamus*, notat. Est autem locutio simul conviventium, aut simul navigare volentium. Quia autem hæc non faciunt nisi federati & amicitiâ conjuncti, Vulg. *facere pactum* dixit, ut idem sit quod superiori membro: at vehementior mihi visa est Ironia, si *provisionem se cum Inferno* (seu *mortuorum statu*) *fecisse* dicerent, q. d. *Nihil magis a tuis minis nobis metuendum est quam si cum Morte percussissemus fedus*, *& tanquam simul navigaturi*, *aut unâ domo victuri*, *cum morte provisionem fecissemus*. ¶ *Flagellum inundans*] Paronomasia est in verbis Hebræis SCOT, SCOTEF. Dicebant enim Prophetæ & Dominus ingentes calamitates, tanquam flumina inundantia, imminere toti Judææ. ¶ *Non veniet super nos*] Rara est constructio verbi בוא (i. *venis*) cum affixo, aut accusativo, ut hoc loco: fitque tum transitivum, & verbo *invadendi* rectè vertitur; ut Psal. 36. *Nè invadat me pes superbia*, &c. ¶ *Mendacium*] Credo hic Judæos Ironicè *justitiam legis absque fide* (quam fictam justitiam atque hypocriticam appellant Prophetæ & Dominus) *mendacium* appellare: q. d. Nos justi sumus, & justitias Legis custodimus; quas vos superbè admodum ac mendaciter *mendacium* dicitis, his nos *tecti* ac *tuti sumus*; hoc unicum *nobis receptaculum* in *inundationibus* quas comminamini; hæc nobis *absconsio* à tempestate. Non enim suos Dominus deseret, neque hostium prædam esse patietur eos qui Legem ejus observant. Id Moses, id Deus ipse semper nobis pollicitus est. Hanc aptissimam hujus loci expositionem existimo, & sequentibus maxime convenire. Fateor tamen posse de *mendaciis* ipsis, fraudibus & imposturis intelligi, quibus divites erant Judæi, quibus fidebant posse se ab hostibus tutos esse; simplices autem ac mansuetos, & qui consilia Domini amplecterentur, injuriæ ac prædæ hominum patêre: sibi

fraus-

fraude & dolo in hostes esse utendum; his armis se cæteris nationibus præstare: non ergò aliam protectionem sibi necessariam, &c. ¶ *Et mendacio*] Aliud hic nomen est à superiori, nempe שקר quod propriè *falsum* seu *falsitatem* seu *fallaciam* notat, & additur præpositio ב, i. *in* vel *cum*. Verbum autem propriè *abscondere* sign. quasi se fraudibus vel fallaciis abscondendos, tanquam latibulo, dicant, aut per fraudes & dolos evasuros universa pericula. Vides hoc loco superbiam improborum? vides proterviam & pervicaciam? vides contemptum & inanem fiduciam? & quod maximè dolendum est, quantò fidentiores videantur & audentiores ad perferenda pericula atque adversa (cùm tamen verâ spe destituantur) quàm pii & boni viri, qui Deum habent pro se? Sed bene est quòd istorum spes est inanis, & veluti nebula adventante Sole evanescit: spes autem justorum inconcussa manet & haudiùs plena est, ut Scriptura non uno loco affirmat.

16. *Mitto*] יסד propriè est *fundare*. Vulg. sensum vertit, & tanquam participium seu nomen accepit, sicut alii. *Fundare in Tcion lapidem* est Fundare Tcion in lapide vel super lapidem, phrasi Hebræis familiari: Neque cuiquam dubium esse debet quin *Lapis* hic Christus sit, ut ex Euangelio & Paulo & Petro apparet. Nam hic est *Lapis factus in caput anguli*, & *nemo aliud fundamentum post ponere prater id quod positum est*, &c. Hunc 1. dicit *Lapidem probationis*, i. qui probatus tamen duritiam suam ac firmitatem servat: unde infrà comparatur *saxo durissimo*, &c. Quàm examinatus autem & quàm probatus fuerit Dominus atque *tentatus per omnia*, esse hominem qui ignoret arbitror neminem. 2. *Angularem*, quòd *duos parietes connectat*. *Fecit* enim *unum ex duobus*, *dissolvens inimicitiarum maceriem*. 3. *Pretiosum*: quid enim conferri potest cum Homine-Deo? 4. Vocat *fundamentalem*: nam *fundamenti fundati*, vel *fundamenti fundamenti*, imum fundamentum designat, i. super quod totum ædificium construitur. ¶ *Qui crediderit*, *non festinet*] Non dubium quin verbum חוש *festinare* significet: at Paulus Rom. 10. & Petrus cap. 1. epist. 2. verbo *pudefiendi* reddiderunt, quemadmodum & Græcus interpres. Et quidem si mens Prophetæ non esset commendare fidem in illum Lapidem, dum affirmat *qui in eum fideret*, *nunquam pudefiendum*, ut ex Apostolis colligitur, facite esset Vulg. Interpretem cum Apostolis conciliare, quasi Vulg. Interpretis hæc sit sententia, *Qui credit*, *nè festinet*, scilicet videre quod hic pollicetur Dominus; quia non statim id futurum est: innuens quòd si festinaret, pudefieret, non reperiens quod se inventurum putabat. Ergò si in Apostolis futurum *pudefiet* pro *pudefiat* accipiamus, idem erit sensus: sed, ut dixi, hic commendatur fides. Quare non alia conciliatio mihi probabilior apparet quàm si dicamus Hebræos verbo *festinandi* in tertia uti, sicut nos Hispani verbo *currendi*, pro *erubescere* seu *pudefieri*: nam qui erubescunt sese abdere festinant. Redderemus ergò Hispanicè; *Qui credit*, scilicet *in eum*, (ut supplent Apostoli) *non se correra*, q. diceremus, *non sese proripiet à conspectu hominum*. Nam & verbo *fodiendi*, ut jam suprà annotavimus, pro *pudefiendi*, etiam eâdem ratione Hebræi utuntur. Ex quibus jam apparet quorsum Dominus hæc de lapide adduxerit. Qui locus Dei misericordiam summopere nobis commendat. Nam cùm illi irridentes dixissent *se mendacio & fallaciâ satis opertos atque tutos*, addidit Dominus, *Audite ergò verbum Domini*, &c. At quod, quæso, verbum suspicari quis posset Dominum dicturum nisi quod infrà sequitur? *Imò flagellum inundans invadet vos*; *neque vos tutabitur protectio mendacii*, &c. At non sic Dominus, sed illis illusoribus priùs promittit Messiam, in quem unum si fidem habere, si eum amplecti ac recipere vellent, fore ut nunquam pudefierent, etiam si calamitas inundaret universam terram: sin minùs, tunc futurum ut perderentur. Sicut in Euangelio cùm occiso herede Dominus interrogasset, *quâ pœnâ digni essent homicida*, & illi respondissent, *Malos malè perdet*, &c. quid aliud futurum putabamus? At Dominus aliam Parabolam proponit, in qua illos priùs per Apostolos vocandos significat, ut fructum illius sanguinis quem ipsi fudissent vellent percipere; quos si non audirent, tunc perdendi forent. Ità hoc loco finge misericordem Dominum dicere, *Doleo vicem vestram*, *ô Judæi*, *qui mendacio & fallaciâ tutos vos putatis*, *adventante Dei vindictâ*. *Transferte alio spem vestram*. *Ego jacio pro fundamentis nova Tcion lapidem*, &c. *fidite in ipsum*; *illi vos tradite*. *Accipite Filium meum*, *amplectimini eum*, *ad civitatem quam ipse construit confugite*, *& tui eritis*. *Nihil enim damnationis est iis qui sunt in Christo JESU*, &c. Quòd si scire vis quare non pudefient qui in Christum crediderint, audi;

17. *Ponam judicium*, &c.] Perseverat in Metaphora *lapidis & anguli*, ac *fundamenti*. Rationem, inquit, veræ justitiæ afferam, faciámque ut homines verè justi sint, adamussímque justitiam colant. Hic intellige eam justitiam quam Paulus ad Rom. depingit, quæ apud Deum justitia est, non apud homines tantùm; cui comparata Legis seu Pharisæorum justitia injustitia reputatur: quam Dominus in Euangelio à suis exigebat cùm diceret, *Nisi abundaverit justitia vestra plùs quàm Scribarum & Pharisæorum*, *non intrabitis in Regnum cælorum*. Hæc à Fide proficiscitur, Spe alitur, Charitatem comprehendit: *minima* illa *præcepta*, quæ Pharisæi non curabant, quæ animo adimplentur, *Non concupiscere*, *Non videre ad concupiscendum*, *Non irasci fratri suo*, &c. exactissimè exsequitur. Denique hanc *fidei justitiam* appellabimus, quòd à fide ortum habeat, & quòd cum fide in Christum terris collata sit per ejus gratiam. Hâc unâ qui præditus est, potest in omnibus adversis tutus esse, confidens quòd non propter se orta sit tempestas, sed Patri qui in cœlis est curæ sit: hunc,

Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinæ.

At qui hâc destituti sunt, experientur quæ versibus sequentibus continentur. ¶ *In mensura*] Hîc est nomen de quo suprà v. 13. nempe קו, quod *lineam* sign. Quia verò lineâ seu funiculo latomi, fabri aliíque opifices in mensurando utuntur, pro *mensura* sæpissimè capitur. *Ponere ergò judicium ad lineam* seu *funiculum* est Rectissimè & summâ æquitate jus reddere. Hoc semper Deus ipse fecit; Homines verò id faciunt dono ipsius. ¶ *In pondere*] Verbum שקל propriè est *librare in libra*: indè משקלת *libramentum*, *regula*, *adamussis*. Idémque est quod priori membro dixit, nempe exacta ratio justitiæ, &c. non solùm in jure reddendo, sed in tota vivendi ratione. Utrumque nomen 2 Reg. 21. conjungitur, *Extendam super Jerusalem funiculum Samariæ*, *& adamussim domûs Achab*: ubi pro instrumento illo quod fabri lignarii & cæmentarii *regulam* vocant videtur accipiendum. Reddi ergò potest, *& justitiam ad regulam*, seu *adamussim*. Vel certè est instrumentum aliud in quo ex filo pendet ponduscelum, quod *lapidem* quoque vocat Scriptura: ubi est quædam libratio; ut cum radice conveniat significatio nominis: ut rectè reddere possimus, *& justitiam ad perpendiculum*. Vitruvius enim lib. 7. ait, *Longitudines ad regulam & lineam*, *altitudines ad perpendiculum*, *anguli ad normam respondentes exigantur*. Possunt & hæc habere alium sensum, nempe, Se justum futurum erga Judæos, ut eos juxta merita puniat, &c. Sed augustior est prior interpretatio, cui sequentia conveniunt, præsertim versus 20.

18. *Et delebitur*] Suprà de verbo כפר dictum est. Sign. enim *abscondere*, *ità ut non ultrà res videatur*. Sensum ergò Vulg. rectè expressit. Dicere posses *expiabitur*, i. tanquam piaculum amovebitur, ut nusquam ampliùs appareat. Nam mors illos invasura erat, tanquam non federatos; & fovea seu infernus eos devoraturus, ut quosvis alios non sibi amicitiâ conciliatos. Quod autem suprà dixerat חזה, hîc ab eodem verbo dicit חזות. ¶ *Et flagellum*, &c.] Ecce quo pacto non consistet neque firmum erit pactum: nam suprà dixi *facere provisionem* esse idem quod *pactum facere*.

19. *Quandocunque pertransierit*] Rectè Hebraismum mollivit, qui sic habet, *A transire ipsius*, vel *suo*. ¶ *Quoniam manè diluculo*] Heb. *in manè in manè*: quod potest accipi ut Vulg. i. *summo manè*, *ante lucem*. Potest quoque distributivè accipi, sicut Exod. 16. *Collegerunt illud in manè in manè*, i. quolibet manè: ut sit sensus, *Quando venerit*, *quocunque manè venerit*, *sive interdiu sive noctu venerit*, *auferet*, suppl. *vos*. ¶ *Et tantummodo sola*] Altera ex his particulis addita videtur. In Hebræo, *& erit tantummodo*, i. *futurúmque est ut tantummodo vexatio intellectum det*, &c. ¶ *Vexatio*] A verbo זוע *movit se* est nomen זועה *commotio*, Deut. 28. Et pro *vexatione* accipi potest. Ponitur enim pro *Divinis castigationibus* ac *flagellis*, quibus *commota* mens & experfecta *auditum*, i. verbum Dei, interdum auscultat, eique obedit, quod antea deridebat. Cùm ergò Propheta significet Judæos Christo Domino non credituros, & idcirco devastandos esse & ab hostium exercitu de terra viventium auferendos, (quod per Romanos factum novimus) hanc castigationem tamen nonnullis profuturam prædicit. Vel potiùs nihil aliud significat quàm quòd ipsa malorum experientia, ipse hostium adventus, ipsa Civitatis succensio, ipsa Judæorum captivitas factura essent, ut intelligerent quàm veræ essent Divinæ comminationes, quas ex ore Domini, & per Prophetas & Apostolos sæpe audierant: quod incredulitatem eorum & cæcitatem

tem potiùs notat quàm conversionem: q. diceret, *Neque antea credent vera esse quæ Dominus comminatus fuerat quàm Divinam vindictam experiantur.*

20. *Coangustatum*,] Vel, *Abbreviatum est.* Elegantissimâ similitudine stultitiam infidelium Judæorum, atque adeo omnium qui peccatis gaudent, patefacit. Spem *lecto* ac *pallio* seu *operimento* comparat, quâ quiescimus si eam apprehendimus, câque suffulti non despondemus animum, neque impetu calamitatis rapimur. Nam qui nullam spem habent, sunt veluti illi qui tempore tempestatis aut frigoris post labores non lectum, non operimentum, non aliquod receptaculum, quò sese recipiant, habent: superest ergò ut algeant & pereant, &c. Et quidem qui Deo fidunt, & veram justitiam, quam suprà depinxi, amplectuntur, amplissimum habent stratum in quo quiescant, in quo sese extendant. Quocunque se vertant, in tuto sunt. Sive *egrediantur*, sive *ingrediantur*, *pascua invenient:* Súntque *veluti arbores juxta fluxum aquarum*, quæ *non timent quando venit æstus*, &c. ut est apud Jeremiam. Scriptura etiam tota commendatione hujus Spei plena est, quam non nisi justi & pii habent. Qui verò hypocriticam justitiam; qualis erat Pharisæorum, sectantur, & hâc sibi placent, ut decem illæ Virgines fatuæ, aut qui divitiis suis, aut etiam sapientiæ carnis fraudibus & imposturis fidunt, *brevissimum* habent *stratum:* in quo neque se vertere neque sese *extendere* possunt. Nam qui coram hominibus tantùm justus est, si ab hominibus abstrahatur, & ad Dei tribunal deferatur, quid animi in eo erit? Idem cogita de divitibus, qui destituti divitiis spe suâ *decidunt*; imò in ipsis quoque divitiis *extendere* se non possunt. Denique futilis & inanis est eorum omnium spes, ad pauca & ad brevissimum tempus tantùm utilis. Hâc igitur similitudine notat Judæorum stultitiam, qui in *Lapidem* illum *firmissimum*, *pretiosum*, *angularem* fidere noluerunt, neque justitiam fidei amplecti: spem autem suam *mendacio* & *fallaciæ* definierunt: unde factum est ut *flagello inundante* perierint. ¶ *Ità ut alter decidat*] Ad verb. *ab extendendo se*, i. ut extensio nequeat fieri, nempe neque strati, neque ejus qui in eo jaceat. Quia verò *stratum breve* plures non recipit, Vulg. dixit, *ità ut alter decidat.* ¶ *Utrumque operire non potest*]. Ad verb. *secundum colligere se*, i. ut quis se colligat & eo se circumvolvat. Utimur & nos Lusitani verbo *colligendi* pro *ad somnum se operiendo præparare*; & ità hoc loco videtur accipiendum.

21. *Sicut in monte*] Heb. *sicut mons*, eodem sensu; i. sicut contigit in monte. ¶ *Divisionum*] פרץ *ruptura* seu *divisio* est Hebræis. Inditum est autem nomen monti à rei eventu quem habes 2 Sam. 5. ubi fudit hostes Philistæos David *sicut dividuntur aquæ.* Estque sermo de secunda victoria quam eodem loco obtinuit David, pugnante ante eum Domino grandine: ibíque dictus locus est *Baal* פרצים, qui dicebatur *Vallis gigantum.* Totam ergò historiam nomine *montis Peratcim* hic reducere in mentem nos vult Propheta, quæ valde erat celebris; insinuans quòd tam terribilis Judæis adventurus sit quàm olim Philisthæis. Eodem modo accipe quod sequitur. ¶ *Sicut vallis in Gabaon*] Quando (ut legis Jos. 10.) Deus lapidibus grandinis magnis delevit hostes & quinque Regum exercitum, stante Sole, & obediente Deo ad vocem hominis: quòd qualem tunc experti sunt Amorthæi, talem experturi essent Judæi. ¶ *Ut faciat opus suum*, &c.] i. Ut faciat quod facturus est, quódque facere instituit, non volens tamen neque ex animo. Ejus enim proprium est parcere ac misereri: impii autem mortem sibi acquirunt.

22. *Et nunc*] Vel, *Nunc igitur.* Quandoquidem vestra spes vestráque protectio inutilis est & futilis, Deus autem iratus imminet vobis tanquam hostibus, quid superest nisi ut convertamini? ¶ *Nolite illudere*] Verbum est quartæ, & in se convertit actionem, *illudere*, *deludere se ipsum.* Et quadrat significatio: nam impii, quando verbum Domini contemnunt, & eos qui verbum annunciant derident, seipsos deludunt. ¶ *Constringantur vincula*] Certum est nomen מוסרים *vincula*, ut infrà 52. & Ps. 116. significare; & in singulari non dubium quin *disciplinam*, *correctionem* seu *castigationem* notet. Job. 32. *Et in castigatione eorum terret eos.* Ezech. 5. *Increpatio & terror gentibus*, &c. Verbum autem חזק *confirmationem* & *firmam apprehensionem* notat. Quare vertere posses, *nè obtineant castigationes vestræ*, i. invalescant, ut Jud. 1. & Gen. 41. *Obtinuerat fames in universa terra*, &c. Possumus quoque & cùm Vulg. reddere. Sunt autem afflictiones *vincula* quædam à Deo, quibus detinemur, nè ad libitum vivamus, &c. Quòd si ad mentem non redimus, in illis detinemur interdum quousque ad pejora supplicia detrudamur. ¶ *Consummationem enim*, &c.] Jam de his vocibus suprà dictum est. *Timendum*, inquit, *est nè invalescant castigationes*; *nam mihi nunciatum est à Domino*, *imminere consumptionem & excidium toti huic Regno:* si autem ad sanam mentem redieritis, vel Dominus mutabit sententiam, ut interdum solet, vel in mediis inundationibus non periclitabimini.

23. *Auribus*, &c.] Excitat auditorum animos, ut exhortationi dignissimæ valdéque necessariæ attendant, considerentque attentissimè Divinarum castigationum rationem, quam exemplo Agricolarum reddit manifestam: quod explicabimus v. 26.

24. *Totâ die*] Vel *totos dies*, vel *omnibus diebus:* ut sing. pro plurali capiatur. ¶ *Arans*] חרש est *studio atque arte operi mechanico instare.* Latini autem unum verbum non habent quod significationi respondeat. Hîc *arandi* verbo reddendum est, & participium pro nomine *agricolæ* videtur capi: q. d. *Numquid aliud non aget agricola cùm vult serere*, *quàm terram vomere proscindere? Nequaquam*; *sed sulcabit quidem terram*, (illud enim vocat *aperire* Hebraismus) *deinde vastabit*, i. comminuet glebas. Vulg. *sarrire* dixit: nam, teste Columellâ, *glebæ sarculis resolvendæ sunt.* Ergò שדד in secunda aliquando est rusticum verbum, & sign. *arvum jam aratum vel occâ vel verriculo contundere.* Ità etiam accipitur hoc verbum Ose. 10. *Arabit Jehuda*, *vastabit Jaacob*, &c. Job. 39.

25. *Gith*] Est *nigella*; quam Græci *Melanthion* quoque à colore dicunt. Estque odoriferum semen. Vide Dioscoridem. ¶ *Cyminum*] Nunc *Cuminum* dicimus. ¶ *Triticum per ordinem*] Quod Vulg. dixit *per ordinem*, possumus dicere *mensuratum*, ut sit adjectivum nomen. Notat autem quòd agricola non serat *Triticum* nisi *in certa mensura* juxta proportionem telluris, &c. Similiter de *Hordeo* dicit, quòd ipsum *ponat signatum:* נסמן enim id significare videtur. Quam vocem Græci imitati σημεῖον vocant *signum*, & Judæi in profanis literis סימן *signum* vocant, quod Scriptura vocat אות. Vulg. *Milium* dicit: quòd quâ ratione fecerit non intelligo, nisi quòd Græca editio ità quoque habet, neque alibi in Scripturis reperitur: quo fit Vulg. nemo jure reprehendere debeat; nam conjecturæ illæ quòd significet *signatum* sunt leves. Dicere enim possumus Rabinos Græcam vocem usurpasse, ut plerasque alias. ¶ *Viciam*] כסמת species farris est quæ nomen habet à *detonsione*, quam communiter *Speltam* vocant.

26. *In judicio*] Vel *ad judicium:* i. Ut agricola rectè judicet quantum terræ quanto tempore arandum, quâque ratione præparare semini debeat, quod semen rursus cui telluri mandandum, & quantum, *à Domino Deo edocetur.* Quamvis itaque longo rerum usu doceantur agricolæ, *à Deo* tamen *doceri* dicuntur, qui signa ponit in cœlo, & distinctionem temporum inducit, quam sequi debent agricolæ. Primi etiam qui artem hanc exercuerunt, *à Domino Deo edocti sunt.* Hic autem continetur vis rationis quâ Propheta utitur: *Si Deus agricolam docet*, & *à Deo edoctus* non errat in opere suo, sed quando *arare*, quando *sarrire*, quando *adæquare faciem terræ*, quando, & quale & quantum seminis cui telluri spargere debeat, optimè novit, quare committitis ut imperitus agricola videatur Deus, qui *totos dies terram proscindat*, & cratibus *glebas comminuat*, nunquam autem *semen spargat?* i. quare committitis ut vos semper puniat, annos integros flagellet, & ad id propter quod castigationes inducuntur nunquam perveniat! Hoc enim admonebat suprà, *viderent nè invalescerent castigationes*, & tandem omnino perirent. Quomodo alii hæc accipiant, in eorum libris legere, amice Lector, poteris: equidem, quia Rabini locum hunc non satis bene tractarunt, ideo plerosque ex nostris quid hîc vellet Propheta significare non assecutos existimo.

27. *Non enim in serris*, &c.] Ab altera quoque parte scientiæ agriculturæ argumentationem conficit. Novit, inquit, agricola quo instrumento unaquæque farris aut seminis species excutienda sit, & quòd duriora grana duriori instrumento, tenera autem leviori: neque in hoc facilè eum falli videas, ut asperiora mollioribus superinducat, & leviora duris granis adhibeat. Vide versu ultimo quò hæc tendant.

28. *Triticum* (qui *panis* Hebraismo interdum dicitur, ut Gen. 41. Prov. 28. &c.) etiamsi rastro aut animalium ungulis aut dentatis rotis excutiatur, novit tamen agricola quanto tempore triturari debeat, nè omnino *comminuatur.* ¶ *Neque vexabit*] Vulg. המם ut verbum accepit: quod Exod. 23. verbo *occidendi* reddidit, & Deut. 2. *intereundi*; at 1 Sam. 7. *Exterruit eos:* & 2 Sam. 22. verbo *consumendi* reddidit, pro quo in Ps. nunc legimus. *Et conturbavit eos:* at hîc, tanquam nomen, pro *strepitu* sumi potest, & *strepitus rotæ plaustri ipsius*, i. præstrepens rota, *in perpetuum* scilicet *comminuet ipsum.* ¶ *Neque ungulis*] Vel *dentibus.* Metaphoricè enim

ungulæ dicuntur & *dentes* in crate, & aliis rebus. Ità interpretantur quoque Hebræi. Sed quia locus hic ad intelligendos alios facit in quibus hæc vox פרשים reperitur, quamvis sensus idem ille sit quem Vulg. & Hebræi sequuntur, nonnihil de hac voce, sicut suprà polliciti sumus, dicendum erit. Hebræi ex hoc loco dicunt verbum פרש *pungere* significare, quòd hic significet *instrumentum dentatum:* indè nomen & pro *equite* accipi, propter calcaria videlicet quibus pungit equum. Certè ego, diligenter consideratis singulis locis in quibus nomen hoc reperitur, & ipsâ verbi propriâ significatione, nusquam *equitem* significare reperio; sed in plurali quidem, in quo est frequentissimum, *jugalia animalia*; & in singulari, in quo ter tantùm reperitur, sumi collectivè pro *jugatura*. Et cùm junctis bobus aut equis in nonnullis regionibus triturentur segetes, hic pro *jugalibus* accipiendum duxi. Huc quoque facit locus quem suprà exposui, Jes. 21. ubi Jesaias vidit *jugatum currum*, *qui junctis asino & camelo trahebatur*. Facit & etymon nominis: nam verbum propriè *distributionem & in partes quodammodo divisionem* sign. quod quia qui rem explicant faciunt, pro *explanare* accipitur: Juncta autem currui animalia, distincta, separata & quodammodo distributa sunt. Neque defuerunt qui hoc loco ante D. Hieronymum ità acciperent; quorum tamen ille expositionem rejicit quòd is usus in Palæstina non fuerit. Liberum esto judicium lectori. Certè *ungulas*, aut *dentes*, aut *punctiones* nusquam vidi significare: fateor tamen cum Samech פרסות *ungulas* notare à verbo פרס *rupit*, *fidit*, &c. ut forma masculini in regimine Zach. 11. & hâc ratione hîc *ungulas* posse significare concedam; ut ש pro ס positum sit, non eâ ratione quam Hebræi nonnulli sequuntur. Sensus tamen ubique idem est, nempe quòd non sine fine sed certâ quadam ratione trituratur triticum.

29. *Et hoc*, &c.] Hanc rationem excutiendarum frugum, inquit, *à Domino Deo* didicit agricola: Auditorum autem animis relinquit ut ratiocinationem conficiant: Si Deus agricolam docuit ut sciret quâ ratione singulæ segetes triturandæ sint, nónne Deus ipse multò meliùs intelliget quâ mensurâ castigandi sint homines & quamdiu flagellandi? Quare ergò committetis ut veluti imperitus agricola appareat, qui usque ad consumptionem & excisionem vos terat? Hanc enim vobis impendere à Domino Deo audivi. ¶ *Ut mirabile faceret*] Ad verb. *arduum fecit*. Et supplendum est relativum *qui*; *qui arduum fecit consilium*, i. cujus sunt ardua consilia, quæ homines nequaquam assequi potuissent. ¶ *Et magnificaret*] Heb. *& magnificavit*, i. cujus sunt magnificæ *effectiones*. Sicut enim ardua sunt consilia, ità quoque juxta consilia sua arduæ sunt effectiones. תושיה Vulg. *justitiam* dixit, ad sensum nimirum respiciens, quòd de punitione ageret Propheta. Ad hoc enim similitudines superiores induxerat. At nomen est à verbo, & nomine יש, quod *exsistentiam* sign. unde *effectionem* seu *efficaciam* designat. Prov. 8. sicut hoc loco, hæc duo nomina conjunguntur, *Meum est consilium & effectio*, & Job. 16. *Ipsi est robur & effectio*, &c.

DRUSIUS.

1. הוֹי עֲטֶרֶת גֵּאוּת. Οἱ λοιποὶ, *Væ coronæ superbiæ*] Τῆς ὑπερηφανίας. Eusebius. Ed. Rom. ¶ גֵיא שְׁמָנִים. Aq. φάραγξ ῥυπαρῶν *valle sordium*. Sym. φάραγξ πιοτήτων *valle pinguedinum*. Th. φάραγξ πιόνων *valle pinguium*] Citat Eusebius, & amicum laudat suum qui dicat sign. vallem illam quæ vocatur *Gethsemani* in Euangelio. Pro quo scribendum aliquando putavi Γεδσεμανὶ, i. גי רשמני, formâ Syrâ. Vide Hieron.

3. שִׁכּוֹרֵי אֶפְרָיִם. Οἱ λοιποὶ; *ebrii Ephraim*] Hieron. *Verbum Ebraicum* שכורי *ambiguum est*, *& vel* ebrios *vel* mercenarios *sonat*. Hoc verum non est. Nam *mercenarii* שכירי vocantur. Potest fieri ut Lxx verterint μεθύσους *ebriosos*.

7. שֵׁכָר. Οἱ λοιποὶ, μέθυσμα, *ebrietatem*] Eusebius. Hieron. ISSACHAR *interpretatur* merces, & SECHAR μέθυσμα, i. *ebrietas*.

8. קִיא צֹאָה. Aq. *vomitu sordium*. Sym. *vomitu* tantùm. Th. *vomitu dysaliæ*] Hieron. *Quicquid nauseam facit & vomitum* δυσαλία *dici potest*. Sed paulò antè, *Miror*, inquit, *quid volueris Theodotio ut pro verbo Ebraico* קיא צואה, *pro quo Aq. interpretatus est* vomitum sordium, *& Sym. tantùm* vomitum; *ille diceret* ἔμετον δυσαλίας, *i.* vomitum dysaliæ: *quod verbum ubi apud Græcos lectum sit invenire non potui*, *nisi fortè novæ rei novum finxerit nomen*.

9. דֵעָה. Omnes *scientiam*] Hieron. *Quòd autem verbum Ebraicum* רעה, *quod omnes verterunt* scientiam, *soli Lxx* κακὰ, *i.* mala, *interpretati sunt*, *error perspicuus est*. *Prima enim litera Daleth à Res parvo apice distinguitur. Si ergò legatur* DEA scientiam *sonat*; *si* RAA, malitiam; *non à* malo *quod contrarium Bono est*, *sed ab* Angustia.

15. שׁוֹט. Aq. Sym. *flagellum*] Ex Comment. Hieron. ¶ כָזָב. Omnes *mendacium*] Ex eodem.

16. הַמַּאֲמִין לֹא יָחִישׁ. Οἱ λοιποὶ. Ὁ πιστεύων οὐ σπεύσει, *Qui crediderit non festinabit*] Eusebius.

IDEM EX PROCOPIO.

1. צְבִי תִפְאַרְתּוֹ. δύναμις δόξης αὐτοῦ *potentia gloriæ ipsius*.

3. תֵּרָמַסְנָה. Lxx. καταπατηθήσεται. ὁμοίως Α. Θ. *similiter A. & Th.* ¶ גאות. ὑπερηφανίας *superbiæ*.

6. וּלְרוּחַ מִשְׁפָּט לַיּוֹשֵׁב. Aq. Sym. Th. καὶ εἰς πνεῦμα κρίσεως τῷ καθημένῳ, *& in spiritum judicii sedenti*.

10. קַו לָקָו. Προσδέχου, προσδέχου, *exspecta*, *exspecta*] קו pro קוה.

16. יִסַּד, Lxx ἐμβαλῶ εἰς τὰ θεμέλια. In margine τεθεμελιωμένον *fundatum*.

19. כִּי־בַבֹּקֶר. Sym. ὅτι καθ' πρωὶ] Locus suspectus. ¶ וּבַלָּיְלָה. Aq. Th. καὶ ἐν νυκτὶ. Sym. καὶ νυκτὸς *& nocte*.

21. כְּהַר־פְּרָצִים יָקוּם יְהוָה. Sym. Th. ἐν τῷ ὄρει בְּהַר. Beth pro Caph: τῶν διακόπτων * Fortè διακοπῶν ἀναστήσεται Κύριος. Aq. ὡς ὄρει διακόπτων.

22. שָׁמַעְתִּי מֵאֵת אֲדֹנָי. Aq. Sym. Th. ἤκουσα παρὰ Κυρίου Κυρίου, *audivi à Domino Domino*.

24. הֲכֹל הַיּוֹם יַחֲרֹשׁ הַחֹרֵשׁ. Aq. Sym. Th. μὴ ὅλην τὴν ἡμέραν ἀροτριάσει ὁ ἀροτριῶν; *Num totâ die arabit arator?*

25. וְהֵפִיץ קֶצַח. Aq. καὶ διασκορπίσει μελάνθιον *& disperget gith*] Sive *nigellam*. ¶ נִסְמָן וְכֻסֶּמֶת. Lxx καὶ κέγχρον καὶ ζέαν *& milium & speltam*. Aq. Th. ὁμοίως, i. *similiter*.

26. וְיִסְּרוֹ לַמִּשְׁפָּט אֱלֹהָיו. Sym. Καὶ παιδεύσει αὐτὸν εἰς κρίμα ὁ Θεὸς αὐτοῦ, *Et erudiet eum ad judicium Deus ipsius*] Sic etiam Theodotio. Aquilas verò habet τῷ κρίματι.

27. וְכַמֹּן בַּשָּׁבֶט. Sym. κύμινον δὲ ἐν βακτηρίᾳ *cyminum autem baculo*.

28. לֶחֶם יוּדָק. ἄρτος δὲ λεπτοκοπηθήσεται, *panis verò comminuetur*] Τὸ, ἄρτος ἀντὶ τοῦ, σῖτος, εἰπὼν, *panem* pro *frumento* usurpans. ¶ כִּי לֹא לָנֶצַח אָדוֹשׁ יְדוּשֶׁנּוּ וְהָמַם גַּלְגַּל עֶגְלָתוֹ וּפָרָשָׁיו לֹא יְדֻקֶּנּוּ. Sym. Th. Ἀλλ' οὐκ εἰς τέλος ἀλοῶν ἀλοήσει αὐτὸν, οὐδὲ ταράξει τροχὸς ἁμάξης αὐτοῦ, οὐδὲ ταῖς ὁπλαῖς αὐτοῦ λεπτυνεῖ αὐτὸν, *verùm non in perpetuum triturans triturabit eum*, *neque turbabit eum rota plaustri ejus*, *neque ungulis suis comminuet eum*.

29. גַּם־זֹאת מֵעִם יְהוָה צְבָאוֹת יָצָאָה הִפְלִיא עֵצָה הִגְדִּיל תּוּשִׁיָּה. Sym. Καίγε τοῦτο παρὰ Κυρίου δυνάμεων ἐξῆλθε πάλαι· ἐδόξασε βουλὴν, ἐμεγάλυνε σωτηρίαν, *Etiam hoc à Domino exercituum olim exivit: glorificavit consilium*, *magnificavit salutem*.

GROTIUS.

1. VÆ *coronæ superbiæ*, *ebriis Ephraim*, *& flori decidenti*] Finito cantico repetit aliis verbis quæ de malis eventuris populo Decem tribuum jam aliquoties dixerat. Hæc enim omnia à capite xv. scripsit initio regni Ezechiæ. Hebræa sic liceat vertere: *Væ coronæ superbæ ebriosorum Ephraïmitarum*, *flori scilicet caduco*. *Corona* & *flores* idem. Ebrii solebant sibi coronas imponere. Anacreon 1.

Τὸ ῥόδον τὸ καλλίφυλλον
Κροτάφοισιν ἁρμόσαντες
Πίνωμεν ἁβρὰ γελῶντες.
[*Foliis rosæ decoris*
Caput undique implicati
Ridentes dulcè bibamus.]

Item:

Στεφάνους μὲν κροτάφοισι
Ῥοδίνους συναρμόσαντες
Μεθύομεν ἁβρὰ γελῶντες.
[*Sed in orbem redimiti*
Roseis caput corollis,
Poti ridemus amicum.]

Ostendit autem per egregiam similitudinem non diu duraturas istas delicias ac fastum. Tale illud in Græco Epigrammate:

Ἄνθεις καὶ λήγεις καὶ σὺ, καὶ ὁ στέφανος.
[*Flores ut sertum tu quoque*, *deinde peris.*]

Lxx hoc loco legerunt Schin cum sinistro puncto: vertunt enim οἱ μισθωτοί [*mercenarii*].

Gloriæ exsultationis ejus:] In Hebræo, *ornamento gloriæ ejus:* quæ est ἐξήγησις [*explicatio*] coronæ. Repetuntur omnia hæc paulò post.

In vertice vallis pinguissimæ] *Vallis pinguissima* est vallis Sichem. Samaria in monte.

4. *Quasi temporaneum*] Quasi ficus præcox.

Ante maturitatem autumni] Ante æstatem.

Statim ut manu tenuerit, devorabit illud] Sic statim Salmanasar Decem tribus vicit, & statum earum funditus evertit.

5. *Residuo populi sui*] Id est, Duabus tribubus quæ ab illo malo immunes fuere.

6. *Spiritus judicii sedenti super judicium*] Dabit Deus Ezechiæ juris notitiam.

Et fortitudo revertentibus de bello ad portam] A bello contra Philisthinos.

7. *Verùm hi quoque præ vino nescierunt*] Lascivi erunt in rebus prosperis. Tale illud: *fortunáque dulci Ebria.*

Nescierunt videntem] In Hebræo, *Erraverunt in visione:* id est, secuti sunt falsos prophetas.

8. *Omnes enim mensæ*] Sub figura intelligit tribunalia.

Repletæ sunt vomitu sordiúmque] Judiciis corruptis quas & Latini *sordes* vocant.

9. *Ablactatos à lacte, avulsos ab uberibus*] An infantes Deus docebit? nam adulti præcepta irrident.

10. *Quia manda remanda, manda remanda*] In Hebræo: *Præceptum ad præceptum, præceptum ad præceptum*, illis dedi, id est, sæpissime illis inculcavi meas leges.

Exspecta, reexspecta: exspecta, reexspecta] In Hebræo: קו לקו קו לקו, unde καυλαυκαὺ fecêre. Nicolaïtæ & hæretici alii, memorantibus Epiphanio in Nicolaïtis, & ad hunc locum Hieronymo. Significat id *lineam ad lineam, lineam ad lineam*; similitudine à magistris sumtâ, qui discipulorum manus per præscriptas lineas ducunt.

11. *In loquela enim labii*] Sermone barbaro.

Et linguâ alterâ] Id est, exoticâ.

Loquetur ad populum istum] Id est, barbarorum operâ utetur ad eos castigandos. Nam Deo hæc aptavit etiam Aquila, non minùs quàm Paulus 1 Corinth. XIV. 21. ut ex Philocalia Origenis discimus.

12. *Hæc est requies mea, reficite lassum*] Hoc meum erit gaudium si miseros & afflictos sublevetis.

13. *Et erit eis verbum Domini, manda remanda*] Ex Hebræo: *Et factum est eis verbum Domini, præceptum ad præceptum.* Id est, per illusoriam μίμησιν [*imitationem verborum*] verba Prophetarum subsannant.

Ut vadant & cadant retrorsum, & conterantur, & illaqueentur, & capiantur] Tam diu ista dicent, donec in malis viis suis cadant, & oppressi irretitique ab hoste capiantur: quod multis evenit irrumpente Sennacheribo.

14. *Viri illusores, qui dominamini super populum meum qui est in Jerusalem*] Intelligit non Urbem propriè, sed totam terram, quæ *domus Jerusalem* dicebatur.

15. *Dixistis enim, Percussimus fœdus cum morte*] *Percutiemus.* Sic & sequentia sumenda in futuri significatu. Sperabant se blandiendo salutem reperturos apud Sennacheribum. Mortem vocat hostem mortiferum.

Posuimus mendacium spem nostram] Simulavimus nos esse ejusdem religionis, cujus sunt Assyrii.

16. *Ecce ego mittam in fundamentis Sion*] In Hebræo: *Fundabo in Sion.*

Lapidem, lapidem probatum] In Hebræo, *Angulum pretii:* id est, lapidem qui angulum faciat usus maximi. nam angularibus lapidibus maximè innituntur parietes.

In fundamento fundatum] In Hebræo, *Fundamentum fundatum:* id est, solidissimum. Hac autem tralatione significat Deus si qui salvi esse vellent, illis veniendum Hierosolyma, ut ibi cum aliis purè Deum colant: ibi enim se perfugium tutissimum constituisse omnibus.

Qui crediderit, non festinet] Est hoc ex hodierno Hebræo לא יחיש [*non festinabit*]; sed apparet olim fuisse לא יבוש. Nam Lxx hîc habent, ὀ μὴ καταισχυνθῇ [*non pudefiat*], quomodo & Petrus I. II. 6. Paulus verò ad Romanos IX. 33. ὀ καταισχυνθήσεται [*non pudefiet*]. Et hæc lectio haud dubiè meliorem sensum facit. *Qui crediderit*, id est, qui meis promissis fisus à Lege non discesserit. Optimè verò hæc ad Christum in sensu sublimiore referunt Apostoli.

17. *Et ponam in pondere judicium, & justitiam in mensura*] In Hebræo: *Judicium linea, & justitiam ad pondus.* Simile 2 Reg. XXI. 13. Sensus est: in judicando nihil deflectam à lege mea, & promissis minísque ei additis.

Et subvertet grando spem mendacii, & protectionem aquæ inundabunt] Spem illam protectionis, quam in mendacio positam habebatis, evertent procellæ Divinitus immissæ.

19. *Quandocunque transierit tollet vos*] Quia nominaverant hoc malum *flagellum transiens*, ostendit in summa festinatione satis fore temporis ad illorum perniciem.

Quoniam manè diluculo transibit] *Manè, manè*, in Hebræo: valde manè incipiet transire.

In die & nocte] Diem & noctem continuabit in transitu. Vide supra x. 28.

Et tantummodo sola vexatio intellectum dabit auditui] In Hebræo, *Et pavori erit vel famam intelligere:* eorum scilicet quæ vobis obvenient.

20. *Coangustatum est enim stratum, ità ut alter decidat: & pallium breve utrumque operire non potest*] Dei tutela non extendet se ad urbem & regionem, sed ad Urbem solam.

21. *Sicut enim in monte divisionum stabit Dominus*] *In monte Pharasim.* Historia est 2 Sam. v. 20. 1 Paralipomen. XIV. 11.

Sicut in valle quæ est in Gabaon irascetur] Historia est Josuæ x. 10. & sequentibus.

Alienum opus ejus] Quod non solet facere. Solet enim Deus protegere Israëlitas.

22. *Nolite illudere*] Contemnere has minas.

Nè fortè constringantur vincula vestra] Nè ob id durior fiat captivitas vestra.

Consummationem enim & abbreviationem audivi à Domino Deo exercituum super universam terram] *Consummationem præcisam*; ut supra x. 22. id est, pauci evadent malum, nempe qui aut ante adventum Salmanasaris in terras longinquas, aut jam in ipso ejus adventu Hierosolyma confugerint.

24. *Numquid totâ die arabit arans ut serat, proscindet & sarriet humum suam?*] Objici poterat, Cur Deus tam variè? Ostendit igitur, similitudine sumtâ ab agricultura, Deum optimè nosse discrimen temporum & hominum, & modorum quibus homines quique tractari debeant. Est tempus arandi, tempus occandi, tempus sarriendi.

Nam semper occant priùs quàm sarriunt rustici, ait Plautus.

25. *Nonne cùm adæquaverit faciem ejus*] Ubi complanarit agrum occando & sarriendo.

Seret gith] *Melanthium* Græcis, ut hic habent Lxx, *nigellam* Latinis ex Græco.

Et ponet triticum per ordinem] In Hebræo, *triticum optimum.*

Et hordeum & milium] In Hebræo: *hordeum signatum:* id est, sepositum in sacculum cum nota quadam excellentiæ.

Et viciam in finibus suis] Græci ζέαι [*zeam*]. Latinorum alii *far* vertunt, ut Galenus & Halicarnassensis Dionysius φάῤῥος, alii *speltam*, quod vocabulum etiam nunc manet in linguis ex Latina corruptis. Utrumque habet Hieronymus in IV. Ezechielis. *In finibus suis:* id est, in locis suis.

26. *Et erudiet illum in judicio, Deus suus docebit illum*] Deus agricolam instituit, ac docet quomodo hæc omnia suo ordine faciat. Aratus de Jove, id est, Deo:

—— λέγει δ' ὅτε βῶλος ἀρίστη
Βουσί τε καὶ μακέλῃσι· λέγει δ' ὅτε δεξιαὶ ὧραι
Καὶ φυτὰ γυρῶσαι καὶ σπέρματα πάντα βαλέσθαι.

[—— *quando sit terra ligoni*
Aptior aut bubus monet, & quo tempore par sit
Aut serere aut septas lymphis aspergere plantas.]

Si Deus agricolam ista docet, an ipse in suis rebus non servabit ordinem modúmque? Similis argumentatio Psalm. XCIV. vers. 9.

27. *Non enim in serris triturabitur gith*] *Tribulâ* rectiùs verteris, quod hîc minùs propriè *in serris.*

Nec rota plaustri super cyminum circuibit] *Non versabitur plaustrum super cyminum*; neque enim par esset ferendo.

Sed in virga excutietur gith] *Perticâ excutitur.*

Et cyminum in baculo] Leviore quàm est pertica.

28. *Panis autem*] Id est, triticum, unde fit panis, ut Ecclesiastæ XI. 1.

Comminuetur] Comminuni solet tribulâ & plaustro, ut sequentia indicant.

Verùm non in perpetuum triturans triturabit illum] Id est, bene cavet sibi agricola nè nimis diu trituram faciat, alioqui non aristas tantùm & paleas excussurus, sed & grana corrupturus, ut sequentia indicant.

Neque vexabit eum rota plaustri] *Nè frangat rota plaustri illud*, nempe triticum illud.

Nec ungulis suis comminuet eum] *Et nè dentes* (nempe tribulæ) *illud minutim dispergant.*

29. *Et hoc à Domino Deo exercituum exivit*] Etiam hoc judicium

judicium de Hebræis pari modo à Deo factum est, secundum sapientiam & æquitatem, ut sequitur.

CAP. XXIX.

MUNSTERUS.

1. A*Riel*] Sonat ARIEL, *Leonem Dei*: capitúrque hic pro Templo, & deinde pro civitate Jerosolymitana. Templum dicitur habuisse formam Leonis quòd à fronte fuerit latum & à fine angustum. ¶ *Adjicite annum ad annum*] i. Nihil proderit vobis si ab anno in annum veneritis & obtuleritis sacrificia vestra; evertentur solennitates vestræ & totus cultus Templi.

3. *Per constitutum*] Sic habet Hebraismus. Hebræi subintelligunt *turrim.* Olim enim ponebantur turres ligneæ ad civitates expugnandas.

5. *Iniquorum*] Sunt עריצים *homines potentes & formidabiles, qui propter tyrannidem suam cæteris sunt terrori.* Quidam Hebræorum interpretantur *nebulones.* ¶ *Erit exsufflatio eorum*, &c.] Hebræi intelligunt id dictum de Assyriis unâ nocte in favillam redactis.

13. *Quando affligitur*] Quidam hîc legunt נגש per punctum dextrum, & tunc sign. *accedere*; alii per punctum sinistrum, & tunc idem est quod נוגש, sicut nos vertimus.

16. *Reputatur*] Interpretes nostri communiter hallucinati sunt in hoc verbo, ex passivo facientes activum.

17. *Revertetur Libanus*] Per Libanum, qui habet cedros sublimes, Hebræi intelligunt superbos & sublimes viros, qui humiliabuntur: & per agrum planum, intelligunt humiles, qui exaltabuntur.

20. *Qui vim fecit*] Jonathan exponit מעיקא *calumniatorem, oppressorem, & qui durus est in alios.*

21. *Facientes hominem peccare*] Sensus est, Cùm impii illi & violenti nebulones redarguuntur à piis, sæviunt contra eos, peccatum illis imponentes quòd ausi fuerint contra se loqui. Sic in Euangelio Christus dicitur peccasse quòd contra Templum & Sacerdotes loqui præsumpserit. ¶ *In porta*] i. In publico loco. Sic qui hodie contra pompam & abusum Papæ loquitur, is ab eo & sibi adhærentibus dicitur peccare, atque ideo condemnatur, illaqueatur & devovetur. Sunt tamen qui verbum יקשון exponunt pro ילקשו, ut sit sensus, Prophetæ & qui denunciant verbum Dei, atque impios ob sua peccata castigant, nihil colligunt nisi improperia & exprobrationes.

22. *Qui redemit Abraham*] Deus *redemit Abraham* ex impiorum consortio: sic ex filiis *Jacob*, patrem suum operibus suis *confundentibus*, redemit aliquos qui essent *opus manuum suarum*, & *sanctificarent Patrem qui est in cœlis.* Quin & qui *errabant spiritu*, ut Saulus, vocati sunt ad *intelligentiam* Euangelicæ doctrinæ.

24. Per רוגנים intelliguntur propriè *susurratores* & *detrectatores.* Aben Ezra tamen dicit per eos significari *homines ignavos & quibus nullum inest discendæ Legis desiderium.*

VATABLUS.

1. V*Æ Ariel* הוי אריאל] *O Ariel.* הוי enim particula est Dolentis, sive Deplorantis miseriam, sortem & casum altaris quod dicatum fuerat in honorem Domini: per quod significabatur Templum, quod (ut aiunt Hebræi) *Ariel* ideo vocabatur quòd esset exstructum in similitudinem Leonis, nempe angustum retro, & latum antè. Altare verò & Templum pro urbe Jerosolymorum posuit, cujus excidium prædicit, in qua Altare ædificatum erat & Templum. ¶ *Civitas* in qua *mansit David* קרית חנה דוד] *Civitatis* in qua *mansit David.* Chald. *Væ altari, altari quod ædificatum est in civitate in qua habitavit David.* Verti potest, contra quam *castrametatus est David.* ¶ *Addite*, &c. ספו שנה על שנה] Hebraismus, pro *post non multos annos*, vel, *elapsis non paucul is annis.* ¶ *Agni deficient* חגים ינקפו]: *Victima excidentur*, i. cessabunt: tandem desinent sacrificare & immolare hostias super te. Alii vertunt, quibus *jugulentur agni*: q. d. Tametsi sacrificia assiduè faciatis, nihilo minùs vindictam suam exsequetur Dominus.* Alii eodem sensu, *agni jugulentur.*

2. *Et coangustabo* והציקותי] *Et in angustiam redigam.* Qui verterunt v. 1. *jugulentur agni*, hic ו pro *nihilominus* accipiunt, vertentes, *Nihilominus coarctabo*, i. obsidione arctâ cingam Jerusalem; operâ scilicet Assyriorum. Præteritum est autem pro fut. ¶ *Planctus & luctus* תאניה ואניה] *Mœror & tristitia.* ¶ *Tanquam Ariel* כאריאל] i. Instar altaris: q. d. Ut cùm sacrificium fit, plurima cadavera jacent circum altare; ità in circuitu Jerusalem, sive in urbibus quæ circum illam sunt, erunt multa cadavera.

4. *De terra loqueris* מארץ תדברי] i. Videberis quasi sermo tuus prodeat è terra: h. e. summissus erit. ¶ *Humile erit* תשח] *Demissum erit.* Alii, *exibit*, vel, *egredietur.* ¶ *Garriet* תצפצף] *Mussitabit.*

5. *Dispergentium te* זריך] Ad verb. *peregrinorum tuorum*: sive *extraneorum tuorum*, i. hostium obsidentium te. ¶ *Et sicut gluma* וכמוץ] *Et quasi stipula*, vel *minutissima palea*, quæ à vento facilè raptatur & evanescit. ¶ *Fortium* עריצים] *Tyrannorum*: *robustorum.*

6. *Visitabitur* תפקד] Quidam in secunda persona vertunt, nescio quâ ratione. ¶ *Et in concussione* וברעש] *Et commotione*, sub. *terræ.* Alii, *tumultu.* Alii, *terræ motu.* ¶ *Et voce magnâ* וקול גדול] *Strepituque magno.* ¶ *Consumente* אוכלה] *Devorantis*: *absumentis.*

7. *Et omnes militantes*, &c. וכל צביה וגו'] Verti possunt hæc in genitivo, *& omnium militantium*, &c. Vel, *& omnium oppugnantium illam*, &c.

8. *Somniat*, &c. יחלם הרעב והנה אוכל] Futura Heb. pro præsent. Est autem Hebraismus, qui sic conversis verbis redditur, *Qui esurit, somniat se comedere.* Sic paulò pòst, *Et ut somniat sitiens, & ecce bibit*; pro, *Et ut qui sitit, somniat se bibere.* ¶ *Lassus* עיף] i. Sitiens: quia enim (ut scribit doctus inter Hebræos) lassus sitit aquam, per translationem vocatur *lassus qui sitit.* ¶ *Quæ dimicabunt* הצובאים] *Militantium*: i. quæ oppugnabunt.

9. *Tardate* התמהמהו] Sub. *in cogitatione vestra*: i. Diu ac multùm cogitate quæ causa fuerit tantæ miseriæ. Alii, *Immoramini*: *Insistite.* ¶ *Nutaverunt* נעו] *Vacillarunt*: more scilicet ebrii. Alii, *moti sunt*: vel *commoti.* Alii, *concussi sunt.*

10. *Spiritu soporis* רוח תרדמה] *Mente soporis*: i. Stupore & stupiditate.

11. *Epistolæ obsignatæ* הספר החתום] *Libri obsignati.* Sic & v. seq. ¶ *Dabunt* יתנו] Fut. Heb. pro præs. ut quidam vertunt. Alii, *si tradant*: vel, *si offerat quis.* ¶ *Nunc istam* נא זה] *Obsecro hanc*, sub. *epistolam.* Vel *hunc*, sub. *librum.* ¶ *Obsignata est* חתום הוא] *Obsignatus est*, sub. *liber.*

12. *Et dabitur* ונתן הספר] *Quòd si detur liber*, &c. *tum dicet*, &c.

13. *Appropinquavit*, &c. נגש וגו'] Præterita Heb. pro præsentibus, *Appropinquat populus iste ore suo.* Varia est lectio Hebræis: nam etiam legitur נגס per ס & נגש per ש sinistrum, quod idem valet cum ס, nempe *arctare, affligere, opprimere*: unde quidam vertunt, *Quando affligitur populus iste, ore suo & labiis suis me honorat.* Prior lectio verior est: nam ità locum istum Christus affert Matth. 15.8. *Appropinquat mihi populus hic ore suo, & labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me*: ubi præterita Hebraica conversa sunt in præsentia. ¶ *Cor autem*, &c. ולבו רחק ממני] *Cor autem suum longè facit à me*: sive *elongavit, removit*: q. d. Non colunt me ex animo. ¶ *Edoctum* מלומדה] *Quod docetur*, vel *assuefactum*, i. cui assueti sunt homines: h. e. humanum, & ab hominibus institutum.

14. *Addam*, &c. יוסיף להפליא את העם הזה הפלא ופלא] Ad verb. *addo ut mirificem cum populo isto mirabile & miraculum*: vel, *mirificare populum istum mirificatione & miraculo*: i. reddere populum hunc valde mirandum ac mirabilem: q. d. Efficiam ut omnes posthac mirentur sortem, calamitatem & infelicitatem hujus populi. Geminatio illa, *mirabile & miraculum*, frequens Hebræis, pro *re maximè miranda & stupenda.* Chald. *Idcirco ego addo ut deleam populum hunc, deletionibus mirabilibus.* Quidam Hebræorum exponunt, *addam ut abscondam*, sive *occultem à populo hoc*, &c. *quia non intelligent.* Et idcirco dixit, *Et peribit sapientia*, &c. ¶ *Peribitque* ואבדה] *Nam peribit.* ¶ *Et intelligentia*, &c. ובינת נבוניו תסתתר] *Et prudentia prudentium abdet sese*, i. evanescet, & de medio tolletur: q. d. immittam magnam ignorantiam in eos inter quos erant antea multi viri sapientissimi & prudentissimi.

15. *Iis qui profundi*, &c. המעמיקים וגו'] *Latitantibus à Jehovah ut abscondant consilium*, i. qui student abscondere consilia sua ipsi Jehovæ. Alii, *iis qui abdunt cogitatus ut à Jehovah abscondant consilium*, i. qui student ac statuunt facere, putántque se facturos aliquid quod lateat Dominum. ¶ *Et sunt* והיה] Ad verb. *& erit.* Sing. pro plur. i. quorum opera fiunt in tenebris: juxta opinionem illorum scilicet, quasi fierent Deo ignorante.

16. *Subversio vestra* הפככם אם כחמר וגו'] *Versio* [vel *Mutatio*] *vestra*, &c. q. d. Non tantummodo novit Deus opera quæ facitis, sed vos quoque perdere potest: tam facilè enim

enim potest vertere ac mutare sortem vestram in aliam quam facilè potest figulus ex uno vase facere quod vult. Alii, *Conversio vestra, an sicut lutum figuli reputabitur? nempe dicit opus,* &c. q. d. *An vestrum vertere* (infinitivus enim est pro nomine: aliàs nomen esset si ה haberet Pathah suppositum) i. consilia quæ animo agitatis, *instar luti figulini erunt? annon perinde est acsi vas diceret figulo, Me non formasti?* Miranda sanè superbia: nam perinde agitis acsi creassetis ipsi vos, atque omnia in manu vestra posita haberetis. ¶ *Intelligit* [הבין] Præt. Heb. pro præs. sub. *quid faciat.*

17. *Adhuc paululum paululum* [מעט מזער] *Adhuc parum modicum:* vel, *modicum & exiguum*, sub. *tempus.* Hebraismus, pro, *Intra brevissimum tempus:* q. d. Brevi omnia immutabuntur: nam futurum est ut superbi & qui in summo sunt honore humilientur ac deprimantur; humiles verò ac depressi exaltentur.

18. *Libri* [ספר] *Epistolæ.*

19. *Et addent,* &c. [ויספו ענוים ביהוה שמחה] Hebraismus, pro, *magis quàm antea lætabuntur in Domino mansueti:* miro gaudio afficientur in Domino. ¶ *Et mendici hominum* [ואביוני אדם] *Et pauperes in hominibus*, vel *pauperes homines.*

20. *Cùm defecerit fortis* [כי אפס עריץ] Præt. Heb. pro fut. ut quidam vertunt, *Deficiet enim violentus*, vel *tyrannus.* Sing. pro plur. *Deficient violenti.* Vel, *Quia in nihilum redactus est violentus.* ¶ *Qui perseverant in iniquitate* [שקדי און] *Qui manè festinant ad iniquitatem*, vel *qui vigilant ad iniquitatem*, sive *qui iniquitati invigilant.* Sunt qui vertunt, *qui urgent iniquitatem.*

21. *Peccare facientes* [מחטיאי] Hebraismus, pro *Peccatum alicui imponere; judicare eum peccare:* q. d. Qui in singulis verbis carpere solent doctorem Prophetam qui eos corripit, omnia in malam partem accipientes. ¶ *In porta* [בשער] i. In loco publico. ¶ *Laqueos tendunt* [יקשון] Fut. Heb. pro præs. à קוש sive יקש. Docti quidam Hebræorum deducunt à קשש *collegit*, & exponunt, *increpantem* eos *in porta, increpant*, vel *probris afficiunt. Sicut enim*, inquiunt, qui *colligit ligna aut stipulas, colligit hinc inde, & pariter congregat; itidem qui probris afficit hominem, colligit maculas ejus hinc inde, objicitque illi, dicendo, Nonne tu sic & sic fecisti in tali & tali loco, & tali tempore?* ¶ *Declinareque faciunt frustrà* [ויטו בתהו] *Et declinant ad nihilum* [vel *vanitatem*] causam *justi:* i. cadere faciunt causâ suâ, sive condemnant injusto judicio (quod hîc vocat *vanitatem*) justum. Alii vertunt, *& justum flexerunt ad nihilum.*

22. *Redemit* [פדה] *Eripuit: liberavit.* ¶ *Albescet* [יחורו] *Pallescet*, i. neque postea erubescet. Ejus enim qui erubescit, facies quidem solet initio rubore suffundi, qui tamen rubor non permanet, sed illi succedit pallor. Ideo à fine ipso dicitur *albescere* facies ejus qui erubescit. Alludit enim ad id quod fecit quando interfecit Assyrios.

23. *Sanctificabunt* [יקדישו] Sub. *ipse Jaacob cum filiis suis.* ¶ *Timebunt* [יעריצו] *Formidabunt.* Alii ad verb. *roborabunt*, i. fortem prædicabunt, cùm hymnos illi dicent, quòd percusserit castra Assur. Chald. *Et de Deo Israel dicent quòd fortis est.*

24. *Et qui murmurabant* [ורגנים] *Et susurrones, nebulones, rabulæ, impostores.* Vox Hebræa sign. *eos quorum cognitio & cogitatio est ad maledicendum, & occupatio in murmurationibus.* ¶ *Legem* [לקח] Hanc vocem docti inter Hebræos exponunt *scientiam & dulcedinem sermonis*, i. leporem: Chald. *doctrinam.*

CASTALIO.

1. **H***Eu Leodeus, Leodeus, urbs expugnata Davidi: addite annum anno*] h. e. Altero abhinc anno, ut patet cap. 32.

2. *Eóque ut Leodeo utar*] Ut dignus est.

14. *Prudentiúmque lateat prudentia*] Nulla sit.

17. *Admodum paulò post vertetur Libanus in Carmelum, & Carmelus silva habebitur*] Extranei ad Christum se convertent à Judæis repudiatum.

19. *Acquiréntque inopes in Jova lætitiam, & pauperes in Augusto exsultabunt*] *In Jova*, h. e. in Jovanitate, ut ità dicam, quòd erunt Jovani. Hic loquendi modus est in S. literis frequentissimus: ut apud Paulum, *in Christo gloriari, in Christo mori*, h. e. Christianum gloriari, Christianum mori. Neque non Latini sic loquuntur: ut Horatius,

Disces laborantes in uno
Penelopen, vitreámque Circen.

In uno, scilicet *Ulysse*, h. e. in Ulyssitate. Et Terentius *In isthac finem faciat.* Apud Plinium quoque lib. 2. in fine cap. 25. *Augustus se in eo sidere* quod mortuo Julio Cæsare visum est *nasci interpretatus est.* Quæ verba non ità sunt intelligenda quasi in ipso sideris corpore nasci se putet, sed in ipsa sideritate, ut ità dicam.

CLARIUS.

1. **V***Æ Ariel*] Sonat Ariel, *Leonem Dei.* Capitur hîc pro Templo, & deinde pro civitate Hierosolymitana. Templum dicitur habuisse formam Leonis quòd à fronte fuerit latum & à fine angustum. Alii dicunt idcirco sic appellatum propter altare Templi; quia sicut Leoni datur manè & vesperè vitulus & agnus, sic in altari offerebantur victimæ tam vesperè quam manè. ¶ *Additus est annus*] Nihil, inquit, proderit vobis si ab anno in annum veneritis & obtuleritis sacrificia vestra.

2. *Et erit mihi quasi Ariel*] h. e. Instar altaris, juxta quod multæ consueverunt cadere victimæ, sic cædem faciam.

4. *Et erit quasi pythonis*] Pro poena consultorum Pythonicorum. Indicat autem eos vocis etiam ipsius qualitate declaraturos angustiarum magnitudinem. Et hic obiter tangit morem eorum qui per pythonem loquebantur, quibus ità attemperabatur vox quasi è terra prodiret.

5. *Et erit sicut pulvis*] Quamvis ità terribiles sint hostes, tamen facilè peribunt, ut pulvis & quisquiliæ. Et Hebræi interpretantur dictum de Assyriis unâ nocte in favillam redactis. Videtur autem dicendo *quasi pulvis*, &c. duo significasse, & multitudinem ingentem, & eam facilè perdendam.

12. *Et dabitur liber nescienti literas*] Si, inquit, is qui literas scit, non intelligit, multò minùs idiota.

13. *Appropinquat populus iste ore suo*] Hoc testimonium objicit Judæis Salvator. Et quod ait *doctrinis*, vir quidam eruditus interpretatus est *Thalmudico magno studio affirmato.*

14. *Admirationem faciam populo huic, miraculo grandi & stupendo: peribit enim sapientia,* &c.] Paulus scribens ad Corinthios hoc citavit, ut apertè pertinens ad Euangelicam prædicationem.

16. *Perversa est*] Hunc locum alius sic vertit, *Certè subversio vestra in manibus meis, quasi lutum figuli reputatur*, &c.

17. *Convertetur Libanus*] Per *Libanum*, qui habet cedros sublimes, Hebræi intelligunt superbos & sublimes viros, qui humiliabuntur; & per *agrum planum*, quod intelligitur per Charmel, humiles, qui exaltabuntur.

18. *Et audient surdi*] Quid aptiùs per *surdos* intelligas quàm Gentes, quæ ad Euangelicam prædicationem aperuerunt aures, quæ nunquam res hujusmodi antea, perinde ac si surdæ fuissent, audierant?

20. *Vigilabant super iniquitatem*] h. e. Dediti erant iniquitati.

21. *Peccare faciebant homines*] h. e. Cùm impii illi & violenti nebulones redarguuntur à piis, sæviunt contra eos, peccatum illis imponentes quòd ausi fuerint contra se loqui. ¶ *In porta*] h. e. In publico loco.

22. *Qui redemit Abraham*] Deus *redemit Abraham* ex impiorum consortio: sic ex filiis *Jacob*, patrem suum operibus suis *confundentibus*, redemit aliquos, qui essent *opus manuum suarum*, & *sanctificarent Patrem qui est in cœlis.* Quin & qui *errabant spiritu*, ut Saulus, vocati sunt ad *intelligentiam* Euangelicæ doctrinæ.

24. *Discent doctrinam*] Vel *solidam eruditionem. Mussitatores* alius vertit *irrisores.*

FORERIUS.

1. **V***Æ Ariel, Ariel*] De *civitate* Jerosolyma est sermo, quam *Arielem* vocat, quòd esset veluti *Leo fortis*, non solùm quòd munitissima esset & inexpugnabilis, sed quòd vicinas gentes subjugasset, & quasi Leo, eo tempore quo *in ipsa residebat David*, populos *decerpsisset.* Nam ארה *decerpere* est, & ארי *leo*, אל verò *potens, fortis:* unde 2 Sam. 23.20. dicitur *Banaias occidisse duos Ariel Moab*, i. duos leones fortissimos Moabitarum. Credo duos viros fortissimos intelligi. Vide ver. seq. At arx Tcion peculiari nomine *Civitas David* vocabatur, quam ille ædificavit munitissimam, cùm eam Jebusæis eripuisset, 1 Par. 11, &c. ¶ *Civitas*] Nota nomen קרית esse in regimine & regere præteritum חנה, quæ forma redditur aut per nomen, *Civitas residentia Davidis*, aut suppleto relativo, *in qua*, &c. cujusmodi locutio non infrequens est Hebræis. ¶ *Additus est*] Potest esse in præterito, & imperativo: & si in præterito legas, accipe pro futuro, & sensus idem est, *Addite annum super annum*, i. Post non multos annos, numerate paucos annos. ¶ *Solennitates*] נקפו est *gyrare, agi in orbem:* hinc ad *festivitates* transfertur, quæ celebrantur

lebrantur epulis & choreis & circumrotationibus: vel quòd evoluto anno rursum redibant: estque *festum agere*. Vide suprà 19. 17. Hinc חג *festivitas* frequenter in Scripturis: quod nomen tamen Rabini nonnulli, quos sequuntur & nostri, pro *agnis* hoc loco, & Psal. 118. accipiunt; quàm rectè, docti viderint: ubi nos habemus, *Constituite diem solennem in condensis*; ad verbum, *Vincite* חג *funibus usque ad cornua altaris:* ubi pro *frondibus festivalibus* capi putarem. Sicut etiam hoc loco, *decidantur frondes festivales uno atque altero anno*. Repetendum enim hoc est ex priori membro, i. *evolvantur festivitates*, ut dixit Vulg. sensum doctissimè reddens. Nam quòd ramos præciderent ad festivitates Ecclesiasticas, ut etiam hodie facimus, ex libris Rabinorum intelligere poteris: sed & versio illa Græca Psalmi & historia Euangelica id satis ostendunt: quod etiam præceptor meus Angelus Caninius in libello De vocibus Hebraicis N. T. in voce OSANA annotatum reliquit.

2. *Tristis & mærens*] Duo nomina sunt hîc àb eadem radice, scilicet אנה, quod est *aliqua gravi de causa ad luctum impelli*. In secunda fit transitivum, *impulit*, *adegit:* quare verti hîc potest cum Vulg. *tristis & mærens*, vel *impetus & impetus*; sicut Thren. 2. *Multiplicavit in filia Juda impetum & impetum:* quæ geminatio Multiplicitatem & Distributionem notat; q. dicatur, *hinc indè necessitas* (seu *impulsio*) *erit*, &c. ¶ *Et erit mihi quasi Ariel*] Dupliciter hoc accipi potest; 1. quòd ipse Dominus se Leoni forti compareт, & Civitatem prædæ; q. d. *erit mihi quasi Arieli*, i. Tu quæ aliis eras leo fortis & alios decerpebas, prædæ eris mihi, & ero tibi decerptor. 2. Ut ludat in nomine *Ariel*; quod etiam Altare figuratè significat, ut Ezech. 43. q. d. In te, tanquam in altari, jugulabo habitatores tuos, & erit sacrificium Domini; ut alibi loquitur Scriptura, *Sacrificium Domini in Bozra*, &c. Dicebatur autem Altare hoc nomine propter mactationem & ingluviem victimarum.

3. *Et circumdabo*] Hic illud idem verbum est quod ver. 1. reddidit verbo *expugnandi*. Nam interdum est verbum castrense, & plerumque Vulg. verbo *castrametandi* reddidit; ut v. 1. reddi possit, *civitas quam circumsedit David*, ut eam scilicet caperet. Hoc tamen manifestum est, quòd constructum cum על verbo *obsidendi* rectè vertitur, *obsidebo te*, vel *cingam te*, *veluti circulo*; vel, *circa te veluti circulus considebo*. Sensus idem est. ¶ *Aggerem*] Vel *stationem*, seu *propugnaculum*, *in quo in obsidione stant milites*. Ad hunc locum, & qui sequitur, respexit Dominus, quando flens super civitatem dicebat, *Circumdabunt te inimici tui*, &c. Familiare autem est Deo sibi tribuere eas actiones quæ sunt hostium, quando hostes per Deum immittuntur.

4. *Humiliaberis*] In Euangelio dicit Dominus, *Ad terram prosternent te, & filios tuos qui in te sunt.* ¶ *De terra loqueris*] Hæc omnia exilitatem vocis significant; quæ signum est non solùm ægritudinis corporis, sed & animi magnis calamitatibus fracti. Vide de hac voce suprà 8. 19. ¶ *Audietur*] שחח *incurvatum est*. At *incurvari* seu *recurvari eloquium* quid est nisi Reflecti sonum, &c. Vulg. sensum vertit.

5. Fere omnes Interpretes hos quatuor versus de hostium populi Dei subversione intelligunt; & hunc esse morem Prophetarum dicunt; sed quàm apposite, apud ipsos videas. Ego certè obscura esse fateor quæ hic dicuntur, & hostibus Israelis, maximè Assyriis, qui ab Angelo Domini percussi sunt, posse aptari, si superficiem verborum attendas, non dubito. Obscuritatem tamen à Propheta affectatam existimo, ut post hos versus videbis: & hæc ut pro hostibus & contra Jerosolymam dicta accipio. Dicit ergò *multitudinem hostium futuram veluti tenuem pulverem*. Familiare est enim Scripturæ Pulveri multitudinem innumerabilem comparare. Gen. 13. *Si poterit aliquis numerare pulverem terræ, etiam semen tuum numerabitur:* licèt ibi sit alia vox. ¶ *Ventilantium te*] זור interdum valet *constringere*, *comprimere:* & hic modus significandi hîc mihi placet. Alii pro *extraneis* accipiunt: sed affixum nè ità acciperem fecit. Suprà cap. 1. hoc verbum habuimus, *Vulnera non compresserant*, i. non sunt compressa. ¶ *Et sicut favilla*] Idem hîc significatur quod primo membro, nisi quòd hîc celeritatem quoque hostium & celerem eorum adventum puto designari. Nomen autem *glumam* propriè designat quam ventus ab area excutit: hinc ad alias quoque quisquilias transfertur quæ vento facilè contorquentur. Significat ergò quòd hostes, velut nebula quædam pulveris, terram operirent, neque præsentirentur, & famam suam prævenirent. Quod de exercitu Romanorum sub Tito & Vespasiano verum fuisse narrant Historiæ.

6. *Eritque repente confestim*] Magis mihi hæc Vulg. Interpretis distinctio quàm Rabinorum placuit. Sunt autem Hebræis duæ dictiones ejusdem ferè significationis; & tanquam nomina & tanquam adverbia capi solent. *Eritque in repentino casu*, vel *citissime*, *admodum repentè*. ¶ *Visitabitur*] תפקד potest esse aut secunda persona masc. aut tertia fem. sed nè in secunda accipiam facit verbum *humiliaberis*, & *loquèris*, quæ feminina sunt, & quæ præcesserunt, *erit mihi quasi Ariel*, &c. Et quamvis de ipsa civitate Ariel posset dici quod *visitaretur*, ego tamen mallem impersonaliter accipere, ut magis incertum maneat de quo Propheta loquatur: ut sit sensus, *Eritque a Deo repentina visitatio*, seu *requisitio*. ¶ *In tonitruo & commotione*] His nominibus, & quæ sequuntur, *turbinis*, & *tempestatis*, &c. cum quibus dicit *futuram visitationem*, satis indicat quod genus hominum esset illud, & quale visitationis genus futurum. Significant enim hæc Divinam iram in Scripturis. Punit namque Deus per creaturas, & terrorem incutiunt *commotiones* cœli & *terræ*, & *tempestates* aeris: cui addit & *flammam ignis*, ut perfectam desolationem Jerosolymorum intelligamus.

7. *Sicut somnium visionis nocturnæ*] Quomodo hostes comparet *somnio visionis nocturnæ*, i. visioni quæ in somniis fit, explicat ver. seq. nempe quod erunt *veluti somniantes* ipsi hostes, ut mox explicabimus. Vel adventum hostium *somnio* comparat, quòd præter spem venerint, rémque citissimè confecerint, móxque omnia disparuerint tanquam somnium. ¶ *Et qui obsederunt*] מצודה est *rete* seu *sagena* Eccles. 9. Videtur ergò accipiendum activè, pro *insidiis*; *insidiæ ejus*, i. *insidiantes ei*, vel *insidiatores ejus*. Vulg. sensum expressit.

8. *Sicut somniat*] Explicat comparationem, quòd hostes Judæorum sint *veluti qui famelici & sitibundi somniant se comedere & bibere*, *revera autem evigilantes adhuc esuriunt & sitiunt*, i. ità facilè perdunt pópulum istum, ità nullo negotio eos devorabunt, ac si in somniis id fecissent: q. d. Non explebitis famem eorum; nihil se fecisse arbitrabuntur cùm vos deleverint, &c. ¶ *Vacua est*] Secundo loco aliud est verbum, quod *excurrere* propriè sign. שקק. Qui autem sitit, huc atque illuc excurrit, ut quod bibat inveniat, &c. *Vacuam* autem *esse animam* Hebræis est Frustrari desiderio: nam נפש interdum est *desiderium:* sumitur & pro *corpore viventis:* unde faciliùs sic vertas, *est stomacho vacuo & inani*. ¶ *Contra montem Sion*] Ecce quam vocaverat *Ariel*, hîc dicit *montem Tsion*, ut dicere possimus אריאל idem esse quod הראל, i. *Mons Dei*, sicut apud Ezechielem loco citato pro eodem ponitur הראל & אריאל. Significat autem & ipsam arcem Davidis, quæ propriori nomine *Civitas Davidis* dicebatur; simul & altare, quod erat velut monticulus quidam Deo dicatus. Cùm autem dicit, *Erit mihi veluti Ariel*, pro Ara accipiatur. At si hæc adversus hostes dicta sunt, quo pacto adhuc *anima eorum vacua* mansit? nisi dicamus quòd quæ animo constituerant fuerint veluti somnia, revera autem non expugnaverint, &c. Priorem tamen expositionem amplector, quæ & sibi perpetuò constat, & superioribus & sequentibus cohæret: quam etiam ex parte alii Interpretes attingunt; sed nequaquam usque ad finem persequuntur. Omnia igitur de Romanis dicta accipe: quod & sequentia probant.

9. Cùm Propheta vastationem Jerosolymorum describeret, subitò vidit ea quæ dicebat, sicut neque alia tam sua quàm aliorum Prophetarum oracula, Judæos non intellecturos: unde jam de hac cæcitate incipit sermonem. ¶ *Obstupescite*] Verbum geminatum התמהמהו, cujus non est usus nisi in quarta: quod quidem Vulg. Gen. 19. vertit verbo *dissimulandi*, & Gen. 43. *Si non intercessisset dilatio*, & alibi aliter. Ego ex his locis & aliis colligo esse verbum *deliberantis*, *disputantis*, seu *interturbati animi & distracti in re aliqua:* quod credo Luc. 10. dictum περιεσπᾶτο *distrahebatur circa multa*, &c. & Psal. 119. *Paratus sum, & non sum turbatus*. Verbo ergò *interturbandi* reddi potest. Possunt autem verba hujus versus aliis atque aliis punctis in præterito & imperativo legi, *Interturbati sunt*, vel *Interturbemini:* sensus tamen idem, nam in imperativo id futurum ex justo Dei judicio tantùm significat, & vehementior est oratio. ¶ *Et admiramini*] תמהו *obstupuit totus animi turbatione & distractione:* quod majus est quàm *admirari*. ¶ *Fluctuate*] Verbum geminatum שעשע, de quo suprà cap. 11. dictum est, & cap. 5. 7. est quod nos dicimus *demulcere*, *blande & suaviter tractare*, *contrectare amanter*, atque *constringere:* in quarta autem absolutè positum est, *se palpare*, *sibi blandire*, *seque ipsum adulando decipere*. Reddere possumus cum quodam Rabino viro docto, *obcæcate vosmetipsos:* vel in præterito, *obcæcati sunt*. ¶ *Vacillate*] שעו est simplex, à quo superius compositum est, & juxta variam constructionem variè redditur. Hic absolutè positum puto accipi, sicut infrà 32. cap. *non reprimentur* (seu *restringentur*) *oculi videntium*, &c. i. *obcæcamini*, & *cæci sitis*. Quòd si malis in præterito reddere, sensus non erit ineptus, *Interturbarunt semetipsos*, & *stupefacti manserunt:* *obcæcaverunt semetipsos*, & *cæci manserunt*. Quia verò *semetipsos sibi blandiendo constrinxerunt*, *constricti &*

caci remanserunt: & quia humanâ solicitudine & multiplici actione exteriori voluerunt sibi providere, & posthabitâ fide *justitiam Legis sectari* voluerunt, *in legem justitia non pervenerunt*, sed *stupefacti manserunt*, cùm nihil sibi suam solicitudinem profuisse viderunt. Adde quòd multiplex ad negotia temporalia distractio, quæ Judæorum propria est, mentis stupiditatem illis quoque induxit. ¶ *Inebriamini*, (vel *inebriati sunt*) *& non à vino*] Heb. *& non vinum erat*, scilicet, *absque vino & absque temeto agitati sunt*, seu *moti sunt*. De motu ebriorum est sermo. Neque scio an sit alia gens in toto Orbe quæ ad intelligendas res spirituales (quarum notitiam ipsi profitentur) stupidior & cæcior sit.

10. *Miscuit spiritum soporis*] De verbo נסך dixi suprà cap. 25. quòd de *liquidorum effusione* & *aridorum expansione* dicatur. Qui autem profundè dormit, à visione longè abest. Stertunt autem Judæi ad Divina, tum suo ipsorum peccato, tum justo Dei judicio, qui dona sua immeritis, præsertim his qui sese indurarunt & obcæcarunt, sæpissime denegat. Neque alia res necessaria est ad hoc quòd stupor & sopor obruat mortales, quàm quòd tenebras, quas sibi ipsis offundunt, non discutiat Deus. Ille enim qui *Deus hujus seculi* appellatur, & *potestas tenebrarum*, ejus rei curam habet, ut nunquam datâ hujusmodi occasione desuerit. Hoc igitur quod connivente Deo fit (connivet autem propter scelera nostra) sufficit ad hoc ut dicat Scriptura *Deum indurare*, *obtenebrare*, *soporem immittere*, &c. Unde & *se indurare* dicitur *Pharao*, & *se excæcare* dicuntur *Judæi*: *Deus* quoque *hujus seculi*, *Princeps tenebrarum*, dicitur illos *obcæcare* apud Paulum: & ipse *Deus* benedictus dicitur *indurare Pharaonem*, & *spiritum* hic *soporis effundere*. Vide suprà cap. 6. ¶ *Et claudet*] Parùm refert sive futuro sive præterito vertas: Futura enim omnia hæc erant, & jam facta sunt. Prophetæ quoque indifferenter temporibus istis utuntur. Verbum autem עצם *confirmationem*, *condensationem* seu *corroborationem* notat. *Corroborare* ergò *oculos*, *consolidare* seu *comprimere*, est immobiles reddere & veluti congelatos, ad videndum prorsus inutiles. Vulg. sensum attendit. ¶ *Prophetas*] Hoc per Appositionem accipio. Sunt enim Prophetæ *oculi* populi, per quos vident; quemadmodum Sol dicitur *Mundi oculus*, *per quem videt omnia tellus*. Est ergo irati Dei signum, ut sæpe in Scripturis dicitur, Prophetas auferre, & quòd populus Doctore careat. Neque minùs id hominibus molestum esse deberet quàm corporis oculis privari. Jam quod sequitur, aliud est membrum, & idem ferè est, *duces vestros videntes operiet*. ¶ *Principes vestros*] Hebræis *capita* interdum dicuntur Principes. Ratio manifesta est, non solùm quia in eminentiori loco & in dignitate constituti sunt, sed quia toti populo prospiciunt, ipsúmque moderantur, &c. Frequens autem erat in illo populo ut Duces populi visiones quoque & revelationes à Deo haberent. Dixit etiam *operiet*, persistens in Metaphora *capitis*. Qui enim obvolutum totum habent caput, nihil vident. Ergò pro peccatis populi Prælati ac Principes obcæcantur, nè intelligant quæ toti corpori, i. Reip. providere oportebat. Qui ergò errores Principum notant, & illis obtrectant, consultiùs agerent si peccata sua deflerent, ex quibus obtenebratio Principum ortum sæpe habet.

11. 12. *Et erit* (vel *fuit*, seu *facta est*) *visio omnis*, &c.] Poterant dicere, *Sufficiunt nobis libri Legis & Prophetarum*: *sufficiunt nobis antiqua oracula*, &c. Huic objectioni occurrit, dicens quòd Legem & Prophetias nequaquam intelligerent tam Legis Doctores quàm qui literas nunquam didicerunt; sicut *librum signatum* neque docti neque indocti legere possunt. *Velamen* enim, *quod super vultum ponebat Moses*, *super cor eorum positum est usque ad hodiernum diem*, ut inquit Paulus. Quomodo hoc factum sit infrà aperiet Propheta. Hic mecum, Lector, considera, ex peccatis veluti nebulam quandam ascendere quæ intelligentiam S. Scripturæ impediat, ut necesse sit fateri, unum eundémque hominem qui purus ab humanis affectibus Scripturam aliquam intelligere posset, si in impuritatem lapsus sit, &, ut Basilius loquitur, *habeat mentem curis vitæ & carnis affectionibus obtenebratam*, eandem illam Scripturam non magis intelligere quàm *verba libri signati*: ut videas quàm tetras exhalationes generent peccatorum mentes lacunis uliginosis persimiles.

13. *Dominus*] Vel *Dominus meus*. Jam causas obcæcationis Judæorum aperit, quòd videlicet externam tantùm justitiam persequerentur, cordis autem, quod Deus primùm respicit, sanctificationem nihil curarent. Et hæc ipsa causa est quam Apostolus ad Rom. affert, quare *Israel in legem justitiæ non pervenit*. ¶ *Appropinquat*] Hoc differunt Hebræis נגש, quo hic utitur, & קרב, quo Latinis *accedere* & *appropinquare*. Cæterùm his verbis solet Scriptura Cultum & Ministerium significare. Estque hoc loco allusio ad Legem, in qua non semel nomine *appropinquantium Deo* intelliguntur Ministri Domini. Ut cùm orta est contentio inter Core & alios, quis Summo Sacerdotio dignus esset, dixit Moses Num. 16. *Manè ostendet Dominus*, *qui sunt sui*, *& sanctum appropinquare faciet ad se*; *& quem elegerit*, *appropinquare faciet sibi*. Lev. 8. *Appropinquare fecit filios Aaron*. Ezec. 42. *Sacerdotes*, *qui appropinquant Jehovæ*. Sermo ergò hìc præcipuè ad Sacerdotes est. Quòd si istorum sanctitas rejicitur qui speciali nomine *sancti* dicebantur, quid de reliquo populo sentiendum est? ¶ *Timuerunt me*] Manifestum est verbo *timendi* sæpe Hebræis Cultum & Religionem significari. Vulg. sensum expressit. Nomen hoc loco in Hebræo infinitivè accipitur, *fuit timere eorum me*: & hoc rursum nomine reddendum est, *fuit timor*, *cultus*, *religio eorum erga me*. *Cultus*, inquit, *quo me coluerunt*, *fuit mandatum hominum*. ¶ *Mandato hominum*] Aliquando *mandatum* seu *institutio hominum* in malum accipitur; eáque tunc notat mandata quæ nihil habent Divinum, neque ex Lege & institutis Dei pendent, neque quidquam ad pietatem conferunt (qualia propè infinita habebant Judæi) sed sunt meræ humanæ inventiones. Hæc rejicit hic locus. Nam aliàs *obedire præpositis* jubet Scriptura: qui tamen nonnulla præcipiebant olim quæ in Scripturis non continentur, ut ex Epistolis Pauli manifestum est: nè putent novi hæretici verba hæc Prophetæ aut Euangelii quidquam perverso illi dogmati patrocinari quo hominum universa statuta nituntur convellere, ut sine jugo maneant tam ipsi quàm eorum discipuli, & ad omne genus flagitiorum liberi. Hoc tamen ingenuè fatebor, quòd etiam illa hominum statuta quæ exteriorem tantùm cultum respiciunt, & sunt à S. Patribus commendata & observata, si observentur posthabitâ fide, misericordiâ & justitiâ cæterisque virtutibus, quæ hominem interiorem in oculis Dei decorum reddunt, non magnifaciat Deus. *Festos* enim *dies* & *sacrificia*, quæ Dominus præceperat, eò quòd *manibus sanguinolentis* offerrentur, *se odisse* dicebat Dominus; quæ tamen suscepisset, si *judicarent pupillo*, &c. ut cap. 1. dictum est. Nollem ergò, dum blasphemam Lutheranorum doctrinam, quâ sanctas Patrum constitutiones ac traditiones ut hominum inventa rejiciunt, ut dignum est, abominamur, plus æquo externâ justitiâ & specie tantùm pietatis contenti essemus; quinimo *labiis* & *corde Deum glorificaremus*, ut pii faciunt, qui *psallunt spiritu*, *psallunt & mente*. ¶ *Et doctrinis*] Manifestum est hunc esse sensum ex ipsis Euangelistis. Nec dubium quoque est quin de traditionibus Rabinorum sit sermo, quibus plenus est liber Talmud ipsorum, quarum licèt nonnullæ, præsertim antiquæ, sanctitatem redoleant, pleræque tamen superstitiosæ sunt. Ego verbum verbo reddidi. מלמדה participium est significationis passivæ, generis feminini, *docta*, *edocta*. Ose. 10. *Ephraim vitula edocta*. Et cum מצות hìc construitur; *Tota*, inquit, *istorum religio mandatis & traditionibus quas docuerunt homines continetur*. *Relinquebant* autem *præcepta Dei propter traditiones has*, ut est in Euangelio. Sed quid indè?

14. *Addam ut admirationem faciam*, &c.] Sensus est quem Vulg. expressit. Ego verbum verbo reddidi; Propter hanc hypocriticam rationem colendi Deum *faciam ardua & ardua*, i. multa quæ hominum mentes transcendant, faciam prodigia, quæ *populus hic admiretur*, & in quorum contemplatione *obstupescat*. Dixi autem in plurali *ardua & ardua*, cùm Hebræa sint singularia, הפלא ופלא, quòd nomen hoc (ut nomen enim, posthabitâ Rabinorum punctatione accipio utrumque) ferè semper in singulari collectivè accipiatur: non malè tamen hìc cum Vulg. in singulari redderetur. Verbum autem *addo* Hebræis cum altero verbo sæpe Frequentiam actionis notat. ¶ *Peribit enim*] Est certè hoc prodigiorum non minimum, imò & præcipuum, ut scilicet sapientes in Divinis Scripturis omnino nihil intelligerent: quod eò majus portentum est quò nec se sapientiâ & scientiâ destitutos esse intelligunt. Hanc autem partem miraculi, & alteram non minùs stupendam exponet v. 17. & seq.

15. *Profundi estis corde*] *Corde* addidit Vulgatus. Heb. *Væ qui profundatis*, vel *profundant*, i. profundum facitis: vel, *Væ qui profundamini à Jehova*, i. qui vosmetipsos abditis, veluti qui specus & terræ cavernas ingrediuntur ut lateant. Hic modus constructionis hunc sensum facere solet Heb. quasi duo essent verba: quod explicat, dicens, ¶ *Ut abscondatis consilium*] q. d. *Væ vobis qui in intima penetralia convenitis ad deliberandum*, *& ut quid agere debeatis contra Dominum & ejus decreta statuatis*, *tanquam si latere posset Deum vestra consultatio*. Certè cùm Sapientes Judæorum intelligerent Dominum JESUM esse Heredem à Deo missum, cùm adventus ille eis displiceret, tanquam si Deus errasset, posséntque ipsi suâ inani prudentiâ Dei decreta subvertere, consilium inierunt ut eum occiderent, quò

quò hereditas ab eorum manibus nunquam auferretur. De *consultationibus* ergo *adversus Dominum & adversus Christum ejus* est sermo. In quam stultitiam eos prolapsos intelligo ob hypocriticam justitiam: specimen enim jam suæ cœcitatis atque ignorantiæ vel hâc unâ re exhibebant. ¶ *Quorum sunt in tenebris opera*] Doctè & eleganter Hebraismum vitavit, quem ego retinui, quòd manifestus esset, q. d. Sicut hactenus *operibus tenebrarum* (i. quæ indignum est ut in conspectu hominum fiant) incumbebant, putantes sat sibi esse quòd hominibus ignota forent, adeóque de Deo nihil Deo dignum cogitabant, ut quia nullus hominum eos videbat, aut quid agerent noverat, *dicere solerent*; *Quis videt nos? aut quis novit* quid agamus? ita juxta eandem impietatem contra Dominum JESUM à Deo missum consultabant, vel hoc unum non considerantes, quòd si veræ erant promissiones de Christo venturo, vera quoque forent necesse esset quæ de ipsius Regno prædicta erant. Sed diuturna peccata, præsertim si non desit species pietatis, sequi solet mentis hebetudo & impiæ de Deo cogitationes.

16. *Perversa est hæc vestra cogitatio*] Hîc infinitivus est pro nomine. Vulg. pro *pervertere* accepit, & *cogitationis* nomen addidit, ut rem illustraret. Ad verbum juxta hunc sensum sic reddi potest, *Pervertere vestrum* (i. *perversitas vestra*) *certè quasi lutum figuli cogitabit*, i. cogitaret, &c. Atque hunc sensum reddidit Vulg. neque ineleganter. Potest etiam habere sensum quem expressi, ut אם pro *si*, & כ pro *quando* accipiatur; *Si vertere vestrum*, i. versio, si formatio vestri *est veluti versio luti in manu figuli*, si non aliter *reputari* debet, *quando*, quæso, *consuevit lutum*, (seu *opus luteum*) *dicere Factori suo*, *Non fecisti me*, &c. Nam qui putat se posse Dei decreta invertere, & suâ prudentiâ impedire nè quem Deus misit in mundum ut salvet mundum, id efficiat, &c. is dicit Factori quòd non se fecerit, aut ignorarit quid fecerit. Potest & aliter reddi, *Subversio vestra certè veluti luti figuli reputabitur*, *si diceret opus*, &c. i. Non est quòd dubitetis de vestra subversione, non minùs quàm luteum opus de sua, si diceret figulo, *Non me fecisti*, &c. Et hanc ex parte sequuntur periti ex Hebræis. Nam הפך est *vertere* cum suis compositis, *pervertere*, *subvertere*, &c.

17. *In modico & in brevi*] De his duabus vocibus jam suprà dictum est, *in modico*, *in valde modico*, *in minus modico*, *quàm citissimè*. Primum miraculum & vix credibile fuit ut sapientes Judæi, qui in toto Orbe soli sapientes erant, sicut dicturas omnes gentes dicebat Moses, (soli enim illi verè Deum colebant, & verum Deum agnoscebant) scientiam & sapientiam suam amitterent; & qui soli Scripturas legerent & intelligerent, jam eas neque legant, neque si legant intelligant; & qui soli oculorum acie præstabant cœci fierent. Alterum verò erat, neque minùs Judæis incredibile, quòd incircumcisæ Gentes omnibus istis bonis fruerentur. Et hanc rerum vicissitudinem his versibus aperit, quam Apostolus non semel attingit, præsertim Rom. 11. ubi *diminutionem Judæorum* dicit *divitias fuisse mundi*, &c. Nec aliud est illud Euangelii, *Auferetur à vobis Regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus*: & in Actis, *Vobis oportebat primùm prædicari Regnum Dei: sed quia repellitis illud, & indignos vos judicastis*, &c. *ecce convertimur ad Gentes*. Et quidem si mysterium hoc velatum erat & à seculis occultum, *Gentes esse coheredes & comparticipes*, &c. multò majoris admirationis erat, exclusis & præcisis Judæis, inseri Gentes, &c. Hanc vicissitudinem significavit Euangelicus hic Propheta *commutatione Carmelis*, quæ erat fertilissima regio, *in Libanum*, qui erat mons densissimis arboribus consitus, & contrà.

18. *Surdi & cœci* erant Gentiles, in quorum auribus non insonuerat verbum Dei, & qui veluti cœci ducebantur à *Principe tenebrarum*, *prout ipse volebat*, *ad simulacra muta*, &c. ut inquit Apostolus, qui miserabilem ipsorum sortem non semel describit. Hæc autem respondent iis quæ superiùs dicebat, quòd *oculi* Judæorum *clauderentur*, & quòd *verba Dei essent illis velut verba libri signati*. Porrò isti *audient verba libri* illius, & habebunt qui legat & illis aperiat, prædicet, &c. illi quoque dictis parebunt. ¶ *Et de caligine*, &c.] E mediis ignorantiæ *tenebris* & peccatorum *caligine* Gentes viderunt & agnoverunt gloriam Euangelii, & illis effulsit Christus, splendor gloriæ Dei, qui *de tenebris nos vocavit in admirabile lumen suum*. Illud autem *è tenebris*, *è caligine* emphasin habet. Nam Judæi in lumine agebant, & non viderunt.

19. *Addent lætitiam*] Hebraismus est, i. multipliciter lætabuntur, veluti cùm lætitia lætitiæ additur. Hoc est quod Paulus ait, *Gaudete in Domino semper; iterum dico, Gaudete*. Sicut *addere sapientiam* est Augere sapientiam, seu Copiosam sapientiam acquirere. ¶ *Mites*] Ego *inopes* & *egenos* dixi, juxta Etymologiam. Est hic nomen plurale in forma regiminis, i. *egeni hominis*, seu *hominum*. Sunt quoque nomina hæc epitheta gentium idololatrarum, & omnium qui ignorant Deum, quòd non habeant quem invocent, qui eorum votis respondeat, qui perpetuò in desiderio sunt, neque habent quo appetitum satient, cùm solo Deo agnito ac dilecto quiescat animus hominis: At per Christum *Dominus esurientes implevit bonis*, & *exaudivit gemitus inopum*, ut non possint non *lætari & exsultare in Domino*. Possunt hæc non de Gentibus tantùm intelligi, sed in genere de *inopibus* & *egenis* seu *pauperibus*; quod genus hominum Christus Dominus in hunc mundum veniens evexit. Vide Psal. 72. *Ex usuris & iniquitate redemit animas eorum: & honorabile nomen eorum*, &c. Et in Euangelio manifestum est quantum Dominus pauperibus faverit. Unde quia hoc miraculum quoddam erat, inter cætera discipulis Joannes hoc quoque connumeravit, *Pauperes euangelizantur*. De his itaque qui in hoc mundo pauperes sunt, maximè si ea habeant quæ Paupertatem comitari solent; Animi humilitatem, Mansuetudinem & similes divitias, hæc possunt accipi, similiter & quæ sequuntur.

20. *Quoniam*, &c.] *Deficiente* enim *prævalido* seu *tyranno*, &c. *inopes lætati sunt*: vel *quia* is *defecit lætati sunt*. De Principe autem hujus mundi hæc licet accipere, quem Dominus *ejecit foràs*, &c. vel etiam in universum, quòd tyranni, & qui pauperes opprimebant, &c. cessaverint per Euangelium. Possunt & de Judæis accipi, qui superbi Gentes irridebant, & pauperes despiciebant, & jus omne pervertebant. Atque hic sensus magis ad rem facere videtur: quapropter hunc persequamur. ¶ *Qui prævalebat*] Propriam significationem expressit. Accipitur autem collectivè. Et sunt hæc Pharisæorum & Sacerdotum illius seculi epitheta. De nomine autem עריץ vide infrà c. 49. ubi dicit, *Rapina prævalido eripietur*. Est autem fortior, valentior, qui aliis prævalet: quales erant principes Sacerdotum. Hos mox etiam collectivè vocat לץ *Illusorem*] Nam eosdem superiori capite vocavit *viros illusionis*, &c. ¶ *Qui vigilabant*, &c.] Ad verb. *vigilantes iniquitatis*, i. qui vigilant ut iniquitatem possint complere & exsequi: vel potiùs *vigiles concupiscentiæ*, i. qui excubias agunt, maximéque in hoc intenti sunt, ut concupiscentiam tueantur. Metaphora sumpta à custodibus & vigilibus civitatum. At quos vidisti unquam valentiores & vigilantiores cupiditatis propugnatores quàm Scribas & Pharisæos? Certè ut eam tuerentur, Christum Dominum, qui Cupiditati bellum indixerat, crucifixerunt, & Discipulos Domini ad mortem usque insectati sunt. Quia ergò præsentiebant sibi eripiendam concupiscentiam, i. injustè parta, & idcirco Dominum oppugnabant quòd sibi contrarius esset, *vigiles cupiditatis* seu *concupiscentiæ* meritò & eleganter dicuntur, quasi eos conduxisset Concupiscentia, ut vigilarent nè diriperetur. *Quando* igitur (vel *quia*) isti *excisi sunt*, & Jerusalem vastata est, *pauperes* illi Euangelici *lætati sunt* & ingenti gaudio perfusi. Sed adhuc plura de Pharisæorum moribus nobis commemorat Jesaias, ut tantùm non testis oculatus esse videatur.

21. *Qui peccare faciebant*] Vel *errare*. Annon *in verbo faciebant errare homines*, qui, cùm verbum Dei staret, *Honora patrem tuum & matrem*, &c. dicebant, *Munus quodcunque est ex me, tibi proderit*, &c. *& transgredi faciebant præcepta Dei propter traditiones suas*? Quid si *errare facere* sit Tanquam errantem damnare? Annon Hominem illum (nam hîc אדם quoque in singulari est) illum, inquam, Filium hominis, tanquam blasphemum lapidare sæpius voluerunt, tanquam qui *errasset in verbis*? Annon huic dato à Deo Judici universorum, qui eorum mala opera tanquam Judex *in porta* publicè *damnabat*, *laqueos tendebant & complicabant*, ad eum sæpius venientes *ut in sermone eum caperent*? Annon *ab* hoc *Justo in vanitatem* (seu *inordinationem*) *declinaverunt*, & ab ipsius doctrina, de vera justitia, ad justificationem inanem purificationum suarum declinabant? Quid si nomen *hominis* & *verbi* & *corripientis* collectivè accipias? quòd scilicet *illi vigiles iniquitatis* sententias injustas proferre *faciebant* Judices, ut *in verbis peccarent*, & astutiis suis à Judicibus iniquas sententias extorquebant, & *jus*, vel Judices *justitiæ* Præsides, *declinabant* seu *incurvabant in vanitatem* seu *inordinationem*, i. omne jus pervertebant & pessundabant, ut non Veritas vinceret, sed Mendacium. Cùm isti, inquit Propheta, qui hæc faciebant, *deleti sunt*, quis dubitet Discipulos Domini *lætatos fuisse*, quòd commeritas injustitiæ pœnas luerent, & verbum Domini staret, qui eos devastandos prædixerat? Facilè poteris omnia hæc superioribus interpretationibus, quas omisi, accommodare. Sed vide quæ sequuntur, & hanc interpretationem comprobabis.

22. Cùm Judæorum Excœcationem apertè denunciasset, si-

 mul

mul & Vocationem Gentium, qui eorum bonorum gratuitâ collatione fruerentur à quibus Judæi casuri erant, non præteriisset, objici à quoquam non immeritò poterat, *Abraham & Jaacob*, quibus factæ sunt promissiones de infinita sobole, & cum quorum semine Deus æternum fedus pepigit, si sic res se habet, *confundantur & pudefiant necesse est.* Huic oportunè jam objectioni Propheta obviàm ire videtur his tribus versibus: *Dominus*, inquit, *qui Abraham liberavit*, nè cum idololatris periret, *in hunc modum ad posteritatem Jacob ait*, *Jam posthac non pudefiet Jacob*, aut Abraham, *neque facies suas avertent*, ut facere solent qui pudefiunt, etiamsi dicam excæcandos Judæos, & tandem exscindendos.

23. *Cùm viderit*] *Quando*, inquit, *videat Jaacob & Abraham.* ¶ *Filios suos opus manuum mearum*] i. Cùm viderint sibi natos filios virtute meâ, licèt non ex carne sua. Nam *filii promissionis*, qui sequuntur fidem Abrahæ, *ipsi in semine censentur*; quos *Deus de lapidibus suscitavit*, & *ab Oriente & Occidente vocavit, ut cum Abraham quiescerent in Regno cælorum, ejectis filiis Regni.* Isti, inquam, sunt filii Abrahæ, *opus manuum Dei.* *Cùm* hos *viderint in medio sui*, seu *in intimo sui*, intra sinum suum, in domo sua, & in nullo à verè filiis suis discrepantes, *veros Israelitas* & veros Judæos, intelligentes non irritas promissiones sed fidelissimè adimpletas, tantùm aberit ut *pudefiant*, ut tunc multò magis *sanctificent & sanctum prædicent nomen meum*, me, inquam, *Sanctum*, i. sanctificantem *Jacobæos*, & *Deum Israelis.* Et ipsimet posteri secundùm carnem, qui simul sunt filii secundùm fidem, illi ipsi non confundentur ob paucitatem, aut promissiones Patribus factas, sed magnificabunt Deum, cùm viderint tot millia fratrum ex Gentibus fidem patris sui Abrahæ sectantium. ¶ *Prædicabunt*] Verbum est Hebræis, de quo sæpe dictum est, & quod non semel *prævalescere* vertunt, עָרַץ, & infrà 47. *fieri fortiorem* dixit Vulgatus. Et nomen indè deductum suprà v. 20. dixit *qui prævalebat*: ergò in tertia est *facere prævalescere*, i. quem alii timeant & tanquam terribilem admirentur. Vide suprà 8. 12, 13.

24. *Errantes spiritu*] Exponit qui sint illi *filii*, *opus manuum Dei*; nempe Gentes, quas hactenus *errantes spiritu* seu *stultos* vocabamus: de quibus Moses, *Et in gente stulta irritabo illos.* Crediderim autem *errare spiritu* ad Religionem referendum, quòd Gentes ignorantes verum Deum huc atque illuc ferebantur, & hæc aut illa pro Diis colebant: Isti, inquam, notitiam de Deo vero amplectentur. ¶ *Mussitatores*] Hæc vox רוגנים non reperitur alibi in Scripturis. Hebræi docti putant esse *murmuratores*. Quantum autem ex cognatis vocibus licet conjectari, sunt *delatores* seu *infamatores*, vel etiam *infames*, *qui malè audiunt*, *quique immorigeri sunt & indisciplinabiles*: ipsi, inquam, *discent doctrinam*: isti erant Gentes, ut dixi. Est autem לקח *accipere*: indè nomen quod *traditionem* seu *doctrinam acceptam* vel *accipiendam* notat, vel *quâ quis capitur.* Vulg. Deut. 32. 2. *doctrinam* vertit, & Job. 11. 4. *sermonem*, & Prov. 7. &c. Animadverte autem quòd per doctrinam petrahuntur homines ab erroribus & morum infamia, ut tandem possint in filios Abrahæ & Dei regenerari. Ubi quoque considera efficaciam verbi Dei, quò non solùm *inclinati* aut *jacentes* in pedes eriguntur, sed & *repugnantes* & *indisciplinabiles capiuntur.* Possunt & hæc omnia multò aliter accipi, nempe ut suprà v. 23. כי cum Vulgato pro *sed* aut pro *quia* accipiamus, & futura pro infinitivis, & Vau initio versûs 24. pro *tunc*: quæ Hebraicè doctis non sunt inaudita. Eritque hic sensus, *Non pudefiet Jacob*; *quia cùm viderit filios suos laudare & sanctificare nomen meum*, i. Gentes inter filios suos computatas, *tunc errantes spiritu*, &c. i. Judæi ipsi secundùm carnem, qui hactenus *spiritu errabant*, & doctrinam Domini deridebant, & adversùs eum *murmurabant*, &c. *tunc*, inquam, *apprehendent eam*, &c. ut sit quod Paulus ait, *Cùm ingressa fuerit plenitudo Gentium*, *tunc omnis Israel salvus fiet*, quo fiet ut *non confundatur Jacob*, *cùm* scilicet multò plures sibi natos *filios videat* quàm unquam putarit. Quæ expositio eò minùs rejicienda est quò magis videas epitheta hæc ultimi versûs maximè infidelibus Judæis convenire. Illi enim sunt qui *semper errarunt corde*; illi sunt qui *semper murmurarunt*, & *Spiritui S. restiterunt*, &c. Unde Paulus ad Titum c. 1. *Oportet Episcopum amplecti eum qui secundùm doctrinam est fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere. Sunt enim multi etiam inobedientes, vaniloqui & seductores, maximè qui de Circumcisione sunt: Quos oportet redargui*, &c.

DRUSIUS.

1. אריאל. Aq. Sym. λέων Θεοῦ] Euseb. De locis in ARIEL, *Quod Aquila*, inquit, *& Sym. interpretati sunt* LEONEM DEI. Vide sequentia in ARIEL. Alibi reddunt eandem vocem τὸν λέοντα τοῦ Θεοῦ, videlicet 2 Sam. 23. 20. ¶ קִרְיַת חָנָה דָוִד. Aq. πολίχνη παρεμβολῆς Δαυίδ, *oppidulum castrametationis David*] Interpres Eusebii, *civitatula mutationis castrorum.* Cæterùm παρεμβάλλειν pro *castra locare*, tritum est in lingua Hellenistarum. Hinc παρεμβολὴ *castrametatio.* Hieron. *Pro civitate*, *quam Aq. interpretatus est* πολίχνην, *h. e.* oppidulum *sive* viculum, *in Ebræo legunt* קרית, *quod propriè* villam *sign. & linguâ Syrâ dicitur* CARTHA, *unde &* villa silvarum *appellatur* CARIATHIARIM. *Denique & in superioribus*, *ubi legimus*, Quomodo facta est meretrix civitas fidelis Sion! pro *civitate* CARIATH *scribitur*, *i.* villa; *quam nos*, *ut translationem Aquilæ exprimamus ad verbum*, civitatulam *possumus dicere.* Idem Hieron. *Sym.* castrum David *interpretatus est*, *& Th.* circumvallatio David. *In Ebræo autem legitur* חנה, *quod eruditissimus Ebræorum* habitaculum *significare voluit.* ¶ ספו. Aq. *subtractus est*] Hieron. *Additus est annus ad annum*] *Sive* subtractus, *ut interpretatus est Aquila.*

4. אוב. Aq. *magus*] Hieron. *Et sit quasi pythonis de terra vox illius*, *& de humo instar passerum mussitet*] *Ut per hæc verba significet magorum* νεκρομαντείαν, *per quam animas evocare dicuntur*, *& tenues umbrarum*, *imò Dæmonum*, *audire voces. Denique pro* pythone *Aq.* magum *interpretatus est.*

10. רוּחַ תַּרְדֵּמָה. Aq. πνεῦμα καταφορᾶς *spiritus profundi soporis.* Th. ἐκστάσεως *dimotionis è statu pristino*] Ità scriptum lectum in ed. Rom. puto melius esse ἐκστάσεως, quam Hieron. *mentis excessum* interpretatur. Verba sunt, *Pro* soporis spiritu *Lxx* κατανύξεως, *i.* compunctionem, *Th.* ἔκστασιν, *i.* mentis excessum, *Aq.* καταφοράν, *i.* gravem somnum, *interpretatus est.* Prov. 19. 15. תרדמה. Aq. καταφοράν. Sym. Th. ἔκστασιν, 1 Sam. 26. 12. Aq. καταφορά. Sym. κάρος. Th. ἔκστασις. Gen. 2. Lxx ἔκστασιν. Aq. καταφοράν. Sym. κάρον, i. *gravem & profundum soporem*, interpretati sunt; ait Hieron. in libro Quæstionum Ebraicarum.

18. בָּאֹפֶל וּמֵחֹשֶׁךְ עֵינֵי עִוְרִים תִּרְאֶינָה. Aq. Sym. Th. *tenebras & caliginem oculi cæcorum videbunt*] Hieron. *Quodque nos vertimus*, de tenebris & caligine oculi cæcorum videbunt, *quorum facilis interpretatio est*, *Aq. Th. & Sym. transtulerunt*, tenebras & caliginem oculi cæcorum videbunt; *ut ostenderent Gentium populo*, *qui priùs cæcus erat*, *Christi sacramenta pandenda*; *juxta illud quod dicitur*, Tenebrosa aqua in nubibus aeris.

IDEM EX PROCOPIO.

2. וְהָיְתָה תַאֲנִיָּה וַאֲנִיָּה. Sym. καὶ ἔσαι καταδυνασευομένη καὶ ὀδυνωμένη, *& erit tristis ac mæsta.*

3. וְצַרְתִּי עָלַיִךְ מֻצָּב וַהֲקִימֹתִי עָלַיִךְ מְצֻרֹת. Sym. Καὶ χαρακώσω κατὰ σοῦ σάσιν, καὶ ἀνασήσω κατὰ σοῦ πολιορκίαν, *Et circumvallabo contra te stationem*, *& excitabo contra te obsidionem.*

4. וְשָׁפַלְתְּ מֵאֶרֶץ תְּדַבֵּרִי וּמֵעָפָר תִּשַּׁח אִמְרָתֵךְ וְהָיָה כְּאוֹב מֵאֶרֶץ קוֹלֵךְ וּמֵעָפָר אִמְרָתֵךְ תְּצַפְצֵף. Sym. Καὶ ταπεινωθήσῃ, ἀπὸ τῆς γῆς λαλήσεις, καὶ ὑπὸ γῆν ἐδαφισθήσεται ἡ λαλιά σου, καὶ ἔσαι ὡς ἐγγασρίμυθος ἀπὸ τῆς γῆς ἡ φωνή σου, καὶ ἀπὸ τῆς γῆς ἡ λαλιά σου ῥοίζεται, *Et humiliaberis*, *de terra loquêris*, *& terra solo allidetur loquela tua*, *& erit ut pythonissa*; *de terra vox tua*, *& de terra loquela tua stridebit.*

5. הֲמוֹן זָרָיִךְ. Sym. Th. τὸ πλῆθος τῶν καταδυναςευόντων σε] Dubito an hoc pertineat ad המון עריצים.

7. חֲלוֹם. Καθ᾽ ὕπνους *per somnium.* ¶ לַיְלָה. Aq. νυκτὸς *noctè.* ¶ אֲרִיאֵל. Aq. Sym. Th. Ἀριὴλ *Ariel.*

9. הִשְׁתַּעַשְׁעוּ וָשֹׁעוּ. Sym. ἐξαπατήθητε καὶ ἀπατᾶσθε. ¶ נָעוּ וְלֹא שֵׁכָר. Th. κινήθητε, καὶ οὐ σίκερα, *commoti & non sicerâ.*

11. הַסֵּפֶר הֶחָתוּם. Aq. Sym. Th. τοῦ βιβλίου τοῦ ἐσφραγισμένου *libri obsignati.* ¶ קְרָא נָא. Aq. Sym Th. Ἀνάγνωθι δή, *Lege*, *quæso.*

13. בְּפִיו. Iidem, ἐν τῷ σόματι αὐτοῦ *ore suo.*

17. כִּמְעַט מִזְעָר. Th. μικρὸν βραχύ.

19. יָגִילוּ. εὐφρανθήσονται. ¶ יִשְׂרָאֵל. καὶ Ἰσραὴλ *& Israel.*

20. וְכָלָה לֵץ וְנִכְרְתוּ כָּל־שֹׁקְדֵי אָוֶן. Sym. καὶ ἀνηλώθησαν χλευάζοντες, καὶ ἐξεκόπησαν πάντες οἱ εἰς ἀδικίαν, *& consumti sunt sanniónes*, *& excisi sunt omnes ad injustitiam deducentes*] Πάντες, sic etiam Aq. & Th.

21. מַחֲטִיאֵי אָדָם בְּדָבָר. Sym. ἐξαμαρτάνοντες ἀνθρώπους ἐν λόγῳ

λόγῳ, peccare facientes homines in sermone. ¶ צדיק. Aq. Sym. Th. δίκαιον.

21. אשר פדה את אברהם. Sym. ὁ λυτρωσάμενος τὸν Ἀβραάμ, *qui redemit Abrahamum.* ¶ ולא עתה פניו יחורו. Th. οὐδὲ νῦν τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἐντραπήσεται, *neque nunc vultum ejus reverebitur.*

23. כי בראותו ילדיו מעשה ידי בקרבו יקדישו שמי והקדישו את קדוש יעקב ואת אלהי ישראל יעריצו. Sym. Ἀλλ᾽ ὅταν ἴδῃ (Th. ὅτι ἐν τῷ ἰδεῖν) τὰ τέκνα αὐτοῦ ἔργα χειρῶν μου ἐν μέσῳ αὐτοῦ, ἁγιάσονται τὸ ὄνομά μου, καὶ ἁγιάσουσι τὸν ἅγιον Ἰακώβ, καὶ τὸν Θεὸν Ἰσραὴλ κραταιώσουσι, *Sed cùm viderint filii ejus opera manuum mearum in medio sui, sanctificabunt nomen meum, & sanctificabunt Sanctum Jacob, & Deum Israel fortiter prædicabunt.*

24. וידעו תעי רוח בינה ורוגנים ילמדו לקח. Sym. Καὶ μαθήσονται οἱ πεπλανημένοι τῷ πνεύματι, καὶ γογγυσταὶ μαθήσονται παιδείαν, *Et discent errantes spiritu scientiam, & susurrones discent disciplinam.*

G R O T I U S.

1. V*Æ Ariel, Ariel civitas*] *Væ Arielis Arielis urbi.* *Ariel* erat nomen altaris holocaustorum, ut apparet Ezech. XLIII 15. nempe quòd id altare, ut leo, victimas Deo sacratas consumeret. *Urbs Arielis* ergò est urbs Hierosolyma, in qua erat illud altare, magnum Urbis decus. Et totum hoc vaticinium ad ritus altaris istius alludit.

Additus est annus ad annum] In Hebræo, *Adjicite annum ad annum*: id est, exspectate biennium. Hæc Prophetia pronuntiata & scripta est biennio ante obsidionem factam per Sennacheribum. Sæpe enim Deus res easdem voluit prædicari, quò magis appáreret ejus providentia.

Solennitates evolutæ sunt] *Agni jugulabuntur.* Nam חגים dicuntur non dies tantùm festi, sed & victimæ, ut Psalm. CXVIII. 27. Similitudine ab altari ductâ, quam & in sequentibus persequitur; significat fore ut multi homines pereant per Sennacheribum.

2. *Et circumvallabo Ariel*] Efficiam ut obsideatur urbs Hierosolyma.

Et erit mihi quasi Ariel] In circuitu ejus urbis plurimi jacebunt mortui, sicut victimæ circùm altare.

3. *Et circumdabo quasi sphæram in circuitu tuo*] *Castra, sicut pilam, (id est, rotundata) tibi circumjiciam.* Pro כדור [*quasi pila*,] LXX legerunt כדוד, ὡς Δαβίδ [*quasi David*].

Et jaciam contra te aggerem] *Vallum castrense*, βαλῶ περὶ σὲ χάρακα [*vallum tibi circumdabo*] LXX hîc. Eadémque verba Lucas usurpat in Domini Prophetia de obsidione per Vespasianum, XIX. 13. Vide quæ ibi diximus.

Et munimenta ponam in obsidionem tuam] *Ponam contra te* מצרות; id est, πύργους [*turres*], ut habent Græci. Sed vox ipsa significat omnes machinas πολιορκητικὰς [*oppugnatorias*]: in quibus & turres ambulatoriæ, de quibus ait Hirtius bello Alexandrino, Vitruvius X. 19. Vegetius IV. 17.

4. *Humiliaberis, de terra loqueris, & de humo audietur eloquium tuum*] Metu telorum hostilium occultabunt se cives tui in cryptis & locis subterraneis.

Et erit quasi Pythonis de terra vox tua] Nam Pythonici isti sæpe ex antris loquebantur.

Mussitabit] Vide suprà VIII. 19.

5. *Et erit sicut pulvis tenuis multitudo ventilantium te*] Ὅσοι χόνις [*tot quot arena*].

Et sicut favilla pertransiens multitudo eorum qui contra te prævaluerunt, éritque repente confestim] In Hebræo, *Multitudo opprimentium te, ut plumâ celeriter in momento transvolans.* Hæc similitudo & numerum ingentem significat, ut prior, & numero adjicit celeritatem. Vide suprà XXVIII. 19.

6. *A Domino exercituum visitabitur in tonitru & commotione terræ*] Id est, subitò.

Et flamma ignis devorantis] Suprà IX. 5. XXVI. 11.

7. *Et erit sicut somnium visionis nocturnæ, multitudo omnium gentium*] Ita subitò evanescet.

Par levibus ventis, volucrique simillima somno.

8. *Et sicut somniat esuriens & comedit, cum autem fuerit expergefactus, vacua est anima ejus*] Id est, ipse. Spes, sunt vigilantium somnia.

9. *Obstupescite & admiramini*] Judæorum primores alloquitur, qui cuncta suâ humanâ prudentiâ metientes, non credebant ea futura quæ prædicebat Esaias.

Inebriamini, & non vino] In Hebræo est mutatio personæ: *Ebrii sunt, & non vino.* Sæpe hoc faciunt Hebræi, ut de iisdem hominibus, modò in secunda, modò in tertia persona loquantur. Mirantur quæ dico, & non credunt, ideóque nec intelligunt.

10. *Prophetas*] Illos qui non à Deo, sed à semetipsis loquebantur.

11. *Et erit vobis visio omnium*] Mea de tot ac tantis rebus prædictio vobis erit, ut liber clausus, aut ut liber apertus, sed literas nescienti.

13. *Et timuerunt me mandato hominum & doctrinis*] In Hebræo, *Cultus quo me colunt, est præceptum quod homines docent.* Homines, nempe à Deo non instituti, qui in nudis ritibus, sine animi emendatione, cultum Dei collocant. Tales doctores erant falsi illorum temporum prophetæ.

14. *Peribit sapientia à sapientibus ejus*] Nihil proficient versuti illi qui agitant consilia, sive de acciendis Ægyptiis, sive de deditione Assyrio facienda.

Intellectus prudentium ejus abscondetur] Græci in activo, τὴν σύνεσιν τῶν συνετῶν κρύψω [*intellectum intelligentium abscondam*]. Aliæ interpretationes habuêre ἀθετήσω [*irritum faciam*], quomodo citat Apostolus 1 Corinth. 1, 19. & Justinus colloquio cum Tryphone.

15. *Ut à Domino abscondatis consilium*] Quia homines fallitis, sperare videmini etiam Deum à vobis falli posse.

16. *Cogites & dicat*] *Cogitet ut dicat.* Est προσωποποιΐα [*personæ fictio*] quæ luto sensum affingit.

Factori suo, Non fecisti me] *De factore suo; Non fecit me.*

Non intelligit] *Non intellexit:* nempe quomodo fictile fieri debeat.

17. *Convertetur Libanus in Charmel*] In agros planos, quod significare voce כרמל [*Charmel*] communiter sumtâ sæpe dictum est. Sensus est, Sublimes, quales erant Assyrii, dejicientur.

Et Charmel in saltum reputabitur] Id est, agri plani attollentur in montium speciem. Hebræi afflictissimi fient victores.

18. *Et audient in illa die surdi verba libri*] Etiam stupidissimi ex eventu intelligent quid dixerim, & quàm verè dixerim.

19. *Et addent mites in Domino lætitiam*] Cumulatè gaudebunt qui Deo se subdiderunt.

20. *Quoniam defecit qui prævalebat*] *Ubi defecerit oppressor* Sennacheribus.

Et succisi sunt omnes qui vigilabant super iniquitatem] *Ubi succisi fuerint omnes.* Id est, ubi auctoritatem omnem amiserint malorum consiliorum auctores.

21. *Qui peccare faciebant homines in verbo*] Qui ob verbum Dei, id est, verám Prophetiam, homines ut criminis reos tractabant: nam החטיא [*peccatificare*] etiam hoc significat, sicut & הרשיע [*impiificare*].

Et arguentem in porta supplantabant] *Insidias tendebant publicè corripienti peccata:* quod erat officium Prophetarum.

Et declinaverunt frustra à justo] In Hebræo, *Et justum* (id est, justitiam) *corruperunt mendacio:* nempe calumniantes dicta & facta Prophetarum.

Qui redemit Abraham] Qui eum liberavit à Chaldæis, Ægyptiis, Philisthinis.

Non modò confundetur Jacob] Id est, *jam non pudefiet.* Est προσωποποιΐα [*personæ fictio*], quâ mortuus ob oculos ponitur quasi viveret. *Erubescere* dicitur Jacobus, cùm posteri ejus à Dei obsequio se subtrahunt; contra *attollere se*, cùm iidem faciunt officium.

23. *Opera manuum mearum*] Quos ego, inquit Deus, mirabiliter servavi. Id enim est velut creare denuo.

Et sanctificabunt sanctum Jacob] Id est, *cum sanctificabunt.* Est enim expositio ejus quod præcessit.

24. *Et scient errantes spiritu intellectum*] Etiam qui erraverant in veram viam redibunt.

Et mussitatores discent legem] Ipsi Pythonici Legem observare discent. Vide suprà VIII. 19.

CAP. XXX.

M U N S T E R U S.

1. A*Bscondant secretum*] Eadem est sententia cum priore, quando dicitur, *ut faciant consilium*, &c. Est enim

מכמרים hic idem quod כסוד העצה *arcanorum consilium*. Vel hic erit sensus, *Væ illis qui delitescere malunt sub velamine Ægypti quàm sub Spiritûs mei tutela, mittentes Principes & nuncios in Ægyptum, qui contra prohibitionem Dei fedus cum Pharaone facerent.*

6. *Onus jumentorum Austri*] Secundùm Hebræos capitur hic נגב pro ארץ חרוה *terra horribili*, in qua manent animalia sæva, ut sunt *Leones*, *Viperæ*, *Serpentes*, &c. per quorum terram nemo ire potest sine magno metu & mortis periculo. Et hæ malæ bestiæ prædicuntur hîc obviàm venturæ nunciis qui cum camelis oneratis in Ægyptum tendebant, &c.

7. *Robur eorum erit*] h. e. Si domi se continuerint, & nullum externum quæsierint auxilium, sed in Deum suam posuerint fiduciam, erunt fortiores omnibus hostibus suis.

10. *Videte errores*] Hæc sunt verba Prophetæ insaniam sui populi irridentis.

13. *Hæc iniquitas*] Comparat Propheta fiduciam vanam, & quæ non est in Deum, muro casum minanti, qui ob prominentem tumorem diutiùs subsistere nequit.

15. *In resipiscentia*] Heb. *in conversione & quiete*, h. e. Si ab ista vana fiducia ad me conversi fueritis, & quieti fueritis de auxilio meo præsumentes, liberabimini ab hostibus vestris.

18. *Exspectare facit*] Docet hic Kimhi verbum יחכה transitivè capiendum, ut sit sensus, *Dominus jubet vos exspectare* & sperare in salutem suam: & si id feceritis, *miserebitur vestri*, & ex sua erga vos pietate superior erit castris hostium vestrorum. Sed & pro siccitate terræ, unde horrenda fames orta est, dabit *pluviam* fœcundam.

21. *Verbum à tergo loquentis*] i. In diebus illis convertentur homines ad Deum etiam ac si doctor à tergo illos monuerit, & post eos clamaverit. Unde & quidam *pluviam* pro *doctrina* accipiunt, juxta illud, *Stillet ut pluvia eloquium meum.*

24. *Pabulum purum*] Tanta, inquit, erit copia frumenti & pabuli ut avena pura sine admixtione palearum equis sit proponenda. Tantam Dominus post magnam famem daturus est victualium abundantiam. Alludit autem ad cladem illam insignem quam Dominus fecit in exercitu Assyriorum, quand etiam *turres fortes*, h. e. insignes Principes, stravit. Tunc Israelitis post tenebrosam noctem *lux* clarissima subitò emicuit, quando salus Divina secuta est horrendam afflictionem & duram obsidionem. Cœlestia, inquit, & terrestria congratulabuntur homini per Divinam misericordiam subitò ex mortis faucibus liberato. Assyriis verò Deus iratus *grave erit onus*, vel *importabile onus* illis imponet, sub quo omnes opprimentur.

32, 33. *Cum tympanis*] Sensus est, Dominus pugnabit contra hostes populi sui, gaudentibus & triumphantibus suis: & nemo non levabit manus suas præ gaudio, Deum laudans in cœlis, qui suos ex tantis eripuit periculis, impios autem in *Thopheth*, h. e. gehennam, dejecit. Non dicit Assyrios tantùm in hoc mundo feriendos, sed etiam in futuro mundo infernalibus pœnis perpetuò cruciandos. Gehenna enim hîc *Thopheth* dicitur. Et fortasse alibi tam clarè descriptam non invenies, consentientibus etiam Hebræis cum nostris scriptoribus. Et primò quidem dicitur *præparata ab heri*, h. e. ab initio mundi: hoc enim *heri* non rarò in Scriptura significat; secundùm illud Heb. 13. *Christus Jesus heri & hodie, ipse & in secula.* Hebræi quoque exponunt *Infernum jam antea paratum*, *prædicentibus Prophetis*, *etiam Regi*, tametsi cum exercitu suo non perierit. Secundò indicat Propheta *profundum* esse infernum & *latum*; quò cognoscas multitudinem damnandorum. Tertiò dicit habitaculum illud esse *igneum*; ut intelligas cruciatum perpetuum. Fœdæ enim animi cupiditates, quæ hîc fide non purgantur, æterni incendii fomenta erunt lignorum ac carbonum vice. Quin & conscientia ipsa tanquam ignis cruciabit impios. Quartò gehenna est perpetua, quia *spiritus* & voluntas *Domini* perpetuam vim incendii suppeditat.

V A T A B L U S.

1. DEclinantibus סוררים] *Recedentibus.* Alii, *perversis.* Chald. *rebellibus.* Alii, *contumacibus.* ¶ *Ut faciant consilium* לעשות עצה] *Ità ut exsequantur consilium suum, & non quod præceperim.* Quidam vertunt, *ut capiant consilium.* ¶ *Et tegant se tegumento* ולנסך מסכה] *Et tegant se operimento*, sub. *Ægyptiorum*: i. ut ponant super se Principes qui non fuerint secundùm voluntatem meam: cujusmodi est Pharao, cujus umbrâ se protegi volebant, ut v. 2. dicit. Alii, *& abscondant secretum*: vel *operiant arcanum*, i. (ut alii vertunt) *ineant secretum consilium*: aut *utantur consilio clanculum inito.*

2. *Ut seipsos roborent in fortitudine* לעוז במעוז פרעה] *Ut fortificentur robore Pharaonis.*

4. *In Soan* בצען] Urbs maxima in Ægypto, quæ Chaldæis dicitur *Tanes*, Græcis verò *Tanis*, quæ quidem dedit nomen ostio *Tanitico.* ¶ *Pervenerunt* יגיעו] Fut. Heb. pro præt.

5. *Pudore affecti sunt* הבאיש] Præt. Heb. pro fut. ut quidam vertunt, *pudefient in populo*, &c.

6. *Prophetia* משא] *Onus.* Vide c. 13. 1. ¶ *Animalium* בהמות] *Jumentorum*; *bestiarum.* *Bestias Austri* vocat quòd feræ ut plurimùm versari soleant in regionibus squalidis, ut est regio Australis: quódque feræ illæ essent in via quæ ducebat in Ægyptum, quæ quidem est ab Austro Terræ sanctæ. ¶ *Meridiei* נגב] *Deserti.* Prædicit quæ eventura erant Israelitis descendentibus in Ægyptum, auxilii habendi causâ: q. d. Hæc dico eventura iis qui descendunt in Ægyptum. Quidam vertunt, *Prophetia animalium Ægypti qui est ad Meridiem* Israel. ¶ *Tribulationis* צרה] *Arctitudinis*; *afflictionis.* ¶ *Leo & tigris* לביא וליש] *Leunculus & leo.*

7. *Et Ægyptii* ומצרים] *Certè Ægyptii.* Alii, *Ægyptii enim.* ¶ Est *manere* שבת] *Quiescere*, sub. *in urbe ipsa Jerusalem, & non discedere neque demigrare aliò ad opem implorandam.* Quidam vertunt, *mansio*, aut *quies*, sive *sessio*; eodem sensu.

8. *Scribe ipsam* כתבה] i. Hanc Prophetiam. ¶ *Apud eos* אתם] *Coram ipsis*, i. ipsis videntibus. ¶ *Scribe eam* חקה] *Insculpe eam*; *exara.* ¶ *Ut sit* ותהי] Ad verb. *& erit.* ¶ *In testimonium*, &c. לעד עד עולם] *In seculum atque in æternum*: vel, *usque in secula seculorum.*

9. *Noluerunt* לא אבו] Præt. Heb. pro præs.

10. *Et prospicientibus*, &c. ולחזים וגו'] *Et Prophetis*, *Nolite prædicere nobis*, &c. ¶ *Blanda* חלקות] *Adulationes.* ¶ *Videte illusiones* חזו מהתלות] *radicite errores.*

11. *Cessare facite*, &c. השביתו וגו'] i. Nolite posthac nobis verba facere de Sancto Israelis: abhorrebant enim maximè ab hoc sacrosancto nomine.

12. *Sprevistis* מאסכם] *Respuistis*; *reprobastis*: i. abhorretis ab hoc verbo. ¶ *Et sperastis in calumnia* ותבטחו בעשק] *Et confisi estis in violentia*, i. in opibus calumniâ & violentiâ partis.

13. *Velut ruptura* כפרץ] i. Velut murus ruptus, aut ædificium: vel, *pars muri minantis ruinam.* ¶ *Tumor* נבעה] Hebræi exponunt *disquisita*, sive *requisita*. *Loquitur*, inquiunt, *de ruptura* seu *apertura*: *nam quando est apertura in muro excelso, ingrediuntur, & disquirunt indè.*

14. *Et conteret*, &c. ושברה כשבר וגו'] *Franget enim* Dominus *illum juxta confractionem lagenæ figulinæ contritæ, non parcet.* Alii, *Et contritio ejus quasi contritio vasis figulorum quod absque misericordia comminuitur: nec invenietur*, &c. ¶ *De fragmento ejus* במכתתו] Sing. pro plur. *fragmentis.* Alii, *in comminutione ejus*, vel *conquassatione.* ¶ *De incendio* מיקוד] *E foco.* ¶ *E fovea* מגבא] *De cisterna.* Alii, *è puteo.*

15. *In quiete* בשובה] i. Si remanseritis in Jerusalem, & speraveritis in Deo, urbs vestra non expugnabitur. Alii vertunt, *In resipiscentia*: vel *conversione*: h. e. Si ab ista vana fiducia conversi fueritis ad me, & quieti fueritis, de auxilio meo persuasi, liberabimini ab hostibus vestris.

16. *Super equum* על סוס] Sing. pro plur. sub. *si venerit hostis.* ¶ *Ideo fugietis* על כן תנוסון] i. Hâc ratione fiet ut cogamini fugere. ¶ *Levem* קל] *Celerem.* Sing. pro plur. *celeres*, sub. *equos.*

17. *Mille unum* אלף אחד] *Chilias una*: i. mille homines vertentur in fugam ab uno homine. ¶ *Quinque* חמשה] i. Paucorum.

18. *Exspectat* יחכה] Fut. Heb. pro præs. Quidam in futuro relinquunt. Doctus inter Hebræos scribit verbum istud accipiendum esse transitivè: propterea nonnulli vertunt, *Jubet vos exspectare.* ¶ *Exaltabit sese* ירום] Cùm scilicet animadvertet in hostes suos Assyrios. Alii, *exaltabitur.* Alii hanc partem versûs sic vertunt, *propterea exaltabitur dum miserebitur vestri.* ¶ *Judicii* משפט] i. Justissimus & æquissimus.

19. *Respondebit tibi* ענך] Præt. Heb. pro fut.

20. *Dabitque* ונתן] Quidam ו convertunt in *si* vel *quando*, vertentes, *Si dederit vobis*, &c. vel, *Ubi dederit vobis*, &c. *non elongabitur*, &c. Sinit enim Dominus ad tempus suos affligi, sed postea eos eripit. ¶ *Sed non elongabitur ultrà doctor tuus* ולא יכנף עוד מוריך] *Sed non subducet sese longius doctor tuus*: q. d. Non diu relinquet vos in tribulatione Deus. Alii, *sed non colligetur ultrà pluvia tua*; vel *excludetur*; aut *prohibebitur.* Alii, *arcebitur.* Alii, *arctabitur ultrà doctor tuus*: & מוריך scribitur cum י & legitur sine י: aut י est signum plurale, *doctores tui.* ¶ *Doctorem tuum* את מוריך] *Pluviam tuam.*

21. *Verbum* ejus *qui erit post te* [ודבר מאחריך] *Verbum à tergo tuo.* Alii, *Verbum post te.* ¶ *Quando*, &c. [כי תאמינו וכו'] Ad verb. *quando dextrabitis, & quando sinistrabitis.* Quidam vertunt, *sive ad dextram, sive ad sinistram eatis.* Alii, *nec divertetis ad dexteram, neque ad sinistram.*

22. *Contaminabitisque* [וטמאתם] *Polluetisque.* Alii, *Tunc profanabitis:* i. ejicietis omnino è templo Dei idola quæ solebatis operire auro & argento. ¶ *Argenti tui* [כספך] Pronomen sing. pro plur. *argenti vestri:* aut potiùs verbum plurale præcessit pro sing. ¶ *Et operimentum pretiosum* [ואת אפדת] *Et superhumerale.* Alii, *& pallium.* Alii, *& cinctorium.* Alii, *artificium conflatilis auri tui*, i. idola affabrè facta. ¶ *Sicut menstruum* [כמו דוה] i. Tanquam pannum menstruatæ. Alii, *tanquam laborantem mensibus*, h. e. tanquam mulierem menstruatam. ¶ *Egredere* [צא] Potest esse nomen significans *egressum*, i. sordes, excrementum, stercus: ut legas, *Sordes estis, dices ei*, nempe sculptili. Chald. *Quemadmodum abominantur immunditiem, sic abominabimini ea.*

23. *Fructûs* [תבואת] *Proventûs:* i. efficiet ut ex frugibus terræ conficias panem optimum: q. d. Perveniet seges ad maturitatem, unde fiat postea panis optimus. ¶ *In die illa* [ביום ההוא] Doctus inter Hebræos hîc annotat, quando agitur de tempore futuro, ביום ההוא significare *tempus*, non *diem*.

24. *Farraginem* [בליל] Sign. *pabulum jumentorum mistum diversis*, præter paleam. A בלל, quod *confundere* sign. sive *miscere*.

25. *Et erunt* [והיה] Ad verb. *Et erit*, sub. *pluvia:* i. tanta erit copia imbrium ut multi rivi aquarum sint super montes. ¶ *Rivi, rivi aquarum* [פלגים יבלי מים] Geminatio ista multitudinem significat. Quidam vertunt, *Et erit pluvia super omnem*, &c. in *rivos, rivos*, inquam, *aquarum*. ¶ *In die interfectionis multitudinis* [ביום הרג רב] *Tempore cadis magnæ.*

26. *Septempliciter* [שבעתים] *Septuplum*, i. multis vicibus. Seipsum mox declarat, dicendo, *sicut lux septem dierum:* acsi dicat, *Erit intensius lumen, quod alioqui constaret lumine septem dierum.* Per quod intelligit magnitudinem gaudii & lætitiæ quæ per *lucem* intelligitur. ¶ *Contritionem* [את שבר] *Rupturam, fracturam.* ¶ *Et percussuram* [ומחץ] *Et transfossionem.*

27. *Furor ejus* [אפו] *Facies ejus.* ¶ *Et grave onus ejus* [וכבד משאה] Ad verb. *& gravitas oneris ejus.*

28. *Dividit* [יחצה] Futur. Heb. pro præs. *in duas partes secat*, i. qui usque ad collum perveniens, quasi dividere hominem in duas partes videtur, sed tamen inæquales, in partem quæ exstat, & aliam quæ in aqua est. *Metaphoricè*, inquiunt Hebræi, *loquitur de Rege Assyriorum qui perdendus erat penè usque ad internecionem & consumptionem: veluti cùm quispiam est in aqua usque ad collum, propinquus est submersioni: & ità accidit cùm Assyriorum castra Angelus percussit.* ¶ *Ventilabro* [בנפת] Ab *attollendo in altum grana* sic dicitur. Unde Chald. vertit, *ad elevandum gentes elevatione vanitatis.* Quidam, *ad cribrandas gentes cribro vano*, i. inutili. *Cribrum*, inquit doctus inter Hebræos, *fit ad purgandum frumentum à palea: sed hoc cribrum quo cribrabit Deus gentes, erit cribrum Vanitatis, quia non remanebit in illo quicquam, sed omnia ibunt in perditionem:* q. d. tum omnes perdet & nihil relinquet. ¶ *Errare faciens* [מתעה] *Errans:* i. sinet gentes errare: nam quemadmodum jumenta fræno regi solent, ità homines ratione. Vel, siqui supersint, immittet in eos spiritum erroris: quæ est gravissima punitio.

29. *Sicut in nocte*, &c. [כליל] i. Simile erit cantico quod cani solet nocte præcedente solemnitatem: h. e. præcedente lucem in qua celebratur solennitas. Incipiebat enim solennitas à nocte sive vespera præcedente. *Solemnitatem* intelligunt Hebræi Pascha: dicuntque antiquiores eorum quòd in nocte Paschatis excisa fuerunt castra Assyriorum. ¶ *Sanctificatur solennitas* [התקדש חג] *Sanctificata fuit solemnitas.* ¶ *Sicut est pergenti cum tibia* [כהולך בחליל] *Quasi ejus qui ad tibiam incedit.* ¶ *Ad fortem* [אל צור] *Ad rupem.*

30. *Potentiam* [את הוד] *Gloriam, magnificentiam, majestatem.* Tonitru intelligit quod præcessit cladem Assyriorum. ¶ *Et descensionem* [ונחת] Alludit ad gestum ferientis: q. d. ostendet quàm potenter ferire valeat. Alii, *extensionem.* Alii, *incussionem.* ¶ *Dispersione & turbine* [נפץ וזרם] Cum *dissipatione & inundatione*, sub. *imbrium.* ¶ *Et lapide* [ואבן] Sing. pro plur. *lapidibus:* i. cum ingenti grandine.

31. *Conteretur* [יחת] *Terrebitur, formidabit, perterrefiet.* ¶ Acsi *virgâ percuteretur* [בשבט יכה] *Virgâ suâ percutit* illum, sub. *Dominus.* Alii, qui *virgâ suâ percussit:* vel *percutere solebat*, sub. *alios.*

32. *Omnis transitus*, &c. [כל מעבר מטה וכו'] Hebraismum quidam sic vertunt, *in omni transitu baculus fundatus, quem infliget Jehovah super eum.* Alii, *quocunque ille transierit, erit virga ei affixa, quam Jehovah imponet illi, cum tympanis*, &c. Alii, *universus transitus baculi fundati quem incutiet ei Dominus.* Alii, *Et erit omnis transitus virgæ fundamenti* [vel *fundationis*] *super quam requieverit Jehovah*, erit *cum tympanis*, &c. i. in omnibus locis per quæ transierit virga quâ decrevit Dominus percutere eum, erunt tympana, &c. Nam *virga fundamenti* sive *fundationis* sing. decretum firmum: q. d. Lætabuntur homines & percutient tympana & citharas propter interitum illorum. ¶ *Elevationis* [תנופה] Sub. *manuum ad psallendum.* Quidam vertunt, *pulsationis instrumentorum musicorum:* q. d. Non seriò, sed joco videbitur pugnare: non armis pugnabit, & tamen superabit eos. ¶ *Contra illam* [בה] Nempe *Babylonem:* relativum pro antecedente. Legitur & [בם] *in illos:* sive *contra illos Assyrios.*

33. *Præparata est* [ערוך] *Ordinata est.* ¶ *Ab heri* [מאתמול] *A die hesterna*, i. jam olim. ¶ *Thophtheh* [תפתה] Locus erat prope Jerusalem in Valle Benhinnom, infamis & contaminatus. Gallicè dicimus *Voirie.* Per quem significatur Gehenna locus damnatorum: ut per *Hortum voluptatis* sive *Paradisum* designatur sedes Beatorum. ¶ *Profundam*, &c. [העמיק הרחב] i. Profundiorem fecit & laxiorem. ¶ *Pyra ejus* [מדרתה] *Rogus* [*incendium*] *ejus:* vel *in pyra ejus* sunt *ignis*, &c. ¶ *Ardet in ea* [בערה בה] i. Succendit eam & excitat.

CASTALIO.

1. *Propter ea ad istam clamo, eorum res egregiè habituras si remanserint*] *Ad istam*, i. Hierosolymam.

17. *Ad quinorum increpationem fugietis, eousque ut restetis quasi navis malus in montis vertice*] Paucissimi, ut si una arbor de silva restet ad faciendam malum.

28. *Inundanti fluvio, qui ad collum usque secat*] Videntur secta eorum capita quæ in aqua sunt usque ad collum. ¶ *Ad ventilandas vanitatis ventilatione gentes*] Ut ventilantur quæ vana sunt. ¶ *Populorúmque maxillis aberrationis fræno coërcendis*] Duriter, sicut frænantur equi de via deflectentes.

CLARIUS.

1. *Absconderetis secretum*] Heb. *tegere tegumentum.* Et est sensus, *Væ illis qui delitescere malunt sub velamine Ægypti quàm sub spiritûs mei tutela, mittentes Principes & nuncios in Ægyptum, qui contrà quàm prohibuerat Deus fœdus cum Pharaone facerent.*

4. *Usque ad Hanes*] Hanes ultra Ægyptios esse dicitur.

6. *Onus jumentorum Austri*] Quod quidam sic est interpretatus, *Prophetia bestiarum*, h. e. Jerusalem. Hebræi intelligunt per dictionem hîc positam *terram horribilem*, in qua manent animalia sæva, ut sunt *Leones, Vipera, Serpentes*, per quorum terram nemo ire potest sine magno metu & mortis periculo. Et hæ malæ bestiæ prædicuntur hîc obviàm venturæ nunciis, qui cum camelis oneratis in Ægyptum tendebant. *Descendebant* ergò ii qui in *Austro*, h. e. in terra Juda, viciniores Ægypto, per viam desertam, quam vocat *terram angustiæ.* In *camelis*, & asinis, qui impetebantur à *leonibus* & aliis bestiis, deferebant aurum & argentum, quod donarent Regi Ægypti, &c.

7. *Superbia tantùm est, quiesce*] Alii verterunt, *Robur eorum quies;* h. e. Robur eorum erit, si quieverint.

10. *Videte nobis faceta*] Heb. *videte illusiones.*

13. *Iniquitas hæc*] Comparat Propheta fiduciam vanam, & quæ non est in Deum, muro casum minanti, qui ob prominentem tumorem diutiùs subsistere nequit.

15. *In silentio & in spe*] Si ab ista vana fiducia ad me conversi fueritis, & quieti fueritis auxilio meo fidentes, liberabimini ab hostibus vestris.

17. *Quasi malus navis*] Comparantur arboribus raris in montibus circa quas iter demonstratur. Et vocat arbores *malum navis*, quòd solæ illæ stant, sicut in navi malus, ventis adversitatum expositæ. ¶ *Et quasi signum super collem*] Erunt enim conspicui sancti propter raram insignémque patientiam.

18. *Exspectat Dominus*] Alius vertit, *exspectare facit*, ut sit sensus, *Dominus jubet vos exspectare* & sperare in salutem suam: &, si id feceritis, *miserebitur vestri*, & ex sua ergà vos pietate superior erit castris hostium vestrorum. Sed & pro siccitate terræ, unde horrenda fames orta est, dabit *pluviam* fœcundam. ¶ *Et exaltabitur*] Idem volunt esse quod *exspectabit.* Fingit enim quasi manum exaltet & à percutiendo retrahat.

19. *Plorans nequaquam plorabis*] Sunt qui sic interpretentur, *Plorans nunc per hanc vitam, non plorabis perpetuò.*

20. Et

20. *Et non faciet avolare*] Alius vertit, *Non arctabitur amplius pluvia tua, sed oculi tui videbunt pluviam tuam.*

21. *Post tergum monentis*] h. e. In diebus illis convertentur homines ad Deum, etiam acsi doctor à tergo illos monuerit, & post eos clamaverit.

24. *Commixtum migma*] Vel *pabulum purum.* Tanta erit, inquit, copia frumenti & pabuli ut avena pura sine admixtione palearum equis sit proponenda.

25. *Cùm ceciderint turres*] Alludit ad cladem illam insignem quam Dominus fecit in exercitu Assyriorum, quando etiam *turres fortes*, h. e. insignes Principes, stravit. Tunc Israelitis post tenebrosam noctem *lux* clarissima subitò emicuit, quando salus Divina secuta est horrendam afflictionem & duram obsidionem. Cœlestia, inquit, & terrestria gratulabuntur homini per Divinam misericordiam subitò ex mortis faucibus liberato. Sed interea memineris hæc omnia contigisse illis in figuram; & veritatem rerum, quam ista figurabant, multo fore illustriorem. Sequitur præterea, fore ut Assyriis Deus iratus *grave* sit *onus*, vel *importabile* illis *onus* imponat, sub quo omnes opprimentur. Idémque de impiis omnibus intelligendum.

28. *Sicut nox sanctificatæ solennitatis*] Vel, *sicut in nocte, quando solennitas sancta initiatur.* Hebræi narrant, nocte Paschæ occisum exercitum Assyriorum.

32. *Transitus virgæ fundatus*] Qui scilicet impediri non poterit; vel *fundatus*, tanquam ex dura percussione infigatur carni. ¶ *In tympanis*] h. e. Dominus pugnabit contra hostes populi, gaudentibus & triumphantibus suis, & nemo non levabit manus suas præ gaudio, Deum laudans in cœlis, qui suos ex tantis eripuit periculis. Impios autem in *Topheth*, h. e. Gehennam, dejecit. Non dicit Assyrios tantùm in hoc mundo feriendos, sed etiam in futuro infernalibus pœnis perpetuò cruciandos. Gehenna enim hic *Topheth* dicitur; ità appellata à loco prope Jerusalem extra muros in valle filiorum Hennon, ubi cadavera & immunda quæque projiciebantur. Et fortasse alibi tam clarè descriptam non invenies, consentientibus etiam Hebræis cum nostris scriptoribus. Et primò quidem dicitur *præparata ab heri*, h. e. ab initio mundi: hoc enim *heri* non raro in Scriptura sign. secundùm illud Heb. 13. *Christus Jesus heri & hodie, ipse & in secula.* Hebræi quoque exponunt. *Infernum jam antea paratum, prædicentibus Prophetis, etiam Regi*, tametsi cum exercitu suo non perierit. Secundò indicat Propheta *profundum* esse Infernum & *latum*; quò agnoscas multitudinem damnandorum. Tertiò dicit habitaculum illud esse *igneum*; ut intelligas cruciatum perpetuum. Quartò Gehenna est æterna, quia *spiritus* & voluntas *Domini* perpetuam vim incendii suppeditat.

FORERIUS.

1. VÆ] Jam dictum est variè reddi posse interjectionem הוי. Ego Stomachantis interjectionem hic esse puto. ¶ *Desertores*] De hac voce dictum fuit cap. 1. ver. 23. à verbo סרר *perversus fuit, contumax, rebellis*, &c. Et alludit ad Legem Deut. 21. *Si fuerit filius tuus contumax*, &c. ubi eàdem voce utitur. *Desertores* dicit Vulg. quòd desererent Deum & fidem, &c. Infrà eodem titulo notantur Judæi cap. 65. & Psal. 78. *Generatio contumax.* Ad eos ergò est hìc sermo Judæos quos paulò antè cap. 29. 24 *errantes spiritu* & ROGENIM vocaverat, antè quàm scientiam & doctrinam fidei apprehendant. ¶ *Non ex me*] i. Quod *consilium* & decretum à me non prodiit. Inferiùs autem explicabit quale fuerit hoc *consilium.* At oportebat populum Dei, quibus præceptum erat ut in rebus arduis Deum consulerent, qui Prophetas habebant & Legem, ut nihil statuerent quod esset præter mentem Domini. ¶ *Ut ordiremini*] Verbum נסך propriè, ut suprà dixi, non nisi *fundere* seu *effundere* sign. diciturque tam de liquidis quàm de aliis rebus: quare pro *ordiri* seu *texere* accipi potest. Hebræi pro *tegere* seu *operire* accipiunt quando non dicitur de liquidis: unde vertunt *ad operiendum operimentum*, i. ad expandendum. Quæ interpretatio non est inepta. Nam suprà spes mendaces *operimento* comparaverat; & eodem nomine מסכה usus est, quasi eis objiciat inanem spem quam per populum sparserant: de qua mox dicetur. Ego propriam significationem verbi & nominis retinere volui; quia de *fusione spiritûs* intelligi poterat. Nam suprà eodem verbo usus dixit *Dominum effudisse spiritum soporis:* ut sit sensus, *O contumaces filios! contumaces*, inquam, *ad faciendum consilium* (quasi consisteret in hoc eorum contumacia, vel hoc ipso eam proderent) *& ad effundendam effusionem, & non Spiritûs mei* (vel *Spiritum meum*) sed spiritûs mendacii & erroris & pessimi consilii, &c. ut idem sit prius & posterius membrum. Hujusmodi tamen varietas versionum nequaquam sensum variat. Decebat autem primates populi Dei ut non *effunderent* in populum nisi *Spiritum Domini*, i. ea quæ ex Spiritu Domini proficiscerentur, neque mendaciis spem populi lactarent. ¶ *Ut adderetis*] Hoc quoque potest referri ad *contumaces*, sicut quæ præcedunt; *contumaces*, inquam, *ad peccata peccatis cumulanda:* vel etiam ad ea quæ paulò antè præcesserunt, quasi hoc ipso quòd *effunderent non Spiritum Domini, & decernerent non ea quæ de mente Domini erant, adderent peccata peccatis.* Nam ob peccata puniebantur: &, ut à flagellis fugerent, non ad Deum confugiebant, sed ad humana auxilia. Vel etiam hoc ipso *peccata peccatis addebant*, quòd peccare facerent populum, & cum deciperent, quando suas deliberationes pro Dei deliberationibus populo obtrudebant, &c.

2. *Qui ambulatis*] Vulg. mutavit personam, sed sensum retinuit, *ambulantes, qui ambulant ad descendendum*, i. qui descendunt, Pleonasmo Hebræis frequentissimo. Vel certè est phrasis quâ nos Lusitani utimur, *ambulant ut fugiant*, i. se ad fugam præparant. Jam aperit quale *consilium* secuti sint: quæ ad tempora Ezechiæ referri possunt; nam, ut infrà videbimus, Assyrius dux illis objiciebat fiduciam in Ægyptiaca auxilia. Sed hæc typus fuerunt statûs illius quem Judæorum Resp. habuit, quando, contempto Dei Verbo, Filio Dei Christo Domino, *se non habere Regem nisi Cæsarem* dixerunt, hisque ac similibus nugis se protexerunt. Hanc autem interpretandi rationem hoc in loco, licèt Judæi derideant, confirmant tamen verba ipsius Prophetæ infrà ver. 8, & quæ sequuntur. ¶ *In fortitudine*] Est nomen à præcedenti verbo, & sign. *munitionem:* hinc generaliùs pro *potentia & viribus*, &c. Idem repetit cùm ait, *habentes fiduciam in umbra Ægypti*, vel *ad protectionem quærendam* (ea enim est propria verbi significatio) *in umbra Ægypti.* Transfertur autem nomen צל *umbra* ad *protectionem* seu *receptaculum* significandum.

3. *Et erit*] Potest & per præteritum reddi. De Spe, quæ sola nomen *spei* meretur, inquit Paulus, quod *non pudefacit*, nam innititur ei qui deficere non potest. At omnis alia spes aut fiducia solet pudefacere, & probris exponit. Id quotidiana experientia, id ubique Scriptura clamat. Quo pacto autem *in pudorem & ignominiam versa sit eorum spes*, sequentia explicant.

4. *Ierant in Tani*] Sicut nos Lusitani verbo *fui* utimur mediante præpositione cùm Profectionem notamus, quod Latinus sermo non patitur, ita Hebræi verbo היה cum Beth, *fuerunt in Tcoan*, (quam Vulg. dicit *Tanin*) i. *profecti sunt.* Quæ fuerint istæ civitates parùm refert scire. Conjectura est quòd non fuerint nisi in media aut extrema Ægypto. ¶ *Usque ad Hanes*] Sensus constat: ego propriam significationem verbi נגע expressi: est enim *tangere* cum suis compositis.

5. *Omnes confusi sunt*] באש est *fœtere.* Utuntur autem Hebræi hoc verbo pro eo quod Latini dicunt *male audire. Fœtere nos fecistis*, dicebat Jaacob filiis, *coram habitatore terræ*; Gen. 34. & 2 Sam. 10. *Videntes filii Amon quòd fœtidi facti essent coram Davide*, i. malè audirent, odor famæ ipsorum esset malus, &c. Quâ etiam Translatione utitur Paulus cùm *se aliis odorem vitæ, aliis mortis esse* dicit. Est autem non violenta Translatio: nam quæ malè olent, abominamur. Innuit ergò Propheta Judæos legationibus illis suis nihil aliud lucratos apud Ægyptios quàm infamiam & contemptum, & pejus audirent apud Ægyptios quàm antea: nam eos ignavos & imbelles ac timidos reputarunt. ¶ *Qui eis prodesse non potuit*] Doctè sanè Hebraismum vitavit Vulgatus, & relativum (quod sæpissimè omittunt Hebræi) supplevit. De reliquis vocibus jam suprà dictum est. Supplevit quoque verbum substantivum *fuerunt*, & כי pro particula Adversativa, ut qui Hebraicè doctus esset: quod qui negant, certè suam inscitiam produnt apud peritos & pios.

6. *Onus jumentorum Austri*] Credo ludere Prophetam in voce משא, i. *onus*, quod & *onera quæ dorso deferuntur* designat, & apud Prophetas *duras ac difficiles visiones*, i. rerum difficilium, quas ferre difficile est. Ergò cùm Judæos videret Jesaias *ferre divitias suas* in Ægyptum per viam Australem seu Meridionalem, nempe per desertum illud horrendum quod ad Australem plagam Palæstinæ jacet, per quod filii Israel in terram Promissam ex Ægypto profecti sunt, & eorum onera videret, atque propter hoc à Deo duriter tractandos, dicit, *Onus jumentorum Meridionalium*, i. Visio gravis in eos qui veluti jumenta versùs Austrum onerati bonis suis proficiscuntur. Animadvertant & auscultent hæc omnes illi qui juxta carnis prudentiam sui suarúmque rerum videntur habere rationem. Præter hoc enim quòd sibi valde onerosi sunt, *onera* alia à Deo intelligant sibi imponenda tanquam *jumentis.* ¶ *In terra*] Beth

interdum

interdum valet *per*. Est autem descriptio deserti illius. ¶ *Leæna*] Nomen לביא aliis atque aliis punctis *leonem* & *leænam* sign. Sequens autem nomen ליש *leonem* notat, quòd prædam subigat: neque legitur nisi Job. 4. & Prov. 30. & hoc loco. ¶ *Ex eis*] Ità est ad verbum, scilicet *ex terra pressuræ & angustiæ*. Ego per adverbium dixi, *unde* scilicet *egrediuntur*, quò planior esset sensus. ¶ *Jumentorum*] Nomen עיר *pullum asini* tam domestici quàm silvestris notat, & ab *excitando* dicitur, quòd natus mox in pedes stet: & in plur. hoc tantum loco habet Vau pro Jod: alibi enim semper cum Jod legitur. Cùm Judæos *jumenta* appellasset, meritò hic asinos, quibus deferebant onera, *pullos* etiam festivè vocavit. ¶ *Portantes*] Vel *portantium*. In Hebræo est futurum, *portabunt, deferent*. ¶ *Divitias suas*] Nomen *strenuitatem* propriè notat; interdum autem *ea* quoque *quæ per strenuitatem parantur*, ut jam suprà admonuimus.

7. *Enim*] Vulg. Vau pro Rationali particula accepit, ut interdum oportet: possumus, neque malè, pro Adversativa accipere. *Illi quidem deferunt divitias suas in Ægyptum, at Ægyptus est vanitas*, seu *vanè auxiliabitur*: vel quòd nihil profutura essent auxilia Ægyptiorum, vel quòd verbis tantùm ea promitterent, re autem non præstarent. Est autem hìc Antithesis occulta, quæ indignitatem rei continet atque auget: Isti per desertum horridum magna cum difficultate & vitæ discrimine, non verba, non res leves, sed *thesauros suos*, & *quæ recondita habent* à plurimis diebus, sed totam suam *substantiam magnis laboribus partam*, (istæ enim sunt vocum quæ superiori versu continentur Etymologiæ) non pauca quædam, sed *jumentorum* & *camelorum* sarcinas *deferunt* in Ægyptum; *at Ægyptus inaniter & vacuè auxilia dabit*. Quid stultius? quid indignius? ¶ *Clamavi*] Verbum קרא sæpe cum dativo mediante Lamed constructum *vocare* seu *nomen imponere* designat; cujus infinita sunt exempla. At רהב *tumor* seu *superbia* est, ut Job. 9. & 26. Vox autem שבת potest esse infinitivus, vel nomen infinitum verbi נשב *flavit*. Infrà 40. *Spiritus Domini flavit in illum*: & Psal 147 &c. Unde hic sensus his verbis subesse potest, quem non puto contemnendum, quòd superioribus maximè conveniat. Quia illi ingentia munera deferunt, & auxiliares Ægyptiorum copias jactant, *Ægyptii* autem *vanè auxiliabuntur*; *iccirco vocavi hanc superbiam eorum flare*, seu *flatum*: vel, *hoc tumescere eorum vocavi flare*: ac si *parturirent montes*, & *nasceretur ridiculus mus*: ità *tumor eorum in flatum*, qui citò dilabitur, neque quidquam habet ponderis aut momenti, converteretur. Neque usus pronominis הם repugnat: nam similem habes Num. 16. *Oculos virorum istorum*, & Ezech. 7. 11. *Ex sonitu eorum*. Est & alius sensus non postremo loco habendus, *Iccirco vocavi*, (seu *apertè prædicavi super hac re*) *Ægyptum eorum* esse *manere*; vel *manere*, *vocavi ipsam Ægyptum eorum*: ut sit quod infrà dicitur ver. 15. *In silentio & spe erit fortitudo vestra*. Neque mirum videatur quòd רהב dicam *Ægyptum*: sic enim accipitur Psal 87. *Memor ero Rahab*, &c. & 89. & infrà 51. Propter superbiam, quam in Ægypto reprehendunt. Sed interpretatio quam priore loco posui simplicissima est: posterior autem hæc ad rem quoque facit & suam venustatem habet; Cæteræ autem quas apud alios vidi, violentiæ mihi visæ sunt. Vulgati tamen satis aperta est, neque ab Hebraicis multùm distat.

8. *Nunc*] Particula עתה adverbium est præsentis Temporis, & vim habet interdum, ut ità dicam, Continuativam, & quasi illativam. ¶ *Ingressus*] Scilicet *domum tuam*, vel *ad eos*: nam בא interdum est *ingredi*: sed in imperativo interdum optimè redditur particulâ Adhortantis, præsertim cùm mox sequitur verbum; ut, *Veni*, *revertamur*, 1 Sam. 9. i. Agè, revertamur; & 1 Sam. 14. &c. & suprà cap. 2. *Venite ambulemus*, pro *Agite, ambulemus*. ¶ *Scribe ei*] *Eis* legendum est, ut legit Hieronymus in Commentariis. Judæi fingunt hæc Jeremiæ dicta: de quo vide D. Hieronymum; non enim habent veram rationem interpretandi Scripturas, neque in illa protervia quam in ipsis Jesaias tunc temporis reprehendebat, nempe quòd prudentiæ suæ innixi Deo non crederent, delineatam illam suam quam Christi temporibus exhibuerunt contumaciam intelligere possunt. Quapropter hanc eorum rebellionem præcipit Dominus *in tabulis & in libro scribi atque exarari*, *ut esset futuris temporibus in testimonium*, &c. ¶ *Super buxum*] לוח *tabulam* notat, ut apparet ex Deut. 9. & Exod. 32. &c. ¶ *Eis*] *Cum eis*, vel *coram eis*. ¶ *In die novissimo*] ליום אחרון. Credo hìc *diem*, ut sæpe aliàs, *tempus* significare, & אחרון *posterius*; & juxta vim Lamed hunc esse sensum, *ut sit futuris temporibus in testimonium*, *usque in sempiternum*: vel *postremis temporibus*. Manifestum est autem quænam appellet Scriptura *postrema tempora*, vel *postremos dies*. *Nos sumus, in quos fines seculorum devenerunt*: & *Filioli, novissima hora est*. Ergò testatam honibus *in futurum* atque adeò tempore Messiæ, voluit Dominus Judæorum contumaciam, rebellionem, superbiam & infidelitatem; ut cùm eos abjectos & deletos viderent, non solùm Deum injustitiæ non arguerent, verùm etiam longanimitatem ejus admirarentur, quâ per tot annorum millia eorum contumaciam toleravérit. Unde Paulus eos *aptata vasa in interitum* appellat, & *multam Dei patientiam, quâ ea sustinuit*, commemorat, cùm de judiciis Dei in populi Israelis reprobatione & Gentium electione disseret. ¶ *Illud*] Bis ponitur hic relativum fem. generis, quod sæpe neutraliter accipiendum est: hìc tamen possumus dicere quòd referat רהב superioris versûs, i. *tumorem* seu *superbiam*, & dicendum, *describe illam*: *constitue illam*. ¶ *Exara*] Verbum חקק est *constituere formam alicujus rei*, *imprimere imaginem*, seu *effigiem*. Vulg. *diligenter exarare* dixit. Sensus constat.

9. *Populus enim*] כי potest Causam reddere, vel potest Expositivè accipi: & sensus ferè idem est. *Scribe*, inquam, & *effigia* eorum cuntumaciam, *quòd videlicet sit populus*, &c. ¶ *Ad iracundiam provocans*] Jam suprà dixi cap. 3. מרה *mutationem in deterius* notare. Hinc nomen מרי *mutatio* seu *mutabilitas*, i. defectio, rebellio, &c. Ezech. 2. Vulg. activè accipit, i. qui mutationem efficit in Deo, dum eum *ad iracundiam provocat*, ut interdum verbum videtur accipi. Vide Judæorum epitheta, *defectores*, *mendaces*, *contumaces*, *qui nolunt auscultare quæ Deus per suos Præcones eis denunciat*. Hæ sunt causæ reprobationis Judæorum. Et in quibuscunque reperiantur hujusmodi mores, non illis parcet Agricola, qui naturalibus ramis ob eadem vitia non pepercit.

10. *Quæ recta sunt*] Sunt nostro hoc seculo qui similia dicunt, & conqueruntur de Præconibus verbi Dei quòd summam ab illis semper rectitudinem exigant. ¶ *Placentia*] Manifestum est radicem vocis חלקות, nempe חלק, significare quod Latinis *dispertire*. Hinc quia in sermonum varietate, distributione & ordine est magna suavitas ac gratia, & hujusmodi varietas auribus suaviter illabitur, transfertur ad notandam *suavitatem* atque *lenitatem* tam *in sermonibus* quàm *in rebus tactûs*, præsertim si construatur cum nominibus *oris*, *verborum*, *gutturis*, &c. Hinc nomen חלק de *monte dispertito* dicitur in propria significatione Jos. 11. vel cujus ascensus erat *lubricus*: & de Jacob, quòd esset *vir lenis* seu *glaber*, *Esau autem pilosus*, Gen. 27. Hinc quoque nomen HELEK in prima significatione *partem* seu *portionem* ubique designat: at in forma fem. Gen. 27. de *glabritie colli* dicitur: & in plurali Ps. 73. & 12. *lubricitates* sign. sicut hoc loco. Unde ubi nos habemus Ps. 55. *Divisi sunt ab ira vultûs ejus*: possunt reddi Hebræa, *Lubricum reddiderunt plus quàm butyra os suum*, & *bellum gerit cor ejus*: ut sit idem quod sequitur, *Molliti sunt sermones ejus super oleum*, & *ipsi sunt jacula*, &c. Vide in Psalterio nostro. Hæc diffusiùs edisserui, Christiane Lector, quia videbam hujus verbi significationem tam à Judæis quàm à nostris injustè distrahi, & rationem hujus Translationis adeò venustè à plerisque ignorari. Quo fit ut plurimi loci Scripturæ vel hâc unâ annotatione aperti sint, ut ille Prov. 28. *Qui arguit hominem*, *postea inveniet gratiam plus quàm dispertiens linguam*: ubi Vulg. paraphrasten agens, *quàm qui per linguæ blandimenta decipit*. Est autem *dispertire linguam* Loqui lubrica & quæ non offendant: neque aliud hìc volunt isti, *Loquimini nobis lenia*: non audiamus semper ex ore vestro reprehensiones, quæ in auribus solent offendere, &c. Vulg. sensum exprimens, *placentia* dixit. ¶ *Errores*] Verbum התל Vulg. solet reddere verbis *fallendi* & *decipiendi*: unde nomen *fallacias* seu *deceptiones* dicere possumus: estque nomen tantùm plurale מהתלות. Nunc etiam sunt qui dicant, *Nunquámne nos decipietis? semper vera? semper Euangelium?* &c. quo nihil aliud significant quàm quòd velint sibi interdum promitti prospera, nè semper animi metu divexentur.

11. *Auferte à me viam*] Potest verti, *Discedite à via*, *declinate à semita*, eodem tamen sensu. Nam interdum מן accipit Jod paragogicum. Nomen *via* aut *semita* ad Mores & Consuetudines sæpe transfertur. Quare hìc nihil aliud vocabant *auferre viam* & *declinare à se semitam* quàm nè eadem semper & consueta suis auribus ingererent. Quia verò Prophetæ sæpe nomen *Sancti Israelis* ingeminabant, quò ad cultum & sanctitatem morum provocarent, & verba quæ dicebant sanctè exciperentur, hinc isti immorigeri & rebelles petebant nè hoc Nomen toties occinerent, &c. Hic locus satis ostendit quàm insuave sit verbum Dei, si legitimè & *rectè*, ut Paulus loquitur, *tractetur*, illis qui in peccatis degunt: ut indicium sit, si ejusmodi homines prædicatorem quempiam verbi Dei laudent & summopere commendent, quòd non *rectè tractet verbum veritatis*, sed *fallacias* ingerat, &c.

12. *Sanctus Israel*] Invitis & fastidiosis ingerit nomen

quod fastidiebant, ejus fastidii pœnam denuncians. Hoc certè est illud Pauli, *Opportunè, importunè.* Quo erudimur, non debere tractatores verbi Dei sese iniquæ stomachi corruptioni accommodare, sed interdum cum irreligiosis de religione disserere, nè pravitas obtineat & jus præscriptione sibi acquirere videatur. Impium sanè nimis erat, aut certè impii animi signum, Israelitas nomen *Sancti Israelis* nolle audire; sicut si Christianus ad nomen *Christi* nauseare. Existimo de nomine *Sancti Israelis* Prophetam loqui. Hoc enim quod postremo loco dixerat, nempe *cessare facite à facie nostra Sanctum Israelis*, ægre valde tulerat, quòd *fraudem* & *perversitatem* ei præferret: quibus nominibus significavit Propheta omnia illa in quibus parùm pii homines fiduciam habent, fiduciâ in Deum abjectâ. Adde quòd Hebræi *fraudes*, *calumnias* & *defectiones* vocant ea quæ fraudibus & calumniis & defectionibus à Deo comparantur.

13. *Erit vobis iniquitas*, &c.] Ità vos *hæc iniquitas* opprimet & repentè conteret, *sicut ruptura excelsi muri, qui jamdudum ruinam minabatur*, opprimit subjectos & comminuit, &c. Vel, Talia mala vobis inferet *hæc* vestra *iniquitas*, ut res vestræ & Regnum vestrum simile sit *parti cuidam in muro excelso quæ dudum ruinam minabatur*, &c. ¶ *Requisita*] i. *Quæ eminebat, & quæ ruinam minabatur.* Nam נִבְעֶה, sive sit à verbo נבע *defluere*, *manare*, &c. sive sit à verbo בעה *eruit*, *elicuit*, eundem sensum habebis, i. *quæ eminebat velut tuberculum, & tumebat*, seu *diffluebat.* Vocat autem *rupturam* muri partem quæ ab altera rumpitur.

14. *Et comminuetur*] Aliis atque aliis punctis est nomen cum affixo & verbum; *Et franget*, scilicet *subjecta*: vel, *Et fractura ejus*, quam efficit, *est similis fracturæ*, &c. vel, *Et fractura ipsius*, nempe *rupturæ*, i. quam ipsa patitur, *est similis*, &c. & hunc sensum sequitur Vulgatus. Judæi igitur & eorum Resp. vel comparatur rebus subjectis quas comminuit murus excelsus cadens, vel ipsi muro decidenti. Et sive hoc sive illo modo intelligas, eos *ità comminuendos* significat *sicut comminuitur vas testaceum, quando absque affectu parcendi confringitur*, &c. ¶ *Contritione prævalidâ*] Sensum reddidit. Ad verbum sic legitur, *sicut fractura vasis figulorum contusi non habebit affectum parcendi.* Et sumitur impersonaliter, & veluti adverbium, phrasi Hebræâ, i. *inclementer*, *crudeliter*, &c. ¶ *Et non invenietur de fragmentis ejus*] i. *In cujus contusione* (i. fragmentis) *non invenitur*, &c. Quæ sequuntur Periphrases sunt in minutissimas partes contritionis. Nota tamen verbum חשף propriè significare *denudare*: sed cùm de Aquis dicitur, redditur verbo *hauriendi*: nam *denudare aquas à puteo* est Puteum aquis nudare, vel Aquas quæ in puteo veluti tectæ erant, oculis objicere; quod quodammodo *denudare* est. Quis, quæso, peccator tantam inesse vim peccatis, in quibus sibi complacet, adversùs semetipsum unquam putasset? Hoc certè illud est quod apud Michæam dicitur, *In scelere Jacob omne istud*, &c. Ergò Iniquitas murum subruit, Regna perturbat atque evertit. Considera autem, Lector, in quam minutas particulas comminuerit res Judæorum, ut non superfuerit vel congregatio aliqua aut civitas in qua habeant propriam politiam, &c. Vide in quàm vilem sortem devenerit, & quàm inutiles ad aliquod ministerium sint, ut abjectiores sint fragmento testaceo quo igniculus deferri aut quo hauriri nonnihil aquarum possit. Certè verum est quod ait Sapiens, *Miseros populos facit peccatum.*

15. Causam vastationibus magis explicat, ac mox etiam ipsam vastationem depingit. *Ruinam* quidem & *confractionem* denunciavit quòd fastidirent nomen *Sancti Israelis*, fastidiebant autem, quia Prophetæ ex parte *Sancti Israelis*, i. Dei, quem ut sanctum Israel venerari & revereri debuissent, nè Ægyptiorum auxiliis inniterentur prohibebant, &c. At, ut vides, iterum eis invitis illud sanctum Nomen ingerit. ¶ *Si revertamini*, &c.] Nomina sunt Hebræis, *In conversione & quiete salvi eritis*: sensus tamen idem est, Si ab instituto redeatis, neque in Ægyptum proficisci velitis, &c. sed hic quiescatis, erit vobis salus. ¶ *In silentio*] Verbum שקט (cujus hic est infinitivus pro nomine, ut Ezech. 16. & infrà 32.) Vulg. infrà 62. & 57. verbo *quiescendi* reddidit. Opponitur enim interdum *quies tumultui & strepitui*: atque ità accepit Vulg. hoc loco, quia cum *fiducia* jungebatur. Est enim diffidentium strepitus, confidentium verò silentium. Videturque esse allusio ad verba Mosis Exod. 14. *State, & videte magnalia quæ Dominus facturus est hodie. Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis*: ubi Vulg. quoque verbum, quod *cessationem* sign. חרש verbo *tacendi* reddidit. ¶ *Et spe*] Seu *fiducia.* Huc alludit Paulus, *Spe salvi facti sumus*: non quòd hâc tantùm ex impio quis fiat justus, sed quia liberatio à periculis congruenter tribuitur Fiduciæ in Deum, quæ proprias vires despicit, & Deo innititur. Quemadmodum etiam Misericordiæ in Scripturis tribuitur consecutio misericordiæ; & Immisericordiæ respondet etiam immisericordia: nam *imminet judicium sine misericordia iis qui non usi sunt misericordiâ.* Paupertati etiam respondet possessio Regni cœlorum, & Luctui Divina in patria consolatio, & Pacificis filiatio Divina: nemo tamen cùm de justificatione impii loquitur, dicit, aut misericordiâ solâ, aut paupertate, aut luctu, aut pace; ex impio fieri hominem justum; etiamsi non consequantur misericordiam, non possideant Regnum cœlorum, non accipiant à Deo consolationem, non sint filii Dei, nisi justi. Hæc si attenderent multi qui hoc nostro seculo se Scripturas intelligere gloriantur, non adeò miserè errarent.

16. *Nequaquam*] Hæc est contumacia, rebellio, defectio & elatio seu superbia quam describere jubebatur Jesaias, quam hâc responsione prodebant. Hinc oriebatur illud *nolle audire* nomen *Sancti*, illud velle audire *lubrica*, &c. verùm si *in quiete est illorum salus*, illi verò *quiescere* nolunt, nolunt ergò salutem: ergò ipsi suæ perditionis auctores sunt. Ut nemo sit adeò cæcus qui cum hæreticis nostri temporis dicat Deum esse auctorem perditionis. Nam si illud *Nequaquam*, si illud *Nolumus* à Deo erat, quid facerent miseri si aliud respondere non poterant? ¶ *Ideo fugietis*] Ità est ad verbum, i. ità erit ut dicitis, *fugietis.* נוס fortè hìc passivè accipitur, q. d. *ideo fugabimini*, ut singula singulis respondeant. Vel certè fugere pro pœna computatur: atque in hunc modum optimè reddit Vulg. על per *ad equos*, non *super equo*: quasi ludat Propheta in verbo נוס, quod absolutè positum est *fugere*, at cum accusativo & particula Motûs est *confugere*; q. d. *Confugiemus ad Ægyptios & equestres copias: iccirco fugietis. Equitabimus super velocibus equis: iccirco & hostes vestri velociores erunt*, &c. Et licèt prior sensus planior videatur, hæc tamen interpretatio videtur confirmari ex c. 31. 1.

17. *Mille homines*] Ad verb. *mille unum*, vel *chilia una.* ¶ *A facie terroris*] Nomen גערה Vulg. sæpe *increpationem* vertit, & verbum verbo *increpandi*: est autem propriè cùm *durius verbis in aliquem invehimur.* Habet ergò emphasim, quòd non à gladiis, non ab hastis, sed *ab increpatione verborum unius fugerent mille, & ab increpatione quinque*, i. paucorum, &c. Allusio est ad Benedictiones & Maledictiones Legis, *Persequemini inimicos vestros, & corruent coram vobis. Persequentur quinque de vestris centum alienos, & centum de vobis decem millia*, &c. *Quòd si nolueritis*, &c. *fugietis nemine persequente.* Vide Levit 26. & Deut. 32. 30. *Quomodo fugabat unus mille, & centum decem millia?* &c. *nonne quia Deus vendidit eos?* &c. Metum ergò infligit in pœnam, ut cùm videmus Christianos ab hostibus prosterni, non alias causas quæramus quàm peccata & Deum ob ipsa iratum. At quæ unquam natio magis præclaras victorias obtinuit quàm Judæorum? quæ rursus majori infamiâ ob metum laborat? Apud nos certè in proverbium abiit, ut *Judæi* nomine pro *valde meticuloso* utamur. ¶ *Donec relinquamini velut malus*] תרן, ni fallor, ab ארן specie *Cedri* dicitur, quòd ex ea in Palæstina fabricari soleret malus: neque desunt qui ארן ipsam *pinum* putent. Ezech. 27. *Cedrum de Libano tulerunt, ut facerent malum*, &c. Vocat autem hìc *malum* arborem ramis privatam, quæ *in vertice montis* interdum apparet velut malus in navi. Significare ergò videtur solitudinem, & quòd omnium injuriis gens illa foret exponenda; sicut arbor quæpiam *in vertice montis*, &c. ut suprà, ubi Judæorum res *ilici defluentibus foliis* comparavit. Sed quia in nonnullis regionibus etiam hodie *in montibus* defiguntur *mali* quidam, ex quorum summitate prospiciunt speculatores hostium adventum, præsertim in regionibus maritimis, quia etiam de *signo* mox infert similitudinem, fortè ad hunc morem alludit, ut non sit sermo de arbore, sed de malo. Sed sive hoc sive illud dicas, una eademque ratio est similitudinis, Solitudo nempe absque ulla protectione, compassione aut commiseratione. Jam vero & similitudo *signi in vertice collis* addit ad præcedentem similitudinem, quòd Judæi in omnium oculis futuri essent per orbem terrarum tanquam *signum* Divinæ vindictæ, sicut conspicuum est *signum* quodpiam *super montem*, &c. Quamvis autem hæc de vastatione Judæorum ultima intelligam, crediderim tamen Prophetam historiam sui temporis percurrere quæ typus fuit futurorum. Nam sicut tunc Judæa tota vastata fuit, *mansit* autem Jerusalem *veluti malus in vertice montis*, & arbor absque frondibus, &c. ità ex tota illa natione pauperculi quidam omnium injuriis expositi remanserunt, qui scilicet in Christum crediderunt, qui veram Jerusalem efficiebant. Quemadmodum etiam tunc delevit hostes Assyrios Dominus in gratiam

populi

populi Jerosolymitani, ità delet Dominus hostes populi sui, &c. Quare si quædam verba videris quæ omnino de interitu Assyriorum videantur intelligenda, rursus quædam quæ excellentiorem redemptionem videantur significare, nè conturberis; sed morem Prophetarum esse intelligito, qui mysteria historiarum velamine obtegebant: verùm tantus interdum erat mysterii fulgor ut non velum sed splendor tantummodo appareret; quo rursus remittente, velum ipsum conspiciebatur. Hæc autem est Christiana interpretandorum Prophetarum ratio.

18. *Propterea*] Particula Vau non est hoc loco omittenda, quæ cohærere hæc superioribus facit, & reddi potest particulâ *autem*, *verùm enimvero*, &c. quasi Propheta tacitæ objectioni responderet; *Quare sic Dominus hostes grassari permittis in populum suum?* &c. *Nè mireris*, inquit, *quòd tamdiu dissimulet Deus. Nam in hoc totus est ut vos possit in gratiam recipere.* Vel potiùs sit hæc objectio, *Quid causæ est cur Dominus omnino non perdit adeò contumaces filios? quid necesse est manere aut ipsam Jerusalem tempore Ezechiæ, aut reliquias tempore Messiæ?* Respondet, *Certè in hoc apparet benignitas Dei, qui nihil aliud exspectat quàm quòd habeat quibus condoleat & quos in gratiam suam recipiat.* ¶ *Exspectat*] Non satis explicat verbum *exspecto* vim verbi חכה, quod *anhelandi* seu *inhiandi* verbo reddi potest; cujus participium in hoc eodem versu habes. Huc tendit, inquit, in hoc totus est, *ut misereatur.* Ad hoc permittit hostes grassari, vos fugientes intercipi, multos ex vobis interfici, & in paucitatem redigi, ut vel malis fractos & ad se conversos *in gratiam recipiat*, vel ut tantummodo illi relinquantur quibus juxta consilia inaccessibilis sapientiæ suæ non indignum sit gratiam & à malis remissionem præstare. ¶ *Exaltabitur*] i. Ideo *in alta conscendit* & abscessisse videtur, &, ut David loquitur, *longè recessisse, ut tandem vestrûm commisereatur.* ¶ *Parcens*] Vel *ad parcendum.* Est enim infinitivus, sicut qui præcessit. *Quia Deus judicii*] i. Justus & justitiam colens. Impoenitentibus enim ac contumacibus veniam præstari non sinit Divina illa æquitas. Exercet ergò misericordiam Deus, sed juxta æquitatis leges. In hoc tamen relucet ejus misericordia, quòd quos secundùm justitiam posset perdere, tamdiu benignus *exspectat*, & malis exercet, quosque ad sanam mentem redeuntes *in gratiam recipiens*, jura ille æquitatis suæ non resolvat. O quàm meritò exclamabat Propheta hic superiùs, *Domine, ad nomen tuum, ad commemorationem tui desiderium animæ!* Quis enim te non amet, ô bone Deus, qui non obliviscéris misereri, sed in media ira ad misericordiam anhelas? imò ob hoc tantùm irasceris ut tandem commisereris. *Gaudeo*, dicebat quidam, *quòd Deus judicii sis ac judex hominum, qui Pater misericordiarum es ac Deus totius consolationis.* Cùm ergò, Christiane Lector, adversis diu nos vexari videamus, meminerimus Deum paulisper decedere ut parcat; diuturnitatem autem dissimulationis nobis imputemus. Possunt hæc etiam, *Deus judicii Dominus*, ad hostes referri; juxta illud Apostoli 2 Thes. 1: *Siquidem justum est apud Deum reddere iis qui affligunt vos afflictionem; & vobis, qui affligimini, relaxationem nobiscum*, &c. Utitur quoque interdum & Scriptura nomine *judicii* seu *justitiæ* pro *sanctitate* & *bonitate*. Est ergò *Deus judicii*, justus & bonus, &c. Sed prior expositio augustior est. ¶ *Beati omnes*, &c.] *O felices omnes*, ô quàm bene habent omnes, quàm bene rebus suis consulunt, *qui inhiant ad illum*, qui cùm tantus sit, & naturâ adeò à nostra didiversâ, ad nos *inhiat*, & ad nostram salutem *anhelat!* Si igitur Deus ad nostram conversionem *anhelat*, & nostram tolerat in peccatis conversationem ut tandem aliquando redeamus, diutinne fuerit adversa immittentem *Dominum sustinere*, & ad ejus misericordiam *anhelare?* Clausit autem Epiphonemate orationem, quòd dignissimum esset ad tam justum & amantem Dominum *anhelare.*

19. *Populus enim Sion*] Deest præpositio *in*: sed sensus integer est, *Populus enim in Tcion*, i. qui est in Tcion, *habitabit in Jerusalem.* Nè timeas quòd per Sennacherib ad Assyrios transferaris, neque fideles putent quòd Ecclesia unquam expugnanda sit. Finis erit lacrymarum: lætabuntur pro diebus quibus humiliati fuerant: & tandem expulsis hostibus *te gratum efficiet.* Volui hoc verbo uti, tum quòd vim verbi videatur explicare, tum quòd Paulus eo usus videatur, cùm Eph. 1. ait, *Qui prædestinavit nos, ut adoptaret in filios per Jesum Christum in sese, juxta beneplacitum voluntatis suæ, ut laudetur gloria gratiæ suæ, qua ἐχαρίτωσεν nos*, seu *recepit nos in gratiam*, &c. ¶ *Statim ut audierit*] Doctè Hebraismum reddidit; *secundum audire te, cùm primum te audierit.* Audit autem *vocem clamoris* cùm ex animo invocatur, seu, ut David dicit, *in veritate.* *Respondere* quoque *Dei* vocat subventionem. Nam in Scripturis interdum *respondere* nihil aliud est quàm Opem afferre atque Subvenire.

20. *Et dabit vobis Dominus*] Vim conjunctionis Hebraicæ utcunque reddidi, *Dabit quidem*, vel, *Dedit quidem vobis*, vel, *Dederat.* Carent enim Hebræi plus-quàm perfecto. Sed in futuro augustior est sensus. *Cùm*, inquit, *audis te mox ut clamaveris exaudiendum, nè putes omnia deinde corpori mox futura suavia. Patietur quidem Dominus te tentari, & in gratiam receptus adhuc vescêris cibo & potu quo utuntur qui in angustia & pressura sunt*, &c. Vel certè narrat quo pacto responsurus esset Deus, *Obsideberis quidem, & pane angustiæ & potu pressuræ vescêris obsidionis tempore: at non tibi deerit doctor*, &c. q. d. Corpus quidem dura patietur, at mens consolationibus Divinis refocillabitur: non deerit enim qui te verbo Dei consoletur, & de voluntate ejus certiorem faciat. Vide, quæso, Lector, qualem consolationem suis pollicetur Dominus, ut *per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeant.* Ex indignatione quidem dicit, *ablaturum se Prophetam & Doctorem*, & *mandaturum nubibus nè pluant super vineam* degenerantem; *daturum* etiam *se penuriam, non quidem panis aut aquæ, sed penuriam verbi Dei*: at reconciliatus nobis *dabit panem angustiæ*, sed *non deerit Doctor*, &c. ¶ *Non avolabit*] Ad verb. si sic liceret loqui, *non alabitur*, i. non habebit alas: sed sensus est quem Vulg. reddidit. ¶ *Ultrà*] Si de tempore Ezechiæ & hostibus Assyriis singula hæc non eâ moderatione quam suprà dixi, sed Judaicè accipias, quî, quæso, verum erit quòd *non ultrà avolaret Doctor*, neque decesset qui de via Dei Judæos doceret? Ergò splendor, quem dicebam, jam velum disparere facit atque discindit. De populo enim Dei loquitur, cui, quamdiu durabit mundus, nunquam deerunt veritatis Doctores. Qui autem מורה pro *pluvia* accipiunt, ostendant ubi hæc vox aliud quàm *doctorem* seu juxta Etymologiam vocis *doctrinæ jaculatorem* designet; aut quorsum obsessis pluvia promittatur, nisi de hac ipsa pluvia doctrinæ interpretentur. ¶ *Oculi tui videntes*] Facit ad consolationem convenire ipsum Doctorem, & oculis coràm cernere, quem interroges, qui medicamenta adhibeat prout morbus postulat. Quid si prævidebat Propheta conversantem in carne eum quem jussit Pater coelestis à nobis audiri?

21. *Post tergum*] Præter præpositionem אחר, i. *post*, est præpositio Mem, *ab*, *à*, *de*; & quandam Continuationem seu Frequentationem notare videtur. ¶ *Monentis*] Rectè vitavit Vulg. Hebraismum, quem retinui, quòd manifestus esset. Verùm si *coram oculis* erit, quomodo *post tergum loquetur?* Nihil aliud hæc significant quàm quòd omnibus modis pii erudiuntur à Deo, sicut qui præceptorem & pædagogum semper secum habent.

22. *Contaminabis*] Præcedentia futura pro imperativis accipio: hoc autem præteritum in futurum conversum in significatione futuri accipio. Sunt enim effectus auscultationis Divinæ doctrinæ. Primò *contaminant*, i. tanquam contaminationes fugiunt, abjiciunt, damnant, faciúntque ut malè audiant, & ab aliis ut contaminationes vitentur. Hæc est enim vis verbi טמא, quod voce & significatione convenit cum Latino *contamino.* ¶ *Laminas*] Sensum optimè reddidit: *Laminis* enim *aureis* & *argenteis obducebant sculptilia* lignea aut lapidea. Verbum autem צפה (quod ex illis esse videtur quæ contrarias significationes habent) in secunda sign. interdum *laminis obducere aliquid, nè appareat* &c. ¶ *Vestimentum*] Nomen אפדה juxta sui verbi significationem *operimentum* dici potest. Crediderim autem de *laminis aureis* esse sermonem. Nè tamen existimes de idolis tantùm hæc dici, sed, cùm ad tempora Christi referantur, illa omnia hîc intelligito quæ à cultu, religione, fide & amore veri Dei avocabant; ut sæpe solent Prophetæ. ¶ *Disperges ea*] Manifestum est verba זרה & זרר, quæ significatione conveniunt, nunc *complicare*, nunc contrariâ significatione *spargere* significare. Vulgatus & cæteri ferè omnes pro *spargere* seu *spargendo abjicere* hic accipiunt: ego libenter in altero modo significandi acciperem: nam pannos illos solent convolvere & complicare, & sic tandem abjicere, nè oculis appareant; ut Psal. 119. & Jud. 6. & suprà cap. 1. *Non compresserunt vulnera*, &c. ¶ *Tanquam immunditiam menstruatæ*] דוה *mulierem* ipsam *debilem*, deinde honestè *menstruo laborantem* notat: hic pro ipsa *immunditie* non malè accepit Vulg. ¶ *Egredere*] *Apage*, vel quid simile, est Abominantis & Fastidientis particula, etiamsi sit imperativus verbi יצא *egressus est*, &c. Hæc omnia satis indicant quanto odio persequantur, qui Deo loquenti & monenti obediunt, anteactam vitam; & quantâ alacritate ea abjiciant quæ priùs amittere metuebant. Aperit enim doctrina oculos, & lucem affert rebus.

rebus. Si adsit itaque Divinus favor, & vires habeat animus ad resiliendum, resiliunt tanquam à præcipitio, & priora omnia nè videre quidem dignantur, nisi fortè ut ea defleant atque detestentur.

23. *Et dabitur pluvia semini*] Et ità ferè omnes. Sed in accusandi casu quoque reddere possumus, *Dabit semen tuum pluviam*, ut sit quod nos dicimus, *Dabit triticum sicut pluviam*, ut tanta sit copia seminis quantà pluvia solet in terram decidere. ¶ *Et panis frugum terræ erit*, &c.] Ità planè potest reddi, ut illud Vau quod conjunctum est cum verbo *erit* superfluat, ut interdum Hebræis solet. Sed & sensus quem in versione reddidi simplex est, *& panem proventûs telluris*, scilicet *dabit tanquam pluviam*; ut & seminis & fructuum fit ingens copia: neque solùm commendatur à copia, sed & à *pinguedine* & *ubertate*. ¶ *Pascetur*] Certum est רעה interdum intransitivè accipi, sicut hoc loco accepit Vulg. & מקנה simpliciter pro *possessione*, & כר collectivè pro *agnis*, ut suprà initio cap. 16. Quæ dico, nè quis inconsideratè Vulgatum damnet. Possunt nihilominus Hebræa reddi sicut in versione nostra, ut *possessio* hîc specialiùs accipiatur pro *possessione pecorum & animalium*, & collectivè pro ipsis *pecoribus*, à verbo קנה *acquisivit vel labore*, *vel pretio*, fortè quòd olim hæ essent divitiæ & pecuniæ hominum, sicut Latinis *pecuniam* à *pecude* dictam volunt. Ità accipitur Gen. 4. & 13. *Abraham erat dives valde in pecore & argento & auro*, &c. כר quoque *pascuum agrum* designat. Incipit ergò hoc versu abundantiam bonorum temporalium commemorare quæ vitæ emendationem consequitur. Idem continent versus qui sequuntur, Quæ omnia felicitatem servorum Dei significant tam temporalem quàm spiritualem; ut non hæc Judaicè accipiamus.

24. *Commistum migma*] בליל est *stramentum ex diversis mistum*, quale jumentis præbetur. Græci vocant μίγμα. Latini propriâ voce carent: *pabulum* licebit dicere. In nostris ergò Bibliis idem bis ponitur; & significatum vocis Hebrææ חמיץ omittitur, quæ *corruptionem* notat seu *acetosam*. *Comedent* ergò *misturam acetosam*, quæ jumentis grata esse consuevit, quam arte conficiunt ex variis rebus qui jumentorum curam habent. ¶ *Sicut in area*] רחת instrumentum est à *vento* nomen habens, quo in area separantur à paleis grana. Licebit dicere *ventilabrum*, vel *palam*. Ejusdem ferè significationis est מזרה, à *ventilando* seu *spargendo* habens appellationem: & *ventilabrum* vel *vannum* dicere possis. Vulg. sensum vertit, *sicut in area ventilatum est*, i. mundas paleas atque purissimas. Non quòd nihil aliud quàm paleæ darentur jumentis, sed quòd paleæ illæ, quæ præpararentur cum aliis, essent mundæ. Facile autem est videre quid in Ecclesia & populo Dei *Boves* & *Asini*, *quibus terra colitur*, significent.

25. *Rivi currentium aquarum*] Heb. *rivi scaturigines aquarum*, quasi per Appositionem dicatur. Et est verbum sing. cum nomine plurali, ut sæpe consueverunt Hebræi. Rivorum autem est per valles decurrere, non per *montium cacumina*. Sed cùm hæc spiritualiter sint accipienda, non mirum quòd Divinis charismatibus affluant illi de quibus id nequaquam credi potuisset; neque tantùm sibi solis abundent, sed in subjectas valles fluenta aquarum devolvant. ¶ *In die interfectionis magnæ*] Typum simul & veritatem hîc tangit. Interfectis enim per Angelum Assyriis qui erant in circuitu Jerusalem, quæ cædes maxima fuit nocte unâ perpetrata, *omnia* illa *montana*, veluti *aquarum rivulis* perfusa, populum Jerosolymitanum ob rerum omnium abundantiam, quam in castris reperere, summâ jucunditate affecerunt: Sed & eo tempore quo Dominus hostes populi sui, ipsos scilicet infideles Judæos, per Romanos interfecit, maxima vis bonorum cœlestium extorres quosque & à gratia Dei alienos conspersit: conversi enim ad Gentes Discipuli Domini, eas in omnibus divites reddebant. ¶ *Cùm ceciderint turres*] Eodem modo hoc sicut membrum quod præcessit intellige.

26. *Erit lux Lunæ*, &c.] Hæc nihil aliud quàm ingentem lætitiam significant quâ fruuntur fideles cùm vident *vulnera* suorum peccatorum per Filium Dei *superalligata*: Cujus fuit typus illa inexspectata lætitia quam habuit populus Jerosolymitanus, interfectis per miraculum Assyriis. Nam sicut *obscuritas Solis* & *Lunæ* calamitates & tristia omnia figuratè in Scriptura significant, ità & *lux Lunæ* ac *Solis multiplicata* lætitiam ac læta omnia notat. Nam & lætitiâ affectis Sol clariùs splendescere videtur; & qui mœrore animi tabescunt, illis omnia obscura apparent. Humor etenim ille quo cor sive cerebrum tristitiâ affectorum perfunditur, ater quoque est. De hæc lætitia plura in sequentibus videbis, ad quæ jamdudum properamus.

27. Jam hostium eversionem manifestiùs narrat. *Nomen Domini*] Interdum *nomen* pro *fama* & *gloria* accipitur apud Hebræos sicut apud Latinos, ut Deut. 26. & Prov. 22, &c. Ergò hîc *nomen Domini* pro *Domini majestate*, vel *Domino ipso glorioso*, accipio. Sic autem loqui maluit Propheta, ut adventum illum, quasi famâ è longinquo ad se delatum, significaret. Huc fortè respexit Euangelista cùm *venturum Dominum cum majestate* significaret ad Jerosolymam vastandam. ¶ *Ardens furor*] אף, ut jam admonuimus, *nasum* propriè notat, & pro *ira* sæpe accipitur, quæ in naso relucet; sæpe etiam pro *vultu* ipso: atque ità hoc loco libens capio. Inducitur autem Dominus quasi ignem spirans, totúsque in furorem versus, & ut qui ore suo nihil nisi iram ac vindictam promat.

28. *Et spiritus ejus*] Introducit Propheta *spirantem* Dominum, cujus flatus ità obvia quæque prosternat ut solet prosternere *inundatio*, quæ tantùm non cacumina seu capita montium operit: *Inundatio*, inquam, *torrentis*, quæ violentior esse solet, & eò plùs nocere quò minùs prævidetur. ¶ *Ad perdendas gentes*] Sensum reddidit Vulgatus. Heb. *ad agitandum gentes cribro*. Comparatur autem ingens calamitas *agitationi quæ cribro fit*, quòd in ea concussione multa grana decidant quæ absque cribratione nihil periculi sibi imminere putabant. Hâc eâdem similitudine usus est Dominus in Euangelio cùm dicit, *Satanam expetisse Apostolos ut cribraret eos veluti triticum*, & *in tentationem induceret*. ¶ *In nihilum*] שוא *vanitatem* interpretari possumus, quòd Assyrii exusti fuerint & in pulverem & nihilum redacti. Propria autem nominis significatio est *præcipitantia*: indè pro *temeritate* accipi solet & *vanitate*. *Cribro* ergò seu *agitatione præcipitantiæ* puto designari, quâ grana extra cribrum excutiuntur. Vel *vanitatis cribrum* dicitur quod inane manet, & grana decidere patitur, &c. Non minùs hæc in Judæos tempore Titi quàm in Assyrios tempore Ezechiæ conveniunt. Denique de hostibus populi Dei hæc verè dicta esse nè dubites. ¶ *Et frænum erroris*] Vel *frænum errans*. Est autem, ni fallor, epitheton Assur, qui potentiâ suâ plurimas nationes infrænabat & quasi fræno subjugaverat. Dicitur autem *errare in maxillis*, i. versari, eo modo significandi quem suprà cap. 28. 7. explicavi: quod qui non animadverterunt; somnia hoc in loco lectori narrant. *Venire* igitur *Dominus* dicitur *ad cribrandos* istos *populorum infrænatores*, qui cæteris, veluti brutis, imperitabant. Vel *venit ad agitandum frænum*, *quod versari faciet super maxillas populorum*. Vel supplendum verbum substantivum, *& erit frænum errans super maxillis populorum*, quòd videlicet gentes veniret infrænaturus castigationibus & flagellis, nè adversùs populum Dei ultrà tumultuarentur. Sed prior expositio simplicior est, & venustatem habet.

29. *Canticum erit vobis*] *Lætabitur justus cùm viderit vindictam*. Redemptio quoque servis Dei illuxit, deletis impiis Judæis; sicut populo Jerosolymitano, occisis Assyriis. ¶ *Sicut nox sanctificata*, &c.] Sensum rectè expressit. Nam Hebræa concisa sunt deficiente relativo, *sicut nox* (vel *nocte*) *sanctificatur festivitas*: sicut quâ nocte sanctificatur aliquod festum. Credo autem hîc Paschatis noctem commemorari, quia in memoriam illius noctis sanctificata erat quâ occisis primogenitis Ægyptiorum Israelitæ ex Ægypto exierunt, quam summâ lætitia celebrabant. ¶ *Qui pergit*, &c.] Existimo rusticanorum lætitiam hîc commemorari, quâ nulla est major, quòd à curis rerum omnium vacui totos se lætitiæ dedant. Hi sunt qui *cum tibia ad montem Domini*, & in domum orationis veniunt, & his vocibus utuntur, *Eamus ad montem Jehova*, *ad Petram Israel*: eúmque laudibus celebrantes, saltationes & choreas immiscent. Omnes ergò gaudio perfundendos significat absque ullo discrimine, ità ut neque personarum neque dignitatum sit futura ulla differentia, sed in simplicitate animi, summa cum voluptate, quasi rusticani Dominum celebrabunt, qui se redemptos de manu inimici agnoscent.

30. *Gloriam vocis suæ*] i. Vocem suam gloriosam & majestate plenam. Describit Propheta quæ in illa nocte acciderint quâ Assyrii percussi sunt à Domino; & *vocem gloriæ* credo notare tonitrua; &, juxta mysterium, *Euangelium gloriæ beati Dei*, ut vocat Paulus. ¶ *Terrorem*] Ad verb. *dimissionem brachii*: i. apparebit quòd Dominus dimittat manum suam ad percutiendum, quod non potest non terrorem maximum incutere. ¶ *In comminatione furoris*] זעף *conturbatum esse* sign. vel *irâ*, vel *tristitia*, &c. etsi אף, ut suprà dixi, pro *vultu* accipiamus. Inducit Propheta Dominum vultu conturbato præ ira, & voce terribili, atque brachium in morem percutientis exserentem ac dimittentem. ¶ *Allidet*] נפץ Vulg. ut verbum accepit: nam in Piel est *collidendo dispergere*, ut Psal. 2. *Ut vas figuli disperges eos*, i. fractos disperges, &c. Ut sensus quoque esse possit, *& flammam ignis sparget*, *& imbrem*, *& lapidem grandinis*. At si tanquam nomen accipias, in qua forma

forma nunc in Bibliis legitur, sensus quoque planus est: nam ità vocant Hebræi Fulgetrum a *spargendo*. *In flamma* igitur *ignis*, & *fulgure*, & *imbre*, ac *grandine* apparuit manifestè, quòd Dominus percuteret hostes *dimittendo brachium suum* super eos.

31. *Enim*] כי non tam rationem hoc loco reddit quam sententiam continuat, & per Adversativam reddi potest, *A voce autem Domini*, &c. ¶ *Percussus*] יכה nunc in forma activa legunt Hebræi: sed cùm eisdem literis & alia punctatione possit esse vocis passivæ: malui cum Vulgato legere. Sensus planus est.

32. *Et erit transitus fundatus*, &c.] Quid Vulg. velit manifestum est, nempe quòd percussio illa non levis esset, sed firma & stabilis, qualia sunt fundamenta. Neque dubium quin Hebræa hunc sensum habere possint: multò tamen aliter hæc quoque poterimus interpretari, nempe ut מוסר pro *fundamento* accipiamus, & ה finale pro affixo feminino. Nam ultima vox hujus versûs pronomen quoque est femininum. Quod mihi non est dubium quin Propheta fecerit ut mysterium subesse intelligeremus, sicut & versu seq. Jam enim dixi hanc Assyriorum vastationem ut typum describi ejus quæ per Romanos Judæis advênit inimicis Apostolorum & servorum Dei. Sunt ergò *Assur* & castra ejus, Jerusalem ipsa, in qua facta est *occisio magna*, & cujus *ceciderunt turres*, &c. ut suprà dictum est. Dixerat autem versu superiori *Assur virgâ percutiendum*: hoc verò nihil intactum virgam illam Dei seu baculum reliquisse significat. Et ad verbum sic reddi potest Hebraismus, *Et erit omnis transitus virga fundamentum ejus*, i. totum fundamentum ejus permeabit transiens virga. Universa enim castra permeavit virga illa, & civitas Jerosolymorum in fundamentis ipsis percussa fuit. Quod verò sequitur, magis Judæis convenit quàm Assyriis: nam *virgam* illam usque in hodiernum diem *quiescere* vides super ipsos. ¶ *Expugnabit eos*] Massoritæ lectionem in margine apponunt בם, i. *cum eis*, vel *adversùs eos*, & ità legit Vulgatus. Nunc exemplaria habent בה *cum ea*, vel *in eam*. Ut quemadmodum Judæi intra mœnia reclusi & obsessi, non armis, non instrumentis bellicis, sed *tympanis & citharis*, & occisione victimarum, seu oblationibus, quas *sursum levabant* atque *agitabant*, victoriam adepti sunt; ità populus Dei hostes suos, & Christiani hostes Judæos, à quibus immanes persecutiones perpessi fuerunt, non armis, sed ingenti gaudio in tribulationibus, & sacrificiis Eucharisticis deleverunt. ¶ *Bellis præcipuis*] A verbo נוף, i. *agitavit*, est nomen תנופה, quod interdum non *agitationem* sed ipsam *oblationem qua hinc inde agitabatur in sacrificiis* significat, quam *agitandam* dicere possis. Vide Exod. 29, & 35. Ex Num. autem 8. constat significatio hujus ceremoniæ, *Agitabit Aaron Levitas agitandam coram Jehovah à filiis Israel, ut serviant servitium Jehovah. Bella* itaque *agitationis* (seu *agitandæ*) sunt bella quæ sacrificiis & oblationibus constant ac conficiuntur, non armis. Habent & Christiani suam *agitandam* & Hostiam, quam in altari huc atque illuc movent: quo uno sacrificio hostibus sæpissime negotium facessunt. Poterat autem, sicut dixerat *in tympanis & citharis*, dicere *in sacrificiis*; sed maluit nomen מלחמת addere, ut cædem quoque fieri significaret hostiarum, quòd videlicet populus Dei non hostes sed victimas cæderet; hostes autem Deus ipse, cui immolabant, perderet. At quod genus belli huic possit comparari? Non mirum ergò quòd Vulgatus *bella præcipua* diceret pro *optimo bellandi genere*.

33. *Topheth*] Ex 2 Reg. 23. & Jer. 7. constat תפת fuisse Excelsum in quo idolo Moloch filios Judæi immolabant. Quia verò horribile erat spectaculum, & cultus ille portentosus valde erat, denominationem hanc accepit: nam מופת *prodigium* est. Atque hanc Etymologiam magis probo quàm Lyrani & aliorum, qui à *tympanis* dictum volunt. Unde Job 17. pro ipso תפת positum videmus, *Posuit me parabolam populis, & portentum in oculis eram*. Hic autem legitur addito ה, quasi denominativum nomen ab illo. Et eo utitur Jesaias pro *Inferno* & horribili illo damnatorum loco; sicut & Dominus *gehennæ* nomen, i. *vallis Hinnon*, in quo Topheth erat, usurpavit pro tristi illa & infami damnatorum sede. Ego certè puto vallem illam & locum illum qui primùm à *pulcritudine* & *jucunditate* nomen habuit, post cultum illum horribilem infamem esse cœpisse, saltem apud pios: Hinc ad damnatorum sedem significandam nomen translatum est. Ergò cùm Jesaias prævideret Assyriorum cladem (quam verisimile est in illa valle prope Jerosolymam accidisse) venustè in nomine תפת ludit, dum locum illum jamdudum Regi Assyriorum cum suis *præparatum* & *stratum*, &c. dicit. Sed non prætereundum est, quòd initio versûs (ut ex adjunctis participiis videre potes) nomen תפתה sit masc. generis; & verba הרחב & העמיק, quæ intransitivè accipiuntur, illud ostendunt: in fine tamen sit feminini, cùm ait, *Flatus Domini succendens eam*: quod certè ego ad mysterium refero. Nam in civitate Jerosolymorum tam Principes quàm populus, quemadmodum Assyrii in Topheth, consumpti sunt. Non minùs enim civitas illa infamis erat post occisum Dominum quàm Topheth: pluráque portenta & visa horrenda in ea quàm in Topheth visa sunt. Hæc tamen non impediunt quominus hic damnatorum locum describi dicamus. Parùm enim fuit Prophetæ illos occidendos dicere, ni in æternum cruciandos cum Principe Diabolo prædicaret in *igne*, quem Dominus in Euangelio, ad hunc locum alludendo, dicebat, *præparatum esse Diabolo & Angelis ejus*. Quòd si jam Jesaiæ temporibus locus ille infamis erat, qui alioqui à *pulcritudine* & *amœnitate* juxta Etymologiam à verbo יפה nomen habebat, certè post illam eadem & corporum adustionem, quam in sequentibus narrat Jesaias, multò aptiùs damnatorum locum designasset. ¶ *Nutrimenta*] Sensum reddidit. Vox מדרה à *serie* dicitur vel *ordine lignorum*. *Pyram* dicere possumus, ut Ezech. 24. *Ego magnificabo pyram*: ubi Vulg. *pyram* quoque reddidit.

D R U S I U S.

6. עֲיָרִים. Omnes πώλες *pullos*] Hieron. *Rursum in eo loco ubi nos interpretati sumus* portantes super humeros jumentorum, *pro jumentis omnes similiter transtulerunt* πώλες, i. pullos asinorum.

7. רַהַב הֵם שָׁבֶת. Sym. ταραχαί εἰσι κατοικεῖν *tumultus sunt ut habitent*. Aq. ὅρμημα *impetus*. Th. *latitudo*] Hier. *Porrò Sym.* ταραχαί εἰσι κατοικεῖν, *i.* tumultus sunt ut habitent: vel ταραχὴ, i. *turbatio*. Idem Hieron. *Verbum Ebraicum* רהב *Aq.* ὅρμημα, *i.* impetum & superbiam, *Sym.* turbationem, *Th.* latitudinem *interpretati sunt*.

8. עַל־לוּחַ. Sym. ἐπὶ πυξὶ *super latissimam tabulam*.

12. בְּעֹשֶׁק. *In calumniam*. ¶ וְנָלוֹז, Sym. Th. *super contradictione & superbia*] Hieron. *Habuistis fiduciam in Ægyptiorum* calumnia atque mendacio, & innixi estis super tumultu eorum, *sive* contradictione & superbia, *ut Sym. & Th. interpretati sunt*.

18. חוֹכֵי לוֹ. Sym. ὑπομένοντες αὐτὸν *exspectantes ipsum cum spe*] Euseb. ἡ κατὰ τὸν Σύμμαχον, ὑπομένειν αὐτόν. & aliquantò post, ἡ κατὰ τὸν Σύμμαχον, ὑπομένοντες αὐτόν. Interpres *sustinentes eum*.

19. בִּירוּשָׁלַם בָּכוֹ לֹא־תִבְכֶּה. Sym. Ἱερουσαλὴμ κλαυθμῷ οὐ κλαύσεις, *Jerosolymam fletu non deflebis*. Th. ἐν Ἱερουσαλὴμ κλαυθμῷ οὐ κλαυθήσεται, *Jerosolyma fletu non flebitur*] Ex Comment. Eusebii. ¶ לְקוֹל זַעֲקֶךָ כְּשָׁמְעָתוֹ עָנָךְ. Eusebius ex alia interpretatione, τὴν φωνὴν τῆς βοῆς σου καθὼς ἂν ἀκουσθῇ, ἀκούσει σου. ex ed. Rom. Cæterùm apud Interpretem reperio. Sym. *vocem clamoris tui prout audierit, audiet te*.

25. בְּיוֹם הֶרֶג רָב בִּנְפֹל מִגְדָּלִים. Sym. ἐν ἡμέρᾳ σφαγῆς πολλῆς, ἐν τῷ πεσεῖν μεγάλους, *in die cædis multæ, dum cadent magni*] Ex Eusebio.

26. הַלְּבָנָה. Aq. *albam*. λευκήν. ¶ הַחַמָּה, Idem *calorem*] Hieron. LABANA & HAMMA, *quæ Aq. interpretatur* albam & calorem, *per quæ Lunam Solémque sign. supra Lxx* laterem & murum *transtulerunt*.

27. מִמֶּרְחָק. οἱ λοιποὶ, μακρόθεν *è longinquo*.

IDEM EX PROCOPIO.

1. הוֹי בָּנִים סוֹרְרִים נְאֻם־יְהוָה. Ὦ υἱοὶ ἀφιστάμενοι, φησὶ Κύριος, *Hei filii defectores, dicit Dominus*.

4. שָׂרָיו. Lxx ἀρχηγοί. Aq. Sym. Th. — αὐτοῦ, *principes ejus*. ¶ מַלְאָכָיו. Aq. Sym. Th. ἄγγελοι αὐτοῦ *angeli* (sive *nuncii*) *ejus*.

5. כֹּל. Iidem πάντες *omnes*.

6. מַשָּׂא. Sym. λῆμμα, *Assumptio*. ¶ בַּהֲמוֹת נֶגֶב. Omnes, κτήνων νότου *jumentorum Austri*. ¶ עַל־כֶּתֶף. Th. ἐπὶ ὤμων *super humeros*. ¶ אוֹצְרוֹתָם. θησαυροὺς αὐτῶν. ¶ עַל־עַם לֹא יוֹעִילוּ. Th. ἐπὶ λαὸν μὴ ὠφελοῦντα *ad populum qui non proderit*.

7. וּמִצְרַיִם הֶבֶל וָרִיק יַעְזֹרוּ. Idem, Καὶ Αἴγυπτος μάταια καὶ κενὰ βοηθήσουσιν, *Et Ægyptus vanè ac frustrà opem ferent*.

10. וְלַחֹזִים לֹא תֶחֱזוּ־לָנוּ נְכֹחוֹת דַּבְּרוּ־לָנוּ חֲלָקוֹת חֲזוּ מַהֲתַלּוֹת
Sym. καὶ τοῖς ὁρῶσι, Μὴ ὁρᾶτε ἡμῖν ὀρθῶς· λαλήσατε ἡμῖν λεῖα, ὁρᾶτε ἡμῖν πλάνας, *& videntibus, Nolite videre nobis rectè: loquimini nobis lævia, videte nobis errores*.

11. סוּרוּ מִנֵּי־דֶרֶךְ הַטּוּ מִנֵּי־אֹרַח הַשְׁבִּיתוּ מִפָּנֵינוּ אֶת־קְדוֹשׁ יִשְׂרָאֵל
Sym. ἀπόστητε ἀπὸ τῆς ὁδοῦ, ἐκκλίνατε ἀπ' ἐμοῦ τρίβον. παύσατε

ἐκ προσ-

ἐκ προσώπου ἡμῶν τὸν Ἅγιον τοῦ Ἰσραήλ, *absistite à via, declinate à me semitam: cessare facite à facie nostra Sanctum Israel.*

12. לָכֵן כֹּה אָמַר קְדוֹשׁ יִשְׂרָאֵל. Διὰ τοῦτο τάδε λέγει ὁ Ἅγιος τοῦ Ἰσραήλ, *Propterea sic dicit Sanctus Israel.*

14. לַחְשֹׂף מַיִם מִגֶּבֶא. Aq. τοῦ ἀνασύρειν ὕδωρ ἀπὸ βοθύνου, *ad hauriendum aquam è puteo.*

15. כִּי כֹה אָמַר. Aq. Sym. Th. ὅτι οὕτω λέγει, *quia sic dicit.* ¶ בְּשׁוּבָה וָנַחַת תִּוָּשֵׁעוּן בְּהַשְׁקֵט וּבְבִטְחָה תִּהְיֶה גְּבוּרַתְכֶם. Sym. Ἐν μετανοίᾳ καὶ ἀναπαύσει σωθήσεσθε, καὶ ἐν ἐλπίδι ἔσται ἡ δύναμις ὑμῶν, *In pœnitentia & requie servabimini, & in spe erit fortitudo vestra.*

17. אֶלֶף אֶחָד מִפְּנֵי גַּעֲרַת אֶחָד. Aq. Sym. Th. Χιλιὰς μία ἀπὸ προσώπου ἐπιτιμήσεως ἑνὸς *Chilias una à facie increpationis unius.* ¶ כַּתֹּרֶן עַל רֹאשׁ הָהָר וְכַנֵּס עַל הַגִּבְעָה. Sym. ὡς ἱστὸς ἐπάνω ὄρους, καὶ ὡς ἱστία ἐπὶ βουνοῦ, *tanquam malus supra montem,* [vel *in montis vertice*] *& tanquam vela in colle.*

18. אַשְׁרֵי כָּל חוֹכֵי לוֹ. Sym. Μακάριοι πάντες οἱ ὑπομένοντες αὐτὸν, *Beati omnes qui sustinent ipsum.*

19. לֹא תִבְכֶּה. A. Sym. οὐ κλαύσεις *non flebis.* Th. οὐ κλαυθήσεται *non deflebitur*] Procopius, ἀλλὰ καὶ ἐν τῷ κλαυθμῷ ἔκλαυσεν, τὸ Ἑβραϊκὸν, οὐκ ἔκλαυσεν, ἔχει. quod partim verum, partim falsum. Verum est in Ebræo esse οὐκ falsum, ibidem haberi ἔκλαυσεν, cùm תבכה sit verbum futurum κλαύσεις, *flebis.* Scire licet ex aliis ed. olim sub asterisco additum fuisse οὐκ. Hoc voluit Procopius. ¶ לְקוֹל זַעֲקֶךָ כְּשָׁמְעָתוֹ עָנָךְ. Sym. πρὸς τὴν φωνὴν τῆς βοῆς σου, καθὼς ἂν ἀκουσθῇ ἀκούσει σου, *ad vocem clamoris tui, quemadmodum auditus fuit audit te*] i. exaudit. Id enim certè ענה sign. apud Ebræos. Propriè *respondit. Respondet* autem Deus cùm exaudit aliquem.

25. עַל כָּל גִּבְעָה נִשָּׂאָה פְּלָגִים יִבְלֵי מָיִם. Sym. καὶ ἐπὶ παντὸς βουνοῦ ἐπηρμένου διαιρέσεις ἀγωγῶν ὑδάτων, *& super omnem collem excelsum divisiones aquæ ductuum*] *Rivi.* ¶ בְּיוֹם הֶרֶג רָב בִּנְפֹל מִגְדָּלִים. Sym. ἐν ἡμέρᾳ σφαγῆς πολλῆς, ἐν τῷ πεσεῖν μεγάλους, *in die interfectionis multæ, cùm cedant multi.* Aq. ἐν ἡμέρᾳ ἀποκταμένου πολλοῦ, ἐν τῷ πεσεῖν μεγαλυνομένους, *in die cùm multi occidentur, & cùm ceciderint magnifici.*

26. כְּאוֹר שִׁבְעַת הַיָּמִים. ὡς τὸ φῶς τῶν ἑπτὰ ἡμερῶν, *ut lux septem dierum.* ¶ בְּיוֹם חֲבֹשׁ יְהוָה אֶת שֶׁבֶר עַמּוֹ וגו׳. Aq. καὶ ὅταν ἰάσηται Κύριος τὸ σύντριμμα τοῦ λαοῦ αὐτοῦ, *& cùm sanaverit Dominus contritionem populi sui*] Ἰάσηται suspectum.

27. בָּא מִמֶּרְחָק Aq. Sym. Th. ἔρχεται μακρόθεν *venit de longinquo.* ¶ בֹּעֵר אַפּוֹ. Sym. φλεγόμενος θυμὸς αὐτοῦ *ardens furor ejus.*

30. וְלַהַב אֵשׁ. καὶ φλογὸς πυρός.

31. כִּי מִקּוֹל. Aq. Th. ὅτι ἀπὸ φωνῆς *quia à voce.* Sym. ἀπὸ γὰρ φωνῆς *à voce enim.*

32. וּבְמִלְחֲמוֹת תְּנוּפָה. Th. καὶ ἐν πολέμοις ἀφορισμοῦ *& in bellis separationis.*

GROTIUS.

1. *VÆ filii desertores*] Plerique hæc ad Jeremiæ referunt tempora; malè. Nihil enim neque prædictum est, neque prædicetur usque ad caput XXXVI quod non spectet tempora Ezechiæ: atque adeò hæc omnia à capite XXIX ad illud XXXVI à Propheta prædicata scriptaque sunt biennio ante adventum Sennacheribi. Ideo post hæc vaticinia subnectit ipsam historiam, ex qua appareat omnia, ità ut prædixerat, evenisse, capitibus XXXVI. XXXVII. XXXVIII. XXXIX. Cùm primùm ex Assyria venisse audiretur Sennacheribus, Judæi, extra Hierosolyma, in diversa distracti sunt consilia, alii deditionem Assyriis faciendam putarunt, alii Ægyptios advocandos, & quidem tam fœdè, ut hi Ægyptia sacra, illi Assyriaca suscipienda vitæ causâ censerent. Solus Ezechias, paucique cum eo, Dei per Esaiam promissis fidem habuit, & contra spem speravit, successu admirabili, qui Ecclesiæ Christianæ ab hostibus liberationem eximiè figurat. *Væ filii desertores* Legis divinæ.

Ut faceretis consilium, & non ex me] Mihi contrarium.

2. *Qui ambulatis ut descendatis in Ægyptum*] Nempe missis legatis, ut apparet infrà 4.

Sperantes auxilium in fortitudine Pharaonis] Psammitichi.

4. *In Tani principes tui*] Vide suprà XIX. 11.

Usque ad Hanes pervenerunt] *Daphnas Pelusias*, ut hic interpretatur Jonathan. Meminit ejus urbis in Psammitichi rebus Herodotus. Est autem & illud Hebræum nomen, & hoc Græcum contractum ex pleniore voce quæ est תחפנחס [*Thachphanches*] Jerem. XLIII. 7. 8. ex qua factum תחפניס [*Thachphanis*], unde nomen Reginæ 1 Reg. XI. 19. & brevius חנס [*Hanes*] ut hoc loco. Spectabat ea urbs Arabiam, ut ex Herodoto discimus.

5. *Non fuerunt in auxilium & in aliquam utilitatem, sed in confusionem & opprobrium*] Psammitichus cum Rege Assyriorum federatus, (vide suprà XIX. 23.) Judæorum causâ fedus cum Rege potentissimo rumpere noluit. Ità ad Judæos de isto consilio nihil nisi infamia ob vacillationem in religione redundavit.

6. *Onus jumentorum Austri*] Non est hic inscriptio nova, sed continuatur cum prioribus sermo, ut & Hieronymus ad hunc locum notavit. Vertendum ergò, *Onus* (supple *bajularunt*) *jumenta meridiem versùs*, id est, Ægyptum versùs, quæ ad meridiem Judææ. *Onus* mox explicat dona quæ legati secum ferebant ad emendam societatem.

In terra tribulationis & angustiæ, leæna & leo ex eis, vipera & regulus volans] Rectè verteris, *Per terram angustam & arctam, unde prodeunt leo & tigris & vipera & prester.* Descriptio est satis clara Isthmi Arabici.

7. *Ægyptus enim frustra, & vanè auxiliabitur*] Vanam spem auxilii quidam ex Ægypto Judæis fecerant.

Ideo clamavi super hoc, Superbia tantum est, quiesce] Verteris rectiùs: *ideò vocavi illam* (gentem Judæam), *Robur eorum est quiescere.* Sola quies & patientia illos tuebitur. Explicant hoc sequentia 15.

8. *Scribe ei super buxum*] In tabula.

Et in libro] In membranis, ut duobus modis memoria conservetur.

Et erit in die novissimo] יום אחרון [*dies postremus*] Hebræis est omne tempus quod sequitur.

Testimonium usque in æternum] Testimonium perenne.

10. *Qui dicunt videntibus, Nolite videre*] Prophetas quantum possunt impediunt, nè vera dicant, suprà XXIX. 10.

Videte nobis errores] *Illusiones* dicit eos dixisse, non quòd ea verba usurparent, sed quòd quæ volebant reipsâ eò tenderent. Placentia enim ipsis dicere, id erat ipsis illudere.

11. *Auferte à me viam*] *Recedite de via*: id est, aliam viam inite. durat adhuc Judæorum Legem & Prophetas nihil curantium sermo.

Cesset à facie nostra Sanctus Israel] Nolite illud nomen toties repetere.

12. *In calumnia*] *In oppressione*: id est, in opibus per vim partis. Vide suprà 6.

Et in tumultu] *In pravitate.*

13. *Sicut interruptio cadens & requisita in muro excelso*] *Sicut pars discedens à muro excelso, & ruina proxima prominet*: sic & illorum tumor ruinam minabatur. Vide Psal. LXII. 4.

Quoniam subitò dum non speratur, veniet contritio ejus] Id est, cadens in particulas dissiliet.

15. *Si revertamini*] Id est, si ab illis consiliis discedatis.

16. *Ad equos fugiemus*] Confugium nostrum habebimus ad Ægyptum equis valentem. Vide Deuteronom. XVII. 16. & ibi dicta.

Ideo fugietis] Exsulabitis.

17. *Mille homines à facie terroris unius, & à facie terroris quinque fugietis*] Nempe omnes. Id est, pavor tantus erit, ut paucorum conspectus plurimos in fugam sit daturus. oppositum, promissum Legem servantibus, vide Levit. XXVI. 8. Deuter. XXXII. 30.

Quasi malus navis in vertice montis, & quasi signum super collem] Id est, pauci Judæorum restabunt, tantâ raritate, quantâ esse solent monumenta cursûs marini.

18. *Propterea exspectat Dominus ut misereatur vestri: & ideo exaltabitur parcens vobis*] Id est, *ut exaltetur.* Ideo differt Deus auxilium suum, ut major appareat ejus potentia.

Deus judicii Dominus] Legis suæ tenax.

Beati omnes qui exspectant eum] Id est, qui nullius periculi metu à Lege discedunt.

19. *Populus enim Sion habitabit in Jerusalem*] Non auferetur, ut alii Judæorum.

Plorans nequaquam plorabis] Id est, non diu flebis, ô civitas Hierosolymorum.

20. *Et dabit vobis Dominus panem arctum*] *Dabit quidem Dominus vobis panem angustiæ*: modicè cibaberis.

Et aquam brevem] Vide suprà XXII. 9.

Et non faciet avolare à te ultrà doctorem tuum] Verùm non aberunt à te boni Magistri, quorum præcipuus fuit ipse Esaias.

21. *Audient verbum post tergum monentis*] Sicut pædagogi pueros sequentes, eos ad verum iter revocant, si quà forte deflectant.

22. *Et contaminabis laminas sculptilium argenti tui*] Confractum argentum illud unde idola constabant, & in laminas redactum vertes in usus profanos.

Et vestimentum conflatilis auri tui] Sic *Jovi Olympio* erat *magni ponderis aureum amiculum*, ut nos docent Valerius Maximus I. I. externorum tertio, Clemens Alexandrinus, Arnobius, alii.

Et disperges ea] A te longè habebis talia in posterum.

23. *Dabitur pluvia semini tuo*] Id est, sementi tuæ quam consveris, ut monstrant verba sequentia. Magna rerum abundantia fuit sub regno Ezechiæ.

Panis] Vide suprà XX. 28.

24. *Commistum migma comedent*] Α'χυρα ἀναπεποιημένα ἐν κριθῇ [*paleas mixtas hordeo*] habent hîc LXX. Sic Jud. XIX. 21. in Hebræo est, *miscuit asinis.* Α'ναποιεῖν pro *miscere* frequens Interpretibus, ut Levit. VI. 40. VII. 2. XXIII. 13. Num. VI. 15. VIII. 9. IX. 12. XXIX. 3.

Sicut in area ventilatum est] In Hebræo, *Ventilatum palo & ventilabro :* diligentissimè purgatum. Tanta erit copia.

25. *Rivi currentium aquarum*] Tanta erit pluvia, ut etiam ea madescant quæ suapte naturâ erunt aridissima.

In die interfectionis multorum] Post illam stragem Assyriorum. Sic sæpe ביום [*in die*] tempus subsequens significat.

Cùm ceciderint turres] Vide suprà II. 13. *Turres* hîc sunt principes Assyriorum.

26. *Et erit lux lunæ sicut lux Solis*] Gaudii significatio. Sic Poëtæ:

Ipse mihi visus pulchrior ire dies.

Vide quæ dicta ad Matth. XXIV. 29.

Et lux Solis erit septempliciter, sicut lux septem dierum] Lux erit septupla, quasi præter Solem sex essent parelii.

In die qua alligaverit Dominus vulnus populi sui] Postquam Deus civitatem Hierosolymorum ab omnibus malis quæ tolerabat, quæque metuebat, exemerit.

27. *Ecce nomen Domini*] Id est, Deus omni laude dignissimus.

Venit de longinquo] Id est, inexspectatus, ut qui peregre adveniunt.

28. *Spiritus ejus*] Ira ejus.

Ad perdendas gentes in nihilum] *Ventilans gentes ventilatione ad nihilum:* ut nihil supersit.

Et frænum erroris quod erat in maxillis populorum] Ad perdendum ipsum etiam Regem, qui tot populos frænabat, eisque præibat ad falsorum deorum cultus.

29. *Sicut nox sanctificatæ solennitatis*] Id est, in cœna quæ diem festum sequitur, in qua fiebat postcœnium, circumferebatur ποτήριον εὐλογίας [*calix benedictionis*]. omnia denique erant plena lætitiæ.

Sicut qui pergit cum tibia, ut intret in montem Domini] In Templum. Tacitus de Judæis: *Sacerdotes eorum tibiâ tympanisque concinebant.* Vide II Samuel VI. 6.

31. *Assur virga percussus*] In Hebræo, *Virga percutiens*, id est, qui solitus erat alios gravissimè vexare.

32. *Et erit transitus virgæ fundatus, quam requiescere faciet Dominus super eum in tympanis & citharis: & in bellis præcipuis expugnabit eos*] *Transitus virgæ*, id est, verbera virgæ; *fundatus*, id est, infixæ ejus carni; *faciet requiescere*, id est, incutiet; *in tympanis & citharis*, id est, ludendo hæc fient. Pro *in bellis præcipuis* in Hebræo est *in bellis mutationis*, id est, ut cum rudibus batuitur. Hæc omnia nihil aliud significant, quàm Deum sine sudore & sanguine Judæorum deleturum Assyrios, planè quasi in ludo jocóque.

33. *Præparata est enim ab heri Topheth; à Rege præparata*] Jamdudum est quòd Rex Ezechias vallem Topheth extra Hierosolymam vacuam fecit ab omni cultu idolorum, ut locus esset qui tot millia Assyriorum mortuorum contineret. Ezechias idola abstulit II Paralip. XXIX. Inter loca autem usurpata in honorem idolorum fuit Topheth; II Reg. XXIII. 10. Dicitur autem Ezechias *præparasse Topheth* in hunc usum, non quòd tunc sibi id præpositum habuerit, sed quòd id tam commodè evênit, quasi id propositum habuisset. Simile loquendi genus habes Matth. XXVI. 12.

Profunda & dilatata] Remotis scilicet impedimentis omnibus vacua facta est.

Nutrimenta ejus ignis & ligna multa: flatus Domini sicut torrens sulfuris succendens eum] Allusio ad morem idololatrarum, qui in eadem valle Topheth liberos suos cremare in honorem Molochi sive Saturni solebant. Vertas autem sic optimè, *Pyra ejus ex igne constat & lignis multis; Deus autem vi suâ, quasi sulfure multo injecto, ista ligna accendit.* Sensus autem, perituros Assyrios ità subitò, quasi igne violentissimo absumerentur. Vide suprà IX. 5.

CAP. XXXI.

MUNSTERUS.

1. **V**Æ *qui descendunt in Ægyptum pro auxilio*] Repetit in hoc capite quæ priori capite scripsit. Connectitur enim caput istud cum superiori. Variè namque adhortatur Propheta suos, minis & promissionibus, ut à fiducia humanorum præsidiorum eos abducat.

2. *Qui cùm sapientissimus sit*] Novit, inquit, Deus versutias cordis humani; nec illum ullum latere potest consilium quod homines moliuntur contra verbum suum; sed Deus id illis vertit in perniciem ubi ipsi quærebant salutem, ut tam hi qui salutem apud homines quærunt quàm illi apud quos illa quæritur confundantur.

4. *Multitudo*] Capitur hîc מלא pro אסיפה *congregatione pastorum.* Sicut, inquit, leo non terretur à pastoribus quando captam dilacerat prædam, ità nec Angelus Domini terrebitur quando maximum exercitum Assyriorum unâ nocte in favillam rediget, pugnans pro civitate Jerusalem. Et comparat Propheta Angelum Domini *leoni* propter fortitudinem, & *avi* propter velocitatem.

6. *Ab ea incredulitate*] Potest etiam סרה verti pro *recessu.* Nam ex incredulitate recesserunt à Deo, & quærebant auxilium vanum apud homines

7. *Abjicient idola*] Postquam scilicet viderint miraculum illud Divinum, Assyriorum subitam exstinctionem, illi qui *increduli* Deo fuerunt *abjicient idola sua*, &c.

8. *Erunt in dissolutionem*] *Adolescentes*, inquit, qui ab illa clade superstites manserint, præ nimio stupore *dissolventur* & emarescent, omnes animi amittentes vires. Jonathan sic vertit, *& fortes ejus in confractionem erunt.* Non igitur capitur hîc מס pro *tributo.*

9. *Cujus ignis est in Zion*] Secundùm aliquos hunc habet sensum, *Prope Jerusalem erit ignis & fornax illa in qua comburetur exercitus Assyriorum.* Alii putant per *ignem* & *fornacem* intelligendum altare Domini, quod erat in Zion, ubi pro honore Domini cremabantur sacrificia, &c.

VATABLUS.

1. **I**Nnituntur & sperant ישענו ויבטחו] Fut. & præt. pro præs. ¶ *Prævalidi sunt* עצמו] *Multiplicati sunt*, vel *multi.* ¶ *Respexerunt ad Sanctum* שעו על קדוש] *Speraverunt in Sancto*, aut *confisi sunt.* Chald. *& non sunt innixi verbo Sancti Israelis.*

2. *Et adducet* ויבא] Præterita Heb. pro futuris, *itaque adducet*, &c. ¶ *Pessimorum* מרעים] *Malignantium.*

4. *Rugit* יהגה] Fut. Heb. pro præs. ¶ Si *convocetur* יקרא] Ad verb. *vocabitur*, sive *inclamabitur.* Fut. Heb. pro præs. *convocetur.* ¶ *Neque à multitudine* ומהמונם לא] *Neque à tumultu eorum :* vel *ob eorum tumultum*, sive *strepitum.* ¶ *Humiliatur* יענה] Fut. Heb. pro præs. *mansuescit*, *mitior redditur.* ¶ *P[illegible]monte* על הר] *Propter montem.*

5. *Sicut aves* כצפרים] Quæ scilicet volatu celerrimè opem ferre solent. ¶ *Protegendo*, &c. גנון והציל פסוח והמליט] Hebraismum sic vertunt quidam, *protegens liberabit, transiliens servabit.*

6. *Multiplicaverunt perversum* העמיקו סרה] Ad verb. *profundaverunt perversum.* Hebræi exponunt, *multiplicaverunt* facere *perversa. Ut*, inquiunt, *Profundum est* רב, i. multum præ homine, ità ut non attingat illud; *sic res multiplicata vocatur nomine* עמק *Profunditatis: & indè verbum* עמק *Multiplico.* Doctus quidam Hebræorum interpretatur, *profundè absconderunt ei perversum opus.* Alii, *contra quem machinati sunt rebellionem, ô filii*, &c. Alii, *ut profundam fecistis defectionem, filii Israel!* Alii, *ab ea incredulitate in quam vos demersistis, ô filii Israel.* Alii, *quantum defectione in profundum descendistis :* vel, *quemadmodum profundaverunt ut facerent perversum :* ità doctus inter Hebræos. Chald. Con-

Convertimini ad Legem, quia multiplicaverunt peccare filii Israel.

8. *Tributarii erunt* למס יהיו] *In liquefactionem erunt:* vel *dissolutionem:* i. destituentur animis.

9. *Et ad arcem suam* וסלעו] *Et ad rupem suam:* vel *propugnaculum suum:* nempe munitissimum. ¶ *Et clibanus* ותנור] *Et fornax.*

CASTALIO.

8. FUga *se mandabit non ob gladium*] לא non לו lego, cum Vetere Latino & Græco Interprete.

CLARIUS.

2. IPse *autem sapiens*] Novit, inquit, Deus versutias cordis humani; nec illum ullum latere potest consilium quod homines moliuntur contra verbum suum: sed Deus id illis vertit in perniciem ubi ipsi quærebant salutem, ut tam hi qui salutem apud homines quærunt quàm illi apud quos illa quæritur confundantur.

4. *Cùm occurreris ei multitudo pastorum*] Sicut leo, inquit, non terretur a pastoribus quando captam dilacerat prædam, ità nec Angelus Domini terrebitur quando maximum exercitum Assyriorum unâ nocte in favillam rediget, pugnans pro civitate Jerusalem. Et comparat Propheta Angelum Domini *leoni* propter fortitudinem, & *avi* propter velocitatem.

6. *Convertimini*] Alius sic vertit, *Revertimini ab ea incredulitate in quam vos demersistis, ô filii Israel:* quia scilicet ex incredulitate recesserunt à Deo, & quærebant auxilium vanum apud homines.

7. *Abjiciet vir idola*] Postquam scilicet viderint miraculum illud Divinum, Assyriorum subitam exstinctionem, & quòd gladio non humano sed Divino ceciderint.

8. *Vectigales erunt*] Alius sic vertit, *erunt in dissolutionem;* ut sit sensus, *Adolescentes*, qui ab illa clade superstites manserint, præ nimio stupore *dissolventur* & emarcescent, omnes animi amittentes vires.

9. *Cujus ignis est in Sion*] Quidam sic interpretantur, *Propè Jerusalem erit ignis & fornax illa in qua comburetur exercitus Assyriorum.* Alii putant per *ignem* & *fornacem* intelligendum altare Domini, quod erat in Sion, ubi pro honore Domini cremabantur sacrificia.

FORERIUS.

1. SUperiori capite contumaciam Judæorum attigerat, qui Ægypto potiùs quàm Deo confidere volebant: Sed statim ad felicitatem illorum qui spem suam in Deo collocabant digressus, sermonem visus est interrupisse. Illuc ergò nunc redit, & illorum stultitiam traducere conatur: non cessat tamen aliquantò apertiùs ab insinuando mysterio de perditione Judæorum, & suorum liberatione, ut suis locis indicabimus. ¶ *Væ*] Vide cap. 30. 1, & 16. *O miseros illos qui descendunt*, &c. ¶ *In equis sperantes*] Hic videtur explicari versus 16. capitis superioris. ¶ *Super equitibus*] Jam suprà 28. 28. de significatione nominis פרש disserui, & *jugalia animalia*, cujuscunque generis sint, dixi significare. Qui autem *equites* vertunt, in multis locis aliter reddere coguntur. ¶ *Prævalidi*] עצמו, cujus hic est futurum, *corroboratum* vel *condensatum esse* notat. Quæ enim condensantur, majus robur habent, &c. Possumus ergò & de *robore* interpretari cum Vulgato, vel de *condensatione* seu *constipatione multitudinis.* ¶ *Super Sanctum Israel*] Quid interesset inter Ægyptiorum robur & Sanctum Israelis, nomen ipsum *Sancti Israelis* satis ostendebat. Nam illius Sancti vires & potentiam adversùs Ægyptum ipsam & alios hostes sæpius experti fuerant: ob quod & *Sanctus Israelis* dicebatur.

2. *Ipse autem sapiens*] Sensus constat: sed apertiùs redditur si non omittatur conjunctio quæ est in Hebræo, *& adduxit*, &c. Initio superioris capitis vidimus quo pacto suæ prudentiæ & consiliis innixi auxilium Ægyptiorum implorare decrevissent. Ad illud ergò respiciens non sine quadam irrisione addit, *Est autem ipse quoque sapiens:* q. d. Ipse quoque Dominus juxta sapientiam suam scit quid facto opus sit; & quid vestra isthæc contumacia mereatur ut non ignorat, ità quoque vicem sapientissimè rependet. ¶ *Et adduxit malum*] Parùm facit an per præterita an per futura hæc reddantur. Hic mecum, Lector, considera quomodo in calamitatibus, quibus premimur, dignum semper sit Dei sapientiam mente volvere, juxta cujus dispensationem adversa nobis adveniunt: &, ni fallor, nostram prudentiam, cui Dei obliti innitimur, & secundùm quam omnia nostra disponimus, plerumque intelligemus flagellari.

¶ *Verba sua non abstulit*] Peculiari phrasi, *non auferre* (vel *non recedere facere*) *verba sua*, vel *alterius*, Hebræis est adimplere, & non irrita facere, ut Jos. 11. *Sic fecit Josua: neque discedere fecit verbum ullum de cunctis quæ mandaverat Jehova Mosi*, &c. Quæcunque autem per Mosen comminatus fuerat Dominus in Levitico & Deuteronomio Israelitis, si Deum suum aut Legem ejus desererent, omnia adduxit Dominus super illos; insuper & quod superiori capite dixerat, *fore iniquitatem illorum veluti rupturam*, &c. ¶ *Et consurget* (vel *surrexit*) *adversùs domum malignorum*] De Judæis intelligit, ut ver. seq. exponitur: utrosque enim eâdem damnatione involvit, quia similes erant moribus. Judæos vocat *malignos*, Ægyptios *operatores* seu *opifices concupiscentiæ*, i. qui concupiscentiis suis morem gerunt. Quæ est descriptio quædam gentium quæ ignorant Deum, ut apud D. Paulum & D. Petrum videre licet. *Consurgere* autem *adversùs quempiam* est in Scripturis Prompto animo ad malum inferendum se præparare, vel venire, vel consistere. Ubi quoque animadversione dignum est, non sufficere Deo ut qui ipsi non confidunt, & externis auxiliis innituntur, se deceptos sentiant; & à malis, contra quæ auxilia sperabant, non solùm non eripiantur, verùm etiam ab ipsis præoccupentur; nisi etiam ob illud diffidentiæ peccatum, & injuriam quam Deo inferunt maligni, illos acerrimè novis flagellis cædat: ut quantum nobis sapientiâ nostrâ noceamus vel ex hoc conjectari possimus.

3. *Ægyptus*] i. Ægyptii. Hic insipientiæ eos convincere conatur. Vau quod nomini *Ægypti* præponitur pro *enim* libenter acciperem, quasi sit ratio ob quam *Væ* eis prædixerit & in eos invehatur, juxta illud Jeremiæ, *Maledictus quicunque confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Deo recedit cor ejus*, &c. Non quòd humana auxilia non sint interdum quærenda, sed quòd Deo diffidere & ad Deum non recurrere semper pœnâ dignum sit. Quid miraris quòd sic fiduciam vestram in *Ægyptios* damnem? numquid non *homines sunt? & equi eorum carnei?* DEUS autem *Deus* est, & *Spiritus:* Cujus virtus vel hàc unâ re elucescet, quòd nihil aliud faciet quàm *manum suam inclinare*; idque sufficiet ut illi *impingant*, isti *corruant*, *omnésque simul intereant.* Homo, & quæcunque carne constant, non nisi certo tempore, certis legibus & certo quodam modo juvare possunt: mortalia sunt multarum rerum indigentia, mutationibus subjecta, &c. At Deus *Spiritus* est, ubique & semper adesse, infinitis modis eripere ac juvare potest, &c. Verùm quonam pacto *corruerint* tam qui *auxilium petebant* Judæi, quàm qui eos *adjuvabant* Ægyptii, atque ob hoc crimen *consumpti sint*, ni fallor, ex Scripturis ostendi non potest; præsertim temporibus Senacherib, de quibus est sermo: præter id quòd Ægyptios velle auxilium præstare petentibus Judæis nihil culpæ erat. His adde quòd versus sequentes non ruinam Ægyptiorum sed Assyriorum continent. Quòd si ruinam hanc ad alia tempora referas, (ut certè, si historiæ insistas, oportet referas) quorsum fiduciam in Ægyptios & ob hanc interitum ac consumptionem eo tempore eis objicit quo de interitu Assyriorum & liberatione Jerosolymitanorum verba facit? Annon hæc satis indicant, in perditione Assyriorum hostium populi Dei perditionem, nempe Judæorum, tanquam in typo, & in liberatione Jerosolymorum liberationem servorum Dei de tyrannide Judæorum vidisse Jesaiam? Ridebunt, scio, infideles Judæi hanc interpretandi rationem: sed quid non boni & veri illi rident? Verùm audi quæ sequuntur.

4. *Quia*, &c.] Si utrosque simul *consumendos* denunciabat, quid est hoc quòd quasi rationem reddens, aut certè exponens quod dixerat, his duobus versibus Jerosolymitanos salvandos, & v. 8, & 9. Assyrios, qui Jerosolymam oppugnabant, perdendos commemorat? Ergò Jerusalem quam Deus tunc circummunivit ac protexit, alterius Jerusalem, i. domûs servorum Dei, typum gerebat; Assyrii autem tam Judæorum quàm omnium hostium populi Dei erant umbræ quædam. Consumentur autem non solùm ipsi hostes, sed omnia ipsorùm auxilia in quibus habent fiduciam, totáque eorum sapientia absorbebitur. ¶ *Multitudo*] Propriam vocis significationem מלא volui retinere: nam & Paulus eam retinuisse videtur Rom. 11. *Donec plenitudo Gentium advenerit*, &c. Significat autem *abundantiam*, *copiam*, *multitudinem*, *universitatem*, &c. ¶ *Sic descendet*, &c.] Non habet in terra animal magis notæ audaciæ & truculentiæ, cui se comparet Dominus, quàm Leonem: quod facit quia rudes erant ad fortitudinem & vires Domini intelligendas, quas suprà similitudinibus *Grandinum*, *Fulgurum*, *Imbriumque* atque *Inundationis* significaverat. ¶ *Super montem Sion*] Quando adversùs Assyrios descendit, in *montanis* illis præliatus est; & quando Judæos hostes servorum suorum dele-

delevit, etiam super eos *montes* & *colles* descendit, & in eis cædem fecit, tanquam Leo.

5. *Volantes*] *Sicut aves volantes* pullos suos *protegunt* volitando, & ad volatum eos excitando. Vel tam immunes eos reddet Dominus quàm sunt *aves quæ volant*: quemadmodum dicebat olim, quòd *super alas aquilarum eos adduxisset*. ¶ *Et librans*] Per participium extulit sensu servato. Heb. *& eripiet transiliendo, & evadere faciet.* In quibus verbis fortè est allusio ad illum Domini transitum, seu Angeli, in Ægypto, quando liberavit Israelitas de manu Pharaonis. Nam Exod. 12. eodem verbo פסח, i. *transilivit*, usus est Moses ter in eodem capite: unde & *Pascha* nomen habemus. Solent quoque aves huc atque illuc garriendo transilire cùm pullos volunt liberare, &c. Sed si hoc modo similitudinem accipias, amorem ac diligentiam exprimit Dei liberantis; at illo altero vires & potentiam, ut suos ab omni periculo liberet. *Nemo enim oves ejus de manu ipsius poterit eripere.*

6. *In profundum*] Vulg. sensum suo more expressit, verba prætermittens. Est enim verbum Hebræis, de quo jam aliàs dictum est, עמק in Hiphil *profundare* seu *profundum facere*, סרה verò *defectionem* seu *discessionem* notat. *Profundare* autem *defectionem* est summo studio totisque viribus aversionem persequi seu multiplicare, quódque Apostolus dicit *radicare* & *fundare*. Potest autem & sic verti, *Revertimini ab ea quâ demersi sunt aversione filii Israel*: éstque mutatio personæ solis Hebræis non invenusta. Vulgatus in secunda persona utrumque extulit. Si autem consecutionem verborum consideres, videbis, *Protegente Domino* populum suum & *circummuniente*, ac *liberante*, omnino decere homines *à defectione desistere* & *ad Deum redire*.

7. *In peccatum*] חטא sine præpositione formâ nominis legitur, i. *peccatum*, *erratum*, &c. & sic reddi potest, *quod peccatum fecerunt vobis manus vestræ*. Vel potest legi in forma infinitivi, i. *errando*. Sensus autem est quem expressit Vulg. nam suprà c. 2. dicitur, *Abjiciet homo idola quæ fecit sibi ad adorandum*, vel *ut supplicaret*, &c. Illa autem geminatio pronominis, *vobis*, *vestræ*, &c. & conversionem commendat, quòd qui ex animo redeunt non dubitant opera sua damnare, quantumvis dilecta; & quàm dignum quoque sit ut ea *abjiciant* significat. Quid enim mirum si pro Deo desinat Homo colere quem ipse sibi suis manibus fecit? Unde pulcrâ Antithesi David idola vocat *opera manuum hominum*. *Deus autem*, inquit, *noster in cælo omnia quæcunque voluit fecit.* Quantum autem inter hæc intersit qui cogitaverit, nihil magnum se fecisse putabit si pro eo qui *de cælo quæcunque voluit fecit*, abjiciat ea in quibus quæcunque ipse homo voluit fecit.

8. *Cadet Assur*] Primum est velle Dominum nos protegere, ut v. 4, & 5. deinde sequitur nostra conversio v. 6, & 7. tandem corruunt hostes nostri. Hic manifestè *interitus Assyriorum* continetur, qui ab Angelo sunt percussi: hos nomine *Assur* intellige. Rex enim in patriam suam *aufugit*, ibique *gladio hominis cecidit*. ¶ *Fugiet non à facie gladii*] Vulg. לו pro לא accepit. Contendunt namque Rabini aliquot Scripturæ locis in hac voce commutata reperiri hæc duo elementa ו & א: sed id dicunt de לא pro לו pronomine: contrà autem nescio an aliquod inveniatur exemplum. Idcirco dicere possemus לו hîc in sua significatione accipi, & juxta Hebraismum, quo nos Hispani sæpe utimur, superfluere: *ibo mihi*, pro *ibo*; *fugiet sibi*, pro *fugiet*, &c. ¶ *Vectigales*] Non malè sensum reddidit. Ego Hebraismum retinui, quòd alium quoque sensum admittere. Est autem nomen מס à verbo מסס *liquefecit*, dicitúrque tam de Re quàm de Persona. Vide Deut. 20. *Erunt tibi tributum, & servient tibi*: & 1 Reg. 5. & aliis locis, in quibus, sicut hoc loco, de Personis vides dici. Invenitúrque semel formâ fem. Deut. 16. מסת pro *contributione*: unde nonnulli ex nostris voluerunt nomen *Missa* esse deductum; quasi esset vox Hebræa. Verùm cùm videam Græcos Patres hâc voce *Missa* nusquam usos (usi autem fuissent si jam indè ab Apostolorum temporibus in Ecclesia hoc nomine vocatum fuisset nostrum Sacrificium) existimo non esse vocem Hebraicam sed Latinam, quasi diceretur *Missio*, nempe *populi*, ab ultimis verbis, *Ite, missa est*, quibus populus & congregatio dimittitur. Qui tamen diceret sic semper appellatum nostrum Sacrificium, & vocem esse Hebræam, dicere poterit Græcos non usos illâ voce quòd Græcam vocem haberent ejusdem prorsus significationis: λειτουργία enim & *tributum* notat, ac deinde *sacrum ministerium*, quo veluti quoddam pensum seu tributum Deo persolvimus; ad quod etiam fiebant contributiones à populo. Atque hâc eâdem ratione nostrum Sacrificium מס dici potest voce Hebræâ. Quare autem tributum *liquefactio* dicatur nescio planè, nisi fortè significaverit auctor linguæ Sanctæ Tributis resolvi animorum vires atque corda liquescere, seu etiam facultates diminui: quò faciunt quæ sequuntur.

9. *Fortitudo ejus*] In Hebræo est nomen *rupis*, quo passim pro *robore* & *fortitudine* utuntur. Et eleganter verbum *transeundi* apposuit nomini *rupis*. Non enim transeunt nisi levia & quæ firmitudine carent, ut Umbræ, Dies, Nubes, & similia: at *rupem transire* quis audivit? Notat ergò subitam vicissitudinem, ut veluti nebula quædam & flatus *transiret* quod firmum ut *rupes* esse videbatur: ut videas & Dei virtutem, & inanem mundanorum fiduciam. Videtur autem exercitum Assyriorum *Rupi* comparare. ¶ *A terrore*] Mem pro *præ* hîc licet accipere, ut sæpe aliàs. Nomen autem מגור, i. *pavor*, à verbo est quod *peregrinationem* interdum sign. fortè quòd, definiente Cicerone, Timor est *loco movens mentem*. Adde quòd & verbum ipsum גור constructum cum *à* vel *ab*, &c. est *expavescere*: hinc nomen cum Mem *pavorem* notat. ¶ *Fugientes Principes*] Vulg. נס pro *fuga* accepit, à verbo נוס: nam מנוס *fuga* est, Ps. 141. & Jer. 25, & 46, &c. Ergò quasi scriptum esset sine Vau, מנס, accepit Vulg. cùm adhuc sine punctis essent Scripturæ: quamvis in hac forma non alibi legatur. Juxta punctationem autem præsentem est nomen, quod *signum* notat, *à signo consternati sunt*, i. à signis quæ videbant super castra in cœlo, in aere, &c. de quibus superiori capite dictum est. ¶ *Dixit Dominus*] Jam de hac forma loquendi & voce נאם non semel dictum est: q. d. Quæ hactenus audistis nemo dubitet quin futura sint; *certus sermo est & fidelis Jehova*, qui perpetuis sacrificiis in Templo *Jerosolymitano* colitur. Id enim *habere focum & furnum* significat: quasi insinuet quòd non possit non adesse illis à quibus jugiter colitur, & quòd sacrificia sint quæ adversùs hostes bellum gerant, ut suprà dictum est de *bellis oblationis* c. 30. v. 32. Certè Numa Pompilius nunciis de adventu hostium respondebat, *Ego sacrifico*. Quòd si victimæ irrationales certiores reddebant Israelitas de auxilio Dei, quid *hostiæ rationales*, *viventes*, *& Deo placentes*? quid fiduciæ Sacrificium illud juge in Ecclesia, quo unigenitum Deo Patri offerimus in animis nostris, non efficiet? Quomodo ignem charitatis in piorum cordibus perpetuò ardentem despiciat bonus Pater? Perdet, perdet; scio, hostes Ecclesiæ, si ignis hic & fides non deficiat.

DRUSIUS.

5. פָּסוֹחַ. Aq. Sym. Th. ὑπερβαίνων *transcendens*, sive *transgrediens*] Hier. *Pro transeunte in Ebraico* פסוח, *in tribus præter Lxx Interpretibus* ὑπερβαίνων *legitur*.

6. שׁוּבוּ. Sym. *agite pœnitentiam*] Vide Hier.

9. אֲשֶׁר־אוּר לוֹ בְּצִיּוֹן וְתַנּוּר לוֹ בִּירוּשָׁלָםִ. Sym. ὃς ἔχει πῦρ ἐν Σιὼν, καὶ κλίβανον ἐν Ἱερουσαλὴμ, *qui habet ignem in Sion*, *& furnum Jerosolymæ*. Aq. Th. φῶς αὐτῷ ἐν Σιὼν, καὶ κλίβανος αὐτῷ ἐν Ἱερουσαλὴμ, *lumen ei in Sion*, *& clibanus ei Jerosolymæ*] Ex Eusebio. Hier. *Domini quippe sententia est ut hoc fiat*, cujus ignis (*sive* lumen) est in Sion, & clibanus in Jerusalem. Ignis & lumen *Ebraicè eisdem scribuntur literis* אור, *quod si legatur* U R ignem *sonat*; *si* O R, lucem. *Hoc ideo dictum est quia pro* igne, *quem solus interpretatus est Symmachus*, *Aquila & Theodotio* lumen *transtulerunt*.

IDEM EX PROCOPIO.

3. וְנָפַל עָזֻר. καὶ πεσεῖται βοηθούμενος, *& cadet adjutus*.

4. מְלֹא רֹעִים מִקּוֹלָם לֹא יֵחָת וּמֵהֲמוֹנָם לֹא יַעֲנֶה. Sym. πληρώματος ποιμένων, ἀπὸ φωνῆς αὐτῶν οὐχ ἡττηθήσεται, οὐδὲ ἀπὸ πλήθους αὐτῶν οὐχ ὑποταγήσεται, *complentibus omnia pastoribus, à voce eorum non vincetur, neque à multitudine ipsorum domabitur.* Th. πλήρη ποιμένων, καὶ ἀπὸ τῆς φωνῆς αὐτῶν οὐ μὴ ἡττηθῇ, καὶ ἀπὸ πλήθους αὐτῶν οὐ μὴ ὑποταγῇ, *plena pastorum, à voce ipsorum non vincetur, & à multitudine ipsorum non subjicietur.*

5. גָּנוֹן וְהִצִּיל. Sym. Th. ὑπερασπιεῖ ὑπερασπίζων *proteget protegens.* Aq. θυρεῶν *clypeo muniens.*

6. שׁוּבוּ לַאֲשֶׁר הֶעְמִיקוּ סָרָה בְּנֵי יִשְׂרָאֵל. Sym. μετανοήσατε, ὡς ἐβαθύνατε παραβῆναι, υἱοὶ Ἰσραὴλ, *pœnitentiam agite, sicut de transgrediendo profundum cogitastis, filii Israel*] Υἱοὶ Ἰσραήλ. Sic etiam Aq. & Th. Cæterùm in Procopio οἱ υἱοὶ Ἰσραήλ, ut fortè legendum sit ὦ υἱοὶ, *ô filii*.

9. וְסַלְעוֹ מִמָּגוֹר יַעֲבוֹר וְחַתּוּ מִנֵּס שָׂרָיו נְאֻם־יְהוָה. Sym. πέτρα αὐτοῦ ἡ φοβερὰ παρελεύσεται, καὶ ἡττηθήσονται ἄρχοντες αὐτοῦ, φησὶ Κύριος; *petra ejus metuenda pertransibit*, *& vincentur Principes ejus, ait* DOMINUS. ¶ אֲשֶׁר־אוּר לוֹ בְּצִיּוֹן וְתַנּוּר לוֹ בִּירוּשָׁלָםִ. Sym. ὃς ἔχει πῦρ ἐν Σιὼν, καὶ κλίβανον ἐν Ἱερουσαλὴμ, *qui habet ignem in Sion*, *& clibanum in* Jeru-

Jerusalem. Aq. Th. φῶς αὐτῷ ἐν Σιών, καὶ κλίβανος ἐν Ἱερουσαλήμ, *lumen ei in Sion, & clibanus in Jerusalem.*

G R O T I U S.

1. V*Æ qui descendunt in Ægyptum*] Cohærent hæc cum superioribus, & aliis verbis eædem res repetuntur.

In equis sperantes] Suprà XXX. 16.

2. *Verba sua non abstulit*] Rata faciet quæ per Prophetas dixit.

3. *Equi eorum caro, & non spiritus*] Non sunt substantiæ immortalis.

Et Dominus inclinabit manum suam, & corruet auxiliator, & cadet cui præstatur auxilium] *Si Dominus extendat manum suam, corruet auxiliator* (id est, Ægyptius, ut maximè auxiliari vobis velit), *& cadet is cui fertur auxilium*, id est, populus Judæorum.

4. *Quia hæc dicit Dominus ad me*] *Insuper hæc dicit.*

Et cùm occurrerit ei multitudo pastorum, à voce eorum non formidabit] Plinius de leone: *Vulneratus observatione mirâ percussorem novit, & in quantalibet multitudine appetit.*

Ut prælietur super montem Sion] Rectiùs: *pro monte Sion.*

5. *Sicut aves volantes*] *Sicut aves pullitiem.* Vide Matthæi XXIII. 37.

Transiens & salvans] Subitò salutem adferens, & quasi in transitu.

6. *Convertimini sicut in profundum recesseratis filii Israël*] Quàm profundè descenderatis, tam in altum resurgite.

7. *In die enim illa abjiciet vir idola argenti sui*] Postquam Dei providentiam tam magno ac singulari beneficio agnoverit. Vide suprà XXX. 22.

8. *Cadet Assur in gladio non viri, & gladius non hominis vorabit eum*] Quò magis proximant tempora, eò futura clariùs Prophetis apparent.

Fugiet non à facie gladii] Ipse Rex Sennacherib, nemine hostium eum insequente.

Et juvenes ejus vectigales erunt] Meliùs, *dissoluti erunt:* id est, comites ejus quemvis horrebunt folii strepitum.

9. *Et fortitudo ejus à terrore transibit*] In Hebræo: *Arcem suam præ timore transibit.* Fugiet etiam ultra casam, ut Latinum habet proverbium.

Et pavebunt fugientes principes ejus] In Hebræo, *Pavebunt principes ejus à signo:* id est, ubicunque in specula aliqua vexillum aliquod videbunt (qualium mentio suprà XXX. 17.) putabunt imminere sibi hostium agmina.

Dixit Dominus cujus ignis est in Sion, & caminus ejus in Jerusalem] Id est, cujus altare semper ardens est Hierosolymis.

CAP. XXXII.

M U N S T E R U S.

1. E*CCE in justitia*, &c.] Consolatur hîc pios ut benè sperent in periculis, brevi obventuram victoriam, & postea aurea secula. Observandus hîc ordo. Primò dat justum caput, & ex illo sequuntur etiam Principes & alia membra politica. Consolatur eos ut contemplatione futuræ consolationis adimat eis magnitudinem mali imminentis.

2. *Latibulum venti*] Rex, inquit, ille erit omnium afflictorum refugium, ad quem tribulati fugient haud secùs quàm homines qui tempore magnorum ventorum & imbrium ad tuta latibula confugiunt. ¶ *In terra deserta*] Heb. *in terra fatigata.* Terra autem *fatigari* dicitur, quando perpetuò radiis Solaribus aduritur.

3. *Oblinientur*] Verbum שעה hoc loco idem est quod שעע. Et est sensus, *Oculi eorum qui hactenus cæci fuerunt jam videbunt; sic qui surdi fuerunt audient verbum Domini; & qui sine ratione omnia quæ caro suggessit egerunt, jam nihil agent nisi quod sciverint Deo placere; itémque hi quorum lingua balba fuit in eloquiis Divinis, amodo disertè & eleganter loquentur de lege Domini.*

5, 6, 7, 8. *Stultus munificus*] Vocat Propheta hîc *stultum* hominem divitem & liberalem, qualis Nabal Carmelites fuit, & dives ille de quo in Euangelio legitur, *Stulte, cujus hæc erunt?* *Stultus* igitur vocatur qui de bonis suis aliis nihil largitur; & si quippiam largitur, facit id maligno oculo. *Parcus* autem est qui quidem largitur, sed minùs quàm ratio & necessitas expostulat. Erit igitur in diebus illis ut qui ex corde gratiam Dei agnoverint sint *liberales & prodigi*, i. abundanter dantes: id enim hîc sign. שוע. Explicat consequenter Propheta quis sit *stultus*, & quis *parcus*. *Stultus*, inquit, nihil *agit* nisi *vanitatem*, sed & *de Deo loquitur errorem*, putans scilicet Dei providentiam sese ad hæc inferiora non extendere. Porrò per *arma parci* Kimhi intelligit כרות *conditiones malas, quibus parcus circumvenit simplices & pauperes.* In summa, sub tyrannis mutantur vocabula, & nomina vitiorum dantur virtutibus, & judicia non sunt libera. Non sic sub bono Principe, & ubi Resp. bene ordinata fuerit.

9. *Mulieres*] Intelligunt Hebræi per *mulieres* civitates, & per *filias* loca minora, ut sunt castella, villæ, quæ ab Assyriis destructa sunt.

16. *Judicium in deserto*] h. e. Ubi priùs fuit desertum, illic habitabunt homines; & fiet *judicium* inter eos, & propter *opus justitiæ* erit inter illos *pax*.

19, 20. *Desidebit civitas*] i. Tanta erit tranquillitas ut oppida in locis humilibus & non altis atque naturâ munitis exstructum sint. Sed & tanta erit copia frumenti favore spiritûs superni, ut passim dimissuri sint *boves* & *asinos* in agris cultis & seminatis, citra ullum frumenti defectum.

V A T A B L U S.

2. S*Icut absconsio à vento* כמחבא רוח] *Sicut occultatio venti:* vel *propter ventum:* i. tam gratus hominibus quàm gratus esse solet locus in quo abdunt sese homines ad injuriam venti vehementis vitandam. ¶ *A turbine* זרם] Propter *inundationem*, sub. *imbrium*. ¶ *In deserto* בציון] *In arido loco*, sub. *facientibus iter*. ¶ *Ingentis* כבד] Ad verb. *gravis*, i. magnæ & ingentis.

3. *Caligabunt* תשעינה] Ad verb. *occludent sese:* i. obscurabuntur, oblinentur.

4. *Intentum erit ad scientiam* יבין לדעת] Ad verb. *intelliget ad intelligendum*, vel *cognoscendum*. ¶ *Nitida* צחות] i. Facunda verba: q. d. promptè, expeditè, & facundè loquetur verbum Dei.

5. *Stultus liberalis* לנבל נדיב] *Sordidus nobilis.* ¶ *Et avarus* ולכילי] *Et tenax, parcus.*

6. *Loquitur* ידבר] Fut. Heb. pro præs. ¶ *Facit* יעשה] Fut. Heb. pro præs. i. machinatur ut admittat impietatem: nihil aliud cogitat quàm de injuria inferenda. ¶ *Errorem* תועה] i. Verba erronea, h. e. à veritate aliena. Quidam vertunt *subsannationem*. ¶ *Esurientis* רעב] *Famelici.* ¶ *Deficere faciat* יחסיר] *Diminuat*, i. potu sitientem privet.

7. *Vasa* mensuræ כליו] *Arma.* ¶ *Cogitat* יעץ] Ad verb. *consulet*, i. meditabitur. Fut. Heb. pro præs.

8. *At liberalis liberalia consulit* ונדיב נדיבות יעץ] Fut. Heb. pro præs. *At munificus liberalia agitat:* i. nihil aliud cogitat quàm liberalitates. ¶ *Propter liberalitates consurget* על נדיבות יקום] *Liberaliter agendo progredietur*, i. dignitates magnas consequetur ob munificentias.

9. *Opulenta* שאננות] *Quieta, tranquilla.* ¶ *Surgite* קמנה] *Agite.* Hortantis est. ¶ *Confidentes* בוטחות] *Secura*, i. quæ vivitis in magna fiducia & securitate animi.

10. *Dies super annum pavebitis* ימים על שנה תרגזנה] *Anno post annum commovebimini*, sub. *irâ:* vel, *commoveamini.* Aut, *commovebuntur:* i. iræ justam causam habituræ sunt. Verbum istud sign. *commoveri* aut *irâ*, aut *metu*, aut aliâ re. Quidam vertunt, *Diebus* aliquot *post annum perturbabimini.* Alii, *Dies super annum expavescetis*, i. non uno anno, sed multis. *Dies* pro *annis*, more Scripturæ.

11. *Commovete vos* רגזה] Idem verbum quod præcedenti versu.

12. *Super ubera* על שדים] *Ob ubera*, i. ob penuriam lactis mulierum, & ob sterilitatem agrorum qui antea erant fertiles.

13. *Super humum*, &c. על אדמת עמי וגו'] *Ob terram populi mei* quæ tunc *spinas & vepres proferet: nam propter omnes domos gaudii* & propter *civitatem lætabundam* lugebunt. *Domos gaudii* vocat in quibus gaudere & lætari solebant, & in quibus omnia plena erant gaudio. Alii, Nam *in terra populi mei ascendes spina & vepris, etiam in omnibus domibus gaudio* deditis, & in *civitate exsultante.* Alii, *Super terram populi mei ascendet spina & vepris, etiam super domos lætitiæ in urbe exsultationis.*

14. *Derelinquetur* נטש] Præteritâ Heb. pro futuris. ¶ *Multitudo* המון] *Turba, tumultus.* ¶ *Erunt in*, &c. היה בעד מערות עד עולם וגו'] i. Redigentur in speluncas perpetuas, ubi gaudeant onagri, & pascantur greges.

15. *Desertum*, &c. מדבר לכרמל והכרמל ליער יחשב] *Metaphoricè significat*, inquiunt Hebræi, *quòd urbes quæ sunt ut desertum absque arboribus fructiferis, erunt sicus Charmel, qui est mons plenus arboribus fructiferis & agris.* Alii vertunt,

Desertum quodvis *in agrum feracem*, *& ager ferax in silvam reputetur:* i. tandem fiat similis silvæ pomiferæ & horto amœnissimo.

16. *In Charmel* בכרמל] *In agro feraci.* Chald. *Erunt homines amantes juris & justitiæ.*

17. *Et opus* ועבודת] *Effectus, inquam:* plurale.

18. *Fiduciarum* במבטחים] i. Securis. ¶ *Et in requiebus opulentis* ובמנוחת שאננות] *Et in refrigeriis quietis:* vel *in habitationibus tranquillis:* nam מנוחה & *quietem* & *habitationem in qua quiescimus* significat.

19. *Grandinabit autem*, &c. וברד ברדת היער] *Grandinabit autem in descensu silvæ:* i. quando grandinaverit, non cadet grando super civitatem, nec super sata, sed in silvis, nè lædat ea. Ità Hebræi. Alii, *Et grando in silvam descensu divertet.* Vel, *cùm descenderit.* ¶ *Et in humilitate*, &c. ובשפלה תשפל] i. Permanebit in summa humilitate, neque propter illa erit elatior. Alii vertunt, *& in loco humili concidet civitas.* Alii, *& in valle humiliter desidebit civitas.* Tunc in locis editis & altioribus exstruere civitates soliti erant, quò difficilior ad ipsos aditus esset. Eum verò tutelam Dei fore dicit erga populum suum ut solitis munitionibus minimè sit opus, civitas tutò poterit considere in vallibus.

20. *Qui immittitis*, &c. משלחי רגל השור והחמור] Hebraismus, pro, *qui abigitis boves & asinos vestros in segetes vestras, ut illas luxuriantes depascantur.*

CASTALIO.

2. *Eritque vir ut receptaculum contra ventum*, &c.] Erunt Principes suis, &c.

15. *Donec spiritu perfundemur*] Loquitur de vastitate Judææ gentis à Senacheribo incipienda, & sub Christi tempus absolvenda. Quanquam Senacheribus Urbem non cepit, sed Judæam pervastavit, & eam calamitatem inchoavit, quam aliæ super alias secutæ sunt calamitates, donec tandem per Christi tempora deletum est genus Judæorum. Nam Senacheribum secuta est Babylonica captivitas: ex qua reversos continua infestavere mala, ità ut Urbs à Ptolemæo Lagi filio, deinde ab Antiocho capta vastatáque, deinde à Pompeio, deinde ab Herode & Sosio, & postremò à Tito funditus eversa sit & æquata solo. Atque interea venit Christus, qui suos sacro *Spiritu desuper afflavit*, *incultúmque locum redegit in Carmelum*, & contrà; h. e. extraneos, qui *inculti* & à vera religione erant alieni, coluit Euangelio; Judæos autem, qui erant *Carmelus*, h. e. Legis Oraculorúmque disciplinâ culti (nam Carmelus locus erat cultus) *redegit in silvam*, dum *ab eis Regnum transtulit ad gentem quæ fructum ederet.* Atque ità *manet* tum *inculto* tum *culto loco justitia*; h. e. sive quis barbarus sive Judæus sit, huic ad Christum patet aditus, ut per fidem justus innocénsque & porrò felix fiat. Huic autem Carmelo, h. e. Christianorum civitati, non erit metuenda malorum *grando: jacebit* enim *urbs in humili* planóque loco. Erunt Christiani humiles, modesti, Christíque præsidio tuti. Quæ autem mala accident, ea accident *in dejectu silvæ*, h. e. alienis, & Euangelii culturâ non æquatis.

20. *Felices vos qui in omnem seminatis humorem*] Sic enim interpretor מים, quod hîc eam *aquam* significat *quâ madens terra stirpes alit*, ut positum est Num. 24. & Jer. 51. h. e. Felices qui Euangelium toto publicatis orbe, ubicunque est *humor*, i. ubi spes est fore ut crescat & alatur, tanquam humore stirpes: idque facitis *immittentes bovis asinique pedem*, i. nullo Judæorum aut exterorum discrimine. Alludit enim ad Mosis præceptum, quo vetat *arari bove & asino:* h. e. si præcepti vim penitiùs consideres, vetat Judæis commercium esse cum reliquis nationibus, tanquam cum dispari genere; quemadmodum Paulus præceptum illud de *non obturando bovis ore triturantis* refert ad rem diviniorem, videlicet ad eorum alimoniam qui docent Euangelium. Igitur illud discrimen Euangelio sublatum est: felicésque sunt Euangelii Magistri, qui omnes, nullo neque docentium neque docendorum gentis discrimine, docent.

CLARIUS.

2. *Et erit vir*] *Et erit vir* ille *quasi latibulum venti & absconsio imbris:* ut sit sensus, Rex ille erit omnium afflictorum refugium, ad quem afflicti fugient haud secùs quàm homines qui tempore magnorum ventorum & imbrium ad tuta latibula confugiunt.

3. *Non caligabunt*] h. e. Oculi eorum qui hactenus cœci fuerunt jam videbunt; sic qui surdi fuerunt audient verbum Domini; & qui sine ratione omnia quæ caro suggessit egerunt, jam nihil agent nisi quod sciverint Deo placere; itémque quorum *lingua balba* fuit in eloquiis Domini, posthac *disertè & eleganter loquentur* de lege Dei: quod planè sub Christo perspectum est.

5, &c. *Non vocabitur*] Vocat Propheta hîc *insipientem* vel *stultum* hominem divitem & illiberalem, qualis Nabal Carmelites fuit, & dives ille de quo in Euangelio legitur, *Stulte, cujus hæc erunt?* *Stultus* igitur vocatur qui de bonis suis aliis nihil largitur; & si quippiam largitur, facit id maligno oculo. *Avarus* autem vel *parcus*, qui largitur quidem, sed minus quàm ratio & necessitas postulat. Erit igitur in diebus illis ut qui ex corde gratiam Dei agnoverint sint *liberales* & *prodigi*, h. e. abunde dantes. Explicat consequenter Propheta quis sit *stultus*, & quis *parcus*. *Stultus*, inquit, nihil *agit* nisi *vanitatem*, sed & *de Deo loquitur errorem*, putans scilicet Dei providentiam sese ad hæc inferiora non extendere. Porrò per *vasa* (sive *arma*) *parci* intelligunt conditiones malas quibus parcus circumvenit simplices & pauperes.

9. *Mulieres*] Intelligunt Hebræi per *mulieres* civitates, & per *filias* loca minora, ut sunt castella, villæ, &c.

10. *Ad dies & annum*] h. e. Ad multos annos. Non enim uno solo anno periclitabimini, & deerit vobis vindemia & frugum collectio.

11. *Accingite lumbos vestros*] Sacco scilicet.

12. *Super ubera plangite*] Quòd videlicet non habeant unde lac præbeant.

14. *Domus enim dimissa est*] h. e. Templum.

15. *Et erit desertum in Charmel*] h. e. *In planitiem feracem* vertetur; & *planities*, quæ priùs ferax videbatur, comparata planitiei hujus temporis, desertum videbitur.

16. *Et habitabit in solitudine judicium*] h. e. Ubi priùs fuit *desertum*, illic habitabunt homines, & fiet *judicium* inter eos, & propter *opus justitiæ* erit inter illos *pax*. *Fructus* enim *justitiæ* erit *pax*. Ecclesiæ ergò hîc tempora describuntur.

19. *Grando autem*] Quod alius vertit, *Divertet enim grando cùm descenderit in silvam.* Adversitas ergò divertet à bonis, sicut cùm grando decidit in saltum, non læsis segetibus. ¶ *Et humiliate humiliabitur*] h. e. Absque muris habitabitur, Zach. 2. Sensus ergò est, Tanta erit tranquillitas ut oppida in locis humilibus & non altis ac naturâ munitis exstructuri sint. Sed & tanta erit copia frumenti ut passim dimissuri sint *boves* & *asinos* in agris cultis & seminatis, citra ullum frumenti defectum. Quoad spiritum verò per *aquas* populi signantur, per *seminantes* Apostoli.

FORERIUS.

1. *Ecce*] Brevissimo tempore post vastatos Assyrios regnavit feliciter Ezechias, nempe per 15 annos. Post ejus autem mortem regnavit crudelissimus Manasses: ut verisimile sit, sicut per *Assyrios* hostes populi Dei delineatos diximus, ità Prophetam quoque alia feliciora tempora, & alterum Regem sanctiorem Ezechiâ, occisis populi Dei hostibus, regnantem vidisse. Sed etsi hæc de toto ejus Regni tempore dicta accipiamus, nempe 29 annis, non tamen sufficiens videtur illa felicitas ut eam sic Propheta decantaret. Ezechiam ergò ut typum, & Regnum Filii Dei ut veritatem consideremus. ¶ *In justitia*] Heb. *ad justitiam.* Sensus idem est, quòd in hoc totus incumberet Ezechias ut justè Regnum administraret. Utuntur quoque Hebræi nominibus cum Lamed pro adverbiis; *ad securitatem*, i. securè; *ad justitiam*, i. justè, &c. ¶ *Et Principes ejus*] Ad verb. *Et Principibus ejus ad judicium principatum administrabunt.* Quare suppleri potest *dabitur ut*, nisi dicere velis Lamed esse articulum nominativi. *Futurum quoque*, inquit, *est ut Principes ex animo justitiam amplexati jus rectè omnibus dicant.* Tales enim plerumque habemus Principes ac Magistratus qualem Regem habuerimus. Quòd si Rex pius sit ac justus, & non curet an Magistratus justitiam colant, jam justus ipse dici non potest.

2. *Et erit vir*] Nonnulli hîc *virum* illum ipsum Regem intelligunt; q. d. *Et erit vir ille*, &c. Ego tamen more Hebræorum איש distributivè accipio, ut Hebræis infinitis aliis locis, quòd videlicet *quivis ex Principibus sit veluti*, &c. ¶ *Qui absconditur*] Vulg. illud איש, i. *quivis*, ad *populum* retulit: & sensus in idem redit. Si enim *quivis è populo erit similis illi qui latibulum subit ingruente tempestate*, ergò *Principes habet qui sint pro latibulis*, &c. Ad verb. *Et erit vir quasi latibulum.* Nam חבא, quod in prima non legitur nisi in passiva neutrali significatione, est *occultari*, *abdi*, &c. Hinc nomen מחבא *abditum*, *latibulum:* ut 1 Sam. 23. ubi Vulg. in plur. *latibula* vertit, *Considerate omnia latibula ejus in quibus absconditur.* ¶ *A vento*] Heb. *latibulum venti*, sicut quod sequitur, *absconsio imbris* vel *nimbi*. Ergò improbi comparantur

tur primò *Vento impetuoso*, deinde *Imbribus impetuosè cadentibus*, seu *Inundationi*, tertiò *Siccitati*, quartò *Æstui*. Ut enim quatuor hæc molesta sunt nobis, ità improbi, præsertim potentes, probis viris, maximè pauperibus, molestissimi sunt. Boni autem Magistratus *Latibulis*, *Protectionibus*, *Rivis* atque *Umbræ* comparantur, quòd ab injuriis potentium infirmiores tutentur dum jus cuique reddunt, neque aliud quàm justitiam attendunt. Tales plurimos quasi partu edidit Euangelium. Neque tam justos unquam Magistratus peperit aut Philosophia aut recta Ratio aut Mosaica institutio quàm Euangelium, quod totum justitiam spirat. Sub Euangelio enim & in Christi Regno est animorum sanctificatio ac justificatio multò angustior quàm unquam fuerit. At justitiam Politicam quis, quæso, meliùs colet quàm qui justus coram Deo fuerit? Cùm ergò Regnum hujusmodi *latibulis* destitutum viderimus, ut non habeant pauperes ad quos confugiant, sed siti ac fame justitiæ pereant, non ibi Christum regnare putemus. ¶ *Prominentis*] כבד *gravem* vel *pondere*, vel *divitiis*, vel *dignitate & honore* significat: hîc pro *ampla & ingenti* accipitur; fortè quòd sicut vulgò nos Lusitani nomen *honoris* pro *magnitudine* usurpamus, ità Hebræi *rupem honoratam*, i. immanem, magnam, prominentem, appellent.

3. *Non caligabunt*] Sensum eleganter reddidit: ego significationem verbi retinui: quod tamen juxta variam constructionem variè quoque reddendum est. Suprà 29. 10, & seq. dicebat *oculos restringendos*, & *principes*, *qui visiones videbant*, &c. Oppositum hîc promittit: nam sub Christo restaurata est visio & omnia bona: Nec solùm justos Principes habuerunt Christiani, sed & vigilantissimos Pastores, qui quæ à Deo audiebant populo nunciabant; & populi *aures* quæ ab eis dicebantur *diligenter auscultabant*.

4. *Stultorum*] Manifestum est verbum מהר esse idem quod *festinavit*. נמהר etiam propriè est *festinus*. Infrà 35. Vulg. *festinos corde* reddidit *pusillanimes*. Ego puto hîc rectè Vulgatum vertisse. Nam *stultorum* est præcipitanter res aggredi, sententiam dicere; & hos vocasse Paulum προπετεῖς 2 Tim. 3. *præcipites*: unde ab hoc verbo est nomen geminatum quod *præcipitia* notat, Ps. 140. Nulli autem ad *percipiendam scientiam* magis inepti sunt quàm qui vel naturâ vel vitio *præcipites* sunt. Quod enim ad rectè *pronunciandum* impedimentum facit *balbuties*, *blæsitudo* & *hæsitantia linguæ*, hoc ad *intelligendum* facit *præcipitantia*. *Sapientia* autem si cum *eloquentia* jungatur, dici non potest quanta efficiat in populis. Igitur ad cumulum felicitatis Christianorum hîc promittuntur Pastores & Doctores & verbi Dei interpretes, quos creavit Dominus ex rudibus gentibus, quibus scimus jam olim ditatam fuisse Ecclesiam, ut vides in Epistolis Pauli: sed neque modò desunt. ¶ *Velociter loquetur*, *& planè*] Sensum doctè reddidit: ego verbum verbo. Dicant mihi Judæi quando hæc sub Ezechia vera fuerunt.

5. *Is qui insipiens est*] In Hebræo manifesta est oratio, quæ sic planè reddi potest, id exigente constructione verbi קרא cum Lamed, *Non ampliùs fatuo imponetur nomen Principis*: i. Nequaquam qui insipiens fuerit seu fatuus in Principem eligetur. Non quòd id in populo Christiano nunquam eveniat, sed quòd tanta futura esset in Regno Christi sapientum multitudo ut nulla unquam necessitas cogeret stultos & sensu vacuos, ratione & cerebro destitutos, in Pastores seu spiritales Reges eligere. ¶ *Princeps*] Verbum נדב, i. *spontaneus*, *liberalis*, *munificus fuit*, includit etiam quandam *hilaritatem* seu *alacritatem*, & quodammodo *heroicam magnificentiam & largitatem*. Unde est nomen נדיב *munificus*, *beneficus*, seu *qui animum habet heroicum ad benefaciendum*: quod quia Principum est proprium, hinc factum est ut passim pro *Principe* usurpetur: Prov. 17. 19. Ps. 118. & Prov. 8. ubi Vulg. *Reges & Principes* vertere solet: qui usus comprobatur ex Luc. 22. ut jam suprà annotavi. Quare, ut ego quidem sentio, optimè Vulg. has voces reddidisse videtur. Neque de *sordido* aut *liberali* hîc est sermo: neque contra adulationem hæc faciunt, sed potiùs ad felicitatem Regni Christi propter sapientiam, veritatem atque justitiam, quibus præditos fore Ecclesiasticos Principes Propheta significat. ¶ *Fraudulentus*] כילי & paulò pòst כלי est à verbo כלא *coercuit*, *prohibuit*, *conclusit*, &c. Hinc nomen quod *parcum* & *avarum* sign. qui ab aliis facultates suas prohibet, easque concludit. Vulg. *fraudulentum* dixit, quia avarorum sunt fraudes, ut mox dicitur v. 7. Juxta constructionem verò cum Lamed sic apertè reddi posset, *neque parco imponetur nomen servatoris*, seu *opitulatoris*. ¶ *Major*] A verbo שוע *opitulatus est*, *servavit*, est hoc nomen: sed, sicut dixi de nomine נדיב, usu factum est ut *dignitatis* & *Magistratûs* nomen esset. Ezech. 23. *præfectum*, & *opitulatorem*, & Job. 34. Nam quòd *liberalem* dicunt significare quidam Rabini, unde id habeant ostendant. Certè apud Ezechielem & Job quòd nomen sit *dignitatis* manifestum est. Ego *Principem* seu *Præfectum* libenter dicerem. Duo autem sunt vitia maximè cum officio Principis pugnantia, Fatuitas & Avaritia: hæc à Christianis seu Ecclesiasticis Principibus aliena fore significat Propheta, quandoquidem juxta Euangelium divitiarum contemptus in Ecclesia Dei vigere deberet.

6. *Stultus enim*] Quàm indigni sint principatu & *fatuum* & *parcus* his duobus versibus ostendit: vel certè unde dignosci possint, videlicet ex fructibus. *Fatuus loquetur*, i. loqui solet, *fatuitatem*. Possumus in his versibus נבל accipere pro *ignavo*, ut videtur accipi 2 Sam. 3. *Numquid ut moritur ignavus, moritur Abner?* & Prov. 17. *Non competit ignavo labium excellentiæ, multò minùs Principi labium fallaciæ*. Isti itaque ignavi homines non solent loqui verba quæ aliorum sensum excedant ac superent, non magna, non magnifica, non admiratione digna: imò juxta Salomonem, *minùs hæc illis conveniunt quàm Principi verba fallaciæ plena*: sed *loquuntur fatuitatem*, i. vilia, futilia, nihilque pretii, gratiæ aut dignitatis habentia. ¶ *Faciet iniquitatem*] Dixi און *concupiscentiam illam pravam nobis innatam* propriè significare. Qui verò concupiscentiam hanc & naturæ corruptionem sequitur, in scelera omnino prolabitur. Sunt autem *fatui* quidam & *ignavi sapientes ut faciant malum*, *bene autem facere nescierunt*: horum hîc ingenium depingit. Si verba quidem attendas, insipientem judicabis: at in corde machinatur ut quod concupiscit exsequatur, atque ad hoc *facit*, ut mox sequitur, *simulationem*: sic enim loquuntur Hebræi. Hypocritæ, inquit, sunt, & quid velint in corde occultant: neque pudet eos *impiè de Deo loqui*, illisque oscitantiam, ignorantiam seu inadvertentiam impiè adscribunt: ut enim liberè quæ velint agant, Deum nostra non considerare dicunt. Hinc fit ut audeant *esurienti* cibum & *sitienti* potum auferre. ¶ *Et loquatur ad Dominum*] Vel potiùs *de Jehova*. Ea enim est interdum vis אל vel Lamed Hebræis, ut jam suprà annotavi.

7. *Fraudulenti*] *Parci*, vel *avari*, ut jam dixi. ¶ *Vasa*] Paronomasia est in Hebræo, CHELAI, CHELAU, *Parcus vasa ejus*, i. *Parci vasa*, &c. Jam ingenium *fatuorum* exposuit, nunc ad *avaros* transit: quos tamen in criminibus similes videbis. Sunt autem qui per *vasa* arma intelligant. Nam vox כלי generaliter omne *instrumentum* ad quoscunque usus significat. Et ità hoc nomine *vasis* usi sunt Apostoli Act. 9. & Rom. 9. Quanquam differentiam faciunt inter vas ad excipiendum paratum, quod ἀγγεῖον vocant, & inter vas quodcunque ad usum domesticum pertinens, quod σκεῦος appellant: utrumque tamen genus Hebræi כלי vocant. Et quidem Latinis vetustioribus omnis supellex *vasa* dicebatur, ut Hebræis. Hîc ergò non pro *armis* tantùm, sed pro universa *supellectili* accipere possumus: q. d. *Nihil domi habet avarus quod bonum sit: quidquid habet, quidquid loquitur, ac cogitat, malum est.* Quia tamen nomen Hebræis in plurali forma feminina כליות pro *renibus* accipitur, qui sunt vasa seminis & generationis instrumenta, Levit. 3. &c. transsumitúrque non rarò pro *cupiditatibus* & *affectibus carnis*, quòd sedes sint affectuum, Ps. 7. Jer. 11. &c. non admodum durum fuerit pro *affectibus* hoc loco accipere: nam sequitur, ¶ *Ipse enim cogitationes*, &c.] Eleganter Vulg. Hebræa expressit. יעץ enim est propriè *sternere*, ut jam sæpe dixi. Quia verò consilium est stratum seu basis actionum, verbo *consulendi* reddi solet. Hîc autem regit nomen זמות, i. *cogitationes*, quòd sicut verbum זמם plerumque in malum accipitur, ità nomen ferè semper *pravam cogitationem* notat, & nomine *sceleris* reddi potest, sicut reddidit Vulg. Levit. 20. & alibi sæpius. ¶ *Ad perdendos*] Vel *super perdendis*, vel *de perdendis*. De temporibus quoque verborum ne sis solicitus: mores enim cùm describat, sive in præterito sive in futuro efferat, per præsens reddi debent. ¶ *Cum loqueretur*] Heb. *in loquendo*: & Vulg. omisit Vau, quod superfluere videbatur, *& dum loquitur egenus judicium*: i. Etiam cùm justa est egenorum causa, avarus mendaciis eos subvertere conatur.

8. *Principes verò*] Rectè Vulg. Vau pro Adversativa particula accepit. Mores ergò ejus qui ad principatum natus videtur breviter depingit. ¶ *Ea quæ sunt digna Principe*] Sicut Vulg. doctè nomen *magnifici* pro *Principe* accepit, ità & nomen *magnificentiarum* pro *iis quæ digna sunt Principe*. Nos, si liceret, diceremus *regalitates*: & hoc nomen opponit *fatuitatibus*, *concupiscentiis*, *simulationibus*, *blasphemiis* & *crudelitatibus ignavorum* seu *fatuorum*, atque etiam *sceleratis vasis* & *consiliis*, *injustitiis* atque *mendaciis avarorum*. Qui enim ad imperium aptus est, nihil horum cogitat, sed ab his omnibus maximè

maximè alienus, *regalia* & *digna Rege* & *consultat* & loquitur. Nam, ut suprà ex Prov. 17. adduxi *non decent principem verba fallacia*, sed potiùs *excellentia*. Vide suprà v. 6. ¶ *Super duces*] Nomen quod in hoc versu Vulg. per circumloquium reddidit, *ea quæ sunt digna Principe*, hîc jam *duces* vertit. Est autem נדיב nomen adjectivum masc. *magnificus*, & substantivè, ut dixi, pro *Principe* accipitur: נדיבה verò est ejus femininum: quod habes Ps. 51. *Spiritus magnificus sustentet me*: cujus hic bis habes plurale, *magnifica*, seu *magnificentias*: has *cogitat* seu *secum consultans versat*, *& super ipsis consistit* seu *stat*. Estque eadem forma loquendi quâ D. Paulus utitur, *in his esto*, i. firmus permane, & ab his nè discedas, sed his insiste, & studiosè persequere. Ergò *Princeps super iis quæ digna sunt Principe stat*; *regalia* & *magnifica* noctes atque dies animo versat, quonam pacto omnibus prosit, nemini noceat, justitiam colat, pacem conservet, felicitatémque populis afferat. Hujusmodi plurimos edidit olim Christianismus. Tales Reges & Rectores efficiet Spiritus Christi supremi illius Pastoris Pastorum. Neque unquam deerunt in populo Christiano hujuscemodi virtutibus instructi, quos populus Christianus sibi eligere in Reges atque Pastores possit. Neque enim hoc loco Propheta tam quæ futura essent in Christi Regno prædicere instituit quàm quæ fieri possent si homines sibi rectè vellent consulere. Quâ loquendi formâ eleganter etiam mores Principum qui tunc populum gubernabant, quasi aliud agens, præstringit.

9. Quemadmodum priùs quàm Judæi prosperas res sub Ezechia experirentur, per Assyrios multa passi sunt; ità priùs quàm per Christum nobis advenirent universa bona quibus fruimur, (de quibus nonnihil jam in hoc capite dictum est, ac mox plura dicentur) plurima à Peccato & inimico Diabolo passi sunt homines: imò priùs quàm Ecclesia Christi pacem haberet, ingentes calamitates passa est, & totus Israel atque Jerosolyma vastata fuit, post quæ revixit nova Jerusalem, &c. Quæ igitur passi sunt narrat: quæ nos tanquam typum attendamus. Licèt autem hac in re cœcutiant Judæi, & Rabini in expositione hujus loci, quòd fide & luce careant, non sibi constent, nos tamen hanc interpretandi rationem germanam esse non dubitantes, neque illos, neque qui ex nostris Judaizant, morabimur. ¶ *Mulieres*] Familiare est Scripturæ & aliis quoque nationibus nomine *feminarum* oppida ac civitates appellare. ¶ *Opulentæ*] שאנן *quietum* ac *tranquillum esse* sign. Jer. 3. & 48. & Job. 3. Indè nomen earundem literarum *tranquillus*, *quietus*, & per Metalepsin *securus*, *insolens*, eò quòd tranquillitas homines reddat securos atque insolentes. Ergò hîc pro *insolentibus* accepi, cùm possem pro *tranquillis* accipere, ut mox v. 11. Non sunt autem *tranquilli* nisi qui non indigent, ideo Vulg. *opulentas* reddidit. ¶ *Surgite*] Utuntur Hebræi, ut jam admonui, imperativis nonnullorum verborum pro particulis Adhortantis, quando cum aliis verbis immediatè construuntur. Cùm in Prophetis magnifica de Christo sperarent Judæi (qualia sunt ea quæ in hoc capite præcesserunt) etiam post occisum Dominum & in civitatibus suis tranquilli & insolentes vitam agerent, & omnia secundùm carnem adimplenda putarent, excitantur hîc à Propheta ut quæ sibi imminerent mala attenderent. Non tamen historiam sui temporis prætermittit.

10. *Post dies & annum*] Ad verb. *dies super annum*, i. post annum & aliquot dies. Ità enim indefinitè accipitur nomen ימים, præsertim cum nominibus temporis certi, *annus*, *mensis*, &c. ut Jud. 19. *Fuit ibi dies*, *quatuor menses*: & 1 Sam. 27. *Dies & quatuor menses*, &c. Crediderim autem ab hac Prophetia usque ad adventum Assyriorum, qui universam Judæam depopulati sunt, intercessisse annum & aliquot dies. ¶ *Conturbabimini*] Etsi verbum de aliis *commotionibus* etiam dici solet, de *metu* tamen ac *trepidatione* credo esse sermonem; cui opponitur *fiducia*, *confidentes*, seu בוטחות. ¶ *Enim*] כי potest accipi pro *quando*, ut tempus designet conturbationis; *quando* videlicet *defierit vindemia & collectio frugum*. Vel est Rationalis particula, quasi quod futurum erat post annum & dies, jam adesse more Prophetico significet. Non est autem levis *trepidationis* seu *conturbationis* causa in oppidis & civitatibus, quando hostes stantes segetes devastant ac vineas succendunt, &c.

11. *Opulentæ*] Hic *tranquillas* reddidi: quia verbum חרד *commotionem* manifestam notat corporis, vel animi, vel utriusque simul, suprà cap. 19. & infrà 66. éstque contrarium *quieti* atque *tranquillitati*. Vide suprà vers. 9. ¶ *Conturbamini*] Hoc verbum & quæ sequuntur in Hebræo in infinitivo sunt; quo & nos Lusitani utimur quando ob indignitatem vel atrocitatem rei brevitati studemus; *Eia exui*, *flere*, *ejulare*, &c. q. dicamus, Non alterius rei aut negotii tempus est: ità hoc loco, *trepidate tranquillæ*: Instat enim tempus quo nihil aliud videbitur quàm *conturbatio*, *exspoliatio*, *denudatio*, & *sacci cinctura super lumbos*. Nam & pro nominibus, si velis, potes accipere infinitivos. De ipsis autem vocibus in superioribus dictum est. Vulgatus verò dixit pro *nudari*, *confundi*, quia ipsa nudatio turpis est, adeò ut à verbo *nudandi* derivatis nominibus, ad significandas res turpes & verendas passim utatur Scriptura.

12. *Super ubera*] Credo *ubera* hic figuratè pro *lactentibus* ac *liberis* accipi. Nam multam prolem vocat Scriptura *benedictiones uberum & uteri* Gen. 49. cui opponitur *vulva sterilis* & *ubera arentia* Ose 9. ¶ *Regionem*] *Agros desiderii* vocat Hebraismus fertiles, & qui desideriis satisfaciunt atque respondent, & quos habitatores magnifaciunt, &c.

13. *Spina & vepres*] Cùm non coluntur agri, ipsa tellus germinat sentes & spinas: & verbum עלה Hebræis etiam tribuitur iis quæ è terra producuntur. Poteris quoque ad hostes referre; sed ego malo de *spinis* intelligere, quæ solitudinem atque vastationem significant (quam mox explicabit) quas dicit pulcras domos, & quæ ad delicias in Jerusalem fabricatæ erant, invasuras. Quod certè tempore Ezechiæ non contigit: ut videas Prophetam, cùm hactenus ab historia non recessisset, voluisse nobis significare quòd aliam Judææ vastationem prævideret, eam videlicet quam peccatum invexit, & eam quæ per Romanos contigit: ut spiritalem quoque restaurationem intelligeremus, de qua statim verba faciet. ¶ *Quantò magis*] כי. Multiplex usus est & varius hujus dictionis Hebrææ: & nonnunquam esse Adversativam particulam nemo Hebraicè doctus dubitabit, quinimo sive cum אם, sive sine eo. Et hujusmodi acceptio hoc in loco mihi plus arrisit, q. d. Nihil mirum quòd *super agros* excrescant *sentes*: nam & *super palatia* divitum *in civitate quæ continuis gaudiis & festivitatibus perstrepit* (quod nemo antea credidisset) *ascendent spinæ & vepres*, &c. Atque hæc est causa cur plangere deberent universæ civitates. Ut ad hunc locum respexisse videri possit Dominus quando ad se plangentes feminas conversus, dixit, ut *super semetipsas flerent & super filios suos*: *nam venturi essent dies in quibus dicerent*, *Beatæ steriles*, *& ubera quæ non lactaverunt*. An non hoc est *flere super ubera*? An non aridum lignum erant Judæi, & civitas & omnes domus eorum? *quòd si in viridi illa fiebant*, *quid sperare deberent ligna arida*? ¶ *Domus gaudii*] Possumus juxta historiam dicere quòd licèt Assyrii Civitatem non expugnarint, *domos* tamen *gaudii* quas cives Jerosolymitani extra muros habebant vastarunt, &c. Sed priorem expositionem videntur sequentia confirmare.

14. *Domus*] Vel *palatium*. Nam ab *altitudine* Hebræis dicitur, & collectivè accipitur. Explicare autem videtur pluribus verbis quod dixerat, *spinas orituras in domibus gaudii*, &c. *Deserentur*, inquit, *palatia & Urbis frequentia*, *& strepitus cessabit*. Desertas autem domos & vicos quis dubitet quin urticæ occupent? Vides hæc nequaquam Ezechiæ temporibus convenire? Quòd si de vastatione quæ facta est per Babylonios intelligas, præter hoc quòd superiora non conveniunt, versus quoque sequens id nequaquam pati videtur. Nam quonam pacto verum erit quòd *effuso Domini Spiritu desertum versum fuerit in Charmel*, *& Charmel in sylvam*? Nam verba hæc, ut ex loco cap. 29. 17. apparet, & horum pœnam & illorum felicitatem notant. Ergò quam suprà posuimus interpretatio tenenda est. Vide suprà vers. 9. ¶ *Dimissa*] Verbum Hebræum tam in bonam quàm in malam partem accipitur, sed plerumque in malam, sicut & verbum עזב quod mox sequitur: ut Psalm. 22. *Deus meus*, *Deus meus*, *quare me dereliquisti*? pro quo Chaldæus שבקתני, quo usus est Christus Dominus in cruce, & Euangelistæ ità collocarunt ut sciat qui Hebraicè ignorat, legendum esse *Sebachthani*. ¶ *Tenebræ*] De voce עפל magna est varietas & controversia. Mihi quod quidam vir doctus annotatum reliquit magis placuit, nempe quòd esset *locus inter scopulos* seu *montes*, *angustus transitus* seu *meatus arctus*, *per quem conendere oportet*: & quia hujusmodi loca apta erant quibus hostium incursiones arcerentur, turres seu arces superexstruebant ut in illis collocarentur præsidia. Græci ejusmodi loca πύλας vocant, Latini *fauces*, Hispani *puerto*. Fit autem duarum in Scriptura Sacra celebrium mentio: Quarum una fuit Jerosolymis inter Arcem & Templum, ubi exstructam arcem Nathinæi tanquam præsidium tenuerunt, nè vel hostibus vel grassatoribus pateret ad arcem regiam aditus sive irruptio. Et appellationem videtur habere quòd *in abdito & latentiore loco esset & quodam recessu*; proinde quidam Hebræorum per אפל, alii per עלף exposuerunt, quorum utrumque *obscuritatem* seu *caliginem* sign. & hos secutus est hoc loco Vulgatus. Neque dubium quin ut literis ità quoque significatione affinia sint: Græci quoque non longè abludunt. Et quidem Mich.

 4. Et

4 *Et tu turris gregis Ophel filiæ Sion usque ad te veniet.* LXX *turris squalida*, Vulg. *nebulosa*, dixerunt. At 2 Par. 27. *In muro Ophel ædificavit multa:* & 33. *Post hæc ædificavit murum exteriorem circa civitatem David ad Occidentem Gichon in valle, ubi venitur ad portam Piscium; & circumdedit Ophel, & exaltavit illum valde.* Tam Græcus quàm Vulg. *Ophel* reliquerunt Ex quibus locis & Neh. 3. & 11. clarum videtur עפל nomen esse loci seu arcis. Porrò altera fuit in finibus Israelis & Syriæ, de qua 2 Reg. 5. *Cùm venisset in Ophel, accepit de manu eorum:* pro quo Chald. *Et ascendit ad locum absconditum*, ubi R. D. K. dicit significare *locum excelsum in quo sit exstructum aliquod ædificium.* ¶ *Palpatio*] Vulg. ut aliquid cognatum *tenebris* poneret, *palpationem* reddidit. Est enim בחן *probare*, *examinare*, &c. Unde BOHAN, i. *probatio*, suprà 28. & BAHAN, i *vallum* seu *munitio*, quæ probata est contra oppugnationem obsidentium. Loca itaque munita credo significari his duobus nominibus, in quibus dies noctésque erant militum stationes; in quibus solent usque ad finem obsidionis perdurare aliqui, ut saltem æquis nonnullis conditionibus acceptis tutò abire possint. Hæc igitur *in speluncas* seu *cavernas redacta* dicens, quas nemo incolit præter feras & aves ferales, & quas adire metus est, & ingredientes horror invadit, omnimodam civitatis Jerosolymitanæ vastationem significavit: quod mox exponens ait, ¶ *Gaudium ferarum*, &c.] Nam פרה (quem passim *onagrum* vertunt. Est autem Onager asinus silvestris, quem doctus quidam Hebræus *Zebra* vocat: quod animal nostro tempore ab India allatum vidimus) in genere *feras* sing. & à *fœcunditate* appellationem habet (Plures enim quàm domestica animalia fœtus edunt) à verbo פרה. ¶ Illud verò עד עולם *usque in sempiternum*, vel *seculum*, longum tempus designat. Quòd si ex hac voce volunt Judæi probare Legem nunquam abolendam, quòd in Lege sæpe dicatur *legitimum sempiternum*, &c. videant quid sibi hoc loco velit *Jerosolymam desertam futuram in sempiternum.* Certè quæ sequuntur terminum significare videntur: quod facit ut alteram illam invisibilem vastationem hoc quoque loco recolamus.

15. *Donec effundatur*] Hic vides vastationi tam ingenti & diuturnæ quasi pro termino præfigi *effusionem Spiritûs è cœlo:* Hic est enim qui omnia vivificat atque restaurat. Nam exhalatur à visceribus Patris, qui *habet vitam in semetipso*, & Filii, *cui dedit Pater habere vitam in semetipso.* Est ergò *Spiritus* vita, quo totus ornatus mundi constitit: *quem si aufert* à mundo Deus, *omnia deficiunt: quem si rursus emittat, recreantur omnia, & renovatur orbis facies*, ut est apud Davidem. Hic *spinas* & *vepres* à *palatiis* aufert, *feras* abigit, *frequentiam* & *strepitum civitatibus* restituit, *munitiones* restaurat; denique tamdiu durat desolatio, *donec effundatur Spiritus de excelso.* Nam quod Judæi dicunt *effusionem Spiritûs* nihil aliud esse quàm Divinam voluntatem, i. *Tamdiu durabit quousque velit Dominus*, est Scripturas pervertere, quæ non sic consueverunt loqui. Nos autem ex Apostolicis scriptis habemus quòd quando spiritalem desolationem, quæ in mundo obtinuerat, Dominus restaurare voluit, Spiritum hunc in nos effudit, ut narrat Lucas in Actis: ut ad hunc Jesaiæ locum respexisse Paulus videatur cùm diceret de Spiritu S. *quem effudit in nos abunde.* ¶ *Et erit desertum*, &c.] Exspectaret carnalis Judæus ut diceret Propheta, *& Civitas reædificabitur, & frequentia populi restituetur*, &c. pro his *deserta in fertilitatem vertenda* dicit; quæ nè ad se pertinere secundùm carnem Judæi putarent, addit *Charmel in silvam convertendam.* *Spiritus* ergò de cœlo missus inopes & infœcundas Gentes & omnium spiritalium bonorum vacuas ditavit, fœcundavit &, juxta Canticum Matris Domini, *implevit bonis*; quo quidem tempore Israelitæ secundùm carnem, qui se *divites* existimabant, *dimissi sunt inanes*, & fertilis ille *Charmel in silvam redactus est* & habitationem ferarum, & *quæ videbantur habere*, ut alio loco dicit Euangelium, *ab eis ablata sunt.* Quæ est ergò isthæc restauratio Jerosolymorum? quis, inquient, terminus iste desolationis, si *in silvam reputamur*? Quo pacto verum est quòd *tamdiu esset gaudium ferarum quousque effunderetur Spiritus?* en *Spiritus*, ut vos dicitis, *effusus est*, & nos in *deserto* sumus? Quid hæc nobis objiciunt? Prophetæ objiciant, qui terminum desolationis *effusionem Spiritûs* præfixit, *effuso* verò *Spiritu Charmel in silvam vertendum* affirmavit. Intelligant ergò spiritalem esse restaurationem: & jam cùm Dominus advenit, eos vastatos, ac desolatam reperisse Judæam, & spiritaliter restaurasse mundum; quinimo, ut à lapidibus & lignis & visibilibus muris & plateis animos eorum avelleret, voluisse ut funditus everteretur illa visibilis Jerosolyma, ut Spiritu S. restaurari volentes de terrena Jerusalem parùm curarent, atque sic *ex deserto* cum Gentibus *in Charmel converterentur.* Quòd si adhuc protervire velint, & hic hostes nomine *Charmeli*, se autem nomine *deserti* intelligendos, videant hæc ipsa verba suprà cap. 29. 17. ubi de Judæis dicta manifestum est, qui *Deum colebant labiis*, &c.

16. *Et habitabit in solitudine*] i. In illis qui olim erant *desertum* ac *solitudo.* ¶ *In Charmel*] In novo videlicet *Charmel*, qui olim erat *desertum*, & jam sunt *agri benedictionis.* Hæc est nova Jerusalem, in qua vides pro *palatiis* & *domibus gaudii* redire *justitiam* ac *judicium.* Hæc sunt *palatia*, hæ *turres* novæ Jerusalem; in his vicis & plateis solummodo *gaudium* est. His *munitionibus* satis se tutos servi Dei semper crediderunt: & quia has nemo unquam expugnare, nemo ab Ecclesia ejicere poterit, ipsa est *civitas justitiæ* ac *sancta.* Quid autem *justitia* & *judicium* significent jam suprà non semel dictum est.

17. *Opus justitiæ*] מעשה *factum*, *factura* &, qui post actionem manet, *effectus.* Hîc ergò vides *pacem* ex *justitia* oriri. Nomine autem *pacis*, ut suprà dictum est, salutem, prosperitatem, incolumitatem & omnimodam felicitatem intelligunt Hebræi. Et hinc accepisse videtur Paulus illud Rom. 5. 1. *Justificati ex fide pacem habemus erga Deum:* nam & hîc sequitur, ¶ *Cultus justitiæ quies & fiducia*] i. Cultus, servitium seu obsequium ad justitiam consequendam est nos nostráque omnia Deo committere tanquam Patri amantissimo, cui fidem dedimus, quem pro Deo accepimus; cui obtemperare, cujus legem servare ex animo promisimus; quique nos in fidem suam suscepit; quibus etiam, nisi inobedientes esse vellemus, se nunquam defuturum vicissim pollicitus est. Hæc omnia includit Fides Paulina, cui *justitiam* tribuit ipse. Nè quis ex hoc loco nudam ac jejunam quorundam hæreticorum Fidem stabiliri putet: addidit autem *quietem* seu *quiescere* (nam infinitivus est pro nomine) quòd sine hæsitatione, imò securam ac firmam velit esse fidem nostram. Quòd si urgere velint Lutherani nihil aliud hîc dici quàm quod *justitia pacem pariat*, *quieta autem & secura fiducia justitiæ sit cultus*, neque quidquam aliud addendum esse, respondere poterimus, Non negare Catholicos fiduciam firmam in Deum habendam semper esse, & quòd actu hujuscemodi Deus colatur, aut quòd actus hic fiduciæ *cultus* sit *justitiæ* & ad justitiam necessarius: sed actu isto tantùm constare Justificationem planè negamus. Neque enim Prophetæ aut Apostoli omnia ubique dicunt. Annon *remitti nobis peccata* dicit in Euangelio Dominus, *si & nos remiserimus debitoribus nostris errata ipsorum?* Ergò Justificationem & Remissionem peccatorum *condonatione debitorum* definiemus? Quid de Eleemosynis & aliis dicemus? Adde quòd verba hæc apud Prophetam non magis innuunt quòd qui securè fidit justitiam consequatur, quàm quòd qui justus est is tranquillus & securus sit: imò hoc potiùs significari dicent linguæ Hebrææ periti. Et hoc confirmant versus sequentes. Videtur enim effectus *Justitiæ* describere, quæ *in solitudine*, &c. *habitatura erat:* ut quod in priori membro dictum est, & secundo repetatur; *Opus justitiæ erit pax; & cultus justitiæ*, i. quem isti exhibebunt, vel *servitium*, quod serviunt justi, & ad quod à justitia, quam intus habent per Spiritum S. qui ipsis datus est, inclinantur, *est quiescere & fidere:* ut sit quod alibi dicitur, *Sperate in Deum seculis æternis.* Nam cum Paulo *propter hoc affliguntur quia spem habent in Deum, qui est Salvator omnium, maximè fidelium.* בטח autem *fiducia* vel *securitas*; & ità passim accipitur: & quando in adverbium transit, id liquidò apparet: Deut. 33, *Commorabitur Israel* בטח *tutò*, *securè*, &c.

18. Hic versus superiorem explicat, quòd scilicet *Justitia*, quæ per Spiritum S. nobis conceditur, *pacem & securitatem pariat.* ¶ *In pulcritudine*] Superiùs de nomine נוה dictum est cap. 27. quòd *pascuum locum & amœnum*, interim quoque *domos rurales* significaret: hîc certè hæc significatio maximè convenit, ut ea quibus jungitur ostendunt. *Pulcritudinem* ergò seu *amœnitatem* in Vulg. accipe pro ipsis *locis amœnis* & *pascuis*; & singulare collectivè. Ob quod ego *mapalia* dixi. De aliis autem vocibus jam quoque suprà dictum est. Idemque ferè ter dicitur, ut felicitatem servorum satis testatam declaret, eam præcipuè quæ per Christum & Spiritum ejus nobis contigit; Quæ tanta est ut verba desint quibus explicari possit. Eorum profectò pacem, confidentiam atque securitatem neque adversæ potestates neque totus mundus interturbare potest: *sunt enim fundati super firmam petram.* Quis autem nocere illis poterit qui, quò major est quæ supervenit calamitas, magis gaudent, & quò magis premuntur eò se in majori amplitudine conspiciunt? Vide quæ Paulus de se & Coapostolis commemoret: nam ad hos præcipuè dirigitur Propheticus sermo, in quibus

bus completæ sunt promissiones de restaurando Israele, ac deinde ad novos Israelitas quos ipsi per Euangelium genuerunt, qui eadem pace & securitate fruebantur, ut qui eandem justitiam consecuti fuerant, qui *rapinam bonorum suorum cum gaudio suscipiebant*, &c.

19. *Grando autem*] Vel, *Et grandinabit*, ut nonnulli volunt. Sed quia nullibi tanquam verbum lego, libet hic cum Vulg. accipere. Non enim puncta tanti facienda duco quanti R. David & nonnulli ex nostris, cùm ipsi Hebræi passim non sibi in punctorum ratione constent. Doctè autem Vulg. Vau pro Adversativa accepit, quasi responderet versibus 16, & 17, & 18. in quibus dixerat, in novo *Charmel*, qui olim *desertum* fuerat, *habitaturam justitiam*; cujus effectus mox enumeravit: supererat ergò ut quæ futura esset sors *Charmeli* antiqui, qui *in silvam* abierat, explicaret. Hanc in hoc versu habes, nempe quòd ejus pars ac sors sit *grando*, quæ in Scripturis symbolum est Divinæ vindictæ: non semel enim lapidibus è cœlo obruit Dominus hostes suos. ¶ *In descensione saltûs*] Infinitivus est, ut reddi possit *in descendendo in silvam*, i. *quando descenderit in silvam*, supple *Dominus*. Nam ה præpositum nomini Motum ad locum potest notare: Vel nomen est (ut accepit Vulg.) i. *Grando in silvam descendet*, in antiquam nempe *Charmel*, qui *in silvam versus est*; q. d. in Judaismum, in Judæam, & infideles Judæos, expertes justitiæ & bonorum cœlestium, quæ Spiritus de cœlo adveniens in suos diffudit. Super hos, inquam, *grandinabit*, & omnia adversa experientur. Nè quis autem ambigere posset quænam esset hæc *silva*, (ut nonnulli ex nostris, qui secuti Kimchium & alios Rabinos *silvam* materialiter accipiunt, quòd *non caderet grando in sata seu civitates, sed in silvas & saltus*) addit Propheta, ¶ *Et humilitate humiliabitur civitas*] Jerusalem enim præcipua erat spiritalis *Charmeli* pars, qui *in silvam* per infidelitatem *versus fuerat*. Sed bene est quòd hoc quoque ad prosperitatem detorquent, quòd propter securitatem civitates in vallibus possent ædificari. Neque pudet viros Christianos, & alioqui doctos, has interpretationes, imò Scripturarum luxationes perversionésque, ex Rabinis impiis mutuare & pro oraculis colere. Ergò illis verbis *habitabit in deserto judicium*, i. in eo qui olim desertum erat, respondet, *humiliabitur civitas*; illas autem, *justitia in Charmel sedebit*, respondet, *grando descendet in silvam*. Illic enim pro eodem accepit *desertum* & *Charmel*: nam *desertum in Charmel versum fuerat*. Hic quoque pro eodem *silvam* & *civitatem* accepit: nam *in silvam* vertenda erat & Civitas & omnis Judæa & universus Judaismus. Ludit autem in nominibus יער *silva* & עיר *civitas*; de quibus jam in superioribus dixi quòd ab eadem radice עור dicerentur, ab *excitando*: nam quæ eriguntur, sive ligna sive domus, Hebræi *excitari* dicunt. Velint, nolint ergò Judæi, venustè & non sine mysterio eandem rem utrumque nomen diversa ratione significare accipimus.

20. *Beati*] De voce אשרי, quòd adverbium sit & faustis acclamationibus deserviat, jam suprà annotavimus. Cæterùm quid alii partim Judaicè partim intempestivè hîc dicant, apud ipsos legere licebit: ego autem quid sentiam brevi sic habeto. *Bos* & *Asinus* animalia sunt: quorum operâ maximè agricolæ utuntur. Deinde ea loca quæ propinqua sunt rivis & fluminibus fertiliora esse nemo dubitat. Igitur cùm illam admirabilem rerum vicissitudinem, excisionis videlicèt Judæorum & electionis Gentium, quam multis verbis & narrat & admiratur Paulus in Epistola ad Romanos, Propheta enarrasset sub nominibus *Charmeli*, quæ regio erat fertilissima in Judæa, & *silvæ*, quæ infrugifera est; & spiritalem quandam agricolationem commemorasset per *Spiritum S.* de cœlo mittendum, à quo *justitia* propagaretur: & rursus ipsius *justitiæ effectus* nominibus מעשה & עבודה, i. *factura*, *laboris* seu *cultus*, significasset, quæ nomina etiam Rei rusticæ sunt usitatissima, spiritúque vidisset illius agricolationis felicem successum, multitudinem nempe fidelium, novum Dei populum, & inenarrabili felicitate fruentem; non potuit se continere Propheta quin sermonem hunc tantis mysteriis refertum epiphonemate clauderet, & agricolas novæ illius culturæ ministros beatos prædicaret: *O vos*, inquit, *felices* agricolas, qui in tam uberi solo labores vestros collocatis. Est expressum pronomen in Hebræo quod omittendum non est. *Felices vos.* De Apostolis est sermo, quibus sanctè invidere videtur Jesaias, cùm suos & aliorum Prophetarum labores penè inanes experiretur. ¶ *Qui seminatis*] זרעי. Hæc participii forma facit ut nomine verbali reddenda sit oratio. *Seminatores* dicere possemus, ut munus & officium significemus. Estque forma regiminis: & quod sequitur, est vice nominis. ¶ *Super omnes aquas*] Ita nos quoque Hyperbolicè loquimur, *Habet omnes aquas*, i. magnam aquarum copiam. Intelligit ergò eos qui in ripis seminant: nam על pro *juxta* seu *prope* frequenter accipitur. Aptissimè verò *omnes aquas* dixit pro *multis*: nam dignam pectore Prophetico, etsi tacitam, faciebat comparationem. Videbat Jesaias in arida se terra semina spargere, Apostolos verò *prope immensas aquas*: nam πλουσίως effundebatur illis diebus Spiritûs S. gratia. ¶ *Immittentes pedem bovis & asini*] Forma etiam participii משלחי exigit nomen quod munus significet, si aptè velis reddere, ac si diceremus, *immissores pedum bovis & asini*, i. agricolæ, qui animalibus terram colitis: q. d. *O felices vos agricolæ, qui tam uberem terram colitis, & in tam uberi solo prope tam copiosas aquas semina spargitis. Immittere* ergò *pedem bovis & asini* est Terram colere. Hinc discipulos dicebat Paulus *Dei agriculturam*, & se suosque esse *cooperatores Dei*. Et Dominus eos *operarios* vocat & *in messem mittendos*. Denique frequens est in Scriptura tropus hic, ut Minister verbi *agricola*, & verbum Dei *semen*, & corda hominum *ager* dicantur.

DRUSIUS.

2. וְהָיָה־אִישׁ כְּמַחֲבֵא־רוּחַ וְסֵתֶר זָרֶם. Alius, Καὶ ἔσαι ἀνὴρ ὡς ἀποκρυφὴ ἀπὸ πνεύματος καὶ λαίλαπος. Apud interpretem Symbolorum ex Eusebio, Sym. *Et erit vir quasi absconditus à spiritu & procella*] Malim *à vento & procella*, i. à vento procelloso. ¶ בְּצִיּוֹן. Th. *in Sion*, Ἐν Σιὼν] i. ציון. Hier. *Verbum Ebraicum* בציון, *quod dicitur* in siti, *sive* in siccitate *&* in invio, *Lxx & Th.* in Sion *interpretati sunt, pro* SAJON, i. siti, *legentes* SION, *quæ eisdem literis scribitur.*

14. בֹּחַן. Sym. *inquisitio*] Hier. *&* עפל בחן *Ebræi duas turres in Jerusalem fuisse arbitrantur excelsas atque firmissimas, quæ his appellentur nominibus. Quarum prior interpretatur* tenebræ *sive* nubilum, *quod usque ad nubes erigeret caput, altera* probamentum *&* firmitas, *sive, ut Symmachus vertit*, inquisitio, *eò quòd in contemplando culmine ejus oculi fallerentur.*

15. וְהָיָה מִדְבָּר לַכַּרְמֶל. Sym. καὶ ἔσαι ἡ ἔρημος εἰς Κάρμηλον, *& redigetur desertum in Carmelum*] Ex Eusebio. Citatur autem in Symbolis Patrum.

IDEM EX PROCOPIO.

1. הֵן לְצֶדֶק יִמְלָךְ־מֶלֶךְ. Sym. Ἰδὲ εἰς δικαιοσύνην βασιλεύσει βασιλεύς, *Ecce ad justitiam regnabit Rex*] Συμφώνως τοῖς ἄλλοις. ¶ וּלְשָׂרִים לְמִשְׁפָּט יָשֹׂרוּ. Οἱ λοιποὶ, καὶ ἄρχοντες εἰς κρίμα ἄρξουσι, *& Principes ad judicium imperabunt*] Vel *principatum gerent.*

2. וְהָיָה־אִישׁ כְּמַחֲבֵא־רוּחַ וְסֵתֶר זָרֶם. Sym. Καὶ ἔσαι ἀνὴρ ὡς ἀποκρυφὴ ἀπὸ πνεύματος καὶ λαίλαπος, *Et erit vir quasi absconsio à spiritu & procella*. Aq. ὡς κρύπτων πνεῦμα, καὶ ἀποκρυφὴ ἐντινάγματος, *ut abscondens spiritum, & absconsio impetûs.*

3. וְלֹא תִשְׁעֶינָה עֵינֵי רֹאִים. Sym. ἐκ ἀμαυρωθήσονται ὀφθαλμοὶ αὐτῶν *, *non obscurabuntur oculi eorum*] * ὁρώντων potiùs, i. *videntium.*

4. וּלְבַב נִמְהָרִים יָבִין לָדָעַת. Idem, Καὶ ἡ καρδία τῶν ἀκουόντων προσέξει τῷ ἀκούειν, *Et cor audientium attendet ad audiendum.* ¶ לְדַבֵּר צָחוֹת. Idem, λαλεῖν τρανὰ *ad loquendum deserta*, sive *perspicua.*

7. יָעָץ. Aq. Sym. Th. ἐβουλεύσατο.

8. וְנָדִיב נְדִיבוֹת יָעָץ וְהוּא עַל־נְדִיבוֹת יָקוּם. Sym. Ἄρχων δὲ ἀρχοντικὰ βουλεύσεται, καὶ ἡγεμὼν ἀναστήσεται, *Princeps verò quæ Principis sunt cogitabit, & dux erigetur.*

9. נָשִׁים שַׁאֲנַנּוֹת. Reliqui, γυναῖκες εὐθηνοῦσαι *mulieres bene habentes*] Aut *felices*, *abundantes*. Job. 3. 18. שאנו. Aq. εὐθήνησαν, *abundarunt*, *felices fuerunt*. Amos 6. 1. השאננים. Lxx τοῖς ἐξευθενῶσι. Suspicor leg. ἐξευθηνῶσι. Suspicor, imò non dubito. ¶ קֹמְנָה. Lxx ἀνάςητε *surgite*. Cæteri addunt δὴ, *nunc* vel *obsecro*. ¶ בֹּטְחוֹת. οἱ λοιποὶ, πεποιθῦιαι *freta*, aut *confidentes*. ¶ אִמְרָתִי. Aq. λόγιόν μου *eloquium meum*. Sym. τὰς ῥήσεις μου *verba mea*. Th. τὰ ῥήματά μου *verba mea.*

10. אֹסֶף בְּלִי יָבוֹא. Aq. συλλογὴ ἐ μὴ ἔλθῃ, *collectio non veniat*. Sym. ἐκωλύθη ἵνα μὴ ἔλθῃ, *prohibita est nè veniat.*

11. וַחֲגוֹרָה עַל־חֲלָצָיִם. Aq. καὶ ζώσασθε ἐπὶ ὀσφύας; *& accingimini super lumbos*] חגורה pro חגרנה.

12. עַל־שָׁדַיִם. Lxx ἀπὸ ἀγρῦ. Aq. ἐπὶ *super*. Sym. Th. περὶ *de*. ¶ עַל־גֶּפֶן פֹּרִיָּה. Aq. ἐπὶ ἀμπέλω αὐξητικῇ; *propter vineam augescentem*. Sym. περὶ ἀμπέλυ πολυφόρυ, *de vinea fertili.*

13.

13. אַל אַדְמַת עַמִּי. Sym. ἐπὶ τὴν γῆν τοῦ λαοῦ μου, *super terram populi mei.* ¶ קִרְיָה עַלִּיזָה. Sym. πόλιν γαυριῶσαν *civitatem efferentem se.*

14. עֲדָרִים. Aq. ἀγελῶν *gregum.*

15. רוּחַ מִמָּרוֹם. ἀνάψυξις ἐξ ὕψους; *refrigerium ex alto*] Videtur legisse רוח.

17. וָבֶטַח עַד־עוֹלָם. Aq. Sym. καὶ πεποιθήσεις ἕως αἰῶνος, *& confides in aeternum.* Th. καὶ ἐλπιεῖς.

G R O T I U S.

1. ECce *in justitia regnabit rex, & principes ejus in judicio praeerunt*] Ezechiæ futuras virtutes prædicit, ut suprà IX. 7. Qualis Rex est, tales esse solent principes. Martialis:

Nemo suos, (hæc est aulæ natura potentis)
Sed domini mores Cæsarianus habet.

Theudericus Gotthus: *Principis propositum facit aut negligere judices, aut amare virtutes.*

2. *Et erit vir*] Id est ille.

Sicut qui absconditur à vento] In Hebræo: *Sicut latibulum à vento.*

Et celat se à tempestate] In Hebræo: *Et confugium contra inundationem.*

Sicut rivi aquarum in siti] Virgilius:

——— *quale per æstum*
Dulcis aquæ saliente sitim restinguere rivo.

Et umbra petræ prominentis in terra deserta] In terra arboribus vacua.

3. *Non caligabunt oculi videntium*] Non erunt qui se Prophetas dicant falsa visa adferentes.

Et aures audientium diligenter auscultabunt] Veris Prophetis præbebitur audientia.

4. *Et cor stultorum intelliget scientiam*] Etiam qui tardissimo sunt ingenio Dei magnitudinem intelligent.

Et lingua balborum velociter loquetur & planè] Etiam infantissimi Deum laudabunt.

5. *Non vocabitur ultrà is qui insipiens est princeps*] נדיב εὐεργέτης [*Beneficus*], honesta appellatio viri principis. Vide Lucæ XXII 25. *Stultos* sive *insipientes* vocat, qui Deum aut Dei providentiam non credunt, ut Psal. XIV. & LIII.

Neque fraudulentus appellabitur major] כילי, qui hic *fraudulentus* vertitur, propriè est *avarus.* Quod autem hic est שוע, id alibi עשיר, & vertitur δυνάστης [*dynasta*].

6. *Stultus enim fatuè loquetur*] Causas reddit cur bonus Rex neque impiis neque avaris mandare debeat magistratus. Impius loquitur impia, & sic multos corrumpit.

Et cor ejus faciet iniquitatem] Nulla religio eum ab injustis factis prohibet. De nexu religionis & justitiæ vide quæ congessimus lib. II. de Jure Belli ac Pacis, cap. XX. ¶ 45. & in Annotatis.

Ut perficiat simulationem, & loquatur ad Dominum fraudulenter] Id est, dum se bonum piùmque esse simulat.

Et vacuam faciat animam esurientis] Spoliet egentem.

Et potum sitienti auferat] Nemini parcat.

7. *Fraudulenti*] *Avari*, ut jam diximus. Jam alterum malorum in Republica fontem describit.

Vasa pessima sunt] *Mensuræ ejus pessimæ sunt.* Per *mensuras* autem μεταφορικῶς [*translatè*] intellige judicia.

Ipse enim cogitationes concinnavit] Invenit commenta vafra.

Ad perdendos mites in sermone mendacii] *Ut homines miseros* (id est עניים, quomodo legunt Masoretæ) *per calumniam opprimat.*

Cùm loqueretur pauper judicium] *Cùm alloquitur pauperem in judicio.* Id est, cùm ut Judex pauperem interrogat.

8. *Princeps verò ea quæ digna sunt principe cogitabit, & ipse super duces stabit*] Vertas commodè: *Princeps erit qui generosa cogitabit, & in generosis actionibus perstabit.* Est argumentum ἐξ ἐτυμολογίας *ex vocabuli origine*], nam נדיב [*Princeps*] *à generositate* nomen habet. *Generositas* intelligenda, animi virtus ad benefaciendum quamplurimis.

9. *Mulieres opulentæ*] Hæc dicit ad mulieres oppidorum Judææ, quæ erant præter Hierosolyma.

Confidentes] Quæ securè vivitis.

10. *Post dies enim & annum*] Id est, intra triennium, ut suprà XIX. I.

Consummata est enim vindemia] Defecit.

Collectio ultrà non veniet] Id est, *messis*, quæ συγκομιδὴ [*comportatio*] Græcis dici solet.

11. *Exuite vos*] Pretiosis vestibus.

Accingite lumbos vestros] Ad operas ancillares vosmet parate.

12. *Super ubera plangite*] Seneca Troadibus:

Tibi maternis ubera palmis
Laniata jacent.

Super regione desiderabili] Judæa.

Super vinea fertili] Super tot vinetis.

13. *Super humum populi mei spina & vepres ascendent*] Id est, super fundos suburbanos apud Hierosolyma.

Quantò magis super omnes domos gaudii] Id est, amœnas villas.

Civitatis exsultantis] In Hebræo, *oppidum exsultans:* per enallagen & omissionem copulæ. Sensus est: & *super omnia oppida plena nunc lætitia.*

14. *Domus enim dimissa est*] Vacabunt villæ.

Multitudo urbis relicta est] Oppida illa erunt vacua.

Tenebræ & palpitatio facta sunt super speluncas in æternum] Legit שפל ובחל [*tenebræ & terror*]. At nos habemus עפל ובחן [*turris & castellum*]. Sensu optimo: *Turres & castella fient speleæ ferarum in longum tempus.*

Gaudium onagrorum] Onagri ibi pascent, ut in locis desertis.

Pascua gregum] Nullo prohibente vagantium. Vide suprà VII. 24.

15. *Donec effundatur super nos spiritus de excelso*] Donec amor Dei erga nos appareat, ut suprà XXX. 18.

Et erit desertum in Charmel, & Charmel in saltum reputabitur] Explica ut suprà XXIX. 17.

16. *Et habitabit in solitudine judicium*] Deus Assyrios illos graviter puniet. Vocat illos מדבר [*desertum*] ob id quod fuerunt, nempe elati, ut montes silvosi.

Et justitia in Charmel sedebit] Bonitas Dei se aperiet ergà Judæos, qui fuerant velut terra humilis.

17. *Et erit opus justitiæ pax, & cultus justitiæ silentium*] Rectiùs: *Et proventus justitiæ tranquillitas.* Dei bonitas nobis pariet pacem ac securitatem. Vide suprà IX. 7. XI. 6. hîc suprà I.

19. *Grando autem in descensione saltûs*] *Grando autem descendet super silvam.* Super montes silvosos, id est, ut jam diximus, Assyrios. *Grando* Dei iram significat, suprà XXVIII. 2. & in Psalmis sæpe.

Et humilitate humiliabitur civitas] Babylon. Vide suprà XIII.

20. *Beati qui seminatis super omnes aquas*] In Hebræo: *Beati vos qui seretis ad omnes aquas.* Vos Judæi qui sementem facietis in locis irriguis, & ob id valde feracibus.

Immittentes pedem bovis & asini] Tantâ omnium frugum copiâ, ut etiam jumentis permissuri sitis ibi pasci.

CAP. XXXIII.

M U N S T E R U S.

1. ET *non es devastatus*] Sensus est, Væ tibi, exercitus Assyriorum, qui nullis lacessitus injuriis omnes terras conaris devastare. Et nota quòd verbum כנלתך est à radice נלה, à quo fit verbum Hiphil הנלה idem significans quod השלים *perfecit.*

3. *A voce tumultûs*] Quem scilicet Angelus Domini excitavit in castris Assyriorum, percutiendo multa millia, &c. ¶ *Ab exaltatione tua*] i. Quia superior fuisti hostibus nostris, ideo qui relicti sunt fugerunt & dispersi sunt.

4. *Collectionis bruchorum*] Kimhi hunc locum sic exponit, *Current passim omnes homines ad castra Assyriorum, haud secus quàm cùm homines ad colligendos bruchos, prima nascentia depascentes folia, egrediuntur urbem.*

6. *Erit fides*] Capitur hîc secundùm Hebræos אמונה pro קיום, ut sit sensus, *Stabilietur vobis in tempore vestro pax & salus, si occupemini in sapientia, scientia & timore Domini, qui unicus thesaurus vester est.* Nostri qui pro *fide* exponunt, dicunt probatam fidem obsessi populi. Fides enim quæ antea in paucis fuit, jam aucta est.

7. *Ecce nuncii*] אראלם pro מלאכים. *Nuncii*, inquit, qui primùm *prædicaverunt pacem*, adveniente hoste, *flebunt amarè.*

8. *Dissolvit fedus*] Verba sunt incredulorum conquerentium, Usqueadeo deseruit nos Deus ut videatur *dissolvisse pactum* quod nobiscum iniit, &c.

9. *Luxit*] *Lugere* dicitur terra quando devastatur. Vel capitur *terra* pro *habitatoribus terræ*. ¶ Porrò החפיר capitur hic pro verbo שבר, non obstante quòd est de conjug. Hiphil.

10. *Nunc exultabor*] Est hic אתרומם passivum in quadrata conjugatione; & non est Mem finale affixum, ut Oecolampadius perperam sentit.

11. *Spiritus vester*] Qui scilicet vos impulit contra Jerusalem, occasionem dabit ut *ignis vos devoret* & quasi in *calcem* redigat.

14. *Paverunt peccatores*] Hoc dicitur de incredulis Israelitis, qui desperantes de auxilio Domini, dicebant, Quis ex nobis superstes manebit ab exercitu Assyriorum, qui omnia loca nostra in favillas rediget? Et respondet Propheta, *Qui ambulat in æquitate*, &c. hic tutior erit quàm si arcem fortissimam haberet in sublimi petra exstructam.

18. *Cor tuum meditabatur terrorem*] Secundùm Hebræos hunc habet sensum. Qui priùs semper fuisti in timore, dicens, *Ubi est scriba* qui exigit à nobis tributum? *ubi est qui librat* pecuniam nostram? *ubi est scriba qui annotare solet magnificentiores domus*, à quarum habitatoribus plus exigitur tributi? nunc ab illa solicitudine liberaberis. Nam *non videbis ampliùs populum* illum extraneum & *impudentem*, *cujus labium* & balbutientem *linguam non intelligis*: quin magis *videbis Jerusalem urbem tutissimam*, & *tabernaculum* quidem *non ad solum deponetur*, *nec paxilli aut funes ejus*, quibus extensum est, *laxabuntur*. *Nam dominus est* circa eam *loco foveæ* seu *fluvii latissimi*, *quem*, ipso protegente, *nulla navis*, *quantumvis multis instructa remis*, *trajicere potest*.

23. *Laxati sunt funes tui*] Hoc dicitur de exercitu Assyriorum, qui navi *malo* destitutæ, & à *funibus* atque *velo* dissoluto comparatur, quæ ob id arbitrio ventorum in mari jactatur, & tandem procellis obruta in profundum demergitur. Atque cùm simile quiddam Assyriis accidisset, nullus fuit in Jerusalem tam *infirmus* & *claudus* qui non cum gaudio exsiliret & *ad prædam excurreret*.

VATABLUS.

1. CUm *consummaveris* כהתמך] *Cùm desieris*, *absolveris*.

2. *Te exspectavimus* לך קוינו] *In te speravimus*: *tibi confisi sumus*. ¶ *In matutinis* לבקרים] *Per singulos dies*. *Manè* pro *die* per Synecdochen.

3. *A voce tumultûs* מקול המון] *Ob tumultum strepitûs*. ¶ *Fugerunt* נדדו]. Præt. pro fut. ¶ *Ab exaltationibus tuis* מרוממתך] *Ob sublimitatem tuam*: vel *altitudinem*: sive *celsitudinem*.

4. *Sicut incessus*, &c. 'כמשק וגו] *Gressu locustarum gradietur per illum*, sub. *exercitum Assyriorum*. Intellige incessum continuum & assiduum; non intermissum; vel quasi hominis nihil timentis. Alii, *secundùm discursum locustarum pergens illuc*. Alii, *eritque quasi discursus locustarum qui discurrit in eo loco*: i. quemadmodum ambulant locustæ per segetes, illas vastando, itidem Angelus per castra Assur, illa consumendo.

5. *Exaltabitur* נשגב] *Exaltatus*, sub. *erit*.

6. *Firmitas* אמונת] *Stabilitas*. Alii, *fides aut veritas*. ¶ *Temporis tui* עתיך] i. Felicitatis tuæ. ¶ *Salutum* ישועת] Quidam distinguunt, *fortitudo*, *salutes*, &c. ¶ *Et scientia* ודעת] *Et cognitio*.

7. *Nuncii eorum* אראלם] Ad verb. *nuncius eorum*: i. singuli nuncii: vel est sing. pro plur.

8. *Desolata sunt* נשמו] Præterita Heb. pro fut.

9. *Destructa est*, *desolata est* אבל אמללה] *Luxit*, *infirmata est*: vel *emarcuit*. ¶ *Planities* השרון] *Saron*: plana regio & ferax. ¶ *Et excussus est* ונער] *Et excussit*, sub. *fructus suos in terram*.

10. *Elevabo me* אנשא] *Extollar*.

11. *Concipietis quisquilias* תהרו חשש] Per *conceptionem* intelligit cogitationem; & per *partum* exsecutionem consilii: q. d. Vos conati estis perdere populum meum, sed frustrà; conatus enim vester futurus est irritus; non potiemini voto vestro.

12. *Incendia* משרפות] i. Similes lapidibus qui incenduntur & excoquuntur in fornace, ut vertantur in calcem.

14. *Impios* חנפים] *Hypocritas*. ¶ Ex *nobis* לנו] *Nobis*: i. propter nos. Chald. *ex nobis*. ¶ *Cum ardoribus perpetuis* מוקדי עולם] Ad [sive juxta] *incendia sempiterna*.

15. *Qui reprobat* מאס] *Qui spernit*: i. qui spernit opes oppressione aliorum partas. ¶ *Sanguinem* דמים] Ad verb. *sanguines*, i. cædem: qui non vult audire eos qui loquuntur de patranda cæde.

16. *Munitiones*, &c. 'מצדות וג] *Propugnacula petrarum elevatio ejus*: i. asylum ejus, vel perfugium. ¶ *Dabitur* נתן] Præt. Heb. pro fut. ¶ *Stabiles* נאמנים] *Fideles*. Alii, *certæ*, aut *perseverantes*: i. non destituetur aqua.

17. *Longinquam* מרחקים] Ad verb. *distantiarum*: i. remotam & multùm distantem: q. d. Solutâ obsidione, cùm restitutus fuerit Rex tuus in pristinam dignitatem, tibi licebit securè peregrinari ad regiones multùm distantes à Jerusalem. Doctus inter Hebræos dicit futurum esse pro præterito, *qui viderunt Regem terræ longinquæ*, nempe Regem Assyrium ad mœnia Jerusalem.

18. *Scriba* ספר] Significat eum qui conscribit nomina eorum qui pendere debent tributa: q. d. Patieris quidem multa ante illa tempora, sed tandem liberaberis. Tu videberis tibi semper videre, & putabis semper adesse qui exigat tributa. ¶ *Ponderator* שקל] Significat eum cui numerari debent tributa ad pondus. ¶ *Turres* המגדלים] i. Domos & ædes majores, pulcriores & clariores, quæ scilicet solent majus pendere tributum.

19. *Fortem* נועז] Ad verb. *fortificatum*, i. robustum, multis copiis auctum, aut trahentem secum multas copias. Chald. *Dominum populi fortis* [i. Chaldæorum] *non videbis*. ¶ *Profundæ*, &c. עמקי שפה משמוע] Ad verb. *profundæ linguæ ab audiendo*, i. cujus sermo obscurior est quàm ut intelligatur. ¶ *Blæsum linguâ* נלעג לשון] *Balba lingua*. ¶ *Quem non possis*, &c. אין בינה] Ad verb. *non intelligentia*: i. utentem sermone non intelligibili: q. d. qui non videbitur loqui, sed potiùs balbutire.

20. *Respice* חזה] *Contemplare*. Imperat. Heb. pro fut. *Aspicies*. Mox etiam sequitur futurum, i. videbis adhuc solennitates celebrari in Jerusalem, quæ futura est in summa pace & tranquillitate. ¶ *Nec migrabunt clavi ejus* בל יסע יתדתיו] *Nec proficiscentur paxilli ejus*, i. non transferentur aut amovebuntur paxilli ad quos religantur capita funium.

21. *Fortis* אדיר] *Magnificus*. ¶ *Latorum* רחבי ידים] Ad verb. *latorum locis*, vel *spatiis*. Quidam, *spatiis amplorum*. ¶ *Magna* אדיר] *Ingens*. Alii *magnifica*, i. quem nulla navis, sive magna, sive parva, transmeare potest.

23. *Laxati sunt* נטשו] Præt. Heb. pro fut. Alii *deserentur*, *derelinquentur*, sub. *à nautis*. Perstat in Metaphora sua, & comparat exercitum qui periit navi & nautis qui patiuntur naufragium. Quando enim desperant de salute sua, deserunt funes quibus malus firmatur, & velum extenditur. ¶ *Præda*, & *spolia multa* עד שלל מרבה] *Præda spoliorum multorum*.

24. *Ægrotus sum* חליתי] *Malè habeo*, propter afflictiones scilicet. Præt. Heb. pro præs. i. vivent postea in summa tranquillitate, nec affligentur ultrà. ¶ *Populo*, &c. 'העם וגו] Ad verb. *populus qui habitat in ea*, erit *remissus peccato*. Quidam, *populus habitans in ea*, *solutus* erit *à peccato*, i. carebunt omni ægritudine, & corporali & spirituali.

CASTALIO.

1. O *Tu qui vastas*, *neque vastaris ipse*, &c.] Sennacheribum alloquitur.

2. *Quorum tu brachium esto maturè*] Relativum *quorum* in Hebræo tertiæ personæ pronomen est, *eorum*, quod sæpe quamlibet personam refert, ut apud Latinos *Qui*: ut paulò post quod interpretamur, *Tu cujus thesaurus*, &c. in Hebræo est *ejus*, quod pro relativo frequenter ponitur, ut Psal. 115. ubi sic ad verbum legitur, *Israel*, *confide Jova*: *adjutor & defensor eorum est*, h. e. *Israelitæ*, *confidite Jovæ*, *quorum*, scilicet vestri, *adjutor est*. Talia invenies & initio capitis 54. & alibi sæpe.

7. *Legati pacis*] De pace ad Sennacheribum missi.

8. *Fœdus violat*] Scilicet Sennacheribus.

15. *Qui se justè gerit*, *æquumque loquitur*, &c.] Boni beati futuri sunt, Psal. 15. ¶ *Aurem*, *nè sanguinem audiat*, *obstruit*] Nè ei persuadeatur ut injuriam faciat.

17. *Videbis remotam terram*] Cœlestem Hierosolymam, quæ nunc abest.

18. *Attonito sic cogitabis animo*, *Ubi est scriba? &c.*] Miraberis jam nusquam esse Scribas, &c. h. e. vos esse alienarum gentium servitute liberatos.

23. *Remissi funes tui neque malum firmabunt suum*, *neque velum extendent*] Alloquitur hostium classem.

24. *Data noxa venia populo in ea manenti*] Scil. Hierosolymâ.

CLARIUS.

1. VÆ *qui prædaris*] Varios affectus miscet Prophetiis increpando, consolando, precando, gratias agendo. Hoc autem versu insultat hosti, nimirum Sennacherib, & ait, Væ tibi, exer-

exercitus Assyriorum, qui nullis lacessitus injuriis omnes terras conaris devastare. Et mox convertitur per preces ac canticum ad Deum.

2. *Esto brachium nostrum*] Heb. *Esto brachium eorum*, nempe, *qui sperant in te*, *fidelium tuorum*. Frequens enim est apud Prophetas mutatio personarum, cùm sequatur mox, *& salus nostra:* sed reliquimus ut erat, cùm non mutetur sensus, ut obsequeremur consuetudini. ¶ *Mane*] Intellige assiduè & tempestivè.

3. *A voce tumultûs*] Quem scilicet Angelus Domini excitavit in castris Assyriorum, percutiendo multa millia. ¶ *Ab exaltatione tua*] Quia superior fuisti hostibus nostris, ideo qui relicti sunt fugerunt & dispersi sunt.

4. *Et congregabuntur spolia vestra*] Alius sic vertit, *Et colligetur præda, quæ vestra erit, in modum collectionis bruchorum; eritque quasi discursus locustarum, multitudo pergens ad illa:* & est sensus, current passim omnes homines ad castra Assyriorum haud secùs quàm cùm ad colligendos bruchos prima nascentia depascentes folia homines egrediuntur urbem. ¶ *Velut excursus locustarum excurret ad ea*] Vel sic, *& quantâ copiâ incedere solent locustæ, obvia erunt tibi spolia incedenti per ea.*

6. *Et erit fides*] *Fides* hìc pro *stabilimento* ponitur; quam etiam *veritatem* quidam vertit: ut sit sensus, *Stabilietur vobis in tempore vestro pax & salus, si occupemini in sapientia, scientia & timore Domini, qui unicus thesaurus vester est.*

7. *Ecce nuncii*] *Nuncii*, inquit, qui primùm *prædicaverunt pacem*, adveniente hoste, *flebunt amarè:* ut sit *angeli pacis* pro *nuncii amatores pacis.* Et quid dicent? *Dissipatæ sunt viæ, irritum factum est pactum.* Verba sunt incredulorum sic conquerentium. Usque adeò deseruit nos Deus ut videatur *dissolvisse pactum* quod nobiscum iniit.

9. *Confusus est Libanus*] Quatuor hic fines Judææ nominantur, ad Septentrionem *Libanus*; ad Occidentem *Saron*, quæ est juxta Lyddam & Joppen; ad Orientem *Basan*; ad Meridiem *Carmelus:* duo enim Carmeli in Judæa, unus quâ itur in Ægyptum, alter juxta Ptolemaidem juxta mare.

11. *Concipietis festucam*] Alloquitur hostes, dicens eos parare sibi ipsis malum, quod passuri erant. Cogitationes enim malorum ipsæ sibi malum pariunt. *Spiritus*, inquit, *vester*, qui vos impulit contra Jerusalem, occasionem dabit ut *ignis vos devoret* & quasi in *calcem* redigat.

12. *Quasi de incendio calcis*] Scilicet erepti.

13. *Audite qui longè estis*] Ecce aliud canticum in persona Dei. *Audite*, inquit, hostes *qui de longinquo venistis*, *& vicini* vos Israelitæ.

14. *Conterriti sunt*] Hoc dicitur de incredulis Israelitis, qui desperantes de auxilio Domini dicebant, Quis ex nobis superstes manebit ab exercitu Assyriorum, quia omnia loca nostra in favillas rediget? Et respondet Propheta, *Qui ambulat in æquitate*, &c. hic tutior erit quàm si arcem fortissimam haberet in sublimi petra exstructam.

15. *Qui projicit avaritiam ex calumnia*] h. e. Lucrum ex calumniis paratum. ¶ *Nè audiat sanguinem*] h. e. Nè acquiescat consilio insidiantium sanguini.

16. *Aquæ ejus fideles sunt*] h. e. Perennes, nec deficientes.

17. *Regem in decore suo videbunt*] Quem scilicet priùs sacco indutum viderant. ¶ *Cernent terram de longè*] Quidam interpretatur, *Terræ longinquarum regionum videbunt Regem.* Alius sic, *Futura erit sicut in civitate securitas, ità & extrà. Videbis enim*, inquit, *terram evacuatam hostibus, ut liceat longinquas frequentare provincias, & ab alienigenis frequentari.* At verior interpretatio erit, *Cernent terram in qua degunt qui longè absunt hinc*, i. cœlum: *ibi etiam Rex videbitur in decore suo.*

18. *Cor tuum meditabitur timorem*] Quod quidam sic interpretantur, *Admiraberis, dicens, Ubi scriba? ubi quæstor?* &c. q. d. Tam repentè cessaverunt exactores? Alius verò sic vertit, *Cor tuum meditabitur timorem, ubinam esset scriba, ubi ponderator, ubi qui annotaret domos insigniores. Populum impudentem non videbis, nec populum qui profundi est labii audies, cui stridula est lingua absque intelligentia*, &c. Et secundùm Hebræos hunc habet sensum, *Qui priùs semper fuisti in timore, dicens, Ubi est scriba qui exigit à nobis tributum? Ubi est qui librat pecuniam nostram? Ubi est scriba qui annotare solet magnificentiores domos, à quorum habitatoribus plus exigitur tributi? nunc ab illa solicitudine liberaberis. Nam non videbis ampliùs populum illum extraneum & impudentem, cujus labium & balbutientem linguam non intelligis: quin magis videbis Jerusalem urbem tutissimam; & tabernaculum quidem non ad solum deponetur, nec paxilli aut funes ejus, quibus extensum est, laxabuntur. Nam Dominus est circa eam loco fluvii latissimi, quem ipso protegente nulla navis, quantumvis multis instructa remis, trajicere potest.*

23. *Laxati sunt funiculi tui*] Hoc dicitur de exercitu Assyriorum, qui navi *malo* destitutæ, & à *funibus* atque *velo* dissoluto comparatur, quæ ob id arbitrio ventorum in mari jactatur, & tandem procellis obruta in profundum demergitur. Atque cùm simile quiddam Assyriis accidisset, nullus fuit in Jerusalem tam *infirmus* & *claudus* qui non cum gaudio exsiliret & *ad prædam excurreret.*

FORERIUS.

1. *Spernis*] Verbum בגד solet reddere Vulg. ferè semper verb *prævaricandi*; hic verbo *spernendi* reddidit. Quod autem hic interrogativè legit, possumus sine interrogatione cum Hebræis accipere, & præteritum בגדו id evincere videtur, *& non deprædati sunt te.* At qui Vulgati sensum amplectatur, pro futuro positum dicet, *& non deprædabuntur te?* Sensus tamen juxta Hebraismum planus est, *Heus tu qui alios devastas, hactenus à nemine devastatus; & heus tu qui alios impetis, & nemo te hactenus impetiit.* Juxta historiam autem sermo est de Assyrio; qui tamen typum gerebat hostis humani generis, & hostium populi Dei. Videbis autem Prophetam ità historiam persequentem ut multò plura ejus verba mysterio quàm historiæ aptiùs accommodentur: Quam interpretandi rationem qui non sequitur, nunquam, ut ego quidem judico, Prophetas intelliget. ¶ *Cùm consummaveris*] Illa forma orationis Hebraicæ, *Secundùm dicere te, secundùm facere te*, &c. optimè redditur, *Ubi dixeris, Quàm primùm feceris*, &c. Rectè etiam Vulg. infinitivum vertit in nomen, *deprædationem, devastationem*, &c. i. *Ubi ad perfectionem perduxeris vastationem, vastaberis:* quod multò veriùs de Diaboli imperio intelligitur, qui tunc de imperio excidit quando ad summam impietatis, quâ spiritalis vastatio constat, homines pertraxisset, quàm de Assyrio, qui non expugnatâ Civitate sanctâ deletus est. ¶ *Defatigatus desieris*] Unum verbum Hebræum duobus reddidit, neque alibi legitur. Ex affinibus autem videtur significare *adimpletionem* seu *consummationem*; & ità reddit doctus quidam Hebræus, *cùm adimpleveris* vel *consummaveris.* Sennacherib autem non perduxit vastationem ad consummationem, sed Diabolus, ut jam dixi.

2. *Domine, miserere nostri*] Solenne est Prophetis, quando significare volunt quàm celeriter oppressis affuerit Deus, dum historiam narrant obiter, quasi per Parenthesin brevem orationem inserere quâ ad Deum usi sunt, ac mox liberationem attexere. In Psal. 116. *Circumdederunt me dolores mortis; pericula inferni invenerunt me. Tribulationem & dolorem inveni; & nomen Domini invocavi. (O Domine libera animam meam) Misericors Dominus & justus, & Deus noster misertus est*, &c. & passim in aliis Ps. Primo itaque versu vastandum Assyrium dixerat; hic secundus orationem continet quâ usi sunt; at tertio ad narrationem redit. Vel certè cogitans Propheta quantâ benignitate Dominus civitatem Jerosolymam defendisset, talem optabat quòd semper experiretur Dominum populus; idque precabatur magno animi affectu, quem continere non potuisse videtur. ¶ *Brachium nostrum*] Mutatio est personæ, licèt Vulg. primam retinuerit. Heb. *esto brachium eorum.* Notat autem hanc fuisse ipsius Prophetæ orationem. *Brachium* autem pro *viribus* & *auxilio* passim accipit Hebraismus. ¶ *In manè*] Vox est in plurali; & solet accipi distributivè, i. *singulo quoque manè.* Psal. 73. *Castigatio in singulis manè*, & Psal. 101. Non quòd *tempus matutinum* tantùm notet, sed est quod Latinè dicas *omnibus diebus quibus illuxerit:* q. d. Nunquam oriatur lux quin nos in gratiam tuam recipias: nobis adsis, equidem de hac re primo loco agimus; etiam in obsidione nihil nobis antiquius est tuâ gratiâ & favore: sed & hoc quoque petimus, ut ab hac angustia nos liberes. Vides quo ordine sint à Deo petenda ea quibus indigemus. Quòd si hæc oratio est Jesaiæ, ut dixi, nè prætereas quòd cùm gratiam petiit, quæ in singulos dies nobis necessaria est, seipsum quoque comprehendit, *gratificare nobis, miserere nostri*, &c. at cùm secundo loco liberationem ab angustia petiit, personam mutavit, *esto brachium eorum.* Justus enim, cùm de corporalibus afflictionibus agitur, plùs de aliis solicitus est, quos videt mala pati, quam de se ipso, qui paratus est in mediis afflictionibus gaudere.

3. *Angeli*] Non ignoravit Vulg. significationem propriam nominis המון, quam sæpe propriè interpretatur, nunc *multitudinem*, nunc *tumultum:* nam utrumque sign. ut jam suprà dixi. Sed quia de *strepitu* quem excitavit Angelus quando ad percutiendos Assyrios descendit, erat sermo, ut apertiùs quod accidisset

disset significaret, *Angelum* dixit. Alioquin affixum illud pronomen quod sequenti nomini additur, *ab elevatione tua*, more Hebraico ad nomen quoque *strepitûs*, quod præcessit, pertinet, ut dicendum sit, *A voce strepitûs tui aufugerunt: ab elevatione tua*, &c. Interdum enim in priori ponunt quod in posteriori repetendum est, interdum contra: exempla sunt obvia. Quare falli eos qui prius ad Judæos, posterius ad Assyrios referunt, res ipsa ostendit. ¶ *Fugerunt*] Dispersi sunt Assyrii. Nam nonnulli cum Rege ad Assyriam usque aufugerunt; pluribus in ipsa fuga, vel etiam antè quam fugere inciperent, interceptis. Nam, ut suprà dictum est, audita sunt tonitrua, &c.

4. *Sicut colligitur bruchus*] Sensum optimè reddit. Solet autem nomen חסיל nomine *bruchi* reddere. *Bruchus* autem a *stridore* dicitur quem corrodendo edit, si Græcam Etymologiam spectes. Cæterùm an sit locustæ species Bruchus ignoro, quamvis passim id affirment. Verùm cùm dicant alis carere, & vermem esse, non video quo pacto huic loco conveniat. Vox autem Hebræa *locustæ* speciem notat, ut apparet ex 1 Reg. 8. & Psl. 78. & ex hoc loco. Nam in acervos colliguntur, & aut foveis aut aquis occiduntur tam in Oriente & Africa quàm in Hispania. Si etymon autem vocis attendas, ab *absumendo* dicitur. ¶ *Cum fossa plena fuerint*] Sensum attendit Vulg. non verba: nam ad verbum reddi debet, *sicut excursio locustarum excurrit in ipsa*. *Excursionem* autem vocat locustas ipsas excurrentes, depopulantes vel grassantes. Sensus ergò hic esse potest, videlicet ut comparentur Assyrii ipsorúmque spolia ipsis Locustis tempore collectionis, quo hinc atque illinc excitatæ atque fugatæ in unum locum confluunt; & hoc secundo membro exponat prius; *sicut*, inquit, *excurrentes locustæ excurrunt in ipsa collectione*, i. sicut agmen locustarum eo tempore quo colliguntur excurrunt, & ad unum aliquem locum conglomeratim expelluntur, &c. Potest etiam alius esse sensus, ut comparentur hic collectores spoliorum collectoribus locustarum; *sicut*, inquit, *excursio locustarum quæ fit in locustas*, i. sicut excurrentes in locustas excurrere faciunt ipsas tempore collectionis, vel ad ipsam collectionem; ità Jerosolymitani cives summo studio & alacritate ad diripienda spolia properabunt, nemine resistente. Et sive hoc sive illo modo accipias, cogita quòd quamvis locustarum agmina plurimùm noceant, cùm ad ipsas fugandas & interimendas conveniunt homines, minimo negotio infinita eorum agmina aut igni absumunt aut submergunt: imbelles enim sunt, neque juxta vim quam ad nocendum habent, sunt illis vires quibus resistant, aut prudentia. Hinc mentem attolle ut cogites quàm innumerabiles hostium phalanges Christus Dominus per imbelles & inermes Discipulos fregerit, fuderit, eorúmque spoliis Civitatem suam ditaverit, &c. Vulg. גבים pro *fossis* accepit, quasi esset à גבא, ut Jer. 14. videtur tamen habere cognationem cum גב, fortè quòd, cùm agminatim volant, similitudinem fornicis præ se ferant, cœlúmque operiant velut nubes.

5. *Magnificatus est*] Prorumpit in laudem Dei, videns miraculosam hostium stragem. Sed ut intelligas in victoria illa vidisse Prophetam alteram multò ampliorem, aliam spoliationem multò digniorem, aliásque divitias alterius Jerusalem, lege quæ sequuntur. Nota tamen interim כי hîc relativè accipi pro אשר, ut Exod. 13. 17. Prov. 11. 15. & cap. 20. 16, &c. in quibus locis Vulg. quoque pro relativo accepit, & vertit, *Magnificatus est*, vel *Exaltatus est*, séque excelsum ac magnum hâc ipsâ re ostendit; ille, inquam, *habitator excelsi*: qualéque habitaculum habet, talem sese ostendit. ¶ *Judicio & justitiâ*] Hæc sunt Assyriorum spolia. Nam cùm videt Dei populus potentiam Domini atque hostium suorum stragem, *justitiam discunt*, &c. Vel quia hostes occisi sunt, ut viverent, & ut ad novam Ecclesiam justificati pertinerent, dicitur ob multiplicationem justorum *impleri judicio & justitiâ*. Huc facit versus sequens.

6. *Erit fides*] אמונה hîc cum Vulg. accipio pro *fide*, ut sæpe accipitur, i. pro *fidelitate* seu *in fide data constantia*, & *veritate in promissionibus*. ¶ *Temporibus tuis*] In Hebraismo videtur esse in genitivo, *fides temporis tui*, vel *temporum tuorum*: sed sensus ferè idem est, *Fides temporis tui erit divitiæ*, &c. vel, *Tempore tuo erit fides* appositivè *divitiæ*, &c. Est autem sermo ad novam Jerusalem; *Temporibus tuis*: quod qui non intellexit, *tuis* vertit in *suis*. Sed emendati codices juxta Hebræum *tuis* habent. ¶ *Divitiæ*] חסן: de verbo dictum est suprà cap. 23. *non recondetur*, &c. Hinc nomen hoc, i. *thesaurus* scilicet *reconditus & protectus*. Non malè ergò Vulg. *divitias* dixit. Quæ autem sequuntur nomina omnia in genitivo accipi possunt. Nam Christianorum *fides* seu *fidelitas* (utroque enim modo accipi potest) est *thesaurus* quidam *salutis*, *sapientiæ & scientiæ*. Nulla enim religio est quæ salutem contineat in se, quæque sapientiam veram spiret, nisi religio fidei Christianæ. Olim quidem *sapientes* dicebantur Judæi soli; nunc verò Christiani tantùm sapientes sunt. Quòd si quæras ubinam asservetur hic thesaurus, ¶ *Timor*, *inquit*, *Jehova est theca* (seu *penus*) *ipsius*] אצר enim primariâ significatione *locum* seu *rem* sign. *in qua reconduntur alia*; secundariâ autem *ea quæ reconduntur*. 2 Par. 32. *Fecerat sibi thesauros pro argento & auro*, &c. Ergò hîc pro *theca* seu *apotheca* seu *penu* accipio: nam in *timore Domini* tanquam in ditissima *theca* continetur *salus*, *sapientia*, *& scientia*. Unde illud Prov. 1. *Principium sapientiæ timor Domini*, arbitror accipiendum quòd *summa sapientiæ sit timor Domini*: vox enim ראשית non rarò id significat. Quòd si אמונה pro *firmitudine* accipiamus, ut interdum solet, ut Exod. 17. *Et fuit manibus ejus firmitudo* (seu *virtus*) *usque ad occasum Solis*, &c. sensus non abjiciendus alter hujus loci talis erit, *Erit firmitudo temporum tuorum thesaurus salutis, sapientiæ & scientiæ*. Dixerat enim pro spoliis & divitiis, quibus implenda esset Jerusalem, ad mysterium nimirum attendens, *impleturum Dominum Tsion justitiâ*. Nè quis autem carnalis has divitias contemneret denunciat Tsioni quòd non *consisteret* aut *firma staret* divitiis mundi, in quibus solent homines confidere, quásque *nervos belli* vocant; quinimo *firmitudo illius temporis esset thesaurus* non auri & argenti sed *salutis*, *sapientiæ & scientiæ*, i. multiplex *salus*, quæ gratiâ & justificatione constat, & multiplex ac vera *sapientia* & *scientia*. Satis enim firmus, satis tutus est qui salutem per Christum est assecutus, & sapientiâ Christi, quæ mundo est stultitia, præditus est. Tantorum autem bonorum *apothecam* si quæris, scito esse *timorem Jehova*. Potes & sic distinguere, & fortè aptiùs, *Firmitas temporum tuorum erit thesaurus salutis*, nempe *sapientia & scientia: timor Domini est theca ipsius*: ut scilicet *Sapientia* dicatur *thesaurus salutis*, isque in *timore Domini* reperiatur.

7. *Videntes*] אראלם. De hac voce non constant sibi Hebræi, neque nostri: neque mirum: nam in hac forma alibi non legitur. Qui ex Hebræis dicunt esse nomen Angeli, neque quod dicunt probant, neque intelligunt. Vulgatus secutus est eos qui à verbo ראה *vidit* formant nomen. Neque desunt inter Hebræos qui dictionem dividant, i. *ostendam eis*, vel *apparebo illis*. Sed mihi magis placet quod doctissimus Hebræorum Benhezra dicit, esse אראלי idem quod אריאל, de quo suprà cap. 29. cum defectu Jod. Sicut etiam apud Ezechielem legitur הראל: q. d. *Ecce Leo fortis eorum*, i. Ecce Jerosolymitani, qui arcem habent munitissimam & Templum, ob quæ videbantur posse non timere, sicut Leo alias bestias non timet. *Ecce*; inquam; isti *clamant* præ angustia *foris*, in plateis. Præsidiarios ergò & prætorianos milites nomine *leonis fortis* collectivè hic accipio. ¶ *Angeli pacis*] *Nuncii*, quos ad Assyrios mittunt *pro pace*, reversi *flebant*, & quæ viderant & audierant flentes narrabant. Est autem hoc versu & duobus seq. descriptio rei per Hypotyposim. Inserit enim res hostium & res Judæorum, & quæ Deus pro Jerosolymis fecerit, ut venustior & plausibilior sit oratio; & singula singulis collata magis elucescant.

8. *Dissipatæ sunt*] Hæc sunt vel quæ *nuncii flentes* narrabant, vel ipsius rei narratio. Inter cæteras autem maledictiones quæ transgressoribus Legis proponebantur Levit. 26. hæc una erat, *Deserta fient viæ vestræ*. ¶ *Irritum fecit pactum*] Non dubium quin de Assyrio sit sermo. Reges enim Jehuda fœdus cum Assyrio inierant, ut ipsos juvaret adversùs Syros & Israelem. Fœdus & amicitiam Ahaz patris Ezechiæ cum Rege Assyriorum habes 4 Reg. 16. Insuper & ipse Ezechias videns quòd venisset Assyrius ut Jerusalem caperet, vastarétque totam Judæam, misit ad ipsum Legatos pro pace, & Assyrius indixit ei trecenta talenta argenti & triginta talenta auri; quæ & Ezechias persolvit, ut à se recederet. Ille verò & pecuniam accepit, & ad capiendam Civitatem exercitum misit. Utrumque ergò *fœdus labefactavit* Assyrius, *civitates* omnes *cepit*, & tanquam fastidiens *nihil duxit homines*, & Legatos ad se missos despexit, &, acceptâ pecuniâ quàm indixerat, vacuos remisit; Ezechiam quoque Regem contempsit; &c.

9. *Luxit*, &c.] Significat, quòd in libro Regum narratur, universam Judæam per Assyrios devastatam: Quódque dixit in genere, mox quatuor regiones plagis quatuor Mundi respondentes enumerando in specie explicat. *Libanum* enim habet Judæa ad Septentrionem; *Saron* autem ad Occidentem versùs mare Mediterraneum; (Estque, teste Hieronymo, regio plana & extensa inter Thabiam montem & lacum Tiberiadis, & à Cæsarea Joppem usque se ultra extendens) *Basan* verò ad Orientem, quà itur in Mesopotamiam, porrò ad Meridiem ha-

bet *Carmelum*: quo nomine est & alter *Carmelus* juxta Ptolemaidem: sed hic noster fertilissima est regio. ¶ *Obsurduit*] קמל suprà cap. 19. Vulg. verbo *marcescendi* reddidit: ego utrobique verbo *succidendi*. Hic autem est *pudor* seu *confusio Libani*, nimirum quòd *succisus* sit. *Succisionem* verò & *excussionem* harum regionum pro *depopulatione* accipio; quia ex tota Judæa divitias collegerat, homines captivos abduxerat, &c. Sed percusso Assyrio ab Angelo Domini, omnia in Judæa iterum remanserunt. Facile est autem per hæc intelligere quæ Hostis humani generis in Homines perpetraverat, ac quàm impiè & sine fide aut humanitate hostes populi Dei eos divexent, quantáque in primitiva Ecclesia discipuli Domini perpessi sint.

10. *Nunc consurgam*] Desperatis rebus, universâ Judæâ vastatâ, thesauris astu & fraude in hostium potestatem redactis, flentibus iis qui arcem tueri, unicam Judæorum spem, debebant, legatis ab hoste despectis & ludibrio habitis & domum remissis absque ulla spe pacis; *tunc*, inquam, *tempus est quo Deus consurgat* exseràtque potentiam suam, quâ *sublimis* & *elevatus*, & ab humanis difficultatibus alienus, earum omnium victor evadat. Ità omnino, cùm in profundum malorum devenissemus, & Hostis nos in suam potestatem redegisset, imò vastationem omnem consummasset, plùs quàm Assyrius, expugnatis etiam Judæis, qui soli agnoscebant Deum, & ad summum impietatis genus perductis, utpote quæ Filium Dei occidissent, &c. *tunc surrexit Dominus*, *tunc sublimatus & elevatus est*, & misso de cœlo Spiritu suo in Discipulos suos, per eos debellavit adversas omnes potestates, Diabolum de imperio dejecit, mundo expulit, Tyrannos ad fidem adegit, &c. Ergò Deum habemus, in quem, quò magis res nostræ desperatæ sunt, magis sperare dignum est.

11. *Concipietis*, &c.] Omnia quæ machinati estis populo meo nihil magis nocuerunt quàm *stipula* aut *quisquilia*; vobis autem pro fomentis perditionis vestræ inservient. Quemadmodum enim *ignis stipulam* & *stramina devorat*, ità vos ob hæc ipsa vestra studia citò perdemini, &c. ¶ *Ardorem*] i. Res quæ mox ignem concipiunt. *Concipere* autem, aut *gravidam esse*, seu *in utero suscipere* aut *habere stramen* est nihil profuturos labores suscipere, quódque Latini ajunt *litus arare*, &c. ¶ *Parietis stipulam*] In finem inanem exibunt labores vestri, & risui patebunt. Parient montes murem. ¶ *Spiritus vester*] Potest legi in recto, *superbia vestra*, *fastus & arrogantia vos ipsos perdet velut stipulam & stramina*. Non enim tantùm inanes labores eos suscepisse notat, sed & auctoribus ipsis noxios. Familiare autem est Hebræis notam Similitudinis omittere, ideóque Vulg. eam supplevit. Potest & sic reddi, *Parietis quisquilias spiritûs vestri*, vel *spiritum vestrum*; i. pro partu efflabitis animas viles & nullius pretii: nam *ignis devorabit vos*. Tales sunt omnium qui militant adversùs populum Dei labores, talémque exitum habent eorum fabulæ qualis accidit Assyriis.

12. *Quasi de incendio cinis*] Sensum expressi: ego verbum verbo reddidi: *adusti* enim *lapides calcis* in pulverem rediguntur. משרפות. Hoc nomen plurale, à verbo quod *cremare* sign. cum nomine *aquarum* sign. *thermas*, Jos. 11, & 13. cum nomine *calcis* sign. *lapides ipsos adustos*: denique & de *bustis funerum* dicitur Jer. 34. Ergò *combustiones* dicere possumus. ¶ *Comburentur*] Si nolis notam Similitudinis supplere, sed absolutè legere *spinæ excisæ comburentur*, accipe futurum pro præsenti, ut sæpe solent, i. *igni comburi solent*. q. d. Nihil mirum si Assyrii sic pereant: nam spinæ excisæ comburi solent; neque alius illas finis manet.

13. *Audite qui longè estis*, &c.] Jam devictis hostibus inducit Propheta Deum facta sua magnificantem, & quæ bona ex perditione inimicorum consecuta sint ostendentem. Possumus quoque, neglectâ punctatione Massoritarum, hunc versum in præterito legere: nam ידע etiam in præterito nonnunquam amittit Jod, *Audierunt longinqui quæ fecerim*, & *noverunt propinqui fortitudinem meam*, i. quo pacto prævaluerim adversus hostes populi mei: ut sit tantùm narratio eorum quæ victoriam consecuta sunt. Quem sensum libenter amplector: nam quæ sequuntur huc faciunt.

14. *Conterriti sunt*] Cùm enim vidissent Divinam vindictam Jerosolymitani cives, præsertim Doctores, Scribæ, Sacerdotes, & cæteri, qui nihil tale de Deo sperabant, & ad humana auxilia respiciebant, non ad Deum laudandum, amandum ac toto corde colendum excitati sunt; sed sicut longinqui, sicut Gentes idola colentes, obstupuerunt; & erga Deum, qui sic punire posset, quasi malè affecti, dicebant ad se invicem, *Quis poterit habitare cum igne devorante?* &c. Hic, quæso, vide animos impiorum, qui perspectâ Dei potentiâ, etiam in sui ipsorum gratiam exsertâ, potiùs ad fugiendum à Deo quàm ad eum diligendum inducuntur. Idololatræ quidem Philisthini, quando Deum Israelitarum, cujus Arcam apud se habebant, viderunt percutientem plurimos ex ipsis, sic dicebant, *Non maneat arca Dei apud nos*, *quia dura est manus ejus super nos*, &c. Jerosolymitani autem multò fuerunt pejores. Nam manus Domini super hostes conspecta fuerat; ipsi autem liberati misericordiâ, in Deo nihil aliud quàm potentiam perdendi considerant: Deum autem colere, atque cum illo consuetudinem, vocant per Auxesin *habitare cum igne devorante & flamma æterna*, quasi Deo invidiam conflare volentes, ejus obsequium detrectarent. Mihi dubium non est quin Propheta viderit mores Judæorum qui Christi tempore futuri erant; eumque occisuri, quòd ejus virtuti, puritati ac morum sanctitati *hypocritæ* ipsi *consuescere* nequirent, non minùs quàm *igni devoranti & ardoribus sempiternis*. Quæ enim sequuntur; mentibus Christianorum sagacibus mysterium redolebunt; multáque hîc leguntur quæ aptius mysterio quàm historiæ competunt. Quæ una regula lectoribus Prophetarum perpetuò observanda est. ¶ *De vobis*] לנו *nobis*; & ità omnino legendum est. ¶ *Poterit habitare*] Unicum verbum est Hebræis, quod mox Vulg. verbo uno reddidit, *aut quis habitabit*, יגור, quod variè constructum variè accipitur.

15. *Qui ambulat*, &c.] Docet inanem esse illorum metum, & non esse nisi prætextum impietatis. Nam Deus non est *ignis consumens* nisi impios & sceleratos. Videbantur enim alludere in illis verbis suis ad verba Mosis Deut. 4. *Deus tuus ignis consumens est*. Versu autem sequenti videbis quibus nominibus appellet Propheta illud quod impii hypocritæ *habitare cum igni devorante* dicebant. ¶ *In justitiis*] Verbum *ambulandi* seu *eundi* Hebræis regit interdum accusativum, ut hoc loco; éstque *perambulare*, i. exercere; *omne genus justitiæ*. ¶ *Avaritiam*] בבצע *in avaritia*, seu *quæstu*, aut *lucro*. Nam & vitium ipsum nomen notat, quod Græcè πλεονεξίαν vocant, & *quæstum* aut *lucrum* cui incumbit avarus; à verbo quod sign. *vulnerare*, & *exercere avaritiam*, quæ tanquam gladius hominem vulnerat. Vide suprà 32. 7. Habet enim *mala vasa* seu *arma avarus*, & *fraudibus opprimit innocentes*. ¶ *Excutit*] Quando nihil manibus nostris pluveris aut alterius rei hærere volumus, manus complodimus, & palmam palmâ excutimus. Hinc Odii symbolum est, quo nihil nobis commercii cum homine fore, aut Fastidii, quo nihil illius rei apud nos habituros significamus; sicut Lotio manuum. Meritò ergò non *manus*, sed nomen quod *volas*, i. manuum concavitates, seu *palmas* propriè notat, apposuit. ¶ *Ab omni munere*] Sensum expressit; sed significantiora sunt verba Hebræa מתמך בשחד *à sustinendo in munere* ¶ *Qui claudit oculos*] Vehementior est significatio verbi עצם: nam *corroborationem* seu *compressionem* notat: ut in singulis verbis perspici possit vis quædam, quibus non vulgarem quandam virtutem sed summum virtutis studium & vitiorum odium perfectissimum exigere videtur; videlicet nihil *justitiæ* in opere prætermittere, & in verbis nihil *æquitatis*; *avaritiam* omnino odisse, & ità justitiam colere ut occasiones omnis injustitiæ abominentur, & animo adeò esse alieno ab injuriis in proximum ut *ne audire* quidem verbum *de sanguinibus*, (ità loquuntur Hebræi) sed aures comprimere velint nè quid adversùm proximum audiant. Sed quid est *non videre malum*? Nota in Hebræo hîc esse constructionem verbi ראה cum ב, *videre in malo*; quæ constructio non simplicem Visionem notat, sed interdum est Videre optata cum voluptate. Exempla passim obvia. Ut vel hinc intelligere possimus quare percusserit Dominus eos qui viderant Arcam Domini, (est enim eo loco hujusmodi constructio) nempe quòd cum voluptate & quadam curiositate nudatam Arcam, & quæ intus haberet, vidissent. Quo etiam pacto hoc loco *videre in malo* seu *malum* accipiendum est. *Claudendi* enim *sunt oculi*, imò & *comprimendi*, *nè in aliquo malo*, quod se offert, *complaceamus*. Potest autem accipi רע pro *malo culpæ* & pro *malo pœnæ*, ut nullo pacto nobis placeat quidquid alteri incommodat.

16. *Hic in excelsis*, &c.] Non huic molestum erit cum Deo agere. Nam potestas quam Deus exserit adversùs hostes, pro istis erit, ut eos in tuto collocet. Sicut enim ab injuriis hostium securi sunt qui in *altissimis* & abruptissimis *rupibus* degunt, præsertim si eis non desit *cibus* & *potus*; ità vir pius & justus, ubiubi fuerit, in tuto est; neque quidquam ei deerit, Deo omnium bonorum vicem supplente. Altissimum habent refugium; ideo non accedit ad eos malum neque flagellum, &c. Inter locos autem qui in Scripturis justorum securitatem ac felicitatem continent, hic est insignis admodum & mirâ suavitate plenus; in quo videre Christianus Lector poterit causam præcipuam propter quam Joannes Baptista pœnitentiam prædicaverit

rit ante Domini Servatoris manifestationem. ¶ *Panis datus est*] Verbum נתן interdum est *constituere*, *præficere*, *certò statuere* seu *proponere*: ità hîc in passiva accipiendum puto, *habent panem constitutum*, quem suis temporibus illis dabit Deus, ut nunquam desit. ¶ *Aquæ fideles*] i. Permanentes seu perennes. Nam *in loco pascuoso* collocantur oves Christi, & *juxta aquas refectionis*, ut nihil eis deesse possit quibus Deus non deest.

17. *In decore suo*] Seu *formâ* & *formositate*. Dicet Judæus hoc loco justis promitti, non capiendam ab hostibus civitatem in qua habitant, imò quòd in ea sint tutissimi veluti in altissimis rupibus; & licèt obsessi sint ab hostibus, nunquam eis deerunt res necessariæ; insuper, quòd fugatis hostibus suum *Regem in suo decore, in sua formositate & gloria conspicient*; & quocunque voluerint, eis ire licebit, &c. atque hæc omnia dicet contigisse Jerosolymitanis sub Ezechia. Quæ ut non negarim, ità quoque non undequaque verbis Prophetæ convenire ausim asserere. Nam Ezechiam *in decore* seu *gloria ipsius viderunt* tunc temporis non justi modò, qui tunc Jerosolymis erant, quos versu superiori descripsit, sed etiam illi quos suprà *hypocritas* & *errantes* vocaverat, qui certè non erant pauci numero; neque solùm pii sed etiam impii tunc servati sunt per Dominum. Quare cùm in sequentibus negare non possimus Prophetam ad Christi tempora quoque respexisse, hîc jam in istis verbis mysterium latêre non dubito. Nulli enim ex Israelitis secundùm carnem Christum Dei Filium *in formositate sua & decore viderunt*, nisi qui deposito peccato veri Israelitæ fuerunt, qualis erat ille de quo dixit Dominus, *Ecce verè Israelita, in quo dolus non est*: Quem *visurum* affirmavit *Angelos ascendentes & descendentes super Filium hominis*: quasi insinuaret, tantùm veros Israelitas aptos esse ad videndam atque intelligendam in Christo Filio Jaacob impletam visionem illam Angelorum ascendentium & descendentium per scalam. Nam *ascensus & descensus Angelorum* quid aliud erat quàm terram cœlo reconciliatam, & ex utrisque unum Regnum constitutum? At hoc per quem nisi per *Mediatorem Dei & hominum Hominem Christum Jesum* factum est? Quis verò hoc de Domino Jesu credidit nisi veri Israelitæ & qui juxta prædicationem Joannis pœnitentiam egerunt? Nam qui mundo erant corde, qui avaritiæ non studebant, qui justitiæ & veritatis fuerunt amici, &c. isti apti fuerunt qui Dominum JESUM agnoscerent pro *Rege*, & *ejus gloriam viderent, quasi unigeniti à Patre*, non solùm in monte, aut resurrectione, & ascensione in cœlum, sed quando intellexerunt per prædicationem Euangelii meritò in toto orbe pro Deo adoratum & pro Rege habitum vivorum ac mortuorum. Nónne Paulus dicit *nos translatos in lumen*? nónne *in Regnum Filii dilectissimi*? nónne *Euangelium* vocat *gloriosum*? nónne *infidelibus* dicit *non lucere lumen Euangelii beati Dei*? Ergò jam satis apparet quàm aptè ac verè mores eorum hominum qui *Regem in formositate sua visuri erant* superiori versu descripserit Propheta. Istorum tantummodo *oculi viderunt terram longinquitatum* (sic enim loquuntur Hebræi) i. terram longè distantem. Impii enim non nisi terræ præsenti incumbentes, alteram ab hac distantem aut non credunt esse aut pro nihilo ducunt: at justi *non contemplantur quæ videntur, sed quæ non videntur*, & *oculi* eorum *in longinquum* semper feruntur; & quò fide pergunt, conversatione pervenire contendunt: quinimo & in hac vita non ad terrenam aliquam civitatem inhiant aut aliquod Regnum, sed Regnum Christi toto orbe terrarum diffusum cogitant, & hujus confirmationi ac propagationi student. Tales fuerunt Israelitæ illi qui Christum Dominum susceperunt, &c. ¶ *Videbunt oculi tui*] Sic conjungenda sunt verba; deinde, *aspicient terram longinquitatum*: מרחקים enim *longinquitates* sunt, ut Jer. 8. & juxta hunc sensum accipe quod Vulg. dixit *à longe*, i. longè distantem.

18. *Meditabitur*] *Meditari timorem* seu *formidinem* est Præ metu secum quærere, & cum admiratione disceptare. Quæ autem sequuntur verba sunt admirantium, & quidem juxta historiam (cui tamen non omnia verba conveniunt) admirantium Judæorum; quo pacto tam subitò & insperatò cessaverint exactiones quas Scribæ & alii tempore obsidionis juxta magnitudinem aut multitudinem domorum à populo exigebant: at juxta sensum quem Spiritus S. præcipuè attendebat, quem nobis aperuit optimus Prophetarum Interpres Paulus, sunt verba eorum qui agnoverunt Christum Domini, & intellexerunt sapientiam Euangelii & Crucis, & admirantur quo pacto tam subitò perierit omnis sapientia in Lege peritorum, & stulti facti sint ac barbari qui soli sapientes esse videbantur. ¶ *Ubi literatus*?] Paulus ordinem invertit verborum; ait enim, Ποῦ σοφός; ποῦ γραμματεύς; Et quidem Hebræum nomen ספר, i. *Scriba*, primò accipitur pro eo quem vulgò *Notarium* dicimus, ut Psal. 45. & infrà 36. deinde pro *iis qui Regum gesta*, *historias*, *annales & acta publica scribebant*, item *census*, *reditus*, &c. 2 Reg. 15, & 16. &c. Tertiò pro *illis* quoque accipitur *quorum erat libros Legis scribere*, *conferre*, *interpretari*, *& genealogias maxime stirpis Regiæ memoriæ consignare*; qualis fuit Esdras. Vide cap. 7. ejusdem. Et hujusmodi appellatio usque ad Christi tempora perseveravit, ut apparet ex consilio illo Herodis in adventu Magorum, & Matth. 13. & aliis plurimis locis. ¶ Pro *libratore* autem (id enim sign. propriè שקל, quem Vulg. non malè dixit *verborum Legis ponderatorem*) Paulus *sapientem* reddidit. ¶ Pro *numeratore* verò *turrium*, *disputatorem* seu *conquisitorem hujus seculi* dixit Paulus. Συζητητὴς enim est *qui de omni re controversa disputat*, *disquirit*, *& quid pro vero habendum sit statuit*. Cujusmodi erant plurimi in Lege, ut videre licet in Epistolis Pauli. Hos eleganter vocat Propheta *numeratores turrium*; quasi qui in numerato habebant omnia mundi miracula, & quodcunque dignum narratione & admiratione esset, & semotissima quæque à communi hominum sensu. Nisi malis dicere *numeratores turrium* esse qui habent ex officio descripta oppida regionis, munitiones, &c. Quod fortè significatur in Psal. ubi dicitur, *Numerate turres ejus*. Pro hoc ultimo Vulg. dixit *Doctorem parvulorum*, quâ tamen ratione non intelligo. Græca autem editio hoc loco habet, *Ubi sunt literati? ubi sunt consiliatores? ubi est numerans nutrientes parvum & magnum populum?* Quod postremum membrum ab Hebræo plurimùm distat. Et quidem scio esse qui dicant Paulum non idem in illis verbis tractare quod Jesaias: sed fortè qui in ea sunt sententia institutum Jesaiæ hoc loco assecuti non sunt.

19. *Populum impudentem*] Sic habent nonnulli codices: alii verò *imprudentem*. Nomen נועז non alibi quàm hoc loco reperitur. Et quidem si cognationem quam habet cum verbis עזז & עוז consideremus, dicere possumus significare *obfirmatum, qui non avertit frontem, neque erubescit*: ut *impudentem* dicere possis, vel *obfirmatum*, i. rudem & indocilem. Ego certè, sive hanc cognationem respicias, sive alteram quam videtur habere cum voce לעז, quæ item semel tantùm legitur, nempe Psal. 114. quam omnes *barbarum* aut quid simile interpretantur, magis probo lectionem quæ *imprudentem* habet: nam sequentibus hæc acceptio magis apta videtur. Ergò נועז sive לעז vocabant Judæi omnes alias nationes, & pergrinas linguas, tanquam blæsas & absurdas. Nam hæ voces Hebræorum auribus quoque blæsè, obliquè & absurde sonant. Sic postea Græci *Hellenes* ipsi dicti cæteros omnes eâdem prorsus ratione Βαρβάρους appellarunt, & Homerus Caras ob peregrinum & absurdum sonum Βαρβαροφώνους vocat. Est autem sermo ad illum qui *Regem in formositate sua videt*, & destructam Judæorum sapientiam admiratur, i. ad omnes pios qui CHRISTO nomen dederunt. Et quidem Rabini per *populum barbarum & balbutientem*, &c. Assyrios notari ajunt; quos à Judæa subitò disparuisse historia Sacra commemorat. ¶ *Non videbis*] Potest & in imperativo legi, *Ne videas*: quod certè ego de ipsis Sapientibus & Scribis Judæorum dictum accipio: *Ne velis ultrà videre*, neque attendere Sapientibus Judæorum, quorum sapientiam Deus stultam fecit, à quibus sapientiam abstulit, nè illos appellés ultrà *Scribas*, *Interpretes Legis*, &c. versi sunt in *populum barbarum & profundi sermonis*, &c. Alteram interpretationem vide paulò inferiùs. ¶ *Alti sermonis*] *Profundum* Hebraismus *altum* interdum vocat. Ad verb. *populum profunditatum labii*. Quæ verò *profunda* sunt, ignota sunt: hinc *profundum labium*, i. ignotum, & quod luce intellectûs non penetramus. ¶ *Ità ut non possit intelligere*] Hebræi brevissimè hoc efferunt, nempe *profundum ab audiendo*, i. profundiorem quàm ut audiri possit. At שמע interdum non verbo *audiendi* sed *percipiendi* reddi debet, aut *intelligendi*; Gen. 11. *Confundamus labium eorum, ut non percipiat quisque labium proximi sui*: & Deut. 28. *Excitabit Jehova contra te gentem è longinquo, à finibus terræ, quæ velut aquila advolabit; gentem cujus linguam non percipies*. Ut videatur hoc loco promissio fieri justis opposita huic maledictioni, nempe quòd non prementur à populo barbaro & ignoti sermonis: cui certè interpretationi non opponent se Rabini. ¶ *Disertitudinem linguæ*] Nomen נלעג construxit Vulg. cum verbo *audiendi*, & in abstracto accepit; neque malè, si modò *hæsitantiam linguæ*, *balbutiem* seu *blæsitudinem* interpreteris, à verbo de quo suprà 28. ut sic reddere possis, *Populum profundioris labii quàm ut percipere possis blæsitudinem linguæ sine intelligentia*, i. imperitè balbutientem. Stulti enim & barbari apparent aliis qui linguis peregrinis loquuntur, ut est apud Paulum. Hæc, ut dixi, aut de Sapientibus Judæorum accipe, vel

vel ut promissionem factam justis, quòd ab exteris hostibus non vastabuntur aut opprimentur: quæ non secundum carnem more Judaico intelligenda sunt. Quid si hic Donum linguarum promittatur servis Dei tempore Christi, quòd ad nullam tam barbaram nationem & tam abstrusi sermonis accederent quam non intelligerent? *Non videbis*, inquit, *populum barbarum*, *populum profundioris sermonis quàm ut intelligatur balbuties linguæ*. *Non videbis*, inquam, *sine intelligentia*, i. absque eo quòd eos intelligas. Nam Paulus *gratias agebat Deo quod omnium illorum linguis loqueretur*. Et hoc dono præditi erant Apostoli, & plures alii.

20. *Respice*] Tu qui *perambulas justitias*, *non videns ultrà populum barbarum*, &c. converte *oculos tuos*, neque aliud *videre* velis quàm *Tcion*, *civitatem exsultantem*, & unicum gaudium, & *festum nostrum*. Quis neget quòd deletis Assyriis ingens festum fuerit in Jerusalem, &c? sed quis fidelis dubitabit hæc aptiùs novæ Jerusalem convenire? Quæ enim fuit *tranquillitas* illius *habitaculi* seu *pascui*? Quo pacto verum fuit, *non auferendos clavos*, *non rumpendos funes illius tabernaculi in perpetuum*? Sed quid his immoror? Hæc est nova Jerusalem, *adversus quam portæ inferi non prævalebunt*. ¶ *Habitationem opulentam*] Jam de his vocibus suprà dictum est. Quamvis autem נוה *habitaculum*, præsertim *rurale*, notet, nomine *pascui* vis nominis aliquo pacto exprimitur, quò solet interdum vocari Jerusalem, tam vetus quàm nova, propter verbum Dei, quo pascuntur homines. Exod. 15. *Perduxisti in fortitudine tua ad pascuum sanctitatis tuæ*. ¶ *Quod nequaquam transferri poterit*] Optimè Vulg. relativum supplevit: ego verbum verbo reddidi, *tentorium* (vel *tabernaculum*) *nequaquam auferetur*, vel *volutabitur*: nam verbum צען non alibi legitur, sed ex cognatis verbis videtur significare *volutationem quæ in terra seu loco humiliore fit*. ¶ *Nequaquam auferentur clavi ejus*] Vel *non amovebit*, i. nullus amovebit, *clavos ejus*. Est autem sermo de clavis ligneis, qui in terra figuntur, quibus alligantur funes tentorii. Quòd si *clavi non amoventur*, *neque funes rumpuntur*, tentorium ipsum firmum manet. Christus autem Ecclesiæ suæ est pro *clavis* & *funibus*; imò *fundamentum* firmissimum est, &c. Firmatur etiam doctrinâ Apostolorum & Patrum, quam nullus hæreticus unquam poterit convellere, &c.

21. לנו *nobis* omisit Vulg. i. Habemus in Tcion *præpotentem* seu *prævalidum Jehova*: deinde *locus fluviorum* est etiam nobis, &c. vel quòd ipse *prævalidus Jehova* sit *locus fluviorum & rivi*, i. pro fluviis & fossis aquâ plenis. Flumina namque pro munimentis sunt ipsis civitatibus quas circumalluunt. ¶ *Et patentes*] Sensum expressit Vulgatus: est autem hîc nomen *manus*, quod, ut suprà annotavi, Scriptura Fluviis & Mari ipsique etiam Terræ tribuit: quare pro *amplissimis* & *patentibus* rectè accipitur. ¶ *Non transibit per eum navis remigum*] Ecce quanta sit circum Jerusalem nostram aquarum copia. *Naves*, inquit, *quæ remis aguntur*, illum *fluviorum locum*, quem nos habere dixi, *pertransire non poterunt*. Navigia enim quæ remis aguntur, mare, quod *altum* vocant, & *Tarsis* in Scripturis dicitur, & *inhospitale*, præternavigare non audent. ¶ *Remigum*] Hebræum singulare collectivè שיט, à verbo שוט *circuivit*, quòd navem circumagitet, vel quòd remum circumagitet manu. Sunt autem hujusmodi naves humiles, & ad fluctus maris magni tolerandos haudquaquam idoneæ. Et nomen quidem אני *navem* absolutè sign. & de *onerariis* 1 Reg. 9, &c. sed cum nomine *remigum naviculas* designat. Vix autem reperietur fluvius quem *navis remis impulsa non transeat*. Significat ergò apud Jerusalem ingentes aquarum gurgites. Sed nè parùm dicere videretur, addit, ¶ *Neque triremis magna*] צי quoque *naves* absolutè notat, sed cum nomine אדיר non dubium quin *ingentes naves* & *onerarias* designet. Hoc autem nomen initio versus *magnificum* dixit, hîc verò *magnum*. Ergò aquarum molem illam quam habet Jerusalem neque parva neque magna navigia pertransire poterunt: ut quàm inexpugnabilis sit intelligas. Illam enim insulam satis totam ab hostibus diceres quæ circùm se mare adeò tempestuosum haberet per quod neque parvæ neque magnæ naves possent navigare. Versu autem sequenti quæ sit hæc aquarum moles explicatur.

22. *Dominus enim Judex noster*] Figuratè de *navibus* & *aquis* induxisse sermonem Propheta hoc genere rationis exponit. Quid enim *navibus*, *mari*, *remigibus*, &c. cum *Judice* ac *Legislatore*? *Navium* ergò nomine Tyrannos & mundi Principes, adversas etiam potestates, intelligi non dubium est: nam impetu feruntur & inexspectatæ adveniunt, &c. Moles autem aquarum est favor Divini Numinis, quem aut superare aut vertere omnes adversæ potestates nequeunt: ideo dicit, *Deus est noster Judex*, *Princeps ac Magistratus*, qui causam nostram & adversariorum judicabit. At qui fieri potest ut suos damnet? Nam etsi sint duæ partes in judicio adinvicem litigantium, quarum alteram injustam, alteram verò justam esse necesse est, qui tamen Dei sunt injustè tractari solent. Adde quòd quando Scriptura verbum *judicandi* Deo tribuit, tum significat Deum vindicare bonos à malis malorúmque injuria: Gen. 15. 1 Sam. 24. &c. Unde *Deum esse Judicem nostrum* est Nostrum esse Patronum & Vindicem. At quos *Deus justificat*, *quis condemnabit*? Nomen etiam ipsum שפט pro *Magistratu* interdum accipitur, *qui tamen non habeat jus Regium*, ut suprà indicavimus. ¶ *Dominus Legifer*] מחקק est propriè *qui constituit formam aliquam*, *& præscribit normam vivendi*: & Græcis dicitur νομικός, *qui* videlicet *est in gubernatione* & *leges præscribit*: eratque majoris auctoritatis quàm ספר *Scriba*. Et quidem mihi dubium non est quin pro *Principe* interdum accipiatur: ut Gen. 49. *Non recedet sceptrum de Jehuda*, *neque* מחקק *de inter pedes ejus*, i. de semine ejus; *donec veniat ille cui*, i. ille cujus, *est ipsum sceptrum*: non quòd tunc deficeret, sed quòd usque ad Christum Dominum Imperium teneret Tribus Jehuda, sive per Reges, sive per Legislatores seu Dictatores. Quandoquidem post Reges Jehuda & Babylonis Captivitatem duraverunt usque ad Herodis tempora hujusmodi *Mehokekim*; quorum collegium postea Græci συνέδριον vocarunt. Hebræis etiam סנהדרין appellati sunt, & *Domus magni consilii*; quorum numerum veteres scriptores LXX fuisse testantur. Qui tandem jussu Herodis trucidati sunt. Hoc itaque loco omne genus regiminis Deo in suos tribuit Propheta, quo etiam intelligimus fidem, subjectionem atque obedientiam subditorum: ipsi enim sunt qui istis Dei titulis gloriantur. Qui ergò fieri poterit ut eos non servet Deus qui ipsius legibus parent? præsertim cùm non solùm *Legislator* sit, sed & *Rex noster*, qui potest quos velit servare: unde addit, *ipse salvabit nos*; ut nihil à navibus, nihil à Tyrannis inflatis timeamus.

23. *Laxati sunt*, &c.] Quia Tyrannos *navibus*, quæ vento inflatis velis aut remis impetu feruntur, comparaverat, in Metaphora persistens, ad Assyrium convertitur, per cujus interitum ruinam Diaboli & ministrorum ipsius intelligit. Ipsúmque Regem *malo* in navi comparat; Principes verò ejus, *funibus*; qui malum confirmant; instructas verò acies militum, *velo* ventis inflato, totum denique Assyriorum exercitum *navi* ipsi comparat. Notum est autem peritis in re nautica, *confirmationem mali*, quæ *funibus* fit, summi esse momenti. Quare & dum tempestas ingruit, alios funes superaddunt, nè fluctuatione navis & crebrâ jactatione *laxatis* seu *ruptis funibus*, ipse quoque malus abrumpatur, & impossibilis eis reddatur navigatio, non habentibus ubi antenna & velum suspendantur. Quod qui ignorarunt, hîc nihil certi afferre potuerunt. Heb. *dimissi*, i. laxati, ut doctè vertit Vulg. Nam duces & præcipui in exercitu partim occisi partim in fugam versi sunt. ¶ *Sed non prævaluerunt*] Particula Adversativa non est in Hebræo. Et quia Vulg. in bonum accepit *laxationem funium*, nempe quòd Assyrii in tentoriis amplissimis castrametati fuissent, ideo Adversativam supplevit: & verbum חזק absolutè accepit, ut interdum solet Hebræis accipi, q. d. *Quamvis ingentes habeas copias*, *non tamen prævalebis*, &c. Possumus tamen verbum interpretari activè pro *confirmare*, ut Psal. 147. *Confortavit vectes portarum*, &c. Exod. 4. ubi Vulg. *indurare* dixit: & suprà 22. *Balteo firmabo* &c. Ut vertere hîc possimus, *non confirmabunt* (vel *constringent*) *malum suum*. ¶ *Sic erit*] Certum est כן Similitudinis esse particulam plurimis in locis, & posse suppleri verbum substantivum cùm Vulgato; sed alium quoque habere usum apud Hebræos observarunt viri periti. Certè quando hanc particulam præcedit negatio, sæpe valet id quod Latinis *nè tantillum quidem*, sicut nos, *nè hoc quidem*, demonstratâ re nullius momenti, vel facto talitro, ut Jer. 8. *Auscultabam*, *& audiebam*, *sed nè tantillum loquebantur*, cap. 23. & 48. & Prov. 15. & infrà Jes. 51. etiam sine negatione, *Et habitatores ejus velut* כן *interibunt*: quo etiam modo poteris accipere illud cap. 16. *Audivimus superbiam Moab*, *quòd superbus sit valde*: *& nè sic quidem vectes ejus*, i. nè tantillum quidem, vers. 2. Inquit ergò non potuisse Duces & Principes Assyrii Regis ipsum vel tantillum confirmare, nè fugeret, vel nè desponderet animum. ¶ *Dilatare signum*] *Signum* pro *velo* hîc accipio. Non confirmato enim malo vel antennâ, haudquaquam potest expandi velum: Ità non confirmato Rege, sed despondente animum & fugam capiente, non potuerunt acies instrui, vel ad prælium, vel ut confertæ receptui canerent & absque incommodo in Assyriam redirent, sed huc atque illuc diffusi milites, quisque sibi fugâ consulebat. Fortè etiam hîc moris nautarum meminit, qui in summitate mali signum collocare solent, præsertim in navi prætoria, scilicet quæ classis impe-

imperatorem vehit: *laxatis* autem *funibus*, & *malo non confirmato* ſed collapſo, Regéque fugam capiente, *nullum ſignum expanſum eſt*, quò ſe colligerent milites, aut quod ſequerentur aufugientes. Hæc autem Tranſlationes, ut jam dixi, nihil aliud quàm adeò diſſipatos fuiſſe Aſſyrios & fuſos notant, ut nihil conſilii, nihil virium corporis aut animi in ipſis remaneret, ſed deſperatione obruerentur. Atque hic eſt finis hoſtium Dei & Eccleſiæ, etiamſi velut mare inſurgant & fluctus ſuos exaltent. Nam etſi *mirabiles ſint elationes maris*, *mirabilior tamen in altis eſt Dominus.* Hincque factum eſt ut detruſo ad Tartara Diabolo, & Tyrannis fractis atque enervatis, teſtimonia Dei facta ſint in toto orbe credibilia, & verbum Crucis ubique obtinuerit. ¶ *Tunc dividentur*, &c.] Fugatis partim, partim quoque occiſis Aſſyriis, quid aliud quàm *diviſio ſpoliorum* fuit? Tanta fuit autem alacritas & exſultatio ut nemo propter aliquod corporis vitium, quales ſunt *claudi*, neque propter virium defectum ex adverſa valetudine, à diripiendis ſpoliis fuerit alienus, aut in prædæ diviſione exſors. Hic memineris *claudos* & *debiles* juſſu Domini compulſos fuiſſe intrare ad nuptias atque convivium, in quo omnium illorum bonorum Regni Dei, à quibus deciderunt Judæi, qui contempſerunt convivium Domini, participes facti ſunt. Illud etiam Euangelii recole, *Devicto forti & alligato*, *univerſa arma atque vaſa ipſius victorem diripuiſſe.* Quæ quidem direptio per Apoſtolos & eos quorum *non multi nobiles*, *non multi potentes*, &c. ſed qui ferè omnes erant *infirmi ac contemptibiles*, *ut fortia Deus confunderet*, facta eſt. Illud quoque in mentem revoca, Nemini ob vitium corporis præcludi aditum ad ingentes in Chriſto divitias comparandas in Eccleſia ipſius, ſed liberam eſſe *deprædationem* & *direptionem*, &c. *neque eſſe perſonarum acceptionem apud Deum*: de quo plura infrà cap. 56. ¶ *Spolia multarum prædarum*] Senſus idem eſt: ego verba expreſſi, *tunc diſpertitum eſt aſſiduè ſpolium multiplex.* עד enim Temporis continuationem notat, quòd illis diebus nihil aliud Jeroſolymitani egerint quàm *diripere* ac *dividere ſpolia.*

24. *Vicinus*] Nullus ex civibus & habitatoribus Jeruſalem à prædatione abſtinebit, etiamſi decumbat *infirmus* aut *æger.* Tanta erit exſultatio & alacritas. Verùm nè quis Judæus hæc carnaliter acciperet, & ad tempora Ezechiæ iſtæc tantùm pertinere putaret, remiſſionem peccatorum inducit, ut ſcilicet intelligeremus victoriam quandam ſpiritalem, hoſtium fugam & devaſtationem ſpiritalem, direptionem ſpoliorum ſpiritalem in illa victoria deſignari. Neque enim poſt hanc victoriam *populus Jeroſolymitanus relevatus fuit iniquitate.* Sed hæc ad Chriſtum pertinent, qui *ſalvum fecit populum ſuum à peccatis ipſorum.*

DRUSIUS.

3. הָמוֹן. Sym. Ἀμών *Hamon*] Hieron. *A voce Angeli, quem Symmachus ità ut in Ebræo ſcriptum eſt tranſtulit* Hamon, *quem Ebræi Gabrielem autumant, & habere etymologiam* populi.

7. אֶרְאֶלָּם. Aq. Sym. Th. *apparebo eis*] Hieron. *Verbum* ERELLAM, *pro quo Aq. Sym. & Th. interpretati ſunt* apparebo eis, *extremam ſyllabam dividentes & legentes* ארא לם, *Ebræi ſignificare* Angelos *arbitrantur.*

16. הוּא מְרוֹמִים יִשְׁכֹּן מְצָדוֹת סְלָעִים מִשְׂגַּבּוֹ. Sym. αὐτὸς ἐν ὑψηλοῖς κατασκηνώσει· ὡς περιοχαὶ πετρῶν τὸ ὕψος αὐτοῦ, *Ipſe in excelſis figet tabernaculum: quaſi munitiones petrarum altitudo ejus*] Ex Euſebio.

IDEM EX PROCOPIO.

1. הוֹי שׁוֹדֵד וְאַתָּה לֹא שָׁדוּד וּבוֹגֵד וְלֹא־בָגְדוּ בָךְ. Sym. Οὐαὶ ὁ ταλαιπωρίζων, αὐτὸς δὲ μὴ ταλαιπωρηθείς. καὶ ἀθετῶν, αὐτὸς δὲ οὐκ ἀθετηθείς, *Væ qui miſerum facis, miſer ipſe non factus; & qui reprobas, ipſe non reprobatus.* Sic interpres Curterius. Alius mallet *prævaricaris*, &c. ¶ כַּהֲתִמְךָ שׁוֹדֵד תּוּשַּׁד כְּנַלֹּתְךָ לִבְגֹּד יִבְגְּדוּ־בָךְ. Idem, ὅταν συντελέσῃς ταλαιπωρίζων, ταλαιπωρηθήσῃ· καὶ ὅταν κοπιάσῃ ἀθετῶν, ἀθετήσουσί σε, *Cum miſerum facere deſieris, fies & ipſe miſer: & cùm reprobando fueris defeſſus, te reprobabunt.*

3. מִקּוֹל הָמוֹן נָדְדוּ עַמִּים. Aq. Th. ἀπὸ φωνῆς ὄχλου ἀνεχώρησαν λαοί, *A voce turbæ ſeceſſerunt populi.* ¶ מֵרוֹמְמֻתֶךָ נָפְצוּ גּוֹיִם. Sym. ἀπὸ τοῦ ὑψωθῆναι διεσπάρησαν ἔθνη, *propterea quòd ſe elevarunt, diſſipatæ ſunt gentes.*

4. כְּמַשַּׁק גֵּבִים. Th. ὡς ἀπὸ τῶν βοθύνων *quaſi à foveis.*

6. וְהָיָה אֱמוּנַת עִתֶּיךָ חֹסֶן יְשׁוּעֹת חָכְמַת וָדָעַת יִרְאַת יְהוָה הִיא אוֹצָרוֹ --πίστις τοῦ καιροῦ σου πλοῦτος σωτηρίας, σοφία καὶ γνῶσις, φόβος Κυρίου αὐτὸς ὁ θησαυρός σου, —— *Fides temporis tui divitiæ ſalutis, ſapientia & ſcientia, timor Domini ipſe theſaurus tuus*] In verſione eſt *ejus*, i. αὐτοῦ. Dico in verſione Curterii, qui Procopium Latinum fecit.

7. הֵן אֶרְאֶלָּם צָעֲקוּ חֻצָה. Sym. Ἰδοὺ ὀφθήσομαι αὐτοῖς, ἔκραξαν ἐκτενῶς, *Ecce videbor illis, clamarunt impenſè.* Aq. Ἰδοὺ ὁραθήσομαι αὐτοῖς, * βοήσω ἐκτενῶς, *Ecce videbor ipſis, clamabo impenſe*, ſive *intentè.* Th. Ἰδοὺ ὀφτήσομαι αὐτοῖς, ἐβόησαν ἐκτενῶς, *Ecce apparebo ipſis, clamarunt impenſe*] * Fortè βοήσονται, quod in margine textûs Procopiani. ¶ מַלְאֲכֵי שָׁלוֹם מַר יִבְכָּיוּן. Sym. ἄγγελοι εἰρήνης πικρῶς ἔκλαυσαν, *angeli pacis amare fleverunt.* Aq. Th. ἄγγελοι εἰρήνης πικρῶς κλαύσονται, *angeli pacis amare flebunt.* Male καλέσονται in margine Procopiano.

9. אָבַל אֶרֶץ. Aq. Sym. Th. ἐπένθησεν ἡ γῆ *luxit terra.*

11. עַמִּים. καὶ λαοὶ *populi*] Proc. ἀντὶ δὲ τοῦ, ἔσονται ἔθνη κατακεκαυμένα, λαοί, πάντες ἐξέδωκαν.

15. דֹּבֵר. Aq. Sym. Th. λαλῶν *loquitur.*

18. סֹפֵר אֶת־הַמִּגְדָּלִים. Sym. ὁ ἀριθμῶν τοὺς ἐκτεθραμμένους *qui numerat enutritos*] i. הַמְּגֻדָּלִים, aliis punctis vocalibus.

19. אֶת־עַם נוֹעָז לֹא תִרְאֶה עַם עִמְקֵי שָׂפָה מִשְּׁמוֹעַ נִלְעַג לָשׁוֹן. Sym. Τὸν λαὸν τὸν ἀναιδῆ οὐκ ὄψει, λαὸν βαρὺν χείλεσιν, ὥστε μὴ ἀκούειν διάλεκτον γλώσσης, *Populum impudentem non videbis, populum gravem labiis, ut non audias dialectum linguæ*] In margine eſt οὐκ ὄψῃ λαὸν βαρὺν ἐν χείλεσι, *non videbis populum gravem in labiis:* Ibidem ad הַמִּגְדָּלִים. Sym. ἐκτεθραμμένους *enutritos.* Aq. Th. μεμεγαλυμμένους *magnificatos.* Vide, ſi vacas. ¶ אֵין בִּינָה. ἀσύνετοι ὄντες.

20. חֲזֵה צִיּוֹן קִרְיַת מוֹעֲדֵנוּ. Aq. Ὅρα ματίσθητι; Σιὼν πόλις ἑορτῶν, *Vide, quære, Sion civitas ſolennitatum*] Apud interpretem Procopii legitur *quære* pro *quære.* Nam ματίσαι eſt *quærere*, i. ματεύειν, quod & μαστεύειν dicunt. Symmachus hîc edidit, Ἴδε Σιὼν πόλιν τῶν ἁγίων ἡμῶν, *vide Sionem civitatem ſanctorum noſtrorum.* Ἁγίων à recto τὰ ἅγια. Ità loquendo quandoque *Templum* denotant. Porrò vocem קריה Aquilas alibi reddit πολίχνη *civitatula.*

21. שָׁם אַדִּיר יְהוָה לָנוּ מְקוֹם־נְהָרִים יְאֹרִים רַחֲבֵי יָדָיִם בַּל־תֵּלֶךְ בּוֹ אֳנִי־שַׁיִט וְצִי אַדִּיר לֹא יַעַבְרֶנּוּ. Sym. Ἐκεῖ κραταιὸς ἡμῶν Κύριος, τόπος ποταμῶν, διώρυγες εὐρύχωροι, ὅπου μὴ πορευθῇ πλοῖον κωπηλάτου, οὐδὲ ἐντολὴ κραταιοῦ διαπεράσει αὐτόν, *Ibi potens nobis Dominus, locus fluviorum, rivi latiſſimi, quò non ibit remigiis navigium, neque præceptum potentis pertranſibit eum.* Aq. —— οὐ μὴ πορευθῇ ἐν αὐτῷ ναῦς κώπης, καὶ τριήρης ὑπερμεγέθης οὐ διαβήσεται αὐτόν, *Non ibit in ea navis remis acta, & triremis ſupra modum magna non tranſibit eum.*

23. נִטְּשׁוּ חֲבָלָיִךְ בַּל־יְחַזְּקוּ כֵן־תָּרְנָם בַּל־פָּרְשׂוּ נֵס אָז חֻלַּק עַד־שָׁלָל מַרְבֶּה. Sym. Ἐξερρίφη τὰ σχοινία σου, ὥστε μὴ κρατεῖν· οὕτως ὁ ἱστὸς αὐτῶν * ὥστε μὴ ἁπλῶσαι ἱστίον· τότε διένειμαν ἕως σκύλων πολλῶν. Interpres Curterius, *Abrupti* † *funiculi ejus, ità ut non retineant; ſic malus eorum, ut non extendat* * *velum: tunc dimiſit uſque ad ſpolia multa*] * Ὁ ἱστὸς αὐτῶν· ſic etiam Aq. & Th. † *Abjecti:* * *expandat.*

GROTIUS.

1. VÆ *qui prædaris, nonne & ipſe prædaberis?*] *Prædaberis* hic paſſivè poſuit Interpres. Senſus eſt, *O tu prædator Sennacheribe* (de quo hunc locum etiam Hieronymus rectè exponit) *nonne æquum eſt te quoque prædam fieri?* Vide Apoc. XIII. 10.

3. *A voce angeli fugerunt populi*] In Hebræo eſt: *à ſono terribili.* Græci, διὰ φωνὴν τοῦ φόβου [*ob ſonum terroris*]. Strepitum Angeli adventantis intelligit, ità ut Latinus rem hîc magis expreſſerit ex II Regum XIX. 35. quàm verba.

4. *Et congregabuntur ſpolia veſtra ſicut colligitur bruchus*] Imò *ſicut colligit bruchus:* tam impunè legentur de vobis (Aſſyriis) ſpolia, quàm bruchus herbas depaſcitur. Hanc interpretationem flagitant quæ ex Hebræo ſequuntur.

Velut cum foſſæ plenæ fuerint de eo] גבים eſſe *locuſtas* ſive προσκαρίδας [*praſocaridas*] apparet Amoſi VII. 1. vertendum ergò: *Ut diſcurſus locuſtarum ubi diſcurrunt.*

5. *Magnificatus eſt Dominus*] *Magnificabitur.*

Quoniam habitavit in excelſo] Edidit facta ſublimia: infrà 10.

6. *Et erit fides in temporibus tuis*] *Erit firmitas temporibus tuis*, ô Ezechia.

7. *Ecce videntes clamabunt foris*] In Hebræo: *Ecce altare ipſorum, clamabunt foris.* אראל [*Arel*] idem quod apud Ezechielem ſcribitur אריים [*Ariim*], Syriacè איל poſito pro אל; ſuprà verò apud hunc Prophetam cum ' ἐντεθέντος [*inſerto*] אריאל [*Ariel*] XXIX. 1. *Clamabunt è caſtris Aſſyrii, Ecce altare ipſorum*, per irriſum, id eſt, Nihil illis proderunt quotidianæ illæ victimæ.

Ange-

Angeli pacis amare flebant] Legatos intellige de pace in castra missos, Eliacimum, Sobnam, Joahen, qui indè redeuntes, nullam spem pacis, omnia autem circùm vastata, retulerunt, II Reg. XVIII. 18 & sequentibus, ubi dicuntur iidem Legati rediisse scissis vestibus, ut in acerbissimo luctu.

8. *Dissipatæ sunt viæ*] Hæc est relatio Legatorum. Præclusi nobis sunt exitus omnes. Nam שמם vertitur ἀβατῶσαι [*desertum reddi*] Jerem. XLIX 20. & שממה vel שממה ἄβατος [*terra invia*] apud eundem Jeremiam sæpissime. Simile vide Judicum v. 6.

Irritum factum est pactum] Assyrii stare nolunt paci, quam postremam cum Ezechia fecerant, II Reg. XVIII. 14.

Projecit civitates] Disjecit oppida Judææ.

Non reputavit homines] Id est, omnes homines nostros pro nihilo duxit. Vide verba Rabsacis.

9. *Luxit & elanguit terra*] Id est, Judæa in luctu & languore erat.

Confusus est Libanus] Libanus mons ille superbus pudore perfundebatur.

Et factus est Saro quasi desertum] Proxima Basani arva squallebant. Vide I Paralipom. v. 16.

Concussa & Basan] *Excussa*.

Et Carmelus] Hîc nomen est proprium: memorantur enim loca per quæ transierat Sennacheribus. Tacitus Hist. II. *Est Judæam inter Syriámque Carmelus.* Vide & Plinium v. 19.

10. *Nunc consurgam dicit Dominus*] Quasi dicat, Nunc demum rebus omnibus deploratis tempus est me moveam.

11. *Concipietis ardorem*] Rectiùs, *Quisquilias*.

Parietis stipulam] Id est, stulta consilia inanes habebunt eventus. Assyrios hic Deus alloquitur.

Spiritus vester ut ignis vorabit vos] Ira vestra vobis exitio erit.

12. *Et erunt populi quasi de incendio cinis*] In Hebræo: *Et erunt populi incendia calcis.* Id est, erunt quasi positi in fornace calcaria.

Spinæ congregatæ igni comburentur] In Hebræo, *Spinæ succisæ*; præintelligendum *quasi*: *ita comburentur ut spinæ.* Sæpe jam notavimus subitum illud malum quod Assyriis immisit Deus, qualecunque tandem fuerit, incendio comparari.

14. *Possedit tremor hypocritas*] De illis loquitur, qui mutatâ religione salutem ab Assyrio quæri volebant.

Cum ardoribus sempiternis] Id est, cum igne qui non exstinguitur. Talem putabant illi esse vim Assyriam.

15. *Qui ambulat in justitiis*] Respondet Propheta ad illa verba impiorum. Est hîc χαρακτὴρ [*notatio*] hominis pii, qualis Psal. xv.

Qui projicit avaritiam ex calumnia] Rectè vertas: *Qui spernit lucrum ex concussione.*

Qui obturat aures suas ne audiat sanguinem] Qui surdus est ad calumnias, per quas vitæ alterius periculum struitur.

Et claudit oculos suos ne videat malum] *Malum*, id est, ἀδικίαν [*injustitiam*], ut hic LXX Sensus est: Aversatur omne genus injustitiæ.

16. *Iste in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas ejus*] LXX, οὗτος οἰκήσει ἐν ὑψηλῷ σπηλαίῳ πέτρας ἰσχυρᾶς [*is habitabit in sublimi spelunca rupis validæ*]: id est, erit non minùs tutus quàm si turrem in inaccessa rupe inhabitaret. Id evenit Hierosolymitis piis à Sennacheribo obsessis.

Panis ei datus est] A fame liberabitur. LXX. ἄρτος δοθήσεται αὐτῷ [*panis ei dabitur*].

Aqua ejus fideles sunt] Non deerit ei quod bibat.

17. *Regem in decore suo videbunt oculi ejus*] In solio majestatis sedentem.

Cernent terram de longè] Virgilius:

——— *libet ire, & Dorica castra*
Desertósque videre locos.

Non erunt diu inclusi mœnibus, sed quaquà lubebit spatiabuntur.

18. *Cor tuum meditabitur timorem*] Dulcis erit exactorum periculorum memoria.

Ubi est literatus] ספר *scribam* significat. Hic eum intellige qui captivos matriculæ inscribebat. Nominat castrorum Assyriorum præcipuos & quærit ubi sint, nempe οἴχονται [*periere*].

Ubi legis verba ponderans] In Hebræo, *Ponderator*: id est, collector tributorum, qui ad saccomam nummos exigebat.

Ubi doctor parvulorum] In Hebræo, *Ubi numerans turres*: id est, metiens, ut Capaneus ad Thebas, de quo senex in Euripideis Phœnissis:

Ἑκεῖνος ἑπτὰ προσβάσεις τεκμαίρεται
Πύργων, ἄνω τε καὶ κάτω τείχη μετρῶν.
[*En urbis aditus ille septenos notans*
Metitur altra turrium fastigia.]

19. *Populum impudentem non videbis*] Arrogantem Assyrium.

Populum alti sermonis] In Hebræo: *Populum sermonis abstrusioris quàm ut intelligatur.* Idem significant verba sequentia. Si Syriacam linguam populus Judæorum non intelligebat, ut vides II Reg. XVIII. 26. multò minùs Assyriam.

20. *Respice Sion*] Id est, cum gaudio contemplare Sionem.

Civitatem solennitatis nostræ] Urbem ad quam undique diebus festis confluitur.

Tabernaculum quod nequaquam transferri poterit] Tentorium immobile.

Nec auferentur clavi ejus in sempiternum] *Clavos* vocat paxillos illos ad quos tentoriorum funes alligantur. *In sempiternum*: id est, in longo tempore.

21. *Locus fluviorum rivi latissimi & patentes*] Deus nobis erit pro fluvio circumiente urbem. Placuit ei hæc translatio: itaque eam persequitur.

Non transibit per eum navis remigum] Id est, omnia ibi tranquilla.

Neque trieris magna transgredietur eum] Aliud *trieres*, aliud *triremes*. *Triremes* tribus remis aguntur; *trieres* ternis remorum ordinibus. Sed sæpe in libris Latinis inscitia librariorum hæc confudit.

23. *Laxati sunt funiculi tui*] Ob cœptam comparationem fluminis, Assyriorum exercitum navi comparat, ut Romanam rempublicam Horatius, cujus locus huic respondens est:

——— *ac sine funibus*
Vix durare carinæ
Possunt imperiosius
Æquor.

Sic erit malus tuus] In Hebræo: *Non firmabunt* (id est, non habebunt firmum) *malum.* Apud Horatium:

Et malus celeri saucius Africo.

Ut dilatare signum non queas] In Hebræo, *Non expandent velum.* Horatius:

Non tibi sunt integra lintea.

Tunc dividentur spolia prædarum multarum] Vide suprà 4.

Claudi diripient rapinam] Proverbiale: cui simile II Samuelis v. 6.

24. *Nec dicet vicinus*] Imò *habitator*.

Elangui] Ex obsidione *langueo*.

Auferetur ab eo iniquitas] Omnis mali sensus à populo auferetur.

CAP. XXXIV.

MUNSTERUS.

1. *Germina ejus*] Est צאצאים à radice יצא *egressus est.* Jonathan vertit דדירין בה *qui habitant in eo.* Et putant Hebræi Prophetiam illam implendam tempore Meschiæ sui, quando Dominus Gentes mutuis bellis & cædibus eliminabit. Quidam ex nostris istud & sequens caput intelligendum putant de extremo die: Alii de postrema Synagogæ vastatione, quæ post Christi contigit adventum: id quod ex magnifica illa Prophetæ colligunt præfatione, quando dicit, *Audite gentes, advertite*, &, *Audiat terra*, &c. Tertii volunt esse locum communem, Quòd omnes inimici populi Dei affligentur.

3. *Liquefient montes*] Hyperbole est, quam figuram Hebræi גוזמא *excessum* vocant.

4. *Tabescet exercitus cælorum*] משל est frequens apud Prophetas: ut cum de insigni loquuntur tribulatione, dicunt *cælum* vel *obtenebrescere*, vel *complicari in modum voluminis*, vel *stellas cadere de cælo.* Et hoc tropo quoque Christus in Euangelio usus est.

5. *Gladius meus*] *Gladius Domini* est גזרה *decretum* illud Divinum quod nemo immutare valet. Et nota quòd חרב hic capitur in neutro genere, non obstante quòd sit de conjug. Piel.

6. *Agnorum*] Pro *agnis*, *hircis* & *tauris* Chaldæus vertit מלכין ושלטונין ועתרין *Reges & potentes*, & *dominos terræ*, quorum sanguine & crassis corporibus terra hîc Hyperbolicè dicitur *saginata*.

7. De-

7. *Deſcendent unicornes*] Jonathan ſic explicat, *& interficientur fortiſſimi cum eis, & potentes cum ſatrapis*, &c.

9. *Flumina ejus in picem*] Jonathan hîc addit, נחלתא רומי *flumina Romæ convertentur in picem*. Et hinc eſt quòd Judæi per *Ædom* ſæpe in Scriptura intelligunt Regnum Romanum. Eſt autem Metaphorica locutio: vel ad literam *fluvius* aliquis Ædonæorum *mutatus eſt in picem*, ſicut & mare Mortuum poſt ſubverſionem Sodomæ aſphaltum produxit.

11. *Accipient eam in poſſeſſionem*] Terra, inquit, illa in ſummam redigetur ſolitudinem, quam nullus hominum, ſed animalia horrenda, aſperrimis aſſueta ſolitudinibus, inhabitabunt. De קאת & ינשוף atque דיה diximus Levit. 11. Porrò קפד eſt *avis quædam ſolitudinem inhabitans*, ſecundùm Kimhi in Radicibus. Suprà verò cap. 14. dicit eſſe *avem juxta aquas morantem*, ubi nos *Erinacium* vertimus poſt R. S. Poteſt etiam eſſe ut per *terram* intelligantur habitatores terræ, omni deſtituti præſidio & ſolatio, quales hodie ſunt miſeri Judæi. ¶ *Extendet funiculum inanem*] Ut in ædificiis neceſſarius eſt funiculus & perpendiculum, quibus artifex in ædificando dirigitur, ſic Deus ſuper hanc terram trahet *funiculum vanum & inanem*, h. e. omnia ædificia rediget in nihilum: id enim ſign. *amuſſis inanis*.

14. *Satyrus*] Sunt שעירים *fauni piloſi, & monſtra quædam deſerti*. Hebræi communiter interpretantur שדים *Dæmones*, ſicut & per לילית *infauſtum quoddam nocturnum* intelligunt *monſtrum, puerperis maximè infeſtum*. Unde & in quatuor parietibus cameræ in qua puerpera decumbit ſcribunt חוץ לילית, ſtultè putantes aëream illam Dæmonam ſic profligendam. Habent ſtulti homines multas ſtultas opiniones de hac לילית, ſicut in libello חרכה oſtendi. Porrò per איים Jonathan intelligit חתולין *cattos ferales*.

16. *Sciſcitamini*] Vos, inquit, qui fueritis in illa devaſtatione, ſciſcitamini verba Domini per me prædicta, & deprehendetis nihil non impletum. Siquidem ipſe voluit, atque ideò accipient memoratæ beſtiæ veluti in hereditatem terram per ſortem Domini eis diſtributam.

VATABLUS.

1. ET *plenitudo ejus* ומלואה] i. Qui replent eam, ſive quotquot habitant in ea.

2. *Interfecit eos*, &c. החרימם נתנם לטבח] Præt. Heb. pro fut. *interficiet illas*, & *dedet neci*. Alii, *vaſtavit eas; tradidit eas in mactationem*.

3. *Fœtor eorum* באשם] Redundat pronomen. ¶ *Propter ſanguinem eorum* מדמם] i. Ob copiam ſanguinis effuſi.

4. *Liqueſcet quoque* ונמקו] *Diſſolvetur quoque*: vel, *Corrumpetur*: i. peribit. ¶ *Decidet ſicut decidit*, &c. יבול כנבול וגו'] *Defluet ſicut defluit folium de vite, & ſicut defluit*, &c. Hyperpole eſt; acſi dicat, Omnia illa videbuntur illis quaſi perire: tanta erit afflictio hominum degentium illo tempore.

5. *In cœlo gladius meus* בשמים חרבי] Quidam converſo ordine vertunt, *gladius meus* qui eſt *in cœlis*: q. d. Dominus is eſt qui excitat corda Principum ut interficiant ſe mutuis vulneribus. ¶ *Interfectionis meæ ad judicium* חרמי למשפט] *Occiſionis meæ propter judicium*, vel, *in judicium*: i. quem interfecturus ſum ut judicium exerceam in eos.

8. *Ad judicium Sion* לריב ציון] *In cauſam Sion*. Alii, *contentionis* [vel *rixæ*] *cum Sion*: aut, *ô Sion*: q. d. Veniet dies in qua Dominus ulciſcetur ſe de infidelibus, ſumétque pœnas de iis qui injuſtè contenderint cum Sion, ſive cum fidelibus ſuis.

11. *Et poſſidebunt eam* וירשוה] *Itaque accipient eam in poſſeſſionem*, i. habitabunt in ea tanquam in ſua & propria hereditate. ¶ *Pelicanus & ericius* קאת וקפוד] *Onocrotalus & teſtudo*, vel *ulula*, aut *ericius*. *Onocrotalus* avis cygno ſimilis, ſic dicta quòd collum in aqua mergens, ſpiránſque, veluti ruditum aſini edat. ὄνος *aſinus*, κρόταλος *crepitaculum, crepitus*. ¶ *Extendétque* ונטה] Sub. *architectus*, vel *Deus*: i. perdet & deſtruet eam regionem: ut per hoc intelligamus oppoſitum ædificationis: q. d. Aliter faciet quàm illi architecti qui ſolent ducere lineam, &c. ¶ *Deſolationis* תהו] Ad verb. *inanitatis*, i. inanem. ¶ *Et lapides vacuitatis* ואבני בהו] i. Pondera, ſive perpendicula vacua: q. d. Poſtea non inſtaurabitur neque extructur.

12. *Principes ejus*, &c. חוריה ואין שם] Quidam converſo ordine ſic vertunt, *Vocabunt Principes illius* ad *Regnum*, & *illic nulli erunt*: i. ſi aliqui vocaverint Principes illius ad Regnum ſuſcipiendum, nulli erunt qui adire poſſint dignitatem Regiam. Alii, *Nobiles ejus vocabunt*, *& non* erit *ibi Regnum*. Alii, *Nobiles ejus ſine Regno vocabuntur*: i. ſic deſtruentur Idumæi, ut nulla illic futura ſit nobilitas, nullus Principatus. Doctus inter Hebræos vertit, *Principes clamabunt* [i. altâ voce dicent: ו redundat] *Non eſt ibi Regnum*, [ſub. *quia nulli erunt ſubditi*] *& omnes Principes ejus non exſtabunt*: i. nemo erit qui volet admittere dignitatem Regiam.

13. *Et paliurus* חוח] *Et vepres*. Alii, *urtica*. Alii, *carduus*. ¶ *Filiabus ſtruthionis* לבנות יענה] i. Struthionibus; quæ habitare ſolent in locis ſolitariis, deſertis, & non habitatis.

14. *Cum ululis* את איים] *Cum ſatyris*. Alii, *& inſulares*. Quidam relinquunt vocem Hebræam *Iim*. ¶ *Et dæmon* ושעיר] *Et ſatyrus*, ſive *faunus*, à multitudine pilorum. Alii, *ſtrix*. ¶ *Quin ibi quieſcet lamia* אך שם הרגיעה לילית] Præt. Heb. pro fut. *etiam* [vel *certè*] *ibi quieſcet ſtrix*. Beſtia ſolitaria eſt, ſeu ſolitudinem deſertúmque incolens, vocata לילית quòd *nocte* clamet. Sunt qui dicunt eſſe avem quæ nutritur vento, quemadmodum Salamandra igne.

15. *Ericius* קפוז] *Vultur*. Alii, *teſtudo*. Alii, *ulula*. Alii relinquunt vocem Hebræam *Cipoz*. ¶ *Et pariet* ותמלט] *Et ponet*, ſub. *ova*: q. d. Pariet more gallinæ quæ ponit ova. Dictio ſignificat *edere in lucem fœtus ſuos ſalvos*. ¶ *Rumpétque* ובקעה] i. Ruptis ovis excludet fœtum. ¶ *Poſtquam collegerit in umbra ſua* ודגרה בצלה] Ad verb. *& congregabit in umbra ſua*: i. poſteaquam foverit illa: ו pro *poſtquam*. ¶ *Alter*, &c. אשה רעותה] Ad verb. *femina* cum *ſocia ſua*, vel *unuſquiſque ad ſocium ſuum*.

16. *Et legite* וקראו] Quidam vertunt, *& clamate: accerſite*: i. recenſete animalia illa. ¶ *Nulla defuerunt* אשה רעותה לא פקדו] Præt. Heb. pro fut. Ad verb. *femina* cum *ſocia ſua non deficient*. ¶ *Et ſpiritus ejus* ורוחו] Mutatio perſonæ, pro, *& ſpiritus meus*, ſive *oris mei*, i. flatus: q. d. Ego ipſe ore meo præcepi id fieri, & ego ipſe jubebo animalia illa congregari illo tempore.

17. *Diviſit eam illis in linea* חלקתה להם] Præt. Heb. pro fut. *partietur* eam *illis* animalibus *funiculo*, ut ſolent ſcilicet dividi hereditates.

CASTALIO.

9. V*Ertentur illius & fluvii in picem*, &c.] *Illius*, ſcil. Idumææ.

11. *Vaſtitatis incultûſque norma atque libra ab illo definitam*] In vaſtitatem incultúmque redactam.

CLARIUS.

1. A*Ccedite gentes*] Putant Hebræi Prophetiam illam implendam tempore Meſſiæ ſui, quando Dominus Gentes mutuis bellis & cædibus eliminabit. Quidam ex noſtris hoc & ſequens caput intelligendum putant de extremo die; alii, de poſtrema Synagogæ vaſtatione, quæ poſt Chriſti contigit adventum, id quod ex magnifica illa Prophetiæ colligunt præfatione, quando dicit, *Audite gentes, advertite*: &, *audiat terra*.

3. *Tabeſcent montes*] Vel *liqueſient*. Hyperbole eſt.

4. *Tabeſcet omnis militia cœlorum*] Eſt frequens locutio apud Prophetas, ut cùm de inſigni loquuntur tribulatione, dicant *cœlum* vel *obtenebreſcere*, vel *complicari in modum voluminis*, vel *ſtellas cadere de cœlo*. Et hoc tropo quoque Dominus in Euangelio uſus eſt.

6. *Agnorum & hircorum*] Pro *agnis*, *hircis* & *tauris* Chaldæus vertit *Reges, potentes, & dominos terræ*, quorum ſanguine & craſſis corporibus terra hic Hyperbolicè dicitur *ſaginata*.

7. *Unicornes*] Jonathas ſic explicat, *& interficientur fortiſſimi cum eis, & potentes cum ſatrapis*, &c.

9. *Torrentes ejus in picem*] Jonathas hîc addit, *flumina Romæ convertentur in picem*. Et hinc eſt quòd Judæi per *Ædom* ſæpe in Scriptura intelligunt Regnum Romanorum. Eſt autem Metaphorica locutio. Vel ad literam *fluvius* aliquis Ædomæorum *mutatus eſt in picem*, ſicut & mare Mortuum poſt ſubverſionem Sodomæ aſphaltum produxit.

11. *Menſura, ut redigatur ad nihilum*] Vel *menſura nihili*, ſivè *funiculus inanis*. Sicut in ædificiis neceſſarius eſt funiculus & perpendiculum; quibus artifex in ædificando dirigitur, ſic Deus ſuper hanc terram trahet *funiculum vanum & inanem*, h. e. omnia ædificia rediget in nihilum: id enim ſign. *amuſſis inanis*.

15. *Lamia*] Ferunt eam eſſe quæ & *ſtrix* appellatur, avis inviſa & inauſpicata, quam ferunt mammis lactare pueros & infirmare.

16. *In libro Domini*] Vos, inquit, qui fueritis in illa devaſtatione, ſciſcitamini verba Domini per me prædicta, & deprehendetis nihil non impletum. Siquidem ipſe voluit, atque ideo accipient memoratæ beſtiæ veluti in hereditatem terram per ſortem Domini eis diſtributam.

FORERIUS.

1. **A**Ccedite gentes, & audite populi, &c.] Non puto quòd ad narrandam vastationem Idumæorum hoc exordio usus fuisset Propheta. Sed neque vastationem totius Mundi continet caput hoc, ut sequentia ostendunt. Certè, nisi meus me fallit animus, hæc omnia de ultima desolatione Judææ libenter accipio. Neque mirum alicui videatur quòd Judæos nomine *Edom* significet: non enim semel id facit Propheta, ut infrà videbimus. Nam præter hoc quòd Judæi ex *Jaacob* facti sint *Esau*, i. ex dilectis reprobi, & ex capite cauda, & primogenituram amiserunt, quæ ad Esau rediisse dici quodammodo potest, cui dixerat Isaac quòd *aliquando & ipse excuteret jugum à collo suo*; in nomine ipso EDOM, quod à *rubedine* dictum est, allusio est ad interfectionem & ingentem cædem quam patraturus erat Dominus in Judæa, ut mox dicetur. Adde quòd non rarò Prophetæ nomine *omnium gentium* & *totius urbis* eam gentem & provinciam in qua erant intelligunt, ut suprà indicavimus. In hoc tamen primo versu universum Mundum & omnes gentes ad spectaculum convocat earum rerum quas de gente sua commemorare decreverat. Est enim illius Reip. ruina, inter aliorum Regnorum quæ unquam contigerunt eversiones, maximè insignis.

2. *Quia indignatio Domini*, &c.] Si de Edom esset sermo, non sic locutus fuisset Propheta, qui non consuevit *omnes gentes* dicere nisi aut cùm de toto Orbe loquitur, aut cùm de ea in qua agebat regione. ¶ *Militiam*] Seu *exercitum*. Si de Judæorum Rep. ut ego quidem arbitror, est sermo, intellige hic non temporalem modò militiam sed etiam spiritalem & Ecclesiasticam. Vide infrà Com. in illa verba, *Completa est militia*, &c. ¶ *Interfecit*] Significantius est verbum Hebræum החרים *anathematizavit*, *excommunicavit*, *devovit*, *diris persecutus est*, *ab usu communi* (seu è *medio*.) *sine ulla commiseratione sustulit*. Quod verò sequitur, hanc vocem exponit, *dedit eos in mactationem*, sicut illas civitates quas Dominus in anathemate dabat ipsis Judæis.

3. *Tabescent montes*] Significat Hyperbolicus hic sermo quòd quemadmodum montes assiduis imbribus decrescunt ac veluti *liquefiunt* aquarum defluxu, ut est apud Job, ità tantum sanguinis esset effundendum ut diffluerent montes. Verùm quia post hujusmodi fluxus montes steriles manent amissâ pinguedine (nam & humanis corporibus nimiæ solutiones tabem inducunt, ut norunt Medici) hinc Vulg. ad effectum respiciens *tabescere* dixit. His Metaphoris adeò venustis nescio an quidquam simile in profanis scriptoribus reperias.

3. *Tabescet*] *Militiam* (seu *exercitum*) *cœli*, i. luminaria & stellas, *tabescere* est Lucem amittere: quod mox exponens ait, *& volventur*, *sicut liber*, *cœli*. Sicut si librum volvas, literæ non apparent; ità cùm luminosa corpora sint in cœlo veluti literæ in libro, (sunt enim *signa temporum*, &c.) si cœlum volvas, non apparebunt. Obscurationem itaque luminarium cœlestium notant hæc, quæ nihil aliud quàm supremam tristitiam & rerum adversarum quandam inundationem significant, ut suprà jam non semel diximus. Atque hoc est quòd Euangelistæ dicunt *Solem obscurandum*, *& Lunam retracturam lumen*, *& stellas de cœlo ruituras*. Hunc locum Jesaiæ Joannes Apoc. 6. sic vertit, *Et cœlum recessit sicut liber qui circumvolvitur*. Ubi quoque potentiam Dei indicare voluit Propheta, qui non majori negotio cœlos, si libeat, complicet & volvat quàm tu membranam, ac multò minori. Qui etiam locus Joannis facit ut hæc de Judæa intelligam. Nam cùm cap. 4. & 5. gloriam Christi quam per mortem assecutus est, quámque etiam per prædicationem Euangelii obtinuerat, descripsisset, tandem cap. 6. vastationem Judææ, quæ cœpit fieri à morte Domini, per incrementa narrat, quousque in sexto Sigillo, i. sextâ annorum hebdomadâ post occisum Dominum, extremam devastationem commemorat, *obscurato Sole*, *& cadentibus stellis*, *& cœlis complicatis*: ubi etiam adducit illa verba Domini quæ dicturi erant Judæi *montibus & petris*, *ut caderent super ipsos*. Próque his quæ hìc dicit Propheta, *Defluet exercitus cœlorum*, i. stellæ, *sicut folium de ficu*, &c. dicit Joannes, *Et stellæ de cœlo ceciderunt super terram*, *sicut ficus emittit grossos suos cùm à vento magno movetur*. ¶ *Defluet*] Hæc constructio, *marcescere de vite*, aut *ficu*, quæ fecit ut verbo *defluendi* verteretur, est Hebræis frequentissima, ut superiùs annotavi, essèque reddendam dixi duobus verbis, *marcescet ac decidet*.

5. *Inebriatus est*] רוה *humectatus est*, *madefactus est*, *inebriatus est*. Notàtque redundantiam. Eâdem autem figurâ & verbo utitur Jeremias 46. *Devorabit gladius*, *& satiabitur & humectabitur à sanguine eorum*. ¶ *In cœlo*] i. Apud me: vel, Firmiter jamdudum statui madefacere gladium meum sanguine, &c. Estque Hebraismus valde dignus qui annotetur, ut, *Verbum tuum permanet in cœlo*: &, *In cœlis firmasti veritatem tuam*: i. Sic firmum erit verbum tuum ut cœli ipsi, & veritas tua tam stabilis ut cœli & cœlorum motus. *In cœlo* ergò vel cœlis vel *cœlestibus* utuntur tanquam adverbio pro *firmiter*, *absque dubio*, vel etiam pro *excellenter*, *magnificè*; sicut apud Paulum, *innotescat in cœlestibus*, i. magnificè, summa cum majestate, sicut res cœlestes, &c. ¶ *Populum interfectionis meæ*] Vide suprà v. 2. *populum anathematis sui*, i. anathematizatum & à me devotum. Et cum isto nomine construendum est illud *ad judicium*; *devotum*, inquam, *in judicium* seu *condemnationem*; quod suprà dixerat *traditos mactationi*. Vel, *descendet in judicium*. Confer hæc verba cum illis, *primogenitus meus Israel*, & similibus, & videbis quantum actiones nostræ ac mores coram Deo momenti habeant: ex ipsis enim aut *dilecti filii* seu *primogeniti*, aut etiam tanquam *excommunicati* & *internecioni addicti* habebimur.

6. *Agnorum*] כר *agnum* solet vertere. Vide de hac voce suprà 16. 1. *Arietes* dicere potes: nam & instrumenta bellica ad quatiendos muros, quæ *arietes* dicimus, כרים vocant Hebræi. ¶ *Medullatorum*] Vox Hebræa *renes* notat: sed propter pinguedinem quâ obducuntur, ad *pingue* & *optimum rei* transfertur, & *tritico* etiam tribuitur, &c. Sensum vertit interpres Vulg. ¶ *Arietum*] אילים *arietes gregarii*. Istis autem animalibus significantur divites ex plebe. De principibus aget versu seq. ¶ *Victima*] Suprà eos dixerat *mactationi destinatos*: Hic jam Deum proponit innumerabiles victimas, tanquam in festo aliquo, cædentem ac mactantem. Quo innuit occisionem impiorum acceptum sacrificium Deo esse, & diem quo delentur infideles, &c. esse diem festum Deo: Et quidem *sacrificia* quæ Deo offerunt *sunt abominatio Domino*; quod verò ex ipsis offertur, acceptissimum. ¶ *Bozrah*] Civitas est Idumæorum, à *muris* quibus cingitur nomen habens, vel potiùs à copia *uvarum*: nam verbum Hebraicum dicitur tam de *decerptione uvarum* quàm de *coarctatione murorum*, &c. ut jam suprà indicavimus. Ergò hìc intelligi Judæos, rufos & sanguinolentos, qui sibi sanguinem Christi imputari & filiis suis non sunt veriti, nemini mirum videatur.

7. *Descendent*] *Descendere* dicunt Hebræi interdum pro *corruere*, ut Ezech. 30. *Descendit superbia fortitudinis ejus*. Deut. 20. *Exstrues propugnaculum contra civitatem*, *donec descendat ipsa*, &c. Ne ergò putaremus minorum animalium tantùm futuram mactationem; & populum tantùm cædendum; subjungit de Principibus, *cum eis etiam corruent*. Hos vocat nominibus majorum animalium. ¶ *Unicornes*] A verbo ראם, quod tantùm semel legitur Zach. 14. i. *elevatum est*, dicitur REEM animal *Rhinoceros*, quòd *in altum habeat elevatum cornu*; vel quòd *cornu elevet*, &c. Est sævum animal & immensi roboris bellua; cujus *fortitudini* comparatur *fortitudo* Israelitarum Num. 23. Posteritas Joseph etiam in fortitudine comparatur huic animali Deut. 33. *Cornua*, קרני ראם *cornua ejus*; *in ipsis ventilabit gentes*, &c. propter Regnum Ephraim & potentiam ejus: ubi Vulg. *Rhinocerotem* dixit. Et Ps. 92. *Exaltabitur ut* REIM *cornu meum*: ubi videtur alludere ad etymon ipsum nominis, quod tamen ibi legitur insertâ literâ Jod. Feritas ejus notatur Psal. 22. & Job. 29. Cæterùm Rhinoceros & Monoceros non idem animal sunt: Sed hoc dicitur ab *uno cornu*, illud autem à *cornu in naso* quod sursum elevatum habet. Nos Lusitani Rhinocerotem vidimus ex India advectum anno 1515. Hujus fortitudinem metuit Elephantus. Hoc animal vidit Martialis Romæ cum urso pugnantem, qui taurum viceràt. Rhinoceros verò ursum ut pilam in altum projecit. Cui geminum cornu tribuit: habet enim præter cornu quod in naso est, aliud parvum supra frontem. Idcirco ait,

> *Namque gravem gemino cornu sic extulit ursum*;
> *Jactat ut impositas taurus in astra pilas.*

& rursus,

> *O quam terribiles exarsit pronus in iras!*
> *Quantus erat cornu, cui pila taurus erat!*

Ubi quidam deceptus est, quòd non putaret nisi unum cornu Rhinocerotem habere. At Pausanias illius alterius parvi quoque mentionem facit. De hoc ergò animali intelligendi sunt, meo judicio, omnes loci quos adduxi. Monocerotum autem non unam esse speciem existimo: unde tanta diversitas in scriptoribus orta est. De Asino Indico unum cornu in fronte gestante meminit Aristoteles & alii veteres scriptores: cujus cornu hodie adversùs venena utimur: quæ quidem virtus rara habet apud antiquos testimonia. Ego quidem nullum antiquius legi quàm Philostrati in Vita Apollonii, initio lib. 3. cujus hæc verba

verba sunt, *Asinos praterea silvestres in vicinis paludibus, fluvio videlicet Hypasio in India, multos capi dicunt, & esse hujusmodi feris in fronte cornu, quo taurorum more generosissimè pugnant. Atque conficere Indos ex illis cornibus pocula. Asseruntque nullis morbis illo die affici qui hujusmodi poculo potarint; neque, si vulnerati fuerint, dolere; & ex igne etiam incolumes egredi; neque ullis venenis lædi, quæcunque nocendi gratiâ in potu dantur*, &c. De his animalibus dubito planè an Scriptura S. meminerit alicubi: quare ubique *Rhinocerotem* vertam libenter, quemadmodum Vulg. vertit Deut. 33. & Job. 39. Non tamen culpandi sunt qui Rhinocerotem *Monocerotem*, i. *Unicornem*, dixerint: nam unum illud præcipuum cornu magnum est; alterum autem suprà frontem, parvum. ¶ *Et tauri*] Seu *juvenci*: à פרה *fructificavit* est nomen פר *juvencus*; quando scilicet desiit esse vitulus & fructificare incipit. Quibus etiam in Psalmo hostes suos comparat Christus Dominus Ps. 22. ¶ *Cum magnificis*] De nomine אביר jam supra dixi. Dicitur autem de Deo Gen. 49. & cap. superiori: de Hominibus suprà c. 10. de Angelis Ps. 78. *Panem robustorum comedit vir*: de Equis Jer. 50. de Tauris Ps. 50. Et Ps. 22. cum *juvencis* conjungitur, ut hoc loco, *Circumdederunt me juvenci multi: robusti*, i. tauri, *Basan cinxerunt me*: quo modo hîc quoque accipio. Nomine ergò *Rhinocerotum* & *juvencorum* atque *taurorum* Principes & magnates Judæorum intelligito, qui cum aliis quoque perierunt & pro *victimis* Domino oblati sunt.

8. *Judicii Sion*] Voces Hebrææ dupliciter possunt accipi, in favorem videlicet Tsion, i. *ad contendendum pro Tsione*, & ejus causam vindicandam. Vel *annus est retributionum*, i. quo Deus retribuet *rixæ & contentioni quâ hostes cum Tsione contenderunt*. Sed quia verbum ריב, quando *pro aliquo contendere* sign. semper cum dandi casu construi videtur, idcirco huic interpretationi non subscribo. Quanquam autem eam admittamus, non de carnalium Judæorum civitate cum Rabinis, qui falluntur hoc loco nominibus *Edom*, *Idumea* & *Bozra*, sed de spiritali Tsione, quam ipsi infideles Judæi etiam oppugnant, intelligimus. Possumus & in malum interpretari; ut sequentia videntur exigere, quasi tempus adesse significet quo *Dominus vicem reddat ipsi rixæ Tsionis*, i. Tsioni rixanti & contendenti. De industria autem amphibologicè loqui voluit Propheta, (quod aliàs annotavimus) ut pii exercentes semetipsos in intelligendis Scripturis veritate fruantur, & impii videntes non videant, &c.

9, 10. *Torrentes ejus*] Relativum hoc & quæ sequuntur feminina sunt, & ad *Tsion* sunt referenda: neque aliud dabunt Rabini quò referant, nisi vim suo more Scripturæ afferre velint. Ergò futurum erat ut *torrentes Tsion in sulphur, & terra Tsion*, i. Judæa, *in picem converterentur*: quo omnino devastandam intelligimus, ac si esset terra picis & sulphuris quæ perpetuò ignem alit, ut in nonnullis regionibus sunt, quos *Vulcanos* dicunt. Hæc autem nihil aliud notant quàm peccata Judæorum etiam continuis flagellis & longo exsilio non consumenda: quamdiu autem durabit iniquitas & infidelitas illorum, durabit etiam ignis Divinæ iræ, quæ ità peccatis alitur ut ignis pice & sulphure.

11. *Onocrotalus*] A *vomitu* dicitur hæc avis קאת. Lxx Interpretes *Pelicanum* vertunt: Hieronymus *Onocrotalum* vel *Onocrotaum*. Est avis immunda & Lege vetita, Levit. 11. Deut. 14. Desertis gaudet. Ps. 102. *Similis sum Onocrotalo deserti.* ¶ *Ericius*] De קפד vide suprà c. 14. Avis est, ut ex hoc loco apparet. ¶ *Ibis*] Hebræis alia species est. Nomen quod hîc habet à *flando* dicitur, ינשוף. Avis immunda, ut apparet ex Levit. 11. & Deut 14. estque species noctuæ. Fortè à tempore dicitur quo volat, nempe *crepusculo vespertino*, quod dicitur NESEPH ab eodem verbo: de quo infrà 59. Est ergo avis quam Latini *Noctuam* vocant. ¶ *Corvus*] ערב, vel à *mistione coloris*, vel quòd colore referat obscuritatem *noctis*, vel quòd *vespere volitet*, vel etiam à sono vocis. Est autem Hebræis nomen genericum. Levit. 11. *& omnem Corvum in specie sua*: quo comprehenduntur Picæ, Graculi, Monedulæ, & aliæ id genus aves. Per *habitationem* autem harum avium solitudinem intelligit Tsionis & totius provinciæ: nam istæ aves solitudinis sunt amicæ. Et quia immundæ sunt, forte gentes, nempe Mahometanos, qui eas sedes possident, notant. ¶ *Mensura*] קו. De hoc nomine suprà c. 28. dictum est. Verbum sign. *lineas jacere*, ut Perspectivæ dediti & Geometræ faciunt. Nomen ergò *funem* seu *lineam illam* notat *quam Latomi extendunt*. Estque non solùm ædificantium, sed etiam destruentium & solo æquantium, cùm nihil supereminere volunt; ut jam suprà dictum est eodem capite, *Ponam judicium ad funiculum*, &c. Vide etiam supra cap. 18. *Ad gentem funiculi*, &c. Et quidem Vulg. sensum hoc loco suo more optimè reddidit, *ut ad nihilum redigatur*, pro *linea inordinationis* seu *inanitatis*. Vide suprà 24. Com. in illa verba, *Civitas vanitatis* &c. vers. 10. ¶ *Perpendiculum*] Optimè reddidit Vulg. nomen אבני, i. *lapides*. Significat enim Heb. non solùm *lapides grandiores & ædificiis aptos*, sed & *lapillos illos & pondusculа quæ filo pendent, instrumentúmque conficiunt quo fabri ignarii & cæmentarii utuntur*. Est autem duplex; alterum quo jacentia æquabiliter jacere deprehendunt aut inæquabiliter; & de hoc est hic sermo: alterum quo rectitudinem vel tortuositatem murorum percipiunt; de quo suprà c. 28. *Justitiam ad perpendiculum.* Neque cuiquam inauditum appareat nomen אבן pro *pondusculo* accipi. Nam etiam in universum pro *ponderibus* accipitur, quòd imponerentur olim lancibus lapides. Et per Catachresin etiamsi ex alia materia fierent, *lapides* dicebantur. Deut. 25, *Non sit in sacculo tuo lapis & lapis*, &c. *sed lapis integer & justitiæ sit tibi.* Et 2 Reg. 13. *in lapide Regis*, pro *pondere regio*. Habes Levit. etiam 19. *Bilances justitiæ, lapides justitiæ*, &c. Adde quòd Zach. 4. pro *perpendiculo* capitur; *Videbunt lapidem stanni in manu Zerubabel.* Nos etiam Lusitani hodie *lapidem lini* dicimus pro certo pondere. ¶ *Desolationem*] בהו est *inane, vacuum, vacuitas*. Opponitúrque verbo נבה, à quo videtur deduci. Ter autem tantùm reperitur in Scriptura, Gen. 1. & Jer. 4. *Vidi terram, & ecce inordinatio & vacuitas*, quasi redacta esset ad illud antiquum Chaos, nihil ordine positum, nihil ædificatum aut plantatum habens, &c. & hoc loco. Hæc passa est Judæa potiùs quàm Idumæa.

12. *Nobiles*] חור, i. *candidum*; in plur. חורים *candidati*, i. *liberi*, *ingenui*, *claro genere nati*, *nobiles* induti candidâ veste: quod erat insigne ingenuorum, 1 Reg. 21. Neh. 2. & 5. Eccles. 10. Ergò hîc Vulg. optimè *nobiles* vertit, supplevitque verbum substantivum, quod sæpe deest: videtúrque legisse מלכה, i. *ad Regem*. Juxta lectionem autem quam nunc in Hebræo habemus, מלוכה, duplex potest esse sensus: 1. *Nobiles ejus, & non Regnum vocabuntur*; i. Habebit quidem ille populus nobiles & qui ex stirpe Regia genus ducant, aut saltem ex nobilibus & liberis; non tamen vocabuntur ad Regnum, neque ampliùs habebunt Regem: 2. quòd *ipsi nobiles non ampliùs ibi Regnum dicantur*, etiamsi conveniant alicubi ut Regnum efficiant: sed id nequaquam in Tsione aut Judæa erit. Ergò negatio illa transposita, ut vides in nostra versione, hunc habet sensum, *Etsi nobiles aliqui remanerent, nunquam tamen ibi Regnum dicerentur; quinimo omnes Principes ejus in nihilum redigerentur.*

13. *Paliurus*] Species est spinæ, frutex spinosus & asper: de quo Plinius l. 13. c. 19. Virgilius,

——— *Spinis surgit Paliurus acutis.*

Vulg. quia jam *spinas* dixerat, optimè vocem Hebræam חוח *paliurum* vertit. Est autem Hebræis Spina vel naturalis vel artificialis, ut infrà 37. de *spina quæ naso infigebatur* nonnullis animalibus. De vocibus hujus versûs jam in superioribus diximus. Solitudinem itaque, ut vides, variis figuris designat.

14. *Dæmonia*] De nomine *Tciim* vide suprà 13. ubi Vulg. hanc vocem *bestias* vertit. ¶ *Onocentaurus*] Est animal monstrosum superiori parte Hominem, inferiori Asinum referente; sicut *Hippocentaurus* ex Homine & Equo. Sed vocem איים suprà Vulg. *ululas* vertit. Sunt autem Ululæ aves ferales, & à sono, ni fallor, appellationem habent. Hîc Spiritus, qui variâ monstrorum specie in desertis locis apparent, hæc nomina designant. Et quia manifestum est TCIIM *naves* significare, non dubito qui & ipsos *nautas* quoque significet, transferatúrque ad significandas *Simias*; quas etiam ob agilitatem qua præditæ sunt in ascendendo per funes, &c. nos Lusitani interdum irrisoriè *nautas* vocamus. Hinc ad Cacodæmones notandos transfertur; sicut & quod sequitur. ¶ *Pilosus*] שעיר. Quemadmodum autem dicitur Hebræis *Hircus* à *pilis* & *horrore*, sic quoque vocant *Satyros*: convenit enim & vox. ¶ *Lamia*] *Lamiæ* antiquis erant quas hodie *bruxas* vocamus Hispani, veneficæ mulieres & sanguini puerorum infestæ. Dion Chrysostomus ait *in intima Africa feras quasdam reperiri muliebri facie, quæ & ipsæ Lamiæ dicuntur; uberibus autem & toto corpore adeò specioso ut ipsis retectis homines in fraudem alliciant, captósque devorent.* Vide Philostratum in Apollonio lib. 4, &c. Ego Cacodæmones in illis figuris apparuisse aliquibus crediderim. Cæterùm vox Hebræa לילית à *nocte* nomen habet, quòd noctu videlicet appareat: neque alibi memini me legisse, nam Thren. 4. ubi Vulg. dixit *Lamias nudasse mammas*, in Hebræo aliud nomen est, nempe TANIM, quod superiori versu *dracones* vertit.

 15. *Ha-*

15. *Habuit foveam*] Vulgatus, quia קפּז pro *ericio* accepit, noto animali terrestri, *foveam habere* dixit pro *nidificare*: Et eàdem ratione verbum מלט, quod in secundâ propriè est *facere ut evadat*, dictum autem de Avibus est *ova edere*, dixit *enutrire catulos*. Item ad eorundem animalium naturam respiciens verbum בקע, quod propriè est *discindere* seu *dissecare*, dictùmque de Avibus est *excludere ova* & *fractis ovis pullos educere*, vertit *circumfodit*. ¶ *Et fovit*] Ex Jer. 17. apparet quòd verbum דגר *incubare* seu *fovere* sign. Non ergò videtur servasse ordinem: Nam incubatio præcedit exclusionem. Quare & accipiunt pro *postquam*. Ego tamen libenter de educatione illa prima quam matres exhibent pullis jam ab ovo eductis, quæ etiam communi verbo *fovendi* significatur, accipio: qua in acceptione intelligi etiam potest locus Jeremiæ. Per futura autem verti aliquot præterita nam ità exigebat oratio; & Hebraismus indifferenter nunc futuris nunc præteritis uti consuevit, ut in his versibus vides. Sed quia quid propriè sit קפּז neque ipsi Judæi sciunt, non possunt meritò Vulgatum reprehendere quòd pro terrestri animali acceperit. Videtur tamen de ave esse sermo ex proprietate vocum, & ex eo quod de *milvis* seu *vulturibus* subjungitur. Vox autem non alibi reperitur, & videtur esse idem quod קפּוד, aut simile aliquod genus avis, de quo suprà ver. 11. ubi quoque Vulg. *ericium* reddit. Sunt enim duo illa elementa ד & ז affinia & commutabilia. ¶ *Milvi*] דיה *vultur* est, & est genericum nomen. Deut. 14. דיה *juxta genus suum*. Hic est plur. ¶ *Alter ad alterum*] Latinè reddidit Hebraismum, quem ego retinui, quòd manifestius esset. Ad verbum tamen dicendum esset, si liceret, *unaquaque ad socias suas*. Variis itaque, ut vides, figuris desolationem Tcionis & Judææ describit sub nomine *Edom & Bozra*, & eisdem ferè quibus suprà cap. 13. Babylonis desolationem prædixerat, quòd non minùs impia esset Judæa, &c. Ego autem facilè adducar ut credam per hæc monstra & ferales aves ac bestias intellexisse Prophetam non solùm immundos Spiritus qui infidelium corda possident, sed, ut dixi, turpes Mahometanos crudelesque Turcas, quos prævidebat sedes illas occupaturos.

16. *Diligenter*] Adverbium hoc addidit Vulg. quasi volens vim verbi exprimere. ¶ *In libro*] Vel *super libro*, i. in Annalibus Domini. Nam quamvis de ipsamet Scriptura Prophetæ possit intelligi, q. d. *legite in hoc libro, & videte an aliquid ex eis quæ dixi defuerit*, &c. Puto tamen de altero libro esse sermonem in quo res gestæ per Dominum descriptæ sunt, vel visibili, qui jam interiit; vel invisibili, qui in Deo est, ex quo omnis veritatis narratio dependet, etiam ejus quæ in profanis scriptoribus reperitur. Ergò conferre præcipit ea quæ Judææ accidisse vel scimus vel legimus apud scriptores vera narrantes, cum eis quæ in hac Prophetia continentur, & per omnia consentientem rei gestæ Prophetiam nos inventuros prædicit. ¶ *Alter alterum*] Ad verb. *mulier sodales suas non requisivit*; i. unaquæque res suam comparem non desideravit, sed ut in Prophetia conjunguntur, ità quoque in eventu conjuncta videbis. De hoc Hebraismo nonnihil suprà v. 15. Utuntur autem femininis pro neutris, quibus carent. ¶ *Quod ex ore meo procedit*] Optimè sensum reddidit Hebraismi, *quia os meum ille mandavit*. ¶ *Congregavit ea*] Non est in Hebræo pronomen, sed ad perspicuitatem Vulg. illud adjecit, q. d. sic conjunctim, *Ut ea ego extuli, ità Spiritus Domini ea præcepit efferri*: vel, *Quemadmodum per os meum Dominus enunciari voluit, ità & Spiritus ipsius ea opere simul adimplevit*. Quænam sunt illa?

17. *Ipse misit*] Hebraismum retinui, *cadere fecit sortem eis*, i. veluti sorte aves illas possidere fecit terram Jehuda. Et idem est quod sequitur, *divisit illis funiculo*, vel *in mensura*: fune eis dividebantur agri. Estque prius relativum femininum, alterum masculinum; referúntque omnes illas aves & monstra de quibus suprà factus est sermo. His enim generibus simul positis Hebræi universitatem designant. Estque allusio ad divisiones & sortes jactas per Josue quando divisit Israelitis terram Promissam, quòd pro eis monstra, feræ, cacodæmones, &c. Mahometani illam ipsam Judæorum hereditatem in suam possessionem dono Dei possederunt, ut notum faceret cunctis seculis quòd digniores sunt feræ & ipsi Dæmones & impuri Mahometani illâ possessione quàm ipsi Israelitæ secundum carnem, quibus olim à Deo data fuerat. Tanta fuerunt eorum scelera, & adeò sub ipsis contaminata fuit terra illa, ut suprà dictum est per hunc ipsum Prophetam.

DRUSIUS.

3. עָלָה בָאְשָׁם. Sym. ἀναβήσεται ἡ δυσωδία *ascendet fœtor*.

4. וְנָמַקּוּ כָּל־צְבָא הַשָּׁמַיִם. Alii, καὶ τακήσονται πᾶσαι αἱ δυνάμεις τῶν οὐρανῶν, *liquefient omnes virtutes cœlorum*] Hæc habentur in Lxx, sed ex aliis ed. addita olim fuerunt sub asteriscis. Docet Eusebius in Comment. ità scribens, μὴ κείμενον δὲ ἐν τῇ τῶν ἑβδομήκοντα ἑρμηνείᾳ τὸ, Καὶ τακήσονται πᾶσαι αἱ δυνάμεις τῶν οὐρανῶν, μετ᾽ ἀστερίσκων ἐκ τῆς τῶν λοιπῶν ἑρμηνείας προσετέθη. ¶ וְכָל־צְבָאָם יִבּוֹל כִּנְבֹל עָלֶה מִגֶּפֶן וּכְנֹבֶלֶת מִתְּאֵנָה. Aq. καὶ πᾶσα στρατιὰ αὐτῶν ἀπορρυήσει, ὡς ἀπορρεῖ φύλλον ἀπὸ ἀμπέλου, καὶ ὡς ἀπόπτωμα ἀπὸ συκῆς, *& omnis militia eorum defluet, sicut defluit folium de vite, & sicut id quod decidit de ficu*. Sym. καὶ πᾶσα ἡ δύναμις αὐτοῦ πεσεῖται, ὡς πίπτει φύλλον ἀπὸ ἀμπέλου, καὶ ὡς ἀπόπτωμα ἀπὸ συκῆς, *& omnis exercitus ejus cadet, sicut cadit folium de vite, & ut id quod decidit de ficu*] Addit Eusebius, τετήρηται δὲ ταῦτα ἡμῖν εἰς τὸ δεῖξαι ὅτι παρὰ τοῖς ἑβδομήκοντα εἰρημένα Ἄστρα, παρὰ τοῖς λοιποῖς ἑρμηνευταῖς Δυνάμεις τοῦ οὐρανοῦ ὀνομάσθησαν.

6. כָּרִים. Reliqui ἀρνῶν *agnorum*] Euseb. ἀμνῶν, ἢ κατὰ τοὺς λοιποὺς ἑρμηνευτὰς, ἀρνῶν.

14. לִילִית. Sym. *lamia*] Hieron. לילית *à solo Symmacho translata est* lamia, *quam quidam Ebræorum* ἐριννὺν, *i.* furiam, *suspicantur*.

IDEM EX PROCOPIO.

1. וְהַקְשִׁיבוּ. πρόσχετε *attendite*.

4. וְנָמַקּוּ כָּל־צְבָא הַשָּׁמַיִם. Aq. Sym. Th. καὶ τακήσονται πᾶσαι αἱ δυνάμεις τοῦ οὐρανοῦ, *& tabescent omnes exercitus cœli*.

5. כִּי־רִוְּתָה. Iidem ὅτι, ——

6. מִדַּם כָּרִים וְעַתּוּדִים. Sym. ἀπὸ αἵματος ἀρνῶν καὶ τράγων, *à sanguine agnorum & hircorum*.

10. לְדוֹר תֶּחֱרָב. Aq. Sym. Th. εἰς γενεὰν ἐρημωθήσεται, *in generationem desolabitur*. ¶ לְנֵצַח נְצָחִים. καὶ εἰς χρόνον πολὺν *& in multum tempus*. ¶ אֵין עֹבֵר בָּהּ. Th. οὐκ ἔστιν ὁ παραπορευόμενος ἐν αὐτῇ, *non est qui faciat iter juxta eam*] Sive *qui prætereat in ea*. Nam παραπορεύομαι sign. etiam *prætereo, transeo*. Matth. 27. & Marc. 15. item Ezech. 35. 7. עֹבֵר וָשָׁב, παραπορευόμενον καὶ ἀναστρέφοντα *transeuntem & revertentem*.

11. וְשָׁכְנוּ־בָהּ. Th. καὶ κατοικήσουσιν ἐν αὐτῇ *& habitabunt in ea*.

12. יִקְרָאוּ. Aq. Th. καλέσουσιν *vocabunt*. ¶ וְכָל־שָׂרֶיהָ. Aq. Sym. Th. καὶ πάντες οἱ ἄρχοντες αὐτῆς *& omnes Principes ejus*.

14. וְשָׂעִיר. Aq. Sym. καὶ τριχιῶν *pilosus Dæmon*. Th. καὶ ὀρθοτρίχων. ¶ עַל־רֵעֵהוּ. Aq. πρὸς ἕτερον αὐτοῦ *ad alium suum*. Th. ἐπὶ τὸν πλησίον αὐτοῦ *ad proximum suum*. ¶ שָׁם הִרְגִּיעָה לִּילִית וּמָצְאָה לָהּ מָנוֹחַ. Aq. ἐκεῖ ἀνέψυξεν λιλιθ; καὶ εὗρεν ἑαυτῇ ἀνάπαυσιν, *ibi refocillavit se Lilith, & invenit sibi requiem*. Sym. ἐκεῖ ἠρέμησαν * λάμια, *ibi quieverunt Lamiæ*] * λαμίαι ἴσως. Hieron. *ibi cubavit Lamia*. Fortè legendum in Sym. ἠρέμησε, num. sing. & mox ἡ λαμία *Lamia*. Scribitur etiam λάμια, accentu in antepenultima.

G R O T I U S.

2. *INdignatio Domini super omnes gentes*] Nempe quæ Assyriorum erant aut subditæ aut sociæ.

3. *Interfecti eorum projicientur*] Insepulti jacebunt.

Et de cadaveribus eorum ascendet fœtor] Lucanus VII. Pharsalicorum:

Quid olentes deseris agros?

Tabescent montes à sanguine eorum] Lucanus:

Sidentes in tabem spectat acervos.

4. *Et tabescet omnis militia cœlorum*] Aër ipse ex sanguine & tabo attracto obducetur turpibus nebulis, & quidem tam crassis, ut siderum conspectum adimant.

Complicabuntur sicut liber cœli] Lxx: ἑλιγήσεται ὁ οὐρανὸς ὡς βιβλίον [*convolvetur cœlum ut liber*]. Apocalypseos VI. Καὶ ὁ οὐρανὸς ἀπεχωρίσθη ὡς βιβλίον ἑλισσόμενον [*Et cœlum abiit ut liber convolutus*]: Sicut in volumine complicato nihil legi potest, ità in cœlo nihil erit quod spectetur. Vide & Ezech. XXXII. 7.

Et omnis militia eorum defluet, sicut defluit folium de vinea aut de ficu] Multa sanguinis copia multas exhalationes de se edit calidas, quæ ubi in nubes incurrunt faciunt speciem stellarum cadentium, aut, ut Seneca loquitur, *defluentium*. Hic tales stellæ *folio cadenti* comparantur, in Apocalypsi *grosso decidenti*, VI. 13.

5. *Quoniam inebriatus est in cœlo gladius meus*] Id est, furere cœpit, Ideo sequitur, *descendet*.

Super Idumæam] Idumæa partes secuta erat Assyriorum, ut dixi

diximus suprà XXI. Malum autem quod hic describitur illatum est Idumæis per Æthiopas, ut eodem loco significavimus.

6. *Repletus est sanguine, incrassatus est adipe*] Cædes sacrificiis comparatur, & iis maximè quæ pro peccato fiebant, in quibus adeps & sanguis Deo cedebant, Levit. VII.

De sanguine agnorum] Plebis.

Hircorum] Sacerdotum.

De sanguine medullatorum arietum] Opulentorum ac summatum virorum, Thren. I. 6.

Victima enim Domini in Bosra] Quæ Βόϛρα [*Bostra*] Ptolemæo in Arabia Petræa, neque aliter Stephano.

7. *Et descendent unicornes cum eis*] Id est, vincentur & illi qui maximè invicti putabantur. Vide Job. XXXIX. 12. & sequentibus, & Psal. XXII. 22.

Et tauri cum potentibus] In Hebræo, *Iuvenci cum robustis*: id est, tauris. Intellige *magnos & parvos*, ut Psalm. LXVIII. 31. XXII. 13.

8. *Annus retributionum judicii Sion*] *Tempus reddendi vicem adversario Sionis.* Idumæi semper infestissimi Judæis. Amos I. 11. Abdiæ 10. & sequent. Thren. IV. 21. Ezech. XXV. 12. Psal. CXXXVII. 7.

9. *Convertentur torrentes ejus in picem, & humus ejus in sulfur, & erit terra ejus in picem ardentem*] Urbes incendentur quasi pix aut sulfur.

10. *Nocte & die non exstinguetur, in sempiternum ascendet fumus ejus*] Id est, diu. Solent enim incensarum urbium diu manere favillæ & fumus. De fumo Virgil. III. Æneidos,

Omnis humo fumat Neptunia Troja.

Ubi Servius: *Ruina fit brevi, fumus verò longo permanet tempore.* Seneca Troadibus:

Ilium est illic ubi fumus altè
Serpit in cœlum, nebulæque turpes.
Troes hoc signo patriam videbunt.

A generatione in generationem desolabitur] Id est, desolata manebit Idumæa.

In secula seculorum non erit transiens per eam] Longissimo tempore. εἰς χρόνον πολὺν [*in multum tempus*] Græci hic.

11. *Et possidebunt illam onocrotalus*] קאת *Pelecanum* & Hebræi vertunt, & interpres Latinus Psalmo CII. 7.

Et ericius] Sic & Græci, ἐχῖνοι: sic & suprà XIV. 23.

Ibis] Sic & Græci. Hebræorum nonnulli *noctuam* esse volunt.

Et extendetur super eam mensura ut redigatur in nihilum, & perpendiculum in desolationem] Architecti, cùm veteris ædificii partem aliquam dejicere volunt, metiuntur latitudinem lineâ, & altitudinem perpendiculo.

12. *Regem potiùs invocabunt; & omnes principes ejus erunt in nihilum*] In Hebræo, *Regnum vocabunt*: id est, Memoriâ quidem recolent veteres Reges suos; sed ex ea familia nemo exstabit. Favet huic interpretationi Chaldæus.

13. *Et paliurus*] Virgilius:

Carduus, & spinis surgit paliurus acutis.

In munitionibus ejus] Intra ambitum mœnium quæ fuere.

Pascua struthionum] Ut suprà XIII. 21.

14. *Et occurrent dæmonia onocentauris*] ציים esse *feras* diximus eodem loco capitis XIII. ubi Græci habent θηρία. איים autem sunt *feles silvestres*, ut ibidem notatum.

Et pilosus clamabit alter ad alterum] Vide dicto capite XIII. 21.

Ibi cubabit lamia] *Strix*, ut alii vertunt. Quæ sit autem strix, negat constare Plinius. Paria autem de לילית Hebræi memorant iis quæ Latini de strige. *Strigis* meminere Ovidius, Lucanus, Serenus. Ovidius & à *stridendo* dictam dicit.

15. *Ibi habuit foveam ericius*] Nidificabit tutò, nemine prohibente.

Et enutrivit catulos] *Pariet.*

Et circumfodit] *Et erumpet*, supple *fœtus ejus*.

Et fovit in umbra ejus] *Et educabit eum* mater *sub ruinis*.

Illuc congregati sunt milvi alter ad alterum] *Congregabuntur milvi.* Sic Hebræam hanc vocem transtulit Interpres etiam Deuteron. XIV. 12. ubi & Græci ἰκτῖνοι.

16. *Requirite diligenter in libro Domini, & legite*] Ubi tempus illud advenerit, tunc in manus sumite volumen Prophetiarum; & hoc caput legite.

Unum ex eis non defuit, alter alterum non quæsivit] Illorum quæ dixi animantium nullum ibi desiderabitur.

Quia quod ex ore meo procedit ille mandavit] Id est, ipse effecta dabit mea verba.

Et spiritus ejus] Potentia ejus.

Congregavit ea] Antà dicta animantia.

17. *Et ipse misit eis sortem*] Terram hanc illis ità attribuit, ut solent qui per sortes eam assignant. Vide Numer. XXVI. 56.

Et manus ejus divisit eam illis in mensuram] Sortem præcedit dimensio. Vide Josuæ XVIII.

Usque in seculum] Interpretare ut suprà 10.

CAP. XXXV.

MUNSTERUS.

1. ET *exsultabit*] Tam Christiani quàm multi Judæi exponunt caput istud de tempore Christi. Et Judæi quidem hic mira fingunt, quæ Dominum facturum asserunt eo tempore quo ex moderna captivitate ad terram Promissionis reversuri sunt. Tunc enim nemo erit tam insipiens qui non rectâ viâ perrecturus sit, etiam ex ultimis terræ partibus ad terram Promissionis. Et nè in locis desertis siti pereant, excitabit Dominus passim per deserta fontes; abiget bestias sævas, faciet crescere per iter frondosas arbores, quæ viatoribus umbram & refrigerium præstent, &c. Omitto nænias eorum. Rectiùs nostri exponunt de prima Christi Ecclesia, quæ hic *deserto* comparatur, sicut & infrà cap. 54. *Plures erunt filii desertæ quàm ejus quæ habuit virum*, &c. Pertinet quoquè huc verbum illud quod Christus dicebat ad Judæos, *Auferetur à vobis Regnum Dei, & dabitur genti facienti pœnitentiam.* Et hoc est quòd hîc dicitur, *Gloria Libani dabitur ei, & illi qui priùs fuerunt quasi solitudo & squalor immunditiæ, videbunt magnificentiam Dei.* Scribitur autem hîc יששום pro ששון.

4. *Præcipites corde*] Sic vocat Hebraismus pusillanimes; & qui facilè terrentur & commoventur ad desperationem, in tribulatione positi, non considerantes promissiones Dei. Hi consolandi sunt nè desperent.

6. *Effossæ sunt aquæ in deserto*] Sicut & suprà dicitur, *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.*

7. *Locus humectus*] חציר pro חצר. Est autem חצר propriè *atrium*, & capitur hîc pro *convenienti mansione.*

8. *Erit illorum*] Scilicet qui simpliciter crediderint & gratiam oblatam acceptaverint. *Immundi* verò Judæi excludentur ab hac *via*, cùm non sint ex numero *redemptorum Domini.*

VATABLUS.

1. ET *invia* [ציה] *Et vastitas.*

2. *Germinando germinabit* [פרח תפרח] *Florendo florebit.* ¶ *Et laude* [ורנן] Macor Heb. pro nomine. ¶ *Dabitur* [נתן]. Præt. Heb. pro fut. i. replebitur cedris altissimis. ¶ *Et planitiei* [והשרון] *Et Saron*, i. loci campestris feracis. ¶ *Decorem* [הדר] *Magnificentiam: majestatem.*

3. *Debilia* [כשלות] *Labantia: nutantia.*

4. *Festinis corde* [לנמהרי לב] *Acceleratis animo*, vel *iis qui præcipites sunt corde*, i. levibus & inconstantibus: vel, *pusillanimis*, & qui facilè terrentur & commoventur ad desperationem in tribulatione, non considerantes promissiones Dei. ¶ Cum *retributione Dei: ipse veniet* [גמול אלהים הוא יבוא] Jungi potest sequentibus, *cum retributione Deus ipse veniet.*

5. *Patebunt* [תפתחנה] *Aperient sese.*

6. *Et laudabit* [ותרן] *Et cantabit.* ¶ *Erupuerunt* [נבקעו] Præt. Heb. pro fut. *rumpent sese*, i. exsilient ruptâ terrâ.

7. *Et sitiens* terra [וצמאון] Ad verb. *& locus sitis*, i. siticulosus & squallidus. ¶ *Draconum*, in *accubitu ejus* [בנוה תנים רבצה] Et *serpentum, accubitu earum, locus*, &c. *Earum*, nempe serpentum feminarum: vel *ejus*, ut תנים sit sing. numeri. Alii vertunt *cubili ejus*, *locus erit.* Alii, *ubi draco recubuit*, *erit locus humectus pro arundine*, &c.

8. *Semita* [מסלול] *Semita strata*: vel *exaltata lapidibus.* ¶ *Et hæc*, &c. [והוא למו הלך דרך] *Et hæc illorum erit: qui peritus est viarum, & qui non sunt periti, non errabunt.* Alii, *sed erit illorum: & non oberrabunt assuetus itineri, & stulti.* Alii, *& erit illis ambulans in via, ut imperiti non errent:* vel, *& ipse cum eis incedens in via, ut stulti non possint errare*: q. d. præibit suis.

9. *Et lædens inter bestias* [ופריץ חיות] *Et dissipatrix bestiarum.* Alii, *& latro bestiarum*, i. & alia bestia rapax.

10. *Redempti enim à Jehova revertentur* [ופדויי יהוה ישובון] *Itaque redempti Jehovæ* [vel *redempti*, *inquam*, *Jehovæ*] *redibunt.*

CASTALIO.

8. IS *patebit qui viâ gradientur*] Rectè vivent.

CLARIUS.

1. L*Ætabitur deserta*] Tam Christiani quàm multi Judæi exponunt caput istud de tempore Christi: Et Judæi quidem mira fingunt, dum literæ inhærent, quæ Dominum facturum asserunt eo tempore quo ex moderna captivitate ad terram Promissionis reversuri sunt. At nostri rectiùs exponunt de prima Christi Ecclesia, quæ hîc *deserto* comparatur, sicut & infrà 54. *Plures erunt filii desertæ quàm ejus quæ habuit virum*, &c. Pertinet quoque huc verbum illud quod Christus dicebat ad Judæos, *Auferetur à vobis Regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum ejus.* Et hoc est quòd hîc dicitur, *Gloria Libani dabitur ei; & illi qui priùs fuerunt quasi solitudo & squalor immunditiæ, videbunt magnificentiam Dei.*

4. *Ultionem adducet*] Vide ut hîc locus concordet cum verbis S. Simeonis; Cùm enim ait *ultionem reddet*, & mox addit, *veniet & salvabit nos*, quid aliud est quàm illud, *Ecce hic positus est in ruinam & in resurrectionem multorum in Israel?* Quòd autem hic locus ad Servatorem Christum pertineat, ipse idem subindicavit cùm dixit, *Ite & renunciate Joanni quæ vidistis & audistis. Cæci vident*, &c.

6. *Scissæ sunt*] Sicut & suprà dicitur, *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.*

7. *Dracones habitabant*] Per *dracones* & *leones* & *malas bestias* intelliguntur monstrosæ illæ scelerum pestes quæ orbem omnium terrarum invaserant, quæ in adventu Christi erant exterminandæ.

8. *Et hæc erit ipsis*] Qui scilicet simpliciter crediderint & gratiam oblatam acceptaverint. *Immundi* verò Judæi excludentur ab hac *via*, cùm non sint ex numero *redemptorum Domini.*

FORERIUS.

1. R Eprobationem Judæorum desolationémque Tsionis & totius Judææ superiori capite cùm prædixisset Jesaias, electionem Gentium, quæ mox consecuta est, jam decantat, & in laudes novi populi totum spiritum effundit. Erant olim tanquam *desertum* & *loca arida*, quæ ab hominibus non incoluntur, & feris relinquuntur. Et quia nullus in eis decor, nullus morum ornatus aut vitæ honestas eis inerat, ideo מדבר nomen illis competebat. Cùm etiam omnia apud illos forent confusa & inculta, & ad libitum in eis germinaret Caro & Mundus, à *commistione* meritò ערבה dici poterant. Quia verò Dei gratiâ destituti, ציה, i. *siccitas*, dicebantur. At jam per gratiam Christi ab illis malis alieni assimilantur *lilio* in pulcritudine & decore in suavissimo odore. Neque aliud sunt piorum mentes quàm quædam Lilia in horto Domini. *Lilium* חבצלת dicitur Hebræis, voce, ut videtur, peregrinâ. Neque radicem habere videtur in lingua Sancta, nisi dicas compositam esse vocem ex duabus radicibus, nempe ex חב, quod est *sinus*, & צל, quod est *umbra*, quòd digna sint sinu seu gremio.

2. *Germinabit, & exsultabit*] Tam novam támque felicem progerminationem, tótque filiorum unde non sperabatur exortum, sequitur ingens gaudium; de quo non semel deinceps fit mentio apud hunc Prophetam. Novæ ergò Jerusalem & verorum Israelitarum congregationi hæc competunt. ¶ [*Lætabunda & laudans*] Sensum expressit Vulg. ego verba verbis reddidi, *etiam exsultatio & ovatio*, i. in dies crescet exsultatio & ovatio. Exsultationem exsultatio & ovatio excipiet. Hæc enim est vis particulæ illius אף. ¶ [*Gloria Libani*] Non hæc accipio quasi comparetur *gloria* & *decor* novæ progerminationis *gloriæ Libani*, qui proceras cedros gignit, aut *fertilitati Carmeli* & *decori Saronis*, sed, ut jam suprà Propheta exposuit, quasi totum decorem cum tota gloria Synagogæ translatum esse ad Ecclesiam significet. Nam *Libanus* & *Carmel* ac *Saron* insigniora erant loca terræ illius Promissæ, cujus vastationem superiori capite depinxit. Illi ergò in solitudinem versi sunt, *quorum erat Lex, & promissiones, & gloria, & Patres, & ex quibus Christus*, &c. At qui erant *exleges, & extorres, & longè, sine Deo in hoc mundo*, juxta Euangelium, vocati sunt ad nuptias, *ejectis filiis Regni.* ¶ *Ipsi videbunt*, &c.] De illis itaque est sermo qui erant *desertum* & *solitudo* & *siccitas*, &c. Isti enim agnoverunt Christum Domini, qui in carne apparuit, qui est *splendor gloriæ & decor Dei nostri:* imò quia ipse est *Jehova*, & ipsis *resplenduit Euangelium gloriæ beati Dei.* Quia verò quanta sit gloria & virtus crucis Christi agnoverunt, dicuntur *vidisse gloriam & decorem Dei.* Adde quòd sicut Nebula seu Fumus olim dicebatur *Dei gloria*, quòd cùm nebula appareret Deus; sic Caro Christi, ob cujus humilitatem Judæi sunt obcœcati, *in qua Deus habitabat corporaliter*, nobis dicitur *Dei gloria.* Quia ergò gloria Judæorum, fides & agnitio veritatis, ad Gentes transiit, oculos habuere quibus possent *gloriam Dei intueri.* Et hæc est potissima *lætitiæ* illius causa de qua versu 1. & initio hujus.

3. *Confortate manus*, &c.] Vires hominis in brachiis ac cruribus maximè consistunt: Metus autem & brachia remittit & genua dissolvere videtur. Ad animum hæc referas oportet, ut mox explicat, &c.

4. *Dicite*] Ecce quo pacto alios stabilire deberent, bono videlicet ac læto nuncio. ¶ *Pusillanimis*] In dativo legendum est. Cæterùm duæ sunt voces in Hebræo quas expressi, נמהרי לב, i. *festinis corde. Festinos* autem *corde* vocat Hebraismus eos in quibus cor palpitat: quod meticulosorum est. Quare non indoctè *pusillanimis* dixit Vulg. unicâ voce. Vide superiùs c. 34. de nomine נמהר. *Cor festinorum observabit scientiam.* ¶ *Adducet*] Non malè hoc loco Vulg. activè accepit primo loco, secundo autem dixit *ipse veniet:* potest autem eodem modo utrobique reddi, *Vindictam adducet, Retributionem Deus ipse adducet*, &c. vel, *Ecce Deus noster, vindicta veniet, retributio Dei: ipse veniet, & salvabit nos.* Sensus autem idem est, videlicet quòd nihil sic mentes possit surrigere sicut Adventus Domini & Incarnationis mysterium. Peccata enim, quibus animus noster deprimitur, per Christum Dominum depelluntur: Diabolus autem hostis antiquus, qui nos captivos ducebat, à potentiore Christo foràs ejicitur: Morti (quam formidare possemus peccatores) Christus Dominus mortem attulit: Mundum, quem decepti sequebamur, ipse devicit: Carnem denique, cujus titillationibus virtus nostra enervabatur, in cruce confixit. Quid ergò est quòd despondeamus animum? *Vindictam* ergò *adduxit, & retributionem* hostibus nostris: *& adveniens salvavit nos; ut jam de manu inimicorum nostrorum liberati servire possimus illi in sanctitate & justitia*, &c. Sæpissime autem cum de Redemptione in Prophetis fit sermo, *vindictæ* & *retributionis* fit mentio, quòd mens humana non perfectè gaudio perfundatur, etiamsi bona accipiat nisi iis à quibus indigna patiebatur videat pro meritis quoque vicem rependi. Jer. 11. *Videam vindictam tuam de eis.* Vide Deut. 33. Jer. 15. &c.

5. De *cæcis*, qui visum, *surdis*, qui auditum, *claudis*, qui gressum, & *mutis*, qui loquendi facultatem receperunt Christi Domini beneficio atque Apostolorum ejus satis abunde testantur S. literæ. Quanquam hæc ad animos quoque referenda sunt, quorum vitia Christus Dominus abstulit; neque deest usque in hodiernum diem in Ecclesia virtus Domini ad sanandos nos.

6. *Saliet*] דלג *saltavit, transilivit:* notátque quandam alacritatem. Quando autem claudis liber gressus restituitur, non ambulant tantùm sed & saliunt ex animi lætitia. Exemplo est ille quem sanavit Petrus Act. 3. de quo Lucas, *Qui exsiliens stetit, & ambulabat, & intravit cum illis in Templum, ambulans & exsiliens & laudans Deum:* ubi dicitur ἐξαλλόμενος & ἁλλόμενος *exsiliens, saliens. Cervorum* autem est *saltare & transilire.* Estque allusio ad Etymologiam nominis *claudi*, quod Hebræis à *saltando* dicitur. ¶ *Quia scissæ sunt*] Vel, *quando scissæ fuerint aquæ*, &c. ut ad tempus referantur gratiæ Christi in Gentibus. Gentes enim erant *cæci* & *surdi* & *muti*, similes Diis quos colebant: qui juxta parabolam Euangelii compulsi sunt intrare ad nuptias. Diffusa ergò gratia in Gentes, (quod Judæis, etiam electis, mirum fuit) vocatísque in Regnum Dei, omnia hæc miracula in corporibus atque animis patrata sunt. Quòd si כי pro rationali conjunctione cum Vulg. accipiamus, accipe Spiritûs S. gratiam, quâ destitutæ Gentes *desertum* & *solitudo* erant, ut jam suprà diximus, causam esse omnium illorum bonorum totiúsque sanitatis. Videtur autem esse allusio ad virtutem nonnullarum aquarum, ut thermarum & calidarum aquarum, quæ à scriptoribus celebrantur, in quibus multa corporum vitia sanantur. Intelligimus ergò per Christum *apertum fuisse fontem in domo David in ablutionem peccatoris & menstruatæ*, &c.

7. *Et quæ erat arida*] Vox Hebræa שרב de *adustione* tam *ignis* quàm *Solis* dicitur. Infrà 49. *Non percutiet eos adustio & Sol.* Vulgatus sensum reddidit suo more. Quanta fuerit Gentibus concessa gratia, hæc indicant. Simul & à quantis simus eruti malis per ea nomina intelligimus quæ nobis Spiritus S. imponit, *adustio, siccitas*, quòd nihil dignum Dei oculis germinaremus, utpote *cubilia* seu *pascua draconum.* Ut enim Deo nihil acceptum ac gratum germinabamus, ità Dæmoniis per omnia placebamus: Nos Mors depascebat, & tot malis premebamur ut non nisi istis figuris statum rerum nostrarum possimus intelligere. ¶ *Fontes*] A verbo נבע, quod *scaturire* sign. cùm de Aquis, & *eructare* cùm de Verbis seu Spiritu dicitur, &c. Est nomen מבוע MABUA, quod *scaturiginem* sign.

Quâ

Quâ voce infantes pro *aquis* utuntur. ¶ *Orietur viror*] Verbum *orietur* supplevit Vulg. ut necesse videbatur. Cæterùm quòd Vulg. dixit *calami & junci*, cum nomen קנה habeat Lamed præpositum, quod interdum valet *pro*, videtur reddi posse *pro canna & junco*: q. d. *In pascuis* (seu *cubilibus*) *colubrorum atque serpentium* (seu *draconum*) *pro calamis & juncis*, quæ in hominum usum non admodum multùm cedunt; & latibula sunt ferarum, *oriretur fœnum*, quod juxta Ps. 104. ubi hæc eadem vox legitur, *Dominus germinare facit pro animalibus, & herbam in servitutem hominum.*

8. *Ibi*] Per loca illa *quæ erant arida*, & tantùm *pabula draconum* & ferarum latibula, *erit via, via trita*, seu publica ac regia. In Ecclesia autem est Christus Dominus, qui est *via*; est Fides, & Sacramenta, & doctrina morum sanctissimorum, quibus itur in cœlum. Est igitur *via sanctitatis* seu *sanctificata*, non solùm propter terminum, sed & propter ea per quæ itur, quæ sanctitate plena sunt. Est quidem Ecclesia ipsa *domus Dei*, sed simul est *via* & *porta cæli*. ¶ *Vocabitur*] Optimè Vulg. sensum vertit. Est autem tertia persona futuri, quâ Hebræi impersonaliter utuntur, ut dictum est cap. 9. Videtur autem esse allusio ad visionem & verba Jacob quando scalam vidit, &c. ¶ *Non transibit per eam pollutus*] Seu *contaminatus*. Non quòd in Ecclesia Dei non sint *immundi* & *contaminati*, sed *non transeunt per eam*: non enim proficiunt, neque ad vitam iter faciunt; sed in ea tolerantur, ut si ad sanam mentem redierint & evigilaverint, possint iter conficere. ¶ *Et hæc erit vobis*] הוא pronomen ad *viam* potest referri: nam Hebræis masculini generis est etiam hoc loco in affixo verbi *transibit*, & alibi; licet frequentiùs sit feminium. Ergò Vulg. ad *viam* referens, participium הלך *ambulans* accepit pro adjectivo *viæ*, i. *per quod rectè fit iter*: quare *viam rectam* vertit, neque distinctionem quam nunc habent Hebræa servavit; quòd nondum essent distinctiones, quæ a Sapientibus Tiberiadis adjectæ sunt postea: quas doctus Interpres sæpe (ut ego quidem sentio) non curabit. Ergò cum Vulg. hoc loco voces istas והוא למו sequentibus conjungendas existimo in hunc modum, *Et ipse* (nempe *Deus*) *ipsis* (vel *cum ipsis*) *ambulans viam*, i. socius erit itineris: *atque ità fiet ut nulli quantumvis stulti aberrent* à via salutis, nisi de industria errare velint. Quia verò verba concisa sunt, indicabo Lectori & alias interpretationes quas sermo Hebræus patitur, præter eam quam jam apposui. *Non transibit per eam pollutus; sed ipsa*, scilicet *via*, *erit ipsis*, nempe cæcis & claudis, & cæteris de quibus in superioribus versibus: deinde, *ambulans viam, & stulti non errabunt.* Vel, *Et erit ibi strata, & via; & viam sanctam vocabunt eam, ne transeat per eam pollutus: & ipsa* (nempe *via*) *vocabit eos ambulantes viam*, i. viatores seu itineris peritos, *ut neque stulti aberrent.* Nam etiamsi in aliis rebus stulti sint, tam rectè tenebunt viam ut à via salutis non deflectant. Qui posterior sensus haud est contemnendus; augustus enim est & Jesaiâ dignus. In quo vides quòd nos, filii Ecclesiæ eam appellemus *sanctam Ecclesiam* & *viam sanctam*; ut erubescant immundi in ea commorari, & *discedat ab iniquitate omnis qui invocat nomen Domini Jesu*, quod est *signaculum* quo signatum est *Dei fundamentum*, ut inquit Paulus 2 Tim. 2. Ipsa autem Ecclesia, vel ipse Dominus, vocant nos viatores, seu doctos viarum Dei, i. erudit nos de via Dei, ità ut qui in aliis rebus stulti à mundo judicantur, docti sint viarum Domini; &, nisi velint, à via Dei non possint aberrare. Neque dura tibi videatur verbi *vocabit* repetitio, quæ non infrequens est Hebræis. Cæterùm prima interpretatio simplicior est.

9. *Mala bestia*] פריץ est à verbo quod *rumpere* seu *irrumpere* notat, *ruptorem* seu *irruptorem* dicere possumus. Quo nomine & latrones appellantur interdum, interpretante Lucâ locum Jeremiæ c. 7. *Numquid spelunca irruptorum facta est domus ista? speluncam* enim *latronum* interpretatur. *Irruptor* ergò *bestiarum* pro *irrumpente bestia* seu *fera* capi potest, cujuscunque generis sit, quæ in transeuntes irruit, eósque opprimit. Quod intellexit Vulg. dicens *malam bestiam.* Vel certè חיות pro *animalibus cicuribus* accepit, & פריץ pro *fera intercipiente vitam*, ut sunt Lupi, Leones, Ursi, &c. quo nomine designari Homicidam illum qui ab initio occidere novit non dubito; qui jam longè abest, neque nocet iis qui sunt in CHRISTO JESU, & quibus datum est à Domino *calcare super serpentes & scorpiones*, &c. Perinde autem est *ibi non inveniri* & *posse ejus caput conculcare.* Unde dicitur, ¶ *Et ambulabunt liberati*] i. Tutò vitam degere poterunt quos Dominus liberaverit. Est autem גאל *rem alio devolutam ad se revolvere* seu *transferre*, & *jure hereditatis pristinæ sibi rursus asserere & vindicare*: licèt pro *emere* simpliciter ponatur Levit. 25. &c. Ergò גאולים *Dei* sunt *asserti*, *liberati* seu *redempti à Domino, & quos ipse sibi vendicavit.* Sæpe autem in Lege dicitur hoc verbum de *redemptione* seu *vendicatione quæ per propinquum fit jure consanguinitatis*, Levit. 25. non semel. Quid mirum igitur si, cùm tribuitur Deo, intelligatur de Dei Filio? Annon ideo homo factus est, & carnem nostram assumpsit, ut propinquus & consanguineus nos venundatos sub Peccato & in Satanæ potestatem redactos jure propinquitatis sanguine suo redimeret suóque nos Regno assereret ac vendicaret? infrà 44. Jer. 31. Ose. 13. Mich. 4. &c.

10. *Convertentur, & venient*] Hebraismus est, i. *iterum venient* vel *ingredientur.* Verbi enim שוב cum altero verbo constructi hic est usus apud Hebræos non infrequens, ut jam non semel annotavi. Quæ tamen cum Judæis incredulis neque adhuc implendâ neque in reditu ex Babylone impleta existimare debemus: Non possunt enim tam magnificæ promissiones ad animarum Redemptionem non pertinere. Homines ergò qui cives Dei esse desiderant, sive Judæi sive Græci, ad novam Tcion properant, & Jerusalem, nempe Ecclesiam Christi, & Regnum Dei ingrediuntur. In genere ergò de humano genere, aut Gentibus, hæc intellige: Isti *cum laude & sempiterna lætitia veniunt*, quæ nunquam desinet; quòd æternum sit *Regnum* Christi & *omnium seculorum*, ut est apud Davidem. Quamvis enim plurima adversa insurgant adversùs illud, nunquam tamen prævalebunt: neque quidquam est quod gaudium Ecclesiæ ac Sponsæ Dei possit auferre, sicut neque Divinæ charitatis vinculum solvere. ¶ *Super caput*] Metaphora sumpta esse videtur à feminarum consuetudine, quæ super caput ingentia interdum volumina vestium ac linteaminum ex lavacro afferunt, quo *lætitiæ* & *gaudii* non temporarii abundantiam designavit Propheta. Vel hujusmodi locutione variam & divitem supellectilem ac divitias notavit, quæ, quia gaudium & lætitiam afferunt, *gaudium* vocantur; quod tamen de divitiis spiritalibus, quibus donantur vocati ac redempti, intelligamus necesse est. Hoc loco & aliis non paucis Scripturæ videre licet *Lætitiam & exsultationem* propriam esse servorum Dei. Quomodo enim non gaudebunt qui & quantis malis pressi fuerunt, & quantò majora adhuc eos exspectabant considerantes, se vident Domini gratiâ ac beneficio libertate filiorum Dei donatos? Deflent quidem interdum veterem errorem: sed fletus ille consolationum veluti quidam fluvius est, non solùm quia, ut est apud Davidem, *laqueo contrito, se liberatos* sentiunt, verùm etiam quia suas illas lacrymas Deo gratas esse non ignorant. Semper igitur gaudent, *& mœror ac gemitus*, quales sunt captivorum & desperatorum, longè absunt ab eis. Orare debemus Dominum nostrum, ut animum similem hujus Prophetæ nobis concedat, quo quantum sit Christi Domini beneficium agnoscentes, ejus semper laudes decantemus, semper in Domino gaudentes. Quam felicitatem mundani homines nobis non invident, quòd eum prorsus ignorant.

LUCAS BRUG.

4. D*Icite pusillanimis, Confortamini & nolite timere*] Manuscripta exemplaria pleraque, etiam integritate veneranda, *pusillanimes* legunt: & quædam quidem ei quod sequitur jungunt. *Dicit, Pusillanimes confortamini*: ea quæ Richelius & Carensis secuti sunt, ad quem modum Græca translatio habet, *Pusillanimes mente estis robusti*, sine *dicite*: quædam ei quod præcedit copulant, *Dicite pusillanimes*, aut, quod in multis est, errore manifesto, *Discite pusillanimes, Confortamini.* Hentenius & Parisienses *Pusillanimis* connexere: sic enim Hieronymus transtulit, dandi casu, non vocandi; *Dicite pusillanimis* (sive *meticulosis*) *Confortamini*; quo modò Hebraicè est אמרו לנמהרי לב חזקו: ea enim Hebræorum distinctio est, atque is primùm obvius sensus: possit tamen, ut altera habet lectio, verti, *Dicite, O pusillanimes, confortamini.* Porrò ut Hieronymus transtulit, *pusillanimis*, legunt codices manuscripti, S. Germani parvus & Lobiensis, insignes illi; impressi, Moguntinus, Nurenburgensis, Coloniensis, Quentelianus, Complutensis, atque ex hoc Regius. Inter Enarratores legit hunc ad modum Haymo. Carensis, *Andreas*, inquit, *dicit* pusillanimis. Crediderim *pusillanimis* in *pusillanimes* mutatum, quòd primus singularis numeri casus esse putaretur; itaque non convenire aut ei quod præit *dicite*, aut ei quod sequitur *confortamini.* Conjunctionem *&* quæ subjungitur, *& nolite timere*, decem nostri, quinque Hentenii, quatuor Parisiensium, & antiqui Epanorthotæ codices, Hebræo Græcóque conformiter, tollunt: quâ omissâ plus certè habet efficacitatis isthæc pusillanimorum confortatio.

Quod subsequitur, *Ecce Deus vester*, ac paulò pòst, *Et salvabit vos*, multi codices primâ personâ legunt, *Ecce Deus noster, Et salvabit nos.* Utramque lectionem exponit Hieronymus;

mus, maximè quoad posteriorem partem: sed hanc quidem, primæ, inquam, personæ, LXXII tribuit, quæ & hodie Græcorum est antigraphorum, ἰδὲ ὁ Θεὸς ἡμῶν, καὶ σώσει ἡμᾶς; quomodo & apud Justinum legitur, dialogo cum Tryphone; illam verò, *vester*, *vos*, ipse ex Hebræo convertit (sic enim Hebraici, necnon Chaldaici, codices habent) quam retinent antiqui Epanorthotæ libri, vetustiores nostri, &c, inter posteriores Tractatores Haymo. Eam à se probatam Hentenius & Parisiensis in textum recepere.

DRUSIUS.

1. וְתָפְרַח. Severus, καὶ ὑλοχαρήσει. ¶ כַּחֲבַצָּלֶת. Aq. ὡς κάλυξ, *quam nos tumentem rosam, & necdum foliis dilatatis, possumus dicere*, ait Hier.

2. הֲדַר הַכַּרְמֶל וְהַשָּׁרוֹן. Sym. * Εὐπρέπεια τῦ Καρμήλυ καὶ τῦ πεδίυ, *decor Carmeli & camporum.* Th. ὡραιότης τῦ Καρμήλυ καὶ τῦ Σαρὼν, *pulcritudo Carmel & Saronis*] Hieron. *Loca uberrima atque campestria, quæ appellantur* Saron (*pro quibus Sym. interpretatus est* campos) *dabuntur desertæ quondam Ecclesiæ.* * Citat Eusebius in comment. Eadem habentur in libris Ἀποδείξ. pag. 186. ubi & Aquilæ declaramentum, Ἀκύλας, διαπρέπεια τῦ Καρμήλυ καὶ τῦ Σαρὼν, *decor insignis Carmeli & Saronis.* ¶ הֵמָּה יִרְאוּ כְבוֹד־יְהוָה. Aq. Sym. Th. αὐτοὶ ὄψονται τὴν δόξαν τῦ Κυρίυ, *Ipsi videbunt gloriam Domini*] Apud Eusebium in libris Ἀποδείξ. *Aq.* δόξαν Κυρίυ *Sym. Th.* τὴν δόξαν Κυρίυ. Cætera conveniunt cum iis quæ in ed. Rom. citantur ex Symmacho.

IDEM EX PROCOPIO.

2. הֲדַר הַכַּרְמֶל וְהַשָּׁרוֹן הֵמָּה יִרְאוּ כְבוֹד־יְהוָה. Ὡραιότης τῦ Καρμήλυ καὶ τῦ Σαρὼν, ἤτοι ὄψονται τὴν δόξαν τῦ Κυρίυ, *Tempestivitas Carmeli & Saron, ipsi videbunt gloriam Domini.*

7. לְקָנֶה. Aq. Sym Th. κάλαμον.

10. שִׂמְחָה. Εὐφροσύνη *lætitia.*

GROTIUS.

1. *Lætabitur deserta & invia*] Dum hæc Dei judicia in Idumæam exercebuntur, Judæa interim, quæ deserta fuerat, coletur tutò, & reflorescet sub Rege Ezechia.

2. *Gloria Libani data est ei*] Celsitudo.

Decor Carmeli & Saron] Fœcunditas.

Ipsi videbunt gloriam Domini] Potentem ejus tutelam reipsâ experientur: id enim sæpe est videre Hebræis.

3. *Confortate manus dissolutas*] Vos Prophetæ omnes aliique viri boni addite animos Judæis, nè memoriâ toleratæ obsidionis pavescant.

4. *Deus ipse veniet, & salvabit vos*] Efficiet nè Æthiops ad vos perveniat.

5. *Tunc aperientur oculi cæcorum*] Tunc etiam stupidissimi intelligent quàm faveat suis Deus.

6. *Tunc saliet sicut cervus claudus*] Etiam præ senio aut morbo tardi egredientur ut conspiciant Dei opera.

Et aperta erit lingua mutorum] Etiam infantissimi Dei laudes canent. Hæc illo tempore figuratè impleta: apertissimè verò Messiæ temporibus.

Quia scissæ sunt in deserto aquæ, & torrentes in solitudine] Hoc dicent omnes, magnam factam esse rerum mutationem, & quidem Judæis in melius. Vide suprà 1.

7. *In cubilibus in quibus prius dracones habitabant, orietur viror calami & junci*] Agri Judææ diu desolati reviviscent.

8. *Et erit ibi semita & via, & via sancta vocabitur*] Nempe illa via quæ ad Templum ducit.

Non transibit per eam pollutus] Nemo ibi spectabitur Syrus, Assyrius, Ægyptius, Æthiops.

Et hæc erit vobis directa via] Recto tramite, qui brevissimus, sine tortuosis anfractibus, quibus ignari possent decipi.

9. *Mala bestia*] In Hebræo: *Ferarum violenta.*

Et ambulabunt qui liberati fuerint] Ii quos Deus tot malis eripuit.

10. *Et redemti à Domino*] Judæi, qui exitio erepti multis in locis exsulaverant. Suprà XI. 11.

Convertentur] Redibunt in patriam.

Et venient in Sion] Diebus solennibus.

CAP. XXXVI.

MUNSTERUS.

Perstringitur hic breviter historia belli Judaici. Rex Assyriorum invadit Regnum Judæorum, usurpat Regni titulum, mittit Jerosolymam postulans deditionem per Rabsacen principem pocillatorum. Is quærit omnia media ut populum persuadeat. Objicit perfidiam & defectionem Regis, famem obsessorum, potentiam & victorias Regis sui. In summa, concionatur strenuè, sed omnia agit mendaciis.

5. *Dixi*] Totum istud caput eisdem ferè scriptum verbis habetur 2 Reg. 18. qui apud Latinos Quartus est Regum, nisi quòd in paucis locis istud caput variat ab illo. Nam in libro Regum habetur, *Dixisti*, *Certè per verbum labiorum*, *per consilium & fortitudinem* parabor *ad prælium*, & est eadem sententia cum ista, quando dicitur, *Dixi*, *certè in verbo labiorum*, &c. In libro Regum invenies expositionem ejus, sicut & totius hujus capitis; ut non sit opus ea hîc denuo repetere.

VATABLUS.

1. *Et fuit* ויהי] Totum istud caput usque ad v. 9. c. 38. hujus Prophetiæ habes 2 Reg. 18. 13, &c. eisdem ferè scriptum verbis, nisi quòd in paucis locis istud caput variat ab illo.

2. *Gravi* כבד] i. Numeroso, sive magno, aut populorum multorum.

3. *Qui erat super domum* אשר על הבית] i. Præfectus regiæ. ¶ *Scriba* הסופר] i. Qui præerat libris sacris, & versabatur in illis: Quidam vertunt *Cancellarius.* ¶ *A commentariis* המזכיר] Ad verb. *recordator: commonefactor*, qui agenda reducebat in memoriam: *cujus officium erat* (ut ait quidam Hebræorum) *reducere in memoriam agenda suo ordine, prout res erat prior vel posterior.*

4. *Quæ est fiducia*, &c. מה הבטחון וגו'] i. Quanta est fiducia ista quâ niteris? unde tantum tibi fidis quòd defeceris à me?

5. *Dixi* אמרתי] Sub. *apud me:* i. ità reputavi apud me quòd ità cogites, *Certè*, &c. 2 Reg. 18, legitur, *Dixisti*, sub. *apud te.* ¶ *Certè verbum labiorum* אך דבר שפתים] *Profectò sermo labiorum*, i. facundia & eloquentia est mihi ad commovendos milites. Quidam exponunt SERMONEM LABIORUM *precationem*, sic, *Speras te evasurum manus meas precatione ad Deum: at consilium in rebus gerendis & fortitudo* (sive *magnanimitas*) *ad bellum gerendum necessaria sunt.*

7. *Incurvabitis vos* השתחוו] *Adorabitis?*

8. *Fidejube* התערב] *Vadem promitte:* vel *da obsides.* ¶ *Equitantes super eos* רוכבים עליהם] *Sessores eorum:* q.d. Tu paucos habes in Regno tuo equites, & vix posses invenire ducentos.

9. *Vertere facies* תשיב] *Reverti facies:* i. & quomodo resistes vel uni è minimis servis Domini mei? Quidam, *retundes facies.* Alii, *aversaberis.*

11. *Syriacè* ארמית] *Aramicè.* ¶ *In auribus populi* באזני העם] Hebraismus, pro *audiente populo.*

12. *Stercora sua* חוראיהם] Annotant Hebræi ità legi in contextu Hebraico, à *foraminibus* unde exeunt: in margine verò ipsius contextûs honestiori vocabulo scriptum esse צואתם *egesta sua.* ¶ *Aquas pedum suorum* מימי רגליהם] Honesto hoc vocabulo significant Hebræi *urinam* sive *lotium*, quòd eam dejiciant homines ad pedes. Ad marginem autem contextûs Hebraici hæc adscribunt, in contextu supponentes fictitium vocabulum שיניהם.

16. *Facite mecum benedictionem* עשו אתי ברכה] Hebraismus, pro *Percutite mecum fedus: recipite leges pacis quas vobis offero, & dedite vos mihi: & sic hoc feceritis, comedetis quisque fructum vitis suæ*, &c. Imperativa pro futuris.

18. *Persuadeat vobis* יסית אתכם] *Decipiat vos.* Alii, *conturbet.* Alii, *tentet vos.*

19. *Et num eruerunt* וכי הצילו] *An eruerunt.* כי pro *an* vel *num.*

22. *Qui erat super domum*, &c. אשר על הבית] Vide hæc v. 3.

CLARIUS.

1. *Et factum est*] Expugnat Sennacherib omnes civitates Juda præter Jerusalem, i. veram Dei Ecclesiam.

2. *De Lachis*] Quæ est in tribu Benjamin non procul à Jerusalem. Nam captâ eâ profectus est Sennacherib in Ægyptum ad obsidionem Pelusii, ut Josephus refert.

5. *Dixi, In verbo labiorum confidit*] h. e. Dixi apud me, Fortasse *verbo labiorum*, h. e. oratione, *sperat* se tutum fore: *sed fortitudine opus est ad gerendum bellum*. Et vide ut impii & qui Deum non agnoscunt, rideant preces ad Deum; quæ tamen longè plùs quàm robur omne corporum valent. Totum autem istud caput hisdem ferè scriptum verbis habetur 4 Regum 18. nisi quòd in paucis locis istud caput variat ab illo.

7. *Cujus abstulit Ezechias excelsa*] Sanctè & secundùm legem Dei abstulerat Ezechias excelsa, quod hìc impius calumniator vitio vertit, quasi Dei cultum abstulerit.

8. *Si poteris ex te præbere ascensores eorum*] Cùm, inquit, tam imbecillium sis virium ut non habeas tot homines qui *duo millium equitum* numerum compleant, quo pacto opponere te audes Regi potentissimo?

19. *Hemath*] Antiochiam sic priscis dictam volunt. ¶ *Sepharvaim*] in Assyriorum regionibus est, unde coloni in Samariam venerunt. ¶ *Arphad* urbem in Damascene Hieronymus testatur fuisse.

22. *A commentariis*] Videntur ii esse quos nunc *Referendarios* vocant.

FORERIUS.

1. IAM quo pacto liberaverit Deus Jerosolymitanos ab exercitu Assyriorum, narrat, ut Dei potentia ac bonitas innotesceret omnibus, & fiduciam in Deum à nobis extorqueat.

2. *In gravi manu*] *Graves* vocat Hebraismus plurimas res quas sermo Latinus non ità vocat. Estque varia hujus vocis explicatio. Quidquid enim vel pondus vel momenta habere significare volunt, *grave* vocant. Hic de *exercitu* dicitur: nam יד non rarò pro *exercitu* accipitur. Ità loquitur Scriptura cùm de exercitu Pharaonis sermo est, & aliis. Quod interpretes dicunt *manum validam*, hic *manum gravem* dixit Vulg. i. exercitum haud contemnendum, sed quem formidare meritò posset Jerusalem. Hic mecum vide, Christiane Lector, quàm immeritò nonnunquam soleat populus sui Regis peccatis Regni calamitates adscribere atque imputare. Quis Ezechia sanctior? at universas jam civitates ceperat Assyrius, & *inundatione suâ usque ad collum* jam pertingebat, ut suprà dictum est, ut Regnum jamjam amissurus videretur. Certè Regis justi istæc probatio erat, & peccatorum populi illius castigatio.

3. *Et egressus est*] In libro Regum additur, *Et vocaverunt Regem*, illi videlicet duces Assyrii: nam ad eum deferebant mandata à Rege suo. Rex autem misit ad eos nuncios hos. Et *Eleakim* quidem dicitur *fuisse super domum*, i. Præfectus domûs Regiæ, quem nos *Majorem domûs* vocamus; *Sobna* autem vel *Sebna*, *Scriba*; at *Joab* erat *à commentariis*, i. qui res publicas & quæ per singula tempora contingebant in annales redigebat, & historias temporum conscribebat. Nam participium מזכיר, quod interdum nomen est, illud munus videtur notare quod legimus fuisse olim apud quosdam Reges, ut quispiam curam haberet commemorandi coram Rege quæ quidque in regno ejus præclara facinora edidisset, & quidquid Regem meminisse oporteret Regi in mentem revocaret. Quare hìc *commemoratorem* dixi. Hoc nomine vocatur Jehosaphat 2 Sam. 8.

5. *Aut quo consilio*, &c.] Vulg. suo more sensum expressit. Hebræa verba ut potui reddidi; quasi dicat Dux, *Ego apud me dicebam*, *Essentne verba*, quæ ore exeunt & in aëra evanescunt, *consilium & fortitudo ad bellum gerendum*: (his enim duobus optimè bellum geritur) quòd si *verba* sunt *fortitudo & consilium*, bene res vestræ habent: nam non vobis desunt. Dicitis enim magnifica verba, quòd *Jehovah liberabit vos*, quòd *Ægyptus aderit vobis*, &c. At si nihil minùs est *consilium & fortitudo* quàm *verba*, vósque nihil aliud quàm verba habetis, *quæ est vestra fiducia?* Neque novum videatur quòd אך pro *fortassis* accipiatur: nam est interdum Ominantis, ut Gen. 44. *Forsan discerpendo discerptus est*, & Psal. 139. *Et dixi*, *Forsitan tenebræ operient me*, &c. & sæpius alias. Et in libro Regum pro prima persona habetur secunda אך אמרת, *dixisti*, & ità habent hoc loco nonnulli codices. Et hunc habere potest sensum, *Dixisti fortassis verbum hoc labiis tuis*, *Consilium & fortitudo ad bellum est*, supple *nobis*. Vel potiùs, quia audierat Assyrius Judæos, dum essent in angustiis, solere ad orationes confugere, & hunc esse Ezechiæ animum, & suis prædicare ut clamarent ad Eum, neque aliâ re sibi opus esse; hoc quippe esse *consilium & fortitudinem ad bellum*, &c. irrisoriè Orationes, in quibus fiduciam habebat pius Rex, *verbum labiorum* vocat. *Dixisti*, inquit, *profectò*, vel *tantummodo*, *Verbum labiorum est consilium & fortitudo ad bellum*. Et hanc lectionem magis probo. Nam quòd אך aliquando affirmet, præsertim initio sententiæ, vide Gen. 29. 1 Sam. 25. Psal. 73. &c. at post alias voces Exclusiva est. Gen. 18. *Loquor tantum vice hac*. Deut. 28. &c. Ergò Ezekias non defuturum inclusis *consilium seu fortitudinem ad bellum* prædicabat, modò orationes & preces fide plenas ad Deum funderent. Quod indicat locus 2 Par. 32. ubi hujusccmodi verbis corda virorum Ezekias confortavit, *Viriliter agite, & confortamini; nolite timere, neque paveatis Regem Assyriorum & universam multitudinem quæ est cum eo: multo enim plures nobiscum sunt quàm cum illo. Cum illo enim est brachium carneum, nobiscum Dominus Deus noster, pugnátque pro nobis*. Impius itaque & cœcus Rabsakus, & Deum virésque fidei in ipsum & orationis ignorans, deridebat Jerosolymitanos. ¶ *Quia recessisti*] i. Ut recesseris à me. Vel כי pro *quando* accipitur. *Quando*, inquit, *rebellasti adversùm me*, *quæ fuit confidentia tua?* Legimus autem 4 Reg. 18. 7. *Erat Dominus cum Ezekia: & in cunctis ad quæ procedebat sapienter se agebat: rebellavitque contra Regem Assyriorum, & non servivit ei*, quasi indignum ratus ùt tributum solveret Assyrio, quem pater Ahaz in auxilium adversùs Syriam & Israelem vocaverat. Cui & si tunc cùm hæc agerentur argentum & aurum miserat, non tamen legimus quòd tributum annuatim solvendum statuisset. Quare verum est quod suprà 33. 8. dictum est, *Assyrium pactum fregisse*, & quod hic ex libro Regum dicimus *Ezekiam rebellasse*.

6. *Arundineum*, &c.] Vel sic, *arundinem conquassatam istam*. Pronomen autem accipi videtur pro particula Expositiva, *nempe*, *videlicet*, &c. Atque hujusmodi similitudine notat quòd Ægyptii non solùm non juvarent Jerosolymitanos, sed, quòd, dum juvare videntur, potiùs nocerent ac læderent. Talia autem sunt omnia humana auxilia, præsertim ea ad quæ desertò ac neglecto Deo confugimus.

7. *Quòd si responderis*] Doctè sensum vertit. *Et quia dices*, i. dicere potes, vel soles. Hic enim usus est sæpenumero futuri. Fiduciam in Ægyptum elevaverat Rabsakus, quam habere plurimos ex Judæis noverat, ut suprà diximus: Jam fiduciam in Deum, quam sciebat pium Regem Ezekiam præ se ferre ac prædicare, labefactare nititur. Quo in loco interim animadverte quàm calleat res hostium Dux iste, & quàm astutè vera assumat ut falsum colligat. Noverat non usque adeò potuisse toti populo placere Regis Ezekiæ zelum, quando excelsa abstulisset, & populum ut tantùm Jerosolymis adorarent compulisset, tum quia id toleraverant qui ipsum præcesserant Reges, tum etiam quia libertatem, quam semper populus sartam tectam habere vult & mordicus tenere, tollere videbatur. His adde quòd vel ignorans legem Dei vel consuetudine populi abusus, opus illud ipsi Deo aut non placere affirmat, aut saltem id persuadere Judæis conatur: quod si obtineret, jam fiduciam in Deum se dejecisse ac prorsus evertisse putabit. Quo enim pacto illi confidas cui noceas? Ergò & religione Deum nobis propitium esse posse, & superstitione iratum insinuabat, Deúmque, juxta Senecæ consilium, obsequio in prosperis rebus nobis conciliandum, non criminibus irritandum, ut in adversis cum fiducia invocatus adesse velit, quamvis esset impius, iste Dux nos docebat.

8. *Et nunc*] Hebraismus, *igitur*. *Nunc ergò*. ¶ *Trade te domino meo*] Verbum ערב propriè *mistionem* notat, ac de omnium ferè rerum mistione dicitur, ut juxta materiam subjectam reddere oporteat. Ergò & de Pactis dicitur, ubi ex utraque parte fides datur, & in fœdere atque amicitia animi coeunt & quodammodo commiscentur. Unde hic quidam per *dare obsides*, alii verbo *oppignerandi*, Vulg. verbo *tradendi* vertunt. Ego *conventionem facere* dixi. Et si quidem activè accipias verbum quartæ, reddere poteris, *oppignera dominum meum*, i. devinci muneribus, vel obsidibus, vel te in manus ejus tradendo, &c. ego tamen propter id quod sequitur, verbo *deponendi* libenter redderem, *depone quidquam cum domino meo*, *quòd si det duo millia equorum*, *non des eorum ascensores*, &c. licèt & de aliis conventionibus possit intelligi.

9. *Et quomodo sustinebis*] i. Sustinere poteris. Nos etiam Lusitani verba *sustinendi* vel etiam *exspectandi* pro *fortiter resistere*. seu *ferre* utimur. Ajunt autem quidam verbum שוב in Hiphil constructum cum nomine *faciei* in sententia negativa significare *aversari*, at in affirmativa *sustinere*, *ferre*, &c. & hunc locum adducunt. Sed ego ubique suam significationem puto retinere posse, nempe *redire facere*, i. reprimere seu repellere, aut quid simile. ¶ *Quod si*] Vulg. hæc sequentibus videtur connectere: possunt tamen superioribus aptari; *Non habes ascensores duorum millium equorum; quare neque uni ex minoribus ducibus poteris resistere*, & *adhuc habebis fiduciam in Ægypto*, &c. ¶ *In quadrigis*] רכב, i. *currum*, collectivè, ut

ut sæpe aliàs hîc accipio, vulgò *carruale*. At פרשים ubique pro *jugalibus* accipio, i. animalibus quæ junctim currum trahunt: de qua voce jam suprà non uno tantùm loco dictum est. Jerosolymitani autem equos & quadrigas exspectabant ex Ægypto: atque ità accipio Lamed *pro curribus & jugalibus*, i. ut indè habeatis currus & jugalia. Stultum autem esse affirmat currus & equos exspectare, quandoquidem ascensores non haberent, &c.

10. *Et nunc*] i. Adde, omitto, prætereo, quòd non sine Domini voluntate, &c. Aliunde adhuc fiduciam in Deum vult evertere. Ad verb. *præter Jehova*, vel *sine*. Non inconsulto Domine, imò præcipiente Domino Deo vestro, hanc provinciam suscepi. Inanis ergò est vestra in ipsum fiducia.

11. *Syrâ linguâ*] *Aramiticè*, seu *linguâ Aramæâ*. ¶ *Intelligimus enim*] Vel *callemus enim*. Hebr. *nam audientes nos*. Nondum enim Judæis in Babylonem translatis, Chaldaicam linguam, quæ in multis Syriæ provinciis communis erat, pauci tantùm intelligebant: Sicut postquam illinc reversi sunt, non omnes Hebraicè sciebant, sed docti tantùm & Scripturis assueti à pueritia. Quâ ratione factum est ut in Chaldaicam linguam Scripturæ verterentur: erat enim illa jam vulgata, eò quòd paucissimi essent ex Judæis qui in Chaldæa nati non fuissent. Unde Christi tempore sermo vernaculus erat Syriacus, aut saltem mistus ex utraque lingua, quamvis alioqui affines sint ambæ linguæ, & altera alterius dialectus. ¶ *In auribus populi*] i. Audientibus iis *qui super muro sunt*. Exeuntibus enim Legatis ad colloquendum cum Assyriis, multi, ut fit, in murum ascenderant, ut viderent quid inter eos ageretur.

12. *Et non potiùs ad viros*] Astutus Assyrius Dux populum in sententiam suam adulationibus, quæ apud vulgus plurimùm valent, pertrahere aggreditur, occasione sumptâ à timiditate quam in Legatis subolfecerat: & qui ea quæ dicebat ut Regi nunciarent præcipiebat, jam ad populum se missum profitetur: quare & eorum vices dolere se insinuat, & in Regem ac Principes invidiam excitat. Sciebat enim imperitæ multitudinis ingenium, ac quàm præceps sit ad judicandum Reges sibi tantùm consulere, & subditorum miseriis non tangi. ¶ *Urinam pedum suorum*] In textu Bibliorum est nomen plur. cum affixo pronomine שיניהם. éstque nomen Chaldæum, quod retinuit Jesaias, sicut quod præcessit, ut mox dicturus sum. At in margine scriptum est מימי רגליהם, i. *aquas pedum*: sic enim honestè Urinam circumloquuntur, sicut honestè dicunt *de inter pedes* pro *de genitalibus*: de qua forma jam dixi nonnihil in Comm. in illa verba, *Dominus legifer noster*, &c. ¶ *Stercora*] In textu est nomen חריהם, quod etiam Chaldaicum est, & *stercora* notat: nam חר illis est *foramen*. Peregrinas itaque voces honestatis gratiâ retinuit Jesaias. In margine autem est צואתם, quod *egestionem* designat Hebræis. Qui locus fecit nè multum fidei adhiberem sententiæ nonnullorum Rabinorum, neque ineruditorum, qui dicunt lectionem marginalem non esse variam lectionem sed esse germanam; & quamvis in textu aliter scribatur, proferendas tamen esse voces juxta lectionem quæ in margine est.

13. *Et stetit, & clamavit*] i. Obfirmato animo ac pertinaci clamavit seu vocavit. Compellabat autem viros qui super muro erant, idque Judaicè. Ut videas non esse rogandos hostes, neque committendum ut quidquam nisi virile & forte persentiant in nostris. ¶ [*Regis magni*] Emphasim habet ה repetitum in Hebræo, *Regis illius magni*.

15. *Neque fiduciam tribuat*] יבטח, i. *fidere faciat*. Sciebat enim populum non nisi persuasum à Rege in Deum confidere, cujus pietas nota erat ipsis etiam hostibus. Cùm autem magna sit omnium Regum inter suos auctoritas; quorum tamen nota est religio & fides ac vitæ totius sanctitas, facilè populum, etiam reclamantem, in officio continent, & perdurare in adversis faciunt. Quare, ut ego quidem sentio, si quisquam est qui boni communis amore tenetur, & Regnum seu Remp. benè administratam cupit videre, vitæ sanctitatis atque erga Deum pietatis opinionem Principi, quoad ejus fieri potest, conciliet. Si autem quæras à me quâ ratione hujusce modi opinionem populus de Principe concipere possit, respondebo, ut est apud Xenophontem, *Talis sit*: neque enim aliud est ad eam consequendam efficacius ipsâ veritate, i. ut revera talis sit.

16. *Facite mecum benedictionem*] Hebraismus est. Nomen enim *benedictionis* Copiam & Largitatem notat: q. d. Nè sitis erga me parci, sed magnificè ac liberaliter mecum agite, nempe summâ fiduciâ, atque omni timore deposito, *ad me egredimini*, vestri curam mihi meæque fidei credentes. Quod si præstiteritis, *comedet quisque*, &c. eritis vestrarum rerum domini, méque pro hoste patrem habebitis, &c. Sed non potest latère hostilis animus: absurda enim plerumque petit. Sic enim fides adhibenda est, cui potiùs adhibenda in iis quæ non videntur? hostine, an optimo Regi nostri generis, ejusdémque religionis amantissimo? Fidem exigebat à primis parentibus hostis ille, mendacii omnis pater; & cùm nihil ostenderet ob quod sibi potiùs quàm Deo Creatori fidem adhiberent, tamen obtinuit ut nulli minùs quàm ei qui fidem jure optimo exigit, Homo fidem adhibere videatur. Quam miserabilem conditionem nunquam satis admirabor. ¶ *Et comedet unusquisque*] Verba *comedite* & *bibite* possunt quoque in forma præteriti legi; quod propter Vau in futurum vertitur, *& comedet*, i. comedere poterit. *Vitem* verò *suam comedere* Hebraismus est, quo & nos utimur, i. eâ frui & ex ejus fructibus comedere.

17. *Tollam vos*, &c.] Impotens animus occultare omnino consilium nequit, & cùm captivitatem meditaretur, aliis nominibus invidiam declinat. Sed interim animadverte eum nihil in promptu promere aut exhibere, sed omnia in futurum promittere. Quod misericordiæ Dei adscribi omnino debet. Nam si qui à veritate avertere alios nititur, mox quæ grata essent in manus traderet, vix quisquam esset à deceptione immunis. At cùm & Deus & hostis in futurum promittant, deliberandi ac decernendi locus datur, uter fide sit dignior. Præter hoc, quòd si ad præsentia animum adjiciamus, statim quid respondere debeamus, ex ipsius hostis verbis habebimus. Nónne sic respondere isti poterant? *Aliam mihi terram huic similem commemoras: illam nos nequaquam videmus: hanc nos possidere sine, si nos diligis, quam tu illi alteri similem esse affirmas.*

18. *Neque conturbet*] Non nisi in tertia legitur הסית, quod Vulg. verbo *incitandi* reddere solet, Deut. 13. Jos. 15. 1 Sam. 26. &c. quod tamen Job. 36. verbo *salvandi* ac *superandi* reddidit. Ego certè putarem esse idem verbum quod שות, i. *posuit*; & in tertia esse idem quod *persuadere*, eâdem phrasi quâ nos utimur Lusitani, *posuit me ut bellum gererem*, i. mihi persuasit. Atque ità reddendus est locus Deut. 13. *Si incitaverit te frater*, i. Si te in hoc constituerit, si tibi persuaserit, & Jos. 15. *Persuasit ei ut peteret à patre agrum*, & cæteri loci. Locus ergò Job 36. in quo bis ponitur hoc verbum variè constructum, nescio quàm bene à plerisque redditur, quem ego sic redderem, *Insuper & deponet de ore angustia latissima, quæ fundamentum sub se non habet*: & mox, *Ira quoque nè persuadeat tibi in sufficientia*, i. ad excessum, *& magna largitio non inclinet te*: quem sensum doctè expressit Vulgatus. Hinc nomen descendit quod *pallium* seu *velum*, quod superponitur, notat. Hæc diffusiùs tractavi quòd viderem etiam à viris doctis hujus verbi significationem & acceptionem, atque hanc, quam aperui, cognationem, à plerisque ignorari, licèt sensum Vulgatus semper sit assecutus: ut nequeam satis mirari præcipitantiam eorum qui passim immeritò Vulgatam editionem rejiciunt. Ergò hic verbo *persuadendi* seu *decipiendi* rectè vertas. ¶ *Numquid liberaverunt*] Inscitiam suam prodit, qui quantum distaret Deus Judæorum à diis Gentium nesciebat. At *non est Deus noster ut dii eorum*: nam illi sunt *opera manuum hominum*; & in eis homines quæcunque volunt faciunt. *Deus autem noster in cælo, omnia quæcunque voluit fecit*. Quæ profectò cogitatio nos ubique decet. Nam hostis noster, eò quòd sciat quanta hinc nobis bona proveniant, in hoc totus est ut nobis persuadeat Deum nostrum ab aliis nihil differre.

19. *Numquid*] כי, *& quando liberaverunt*, &c. Vel *etiámne*: nam כי interdum interrogat, ut suprà 29. *Num dicet factura*, &c. & Deut. 20. In lib. Regum adduntur duo alia nomina locorum; sed hoc non urgebat: nam erant dii alieni. Majorem vim certè habuisset si dixisset, *Num Jehova liberavit Israelitas de manu mea?* Sed neque hoc vim magnam habuisset nisi ostendisset, Samaritanos in Jehova habuisse fiduciam.

20. *Ut eruat Dominus*, &c.] כי hîc interrogat, ut superiori versu, *Num igitur*: q. d. *Ego integras provincias ab aliis diis recepi: numquid ergò*, vel *quo pacto igitur*, vel *qui fiet ergò ut Jehova unam civitatem de manu mea liberet?* Imò quia illi non liberaverunt, Jehova hanc liberabit; ut inimici ipsi sint judices, & videant quid Jehova ipse cæteris diis præstet.

21. *Et siluerunt*] Verbum חרש non *silere* sed *cessare* notat. Unde & pro *obsurdescere* capitur Mich. 7. *Et aures eorum cessabunt*, i. obsurdescent. Nos etiam Lusitani, causam pro effectu ponentes, *obsurdescere* non respondere dicimus, ac pro *tacere* usurpamus, & eum qui non respondet *an sit surdus* rogamus. Potest etiam reddi, *Et immoti remanserunt, neque responderunt*, &c. ¶ *Qui præceperat*, &c.] Ecce quantum obtinuerat Regis pii auctoritas apud plebem.

DRUSIUS EX PROCOPIO.

3. מַזְכִּיר. Ὁ ἀναμιμνήσκων·
6. וּנְקָבָהּ. Th. καὶ τρήσει αὐτήν & *perforabit eam.*

7.

7. אֵלַי. πρὸς με *ad me*, Aq. Sym. Th.
8. נָא. δὴ, *obsecro*, Iidem.
9. וְאֵיךְ תָּשִׁיב אֵת פְּנֵי פַחַת אַחַד עַבְדֵי אֲדֹנִי הַקְּטַנִּים. Sym. καὶ πῶς ὑποστήσει τὸ πρόσωπον ἄρχοντος ἑνὸς τῶν δούλων τοῦ κυρίου μου τῶν μικρῶν; *& quomodo sustinebit faciem principis unius servorum domini mei parvorum?*
10. יְהוָה אָמַר אֵלַי עֲלֵה עַל־הָאָרֶץ הַזֹּאת וְהַשְׁחִיתָהּ. Aq. Sym. Th. Κύριος εἶπεν πρός με, Ἀνάβηθι ἐπὶ τὴν γῆν ταύτην, καὶ διάφθειρον αὐτήν, *Dominus dixit ad me, Ascende ad terram istam, & vasta eam.*
11. דַּבֶּר־נָא. Aq. Sym. Th. Λάλησον δὴ *Loquere, quaeso.*
12. אֶת־חֲרֵיהֶם. Aq. Sym. Th. τὴν κόπρον αὐτῶν *stercus suum.* ¶ שֵׁינֵיהֶם. Iidem οὖρον αὐτῶν *lotium suum*, sive *urinam suam.*

GROTIUS.

EX hoc capite & tribus sequentibus desumta ea quæ habemus II Reg. XVIII. 17. & deinceps ad usque XX. 19.

5. *Aut quo consilio aut fortitudine rebellare disponis*] In Hebræo, *Dixit certè*, *Verbum labiorum* (est nempe in quo Ezechias confidit; quasi dicat, Credit adulantibus: at) *consilium & fortitudo ad bellum requiruntur.* *Consilium & vim* dixit Tacitus II. Annal. *consilium & gladium* Cæsar I. de Bello civili. Euenus;

Πρὸς σοφίᾳ μὲν ἔχειν τόλμαν μάλα σύμφορόν ἐστι.
[*Audendi simul & sapiendi maximus usus.*]

16. *Facite mecum benedictionem*] Munera mihi date. Sic ברכה [*benedictio*] sumitur II Regum V. 15.

17. *Donec veniam & tollam vos ad terram quæ est ut terra vestra*] Africam intelligi putat Maimonides, & eò ivisse, conditione hac acceptâ, Gergezæos. Et hos esse credam illos Phœnicas, unde se ortos dicebant Tingitani. Nam quòd Procopius Vandalicorum II. eos ad Josuæ refert tempora, in eo credibile est illum aut linguæ ignorantiâ, aut ab impostore aliquo fuisse deceptum. Didonis tempora, quæ de Tyro coloniam in Africam deduxit, unde multæ fluxerunt aliæ, his temporibus non paulò posteriora sunt.

CAP. XXXVII.

MUNSTERUS.

24. AD *summitatem extremitatis ejus*] Tractat hoc caput eadem quæ 2 Reg. 19. describuntur. Et vocatur *diversorium extremum*, vel, ut Jesaia hic scribit, *summitas extremitatis ejus*, ipsa Jerusalem, quam Rex Assur ultimo loco putabat obtinendam, subactis omnibus aliis Regni Judææ locis. Vocatùrque hic & in Regum libro finis Regni Judææ, quòd supremus esset locus & metropolis totius illius Regni, & quâ devictâ nullus alius superesset locus expugnandus. Vocat quoque eam *silvam campestrem*, seu *silvam optimis consitam arboribus*, quòd campus circa Jerusalem plenus esset, quasi silva, frugiferis arboribus & vitibus. Id enim sign. *Charmel.*

35; &c. *Propter David servum meum*] i. Propter promissiones illi factas ego servabo locum istum. Fuerunt autem illi promissiones factæ propter Christum. Subditur deinde miserum spectaculum, quando summus ille orbis Monarcha tam miserè periit. Occiditur in templo, in majestate sua, non ab hostibus sed à suis visceribus, à sanguine suo. Est exemplum horrendi judicii Dei in eos qui rabido ore blasphemant Deum & persequuntur verbum ejus.

VATABLUS.

3. USque *ad matricem* עד משבר] *Usque ad angustias uteri*, sub. *parientis*: in quibus scilicet confringitur fœtus ipse, i. multa patitur, multúmque accipit incommodi.

4. *Et arguat* והוכיח] *Et increpet.* ¶ *Leva ergò orationem* ונשאת תפלה] Hebraismus, pro *Ora.* ¶ *Pro residuo*, &c. בעד השארית הנמצאה] *Pro reliquiis quæ adhuc supersunt*: vel *exstant.*

6. *A facie verborum* מפני הדברים] Hebraismus, propter verba. ¶ *Quibus contempserunt*, &c. אשר גדפו] *Quibus probro* [vel *conviciis*] *me affecerunt servi Regis Assur.*

7. *Do* נתן] *Pono.* Præs. Heb pro fut. Quidam, *apponam illi ventum*, i. daturus sum illi voluntatem revertendi in patriam suam, audito rumore belli quod gesturus est contra eum Rex Æthiopiæ. ¶ *Rumorem* שמועה] Ad verb. *auditum.*

9. *Æthiopiæ* כוש] *Chus* ¶ *Dicendo* לאמר] *A dicente.* ¶ *Audivit, inquam, & misit* וישמע וישלח] *Ex quo audivit, misit.*

11. *Delendo eas* להחרימם] *Quomodo devastaverint eas.*

16. *Sedens* super *Cherubim* ישב הכרובים] *Qui habitas* inter *Cherubim.*

18. *Et terram eorum* ואת ארצם] *Terram, inquam*, *eorum.*

19. *Ideo perdiderunt eos* ויאבדו] Hic ו pro *ideo.*

21. *Tunc misit* וישלח] Ponitur ו pro *Tunc*: aut, *Proinde.* ¶ *Pro quibus precatus es* אשר התפללת] *Quæ precatus es*, &c. Subaudi ex 2 Reg. 19. 20. *audivi*, ubi plena est locutio. Alii, *quoniam precatus es.*

22. *Virgo filia* בתולה בת] *Virginem* vocat quòd antea in nullius potestatem venisset. *Filia* pro *congregatione* accipitur.

24. *Per manum servorum tuorum* ביד עבדיך] Hebraismus, *per servos tuos.* ¶ *Altitudinem* קומת] *Summa*: i. perdam magnates ac primates ejus: q. d. Expugnabo illam. ¶ *Et introibo*, &c. ואבוא מרום וגו'] *Tum veniam ad summum extremitatis ejus*, *ad silvam* [vel *ad planitiem*] *ejus campestrem.* *Summum* vel *summitatem extremitatis ejus* vocat ipsam Jerusalem, quam Rex Assur ultimo loco putabat obtinendam, subactis omnibus aliis Regni Judææ locis. Vocatùrque hic & 2 Reg. 19. 23. מלון קצה *habitaculum finis ejus*, nempe Regni Judææ, quòd supremus esset locus & metropolis totius illius Regni, & quâ devictâ nullus alius superesset locus expugnandus. Vocat quoque eam *silvam campestrem*, seu *silvam optimis consitam arboribus*, quòd campus circa Jerusalem plenus esset, quasi silva, frugiferis arboribus & vitibus, id enim sign. *Charmel.*

25. *Fodi* קרתי] i. Fodiendo, venam aquarum perquirere soleo: h. e. in loco in quo est maxima penuria aquarum, invenio aquas: *& bibo aquas externas* & peregrinas, ignotas, & antea latentes sub terra ipsa. Alii exponunt, Tot milites traho mecum ut non sufficiat illis aqua fluviorum, &c. ¶ Alienas] Subauditum est ex libro Regum ubi מים זרים legitur. ¶ *Munitiones* מצור] i. Qui pro munitione sunt. Alii, *obsidionis*, i. omnes fluvios urbium obsessarum, qui eas alluebant.

26. *Annon audisti* quòd *à longinquo*, &c. הלא שמעת וגו'] His verbis Dominus declarat se Jerosolymæ tutorem esse, nec Ecclesiæ unquam defuturum. Hoc autem argumento utitur; Ego Ecclesiam fundavi: perpetuò igitur mihi curæ futura est salus ipsius. Qui enim cœpit, opus inchoatum non relinquet; sed ad fastigium usque perducet. Sunt qui exponunt hunc versum quasi Dominus nihil ab hoc Tyranno fieri aut jam factum esse declaret quod ore Prophetæ non prædixerit, atque ità autorem earum rerum se esse pronunciet. Propterea vertunt, *Annon audivisti* quòd *hoc* negotium *jam olim fecerim*, *à diebúsque antiquis formaverim illud? jam verò adduco illud*, *nempe ut sit in desolationem*, *& redigam in acervos ruinarum urbes munitas*: vel, ut quidam liberiùs interpretantur, *nempe ut vastem urbes munitas*, *& redigam eos in acervos & ruinas.* ¶ *Ut sit in desolationem*, &c. ותהי להשות וגו'] Ad verb. *& erit ad desolandum in acervos desolatos civitates munitas.* Ordo est (ut doctus inter Hebræos scribit, posteriorem expositionem secutus) *erit ad desolandum civitates munitas*, *quæ erunt destructa & desolata in acervos*: sive, *ut sint acervi desolati.*

27. *Abbreviati manu* קצרי יד] Hebraismus, i. imbelles sive imbecilles facti, & redditi à me infirmi & debiles. Quidam vertunt *manu fuerunt mutilati.* ¶ *Contriti sunt* חתו] *Contremuerunt*: *territi sunt*: *consternati sunt.* ¶ *Et olus germinis* וירק דשא] *Et virens germen*: aut *olus viride*: sive, *herba virens.* ¶ *Et tanquam herba*, &c. ושדמה לפני קמה] Ad verb. *& tanquam ariditas ante segetem*, i. tanquam herba triticea tacta uredine antequam evadat in segetem, & assurgat in culmos, sive antequam maturescat. שדמה idem quod שדפה 2 Reg. 19. 26. מ enim & פ sunt *ejusdem exitûs*, ut Hebræi loquuntur; i. inter se permutantur, & altera pro altera accipitur.

28. *Habitationem*, &c. ושבתך וצאתך וגו'] Infinitivi sunt [ad verb. *Habitare* (sive *sedere*) *tuum*, *& egredi tuum*, *& ingredi tuum novi*, *& irasci tuum contra me*] pro nominibus verbalibus, *Sessionem tuam*, *& exitum tuum*, *& introitum tuum ego novi*, *& iracundiam tuam contra me*: i. quæ feceris domi cùm habitabas in patria, [quidam *consilia domestica* exponunt] & quid cogitares cùm egressus es è patria tua; & quot milites illinc eduxeris: & adventum tuum in terram hanc novi, quomodo item commoto [sive *concitato*] animo mihi interminari ausus sis, non aliter quàm idolis tuis.

29. *Et tumultus tuus* ושאננך] *Ideo tumultus tuus*, i. verba tua tumultûs plena. Alii, *& opulentia tua*, vel *otium tuum*, aut *requies tua*. Alii, *& felicem te putas*, *ascendit* id *ad*, &c. ¶ *Ideo ponam* ושמתי] *Itaque ponam*.

30. *Comede* אכל] Sing. Heb. pro plur. & Imperat. pro fut. *comedetis*. ¶ *Sponte* etiam *nascentia* שחיס] *Quæ hinc renata fuerint*, i. quæ ex sponte sive per se natis, nullâ præcedente semente, renascentur. Sing. pro plur.

31. *Superstes*, &c. 'פליטת וגו] Ad verb. *evasio domûs Jehudah, qui relictus est*. Quidam, *quod servatum erit è domo Juda*, quódque *residuum erit*.

32. *Egredientur reliquiæ* תצא שארית] *Egredietur reliquum*, i. multi relinquentur & erunt superstites in Jerusalem. ¶ *Et superstes* ופליטה] Ad verb. *& evasio*, vel *evasor*.

33. *Praeoccupabit* יקדמנה] *Præveniet*, i. milites tecti clypeis suis, non invadent aut oppugnabunt urbem.

36. *Et surrexerunt summo manè* וישכימו בבקר] Sub. *qui missi erant à Rege*, vel *famuli ejus*, *& invenerunt eos mortuos*.

CASTALIO.

3. I*AM fœtu in arctum progresso, nec suppetentibus ad pariendum viribus*] Tantus est noster dolor quantus parturientis feminæ quæ ad ejiciendum fœtum jam ad vulvæ fauces progressum vires non habet.

25. *Aggeribus munita flumina*] h. e. Magna.

26. *Nunquámne audivisti me hoc olim ità comparasse, & à multis jam temporibus destinasse, quod nunc ad rem contuli?*] Istarum vastitatum autorem esse de quibus tu te jactas.

CLARIUS.

3. D*Ies tribulationis*] h. e. Tanta imminet tribulatio ut prægnantes mulieres ante justum tempus rumpantur ad partum, & tamen præ anxietate fœtum educere nequeant.

7. *Dabo ei spiritum*] Capitur hîc *spiritus* pro *voluntate*, quam Dominus in Rege mutavit, *audito rumore* adventûs Regis Æthiopiæ, licèt postea rediret. Verùm Judæi interim potuerunt sibi providere necessaria.

12. *Gozan*] De hoc habes 4 Reg. 17. quòd sit in *Media*.

22. *Despexit te*] *Virgo* Israel *despexit te*, Rex Assur, quæ non rarò *virgo* appellatur, quia nulli alii marito quàm vero Deo subjecta fuit. Hæc igitur confisa in Domino *sprevit & subsannavit* minas Regis Assur, *movens caput post eum*, secura ob Dei exspectatum auxilium.

24. *In altitudinem montium*] Intelligit loca in montibus exstructa arte atque naturâ munita. Per *juga* (sive *latera*) *Libani* intelligitur terra Israel, præsertim montana, ut est ea quæ circa Jerusalem invenitur. Per *cedros & abietes* intellige insigniora quæque loca; & per *altitudinem summitatis* Jerusalem, vel Templum ipsum, quod unicum illius Regni fuit asylum; & hanc ultimo loco Rex Assur putabat obtinendam.

25. *Ego fodi, & bibi aquam*] Sunt qui ad literam hunc versum exponunt, immisso scilicet exercitu cum jumentis, qui epotarent aquas, aut derivarent aliò. Alii verò putant intelligendum de locis passim à Rege Assur devictis, cujus adventus tantum metum incussit habitatoribus terræ ut ille, nemine resistente, *vestigio pedis sui* transierit fossas & munitiones quasque circa civitates exstructas.

26. *Numquid non audisti multò antè decrevisse me*] Jamdiu, inquit, illam terræ & gentium desolationem præordinavi & per Prophetas prædixi, sed modò sub Regibus Assur volui eam in effectum venire, ut *urbes munitissimæ* passim in ruinas collaberentur, & *habitatores earum* fortissimi, quasi non haberent *manus*, *languescerent*, *confunderentur & in modum invalidæ herbæ mollescerent*. Alii tamen exponunt de civitate Jerosolymitana, quam Dominus ante multa tempora ædificandam disposuit, quam à Sennacherib devastari noluit, nec habitatores ejus viribus destitui.

30. *Tibi autem hoc erit signum*] Signum illud additur ut non timeant quòd Rex alius post interfectum Sennacherib facilè aufurus sit invadere terram Juda. Est autem hoc signum, quòd Deus daturus erat suam benedictionem spontè nascentibus in terra, ut magna hominum multitudo hinc sufficiens alimentum esset habitura non uno tantùm sed duobus annis. Putant tamen Hebræi secundum aunum fuisse annum Remissionis, septimum scilicet.

FORERIUS.

1. S*Cidit vestimenta*, &c.] Disruptio vestium & saccus olim mœroris symbolum erat & demissionis animi; quæ in Dei castigationibus nobis omnino necessaria est. Nam non dolere, non ad flagellantem respicere, obdurati animi est, quem odit Dominus: Contritum autem & humilitatum adeò non despicit ut vel impio Achab saccus & humiliatio profuerint. ¶ *Intravit in domum Domini*] Duo hæc semper pii homines conjunxerunt, Carnis videlicet afflictionem seu macerationem cum Oratione. *Humiliabit* David *jejunio animam suam*, *& oratio in sinu ipsius volvebatur ut rota*. Neque enim decens est deprecantis habitus & auxilium implorantis erecta cervix & hilaris ridénsve facies: compressa autem mens & in angustiam veluti redacta preces magnâ vi sursum emittit, juxta illud, *Oratio humiliantis se cœlum penetrat*. His accedit quòd nihil afflictum animum sic recreare soleat ut coram Deo seipsum effundere, quem scit & ad misericordiam flecti solere, & posse eripere supplices. Neque prætereas quòd quamvis in domo sua orantem exaudire posset Dominus, maluit tamen Rex in Templum Domini venire, quod *domus Dei* ideo dicitur quia ibi habitet & frequentiùs adsit orantibus, juxta verba illa Salomonis quando primam orationem in ea domo ad Deum oravit.

2. *Et misit Eliakim, & Sobnam*, illum quidem *domûs* Regiæ *Præpositum*, hunc autem *Scribam*, *cum senioribus Sacerdotum*, *ad Jesaiam*] Hîc vides primo post Deum loco habitum Prophetam Domini: Rex quidem *in domum Domini* properat; præcipuos autem, & quorum erat in civitate non parva dignitas, *ad Prophetam* ire jubet. Et Rex ipse apparet coram Deo *sacco obvolutus*; illos verò etiam *sacco opertos ad Jesaiam mittit*. Deum propitium optabat; sed & eum quem mediatorem atque intercessorem inter Deum & populum noverat, ad misericordiam quoque movere volebat. Nónne sufficiebat Deus? quorsum ad hominem mittit? Nihil nobis cum hæreticis commune est. Sanctos viros tam viventes quàm defunctos interpellabimus, & veluti mediatores, ut rem nostram apud Deum agant, deprecabimur. Interim mecum considera quanta sit viri sancti dignitas etiam in hac vita, quem Rex tanti facit.

3. *Dies blasphemiæ*] Seu *exsecrationis*. Videtúrque referendum vel ad verba Ducis Assyrii: vel dies hic ejusmodi est quem meritò quispiam maledictis insectetur atque exsecretur, quòd sit tribulatione & castigatione plenus. ¶ *Venerunt filii*, &c.] Periphrasis est Hebræis formâ proverbiali, quâ & summos dolores & ingentia pericula résque ferè desperatas significant. Accedente enim ad exitum fœtu & ad arctiorem locum perveniente, orificium videlicet matricis, quod cedit vi ac planè disrumpitur (unde & *fractura* nomine Hebræis significatur) maximè tunc necessarii sunt nixus ac vires parturienti: quibus deficientibus, jam jam mors exspectanda est.

4. *Si quo modo audiat*] אולי *fortè*, *fortassis*. Neque tam est Hebræis Dubitantis quàm Bene ominantis, & Sperantis, & Committentis aliquid meliori eventui. Lucas Act. 8. videtur reddidisse εἰ ἄρα. *Pœnitentiam age ab ista malitia tua; & roga Deum, si fortè remittatur tibi cogitatio cordis tui*. Ego igitur sic reddidi, *si fortè audiat*. Et videtur connectendum cum posterioribus verbis versûs, *& levabis orationem*, ut sit Hysteron proteron, ut quod priùs dicendum erat posteriùs dicatur, in hunc modum, *Vires non sunt ad pariendum: levabis ergò orationem, si fortè audiat Jehovah*, &c. ¶ *Audiat*] In hoc versu priori loco *audire* pro *attendere* capitur, posteriori pro simplici *auditione*. ¶ *Levare orationem*] Dicunt Hebræi eâdem phrasi quâ *levare parabolam* Num. 23. *levare rumorem* Exod. 23. *levare convitium* Psal. 15. *levare Prophetiam* 2 Reg. 9. i. auctorem esse seu incipere. ¶ *Quæ reperta sunt*] i. Quæ remanserunt. Eâdem nos Phrasi utimur *inveniri* pro *remanere*. Movere autem ad commiserationem volebat. Indignum quippe videbatur, populum quem Deus *super arenam maris multiplicandum fore* promiserat, adeò in parvum numerum redactum fuisse ut essent veluti *reliquiæ* hinc atque illinc conquisitæ, &c. Ubi certè vides in maximis periculis singulare refugium esse Orationem.

5. *Et venerant servi Regis*] Inversus est ordo, quod familiare est Hebræis scriptoribus.

6. *Quibus blasphemaverunt me*] Seu *probris affecerunt*. Hoc potissimum angebat pium Regem, quòd *verbis* suis *Assyrii*, veluti convitiis, Deum *insectarentur* & *probris afficerent*; ut qui intelligeret, ob scelera id interdum Deum permittere. Sicut cùm Turcæ Christum Dominum insectabantur, & nomen ejus sanctissimum probris proscindebant, Constantinopolim captam primò ingressi. Quod cùm impunitum manet, evidens esse iræ Divinæ indicium in populum suum nequaquam dubitamus: Qui si piè viveret & Deum piè coleret, neutiquam à Deo ita relinqueretur in prædam bestiarum. Cùm igitur hostes fidei impunè Deum convitiis lacessant, intelligere oportet nos esse qui nomen Dei contaminamus & probris

bris afficimus, quemadmodum plus hic Rex *à verbis blasphemis timebat*, &c.

7. *Dabo ei*] Hebr. *pono in eum*, vel *in eo*, *spiritum*; i. immittam ventum. Est phrasis quâ nos utimur, *Veniet per aera nuncius*, vel *rumor*, i. citissimè & non exspectatus, & quasi incerto auctore, veluti si vento adveheretur. Quid si Spiritus quispiam ex Angelicis missus in hoc sit ut talem nuncium deferret? Sed prior sensus planus est.

8. *Audierat enim*, &c.] Antè quàm ab Jerusalem abiret, audierat dominum suum, omissâ oppugnatione Lachis, exercitum in Lobnam transtulisse, idcirco non Lachis rediit, sed rectè Lobnam abiit.

9. *Rege Æthiopiæ*] Credo de Æthiopia quæ cum Ægypto continens est esse sermonem, de qua suprà dictum est cap. 18.

10. *Decipiat Deus tuus*] Nesciunt impii quò differat Deus verus à fictitiis diis: & quia imbelles cæteros deos expertus fuerat, talem quoque Deum Israelis existimabat; neque à Deo alienum esse mendacium credebat.

11. *Quas subverterunt*] Ad verb. *ad anathematizandas eas*, i. quousque eas penitus delerent, sicut quæ tanquam anathemata & devota funditus evertuntur. Et hanc esse vim literæ Lamed existimo additæ in infinitivo in hac formâ orationis.

12. *Filios Eden*] עדן nomen proprium est loci, ut hîc & Ezech. 27. apparet, *Haran*, & *Chenne*, & *Eden*, cum quinque punctis. Vide infrà 51. *Ponet desertum quasi Eden*, pro *loco voluptario*, &c.

13. *Ubi est Rex*, &c.] Insolentem res prosperè gestæ reddiderant.

14. *Libros*] Nomine autem *libri* vocant libellos, literas & omnem scripturam, &c. ¶ *Expandit*] Solent pii homines coram Deo suo res suas explicare, & totum cor ac spiritum effundere, interdum mente tantùm, interdum etiam & ore, sicut mendici plagas & vulnera prætereuntibus ostendunt ut ad misericordiam provocent; non quòd sua Deum latêre existiment, sed ut animo suo sibique ipsis satisfaciant. Hinc ista *expansio literarum* Regis Assyrii. Adde quòd quæ literis continebantur ad Deum pertinere putabat: quare, quasi eum vellet literarum participem facere, *literas expandit*.

15. *Et oravit*] פלל in secunda est *ex circumstantiis rem* seu *causam cognoscere*, seu *judicare*; at in quarta est *causam* seu *negotium suum ad Deum deferre*. Licebit vertere verbo *precandi*, *deprecandi*, *orandi* vel *interpellandi*.

16. *Qui sedes super Cherubin*] Quid propriè sit כרוב, & quæ sit nominis ratio, ignoratur planè. Hoc tantùm habemus, tribui Spiritibus Angelicis, qui figurâ humanâ & alati apparebant, Gen. 3. Ezechiel autem cap. 28. Tyrum *Cherub* vocat, quasi in summum dignitatis fastigium evectam; quæ, ut Cherub alas suas latè extendens, protegebat populos multos. Ezech. 4. *Duæ facies uni Cherub*: ubi sanè pro imagine usurpatur habente duas facies; alteram Hominis, alteram Leonis. Et Ezech. 10. quæ c. 1. חיות *animalia* dixerat, vocat *Cherubim*; & quod c. 1. *faciem bovis* dixerat, cap. 10. *faciem Cherub* appellat. Atque indè clarum est quòd figura seu similitudo quatuor animalium, quia illa alata vehi & volare apparebant, *Cherubim* dicebantur. Non semel autem in Scripturis *vector Cherubim* appellatur Deus, vel quòd subjaceant illi Spiritus omnes Angelici, vel propter Propitiatorium, ubi erant Cherubim fabrefacti, undè Deus responsa dabat. Hic autem vertere etiam poteris, *qui inhabitas Cherubim*, vel *Cherubim inhabitator*; quasi sedes beatas intelligens, ubi Angelicorum Spirituum est frequentia. Fortè à cognato verbo קרב, i. *appropinquavit*, dicti sunt, vel quòd subitò adveniebant; vel quòd Deo, tanquam ministri, familiares sint. Nam qui Deo in Divinis serviunt, *appropinquantes Deo* dicuntur. ¶ *Tu es Rex solus omnium Regnorum*] Heb. *omnibus regnis*: vertere posses eodem sensu, *Te solum universa Regna Regem habent*.

17. *Aperi oculos tuos*] In Hebræo est in singulari, *oculum tuum*. Et fortè est phrasis quâ nos utimur, *Aperi oculum*, i. Diligenter attende, & præcave tibi. ¶ *Deum viventem*] Seu *vivum*. Ad differentiam Deorum qui *oculos habebant*, & *non videbant*, *aures*, & *non audiebant*, &c. vocabant Judæi Deum verum *Deum vivum*. Et sic quodam loco vocat Apostolus Deum *vivum* & *verum*.

18. *Terras*, & *regiones earum*] Ad verb. *terras*, & *terram eorum*. Et puto relativum positum esse pro antecedente, nempe *Diis*: de quibus sequenti mox versiculo dicitur. Possumus quoque sic vertere, *Verè desertas fecerunt* (vel *anathematizarunt*) *Reges Assyrii universas terras*, & *terram suam*; i. provincias illas, quas nunc tanquam proprias sedes obtinent, priùs devastarunt, cùm eas de potestate incolentium eriperent.

19. 20. *Non enim erant Dii*] Sic enervat objectionem Assyrii, qui verum Deum fictitiis similem reputans ex vastatione aliarum regionum, ubi colebantur fictitii Dii, direptionem Jerosolymorum sibi audebat promittere. Ezechias autem, quòd fidem haberet, hinc fiduciam liberationis concipit, quòd *tantùm Deus Israel Deus esset*: nihil mirum verò quòd Reges Assyrii terras quibus præerant falsi Dii devastassent.

21. *Misit Isaias*] Ezechias in Templo orabat, & Jesaias in domo sua responsa dabat, ut quantum deferendum esset suo Prophetæ ostenderet Deus, ut quàm rectè fecisse Regem quando ad eum magnates illos misit comprobaret. Ubi ubi enim fuerit vir Dei, Deo assistit, atque indè Regibus quid facto opus sit significare potest, maximè orantibus & ad Dei auxilium implorandum accurrentibus. Unde intelligere possumus quantò major sit Prophetæ quàm Regis dignitas.

22. *Post te caput movit*] Gestus est subsannantium & illudentium, ut Psal. 22. quod adimpletum in Christo in Cruce pendente ostendit Matthæus 27.

23. *Cui exprobrasti*] Vim habet hæc interrogatio. Nescis, ô miser, contra quem convitiatus sis? ignoras quantum scelus commiseris? ô te miserum, &c. ¶ *Super quem*] Vel *contrà*. Extollere verò *vocem atque oculos*, superborum & insolentium est. Ubi graviora dixit, videlicet *convitiare* & *probris afficere*, *elationem oculorum* reprehendit, quod perinde est acsi diceret, Ignoras, miser, Deum esse talem contra quem vel vocem extollere vel oculos in sublime elevare indignum sit, & insignis impietatis ac temeritatis pœnis obnoxium scelus.

24. *In manu servorum*] Verbum verbo reddidit Vulg. ego sensum expressi, & Hebraismum vitavi. ¶ *Introibo altitudinem summitatis ejus*] Vel *celsitudinem* seu *finem*. *Celsitudinem* ergò *extremitatis* vocat Hebraismus extremam celsitudinem: quo significat nihil arduum, nihil difficile reperisse in Judæa cujus difficultatem non perviceri. ¶ *Saltum Carmeli*] Hîc de monte *Carmelo* sermo est, non de *fertili* illa *regione*. *Libanus* autem & *Carmelus* insignes montes erant & penetratu difficiles in Israele: at Assyrius curribus suis illos penetrasse & pervios fecisse gloriatur. Quid si *silvam Carmeli Libani* vocat ipsam cedrorum & fraxinorum spissitudinem seu constipationem, quæ erat in Libano sicut segetes in Carmelo? quasi Libanus Carmelum haberet, & cedris; ut Carmel segetibus, abundaret?

25. *Fodi*, & *bibi*] Ingentem militum multitudinem aliorúmque qui ipsum sequebantur notat, quibus & *rivos Ægypti exsiccarit*, & ubi aquæ deessent puteos *effoderit* ex quibus tantæ multitudini *aquas* haurirent. Quòd autem מצור hîc *Ægyptum* verterem, non *aggeres*, licet de aggeribus Ægypti intelligendus sit Vulgatus, nihil tamen mirum: nam per Paronomasiam מצור pro מצרים videtur poni, ut suprà 19. *Exaruerunt rivi Ægypti*, &c.

26. *An non audisti*] Ad Senherib dirigitur sermo: sed incertum est de quo intelligenda sint verba & relativa. Ego, cùm videam esse feminina, quibus pro neutris utuntur Hebræi, puto hunc subesse sensum, *Numquid non audisti*, *ô Senherib*, *hoc ipsum quod tu te fecisse modò gloriaris*, *me ab antiquo usque fecisse*, & *à diebus prioribus me id præcogitasse*, & *nunc adduxisse atque opere complevisse*; *ut scilicet fierent* & *redigerentur civitates munitæ in ruinas acervorum obrutorum*? ¶ *Quæ olim fecerim*] Heb. *à longinquo feci ipsam*, vel *ipsum*; i. *quid olim fecerim*, i. paraverim, decreverim. ¶ *Ego plasmavi illud*] Optimè Vulgatus relativum fecit neutrum, & de cogitatione & formatione quæ in animo fit est sermo. ¶ *Et nunc adduxi*] Vulg. supplevit conjunctionem, quæ certè in Hebræo solet deesse. ¶ *Eradicationem*] In Hebræo est infinitivus irregularis. Non malè autem pro nomine accepit Vulgatus, pro *eradicatione*, licèt pro *ruina* accipi possit. Ego planum sensum, vitato Hebraismo, expressi, *ut corruant in acervos obrutos*, id est, ex ruinis subitò congestos, *civitates munitæ*. Vulgatus hæc distinxit additâ conjunctione, *in eradicationem collium compugnantium*, & *civitatum munitarum*: sensus autem ferè idem est. גל verò *tumores* seu *volutiones* notat Hebræis, unde de *fluctibus* sæpe dicitur. Quare ad hunc quoque modum sic posses reddere, *Et erit ut ruere faciat* (vel *illidat*) *fluctus compugnantes in civitates munitas*. Nam participium נצים *rixantes* seu *concertantes* verti potest; ut Exod. 2. *Ecce duo viri rixantes*, &c. Et hic sensus haud est contemnendus.

27. *Breviatâ manu*] Vel *breviati manu*, vel *breves manu*, i. imbelles, veluti manci. ¶ *Contremuerunt*] In præterito sunt hæc verba, sed ut quæ præcesserunt superiori versu accipienda. Nominum autem quæ sequuntur proprias significationes expressi. ¶ *Quæ exaruit ante quàm maturesceret*] Sen-

 sum

sum optimè reddidit; ego verba verbis, *ariditas ante culmum.* Quæ omnia significant quàm facilè devictæ sint gentes per Reges Assyriorum, ità disponente Deo. At *securis gloriabatur contra secantem eâ*, &c. ut suprà Dominus ipsi objecit: & hæc verba illuc tendunt, quare mox in eum invehitur, & ejus superbiam traducit.

28. *Habitationem tuam*] Proverbiali formâ, *sessione* & *resurrectione*, *ingressu* & *exitu* solent Hebræi universas hominis actiones, mores & vitam circumscribere: hic *sessionem*, *exitum* & *introitum* tantùm ponit. ¶ *Insaniam tuam*] Verbum רגז *commotionem* vel *de loco*, vel *metu*, vel *irâ* notat. Sunt autem infinitivi pro nominibus. Pro *commotione* autem *ira* non malè Vulgatus *insaniam* vertit: Est enim verbum in quarta, & *seipsum commovere* sign. i. nullâ causâ irâ exardescere & concitare semetipsum, quæ non levis est insania: quod sequenti versu *furere* dixit Vulgatus.

29. *Superbia tua*] שאנן *tumultus*, seu *strepitus*. Est autem sermo de tumultuatione seu strepitu armorum, quo Senherib superbiebat. Hinc pro *superbia* accepit Vulgatus. Verùm cùm ab hoc ipso nomine fiat verbum earundem literarum, quod contrariâ significatione notat *quietum* seu *tranquillum*, deinde & *insolentem esse*, de quo suprà 32. quia otium & quies insolentiam parit, hoc loco fortè non malè quis *insolentiam* verteret. ¶ *Circulum in naribus*] Quia furere non Hominum est, præsertim contra Deum, eum jam brutis confert. Bubalis enim & aliis nonnullis animalibus annulus seu hamus in nasum injicitur, ut hoc pacto frænata circumducantur, & pareant: Asinis autem & Mulis camus seu habena, quâ constringuntur maxillæ.

30. *Pomis*] שחיס, pro quo in lib. Regum per Metathesim literarum ponitur סחיש, & est *quod sponte suâ*, non satum, *nascitur:* prætererat quippe jam tempus serendi. Quare suadet ut in fine illius anni & toto sequenti contenti essent iis quæ ex arboribus vel ex terra suâ sponte germinante habere possent; fore autem ut deinceps omni metu deposito terræ proventibus fruerentur.

31, 32. *Id quod salvatum fuerit*] Ad verb. *evasio*, i. qui evaserint. ¶ *Mittent radicem*] Sensum reddidit Hebraismi, *addet radicem deorsum*, i. magnâ vi radices aget, vel iterum radices aget. Quæ autem fructus uberrimos afferre debent, imas radices agant oportet. Figuratè autem per *deorsum radicari & sursum germinare* multiplicationem ex illis reliquiis designat. Quod tu de multiplicatione verorum Israelitarum per Euangelium intellige, ut mox Propheta aperit. Nam, ut sæpe dixit, liberatio illa Jerosolymitanorum civium typus fuit salvationis paucorum fidelium ab illa ingenti devastatione quæ per peccatum in Israele facta est: Illi autem semen fuerunt in toto Orbe, & Gentes participes fecerunt salutis, & veros filios Abrahæ. Quod certè nihil nisi amor Domini effecisset, quo Patres illos & genus humanum prosequitur. Vocatur autem interdum amor in Scripturis *zelus*; ut suprà de Incarnationis mysterio. *Zelus Domini exercituum faciet hoc.*

33. *Non occupabit eam clypeus*] Sic legendum est & vertendum. Nam *clypeum* seu *scutum* interdum Hebræi figuratè vocant scutatos milites, qui primi solent murum conscendere clypeis tecti. Sagittariorum autem munus est ut aliquantulùm a muro separati non sinant obsessos in muro securos agere & ascensum prohibere.

35. *Propter me, & propter David*, &c.] Quando Dominus aut semetipsum tantùm intuetur, aut servos suos, quibus nihil antiquius fuit ipsius Dei gloriâ, vix potest se continere quin liberet ac benefaciat. Unde illæ petitiones, *Fac propter temetipsum, Deus. Averte faciem tuam à peccatis meis. Respice in faciem Christi tui*, &c. Naturâ enim ad benefaciendum propensus est, & servi ejus in votis semper beneficentiam habent; quâ nihil divinius ut *quâ similes Deo sumus*, ut dicebat Gregorius ille Theologus. Ubi quoque videmus Deum & promissiones suas & sanctorum merita respicere, ut posteris eorum, seu etiam regionibus & popularibus eorum, benefaciat. Quare pium est ut ad Sanctos cujusque Regni, velut Gentes ad suos tutelares Deos, in calamitatibus confugiamus, & propter eos nobis remissionem à Deo flagitemus.

36. *Egressus*] Cùm Deus vel invisibilis creatura aliquid quod sensu percipitur operatur, *egredi* dicitur in S. literis. Unde & in Euangelio *exiisse* Filius Dei dicitur quando carnem assumpsit.

DRUSIUS.

13. הֵנַע וְעִוָּה. *Ane & Gava.* Sym. *solicitavit & humiliavit*] Legit ענה *afflixit.* Eusebius De locis, ANEU GAVA; *Et hujus Esaias meminit, quam Aquila transtulit* Ane & Gava, *scilicet* v *syllabam, quæ in medio nominis posita est, conjunctionem & interpretatus. Sym. verò*, solicitavit & humiliavit. *Legimus hoc in Regnorum libris.*

24. בְּרֹשָׁיו. Aq. *abietum* * *ejus.* Sym. *juniperorum* †] Eusebius. * Psal. 104. 17. ברושים. Aq. ἐλάται abietes. Hos. 14. 8. ברוש, Hieron. *abies.* 2 Par. 3. 5. עצי ברושים. Hieron. *tabulis abiegnis.* † Ἀρκεύθων. Sic ferè Lxx reddunt, ut Hos. 14. 8. & 2 Par. 2. 8. ubi & Hieron. *ligna arceuthina.* At Jes. 14. 8. ברשים. Sym. *pini.* Hieron. *abietes.*

30. שָׁחִיס. Sym. *pomis vescere*] Hieron. Hoc erit signum *eorum quæ futura prænuncio*, quòd hoc anno ea comedas quæ spontè nascuntur, *sive juxta Lxx*; quæ priùs severas. Anno autem secundo, *juxta Symmachum*, pomis vescere, *sive juxta eosdem*, quæ de præteritis segetibus & cadente in terram semine pullulaverint.

IDEM EX PROCOPIO.

2. אֶת־אֶלְיָקִים, τὸν Ἐλιακὶμ alias Ἐλιακείμ.

8. אֶת־מֶלֶךְ אַשּׁוּר. Aq. Sym. Th. τ̃ βασιλέα Ἀσσυρίων, *Regem Assyriorum.* ¶ עַל־לִבְנָה. Aq. Sym. Th. Λαβανὰ *Labana.* ¶ כִּי נָסַע מִלָּכִישׁ. Aq. Sym. Th. ὅτι ἀπῆρεν ἀπὸ Λαχεὶς, *quòd abiisset à Lachis*] Prius erat ἀπῆρεν, quod nihil significat: Gen. 12. 9. ויסע. Lxx. καὶ ἀπῆρεν, *profectus est, abiit, discessit.*

9. וַיִּשְׁמַע. Iidem, Καὶ. ——

11. הִנֵּה אַתָּה. Aq. Sym. Th. Ἰδὲ σὺ *Ecce tu.* ¶ אֲשֶׁר עָשׂוּ. Aq. Sym. Th. ἃ συνετέλεσαν. ¶ וְאַתָּה תִּנָּצֵל. Aq. Sym. Th. καὶ σὺ ῥυσθήσῃ *& tu liberaberis.*

14. וַיִּקְרָאֵהוּ וַיַּעַל בֵּית יְהוָה. Sym. Th. καὶ ἀνέγνω αὐτὸ, καὶ ἀνέβη εἰς οἶκον Κυρίου, *& legit illud, & ascendit in domum Domini.*

22. אַחֲרֶיךָ רֹאשׁ הֵנִיעָה. Sym. ὄπισθέν σε κεφαλὴν ἐκίνησε; *post te caput movit.*

23. גִּדַּפְתָּ. οἱ λοιποὶ, ἐβλασφήμησας *blasphemasti.*

24. בְּרֹשָׁיו. Lxx κυπαρίσσους αὐτοῦ. Aq. ἐλάτας *abietes.* * Sym. ἀρκεύθους *juniperos.* †] * Sic etiam Hieron. Psal. 104. 17; ברושים. Aq. ἐλάται. † Hos. 14. 8. Lxx ἄρκευθος. Jes. 14. 8. Sym. *pini.* ¶ מְרוֹם קִצּוֹ יַעַר. Sym. εἰς ὕψος τοῦ ἄκρου αὐτοῦ εἰς τὸν δρυμὸν, *in altitudinem summitatis illius in saltum.* ¶ כַּרְמִלּוֹ. Idem, τοῦ Καρμήλου αὐτοῦ.

25. אֲנִי קַרְתִּי וְשָׁתִיתִי מַיִם וְאַחְרִב בְּכַף־פְּעָמַי כֹּל יְאֹרֵי מָצוֹר. Symm. Ἐγὼ ὤρυξα, καὶ ἔπιον ὕδωρ, καὶ ἠρήμωσα ἐν ἴχνει ποδός μου πάντας ποταμοὺς συνεχομένους, *Ego fodi, & bibi aquam; & desolavi vestigio pedis mei omnes fluvios cohærentes.*

27. עֵשֶׂב שָׂדֶה. Aq. χλόη χώρας. Sym. Th. χόρτος ἀγροῦ *fœnum agri.*

29. וְשַׁאֲנַנְךָ עָלָה בְאָזְנָי. καὶ ἡ ἀλαζονεία σου ἀνέβη εἰς τὰ ὦτά μου *& arrogantia tua ascendit in aures meas.* ¶ וְשַׂמְתִּי חַחִי בְּאַפֶּךָ וּמִתְגִּי בִּשְׂפָתֶיךָ. Sym. καὶ δώσω κρίκον εἰς τὸν μυκτῆρά σου, καὶ χαλινὸν εἰς τὰ χείλη σου, *& dabo annulum in nasum tuum, & frænum in labia tua.*

30. סָפִיחַ. Reliqui, αὐτόματα *sponte nascentia.* ¶ שָׁחִיס. Aq. Th. αὐτοφυῆ. Sym. ἀπὸ δένδρων *ab arboribus*] Αὐτοφυῆ, *spontè nata*, sive *suapte sponte provenientia*: idem quod αὐτόματα. Illud ἀπὸ δένδρων meritò suspectum est. Nam in Hieron. *pomis vescere* ex Symmacho. Porrò autem *poma* Græcè ὀπώρα dicuntur.

33. לֹא יָבוֹא אֶל־הָעִיר הַזֹּאת. Th. καὶ εἰς τὴν πόλιν ταύτην μὴ εἰσέλθῃ, *& in urbem hanc non ingredietur.*

35. לְמַעַן דָּוִד עַבְדִּי. οἱ λοιποὶ, διὰ Δαβὶδ τ̃ δοῦλόν μου, *propter David servum meum.*

GROTIUS.

1. S*Cidit vestimenta sua*] *Rupit.*

18. *Desertas fecerunt Reges Assyriorum terras & regiones earum*] In Hebræo: *Cunctas gentes & regiones earum.* Est autem σύλληψις [*Comprehensio*]. Verbum enim *vastandi* aliter de gentibus dicitur, aliter de terris.

24. *Altitudinem summitatis ejus*] Id est, ad summa juga perveni: nihil mihi fuit invium.

CAP.

C A P. XXXVIII.

M U N S T E R U S.

8. Q*Uibus descendit in horologio Ahaz*] Ut in libro Regum diximus, putant Hebræi in morte Ahaz diem abbreviatum decem horis, quæ hîc intelliguntur per *gradus*: & hæ iterum fuerunt resarcitæ eo die quo Hizkija fuit sanatus, *retracto* scilicet *Sole decem gradibus*, ut textus hîc habet, qui faciunt gradus cœlestes CL. i. quinque signa.

10. *In succisione dierum meorum*] Est hîc דמי idem quod כריתת. Dicit autem *succisos dies suos* quoniam habebat 39. ætatis annos, & nondum pervenerat ad periodum vitæ suæ. ¶ *Ambulabo in porta inferni*] h. e. Deinceps versabor in latibulis sepulcri, & *non videbo* ampliùs Templum *Domini in terra viventium*, deputatus & positus ad mortuos. Sed *nec vivam cum hominibus* qui integrum vivunt *seculum* & perveniunt ad justam ætatem: hoc enim sign. vocabulum חלד. Exponunt proinde Hebræi דמי pro כנור, sicut nos vertimus.

12. *Ipse exhauriendo*] i. Putabam quòd tu, Deus, per ipsam infirmitatem sic *exhaurires* vires meas & enervares compages corporis ut *per diem usque ad noctem* supervicturus non essem. Et rursum vesperi cogitabam me *ante initium sequentis diei* moriturum, usque adeo sæviebat per noctem morbus in corpus, ac si carnem cum *ossibus* absumpturus esset, *in modum leonis* pecus aliquod discerpentis. Putant autem Hebræi morbum illum fuisse קדחת, qui est אש של עצמות *ignis in ossibus accensus*; licèt & pro *febri* accipiatur: unde קדחת רביעית est *febris quartana*.

15. *Dixit mihi*] Per Prophetam consolatus est me, & vitam longiorem promisit, atque ut pollicitus est sic fecit. Jonathan Chaldæus sic interpretatus est hunc locum, *Qualem proferam laudem, cùm dixerit de me quòd multiplicaturus sit bona quæ facturus est mecum?* ¶ *Movebor cunctis annis*] i. Nunquam sine commotione capitis recordari valeo hujus amaritudinis de qua me Dominus liberavit.

16. *Ultra eos vivent*] Jam cognovi quòd ultra præscriptos annos homines vivere possunt si Deus voluerit: id quod in me experior, qui in superadditis *annis fruor gratissimâ vitâ spiritûs mei*.

17. *A putrida fovea*] h. e. A sepulcro. Et per *animam* intellige גוף *corpus*. ¶ *Projecisti post tergum tuum peccata mea*] i. Oblivioni tradidisti *peccata mea*, *quibus ego veluti textor succidi vitam meam*, sicut suprà dixit. Dixit quoque suprà, *se rectè coram Deo ambulasse*, hîc autem agnoscit se peccatorem, quia sine gratia Dei nihil sumus.

18. *Nec exspectabunt*] i. *Qui descendunt in sepulcrum*, non manent in hac vita ut *laudes tuas annuncient*, licèt aliquando resurrecturi sint ad immortalem vitam. Sed *qui in hac manent vita*, *confitebuntur tibi*: Et si dederis eis *filios*, illi quoque à *patribus* suis eruditi *confitebuntur veritatem tuam*. Et nota quod hîc scribitur אל אמתך pro את אמתך, i. *ipsam veritatem tuam*.

V A T A B L U S.

1. I*N diebus illis* בימים ההם] Sequenti capite legitur בעת ההיא] *In tempore illo*. ¶ *Usque ad mortem* למות] Ad verb. *ad moriendum*. ¶ *Præcipe domui tuæ* צו לביתך] i. Da mandata de domo tua, vel hominibus domûs tuæ, sive domesticis, quæ velis fieri post mortem. ¶ *Morieris* מת] Præt. Heb. pro fut. i. Non convalesces ex hoc morbo.

2. *Ad parietem* אל הקיר] Sub. *lecti*. Chald. *Templi*, i. versùs Templum, ut scilicet cum majore attentione animi oraret Deum, avertendo faciem suam ab his qui sibi astabant.

4. *Et fuit verbum Jehovæ* ויהי דבר יהוה] Hebraismus, *Locutus est Jehova ad Esaiam*. ¶ *Addo* יוסף] Præs. Heb. pro fut. *adjiciam*.

8. *In horologio* במעלות] Hæc vox significat *gradus*, i. ascensum sive cochleam. Significat & *solarium*, *quadrantem*, sive *horologium*, quòd lineis sive gradibus designetur. Significat etiam *lineas ipsas solarii* quæ indicant horas. ¶ *Quibus jam descenderat* במעלות אשר ירדה] Ad verb. *In gradibus quibus descenderat*.

10. *Dixi* אמרתי] *Dixeram*. ¶ *In excisione dierum meorum* בדמי ימי] i. Cùm audivi actum esse de me, & finem vitæ meæ instare, id mihi renunciante Prophetâ. *Excisionem dierum* vocat mortem illam immaturam, quæ scilicet accidit ante periodum naturalis vitæ. q. d. Periissem in flore ætatis meæ nisi misertus fuisset mei Dominus. ¶ *Privatus sum* פקדתי] Præt. Heb. pro fut. *carebo*, vel *privabor*.

11. *Dixi* אמרתי] *Dixeram*. ¶ *Jah Jah* יה יה] Idem nomen quod *Jehovah*: i. Non contemplabor opera Domini in vita mea.

12. *Habitatio mea recessit* דורי נסע] i. Aliò mihi demigrandum est. ¶ *Ægritudine* מדלה] Ad verb. *macie*. Quidam *præ morbo*: quòd morbus inducere soleat maciem. ¶ *A die usque ad noctem* מיום עד לילה] i. Ab initio diei usque ad initium noctis: h. e. intra spatium unius diei. ¶ *Consummabis me* תשלימני] *Complebis me*: *finies me*, i. annos meos: h. e. finiam vitam te autore intra hanc noctem. Mutatio personæ: q. d. Tanta & tam gravis erat ægritudo ut non putarem me supervicturum usque ad noctem insequentem.

13. *Posui*, &c. שויתי עד בקר] *Constitui rursum* terminum *usque mane*, i. dixi me forsitan victurum usque ad manè. ¶ *Contrivit* ישבר] Fut. Heb. pro præt. sub. *morbus*. ¶ *A die*, &c. מיום עד לילה וגו'] Vide v. 12. q. d. Ad summam non vivam ultra hanc diem.

14. *Garriebam*, *gemebam* אצפצף אהגה] Fut. Heb. pro præt. imperf. *mussitabam*, *meditabar*: vel, *suspirabam*, *gemebam*: q. d. Interim non tacebam, sed gemebam, & voces quasdam obscuras emittebam, testes gravissimi doloris. ¶ *Vim facit mihi* עשקה לי] Præt. Heb. pro præs. *opprimit me*. Quidam Hebræorum, *Adde mihi*, sub. *dies aliquos*.

15. *Leniter incedam* אדדה] *Pedetentim incedam*, more scilicet eorum qui mœrore affecti sunt, quique meminerunt calamitatis & afflictionis præteritæ. Quidam vertunt, *Movebor*. ¶ *In amaritudine* על מר] *Propter amaritudinem*. Doctus inter Hebræos cùm Chaldæo P. exponunt *propter liberationem ab amaritudine*.

16. *Ultra eos*, &c. עליהם יחיו וגו'] *Ultra eos vivent*, & *omnibus* hominibus narrabo quòd *in ipsis* annis habeam *vitam spiritûs mei*, & quòd *tu me dormire feceris*; *atque vivificaveris me*. Doctus inter Hebræos exponit, *Jam cognovi quòd ultra præscriptos annos homines vivere possunt si tu volueris: id quod in me experior, qui in superadditis annis fruor gratissimâ vitâ spiritus mei: id quod aliis narrare soleo.* Alii vertunt, *Ultra annos suos vivent* pii, & *omnibus* dicam, *In illis est vita spiritûs mei: itaque serva me incolumem, ac vivifica me*: q. d. Simile beneficium quod ego consequentur qui revertentur ad te toto corde, victuri nempe diutius: & posthac dicam omnibus hominibus, In annis beneficio Dei spatio vitæ meæ additis vivo. Qui videntur propiùs ad mentem Prophetæ accedere, converso paululùm ordine dictionum vertunt, *Etiam omnibus* qui *ultra eos vivent*, *vita spiritûs mei in illis* nota erit, & *quòd me dormire feceris*, & *vivificaveris me*: i. quicunque ultra istos annos vivent, illis etiam spiritûs mei vita nota erit. Subauditur relativum אשר *qui*. ¶ *Itaque sana me* ותחלימני] *Impingua itaque me*: vel *robora*, sive *confirma*.

17. *Ecce*, &c. הנה וגו'] *Ecce pro valetudine* habenda *fuit mihi amara amaritudo*. Alii, *Certè propter pacem* perditam *amaritudo erat mihi amara*. ¶ *Desiderasti* חשקת] *Concupivisti*: *voluisti*. Alii, *tibi autem placuit*, sive *complacitum fuit*. ¶ *Consumptionis* בלי] *Corruptionis*, i. de sepulcro in quo corpora consumuntur. ¶ *Projecisti*, &c. השלכת אחרי וגו'] Phrasis Hebraica, pro, *desiisti meminisse peccatorum meorum*, & *condonasti mihi omnia peccata mea*.

18. *Sepulcrum* שאול] i. Corpora cùm jacent in sepulcro. ¶ *Confitebitur tibi* תודך] *Laudabit te*. Sic v. 19. ¶ Neque] Ex præcedenti membro subauditum est more Hebraico. ¶ *Mors* מות] *Mors* pro *mortuis*, sive *corporibus mortuorum*. ¶ *Nec sperabunt* לא ישברו] *Nec exspectabunt qui in foveam descendunt*, *veritatem tuam*, i. adimpletionem promissionum tuarum quæ verissimæ sunt.

20. *Jehovah*, &c. יהוה להושיעני] *Jehova est ut salvet me*. ¶ *Psallemus* ננגן] *Cantabimus*. Propriè sign. *canere ad instrumentum musicum*.

21. *Tollant* ישאו] Fut. Heb. pro imp. Hi duo versus hîc adjecti videntur ut breviùs exprimeret quod fusiùs dictum erat in libro Regum. ¶ *Et alligent super ulcus* וימרחו על השחין] Ad verb. & *cataplasment*, i. instar cataplasmatis superponant ulceri.

22. *Quòd ascendam* כי אעלה] i. Quòd ascendam in Templum ut agam gratias Deo de valetudine recepta.

C A S T A L I O.

11. I*N terra viventium*] In hac vita.

12. *Mihi more textoris amputatur vita*] Ut amputat textor filum.

18. *Non*

18. *Non tuam fidem prædicabunt humati*] ישברו pro יבשרו transpositâ literâ scriptum videtur: ut sint hîc tria verba ejusdem notionis, *gratias agere*, *laudare*, & *fidem prædicare*, quæ respondeant tribus nominibus eâdem item de re positis, quæ sunt, *Orcus*, *mortui*, & *humati*.

C L A R I U S.

1. Ægrotavit] Quo videlicet tempore obsidebat Lobnam Sennacherib: quod eò colligunt quòd subdit, *Eruam te de manu Regis Assyriorum.*

2. *Ad parietem*] Sive ut sese versùs Templum converteret, sive, quod vero est similius, ut in illa mœstitia se magis colligeret ad precandum Deum. Credibile autem admodum est hunc Regem cogitasse fore ut morte suâ hostibus Dei lætitiam faceret, qui interpretaturi essent mortem hanc quasi pœnam sacrilegii, quia tulisset è medio aras & lucos. Offendi poterant pii in populo, & impii insolescere. Decedebat præterea sine liberis, præsertim cùm de posteritate sua, qui esset de semine David, exspectaret Christum: quæ omnia tristiorem eum faciebant.

8. *Decem gradibus*] Jonathas Chaldæus intelligit per *gradus* horas. Quidam putant hunc locum intelligendum ut Sol subitò uno temporis momento moveretur decem gradibus. Fabulantur autem Hebræi diem decem gradibus abbreviatum quando Achaz mortuus est, nè scilicet luctus fieret super morte ejus; & hos decem gradus iterum fuisse resarcitos tempore Ezechiæ, nè temporum fieret confusio. Porrò in Hebræo non habetur *in horologio. Achaz*, sed *in gradibus Achaz.* Fuerunt tamen gradus illi signati in lapide quodam, ex quibus discebatur hora diei quando Sol radiabat.

10. *In dimidio dierum meorum*] Vel *in succisione dierum meorum.* Dicit autem *dies suos succisos*, quoniam habebat 39 ætatis annos, & nondum pervenerat ad periodum vitæ suæ. ¶ *Vadam ad portas inferi*] Vel, *Ambulabo in portis inferni:* h. e. Posthac versabor in latibulis sepulcri, & *non videbo amplius* Templum *Domini in terra viventium*, deputatus & positus ad mortuos, sed *nec vivam cum hominibus* qui integrum vivunt *seculum* & perveniunt ad justam ætatem.

12. *De mane usque ad vesperam*] Putabam, inquit, quòd tu, Deus, per ipsam infirmitatem sic *exhaurires* vires meas & enervares compages corporis ut *per diem usque ad noctem* supervicturus non essem. Et rursum vespere cogitabam me *ante initium sequentis diei* moriturum: usque adeò sæviebat per noctem morbus in corpus, ac si carnem cum *ossibus* absumpturus esset, *in modum leonis* pecus aliquod discerpentis.

14. *Attenuati sunt*] Heb. *Sublati erant oculi mei in excelsum.* Sed Interpres usus est paraphrasi. ¶ *Domine, graviter crucior*] *Opprimit me*, inquit, *languor meus: mitior sis paululùm erga me. Quid dicam ego*, cùm *ipse* per Prophetam *indicaveris se facturum* ut sanitatem pristinam recipiam? Vel potiùs sic, *Quid dicam? sum enim inops animi quidnam vel dicam vel faciam; sed ipse dixit, qui & fecit. Non aliud habeo quàm ut perpetuò memor amaritudinis hujus animæ meæ sim, à qua beneficio illius liberatus sum.*

16. *Domine, sic vivetur*] Alius vertit, *Ultra eos vivent:* ut sit sensus, Jam cognovi quòd ultra præscriptos annos homines vivere possint si Deus voluerit: id quod in me experior qui in superadditis *annis fruor gratissimâ vitâ spiritûs mei.* Prioris verò translationis hic erit sensus, *Domine, ad hunc modum*, quo quindecim annis hic victurus sum, *vivent* multi: verùm mihi præ reliquis omnibus quæ mihi illis quindecim annis fieri poterunt hoc gratissimum est, quòd *vitam spiritûs* receperim: restituisti enim mihi sanitatem corporis & vitam animæ.

17. *Ecce in pacem*] Scilicet *versa est*, nempe *amaritudo mea amarissima.* ¶ *Projecisti post tergum*] Oblivioni dedisti *peccata mea, quibus ego velut textor succidi vitam meam*, sicut suprà dixit.

18. *Non exspectabunt*] h. e. *Qui descendunt in sepulcrum* non manent in hac vita ut *laudes tuas annuncient*, licèt aliquando resurrecturi sint ad immortalem vitam. Sed *qui in hac manent vita confitebuntur tibi*, &, si dederis eis *filios*, illi quoque *à patribus* suis eruditi *confitebuntur veritatem tuam.*

22. *Quod erit signum*] Admirantis est, ut dicat, *Quàm admirabile est hoc signum tuum!*

F O R E R I U S.

1. In *diebus illis*] Videntur hæc accidisse cùm adhuc Assyrius in Judæa ageret, vel certè cùm nondum omnino à metu Assyriorum essent liberati, ut apparet ex v. 6. Vide infrà annotationem v. 9. Verisimile autem est quòd ex mœrore & animi angustia quâ per totum illud tempus laboravit, & ex metu quem tam potens hostis incutiebat, quemque scelera populi, ob quæ tradebatur Judæa in potestatem Gentium, confirmabant, ægritudinem contraxerit pius Rex, quæ phrasi Hebræâ *ad mortem* dicebatur, quòd letalis esset. ¶ *Dispone*] צוה aliquando Hebræis idem valet quod Latinis *commendare*, *ordinare*, *decernere*; ut 2 Sam. 17. *Jehova ordinavit ut labefactaretur consilium Achitophel*, &c. Hic construitur cum Lamed, quod interdum valet *de*; ut dicere possis, *Dispone de domo tua, de rebus tuis, & de tua familia*, &c. idem quod nobis *testamentum condere.* ¶ *Et non vives*] Si morbum spectes, letalis erat.

2. *Convertit faciem suam ad parietem*] Nolunt pii homines testes habere suarum lacrymarum, ut eas liberiùs fundant; neque sensu distrahi cùm orare Deum ex animo volunt. Hic notandum est quàm assuetus fuerit hic pius Rex precationibus; quem videmus in omni angustia ad eas confugère.

3. *Obsecro, quæso*] Hebræis sunt interjectiones, quibus desiderium cordis nostri indicamus erga superiorem, eum ut flectamus: suntque Obsecrantis. Hoc comprobatur ex Ps. 118. Licet interdum sit Adhortantis, quando non ad superiorem dirigitur sermo, &c. ¶ *Ambulaverim*] Dialecto Hebræâ *ambulare coram quopiam* est Inservire ei. Exempla passim obvia. ¶ *In veritate*] Hoc verè dicere paucorum est. Plurimi enim, quem ore confitentur, factis negant. Neque alii sunt qui hypocritæ magis censendi sint quàm qui olim se filios Abrahæ gloriabantur, & opera Diaboli patrabunt; & nunc qui pro Christianis haberi volunt, & à sceleribus Gentium & infidelium non discedunt. ¶ *Corde perfecto*] Vel *integro.* Propria enim acceptio verbi שלם est *integrum*, *perfectum*, *absolutum esse:* per Metalepsin autem *habere pacem*, quam Hebræus sermo *consensum*, *concordiam* seu *integritatem* vocat. Hîc de integritate animi videtur esse sermo, quæ omne scelus excludit: quem Latini *integrum vitæ scelerisque purum* dicunt. Cui si addas quod sequitur, *bonum facere*, &c. justum ex omni parte habebis. Quid optabilius hâc conscientiâ in homine jamjam morituro? Quod eò magis mirandum est quòd Rex erat. O felicem virum, quem tunc nulla perpetratorum scelerum memoria divexabat! sed mori nolebat, fortè quòd nondum haberet prolem ex qua oriretur Messias: nam cùm Ezekias 15 annos post hunc morbum vixerit, & Manasses 12 tantùm esset annorum cùm regnare cœpisset mortuo patre, ut ex libro Regum apparet, tertium post annum eum genuisse videtur. Ex qua etiam supputatione apparet ægritudinem hanc eodem anno quo Assyrius in Judæam venit, ei accidisse. Nam regnavit Ezekias 29 annos, 15 quidem post hunc morbum: ergò quarto decimo ægrotavit, quo & Assyrius venit, ut habes suprà cap. 36. Est & alia ratio desiderii vitæ longioris in Sanctis V. Testamenti; Quia enim nondum patebat aditus in cœlum, Sancti illius seculi vitam desiderabant prolixiorem, quò Deum possent celebrare, ut ex sequentibus apparebit. Quare & ingentem imbrem lacrymarum, acceptissimum Deo sacrificium, cum precibus effudit.

4. *Et factum*, &c.] Brevis fuit oratio Ezechiæ. Neque quidquam à Deo legitur petiisse. Sed desiderium cordis ejus præstitit ei Dominus: & statim qui nuncius mortis fuerat, lætum nuncium afferre jubetur.

8. *Linearum*] In Hebræo eadem est vox ubi Vulg. *lineas*, *horologium* & *gradus* vertit: & est à verbo עלה *ascendit*; significatque *ascensum* & *gradum*, ac Metaphoricè *dignitatem.* Non tamen dubito quin de gradibus in horologio & solario, in quo lineis horæ distinguuntur, sit sermo: at Vulgatus sensum suo more doctè reddidit.

9. *Et convaluisset*] Heb. *& vixit:* sed Vulg. eruditè Hebraismum vitavit.

10. *Ego dixi*] Hoc cantico exponit Ezechias Rex quàm gravi morbo laboraverit, qualémque se in eo gesserit, quid cogitarit, quid Deo dixerit; tandémque quo modo à Deo fuerit sanitati restitutus. Ob quod beneficium, quoad vixerit, laudes Deo pollicetur. Primò ergò quid morbo oppressus mente volverit narrat. *Dixi*, inquit, apud me, talia mecum volvebam. ¶ *In dimidio dierum*] A verbo דמה, i. *siluit*, ac deinde *quievit*, est nomen דמי *silentium* vel *quies.* Et quemadmodum ipsum verbum (quia quæ pereunt, in silentio sunt) pro *cessatione* interdum accipitur, præsertim in voce passiva; de quo jam suprà 15. dixi; ita hoc loco pro *cessatione* accipiunt plurimi ex Hebræis: Ideoque & Vulg. pro *succisione*, *decurtatione* seu *dimidiatione* accepit. Ego propriam significationem retinui, quòd alius subesse sensus posset; nempe ut sine prole se mori doleret: *Cum silentio*, inquit, *dierum meorum morior*; i. non relictâ prole teste vitæ meæ; absque filio, qui me vixisse testetur. ¶ *Quæsivi*] Juxta puncta quæ nunc verbo פקדתי adhibita visuntur, est vocis passivæ, secundæ conjug. atque hunc habere sensum potest, *Deesse mihi sensi residuum annorum*;

rum meorum; *privatus sum*, seu *subtractum est mihi residuum annorum.* Sed talem constructionem non memini me legisse: quare cum Vulg. cum punctis primæ conjung. legendum putavi, eodem tamen sensu, i. *requisivi.* Sic enim Latini verbo *desiderandi* abutuntur pro *deesse*. *Desiderati sunt decem viri*, i. non sunt inventi. Et *desiderare in viro modestiam* est, Non invenire in eo modestiam. Ità planè Hebræi verbo פקד utuntur, *requisivit*, tam in activa voce quàm passiva, 1 Reg. 20. *Si requirendo requisitus fuerit*, i. desideratus. Sic Num. 31. & 1 Sam. 25. &c. Ergò, inquit Ezechias, reperi deesse mihi, & subtractos esse mihi aliquot annos, cùm me florente ætate ad mortem rapi viderem. Videtur enim tunc natus fuisse 39 annos. Inierat enim Regnum natus 25. erant autem jam elapsi 14.

11. *Dominum Deum*] Heb. JAH JAH, i. *Deum*, *Deum*, *inquam.* De quo nomine jam suprà dixi quòd idem sit quod JEHOVA. Hoc Ezechiam malè habebat, quòd visione Tabernaculi privaretur per mortem. Sciebat enim, eo tempore mortuos Divinâ visione non frui, sed exspectandum esse Redemptoris adventum in regione mortis & terra oblivionis; cui præferebant sancti viri hîc vivere, & laudare Deum. At nunc longè diversa est ratio: *Cupiunt* enim *dissolvi*, *& esse cum Christo*, & hoc *multò melius* judicant esse. ¶ *Et habitatorem quietis*] Heb. *cum habitatoribus seculi.* Nam à verbo חדל, i. *cessavit*, *desiit*, est nomen quod, sicut גבול, non solùm *terminum* seu *limitem*, sed *totum spatium* & *regionem* significat *quousque protenditur*; ita hoc non tantùm terminum vitæ humanæ, verùm totum curriculum vitæ notat, seu tempus determinatum humanæ vitæ, quod citò deficit & cessat: absolutè tamen *seculum* dicere possumus.

12. *Generatio mea*] Infrà cap. 53. de nomine דור plura dicemus: *seriem vitæ* significare non dubito: nam *revolutionem quasi sphæricam* notat; nostra autem vita tota in revolutionibus ac vicissitudinibus consistit. ¶ *Convoluta est*] Jam suprà dixi verbum גלה significare *apparere*, atque etiam *evanescere*, quando similem constructionem habet. Unde verbo *migrandi* redditur. Vulgatus per *translatum esse* interdum vertit: hîc *convolutam* dixit; quia quæ transferuntur, convolvuntur: neque dubium quin verbum *convolutionem* designet. ¶ *Præcisa est*] In Hebræo est prima persona, *præscidi*, *abrupi.* ¶ *Dum adhuc ordirer*] מדלה *à tenuitate*, vel *præ tenuitate.* Vulg. hanc *tenuitatem* retulit ad textores; q. d. *in primis filis præscidit telam meam:* alii, ad tenuitatem quæ à morbo erat: *Præ tenuitate*, inquit, *abripuit me*, i. subitò mihi vires exhausit, & macie me confecit. Possumus & *tenuitatem* pro *capillis* accipere Metaphoricè; sicut Cant. 7. *Tenuitas capitis tui*, &c. quasi fingat Ezechias Deum in se iratum crinibus arripuisse. Nam verbum בצע plerumque de avaris dicitur; & ab ea avari conditione quam habet rapiendi ac cumulandi divitias, ad quamvis aliam actionem quæ studiosè & magnâ animi contentione fit transfertur: de quo nonnihil suprà in cap. 10. dictum est. ¶ *De manè usque ad vesperam*] Heb. *a die usque ad noctem:* q. d. *ex quo dies incipit elucescere usque ad noctem*, i. infrà unum diem, i. brevissimo tempore. ¶ *Finies me*] In Hebræo est vel secunda persona masculina, ut ad *Deum* referatur, (est enim Hebræis familiaris personarum mutatio) vel tertia feminina, & ad *morbum* potest referri seu *tenuitatem.*

13. *Sperabam usque*, &c.] שוה in secunda est *adæquare*, ut suprà 28. *Cùm adæquaverit superficiem ejus*, &c. Transfertúrque ad animum, quando mente res conferimus ad invicem. Quod Lucas de B. Virgine dixisse videtur, *Conservabat verba*, *conferens in corde suo.* Ità hîc accipi potest: *Noctem ducebam*, inquit, *insomnem*, *& mente volvebam quid rei hoc esset quòd veluti leo sic confringeret universa ossa ac membra mea*, *& quòd tam brevi tempore vitam meam absumeres:* est enim mutatio personæ. Vulgatus verò *æquare* pro *æquo esse animo* accepit & *patienter ferre.* Sicut Ps. 131. ubi nos habemus, *Si non humiliter sentiebam*, quidam vertunt *si non adæquabam*, i. si non fui æquabilis seu æquo animo, &c. Quo tamen in loco ego puto ad animi dimissionem atque humilitatem referendum.

14. *Sicut pullus hirundinis*] Duo sunt nomina, quorum prius סוס certum est *equum* significare, quod deinde avem notat quam Gruem esse putant. Vide Jer. 8. Alterum verò עגור nonnulli *hirundinem* esse opinantur. Moses hujus avis non meminit. Vir quidam doctus *ferum anserem* esse arbitratur, qui vocem similem Gruibus edit. Satis constat esse de earum numero quæ statis temporibus migrant. Jer. 8. ¶ *Columba*] יונה Hebræis nomen habet à *præda*, quòd omnium prædæ pateat & obnoxia sit. ¶ *Vim patior*] *Defraudatus sum.* Est autem *fraus* vis quædam: ut non malè *vim pati* dixerit Vulg. Potest & sic verti, *fraus mihi scilicet fit*, quasi se morte præventum ante tempus significet, & morbum ac mortem incuset. ¶ *Responde pro me*] Credo legendum *sponde pro me:* id enim sign. verbum Hebræum ערב, *tutum me redde*; *sis mihi* (seu *meus*) *fidejussor*; *recipe me in fidem ac tutelam tuam*; reprime morbi vim & mortis tyrannidem; fac nunc quiescant isti adversarii mei, quasi impletis vitæ meæ diebus, me ablaturi. Licèt enim verbum in genere *commisceri* significet, tamen Metaphoricè Hebræis hunc habet usum: Gen. 44. *In fidem recepit puerum.* Psal. 119. &c.

15. *Quid dicam? aut quid respondebit mihi*] Ad verb. *Quid loquar*, *& dixit mihi:* sed certè repetenda est particula Interrogationis, ut intellexit Vulg. *Quid loquar? & quid dicet mihi*, *& ipse fecit*, i. ipse enim fecit: ac si diceret, *Quid opus est verbis? quid de morbo conqueror? quid loquar Domino meo? & is quid mihi respondebit*, *cùm morbum ipse immiserit?* legendum enim *cum ipse fecerit:* nam est tertia persona עשה. ¶ *Recogitabo*] Sensum vertit. Verbum Hebræum *incedere* sign. unde in Ecclesiaste *incedere animo* pro *philosophari* accipitur, ubi nos habemus *desiderare quod nescias.* At *perambulare annos vitæ* quid aliud est quàm *recogitare* ac *recolere?* Sed quod sequitur obscurum est: ego puto hunc subesse sensum, *Nihil aliud habeo quod loquar*, *neque quod faciam*, *quàm super amaritudine animæ meæ*, i. oppressus hoc morbo molestissimo, *mente volvam quot annos vixerim*, *eósque etiam atque etiam numerando commemorem*, *& Deo dicam*,

16. *Domine*, *sic vivitur*] Vel, ut in Hebræo est, *super hos vivunt*, *mi Domine*; *ultra hos annos plerique homines vivere solent.* *Si* particula expungenda est; & Vulgatus *vivunt* verbum impersonaliter doctè vertit *vivitur.* Ego tertiam personam retinui propter orationem quæ sequitur, *& in ipsis vita spiritûs mei*, i. & inter eos, nempe qui plures annos quàm 39. vivunt, posset quidem adhuc spiritus meus vitam ducere, & inter quinquagenarios aut sexagenarios agere. ¶ *Corripies me*] Verbum חלם est *somniare*, & in tertia *facere somniare.* Possumus ergò hîc ad hunc modum accipere, *Facies ut ægritudo hæc veluti somnium transeat & dissolvatur & evanescat*, *& tandem sanitati restituar.* Nam quòd quidam dicunt etiam hoc verbum significare *pinguescere*, juxta illud Job, *Incrassantur filii eorum ac crescunt in frumento*, ego tamen nihil aliud quàm *somniare* puto significare. *Somniare* autem *& crescere in frumento* est quod nos Lusitani dicimus *somniare cum tritico* vel aliis rebus quas copiosè possidemus & manibus semper versamus. Hunc sensum fortè arripiens Vulgatus *correptionem* interpretatus est: nam correptio citò transit. Nihil malimus *somniare* pro *dormire* accipere, q. d. *dormire me facies*, *ac sanabis:* non enim nocte somnum capiebat.

17. *Ecce in pace*) *In pacem* legendum puto. *Hæc*, inquit, *precatus*, *mox salutem sensi: & amaritudo mea*, *quæ valde mihi amara erat*, *in pacem* (seu *incolumitatem*) *subitò versa est.* ¶ *Eruisti animam meam*] חשק Hebræis est *voluptatem in aliquo habere*, & ferè semper construitur cum Beth; semel autem, nempe hoc loco, cum accusativo; & sign. *amanter suscipere*, & juxta dialectum Hebræorum supplendum est verbum Motûs, quando verbum Quietis habet constructionem Motûs. *Acceptare ex fovea* est Acceptando seu gratificando ex fovea eruere. Hinc Vulg. verbo *eruendi* vertit. Nomen autem non propriè *foveam* sed *perditionem* notat. Ità tamen vocant Sepulcrum, quòd ibi perdantur & corrumpantur corpora. Pro *fovea* autem *corruptionis* seu (ut in Hebræis est) *vetustatis* (quæ tamen per Metalepsin *corruptionem* seu *putrefactionem* notat) Vulgatus sensum reddens dixit *ut non periret.* Sunt qui בלי pro *nihilo* accipiunt, & hic *foveam nihili* vertunt, ut sit בל cum Jod. Sed me latet an alibi ità accipiatur בלי. Certè germana est & usitata Hebræis à verbis in ה formatio nominum in Jod finale: unde à בלה puto esse, i. *inveteratum fuit*, & *vetustatem* notare, ac deinde *corruptionem.* ¶ *Omnia peccata*, &c.] Quid ergò suprà *corde se perfecto ambulasse coram Deo* dicebat? Certè ille Deo inculpatè dicitur servire, non qui nusquam offendit, sed qui peccatis non adhæret. Sed mox ad se reversus, errorem suum deflet. Rarissimi enim fuerunt qui nunquam peccarunt. Unde Bernardus ait, *Beatitudo Dei est non posse peccare. At ille homo beatus est cui non imputavit Dominus peccatum*, &c. *Illis autem non imputantur qui resurgunt & pœnitentiam agunt.*

18. *Non infernus*, &c.] In secundo membro repetenda est negatio, ut fecit Vulgatus, *neque mors laudabit te.* *Inferni* autem & *mortis* nomine mortuos significat, quos mox *descendentes in foveam* seu *lacum* vocat. ¶ *Exspectabunt*] שבר cum dextro puncto est *frangere*; at cum sinistro est, veluti contrariâ significatione, *fixis oculis intueri:* quod quia exspectantes faciunt, verbo *exspectandi* solent Interpretes redderet Sed nihil obest quo minus verbo *intuendi* reddamus, u.

Neh. 2. *Et eram intuens in muros.* Ps. 14, & 119, & 145. Et in hac significatione est frequens Chaldæis verbum סכר: ergò verbo *spectandi* reddi poterit. *Intueri* autem seu *spectare Dei veritatem*, i. justitiam, æquitatem, constantiam, ponitur pro *eam laudibus celebrare*, quòd nemo sit qui in Dei veritatem oculos figat, qui se continere queat quin eam admiretur & in ipsius laudes prorumpat. Quod enim hoc versu dixit *intueri veritatem Dei*, sequenti *notam eam facere* vocat.

19. *Vivens, vivens*] Seu *vivus, vivus, inquam.* Et est singulare pro plurali. ¶ *Sicut ego hodie*] Adeò acceptas Deo putabant sancti piorum hominum laudes, ut cum à Deo vitam peterent & salutem, vel hoc tantùm se Deo reddituros promitterent. Idque à patre Davide didicisse videtur Ezekias, qui non uno loco, ut Deum flectat, objicit, *Non mortuos laudare Dominum, sed vivos*, &c. Ergò Ezekias salutem consecutus, ad Templum veniens hoc canticum videtur decantasse. ¶ *Pater filiis*] q. d. Hoc pium & optandum est, & hoc ratio videtur exigere, ut homines pii tamdiu vivant quousque filios generent quos timere Deum doceant. Quàm enim hoc sit Deo acceptum, satis indicavit ipse Dominus in Genesi, cùm magnificare vellet Abrahamum, pro ratione subnectens, *quòd absque dubio docturus esset posteros suos ut Deum colerent*, &c. Et David ipse vitam longiorem optabat; quam si obtineret, pollicebatur *se Deum laudaturum*, & *iniquos docturum vias Domini*. ¶ *Notam faciet veritatem*] Heb. *scire faciet ad veritatem*, scilicet *viam*: vel *erudiet ad veritatem*, i. juxta veritatem.

20. *Domine, salvum me fac*] Heb. *Jehova ad salvandum me.* Vulgatus ut orationem optantis accepit: potest tamen esse asseverantis, *Dominus fuit mihi ad salutem: quare Psalmos nostros*, &c. ¶ *Psalmos nostros*] Verbum נגן *sonare*, seu *ludere in instrumento musico*, *pulsare* seu *tractare instrumenta* significat. Hoc probat locus de Davide 1 Sam. 16. ubi ter dicitur de ludo qui fiebat manu in cithara. De hoc jam quoque diximus suprà 26. Vide etiam 1 Sam. 18. In Hebræo quoque est affixum primæ personæ singularis, *instrumenta mea*: quasi illa instrumenta quæ ad Dei laudes pulsabantur essent ipsius Regis. ¶ *In domo Domini*] Scio quidem doctos ex Hebræis על pro Beth hoc loco accipere, sicut & Vulgatus accepit: possumus nihilominus על pro *juxta* interpretari, seu *prope*, ut sæpe aliàs; quòd videlicet *juxta Templum* circumeuntes canerent & *pulsarent instrumenta* musica, non tantùm intra Templum, ut & hodie plurimis in locis fieri solet in festivitatibus & ad memorias Sanctorum.

21, 22. Hi duo postremi versus inserendi erant inter versum 6, & 7. ut apparet ex libro Regum. Cæterùm quale ulcus fuerit ignoratur: *ulcus* enim legendum puto: nam id significare שחין apparet ex Levit. 13. ubi Vulg. *ulcus* vertit, & Job 2. *ulcere pessimo*, & Deut. 28. Videtur autem, si Etymologiam spectes, fieri ex humore qui quasi carni supernatat; cujusmodi sunt variæ ulcerum species, quorum nonnulla sunt letalia. ¶ *Massam*] Nominis דבלה non assignant Hebræi radicem. Si conjecturis locus est, dicerem hujus nominis usum Hebræis esse qualem apud nos Lusitanos nominis *passa*, cui nonnunquam addimus *uvas*, nonnunquam *ficus*; sed absolutè pro *uvis passis* accipitur. Ità Hebræis pro *ficubus passis* absolutè accipiebatur. Interdum tamen exprimitur nomen *ficuum*, ut hoc loco; & 1 Sam. 30. dicitur *datum fuisse juveni fragmen* דבלה *caricarum*. Quasi fieret ex ficubus quædam massa in similitudinem casei, ut nunc fit in Regno Algarbiorum. ¶ *Cataplasmarent*] Heb. *contundant super ulcus*, i. contusum imponant super ulcus. ¶ *Quòd ascendam in domum Domini*] Aliquando ex infidelitate, aliquando ex animi gaudio petitur signum: atque ità petiisse videtur Ezekias. Notandum porrò est quòd cùm Propheta à Domino salutem, & quindecim illi annos vitæ promisisset, insuper & liberationem à potentia Assyrii, non signum Salutis, non Liberationis, sed *quòd ascensurus esset in Domum Domini* petit, videlicet quòd ad hoc vitam optaret, & hoc maximè in votis haberet pius Rex; quemadmodum David, qui quanto Tabernaculi illius desiderio teneretur vix exprimere verbis ipse potuerit: ut vel hinc videamus quanti fecerint Dei laudes, Dei cultum, & figuras tantùm verorum; & nostra mdesidiam & ingratitudinem arguamus, qui in ipsa nauseamus veritate.

LUCAS BRUG.

14 D*Omine, vim patior, responde pro me*] Duo Parisiensium codices, Vet. Gep. & Comp. legunt *sponde* pro *responde.* Ad eum modum ex nostris codicibus nonnulli emendati sunt, nonnulli in margine scribunt. Ad eundem modum Lyranus in correctis esse libris docet: vitiosè enim excusum *responde* pro *sponde* circumstantiæ testantur. In glossa interlineari scriptum est, *Vel, sponde*, idem est. Annotant Dominicani & Epanorthotes, secundùm Haymonem & Hieronymum legendum *sponde.* Haymo utramque lectionem explicat: exposito primùm *sponde*, subnectit, *vel ità, ut quidam codices habent, Si quid erravi, ut convertar ad melius*, *tu* responde pro me, i. *sis mihi quasi fideijussor, & accipe me in fide & protectione tua.* Apud Hieronymum non invenio *sponde*: tam in commentariis quàm in textu est *responde*: & usque adeò non evincit Hieronymi commentarius *sponde* legendum esse, ut Haymo alteram explicaturus lectionem, *responde*, Hieronymi commentario sit usus; qui hoc habet modo, *Sed & si quid erravi, convertar ad melius, tu responde pro me.* Plerique omnes libri, tum scripti tum impressi, *responde* habent. Hebraicè est verbum ערב, quod *fidejubere* seu *spondere* significat. Quare si retinendum est τὸ *responde*, pro simplici *sponde* accipiendum est: id quod Epanorthotæ probatur, cujus hæc animadversio est; Sponde *secundùm Hebræum, & Hieronymum, & Haymonem, sed secundùm antiquos* responde pro me, *quæ est litera communis: & videtur* responde *accipi pro* sponde *juxta usum.* Eo autem verisimilius fit versum esse *responde*, quòd huc respectans, probabile est, deinceps verterit Interpretes, *Aut quid respondebit mihi cùm ipse fecerit?* quanquam non sit idem utrobique in Hebræo verbum.

15. *Quid dicam, aut quid respondebit mihi, cum ipse fecerit?*] Christophori Plantini MS. quod angustum nominamus, *Aut respondebit mihi* habet: omittit, tametsi in margine sit notatum, posterius *quid*, quod Hebraicè quidem non legitur; sed cùm in plerisque omnibus sit nostræ editionis exemplaribus, puto esse ab Interprete, ut clarior esset sententia, repetitum. Nonnulli scripsere, *Aut quis respondebit mihi*, quod Interpretis non est: corrigens enim, Interpretis sententiâ, Ezechias quod Deo dixerat, *Responde pro me*, ait, *Quid respondebit pro me Deus, qui ipse fecit?* Codex unus habet, *Aut quis respondebit tibi*, duplici mendo. Complura exemplaria *fecerim* pro *fecerit* legunt, *cùm ipse fecerim*, 18 Hentenii, viginti octo nostra; quibus vult D. Bernardus sermone in Cant. 81. Porrò antiqua Dominicanorum antigrapha, antiqua Epanorthotæ, & nostra aliquot, *fecerit* tertiâ personâ servant: quibus S. Hieronymus adstipulatur, *Rursùmque*, ait, *in se revertitur; Quid dicam, quidve causabor contra te factorem meum? aut quid mihi respondebit qui fecit ipse quod voluit? Sustinenda ergò sunt quæcunque decreverit.* Consonant posteriores Enarratores, Haymo, Glossæ ordinariæ Autor, Thomas, Lyranus, Richelius. Carensis utrumque exponit. Suffragantur Hebraici libri, quibus legitur עשה והוא *& ipse fecit*: & Chaldaica paraphrasis אסגי טב' [הוא] והוא *& ipse* [*& ecce* R.] *multiplicavit beneficia ad conferendum in me.* Consentit LXXII translatio, quæ in Hieronymi quidem Latinè, in Bibliorum autem Complutensi & Regia editione Græcè & Latinè habet, καὶ αὐτὸς ἐποίησε *& ipse fecit.* Vaticanus codex, ut nobis quidem signatum est, scribit καὶ αὐτὸς ἐποίησας, *& ipse fecisti.* In Aldino, Argentoratensi & Basileensi exemplaribus pars ista desideratur.

Ibid. *Recogitabo omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.*] Exemplar M. N. Hunnæi L. literâ notatum, habet *reputabo*, quæ Hieronymi commentantis scriptura est. Haymo ad eundum modum exponit τὸ *Recogitabo.* Plurimi codices addunt pronomen *tibi*, *Recogitabo tibi omnes*, &c. quod quidem etiam Haymo legit: sed Hieronymus haud agnoscit. Antiqui Epanorthotæ libri, sex Stephani, & sedecim nostri, jugulant: quibus Hebræa patrocinantur. Quare castigatores, Dominicani, Hentenius & Parisienses meritò textu expulere.

16. *Domine, si sic vivitur*] Ità codices plerique legunt. Porrò quidam omittunt *si*, habent *Domine, sic vivitur*, antiqui Epanorthotæ, duo Hentenii, tres Parisiensium Vet. Ge. o. l. m. duo nostri Pl. m. Leod. In patrum Hieronymi & Haymonis enarrationibus legitur *si sic*; verùm nisi *si* tollatur, non satis aptè constant. Hæc Hieronymi enarratio est, *Et quia jam secutus est, nec patitur quæ refert, de humano statu philosophatur, & dicit*, Domine (si) sic vivitur, *& tali sumus conditione generati*; corripuisti me, sed vivificasti me. Ista Haymonis; *Nihil tamen novum, nihil accidit mihi contra naturam humanæ fragilitatis; quia* (si) sic vivitur, *i. tam fragilis & caduca est humana fragilitas. Et in talibus est vita spiritûs mei*, i. tali sum ego, atque omnes homines, conditione generatus: Et per tuam gratiam, delinquentem *corripies me*: quia, quis est filius quem non corripit pater? & per gratiam eandem *vivificabis me*, reddendo vitam cum sanitate. Videtur & Dionysius Richelius, quanquam recentior, solummodo *sic* legisse. Carensis hujus lectionis meminit. Hebraicè est אדני עליהם יחיו, quod hodie ferè vertunt, *Domine, ultra hos* (scilicet annos) *vivent.* Noster Interpres intellexisse videtur, *Domine, in his*, vel *cum his, vivent* (sic enim vertas licet) i. In

hu-

hujusmodi afflictionibus & miseriis hominis vita agitur: id quod sit, non *Domine*, *si sic vivitur*, sed *Domine*, *sic vivitur*, quem legendi modum probant Forerius, Jansenius, Parisienses & Epanorthotes. *Secundùm Hebræum*, notat Epanorthotes, *& antiquos*, Domine, sic vivitur: *non est ibi*, sic sic, *vel*, si sic. Domine, sic sic vivitur, cujus insuper lectionis Epanorthotes meminit, legunt 4 ex nostris codicibus, sed minimè præstantes illi.

D R U S I U S.

1. לָמוּת. Aq. τῦ ἀποθανεῖν. * Sym. Th. εἰς θάνατον *ad mortem*] * *Ut moreretur*, i. morti vicinus esset. Interpres Eusebii, *in tantum quod moriebatur*.

8. צֵל הַמַּעֲלוֹת. Sym. *umbra linearum*. ¶ בְּמַעֲלוֹת. Idem, *in Horologio*] Hier. *Datur autem signum*, *ut Sol decem gradibus revertatur*, *quos nos juxta Symmachum in* lineas *&* horologium *vertimus*; *qui gradus intellexit in lineis*, *ut manifestiorum sensum legentibus faceret*.

10. בִּדְמִי יָמַי. Aq. Sym. Th. *in infirmitate & silentio dierum meorum*] Videndus Hier.

11. עוֹד עִם־יוֹשְׁבֵי חָדֶל. Th. ἔτι μετὰ κατοικούντων — *amplius cum habitantibus* —] Hoc apud Procopium ex Theodotione adscriptum est cum asterisco. ¶ חָדֵל. * ἐξέλιπεν *defecit*.] i. חָדַל. Hoc apud Procopium scriptum est in margine ex alia quapiam editione.

14. כְּסוּס עָגוּר כֵּן אֲצַפְצֵף. Sym. *sicut hirundo inclusa sic cantabo*. Aq. *sicut equus Agur*. Th. Σὶς Ἀγούρ, סיס, i. σὶς vel σῆς. Hier. סוס עגור *Aquila interpretatus est* equus Agor; *Th.* Sis Agor. *Media enim vocalis litera* ו *Vau*, *si ponatur inter duas* ס *Samech*, *legitur* סוס, *& appellatur* equus; *si* י *Joth*, *legitur* סיס, *&* hirundo *dicitur*. *Sym. autem ita transtulit*, sicut hirundo inclusa sic cantabo.

21. הַשְּׁחִין. Aq. Sym. Th. ἕλκος *ulcus*] Euseb. οἱ λοιποὶ πάντες Ἕλκος ὠνόμασαν τὸ διὰ τῆς παλάθης θεραπευθέν. Hier. *Ajunt Ebræi verbum* שחין, *quod prætermisere Lxx*, ulcus *sonare*, *non* vulnus. *Nam & Aq. & Sym. & Th.* ἕλκος *interpretati sunt*, *per quod morbum regium intelligi volunt*: *cui contraria putantur vel sumpta in cibo*, *vel apposita corpori*, *quæcunque sunt dulcia*. Vide sequentia.

I D E M E X P R O C O P I O.

3. אָנָּה יְהוָה. ὦ δὴ Κύριε, *Obsecro*, *Domine*, Aq. Sym. Th. ¶ זְכָר־נָא. μνήσθητι δή.

6. אַצִּילְךָ. Lxx & Aq. ῥύσομαί σε *liberabo te*. Sym. ἐξελοῦμαί σε *eruam te*. Ed. Vulg. σώσω σε, *servabo te*.

11. הַחַיִּים. Aq. ζώντων *viventium*.] ¶ עוֹד עִם־יוֹשְׁבֵי. Th. ἔτι μετὰ κατοικούντων *adhuc cum habitantibus*.

12. דּוֹרִי נִסַּע. Aq. ἐπαύσατο γενεά μου *cessavit ætas mea*. Th. ἐξέλιπεν ἡ γενεά μου *defecit ætas mea*.

15. לִי וְהוּא עָשָׂה אֶדַּדֶּה כָל־שְׁנוֹתַי עַל־מַר נַפְשִׁי. Th. αὐτῷ, καὶ αὐτὸς ἐποίησε καθοδήγησιν πάντας ἐνιαυτούς μου ἐπὶ πικρίαν ψυχῆς μου, *ei*, *& ipse fecit deductionem omnes annos meos amaritudinem animæ meæ*] Legit לו pro לִי, h. e. Vau loco Joth. Quod crebrum in Lxx.

17. הִנֵּה לְשָׁלוֹם מַר־לִי. Th. ἰδοὺ εἰς εἰρήνην πικρία μου *ecce ad pacem amaritudo mihi*.

18. כִּי לֹא שְׁאוֹל תּוֹדֶךָּ מָוֶת יְהַלְלֶךָּ. ὅτι οὐχ ὁ ᾅδης αἰνέσει σε, οὐδὲ ὁ θάνατος εὐλογήσει σε, *Neque enim infernus laudabit te*, *neque mors benedicet tibi*. ¶ יוֹרְדֵי־בוֹר אֶל־אֲמִתֶּךָ. Sym. οἱ καταβαίνοντες εἰς λάκκον τὴν ἀλήθειάν σου, *descendentes in lacum veritatem tuam*.

21. עַל־הַשְּׁחִין. Ἐπὶ τὸ ἕλκος *super ulcus*.

G R O T I U S.

9. **S***Criptura Ezechiæ regis Juda*] Dictata ei, ut credibile est, ab ipso Esaia.

10. *In dimidio dierum meorum*] In dimidio ejus ætatis quam homines plurimi agere solent, & quam Lex promittit. Videmus ubique mortem immaturam gravem visam etiam bonis, nondum plenè revelatâ vitâ meliore.

11. *Non videbo Dominum Deum*] Templum Domini.

12. *Generatio mea ablata est*] Rectiùs, ut sequentia indicant, *Habitatio*.

Et convoluta est à me] *Translata à me*.

Præcisa est veluti à texente vita mea] Sic Latini dicunt *vita stamina præcisa*.

Dum adhuc ordirer succidit me] דל πλόκιον [*coma implexa*] vertitur Cantic. VII. 5. Itaque sensus hic videtur esse, *abscissus sum à pano*: quod esse tramæ involucrum docent nos Festus & Nonius. Habet autem id πλοκίον [*coma implexa*] similitudinem.

De manè usque ad vesperam finies me] Supple *dixi*, heri scilicet. Intra hunc diem lucentem moriar.

13. *Sperabam usque ad manè*] Ubi nox advenerat, non ultra quàm ad auroram victurum me putabam: atque interim, quasi fractus gravissimos patiebar dolores.

De manè usque ad vesperam finies me] Cùm dies iterum alluxisset, tanta erat morbi gravitas, ut vesperam me visurum sperare non auderem.

14. *Sicut pullus hirundinis sic clamabo*] In Hebræo, *Sicut grus* vel *hirundo ità pipiebam*.

Meditabor ut columba] *Gemebam ut columba*. Virgilius:

Nec gemere aëriâ cessabit turtur ab ulmo.

Attenuati sunt oculi mei spectantes in excelsum] Dum inter precandum cœlum intueor, interim deficere incipit lux oculorum.

Domine vim patior] Morbum describit sub specie improbi alicujus publicani.

Responde pro me] Fac quod solent fidejussores: ii enim impediunt ne quis in nervum ducatur.

15. *Quid dicam*, *aut quid respondebit mihi*, *cùm ipse fecerit?*] In Hebræo, *Quid loquar* (supple *ampliùs?*) *ipse dixit mihi*, (nempe *fore ut convalescerem*; idque per Esaiam antequam is de cubiculo ægrotantis egrederetur, 2 Reg. XX. 4.) *& ipse fecit*: sanitatem mihi reddidit.

Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ] Quomodo hæc & sequentia legerint Græci difficile est conjectu. Cæterùm sensus in Græco est non malus. Si Hebræum sequamur, hoc dicit: toto vitæ meæ tempore cogitatio hujus amaritiei mihi recurret.

16. *Domine si sic vivitur*] *Domine per ista vivitur*: per promissa scilicet tua & facta.

Et in talibus vita spiritûs mei] Per ista respiravi.

Corripies me, *& vivificabis me*] In Hebræo: *Tu me sanas*, *& facis ut vivam*.

17. *Ecce in pace amaritudo mea amarissima*] *Saluti mihi fuit ista maxima amarities*.

Projecisti post tergum tuum omnia peccata mea] Non vis ad culpas meas respicere.

18. *Quia non infernus confitebitur tibi*] Laus tua per mortuos non celebratur, Psalm. VI. 6.

Qui descendunt in lacum] *In foveam*. Lxx: οἱ ἐν ᾅδου [*qui in inferno sunt*].

21. *Massam de ficis*] Quæ vi nativâ magis nocitura fuisse creditur.

Super vulnus] Imò *ulcus*, ut est in Græco: id est, super parte maximè inflammata:

22. *Quod erit signum quia ascendam in domum Domini*] Rectiùs videtur verti: *Quantum erit miraculum me ire in domum Domini?*

C A P. XXXIX.

M U N S T E R U S.

8. **M***Odò sit pax*] R. S. hunc locum sic exponit, *Bonus est sermo Domini*, *postquam pax & veritas futura est in diebus meis*. 2 Reg. 20. legitur hic versus interrogativè. Alii sic intelligunt; *Pacata sint atque tuta res in diebus meis*.

V A T A B L U S.

1. **I***N tempore illo* בעת ההיא] Hoc caput legitur & 2 Reg. 20. 12. ¶ *Merodach* מראדך] In Regibus legitur *Berodach*. ¶ *Audierat enim* וישמע] *Ex quo audierat*: *postquam audivit*.

2. *Aromatum suorum* נכתה] *Desiderabilium suorum*, sive *concupiscibilium*: i. locum in quo erant quæcunque chara habebat & pretiosa. Gallicè *son cabinet*. Mox, v. 4 vocat *thesauros*. ¶ *Et unguentum optimum* ואת השמן הטוב] Sing. pro plur. i. *unguenta odorifera*. Quidam dicunt esse opobalsamum. Alii, oleum unctionis. ¶ *Vasorum suorum* כליו] *Armorum suorum*: h. e. armamentarium suum.

3. *Introivit autem* ויבא] *Tum venit*.

4. *Rursum ait* ויאמר] Ad verb. *Et ait*: ו pro *Rursum*, ut exigit contextus orationis. Versu seq. pro *Tunc* accipitur.

8. *Et*

8. *Et adjecit* [ויאמר כי יהיה שלום] *Et dixit*, *Precor ut sit pax*, &c. i. tantùm peto ut vivam incolumis, & præstet Dominus quod est pollicitus, nè ab hostibus arguatur mendacii.

CLARIUS.

1. R*Ex Babylonis*] Sennacherib Rex Assur, qui Monarchiam tenebat Imperii, dominabatur quidem Regno Babel; sed habuit Regnum illud proprium Regem qui tributa pendebat Regi Assyriorum donec Nabuchodonosor in Babylonia regnare cœpit. Hic enim abjecit omne servitutis jugum, & factus est Monarcha, etiam Regnum Assyriorum sibi subjiciens, mansitque Monarchia apud Babylonios LXX annis.

2. *Unguenti optimi*] Opobalsami videlicet, quod in sola Jericunte proveniebat; unde & *Jericus* nomen habet ab *odore*. ¶ *Non fuit verbum quod non ostenderet*] Illud *verbum* Hebraismus est pro *re*; sicut & illud, *Non in solo pane vivet homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.*

7. *Et de filiis tuis*] Intelligunt de posteris Ezechiæ, & de Tribus pueris, ac Daniele. Et vide quàm nunquam oporteat insolescere in bonis quæ nobis dantur à Domino, neque ineptire.

8. *Fiat tantùm pax*] Quod sic interpretantur, *Bonus est sermo Domini, postquam pax & veritas futura est in diebus meis.* Et quod ait *veritas*, intelligitur *constantia in promissis*.

FORERIUS.

1. R*EX Babylonis*] Quantum ex S. historia possum conjicere, atque etiam ex profanis scriptoribus, postquam in Babylone regnarunt Chaldæi ab usque magno illo Venatore, ab Assyriis videntur fuisse subjugati; deinde rursus per se regnasse, & bella inter se gessisse; & nunc Assyrios, nunc Babylonios superiores fuisse. Certè translato Israele in Assyriam, ut apparet ex 4 Reg. 17. Babylon subjecta fuisse Assyriis videtur. Quæ translatio fuit anno 9. Oseæ & 6 Ezekiæ Regis Jehuda. Nunc autem anno 14 Ezekiæ videtur Regem habuisse Babylon, & deinceps apud eum summa rerum fuisse, ità ut Assyriis quoque imperaret. Nam quando de captivitate Manassis agitur 2 Par. 33. dicitur *adduxisse Dominus super Judæos Regis Assyriorum principes, qui ceperunt Manassen, & duxerunt eum in Babylonem*: quasi Senherib occiso à filiis, rebellarint Babylonii. Ob quod amicitiam inire voluisse Regem Babylonis cum Rege Jehuda verisimile est, quem Assyrius divexaverat. ¶ *Audierat enim*] Rectè Vulgatus Vau pro Rationali particula accepit: nam in libro Regum כי legitur hoc loco.

2. *Cellam aromatum*] Quid sit נכת vel נכאת non planè notum est ipsis Hebræis. Scribitur נכאת Gen. 37, & 43. hîc autem & in libro Regum cum affixo sine א. Vulg. *aromata* vertit. Alii tamen esse genericum nomen & *res pretiosas* significare putant. Ego certè à verbo נכה *percussit* existimo descendere נכאת: & in Gen. 37, & 43. non dubito quin sit quod Græci & Latini *mastichen* vocant, quæ est resina lentisci, sic dicta quòd *dentibus teratur ac feriatur*. At hic aliud nomen mihi esse videtur; & facilè assentior iis qui tanquam genericum interpretantur *res pretiosas*. Ergò fecit eos videre *domum pretiosarum rerum*, quas res mox enumerat, *argentum*, *aurum*, *aromata*, &c. ¶ *Odoramentorum*] בשמים *aromata* esse indicat locus Exod. 39. ubi quatuor species eorum numerantur, *Myrrha*, *Cinnamomum*, *Calamus* & *Casia*. Vide item Cant. 4. Et בשם quidem *odor pretiosus* est: & ab *odore* sic dicuntur Aromata. Hinc credo deductum nomen nostrum *Beyjoim*. ¶ *Unguenti optimi*] Opobalsamum intelligo, quod in sola Jerichunte proveniebat. ¶ *Apothecas supellectilis suæ*] Possumus & *armamentarium* vertere. Nam nomen כלי *instrumenta* omnis generis notat, & de *armis* sæpe dicitur: sed & nomine *supellectilis* interdum non malè redditur. Fuit autem Ezekias *dives & inclytus valde: & thesauros sibi plurimos congregavit, argenti, & auri, & lapidis pretiosi, aromatum, & armorum omnis generis*, ut habet Vulgata editio 2 Par. 32. ¶ *In omni potestate sua*] i. Ubicunque & quocunque potestas ejus extendebatur. Quidquid ergò in toto Regno dignum fuit quod exteris ostendi posset, omnia jussit eis ostendi: quod meritò tribui potest jactantiæ & inani gloriæ. Nam id Scriptura in libro Paralipomenon his verbis insinuare videtur, *Non juxta beneficia quæ acceperat retribuit; quia elevatum est cor ejus*: & paulò post, *In legatione Principum Babylonis, qui missi fuerant ad eum ut interrogarent de portento quod acciderat super terram, dereliquit eum Deus, ut tentaretur, & nota fierent omnia quæ erant in corde ejus.* Quibus verbis intelligimus, rebus prosperis elatum fuisse cor ejus: quæ quidem elatio latebat; sed advenientibus Legatis ut ei congratularentur de salute & favore Dei quem tam admirando portento regressionis Solaris testatus fuerat, manifestata est. Ut videas quantò propiores ruinæ simus dum nobis ex voto succedunt omnia quàm cùm in adversis agimus: quod in Davide & aliis quoque manifestum fuit.

3. *Quid dixerunt*, &c. *unde venerunt*, &c.] Confessionem extorquet, ut sententiam ferat. ¶ *E terra longinquâ*] Adhuc sibi placere videtur. Quasi enim jactabundus exponit quòd *ex longinquo, nempe ex Babylone, ad se venissent*. Item interrogatus *quid vidissent*, respondit, non solùm quòd *omnia vidissent*, sed & quòd *eis omnia ostendisset*; elatus nimirum adhuc, & nondum aliquid mali suspicatus.

5. *Audi verbum*, &c.] Vide, quæso, Lector, quòd cùm prospera nunciat Propheta, è domo sua per nuncios Regi nunciat, videlicet ut *nihil timeret*, quòd *de manu Assur liberaret eum Dominus, & civitatem*, &c. nuncium verò mortis per se ipse Regi affert. Nunciavit quidem etiam recuperandam sanitatem; sed verisimile mihi est quòd nondum à domo Regis discessisset: statim enim, flente Ezekia, *factus est sermo ad Jesaiam*, &c. Nunc etiam adversa nunciaturus advenit. Fortè quia non æquo animo tristia audimus, necessaria est ipsa viri Dei præsentia, quæ metum & reverentiam incutiat. Unde nomen illud *Jehova tsebaoth* inculcat, & attentum reddit, *Audi*, inquit, &c.

6. *Non relinquetur quidquam*] Heb. *non relinquetur verbum*. Suprà bis ponitur hoc nomen דבר eodem modo: quem Hebraismum servavit Lucas non semel; *Transeamus usque Bethlehem, & videamus hoc verbum*, &c. *Non fuit verbum*, inquit, *quod non*, &c. i. *nihil non viderunt*, &c. Huic respondet pœna, ut *non sit verbum quod relinquatur*. Babyloniis ostendisti, ut eorum gratulationibus tu quoque gratiam referres: quibus ergò gratiam eorum promereri studuisti, in eorum potestatem deveniant: luásque & jactantiæ & imprudentiæ tuæ pœnas. Nam nihil aliud hâc tuâ jactantiâ es assecutus quàm ut avidiùs Babylonii ad ea diripienda accurrant, & animo hostili veniant qui nunc amicitiæ prætextu advenisse videntur. Narrat enim Scriptura 2 Par. 32. quòd *ut interrogarent de portento illo* regressionis Solaris venissent. Par igitur erat ut eis Dei potentiam magnificaret Ezekias, ut Dei beneficiarius, & *doceret iniquos vias Domini*, ut *impii ad Deum verum converterentur*: ille verò, ut jam erat elatus animo, omnia in sui laudes convertit, & quòd ad se videndum *venissent ex terra longinqua* sibi laudi duxit. Unde in eum justè exarsit Divina vindicta; ut ea amitteret quæ ipsum extulerant; & quæ possessa fuerunt ruinæ occasio, rursus amissa resipiscere facerent, ut mox Scriptura commemorat.

7. *Eunuchi*] סריסים nomen peregrinum seu Ægyptiacum esse videtur, quo is est appellatus qui Regi erat à negotiis aulicis; maximè autem curandis cubiculis. Hinc D. Hieronymus vertit *Eunuchus*, i. *cubilis custos*. Et licèt illi quoque interdum castrarentur, ut de fide continentiæ minùs suspecti essent, tamen non omnes spadones fuisse constat ex nonnullis locis S. Scripturæ.

8. *Bonus sermo Domini*] Patientiæ sunt verba, & errorem suum agnoscentis. Idque ex libro Paralipomenon apparet; *Elatum est cor ejus; & facta est contra eum ira, & contra Judam & Jerusalem. Humiliatusque est postea eò quòd exaltatum fuisset cor ejus, tam ipse, quàm habitatores Jerusalem: & idcirco non venit super eos ira Domini in diebus Ezekiæ.* Simile quid legitur de impio illo Achab, qui, auditâ sententiâ Domini indignationis Divinæ plenâ per Eliam Prophetam, humiliatus est, *& dormivit in sacco, jejunavitque, & ambulabat dimisso capite*. Undè *Dixit Dominus Eliæ, Vides humiliatum Achab? Quia igitur humiliatus est mei causâ, non inducam malum in diebus ejus: sed in diebus filii sui inferam malum domui ejus.* Igitur ad verba Jesaiæ tam Rex Ezekias quàm populus humiliati sunt & pœnitentiam egerunt, dicentes justum esse Dominum, & dignos se qui omnia bona amitterent, quòd Deo gloriam non dedissent. ¶ *Et dixit, Fiat pax*, &c.] Hunc sensum quem Vulg. expressit, Hebræa non reddunt nisi interrogativè accipiantur. Nam כי interdum interrogat, ut suprà ostendi: éstque Optantis, *Putásne, erit pax & veritas in diebus meis? Fierine potest ut saltem diebus meis sit pax & veritas?* Et hunc sensum habet Vulg. editio, si tanquam verba Deprecantis accipias, *Fiat pax saltem in diebus meis*, &c. Idque confirmant verba quæ pro his habentur in libro Regum, ויאמר הלוא אם; *Et dixit, O si fieret pax*, &c. vel, *Numquid fieri non poterit ut sit pax*, &c. Nomine autem *pacis* & *veritatis* intellige quidquid ad corporum & animorum salutem necessarium est. Sensus verò quem in versione sum secutus satis planus est, *Rectum est verbum Domini quod locutus est, & dixit, nempe quòd fieret pax in diebus meis.* Nam cùm hoc se quoque indignum putaret, ex animo gratias agere videtur, & sententiam Domini æquo animo suscipere.

DRU-

DRUSIUS.

2. אֶת־בֵּית נְכֹתֹה. Sym. *Domum aromatum suorum*] Οἶκον ἀρωμάτων αὐτοῦ. Hieron. *Ostenditque eis juxta Lxx domum* νεχωθὰ, *pro quo Sym. transtulit* aromatum suorum.

IDEM EX PROCOPIO.

2. אֶת־בֵּית נְכֹתֹה. Aq. Sym. τὸν οἶκον τῶν ἀρωμάτων *domum aromatum*] Interpres Procopii magnum errorem hîc erravit: nam verba Græca ità interpretatur ac si Symmachus vertisset נכתה γάζαν. Non ea mens Procopii. Verba sunt, καὶ τὸν οἶκον τοῦ νεχωθὰ, ὅπερ, οἶκον ἀρωμάτων, Ἀκύλας ἔφη καὶ Σύμμαχος. Γάζα ἡ παρὰ Πέρσαις τὴν περιουσίαν σημαίνει. ¶ וּבְכָל־מֶמְשַׁלְתּוֹ. καὶ ἐν πάσῃ τῇ ἐξουσίᾳ αὐτοῦ *& in omni dominatu suo.*

7. אֲשֶׁר יֵצְאוּ מִמְּךָ. Th. οἵτινες ἐλεύσονται ἐκ σοῦ *qui exibunt ex te.*

GROTIUS.

1. MErodach] Videtur hinc corrigendus locus II Regum xx. 12. ubi in Hebræo *Berodach* scribitur. Græci utrobique habent Μερωδάχ [*Merodach*]. Josephus tantùm *Baladam* vocat, atque ejus mentionem factam & à Beroso in Chaldaïcis. Fuit autem hic Medus; nam Medi post Asarhaddonem regnum Babylonicum tenuêre: cujus mutationis jam antè vaticinia habuimus. Medos postea expulit Nabopolassarus Chaldæus ortu, Nabuchodonosori pater. Hic Merodach ob beneficia in deos relatus, ut dicemus ad Jerem. L. 2.

CAP. XL.

MUNSTERUS.

1. COnsolamini populum meum] Pro quo Jonathan vertit, *Prophetæ, prædicite populo meo consolationes.* Et loquitur Propheta de temporibus Meschiæ, etiam secundùm Judæos; atque ideo hæc magis referuntur ad tempora nostra quàm ad tempora Prophetæ; quando post adventum Christi gratia, misericordia & *remissio peccatorum* omnibus hominibus annunciantur, & *finem accepit militia* & lucta illa quâ sub *jugo Legis* sudatum est, *quod neque nos neque patres nostri portare potuerunt*; ut dicit Apostolus. Sunt tamen qui accipiunt hoc loco צבא pro זמן *tempore*; ut sit sensus, *jam impletum est tempus* à Patre definitum, quo nos in gratiam suscipiet & condonabit iniquitates nostras, ità ut *pro peccatis nostris accipiamus* ex gratuita Dei voluntate, non nostris meritis, *duplicia bona, Remissionem peccatorum*, & *Militiæ completionem.*

3. *Vox clamantis in deserto*] Hebræi stultè hanc sententiam ad literam intelligunt, quòd repurgandum sit desertum, ut populus Judaicus suaviter ex captivitate in terram Promissionis redeat. Porrò Evangelistæ docent quis verus sit sensus hujus loci. Johannes Baptista fuit *Vox*, & liberatio è Babylone typus fuit liberationis fiendæ per Christum.

8. *Consurget*] Usurpant Hebræi verbum *surgere* pro *firmum stare* & *solidum esse.*

9. *Zion annunciatrix*] Exhortatur Propheta primam Christi Ecclesiam ut strenuè *evangelizet & annunciet* verbum Christi, & ad suos loquens dicit, *Consolamini: ecce Dominus Deus cum fortitudine veniet, congregaturus oviculas suas, quas nemo rapiet ex manibus ejus.*

14. *In semita judicii*] Exponunt hîc Hebræi משפט pro הנהגת העולם: ut sit sensus, Quis docuit Deum hanc mirabilem dispositionem & ordinem quem in creatione mundi imitatus est?

20. *Ut habeat cui offerat*] Periphrasi hic usus sum. Est autem תרומה ritus quidam offerendi. Aben Ezra tamen capiendum contendit pro *levatione pecuniæ*, & quòd מסכן idem sit quod אוצר *conditum* seu *repositum*: ut sit sensus, *Cum reposita pecunia comparat sibi lignum durabile & ingeniosum artificem*; &c.

21. *Nihilne scitis?*] Ex tribus, inquit, istis errorem vestrum agnoscere debetis, ex cognitione vestra naturali, aut ex audita librorum lectione, aut ex traditione quæ ab antiquis & primis venit hominibus. Vel saltem *fundamenta terræ*, i. quatuor elementa, inter quæ versamini, vos ducere debuerant in cognitionem unius & veri Dei, qui his omnibus *præsidet*, & ea pro voto suo gubernat, vos autem *tanquam locustæ* reptatis in terra: & nedum ille elementis & quæ ex eis sunt constituta *præsidet*, verùm & *cælum* ipsum *expandit* & *pro habitatione sua* ordinavit.

26. *Quorum exercitum produxit in numero*] Etiamsi exercitus stellarum à nobis numerari non possit, ut Psalmographus scribit, Deus tamen est qui *numerat multitudinem stellarum, & cuilibet nomen proprium imposuit secundum vim & naturam suam.*

27. *Judicium meum transibit*] h. e. Evadam judicium Dei, quòd ille nostras actiones ignoret. *Non audisti* Prophetas docentes, *Deum esse æternum*, immutabilem, omnia scientem & videntem? Ille novit ubi sis, quid patiaris, & quid agas. Non negliget te, modò tu illi fidas toto corde tuo.

VATABLUS.

1. O Prophetæ] Hæc subaudit Chaldæus P. Verba sunt Spiritûs S. aut Esaiæ. Sermo autem hic consolatorius ad 49. usque caput durat, partim ad abductos partim ad abducendos habitus. Eximiâ enim consolatione opus habebant qui promissionibus Dei non credentes, Deum irritarant, ità ut eos in gravissimam captivitatem abduci sineret inter Gentes; nè in totum aut desperarent, aut à Deo ac vera religione exemplo Gentium deficerent.

2. *Loquimini ad cor* [דברו על לב] Hebraismus. Loquimini quæ grata sunt futura ipsi Jerusalem. ¶ *Completum est tempus* [מלאה צבאה] i. Advenit tempus visitationis & auxilii, in quo acceptura est consolationem. Alii vertunt, *impleta est militia ejus.* ¶ *Remissa est iniquitas ejus* [נרצה עונה] i. Quòd tempus imminet quo remittentur peccata ipsius. Chald. *quòd remissa sunt ei peccata ejus.* Docti inter Hebræos vertunt, *quod completa est pœna iniquitatis ejus*, vel *miseria ejus.* ¶ *Duplicia* [כפלים] Numerus finitus pro infinito: ac si dicat, Conferet illi Dominus multa beneficia loco pœnarum quas meritò & justè datura erat pro peccatis suis; tantum abest ut puniturus sit jam pro ratione delictorum.

3. *Repurgate* [פנו] Sub. *à lapidibus & luto.* i. *Parate.*

4. *Exaltabit sese* [ינשא] *Exaltabitur*, i. evadet in montem. ¶ *Curvum in directionem* [העקב למישור] *Perversum in rectitudinem.* Vel, *præruptum & asperum in rectitudinem*, i. *Via perversa*, ut exponit doctus inter Hebræos, *momosa, aspera & difficilis ad ascendendum per illam*, *erit recta & plana.* ¶ *Et excelsa* [והרכסים] *Et confragosa:* aut *prærupta.* Alii, *quæ aggeribus tument.* Alii, *altitudines.*

6. *Dicentis* [אמר] *Dicebat.* Alii, *dictura est.* ¶ *Herba* [חציר] *Fœnum:* quòd scilicet citò arescit. ¶ *Misericordia ejus* [חסדו] *Pietas ejus.* Alii, *clementia*, Alii, *gratia.* Alii, *beneficentia.* Quicquid in homine est vel præstantissimum; Propheta condemnat vanitatis: q. d. Quotquot inter homines sunt præstantissimi, & commendantur propter clementiam sive misericordiam & pietatem in alios.

7. *Exaruit herba, cecidit* [יבש חציר נבל] Præt. Heb. pro præs. *Arescit fœnum, marescit*, &c. vel, *arescere solet fœnum, marcescere flos*, &c. Sic & seq. v.

9. *Evangelizatrix* [מבשרת] *Annunciatrix*, i. quæ prima annunciatura est Christum in Sion.

10. *Cum forti* [בחזק] *In robore.* ¶ *Dominatur sibi* [משלה לו] Redundat *sibi* nonnullis. Alii vertunt *potens sibi.* Alii, *ex seipso potens erit:* q. d. Propriâ virtute suâ pariet sibi ac nanciscetur dominium, potestatem ac imperium. ¶ *Et opus*, &c. [ופעלתו לפניו] i. Præmium operis quod daturus est, habet in promptu.

11. *Deducet* [ינהל] Pedetentim scilicet, nè fatigentur.

12. *Direxit* [תכן] *Dimensus est:* vel *dimetiendo concinnavit.*

13. *Direxit* [תכן] i. Instruxit, vel erudivit. ¶ *Et vir consilii ejus* [ואיש עצתו] i. Consiliarius ejus. ¶ *Indicavitque illi* [יודיענו] Sub. *quæ facturus esset.*

14. *Semitam judicii* [בארח משפט] *In semita dispositionis. Judicium* pro *dispositione* exponunt Hebræi: ut sit sensus, Quis docuit Deum hanc mirabilem dispositionem & ordinem, quem in creatione mundi imitatus est? ¶ *Intelligentiarum* תבונות *Prudentia.*

15. *Reputantur* [נחשבו] Præt. Heb. pro præs. ¶ *Tanquam pulverem projicit* [כדק יטול] Fut. Heb. pro præs. tanquam rem minimam tollit. Alii, *transfert* sive *transferre potest:* q. d. Brevissimo tempore perdere potest.

17. *Coram eo* [נגדו] *Respectu illius.* ¶ *Reputantur præ ipso* [נחשבו לו] Præt. Heb. pro præs. *reputantur illi*, i. si conferantur cum eo.

18. *Disponetis ei* [תערכו לו] *Ordinabitis illi.* Alii, *æquabitis ei*, i. adscribetis, & aptè accommodabitis ei?

19. *Nonne*

19. *Nonne sculptile* הפסל] Alii sine interrogatione legunt. ¶ *Conflat* נסך] Præt. Heb. pro præs. ¶ *Expandit illud* ירקענו] *Dilatat illud*, i. laminis aureis tegit illud.

20. *Nonne pauper* המסכן] Quidam sine interrogatione legunt, *Pauper: qui ad inopiam redactus est: qui pauperior est.* ¶ *Eligit* יבחר] Fut. Heb. pro præs. ut & paulò pòst, *quærit*, *dimoveatur*.

21. *Annon scitis? nonne audistis?* הלוא תדעו הלוא תשמעו] Fut. Heb. pro præs. *annon scitis* ex vobisipsis, & *nonne audistis* qualis sit Deus? ¶ *Annon intellexistis fundamenta terræ?* הלוא הבינותם מוסדות הארץ] q. d. Annon intelligere potuistis, vel nunquam considerastis quibus fundamentis fulciatur terra? Quidam vertunt, *Annon edocti estis à fundamentis terræ?* Alii, *Annon intelligentiam didicistis ex fundamentis terræ?*

22. *Is sedet* היושב] Ille est qui *sedet*. ¶ *Sphæram* חוג] *Gyrum*, *circulum*, *globum*. ¶ *Et habitatores ejus* וישביה] *Cujus habitatores*. ¶ *Velut telam* כדק] *Velut cortinam*: vel, *tenuissimum*. Alii, *pellem*.

23. *Velut inane facit* כתהו עשה] Præt. Heb. pro præs. redigit eos in nihilum.

24. *Etiam non sunt plantati* אף בל נטעו] *Neque sunt plantati*. Alii, *Ut etiam* de eis dicatur, *Non fuerunt plantati*. Alii, *Perinde ut non plantati*, &c. q. d. Ità pereunt quasi nunquam fuissent plantati. Comparat eos Arboribus. ¶ *Et etiam flat in eos*, &c. וגם נשף וגו'] Præt. & fut. Heb. pro præs. *quin cùm sufflat in eos*, *arescunt*, *turbóque*, &c.

26. *Exercitum illarum* צבאם] Sub. *stellarum*: i. qui exoriri facit quotidie multitudinem stellarum. ¶ *Omnes illas ex nomine vocat* לכלם בשם יקרא] *Omnibus nominatim acclamabit*: q. d. Deus sideribus utitur pro arbitrio suo, acsi quis servo suo imperaret, nominatim ipsum ad se vocans. Alii, *vocátque ea omnia sigillatim nominibus*. ¶ *Præ multa fortitudine* מרב אונים] Sub. *hæc facit*. Commendatur Dei potentia: q. d. Adeò potens & fortis est Dominus ut simul atque aliquid mandavit, omnes siderum exercitus promptum ei obsequium præstent: ne unum quidem deest quod non mox pareat acclamanti & jubenti. ¶ *Et forti potentiâ ne unum quidem deest* ואמיץ כח איש וגו'] Quidam hæc ità intelligunt ut ad stellas referant quæ forti robore sint præditæ: vertunt autem sic, *Et* est ille exercitus *fortis robore*, *nulla deficit*, sub. *stella*: vel, *nullum* sidus *deficit*, sub. *suo robore*: aut, *nulla stella privatur suâ vi*. Hoc, inquiunt, in primis dicitur ob Solem & Lunam: postea propter stellas, quarum nulla est quæ careat suâ virtute aut potiùs officio. Nam Lucifer lucem, & Hesperus noctem indicat. Non negant tamen postremam versûs partem verti posse ut jam indicavimus, *Nulla* [sive *nullum*] *deest*, sub. *illi*; cùm illas stellas accersit, omnes illi parent, nulla stella non sistit se ei ut illi pareat. Non desunt qui intelligant Dominum sic nomina indidisse stellis ut vim atque officium earum exprimeret: propterea vertunt, *Vocátque ea omnia sigillatim nominibus juxta multiplicem efficaciam & robur virtutis, ut ne unum deesset*: quæ opinio parùm doctioribus probatur.

27. *Abscondita est via*, &c. נסתרה דרכי מיהוה] Hebraismum quidam exponunt quòd Deum lateat quid agerent. Alii verò, propiùs sensui Prophetæ accedentes, dicunt hîc *abscondi* significare Neglectum esse, & ignotam vitæ rationem & statum: quòd Propheta corripiat Israelitas qui putarent se negligi à Deo, nec eum curare res ipsorum. ¶ *Judicium meum transivit* משפטי יעבור] Fut. Heb. pro præt. vel præs. Hebraismus, *Judicium populi sui à Deo transire* dicitur quando causam populi sui negligit, nec defendit eum cùm affligitur.

28. *Æternus* עולם] *Seculi*. Alii, *sempiternus*. ¶ *Qui creavit terminos terræ* בורא קצות הארץ] *Creator finium terræ*, i. totius terræ.

30. *Lassantur quidem adolescentes* ויעפו נערים ויגעו] Futura Heb. pro præs. ut nonnulli vertunt.

31. *At sperantes in Jehovah* וקוי יהוה] *At exspectantes Jehovam*. ¶ *Mutabunt robur* יחליפו כח] *Innovabunt* [vel *renovabunt*] *vires*, i. novas vires colligent. ¶ *Ascendent alâ* יעלו אבר] i. Sustollent alas: sing. pro plur. Quidam istud *ascendere alas* exponunt *renasci alas*, vel *proferre alas*, satis obscurè, si verbum Hebraicum spectemus: & vertunt omnia per præsens, *proferunt alas*, i. renovantur, subinde fiunt juniores; in illis renovatur juventus, juxta illud Psalmi 103. 5. *Renovatur ut aquilæ juventus tua.*

CASTALIO.

2. EX *Jova manu duplum acceperit ob sua tot peccata*] Jovæ duplices, h. e. graves, pœnas dederit. Vide c. 51. & 61. 7. Jer. 16. 18.

26. *Attollite in sublime vestros oculos, & aspicite quis illa creaverit*] Scilicet sidera.

CLARIUS.

1. CONSOLAMINI] Alii verterunt, *Consolamini, ô Propheta, consolamini populum meum.* Et loquitur Propheta de temporibus Messiæ, etiam secundùm Judæos. Atque ideo hæc magis referuntur ad tempora nostra quàm ad tempora Prophetæ, quando post adventum Christi gratia, misericordia & *remissio peccatorum* omnibus hominibus annunciantur, & *finem accepit militia* & lucta illa quâ sub *juga Legis* sudatum est, *quod neque nos neque patres nostri portare potuerunt*, ut ait Apostolus.

2. *Loquimini ad cor Jerusalem*] Hebraismus est, pro *loquimini grata*. ¶ *Completa est militia*] Alius vertit, *impletum est tempus ejus*, *tempus* scilicet *statutum & definitum à Patre*, quam Paulus vocat *plenitudinem temporis*, quo nos in gratiam suscipiet Deus, & condonabit iniquitates nostras, ità ut *pro peccatis accipiamus* ex gratuita Dei voluntate, non nostris meritis, *duplicia bona*, *Remissionem peccatorum*, & *Militiæ completionem*. ¶ *Duplicia*] h. e. Magnifica & incomprehensa; ut & hîc sit Hebraismus, & illud *pro omnibus peccatis suis*, h. e. non obstantibus omnibus peccatis. Vel, *accepit de manu Domini duplicia*, i. satis superque satisfactum est pro peccatis, passo in natura nostra Christo, cùm Pater *non pepercit Filio*, &c.

3. *Vox clamantis*] Mirum quàm stultè interpretentur pleraque loca Hebræi quæ ad tempus Messiæ pertinent. Intelligunt enim quòd repurgandum sit desertum, ut populus Judaicus suaviter ex captivitate in terram Promissionis redeat. Porrò Euangelistæ docent quis verus sit sensus hujus loci. Et notanda sunt verba illa, *Vox clamantis*; ut per *vocem clamoris* intelligas, procul audiendum esse Euangelicam prædicationem, futurúmque ut latè pateat.

4. *Omnis vallis exaltabitur*] Metaphora est, ut dicat, Facilis erit via & plana ad ambulandum in præceptis Dei; ut facilè ambulatur ubi itinera plana sunt, & nec vallibus & collibus sunt inæqualia & aspera.

6. *Omnis caro fœnum*] Jubetur Propheta & hoc, non solùm dicere, sed etiam *clamare*, *Omnem* scilicet *hominem esse fœnum.* Quibus verbis mihi videtur velle significare, hanc præstitam hominibus gratiam à sola Dei benignitate profectam: præsertim cùm sequatur, *& omnis misericordia*, h. e. omnia benefacta, *ejus quasi flos agri*: ut quicquid videtur in nobis bonum, nihil sit aliud quàm res quædam caduca & fragilis.

9. *Super montem excelsum*] Cùm mentionem *Euangelii* facit, non contentus est *sublatione vocis*, nisi etiam *in montem*, cúmque *excelsum ascendatur*. Jubet etiam ut *magno animo* & *sine trepidatione annuncietur*. Sed cur opus fuit admonere ne metuerent, qui tantæ lætitiæ nuncium fuerant allaturi? Videbat Propheta imminentes iis prædicatoribus persecutiones ab iis qui non crederent: idcirco præmunit eos, ut conscii sibi tantæ veritatis nihil trepident. Imperat autem hoc Ecclesiæ sub persona *Sion* & *Jerusalem*, quæ tamen una civitas est, ut annuncient hæc reliquis civitatibus: *Ascende*, inquit, *super montem excelsum tu*, *Sion annunciatrix*; *eleva viriliter vocem tuam*, *Jerusalem annunciatrix*.

10. *Et opus illius*] h. e. Merces operis. Nam & operatur opus suum in nobis, & idem opus remunerat.

12. *Quis mensus est*] Totus incumbit ut confirmet nos in fide, multa de Potentia & Benignitate Dei loquens. ¶ *Magnâ mensurâ*] Heb. *mensurâ ternariâ*, vel *triplici*; sicut dicimus *ter maximus*, h. e. insigniter maximus.

14. *Semitam judicii*] h. e. Quis docuit eum hanc mirabilem dispositionem & ordinem quem in creatione mundi imitatus est?

15. *Ecce gentes*] Tam ingens est Dominus ut quicquid magnificum in creaturis est, ei comparatum sit *stilla situlæ*, imò, ut pòst ait, *omnes gentes ejus comparatione sint minus quàm nihilum.*

16. *Et Libanus non sufficiet*] Ut pro magnitudine majestatis illius sacrificia offerri queant.

18. *Cui ergò similem fecistis Deum?* Cùm tanta sit, inquit, Dei majestas quantam enumeravi, audebit Homo Divinitatis titulum dare ligno?

20. *Ob quæstum*] Dum scilicet lucratur ea quæ offeruntur. Nam in Hebræo est TERUMAH, quod sign. *oblationem*.

21. *Numquid non scitis?*] Ex tribus, inquit, istis errorem vestrum agnoscere deberetis; ex *cognitione* vestra naturali, aut ex *audita* librorum lectione, aut ex *traditione* quæ *ab antiquis & primis* venit hominibus: Vel saltem *fundamenta terræ*, i. qua-

quatuor elementa, inter quæ versamini, vos ducere debuerant in cognitionem unius & veri Dei, qui his omnibus *præsidet*, & ea pro voto suo gubernat; vos autem *tanquam locustæ* reptatis in terra. Et non solùm illi elementis & quæ ex eis sunt constituta *præsidet*, verùm & *cœlum* ipsum *expandit* & *pro habitatione sua ordinavit*.

24. *Et quidem neque plantatus*] Ut etiam, inquit, de eis dicatur, *Non fuerunt plantati, neque seminati.*

26. *Militiam eorum*] h. e. Stellas ipsorum coelorum.

27. *Quare dicis, Jacob*] Sensus est, O popule, quem non minùs diligo quàm olim *Jacob*, cui augens beneficia etiam *Israelis* nomen dedi, cur te censes non talem esse quem curet Deus? aut potiùs, *cur dicis, Evadam judicium Dei, quòd ille nostras actiones ignoret?*

29. *Qui dat lasso virtutem*] Tantum abest ut fatigari ipse aut deficere possit.

31. *Mutabunt fortitudinem*] h. e. Robustiores evadent. *Deficient*, inquit, *adolescentes* & quivis robustus, at *qui sperant in Domino robustiores semper erunt.* ¶ *Sicut aquilæ*] Tradunt de Aquila, quòd decennio quoque volet usque ad globum Solarem, & cœlesti igne adurat pennas, & ità rejuvenescat usque ad annum centesimum.

F O R E R I U S.

1. **C**Onsolamini] Activè accepi propter verba quæ sequuntur, *loquimini, vocate*, &c. Hinc incipiunt apertiora oracula de Redemptione per Christum: ut deinceps non tam Propheta videatur Jesaias quàm Euangelista. Verbum autem נחמו generaliter notat mutationem affectûs seu animi, nunc eam quæ fit cùm quempiam dicti vel facti pœnitet, nunc eam quæ fit commiseratione; interdum eam quæ fit consolatione: & de hac est sermo, quem videtur dirigere ad Prophetas & Ministros verbi.

2. *Loquimini ad cor*] Vel *super cor*. Hebraismus est; i. verbis blandis lenite mœstitiam ejus. Gen. 50. *Locutus est Joseph ad cor fratrum suorum*. 2 Sam. 19. 7. & 2 Par. 30, & 32. & Osee 2. &c. Eandem propè phrasin nos Lusitani imitati dicimus *loqui ad voluntatem* pro *adulari*, &c. ¶ *Advocate eam*] Heb. *vocate ad eam*, i. vocando eam dicite ei, annunciate ei, *quòd militia ejus*, &c. Tria autem quæ hîc ei nunciare jubet, sunt, quibus illa consolationem accipere & mœstitiam deponere posset. ¶ *Completa est militia*] Nomen צבא, quod magis congruâ voce reddere non possumus quàm *militia*, largiùs patet Hebræis, ut quidam doctè annotavit. Est enim illis *exercitus* seu *statio*, quæ certo tempore & ordine constituitur, sive in Ecclesia, sive foris in bello: unde tam de ipso tempore, ut Job 7. quàm de ipso ministerio dicitur; ut Num. 4. *Omnis qui ingreditur militiam, ut faciat ministerium in Templo*, &c. & Dan. 8. *Et sanctuarium & militia erunt conculcatio.* Vide suprà 24. Quod autem hic dicitur *impleta est militia*, videtur redditum Mar. 1. *Impletum est tempus, instátque Regnum Dei: pœnitentiam agite, & credite Euangelio:* quasi insinuet, Jam non esse militandum in Tabernaculo, & consummatum esse ministerium Leviticum; & jam novam militiam exercendam. Quam Paulus insinuans, & ad veterem alludens, dicebat 1 Tim. 1. *Hoc præceptum commendo tibi juxta Prophetias quæ de te præcesserunt, ut milites in eis bonam militiam.* ¶ *Dimissa est iniquitas illius*] Verbum רצה propriè sign. *favere* & *benevolentiâ prosequi*: & juxta variam constructionem variè reddere necesse est. Cum accusativo quidem nominis vel pronominis licet vertere verbo *suscipiendi*, *bene accipiendi*, *approbandi*, & *benevolentiâ prosequendi.* Quare Levit. 26. optimè reddidit Vulg. *Placebunt terræ sabbata sua.* Eodem etiam loco, ubi reddidit, *Orabunt pro impietatibus suis*, & rursus, *Rogabunt pro peccatis suis*, habet Hebraismus idem verbum & eandem constructionem quam hîc habemus, ירצו את עונם, i. *tunc bene accipient iniquitatem suam*, i. pœnam iniquitatis suæ; agnoscéntque se justè à Domino derelictos, & pro meritis dignas pœnas tulisse, &c. Vide locum, & ità planè vertendum esse judicabis, ut pro comperto habeam ex hoc Levetici loco Jesaiam hæc verba mutuatum fuisse: ut ad verbum verti hoc loco possit, *accepta est iniquitas illius*: vel quòd ipsa Jerusalem errorem suum agnoscens approbet pœnam suam, vel quòd Deus significet jam sibi satisfactum esse, & acceptas habere se afflictiones Jerusalem, quæ Hebræis etiam nomine *iniquitatis* significantur, ut non ampliùs punire decreverit. Ut huc etiam referri possit quod præcessit de *completa militia populi*, quasi hactenus in sufferendis adversitatibus & Divinis castigationibus servierit, sese exercuerit & quodammodo militaverit; at jam *tempus* illud *militiámque completam*; atque hunc bonum nuncium jubet ei nunciari, videlicet, Nolle jam Deum ultrà illum vexare. Cui convenit tertium membrum quod sequitur. ¶ *Suscepit duplicia*, &c.] i. Satis superque castigata est. Estque Hyperbolicus sermo, qualis solet esse blandientis, & quasi seipsum reprehendentis quòd sic duriter cum amico egerit; *Plus quam opus erat indignatus sum: duplo quàm justum erat pœnas dedisti: ignosce, redeamus in gratiam*, &c. Hoc jubet Dominus nunciare *Jerusalem*. Quo nomine intellige populum Dei & filios ipsius, pro quibus Filius Dei satisfacturus erat, quos etiam ab onere Legis & gravi illo ministerio erat liberaturus. Cùm ergò Deus Christi Filii sui afflictiones ex gratia sua nostras esset effecturus, ut sibi reconciliari possemus, quasi jam id factum esset, Prophetas populo hæc duo prædicare jubet; nempe, quòd liberati sint à maledicto Legis, & ad Legis Mosaicæ observantias non ultrà astricti essent; deinde, quòd afflictionibus Christi Filii sui fratris nostri non adæquale modò verùm plùs quàm debitum esset sibi satisfecissemus. Quod si ita acceperis ut viros Christianos accipere dignum est, jam non Hyperbolicus est Prophetæ sermo, sed verissimam veritatem continet. Si enim multò majora peccasset Homo, tamen Christi satisfactione adeò Divinæ justitiæ satisfecisset ut possit non contentus esse solâ peccati remissione, sed & præmium debeat petere quod obedientiæ Filii Dei debetur. Cùm hæc audis, Christi passionis meritum & gratiam quâ Hominem dignatus est cogita[illegible]ue quidquam impii Lutheranismi in mentem veniat, qui [illegible]m Christi magnificat, ut etiamsi perditè homo vivat, sibi nihil ampliùs faciendum putet quàm fide Christum apprehendere, & quod agit agere. Quasi verò Filius Dei portam aperuisset sceleribus, & timorem omnem sustulisset à peccatorum mentibus, etiamsi à peccatis abstinere nollent. Quale hoc, quæso, beneficium fuisset? Quid miseri suis sceleribus tam malè medicantur? Certè nihil aliud quàm peccare & genio indulgere absque ullo timore volunt: atque hoc nobis Christum contulisse cœcis mentibus persuadere conantur. At nos, qui ab antiqua fide, dono Dei, non discessimus, Christum plenissimè pro peccatis nostris ita satisfecisse credimus, ut nihil ampliùs ad reconciliandum humanum genus Deo sit necessarium: Ejusmodi autem satisfactionis participes nos fieri haudquaquam posse affirmamus, nisi unum cum Christo fide, spe & charitate fiamus: ità ut nobis opera omnino ad salutem necessaria sint, quibus & Dei gratiam promeremur, & virtute gratiæ & Filii Dei satisfactionis pro erratis nostris ex parte satisfacimus; ut non otiari, non in utramque aurem dormire, non bibere & inebriari nos velit Dei Filius, qui venit ut *faceret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* Credimus itaque cum Apostolis, *nihil coram ipso valere nisi fidem quæ per dilectionem operatur*: Quod certè non est Christi gratiæ & merito detrahere, sed plus quàm hæretici deferre, ut qui illi tribuamus, posse hominem adeò justum facere ut valeat ipsius dono & mereri vitam æternam & pro erratis satisfacere. ¶ *Pro omnibus peccatis*] Heb. *in omnibus erratis*, i. *Propter*, vel potiùs *in*, i. quandocunque erravit.

3. *Vox*] Quasi interrogaretur Propheta undenam sciret tempus adesse quo statio dimittenda esset, & non ultrà figuris agendum, aut diutiùs pernoctandum, (tale enim erat totum illud Legis ministerium) unde etiam sciret Deo jam satisfactum, irámque ejus mitigatam, (hæc enim jubebat nunciare populo) respondet se audire *vocem* cujusdam viri *in deserto vocantis* ad se, ac dicentis, *Parate viam Domini*, &c. Quis autem fuerit iste *clamans* satis aperiunt Euangelistæ. Ipse namque Joannes Baptista interrogatus *quisnam esset*, respondit, *Ego vox clamantis in deserto*, &c. Ubi nollem existimes quòd se *vocem* esse dixerit; sed se esse illum de quo loquebatur Jesaias quando dicebat, *Vox clamantis*, &c. *Sum*, inquit, *ille vocans* (vel *clamans*) *in deserto*, cujus vocem Jesaias videbatur sibi audire, *Parate viam Domini*, &c. Istæ enim erant voces quas statim explicat, quæ certè significabant Deum jamjam adesse. *Rectam facite Deo nostro viam*, dicebat. Ergò cessare debent excubiæ: ergò reconciliatus est mundus Deo, & placatus Deus. Nam si parandæ viæ sunt, homo factus advenit. Ergò *non venit ut perdat hominem, sed ut salvetur mundus per eum.* Vides quàm meritò dicat Dominus, *Lex & Prophetæ usque ad Joannem?* Nam illum adesse dixit quem præstolabantur illi custodes & vigiles & stationarii milites seu exercitus Templi, seu etiam longanimitas & patientia afflictorum. Diem ergò cùm adesse significaret, noctem finiendam & abolendas figuras satis ostendebat. Adde quòd *Agnum* ostendit *qui peccata mundi portaret super se.* An non hæc nunciare jubet Dominus, adveniente Joanne Baptistâ, primis duobus versibus? ¶ *Clamantis*] Malui cum Euangelistis & Vulgato in genitivo dicere: quamvis verti posset *vox clamans* vel *vocans.* ¶ *In deserto*] Distinctio Hebræorum & quod sequitur *in solitudine* fecit ut Hebræi & alii hanc

vocem

vocem cum verbo *parate* conjungerent: sed ego neque distinctiones Rabinorum neque eorum qui illos sequuntur auctoritatem moror, cùm videam Euangelistas aliter accepisse. Neque enim Joannes Baptista præcipiebat ut *in deserto pararent viam Domino*, sed ipse *in deserto* exsistens hanc *præparationem* prædicabat. Exibant enim populi in desertum ut eum de præparatione viarum Domini prædicantem audirent. Ergò hæc ita accipe juxta Hebraici sermonis consuetudinem ac si ad hunc modum Propheta dixisset, *Vox clamantis in deserto, Parate viam Domini: vox clamantis in solitudine, Rectas facite semitas Dei nostri*, &c. Fateor tamen posse accipi de conversione Gentium, quæ erant veluti desertum, & in Charmel versæ sunt, &c. Sed Prophetiam de Joanne Baptista hic sensus aliqua ex parte videtur labefactare. ¶ *Parate*] פנו in secunda conjug. idem est ac *faciem reddere* seu *facere quòd res habeat faciem, neque aliquid habeat aut sordium, aut inæqualitatis* seu *indecentiæ*. De Domo dicitur Gen. 24. *Abstuli impedimenta, & præparavi domum:* item Mal. 3. de Via, sicut hoc loco. Quare Vulg. non malè verbo *parandi* seu *præparandi* reddidit hîc, & Mal. 3. &c. alii verbo *repurgandi*. Vide infra 57. 14. ¶ *Dei nostri*] Ego dixi, *Deo nostro*, quia ita exigit Lamed, alioqui non adeò manifestum erat quòd Deus ipse in carne adveniret, cujus adventus & umbras ministerii Legalis pelleret & reconciliationem faceret.

4. *Exaltabitur, humiliabitur*] Futura pro imperativis accepi: quod Hebræis familiare est, ut sint hæc veluti explicatio superiorum, scilicet quo pacto sint *viæ parandæ, repurgandæ* seu *rectæ faciendæ*, videlicet ut nimis *depressa* repleta *eleventur*, & *montes deprimantur*, &c. quæ singula non est opus explicare: sed in summa intelligere oportet, velle Dominum nihil invenire quod oculis ipsius displiceat. Neque aliud est quod Joannes prædicabat, nempe ut *pœnitentiam agerent* & pravitatem morum emendarent. Vide Prædicationem Joannis, quæ pro commentario hujus loci deserviet. ¶ *Prava in directa*] Sensum reddere curavit. Nomen עקב à verbo, quod est *supplantare* seu *subvertere*, notat *quod calcatum ruere facit*, & *quod non satis vestigia sinat firmare*; & *asperitas* dici potest. De Corde quidem hominis Jer. 17. dicitur: ubi etiam Vulg. *pravitatem* reddidit. Ex opposito autem ejus significatio deprehenditur, nempe מישר, quod *planitiem* notat, Deut. 3. 1 Reg. 20. &c. ideòque ad *æquitatem in moribus* transfertur, ut in Psal. *Virga æquitatis virga regni tui*. Ergò עקב respondet nostro nomini *asperum, inæquale*; & translatum ad Cor significat *difficile ad penetrandum intelligentiâ, infidum, non sibi constans*, &c. ¶ *Aspera in vias planas*] Sensum reddidit: ego verborum significationes retinui. Et idem ferè est quòd præcedenti membro dicitur. Elationes enim quæ in viis sunt, difficilem faciunt ingressum.

5. *Revelabitur*, &c.] Puto in his verbis contineri rationem quare debeant *viæ præparari*, & quare *pœnitentiam agere* dignum esset, nempe quòd instet *revelatio* seu *manifestatio gloriæ Domini*. Nam Joannes in prædicatione sua hoc ipsum pro causa adducebat, *Appropinquavit enim Regnum cœlorum*. Quid autem est *Regnum cœlorum* nisi *manifestatio gloriæ Domini?* Nunquam sic conspicua facta est gloria Domini quàm cùm mundo apparuit Deus homo factus. Olim Nebula seu Fumus è cujus medio emicabat ignis, & audiebatur vox Domini, *gloria Domini* dicebatur: quidni ergò *Deus in Christo mundum reconcilians sibi*, & *opera faciens quæ nullus unquam fecit*, & Divinam exercens potentiam, *gloria Domini* dicatur? Annon quando aquam in vinum convertit, eò quòd Divinam potentiam manifestavit, dicitur in Euangelio *manifestasse gloriam suam?* Vau ergò initio versûs pro Rationali particula accipio, q. d. *Revelabitur enim*, seu *conspicua erit, aderit, omnium oculis patebit*, &c. Nisi quis velit dicere in illa conjunctione & non solùm causam tanti apparatûs explicari, sed etiam rerum consecutionem atque cognationem; quasi habeat Morum correctio oculos ad Divinam gloriam videndam & intelligendum mysterium Christi, quibus carent mundani. ¶ *Et videbit omnis caro pariter*] Quia quantum ex se erat, omnium oculis erat exposita illa humanitas, oculis, inquam, carneis. Gloria quoque Euangelii & lux illa veritatis per totum orbem diffusa est & omnibus innotuit qui non dilexerunt magis tenebras quàm lucem, & qui non commiserunt ut *Deus hujus seculi excæcaret mentes eorum, nè fulgeret illis Euangelium gloriæ beati Dei*. ¶ *Quòd os Domini locutum est*] Si כי relativè accipias, ut interdum consuevit, pro אשר, ut Gen. 4. & Exod. 13. Jos. 17. Ps. 71. &c. sensus erit, *Videbit omnis caro verbum Dei*. Si autem pro *quòd*, ut frequenter accipitur, sensus erit, *Videbit omnis caro quàm sit Deus verax*, quomodo adimpleat quæ promisit: q. d. Omnibus fiet manifestum, quæ ego & cæteri Prophetæ vobis promittebant, fuisse promissiones Dei. Videbunt itaque & intelligent Deum esse qui illa promittebat, cùm veritatem promissorum, nempe Deum ipsum in carne, oculis suis conspiciant. Vel possumus sic distinguere, *Et videbit omnis caro*, videlicet *gloriam Domini: quia os Domini locutum est*. Pro hoc versu quinto Lucas c. 3. tantummodo habet, *Et videbit omnis caro salutare Dei*. Salus enim seu Salvator erat illa *gloria Dei*.

6. *Vox dicentis*] Vel *vox dicens*. Audiebat Jesaias quempiam dicentem id quod sequitur. Et hoc facit ad id quod suprà dixerat, præcipere Dominum ut Ministri verbi *populum consolarentur*, populum scilicet Dei & electos ejus. Alioqui populo illi quid consolationis erat, *cessare* carnale *ministerium* Templi, *arescere* & *emarcescere florem?* Verùm quia ad electos erat sermo, ad consolationem hæc faciunt: Et, ni fallor, tria illa quæ v. 2. Propheta promittebat, ad duo reducebantur, nempe Cessationem ministerii legalis, & Reconciliationem cum Deo: & quidem adventus Joannis & prædicatio ejus præcipuè utrumque continebat atque confirmabat. Istæc autem vox quam nunc audit Propheta abolitionem gloriæ carnalis populi Israelitici videtur continere. ¶ *Et dixi*] Heb. *& dixit* in tertia persona. Ego certè cum punctis participii legendum puto, sicut primo loco, quasi dictum sit, *Vox dicentis, Prædica: & vox dicentis*, i. respondentis, *Quid prædicabo?* ¶ *Omnis caro fœnum*] Vel *gramen*. Totus cultus Israelitici populi, totùmque illud Legale ministerium, si quæ oculis cernuntur tantùm consideres, si circumcisionem carnis, si purificationes, si justificationes à carnis immunditiis significatione spolies, universáque hujusmodi secundùm se consideres, cùm *caro* sint, & spiritu careant, *fœno* meritò ea conferes. Idque in auribus Judæorum carnalium prædices necesse est, qui salutem sibi per hujusmodi Legis opera citra fidem & absque Christi merito constare putant. Neque novum est, justificationes seu ritus Legis *carnem* seu *carnales* dici. Lege Paulum ad Heb. 9. 10. videbísque ità ab Apostolo appellari, & *ad tempus fuisse instituta*, tanquàm pædagogiam. Ergò hâc eâdem ratione *fœno* seu *herbæ* comparantur, quòd ad tempus tantùm erant; vel potiùs quòd ità considerata ut Judæi, qui in carne gloriabantur, volebant, nullius essent efficaciæ aut virtutis. Non solùm autem ministerium ipsum *caro* dicitur, sed ipsi Judæi, qui his carnalibus ritibus confidebant, hoc loco *carnis* nomine censendi sunt. Quòd autem *gloriarentur in carne*, vide Phil. 3. ¶ *Et omnis gloria ejus*] Nomen חסד Græci ferè semper nomine ἔλεος verterunt: Paulus nomine *charitatis* & *dilectionis* reddidisse videtur: denique non rarò pro *sanctitate* seu *bonitate* usurpatur. Certè locus Ose. 6. hunc videtur explicare, *Quid faciam tibi, Ephraim? Quid faciam tibi, Jehuda? Misericordia vestra ut nubes matutina, & sicut ros manè pertransiens:* ubi est hoc ipsum nomen. Et mox iterum eis objicit quòd חסד *velit* ab eis *magis quàm holocaustum*: quem locum adduxit Dominus Matth. 9. ubi Interpres Matthæi nomine ἔλεος reddidit. Non dubium autem quin de affectu illo eo loco Dominus loquatur quo erga miseros peccatores tangimur, quo eos non dedignemur, sed potiùs suscipiamus, ut eis remedia impendamus, tanquam infirmis & ægrotis medici. Judæi autem justificationibus & ritibus carnalibus contenti fidem, misericordiam, &c. quæ potissima erant, non curabant. Quare quid eis Dominus sit facturus rogat per Prophetam: quid enim faceret impiis & crudelibus? *Misericordiam* etenim *se solet* Deus *exhibere iis qui misericordes sunt:* at *misericordia* & *pietas* apud Judæos rarissima ac tenuissima erat, *veluti nebula matutina*, quam Sol adveniens dissolvit. Quid igitur supererat nisi ut duriter cum eis ageret? Idem omnino hoc loco eis prædicare jubet, quòd *universa eorum pietas*, illorum videlicet qui in carne gloriabantur, esset *veluti flos agri*, & exigui admodum temporis: non igitur mirum quòd universa auferrentur & cessarent. Cæterùm quòd hic *gloriæ* nomine vertit Vulgatus, quódque majus momentum habet, ipse Petrus Apostolus hunc locum adducens nomine δόξα reddiderit, non te conturbet: nam licèt nomen חסד *gloriam* non designet, designat tamen *sanctitatem*, quâ illi tum gloriabantur, cùm tamen solùm ejus speciem; non autem veritatem aut virtutem, possiderent. Accipiunt ergò *sanctitatem* pro *opinione sanctitatis*, sicut Dominus in Euangelio eos *valentes* & *justos* appellat qui videlicet *Medico non indigerent*, i. qui se justos & valentes reputabant.

7. *Quia Spiritus Domini sufflavit in eo*] Vel potiùs *in eum*. Ventus vehemens *fœnum* & *exsiccat* & *flores agri marcescere facit:* ità populum illum carnalem, universámque ejus sanctitatem, seu potiùs sanctitatis opinionem, tempestas quæ à Domino orta est delevit, imò & ipse Domini Spiritus veram & solidam sanctitatem docens, adeóque efficiens, inanem illam & fucatam

fucatam Judæorum ſanctitatem traduxit & vileſcere fecit. Hæc ità accipienda eſſe probat quod ſequitur, ¶ *Verè fænum eſt populus*] Non dicit *homines eſſe fænum* (quamvis veriſſimè id dici poſſit) ſed *populum*; ut de carnali illo populo, qui abſolutè nomine *populi* à Prophetis dicitur, intelligi oporteat.

8. *Verbum Dei noſtri manet in æternum*] Euangelium intelligo cum Petro Apoſtolo, qui hunc locum adducens, dicit, *Hoc eſt verbum quod euangelizatum eſt vobis:* quo intelligimus promiſſiones verbo Dei expreſſas, & juſtitiam Euangelicam, adeóque populum ipſum Chriſtianum, qui verbo Dei adhæret, & eam tantùm juſtitiam veram eſſe credit quam vera verbi Dei intelligentia & interpretatio probat. Hanc autem intelligentiam & interpretationem habet uno omnium Patrum conſenſu, & traditione ipſorum, univerſalique totius Eccleſiæ approbatione, (qui enim illos audivit, Deum audivit) non à ſenſu uniuſcujuſvis hominis, ut volunt novi hæretici, qui à verbo Dei excludunt traditiones Patrum & Eccleſiæ interpretationes, ſuas autem nobis obtrudere volunt pro verbo Dei. Quare illi ſunt qui Deum ſpernunt, quia ſanctos Patres ſpernunt.

9. Ubi ſtabilem & ſolidam ſempérque manſuram ſanctitatem, quæ Euangelio ac verbo Dei atque ejus Eccleſiaſticâ explicatione continetur, explicavit, jam propagandum Euangelium, & *verbum Domini de Jeruſalem*, i. Eccleſia *exiturum* prædicit: ipsámque Eccleſiam inducit *euangelizatricem*, ut inſinuet illam tantùm eſſe Euangelii prædicationem quam Eccleſia Chriſti approbat, & quæ conſentiente matre Eccleſiâ, imò jubente, fit. Penès ipſam enim manſit poteſtas & juriſdictio & judicium de doctrinâ, velint, nolint hæretici. Cùm verba autem & participium מבשרת ſint feminina, non dubium quin de *Tcion* & ipſa *Jeruſalem* ſit ſermo, & *quæ*, non *qui*, ſit legendum. Malui autem per nomen *euangelizatrix* reddere, ut munus & officium ipſius Eccleſiæ ſignificarem. ¶ *Super montem excelſum*] Cùm Tcion in monte eſſet, ſatis oſtendit non de illa Tcione eſſe ſermonem. Hæc autem, nempe *aſcenſus in excelſum montem*, *vocis exaltatio*, & *depoſitio metûs*, nihil aliud notant quàm, Euangelium magna cum aviditate & animi contentione totiſque viribus & intrepidè eſſe denunciandum. Hoc illud erat quod in Euangelio Dominus dicebat, *Ite in mundum univerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ:* & illud, *Nolite timere eos qui occidunt corpus*, &c. Et rurſus, *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes*, &c. &, *Ecce do vobis os & ſapientiam cui non poterunt reſiſtere omnes adverſarii veſtri:* & rurſus, *Quæ in aure audiſtis, prædicate in tectis.* Atque ità eos feciſſe S. hiſtoriæ ſeu Eccleſiaſticæ narrant. ¶ *Dic civitatibus Judæ*] Cæteras Eccleſias & congregationes ab una pendère, & illius prædicationi auſcultare debere, vel hic locus ſatis oſtendit; rumpantur licèt hæretici. ¶ *Ecce Deus noſter*] *Veſter* legendum eſt. Materia prædicationis eſt Chriſtus Dominus. Neque enim Paulus ſe *aliud* prædicare dicebat *quàm Jeſum Chriſtum & hunc crucifixum.* Tanti autem ponderis erat, támque dignum ut mundo innoteſceret, Filium Dei in carne veniſſe, ut meritò *montem conſcendere* & *vocem exaltare* juſſerit, ac *metum omnem depellere*. Quare, ut ego quidem ſentio, qui perfunctoriè aut molliter aut trepidè Euangelium prædicant, adhuc quæ ſit dignitas Euangelii ignorant. Qui etiam aliud quàm fructum Euangelii in prædicatione quærunt, adhuc quantum ſit lucrum & quantæ dignitatis Chriſtum annunciare non intelligunt. Deum legitimi præcones Euangelii deferunt, Deum offerunt, Deum dant: quid huic dignitati poteſt conferri?

10. *In fortitudine veniet*] *Cum fortitudine*, vel *firmitudine*, & obfirmato animo, quaſi omnem difficultatem evicturus, & *omnem poteſtatem extollentem ſe dejecturus, ut reducat inobedientes ad obedientiam fidei*, & debellet univerſam tyrannorum potentiam. Hæc includit nomen pm. ¶ *Brachium ejus*] Præcedenti membro nomina poſuit quæ non niſi Deo per eſſentiam competere poterant, ità conjuncta, ADONAI, JEHOVA, *Suſtentator ille, qui eſt.* ADONAI enim interdum creaturis tribuitur, JEHOVA autem nunquam niſi vero Deo; neque conjuncta ſimul alteri competere poſſunt, ut Chriſtum per eſſentiam Deum intelligamus; ſed & humanitatem ipſius in *brachio Dei* accipio, per quam veluti quibuſdam brachiis omnem inimici poteſtatem debellavit, adeò ut loco ipſius Homo JESUS adoretur à mundo. ¶ *Dominabitur*] In Hebræo additur pronomen *ſibi*, quod meritò Vulg. omiſit. Addunt enim hujuſmodi pronomina cum omnibus verbis; ſicut paulò antè, *Aſcende ſibi in montem*, &c. Niſi velis hoc loco dicere virtutem brachii inſinuari, quòd *ſibi poteſtatem & imperium peperit*, & *præminentiam ſibi vendicaverit:* quem ſenſum in verſione mea expreſſi. ¶ *Ecce merces ejus*] Quin שכר *merces* ſit *quæ pro operis redditur* non dubium: at פעלה interdum ipſum *opus* ſeu *operationem* deſignat; Prov. 10. *Opus juſti ad vitam*, &c. interdum autem ipſam *mercedem quæ pro opere redditur:* unde pro verbis Levit. 19. *Non pernoctet* פעלה *mercenarii tecum uſque manè*, habetur Deut. 24. *Non pernoctet* שכר, ut pro eodem accipi manifeſtum ſit. Quare hoc loco idem bis dici exiſtimo: quod familiare eſt Prophetis. Dupliciter autem hoc accipio: vel ut his verbis circumloquatur ingens ſtudium quo operi Redemptionis intendit Dominus noſter JESUS Chriſtus. Qui enim præmium & mercedem laboris coràm habent, gnaviter laborant; quemadmodum Jaacob, qui propter amorem quo deperibat Rachelem leve ducebat multorum annorum famulatum. Unde de Domino dicebat Apoſtolus quòd *propoſito ſibi gaudio mortem ſuſtinuit confuſione contempta.* Vel certè hæc ad ſequentia referantur, ut *mercedem* & *opus* appellet Propheta ipſos fideles, & *oves quas ei Pater tradidit:* ut ſit alluſio ad Jaacob paſtorem, ut mox ſeq. verſu videbitur, qui coram ſe ducebat uxores, liberos & greges ovium, quæ omnia meritò *mercedem* & *opus* ſuum dicere potuiſſet, quia in præmium laboris ſui omnia illa acceperat. Profectò *merces* laboris & mortis Filii Dei fuerunt fideles, quos ſecum ad Patrem reduxit Dei Filius. Hæc eſt ejus *hereditas*, ut in Pſ. legimus, *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Ac de eo dicitur quod ad hoc venit ut *multos filios* ſecum *adduceret*.

11. *Sicut paſtor*] Nè quis putaret armis & bello Chriſtum imperium in terra obtenturum & more aliorum Regum propagaturum, ubi penès ipſum imperium Orbis futurum dixit, mox eum ut *Paſtorem* inducit, ut Paſtorale imperium ejus potiùs quàm Regale intelligeres, curâque & dilectione erga homines effecturum quod nemo alius armis efficere potuiſſet. ¶ *In brachio ſuo congregabit agnos*] i. Brachiis complectetur agniculos, quos oves in montibus & procul à caulis edunt, ſicut ſolent paſtores. Idémque mox notat cùm ait, *in ſinu ſuo levabit*, i. deferet. Eandem quoque curam & affectum continet quod ſequitur. ¶ *Fœtas ipſe portabit*] Seu *deducet*, i. ſenſim ambulare faciet quæ ventrem gerunt & gravidæ ſunt: hoc enim puto ſignificare עלות participium plurale, vel etiam *partu recens exoneratas & lactantes:* quaſi ſit ſignificatio à verbo עלה *aſcendit.* Vide Gen. 33. & 1 Sam. 6. Ergò *lactantes* hîc vel *fœtas* dicere poſſumus: quòd eas ità deducet ut non magna itinera conficiant, aut nimis properent, id quod cavit optimus paſtor Jaacob Gen. 33. ad quem hoc loco alluſiſſe mihi videtur Jeſaias: figura enim fuit Redemptoris noſtri, qui ſe in Euangelio optimum Paſtorem eſſe oſtendit, quòd *animam ponat pro ovibus ſuis.* Jaacob autem ille gelu & æſtu urebatur, & ut lupos arceret à gregibus noctes ducebat inſomnes. Vide apud Ezechielem quo pacto munia boni Paſtoris ſe impleturum promittebat Deus. Recole etiam parabolam in Euangelio de Ove perdita & humeris impoſita. Curam itaque & prudentiam & dilectionem in Chriſto Domino hæc nobis commendant; & ut eadem Miniſtri Chriſti exhibeant ſemper optabo.

12. *Quis menſus eſt*, &c.] Quorſum hæc nunc de potentia & ſapientia Dei à Propheta dicantur, infrà v. 27. apparebit. Nimirum quia infidelium mentibus & iis qui ignorant Deum, quales erant Judæorum plurimi, vix unquam perſuaderi poteſt Deum rebus hominum adeſſe illáſque curare, nihil eum latère, omnia proſpicere & omnibus providere (quandoquidem quantum diſtet Deus verus ab aliis, quos paſſim Gentes ſibi fingunt, non percipiunt) neceſſe fuit ut in tam arduo myſterio, adventûs videlicet Dei & apparitionis in carne, in locum communem de Dei Potentia, Sapientia ac Providentia excurreret Propheta, ut tandem omnem infidelitatem ſeu diffidentiam à mentibus hominum avelleret, & ut Deo fiderent perſuaderet. ¶ *Pugillo*] Deum *Aquas* maris ità continere potentiâ ſuâ ſignificat ſicut quæ homo *pugno* ſeu *pugillo* continet; imò tantam aquarum molem, potentiæ Dei collatam, eſſe rem adeò parvam ut ſunt aquæ quas nos volâ ſeu foveâ manûs continere vel menſurare poſſumus. Idem quoque intellige de immenſitate Cœlorum. ¶ *Tribus digitis*] Heb. *ternario.* Senſum Vulg. expreſſit. Notat autem, Dei virtute totum Terræ globum ità in aere ſuſtineri támque facili negotio ſicut ea quæ nos tribus digitis è terra librata ſuſtinemus. ¶ *Appendit*] Propria verbi כול ſignificatio eſt *ſuſtinere*, ut apparet ex affini ejus יכל, & ex Mal. 3. Jer. 6. & 20. Joel. 2. Græci habent verbum τολμάω, quo aliquoties pro *ſuſtinere* & *poſſe* utuntur. 2 Cor. 10. *Non enim ſuſtinemus conferre nos cum quibuſdam*, &c. & voce propemodum cum Hebræo congruit. ¶ *Molem terræ*] Heb. *pulverem terræ.* Ita totam terræ molem Deus continet veluti ſi quis extremis digitis paululum pulveris capiat. ¶ *In pondere*] פלס propriè *regula* eſt *ex cujus extremitatibus lances pendent*, & pro ipſa *libra* capitur. De verbo diximus ſuprà Jeſ. 26. *Semitam juſti regulabis.* ¶ *In ſtatera*] און *auris* eſt: hinc מאזנים *duæ aures*, i. *bilanx* Metaphoricè.

13. *Quis adjuvit*] תכן. Hoc ipsum verbum superiori versu Vulg. verbo *ponderandi* reddidit, sicut & Prov. 16. *Spirituum ponderator est Dominus*, & Prov. 21. verbo *appendendi*, & 24. *inspectorem cordis* dixit. Significat itaque propriè verbum hoc *certò metiri*, *pensitare*, *penitus perpendere*, & Græcis tantundem sign. ἀνακρίνω *dijudico*. Unde Apostolus 1 Cor. 2. & Rom. 11. reddidit, *Quis cognovit Spiritum Domini?* i. Quis penetravit mentem Domini, ut rationes suarum operationum possit intelligere? Inaccessibilis planè est Dei sapientia. Nam cùm sit *amictus lumine sicut vestimento*, repercutitur mentis nostræ acies, neque lucem illam potest intueri. ¶ *Aut quis consiliarius*] Heb. *& vir consilium suum scire eum faciet*: ubi איש pro מי accipitur, aut certè repetenda est interrogativa particula מי *quis vir*. *Scire* aut *facere* vel *denunciare consilium* est Hebræis Consiliarium esse, & ità reddidit etiam Apostolus.

14. *Et instruxit eum*] Græci, *& ostendit ei*. Sensus planus est. Sapientissimi quique viri & Reges alios solent adhibere in consilium. Nam, ut est apud Sapientem, *Ubi multi consiliarii, ibi sanitas*. At quinam, inquit, sunt Deo consiliarii, qui ei âliquid in mentem revocent, vel aperiant, &c? Ergo sapientiâ omnes superat.

15. *Ecce gentes*, &c.] Posset quispiam dicere, Etiamsi nullius consilio indigeat Deus, & omnes superet scientiâ & sapientiâ suâ, homines tamen, quasi quidam terreni Dii, ab eo magni æstimabuntur, haberéque videntur gentes unde sibi placeant, &c. Hanc objectionem etiam elidit. ¶ *Momentum*] Nomen שחק notat levitatem, & sumitur hoc loco pro *tenuissimo pulvere in lances incidente*, qui nullius est ponderis. Non rarò autem pro *nube* accipitur. Deut. 33. Psal. 89. pro *æthere* videtur accipi. ¶ *Insula quasi pulvis*] Nomen דק, i. *tenue*, nunc adjectivè, ut suprà 23. *pulvis tenuis*, Levit. 16. *Suffimento tenui*, &c. nunc substantivè Levit. 3. *Aut tenue, aut macula in oculo*, i. nubecula: & infrà, ubi dicitur, *qui extendit tanquam* דק *cælos*, ubi *pellem* vertunt, *tenuem nebulam* dicere possumus: & eodem modo hîc accipiendum putarem. ¶ *Exiguus*] Quâ ratione Vulg. verbum יטול ut nomen acceperit ignoro: hoc loco ego potiùs putarem esse à verbo טלל geminato quàm à verbo טול, & *operire* potiùs quàm *projicere* significare, quasi scribatur *Jatol*. Insulæ autem sæpissime nebulâ operiuntur: Ad hanc ergò naturæ consuetudinem alludens Propheta dicit facile esse Deo insulas omnes submergere ac si illas nebula operiret. Nomine verò *insularum*, ut sæpè dixi, intelligit remotissimas regiones quas per mare adire solebant, ut erant Græcia, Italia, Hispania, &c. Non tamen reprehendo qui verbo *projiciendi* hic transferrent. *Projectus* autem *pulvis* est, quod Vulg. dixit, *pulvis exiguus*.

16. *Non sufficit*] Heb. *non sufficientia accendere*. Sensus manifestus est. Si quispiam Deum colendum putet, & pro dignitate illi vellet sacrificia offerre, quæ juxta devotionem offerentis & placere Deo volentis solent multiplicari, universæ arbores quas profert *Libanus ad ignem non sufficient*, *neque pro victimis universa* quæ nutrit *animalia*. Hic locus & Dei majestatem & sanctitatem continet; & quàm ab aliis diis distet ostendit. Infinitus est, neque adæquare ejus dignitatem nisi ipsemet potest. Quare Holocaustum unicum illud, quo unigenitus Dei Filius seipsum in ara crucis obtulit, effecit quod totus Libanus, imò neque totus Orbis, si offerretur, effecisset. Erat enim Deus Deo æqualis is qui offerebatur & qui offerebat. ¶ *Holocaustum*] Hebræi ità vocabant quòd *elevaretur* super altare, odórque ejus in altum *ascenderet* in conspectu Dei. Erat autem typus veri & perfectissimi Holocausti Christi, qui exaltandus erat in cruce, & charitatis igne quasi exurendus pro peccatis hominum.

17. *Quasi nihilum*] אפס, quod Defectum seu Cessationem notat Hebræis, interdum est *nihil*, *nihilum*: cum præpositione autem Mem, quæ interdum comparationibus deservit, valet *plus quàm nihilum*. Hæc vera sunt, si naturam Hominis naturæ Divinæ conferas: Ut vel hinc colligat Homo quantum Deo debeat, & quàm meritò exclamet Propheta, *Quid est Homo, quòd memor es ejus*, vel *quia reputas eum?* Quid dicemus nos, qui Deum pro homine Hominem factum videmus? Certè si Homo est *plus quàm nihilum*, verè dictum est, *Exinanivit semetipsum, formam servi accipiens*: erat enim verus homo.

18. *Cui ergò assimilabitis*] Cùm potentiam Dei, sapientiam, majestatem ac sanctitatem commendaret, videbatur Propheta id eo animo facere ut in fabricatores & cultores sculptilium inveheretur. Sed quantum ego judico, hoc quidem cursim facit: verùm huc tendit tota oratio, ut fiduciam in Deum, ut dixi, suadeat. Quæ conclusio ver. 27, & seq. continetur. Faciunt ergò hæc ad eandem Dei majestatem commendandam, acsi ad hunc modum dicerentur, *Majestas Dei omnia humana superat: & homines ipsi, si Deo conferantur, nihil sunt. Quare insani sunt quicunque putant posse se Deum fingere, sive auro, & argento, ut faciunt divites; sive ligno, ut faciunt pauperes. Nam numquid non omnibus notum est, jam à mundi principio, quo pacto & quo auctore hic mundus prodierit? Ecquis ignorare poterit Deum terræ & cæli & Factorem & Moderatorem esse? Illi comparati homines sunt veluti cicadæ: quinimo ipsi quoque Principes ab eo in nihilum minimo negotio rediguntur; interdúmque vix imperare incipiunt, cùm subitò evanescunt, vel tantillum sufflante Deo. Manifestum igitur est insanos esse qui putant se Dei similitudinem posse exprimere, cujus opera sunt & cæli & omnia corpora cælestia. Tantus igitur cùm sit támque sapiens, nè dicat Jacob*, &c. ¶ *Ponetis*] ערך Hebræis est *disponere*, *proportione & ratione collocare*, *æquiparare*, Prov. 9. Psal. 40. & suprà cap. 30.

19. *Numquid sculptile*] הפסל: optimè Vulg. Interpres ה pro nota Interrogationis accepit. Non enim narrat aut affirmat Propheta, ut quidam putarunt, sed sensus est, *Numquid dignum est ut sculptile fundat faber*, &c. vel, *An si sculptile fundat faber in auro vel argento, Dei similitudinem expressisse putandus est?* ¶ *Aut artifex*] Hebræi *ustorem*, *exustorem*, pro *conflatore* ac pro *artifice*, qui igne aurum vel argentum vel quid simile conflat, &c.

20. *Forte*, &c.] המסכן Hieronymus in Commentariis pro nomine proprio ligni quod cariem & putredinem non sentit accepit: quid autem sit תרומה non exponit. Ego hîc rursus ה initio positum notam Interrogationis esse putarem, מסכן autem esse nomen. Nam si puncta alia apponas, *mischen* significabit *eum qui sine penu & facultatibus est*, ut Eccles. 4. ubi etiam Vulg. *pauperem* vertit, & cap. 9. At תרומה est nomen *oblationis*, & appellationem habet ab *elevatione in altum*. *Levandam* dicere posses, Exod. 25. & 29. &c. Ergò ad verbum sic esset reddendus locus, *Numquid pauper levandum lignum* quod *non putrescat*, *eliget*. i. Numquid si qui aurum & argentum non habet, lignum offerat, & Deo velit dicare, ut ex illo *sapiens faber simulacrum constituat*, &c. putabitúrne Dei imaginem expressisse? ¶ *Artifex sapiens quærit quomodo constituat*] Vel *artificem sapientem quæret sibi ad constituendum*, &c. Hæc planè consuetudo erat ut quisque juxta facultatem suam deos sibi fabrefaceret, hic aureos, ille argenteos, iste ligneos. Pauperi autem, ut vides, hîc tribuit studium *quærendi artificem sapientem* qui sibi ex ligno incorruptibili Deum efficiat, quasi hâc diligentiâ velit pensare materiæ vilitatem. Adeò insita animis hominum est religio, ut Deum habere propitium, imò & præsentem ac familiarem, quærant. ¶ *Quod non moveatur*] Sæpe Hebræis deest relativum, sicut hoc eodem versu, *quod non putrescat*. In utroque loco supplendum est, ut in hoc fecit Vulgatus. Volunt itaque Deum stabilem, non solùm qui non corruat, sed qui non putrescat, qui non intereat, cujus religio non labefactetur. Quæ tamen ab auro & argento & ligno exspectare impium & stultum est.

21. *Ab initio*] מראש *à capite*: & de Tempore interdum dicitur, Prov. 8. infrà 41. & 48. ¶ *Fundamenta terræ*] i. Nónne jam olim notum vobis factum est à quo habuerit mundus hic initium, & quis jecerit fundamenta orbis? Nónne ab initio mundi hoc apud homines constitit, Deum esse auctorem totius mundi? Quid hinc colligat mox inferet.

22. *Qui sedet super gyrum*, &c.] i. Is certè est *qui insidet horizonti terræ*: & cùm in alto sedeat, homines *humi degentes sunt locustis similes* coram ipso, &c. ¶ *Velut nihilum cælos*] Vel, *ut nebulam*, דק. Vide suprà v. 15. Est autem hoc loco verbum נטה, quod interdum est idem quod רקע, quo usus est suprà ver. 19. de *extensione laminarum*; & utroque infrà 42. 5. indifferenter utitur. Verùm quia & multis aliis locis Deus dicitur *extendisse cælos*, in quibus omnibus allusio est ad locum Geneseos, *Fiat extensio in medio aquarum*, &c. ubi Vulg. Græcos secutus *firmamentum* interpretatus est. De quo loco quia est inter viros doctos haud vulgaris controversia, non omnino præter rem facere videbor si hoc loco, ubi Dominus dicitur *extendisse velut nebulam cælos*, *& veluti tentorium ad habitandum*, si quæ fuerit illa *extensio* aliquantò diffusiùs explicavero, præsertim cùm ex istius loci intelligentia multi loci S. Scripturæ fiant faciles. Verbum igitur רקע nihil nisi *extendere* seu *expandere*, nomen verò רקיע *extensionem* seu *expansionem* significare, loci in quibus verbum reperitur satis aperte ostendunt. Ergò cùm initio Deus Mundum crearet, primò supremum Cœlum simul cum Terra & Abysso, i. immensa aquarum mole, quæ quidquid erat inter cœlum illud & terram occupabat, eum fecisse non dubito: deinde jussisse ut in medio aquarum fieret Expansio quædam & spatium, Aeris nimirum Ætherisque regio,

regio, quæ esset media inter aquas & aquas. Nam ex aquis factos cœlos qui sub illo alio cœlo primo sunt existimo, qui *aquarum* nomine in Scripturis appellantur. Istæ enim sunt *aquæ super cælos:* nam super aerem & expansionem illam sunt quæ etiam *cælum* dicitur. Hoc mihi manifestè confirmant verba Davidis, qui in Psalmo ubi ordine creationem rerum attingit, dicit Deum *extendisse cælum sicut pellem*, i. tentorium; quando videlicet intervallum & aeris extensionem fecit aquarum rarefactione: Cujus tentorii superiora dicit *operuisse aquis*, seu *contignasse:* quasi huic Mundi tabernaculo, ceu amplissimæ domui, pro tecto dederit aquas, non quidem fluidas sed constipatas & condensatas atque in solidissimam naturam conversas. Ut isti omnino sint cœli quos Petrus *ex aquis exstitisse* dicit, & fortè qui in die Judicii sunt calore solvendi. Est itaque triplex Cœlum, ut mea fert sententia: Aereum primum, quod aquas atque terram ambit. Post hoc est cœlum ex aquis genitum & in orbes illos quos Astrologi agnoscunt divisum. Tertium demum, quod est Sedes beatorum, ad quod Paulus *se raptum fuisse* commemorat; quod *cælum cæli* dicitur seu *cælorum* (in Hebræo enim non nisi numero multitudinis dicitur cœlum) & propriè *cælum*, quódque primò *cælum* dictum fuit: quo nomine postea secundum & primum dicti sunt. Hunc ordinem videtur David significasse quando Ps. 148. ordine creaturas ad Deum laudandum invitans, primò *Angelos* & Spirituum *exercitus ex cælis* provocat ad laudes Dei; deinde *cælos cælorum*, i. supremum cœlum; subinde *aquas quæ super cælos sunt*, i. cœlos ex aquis factos, qui aereum cœlum operiunt. Quem etiam ordinem Tres pueri in suo Cantico servarunt. Hæc mihi videtur de hac re simplicissima & clara sententia; quam qui voluerit tueri, facilè se ab omnibus quæ objici solent difficultatibus expediet, quibus involvuntur qui aquas elementales super cœlos collocant: Quorum opinionem superioribus diebus doctè confutavit Hieronymus Magius Anglarensis in libris De conflagratione orbis, quos multa cum diligentia conscripsit. Sed ad Prophetam redeo, qui ut vires ac potentiam Dei ex visibilium rerum contemplatione amplificaret, dicit, Deum tam facili negotio cœlos extendisse quàm quisquam tentorium solet extendere ut sub eo se recipiat.

23. *Secretorum scrutatores*] רוזנים, quantum ex locis Scripturæ conjicere possum in quibus hoc nomen reperitur, significat *eos qui proximum locum post Regem obtinent*, quales sunt Consiliarii, Legumlatores, &c. Conjungitur ferè semper cum nomine *Regum*. Si Etymologiam spectes, videntur sic dicti quòd gracilem habeant seu subtilem sensum in judicandis negotiis & in decidendis causis forensibus. Interdum tamen apud Hebræos quosvis *Principes* designat. Prov. 8. *conditores legum* vertit Vulg. sicut hîc *secretorum scrutatores*. Abac. 1. 10. *tyrannos* vertit. ¶ *Velut inane*, &c.] Potentiam Dei in Regum & Principum perditione celebrat, qui mortalibus solent esse terrori.

24. *Etenim non plantatus*] i. Reges & Tyrannos statim initio imperii sæpe aufert, & de medio tollit antè quàm prolem generent, non relicta sobole, &c. אף בל *nondum*, *necdum*, *etiam non*. *Plantatus*, *satus* verba pluralia sunt Hebræis; *necdum plantati erant*, *necdum sati*, &c. ¶ *Repentè*] Sensum doctè reddidit. Ad verb. *& etiam flavit*.

25. *Et cui assimilabitis me*] Repetit superiorem conclusionem, *Cui ergò assimilabitis me*, &c. quæ tamen non est præcipua & quam primò intenderat probare. Sed accipienda sunt hæc ut suprà admonui. ¶ *Et adæquastis*] In Hebræis est prima persona futuri: sensus idem est.

26. *Quis creavit hæc*] Vel *hos*, nempe cœlos אלה. ¶ *Qui educit*] i. Qui suis quælibet astra temporibus oriri facit, certâ lege dierum, horarum & momentorum numero servato: מוציא *exire faciens*, i. oriri. Nam & ipse *Oriens* seu *Ortus* Hebræis מוצא dicitur: q. d. *unde ortus*, seu *exitus*; quia ex ea parte apparere incipiunt sidera & astra. ¶ *Fortitudinis*] און *concupiscentiam illam pravam*, & quæ ex ea oriuntur sæpissime notat: interdum tamen in bonam partem accipitur, ut hîc, & infrà v. 29. & pro *vi* & *efficacia*, ut de Jacob Ose. 12. *In concupiscentia sua certavit cum Deo.*

27. Cùm tantus támque potens ac sapiens sit Deus tuus, ô *Israel*, quid igitur est *quòd dicas*, &c. Huc tendit tota oratio. ¶ *Dicis*, *loqueris*] Futura sunt Hebræis, i. dicere soles. ¶ *Abscondita est*] i. Non tangit Deum mei cura: me nescit, nec quæ sit vitæ meæ ratio intelligit, ac si me penitus meásque res non videret: quantis affligar malis, & quâ captivitate premar; ac si ignoret, non curat. ¶ *Judicium meum*] i. Causa mea, *præteribit à Deo meo:* q. d. *Deus meus meam causam pertransit*, *negligit*, *judicare non vult:* Sive jure sive injuriâ mecum agant hostes non attendit. Sunt infidelitatis voces & cogitationes, cujus est ingruentibus malis animum despondere. Hanc auferre vult Propheta à Judæorum pectoribus, & fiduciam gignere consideratione Dei potentiæ & sapientiæ ac bonitatis in eos qui fidem non deserunt in adversis.

28. *Deus sempiternus*] Ab Æternitate Dei argumentum sumit, quòd impium sit cogitare illum res nostras posse ignorare, præsertim cùm ipse Orbem totum condiderit, &c. ¶ *Terminos terræ*] Sive *extremitates*, i. quidquid extremitatibus continetur, totum videlicet Orbem. Potest aut dupliciter legi, *Jehovah est Deus æternitatis: ipse creavit terminos terræ: non defatigabitur*, &c. vel, *Deus æternitatis Jehovah non defatigabitur*, &c. ¶ *Non deficiet*] Vel *non defatigabitur*. Semper idem est. Qui olim tuarum rerum rationem habebat, nunc quoque habere potest. Non est tædii aut defatigationis capax aut laboris; ut plus olim quàm nunc possit diminutis viribus. Sed *neque sapientiam ejus est qui scrutetur*. Non est finita, ut eum quidquam nunc fugiat quòd olim notum erat, aut cui de novo quidquam possit accidere quò non pertingat ejus intelligentia.

29. *Et iis qui non sunt*] Vel, *illis quibus non sunt*, videlicet *vires*. Non solùm, inquit, *ipse non defatigatur*, sed *defatigatis vires restituit & plurimum roboris suppeditat*. Sequentes autem versus affirmant has quas Dominus dat vires longè iis præstare quas natura confert.

31. *Mutabunt*] *Commutabunt*, i. in dies novâ virtute donabuntur. Huc alludit Paulus quando *se fortiorem* dicebat *cùm infirmus esset:* nam *ejus infirmitas virtute Christi pensabatur:* & quando dicebat quòd *licet exterior homo corrumperetur*, *interior tamen renovabatur de die in diem*. Videtur autem esse Metaphora sumpta ab Armis, quibus fractis aut retusis alia atque alia accipimus. ¶ *Assument pennas*] Sensum vertit. Hebræa ad verbum sic habent, *ascendent alâ*. Utuntur autem verbo *ascendendi* pro *nasci* in quibusvis rebus. Vides quantum Gratia Naturam superet? *Aquilâ* quæ avis velocior? Quodnam etiam animal *currendo non defatigatur?* At *qui Deo fidunt* & intentis in ipsum sunt animis atque oculis, sive volent sive currant, *nequaquam defatigabuntur*. *Omnia* enim *possunt* in Deo suo, *qui eos confortat*. Hoc ultimo versu respondet tacitæ objectioni. Nam dicere possent Judæi, *Quid mihi fortitudinem Dei? quid bonitatem ejus in dando robore magnificas? Ecce nos infirmi & debiles sumus, & res nostra perditum eunt*. Respondet Propheta, *Cùm defatigatis dixi vires & robur à Deo concedi*, *de illis loquebar qui non amittunt sustinentiam* (ut loquitur Scriptura) *sed toti ab eo pendent*; *& dum adversis premuntur*, *in illum habent fixos animos* (hoc enim significare קוה suprà cap. 28. diximus) *Ergò ne despondeatis animum: sed quantumcunque*, *ô Israelitæ*, *vestræ res sunt deploratæ*, *veniet vobis salus*, *& apparebit in salutem vestram gloria Domini*, &c.

LUCAS BRUG.

2. *Quoniam completa est malitia ejus*] Pro *malitia* Hebraicè est צבא, quod *militiam* significat. Ea vox est ex qua Job. 7. 1. legimus, *Militia est vita hominis super terram*; rursus, ex qua tot, quot numerari vix possint, locis translatum est, *Dominus exercituum*. Quare existimant scriptores ætatis hujus multi *militia* nobis, non *malitia*, legendum esse; Santes Pagninus in voce צבא, Isidorus Clarius, Leo Castrensis. Hector Pintus addit, ità nonnullos correctiores codices habere. Adamus Sasbout unum esse apud Latinos exemplar dicit quod pro *malitia*, *militia* habeat. Nos ex nostris exemplaribus nullum quod *militia* legat invenimus; tantùm in uno, Cardinalis Bessarionis quondam, *malitia* in *militia* mutatum, atque in margine, *Rectè est*, *militia*, scriptum observavimus. Ex Hieronymi commentariis nihil liquet. Posteriores glossematici, Haymo, Glossæ Ordinariæ Autor, Thomas, Lyranus, Carensis, Richelius, *malitia* legerunt. Videri possit *militia*, scribarum audaciâ, cum *malitia* mutatum fuisse, propter ea quæ sequuntur, *dimissa est iniquitas illius*, *suscepit* * *de* [* *enim* 3 MS. H. C. Gq. *Israel* o.] *manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis*. LXXII transtulerunt, ὅτι ἐπλήσθη ἡ ταπείνωσις αὐτῆς, *Quoniam repleta*, vel *completa*, *est humilitas*, seu *humiliatio ejus:* sic enim est, cùm in Græcis antigraphis, tum apud Patres, qui hunc ex LXXII editione locum citant, Justinum martyrem Dialogo cum Tryphone, Ambrosium in Psalmum 118 sermonibus 16, & 18. Hieronymum, Cyrillum. Porrò ταπείνωσις *humiliatio*, i. abjectio, afflictio. Quid si igitur Septuaginta duos Interpres secutus *malitiam* pro *afflictione*, ut nonnulli exponunt, verterit?

9. *Qui euangelizas Sion:* & iterum, *Qui euangelizas Jerusa-*

rusalem] Ità legunt plerique nostri codices, & Expositores, Lyranus, Carensis ac Richelius, *qui* genere masculino: quo modo & in Græcis Lxx duorum exemplaribus legitur, ὁ εὐαγγελιζόμενος Σιών, ὁ εὐαγγελιζόμενος Ἱερουσαλήμ: ad quem etiam modum apud veteres, qui LXXII interpretationem proferunt, legitur; Justinum dialogo cum Tryphone, Tertullianum lib. 5. contra Marcionem, Hieronymum textu qui ex editione Septuaginta commentariis adjunctus est, Cyrillum in propria loci enarratione. Porrò Latini Epanorthotæ antiqui libri, Dominicanorum nonnulli, & nostri duo. Lobiensis ac Leodiensis, atque impressi aliquot, feminino genere scribunt, *Quæ euangelizas Sion, Quæ euangelizas Jerusalem:* quibus Hebræa volunt, quæ non tantùm hoc, *quæ euangelizas*, sed etiam omnia verba quæ hoc nono versu vel præcedunt vel sequuntur, genere feminino habent. Nam, quod peritis notum est, etiam verbis Hebræorum sunt genera masculinum & femininum. Adstipulatur Hieronymus, cujus & textus *quæ* legit, & commentarius dicit, *Porrò Hebraicum & cæteri Interpretes* (Lxx videtur excipere) *ponunt genere feminino, ut dicant, Quæ euangelizas Sion, Quæ euangelizas Jerusalem.* Consentit Haymo, qui exposito *quæ* subnectit, *Quidam codices habent*, qui euangelizas, *genere masculino; sed falsum est secundùm B. Hieronymum.* Conspirat Andreas, cujus commentarium Carensis recitat. Ergò *qui euangelizas* Græcæ Septuagintaduorum, *quæ euangelizas* Latinæ Hieronymi editionis esse videtur.

24. *Equidem neque plantatus, neque satus, neque radicatus in terra truncus eorum*] Plura exemplaria *& quidem*, præstantissima *equidem* scribunt. In iis quæ sequuntur triplex est codicum varietas. Una ea est quam proposuimus, *Neque plantatus, neque satus, neque radicatus in terra truncus eorum:* quam in tredecim nostris MSS. invenimus. Altera est, *Neque plantato, neque sato, neque radicato in terra trunco eorum:* quam in 17 MSS. nos, in 8 Hentenius comperit. Tertia, *Neque plantatos, neque satos, neque radicato in terra trunco eorum:* quæ in duobus est MSS. uno Parisiensium, Gc.p. notato, altero nostro, E signato, cohærens, ut & superior, iis quæ sequuntur, *Repentè flavit in eos, & aruerunt.* Prima Haymonis & Hieronymiani textûs lectio est; secunda Autoris glossæ Interlinearis, Carensis & Richelii: tertia obscurior est. Tertiam prætulit quidam, indubiè quòd Hebræo vicinior sit. Sic enim Hebraicè est ad verbum, *Etiam non plantati sunt, etiam non sati sunt, etiam non radicans in terra truncus eorum:* ad quem modum Hieronymi commentarius explicat, *Qui principes & judices terræ* (sive, ut alii suspicantur, *cœli*) *nec sati sunt, nec plantati, nec firmâ radice solidati.* Secundam, quæ vulgarior est, textu donarunt Dominicani. Primam Epanorthotes probavit, utpote Hieronymi, quod notat, & antiquorum codicum autoritate fulcitam: quam etiam nos in vetustissimis atque integerrimis antigraphis, Brugensi, Lobiensi, Leodiensi, atque aliis quibusdam, & in primis Typographorum editionibus Moguntina, Nurenburgensi, Coloniensi, ante annum 1480 impressis, reperimus.

D R U S I U S.

1. נַחֲמוּ נַחֲמוּ עַמִּי. Cæteri, *Consolamini, consolamini populum*] Hoc eruo ex his verbis Hieron. *Juxta Interpretes cæteros jubentur alii ut populum Dei & Jerusalem pariter consolentur.*

7. כִּי רוּחַ יְהוָה נָשְׁבָה בּוֹ. Sym. Th. ὅτι πνεῦμα Κυρίου ἐπνευσεν εἰς αὐτό, *quia spiritus Domini flavit in eo.* ¶ אָכֵן חָצִיר הָעָם. Sym. Th. ἀληθῶς χόρτος ὁ λαός, *verè fœnum est * populus*] * i. Tam Principes quàm vulgus ignobile. Hæc & quæ sequuntur ex v. 8. apud Procopium Symmacho & Theodotioni tribuuntur. Vide quoque Hieron. Jes. 42. 15.

8. יָבֵשׁ חָצִיר נָבֵל צִיץ. Sym. Th. ἐξηράνθη ὁ χόρτος, ἐξέπεσε τὸ ἄνθος, *exaruit fœnum, cecidit flos*] Hieron. *Hoc quod asteriscis notatur*, quia spiritus Dei flavit in eo: verè fœnum est populus. Aruit fœnum, cecidit flos, *ex Ebraico & Theodotionis editione additum est. Ex quo manifestum est vel à Lxx prætermissum, vel paulatim scriptorum vitio abolitum, dum & prior & sequens versiculus finitur in flore.*

9. מְבַשֶּׂרֶת צִיּוֹן. Aq. Sym. Th. *quæ euangelizas, Sion*] Hieron. *Porrò Ebraicum & cæteri Interpretes ponunt genere fem. ut dicant* quæ euangelizas, Sion, *&* quæ euangelizas, Jerusalem. ¶ מְבַשֶּׂרֶת יְרוּשָׁלִָם. Cæteri, *quæ euangelizas, Jerusalem.*

11. עֶדְרוֹ יִרְעֶה. *Gregem suum*] In Lxx hodie ποιμανεῖ τὸ ποίμνιον αὐτοῦ verùm apud interpretem Eusebii est *ovile suum*, pag. 663. ut suspicio sit τὸ ποίμνιον aliunde irrepsisse.

12. מִי־מָדַד בְּשָׁעֳלוֹ מַיִם. Aq. *Quis mensus est minimo digito * aquas?*] * λιχανῷ. Hieron. *In eo ubi nos vertimus*, Quis mensus est pugillo aquas? *Aquila transtulit*, Quis mensus est minimo digito aquas? *Hoc enim* λιχανὸς *sonat, ut scilicet non totâ manu sed parvo digito, quem vulgus gustatorem vocant, omnis aquarum vastitas ponderetur.* ¶ בַּשָּׁלִשׁ. Lxx *Pugillo*] Hieron. *Pro pugillo, quem in comprehensione terræ Lxx transtulerunt, in Ebraico scriptum est* S A L I S, *quem Sym.* τρίτον, *Aq.* τρίσσωμον *interpretati sunt, & nos, ut manifestius faceremus, in* tres digitos *vertimus: quod scilicet* molem terræ & excelsa montium colliúmque quasi tribus digitulis & stateræ parvo momento appenderit. *Per quæ Dei majestas & Creatoris potentia demonstratur.*

13. מִי־תִכֵּן אֶת־רוּחַ יְהוָה וְאִישׁ עֲצָתוֹ יוֹדִיעֶנּוּ. Sym. *Quis paravit Spiritum Domini? & virum consilii ejus quis ostendit ei?*

14. אֶת־מִי נוֹעָץ וַיְבִינֵהוּ וַיְלַמְּדֵהוּ בְּאֹרַח מִשְׁפָּט וַיְלַמְּדֵהוּ דַעַת וְדֶרֶךְ תְּבוּנוֹת יוֹדִיעֶנּוּ. Idem, *Cum quo iniit consilium, deditque ei intelligentiam, & docuit eum viam judicii, & instruxit illum scientiæ, & iter prudentiæ monstravit ei?*] Consule nunc Hieron. à quo hæc habeo.

15. כַּדַּק יִטּוֹל. Aq. λεπτὸν βαλλόμενον. * Sym. Th. *sicut Dac quod decidit*] * *Tenue jactatum.* Hieron. Insulæ quoque quasi saliva reputantur, *sive, ut Sym. & Th. ipsum ponentes Ebraicum*, sicut Dac quod decidit, *pro quo Aq.* λεπτὸν βαλλόμενον *transtulit. Ajunt autem Ebræi hoc verbo significari tenuissimum pulverem, qui vento raptante sæpe in oculos mittitur, sentitur potiùs quàm videtur. Minutissima ergò frusta pulveris & penè invisibilia hoc verbo appellantur, quas forsitan Democritus cum suo Epicuro* atomos *vocat.*

I D E M E X P R O C O P I O.

1. נַחֲמוּ נַחֲמוּ עַמִּי יֹאמַר אֱלֹהֵיכֶם. Sym. Παρηγορεῖτε παρηγορεῖτε τὸν λαόν μου, λέγει ὁ Θεὸς ὑμῶν. *Consolamini, consolamini populum meum, dicit Deus vester.*

2. דַּבְּרוּ עַל־לֵב יְרוּשָׁלִַם. Idem, Παραμυθήσασθε τὴν καρδίαν Ἱερουσαλήμ, *alloquimini cor Jerusalem*] ᾧ καὶ συνεφώνησαν οἱ λοιποί, *cui etiam cæteri consentiunt.*

3. קוֹל קוֹרֵא. Aq. Φωνὴ καλοῦντος *vox vocantis.* ¶ יַשְּׁרוּ בָּעֲרָבָה מְסִלָּה לֵאלֹהֵינוּ. Sym. ὁμαλίζατε ἐν ἀβάτῳ ὁδὸν τῷ Θεῷ ἡμῶν, *complanate in invio viam Deo nostro*] In margine διὰ τὸ ἀβάτῳ, quod perperam legitur τῆς σαββάτου in ed. Parisiensi, quâ usus sum.

4. לְבִקְעָה. Aq. Sym. Th. εἰς πεδίον *in campum.*

7. אָכֵן חָצִיר הָעָם. Sym. ἀληθῶς χόρτος ὁ λαός, *verè fœnum populus.* Aq. πράσον * ὁ λαός, *porrum populus*] Χόρτος non solùm denotat *fœnum*, sed etiam de *virenti herba*, & ea quidem *Tritici*, usurpatur Matth. 13. Marc. 4. item de *virenti gramine*, & *herba* quavis 1 Petr. 1. * Id imperitia corrupit καὶ πρὸς ὅν quod si animadvertisset interpres Curterius, non vertisset hoc loco *apud quem populus.* חציר autem *porrum* significare docet locus qui est Num. 11. ubi Græci πράσα reddunt. Chaldaicè כרתי dicitur, & à Doctoribus Ebræis כרש, unde כרישן in Salomone Treccensi. Arabicè *Cairat*, & *Curat.* Glossa Thalmudica in Aboda Zara fol. 10. pag. 1. כרתי בלעז פוריש, i. *porrum*, nisi fallor.

8. יָבֵשׁ חָצִיר נָבֵל צִיץ. Sym. Ἐξηράνθη ὁ χόρτος, ἐξέπεσε τὸ ἄνθος, *Exaruit fœnum, decidit flos.* Aq. Ἐξηράνθη πράσον, ἀπέῤῥευσεν ἄνθος, *Exaruit porrum, defluxit flos*] Hic rursum in Procopio legitur πρὸς ὅν, & apud interp. *apud quem.* Noli dubitare de emendatione mea. Res est, non conjectura, Non Apollò unquam melius divinavit. ¶ וּדְבַר אֱלֹהֵינוּ יָקוּם לְעוֹלָם. Sym. ὁ δὲ λόγος τοῦ Θεοῦ ἡμῶν στήσεται εἰς τὸν αἰῶνα, *sermo autem Dei nostri stabit in æternum.* Locus iste plenior exstat in margine textûs Procopii. 'כי רוח יהוה נשבה בו אכן חציר וגו Sym. Th. ὅτι πνεῦμα Κυρίου ἔπνευσεν εἰς αὐτόν, ἀληθῶς χόρτος ὁ λαός. Ἐξηράνθη χόρτος, ἐξέπεσε τὸ ἄνθος.

9. עַל הַר־גָּבֹהַּ עֲלִי־לָךְ מְבַשֶּׂרֶת צִיּוֹן הָרִימִי בַכֹּחַ קוֹלֵךְ מְבַשֶּׂרֶת יְרוּשָׁלִָם. Aq. ἐπ' ὄρος ὑψηλὸν ἀνάβηθι σεαυτῇ, εὐαγγελιζομένη Σιών, καὶ ἔπαρον ἰσχυρῶς τὴν φωνήν, εὐαγγελιζομένη Ἱερουσαλήμ, *In montem excelsum ascende tibi, quæ euangelizas Sion: & extolle fortiter vocem, quæ euangelizas Jerusalem*] *Tibi* redundat in Latio. Sequitur in Procopio, καὶ οἱ λοιποὶ δὲ συμφώνως quibus verbis significat *alios similiter transtulisse.*

10. וּזְרֹעוֹ. Aq. Sym. Th. καὶ ὁ βραχίων αὐτοῦ *& brachium ejus.*

11. טְלָאִים. A. ἀρνία *agnellos* sive *agniculos.* ¶ וּבְחֵיקוֹ יִשָּׂא. Aq. Sym. καὶ ἐν τῷ κόλπῳ αὐτοῦ βαστάσει, *& in sinu suo gestabit.*

12.

12. בְשָׁעֳלוֹ. Lxx τῇ χειρὶ, reliqui tres, h. e. Aq. Sym. Th. addunt αὐτοῦ] Hieron. *pugillo*. Santes *pugillo suo*. In talibus potest abesse pronomen salvâ sententiâ.

17. נֶחְשְׁבוּ לוֹ. Aq. Sym. Th. ἐλογίσθησαν αὐτῷ *reputatæ sunt ei*.

25. וְאֶשְׁוֶה. Sym. καὶ ἰσωθήσομαι *& æquabor*. A. ἐξισωθήσομαι *exæquabor*, sive *adæquabor*] Ἰσωθήσομαι futurum ab ἰσόω *æquo*, *adæquo*. Malè in libris σωθήσομαι, i. *servabor*.

27. לָמָּה תֹאמַר יַעֲקֹב וּתְדַבֵּר יִשְׂרָאֵל. Sym. Διὰ τί λέγεις, Ἰακὼβ, καὶ λαλεῖς, Ἰσραήλ; *Propter quid dicis, Jacob, & loqueris, Israel?* Καὶ οἱ λοιποὶ συμφώνως.

28. וְלֹא יִיגָע. οἱ λοιποὶ Οὐκ ἐξελύθη, *non dissolutus est*] Dubito an hoc pertineat ad לא ייעף quod antecedit. Secutus autem sum Procopium, in quo, ἀντὶ τοῦ τοῦ, οὐ κοπιάσει, οὐκ ἐξελύθη, φασὶν οἱ λοιποί. Hieron. *non deficiet neque laborabit*.

30 וְכָשׁוֹל. A. σκανδαλισθήσονται *scandalizabuntur*. Sym. Th. ἀσθενήσουσι *infirmabuntur*.

G R O T I U S.

CUm apertè jam prædixisset Propheta eam deportationem quæ per Nabuchodonosorum ejúsque Ducem Nabuzardanem erat eventura, liberaliter ejus calamitatis participes futuros partim ad emendationem vitæ excitat, partim, si eam præstent, promittit severa Dei judicia in ipsorum hostes, ipsis verò reditum in patriam, statum florentem, tutúmque contra infestos vicinos, egregias victorias, magnum denique numerum eorum qui ipsorum exemplo atque institutione, aut Legem totam susciperent, aut certè ab idololatria moribúsque improbis, qui idololatriam plerumque comitantur, discederent. In longum autem tempus extendunt se hæc Vaticinia, à temporibus exsilii ad tempora Templi & Urbis restitutæ, imò & ad Maccabæorum & sequentia tempora. Nulla enim decora quæ populo erant obventura taceri Deus voluit, quò plus solatii esset piis per aliorum culpam exsulantibus. At cur transiliit tempora Manassis, Josiæ, Joakimi? Quia nihil ea continebant nisi corruptelas populi, quæ causam dedêre deportationi. Josias enim, quamvis bonus, non multum exemplo suo apud populum profecerat, nisi quòd ritus aliquo modo restituerat; sed plerísque & procerum & populi animus manserat remotus à vera pietate. Cùm autem omnia Dei beneficia umbram in se contineant eorum quæ Christus præstitit, tum præcipuè ista omnia quæ deinceps ab Esaia prænunciabuntur, verbis sæpissime à Deo sic directis, ut simpliciùs limpidiúsque in res Christi, quàm in illas, quas primò significare Esaias voluit, convenirent.

1. *Consolamini, consolamini popule meus*] Rectiùs *populum meum*, ut & Chaldæus censuit. Loquitur Deus, ut idem Chaldæus censet, Prophetis futuris exsilii tempore.

2. *Completa est malitia ejus*] Scripsit Interpres *militia*: id est, labor ejus finem accipiet brevi.

Suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis] Id est, tantum quantum Deus satis esse judicat.

3. *Vox clamantis*] Supple, *sit*. Respicit id quod præcesserat, *clamate ad eam*: ubi hic Interpres, *advocate eam*. Dicit ergò quid clamare debeant eo tempore Prophetæ.

In deserto, Parate viam Domini] Loca deserta solent esse valde inæqualia. Per montes, valles, silvas, quà Rex incedere debebat, mittebantur munitores qui arbores cæderent, valles adæquarent, montium obstantia tollerent. Vide quæ dicta ad Matth. III. 3. Sic etiam Deus vult exsulantibus Judæis dici, ut auferant mores malos qui restitutionem ipsorum morabantur.

4. *Omnis vallis exaltabitur*] *Exaltetur*: id est, complanetur. Sic accipe & sequentia.

5. *Et revelabitur gloria Domini*] Si hoc faciatis, apparebit Dei auxilium, quicquid tandem homines contrà moliantur.

Et videbit omnis caro] Voce *carnis* dat intelligi hominum nullas esse vires, ubi velit hoc Deus. Id sequentia clariùs explicant.

6. *Omnis caro fœnum*] *Gramen*. Vide quæ diximus Psal. XXXVII. 2. Adde Psal. CIII. 15. suprà XV. 6.

Et omnis gloria ejus quasi flos agri] Sic & Græci: καὶ πᾶσα δόξα ἀνθρώπου [*& omnis gloria hominis*], ut & Petrus I. I. 24. Legerunt nimirum non חסדו [*misericordia ejus*], sed הודו [*gloria ejus*], & rectiùs.

7. *Spiritus Domini sufflavit*] Æstus, Jac. I. 11.

Vere fœnum est populus] *Omnis populus*, ut suprà *omnis caro*.

8. *Verbum autem Domini nostri manet in æternum*] Prædicta Prophetarum.

9. *Super montem excelsum ascende tu*] Fac undique audiaris quisquis hæc mea dicta suo tempore es prolaturus.

Qui evangelizas Sion] Id est, *Sioni*. *Evangelizans* in Hebræo est מבשרת sono femininum, sensu commune, ut קהלת [*concionatrix* pro *concionator*].

Dic civitatibus Juda] Id est, hominibus dispersis ex omnibus civitatibus. Συνεκδοχή [*Complexio*].

10. *Opus illius coram illo*] Μετωνυμία [*transnominatio*]: nam *opus* sive *opera* posita est pro *pretio operæ*.

11. *In brachio suo congregabit agnos*] Innocentes.

Fœtas ipse portabit] In Hebræo, *ducet*. Virgilius:

—— hanc etiam vix, Tityre, duco:
Hîc inter densas corylos modò namque gemellos,
Spem gregis, ah silice in nuda connixa reliquit.

Per *fœtas* intellige qui labore fessi sunt.

12. *Quis mensus est pugillo aquas*] Ex factis ostendit immensam Dei potentiam: *mensus est pugillo*, id est, *continet quasi pugillo aquas*, id est, mare ipsum.

Et cœlos palmâ ponderabit] In Hebræo, *Disposuit*. *Palmâ*, quasi palmâ. Sic & sequentia.

Quis appendit tribus digitis molem terræ] In Hebræo: *Quis comprehendit in tridentali pulverem terræ?* שליש enim *tridental* etiam Psalm. LXXX. 6.

Et libravit in pondere montes] *In statera*. Non minùs facilè montes sustinet, quàm homo pondera *in statera*.

13. *Quis adjuvit spiritum Domini?*] In Hebræo, *Quis instruxit spiritum Domini?* Græci verterunt, τίς ἔγνω νοῦν Κυρίου; [*quis novit mentem Domini?*] quos sequitur Paulus Rom. XI. 34 eodem, ni fallor, sensu. Nam Judæi Græcè loquentes verba duplicem actionem significantia per unam exprimunt, ut ἔγνω hic valeat *scire fecit*, id est, docuit. Explicant id sequentia.

15. *Ecce gentes*] Etiam illi Chaldæi domini nunc vestri.

Quasi stilla situlæ] Quæ si decidat, à nemine curatur.

Et quasi momentum stateræ] Optimè vertit ῥοπῇ, ut & Sapiens ῥοπὴν XI. 23. qui locus huic loco geminus. intellige *scripulum*.

Ecce insulæ quasi pulvis exiguus] דק omne *quod minutum est* significat. Σίελον, id est *sputum*, hîc vertêre Græci. *Insulas* intellige terras maribus aut etiam amnibus adsitas, more Hebræo. Eas projiciet ut sputum ubi velit. Præcipuè videtur intelligi Mesopotamia, Assyria, Armenia.

16. *Et Libanus non sufficiet ad succendendum, & animalia ejus non sufficient ad holocaustum*] *Non sufficerent*, nempe si prò dignitate sacra ei facienda essent.

18. *Cui ergò similem fecistis Deum?*] Non abs re tractat hîc locum contra imagines, quæ Deo aut quasi Deo erigebantur. Cùm enim Israëlitæ à Theglathphalasare & à Salmanasare deportati, jam viverent inter eos qui Deo fingebant imagines, idemque eventurum esset Judæis, quos deportaturus erat Nabuchodonosor, præmuniendi fuêre utrique, ut, legis optimæ & sapientissimæ memores, caverent sibi ab iis moribus, qui minùs convenientem Divinæ majestati cogitationem imprimere possent animis, deinde & à vero Deo ad falsos abducere. Laudatur à plurimis Moses, quòd nullas Deo imagines struxerit, nè Deus aut animali alicui, aut etiam animalium potissimo, homini, similis crederetur. Vide quæ ad hanc rem pertinentia protulimus ex Empedocle, Xenophane, Tacito, Plutarcho, ad Deuteron. IV. 15. Adde illud Antiphanis de Deo: ὀφθαλμοῖς οὐχ ὁρᾶται, οὐδενὶ ἔοικε, διόπερ αὐτὸν ἐκμαθεῖν ἐξ εἰκόνος οὐδεὶς δύναται [*oculis non aspicitur, nemini est similis; unde etiam nemo eum ex imagine potest cognoscere*].

20. *Forte lignum & imputribile elegit*] In Hebræo, *Qui pauper est ad offerendum lignum eligit quod cariem non sentiat*: is scilicet cui aurum & argentum non suppetit. Tale autem lignum præcipuè est cupressus, adeò ut tradat Plinius XVI. 41: *simulacrum Jovis in arce è cupresso durasse* ad suam ætatem, à *condita Urbe sexcentesimo sexagesimo primo anno dicatum*. Laudat ibidem Plinius ad eos usus vitem, juniperum, morum.

21. *Nonne intellexistis fundamenta terræ*] Nempe ab ipso esse facta, ut infrà 26. Hæc omnia dicit, ut de Deo ea quæ ipso digna sunt sentiantur.

22. *Qui sedet super gyrum terræ*] *Super orbem terræ*.

Et habitatores ejus sunt quasi locustæ] Velut minuta animantia, si cum ipso comparentur.

Expandit eos sicut tabernaculum] Vide Psal. CIV. 2. & Genes. I. 6.

23. *Qui dat secretorum scrutatores quasi non sint*] In Hebræo, רוזנים, id est, *Principes*; Græci, ἄρχοντας: Arabibus رزين est *gravis*.

Judices terræ velut inane fecit] Difflat eos, ut sequitur:

26. *Qui educit in numero militiam eorum*] Velut ordinatis agminibus.

Et omnes ex nomine vocat] Ut domini servos, *Heus Syre, heus Geta*: pro imperio.

Neque unum reliquum fuit] Nulla stellarum defugit imperium: ex præscripto oriuntur omnes.

27. *Quare dicis Jacob*] Quare diceres, ô Jacobi posteritas. Monet eos, nè cùm eæ calamitates advenient putent se Deo curæ non esse.

28. *Non deficiet, neque laborabit*] Id est, non fatigatur gubernando res humanas.

Nec est investigatio sapientiæ ejus] Hoc vult: *sed sapientia ejus* (quæ mundum regit) est *imperscrutabilis*. Cùm cessare videtur; jam causas actuum in occulto disponit.

29. *Qui dat lasso virtutem*] Quomodo lassaretur is qui lassos recreat?

30. *Deficient pueri*] נערים hìc sunt *adolescentes*, ut sæpe alibi. Vertunt sæpe Græci νέοι & νεανίσκοι. Sæpe evenit, inquit, ut qui vegetæ sunt ætatis, sub labore deficiant.

31. *Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem*] Id est, novas subinde vires Deo dante accipient.

Assument pennas sicut aquilæ] Novas scilicet. Vide Psalm. CIII. 5.

CAP. XLI.

MUNSTERUS.

Monet Propheta in hoc capite nè abjiciant animum in captivitate, neque discedant à vera religione ad falsa idola, sed cogitent Deum hodie esse tam potentem ut olim fuit, Deum omnia scire, omnia videre. Citantur deinde idololatræ ad tribunal Dei, & causa eorum vana ostenditur, cùm origo idolorum sit materia ligni & lapides per artifices aptata, &c.

1. *Mutent robur*] Hebraismus est, pro *instruant se omnibus armis Dialecticis, & accedant ut mecum congrediantur & disputent.* Hoc enim hìc vocatur *accedere ad judicium*. Proponit autem Deus exemplum potentiæ suæ, quòd Abraham idola contemnentem *vocaverit ab Oriente*, & *peditem* duxerit per multas *gentes*, & fecerit eum parvo numero vernaculorum *vincere* aliquot *Reges*. De quo habitatores *insularum obstupefacti sunt*, sicut & alii Reges, quorum aliqui obviàm venerunt Abraham victori, quemadmodum de Rege Sedomæ legitur. Sed his non obstantibus, manserunt infideles homines in sua infidelitate, & *frater* ad fratrem accedens mutuò se cohortati sunt ad fabrefactionem idolorum.

7. *Leniebat malleum*] h. e. Nihil non egit quò citò sculptile fabricaretur. *Faber lignarius* parabat sculptam imaginem: *aurifaber* verò super *incudem* diducebat bracteam auream, quam deinde *glutino* affigebat imagini.

10. *Neque dissolvaris*] Putant verbum *Hithpael* ישתע formatum à nomine שעוה, quod *ceram* sig. quæ calori exposita facilè dissolvitur.

14. *Viri Israel*] Sunt מתי propriè *viri pauci*: & est pluralis numeri tantùm, differtque à מתים quando *mortuos* sig. in primo puncto. Nam primum scribitur cum Scheva, alterum cum Zere.

15. *Rastrum quod habet rostra*] *Rostra* seu, ut Hebraismus habet, *ora* sunt dentes rastro infixi, quibus granum ex paleis trituratur. *Tribulæ* illæ & *rastra* fuerunt S. Apostoli & prædicatores verbi Dei, qui *montes & colles comminuerunt & trituraverunt*, h. e. Reges & Principes, &c. Utitur enim Propheta iste variis similitudinibus, quas cœci Judæi ferè omnes ad literam intelligunt, putantes eas adimplendas quando ex finibus mundi ad suum Meschiam sunt transituri.

21. *Propè facite*] Imperativus est Piel, vertitque Propheta sermonem suum ad idolorum cultores.

27. *Primus*] Scilicet ego sum qui dico ad Zion, *Ecce adsunt* quæ à Deo promissa sunt. Sic quoque Chald. interpres hunc locum vertit, *Verba*, inquiens, *consolationis quæ Prophetæ prædixerunt ab antiquis super Zion, ecce venerunt.*

VATABLUS.

1. *Tacete mihi* החרישו אלי] *Tacete ad me.* Judicii speciem describit Esaias; quod Dominus cum omnibus Gentibus subire non recusat: tantùm postulat ut in causa sua audiatur. Ordo namque judicii postulat ut quisque seorsim audiatur. ¶ *Mutent fortitudinem*, יחליפו כח] Idem verbum quod suprà 40. 31. *innovent vires*, vel *novas colligant vires*.

2. *Justitiam*, &c. צדק יקראהו לרגלו] Fut. Heb. pro præt. virum *justitiæ*, qui *prædicabat eum ad pedem suum*. De Abraham loquitur, quem Dominus vocavit de Ur Chaldæorum, ipséque Deum invocabat, & prædicabat ubicunque esset. *Justitiam* vocat Abraham Deum colentem. Nam ut qui non tribuit aliis quæ sua sunt, injustus est; ità & qui Deum honore suo fraudat. Alii (ut & noster Interpres) *justitiam, vocavit eum ad pedem suum.* Sicque Hebraismum interpretantur, Vocavit Abraham Dominus ut sequeretur se quocunquè vellet eum ire, ut prompti & morigeri famuli solent qui Domini vestigia sequuntur, tametsi incerti sint quò ipsos ducat. ¶ *Dedit in conspectu ejus* יתן לפניו] Hebraismus, *subdidit illi Gentes.* ¶ *Et Regibus*, &c. ומלכים וג'] Quidam subauditis pauculis eodem sensu vertunt, *& in Reges dominari fecit*, & quis *posuit* eos *tanquam terram* ante *ensem illius*, ac *veluti paleam propulsatam* ante *arcum ipsius?* Verti potest, *tanquam terram ensem eorum* [i. singulorum Regum] & *ut paleam impulsam arcum ipsorum?* q. d. Quis ademit animum illis Regibus? Vulgatior est hæc versio: altera est doctiorum inter Hebræos.

3. *Transivit* in *pace* יעבור שלום] Etiam hìc futura Heb. pro præt. Hebraismus autem, pro *evasit incolumis*.

4. *Vocans generationes ab exordio* קרא הדרות מראש] i. Quis præest seculis ac generationibus singulisve hominum ætatibus, eásque beneficiis afficit solo suo verbo? Alii vertunt, *& fecit* hoc? illa *qui vocavit nationes ab initio*, i. qui novit homines multò antè quàm gignantur & nascantur.

5. *Obstupuerunt* יחרדו] *Tremuerunt.* Fut. Heb. pro præt. sub. *Gentes*: cùm scilicet liberationem populi Israelitici tam potenti manu Dei fieri viderent, unde & verum esse Deum cognoscere poterant: & tamen idola pro Deo fabricaverunt sibi.

6. *Auxiliatus est* יעזרו] *Ut facerent scilicet idola.* Etiam hìc fut. Heb. pro præt. ¶ *Confortare* חזק] *Fortis esto.* Vel, *Sis strenuus.*

7. *Et confortavit* ויחזק] *Cohortatus est ut esset animo bono & forti.* ¶ *Polientem malleum*, &c. מחליק וג'] *Levigantem malleum ad percussionem incudis.* Vel, *super incudem.* Alii vertunt, *dividens* [sive, *incudem percutiens*] *malleo*; *contundentem vicissim*, sub. *hortatur.* Qui *ad percussionem* vertunt, את pro ל accipiunt. ¶ *Ad conjunctionem* לדבק] *Ad plumbaturam*: vel *coagmentationem*. Alii jungunt istud præcedentibus, *Dicens de conjunctione* [aut *coagmentatione*] *Bona est.* Vel, *de glutino*, *Bonum est*, sive *Accommodum est.* ¶ *Et corroboravit illud* ויחזקהו] *Et firmius reddidit*, sub. *illud sculptile.* Vel *illam coagmentationem.*

8. *Elegi* בחרתיך] Ad verb. *elegi te.* Redundat pronomen *te.* ¶ *Qui dilexit me* אהבי] *Amantis me.*

9. *Et à majoribus ejus* ומאציליה] *De inter majores ejus.* Alii, *& à Principibus ejus*, i. Regibus qui tibi dominabantur. Alii vertunt *ab eminentiis ejus*, sub. *terræ.* *Eminentias* vocat eas regiones quæ præ aliis in pretio habebantur.

10. *Ne terrearis* אל תשתע] *Nè liquefias, ne dissolvaris*; nempe velut cera.

11. *Viri contendentes*, &c. אנשי ריבך] Ad verb. *viri rixæ tuæ*, sive *litis & contentionis.*

12. *Viri bellantes*, &c. אנשי מלחמתך] Ad verb. *viri belli tui*, i. qui tecum belligerantur, vel qui te oppugnant, sive oppugnabunt.

13. *Adjuvabo te* עזרתיך] Præt. Heb. pro fut. ut & v. seq.

15. *In traham & tribulam* למורג חרוץ] *In traham bene incidentem.* Ut חרוץ sit nomen Toar ipsius מורג ¶ *Ora* פיפיות] Quidam *asperitates* interpretantur.

17. *Quærunt* מבקשים] Quidam vertunt hæc per futura.

18. *In excelsis* על שפיים] *In editissimis locis.* ¶ *Solitudinis* ציה] *Deserti*: sive *ariditatis & siccitatis*, i. aridam & siccam.

19. *Sittah* שטה] Species Cedri excellentissimæ. ¶ *Et arborem pinum* ועץ שמן] *Et arborem pinguedinis*, i. pinum. Chald. *arborem olivæ.* ¶ *Ulmum* תדהר] Quidam Hebræorum scribunt speciem esse Cedri. Alii volunt esse ברזיל *brezilium.*

20. *Et ponant* וישימו] Imperfecta est locutio Hebraica: nam subaudiendum *super cor.* Plena autem legitur mox v. 22. *Et ponemus cor nostrum.* Item Ezec. 40. 4. ושים לבך *& pone cor tuum*, & cap. 44. 5. שים לבך *pone cor tuum*, *& vide*, &c. Dicitur & *ponere super cor* in isto Esa. 57. 1. *Justus perit, & non est quisquam qui* שם על לב *ponat super cor.* Et v. 11. *Neque* שמת על לבך *posuisti in corde tuo.* *Ponere* autem, sive *Ponere cor*, aut *Ponere super cor* est Animadvertere, Cogitare, Considerare.

21. *Ap.*

21. *Appropinquare facite* קרבו] *Admovete*, i. ponite in medium. Convertit sermonem ad idololatras. ¶ *Fortia vestra* עצמותיכם] *Firmamenta vestra*, i. argumenta vestra quæ putatis esse fortissima & validissima; probationes vestras fortissimas.

22. *Accedere faciant* יגישו] *Adducant*, sub. *Deos suos.* ¶ *Et annuncient* ויגידו] *Et indicent*, i. dicant. Sic mox. ¶ *Et ponemus cor nostrum* ונשימה לבנו] Vide v. 20. i. & considerabimus diligentiùs, & attendemus. ¶ *Et sciemus* ונדעה] *Ut sciamus.* ¶ *Narrate nobis* השמיעו] Ad verb. *facite audire nos.* Quidam; *docete nos.*

23. *Et cognoscemus* ונדעה] *Ut sciamus*: vel *cognoscamus.* ¶ *Aut malefaciatis* ותרעו] Ad verb. *Et malefaciatis*: ו pro *aut.* ¶ *Et videbimus* ונראה] *Posteaquam viderimus*: ו pro *postquam.* Alii vertunt, *ut narremus*, *& videamus*, sub. *miracula vestra.*

24. *Et opus vestrum ex nihilo* ופעלכם מאפע] i. Vos nihil potestis facere, neque bona neque mala. Quidam vertunt, *& factura vestra ex nihilo.* ¶ *Vir abominabilis*, &c. תועבה יבחר בכם] Ad verb. *abominatio eliget vos*: vel (ut alii vertunt) *abominationem elegit in vobis*, sub. *homo*: acsi dicat quòd homines idola fabricare non possunt quin simul abominationem fabricent.

25. *Suscitabo* העירותי] Præt. Heb. pro fut. ¶ *Vocabit nomen meum* יקרא בשמי] *Vocabit in nomine meo.* Meliùs tamen legas *nomen meum* quàm *in nomine meo*, ut ב redundet. Hebraismus, idem significans quod *nomen meum profitebitur*, vel *seipsum commendabit meo nomine*, tanquam auspiciis meis meâque autoritate militans. Gallicè dicimus, *Il se reclamera de moy*; *ou renommera.* ¶ *Conculcabit* ירמס] Fut. Heb. pro præs. ut quidam vertunt, *calcat lutum.*

26. *Et sciemus* ונדעה] *Ut cognoscamus*, sub. *illum esse verum Deum.* Revertitur ad idola ipsa: q. d. Quis ex omnibus diis Gentium unquam indicavit quod futurum erat longo tempore antequam res fieret? ¶ *Et à principio* ולפנים] *Aut ab antiquo*, vel *ab initio*, sive *jam antè.* ¶ *Narret* משמיע] Ad verb. *audire faciat*, sub. *vocem suam*: i. dicat, sive doceat, & narret, ut v. 22.

27. *Ecce adsunt* הנם] Ad verb. *ecce ipsi.* ¶ *Euangelistam* מבשר] *Nuncium.* Alii, *felicia nunciantem.* Sing. pro plur. *Euangelistas*, qui scilicet nuncient cives suos redire è captivitate.

28. *Videbo autem* וארא] *Aspiciam autem*: vel, *Contemplabor*; sub. *idola Gentium.* i. Quòd si contempler. Quidam omnia per præteritum vertunt. ¶ *Et non erit quispiam* ואין איש] Sub. *indicans futura.* ¶ *Consiliarius* יועץ] i. Nullus dare poterit consilium. ¶ *Interrogabo praterea eos*, &c. ואשאלם וישיבו דבר] *Neque si interrogavero eos respondebunt quicquam.*

CASTALIO.

1. *Conticescite mihi*, *insula*] Superiore capite promisit adventum Christi, in falsos invectus Deos: nunc Israelitas ad Christum exspectandum confirmat his rationibus. Quod de Messia promitto, nolite dubitare quin id præstiturus sim, quippe qui *primus postremusque* Deus sim, h. e. solus, sicut *caput & caudam*; *proram & puppim* & similia dicimus pro *toto* aut *omnibus*, & Livius Dec. 1. lib. 1. *Ut illa palàm prima postrema ex illis tabulis ceràve recitata sunt*, h. e. omnia. Quid ergò, dicet quis, nulli sunt alii dii? Videamus quales sint. Dei est magna facere, nedum prædicere: At isti non solùm non faciunt, sed nè prædicunt quidem. Prædicant enim adventum Cyri Persarum Regis. Non possunt. At ego non modò eum prædico, sed etiam adduco, eique gentes ità Subjicio ut eum etiam insulæ & Græcia formidet. Ite nunc, & interrogate istos manu & arte factos Gentium Deos de hac futura re. Quòd si neque prædicere, neque nocere lædere̓ve possunt, nolite eos colere, sed me: & sperate Servatorem Christum, quem promitto. Cúmque hic advenerit quem dico, Cyrus Persarum Rex, qui vos in patriam revocet, sperate eum quoque venturum qui *deserta* colat, h. e. alienigenas doceat; videlicet Christum. Vocat autem Cyrum *justitiam*, h. e. justum (ut Latinè *scelus* pro *scelerato* dicimus) quoniam erat Judæos liberaturus, & Christum Servatorem non solùm re sed etiam nomine significabat. Nam Cyrus *Solem* significat Persicâ linguâ, ut docet in Artaxerxe Plutarchus, & Christus est *lux mundi.* Hactenus argumentum. Illud autem, *Et cum postremis ego idem*, perinde est ac si diceret, *Ego sum postremus*: de qua loquendi ratione vide Annotata in Psal. 58.

2. *Quis excitam ex Oriente justitiam vocat ad pedes suos?*] *Justitiam*, h. e. justum.

3. *Semita suis non ambulata pedibus*] Insolita.

7. *Illud firmat compagibus nè commoveatur*] Videlicet simulacrum.

22. *Praterita qua sunt præsignificate*, *& animum advertemus*, *eorúmque sciemus exitum*] Si Sennacheribi casum prædixissetis, esset causa cur *animum*, &c.

27. *Primus ego Sioni ea instare demonstro*, Alludit ad id quod suprà dixerat, *Ego Jova*, *& primus*, *& cum postremis ego idem*: quasi hoc dicat. Ego Jova, qui me suprà *primum postremúmque*, h. e. solum, dixi, hæc præsignifico.

CLARIUS.

1. *Taceant ad me*] h. e. Auscultent. Est autem hæc expositio quædam priorum ad idem pertinens argumentum. ¶ *Mutent fortitudinem*] Hebraismus est pro *arment se responsis*, *& fortiores prodeant.* ¶ *Accedant*, *& tunc loquantur*] h. e. Congrediantur priùs mecum, & disputent, quàm quicquam ex se definiant. Et vide ut sese demittit Deus! Ingens & charitatis & benignitatis significatio.

2. *Quis suscitavit ab Oriente justum?*] Vel *justitiam.* Proponit autem Deus exemplum potentiæ suæ, quòd Abraham idola contemnentem vocaverit ab Oriente, & peditem duxerit per multas gentes; & fecerit cum parvo numero vernaculorum vincere aliquot Reges, de quo habitatores *insularum obstupefacti sunt*; sicut & alii Reges, quorum aliqui obviàm venerunt Abrahæ victori; quemadmodum de Rege Sodomæ legitur. Sed his non obstantibus, manserunt infideles homines in sua infidelitate, & *frater ad fratrem accedens*, mutuò se cohortati sunt ad fabrefactionem idolorum.

3. *Semita in pedibus ejus non apparebit*] Quidam sic interpretantur, *non cogetur diverticula quarere*, *sed regiâ viâ semper tuta procedet.* Alius vertit, *Semita in pedes ejus non venit*, h. e. pedes ejus ex itinere non tumuerunt.

4. *Vocans generationes*] Quis est qui vocet ab initio generationes singulas præter me?

7. *Percutientem malleo*] h. e. Nihil non egit quò citò sculptile fabricaretur. Faber lignarius parabat sculptam imaginem, aurifaber verò super incudem diducebat bracteam auream, quam deinde glutino affigebat imagini.

15. *Quasi plaustrum triturans*] Vel, *quasi tribulam & rastrum novum quod habet rostra*: ut *rostra* sint dentes rastro infixi quibus granum ex paleis trituratur. *Tribula* illæ & *rastra* fuerunt S. Apostoli & Prædicatores verbi Dei, qui *montes & colles comminuerunt & trituraverunt*, h. e. Reges & Principes.

19. *Spinam*] Alii verterunt Sethym *spinam Ægyptiam*, quæ etiam in aquis duret incorrupta, & ob id utilissima sit navium costis, unde nimirum ligna Arcæ Tabernaculi facta; quæ *Setbim* dicuntur. Per hæc ligna autem *nascitura in deserto* intellige futuros in Gentilitate, quæ nihil aliud erat quàm desertum quoddam, sapientes, Prophetas, doctores, &c.

21. *Propè facite*] Vertit Propheta sermonem suum ad idolorum cultores. ¶ *Siquid forte habetis*] Illud *forte* nomen est, h. e. *robustum.*

25. *Suscitavi ab Aquilone*] Intelligit vocandas Gentes ac populum Christianum, qui sublato cultu idolorum unum ac verum Deum colet. Cyrus autem hujus rei typum gessit, quem vocavit *ab Aquilone.* Subigentur ergò omnes Principes, quemadmodum *plastes* ac *figulus* solet *humum.*

26. *Quis annunciavit*] Vos, ô idola, annunciate ista, si potestis. ¶ *Ut dicamus*, *justus es*] h. e. Verax in sermonibus.

27. *Primus ad Sion*] Ego sum, inquit, *primus*, qui *dico ad Sion*, *Ecce adsunt* quæ à Deo promissa sunt. Verba, inquam, consolationis quæ Prophetæ prædixerunt ab antiquo super Sion; ecce venerunt.

28. *Et vidi*, *& non erat*] Vel de idolis; vel de idololatris.

FORERIUS.

1. Cum fiduciam in Deum superiori oratione Israelitis persuasisset, hîc jam ostendit quantò id sapientiùs faciant quàm Gentes, quæ idolis suis confidunt. Inducit itaque Deum cum Gentibus veluti judicio contendentem, volentémque ut illi causam deorum suorum agant, utpote quæ muta sint simulacra, & pro se loqui nequeant; suam autem Deum ipsum agentem, cujus sunt istæ voces. ¶ *Taceant*, &c.] Imperativus est, *Cessate ad me*, vel *Silete ad me*, i. Silenter & absque omni strepitu me auscultate. Est enim elegantia Hebraismi ut uni verbo alienam constructionem tribuant, suppleántque verbum cujus constructio exprimitur. Perinde ergò est ac si dicat, *Silete*, *& auscultate me*, i. Silenter attendite. ¶ *Insula*] Gentes remotissimas ad quas per mare ibatur sic vocant, ut erant

erant Græcia, Italia, Hiſpania, &c. per quas univerſas gentes quæ à religione Hebræorum alienæ erant intelligere oportet. ¶ *Mutent fortitudinem*] Vide cap. 40. 31. Nos diceremus, *Animum ac vires colligant, ut poſtquam audierint, fortiter cauſam Deorum ſuorum agant.* Ordo verborum videtur eſſe inverſus; ut ſæpe ſolent Hebræi ſcriptores facere. Planus ordo hic fuiſſet, *Commutent Gentes virtutem; accedant: pariter judicio appropinquemus; tacitè auſcultent me: tunc loquantur.*

2. *Quis*] Duobus tantum argumentis oſtendit Deus ſe verum eſſe Deum, Gentes autem fictitios deos colere: & priori quidem ſumpto à tempore præterito; poſteriori verò à futuro, quod tractat in fine hujus capitis, & ſequenti proſequitur. Prius ergò tantùm conſiſtit in iis quæ Deus cum Abrahamo & poſteris ipſius egit. ¶ *Juſtum*] צדק *juſtitiam.* Verùm quia de Abrahamo erat ſermo, & relativa quæ ſequuntur ad *virum* videntur referenda, Vulgatus per concretum reddidit. Egò nomen *juſtitiæ* retinui, per quam juſtum Abrahamum voluit datâ operâ Propheta intelligere, quòd ab eo univerſa juſtitia promanarit, & Pater juſtitiæ fidei fuerit, de qua Apoſtolus ad Romanos pluribus agit. ¶ *Suſcitavit*] Non ſolùm autem Abrahamum aliud agentem excitavit, ſed & in ipſo *juſtitiam* ipſam *excitavit* ſeu *ædificavit.* ¶ *Ab Oriente*] Chaldæa ad Orientem jacet. ¶ *Sequeretur ſe*] לרגלו *ad pedem ſuum*: quod aut cum Vulgato poſſumus accipere: vel, ut pedibus vocantem ſequeretur, & pedibus iter conficeret: quod quantò humiliùs ſonat, tantò magis ad augmentem eorum quæ ſequuntur facit, *dedit coram eo gentes,* &c. Cùm hominem unum Deo vocanti obtemperantem & veluti pauperem pedibus iter conficientem vidiſtis, quid magni ab uno hoc homine exſpectari potuiſſet, extorre à patria, & apud ignotas gentes peregrino? Audite ergò. ¶ *Dedit in conſpectu,* &c.] Repetendum eſt מי, *Quis dedit,* vel ſic, *Dedit in conſpectu ſuo gentes, & Reges ſubjecit:* deinde quaſi explicaret quod dixerat, *dedit, inquam, gentes quaſi pulverem gladius ejus, & arcus ejus ſubegit Reges quaſi ſtipulam vento propulſam.* Atque hæc interpretandi ratio ex ipſa linguæ proprietate & conſuetudine deſumpta eſt, &c. De victoria autem Abrahæ eſt ſermo quam habes Gen. 14. quam non multò pòſt quàm in Palæſtinam veniſſet obtinuit. Futura etiam ſunt Hebræis pro præteritis, & per præteritum imperfectum aut etiam in præſenti tempore reddi poſſunt. Sed hoc parvi refert. ¶ *Dabit quaſi pulverem gladio*] Senſus conſtat ſecundùm proprietatem Hebrææ linguæ. Nomina *gladii* & *arcûs* in recto accipio, *gladius ejus dedit gentes & Reges quaſi pulverem, & arcus ejus quaſi quiſquilias vento expulſas;* i. prælio fudit exercitum, & minimo negotio ſine ſuorum ſanguine Reges vicit.

3. *Tranſibit in pace*] Heb. *tranſivit pax,* ſeu *integritas;* i. integer, incolumis evaſit. Niſi malis dicere, fieri adverbium cum verbo, *tranſivit,* ſeu *evaſit pacificè,* ſeu *integrè,* nemine ex ſuis amiſſo. Nam & plur. hujus nominis Jer. 13. ſic accipitur. ¶ *Semita in pedibus ejus non apparebit*] Ad verbum, *ſemita in pedibus ejus non venit.* Sed ego poſthabitâ ratione punctorum quæ apponere ſolent Hebræi, nomen *ſemitæ* cum verbo *tranſibat* omnino conjungendum puto, deinde ſupplendum relativum, quod frequentiſſimè omittunt, *tranſivit ſemitam pacificè* quam *pedibus ſuis non ingrediebatur,* i. quàm nunquam ingreſſus fuerat. Nunquam enim Abraham bellum geſſerat, nunquam antea prælium inierat: quo miraculum auget, incolumem & victorem evaſiſſe ex prælio, qui non fuiſſet unquam belligeratus.

4. *Quis,* &c.] Ille deos patrios reliquerat, idola non colebat; me vocantem fuerat ſecutus. Dominus ſolus dux ejus fuit; ut alibi dicebat, *non erat cum eo Deus alienus.* Pauper & peregrinus patriam reliquerat; apud exteros peregrinabantur. Quatuor ecce Reges cum ſuis vernaculis debellat. *Quis fecit hæc?* Reſpondet ipſe, ¶ *Vocans,* &c.] i. *Is certè qui ſecula ab initio vocat.* De voce דור vide infrà cap. 53. *Vocare* autem *ſecula* ſive *generationes* ſive *progenies ab exordio* eſt, ni fallor, quod Paulus vocat *Regem ſeculorum,* i. qui eſt auctor cunctorum & moderator; qui ab initio univerſa creavit, & univerſorum providentiam habet. Quòd ſi quæras quis iſte ſit, ¶ *Ego Jehova,* inquit, *primus,* &c.] i. Qui ante omnia ſum, & quem, quando ultima venerint, invenient: *à quo omnia, & in quem omnia.*

5,6. *Viderunt inſulæ,* &c.] Longinquæ nationes audientes quanta per unum inviſibilis Dei cultorem Deus operaretur, neque enim famæ tantummodo credere volentes *propiùs acceſſerunt;* atque ſic ſe rem habere intelligentes, *metu & tremore corripiebantur.* Nihilominus non deſpondentes animum mutuò ſe adhortabantur ut deos ſuos fabricarentur majori quam antea ſtudio, ut ſe religione & cultu deorum defenderent à novæ religionis profeſſoribus, quinimo ut eos quoque, ſi opus eſſet, exterminarent. Ubi vides hominum inſaniam, qui cùm de abjiciendis Diis fictitiis conſultare debuiſſent, animum & vires colligunt ut errori antiquo inſiſtant.

7. *Confortavit faber ærarius*] *Ærarium* legerem, nam habet articulum את, q. d. *Faber fabrum exhortabatur.* צרף eſt *uſtor, conflator:* quo nomine vocant Hebræi cum artificem qui conflando & excoquendo aurum, argentum, ſive aliud metallum, quidquam operis efficit: חרש autem *fabrum* abſolutè deſignat, tam qui in lignis quàm qui in lapidibus, quàm etiam in metallis, operatur. ¶ *Percutiens malleo*] Omiſſis aliorum verſionibus, quæ hoc loco variæ admodum ſunt, (neque enim ipſi Rabini ſibi conſtant) verba Hebræa examinabo, ut quàm doctè Vulg. Hebræa expreſſerit videant qui eum ſine cauſa flagellant. חלק quidem verbum non *percutere* ſignificat, ſed *diſpertire. Diſpertire* autem *malleo* eſt diducere in partes laminam, &c. Unde non malè dixit Vulg. *percutiens malleo.* ¶ *Eum qui cudebat*] הלם pro participio verbi accepit Vulgatus, quod *conquaſſare, pulſare,* ſeu quid ſimile ſignificat. Nemo autem negare poteſt eam eſſe formam germanam participii: neque Pagninus aliâ ratione hanc verſionem rejicit quàm quia omnes Interpretes Hebræi dicunt non eſſe participium. Quæ quantum ponderis habeat norunt qui quoties ineptiant Rabini, etiam in Grammaticis, non ignorant. Cùm ergò non intelligerent Rabini orationem hanc, finxerunt ſuo more הלם eſſe nomen, & ſignificare rem quæ euditur, *laminam* videlicet & *bracteas,* &c. Ego certè arbitror Vulgatum rectè pro participio accepiſſe. At conſtructio plana eſt hoc pacto, *Faber confortavit conflatorem; percutiens malleo* (vel *diſpergens malleator*) confortavit *eum qui cudebat,* &c. Neque hanc rationem conſtructionis negare poſſunt vel ipſi Rabini. Dixerat autem ſuperiori verſu quod *alter alterum confirmaret:* id jam hoc verſu exponit, *Faber fabrum, malleator malleatorem confirmabat.* ¶ *Tunc temporis*] פעם pro *incude* ſunt etiam inter Hebræos qui accipiant: ſed non alium locum adducunt ut hanc ſententiam confirment. *Ictum* autem ſignificare nemo negabit: hinc pro *vice.* Exempla ſunt obvia. Ego ut adverbium accipiendum hîc putarem, pro *viciſſim;* quod *malleator exhortaretur eum qui iteratis vicibus,* vel *eum qui ſecum viciſſim tundebat.* Vulgatus pro adverbio Temporis accepit, neque malè: ſenſus enim idem eſt, ſicut Num. 24. 1. כפעם בפעם reddidit *ſicut antè:* ſenſus autem eſt, *ſicut ſemel atque iterum.* ¶ *Glutino*] לדבק, à verbo quod *adhærere* ſignificat, dicunt Hebræi nomen hoc ſignificare *conjuncturam* ſeu *adhæſionem:* hinc pro *glutino* accepit Vulgatus. Poſſumus tamen aliis punctis accipere pro nomine participiali, D A B E C, i. *adhærens, aſſecla, qui lateri alterius adhæret;* ut ſit ſenſus, *Dicens faber & malleator adhærenti ſibi, bonum eſt,* vel *bene eſt, jam aptum eſt & perfectum, nihil ſuprà: tùncque clavus ferreis illud confirmabant, ne moveretur.* Sunt autem qui hos tres verſus de gentibus, quæ audito quod propoſuerat Deus de Abrahamo, timentes cauſæ ſuæ, ſeſe mutuò ad idola defendenda adhortabantur. Sed verba priori expoſitioni magis ſuffragantur. Nam de ſtudio conſtituendorum idolorum & ſeſe adverſùs cultores Dei inviſibilis cohortantium videtur eſſe ſermo. Interim tamen mirè idolorum vanitatem elevat, & idololatrarum veſaniam amplificat. Huc quodammodo facit cohortatio illa Philiſthinorum 1 Sam. 4. quando adveniſſe Arcam Dei in caſtra Iſraelitica intelligentes timuerunt & ingemuerunt, *Væ,* dixerunt *nobis: quis nos ſalvabit de manu Deorum ſublimium iſtorum? Hi ſunt Dii qui percuſſerunt Ægyptum omni plagâ: Confortamini, & eſtote viri, Philiſthim, ne ſerviatis Hebræis: confortamini, & bellate,* &c. Ad hunc modum hæc verba Prophetæ accipio. Nam ab hiſtoria illius temporis & Abrahamo paulatim ad poſteros Abrahæ tranſit, & ea quæ pro eis geſſit Deus, ac tandem ad veros filios Abrahæ, paucos illos qui fidem ſervarunt. Quas tranſitiones qui non ex frequenti Prophetarum lectione animadvertunt, miſerrimè decipiuntur hærentque ſæpius, & quò ſe vertant neſciunt. Saltem quæ hoc loco eſt manifeſta ſane eſt.

8. *Iſrael, Jacob, ſemen Abraham*] Jam vides quòd ad poſteros Abrahæ vertat ſermonem. Non enim ſolùm in ipſius Abrahæ perſona ſe Deus Deum eſſe oſtenderat, ſed multò etiam magis in ſemine ipſius. Iſraelitas ergo cohortatur nè ſibi ab ullis hoſtibus timeant, quòd ipſum habeant Protectorem, &c.

6. *In quo apprehendi te*] Poteſt juxta conſuetudinem Hebraici ſermonis in relativo אשר includi præpoſitio, quam expreſſit Vulg. q. d. Dominus, quòd dum *vocavit* & *apprehendit* Abrahamum, in ipſo apprehenderit ejus poſteritatem. Sive autem ità accipias, ſive non, vertáſque relativum & pronomen

affixum

affixum per relativum tantùm, ut superiori versu, *quem elegi te*, i. *quem elegi*, & usus linguæ Hebrææ postulat, sensus tamen idem est: nam hoc innuit Deus, quòd quando è Chaldæa vocavit Abrahamum, in eo filios ejus vocaverit. Unde de *Israele*, i. Israelitis, dicit, quòd *ab extremis terræ eos vocaverit*. ¶ *A longinquis ejus*] Nomen Hebræum *cubitos* designat. Attribuit autem Hebraismus Metaphoricè Mari & Terræ *manus* & *brachia*, quòd sinus recessúsque habeant. Quod ergò dixit *ab extremitatibus*, idem repetit *à brachiis* seu *cubitis* seu *recessibus*; ad quos se veluti brachiis ostendit. Sensum vertit Vulgatus. Habent autem appellationem hanc *cubiti* quòd sub eis quidquam asservemus. Credo esse quas Latini *axillas* vocant; & pro *concavitatibus* accipi hoc loco, i. abstrusis locis, unde videbamini vix educi posse: ut de eductione ex Ægypto in hoc secundo membro possit esse sermo. ¶ *Elegi te*] Quando eum in populum sibi peculiarem *elegit* ex omnibus populis, *neque unquam illos abjecisse* dicitur; quia ex illis Christus Dominus secundùm carnem & reliquiæ sanctæ prodierunt, ex quibus constat Regnum Dei, quod est omnium seculorum.

10. *Quia ego tecum*] *Dominus mihi adjutor; non timebo quid faciat mihi homo: Dominus protector vitæ meæ; à quo trepidabo?* ¶ *Nè declines*] Vel *divertas*. שעה est *animadvertere*, licèt juxta variam constructionem variè reddi debeat. Possemus etiam hîc reddere, *ne advertas*; i. nè solicitus sis, nihil cures, nè circumferas oculos, ut quorum mens vacillat. Et quia est in quarta, potest esse sensus, *nè temetipsum respicias*, i. nè ad te viresque tuas attendas, sed ad meipsum, qui sum Dominus *Deus tuus*, qui te foveo, adjuvo, sustento nè cadas. Et istæ sunt propriæ verborum Hebræorum significationes; atque hanc ultimam interpretationem libenter amplector. ¶ *Dexterâ justi mei*] Heb. *justitiæ meæ*. Vulg. accepit ut suprà v. 2. & de Mose vel Christo Domino possumus interpretari. Si autem de *justitia* Dei, i. bonitate, ut sæpe accipitur, nomen צדק intelligimus, planus sensus est, quòd *Deus pro bonitate sua illos sustentarit, protexerit*, &c. Quos autem Deus sic suscipit & fovet, *nemo de manu ejus poterit eripere*. Ut sit quod non uno loco Dominus testatur, *Propter semetipsum eos protexisse, propugnasse atque liberasse*. Neque enim quæ sequuntur ad tempora Mosis vel alterius *justi* tantùm referri possunt, nisi Christum Dominum intelligas, qui & *Justus* & *Justitia Dei* dicitur. Verùm ut quod sentio semel dicam, hîc recenset Propheta nonnulla beneficia quibus Dominus affecit populum illum, sed verbis adeò genericis ut & ad Mosis tempora & ad posteriora referri possint, nimirum quia & Typum & Veritatem simul insinuare volebat Jesaias, ut sequentia manifestè ostendent. Typum ergò & Veritatem enarrabimus: nam hoc esse Christianè & propriè Prophetas interpretari, non dubitabit doctus ac pius lector.

11. *Ecce confundentur*] Deo protegente suos, hæc sunt quæ hostibus obveniunt, Pudor, Ignominia, Perditio & omnimoda Abolitio: quod iterum atque iterum repetit, quia cum infidelibus loquebatur. Exemplo sunt Ægyptii, & gentes quæ in Palæstina degebant. ¶ *Viri qui contradicunt tibi*] Heb. *viri litis tuæ*, quem doctè mollivit Vulg. Interpres.

12. *Quæres eos*, & non] Phrasis est usitata Hebræis quâ absolutam perditionem notant. *Adeò*, inquit, *abolebuntur, ità penitus tollentur, ut quamvis magno studio eos quæras, invenire non possis*. In Ps. *Quæsivi eum, non est inventus locus ejus*, &c. ¶ *Viros rebelles*] In recto legendum est, *viri rebelles*. Etiam hîc Hebraismum doctè vitavit, sicut mox *viros belli tui* vertit *bellantes adversùm te*; quos ego in versione retinui, quòd perspicui essent. ¶ *Quasi consumptio*] Hæc propria est significatio vocis אפס, *consumptio, defectus*, &c. i. quod absumptum & deletum est.

13. *Apprehendens manum*] Planior est oratio, licèt sensus idem, si vertas *qui apprehendo dexteram tuam, dicens*. Neque enim est conjunctio in Hebræo, sed est ה, cujus munus est aliquando ut additum verbo sit relativum, ut Gen. 46. *Omnis anima domûs Israel quæ venit*. Ps. 18. *Qui cingis me virtute*, &c. Exprimit autem humano more gestum ejus qui alteri auxilium & operam suam pollicetur. Solet hoc fieri apprehensâ dexterâ: quod symbolum erat federis & amicitiæ. ¶ *Adjuvi*] Scito, inquit, me non defuturum tibi: ità firmiter apud te statue ac si res jam peracta esset.

14. *Vermis*] A *rodendo* dictus est hoc nomine vermiculus qui lignum corrodit. Græci τερηδόνα, Latini *teredinem* dicunt. Est autem nomen contemptûs, ut Job. 25. *Quantò magis Homo vermiculus, & filius hominis vermis*: & Ps. 22. Existimo autem Prophetam in his verbis insinuare statum Israelitarum, quando à peccato quasi funditus vastati, paucissimi fideles reperti sunt, contemptibiles & nullius pretii homines: quos elegit Deus, *ut confunderet fortia*, &c. Hujus interpretationis signum dat locus Luc. 12. ubi Dominus ad discipulos suos dicit, *Nè timeas, pusille grex: quia complacuit Patri dare Regnum*, &c. Nam quod sequitur, ¶ *Et qui mortui estis ex Israel*] i. Quasi mortui reputati, & ut D. Paulus de se & sociis ait, quòd essent *novissimi, & veluti morti destinati*, reddi potest ex Hebræo, ut in versione nostra vides, *pusille Israel*, i. pusille Israelitarum grex. Nam à verbo מות *mortuus est*, est nomen מתים, quod interdum *mortuos*, interdum idem quod Latinis *mortales*, seu *homines*, à conditione sua, significat: licèt Massoritæ variis motionibus illud efferant, ut æquivocationem vitent. Interdum etiam sign. *exiguum, pusillum & infirmum cœtum*, qui est velut mortuus & mactationi expositus, præsertim si jungatur nomini מספר, *numerus*, aut adverbio מעט *parùm*. Gen. 34. *Ego verò paucus numero*. Deut. 33. *Tribus ejus sit pusilla numero*: & 26. 5. *Descendens in Ægyptum peregrinatus est ibi cœtu modico*. Et Ps. 105. cum utraque dictione construitur, ut superlativum significet, מתי מספר כמעט, i. *paucissimi & nullius pretii homines*. Hîc autem licèt sine illis vocibus sit positum, tamen non simpliciter pro *viris* positum apparet, neque pro *mortuis* absolutè, sed pro *hominibus qui pro mortuis habentur*; quales Apostolus se & Coapostolos non semel describit. Si typum hîc quæris, recole tempora illa de quibus Ps. 105. *Cùm essent numero brevi*, &c. *Pertransierunt de gente in gentem, non reliquit homines nocere eis, & corripuit pro eis Reges. Tandem auxit populum suum vehementer, & firmavit super inimicos ejus*, &c. Si autem veritatem, recole tempus illud quo Dominus Discipulis dicebat, *Nolite timere, pusille grex, quia complacuit Patri vestro*, &c. quibus *dedit potestatem calcandi super serpentes & omnem virtutem inimici: & nihil illis noceret*, quos per universum orbem fecit victores pergere, &c. ut hoc sit quod seq. versu continetur, quo *similes illos facit trahæ*, seu *rastro acuto, & novo, & dentato*, &c. De qua victoria in sequentibus plura.

15. *Quasi plaustrum*] Nomen *traham* notat, seu *rastrum*, quo funibus bobus aut aliis animalibus alligato glebæ conteruntur. Nam glebis comminuendis adhiberi traham & tribulam legis Georg. lib. 1.

Tribulàque, traheaque, & iniquo pondere rastri.

Et nonnullis in regionibus eisdem ferè instrumentis grana excutiuntur ex paleis. *Plaustrum* dixit Vulg. idem omnino volens significare. ¶ *Triturans*] חרוץ *acutum*. De sensu tantummodo fuit solicitus Vulgatus: quare & *rostra serrantia* dixit, cùm in Hebræo sit nomen unum tantùm plur. פיפיות, quòd *multa habeat ora* seu *acumina*: habent enim illa instrumenta plures quos vocamus *dentes*. Nomen autem *oris*, quo cibos incidimus, tribuunt Hebræi Gladiis & aliis rebus. Ab *ore* etiam apud Græcos, quod vulgò *aciarium* ab *acie*, quæ ex eo confici solet, dicimus, στόμωμα appellatur. Quidquid quoque aliquâ re præditum est, Hebræi vocant *dominum* illius rei. Sic hoc loco Rastrum vocat *dominum dentium* seu *acierum*. ¶ *Triturabis montes*] Pro *glebis* hic substituuntur *montes* & *colles*, i. Reges ac Tyranni: Quos Israelitæ in typo subjugarunt, quósque Apostoli in veritate verbo Dei pedibus suis subjecerunt, *in captivitatem redigentes omnem altitudinem extollentem se*, &c. Hos *quasi in pulverem redegerunt*, quos humillimos reddiderunt & præceptis piscatorum parentes.

16. *Ventilabis eos*] Hîc jam eos Paleis & Quisquiliis comparat, quos suprà *montes* & *colles* vocaverat. Antè quàm enim subjugarentur, *montes* erant: postea levissimis istis rebus comparantur, in quas vim suam liberè ventus exercet. Et quidem corporaliter olim Israelitæ eos abstulerunt & in nihilum redegerunt: spiritaliter autem vi Spiritûs S. Apostoli eos debellarunt, &c. ¶ *Exsultabis*] Quanta fuerit *exsultatio* Israelitarum cùm se viderunt dominos Regnorum exterorum, omnibus notum est. Quanta quoque fuerit *gloriatio* Apostolorum cùm viderunt subjectas fidei nationes Gentium, quis explicare possit? De hac jam nonnihil dictum est suprà cap. 9. *Exsultare* autem *in Domino* dicit Hebraismus pro *sanctè* & *piè exsultare, Deo honorem & gloriam impendendo*, &c. Hîc quoque recole internecionem Ægyptiorum, quos demersit Deus in mari, neque ultrà eos viderunt; simul etiam exsultationem Israelitarum quæ Cantico illo Mosis continetur, *Cantemus Domino*, &c. Ægyptii enim fuerunt viri litis, rixæ & belli: horum superbiam contudit Dominus, &c. Quæ omnia in figura contigerunt illis.

17. *Egeni & pauperes*] Si hæc de itinere filiorum Israel per desertum velis accipere, tanquam de typo omnia conveniunt. Non enim desertum illis fuit desertum, sed tanquam paradisus deliciarum. Non defuerunt aquæ, neque panis de cœlo: & pro umbrosis arboribus, nubes æstûs tempore, &c. Imò cùm miraculo non uno loco

loco erupissent fontes, quis dubitet quin & hujusmodi arbores, quas hîc commemorat Propheta, illic creverint tot annorum spatio? Sed nihilominus multò aptiùs mysterio & veritati isthæc conveniunt. Nam *pauperculi* Discipuli Domini & omni humano *auxilio destituti aquis* & consolationibus cœlestibus refecti sunt. Et genus illud vitæ horridum & necessitatibus atque afflictionibus refertum, quod Discipuli Domini ducebant, in delicias versum est; & tristitia eorum versa est in gaudium. Nam *egentes, multos locupletabant, & nihil habentes, omnia possidebant*, &c. Unde & Dominus in Euangelio ait quòd *flumina de ventre credentium in se orirentur*, &c. quod *dicebat de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum*, ut ipse Joannes interpretatur.

18. *In supinis*] Alii legunt *supremis*. Vox Hebræa שפי *præcipitium* seu *præruptio* est. Ergò hic *super præcipitiis* reddere possumus, i. abruptis, excelsis atque inviis. ¶ *Rivos aquarum*] Optimè reddidit *rivos*. Ego Etymologiam retinui, nè ignoraretur: à verbo enim יצא *egressus est* dicitur nomen, *exitus, egressus*, &c. *Egressus aquarum* est scaturigo. *Egressus oris* est eloquium, ut Deut. 8. *Sed in omni egressu oris Jehova vivit homo*, i. in eo quod præcipit, promittit aut loquitur: item 23. & Psal. 89.

19. *Spinam*] שטה quæ arbor sit ignoramus. Theodotio *spinam* vertit. Et Hieronymus scribit esse *genus arboris nascentis in eremo, Spinæ albæ habentis similitudinem: ex quo Arca federis & omnia instrumenta lignea Tabernaculi fabrefacta sunt*. Et addit *lignum esse imputrescibile, & levissimum omnium lignorum, tam in fortitudine quàm in nitore soliditatem & pulcritudinem superans*. Sed si in eremo nasci solet, quid mirum quòd *in solitudine daret Deus sittam*, &c. Quare etsi infrugiferæ sint hujusmodi quæ hîc commemorantur arbores, non in desertis nasci eas passim meritò quis credat, atque ad confectionem Tabernaculi aliunde allatas, præsertim cùm ad construendam Arcam & instrumenta Tabernaculi non magna lignorum quantitas necessaria fuerit. Post *rivos* autem *aquarum* quos in solitudine illa Deus dedit, non dubito quin omnes istæ arbores illic ortæ fuerint. ¶ *Ulmum*] Qualis etiam arbor sit TIDHAR ignoratur. Certè à *fremitu* seu *fragore* videtur dicta quem à ventis agitata edit. Hieronymus *ulmum* vertit. Sunt qui *pinum* putent, quasi à *resina* appellationem habeat, aut à *splendore* quem si accendatur edit: nam דהר *resplendere* est Chaldæis atque Hebræis, licèt plerumque ad spiritalem lucem quæ adhortatione & commonefactione fit transferatur. At quantam cognationem habeant literæ ד & ר est manifestum. Hinc existimo vocem Latinam *Teda* originem ducere, quæ primò arborem notat ex earum genere quæ resinam ferunt, abundantiorem succo reliquis ejusdem generis, Græcis δᾴς, δᾴδιον. Impropriè deinde dicuntur *Tedæ* partes imæ piceæ sativæ, atque alia ligna quæ vel naturali pinguedine vel oleo picéve illita faculæ modo lucent. ¶ *Buxum*] Appellationem habet Hebræis *à felicitate*, quia semper vireat & multitudine foliorum luxuriet.

20. *Ut videant, & sciant*, &c.] i. Ità ut negare nemo possit hæc beneficio Dei invisibilis fieri, cùm nulli alteri populo alterius Dei cultori similia unquam contigerint quæ Israelitis jussu Dei per desertum iter facientibus contigerunt; imò qualia Deus veris Israelitis postea præstitit. Quæ si quis pro dignitate consideret, non poterit non agnoscere nullius alterius virtute hæc evenire potuisse nisi veri Dei. Quis negabit Christum esse verum Deum si consideret dona & virtutes ipsas quæ de cœlo ipsius Discipulis Divinitatem ejus prædicantibus concessæ sunt? Certè adventus Spiritûs S. testimonium perhibuit veritati: & *prædicatio* ipsorum *erat in signis & prodigiis & virtute multâ*, ut testatur Paulus. ¶ *Et recogitent*] Ad verb. est in Hebræo *ut ponant*: שים enim *ponere* est. Et quando pro *cogitare* & *presse attendere* accipitur, solent Hebræi nomen *cordis* apponere, ut 2 Sam. 18. *Non apponit ad nos cor*, i. non curat, &c. Et *ponere in corde* est quod Poeta dixit *altâ mente reponere*. Interdum tamen (ut hoc loco vides) absolutè accipitur pro *recogitare*, ut Vulg. vertit, ut etiam Job. 4.

21. *Prope facite*] Hactenus causam suam Deus verus egit, & ex operibus suis, nempe quæ cum Abrahamo & posteritate ejus egerit, ostendit se verum Deum esse. Jam Gentes urget ut causam deorum suorum non deserant. קרבו *coram afferte, accedere facite*, i. *proponite, jam causam vestram*. ¶ *Si quid forte*] *Forte* hic nomen est; i. Si argumenta alicujus roboris habetis, adducite ea, quibus confirmetis deorum vestrorum Divinitatem. עצמות enim sunt *confirmationes* seu *corroborationes quas quisque pro se in judicio affert*, quæ sunt in oratione veluti Ossa & Nervi in corpore. ¶ *Rex Jacob*] Datâ operâ *Regem Jacob* hîc vocavit ipsum Deum in sugillationem deorum aliarum gentium, quæ cùm eis cultum tanquam diis exhibeant, ab eis tamen non reguntur neque proteguntur sicut Israelitæ à Deo suo.

22. *Accedant*] Vel, *Adducant*, inquam, *afferant confirmationes*. Quia verò posset Divinitas comprobari vel ex prædictione futurorum vel etiam enarratione præteritorum, i. quæ jam olim fecissent, urget, ¶ *Priora, quæ fuerunt, nunciate*] Ad verb. *priora, aliquid ecce nunciate*, i. *quidquam eorum quæ præcesserunt, coràm nunc narrate nobis*. ¶ *Et ponemus cor nostrum*] Sic omnino habent Hebræa: de quo suprà v. 20. ¶ *Et sciemus novissima eorum*] Si quidquam, quæ olim fecerint, nobis annunciaveritis, indè ratiocinantes, quænam futura deinde quoque sint intelligemus. *Eorum* in Hebræo est pronomen femininum, & ad *Deos* referri non potest sed pro neutro accipiendum est, q. d. Ex his quæ Deus cum patribus nostris operatus est licèt conjectari quem finem illæ res habituræ quoque sint (ut in superioribus exposuimus) tanquam ex umbris veritates: Ità si qua priorum nobis annunciaveritis quæ dii vestri operati sint, colligere aliquâ ratione poterimus earum rerum exitum, atque finem aliqua ex parte intelligemus. ¶ *Et quæ ventura sunt*] Particulam ו ut disjunctivam (sicut Levit. 1. *de turturibus vel de pullis columbæ*) hîc libenter accipio; & non tam *ventura* quàm *venientia* interpretor vocem האתיות, i. *instantia, & quæ jam à tergo instant*: q. d. Si neque futura prædicere neque præterita enarrare possunt, saltem vel quæ jam veniunt, quæ vel mediocriter prudens vir prædicere aut annunciare posset, nos percipere faciant.

23. *Annunciate*, &c.] Iterum repetit utrumque membrum, urgétque ut ex altero istorum capite ostendant se esse deos: *Vel quæ postmodum futura sunt nunciate, vel quidquam boni aut mali facite, ut sciamus vos esse Deos*. ¶ *Et loquamur*] Potest esse sensus, *Et versis vultibus ad nos mutuò pariter rem examinabimus, atque tractabimus quonam honore digni sitis*, &c.

24. *Ecce vos*, &c.] Obmutescentibus tam Idolis quàm ipsorum cultoribus, concludit ipse Deus summa cum detestatione atque contemptu: q. d. *Quid urgeo? quid immoror? Ecce multò minus quàm nihilum estis. Et tantum abest ut aliquid boni aut mali facere possitis, ut opera vestra inania & nulla prorsus sint, & minus habeant ponderis quam sibilus quidam*, &c. Vulg. præpositionem Mem pro *à* vel *ex* accepit, ut sæpe solet. *Esse* autem *ex nihilo* hoc loco est Esse fictitios deos, neque ab aliqua veritate ortum habuisse, sed inani & stultâ imaginatione quorundam hominum, quos nomine *abominationis* statim notat. Possumus autem Mem pro particula Comparationis sumere; & sensus erit quem jam apposui.

25. *Suscitavi*] Videtur esse conclusio prædictorum, cum quadam illorum capitum duorum repetitione: q. d. *Me ergò pro Deo colere deberet totus orbis, qui quæ præcesserunt feci; quæ videlicet jam audistis, nempe quòd vocaverim ab Oriente, videlicet à Chaldæa, Abrahamum; & deinde ab Aram, quæ ad Septentrionem sita est. De quo, cùm esset mei nominis cultor, & me solum pro Deo coleret, & ipse per se & posteros suos Reges conculcarit quasi lutum, nemo dubitare potest an id virtute meâ fecerit*. Alterum autem caput, de futurorum eventu, repetit v. 27. Atque hunc puto germanum hujus loci sensum. ¶ *Vocabit nomen meum*] Ad verb. *Vocabit in nomine meo*: i. Invocabit nomen meum; vel *vocabitur in nomine meo*, i. me colet, vel mei cultor appellabitur: & est futurum pro præterito. ¶ *Adducet* (vel *invadet*) *magistratus*] סגנים sign. *magnates in magistratu*: sicut & Berosus scribit significare *illos qui magni sunt, & Pontificatu funguntur*. Quàm facili autem negotio & Abraham quatuor Reges, & Israelitæ plurimos conculcaverint, notum satis ex S. Historia est.

26. *Quis annunciavit*] *Quis ex vobis, ô dii, harum rerum seriem prius cognovit aut prædixit? dicite* supple, *ut sciamus quisnam vestrûm sit*. ¶ *Et à principio*] Idem repetit: *& dicite quis antea istas prædixerit, & eum justum pronunciabimus*, i. laudabimus, & ejus laudes decantabimus. *Justificare* enim quenquam in S. literis interdum est idem quod *laudibus celebrare*: nam justorum tantùm laus est, & justi tantùm sunt digni laude. Vel potiùs hic *justum pronunciare* est pro *absolvere* & *sententiam pro ipso ferre*. Superiùs enim deos & deorum cultores quasi in judicium vocaverat. *Si quis*, inquit, *vestrûm est qui præterita antè quàm evenirent prædixerit, dicite quis sit, & victor ex judicio prodibit palmámque referet: neque erit cur deinceps dicamus quòd non sit Deus: Imò ab hac labe immunis pro Deo deinceps habebitur*. ¶ *Sed non est*, &c. Optimè reddidit Vulg. sensum; *Sed frustrà exspectamus: non est quisquam qui annunciet; nemo est qui audire faciat; neque est qui vel vos mussitantes audiat, aut aliquod verbum ex ore vestro percipiat*.

27. Pri-

27. *Primus*, &c.] Verbum *dicet*, supplevit Vulg. Ad verb. sic habent Hebræa, *Primus Tzioni, Ecce, ecce ipsi*, i. adsunt. q. d. *Nec præterita fuit qui annunciaret ante quam venirent, neque futura: Ego primus omnium Tzioni dico, Ecce, ecce adsum*, nempe qui ea quæ futura sunt tibi annuncient; *& ego primus omnium sum qui ipsi Jerosolymæ dabo qui fausta annunciet*. Ponitur enim sing. מבשר pro plur. *Non solum potens sum futura prædicere, sed facio ut homines ea prævideant & annuncient.* Nam de redeuntibus à captivitate, ut quidam interpretantur, nimis alienum est. Illud ergò *adsum*, quod in vulgatis Bibliis legitur, in tertiam personam *adsunt* est mutandum: & ita in Commentariis Hieronymus interpretatur & legit. Intelligit autem Prophetas, quos Dominus semper Israelitis dedit, qui de futuris eos admonebant ac certiores faciebant, præsertim autem ipsum Jesaiam Prophetam, quem fortè hoc loco Dominus *Euangelistam* appellat, qui deinceps plurima de Regno Christi annunciat. Est autem Christus ex semine illius *justi* quem *ab Oriente suscitavit* Dominus. Atque ità manifestum apparet his verbis Prophetam sibi viam muniisse ad sequentes de Christo Prophetias.

28. *Et vidi*] Ego Jesaias, an me hæc pro Domino proponente vellet quisquam suorum deorum Divinitatem ostendere; etsi non primo loco, saltem secundo post Deum nostrum vellet quisquam futura prædicere. ¶ *Et non vir*] i. Nemo affuit. ¶ *Neque ex istis*] Heb. *& ex illis, & non consiliarius*; i. & vidi an ex illis esset quisquam qui consultaret cum altero quidnam facto opus esset. Quorum silentium cùm animadverterem, *interrogavi eos* an haberent quid dicerent, *& non reddiderunt ullum responsum.* Est enim repetenda negatio more Hebræo. Quare Vulg. mutatâ orationis formâ sensum doctè & eleganter expressit.

29. *Omnes injusti*] Vox און, de qua jam sæpius dictum est, non *injustitiam* propriè notat, sed *innatam illam concupiscentiam atque vim, omnis injustitiæ caput atque originem*: deinde etiam & quidquid *insuave* & *noxium* est notat; ideòque de Idolis sæpe dicitur. Dicit ergò *omnes* Gentium deos esse meram hominum *concupiscentiam*, & absque ulla ratione inventos: sed solâ stultâ quadam *concupiscentiâ* voluisse singulos Numina sua habere, sibique propitia; quare unusquisque sibi deos finxit. ¶ *Vana opera eorum*] Vel *nihilum*. Nihil enim prorsus agunt. Ipsa quoque *simulacra* seu *fusilia* quidam *ventus & inane* sunt, i. res nullius momenti, &c. Omissis ergò ipsis, transit ad res solidas & admiranda opera, quæ Spiritu Dei plenus Propheta prævidebat facturum Dominum futuris temporibus.

DRUSIUS.

1. החרישו אלי איים. Th. *Silete ad me, insulæ.*] In ed. τ̃ ὁ Ἐγκαινίζεσθε, i. חדשו per Daleth. Eusebius, παρασιωπᾶσθαι δηλοῖ τ̃ νήσοις κ̄τ̃ τ̃ Θεοδοτίωνα κωφεύειν κ̄ σιγᾶν, i. *obmutescere & silere.*

7. אמר לדבק טוב הוא. Aq. Sym. Th. *dicit, Ad conglutinationem bonum est*] Theodoretus, *h. e. Bene compacta est & artificiose concinnata.*

8. זרע אברהם אהבי. Sym. σπέρμα Ἀβραὰμ τοῦ φίλου μου *semen Abrahæ amici mei*. Aq. σπέρμα ἀγαπητοῦ μου *semen Abrahæ dilecti mei*] Euseb. in Symbolis, pag. 8.

14. תולעת יעקב. Cæteri, σκώληξ Ἰακὼβ *vermis Jacob*] Vide Procopium. Hier. *Hoc quod posuimus*, Ego adjuvi te, noli timere, vermis Jacob, *in Lxx non habetur*, ἐγὼ ἐβοήθησά σοι μὴ φοβοῦ, σκώληξ Ἰακώβ.

19. אתן במדבר ארז שטה והדס ועץ שמן אשים בערבה ברוש תדהר ותאשור יחדו. Cæteri, *Cedrus, setta, & myrtus, & lignum olivæ, * & abies, & ulmus, & buxus simul*] שטה. Th. *spinam*. Hier. *Juxta Ebraicum & cæteros Interpretes*, Cedrus, setta, & myrtus, *&c. Quæ varietates arborum diversitatem significant gratiæ spiritualis. Et quia omnibus natura earum nota est, de Setta tantum Ebraica disseramus. Est autem genus arboris nascentis in eremo, spinæ albæ habens similitudinem; unde omnia ligna Arcæ & Tabernaculi facta sunt instrumenta, quæ appellantur Settim: quod lignum imputribile & levissimum, omnium lignorum tam in fortitudine quam in nitore soliditatem superat & pulcritudinem.*

21. הגישו עצמותיכם. Sym. φέρετε εἰς μέσον τὰ ἰσχυρὰ ὑμῶν, *adducite in medium fortia vestra.* Th. — κραταιώματα ὑμῶν *firmamenta vestra*] Videndus Theodoretus. In Symbolis, *Sym. Firmamenta vestra, h. e. idola vestra.* In ed. Rom. *Theodoretus*, φέρετε εἰς μέσον τὰ ἰσχυρὰ ὑμῶν. ὁ κ̄τ̃ τ̃ Θεοδοτίωνα, κραταιώματα ὑμῶν.

25. העירותי. Lxx ἤγειρα *excitavi*] Hier. in persona Dei, *Hæc quæ ego juxta consuetudinem Prophetalem fecisse me dico; quasi jam præterita sint, vel, juxta Symmachum, futura polliceor, nullus Dæmonum & idolorum potest prædicere.*

IDEM EX PROCOPIO.

1. החרישו אלי איים. Sym. Δουλεύσατε ἐπ' ἐμὲ, νῆσοι, *Servite mihi, insulæ.* A. Κωφεύσατε πρός με, *Surdi estote apud me.* Lxx ἐγκαινίζεσθε, i. החדישו per Daleth] Hier. *taceant ad me.* Κωφεύσατε reddi etiam potest *obmutescite*. Nam κωφὸς tam *mutum* quàm *surdum* denotat. Hier. in Comment. Matth. 9. κωφὸς *sermone communi surdus magis quàm mutus intelligitur. Sed moris est Scripturarum* κωφὸν *indifferenter vel mutum vel surdum dicere.* Interpres Procopii, *Tacete apud me.* ¶ ולאמים. Sym. κ̄ ἔθνη *& gentes.*

2. לפניו. Sym. ἔμπροσθεν αὐτοῦ *coram eo.* Th. κ̄τ̃ πρόσωπον αὐτοῦ *ante faciem ejus.* ¶ כעפר. A. Sym. Th. ὡς χοῦν *tanquam pulverem.* ¶ כקש נדף. Lxx ὡς φρύγανα ἐξωσμένα. Th. ἐξωθούμενα *expulsa.*

3. לא יבא. Th. οὐχ ἥξει *non veniet.*

4. קרא הדרות מראש. Th. ὁ καλῶν τὰς γενεὰς ἐξ ἀρχῆς; *qui vocat generationes à principio.*

5. יחרדו. Th. ἐξέστησαν. ¶ קרבו ויאתיון. A. ἤγγισαν κ̄ ἦλθον, *appropinquarunt & venerunt.*

6. איש את רעהו יעזרו ולאחיו יאמר. A. Ἀνὴρ τὸν ἑταῖρον αὐτοῦ βοηθήσει, κ̄ τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ εἶπε, *Vir alterum suum juvabit, & fratri suo dixit.*

7. לדבק טוב הוא. A. Th. τῇ κολλήσει ἀγαθόν ἐστιν; *visco* [aut *glutini*] *bonum est.* Sym. εἰς κόλλησιν ἀγαθόν ἐστιν, *ad conglutinationem bonum est.*]

8. ואתה ישראל עבדי. οἱ λοιποί. Σὺ δὲ, Ἰσραὴλ δοῦλέ μου, *tu autem, Israel serve mi.*

9. ומאציליה. Sym. τ̃ ἀγκώνων αὐτῆς *cubitis ejus*] Interpres, *montium verticibus.* Forte sign. angulos terræ, aut sinus, aut anfractus. אצילים propriè *axillæ*. Alii reddunt *principes*, alii aliter. Lxx κ̄ ἐκ τ̃ σκοπιῶν, *& à speculis.* Interpres, *& à summitatibus.* Vide, si placet. ¶ עבדי. οἱ λοιποί, δοῦλός μου *servus meus.*

13. אני יהוה אלהיך. A. Sym. Th. ἐγὼ Κύριος ὁ Θεός σου; *ego Dominus Deus tuus.* ¶ אני עזרתיך. Iidem, ἐγὼ ἐβοήθησά σοι *ego juvi te.*

14. אל תיראי תולעת יעקב. Iidem, Μὴ φοβοῦ, σκώληξ Ἰακώβ, *Ne metue, vermis Jacob.* ¶ מתי ישראל. Sym. ἀριθμὸς Ἰσραὴλ *numerus Israel.* A. τεθνεῶτες Ἰσραὴλ, *defuncti Israel.* Th. νεκροὶ *mortui.* ¶ קדוש ישראל. A. Sym. Th. Ἅγιος Ἰσραὴλ, *Sanctus Israel.*

16. תזרם ורוח תשאם. Sym. Th. Λικμήσεις αὐτοὺς, κ̄ ἄνεμος λήψεται αὐτοὺς, *Ventilabis eos, & ventus capiet eos.* A. Λικμήσεις αὐτοὺς, κ̄ ἄνεμος ἀρεῖ αὐτοὺς, *Ventilabis eos, & ventus tollet eos.* ¶ וסערה. A. κ̄ λαῖλαψ *& procella.* ¶ ואתה תגיל ביהוה בקדוש ישראל. A. Sym. κ̄ σὺ ἀγαλλιάσῃ ἐν Κυρίῳ, καὶ ἐν τῷ Ἁγίῳ Ἰσραὴλ, *& tu exsultabis in Domino, & in Sancto Israel.* ¶ תתהלל. A. Th. καυχήσῃ *gloriaberis.* Sym. ἐπαινεθήσῃ *laudaberis.*

17. העניים והאביונים מבקשים מים ואין. Οἱ πτωχοὶ καὶ ἐνδεεῖς ζητοῦσιν ὕδωρ, καὶ οὐκ ἔστιν; *Pauperes & egeni quærunt aquam, & non est*] Aliàs ἔσται *erit.*

18. לאגם מים. Aq. Sym. Th. — ὑδάτων — *aquarum.*

19. בערבה ברוש תדהר ותאשור. Sym. ἐν τῇ ἀβάτῳ κυπάρισσον, πτελέαν † καὶ πύξον, *in invio cyparissum, ulmum & buxum.* A. ἐν τῇ ἀβάτῳ ἐλάτην, &c. *in invio abietem.*] † Scribo πτελέαν. Hier. hic habet, *abietem, ulmum & buxum.* Arabicè Dirdar, *ulmus.*

21. הגישו עצמותיכם. Sym. ἐγγίζετε τὰ ἰσχυρὰ ὑμῶν, *appropinquare facite fortia vestra.* A. στερεώσεις *firmamenta.*

22. לנו. A. Sym. Th. ἡμῖν *nobis.* ¶ הראשנות. Sym. τὰ πρῶτα *prima.* Th. τὰ ἀρχαῖα *antiqua.*

29. הן כלם און אפס מעשיהם רוח ותהו נסכיהם. Th. ἴδε πάντες αὐτοὶ ἄδικοι, οὐδὲν τὰ ἔργα αὐτῶν ἄνεμος καὶ κενὸν τὸ χώνευμα αὐτῶν, *Ecce omnes ipsi injusti, nihil sunt opera eorum, ventus & inane fusile ipsorum.* — ἄτοποι * καὶ ματαιότης οἱ πλάσσοντες ὑμᾶς * ἄνεμοι, ἴσως. Locus non vacat suspicione mendi.

GROTIUS.

1. *Taceant ad me insulæ*] In Hebræo, *Tacete*, sed sensu eodem; id est, cum silentio, admiramini. At Lxx lege-

legerunt non החרישו [*tacete*], sed חדשו [*innovate*]; vertunt enim ἐγκαινίζεσθε.

Et gentes mutent fortitudinem] Cùm populi (id est, Judæi) *novas acquirent vires*: est enim repetita locutio ex eo quod præcessit XL. 31. Frequens est sacris literis לאמים, id est λαὸς [*populos*], vocare Judæos, cæteros גוים [*gentes*], aut ut hîc איים [*insulas*].

Tunc loquantur] Postquam admirando defessæ erunt gentes, tunc loquantur, & causas intelligant. Quod in Abrahamo fecit Deus, idem se ait fecisse in ejus posteris; idque meritò, ob unius cultum ab aliis neglectum.

2. *Quis suscitavit ab Oriente justum*] In Hebræo est *justitiam*. Sed frequens Hebræis abstracta ponere pro concretis. *Justum* dicit Dei unius cultorem Abrahamum. Nihil enim justius quàm cum pro Deo haberi qui mundum condidit, non alios quos humana audacia deos fecit. Chaldæa & Mesopotamia ad Orientem Judææ.

Vocavit eum ut sequeretur se] Bene vertit sensum Hebræi לרגלו [*ad pedes suos*]. Vide Genes. XII. 1. Josuæ XXIV. 3. Hebr. XI. 8.

Dabit in conspectu ejus gentes] Id est, prostravit coram eo idololatras, Genes. XIV. nam futura hîc valent pro præteritis, more Hebræo.

Et reges obtinebit] In Hebræo, *Regibus eum fecit prævalere*, Psalm. CV. 14.

Dabit quasi pulverem gladio ejus, sicut stipulam vento raptam arcui ejus] Ità gentes & Reges isti gladio & arcu Abrahami disjecti sunt quasi pulvis aut stipula.

3. *Persequetur eos, transibit in pace, semita in pedibus ejus non apparebit*] Ex Hebræo sic vertas, *Persecutus eos pervenit incolumis eâ viâ quam pedibus suis ingressus* (supple *ante*) *non fuerat*: id est, Damascum usque, Gen. XIV. 15.

4. *Vocans generationes ab exordio*] Imperans & imperaturus omnibus populis à mundi initio ad finem usque. De loquendi hoc genere alibi.

Primus & novissimus ego sum] In Hebræo, *cum novissimis*: id est, ab initio ad finem usque cuncta guberno.

5. *Viderunt insulæ, & timuerunt*] Videbunt miram populi mei restitutionem, & severa judicia in gentes alias.

6. *Unusquisque proximo suo auxiliabitur*] Coibunt inter se ut idololatræ.

7. *Confortavit faber ærarius percutiens malleo eum qui cudebat tunc temporis*] In Hebræo, *Confirmat faber ærarius aurificem; politor mallei eum qui tundit incudem.*

Dicens glutino bonum est] *Dicens ferrumen hoc bonum esse*: σύμβλημα [*commissura*] Græcis.

Et confortavit eos] Deorum aliquem.

Clavis ut non moveretur] *Gomphis*, ut loquitur in hac re Arnobius. Sensus est, Quàm facilè simulacra sua statuminant, tam facilè putant statuminari à se posse Imperia sua.

8. *Et tu Israël*] *O Israël*: nam ità sumitur אתה [*tu*].

Semen Abrahami amici mei] Nempe *es*: quasi dicat, Memento te ex Abrahamo ortum, pariter tractandum, si paria feceris. Magnus honos Abrahami *amicum Dei* dici 2 Paralip. XX. 7. Jac. II. 23. Ejus amicitiæ signum ingens quòd Abrahami causâ Deus juravit: Heb. VI. 17.

9. *In quo apprehendi te ab extremis terræ*] In Hebræo, quanquam transpositis vocibus: *Tu es quem apprehendi. Ab extremis terræ*, ab Ægypto. Vetera memorat, ut nova sperentur.

Et à longinquis ejus vocavi te] *A magnis ejus*, in Hebræo: id est, Regi & principibus Ægypti te eripui.

Elegi te, & non abjeci te] Te mihi feci populum peculiarem, non autem insuper habui ut gentes alias.

10. *Nè declines, quia ego Deus tuus*] Nè animo concidas.

Et suscepit te dextera justi mei] In Hebræo, *justitiæ meæ*: id est, dextera mea justa: quomodo & Græci hîc accepêre.

11. *Erunt quasi non sint*] In Hebræo, *redigentur in nihilum*. Sic & infrà 12.

Qui contradicunt tibi] Id est, obstant. Vide quæ ad Lucam II. 34.

12. *Viros rebelles tuos*] Meliùs: *eos qui tecum contendunt*.

13. *Apprehendens manum tuam*] Tanquam pugnæ socius.

14. *Noli timere vermis Jacob*] Qui à gentibus tanquam vermis contereris, Psalm. XXII. 17.

Qui mortui estis ex Israel] Imò, *viri Israëlis*. Id enim מתי [*viri*], sed solet de paucis dici: ideo Græci hîc posuêre ὀλιγοστὸς [*parvus*].

15. *Ego posui te quasi plaustrum triturans novum*] Faciam ut sis velut tribula valde incidens.

Habens rostra serrantia] Bene dentata. *Ora habens*, in Hebræo.

Triturabis montes & comminues, & colles quasi pulverem pones] Id est, precibus tuis obtinebis, ut, sicut olim Abrahami causâ contrivi Reges, & Mosis eumque comitantium causâ Regem Ægyptium: ità nunc etiam vestri causâ conteram Medos, & Babylonem, à quibus pessimè tractati estis.

17. *Egeni & pauperes quærunt aquas, & non sunt: lingua eorum siti aruit, ego Dominus exaudiam eos*] Constructio Hebraïca, quam Latinè sic exprimas: *Egenos & pauperes qui aquas quærunt ubi nullæ erunt, ità ut siti ardeat eorum lingua, ego Deus exaudiam.* Sitis & *fames*, præsertim in locis æstuosis, omne vehemens desiderium significat, ut XXV. 5. ostendunt id & sequentia.

19. *Dabo in solitudinem cedrum & spinam, & myrtum & lignum olivæ: ponam in deserto abietem, ulmum & buxum simul*] Altera similitudo sumta ab umbris in locis quæ umbras habere non solent. Eæ enim subitò si appareant, magno id solatio est. Vide suprà XXV. 4. Quod hîc est *spina* in Hebræo est שטה. Id cedri proprium est genus, unde *ligna Setim*. *Spinus* vocatur nonnullis, quòd spinui albæ sit non dissimilis.

Ulmum] Hebræi putant aliud esse cedri genus. Dictum à *duratione* videtur: nam عولم Arabibus est *æternitas*.

Et buxum simul] Hanc etiam cedrorum generi annumerant Hebræi.

20. *Et Sanctus Israel creavit illud*] Græci κατέδειξε [*ostendit*], benè; nam ברא apud Hebræos de omni facto mirabili dicitur.

21. *Propè facite judicium vestrum*] Id est, Jam vos idololatræ adeste causæ vestræ.

Afferte siquid forte habetis] In Hebræo, *Adferte robora vestra*: id est, argumenta.

22. *Accedant*] Dii vestri.

Priora quæ fuerint nuntiate] In Hebræo, *Priora quæ sint* (eventura scilicet) *nuntiate*: Dicite nobis ex deorum vestrorum dictatu quæ jamjam eventura sint.

Et ponemus cor nostrum] Credemus illos esse Deos. Est κοίνωσις [*Communicatio*]: nam Deus hîc se hominibus quasi adjungit.

Et sciemus novissima eorum] In Hebræo, *Et sciamus posteriora eorum*, Id est, sciamus quæ illis primis futuris proximè consequentia erunt.

Et quæ ventura sunt nuntiate nobis] Nempe *in longum*: ut sequentia exponunt. ità ordine progreditur.

23. *Bene quoque aut male, si potestis, facite*] Evertite hostes vestros, ut ego Pharaonem everti: servate cultores vestros, quomodo ego Israëlitas servavi.

Et loquamur & videamus] Hæc ubi præstiteritis, agemus postea de rebus aliis, & eas quoque examinabimus.

24. *Ecce vos estis ex nihilo*] Meliùs vertas, *minus nihilo*.

Et opus vestrum ex eo quod non est] Rectiùs vertas: *Opus vestrum pejus viperino*. Nam אפעה quod hîc sine ה brevius effertur, est *vipera*, ut apparet infrà LIX. 5. & ex sermone Arabico. *opus deorum* intelligit id quod circa eos fit, id est, idololatriam.

Abominatio est] *Abominabilis est*, loquendi genere Hebræo, de quo sæpe jam egimus.

Qui elegit vos] Qui sibi sumit vos colendos.

25. *Suscitavi ab Aquilone, & veniet ab ortu Solis*] Deus per gradus quosdam clariùs clariùsque explicat modum, quo Judæorum restitutionem sit procuraturus. Pro *suscitavi* ponendum *suscitabo*. Medi Judæis ad Septentrionem, Persæ ad Ortum. Cyrus Medopersa, ideo ἡμίονος [*mulus*] in oraculo dictus, Persa per patrem Cambysem, Medus per matrem Mandanem Astyagis filiam.

Vocabit nomen meum] Me colet, auctorémque suæ felicitatis agnoscet. Vide Esdræ I. 2. 7. Josephum XI. 1.

Adducet magistratus quasi lutum, & velut plastes conculcans humum] Est in Hebræo transpositio quædam hunc habens sensum: *Is veniens principes ut lutum conculcabit, aut ut figulus humum mollem. Principes*, nempe Astyagen, Crœsum, Nabonidum.

26. *Quis significavit à primordio*] Quis deorum hæc prædixit longo ante tempore? id est, annis fermè CL.

Et à principio] Idem bis dictum.

Ut dicamus, Justus est] Id est, Justè ille sibi *Dei* nomen vindicat.

Non

Non est neque annuntians] Deorum aliquis.

Neque prædicens] Propheta aliquis illis diis serviens.

Nec audiens sermones vestros] Nempe de illa Judæorum restitutione.

27. *Primus ad Sion dicet*] In Hebræo non est *dicet*; sed subaudiendum *dico*. Ego Deus primus id significo.

Ecce adsunt] Aderunt Judæi ex omnibus terræ finibus.

Et Jerusalem euangelistam dabo] Do jam nunc Esaiam qui prædicat restitutionem Urbis.

28. *Et vidi*] Quantumvis circumspectem.

Non erat ex istis quisquam qui iniret consilium, & interrogatus responderet verbum] Nemo est ex illis diis ità futuri peritus, ut consultoribus suis de ea re certi quicquam respondere possit.

29. *Ecce omnes injusti*] Immeritò *Deorum* nomen sibi vindicant.

Et vana opera eorum] Cultus qui eis exhibetur: ut suprà 24.

Ventus & inane simulacra eorum] Nihil per se valent, nec qui iis utuntur spiritus quicquam contra Deum.

CAP. XLII.

MUNSTERUS.

1. CUI *innitar*] Est hîc אתמך idem quod נשען. Et exponitur hic locus nedum à Christianis verùm & à Judæis de Christo. Unde Chald. sic vertit, *Ecce Servus meus Meschia; ego adero ei.* Vocatur autem *Servus* propter ministerium illud quod nobis exhibuit, missus à Patre, sed nunquam separatus à Patre, cùm Pater *innitatur* Filio.

2. *Non clamabit*] Placidus erit Judex, nemini vim faciens, sed mitibus verbis omnes ad se trahere contendet. Nec ullum contemnet quantumlibèt infirmum, sed ad se allicere studebit. Et hoc est quod hic dicitur, *Calamum fractum non conteret*, h. e. Qui non est omnino desperatæ vitæ, non abjiciet. Sic qui est veluti *linum caligans* & exstinctioni proximum, fovebit, nè vel residua scintilla exstinguatur. Hoc ostendit in Latrone, Adultera, & aliis multis.

4. *Non afficietur mærore*] Jonathan vertit לא ילהי *Non fatigabitur nec tædio afficietur, donec ordinaverit in terra judicium.* Hebraismus verò habet hîc כהה verbum *caligationis*, quod Kimhi pro יתרשל *deficere* exponit. Et est sensus, Summum illius studium erit ut pacem faciat inter Homines ipsos, & inter Homines & Deum. Nec frustrà laborabit, cùm & *insulæ maris legem illius acceptaturæ sint.* Alii accipiunt pro *obscuro*; ut sit sensus, non docebit vel loquetur obscurè, sed ad ædificationem, luculenter, planè & simpliciter.

7. *Dilatat terram*] Heb. *extendit terram.* Et alludit ad id quòd Dominus separavit aquas maris, ut appareret arida, & creaturæ terrenæ commodè manere possent. Jonathan tamen interpretatur שכליל *fundavit terram & habitatores ejus:* & pro *expansor cœlorum* vertit *suspendit cœlos.*

6. *Vocavi te in justitia*] Loquitur ad Christum, *Vocavi*, inquiens, *te ut doceas justitiam*, sis *fœdus populi* & pignus gratiæ & *lux gentium*, *illustres cæcos*, *educas vinctos è carcere*, &c.

10. *Canticum novum*] Docet hîc Propheta, coruscante Euangelio abrogandam Mosaicam Legem, & quòd Christi religio & Euangelium propagandum fuerit ad omnes gentes; etiam ad *Kedar*, quæ gens absque certa mansione vagatur per *deserta.* Per *habitatores petrarum* intellige eos qui inhabitant arces & ædificia in summis montibus & petris exstructa.

13. *Excitabit zelum*] Vindictam sumet de his qui contempto Euangelio, Apostolis & reliquis ministris verbi reluctantur. Non tamen illico hostes suos sternit, sed aliquandiu *tacet* & dissimulat; & suos periclitari permittit, &c. ¶ Porrò per *montes*, *colles*, *herbas*, *flumina* & *stagna* hîc Metaphoricè intelligendi sunt homines diversis studiis Christi Euangelio reluctantes.

19. *Quis est cæcus nisi servus meus?*] Quidam Hebræi referunt hæc verba ad Prophetas Domini, quos impii *cæcos* & *surdos* insimulabant.

20. *Vidisti multa*] Est ראות hîc infinitivi modi, sicut & פקח, & est sensus, *Vidistis & audistis tam multa ut nec cæci nec surdi esse deberetis.*

22. *In cavernis*] Alii legunt *illaqueant cunctos juvenes suos*, quibus Chald. astipulatur.

VATABLUS.

1. I*Nnitar ei* אתמך בו] Ut scilicet herus solet servo fideli. Alii, *suscipiam illum*, sive *apprehendam*, & *sustentabo.* ¶ In quo sibi *complacuit* רצתה] Subauditur אשר בו, in quo *bene complacitum est animæ meæ.* Hebraismus, pro *qui est mihi charissimus & gratissimus*; sive, *quem unicè & ex animo diligo.*

3. *Quassatum* רצוץ] *Fragilem: fractum.* ¶ *Et linum ferè exstinctum* ופשתה כהה] *Linum fumigans*, vel *caliginosum*, aut *obscurum* & *tenebrosum*: i. ellychnium ex lino, vel lucernam parùm ardentem, & quæ propè sit ut exstinguatur.

4. *Non remissus erit nec frangetur* לא יכהה ולא ירוץ] *Non fatigabitur, nec tædio afficietur.* Ita & Chaldæus P. Alii, *Non debilitabitur*, sub. *à faciendo judicio.* Alii (nescio an ex mente Prophetæ) vertunt לא יכהה *non obscurabit*; i. non docebit vel loquetur obscurè, sed ad ædificationem, luculenter, planè & simpliciter. Alii, *Non obscurabitur, neque conteretur*, aut *conquassabitur*: i. non tolletur de medio nec occidetur donec annunciaverit Euangelium.

7. *E carcere* ממסגר] Ad verb. *è conclusione: è clausura.*

8. *Nec laudem meam* ותהלתי] Ad verb. *& laudem meam.* Repeti debet præcedens negatio, ut sit ולא *neque laudem.*

9. *Oriantur* תצמחנה] *Germinent*: i. eveniant. ¶ *Nota faciam vobis* אשמיע אתכם] Ad verb. *audire faciam vos*: ut cap. præcedenti, v. 22, & 26.

10. *Descendentes in mare*, &c. יורדי הים ומלואו] i. Nautæ qui versantur in mari cum navibus; & insulæ ipsæ. Scipsum postea declarat quid intelligat per *plenitudinem maris*, cùm dicit *insulæ*, &c.

11. *Attollant* ישאו] Futura Heb. pro imperat. ¶ *Habitatores arcium* יושבי סלע] *Habitatores petræ.* Sing. pro plur. *in petris*, sive *rupibus*, i. in arcibus ædificatis in rupibus. ¶ *Clament* יצוחו] *Jubilent: vociferentur*, sub. *præ lætitia.* Fut. Heb. pro Imperat.

12. *Ponant* ישימו] Hebraismus, pro *dent Jehovæ gloriam.*

13. *Sicut fortis* כגבור] *Tanquam potens*, vel *strenuus*: i. tanquam vir potentissimus ac imperator fortis & invictus. ¶ *Zelum* קנאה] Sub. *ultionis suæ*: i. vindictam sumet de inimicis. ¶ *Roborabit se* יתגבר] Hebraismus, pro *omnes vires colliget*: q. d. Tandem superior evadet, & superabit hostes suos.

14. *A seculo* מעולם] i. Jam longo tempore. ¶ *Silui, continui* אחריש אתאפק] Fut. Heb. pro præt.

15. *Desolabo* אחריב] *In solitudinem redigam. Perdam.*

16. *Et ambulare faciam* והולכתי] *Et deducam.* ¶ *Incedere faciam eos* אדריכם] Præterita Heb. pro futuris. ¶ *Hæc faciam* אלה הדברים] Ad ver. *hæc verba*: sive *has res.*

17. *Conflatili* למסכה] Sing. pro plur. *conflatilibus.*

18. *Visum recipite* הביטו] *Intenti estote.*

20. *Vidisti*, &c. ראית וגו] Infinit. & fut. Heb. pro præt. Alii in gerundio vertunt, conjungentes præcedenti versui, *Videndo multa quæ non observas, aperiendo aures ut non audiat*: mutatio personæ, pro *audias.* Ad verbum legitur, *Videre multa, & non servabis: aperire aures, & non audiet*: i. ut quidam exponunt, atque etiam vertunt, *Non prodest videre multa, nisi custodias; nec aperire aures, nisi sit qui audiat.* Doctus inter Hebræos infinitiva pro futuris esse scribit, exponitque, *Videbitis multa, i. multas afflictiones, & non observabitis oculo cordis vestri ad quid evenerint vobis afflictiones istæ: & ecce oculi vestri vident, & cæci estis. Quid enim prodest videre, nisi custodiatis vias vestras? Et aures vestræ apertæ sunt, & non audiet quispiam ex vobis increpationem: & sic estis ut surdi.* Et dixit sing. numero *custodies, audiet*; perinde acsi nè unus quidem ex illis custodiret, sed nec audiret bonam viam. ¶ *Aperuisti*, &c. פקח וגו] *Apertæ* [vel *patulæ*] *sunt aures, at nemo audit.*

21. *Voluit* חפץ] Sub. *illa facere*: i. hæc fecit ut se justum ostenderet, & *Legem suam magnificaret*, quòd verax apparere velit animadvertendo in Judæos, quemadmodum ipsis per Legem minatus erat. Quidam vertunt *volens*, i. voluntarius ac propensus, *ad magnificandam atque extollendam Legem suam.* Hæc voluntas Domini est, ut vigeat Lex ipsius ac floreat. ¶ *Magnificabit*, &c. יגדיל וגו] Hoc dicendi genus per futurum quidam sic convertunt, *ut magnificet Legem ac extollat.* Quidam per præsens vertunt, *magnificat Legem atque corroborat.*

22. *Et expilatus* ושסוי] *Et conculcatus.* ¶ *Quos omnes*, &c. הפח בחורים כלם] Ad verb. *capere facere in speluncis omnes ipsos*: aut est imperativus, *capere fac*, aut *illaquea*, pro imperfecto indicativi, *capere faciebant*, aut *illaqueabant*,

omnes

omnes ipsos; vel, *quibus omnibus laqueos tendebant*: vel potiùs per futurum, *tendent*. ¶ *Et in domibus carcerum* ובבתי כלאים] Hebraismus, *in carceribus*.

23. *In posterum* לאחור] i. Ut in posterum admoneatur. Alii exponunt, *Quotusquisque vestrum credet quæ dico ventura?*

24. *Dedit* ויתן] Quidam per futurum vertunt, *daturus est*: & sic seq. versum. ¶ *Neque paruerunt*, &c. ולא שמעו בתורתו] *Neque morem gesserunt* ut ambularent *in Lege ipsius*.

25. *Posuit super cor* וישים על לב] Vide suprà 41. 20.

CASTALIO.

3. L*Anguescens ellychnium*] Quod incipit exstingui.

11. *Ovem Petræ incolæ*] Petra urbs est Arabiæ caput.

16. *Quis cæcus est nisi servus meus*] Israelitæ, qui deberent esse servi mei.

CLARIUS.

1. I*Nnitar ei*] Exponitur hic locus non solùm à Christianis verùm & à Judæis de Christo. Unde Chald. sic vertit, *Ecce Servus meus Messias: ego adero ei*. Vocatur autem *Servus* propter ministerium illud quod nobis exhibuit missus à Patre, sed nunquam separatus à Patre, cùm Pater *innitatur* Filio. ¶ *Complacuit sibi in illo anima meà*] h. e. Ejus causâ reconciliatus sum hominibus. Et vide ut pulcrè respondeat illis verbis, *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui*.

2. *Non clamabit*] Placidus erit Judex, nemini vim faciens: sed mitibus verbis omnes ad se trahere contendet; nec ullum contemnet quantumlibet infirmum, sed ad se allicere studebit. Et hoc est quod hìc dicitur, *Calamum quassatum* (sive *fractum*) *non conteret*, h. e. Qui non est omnino desperatæ vitæ non abjiciet. Sic qui est veluti *linum fumigans* vel *caligans* & exstinctioni proximum, fovebit, nè vel residua scintilla exstinguatur. Hoc autem ostendit in Latrone, Adultera, & aliis multis.

3. *In veritatem educet judicium*] Ut scilicet appareat veritas.

4. *Non erit tristis*] Vel, *non cessabit, nec frangetur ullis laboribus*; h. e. non recusabit subire quosvis labores, *donec ponat in terra judicium*: h. e. Summum erit illius studium ut pacem faciat inter homines ipsos, & inter Homines ac Deum. Nec frustrà laborabit, cùm & *insulæ* maris *legem illius accepturæ sint*.

5. *Firmans terram*] Heb. *dilatans terram*, vel *extendens terram*. Et alludit ad id quòd Dominus separavit aquas maris, ut appareret arida, & creaturæ terræ commodè habitare possent.

6. *Vocavi te in justitia*] Loquitur ad Christum, *Vocavi*, inquiens, *te* ut doceas *justitiam*, sis *fœdus populi*, h. e. signum fœderis & pacis, & pignus gratiæ, & *lux Gentium, illustres cæcos, educas vinctos e carcere & qui in tenebris sedent*.

8. *Ego Dominus, hoc est nomen meum*] Ponuntur hìc duæ dictiones, ADONAI, & HI, quam quidam vertit *ipsum est*; & solius Dei substantiam per se stabilem & mutabilitati temporis non obnoxiam Hebræi significari dicunt, sed uno & perpetuo Nunc manentem. Et ideo *hoc suum Nomen* dicit, quia creaturæ propriè non *sunt*. Idipsum quoque in Nomine tetragrammato reperiri ferunt.

9. *Quæ prima fuerunt*] Quæ primùm dicta sunt eventura de Sennacherib.

10. *Canticum novum*] Docet hìc Propheta, coruscante Euangelio abrogandam Mosaiam Legem; & quòd Christi religio & Euangelium propagandum fuerit ad omnes Gentes, etiam ad *Cedar*, quæ gens absque certa mansione vagatur per *deserta*. Occidentales autem signantur per eos *qui descendunt in mare*: Judæi enim Occidentem *mare* vocant. Orientales pér *desertum* & *Cedar*, quos ab Oriente habet Judæa. Per *habitatores petrarum* intellige eos qui inhabitant arces & ædificia in summis montibus & petris exstructa. Et illud,

11. *Lætetur desertum*] Heb. *Levent desertum*, supple, *vocem*.

14. *Diu silui*] h. e. Longo tempore. ¶ *Sicut parturiens loquar*] h. e. Nunc præ dolore erumpam in vocem. Minatur idololatris, & his qui contempto Euangelio Apostolis ac reliquis Ministris verbi reluctantur! non tamen illico hostes suos sternit, sed aliquamdiu *tacet* ac dissimulat, & suos periclitari permittit. Pòrrò per *montes, colles, herbas, flumina* & *stagna* hìc Metaphoricè intelligendi sunt homines diversis studiis Christi Euangelio reluctantes.

16. *Secundùm hæc verba*] Quidam eruditus vir ex hoc loco hunc elicit sensum, *Quamvis hæc videantur incredibilia, facere decrevi, nec desistam quin perficiam ea*.

19. *Quis cæcus*] Quidam referunt hæc verba ad Prophetas Domini, quos impii *cæcos* & *surdos* insimulabant: ut sit sensus, *Quorum judicio non est alius cæcus quàm servus meus*: quòd videlicet Judæi Christum judicabant cæcum. ¶ *Nisi qui visit maximè valet*] Explicuimus sensum. Nam in Hebræo est, *sicut perfectus*.

20. *Qui vides multa*] Ad Judæos hæc dicit, *qui multa videndo* nihil tamen eorum *observarem*; & cùm *patulas haberent aures*, nihil tamen animadverterent.

21. *Et Dominus voluit*] Domino placuit Christus *propter justitiam illius*, qui *magnificabit Legem, & extollet*. Ideo ipse dixit, *Non veni solvere, sed adimplere*.

22. *Et ipse populus*] Reprobationem tangit Judæorum, qui essent *diripiendi*. ¶ *Illaqueavit juvenes*, &c.] Alius vertit, *Illaqueatur in cavernis, omnes, inquam, ipsi*; &c.

FORERIUS.

1. E*CCE servus meus*] Euangelista manifestè hæc de Christo interpretatur: Non est ergo cur aliam expositionem quæramus. Neque mirum quòd eum *servum* vocet Dominus: nam *formam servi accepit* & *similitudinem carnis peccati*, ut loquitur Paulus. Adde quòd hoc nomen Hebræis עבד non semper ad *servitutem servorum* refertur, sed ad *cultum & venerationem*. Quis autem sic coluit Deum ut Christus Dominus? *Ego honorifico Patrem meum*, &c. ¶ *Suscipiam eum*] Verbum propriè sign. *sustinere* Rem aut Personam *nè cadat aut pereat*. Exod. 17. *Aaron & Hur sustinuerunt in manibus ejus*: & suprà 33. *Sustinendo in munere*, &c. Manu autem tenere quenquam aut sustentare seu sustinere est amoris & studii. ¶ *Electus meus*] Licèt nomen *electionem* propriè notet Hebræis, sæpe tamen est castrense: Nam juvenes ad bellum eliguntur. Erat autem electus in Ducem & Imperatorem exercitûs militiæ spiritalis, quam instituebat in terra. Nisi malis *electionem* hanc ad Amorem referre, ut sequentia insinuant. ¶ *Complacuit sibi*] Sive *bonam habuit voluntatem*. Illud autem, ¶ *In illo*] Doctè repetivit Vulgatus ex membro superiori: nam similem constructionem sortiuntur duo illa verba Hebræis, *sustineo* & *complaceo*. Eisdem penè verbis usus est Pater cœlestis, quando baptizato JEZU & orante intonuit, *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuit*, ἐν ᾧ εὐδόκησα. ¶ *Dedi Spiritum meum super eum*] Sic ad verbum habent Hebræi, i. afflavi eum Spiritu meo. Phrasis autem Hebræa Vim & Impetum notat. Plenus enim fuit Spiritu Domini homo ille JESUS, & *de plenitudine ejus nos omnes accepimus*. ¶ *Proferet*] *Promet, promulgabit*, i. jus dicet. Estque Regni seu Imperatoriæ potestatis periphrasis. Per Euangelium autem judicium exercuit Dei Filius. Adde quòd & in Ecclesia per Ministros suos jus etiam dicit. Et cùm Principes ipsi Christo nomen dederint, judicia ut par est exercere, causas justè judicare, justè jus reddere non se existimabunt nisi priùs legem Christi consuluerint.

2. *Neque accipiet personam*] Verbum נשא *levavit* raro sine nomine construitur. Quando autem cum nomine *faciei* seu *vultus* seu *personæ* construitur; significat vitium illud quod *acceptatio personarum* vulgò dicitur, in judicio videlicet, cùm omissâ ratione rei, quæ extrinseca sunt considerantur, & extrinsecis atque ad causam non pertinentibus favetur aut honor defertur. Vulgatus ergò ità hìc accepit ac si deesset nomen aliquod ex illis. Certum etiam est quòd si construatur cum nomine *manus*, interdum sit Jurantis, ut Exod. 6. Ezech. 36. *levare manum*, &c. Et sine nomine *manus* suprà ità accipi posse cap. 3. diximus, ubi Vulg. verbo *respondendi* vertit. Quare posset quispiam etiam hoc loco pro *jurare* accipere. At cùm Euangelium Matth. 12. hæc duo verba verbis *contendendi* & *clamandi* reddiderit, libentiùs hìc de *elatione vocis* accipio *quæ in contentionibus fit*: & ità etiam accipi non malè potest in loco illo cap. 3. sicut etiam infrà v. 11. Dicere tamen possumus Apostolos non tam de verbis fuisse solicitos quàm de sensu in plerisque locis. Contendentium autem est Clamor & Juramentum, &c. neque de aliis *clamoribus* quàm contentionis & rixæ intelligendus est locus. Nam Dominus *in magno festivitatis die clamabat, dicens, Si quis sitit, veniat ad me*, &c. Et aliis locis *vocem sustulisse* dicitur in Euangelio.

3. *Calamum quassatum*] Puto esse proverbia è vulgo petita, quæ Mansuetudinem notant. Sunt enim quidam naturæ vitio damnosi, qui obvia omnia pessundant, vel absque aliquo suo emolumento, crudeles, immites, qui brutis nihil nocentibus incommodant: quod signum est immitis animi. Unde Scriptura

ptura erga bruta etiam animantia mansuetudinem commendat. Quòd autem hæc ità sint accipienda ostendit Euangelii locus. Nam cùm *Pharisæi* propter miracula *consilium inirent ut eum perderent*, Dominus *JESUS inde recessisse* narratur, & *plurimos* ex eis *qui sequebantur sanasse: quibus imperavit ne eum manifestum facerent: ut impleretur quod dictum est*, &c. Erant ergò Pharisæi *arundo conquassata*, sed quæ adhuc speciem integritatis retineret: nolebat eos jam exasperatos in furorem adigere & omnino perdere: quod fecisset si, cùm indignari eos videbat, in occasione persisteret, neque indè abiret. ¶ *Fumigans*] i. In quo adhuc quidquam luminis remanet. Vox Hebræa כהה *obscurari* significat: hinc pro *turbari* seu *commoveri* accipitur. Vide v. seq. Infrà 61. *Amictum gloriosum pro spiritu obscuro*, i. perturbato. ¶ *In veritate*] Seu potiùs in *veritatem*. ¶ *Educet*] *Exire faciet*, i. proferet seu promulgabit; quasi pro veritate sententiam feret. Vel in caussis faciet ut finis sit veritas, veritásque elucescat atque vincat.

4. *Non erit tristis*] Vulg. *obscuritatem* hic & 61. ad Tristitiam animi retulit; ut Ezech. 2. *Obscurus erit omnis spiritus*: potest tamen ad Perturbationem animi ex iracundia referri, ut 1 Sam. 3. *Neque obscurus fuit in eos*, i. non est commotus: ut hoc membro & sequenti longè illum alienum notet à perturbationibus animi; quando videlicet aut irâ aut amore aut simili alio affectu homines perciti feruntur ad judicium ferendum. Nisi malis hæc duo quasi opposita accipere, & prius hoc membrum pro vitio illo interpretari quo vultus nimiâ tristitiâ & obductis superciliis significatur. *Tetricos* hujusmodi homines dicere possis. Nos Lusitani hujusmodi vitium detestantes locis valde opacis illos comparamus, & nunc à *pondere* nunc ab *umbra* translatis nominibus appellamus. Huic vitio quasi opponitur Levitas & Præcipitantia: de quo membro sequenti. ¶ *Turbulentus*] i. Non feretur ut turbo: non erit præceps in ferenda sententia, ut solent irati, aut etiam leves. Vertere poteris *non procurret*, vel *non erit præceps*: non impetu feretur, sed summa cum prudentia res caussámve judicabit. ¶ *Donec ponat*] i. Quamdiu jus in terra dicet & inter vivos aget; mortalésque gubernabit, &c. vel, *quousque efficiet ut justitia in terra vigeat*. Suâ namque mansuetudine atque prudentiâ Regnum Dei, in quo viget justitia vera animorum, propagabit. Si enim in homines ira exarsisset prout digni erant; & de Judæis, qui eum non receperunt, confestim pœnas sumpsisset, gentémque illam delesset, justitia, quæ per Euangelicam prædicationem ex Judæis orta est, in mundum non pervenisset. Vicit ergò patientiâ & longanimitate, non solùm ante passionem suam, sed & post mortem: neque statim perdidit homicidas illos qui Heredem occiderunt; sed per 40. annos prædicatum est illis Euangelium, quousque ex illis prodirent pauci qui replerent Orbem Divino semine. Hanc eandem mansuetudinem & patientiam exhibuerunt ejus Discipuli; neque aliter subdidissent mundum Deo. Hi enim erant *Terra* illa *bona quæ attulit multum fructum in patientia*. Quare primum quod exspectari à Dei Ministris dixit Paulus est Patientiâ, &c. *In omnibus exhibeamus nos sicut Dei Ministros*, inquit, *in multa patientia*, &c. Unde mox, tanquam Mansuetudinis fructum explicans addit Propheta, ¶ *Legem ejus*] Seu *institutionem*. ¶ *Insulæ*] i. Remotissimæ quæque gentes, *exspectabunt*. Cyprus, Rhodus, universæque maris Ægæi insulæ, Creta, tota Græcia, Italia, Gallia atque Hispania, quas nomine *insularum* sæpe Scriptura vocat, ut jam non semel dixi; totus denique Orbis. Fides itaque nostra fructus est Christi atque Apostolorum ejus Patientiæ & Mansuetudinis. Ut videant qui disciplinam Christianam revocare atque restituere cupiunt, quibus armis instructi procedere debeant. Potest autem in his ultimis verbis repeti particula עד in hunc modum, *&* *quousque insulæ institutionem ejus exspectent*, *subditúsque fiat totus mundus Deo*.

5. *Hæc dicit*] Vel, *Sic dixit*. כה ad præterita referri potest quæ superioribus quatuor versibus dixerat de Christo Domino, quæ aliis verbis repetit v. 6, & 7. nempe promissiones de Christo, quòd mansuetudine & longanimitate sua plantaret justitiam in universa terra, & quòd futurus esset *in luce*. Quorsum hæc dicat Propheta videbis v. 8, & 9. ¶ *Firmans terram*] De verbo רקע, quod Vulg. verbo *firmandi* reddidit, sicut & nomen רקיע *firmamentum* vertere solet, propriè *extendere* sign. de quo suprà 40. 22. De Terra autem dicitur Metaphoricè propter apparentem superficiem in latitudinem ac longitudinem; etiamsi aliàs rotunda sit. Sed cum vulgo solet Scriptura sæpe loqui. ¶ *Extendens eos*] In Hebræo prius participium est singulare, *creans*; hoc autem est in forma plurali; *extendentes*; nisi Jod redundare dicas esséque paragogicum. Nostri ad mysterium distinctionis Personarum referunt in unitate Essentiæ.

6. *Vocavi te in justitia*] i. Eâ quâ sum præditus bonitate excitavi te, fecique ut in terra nascereris. *Vocare* enim interdum utitur Hebraismus pro *adducere*: ut Psal. 105. *vocare famem super terram*. Hagg. 1. *vocare siccitatem*. Ezech. 36. *vocare frumentum*. Suprà 41. *vocans generationes*, &c. quo tropo Dei potentiam notant Hebræi. Vel *in justitia* seu *cum justitia*, ad ipsum CHRISTUM referri potest, quòd eum justitiâ & sanctitate plenum adduxerit, ut esset *ipse justus*, & *justificans alios*, ut est apud Paulum. Cùm enim veniret ut *judicium* seu *justitiam poneret in terra*, necesse erat ut *cum justitia* appareret. Denique Christi justitiam atque sanctitatem tota Scriptura prædicat. ¶ *Apprehendi manum tuam*] Vel *apprehendi te per manum tuam*: quod est & Favorem & Auxilium præstantis. Favit enim Pater Christo Filio, illúmque servavit nè in morte maneret, quinimo morte suâ plurimos servaret, non solùm efficaci redemptione, sed tanti quoque amoris exhibitione. ¶ *Et dedi te in fœdus*] Dedit Pater ut ipsemet Filius esset *fœdus*, i. reconciliatio, ut nos sibi reconciliaret. *Per ipsum* enim *accepimus remissionem*, &c. Verùm quia non sat erat reconciliari nos si adhuc in tenebris mansissemus ignorantiæ, quibus obruti aut quantum beneficii in reconciliatione accepissemus videre non possemus, aut quà eundum esset, quâve ratione vita nostra esset instituenda, non intelligeremus, *in lucem* nobis quoque datus est Christus Dominus, *datus* (ut cecinit Simeon) *in lumen ad revelationem Gentium*.

7. *Ut aperires*] Aliqua ex parte quod paulò antè præcessit exponit: estque quod in Euangelio Joannis ipse Dominus ait, *Ego veni ut qui non vident videant*. ¶ *Oculos cæcorum*] Heb. *Oculos cæcos*, seu *obcæcatos*. Et de spiritali cæcitate loquitur: sicut & de *solutione vinctorum* & *eductione eorum qui in obscuritate agebant* mox subjungit. Ad quem locum respexit Zacharias quando dixit, *Ortum* Dominum *ad illuminandos eos qui in tenebris & umbra mortis sedebant*. Peccata enim non solùm nos vinciunt & quasi funibus cingunt, nè liberè ad vitam & quæ Deus jubet properemus, sed & menti tenebras offundunt, ut ipsa quoque ligamina non videamus, & paulatim tenebris assuefacti lucem odio habeamus, in eáque tristi & miseranda vitæ ratione, beatas sedes ignorantes, vel certè nihili facientes, considamus. Dominus autem JESUS peccata delet, ligamina solvit, tenebras discutit. Ex quibus malis qui eripiuntur, tunc se natos putant, eúmque, ut totius boni fontem & auctorem, non possunt non diligere. O miseros qui hanc commutationem fastidiunt!

8. *Ego Dominus*] Heb. *Ego Jehova*: *hoc nomen meum*. Allusio est ad locum Exodi, ubi rogatus Dominus à Mose à quonam se mitti dicturus esset, respondit, SUM QUI SUM: sic enim reddenda sunt futura, quibus pro præsentibus passim utuntur Hebræi. QUI SUM *misit me*, &c. Nomen autem JEHOVA ab *existentia* deductum est. Atque vel ex hoc loco habemus, necessarium esse nomen ipsum JEHOVA retinere in versione, nè lector existimet de nomine ADONAI aut *Domini* Deum loqui. Igitur cùm jam quæ fecisset olim narrasset, deinde & quæ novissimis temporibus per semen Abrahæ esset facturus prædixisset, (quæ duo ut Divinitatis signacula superiori capite proposuerat) quasi de *victoria in judicio parta*, nemine contradicente, lætus sibi Divinitatis gloriam adscribit, non commissurus ut *alteri hujusmodi gloria tribuatur*.

9. *Quæ prima fuerunt*] Meritò, inquit, hanc mihi gloriam vendico: siquidem ex utroque capite, quod probandum susceperam, ostendi me solum esse Deum. Nam quæ olim futura prædixeram, quæque me Abrahæ præstiturum pollicitus fueram si me tantùm coleret, explosis cæteris fictitiis diis Gentium, jamdudum impleta cernitis. Illi enim in senectute dedi filium, ejusque posteris dedi regiones Gentium & labores populorum, &c. *Nova quoque* per Euangelistam meum Jesaiam *ego*, ut videtis, *annuncio*, & sæpius *antè quàm veniant*, *audire vos* per Prophetas meos *ea faciam*, Oriturum videlicet in terra ex Abrahæ servi mei semine, qui terram justitiâ repleat, sitque universorum Rex ac Judex, Lux atque Salvator. Quid igitur superest nisi ut jam me solum pro Deo colatis? Quare statim Prophetico more in laudes prorumpit Propheta: ut nemo dubitare debeat hanc esse germanam horum capitum expositionem. Quam si pius lector attenderit, intelliget quantum ponderis habeat series verborum in Prophetis, modò ritè examinetur neque leviter expendatur: quod quia plerique Interpretes non faciunt, cùm Rabinos secuti usque ad præcipitium, unde referre pedem pietas & religio & ipsa quoque Prophetarum verba compellunt, quò se vertant ignorant, filum Prophetarum passim interrumpunt, saltúsque inauditos in oratione Prophetica fingunt, adeò ut *humano capiti cervicem equinam jungere*, & *undique membra conferentes*, *in piscem ut desinat* facere videantur, non sine

multorum

13. *Quis adjuvit*] תכן. Hoc ipsum verbum superiori versu Vulg. verbo *ponderandi* reddidit, sicut & Prov. 16. *Spirituum ponderator est Dominus*, & Prov. 21. verbo *appendendi*, & 24. *inspectorem cordis* dixit. Significat itaque propriè verbum hoc *certò metiri*, *pensitare*, *penitus perpendere*, & Græcis tantundem sign. ἀνακρίνω *dijudico*. Unde Apostolus 1 Cor. 2. & Rom. 11. reddidit, *Quis cognovit Spiritum Domini?* i. Quis penetravit mentem Domini, ut rationes suarum operationum possit intelligere? Inaccessibilis planè est Dei sapientia. Nam cùm sit *amictus lumine sicut vestimento*, repercutitur mentis nostræ acies, neque lucem illam potest intueri. ¶ *Aut quis consiliarius*] Heb. *& vir consilium suum scire eum faciet*: ubi איש pro מי accipitur, aut certè repetenda est interrogativa particula מי *quis vir*. *Scire* aut *facere* vel *denunciare consilium* est Hebræis Consiliarium esse, & ità reddidit etiam Apostolus.

14. *Et instruxit eum*] Græci, *& ostendit ei*. Sensus planus est. Sapientissimi quique viri & Reges alios solent adhibere in consilium. Nam, ut est apud Sapientem, *Ubi multi consiliarii, ibi sanitas*. At quinam, inquit, sunt Deo consiliarii, qui ei àliquid in mentem revocent, vel aperiant, &c? Ergo sapientià omnes superat.

15. *Ecce gentes*, &c.] Posset quispiam dicere, Etiamsi nullius consilio indigeat Deus, & omnes superet scientià & sapientià suâ, homines tamen, quasi quidam terreni Dii, ab eo magni æstimabuntur, haberéque videntur gentes unde sibi placeant, &c. Hanc objectionem etiam elidit. ¶ *Momentum*] Nomen שחק notat levitatem, & sumitur hoc loco pro *tenuissimo pulvere in lances incidente*, qui nullius est ponderis. Non rarò autem pro *nube* accipitur. Deut. 33. Psal. 89. pro *æthere* videtur accipi. ¶ *Insulæ quasi pulvis*] Nomen דק, i. *tenue*, nunc adjectivè, ut suprà 23. *pulvis tenuis*, Levit. 16. *Suffimento tenui*, &c. nunc substantivè Levit. 3. *Aut tenue, aut macula in oculo*, i. nubecula: & infrà, ubi dicitur, *qui extendit tanquam* דק *cælos*, ubi *pellem* vertunt, *tenuem nebulam* dicere possumus: & eodem modo hìc accipiendum putarem. ¶ *Exiguus*] Quâ ratione Vulg. verbum יטול ut nomen acceperit ignoro: hoc loco ego potiùs putarem esse à verbo טלל geminato quàm à verbo נטל, & *operire* potiùs quàm *projicere* significare, quasi scribatur *Jatol*. Insulæ autem sæpissime nebulâ operiuntur: Ad hanc ergò naturæ consuetudinem alludens Propheta dicit facile esse Deo insulas omnes submergere ac si illas nebula operiret. Nomine verò *insularum*, ut sæpè dixi, intelligit remotissimas regiones quas per mare adire solebant, ut erant Græcia, Italia, Hispania, &c. Non tamen reprehendo qui verbo *projiciendi* hìc transferrent. *Projectus* autem *pulvis* est, quod Vulg. dixit, *pulvis exiguus*.

16. *Non sufficit*] Heb. *non sufficientia accendere*. Sensus manifestus est. Si quispiam Deum colendum putet, & pro dignitate illi vellet sacrificia offerre, quæ juxta devotionem offerentis & placere Deo volentis solent multiplicari, universæ arbores quas profert *Libanus ad ignem non sufficient*, *neque pro victimis universa* quæ nutrit *animalia*. Hic locus & Dei majestatem & sanctitatem continet; & quàm ab aliis diis distet ostendit. Infinitus est, neque adæquare ejus dignitatem nisi ipsemet potest. Quare Holocaustum unicum illud, quo unigenitus Dei Filius seipsum in ara crucis obtulit, effecit quod totus Libanus, imò neque totus Orbis, si offerretur, effecisset. Erat enim Deus Deo æqualis is qui offerebatur & qui offerebat. ¶ *Holocaustum*] Hebræi ità vocabant quòd *elevaretur* super altare, odórque ejus in altum *ascenderet* in conspectu Dei. Erat autem typus veri & perfectissimi Holocausti Christi, qui exaltandus erat in cruce, & charitatis igne quasi exurendus pro peccatis hominum.

17. *Quasi nihilum*] אפס, quod Defectum seu Cessationem notat Hebræis, interdum est *nihil*, *nihilum*: cum præpositione autem Mem, quæ interdum comparationibus deservit, valet *plus quàm nihilum*. Hæc vera sunt, si naturam Hominis naturæ Divinæ conferas: Ut vel hinc colligat Homo quantum Deo debeat, & quàm meritò exclamet Propheta, *Quid est Homo, quòd memor es ejus*, vel *quia reputas eum*? Quid dicemus nos, qui Deum pro homine Hominem factum videmus? Certè si Homo est *plus quàm nihilum*, verè dictum est, *Exinanivit semetipsum*, *formam servi accipiens*: erat enim verus homo.

18. *Cui ergò assimilabitis*] Cùm potentiam Dei, sapientiam, majestatem ac sanctitatem commendaret, videbatur Propheta id eo animo facere ut in fabricatores & cultores sculptilium inveheretur. Sed quantum ego judico, hoc quidem cursim facit: verùm huc tendit tota oratio, ut fiduciam in Deum, ut dixi, suadeat. Quæ conclusio ver. 27, & seq. continetur. Faciunt ergò hæc ad eandem Dei majestatem commendandam, acsi ad hunc modum dicerentur, *Majestas Dei omnia humana superat: & homines ipsi, si Deo conferantur, nihil sunt. Quare insani sunt quicunque putant posse se Deum fingere, sive auro, & argento, ut faciunt divites; sive ligno, ut faciunt pauperes. Nam numquid non omnibus notum est, jam à mundi principio, quo pacto & quo auctore hic mundus prodierit? Ecquis ignorare poterit Deum terræ & cæli & Factorem & Moderatorem esse? Illi comparati homines sunt veluti cicadæ: quinimo ipsi quoque Principes ab eo in nihilum minimo negotio rediguntur; interdúmque vix imperare incipiunt, cùm subitò evanescunt, vel tantillùm sufflante Deo. Manifestum igitur est insanos esse qui putant se Dei similitudinem posse exprimere, cujus opera sunt & cæli & omnia corpora cælestia. Tantus igitur cùm sit támque sapiens, ne dicat Jacob*, &c. ¶ *Ponetis*] ערך Hebræis est *disponere*, *proportione & ratione collocare*, *æquiparare*, Prov. 9. Psal. 40. & suprà cap. 30.

19. *Numquid sculptile*] הפסל: optimè Vulg. Interpres ה pro nota Interrogationis accepit. Non enim narrat aut affirmat Propheta, ut quidam putarunt, sed sensus est, *Numquid dignum est ut sculptile fundat faber*, &c. vel, *An si sculptile fundat faber in auro vel argento, Dei similitudinem expressisse putandus est?* ¶ *Aut artifex*] Hebræi *ustorem*, *exustorem*, pro *conflatore* ac pro *artifice*, qui igne aurum vel argentum vel quid simile conflat, &c.

20. *Fortè*, &c.] המסכן Hieronymus in Commentariis pro nomine proprio ligni quod cariem & putredinem non sentit accepit: quid autem sit תרומה non exponit. Ego hìc rursus ה initio positum notam Interrogationis esse putarem, מסכן autem esse nomen. Nam si puncta alia apponas, *mischen* significabit *eum qui sine penu & facultatibus est*, ut Eccles. 4. ubi etiam Vulg. *pauperem* vertit, & cap. 9. At תרומה est nomen *oblationis*, & appellationem habet ab *elevatione in altum*. *Levandam* dicere posses, Exod. 25. & 29. &c. Ergò ad verbum sic esset reddendus locus, *Numquid pauper levandum lignum* quod *non putrescat*, *eliget*. i. Numquid si qui aurum & argentum non habet, lignum offerat, & Deo velit dicare, ut ex illo *sapiens faber simulacrum constituat*, &c. putabitúrne Dei imaginem expressisse? ¶ *Artifex sapiens quærit quomodo constituat*] Vel *artificem sapientem quæret sibi ad constituendum*, &c. Hæc planè consuetudo erat ut quisque juxta facultatem suam deos sibi fabrefaceret, hic aureos, ille argenteos, iste ligneos. Pauperi autem, ut vides, hìc tribuit studium *quærendi artificem sapientem* qui sibi ex ligno incorruptibili Deum efficiat, quasi hac diligentiâ velit pensare materiæ vilitatem. Adeò insita animis hominum est religio, ut Deum habere propitium, imò & præsentem ac familiarem, quærant. ¶ *Quod non moveatur*] Sæpe Hebræis deest relativum, sicut hoc eodem versu, *quod non putrescat*. In utroque loco supplendum est, ut in hoc fecit Vulgatus. Volunt itaque Deum stabilem, non solùm qui non corruat, sed qui non putrescat, qui non intereat, cujus religio non labefactetur. Quæ tamen ab auro & argento & ligno exspectare impium & stultum est.

21. *Ab initio*] מראש *à capite*: & de Tempore interdum dicitur, Prov. 8. infrà 41. & 48. ¶ *Fundamenta terræ*] i. Nónne jam olim notum vobis factum est à quo habuerit mundus hic initium, & quis jecerit fundamenta orbis? Nónne ab initio mundi hoc apud homines constitit, Deum esse auctorem totius mundi? Quid hinc colligat mox inferet.

22. *Qui sedet super gyrum*, &c.] i. Is certè est *qui insidet horizonti terræ*: & cùm in alto sedeat, homines *humi degentes sunt locustis similes* coram ipso, &c. ¶ *Velut nihilum cælos*] Vel, *ut nebulam*, דק. Vide suprà v. 15. Est autem hoc loco verbum נטה, quod interdum est idem quod רקע, quo usus est suprà ver. 19. de *extensione laminarum*; & utroque infrà 42. 5. indifferenter utitur. Verùm quia & multis aliis locis Deus dicitur *extendisse cælos*, in quibus omnibus allusio est ad locum Geneseos, *Fiat extensio in medio aquarum*, &c. ubi Vulg. Græcos secutus *firmamentum* interpretatus est. De quo loco quia est inter viros doctos haud vulgaris controversia, non omnino præter rem facere videbor si hoc loco, ubi Dominus dicitur *extendisse velut nebulam cælos*, *& veluti tentorium ad habitandum*, si quæ fuerit illa *extensio* aliquantò diffusiùs explicavero, præsertim cùm ex istius loci intelligentia multi loci S. Scripturæ fiant faciles. Verbum igitur רקע nihil nisi *extendere* seu *expandere*, nomen verò רקיע *extensionem* seu *expansionem* significare, loci in quibus verbum reperitur satis aperte ostendunt. Ergò cùm initio Deus Mundum crearet, primò supremum Cœlum simul cum Terra & Abysso, i. immensa aquarum mole, quæ quidquid erat inter cœlum illud & terram occupabat, eum fecisse non dubito: deinde jussisse ut in medio aquarum fieret Expansio quædam & spatium, Aeris nimirum Ætherisque

regio,

regio, quæ esset media inter aquas & aquas. Nam ex aquis factos cœlos qui sub illo alio cœlo primo sunt existimo, qui *aquarum* nomine in Scripturis appellantur. Istæ enim sunt *aquæ super cœlos:* nam super aerem & expansionem illam sunt quæ etiam *cœlum* dicitur. Hoc mihi manifestè confirmant verba Davidis, qui in Psalmo ubi ordine creationem rerum attingit, dicit Deum *extendisse cœlum sicut pellem*, i. tentorium; quando videlicet intervallum & aeris extensionem fecit aquarum rarefactione: Cujus tentorii superiora dicit *operuisse aquis*, seu *contignasse:* quasi huic Mundi tabernaculo, ceu amplissimæ domui, pro tecto dederit aquas, non quidem fluidas sed constipatas & condensatas atque in solidissimam naturam conversas. Ut isti omnino sint cœli quos Petrus *ex aquis exstitisse* dicit, & fortè qui in die Judicii sunt calore solvendi. Est itaque triplex Cœlum, ut mea fert sententia: Aereum primum, quod aquas atque terram ambit. Post hoc est cœlum ex aquis genitum & in orbes illos quos Astrologi agnoscunt divisum. Tertium demum, quod est Sedes beatorum, ad quod Paulus *se raptum fuisse* commemorat; quod *cœlum cœli* dicitur seu *cœlorum* (in Hebræo enim non nisi numero multitudinis dicitur cœlum) & propriè *cœlum*, quódque primò *cœlum* dictum fuit: quo nomine postea secundum & primum dicti sunt. Hunc ordinem videtur David significasse quando Ps. 148. ordine creaturas ad Deum laudandum invitans, primò *Angelos* & Spirituum *exercitus ex cœlis* provocat ad laudes Dei; deinde *cœlos cœlorum*, i. supremum cœlum; subinde *aquas quæ super cœlos sunt*, i. cœlos ex aquis factos, qui aereum cœlum operiunt. Quem etiam ordinem Tres pueri in suo Cantico servarunt. Hæc mihi videtur de hac re simplicissima & clara sententia; quam qui voluerit tueri, facilè se ab omnibus quæ objici solent difficultatibus expediet, quibus involvuntur qui aquas elementales super cœlos collocant: Quorum opinionem superioribus diebus doctè confutavit Hieronymus Magius Anglarensis in libris De conflagratione orbis, quos multa cum diligentia conscripsit. Sed ad Prophetam redeo, qui ut vires ac potentiam Dei ex visibilium rerum contemplatione amplificaret, dicit, Deum tam facili negotio cœlos extendisse quàm quisquam tentorium solet extendere ut sub eo se recipiat.

23. *Secretorum scrutatores*] רוזנים, quantum ex locis Scripturæ conjicere possum in quibus hoc nomen reperitur, significat *eos qui proximum locum post Regem obtinent*, quales sunt Consiliarii, Legumlatores, &c. Conjungitur ferè semper cum nomine *Regum*. Si Etymologiam spectes, videntur sic dicti quòd gracilem habeant seu subtilem sensum in judicandis negotiis & in decidendis causis forensibus. Interdum tamen apud Hebræos quosvis *Principes* designat. Prov. 8. *conditores legum* vertit Vulg. sicut hîc *secretorum scrutatores*. Abac. 1. 10. *tyrannos* vertit. ¶ *Velut inane*, &c.] Potentiam Dei in Regum & Principum perditione celebrat, qui mortalibus solent esse terrori.

24. *Etenim non plantatus*] i. Reges & Tyrannos statim initio imperii sæpè aufert, & de medio tollit antè quàm prolem generent, non relicta sobole, &c. אף בל *nondum*, *necdum*, *etiam non*. *Plantatus*, *satus* verba pluralia sunt Hebræis; *necdum plantati erant*, *necdum sati*, &c. ¶ *Repentè*] Sensum doctè reddidit. Ad verb. *& etiam flavit*.

25. *Et cui assimilabitis me*] Repetit superiorem conclusionem, *Cui ergò assimilabitis me*, &c. quæ tamen non est præcipua & quam primò intenderat probare. Sed accipienda sunt hæc ut suprà admonui. ¶ *Et adæquastis*] In Hebræis est prima persona futuri: sensus idem est.

26. *Quis creavit hæc*] Vel *hos*, nempe cœlos אלה. ¶ *Qui educit*] i. Qui suis quælibet astra temporibus oriri facit, certâ lege dierum, horarum & momentorum numero servato: מוציא *exire faciens*, i. oriri. Nam & ipse *Oriens* seu *Ortus* Hebræis מוצא dicitur: q. d. *unde ortus*, seu *exitus*; quia ex ea parte apparere incipiunt sidera & astra. ¶ *Fortitudinis*] און *concupiscentiam illam pravam*, & quæ ex ea oriuntur sæpissime notat: interdum tamen in bonam partem accipitur, ut hîc, & infrà v. 29. & pro *vi* & *efficacia*, ut de Jacob Ose. 12. *In concupiscentia sua certavit cum Deo*.

27. Cùm tantus tamque potens ac sapiens sit Deus tuus, ô *Israel*, quid igitur est *quod dicas*, &c. Huc tendit tota oratio. ¶ *Dicis*, *loqueris*] Futura sunt Hebræis, i. dicere soles. ¶ *Abscondita est*] i. Non tangit Deum mei cura: me nescit, nec quæ sit vitæ meæ ratio intelligit, ac si me penitus meásque res non videret: quantis affligar malis, & quâ captivitate premar; ac si ignoret, non curat. ¶ *Judicium meum*] i. Causa mea, *præteribit à Deo meo:* q. d. *Deus meus meam causam pertransit*, *negligit*, *judicare non vult:* Sive jure sive injuriâ mecum agant hostes non attendit. Sunt infidelitatis voces & cogitationes, cujus est ingruentibus malis animum despondere. Hanc auferre vult Propheta à Judæorum pectoribus, & fiduciam gignere consideratione Dei potentiæ & sapientiæ ac bonitatis in eos qui fidem non deserunt in adversis.

28. *Deus sempiternus*] Ab Æternitate Dei argumentum sumit, quòd impium sit cogitare illum res nostras posse ignorare, præsertim cùm ipse Orbem totum condiderit, &c. ¶ *Terminos terræ*] Sive *extremitates*, i. quidquid extremitatibus continetur, totum videlicet Orbem. Potest aut dupliciter legi, *Jehovah est Deus æternitatis: ipse creavit terminos terræ: non defatigabitur*, &c. vel, *Deus æternitatis Jehovah non defatigabitur*, &c. ¶ *Non deficiet*] Vel *non defatigabitur*. Semper idem est. Qui olim tuarum rerum rationem habebat, nunc quoque habere potest. Non est tædii aut defatigationis capax aut laboris; ut plus olim quàm nunc possit diminutis viribus. Sed *neque sapientiam ejus est qui scrutetur*. Non est finita, ut eum quidquam nunc fugiat quòd olim notum erat, aut cui de novo quidquam possit accidere quò non pertingat ejus intelligentia.

29. *Et iis qui non sunt*] Vel, *illis quibus non sunt*, videlicet *vires*. Non solùm, inquit, *ipse non defatigatur*, sed *defatigatis vires restituit & plurimum roboris suppeditat*. ¶ Sequentes autem versus affirmant has quas Dominus dat vires longè iis præstare quas natura confert.

31. *Mutabunt*] *Commutabunt*, i. in dies novâ virtute donabuntur. Huc alludit Paulus quando *se fortiorem* dicebat *cùm infirmus esset:* nam *ejus infirmitas virtute Christi pensabatur:* & quando dicebat quòd *licèt exterior homo corrumperetur*, *interior tamen renovabatur de die in diem*. Videtur autem esse Metaphora sumpta ab Armis, quibus fractis aut retusis alia atque alia accipimus. ¶ *Assument pennas*] Sensum vertit. Hebræa ad verbum sic habent, *ascendent alâ*. Utuntur autem verbo *ascendendi* pro *nasci* in quibusvis rebus. Vides quantum Gratia Naturam superet? *Aquilâ* quæ avis velocior? Quodnam etiam animal *currendo non defatigatur?* At *qui Deo fidunt* & intentis in ipsum sunt animis atque oculis, sive volent sive currant, *nequaquam defatigabuntur*. *Omnia* enim *possunt* in Deo suo, *qui eos confortat*. Hoc ultimo versu respondet tacitæ objectioni. Nam dicere possent Judæi, *Quid mihi fortitudinem Dei? quid bonitatem ejus in dando robore magnificas? Ecce nos infirmi & debiles sumus, & res nostræ perditum eunt*. Respondet Propheta, *Cùm defatigatis dixi vires & robur à Deo concedi*, *de illis loquebar qui non amittunt sustinentiam* (ut loquitur Scriptura) *sed toti ab eo pendent*; *& dum adversis premuntur*, *in illum habent fixos animos* (hoc enim significare קוה suprà cap. 28. diximus) *Ergò ne despondeatis animum: sed quantumcunque*, *ô Israelita*, *vestræ res sunt deploratæ*, *veniet vobis salus*, *& apparebit in salutem vestram gloria Domini*, &c.

L U C A S B R U G.

2. Q*Uoniam completa est malitia ejus*] Pro *malitia* Hebraicè est צבא, quod *militiam* significat. Ea vox est ex qua Job. 7. 1. legimus, *Militia est vita hominis super terram;* rursus, ex qua tot, quot numerari vix possint, locis translatum est, *Dominus exercituum*. Quare existimant scriptores ætatis hujus multi *militia* nobis, non *malitia*, legendum esse; Santes Pagninus in voce צבא, Isidorus Clarius, Leo Castrensis. Hector Pintus addit, ità nonnullos correctiores codices habere. Adamus Sasbout unum esse apud Latinos exemplar dicit quod pro *malitia*, *militia* habeat. Nos ex nostris exemplaribus nullum quod *militia* legat invenimus; tantùm in uno, Cardinalis Bessarionis quondam, *malitia* in *militia* mutatum, atque in margine, *Rectè est*, *militia*, scriptum observavimus. Ex Hieronymi commentariis nihil liquet. Posteriores glossematici, Haymo, Glossæ Ordinariæ Autor, Thomas, Lyranus, Carensis, Richelius, *malitia* legerunt. Videri possit *militia*, scribarum audaciâ, cum *malitia* mutatum fuisse, propter ea quæ sequuntur, *dimissa est iniquitas illius*, *suscepit* * *de* [* *enim* 3 MS. H. C. Gq. *Israel* o.] *manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis*. LXXII transtulerunt, ὅτι ἐπλήσθη ἡ ταπείνωσις αὐτῆς, *Quoniam repleta*, vel *completa*, *est humilitas*, seu *humiliatio ejus:* sic enim est, cùm in Græcis antigraphis, tum apud Patres, qui hunc ex LXXII editione locum citant, Justinum martyrem Dialogo cum Tryphone, Ambrosium in Psalmum 118 sermonibus 16, & 18. Hieronymum, Cyrillum. Porrò ταπείνωσις *humiliatio*, i. abjectio, afflictio. Quid si igitur Septuaginta duos Interpres secutus *malitiam* pro *afflictione*, ut nonnulli exponunt, verterit?

9. *Qui euangelizas Sion:* & iterum, *Qui euangelizas Jerusa-*

rusalem] Ità legunt plerique nostri codices, & Expositores, Lyranus, Carensis ac Richelius, *qui* genere masculino: quo modo & in Græcis Lxx duorum exemplaribus legitur, ὁ εὐαγγελιζόμενος Σιών, ὁ εὐαγγελιζόμενος Ἱερουσαλήμ· ad quem etiam modum apud veteres, qui LXXII interpretationem proferunt, legitur; Justinum dialogo cum Tryphone, Tertullianum lib. 5. contra Marcionem, Hieronymum textu qui ex editione Septuaginta commentariis adjunctus est, Cyrillum in propria loci enarratione. Porrò Latini Epanorthotæ antiqui libri, Dominicanorum nonnulli, & nostri duo. Lobiensis ac Leodiensis, atque impressi aliquot, feminino genere scribunt, *Quæ euangelizas Sion, Quæ euangelizas Jerusalem:* quibus Hebræa volunt, quæ non tantùm hoc, *quæ euangelizas*, sed etiam omnia verba quæ hoc nono versu vel præcedunt vel sequuntur, genere feminino habent. Nam, quod peritis notum est, etiam verbis Hebræorum sunt genera masculinum & femininum. Adstipulatur Hieronymus, cujus & textus *quæ* legit, & commentarius dicit, *Porrò Hebraicum & cæteri Interpretes* (Lxx videtur excipere) *ponunt genere feminino, ut dicant, Quæ euangelizas Sion, Quæ euangelizas Jerusalem.* Consentit Haymo, qui exposito *quæ* subnectit, *Quidam codices habent*, qui euangelizas, *genere masculino; sed falsum est secundùm B. Hieronymum.* Conspirat Andreas, cujus commentarium Carensis recitat. Ergò *qui euangelizas* Græcæ Septuagintaduorum, *quæ euangelizas* Latinæ Hieronymi editionis esse videtur.

24 *Equidem neque plantatus, neque satus, neque radicatus in terra truncus eorum*] Plura exemplaria *& quidem*, præstantissima *equidem* scribunt. In iis quæ sequuntur triplex est codicum varietas. Una ea est quam proposuimus, *Neque plantatus, neque satus, neque radicatus in terra truncus eorum:* quam in tredecim nostris MSS. invenimus. Altera est, *Neque plantato, neque sato, neque radicato in terra trunco eorum:* quam in 17 MSS. nos, in 8 Hentenius comperit. Tertia, *Neque plantatos, neque satos, neque radicato in terra trunco eorum:* quæ in duobus est MSS. uno Parisiensium, Ge. p. notato, altero nostro, E signato, cohærens, ut & superior, iis quæ sequuntur, *Repentè flavit in eos, & aruerunt.* Prima Haymonis & Hieronymiani textùs lectio est; secunda Autoris glossæ Interlinearis, Carensis & Richelii: tertia obscurior est. Tertiam prætulit quidam, indubiè quòd Hebræo vicinior sit. Sic enim Hebraicè est ad verbum, *Etiam non plantati sunt, etiam non sati sunt, etiam non radicans in terra truncus eorum:* ad quem modum Hieronymi commentarius explicat, *Qui principes & judices terræ* (sive, ut alii suspicantur, *cæli*) *nec sati sunt, nec plantati, nec firmâ radice solidati.* Secundam, quæ vulgarior est, textu donarunt Dominicani. Primam Epanorthotes probavit, utpote Hieronymi, quod notat, & antiquorum codicum autoritate fulcitam: quam etiam nos in vetustissimis atque integerrimis antigraphis, Brugensi, Lobiensi, Leodiensi, atque aliis quibusdam, & in primis Typographorum editionibus Moguntina, Nurenburgensi, Coloniensi, ante annum 1480 impressis, reperimus.

DRUSIUS.

1. נַחֲמוּ נַחֲמוּ עַמִּי. Cæteri, *Consolamini, consolamini populum*] Hoc eruo ex his verbis Hieron. *Juxta Interpretes cæteros jubentur alii ut populum Dei & Jerusalem pariter consolentur.*

7. כִּי רוּחַ יְהוָה נָשְׁבָה בּוֹ. Sym. Th. ὅτι πνεῦμα Κυρίου ἐπνευσεν εἰς αὐτό, *quia spiritus Domini flavit in eo.* ¶ אָכֵן חָצִיר הָעָם. Sym. Th. ἀληθῶς χόρτος ὁ λαός, *verè fænum est * populus*] * i. Tam Principes quàm vulgus ignobile. Hæc & quæ sequuntur ex v. 8. apud Procopium Symmacho & Theodotioni tribuuntur. Vide quoque Hieron. Jes. 42. 15.

8. יָבֵשׁ חָצִיר נָבֵל צִיץ. Sym. Th. ἐξηράνθη ὁ χόρτος, ἐπεσε τὸ ἄνθος, *exaruit fænum, cecidit flos*] Hieron. *Hoc quod asteriscis notatur*, quia spiritus Dei flavit in eo: verè fœnum est populus. Aruit fœnum, cecidit flos, *ex Ebraico & Theodotionis editione additum est. Ex quo manifestum est vel à Lxx prætermissum, vel paulatim scriptorum vitio abolitum, dum & prior & sequens versiculus finitur in flore.*

9. מְבַשֶּׂרֶת צִיּוֹן. Aq. Sym. Th. *quæ euangelizas, Sion*] Hieron. *Porrò Ebraicum & cæteri Interpretes ponunt genere fem. ut dicant* quæ euangelizas, Sion, *&* quæ euangelizas, Jerusalem. ¶ מְבַשֶּׂרֶת יְרוּשָׁלִָם. Cæteri, *quæ euangelizas, Jerusalem.*

11. עֶדְרוֹ יִרְעֶה. *Gregem suum*] In Lxx hodie ποιμανεῖ τὸ ποίμνιον αὐτοῦ· verùm apud interpretem Eusebii est *ovile suum*, pag. 663. ut suspicio sit τὸ ποίμνιον aliunde irrepsisse.

12. מִי־מָדַד בְּשָׁעֳלוֹ מַיִם. Aq. *Quis mensus est minimo digito * aquas?*] * Λιχανῷ. Hieron. *In eo ubi nos vertimus*, Quis mensus est pugillo aquas? *Aquila transtulit*, Quis mensus est minimo digito aquas? *Hoc enim λιχανὸς sonat, ut scilicet non totâ manu sed parvo digito, quem vulgus* gustatorem *vocant, omnis aquarum vastitas ponderetur.* ¶ בַּשָּׁלִשׁ. Lxx *Pugillo*] Hieron. *Pro* pugillo, *quem in comprehensione terræ Lxx transtulerunt, in Ebraico scriptum est* SALIS, *quem Sym. τρίτον, Aq. τρίσσωμον interpretati sunt, & nos, ut manifestius faceremus, in* tres digitos *vertimus: quòd scilicet* molem terræ & excelsa montium colliúmque quasi tribus digitulis & stateræ parvo momento appenderit. *Per quæ Dei majestas & Creatoris potentia demonstratur.*

13. מִי־תִכֵּן אֶת־רוּחַ יְהוָה וְאִישׁ עֲצָתוֹ יוֹדִיעֶנּוּ. Sym. *Quis paravit Spiritum Domini? & virum consilii ejus quis ostendit ei?*

14. אֶת־מִי נוֹעָץ וַיְבִינֵהוּ וַיְלַמְּדֵהוּ בְּאֹרַח מִשְׁפָּט וַיְלַמְּדֵהוּ דַעַת וְדֶרֶךְ תְּבוּנוֹת יוֹדִיעֶנּוּ. Idem, *Cumquo iniit consilium, deditque ei intelligentiam, & docuit eum viam judicii, & instruxit illum scientiæ; & iter prudentiæ monstravit ei?*] Consule nunc Hieron. à quo hæc habeo.

15. כַּדַּק יִטּוֹל. Aq. λεπτὸν βαλλόμενον. * Sym. Th. *sicut Dac quod decidit*] * *Tenue jactatum.* Hieron. Insulæ quoque quasi saliva reputantur, *sive, ut Sym. & Th. ipsum ponentes Ebraicum*, sicut Dac quod decidit, *pro quo Aq.* λεπτὸν βαλλόμενον *transtulit. Ajunt autem Ebræi hoc verbo significari tenuissimum pulverem, qui vento raptante sæpe in oculos mittitur, sentitur potiùs quàm videtur. Minutissima ergò frusta pulveris & penè invisibilia hoc verbo appellantur, quas forsitan Democritus cum suo Epicuro* atomos *vocat.*

IDEM EX PROCOPIO.

1. נַחֲמוּ נַחֲמוּ עַמִּי יֹאמַר אֱלֹהֵיכֶם. Sym. Παρηγορεῖτε παρηγορεῖτε τὸν λαόν μου, λέγει ὁ Θεὸς ὑμῶν. *Consolamini, consolamini populum meum, dicit Deus vester.*

2. דַּבְּרוּ עַל־לֵב יְרוּשָׁלִַם. Idem, Παραμυθήσασθε τὴν καρδίαν Ἱερουσαλήμ, *alloquimini cor Jerusalem*] ᾧ καὶ συνεφώνησαν οἱ λοιποί, *cui etiam cæteri consentiunt.*

3. קוֹל קוֹרֵא. Aq. Φωνὴ καλοῦντος *vox vocantis.* ¶ יַשְּׁרוּ בָּעֲרָבָה מְסִלָּה לֵאלֹהֵינוּ. Sym. ὁμαλίζατε ἐν ἀβάτῳ ὁδὸν τῷ Θεῷ ἡμῶν, *complanate in invio viam Deo nostro*] In margine διὰ τῆς ἀβάτου, quod perperam legitur τῆς σαββάτου in ed. Parisiensi, quâ usus sum.

4. לְבִקְעָה. Aq. Sym. Th. εἰς πεδίον *in campum.*

7. אָכֵן חָצִיר הָעָם. Sym. ἀληθῶς χόρτος ὁ λαός, *verè fænum populus.* Aq. πράσον * ὁ λαός, *porrum populus*] Χόρτος non solùm denotat *fænum*, sed etiam de *virenti herba*, & ea quidem *Tritici*, usurpatur Matth. 13. Marc. 4. item de *virenti gramine*, & *herba* quavis 1 Petr. 1. * Id imperitia corrupit καὶ παρ' ὃν quod si animadvertisset interpres Curterius, non vertisset hoc loco *apud quem populus.* חציר autem *porrum* significare docet locus qui est Num. 11. ubi Græci πράσον reddunt. Chaldaicè כרתי dicitur, & à Doctoribus Ebræis כרש, unde כרישין in Salomone Trecensi. Arabicè *Cairat*, & *Curat.* Glossa Thalmudica in Aboda Zara fol. 10. pag. 1. כרתי בלעז פוריש, i. *porrum*, nisi fallor.

8. יָבֵשׁ חָצִיר נָבֵל צִיץ. Sym. Ἐξηράνθη ὁ χόρτος, ἐξέπεσε τὸ ἄνθος, *Exaruit fænum, decidit flos.* Aq. Ἐξηράνθη πράσον, ἀπέῤῥευσεν ἄνθος, *Exaruit porrum, defluxit flos*] Hic rursum in Procopio legitur παρ' ὃν, & apud interp. *apud quem.* Noli dubitare de emendatione mea. Res est, non conjectura, Non Apollo unquam melius divinavit. ¶ וּדְבַר אֱלֹהֵינוּ יָקוּם לְעוֹלָם. Sym. ὁ δὲ λόγος τοῦ Θεοῦ ἡμῶν στήσεται εἰς τὸν αἰῶνα, *sermo autem Dei nostri stabit in æternum.* Locus iste plenior exstat in margine textùs Procopii. כי רוח יהוה נשבה בו אכן חציר וגו' Sym. Th. ὅτι πνεῦμα Κυρίου ἐπνευσεν εἰς αὐτόν, ἀληθῶς χόρτος ὁ λαός. Ἐξηράνθη χόρτος, ἐξέπεσε τὸ ἄνθος.

9. עַל הַר־גָּבֹהַּ עֲלִי־לָךְ מְבַשֶּׂרֶת צִיּוֹן הָרִימִי בַכֹּחַ קוֹלֵךְ מְבַשֶּׂרֶת יְרוּשָׁלִָם. Aq. ἐπ' ὄρος ὑψηλὸν ἀνάβηθι σεαυτῇ, εὐαγγελιζομένη Σιών· καὶ ἔπαρον ἰσχυρῶς τὴν φωνήν, εὐαγγελιζομένη Ἱερουσαλήμ, *In montem excelsum ascende tibi, quæ euangelizas Sion: & extolle fortiter vocem, quæ euangelizas Jerusalem*] *Tibi* redundat in Latio. Sequitur in Procopio, καὶ οἱ λοιποὶ δὲ συμφώνως· quibus verbis significat *alios similiter transtulisse.*

10. וּזְרֹעוֹ. Aq. Sym. Th. καὶ ὁ βραχίων αὐτοῦ *& brachium ejus.*

11. טְלָאִים. A. ἄρνια *agnellos* sive *agniculos.* ¶ וּבְחֵיקוֹ יִשָּׂא. Aq. Sym. καὶ ἐν τῷ κόλπῳ αὐτοῦ βαστάσει, *& in sinu suo gestabit.*

12. בְּשָׁעֳלוֹ. Lxx τῇ χειρὶ, reliqui tres, h. e. Aq. Sym. Th. addunt αὐτοῦ] Hieron. *pugillo.* Santes *pugillo suo.* In talibus potest abesse pronomen salvâ sententiâ.

17. נֶחְשְׁבוּ לוֹ. Aq. Sym. Th. ἐλογίσθησαν αὐτῷ *reputata sunt ei.*

25. וְאֶשְׁוֶה. Sym. καὶ ἰσωθήσομαι *& æquabor.* A. ἐξισωθήσομαι *exæquabor*, sive *adæquabor*] Ἰσωθήσομαι futurum ab ἰσόω *æquo, adæquo.* Malè in libris σωθήσομαι, i. *servabor.*

27. לָמָּה תֹאמַר יַעֲקֹב וּתְדַבֵּר יִשְׂרָאֵל. Sym. Διὰ τί λέγεις, Ἰακὼβ, καὶ λαλεῖς, Ἰσραήλ; *Propter quid dicis, Jacob, & loqueris, Israel?* Καὶ οἱ λοιποὶ συμφώνως.

28. וְלֹא יִיגָע. οἱ λοιποὶ Οὐκ ἐξελύθη, *non dissolutus est*] Dubito an hoc pertineat ad לא ייעף quod antecedit. Secutus autem sum Procopium, in quo, ἀντὶ τοῦ, οὐ κοπιάσει, οὐκ ἐξελύθη, φασὶν οἱ λοιποί. Hieron. *non deficiet neque laborabit.*

30. יִכָּשֵׁלוּ. A. σκανδαλισθήσονται *scandalizabuntur.* Sym. Th. ἀσθενήσουσι *infirmabuntur.*

G R O T I U S.

CUm apertè jam prædixisset Propheta eam deportationem quæ per Nabuchodonosorum ejúsque Ducem Nabuzardanem erat eventura, liberaliter ejus calamitatis participes futuros partim ad emendationem vitæ excitat, partim, si eam præstent, promittit severa Dei judicia in ipsorum hostes, ipsis verò reditum in patriam, statum florentem, tutúmque contra infestos vicinos, egregias victorias, magnum denique numerum eorum qui ipsorum exemplo atque institutione, aut Legem totam susciperent, aut certè ab idololatria moribúsque improbis, qui idololatriam plerumque comitantur, discederent. In longum autem tempus extendunt se hæc Vaticinia, à temporibus exsilii ad tempora Templi & Urbis restitutæ, imò & ad Maccabæorum & sequentia tempora. Nulla enim decora quæ populo erant obventura taceri Deus voluit, quò plus solatii esset piis per aliorum culpam exsulantibus. At cur transiliit tempora Manassis, Josiæ, Joakimi? Quia nihil ea continebant nisi corruptelas populi, quæ causam dedêre deportationi. Josias enim, quamvis bonus, non multum exemplo suo apud populum profecerat, nisi quòd ritus aliquo modo restituerat; sed plerisque & procerum & populi animus manserat remotus à vera pietate. Cùm autem omnia Dei beneficia umbram in se contineant eorum quæ Christus præstitit, tum præcipuè ista omnia quæ deinceps ab Esaia prænunciabuntur, verbis sæpissime à Deo sic directis, ut simpliciùs limpidiúsque in res Christi, quàm in illas, quas primò significare Esaias voluit, convenirent.

1. *Consolamini, consolamini popule meus*] Rectiùs *populum meum*, ut & Chaldæus censuit. Loquitur Deus, ut idem Chaldæus censet, Prophetis futuris exsilii tempore.

2. *Completa est malitia ejus*] Scripsit Interpres *militia*: id est, labor ejus finem accipiet brevi.

Suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis] Id est, tantum quantum Deus satis esse judicat.

3. *Vox clamantis*] Supple, *fit.* Respicit id quod præcesserat; *clamate ad eam*: ubi hîc Interpres, *advocate eam.* Dicit ergò quid clamare debeant eo tempore Prophetæ.

In deserto, Parate viam Domini] Loca deserta solent esse valde inæqualia. Per montes, valles, silvas, quà Rex incedere debebat, mittebantur munitores qui arbores cæderent, valles adæquarent, montium obstantia tollerent. Vide quæ dicta ad Matth. III. 3. Sic etiam Deus vult exsulantibus Judæis dici, ut auferant mores malos qui restitutionem ipsorum morabantur.

4. *Omnis vallis exaltabitur*] *Exaltetur*: id est, complanetur. Sic accipe & sequentia.

5. *Et revelabitur gloria Domini*] Si hoc faciatis, apparebit Dei auxilium, quicquid tandem homines contrà moliantur.

Et videbit omnis caro] Voce *carnis* dat intelligi hominum nullas esse vires, ubi velit hoc Deus. Id sequentia clariùs explicant.

6. *Omnis caro fœnum*] *Graminis.* Vide quæ diximus Psal. XXXVII. 2. Adde Psal. CIII. 15. suprà XV. 6.

Et omnis gloria ejus quasi flos agri] Sic & Græci: καὶ πᾶσα δόξα ἀνθρώπου [*& omnis gloria hominis*], ut & Petrus I. I. 24. Legerunt nimirum non חסדו [*misericordia ejus*], sed הדרו [*gloria ejus*], & rectiùs.

7. *Spiritus Domini sufflavit*] Æstus, Jac. I. 11.

Vere fœnum est populus] *Omnis populus*; ut suprà *omnis caro.*

8. *Verbum autem Domini nostri manet in æternum*] Prædicta Prophetarum.

9. *Super montem excelsum ascende tu*] Fac undique audiaris quisquis hæc mea dicta suo tempore es prolaturus.

Qui euangelizas Sion] Id est, *Sioni.* *Euangelizans* in Hebræo est מבשרת sono femininum, sensu commune, ut קהלת [*concionatrix* pro *concionator*].

Dic civitatibus Juda] Id est, hominibus dispersis ex omnibus civitatibus. Συνεκδοχή [*Complexio*].

10. *Opus illius coram illo*] Μετωνυμία [*transnominatio*]: nam *opus* sive *opera* posita est pro *pretio operæ.*

11. *In brachio suo congregabit agnos*] Innocentes.

Fœtas ipse portabit] In Hebræo, *ducet.* Virgilius:

——— hanc etiam vix, Tityre, duco:
Hîc inter densas corylos modò namque gemellos,
Spem gregis, ah silice in nuda connixa reliquit.

Per *fœtas* intellige qui labore fessi sunt.

12. *Quis mensus est pugillo aquas*] Ex factis ostendit immensam Dei potentiam: *mensus est pugillo*, id est, *continet quasi pugillo aquas*, id est, mare ipsum.

Et cœlos palmâ ponderabit] In Hebræo, *Disposuit. Palmâ*, quasi palmâ. Sic & sequentia.

Quis appendit tribus digitis molem terræ] In Hebræo: *Quis comprehendit in tridentali pulverem terræ?* שליש enim *tridental* etiam Psalm. LXXX. 6.

Et libravit in pondere montes] *In statera.* Non minùs facilè montes sustinet, quàm homo pondera *in statera.*

13. *Quis adjuvit spiritum Domini?*] In Hebræo, *Quis instruxit spiritum Domini?* Græci verterunt, τίς ἔγνω νοῦν Κυρίου; [*quis novit mentem Domini?*] quos sequitur Paulus Rom. XI. 34. eodem, ni fallor, sensu. Nam Judæi Græcè loquentes verba duplicem actionem significantia per unam exprimunt, ut ἔγνω hîc valeat *scire fecit*, id est, docuit. Explicant id sequentia.

15. *Ecce gentes*] Etiam illi Chaldæi domini nunc vestri.

Quasi stilla situlæ] Quæ si decidat, à nemine curatur.

Et quasi momentum stateræ] Optimè vertit שחק, ut & Sapiens ῥοπῇ XI. 23. qui locus huic loco geminus. intellige *scripulum.*

Ecce insulæ quasi pulvis exiguus] דק omne *quod minutum est* significat. Σίελον, id est *sputum*, hîc vertêre Græci. *Insulas* intellige terras maribus aut etiam amnibus adsitas, more Hebræo. Eas projiciet ut sputum ubi velit. Præcipuè videtur intelligi Mesopotamia, Assyria, Armenia.

16. *Et Libanus non sufficiet ad succendendum, & animalia ejus non sufficient ad holocaustum*] *Non sufficerent*, nempe si pro dignitate sacra ei facienda essent.

18. *Cui ergò similem fecistis Deum?*] Non abs re tractat hîc locum contra imagines, quæ Deo aut quasi Deo erigebantur. Cùm enim Israëlitæ à Theglathphalasare & à Salmanasare deportati, jam viverent inter eos qui Deo fingebant imagines, idemque eventurum esset Judæis, quos deportaturus erat Nabuchodonosor, præmuniendi fuêre utrique, ut, legis optimæ & sapientissimæ memores, caverent sibi ab iis moribus, qui minùs convenientem Divinæ majestati cogitationem imprimere possent animis, deinde & à vero Deo ad falsos abducere. Laudatur à plurimis Moses, quòd nullas Deo imagines struxerit, nè Deus aut animali alicui, aut etiam animalium potissimo, homini, similis crederetur. Vide quæ ad hanc rem pertinentia protulimus ex Empedocle, Xenophane, Tacito, Plutarcho, ad Deuteron. IV. 15. Adde illud Antiphanis de Deo: ὀφθαλμοῖς οὐχ ὁρᾶται, οὐδενὶ ἔοικε, διόπερ αὐτὸν ἐκμαθεῖν ἐξ εἰκόνος οὐδεὶς δύναται [*oculis non aspicitur, nemini est similis; unde etiam nemo eum ex imagine potest cognoscere*].

20. *Forte lignum & imputribile elegit*] In Hebræo, *Qui pauper est ad offerendum lignum eligit quod cariem non sentiat*: is scilicet cui aurum & argentum non suppetit. Tale autem lignum præcipuè est cupressus, adeò ut tradat Plinius XVI. 41: *simulacrum Jovis in arce è cupresso durasse* ad suam ætatem, *à condita Urbe sexcentesimo sexagesimo primo anno dicatum.* Laudat ibidem Plinius ad eos usus vitem, juniperum, morum.

21. *Nonne intellexistis fundamenta terræ*] Nempe ab ipso esse facta, ut infrà 26. Hæc omnia dicit, ut de Deo ea quæ ipso digna sunt sentiantur.

22. *Qui sedet super gyrum terræ*] *Super orbem terræ.*

Et habitatores ejus sunt quasi locustæ] Velut minuta animantia, si cum ipso comparentur.

Expandit eos sicut tabernaculum] Vide Psal. CIV. 2. & Genes. I. 6.

23. *Qui dat secretorum scrutatores quasi non sint*] In Hebræo, רוזנים, id est, *Principes*; Græci, ἄρχοντας: Arabibus رزين est *gravis.*

Judices terræ velut inane fecit] Difflat eos, ut sequitur:

26. *Qui educit in numero militiam eorum*] Velut ordinatis agminibus.

Et omnes ex nomine vocat] Ut domini servos, *Heus Syre*, *heus Geta*: pro imperio.

Neque unum reliquum fuit] Nulla stellarum defugit imperium: ex præscripto oriuntur omnes.

27. *Quare dicis Jacob*] Quare diceres, ô Jacobi posteritas. Monet eos, nè cùm ex calamitates advenient putent se Deo curæ non esse.

28. *Non deficiet*, *neque laborabit*] Id est, non fatigatur gubernando res humanas.

Nec est investigatio sapientiæ ejus] Hoc vult: *sed sapientia ejus* (quæ mundum regit) est *imperscrutabilis*. Cùm cessare videtur; jam causas actuum in occulto disponit.

29. *Qui dat lasso virtutem*] Quomodo lassaretur is qui lassos recreat?

30. *Deficient pueri*] נערים hîc sunt *adolescentes*, ut sæpe alibi. Vertunt sæpe Græci νέοι & νεανίσκοι. Sæpe evenit, inquit, ut qui vegetæ sunt ætatis, sub labore deficiant.

31. *Qui autem sperant in Domino*, *mutabunt fortitudinem*] Id est, novas subinde vires Deo dante accipient.

Assument pennas sicut aquilæ] Novas scilicet. Vide Psalm. CIII. 5.

CAP. XLI.

MUNSTERUS.

Monet Propheta in hoc capite nè abjiciant animum in captivitate, neque discedant à vera religione ad falsa idola, sed cogitent Deum hodie esse tam potentem ut olim fuit, Deum omnia scire, omnia videre. Citantur deinde idololatræ ad tribunal Dei, & causa eorum vana ostenditur, cùm origo idolorum sit materia ligni & lapides per artifices aptata, &c.

1. *Mutent robur*] Hebraismus est, pro *instruant se omnibus armis Dialecticis*, *& accedant ut mecum congrediantur & disputent*. Hoc enim hîc vocatur *accedere ad judicium*. Proponit autem Deus exemplum potentiæ suæ, quòd Abraham idola contemnentem *vocaverit ab Oriente*, & *peditem* duxerit per multas *gentes*, & fecerit eum parvo numero vernaculorum *vincere* aliquot *Reges*. De quo habitatores *insularum obstupefacti sunt*, sicut & alii Reges, quorum aliqui obviàm venerunt Abraham victori, quemadmodum de Rege Sedomæ legitur. Sed his non obstantibus, manserunt infideles homines in sua infidelitate, & *frater* ad fratrem accedens mutuò se cohortati sunt ad fabrefactionem idolorum.

7. *Leniebat malleum*] h. e. Nihil non egit quò citò sculptile fabricaretur. *Faber lignarius* parabat sculptam imaginem: *aurifaber* verò super *incudem* diducebat bracteam auream, quam deinde *glutino* affigebat imagini.

10. *Neque dissolvaris*] Putant verbum *Hithpael* ימסו formatum à nomine מסס, quod *ceram* sig. quæ calori exposita facilè dissolvitur.

14. *Viri Israel*] Sunt מתי propriè *viri pauci*: & est pluralis numeri tantùm, differtque à מתים quando *mortuos* sig. in primo puncto. Nam primum scribitur cum Scheva, alterum cum Zere.

15. *Rastrum quod habet rostra*] *Rostra* seu, ut Hebraismus habet, *ora* sunt dentes rastro infixi, quibus granum ex paleis trituratur. *Tribulæ* illæ & *rastra* fuerunt S. Apostoli & prædicatores verbi Dei, qui *montes & colles comminuerunt & trituraverunt*, h. e. Reges & Principes, &c. Utitur enim Propheta iste variis similitudinibus, quas cœci Judæi ferè omnes ad literam intelligunt, putantes eas adimplendas quando ex finibus mundi ad suum Meschiam sunt transituri.

21. *Propè facite*] Imperativus est Piel, vertitque Propheta sermonem suum ad idolorum cultores.

27. *Primus*] Scilicet ego sum qui dico ad Zion, *Ecce adsunt* quæ à Deo promissa sunt. Sic quoque Chald. interpres hunc locum vertit, *Verba*, inquiens, *consolationis quæ Prophetæ prædixerunt ab antiquis super Zion*, *ecce venerunt*.

VATABLUS.

1. *Tacete mihi* החרישו אלי] *Tacete ad me*. Judicii speciem describit Esaias, quod Dominus cum omnibus Gentibus subire non recusat: tantùm postulat ut in causa sua audiatur. Ordo namque judicii postulat ut quisque seorsim audiatur. ¶ *Mutent fortitudinem*, יחליפו כח] Idem verbum quod suprà 40. 31. *innovent vires*, vel *novas colligant vires*.

2. *Justitiam*, &c. צדק יקראהו לרגלו] Fut. Heb. pro præt. virum *justitiæ*, qui *prædicabat eum ad pedem suum*. De Abraham loquitur, quem Dominus vocavit de Ur Chaldæorum, ipséque Deum invocabat, & prædicabat ubicunque esset. *Justitiam* vocat Abraham Deum colentem. Nam ut qui non tribuit aliis quæ sua sunt, injustus est; ità & qui Deum honore suo fraudat. Alii (ut & noster Interpres) *justitiam*, *vocavit eum ad pedem suum*. Sicque Hebraismum interpretantur, Vocavit Abraham Dominus ut sequeretur se quocunquè vellet eum ire, ut prompti & morigeri famuli solent qui Domini vestigia sequuntur, tametsi incerti sint quò ipsos ducat. ¶ *Dedit in conspectu ejus* יתן לפניו] Hebraismus, *subdidit illi Gentes*. ¶ *Et Regibus*, &c. ומלכים וגו] Quidam subauditis pauculis eodem sensu vertunt, *& in Reges dominari fecit*, & quis *posuit* eos *tanquam terram* ante *ensem illius*, ac *veluti paleam propulsatam* ante *arcum ipsius*? Verti potest, *tanquam terram ensem eorum* [i. singulorum Regum] & *ut paleam impulsam arcum ipsorum*? q. d. Quis ademit animum illis Regibus? Vulgatior est hæc versio: altera est doctiorum inter Hebræos.

3. *Transivit in pace* יעבור שלום] Etiam hic futura Heb. pro præt. Hebraismus autem, pro *evasit incolumis*.

4. *Vocans generationes ab exordio* קורא הדורות מראש] i. Quis præest seculis ac generationibus singulisve hominum ætatibus, easque beneficiis afficit solo suo verbo? Alii vertunt, *& fecit* hoc? ille *qui vocavit nationes ab initio*, i. qui novit homines multò antè quàm gignantur & nascantur.

5. *Obstupuerunt* ויראו] *Tremuerunt*. Fut. Heb. pro præt. sub. *Gentes*: cùm scilicet liberationem populi Israelitici tam potenti manu Dei fieri viderent, unde & verum esse Deum cognoscere poterant: & tamen idola pro Deo fabricaverunt sibi.

6. *Auxiliatus est* יעזרו] *Ut facerent scilicet idola*. Etiam hîc fut. Heb. pro præt. ¶ *Confortare* חזק] *Fortis esto*. Vel, *Sis strenuus*.

7. *Et confortavit* ויחזק] *Cohortatus est ut esset animo bono & forti*. ¶ *Polientem malleum*, &c. מחליק וגו'] *Levigantem malleum ad percussionem incudis*. Vel, *super incudem*. Alii vertunt, *dividens* [sive, *incudem percutiens*] *malleo*, *contundentem vicissim*, sub. *hortatur*. Qui *ad percussionem* vertunt, את pro ל accipiunt. ¶ *Ad conjunctionem* לדבק] *Ad plumbaturam*: vel *coagmentationem*. Alii jungunt istud præcedentibus, *Dicens de conjunctione* [aut *coagmentatione*] *Bona est*. Vel, *de glutino*, *Bonum est*, sive *Accommodum est*. ¶ *Et corroboravit illud* ויחזקהו] *Et firmius reddidit*, sub. *illud sculptile*. Vel *illam coagmentationem*.

8. *Elegi* בחרתיך] Ad verb. *elegi te*. Redundat pronomen *te*. ¶ *Qui dilexit me* אוהבי] *Amantis me*.

9. *Et à majoribus ejus* ומאציליה] *De inter majores ejus*. Alii, *& à Principibus ejus*, i. Regibus qui tibi dominabantur. Alii vertunt *ab eminentiis ejus*, sub. *terra*. *Eminentias* vocat eas regiones quæ præ aliis in pretio habebantur.

10. *Ne terrearis* אל תשתע] *Nè liquefias*, *ne dissolvaris*; nempe velut cera.

11. *Viri contendentes*, &c. אנשי ריבך] Ad verb. *viri rixæ tuæ*, sive *litis & contentionis*.

12. *Viri bellantes*, &c. אנשי מלחמתך] Ad verb. *viri belli tui*, i. qui tecum belligerantur, vel qui te oppugnant, sive oppugnabunt.

13. *Adjuvabo te* עזרתיך] Præt. Heb. pro fut. ut & v. seq.

15. *In traham & tribulam* למורג חרוץ] *In traham bene incidentem*. Ut חרוץ sit nomen Toar ipsius מורג ¶ *Ora* פיפיות] Quidam *asperitates* interpretantur.

17. *Quærunt* מבקשים] Quidam vertunt hæc per futura.

18. *In excelsis* על שפיים] *In editissimis locis*. ¶ *Solitudinis* ציה] *Deserti*: sive *ariditatis* & *siccitatis*, i. aridam & siccam.

19. *Sittah* שטה] Species Cedri excellentissimæ. ¶ *Et arborem pinum* ועץ שמן] *Et arborem pinguedinis*, i. pinum. Chald. *arborem olivæ*. ¶ *Ulmum* תדהר] Quidam Hebræorum scribunt speciem esse Cedri. Alii volunt esse ברזיל *brezilium*.

20. *Et ponant* וישימו] Imperfecta est locutio Hebraica: nam subaudiendum *super cor*. Plena autem legitur mox v. 22. *Et ponemus cor nostrum*. Item Ezec. 40. 4. ושים לבך *& pone cor tuum*, & cap. 44. 5. שים לבך *pone cor tuum*, *& vide*, &c. Dicitur & *ponere super cor* in isto Esa. 57. 1. *Justus perit*, *& non est quisquam qui* שם על לב *ponat super cor*. Et v. 11. *Neque* שמת על לבך *posuisti in corde tuo*. *Ponere autem*, sive *Ponere cor*, aut *Ponere super cor* est Animadvertere, Cogitare, Considerare.

21. *Ap-*

21. *Appropinquare facite* קרבו] *Admovete*, i. ponite in medium. Convertit sermonem ad idololatras. ¶ *Fortia vestra* עצמותיכם] *Firmamenta vestra*, i. argumenta vestra quæ putatis esse fortissima & validissima; probationes vestras fortissimas.

22. *Accedere faciant* יגישו] *Adducant*, sub. *Deos suos.* ¶ *Et annuncient* ויגידו] *Et indicent*, i. dicant. Sic mox. ¶ *Et ponemus cor nostrum* ונשימה לבנו] Vide v. 20. i. & considerabimus diligentiùs, & attendemus. ¶ *Et sciemus* ונדעה] *Ut sciamus.* ¶ *Narrate nobis* השמיענו] Ad verb. *facite audire nos.* Quidam, *docete nos.*

23. *Et cognoscemus* ונדעה] *Ut sciamus*: vel *cognoscamus.* ¶ *Aut malefaciatis* ותרעו] Ad verb. *Et malefaciatis*: ו pro *aut.* ¶ *Et videbimus* ונראה] *Posteaquam viderimus*: ו pro *postquam.* Alii vertunt, *ut narremus, & videamus*, sub. *miracula vestra.*

24. *Et opus vestrum ex nihilo* ופעלכם מאפע] i. Vos nihil potestis facere, neque bona neque mala. Quidam vertunt, *& factura vestra ex nihilo.* ¶ *Vir abominabilis*, &c. תועבה יבחר בכם] Ad verb. *abominatio eliget vos*: vel (ut alii vertunt) *abominationem elegit in vobis*, sub. *homo*: acsi dicat quòd homines idola fabricare non possunt quin simul abominationem fabricent.

25. *Suscitabo* העירותי] Præt. Heb. pro fut. ¶ *Vocabit nomen meum* יקרא בשמי] *Vocabit in nomine meo.* Meliùs tamen legas *nomen meum* quàm *in nomine meo*, ut ב redundet. Hebraismus, idem significans quod *nomen meum profitebitur*, vel *seipsum commendabit meo nomine*, tanquam auspiciis meis meâque autoritate militans. Gallicè dicimus, *Il se reclamera de moy*, *ou renommera.* ¶ *Conculcabit* ירמס] Fut. Heb. pro præs. ut quidam vertunt, *calcat lutum.*

26. *Et sciemus* ונדעה] *Ut cognoscamus*, sub. *illum esse verum Deum.* Revertitur ad idola ipsa: q. d. Quis ex omnibus diis Gentium unquam indicavit quod futurum erat longo tempore antequam res fieret? ¶ *Et à principio* ומלפנים] *Aut ab antiquo*, vel *ab initio*, sive *jam antè.* ¶ *Narret* משמיע] Ad verb. *audire faciat*, sub. *vocem suam*: i. dicat, sive doceat, & narret, ut v. 22.

27. *Ecce adsunt* הנם] Ad verb. *ecce ipsi.* ¶ *Euangelistam* מבשר] *Nuncium.* Alii, *felicia nunciantem.* Sing. pro plur. *Euangelistas*, qui scilicet nuncient cives suos redire è captivitate.

28. *Videbo autem* וארא] *Aspiciam autem*: vel, *Contemplabor*; sub. *idola Gentium.* i. Quòd si contempler. Quidam omnia per præteritum vertunt. ¶ *Et non erit quispiam* ואין איש] Sub. *indicans futura.* ¶ *Consiliarius* יועץ] i. Nullus dare poterit consilium. ¶ *Interrogabo praterea eos*, &c. ואשאלם וישיבו דבר] *Neque si interrogavero eos respondebunt quicquam.*

CASTALIO.

1. *Conticescite mihi, insulæ*] Superiore capite promisit adventum Christi, in falsos invectus Deos: nunc Israelitas ad Christum exspectandum confirmat his rationibus. Quod de Messia promitto, nolite dubitare quin id præstiturus sim, quippe qui *primus postremusque* Deus sim, h. e. solus, sicut *caput & caudam*, *proram & puppim* & similia dicimus pro *toto* aut *omnibus*, & Livius Dec. 1. lib. 1. *Ut illa palàm prima postrema ex illis tabulis ceràve recitata sunt*, h. e. omnia. Quid ergò, dicet quis, nulli sunt alii dii? Videamus quales sint. Dei est magna facere, nedum prædicere: At isti non solùm non faciunt, sed nè prædicunt quidem. Prædicant enim adventum Cyri Persarum Regis. Non possunt. At ego non modò eum prædico, sed etiam adduco, eique gentes ità Subjicio ut eum etiam insulæ & Græcia formidet. Ite nunc, & interrogate istos manu & arte factos Gentium Deos de hac futura re. Quòd si neque prædicere, neque nocere læderéve possunt, nolite eos colere, sed me: & sperate Servatorem Christum, quem promitto. Cúmque hic advenerit quem dico, Cyrus Persarum Rex, qui vos in patriam revocet, sperate eum quoque venturum qui *deserta* colat, h. e. alienigenas doceat; videlicet Christum. Vocat autem Cyrum *justitiam*; h. e. justum (ut Latinè *scelus* pro *scelerato* dicimus) quoniam erat Judæos liberaturus, & Christum Servatorem non solùm re sed etiam nomine significabat. Nam Cyrus *Solem* significat Persicâ linguâ, ut docet in Artaxerxe Plutarchus, & Christus est *lux mundi.* Hactenus argumentum. Illud autem, *Et cum postremis ego idem*, perinde est ac si diceret, *Ego sum postremus*: de qua loquendi ratione vide Annotata in Psal. 58.

2. *Quis excitam ex Oriente justitiam vocat ad pedes suos?*] *Justitiam*, h. e. justum.

3. *Semita suis non ambulata pedibus*] Insolita.

7. *Illud firmat compagibus nè commoveatur*] Videlicet simulacrum.

22. *Præterita quæ sunt præsignificate, & animum advertemus, eorúmque sciemus exitum*] Si Sennacheribi casum prædixissetis, esset causa cur *animum*, &c.

27. *Primus ego Sioni ea instare demonstro*, Alludit ad id quod suprà dixerat, *Ego Jova, & primus, & cum postremis ego idem*: quasi hoc dicat. Ego Jova, qui me suprà *primum postremúmque*, h. e. solum, dixi, hæc præsignifico.

CLARIUS.

1. *Taceant ad me*] h. e. Auscultent. Est autem hæc expositio quædam priorum ad idem pertinens argumentum. ¶ *Mutent fortitudinem*] Hebraismus est pro *arment se responsis, & fortiores prodeant.* ¶ *Accedant, & tunc loquantur*] h. e. Congrediantur priùs mecum, & disputent, quàm quicquam ex se definiant. Et vide ut sese demittit Deus! Ingens & charitatis & benignitatis significatio.

2. *Quis suscitavit ab Oriente justum?*] Vel *justitiam.* Proponit autem Deus exemplum potentiæ suæ, quòd Abraham idola contemnentem vocaverit ab Oriente, & peditem duxerit per multas gentes, & fecerit cum parvo numero vernaculorum vincere aliquot Reges, de quo habitatores *insularum obstupefacti sunt*, sicut & alii Reges, quorum aliqui obviàm venerunt Abrahæ victori; quemadmodum de Rege Sodomæ legitur. Sed his non obstantibus, manserunt infideles homines in sua infidelitate, & *frater ad fratrem accedens*, mutuò se cohortati sunt ad fabrefactionem idolorum.

3. *Semita in pedibus ejus non apparebit*] Quidam sic interpretantur, *non cogetur diverticula quærere, sed regiâ viâ semper tuta procedet.* Alius vertit, *Semita in pedes ejus non venit*, h. e. pedes ejus ex itinere non tumuerunt.

4. *Vocans generationes*] Quis est qui vocet ab initio generationes singulas præter me?

7. *Percutientem malleo*] h. e. Nihil non egit quò citò sculptile fabricaretur. Faber lignarius parabat sculptam imaginem, aurifaber verò super incudem diducebat bracteam auream, quam deinde glutino affigebat imagini.

15. *Quasi plaustrum triturans*] Vel, *quasi tribulam & rastrum novum quod habet rostra*: ut *rostra* sint dentes rastro infixi quibus granum ex paleis trituratur. *Tribula* illæ & *rastra* fuerunt S. Apostoli & Prædicatores verbi Dei, qui *montes & colles comminuerunt & trituraverunt*, h. e. Reges & Principes.

19. *Spinam*] Alii verterunt Sethim *spinam Ægyptiam*, quæ etiam in aquis duret incorrupta, & ob id utilissima sit navium costis, unde nimirum ligna Arcæ Tabernaculi facta; quæ *Setim* dicuntur. Per hæc ligna autem *nascitura in deserto* intellige futuros in Gentilitate, quæ nihil aliud erat quàm desertum quoddam, sapientes, Prophetas, doctores, &c.

21. *Propè facite*] Vertit Propheta sermonem suum ad idolorum cultores. ¶ *Siquid forte habetis*] Illud *forte* nomen est, h. e. *robustum.*

25. *Suscitavi ab Aquilone*] Intelligit vocandas Gentes ac populum Christianum, qui sublato cultu idolorum unum ac verum Deum colet. Cyrus autem hujus rei typum gessit, quem vocavit *ab Aquilone.* Subigentur ergò omnes Principes, quemadmodum *plastes* ac *figulus* solet *humum.*

26. *Quis annunciavit*] Vos, ô idola, annunciate ista, si potestis. ¶ *Ut dicamus, justus es*] h. e. Verax in sermonibus.

27. *Primus ad Sion*] Ego sum, inquit, *primus*, qui *dico ad Sion*, *Ecce adsunt* quæ à Deo promissa sunt. Verba, inquam, consolationis quæ Prophetæ prædixerunt ab antiquo super Sion, ecce venerunt.

28. *Et vidi, & non erat*] Vel de idolis, vel de idololatris.

FORERIUS.

1. Cum fiduciam in Deum superiori oratione Israelitis persuasisset, hîc jam ostendit quantò id sapientiùs faciant quàm Gentes, quæ idolis suis confidunt. Inducit itaque Deum cum Gentibus veluti judicio contendentem, volentémque ut illi causam deorum suorum agant, utpote quæ muta sint simulacra, & pro se loqui nequeant; suam autem Deum ipsum agentem, cujus sunt istæ voces. ¶ *Taceant*, &c.] Imperativus est, *Cessate ad me*, vel *Silete ad me*, i. Silenter & absque omni strepitu me auscultate. Est enim elegantia Hebraismi ut uni verbo alienam constructionem tribuant, suppleántque verbum cujus constructio exprimitur. Perinde ergò est ac si dicat, *Silete, & auscultate me*, i. Silenter attendite. ¶ *Insulæ*] Gentes remotissimas ad quas per mare ibatur sic vocant, ut

erant

erant Græcia, Italia, Hispania, &c. per quas universas gentes quæ à religione Hebræorum alienæ erant intelligere oportet. ¶ *Mutent fortitudinem*] Vide cap. 40. 31. Nos diceremus, *Animum ac vires colligant, ut postquam audierint, fortiter causam Deorum suorum agant.* Ordo verborum videtur esse inversus; ut sæpe solent Hebræi scriptores facere. Planus ordo hic fuisset, *Commutent Gentes virtutem; accedant: pariter judicio appropinquemus; tacitè auscultent me: tunc loquantur.*

2. *Quis*] Duobus tantum argumentis ostendit Deus se verum esse Deum, Gentes autem fictitios deos colere: & priori quidem sumpto à tempore præterito; posteriori verò à futuro, quod tractat in fine hujus capitis, & sequenti prosequitur. Prius ergò tantùm consistit in iis quæ Deus cum Abrahamo & posteris ipsius egit. ¶ *Justum*] צרק *justitiam.* Verùm quia de Abrahamo erat sermo, & relativa quæ sequuntur ad *virum* videntur referenda, Vulgatus per concretum reddidit. Ego nomen *justitiæ* retinui, per quam justum Abrahamum voluit datâ operâ Propheta intelligere, quòd ab eo universa justitia promanarit, & Pater justitiæ fidei fuerit, de qua Apostolus ad Romanos pluribus agit. ¶ *Suscitavit*] Non solùm autem Abrahamum aliud agentem excitavit, sed & in ipso *justitiam* ipsam *excitavit* seu *ædificavit.* ¶ *Ab Oriente*] Chaldæa ad Orientem jacet. ¶ *Sequeretur se*] לרגלו *ad pedem suum*: quod aut cum Vulgato possumus accipere: vel, ut pedibus vocantem sequeretur, & pedibus iter conficeret: quod quantò humiliùs sonat, tantò magis ad augmentem eorum quæ sequuntur facit, *dedit coram eo gentes*, &c. Cùm hominem unum Deo vocanti obtemperantem & veluti pauperem pedibus iter conficientem vidistis, quid magni ab uno hoc homine exspectari potuisset, extorre à patria, & apud ignotas gentes peregrino? Audite ergò. ¶ *Dedit in conspectu*, &c.] Repetendum est מי, *Quis dedit*, vel sic, *Dedit in conspectu suo gentes, & Reges subjecit*: deinde quasi explicaret quod dixerat, *dedit, inquam, gentes quasi pulverem gladius ejus, & arcus ejus subegit Reges quasi stipulam vento propulsam.* Atque hæc interpretandi ratio ex ipsa linguæ proprietate & consuetudine desumpta est, &c. De victoria autem Abrahæ est sermo quam habes Gen. 14. quam non multò pòst quàm in Palæstinam venisset obtinuit. Futura etiam sunt Hebræis pro præteritis, & per præteritum imperfectum aut etiam in præsenti tempore reddi possunt. Sed hoc parvi refert. ¶ *Dabit quasi pulverem gladio*] Sensus constat secundùm proprietatem Hebrææ linguæ. Nomina *gladii* & *arcûs* in recto accipio, *gladius ejus dedit gentes & Reges quasi pulverem, & arcus ejus quasi quisquilias vento expulsas*; i. prælio fudit exercitum, & minimo negotio sine suorum sanguine Reges vicit.

3. *Transibit in pace*] Heb. *transivit pax*, seu *integritas*; i. integer, incolumis evasit. Nisi malis dicere, fieri adverbium cum verbo, *transivit*, seu *evasit pacificè*, seu *integre*, nemine ex suis amisso. Nam & plur. hujus nominis Jer. 13. sic accipitur. ¶ *Semita in pedibus ejus non apparebit*] Ad verbum, *semita in pedibus ejus non venit.* Sed ego posthabitâ ratione punctorum quæ apponere solent Hebræi, nomen *semitæ* cum verbo *transibat* omnino conjungendum puto, deinde supplendum relativum, quod frequentissimè omittunt, *transivit semitam pacifice* quam *pedibus suis non ingrediebatur*, i. quàm nunquam ingressus fuerat. Nunquam enim Abraham bellum gesserat, nunquam antea prælium inierat: quo miraculum auget, incolumem & victorem evasisse ex prælio, qui non fuisset unquam belligeratus.

4. *Quis*, &c.] Ille deos patrios reliquerat, idola non colebat; me vocantem fuerat secutus. Dominus solus dux ejus fuit; ut alibi dicebat, *non erat cum eo Deus alienus.* Pauper & peregrinus patriam reliquerat; apud exteros peregrinabantur. Quatuor ecce Reges cum suis vernaculis debellat. *Quis fecit hæc?* Respondet ipse, ¶ *Vocans*, &c.] i. *Is certe qui secula ab initio vocat.* De voce דור vide infrà cap. 53. *Vocare* autem *secula* sive *generationes* sive *progenies ab exordio* est, ni fallor, quod Paulus vocat *Regem seculorum*, i. qui est auctor cunctorum & moderator; qui ab initio universa creavit, & universorum providentiam habet. Quòd si quæras quis iste sit, ¶ *Ego Jehova*, inquit, *primus*, &c.] i. Qui ante omnia sum, & quem, quando ultima venerint, invenient: *à quo omnia, & in quem omnia.*

5,6. *Viderunt insulæ*, &c.] Longinquæ nationes audientes quanta per unum invisibilis Dei cultorem Deus operaretur, neque enim famæ tantummodo credere volentes *propius accesserunt*; atque sic se rem habere intelligentes, *metu & tremore corripiebantur.* Nihilominus non despondentes animum mutuò se adhortabantur ut deos suos fabricarentur majori quam antea studio, ut se religione & cultu deorum defenderent à novæ religionis professoribus, quinimo ut eos quoque, si opus esset, exterminarent. Ubi vides hominum insaniam, qui cùm de abjiciendis Diis fictitiis consultare debuissent, animum & vires colligunt ut errori antiquo insistant.

7. *Confortavit faber ærarius*] *Ærarium* legerem, nam habet articulum את, q. d. *Faber fabrum exhortabatur.* צרף est *ustor, conflator*: quo nomine vocant Hebræi eum artificem qui conflando & excoquendo aurum, argentum, sive aliud metallum, quidquam operis efficit: חרש autem *fabrum* absolutè designat, tam qui in lignis quàm qui in lapidibus, quàm etiam in metallis, operatur. ¶ *Percutiens malleo*] Omissis aliorum versionibus, quæ hoc loco variæ admodum sunt, (neque enim ipsi Rabini sibi constant) verba Hebræa examinabo, ut quàm doctè Vulg. Hebræa expresserit videant qui eum sine causa flagellant. חליק quidem verbum non *percutere* significat, sed *dispertire. Dispertire* autem *malleo* est diducere in partes laminam, &c. Unde non malè dixit Vulg. *percutiens malleo.* ¶ *Eum qui cudebat*] הולם pro participio verbi accepit Vulgatus, quod *conquassare, pulsare*, seu quid simile significat. Nemo autem negare potest eam esse formam germanam participii: neque Pagninus aliâ ratione hanc versionem rejicit quàm quia omnes Interpretes Hebræi dicunt non esse participium. Quæ quantum ponderis habeat norunt qui quoties ineptiant Rabini, etiam in Grammaticis, non ignorant. Cùm ergò non intelligerent Rabini orationem hanc, finxerunt suo more הולם esse nomen, & significare rem quæ cuditur, *laminam* videlicet & *bracteas*, &c. Ego certè arbitror Vulgatum rectè pro participio accepisse. At constructio plana est hoc pacto, *Faber confortavit conflatorem; percutiens malleo* (vel *dispergens malleator*) confortavit *eum qui cudebat*, &c. Neque hanc rationem constructionis negare possunt vel ipsi Rabini. Dixerat autem superiori versu quod *alter alterum confirmaret*: id jam hoc versu exponit, *Faber fabrum, malleator malleatorem confirmabat.* ¶ *Tunc temporis*] פעם pro *incude* sunt etiam inter Hebræos qui accipiant: sed non alium locum adducunt ut hanc sententiam confirment. *Ictum* autem significare nemo negabit: hinc pro *vice.* Exempla sunt obvia. Ego ut adverbium accipiendum hic putarem, pro *vicissim*; quod *malleator exhortaretur eum qui iteratis vicibus*, vel *eum qui secum vicissim tundebat.* Vulgatus pro adverbio Temporis accepit, neque malè: sensus enim idem est, sicut Num. 24. 1. כפעם בפעם reddidit *sicut ante*: sensus autem est, *sicut semel atque iterum.* ¶ *Glutino*] לדבק, à verbo quod *adhærere* significat, dicunt Hebræi nomen hoc significare *conjuncturam* seu *adhæsionem*: hinc pro *glutino* accepit Vulgatus. Possumus tamen aliis punctis accipere pro nomine participiali, D A B E C, i. *adhærens, assecla, qui lateri alterius adhæret*; ut sit sensus, *Dicens faber & malleator adhærenti sibi, bonum est*, vel *bene est, jam aptum est & perfectum, nihil suprà: tuncque clavis ferreis illud confirmabant, ne moveretur.* Sunt autem qui hos tres versus de gentibus, quæ audito quod proposuerat Deus de Abrahamo, timentes causæ suæ, sese mutuò ad idola defendenda adhortabantur. Sed verba priori expositioni magis suffragantur. Nam de studio constituendorum idolorum & sese adversùs cultores Dei invisibilis cohortantium videtur esse sermo. Interim tamen mirè idolorum vanitatem elevat, & idololatrarum vesaniam amplificat. Huc quodammodo facit cohortatio illa Philisthinorum 1 Sam. 4. quando advenisse Arcam Dei in castra Israelitica intelligentes timuerunt & ingemuerunt, *Væ*, dixerunt *nobis: quis nos salvabit de manu Deorum sublimium istorum? Hi sunt Dii qui percusserunt Ægyptum omni plagâ: Confortamini, & estote viri, Philisthim, ne serviatis Hebræis: confortamini, & bellate*, &c. Ad hunc modum hæc verba Prophetæ accipio. Nam ab historia illius temporis & Abrahamo paulatim ad posteros Abrahæ transit, & ea quæ pro eis gessit Deus, ac tandem ad veros filios Abrahæ, paucos illos qui fidem servarunt. Quas transitiones qui non ex frequenti Prophetarum lectione animadvertunt, miserrimè decipiuntur hærentque sæpius, & quò se vertant nesciunt. Saltem quæ hoc loco est manifesta sanè est.

8. *Israel, Jacob, semen Abraham*] Jam vides quòd ad posteros Abtahæ vertat sermonem. Non enim solùm in ipsius Abrahæ persona se Deus Deum esse ostenderat, sed multò etiam magis in semine ipsius. Israelitas ergo cohortatur nè sibi ab ullis hostibus timeant, quòd ipsum habeant Protectorem, &c.

6. *In quo apprehendi te*] Potest juxta consuetudinem Hebraici sermonis in relativo אשר includi præpositio, quam expressit Vulg. q. d. Dominus, quòd dum *vocavit* & *apprehendit* Abrahamum, in ipso apprehenderit ejus posteritatem. Sive autem ità accipias, sive non, vertásque relativum & pronomen

affixum

affixum per relativum tantùm, ut superiori versu, *quem elegi te*, i. *quem elegi*, & usus linguæ Hebrææ postulat, sensus tamen idem est: nam hoc innuit Deus, quòd quando è Chaldæa vocavit Abrahamum, in eo filios ejus vocaverit. Unde de *Israele*, i. Israelitis, dicit, quòd *ab extremis terræ eos vocaverit.* ¶ *A longinquis ejus*] Nomen Hebræum *cubitos* designat. Attribuit autem Hebraismus Metaphoricè Mari & Terræ *manus* & *brachia*, quòd sinus recessúsque habeant. Quod ergò dixit *ab extremitatibus*, idem repetit *à brachiis* seu *cubitis* seu *recessibus*; ad quos se veluti brachiis ostendit. Sensum vertit Vulgatus. Habent autem appellationem hanc *cubiti* quòd sub eis quidquam asservemus. Credo esse quas Latini *axillas* vocant; & pro *concavitatibus* accipi hoc loco, i. abstrusis locis, unde videbamini vix educi posse: ut de eductione ex Ægypto in hoc secundo membro possit esse sermo. ¶ *Elegi te*] Quando eum in populum sibi peculiarem *elegit* ex omnibus populis, *neque unquam illos abjecisse* dicitur; quia ex illis Christus Dominus secundùm carnem & reliquiæ sanctæ prodierunt, ex quibus constat Regnum Dei, quod est omnium seculorum.

10. *Quia ego tecum*] *Dominus mihi adjutor; non timebo quid faciat mihi homo: Dominus protector vitæ meæ; à quo trepidabo?* ¶ *Nè declines*] Vel *divertas*. שעה est *animadvertere*, licèt juxta variam constructionem variè reddi debeat. Posse nus etiam hic reddere, *ne advertas*; i. nè solicitus sis, nihil cures, nè circumferas oculos, ut quorum mens vacillat. Et quia est in quarta, potest esse sensus, *nè temetipsum respicias*, i. nè ad te virésque tuas attendas, sed ad meipsum, qui sum Dominus *Deus tuus*, qui te foveo, adjuvo, sustento nè cadas. Et istæ sunt propriæ verborum Hebræorum significationes; atque hanc ultimam interpretationem libenter amplector. ¶ *Dexterâ justi mei*] Heb. *justitiæ meæ*. Vulg. accepit ut suprà v. 2. & de Mose vel Christo Domino possumus interpretari. Si autem de *justitia* Dei, i. bonitate, ut sæpe accipitur, nomen צדק intelligimus, planus sensus est, quòd *Deus pro bonitate sua illos sustentarit, protexerit*, &c. Quos autem Deus sic suscipit & fovet, *nemo de manu ejus poterit eripere.* Ut sit quod non uno loco Dominus testatur, *Propter semetipsum eos protexisse, propugnasse atque liberasse.* Neque enim quæ sequuntur ad tempora Mosis vel alterius *justi* tantùm referri possunt, nisi Christum Dominum intelligas, qui & *Justus* & *Justitia Dei* dicitur. Verùm ut quod sentio semel dicam, hîc recenset Propheta nonnulla beneficia quibus Dominus affecit populum illum, sed verbis adeò genericis ut & ad Mosis tempora & ad posteriora referri possint, nimirum quia & Typum & Veritatem simul insinuare volebat Jesaias, ut sequentia manifestè ostendent. Typum ergò & Veritatem enarrabimus: nam hoc esse Christianè & propriè Prophetas interpretari, non dubitabit doctus ac pius lector.

11. *Ecce confundentur*] Deo protegente suos, hæc sunt quæ hostibus obveniunt, Pudor, Ignominia, Perditio & omnimoda Abolitio: quod iterum atque iterum repetit, quia cum infidelibus loquebatur. Exemplo sunt Ægyptii, & gentes quæ in Palæstina degebant. ¶ *Viri qui contradicunt tibi*] Heb. *viri litis tuæ*, quem doctè mollivit Vulg. Interpres.

12. *Quæres eos*, & non] Phrasis est usitata Hebræis quâ absolutam perditionem notant. *Adeò*, inquit, *abolebuntur*, *ità penitus tollentur, ut quamvis magno studio eos quæras, invenire non possis.* In Ps. *Quæsivi eum, non est inventus locus ejus*, &c. ¶ *Viros rebelles*] In recto legendum est, *viri rebelles.* Etiam hîc Hebraismum doctè vitavit, sicut mox *viros belli tui* vertit *bellantes adversum te*; quos ego in versione retinui, quòd perspicui essent. ¶ *Quasi consumptio*] Hæc propria est significatio vocis אפס, *consumptio*, *defectus*, &c. i. quod absumptum & deletum est.

13. *Apprehendens manum*] Planior est oratio, licèt sensus idem, si vertas *qui apprehendo dexteram tuam, dicens.* Neque enim est conjunctio in Hebræo, sed est ה, cujus munus est aliquando ut additum verbo sit relativum, ut Gen. 46. *Omnis anima domûs Israel quæ venit.* Ps. 18. *Qui cingis me virtute*, &c. Exprimit autem humano more gestum ejus qui alteri auxilium & operam suam pollicetur. Solet hoc fieri apprehensâ dexterâ: quod symbolum erat federis & amicitiæ. ¶ *Adjuvi*] Scito, inquit, me non defuturum tibi: ità firmiter apud te statue ac si res jam peracta esset.

14. *Vermis*] A *rodendo* dictus est hoc nomine vermiculus qui lignum corrodit. Græci τερηδόνα, Latini *teredinem* dicunt. Est autem nomen contemptûs, ut Job. 25. *Quantò magìs Homo vermiculus, & filius hominis vermis*: & Ps. 22. Existimo autem Prophetam in his verbis insinuare statum Israelitarum, quando à peccato quasi funditus vastati, paucissimi fideles reperti sunt, contemptibiles & nullius pretii homines: quos elegit Deus, *ut confunderet fortia*, &c. Hujus interpretationis signum dat locus Luc. 12. ubi Dominus ad discipulos suos dicit, *Ne timeas, pusille grex: quia complacuit Patri dare Regnum*, &c. Nam quod sequitur, ¶ *Et qui mortui estis ex Israel*] i. Quasi mortui reputati, & ut D. Paulus de se & sociis ait, quòd essent *novissimi, & veluti morti destinati*, reddi potest ex Hebræo, ut in versione nostra vides, *pusille Israel*, i. pusille Israelitarum grex. Nam à verbo מות *mortuus est*, est nomen מתים, quod interdum *mortuos*, interdum idem quod Latinis *mortales*, seu *homines*, à conditione sua, significat: licèt Massoritæ variis motionibus illud efferant, ut æquivocationem vitent. Interdum etiam sign. *exiguum*; *pusillum & infirmum cœtum*, qui est velut mortuus & mactationi expositus, præsertim si jungatur nomini מספר, *numerus*, aut adverbio מעט *parum.* Gen. 34. *Ego verò paucus numero.* Deut. 33. *Tribus ejus sit pusilla numero: & 26. 5. Descendens in Ægyptum peregrinatus est ibi cœtu modico.* Et Ps. 105. cum utraque dictione construitur, ut superlativum significet, מתי מספר כמעט, i. *paucissimi & nullius pretii homines.* Hîc autem licèt sine illis vocibus sit positum, tamen non simpliciter pro *viris* positum apparet, neque pro *mortuis* absolutè, sed pro *hominibus qui pro mortuis habentur*; quales Apostolus se & Coapostolos non semel describit. Si typum hîc quæris, recole tempora illa de quibus Ps. 105. *Cùm essent numero brevi*, &c. *Pertransierunt de gente in gentem, non reliquit homines nocere eis, & corripuit pro eis Reges. Tandem auxit populum suum vehementer, & firmavit super inimicos ejus*, &c. Si autem veritatem, recole tempus illud quo Dominus Discipulis dicebat, *Nolite timere, pusille grex, quia complacuit Patri vestro*, &c. quibus *dedit potestatem calcandi super serpentes & omnem virtutem inimici: & nihil illis noceret*, quos per universum orbem fecit victores pergere, &c. ut hoc sit quod seq. versu continetur, quo *similes illos facit trahæ*, seu *rastro acuto, & novo, & dentato*, &c. De qua victoria in sequentibus plura.

15. *Quasi plaustrum*] Nomen *traham* notat, seu *rastrum*, quo funibus bobus aut aliis animalibus alligato glebæ conteruntur. Nam glebis comminuendis adhiberi traham & tribulam legis Georg. lib. 1.

Tribuláque, traheæque, & iniquo pondere rastri.

Et nonnullis in regionibus eisdem ferè instrumentis grana excutiuntur ex paleis. *Plaustrum* dixit Vulg. idem omnino volens significare. ¶ *Triturans*] חרוץ *acutum.* De sensu tantummodo fuit solicitus Vulgatus: quare & *rostra serrantia* dixit, cùm in Hebræo sit nomen unum tantùm plur. פיפיות, quòd *multa habeat ora* seu *acumina*: habent enim illa instrumenta plures quos vocamus *dentes.* Nomen autem *oris*, quo cibos incidimus, tribuunt Hebræi Gladiis & aliis rebus. Ab *ore* etiam apud Græcos, quod vulgò *aciarium* ab *acie*, quæ ex eo confici solet, dicimus, στόμωμα appellatur. Quidquid quoque aliquâ re præditum est, Hebræi vocant *dominum* illius rei. Sic hoc loco Rastrum vocat *dominum dentium* seu *acierum.* ¶ *Triturabis montes*] Pro *glebis* hîc substituuntur *montes* & *colles*, i. Reges ac Tyranni: Quos Israelitæ in typo subjugarunt, quósque Apostoli in veritate verbo Dei pedibus suis subjecerunt, *in captivitatem redigentes omnem altitudinem extollentem se*, &c. Hos *quasi in pulverem redegerunt*, quos humillimos reddiderunt & præceptis piscatorum parentes.

16. *Ventilabis eos*] Hîc jam eos Paleis & Quisquiliis comparat, quos suprà *montes* & *colles* vocaverat. Antè quàm enim subjugarentur, *montes* erant: postea levissimis istis rebus comparantur, in quas vim suam liberè ventus exercet. Et quidem corporaliter olim Israelitæ eos abstulerunt & in nihilum redegerunt: spiritaliter autem vi Spiritûs S. Apostoli eos debellarunt, &c. ¶ *Exsultabis*] Quanta fuerit *exsultatio* Israelitarum cùm se viderunt dominos Regnorum exterorum, omnibus notum est. Quanta quoque fuerit *gloriatio* Apostolorum cùm viderunt subjectas fidei nationes Gentium, quis explicare possit? De hac jam nonnihil dictum est suprà cap. 9. *Exsultare* autem *in Domino* dicit Hebraismus pro *sanctè* & *piè exsultare*, *Deo honorem & gloriam impendendo*, &c. Hîc quoque recole internecionem Ægyptiorum, quos demersit Deus in mari, neque ultrà eos viderunt; simul etiam exsultationem Israelitarum quæ Cantico illo Mosis continetur, *Cantemus Domino*, &c. Ægyptii enim fuerunt viri litis, rixæ & belli: horum superbiam contudit Dominus, &c. Quæ omnia in figura contigerunt illis.

17. *Egeni & pauperes*] Si hæc de itinere filiorum Israel per desertum velis accipere, tanquam de typo omnia conveniunt. Non enim desertum illis fuit desertum, sed tanquam paradisus deliciarum. Non defuerunt aquæ, neque panis de cœlo: & pro umbrosis arboribus, nubes æstûs tempore, &c. Imò cùm miraculo non uno

loco erupissent fontes, quis dubitet quin & hujusmodi arbores, quas hîc commemorat Propheta, illic creverint tot annorum spatio? Sed nihilominus multò aptiùs mysterio & veritati isthæc conveniunt. Nam *pauperculi* Discipuli Domini & omni humano *auxilio destituti aquis* & consolationibus cœlestibus refecti sunt. Et genus illud vitæ horridum & necessitatibus atque afflictionibus refertum, quod Discipuli Domini ducebant, in delicias versum est; & tristitia eorum versa est in gaudium. Nam *egentes*, *multos locupletabant*, *& nihil habentes*, *omnia possidebant*, &c. Unde & Dominus in Euangelio ait quòd *flumina de ventre credentium in se orirentur*, &c. quod *dicebat de Spiritu*, *quem accepturi erant credentes in eum*, ut ipse Joannes interpretatur.

18. *In supinis*] Alii legunt *supremis*. Vox Hebræa שפי *præcipitium* seu *præruptio* est. Ergò hîc *super præcipitiis* reddere possumus, i. abruptis, excelsis atque inviis. ¶ *Rivos aquarum*] Optimè reddidit *rivos*. Ego Etymologiam retinui, nè ignoraretur: à verbo enim יצא *egressus est* dicitur nomen, *exitus*, *egressus*, &c. *Egressus aquarum* est scaturigo. *Egressus oris* est eloquium, ut Deut. 8. *Sed in omni egressu oris Jehova vivit homo*, i. in eo quod præcipit, promittit aut loquitur: item 23. & Psal. 89.

19. *Spinam*] שטה quæ arbor sit ignoramus. Theodotio *spinam* vertit. Et Hieronymus scribit esse *genus arboris nascentis in eremo*, *Spinæ albæ habentis similitudinem: ex quo Arca federis & omnia instrumenta lignea Tabernaculi fabrefacta sunt.* Et addit *lignum esse imputrescibile*, *& levissimum omnium lignorum*, *tam in fortitudine quàm in nitore soliditatem & pulcritudinem superans.* Sed si in eremo nasci solet, quid mirum quòd *in solitudine daret Deus sittam*, &c. Quare etsi infrugiferæ sint hujusmodi quæ hîc commemorantur arbores, non in desertis nasci eas passim meritò quis credat, atque ad confectionem Tabernaculi aliunde allatas, præsertim cùm ad construendam Arcam & instrumenta Tabernaculi non magna lignorum quantitas necessaria fuerit. Post *rivos* autem *aquarum* quos in solitudine illa Deus dedit, non dubito quin omnes istæ arbores illic ortæ fuerint. ¶ *Ulmum*] Qualis etiam arbor sit TIDHAR ignoratur. Certè à *fremitu* seu *fragore* videtur dicta quem à ventis agitata edit. Hieronymus *ulmum* vertit. Sunt qui *pinum* putent, quasi à *resina* appellationem habeat, aut à *splendore* quem si accendatur edit: nam נהר *resplendere* est Chaldæis atque Hebræis, licèt plerumque ad spiritalem lucem quæ adhortatione & commonefactione fit transferatur. At quantam cognationem habeant literæ ר & ז est manifestum. Hinc existimo vocem Latinam *Teda* originem ducere, quæ primò arborem notat ex earum genere quæ resinam ferunt, abundantiorem succo reliquis ejusdem generis, Græcis δᾲς, δᾴδιον. Impropriè deinde dicuntur *Tedæ* partes imæ piceæ sativæ, atque alia ligna quæ vel naturali pinguedine vel oleo picéve illita faculæ modo lucent. ¶ *Buxum*] Appellationem habet Hebræis *à felicitate*, quia semper vireat & multitudine foliorum luxuriet.

20. *Ut videant*, *& sciant*, &c.] i. Ità ut negare nemo possit hæc beneficio Dei invisibilis fieri, cùm nulli alteri populo alterius Dei cultori similia unquam contigerint quæ Israelitis jussu Dei per desertum iter facientibus contigerunt; imò qualia Deus veris Israelitis postea præstitit. Quæ si quis pro dignitate consideret, non poterit non agnoscere nullius alterius virtute hæc evenire potuisse nisi veri Dei. Quis negabit Christum esse verum Deum si consideret dona & virtutes ipsas quæ de cœlo ipsius Discipulis Divinitatem ejus prædicantibus concessæ sunt? Certè adventus Spiritûs S. testimonium perhibuit veritati: & *prædicatio* ipsorum *erat in signis & prodigiis & virtute multâ*, ut testatur Paulus. ¶ *Et recogitent*] Ad verb. est in Hebræo *ut ponant:* שום enim *ponere* est. Et quando pro *cogitare* & *presse attendere* accipitur, solent Hebræi nomen *cordis* apponere, ut 2 Sam. 18. *Non apponit ad nos cor*, i. non curat, &c. *Et ponere in corde* est quod Poeta dixit *altâ mente reponere.* Interdum tamen (ut hoc loco vides) absolutè accipitur pro *recogitare*, ut Vulg. vertit, ut etiam Job. 4.

21. *Prope facite*] Hactenus causam suam Deus verus egit, & ex operibus suis, nempe quæ cum Abrahamo & posteritate ejus egerit, ostendit se verum Deum esse. Jam Gentes urget ut causam deorum suorum non deserant. קרבו *coram afferte*, *accedere facite*, i. *proponite*, *jam causam vestram.* ¶ *Si quid forte*] *Forte* hîc nomen est; i. Si argumenta alicujus roboris habetis, adducite ea, quibus confirmetis deorum vestrorum Divinitatem. עצמות enim sunt *confirmationes* seu *corroborationes quas quisque pro se in judicio affert*, quæ sunt in oratione veluti Ossa & Nervi in corpore. ¶ *Rex Jacob*] Datâ operâ *Regem Jacob* hîc vocavit ipsum Deum in sugillationem deorum aliarum gentium, quæ cùm eis cultum tanquam diis exhibeant, ab eis tamen non reguntur neque proteguntur sicut Israelitæ à Deo suo.

22. *Accedant*] Vel, *Adducant*, inquam, *afferant confirmationes.* Quia verò posset Divinitas comprobari vel ex prædictione futurorum vel etiam enarratione præteritorum, i. quæ jam olim fecissent, urget, ¶ *Priora*, *quæ fuerunt*, *nunciate*] Ad verb. *priora*, *aliquid ecce nunciate*, i. *quidquam eorum quæ præcesserunt*, *coràm nunc narrate nobis.* ¶ *Et ponemus cor nostrum*] Sic omnino habent Hebræa: de quo suprà v. 20. ¶ *Et sciemus novissima eorum*] Si quidquam, quæ olim fecerint, nobis annunciaveritis, indè ratiocinantes, quænam futura deinde quoque sint intelligemus. *Eorum* in Hebræo est pronomen femininum, & ad *Deos* referri non potest sed pro neutro accipiendum est, q. d. Ex his quæ Deus cum patribus nostris operatus est licèt conjectari quem finem illæ res habituræ quoque sint (ut in superioribus exposuimus) tanquam ex umbris veritates: Ità si qua priorum nobis annunciaveritis quæ dii vestri operati sint, colligere aliquâ ratione poterimus earum rerum exitum, atque finem aliqua ex parte intelligemus. ¶ *Et quæ ventura sunt*] Particulam או ut disjunctivam (sicut Levit. 1. *de turturibus vel de pullis columbæ*) hîc libenter accipio; & non tam *ventura* quàm *venientia* interpretor vocem הבאות, i. *instantia*, *& quæ jam à tergo instant:* q. d. Si neque futura prædicere neque præterita enarrare possunt, saltem vel quæ jam veniunt, quæ vel mediocriter prudens vir prædicere aut annunciare posset, nos percipere faciant.

23. *Annunciate*, &c.] Iterum repetit utrumque membrum, urgétque ut ex altero istorum capite ostendant se esse deos: *Vel quæ postmodum futura sunt nunciate*, *vel quidquam boni aut mali facite*, *ut sciamus vos esse Deos.* ¶ *Et loquamur*] Potest esse sensus, *Et versis vultibus ad nos mutuò pariter rem examinabimus*, *atque tractabimus quonam honore digni sitis*, &c.

24. *Ecce vos*, &c.] Obmutescentibus tam Idolis quàm ipsorum cultoribus, concludit ipse Deus summa cum detestatione atque contemptu: q. d. *Quid urgeo? quid immoror? Ecce multò minus quàm nihilum estis. Et tantum abest ut aliquid boni aut mali facere possitis*, *ut opera vestra inania & nulla prorsus sint*, *& minus habeant ponderis quàm sibilus quidam*, &c. Vulg. præpositionem Mem pro *à* vel *ex* accepit, ut sæpe solet. *Esse* autem *ex nihilo* hoc loco est Esse fictitios deos, neque ab aliqua veritate ortum habuisse, sed inani & stultâ imaginatione quorundam hominum, quos nomine *abominationis* statim notat. Possumus autem Mem pro particula Comparationis sumere; & sensus erit quem jam apposui.

25. *Suscitavi*] Videtur esse conclusio prædictorum, cum quadam illorum capitum duorum repetitione: q. d. *Me ergò pro Deo colere deberet totus orbis*, *qui quæ præcesserunt feci*; *quæ videlicet jam audistis*, *nempe quòd vocaverim ab Oriente*, *videlicet à Chaldæa*, *Abrahamum*; *& deinde ab Aram*, *quæ ad Septentrionem sita est. De quo*, *cùm esset mei nominis cultor*, *& me solum pro Deo coleret*, *& ipse per se & posteros suos Reges conculcarit quasi lutum*, *nemo dubitare potest an id virtute meâ fecerit.* Alterum autem caput, de futurorum eventu, repetit v. 27. Atque hunc puto germanum hujus loci sensum. ¶ *Vocabit nomen meum*] Ad verb. *Vocabit in nomine meo:* i. Invocabit nomen meum; vel *vocabitur in nomine meo*, i. me colet, vel mei cultor appellabitur: & est futurum pro præterito. ¶ *Adducet* (vel *invadet*) *magistratus*] סגנים sign. *magnates in magistratu:* sicut & Berosus scribit significare *illos qui magni sunt*, *& Pontificatu funguntur.* Quàm facili autem negotio & Abraham quatuor Reges, & Israelitæ plurimos conculcaverint, notum satis ex S. Historia est.

26. *Quis annunciavit*] *Quis ex vobis*, *ô dii*, *harum rerum seriem priùs cognovit aut prædixit? dicite* supple, *ut sciamus quisnam vestrûm sit.* ¶ *Et à principio*] Idem repetit: *& dicite quis antea istas prædixerit*, *& eum justum pronunciabimus*, i. laudabimus, & ejus laudes decantabimus. *Justificare* enim quenquam in S. literis interdum est idem quod *laudibus celebrare:* nam justorum tantùm laus est, & justi tantùm sunt digni laude. Vel potiùs hîc *justum pronunciare* est pro *absolvere* & *sententiam pro ipso ferre.* Superiùs enim deos & deorum cultores quasi in judicium vocaverat. *Si quis*, inquit, *vestrûm est qui præterita antè quàm evenirent prædixerit*, *dicite quis sit*, *& victor ex judicio prodibit palmámque referet: neque erit cur deinceps dicamus quòd non sit Deus: Imò ab hac labe immunis pro Deo deinceps habebitur.* ¶ *Sed non est*, &c. Optimè reddidit Vulg. sensum; *Sed frustrà expectamus: non est quisquam qui annunciet*; *nemo est qui audire faciat*; *neque est qui vel vos mussitantes audiat*, *aut aliquod verbum ex ore vestro percipiat.*

27. *Pri*

27. *Primus*, &c.] Verbum *dicet*, supplevit Vulg. Ad verb. sic habent Hebræa, *Primus Tzioni, Ecce, ecce ipsi*, i. adsunt. q. d. *Nec præterita fuit qui annunciaret ante quàm venirent, neque futura. Ego primus omnium Tzioni dico, Ecce, ecce adsum*, nempe qui ea quæ futura sunt tibi annuncient; *& ego primus omnium sum qui ipsi Jerosolymæ dabo qui fausta annunciet.* Ponitur enim sing. מבשר pro plur. *Non solum potens sum futura prædicere, sed facio ut homines ea prævideant & annuncient.* Nam de redeuntibus à captivitate, ut quidam interpretantur, nimis alienum est. Illud ergò *adsum*, quod in vulgatis Bibliis legitur, in tertiam personam *adsunt* est mutandum: & ita in Commentariis Hieronymus interpretatur & legit. Intelligit autem Prophetas, quos Dominus semper Israelitis dedit, qui de futuris eos admonebant ac certiores faciebant, præsertim autem ipsum Jesaiam Prophetam, quem fortè hoc loco Dominus *Euangelistam* appellat, qui deinceps plurima de Regno Christi annunciat. Est autem Christus ex semine illius *justi* quem *ab Oriente suscitavit* Dominus. Atque ità manifestum apparet his verbis Prophetam sibi viam muniisse ad sequentes de Christo Prophetias.

28. *Et vidi*] Ego Jesaias, an me hæc pro Domino proponente vellet quisquam suorum deorum Divinitatem ostendere; etsi non primo loco, saltem secundo post Deum nostrum vellet quisquam futura prædicere. ¶ *Et non vir*] i. Nemo affuit. ¶ *Neque ex istis*] Heb. *& ex illis, & non consiliarius*; i. & vidi an ex illis esset quisquam qui consultaret cum altero quidnam facto opus esset. Quorum silentium cùm animadverterem, *interrogavi eos* an haberent quid dicerent, *& non reddiderunt ullum responsum.* Est enim repetenda negatio more Hebræo. Quare Vulg. mutatâ orationis formâ sensum doctè & eleganter expressit.

29. *Omnes injusti*] Vox און, de qua jam sæpius dictum est, non *injustitiam* propriè notat, sed *innatam illam concupiscentiam atque vim, omnis injustitiæ caput atque originem*: deinde etiam & quidquid *insuave* & *noxium* est notat; ideóque de Idolis sæpe dicitur. Dicit ergò *omnes* Gentium deos esse meram hominum *concupiscentiam*, & absque ulla ratione inventos: sed solâ stultâ quadam *concupiscentiâ* voluisse singulos Numina sua habere, sibique propitia; quare unusquisque sibi deos finxit. ¶ *Vana opera eorum*] Vel *nihilum*. Nihil enim prorsus agunt. Ipsa quoque *simulacra* seu *fusilia* quidam *ventus & inane* sunt, i. res nullius momenti, &c. Omissis ergò ipsis, transit ad res solidas & admiranda opera, quæ Spiritu Dei plenus Propheta prævidebat facturum Dominum futuris temporibus.

DRUSIUS.

1. הַחֲרִישׁוּ אֵלַי אִיִּים. Th. *Silete ad me, insulæ.*] In ed. τ̃ ο' Ἐγκαινίζεσθε, i. החדשו per Daleth. Eusebius, παραγγελλέται δὴ τὰ τ̃ νήσοις κτ̃ τ̃ Θεοδοτίωνα κωφεύειν κ̀ σιγᾶν, i. *obmutescere* & *silere*.

7. אֹמֵר לַדֶּבֶק טוֹב הוּא. Aq. Sym. Th. *dicit, Ad conglutinationem bonum est*] Theodoretus, *h. e. Bene compacta est & artificiose concinnata.*

8. זֶרַע אַבְרָהָם אֹהֲבִי. Sym. σπέρμα Ἀβραὰμ τ̃ φίλε μυ *semen Abrahæ amici mei.* Aq. σπέρμα ἀγαπητȣ̃ μυ *semen Abrahæ dilecti mei*] Euseb. in Symbolis, pag. 8.

14. תּוֹלַעַת יַעֲקֹב. Cæteri, σκώληξ Ἰακὼβ *vermis Jacob*] Vide Procopium. Hier. *Hoc quod posuimus*, Ego adjuvi te, noli timere, vermis Jacob, *in Lxx non habetur.* ἐγὼ ἐβοήθησά σοι μὴ φοβȣ̃, σκώληξ Ἰακώβ.

19. אֶרֶז שִׁטָּה וַהֲדַס וְעֵץ שָׁמֶן אָשִׂים בָּעֲרָבָה בְּרוֹשׁ תִּדְהָר וּתְאַשּׁוּר יַחְדָּו. Cæteri, *Cedrus, setta, & myrtus, & lignum olivæ, & abies, & ulmus, & buxus simul*] שטה. Th. *spinam.* Hier. *Juxta Ebraicum & cæteros Interpretes*, Cedrus, setta, & myrtus, *&c.* *Quæ varietates arborum diversitatem significant gratiæ spiritualis. Et quia omnibus natura earum nota est, de Setta tantum Ebraica disseramus. Est autem genus arboris nascentis in eremo, spinæ albæ habens similitudinem; unde omnia ligna Arcæ & Tabernaculi facta sunt instrumenta, quæ appellantur Settim: quod lignum imputribile & levissimum, omnium lignorum tam in fortitudine quàm in nitore soliditatem superat & pulcritudinem.*

21. הַגִּישׁוּ עֲצֻמוֹתֵיכֶם. Sym. φέρετε εἰς μέσον τὰ ἰσχυρὰ ὑμῶν, *adducite in medium fortia vestra.* Th. —— κραταιώματα ὑμῶν *firmamenta vestra*] Videndus Theodoretus. In Symbolis, *Sym. Firmamenta vestra, h. e. idola vestra.* In ed. Rom. Theodoretus, φέρετε εἰς μέσον τὰ ἰσχυρὰ ὑμῶν, ἡ κτ̃ τ̃ Θεοδοτίωνα, κραταιώματα ὑμῶν.

25. הַעִירוֹתִי. Lxx ἤγειρα *excitavi*] Hier. in persona Dei, *Hæc quæ ego juxta consuetudinem Prophetalem fecisse me dico; quasi jam præterita sint, vel, juxta Symmachum, futura polliceor, nullus Dæmonum & idolorum potest prædicere.*

IDEM EX PROCOPIO.

1. הַחֲרִישׁוּ אֵלַי אִיִּים. Sym. Δουλεύσατε ἐπ' ἐμοὶ, νῆσοι, *Servite mihi, insulæ.* A. Κωφεύσατε πρός με, *Surdi estote apud me.* Lxx ἐγκαινίζεσθε, i. החדישו per Daleth] Hier. *taceant ad me.* Κωφεύσατε reddi etiam potest *obmutescite*. Nam κωφὸς tam *mutum* quàm *surdum* denotat. Hier. in Comment. Matth. 9. κωφὸς *sermone communi* surdus *magis quàm* mutus *intelligitur. Sed moris est Scripturarum* κωφὸν *indifferenter vel mutum vel surdum dicere.* Interpres Procopii, *Tacete apud me.* ¶ וּלְאֻמִּים. Sym. κ̀ ἔθνη, *& gentes.*

2. לְפָנָיו. Sym. ἔμπροσθεν αὐτȣ̃ *coram eo.* Th. κτ̃ πρόσωπον αὐτȣ̃ *ante faciem ejus.* ¶ כֶּעָפָר. A. Sym. Th. ὡς χȣ̃ν *tanquam pulverem.* ¶ כְּקַשׁ נִדָּף. Lxx ὡς φρύγανα ἐξωσμένα. Th. ἐξωθέμενα *expulsa.*

3. לֹא יָבוֹא. Th. ἐκ ἥξει *non veniet.*

4. קֹרֵא הַדֹּרוֹת מֵרֹאשׁ. Th. ὁ καλῶν τὰς γενεὰς ἐξ ἀρχῆς; *qui vocat generationes à principio.*

5. יֶחֱרָדוּ. Th. ἐξέστησαν. ¶ קָרְבוּ וַיֶּאֱתָיוּן. A. ἤγγισαν κ̀ ἦλθον, *appropinquarunt & venerunt.*

6. אִישׁ אֶת־רֵעֵהוּ יַעְזֹרוּ וּלְאָחִיו יֹאמַר. A. Ἀνὴρ σὺν ἑτέρῳ αὐτȣ̃ βοηθήσει, κ̀ τῷ ἀδελφῷ αὐτȣ̃ εἶπε, *Vir alterum suum juvabit, & fratri suo dixit.*

7. לַדֶּבֶק טוֹב הוּא. A. Th. τῇ κόλλῃ ἀγαθόν ἐστι, *visco* [aut *glutini*] *bonum est.* Sym. εἰς κόλλησιν ἀγαθόν ἐστι, *ad conglutinationem bonum est.*]

8. וְאַתָּה יִשְׂרָאֵל עַבְדִּי. οἱ λοιποί. Σὺ δὲ, Ἰσραὴλ δȣ̃λέ μȣ, *tu autem, Israel serve mi.*

9. וּמֵאֲצִילֶיהָ. Sym. τ̃ ἀγκώνων αὐτῆς *cubitis ejus*] Interpres, *momium verticibus.* Forte sign. angulos terræ, aut sinus, aut anfractus. אצילים propriè *axillæ.* Alii reddunt *principes*, alii aliter. Lxx κ̀ ἐκ τ̃ σκοπιῶν, *& à speculis.* Interpres, *& à summitatibus.* Vide, si placet. ¶ עַבְדִּי. οἱ λοιποὶ, δȣ̃λός μȣ *servus meus.*

13. אֲנִי יְהוָה אֱלֹהֶיךָ. A. Sym. Th. ἐγὼ Κύριος ὁ Θεός σȣ, *ego Dominus Deus tuus.* ¶ אֲנִי עֲזַרְתִּיךָ. Iidem, ἐγὼ ἐβοήθησά σοι *ego juvi te.*

14. אַל־תִּירְאִי תּוֹלַעַת יַעֲקֹב. Iidem, Μὴ φοβȣ̃, σκώληξ Ἰακὼβ, *Ne metue, vermis Jacob.* ¶ מְתֵי יִשְׂרָאֵל. Sym. ἀριθμὸς Ἰσραὴλ *numerus Israel.* A. τεθνεῶτες Ἰσραὴλ, *defuncti Israel.* Th. νεκροὶ *mortui.* ¶ קְדוֹשׁ יִשְׂרָאֵל. A. Sym. Th. Ἅγιος Ἰσραὴλ, *Sanctus Israel.*

16. תִּזְרֵם וְרוּחַ תִּשָּׂאֵם. Sym. Th. Λικμήσεις αὐτὰς, κ̀ ἄνεμος λήψεται αὐτὰς, *Ventilabis eos, & ventus capiet eos.* A. Λικμήσεις αὐτὰς, κ̀ ἄνεμος ἀρεῖ αὐτὰς, *Ventilabis eos, & ventus tollet eos.* ¶ וּסְעָרָה. A. κ̀ λαῖλαψ *& procella.* ¶ וְאַתָּה תָּגִיל בַּיהוָה בִּקְדוֹשׁ יִשְׂרָאֵל. A. Sym. κ̀ σὺ ἀγαλλιάσῃ ἐν Κυρίῳ, καὶ ἐν τῷ Ἁγίῳ Ἰσραὴλ, *& tu exsultabis in Domino, & in Sancto Israel.* ¶ תִּתְהַלָּל. A. Th. καυχήσῃ *gloriaberis.* Sym. ἐπαινεθήσῃ *laudaberis.*

17. הָעֲנִיִּים וְהָאֶבְיוֹנִים מְבַקְשִׁים מַיִם וָאַיִן. Οἱ πτωχοὶ καὶ ἐνδεεῖς ζητήσουσιν ὕδωρ, καὶ ἐκ ἔστι, *Pauperes & egeni quærunt aquam, & non est*] Aliàs ἔσται *erit.*

18. לַאֲגַם־מַיִם. Aq. Sym. Th. —— ὑδάτων —— *aquarum.*

19. בָּעֲרָבָה בְּרוֹשׁ תִּדְהָר וּתְאַשּׁוּר. Sym. ἐν τῇ ἀβάτῳ κυπάρισσον, πτελέαν † καὶ πύξον, *in invio cyparissum, ulmum & buxum.* A. ἐν τῇ ἀβάτῳ ἐλάτην, &c. *in invio abietem.*] † Scribo πτελέαν. Hier. hîc habet, *abietem, ulmum & buxum.* Arabicè DIRDAR, *ulmus.*

21. הַגִּישׁוּ עֲצֻמוֹתֵיכֶם. Sym. ἐγγίσατε τὰ ἰσχυρὰ ὑμῶν, *appropinquare facite fortia vestra.* A. στερεώματα *firmamenta.*

22. לָנוּ. A. Sym. Th. ἡμῖν *nobis.* ¶ הָרִאשֹׁנוֹת. Sym. τὰ πρῶτα *prima.* Th. τὰ ἀρχαῖα *antiqua.*

29. הֵן כֻּלָּם אָוֶן אֶפֶס מַעֲשֵׂיהֶם רוּחַ וָתֹהוּ נִסְכֵּיהֶם. Th. Ἰδοὺ πάντες αὐτοὶ ἄδικοι, ἐδὲν τὰ ἔργα αὐτῶν ἄνεμος καὶ κενὸν τὸ χώνευμα αὐτῶν, *Ecce omnes ipsi injusti, nihil sunt opera eorum, ventus & inane fusile ipsorum.* —— ἄτοπα * καὶ ματαιότης οἱ πλάσαντες ὑμᾶς. * ἄνεμοι, ἴσως. Locus non vacat suspicione mendi.

GROTIUS.

1. TAceant ad me insulæ] In Hebræo, *Tacete*, sed sensu eodem; id est, cum silentio, admiramini. At Lxx

lege-

legerunt non החרישו [*tacete*], sed חדשו [*innovate*]; vertunt enim ἐγκαινίζεσθε.

Et gentes mutent fortitudinem] Cùm populi (id est, Judæi) *novas acquirent vires*: est enim repetita locutio ex eo quod præcessit XL. 31. Frequens est sacris literis לאמים, id est λαὸς [*populos*], vocare Judæos, cæteros גוים [*gentes*], aut ut hîc איים [*insulas*].

Tunc loquantur] Postquam admirando defessæ erunt gentes, tunc loquantur, & causas intelligant. Quod in Abrahamo fecit Deus, idem se ait fecisse in ejus posteris; idque meritò, ob unius cultum ab aliis neglectum.

2. *Quis suscitavit ab Oriente justum*] In Hebræo est *justitiam*. Sed frequens Hebræis abstracta ponere pro concretis. *Justum* dicit Dei unius cultorem Abrahamum. Nihil enim justius quàm eum pro Deo haberi qui mundum condidit, non alios quos humana audacia deos fecit. Chaldæa & Mesopotamia ad Orientem Judææ.

Vocavit eum ut sequeretur se] Bene vertit sensum Hebræi לרגלו [*ad pedes suos*]. Vide Genes. XII. 1. Josuæ XXIV. 3. Hebr. XI. 8.

Dabit in conspectu ejus gentes] Id est, prostravit coram eo idololatras, Genes. XIV. nam futura hic valent pro præteritis, more Hebræo.

Et reges obtinebit] In Hebræo, *Regibus eum fecit prævalere*, Psalm. CV. 14.

Dabit quasi pulverem gladio ejus, sicut stipulam vento raptam arcui ejus] Ità gentes & Reges isti gladio & arcu Abrahami disjecti sunt quasi pulvis aut stipula.

3. *Persequetur eos, transibit in pace, semita in pedibus ejus non apparebit*] Ex Hebræo sic vertas, *Persecutus eos pervenit incolumis eâ viâ quam pedibus suis ingressus* (supple *antè*) *non fuerat*: id est, Damascum usque, Gen. XIV. 15.

4. *Vocans generationes ab exordio*] Imperans & imperaturus omnibus populis à mundi initio ad finem usque. De loquendi hoc genere alibi.

Primus & novissimus ego sum] In Hebræo, *cum novissimis*: id est, ab initio ad finem usque cuncta guberno.

5. *Viderunt insulæ, & timuerunt*] Videbunt miram populi mei restitutionem, & severa judicia in gentes alias.

6. *Unusquisque proximo suo auxiliabitur*] Coibunt inter se ut idololatræ.

7. *Confortavit faber ærarius percutiens malleo eum qui cudebat tunc temporis*] In Hebræo, *Confirmat faber ærarius aurificem; politor mallei eum qui tundit incudem*.

Dicens glutino bonum est] *Dicens ferrumen hoc bonum esse*: σύμβλημα [*commissura*] Græcis.

Et confortavit eos] Deorum aliquem.

Clavis ut non moveretur] *Gomphis*, ut loquitur in hac re Arnobius. Sensus est, Quàm facilè simulacra sua statuminant, tam facilè putant statuminari à se posse Imperia sua.

8. *Et tu Israël*] *O Israël*: nam ità sumitur אתה [*tu*].

Semen Abrahami amici mei] Nempe *es*; quasi dicat, Memento te ex Abrahamo ortum, pariter tractandum, si paria feceris. Magnus honos Abrahami *amicum Dei* dici 2 Paralip. XX. 7. Jac. II. 23. Ejus amicitiæ signum ingens quòd Abrahami causâ Deus juravit: Heb. VI. 17.

9. *In quo apprehendi te ab extremis terræ*] In Hebræo, quanquam transpositis vocibus: *Tu es quem apprehendi. Ab extremis terræ*, ab Ægypto. Vetera memorat, ut nova sperentur.

Et à longinquis ejus vocavi te] *A magnis ejus*, in Hebræo: id est, Regi & principibus Ægypti te eripui.

Elegi te, & non abjeci te] Te mihi feci populum peculiarem, non autem insuper habui ut gentes alias.

10. *Nè declines, quia ego Deus tuus*] Nè animo concidas.

Et suscepit te dextera justi mei] In Hebræo, *justitiæ meæ*: id est, dextera mea justa: quomodo & Græci hic accepêre.

11. *Erunt quasi non sint*] In Hebræo, *redigentur in nihilum*. Sic & infrà 12.

Qui contradicunt tibi] Id est, obstant. Vide quæ ad Lucam II. 34.

12. *Viros rebelles tuos*] Meliùs: *eos qui tecum contendunt*.

13. *Apprehendens manum tuam*] Tanquam pugnæ socius.

14. *Noli timere vermis Jacob*] Qui à gentibus tanquam vermis contereris, Psalm. XXII. 7.

Qui mortui estis ex Israël] Imò, *viri Israëlis*. Id enim מתי [*viri*], sed solet de paucis dici: ideo Græci hîc posuêre ὀλιγοστὸς [*rarus*].

15. *Ego posui te quasi plaustrum triturans novum*] Faciam ut sis velut tribula valde incidens.

Habens rostra serrantia] Bene dentata. *Ora habens*, in Hebræo.

Triturabis montes & comminues, & colles quasi pulverem pones] Id est, precibus tuis obtinebis, ut, sicut olim Abrahami causâ contrivi Reges, & Mosis eúmque comitantium causâ Regem Ægyptium: ità nunc etiam vestri causâ conteram Medos, & Babylonem, à quibus pessimè tractati estis.

17. *Egeni & pauperes quærunt aquas, & non sunt: lingua eorum siti aruit, ego Dominus exaudiam eos*] Constructio Hebraïca, quam Latinè sic exprimas: *Egenos & pauperes qui aquas quærunt ubi nulla erunt, ità ut siti ardeat eorum lingua, ego Deus exaudiam*. *Sitis* & *fames*, præsertim in locis æstuosis, omne vehemens desiderium significat, ut XXV. 5. ostendunt id & sequentia.

19. *Dabo in solitudinem cedrum & spinam, & myrtum & lignum olivæ: ponam in deserto abietem, ulmum & buxum simul*] Altera similitudo sumta ab umbris in locis quæ umbras habere non solent. Eæ enim subitò si appareant, magno id solatio est. Vide suprà XXV. 4. Quod hîc est *spina* in Hebræo est שטה. Id cedri proprium est genus, unde *ligna Setim*. *Spinus* vocatur nonnullis, quòd spinui albæ sit non dissimilis.

Ulmum] Hebræi putant aliud esse cedri genus. Dictum à *duratione* videtur: nam دهر Arabibus est *æternitas*.

Et buxum simul] Hanc etiam cedrorum generi annumerant Hebræi.

20. *Et Sanctus Israël creavit illud*] Græci κατέδειξε [*ostendit*], benè; nam ברא apud Hebræos de omni facto mirabili dicitur.

21. *Propè facite judicium vestrum*] Id est, Jam vos idololatræ adeste causæ vestræ.

Afferte siquid fortè habetis] In Hebræo, *Adferte robora vestra*: id est, argumenta.

22. *Accedant*] Dii vestri.

Priora quæ fuerunt nuntiate] In Hebræo, *Priora quæ sint* (eventura scilicet) *nuntiate*. Dicite nobis ex deorum vestrorum dictatu quæ jamjam eventura sint.

Et ponemus cor nostrum] Credemus illos esse Deos. Est κοίνωσις [*Communicatio*]: nam Deus hic se hominibus quasi adjungit.

Et sciemus novissima eorum] In Hebræo, *Et sciamus posteriora eorum*, Id est, sciamus quæ illis primis futuris proximè consequentia erunt.

Et quæ ventura sunt nuntiate nobis] Nempe *in longum*: ut sequentia exponunt. ità ordine progreditur.

23. *Bene quoque aut malè, si potestis, facite*] Evertite hostes vestros, ut ego Pharaonem everti: servate cultores vestros, quomodo ego Israëlitas servavi.

Et loquamur & videamus] Hæc ubi præstiteritis, agemus postea de rebus aliis, & eas quoque examinabimus.

24. *Ecce vos estis ex nihilo*] Meliùs vertas, *minus nihilo*.

Et opus vestrum ex eo quod non est] Rectiùs vertas: *Opus vestrum pejus viperino*. Nam אפע quod hîc sine ה breviùs effertur, est *vipera*, ut apparet infrà LIX. 5. & ex sermone Arabico. *opus deorum* intelligit id quod circa eos fit, id est, idololatriam.

Abominatio est] *Abominabilis est*, loquendi genere Hebræo, de quo sæpe jam egimus.

Qui elegit vos] Qui sibi sumit vos colendos.

25. *Suscitavi ab Aquilone, & veniet ab ortu Solis*] Deus per gradus quosdam clariùs clariúsque explicat modum, quo Judæorum restitutionem sit procuraturus. Pro *suscitavi* ponendum *suscitabo*. Medi Judæis ad Septentrionem, Persæ ad Ortum. Cyrus Medopersa, ideo ἡμίονος [*mulus*] in oraculo dictus, Persa per patrem Cambysem, Medus per matrem Mandanem Astyagis filiam.

Vocabit nomen meum] Me colet, auctorémque suæ felicitatis agnoscet. Vide Esdræ I. 2. 7. Josephum XI. I.

Adducet magistratus quasi lutum, & velut plastes conculcans humum] Est in Hebræo transpositio quædam hunc habens sensum: *Is veniens principes ut lutum conculcabit, aut ut figulus humum mollem*. *Principes*, nempe Astyagen, Crœsum, Nabonidum.

26. *Quis significavit à primordio*] Quis deorum hæc prædixit longo antè tempore? id est, annis fermè CL.

Et à principio] Idem bis dictum.

Ut dicamus, Justus est] Id est, Justè ille sibi *Dei* nomen vindicat.

Non

Non est neque annuntians] Deorum aliquis.

Neque prædicens] Propheta aliquis illis diis serviens.

Nec audiens sermones vestros] Nempe de illa Judæorum restitutione.

27. *Primus ad Sion dicet*] In Hebræo non est *dicet*; sed subaudiendum *dico*. Ego Deus primus id significo.

Ecce adsunt] Aderunt Judæi ex omnibus terræ finibus.

Et Jerusalem euangelistam dabo] Do jam nunc Esaiam qui prædicat restitutionem Urbis.

28. *Et vidi*] Quantumvis circumspectem.

Non erat ex istis quisquam qui iniret consilium, & interrogatus responderet verbum] Nemo est ex illis diis ità futuri peritus, ut consultoribus suis de ea re certi quicquam respondere possit.

29. *Ecce omnes injusti*] Immeritò *Deorum* nomen sibi vindicant.

Et vana opera eorum] Cultus qui eis exhibetur: ut suprà 24.

Ventus & inane simulacra eorum] Nihil per se valent, nec qui iis utuntur spiritus quicquam contra Deum.

CAP. XLII.

MUNSTERUS.

1. CUI innitar] Est hîc אתמך idem quod נשען. Et exponitur hic locus nedum à Christianis verùm & à Judæis de Christo. Unde Chald. sic vertit, *Ecce Servus meus Meschia; ego adero ei.* Vocatur autem *Servus* propter ministerium illud quod nobis exhibuit, missus à Patre, sed nunquam separatus à Patre, cùm Pater *innitatur* Filio.

2. *Non clamabit*] Placidus erit Judex, nemini vim faciens, sed mitibus verbis omnes ad se trahere contendet. Nec ullum contemnet quantumlibet infirmum, sed ad se allicere studebit. Et hoc est quod hic dicitur, *Calamum fractum non conteret*, h. e. Qui non est omnino desperatæ vitæ, non abjiciet. Sic qui est veluti *linum caligans* & exstinctioni proximum, fovebit, nè vel residua scintilla exstinguatur. Hoc ostendit in Latrone, Adultera, & aliis multis.

4. *Non afficietur mœrore*] Jonathan vertit לא ילה *Non fatigabitur nec tædio afficietur, donec ordinaverit in terra judicium.* Hebraismus verò habet hîc כהה verbum *caligationis*, quod Kimhi pro שרשל *deficere* exponit. Et est sensus, Summum illius studium erit ut pacem faciat inter Homines ipsos, & inter Homines & Deum. Nec frustrà laborabit, cùm & *insulæ* maris *legem illius acceptaturæ sint.* Alii accipiunt pro *obscuro*; ut sit sensus, non docebit vel loquetur obscurè, sed ad ædificationem, luculenter, planè & simpliciter.

7. *Dilatat terram*] Heb. *extendit terram.* Et alludit ad id quòd Dominus separavit aquas maris, ut appareret arida; & creaturæ terrenæ commodè manere possent. Jonathan tamen interpretatur שכליל *fundavit terram & habitatores ejus*: & pro *expansor cælorum* vertit *suspendit cælos.*

6. *Vocavi te in justitia*]. Loquitur ad Christum, *Vocavi*, inquiens, *te* ut doceas *justitiam*, sis *fœdus populi* & pignus gratiæ & *lux gentium*, *illustres cæcos*; *educas vinctos è carcere*, &c.

10. *Canticum novum*] Docet hîc Propheta, coruscante Euangelio abrogandam Mosaicam Legem, & quòd Christi religio & Euangelium propagandum fuerit ad omnes gentes; etiam ad *Kedar*, quæ gens absque certa mansione vagatur per *deserta*. Per *habitatores petrarum* intellige eos qui inhabitant arces & ædificia in summis montibus & petris exstructa.

13. *Excitabit zelum*] Vindictam sumet de his qui contempto Euangelio, Apostolis & reliquis ministris verbi reluctantur. Non tamen illicò hostes suos sternit, sed aliquandiu *tacet* & dissimulat; & suos periclitari permittit, &c. ¶ Porrò per *montes*, *colles*, *herbas*, *flumina* & *stagna* hîc Metaphoricè intelligendi sunt homines diversis studiis Christi Euangelio reluctantes.

19. *Quis est cæcus nisi servus meus?*] Quidam Hebræi referunt hæc verba ad Prophetas Domini, quos impii *cæcos* & *surdos* insimulabant.

20. *Vidisti multa*] Est ראות hîc infinitivi modi, sicut & פקוח, & est sensus, *Vidistis & audistis tam multa ut nec cæci nec surdi esse deberetis.*

22. *In cavernis*] Alii legunt *illaqueant cunctos juvenes suos*, quibus Chald. astipulatur.

VATABLUS.

1. INnitar ei אתמך בו] Ut scilicet herus solet servo fideli. Alii, *suscipiam illum*, sive *apprehendam*, & *sustentabo.* ¶ In quo sibi *complacuit* רצתה] Subauditur אשר בו, in quo *bene complacitum est anima mea.* Hebraismus, pro *qui est mihi charissimus & gratissimus*; sive, *quem unicè & ex animo diligo.*

3. *Quassatum* רצוץ] *Fragilem: fractum.* ¶ *Et linum ferè exstinctum* ופשתה כהה] *Linum fumigans*, vel *caliginosum*, aut *obscurum* & *tenebrosum*: i. ellychnium ex lino, vel lucernam parùm ardentem, & quæ propè sit ut exstinguatur.

4. *Non remissus erit nec frangetur* לא יכהה ולא ירוץ] *Non fatigabitur; nec tædio afficietur.* Ità & Chaldæus P. Alii, *Non debilitabitur*, sub. *à faciendo judicio.* Alii (nescio an ex mente Prophetæ) vertunt לא יכהה *non observabit*; i. non docebit vel loquetur obscurè, sed ad ædificationem, luculenter, planè & simpliciter. Alii, *Non obscurabitur*, *neque conteretur*, aut *conquassabitur*: i. non tolletur de medio nec occidetur donec annunciaverit Euangelium.

7. *E carcere* ממסגר] Ad verb. *è conclusione: è clausura.*

8. *Nec laudem meam* ותהלתי] Ad verb. *& laudem meam.* Repeti debet præcedens negatio, ut sit ולא *neque laudem.*

9. *Oriantur* תצמחנה] *Germinent*: i. eveniant. ¶ *Nota faciam vobis* אשמיע אתכם] Ad verb. *audire faciam vos*: ut cap. præcedenti, v. 22, & 26.

10. *Descendentes in mare*, &c. יורדי הים ומלאו] i. Nautæ qui versantur in mari cum navibus; & insulæ ipsæ. Seipsum postea declarat quid intelligat per *plenitudinem maris*, cùm dicit *insulæ*, &c.

11. *Attollant* ישאו] Futura Heb. pro imperat. ¶ *Habitatores arcium* ישבי סלע] *Habitatores petræ.* Sing. pro plur. *in petris*, sive *rupibus*, i. in arcibus ædificatis in rupibus. ¶ *Clament* יצוחו] *Jubilent: vociferentur*, sub. *præ lætitia.* Fut. Heb. pro Imperat.

12. *Ponant* ישימו] Hebraismus, pro *dent Jehovæ gloriam.*

13. *Sicut fortis* כגבור] *Tanquam potens*, vel *strenuus*: i. tanquam vir potentissimus ac imperator fortis & invictus. ¶ *Zelum* קנאה] Sub. *ultionis suæ*: i. vindictam sumet de inimicis. ¶ *Roborabit se* יתגבר] Hebraismus, pro *omnes vires colliget*: q. d. Tandem superior evadet, & superabit hostes suos.

14. *A seculo* מעולם] i. Jam longo tempore. ¶ *Silui, continui* אחריש אתאפק] Fut. Heb. pro præt.

15. *Desolabo* אחריב] *In solitudinem redigam. Perdam.*

16. *Et ambulare faciam* והולכתי] *Et deducam.* ¶ *Incedere faciam eos* אדריכם] Præterita Heb. pro futuris. ¶ *Hæc faciam* אלה הדברים] Ad ver. *hæc verba*: sive *has res.*

17. *Conflatili* למסכה] Sing. pro plur. *conflatilibus.*

18. *Visum recipite* הביטו] *Intenti estote.*

20. *Vidisti*, &c. ראות וגו'] Infinit. & fut. Heb. pro præt. Alii in gerundio vertunt, conjungentes præcedenti versui, *Videndo multa quæ non observas*, *aperiendo aures ut non audiat*: mutatio personæ, pro *audias.* Ad verbum legitur, *Videre multa, & non servabit: aperire aures, & non audiet*: i. ut quidam exponunt, atque etiam vertunt, *Non prodest videre multa, nisi custodias; nec aperire aures, nisi sit qui audiat.* Doctus inter Hebræos infinitiva pro futuris esse scribit, exponitque, *Videbitis multa, i. multas afflictiones, & non observabitis oculo cordis vestri ad quid evenerint vobis afflictiones istæ: & ecce oculi vestri vident, & cæci estis. Quid enim prodest videre, nisi custodiatis vias vestras? Et aures vestræ apertæ sunt, & non audiet quispiam ex vobis increpationem: & sic estis ut surdi.* Et dixit sing. numero *custodies*, *audiet*; perinde acsi ne unius quidem ex illis custodiret, sed nec audiret bonam viam. ¶ *Aperuisti*, &c. פקוח וגו'] *Apertæ* [vel *patulæ*] *sunt aures, at nemo audit.*

21. *Voluit* חפץ] Sub. *illa facere*: i. hæc fecit ut se justum ostenderet, & *Legem suam magnificaret*, quòd verax apparere velit animadvertendo in Judæos, quemadmodum ipsis per Legem minatus erat. Quidam vertunt *volens*, i. voluntarius ac propensus, *ad magnificandam atque extollendam Legem suam.* Hæc voluntas Domini est, ut vigeat Lex ipsius ac floreat. ¶ *Magnificabit*, &c. יגדיל וגו'] Hoc dicendi genus per futurum quidam sic convertunt, *ut magnificet Legem ac extollat.* Quidam per præsens vertunt, *magnificat Legem atque corroborat.*

22. *Et expilatus* ושסוי] *Et conculcatus.* ¶ *Quos omnes*, &c. הפח בחורים כלם] Ad verb. *capere facere in speluncis omnes ipsos*: aut est imperativus, *capere fac*; aut *illaquea*, pro imperfecto indicativi; *capere faciebant*; aut *illaqueabant*,

ptura erga bruta etiam animantia mansuetudinem commendat. Quòd autem hæc ità sint accipienda ostendit Euangelii locus. Nam cùm *Pharisæi* propter miracula *consilium inirent ut eum perderent*, Dominus *JESUS indè recessisse* narratur, & *plurimos* ex eis *qui sequebantur sanasse: quibus imperavit nè eum manifestum facerent: ut impleretur quod dictum est*, &c. Erant ergò Pharisæi *arundo conquassata*, sed quæ adhuc speciem integritatis retineret: nolebat eos jam exasperatos in furorem adigere & omnino perdere: quod fecisset si, cùm indignari eos videbat, in occasione persisteret, neque indè abiret. ¶ *Fumigans*] i. In quo adhuc quidquam luminis remanet. Vox Hebræa כהה *obscurari* significat: hinc pro *turbari* seu *commoveri* accipitur. Vide v. seq. Infrà 61. *Amictum gloriosum pro spiritu obscuro*, i. perturbato. ¶ *In veritate*] Seu potiùs in *veritatem*. ¶ *Educet*] *Exire faciet*, i. proferet seu promulgabit; quasi pro veritate sententiam feret. Vel in causis faciet ut finis sit veritas, veritásque elucescat atque vincat.

4. *Non erit tristis*] Vulg. *obscuritatem* hìc & 61. ad Tristitiam animi retulit; ut Ezech. 2. *Obscurus erit omnis spiritus:* potest tamen ad Perturbationem animi ex iracundia referri, ut 1 Sam. 3. *Neque obscurus fuit in eos*, i. non est commotus: ut hoc membro & sequenti longè illum alienum notet à perturbationibus animi, quando videlicet aut irâ aut amore aut simili alio affectu homines perciti feruntur ad judicium ferendum. Nisi malis hæc duo quasi opposita accipere, & prius hoc membrum pro vitio illo interpretari quo vultus nimiâ tristitiâ & obductis superciliis significatur. *Tetricos* hujusmodi homines dicere possis. Nos Lusitani hujusmodi vitium detestantes locis valde opacis illos comparamus, & nunc à *pondere* nunc ab *umbra* translatis nominibus appellamus. Huic vitio quasi opponitur Levitas & Præcipitantia: de quo membro sequenti. ¶ *Turbulentus*] i. Non feretur ut turbo: non erit præceps in ferenda sententia, ut solent irati, aut etiam leves. Vertere poteris *non procurret*, vel *non erit præceps:* non impetu feretur, sed summa cum prudentia res causámve judicabit. ¶ *Donec ponat*] i. Quamdiu jus in terra dicet & inter vivos aget, mortalésque gubernabit, &c. vel, *quousque efficiet ut justitia in terra vigeat.* Suâ namque mansuetudine atque prudentiâ Regnum Dei, in quo viget justitia vera animorum, propagabit. Si enim in homines ira exarsisset prout digni erant, & de Judæis, qui eum non receperunt, confestim pœnas sumpsisset, gentémque illam delesset, justitia, quæ per Euangelicam prædicationem ex Judæis orta est, in mundum non pervenisset. Vicit ergò patientiâ & longanimitate, non solùm ante passionem suam, sed & post mortem: neque statim perdidit homicidas illos qui Heredem occiderunt; sed per 40. annos prædicatum est illis Euangelium, quousque ex illis prodirent pauci qui replerent Orbem Divino semine. Hanc eandem mansuetudinem & patientiam exhibuerunt ejus Discipuli; neque aliter subdidissent mundum Deo. Hi enim erant *Terra* illa *bona quæ attulit multum fructum in patientia.* Quare primum quod exspectari à Dei Ministris dixit Paulus est Patientià, &c. *In omnibus exhibeamus nos sicut Dei Ministros*, inquit, *in multa patientia*, &c. Unde mox, tanquam Mansuetudinis fructum explicans addit Propheta, ¶ *Legem ejus*] Seu *institutionem.* ¶ *Insulæ*] i. Remotissimæ quæque gentes, *exspectabunt.* Cyprus, Rhodus, universæque maris Ægæi insulæ, Creta, tota Græcia, Italia, Gallia atque Hispania, quas nomine *insularum* sæpe Scriptura vocat, ut jam non semel dixi; totus denique Orbis. Fides itaque nostra fructus est Christi atque Apostolorum ejus Patientiæ & Mansuetudinis. Ut videant qui disciplinam Christianam revocare atque restituere cupiunt, quibus armis instructi procedere debeant. Potest autem in his ultimis verbis repeti particula עד in hunc modum, *& quousque insulæ institutionem ejus exspectent, subditúsque fiat totus mundus Deo.*

5. *Hæc dicit*] Vel, *Sic dixit.* כה ad præterita referri potest quæ superioribus quatuor versibus dixerat de Christo Domino, quæ aliis verbis repetit v. 6, & 7. nempe promissiones de Christo, quòd mansuetudine & longanimitate sua plantaret justitiam in universa terra, & quòd futurus esset *in luce.* Quorsum hæc dicat Propheta videbis v. 8, & 9. ¶ *Firmans terram*] De verbo רקע, quod Vulg. verbo *firmandi* reddidit, sicut & nomen רקיע *firmamentum* vertere solet, propriè *extendere* sign. de quo suprà 40. 22. De Terra autem dicitur Metaphoricè propter apparentem superficiem in latitudinem ac longitudinem; etiamsi aliàs rotunda sit. Sed cum vulgo solet Scriptura sæpe loqui. ¶ *Extendens eos*] In Hebræo prius participium est singulare, *creans*; hoc autem est in forma plurali, *extendentes*; nisi Jod redundare dicas esséque paragogicum. Nostri ad mysterium distinctionis Personarum referunt in unitate Essentiæ.

6. *Vocavi te in justitia*] i. Eâ quâ sum præditus bonitate excitavi te, fecíque ut in terra nascereris. *Vocare* enim interdum utitur Hebraismus pro *adducere:* ut Psal. 105. *vocare famem super terram.* Hagg. 1. *vocare siccitatem.* Ezech. 36. *vocare frumentum.* Suprà 41. *vocans generationes*, &c. quo tropo Dei potentiam notant Hebræi. Vel *in justitia* seu *cum justitia*, ad ipsum CHRISTUM referri potest, quòd cum justitiâ & sanctitate plenum adduxerit, ut esset *ipse justus*, & *justificans alios*, ut est apud Paulum. Cùm enim veniret ut *judicium* seu *justitiam poneret in terra*, necesse erat ut *cum justitia* appareret. Denique Christi justitiam atque sanctitatem tota Scriptura prædicat. ¶ *Apprehendi manum tuam*] Vel *apprehendi te per manum tuam:* quod est & Favorem & Auxilium præstantis. Favit enim Pater Christo Filio, illúmque servavit nè in morte maneret, quinimo morte suâ plurimos servaret, non solùm efficaci redemptione, sed tanti quoque amoris exhibitione. ¶ *Et dedi te in fœdus*] Dedit Pater ut ipsemet Filius esset *fœdus*, i. reconciliatio, ut nos sibi reconciliaret. *Per ipsum* enim *accepimus remissionem*, &c. Verùm quia non sat erat reconciliari nos si adhuc in tenebris mansissemus ignorantiæ, quibus obruti aut quantum beneficii in reconciliatione accepissemus videre non possemus, aut quà eundum esset, quâve ratione vita nostra esset instituenda, non intelligeremus, *in lucem* nobis quoque datus est Christus Dominus, *datus* (ut cecinit Simeon) *in lumen ad revelationem Gentium.*

7. *Ut aperires*] Aliqua ex parte quod paulò antè præcessit exponit: éstque quod in Euangelio Joannis ipse Dominus ait, *Ego veni ut qui non vident videant.* ¶ *Oculos cæcorum*] Heb. *Oculos cæcos*, seu *obcæcatos.* Et de spiritali cæcitate loquitur: sicut & de *solutione vinctorum* & *eductione eorum qui in obscuritate agebant* mox subjungit. Ad quem locum respexit Zacharias quando dixit, *Ortum* Dominum *ad illuminandos eos qui in tenebris & umbra mortis sedebant.* Peccata enim non solùm nos vinciunt & quasi funibus cingunt, nè liberè ad vitam & quæ Deus jubet properemus, sed & menti tenebras offundunt, ut ipsa quoque ligamina non videamus, & paulatim tenebris assuefacti lucem odio habeamus, in eáque tristi & miseranda vitæ ratione, beatas sedes ignorantes, vel certè nihili facientes, consídamus. Dominus autem JESUS peccata delet, ligamina solvit, tenebras discutit. Ex quibus malis qui eripiuntur, tunc se natos putant, eúmque, ut totius boni fontem & auctorem, non possunt non diligere. O miseros qui hanc commutationem fastidiunt!

8. *Ego Dominus*] Heb. *Ego Jehova: hoc nomen meum.* Allusio est ad locum Exodi, ubi rogatus Dominus à Mose à quonam se mitti dicturus esset, respondit, SUM QUI SUM: sic enim reddenda sunt futura, quibus pro præsentibus passim utuntur Hebræi. QUI SUM *misit me*, &c. Nomen autem JEHOVA ab *existentia* deductum est. Atque vel ex hoc loco habemus, necessarium esse nomen ipsum JEHOVA retinere in versione, nè lector existimet de nomine ADONAI aut *Domini* Deum loqui. Igitur cùm jam quæ fecisset olim narrasset, deinde & quæ novissimis temporibus per semen Abrahæ esset facturus prædixisset, (quæ duo ut Divinitatis signacula superiori capite proposuerat) quasi de *victoria in judicio parta*, nemine contradicente, lætus sibi Divinitatis gloriam adscribit, non commissurus ut *alteri hujusmodi gloria tribuatur.*

9. *Quæ prima fuerunt*] Meritò, inquit, hanc mihi gloriam vendico: siquidem ex utroque capite, quod probandum susceperam, ostendi me solum esse Deum. Nam quæ olim futura prædixeram, quæque me Abrahæ præstiturum pollicitus fueram si me tantùm coleret, explosis cæteris fictitiis diis Gentium, jamdudum impleta cernitis. Illi enim in senectute dedi filium, ejusque posteris dedi regiones Gentium & labores populorum, &c. *Nova quoque* per Euangelistam meum Jesaiam *ego*, ut videtis, *annuncio*; & sæpius *ante quàm veniant*, *audire vos* per Prophetas meos *ea faciam*, Oriturum videlicet in terra ex Abrahæ servi mei semine, qui terram justitiâ repleat, sítque universorum Rex ac Judex, Lux atque Salvator. Quid igitur superest nisi ut jam me solum pro Deo colatis? Quare statim Prophetico more in laudes prorumpit Propheta: ut nemo dubitare debeat hanc esse germanam horum capitum expositionem. Quam si pius lector attenderit, intelliget quantum ponderis habeat series verborum in Prophetis, modò ritè examinetur neque leviter expendatur: quod quia plerique Interpretes non faciunt, cùm Rabinos secuti usque ad præcipitium, unde referre pedem pietas & religio & ipsa quoque Prophetarum verba compellunt, quò se vertant ignorant, filum Prophetarum passim interrumpunt, falsísque inauditos in oratione Prophetica fingunt, adeò ut *humano capiti cervicem equinam jungere*, & *undique membra conferentes*, *in piscem ut desinat* facere videantur, non sine

multorum

multorum *risu*, ut est apud Poetam. Quod tacere non potui, quòd dignitati S. Scripturæ hanc interpretandi rationem nequaquam convenire existimarem; digniùsque multò putem ignorantiam fateri, quando quid commodè dicendum sit non succurrit, quàm perpetuam ac fidelem expositionem profiteri, passímque lectorem deludere. Sed ad rem redeamus.

10. *Canticum novum*] Si enim *nova annunciantur*, dignum est ut *canticum novum* sit, non quo exitus Israelis de Ægypto, aut aliqua corporalis victoria, quam Scripturæ canticis celebrant; sed libertas à servitute Peccati & jugo Mortis & Diaboli tyrannide per Dominum celebratur. Adde quòd *novæ cantiones* plausibiliores sunt. Quid si *canere canticum novum* nihil aliud juxta Hebraismum sit quàm Iterum atque iterum canticum innovare, & de novo laudes Domini repetere? Fortè quod sequitur v. 13. & tribus seq. est Canticum quod jubet cani. ¶ *Qui descenditis*] *Descensores maris* solet Hebraismus vocare nautas, & eos qui navibus rem in mari agunt, ut in Ps. *Qui descendunt in mare, facientes operationem in aquis multis*, &c. Hos tanquam maris præsides & dominos, totámque cum ipsis *maris plenitudinem*, ad laudes Domini invitat. Quibus adjungit *insulanos*, quòd plerumque illi sint qui in mare descendunt, per quos, ut non semel dixi, exteras & longè remotas nationes intelligit.

11. *Sublevetur desertum*] Accepit ישאו in voce passiva, quasi præcipiat ut *excitentur & suberigant se habitatores deserti* ad laudandum Dominum. Potest nihilominus in activa accipi, & de *elevatione vocis* intelligi; *elevent*, scilicet *vocem*. Vel repetitur ex superiori versu nomen שיר *canticum*. Nam particulari phrasi dicit Hebraismus, *levare parabolam*, *levare lamentum*, *canticum*, &c. Vide suprà v. 2. *Desertum* autem hîc accipitur pro omni illa plaga quæ erat versùs Meridiem Palæstinæ. Nam superiori versu quidquid ad Occidentem jacet nomine *maris* & *insularum* videtur intellexisse. Putarem ergò כרכר esse hoc loco *terram quæ à mari distat*. Non tamen reprehenderem eos qui hic Arabiam Desertam intelligere vellent: Cui etsi describat civitates, quæ paucissimæ erant, tamen quasi exponens quod dixerat, *villas* & *oppidula in quibus habitabat Kedar* statim subjunxit, Kedar autem in tentoriis & tabernaculis agebat, quæ huc atque illuc transferebat. Et hujusmodi cohabitationes hic *civitates* & *villæ* vocari figuratè videntur. ¶ *In domibus habitabit Kedar*] Vel *villæ* in quibus *habitat Kedar*. Supplendum enim est relativum, & futurum pro præsenti accipiendum. Fuit autem Kedar nepos Abrahæ, filius Ismaelis, Gen. 25. à quo regio eodem nomine cognominata; postea *Arabia Petræa* dicta fuit. In qua erat mons Sinai & Horeb: Per quam profecti sunt plurimis diebus Israelitæ. Et populus illius regionis *Hagareni* ab ancilla Abrahæ dicti sunt; qui, juxta Etymologiam nominis *Kedar*, corpore ob æstum Solis fusco, ex pecoribus tantùm & raptu vivere consueverunt usque in hodiernum diem. De *pellibus* autem & *tabernaculis* eorum fit mentio Ps. 120. & Cant. 1. de gregibus, quos alebant, infrà cap. 60. Apud Jeremiam autem cap. 49. agitur de vastatione eorum per Chaldæos; ubi eis *tabernacula*, *cortina & cameli* tribuuntur: ubi dicuntur *filii Kedem*, i. *antiqui*, non *Orientis*, ut nonnulli interpretantur. Quis enim ignorat quòd cùm Babylonios vocet ut devastarent Kedar, non versùs Orientem sed potiùs versùs Occidentem eos avocaret? Aut quis dicat Arabiam ad Orientem esse Palæstinæ? ¶ *De vertice* (seu *capite*) *montium clamabunt*] Seu *clament*. Hæc notant quanti æstimarit Propheta Redemptionis beneficium, ut dignum putaret quòd barbaræ quævis nationes à Dei cognitione remotissimæ, quæque feris similes in montibus & rupibus degunt, Dominum toto cordis affectu laudarent & ejus gloriam prædicarent. Quid igitur facerent quibus Deus ea juramento promiserat? quid exspectandum esset à populo Dei? Sed non id silentio præteribit Propheta infrà v. 18, & seq.

12. *Ponent Domino gloriam*] Vel *ponant*, i. *dent*. Varius enim usus est Hebræis verbi שים *posuit*. ¶ *Nunciabunt*] Vel *annuncient*. *Insulas* hîc maris Rubri, à quo non longè distat Arabia Petræa, imò usque ad ipsum procurrit, & nationes illas quas per mare illud Rubrum solebant adire, intelligo; ut non solùm ipsi laudarent, sed per totum Orientem & Meridiem cognitionem nominis Dei deferrent.

13. *Dominus sicut fortis*, &c.] Hoc videtur esse Canticum quod ut caneretur præcipiebat Propheta: Vel si non est, certè his versibus continetur ratio ob quam *nova canere cantica* dignum ducebat. Habes initio *egressum* Filii Dei in mundum: de quo Euangelio, *Exivi à Patre, & veni in mundum*, & plurimis aliis locis. Notandum tamen est verbum *egrediendi* Hebræis, præsertim quando nominibus *belli*, *exercitus*, *ducum* seu *militum* conjungitur, esse verbum castrense. Hoc autem loco inducit Dei Filium ut *virum bellicosum*, seu *gigantem*, *virúmque præliis assuetum*: nam veniebat ut *fortem* illum, armatum *mundi Principem*, *fortior* ipse *superveniens* è mundo pelleret; & omnes qui ejus partes tuerentur vel pudefaceret vel omnino deleret, non per Euangelium modò sed etiam per hostes quos ipse excitavit adversus Filii Dei & Euangelii contemptores. Hæc qui considerat, non hærebit, quando in Prophetis nunc humilem in primo adventu induci viderit Filium Dei, nunc veluti *virum præliorum*, ut vocat Hebraismus, & qui ad debellandos hostes *zelo* & indignatione plenus, & ad sumendam de *inimicis* vindictam adveniat, ut hoc loco & aliis plurimis: In quibus ridiculum fuerit ad secundum adventum confugere, cùm in primo adimpleta omnia videamus, ejecto mundi Principe, & devicto mundo, & impiorum Judæorum rebus eversis. Sed de his non uno loco, plura in sequentibus nobis dicenda sunt. ¶ *Zelum*] Accipitur interdum pro ipsa *ira* seu *furore qui in homine excitatur ex amore rei*. Prov. 6. *Zelus est furor viri, & non parcet in die vindictæ*, &c. Frequens quoque est in Prophetis opus Redemptionis *zelo Dei* tribuere: *Zelatus est populum suum, redemit Jerusalem. Zelus Domini exercituum faciet hoc*, &c. Videbatur autem tot retro annis algere zelus Dei, quasi non curaret res suas neque honorem suum, cùm ubique impietas & Regnum Satanæ obtineret. *Excitavit* igitur & amorem & zelum & indignationem suam Dominus quando ad nos descendit. ¶ *Vociferabitur*] יריע *clarâ voce personabit*: quod olim *triumphare* dicebatur: licèt postea Latinis alius hujus verbi fuerit usus. ¶ *Et clamabit*] יצריח est *fortiter & acriter exclamare*, more gigantum, qui fortia habent latera. Vulgatus verbo *tribulandi* apud Zophoniam reddidit. Præcedit autem hoc verbum in Hebræo particula אף, i. *etiam*. Quòd si accipiatur pro *ira*, (ut solet) possumus dicere poni pro adverbio *iracunde* & *magno impetu*, seu *acerrimè*, &c.

14. *Tacui semper*] Heb. מעולם *à seculo*. Inducit Dei Filium loquentem, & quasi moras suas arguentem, quasi satis superque dissimulaverit, siluerit, & quasi non audiret sic se gesserit; at non posse jam ultrà indignationem continere, sed tempus esse vindictæ in hostes, & pauperum suorum liberationis. ¶ *Silui*] Verbum חרש de *cessatione auditûs* plerumque dicitur. Est autem futurum, i. *consuevi veluti non audire, & obsurdescere*. Doctéque Vulgatus præteritum vertit: alioquin nota Interrogationis supplenda foret. ¶ *Patiens fui*] אתאפק *cohibebo*, *continebo*, *comprimam me*, i. continere consuevi. Infrà 63, & 64. in hac significatione accipitur, quando videlicet quis reprimit iram: sicut etiam reddidit Vulg. Interpres locis citatis, *Super me continuerunt se. Numquid super his continebis te*, &c. ¶ *Ut parturiens loquar*] אפעה *sibilabo*. Rarum est verbum, sed propter similitudinem Parturientis facile est significationem intelligere. Flatum cum gemitu emittunt, & non sine vehementi impetu, parturientes feminæ: & quò halitum diutiùs continent, eò majori impetu refundunt. Quâ elegantissimâ similitudine significat Dominus longanimitatem suam, simúlque nobis insinuat se ultionem nequaquam differre ex indolentia, quódve scelerum & flagitiorum hostium suorum sensu non tangatur, sed sciens vidénsque ex misericordia sese contineat, neque ad ultionem procedat nisi cùm jam diutiùs ferre molestiam non possit. ¶ *Dissipabo*] אשם, sive sit verbum נשם, sive נשף, sive שאף, *flatum emittere* seu *halitum* notat. Quod verò sequitur verbum oppositum significare puto, scilicet *insorbere*, *inspirare*: ut pariter *anhelitum emittere* & *insorbere* sit frequenter inspirare ac respirare, quod est eorum qui fatigantur vel labore vel animi dolore & angustia. Possunt ergo hæc accipi de fatigatione ex ingenti strage quam se editurum designat. Possunt quoque omnia hæc intelligi de tempore quod adventum ad vindictam & redemptionem præcessit: ut in hunc modum reddi optimè possint Hebræa, *Tacui longo tempore, silui, continui me, quasi parturiens sibilabam, anhelitum emittebam & insorbebam pariter*: ut sit quod Paulus ait, *Sustinuit in multa patientia vasa iræ apta* (vel *aptata*) *in interitum*, &c. Has angustias ingenerant in Dei animo (ut cum Scripturis loquar humano more) scelera nostra, & ipsius benignitas, bonitas ac longanimitas; sicut in animo patris pugnant filii flagitia & amor paternus: illa iram & flagella requirunt; hic iram reprimit, & resipiscentiam exspectare cogit. Dolet ergò, irascitur, se continet, gemit, connivet, obsurdescit, apprehendit ensem, rursus recondit; & hanc conflictationem tamdiu patitur quousque tandem sceleribus victus atque exasperatus filium exheredat & domo pellit tanquam alienum. Sic sequitur in Propheta.

15. *Desertos faciam montes*] Suppleri hîc debet adversativa particula, *at*, *nunc*, vel quid simile. אחריב propriè est *exsiccare*

vel

vel adustione Solis vel ignis, vel gladio. Quæ autem humore destituuntur, in deserta rediguntur. *Exsiccatio* ergò *montium & collium*, & *herbarum arefactio*, *fluminum & stagnorum exsiccatio*, ni fallor, ingentem terræ hostium Dei desolationem & calamitatem designant, quam iratus Deus neque sese jam continens immisit. Intellige hic Regni Satanæ eversionem, quam suprà v. 13. habes. ¶ *Flumina in insulas*] איים *insulas* notat. *Verti* autem *flumina in insulas* est Aquam fluviorum deficere: quod quando fit, in alveis nihil nisi insulas est videre. Adveniente autem Dei Filio, in solitudinem versum est Regnum Satanæ, decorem suum atque nitorem amiserunt delubra, & luci qui in collibus & montibus plantabantur; interierunt etiam Regna idololatrarum, neque quidquam nitoris aut decoris habuit impietas & peccatum, sed turpitudo ipsius omnibus per Euangelium patuit: multitudo quoque Judæorum infidelium hostium Domini interiit, & cœlesti humore destituta est Resp. illa, & in desertum versa est ipsa etiam Judæa.

16. *Et ducam*, &c.] Ubi hostium perditionem commemoravit, electorum liberationem explicat. Hos *cæcos* & *in tenebris agentes* & *obliqua* ac *perversa* sectantes appellat. *Omnes enim peccaverant, & indigebant gloriâ Dei. Cæci* erant omnes etiam Israelitæ, quia peccatis obruti & cœcis passionibus acti neque lucem rationis neque Legis instructionem sequebantur. Erat igitur illis & intellectus tenebris obductus, & Lex caliginosa: quæ etsi quando radios emittebat, è media caligine prodibant; neque ipsum Christum, quem promittebat ac figurabat, adeò exprimebat ut, cùm veniret, non esset aliquis deceptioni locus. Hos *duxit* Christus *per viam quam nesciebant*. Perduxit enim eos *ad legem justitiæ*, quam putabant ex propriis meritis & justificationibus Legis sine fide se posse consequi: hanc *consecuta est electio*, i. electi, inquit Paulus; quia Christum amplexati sunt sibiipsis diffidentes. Hanc *semitam* non *calcaverunt* superbi, arrogantes & sibi omnia tribuentes Judæi. Hanc quoque *ignoraverunt* Gentes, & ex ipsis etiam sapientissimi, qui de virtutibus acutè multa definierunt. At electos suos Deus, qui anteà cœci è cœcis ducibus in præcipitia ducebantur, *per iter incognitum*, nempe Fidei in unigenitum Filium suum, deduxit, quâ etiam illustrati intellexerunt in ipsis moralibus virtutibus plurima quæ ratio humana non assequebatur, neque ipsi Rabini intellexerant: De quibus vide cap. 5, 6, 7. Matthæi. ¶ *Quam nescierunt*, *quas ignoraverunt*, &c. Relativa in Hebræo non habentur, sed doctè ea supplevit Vulgatus. ¶ *Ponam tenebras*, &c.] i. Auferam tenebras, ut omnia ante eos lucida appareant, & salebrosas vias eorum complanabo, ut recti ipsi & justi iter rectà faciant in cœlum. Nam pro Lege & Ratione datus est eis Christus, qui est *lux mundi*, *via & veritas*; & pro depravatis moribus, interior sanctificatio & regeneratio. Non enim putamus tantummodo imputatâ nobis Christi justitiâ justos nos reddi, sed intus quoque nos ipsos ab eo justificari inhærente nobis justitiâ de Christi plenitudine; à quo & lumen fidei & sanctificationem morum accepimus. ¶ *Et prava*, &c.] Possumus & *conversionem* hanc *tenebrarum in lucem & viarum depravatarum in planitiem* sic accipere, ut promittat Deus, intellecturos *tenebras* suas electos & *pravitatem* seu *perversitatem* morum suorum in quibus versati fuerant, ut gratias agant Deo *qui de tenebris eos perduxit in Regnum Filii dilectissimi sui.* Possumus rursus per *tenebras* & *perversitatem viarum* adversa, per *lucem* autem & *planitiem* felicitatem & pacem accipere, juxta consuetudinem Scripturarum. Sed prior sensus planior est & simplicior. ¶ *Hæc verba feci eis*] Hic pronomen affixum est, *feci ea*, & ad ipsa *verba* referri potest, hoc modo, *Hæc quæ dico*, *quæ polliceor*, *feci ea*, *neque latum unguem ab eis recessi: omnia ut dixi adimplevi.* Et præterita sunt pro futuris, propter certitudinem, more Prophetico. Hanc autem confirmationem addidit promissionibus de Christo qui postremis diebus oriturus erat ex semine Abrahæ; quem Propheta superiori capite in exemplum assumpserat; ut ex præclaris illis facinoribus quæ cum ipso & per semen ejus fecisset ac facturus esset ostenderet solum Jehovam esse Deum, eò quòd cum incredulis ageret; & quidem priora jam impleta ostenderat; nova autem, quæ annunciabat, nondum apparebant. Asseverat igitur Deus, omnia illa se impleturum, neque *verba* sua *deserturum*, aut ab eis vel tantillùm recessurum.

17. *Conversi sunt retrorsum*] Possunt hæc adhuc ad superius argumentum pertinere, nempe ad concertationem quæ superiori capite incepit, quasi affirmet idololatras convictos argumentis Domini, relictâ causâ, cessisse & terga vertentes abiisse: vel quòd sit prædictio confusionis eorum qui idola colebant, postquam splendor Euangelii gloriæ Dei per universum orbem diffusus est.

18. *Surdi audite*, &c.] Quasi recedentes revocare videtur, quòd non contentus sit Dominus hostium confusione, sed, ut est apud Paulum, confusio illa adducat gloriam, intelligentésque se hactenus aberrasse & præ stultitia idola coluisse, velint in luce ambulare. Nec dubium est quin Hebræa ità verti possint ut Vulgatus vertit, neque aliquem vidi qui aliter verteret. Omnes enim ה bis in hoc versu pro nota Vocandi accipiunt. Ego verò aliam adduxi interpretationem tantùm ut intelligeret lector posse etiam secundùm Hebræos הֲ esse notam interrogationis, quâ transitum sibi parat Propheta ad excœcationem & devastationem Judæorum explicandam; q. d. Deus, Postquam evidentibus argumentis ostendi me solum esse Deum, & cultores idolorum victos se agnoscentes, terga vertentes abierunt, putásne quòd propterea lumen aspicere, & in cognitione veritatis, quam antea ignorabant, velint deinceps vitam ducere? vel sic, Quando audis Servum meum ex semine Abrahæ oriturum, & tenebras depulsurum, cæcósque illuminaturum, putásne ita re ipsâ factum esse? numquid illuminati sunt cœci? & surdi numquid auscultarunt? Neque cùm interrogo, ad gentes cœcas oculos mentis tuæ convertas: nam

19. *Quis cæcus nisi servus meus?*] Mihi certè hîc deplorare Propheta videtur quod Joannes initio Euangelii sui inquit, *In propria venit, & sui eum non receperunt. Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt*; i. qui erant in tenebris, lucem abominati sunt: q. d. Quid illuminandos cœcos commemoro? quid adventum lucis & tenebrarum depulsionem extollo? Numquid non adhuc servus meus Israel in tenebris agit? quinam sunt magis cœci quàm Israelitæ? ¶ *Ad quos nuncios meos misi*] Parvi refert an *nuncium meum* an *nuncios meos* legas: ego tamen malim in singulari legere: nam Christum intelligo, de quo hoc toto capite loquitur Propheta, qui advenit tanquam *minister circumcisionis*, ut loquitur Paulus, i. ut Judæis inserviret, & eis fidem & veritatis cognitionem offerret, *propter promissiones Patrum.* Cæterùm in Hebræo ad verbum sic habetur, *Et surdus sicut nuncium meum misi*, & suppleri relativum necesse est: quare quidam Rabini ità legunt, *Et quis surdus sicut nuncius meus quem mittam?* Quorsum autem sic vertant, judicet Christianus lector. Certè, ut ego quidem sentio, tenebras volunt loco apertissimo offundere nè eorum hîc cœcitatem intelligamus, de qua est manifestissimum hoc loco testimonium ipsius Dei. Sed nihil Judæos cœcos moror: miror Pagninum & alios ex nostris, qui Rabinos secuti reddunt, *Et surdus*, *nisi quem*, *sicut Angelum meum*, *missurus sum?* Hócne est Hebraicam veritatem reddere? Et mirabimur si impii Judæi hanc versionem ut legitimam probent? Multò certè doctiùs Vulg. relativum cum præpositione juxta exigentiam verbi שלח & juxta verborum seriem supplevit, *ad quos*, vel *ad quem*: quam interpretationem sequentia quoque confirmant; modò Christianè expendantur, & servetur Hebraici sermonis proprietas. Quid hic afferat Munsterus ex Rabinis pudet referre. Ergò Judæi, *ad quos misit* Jehova *Angelum* seu *Nuncium suum*, *cæci* hic dicuntur & *surdi*. Et si quis contendat legendum, *Quis surdus sicut nuncius meus quem mittam*, aut *nuncii mei quos mittam*, de Sacerdotibus & Pharisæis intellige, quos oportebat exigere fructus, fidem, justitiam, misericordiam, &c. sed *qui alios docebant*, *seipsos non docebant*: *& qui abominabantur idola*, *sacrilegi erant*, &c. ¶ *Qui venundatus est*] כמשלם. Notum est verbum שלם significare *integrum & absolutum esse*; atque indè per Metalepsin *habere pacem*, quam Hebræus sermo *concordiam* seu *integritatem* vocat, eò quòd Pax sit partium inter se dissidentium compositio & reintegratio. Quare docti Rabini, & nostri eos secuti, sic legunt, *Quis cæcus sicut perfectus?* Populum autem Israeliticum intelligo, vel quòd se perfectos putarent, vel Ironicè: & repetendum est pronomen *meus*. Ego potiùs ad alterum modum significandi hujus verbi שלם refero, in quo est frequentissimum hoc verbum in Piel, i. *reddidit*, *persolvit*, *retribuit*, *rependit*, &c. Deut. 21. *Reddendo reddet bovem*, & 2 Reg. 4. *Vende oleum*, *& solve creditori tuo*, &c. Ergò משלם *eum cui persolutum est omne promissum*, seu *eum qui beneficio affectus est*; potest significare, nempe populum Israeliticum, cui, ut inquit Psalmista, fecit Deus plus quam cæteris nationibus. Quòd si in forma activæ vocis velis legere, *eum retributorem*, i. gratum, Ironicè appellat. *Quis*, inquit, *cæcus sicut is qui*, *cùm gratissimus esse debuerat*, *omnium est ingratissimus?* quem iterum atque iterum *servum* illum esse declarat, quo nomine toties in Scripturis hic populus vocatur. Quâ verò ratione Vulg. *venundatum* reddidit non intelligo, nisi fortè participium in ea quam suprà posui significatione accepit pro *persoluto*, non quidem *cui persolutum aut donatum aliquid erat*, sed *qui ipse fuisset alteri redditus seu traditus*; ut fit in venditione. Intellige autem de *venditione* illa quam non uno loco com-

commemorat Scriptura, & de qua infrà dicémus, quia nos ipsos Peccato divendimus: unde insignes peccatores *venundati sub peccato* appellantur, &c.

20. *Qui vides multa*, &c.] ראית: sic nunc legitur in Hebræis. Quia verò sine punctis Biblia erant tempore D. Hieronymi, legit RAITHA, i. *vidisti*; quod in præsens vertit, & relativum supplevit, *qui vides*. Massoritæ cum Vau scripserunt in margine, quasi & si cum Jod scriberetur, pronunciandum tamen esset cum Vau, ut in aliis locis videre licet: quasi sit plur. nominis ראה, ut vertere possimus, *Visiones multæ sunt*: sensus verò ferè idem est; *O serve mi*, *mi popule*, *multa vidisti*; *plurimas visiones & revelationes habuisti*; *videre multa tibi datum est*; *at non observabis*, *non attendes*, *non auscultare soles*: *aures quidem*, *quibus audire possit*, *habet Israel*, *at non acquiescet*. Certè in hoc versu cæcitatem Judæorum exponit, de qua jam suprà cap. 6. dictum est: & ex Euangelio manifestum est quòd *habentes oculos*, *non viderunt*; & *aures*, *non audirent*. Et hæc est causa ob quam peccatum eorum non fuit remissum. Nam apud Joannem 9. inquit Dominus quòd *venisset ut qui viderent cæci fierent*: Cui Pharisæi, *Ergò nos cæci sumus?* Respondit Dominus, *Si cæci essetis*, *non haberetis peccatum*: *nunc autem dicitis quia videtis*, *ideo peccatum vestrum manet*, stat, non præterit, non remittitur. Unde alibi dicebat, *Qui habet aures ad audiendum*, *audiat*; nimirum quòd multi *haberent patulas aures*, sed *non audirent*, i. attenderent, obedirent. *Ideóque in parabolis loquebatur illis*, &c. ¶ *Custodies*] *Observabis*, conferens in corde tuo. שמר enim ità interdum accipitur. Indignum autem erat ut qui promissiones, revelationes seu visiones plurimas à Deo acceperat, cœcutiret sub adventu lucis ac veritatis. De loco enim nativitatis, de tempore, déque aliis circumstantiis omnibus quæ cognitioni solent deservire, visiones habuerunt Israelitæ. Insuper & assueti erant verba Dei & promissiones illas audire, quæ per omne Sabbatum legebantur & exponebantur; neque sic tamen attenderunt. Caveant Christiani nè hæc ipsa verba in eos Dominus torqueat, qui fidei lumine multo plura viderunt, & auribus corporis audire consueverunt, paucissimi tamen observant, paucissimi audiunt; plerique cœci, plerique surdastri sunt: caveant, inquam, nè sicut similes in peccatis sunt, similes quoque sint in pœna, quàm paulò pòst Propheta explicabit. ¶ *Qui apertas habes aures*, &c.] Vulgatus personam mutavit; ego Hebraica expressi: sed sensus constat.

21. *Et Dominus voluit*.] Variè potest hic locus reddi: sed ego simplicissimam interpretationem (omissis quæ hoc loco alii dicunt) apposui. Et quidem Vulgatæ editionis sensus hic est, Obcœcatus est Israel, ut audistis; nè puteris tamen id aliter quàm vitio ipsius accidisse. *Dominus* enim *volebat* quidem *eum sanctificare*, seu *justificare*, *ac proinde magnificare legem* seu *doctrinam* suam & verbum suum, dum populum, cui lata est Lex, sanctificat. *At ipse populus* suâ culpâ fecit ut meritò *in direptionem traderetur*. Quæ interpretatio satis cum Hebræo convenit. Possumus tamen hanc *voluntatem* seu *approbationem Domini* ad superiora referre; q. d. Hanc Judæorum excœcationem, hanc indurationem populi sui Jehova approbavit, ratam habuit, consensit, & quodam modo lætatus est quòd Israel sic sui proderet duritiem animi, & ità innotesceret universis ejus cœcitas atque pervicacia. ¶ *Ut sanctificaret eum*] למען צדקו, i. *propter justitiam suam*: vel *ut justificaret se*, i. notam faceret justitiam suam. Forte est quod Paulus ait Rom. 9. *Volens ostendere iram suam*, *sustinuit in multa patientia vasa apta in interitum*, &c. Ostendit autem Deus, ubi Judæi obcœcati sunt, justitiam suam, dum populo suo non parcit ob scelera eorum, & *ab eis aufert Regnum Dei*, *illúdque dat genti facienti fructus ejus*. Duo enim habet Justitia Dei, seu Sanctitas ejus, punire, & benefacere: Utrumque nos jubet Paulus considerare, Dei *severitatem in eos qui ceciderunt*, nempe Judæos; *bonitatem* verò in eos qui inserti sunt trunco, &c. ¶ *Magnificaret Legem*] Consecuta est autem *magnificatio*, *amplificatio* & *gloria legis* Dei seu dictorum ejus (quod nihil aliud est quàm *justificatio Dei*) Judæorum excœcationem, eò quòd omnia quæ ipsis excœcatis acciderunt in Scripturis continebantur, & multò antea ea prædixerat & Moses & Prophetæ, si nollent luci venienti applaudere ac veritati non acquiescerent. Justificavit etiam se & Legem suam postquam illi excœcati sunt, quia ostendit se esse Deum cui displiceant iniqui, eò quòd abjecerit populum suum, neque pro suis habere voluerit qui *veritati non credunt*, *consentiunt autem iniquitati*: hos enim manet *ira & indignatio*, ut affirmat Paulus ad Romanos. Nec aliud erat quod in Euangelio Dominus eis dicebat, *Non habeo Dæmonium*, *sed honorifico* (seu *cohonesto*) *Patrem meum*. Cùm enim eos non *Dei filios*, neque *Abrahæ*, sed *Diaboli* esse diceret, illi contrà, *Samaritanum* eum & *Dæmonum familiarem* dicebant, non aliâ certè ratione quàm quod dehonestare populum Dei & ministris cultûs ipsius detrahere videretur. Hanc verò blasphemiam retudit Dominus, significans, non eo se animo illos *filios Diaboli* vocasse, sed ut honorem Patris à calumniis assereret, qui omnino in lubrico esse videbatur si tales filios pro filiis agnoscere crederetur. Quod itaque in Euangelio est *cohonestare Patrem*, hîc dicitur *justum Deum ostendere* & *magnificare doctrinam* seu *Legem*, &c.

22. *Ipse autem populus*] Vulgatus Vau pro Adversativa particula accepit, ut interdum solet, propterea quòd eum subesse sensum existimavit quem suprà dixi. Verùm cùm hæc pœnam sonent potiùs quàm culpam, quadrabit verbum futuri vel præsentis, si suppleatur, & *ipse populus direptus*, scilicet *erit*; quasi hoc malum secutum fuerit excœcationem illam, sicut mox ipse Propheta v. 24. exponit. ¶ *Laqueus juvenum omnes*] הפח בחורים כלם *laqueus juvenes universitas ipsorum*, vel *omnes ipsi*: ità ad verbum vertendum est. Nam cùm nomen פח habeat formam quam *emphaticam* appellabat Angelus Caninius præceptor meus, casum regere nequit. Sensus ergò hic est, *Omnes juvenes* electi in illo populo, qui ad bella eligi solent, *sunt* vel *erunt*, *laqueus*, i. illaqueati & veluti laqueis capti. Hunc sensum probant antecedentia & sequentia, quòd *direpti*; quòd *deprædati*, quòd *in domibus carcerum*, &c. *abditi sint*. Juxta Vulgati verò versionem dicuntur Israelitæ *laqueus juvenum suorum*; quia propter peccata populi juvenes in bello capti sint, &c. Hanc loquendi formam quia plurimi ex Interpretibus non intellexerunt, nomen בחורים ut compositum acceperunt, i. *in speluncis*. Certè si pro *cavernis* velis accipere, sensus hic erit, *Laqueus in cavernas omnes ipsi*, i. concatenati in foveas trusi sunt. ¶ *Neque est qui eruat*, &c.] Ultimam hæc verba captivitatem Judæorum significant.

23. *Quis est in vobis*, &c.] Queritur Jesaias quòd nemo ex Israelitis hæc quæ de ipsorum excœcatione & devastatione prædicebat, vel eo tempore attenderet, neque secum quisquam reputaret quòd illa tandem eventura essent. Quod non sine sensu doloris dictum existimo. Idem enim videtur Propheta sentire quòd Moses quando dicebat, *Gens absque consilio est & sine prudentia. Utinam saperent ac providerent.*

24. *Quis dedit*, &c.] Hæc sunt quæ volebat Israelitas Propheta secum perpendere antè quàm fierent, quin etiam postquam facta sunt. Quibus etiam verbis exponit quæ paulò obscuriùs suprà dixerat v. 22, & 23. Certè si Judæi hodie hæc pro dignitate secum volverent, cœcitatem suam agnoscerent. Quid enim peccaverunt patres eorum, unde tamdiu in captivitate, dispersi in omnes gentes, absque Rege, Sacerdote & Propheta maneant? Peccata quidem gravissima & immania scelera tum in Deum tum in servos ejus Prophetas captivitate LXX annorum punita sunt. Quis, quæso, dedit dilectum populum in captivitatem MDXX annorum? Certè Jehova ipse. Ob quam causam? זו חטאנו לו, i. *is ipse in quem peccavimus*, vel *erravimus*, quando videlicet ad nos descendit, *cujus dictis audientes non fuimus*, quem negavimus, &c. ¶ *Et noluerunt*] Mutatio personæ Hebræis frequentissima. Vel cùm Jesaias sub prima persona pluralis dixisset *peccavimus*, significans non omnes excœcatos, neque omnino *repulisse Dominum populum suum*; mutatâ orationis formâ, ait, & *non voluerunt in viis ejus ambulare*, & *non acquieverunt in doctrina ejus*: sic enim reddi potest verbum שמע quando cum Beth construitur. Malui autem *doctrinam* quàm *Legem* hoc loco vertere, quia de doctrina Domini JESU est sermo.

25. *Et forte bellum*]. *Firmitudinem belli*, seu *bellum difficile ac durum*, in quo hostes obfirmato animo depugnabant. Hoc est illud bellum Judaicum de quo apud Josephum, *Venerunt quidem Romani ut Palæstinam subjugarent*; *sed adventus eorum erat effusio ardoris iræ Domini*. Possumus reddere, sed eodem sensu, *effudit contra eos ardorem nasi sui*. Familiare enim est Scripturis Deo tribuere quòd *fumum* & *ardorem è naribus efflet*, &c. ¶ *Et combussit eum in circuitu*] Vulgatus noluit cum Hebræo mutare personam: ego Hebræa expressi. ¶ *Et non cognovit*] Etiam post tam diram obsidionem, post tam diuturnum & difficile bellum, post universam Judæam undique vastatam, *non intellexit* quòd ob infidelitatem in Christum Domini puniretur: imò neque postquam totus *conflagrarit ponet super cor suum*. In quibus verbis excœcationem Judæorum & duritiem cordis post vastationem Jerosolymorum notat. Ideóque cum Hebræo prius verbum in præterito verti, *non cognovit*; posterius in futuro, *non reponet super cor suum*.

DRUSIUS.

1. הֵן עַבְדִּי אֶתְמָךְ־בּוֹ בְּחִירִי. Lxx. Ἰακὼβ ὁ παῖς μου, Ἰσραὴλ ὁ ἐκλεκτός μου, *Jacob puer meus*, *Israel electus meus*] Nomina

ña illa *Jacob* & *Israel* olim aberant à cæteris editionibus, & in Lxx notata erant obelisco. Eusebius Ἀποδείξ. lib. 9. pag. 281. παρὰ τοῖς ἑβδομήκοντα ὠβέλισαι· τὸ τοῦ Ἰακὼβ καὶ τὸ τοῦ Ἰσραὴλ ὄνομα. καὶ παρὰ τοῖς λοιποῖς δὲ ἑρμηνευταῖς παρασεσιώπηται, ἐπεὶ μηδὲ ἐν τῷ Ἑβραϊκῷ φέρεται. Idem Eusebius lib. 2. hunc locum ita citat, Ἰδοὺ ὁ παῖς μου, ἀντιλήψομαι αὐτοῦ ὁ ἐκλεκτός μου. *Puer meus*, i. servus. Jes. 52. 13. עַבְדִּי. A. *servus meus*, i. δοῦλός μου. Videatur Eusebius in Symbolis. ¶ רָצְתָה נַפְשִׁי. Eusebius, ὃν ᾑρέτισεν ἡ ψυχή μου, *quem elegit anima mea.* Severus, Ἰδοὺ ὁ παῖς μου ὃν ᾑρέτισα. εἰς ὃν ηὐδόκησεν ἡ ψυχή μου.

2. לֹא יִשָּׂא. Sym. *non decipietur*] i. יַשִּׁא, unde & השיא *decepit*. Mutatio unius puncti vide quid faciat.

3. כֵהָה. Cæteri, *obscurum atque tenebrosum*] Hieron. LINUM FUMIGANS, *sive, ut cæteri transtulerunt*, OBSCURUM ATQUE TENEBROSUM, NON EXSTINGUET.

4. לֹא יִכְהֶה וְלֹא יָרוּץ עַד־יָשִׂים בָּאָרֶץ מִשְׁפָּט. A. Th. *Non obscurabit, & non curret: donec ponat in terra judicium*] Sensus est, *Nullum vultûs tristitiâ deterrebit, nec festinabit ad pœnam, qui judicii veritatem ultimo tempore reservavit.*

6. לִבְרִית. Alii, *in fedus*] Εἰς συνθήκην. Meminit Theodoretus in Comment. Psal. 97. ad versum, *Recordatus est misericordiæ suæ Jacob.*

8. לְאַחֵר. Omnes, *alteri*] Hieron. *Non dixit*, Gloriam meam nulli dabo; *quod si dixisset, exclusisset & Filium*; sed Gloriam meam alteri non dabo, *præter te cui dedi, cui daturus sum. Unde proprietatem S. Scripturæ vehementer admiror, quòd verbum* אחר *omnes Interpretes voce consonâ transtulerunt* alterum, *qui in multis aliis soliti sunt discrepare.*

11. מִדְבָּר וְעָרָיו. Cæteri *desertum & civitates ejus*] Euseb. οἱ λοιποί, Καὶ πόλεις αὐτῆς.

IDEM EX PROCOPIO.

1. הֵן עַבְדִּי אֶתְמָךְ־בּוֹ בְּחִירִי רָצְתָה נַפְשִׁי. Th. Ἰδοὺ ὁ παῖς μου ἀντιλήψεται αὐτόν, ὁ ἐκλεκτός μου ὃν ηὐδόκησεν ἡ ψυχή μου, *Ecce puer meus suscipit eum, electus meus, in quo complacuit anima mea.*

3. פִּשְׁתָּה כֵהָה. A. Sym. Th. λίνον ἀμαυρὸν, *linum evanidum, & exstinctioni vicinum, obscurum.* Sic ἀμαυρὸν λυχνίδιον, *lychnus obscurus & parùm lucis præbens.*

4. וּלְתוֹרָתוֹ אִיִּים. οἱ λοιποί, καὶ ἐν τῷ νόμῳ αὐτοῦ νῆσοι, *& in lege ejus insulæ.* Vide Procopium.

5. וּמְלֹאָהּ. Sym. καὶ τὰ πορευόμενα ἐπ' αὐτῆς *& quæ in ea ambulant.*

8. וּתְהִלָּתִי. A. καὶ τὴν ὕμνησίν μου. Sym. τὸν ἔπαινόν μου *laudem meam*] Ὕμνησις *celebratio*, propriè *quæ fit hymnis* aut *carmine:* idem *laudum decantatio*, & ipsa *laus*. Lex. V. Ὑμνῶ, *laudifico, cano.*

9. וַחֲדָשׁוֹת אֲנִי מַגִּיד. A. καὶ καινὰς ἐγὼ ἀναγγέλλω, *& novas ego annuncio.* Sym. καὶ καινὰ ἰδοὺ ἀπαγγέλλω, *& nova ecce annuncio.* Th. καινὰ δὲ ἀπαγγέλλω, *nova verò annuncio*] Ἰδοὺ mendum pro ἐγώ. ¶ בְּטֶרֶם תִּצְמַחְנָה אַשְׁמִיעַ אֶתְכֶם. Sym. πρὸ τοῦ † ἀνατεῖλαι αὐτὰ ἀκουστὰ ποιήσω ὑμῖν, *antequam exoriantur, audita faciam vobis.* Th. βλαστῆσαι *germinent.* A. ἀναφυῆναι *renascantur*] † Vulgò perperàm ἀναγγεῖλαι, & apud Interpretem *annuncientur.* Reperio etiam in margine ad textum Procopii, Οἱ Γ, pro Σ litera *Symmachum* denotante. Procopius tamen videtur legisse ἀναγγεῖλαι, quod in editione τῶν ό, licèt in vulgata sit ἀνατεῖλαι. Ego verum esse puto quod posui.

10. שִׁיר. οἱ λοιποί, ᾆσμα *canticum.*

11. עָרָיו. κατὰ τοὺς λοιποὺς, αἱ πόλεις αὐτῆς *urbes ejus.* ¶ ישאו. A. ἀράτωσαν *tollant vocem.* Sym. ἐπαράτωσαν *sustollant.*

13. יְהוָה כַּגִּבּוֹר יֵצֵא כְּאִישׁ מִלְחָמוֹת. Sym. Κύριος ὡς δυνατὸς ἐξελεύσεται, ὡς ἀνὴρ πολεμιστής, *Dominus ut potens egredietur, ut vir bellator.*

14. הֶחֱשֵׁיתִי. A. Ἐσίγησα *silui.*

15. אַחֲרִיב הָרִים וּגְבָעוֹת וְכָל־עֶשְׂבָּם אוֹבִישׁ. Sym. Th. Ἐρημώσω ὄρη καὶ βουνοὺς*, καὶ πάντα τὸν χόρτον αὐτῶν ξηρανῶ, *Desolabo montes & colles, & omnem herbam eorum siccabo*] * In Commentario est κατὰ τοὺς λοιποὺς ἑρμηνευτὰς *secundùm alios Interpretes.*

17. יֵבֹשׁוּ בֹשֶׁת הַבֹּטְחִים בַּפָּסֶל. Sym. αἰσχυνθήσονται αἰσχύνην οἱ πεποιθότες τοῖς γλυπτοῖς, *confundentur confusione qui confidunt in sculptilibus.* A. αἰσχυνθήτωσαν *confundantur*, sive *pudore afficiantur.* Th. καταισχυνθήτωσαν *confundantur.*

19. מִי עִוֵּר כִּי אִם־עַבְדִּי וְחֵרֵשׁ כְּמַלְאָכִי אֶשְׁלָח מִי עִוֵּר כִּמְשֻׁלָּם וְעִוֵּר כְּעֶבֶד יְהוָה. Sym. Καὶ τίς τυφλὸς, εἰ μὴ ὁ δοῦλός μου; καὶ κωφὸς ὡς ὁ ἄγγελός μου; τίς τυφλὸς ὡς ὁ τέλειος, καὶ κωφὸς ὡς ὁ δοῦλός μου; *Ecquis cæcus nisi servus meus? & mutus ut nuncius meus? quis cæcus ut perfectus? & mutus ut servus meus?*

20. רָאוֹת רַבּוֹת וְלֹא תִשְׁמֹר פָּקוֹחַ אָזְנַיִם וְלֹא יִשְׁמָע. Sym. Εἶδες πολλὰ, καὶ οὐ φυλάξεις. ἀνεῳγμένα τὰ ὦτα * αὐτοῦ, καὶ οὐ μὴ ἀκούσῃς, *Vidisti multa, & non custodies; apertæ aures tuæ, & non audies*,] * σου.

21. יְהוָה חָפֵץ לְמַעַן צִדְקוֹ יַגְדִּיל תּוֹרָה וְיַאְדִּיר. Idem, Κύριος ἐθέλησεν ἵνα δικαιώσῃ αὐτόν, μεγαλῦναι νόμον καὶ θαυμάσαι, *Dominus voluit ut justificaret eum, ad legem magnificandum & admirandum.*

25. וֶעֱזוּז מִלְחָמָה. A. καὶ κραταίωσιν πολέμου *& confirmationem belli.* Sym. Th. καὶ κράτος πολέμου *& robur belli.* ¶ וַתְּלַהֲטֵהוּ. Th. καὶ συνεφλόγισεν αὐτοὺς *& simul inflammavit eos.* An legit הוּ, i. הֵן pro הוּ?

GROTIUS.

1. Ecce servus meus] Lxx hæc de toto populo Judaïco intellexerunt. Sed bene cuncta intuenti apparebit Dei sermonem redire ad Esaiam, de quo suprà XLI. 27. Sublimiùs autem hæc impleta in Christo, cujus figuram, quantum potuit, gessit Esaias, ut & Jonas, Jeremias, & alii quidam.

Suscipiam eum] Meliùs, *cui innitor:* cujus operâ uti volo.

Judicium gentibus proferet] Judicia mea in Medos & Babylonios enuntiabit.

2. *Non clamabit*] Nihil aget perturbato animo.

Neque accipiet personam] In Hebræo, *Non elevabit*, supplè *vocem, plusquam res exigit.*

Nec audietur vox ejus foris] Solent qui irâ exardescunt itâ altùm loqui, ut vox eorum extra domum à prætereuntibus exaudiatur.

3. *Calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non exstinguet*] Est λιτότης [*Extenuatio*]. Vult enim dicere, Esaiam vaticiniis suis confirmaturum Hebræos, quibus pietatis restabat aliquid, sed penè exstinctum calamitatibus.

In veritate educet judicium] Dei judicia fideliter enuntiabit, nihil sui affectûs permiscens.

4. *Non erit tristis, neque turbulentus*] In Hebræo, *Non caligabit, neque frangetur:* id est, neque ignorantiâ falletur, neque metu retrahetur à faciendo officio.

Donec ponat in terra judicium] Quò minùs Dei judicia terris annuntiet.

Et legem ejus insulæ exspectabunt] Meliùs: *Documenta ejus insulæ exspectent.* Id est, certo sciant illi Assyrii, Mesopotamienses, atque alii eventura quæ dicet Esaias.

6. *Ego Dominus vocavi te in justitia*] Esaiam Deus alloquitur. *In justitiam* rectiùs vertas: vocavi te, inquit, ut omnia vera ac recta eloquaris.

Apprehendi manum tuam] In Hebræo, *Apprehendam.* confirmabo te, ut suprà XLI. 13.

Et servavi te] *Custodiam te:* nempe donec munus tuum peregeris.

Et dedi te in fedus populi] Ut populum meum Judaïcum ad observationem federis revoces.

In lucem gentium] Ut gentes doceas unum esse Deum mundi opificem.

7. *Ut aperires oculos cæcorum*] Idololatrarum.

Et educeres de conclusione vinctum] Ut Judæi per te moniti de corrigendis viis suis hoc modo exitum reperiant ex illa custodia in qua detinebantur.

De domo carceris sedentes in tenebris] Idem est quod jam dixit. Tenebræ sunt hîc mœstitia summa.

8. *Ego Dominus*] יהוה.

Hoc est nomen meum] Quo à diis gentium discernor.

Gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam sculptilibus] Iterum λιτότης [*Extenuatio*]: Vult enim dicere se vindicaturum severè in eos qui nomen quod ipsius est, dant Belo, Neboni, Meraducho & aliis τοῖς μὴ φύσει οὖσι θεοῖς [*iis qui re ipsâ non sunt Dii*].

9. *Quæ primò fuerunt, ecce venerunt*] Loquitur Esaias quasi captivitati Babylonicæ interfit. Videtis evenisse quæ Ezechiæ dixi de hac calamitate.

Nova quoque ego annuntio] Liberationem futuram.

Antequam oriantur] Antequam ulla existant ejus rei semina.

10. *Cantate Domino canticum novum*] Solet id dici in magnis gaudiis, ut Psalm. XXXIII. 3. XL. 3.

Laus ejus ab extremis terræ] Supple, *sonet.*

Qui descenditis in mare, & plenitudo ejus] Id est, & nautæ & vectores. Tyrios indicat multùm vexatos à Babyloniis. Vide

de quæ de Tyro per Nabuchodonoſorum obſeſſa per annos XIII diximus ad librum III de Veritate Religionis Chriſtianæ.. πληρώματα pro *vectoribus* etiam apud Thucydidem videmus libro VII, ut ibi notat Scholiaſtes: & apud Suidam πληρώματα exponuntur οἱ ἐπιβάται [*vectores*].

Inſulæ & habitatores earum] De inſulæ ſignificatu ſuprà diximus. Præcipuè eos notat qui ſunt ad Euphratem & Tigrim.

11. *Sublevetur deſertum & civitates ejus*] Gaudeant Idumæi ad ſinum Rubrum habitantes, qui Medorum hoſtes, & à Medis malè tractati fuerunt. Vide quæ diximus ad cap. XXI.

In domibus habitabit Cedar] Id eſt, Et vos qui tentoria habitatis, Arabes Σκηνῖται [*Scenitæ*]: nam & hi earundem fuerant partium. Vide locum jamjam indicatum.

Laudate habitatores Petræ, de vertice montium clamabunt] Id eſt, Etiam illi qui in Arabia ſunt Petræa plurimùm de hac re gaudebunt. & meritò; nam & hi Medorum hoſtes fuerant.

12. *Ponent Domino gloriam*] Tribuant Deo gloriam Arabes iſti à tanto malo liberati.

Et laudem ejus in inſulis nuntiabunt] Nuntient hæc Dei opera in omnibus oris longinquis.

13. *Suſcitabit zelum*] Id eſt, magno ardore agetur in hoſtes.

Vociferabitur & clamabit] *Barritum edet.* Omnia enim hæc ſumta ſunt de re militari.

Super inimicos ſuos confortabitur] Bene vertas: *Prævalebit hoſtibus.* Perſiſtit Propheta in eadem comparatione.

14. *Tacui ſemper, ſilui, patiens fui ſicut parturiens*] Dicens ſcilicet, (nam hoc verbum hic & alibi ſæpe ſubauditur) *Diu continui iram meam, ſicut halitum feminæ parturientes.*

Loquar] Clamabo, ut feminæ parturientes interdum præ dolore facere coguntur.

Diſſipabo & abſorbebo ſimul] *Deſolabo* terras, *abſorbebo* homines.

15. *Deſertos faciam montes & colles*] In quibus plerumque ſitæ ſunt urbes.

Et omne gramen eorum exſiccabo] Id eſt, cives auferam. Amant Hebræi μεταφοράς [*tranſlationes*].

Et ponam flumina in inſulas, & ſtagna arefaciam] Nihil verius: nam ipſum Euphratem pervium ſibi fecit Cyrus. Vide quæ diximus ad librum III. de Veritate Religionis Chriſtianæ.

16. *Et ducam cæcos in viam quam neſciunt*] Judæos domum reducam, qui nihil minus ſperaverant.

Ponam tenebras coram eis in lucem, & prava in recta] Mutabo adverſa ſecundis, & omnia eis quæ difficillima videntur reddam facillima.

Hæc verba feci eis] Meliùs: *Has res efficiam eis.*

Et non dereliqui eos] *Neque enim eos derelinquam.*

17. *Converſi ſunt retrorſum*] Fugient illi Babylonii. Vide implementum alterum Joh. XV. 16.

Confundantur] *Confundentur*, id eſt, pudefient.

18. *Surdi audite, & cæci intuemini ad videndum*] Gentes alloquitur, ut ſuprà 7.

19. *Quis cæcus niſi ſervus meus*] Senſus eſt: quanquam quid gentes objurgo, cùm nemo ſit inter eas cæcior quàm multi Hebræi poſt tot & tam conſpicua Dei beneficia.

Et ſurdus niſi ad quem nuntios meos miſi] In Hebræo, *nuntium*: id eſt, Eſaiam, ad cujus tot minas & promiſſa magna pars populi nihilo fiebat melior.

Quis cæcus niſi qui venumdatus eſt?] Legit hic Interpres non משלם [*federatus*], ſed כמכר [*mercede redemtus*]. Græci מושליו, οἱ κυριεύοντες αὐτῶν [*qui dominantur eorum*]. Lectio in Hebræo recepta non mala eſt, ſi vertas *ſicut federatus*, nempe *Dei*, populus Iſraëliticus. Mahumetiſtæ eodem ſenſu, quanquam falſo, ſe appellant *Muſſulmannos*.

20. *Qui vides multa, nónne cuſtodies?*] Ex Hebræo: *Videndo multa non obſervas.* Vidiſtis multa miracula & non curatis.

Apertas habes aures, nónne audies?] In Hebræo: *Qui apertas habet aures, nónne audiet?* Id eſt, audire debet? Cui tamdiu inſonuêre Legis & Prophetarum voces, nónne ejus fuit illas in animum admittere? nam *audire* hic de mentis attentione accipiendum, ut Matth. XI. 15. & alibi.

21. *Et Dominus voluit ut ſanctificaret eum, & magnificaret legem, & extolleret*] Rectè vertas, *Deus voluit eum* (populum) *juſtum* (ſive *ſanctum*) *reddere: magnam ei legem dedit* (multa præcepta), *ut illuſtriorem eum redderet.*

22. *Ipſe autem populus direptus eſt, vaſtatus*] Attamen, inquit, vide quæ ei eveniant poſt tot decora. Cauſam jam reddet.

Laqueus juvenum omnes] Meliùs verti videtur: *Laqueus in omnibus foraminibus eorum.* Id eſt, Nuſquam exire poterunt: ità ubique eis tendentur inſidiæ. LXX: ἡ γὰρ παγὶς ἐν τοῖς ταμείοις πανταχοῦ [*laqueus ubique in penetralibus eorum*].

Et in domibus carcerum abſconditi ſunt] כלא non *carcerem* tantùm ſignificat, ſed omne *id quod bene clauditur.* LXX hîc: καὶ ἐν οἴκοις ἅμα ὅπου ἔκρυψαν αὐτούς [*& ſimul in domibus in quibus ſe abſconderant*]. Rectè ergò vertas: *& in recluſis locis ubi latitabant*, ſupple: *& ibi erunt inſidiæ.* Hiſtoriam vide II Regum XXV. 5.

Facti ſunt in rapinam, nec eſt qui eruat; in direptionem, nec eſt qui dicat, Redde] Nemo aut facto aut verbo eos ab injuria vindicat. Deſcribit ſtatum captæ urbis, & manentis ſervitutis.

23. *Quis eſt in vobis qui audiat hoc, attendat, & auſcultet futura?*] Id eſt, Quàm pauci ſunt qui cùm hæc Divinitus prædici audiant, in tempore ſe corrigant.

24. *Nónne Dominus ipſe cui peccavimus*] Eſt iterum κοίνωσις [*Communicatio*]. Neque enim Eſaias inter illos erat, quorum culpâ hæc eveniebant; ſed ipſe, quanquam integer, loquitur ut pars populi corrupti.

Et noluerunt in viis ejus ambulare] Id eſt, quia noluerunt, ſic ו ſæpe ſumitur.

25. *Et forte bellum*] Ab Ægyptio primùm, deinde à Chaldæo. II Reg. XXIII. 33. XXIV. XXV.

Et combuſſit eum in circuitu, & non cognovit] Id eſt, Cùm omnia circum Urbem ſita incendio corrumpentur, nondum reſipiſcet populus.

Et ſuccendit eum, & non intellexit] Nè tum quidem reſipiſcet, cùm Urbs à Chaldæis incendetur, II Reg. XXV. 9. Jerem. XXXIX. 8.

CAP. XLIII.

MUNSTERUS.

2. S*I tranſierit per aquam*] In omnibus, inquit, tribulationibus quæ Eccleſiæ meæ accidere poſſunt, ego non deſeram eam uſque in finem: ſicut nec olim eam deſerui cùm Rex Ægypti & Rex Aſſur illam niterentur exſtinguere, ſed *loco ejus tradidi Ægyptios, Æthiopes & Sabæos.* Sic amat Deus ſuos ut non dubitet etiam alias gentes affligere ut ſuos ſervet.

5. *Ab oriente*] Et hoc eſt quod Dominus dicit in Euangelio, *Venient ab Oriente, & recumbent cum Abraham.*

9. *Alioquin audiant*] h. e. Si nullum poſſunt producere teſtem verum, audiant nos, & fatebuntur nos veritatem Dei prædicare.

14. *Miſi in Babylonem*] Ego ſum, inquit, Deus ille qui olim Cyrum miſi in Babylonem: & diſſipavit Regnum illud, & *potentes* quoſque *in fugam convertit*, ut populum meum liberarem. Sunt qui hic dictionem בריחים exponunt pro באניות *in navibus*, ut ſit Beth litera ſervilis, & ריחים *naves quæ vento impelluntur*: unde & Chald. vertit בספינן.

16. *Ponit in mari viam*] Ducens ſcilicet populum Iſrael per mare Rubrum, & Pharaonis *eductum bellicum apparatum ſubitò exſtinguens.* Sed tranſeant *antiqua* illa Dei opera & beneficia: *jam nova faciet, ponens viam & flumina in deſerto*: qui locus Metaphoricè eſt intelligendus, ut multa alia ſimilia loca: id quod facilè patet ex beſtiarum commemoratione.

21. *Populus iſte quem formavi mihi*] Neſcio ſi clarior aliquis locus ex Scriptura contra perfidos Judæos quàm iſte ſit produci poſſit, qui tam apertè abroget Judæorum ceremonias & ſacrificia. *Populum*, inquit Propheta, novum *formabit ſibi* Dominus, qui pro ſacrificiis Moſaicis *enarret laudes ejus.*

26. *Fac me recordari*] Inſtrue, inquit, me, ſi non ex gratia mea magis quàm ex operibus tuis remiſſionem obtinueris peccatorum, cùm *me propter peccata tua tibi ſervire* & pro te in mortali vita *laborare coegeris.* Affer, ſi quid habes, in medium, & *diſceptabimus pariter, ſi poſſis te juſtificare.* Ecce *primus parens tuus peccavit, peccaverunt & hi qui Legis* מליציכם *interpretes* eſſe debuerant; quos Jonathan מלפיך *Doctores* vocat: Ex conſequens eſt, quòd & tu non es ſine peccatis. Et propterea *ego pollui Principes ſanctuarii* veſtri; h. e. abjeci omnem cultum veſtrum unà cum tota Lege & omnibus illis qui Legi ſunt addicti. Porrò his verbis Deus non inurit contumeliam ſanctis, ſed ipſe docetur glorificandus: diſciturque

quòd

quòd omnes sancti ex gratia facti sunt sancti. Solus Christus justitia est sanctorum & thesaurus meritorum.

V A T A B L U S.

1. *V Ocavi nomen tuum* קראתי בשמך] *Vocavi* te *in nomine tuo. Vocare nomine* est Recipere in jus aliquod necessitudinis; veluti cùm à Deo in filios adoptamur. q. d. Non solùm liberavi, sed & peculiarem mihi populum te feci.

2. *Et flumina non operient* ובנהרות לא ישטפוך] *Aut per flumina, non inundabunt te.* Alii, *& in fluminibus* [sub. *tecum ero*] *ne inundent te.* ¶ *Ardebit in te* תבער בך] *Succendet te.*

3. *Pretium tuum* כפרך] *Redemptionem tuam*, i. animæ tuæ. *Dare pretium alicujus* & *dare in vicem ejus*, vel *pro eo*, idem significant: i. feci ut Sennacherib vires suas in Ægyptios, Æthiopes & Sabæos converterit: id feci parcens vobis, & impetum hostis aliò convertens. Seq. versu exponitur istud.

4. *Ex quo* מאשר] *Eò quòd.* ¶ *Gloriosus fuisti* נכבדת] *honoratus es*, i. te magnifacio. ¶ *Propterea dabo hominem*, &c. ואתן אדם תחתיך] V. 3. dixerat, *dedi redemptionem tuam Ægyptum.* ו pro *Propterea*, i. cùm aliqui oppugnaverint te, efficiam ut bellum convertatur in alios, & cadant in prælio, non tu.

7. *Omnis*, &c. כל הנקרא וגו'] Quidam jungentes præcedenti versui istum, vertunt in accusativo & in plurali, *Omnes* scilicet *qui vocantur de nomine meo, & quos in gloriam meam creavi, finxi eos, etiam feci eos.*

8. *Ut educam* הוציא] Quidam vertunt infinitivum in futurum, sine particula *ut.* Alii vertunt, Jussi *educere.*

9. *Congregentur simul & colligantur* נקבצו יחדו ויאספו] Præterita Heb. pro fut. optat. aut præs. conjunct. ¶ *Et priora indicabunt nobis* וראשנות ישמיענו] *Aut priora audire facient nos?* i. aut qui inter illos indicare poterunt nobis talia qualia sunt illa priora quæ jam prædixi, & jam evenerunt? ¶ *Et justificentur* ויצדקו] *Et justi pronuncientur.*

10. *Formatum* quidpiam à *Deo* נוצר אל] Ad verb. *formatum Dei.* Participium est in regimine, non præteritum. Alii ferè omnes vertunt *formatus Deus.*

13. *A die* מיום] i. Ex quo dies esse cœpit. Alii, *ante diem.* Vel, *antequam dies esset*, i. ante diem creatum. ¶ *Revocabit illud* ישיבנה] Ad verb. *redire faciet illud*, i. irritabit, aut retundere poterit, sive rescindere; vel obsistet. Quidam, *avertet illud.*

14. *Et descendere*, &c. והורדתי וגו'] *Et deponam fugitivos universos, & Chaldæos, quorum clamor*, &c. *Deponam*, sub. *è sede sua*, i. dignitate privabo fugitivos Babylonios, qui postea fugient navibus. Alii, *Et descendere faciam* [sub. *in naves*] *fugientes omnes, & Chaldæorum clamor exaudietur in navibus.*

17. Cùm *educit*, &c. המוציא וגו'] Quidam participium præsens convertunt in præteritum, & in accusativum nomina sequentia, & futura in præterita, sic, *Qui eduxit currus & equos, copias &* populum *fortem*, qui *pariter obdormierunt, & non surrexerunt*, &c. vel, *nunquam postea surrexerunt.* De Rege Assyriorum & ejus exercitu intelligunt, quem accersivit de loco suo Dominus contra Israelitas, quémque postea delevit nocte, Angeli ministerio. ¶ *Sicut linum* כפשתה] Vide suprà 42. 3.

18. *Nè intueamini* אל תתבננו] *Nè consideretis*, i. nolite admirari. Alii, *nè memoretis.*

19. *Insuper* אף] *Utique, nam.*

20. *Et filiæ struthionis* ובנות יענה] Sub. *Femina*, i. struthiones. Alii, *& pulli struthionis.* ¶ *Quòd dederim* כי נתתי] *Dabo enim in ipso*, &c.

22. *Quin*, &c. כי יגעת וגו'] *Quin potius tædio mei affectus es.* Alii vertunt, *quia laborasti in me*: ac si diceret, *Cùm fastidio suscepisti quicquid à me præcipiebatur*: quod eodem ferè recidit. Alii, *cùm tu fatigareris propter me.* Alii, *tantum abest ut laboraveris in me, ô Israel*, i. fessus fueris in cultu meo.

23. *Non feci*, &c. לא העבדתיך במנחה] Hebraismus, *Non oppressi te multitudine oblationum*: sive, *non exegi à te multum oblationes.* A servis multum operis exigere solent.

24. *Inebriasti me* הרויתני] *Irrigasti me.*

26. *Fac me recordari* הזכירני] *Reduc mihi in memoriam*, sub. *bona quæ feceris.* ¶ *Contendamus judicio* נשפטה] Ad verb. *judicemur*: i. disceptemus inter nos uter verum dicat. ¶ *Ut justificeris* למען תצדק] i. Ut in hac disceptatione ostendas causam tuam esse justam.

27. *Et interpretes tui* ומליציך] i. Qui erant interpretes inter Deum & populum, Moses & Aaron. Alii, *Principes.* Alii, *rhetores*, vel *Legati.*

28. *Ideo contaminavi* ואחלל] i. Contaminatos ostendi. Fut. Heb. pro præt. & ו pro illativa conjunctione, *Ideo* vel *Propterea*: i. permisi ut magna pars filiorum Israel cum ducibus suis perirent in deserto propter peccata sua. Quidam retinere malunt futurum, ut istud conferatur in tempus captivitatis: quòd propriè eos compellet qui sub captivitate victuri erant. *Contaminare* vel *polluere* sive *profanare Sanctuarium* sive *Ecclesiam* dicitur Deus cùm eam seu rem vilem contemnit & prostituit. ¶ *Sanctitatis* קדש] i. Sanctos. Alii vertunt *sanctuarii*, l. Ecclesiæ. ¶ *Occisioni* לחרם] *Internecioni.* Alii, *excæcationi.*

C A S T A L I O.

12. *N Ec est apud vos alienus*] Scilicet Deus.

14. *Mittam Babylonem demolitum claustra*] Heb. *Mittam & demoliar.* Cujusmodi est illud Matth. 14. πέμψας ἀπεκεφάλισε, h. e. *misit decollatum.* Est autem hæc sententia, Mittam Cyrum & Persas Babylonem, qui ejus repagula & claustra demoliantur, h. e. qui eam expugnent, captivósque vendant Chaldæos, qui navibus in diversas terras portentur, atque ità *in navibus ejulent.*

16. *Sic dicit Jova*] De exitu ex Ægypto.

22. *Nec id verò quia me invocavisses*] Conjunctio *quia* in Hebræo est in posteriore membro, quæ tamen intelligenda est in priore. Argumentatur autem ut Paulus, qui ostendit Abrahamum non esse justitiam consecutum propter Circumcisionem, aut Legem, quippe quæ nondum esset lata cùm justus est habitus. Itidem hîc Deus ita docet, Eduxi vos ex Ægypto, Israelitæ, (nam paulò antè hac de re locutus est) & per deserta tutò perduxi tanquam meos. Cur tandem hoc feci? An propter vestras supplicationes & sacrificia? At nondum sacrificaveratis: nondum enim ego sacrorum leges tradideram. An propter virtutem vestram? At eratis contumaces & improbi. Cur igitur vobis bene feci? Propter meipsum, gratis. Quòd si tum ità feci, idem exspectate futurum in salute quam sum vobis per Christum allaturus, ut eam non vestro merito sed meo beneficio adscribatis, méque ideo collaudetis.

27. *Tuique interpretes in me deliquerunt*] Moses & Aharon.

C L A R I U S.

1. *V Ocavi te nomine tuo*] Nomen quo vocaris indidi tibi: quod benevolentiæ indicium est.

2. *Cùm transieris per aquas*] In omnibus, inquit, afflictionibus quæ Ecclesiæ meæ accidere possunt, non ego deseram eam usque in finem: sicut nec olim eam deserui cùm Rex Ægypti & Rex Assur illam niteretur exstinguere, sed *loco ejus tradidi Ægyptios, Æthiopes, Sabæos.* Illud tamen, *dedi propitiationem*, &c. est qui aptè sic interpretatur, *Dedi propitiationem*, h. e. *commutationem.* Ut sit sensus, *In locum perditorum Judæorum dabo tibi longè plures nationes.* Et alloquitur Israelem secundùm Spiritum.

5. *Ab Oriente*] Et hoc est quod Dominus dicit in Euangelio, *Venient ab Oriente, & recumbent cum Abraham*, &c.

8. *Educ foràs*] h. e. Produc in judicium.

9. *Congregatæ sunt*] Vel *congregentur. Si omnes*, inquit, *Gentes congregentur simul & colligantur populi, quis est in eis qui istud annunciet*, &c. ¶ *Et audiant*] Vel, *alioqui audiant*: h. e. Si nullum possunt producere *testem* verum, *audiant* nos, & fatebuntur nos *veritatem* Dei prædicare. Videtur autem distinguendum sic, *audiant, & dicant, Verè hoc est*, Verum est. Deinde rursum incipiat, *Vos*, scilicet Apostoli & Prophetæ, *testes mei, dicit Dominus, & Servus meus quem elegi*, Christus scilicet.

10. *Non est formatus Deus*] Alius vertit *formatis.* Et neutram lectionem rejiciunt Judæi. Habes hoc versu, In Deo non esse principium vel finem; habes secundò, Solius Dei esse creare: & propterea refutari eos qui Angelis vim creandi tribuunt.

11. *Non est absque me Salvator*] Possumus hoc loco probare Christum Deum, quia solius Dei est salvare.

12. *Et non fuit in vobis alienus*] Scilicet *Deus, à quo hæc audiretis.*

13. *Et ab initio*] Hebraismus habet *à die*, vel *antequam esset dies.*

14. *Propter vos emisi in Babylonem*] Ego sum, inquit, Deus ille qui olim Cyrum misi in Babylonem, & dissipavi Regnum illud, & *potentes* quoque *in fugam converti*, ut populum meum liberarem.

16. *Qui dedit in mari viam*] Ducens scilicet populum Israel per mare Rubrum, & Pharaonis *eductum bellicum apparatum subitò exstinguens.* Sed transeant *antiqua* illa Dei opera & beneficia; *jam nova faciet, ponens viam & flumina in deserto*, qui locus Metaphoricè est intelligendus, ut multa alia similia loca: id quod facilè patet ex bestiarum commemoratione. Et vide ut sæpe repetat illud *novum* quod facturum erat, videlicet de Gentium ad fidem vocatione, ut cùm fieret, minùs novum videretur Judæis. Et tamen etiam iis qui primò crediderant admirandum videbatur, & dicebant, *Ergò & Gentibus dedit Deus pœnitentiam*, &c.

21. *Populum istum*] Apertus locus contra perfidos Judæos, abrogans eorum ceremonias & sacrificia. *Populum*, inquit, novum *formabo mihi*, qui pro sacrificiis Mosaicis *enarret laudes meas.*

23. *Non obtulisti*] Ex animo scilicet ac corde puro. ¶ *Non te servire feci*] Juxta illud, *Quis quæsivit de manibus vestris?*

24. *Sed servire me fecisti*] Vel, *laborem exhibuisti mihi peccatis tuis, lassum fecisti me iniquitatibus tuis:* quòd perfectè in Servatore Christo fuit impletum.

26. *Reduc me in memoriam*] Vel, *fac me recordari.* Instrue, inquit, me, si non ex gratia mea magis quàm ex operibus tuis remissionem obtinueris peccatorum, cùm me propter peccata tua tibi servire, & pro te in mortali vita laborare coegeris. Affer, si quid habes in medium, *& disceptabimus pariter, si posses te justificare.* Ecce *primus parens tuus peccavit; peccaverunt & ii qui* Legis *Interpretes* esse debuerant: & consequens est, te quoque non esse sine peccatis. Et propterea *ego pollui principes sanctuarii* vestri, h. e. abjeci omnem cultum vestrum unà cum tota Lege & omnibus illis qui Legi sunt addicti.

F O R E R I U S.

1. ET *nunc*] Quia & cæcitatem & devastationem Israelis in superioribus enarrarat, nè videretur Deus omnino *repulisse populum suum* & semen Abrahæ abjecisse, qualis futurus sit deinceps Dei populus; non solùm ex Israelitis secundùm carnem sed ex omnibus gentibus, ità ut isti etiam censeantur veri Israelitæ & ad semen Abrahæ pertineant, jam incipit exponere. In quo argumento pertractando cùm multus sit Jesaias, obscurus tamen est, eò quòd invidià plenum esset Judæis secundùm carnem. Est autem Prophetis familiare transitionem his verbis significare, *Et nunc sic dicit Dominus*, pro *Nunc autem*, &c. estque velut appendix quædam superioris orationis, & quasi temperamentum quoddam quo superiora debent intelligi. ¶ *Creans te, Jacob*, &c.] *Creationem* & peculiarem *formationem*; quando videlicet gentem illam sibi in peculiarem populum in Patribus elegit, commemorat, ut confirmet in spe, neque se se actum esse putet. ¶ *Noli timere; quia redemi te*] De Redemptione ex Ægypto intellige: quod eadem ratione quà quod præcessit hic in mentem reducit. ¶ *Vocavi te nomine tuo*] Heb. *in nomine tuo*, vel *per nomen tuum.* Hebraismus est, quem sic aptè redderemus, *Tuo te nomine compellando dixi; Israel, tu meus es.* Hic quoque illam peculiarem electionem in memoriam revocat, quando inito fœdere cum toto populo promisit *Se fore ipsorum Deum*, illi autem obedientiam ei sempiternam polliciti sunt: unde *peculium Domini* & *populus peculiaris* dictus est Israel non uno loco, imò & *filius primogenitus. Ne timeas*, inquit; nè putes ob ea quæ dixi funditus te evertendum. Ergò ut Israelis spem confirmet, quatuor genera beneficiorum commemorat. 1. *Creationis.* Ipse enim est qui universos creat, & ab ipso omnes habemus quod sumus. Israelitæ autem peculiari ratione *creati* dicuntur à Deo, quòd miraculosè Abraham filium Isaac obtinuit, sicut etiam & Isaac ipsum Jacob. 2. *Formationis.* Licet enim verbum יצר sæpe pro *creare* seu *facere* usurpetur, propriè tamen *formationem* seu *fictionem qualis est figulorum* vel *statuariorum* notat, & ad formam figurámque refertur. Hanc in Israele ad Legem possumus accommodare & Ritus ac Ceremonias quibus à cæteris nationibus, velut vas à vase figurà, distinguebatur. 3. *Redemptionis* ex servitute. 4. *Electionis* in populum peculiarem, cum quo fœdus iniit ut ejus esset peculiari nomine ac ratione, &c. Hinc ergò habes, Debere nos in adversis & comminationibus Dei, ne omnino animum despondeamus, nosmetipsos commemoratione Divinorum beneficiorum suffulcire, ut Deo dicamus nè velit *opera manuum suarum perdere*, &c.

2. *Cùm transieris per aquam*] Futura sunt Hebræis, *transibis, inundabunt, ambulabis, aduréris, ardebit:* sed futuri tam varius est usus ut hæc vel de beneficiis jam olim in Israelem collatis vel tanquam promissiones conferendorum possimus accipere. Ego in Versione Vulgatum secutus sum. Sed si ad præterita velis referre, sic vertas, *Cùm transires per aquam, tecum eram; & cùm per flumina, non inundabant te: cùm ambulares in igne, non adurebaris, & flamma non ardebat in te:* similiter & duo versus qui sequuntur. Neque est hic sensus abjiciendus, quasi qui tot tantàque beneficia contulisset, non commissurus videretur ut omnino interiret populus ille, quinimo loco eorum qui ex populo reprobarentur, adduceret *ab Oriente & Occidente qui recumberent cum Abraham in Regno cœlorum*, & *ex lapidibus suscitaret filios Abrahæ*, ut v. 5, & seq. videre poteris. Notum est autem Israelitas per mare Rubrum & per fluvium Jordanem incolumes sicco vestigio pertransisse, & in mediis deserti ardoribus illæsos quoque perdurasse. Adde quòd per *ignem* & *aquas* universa pericula solent designari in Scripturis. Sin autem hæc ut promissiones accipias, pertinent ad veros Israelitas & Ecclesiam piorum, quos Dominus ab incendio & inundatione, quibus genus Abrahæ penè obrutum fuit, tam scelerum quàm calamitatum servavit.

3. *Quia ego Dominus Deus tuus, Sanctus Israel, Salvator tuus*] Possunt hæc tam præcedentibus quàm sequentibus conjungi. ¶ *Dedi propitiationem tuam*, &c.] De voce כפר jam suprà dictum est, quòd pro *piaculo* seu *expiatione* seu *lustratione* accipiatur. Inquit, ergò, *In gratiam tui, tantùm ut tibi possem tua scelera condonare, vicinos tuos Ægyptios & Æthiopes miris modis divexavi, ut eorum exemplo resipisceres.* Vel, *tradidi*, inquit, *in tuam potestatem Ægyptios*, &c. *ut mihi eos quasi immolares pro peccatis tuis, teque eorum sanguine expiares, non boum, aut arietum*, &c. ut idem sit hoc quod Scriptura non semel insinuat, Occisionem impiorum esse acceptissimam victimam Domino. Quò facit quod Levitis dictum est, *Consecrastis manus vestras Domino*, &c. & quod Prov. 21. dicitur, *Piaculum est pro justo improbus.* Nam si improbi permittantur vivere, propter eos interdum & flagella patiuntur probi: si verò occidantur, quodammodo expiantur, & mundi atque innocentes manent coram Domino: ubi est idem nomen & constructio. Vel, *Dedi propitiationem tuam Ægyptum*, &c. i. ut mihi quasi fieres propitius, & tui gratiam promererer, & te beneficiis devincirem. Si hæc ut res gestas accipias, quasi faciant ad confirmationem spei, quòd non possit Deus deserere populum quem tanti fecerit, reducere hic in memoriam oportet quanta passi fuerint Ægyptii propter Israelitas. Æthiopes autem vicini sunt Ægyptiorum; & suprà de eorum vastatione dictum est. Existimo autem hic סבא populum illum significare qui ingredientibus mare Rubrum seu Erythræum ex Oceano Indico ad lævam habitat, quam regionem nostri communi nomine *terram Abicim* appellant; qui longè latéque diffusi majori ex parte subsunt Principi Nubianorum. Fuit autem סבא filius Cus, & nepos Ham, filii Noah, sicut legitur Gen. 10. à quo regio nomen accepit. Quare pro eisdem accipio *Cus* & *Seba*; quasi exponeret quos Æthiopes designaret. Reperitur autem & in S. literis aliud nomen huic simile, nempe שבא, quo existimo Arabiam Felicem designari, quæ mari Erythro ab illa altera regione distinguitur aliqua ex parte. Utrumque ponitur Psal. 72. *Reges* שבא *&* סבא *remunerationem adducent:* ubi Vulg. rectè *Arabes* posuit primo loco. Quòd si quis hoc loco ס pro ש positum contendat, & tres hic populos designari, *Ægyptios, Æthiopes* & *Arabes*, cum hoc non contenderim. Si autem hæc tanquam promissiones accipias, quæ interdum per præteritum efferuntur à Prophetis, manifestum est, Israelitis Gentium regiones subditas fuisse, nullasque victimas Deo magis gratas unquam oblatas fuisse quàm quas Apostoli & Discipuli Domini ex universo Orbe Deo obtulerunt. Unde & quodam loco Paulus *sacrificii fidei* Discipulorum meminit. Acceptà enim fide Gentes mundo & carni moriebantur, & Deo vivere incipiebant. Alibi etiam *hostiarum vivarum* mentionem facit, & eos quos ad Christum adduxerat *gaudium* & *coronam suam* vocabat, nedum *propitiationem suam.*

4. *Ex quo*] מאשר pro Rationali particula accipiunt Hebræi, *Quia, Eo quòd.* Potest esse & Temporis, *Ex quo tempore, Cum primum.* Nam de Loco quoque dicitur Exod. 5. Pendet autem oratio usque ad verbum *dedi; Quia*, inquit, *pretiosus fuisti in oculis meis, & quia honoratus fuisti, & quia dilexi te, idcirco dedi homines pro te*, &c. vel, *Ex quo tempore mihi pretiosus esse cœpisti, & te in honore habui*, &c. *statim dedi homines pro te*, &c. i. in tui gratiam homines alios nihili feci. *Corripuit pro eis Reges, ne Christos suos tangerent*, inquit David. *Et transierunt de gente in gentem, & de Regno ad populum alterum: non permisit hominem nocere eis*, &c. ¶ *Et dabo*] Puto Vau esse Conversivum, *& dedi*, vel *tunc dedi*, seu *statim dedi:* in quo usu sæpe ab Hebræis usurpatur.

Hic

Hic vides probos in pretio esse coram Deo. Pro eodem autem accipit *in pretio esse*, *honoratum esse* & *dilectum esse*: nisi fortè quod ultimo loco adjecit, nempe *dilectionem*, tanquam fontem & originem præcedentium & omnium bonorum in homine voluit apponere. Quem enim dilexit, evexit, honoravit; & alios tanquam servos habuit, imò ut vilia mancipia. An non primogeniti Ægyptiorum, *à Primogenito Pharaonis*, qui erat futurus heres, *usque ad primogenitum ancillæ*, ut illis bene esset, ut redimi possent & vivere, tanquam victimæ cæsi sunt? Qui ergò dilectionem Dei non magni facit, quid sit beatum esse omnino ignorat, etiam in hac vita.

5. *Noli timere*] Jam *mysterium* aggreditur *absconditum seculis præcedentibus*, ut inquit Paulus, *revelatum autem Apostolorum temporibus*, ac quonam modo cohæreant excœcatio seu devastatio Judæorum cum magnificis promissionibus tam factis quàm etiam superioribus versibus contentis exponit: Quare rursus bono animo esse jubet. ¶ *Ego tecum sum*] Hebraismus est frequentissimus in S. literis (de quo jam nonnihil suprà dictum est in nomine IMMANUELIS) quo favor & auxilium Dei significatur. Quid enim deesse aut quid mali accidere poterit ei cui adsit Deus? ¶ *Ab Oriente adducam*, &c.] Hoc est mysterium, *Gentes esse cohæredes & comparticipes* promissionum Divinarum, & ex omni mundi plaga venturos qui in semine Abrahæ censerentur. Certè huc respexit Dominus in Euangelio, *Multi venient ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Abraham & Isaac & Jacob in Regno cœlorum*: quod autem ibi sequitur, *Filii autem Regni ejicientur in tenebras exteriores*, expositio est versûs octavi, ut mox videbimus. ¶ *Ab Occidente*] מערב plaga illa est Hebræis quæ ad vesperam & Solis occasum spectat, ubi dies cum nocte commiscetur: quæ Sole oriente obscurior est & tardiùs illustratur: & hæc est nominis ratio. Est autem ad Occidentem Palæstinæ bona Europæ pars; ad Orientem verò India, ad quam Thomas pervenit; in qua adhuc hodie plurimi Christiani dicuntur *Christiani S. Thomæ*. Et usque ad hodiernum diem *ab Oriente adducit* Dominus *semen* Abrahæ per nostros, qui dum aurum & aromata quærunt, fidem illuc deferunt, quâ myriades Indorum singulis propè mensibus imbuuntur, ut *recumbant cum Abraham in Regno cælorum*. Idem dico de Novo Orbe qui ad Occidentem jacet, ubi etiam fides in immensum propagatur Castellanorum diligentiâ ac virtute.

6. *Dicam Aquiloni, Da*] *Dedit Aquilonaris* plaga Abrahæ Germanos, Gothos, Livonios, Moscovitas, & ex Scythis non paucos. Dedit & *Australis* regio Ægyptios & Afros.

7. *Et omnem qui invocat nomen meum*] In Hebræo non est conjunctio, sed eam non malè Vulgatus supplevit; & VOCARI IN NOMINE DEI *invocare nomen Dei* dixit activè: quod non raro Hebræi faciunt, dum activa passivè & passiva verba activè accipiunt. Est ergò sensus Vulgatæ editionis, *Non præcipio ut tantùm Judæos secundùm carnem, qui dispersi sunt, mihi adducas: nam quicunque invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum, sive sit Judæus sive Græcus.* In quem sensum adduxit Paulus, *Quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit*: neque aliud est quod ait Petrus Act. 10. *In veritate comperi quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente qui timet Deum & operatur justitiam, acceptus est illi*. Atque in hunc modum accipitur apud Euangelistam, *Qui crediderit & baptizatus fuerit*, & illud, *Ut omnis qui credit in eum, non pereat*, & similes loci; i. Ex quacunque gente quis fuerit, non propter genus à salute alienus erit, modò credat, &c. Cæterùm si, ut est in Hebraismo, passivè accipias, & *omnis vocatus in nomine* (vel *cum nomine*) *meo*, i. cui prædicatum est de me, vel quicunque auditâ prædicatione de me acquievit, ut sit *ex vocatis Dei*, ut loquitur D. Paulus. Nam sicut Hebræis peculiari phrasi *vocare in nomine Domini* est Prædicare, Profiteri publicè, Celebrare nomen Domini; ità in voce passiva *vocatus in nomine Domini* erit, cui de Domino est annunciatum & qui vocationi acquievit, & dum glorificaretur per prædicationem Dominus, credidit atque consensit. ¶ *Et in gloriam meam*] Sic legendum est, i. *& omnem vocatum in gloriam meam*; qui audito Euangelio gloriæ Dei assensum præbuit, & Deum glorificavit. Omnes, inquam, qui tales fuerint, unde unde orti sint aut genus ducant, *ego creavi, formavi & feci eos*, non minus quàm Hebræos. *Numquid Judæorum Deus tantùm? nonne & Gentium? Imò & Gentium.*

8. *Educ foràs*] Optimè sensum expressit, *Egredi fac*, Ejice, Extrude, *populum qui cùm oculos habeat, cæcus tamen est; & aures habens, surdus est.* Quid aliud est hoc quàm, *Filii autem Regni ejicientur in tenebras exteriores*? i. extremas, vel quæ omnia occupant quæ extra Regnum Dei sunt. Nam in Regno Dei lux est: extrà autem quidquid est, tenebricosum est, imò verissimæ tenebræ: & quidem merito. Nam si *propterea*, ut est in Euangelio, *peccatum* Judæorum *manet*, *quod*, cùm cæci essent, *se* tamen *videre dicerent*, h. e. & viderent, & cæci essent, ut superiori capite pluribus dictum est; ergò *peccati servi* erunt; ergò *non mansuri erunt domi in æternum*; ergò *expellendi erunt*, &c. Hic manifestè vides pro Judæis vocatos esse Græcos, quia *non fuerunt digni*, & *vocati ad nuptias noluerunt venire*; & *diminutio eorum* & *excisio* fuit *divitiæ mundi*. Quid expressiùs dici potuit? Quid hæres, Judæe? dubitas an in hoc versu de te sit sermo? Lege superius caput; *Quis cæcus nisi servus meus*, &c. Sed quis est cui injungitur ut ejiciat è domo Judæos? Certè nullus; sed sic consuevit loqui Scriptura, sicut suprà, *Excæca cor populi hujus*, &c. i. *Prædic excæcandum*; ità hîc, *Denuncia ejiciendos*, &c.

9. *Congregatæ sunt*] q. d. Animo finge *congregari omnes gentes*: ut non malè quidam per imperativum vertant; est tamen præteritum. Hic vides pertinere omnia hæc ad superius argumentum quod cap. 41. incepit, nempe, *Jehova solum esse Deum, qui præterita fecerit sicut prædixerat, quique nova facturus sit, nempe ut veniat ex semine Abrahæ qui illuminet universum orbem, redimat de potestate tenebrarum: In cujus adventu major Judæorum pars intereat & à fide Patrum degeneret: Quare loco ipsorum vocandas esse Gentes & in semen Abrahæ deputandas.* Hoc, inquit, *mysterium quisnam unquam revelavit? Quis ex diis Gentium hoc futurum prædixit, sicut nunc ego per Prophetas meos prænuncio.* ¶ *Annunciet*] Vel *annunciabit*, i. annunciare potuisset. ¶ *Et quæ prima sunt*] Vel *priora*: ut sit repetitio totius argumenti, quòd neque quæ præcessissent quisquam priùs annunciasset. Possumus & ראשנות ut adverbium accipere, sicut in forma masculina, Gen. 33. & Num. 2. &c. i. *initio, principio*: q. d. *Quis olim audire fecit*, &c. *quod ego nunc futurum prænuncio*, &c. ¶ *Dent testes eorum*] *Afferant aliquos testes* qui ea audierint. Possumus & *testes suos* reddere. ¶ *Et justificentur*, &c.] *Justi pronunciari possent* idolorum cultores, neque merito reprehendi posse viderentur, si quispiam ipsorum sui Dei afflatu de futuris procul à sensu hominum remotis posset quidquam pronunciare. ¶ *Et audiant*] Vau pro disjunctiva particula hîc accipio libenter, ut Exod. 21. & aliàs non raro; ut sit sensus; *dent testes, & justificentur, vel audiant, & dicant verum me dicere.* Quare alii non malè pro *alioqui* accipiunt.

10. *Vos testes mei*] Illi, inquit, testes adducere non possunt: At *vos*, Israelitæ, *testes estis* eorum quæ dico: Ex vobis enim fuerunt Prophetæ, qui vobis prædixerunt, docti à me, ea quæ jam experti estis: *& servus meus* Jesaias, qui nunc de futuris per Messiam vaticinatur, testis fidelissimus erit, &c. *quem elegi* in hunc usum, *ut*, cùm impleta videritis ejus Vaticinia, *sciatis, & credatis me solum esse verum Deum*, &c. qui solus sum, *à quo omnia*, tam quæ præcesserunt quàm præsentia & futura, *pendent*, *& in quo omnia consistunt*. ¶ *Dicit Dominus*] Hic est in Hebræo illa asseveratio Prophetis familiaris de qua jam suprà dictum est, quæ initio vel in fine ponitur in rebus arduis, & hîc bis ponitur; quæ non meliùs reddi potest quàm D. Paulus reddiderit, *Fidelis sermo*, vel *Certus sermo*, &c. & per Parenthesin legi debet. ¶ *Quia ego ipse sum*] Heb. *quia ego ipse*: sed pronomen in verbum substantivum verti debet, & allusio est ad verba illa Domini in Exodo, QUI EST *misit me ad vos*: & ipsius nominis JEHOVA Etymologia explicatur. Reddi namque potest, *& intelligatis quòd ego sim ille qui est.* Hæc est enim vis illius pronominis הוא. ¶ *Ante me non est formatus*, &c.] Explicatio est ejus quod immediatè præcessit, *quòd solus ipse sit.* Et hoc ipsum bis terque repetit, nimirum Nomen suum, Antiquitatem, Perpetuitatem, Potentiam, Sapientiam Bonitatemque suam amplificans.

12. *Non fuit in vobis* (i. *inter vos*) *alienus*, vel *extraneus*] i. Deus quispiam alius præter me, quem alii populi colunt. Atque in hoc consistit non minima pars argumentationis hujus, ut suprà exposui, *Abraham, Isaac & Jacob non alterum Deum nisi me Jehova coluerunt: Ego autem eos vocavi, deduxi, magnificavi: Acceperunt regiones aliarum gentium, quibus erant alii dii: earum illi deos deridebant & comminuebant: Non ergò virtute alterius dei consecuti sunt ea quæ possederunt*, &c.

13. *Ab initio*] Heb. מיום *à die*. Rara est hæc locutio Hebræis: sed video quòd præpositio מן præposita nominibus Temporis interdum sit *post*. Gen. 16. *à fine*. Jud. 11. & 15. *à diebus*: & Exod. 12. &c. ut hîc *à die* idem sit quod *post diem*, *post tempus*, *post finem temporis*, *cùm jam desierint*

dies; i. in æternum; ut sine principio esse dicatur Deus & sine fine. Facit nonnihil ad hujus confirmationem particula גם, quæ Additionem notat, *insuper*, *quinimo*, &c. ¶ *Qui de manu mea*, &c.] Fortè in his verbis occultè tam perpetuam felicitatem justorum quàm æternam damnationem improborum notavit; quæ duo postquam desierit hic mundus & cessaverint dies, manent. Et de electis quidem dicit Dominus in Euangelio, *neminem erepturum oves de manu ipsius*. Sententiam autem illam, *Ite maledicti in ignem æternum*, &c. irritam quis facere poterit? vel *quis avertet illam?* Certè oporteret hæc, quæ de se dicit Dominus, perpetuò mentibus nostris impressa manerent, ut & neminem formidare & omnia nihili facere auderemus; sed perpetuò illi placere studeremus qui habet clavem vitæ & mortis, qui solus est Deus, solus sapiens, solus potens.

14. *Hæc dicit Dominus*] Dixerat quod etsi Israelitæ secundùm carnem magna ex parte interirent, caderent & foràs ejicerentur, tamen ex universo Orbe suppleret eorum defectum: quare bono animo essent. Nunc multò majora se præstiturum pollicetur novo illi populo ex diversis gentibus, tam Judæis quàm Græcis, coadunato, quàm Israelitis secundùm carnem olim præstitisset. Et primo loco Reductionem ex Babylone commemorat, quæ tempore quo hæc dicebantur nondum contigerat; deinde Eductionem ex Ægypto: quæ duo præ novis quæ facturus est parvi facere jubet. ¶ *Emisi*] Vel *misi*. ¶ *In Babylonem*] De exercitu Persarum accipe ista. Postquam enim Imperium Chaldæorum ad Persas & Medos translatum est, patuit regressus captivis Judæis. Initium ergò hîc tantùm tangit, ex quo totum intelligamus. ¶ *Detraxi*] Ad verb. *descendere feci*, vel *dejeci*; *ex loco superiori in ima detraxi*. ¶ *Vectes universos*] Certum est nomen hoc in plurali pro *Principibus* figuratè accipi, propter fortitudinem, & quòd muniant populum, ut jam suprà admonui. Potest & pro ipsis *repagulis* & *munitionibus* accipi: nam omnia dejecerunt Persæ: ità accipitur Psal. 147. & Nah. 3. &c. Nam quòd pro *profugis* hîc quidam accipiunt, non placet. ¶ *Chaldæos in navibus gloriantes*] Non malè expressit sensum: ego Hebraismum retinui, licèt transposuerim relativum. Habet enim ad verbum, *Chaldæos in navibus ovatio eorum*. Nam cùm illàc Tigris & Euphrates fluant, navibus & triremibus abundabant. Postea in lacus & paludes & insulas innumerabiles redacta sunt loca illa usque ad Persicum Sinum, sicut ex verbis certorum hominum cognovi, ut jam non nisi parvis admodum navigiis possit mare illud navigari usque ad castrum, quod munitissimum habent Turcæ, quod *Barcora* appellatur propè fluvium, ex quo oram Indiæ infestare conantur. Existimo autem tantam mutationem ex ausu illo & stratagemate Cyri initium accepisse, quando extra suum alveum amnem fluere fecit qui Babylonem interseca-bat, ut miles per alveum urbem tutò intraret. Ante cujus tempora tuta videbatur posse esse navigatio per flumen in Sinum Persicum, atque indè per universam oram Indici maris, quæ nunc nostris notissima est.

16. *Qui dedit*] Participium est, *Dominus*, *qui dat*: ac de præteritis sic etiam consuevimus loqui: i. potens est *dare in mari viam*, ut jam olim fecit. De transitu maris Rubri est sermo.

17. *Qui eduxit quadrigam*, &c.] De exercitu Pharaonis loquitur. Dicitur autem eos *eduxisse* sicut dicitur *indurasse cor eorum ut persequerentur filios Israel*. ¶ *Contriti sunt*] כבה *exstingui* significat. Vulgatus dixit *contriti sunt*. Quia verò in aquis suffocati sunt, & anima est velut igniculus quidam in nobis, *exstinctos* Ægyptios *quasi linum fumigans* dixit, quòd non faciliùs linum accensum in aquis submersum exstinguatur quàm illi fuerint exstincti. Fortè etiam istis similitudinibus ad iram & ardorem quo accensi insequebantur Ægyptii Hebræos respexit Propheta.

18. *Nè memineritis priorum*] q. d. Hæc quæ commemoravi, quæ in vestri gratiam feci, magna quidem sunt; sed non est quòd ipsa ampliùs celebretis: Majora ecce jam jam efficiam, & nova edam miracula quibus comparata antiqua hæc prorsus vilescant. Arrigant hoc loco Christiani aures, & attendant quantò majora quam Israelitæ acceperint, ut tanquam beneficiarii dignas agant gratias, & Israel secundùm carnem hæc attendens erubescat.

19. *Nova*] Heb. in sing. *novum*. Et de illo præcipuè mysterio est sermo quod suprà attigit, & nunc aliâ verborum figurâ iterum aperit, nempe, Gentibus aperiri gratiæ januam, ut pro populo Dei censeantur, remissis eorum peccatis: Quod multò majus esse quàm ex Babylone aut Ægypto eripi, ut sequentes versus ostendunt, non nisi cæci negabunt. ¶ *Nunc*] עתה est præsentis aut jam instantis temporis: ideo per *jam jam* verti. Nam etsi post multos annos futurum erat, consueverunt sic tamen Prophetæ loqui, non solùm ut insinuent *mille annos in conspectu Domini esse velut diem hesternam quæ præteriit*, verùm etiam ut non usque adeò aperta sint Divina oracula indignis, ea præsertim quæ stomachum pietatis affectum non habentibus poterant movere. ¶ *Utique cognoscetis*] Interrogativa est oratio in Hebræo, quæ responsionem affirmativam exigit, *an non*, *numquid non*, &c. Pro *cognoscetis* dixi *sentietis*. Nam verbum ידע sæpe non tam est intellectûs quàm sensûs qui fit tactu, aut alterius sensûs, experientia. Notat ergò omnibus manifestum futurum id quod prænunciaturus est. Sed quid illud est? ¶ *Ponam in deserto viam*] Nè, quæso, mihi hoc loco ex Rabinis contra seriem verborum Prophetæ nostri reditum ex Chaldæa ingeras: nam, ut vidisti, illud inter vetera beneficia computatur. Certè de Gratia quæ & in Gentes diffusa est intelligendus est locus hic, imò in universum de *Gratia* quæ *exuberavit ubi superabundaverat peccatum*, ut quibusvis peccatoribus pateret via salutis. Omisit autem hoc loco V. Interpres particulam אף, quam reddere interdum vix possumus. Et quantum ex plerisque locis Scripturæ conjicere possum, non rarò est interjectio Insultantis & quodammodo gloriantis, præsertim quando initio orationis ponitur. Atque ità accipienda videtur in verbis Serpentis ad Evam, *Aph*, *Quare præcepit vobis Dominus*, &c. q. d. *Numquid non satis manifestum est quàm non sit in vos benevolus Dominus? id quod vel ex hoc manifestum est quòd vobis præcepit nè de omni ligno*, &c. ut sit veluti Insultantis, quasi alia colloquia præcessissent, quibus Serpens id persuadere conatus fuisset Mulieri. Hoc quoque loco gloriantis esse videtur, *Aph*, *ponam in deserto viam*, &c. In hoc enim conveniunt viri docti, quòd juxta significationem verbi אנף particula hæc impetum animi significet, & sæpissime per *etiam*, *quoque*, &c. redditur ab interpretibus. Quòd si hoc loco sic reddere velis, non erit sensus omnino absurdus, *Ponam quoque in deserto viam*. Nam quòd Judæis adventura esset salus, planè omnibus constabat: at quòd Gentes, & qui *longè* essent à Deo, *sine testamento & promissionibus*, participes illius gratiæ futuræ erant, paradoxum erat & vix credi poterat. Quando autem quis inexspectatus ingreditur, solet sic loqui, *Ego quoque huc venio*, &c. Quemadmodum & in Actis Apostolorum loquuntur qui erant ex circumcisione: Hi cùm vidissent Spiritûs S. donum Cornelio & domesticis ejus concedi, dixerunt obstupefacti, *Quia & in nationes gratia Spiritûs S. effusa est*. Ergò interjectio est, quæ variè reddi debet juxta orationis exigentiam.

20. *Glorificabit me bestia*] Ità vocat gentes barbaras quæ ignorabant Deum, quæ longè agebant à populo Dei; nihil à *brutis* seu *feris*, nihil à *draconibus* & immitibus animalibus & (quæ nullo affectu pietatis erga prolem afficiuntur) *struthionibus* differebant. Si de veteribus beneficiis esset sermo, certè de ipsis feris intelligerem verba hæc, quæ cùm ex *aquis* quas Dominus *in deserto creaverat* in gratiam Israelitarum illac in Terram promissam transeuntium potassent, videbantur præ lætitia *Deum laudare*. Verùm per allusionem ad historiam illam hæc intellige, nempe quòd cùm Gentes *potarentur* & irrigarentur doctrinâ & *aquis* illis quæ primò Judæis datæ sunt (*ipsorum* enim *erant & promissiones; & legislatio*, &c. ut est apud Paulum) *super hac misericordia glorificarent Deum*, ut idem Paulus interpretatur versum Psalmi. Nam ingressi sumus ex triviis ad nuptias quas Judæi repudiarunt, & *pinguedinis Olivæ participes facti sumus*, & in Regnum Dei successimus quod illi contempserunt. Sicut enim feræ biberunt ex *aquis* quas produxit Dominus *populo suo*, ita Gentes receperunt Christum, qui *venerat ad oves perditas domûs Israel*, & gratiam Regni quæ ab ipsis prodiit. *Salus* enim *ex Judæis est*.

21. *Populum istum formavi*, &c.] Præoccupatio est. Nam tacitæ objectioni respondet, Quorsum huc adveniunt isti cæci & claudi, debiles & ignobiles? Quis est hic idololatrarum concursus? Quid sibi vult hæc ferarum congregatio? Respondet Dominus, *Populum istum formavi*, *qui recitet laudes meas* & misericordiam meam prædicet. Judæi enim sibi gratiam hanc quasi debitam putant; & quidem qui ex eis crediderunt, justitiam & veritatem meam annunciant, quiquod Patribus promiseram adimpleverim: At, quæ mea est bonitas, volo quoque ut populo meo aggregentur illi quibus antea nihil fuerat annunciatum; qui bonitatem meam tantò jucundiùs magnificabunt quantò à mea magnificentia longiùs se anteà positos intelligent. *Sumus* enim *in laudem gloriæ gratiæ suæ*, inquit Paulus.

22. *Non me invocasti*, *Jacob*] Obscurus locus est, & quò hæc pertineant non usque adeò manifestum est. Omissis ergò quæ alii hîc afferunt, tribus modis accipi hæc posse existimo: 1. ut sit altera Occupatio. Posset enim Israel secundùm carnem obji-

objicere, Si non aliâ ratione Gentes vocas quàm ut laudes tuas enarrent; ego quid aliud ago? non psalmos, non hymnos decanto? quid mea sacrificia & victimæ sunt, &c. Respondet Dominus, *Non me invocasti, Jacob.* Invocationes illæ tuæ & cantica carminum tuorum perinde sunt ac si non essent. Cùm enim illa offeras non eo quo oportet animo neque eâ quâ decet fide, (in his enim putas consistere justitiam, etiamsi multis sceleribus sis contaminatus) scias quòd neque me laudas, neque mihi pecudes occidis, neque in militia illa Templi mihi militas, *neque quidquam molestiæ propter me sustinere* diceris: quinimo *mihi molestiam istis affers*, & *laboro sustinens*, &c. ut primo capite dixerat Dominus. 2. Hic subesse potest sensus, *Novum quid jam jam facturus sum*, nempe ut Gentes *me glorificent*, & *ex ipsis fiat novus populus* Israel, *qui laudes meas annunciet.* Nollem autem existimes, Israel, hanc me gratiam exhibuisse tuis meritis: nam *non ex operibus justitiæ quæ feceris tu, hæc feci. Nec enim me invocasti, Jacob*, &c. i. Non tanti fuerunt hæc ut propter illa Salvatorem miserim, peccata abstulerim, novum populum formarim, &c. Tua ista obsequia iram potiùs meam quàm beneficentiam provocabant. Propter meipsum misi Filium meum, qui vos *gratis justificet*, &c. 3. Ut לא interrogativè accipiatur, & responsionem exigat affirmativam: quod supra annotavi Hebræis interdum in usu esse. *Non me invocasti, Jacob? aut non laborasti in me*, &c. q. d. Non alios vocavi qui me laudarent quasi tu non me laudares. Certè *me invocabas, in me laborabas, me victimis honorabas*, &c. *sed manus vestra sanguine plena sunt, & servire me fecistis in peccatis*, &c. Quare fidem amplectere. *Ego, ego enim sum*, &c. ¶ *Neque laborasti in me*] i. Nihil molestiæ propter me sustinuisti.

23. *Non te servire feci*] Nec tu id præstitisti, neque id ego à te exegi. Quid enim potissimùm à te quæsierim Moses non semel tibi significavit, nempe ut *me diligeres, me timeres, mandatis meis obedires*, &c. Sacrificia autem tanquam signa mentis fidelis & amantis exigebam, non quòd illis tantùm constaret justitia. ¶ *Neque laborem tibi præbui in ture*] Hinc habes quid sibi volebat versu superiore, *non laborasti in me.* De cultu enim & ministerio seu militia Templi loquebatur.

24. *Calamum*] קנה nomen Hebræum, à quo nostrum *canna*, significat tam aromaticam quàm non aromaticam arundinem. Et hîc de *aromatica* est sermo, quam Jer. 16. videbis cum *ture* etiam conjungi. Ezech. autem 27. cum *casia*: nè quis putet Casiam esse, quæ etiam arundo quædam est, & Exod. 30. dicitur *canna aromatis*. Fortè est quod nos *cannellam* appellamus, quæ dicitur in Jeremia *adduci de terra longinqua.* Nam ex insula quæ nunc dicitur *Ceylam*, à faucibus maris Rubri mille & sexcentis milliaribus dissita, hoc aroma defertur. Nam quòd quidam *cannellam* Cinnamomum esse volunt, non probo. Cant. 4. ut duo numerantur, *canna & cinnamomum.* Est autem *cinnamomum* nomen Hebræum, קנמן, & suffitui deservit, ut apparet ex Prov. 7. *Suffivi cubile meum myrrhâ, aloë & cinnamomo*: & in Ecclesiastico, *Sicut cinnamomum & balsamum dedi, suavitatem odoris*, &c. Adde quòd ad compositionem olei quo ungi debebat Tabernaculum & Arca accipiebantur *ducenti quinquaginta sicli* קנה *canna*, & totidem *cinnamomi.* Vide Exod. 30. Mihi certè verisimile fit per *cannam* hîc intelligere Prophetam, tanquam per partem, totam illam olei compositionem. ¶ *Verumtamen servire me fecisti*, &c.] אך Potest esse vel Affirmativa vel Adversativa particula. Quo pacto autem conjungi debeat superioribus quod hic dicitur, vide suprà v. 22. Sed quid est *facere Deum in peccatis servire*? Arbitror sic loqui Prophetam ut justitiam Judaicam omnino damnet. *Non*, inquit, *feci te servire aut laborare in ture, sed potius tu me servire fecisti in peccatis tuis.* Mihi omnino displicebat cultus ille tuus, neque talem à te mihi cultum exhibere unquam optavi. Fidem & pietatem exigebam dum sacrificia & cultum illum instituebam: hæc cùm mihi denegares, nihil emolumenti ex tuo illo obsequio ad me redibat. At quòd ego dum tu me sic coleres tacebam, quòd tuos Sacerdotes pro Sacerdotibus haberi & in honore esse permittebam, quod ab ore eorum primitias & oblationes non auferebam, quòd quos illi expiabant pro expiatis haberi sinebam, quòd eos ab altari meo non repellebam, illis erat gratissimum: Ergò *vos me potius servire fecistis in peccatis vestris*, hostiis illis vestris & sacrificiis & universo cultu, quàm *ego vos.* Ego vestro quæstui, honori ac voluptatibus serviebam; vos Legem meam transgrediebamini, *fidei* & *misericordiæ* ac *justitiæ*, quæ gravissima sunt *in Lege*, & oculis meis gratissima, prorsus obliti. Videant hæc Christiani: legant & attendant Ministri Domini, & apud se cogitent an ipsos Deus an Deum ipsi servire faciant, & quis cui laborem ac molestiam præbeat. Huc facit bona pars capitis primi hujus Prophetæ; præsertim verò facient verba illa, *laboravi sustinens*, vel *fatigatus sum ferendo*, &c.

25. *Ego, ego sum*, &c.] Juxta triplicem illum modum exponendi superiora ità hæc connectere oportet. Primò, *Si nihil agis, si me non invocas, si me non colis, quinimo in me peccas*, &c. *superest ut ad me convertaris, amplectaris*, &c. *ut tuorum scelerum remissionem obtineas. Ego enim sum qui deleo iniquitates*, &c. Secundò, *Si cultus tuus & sacrificia tua plus sceleris habent quàm pietatis, superest ut aliunde remissionem quæras quàm ex justificationibus illis tuis, & me amplectaris qui propter meipsum deleo*, &c. Tertius modus cum priori coincidit. ¶ *Propter me*] Superbiam Israelitarum & præsumptionem eorum retudit, qui ex Lege arbitrabantur se justificari & ex genere à Patribus: quorum utrumque ut inanem justificationis originem abjicit. *Ego, ego*, inquam, neque propter justitiam tuam, neque propter patres tuos, *deleo iniquitates tuas*, i. deleam. Ad id venio: id volo & in votis habeo, efficiámque quantum ex me est. Illa verò geminatio, *Ego, ego*, &c. est Gloriantis & sibi nimiùm complacentis. In amorem tam benigni Patris non rapiemur?

26. *Reduc me in memoriam*] i. *Fac ut mihi in mentem veniat.* Sic sonant Hebræa: q. d. *Si verò res non sic se habet, imò habere te putas unde debeam meritò tibi ignoscere, fac ut id mihi in mentem veniat: nihil enim tale memini: fac me recordari.* Estque tacita in his verbis irrisio. Quid enim Deum fugiat? ¶ *Judicemur simul*] Videamúsque sitne tuis meritis adscribenda justificatio seu remissio peccatorum tuorum, an misericordiæ & bonitati meæ. ¶ *Recita*] Profer, enumera, siqua sunt ob quæ tibi istæc gratia debeatur. ¶ *Ut justificeris*] i. Ut tibi debeatur remissio peccatorum: vel potiùs, *ut justificeris*, i. superior in hæc causa evadas, & pro te feratur sententia, dicatúrque ex merito justitiæ tibi debitam fuisse remissionem peccatorum, & non ex gratia. Hæc loquendi forma, hæc insultatio, hæc irrisio, hæc confidentia nihil aliud insinuant quàm compertissimum esse, gratiam & remissionem peccatorum misericordiæ Dei debere adscribi, & insanos esse qui aliud crederent; Quales nos esse Lutherani mentiuntur.

27. *Pater tuus primus*, &c.] Quòd si de justitia tua diffidis, & id me patribus tuis debere affirmas, *tuus primus pater*, nempe Therah pater Abraham & pater Nahor, *peccavit*, idola coluit, & alii fuerunt omnes obnoxii delictis. Nam Josue capite ultimo dicit Israelitis, *Trans fluvium habitaverunt patres vestri, Thare pater Abraham & pater Nahor, & ibi servierunt diis alienis.* ¶ *Et interpretes tui*] De Mose & Aaróne est sermo, qui irritaverunt Deum ad aquas Contradictionis. Hos *interpretes* vocat, quia interpretabantur Israeli Divinam voluntatem. Nomen autem מליץ tam in bonam quàm in malam partem accipitur, nempe significans tam eum qui sinistrè interpretatur alterius dicta vel facta, & illusor est seu cavillator, quàm qui rectè, &c.

28. *Contaminavi Principes sanctos*] Seu *sanctitatis*: i. ut contaminatos & profanatos duxi tuos illos Principes, quorum erat eximia sanctitas, & tanquam immundos eos castigavi; noluique ut Terram promissam pedibus suis contingerent. Insuper & cæteros omnes Patres tuos, quòd *in me prævaricati fuissent, dedi in anathema*, ut omnino delerentur *sicut civitates quæ excommunicabantur à Deo*; fuerúntque *opprobrio* universis. Nemo enim erat qui non eos damnaret, quémque non meritò puderet ab eis genus ducere, qui tam ingrati in Deum suum fuissent, qui toties ab ejus fide recessissent, qui ob levissimas causas tam frequenter de Deo obmurmurassent; ut ex tanta illa multitudine soli duo reperti sint digni qui heredes essent promissionum Divinarum. Quo pacto ergò eorum tibi justitia proderit, qui ob scelera sua damnati sunt? Non est ergò quòd de justitia patrum glorietur Israel, sed neque de justitia sua, ut jam dixi: Ergò non mirum si *populum* novum *creare* voluerim, qui *laudes meas decantet*, qui misericordiam meam celebret, qui, cùm in sese non habeat nisi unde erubescat, me amplectatur, adhæreátque veris Israelitis, atque ex utrisque fiat *unum ovile*, &c. Hic habes causas & Reprobationis Israelitarum & Vocationis Gentium, ut perpetuò consideremus cum Paulo & *bonitatem & severitatem Dei*, &c.

DRUSIUS.

3. סבא. Reliqui, καὶ Σαβὰ] Hieron. *Pro* Σοήν *reliqui Interpretes posuerunt* Σαβὰ, *unde fuit Regina Austri quæ venit audire sapientiam Salomonis.*

14. בריחים. Th. *fortes*] Hieron. DETRAXI OMNES VECTES EJUS, *qui Ebraicè appellantur* בריחים, *& quos Th.* fortes *interpretatus est.*

20. תנים. Th. Θαννὶμ alii *Sirenas*] Hieron. *Pro* draconibus;

nibus, *quos solus Theodotio, ut in Ebraico scriptum est, appellavit* Thannim, *reliqui* Sirenas *interpretati sunt, animalia portentosa, quæ dulci carmine atque mortifero navigantes Scyllæis canibus lacerandos præcipitabant.* Jes. 34. in Lxx σειρῆνες σειρήνων· ubi Scholion in ed. Rom. Σειρῆνας καλεῖ τὰ ἐν νυκτὶ θρηνώδη φωνὴν ἱέντα τῶν πτηνῶν, μονονυχὶ κατολολύζοντα, οἷον ἡ γλαῦξ, καὶ τὰ τοιαῦτα. ¶ בְּנוֹת יַעֲנָה. οἱ λοιποί, στρουθοκάμηλοι *struthocameli*] Eusebius, Theodoretus.

22. כִּי־יָגַעְתָּ בִּי. Sym. ἐκοπιάσθης δὲ ἐις ἐμὲ *fatigatus es autem propter me*] Interpres Symbolorum, *fatigasti te laboribus meâ causâ.*

IDEM EX PROCOPIO.

2. אִתְּךָ אָנִי. Th. μετὰ σοῦ εἰμι *tecum sum.* ¶ לֹא תְבַעֶר־בָּךְ. A. ἐ καύσει σε. Sym. ἐ κατακαυ. ——

3. וּסְבָא. Cæteri, καὶ Σαβὰ *& Saba*] Fallitur Procopius, Σαβὰ δὲ τὸ ἔθνος Αἰθιόπων, ἐξ ἧς βασίλισσα πρὸς Σολομῶντα παρεγίνετο· fallitur, inquam; quia hæc *Saba* Ebraicè שבא scribitur, per Sin.

7. וְלִכְבוֹדִי בְּרָאתִיו. οἱ λοιποί, καὶ εἰς τὴν δόξαν μου ἔκτισα αὐτόν, *ad gloriam meam creavi eum.*

9. יַשְׁמִיעֻנוּ. Sym. Th. ἀκυτισάτωσαν ἡμᾶς, *audire faciant nos.*

11. אָנֹכִי אָנֹכִי יְהוָה. A. Sym. Th. ἐγώ, ἐγὼ Κύριος, *ego, ego Dominus.*

12. וְהִשְׁמַעְתִּי. Reliqui, καὶ ἠκύτισα *& audire feci.*

14. בָּאֳנִיּוֹת, ἐν ναυσὶ *navibus.*

15. אֲנִי יְהוָה קְדוֹשְׁכֶם בּוֹרֵא יִשְׂרָאֵל מַלְכְּכֶם. Sym. Ἐγὼ Κύριος ὁ ἅγιος ὑμῶν, κτιστὴς Ἰσραήλ, Βασιλεὺς ὑμῶν, *Ego Dominus sanctus vester, Creator Israel, Rex vester.*

16. כֹּה אָמַר. A. Sym. Th. Ὅτι ——

18. אַל־תִּתְבֹּנָנוּ. Sym. μὴ ἐννοεῖσθε *ne considerate.*

19. הִנְנִי. A. Sym. Th. Ὅτι ἰδὲ *quia ecce.*

20. תַּנִּים. Th. Θεννὶν *Thennin.*] Ebr. Θεννὶμ *Thennim.* ¶ וּבְנוֹת יַעֲנָה. A. καὶ στρουθοκάμηλοι] In Comment. στρουθοκαμήλων, κατὰ τὰς λοιπάς. Job. 30. 29. לבנות יענה Sym. στρουθοκαμήλων. Est ubi התנין Th. interpretatur τὸ κῆτος. Sic etiam Aquila. Sym. ibi habet τὸ δράκοντα. Locus habetur Jes. 27. 1. Apud Avicennam, THENNIN ALBAHARI, *Draco marinus.* Ergò etiam Arabicum est.

21. תְּהִלָּתִי. Sym. τὸν ὕμνον μου *hymnum meum.*

22. וְלֹא־אֹתִי קָרָאתָ יַעֲקֹב. A. Th. Καὶ ἐκ ἐμὲ ἐκάλεσας, Ἰακώβ, *Et me non vocasti, Jacob.* Sym. Οὐδὲ ἐμὲ ἐκάλεσας, Ἰακώβ, *neque me invocasti* [*Jacob*] Proc. καὶ οἱ λοιποὶ δὲ συμφώνως. ¶ כִּי־יָגַעְתָּ בִּי. Sym. ἐκοπιάσθης δὲ εἰς ἐμέ, *defatigatus autem es erga me.* Alii, ἐκοπίασας ἐν ἐμοί, *laborasti in me.*

23. לֹא הֶעֱבַדְתִּיךָ. Sym. Th. ἐ κατεδέλωσά σε *non servire feci te.*

24. בְּחַטֹּאותֶיךָ הוֹגַעְתַּנִי. οἱ λοιποί, ἐν ταῖς ἁμαρτίαις ἐκόπωσάς με, *in peccatis tuis fatigasti me*] In Comment. est ἐκάλεσας *invocasti*: in margine autem Aq. Sym. Th. ἐκόπωσάς με. Aq. Sym. ἴκοπον ἐποίησάς με. Nolo interponere judicium meum.

25. אָנֹכִי הוּא. Lxx Ἐγώ εἰμι, ἐγώ εἰμι. A. Sym. Th. αὐτὸς *ipse.* ¶ לְמַעֲנִי וְחַטֹּאתֶיךָ. Th. ἕνεκεν ἐμοῦ, καὶ τὰς ἁμαρτίας σου, *propter me, & peccata tua.*

27. וּמְלִיצֶיךָ. A. Sym. καὶ ἑρμηνεῖς σου *& interpretes tui.*

28. לְגִדּוּפִים. οἱ λοιποί, εἰς βλασφημίαν *in blasphemiam.*

GROTIUS.

1. QUia redemi te] Jacobum ex multis malis liberavi. Parentes cum liberis iidem censentur.

Et vocavi te nomine tuo, meus es tu] Indidi illi nomen *Israëlis*; sicut servi vocantur *Marcipores*, *Quintipores.*

2. *Cùm transieris per aquas tecum ero*] Meliùs, *cùm transires per aquas* (id est, per mare Rubrum) *tecum eram.*

Et flumina non operient te] *Flumina* (ut Jordanes ex duobus fontibus oriens) *te non inundarunt*, quinimò transitum tibi dederunt.

Cum ambulaveris in igne, non amburêris, & flamma non ardebit in te] Hæc quoque verba in præteritum mutanda. Sensus enim est, Cùm in circuitu urbis tuæ Sennacheribi exercitus subito exitio (quod flammæ comparari jam sæpe vidimus) periret, te salvum quasi ab incendio præstiti. *Incedere per ignes* etiam Horatius dixit pro *in periculo versari.*

3. *Dedi propitiationem tuam Ægyptum, Æthiopiam ac Saba pro te*] Græci ἄλλαγμά σε [*permutationem pro te*]: id est, Cùm Asarhaddon cogitaret tibi inferre malorum ultima, objeci ei alium hostem, Æthiopem Tharacam comitatum ingenti agmine ex Ægypto & Meroe, aut, ut Græci hic habent, Syene. Vide suprà caput XVIII. & XXXVII.

4. *Ex quo honorabilis factus es in oculis meis, & gloriosus, ego dilexi te, & dabo homines pro te, & populus pro anima tua*] Sensus est, Quod antehac feci nunc quoque faciam: quia apud me in magno es pretio, plurimíque haberis à me & diligeris, propterea nullis hominibus aut populis parcam ad te liberandum. Ad Medos & Babylonios hoc pertinet.

5. 6. *Ab Oriente adducam semen tuum, & ab Occidente congregabo te. Dicam Aquiloni, Da; & Austro, Noli prohibere*] Id est, ex omnibus mundi partibus te reducem faciam. Sic Matthæi XXIV. 31. ἐκ τῶν τεσσάρων ἀνέμων [*à quatuor ventis*]: ubi dicta vide.

7. *Et omnem qui invocat nomen meum*] Græci propiùs ad Hebræum: πάντας ὅσοι ἐπικέκληνται τῷ ὀνόματί μου [*omnes qui de meo nomine vocantur*], id est, illos qui se unius Dei cultores profitentur.

In gloriam meam] Ut appareat mea potentia, & in promissis fides ac constantia.

Creavi eum, formavi eum; & feci eum] Vertenda hæc per futurum, & sensus est, Eos omnes quasi vitæ reddam. Nam misera conditio *mortis* nomine appellatur.

8. *Educ foràs populum cæcum, & oculos habentem*] Qui cœcus est, quamvis oculos habeat. Judæos intelligit, qui multa Dei opera viderant, nec satis tamen plerique ea considerabant. *Educ*, id est, ad judicium voca.

Surdum & aures ei sunt] Quamvis aures ei sint, id est, qui multa à patribus audita non satis animo retinet.

9. *Omnes gentes congregatæ sunt, simul & collectæ sunt tribus*] Vertas rectiùs: *congregentur* & *colligantur*, nempe ad judicium.

Quis in vobis annuntiet istud?] Quis est ex Gentibus qui vobis possit dicere, quis & quo nomine futurus sit qui populum meum sit liberaturus: quod ego dicam per Esaiam.

Et quæ prima sunt audire nos faciet] Dicat saltem illa quæ proximè futura sunt. Vide suprà XLI. 22.

Dent testes eorum] Producant nobis testes idoneos de divinitate eorum quos colunt.

Et justificentur] Id est, Si id præstare possunt, justa illorum causa pronuntiabitur. Confer quod suprà XLI. 26.

Et audiant] Deinde audiant testes meæ partis.

Et dicant, Verè] Id est, cogentur dicere à me stare veritatem.

10. *Vos testes mei, dicit Dominus*] Qui ista ex Esaia audistis & audietis.

Et servus meus quem elegi] Esaias, ut suprà XLII. 1. Testis & dicendo palàm, & scribendo, & scriptum consignando.

Quia ego ipse sum] Nempe *Deus.*

12. *Ego annuntiavi*] Prædixi salutem vestram.

Et salvavi] Et præstiti ut prædixeram.

Auditum feci, & non in vobis alius] Est & hîc transpositio. Sensus est: Ego, non autem aliquis deorum extraneorum, effeci ut hæc vaticinia apud vos tanto antè audirentur.

Et ego Deus] *Me esse Deum.*

13. *Operabor, & quis avertet illud?*] Quis obstabit si quid facere velim? Vide suprà XIV. 27.

14. *Misi in Babylonem*] *Mittam adversùs Babylonem*, hostes scilicet.

Et detraxi vectes universos] Meliùs vertas, *Et faciam ut illi omnes fugiendo descendant.* Faciam ut Babylonii fugâ abeant ad Borsippa. Vide locum Berosi, quem adduximus libro tertio Testimoniorum pro Veritate Religionis Christianæ.

Et Chaldæos] ו [*&*] hic est *nempe.*

In navibus suis gloriantes] Meliùs, *Ad naves erit clamor eorum.* Alii alios hortabuntur, ut in naves se conferant ad fugam.

15. *Creans Israël*] Vide suprà 7.

16. *Qui dedit in mari viam*] In mari Rubro, ut suprà 2.

Et in aquis torrentibus semitam] Per Jordanem.

17. *Qui eduxit quadrigam, & equum, agmen & robustum*] E terra in mare perduxit Ægyptios curribus & equis validos. Vide Exod. XV. 1. 4. 19.

Simul

Simul obdormierunt, nec resurgent] Quasi dicat illis:

Nox est perpetua una dormienda.

Contriti sunt quasi linum, & exstincti sunt] *Linum* notat Ægyptum.

18. *Nè memineritis priorum, & antiqua nè intueamini*] Quasi dicat, Nihil opus me vetera revolvere. Satis erit novorum beneficiorum unde cognoscar.

19. *Ponam in deserto viam*] Facilem ac planam sine offensis: plerumque enim in desertis loca sunt confragosa. Simile suprà XI. 16.

Et in invio flumina] In locis siticulosis. Confer suprà XLI. 17.

20. *Glorificabit me bestia agri, dracones & struthiones*] His figuris feras gentes denotat.

Ut darem potum populo meo] Id est, solatium.

21. *Populum istum formavi mihi*] Formabo istos reduces.

22. *Non me invocasti Jacob*] Causas reddit Deus deportationis populi: defectionem à Lege, cujus initium per Manassem. Vide 2 Reg. XXI. 9.

Nec laborasti in me, Israël] Rectiùs vertas, *Imò tædio fuisti mihi, Israël*: ut infrà 24. יגע κοπoῦν [*molestias exhibere*] vertitur Ecclesiastæ X. 15. & παροξύνειν [*exasperare*] Malachiæ II. 17.

23. *Non obtulisti mihi arietem holocausti tui*] Non mihi, sed Baali & Molocho, astrisque aliis. Vide dictum jam locum.

Non te servire feci in oblatione, nec laborem tibi præbui in thure] Ego tibi sumtui non fui, sed dii tui imaginarii.

24. *Non emisti mihi argento calamum*] Ad suffitum.

Et adipe victimarum tuarum non inebriasti] Non oblectasti me.

Verumtamen] *Contrà.*

Servire me fecisti in peccatis tuis] Tam gravia mihi sunt peccata tua quàm servitus durissima homini eam servienti.

25. *Ego sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me*] Ex mea bonitate pœnitentiâ vestrâ contentus, priorum non recordabor.

26. *Reduc me in memoriam*] Narra mihi quæ feceris, & quæ passus sis, ut videamus; quæ pertulisti, jure an injuriâ pertuleris.

Et judicemur simul] Super ista calamitate vestra.

Narra si quid habes, ut justificeris] Si quid habes quo speres te posse ostendere immeritò tibi hæc evenire.

27. *Pater tuus primus peccavit*] Manasses. Reges enim *patres* populorum.

Et interpretes tui prævaricati sunt in me] Sacerdotes & Levitæ.

28. *Et contaminavi principes sanctos*] In Hebræo, *sanctitatis.* Feci ut à profana plebe non distinguantur Pontifices ipsi: quia vivendum habent sine Templo, sine victimis, sine habitu sacerdotali. Loquitur hæc Deus quasi in ipso tempore captivitatis.

Dedi ad internecionem Jacob] Judæos plurimos occidit Nabuchodonosor. Vide II Reg. XXV. 6. 21.

Et Israël in blasphemiam] *Opprobriis*, id est, servituti exposui Israëlis posteros, nempe Hierosolymitas, & alios quos deportavit Nabuzaradan.

CAP. XLIV.

MUNSTERUS.

2. RECtissime] Per ישרון Hebræi communiter intelligunt ישראל, quòd rectus esse debeat. De quo & in cantico Deut. 32. diximus.

5. *Domini ego sum*] Sensus est, Ubique per orbem erunt homines qui de Christiano nomine gloriabuntur, & de numero filiorum Abrahæ & Jacob se esse gaudebunt, etiamsi ex Gentilibus parentibus nati fuerint.

12. *Operatur cum ea*] Vel sic, efficit eam magno sudore & labore, ut cum ea lignum paret unde idolum prodeat.

13. *Cum creta*] Kimhi exponit שרד pro חוט הצבע *filo in colore tincto*, cum quo signatur lignum, ut appareat artifici quæ pars ligni sit resecanda, & quæ pro simulacro relinquenda.

20. *Pascit cinerem*] *Pascere cinerem* idem est quod *pascere ventum*, h. e. rem vanam & inutilem facere. Locus communis est in isto capite de Idolis, Omnia idola vana esse. Nam non habent vitam in se, nec quicquam possunt; ergò non sunt reverenda.

26. *Inhabitabitur*] Est hic תושב de conjugatione passiva Hiphil à radice ישב.

27. *Ad profunditatem*] Per *profunditatem* Hebræi post Chaldæum Interpretem intelligunt בבל *Babyloniam*, quòd plena sit aquis & in profunda locetur valle.

28. *Pastor meus est*] Ducens scilicet populum meum sicut pastor oves, & reducens in Jerusalem.

VATABLUS.

1. ET *nunc* ועתה] *Nunc tamen.* Alii, *Nunc igitur.*

5. *Invocabit in nomine* יקרא בשם] *Vocabit se de nomine*, i. dicet se de congregatione Israelitarum. Simile suprà 41. 25.

7. *Vocet* יקרא] i. Clarâ & altâ voce dicat ac narret. ¶ *Populum mundi* עם עולם] *Populum seculi*, i. ab eo tempore quo creavi hominem in terra: q. d. *post homines natos.* ¶ *Illis* למו] i. Suis cultoribus.

8. *Ex eo tempore* מאז] *Extunc*: i. priùs quàm acciderint. ¶ *Indicavi tibi* השמעתיך] Ad verb. *audire te feci*, ut suprà 41. 22, 26. & 43. 9. ¶ *Itaque vos testes* ואתם עדי] Vide c. 43. 10, 12. ¶ *Fortis* צור] *Deus*: i. qui se dicat Deum.

9. *Fictores* יצרי] *Artifices.* ¶ *Et concupiscibilia eorum* וחמודיהם] *Et desiderabilia eorum*: i. quæ maximè amant, nempe sculptilia. ¶ *Et testes eorum ipsi* ועדיהם המה] *Testes autem sui sunt ipsa*: i. testantur se esse vanitatem. ¶ *Vident, neque cognoscunt* יראו ובל ידעו] Fut. Heb. pro præs. ¶ *Ut pudore afficiantur* למען יבשו] Sub. *cultores eorum, hoc dico.* Alii vertunt, *ideóque confundentur.*

10. *Quis formavit Deum*, &c. מי יצר אל וגו'] *Quis* unquam nisi stolidus *finxit Deum aliquem, aut sculptile conflavit, ut non prosit?* Alii, *Quis formator Dei & sculptilis conflator, quod nullam ad rem usui est?* Alii, *Quis igitur formare audet Deum, & sculptile conflare quod nihil prodest?* vel, *nullam utilitatem affert?*

11. *Socii ejus* חבריו] Sub. *artificis.*

12. *Dolabram* מעצד] *Asciam.* Alii, *securim.* ¶ *Figuret illud* יצרהו] *Fingat illud*, sub. *sculptile faber lignarius*: vel, *formet.* ¶ *Brachio fortitudinis suæ* בזרוע כחו] i. Totis viribus suis. ¶ *Ità ut deficiant vires* ואין כח] Ad verb. *& non vires.* ¶ *Et lassus sit* וייעף] *Et siti conficiatur.*

13. *Lineam* קו] *Normam.* Alii, *filum.* Alii *regulam.* ¶ *Delineabit* יתארהו] *Designabit*: *figurabit.* Quidam verba hujus versûs & sequentium usque ad 18. vertunt per præsens, *effigiem ei adhibet.* ¶ *Filo phœniceo* בשרד] *Filo tincto rubricâ.* Quidam vertunt *in runcina.* ¶ *Dolabris* במקצעות] *Asciis.* ¶ *Juxta gloriam hominis* כתפארת אדם] i. Dat illi effigiem humanam elegantissimam, ut reponat illud in æde.

14. *Et roborabit se* ut quærat meliora, &c. ויאמץ לו בעצי יער] Hebraismus, acsi dicas, *magno studio, curâ & diligentiâ deliget sibi optimam materiam ex lignis silvestribus.*

16. *Et ex altera parte ejus carnes* על חציו בשר] Ad verb. *& super dimidium ejus carnes.*

17. *Ex reliqua*, &c. ושאריתו לאל וגו'] Ad verb. *Et residuum ejus in Deum facit, in sculptile suum.*

19. *Dimidium ejus* חציו] *Alteram partem illius*: vel, *Partem ejus.*

20. *Pascit cinerem* רועה אפר] Hebræi dicunt *Pascere cinerem*, ut & apud Oseam 12. 2. *pascere ventum*: q. d. Quicunque facit sculptile, in vanum laborat. ¶ *Et non liberabit animam suam* ולא יציל את נפשו] *Ut non liberet animam suam, neque dicat.* ¶ *Mendacium* est, &c. שקר בימיני] i. Frustrà laboravi cùm feci simulacrum.

21. *Nè obliviscaris mei* לא תנשני] *Non traderis oblivioni à me*: ut sit affixum pro separato.

23. *Laudate* רנו] *Exclamate. Vociferamini. Attollite vocem.* ¶ *Fecit* עשה] Sub. *bona Israeli*: beneficiis affecit Israelem, adimplevit promissiones quas pollicitus illi fuerat. ¶ *Edite, montes, clamorem* פצחו הרים רנה] Sub. *plenum lætitia*, i. jucundum & lætum. Alii, *erumpite, montes, in laudem.* ¶ *Glorificabitur* יתפאר] *Glorificabit sese*: q. d. redimendo Israelem pariet sibi gloriam & honorem. Alii vertunt, *gloriabitur*: *gloriatus est.*

24. *Meâ potentiâ* מאתי] Ad verb. *à meipso.* Legitur & מי אתי *quis mecum?* i. quis me juvit in condendo mundo?

25. *Mendacium* בדים] i. Astrologorum. Quidam vertunt *divinatorum.* ¶ *Et divinos insanire facit* וקסמים יהולל] *Et ariolos dementat*: Fut. Heb. pro præs.

26. *Suscitat* מקים] i. Stabilit & confirmat. ¶ *Ad Jerusalaim*, &c. לירושלם תושב וגו'] *De Jerusalaim, Habitabitur; & de urbibus Judah, Ædificabuntur: desolationésque illius excitabo*, i. instaurabo. Sic v. 28.

28. *Ipsi Jerusalaim, Ædificaberis*, &c. לירושלם וגו'] *De Jerusalaim, Ædificabitur.* Vide v. 26.

CASTALIO.

7. **F**Utura venturáque indicet] Heb. *Sibi indicent*, numero plurali, quæ numeri mutatio in Hebræa lingua frequenter occurrit. Quòd autem additur vox *sibi*, ea supervacua est etiam in plurali, ut in singulari fieri docuimus in Mose. Atque ità ponitur Psal. 80. ubi sic legitur ad verbum, *Tu nos finitimis certamen exposuisti, & hostes nostri derident sibi*, h. e. derident: quod Gallicè sic exprimitur, *S'en mocquent.*

19. *Ex reliquo feci nefas*] Nefarium simulacrum.

20. *Cinerem pascit*] Frustrà laborat. ¶ *Se falsò agere*] Heb. *Se habere falsum in dextera.* Quoniam autem manu agunt homines, præsertim dexterâ, fit ut *manus* aut *dextera* pro *actione* dicatur. *Falsum* autem apud Hebræos pro *injusto* ponitur, sicut *verum* pro *justo*, de quo vide in Psal. 7.

23. *Exclamate, ima terrarum*] Terra, quæ infima est.

CLARIUS.

2. **A**B utero auxiliator tuus] Jacob tenentem plantam fratris Esau in utero matris adjuvit. ¶ *Rectissime*] Qui rectus esse debes.

5. *Domini ego sum*] Ubique, inquit, erunt per orbem homines qui de Christiano nomine gloriabuntur, & de numero filiorum Abrahæ & Jacob se esse gaudebunt, etiam si ex Gentilibus parentibus nati fuerint. ¶ *Scribet manu suâ*] Testabitur manu se esse Dei.

7. *Voces*] Supple *quod præteriit, & superiora illa atque antiqua.* ¶ *Populum antiquum*] Alius vertit *sempiternum:* & intelligunt Hebræi Angelos & Stellas, quorum duratio sempiterna. ¶ *Ventura, & quæ futura sunt*] *Ventura* de propinquis; *futura*, quæ multò pòst.

8. *Ex tunc*] Multò antè quàm evenerunt.

10. *Quis formavit Deum*] Admirantis est.

11. *Pavebunt*] *Primus* enim, ait quidam, *in orbe Deos fecit timor.*

18. *Obliti enim sunt*] Verbum est ab *oblino*, non ab *obliviscor.*

20. *Pars ejus cinis est*] Heb. *Pascit cinerem*; quod idem esse volunt quod *pascere ventum:* h. e. Rem vanam & inutilem facere.

24. *Extendens cœlos solus*] Et hic colligitur, non fuisse Angelis demandatam corporalium rerum creationem. Colligitur &, Angelos non ante Cœlum & Terram creatos.

27. *Qui dico profundo*] Hebræi post Chaldæum Int. intelligunt Babyloniam, quòd plena sit aquis, & in profunda locetur valle.

28. *Pastor meus es*] *Dico*, inquit, *Cyro, Pastor meus es*, ducens scilicet populum meum sicut pastor oves, & reducens in Jerusalem. Conciliavit autem Judæis magnum favorem, fuisse de eo scriptum in libris ipsorum. Hujus mentionem etiam exteri Historici fecerunt, nempe Xenophon, Justinus, Herodotus, & antiquissimi quique. Babyloniam & Lydiam subegit, insuper Ægyptum & Æthiopiam usque ad Sabaim, qui sunt ultra Æthiopes.

FORERIUS.

1. **E**T nunc] Veros Israelitas iterum consolatur, ostendens ex eis quæ inter eos per Christum facturus sit se solum verum Deum esse, ut nullius alterius rationem habeant. Ex beneficiis etiam jam olim acceptis fiduciam spémque confirmat, nè se omnino delendos putent, sed multiplicationem exspectent, videlicet per Gentium conversionem. ¶ *Audi, Jacob*] Ità alloquimur flentes, & querimonias eorum interrumpimus, dum filios aut amicos consolamur.

2. *Ab utero auxiliator tuus*] Ad verb. *Ab utero auxiliabitur tibi.* Quam formam rectè Vulgatus vertit, i. qui tibi auxilio semper fuit. *Ab utero* enim usurpant passim Hebræi sicut Latini *ab incunabulis.* Quando enim non expertus est Israel bonitatem Dei erga se, ab eo tempore quo cœpit peregrinari in terra Chanaan & in Ægypto? Hæc præmittit nè animum despondeant, imò credant quòd non abjecturus sit Dominus populum suum, cujus *dona sunt sine pœnitentia.* ¶ *Rectissime*] Variant omnino Interpretes Hebræi, Græci & Latini in voce Hebræa ישרון. Volunt tamen plerique ex Hebræis ut sit à verbo ישר *rectum fuit*, significétque Israelem à *rectitudine.* Hos secutus Vulgatus *rectissimum* vertit Deut. 33. sicut etiam hoc loco: in quibus locis Chaldæus *Israelem* ponit: at Deut. 32. *dilectum* Vertit Vulg. *Incrassatus est dilectus*, nimirum secutus Græcos, qui ἠγαπημένον verterunt. Neque dubium quin Israelem significet: at rationem nominis invenire non ità facile fuerit. Ego certè: cùm videam שור *taurum* significare, consentientibus ipsis quoque Hebræis, puto ישרון parùm significatione differre, esséque velut denominativum ab eo, ac primævâ significatione notare *taurum ducem*, qui in armento præcedit veluti dux. Unde sumptâ Metaphorâ nos Lusitani primogenitum & qui majorem partem hereditatis accipit *Morgado* appellamus, i. qui major est, seu qui cæteros fratres veluti dux præcedit. Est enim pater in domo veluti pastor; primogenitus autem, veluti dux gregis. Cùm igitur Dominus Israelem *suum primogenitum* appellet, hoc nomine meritò appellatur, quòd in hac magna Dei domo inter cæteros populos primum sibi locum vendicaret. A *præeundo* itaque hoc nomen dicitur. Quòd autem hæc sit nominis significatio, confirmant cognatæ dictionés, & locus ille Deut. 32. *Incrassatus est Jessurun, & recalcitravit impinguatus & adipe obductus*, &c. Ubi Israel inducitur veluti Taurus, &c. Hinc quoque Deut. 33. Joseph comparatur *tauro pulcerrimo*, & familiæ & cognationes Israel dicuntur אלפי. Meâ itaque sententiâ neque שור *bovem* simpliciter significat, sed *præcipuum bovem* seu *taurum*, à *præeundo:* similiter & ישרון *eum qui præeminet, præcedit, & veluti dux armento præest, cæteris major.* Quoniam autem primogeniti solent esse magis dilecti, non mirum si animadvertentes Græci ex contextu esse nomen dignitatis ac favoris, *dilectum* verterint etiam hoc loco.

3. *Effundam*, &c.] Quod in priori parte versûs obscuriùs sub nominibus *aquarum* & *scaturiginum, sitientis* & *ariditatis* dixerat, in posteriori nonnihil apertiùs effert nominibus *Spiritûs* & *benedictionis, seminis* & *progerminationum.* Promissione itaque *Spiritûs S.* largiter *effundendi* super Israelitas solatur ipsos Deus. Ex illa namque effusione divites facti Discipuli Domini replerunt orbem Divino semine, & innumerabiles fratres secum adduxerunt in sinum Abrahæ. *Non enim qui secundùm carnem nati sunt censentur in semine, sed qui ex promissione.* Ubi animadverte Spiritum S. ejúsque dona *aquis* & *fluentis* comparari, ut sæpe aliàs in Scripturis; collationem autem donorum, *effusioni*; nimirum ut copiam & abundantiam seu, ut Paulus loquitur, *divitias* bonitatis Dei illis collatas intelligamus. Et quidem si nesciremus Spiritûs S. virtutem esse infinitam, ex hujusmodi locutionibus illam exhaustam fuisse posset quispiam suspicari: id enim sonant *effusiones*, præsertim *aquarum:* Nullius enim alterius rei largiores sunt; nam sine invidia & sensu ullo doloris aut commiserationis fieri solent. Unde ut omnino virtutem suam prostratam, séque omnibus modis miserum & omni aliorum commiseratione destitutum significaret David, dicebat, *Sicut aqua effusus sum.* Ergò effusam abunde in Discipulos Domini Divinam gratiam hæc notant. Hic quoque animadverte, populum Israelem eo potissimùm tempore quo scelera & impietas prævaluerant, & omnia infidelitas devastasse videbatur, *terræ sitienti & arenti* comparari, quæ horrida est, nihilque fructûs aut viriditatis habet. Similes etiam sunt omnes qui in Deum sunt impii. Sed quid si adveniat Spiritus de excelso?

4. *Et germinabunt*, &c.] Quod aquæ *herbis* & arboribus præsertim *Salicibus*, quæ aquis gaudent & brevi tempore ramos oblongos emittunt, conferunt, hoc Spiritus S. contulit Discipulis Domini. Quare cæteris omnibus Judæis eminentiores effecti, imò omnibus qui eos præcesserunt, non minùs quàm arbores *herbis* & *fœno*, toti mundo vigorem suum & gratiam impertierunt.

5. *Iste dicet*, &c.] De conversione Gentium est sermo, quæ in Israelem transierunt. Istæ sunt *progerminationes* Apostolorum, videlicet ut isti dicant *se ad Jehova pertinere*, neque alium Deum velle colere quàm quem colunt Israelitæ; illi se *Israelitas* & ex *Jacob* prognatos esse profiteantur, nempe religione ac fide, séque esse filios Patriarcharum & sanctorum Patrum, quorum fidem sectantur, &c. ¶ *Vocabit in nomine Jacob*] יקרא cum punctorum notis passivis legendum puto, *vocabitur cum nomine* (vel *in nomine*) *Jacob*, vel *vocabit in nomine Jacob*, i. prædicabit, ut suprà 41. ¶ *Scribet manu suâ Domino*] i. Scripto profitebitur se ad Jehova pertinere: repetendum enim videtur pronomen quod præcessit. אני, *Ipsi Jehova ego:* hoc scilicet scribet: quasi sit allusio ad consuetudinem militum, qui profitentur, suúmque nomen apponunt, & jurejurando se suámque fidem & operam Imperatori seu Duci addicunt. Quam consuetudinem olim servasse Ecclesiam legimus, dicebantúrque qui Baptisma sacrum suscipiebant, *nomen*

dare

dare Christo, in cujus militiam transibunt. ¶ *Assimilabitur*] כנה *cognominabit*, *denominabit*: passivè accipiendum puto. Vide cap. 45. 4. Vel reddendum *cognominabit se*. Vides Israelis totam consolationem hâc unâ promissione circumscribi, quòd multi hinc & indè ad Israelem convenient, & ad Deum pertinebunt? Vides nihil aliud hîc promitti quàm Spiritûs S. dona, quibus donati nonnulli Israelitæ vastationem Israelis instaurent & satis digne compensent? Nullus hîc tumultus bellicus, nullæ sanguinolentæ victoriæ audiuntur; *germinationes* tantùm veluti arborum, *effusiones Spiritûs* veluti *aquarum* legis. Desinant cœci Judæi seipsos decipere, & redemptione spiritali contenti sint, quâ unâ felices sunt homines: quo uno alios Deos prædicat se antecedere in sequentibus. Cujus solius felicitatis me suprema illa Bonitas participem faciat.

6. Cùm totam consolationem populi Israelis effusione Spiritûs S. circumscripsisset, quâ, si veritatem attendas, nihil optabilius mortalibus posset accidere; si verò vulgi opinionem, non multùm se felices fore arbitrari possent; necessarium fuit & promissionem amplificare cùm ex parte promittentis tum maximè ex ipsius rei natura. Et primò quidem ostendit hanc esse Dei veri promissionem à quo exspectabant Redemptionem: ergò, cùm Deus sit verax, hoc redemptionis genere sibi esse satisfactum, & fidem suam Deum liberasse. Deinde ver. 22. rem ipsam dilucidiùs aperit, & redemptione à peccatis contentos esse debere proclamat. ¶ *Rex Israel*] Messias ille quem venturum exspectatis, in cujus Regno vos beatos fore prædicatis, is, inquam, qui novit quale futurum sit suum Regnum ipsius. ¶ *Redemptor ejus*] Qui tanquam frater aut propinquus alienatos vos à Deo vindicabit sibi, & in libertatem vos reducet. Ille ipse Judex, Redemptor & Assertor libertatis vestræ, Cognatus vester, Deus, Homo ex semine David, is, inquam, hujusmodi consolationem in tanta hac rerum vestrarum deploratione, non aliam, vobis promittit. ¶ *Dominus exercituum*] *Jehova tcebaoth*, i. qui naturâ Deus est in cœlo, & in terra potentissimus. Nè videlicet putetis idcirco hujusmodi vobis consolationem, libertatem & felicitatem promitti quòd alterius generis consolationem, libertatem seu felicitatem dare non posset. ¶ *Ego primus*, &c.] i. Qui sum, qui semper fui, & ero; Idem qui ab æterno & in æternum ero; Cujus sunt illæ magnificæ promissiones factæ Patribus, qui in novissimis diebus eas adimplebo: ille ergò in vos bonus, ille qui omnia potest, ille qui *fidelis est & seipsum negare non potest*, bono animo vos esse jubet in hac tanta calamitate, vel hâc unâ re, quòd Spiritum suum super nonnullos ex vobis impertiet abundéque diffundet per JESUM Christum Salvatorem. Quòd si felicitatem hanc præter dignitatem Dei esse putatis, neque dignam esse hanc redemptionem quæ tot retro seculis amplissimis nominibus decantaretur à Prophetis, optaretur à Patribus, & à Deo exspectaretur, eja agite.

7. *Quis similis mei?*] Hæc ità accipi possunt ut jam dixi. Possumus quoque aliter interpretari, nempe, quòd cùm magnificam *effusionem Spiritûs S.* promisisset, velit Deus per Prophetam in considerationem tantæ beneficentiæ Israelem revocare, ut Deum admirentur ex tam divino munere: & illud, *Sic dixit Dominus*, referatur ad hunc versum 7. q. d. *Postquam ità futurum est ut Spiritus effundatur super semen vestrum*, &c. *quis jam similis mei dici queat?* ut sint gloriantis verba, sicut infrà, cùm v. 22. remissionem peccatorum promisisset, mox versu seq. cœlos ad laudandum Deum provocat, &c. Hinc habes, quantum opus sit à Deo peccata hominibus remitti, & quàm Deo dignum: ut vel ex hoc Divinitas possit agnosci. ¶ *Vocet*] Quamvis קרא verbo *vocandi* reddi debeat, interdum tamen commodiùs aliis verbis redditur, ut *prædicandi* seu *clarâ voce pronunciandi*: *Pronunciet*, inquit, *quispiam & annunciet illud*, i. hoc ipsum, nempe *an sit aliquis mei similis.* Vulgatus relativum omisit, ut manifestior esset oratio. ¶ *Et ordine exponat mihi*] De verbo ערך suprà cap. 40. dictum est: éstque *ordine collocare* seu *disponere*: quod quando fit ut res inter sese conferantur, verbo *æquandi* reddi potest: collocatis enim rebus, & juxta se vel è regione congruè dispositis, oritur collatio, fitque comparatio. Quare hoc loco, etiamsi cum Vulgato reddere possem, ut tamen hunc alterum sensum demonstrarem, verbo *æquandi*, i. comparandi, reddidi: *Indicet*, inquit, *an aliqua sit res mei similis: conferat eam mihi.* ¶ *Ex quo constitui populum*] Pronomen *mihi* redundat in nonnullis cod. Latinis. Hebraismus habet *ex constituere me*, vel *meo*; quem doctè Vulg. mollivit. ¶ *Antiquum*] Vel *seculi*, i. ex quo gentes in mundo creavi, posui atque constitui. ¶ *Annuncient*] Verbum plurale est sine antecedente. Sed cùm sermo præcesserit de diis Gentium, quos occultè notabat cùm diceret ut *aliquem similem nominarem*, numerum Prophetico more mutavit, & antecedens supplendum omisit: *Annuncient*, inquit, *hominibus*, *ex quo mundus constitutus est quæ jam jam eminebant*, *aut post longum tempus futura*, q. d. *Aliquâne ætate à mundo condito annunciaverunt idola cultoribus suis quæ nondum erant? quis ergò similis mei?* Ex quibus habemus, futurorum contingentium cognitionem aut Dei esse aut ex ipsius revelatione.

8. *Nolite timere*, &c.] Cùm idololatræ omnia vastassent in Regno Israelis, occasio dabatur infirmis ut à diis Gentium timerent. Talia etiam patiebatur Israel ex quibus non levis conjectura oriebatur actum esse de Israele. Idcirco inquit, *Ne expavescatis.* Nónne jam olim ab orbe condito & singulis penè ætatibus significavi vobis hoc quod novissimis temporibus fieri videtis? Nonne desperatis rebus adventurum pollicitus sum qui omnia instauraret, scelera ob quæ puniebamini auferret? Nónne jam olim me solum verum esse Deum experti estis? *Vos ipsi estis testes.* Plenæ sunt vestræ ipsorum Scripturæ: quid igitur nunc timetis? ¶ *Et formator*] Videntur Vulgatus & alii Interpretes nonnulli legisse יצר ubi nunc habemus צור, iccirco *formatorem* verterunt. Est autem צור *petra* seu *rupes prærupta.* Verùm quia hujusmodi refugia non pauca habebat Palæstina, ut est videre in libris Regum & in profanis etiam Historiis, hoc nomine pro *refugio*, *protectione* seu *fiducia* abutebantur Judæi: imò & Deo ipsi non raró tribuitur, ut Deut. 32. habetur ter in Cantico, ubi Vulg. *Dominum* dixit seu *Deum*, & 1 Reg. 2. reddidit nomine *fortis*, *Non est fortis sicut Deus noster.* Ità hîc accipitur pro *Deo.* Estque idem bis positum, Scripturæ more, *Estne Deus præter me*, *aut Deus qui mihi sit incognitus?* Possumus quoque reddere, *& vos testes mei estis*, *num sit Deus præter me*, &c.

9. *Plastæ*] Seu *fictores*, *formatores.* ¶ *Nihil*] Hîc est illa vox THOU, quam non semel dictum est propriè id significare *quod indigestum & inordinatum est.* *Inane* Vulgatus initio Genesis & aliis locis non malè vertit. Est autem occulta Antithesis, neque inelegans; *Fictores figuram seu formam idolis dare conantur*, *illi verò ipsi formâ figurâque carent*, *suntque ipsa prorsus inanitas: nullius enim rei nomine digni sunt qui sic desipuerunt ut manibus suis se formare deos arbitrentur.* ¶ *Amantissima*] Vel *pretiosa.* Vox pro auro & argento & lapidibus pretiosis quibus idola ornabant accipitur. ¶ *Non proderunt*] *Eis* addidit de suo Interpres ad dilucidationem. Verbum יעל etiam Abac. 2. de *sculptili* dicitur, & Prov. 11. de *thesauris improbitatis.* Propheta itaque idola non solùm *non afferre utilitatem* notat, sed etiam quando maximè ope indigemus non juvare: id quod irridendo objicit Moses, *Surgant*, *opitulentur vobis*, *& in necessitate vos protegant.* ¶ *Quia non vident*] Particulam *quia* supplevit Vulg. & sensus planus est: *Ipsi sunt testes quòd idola non videant*, *neque quidquam norint: ut vel ex hoc pudefieri deberent.* Non additâ autem particulâ *quia*, sic possunt hæc accipi, *Non opem ferre possunt idola: cujus rei ipsi luculentissimi testes sunt. Hoc tamen non vident neque norunt*, *huic rei nolunt attendere*, *ut vel sic pudefiant & idolorum cultum deserant.*

10. *Quis formavit*, &c.] Quàm vana sint Idola ostendit, ut fateamur nullum esse Deum qui possit cum Deo comparari, à quo est redemptio & peccatorum remissio. In quo argumento ideo tam multus est quia in universo orbe obtinuerat idolorum cultus. Hâc autem percunctatione præstringit omnes idolorum cultores, ut prodeant, & manifestè erroris & insipientiæ suæ convincantur.

11. *Fabri enim*, &c.] Vulg. Vau pro Rationali particula ut interdum solet, accipit; neque malè. Quomodo enim non pudefiant *fabri deorum*, si se *ex Adam* seu *ex hominibus esse* vident, & Deum se fabricare conspiciant? Quòd si pro conjunctione capias, dicit tam qui cultuum idolorum participes sunt quàm fabros ipsos non posse non pudefieri si rem attendant. Quare per Hypotyposim rem prout gerebatur exponit.

12. *Faber ferrarius*] Heb. *faber ferri*: Cæterùm nomen, quod sequitur, מעצד, quod *limam* vertit Vulgatus, ipsis Rabinis incertum est quid sit. Quidam enim *dolabram* esse contendunt. Sed quid *fabro ferrario* & *dolabris*? Verùm quod faber lignarius Dolabrâ, hoc ferrarius Limâ facit: ut non malè Vulg. hîc *limam* vertat. At Jer. 10. 3. *asciam* dicit. Alii *forcipem* esse affirmant. Sed hæc significatio loco Jeremiæ non convenit. Non aliis autem locis præterquam in his duobus hæc vox reperitur. Ego tamen, si quid sentio dicendum est, hîc מעצד participium esse existimo verbi quod *polire* seu *complanare* notat, & sic reddendum locum duco, *Faber ferrum polit*, &c. In eo autem Jeremiæ loco manifestum esse nomen instrumenti quod juxta Etymologiam est *dolabra.* Quòd si quis pro instru-

instrumento hoc loco accipiat, *limam* dicat, quæ ferrario est veluti Dolabra, & cum Vulgato vertat. ¶ *Operatus est*] Per verba præsentis reddidi ut planior esset oratio: promiscuè enim interdum præteritis & futuris uti solent pro præsentibus. ¶ *Esuriet, & deficiet*] Exprimit artificum consuetudinem, qui quando cuipiam operi valde intenti sunt, ut opus conficiant, neque cibum neque potum sumunt, etiamsi interdum valde indigeant penéque viribus destituantur: quod illis præsertim evenire solet qui igni & malleis opus conficiunt.

13. *In runcina*] Latinis *runcina* instrumentum fabrile est quam vulgo *Planulam* vocant, quâ fabri assamenta radunt ac poliunt. Vide locum Plinii lib. 16. cap. 42. Ergò Vulg. שרד fabrile instrumentum esse putavit. Rabini nonnulli *rubricam* seu alium colorem esse putant, quo etiam fabri utuntur ad designandum quid incidere quid etiam intactum ab instrumento relinquere debeant. Neque valde abludit verbi significatio: notat enim *residuum esse*: quæ etiam verbi significatio convenit instrumento Runcinæ. ¶ *Angularibus*] A verbo quod *abradere* sign. Levit. 14. est nomen מקצעות *anguli*, fortè quia anguli seu prominentiæ abraduntur. Possumus ergò dicere Prophetam significare quòd in angulis domorum & locis secretis & à tumultu alienis idola fabricarent. Sunt tamen ex Rabinis qui putent esse *instrumentum fabrile quo abraduntur prominentia lignorum*, utpote Dolabram, vel Runcinam, vel quid simile. Sed quia *circini* mox mentio fit, nequaquam absurdum fuerit hìc *angularia* pro altero quodam fabrili instrumento accipere quod anguli similitudinem omnino exprimit, quo etiam ferreo utuntur latomi & lapicidæ, lignarii autem ligneo. ¶ *Speciosum hominem*] Heb. *secundum decorem hominis*, i. speciosum seu decorum hominem. ¶ *Habitantem in domo*] Vel *domi sedentem*: Ironia est.

14. *Succidit cedros*] Heb. *ad abscindendum sibi cedros*: ubi Hebræi supplent verbum *vadit*. Vulg. pro præterito accepit infinitivum; neque malè. Pro præsenti quoque accipere possumus *abscindit*, vel *abscindere sibi solet*, &c. ¶ *Quæ steterat*] Vulgatus Vau pro relativo accepit, ut interdum valet Hebræis, sicut mox in hoc eodem versu, *& pluvia nutriat*, seu *crescere faciat*, quod *magnificare* dicit Hebraismus. Verbum etiam אמץ accepit intransitivè, ut in Kal solet. Sed quia in Piel est transitivum, ut suprà vidimus cap. 35. *Genua labantia surrigite*, & mox sequitur verbum *plantandi*, possumus hic activè accipere, quòd artifex, qui *succidit sibi cedros* ut idola faciat, alias denuo *arbores erigat & plantet*, quas *pluvia nutriat* & ad justam magnitudinem *faciat crescere*, nè desit unquam materia artificibus idolorum. Auget autem indignitatem rei, & hominum vesaniam coarguit tam *succisio* & *plantatio* quàm etiam *nutritio per pluviam* de cœlo, quæ est Dei veri beneficium, quod in hos usus à Deo conferri, ut videlicet eo æmuli suæ Divinitatis nutriantur & crescant, verisimile nequaquam est. Hæc etiam confirmant & hominis industriâ & naturæ beneficio indigere arbores illas ex quibus sint fabricandi dii.

15. *Et facta est hominibus*, &c.] Ad amplificationem vesaniæ hominum etiam hæc faciunt, quòd ex eodem ligno & *ignem* struat *ad calefaciendum*, & *panes coquat*, & *deum faciat quem adoret* & *cui preces fundat*. Idem ferè v. 16, & 17.

16. *Medium ejus combussit igni, & de medio ejus*] Quod secundo loco repetitur *medium* est Hebraismus, & ponitur antecedens loco relativi, q. d. *dimidium ejus combussit igni, super quo etiam carnes comedit*, quod mox exponit. Nota quoque alterum Hebraismum; *Comedere carnes super carbones* est Assare carnes super carbones, & comedere. Unam autem atque eandem medietatem accipio ex qua ignis & super quam assatæ sunt carnes, quia v. 17. mox dicitur,

17. *Reliquum autem ejus fecit deum*] Nisi malis dicere quòd *comedere super dimidium* sit fabricare mensam ex medietate, ut non solùm duas partes fieri ex ligno significet.

18. *Nescierunt*, &c.] Ubi quæ agerent descripsit, in eorum insipientiam manifestè invehitur. ¶ *Obliti enim sunt*] A verbo *oblino* accipiendum est. Vulgatus impersonaliter accepit, ut solent tertiæ personæ in Hebræo: ad verbum enim sic habetur, *Quia oblinit à videndo oculos eorum*. Potest & sic reddi, *Oblinitio* est *ne videant*, &c.

19. *Neque recogitant*] Ego Hebræa ad verbum expressi, nisi quòd verba in præterito posui. Hic vides quòd exigat à nobis Deus pressam considerationem nostrarum actionum. Multi enim ab incepto desisterent, si quid agant, aut quâ ratione moti, quis denique finis & fructus suarum actionum futurus sit, mente volverent, quemadmodum sapiens ille dux abstrahere conabatur Davidem nè juberet numerari populum, *Quid*, inquit, *dominus meus vult in re hujuscemodi?* sic etiam Paulus, *Quem fructum habuistis in illis in quibus nunc erubescitis?* Ergo non consuetudo, non aliorum exempla, non insitæ vulgi opiniones animum auferant, sed actiones hominis mentis consideratio semper comitetur. ¶ *Idolum faciam*] Ego *abominationem* verti, ut nominis propria significatio innotesceret: alioquin Vulgatus rectè vertit; familiare enim est Hebræis *abominationum* nomine idola & Deos Gentium notare. ¶ *Et ante truncum*] Est nomen in Hebræo collectivum, quod *germen* reddere possumus. Job. 40. *Montes germen ferunt ei*. Vocat autem idolum *germen ligni*, quòd instar germinis ex ligno sit fabrefactum, sicut eâdem ratione de idolis dicitur Jer. 10. *Quasi palma dispositio eorum: & tamen non loquuntur*, &c.

20. *Pars ejus cinis*, &c.] Quia aliis punctis nunc legunt Hebræi vocem רעה quàm Vulg. legerit, hìc vertunt *depascens cinerem*, vel *depascitur cinerem*, &c. ut sit simile illi quod Ose. 14. dicitur, *Pascit ventum*, i. frustrà laborat: at Vulg. ה accepit pro relativo, & רע pro nomine ab eodem verbo usitatissimo, i. *amicus*, *sodalis*, *socius*, *familiaris*, &c. Sed quia etiam dicitur de partibus invicem pertinentibus, ut Gen. 15. 10. Vulgatus pro *parte* accepit, neque malè, & verbum substantivum supplevit. Ego quoque hâc eâdem ratione, quam neque ipsi Rabini audebunt infringere, רעה accepi quasi scriptum esset aliis vocalibus, dixi, *Socius cineris* est, quasi dicat de idolo, quòd altera pars illius trunci seu rami in cinerem versa sit: & pro *inclinabit illum* dixi *inclinabit se*: nam relativum indifferens est: éstque sensus planus; quem Hebræi, lectionem Massoritarum secuti, nequaquam assequi potuere: neque longè abest à sensu quem doctus Interpres expressit: cujus in locis difficilioribus semper video prælucere judicium & pietatem; quæ duo in turba Interpretum plerumque desidero. Quòd si cum Hebræis legas, ego certè per eum qui *pascit cinerem* quasi proverbiali formâ Serpentem illum antiquum intelligerem, cui in pœnam datum est ut *pulverem comedat*. Ille ergò est qui *falsum cor inclinat* ad colenda idola, &c. Sed tam hanc interpretationem quàm quas Hebræi afferunt duritie aliquâ non vacare video.

21, 22. *Memento horum, Jacob*] Hactenus insaniam idololatrarum explicavit; & quâ ratione possent ad sanam mentem redire non tacuit: Jam ad *Israelitas* conversus, quos volebat intelligerent solùm ipsum esse Deum, monet *nè* istorum *oblivíscerentur* quæ si Gentes animadverterent, errorem deponerent: proinde se uno Deo contenti, ab ipso pendêre velint tanquam Domino qui & illos initio *creasset*, & tandem à servitute *peccati redimeret*: ob quæ duo beneficia, si saperent, nunquam ab eo recederent. Ut autem à peccatis redemptionem, prout dignum erat, æstimarent, *Cœlos & Terram*, &c. ad laudes Deo decantandas ex abrupto invitat, dicens,

23. *Laudate, cœli*] Non malè etiam sic redderetur, *Congratulamini, Cœli*. Non solent Prophetæ insensibilia corpora ad laudes & congratulationes decantandas invitare, nisi & in maximis rebus, & ex magno animi affectu, quando videlicet vident non sufficere homines ad gratias reddendas, & beneficia omni gratiarum actione esse majora. ¶ *Misericordiam*] Quispiam de suo addidit nomen hoc. Simpliciter enim habetur, *quoniam fecit*: & majorem emphasim habet hæc Reticentia; sicut illic, *Spera in Domino*, *& ipse faciet*. Certè quando sic Scriptura loquitur, aliquod Deo dignum opus fieri designat. Nisi velis ad id quod versu superiori dixerat referre; *quia fecit*, videlicet hoc quod paulò antè dicebam, *delevit transgressiones*, &c. quod mox exponit. ¶ *Quoniam redemit*, &c.] q. d. Has gratiarum actiones, hos triumphos, has & ovationes & congratulationes redemptio à peccatis promeretur. Nè putetis, ô Judæi, rem esse parvi momenti, &c. Huc, ni fallor, referenda sunt omnia hæc, sicut initio capitis hujus diximus: quibus omnino similia sunt quæ sequuntur.

24. *Hæc dicit Dominus*, &c.] Hæc summa est promissionum illius Jehova Creatoris & Redemptoris tui, qui à primis incunabulis tui curam gessit, ex eo videlicet tempore quo Abraham vocavit, Isaac & Jacob per exterorum terras deduxit, patres vestros in Ægypto enutrivit, auxit, atque ex Ægypto liberavit. Huc tendunt promissiones illæ de Redemptore venturo. Hæc sunt illa portenta & præclarissima gesta quæ facturum credis illum Omnipotentem qui omnia ex nihilo condidit, &c. ¶ *Stabiliens terram*] De verbo רקע & *extensione cœlorum* jam suprà dictum ex cap. 42. Gen. 1. Græcos secuti nostri *firmamentum* verterunt nomen רקיע, ideóque & hoc loco verbo *stabiliendi* reddidit V. Interpres. De *terra* item dicitur suprà 42. propter latam & extensam ejus superficiem & immensa terrarum spatia. Neque enim figura rotunda impedit quò minùs Cœlos dicamus *extensos*, aut etiam Terram.

25. *Irri-*

25. *Irrita faciens*] Inter cætera quibus potentiam Dei commendat Propheta, est, quòd *signa* falsorum Prophetarum & *Magorum*, qui magnæ sunt auctoritatis apud exteras nationes, *labefactet* & infringat; qualia sunt Exta animalium, Garritus avium, Somnia, & similia, quæ passim mendacia esse facit. Vocavit autem Prophetas בדים, i. *vectes* (ut quidam vir doctus vult) quia sunt veluti repagula communitatis. Quare sic interpretantur illud Jer. 50. *Gladius ad Badim, & stultescent*: ubi & Vulgatus *divinos* vertit. Ego, etsi fateor interdum Principes & Magistratus בריחים *vectes* in Scripturis vocari, nullibi tamen Prophetas aut divinos *vectes* dici reperio. Nam in his duobus locis *Magos* designari existimo & *eos qui necromantiam exercent*, dictosque BADDIM, q. *solitarios*: hujusmodi enim homines solitudine gaudent, & absque arbitris incantationes suas peragunt. Juxta varias autem species hujus artis varia sunt etiam & signa; quæ omnia *irrita se facere* Dominus affirmat; ut hoc sit quod dicit Jeremias, *Stultescent Baddim Babylonici*. ¶ *Convertens sapientes retrorsum*] Vel quòd non audeant recto vultu stare cùm inania fuisse sua consilia & inanes deliberationes aspiciunt; vel quia, cùm contractum evenit earum rerum quas exspectabant, contrarias quoque cogitationes & contraria consilia inire cogantur. Hoc ferè est quod sequitur, ¶ *Scientiam eorum stultam faciens*] Seu *inconstantem*. Non enim sibi ipsis constant, repugnante Deo; sed quæ paulò antè abjecerunt consilia rursus sequuntur. Sicut autem talem se exhibet impiis, sic qualem sui Deum experiantur jam explicabit. Hujus 25. versus expositionem habes in hoc ipso Propheta infrà 47. 13, & seq.

26. *Suscitans*, &c.] Sicut impiorum *consilia* & *sapientiam labefactat*, ità etiam *verba servorum suorum stabilit & confirmat*. Existimo sanè quòd quando in singulari dixit *verbum servi sui*, de ipso Jesaia intellexit, & de verbo de Jerusalem reædificanda jussu Cyri. Quæ promissio una eadémque est cum ea quæ paulò antè præcessit & toto hoc capite tractatur, nempe Redemptionis à peccato per Christum. Etsi enim materialis illa Jerusalem per Cyrum jussa sit ædificari, & hoc Judæi exspectarent illo tempore quo destructa jacebat, tanquam ingens beneficium, idque hoc loco Jesaias promiserit, illius alterius spiritalis ædificationis per Christum totum hoc typus quidam erat, ut in sequenti capite & aliis apparet. Cùm ergò Coelos & cæteras creaturas ad decantandas Deo laudes ob remissionem peccatorum provocasset, hócque esse opus Dei omnipotentis dixisset atque sapientis, promissionem quoque de reædificanda Jerusalem inserit, ut hanc non corporaliter tantùm sed etiam spiritaliter adimplendam intelligerent auditores. ¶ *Habitaberis*; *Ædificabimini*] Possunt per imperativum verti hæc verba. ¶ *Deserta suscitabo*] Ad verb. *siccitates erigam*, vel *suscitabo*. Hebraismus, ut jam admonui, *arbores* & *ædificia* dicit *excitari* quando succrescunt. Promittitur ergò hic quod loca arida, quæ deserta esse solent, replenda sint arboribus & ædificiis: quod spiritaliter quoque intelligendum est. Meminisse etiam hoc loco oportet interdum etiam desertas civitates Hebræis *exsiccatas* appellari & *siccitates*.

27. *Profundo*] Seu *profunditati*. Certè de Babylone est sermo, per quam fluebant flumina Tigris & Euphrates: quorum cursum avertit Cyrus; ut exsiccato alveo subintrarent milites civitatem. Cùm ergò de reædificanda Jerusalem jussu Cyri ageret, meminit quoque vastationis Babylonis per ipsum Cyrum; per quem Dominus in vindictam eorum quæ Chaldæi adversùs Judæos & Sanctam civitatem & Templum patraverant, Babylonem destruxit. Vide Jer. 50. Ejusdem autem potentiæ erat Babylonem in solitudinem redigere & Jerosolymam reædificare; ejusdémque bonitatis utrumque Judæis nunciare. Certè si seriem totam verborum attendas, ex omnibus beneficiis in Judæos collocatis, tam antiquis quàm novis, intelliges fidem conciliare Prophetam, ut sibi promittenti peccata per Deum delenda crederent, Scis, inquit, quisnam sit qui peccata tua auferat & à peccatis redimat? Ille certè qui te formavit ab utero, qui te ex Ægypto redemit, qui omnia potest; qui sapientissimus est, qui nunc de Jerusalem reædificanda promittit & Babylone evertenda; quique hanc promissionem adimplebit; ut non possis non exspectare illam alteram promissionem, quâ cœlum & terram lætificabit; fore complendam. Atque hanc redemptionem volebat Dominus Judæi magni facerent, cætera autem ad hanc referrent tanquam umbras ad veritatem.

28. *Qui dico Cyro*; *Pastor meus*] i. Qui Cyrum mihi in pastorem instituo, & pastorem atque Regem meum creo. Insignis est hæc Prophetia, in qua nomen ipsum exprimitur illius Persarum Regis qui redire jussit Judæos ex Chaldæa. Hunc *suum Pastorem* appellat Dominus, quòd Cyro usus est tanquam pastore, qui curam haberet ovium suarum, quique per omnia Domini voluntati paruit. Hoc multò antè prædici voluit Judæis ob eas rationes quas suprà commemoravi, & ut in sequentibus aperit, nè alteri Deo liberationem hanc adscriberent, infrà 48. 5.

LUCAS BRUG.

16. ET *de medio ejus carnes comedit: coxit pulmentum, & saturatus est*] Conjunctionem quæ in hujus partis capite est, auferunt antiqui libri: quam etiam Hebræa Chaldæáque transfodiunt. Complures codices cùm Hugone Carensi addunt *coxit &*; *de medio ejus carnes coxit & comedit*: * *coxit* [* & o.] *pulmentum*, &c. Quidam, unus calamo, tres typis exarati, transponunt, *coxit* quod præponitur *pulmento*, & *comedit* quod postponitur *carnibus*, hoc modo, *de medio ejus carnes coxit, comedit pulmentum*. Hinc autem facta est, & illa additio, & hæc transpositio, quòd absurdè dici videretur quenquam de ligno carnes comedere; rectè autem de ligno carnes coquere. Atqui emendatiora exemplaria, cùm nostra, tum Hentenii, Parisiensium, Epanorthotæ & Dominicanorum, scribunt, *De medio ejus carnes comedit*: *coxit pulmentum*, &c. quibus Hieronymi textus, Richelii commentarius, & Hebraici ac Chaldaici libri suffragantur. Richelii commentarius hunc ad modum habet, *Et de medio ejus carnes comedit*, *i. carnes coctas per ignem constructum ex media parte ligni. Vel, de medio cujus carnes comedit, i. unam partem ligni vendidit, & cum pecunia illa carnes emit, & comedit*. Porrò illud *coxit &*, quod multis codicibus additur, sumptum est ex versu hujus captis 19. quo eis quæ hoc versu similia leguntur, inter quæ sunt hæc, *Et coxi super carbones ejus panes: coxi carnes & comedi*. Quo ex loco, longè plura Græcis antigraphis 16 versu adjecta sunt: sic enim habent, pleraque 16 versu, καὶ ἐπὶ τοῦ ἡμίσεως αὐτοῦ " ἔπεψεν ἐν τοῖς ἄνθραξιν ἄρτους, καὶ ἐπ' αὐτοῦ [" ἔπεμψεν o. - R.] κρέας ἔφαγε ὀπτήσας [ὀπτήσας ἔφαγε Vatic.] ὤπτησεν ὀπτὸν [ἐπτὸν R.] καὶ ἐνεπλήσθη, *Et super medio ejus coxit in carbonibus panes, & super illo* [- R.] *carnem comedit postquam coxit*, [*postquam coxit, comedit*, Vatic.] *coxit coctum, & repletus est*. Adjectum est indè in primis illud, ἔπεψεν ἐν τοῖς ἄνθραξιν ἄρτους, additúmque est καὶ ἐπ' αὐτοῦ: ea quæ Complutensis & Regia editiones tollunt. Tum adjectum est indè ὀπτήσας; quod in Vaticano quidem codice ante ἔφαγε scribitur, ut 19 versu; in aliis, pòst. Complutensi & Regiæ editionibus ἑψήσας legitur pro ὀπτήσας. Utrumque significat *coquere*, sed in particulari illud quidem *lixare*, hoc autem *assare*. Quare quod sequitur, ὤπτησεν ὀπτὸν, rectè vertas *assavit assatum*: quo modo recentiores ex Hebræo vertunt, pro eo quod noster dixit *coxit pulmentum*.

* DRUSIUS.

2. וִישֻׁרוּן. Cæteri, εὐθὺς sive εὐθύτατος, *rectus* sive *rectissimus*] Hier. *Alio nomine Israelem vocat* ישרון, *quod cæteri* εὐθύτατον *sive* εὐθὺς, *i.* rectissimum *sive* rectum, *interpretati sunt*.

9. וְעֵדֵיהֶם הֵמָּה בַּל־יִרְאוּ וּבַל־יֵדְעוּ לְמַעַן יֵבֹשׁוּ. Th. καὶ μάρτυρες αὐτῶν εἰσιν· οὐκ ὄψονται καὶ οὐ γνώσονται, ἵνα αἰσχυνθῶσι, *& testes eorum sunt: non videbunt neque cognoscent, ut pudore afficiantur*.

10. מִי־יָצַר אֵל וּפֶסֶל נָסָךְ לְבִלְתִּי הוֹעִיל. Th. Τίς πλάσει ἰσχυρὸν καὶ γλυπτὸν χωνεύσει εἰς ἀνωφελῆ; *Quis fingit Deum fortem, & sculptile fundet ad inutile?*] i. Rem inutilem. Hier. *ad nihil utile*.

11. הֵן כָּל־חֲבֵרָיו. Th. Ἰδοὺ οἱ κοινωνοῦντες αὐτῷ, *Ecce qui communicant ei*] Vel, *cum eo*. Hæc omnia apud Procopium attribuuntur Theodotioni, & signantur asterisco.

13. יְתָאֲרֵהוּ בַשֶּׂרֶד יַעֲשֵׂהוּ בַּמַּקְצֻעוֹת. A. καὶ ἐμόρφωσεν αὐτὸ ἐν παραγραφίδι, ἐποίησεν αὐτὸ ἐν † παραγωνίσκοις, *& formavit illud paragraphidi, fecit illud angulis*] בשרד alii reddunt *filo tincto*, alii *filo phœnicio*, alii *minio*, alii denique *rubricâ*. γραφὶς autem est *stilus*. Et legimus Exod. 32. de Vitulo conflatili, ἔπλασεν αὐτὸ ἐν τῇ γραφίδι· id Latinè vertitur *formavit opere fusorio*. Budæo est *lineamentorum ductus & umbratilis pictura*. Παραγραφὴ verò est *scholion & annotationis signum in margine adscriptum*, unde *Paragraphi Jurisconsultorum*. † i. παραγωνίοις.

14. לִכְרָת־לוֹ אֲרָזִים וַיִּקַּח תִּרְזָה וְאַלּוֹן וַיְאַמֶּץ־לוֹ. Aq. Th. —— ἑαυτῷ κέδρους, καὶ ἔλαβε βάλανον καὶ δρῦν, καὶ ἐκαρτέρησεν αὐτά, —— *sibi cedros, & accepit arborem glandiferam & quercum, & roboravit illud*] Apud Procopium sub asterisco adsignantur Aquilæ & Theodotioni.

15.

15. עָשָׂהוּ פֶסֶל וַיִּסְגָּד לָמוֹ . Th. ἐποίησεν αὐτὸ γλυπτὸν, καὶ ἔκαμπτε αὐτοῖς, *fecit illud sculptile, & incurvavit se illis*] Vel, *flectit se illis*. Apud Procopium notantur asterisco, Theodotioni attributa.

IDEM EX PROCOPIO.

3. כִּי אֶצָּק . A. Sym. Th. ὅτι. — ¶ וּבִרְכָתִי . Sym. Th. καὶ τὴν εὐλογίαν μου *& benedictionem meam*. A. εὐλογίαν μου *benedictionem meam*.

5. יִקְרָא . Sym. κληθήσεται *vocabitur*] i. יִקָּרֵא . aliis apicibus. ¶ יָדוֹ . A. Sym. χεῖρα αὐτοῦ *manum suam*.

8. אַל־תִּפְחֲדוּ וְאַל־תִּרְהוּ . Th. μὴ θαμβεῖσθε, καὶ μὴ πλανᾶσθε, *ne percellamini, & ne erretis*.

12. בַּפֶּחָם . Aq. Sym. Th. ἐν ἄνθραξι *carbonibus*. ¶ וּבַמַּקָּבוֹת יִצְּרֵהוּ . A. καὶ ἐν σφύραις ἔπλασεν αὐτὸ, *& malleis finxit illud*. Sym. καὶ ἐν τερέτρῳ ἐρρύθμισεν αὐτὸ, *& terebro quasi ad numeros efformavit illud*, sive *modulatus est illud*. Th. ῥυθμιεῖ αὐτό. Hoc à ῥυθμίζω, illud à ῥυθμόω quod alibi non facilè invenies. ῥυθμιεῖ potest verti *effinget*; nam ῥυθμίζω, *effingo*. Paulò pòst, ubi Aquila edidit ἐμόρφωσεν, Lxx habent ἐρρύθμισεν. Interpres transfert *aptavit*.

13. יְתָאֲרֵהוּ בַשֶּׂרֶד יַעֲשֵׂהוּ בַּמַּקְצֻעוֹת . A. καὶ ἐμόρφωσεν αὐτὸ ἐν παραγραφίδι, ἐποίησεν αὐτὸ ἐν περιγωνίοις, *& formavit illud stylo* (aut *penicillo*) *fecit illud in angularibus*] Ità Hier. Περιγώνιος *angularis*, idem videlicet cum γωνιαῖος. Quod addendum Lexicis, ut alia infinita vocabula, quæ in illis desiderantur.

14. לִכְרָת־לוֹ אֲרָזִים . A. Th. ἑαυτῷ κέδρους *sibi cedros*. ¶ וַיִּקַּח תִּרְזָה וְאַלּוֹן וַיְאַמֶּץ־לוֹ . A. Th. καὶ ἔλαβεν ὀρεινοβάλανον καὶ δρῦν, καὶ ἐκαρτέρωσεν αὐτῷ, *& accepit glandem agrestem & quercum, & roboravit sibi*] *Glandem*, i. quercum. Id enim βάλανος quandoque significat. Hier. hìc habet *ilicem*. Aristoteli ἄκυλος propriè *ilignam glandem* denotat. Δρῦς ἀγρία exponitur à Junio *robur*, i. durissimæ quercûs genus. Cogitemus amplius. ¶ אֹרֶן . Lxx πίτυν. Hier. *pinus*] Sunt qui *ornum* interpretentur. Vide num pro οἱ ό. legendum sit οἱ γ'. i. A. Sym. Th.

16. יִצְלֶה צָלִי . A. Sym. Th. ὤπτησεν ὀπτὸν *coxit assum*] Hier. *coxit pulmentum*. Santes, *assavit assaturam*.

23. הָרִיעוּ . οἱ λοιποὶ, ἀλαλάξατε *jubilate*. ¶ וּבְיִשְׂרָאֵל יִתְפָּאָר . οἱ λοιποὶ, καὶ ἐν τῷ Ἰσραὴλ δοξασθήσεται, *& in Israële glorificabitur*.

24. עֹשֶׂה כֹּל . Iidem, ὁ ποιήσας πάντα *qui feci omnia*.

28. הָאֹמֵר לְכוֹרֶשׁ רֹעִי . Sym. ὁ λέγων Κύρῳ, Ποιμήν μου, *Qui dicit Cyro, Pastor meus*. ¶ וְהֵיכָל תִּוָּסֵד . Idem, ὁ δὲ ναὸς θεμελιωθήσεται, *Templum autem fundabitur*.

GROTIUS.

1. ET *nunc audi Jacob serve meus*] Alloquitur Deus illos deportatos jam pœnitentiâ ductos peccatorum.

2. *Et rectissime quem elegi*] ישרון, id est, Ἰσραηλίδιον [*Israëlule*], quomodo filiolos alloqui solemus. Vide Deuteron. XXXII. 15.

3. *Effundam enim aquas super sitientem, & fluenta super aridam*] Quid hac Metaphorâ significet statim explicat: *Effundam Spiritum meum super semen tuum*. Dabo ex te Prophetas, Jeremiam, Ezechielem, Aggæum, Zachariam, Malachiam.

Et benedictionem meam super stirpem tuam] Efficiam ut multa tibi sit soboles.

4. *Et germinabunt inter herbas sicut salices inter aquarum rivulos*] Ità eminebunt inter populos

Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

5. *Iste dicet, Domini ego sum*] Quilibet abdicatis idolis Deo serviet.

Et ille vocabit in nomine Jacob] Volet se haberi non tantùm de posteris Jacobi, sed & ejus imitatorem.

Et hic scribet manu suâ Domino] Lxx non malè ἐπιγράψει τῇ χειρὶ αὐτοῦ, Τοῦ Θεοῦ εἰμι [*scribet in manu sua, Dei sum*]. Sicut milites Imperatoris nomen in manu scriptum habebant.

Et in nomine Israël assimilabitur] Cognominabitur ἀληθῶς Ἰσραηλίτης ἐν ᾧ δόλος οὐκ ἔστι [*verè Israëlita in quo dolus non est*], Joh. Euang. I. 47.

6. *Ego primus & ego novissimus*] Vide suprà XLI. 4.

Absque me] In Hebræo, *præter me*.

Non est Deus] Sunt tantùm λεγόμενοι Θεοὶ [*Dii nomine*], ut ait Paulus 1 Corinth. VIII. 5.

7. *Vocet & annuntiet, & ordinem exponat mihi, ex quo constitui populum antiquum*] Ex Hebræo sic vertas: *Quis, ut ego, significat & publicat, idque ordine, sicut ego, qui disposui omnia populo perpetuum duraturo?* Quis illorum qui dicuntur *dii* suis populis omnia eventura suo quoque ordine præsignificat, ut ego ei populo quem mirificis modis conservo?

Ventura] Ex propinquo imminentia. Confer quæ suprà XLI. 22. 23.

Et quæ futura sunt] Multò pòst.

8. *Nolite timere, neque conturbamini*] Hac captivitate.

Ex tunc audire te feci, & annuntiavi] Memento per Esaiam pridem id tibi prædictum. Tela prævisa minùs feriunt.

Vos estis testes mei] Scitis olim hæc præscripta. Suprà XLIII. 10.

9. *Et amantissima eorum non proderunt eis*] Scripsit, ni fallor, Interpres *amatissima*. Sic enim in Hebræo, & in Græco τὰ καταθύμια αὐτῶν [*quæ maximè ipsis cordi sunt*].

Ipsi sunt testes eorum] Ipsi illi formatores optimi testes sunt, unde & quomodo facta sint ista quæ *deos* vocant:

Cùm faber incertus scamnum faceretne Priapum,
Maluit esse deum.

Quia non vident neque intelligunt] Simulacra ista neque sentiendi neque intelligendi instrumenta habent.

Ut confundantur] Quare meritò pudere debeat eos qui talia faciunt & colunt, Psal. XCVII. 7.

10. *Quis formavit Deum?*] Id est, Quis, nisi demens, Deum sibi fabricet?

11. *Fabri enim sunt ex hominibus*] Verte, *falsi præ cæteris*: pudefient scilicet.

Flabunt] Interpres scripsit *stabunt*, ut est in Hebræo, & in Græco συνάτωσαν. Adveniant cuncti illi fabri deorum, & coràm consistant: statim causâ cadent.

12. *Limâ operatus est*] Quod hìc *limam*, id Jeremiæ X. 3. meliùs fortè *asciam* vertit.

Esuriet & deficiet] Id est, nisi cibum habeat, Deus suus ei cibum præbere non poterit, ut ego meis manna præbui. Itaque necesse erit deficiat.

Non bibet aquam, & lassescet] Si non adsit ei aqua quam bibat, Deus suus ipsis eam non dabit, ut ego meis ex rupe. Itaque præ siti deo suo inspectante concidet.

13. *Artifex lignarius extendit normam*] *Lineam*. Nam *norma* est ad quam fiunt angulosa.

Formavit illud in runcina] Meliùs: *Designat illud amussi miniatâ*, μιλτείῳ σάγμαλι [*minio stillante*] in Epigrammate Græcæ.

Quasi speciosum hominem habitantem in domo] Habitaturum in templo, sicut homo dives domi suæ habitat.

14. *Tulit ilicem*] In Hebræo, תרזה, unde Græca vox θύρσος [*thyrsus*].

Et quercum quæ steterat inter ligna saltûs] Rectiùs, *Quæ extulerat se inter arbores silvæ*. ו sæpe habet vim pronominis relativi: ut in eo quod statim sequitur וגשם [*quam pluvia*].

Plantavit pinum] ארן Hebræum videtur potiùs *ornum* significare. *Plantavit*, id est, destituit coram se, ut eam dedolaret, eique formam animo conceptam induceret.

15. *Et facta est hominibus in focum*] Nempe pars quæ dolando decidit. Explicant id sequentia.

Et adoravit] Vox Hebræa, quâ hìc utitur significat προσκυνεῖν [*in terram procumbere*].

Et curvatus est ante illud] *Genua flexit*. Vox est Chaldæa, quam de industria hìc usurpavit Esaias. Usurpant eam eodem sensu & Arabes. Exstat apud Danielem sæpe. Aliarum gentium alii erant ritus in colendis idolis: quorum nullum præterire voluit Esaias.

16. *Et de medio ejus carnes comedit*] Id est, parte alterâ coctas carnes comedit.

Vah] Meliùs vertas *Euge*: est enim lætantis Interjectio, ut Psalm. XXXV. 21.

Vidi focum] Nempe bene lucentem.

17. *Et obsecrat*] Preces allegat imagini. Is est vocis Hebrææ significatus. Heraclitus: ὅμοια, ὡς εἴτις τοῖς δόμοις λεσχηνεύοιτο, ποιέουσιν οἱ προσιόντες ὡς θεοῖς τοῖς ἀψύχοις [*Paria faciunt qui res inanimas tanquam Deos accedunt, ac si verba ad domos facerent*].

18. *Non viderunt, neque intellexerunt*] Ne mica quidem illis restat bonæ mentis.

Obliti enim sunt ne videant oculi eorum] Hoc *oblitii*, quod hìc posuit Interpres, est ab *oblino*, non ab *obliviscor*: ostendit id & Hebræus contextus & Græcus. Græci elegantiores dicerent λημῶσι [*lippiunt*].

19. *Idolum faciam*] Ipsi dicerent *deum*. Sed Esaias more

re suæ gentis dixit βδέλυγμα [*abominationem*], ut hic vertunt Græci. Vide quæ ad Matthæi XXIV. 15.

20. *Pars ejus cinis est*] Legit רביעתו: nam רבע *quartam* propriè, impropriè etiam alias partes significat. Vide Num. XXIII. 13. Græci legerunt רעה [*scientia*]. Videtur lectio recepta non mala hoc sensu, *Pascitur cinere cor deceptum*: id est, re nihili. Quicquid lignum est, cinesieri potest.

Adoravit illud] In Hebræo est: *divertere illum facit*, nempe *à vero*, *cor illud deceptum*, prava scilicet consuetudo.

Et non liberavit animam suam] Ità ut se expedire non posset, illis scilicet idololatriæ vinculis.

Neque dicet] *Neque cogitare.*

Fortè est mendacium in dextera mea] In Hebræo, *Certè falsum est in dextera mea*: id est, id in quo laboro mera deceptio est.

21. *Memento horum Jacob & Israël*] Nempe cùm inter idololatras & sub idololatris vivere cogeris.

Formavi te] Institui.

22. *Delevi ut nubem iniquitates tuas*] Ἀπήλειψα ὡς νεφέλην [*Delevi ut nebulam*], id est, *disparere faciam ut nubem* (aut *nebulam*) *tua crimina.*

Revertere ad me] Id est, si modò te corrigas, & ad mei verum cultum redeas.

Quia redemi te] Meliùs, *Ut redimam te*, ut te ex hac captivitate liberem: nam ad illa tempora, quasi præsentia, dirigitur hic sermo. Sic & in sequentibus pone, *faciet* & *redimet.*

23. *Laudate cæli*] Id est, Angeli.

Jubilate, extrema terræ] *Ima terra.* Plebeji.

Resonate, montes] Summi terrarum, id est, Reges.

Saltus & omne lignum ejus] Principes Regum comites.

24. *Formator tuus ex utero*] Qui ab Abrahami tempore te institui.

25. *Irrita faciens signa divinorum, & ariolos in furorem vertens*] Chaldæos, qui ità artem ex astris divinandi, & quidem sine modò coluêre, ut quod nomen gentis fuerat, factum sit nomen professionis. Vide Ciceronem primo De divinatione, Tacitum Annalium II. III. XII. XIV. XVI. Eodem pertinent quæ sequuntur.

26. *Suscitans verbum servi sui*] Qui ratum faciam Esaiæ vaticinium.

Et consilium nuntiorum suorum complens] Ut Jeremiæ & Ezechielis.

Et deserta ejus suscitabo] Ruinas ejus.

27. *Qui dico profundo, Desolare*] In Hebræo, *Siccator.* Hoc pertinet ad id quod Cyrus fecit ut Babylonem caperet; amnem enim Euphratem diffidit, & parte ejus in lacus abducta, per alveum veterem in Urbem ingressus est. Historia est apud Jeremiam LI. 32. & apud Herodotum.

28. *Qui dico Cyro, Pastor meus es*] Id est, Te pascendo populo meo præfeci. Mirum verò tanto antè tempore, annis antè CCX, ut Josephus putat, nomen hujus Regis hoc loco & aliquot sequentibus apertè enuntiatum, cui simile habes de Josia 1 Reg. XIII. 2. Sed enim qui hæc prædixerat Deus, idem his qui jus habebant dandi nominis eam mentem indidit, ut id nomen, non & aliud darent. Meminit hujus Prophetiæ Cyrus apud Josephum XI. 1.

Qui dico Jerusalem, Ædificaberis] Nehem. I I. Προσωποποιΐα [*persona fictio*].

Et Templo, Fundaberis] Esdræ VII.

CAP. XLV.

MUNSTERUS.

1. MEschiæ suo] h. e. Regi suo. Vocatur autem *Coresch* seu *Cyrus* MESCHIAS & REX DOMINI, quòd ille ordinaverit eum in Regem per quem dispofuerat devastare Regnum Babylonicum, quodque Christi veri Meschiæ typum gereret. ¶ *Lumbos Regum dissolvam*] Hebraismus est pro *enervare*: sicut è contra *accingere lumbos* significat Strenuè & viriliter agere.

4. *Etiamsi non noveris me*] Vel, *antequam tu esses & cognosceres me, ego vocavi te nomine & cognomine tuo* per Prophetas meos, & institui te ut everteres Regna impiorum hominum.

5. *Accingam te*] Ponam balteum in lumbis tuis, & tradam tibi administrationem Regni, antequam cognoscas me.

7. *Formans lucem & tenebras*] h. e. ut ipse exponit, *pacem & malum.* Per *malum*, quod opponitur *paci*, intellige bellum.

8. *Rorate, cæli*] Precatio est illorum qui in captivitate constituti agnoscebant peccata sua, & rogabant Dominum pro sua justitia & liberatione. ¶ Porrò *terra* quæ *sese aperiat* sunt homines suscipientes *justitiam* & *salutem*, quam utramque *Dominus creavit.* Chald. *Cooperientur cæli desuper, & nubes stillent bonitatem; & terra aperiatur, ut reviviscant mortui.*

9. *Testa cum testis terra*] h. e. Qui *testa* est sicut reliquæ *testæ terræ*, & audet *disceptare cum Factore suo.* Nostri hîc ex *testa* fecerunt *figulum*, ex ignorantia Hebrææ Grammaticæ. ¶ *Operi tuo non fuerunt manus adhibitæ*] i. Opus tuum per manus non est factum.

11. *Interrogate me*] De piis hominibus, qui sunt *opus manuum mearum*, *interrogate me* & non idola; & Prophetis *præcipite propter me*, & illi annunciabunt vobis qualia bona facturus sim *filiis meis*, &c.

13. *Excitavi illum*] Loquitur de Cyro.

14. *Super te transibunt*] Beneficium, inquit, illud ostendam populo meo, ut gratis liberetur de captivitate; sicut & aliud eis exhibiturus sum in brevi beneficium, traditurus eis *opes & merces Ægyptiorum & Æthiopum*; de quo & suprà cap. 43. dixit. Nam cùm Sanherib Rex Assur oppugnaret Jerosolymam, distrahebatur per Ægyptios & Æthiopes: & cùm illos vicisset, & bona eorum diripuisset, reversus contra Jerusalem, percussus fuit exercitus ejus ab Angelo unâ nocte, & reliquit Jerosolymitanis omnes opes memoratarum gentium. Unde pro *super te transibunt* poteris legere *ad te transibunt*, *& tui erunt*, scilicet *labores Ægyptiorum*, &c. Et nota quòd affixum in עליך refertur ad *Jerusalem.* ¶ Per *vinctos* intellige *personatos* illos seu magnificos viros quos Rex Assur secum habuit in exercitu, & quos cepit in pugna quam habuit cum Ægyptiis & Æthiopibus.

20. *Qui præcipui estis*] Imitatus sum hoc loco D. Kimhi, qui פליט exponit pro מוח. Aben Ezra exponit pro בבליים *Babyloniis.* ¶ *Qui reverentur*] Alii vertunt, *qui portant*, &c.

23. *Jurabit omnis lingua*] Adjicientur idola, & omnes agnoscent verum Deum, & per illum solum jurabunt.

24. *Usque ad eum perveniet*] Intellige de eo qui habuerit justitiam *Domini* & *fortitudinem* ejus.

VATABLUS.

1. CUjus apprehendi dexteram אשר החזקתי בימינו] Locutio Hebraica, pro, *quem præsenti auxilio meo defendo, guberno, ac confirmo in ea vocatione in qua eum constitui.* Vide simile dicendi genus suprà 42. 6. ¶ *Et lumbos Regum dissolvam* ומתני מלכים אפתח] Etiam Hebraica Phrasis, pro, *faciam ut viribus deficiant & destituantur.*

2. *Concidam* אגדע] Comminuam.

3. Qui sunt in locis *tenebrosis* חושך] Ad verb. *tenebrarum*: i. delitescentes in tenebris. ¶ *Et thesauros absconditos* ומטמוני מסתרים] Ad verb. *& abscondita latibulorum.* Alii, *arcana latebrarum.* ¶ *Qui voco nomen tuum* הקורא בשמך] *Qui voco te nomine tuo.* Hebraismus de quo suprà 43. 1. Deus *nomine vocare* dicitur eos quos eligit atque ad opus aliquod destinat: ut ipsum Cyrum constituit ac designavit ducem ac principem hujus liberationis.

4. *Cognominavi te* אכנך] Fut. Heb. pro præt. i. cognomine te appellavi: i. aliquando de te locutus sum per Prophetas meos nomine proprio, interdum nomine tacito.

5. *Et non novisti me* ולא ידעתני] *Utcunque non noveris me.*

8. *Et proveniant* ויפרו] *Et fructificent.* Alii, *crescant*, sive *succrescant.* Alii, *multiplicentur.* ¶ *Germinare faciet* תצמיח] i. Proferet ac producet. ¶ *Creavi eum* בראתיו] i. Missurus sum in terram. Quidam vertunt, *creavi eam*, nempe *justitiam* & *salutem.*

9. *Testa cum testis* חרש את חרשי] *Testa ex testis.* ¶ *Non fuerunt manus* אין ידים לו] i. Opus tuum est rude, & tale quale est id quod non est factum manibus artificis periti.

11. *Præcipite mihi* תצוני] Fut. Heb. pro imperat. i. Prophetis meis, ut dicant vobis futura in gratiam meam: quod idola nequaquam possunt.

12. *Ego, manus mea* אני ידי] Hebraismus, pro *Ego sum cujus manus.* ¶ *Præcepi* צויתי] i. Mandato feci, ut solo verbo & jussu.

13. *In justitia* בצדק] *Propter justitiam*, i. ut exerceat justitiam in Babylonios, & remittat populum meum in patriam.

¶ *Dirigam* אישר] *Rectificabo* : *rectas efficiam*, i. efficiam ut rectâ eat.

14. *Labor* יגיע] i. Opes labore partæ. ¶ *Et negotiatio* וסחר] *Et merces.* ¶ *Viri mensuræ* אנשי מדה] Hebraismus, i. staturæ proceræ. ¶ *Non* est *Deus* אפס אלהים] Sub. *præter Deum Israelis.*

15. *Abscondens te* מסתתר] *Latens*, aut *delitescens* : i. qui potentiam tuam & vires tuas occultas : quæ potentia tantummodo nota erat in Judæa.

17. *Æterna* עולמים] Ad verb. *seculorum.* ¶ *Seculi* עד] *Perpetuitatis* : i. sempiterna.

18. *In vanum* תהו] *Vacuam.* Alii, *inanem.* Alii, *ut rem vanam.*

19. *Tenebrarum* חשך] i. Tenebrosæ : in antro obscuro. ¶ *In vanum quærite me* תהו בקשוני] Præt. Heb. pro imperat. *Frustra quærite me.* Quidam istud *frustrà* negationi adjungunt, sic, *Non frustrà dixi semini Jaacob, Quærite me.*

20. *Abjecti Gentium* פליטי הגוים] i. Qui inter gentes estis abjectissimi. Alii intelligunt abjectos qui dignitate, opibus, potentiâ & scientiâ inter Gentes præcellebant : quòd in conspectu Dei nihili sint, tametsi ab hominibus magni æstimentur. Unde quidam vertunt, *qui præcipui estis in Gentibus.* Alii, *remoti Gentium*; acsi dicas, *ab extremis terræ.*

21. *Audire fecit* השמיע] i. Narravit, sive prædixit. ¶ *Ex tunc* מאז] *Jam olim*, i. ante multa tempora.

24. *Veruntamen* אך] *Utique.* Alii, *Tantum.* ¶ *Qui irascuntur in eum* הנחרים בו] *Qui provocant eum.* Alii, *qui repugnant ei.*

25. *Et laudabunt sese* ויתהללו] *Et gloriabuntur.*

C A S T A L I O.

1. REgum latera discingo] Reges exarmo & subigo.

7. *Malum creem*] Videlicet bellum, pestem, famem.

8. *Justitia fruticet, me Jovâ illius creatore*] Scilicet justi.

10. *Væ qui quærit ex patre quid gignat, aut ex femina quid enitatur*] Perinde indignum est à Deo facti rationem exigere ac si quis ex parentibus rationem suæ generationis exigat.

14. *Ægyptiorum labor*] Facultates.

19. *Non occultè loquor in tenebricosæ terræ loco*] Scilicet ut necromantes aut Apollinis vates.

20. *Adeò imperitos ut simulacri sui lignum ferant*] Simulacrum ligneum.

C L A R I U S.

1. CHristo *suo*] h. e. Regi suo. Vocatur autem *Cyrus* CHRISTUS & REX DOMINI, quòd ille ordinaverit eum in Regem per quem decreverat devastare Regnum Babylonicum.

2. *Gloriosos terræ humiliabo*] Potest & verti, *obliqua dirigam.*

3. *Thesauros absconditos*] Testantur Historiæ, locupletissimum fuisse Cyrum : captivum enim duxit Crœsum prodigiosæ opulentiæ Regem.

4. *Et non cognovisti me*] Multò enim antè quàm Cyrus conciperetur hæc sunt de illo prædicta.

5. *Accinxi te, & non cognovisti me*] Antè quàm cognoscas me, ponam balteum in lumbis tuis, & tradam tibi administrationem Regni.

7. *Formans lucem, & creans tenebras*] h. e. Ut ipse exponit, *pacem & malum.* Per *malum*, quod opponit *paci*, intellige Bellum.

8. *Rorate cœli*] Precatio est illorum qui in captivitate constituti agnoscebant peccata sua, & rogabant Dominum pro sua justitia & liberatione. ¶ Porrò *terra* quæ *sese aperiat*, sunt homines suscipientes *justitiam*, ut fructum proferant salutiferum, quam *justitiam Dominus creavit.* Chald. *Cooperentur cœli desuper, & nubes stillent bonitatem; & terra aperiatur, ut reviviscant mortui.* Sumpta autem est Metaphora ab Agricultura, ubi, ut terra germinet, opus est cœli auxilio.

9. *Testa de Samiis terræ*] Vel, *testa de testis terræ*, h. e. cùm quivis sit testa similis testis fictilibus. Interpres autem alludit ad vasa Samia. Sunt qui interpretentur dictum contra Balthasarem Regem Babyloniorum. Potest etiam esse contra omnes calumniatores Divinæ providentiæ, dum non intelligunt cur nunc *pacem*; nunc *bella creet.* ¶ *Absque manibus est*] h. e. Opus tuum per manus non est factum : quasi defuissent manus ut bene formares.

11. *Interrogate me*] De piis hominibus, inquit Deus, qui sunt *opus manuum mearum*, interrogate me & non idola : & Prophetis *præcipite propter me*, & illi annunciabunt vobis qualia bona facturus sim *filiis meis.* Potest & sic intelligi, *Numquid præscribetis mihi modum faciendi? hoc omnino non est ferendum.*

12. *Ego feci terram*] Ego, qui omnia feci, eadem etiam sapienter administro.

13. *Ego suscitavi eum ad justitiam*] Loquitur de Cyro; quod tamen propriè Christo convenit. Nam Cyrus non fuit verè justus, sed rapacissimus & crudelissimus, tametsi Judæis fuerit benignus : & propterea tandem à Tomyre Scytharum Regina exstinctus est cum ducentis millibus, capite ejus in utrem projecto sanguine oppletum; quæ & dixit, *Imple te sanguine, sitibundum caput.*

14. *Labor Ægypti*] h. e. Omnis Ægyptus. Beneficium, inquit, illud ostendam populo meo, ut gratis liberetur de captivitate : sicut & aliud eis exhibiturus sum in brevi beneficium, traditurus eis *opes & merces Ægyptiorum & Æthiopum* : de quo & suprà cap. 43. dixit. Nam cùm Sennacherib Rex Assur oppugnaret Hierosolymam, distrahebatur per Ægyptios & Æthiopes : & cùm illos vicisset ac bona eorum diripuisset, reversus contra Jerusalem, percussus fuit exercitus ejus ab Angelo unâ nocte, & reliquit Hierosolymitanis omnes opes memoratarum gentium. Memineris tamen in his omnibus verborum Pauli dicentis, *Omnia contigisse illis sub figura* : hoc enim tunc verè impletum fuit cùm Ecclesiæ Christi accessere omnia Regna.

15. *Verè tu es Deus absconditus*] Verba sunt Prophetæ dicentis Deum non se revelasse omnibus gentibus sicut Israelitis fecerat.

19. *Non in abscondito locutus sum*] Dæmones respondent in latibulis, Deus apertè in monte Sina. ¶ *Non dixi semini Jacob frustrà*] h. e. Non proposito præmio.

23. *Non revertetur*] Non erit frustrà. ¶ *Mihi curvabitur omne genu*] Quod de Christo intelligendum Paulus ad Romanos scribens docuit. ¶ *Jurabit*] h. e. Per me. Abjicientur enim idola, & omnes agnoscent verum Deum, & per illum solum jurabunt.

24. *In Domino dicent*] h. e. Dicent, *Beneficio Domini mihi sunt justitia & fortitudo.* Et hi quibus hæc aderunt, *ad eum venient.* Alii *confundentur omnes, qui repugnant ei. Justificatio* autem erit veri *Israelis.*

F O R E R I U S.

1. CHristo *meo*] Nomine משיח Reges propter *unctionem* dicebantur. Cyrum autem *suum Regem* vocat Dominus quòd ab eo electus fuisset, & quòd ad implendam voluntatem suam eum destinasset. Illi etenim Reges qui servis Dei favent, qui eos in libertatem asserunt, qui hostes eorum oppugnant, digni sunt qui *Dei Reges* dicantur. Verùm enimvero quia de reductione captivitatis instituebat sermonem, de Cyro, per quem eos reducturus erat, plura dicendi cepit occasionem; quòd is esset Christi Domini typus & figura. ¶ *Cujus apprehendi dexteram*] Ad verb. *quem apprehendi per dexteram ejus.* Notat autem hic gestus & ipsa loquendi forma proverbialis Favorem & Gratiam; frequenterque in Scripturis occurrit. Quis enim contingere audeat quem conspexerit à Deo per dexteram teneri? Adde quòd est etiam gestus Fedus ineuntium, dexteram dexteræ jungere. Sive autem Fedus sive Favorem intelligas, apertè sequitur, ¶ *Ut subjiciam ante faciem ejus*, &c.] Hoc autem fuisse fedus videri poterat, Ut Deus illi subderet Chaldæos, ille autem liberum dimitteret populum Domini. Sed qui poterat Chaldæos Persis subjicere, nónne poterat populum suum redimere? Quis hoc neget? Verùm Divinorum consiliorum non est mei instituti causas investigare : sat nobis nunc sit quòd qui robur & vires Chaldæorum dissolvit, & audaciam ac vires Persis & Medis concessit, is ipse Cyri menti impressit ut populum Domini vellet eripere. Sunt qui scribunt, à Judæis fuisse Cyro hanc Jesaiæ Prophetiam enarratam, ex qua fiduciam debellandi Babylonios sumpserit, & libertatem captivis promiserit. Quod ut verisimile est, ità in hunc quoque usum ante tot annos exarari hanc Scripturam, nomine *Cyri* apposito, & per manus Judæorum in Chaldæam & Persiam deferri, Dominum voluisse, non erit absurdum credere. Vide infrà v. 3, & seq. ¶ *Et dorsa Regum vertam*] Quia Vulg. *lumbos* pro *dorso* accepit, ideo verbum פתח, quod mox hoc ipso versu propriâ significatione transtulit verbo *aperiendi*, hîc *vertere* dixit. Qui enim terga dant hostibus, ea intecta & aperta percutientibus offerunt. Ego propriam significationem & nominis & verbi retinui. *Aperire* ergò *lumbos* est solvere seu dissolvere : quo utuntur Hebræi pro *infirmare robur*, vel *exarmare*, ut nihil supersit virium; sicut *lumbos accingere*, robur & agilitatem accipere seu dare in

rebus

rebus agendis. ¶ *Ut aperiam coram eo januas*, &c.] Hinc vides cui & robur & vires ac victoriam tribuere oporteat in bellis. Proinde Regum ac Ducum quorundam insipientiam cernere est, qui de placando Deo nihil prorsus sunt soliciti. ¶ *Et porta non claudentur*] Vel potiùs *claudantur*. Quædam quidem, quæ clausæ fuerint, statim aperientur: aliæ autem, quæ ante adventum hostium apertæ fuerant, faciam ut adventante Cyro nè claudantur quidem, sed metu consternati Chaldæi liberum ingressum Persis & Medis permittant. Hæc patiuntur illi adversùm quos Dominus pro hostibus propugnat; sicut non semel Judæis promiserat, *Se Angelum daturum qui ipsos præcederet, qui terrorem suum præmitteret ante eos, atque crabrones*, &c. Vide Exod. 23. Dicitur autem Dominus *ante illos* istæc facere, quia præmittit terrorem, aufert consilium, &c. Ideóque dicit,

2. *Ego ante te ibo*] Veluti Antesignanus, quem sequaris; vel ut Præfectus castrametationis, & ut præcursores, qui an tutus sit progressus considerant, & si quid sit periculi antevertunt; ut nihil sit quod timeas, dum me præcedentem sequeris. ¶ *Humiliabo*] Est autem hoc verbum in secunda, q. d. *rectificare*, seu *æquum & planum facere*; q. significet quòd eâ facilitate percurreret universam Chaldæorum provinciam ac si omnia essent plana, neque aliquod impedimentum præberent Cyro munitiones, &c.

3. *Thesauros absconditos*] Ego Hebraismum retinui, quòd ex Vulgata planus esset. Est autem טמן à verbo quod *recondere* seu *includere* sign. dicitúrque tam de Loco in quo continentur divitiæ seu res pretiosæ, quàm de ipsis Rebus. Reconduntur autem sub terra, vel in locis ad quæ lux non penetrat: quare *thesauri tenebrarum* seu *obscuritatis* dicuntur non sine sale, quòd illis Pluto tenebrarum Deus præsideat, & quæ è tenebris eruuntur in tenebris reponantur. Neque enim harum amici sunt nisi qui & tenebras amant. Dicuntur etiam מטמני מסתרים, pro quo Vulg. *arcana secretorum*: ego juxta Hebraismum *thesauros absconsionum*, i. absconditos. Putarem autem ex hac voce Hebræa fluxisse illam quæ Rabinis frequens est, & quâ in Euangelio utitur Dominus, MAMON, ablato Tet è medio. Licèt enim sit vox Syriaca MAMONA, quia tamen mistum erat idioma ex Chaldæo & Hebræo, & corruptæ erant voces magna ex parte, quid mirum si ex MATMON sit factum MAMON? Ergò ab *occultatione* dictæ sunt hâc voce Divitiæ. ¶ *Ut scias quia*, &c.] i. Ut cùm hæc omnia in tuam potestatem tradita videris, & me multò antè hæc tibi promisisse noveris, expresso etiam *nomine tuo*, *intelligas me esse* verum *Deum*, ut qui te noverim antè quàm nascereris, & *tuo te nomine vocarim*. Ex quo & victoriam tibi à me concessam poteris intelligere. Hebræis autem *vocare in nomine tuo*, vel *per nomen tuum*, cognitionem & peculiarem curam notat. Vide suprà v. 1.

4. *Propter Jacob*, &c.] Ex hoc loco videtur haberi, hanc Scripturam Cyro manifestandam fore, ob quam gratiam Cyri inirent Judæi, cùm videret apud ipsos repositum de se Oraculum adeò faustum, & ipso rerum successu adeò comprobatum; ex quo posset quoque colligere quàm gratus esset ille populus Deo cœli, séque nihil aliud esse quàm ministrum Divinæ voluntatis ut populo illi benefaceret. Vide cap. 1. Esdræ. ¶ *Et vocavi te*] Redundat interdum Vau Hebræis, ut hoc loco: vel transferendum in verbum sequens, *& vocavi te*, *cognominavi te*: *provocavi te*, *& cognominavi te*. Sunt autem hujusmodi linguæ Sanctæ ornatus, quos cæteræ non admittunt. Ait ergò quòd *propter Israelitas* nomen *Cyri* apposuerit apertéque *cognominaverit*, *Regem suum* eum appellando, &c. ¶ *Et non cognovisti me*] i. *Cùm non cognovisses me*; antè quàm de me quidquam scires aut cogitares, ut qui nondum genitus esses.

5. *Accinxi te*] Heb. in futuro, *accingam te*. Neque malè convenit significatio futuri, *accingam te*, armabo, expeditum faciam, ut strenuum militem, quo tempore etiam *me non cognoscis*. *Sum* quidem *ego solus Deus*, *neque quidquam est præter me quod Numinis vel tantillum habeat*: interim ergò, dum me nescis, *Deum non novisti*. Attamen sic non agnitus à te, in te largus ero, & beneficiis præveniam, *te accingam*, expeditum ad prælia te mittam, & meis auspiciis manus conseres.

6. *Ut sciant*, &c.] Cùm vera Dei cognitio nostræ saluti omnino necessaria sit, & tam longe quisquam a salute absit quantùm à Dei cognitione distat, nostræ salutis amantissimus Deus eam miris modis nostris sensibus ingerit. Passim ergò in Scripturis invenies inundationes, tempestates, subversiones, calamitates, castigationes, imò liberationes, victorias inexspectatas, & cætera hujusmodi, quæ homines non possunt non animadvertere in hunc finem à Domino fieri ut nemo tam hebes sit qui Divinæ cognitionis non fiat particeps. ¶ *Hi qui*] Has duas voces supplevit doctus Interpres ad perspicuitatem orationis. ¶ *Quoniam absque me non est*] Ego Hebræa utcunque expressi, *quòd nihilum absque me*. Possumus etiam reddere *quòd non amplius præter me*. Sensus idem est, Quòd nullum sit Numen præter ipsum, qui omnia novit & disponit suâ providentiâ, quippe qui Mundum ab initio condiderit: hoc enim designat hìc Propheta.

7. Per opus primi diei, per *creationem* videlicet *lucis* & *tenebrarum*: Quorum etiam potiùs meminit quàm *cœli* & *terræ*, aut cæterarum rerum, quòd Lux & Tenebræ symbola sint in Scripturis Prosperæ, ut aiunt, & Adversæ fortunæ. Cùm igitur calamitatis quæ oppressura erat Assyrios, & prosperitatis quâ fruituri erant Medi & Persæ, ac proinde Judæi quoque, se auctorem esse testatum esse vellet, eleganti admodum allusione utrumque conjunxit Propheta. Eadem etiam dicebat, *Creans pacem & faciens malum*, ac concludens, *Ego Jehova facio universa hæc*, non solùm in Assyria, sed ubicunque illa fieri contingat. Omnia enim illius solius sapientiâ ac providentiâ gubernantur. Neque enim fieri potest ut alius sit qui mundum condiderit, alius qui gubernet.

8. *Rorate*, *cœli*] Sive *Defluite*. Cùm magnificæ promissiones de Cyro præcessissent, cujus liberalitate Judæi consecuturi forent libertatem, & Jerusalem atque Templum, Jehova regia, construendum, subitò in has voces prorupit Propheta: Quibus (si ex consequentibus licet conjicere) vota expressit eorum qui in captivitate positi adventum hujus Divini Salvatoris anxii exspectabant, & diuturnitatem exsilii ægre ferentes tantùm non promissionibus Prophetarum diffidebant, eásque amplificantes talibus verbis referebant qualia Spiritus Dei, qui adventum CHRISTI Cyri adventu præfigurabat, proferri jubebat; ut ignorantes quid dicerent, prophetarent, dum ortum & adventum Cyri *cœlis* tribuunt, & *orituram simul salutem & justitiam in terra* prænunciant. Etsi enim reditum Judæorum in Jerusalem & reædificationem S. civitatis & Templi summam perfectámque *justitiam* ipsi existimabant, & Divinum hominem meritò nuncupandum qui rem hanc conficeret, & quasi de *cœlo* lapsum, multò tamen aptiùs hæc omnia & singula verba in Christum Dominum ejúsque adventum quadrant: id quod vel cœcis notum est. In historico igitur sensu mentem ad Christum attollas, Christiane lector, &, velint nolint Judæi & nonnulli ex nostris, existimato hæc tanquam de typo de Cyro intelligenda esse, de Christo autem tanquam de veritate. Quotiescunque enim Prophetæ verba inserunt historiæ rerum gestarum aut gerendarum quæ aptiùs rei figuratæ quàm historiæ conveniunt, toties eam interpretandi rationem tanquam à Spiritu S. profectam amplectendam putato quæ simul cum historia mysterium enarrat. ¶ *Pluant*] Hebræis נזל est *fluere*, *stillare* seu *decurrere*; ac de Aquis dicitur propriè, Num. 24. Deut. 32. &c. fitque interdum activum, ut liceat vertere verbo *effundendi*. Jer. 9. *Palpebræ nostræ effundent aquas*: ergò hic *effusionem in similitudinem aquarum pluvialium* accipe. ¶ *Justum*] In Hebræo est in abstracto, *justitia*; sed doctè Vulgatus, quia de homine loquitur, & mox Dominus respondet, *Ego Jehovah creavi eum*, pro *justo* accepit. Ortum enim ejus qui Templum ædificari juberet, & populum Domini libertate donaret, *ortum justitiæ* appellabant. ¶ *Germinet salvatorem*] Paulò secùs Hebræa habent, sed sensus ferè idem est. יפרו, i. *fructificent*: est enim numero Multitudinis, & ex elegantia Propheticæ orationis verbum *fructificate* ad *cœlos* est referendum, verbum autem *oriatur* aut potiùs *germinare faciat* ad *terram*: quasi cùm cœlos ac terram nominasset, cœlísque tribuisset *justitiam*, i. justum, rursus Cœlis tribuat *salutem*, & Terræ *justitiam*. Christus enim est Deus & homo ex Deo atque Adam ortus. Atque hanc sententiam in versione sum secutus. Possunt tamen hæc aliter accipi, nempe ut verbum *fructificent* construatur cum duobus nominibus sequentibus, hoc modo, *Aperiatur terra*, *& fructificent* (seu *germinent*) *salus & justitia*. Sequitur deinde in Hebræo sine conjunctione *succrescere faciat*, seu *germinare faciat*: *producat*, videlicet *terra*; quasi desit relativum hoc pacto, *quæ*, nempe *salutem* & *justitiam*, *succrescere faciat terra*: propter variam tamen verborum acceptionem possunt sic etiam, neque ineptè, verba hæc construi, *Aperiatur terra*, *& fructificent* (*terra* videlicet & *cœli*) *salutem*; *& justitia succrescat simul*: & hunc sensum observavit Vulgatus, nisi quòd dixit *germinet* pro *germinent*, & *salvatorem*, pro *salute* sed sensu eodem. Nam Christus Dominus, imò & dona ipsius, dici possunt *germen cœli & terræ*, ut qui de Spiritu S. conceptus & de Virgine natus sit. In adventu quoque ipsius *Misericordia & Veritas obviaverunt sibi*, *Justitia & Pax osculatæ se mutuò sunt*. *Veritas de terra orta est*, *& Justitia de cœlo prospexit*: quia dona cœlestia in terris germinabant;

nabant; & cùm per totum Orbem coeli melliflui fierent, tota terra replebatur misericordià Domini, & eædem erant divitiæ coelestes atque terrestres, Terrâ coelòque in unum Regnum redactis. Hoc eodem modo verbum צמח in Hiphil accipitur, Deut. 29. *Neque succrescet neque ascendet in ea ulla herba*, &c. ¶ *Ego Dominus creavi eum*] Si *justum* & *salvatorem* cùm Vulgato legas, manifestum est ad eundem referendum pronomen *eum*: est enim in Hebræo masculini generis: neque dubium quin ad *Cyrum* referri debeat, de quo jam antea initio capitis dixerat: ut vel ex hoc loco intelligere possimus, in hoc versu octavo ortum Cyri hâc Periphrasi & verborum ambage significari. Existimo autem esse Domini responsionem in his verbis, & his obturare ora mussitantium & querulantium de nimia redemptoris mora ac tarditate: perinde enim accipienda superiora verba sunt ac si dicerent captivi Prophetis, *Quousque nobis adventum justissimi regis promittetis? quousque spes nostras ludificabitis? Desluant jam cœli, & aperiatur terra: progerminet salus & justitia in terra; succrescant cœlestes illi fructus, & veniat jam aurea illa ætas quam tantis verborum ambagibus nunquam nostris auribus non inculcatis.* His respondet Dominus, *Ipse eum creavi: meum donum ac beneficium est ortus & adventus ejus*: quasi insinuet Propheta, Si Dominus est qui Cyrum format & qui suâ liberalitate cum in assertorem vestræ libertatis dat, nónne ipsi committendum est negotium? nónne stultum fuerit ipsum negligentiæ arguere? Quis meliùs quam ipse dignoscere poterit opportunitatem adventûs ipsius? Quare sequitur in Propheta, *Væ qui contradicit*, aut *contendit*, &c. Possumus nihilominus verba hæc de ipso Israele accipere, cujus in exsilio positi erant prædictæ querimoniæ: q. d. Dominus, *Ego hunc, quem sic querulantem videtis, creavi: meus populus est: hoc non animadvertens de me conqueritur:* Cui interpretationi satis aptè congruunt sequentia, & verbum in præterito, *creavi*.

9. *Væ qui contradicit*, &c.] Non tantùm hoc loco sed plurimis aliis, atque eâdem similitudine, reprimit Dominus curiositatem, temeritatem ac diffidentiam plurimorum qui sapientiores Deo esse volunt, & factorum ab ipso rationem exigere; quasi Deus aut ignoret aut nolit aut nequeat rebus nostris attendere ac providere: *Væ* (aut O) *miserum litigantem*, *disceptantem* (seu *contendentem*) *cum factore* (seu *formatore*) *suo*. Quod autem dixit veluti in genere, dicit mox exponendo in specie, *Testa cum fictoribus terræ*, seu *luti*. Væ testæ contendenti cum figulo. Hic sensus planus est. Quòd si rationem interpretationis requiris, breviter sic habeto. Quòd חרש cum puncto sinistro *testa* sit *ex argilla figuli operâ facta*, nemo, credo, dubitabit, Levit. 6. Ps. 22. & suprà cap. 30. &c. Plurale autem, quod hîc habetur, חרשי, quod pro ipsis *testis*, seu *vasis testeis*, qualia sunt Samia, ferè omnes accipiunt, ego, abrasis punctis, ut participium accepi verbi חרש, quod *urgere opus* significat, ut faciunt aratores & fabri: *operatores* dicere possemus. Unde dicitur de Aratoribus suprà cap. 28. & Ps. 129. & Job. 4. in hac forma regiminis *aratores iniquitatis*, *opifices*, seu *artifices*, seu *fictores*, &c. Ità hic eos qui in luto laborant seu argillâ opus exercent, intelligo. Nam si pro *testis* accipias, reddendum est, *testa cum testis terræ*, vel *telluris*. At testæ cum testis quæ excogitari potest contentio quæ ad rem faciat? Quare Vulg. hoc secundo loco את pro *de* accepit, i. *Væ testæ, quæ est de numero vasorum testaceorum, contendenti cum formatore suo*, &c. Litem autem seu contentionem mox explicat. ¶ *Numquid dicet lutum*, &c.] i. Dicere solet, *Quid facis?* aut, *Quod tale facis?* ¶ *Opus tuum absque manibus est*] i. Inutile est, nihil valet efficere, ut Deut. 32. ubi nos habemus, *Videbit quòd infirmata sit manus*, Heb. *quando viderit quòd sit sine manu*. Sensus itaque est, *Et nunquid dicet testa figulo, Opus tuum non habet manus?* Vel *manus* pro *ansis* accipiamus, per quas apprehenditur vas: nam has interdum Hebraismus *manus* vocat, ut Exod. 26. *Duæ manus erant in tabula una*, &c. q. d. *Dicitne testa figulo, Opus tuum ansas habet?* aut *non habet? Quid me sine ansis* (aut *cum ansis*) *facis?*

10. *Væ qui dicit patri*, &c.] Stultus est filius & cerebro carens qui patrem reprehendat aut matrem quòd se talem vel talem generarint. ¶ *Quid generas?*] i. Qualemnam filium generas? ¶ *Quid parturis?*] Vel *cum doloribus edis?* i. Cur talem fœtum edidisti? Non talem, sed talem debuissetis generare, &c. Atque hic sensus convenire satis videtur. Possumus etiam dicere, *Quid generas?* i. Quidnam tibi est quòd rursum generas? *& mater, quidnam habes quòd iterum ac sæpius dolores sustines?* quasi doleat filius ob fratrum multitudinem, nimirum propter hereditatem, aut aliquam aliam causam. Versu sequenti similitudines accommodat Dominus.

11. *Hæc dicit Dominus sanctus*, &c.] *In hunc modum dicit Jehova*, Deus quem colit *Israel*, *Plastes ejus*, qui eum veluti figulus formavit: Israel lutum est, ego Plastes; Israelitæ filii sunt, ego verò Pater. Non est ergò quòd mecum litigent Israelitæ, & quasi mihi non sint curæ conquerantur. Taceant, ut argilla; subditi sint, veluti boni & prudentes filii. Hæc est eorum sors: Meum est illis providere. Atque ità quæ sequuntur, Ironiam habent. ¶ *Interrogate me super filios meos*] Stultum fuerit *me rogare* quid decreverim *de filiis meis*, quasi sit quispiam qui de illis plus quàm ego sit solicitus; quænam illis *ventura* sint, vel quæ illis *immineant* prospera vel adversa: stultùmque fuerit *mandata mihi dare super opere manuum mearum*. Hebraismus, *Mandate me super opere*, &c. Vel *mandata date*, seu *commendate mihi opus manuum mearum*. Si sunt *filii*, si sunt Israelitæ *opus manuum mearum*, insipientis animi est vicem illorum quasi dolere, & me mordere quòd tamdiu redemptionem differam. Quæ non solùm de redemptione è Babylone, verùm etiam à Peccato per Christum, accipe: ut intelligamus, non esse respondendum illis qui curiosè quærunt quid sit quòd non citiùs Filius Dei in mundum venerit, &c.

12. *Ego feci terram*, &c.] Hunc sensum videntur hæc habere, Sufficit quòd sciant me esse auctorem & conservatorem Universi, quòd *terram creaverim*, *& Hominem super eam produxerim*, *& manibus meis cœlos extenderim*, *& universis sideribus mandata dederim*, quam unumquodque virtutem diffundat, quo tempore oriatur, & occidat, &c. Ex his, si ea norunt, facilè colligent; soli mihi curam Universi incumbere, & non esse cur quisquam præsumat sibi solicitudinem hanc usurpare, quasi aliâ ratione possit meliùs rebus humanis provideri quàm eâ quæ in actionibus meis conspicitur. Judæorum rebus tangor; eis, cùm mihi visum fuerit, Cyrum; qui eos liberet, mittam. Quid hominibus universis magis expediat, me nemo meliùs novit. In plenitudine temporis mittam Christum meum. Nemo enim præter me creavit hominem: Ergò nemo præter me tempus aptum novit rei hominum gerendæ.

13. *Ego suscitavi eum ad justitiam*] Quid sibi hæc litera velit manifestum est: nam suprà dictum est v. 8. Cyrum *justitiam* & *justum* meritò dici. Interdum autem est Hebræis hæc vis præpositionis Beth ut Motum designet, ut *ad*; *in*: atque sic eam accepit Vulgatus: possumus tamen eam pro *cum* accipere, & *justitiam* hic pro ipsa *ratione Divinorum consiliorum*, quæ æquitatis est plenissima, éstque ipsa amussis & regula omnium quæ justè fiunt. *Excitavi*, inquit, *eum summa cum justitia & æquitate*, pensatis omnibus quæ in tam ardua re deberent pensari, habitâ ratione & caussarum & effectuum, temporis & loci nullâ circumstantiâ prætermissâ: vel, *Ego excitavi eum in justitia*, i. eâ quæ mea est bonitate, nullis provocatus meritis, sed tantùm quia justus ego & sanctus sum: quare non est quòd quispiam quærat quare non antea, quare non aliter, &c. sed quòd gratias agat. Neque rarò ità accipitur nomen *justitiæ* in Scripturis. ¶ *Ædificabit civitatem meam*] Cyrus jussit ædificari Jerosolymam; Christus Dominus ædificavit Ecclesiam ex lapidibus vivis, eàmque suo sanguine & meritis fundavit, erexit, & summo angulari lapide clausit; nósque *cives sanctorum* & *domesticos Dei* effecit. Cyrus *demigrationem* seu *exsilium*, i. exsules & captivos Judæos, liberos *emisit*: Christus Dominus *de potestate tenebrarum nos in admirabile lumen suum perduxit*, *non corruptibilibus*; *auro vel argento*, *sed pretioso sanguine suo*, &c. ut est apud Apostolum.

14. *Labor Ægypti*, &c.] Quantò congruentius superiora Christo Domino quam Cyro Persæ aptentur, hæc jam ostendunt. Nam si de reditu ex Babylone, si de ædificatione civitatis corporeæ tantùm erat sermo, ergò restitutis Judæis & ædificatâ Jerosolymâ *Ægyptus* & *Æthiopia*, quæ ultra Ægyptum est, servi Judæorum fuerunt: quod tamen nunquam factum est. Nam quòd quidam hic afferunt, exercitum Chaldæorum diripuisse Ægyptum & Æthiopiam, asportassèque eorum divitias, quas Judæi, deletis per Angelum Assyriis, possederunt, nihil ad rem facit. Quòd si adhuc hæc futura sperant Judæi, quonam pacto hæc sic conjungit Jesaias ut alterum post alterum mox futurum significet? At si libertatem per Christum in superioribus in mentem venisse Prophetæ existimas, agnosces planè rerum consequentiam, sicut & verborum. In fidem enim Israelitarum, i. electorum ex Israele, *transierunt Ægyptii* & *Æthiopes*, quos *Abissinos* nunc dicimus, qui & *Sebaim* per ש appellantur; omniaque sua cum fide Christo Domino obtulerunt, ut veluti captivi Apostolorum viderentur. Figuratè enim hæc accipienda sunt. Nam seipsos tradebant primi illi Christiani, & animas, & omnia, oculósque, si oporteret, eruis-

eruissent, ad promovendam Christi & Discipulorum ejus gratiam. Nonnihil quoque honoris verisimile est detulisse Ægyptios & vicinas nationes Judæis: cùm eos libertate donatos & in Regnum gratis restitutos vidissent, &c. *Labor Ægypti*, i. quæ labore sibi pepererunt Ægyptii; vel potiùs, *laboribus dediti Ægyptii, & negotiosi Æthiopes*, divites ex labore & agricultura. *Ægyptii* divites ex *industria*, & *negotiatione*, *Æthiopes cum Sebaim viris proceræ staturæ.* ¶ *Ad te transibunt*] Deferentes suam religionem, & fidei tuæ adhærentes. Optimè על pro אל accepit Vulgatus. ¶ *Vincti manicis*] Sensum reddidit Vulgatus. Heb. *cum manicis.* זקים *vincula* sunt *quæ manibus inseruntur*, dicta quasi *retinacula* vel *apprehensoria.* Designant autem omnimodam subjectionem: quod indicant verba sequentia, *incurvationis*, *supplicationis* seu *interpellationis.* Quòd autem subjectio illa non violenta sed ex agnitione veræ fidei oritura esset, figuratéque accipienda sint hæc, & non de corporali servitute, confirmant quæ sequuntur, ¶ *Tantum in te est Deus*] Vel, *Profectò in te est Deus.* Vos soli estis qui verum Deum colitis: Tantámque dignitatem & splendorem habet vera istæc vestra cognitio, ut dignum judicemus vos pro Dominis colere, nosque felices reputemus si vobis inserviamus. O vos felices, inter quos Deus inhabitat! Id ex libertate quâ donati estis intelleximus. Quis enim posset homines sic liberos reddere & omnibus affectibus imperantes nisi verus Deus? Vides ut sanctitas Apostolorum Gentes ad fidem pertrahebat? Meritò profectò nobis adscribuntur & attribuuntur Gentium infidelitas & blasphemiæ. Nam si in Christianis eam à peccatis libertatem & affectibus purgatas mentes conspicerent barbari, manus eorum nullæ sic manicæ, pedes nulla sic vincula, constringerent, exclamaréntque; *Verè in vobis est Deus.* ¶ *Et non est absque te Deus*] *Et non amplius, nisi Deus:* sic sonant Hebræa, i. *& non ampliùs alius Deus quærendus nisi is Deus qui in te est:* vel, *Nihilque aliud est cui tuam libertatem tantámque felicitatem possimus adscribere, nisi Deo tuo. Nihil ampliùs, nihil ultrà, nihil omnino in te relucet nisi Deus.* Quis nisi Deus sic animum hominis immutare posset? Quibus viribus sic semetipsum homo sic affectus domare? Quis sic posset mundum de immundo conceptum semine reddere? Quis tot simul homines deos quosdam reddere posset nisi Deus? Non vobis arma, non exercitus, non eloquentia hanc dignitatem pepererunt. Solus in vobis conspicitur Deus, vestræ libertatis ac dignitatis auctor. Nemo Deo vestro hanc gloriam præripiat: *nihil in te nisi Deus.* Hoc planè est quod Paulus dicebat, *non se prædicare Euangelium verbis qualia eloquentia effingeret, nè evacuaretur crux Christi:* atque ità *in Paulo glorificabant Deum.* Hæc Israeli dicta interpretati sumus, neque præter morem Scripturæ. Nam quòd Israeli *supplicarent* & ipsum *deprecarentur* Gentes, non uno loco tantùm habes. Hæc autem oratio de qua hic fit sermo est protestatio fidei in Christum, quam mox explicat: proinde vellent se in ejusdem fidei gremium recipere. Verùm quàm obnixè id peterent explicat cùm ait, *Post te ambulabunt.* Et infrà videbis quòd Reges videntes assurgerent Israeli propter Deum, qui ipsum elegerit, &c. Fateor tamen aptissimè ad ipsum Dei Filium hominem factum posse referri, in quo agnoverint esse Deum, juxta illud Pauli, *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi*, &c. neque alium posthac velle se Deum nisi ipsum: vel virtutem ejus admirantes dicebant se *nihil nisi Deum* in ipso videre; etiamsi hominem intuerentur. Cyro autem hæc quàm malè conveniant non opus est dicere. Quæ verò sequuntur, aliqua ex parte confirmare videntur Gentes cum Christo Domino loqui; nisi dicas quòd vertant orationem ad Dei Filium postquam gloriam Apostolorum admirati sunt.

15. *Verè tu es Deus absconditus*] מסתתר, i. *sese abscondens*: quo significant Deum suapte naturâ invisibilem; & naturæ humanæ captum excedentem, juxta illud, *Qui lucem habitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed neque videre potest.* Hoc autem dicunt ad differentiam deorum Gentium, quos digito ostendere & oculis videre possumus. Hunc *Deum absconditum & mundo ignotum* prædicare se dicebat Paulus Atheniensibus, qui aram habebant DEO IGNOTO inscriptam. Verùm enimverò sermo hic in Christum Dominum aptissimè quadrat, in cujus Ecclesia ac Discipulis cùm dixissent Deum inhabitare, & *nihil nisi Deum* in eis relucere; vel etiam in Christo, statim ejus Divinitatem oculis corporis *absconditam* ajunt, & tantùm operibus sese reddere conspicuam. Unde sequitur, *Deus Israelis, qui salvas*; quasi ex hoc significarent quòd, licèt *absconditus* esset, eum tamen agnoscerent, vel ex eo quòd salutem contulisset, liberassétque homines, &c.

16. *Confusi sunt*] Omnes qui hactenus fictitiis diis confidebant & eorum partes tuebantur; Babylonii, qui suorum deorum auspiciis putabant se de cæteris Regnis victoriam reportasse; impii quoque ex Judæis, qui Deo vero diffidebant, & colendos esse deos cum Gentibus satius ducebant quàm à Deo, quem non videbant, pendêre; omnes denique tam artifices idolorum quàm cultores eorum, visâ liberatione Judæorum per Cyrum, sicut in Scripturis ipsorum *Deus* ille *invisibilis* multò antè prædixerat, *pudore affecti sunt & ignominiosi redditi, & cum ignominia*, sive *præ ignominia*, aliorum aspectum exspectare non ausi sunt, sed *cum ignominia abierunt*, &c. Vocat autem idola *angustias* צירים per contemptum, quòd qui ea colant in conscientia semper premantur, saltem non habeant eam animi hilaritatem quam qui sperant in Deum vivum & verum. Nam verum Numen cor confirmat & in mediis afflictionibus spe alit & surrigit mentes; at falsa Numina, ut immota in sese sunt, ità nihil prorsus efficiunt; &c. Si autem ad Christi tempora hæc referas, vides ruinam Idololatriæ hîc prænunciari, manifestúmque fore quòd solus Israel verum Deum coluerit, cùm juxta promissiones illi factas Christus ex ipsis prodierit, qui sicut homines à peccato asseruit, ita cultum idolorum è mundo abstulit, ut pudeat Veneris, Jovis, Mercurii, cæterarúmque abominationum meminisse: ille enim cultus flagitia & pestem terris attulerat: at

17. *Israel salvatus est*, &c.] Fructus idololatriæ, imò omnium peccatorum, fuit *pudor* & *confusio* atque *ignominia:* at *Jehova* cultus attulit *salutem*, eámque seculorum, i. sempiternis seculis duraturam. Quo fit ut qui ex Israele servati fuerint, nunquam in æternum pudore sint afficiendi aut ignominiâ. Quis non videat, nisi planè impius fuerit, hîc *salutem* quam veri Israelitæ per Christum consecuti sunt decantari? Nunquid salus illa quæ per Cyrum & Darium contigit Judæis hos titulos promeretur? Quàm parùm enim durarit illa libertas atque felicitas quis ignorat? Certè plures & graviores calamitates passi sunt Israelitæ per trecentos illos annos post reditum è Babylone quàm ullum unquam Regnum perpessum quisquam audierit. Lege Josephum, aliósque scriptores, quanta mala experti sint ante Machabæos, imò sub ipsis Machabæis, usque ad Herodianorum Imperium. Quid quæ secuta sunt commemorem? Quòd autem de Cyro loquatur Scriptura non negabunt Judæi: quomodo ergò hæc cohærent? Certe *salus æterna* à Deo vero veris Israelitis contigit, in æternum duratura: Nam neque umbræ mortis neque inferorum portæ prævalebunt adversùs Civitatem quam Christus Dominus ædificavit, & Templum quod ipse restauravit.

18. *Quia hæc*, &c.] Q. d. *Meritò hæc dico, quòd Domini sit salus, ipséque salvaverit Israelem: idola autem neque Israelem neque alios salvent. Nam ipsius sunt hæc verba; Deus, qui formavit cælos & terram, certe non creavit eam ut inanis & vacua, vasta & inordinata perpetuò esset, sed in hoc eam creavit ut homines super ea habitarent. Ego sum ipse Deus, neque alius est; qui & hoc dico, & hoc feci; & terram ut habitaretur creavi. Cui ergò alteri adscribi debet salus? Aut quis alius putandus est reducere exsules Israelitas in terram suam? Ego expuli, ego reduco.* Hic vides quòd indifferenter utatur Hebraismus verbis *creandi*, *fingendi* ac *faciendi*, ברא, יצר, עשה. ¶ *Non frustrà*] Vox תהו, quam diximus significare *inordinationem*, *indigestionem*, *indispositionem*, ubi nihil distinctum designatúmque, quando verbo jungitur, adverbium fit, ut versu sequ. & infrà 49. sic hoc quoque loco cum Vulgato possumus accipere, & pro nomine accipere, *Non inordinationem creavit eam*, i. ut inordinata & rudis perpetuò esset.

19. *Non in abscondito*] Mihi, inquit, adscribenda est hæc reductio, cujus fuit etiam ipsa introductio Israelitarum in Palæstinam: siquidem pactum quod cum eis pepigi publicum fuit, *non in abscondito*, sed in monte excelso, magnis cum tonitruis, audiente infinitâ propè multitudine, quæ in planitie monti subjecta stabat, non sicut magi & incantatores *in locis subterraneis*, sed clarâ voce, lucente Sole, cum Israelitis fœdus sanxi, *Quòd si mihi obedirent, possiderent terram quam patribus promiseram: sin me desererent, & idola colerent, e terra illa ejicerentur citò; neque eos terra illa sustineret.* Non eos fidei meæ astrinxi, non proposito ullo præmio; sed possessionem Palæstinæ, pacem & quietem in patria illis pro præmio pollicitus sum. Sum enim *justus*, & pacta mea æquitatis sunt plenissima. Quis ergò putandus est Israelitas in patriam reducere? Ad priora verba hujus versûs alludit Dominus in Euangelio, *Ego palàm locutus sum mundo, & in abscondito locutus sum nihil.* Seductorum enim & veritatem atque æquitatem odientium sunt latibula & conventicula, &c.

20. *Congregamini*, &c.] Vos igitur omnes qui nunc è Babylone aufugitis & è captivitate evaditis, convenientes simul

omnes,

omnes, afferte, si quid habetis quod iis quæ dixi opponatis pro causâ idolorum: si quid ab ipsis gentibus apud quas exsulatis didicistis, si quid Numinis, quando in exsilio eratis, in idolis ipsarum experti estis, adducite in medium. At frustrà id tentabitis: miseri enim illi & commiseratione dignissimi sunt, ut qui veluti sensu communi careant: nam suis ipsorum manibus *levant erigùntque lignum sculptilis sui*; & ad illud ipsum quod suâ operâ stare fecerunt *preces fundunt tanquam ad Deum*: cùm tamen *salvare nequeat* alios qui seipsum erigere non potuit. Quod Vulgatus dixit *qui salvati estis ex Gentibus*, Hebræi *evasores Gentium* dicunt: quod doctè Vulg. interpretatus est, *Qui evaditis* (vel *evasistis*) *ex Gentibus*. Sunt qui *salvatores Gentium* interpretantur, quasi ad deos & cultores deorum sit sermo: sed non videtur convenire; neque activè accipi nomen illud alicubi inveni. Vel certè ut ad omnes omnium gentium homines qui ex periculis & calamitatibus eripiuntur & evadunt est sermo; q. d. *Quicunque hominum evaditis ex quovis periculo, dicite, si quid auxilii ab idolis experti estis*, deinde quasi per Parenthesim inseratur, ¶ *Nescierunt*, &c.] Quasi sit correctio quædam, Quid eos voco aut compello? Stipites & saxa sunt potiùs quàm homines *qui levant*, &c.

21. *Annunciate*, &c.] Orationem, quam interruperat, Gentium sortem commiseratus repetit. Nam quod hoc versu *venite* dixit Vulgatus, est verbum Hiphil הגישו *accedere facite*, i. afferte; videlicet, quod versu superiori initio dixi, Quòd si opus fuerit deliberationibus & consultationibus, id etiam nè omittatis, sed in medium consulite, ut unus afferat quod alteri excidit, vel quod alter non animadvertit. Atque inter consultandum hanc in primis quæstionem agitate, *Quisnam ante multos annos prædixerit* eripiendos Israelitas è captivitate Babylonis per Cyrum Regem Persarum: Nam si *ego* ipse *Jehova*, quem Israel colit, solus id futurum prænunciavi, quis jam dubitandi locus quòd *non sit Deus alius sanctus & Salvator nisi ego?* Ergò.

22. *Convertimini ad me*, &c.] Ad verb. *Vultum* (seu *Faciem*) *vertite*, seu *dirigite*. Cùm enim alios deos quæritis, & aliis rebus fiditis, Deum post tergum relinquitis. Quòd si illos deseratis, & in me unum intenderitis, tanquam in verum & solum Deum, ut jam ipsæ res clamant; quemadmodum Israelitas præter hominum opinionem ex Babylone liberavi, sic *omnes* à me *liberabimini* & verâ libertate donabimini per Filium meum, ut sitis verè liberi & *salvati*.

23. *In memet ipso juravi*] Vel *Per memet ipsum*. Quod paulò antè consulere hominibus videbatur ut facerent, id veluti laxatis suæ bonitatis habenis jam se facturum non solùm promittit sed & jurat. ¶ *Justitiæ verbum*] Heb. *justitia verbum*. Sensus idem; *verbum quod verissima est justitia*. Vel sumitur hîc *justitia*, ut non rarò Hebræis, pro ipsa *beneficentia* & *animo ad benefaciendum propenso*. Significat ergò, quòd dicturus erat, esse haud vulgarem gratiam, sed votis omnibus expetendum beneficium. Possumus & simpliciter accipere ut voces sonant, quòd juret Deus daturum se mundo Justitiam, quæ est ipsius verbum. Est enim Christus Dei Filius Justitia & Verbum Patris: quod *non rediit vacuum*, ut infrà apertiùs dicetur, sed *inebriavit terram & fœcundavit*, &c. ¶ *Et non revertetur*] Heb. *non erit irritum*, sed stabit & firmum erit. ¶ *Quia mihi curvabitur*, &c.] Si hoc non est expositio ejus quod dixerat, *Non revertetur*, juxta ultimo loco allatam expositionem, dicendum est explicari hic quidnam jurarit, & quod sit illud *verbum justum, misericordiaque plenum*. Quòd autem Christo Domino *omne genu flectendum sit*, &c. affirmat Paulus ad Rom. 14. dicens, *Omnes sistemur tribunali Christi. Scriptum est enim, Vivo ego, dicit Dominus, quia mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo. Confiteri* autem *Deo* est Deo honorem dare & Deum prædicare; quod fit dum per eum juramus. Nam per eum quem Deum credunt homines jurare solent. Cæterùm ad Philippenses hæc eadem verba adducens, licèt aliud agat, manifestè notat, etiam ante Judicium *in nomine* JESU *omne genu flecti, cœlestium, terrestrium & infernorum*: quod consecutum dicit Dominum JESUM per humilitatem quâ se depressit, accipiens hominum formam & habitum servi. Ergò dum jurat facturum se *quo sibi curvetur omne genu*, jurat *se formam servi accepturum*, &c. quod verbum est misericordia & justitia & sanctificatio. Scimus autem *non rediisse inane* hoc *verbum* Domini, & in toto orbe ab Angelis, ab hominibus & apostatis Spiritibus Dominum JESUM pro Deo habitum. Porrò agnitæ Divinitatis symbolum est *Curvatio omnium genuum*, & *Juramentum*. *Omnium* autem more Scripturæ intelligitur, i. plurimarum gentium.

24. *Ergò in Domino, dicet*] Illud *dicet* duabus virgulis includendum est. Sensus Vulgatæ versionis hic est, *Ergò omnis lingua dicet, In Domino sunt meæ justitiæ & imperium* seu *robur*: utrumque enim dictio עז notat, quasi agnoscant quòd per Christum advenerint homini justitia & vires ad resistendum peccato. Hunc locum torquent luxántque Lutherani, ut probent in nobis nullam esse justitiam, sed extra nos, videlicet in CHRISTO, & per ipsius justitiæ nos imputationem salvari. Sed locus illis non favet: non potest enim veritas mendacio patrocinari. Et quidem nemo negat in Domino JESU sitam esse, i. ab ipso pendere, justitiam nostram. Ab ipsius enim justitia seu plenitudine promanat justitia nostra, ut rivuli ex fonte. Quemadmodum autem rivuli aqua fontis aqua dicitur & rivuli, ità nostra justitia nostra est, & ab ipso Christo dimanat. Neque hoc est Christo Domino derogare, sed omne nostrum bonum illi adscribere, ut qui per Dominum & in Domino justitiam nos habere fatemur. Sed ad rem redeo. Potest & alter subesse sensus, videlicet ut exprimat quibus verbis *jurabit* & Deum confitebitur *omnis lingua: Certè per Jehova dixit mihi*, i. Dicet absque dubio, quando juraverit, *per Jehova, per JESUM Christum, ità omnes in mei gratiam dicent.* Nam illud *mihi* vel Hebræo more redundat, vel valet *in gratiam mei*. Dicent etiam, *Justitia & imperium ad eum venient*, i. Ipsius est justitia seu laus justitiæ, & ipsius est imperium. Ut sit expositio ejus quod dixerat, *Mihi curvabitur omne genu.* Dum enim confitemur Christum Dominum in cœlis esse, in dextera Dei sedentem, eum justum, & penes ipsum esse imperium confitemur. Unde Paulus Phil. 2. hæc duo conjunxit, *ut in nomine JESU omne genu flectatur, & omnis lingua confiteatur quia Christus est in dextera Dei Patris.* Et Dominus in Euangelio Joannis exponens de quanam *justitia* Spiritus S. *convinceret mundum*, ait, *Ego ad Patrem vado, & jam non videbitis me.* Convincet, inquit, mundum & apertè confirmabit me justum fuisse, & Regnum spirituale auspicaturum, in cœlum me recepisse. Verti autem *Veniet*: nam in Hebræo singulare est יבא, & construitur cum nomine עז, *firmitudo, robur, regnum, imperium.* Neque distinctio Rabinorum moratur. אך autem verti *certè*. Nam initio orationis est Affirmativa particula vel Adversativa. Vulgatus pro Illativa accepit cum Græcis, ut in loco Psal. 73. *Et dixi, Ergò sine causa justificavi*, &c. ubi Affirmantis quoque esse potest. Est quoque in his verbis alius sensus haud abjiciendus, ut hic versus sit pars juramenti: Dicit itaque Jesaias, *Profectò Jehova dixit, per Jehova*; (nam hoc est *per semetipsum jurare*) *Mihi sunt justitia & imperium*: i. Ego sum *justus, & justificans*, ut inquit Paulus. *Extra me non est justitia, neque justificatio. Quem ego non justum pronunciavero, non est justus: Cui non imputavero peccatum, justus & beatus est. Meum quoque est Imperium & Regnum, omnisque potestas; ut auferre Regnum, & dare, cui voluero, possim.* An non sunt istæ voces Domini JESU Christi, qui *sibi datam universam potestatem* post resurrectionem dicit *in cœlo & in terra?* Juxta quam concedit Discipulis ut *quorum remitterent peccata, remissa forent?* Certè *ipsius sunt justitia & imperium.* Quæ autem sequuntur verba sunt Prophetæ, quæ ità verti possunt, *ad se adducet, & pudefient omnes qui excandescunt in eum*, vel *exardescunt in eum*, qui repugnant, qui rebelles sunt: quod in die Judicii futurum manifestum est. Quamvis sit & in hac vita *confusio*, quæ adducit gloriam: sed non videtur de hac esse sermo. De electis enim sequitur per Antithesin, *In Jehova justificabuntur*, &c. Quòd autem יבא, ac si esset in Hiphil, verbo *adducendi* reddidi, nè cuiquam mirum videatur: Nam Hebræi interdum verbis Primæ pro Tertiæ utuntur: & in hoc ipso verbo jam exempla suprà vidimus. Congruit autem hæc sententia cum illis verbis Domini in Euangelio Lucæ in parabola, in qua Dominus ut Rex introducitur. Post quem tamen abeuntem *cives ejus, qui eum oderunt, legationem miserunt, dicentes, Nolumus hunc regnare super nos. At quando rediit, dixit, Inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare super se, adducite ad me, & interficite ante me.*

25. *In Domino justificabitur*] Adversarii *pudefient*, at Israelitæ *justificabuntur*, i. justi pronunciabuntur, ut *nemo condemnare* audeat quem *Deus justificat* seu *absolvit*, ut est apud Paulum. Idem autem est *Deum absolvere* seu *justificare* & *in Deo justificari* seu *per Deum*. At justificati per Deum quî fieri poterit ut non laudentur? Certè neque ipsi adversarii laudes eorum reticere poterunt, cùm viderint eos quos hîc deridebant, inter filios Dei computari, & sortem cum Angelis Dei accipere. Per universum verò *semen Israel* intellige non *filios carnis*, sed *promissionis* & *fidei*. Adde quàm infinita quoque multitudo Israelitarum etiam secundùm carnem ad Christum & Regnum ejus pertinet, & his novissimis diebus quotidie ex Israelis semine

ne plurimi salvantur. Adimpletur enim illud Pauli, *Cum ingressa fuerit plenitudo Gentium, tunc omnis Israel salvus fiet.* Jam *plenitudo Gentium* intravit, jámque plurimi Israelitæ cum eis & post eos ingrediuntur: ut non alia illorum conversio fortè exspectanda videatur quàm quæ quotidie fit.

DRUSIUS.

9. הוי רב את־יצרו חרש את־חרשי אדמה. Th. *Veh ei qui contendit contra factorem suum, arans arantis terram*] Malim *arantium*, i. חורשי, & *arans*, i. חרש. Sed vide Hieron.

13. וכל־דרכיו אישר. Sym. καὶ πάσας τὰς ὁδοὺς αὐτοῦ εὐθυνῶ, *& omnes vias ejus dirigam*]. Euseb.

14. יגיע מצרים. Omnes, κόπος Αἰγύπτου, *labor Ægypti*] Euseb. ¶ אך בך אל ואין עוד אפס אלהים]. Th. *in te est * Fortis, & non est alius præter eum Deus*] Hieron. * Deus fortis, ὁ ἰσχυρός.

15. אכן אתה אל מסתתר אלהי ישראל מושיע. A. Θεὸς ἄρα, ἰσχυρὸς ἀποκρυπτόμενος, Θεὸς Ἰσραὴλ, σώζων, *Deus utique, fortis absconditus, Deus Israel, servans.* Th. διὰ τοῦτο ἰσχυρὸς κρυφαῖος, Θεὸς σώζων, *Propterea Deus fortis occultus, Deus servans.* Locus iste plenior exstat in 5. Ἀποδείξ. Eusebii, Ἀκύλας, Πλὴν ἐν σοὶ ἰσχυρὸς, καὶ οὐκ ἔστιν ἔτι παρά σοι, Θεὸς ἄρα ἰσχυρὸς ἀποκρυπτόμενος, Θεὸς σώζων. Sym. Μόνος ἐν σοὶ Θεὸς, καὶ οὐκ ἔστιν ἔτι οὐδ' ὑπάρχει Θεός. ὄντως σὺ Θεὸς κρυφαῖος, Θεὸς Ἰσραὴλ σώζων. Et paulò antè, A. Θεὸς ἄρα ἰσχυρὸς ἀποκρυπτόμενος, Θεὸς Ἰσραὴλ σώζων. Th. διὰ τοῦτο ἰσχυρὸς κρυφαῖος, Θεὸς σώζων· καὶ οὐκ ἔστι Θεὸς πλὴν αὐτοῦ, *& non est Deus præter ipsum.*

IDEM EX PROCOPIO.

4. בשמך. A. Sym. Th. —— σου —— *tuo.*

5. אאזרך. Th. Ἐνίσχυσά σε.

6. שמש. Sym. Th. ἡλίου αὐτοῦ *Solis ipsius.*

9. הוי רב את יוצרו. Sym. Οὐαὶ ὁ ἀντιλέγων τῷ πλάσαντι αὐτὸν, *Væ qui contradicit fictori suo.* Th. Οὐαὶ ὁ κρινόμενος μετὰ τοῦ πλάσαντος αὐτὸν, *Væ qui contendit cum fictore suo.* A. Μὴ δικαζόμενος σὺν πλάσαντι αὐτὸν, *non contendens judicio cum eo qui finxit ipsum*] Μὴ suspectum de vitio. ¶ חרש את חרשי אדמה. Th. ἀροτριῶν τοὺς ἀροτριῶντας τὴν γῆν, *qui arat arantes terram.*

10. מה תוליד. Sym. Τί ἐγέννησας; *Quid genuisti?*

11. ועל־פעל. Th. καὶ περὶ τῆς ἐργασίας.

13. וכל־דרכיו אישר הוא־יבנה עירי. Sym. καὶ πάσας τὰς ὁδοὺς αὐτοῦ εὐθυνῶ. καὶ οὗτος οἰκοδομήσει τὴν πόλιν μου, *& omnes vias ejus dirigam; & ipse ædificabit urbem meam.*

14. יעברו. Th. καὶ διαβήσονται πρός σε, *& transibunt ad te.* ¶ אך בך אל ואין עוד אפס אלהים. Th. πλὴν ἐν σοὶ ἰσχυρὸς, καὶ οὐκ ἔστιν ἔτι πλὴν αὐτοῦ, *veruntamen in te Fortis, & non est amplius præter eum.* Aquila quoque אל ἰσχυρός.

15. מסתתר. Th. ἀποκρυπτόμενος *absconditus.* Sym. Th. κρυφαῖος *latens.*] In comment. est κορυφαῖος, & in margine ad textum κρυφαῖος. Addit Procopius, τὸ ἀπόκρυφον τῆς τοῦ Χριστοῦ θεολογίας ἐμφήναντες· ubi *Theologiam* vocat Christi Divinitatem. Hoc sensu Gregorius Nazianzenus peculiariter *Theologus* olim dictus fuit.

19. תהו בקשוני. Sym. ματαίως ζητήσατέ με, *frustrà quærite me.* Alii, κενῶς ζητήσατέ με, *inaniter quærite me.*

20. התנגשו יחדו פליטי הגוים. Sym. περισεγγίσατέ μοι * οἱ διαπεφευγότες τῶν ἐθνῶν, *accedite ad me * qui de gentibus effugistis.*

24. ועז. Sym. καὶ ἰσχὺς *& robur.*

GROTIUS.

1. HÆc dicit Dominus christo meo Cyro*] In Hebræo non *meo*, sed *suo* est; id est, ad opus Dei singulariter dilecto ac consecrato, non minùs quàm si more Regum Judæorum per Prophetam aliquem unctus esset.

Cujus apprehendi dexteram] Quem ego confirmabo.

Et subjiciam ante faciem ejus gentes] Medos, Lydos, Jonas, Babylonios.

Et dorsa regum vertam] Vertam Reges in fugam, Astyagem, Crœsum, Nabonidum.

1. 2. *Et aperiam coram eo januas, & portæ non claudentur. Ego ante te ibo, & gloriosos terræ humiliabo: portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam*] Hæc omnia significant facturum Deum ut ei nihil obstet. Parem ferme felicitatem præstitit Deus Alexandro & Cæsari, illi ad Persarum, huic ad Romanorum ferociam edomandam. Latinus interpres, ubi nos habemus הדורים [*inæqualia*], quod Græci vertunt ὄρη [*montes*], legit אדירים [*magnificos*]. Sensus in Hebræo bonus est: *iniqua loca adæquabo.*

3. *Thesauros absconditos*] Ut Sardium, ubi gaza erat plurima. Item Asiæ, Joniæ, Mesopotamiæ, ditissimarum regionum. Plinius XXXIII. 3. *Jam Cyrus devictâ Asiâ pondo* XXXIV *millia invenerat, præter vasa aurea, arumque factum, & in eo folia ac platanum, vitémque. Quâ victoriâ argenti quingenta millia talentorum reportavit, & craterem Semiramidis, cujus pondus* XV *talentorum colligebat. Talentum autem Ægyptium pondo* LXXX *capere Varro tradit.*

Et arcana secretorum] Gemmas & monilia diligentissimè asservata.

Qui voco nomen tuum] Qui tibi jam nunc indo nomen magnificum. Nam Κῦρος, si Ctesiæ & Plutarcho credimus, *Solem*, si aliis, *alimoniam* significat. Fuit autem Cyrus & lux magna Persarum, & verus altor parentium sibi populorum.

4. *Propter servum meum Jacob, & Israël electum meum*] Quia ad ejus libertatem tuâ operâ uti volo.

Assimilavi te, & non cognovisti me] Ex Hebræo verte: *Cognominabo te priusquam me cognoscas.* Id est, infantem adhuc insigniam egregio illo titulo *Cyri*. nam proprium ei nomen fuit aliud, ut ait Herodotus.

5. *Accinxi te, & non cognovisti me*] Græci benè, ἐνίσχυσά σε [*vires tibi dedi*]. Efficiam ut exercitum ab Harpago habeas, quo Astyagem oppugnes. Deum esse unum mundi opificem nondum tunc norat Cyrus, sed id postea ab Hebræis didicit, (Vide suprà XLI. 25.) ut & animorum immortalitatem, quam firmè ab eo creditam testantur Xenophon & Cicero Catone majore.

7. *Faciens pacem*] Dans salutem populis, ut Persis.

Et creans malum] Immittens mala in populos, ut Medos, Babylonios.

8. *Rorate cœli desuper, & nubes pluant justum: aperiatur terra & germinet salvatorem, & justitia oriatur simul: ego Dominus creavi eum*] Ex Hebræo, *Manate cœli de supernis, & summaætheris stillent justitiam: aperiat se terra ut fructum proferant salus & justitia. Hæc simul germinare faciet is quem ego Dominus creavi.* Describitur imperium Cyri quem *Patrem populorum* appellarunt omnes; nempe fore ut terra plena sit justitiæ ac felicitatis, non aliter quàm plena humoris esse solet, cœlo largè pluente. Similis locutio Psalm. LXXII. 6. 7. Fuit Cyrus, ut ex historiis apparet, justus, magnanimus, clemens, liberalis. Tot atque tantis virtutibus eum Deus instruxerat: quod hîc dicitur *creavi*.

9. *Væ qui contradicit fictori suo*] Causam jam adfert evertendi regni Babylonici, quòd ejus Reges in Deum verum impii futuri sint verbis factísque. Vide Danielem V. Quàm autem hoc sit iniquum, similitudinibus illustrat.

Numquid dicet lutum figulo suo, Quid facis? & opus tuum absque manibus est] Meliùs, *Quomodo me faceres? ad opus tuum non sunt manus*, idoneæ scilicet: non satis habes virium. Hoc est adversùs eos qui rerum Creatorem negabant.

10. *Væ qui dicit patri, Quid generas?*] *Quomodo generare posses?*

Et mulieri, Quid parturis? Quomodo posses parere?

11. *Sanctus Israël plastes ejus*] Qui ut Creator ab ipso agnoscor.

Ventura interrogate me super filios meos] Quærite à me quid ego facere velim de illo populo, quem ut filium amplector.

Et super opus manuum mearum mandate mihi] *Et præcipite mihi*: id est, impedite, si potestis, nè quod volo de illis faciam. Ità experiemini quid vos possitis, & quid ego possim.

12. *Et omni militiæ eorum mandavi*] *Impero.* Vide suprà XL. 26. Quomodo ergò vos mea decreta impediretis, quibus & astra parent?

13. *Ego suscitavi eum ad justitiam*] Cyrum evexi in regnum, ut ea quæ justa & æqua sunt faceret.

Et omnes vias ejus dirigam] Successus ipsi admirandos dabo, ut suprà hoc capite 1. & 2.

Ipse ædificabit civitatem meam] Id est, Templum, partem Urbis potissimam. Vide II Paral. XXXVI. 23. & initium Esdræ.

Meam captivitatem dimittet] Populum meum captivum.

Non in pretio, neque in muneribus] Nihil pro tanto beneficio ab Judæis aut accepturus aut postulaturus. Describit animum ejus verè regalem.

14. *Hæc*

14. *Hæc dicit Dominus, Labor Ægypti & negotiatio Æthiopiæ & Sabaim, viri sublimes ad te transibunt, & tui erunt*] Sensus est: Quia mercede nullâ adductus, Cyre, rem facies tam egregiam, ego ultro tibi mercedem dabo. Ægyptii, Æthiopes, Sabæi, in Babyloniorum fuerant partibus, & pariter cum eis cæsi, capti, spoliati sunt eo prælio, quo ad Babylonem victor exstitit Cyrus. Erant autem populi illi ditissimi. De Ægypto vide 1 Reg. x. 28. de Æthiopibus Job. XXVIII. 19. Psal. LXVIII. 32. de Sabæis Plinius VI. 28. *Sabæi Arabum propter thura clarissimi ad utraque maria porrectis gentibus.* Sic in Antonii auxiliis apud Virgil. VIII.

——— *omnis eo terrore Ægyptus & Indi,*

Omnis Arabs, omnes verterunt terga Sabæi.

Sabæos fuisse proceros dicit Agatharchides.

Te adorabunt] Coram te se prosternent more Orientis. Hunc honorem inter Persas Cyro primùm delatum ait Arrianus. Apud alias gentes erat satis antiquus.

Tantùm in te est Deus, & non est absque te Deus] In Hebræo: *Tantùm in te* (id est, tecum) *est Deus, præter quem Deus non est.* Hæc verba erunt victarum gentium ad Cyrum.

15. *Verè tu es Deus absconditus*] Aquilæ ἀποκεκρυμμένος, Theodotioni κρυφαῖος [*absconditus*]: id est, *admirabilis.* Hic Esaias iterum loqui incipit.

16. *Abierunt in confusionem fabricatores errorum*] Chaldæi astrologi.

17. *Salute æternâ*] In Hebræo, *salute seculorum*: id est, in longum duraturâ.

18. *Non in vanum creavit eam*] Istam terram Judæam. Vult eam rursus habitari & coli. Hebræi hinc inferre volunt etiam post Resurrectionem terram non fore inanem.

19. *Non in abscondito locutus sum, in loco terræ tenebroso*] Tribus notis se à diis gentium discernit. Dii gentium audiebantur ex antris & locis ad fraudem idoneis. Vide Scholiasten ad illud Papinii fine primi Thebaïdos:

——— *seu Persei sub rupibus antri.*

Non dixi semini Jacob, Frustra quærite me] Dii gentium cultores suos stantes servare, vel prostratos erigere non valent.

Ego Dominus loquens justitiam, annuntians recta] Apud Babylonios recepto ritu omnes feminæ corpus vulgabant; idque in honorem Veneris, quam *Mylittam* vocabant. Vide Herodotum Clio. Dei lex, custos castitatis.

20. *Qui salvati estis ex gentibus*] Græcis: οἱ σωζόμενοι ἀπὸ τῶν ἐθνῶν [*sospites à gentibus*], id est, qui superstites eritis ex illis cladibus quas Cyrus inferet.

Nescierunt qui levant lignum sculpturæ suæ] Earum quas dixi rerum nihil norunt illi qui erigunt statuas, quas sculpi fecère.

Et rogant Deum non salvantem] Nullarum virium.

21. *Quis auditum fecit hoc ab initio, ex tunc prædixit illud*] Loquitur rursum, quasi illis temporibus, Cyro victore & Judæos restituente. Quis est ex omnibus fictitiis diis qui hæc olim prædixerit cum omnibus suis circumstantiis, ut ego feci?

22. *Convertimini ad me*] Abdicatis idolis; quod multos illis temporibus fecisse omnino credibile est: sed ut id nihil esset ad eam mutationem quam Christus effecit.

Et salvi eritis, omnes fines terræ] Benè explicant Græci: οἱ ἀπ' ἐσχάτου τῆς γῆς [*vos qui ab ultimis terræ*].

23. *Egredietur de ore meo justitiæ verbum*] Id est, dictum verissimum.

Et non revertetur] Non erit irritum: ut Legati qui revertuntur re infectâ.

24. *Quia mihi curvabitur omne genu, & jurabit omnis lingua*] Illud *omne* & *omnis* hîc non sine exceptione sumendum ostendit, quod sequitur, *futurum ut pudefiant qui Deo se opponunt.* Ergò intelligendum, de plurimis gentibus futuros aliquos qui veniant invocatum Deum verum in ambitu Templi, ut Solomo prædixerat 1 Regum VIII. 41. Præterea multos etiam domi Deum verum culturos, ut Neheman fecerat. Cultus autem, quod est nomen generis, per juramentum, id est, speciem suam, explicatur populariter.

25. *Ergò in Domino*] Verte, *nempe per* יהוה. Per nomen illud Dei Israëlis. Vide quæ ad Matthæi XXII. 44.

Dicet mea sunt justitia & imperium: ad eum venient, & confundentur omnes qui repugnant ei] Hîc lectio quam secuti sunt LXX melior est, nempe לו [*ei*] pro לי [*mihi*], ut illud עדיו [*usque ad eum*] sit quasi repetitio illius לו [*ei*], genere loquendi Hebræis non infrequente. Sensus est, *Dicet quisque illorum ex gentibus, cùm ista quæ jam diximus videbit, Deum & veracissimum esse & potentissimum, meritòque eos erubescere debere qui se ei opponunt.*

26. *In Domino justificabitur & laudabitur omne semen Israël*] Id est, propter unius Dei cultum, laudem ac gloriam consequetur populus Israëliticus apud omnes bonos qui sunt in gentibus. Δικαιοῦσθαι [*justificari*] sæpe est *justitiæ aut probitatis nomine laudari*, Matth. XI. 19. Lucæ VII. 29. X. 29. XVI. 15. 1 Timoth. III. 16. Ecclesiastici I. 28. XXXI. 5.

CAP. XLVI.

MUNSTERUS.

1. QUÆ *à vobis sunt gravata*] Loquitur ad idola, quæ pondere suo premebant animalia ipsa portantia, quæ sic infirma fuerunt ut nec se nec jumenta *potuerint liberare*, quin *anima ipsorum*, i. ipsamet, *abierint in captivitatem*, à Cyro scilicet avecta. Et per hæc irridet Propheta cæcos homines, qui tales habuerunt deos quos animalia portare oportebat.

2. *Succubuerunt*] Refertur ad Babylonios, qui nec se nec onus deorum potuerunt salvare.

3. *Qui gestamini à me ab utero*] Alludit ad illud, *De utero matris meæ usque in senectam non derelinques me.* Quidam ex nostris sic vertunt, *Qui portamini in utero meo*: quibus libenter subscriberem, si in Hebræo esset בבטני vel מן בטני, præsertim cùm subjiciatur verbum אסבל, quod *cum compassione* significat *portare*, aut *crucem portare.*

8. *Viriliter agite*] Verbum התאששו quidam putant derivari ab איש, alii ab אשש קר. Sunt etiam qui הכלמו *confundamini* interpretantur.

11. *Avem*] Vocat Cyrum & exercitum ejus *avem* à velocitate.

VATABLUS.

1. CUrvavit se Bel, &c. [כרע בל קרס נבו] *Concidit Bel, concidit Nebo.* Alii, *Prostratus est Bel, succubuit Nebo.* ¶ *Quæ vos ferebam*, &c. [נשאתיכם עמוסות וגו'] Hebræi vertunt ut vertit noster Interpres, qui volunt נשאתיכם esse Toar animalium gestantium simulacra. Alii, *quæ à vobis sunt gravata & onerata pondere premente ad fatigationem.* Alii, *Oneribus vestris onerabuntur, pondus erit illis fessis*: q. d. Vos aliò asportabimini, & præ pondere auri & argenti onerabuntur admodum feræ & jumenta. Alii, *oneribus vestris gravata, pondus ad lassitudinem.*

2. *Curvaverunt sese*, &c. [קרסו כרעו יחדו] Eadem verba quæ v. 1. *Corruerunt, prostrata sunt.* Verti possunt hæc per futurum. ¶ *Eruere se ab onere* [מלט משא] *Subtrahere se oneri.*

4. *Ego sum* [אני הוא] *Ego ipse*: vel, *ego idem.*

5. *Assimilabitis me* [תדמיוני] Futura Heb. pro præs. ut quidam vertunt. ¶ *Et similitudo ero* [ונדמה] *Ut similis sim?*

6. *Qui depromunt* [הזלים] Ad verb. *Qui abire faciunt.* Alii, *Qui vilipendunt*, i. qui temere profundunt. ¶ *In statera* [בקנה] Hæc vox קנה significat *partem illam transversariam bilancis in cujus extremitatibus dependent lances.* ¶ *Ponderantes, mercede conducent* [ישקלו ישכרו] Fut. Heb. pro præs. ¶ *Cui incurvabunt sese*, &c. [יסגדו אף ישתחוו] Fut. Heb. pro præs. ut quidam volunt, *incurvant sese, & adorant.* Alii, *cui incurventur, atque etiam adorent.*

8. *Et roborate vos* [והתאששו] i. Præstate vos viros: estote viri. Quidam deducunt ab אש *ignis*, & vertunt *ardete: comburite vos*: acsi dicat, Erubescite de operibus vestris malis. Sic Hebræi. Qui enim pudore suffunduntur, videntur quasi inflammari. ¶ *Reducite* [השיבו] i. Reducite istud in animum. Alii, *redite, ô transgressores, ad cor.*

9. *Et non est ultrà Deus*, &c. [ואין עוד אלהים ואפס כמוני] *Et nullus est præterea Deus, & nullus est similis mihi.*

10. *Annuncians ab exordio novissimum* [מגיד מראשית אחרית] i. *Qui prædico quæ futura sunt, antequam sint.* ¶ *Et ab initio* [ומקדם] *Et à vetustate.* Alii, *& ab antiquo.* ¶ *Dicens, Consilium meum stabit* [אמר עצתי תקום] *Dico*, & *consilium meum stat*: i. præcipio, & idem fit: quæ loquor eveniunt.

11. *Avem* [עיט] i. Cyrum, qui instar avis, leviter celeriterque contra Babel venit. ¶ *Locutus sum* [דברתי] i. Prædixi, & prædictionem meam adimplebo. ¶ *Formavi* [יצרתי] *Finxi*, i. statui. Alii, *cogitavi.*

12. *Duri corde* [אבירי לב] Hebraismus, præfracti corde, sive pervicaci animo aut contumaci.

13. *Appro-*

13. *Appropinquare faciam* קרבתי] *Admovebo. Accedere faciam.*

CASTALIO.

1, 2. *ONus tanta lassitudinis, ut collapsa succumbant, nec onus perferre valeant*] Sc. jumenta. Quod *perferre* interpretor, Hebræum verbum significat *liberare* & *efficere ut evadat*. Sed aliquando sign. *ad exitum perducere*, ut Esa. 34. ubi sic ad verbum legitur, *Ibi nidificabit bubo, & liberabit*, h. e. impunè nidificabit & pullos ad exitum perducet prorsúmque nutriet. Eodem modo locutus est & Micheas 6. Atque hoc loquendi modo Gallicè dicimus *evasisse pullos*, *nihilque jam metuere*, cùm eò usque nutriti sunt ut jam injuriam (cui obnoxia est tenera ætas) non metuant. Idémque dicimus & in uvis reliquísque terræ frugibus. Igitur hic *tueri* aut *liberare onus* est eò proferre quò destinaveris. Quod idem intelligendum est in verbis quæ paulò pòst sequuntur, *Idem & feram & perferam*, vers. 4.

CLARIUS.

1. *COnfractus est Bel*] Completio est superioris argumenti, quòd scilicet impii cum suis idolis confundentur. Babyloniorum enim idola, *Bel* & *Nabo*, dejicientur ab exercitu Cyri, & eis *animalia onerabuntur*, ut in Medos & Persas captiva avehantur, non sine *gravi onere jumentorum*, cùm argentum & aurum sint, & ipsa sese ferre non valeant. *Bel*, ut ait Hieronymus, *is est quem Græci Saturnum vocant, cujus tanta fuit apud veteres religio ut ei non solùm humanas hostias captivorum ignobiliúmque mortalium sed & suos liberos immolarent.* ¶ *Presserunt ea*] h. e. Jumenta à vobis sunt gravata & onerata, pondere premente *ad fatigationem*.

2. *Contabuerunt*] Vel *succubuerunt, & incurvati sunt pariter, & non potuerunt efficere ne essent oneri jumentis portantibus.* Irridet ergò Propheta cœcos homines, qui tales habuerunt deos quos animalia portare oportebat.

3. *Qui portamini à me ab utero*] Alludit ad illud, *De utero matris meæ usque in senectam non derelinques me.* Sic *à vulva*, h. e. à principio.

9. *Recordamini prioris seculi*] Nam dii Gentium recentior est res quàm ut ad Divinitatem possit pertinere.

11. *Vocans ab Oriente avem*] Cyrum, tam velocem quàm est *avis*, qui à Medis veniet.

FORERIUS.

1. *COnfractus est*, &c.] Ubi Christum regnaturum dixit erepturúmque suos è captivitate Peccati, cujus typus erat Cyrus, jam Idolis, quorum cultum religio Christiana abegit, insultare videtur Propheta: cujus rei etiam captivitas deorum Babyloniorum typus erat. Vulg. *confractum* dixit pro *incurvatum*. Nam tunc idola, quæ nec juncturas neque flexibile dorsum neque genua habent, *incurvari* dicuntur quando confringuntur. Hoc idem verbum Vulg. Gen. 49. verbo *requiescendi* reddidit, *Requiescens accubuisti ut leo*, & Num. 24. verbo *accubandi*: suprà tamen 10. 4. verbo *incurvandi* propriè reddidit, & 45. 13. Notum autem est, *Bel* fuisse idolum Babyloniorum. Hoc Ninum ajunt erexisse, ut patrem suum mortuum pro Deo colerent. Vide Dan. 14. De *Nabo* quoque nihil certi afferunt, nisi quòd ex hoc loco idolum ajunt fuisse apud Babylonios. Civitatem ejusdem nominis in terra Moab suprà, & in Jeremiah habes, & in libro Numerorum cessisse in sortem filiis Ruben *Nebo* cum aliis civitatibus quæ erat in Regno Seon Regis Amorrhæorum & Og Regis Basan, Num. 32, & 33. *Nabo* autem Babyloniorum nusquam nisi hoc loco legitur. ¶ *Contritus est*] Verbum קרס seq. versu Vulg. reddidit *Contabuerunt*: neque alibi legitur in Scripturis. Ex nomine autem derivato & contextu videtur habere cognationem cum verbo *incurvandi*. Quia verò idola ex auro vel argento erant, quæ Medi & Persæ milites non ut colerent sed ad alios usus deferebant, ea ut meliùs deferri possent, ex parte contundebant, idcirco verba *flectendi*, *contorquendi* seu *incurvandi* illis tribuit Propheta: quæ verba si rebus vivis adaptantur, dolorem notant, quem fortè irrisoriè illis tribuit Propheta, sicut mox *anima eorum* mentionem facit. ¶ *Facta sunt simulacra eorum*, &c.] Vel, *fuerunt bestiis & jumentis*, sup. *imposita*: vel, *fuerunt jumentis*, i. jumenta ea habuerunt, & in potestate jumentorum fuerunt, veluti sors eorum. ¶ *Onera vestra gravi pondere*, &c.] Sensus idem est: ego tamen Hebræa ad verbum reddidi, *Gestamina vestra imposita*, sup. *fuerunt*, *onus ad lassitudinem*, seu *defatigationem*, i. valde onerosa. Videtur autem esse sermo vel ad ipsa idola vel ad ipsos idololatras: & *gestamina* vocat ipsa idola ad gestandum aptata.

2. *Contabuerunt, & contrita sunt*] De his duobus verbis dixi versu superiori, &, ni fallor, hic ad *jumenta* referenda sunt; quòd *jumenta repanda facta sunt & incurvata sunt pariter cum ipsis idolis, & sub onere corruerunt; neque onus ipsum à se potuerunt excutere*: hoc enim vocat Hebraismus *facere evadere*. Non tamen abjicio sensum Vulgati, quòd *idola contusa & in onus aptata non potuerunt servare portantem*: ut *salvare onus* sit facere ut jumenta non deficerent: ut hoc sit *salvare portantem*. ¶ *Et anima eorum*] Hoc de *ipsis idolis* interpretantur, quibus per irrisionem tribuitur *anima*. Possumus etiam, neque ineptè, sic locum reddere, *& anima ipsorum cum captivitate abiit*, quòd jumenta sub onere animam efflarent; atque ità simul cum rebus abductis auferatur; abeat, recedat atque evanescat. Ità enim interdum accipitur verbum ילך, i. *abiit*, ut Ps. 109. *Sicut umbra cùm declinat abii.* Neque sale caret hic sensus, éstque satis planus; *quasi jumenta, sicut ipsa idola, incurvata sint, & pariter cum ipsis reflexa corruerint, & ipsorum anima simul cum ipsis abierit & evanuerit*; quasi sortem idolorum sorti jumentorum comparet. O bellos Deos, qui sic auferuntur & evanescunt!

3. *Audite me*] i. Accommodate animum iis quæ à me dicuntur: q. d. *Videtis quid acciderit diis Gentium, quàm infirmi sint, ut hominum ac jumentorum operâ indigeant? Audite jam quid dicam; Vos, inquam, non quorum operâ ego indigeo, sed qui sine me nihil estis, imò quos tanquam filios ego mihi assumpsi humerísque meis imposui ab eo jam tempore quo geniti fuistis, quósque gero in brachiis meis ex eo tempore quo in lucem editi estis*, i. quorum amantissimè curam gero jam ex tempore quo esse cœpistis, à tempore Abrahæ, Isaac & Jacob. Quæ autem vult ut attenderent, infert v. 5, & seq. insertâ hâc pulcerrimâ Antithesi, quâ ostendit quantum præcellat diis Gentium: *Illi portantur*, &c. *Ego vos porto, nutrio, alo, tam in juventa quam in decrepita, libero & servo*, &c. ¶ *Residuum domûs*, &c.] Ad eos est sermo qui ex vastatione Chaldæorum superfuerunt, qui fuerunt typus sanctarum reliquiarum quæ superfuerunt ex infidelitate quæ tempore Christi inundavit universam Judæam. ¶ *Qui portamini à meo utero*] Ità vertendum contendit Hieronymus in Comment. in h. l. Ego verò tanto viro contradicere quî audeam? Accepit ille Jod in voce מי pro pronomine affixo, quasi ad verbum dicendum esset, *qui portamini à me uterò*, i. à meo utero: idem in sequenti membro: quam interpretationem nemo meritò improbabit. Verùm cùm videamus in plerisque locis præpositioni מן addi Jod paragogicum, ut suprà 30. 11. Jud. 5. Ps. 44, & 78. rectè etiam verti potest *impositi ab utero, gestati à vulva*: nam sequitur quòd *usque ad canos portaret*, &c. ¶ *Qui portamini*] Suprà v. 1. dixi *gestamina*: erat enim femininum: hic verò est participium masc. à verbo עמס, *imposuit*, sup. *onus*. Est ergò sensus, quòd ab ineunte ætate non permiserit eos pedibus suis ambulare, sed humeris suis eos imposuisset. Fortè meminit eductionis ex Ægypto: nam tunc dicitur Dominus eos *portasse sicut nutritius*, &c. Sequens versus hunc sensum explicat.

4. *Usque ad senectam*, &c.] Ego ipse qui vestrî curam gessi à pueritia seu primis annis, & tanquam puerulos in sinu meo fovi, non sicut matres, quæ ubi nati creverint à se curam illorum ablegant atque ab ipsis vicem exspectant, vos ego, ubi in viros crevissetis, nequaquam abjeci quin *usque ad senectam vos bajulabo*, vósque fovebo, & ad decrepitam usque ætatem eodem studio prosequar. Hæc de populo illo seu Ecclesia Judæorum intellige. In patribus, rudibusque principiis, in Ægypto & deserto tanquam parvulos aluit: sub Davide & Regibus, jam viros factos non deseruit: cùm etiam jam veluti ad senectutem tenderet respub. illa, & in captivitatem abirent, illorum memor Prophetas excitavit qui consolarentur eos, ac tandem ex captivitate eduxit, cùm jam de eorum rebus actum esse videbatur. Hæc est summa votorum piorum hominum, videlicet nè à Deo deserantur; sed qui de ventre matris eorum curam gessit, usque ad senectam & senium ab eo sustententur, sicut non uno loco David petebat. Sed numquid nos Christiani minùs dilectam Ecclesiam Christianorum Deo quàm fuerit Judæorum existimabimus? Imò verò non una eadémque fuit semper? Putabimúsne quòd in his miserrimis temporibus dilectæ suæ obliviscatur, rerúmque nostrarum non habebit rationem? Bono animo simus, fratres; *Usque ad finem seculi nobiscum est*, & post tempestatem tranquillum faciet, & in tanta rerum perturbatione atque Ecclesiæ suæ jactatione scio quòd misericordiæ recordabitur; neque obliviscetur misereri Deus. ¶ *Ego feci*] *Ego eos procreavi, editos in lucem levavi atque portavi: quare & evadere faciam, eripiam atque liberabo*: ut sit expositio ejus quod præcessit, quòd à

ventre portasset, & *usque ad senectam gestaret*, ut ex beneficiis quæ hactenus experti fuissent spem firmam conciperent, non eos captivos desereret. Unde sicut ex aliis infinitis locis habemus, optima spei seu fiduciæ alendæ fomenta esse præteritorum beneficiorum in nos à Deo nostri amantissimo collatorum recordationes.

5. *Cui assimilastis me*] Indignationem continet hæc interrogatio, animósque Judæorum acriter perstringit emphasi pronominis, *me*, & *cui*, q. d. Si sic se res habet ut tam humilis sit idolorum omnium conditio; si stipites sunt & trunci & immobiles quædam statuæ; ego verò feci vos, educavi, gestavi in sinu, & vestri curam gerens ab universis malis vos eripui, & spes est quòd deinceps eripiam; *cui nam rei me similem fecistis?* aut *facietis*, i. facere soletis? Hoc tempus illud respicere videtur quo abductis in captivitatem ab Assyrio 10. Tribubus reliqui Judæi nequaquam ab idololatria abstinebant: ob quam, & alia scelera graviora quàm fuerunt Israelitarum, ut est apud Ezechielem, etiam illis imminebat captivitas. Mihi enim verisimile fit, eo animo Jesaiam toties in Idololatriam invehi ante captivitatem Babylonicam, nè in tanta Judaicarum rerum dejectione & Babylonicarum prosperitate animis caderent à fideque exciderent & ad cultum Deorum prolaberentur. Quo etiam consilio non solùm eductionem liberationémque illorum prædicebat, sed Babylonis quoque eversionem, quam ipsorum, qui eo tempore erant victores, dii non possent avertere. ¶ *Et similem fecistis*] Heb. *& similis ero*: i. *Cui me adequastis, cum quo mihi possit convenire?* hæc enim est vis verbi דמה, ut admonui c. 1.

6. *Qui confertis aurum*, &c.] Participium est à verbo זל *abjecit ut rem vilem*. Thren. 1. *Omnes qui honoraverunt eam, abjecerunt eam.* Quia autem sequitur tertia persona, reddere possumus, *Qui abjiciunt*, i. profundunt ut rem vilem, *aurum*, &c. Habet autem hoc in loco haud mediocrem vim hæc variatio personarum. Cùm enim quasi exprobrantes percunctamur, si rem valde indignam ducimus, non exspectatâ responsione, veluti ex quadam animi impotentia ad alios nos convertimus, rem, ut se habet, narrantes, ut quàm justè expostulationem suscipiamus simul nobiscum videant, & incusent. ¶ *Argentum in statera*] Hanc *ponderationem* accipe, non quòd in pretio decipi timerent, sed ut certi ponderis Deum acciperent. Nam quòd *profunderent aurum*, paulò antè objecerat.

7. *Portant illum*] Rem prout gerebatur exponit. ¶ *In loco suo*] Heb. *sub se*, vel *pro se*: quod Latini *in suo loco* vertunt. ¶ *Sed & cum*] Ego Hebræa expressi, *insuper exclamant.* Illud autem Vau pro Adversativa videtur accipiendum, *sed non respondet*, *neque servat*, &c.

8. *Mementote illud*] Nempe quòd opera hominum sint idola, neque possint opem ferre. ¶ *Et confundimini*] Credo locum depravatum in versione Vulg. legendúmque *fundemini*, i. tanquam fundamenta in corde ponite, i. altâ mente reponite. Nam suprà c. 16. nomen geminatum dixi ex quorundam opinione significare *fundamenta*: ubi Vulg. pro *latantibus* accepit. Ego quia à nomine איש deductum existimo, dixi *viriliter agite*, i. tanquam viros vos gerite, nè hac in re vos decipi sinatis, ut feminæ, &c. ¶ *Redite ad cor*] Verbum est in Hiphil, i. *reducite ad cor*; revocate, neque patiamini mente excidere, quòd vos fecerim & portaverim, idola verò hominum operâ indigeant. Favet hic locus illorum consilio qui beneficia Domini jugi memoriâ recolere præcipiunt, quòd plurimum momenti ad vitam rectè instituendam & animum in fide stabiliendum & cor amore inflammandum in meditatione situm esse intelligant. Huc quoque facit quod sequitur,

9. *Recordamini prioris seculi*] Ad verb. *Priora à seculo*, vel *antiqua à seculo*, à multo tempore; i. *Revocate ad memoriam quæ antiquis temporibus gesta sint*, & videbitis *quòd ego tantum sim Deus*, &c. ¶ *Neque est similis mei*] Vel *nihil sicut ego*. Hanc qui imo pectore reconderet veritatem, nequaquam post vanitates vagaretur, sed potiùs hoc unum Bonum quæreret in quo sunt omnia bona. Ad commendandam hanc collationem facit historia quam narrat Eusebius de Gregorio Neocæsareensi & sacrificulo Apollinis, apud quem in Alpibus in fano Apollinis hospitatus fuit Gregorius. Et juxta proverbium, *Purpura circa purpuram dijudicanda est.*

10. *Annuncians*, &c.] Vel ex hoc agnoscetis me solum Deum, qui quæ futura erant post multa annorum millia statim ab initio mundi prædixerim, ut cùm *Semen Mulieris* dixi *contriturum caput Serpentis*, & multa hujusmodi. ¶ *Quæ nec dum facta sunt*] Heb. *quæ non facta sunt*, sed novissimis temporibus adhuc fient. ¶ *Dicens*] Vel, *qui dico*, *Consilium meum stabit*, &c. quod exponit suo more, *& omne beneplacitum meum faciam.* Hoc solius Dei est: *Omnia, quæcunque voluit, fecit.* Quia dixerat *prædixisse se quæ nondum facta essent*, hoc addidit, nè quis dubitaret futura.

11. *Avem*] עיט nomen est collectivum, & sig. *turbam avium feralium*, ab עיט *involando celeriter & cum impetu*, more avium rapacium. Quo verbo utuntur servi Nabal quando retulerunt qualem se Nabal exhibuisset servis Davidis, *Involavit in eos* 1 Sam. 25. Vulg. *aversatus est eos.* Suprà 18. 6. Gen. 15. & Job. 25. collectivè videas capi. Et Jer. 12. comparat Judæos *avibus rapacibus*, insinuans quòd sicut illi quasi agmen avium feralium involabant in Dominum, ità quoque hostes eorum quasi agmen avium feralium sanguine tinctarum involaturi erant in eos. Nam præcessit quòd *quasi leo dedissent contra Dominum vocem suam.* Ergò hic non pro Cyro sed pro exercitu ejus ex Medis & Persis capi potest. In secundo autem membro Cyrum *virum voluntatis suæ* seu *consilii sui* vocat: ut possit sumi hic versus veluti expositio præcedentis.

12. *Duro corde*] אבירי לב *robusti corde*, seu *validi*, i. qui cor habetis indomitum; neque est qui vos ab eis quæ concupiscitis retrahat. Isti enim sunt qui dicebant, *Post cogitationem cordis nostri ibimus*, &c. Qui autem hujusmodi sunt, *longè absunt à justitia*. Resistunt enim Divinis motionibus & contumeliam faciunt Spiritui sancto. Similis phrasis est Ps. 76. *Spoliati sunt robusti corde.*

13. *Propè feci*] *Appropinquatio Dei* & *justitiæ* ac *salutis* idem sunt, sicut *Salus* nostra & *Gloria* Dei. Quamvis autem votis hominum, qui hæc importunè, curiosè & quasi sine fide exoptant (ut supra exposuimus) dicentes, *Rorate, cœli, desuper*, &c. durè responderit, ut sibi hanc curam relinquerent, &c. non potuit se tamen continere quin ipsis rebellibus & incredulis apertè jam dicat *propè esse*, &c. Quæ quomodo & Cyro & Christo aptentur jam suprà diximus. Ante Dominum autem quingenti aut septingenti anni sunt *sicut dies hesterna quæ præteriit.* Adde quòd qui in Christum venturum, qui ab ipsis prædicebatur, credidissent, eíque adhæsissent, eam salutem consecuturi erant quam qui viderunt & crediderunt. Suprà verò admonui quare justitia quam Christus contulit dicatur *justitia Dei*. Dicitur autem *ejus justitia* sicut salus nostra dicitur *ejus salus*; nè nobis insultent hoc loco Lutherani.

DRUSIUS.

13. לא תאחר. οὐ μὴ μακρυνθῇ] Hier. *non elongabitur.* Procopius attribuit hoc Theodotioni, addito asterisco.

IDEM EX PROCOPIO.

1. נבו. A. Th. Ναβώ *Nabo*. Sym. Νεβὺς *Nebus*. ¶ היו עצביהם לחיה ולבהמה. Sym. ἐγένετο τὰ εἴδωλα αὐτῶν ζώοις ἐκδοτα, *fuerunt eorum idola animalibus consecrata.*

6. אל. A. Th. ἰσχυρόν. Sym. Θεόν.

11. קרא ממזרח עיט מארץ מרחק איש עצתו. οἱ λοιποὶ, Καλῶν ἀπὸ ἀνατολῶν ὄρνιν, ἀπὸ γῆς πόῤῥωθεν ἄνδρα βουλῆς μου, *Qui vocat ab Oriente avem*, *à terra longinqua virum voluntatis meæ.*

12. שמעו אלי אבירי לב. Th. ut LXX. Ἀκούσατέ μου οἱ ἀπολωλεκότες τὴν καρδίαν, *Audite me qui perdidistis cor.* Sym. οἱ σκληροκάρδιοι, *duro corde exsistentes.*

13. לא תאחר. Th. οὐ μὴ μακρυνθῇ. ¶ ותשועתי. A. καὶ σωτηρία μου *& salus mea.* Sym. ἡ σωτηρία μου. Th. τὸ σωτήριον *salutare.* ¶ ונתתי בציון תשועה לישראל תפארתי. Sym. Δώσω ἐν Σιὼν σωτήριον, καὶ τῷ Ἰσραὴλ δόξαν, *Dabo in Sion salutare, & Israeli gloriam.*

GROTIUS.

1. *Confractus est Bel*] In Hebræo: *Curvavit se Bel*, id est, cecidit: ἔπεσε Βὴλ, ut habent hîc LXX. בל [*Bel*] Babyloniis est, qui בעל [*Baal*] Phœnicibus, Sol scilicet. *Jovem* hunc vocant Herodotus aliíque, non ob stellam Jovis, sed quòd, sicut Græcis Ζεὺς [*Juppiter*] erat deorum summus, ità Sol Babyloniis. Templum ejus longè augustissimum erat Babylone structum à Nabuchodonosoro, ut testatur Berosus, cujus verba attulimus ad librum III. de Veritate Religionis Christianæ. Est ejus templi mentio & apud Herodotum in Clio, & in Hecatæi fragmento, quod est apud Josephum contra Appionem primo. *Cecidisse* dicitur *Belus*, quia Babyloni auxilio esse non potuit. Et solent captis urbibus dirui templa, abripi aut destrui simulacra. C. Flaminius in oratione pro M. Fulvio: *Signa ablata*, *& cætera facta quæ captis urbibus soleant.* Tertullianus Apologetico: *Tot de diis, quot de genti-*

gentibus triumphi. & in libro adversùs Nationes: *Manent & simulacra captiva.* Vide quæ dicta à nobis de Jure Belli ac Pacis libro III. cap. xx.

Contritus est Nabo] *Succisus est Nabo*, ut hic vertit Chaldæus. Hic est deus alter Babyloniorum, unde nomen habent *Nabonassar*, *Nabopolassar*, *Nabuchodonosor*, *Nabonidus*, & alii Reges Babyloniorum. Fuit autem ariolus aliquis in deum consecratus à Babyloniis, paribus de causis ut Apollo ὁ Λοξίας [*latebriloquus*] apud Græcos.

Facta sunt simulacra eorum bestiis & jumentis, onera vestra gravi pondere usque ad lassitudinem] Optimè vertas, *Fuerunt dolori bestiis & jumentis* (quæ) *gestando onere pressa sunt ad lassitudinem:* est χλευασμός [*insultatio*]. dicit enim gavisura jumenta, quòd posthac non futurum sit ut ista idola portando lassescant. Solebant in thensis idola portari. Sic Romanus quidam dicebat tauros & vitulos optare nè Cæsar rediret.

2. *Non potuerunt salvare portantem*] Bajulos suos.

Et anima eorum in captivitatem ivit] Id est, ipsi dii, locutione Hebræà.

3. *Qui portamini à meo utero, qui gestamini à mea vulva*] In Hebræo: *Portati ab utero, gestati à matrice.* Id est, quos ego à prima origine affectu tenerrimo, qualis est matrum, custodivi.

4. *Usque ad senectam ego ipse*] *Portabo vos*, ut sequitur. In hoc matres vincam.

5. *Cui assimilastis me?*] *Cui assimilaretis me?* Hoc ideo dicit, nè exemplo idololatrarum corrupti & fessi longâ servitute Babyloniorum mores imitarentur: Nam Persæ imagines non habebant.

6. *Qui confertis aurum de sacculo, & argentum staterâ ponderatis, conducentes aurificem, ut faciat deum, & procidunt & adorant*] Versio optima est: *Illi postquam promserunt aurum de marsupio, & in trutina expenderunt argentum, mercede conducunt aurificem, qui ipsis deum faciat, coram quo procidant, aut se inflectant.*

7. *Et ponentes in loco suo*] Id est, super basim.

8. *Redite, prævaricatores, ad cor*] Ex Hebræo vertas rectiùs: *Reducite eos qui errant ad sapientiam.*

9. *Recordamini prioris seculi*] Omnia vestra prædicta cum eventis comparate.

10. *Annuncians ab exordio novissimum*] A longo tempore prænuntians multò pôst secutura.

11. *Vocans ab Oriente avem*] E Perside vocans aquilam, id est, Cyrum, cui nasus erat aquilinus, ut Plutarchus notat. Aristoteles in Physiognomonicis: οἱ γρυπὴν ἔχοντες (τὴν ῥῖνα) καὶ ἀπὸ τοῦ μετώπου διηρθρωμένην, μεγαλόψυχοι. ἀναφέρεται ἐπὶ τοὺς ἀετούς [*Hi qui nasum habent aduncum & à fronte bene distinctum, magnanimi: referuntur enim ad aquilam*].

Virum voluntatis meæ] In Hebræo, *Virum* (id est, effectorem) *consilii mei.*

Adducam illud] Consilium illud meum effectum dabo.

Creavi] Præformavi in animo.

12. *Audite me, duro corde*] Illos de captivitate alloquitur qui de promissis dubitaturi erant.

Qui longè estis à justitia] Qui, quòd infidi estis, me quoque talem putatis.

13. *Propè feci justitiam meam*] Propè adest tempus quo fidem meam implebo.

Et in Israël gloriam meam] Liberationem ejus efficiam mihi gloriosissimam.

C A P. XLVII.

M U N S T E R U S.

2. *Tolle molam*] Significatur per id extrema servitus. Captivi enim olim cogebantur in carceribus molere farinam.

3. *Non occurram sicut homini*] Secundùm alios, *non occurram ut homo.* H. e. perfectam sumam de te ultionem. Alii sic exponunt, לא אקבל בקשת אדם עליהם *non acceptabo ullius hominis interventionem pro eis.*

7. *Hujus urbis*] Si, inquit, non peperci loco meo, ubi inter homines habitare volui, quid fiet de te?

8. *Non sedebo vidua*] i. Non destituar Rege, nec sterilis ero; h. e. non amittam populos qui mihi subjecti sunt.

9. *In multitudine maleficorum tuorum*] Non, inquit, liberabunt te plurimi magi, aruspices, divini & astrologi tui præsagiis & miris incantationibus suis.

10. *Avertit te*] Radix verbi est שוב. Hinc fit verbum transitivum שובב, quod quidam Quadratum vocant, cujus ignorantia quibusdam Interpretibus hic imposuit.

13. *Quæ ventura sunt*] Cùm in Hebræo sit מאשר, putant Hebræi Mem significare *partem ex multitudine*, q. d. Aliqui quidem ex luminarium conjunctionibus prædicere possunt quæ tibi ventura sunt, sed calamitatem quam ego inferam nequaquam prævidere poterunt.

14. *Non supererit pruna*] Sensus est, Subitò & in momento sapientes tui redigentur non in prunas sed in favillas, ex quibus nulla haberi potest utilitas.

V A T A B L U S.

1. *Descende* רדי] Omnia ista imperativa intelligenda sunt per futura. Plus autem efficaciæ habent imperativa in narratione quàm si nudis verbis & simplicibus idem significasset. ¶ *Non addes ut vocent te*, &c. לא תוסיפי וג'] Ad verb. *non addes, vocabunt te*, &c. pro, *non ultrà vocabunt te mollem & delicatam.*

2. *Tolle molas* קחי רחים] i. Servies servitutem, & moles in pistrino. ¶ *Denuda* גלי] *Detege:* more scilicet mulierum mœrentium. Alii, *dissolve.* ¶ *Transi* עברי] *Ut transeas.* Milites enim victores transferent te aliò.

3. *Revelabitur*] תגל *Retegetur.* ¶ *Et non occurram*, &c. ולא אפגע אדם] Sub. *Sed ut leo.* Alii, *& non occurram* in miseratione, sicut *homini.* Alii, *& non occurram homini:* i. occursum hominis non recipiam: quisquis occurrat aut intercedat, ei non parcam, nec pœnas remittam neque mitigabo. Alii, *Et non irruam* in te more *hominis:* i. irruam in te non viribus humanis, sed Divinis: nam ità irruam ut non possis resistere. Alii, *& non suscipiam* preces *hominum.*

5. *Tace* דומם] *Tacens*, vel *tacita*, aut *silens.* Alii, *in quiete*, vel *silentio.* ¶ *Non addes ut vocent*, &c. לא תוסיפי יקראו לך] *Non ultrà vocabunt te.* Ad verb. *non addes, vocabunt te.*

6. *Contaminavi* חללתי] *Pollui*, transferendo scilicet eam in terram idololatrarum, ubi sunt polluti homines & incircumcisi. ¶ *Nec præstitisti* לא שמת] Ad verb. *non posuisti.*

7. *Novissimi tui* אחריתה] *Finis ejus.* Varia lectio; אחריתה & אחריתך.

9. *Cùm perfecta fuerint ipsa* כתמם באו עליך] Ad verb. *secundùm perficere ipsorum:* i. cùm completa fuerint illa peccata tua. Quidam vertunt *ad perfectionem suam.* Alii, *secundùm integritatem suam.* ¶ *Maleficiorum tuorum*, &c. כשפך בעצמת ח'] *Divinationum tuarum, propter vim incantationum tuarum* magnam *valde.* Alii, *propter copiam augurum tuorum.* Alii, *propter duritiam incantationum tuarum.*

11. *Lucem ejus* שחרה] *Auroram ejus:* i. cujus diem ignorabis.

12. *Robores te* תערוצי] *Fortior evadas*, aut *vires recipias.*

13. *Cognoscere faciunt menses* מודיעים לחדשים] *Indicant* quæ ventura sunt *per singulos menses.* ¶ *Ab iis* מאשר] Hæc referuntur ad illud, *& servent te.*

14. *De manu flammæ* מיד להבה] Hebraismus, *de incendio.* ¶ *Non erit pruna* אין גחלת] Sing. pro plur. *nulla erunt prunæ:* i. nihil relinquent ab incendio: omnino peribunt, neque utilitatem aliquam capient homines ex illis.

15. *In quibus laborasti* אשר יגעת] i. In quibus congregandis & parandis plurimùm insudasti. Alii, *cum quibus te fatigasti.* Fut. Heb. pro præt. ¶ *Ante se* לעברו] *Ad latus suum.* Alii, *ad plagam suam.* Alludit ad plagas cœli quas Astrologi dividunt ac metiuntur ut ex iis prognostica sua deducant.

C A S T A L I O.

1. *Virgo puella*] Inexpugnata.

3. *Nec mihi quisquam hominum occurret*] Nullo mihi resistente. Heb. *Ne cuiquam hominum occurram:* quod idem est, sed obscurius. Tale est illud Marc. 14. ἀπαντήσει ὑμῖν ἄνθρωπος κεράμιον ὕδατος βαστάζων, *Occurret vobis homo*, &c. h. e. *Occurretis homini*, aut *incurretis* (sive *incidetis*) *in hominem.*

C L A R I U S.

1. *Descende*] Quod cœperat de Babylone dicere, nunc prosequitur: Et nè à Poetico more suo discedat, eam appellat sub persona Reginæ superbissimæ atque assuetæ deliciis. Et *virginem* per Metaphoram appellat, ut quæ nondum vim hostium passa sit, ut virgo viri.

2. *Tolle molam*] Significatur per id extrema servitus. Captivi enim olim cogebantur in carceribus molere farinam. ¶ *Revela*

vela crura] Nam decrit naulum : atque idcirco necesse erit ut nuda transeas flumina.

3. *Non resistet mihi homo*] Heb. *Non occurram homo :* quod quidam interpretantur; *Non occurram in miseratione sicut homini :* vel, *Non accipiam ullius hominis intercessionem pro eis.*

7. *Novissimi tui*] Alius vertit *novissimi hujus urbis*, ut sit sensus, *Si non peperci loco meo ubi inter homines habitare volui, quid fiet de te?*

9. *Et propter duritiam incantatorum*] Vel propter copiam multam divinatorum tuorum.

13. *Salvent te Astrologi*] Mirum, cùm tam manifestè Deus Astrologorum vanitatem rideat atque adeò detestetur, quo pacto apud Christianos quosdam in pretio sint. In Hebræo est *incantatores cælorum*, quos Interpres verterat *augures cæli*. Nam huic vanitati ferè adjunctæ sunt præstigiæ & incantationes. ¶ *Ut annunciarent ventura tibi*] Quia in Hebræo est *Measer* putant Hebræi Mem additum ut significet partem ex multitudine, q. d. Aliqua quidem ex luminarium conjunctionibus prædicent, sed hanc calamitatem nequaquam.

14. *Non sunt prunæ*] *Non supererit pruna*, h. e. Subitò & in momento sapientes tui redigentur non in prunas sed in favillas, ex quibus nulla haberi potest utilitas.

15. *Negotiatores tui*] Qui negotiari apud te consueverant deserent te.

FORERIUS.

1. APertiùs jam hîc de calamitate Babylonis disserit; quandoquidem illa salus per Cyrum, quæ typus erat salutis per Christum, non nisi vastato Chaldæorum Regno adventura erat. Alloquitur autem Babylonem quasi Reginam quampiam, quæ plena deliciis ac multo luxu magnaque superbiâ, quæ imperantes feminas comitari solet, Regnorum habenas moderaretur. ¶ *Descende*, &c.] Unde descendit vide apud Danielem, *Deus cæli dedit tibi imperium*, &c. Captivarum autem ancillarum conditionem respicit. ¶ *Virgo*] *Virginem* vocat, quòd postquam in illam amplitudinem Imperii pervenisset, nunquam alterius Regis potentiæ succubuisset. ¶ *Mollis & tenera*] Famuli, domestici, familiares atque amici, nunquam non adulationi servientes, ea quæ quidquam molestiæ aut laboris afferre possunt à Regibus & Principibus, præsertim feminis, abigunt, *mollitiem* ac *teneritudinem* prætexentes, ipsisque interdum Principibus subirasci videntur quòd sibi non parcant, neque suas vires metiantur. Huc alludere videtur Propheta, quòd non sit jam qui Babylonis vicem doleat quòd in sortem servorum transierit: quare laboriosas operas illi injungit, dicens,

2. *Tolle molam*, &c.] Hoc quoque extremæ est servitutis, ut notum est captivis apud Mauritanos. Id quod apparet ex Exodo, *A primogenito Pharaonis, qui sedet in solio ejus, usque ad primogenitum ancillæ quæ est ad molam.* Vide Jud. 6. ¶ *Denuda turpitudinem*] Controversum video apud ipsos Rabinos tam de forma hujus nominis צמה quàm de ejus significatione. Sunt qui *velamen* dicunt significare *ex tenui materia quo Orientales feminæ utuntur, quo ab umbilico ad pedes usque proteguntur.* Ergò Vulgatam editionem ad hunc modum possumus interpretari, ut sensum non verba reddiderit, *Denuda turpitudinem*, non quòd צמתך pro *turpitudine* acceperit. Hieronymus tamen in Commentariis affirmat significare *pudenda.* Sed non video quo pacto istæ interpretationes conveniant loco Canticorum 4. ubi Capiti tribuitur : ob quem locum alii Hebræi pro *velamine capitis* accipiunt. Ego cùm nihil certi habeam inter tam varias sententias, quantum ex locis Scripturæ & ex Etymologia nominis possum conjicere, existimo voce genericâ esse reddendum, *fascia*, vel alterâ simili. Et quidem si membrum istud ad sequentia pertineat, pro *velamine partium inferiorum* accipio; sin præcedentibus, de *ornatu capitis*, cujus usus fuerit nobilibus feminis, aut *pectoris :* nam & Græci *operimentum* interpretati sunt. ¶ *Humerum*] Vocem quoque שבל variè reddunt Interpretes, quæ nusquam nisi hîc reperitur. Certè cognatæ voces *fluxum* aut *protensionem* notant, ut *semitæ* nomen, & *calami frumenti.* Vide suprà cap. 17. Ergò videtur posse accipi pro parte illa quæ excurrit à coxendice usque ad talos. Alludit autem ad eos quibus per aquas eundum est, qui eam corporis partem denudant quam aquæ madefacere possunt. Babylonii autem transituri erant Tigrim aliáque flumina, ut in Persidem captivi abirent : quæ in morem servorum pedibus suis trajicere oportebat. Quæ omnia figuratè dicta intelligito pro humili servorum ac captivorum conditione.

3. *Ignominia tua*] Nomen Hebræis *nuditatem* propriè notat: quo nomine eam corporis partem notant quam ignominiosum est denudare, Exod. 28. Levit. 18. &c. quare non male *ignominiam* dixit Vulgatus: nam & Paulus de his partibus verba faciens *eas nos abundantiori honore circumdare* dixit, &c. ¶ *Non resistit mihi homo*] Sensum vertit Vulgatus eleganter. Heb. *non obviam habebo hominem. Obviare* enim pro *interpellare* usurpant Hebræi, Gen. 23. Ruth 1. Infrà 59. *Admiratus est quod non esset occurrens*, &c. *Vindictam* autem *cupere sine occurrente* est Modis omnibus iræ atque animo satisfacere. Non sunt verò inter infideles qui obviam eant Domino percutere violenti: at inter fideles nunquam desunt qui sese opponant; nonnullique reperiuntur qui (ut loquitur Scriptura) consurgant, & teneant Dominum. Vide infrà c. 59.

4. *Redemptor noster*] Apostrophe est piorum, qui non possunt se continere neque spiritum cohibere quin Deum laudent cùm audiunt ultionem de Babyloniis plenissimè capiendam. Non enim minùs grata erat *redemptio* ex captivitate quàm *vindicta* de Chaldæis: utraque enim gloriam Dei ac potentiam commendabat. Hæc vota habes expressa in Ps. *Super flumina*, &c. Memineris hoc loco, Deum se erga Israelitas veluti erga filios gessisse; Babylonios autem, sicut etiam & Assyrios, virgam quâ filios percusserat reputare, quam post verbera in ignem mitteret. Notare etiam hoc loco juvat aliâ ratione affectum patris in Deo, qui antè quàm Judæi in captivitatem eant, prædicit per Prophetas quòd liberandi forent, quasi nullo modo induci possit ad castigandam Ecclesiam suam Deus nisi simul etiam definiret quâ ratione eam liberaret, &c. ¶ *Nomen ejus*] In Cantico Mariæ matris Domini sic legimus, *Quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen ejus*, i. cujus nomen est sanctum.

5. *Sede tacens*] Possumus & *silentium* & *tenebras* vel ad captivitatem referre (nam in obscuris locis detinentur captivi apud barbaros hostes) vel etiam ad mortuorum conditionem; quibus utrumque tam in Sacris literis quàm profanis tribuitur. Psalmo enim 94. dicitur, *Parum absuit quin vicina fuisset silentio anima mea*; & 115. *Omnes descendentes in silentium.* Unde & Virgilius lib. 6. Æneidos;

Dii quibus imperium animarum, umbraque silentes,
Et Chaos, & Phlegethon, loca nocte silentia late, &c.

¶ *Ultra*] Hîc rerum humanarum vicissitudines mente volve, Christiane lector, & conditionem hanc Babyloniorum cum ea ex qua prolapsi sunt tecum cogita; ut colligas quòd Deo æternísque rebus adhærere, tantummodo sit sapere.

6. *Iratus sum*] Quo consilio Deus adversa immittat in suos, nempe ut puniendo ad sanam mentem reducat, quantâ etiam misericordiâ, ut non supra modum aut supra virtutem aggravemur, in hoc versu facile est videre. Sed primo loco Propheta significare vult causas ob quas evertere vellet Babylonem. Nam famæ suæ habere rationem videtur Dominus, utpote qui nolit ut quisquam possit querimoniam instituere quasi immeritò affligatur. ¶ *Contaminavi*] Seu *profanavi.* חלל enim in tertia est *commune facere. Commune* autem vocabant Hebræi inquinatum seu immundum & sanctitate destitutum. *Profanare* itaque *hæreditatem* est Quasi rem vulgatam atque communem aliorum violentiæ & injuriæ exponere. Et hoc est quod sequitur, ¶ *Dedi eam in manum tuam*] Erant enim incircumcisi & immundi Babylonii; Judæi autem, gens sancta & populus Domini. Sicut enim *profanari* dicebatur Sacerdos si rem immundam tangebat, ità res sancta dicebatur *profanari* si ab immundis tractaretur, præsertim cum injuria, violentia ac contumelia. Hîc vide cui adscribi debeant Turcarum victoriæ & triumphi de populo Dei; profectò non nisi iræ Dei, quæ nunquam nisi ob scelera nostra effervescit. ¶ *Non posuisti eis*, &c.] Verbo *ponendi* largissimè utuntur Hebræi. Arguit autem Babylonios primo loco Crudelitatis & Immisericordiæ: cujus argumentum haud parvum erat *senum* divexatio. Nam si senes tam malè accipiebant Chaldæi, quid facerent juvenibus? Ergò si rationem consulas, & secundùm rationem hominibus inditam vivas, canities reverentiam & misericordiam etiam à duro milite extorquebit. Vide Threnos Jeremiæ.

7. *Et dixisti*, &c.] Objicit Superbiam atque Arrogantiam, & Numinis ac Divinæ providentiæ oblivionem seu ignorantiam, quæ sese ferè comitantur. ¶ *Non posuisti hæc*, &c.] Nempe, ex indignatione Domini in populum suum evenisse ut vinceres ipsum & Judæam posses depopulari; neque tibi in mentem venit quòd esset populus Dei & hereditas ejus. Hæc si intellexisses atque ut par erat cogitasses, aliter cùm ipsis egisses. ¶ *Novissimi tui*] In Hebræo est pronomen tertiæ personæ feminini generis, sicut mox v. seq. *dixisti in corde tuo.* Heb. *ipsius.* Et mani-

manifestum est ad Babylonem esse sermonem: Quare Vulgatus in pronomen secundæ vertit, sicut etiam docti Hebræi, quasi ה interdum serviat secundæ personæ. Quare Babylonem Incogitantiæ arguit, quòd quæ tandem sibi eventura essent non attenderet. Hæc est imprudentia filiorum hujus seculi & infidelium, ut, si in futurum prospiciant, nunquam sibi nisi læta promittant. Verùm enimverò si Babylonii ea quæ de populo Israel audierant, & quanta in eorum gratiam Dominum fecisse ex fama cognoverant, ad memoriam revocassent, simul quoque si in eos sævirent, & illi ad Deum reverterentur, rerum vices sperare potuissent.

8. *Audi delicata*] *Deliciis dedita*, seu *deliciis affluens*. Imperium & superbiam & futurorum incogitantiam qui fieri potest ut non sequatur vita voluptaria? Adde quòd vice versâ ipsæ etiam deliciæ cor auferunt, & insipientes reddunt homines. ¶ *Et non est præter me ampliùs*] Sensum aptè reddidit Vulg. Interpres; *Nihil est in toto orbe quod quis desideret videre ubi me viderit: in me est summa totius elegantiæ, pulcritudinis, divitiarum ac totius denique felicitatis*, &c. Solius certè Dei fuerit hæc dicere (ut suprà non uno loco vidimus) qui unus omnia habet, & solus sufficit & sibi & omnibus. In quocunque autem alio intolerabilem arrogantiam continent, sed non durabit. ¶ *Sterilitatem*] Duo sibi non defutura promittebat, Non amissuram se unquam Regem legitimum, ac Chaldæum; huc enim videtur referenda *viduitas*: &, Semper populi & civium refertissimam fore: hi enim sunt veluti filii, sine quibus videntur civitates similes matribus quæ orbantur filiis. שכל enim non tam *sterilem esse* quàm *orbatum* notat. Gen. 27. *Quare orbabor ego utroque vestrûm uno die?* &c.

9. *Venient*] Vulgatus conjunctionem omisit, quæ, ni fallor, aut Adversativam aut Illativam vim habet, *At venient*, vel, *Venient igitur duo*, &c. Ecce arrogantiæ & inanis fiduciæ atque etiam incogitantiæ pœna. Illud enim *subitò* & *uno die* quàm displiceat Deo inanis illa fiducia satis indicat. Sicut enim gratissimum illi est ab eo pendere animis, ità nihil magis invisum quàm spem in perituris rebus collocare: hoc enim est aliquo modo Divinitatem alteri tribuere. Unde & Avaritiam *servitutem idolorum* vocavit Paulus: avarus enim in divitiis fiduciam suam collocat. ¶ *Universa*] Ego vocis Hebrææ expressi significationem, *secundùm integritatem suam*. Venustatem autem habet & jocum, quòd Orbitati & Viduitati *perfectionem* tribuit Dominus. Adde quòd תם, i. *integritas*, non sit semper morum, sed virium, ut 2 Par. 21. *Quidam extendit arcum pro integritate sua*, i. pro virili sua. ¶ *Propter multitudinem*, &c.] Rectè Vulgatus *in* pro *propter* accepit. Dixi autem *præstigiatores*, quia Hebræis propriè כשף est *res aliter oculis objicere quàm sint*. Vide Mich. 5. & Nah. 3. ¶ *Duritiem* עצמתך *robur* seu *corroborationem* significat. Pro *densitate* seu *constipatione* hîc accipere possumus; ut sicut dixit *multitudinem præstigiatorum*, sic dicat *densitatem Astrologorum*, i. qui ex conjunctionibus astrorum & constellationibus judicium ferunt. Nomen enim חבריך à *conjunctione* seu *coadunatione* dicitur: toti enim in conjunctionibus stellarum versantur. Hanc esse veram nominis interpretationem habes ex ver. 13. Vulgatus Hebræos secutus *incantatores* dixit. Quatenus quidem audiendi sint Astrologi, plurima scripta sunt à viris doctis & piis. Certè hic locus & quæ sequuntur manifestè eos redarguunt qui ex astris putant se certò scire posse mutationes Regnorum, eventus bellorum, & similia. Hæc *Chaldæorum monstra* vocat Cicero lib. De Divinatione. De quibus Eudoxus Platonis auditor, & in Astrologia, judicio doctissimorum hominum, facilè princeps sic opinatur, *Id quod scriptum reliquit Chaldæus in prædictione & notatione cujusque vitæ ex natali die, minimè esse credendum*. Non damnant S. literæ, neque qui rectè sentiunt Ethnici, eam Astrologiæ partem quæ ex longa temporum observatione tradidit certas leges cursûs & motus siderum; sed neque eam quam *judiciariam* vocant omni ex parte. Nam quatenus sequitur certas rationes Physicas, habet suam utilitatem & laudem: at quatenus tradit superstitiosas quasdam notationes & incertas observationes, aut astris tribuit & configurationibus eorum certam vim constituendi aut evertendi Regna, aut dirigendi humanas actiones & eventus (qui magna ex parte liberi sunt; & à voluntate libera ortum habent) nequaquam audiendos esse docent S. Patres. Quare *neque à signis cœli nobis metuendum esse* dicit Jeremias. Et in Deuteronomio præcipit Dominus *ne Astrologos audiamus*; sed potiùs *Prophetam quem ille suscitaturus erat*, i. Christum Dominum, & ejus Euangelium, &c.

10. *Fiduciam habuisti in malitia*] i. Cùm mala multa patrares, & sceleribus scateres, fidenter & securè vitam degebas. Hunc sensum probat quod sequitur. ¶ *Et dixisti, Non est qui videat me*] Ignorabat enim Dei Numen ac providentiam. Hinc in scelera laxatis habenis prolabuntur impii. Ubi enim dicunt in corde suo, *Non est Deus, corrupti sunt, & abominabiles facti sunt*, &c. videant quorum est speculatores agere, & pro Deo in hoc mundo intentis oculis videre quæ alii agant; si conniveant, si discedant, si longè absint, quantorum sint malorum auctores. ¶ *Sapientia tua*, &c.] Quæ fuerit hæc *sapientia* duodecimo & sequentibus versibus videre licet. Putabant nimirum ex astrorum influxu omnia pendère: & cùm ex astris non viderent sibi malum impendère, nihil sibi timebant, &c. ¶ *Ego sum*, &c.] Vide v. 8.

11. *Veniet*] Hic rursum omisit conjunctionem, quòd Hebræis interdum vacat: sed hic puto habere vim quam suprà ver. 9. exposui. ¶ *Et nescies ortum ejus*] i. *Cujus ortum ignorabis*. *Auroram* tribuit Hebraismus quibusvis rebus. Dicitur verò Babylon *ignorare ortum calamitatis suæ*, aut quia statim, ubi incepit, ad finem usque grassata est, *repentéque*, ut suprà dixit, *venit & viduitas & orbitas ejus*; vel quia non putaret cùm propter scelera sua sibi impendère malum, neque haberet Persa odii causas quæ notæ essent, ignorabat unde tot sibi orirentur adversa. Nisi malis hæc etiam ad sugillationem Astrologorum referre, quòd in astris non viderent signa ex quibus colligerent impendentem tempestatem. ¶ *Calamitas*] Nomen Hebræum הוה est à verbo quòd *fieri* seu *factum esse* notat; sempérque in malam partem accipitur nomen: ideo Vulg. *calamitatem* vertit Ezech. 7. *Eventum* dicere possumus, seu *adversam fortunam*. Hanc dicit *non posse expiare* seu *placare*: quia non posset antevertere seu avertere muneribus aut precibus. Medi enim & Persæ *non aurum neque argentum volent*: Deus autem *iratus* omnino est, &, ut suprà dixit, *non est habiturus obviàm hominem*, neque erit qui interpellet, &c.

12. *Sta*, &c.] Sarcasmus est & Ironiæ plena oratio, quæ non infrequens est in Scripturis: ut, *Ubi sunt dii eorum? surgant, & opitulentur vobis*, & multa similia. Jam enim dixerat eos propter studium & operam quam impendebant malis illis artibus, perituros: tantum aberat ut ex illis emolumentum capere possent. ¶ *Cum incantatoribus tuis*] Vide de hac voce suprà ver. 9. & versu seq. ¶ *In quibus laborasti*] Vel *cum quibus laborasti*, i. negotium tibi fuit, neque leve. Difficile est enim cum hujusmodi hominibus versari, & illorum operâ uti velle: siquidem morosi sunt & avari: insuper quia mendaciis rem sæpe peragunt, quæ tamen, nè præsentiantur, student occultare; spe inani alunt miseros, illorúmque bona devorant. Semper autem Chaldæi Astrologiæ & Magiæ dediti fuere: erántque quamplurimi apud Babylonem hujusmodi artium professores. Possumus quoque has voces pro abstractis accipere, ut interdum solent, pro ipsis *præstigiis* & *judiciis ex astris*, vel, ut Vulgatus vult, *incantationibus*, in quibus perdiscendis haud vulgarem operam navabant Chaldæi, ut ex Sacris & profanis literis constat. Vide Ciceronem De divinatione, quam observarint Chaldæi *trajectiones* & *motus stellarum*. Cæterùm aliarum vocum ego proprias significationes expressi.

13. *In multitudine*] ב pro *cum* accepi; i. Et tu & consilia tua interiistis. *Consilia tua* seu *consultationes tuæ*, quibus consulebas Astrologos judiciarios, & ipsa pariter ipsorum responsa ac *consilia penitus cessarunt & consumpta sunt*: nam & inania fuerunt, & posthac neque illos consules, neque illi respondebunt tibi. ¶ *Augures cœli*] Ego eandem esse vocem hoc loco cum ea quæ præcessit v. 9. existimo, & eisdem vocalibus esse proferendam & scribendam, & cum ח non cum ה; חבר non הבר: nullibi enim reperitur הבר, & facilis est mutatio unius literæ in alteram. Qui sint autem חברים exponit Propheta. Vocantur autem ab Hebræis *conjunctores*, ut suprà dixi; ut qui nunquam cessant stellas combinare seu conjungere, ac conjunctiones astrorum, oppositiones & constellationes observare. Vulg. *augures* dixit. ¶ *Qui contemplantur sidera*] Hebraica constructio videtur significare *attentâ consideratione oculos figere*. Potest & sic verti, *qui prævident in stellis*, i. qui virtute stellarum inspectâ futura prævident atque prædicunt. Nam & חזות interdum ad *visiones Propheticas* ac *Prophetias* accommodatur. Sed prior expositio Hebraismo magis accedit. ¶ *Et supputant*] מודיעים *scire facientes*, i. prænunciantes. Hoc priorem expositionem confirmat. Priùs enim est diligens astrorum inspectio, deinde futurorum prænunciatio. Neque verò existimo Vulgatum participium hoc verbo *supputandi* reddidisse; sed totius orationis voluisse sensum reddere, suppleto verbo *supputandi* ad elucidandam orationem, *qui scire faciunt ventura tibi, supputatione mensium factâ*. Ad verbum autem si reddas, ut in editione nostra vides, paulò diversus sensus subesse videbitur, *qui scire faciunt*, seu *denunciant*, *ad singulas lunatio-*

tiones, i. singulis quibusque mensibus & Lunæ renovationibus, *quæ quo tempore venient super te*; vel, *qui annunciant quæ singulis mensibus super te ventura sunt*; vel, *qui annunciant singulis lunationibus, ex quibus*, i. juxta Hebraismum, *quænam ex ipsis venient super te*, i. tibi futura sint adversa. Vel certè hæc ultima verba versùs conjungenda sunt cum verbo *salvent*; *Astrologi, qui intuentur sidera, & de singulis mensibus pronunciant, salvent te, & liberent ab illis quæ ventura sunt super te.* Et hic sensus planus est, & mihi amplectendus.

14, 15. *Ecce facti sunt*, &c.] Eleganti similitudine subito evanuisse sapientes ipsos cum suis artibus, nihilque utilitatis indè relictum esse, ostendit; quemadmodum ex quisquiliis, si in eas ignis incidat, neque carbones manere solent. Pudere autem oportebat tot annos totámque vitam oleum & operam, ut ajunt, perdidisse. Verùm nequaquam præterire oportet, quos superioribus versibus præstigiatores & *Astrologos* vocaverat, in hoc ultimo versu *negotiatores* appellare, quòd operas suas consuevissent sicut merces hominibus vendere. At sicut mercatores, qui in quovis *transitu* seu commutatione mercium, in quovis (ut ajunt) contractu, cambio & remissione (hæc enim *transitum* appellare videtur Hebraismus) jacturam paterentur, deciperentur atque *errarent*, malo aliquo genio impulsi negotiationi incubuisse dicerentur: ità illi sapientes in quovis transitu, supputatione, applicatione ac consilio decepti se aliósque perdiderunt. Nam & Cicero *trajectiones & motus stellarum* dicit *Chaldæos observare solitos*. Quo factum est ut non fuerit qui salutem Babyloniis afferret, sed errorem, sed pestem.

DRUSIUS.

2. צַמָּתֵךְ. A. Σαμματὲχ. Sym. τὴν σιώπησίν σου *taciturnitatem tuam*] Hieron. *Th. ipsum verbum Ebraicum posuit* Samthech; *Aq.* Sammathech; *Sym.* τὴν σιώπησίν σου, *quod nos exprimere possumus* taciturnitatem tuam, *quòd tacere debeat præ verecundia.* Hæc descripsi ex libro Ms. Nam in editis à Plantino pro SAMTHECH perperàm legitur SIMLATECH, i. *vestis tua.* Santes, *cincinnos tuos.* Arias *comam tuam.* Hier. *Ergò* Sammathech, *quod Aquila posuit, ut diximus, verenda mulieris appellantur. Cujus etymologia apud eos sonat* sitiens tuus; *ut inexpletam Babylonis indicet voluptatem.*

6. חִלַּלְתִּי נַחֲלָתִי. Th. ἐβεβήλωσαν τὴν κλῆρον *profanarunt sortem*] Rectum est ἐβεβήλωσα *profanavi, pollui.* Sed & pro τὸ κλῆρον malim τὴν κληρονομίαν μου, *hereditatem meam.*

13. יַעַמְדוּ־נָא וְיוֹשִׁיעֻךְ הֹבְרֵי שָׁמַיִם. Sym. Th. *flent & salvent te augures cæli*] Hieron. *Pro eo quoque quod nos juxta Sym. & Th. interpretati sumus*, flent & salvent te augures cœli *Lxx manifestiùs transtulerunt*, flent & salvam te faciant astrologi cœli, *qui vulgò appellantur* Mathematici, *& ex astrorum cursu lapsúque siderum res humanas regi arbitrantur.*

IDEM EX PROCOPIO.

1. שְׁבִי־לָאָרֶץ אֵין־כִּסֵּא. κάθισον εἰς τὴν γῆν· οὐκ ἔστι θρόνος, *sede in terra: non est solium.*

2. גַּלִּי צַמָּתֵךְ. Sym. κάλυψαι τὰ ὦτα, *obducito aures.*

3. נָקָם אֶקָּח וְלֹא אֶפְגַּע אָדָם. Idem, ἐκδίκησίν σου λήψομαι, καὶ οὐκ ἀντιστήσεται * ἐν ἐμοὶ ἄνθρωπος, *ultionem tui capiam, nec resistet mihi homo*] * Aliàs μοι, quod secutus sum in versione. καὶ οὐκ ἀπαντήσω ἀνθρώπῳ, *& non occurram homini.*

4. גֹּאֲלֵנוּ יְהוָה. A. Ἀγχιστεύων ἡμῶν Κύριος *propinquus noster Dominus.*

5. דּוּמָם. Sym. σιωπῶσα *tacens.* ¶ גְּבֶרֶת מַמְלָכוֹת. Sym. δέσποινα βασιλειῶν *domina Regnorum.*

6. חִלַּלְתִּי נַחֲלָתִי. Th. ἐβεβήλωσαν τὴν κλῆρόν μου, *profanarunt sortem meam.* A. Sym. ἐβεβήλωσα *profanavi.*

10. וְדַעְתֵּךְ הִיא שׁוֹבְבָתֶךְ. Sym. ἡ γνῶσίς σου αὐτὴ ἐξηπάτησέν σε, *scientia tua hæc decepit te.*

12. אוּלַי תַּעֲרוֹצִי. Th. εἴ πως δυνήσῃ ἰσχῦσαι, *si quomodo poteris validus esse.*

15. סֹחֲרַיִךְ מִנְּעוּרַיִךְ אִישׁ לְעֶבְרוֹ תָּעוּ אֵין מוֹשִׁיעֵךְ. οἱ λοιποί, Οἱ ἔμποροί σου ἀπὸ νεότητός σου, ἕκαστος εἰς τὸ πέραν * ἑαυτοῦ ἐπλανήθησαν, ἐξ ὧν οὐδεὶς εὑρέθη σοι σωτήρ, *Negotiatores tui ab adolescentia tua, unusquisque in eo quod ultra seipsum est erraverunt, ex quibus nullus inventus est tibi servator.* Sym. διὸ οὐκ ἔστιν ὁ σώζων σε, *propterea non qui salvet te*] * Aliàs πέρας.

GROTIUS.

1. D*Escende*] De solio, ut sequentia ostendunt. Nam ab aliquo tempore penes Babylonios imperium fuerat.

Sede in pulvere] Ut in luctu gravissimo fieri solebat.

Virgo] Civitates fœminarum nominibus & figurâ describi solent. *Virginem* verò dixit, quia mollis erat & tenera in victu atque habitu, ut jam sequetur.

2. *Tolle molam, & mole farinam*] Para te servilibus ministeriis. Vide Job. XXXI. 10.

Denuda turpitudinem tuam] In Hebræo, *Detege*: id est, rade *capillos tuos.* Etiam illud in more lugentibus.

Discooperi humerum] Ad laborem te para.

Revela crura, transi flumina] Id est, ut transire possis fluminum vada fugiens.

3. *Revelabitur ignominia tua, & videbitur opprobrium tuum*] Non erit tibi unde vel ea tegas, quæ maximè tegi vult pudor.

Et non resistet mihi homo] *Et non suscipiam deprecatorem quenquam.* Nam פגע est *& deprecari & deprecantes admittere.*

6. *Iratus sum super populum meum, contaminavi hereditatem meam, & dedi eos in manu tua, non posuisti eis misericordias*] Rectè sic vertas: *Cùm ego iratus populo meo terram mihi propriam abs te contaminari paterer, hominésque traderem in manum tuam, tu eorum nihil es miserta.*

Super senem aggravasti jugum tuum valde] Etiam super senes. Vide Lament. Jerem. v. 4.

7. *Non posuisti hæc super cor tuum*] Non cogitasti de his quæ nunc tibi eveniunt.

Neque recordata es novissimi tui] Non venit tibi in mentem hoc excidium.

8. *Non sedebo vidua, & ignorabo sterilitatem*] Non carebo Rege, sed nec posteritate. Paria verba Romæ sub nomine Babylonis tribuit Apocalypsis XVIII. 7.

9. *Et propter duritiam incantatorum tuorum*] *Sacerdotum.* Ità حبر sumitur Arabibus, & mox hîc 12. Ità vocem hanc explicat Baal Aruch. Apparet sæpe in Chaldæis Paraphrastis.

10. *Sapientia tua & scientia tua hæc decepit te*] Fiducia in peritia Astrologicæ divinationis, quæ tanta in ea gente, ut omnes ejus professionis *Chaldæi* dicti fuerint. *Scientia Chaldæorum artis* apud Tacitum Annalium VI. Vide & Gellium I. 9. *L. Nemo* C. de Maleficis.

Ego sum, & præter me non est altera] In oraculo: Μοῦνοι Χαλδαῖοι σοφίαν λάχον. —— [*Chaldæi soli sapiunt.* ——]

11. *Veniet super te malum, & nescies ortum ejus*] In Hebræo; *auroram ejus*: id est, diem συνεκδοχικῶς [*Per complexionem*]. Tu quæ omnes dies prosperos & adversos certò te nosse jactas, hunc diem exitii tui non prævidebis. Vide infra 13.

14. *Non sunt prunæ quibus calefiant*] Supple, *alia.* In cineres ità vertentur ut nihil carbonum supersit.

15. *Negotiatores tui ab adolescentia tua*] Qui tecum à prima ætate vixerunt mercatores magnarii. Magnam enim ad commercia opportunitatem præbebant Euphrates, Tigris, Naharmalca, ac tot alii amnes in mare Persicum se devolventes.

Unusquisque in via sua erraverunt] Fugerunt omnes qui potuerunt, alii alio itinere.

CAP. XLVIII.

MUNTSERUS.

DOcet Propheta in hoc capite cur Deus castiget homines, præmittens tamen exordiolum, ut sint attenti. *Audite*, inquit, quæ dico: ego novi vestra, qui sitis & fueritis. Magna ex parte hypocritæ estis; animo abestis à me: ego tamen non desino benefacere, non propter merita vestra, sed propter gloriam meam.

1. *De aquis Jehuda*] Jonathan vertit מזרעית *de cognatione Jehuda*, semen scilicet liquidum *aquam* vocans.

4. *Scio quidem quòd durus es*] Est hîc מדעתי infinitivus Bachlam cum affixo Jod; & alludit ad illud Mosaicum, *Ego novi rebellionem tuam & cervicem tuam durissimam.* Debuerat te in officio continere facinus illud magnum quando stravi exerci-

ercitum Sanherib, ut faciliùs promissionibus meis crederes, &c.

6. *Numquid vos annunciabitis*?] Q. d. *Non.* Non enim quæritis gloriam meam, sed negatis ea quæ vidistis oculis vestris. ¶ *Feci te audire nova*] Loquitur de subversione Regis Babylonici.

8. *Aperta fuit auris tua*] Scribitur hîc in verbo פתחה Hirec pro Kybutz. Vel potest dici quòd in Piel sit neutrum.

9. *Si longanimis fuero*] Ut אף sic quoque חטם capitur pro *ira*, & refertur verbum אאריך ad utrumque sicut nos post Kimhi vertimus: *Cedit*, inquit, *in gloriam meam si non delevero te propter iniquitates tuas. Examinabo tamen te per multiplices afflictiones; non quidem ut argentum examinatur in quo nulla relinquitur rubigo; alioquin absumerem te in universum; sed in fornace multiplicis afflictionis probabo te, ne damneris cum hoc mundo. Et totum istud propter nomen meum facio, ne illud blasphemetur inter Gentes.*

12. *Vocatus meus*] Est hic מקרא Paül in Piel cum affixo: & est sensus, *Israel, qui à me sic appellatus est.*

14. *Dominus dilexit eum*] Loquitur de Cyro.

16. *Accedite ad me*] Verba sunt Prophetæ, quibus suos exhortatur ad fidem: Ab initio, inquit, publicè locutus sum de casu Sanherib, & fui etiam ibi cùm id fieret.

18. *Quasi fluvius pax tua*] h. e. Multa *fuisset pax*, sicut aquæ *fluvii* plurimæ sunt: *& justitia tua* fuisset perpetua, *sicut mare* nunquam est sine *fluctibus.*

19. *Interiora maris*] Quidam intelligunt *lapillos* maris, alii *pisces* ejus.

VATABLUS.

1. **E***Xierunt* יצאו] Mutatio personæ, pro *existis*: & sic in seq. ¶ *Recordantur* יזכירו] *Mentionem faciunt*: etiam mutatio personæ.

2. *Vocantur* נקראו] Præt. Heb. pro præs. *denominantur*, pro *denominamini*, i. dicimini *filii Jerusalem.* q. d. Profitemini quidem nomen meum, & religionem meam specie quadam jactatis: vultis videri acsi mihi niteremini, sed omnia sunt hypocrisis.

3. *Extunc* מאז] *Jam olim*: i. ante multa tempora. ¶ *Et audire feci ea* ואשמיעם] *Et audita feci ea*: i. prædixi. Alii, *& prædicavi ea.* Alii, *divulgans ea.*

4. *Jam novi* מדעתי) Ad verb. *Ex scientia mea est*: sive, *Scientia mea est.*

5. *Jam olim* מאז] Ad verb. *extunc*: ut v. 3. & 6. ¶ *Audire feci te* השמעתיך] i. Prædixi tibi.

6. *Vide totum hoc* חזה כלה] i. Universam illam afflictionem jam evenisse. ¶ *Et non noveras ea* ולא ידעתם] *Quæ non noveras.*

7. *Nunc creata sunt, & non extunc* עתה נבראו ולא מאז] *Nuper sunt creata, & non antea*: i. decreta & statuta à me. Alii, *Nunc primùm creata sunt, non jam olim.*

8. *Etiam non, &c.* גם לא שמעת וגו׳] *Et tamen neque audisti me, neque cognovisti, neque jam olim aperuit sese auris tua.* Alii, *Non utique audisti, nec etiam cognovisti, neque extunc aperta fuit auris tua.* Alii, *Certè non audieras, certè non noveras, certè non fuit pridem aperta auris tua.* ¶ *Novi enim quòd prævaricando, &c.* כי ידעתי בגוד וגו׳] *Quia sciebam quòd transgrediendo transgressurus esses, ideo rebellem ab utero vocavi te.*

9. *Differam* אאריך] Ad verb. *elongabo*, vel *prolongabo*, i. continebo diutiùs. ¶ *Prolongabo* אחטם] *Prorogabo.* Alii, *refrænabo*: *differam*, sub. *in aliud tempus.* Quidam hanc versûs partem vertunt, *& in laudem meam moderabor mihi erga te, ut te non succidam.* Alii, *erit enim laus mea sclonganimis ero tibi, & non succidero te.*

10. *Purificavi te, & non tanquam argentum* צרפתיך ולא בכסף] *Repurgavi te, sed non in* fornace *argenti*, sive *argentaria*: i. non ad vivum, exactè & omnino, quemadmodum examinari solet argentum in fornace.

11. *Esset pollutum* יחל] *Violabitur; contaminabitur*: sive *violaretur*, aut *profanaretur*: i. nam qui fieri posset ut paterer nomen meum violari? q. d. Nunquam patiar.

16. *A tempore* מעת] *Tempore quo*: מעת pro בעת.

17. *Ut prosim* להועיל] *Ut proficias.* ¶ *Dirigens* מדריכך] Ad verb. *ambulare faciens*: sic v. 21.

19. *Et germina* וצאצאי] i. Et filii. ¶ *Non excideretur neque dissiparetur* לא יכרת ולא ישמד] *Non exterminabitur, neque delebitur.*

20. *Clamoris* רנה] *Exsultationis: lætitia*: i. lætâ & hilari.

CASTALIO.

1. **E***X aqua Juda orti*] Ex fonte, semine.

3. *Superiora antè denunciavi*] Videlicet de Sennacheribi casu.

6. *Quòd si audiveras, vaticinare*] *Si* in Hebræo non est; sed sæpe subticetur, sicut apud Plinium Juniorem, *Dedisses huic animo par corpus, fecisset quòd optabat*, i. si dedisses. Item חזו. pro eo quod est *prædicere* & *vaticinari* non rarò ponitur. Utriusque exemplum & alibi sæpe & Esai. 1. invenies. Cæterùm hæc sententia est obscurissima propter orationis brevitatem, & videtur primâ fronte parùm apta & conjuncta: quam tamen, si diligenter attendas, invenies convenientissimam. Sunt autem consideranda quæ antè dicta sunt, in hunc modum; *Prædico vobis*, inquit Deus Israelitis, adventum Cyri: *& ideo prædico ut*, cùm evenerit, ejus rei laudem mihi tribuatis, *non vestris statuis* falsísque diis; qui tantum abest ut tale aliquid facere valeant, ut nè prædicant quidem. Nam si prædicunt, vobis prædicunt, qui eos colitis; *& si* vobis prædicunt, eáque vos ex eis *audivistis*, *prædicite* eorum instinctu hæc quæ vobis de Cyro à me significantur. At non potestis: sunt enim *ignota vobis.* Ex quo perspicuum est, eorum gloriam non diis esse vestris tribuendam, qui vobis, quamvis suis cultoribus, nè prædicant quidem; sed mihi, qui etiam contumacibus tamen hæc præsignificem, ut cùm evenerint, ei tribuatis qui prædixerit, h. e. mihi. Cur autem hæc significem, causa est hæc, quòd scio vos (*quæ vestra est* perpetua *improbitas*) hujus rei laudem tributuros esse diis istis, nisi fueritis à me præmoniti. Quòd si faceretis, ego ob tam ingratum animum & perfidiam in vos sævirem ad internecionem. *Nolo autem vos funditus exstirpare*, sed genus servare vestrum, *mei nominis causâ*, h. e. ut ea res mihi sit laudi, promissúmque servem. Hanc ob causam *præcludam vobis meam laudem*, h. e. hæc vobis præsignifico, ut cùm acciderint, non vos inde vestrósve deos laudetis, cùm per eos *nè præsciveritis* quidem, nedum ut horum autores esse videantur: sed intelligentes eam laudem in vos non cadere, eam mihi adscribatis; atque ità fiat ut ego à vobis laudatus *iram meam cohibeam*, *neque vos evertam.* Atque hoc videmus accidisse. Nam post Babylonicam captivitatem à simulacris abstinuere Judæi: sicut & nos (siquidem verè Judæi sumus) postquam ex vera Babylone nostri veteris hominis pravæque naturæ emigraverimus, nulla deinceps habebimus simulacra nostrarum effrænatarum libidinum, quibus servivimus tanquam diis alienis nostrâ manu factis, ut prædictum est in Ezech. 36. Igitur, *non excidam vos*, inquit, *sed explorabo*, *& rebus adversis* exercitos ac tanquam metallum *in fornace* probatos *eligam*; *non quidem ob pecuniam*, ut solent qui metalla igne probant; sed id faciam gratis & *meâ causâ*, *nè quis* sibi possit hujus *rei laudem* vendicare; *quòd esset indignissimum.* Hoc in loco nobis etiam atque etiam animadvertendum est quando fiat hæc hominis electio, videlicet *in fornace calamitatis.*

8. *Improbum jam ab utero vocari*] h. e. Esse, ut Matth. 5. 9.

14. *Jova illum amat*] Cyrum.

16. *Non tectè quondam locutus sum*] h. e. Senacheribi casum non obscurè prædixi: & nunc *posteaquam id evenit*, non latito (quod facerem præ pudore si non evenisset quod prædixeram) sed *me præsentem exhibeo*, ut ostendam me vera prædixisse, atque ita fidem merear de futuris quæ præsignifico, h. e. de Cyro, quem *meo spiritu præditum mittam.* Sed hoc intellige de vero Cyro, h. e. Christo, qui erit Divino Spiritu præditus, ut est in capite 42.

18. *Quòd si meis præceptis intenderes, esset tua & pax fluminis, & justitia marinis similis undis*] i. Abundaret.

22. *Pacem Jova negat impiis*] Hoc dicit ut intelligatur hanc felicitatem solis piis promitti.

CLARIUS.

1. **D***E aquis Juda*] Jonathas vertit *de cognatione Juda*, semen scilicet liquidum *aquam* vocans. ¶ *Dei Israel recordamini*] Fictè tamen scilicet: idcirco addit, *non in veritate, neque in justitia.*

2. *De civitate sancta vocati sunt*] h. e. Nomen habent. Quo Hebraismo Paulus usus est cùm ait, *vocatus Apostolus.*

4. *Scivi enim quòd durus es*] Alludit ad illud Mosaicum, *Ego novi rebellionem tuam & cervicem tuam durissimam.* Debueras te in officio continere facinus illud magnum quando stravi exercitum Sennacherib, ut faciliùs promissionibus meis crederes.

6. *Vidisti omnia*] h. e. Num evenerint. *Vos autem non annunciastis*, h. e. non prædixistis hæc ventura, sed ego. Alius

lius ſic vertit, *numquid vos annunciabitis?* q. d. Non. Non enim quæritis gloriam meam, ſed negatis ea quæ vidiſtis oculis veſtris. ¶ *Audita faciam*] Loquitur de ſubverſione Regni Babylonici.

7. *Ante diem*] Scilicet quo evenient.

9. *Et propter laudem meam*] Cedet, inquit, in gloriam meam ſi non delevero te propter iniquitates tuas. *Examinabo* tamen *te* per multiplices afflictiones, *non* quidem exactè, *ut argentum* examinatur in quo nulla relinquitur rubigo; alioquin abſumerem te in univerſum: *ſed in fornace* multiplicis *afflictionis probabo te*, nè damneris cum hoc mundo. Et totum iſtud *propter nomen meum facio*, *nè illud blaſphemetur inter Gentes.*

10. *Purgavi te*] Vertimus ſenſum: nam in Hebræo eſt *elegi te.*

12. *Quem ego voco*] Qui à me ſic appellatus eſt.

14. *Dominus dilexit eum*] Loquitur de Cyro.

16. *Accedite ad me*] Verba ſunt Prophetæ, quibus ſuos hortatur ad fidem; *ab initio*, inquiens, *publicè locutus ſum* de caſu Sennacherib, & *fui etiam ibi cùm id fieret.* Sunt tamen qui referant hæc verba ad Perſonam Filii Dei: & fortaſſe aptius eſt, propter illud quod ſequitur, *Dominus miſit me*, &c. ¶ *Dominus Deus miſit me, & Spiritus ejus*] Hic colligunt myſterium Trinitatis, ut ſit Perſona Chriſti loquentis.

19. *Non interiiſſet*] Alius ſic interpretatur, *Sed nè nunc quidem conteretur & perdetur penitus nomen ejus à facie mea.*

FORERIUS.

1. QUam utilitatem deberent Judæi habere tam ex conſideratione liberationis è Babylone quàm ex iſtarum rerum prædictione aperit Dominus per Prophetam, & viam parat ad apertiora de Chriſto Vaticinia. Vide autem quomodo interim, dum captat attentionem, eos ad quos loquebatur graphicè depingat: quod facit, nè in iis quæ dicturus erat, in quibus quòd eis parùm confidiſſet declaratur, quiſquam Deum argueret. Eos ergò nomine tenus Dei cultores hìc appellat, fictos atque hypocritas; qui à nobilitate parentum, quâ gloriabantur, planè degenerabant, & *ſanctitatis* tantùm nomen poſſederunt: quo etiam ad inanem gloriam abutebantur. ¶ *Exiſtis*] In Hebræis mutatur perſona, *exierunt.* *Ex aquis* autem *Jehuda* dixit, Metaphorâ ſumptâ ex fontibus & rivis, q. d. *ex ſcaturigine & ſobole Jehuda.* Communicat enim fons laudatus laudem & nomen ſuum aquis ex eo promanantibus: Sic etiam caput familiæ, ut Jehuda, qui non ſolùm ſuis, ut cæteri fratres, ſed toti genti & Regno nomen dedit: Quo generis auctore gloriabantur Iſraelitæ, & ex ipſo nomine *prædicatores* ſe eſſe *nominis Dei* profitebantur. ¶ *Qui juratis in nomine*] i. *Per nomen* Jehova. ¶ *Et Dei Iſrael recordamini*] Jam admonui quòd verbum זכר in Hiphil ſit interdum idem quod *prædicare*, *celebrare*, *confiteri*: quæ verba Hebræis interdum conſtruuntur cum præpoſitione *in.* Ergò *commemorare in Deum Iſraelis* eſt Laudes Dei decantare, ejúſque nomen celebrare: quod qui faciunt ore, *corde* autem *longe abſunt à Deo*, quia implicantur vitiis & concupiſcentiis hujus ſeculi, à quibus Deus abhorret, dicuntur *confiteri & laudare Dominum non cum veritate*, *neque cum juſtitia*: ficti enim ſunt & iniqui; ut qui Deo auferant vitâ & moribus quod illi vocibus tribuunt: planè impii, qui cùm laudes decantent ore, alios vitâ ad blaſphemandum invitant.

2. *De civitate enim*, &c.] כי pro Continuationis particula libenter accipio hoc loco; i. *Dici quoque & appellari volunt de civitate ſancta*, i. cives Jeroſolymitani, *& qui à Deo Iſraelis ſuſtentantur*, quaſi domeſtici ejus. Certè hæc duo membra Paulus ſic reddidit ad Epheſ. *Cives ſanctorum & domeſtici Dei.* Domeſticos enim ſuos alunt patres familiâs: neque aliud fulcimentum habent domeſtici quàm herum ſuum. Illud verò quod ſequitur, ¶ *Jehova exercituum nomen ejus*] Vel referendum eſt ad initium orationis, *Audite hæc, Iſraelitæ, quæ dicit, cujus nomen eſt Jehova exercituum*; vel ad id quod immediatè præcedit, *qui dici vultis cives civitatis ſanctæ, & domeſtici Dei Iſrael, cujus nomen eſt Jehova exercituum.* Et hic poſterior ſenſus planus eſt: hoc enim nomine valde gloriabantur Judæi, quòd eſſent de domo potentiſſimi Dei, qui paratos habet exercitus Angelorum & hominum, &c. Quod certè ſi verum eſſet, & cum veritate ſic appellarentur, nihil video adeò glorioſum.

3. *Priora ex tunc*, &c.] Ecce quid volebat audirent: & vel ſupplendum eſt relativum אשר, quod ſæpe omittitur, vel certè illud ה, quod præponitur nomini הראשנות, (quod non, ut quidam volunt, interrogativum eſt) vices ejus gerit, q. d. *quæ priora ex tunc annunciavi*: ut ſit ſenſus, *Priora quæ ex tunc annunciavi, quæ ore meo promiſi futura, citò feci, & venerunt*; ſeu *feci ut citò venirent.* Prædixit quòd eriperet ex Ægypto; eveheret in Regnum, &c. jam impleta ſunt.

4. *Scivi enim*] Ad verbum; *A ſcire me*; i. Eò quòd ſcirem. Pendet autem oratio uſque ad ſequentem verſum; *Quid*, inquit, *ſciebam quòd pertinax eſſes*, &c. *idcirco ex tunc annunciavi tibi*, &c. Vel, *Quàm primùm intellexi quòd pertinax eſſes*, &c. Vel ſic cum nonnullis Hebræis, *Citò feci ut venirent, etiamſi ſcirem quòd pertinax eſſes*, &c. ut Vau verſûs quinti valeat *autem*: q. d. *Sciebam quidem quàm duræ cervicis eſſes, & quàm malè acciperes beneficia quæ in te conferrem; nihilominus, quæ jam olim promiſeram patribus, quàm citiſſimè curavi ut fierent: eo autem conſilio, antè quàm fierent, prædixi tibi futura, nè diis tuis fictitiis ea adſcriberes*, &c. Quòd autem eos *cervicis ferreæ* vocat, alludit ad verba Exod. & Deut. ubi paſſim eos *duræ cervicis* appellat. *Frontem* verò *ferream* vocat ob impudentiam: quod Latini vocant *frontem perfrictam.* Vel alludit ad Boves, qui cervice & fronte jugum trahunt, quæ illis eſt duriſſima. Rigidos ergò eos & pertinaces notat.

6. *Vos autem num annunciaſtis?*] In Hebræis eſt futurum, quòd Vulgatus pro præterito accepit; q. diceret Propheta *illos nequaquam noviſſe, neque pronunciare* potuiſſe. Sed cùm interrogatio ſit, *annon*, & affirmativam reſponſionem exigat, ſenſus eſſe poteſt, *Ex tunc, à principio audire te iſthæc feci; & hoc ità pervulgatum eſt ut vos, ſi velitis, id poſſitis annunciare & teſtificari*: vel, *& vos nónne id ſoletis prædicare? nempe quòd multò antè prædicta ſint*, &c. ¶ *Audita feci tibi nova ex tunc*] Puto vitiatè legi *ex tunc*, & legendum juxta Hebræum *ex nunc*: & ità videtur quoque Hieronymus interpretari. Non, inquit, adduco vetera, ut fidem aſtruam; ſed nova, quæ contra Babylonios facturus ſum, annuncio. Ad hunc quoque modum ſuprà dixerat Propheta, *Prima quæ fuerunt, ecce venerunt, nova quoque annuncio*, *Et nè memineritis priorum, & antiqua nè intueamini; ecce ego facio nova & nunc orientur*, &c. Quæ ut ad myſterium detorſimus, ità hoc quoque loco, quaſi redemptio ex Babylone inter priora & vetera computetur; *novum* autem ſit quod in illa figuratum & delineatum fuit. ¶ *Et conſervata*] *Reſervata*, i. recondita. Hebraiſmum, *& non noviſti ea*, Vulgatus doctè vitavit, *quæ neſcis.*

7. *Nunc creata ſunt*] Nova ſunt, non antiqua. Nunc de novo producuntur, non jam olim edita. ¶ *Et ante diem*] Negatio repetenda venit, *non ex tunc*, *neque ante diem*, i. ante hunc diem. Sic doctus quidam Hebræus.

8. *Neque audiſti*] Dixerat, *nè dicas. Ecce novi ea.* Auget negationem, *Quinimo non audiſti*, *quinimo non noviſti: non eſt aperta*, &c. i. neque ad aures tuas pervênit vel minimum hujus rei. Hæc eſt vis particulæ גם. ¶ *Prævaricans prævaricaberis*] q. d. Toties te hoc ignorare repeto, *quia novi quòd prævaricans prævaricaberis*, i. quia conſueviſti prævaricari, & mores tuos perſequeris. Cæterùm בגד, quod *prævaricandi* verbo Vulg. & cæteri eum ſecuti reddiderunt, jam ſuperiùs annotavi eſſe *excurrere*, ſeu *depopulari*, ac *vi diripere.* Hìc autem non malè convenit ut eos *direptores* appellet, qui gloriam Dei diripiebant, & alteri conferebant. Quare meritò etiam *tranſgreſſores* ſeu *transfugæ* appellari poſſunt, qui legitimum Imperatorem deſerentes ad hoſtes tranſgrediuntur ac transfugiunt, quaſi pro idolis ſtarent adversùs verum Deum & Patrem. *Ab utero* autem ſic *vocatos* dicit, quia, ut inquit Stephanus, *ſemper Spiritui ſancto reſtiterunt.* Recole quales ſe exhibuerint egreſſi ex Ægypto, & videbis meritò ſic à Domino jam tunc appellatos.

9. *Propter nomen meum*] Reſpondet tacitæ objectioni, quæ talis eſſe poterat, *Si tranſgreſſores meritò jam ab initio vocati ſunt, ſi noſti quod ab ſtudiis ſuis non deſiſtent, quid eſt quòd & eos à captivitate educere vis, & hoc illis prædicis?* Reſpondet, *Propter nomen meum.* ¶ *Longè faciam*] Seu *prolongabo*: eo modo quo iſtud verbum accipitur Prov. 19. *Intelligentia hominis prolongavit iram ſuam*, i. Qui ſapiens eſt, tardus eſt ad iram, differtque vindictam. Unde Dominum vocat David Pſ. 86. *longum iratum*, i. tardum ad iram. Ergò hoc loco inſinuat Dominus quòd ducti in captivitatem Judæi non plenè pœnas luerent, ſed *prolongaret iram ſuam* Deus, quouſque, ni fallor, illi *adimplerent menſuram patrum ſuorum*, & Filium Dei interficerent. Tunc enim effudit omnem iram ſuam, ut gens illa aboleretur, ſalvis tamen reliquiis, non autem ut ampliùs in Regnum ſeu Remp. coaleſcerent. Niſi malis ſimpliciter accipere *elongare iram* pro *auferre* ſeu *longè facere*: quaſi indignus eſſet qui reduceretur ex captitate, ex miſericordia autem Dei reducendus eſſet. ¶ *Et laude meâ*] Puto ſcriptum fuiſſe *& laudem meam*: nam ità interpreta-

pretatur Hieronymus in Commentariis, repetitâ præpositione *propter* è superiori membro, juxta consuetudinem Hebræi sermonis. ¶ *Infrænabo te*] חטם verbum (modo verbum sit) non nisi hoc loco invenitur. In hoc autem conveniunt viri docti, ut significet *constrictionem*, seu *cohibitionem*, seu *obsignationem*, *qualis est sigillorum*. Quare Vulg. *infrænare* dixit. Et in Hebræo pronomen est in dandi casu; ut sit sensus juxta Vulgatum, *& propter laudem meam frænum injiciam tibi*, nempe ut ductum meum sequaris, *nè omnino intereas*; quasi eum, veluti equum, reductus esset è Babylone, &c. Possumus nihilominus sic vertere, & simpliciùs interpretari, *& laudem meam obsignabo tibi*. Cùm nihil habeas quo me provocare possis ad misericordiam, sed totus, quantus es, ab utero iram promerearis, *obsigno tibi laudem meam*, & quasi pallium induco super te, vel signo illam super te, ut appareas mihi quasi materia laudis meæ: quæ te semper comitetur, ut si delere velim, protinus meminerim laudem meam interire; atque hoc pacto fiet ut *differam iram meam*, *nè prorsus exscindaris & intereas*. Reddo autem verbo *obsignandi*: nam verbum חתם id omnino notat, quod huic, ut vides, cognatum est. Sed dices, Ergò neque Romanorum tempore delendus erat Israel propter laudem Dei. Dicam longè diversam fuisse rationem: nam mox futurum erat ut sciretur propter Christum illos ea mala pati: quod ad fidem in Christum conciliandam faciebat, &c.

10. *Ecce excoxi*] Non dubium quin verbum צרף de *excoctione* seu *ustione* propriè dicatur; sed deinde de quavis alia *examinatione* atque *probatione* dicitur, ac proinde de *electione quæ factâ examinatione fit*; ut Judic. 7. *Deduc eos ad aquas, & uram eos tibi istic*, i. eligam, atque probatos separabo. Quod autem dicitur, ¶ *Et non in argento*] (Sic enim habent exemplaria omnia Hebraica quæ vidi, quamvis errore librarii suspicari possimus ב positum pro כ, ut in nonnullis aliis locis) idem ferè est ac si diceret, *non quasi argentum*, ut *in argento*, sit *in argenti fornace*: vel certè nomen *fornacis* ex sequenti membro accipiendum est, ut non dicamus *in argento*; sed *in argenti*; *Ussi te in fornace inopiæ, non in fornace argenti*; cujus vehemens est exustio & examinatio, consumptis omnibus scoriis. Quæ quidem examinatio Israelitarum ad tempus Christi reservabatur, *in cujus manu ventilabrum erat, quo permundavit aream suam*, & separatæ sunt paleæ à tritico *in spiritu judicii & spiritu ardoris*, ut suprà exposuimus. Reliquiæ enim tantùm servatæ sunt & in Regnum spiritale redactæ: reliquos abstulit infidelitatis tempestas. Congruitque hæc interpretatio cum iis quæ paulò antè præcesserunt de *prolonganda ira* seu *vindicta*. Levior autem fuit isthæc examinatio, quæ fuit corporalis *in camino inopiæ* seu afflictionis, nempe captivitate, ex qua rursus redierunt in Regnum promiscuè boni ac mali. Durant enim in malis, in paupertate, in servitio aliisque afflictionibus etiam mali; at in examinatione quæ fit per verbum Christi, nequaquam: tunc enim, ut est in Euangelio, *qui ex Deo est, verbum Dei audit; & qui non est, non audit*: & si ad tempus audiunt, postea recedunt. Quòd si hæc est hujus loci germana expositio, non nimis durum neque extortum videbitur, si mysterium hoc, Judæis alioqui insuave, Jesaiam dicamus nomine *argenti* voluisse obvelare. Decantatissimi enim erant Psalmi Davidis; & quòd *eloquia Domini essent argentum igni examinatum, sæpe & sæpius probatum*: ut pro *verbo Dei* posuerit *argentum*, significans probationem quæ verbo Dei futura erat, & in aliud tempus servabatur.

11. *Propter me*, &c.] *Ergò propter me faciam hoc*, nempe ut te in camino inopiæ & tantummodo examinatum liberem, & sic satis vexatum & emendatum reducam. ¶ *Ut non blasphemer*] Sensum reddidit: ego verbum verbo, *quia quomodo profanabitur?* Quî fieri potest ut sinam nomen meum profanari ab infidelibus, qui dicunt Deum Israelis impotentem, ut qui non potuerit hostibus resistere, suos autem deos fortiores, &c. Vim habet hæc interrogatio, ex qua nos fiduciam concipientes, ea frequenter in nostris orationibus uti deberemus, sicut Moses, & Josue, atque alii. An non nomen Christi à Mahumetanis blasphematur? an non gloriam Filii Dei impostori & pessimo nebuloni tribuunt? Cùm prævalent adversùs Christianos, an hoc Mahometis auspiciis non tribuunt?

12. *Quem ego voco*] *Vocatum suum* juxta Hebraismum dicit Israelem, i. familiarem & domesticum, cujus nomen in ore semper habet, ut ejus oblivisci nequaquam possit. ¶ *Ego primus*, &c.] Est cur me audire debeas, & mihi attendere: Nam & antè quàm quidquam esset ego eram, & pòst quàm omnia interierint ego ero. Periphrasis est æternitatis. Vel, sum omnium rerum principium ac finis, *ex quo omnia, & in quem omnia*.

13. *Manus quoque*] Mirum quòd toties suam potentiam quâ terram cœlósque crearit, commemorat. Certè cum incredulis res ei erat, quorum bona pars idola colebat, & diis Gentium plurimum deferebat. ¶ *Mensa est cœlos*] Hebræis est enim verbum deductum à *palmo*. Cùm autem *palmus* interdum sit mensuræ nomen, hinc factum est ut pro *mensurare* acciperetur: quod non abjicio: sed accipere quoque possumus pro *palmâ explanare*, *explicare*, seu *distendere*. Unde Thren. 4. de infantibus dicitur, quos matres nunquam cessant palmis extergere, fricare, & recèns natos explanare, ut ipsorum membra in planum & longum distendantur, nè fiant distorta, quos in palmis gestant & palmis tractant. Unde ipsi Pueruli טפחים appellantur Thren. 2. ¶ *Vocabo*] Promptam obedientiam stellarum corporúmque cœlestium hîc habes: quod non solùm referri potest ad creationem, quando *vocavi ea quæ non erant*, & exstiterunt; sed etiam hoc tempore, quando nihil in ipsis est quod non dicto Dei pareat, quemadmodum diligentes ministri, qui communi nomine vocati assistunt omnes pariter, jussa accepturi.

14. *Congregamini*] Seu *Congregemini omnes vos, Israelitæ, vocati mei*. Jam quid velit, ut attenti audiant, enarrare incipit. ¶ *Quis de eis*] Heb. *quis in eis*. Et potest esse mutatio personæ; pro, *quis in vobis*, aut *inter vos*. Potest & ad ipsos *cœlos* referri: nam Astra quoque colebant idololatræ. ¶ *Dilexit eum*] Agnosce Prophetarum phrasim: Cum jamdudum de Cyro loqui intermiserit, quia tamen omnia quæ iis capitibus continentur ad liberationem ex Babylone per Cyrum futuram pertinebant, sub relativo, non expresso nomine, de eo loquitur. Hic autem locus videtur illorum sententiam infringere qui Cyrum impium fuisse Tyrannum scribunt. Certè ex Scripturis Propheticis dilectus fuisse Deo videtur, & cultor unius Dei: nè quis putet fabulosa esse omnia & ficta quæ de eo Xenophon scripta reliquit. ¶ *Voluntatem suam, brachium suum*] Vel *ejus*: utroque enim modo verti potest pronomen. *Facere* autem *brachium Dei in Chaldæis* est Potentiæ Dei ministrum esse in terra Chaldæorum: vel sic, *Cyrus faciet beneplacitum Dei in Babylone; & brachium ejus erit in Chaldæos*: vel cum Vulgato, *Cyrus in Babylone faciet voluntatem suam*, i. quidquid sibi placuerit, *& brachium suum in Chaldæos exseret*; supple, *Hæc nemo prædixit neque annunciavit*. Quis ergò?

15. *Ego, ego*, &c.] Ego volui ut hæc ità fierent: quare etiam *locutus sum*, & futura prædixi. ¶ *Adduxi eum*, &c.] Nemini alteri neque res ipsa, neque ipsius præcognitio ac denunciatio adscribi debet. ¶ *Directa est*] Est hoc loco constructio quæ Psal. 1. *Quodcunque faciet, proficiet*: & Prov. 28. *Qui celat iniquitates suas, non proficiet*, vel *non fortunabitur*, &c.

16. *Accedite ad me*, &c.] Sunt verba Prophetæ fidem dictis suis astruentis. ¶ *Non à principio in abscondito*, &c.] Transpositâ negatione planior erit sensus; *A principio*, quando primùm *locutus sum* vobis, & Prophetam agere cœpi, *non in abscondito* id feci. Existimo autem proverbiali formâ & figuratè dicere Hebræos *loqui in abscondito* pro *mendacia loqui*, *& incerta nunciare*. Nam magi & augures & hujusmodi homines malarum artium studiosi, ut suprà 45. cap. annotavi, tenebrarum & angulorum sunt amici. Publicè, inquit, vos contestatus sum, ut verax, & verorum annunciator. Quando etiam vos in captivitatem ituros cœpi prædicere, id non furtim annunciavi, sed palàm & apertè: Vestram quoque liberationem per Cyrum futuram, nemo me dicentem non audivit: Credite ergò mihi ut veraci Prophetæ. Jam enim cùm nondum sit tempus harum rerum, spiritu præsens sum, illisque intersum, & nunc à Deo missus sum ut hæc vobis nunciarem. ¶ *Antè quàm fieret*] Hebræa ad verbum *à tempore esse ejus*, i. nondum existente tempore horum eventuum. Hæc est enim interdum vis particulæ Mem. Vide infrà 54. 9. bis 1 Sam. 15. *Repulit te Jehova ab esse Regem nè esses Rex*, &c. Et ità accepit Vulgatus, dicens *antè quàm fieret*. Quamvis autem hæc interpretatio absurda non sit, sed suam habeat probationem, libenter tamen acquiesco illis qui hæc verba Christo Domino tribuunt. Nam quæ præcedunt & quæ sequuntur videntur evincere quòd Dei sint verba: qui quidem, dum populo promittit libertatem ex Babylone, alterius in ea delineatæ mentionem facit tanquam in typo: ideòque non *Cyrum* nominat, sed, *Ego*, inquit, *vocavi eum*; *progressum faciet viæ ejus*: quod alibi dicitur; *Non revertetur ad me vacuus, sed faciet ad quæ misi eum*. Hunc *dilexit* Pater: hujus adventum nemo unquam novit, &c. Quod ubi præmisit, jam ver. 16. ipse Dei Filius homo factus loquens inducitur, qui *palàm locutus est mundo, non in abscondito*, ut ipse ait in Euangelio; quem *misit Pater in mundum*, & *sanctificavit* utique Spiritu Sancto: à quo & hic *missus* dicitur. De quo vide apud D. Thomam. Qui verò hanc rationem interpretandorum Prophetarum non recipit, nescio quantum de Spiritu Christi habeat, neque quot locos adducere

poterit ex Mose in quibus nobis interpretetur Christum; quod tamen fecit ipse Christus post resurrectionem euntibus in castellum Hemaus. Vide autem quantùm sequentia conveniant. Suprà enim jam admonui, in hoc capite transitionem facere Prophetam ad Christi mysteria apertiùs annuncianda.

17. *Redemptor tuus*] Hæc quidem ut dicta à Deo per Prophetam captivo populo, imminentéque liberatione, accipere poteris; nec minùs aptè ut dicta à Christo ad domum Jacob, ubique jam obtinente infidelitate, & spiritali redemptione. Quare & verba esse Dei *Redemptoris* inquit propheta. ¶ *Docens te utilia*] Verbum יעל est *sublevamen accipere* seu *afferre* juxta variam constructionem. Id quod Dominus in Euangelio reddidisse videtur, *Invenietis requiem animabus vestris.* Neque dubito quin ad hunc locum respexerit: nam ibi suadet ut doctrinæ ejus acquiescant: qui locus certè hunc exponit. ¶ *Gubernans te*] Ad verb. *calcare te faciens*: i. deduco quasi puerum, quem etiam docemus quò pedem figere debeat, &c. Quod etsi Deus semper fecerit, manifestiùs tamen per Filium suum, quem dedit in præceptorem Gentibus, qui verbo & exemplo nos erudivit, quò ire, unde fugere, atque in minimis quibusque rebus & occasionibus quales nos gerere debeamus.

18. *Utinam attendisses*, &c.] Hæc sunt Dei nostri vota, qui totus bonus erga nos est, qui scit quantùm nostrâ intersit observare ejus præcepta. Hæc ipsa deberent esse & nostra cum Davide, *Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes suas: hoc est enim omnis homo.* Similia vota sunt illa, *Quis det talem eos habere mentem, ut timeant me omni tempore, ut bene sit illis*, &c. ¶ *Fuisset*] Vel *foret*. Jam nunc excusationem continent hæc verba quare passus sit Dominus captivum detineri populum suum & ad paucitatem redigi, quare etiam per Romanos permiserit devastari & quasi penitus interire. Et si verba attendas, potiùs ad ultimam devastationem hæc pertinent. Culpâ, inquit, tuâ factum est hoc; nam si voluisses, *fuisset pax* (seu *prosperitas*) *tua veluti fluvius*, qui nunquam deficit neque fluere desinit. Forsitan & per Antonomasiam de Euphrate intelligit, qui amplissimus est fluvius. Neque solùm *ut fluvius*, sed *ut convolutiones maris*, i. fluctus seu undæ, quæ ad litus absque ulla defatigatione perpetuò devolvuntur. Quibus verbis omnium rerum abundantiam & felicitatem notat, quæ observantes mandata Dei comitatur. *Israel si audisset me, & in viis ambulasset, inimicos eorum humiliassem, inimici eis adularentur, perpetuò viverent, cibarem eos adipe frumenti*, &c. ut est apud Psaltem. Nota autem, nomine *pacis* & *justitiæ* Hebræis universa bona, spiritalia atque temporalia, designari. Nomine etiam *justitiæ* bona illa temporalia notantur quæ in præmium justitiæ à Deo hominibus tribuuntur. Nam cùm bene habemus, & Reip. à Deo non immittuntur adversa & calamitates, videtur Deus nos justos pronunciare. Unde *justitiæ* dicuntur interdum beneficia Dei, ut 1 Sam. 12. *ut disceptem vobiscum coram Jehova de omnibus justitiis quas fecit vobiscum.*

19. *Quasi arena*, &c.] Non uno loco promiserat Deus multiplicationem seminis si ipsi obedirent. Alludit quoque hoc loco ad promissionem factam Abrahæ, *Sic erit semen tuum, sicut arena maris*, &c. ¶ *Non interiret*] Vulgatus sensum vertit, *interire*, & *attritum esse*: quæ certè vastationi ultimæ magis conveniunt quàm quæ per Chaldæos contigit. Nusquam enim ampliùs fuit Regnum Jehuda, & Respub. illa nusquam est, & in oblivionem abiisse videtur quasi nunquam fuerit. Sicut autem Hebræis *scire nomen alicujus* & *recordari nominis* est Favoris & Gratiæ, sic *aboleri nomen* & *interdicere* est nota Odii & Indignationis. At quando odisse visus est Dominus populum illum? Certè post occisum Christum.

20, 21. *Egredimini de Babylone*] Agnosce Prophetarum phrasim. Hæc significant, quæ paulò antè dixisset ea propter captivitatem Babylonicam dixisse, quòd in paucitatem tunc redacti, interiisse *Israel* nomen, imò & abolitum fuisse, videbatur. Cujus causam quoque non siluit. Supplendáque sunt nonnulla, q. d. *At nunc jam tempus est ut tui miserear. Egredimini itaque de Babylone*, &c. Ego certè adhuc mysterium subolfacio quod Jesaias nomine *Babylonis* & *Chaldæorum* obvelavit. Erat enim typus Liberatio illa alterius magis admirandæ, quam certè decantare per totum orbem ac prædicare jubebat *usque ad extremitatem terræ.* Hæc est Euangelii prædicatio de Redemptione per Dei Filium facta. Quorsum *ad ultimum terræ*, nisi quia ad omnes hæc redemptio quæ facta esset in Judæa & Israele pertineret? Certè quoties in Prophetis has *denunciationes*, *exsultationes* & *ovationes ad omnes gentes* lego, toties Redemptionis universalis mentionem facere Prophetas non dubito: quandoquidem non tanti facienda videbatur redemptio illa quam tot calamitates mox subsecutæ sunt ipsâ captivitate graviores quousque ad culmen malorum pervenerunt. Non nego tamen quin etiam secundùm historiam intelligenda sint. Vide Esdr. 8. 31. quòd *manus Dei fuit cum illis in itinere, & liberavit eos de inimicis in via*, &c. Hæc autem loca ità ad mysterium hoc esse referenda, quæ sequuntur convincunt. Quorsum enim hîc commisceet Propheta quæ in liberatione ex Ægypto contigerunt? quid *dissectio petræ*, quid *emanationes aquarum* ad iter per Mesopotamiam facturis? Ergò hæc mysticè accipienda sunt, ut illis videlicet nihil defuturum, eósque nullius rei penuriâ laboraturos, qui ex captivitate Peccati Christi beneficio aufugerint, significent Nulla regio magis confusione plena quàm Peccati. Nulli Chaldæi pejùs filiis Dei nocent quàm Peccata. Hæc est *Babylon*, & isti sunt *Chaldæi* unde suos jubet Dominus *fugere*. Vide infrà 52. 11. *Recedite, exite indè*, &c. Quæ verba adducit Paulus 2 Cor. 6. in hanc eandem sententiam.

22. *Non est pax*, &c.] Hæc dupliciter possumus accipere, 1. quasi opponat sortem improborum sorti quam descripserat servorum Dei, quibus nihil redeuntibus ad Deum deest; at *improbis nulla est pax, dicit Dominus*, omniáque in malum eis cedunt. 2. ut dolorem quendam Prophetæ contineant hæc verba, quasi præsagientis frustrà vocare Christum Israelitas ut *Babylonem desererent* & à Peccato fugerent: non enim audituri erant vocantem, & manus extendentem erant despecturi. Ut quasi per correctionem hæc efferantur ad hunc modum, *Sed quid moror? quid verba in ventum profundo? improbi sunt, & indigni pace & felicitate quæ illis offertur.* Quare ad Gentes conversus Christus ait, *Audite, insulæ* &c. Interim tamen considerandum est, *improbos* à se *pacem* & veram tranquillitatem repellere. Non enim acquiescunt verbis Dei: sequuntur affectus suos, qui nunquam sibi constant. *Seminant iniquitates, metunt dolores.* Vide infrà 57. 21.

DRUSIUS.

1. מִמֵּי יְהוּדָה. Th. ἐξ ὕδατος Ἰούδα *ex aqua Juda*] Apud Procopium nomen ὕδατος Theodotioni adscribitur cum asterisco.

14. מִי בָהֶם הִגִּיד אֶת־אֵלֶּה יְהוָה אֲהֵבוֹ יַעֲשֶׂה חֶפְצוֹ בְּבָבֶל. Sym. *Quis ei annunciavit hæc? quem Dominus dilexit, qui facit voluntatem ejus in Babylone*] Sic legitur apud Hier. in editis à Plantino. Suspicor tamen, Sym. vertisse, *Quis eis*, &c. Sanè in Symbolis Patrum ex Apollinario, Sym. *Quis eis nunciavit ista? quem DOMINUS dilexit.* Ibidem. A. *Quis in hominibus annunciavit ista? DOMINUS dilexit eum:* & in ed. Rom. *Aq.* Τίς ἐν αὐτοῖς ἀπήγγειλε ταῦτα; Κύριος ἠγάπησεν αὐτὸν, *Quis in illis*, &c.

IDEM EX PROCOPIO.

4. מִדַּעְתִּי. Sym. Th. διὰ τὸ γνῶναι.

6. הִשְׁמַעְתִּיךָ חֲדָשׁוֹת. A. Th. ἠκούτισά σε καινὰ, *audire feci te nova.*

7. וְלֹא שְׁמַעְתָּם. A. Sym. Th. καὶ οὐκ ἤκουσας αὐτὰ, *& non audivisti ea.*

12. מְקֹרָאִי. Sym. ὁ κλητός μου *vocatus meus.* A. κλητέ μου *vocate mi.* ¶ אֲנִי רִאשׁוֹן אַף אֲנִי אַחֲרוֹן. οἱ λοιποὶ, Ἐγὼ πρῶτος, καὶ ἐγὼ ἔσχατος, *Ego primus, & ego ultimus.*

13. קֹרֵא אֲנִי. A. Sym. Th. —— ἐγώ. ¶ שָׁמַיִם. Iidem; τοὺς οὐρανοὺς *cælos.*

14. מִי בָהֶם הִגִּיד אֶת־אֵלֶּה יְהוָה אֲהֵבוֹ יַעֲשֶׂה חֶפְצוֹ. Sym. Τίς αὐτοῖς ἀπήγγειλεν ταῦτα; ὃν Κύριος ἀγαπήσει, ποιήσει τὸ θέλημα αὐτοῦ, *Quis illis nunciavit hæc? quem Dominus diliget, faciet voluntatem ejus.* A. Τίς ἐν ἀνθρώποις ἀπήγγειλεν ταῦτα; Κύριος ἠγάπησεν αὐτόν —— *Quis inter homines hæc nunciavit? Dominus dilexit eum.*

19. כִּמְעֹתָיו. A. Sym. Th. ὡς αἱ κέγχροι αὐτῆς *ut milia ejus*] i. Lapilli milii similitudine. Nisi legendum κάχληκες, i. κάχληκες, *lapilli* sive *calculi*, *qui in aqua marisve litore reperiuntur.* Notabis autem in Procopio legi αἱ. Nam potiùs dicendum οἱ κέγχροι cum articulo masc. Hieron. *ut lapilli ejus.*

GROTIUS.

1. ET *de aquis Juda existis*] Hebræi semen & *roris* & *aquæ* vocabulis designant. μιαρὴν ῥανίδα dixit Palladas in Epigrammate. Rabbini טפה סרוחה [*guttam fœtidam*].

Et Dei Israël recordamini] Mentionem ejus facitis.

Non in veritate, neque in justitia] Non animo sincero. Eos alloquitur qui Dei cultum cum idolorum cultu erant permixturi.

2. *De civitate enim sancta vocati sunt*] כי hîc valet *quanquam:*

quam: & est persona tertia pro secunda. Quanquam, inquit, nomine à *pace* deducto *Solymi*, sive *Hierosolymita* vocamini.

Et super Deum Israël constabiliti sunt] Id est, dicunt se Deo Israelis, cui nomen est Deus Sabaoth, inniti.

3. *Priora ex tunc annuntiavi*] Per Esaiam jam tum hæc quæ videtis vobis prædixi. Loquitur enim quasi in ipso tempore captivitatis.

Repente operatus sum] Has calamitates.

6. *Vos autem num annuntiastis?*] An quisquam ex idolorum cultoribus ista prædicere potuit?

7. *Nunc creata sunt*] Nunc planè exsistent qualia dixi.

8. *Neque audisti, neque cognovisti, neque ex tunc aperta est auris tua*] Etiamsi illa clarissime prædicta erant tanto tempore, nunquam eis fidem habuisti.

Transgressorem ex utero] Hyperbole. Vide quæ ad Psalm. LI. 7.

9. *Infrenabo te*] In Hebræo est, *frenabo*, supple *iram meam.*

10. *Ecce excoxi te, sed non quasi argentum*] In Hebræo, *non in argentum:* id est, Diu cùm te per ærumnas explorarem, nihil boni in te apparuit. Simile ab argenti repurgatoribus. At LXX legerunt שברתיך ולא בכסף πέπρακά σε οὐχ ἕνεκεν ἀργυρίου [*mancipavi te non ob argentum*], eodem sensu qui infrà LII. 3.

Elegi te in camino paupertatis] Id est, seposui te ad fornacem miseriæ: excoquendem scilicet magis & magis.

11. *Ut non blasphemer*] In Hebræo: *Quomodo profanaretur? nomen meum* scilicet, de quo suprà 9. Quomodo ego paterer dici à Gentibus vires mihi defuisse ad liberandum populum meum.

12. *Quem ego voco*] *Vocatur à me:* id est, qui diceris populus Dei.

Ego primus & ego novissimus] Suprà XLI. 4. XLIV. 6.

13. *Ego vocabo eos, & stabunt simul*] *Me vocante stant omnia ista*, nempe veluti servi parati ad exsequenda herilia imperia. Similis locutio Psal. CXIX. 91.

14. *Quis de eis annuntiabit hæc*] *Quis de illis* (diis Gentium) *prædixit ista?*

Dominus dilexit eum] Cyrum, de quo antè.

Faciet voluntatem suam in Babylone] Ut exsequatur decreta Dei in Babylonem.

Brachium suum in Chaldæis] *Brachium Cyri erit contra Chaldæos.* At Græci aliis punctis vertunt σπέρμα Χαλδαίων [*semen Chaldæorum*].

15. *Et directa est via ejus*] In Hebræo, *Prosperabitur via ejus:* quicquid aget, succedet feliciter.

16. *Non à principio in abscondito locutus sum*] Jampridem hæc vobis dico apertissimè, non per ænigmata aut λοξίου θεσπίσματα [*oracla flexiloqui Dei*].

Ex tempore antequam fieret ibi eram] Planè, inquit, quasi præsens interessem rebus tanto pòst futuris.

Et nunc Dominus misit me & spiritus ejus] Id est, Dominus per Spiritum hæc mihi imperavit.

17. *Gubernans te in via qua ambulas*] *Monstrans tibi viam quam ambules:* in qua tibi ambulandum est, si salvus esse velis.

18. *Facta fuisset sicut flumen pax tua*] Abundantissima fuisset tua prosperitas.

19. *Et fuisset quasi arena semen tuum*] Vide Geneseos XXII. 17.

Stirps uteri tui ut lapilli ejus] Nempe *arenæ* sive *litoris*, ut hic David Kimchi. Frequens etiam apud Poëtas comparatio.

Non interiisset, & non fuisset attritum nomen ejus à facie mea] Gratiosa semper apud me fuisset ejus posteritas.

20. *Egredimini de Babylone, fugite à Chaldæis*] Simulatque Cyrum audietis venire contra Babylonem, vos Hebræi, qui tum in ea urbe eritis, nolite adventum ejus exspectare, sed statim fugite quantum potestis. Similia monita vide Genes. XIX. 15. & in hac ipsa re Jerem. LI. 6. 45. & in re pari de Roma Apocalypseos XVIII. 4.

In voce exsultationis hoc annuntiate] Hæc cum gaudio alii aliis dicite. nam capta Babylon initium erit vestræ liberationis.

Dicite, Redemit] Verte in futuro: *Redimet.* Tempus liberationis jam propè est.

21. *Non sitierunt in deserto cum educeret eos: aquam de petra produxit eis, & scidit petram, & fluxerunt aquæ*] Si hæc Deus facere potuit olim in liberatione ex Ægypto, paria aut majora & nunc facere poterit: nè dubitate.

22. *Non est pax impiis, dicit Dominus*] Contrà, inquit, Babyloniis ut impiis cuncta cadent adversa.

CAP. XLIX.

MUNSTERUS.

FEcit Propheta antea mentionem Cyri Regis. Nunc transit ab eo, qui typus fuit Christi, ad Christum & Regnum ejus, docens quid sit Christus; quod opus ejus: Regnum ejus; qui veri Judæi: Item de futuro seculo, in quo boni & mali præmiabuntur.

1. *Audite, insulæ*] i. Habitatores insularum. Et non loquitur, sicut antè, ad domum Jacob, sed vocat omnes gentes ad salutem, quam diffundendam asserit *usque ad extrema terræ.* Et secundùm Judæos hæc verba sunt Jesaiæ de seipso loquentis: secundùm nostros verò sunt verba Meschiæ, quem Deus Pater ab utero matris suæ ordinavit & ad hoc destinavit ut esset Salvator & Redemptor noster.

2. *In sagittam politam*] Sive *quasi sagittam politam.* Et est hîc ברור idem quod מרוט. Comparatur autem Os Christi & verbum suum *gladio acuto* & *sagitta polita*, quòd efficacissimum sit, & penetret corda & medullam interiorem.

3. *Israel es tu*] Sensus est, Verus Israelita es tu, & de quo solo *gloriari* possum, qui negotium meum fideliter agis, & solam gloriam meam quæris.

4. *In vanum laboravi*] Quòd scilicet tam pauci ex populo meo mihi crediderunt.

5, 6. *Israel autem non congregabitur*] Apertus est hic locus, Judæos infideles excludendos à Regno Christi. Sed depravant eum in hunc modum, ut הלא dicant legendum pro לא, ut sit sensus, *ánnon*, vel *certè*, *Israel aggregabitur.* Hoc, inquit Christus, non obstante, adhuc *glorificabor* post resurrectionem meam *à Domino.* Haud secùs corrumpunt mox sequentem sententiam, *Leve est ut sis servus meus ad suscitandas tribus Jacob, cùm magis te dederim in lucem Gentium, & salus mea propagetur usque ad fines terræ.* Ipsi enim נקל legunt pro מנקל, ut sit sensus, *Numquid leve est ut sis servus meus, & suscites tribus Jacob*, &c. Est hic apertus locus, quòd Gentes incorporandæ fuerunt Regno Christi, & participes futuræ promissionum & gratiæ Dei.

7. *Cujus anima contemnitur*] Judæi verba hæc ad suos in captivitate constitutos trahunt; Catholici verò de Christianis afflictis & tribulatis exponunt, præsertim qui inter Gentiles habitant. Sicut enim Christus ob veritatem à Judæis contemptus fuit, sic eodem fato fungitur Ecclesia Christi, ut semper ob fidem gravetur calamitatibus.

8. *Dabo te in fœdus populi*] Omnia hæc sunt referenda ad primitivam Ecclesiam, quæ quantùm à Gentibus primùm est contempta, tantùm deinde cognito verbo Christi est honorata, ut etiam Regna mundi colla subjecerint verbo Christi, & in ejus migrarint possessionem.

9. *Juxtà vias pascentur*] i. Ubique invenient pascua, & nullibi non prædicabitur Euangelium Christi; ut nemo famem aut sitim, nisi fastidiosi, passurus sit. Nec erit in fide personarum acceptio, sed *montes redigentur in vias, & viæ elevabuntur*; sicut & Paulus docet, *Non est in Christo servus aut Dominus*, &c. sed servi pares erunt secundùm fidem magnis dominis.

12. *Sinis*] Non *Sinim:* desinit enim in Samech. Et hanc puto esse *Syenem* urbem Ægypti, quam Ptolemæus sub Tropico Cancri positam scribit.

14. *Dereliquit me Deus*] Querelæ sunt Ecclesiæ secundùm externam faciem, cùm ab intrà consolationes habeat promissionum Divinarum, & se minùs derelinquendam à Deo sciat quàm infantulum à sua matre.

16. *Muri tui coram me sunt*] Ut scilicet ædificetur Ecclesia & domus Dei, quæ per collapsam Jerusalem hîc significatur.

20. *Secede à me*] Heb. גשה לי *accede propter me*, sub. *ad remotiorem locum.*

24. *Numquid auferetur à forti rapina*] Tu, inquit Zion aut Ecclesia, promittis magnam posteritatem; sed *quomodo eripietur præda ab his qui fortes sunt, & qui justè se putant tenere abductam prædam?* Respondet Dominus, Ego fortior sum illis, nec justam illi habent causam, sed tyranni sunt: & idcirco ego liberabo meos, & immittam in adversarios eorum tantam famem ut *carnem propriam devorent & sanguinem suum bibant.*

bant. Ego committam eos mutuis cædibus; qui vindicabunt meam & meorum injuriam. Cogentur vires suas in se exserere qui sese in meos filios armaverant.

VATABLUS.

1. DE *ventre* [מִמְּעֵי] *Ex visceribus.* ¶ *Memoravit nomen meum* [הִזְכִּיר שְׁמִי] i. Memor fuit nominis mei, sive habuit in memoria nomen meum, vel, *indidit mihi nomen.*

3. *Quia in te gloriabor* [אֲשֶׁר בְּךָ אֶתְפָּאָר] *In quo gloriosus apparebo:* h. e. qui me glorificaturus es coram mundo.

4. *Verè* [אָכֵן] *Veruntamen:* vel *at.*

5. *Et Israel ei congregabit sese* [וְיִשְׂרָאֵל לֹא יֵאָסֵף] Hîc לא pro לו positum esse scribunt Doctores Hebræorum. Alii; *atque ut Israel non colligatur, tamen gloriosus ero in,* &c. Alii per Parenthesim legunt, *at Israel non congregabit sese,* sub. *ad ipsum.* Observa, ut variè vertitur ו pro loco.

6. *Et ad reducendum* [לְהָשִׁיב] *Et ad restituendum.* ¶ *Etiam dedi te* [וּנְתַתִּיךָ] Ad verb. *& dedi te.* Variè vertitur istud ו ab Interpretibus: nam alii vertunt *itaque constitui te,* alii *sed ponam te,* alii *nisi te dedero,* alii *dedi enim te,* &c.

7. *Ad abominatam gentem* [לִמְתָעֵב גּוֹי] *Ad abominabilem Gentium,* i. inter Gentes. ¶ *Qui fidelis,* &c. [אֲשֶׁר נֶאֱמָן וגו׳] *Quia fidelis est Sanctus Israel,* &c.

9. *Ut dicas* [לֵאמֹר] *Dicendo.* ¶ *Manifestate vos* [הִגָּלוּ] *Ostendite vos: Revelate vos.* ¶ *In viis* [עַל דְּרָכִים] *Super vias.* Alii, *juxta vias.*

10. *Et ad fontes.* [וְעַל מַבּוּעֵי] *Et ad scaturigines.*

13. *Laudate* [רָנּוּ] *Vociferamini,* præ lætitia scilicet. Alii, *Cantate.* Idem propriè versus qui suprà 44. 23. ¶ *Et edite, montes, clamorem* [פִּצְחוּ הָרִים רִנָּה] i. Erumpite in vocem lætam.

15. *Etiam ista oblivíscentur* [גַּם אֵלֶּה תִשְׁכַּחְנָה] *Etiam si ista oblitæ fuerint, ego tamen.* Alii, *sed estò oblivíscantur illa,* &c.

16. *Descripsi te* [חַקֹּתִיךְ] *Sculpsi te:* i. ego semper tui sum memor, túque versaris mihi ante oculos, quasi scripsissem te in manibus meis.

17. *Filii tui* [בָּנָיִךְ] *Structores tui: ædificatores tui.* ¶ *Dissipantes te, & destruentes te* [מְהָרְסַיִךְ וּמַחֲרִבַיִךְ] *Destructores tui, & vastatores tui.*

18. *Congregaverunt sese, venerunt tibi* [נִקְבְּצוּ בָאוּ לָךְ] *Congregati venient ad te.* Alii per præsens, *congregant sese ut veniant ad te.* ¶ *Et ligabis,* &c. [וּתְקַשְּׁרִים כַּכַּלָּה] *Et circumligaberis eis tanquam sponsa.*

19. *Destructionis tuæ* [הֲרִסֻתֵךְ] Hebraismus, pro, in *terra tua destructa.* ¶ *Nunc arcta eris* [עַתָּה תֵּצְרִי] *Brevi arctaberis.* Alii, *jamjam angustior eris.* ¶ *Et elongabunt se* [וְרָחֲקוּ] *Et procul abscedent,* vel *discedent.*

20. *In auribus tuis filii orbitatum tuarum* [בְּאָזְנַיִךְ בְּנֵי שִׁכֻּלָיִךְ] Hebraismus, pro *te audiente filii quibus nunc orbaris.*

21. *Cùm ego sim* [וַאֲנִי] *Nam ego sum.* ¶ *Captiva & recedens* [גֹּלָה וְסוּרָה] *Exsulans & demigrans:* vel, *demigrans & exsulans.* Alii, *exsulans & vaga.*

23. *Et Regina eorum* [וְשָׂרוֹתֵיהֶם] Ad verb. *& principes feminæ eorum.* ¶ *Quia non pudefient,* &c. [אֲשֶׁר לֹא יֵבֹשׁוּ קֹוָי] Et *quòd non confundentur qui me exspectant.* Alii, in *quo qui sperant, non pudefiunt.*

24. *Justa* [צַדִּיק] *Justi,* sub. *militis,* i. quam miles, vel imperator, aut princeps justè cepit: h. e. captivi justo bello capti. ¶ *Evadet* [יִמָּלֵט] *Liberabitur? eripietur?*

25. *Atqui sic* [כִּי כֹה] *Verùm sic.* ¶ *Adversarium quoque,* &c. [וְאֶת יְרִיבֵךְ וגו׳] *Quia cum eo qui contendit tecum ego contendam:* vel, *cum eo qui litigat tecum ego litigabo:* i. causam tuam agam.

CASTALIO.

3. TU *servus meus es, Israelita, de quo glorier*] *Israelitam* vocat Christum Israele prognatum.

4. *Atqui ego me frustrà laborare dico, nequicquam & incassum vires meas consumo: tametsi meum jus penès Jovam est, meáque merces penès Deum meum*] Licèt frustrà doceam Israelitas, at non frustrà servio Jehovæ, quem penes est me remunerari.

5. *Et Israelitas ei allegendos*] לא pro לו legitur, ut & alibi; quemadmodum & Vetus versio ostendit, & ea quæ præcedunt, quæque mox sequuntur. Est enim gemina sententia, ut sit idem *Jacobeos ad ipsum reducere* & *Israelitas ei allegere.* Quod autem paulò antè dixit *se frustrà laborare,* non significat nullum Israelitarum fieri Christianum, sed paucissimos; adeò ut tantillus profectus non videatur Christi labore dignus nisi accedant & reliquæ nationes.

7. *Sic alloquitur Jova, sancti sui Israelita vindex, contemptam animam, hominibus abominatum, dominantium servum*] i. Christum.

16. *Ego te palmis imprimam*] Molliter premam & informabo, ut solet recens natus infans. ¶ *Tuos muros in conspectu semper habens*] Curans.

20. *Adhuc dicent in auribus tuis orbitatis tuæ filii*] Tui quæ fueris orba.

24. *Captus ferocem elabetur*] עריץ non צדיק legit Vetus, qui vertit *robustum,* & rectè, ut videtur: est enim gemina sententia, eáque iisdem verbis repetita: nec consentaneum est, in repetitione non idem aut certè affine verbum poni. Adde quòd ut legitur non est apta sententia. Nihil enim facit Justitia ad retinendam prædam, at Ferocitas facit. Est autem hæc sententia, Poterisne nos, ô Jova, eripere ex Babyloniorum potestate hominum tam potentum támque ferocium?

CLARIUS.

1. AUdite me, *Insulæ*] Quæ sequuntur usque in finem apertè ad Christum Servatorem pertinent, consentientibus nobiscum Judæorum expositoribus. Et non loquitur, sicut antè, ad domum Jacob, sed vocat omnes Gentes ad salutem, quam diffundendam asserit *usque ad extrema terræ.* Et secundùm Judæos hæc verba sunt Esaiæ de ipso loquentis; secundùm nostros verò sunt verba Messiæ, quem Deus Pater ab utero matris suæ ordinavit & ad hoc destinavit ut esset Servator ac Redemptor noster. Et quidem, si quis referat ad Esaiam, non quadrat illius personæ hæc rerum majestas. ¶ *Recordatus est nominis mei*] Alius interpretatus est, *Recordatus est celebre nomen meum.*

2. *Quasi gladium acutum*] Comparatur Os Christi & Verbum ejus *gladio acuto* & *sagittæ politæ,* quòd efficacissimum sit, & penetret corda ac medullam interiorem.

3. *Es tu, Israel*] Verus Israelita es tu, & de quo solo *gloriari* possum, qui negotium meum fideliter agis, & solam gloriam meam quæris. Vel, ego gloriabor in omnibus quæ per te inter Israelitas numerabuntur.

4. *In vacuum laboravi, sine causa*] Quòd scilicet tam pauci ex populo meo mihi crediderunt. Nam *in propria venit, & sui eum non receperunt.* ¶ *Judicium meum cum Domino*] *Est,* inquit, *qui quærat & judicet.*

5. *Israel autem non congregabitur*] Apertus est hic locus, Judæos excludendos à Regno Christi. Et illud *Dedi te in lucem Gentium,* apertus locus est, quòd Gentes incorporandæ fuerunt Regno Christi, & participes futuræ promissionum & gratiæ Dei.

7. *Ad contemptibilem animam*] Videlicet apud homines. Judæi verba hæc ad suos in captivitate constitutos trahunt; Catholici verò de Christianis afflictis & oppressis exponunt, præsertim qui inter Gentes habitant. ¶ *Reges videbunt*] Omnia hæc sunt referenda ad primitivam Ecclesiam, quæ quantùm à Gentibus primò est contempta, tantùm deinde cognito verbo Christi est honorata; ut etiam Regna mundi colla subjecerint verbo Christi, & in ejus migrarint possessionem. Nam, ut antè dixerat, exiguum erat negotium Judææ tantùm gentis servandæ. Hoc enim est quod ait, *Parum est ut sis mihi servus,* h. e. ut servias mihi, *ad suscitandas tribus Jacob,* &c. Citatur autem hic locus Act. 13.

8. *In tempore*] Hunc locum Paulus 2 Cor. 6. ad Christi adventum pertinere ostendit.

9. *Super vias pascentur*] Sensus est, Ubique invenient pascua, & nullibi non prædicabitur Evangelium Christi, ut nemo famen aut sitim, nisi fastidiosi, passurus sit. Nec erit in fide personarum acceptio, sed *montes redigentur in vias, & viæ elevabuntur:* sicut & Paulus docet, *Non est in Christo servus aut dominus,* sed servi pares erunt secundùm fidem magnis dominis.

12. *De longè venient*] Ab Oriente vocat *à longè:* Judæa enim ad Occidentem magis quàm ad Orientem vergit. Septentrionem *Aquilonem* vocat, Occidentem *mare,* Meridiem sive Austrum *Sinim* vel *Sinis,* quam quidam putant esse Syenem urbem Ægypti, quam Ptolemæus sub Tropico Cancri positam scribit.

14. *Dereliquit me Dominus*] Querelæ sunt Ecclesiæ secundùm externam faciem, cùm interiùs consolationes habeat promissionum Divinarum, & se minùs derelinquendam à Deo sciat quàm infantulum à sua matre.

16. *In manibus*] Ut semper ante oculos habeam. In cujus rei testimonium Dominus etiam postquam resurrexit, loca clavo-

clavorum habere in manibus voluit. ¶ *Muri tui*] De quibus precabatur David cùm diceret, *ut ædificentur muri tui, Jerusalem*; ut scilicet ædificetur Ecclesia & domus Dei, quæ per collapsam Jerusalem hic significatur. Idcirco subdit, *venire eos qui eam ædificent*, *devastatores* autem *abire*.

20. *Fac mihi spatium*] Heb. *accede propter me*, sub. *ad remotiorem locum*. Quò ergò, nisi in latitudinem Gentium?

24. *Numquid tolletur*] *Tu*, inquit Sion aut Ecclesia, *promittis magnam posteritatem: sed quomodo eripietur præda ab his qui fortes sunt, & qui justè se putant tenere abductam prædam?* Respondet Dominus, *Ego fortior sum illis, nec justam illi habent causam; sed tyranni sunt; & idcirco ego liberabo meos, & immittam in adversarios eorum tantam famem ut carnem propriam devorent & sanguinem suum bibant:* Hyperbole autem est significans, summâ in eos pœnâ animadvertendum.

FORERIUS.

1. *Audite, insulæ*] Hactenus multa de Christo in Cyro vidimus, & de populo Dei in Israelitis è Babylone educendis. Jam nunc discussis umbris nonnihil apertiùs de mysterio Christi pronunçiat Jesaias. Quòd autem hæc ad Christum Dominum referenda sint, & in eo adimpleta fuerint, confirmat locus ex hoc capite adductus in Actis Apostolorum à Paulo, qui est v. 6. & alter 2 Cor. 6. qui est v. 8. item alius quem adducit Joannes in Apocalypsi, qui est v. 10. ut nihil nos morari debeant Judæorum figmenta. Inducitur autem principio Christus concionem habens ad universos homines, in qua suæ vocationis & muneris rationem reddit, significans Gentes pro Judæis substituendas, quas tamen pro filiis recognoscet Synagoga. ¶ *Populi de longè*] i. Remotissimæ quæque nationes. Nam cum toto orbe mihi res est. Omnes enim captivi detinentur in Babylone: omnibus offert Deus libertatem. Audiamus, quæso, hunc eximum Doctorem, qui *de cœlo descendit Magister*. Certè *enarrabit quæ vidit apud Patrem*. ¶ *Ab utero vocavit me*] i. A multis jam annis mei rationem habuit ut huc me destinaret: Antè quàm *ex utero matris* in hanc lucem prodirem, *celebravit nomen meum*, commendavit honorificè, & cum præfatione honoris nomen meum ore protulit.

2. *Quasi gladium acutum*] Vel *quasi gladii acuti*, *os* supple. Nam & Gladio *os* tribuit Hebraismus. Ut quemadmodum gladius acutus ore suo discindit, enecat ac cædem facit, ità ego verbo meo *separationem faciam inter patrem & filium, matrem & filiam. Gladium enim veni mittere in terram, non pacem*, ut est in Euangelio. Cædem facturus advenio, non quidem corporum, sed spiritalem, quâ caro pereat, spiritus verò vivat. Suprà dixit quòd *spiritu labiorum suorum impium* (seu *impietatem*) *occideret:* ubi nonnihil de efficacia verbi Euangelii diximus. Vide Paulum, ubi comparat *Sermonem Dei gladio ancipiti*, &c. ubi quoque nos armat *verbo Dei, ut possimus stare adversus vim atque impetum diaboli*. Quare exhibeamus nos huic *gladio* secandos & muniendos, ut quæ carnis sunt amputentur, & quæ spiritûs sunt defendantur. ¶ *Sub umbra*] Heb. *in umbra*. ב autem hoc loco est *cum*, & omitti potest, *Umbrâ manûs suæ*, &c. Videtur autem in Metaphora Gladii perseverare, qui sub sinistro brachio abditur in vagina, ut dexterâ inde facilè educatur. Et sicut mox dicit *sagittam in pharetra reconditam*, ità hic gladum in vagina notat. Ideo verbum חבא in Hiphil verbo *abdendi* reddidi, propriâ verbi significatione servatâ, ut Gen. 3. *Cùm nudus essem, abdidi me:* & suprà 42. *In domibus carcerum abditi sunt*, &c. Quare in hunc quoque sensum accipe verbum *protegendi* in Vulgato. ¶ *Sagittam electam*] Ego propriam significationem vocis ברור expressi. Vulgatus verbo *probandi* & *eligendi* solet reddere. Nam in expurgatione electio fit. Nobis cùm de armis dicitur, est *nitida reddere* & *ferruginem detergere*. Notandum autem est, quòd cùm gladio cominus, sagittâ verò eminus dimicetur, significat hoc loco tam eos qui propè quàm eos qui longè erant felici & vitali vulnere esse percutiendos. Quare & in Ps. 45. qui in Christum Dominum editus est, *gladium* & *sagittas* illi tribui vides.

3. *Servus meus es tu, Israel*] Quòd de populo Israelitico hæc nequeant intelligi, quæ sequuntur satis ostendunt. At CHRISTUM nomine *Jacob* & *Israelis* notari quid mirum? nam & *Davidis* nomine non uno loco appellari manifestum est. Ecquis, quæso, nomine *Israelis* dignior fuerit quàm qui in Deum ità prævaluit ut homini propitium ex irato reddiderit? ¶ *Quia*] אשר Affirmantis seu Asseverantis interdum est Hebræis, ut 1 Sam. 15. *Imò audivi vocem Jehovæ*. Ità & hoc loco reddi potest, *Quinetiam in te glorificabor. Es* quidem *servus & minister meus*, *sed per te plurimum gloriæ mihi accrescet*. Filius enim Dei *Patrem glorificavit super terram:* nam *illius nomen hominibus manifestavit*, & quantum *mundum diligeret*, aperuit, ut qui se *Filium mundo dederit*, *ut qui eum reciperent*, *in filios adoptaret*. Hæc amorem hominum conciliarunt, & *subditum reddiderunt mundum Deo*, ut eum *sicut Deum glorificarent*, ejúsque gloriam ac majestatem celebrarent. *Es* quidem *servus meus* secundùm naturam quam assumpsisti; sed es tota *gloria* & *decor meus*, quia in te uno ostendi mundo *divitias bonitatis & misericordiæ*. Duplici hoc nomine *gloria Dei* est Christus Dominus; quòd in illo gloriam suam, & ea quibus gloriatur, manifestavit Deus; & quòd per Christum mundus agnovit Deum ac glorificavit. Vide orationem Christi ad Patrem Joan. 17. *Pater, venit hora*, &c.

4. Hoc versu quàm vani fuerint labores Christi Domini inter Israelitas apertè docet. Ordinem quoque Divinorum consiliorum manifestè exponit hoc versu & seq. qui talis est, Datur Christus ut *in eo glorificetur Deus*, mittitúrque *juxta promissiones Patrum* ut sit *Minister Circumcisionis*, & Judæis inserviat ad salutem: idcirco eum *Israelem* vocat. Exsecutus Christus Dominus ministerium, *frustrà se laborare* conqueritur, quasi nihil profuerit, quòd à Deo missus in nulla re à Patris voluntate recesserit. Insistit tamen Deus ut Judæis prædicetur Euangelium, & *ad se reducantur signis & virtutibus & donis Spiritûs S.* quæ gloriam Christi confirmabant. Illi verò nec sic acquiescunt: Ergò vocantur *Gentes*. Sed expendamus singula. ¶ *Et ego dixi*] Pater quidem *in me glorificandum se fore* dixit: Quid ergò exspectandum esset nisi ut, cùm ad Judæos venissem, me illi pro Herede & Dei Filio agnoscentes reciperent, auscultarent, colerent, & Deum pro tantis muneribus glorificarent? Sed video rem longè aliter evenisse. Frustrà videor hanc provinciam suscepisse: non credunt; non auscultant; pejores fiunt. Defatigor: nihil quod ad salutem ipsorum conferre posse videbatur omitto. *Aruit* jam *tanquam testa virtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis*. Neque dubites quin tanto studio rebus Judæorum incubuerit ut triennio vires absumpserit, corrosis zelo Dei visceribus, & corpore laboribus ac defatigationibus exhausto. ¶ *Ergò judicium*, &c.] אכן Affirmantis particula esse videtur, & sic eam reddidit Vulg. Gen. 28. *Verè Dominus est in loco isto:* & suprà 40. *Verè fœnum est populus:* & infrà 53. *Verè languores nostros ipse tulit*, &c. Hic Illativâ particulâ vertit, quia *judicium* pro *lite* accepit; quasi super hac re cum Deo vellet judicio contendere, & opus suum cum Deo expendere, quò videat an dignum sit ut tanti labores sine fructu maneant, &c. Quam interpretationem non est cur quispiam damnet: Ego tamen in studiosorum S. Scripturæ gratiam, omissis aliorum interpretationibus, expositionem simplicissimam ex ipso Hebraismo depromptam afferam. Et primò אכן sit Affirmantis, משפט verò, i. *judicium*, & פעלה, i. *opus*, quasi pro eodem accipiantur. Vocant autem interdum Hebræi *judicium* hominis conditionem & ea studia seu vitæ statum atque tenorem ex quo judicium de homine fertur: *Opus* autem vocant interdum exercitationes, studia ea in quibus occupatur & sese exercet: quemadmodum hæc duo simul posita accipere debemus Jud. 13. licèt ibi pro פעלה sit מעשה, quibus duobus nominibus Hebræi indifferenter utuntur: exempla passim obvia. Hebræa autem eo in loco sic habent ad verbum, *Et dixit Manue* Angelo, *Nunc veniat verbum tuum. Quódnam erit judicium pueri, & opus ejus?* Pro quo Vulgatus, *Quando sermo tuus fuerit expletus, quid vis ut faciat puer, aut à quo se observare debebit?* Non dubium quin ibi quærat pater ab Angelo quæ futura esse deberet pueri conditio, quæ studia, &c. Sensus igitur hoc loco hic esse poterit, *Consumpsi frustrà vires meas: certè conditio mea à Domino, & studia mea à Deo meo:* q. d. *Non est quòd quisquam existimet idcirco me frustrà laborasse quòd non missus venerim; aut aliter atque oporteret rem tractarim, in aliquóve deliquerim: conditio, studia, status, actiones omnes meæ, omnia denique mea à Deo meo, à Patre omnium Deo disposita atque ordinata fuere; à cujus judicio nè latum quidem unguem unquam aberravi, neque aberrare potui*. Hinc illæ voces, *Pater meus usque modò operatur, & ego operor:* &, *Non potest Filius facere quidquam quod non viderit Patrem facientem:* &, *Doctrina mea non est mea, sed ejus qui misit me:* &, *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio:* &, *Ego à meipso non veni:* &, *Me Pater sanctificavit, & misit in mundum:* &, *Quare loquelam meam non agnoscitis? ego enim ex Deo processi & veni:* & infinita hujusmodi, quæ inexcusabiles reddunt Judæos, & nobis planum faciunt quod & *judicium & opus Christi à Deo fuerit*. Neque nova videatur hæc acceptio vocis משפט, latissi-

 mè

mè enim patet Hebræis: unde 2 Reg. 1. *Quod fuit judicium hujus viri?* Quærit autem Rex de forma seu habitu vestimentorum, quemadmodum ex servorum responsione mox apparet. Particula autem מן pro *à* vel *ab*, &c. accipitur interdum Hebræis, ut Gen. 49. *A Deo patris tui, qui adjuvit te, & ab Omnipotente, qui benedixit te:* & 44. *Ipsi egressi erant ex urbe:* & Exod. 9, &c.

5. *Et nunc dicit*, &c.] Vel *nunc quidem*. Servit continuationibus hæc particula sæpius. Versu 3. in genere vocationem explicaverat, se videlicet *servum* Dei & ministrum Divinæ gloriæ in mundum destinatum ab ipso Deo: id in specie jam exponit, nempe *dixisse Dominum*, eique mandata dedisse *ut ad se reduceret Jacob.* Hoc illud est quod in Euangelio habes, *Misit servum suum horâ cœna dicere invitatis, ut venirent.* Quod autem ibi sequitur, *Et nolebant venire*, hîc dicitur, ¶ *Et Israel non congregabitur*] Sic enim legendum est tam ex Hebræo quàm ex Hieronymi versione. Omnino enim affirmat *non venturos Israelitas*, seu, ut est in Hebræo, *non colligendos.* Dicitur autem hoc verbum non rarò de Gregibus, de Ovibus: ut & huc respicere videatur quod Dominus in Euangelio ait, *se missum ad oves quæ perierunt* (seu *quæ perdita erraverunt*) *domûs Israel.* Venit enim Dominus tanquam pastor, ut eas *ad Deum colligeret* seu *congregaret*: at *noluerunt colligi* neque redire ad Deum. Jam hîc explicat quod superiori versu dixerat, *se in vacuum laborasse*: nam *Israel non colligitur.* Tertium autem quod dixerat, *judicium suum à Domino*, &c. jam etiam apertiùs effert, dicens, ¶ *Et glorificatus sum*, &c.] q. d. Non vitio meo neque Dei factum est ut *non reducerentur Israelitæ.* Mirum enim in modum *me honoravit* Pater seu *glorificavit*: nam summa cum gloria me Filium suum coram ipsis in Jordane declaravit: & cùm abjectissimus viderer in oculis hominum, tamen illi non indignus visus sum qui pro *Filio ipsius charissimo* haberer: quod etiam declaravit *mihi suâ potestate traditâ*: *fuitque* is *fortitudo* (seu *obfirmatio*) *mea.* Nihil erat quod non efficerem. Manifestabam gloriam meam coram ipsis; & quàm gloriosus essem in oculis Patris ipsi in signis à me factis videbant. Illis vocationem meam satis superque confirmabam, ut si sanam habuissent mentem, omnes ad me venissent cum Nicodemo, dicentes, *Scimus quia à Deo venisti Magister: nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.* Indignum autem fuit quòd sic honoratum à Deo Judæi inhonorarent, neque auscultare vellent: quod in Euangelio quoque illis objicit, injuriis ab eis lacessitus, *Est Pater, qui glorificat me, quem vos Deum vestrum appellatis:* ille quærit gloriam meam, & vos judicabit. Quare sequitur,

6. *Et dixit*] Respondet Dominus illi veluti querimoniæ: nempe jubet *ut reducam Israelitas: at illi non colligentur:* cùm tamen per me non steterit, & nihil omiserim eorum quæ necessaria ad rem videbantur. ¶ *Parùm est*] Vel *Leve est*, i. Indecorum, inhonestum, ignominiosum reputatum est. ¶ *Ut sis mihi*] Sensus hujus editionis planus est. Ad verbum sic habetur, *Ab essendo te mihi servum*, &c. quem Hebraismum, quantum ex similibus conjicere potui, (non damnatâ tamen Vulg. editione, quam sequuntur plerique viri doctissimi) sic licet vertere, *Non esse te mihi servum*, &c. ut 1 Sam. 15. *Repulit te ab essendo Regem*, i. nè esses Rex: & Psal. 62. *Tantùm ab exaltando eum*, i. nè exaltetur ipse. Quin & hoc eodem capite v. 15. *Numquid obliviscetur mulier infantis sui, à commiserando filii uteri sui*, i. ut Vulg. vertit, *ut non misereatur.* Inquit ergò, *Indecorum, turpe* (seu *ignominiosum*) *videri potuit quod non fueris mihi servus ad suscitandas tribus Jacob.* Quâ phrasi nos quoque Lusitani utimur, *Non fuisti ad faciendum mihi*, Non valuisti illud mihi præstare: q. d. Dominus, *Si cuiquam ignominiosum videri potuit quòd non valueris ad me reducere Israelitas, ecce do te in lucem Gentium*, &c. ¶ *Suscitandas tribus*] Nomine *virgarum* seu *baculorum* frequenter Tribus seu Familias designat Scriptura rationibus quas suprà apposui, nempe quia ex uno trunco oriuntur, &c. Cùm ergò etiam Plantis Hebræi tribuant verbum *excitandi*, fortè hîc ad nomen *virgæ* alludens, quod apposuit pro *familiis*, verbo *excitandi* uti voluit. Quamvis non ignorem קום verbum in Hiphil sæpissime esse idem quod *stabilire, confirmare*, &c. ut sit sensus, *ad stabiliendas* (seu *confirmandas*) *tribus Jacob.* Corruerat enim illa Resp. & à Peccato erant valde labefactatæ res Judæorum. Priorem tamen expositionem sequor; quia rem levem & factu facilem videtur debuisse apponere, ut ostendat quare inhonorum videri poterat si Israelitas non reduceret. Erant, inquit, veluti virgæ radici optimè inhærentes, heredes fidei & religionis Patriarcharum. Quid magnum si irrigatæ revivis cerent? Huc quoque facit quod sequitur, ¶ *Ad faces*] נצירי Hebræi pro נצורי accipiunt, i. pro *reservatis* seu *conservatis*, qui in vita remanserunt & servati sunt à Domino. Non difficile autem videbatur tales reducere ad Deum: nam *exspectabant* ipsi *consolationem Israelis.* Quare & *faces* dixit Vulgatus, quæ imo vasarum relinquuntur & conservantur. Est quoque hîc allusio in hac voce: נצר enim *surculus tener* est; qui servari solet ut crescat, quem, si deflectat à recto, facile est ad rectitudinem reducere. Vides quo pacto hæc facilitatem quandam contineant, ut ignominiosum videri possit si non sufficeret Dei Filius ad eos reducendos & convertendos? Quòd si cum Vulgato legas, *Parùm est ut sis servus*, i. minister, *ad suscitandas*, &c. possumus *observata* dicere, & accipere pro *abominosis & à quibus se observant prætereuntes:* de qua acceptione nonnihil diximus cap. 1. & infrà cap. 65. ¶ *Dedi te in lucem*] De prædicatione Euangelii optimè interpretatur Paulus in Actis Apostolicis locum hunc. Probat enim ex hoc loco, justo Dei judicio fieri ut, *quia* Judæi *repulerunt verbum Dei, prædicent illud Gentibus.* ¶ *Ut sis*] Vel *ut sit:* & ità exponit D. Hieronymus, ut *salus mea universam terram occupet.* Ex hoc quoque loco sumptum videtur illud Simeonis, *Lumen ad revelationem Gentium.* Si quis autem quærat quomodo hîc dicatur Christus *datus in lucem Gentium*, cùm ipse dicat in Euangelio, *Non sum missus nisi ad oves*, &c. responde, Christum loqui de missione illa quæ erat ex promissione Patribus facta. Audi Paulum hoc exponentem, *Dico Dominum JESUM ministrum fuisse Circumcisionis*, i. Judæorum, *pro veritate Dei ad confirmandas promissiones Patrum: Gentes autem super misericordia collaudare Deum*, &c. Ergò si minuit gloriam quòd non reduxerit Israelitas, vide quanta sit gloria, hominem unum à suis crucifixum in toto orbe pro Deo coli, & barbaras nationes per Discipulos suos ad Deum reducere. Ecce pro virgis Radici infixis barbaræ nationes eidem Radici inseruntur; ecce pro exspectantibus Messiam non reductis, Gentes, quæ ignorabant Deum & in peccatis obduruerant; ecce denique pro angulo terræ, fines orbis.

7. *Hæc dicit*, &c.] Etsi Christus Dominus *lux mundi* & *salus Gentium* dicatur, & verè sit, scimus tamen eisdem nominibus ornasse Discipulos suos. Quò fit ut cùm in Prophetis hæc ipsa legimus, non necesse sit illorum intelligentiam ad ipsam Christi personam tantummodo coarctare. Nam illud, *Dedi te in lucem Gentium*, Apostolus in eo loco quem ex Actis citavi apertè per se & Coapostolos suos impleri testatur. Est ergò Christus in se & in suis *lumen vitæ* & *salus æterna.* Quæ autem operabantur Discipuli, operabatur in eis Dei Filius, & in ipsis loquebatur: ut hâc fortasse ratione *Israelem* hîc vocet Propheta Dominum JESUM: quod alioqui nomen gentis esse solet. Pauci enim Israelitæ qui Christo adhæserunt, pusillus, inquam, ille grex, unum corpus est cum Christo: & de ipso tanquam de uno aliquo homine loquuntur interdum Prophetæ; interdum etiam ut de populo. Est enim Ecclesia populus Dei. His prænotatis non difficile erit quæ sequuntur intelligere. ¶ *Ad contemptibilem animam*] De Christo & Discipulis ipsius est sermo. *Anima* hîc pro toto individuo sumitur figuratè. Minor erat Christus, & omnium *minimus in* illo *cœlorum Regno*, cùm major esset Joanne Baptistâ & ipsis Angelis; despecti quoque erant Discipuli ejus. Quid, quæso, despectius & contemptibilius homine in cruce suspenso, in quem *movebant* & populi & magistratus *capita sua, dicentes, Vah qui destruis templum Dei*, &c. Qui contemptibiliores homines quàm qui hujus cruci affixi erant discipuli? Abominationi erat Crux, Crucifixus, Crucis amici. *De cruce* autem *sermones, Gentibus stultitia, Judæis scandalum.* Primos illos etiam Discipulos dicebat Paulus *infirmos & contemptibiles fuisse electos, ut confunderet Deus fortia, sapientia & mundi pretiosa.* Hæc, ut quidem ego sentio, hîc prædicit Propheta. Et hoc versu bono animo esse jubet *pusillum* illum *gregem* cum Capite suo despecto, & novissimo omnium virorum; hos, in quos, tanquam in vilia mancipia, homines invehebantur, probris, damnis, cruciatibus & morte ipsâ eos afficientes, *tanquam oves morti destinatas*, & *purgamenta hujus mundi*, hos, inquam, consolatur per Prophetam Dominus, quòd non diu hæc sors duraret. Nam, inquit, ¶ *Reges videbunt*, &c.] i. Assurgent, & venerabundi supplicabunt. Quantus, quæso, erit hîc honor? Quem sic unquam honoraverunt Reges? Certè post verbera & carceres & omne tormentorum genus vicerunt tandem: & pauperes illi homines, & nonnulli qui eos consecuti sunt, à principibus tantùm non pro Diis colebantur: de quibus mox plura in sequentibus, & hoc eodem capite. ¶ *Propter Dominum*] Deferebant hunc honorem Discipulis Domini quia eos videbant & agnoscebant *electos à Domino*, à *Sancto* illo: quod ex signis & virtutibus, & ingenti malorum tolerantiâ, inauditâ mansuetudine,

cæte-

cæterisque cœlestibus donis, quæ non possunt non admirari vel barbari homines, & Reges ipsi, manifestè intelligebant. Ecce quâ ratione in Ecclesia Christi est adoratio & cultus Sanctorum. Qui enim fuerunt *contempti* & *abominabiles* propter Christum, justum est ut versâ vice nunc *propter eum qui eos elegit*, nobis sint in honore & pretio, illisque *supplicemus*, velint, nolint Lutherani. Nam quòd de persona Christi tantùm hæc non intelligantur, (ut quidam ipsorum voluit; ob quod interpretatur *contemptibilem animam*, *abominatam genti*, reclamante Hebraismo) sequentia satis apertè declarant. Ergò & dum hic viverent, & multo magis nunc dum gloriâ perfruuntur, *Reges videbunt*, *& assurgent*, *&* ישתחוו: sed *propter Dominum*, *qui ipsos elegit*, & ad tantam dignitatem evexit, ut essent *lux mundi*, & salutem ejus per totum orbem deferrent, tanquam mundi Medici & curatores; ob quod & *Therapeutas* eos appellabant, teste Philone. ¶ *Et Sanctum*] Vulgatus reddidit conjunctionem, neque immeritò: eam enim non rarò omittunt Scriptores sacri: *& propter Sanctum Israelis*, *& elegit te*, i. qui: ità enim interdum Vau accipitur. Possumus tamen & sic legere, *Propter Jehova: quia fidelis est Sanctus Israelis*, *& elegit te.* Nam יען valet *quòd* seu *quia*. *Fidelitas* autem referenda est ad promissiones factas Patribus de *Semine* benedicto, *in quo benedicendæ essent omnes gentes*, & *de multiplicatione filiorum tanquam arena maris.* Ergò Gentes universæ ex prædicatione intelligentes Dei fidelitatem, & paucos illos electos à Deo ad generandum per Euangelium, & filios procreandos ex Gentibus, qui censerentur in semine Abrahæ, adorabant Christum & ipsos. Nam *adoratio* & cultus hic promittitur pro *contemptu* & *abominatione* & *servitute.* Non possunt enim non coli qui agnoscuntur *electi à Domino*, præsertim si sit electio ad aliorum utilitatem, ut est eorum qui justi ipsi ad justitiam erudiunt plurimos.

8. *In tempore placito*] Ex eventu imponebantur nomina & locis & temporibus. Quare putarem hæc nihil aliud significare quàm si diceret, *Exaudivi te ex bona voluntate mea*, *& adjuvi te*, *salutémque tibi præstiti:* ut meritò tempus hoc dici possit *tempus acceptationis* & *dies salutis.* Quare & Paulus ex istis verbis hoc tantùm accipit, *Ecce nunc tempus acceptabile*, *ecce nunc dies salutis.* Finge ergò sic Prophetam dicere, ut habeas mentem ipsius, *Sic dicit Dominus*, *Ecce habes me propitium quem invocabas*; *cujus opem implorabas*, *ecce habes me adjutorem: quare tempus hoc deinceps vocabis Tempus acceptum & Diem salutis: ecce servavi te*, *& dedi te in fedus populi*, &c. Vel certè allusio est ad locum Psalmi 69. ubi cùm Christus Dominus *se inimicis suis in parabolam esse* dixisset, & quòd *adversùs se loquerentur Magistratus & potentes*, subdit, *Ego verò orationem meam ad te*, *Domine*, *tempus beneplaciti Deus: In multitudine misericordiæ tuæ exaudi me*, *in veritate salutis tuæ*, &c. *Fundo*, inquit, *orationem meam ad te*, *petóque ut sit hoc tempus tibi acceptum*, *& velis hoc tempore me exaudire pro tua pietate & veritate salutis plena.* Ergò cùm *contemptûs* Christi meminisset, & quòd non diu durarent conditio illa significasset, inquit *dixisse Dominum*, *In tempore beneplaciti*, &c. q. d. *Dixi quòd assurgerent tibi Reges*, *quem hactenus tui populares despexerant. Nam jam instat tempus illud quo petebas placeret mihi ut te exaudirem*, *& quòd verax essem ostenderem*, *salutem afferendo: jam exaudio*, *jam eripio*, *jam servo*, &c. ¶ *Dedi te in fedus populi*] Promiserat non semel Deus quòd reconciliaretur homini per Messiam quem missurus erat: Sublato autem in crucem Christo, & pro mortuo habito à Judæis, relictis tantummodo paucissimis qui eum vivere scirent, eisdémque contemptissimis, vanæ videbantur illæ promissiones. Petebant igitur res ipsæ, & hæc videbantur esse vota Christi & suorum, nè durarent diutiùs probra infidelium, imò ostenderet se veracem Deus, & in Christo stabilirentur omnia. Hoc se præstitisse hic dicit Dominus, *Dedi te in fedus populi*, i. populorum, ut per te mihi perpetuo fœdere copulentur: Te pro hostia federis suscepi, quo immolatò reconciliatus sum mundo, fide hujus sacrificii, & dilectione: Quæ agnitionem tanti beneficii hominibus ingenerabit. Mihi adhærebunt posthac populi: neque erit qui hoc fedus dissolvat. Christus ergò *fedus* dicitur, quia victima fuit quâ sancitum est fedus, & nos sanguine ejus expiati à sceleribus fuimus, quæ nos à Deo separabant. Dicitur & Ecclesia illa primitiva & Discipuli ejus, qui unum cum Christo corpus efficiunt, *fedus populorum*, quia *ministri* fuerunt *reconciliationis* hujus, & *legatione* pro hac federatione & reconciliatione *fungebantur*, adeoque rem illam quæ gesta fuerat non tantùm verbis sed etiam rebus exprimebant, ut *seipsos impenderent*, ut *immolarentur super obsequio fidei populorum.* Unde & *supplere se ea* dicebat Apostolus *quæ deerant passionum Christi pro Ecclesia:* quia ad fidem & reconciliationem populorum necessarium erat ut viderent Gentes prædicatores illius sacrificii paratos esse pro veritate quam annunciabant mortem oppetere. Quare morte suâ ac malorum tolerantiâ prædicationi fidem conciliabant, quæ Ecclesiæ Christi summopere erat necessaria. ¶ *Ut suscitares terram*] Homines, qui ad unum interierant & in mortem corruerant, excites & stare facias, nè in præceps labantur. Quare *in resurrectionem multorum positus* dicebatur Christus à Simeone. Huc etiam illud facit, *Veniet hora*, *& nunc est*, *quandò mortui audient Filii Dei vocem*; *& qui audierint*, *vivent.* Et Paulus eum qui à peccatis surgit, *à mortuis surgere* dicit. Ergò hic pro *excitare ad vitam*, aut pro *stabilire*, *confirmare agnitione veritatis*, accipere possumus verbum קום in Hiphil. ¶ *Possideres*] Verbum Hebraicum *in hereditatem & possessionem alios immittere* significat: *ercisce*re dicebant olim Jurisconsulti. Ergò Christo & Apostolis hic injungitur ut eo munere fungantur quo Josue, qui Israelitis possessiones divisit. Ità accipitur hoc verbum Jos. 1. & Deut. 12. Jer. 18, &c. Introduxerunt enim populos in terram & lacte & melle manantem; & Christus Dominus in Ecclesia suas eis *divisit donationes* prout sibi visum fuit, *& alios dedit Euangelistas*, *alios Doctores*, &c. Erant autem hujusmodi hereditates *desolatæ*, *dissipatæ* seu, ut est in Hebræo, *afflatæ*, i. quas initio qui videbant, tanquam rem abominandam exsecrabantur atque exsibilabant. Quotus enim quisque erat qui Contemptum, Vigilias, Jejunia, Paupertatem, Famem & Nuditatem, adde Innocentiam, Castitatem, Mansuetudinem, & his similia non fugeret, & hæc ut res pessimas & homine indignas non vitaret? At in has desertas possessiones nos introduxerunt Christus & Apostoli, in quibus nos felicissimos esse existimamus: In quas tamen nemo nos potuisset introducere nisi Dominus JESUS, quem ad hoc ipsum destinavit Deus.

9. *Ut diceres his qui vincti*, &c.] Nonnullos effectus reconciliationis per Christum hic vides connumerari. Primus, quem jam dixi, fuit, Posse nos insolitam virtutis viam incedere, & veluti regionem commutare. Secundo loco hìc habes Libertatem, nè videlicet ab affectibus præpediamur quò minùs ad Deum curramus. Tertius est Tenebrarum, Peccatorum & Ignorantiæ discussio; dum ait, ¶ *Et his qui in tenebris*, *Revelemini*] Illustremini & luce perfundamini, nè ampliùs latebras appetatis, sed *induamini arma lucis*, *& sicut in die honestè ambuletis.* Quarto autem loco Affluentia donorum spiritalium ponitur. ¶ *Super vias pascentur*, &c.] i. In planis locis. Nam viæ publicæ in plano sunt. Vel sumpta Metaphora à pecoribus, quæ dum è regione in regionem proficiscuntur, per eam viam à pastoribus deducuntur juxta quam pascua inveniant. ¶ *In omnibus planis*] Vocem שפיים Vulg. suprà 41. 18. *supinos colles* vertit; at Jer. 3. nunc *vias*, nunc *directum* vertit. Certè vox *tumorem* seu *eminentiam* notat: quare pro *montibus* accipi puto. Et fortè his duobus nominibus, *juxta vias & in montibus*, intelligit quod quacunque ierint, pascua invenient: ut sit idem quod in Euangelio dicitur, *Ingredientur & egredientur*, *& pascua invenient.*

10. *Non esurient*, &c.] Jam quinto loco hoc commodi quoque habebunt, quòd nihil eis nocebit. Per *famam* & *sitim*, *Solem* & *æstum* intellige omnia quæ incommodare possunt iter facientibus. Non quòd nihil eos molestiâ afficiat, sed quia omnia eis in bonum cedant, neque pungant afflictiones eos qui sine peccato sunt, quod est afflictionum aculeus: Non nocet autem sine aculeo vespa, sic neque Mors ipsa si peccatum deletum sit. Audi Paulum, *In omnibus premimur*, *at non anxii reddimur*; *laboramus*, *at non destituimur*; *persecutionem patimur*, *at non deserimur*; *dejicimur*, *at non perimus*, & alia plurima quæ in Paulo leges. Leviùs itaque ferunt pii suas adversitates, in quibus interdum gaudent & gloriantur, quàm improbi suas felicitates, in quibus interdum nauseant. ¶ *Miserator eorum*] *Qui miseratur eos*, & affectu pietatis super eos tangitur, *adducit eos:* Qui fieri ergò potest ut à quoquam lædantur? *Juxta scaturigines aquarum deducit eos:* Quomodo ergò sitient, aut ab æstu molestiam capient? Alludit ad Ps. *Dominus regit me*, *& nihil mihi deerit. Super aquas refectionis*, &c.

11. *Et ponam omnes montes*, &c.] *Montes meos*, inquit. Vel de montibus in quibus sita erat Jerosolyma intelligit: quia fingit ad illam terrenam Jerusalem properare Dei filios, per quam altera intelligenda est; ut suprà, *Ascendamus ad montem Domini*, &c. Vel *montes suos* vocat montes altissimos, ut Taurum, Caucasum, &c. nam isti dicuntur in Hebraismo *montes Dei.* Hoc quoque per Christum consecuti sumus, ut ad Deum undique veniri possit. Non enim uno aliquo loco circumscribitur ejus fides, agnitio & cultus: per montana currit, *per mare*, *per saxa*, *per ignes:* omnia pervia fecit per donum fidei

& agni-

& agnitionis bonitatis ipsius quæ factâ reconciliatione terram universam inundavit. Quæ enim parùm opportuna esse videbantur & impedimento esse nè ad Deum possemus properare, ea omnia emollivit Dei misericordia, ut qui pusillo animo erant, ardua aggrediantur; & qui superbiâ tumebant, deposito tumore, æquabilitate gaudeant, & *in Christo J E S U non sit servus, neque liber, Judæus, neque Græcus*, &c. Per paupertatem & per Regni fastigia ad Regnum cœlorum iter patet. Nulla est denique conditio, nulla sors, nulla vocatio quæ impedimento esse posset quò minùs Deum comprehendamus. Quo factum est ut *multi ab Oriente & Occidente veniant*, &c. Quo in loco ad hunc qui sequitur allusio est;

12. *Ecce isti de longè venient*, &c.] Hic Orientem intellige. Nulla enim regio longiùs Palæstinæ patebat quàm Orientalis; quam sciebant ultra Persas ad Indos protendi, quorum fines ultra Gangem nemo lustraverat. Per *mare* autem, nempe Mediterraneum, Occidentem notabant Hebræi. Septentrionalem verò plagam צפון vocabant, quòd veluti *abscondita* esset. Fama enim erat quòd propter frigus nulli essent, aut rari, Hyperborei: aut certè quòd nondum quisquam illuc penetrasset ex Palæstina, neque commercium ullum cum Septentrionalibus populis haberent Palæstini. *Sinæorum* autem *terram* appellabant Meridionalem, propter montem Sinah, qui ad Meridiem jacebat, celeberrimum Judæis jam indè ab egressu ex Ægypto. Ergò ex omni natione absque ullo discrimine ad Deum iter aperuisse Dei filium significat Propheta. Datus enim est in reconciliationem & Mediatorem inter omnes homines, quorum carne assumptâ jam affinis erat, ut Deum veluti Patrem communem haberent. Quod cùm vidisset Propheta, non potuit sese continere quin in laudes Dei prorumperet, invitatis omnibus creaturis.

13. *Laudate, cœli*, &c.] Ego verbo antiquo dixi, *ovate:* nam id propriè significat verbum Hebræum רנן, *exclamare ex lætitia, lætitiámque vociferando aut canendo demonstrare:* à quo apud probatos auctores mansit participium *ovans*, & passim pro *lætabundo*, licèt pro minore triumpho, consueverit accipi. Sed ego antiquam significationem retineo quando hoc verbo *ovandi* utor. ¶ *Consolatus est populum*] *Populum Dei* vocat *filios Dei qui erant dispersi*, quos prævidit Jesaias per Christum *congregandos in unum*. Hos etiam vocat *pauperes suos*, *inopes*, & quibus nemo opitulabatur neque vociferantes exaudiebat. Si quispiam verò alteram à superiori interpretationem velit eorum quæ præcedunt, sic accipiat, ut *pauperes* isti & *filii Dei dispersi* sint illa *contemptibilis anima* & *gens abominabilis* & *servus dominorum* de quibus in v. 7. quibus *dicit Dominus* quòd *Reges illis honorem deferent propter Dominum, qui elegit te, ô Christe. Te enim tempore accepto exaudivit; te adjuvit: te dedit in fœdus populorum, ut istis pauperibus subvenires, illos eriperes, adduceres, omnia illis præstares.* Hoc quia veluti jam factum videt Propheta, omnia ad collaudandum Deum & congratulandum filiis Dei invitat. Tu autem, Christiane lector, pietatem & charitatem Prophetæ hic considera, & quanto salutis omnium desiderio tenebatur, qui omnibus mutis elementis linguas optabat quibus congratularentur è captivitate Peccati redeuntibus: res enim est de qua gaudium est in cœlo: neque aliud est quod sic in amorem Divinæ bonitatis pertrahat hominum mentes. Vide infrà v. 18.

14. *Et dixit Tcion*, &c.] Vocationem Gentium superiùs commemoravit: hanc rursus repetit, (est enim in hoc argumento multus Propheta Jesaias) sed addit, eos qui ex Gentibus vocandi essent filios esse Tcion, & ad Israelem pertinere: quare cùm *Cælum* ac *Terram* ad congratulandum deliberatè provocasset, adhuc tamen *Tcion* querimonias apponit; quia carnales Judæi hâc restitutione spiritalis generationis non sunt contenti, & impleri promissiones petunt de Multiplicatione filiorum; ut qui nihil nisi carnalia sapiunt, sempérque Jerusalem desolatam deflent. Quibus tamen non aliter satisfacit Dominus quàm quòd verbum suum servet & verax sit, promissiones adimpleat, innumerabiles filios ei donet, eam restituat, reparet sempérque amet: quòd, nisi spiritales oculos habeant, nunquam intelligent.

15. *Numquid*, &c.] Respondet Dominus, & consolatur *Tcion*, i. Ecclesiam, quam *Synagogam* appellant, affirmans quòd majori amore eam prosequatur quàm matres parvulos suos qui ab uberibus suis pendent.

16. *In manibus meis*, &c.] Probat signo se nequaquam ejus posse oblivisci, videlicet, quòd delineatam ejus figuram seu effigiem *super palmas suas gerat*. Vulgatus sensum optimè vertit: ego verbi significationem retinui: sed de figura civitatis intellige: sicut cùm eodem verbo dicitur Ezechieli ut *super laterem constituat civitatem Jerusalem*; & Job. 19. *Utinam in libro constituantur. Constituere* ergò *super manus* est Constitutionem & situm ejus effigiatum habere in palmis: quod videtur explicare, dum ait, ¶ *Muri tui coram me semper*] Mandata sua jubebat Dominus, nè unquam mente exciderent, sed ea veluti annulus in manu & quid appensum inter oculos gestarentur, i. tam memoriâ hærerent sicut quæ manibus gestamus, &c. Eâdem figurâ res nostras sibi curæ esse hic dicit Dominus.

17. *Venerunt*,] Heb. *Festinaverunt*, i. festinantes venerunt: i. jam reparaberis. Adsunt qui te reædificent. Video ruinas *murorum:* scio quid tibi opus sit. *Recedent* jam hostes, qui optima quæque *diruerunt*, & *exsiccarunt te*, i. substantiam tuam abstulerunt, ut in solitudinem redacta videaris. Ego proprias verborum significationes expressi. Est enim חרב, ut jam dixi, *exsiccari*, vel adustione Solis, vel ignis, vel gladii. Qui exurebant te, & contrucidabant filios tuos, recedent longissimè: aderunt autem constructores. Expulsi enim sunt Pharisæi & impii Sacerdotes falsique Doctores, qui Ecclesiam Dei pessundederant & penè in solitudinem redegerant: nam *neque ipsi intrabant, neque alios ingredi permittebant*, ut est in Euangelio. Venerunt veri Israelitæ & veri Judæi, Apostoli Domini, qui labentem Ecclesiam stabilierunt, & in pristinum decorem, imò multò majorem, restituerunt: reparaverunt collapsos parietes ex lapidibus vivis, illi qui omnia ad ædificationem poterant. Faxit Deus ut hos ædificatores, non illos destructores, imitentur qui loco & dignitate illorum gloriantur. Hæc autem reparatio initium habuit ab inspectione illa Dei & *descriptione super manus*. Orandus ergò Deus nè abjiciat nos post tergum, sed de excelso figat super nos oculos die ac nocte, ut longè semoveat diruentes Civitatem sanctam, *restituat* autem *Judices sicut à principio*.

18. *Leva*, &c.] Flebat Tcion quòd orbata maneret, & imminuta esset plùs quàm omnes gentes, quas antea numero vincebat. Hoc enim *derelictio* illa *Dei* & *oblivio* designabat, præter collapsos muros & exustas domos. Jam post reædificationem multiplicationem filiorum pollicetur. ¶ *Venerunt tibi*] In hoc est totius consolationis status. Cùm dico à quatuor plagis Orbis venturos pauperes ad Deum, nè putes nihil hoc ad te pertinere, te autem adhuc in orbitate tua permanere. *Tibi veniunt omnes isti.* Etsi sunt ex Gentibus, & non ex semine Abrahæ, filii tamen tui sunt, & ad dignitatem tuam & *ornatum* non parùm faciunt: erunt enim tibi *veluti ornatus mulieri.* Quæ enim ornamenti gratiâ mulieres induunt, aptissima sunt, & concinnitatem habent, atque ab illis plurimi fiunt: ea illæ recondunt, contemplantur; dum promunt, extergunt: sibi deinde ubi adaptant, se tunc demum pulcras esse existimant. *Ornamentis* ergò comparat Dominus illos qui ex Gentibus ad agnitionem veri Dei pervenerunt: Synagogam autem *mulieri* aut *sponsæ* quæ illis ornata est, illósque sibi *tanquam ornamenta astrinxit* & *obligavit*, juxta illud Euangelii, *Oportebat te lætari & gaudere, quòd frater tuus iste perierat, & inventus est*, &c. Certè qui verè ad Synagogam & Dei Ecclesiam pertinebant, ad hunc modum Gentium conversionem accipiebant. Vide interim, Christiane lector, quibus se amiciat Ecclesia Dei, & quæ sua reputet ornamenta. Templorum quidem materialium ornatus & decor eatenus accepti sunt Deo quatenus fidelium animos bene afficiunt, & ad contemplandam puritatem, majestatem & decorem Dei ac Sanctorum inducunt. Sed nullis ornatibus sic gaudet spiritalis Mater & Caput ejus atque istis quos hic commemorat. Non enim illis se tanquam addititiis ornamentis exornat, sed hos pro oculis, illos pro auribus, alios pro manibus, & alios pro aliis membris accipit; nec se fine illis vivere existimat. Quapropter horum generationi studebant, hos summâ curâ educabant, & nullam non impendebant operam quò eos ad viros perfectos perducerent. Vide in Paulo viscera Ecclesiæ & Christi.

19. *Quia deserta tua*, &c.] Scis quantum ad te pertineant, & quàm inter filios sint computandi? *Ad te, ad te*, inquam, *venient*; neque alias regiones incolere volent, adeò ut *siccitates tuas*, i. regiones aridas, & quæ ob aquarum penuriam deserta sunt, & ea quæ *vastata* sunt, & quæ homines abominari solent (quæ Hebraismus vocat *afflationes* seu *afflata*) has, inquam, regiones occupabunt: malléntque apud te hæc incolere quàm amœnas in quibus nati sunt regiones, i. mallent in gremio Ecclesiæ duriter vivere, & abjecti esse in domo Dei, quàm indulgere genio & delicatè vivere extra Ecclesiam in tabernaculis peccatorum. Vide de his regionibus nonnihil suprà in fine annotationis v. 8. Judæis verò, quia tantùm oculos carnis habent, hæc intelligere non possunt, sed ad sua figmenta recurrunt. ¶ *Angusta erunt*] Doctè Vulgatus ità mutavit personam: nam in Hebræo est secunda, *angusta eris:* & repetit

par-

particulam Continuationis כי, fortè ut insinuet in priori membro supplendum verbum, q. d. *quia deserta tua & vastitates tua habitabuntur*; *quia angusta eris præ habitatoribus*, &c. ¶ *Nunc*] Vel *jam*. ¶ *Longè fugabuntur qui absorbebant* (vel *præcipitabant*) *te*] Hoc opponit multitudini: quæ enim absorbentur aut præcipitantur evanescunt. Vide suprà v. 17. quòd isti *absorptores* sint qui *habebant clavem scientiæ*, *& neque ipsi introibant*, *neque ingredi sinebant alios*. Sunt falsi Doctores, qui juventutem Ecclesiæ deglutiunt, & orbatam reddunt Ecclesiam: quibus nostro hoc seculo, prô dolor! plenus est orbis Christianus. Nequit autem multiplicari fidelium numerus ni longè absint absorbentis juventutem & partus ipsius: ubi enim sunt animalia quæ aliorum partus devorant, possibile nunquam erit, quamdiu feræ illæ non exterminabuntur, generationem aliorum multiplicari. Expellendi ergò sunt ac de medio tollendi hujusmodi *absorptores*.

20. *In auribus tuis*] Non hoc rumore percipies, sed ipsa ab ipsis audies. Non pudebit eos dicere angustum esse spatium quo hactenus contenta es; sed ipsi *filii tui dicent*, non opus esse *imponere jugum* aliis *quod neque ipsi*, *neque patres portare potuerant*. Ipsi, ipsi, inquam, filii tui per totum Orbem proficiscentur, ut Gentibus impertiant gratiam Dei, & te dilatabunt, & compellent ut pro filiis agnoscas Garamantes & Indos. ¶ *Filii sterilitatis tuæ*] Suprà jam admonui שכל *orbitatem* propriè notare. *Filios* autem *orbitatum* vocat qui Ecclesiæ nati sunt postquam ad orbitatem devenissent, vel certè illos qui ipsi remanserunt & superstites fuerunt, nempe Apostoli. Continebat filios suos Ecclesia intrà limites Palæstinæ: non poterat universus Orbis illuc confluere: Necesse ergò fuit dilatari Ecclesiæ sinus, non sine admiratione Judæorum. Hoc habes in his versibus. ¶ *Fac mihi spatium*] Phrasis peculiaris est hoc loco in Hebræo. נגש enim *accedere* sign. Ad verbum dicendum esset, *accede mihi*: sed quis hoc intellexisset? Ideo Vulgatus rectè sensum vertit, *Fac mihi spatium*, seu *accessum*. *Fac ut aliò possim accedere* seu *concedere*. *Cede mihi*, vel quid simile.

21. *Et dices in corde tuo*, &c.] Novum fuit Judæis (ut ex Euangelio & Actis Apostolicis apparet) videre quòd & *Gentibus impertiret Dominus gratiam Spiritûs sancti*, adeò ut miraculis & revelationibus opus fuerit ut tandem acquiescerent. Erat quoque admiratione dignissimum eo tempore quo collapsa erat fides, & paucissimi erant in Ecclesia filii, eo, inquam; tempore quo Ecclesia videbatur prorsus interiisse, exciso populo Dei, & Judæorum repub. prorsus deletâ, subitò videre totum Orbem cognitione Dei illustrari, & barbaras nationes ad fidem properare. Unde istæ voces, *Ego orbata & solitaria: quis genuit mihi istos?* &c. ¶ *Non pariens*] גלמוד quatuor literis constat quas vocant *radicales*. Quamvis autem hoc à Rabinis annotatum non inveniam, mihi tamen pro comperto est esse vocem compositam à nomine גלם, i. ut Medici vocant, *mola* (quæ in matrice gignitur, & infructuosa est, ac nihil utilitatis habet, sed tantùm similitudinem cum fœtu) & radice ילד, i. *genuit*; q. d. *generatio* (aut *partus*) *molæ*. Quare illud Job. 3. *Nox illa sit* גלמוד sic interpretor, *sit nox qualis est in qua mulier*, cujus partum exspectabant, *molam edit*: unde additur, *neque veniat in ea laus*, seu *exsultatio*. Et cap. 15. *Congregatio hypocritæ*, *generatio molæ*: quæ sanè comparatio est lepidissima. Denique Job 30. intelligitur de *oppilationibus aliisque tumoribus qui tempore famis & egestatis ob insalubres cibos generantur*. In hoc autem loco est forma feminina גלמודה, i. *gignens molam*. *Ego*, inquit, *orbata & veluti in utero molam gerens*, qui nullos fœtus produco, sed hypocritas & non fideles filios, &c. Quare *sterilem* cum Vulgato reddidi, licèt non plenè significatio exprimatur. Hanc interpretationem confirmant loci illi ex Job. Quid enim cap. 30. sibi vult *nox sterilis*, aut *solitaria*? Sed de hoc vide quæ ibi annotavi. Item cap. 15. hæc interpretatio ex sequentibus confirmatur, ubi quod dixerat, nempe *congregationem hypocritæ esse veluti tumorem molæ*; *& quòd ignis devoraturus esset*, *ejus tabernaculum*, veluti exponens addit, *Concepit dolorem*, *& peperit iniquitatem*, i. Concepit intra viscera injustitiam & peccatum, & tandem ejus rei percepit fructum, nempe dolores & afflictiones, quæ nomine *iniquitatis* Hebræis veniunt. Ventrem itaque hypocritam gestare significabat cùm bona congregaret & substantiam augeret. Meritò itaque Ecclesia, quæ non solùm *orbatam* se filiis videbat, sed infirmitatem suam agnoscebat, quòd esset *sterilis*, & nullos filios qui *filii* nomine digni essent ederet, cùm tantam fidelium multitudinem conspicit, admiratur, *Quis*, inquit, *hos genuit? Ego enim* jamdudum filiis *orbata* sum, qui nomine *filiorum* digni essent: nunc si uterum gero, si pario, perinde est ac si *molas parerem*. Facit etiam huc quæ de Legis impotentia scribit Apostolus, & quæ de hypocrisi illius temporis scribunt Euangelistæ. Hâc ergò admiratione & his verbis fœcundam Dei bonitatem insinuat, à qua generatio illa prodibat, ad quam nullas vires in se agnoscebat. Hic certè, lector, si æquus sis judex, intelliges quantum momenti in una vocula situm sit si ritè expendatur, & quantum juvet ad Scripturarum intelligentiam linguam Sanctam addiscere. ¶ *Ego derelicta*] In Hebræo nulla conjunctio habetur, *Ego derelicta*, *sola: isti, ubi ipsi?* i. *erant*. Sed hoc parvi refert. Hic considera quàm præter humanam spem oborti fuerint in toto Orbe filii Dei, cùm neque ipsa Ecclesia id unquam somniasse videatur. Quis enim putasset *ex lapidibus suscitandos filios Abrahæ?* Certè locus hic mirum in modum mihi Dei bonitatem commendat.

22. *Levabo*, &c.] Explicat quonam pacto venturi erant ex universo Orbe ad Ecclesiam filii ipsius; non ductò per mundum exercitu, non armis, non multo meo labore, aut tuo; nihil aliud faciam quàm *extollam manum meam*, *& signum meum*, ut *gentes* illud videre possint. Nè dubites hic loqui Dominum de signo seu vexillo Crucis & prædicatione Euangelii. Ubi enim de Cruce prædicatio ad Gentes pervenit, in qua exserebat se manus & virtus Dei, quæ aereas potestates devicerat, & de quibus in cruce moriendo triumphaverat, nulla mora; captivantes intellectum in obsequium fidei, excipientes Filium Dei in Euangelio, infiniti homines in filios Dei adoptati sunt: ex quibus quamplurimi Regibus & Principibus mundi fuerunt in pretio, & magnis honoribus affecti, præsertim cùm ipsimet Principes ab eis audiebant verbum Dei, & in Christum credere incipiebant: Tunc se Regnáque sua illorum arbitrio tradebant, & illos Reges, se verò servos eorum arbitrabantur. Hæc enim est vis Crucis agnitæ, ut omnia reputentur vilia si cum dignitate ejus conferantur. Illi verò per quos virtus Domini se exserit, in quorum pectoribus agnoscitur Christus habitare, & per os loqui, dictu mirum quanto in honore habeantur ab eis qui veritatem agnoverunt. *Oculos eruerent*, ut est apud Paulum si id servis Dei viderent cordi esse. Quare non immeritò & non nisi summa cum venustate his tropis utitur Propheta, *in sinu deferre*, & *super humeros sustollere*; & quod sequitur,

23. *Erunt Reges nutritii*, &c.] אמנים *fidos* seu *fideles* sonat Hebræis: quâ voce *curatores*, *procuratores*, *dispensatores*, *œconomos*, *nutritios* seu *educatores*, quorum fidei & curæ res & officia aut infantes committuntur, significant Hebræi, nimirum à fide, quæ potissimùm in his spectari solet atque requiri. Quod & D. Paulus significare, & quasi datâ operâ hanc vocem explicare voluit 1 Cor. 4. *Sic nos existimet homo ut ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei. Quod superest autem*, *illud requiritur in dispensatoribus*, *ut fidelis aliquis reperiatur.* Vide & 1 Tim. 1. At nomen *nutricum* מניקה est à *lactando*: ideo *lactatrices* dixi. Pro *Reginis* autem *principes mulieres*, propter pronomen *eorum*, quod omittendum non erat. Majus enim est uxoratas Reginas alere alienos infantes. Adde quòd שר *Princeps* est, cujus hic est plur. femin. Hæc figuratè summos honores & summas delicias notant; sicut etiam quod sequitur, quòd *vultu in terram demisso*, &c. quod non intelligas tantùm de oculis in terram fixis, sed quòd procumbentes & naso terram attingentes supplicarent. Nam pro *vultu in terram demisso* habet Hebraismus *nasi terræ*: quod puto Hebræos efferre sicut nos Hispani componimus duo nomina substantiva, & quasi unam vocem efficimus: quæ oratio per ablativum absolutum redditur. Hanc eandem phrasim habes Gen. 42. de fratribus Joseph, & Gen. 19. de Loth, quando Angelos invitavit in hospitium. Cæterùm quod sequitur, ¶ *Pulverem pedum tuorum*, &c.] Simile est quod nos Lusitani dicimus, *Osculabuntur terram in qua pedem fixeris*, pro *Summum honorem deferre*, *& tantum non pro Deo colere*: quod in usu fuisse apud Gentes memini me audisse. Hyperbolicè autem & per Auxesim dictum est *lambendo depascere pulverem*. ¶ *Et scies*] Tunc experimentò comprobabis me esse verum Deum, ut qui te ad tantam dignitatem evexerim, cùm jam de te actum esse credere alii potuissent, tu verò timeres. Intelliges etiam me talem esse Deum *cui qui innixi fuerint non pudefient*. Hebraismus sic habet, *cui non pudefient sperantes mei*; vel *qui erectis in me sunt animis*. Cùm autem rebus ferè desperatis Deus adsit, & tum maximè fervet quando jam nihil spei superest, nónne quodammodo ab homine fiduciam extorquere videtur ut ab eo pendere velit?

24. *Numquid tolletur*, &c.] Fingit incredulorum voces, & rei difficultatem describit, ut bonitatem Dei amplificet atque potentiam, & fiduciam confirmet. Qui fieri potest ut *prædam quam heros quispiam & gigas ceperit*, *aliquis ab eo auferat?* Quonam pacto qui à tyranno captivi tenentur, cujus potestati in terra non est quæ comparetur, eripi ab ejus vinculis poterunt? Qui fieri poterit ut Gentes Diaboli mancipia *ad simulacra muta*, *prout ducebantur euntes*, excusso jugo, Deo serviant, & in filios Dei &

Ecclesiæ computentur? In Bibliis quidem Hebræis in secundo membro est nomen צדיק *captivitas justi*, pro quo Vulg. *quod captum fuit à robusto*, quasi legerit עריץ, quod nomen v. seq. legitur, ubi hæc verba repetuntur. Est autem in literis affinitas ac similitudo, ut errorem scribæ suspicari possimus: nisi dicamus adjectivè accipi, ut interdum solet, & hic *captivitatem justam* vocari captivos quos fortis ille justè captivos detinebat. Nam cujus voluntatem quis facit, ejus efficitur servus.

25. *Captivitas à forti*] Non potest à forte eripi præda nisi ab altero fortiori. Hic certè promittit Dominus, Fortiorem quempiam venturum in mundum, qui *alligaret fortem* illum & robustum gigantem, *& universam ejus substantiam auferret*, ut est in Euangelio Matth. 12. & Luc. 11. & Mar. 3. in quibus locis nomen גבור videtur redditum nomine ἰσχυρός. Nam nulli dubium esse debet quin in ea similitudine ad hunc locum Jesaiæ respexerit Dominus, & ex eo loco Euangelii hujus loci intelligentia petenda sit. ¶ *Et eos qui te judicaverunt*] Heb. *& eos qui te litigando oppugnaverunt ego litigando oppugnabo*: vel, *cum litigatoribus tuis ego litigabo*. Petit Psaltes à Domino quod hic se facturum pollicetur: ubi nostra editio, *Judica, Domine, nocentes me*, habent Hebræa, *Litiga, Domine, cum litigatoribus meis*; vel potiùs, *litigando oppugna*, *Jehova, qui me litigando oppugnant*. Ego, inquam, litigabo, ego oppugnabo; tu tacebis: id enim v. seq. explicat.

26. *Carnibus suis*] i. Faciam ut mutuis se vulneribus conficiant. Tunc enim ore gladii *carnes suas absumunt*, & *sanguine suo sese inebriant*, dum suo ipsorum sanguine & mutuâ cæde sese commaculant, & fraterno sanguine madent & gladii & manus & vestes. Estque allusio ad locos illos in Scripturis in quibus narratur quòd hostes Israelitarum mutuis cædibus se deleverint: quod non semel accidit. Quæ nihil aliud significant quàm incruentam victoriam & sine labore filiorum Dei partam. Conciderunt adversariæ potestates, debellati sunt tenebrarum Principes; erepti sumus de earum potestate. Quas, quæso, operas huic bello impendimus? quid contulit auxilii Ecclesia aut ejus filii? Solus ipse hostes delevit, & *Principem mundi ejecit forâs*. Ut vel hâc unâ ratione damnandi sint improbi Christiani, quòd Principes hujus mundi jam damnatus sit, illi verò damnato & expulso rursus obediant, & *quasi dolentes de ejus damnatione*, ut loquitur Magnus ille Basilius, *jacentem stabiliant, & ejus Regnum iterum exsuscitent*. ¶ *Et sciet omnis caro*, &c.] i. Manifestum apparebit cuivis volenti rem perpendere & quæ facta sunt secum pensitare, quòd ego sim ille fortior, ego Deus carne indutus apparuerim, ut *dissolverem opera Diaboli*, & sim *potentissimus* Israelitarum Deus, qui eorum causam ago. Quis enim potuisset sic alligare fortem illum, & captivos ejus liberare, nisi Deus? Quis potuisset efficere ut qui ab incunabulis omne genus vitiis succubuit, subitò fidem Christi amplexatus, & Euangelio auscultans, sanctè & inculpatè vivat, non solùm à peccatis sed à passionibus animi liberatus, nisi Deus multò fortior illo hoste? *Quis similis tui in fortibus Domine?* Verè agnoscimus quòd tu potentissimè nos liberaveris, & Redemptor noster sis, Deus & homo, Dominus noster & frater noster. Sit nomen tuum benedictum in secula.

LUCAS BRUG.

10. ET [o.] *ad fontes aquarum potabit* [*potabis* o.] *eos*.] Frequentior codicum scriptura est *potabit*, quam sequuntur Glossematici, Lyra, Caro & Richel. Porrò quidam codices *portabit* habent, duo Parisiensium, S. Germani parvus & Complutensis; tres nostri, Hunnæi M. Plantini angustus, atque is quem cœnobii S. Jacobi Leodii Abbas commodavit, ex quo erasa quidem est litera *r* (ut sunt pleraque omnia in eo, cæteroqui integerrimo, recentiori depravatoris manu immutata) sed satis etiamnum apparet. In Card. Bessarionis libro addita est *r* litera, notatúmque in margine rectè est *portabit*. Hebraicè est ינהלם, id quod LXXII senes reddidere ἄξει αὐτοὺς, S. Joannes Apoc. 7. 17. ὁδηγήσει αὐτούς· similiter plerique hodie Interpretes, *ducet*, vel *deducet*, *eos*; Chaldæus Paraph. ישרינון *habitare faciet*, vel *collocabit*, *eos*: quæ omnia *portabit* adstruunt. Adhæc Interpres noster vocem illam *portare* convertit, Exod. 15. 13. & Isai. 40. 11. Videri igitur possit & hoc loco ad eum modum convertisse: quibusdam tamen locis (Gen. 47. 17. Psal. 22. 2.) *sustentare* atque *enutrire* interpretatus est. Commentarius *potabit* habet: verùm ità ut non liqueat an ab eo scriptum, an verò ex *portabit* mutatum sit. *Et deducet*, ait, *ad fontes aquarum*, *sive*, *potabit illos ad fontes*, *de quibus scriptum est*, Benedicite Domino de fontibus Israel: *& in alio loco*, Haurite aquas de fontibus salvatoris. *Hi fontes in Veteri Testamento & Novo sunt*. Haymo, qui ejus ferè commentarium sequitur, *portabit* legit; *Et cùm per se nihil possint, & ad fontes aquarum portabit eos. Ad illos utique fontes de quibus canitur*, Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris: *quibus aut Sacra Scriptura aut Spiritûs Sancti gratia intelligitur.*

DRUSIUS.

1. שִׁמְעוּ אִיִּים אֵלַי וְהַקְשִׁיבוּ לְאֻמִּים. Sym. Ἀκούσατέ μου, νῆσοι, καὶ ἀκροάσασθε, ἔθνη, *Audite me, insulæ; & attendite, gentes*] Eusebius.

5. וְיִשְׂרָאֵל לֹא יֵאָסֵף. Sym. Th. *& Israel non congregabitur*. A. *& Israel ei congregabitur*.] *Non congregabitur*. Sic Hier. qui in Comment. ità scribit, *Th. & Sym. nostræ interpretationi congruunt. De Aquila autem miror, quòd homo eruditissimus linguæ Ebraicæ, & verbum de verbo exprimens, in hôc loco aut simularit imperitiam, aut Pharisæorum perversâ expositione deceptus sit, qui interpretari voluit*, & Israel ei congregabitur, *h. e. Deo: cùm verbum Ebraicum* לא *in hoc loco non scribatur per* ל *&* ו, *quod si esset, significaret* ei *vel* illi: *sed per* ל *&* א, *quod proprie* non *sonat*. Hæc Hier. quibus hoc addo; In scriptura quidem esse לא per Aleph, sed legi לו per Vau: quod Critici Ebræorum Massoritæ annotarunt: & ità etiam legit Jonathan Chaldæus P. Vertit enim certè לדחלתה *ad timorem*, i. ad Deum suum. R. David utrumque enarrat, h. e. & scripturam & ipsam lectionem.

7. לִבְזֹה־נֶפֶשׁ. Lxx τὸν φαυλίζοντα τὴν ψυχὴν. οἱ λοιποὶ, ἐξουθενημένον] Theodoretus. A. Sym. Th. *qui nihili facit*, Interpres Symbolorum. Th. *ei qui despicit animam*, Hier. Verba Theodoreti, τὸ φαυλίζοντα· ἐξουθενημένον οἱ λοιποὶ ἡρμήνευσαν. ¶ לִמְתָעֵב גּוֹי לְעֶבֶד מֹשְׁלִים. Th. *qui abominati est genti, qui servus est Principum*] Hier. *Cui interpretationi Aquila consensit, & ex parte Lxx*. Th. τὸν δοῦλον τῶν ἀρχόντων. Vide sis ed. Rom. ויבחרך. Sym. ὅς ἐξελέξατό σε, *qui elegit te*] Sic etiam Hier.

8. לִבְרִית. A. Sym. Th. εἰς συνθήκην, *in pactum*; sive *fœdus*] Theodoretus, τὴν διαθήκην, συνθήκην οἱ λοιποὶ ἡρμήνευσαν.

12. סִינִים. Aq. Sym. Th. Σινεὶμ *Sinim*] Hier. *Pro Australi plaga in Ebræo legitur* SINIM, *quod Lxx* Persarum *interpretati sunt: cæteri, ut in Ebræo legitur, expresserunt* SINIM.

21. גֹּלָה וְסוּרָה. Th. πάροικος καὶ ἐκκεκλεισμένη *accola & exclusa*] Apud Procopium sub asterisco legitur, & Theodotioni adscribitur.

23. וְשָׂרוֹתֵיהֶם מֵינִיקֹתַיִךְ. Sym. καὶ ἄρχουσαι αὐτῶν γαλουχοῦσι, *& principes feminæ lac illis præbebunt*] Euseb. in Symbolis, pag. 790.

25. שְׁבִי גִבּוֹר יֻקָּח וּמַלְקוֹחַ עָרִיץ יִמָּלֵט. Sym. *sed & captivitas fortis auferetur, & rapina horribilis salva erit*] Hier. *Unde manifestiùs interpretatus est Symmachus*, Sed & captivitas, &c. fortem *atque* horribilem *Diabolum volens intelligi; qui DOMINI virtute separatus est.*

IDEM EX PROCOPIO.

1. וְהַקְשִׁיבוּ לְאֻמִּים מֵרָחוֹק. Sym. καὶ ἀκροάσασθε ἔθνη μακρόθεν, *& attendite gentes de longe*] Sic etiam cæteri. Proc. τὸ δὲ, διὰ χρόνου μακροῦ, Μακρόθεν ἐξέδωκαν οἱ λοιποί.

6. לִי עֶבֶד. οἱ λοιποὶ, Δοῦλόν μου *servum meum*. ¶ וּנְתַתִּיךָ לְאוֹר גּוֹיִם. Reliqui, καὶ τέθεικά σε εἰς φῶς ἐθνῶν, *& posui te in lucem Gentium*] Quanquam in Lxx ἰδοὺ τέθεικα *ecce posui*. Dubitationem movent verba Procopii, καὶ οἱ λοιποὶ δὲ οὕτως ἐξέδωκαν.

8. לְהָקִים אֶרֶץ לְהַנְחִיל נְחָלוֹת שֹׁמֵמוֹת. Sym. ἀναγεῖραι τὴν γῆν, καὶ κληροδοτῆσαι κληροδοσίας ἠφανισμένας †, *ut suscitares terram, & divideres hereditates vastas*] † Sic etiam A. & Th. Quod indicant verba illa, οἱ γ´ ἠφανισμένας. Ea habentur in margine ad textum Procopii.

13. פִּצְחוּ הָרִים רִנָּה. Sym. ἱλαρυνθήσεται ὄρη ἐπὶ πᾶσιν *. *exhilararentur montes in omnibus*. Aq. κελαδήσατε ὄρη αἴνεσιν, *resonate, montes, laudem*] * Suspectum. Job. 39. 13. רננים vertit ἀγαλλίσμου.

15. מֵרַחֵם. Sym. ὥστε μὴ οἰκτειρῆσαι. Th. τοῦ μὴ οἰκτεῖραι.

16. הֵן עַל־כַּפַּיִם חַקֹּתִיךְ. A. Ἰδοὺ ἐπὶ τῶν ταρσῶν ἠκρίβωσά σε, *Ecce super palmos accuratè descripsi te*. Sym. ἐστήριξά σε *firmavi te*. Th. διεχάραξά σε *efformavi te*.

22. בְּחֹצֶן. οἱ λοιποὶ, ἐν ἀγκάλαις *in ulnis*] Sic etiam Hier. Psal. 129. 7. חצנו. R. D. זרועו *brachium ejus*. Lxx τὸν κόλπον αὐτοῦ, ut hîc.

23.

23. אֲשֶׁר לֹא־יֵבֹשׁוּ קֹוָי. A. Th. καὶ οὐκ αἰσχυνθήσονται οἱ ὑπομένοντές με, *& non afficientur pudore qui exspectant me.* Sym. καὶ οὐκ αἰσχυνθήσονται οἱ προσδοκῶντές με, *& non confundentur qui exspectant me.*

24. הֲיֻקַּח מִגִּבּוֹר מַלְקוֹחַ וְאִם־שְׁבִי צַדִּיק יִמָּלֵט. Sym. Μὴ ληφθήσεται παρὰ δυνατοῦ λῆψις, ἢ αἰχμαλωσία δικαίου διασωθήσεται; *Num capietur à potente captura? aut captivitas justi conservabitur?* A. Th. ——— καὶ ὁ αἰχμαλωτίζων δίκαιον σωθήσεται, *& qui captivum abducit justum servabitur.* Procop. ἀντὶ τοῦ ἀδίκως, τὸ Ἑβραϊκὸν, δικαίως, ἔχει.

25. כִּי־כֹה אָמַר. Aq. Sym. Th. Ὅτι οὕτω λέγει, *quia sic dicit.*

GROTIUS.

1. DOminus ab utero vocavit me] Loquitur Esaias. Paria Deus de Jeremia I. 5. Apostolus Paulus de se Galat. I. 15. Hebræi illa loca interpretantur de egregia temperatura cerebri, quâ Deus à primo ortu donare solet eos quos Prophetiæ præparat.

Recordatus est nominis mei] Indidit mihi nomen pulchrum, quo *salus* à Domino ventura significatur.

2. *Et posuit os meum quasi gladium acutum*] Auctoritatem mihi dedit ad vitia exscindenda. Confer Ephes. VI. 17. Hebr. IV. 12. Apocal. I. 6.

Posuit me quasi sagittam electam] Ut verba mea quàm longissimè pervenirent.

In pharetra sua abscondit me] Id est, protexit me, ut jam dixerat: nè ulla vis seditiosorum mihi noceret.

3. *Servus meus es tu Israël*] Id est, *Israëli*, Israëlis bono.

In te gloriabor] *Per te gloriam assequar:* per tua prædicta.

4. *In vacuum laboravi sine causa, & vanè fortitudinem meam consumsi*] Vires meas prædicando exhausi, nullo aut exiguo fructu.

Ergò judicium meum cum Domino] *Verumtamen merces mea à Domino.* *Merces* dicitur משפט [*judicium*], quia ex pacto redditur.

Et opus meum cum Domino] Idem quod præcessit. Nam Hebræi μετωνυμικῶς [*transnominando*] mercedem operis *opus* vocant, ut Jerem. XX. 13.

5. *Ut reducam Jacob ad eum*] Ut illos ad pœnitentiam vocem.

Et Israël non congregabitur, gloriosus ero in oculis Domini] Puto veram esse lectionem scriptam in textu לא [*non*], quam sequitur Latinus, non illam in margine לו [*ipsi*]. Sensus est, *Etiamsi Israël ad mea monita nolit converti, ego tamen Deo placebo: qui scit me in officio non fuisse cessatorem.*

6. *Parum est*] Id est, Non sufficit mihi ut Hebræis prædices.

Et faces Israël convertendas] Reliquias populi.

Ecce dedi te in lucem Gentium] Ut illos quoque ab idolis avertas, & sic plurimos serves. Vide suprà capita XIII. XIV. XV. XVI. XVII. XVIII. XIX. XX. XXI. XXII. XXXIII. XXXIV. XLI. XLV. XLVI.

7. *Ad contemptibilem animam*] *Ad contemtorem animæ suæ.* Esaiam qui cum summo vitæ suæ periculo Dei dicta enuntiavit, nè maximis quidem parcens, ut Sobnæ.

Ad abominatam gentem] *Ad abominatum Gentibus*, ob perpetuam idololatriæ reprehensionem.

Ad servum dominorum] Subjectum Regibus Judæis.

Reges videbunt, & consurgent] Reges ipsi te ut Prophetam venerantur. Vide suprà XXXVIII.

Et consurgent principes & adorabunt] Magno honore te afficit Eliakim, bonísque principes alii.

Quia fidelis est] Credunt Deum impleturum quæ ejus nomine prædicis.

8. *In tempore placito exaudivi te*] *In tempore voluntatis* (ubi tu voluisti) *exaudivi te*, pro Ezechia deprecantem.

In die salutis auxiliatus sum tui, & servavi te] Effeci nequid Assyrii aut Sobna cum sua factione tibi nocere possent.

Et dedi te in fedus populi] Id est, per te renovavi meum cum populo fedus.

Ut suscitares terram] Ut instaures terram desolatam, eam facias iterum habitari, Judæis ad tua monita resipiscentibus.

Et possideres hereditates dissipatas] *Possideri facias.* Sic enim habet Hebræum.

9. *Et diceres his qui vincti sunt, Exite*] Id est, Corrigite vos ut exire possitis.

Et his qui in tenebris, Revelamini] His qui calamitatibus sunt pressi, Date operam ut omnia vobis lucescant, id est, prospera eveniant.

Super vias pascentur] Etiam viæ erunt pascuæ: id est, florebunt omnia, si se convertant Israëlitæ.

Et in omnibus planis pascua eorum] Idem est quod præcessit, ἐν πάσαις ταῖς τρίβοις [*in omnibus callibus*], ut hic habent Græci. Vide Numer. XXIII. 3. Jeremiæ III. 2.

10. *Non esurient, neque sitient, & non percutient eos æstus neque Sol: quia miserator eorum reget eos, & ad fontes aquarum potabit eos*] Id est, ad reditum nihil ipsis deerit: omnia erunt facilia.

11. *Et ponam omnes montes meos in viam*] Id est, idem faciam quasi montes auferam. Vide suprà XL. 4.

Et semitæ meæ exaltabuntur] Id est, valles, ut via sit æqua. לכל vertitur ὁδοποιεῖν [*vias facere*]. מסלה vertitur ὁδὸς, δίοδος, τρίβος, πορεία [*via, transitus, callis, iter*].

12. *Ecce isti de longè venient*] Id est, ab Oriente, à Perside & aliis locis ad Orientem Judææ sitis: nam hoc sequentia requirunt, de Hebræis loquitur.

Et ecce illi ab Aquilone, Ex Media, quò multi erant deportati.

Et mari] Id est, ab Occidente: nam mare Syriacum ad Occidentem Judææ. Per *mare* intellige loca transmarina, Cyprum, Cretam, Macedoniam.

Et isti de terra Australi] In Hebræo: סינים [*Sinim*]. Noli hîc cum quibusdam cogitare de *Sinensibus* ultra Indiam, qui sunt צינים [*Tsinim*], non סינים. Post Ortum, Septentrionem, Occidentem, restabat Auster. Ad Austrum Judæa sunt *Sinai*, ut hic interpres nomen סיני transtulit Genes. X. 17. unde nomen habet deserta regio *Sin*, & in ea mons Sinai, Exodi XVI. 1.

14. *Et dixit Sion*] Urbi Hierosolymorum destructæ dat sermonem.

15. *Et si illa oblita fuerit*] Id est, Esto tamen: possit hoc fieri.

16. *Ecce in manibus meis descripsi te*] Solebant qui negotii alicujus meminisse volebant, signum ejus aliquod apponere digitorum alicui. Vide Exodi XIII. 9.

17. *Venerunt structores tui*] In Hebræo, *Festinant.* Jamjam Cyrus id præcipiet.

Destruentes & dissipantes à te exibunt] Longè erunt à te Babylonii, nihil nocere tibi poterunt: nec magis Samballetes, & Tobias Ammanita.

18. *Omnes isti congregati sunt*] Omnes isti qui per omnes terras, Assyriorum, Medorum, Babyloniorum, Persarum, exsulant, ingens illa multitudo.

Venerunt tibi] Jamjam venient ad te.

Omnibus his velut ornamento vestieris, & circumdabis eos tibi, quasi sponsa] Sicut vestibus speciosis & monilibus decorari sponsæ solent, sic illorum egregiæ virtutes te decorabunt.

19. *Deserta tua & solitudines tuæ*] Loca quæ talia per LXX annos fuêre.

20. *Filii sterilitatis tuæ*] Nati tibi, cùm sterilis videreris.

21. *Transmigrata & captiva*] Deserta, abductis civibus, ipso etiam solo in miseram servitutem redacto.

22. *Ecce levabo ad gentes manum meam*] Ut solent qui aliquem ad se vocant.

Et ad populos exaltabo signum meum] Ut solent Duces qui militem paratum esse volunt.

Et afferent filios tuos in ulnis] *In sinu suo:* sicut parvuli portari solent. Ità hîc Græci. Nec aliter Arabes حضن usurpant.

Et filias tuas super humeros portabunt] Quasi in lecticis ferent: id est, omnia itineri commoda præstabunt.

23. *Et erunt Reges nutritii tui*] Ut Cyrus, Darius, Artaxerxes, Esdræ memorati; Alexander Magnus, successores ejus, maximè Demetrius. Hi enim & in populum & in Templum plurima beneficia, immunitates, dona contulerunt: quæ videre est apud Josephum. Adde quæ diximus ad Matth. XXIV. 15. *Nutritium* pro *nutritore* habemus & apud scriptorem Belli Alexandrini.

Et Reginæ nutrices tuæ] Ut Esthera, ut Cleopatra Regis Ptolemæi filia nupta Alexandro Judæorum Regi, & aliæ.

Vultu in terram demisso adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent] Patet hîc אפים ארץ positum pro אפ' ארץ, qualis constructio reperitur Exodi XXVIII. 17. Proverb. XX. 1. 21. & alibi. Intellige autem per אפים ארץ *spectabiles in terra, honoratos.* quomodo id nomen interdum sumi notant Hebræi ad 1 Sam. I. 4. Pertinet autem hoc ad Principes Idumææ, Moabitidis, & aliarum terrarum, quas Judæi reversi subegere. *Pulverem pedum lingere* non est Regum, sed hostium subactorum. Apparet hoc Psalm. LXXII 9. confer & quod infrà est LX. 14. *Vestigia adorare* hoc dicit Statius, id est, ibi procumbere ubi alter incessit.

Super

Super quo non confundentur qui exspectant eum] Locutio Hebraïca, pro quo Latinè dicas: *Cui qui confidunt non pudefient.*

24. *Numquid tolletur à forti præda? aut quod captum fuerit à robusto salvum esse poterit?*] In Hebræo, *An eripereetur forti præda? & captivitas justi evaderet?* Sion loquens inducitur, & vix credens id fieri posse. *Captivitas justi*, id est, ii qui capti sunt belli jure. Quod à bello inter gentes indicto fit, id fieri dicitur κατὰ νόμον δή τινα [*secundum legem aliquam*], & esse δίκαιόν τι [*justum aliquo modo*]. qua de re loca egregia adduximus libro III. c. 10. de Jure Belli ac Pacis. Et propterea quæ hic dicitur *captivitas justi*, statim dicetur *captivitas violenti*, sicut apud Romanos in hoc argumento idem & *jus* & *injuria* dicitur.

25. *Eos verò qui judicaverunt te ego judicabo*] Rectiùs, *Contendam cum iis, qui tecum contenderunt.* Cum Babyloniis, Idumæis, aliísque illarum partium.

26. *Et cibabo hostes tuos carnibus suis*] Committam illos inter se, Persas cum Medis, deinde Persas & Medos cum Babyloniis: qui omnes olim Nabuchodonosoro militaverant.

CAP. L.

MUNSTERUS.

OStendit Propheta in hoc capite, Judæos suo vitio rejectos. Nam viderunt, audierunt, senserunt, sed oderunt Christum. Venit Filius Dei in mundum, docet salutaria, sacra, facilia & utilia, docet aptissimè, facilè intelligitur, sine figuris loquitur, vehementer urget, exemplum se præbet audientibus, invitat ad pœnitentiam, miracula edit, passus est, & nihil omisit ad salutis nostræ perfectionem. Et cùm nihil proficitur, abjicit Judaicam rebellem gentem, dissipat in exsilium, & eligit Gentes, atque pro Synagoga convocat Ecclesiam verbo Dei credulam.

1. *Ubi est liber repudii*] Quòd Synagoga repudiata est ab Ecclesia Christi præter paucas reliquias Dominus dicit se non esse in causa, cùm illam nec *repudiaverit*, neque *creditoribus vendiderit*, sed *ipsa propter iniquitates suas vendidit seipsam, & exclusit* ab Ecclesia Christi. Venit præterea ipse Sponsus Ecclesiæ *quærere quod perierat*, sed *sui eum non reperunt: clamavit, & nemo respondit.*

4. *Linguam eruditorum hominum*] Est לִמּוּר nomen תואר, capitúrque pro *eo qui summè est eruditus & disertam habet linguam.* In Jeremia quoque accipitur pro *assuetus*; ut, *onager assuetus in deserto.* ¶ *Manè excitabit mihi aurem*] Quadrat hæc Prophetia cum verbo Christi Joan. 8. *Quæ audio à Patre hæc loquor.*

6. *Corpus meum dedi percutientibus*] De passione Domini est intelligendum.

7. *Sicut silicem*] *Si* enim *Dominus nobiscum fuerit, quis erit contra nos? Omnia possumus in eo qui nos confortat*; & *gaudebimus pro nomine ejus contumeliam pati*; & exemplo Christi *siliceas opponemus* adversariis nostris *facies.*

8. *Causam judicii*] Vocat Hebraismus *adversarium in judicio, & cum quo coram Judice expostulamus* בעל משפט & בעל דין, i. *habens causam coram Judice discutiendam.*

11. *Ite in luce*] *Discedite*, inquit, *à me operarii iniquitatis: Ite in ignem æternum, quem vobis hic succendistis*, nolentes audire vocem meam, & acquiescere consilio meo.

VATABLUS.

1. QUisnam אי] *Ubinam.* ¶ *Qui sunt*, &c. מי מנושי אשר] *Quis est creditorum meorum* [vel, *ex creditoribus meis*] *cui*, &c. Quidam vertunt *fœneratorum meorum.* ¶ *Et propter scelera vestra* ובפשעיכם] *Et propter transgressiones vestras.*

2. *Nemo adfuit* ואין איש] Ad verb. *& non vir*, sub. *me recepit*, aut *mihi occurrit.*

3. *Induo* אלביש] Fut. Heb. pro præs.

4. *Sitibundo* את יעף] *Lasso.* ¶ *Singulis matutinis* בבוקר בבוקר] Ad verb. *in manè, in manè*: vel, *manè, manè.* ¶ *Sicut doctis* כלמודים] *Sicut docti.* Alii, *ut solent doctores.*

6. *Vellent* למורטים] *Depilantibus*: i. volentibus evellere pilos & barbam.

7. *Auxiliabatur* יעזר] Fut. Heb. quod quidam in præteritum vertunt, *adjuvit.*

8. *Adversarius meus* בעל משפטי] Ad verb. *magister causæ* [vel *litis*] *meæ.* Quidam, *adversarius causæ meæ.* Alii, *habet causam judicii contra me?* Sic vocant Hebræi adversarium in judicio, & cum quo coram Judice expostulamus. בעל משפט & בעל דין, i. *habens causam coram Judice discutiendam.*

9. *Condemnet me* ירשיעני] Ad verb. *impium faciet me?* vel, *prævaricatorem & iniquum.* ¶ *Comedet eos* יאכלם] *Absumet eos: devorabit: corrodet.*

10. *Nec fuit splendor ei* ואין נגה לו] *Fuitque privatus luce.* Alii, *& qui caruit luce.*

11. *Accincti estis scintillis* מאזרי זיקות] *Circundati estis scintillis.* Alii, & *excitatis scintillas.* Alii, *fortificantes scintillas*, i. augentes: quòd qui accincti sunt, fortiores sint. ¶ *Ambulate* לכו] Imperat. Heb. pro fut. *ambulabitis.* ¶ *Moriemini* תשכבון] *Dormietis.* Alii, *jacebitis*: i. malè peribitis.

CASTALIO.

10. QUI *vestrûm Jovam reverens obedit ejus servo*] Sc. Christo.

11. *En vos omnes ignem incenditis, scintillas circumjecti*] Vide finem cap. 1, & caput 47.

CLARIUS.

1. QUis est hic liber repudii] Quod Synagoga repudiata est ab Ecclesia Christi præter paucas reliquias Dominus dicit se non esse in causa, cùm illam nec *repudiaverit* neque *creditoribus vendiderit*, sed *ipsa propter iniquitates suas vendiderit seipsam, & excluserit* ab Ecclesia Christi. *Venit* præterea ipse Sponsus Ecclesiæ *quærere quod perierat*; sed *sui eum non receperunt. Clamavit, & nemo respondit.*

2. *Numquid abbreviata*] Vidistísne in me signa infirma, & non potiùs magna, & præ se abunde ferentia me verè posse salvare? Imperavi mari, & quievit: quod eàdem potestate quâ sedavi illud, potui etiam exsiccare. Effudi tenebras cœlo, cùm me moriente obscuratus est Sol. Quæ omnia Divinitatem arguebant meam.

4. *Ut sciam sustentare*] Opportunè scilicet ac suo tempore. ¶ *Erigit manè*] h. e. *Continuè erigit*, inquam, *mihi aurem, ut audiam*, sicut solent maximè dociles. Quadrat autem hæc Prophetia cum verbo Domini, ubi ait, *Quæ audio à Patre, hæc loquor.*

6. *Corpus meum dedi percutientibus*] Hoc ad Domini passionem pertinet.

7. *Ut petram*] *Si* enim *Dominus nobiscum fuerit, quis erit contra nos? Omnia possumus in eo qui nos corroborat.*

11. *Accendentes ignem, accincti flammis*] Scilicet in naribus Dei, h. e. ad iracundiam provocantes Deum. ¶ *In lumine ignis vestri*] *Discedite*, inquit, *à me, operarii iniquitatis: ite in ignem æternum, quem* vobis *hic succendistis*, nolentes audire vocem meam, & acquiescere consilio meo.

FORERIUS.

1. HÆC *dicit*, &c.] Cum incredulis Judæis res jam nobis est. Quasi enim non contenti fuerint responsione Domini, qui orbitatem compensandam Gentium multitudine promittebat, adhuc de Deo conquerebantur, dicebántque Deum, qui sibi despondisset progeniem Judæorum, eam quasi immeritam abjecisse, & alteram duxisse. Hic ostendit non esse quòd conquerantur. Nam Judæi primùm divortium fecerunt cum Deo; neque voluerunt Filio Dei invitanti & reconciliare volenti acquiescere ac credere. Unde ipse in Euangelio jure optimo conqueritur, *Quoties volui congregare*, &c. *& noluisti?* Quare justo Dei judicio damnati sunt. ¶ *Quis est hic*] אי de Loco solet esse interrogatio; ut Gen. 4. *Ubi est Abel?* & sæpe conjungitur cum pronomine זה, ut hoc loco: quod tamen optimè per verbum substantivum redditur: ut 1 Sam. 9. *Ubi est domus Videntis*, &c. Interrogat ergò apud quemnam esset, ubinam inveniretur, ut examinari posset, &c. ¶ *Repudii*] A verbo quod *scindere* sign. formant Hebræi nomen quo vocant *divortium*: unde in Lege *liber rescissionis* est, quem Marcus vocat βιβλίον ἀποστασίου *librum divortii*: quem Interpres Matthæi uno nomine dixit ἀποστάσιον, q. d. *divortiale.* Vide Deut. 24. Servabantur autem hujusmodi libelli fortè non solùm apud repudiatam, sed apud publicum Scribam. Nam prohibitum erat in Lege nè iterum prior maritus reciperet quam semel repudiasset, si alteri repudiata nupsisset: Quare necessarium erat hujusmodi libellos servari. Ad quam consuetudinem non sine irrisione alludens Dominus ait, *Ubi est liber*, &c. ut fidem faciatis & ostendatis verum esse quod dicitis, me scilicet tantùm quia libuit abjecisse matrem vestram, ac non potiùs ob justas & necessarias causas. ¶ *Quo dimisi*, &c.] Vulg. אשר relativum retulit ad *libellum.* Possumus tamen juxta Hebraismum ad *matrem* referre: nam geminant relativa Hebræi. Ad verb. *quam dimisi*

dimisi eam. ¶ *Quis creditor*] Heb. *cui ex creditoribus meis.* q. d. Non habeo creditores, non habeo oppressores, quorum pecuniis indigeam; quibus, cùm non sim solvendo, oporteat pignus dare, aut filios meos in servos tradere immerentes & servitute indignos. ¶ *Ecce in iniquitatibus*, &c.] ב, i. *in* Hebræis, interdum valet *per*, vel *propter*. Hic credo Causam notare. Non necessitate, inquit, meâ aut indigentiâ factum est ut in servitutem abiretis, sed is est fructus iniquitatum vestrarum: quas mox exponet; ¶ *Et in sceleribus*] Neque rursus tantùm quia libuit, aut fastidio matris vestræ, more humano, eam dimisi, ut alteram mihi copularem. Feci cum illa divortium; id equidem fateor; sed *transgressiones vestræ* fuerunt in causa quæ me quasi invitum id facere compulerunt. Hinc propriè disces loqui. Quando dicimus, *Deus oppressit nos, repulit nos, destruxit Regnum*, &c. jam tametsi verè ità dicamus, magis apta locutio fuerit, *Oppressi sumus, Repulsi sumus, Periit Regnum propter scelera*, &c. Cùm enim Deus propter peccata calamitates inducit, non propriè dicitur Deus auctor & causa malorum, sed illa quæ quodammodo impulerunt Deum ut id faceret. Idcirco cùm quodam loco David dixisset, *Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ*, statim quasi per correctionem addidit, *non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.*

2, 3. *Quia veni*, &c.] Hic habes causas divortii & exsilii Judæorum ultimi, quod adhuc durat. *Veni* in propria, ad hereditatem meam, ad populum meum, ad domum meam, ad sponsam meam; *& non erat vir*, i. quisquam. Solitudo civitatem meam & domum meam occuparat. Jam in Peccati captivitatem abierant; jam venditi sub Peccato erant: A quo tamen si resipiscerent, & me vocantem, obsecrantem, & multitudine beneficiorum pertrahentem audissent, salvi esse potuissent: sed *vocavi, & nemo mihi respondit.* Hic vides eos qui peccatis immersi sunt non computari inter viventes, & quasi non esse in numero hominum; & qui vocationi Dei non obedit, perinde uti mutum reputari. Hæc autem dicit Dominus propter paucitatem eorum qui ex tam innumerabili multitudine Euangelio crediderunt. Quid ergò miramini divortium? quid venditionem vestram defletis? Quid erat à me ampliùs præstandum? Exspectabatis adventum meum: *Veni.* Quòd si somno eratis oppressi, & aliud agebatis, *vocavi* vos: & totum illud spatium temporis quo inter vos fui vocatio quædam fuit, & clamor meus continuus: *Clamabam in congregationibus, in synagogis, in Templo, quò omnes conveniebatis*, per vicos, per domos, per agros: Item clamabant & vocabant vos signa & prodigia quæ faciebam, immensa beneficia, vita mea, doctrina mea, ut *ad me veniretis, & reficeremini*, ut *pœnitentiam ageretis*, quò ad Regnum Dei pertinere possetis, *& nemo respondit*, nemo, inquam, ex vobis qui conquerimini ob captivitatem, &c. Nam sermo tantùm cum incredulis est. ¶ *Numquid abbreviata*, &c.] Tacitæ objectioni respondet, quæ talis esse poterat, *Decebat Redemptorem, quem exspectabamus, manu forti nos eripere à servitute Romanorum, qua jam eo tempore premebamur: At JESUS, quiad nos venit, in humilitate & infirmitate venit; neque ullum Regni aut Imperii specimen in eo aspeximus.* Respondet Dominus, *Non eo inficias: esto. At numquid nesciebatis in Deo esse infinitam virtutem, quâ posset, si vellet, universum mare & flumina exsiccare, & veluti desertum reddere, ut universi pisces tam maris quàm fluminum corrupti putrescant & fœteant? insuper & cœli faciem immutare, & astra obscurare*, &c. *igitur & Romanum Imperium dissolvere, & vos in pristinam dignitatem restituere. Quis enim illi manus præciderat aut amputaverat? Oportebat itaque vos mihi, quem ille ad vos mittebat, aures accommodare, dicto parère, illius mandata, quæ ad vos deferebam, alacri animo percipere. Quod ubi præstitum à vobis fuisset, si repudiatam matrem vestram & vos in servitute vitam ducere adhuc videretis, esset fortassis querimoniæ locus.* Et hîc planus & germanus est horum versuum sensus. ¶ *Abbreviata, & parvula*] Hebraismum ego reddidi: Ad verb. *numquid abbreviando abbreviata est manus mea?* Sicut enim ad liberandum dicitur *manus extensa*, & manus fortis dicitur *manus magna & excelsa*, ità infirma dicitur *decurtata.* Sensum Vulgatus reddidit. ¶ *Ut non possit redimere*] Heb. unico nomine dixit *à liberatione.* ¶ *Increpatione*] Allusio est ad verba Davidis quibus creationem mundi describit: Cùm enim ad mandatum illud pervenisset, *Congregentur aquæ in locum unum, & appareat arida*, sic ait, *Abyssus, sicut vestimentum amictûs ejus*, (scilicet terræ erat) *super omnes stabant aquæ. Ab increpatione tua fugient, à voce tonitrui tui formidabunt.*

4. *Linguam eruditam*] Seu *eruditorum*, i. qualis est eorum qui rem didicerunt & à præceptore optimè instructi sunt. Certè est quod Dominus in Euangelio dicit, *quæ audisset à Patre suo, illa nunciare:* &, quòd *doctrina illa esset doctrina ejus qui se misisset, & à seipso non loqueretur; sed quæ audisset & vidisset, illa testaretur.* ¶ *Ut sciam sustentare eum*, &c.] Sensum doctissimè reddidit Interpres; suntque verba Domini JESU. Ego, inquit, audiendus à vobis eram; à Deo enim veni Magister: Diffudit ille gratiam in labia mea: inauditâ eloquentiâ lingua mea prædita est. Didici & optimè novi quid afflictis & defatigatis hominibus & sub Peccati jugo gementibus loqui debeam. Tempestivè satis & pro cujusque captu, & quod cuique opus est, novi verbum accommodare. Ad hunc fortè locum respexit Dominus quando in Euangelio ait, *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & egò reficiam vos.* Videtur itaque sic dicere, Numquid audire me, qui à Deo doctus ad vos docendos & consolandos veniebam, quidquam virtuti Dei detrahebat quam exspectabatis ut vos liberaret? Aderámne durus exactor? Docebámne ea quæ non ego priùs facerem? Nónne saltem propter mansuetudinem & humilitatem meam debueratis me pro præceptore accipere? *Imponebámne onera gravia & importabilia*, sicut Scribæ & Pharisæi, *quæ tamen digito non attingebant?* Nónne eorum inexplicabilem avaritiam & Satanicum fastum patienti animo tolerabatis? At ego ad sublevandos lassos & defatigatos veniebam; *liberabam omnes oppressos à Diabolo; pertransibam benefaciendo:* nulli labori parcebam ut vos bene haberetis. Quâ igitur veniâ digni estis si me non audistis? ¶ *Erigit mane*, &c.] i. Singulis diebus, primo quoque manè, eo videlicet tempore quod ad discendum aptissimum est. Hæc autem nihil aliud designant quàm summam in Domino JESU promptitudinem, obedientiam & eruditionem, quâ à Deo instructus est ut Judæorum gentem doceret. Quod facit & versus qui sequitur. Interim tamen nota quòd *excitare aurem* dicat Hebraismus pro *excitare auditum*, vel *ad audiendum:* unde & Latini *arrigere aures* dicunt. Perinde ergò est ac si diceret, *manè me facit arrigere aures:* & sic accipe verbum *erigendi* apud Vulgatum. Nam quod quidam alludentes ad præceptorum consuetudinem, qui nonnunquam discipulorum parùm attentorum aurem vellicant, dixerunt, *Manè vellicat mihi aurem*, judicet prudens lector an conveniat. Ego Hebraismum libenter amplector.

5. *Aperuit mihi aurem*] Hebraismus est, de quo jam suprà 48, & 35. i. fecit ut audirem eum, & auscultarem: significavit mihi quid vellet, quid mihi pro tantis beneficiis reddituri essetis. ¶ *Ego autem non contradico*] De verbo מרה, quod est *mutabilitatis*, i. inobedientiæ, veluti ex quadam animi impotentia, superiùs dictum est; q. d. *non molestè tuli; non indignatus sum*, aut *exacerbatus; tranquillo animo quæ dicebantur excepi. Venit inimicus*, inquit in Euangelio, *& in me non habet quidquam: sed ut cognoscat mundus quòd diligo Patrem; & quòd sicut dedit mihi mandatum, sic facio.* ¶ *Retrorsum non abii*] Non me pœnituit adventûs mei ob tantam ingratitudinem quæ mihi significabatur: sed lubenti animo omnibus me exposui. Quod versus sequens exprimit.

6. *Corpus meum dedi*, &c.] גו Hebræis est eminens pars corporis humani, scilicet *Dorsum*, ut Prov. 19. & Job. 30. deinde & pro *corpore* accipi potest. Hæc autem Prophetia manifestior est quàm ut expositione indigeat. Legimus enim in Euangelio Verbera, Sputa, Alapas & contumelias, quæ omnia pertulit Dominus JESUS summa cum dilectione nostri, qui *præcedebat suos dum iret Jerosolymam*, ubi eum hæc manebant; qui *coarctabatur desiderio baptismi sanguinis sui*, &c. *Aperuerat ei Pater aurem*; denunciaverat quæ vellet eum pati: *Ille corpus suum dedit percussoribus*, &c. Passus enim est quia ipse voluit, &c. De *depilatione* autem *genarum* tacent quidem Euangelistæ: Sed est etiam Jesaias Euangelista. Omni enim genere contumeliarum affectus est. Habet autem Vellicatio Barbæ & dolorem & insignem contumeliam: quemadmodum & Faciem conspuere, quod proverbiali formâ effertur. Job. 30. *A facie mea non prohibuerunt sputum.* Hæc itaque pro obedientia & subjectione mihi reddidistis, quem intellexistis ad vos à Deo missum.

7. *Dominus Deus auxiliator meus*, &c. In Hebræo est conjunctio, *Et Dominus meus Jehovah*, i. Et quidem quantum ad me attinet, etsi hæc tam acerba passus sum, tamen cùm *Dominus mihi auxilium præstiterit*, factum est ut *ignominias* pro nihilo duxerim, omniáque ingenti animo pertulerim ac si *saxum durissimum* percuterent. Quantum illi impotenti animo, furore perciti, convitiorum, contumeliarum ac tormentorum in me afferebant, tantum ego patientiæ & fortitudinis exhibebam, ut *saxo durissimo* comparari posset *facies mea: quare experimento didici quòd non pudefactus sum.* Omnia enim illa gloriæ exaltationis seminarium fuerunt. ¶ *Non sum*

sum confusus] Ad verb. *non sum ignominiâ affectus*, i. non me putavi ignominiâ affectum; sed *proposito gaudio* omnia sustinui lætus. ¶ *Ideo posui*] Quia nempe *Deus auxilio mihi erat*. Ecce habes, si Deus adsit, si animum confirmet, ignominiam non esse ignominiam; neque contumeliam, contumeliam; neque quæ dolorem afferunt, dolorem afferre; sed omnia, veluti simus cautes & saxa, perferre nos posse. Vide Paulum, qualem se in adversis gerebat. En quæ illi inferebant hostes tristem facere poterant absente Deo; at ille cum suis semper *gaudebat: nihil* quidem *habere* videbantur; at illi se gerebant ut *qui plurimos locupletarent*, &c. ¶ *Petram durissimam*] חלמיש unica vox est Hebræis, quam *petram durissimam* plerique interpretantur: de qua quia neque Rabini neque nostri quidquam certi habent, credo mihi gratiàm habiturum lectorem de hac voce, ex cujus intelligentia nonnullorum locorum S. Scripturæ cognitio pendet, etiam aliquanto diffusiùs disseruero. Et quidem si Etymologiam Hebræam spectes, videtur à חלש *domuit* dicta insertâ literâ מ: quam Etymologiam apud quendàm virum doctum reperi. Verum cùm ille existimaret cum aliis *silicem* aut *petram durissimam* significare, dictam putavit quasi contrariâ verbo significatione, quòd *non domaretur*. Ego verò cùm pro comperto habeam significare *chalybem*, rectè à *domando* appellationem habere arbitror. Pauca etenim sunt quæ chalybe non domantur. *Chalybem* autem voco ferrum, vel potiùs medullam ferri, & quod Plinius lib. 34. c. 14. *nucleum ferri* appellare videtur. Docet enim ejus usum *ad indurandam aciem* instrumentorum ferreorum esse. Unde Aristoteles 4. Meteor. ferrum durissimum vocat στόμωμα. *os* enim, quemadmodum Hebræi, Gladiis tribuunt Græci. Quòd autem חלמיש *chalybem* significet, præter vocum similitudinem & cognationem elementorum & Etymologiæ convenientiam locus Job 28. qui aliter intelligi non posse videtur, confirmat, ubi cùm de industria hominis multa disserens, dicit *mittere manum chalamis*, & *vertere montes*, *atque exscindere in petris rivos*, &c. Certè si CHALAMIS non est *chalybs*, quomodo hæc facit homo? At chalybe & ferreo instrumento arrepto quos *montes* non *evertit*? quos *rivos* non *exscindit*? Sed de his verbis Job suo loco plura. Quare quando in Deuteronomio & Psalmis dicitur *eduxisse* Deus *aquam* aut *oleum de chalybe*, Hyperbolica Metaphora est, nihil aliud notans quàm unde sperare nemo posset, indè Dei beneficio & virtute illa fuisse producta in hominum utilitatem. Quòd si hæc vera sunt, ut certè esse videntur, non jam dicendum erit, ut nonnulli existimarunt, à populis qui *Chalybes* dicuntur, prope fluvium Thermodoontem, qui ferri usum invenerunt, ferrum *chalybem* appellatum: Quinimo cùm nomen Hebraicum *chalybs* ipsis populis sit antiquius, adeoque & usus Ferri, ut ex libro Geneseos est manifestum, ab ipso *chalybe* tam illos in Asia, quàm alios quos Justinus in Hispania collocat, *Chalybes* appellatos fuisse. Sicut enim vocum Græcarum à Latinis origo petenda non est, sic neque Hebraicarum à Græcis aut quibusvis aliis. Ergò, ut ad rem redeam, *faciem suam* propter inauditam constantiam atque fortitudinem *chalybi* comparat Dominus JESUS. ¶ *Et scio*] Vel *sciebam*, vel *experimento didici*. Est enim quandoque Sensûs & Experientiæ; *Vide & expertus sum quòd non pudefactus sum*. Nam quia *factus sum obediens usque ad mortem*, *accepi nomen super omne nomen*, *ut in nomine JESU omne genu flectatur*, &c.

8. Poterat adhuc quispiam objicere, Damnatum vidimus, crucifixum ac mortuum, secundùm Legem maledictum: non eripuit eum Deus de manibus nostris: quid ergò ab eo exspectare quis poterit, aut quid ejus adventus ad redemptionem nostri faciebat? His & hujusmodi cogitationibus respondet Dominus, non pro damnato haberi debere quem Deus in judicio absolvit, neque pro maledicto & impio habendum cui Deus opitulatur. Quid mihi, inquit, hominum judicium objicitis? *En adest qui me justificat*, i. justum pronunciat. Die tertio post hominum damnationem redivivus appareo. Non diu tardavit. Quid Crucem, & non Resurrectionem cogitatis? *jam jam adest qui me justificat: quis* audebit *me quasi litigando oppugnare*, aut *mecum judicio contendere*, audeátque dicere me morte dignum fuisse? Hoc planè est quod Dominus dicebat apud Joannem, quòd *Spiritus S. convinceret mundum de justitia*, i. manifestè confirmaret justum fuisse JESUM, cujus justitia vel ex hoc conspicua esset quòd *ad Patrem iret*, jam *non videndus* in terris. Quem autem Deus & cœlum sic susciperet, quis in justum & peccatorem auderet affirmare? ¶ *Quis est adversarius meus*] Variè potest reddi Hebraismus propter vocem בעל, *Quis dominus judicii mei?* vel, *Quis habet judicium meum?* vel, *Quis in potestate habet judicium meum?* i. Quis audeat de me judicium ferre? vel potiùs, Quis speret quòd palmam ferat & victor evadat si mecum in judicium descenderit? Hoc vocat Dominus *judicium sui*. *Accedat*, & videat quàm insanus sit.

9. *Ecce Dominus Deus*] Repetit fere quod dixit, nisi quòd explicat quis sit ille *adjutor*. Certè ex hoc loco assumpsit Paulus illud ad Romanos, *Si Deus pro nobis*, *quis contra nos? Quis accusabit adversùs electos Dei? Deus*, *qui justificat*; *quis est qui condemnet?* Quod hîc *Deus auxiliator* dicitur, Paulus, *Si Deus pro nobis*. Quod hîc dixit יריב, i. *litigando oppugnabit*, Paulus dixit, *Quis contra nos?* Quod hîc ירשיע, Paulus verbo κατακρίνω reddidit, quod est *condemnare*, & *improbum declarare*. Opponitúrque Hebræis verbo *justificavit*, *absolvit*, &c. Quæ enim hîc de Christo dicta sunt, Paulus ad fratres Christi, filios Dei & electos ejus detorsit. Nam exemplo Christi non timere & pro nihilo ducere hominum damnationem & judicium debemus. Quæ autem sequuntur huc quoque faciunt. ¶ *Ecce omnes quasi vestimentum*, &c.] Quid miseros homunculos ad judicium voco? Annon manifesta est eorum inscitia qui, cùm sint mortales & vermium escæ, audent de electo Dei sententiam ferre, & quem Deus vivificavit & exaltavit & Redemptorem universorum constituit, non verentur convitiis proscindere, & seductorem & maledictum appellare? Huc facit quod infrà dicetur, *Nolite timere opprobrium hominum*, & *convitia eorum ne metuatis: sicut enim lanam*, *sic comedet eos vermis*, &c.

10. *Quis ex vobis*, &c.] Conclusio est in his duobus versibus totius orationis, & dignissima quam perpetuâ mente volvamus: q. d. Quamobrem, ô viri Judæi, quicunque Deum colitis, non hominum judicium sectemini, sed etiam in mediis malis & tempestatibus in Deum confidite: ab eo nunquam recedatis. Audite voces Prophetarum suorum, præsertim illius Servi ejus qui ad vos mittetur, quando redemptionem spectabitis. Non vos ejus mansuetudo & humilitas conturbet. Sufficiat servum esse Dei. Dictis ergò ejus acquiescentes, sperate quòd redimamini. Sunt, ni fallor, Prophetæ voces de Christo, vel potiùs Christi Domini, qui causam perditionis Judæorum præcognoscebat. ¶ *Timens Deum*] Facit timor Dei sana consilia capere. ¶ *Audiens vocem servi ejus*] Auscultans JESUM, quia eum *servum* Dei agnoscit esse, quem *misit* Deus *horâ cœna dicere invitatis ut venirent*. ¶ *Qui ambulavit*, &c.] Etiamsi in medio umbræ mortis *ambuletis*, etiamsi universa *tenebris* misceri videatis, etiamsi *nullam lucem* affulgere, sed omnia obscura temporum & hominum malitiâ, quando habito illo *Servo Dei* pro seductore, & comprehenso tanquam latrone, & in crucem acto tanquam impio, ad mentium tenebras notandas, in medio die Sol obscurabitur; nè tamen spem & fidem deseratis, sed *in Dei nomine confisi innitimini Deo vestro*, sicut Abraham, qui *contra spem in spem credidit: sciebat enim quòd mortuos posset suscitare*. Hoc *timentes Deum* facient; quorum tamen paucissimus est numerus: infidelium autem immensa multitudo, qui ut non *timebant Deum*, sic neque *vocantem Dei servum auscultarunt*, sed (ut est in Euangelio) *contumeliis affectum occiderunt*. Quare in media luce Sol eis occidit, & in tenebris remanserunt usque in hodiernum diem: Non enim sperarunt in Deum, neque crediderunt hominem illum JESUM aut doctrinam ejus quidquam ad redemptionem quam sperabant facere. Quare ad hos jam conversus non sine irrisione ait.

11. *Ecce omnes vos accendentes ignem*, &c.] Vel (ut exigit usus participiorum in forma quam vocant Regiminis) *accensores ignis*; qui veluti ex officio id agitis omnibus vestris actionibus, studiis, sermonibus, nec non & cogitationibus *ignem accenditis*, veluti furnis accendendis deputati quidam homines, ferè omnes vos, ô Judæi, tales estis: estis etiam ¶ *Accincti flammis*] Vel *accinctores*: videtur enim esse in forma activa. Dixit autem Vulg. *flammas* pro *laqueis* seu *manicis*, זיקות, quia mox sequitur, *in ziket quos succendistis*: ex quibus verbis videtur *flammas* vel quid simile significare. Quod ut non reprobo, ità existimo hîc *vincula ignea* designari, per quæ ignem damnatorum intelligit: nam & vincula sunt, & ignea sunt. Quare *succendere laqueos* dicuntur qui ignem illum, in quo detinebuntur, studiis suis nutriunt & fovent. Estis omnes *accinctores laqueorum*, qui nihil aliud agitis quàm laqueos conficitis, vobísque & aliis aptatis. Vel certè *laqueos* vocat fasciculos laqueatos, & qui aliquo vinculo constringuntur. Vocat ergò eos *accensores ignis*, & *accinctores fasciculorum igni aptorum*, i. fornacarios & carbonarios seu lignatores. Hi sunt impiorum omnium tituli: Sibi enim ignem æternum & fomenta parant jam hîc semiadusti & horridi, veluti carbonarii. ¶ *Ambulate*] Qui *timent Deum* & *audiunt vocem servi Dei*, dum *sunt in mediis tenebris*, *innixi Deo suo*, & fiduciam non deserentes, tandem emergunt & liberantur: *Vos* verò, infideles

les & impii, magni *incendii domini* & auctores, *incedite in lumine* (seu *luce*) *ignis vestri*, *&* in luce *laqueorum* (seu *fasciculorum*) *quos accendistis*. Quòd si velis ב accipere pro *in* Motûs, dic, *Ite in focum ignis vestri*, *& fasciculorum quos succendistis*, &c. ad hanc certè lucem emergetis, ignis nempe inexstinguibilis: Vester enim est; vobis eum parastis: ut sit illud Euangelii, *Ite in ignem æternum qui paratus est Diabolo*, &c. ¶ *De manu mea*, &c.] Ego, quem vos ut hominem scelestum reprobastis, ego vos ad hunc ignem damno. Vos enim ipsi dixistis justum esse ut *Rex mitteret exercitus suos qui homicidas perderent*, *& civitatem illorum exurerent qui heredem & Dominum vineæ occiderunt*. Ab hoc incendio ad illud transibitis justo Dei judicio. Quare illic *sicut oves cubabitis* vel *cubatum ibitis*, *ad dolores & tristitias*: doloribus capita acclinabitis. Hæc sunt latera inferni, hæc strata, hæc cervicalia, nempe *dolores*. Nisi malis juxta Hebraismi consuetudinem tanquam adverbium accipere למעצבה, *ad dolorem*, i. *dolenter*, seu *cum dolore*. Huc devenerunt impii & infideles Judæi, qui non auscultarunt linguam illam *eruditam*, neque *refici* voluerunt à Christo Domino, quinimo in *Servum Dei* fuerunt injurii & impii. Hæc denique est sors impiorum omnium. *Pluet* enim *super peccatores laqueos: ignis*, *sulfur*, *& spiritus procellarum*, *pars calicis eorum*.

DRUSIUS.

1. כְּנוֹשַׁי אֲשֶׁר. Th. τῶ πεχοσέντων με, ῷ, *exigentium à me, cui*] Apud Procopium sub asterisco Theodotioni attribuuntur, ut & illud quod sequitur. ¶ לוֹ. Th. αὐτῷ *ei*.

9. עָשׁ. Sym. *rubiginem*. A. *vermem*] Hieron. *Pro* tinea *in præsenti loco Sym.* rubiginem, *Aq.* vermem *interpretati sunt*. Sic utuntur Grammatici ut in descriptione Aranei, cum dicunt הוא העש שארג ובונה ביתו בקורות, *est vermis qui texit & exstruit domum suam in trabibus*.

11. לְמַעֲצֵבָה תִּשְׁכָּבוּן. Sym. *in dolore dormietis*] Euseb. in Sym. pag. 831.

IDEM EX PROCOPIO.

1. אֵי זֶה סֵפֶר. A. Th. Ποῖον τοῦτο βιβλίον; *Qualis hic liber?* Sym. Ποῖον τὸ βιβλίον; *Qualis liber?*

2. מַדּוּעַ בָּאתִי: A. Sym. Lxx, Διότι ἦλθον. Th. τί, ὅτι ἦλθον, *Quid, quia veni*. ¶ הֵן בְּגַעֲרָתִי אַחֲרִיב יָם אָשִׂים נְהָרוֹת מִדְבָּר. Sym. ἰδὲ τῇ ἐπιτιμήσει μου ἐξήρανα θάλασσαν, ἐποίησα ποταμοὺς ἔρημον, *ecce increpatione meâ dissiccavi mare, feci fluvios desertum*] בגערתי τῷ ἐλεγμῷ μου *redargutione meâ*.

4. נָתַן לִי לְשׁוֹן לִמּוּדִים. Sym. ἔθηκέ * μοι γνῶσιν. † —] * Vide num legendum sit ἔδωκε. Sciendum δοῦναι & τιθέναι vicissim permutari. Sic alibi, *Posuit mihi semen pro Habel*, i. dedit. Contrà Psal. 8. *Dedisti majestatem tuam supra cælos*, i. posuisti. † Sic est in margine. Textus habet πρωὶ γνῶσιν, i. בבקר, quod mox sequitur. Pro γνῶσιν in Ebræo est γλῶσσαν, & fortasse Symmachus ità vertit. ¶ לָדַעַת לָעוּת. A. τοῦ γνῶναι τοῦ ὑποστηρίσαι, *ut sciam suffulcire*. Sym. τοῦ γνῶναι ὁμιλίαν *ad sciendum homiliam*. ¶ בַּבֹּקֶר יָעִיר לִי אֹזֶן לִשְׁמֹעַ. A. ἐν πρωὶ ἐξεγερεῖ μοι ὠτίον τοῦ ἀκούειν, *mane excitabit mihi aurem ad audiendum*.

9. יַעֲזָר־לִי. A. Sym. Th. βοηθεῖ μοι, *auxiliatur mihi*. Oi ὁ βοηθήσει μοι *auxiliabitur mihi*. ¶ עָשׁ יֹאכְלֵם. Sym. εὐρὼς * καταφάγεται — *mucor* (aut *situs*) *comedet*. A. ἡ βρῶσις † *tinea*. Th. σής. Sic etiam Lxx. * In commentario est ἡ εὐρώς, quod Interpres reddit *rubigo*. Sed vulgò potiùs ἐρυσίβη dicitur: ὁ εὐρὼς est *humor putrefactus*. † Idem quod σής. Quanquam simul legantur Matth. 6. 19. σὴς καὶ βρῶσις, ubi V. Interpres, iterúmque Erasmus, *ærugo & tinea*: quæ alii permutant vertendo, *tinea & ærugo*: nam σὴς *tinea*. Putarim esse ἓν διὰ δυοῖν, quale illud,

—— *Paterâ libamus & auro.*

Nam nihil aliud est σὴς καὶ βρῶσις quàm σὴς βρώσκουσα: unde *vestimenta* σητόβρωτα Jac. 5. 2. Interpres Curterius ἡ βρῶσις hoc loco interpretatur *vermis*, i. רמה aut תולעה.

11. לְמַעֲצֵבָה. A. εἰς διαπόνησιν *ad laborem*, Sym. ἐν ὀδύνῃ *in dolore*.

GROTIUS.

1. Quis *est hic liber repudii matris vestræ, quo dimisi eam? aut quis est creditor meus cui vendidi vos?*] Morosi mariti levibus de causis instrumentum divortii uxoribus dant, Deuter. xxiv. Patres interdum ære alieno pressi liberos vendunt, Exodi xxi. 7. Neutrum in me convenit. Restat ergò ut dissidii hujus miseriæque vestræ causa in vobis hæreat. Eam amoliri vestrum est.

2. *Quia veni & non erat vir*] *Quare venienti mihi nemo se sistit?* Nemo mihi paret.

Vocavi, & non erat qui audiret] *Vocanti nemo respondet?* id est, Cur non recipitis facturos vos ad quæ vos excitant Prophetæ?

Numquid abbreviata ac parvula facta est manus mea?] Fortè putatis me, si vos faciatis officium, promissa mea non præstiturum, quasi ea vires meas ex superent. id refellit.

Ecce in increpatione mea] Imperio meo; ut Psalmo cvi. 9.

Desertum faciam mare] *Siccabo*, ut hic Chaldæus habet, & Psalmus dicto loco. Facere hoc possum, si velim. ostendi hoc in mari Rubro.

Ponam flumina in siccum] Ut Jordanem olim: & nunc Euphratis alveum.

3. *Induam cœlos caligine*] Ut Exodi x. 21.

4. *Dominus dedit mihi linguam eruditam*] Verè quidem de se hoc dicere potuit Esaias, cujus dictio purissima inter omnes qui post Mosem fuère, & ἔννοιαι [*animi conceptiones*] pulcherrimæ. Sed loco huic congruentior est interpretatio Senum Lxx, γλῶσσαν παιδείας [*linguam institutionis*], ut & infrà 5. Sensus est, *dedit mihi linguam aliis instituendis idoneam*. *Linguam docentium*, Chaldæus hîc.

Ut sciam sustentare eum qui lassus est verbo] In Hebræo, *Ut norim loqui sermones opportunos his qui fessi sunt*, calamitatibus scilicet.

Erigit manè, manè erigit mihi aurem, ut audiam quasi magistrum] In Hebræo, *A manè ad manè* (id est, de die in diem) *excitat mihi aurem ut audientiam præbeam*, *sicut doctores* nempe discipulis facere solent. At Lxx ultimam vocem cum sequentibus connectunt, & videntur legisse בלמודים [*per doctrinam*]: idem enim valet ἡ παιδεία Κυρίου ἀνοίγει μοι τὰ ὦτα [*doctrina Domini aperit mihi aures*], quod ὁ Κύριος ἐν παιδείᾳ ἀνοίγει μοι τὰ ὦτα [*Dominus per doctrinam aperit mihi aures*].

5. *Ego autem non contradico: retrorsum non abii*] Non defugi ministerium, quanquam odiosum, ut Jonas.

6. *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus*] Vellentibus barbam, quod etiam apud Latinos Poëtas opprobrii aut ludibrii habet significationem. Hæc autem & quæ sequuntur dicta figuratè sunt ab Esaia, ut intelligeretur constantem ipsum fuisse in exsequendis Dei mandatis, etiamsi à Sobna & factione ejus prævalida multùm irrideretur. Cæterùm voluit Deus hæc omnia etiam κατὰ λέξιν [*verbotenus*] impleri in Christo, ut nihil excusationis haberent Judæi, literarum aucupes.

7. *Ideo posui faciem meam ut petram durissimam, & scio quòd non confundar*] Constantiam animi etiam vultu prætuli. Confer Ezechielem iii. 8.

8. *Juxtà est qui justificat me: quis contradicet mihi?*] Deus rebus ipsis mea dicta approbabit; quare contradictores non metuo. Confer Rom. viii. 33.

9. *Ecce omnes quasi vestimentum conterentur, tinea comedet eos*] Repetendum in posteriori membro *quasi*: *sic conterentur quasi vestimentum quod à tinea comeditur*.

10. *Quis ex vobis timens Dominum, audiens vocem servi sui? qui ambulavit in tenebris, & non est lumen ei? speret in nomine Domini, & innitatur super Deum suum*] Id est, Si quis est ex vobis pius, is quamvis in mediis calamitatibus nè desinat Dei opem exspectare.

11. *Ecce vos omnes accendentes ignem*] Id est, vos qui divinam iram in vos concitatis.

Accincti flammis] Sic & Græci interpretantur זיקות, non malè: Chaldæus *gladium*, sicut *lanceam* Latinus interpres Proverb. xxvi. 18.

Ambulate in lumine ignis vestri] Meliùs, *foco*. Sentite iram divinam.

In doloribus dormietis] Moriemini extorres.

CAP. LI.

MUNSTERUS.

2. Qui *sequimini justitiam*] Loquitur ad Ecclesiam, nè desperet ob paucitatem & sterilitatem suam, cùm Deus illam æquè ut effœtum *Abraham* & sterilem *Saram* fœcun-

cundam facere possit. Vocat autem Abraham ipsum *petram*, quòd spes non esset ut ex illo soboles aliqua propagaretur. Sic Saram vocat *cavernam laci*, sive *perforatum puteum*, propter sterilitatem ejus. Si ergò Deus potuit ex unico illo Abraham excitare tantam multitudinem hominum & duodecim latissimas Tribus, potuit & primam Ecclesiam suam multiplicare in immensum.

4. *Lex egredietur*] Per Euangelium, inquit, multiplicabitur Ecclesia mea. Dicunt & Hebræi Legem promulgandam per Meschiam post devictos Gog & Magog; sicut & & suprà dicitur, *De Sion exibit Lex*, &c. Igitur Lex Mosi abrogabitur tempore Christi.

5. *Prope est justitia mea*] Licebit per hunc locum convincere Judæos, Christum jamdudum venisse, cùm Propheta dicat *propinquam esse justitiam Domini*, *& egressam salutem*. *Propinqua* autem *salus* non fuisset si post duo millia annorum speranda fuisset. Verùm Judæi sic eludunt hunc locum אם יכבש אלי בני הגלות.

6. *Cœli ut fumus peribunt*] Non ineptè Kimhi hunc locum sic exponit, *Priùs devastarem cœlum & terram quàm ut salutem meam non exhibenem & promissiones non servarem.* Et hoc loquendi modo etiam Christus in Euangelio usus est, *Cælum & terra transibunt*; *verba autem mea non transibunt.*

12. *Quasi fœnum reputabitur*] Jonathan pro ינתן *dabitur* vertit חשיב, sicut nos vertimus.

14. *Festinat*] Est locus iste multùm obscurus. Quidam Hebræorum putant hunc continere sensum, *Qui sic premitur à tyranno*, *& quasi in arcto carcere vinctus tenetur*, *si patienter sustineat*, *post modicum tempus aperietur sibi carcer*, *evadet mortem*, *& habebit unde vivat*: *id quod vel unus Micha Propheta apertè probavit.* Unde Aben Ezra exponit צועה pro יושב בכצער. Kimhi verò exponit pro שלטל *discursu* vel *vaga habitatione*: qualem hodie Judæi habent, qui nullibi certam & tutam habent mansionem. Et id quoque est captivitas. Et talis ferè olim fuit status Christianorum inter Gentes, quorum Propheta hîc meminisse videtur.

16. *Ut plantem cœlos*, *& fundem*] Quid sit Deum per Christum *plantare cœlos*, & *fundare terram*, Propheta mox explicat, formare scilicet populum Domino.

17. *Calicem furoris ejus*] Nostri, qui hæc omnia de Ecclesia dicta intelligunt, per *calicem furoris* putant significari acerbas afflictiones & tentationes, in quas Deus suos permittit cadere, ut interdum nullum appareat consilium quomodo te ex illis extrices. Porrò per תרעלה Hebræi intelligunt communiter רעדה *tremorem* & *nutabundum gressum*, *qui temulentos consequitur.* Alii accipiunt pro כס המות *mortifero veneno.*

20. *Bos silvestris*] Exponunt Hebræi תוא pro שור הבור *bove silvestri*, in quem captum venatores passim sæviunt. Id quod & filiis Ecclesiæ contigisse novimus à Tyrannis, perinde ac si Deus omnem furorem suum fudisset in eos. Sed consolatur interim eos Spiritus Domini, & promittit *ablationem calicis* & tyrannorum humiliationem, qui populo Dei abusi sunt, calcantes ipsum ac si essent lutum & *terra.*

V A T A B L U S.

1. ET *ad perforationem* ואל מקבת בור] *Et ad perforatum lacum.* Quidam Hebræorum, *& ad malleum*: q. d. *Aspicite ad petram*, i. ad Saram, *unde excisi estis*, quæ est patiens; *& ad malleum*, agens instrumentum, i. ad Abraham.

2. *Parturivit vos* תחוללכם] *Peperit vos.*

3. *Utique consolabitur* כי נחם] Præt. Heb. pro fut. *Consolabitur enim.* ¶ *Desolationes ejus* חרבתיה] *Vastitates ejus*, vel *ruinas.* ¶ *Tanquam delicias* כעדן] *Tanquam voluptatem.* Alii, *tanquam hortum voluptatis.* ¶ *Gratiarum actio*, &c. תודה וקול זמרה] *Confessio*, *& vox cantici*, sive *cantus*, aut *psalmi*, i. plena lætitiæ.

4. *Quiescere faciam* ארגיע] i. Ponam. Alii exponunt, *quo requiem dabo.* Alii, *patefaciam*: vel, *proferam.*

5. *Et brachium*, &c. ואל זרעי ייחלון] *Et in brachium meum sperabunt.*

6. *Conteretur* תחת] *Frangetur.* Alii, *interibit*, i. non definet esse.

8. *In generationem generationum* לדור דורים] i. Per omnes ætates: sive, per omnia secula: perpetuò.

9. *Suscita te*, *suscitate* עורי עורי] *Excitare*, *excitare.* Sic v. 17. ¶ *Antiquis* קדם] Ad verb. *initii*: i. Priscis, sive pristinis. ¶ *Seculorum* עולמים] i. Præteritis.

11. *Et redempti Jehova revertentur* ופדויי יהוה ישובון] *Ergò redempti* [sive, *Redempti itaque*] *Jehova revertentur*, *& ingredientur*, &c. per futurum omnia. ¶ *Cum laude* ברנה] *Cum exsultatione*, vel *cum cantico.*

12. *Dabitur* ינתן] i. Ponetur: q. d. qui futurus est similis fœno. Quidam vertunt, *reputabitur*? Alii, *periturus est*?

14. *Festinat ligatus* מהר צועה] Præt. Heb. pro præs. vel fut. ut alii vertunt, *Accelerat incarceratus*, sive *captivus.* Alii, *Festinat* enim tempus *ut vinctus solvatur.*

15. *Qui divisit* רוגע] *Qui divisi*: tunc in fine versûs legendum est *Nomen meum.*

16. *Ut plantes*, &c. לנטע שמים וגו'] *Ut plantem cœlum*, *& fundem terram*, *& dicam ad*, &c. Alii, *donec plantetur cœlum*, *& fundetur terra*, *& dicatur ad*, &c.

17. *Tremoris* התרעלה] *Soporis.* Alii, *veneni mortiferi.* Alii, *angustiæ.* ¶ *Et expressisti* מצית] Sub. *sugendo scilicet guttas remanentes*: q. d. ebibisti ad fæces usque.

18. *Ductor* מנהל] *Portans.* Alii, *qui dirigat.*

19. *Acciderunt tibi* קראתיך] Ad verb. *eventus tui.* ¶ *In quo* מי] Doctus inter Hebræos dicit ב deficere, במי *in quo*, vel *per quem.*

20. *Defecerunt* עלפו] *lassati sunt.* Alii, *examinati sunt.*

22. *Qui aget causam* יריב] *Vindex.* Alii, *qui vindicat populum suum.* Fut. Heb. pro præs. ut quidam vertunt. ¶ *Tremoris* התרעלה] *Stuporis.* Vide v. 17.

C A S T A L I O.

2. SPectate *Abrahamum parentem vestrum*, *& Saram genetricem vestram*] Sicut seni Abrahamo & sterili Saræ prolem dedi, sic & vos, qui steriles videmini, propagabo.

9. *Qui cetum trucidasti*] Pharaonem.

13. *Ubi verò est tyranni furor*, *ultro citròque solvi festinantis*, *nè perditè moriatur*, *néve victu careat?*] Quid tibi noceat qui ipse sibi metuit?

20. *Nati tui exanimati passim jacent vicatim*, *velut irretiti viri*, *Jova Dei tuì furore & sævitiâ pleni*] A Jova sæviter tractati.

C L A R I U S.

1. QUi *sequimini quod justum est*] Loquitur ad Ecclesiam, nè desperet ob paucitatem & sterilitatem suam, cùm Deus illam æquè ut effœtum *Abraham* & sterilem *Saram* fœcundam facere possit. Vocat autem Abraham ipsum *petram*, quòd spes non esset ut ex illo soboles aliqua propagaretur: Sic Saram vocat *cavernam laci* vel *foramen putei* propter sterilitatem ejus. Si ergò Deus potuit ex unico illo Abraham, eóque jam effœto, excitare tantam multitudinem hominum & duodecim latissimas Tribus, potuit & primam Ecclesiam suam multiplicare in immensum.

4. *Lex à me exibit*] Vide ut polliceatur novam Legem. Per Euangelium, inquit, multiplicabitur Ecclesia mea. Dicunt & Hebræi Legem promulgandam per Messiam post devictos Gog & Magog: sicut & suprà dicitur, *De Sion exibit Lex.* Igitur Lex Mosi abroganda erat tempore Christi.

5. *Propè est justus meus*] Licebit per hunc modum convincere Judæos, Christum jamdudum venisse, cùm Propheta dicat *propè esse justitiam Domini* & *egressam salutem*. *Propinqua* autem *salus* non fuisset si post duo millia annorum speranda fuisset.

6. *Cœli sicut fumus liquescent*] Priùs, inquit, devastarem cœlum & terram quàm ut salutem meam non exhiberem & promissiones meas non servarem. Et hoc loquendi modo etiam Dominus in Euangelio usus est, *Cœlum & terra transibunt*; *verba autem mea non transibunt.*

7. *Audite me*] *Vos*, inquit, *qui docti estis justitiam*, *& in quorum corde*, non jam in lapidibus, *est Lex mea*, *audite me.* Præparat autem nascentem Ecclesiam atque animat ad perferenda adversa & persecutiones.

9. *Vulnerasti draconem*] Videlicet Pharaonem. Jam, inquit, olim agnovimus potentiam tuam, quâ nunc quoque est fidendum.

14. *Citò veniet*] Itaque narrat ut alludat ad liberationem ex Ægypto. *Urgebant Ægyptii populum Israël ut de terra exiret velociter*, *& tulit populus conspersam farinam*, &c. Qui ergò sic premitur à tyranno & quasi in arcto carcere vinctus tenetur, si patienter sustineat, post modicum tempus aperietur ei carcer, evadet mortem, & habebit unde vivat: id quod vel unus Micheas Propheta apertè probavit.

16. *Ut plantes cœlos*] Quid sit Christum *plantare cœlos* & *fundare terram* Propheta mox explicat, formare scilicet populum Domino.

17. *Calicem iræ ejus*] Significantur acerbæ afflictiones & tentationes, in quas Deus suos permittit cadere, ut interdum nullum appareat consilium quomodo te ex illis extrices.

19. *Fames & gladius*] Explicatio est superioris: ut sit sensus, *Duo hæc, vastitas & contritio, hoc est, fames & gladius.*

20. *Sicut onyx illaqueatus*] Vel *bos silvestris*, in quem captum venatores passim sæviunt: id quod & filiis Ecclesiæ contigisse novimus à Tyrannis, perinde ac si Deus omnem furorem suum fudisset in eos. Sed consolatur interim eos Spiritus Domini, & promittit *ablationem calicis*, & tyrannorum humiliationem, qui populo Dei abusi sunt, calcantes ipsum ac si essent lutum & terra.

FORERIUS.

1. JUDÆORUM populum superiori capite in duas partes diviserat, in eos videlicet qui *Deum timentes*, *Servum ejus* JESUM *auscultabant*, & eos qui exteriori facie rem judicantes, in *Servum Dei* injurii, sibi *ignem* æternum *succendebant*. Nunc eos tantùm alloquitur qui Christo aures accommodarunt; quibus superiori capite v. 10. patientiam & fidem suaserat. Hos hîc vocat *sectatores justitiæ* & *inquisitores Domini*, qui hoc veluti ex officio faciunt, & in hoc tantùm intenti sunt ut quod justum est agant & à Domini voluntate non recedant. Ad reliquias ergò illas sanctas convertit sermonem. Isti enim homines, cùm viderent populi Judaici impietatem, & ob impietatem, quæ illum absorpsit, calamitatem, non poterant non mœsti esse: Hos igitur *sibi attendere* Dominus jubet & verba sua auscultare, quibus animum erigere mœstis volebat, & spem dare, ut adhuc meliora sperarent. ¶ *Attendite ad petram*, &c.] Sicut ex una lapicidina innumeri lapides, sic ex uno Abrahamo innumerabiles populi prodierunt. ¶ *Cavernam*, &c.] Sicut effodiuntur aquæ ex cisterna, sic filii ex ventre Saræ. Videtúrque allusio esse ad etymon nominis, quo *femina* dicitur Hebræis, נקבה: nam voce נקבה ab eodem verbo deductâ, i. *caveâ* seu *cavernâ*, utitur. ¶ *Præcisi*] נקר propriè de *oculorum effossione* dicitur. Sed *oculus* Hebræis Scaturigini aquarum tribuitur, sicut & nobis Lusitanis. Quare tanquam de *effossione aquarum* hoc loco non durè accipi potest.

2. *Ad Abraham*, &c.] Explicat Scripturæ more quod obscuriùs dixerat. ¶ *Qui unum*, &c.] Quid in *Abrahamo* considerare deberent & *Sara* jam exponit. Cùm *unus* tantùm esset, & Sara sterilis, ad benedictionem meam *multiplicatus fuit* ut numerum arenæ maris progenies ejus æquaverit.

3. *Consolabitur ergò*, &c.] Vulgatus כי pro Illativa particula accepit, & sensum non indoctè explicavit. Habet enim interdum hæc particula Hebræis hanc vim, ut, cùm alteri respondet, inclusam collationem & similitudinem contineat: *Cogita*, inquit, *quòd*, *cùm unus esset Abraham*, *in tantam multitudinem creverit*, *ut eodem quoque modo speres tu consolaturum Dominum Tcion.* Repetitur enim verbum *respice*, *attende*, *quòd consolabitur Dominus Tcion.* In Hebræo autem ponitur præteritum ob rei certitudinem. *Consolationem* verò *Tcion* exponens, ait, *consolabitur ruinas* (seu *siccitates*) *ejus.* Sic enim vocat reliquias quæ superfuerunt ex clade & inenarrabili calamitate quæ oppressit Israelitas, non solùm temporali, sed spiritali. Nam sicut grassantibus hostibus succiduntur arbores, & remanent stipites nonnulli & trunci, & grassante igne & collabentibus tectis supersunt exusti aliquot parietes; ità omnia devastante impietate, & ob impietatem milite Romano omnia diripiente & proterente, remanserunt pii nonnulli Judæi semiusti, & quasi nobilis illius ædificii parietes exusti, & magnæ illius silvæ nonnulla vestigia. Has siccitates: has reliquias consolatur Dominus: quia ex paucis illis, quasi ex seminario quodam, videbunt infinitam multitudinem prodire, & in immensum augeri, veluti segetem Domini. Quid enim mirum si is qui ex uno plurimos, ex paucis similiter plurimos germinare faciat? Si ex sterili Sara & cisterna sine aqua educti estis vos & patres vestri, si ex senio confecto Abrahamo, non magis ad generationem apto quàm rupe quapiam, benedicente me, effossa est tanta vivorum filiorum multitudo, ex vivis quare non nascentur plurimi? Hoc ergò recogitate vobiscum, quia unus idémque est qui tunc unum elegit, & vos nunc quoque ex Judæorum repub. eligit. ¶ *Quasi delicias*] עדן nomen esse loci manifestum est in quo Dominus hortum initio mundi plantavit, Gen. 2. Hinc quia locus ille longè amœnissimus fuit, factum est ut hoc nomine notaretur *amœnitas* & *voluptas* atque *deliciæ*. Unde & Græcis mutatâ voce ἡδονὴ *voluptas* dicitur. Opponuntur autem maximè *Æden* & *desertum*, ut Joel. 2. *Quasi hortus Æden est terra ante eum*, & *post eum desertum vastum.* In plurali pro *deliciis* accipitur 2 Sam. 1. & Psal. 36. & Jer. 51. Hoc certè impletum est quando Galilæi, homines indocti ac despecti, ditati benedictione Domini, facti sunt veluti totius orbis deliciæ. ¶ *Et solitudinem ejus*, &c.] Idem omnino repetit. ערבה non *planitiem* notat; sed *loca in quibus omnia spontè & promiscuè nascuntur absque ullo cultore*, à verbo quod *miscere* significat: quare hîc *incultum* reddidi. In hujusmodi hominibus videres *gaudium*, *lætitiam* & Dei *laudes*; ad hos congregabantur ecclesiæ & innumerabiles populi; qui regionem ingressi, & religionem quam illi prædicabant professi, nihil aliud sciebant quàm Deum laudare pro tantis beneficiis. Introducti enim sunt in terram manantem lacte & melle. Quare laus Domini perpetuò erat in ore eorum. ¶ *Vox laudis*] Instrumentum videtur esse זמרה. *Psalterium* dicere licebit. Psal. 81. *Sumite psalterium*, & *date tympanum.* Videtur & pro *psalmo* accipi. Suprà 12. *Robur meum*, & *psalmus*, &c.

4. *Attendite ad me*] Iterum attentionem captat, & aliis verbis explicat quod dixerat: Scitis unde *consolatio* ventura sit, unde *gaudium* & *lætitia*? ¶ *Lex à me exibit*, &c.] De prædicatione Euangelii est sermo. Per hanc enim fides in Orbe obtinuit, & prædicatione convocatæ sunt Gentes, quæ abjecto Peccati jugo, pro cognitione veritatis celebrabant Dominum, gratias agentes Deo, *qui de tenebris eos vocaverat*, &c. ut est apud Petrum, replebantúrque *gaudio inenarrabili.* ¶ *Judicium meum*] Dicitur Euangelium seu prædicatio Euangelica *Dei judicium*, quia in eo revelatur sensus Domini, quid scilicet probet, quid damnet. Deinde qui illud recipit, vivit; qui non recipit, eo ipso jam judicatus est. Ut ad hunc locum respexisse videtur apud Joannem Dominus, cùm ait, *Hoc est judicium*, *quia lux venit in mundum*, & *dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem.* Ergò lux *judicium* dici potest, quia damnantur ea mala opera. *Omne* enim *quod manifestatur*, *à lumine manifestatur.* Ergò hîc *judicium Domini in lucem populorum adventare* ait, quia Euangelii prædicatione damnavit Deus mundi opera, & homines agnoverunt quid quæque res esset, & quanti unumquodque faciendum. Nisi velis *judicium* pro *judicandi potestate* accipere, seu *dominio*, ut interdum solet. Vide v. seq. ¶ *Requiescet*] Ad verb. *quiescere faciam.* Quòd si hanc significationem amplectamur, quam non dubium est habere verbum רגע (ut Deut. 28. *Inter gentes illas non quiesces*: & suprà 34. *Ibi quievit lamia*, &c.) sensus hîc esse poterit, & *judicium meum in luce populorum quiescere faciam*, ut manifestum sit universis populis, & omnes illud perspiciant. Sed cùm hoc verbum sit de numero eorum quæ Hebræis contrarias habent significationes (quod Rabini non adverterunt, nam sign. *commotionem* seu *conturbationem subitam*, possumus vertere, *judicium meum in lucem populorum concitabo*, i. faciam ut momento appareat. Quam expositionem vidit quidem Pagninus apud Rabinos, sed eam non probat ex aliorum Rabinorum judicio: at certè sequentibus congruit.

5. *Propè est justus meus*] Vulg. *justum* & *salvatorem* dixit pro *justitia* & *salute.* Sensus autem idem omnino est sive de justitia Dei quæ est per Christum sive de ipso Christo interpreteris. Mihi autem videtur hoc loco *justitia* pro *justificatione* accipi debere ut opponitur *damnationi* seu *reprobationi.* Justificant quidem homines alios homines, item & damnant: sed non rarò evenit ut qui à mundo damnantur, apud Deum justi sint; & contrà. Ultra verò justificatio pluris facienda sit nemo non videt, & mox Propheta aperiet. Dixerat autem quòd *judicium citò afferret in lucem populorum*: id ipsum aliis verbis annunciat & explicat, *Jam jam adest justitia mea*; *jam egressa est salus mea*, i. orta est. Isti sunt *gaudii* & *lætitiæ* fontes, & veræ *consolationis* origo & caput, quæ v. 3. promiserat. ¶ *Brachia mea*, &c.] *Brachia*, pro *viribus* & *fortitudine* sæpe accipiunt S. literæ; & *judicare* pro *dominum* & *regem esse*: quare videtur esse idem quod alibi dicitur, & *brachium ejus dominabitur.* Exseram virtutem meam per prædicationem Euangelii & Crucis, & illi obediet Orbis. Poteris & *brachia* pro *exercitibus* accipere, ut apud Danielem: nam prædicatores Euangelii subegerunt Orbem. Sed prior expositio simplicior est: nam Crux Christi ubique obtinuit, & ei tribuit victoriam & imperium Paulus, ubi ea de causa *non sapientes mundi*, *non eloquentiam aut potentiam mundi elegisse Deum* affirmat, *nè evacuaretur crux Christi*, i. nè quod cruci adscribi debebat, alteri cuiquam rei adscriberetur. Quid si *brachia* dicere voluit ut extensionem in cruce insinuaret, & virtutem mortis in cruce prædicaret? Certè qui sic interpretaretur, nihil indignum dignitate Propheticâ afferret. ¶ *Exspectabunt*] De verbo קוה suprà cap. 28. dictum est: quo significat Propheta *directionem cogitationum*, *locutionum* & *actionum omnium ad Christum Dominum*, utpote à quo pendeant Christiani, cuique uni placere studeant. ¶ *Sustinebunt*] Scilicet *exspectantes.* Ergo non solùm *collineationem*

bant. Ego committam eos mutuis cædibus, qui vindicabant meam & meorum injuriam. Cogentur vires suas in se exserere qui sese in meos filios armaverant.

V A T A B L U S.

1. **D***E ventre* ממעי] *Ex visceribus.* ¶ *Memoravit nomen meum* הזכיר שמי] i. Memor fuit nominis mei, sive habuit in memoria nomen meum, vel, *indidit mihi nomen.*

3. *Quia in te gloriabor* אשר בך אתפאר] *In quo gloriosus apparebo:* h. e. qui me glorificaturus es coram mundo.

4. *Verè* אכן] *Veruntamen:* vel *at.*

5. *Et Israel ei congregabit sese* וישראל לא יאסף] Hic לא pro לו positum esse scribunt Doctores Hebræorum. Alii; *atque ut Israel non colligatur, tamen gloriosus ero in*, &c. Alii per Parenthesim legunt, *at Israel non congregabit sese*, sub. *ad ipsum.* Observa, ut variè vertitur ו pro loco.

6. *Et ad reducendum* להשיב] *Et ad restituendum.* ¶ *Etiam dedi te* ונתתיך] Ad verb. *& dedi te.* Variè vertitur istud ו ab Interpretibus: nam alii vertunt *itaque constitui te*, alii *sed ponam te*, alii *nisi te dedero*, alii *dedi enim te*, &c.

7. *Ad abominatam gentem* למתעב גוי] *Ad abominabilem Gentium*, i. inter Gentes. ¶ *Qui fidelis*, &c. אשר נאמן וגו'] *Quia fidelis est Sanctus Israel*, &c.

9. *Ut dicas* לאמר] *Dicendo.* ¶ *Manifestate vos* הגלו] *Ostendite vos: Revelate vos.* ¶ *In viis* על דרכים] *Super vias.* Alii, *juxta vias.*

10. *Et ad fontes.* ועל מבועי] *Et ad scaturigines.*

13. *Laudate* רנו] *Vociferamini*, præ lætitia scilicet. Alii, *Cantate.* Idem propriè versus qui suprà 44. 23. ¶ *Et edite, montes, clamorem* פצחו הרים רנה] i. Erumpite in vocem lætam.

15. *Etiam ista obliviscentur* גם אלה תשכחנה] *Etiam si ista oblitæ fuerint, ego tamen.* Alii, *sed estò obliviscantur illa*, &c.

16. *Descripsi te* חקותיך] *Sculpsi te:* i. ego semper tui sum memor, túque versaris mihi ante oculos, quasi scripsissem te in manibus meis.

17. *Filii tui* בניך] *Structores tui: ædificatores tui.* ¶ *Dissipantes te, & destruentes te* מהרסיך ומחריביך] *Destructores tui, & vastatores tui.*

18. *Congregaverunt sese, venerunt tibi* נקבצו באו לך] *Congregati venient ad te.* Alii per præsens, *congregant sese ut veniant ad te.* ¶ *Et ligabis*, &c. ותקשרים ככלה] *Et circumligaberis eis tanquam sponsa.*

19. *Destructionis tuæ* והריסתך] Hebraismus, pro, in *terra tua destructa.* ¶ *Nunc arcta eris* עתה תצרי] *Brevi arctaberis.* Alii, *jamjam angustior eris.* ¶ *Et elongabunt se* ורחקו] *Et procul abscedent*, vel *discedent.*

20. *In auribus tuis filii orbitatum tuarum* באזניך בני שכליך] Hebraismus, pro *te audiente filii quibus nunc orbaris.*

21. *Cùm ego sim* ואני] *Nam ego sum.* ¶ *Captiva & recedens* גולה וסורה] *Exsulans & demigrans:* vel, *demigrans & exsulans.* Alii, *exsulans & vaga.*

23. *Et Regina eorum* ושרותיהם] Ad verb. *& principes feminæ eorum.* ¶ *Quia non pudefient*, &c. אשר לא יבשו קוי] Et *quòd non confundentur qui me exspectant.* Alii, in *quo qui sperant, non pudefiunt.*

24. *Justa* צדיק] *Justi*, sub. *militis*, i. quam miles, vel imperator, aut princeps justè cepit: h. e. captivi justo bello capti. ¶ *Evadet* ימלט] *Liberabitur? eripietur?*

25. *Atqui sic* כי כה] *Verùm sic.* ¶ *Adversarium quoque*, &c. ואת יריבך וגו'] *Quia cum eo qui contendit tecum ego contendam:* vel, *cum eo qui litigat tecum ego litigabo:* i. caussam tuam agam.

C A S T A L I O.

3. **T***U servus meus es, Israelita, de quo glorier*] *Israelitam* vocat Christum Israele prognatum.

4. *Atqui ego me frustrà laborare dico, nequicquam & incassum vires meas consumo: tametsi meum jus penès Jovam est, meáque merces penès Deum meum*] Licèt frustrà doceam Israelitas, at non frustrà servio Jehovæ, quem penes est me remunerari.

5. *Et Israelitas ei allegendos*] לא pro לו legitur, ut & alibi; quemadmodum & Vetus versio ostendit, & ea quæ præcedunt, quæque mox sequuntur. Est enim gemina sententia, ut sit idem *Jacobeos ad ipsum reducere* & *Israelitas ei allegere.* Quod autem paulò antè dixit *se frustrà laborare*, non significat nullum Israelitarum fieri Christianum, sed paucissimos; adeò ut tantillus profectus non videatur Christi labore dignus nisi accedant & reliquæ nationes.

7. *Sic alloquitur Jova, sancti sui Israelitæ vindex, contemptam animam, hominibus abominatum, dominantium servum*] i. Christum.

16. *Ego te palmis imprimam*] Molliter premam & informabo, ut solet recens natus infans. ¶ *Tuos muros in conspectu semper habens*] Curans.

20. *Adhuc dicent in auribus tuis orbitatis tuæ filii*] Tui quæ fueris orba.

24. *Captus ferocem elabetur*] עריץ non צדיק legit Vetus, qui vertit *robustum*, & rectè, ut videtur: est enim gemina sententia, eáque iisdem verbis repetita: nec consentaneum est, in repetitione non idem aut certè affine verbum poni. Adde quòd ut legitur non est apta sententia. Nihil enim facit Justitia ad retinendam prædam, at Ferocitas facit. Est autem hæc sententia, Poterisne nos, ô Jova, eripere ex Babyloniorum potestate hominum tam potentum támque ferocium?

C L A R I U S.

1. **A***Udite me, Insulæ*] Quæ sequuntur usque in finem apertè ad Christum Servatorem pertinent, consentientibus nobiscum Judæorum expositoribus. Et non loquitur, sicut antè, ad domum Jacob, sed vocat omnes Gentes ad salutem, quam diffundendam asserit *usque ad extrema terræ.* Et secundùm Judæos hæc verba sunt Esaiæ de ipso loquentis; secundùm nostros verò sunt verba Messiæ, quem Deus Pater ab utero matris suæ ordinavit & ad hoc destinavit ut esset Servator ac Redemptor noster. Et quidem, si quis referat ad Esaiam, non quadrat illius personæ hæc rerum majestas. ¶ *Recordatus est nominis mei*] Alius interpretatus est, *Recordatus est celebre nomen meum.*

2. *Quasi gladium acutum*] Comparatur Os Christi & Verbum ejus *gladio acuto* & *sagittæ politæ*, quòd efficacissimum sit, & penetret corda ac medullam interiorem.

3. *Es tu, Israel*] Verus Israelita es tu, & de quo solo *gloriari* possum, qui negotium meum fideliter agis, & solam gloriam meam quæris. Vel, ego gloriabor in omnibus quæ per te inter Israelitas numerabuntur.

4. *In vacuum laboravi, sine causa*] Quòd scilicet tam pauci ex populo meo mihi crediderunt. Nam *in propria venit, & sui eum non receperunt.* ¶ *Judicium meum cum Domino*] *Est*, inquit, *qui quærat & judicet.*

5. *Israel autem non congregabitur*] Apertus est hic locus, Judæos excludendos à Regno Christi. Et illud *Dedi te in lucem Gentium*, apertus locus est, quòd Gentes incorporandæ fuerunt Regno Christi, & participes futuræ promissionum & gratiæ Dei.

7. *Ad contemptibilem animam*] Videlicet apud homines. Judæi verba hæc ad suos in captivitate constitutos trahunt; Catholici verò de Christianis afflictis & oppressis exponunt, præsertim qui inter Gentes habitant. ¶ *Reges videbunt*] Omnia hæc sunt referenda ad primitivam Ecclesiam, quæ quantùm à Gentibus primò est contempta, tantùm deinde cognito verbo Christi est honorata; ut etiam Regna mundi colla subjecerint verbo Christi, & in ejus migrarint possessionem. Nam, ut antè dixerat, exiguum erat negotium Judææ tantùm gentis servandæ. Hoc enim est quod ait, *Parum est ut sis mihi servus*, h. e. ut servias mihi, *ad suscitandas tribus Jacob*, &c. Citatur autem hic locus Act. 13.

8. *In tempore*] Hunc locum Paulus 2 Cor. 6. ad Christi adventum pertinere ostendit.

9. *Super vias pascentur*] Sensus est, Ubique invenient pascua, & nullibi non prædicabitur Evangelium Christi, ut nemo famen aut sitim, nisi fastidiosi, passurus sit. Nec erit in fide personarum acceptio, sed *montes redigentur in vias, & viæ elevabuntur:* sicut & Paulus docet, *Non est in Christo servus aut dominus*, sed servi pares erunt secundùm fidem magnis dominis.

12. *De longè venient*] Ab Oriente vocat *à longè:* Judæa enim ad Occidentem magis quàm ad Orientem vergit. Septentrionem *Aquilonem* vocat, Occidentem *mare*, Meridiem sive Austrum *Sinim* vel *Sinis*, quam quidam putant esse Syenem urbem Ægypti, quam Ptolemæus sub Tropico Cancri positam scribit.

14. *Derelinquet me Dominus*] Querelæ sunt Ecclesiæ secundùm externam faciem, cùm interiùs consolationes habeat promissionum Divinarum, & se minùs derelinquendam à Deo sciat quàm infantulum à sua matre.

16. *In manibus*] Ut semper ante oculos habeam. In cujus rei testimonium Dominus etiam postquam resurrexit, loca clavo-

clavorum habere in manibus voluit. ¶ *Muri tui*] De quibus precabatur David cùm diceba, *ut ædificentur muri tui, Jerusalem*; ut scilicet ædificetur Ecclesia & domus Dei, quæ per collapsam Jerusalem hic significatur. Idcirco subdit, *venire eos qui eam ædificent*, *devastatores* autem *abire*.

20. *Fac mihi spatium*] Heb. *accede propter me*, sub. *ad remotiorem locum*. Quò ergò, nisi in latitudinem Gentium?

24. *Numquid tolletur*] *Tu*, inquit Sion aut Ecclesia, *promittis magnam posteritatem: sed quomodo eripietur præda ab his qui fortes sunt, & qui justè se putant tenere abductam prædam?* Respondet Dominus, *Ego fortior sum illis, nec justam illi habent causam; sed tyranni sunt; & idcirco ego liberabo meos, & immittam in adversarios eorum tantam famem ut carnem propriam devorent & sanguinem suum bibant*: Hyperbole autem est significans, summâ in eos pœnâ animadvertendum.

FORERIUS.

1. AUdite, *insulæ*] Hactenus multa de Christo in Cyro vidimus, & de populo Dei in Israelitis è Babylone educendis. Jam nunc discussis umbris nonnihil apertiùs de mysterio Christi pronunciat Jesaias. Quòd autem hæc ad Christum Dominum referenda sint, & in eo adimpleta fuerint, confirmat locus ex hoc capite adductus in Actis Apostolorum à Paulo, qui est v. 6. & alter 2 Cor. 6. qui est v. 8. item alius quem adducit Joannes in Apocalypsi, qui est v. 10. ut nihil nos morari debeant Judæorum figmenta. Inducitur autem principio Christus concionem habens ad universos homines, in qua suæ vocationis & muneris rationem reddit, significans Gentes pro Judæis substituendas, quas tamen pro filiis recognoscet Synagoga. ¶ *Populi de longè*] i. Remotissimæ quæque nationes. Nam cum toto orbe mihi res est. Omnes enim captivi detinentur in Babylone: omnibus offert Deus libertatem. Audiamus, quæso, hunc eximum Doctorem, qui *de cælo descendit Magister*. Certè *enarrabit quæ vidit apud Patrem*. ¶ *Ab utero vocavit me*] i. A multis jam annis mei rationem habuit ut huc me destinaret: Antè quàm *ex utero matris* in hanc lucem prodirem, *celebravit nomen meum*, commendavit honorificè, & cum præfatione honoris nomen meum ore protulit.

2. *Quasi gladium acutum*] Vel *quasi gladii acuti*, *os* supple. Nam & Gladio *os* tribuit Hebraismus. Ut quemadmodum gladius acutus ore suo discindit, enecat ac cædem facit, ità ego verbo meo *separationem faciam inter patrem & filium, matrem & filiam*. *Gladium enim veni mittere in terram, non pacem*, ut est in Euangelio. Cædem facturus advenio, non quidem corporum, sed spiritalem, quâ caro pereat, spiritus verò vivat. Suprà dixit quòd *spiritu labiorum suorum impium* (seu *impietatem*) *occideret*: ubi nonnihil de efficacia verbi Euangelii diximus. Vide Paulum, ubi comparat *Sermonem Dei gladio ancipiti*, &c. ubi quoque nos armat *verbo Dei, ut possimus stare adversùs vim atque impetum diaboli*. Quare exhibeamus nos huic *gladio* secandos & muniendos, ut quæ carnis sunt amputentur, & quæ spiritûs sunt defendantur. ¶ *Sub umbra*] Heb. *in umbra*. ב autem hoc loco est *cum*, & omitti potest, *Umbrâ manûs suæ*, &c. Videtur autem in Metaphora Gladii perseverare, qui sub sinistro brachio abditur in vagina, ut dexterâ inde facilè educatur. Et sicut mox dicit *sagittam in pharetra reconditam*, ità hic gladum in vagina notat. Ideo verbum הסתר in Hiphil verbo *abdendi* reddidi, propriâ verbi significatione servatâ, ut Gen. 3. *Cùm nudus essem, abdidi me*: & suprà 42. *In domibus carcerum abditi sunt*, &c. Quare in hunc quoque sensum accipe verbum *protegendi* in Vulgato. ¶ *Sagittam electam*] Ego propriam significationem vocis ברור expressi. Vulgatus verbo *probandi* & *eligendi* solet reddere. Nam in expurgatione electio fit. Nobis cùm de armis dicitur, est *nitida reddere* & *ferruginem detergere*. Notandum autem est, quòd cùm gladio cominus, sagittâ verò eminus dimicetur, significat hoc loco tam eos qui propè quàm eos qui longè erant felici & vitali vulnere esse percutiendos. Quare & in Ps. 45. qui in Christum Dominum editus est, *gladium & sagittas* illi tribui vides.

3. *Servus meus es tu, Israel*] Quòd de populo Israelitico hæc nequeant intelligi, quæ sequuntur satis ostendunt. At CHRISTUM nomine *Jacob* & *Israelis* notari quid mirum? nam & *Davidis* nomine non uno loco appellari manifestum est. Ecquis, quæso, nomine *Israelis* dignior fuerit quàm qui in Deum ità prævaluit ut homini propitium ex irato reddiderit? ¶ *Quia*] אשר Affirmantis seu Asseverantis interdum est Hebræis, ut 1 Sam. 15. *Imò audivi vocem Jehovæ*. Ità & hoc loco reddi potest, *Quinetiam in te glorificabor*. *Es* quidem *servus & minister meus*, *sed per te plurimum gloriæ mihi accrescet*. Filius enim Dei *Patrem glorificavit super terram*: nam *illius nomen hominibus manifestavit*, & quantum *mundum diligeret*, aperuit, ut qui se *Filium mundo dederit*, *ut qui eum reciperent, in filios adoptaret*. Hæc amorem hominum conciliarunt, & *subditum reddiderunt mundum Deo*, ut eum *sicut Deum glorificarent*, ejúsque gloriam ac majestatem celebrarent. *Es* quidem *servus meus* secundùm naturam quam assumpsisti; sed es tota *gloria* & *decor meus*, quia in te uno ostendi mundo *divitias bonitatis & misericordiæ*. Duplici hoc nomine *gloria Dei* est Christus Dominus; quòd in illo gloriam suam, & ea quibus gloriatur, manifestavit Deus; & quòd per Christum mundus agnovit Deum ac glorificavit. Vide orationem Christi ad Patrem Joan. 17. *Pater, venit hora*, &c.

4. Hoc versu quàm vani fuerint labores Christi Domini inter Israelitas apertè docet. Ordinem quoque Divinorum consiliorum manifeste exponit hoc versu & seq. qui talis est, Datur Christus ut *in eo glorificetur Deus*, mittitúrque *juxta promissiones Patrum* ut sit *Minister Circumcisionis*, & Judæis inserviat ad salutem: idcirco eum *Israelem* vocat. Exsecutus Christus Dominus ministerium, *frustrà se laborare* conqueritur, quasi nihil profuerit, quòd à Deo missus in nulla re à Patris voluntate recesserit. Insistit tamen Deus ut Judæis prædicetur Euangelium, & *ad se reducantur signis & virtutibus & donis Spiritûs S.* quæ gloriam Christi confirmabant. Illi verò nec sic acquiescunt: Ergò vocantur *Gentes*. Sed expendamus singula. ¶ *Et ego dixi*] Pater quidem *in me glorificandum se fore* dixit: Quid ergò exspectandum esset nisi ut, cùm ad Judæos venissem, me illi pro Herede & Dei Filio agnoscentes reciperent, auscultarent, colerent, & Deum pro tantis muneribus glorificarent? Sed video rem longè aliter evenisse. Frustrà videor hanc provinciam suscepisse: non credunt; non auscultant; pejores fiunt. Defatigor: nihil quod ad salutem ipsorum conferre posse videbatur omitto. *Aruit* jam *tanquam testa virtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis*. Neque dubites quin tanto studio rebus Judæorum incubuerit ut triennio vires absumpserit, corrosis zelo Dei visceribus, & corpore laboribus ac defatigationibus exhausto. ¶ *Ergò judicium*, &c.] אכן Affirmantis particula esse videtur, & sic eam reddidit Vulg. Gen. 28. *Verè Dominus est in loco isto*: & suprà 40. *Verè fœnum est populus*: & infrà 53. *Verè languores nostros ipse tulit*, &c. Hîc Illativâ particulâ vertit, quia *judicium* pro *lite* accepit; quasi super hac re cum Deo vellet judicio contendere, & opus suum cum Deo expendere, quò videat an dignum sit ut tanti labores sine fructu maneant, &c. Quam interpretationem non est cur quispiam damnet: Ego tamen in studiosorum S. Scripturæ gratiam, omissis aliorum interpretationibus, expositionem simplicissimam ex ipso Hebraismo depromptam afferam. Et primò אכן sit Affirmantis, משפט verò, i. *judicium*, & פעלה, i. *opus*, quasi pro eodem accipiantur. Vocant autem interdum Hebræi *judicium* hominis conditionem & ea studia seu vitæ statum atque tenorem ex quo judicium de homine fertur: *Opus* autem vocant interdum exercitationes, studia ea in quibus occupatur & sese exercet: quemadmodum hæc duo simul posita accipere debemus Jud. 13. licèt ibi pro פעלה sit מעשה, quibus duobus nominibus Hebræi indifferenter utuntur: exempla passim obvia. Hebræa autem eo in loco sic habent ad verbum, *Et dixit Manue Angelo, Nunc veniat verbum tuum. Quódnam erit judicium pueri, & opus ejus?* Pro quo Vulgatus, *Quando sermo tuus fuerit expletus, quid vis ut faciat puer, aut à quo se observare debebit?* Non dubium quin ibi quærat pater ab Angelo quæ futura esse deberet pueri conditio, quæ studia, &c. Sensus igitur hoc loco hic esse poterit, *Consumpsi frustrà vires meas: certè conditio mea à Domino, & studia mea à Deo meo*: q. d. *Non est quòd quisquam existimet idcirco me frustrà laborasse quòd non missus venerim; aut aliter atque oporteret rem tractarim, in aliquóve deliquerim: conditio, studia, status, actiones omnes meæ, omnia denique mea à Deo meo, à Patre omnium Deo disposita atque ordinata fuere; à cujus judicio nè latum quidem unguem unquam aberravi, neque aberrare potui.* Hinc illæ voces, *Pater meus usque modò operatur, & ego operor*: &, *Non potest Filius facere quidquam quod non viderit Patrem facientem*: &, *Doctrina mea non est mea, sed ejus qui misit me*: &, *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio*: &, *Ego à meipso non veni*: &, *Me Pater sanctificavit, & misit in mundum*: &, *Quare loquelam meam non agnoscitis? ego enim ex Deo processi & veni*: & infinita hujusmodi, quæ inexcusabiles reddunt Judæos, & nobis planum faciunt quod & *judicium & opus Christi à Deo fuerit*. Neque nova videatur hæc acceptio vocis משפט, latissimè

mè enim patet Hebræis: unde 2 Reg. 1. *Quod fuit judicium hujus viri?* Quærit autem Rex de forma seu habitu vestimentorum, quemadmodum ex servorum responsione mox apparet. Particula autem את pro *à* vel *ab*, &c. accipitur interdum Hebræis, ut Gen. 49. *A Deo patris tui, qui adjuvit te, & ab Omnipotente, qui benedixit te:* & 44. *Ipsi egressi erant ex urbe:* & Exod. 9, &c.

5. *Et nunc dicit*, &c.] Vel *nunc quidem*. Servit continuationibus hæc particula sæpius. Versu 3. in genere vocationem explicaverat, se videlicet *servum* Dei & ministrum Divinæ gloriæ in mundum destinatum ab ipso Deo: id in specie jam exponit, nempe *dixisse Dominum*, eique mandata dedisse *ut ad se reduceret Jacob*. Hoc illud est quod in Euangelio habes, *Misit servum suum horâ cœnæ dicere invitatis, ut venirent.* Quod autem ibi sequitur, *Et nolebant venire*, hîc dicitur, ¶ *Et Israel non congregabitur*] Sic enim legendum est tam ex Hebræo quàm ex Hieronymi versione. Omnino enim affirmat *non venturos Israelitas*, seu, ut est in Hebræo, *non colligendos*. Dicitur autem hoc verbum non rarò de Gregibus, de Ovibus: ut & huc respicere videatur quod Dominus in Euangelio ait, *se missum ad oves quæ perierunt* (seu *quæ perdita erraverunt*) *domûs Israel*. Venit enim Dominus tanquam pastor, ut eas *ad Deum colligeret* seu *congregaret*: at *noluerunt colligi* neque redire ad Deum. Jam hîc explicat quod superiori versu dixerat, *se in vacuum laborasse*: nam *Israel non colligitur*. Tertium autem quod dixerat, *judicium suum à Domino*, &c. jam etiam apertiùs effert, dicens, ¶ *Et glorificatus sum*, &c.] q. d. Non vitio meo neque Dei factum est ut *non reducerentur Israelitæ*. Mirum enim in modum *me honoravit* Pater seu *glorificavit*: nam summa cum gloria me Filium suum coram ipsis in Jordane declaravit: & cùm abjectissimus viderer in oculis hominum, tamen illi non indignus visus sum qui pro *Filio ipsius charissimo* haberer: quod etiam declaravit *mihi suâ potestate traditâ: fuitque* is *fortitudo* (seu *obfirmatio*) *mea*. Nihil erat quod non efficerem. Manifestabam gloriam meam coram ipsis; & quàm gloriosus essem in oculis Patris ipsi in signis à me factis videbant. Illis vocationem meam satis superque confirmabam, ut si sanam habuissent mentem, omnes ad me venissent cum Nicodemo, dicentes, *Scimus quia à Deo venisti Magister: nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.* Indignum autem fuit quòd sic honoratum à Deo Judæi inhonorarent, neque auscultare vellent: quod in Euangelio quoque illis objicit, injuriis ab eis lacessitus, *Est Pater, qui glorificat me, quem vos Deum vestrum appellatis:* ille quærit gloriam meam, & vos judicabit. Quare sequitur,

6. *Et dixit*] Respondet Dominus illi veluti querimoniæ: nempe jubet *ut reducam Israelitas: at illi non colligentur:* cùm tamen per me non steterit, & nihil omiserim eorum quæ necessaria ad rem videbantur. ¶ *Parùm est*] Vel *Leve est*, i. Indecorum, inhonestum, ignominiosum reputatum est. ¶ *Ut sis mihi*] Sensus hujus editionis planus est. Ad verbum sic habetur, *Ab essendo te mihi servum*, &c. quem Hebraismum, quantum ex similibus conjicere potui, (non damnatâ tamen Vulg. editione, quam sequuntur plerique viri doctissimi) sic licet vertere, *Non esse te mihi servum*, &c. ut 1 Sam. 15. *Repulit te ab essendo Regem*, i. nè esses Rex: & Psal. 62. *Tantùm ab exaltando eum*, i. nè exaltetur ipse. Quin & hoc eodem capite v. 15. *Numquid obliviscetur mulier infantis sui, à commiserando filii uteri sui*, i. ut Vulg. vertit, *ut non misereatur*. Inquit ergò, *Indecorum*, *turpe* (seu *ignominiosum*) *videri potuit quod non fueris mihi servus ad suscitandas tribus Jacob.* Quâ phrasi nos quoque Lusitani utimur, *Non fuisti ad faciendum mihi*, Non valuisti illud mihi præstare: q. d. Dominus, *Si cuiquam ignominiosum videri potuit quòd non valueris ad me reducere Israelitas, ecce do te in lucem Gentium*, &c. ¶ *Suscitandas tribus*] Nomine *virgarum* seu *baculorum* frequenter Tribus seu Familias designat Scriptura rationibus quas suprà apposui, nempe quia ex uno trunco oriuntur, &c. Cùm ergò etiam Plantis Hebræi tribuant verbum *excitandi*, fortè hîc ad nomen *virgæ* alludens, quod apposuit pro *familiis*, verbo *excitandi* uti voluit. Quamvis non ignorem קום verbum in Hiphil sæpissime esse idem quod *stabilire*, *confirmare*, &c. ut sit sensus, *ad stabiliendas* (seu *confirmandas*) *tribus Jacob*. Corruerat enim illa Resp. & à Peccato erant valde labefactatæ res Judæorum. Priorem tamen expositionem sequor; quia rem levem & factu facilem videtur debuisse apponere, ut ostendat quare inhonorum videri poterat si Israelitas non reduceret. Erant, inquit, veluti virgæ radici optimè inhærentes, heredes fidei & religionis Patriarcharum. Quid magnum si irrigatæ reviviscerent? Huc quoque facit quod sequitur, ¶ *Ad feces*] נצירי Hebræi pro נצורי accipiunt, i. pro *reservatis* seu *conservatis*, qui in vita remanserunt & servati sunt à Domino. Non difficile autem videbatur tales reducere ad Deum: nam *exspectabant* ipsi *consolationem Israelis*. Quare & *faces* dixit Vulgatus, quæ imo vasarum relinquuntur & conservantur. Est quoque hîc allusio in hac voce: נצר enim *surculus tener* est; qui servari solet ut crescat, quem, si deflectat à recto, facile est ad rectitudinem reducere. Vides quo pacto hæc facilitatem quandam contineant, ut ignominiosum videri possit si non sufficeret Dei Filius ad eos reducendos & convertendos? Quòd si cum Vulgato legas, *Parùm est ut sis servus*, i. minister, *ad suscitandas*, &c. possumus *observata* dicere, & accipere pro *abominosis & à quibus se observant prætereuntes:* de qua acceptione nonnihil diximus cap. 1. & infrà cap. 65. ¶ *Dedi te in lucem*] De prædicatione Euangelii optimè interpretatur Paulus in Actis Apostolicis locum hunc. Probat enim ex hoc loco, justo Dei judicio fieri ut, *quia Judæi repulerunt verbum Dei, prædicent illud Gentibus.* ¶ *Ut sis*] Vel *ut sit*: & ità exponit D. Hieronymus, ut *salus mea universam terram occupet*. Ex hoc quoque loco sumptum videtur illud Simeonis, *Lumen ad revelationem Gentium*. Si quis autem quærat quomodo hîc dicatur Christus *datus in lucem Gentium*, cùm ipse dicat in Euangelio, *Non sum missus nisi ad oves*, &c. responde, Christum loqui de missione illa quæ erat ex promissione Patribus facta. Audi Paulum hoc exponentem, *Dico Dominum JESUM ministrum fuisse Circumcisionis*, i. Judæorum, *pro veritate Dei ad confirmandas promissiones Patrum: Gentes autem super misericordia collaudare Deum*, &c. Ergò si minuit gloriam quòd non reduxerit Israelitas, vide quanta sit gloria, hominem unum à suis crucifixum in toto orbe pro Deo coli, & barbaras nationes per Discipulos suos ad Deum reducere. Ecce pro virgis Radici infixis barbaræ nationes eidem Radici inseruntur; ecce pro exspectantibus Messiam non reductis, Gentes, quæ ignorabant Deum & in peccatis obduruerant; ecce denique pro angulo terræ, fines orbis.

7. *Hæc dicit*, &c.] Etsi Christus Dominus *lux mundi* & *salus Gentium* dicatur, & verè sit, scimus tamen eisdem nominibus ornasse Discipulos suos. Quò fit ut cùm in Prophetis hæc ipsa legimus, non necesse sit illorum intelligentiam ad ipsam Christi personam tantummodo coarctare. Nam illud, *Dedi te in lucem Gentium*, Apostolus in eo loco quem ex Actis citavi apertè per se & Coapostolos suos impleri testatur. Est ergò Christus in se & in suis *lumen vitæ* & *salus æterna*. Quæ autem operabantur Discipuli, operabatur in eis Dei Filius, & in ipsis loquebatur: ut hâc fortasse ratione *Israelem* hic vocet Propheta Dominum JESUM: quod alioqui nomen gentis esse solet. Pauci enim Israelitæ qui Christo adhæserunt, pusillus, inquam, ille grex, unum corpus est cum Christo: & de ipso tanquam de uno aliquo homine loquuntur interdum Prophetæ; interdum etiam ut de populo. Est enim Ecclesia populus Dei. His prænotatis non difficile erit quæ sequuntur intelligere. ¶ *Ad contemptibilem animam*] De Christo & Discipulis ipsius est sermo. *Anima* hic pro toto individuo sumitur figuratè. Minor erat Christus, & omnium *minimus in* illo *cœlorum Regno*, cùm major esset Joanne Baptistâ & ipsis Angelis; despecti quoque erant Discipuli ejus. Quid, quæso, despectius & contemptibilius homine in cruce suspenso, in quem *movebant* & populi & magistratus *capita sua, dicentes, Vah qui destruis templum Dei*, &c. Qui contemptibiliores homines quàm qui hujus cruci affixi erant discipuli? Abominationi erat Crux, Crucifixus, Crucis amici. *De cruce* autem *sermones*, *Gentibus stultitia*, *Judæis scandalum*. Primos illos etiam Discipulos dicebat Paulus *infirmos & contemptibiles fuisse electos, ut confunderet Deus fortia, sapientia & mundi pretiosa.* Hæc, ut quidem ego sentio, hîc prædicit Propheta. Et hoc versu bono animo esse jubet *pusillum* illum *gregem* cum Capite suo despecto, & novissimo omnium virorum; hos, in quos, tanquam in vilia mancipia, homines invehebantur, probris, damnis, cruciatibus & morte ipsâ eos afficientes, *tanquam oves morti destinatas*, & *purgamenta hujus mundi*, hos, inquam, consolatur per Prophetam Dominus, quòd non diu hæc sors duraret. Nam, inquit, ¶ *Reges videbunt*, &c.] i. Assurgent, & venerabundi supplicabunt. Quantus, quæso, erit hic honor? Quem sic unquam honoraverunt Reges? Certè post verbera & carceres & omne tormentorum genus vicerunt tandem: & pauperes illi homines, & nonnulli qui eos consecuti sunt, à principibus tantùm non pro Diis colebantur: de quibus mox plura in sequentibus, & hoc eodem capite. ¶ *Propter Dominum*] Deferebant hunc honorem Discipulis Domini quia eos videbant & agnoscebant *electos à Domino*, à *Sancto* illo: quod ex signis & virtutibus, & ingenti malorum tolerantiâ, inauditâ mansuetudine, cæte-

cæterisque cœlestibus donis, quæ non possunt non admirari vel barbari homines, & Reges ipsi, manifestè intelligebant. Ecce quâ ratione in Ecclesia Christi est adoratio & cultus Sanctorum. Qui enim fuerunt *contempti* & *abominabiles* propter Christum, justum est ut versâ vice nunc *propter eum qui eos elegit*, nobis sint in honore & pretio, illisque *supplicemus*, velint, nolint Lutherani. Nam quòd de persona Christi tantùm hæc non intelligantur, (ut quidam ipsorum voluit; ob quod interpretatur *contemptibilem animam*, *abominatam genti*, reclamante Hebraismo) sequentia satis apertè declarant. Ergò & dum hìc viverent, & multo magis nunc dum gloriâ perfruuntur, *Reges videbunt*, *& assurgent*, *&* ישתחוו: sed *propter Dominum*, *qui ipsos elegit*, & ad tantam dignitatem evexit, ut essent *lux mundi*, & salutem ejus per totum orbem deferrent, tanquam mundi Medici & curatores; ob quod & *Therapeutas* eos appellabant, teste Philone. ¶ *Et Sanctum*] Vulgatus reddidit conjunctionem, neque immeritò: eam enim non rarò omittunt Scriptores sacri: *& propter Sanctum Israelis*, *& elegit te*, i. qui: ità enim interdum Vau accipitur. Possumus tamen & sic legere, *Propter Jehova: quia fidelis est Sanctus Israelis*, *& elegit te*. Nam אשר valet *quòd* seu *quia*. *Fidelitas* autem referenda est ad promissiones factas Patribus de *Semine* benedicto, *in quo benedicendæ essent omnes gentes*, & *de multiplicatione filiorum tanquam arena maris*. Ergò Gentes universæ ex prædicatione intelligentes Dei fidelitatem, & paucos illos electos à Deo ad generandum per Euangelium, & filios procreandos ex Gentibus, qui censerentur in semine Abrahæ, adorabant Christum & ipsos. Nam *adoratio* & cultus hìc promittitur pro *contemptu* & *abominatione* & *servitute*. Non possunt enim non coli qui agnoscuntur *electi à Domino*, præsertim si sit electio ad aliorum utilitatem, ut est eorum qui justi ipsi ad justitiam erudiunt plurimos.

8. *In tempore placito*] Ex eventu imponebantur nomina & locis & temporibus. Quare putarem hæc nihil aliud significare quàm si diceret, *Exaudivi te ex bona voluntate mea*, *& adjuvi te*, *salutémque tibi præstiti*: ut meritò tempus hoc dici possit *tempus acceptationis* & *dies salutis*. Quare & Paulus ex istis verbis hoc tantùm accipit, *Ecce nunc tempus acceptabile*, *ecce nunc dies salutis*. Finge ergò sic Prophetam dicere, ut habeas mentem ipsius, *Sic dicit Dominus*, *Ecce habes me propitium quem invocabas*; *cujus opem implorabas*, *ecce habes me adjutorem: quare tempus hoc deinceps vocabis Tempus acceptum & Diem salutis: ecce servavi te*, *& dedi te in fœdus populi*, &c. Vel certè allusio est ad locum Psalmi 69. ubi cùm Christus Dominus *se inimicis suis in parabolam esse* dixisset, & quòd *adversus se loquerentur Magistratus & potentes*, subdit, *Ego verò orationem meam ad te*, *Domine*, *tempus beneplaciti Deus*: *In multitudine misericordiæ tuæ exaudi me*, *in veritate salutis tuæ*, &c. *Fundo*, inquit, *orationem meam ad te*, *petóque ut sit hoc tempus tibi acceptum*, *& velis hoc tempore me exaudire pro tua pietate & veritate salutis plena*. Ergò cùm *contemptùs* Christi meminisset, & quòd non diu duraret conditio illa significasset, inquit *dixisse Dominum*, *In tempore beneplaciti*, &c. q. d. *Dixi quòd assurgerent tibi Reges*, *quem hactenus tui populares despexerant*. *Nam jam instat tempus illud quo petebas placeret mihi ut te exaudirem*, *& quòd veràx essem ostenderem*, *salutem afferendo: jam exaudio*, *jam eripio*, *jam servo*, &c. ¶ *Dedi te in fœdus populi*] Promiserat non semel Deus quòd reconciliaretur homini per Messiam quem missurus erat: Sublato autem in crucem Christo, & pro mortuo habito à Judæis, relictis tantummodo paucissimis qui eum vivere scirent, eisdémque contemptissimis, vanæ videbantur illæ promissiones. Petebant igitur res ipsæ, & hæc videbantur esse vota Christi & suorum, nè durarent diutiùs probra infidelium, imò ostenderet se veracem Deus, & in Christo stabilirentur omnia. Hoc se præstitisse hìc dicit Dominus, *Dedi te in fœdus populi*, i. populorum, ut per te mihi perpetuo fœdere copulentur: Te pro hostia fœderis suscepi, quo immolato reconciliatus sum mundo, fide hujus sacrificii, & dilectione: Quæ agnitionem tanti beneficii hominibus ingenerabit. Mihi adhærebunt posthac populi: neque erit qui hoc fœdus dissolvat. Christus ergò *fœdus* dicitur, quia victima fuit quâ sancitum est fœdus, & nos sanguine ejus expiati à sceleribus fuimus, quæ nos à Deo separabant. Dicitur & Ecclesia illa primitiva & Discipuli ejus, qui unum cum Christo corpus efficiunt, *fœdus populorum*, quia *ministri* fuerunt *reconciliationis* hujus, & *legatione* pro hac federatione & reconciliatione *fungebantur*, adeoque rem illam quæ gesta fuerat non tantùm verbis sed etiam rebus exprimebant, ut *seipsos impenderent*, ut *immolarentur super obsequio fidei populorum*. Unde & *supplere se ea* dicebat Apostolus *quæ deerant passionum Christi pro Ecclesia*: quia ad fidem & reconciliationem populorum necessarium erat ut viderent Gentes prædicatores illius sacrificii paratos esse pro veritate quam annunciabant mortem oppetere. Quare morte suâ ac malorum tolerantiâ prædicationi fidem conciliabant, quæ Ecclesiæ Christi summopere erat necessaria. ¶ *Ut suscitares terram*] Homines, qui ad unum interierant & in mortem corruerant, excites & stare facias, nè in præceps labantur. Quare *in resurrectionem multorum positus* dicebatur Christus à Simeone. Huc etiam illud facit, *Veniet hora*, *& nunc est*, *quando mortui audient Filii Dei vocem*; *& qui audierint*, *vivent*. Et Paulus eum qui à peccatis surgit, *à mortuis surgere* dicit. Ergò hìc pro *excitare ad vitam*, aut pro *stabilire*, *confirmare agnitione veritatis*, accipere possumus verbum קום in Hiphil. ¶ *Possideres*] Verbum Hebraicum *in hereditatem & possessionem alios immittere* significat: *ercíscere* dicebant olim Jurisconsulti. Ergò Christo & Apostolis hic injungitur ut eo munere fungantur quo Josue, qui Israelitis possessiones divisit. Ità accipitur hoc verbum Jos. 1. & Deut. 12. Jer. 18, &c Introduxerunt enim populos in terram & lacte & melle manantem; & Christus Dominus in Ecclesia suas eis *divisit donationes* prout sibi visum fuit, *& alios dedit Euangelistas*, *alios Doctores*, &c. Erant autem hujusmodi hereditates *desolatæ*, *dissipatæ* seu, ut est in Hebræo, *afflatæ*, i. quas initio qui videbant, tanquam rem abominandam exsecrabantur atque exsibilabant. Quotus enim quisque erat qui Contemptum, Vigilias, Jejunia, Paupertatem, Famem & Nuditatem, adde Innocentiam, Castitatem, Mansuetudinem, & his similia non fugeret, & hæc ut res pessimas & homine indignas non vitaret? At in has desertas possessiones nos introduxerunt Christus & Apostoli, in quibus nos felicissimos esse existimamus: In quas tamen nemo nos potuisset introducere nisi Dominus JESUS, quem ad hoc ipsum destinavit Deus.

9. *Ut diceres his qui vincti*, &c.] Nonnullos effectus reconciliationis per Christum hìc vides connumerari. Primus, quem jam dixi, fuit, Posse nos insolitam virtutis viam incedere, & veluti regionem commutare. Secundo loco hìc habes Libertatem, nè videlicet ab affectibus præpediamur quò minùs ad Deum curramus. Tertius est Tenebrarum, Peccatorum & Ignorantiæ discussio; dum ait, ¶ *Et his qui in tenebris*, *Revelemini*] Illustremini & luce profundamini, nè ampliùs latebras appetatis, sed *induamini arma lucis*, *& sicut in die honestè ambuletis*. Quarto autem loco Affluentia donorum spiritalium ponitur. ¶ *Super vias pascentur*, &c.] i. In planis locis. Nam viæ publicæ in plano sunt. Vel sumpta Metaphora à pecoribus, quæ dum è regione in regionem proficiscuntur, per eam viam à pastoribus deducuntur juxta quam pascua inveniant. ¶ *In omnibus planis*] Vocem שפים Vulg. suprà 41. 18. *supinos colles* vertit; at Jer. 3. nunc *vias*, nunc *directum* vertit. Certè vox *tumorem* seu *eminentiam* notat: quare pro *montibus* accipi puto. Et fortè his duobus nominibus, *juxta vias & in montibus*, intelligit quod quacunque ierint, pascua invenient: ut sit idem quod in Euangelio dicitur, *Ingredientur & egredientur*, *& pascua invenient*.

10. *Non esurient*, &c.] Jam quinto loco hoc commodi quoque habebunt, quòd nihil eis nocebit. Per *famam* & *sitim*, *Solem* & *æstum* intellige omnia quæ incommodare possunt iter facientibus. Non quòd nihil eos molestiâ afficiat, sed quia omnia eis in bonum cedant, neque pungant afflictiones eos qui sine peccato sunt, quod est afflictionum aculeus: Non nocet autem sine aculeo vespa, sic neque Mors ipsa si peccatum deletum sit. Audi Paulum, *In omnibus premimur*, *at non anxii reddimur*; *laboramus*, *at non destituimur*; *persecutionem patimur*, *at non deserimur*; *dejicimur*, *at non perimus*, & alia plurima quæ in Paulo leges. Leviùs itaque ferunt pii suas adversitates, in quibus interdum gaudent & gloriantur, quàm improbi suas felicitates, in quibus interdum nauseant. ¶ *Miserator eorum*] *Qui miseratur eos*, & affectu pietatis super eos tangitur, *adducit eos*: Qui fieri ergò potest ut à quoquam lædantur? *Juxta scaturigines aquarum deducit eos*: Quomodo ergò sitient, aut ab æstu molestiam capient? Alludit ad Ps. *Dominus regit me*, *& nihil mihi deerit. Super aquas refectionis*, &c.

11. *Et ponam omnes montes*, &c.] *Montes meos*, inquit. Vel de montibus in quibus sita erat Jerosolyma intelligit: quia fingit ad illam terrenam Jerusalem properare Dei filios, per quam altera intelligenda est; ut suprà, *Ascendamus ad montem Domini*, &c. Vel *montes suos* vocat montes altissimos, ut Taurum, Caucasum, &c. nam isti dicuntur in Hebraismo *montes Dei*. Hoc quoque per Christum consecuti sumus, ut ad Deum undique veniri possit. Non enim uno aliquo loco circumscribitur ejus fides, agnitio & cultus: per montana currit, *per mare*, *per saxa*, *per ignes*: omnia pervia fecit per donum fidei & agni-

& agnitionis bonitatis ipsius quæ factâ reconciliatione terram universam inundavit. Quæ enim parùm opportuna esse videbantur & impedimento esse nè ad Deum possemus properare, ea omnia emollivit Dei misericordia, ut qui pusillo animo erant, ardua aggrediantur; & qui superbià tumebant, deposito tumore, æquabilitate gaudeant, & *in Christo J E S U non sit servus, neque liber, Judæus, neque Græcus*, &c. Per paupertatem & per Regni fastigia ad Regnum cœlorum iter patet. Nulla est denique conditio, nulla sors, nulla vocatio quæ impedimento esse posset quò minùs Deum comprehendamus. Quo factum est ut *multi ab Oriente & Occidente veniant*, &c. Quo in loco ad hunc qui sequitur allusio est;

12. *Ecce isti de longè venient*, &c.] Hic Orientem intellige. Nulla enim regio longiùs Palæstinæ patebat quàm Orientalis; quam sciebant ultra Persas ad Indos protendi, quorum fines ultra Gangem nemo lustraverat. Per *mare* autem, nempe Mediterraneum, Occidentem notabant Hebræi. Septentrionalem verò plagam צפון vocabant, quòd veluti *abscondita* esset. Fama enim erat quòd propter frigus nulli essent, aut rari, Hyperborei: aut certè quòd nondum quisquam illuc penetrasset ex Palæstina, neque commercium ullum cum Septentrionalibus populis haberent Palæstini. *Sinæorum* autem *terram* appellabant Meridionalem, propter montem Sinah, qui ad Meridiem jacebat, celeberrimum Judæis jam indè ab egressu ex Ægypto. Ergò ex omni natione absque ullo discrimine ad Deum iter aperuisse Dei filium significat Propheta. Datus enim est in reconciliationem & Mediatorem inter omnes homines, quorum carne assumptâ jam affinis erat, ut Deum veluti Patrem communem haberent. Quod cùm vidisset Propheta, non potuit sese continere quin in laudes Dei prorumperet, invitatis omnibus creaturis.

13. *Laudate, cœli*, &c.] Ego verbo antiquo dixi, *ovate*: nam id propriè significat verbum Hebræum רנן, *exclamare ex lætitia, lætitiámque vociferando aut canendo demonstrare*: à quo apud probatos auctores mansit participium *ovans*, & passim pro *lætabundo*, licèt pro minore triumpho, consueverit accipi. Sed ego antiquam significationem retineo quando hoc verbo *ovandi* utor. ¶ *Consolatus est populum*] *Populum Dei* vocat *filios Dei qui erant dispersi*, quos prævidit Jesaias per Christum *congregandos in unum*. Hos etiam vocat *pauperes suos, inopes*, & quibus nemo opitulabatur neque vociferantes exaudiebat. Si quispiam verò alteram à superiori interpretationem velit eorum quæ præcedunt, sic accipiat, ut *pauperes* isti & *filii Dei dispersi* sint illa *contemptibilis anima* & *gens abominabilis* & *servus dominorum* de quibus in v. 7. quibus *dicit Dominus* quòd *Reges illis honorem deferent propter Dominum, qui elegit te, ô Christe. Te enim tempore accepto exaudivit; te adjuvit: te dedit in fœdus populorum, ut istis pauperibus subvenires, illos eriperes, adduceres, omnia illis præstares.* Hoc quia veluti jam factum videt Propheta, omnia ad collaudandum Deum & congratulandum filiis Dei invitat. Tu autem, Christiane lector, pietatem & charitatem Prophetæ hîc considera, & quanto salutis omnium desiderio tenebatur, qui omnibus mutis elementis linguas optabat quibus congratularentur è captivitate Peccati redeuntibus: res enim est de qua gaudium est in cœlo: neque aliud est quod sic in amorem Divinæ bonitatis pertrahat hominum mentes. Vide infrà v. 18.

14. *Et dixit Tcion*, &c.] Vocationem Gentium superiùs commemoravit: hanc rursus repetit, (est enim in hoc argumento multus Propheta Jesaias) sed addit, eos qui ex Gentibus vocandi essent filios esse Tcion, & ad Israelem pertinere: quare cùm *Cœlum* ac *Terram* ad congratulandum deliberatè provocasset, adhuc tamen *Tcion* querimonias apponit; quia carnales Judæi hâc restitutione spiritalis generationis non sunt contenti, & impleri promissiones petunt de Multiplicatione filiorum; ut qui nihil nisi carnalia sapiunt, sempérque Jerusalem desolatam deflent. Quibus tamen non aliter satisfacit Dominus quàm quòd verbum suum servet & verax sit, promissiones adimpleat, innumerabiles filios ei donet, eam restituat, reparet sempérque amet: quòd, nisi spiritales oculos habeant, nunquam intelligent.

15. *Numquid*, &c.] Respondet Dominus, & consolatur *Tcion*, i. Ecclesiam, quam *Synagogam* appellant, affirmans quòd majori amore eam prosequatur quàm matres parvulos suos qui ab uberibus suis pendent.

16. *In manibus meis*, &c.] Probat signo se nequaquam ejus posse oblivisci, videlicet, quòd delineatam ejus figuram seu effigiem *super palmas suas gerat*. Vulgatus sensum optimè vertit: ego verbi significationem retinui: sed de figura civitatis intellige: sicut cùm eodem verbo dicitur Ezechieli ut *super laterem constituat civitatem Jerusalem*; & Job. 19. *Utinam in libro constituantur. Constituere* ergò *super manus* est Constitutionem & situm ejus effigiatum habere in palmis: quod videtur explicare, dum ait, ¶ *Muri tui coram me semper*] Mandata sua jubebat Dominus, nè unquam mente exciderent, sed ea veluti annulus in manu & quid appensum inter oculos gestarentur, i. tam memoriâ hærerent sicut quæ manibus gestamus, &c. Eâdem figurâ res nostras sibi curæ esse hîc dicit Dominus.

17. *Venerunt*,] Heb. *Festinaverunt*, i. festinantes venerunt: i. jam reparaberis. Adsunt qui te reædificent. Video ruinas *murorum*: scio quid tibi opus sit. *Recedent* jam hostes, qui optima quæque *diruerunt*, & *exsiccarunt te*, i. substantiam tuam abstulerunt, ut in solitudinem redacta videaris. Ego proprias verborum significationes expressi. Est enim חרב, ut jam dixi, *exsiccari*, vel adustione Solis, vel ignis, vel gladii. Qui exurebant te, & contrucidabant filios tuos, recedent longissimè: aderunt autem constructores. Expulsi enim sunt Pharisæi & impii Sacerdotes falsíque Doctores, qui Ecclesiam Dei pessundederant & penè in solitudinem redegerant: nam *neque ipsi intrabant, neque alios ingredi permittebant*, ut est in Euangelio. Venerunt veri Israelitæ & veri Judæi, Apostoli Domini, qui labentem Ecclesiam stabilierunt, & in pristinum decorem, imò multò majorem, restituerunt: reparaverunt collapsos parietes ex lapidibus vivis, illi qui omnia ad ædificationem poterant. Faxit Deus ut hos ædificatores, non illos destructores, imitentur qui loco & dignitate illorum gloriantur. Hæc autem reparatio initium habuit ab inspectione illa Dei & *descriptione super manus*. Orandus ergò Deus nè abjiciat nos post tergum, sed de excelso figat super nos oculos die ac nocte, ut longè semoveat diruentes Civitatem sanctam, *restituat* autem *Judices sicut à principio*.

18. *Leva*, &c.] Flebat Tcion quòd orbata maneret, & imminuta esset plùs quàm omnes gentes, quas antea numero vincebat. Hoc enim *derelictio* illa *Dei* & *oblivio* designabat, præter collapsos muros & exustas domos. Jam post reædificationem multiplicationem filiorum pollicetur. ¶ *Venerunt tibi*] In hoc est totius consolationis status. Cùm dico à quatuor plagis Orbis venturos pauperes ad Deum, nè putes nihil hoc ad te pertinere, te autem adhuc in orbitate tua permanere. *Tibi veniunt omnes isti*. Etsi sunt ex Gentibus, & non ex semine Abrahæ, filii tamen tui sunt, & ad dignitatem tuam & *ornatum* non parùm faciunt: erunt enim tibi *veluti ornatus mulieri*. Quæ enim ornamenti gratiâ mulieres induunt, aptissima sunt, & concinnitatem habent, atque ab illis plurimi fiunt: ea illæ recondunt, contemplantur; dum promunt, extergunt: sibi deinde ubi adaptant, se tunc demum pulcras esse existimant. *Ornamentis* ergò comparat Dominus illos qui ex Gentibus ad agnitionem veri Dei pervenerunt: Synagogam autem *mulieri* aut *sponsæ* quæ illis ornata est, illósque sibi *tanquam ornamenta astrinxit & obligavit*, juxta illud Euangelii, *Oportebat te lætari & gaudere, quòd frater tuus iste perierat, & inventus est*, &c. Certè qui verè ad Synagogam & Dei Ecclesiam pertinebant, ad hunc modum Gentium conversionem accipiebant. Vide interim, Christiane lector, quibus se amiciat Ecclesia Dei, & quæ sua reputet ornamenta. Templorum quidem materialium ornatus & decor eatenus accepti sunt Deo quatenus fidelium animos bene afficiunt, & ad contemplandam puritatem, majestatem & decorem Dei ac Sanctorum inducunt. Sed nullis ornatibus sic gaudet spiritalis Mater & Caput ejus atque istis quos hîc commemorat. Non enim illis se tanquam addititiis ornamentis exornat, sed hos pro oculis, illos pro auribus, alios pro manibus, & alios pro aliis membris accipit; nec se sine illis vivere existimat. Quapropter horum generationi studebant, hos summâ curâ educabant, & nullam non impendebant operam quò eos ad viros perfectos perducerent. Vide in Paulo viscera Ecclesiæ & Christi.

19. *Quia deserta tua*, &c.] Scis quantum ad te pertineant, & quàm inter filios sint computandi? *Ad te, ad te*, inquam, *venient*; neque alias regiones incolere volent, adeò ut *siccitates tuas*, i. regiones aridas, & quæ ob aquarum penuriam deserta sunt, & ea quæ *vastata* sunt, & quæ homines abominari solent (quæ Hebraismus vocat *afflationes* seu *afflata*) has, inquam, regiones occupabunt: malléntque apud te hæc incolere quàm amœnas in quibus nati sunt regiones, i. mallent in gremio Ecclesiæ duriter vivere, & abjecti esse in domo Dei, quàm indulgere genio & delicatè vivere extra Ecclesiam in tabernaculis peccatorum. Vide de his regionibus nonnihil suprà in fine annotationis v. 8. Judæis verò, quia tantùm oculos carnis habent, hæc intelligere non possunt, sed ad sua figmenta recurrunt. ¶ *Angusta erunt*] Doctè Vulgatus ità mutavit personam: nam in Hebræo est secunda, *angusta eris*: & repetit

par-

particulam Continuationis כי, fortè ut insinuet in priori membro supplendum verbum, q. d. *quia deserta tua & vastitates tua habitabuntur*; *quia angusta eris præ habitatoribus*, &c. ¶ *Nunc*] Vel *jam*. ¶ *Longè fugabuntur qui absorbebant* (vel *præcipitabant*) *te*] Hoc opponit multitudini: quæ enim absorbentur aut præcipitantur evanescunt. Vide suprà v. 17. quòd isti *absorptores* sint qui *habebant clavem scientiæ*, *& neque ipsi introibant*, *neque ingredi sinebant alios*. Sunt falsi Doctores, qui juventutem Ecclesiæ deglutiunt, & orbatam reddunt Ecclesiam: quibus nostro hoc seculò, prò dolor! plenus est orbis Christianus. Nequit autem multiplicari fidelium numerus ni longè absint absorbentis juventutem & partus ipsius: ubi enim sunt animalia quæ aliorum partus devorant, possibile nunquam erit, quamdiu feræ illæ non exterminabuntur, generationem aliorum multiplicari. Expellendi ergò sunt ac de medio tollendi hujusmodi *absorptores*.

20 *In auribus tuis*] Non hoc rumore percipies, sed ipsa ab ipsis audies. Non pudebit eos dicere angustum esse spatium quo hactenus contenta es; sed ipsi *filii tui dicent*, non opus esse *imponere jugum* aliis *quod neque ipsi*, *neque patres portare potuerant*. Ipsi, ipsi, inquam, filii tui per totum Orbem proficiscentur, ut Gentibus impertiant gratiam Dei, & te dilatabunt, & compellent ut pro filiis agnoscas Garamantes & Indos. ¶ *Filii sterilitatis tuæ*] Suprà jam admonui שכל *orbitatem* propriè notare. *Filios* autem *orbitatum* vocat qui Ecclesiæ nati sunt postquam ad orbitatem devenissent, vel certè illos qui ipsi remanserunt & superstites fuerunt, nempe Apostoli. Continebat filios suos Ecclesia intra limites Palæstinæ: non poterat universus Orbis illuc confluere: Necesse ergò fuit dilatari Ecclesiæ sinus, non sine admiratione Judæorum. Hoc habes in his versibus. ¶ *Fac mihi spatium*] Phrasis peculiaris est hoc loco in Hebræo. גש enim *accedere* sign. Ad verbum dicendum esset, *accede mihi*: sed quis hoc intellexisset? Ideo Vulgatus rectè sensum vertit, *Fac mihi spatium*, seu *accessum*. *Fac ut aliò possim accedere* seu *concedere*. *Cede mihi*, vel quid simile.

21. *Et dices in corde tuo*, &c.] Novum fuit Judæis (ut ex Euangelio & Actis Apostolicis apparet) videre quòd & *Gentibus impertiret Dominus gratiam Spiritûs sancti*, adeò ut miraculis & revelationibus opus fuerit ut tandem acquiescerent. Erat quoque admiratione dignissimum eo tempore quo collapsa erat fides, & paucissimi erant in Ecclesia filii, eo, inquam, tempore quò Ecclesia videbatur prorsus interiisse, exciso populo Dei, & Judæorum repub. prorsus deletâ, subitò videre totum Orbem cognitione Dei illustrari, & barbaras nationes ad fidem properare. Unde istæ voces, *Ego orbata & solitaria: quis genuit mihi istos?* &c. ¶ *Non pariens*] גלמוד quatuor literis constat quas vocant *radicales*. Quamvis autem hoc à Rabinis annotatum non inveniam, mihi tamen pro comperto est esse vocem compositam à nomine גלם, i. ut Medici vocant, *mola* (quæ in matrice gignitur, & infructuosa est, ac nihil utilitatis habet, sed tantùm similitudinem cum fœtu) & radice ילד, i. *genuit*; q. d. *generatio* (aut *partus*) *molæ*. Quare illud Job. 3. *Nox illa sit* גלמוד sic interpretor, *sit nox qualis est in qua mulier*, cujus partum exspectabant, *molam edit*: unde additur, *neque veniat in ea laus*, seu *exsultatio*. Et cap. 15. *Congregatio hypocritæ*, *generatio molæ*: quæ sanè comparatio est lepidissima. Denique Job 30. intelligitur de *oppilationibus aliisque tumoribus qui tempore famis & egestatis ob insalubres cibos generantur*. In hoc autem loco est forma feminina גלמודה, i. *gignens molam*. *Ego*, inquit, *orbata & veluti in utero molam gerens*, qui nullos fœtus produco, sed hypocritas & non fideles filios, &c. Quare *sterilem* cum Vulgato reddidi, licèt non plenè significatio exprimatur. Hanc interpretationem confirmant loci illi ex Job. Quid enim cap. 30. sibi vult *nox sterilis*, aut *solitaria*? Sed de hoc vide quæ ibi annotavi. Item cap. 15. hæc interpretatio ex sequentibus confirmatur, ubi quod dixerat, nempe *congregationem hypocritæ esse veluti tumorem molæ*; *& quòd ignis devoraturus esset*, *ejus tabernaculum*, veluti exponens addit, *Concepit dolorem*, *& peperit iniquitatem*, i. Concepit intra viscera injustitiam & peccatum, & tandem ejus rei percepit fructum, nempe dolores & afflictiones, quæ nomine *iniquitatis* Hebræis veniunt. Ventrem itaque hypocritam gestare significabat cùm bona congregaret & substantiam augeret. Meritò itaque Ecclesia, quæ non solùm *orbatam* se filiis videbat, sed infirmitatem suam agnoscebat, quòd esset *sterilis*, & nullos filios qui *filii* nomine digni essent ederet, cùm tantam fidelium multitudinem conspicit, admiratur, *Quis*, inquit, *hos genuit? Ego enim* jamdudum filiis *orbata* sum, qui nomine *filiorum* digni essent: nunc si uterum gero, si pario, perinde est ac si *molas parerem*. Facit etiam huc quæ de Legis impotentia scribit Apostolus, & quæ de hypocrisi illius temporis scribunt Euangelistæ. Hâc ergò admiratione & his verbis fœcundam Dei bonitatem insinuat, à qua generatio illa prodibat, ad quam nullas vires in se agnoscebat. Hîc certè, lector, si æquus sis judex, intelliges quantum momenti in una vocula situm sit si ritè expendatur, & quantum juvet ad Scripturarum intelligentiam linguam Sanctam addiscere. ¶ *Ego derelicta*] In Hebræo nulla conjunctio habetur, *Ego derelicta*, *sola: isti, ubi ipsi?* i. *erant*. Sed hoc parvi refert. Hîc considera quàm præter humanam spem oborti fuerint in toto Orbe filii Dei, cùm neque ipsa Ecclesia id unquam somniasse videatur. Quis enim putasset *ex lapidibus suscitandos filios Abrahæ*? Certè locus hic mirum in modum mihi Dei bonitatem commendat.

22. *Levabo*, &c.] Explicat quonam pacto venturi erant ex universo Orbe ad Ecclesiam filii ipsius; non ductò per mundum exercitu, non armis, non multo meo labore, aut tuo; nihil aliud faciam quàm *extollam manum meam*, *& signum meum*, ut *gentes* illud videre possint. Nè dubites hic loqui Dominum de signo seu vexillo Crucis & prædicatione Euangelii. Ubi enim de Cruce prædicatio ad Gentes pervenit, in qua exserebat se manus & virtus Dei, quæ aereas potestates devicerat, & de quibus in cruce moriendo triumphaverat, nulla mora; captivantes intellectum in obsequium fidei; excipientes Filium Dei in Euangelio, infiniti homines in filios Dei adoptati sunt: ex quibus quamplurimi Regibus & Principibus mundi fuerunt in pretio, & magnis honoribus affecti, præsertim cùm ipsimet Principes ab eis audiebant verbum Dei, & in Christum credere incipiebant: Tunc se Regnáque sua illorum arbitrio tradebant, & illos Reges, se verò servos eorum arbitrabantur. Hæc enim est vis Crucis agnitæ, ut omnia reputentur vilia si cum dignitate ejus conferantur. Illi verò per quos virtus Domini se exserit, in quorum pectoribus agnoscitur Christus habitare, & per os loqui, dictu mirum quanto in honore habeantur ab eis qui veritatem agnoverunt. *Oculos eruerent*, ut est apud Paulum si id servis Dei viderent cordi esse. Quare non immeritò & non nisi summa cum venustate his tropis utitur Propheta, *in sinu deferre*, & *super humeros sustollere*; & quod sequitur,

23. *Erunt Reges nutritii*, &c.] אמנים *fidos* seu *fideles* sonat Hebræis: quâ voce *curatores*, *procuratores*, *dispensatores*, *œconomos*, *nutritios* seu *educatores*, quorum fidei & curæ res & officia aut infantes committuntur, significant Hebræi, nimirum à fide, quæ potissimùm in his spectari solet atque requiri. Quod & D. Paulus significare, & quasi datâ operâ hanc vocem explicare voluit 1 Cor. 4. *Sic nos existimet homo ut ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei. Quod superest autem, illud requiritur in dispensatoribus, ut fidelis aliquis reperiatur.* Vide & 1 Tim. 1. At nomen *nutricum* מיניקות est à *lactando*: ideo *lactatrices* dixi. Pro *Reginis* autem *principes mulieres*, propter pronomen *eorum*, quod omittendum non erat. Majus enim est uxoratas Reginas alere alienos infantes. Adde quòd שר *Princeps* est, cujus hic est plur. femin. Hæc figuratè summos honores & summas delicias notant; sicut etiam quod sequitur, quòd *vultu in terram demisso*, &c. quod non intelligas tantùm de oculis in terram fixis, sed quòd procumbentes & naso terram attingentes supplicarent. Nam pro *vultu in terram demisso* habet Hebraismus *nasi terra*: quod puto Hebræos efferre sicut nos Hispani componimus duo nomina substantiva, & quasi unam vocem efficimus: quæ oratio per ablativum absolutum redditur. Hanc eandem phrasim habes Gen. 42. de fratribus Joseph, & Gen. 19. de Loth, quando Angelos invitavit in hospitium. Cæterùm quod sequitur, ¶ *Pulverem pedum tuorum*, &c.] Simile est quod nos Lusitani dicimus, *Osculabuntur terram in qua pedem fixeris*, pro *Summum honorem deferre*, *& tantum non pro Deo colere*: quod in usu fuisse apud Gentes memini me audisse. Hyperbolicè autem & per Auxesim dictum est *lambendo depascere pulverem*. ¶ *Et scies*] Tunc experimentò comprobabis me esse verum Deum, ut qui te ad tantam dignitatem evexerim, cùm jam de te actum esse credere alii potuissent, tu verò timeres. Intelliges etiam me talem esse Deum *cui qui innixi fuerint non pudefient*. Hebraismus sic habet, *cui non pudefient sperantes mei*; vel *qui erectis in me sunt animis*. Cùm autem rebus ferè desperatis Deus adsit, & tum maximè fervet quando jam nihil spei superest, nónne quodammodo ab homine fiduciam extorquere videtur ut ab eo pendere velit?

24. *Numquid tolletur*, &c.] Fingit incredulorum voces, & rei difficultatem describit, ut bonitatem Dei amplificet atque potentiam, & fiduciam confirmet. Quî fieri potest ut *prædam quam heros quispiam & gigas ceperit*, *aliquis ab eo auferat*? Quonam pactò qui à tyranno captivi tenentur, cujus potestati in terra non est quæ comparetur, eripi ab ejus vinculis poterunt? Quî fieri poterit ut Gentes Diaboli mancipia *ad simulacra muta*, *prout ducebantur euntes*, excusso jugo, Deo serviant, & in filios Dei &

Ecclesiæ computentur? In Bibliis quidem Hebræis in secundo membro est nomen צדיק *captivitas justi*, pro quo Vulg. *quod captum fuit à robusto*, quasi legerit עריץ, quod nomen v. seq. legitur, ubi hæc verba repetuntur. Est autem in literis affinitas ac similitudo, ut errorem scribæ suspicari possimus: nisi dicamus adjectivè accipi, ut interdum solet, & hîc *captivitatem justam* vocari captivos quos fortis ille justè captivos detinebat. Nam cujus voluntatem quis facit, ejus efficitur servus.

25. *Captivitas à forti*] Non potest à forte eripi præda nisi ab altero fortiori. Hîc certè promittit Dominus, Fortiorem quempiam venturum in mundum, qui *alligaret fortem* illum & robustum gigantem, *& universam ejus substantiam auferret*, ut est in Euangelio Matth. 12. & Luc. 11. & Mar. 3. in quibus locis nomen גבור videtur redditum nomine ἰσχυρός. Nam nulli dubium esse debet quin in ea similitudine ad hunc locum Jesaiæ respexerit Dominus, & ex eo loco Euangelii hujus loci intelligentia petenda sit. ¶ *Et eos qui te judicaverunt*] Heb. *& eos qui te litigando oppugnaverunt ego litigando oppugnabo*: vel, *cum litigatoribus tuis ego litigabo*. Petit Psaltes à Domino quod hîc se facturum pollicetur: ubi nostra editio, *Judica, Domine, nocentes me*, habent Hebræa, *Litiga, Domine, cum litigatoribus meis*; vel potiùs, *litigando oppugna, Jehova, qui me litigando oppugnant*. Ego, inquam, litigabo, ego oppugnabo; tu tacebis: id enim v. seq. explicat.

26. *Carnibus suis*] i. Faciam ut mutuis se vulneribus conficiant. Tunc enim ore gladii *carnes suas absumunt*, & *sanguine suo sese inebriant*, dum suo ipsorum sanguine & mutuâ cæde sese commaculant, & fraterno sanguine madent & gladii & manus & vestes. Estque allusio ad locos illos in Scripturis in quibus narratur quòd hostes Israelitarum mutuis cædibus se deleverint: quod non semel accidit. Quæ nihil aliud significant quàm incruentam victoriam & sine labore filiorum Dei partam. Conciderunt adversariæ potestates, debellati sunt tenebrarum Principes; erepti sumus de earum potestate. Quas, quæso, operas huic bello impendimus? quid contulit auxilii Ecclesia aut ejus filii? Solus ipse hostes delevit, & *Principem mundi ejecit forás*. Ut vel hâc unâ ratione damnandi sint improbi Christiani, quòd Principes hujus mundi jam damnatus sit, illi verò damnato & expulso rursus obediant, & *quasi dolentes de ejus damnatione*, ut loquitur Magnus ille Basilius, *jacentem stabiliant, & ejus Regnum iterum exsuscitent.* ¶ *Et sciet omnis caro*, &c.] i. Manifestum apparebit cuivis volenti rem perpendere & quæ facta sunt secum pensitare, quòd ego sim ille fortior, ego Deus carne indutus apparuerim, ut *dissolverem opera Diaboli*, & sim *potentissimus* Israelitarum Deus, qui eorum causam ago. Quis enim potuisset sic alligare fortem illum, & captivos ejus liberare, nisi Deus? Quis potuisset efficere ut qui ab incunabulis omne genus vitiis succubuit, subitò fidem Christi amplexatus, & Euangelio auscultans, sanctè & inculpatè vivat, non solùm à peccatis sed à passionibus animi liberatus, nisi Deus multò fortior illo hoste? *Quis similis tui in fortibus, Domine?* Verè agnoscimus quòd tu potentissimè nos liberaveris, & Redemptor noster sis, Deus & homo, Dominus noster & frater noster. Sit nomen tuum benedictum in secula.

LUCAS BRUG.

10. ET [o.] *ad fontes aquarum potabit* [*potabis* o.] *eos.*] Frequentior codicum scriptura est *potabit*, quam sequuntur Glossematici, Lyra, Caro & Richel. Porrò quidam codices *portabit* habent, duo Parisiensium, S. Germani parvus & Complutensis; tres nostri, Hunnæi M. Plantini angustus, atque is quem cœnobii S. Jacobi Leodii Abbas commodavit, ex quo crasa quidem est litera *r* (ut sunt pleraque omnia in eo, cæteroqui integerrimo, recentiori depravatoris manu immutata) sed satis etiamnum apparet. In Card. Bessarionis libro addita est *r* litera, notatúmque in margine rectè est *portabit*. Hebraicè est ינהלם, id quod LXXII senes reddidere ἄξει αὐτοὺς, S. Joannes Apoc. 7. 17. ὁδηγήσει αὐτούς· similiter plerique hodie Interpretes, *ducet*, vel *deducet*, *eos*; Chaldæus Paraph. ישרינון *habitare faciet*, vel *collocabit*, *eos*: quæ omnia *portabit* adstruunt. Adhæc Interpres noster vocem illam *portare* convertit, Exod. 15. 13. & Isai. 40. 11. Videri igitur possit & hoc loco ad eum modum convertisse: quibusdam tamen locis (Gen. 47. 17. Psal. 22. 2.) *sustentare* atque *enutrire* interpretatus est. Commentarius *potabit* habet: verùm ità ut non liqueat an ab eo scriptum, an verò ex *portabit* mutatum sit. *Et deducet*, ait, *ad fontes aquarum*, *sive*, *potabit illos ad fontes*, *de quibus scriptum est*, Benedicite Domino de fontibus Israel: *& in alio loco*, Haurite aquas de fontibus salvatoris. *Hi fontes in Veteri Testamento & Novo sunt.* Haymo, qui ejus ferè commentarium sequitur, *portabit* legit; *Et cùm per se nihil possint, & ad fontes aquarum portabit eos. Ad illos utique fontes de quibus canitur*, Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris: *quibus aut Sacra Scriptura aut Spiritûs Sancti gratia intelligitur.*

DRUSIUS.

1. שִׁמְעוּ אִיִּים אֵלַי וְהַקְשִׁיבוּ לְאֻמִּים. Sym. Ἀκούσατέ μου, νῆσοι, καὶ ἀκροάσασθε, ἔθνη, *Audite me, insulæ; & attendite, gentes*] Eusebius.

5. וְיִשְׂרָאֵל לֹא יֵאָסֵף. Sym. Th. *& Israel non congregabitur.* A. *& Israel ei congregabitur.*] *Non congregabitur.* Sic Hier. qui in Comment. ità scribit, *Th. & Sym. nostræ interpretationi congruunt. De Aquila autem miror, quòd homo eruditissimus linguæ Ebraicæ, & verbum de verbo exprimens, in hôc loco aut simularit imperitiam, aut Pharisæorum perversâ expositione deceptus sit, qui interpretari voluit*, & Israel ei congregabitur, *h. e. Deo: cùm verbum Ebraicum* לא *in hoc loco non scribatur per* ל *&* ו, *quod si esset, significaret ei vel illi: sed per* ל *&* א, *quod propriè non sonat.* Hæc Hier. quibus hoc addo; In scriptura quidem esse לא per Aleph, sed legi לו per Vau: quod Critici Ebræorum Massoritæ annotarunt: & ità etiam legit Jonathan Chaldæus P. Vertit enim certè לדחלתיה *ad timorem*, i. ad Deum suum. R. David utrumque enarrat, h. e. & scripturam & ipsam lectionem.

7. לִבְזֹה־נֶפֶשׁ. Lxx φαυλίζοντα τὴν ψυχὴν. οἱ λοιποὶ, ἐξουθενημένον] Theodoretus. A. Sym. Th. *qui nihili facit*, Interpres Symbolorum. Th. *ei qui despicit animam*, Hier. Verba Theodoreti, τὸ φαυλίζοντα ἐξουθενημένον οἱ λοιποὶ ἡρμήνευσαν. ¶ לִמְתָעֵב גּוֹי לְעֶבֶד מֹשְׁלִים. Th. *qui abominati est genti, qui servus est Principum*] Hier. *Cui interpretationi Aquila consentit, & ex parte Lxx.* Th. τὸ δοῦλον τῶν ἀρχόντων. Vide sis ed. Rom. ויבחרך. Sym. ὃς ἐξελέξατό σε, *qui elegit te*] Sic etiam Hier.

8. לִבְרִית. A. Sym. Th. εἰς συνθήκην, *in pactum*; sive *fedus*] Theodoretus, τὸ διαθήκην, συνθήκην οἱ λοιποὶ ἡρμήνευσαν.

12. סִינִים. Aq. Sym. Th. Σινεὶμ *Sinim*] Hier. *Pro Australi plaga in Ebræo legitur* SINIM, *quod Lxx Persarum interpretati sunt: cæteri, ut in Ebræo legitur, expresserunt* SINIM.

21. גֹּלָה וְסוּרָה. Th. πάροικος καὶ ἐκκεκλεισμένη *accola & exclusa*] Apud Procopium sub asterisco legitur, & Theodotioni adscribitur.

23. וְשָׂרוֹתֵיהֶם מֵינִיקֹתַיִךְ. Sym. καὶ ἄρχουσαι αὐτῶν γαλουχοῦσαι, *& principes feminæ lac illis præbebunt*] Euseb. in Symbolis, pag. 790.

25. שְׁבִי גִבּוֹר יֻקָּח וּמַלְקוֹחַ עָרִיץ יִמָּלֵט. Sym. *sed & captivitas fortis auferetur, & rapina horribilis salva erit*] Hier. *Unde manifestiùs interpretatus est Symmachus*, Sed & captivitas, &c. fortem *atque* horribilem *Diabolum volens intelligi, qui* DOMINI *virtute separatus est.*

IDEM EX PROCOPIO.

1. וְהַקְשִׁיבוּ לְאֻמִּים מֵרָחוֹק. Sym. καὶ ἀκροάσασθε ἔθνη μακρόθεν, *& attendite gentes de longe*] Sic etiam cæteri. Proc. τὸ δὲ, ἐκ χρόνων μακρῶν, Μακρόθεν ἐξέδωκαν οἱ λοιποί.

6. לִי עֶבֶד. οἱ λοιποὶ, Δοῦλόν μου *servum meum.* ¶ וּנְתַתִּיךָ לְאוֹר גּוֹיִם. Reliqui, καὶ δέδωκά σε εἰς φῶς ἐθνῶν, *& posui te in lucem Gentium*] Quanquam in Lxx ἰδοὺ τέθεικα *ecce posui.* Dubitationem movent verba Procopii, καὶ οἱ λοιποὶ δὲ οὕτως ἐξέδωκαν.

8. לְהָקִים אֶרֶץ לְהַנְחִיל נְחָלוֹת שֹׁמֵמוֹת. Sym. ἀναγεῖραι τὴν γῆν, καὶ κληροδοτῆσαι κληροδοσίας ἠφανισμένας †, *ut suscitares terram, & divideres hereditates vastas*] † Sic etiam A. & Th. Quod indicant verba illa, οἱ γ' ἠφανισμένας. Ea habentur in margine ad textum Procopii.

13. פִּצְחוּ הָרִים רִנָּה. Sym. ἱλαρυνθήσεται ὄρη ἐπὶ πᾶσιν *. *exhilarentur montes in omnibus.* Aq. κελαδήσατε ὄρη αἴνεσιν, *resonate, montes, laudem*] * Suspectum. Job. 39. 13. רננים vertit ἀγαλλίασμα.

15. מֵרַחֵם. Sym. ὥστε μὴ οἰκτειρῆσαι. Th. τοῦ μὴ οἰκτεῖραι.

16. הֵן עַל־כַּפַּיִם חַקֹּתִיךְ. A. Ἰδοὺ ἐπὶ τῶν ταρσῶν ἠκρίβωσά σε, *Ecce super palmos accuratè descripsi te.* Sym. ἐστήριξά σε *firmavi te.* Th. διεχάραξά σε *effermavi te.*

22. בְחֹצֶן. οἱ λοιποὶ, ἐν ἀγκάλαις *in ulnis*] Sic etiam Hier. Psal. 129. 7. חצנו. R. D. זרועו *brachium ejus.* Lxx τὸν κόλπον αὐτοῦ, ut hîc.

23. אֲשֶׁר לֹא־יֵבֹשׁוּ קֹוָי. A. Th. καὶ οὐκ αἰσχυνθήσονται οἱ ὑπομένοντές με, *& non afficientur pudore qui exspectant me.* Sym. καὶ οὐκ αἰσχυνθήσονται οἱ προσδοκῶντές με, *& non confundemur qui exspectant me.*

24. הֲיֻקַּח מִגִּבּוֹר מַלְקוֹחַ וְאִם־שְׁבִי צַדִּיק יִמָּלֵט. Sym. Μὴ ληφθήσεται παρὰ δυνατοῦ λῆψις, ἢ αἰχμαλωσία δικαίου διασωθήσεται; *Num capietur à potente captura? aut captivitas justi conservabitur?* A. Th. ——— καὶ ὁ αἰχμαλωτίζων δίκαιον σωθήσεται, *& qui captivum abducit justum servabitur.* Procop. ἀντὶ τοῦ ἀδίκως, τὸ Ἑβραϊκὸν, δικαίως, ἔχει.

25. כִּי־כֹה אָמַר. Aq. Sym. Th. Ὅτι οὕτω λέγει, *quia sic dicit.*

GROTIUS.

1. DOminus ab utero vocavit me] Loquitur Esaias. Paria Deus de Jeremia I. 5. Apostolus Paulus de se Galat. I. 15. Hebræi illa loca interpretantur de egregia temperatura cerebri, quâ Deus à primo ortu donare solet eos quos Prophetiæ præparat.

Recordatus est nominis mei] Indidit mihi nomen pulchrum, quo *salus* à Domino ventura significatur.

2. *Et posuit os meum quasi gladium acutum*] Auctoritatem mihi dedit ad vitia exscindenda. Confer Ephes. VI. 17. Hebr. IV. 12. Apocal. I. 6.

Posuit me quasi sagittam electam] Ut verba mea quàm longissimè pervenirent.

In pharetra sua abscondit me] Id est, protexit me, ut jam dixerat: nè ulla vis seditiosorum mihi noceret.

3. *Servus meus es tu Israël*] Id est, *Israëli*, Israëlis bono.

In te gloriabor] *Per te gloriam assequar:* per tua prædicta.

4. *In vacuum laboravi sine causa, & vanè fortitudinem meam consumsi*] Vires meas prædicando exhausi, nullo aut exiguo fructu.

Ergò judicium meum cum Domino] *Verumtamen merces mea à Domino. Merces* dicitur משפט [*judicium*], quia ex pacto redditur.

Et opus meum cum Domino] Idem quod præcessit. Nam Hebræi μετωνυμικῶς [*transnominando*] mercedem operis *opus* vocant, ut Jerem. XX. 13.

5. *Ut reducam Jacob ad eum*] Ut illos ad pœnitentiam vocem.

Et Israël non congregabitur, gloriosus ero in oculis Domini] Puto veram esse lectionem scriptam in textu לא [*non*], quam sequitur Latinus, non illam in margine לו [*ipsi*]. Sensus est, *Etiamsi Israël ad mea monita nolit converti, ego tamen Deo placebo: qui scit me in officio non fuisse cessatorem.*

6. *Parum est*] Id est, Non sufficit mihi ut Hebræis prædices.

Et faces Israël convertendas] Reliquias populi.

Ecce dedi te in lucem Gentium] Ut illos quoque ab idolis avertas, & sic plurimos serves. Vide suprà capita XIII. XIV. XV. XVI. XVII. XVIII. XIX. XX. XXI. XXII. XXXIII. XXXIV. XLI. XLV. XLVI.

7. *Ad contemptibilem animam*] *Ad contemtorem animæ suæ.* Esaiam qui cum summo vitæ suæ periculo Dei dicta enuntiavit, nè maximis quidem parcens, ut Sobnæ.

Ad abominatam gentem] *Ad abominatum Gentibus*, ob perpetuam idololatriæ reprehensionem.

Ad servum dominorum] Subjectum Regibus Judæis.

Reges videbunt, & consurgent] Reges ipsi te ut Prophetam venerantur. Vide suprà XXXVIII.

Et consurgent principes & adorabunt] Magno honore te afficit Eliakim, boníque principes alii.

Quia fidelis est] Credunt Deum im[p]leturum quæ ejus nomine prædicis.

8. *In tempore placito exaudivi te*] *In tempore voluntatis* (ubi tu voluisti) *exaudivi te*, pro Ezechia deprecantem.

In die salutis auxiliatus sum tui, & servavi te] Effeci nequid Assyrii aut Sobna cum sua factione tibi nocere possent.

Et dedi te in fedus populi] Id est, per te renovavi meum cum populo fedus.

Ut suscitares terram] Ut instaures terram desolatam, eam facias iterum habitari, Judæis ad tua monita resipiscentibus.

Et possideres hereditates dissipatas] *Possideri facias.* Sic enim habet Hebræum.

9. *Et diceres his qui vincti sunt, Exite*] Id est, Corrigite vos ut exire possitis.

Et his qui in tenebris, Revelamini] His qui calamitatibus sunt pressi, Date operam ut omnia vobis lucescant, id est, prospera eveniant.

Super vias pascentur] Etiam viæ erunt pascuæ: id est, florebunt omnia, si se convertant Israëlitæ.

Et in omnibus planis pascua eorum] Idem est quod præcessit, ἐν πάσαις ταῖς τρίβοις [*in omnibus callibus*], ut hic habent Græci. Vide Numer. XXIII. 3. Jeremiæ III. 2.

10. *Non esurient, neque sitient, & non percutient eos æstus neque Sol: quia miserator eorum reget eos, & ad fontes aquarum potabit eos*] Id est, ad reditum nihil ipsis deerit: omnia erunt facilia.

11. *Et ponam omnes montes meos in viam*] Id est, idem faciam quasi montes auferam. Vide suprà XL. 4.

* *Et semitæ meæ exaltabuntur*] Id est, valles, ut via sit æqua. סלל vertitur ὁδοποιεῖν [*vias facere*]. מסלה vertitur ὁδὸς, δίοδος, τρίβος, πορεία [*via, transitus, callis, iter*].

12. *Ecce isti de longè venient*] Id est, ab Oriente, à Perside & aliis locis ad Orientem Judææ sitis: nam hoc sequentia requirunt, de Hebræis loquitur.

Et ecce illi ab Aquilone, Ex Media, quò multi erant deportati.

Et mari] Id est, ab Occidente: nam mare Syriacum ad Occidentem Judææ. Per *mare* intellige loca transmarina, Cyprum, Cretam, Macedoniam.

Et isti de terra Australi] In Hebræo: סינים [*Sinim*]. Noli hic cum quibusdam cogitare de *Sinensibus* ultra Indiam, qui sunt צינים [*Tsinim*], non סינים. Post Ortum, Septentrionem, Occidentem, restabat Auster. Ad Austrum Judæa sunt *Sinai*, ut hic interpres nomen סיני transtulit Genes. X. 17. unde nomen habet deserta regio *Sin*, & in ea mons Sinai, Exodi XVI. I.

14. *Et dixit Sion*] Urbi Hierosolymorum destructæ dat sermonem.

15. *Et si illa oblita fuerit*] Id est, Esto tamen: possit hoc fieri.

16. *Ecce in manibus meis descripsi te*] Solebant qui negotii alicujus meminisse volebant, signum ejus aliquod apponere digitorum alicui. Vide Exodi XIII. 9.

17. *Venerunt structores tui*] In Hebræo, *Festinant.* Jamjam Cyrus id præcipiet.

Destruentes & dissipantes à te exibunt] Longè erunt à te Babylonii, nihil nocere tibi poterunt: nec magis Samballetes, & Tobias Ammanita.

18. *Omnes isti congregati sunt*] Omnes isti qui per omnes terras, Assyriorum, Medorum, Babyloniorum, Persarum, exsulant, ingens illa multitudo.

Venerunt tibi] Jamjam venient ad te.

Omnibus his velut ornamento vestieris, & circumdabis eos tibi, quasi sponsa] Sicut vestibus speciosis & monilibus decorari sponsæ solent, sic illorum egregiæ virtutes te decorabunt.

19. *Deserta tua & solitudines tuæ*] Loca quæ talia per LXX annos fuêre.

20. *Filii sterilitatis tuæ*] Nati tibi, cùm sterilis videreris.

21. *Transmigrata & captiva*] Deserta, abductis civibus, ipso etiam solo in miseram servitutem redacto.

22. *Ecce levabo ad gentes manum meam*] Ut solent qui aliquem ad se vocant.

Et ad populos exaltabo signum meum] Ut solent Duces qui militem paratum esse volunt.

Et afferent filios tuos in ulnis] *In sinu suo:* sicut parvuli portari solent. Ità hîc Græci. Nec aliter Arabes حضن usurpant.

Et filias tuas super humeros portabunt] Quasi in lecticis ferent: id est, omnia itineri commoda præstabunt.

23. *Et erunt Reges nutritii tui*] Ut Cyrus, Darius, Artaxerxes, Esdræ memorati; Alexander Magnus, successores ejus, maximè Demetrius. Hi enim & in populum & in Templum plurima beneficia, immunitates, dona contulerunt: quæ videre est apud Josephum. Adde quæ diximus ad Matth. XXIV. 15. *Nutritium* pro *nutritore* habemus & apud scriptorem Belli Alexandrini.

Et Reginæ nutrices tuæ] Ut Esthera, ut Cleopatra Regis Ptolemæi filia nupta Alexandro Judæorum Regi, & aliæ.

Vultu in terram demisso adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent] Patet hic אפים ארץ positum pro אפ׳ ארץ, qualis constructio reperitur Exodi XXVIII. 17. Proverb. XX. I. 21. & alibi. Intellige autem per אפים ארץ *spectabiles in terra, honoratos.* quomodo id nomen interdum sumi notant Hebræi ad I Sam. I. 4. Pertinet autem hoc ad Principes Idumææ, Moabitidis, & aliarum terrarum, quas Judæi reversi subegere. *Pulverem pedum lingere* non est Regum, sed hostium subactorum. Apparet hoc Psalm. LXXII. 9. confer & quod infrà est LX. 14. *Vestigia adorare* hoc dicit Statius, id est, ibi procumbere ubi alter incessit.

Super quo non confundentur qui exspectant eum] Locutio Hebraïca, pro quo Latinè dicas: *Cui qui confidunt non pudefient.*

24. *Numquid tolletur à forti præda? aut quod captum fuerit à robusto salvum esse poterit?*] In Hebræo, *An eriperetur forti præda? & captivitas justi evaderet?* Sion loquens inducitur, & vix credens id fieri posse. *Captivitas justi*, id est, ii qui capti sunt belli jure. Quod à bello inter gentes indicto fit, id fieri dicitur κατὰ νόμον δή τινα [*secundùm legem aliquam*], & esse δίκαιόν τι [*justum aliquo modo*]. qua de re loca egregia adduximus libro III. c. 10. de Jure Belli ac Pacis. Et propterea quæ hic dicitur *captivitas justi*, statim dicetur *captivitas violenti*, sicut apud Romanos in hoc argumento idem & *jus* & *injuria* dicitur.

25. *Eos verò qui judicaverunt te ego judicabo*] Rectiùs, *Contendam cum iis, qui tecum contenderunt.* Cum Babyloniis, Idumæis, aliisque illarum partium.

26. *Et cibabo hostes tuos carnibus suis*] Committam illos inter se, Persas cum Medis, deinde Persas & Medos cum Babyloniis: qui omnes olim Nabuchodonosoro militaverant.

CAP. L.

MUNSTERUS.

OStendit Propheta in hoc capite, Judæos suo vitio rejectos. Nam viderunt, audierunt, senserunt, sed oderunt Christum. Venit Filius Dei in mundum, docet salutaria, sacra, facilia & utilia, docet aptissimè, facilè intelligitur, sine figuris loquitur, vehementer urget, exemplum se præbet audientibus, invitat ad pœnitentiam, miracula edit, passus est, & nihil omisit ad salutis nostræ perfectionem. Et cùm nihil proficitur, abjicit Judaicam rebellem gentem, dissipat in exsilium, & eligit Gentes, atque pro Synagoga convocat Ecclesiam verbo Dei credulam.

1. *Ubi est liber repudii*] Quòd Synagoga repudiata est ab Ecclesia Christi præter paucas reliquias Dominus dicit se non esse in causa, cùm illam nec *repudiaverit*, neque *creditoribus vendiderit*, sed *ipsa propter iniquitates suas vendidit seipsam, & exclusit* ab Ecclesia Christi. Venit præterea ipse Sponsus Ecclesiæ *quærere quod perierat*, sed *sui eum non receperunt: clamavit, & nemo respondit.*

4. *Linguam eruditorum hominum*] Est למוד nomen יחאר, capitúrque pro *eo qui summè est eruditus & disertam habet linguam.* In Jeremia quoque accipitur pro *assuetus*; ut, *onager assuetus in deserto.* ¶ *Manè excitabit mihi aurem*] Quadrat hæc Prophetia cum verbo Christi Joan. 8. *Quæ audio à Patre hæc loquor.*

6. *Corpus meum dedi percutientibus*] De passione Domini est intelligendum.

7. *Sicut silicem*] *Si* enim *Dominus nobiscum fuerit, quis erit contra nos? Omnia possumus in eo qui nos confortat*; & *gaudebimus pro nomine ejus contumeliam pati*; & exemplo Christi *siliceas opponemus* adversariis nostris *facies.*

8. *Causam judicii*] Vocat Hebraismus *adversarium in judicio, & cum quo coram Judice expostulamus* בעל משפט & בעל דין, i. *habens causam coram Judice discutiendam.*

11. *Ite in luce*] *Discedite*, inquit, *à me operarii iniquitatis. Ite in ignem æternum, quem vobis hic succendistis*, nolentes audire vocem meam, & acquiescere consilio meo.

VATABLUS.

1. QUisnam אי] *Ubinam.* ¶ *Qui sunt*, &c. מי מנושי אשר] *Quis est creditorum meorum* [vel, *ex creditoribus meis*] *cui*, &c. Quidam vertunt *fœneratorum meorum.* ¶ *Et propter scelera vestra* ובפשעיכם] *Et propter transgressiones vestras.*

2. *Nemo adfuit* ואין איש] Ad verb. *& non vir*, sub. *me recepit*, aut *mihi occurrit.*

3. *Induo* אלביש] Fut. Heb. pro præs.

4. *Sitibundo* את יעף] *Lasso.* ¶ *Singulis matutinis* בבוקר בבוקר] Ad verb. *in manè, in manè*: vel, *manè, manè.* ¶ *Sicut doctis* כלמודים] *Sicut docti.* Alii, *ut solent doctores.*

6. *Vellent* למורטים] *Depilantibus*: i. volentibus evellere pilos & barbam.

7. *Auxiliabatur* יעזר] Fut. Heb. quod quidam in præteritum vertunt, *adjuvit.*

8. *Adversarius meus* בעל משפטי] Ad verb. *magister causæ* [vel *litis*] *meæ.* Quidam, *adversarius causa meæ.* Alii, *habet causam judicii contrà me?* Sic vocant Hebræi adversarium in judicio, & cum quo coram Judice expostulamus. בעל משפט & בעל דין, i. *habens causam coram Judice discutiendam.*

9. *Condemnet me* ירשיעני] Ad verb. *impium faciet me?* vel, *prævaricatorem & iniquum.* ¶ *Comedet eos* יאכלם] *Absumet eos: devorabit: corrodet.*

10. *Nec fuit splendor ei* ואין נגה לו] *Fuitque privatus luce.* Alii, *& qui caruit luce.*

11. *Accincti estis scintillis* מאזרי זיקות] *Circundati estis scintillis.* Alii, & *excitatis scintillas.* Alii, *fortificantes scintillas*, i. augentes: quòd qui accincti sunt, fortiores sint. ¶ *Ambulate* לכו] Imperat. Heb. pro fut. *ambulabitis.* ¶ *Moriemini* תשכבון] *Dormietis.* Alii, *jacebitis*: i. malè peribitis.

CASTALIO.

10. QUI *vestrûm Jovam reverens obedit ejus servo*] Sc. Christo.

11. *En vos omnes ignem incenditis, scintillas circumjecti*] Vide finem cap. 1, & caput 47.

CLARIUS.

1. QUis *est hic liber repudii*] Quod Synagoga repudiata est ab Ecclesia Christi præter paucas reliquias Dominus dicit se non esse in causa, cùm illam nec *repudiaverit* neque *creditoribus vendiderit*, sed *ipsa propter iniquitates suas vendiderit seipsam, & excluserit* ab Ecclesia Christi. *Venit* præterea ipse Sponsus Ecclesiæ *quærere quod perierat*; sed *sui eum non receperunt. Clamavit, & nemo respondit.*

2. *Numquid abbreviata*] Vidistisne in me signa infirma, & non potiùs magna, & præ se abunde ferentia me verè posse salvare? Imperavi mari, & quievit: quod eàdem potestate quâ sedavi illud, potui etiam exsiccare. Effudi tenebras cœlo, cùm me moriente obscuratus est Sol. Quæ omnia Divinitatem arguebant meam.

4. *Ut sciam sustentare*] Opportunè scilicet ac suo tempore. ¶ *Erigit manè*] h. e. *Continuè erigit*, inquam, *mihi aurem, ut audiam*, sicut solent maximè dociles. Quadrat autem hæc Prophetia cum verbo Domini, ubi ait, *Quæ audio à Patre, hæc loquor.*

6. *Corpus meum dedi percutientibus*] Hoc ad Domini passionem pertinet.

7. *Ut petram*] *Si* enim *Dominus nobiscum fuerit, quis erit contra nos? Omnia possumus in eo qui nos corroborat.*

11. *Accendentes ignem, accincti flammis*] Scilicet in naribus Dei, h. e. ad iracundiam provocantes Deum. ¶ *In lumine ignis vestri*] *Discedite*, inquit, *à me, operarii iniquitatis: ite in ignem æternum, quem vobis hic succendistis*, nolentes audire vocem meam, & acquiescere consilio meo.

FORERIUS.

1. HÆC *dicit*, &c.] Cum incredulis Judæis res jam nobis est. Quasi enim non contenti fuerint responsione Domini, qui orbitatem compensandam Gentium multitudine promittebat, adhuc de Deo conquerebantur, dicebántque Deum, qui sibi despondisset progeniem Judæorum, eam quasi immeritam abjecisse, & alteram duxisse. Hic ostendit non esse quòd conquerantur. Nam Judæi primùm divortium fecerunt cum Deo; neque voluerunt Filio Dei invitanti & reconciliare volenti acquiescere ac credere. Unde ipse in Euangelio jure optimo conqueritur, *Quoties volui congregare*, &c. *& noluisti?* Quare justo Dei judicio damnati sunt. ¶ *Quis est hic*] אי de Loco solet esse interrogatio; ut Gen. 4. *Ubi est Abel?* & sæpe conjungitur cum pronomine זה, ut hoc loco: quod tamen optimè per verbum substantivum redditur: ut 1 Sam. 9. *Ubi est domus Videntis*, &c. Interrogat ergò apud quemnam esset, ubinam inveniretur, ut examinari posset, &c. ¶ *Repudii*] A verbo quod *scindere* sign. formant Hebræi nomen quo vocant *divortium*: unde in Lege *liber rescissionis* est, quem Marcus vocat βιβλίον ἀποστασίου *librum divortii*: quem Interpres Matthæi uno nomine dixit ἀποστάσιον, q. d. *divortiale.* Vide Deut. 24. Servabantur autem hujusmodi libelli fortè non solùm apud repudiatam, sed apud publicum Scribam. Nam prohibitum erat in Lege nè iterum prior maritus reciperet quam semel repudiasset, si alteri repudiata nupsisset: Quare necessarium erat hujusmodi libellos servari. Ad quam consuetudinem non sine irrisione alludens Dominus ait, *Ubi est liber*, &c. ut fidem faciatis & ostendatis verum esse quod dicitis, me scilicet tantùm quia libuit abjecisse matrem vestram, ac non potiùs ob justas & necessarias causas. ¶ *Quo dimisi*, &c.] Vulg. אשר relativum retulit ad *libellum.* Possumus tamen juxta Hebraismum ad *matrem* referre: nam geminant relativa Hebræi. Ad verb. *quam dimisi*

dimisi eam. ¶ Quis creditor] Heb. cui ex creditoribus meis. q. d. Non habeo creditores, non habeo oppressores, quorum pecuniis indigeam; quibus, cùm non sim solvendo, oporteat pignus dare, aut filios meos in servos tradere immerentes & servitute indignos. ¶ Ecce in iniquitatibus, &c.] ב, i. in Hebræis, interdum valet per, vel propter. Hic credo Causam notare. Non necessitate, inquit, meâ aut indigentiâ factum est ut in servitutem abiretis, sed is est fructus iniquitatum vestrarum: quas mox exponet; ¶ Et in sceleribus] Neque rursus tantùm quia libuit, aut fastidio matris vestræ, more humano, eam dimisi, ut alteram mihi copularem. Feci cum illa divortium; id equidem fateor; sed transgressiones vestræ fuerunt in causa quæ me quasi invitum id facere compulerunt. Hinc propriè disces loqui. Quando dicimus, Deus oppressit nos, repulit nos, destruxit Regnum, &c. jam tametsi verè ità dicamus, magis apta locutio fuerit, Oppressi sumus, Repulsi sumus, Periit Regnum propter scelera, &c. Cùm enim Deus propter peccata calamitates inducit, non propriè dicitur Deus auctor & causa malorum, sed illa quæ quodammodo impulerunt Deum ut id faceret. Idcirco cùm quodam loco David dixisset, Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ, statim quasi per correctionem addidit, non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.

2, 3. Quia veni, &c.] Hîc habes causas divortii & exsilii Judæorum ultimi, quod adhuc durat. Veni in propria, ad hereditatem meam, ad populum meum, ad domum meam, ad sponsam meam; & non erat vir, i. quisquam. Solitudo civitatem meam & domum meam occuparat. Jam in Peccati captivitatem abierant; jam venditi sub Peccato erant: A quo tamen si resipiscerent, & me vocantem, obsecrantem, & multitudine beneficiorum pertrahentem audissent, salvi esse potuissent: sed vocavi, & nemo mihi respondit. Hic vides eos qui peccatis immersi sunt non computari inter viventes, & quasi non esse in numero hominum; & qui vocationi Dei non obedit, perinde uti mutum reputari. Hæc autem dicit Dominus propter paucitatem eorum qui ex tam innumerabili multitudine Euangelio crediderunt. Quid ergò miramini divortium? quid venditionem vestram defletis? Quid erat à me ampliùs præstandum? Exspectabatis adventum meum: Veni. Quòd si somno eratis oppressi, & aliud agebatis, vocavi vos: & totum illud spatium temporis quo inter vos fui vocatio quædam fuit, & clamor meus continuus: Clamabam in congregationibus, in synagogis, in Templo, quò omnes conveniebatis, per vicos, per domos, per agros: Item clamabant & vocabant vos signa & prodigia quæ faciebam, immensa beneficia, vita mea, doctrina mea, ut ad me veniretis, & reficeremini, ut pœnitentiam ageretis, quò ad Regnum Dei pertinere possetis, & nemo respondit, nemo, inquam, ex vobis qui conquerimini ob captivitatem, &c. Nam sermo tantùm cum incredulis est. ¶ Numquid abbreviata, &c.] Tacitæ objectioni respondet, quæ talis esse poterat, Decebat Redemptorem, quem exspectabamus, manu forti nos eripere à servitute Romanorum, quâ jam eo tempore premebamur: At JESUS, quiad nos venit, in humilitate & infirmitate venit; neque ullum Regni aut Imperii specimen in eo aspeximus. Respondet Dominus, Non eo inficias: esto. At numquid nesciebatis in Deo esse infinitam virtutem, quâ posset, si vellet, universum mare & flumina exsiccare, & veluti desertum reddere, ut universi pisces tam maris quàm fluminum corrupti putrescant & fœteant? insuper & cœli faciem immutare, & astra obscurare, &c. igitur & Romanum Imperium dissolvere, & vos in pristinam dignitatem restituere. Quis enim illi manus præciderat aut amputaverat? Oportebat itaque vos mihi, quem ille ad vos mittebat, aures accommodare, dicto parère, illius mandata, quæ ad vos deferebam, alacri animo percipere. Quod ubi præstitum à vobis fuisset, si repudiatam matrem vestram & vos in servitute vitam ducere adhuc videretis, esset fortassis querimoniæ locus. Et hic planus & germanus est horum versuum sensus. ¶ Abbreviata, & parvula] Hebraismum ego reddidi: Ad verb. numquid abbreviando abbreviata est manus mea? Sicut enim ad liberandum dicitur manus extensa, & manus fortis dicitur manus magna & excelsa, ità infirma dicitur decurtata. Sensum Vulgatus reddidit. ¶ Ut non possit redimere] Heb. unico nomine dixit à liberatione. ¶ Increpatione] Allusio est ad verba Davidis quibus creationem mundi describit: Cùm enim ad mandatum illud pervenisset, Congregentur aquæ in locum unum, & appareat arida, sic ait, Abyssus, sicut vestimentum amictûs ejus, (scilicet terræ erat) super omnes stabant aquæ. Ab increpatione tua fugient, à voce tonitrui tui formidabunt.

4. Linguam eruditam] Seu eruditorum, i. qualis est eorum qui rem didicerunt & à præceptore optimè instructi sunt. Certè est quod Dominus in Euangelio dicit, quæ audisset à Patre suo, illa nunciare: &, quòd doctrina illa esset doctrina ejus qui se misisset, & à seipso non loqueretur; sed quæ audisset & vidisset, illa testaretur. ¶ Ut sciam sustentare eum, &c.] Sensum doctissimè reddidit Interpres; suntque verba Domini JESU. Ego, inquit, audiendus à vobis eram; à Deo enim veni Magister: Diffudit ille gratiam in labia mea: inauditâ eloquentiâ lingua mea prædita est. Didici & optimè novi quid afflictis & defatigatis hominibus & sub Peccati jugo gementibus loqui debeam. Tempestivè satis & pro cujusque captu, & quod cuique opus est, novi verbum accommodare. Ad hunc fortè locum respexit Dominus quando in Euangelio ait, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Videtur itaque sic dicere, Numquid audire me, qui à Deo doctus ad vos docendos & consolandos veniebam, quidquam virtuti Dei detrahebat quam exspectabatis ut vos liberaret? Aderámne durus exactor? Docebámne ea quæ non ego priùs facerem? Nónne saltem propter mansuetudinem & humilitatem meam debueratis me pro præceptore accipere? Imponebámne onera gravia & importabilia, sicut Scribæ & Pharisæi, quæ tamen digito non attingebant? Nónne eorum inexplicabilem avaritiam & Satanicum fastum patienti animo tolerabatis? At ego ad sublevandos lassos & defatigatos veniebam; liberabam omnes oppressos à Diabolo; pertransibam benefaciendo: nulli labori parcebam ut vos bene haberetis. Quâ igitur veniâ digni estis si me non audistis? ¶ Erigit mane, &c.] i. Singulis diebus, primo quoque manè, eo videlicet tempore quod ad discendum aptissimum est. Hæc autem nihil aliud designant quàm summam in Domino JESU promptitudinem, obedientiam & eruditionem; quâ à Deo instructus est ut Judæorum gentem doceret. Quod facit & versus qui sequitur. Interim tamen nota quòd excitare aurem dicat Hebraismus pro excitare auditum, vel ad audiendum: unde & Latini arrigere aures dicunt. Perinde ergò est ac si diceret, manè me facit arrigere aures: & sic accipe verbum erigendi apud Vulgatum. Nam quod quidam alludentes ad præceptorum consuetudinem, qui nonnunquam discipulorum parùm attentorum aurem vellicant, dixerunt, Manè vellicat mihi aurem, judicet prudens lector an conveniat. Ego Hebraismum libenter amplector.

5. Aperuit mihi aurem] Hebraismus est, de quo jam suprà 48, & 35. i. fecit ut audirem eum, & auscultarem: significavit mihi quid vellet, quid mihi pro tantis beneficiis redditurí esset. ¶ Ego autem non contradico] De verbo מרה, quod est mutabilitatis, i. inobedientiæ, veluti ex quadam animi impotentia, superiùs dictum est; q. d. non molestè tuli; non indignatus sum, aut exacerbatus; tranquillo animo quæ dicebantur excepi. Venit inimicus, inquit in Euangelio, & in me non habet quidquam: sed ut cognoscat mundus quòd diligo Patrem; & quòd sicut dedit mihi mandatum, sic facio. ¶ Retrorsum non abii] Non me pœnituit adventûs mei ob tantam ingratitudinem quæ mihi significabatur: sed lubenti animo omnibus me exposui. Quod versus sequens exprimit.

6. Corpus meum dedi, &c.] גו Hebræis est eminens pars corporis humani, scilicet Dorsum, ut Prov. 19. & Job. 30. deinde & pro corpore accipi potest. Hæc autem Prophetia manifestior est quàm ut expositione indigeat. Legimus enim in Euangelio Verbera, Sputa, Alapas & contumelias, quæ omnia pertulit Dominus JESUS summa cum dilectione nostri, qui præcedebat suos dum iret Jerosolymam, ubi eum hæc manebant; qui coarctabatur desiderio baptismi sanguinis sui, &c. Aperuerat ei Pater aurem; denunciaverat quæ vellet eum pati: Ille corpus suum dedit percussoribus, &c. Passus enim est quia ipse voluit, &c. De depilatione autem genarum tacent quidem Euangelistæ: Sed est etiam Jesaias Euangelista. Omni enim genere contumeliarum affectus est. Habet autem Vellicatio Barbæ & dolorem & insignem contumeliam: quemadmodum & Faciem conspuere, quod proverbiali formâ effertur. Job. 30. A facie mea non prohibuerunt sputum. Hæc itaque pro obedientia & subjectione mihi reddidistis, quem intellexistis ad vos à Deo missum.

7. Dominus Deus auxiliator meus, &c. In Hebræo est conjunctio, Et Dominus meus Jehovah, i. Et quidem quantum ad me attinet, etsi hæc tam acerba passus sum, tamen cùm Dominus mihi auxilium præstiterit, factum est ut ignominias pro nihilo duxerim, omniáque ingenti animo pertulerim ac si saxum durissimum percuterent. Quantum illi impotenti animo, furore perciti, convitiorum, contumeliarum ac tormentorum in me afferebant, tantum ego patientiæ & fortitudinis exhibebam, ut saxo durissimo comparari posset facies mea: quare experimento didici quòd non pudefactus sum. Omnia enim illa gloriæ exaltationis seminarium fuerunt. ¶ Non

sum

ſum confuſus] Ad verb. *non ſum ignominiâ affectus*, i. non me putavi ignominiâ affectum; ſed *propoſito gaudio* omnia ſuſtinui lætus. ¶ *Ideo poſui*] Quia nempe *Deus auxilio mihi erat*. Ecce habes, ſi Deus adſit, ſi animum confirmet, ignominiam non eſſe ignominiam; neque contumeliam, contumeliam; neque quæ dolorem afferunt, dolorem afferre; ſed omnia, veluti ſimus cautes & ſaxa, perferre nos poſſe. Vide Paulum, qualem ſe in adverſis gerebat. En quæ illi inferebant hoſtes triſtem facere poterant abſente Deo; at ille cum ſuis ſemper *gaudebat*: *nihil* quidem *habere* videbantur; at illi ſe gerebant ut *qui plurimos locupletarent*, &c. ¶ *Petram duriſſimam*] חלמיש unica vox eſt Hebræis, quam *petram duriſſimam* plerique interpretantur: de qua quia neque Rabini neque noſtri quidquam certi habent, credo mihi gratiàm habiturum lectorem de hac voce, ex cujus intelligentia nonnullorum locorum S. Scripturæ cognitio pendet, etiam aliquanto diffuſiùs diſſeruero. Et quidem ſi Etymologiam Hebræam ſpectes, videtur à חלש *domuit* dicta insertâ literâ מ: quam Etymologiam apud quendam virum doctum reperi. Verum cùm ille exiſtimaret cum aliis *ſilicem* aut *petram duriſſimam* ſignificare, dictam putavit quaſi contrariâ verbo ſignificatione, quòd *non domaretur*. Ego verò cùm pro comperto habeam ſignificare *chalybem*, rectè à *domando* appellationem habere arbitror. Pauca etenim ſunt quæ chalybe non domantur. *Chalybem* autem voco ferrum, vel potiùs medullam ferri, & quod Plinius lib. 34. c. 14. *nucleum ferri* appellare videtur. Docet enim ejus uſum *ad indurandam aciem* inſtrumentorum ferreorum eſſe. Unde Ariſtoteles 4. Meteor. ferrum duriſſimum vocat στόμωμα. *os* enim, quemadmodum Hebræi, Gladiis tribuunt Græci. Quòd autem חלמיש *chalybem* ſignificet, præter vocum ſimilitudinem & cognationem elementorum & Etymologiæ convenientiam locus Job 28. qui aliter intelligi non poſſe videtur, confirmat, ubi cùm de induſtria hominis multa diſſerens, dicit *mittere manum chalamis*, *& vertere montes*, *atque exſcindere in petris rivos*, &c. Certè ſi CHALAMIS non eſt *chalybs*, quomodo hæc facit homo? At chalybe & ferreo inſtrumento arrepto quos *montes* non *evertit*? quos *rivos* non *exſcindit*? Sed de his verbis Job ſuo loco plura. Quare quando in Deuteronomio & Pſalmis dicitur *eduxiſſe* Deus *aquam* aut *oleum de chalybe*, Hyperbolica Metaphora eſt, nihil aliud notans quàm unde ſperare nemo poſſet, indè Dei beneficio & virtute illa fuiſſe producta in hominum utilitatem. Quòd ſi hæc vera ſunt, ut certè eſſe videntur, non jam dicendum erit, ut nonnulli exiſtimarunt, à populis qui *Chalybes* dicuntur, prope fluvium Thermodoontem, qui ferri uſum invenerunt, ferrum *chalybem* appellatum: Quinimo cùm nomen Hebraicum *chalybs* ipſis populis ſit antiquius, adeoque & uſus Ferri, ut ex libro Geneſeos eſt manifeſtum, ab ipſo *chalybe* tam illos in Aſia, quàm alios quos Juſtinus in Hiſpania collocat, *Chalybes* appellatos fuiſſe. Sicut enim vocum Græcarum à Latinis origo petenda non eſt, ſic neque Hebraicarum à Græcis aut quibuſvis aliis. Ergò, ut ad rem redeam, *faciem ſuam* propter inauditam conſtantiam atque fortitudinem *chalybi* comparat Dominus JESUS. ¶ *Et ſcio*] Vel *ſciebam*, vel *experimento didici*. Eſt enim quandoque Senſûs & Experientiæ; *Vide & expertus ſum quòd non pudefactus ſum*. Nam quia *factus ſum obediens uſque ad mortem*, *accepi nomen ſuper omne nomen*, *ut in nomine JESU omne genu flectatur*, &c.

8. Poterat adhuc quiſpiam objicere, Damnatum vidimus, crucifixum ac mortuum, ſecundùm Legem maledictum: non eripuit eum Deus de manibus noſtris: quid ergò ab eo exſpectare quis poterit, aut quid ejus adventus ad redemptionem noſtri faciebat? His & hujuſmodi cogitationibus reſpondet Dominus, non pro damnato haberi debere quem Deus in judicio abſolvit, neque pro maledicto & impio habendum cui Deus opitulatur. Quid mihi, inquit, hominum judicium objicitis? *En adeſt qui me juſtificat*, i. juſtum pronunciat. Die tertio poſt hominum damnationem redivivus appareo. Non diu tardavit. Quid Crucem, & non Reſurrectionem cogitatis? *jam jam adeſt qui me juſtificat: quis* audebit *me quaſi litigando oppugnare*, aut *mecum judicio contendere*, audeátque dicere me morte dignum fuiſſe? Hoc planè eſt quod Dominus dicebat apud Joannem, quòd *Spiritus S. convinceret mundum de juſtitia*, i. manifeſtè confirmaret juſtum fuiſſe JESUM, cujus juſtitia vel ex hoc conſpicua eſſet quòd *ad Patrem iret*, jam *non videndus* in terris. Quem autem Deus & cœlum ſic ſuſciperet, quis in juſtum & peccatorem auderet affirmare? ¶ *Quis eſt adverſarius meus*] Variè poteſt reddi Hebraiſmus propter vocem בעל, *Quis dominus judicii mei?* vel, *Quis habet judicium meum?* vel, *Quis in poteſtate habet judicium meum?* i. Quis audeat de me judicium ferre? vel potiùs, Quis ſperet quòd palmam ferat & victor evadat ſi mecum in judicium deſcenderit? Hoc vocat Dominus *judicium ſui*. *Accedat*, & videat quàm inſanus ſit.

9. *Ecce Dominus Deus*] Repetit fere quod dixit, niſi quòd explicat quis ſit ille *adjutor*. Certè ex hoc loco aſſumpſit Paulus illud ad Romanos, *Si Deus pro nobis*, *quis contra nos? Quis accuſabit adverſùs electos Dei? Deus*, *qui juſtificat*; *quis eſt qui condemnet?* Quod hîc *Deus auxiliator* dicitur, Paulus, *Si Deus pro nobis*. Quod hîc dixit יריב, i. *litigando oppugnabit*, Paulus dixit, *Quis contra nos?* Quod hîc ירשיע, Paulus verbo κατακρίνω reddidit, quod eſt *condemnare*, & *improbum declarare*. Opponitúrque Hebræis verbo *juſtificavit*, *abſolvit*, &c. Quæ enim hîc de Chriſto dicta ſunt, Paulus ad fratres Chriſti, filios Dei & electos ejus detorſit. Nam exemplo Chriſti non timere & pro nihilo ducere hominum damnationem & judicium debemus. Quæ autem ſequuntur huc quoque faciunt. ¶ *Ecce omnes quaſi veſtimentum*, &c.] Quid miſeros homunculos ad judicium voco? Annon manifeſta eſt eorum inſcitia qui, cùm ſint mortales & vermium eſcæ, audent de electo Dei ſententiam ferre, & quem Deus vivificavit & exaltavit & Redemptorem univerſorum conſtituit, non verentur convitiis proſcindere, & ſeductorem & maledictum appellare? Huc facit quod infrà dicetur, *Nolite timere opprobrium hominum*, *& convitia eorum ne metuatis: ſicut enim lanam*, *ſic comedet eos vermis*, &c.

10. *Quis ex vobis*, &c.] Concluſio eſt in his duobus verſibus totius orationis, & digniſſima quam perpetuâ mente volvamus: q. d. Quamobrem, ô viri Judæi, quicunque Deum colitis, non hominum judicium ſectemini, ſed etiam in mediis malis & tempeſtatibus in Deum confidite: ab eo nunquam recedatis. Audite voces Prophetarum ſuorum, præſertim illius Servi ejus qui ad vos mittetur, quando redemptionem ſpectabitis. Non vos ejus manſuetudo & humilitas conturbet. Sufficiat ſervum eſſe Dei. Dictis ergò ejus acquieſcentes, ſperate quòd redimamini. Sunt, ni fallor, Prophetæ voces de Chriſto, vel potiùs Chriſti Domini, qui cauſam perditionis Judæorum præcognoſcebat. ¶ *Timens Deum*] Facit timor Dei ſana conſilia capere. ¶ *Audiens vocem ſervi ejus*] Auſcultans JESUM, quia eum *ſervum* Dei agnoſcit eſſe, quem *miſit* Deus *horâ cœnæ dicere invitatis ut venirent*. ¶ *Qui ambulavit*, &c.] Etiamſi in medio umbræ mortis *ambuletis*, etiamſi univerſa *tenebris* miſceri videatis, etiamſi *nullam lucem* affulgere, ſed omnia obſcura temporum & hominum malitiâ, quando habito illo *Servo Dei* pro ſeductore, & comprehenſo tanquam latrone, & in crucem acto tanquam impio, ad mentium tenebras notandas, in medio die Sol obſcurabitur; nè tamen ſpem & fidem deſeratis, ſed *in Dei nomine confiſi innitimini Deo veſtro*, ſicut Abraham, qui *contra ſpem in ſpem credidit: ſciebat enim quòd mortuos poſſet ſuſcitare*. Hoc *timentes Deum* facient; quorum tamen pauciſſimus eſt numerus: infidelium autem immenſa multitudo, qui ut non *timebant Deum*, ſic neque *vocantem Dei ſervum auſcultarunt*, ſed (ut eſt in Euangelio) *contumeliis affectum occiderunt*. Quare in media luce Sol eis occidit, & in tenebris remanſerunt uſque in hodiernum diem: Non enim ſperarunt in Deum, neque crediderunt hominem illum JESUM aut doctrinam ejus quidquam ad redemptionem quam ſperabant facere. Quare ad hos jam converſus non ſine irriſione ait.

11. *Ecce omnes vos accendentes ignem*, &c.] Vel (ut exigit uſus participiorum in forma quam vocant Regiminis) *accenſores ignis*; qui veluti ex officio id agitis omnibus veſtris actionibus, ſtudiis, ſermonibus, nec non & cogitationibus *ignem accenditis*, veluti furnis accendendis deputati quidam homines, ferè omnes vos, ô Judæi, tales eſtis: citis etiam ¶ *Accincti flammis*] Vel *accinctores*: videtur enim eſſe in forma activa. Dixit autem Vulg. *flammas* pro *laqueis* ſeu *manicis*, זיקות, quia mox ſequitur, *in zikot quos ſuccendiſtis*: ex quibus verbis videtur *flammas* vel quid ſimile ſignificare. Quod ut non reprobo, itá exiſtimo hîc *vincula ignea* deſignari, per quæ ignem damnatorum intelligit: nam & vincula ſunt, & ignea ſunt. Quare *ſuccendere laqueos* dicuntur qui ignem illum, in quo detinebuntur, ſtudiis ſuis nutriunt & fovent. Eſtis omnes *accinctores laqueorum*, qui nihil aliud agitis quàm laqueos conficitis, vobíſque & aliis aptatis. Vel certè *laqueos* vocat faſciculos laqueatos, & qui aliquo vinculo conſtringuntur. Vocat ergò eos *accenſores ignis*, & *accinctores faſciculorum igni aptorum*, i. fornacarios & carbonarios ſeu lignatores. Hi ſunt impiorum omnium tituli: Sibi enim ignem æternum & fomenta parant jam hîc ſemiaduſti & horridi, veluti carbonarii. ¶ *Ambulate*] Qui *timent Deum* & *audiunt vocem ſervi Dei*, dum *ſunt in mediis tenebris*, *innixi Deo ſuo*, & fiduciam non deſerentes, tandem emergunt & liberantur: *Vos* verò, infideles

les & impii, magni *incendii domini* & auctores, *incedite in lumine* (seu *luce*) *ignis vestri*, *&* in luce *laqueorum* (seu *fasciculorum*) *quos accendistis*. Quòd si velis ב accipere pro *in* Motûs, dic, *Ite in focum ignis vestri*, *& fasciculorum quos succendistis*, &c. ad hanc certè lucem emergetis, ignis nempe inexstinguibilis: Vester enim est; vobis eum parastis: ut sit illud Euangelii, *Ite in ignem æternum qui paratus est Diabolo*, &c. ¶ *De manu mea*, &c.] Ego, quem vos ut hominem scelestum reprobastis, ego vos ad hunc ignem damno. Vos enim ipsi dixistis justum esse ut *Rex mitteret exercitus suos qui homicidas perderent*, *& civitatem illorum exurerent qui heredem & Dominum vineæ occiderunt.* Ab hoc incendio ad illud transibitis justo Dei judicio. Quare illic *sicut oves cubabitis* vel *cubatum ibitis*, *ad dolores & tristitias:* doloribus capita acclinabitis. Hæc sunt latera inferni, hæc strata, hæc cervicalia, nempe *dolores.* Nisi malis juxta Hebraismi consuetudinem tanquam adverbium accipere למעצבה, *ad dolorem*, i. *dolenter*, seu *cum dolore.* Huc devenerunt impii & infideles Judæi, qui non auscultarunt linguam illam *eruditam*, neque *refici* voluerunt à Christo Domino, quinimo in *Servum Dei* fuerunt injurii & impii. Hæc denique est sors impiorum omnium. *Pluet* enim *super peccatores laqueos: ignis*, *sulfur*, *& spiritus procellarum*, *pars calicis eorum.*

DRUSIUS.

1. כּוֹשַׁי אֲשֶׁר. Th. τ̃ προσαιτούντων με, ᾧ, *exigentium à me*, *cui*] Apud Procopium sub asterisco Theodotioni attribuuntur, ut & illud quod sequitur. ¶ לו. Th. αὐτῷ *ei.*

9. עָשׁ. Sym. *rubiginem.* A. *vermem*] Hieron. *Pro* tinea *in præsenti loco Sym.* rubiginem, *Aq.* vermem *interpretati sunt.* Sic utuntur Grammatici ut in descriptione Aranei, cum dicunt הוא העש שאורג ובונה ביתו בקורות, *est vermis qui texit & exstruit domum suam in trabibus.*

11. לְמַעֲצֵבָה תִּשְׁכָּבוּן. Sym. *in dolore dormietis*] Euseb. in Sym. pag. 831.

IDEM EX PROCOPIO.

1. אֵי זֶה סֵפֶר. A. Th. Ποῖον τῦτο βιβλίον; *Qualis hic liber?* Sym. Ποῖον τὸ βιβλίον; *Qualis liber?*

2. מַדּוּעַ בָּאתִי. A. Sym. Lxx, Διότι ἦλθον. Th. τί, ὅτι ἦλθον, *Quid*, *quia veni.* ¶ הֵן בְּגַעֲרָתִי אַחֲרִיב יָם אָשִׂים נְהָרוֹת מִדְבָּר. Sym. ἰδὲ τῇ ἐπιτιμήσει μυ ἐξήρανα θάλασσαν, ἐποίησα ποταμὺς ἔρημον, *ecce increpatione meâ dissiccavi mare*, *feci fluvios desertum*] בגערתי τῷ ἐλεγμῷ μυ *redargutione meâ.*

4. נָתַן לִי לְשׁוֹן לִמּוּדִים. Sym. ἔθηκέ * μοι γνῶσιν. † —]
* Vide num legendum sit ἔδωκε. Sciendum δῦναι & τίθεσθαι vicissim permutari. Sic alibi, *Posuit mihi semen pro Habel*, i. dedit. Contrà Psal. 8. *Dedisti majestatem tuam supra cælos*, i. posuisti. † Sic est in margine. Textus habet πρωὶ γνῶμ, i. בבקר, quod mox sequitur. Pro γνῶσιν in Ebræo est γλῶσσαν, & fortasse Symmachus ità vertit. ¶ לָדַעַת לָעוּת. A. τ̃ γνῶναι τ̃ ὑποστηρίσαι, *ut sciam suffulcire.* Sym. τ̃ γνῶναι ὁμιλίαν *ad sciendum homiliam.* ¶ בַּבֹּקֶר יָעִיר לִי אֹזֶן לִשְׁמֹעַ. A. ἐν πρωὶ ἐξεγερεῖ μοι ὠτίον τ̃ ἀκύειν, *manè excitabit mihi aurem ad audiendum.*

9. יַעֲזָר לִי. A. Sym. Th. βοηθεῖ μοι *auxiliatur mihi.* Oi ὁ βοηθήσει μοι *auxiliabitur mihi.* ¶ עָשׁ יֹאכְלֵם. Sym. εὐρὼς * καταφάγεται — *mucor* (aut *situs*) *comedet.* A. ἡ βρῶσις † *tinea.* Th. σής. Sic etiam Lxx. * In commentario est ἡ εὐρώς, quod Interpres reddit *rubigo.* Sed vulgò potiùs ἐρυσίβη dicitur: ὁ εὐρὼς est *humor putrefactus.* † Idem quod σής. Quanquam simul legantur Matth. 6. 19. σὴς καὶ βρῶσις, ubi V. Interpres, iterùmque Erasmus, *ærugo & tinea:* quæ alii permutant vertendo, *tinea & ærugo:* nam σὴς *tinea.* Putarim esse ἓν διὰ δυοῖν, quale illud,

—— *Paterâ libamus & auro.*

Nam nihil aliud est σὴς καὶ βρῶσις quàm σὴς βρώσκυσα: unde *vestimenta* σητόβρωτα Jac. 5. 2. Interpres Curterius ἡ βρῶσις hoc loco interpretatur *vermis*, i. רמה aut תולעת.

11. לְמַעֲצֵבָה. A. εἰς διαπόνησιν *ad laborem*; Sym. ἐν ὀδύνῃ *in dolore.*

GROTIUS.

1. QUis est hic liber repudii matris vestræ, quo dimisi eam? aut quis est creditor meus cui vendidi vos?] Morosi mariti levibus de causis instrumentum divortii uxoribus dant, Deuter. XXIV. Patres interdum ære alieno pressi liberos vendunt, Exodi XXI. 7. Neutrum in me convenit. Restat ergò ut dissidii hujus miseriæque vestræ causa in vobis hæreat. Eam amoliri vestrum est.

2. *Quia veni & non erat vir*] *Quare venienti mihi nemo se sistit?* Nemo mihi paret.

Vocavi, *& non erat qui audiret*] *Vocanti nemo respondet?* id est, Cur non recipitis facturos vos ad quæ vos excitant Prophetæ?

Numquid abbreviata ac parvula facta est manus mea?] Fortè putatis me, si vos faciatis officium, promissa mea non præstiturum, quasi ea vires meas ex superent. id refellit.

Ecce in increpatione mea] Imperio meo; ut Psalmo CVI. 9.

Desertum faciam mare] *Siccabo*; ut hîc Chaldæus habet, & Psalmus dicto loco. Facere hoc possum, si velim. ostendi hoc in mari Rubro.

Ponam flumina in siccum] Ut Jordanem olim: & nunc Euphratis alveum.

3. *Induam cælos caligine*] Ut Exodi X. 21.

4. *Dominus dedit mihi linguam eruditam*] Verè quidem de se hoc dicere potuit Esaias, cujus dictio purissima inter omnes qui post Mosem fuère, & ἔννοιαι [*animi conceptiones*] pulcherrimæ. Sed loco huic congruentior est interpretatio Senum Lxx, γλῶσσαν παιδείας [*linguam institutionis*], ut & infrà 5. Sensus est, *dedit mihi linguam aliis instituendis idoneam. Linguam docentium*, Chaldæus hic.

Ut sciam sustentare eum qui lassus est verbo] In Hebræo, *Ut norim loqui sermones opportunos his qui fessi sunt*, calamitatibus scilicet.

Erigit manè, *manè erigit mihi aurem*, *ut audiam quasi magistrum*] In Hebræo, *A manè ad manè* (id est, de die in diem) *excitat mihi aurem ut audientiam præbeam*, *sicut doctores* nempe discipulis facere solent. At Lxx ultimam vocem cum sequentibus connectunt, & videntur legisse בלמודים [*per doctrinam*]: idem enim valet ἡ παιδεία Κυρίυ ἀνοίγει μοι τὰ ὦτα [*doctrina Domini aperit mihi aures*], quod ὁ Κύριος ἐν παιδείᾳ ἀνοίγει μοι τὰ ὦτα [*Dominus per doctrinam aperit mihi aures*].

5. *Ego autem non contradico: retrorsum non abii*] Non defugi ministerium, quanquam odiosum, ut Jonas.

6. *Corpus meum dedi percutientibus*, *& genas meas vellentibus*] Vellentibus barbam, quod etiam apud Latinos Poëtas opprobrii aut ludibrii habet significationem. Hæc autem & quæ sequuntur dicta figuratè sunt ab Esaia, ut intelligeretur constantem ipsum fuisse in exsequendis Dei mandatis, etiamsi à Sobna & factione ejus prævalida multùm irrideretur. Cæterùm voluit Deus hæc omnia etiam κατὰ λέξιν [*verbotenus*] impleri in Christo, ut nihil excusationis haberent Judæi, literarum aucupes.

7. *Ideo posui faciem meam ut petram durissimam*, *& scio quòd non confundar*] Constantiam animi etiam vultu prætuli. Confer Ezechielem III. 8.

8. *Juxtà est qui justificat me: quis contradicet mihi?*] Deus rebus ipsis mea dicta approbabit; quare contradictores non metuo. Confer Rom. VIII. 33.

9. *Ecce omnes quasi vestimentum conterentur*, *tinea comedet eos*] Repetendum in posteriori membro *quasi*: *sic conterentur quasi vestimentum quod à tinea comeditur.*

10. *Quis ex vobis timens Dominum*, *audiens vocem servi sui? qui ambulavit in tenebris*, *& non est lumen ei? speret in nomine Domini*, *& innitatur super Deum suum*] Id est, Si quis est ex vobis pius, is quamvis in mediis calamitatibus nè desinat Dei opem exspectare.

11. *Ecce vos omnes accendentes ignem*] Id est, vos qui divinam iram in vos concitatis.

Accincti flammis] Sic & Græci interpretantur זיקות, non malè: Chaldæus *gladium*, sicut *lanceam* Latinus interpres Proverb. XXVI. 18.

Ambulate in lumine ignis vestri] Meliùs, *foco.* Sentite iram divinam.

In doloribus dormietis] Moriemini extorres.

CAP. LI.

MUNSTERUS.

2. QUi sequimini justitiam] Loquitur ad Ecclesiam, nè desperet ob paucitatem & sterilitatem suam, cùm Deus illam æquè ut effœtum *Abraham* & sterilem *Saram* fœcun-

17. *Calicem iræ ejus*] Significantur acerbæ afflictiones & tentationes, in quas Deus suos permittit cadere, ut interdum nullum appareat consilium quomodo te ex illis extrices.

19. *Fames & gladius*] Explicatio est superioris: ut sit sensus, *Duo hæc, vastitas & contritio, hoc est, fames & gladius.*

20. *Sicut onyx illaqueatus*] Vel *bos silvestris*, in quem captum venatores passim sæviunt: id quod & filiis Ecclesiæ contigisse novimus à Tyrannis, perinde ac si Deus omnem furorem suum fudisset in eos. Sed consolatur interim eos Spiritus Domini, & promittit *ablationem calicis*, & tyrannorum humiliationem, qui populo Dei abusi sunt, calcantes ipsum ac si essent lutum & terra.

FORERIUS.

1. JUDÆORUM populum superiori capite in duas partes diviserat, in eos videlicet qui *Deum timentes*, *Servum ejus* JESUM *auscultabant*, & eos qui exteriori facie rem judicantes, in *Servum Dei* injurii, sibi *ignem* æternum *succendebant*. Nunc eos tantùm alloquitur qui Christo aures accommodarunt; quibus superiori capite v. 10. patientiam & fidem suaserat. Hos hic vocat *sectatores justitiæ* & *inquisitores Domini*, qui hoc veluti ex officio faciunt, & in hoc tantùm intenti sunt ut quod justum est agant & à Domini voluntate non recedant. Ad reliquias ergò illas sanctas convertit sermonem. Isti enim homines, cùm viderent populi Judaici impietatem, & ob impietatem, quæ illum absorpsit, calamitatem, non poterant non mœsti esse: Hos igitur *sibi attendere* Dominus jubet & verba sua auscultare, quibus animum erigere mœstis volebat, & spem dare, ut adhuc meliora sperarent. ¶ *Attendite ad petram*, &c.] Sicut ex una lapicidina innumeri lapides, sic ex uno Abrahamo innumerabiles populi prodierunt. ¶ *Cavernam*, &c.] Sicut effodiuntur aquæ ex cisterna, sic filii ex ventre Saræ. Videturque allusio esse ad etymon nominis, quo *femina* dicitur Hebræis, נקבה: nam voce מקבה ab eodem verbo deductâ, i. *caveâ* seu *cavernâ*, utitur. ¶ *Præcisi*] נקר propriè de *oculorum effossione* dicitur. Sed *oculus* Hebræis Scaturigini aquarum tribuitur, sicut & nobis Lusitanis. Quare tanquam de *effossione aquarum* hoc loco non durè accipi potest.

2. *Ad Abraham*, &c.] Explicat Scripturæ more quod obscuriùs dixerat. ¶ *Qui unum*, &c.] Quid in *Abrahamo* considerare deberent & *Sara* jam exponit. Cùm *unus* tantùm esset, & Sara sterilis, ad benedictionem meam *multiplicatus fuit* ut numerum arenæ maris progenies ejus æquaverit.

3. *Consolabitur ergò*, &c.] Vulgatus כי pro Illativa particula accepit, & sensum non indoctè explicavit. Habet enim interdum hæc particula Hebræis hanc vim, ut, cùm alteri respondet, inclusam collationem & similitudinem contineat: *Cogita*, inquit, *quòd, cùm unus esset Abraham, in tantam multitudinem creverit, ut eodem quoque modo speres tu consolaturum Dominum Tcion.* Repetitur enim verbum *respice*, *attende*, *quòd consolabitur Dominus Tcion.* In Hebræo autem ponitur præteritum ob rei certitudinem. *Consolationem* verò *Tcion* exponens, ait, *consolabitur ruinas* (seu *siccitates*) *ejus.* Sic enim vocat reliquias quæ superfuerunt ex clade & inenarrabili calamitate quæ oppressit Israelitas, non solùm temporali, sed spiritali. Nam sicut grassantibus hostibus succiduntur arbores, & remanent stipites nonnulli & trunci, & grassante igne & collabentibus tectis supersunt exusti aliquot parietes; ità omnia devastante impietate, & ob impietatem milite Romano omnia diripiente & proterente, remanserunt pii nonnulli Judæi semiusti, & quasi nobilis illius ædificii parietes exusti, & magnæ illius silvæ nonnulla vestigia. Has siccitates: has reliquias consolatur Dominus: quia ex paucis illis, quasi ex seminario quodam, videbunt infinitam multitudinem prodire, & in immensum augeri, veluti segetem Domini. Quid enim mirum si is qui ex uno plurimos, ex paucis similiter plurimos germinare faciat? Si ex sterili Sara & cisterna sine aqua educti estis vos & patres vestri, si ex senio confecto Abrahamo, non magis ad generationem apto quàm rupe quapiam, benedicente me, effossa est tanta vivorum filiorum multitudo, ex vivis quare non nascentur plurimi? Hoc ergò recogitate vobiscum, quia unus idémque est qui tunc unum elegit, & vos nunc quoque ex Judæorum repub. eligit. ¶ *Quasi delicias*] עדן nomen esse loci manifestum est in quo Dominus hortum initio mundi plantavit, Gen. 2. Hinc quia locus ille longè amœnissimus fuit, factum est ut hoc nomine notaretur *amœnitas* & *voluptas* atque *deliciæ*. Unde & Græcis mutatâ voce ἡδονὴ *voluptas* dicitur. Opponitur autem maximè *Æden* & *desertum*, ut Joel. 2. *Quasi hortus Æden est terra ante eum, & post eum desertum vastum.* In plurali pro *deliciis* accipitur 2 Sam. 1. & Psal. 36. & Jer. 51. Hoc certè impletum est quando Galilæi, homines indocti ac despecti, ditati benedictione Domini, facti sunt veluti totius orbis deliciæ. ¶ *Et solitudinem ejus*, &c.] Idem omnino repetit. ערבה non *planitiem* notat; sed *loca in quibus omnia sponte & promiscuè nascuntur absque ullo cultore*, à verbo quod *miscere* significat: quare hîc *incultum* reddidi. In hujusmodi hominibus videres *gaudium*, *lætitiam* & Dei *laudes*; ad hos congregabantur ecclesiæ & innumerabiles populi; qui regionem ingressi, & religionem quam illi prædicabant professi, nihil aliud sciebant quàm Deum laudare pro tantis beneficiis. Introducti enim sunt in terram manantem lacte & melle. Quare laus Domini perpetuò erat in ore eorum. ¶ *Vox laudis*] Instrumentum videtur esse זמרה. *Psalterium* dicere licebit. Psal. 81. *Sumite psalterium, & date tympanum.* Videtur & pro *psalmo* accipi. Suprà 12. *Robur meum, & psalmus*, &c.

4. *Attendite ad me*] Iterum attentionem captat, & aliis verbis explicat quod dixerat: Scitis unde *consolatio* ventura sit, unde *gaudium* & *lætitia*? ¶ *Lex à me exibit*, &c.] De prædicatione Euangelii est sermo. Per hanc enim fides in Orbe obtinuit, & prædicatione convocatæ sunt Gentes, quæ abjecto Peccati jugo, pro cognitione veritatis celebrabant Dominum; gratias agentes Deo, *qui de tenebris eos vocaverat*, &c. ut est apud Petrum, replebantúrque *gaudio inenarrabili*. ¶ *Judicium meum*] Dicitur Euangelium seu prædicatio Euangelica *Dei judicium*, quia in eo revelatur sensus Domini, quid scilicet probet, quid damnet. Deinde qui illud recipit, vivit; qui non recipit, eo ipso jam judicatus est. Ut ad hunc locum respexisse videtur apud Joannem Dominus, cùm ait, *Hoc est judicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem.* Ergò lux *judicium* dici potest, quia damnantur ea mala opera. *Omne* enim *quod manifestatur, à lumine manifestatur.* Ergò hîc *judicium Domini in lucem populorum advenire* ait, quia Euangelii prædicatio damnavit Deus mundi opera, & homines agnoverunt quid quæque res esset, & quanti unumquodque faciendum. Nisi velis *judicium* pro *judicandi potestate* accipere, seu *dominio*, ut interdum solet. Vide v. seq. ¶ *Requiescet*] Ad verb. *quiescere faciam.* Quòd si hanc significationem amplectamur, quam non dubium est habere verbum רגע (ut Deut. 28. *Inter gentes illas non quiesces:* & suprà 34. *Ibi quievit lamia*, &c.) sensus hîc esse poterit, *& judicium meum in luce populorum quiescere faciam*, ut manifestum sit universis populis, & omnes illud perspiciant. Sed cùm hoc verbum sit de numero eorum quæ Hebræis contrarias habent significationes (quod Rabini non adverterunt, nam sign. *commotionem* seu *conturbationem subitam*, possumus vertere, *judicium meum in lucem populorum concitabo*, i. faciam ut momento appareat. Quam expositionem vidit quidem Pagninus apud Rabinos, sed eam non probat ex aliorum Rabinorum judicio: at certè sequentibus congruit.

5. *Propè est justus meus*] Vulg. *justum* & *salvatorem* dixit pro *justitia* & *salute*. Sensus autem idem omnino est sive de justitia Dei quæ est per Christum sive de ipso Christo interpreteris. Mihi autem videtur hoc loco *justitia* pro *justificatione* accipi debere ut opponitur *damnationi* seu *reprobationi*. Justificant quidem homines alios homines, item & damnant: sed non rarò evenit ut qui à mundo damnantur, apud Deum justi sint; & contrà. Ultra verò justificatio pluris facienda sit nemo non videt, & mox Propheta aperiet. Dixerat autem quòd *judicium citò afferret in lucem populorum:* id ipsum aliis verbis annunciat & explicat, *Jam jam adest justitia mea; jam egressa est salus mea*, i. orta est. Isti sunt *gaudii* & *lætitiæ* fontes, & veræ *consolationis* origo & caput, quæ v. 3. promiserat. ¶ *Brachia mea*, &c.] *Brachia*, pro *viribus* & *fortitudine* sæpe accipiunt S. literæ; & *judicare* pro *dominum & regem esse:* quare videtur esse idem quod alibi dicitur, *& brachium ejus dominabitur.* Exseram virtutem meam per prædicationem Euangelii & Crucis, & illi obediet Orbis. Poteris & *brachia* pro *exercitibus* accipere, ut apud Danielem: nam prædicatores Euangelii subegerunt Orbem. Sed prior expositio simplicior est: nam Crux Christi ubique obtinuit, & ei tribuit victoriam & imperium Paulus, ubi ea de causa *non sapientes mundi*, *non eloquentiam aut potentiam mundi elegisse Deum* affirmat, *nè evacuaretur crux Christi*, i. nè quod cruci adscribi debebat, alteri cuiquam rei adscriberetur. Quid si *brachia* dicere voluit ut extensionem in cruce insinuaret, & virtutem mortis in cruce prædicaret? Certè qui sic interpretaretur, nihil indignum dignitate Propheticâ afferret. ¶ *Exspectabunt*] De verbo קוה suprà cap. 28. dictum est: quo significat Propheta *directionem cogitationum, locutionum & actionum omnium ad Christum Dominum*, utpote à quo pendeant Christiani, cuique uni placere studeant. ¶ *Sustinebunt*] Scilicet *exspectantes*. Ergo non solùm *collinea-*

tionem ad ipsum & *omnium directionem*, sed & *ab ipso suspensionem* notat. Electi enim, ut omnia sua in ipsum dirigunt, ità & ab illo animis omnino pendent, eum exspectant anxiè donec veniat. Quæ exspectatio, etsi nonnihil discruciat si protendatur, secum tamen ineffabile gaudium habet: nam *exspectatio justorum lætitia*. *Ad brachium* verò *exspectare* est Imperio Christi obedire, & promptos esse ad quidquid ille jusserit peragendum, hoc semper animo agitantes, *Domine, quid me vis facere?* Signum mihi da voluntatis tuæ, parebo per saxa, per ignes.

6. *Levate*, &c.] Hæc ad cumulum *consolationis* & *gaudii* faciunt. Non brevi tempore durabit hoc imperium, sed multò magis stabile est quàm *cœlum* & *terra*. Quare à me *justificari* & per me *salutem consequi* omni alteri justificationi & saluti præferendum est. Quod autem dicit de *dissolutione cœlorum*, &c. est quod Dominus in Euangelio ait, *Cœlum* & *terra transibunt*, *verba autem mea non præteribunt*. Quæ diu durat salus, valde optanda est; stabilis quoque & firma libertas nullo auro venditur. Quid juvat justificari, absolvi, justos pronunciari ab hominibus citò morituris, si cujus imperium manet in æternum te damnet? &c. Damnabant Pharisæi Discipulos Domini, & ipsi justificabant se coram hominibus: Interierunt Pharisæi, perierunt tyranni: *Oves Christi de manu ipsius nemo abstulit*: salutem quam ille præstitit, nemo labefactavit: Justi sunt & beati Discipuli Domini, quos mundus damnabat, qui tanquam *purgamenta mundi* reputabantur. ¶ *Cæli liquescent*] Stultum sanè fuerit ea quæ multò instabiliora sunt quàm cœli & terra pro æternis commutare. Quare sequitur,

7, 8. *Audite me*] Ad pios adhuc illos eosdem *qui bene affecti erant erga justitiam*, & *corde tenebant Dei legem* & statuta, nempe electos ex Israelitis, verba facit; & in eodem argumento perseverans mansuetudinem & patientiam suadet, ob oculos eis proponens quàm parùm durare poterunt hostes eorum qui ipsos conviciis & contumeliis impetunt, *at Justificari à Deo* & *Salutem ejus* non interire. Hoc ferè erat quod Paulus dicebat, *Leve* & *momentaneum tribulationis suæ pariturum æternæ gloriæ pondus*: quod quia firmiter tenebat, patienter se gerebat: *considerantibus*, inquit, *nobis non quæ videntur*, *sed quæ non videntur*, &c.

9. *Consurge*, *consurge*, &c.] Verba sunt Dei ad seipsum, seu Virtutem suam, nempe Dominum JESUM Dei Filium, qui & *Virtus Dei* & *Brachium Domini* dicitur in Scripturis. Possunt etiam accipi ut verba Prophetæ. Cùm justi illi Discipuli Domini adhuc timidi essent, & malè eos acciperet mundus, videbatur res postulare nè tamdiu dissimularet Dei Virtus, neque permitteret impios furorem suum exercere in pios, &c. ¶ *Induere*] *Induere fortitudinem* seu *obfirmationem* dicit Hebraismus pro *sumere vires*, & *fortitudinem*, *eámque exserere*; ut occultatâ paulisper patientiâ, mansuetudine seu clementiâ non sentiant hostes nisi virtutem Dei, ut in omnibus luceat Dei majestas & fortitudo ad eripiendos suos & perdendos hostes. ¶ *In diebus antiquis*] Sensum optimè reddidit. Quos autem appellet *dies originis*, sive *priores*, & *secula seculorum*, *æternitatum* seu *antiquitatum*, mox exponit. ¶ *Non tu percussisti*] In Hebræo est pronomen femininum, quia nomen *brachii* Hebræis est f. generis: & ideo etiam participia, *quæ excidisti*, *quæ exsiccasti*, &c. sunt feminina; & ad *Brachium Domini* dirigitur oratio. ¶ *Superbum*] רהב est *intumescere* seu *superbire*: & nomen sign. *tumorem*, *elationem*, *superbiam*, &c. Sed in plurimis Scripturæ locis, ut Psal. 87, & 89. & suprà c. 30, &c. pro *Ægypto* accipitur, cujus superbiam Prophetæ passim reprehendunt. ¶ *Vulnerasti draconem*] Ludit in Metaphoris Propheta: Pharaonem enim *draconem marinum* facit, & veluti in mari *dolores parturientis pati*, propter ingentem mœrorem quo affectus est cùm reduci super se & exercitum suum vidit aquas maris. Quare verti *dolere fecisti*, i. parturientis dolores & nixus pati: ut sit potiùs verbum חיל quàm חלל.

10. *Non tu siccasti*, &c.] Nota est historia. Tunc non nisi virtutem & potentiam Domini experti sunt Ægyptii, & *Israelitæ viderunt manum validam quam exercuerat Dominus adversus Ægyptios*, ut inquit Scriptura. Erat ergò tunc temporis *indutum fortitudine brachium Domini*.

11. *Et nunc*] *Nunc* addidit Vulgatus de suo, ut manifestior esset oratio, & significaret nequaquam de Israelitis egressis è mari Rubro intelligi locum istum. Ut enim erat pius & doctus, intellexit respondisse Dominum animo Prophetæ, Sic se rem habere sicut diebus antiquis, ut videlicet eriperentur electi è tyrannorum furore, non solùm Israelitæ illi pauci ex persecutione Judæorum infidelium, sed universi qui Christo nomen darent, in quos totus orbis conjurare videbatur, ex hostium unguibus evaderent, sicut evaserunt ex mari Rubro, submersis hostibus, non sine ingente lætitia; veniréntque non Tcion illam scelestam & excidio perpetuo dignissimam, sed vestram Tcion, Ecclesiam primitivorum. ¶ *Super capita*] Videtur esse Metaphora sumpta à mulieribus, quæ onera ingentia imposita capitibus deferunt: quò fortè & allusit Paulus cùm *gloriæ pondus* dixit. Illud interim non prætereundum, quòd doctè Vulg. *redemptos* dixit pro *redemptionibus*. Sicut enim Hebraismus *captivitatem* dicit pro *captivis*, ità *redemptiones* pro *redemptis*.

12. *Ego*, *ego ipse*] Sic est ad verbum in Hebræo; sed passim pronomen pro verbo substantivo accipitur, *Ego*, *ego sum*. Postquam inseruit illam suavem promissionem, quasi gloriabundus & de præstito beneficio contentus ac lætus in hæc verba prorupit. Ex quibus rursùs ad persuasionem patientiæ redit, ¶ *Quis tu*, &c.] q. d. *Si sic se res habet*, *quòd me habes promptum ad redimendum* & *ad liberandum*, *sicut olim Israelitæ*, & *me habes consolatorem*; *quis tu*, & *timebis?* (sic enim habet Hebraismus) i. quare tam malè tibi consulis ut timeas? quasi insinuat nullam prorsus subesse à tyrannis timendi rationem ubi Deum recogitamus Redemptorem & Consolatorem. Illi enim hostes moriuntur, mortales sunt: *occidere corpus possunt*, & *non habent ampliùs quid faciant*, imò neque occidere possunt nisi approbante Deo pro bono electorum. ¶ *Quasi fœnum ità arescet*] Hebraismum vitavit & perquam doctè reddidit, qui sic habet, & *à filio hominis fœnum dabitur*. Deest enim relativum & nota Similitudinis, quàm sæpe omittunt, præsertim cùm rem simillimam volunt notare. Ego breviùs, *qui fœnum redditur*, i. reddi solet quasi fœnum.

13. *Et oblitus es*] Heb. *obliviscceris*, i. oblivisci soles? vel, *oblivisci poteris?* interrogativè. Objurgationem autem habet percunctatio hæc. *Cùm pro te habeas Deum omnipotentem*, *cæli* & *terræ Dominum*, *qui fieri potest ut tantæ potentiæ oblitus ab homine*, *fœno simillimo*, *timeas?* Est autem hic nomen *hominis* sumptum à *miseria* אנש, eáque *incurabili*. Diciturque & *filius hominis*, ad fragilitatis augmentum. Innuitúrque quòd ab hujusmodi oblivione orietur timor ille. Impossibile enim reputatur ut qui juxta se habet robustissimum sodalem, ab homuncione timeat, nisi obliviscatur quem secum habeat. ¶ *Et paraverat*] כאשר כונן *secundùm quod se paravit*, vel *firmavit*. Estque phrasis quâ nos Lusitani utimur, *sic te habes in timendo*, *sicut ille se præparat ad percutiendum*; i. Statim ut ille se parat ad nocendum, times. ¶ *Ubi nunc*] Heb. & *ubi*. Verba sunt Domini jam patratam redemptionem & liberationem significantis quam promiserat v. 11.

14. *Citò veniens*] Hieronymus de Christo interpretatur, qui *citò venit* conculcans hostes, *aperiénsque* viam victoriæ: qui *non interfecit usque ad internecionem* Judæos, &c. Neque versionem hanc Vulgatam, quæ certè ipsius est, ut ex interpretatione apparet, quis meritò reprehendere potest. Nam ימות *morietur* accepit activè, & לשחת, i. *ad perditionem* seu *foveam*, dixit, *usque ad internecionem*. Verùm, ut omittam quæ alii hoc loco nescio quàm tempestivè afferunt, simplicissimam interpretationem apponere conabor, quæ in obscuris locis, qualis hic est, placere mihi solet. Cùm in fine superioris versûs de hoste qui *pressuram faciebat* & carceribus includebat rogaverat, *ubinam esset hic*, brevibus exponit quàm jam non premat, imò mutatus sit in amicum: *Festinavit*, inquit, *volutator* צעה, qui te tuáque omnia volutabat & prosternebat; *festinavit*, inquam, *ad aperiendum* (seu *solvendum*) *ut non moriatur*, i. ut quem detinebat captivum solvat, & non moriatur: *festinavit*, inquam, *ad foveam*, in qua detinebatur captivus quem ille conculcaverat, & *ei cibum* ministrabit largiter. Jam siquis de hujusmodi expositione dubitet, is meminerit verbum צעה esse idem quod *volutare*, vel se, vel alia. Quando autem aliena ingreditur hostis, dum scrutatur, omnia trahit, volutat, prosternit: Quam quidem actionem notat hoc verbum Metaphoricè. Propriè enim de *elutriatione vini è dolio in dolium* dicitur. Unde Jer. 48. hoc participio usus comparat hostes istis *transfusoribus vini*. Sed indè ad alias *volutationes* transfertur; ut cùm dicitur apud eundem Jeremiam, quòd *sub omni arbore frondosa* צעה *volutabat se meretrix illa*: ubi Vulgatus, *Tu prosternebaris meretrix*. Vide infrà 63. 1. ¶ *Et non deficiet panis ejus*] Quòd non solùm ei aperiet, sed affatim ad victum necessaria suppeditabit: vel sic, *Ubi furor pressuram facientis?* q. d. *Nihil planè effecit*. *Festinavit quidem volutator ad aperiendum*, i. evaginandum gladium, & *non morietur* is in quem gladium strinxerit: *festinavit item ad perdendum funditus*, & *non defecit panis ejus* quem perdere festinabat. *Quid ergò egit furor pressuram facientis? Nihil prorsus*. *At ego*, &c.

15. *Et ego*, &c.] Vau pro Adversativa particula accepit non malè Vulgatus. *At ego concito mare*, & *fremant fluctus ejus*, &c. vide ergò quantò dignius fuerit, omisso hominum timore, me colere, & à me uno pendere.

16. *Po-*

16. *Posui verba mea in ore tuo*] Verba sunt ad Christum Dominum, cujus fortitudinem prædicaverat in superioribus, expetens ut eam resumeret: quod factum jam fuisse cecinit: Jam quonam pacto id factum fuerit ostendit. Non solùm autem hîc Personam Christi intelligis, sed etiam eos per quos Dominus locutus est, qui paulò antè timebant ab homine mortali, & includebantur propter metum Judæorum. Hos nuncios suos fecit Dominus, his *os ac sapientiam dedit*, præcipiens eis *ne cogitarent quo modo, aut quid loquerentur: daretur enim illis quod ante Reges & Præsides loqui deberent.* Hos *protexit* & favore suo operuit: Tamdiu enim eos *manere in civitate* præcepit *quousque induerentur virtute ex alto.* Hæc est *umbra manûs Dei.* Fortè hic eos gladium esse Dei significat, cujus acies, quam *Hebræi* vocant *os*, acuta esset, sicut verbum Domini, quibus veluti gladio accinctus, qui sub brachio collocatur, per totum orbem incederet. ¶ *Ut plantes cœlos*] Per *plantationem* & *fundationem cœlorum* & *terræ* intellige constitutionem novi, i. spiritalis, Orbis, & Regni Dei: cujus fundamenta Christus & Apostoli jecerunt, multóque admirabiliorem quàm hunc qui oculis carnis cernitur condiderunt. Cogita autem quanta sit dignitas cœlos ac terram creare, aut quantum dignitatis habeat homines convertere à peccatis & ad Deum adducere: hoc etenim est *cœlum plantare* & *terram fundare:* quod statim designat cùm ait, ¶ *Ut dicas ad Sion, Populus meus es tu*] Hoc est Euangelium, Deum habere velle in terris populum, i. ut Tcion, quæ videbatur derelicta & deserta, sit congregatio sancta. Certè si Tcion est populus Dei, ubi ubi terrarum est populus Dei, est Tcion. Adde quòd in his verbis manifestè insinuat Tcion esse pauculos illos qui ex Judæis electi sunt, & evaserunt ex tempestate infidelitatis. Quid, quæso, est dicere Tcioni derelictæ & desertæ, quòd *sit Dei populus*, nisi quòd à Deo per Prophetas de felicitate & restauratione Tcionis dicta sunt, in eis complenda sint qui ex civitate illa prodierunt, ex quibus in unam fidem congregatis populus Dei efficeretur? Quare jam illius civitatis calamitatem ob oculos ponit, simul & restaurationem ac dignitatis recuperationem.

17. *Elevare*, &c.] Sive *excitare.* Quæ hactenus depressa fuisti, nec stare poteras, jam tempus est ut animum resumas, mœrorem deponas. Ità planè factum apparuit quando deletis propè Judæis, & Civitate eversâ, & Rep. penitus abolitâ, subitò florere cœpit Ecclesia ex Judæis congregata & per Judæos undique collecta. Hæc certè est *elevatio*, hæc *erectio* & *excitatio*, hæc reædificatio et restauratio Tcionis et Jerusalem. ¶ *Bibisti*] Familiare est Hebræis, cujusque portionem, & quod cuique contigit, sive lætum sive triste, *calicem* appellare, à consuetudine conviviorum, in quibus singulis singula vasa quibus biberent, apponebantur. *Calix* itaque *iræ* est quem Deus iratus propinat, cujusmodi sunt Fames, Pestis, Bellum. ¶ *Soporis*] Verbum רעל *tremuit* tantùm semel legitur, Nah. 2. *Et fraxini tremebant*, i. lanceæ ex fraxino. Indè nomina duo *tremorem* significantia, Zach. 12. *Ecce ego pono calicem tremoris*, & Ps. 60. ubi editio Latina habet, *Potasti nos vino compunctionis.* Dicitur autem *calix tremoris* qui tremorem & concussionem membrorum inducit: cujusmodi sunt venenatæ & frigidæ potiones. ¶ *Usque ad fæces*] Sensum reddidit: id enim est *exsugere calicem.* Omittitur autem in Hebræo conjunctio, *& exsuxisti:* quo notat omnem indignationem Domini super Judæos effusam, neque ullum calamitatis genus defuisse, sed extremum malorum perpessos fuisse. Quod in ultima eversione contigisse testis est Josephus, ut alios mittam.

18. *Qui sustentet*] Verbum Hebræum propriè sign. *ducere præeundo & adjuvando:* quod senibus, cæcis & debilibus obsequium præstamus, præsertim parentibus filii: quod mox repetit, *qui apprehendat manum*, &c. Quare non malè verbo *sustentandi* reddidit Vulgatus. Significat ergò, in ea Jerosolymitana vastatione nihil obsequii à filiis suis accepisse illam Remp. nam ipsimet eam devastabant, & mutuis cædibus seipsos interimebant, & majora damna ab internis seditionibus accipiebat Civitas quàm ab ipsis hostibus; ut ipsimet filii perditionem matris accelerarent, & in ruinam ejus conjurasse viderentur. Quod certè etiam ad *calicem iræ* pertinebat.

19. *Vastitas & contritio*] *Devastatio* atque *contritio* seu *confractio* pro uno computantur: alterum autem *famem* & *gladium* intellige fuisse. Duo ergò erant (ut aliis verbis efferam) civitatis ruina & civium clades, aut ex fame aut ex gladio: quæ duo si conjunguntur, nihil superest ad cumulum miseriarum quæ civitati possunt obvenire. ¶ *Consolabitur*] In Hebræis est forma primæ personæ, *consolabor:* unde Hebræus quidam, *Cum quo consolabor te?* Sed fortè א pro Jod positum est, ut rectè Vulgatus acceperit.

20. *Filii tui*, &c.] Explicat quid *fames* & *gladius* agant: Sub dio jacent filii tui, aut animam præ fame agentes, aut vulneribus confossi. ¶ *Projecti*] עלף Hebræis est *obscurari, obtegi.* Ergò dicere possumus *obvoluti sunt*, ut Gen. 38. & Cant. 4. sed quia transfertur ad Animum, *mœrore confecti sunt* reddere poterimus. Obscuratur enim cor, & nigrescit humore tetro, Ezech. 31. Amos 8. &c. ¶ *Bestia*] תוא sive תאו Deut. 14. In esum conceditur, tanquam animal mundum: *bovem silvestrem* dicunt esse Hebræi, quem *Urum*, alii *Turonem* esse putant. Certè retibus capitur: ubi interdum jacet irretitus, non solùm aeris sed canum & venatorum injuriis expositus. Tales fuerunt in illa ultima vastatione Judæi. Est quidem מכמר nomen *retis.* Pro *bove* autem *retis*, vitato Hebraismo, *feram illaqueatam* dixit Vulgatus, quem secutus sum.

21. *Paupercula*, &c.] Jam ad consolationem devenit, & nominibus miseriarum eam compellat *inopem* & omnium ope destitutam, cui nemo respondet clamanti seu opem imploranti; *ebriam* seu *inebriatam*, seu *perfusam indignatione Domini*, ut superiori versu dixit.

22. *Qui pugnavit pro populo suo*] Heb. ad verb. *litigavit populum suum.* Vulgatus in bonum accepit: sed videtur ex aliis locis in malum posse accipi. *Ego ipse*, inquit, *qui calicem tremoris propinavi, jam calicem auferam de manu tua, ut jam non exerceam iram meam in te, sed in hostes tuos.* Novam enim Tcion & Ecclesiam suam ingenti semper studio & favore prosecutus est. Quòd si adversa patiuntur electi, in ipsis tamen gloriantur; neque mœrore affliguntur; neque iratum Dominum sed amantem reputant, qui filios corripit ut servet. Quòd si spiritalem felicitatem Ecclesiæ Christi videre vis, lege caput sequens. De hoste verò *pertranseunte per Jerusalem* vide cap. seq. v. 1.

DRUSIUS.

4. וּלְאוּמִּי. Sym. *& gens mea.* Th. *genus meum*] Hieron. *Pro tribu, quam nos interpretati sumus*, Th. genus, *Sym.* gentem, *Lxx* βασιλεῖς, i. Reges, *transtulerunt.*

6. נִמְלָחוּ. A. μειωθήσεται *comminuentur in nihili.* Sym. ἁλισθήσονται *in salis modum contererentur & evanescent*] Hieron. *In Ebraico dicitur*, Cœli sicut fumus liquescent, *sive juxta Aq. & Sym.* comminuentur in nihili, & in salis modum contererentur & evanescent: *quorum prior dixit* μειωθήσεται, alter ἁλισθήσονται, *quod à* comminutione, *&* deliquio salis *Etymologiam trahere manifestum est.*

9. עוּרִי עוּרִי לִבְשִׁי עֹז זְרוֹעַ יְהוָה. Omnes, Ἐξεγείρου, ἐξεγείρου, ἔνδυσαι κράτος βραχίων Κυρίου, *Exsurge, exsurge, induere robore, brachium Domini*] Euseb. in Comment. ¶ הֲלוֹא אַתְּ־הִיא הַמַּחְצֶבֶת רַהַב מְחוֹלֶלֶת תַּנִּין. Th. οὐ σὺ εἶ ἡ λατομήσασα πλάτος, διαλύσασα δράκοντα; *non tu es quæ incidis latitudinem, * quæ dissolvis draconem?* οὐ σὺ εἶ ἡ κατακόψασα ἀλαζονείαν, καταστρώσασα δράκοντα; *non tu es quæ amputas fastum, quæ sternis draconem?*] * רחב: erratum in Heth & He. Cæterùm apud Procopium ista tribuuntur Theodotioni sub asterisco.

14. מִהַר צֹעֶה לְהִפָּתֵחַ וְלֹא־יָמוּת לַשַּׁחַת. Sym. *Citò infernus aperietur, & non morietur in corruptionem*] Hieron. *Symmachus in eo loco ubi nos diximus*, Citò veniet gradiens ad aperiendum, & non interficiet usque ad internecionem, *ita interpretatur*, Citò infernus aperietur, & non morietur in corruptionem. Th. καὶ οὐ θανατώσει εἰς διαφθοράν, *non occidet * ad corruptionem:* ex ed. Rom.] * *afficiet morte*, יָמִית. ¶ וְלֹא יֶחְסַר לַחְמוֹ. Th. καὶ οὐ μὴ ὑστερήσῃ ὁ ἄρτος αὐτοῦ, *& non deficiet panis ejus*] Hieron. *Illud*, Et non occidet in corruptionem, & non deficiet panis ejus, *de Theodotionis editione ex Ebraico additum est:* Quin apud Procopium sub Theodotionis nomine adscripta margini signata hæc sunt asterisco.

16. וָאָשִׂם דְּבָרַי בְּפִיךָ וּבְצֵל יָדִי כִּסִּיתִיךָ לִנְטֹעַ שָׁמַיִם וְלִיסֹד אָרֶץ וְלֵאמֹר לְצִיּוֹן עַמִּי אָתָּה. Hieron. *In hoc loco juxta Ebraicum & Aquilam vertimus*, Posui verba mea in ore tuo, & in umbra manûs meæ protexi te, ut plantes cœlos, & fundes terram, & dicas ad Sion, Populus meus es tu.

17. אֶת־כּוֹס. Sym. *craterem*] Hieron. *Igitur & Jerusalem*, quæ bibit de calice furoris Domini, & de κόνδυ ejus quem *Symmachus* craterem *interpretatus est.* ¶ הַתַּרְעֵלָה. Sym. Th. *lacerationis & commotionis*] Hieron. Calicem soporis & ruinæ; *sive juxta Sym. & Th.* lacerationis & commotionis. ¶ מָצִית. A. Sym. Th. ἐξεστράγγισας *invertisti*] Hieron. *Jubetur de ebrietate consurgere, eò quòd* biberit & vacuefecerit & potaverit eum usque ad fæces: *quod tres uno indicavere sermone*, ἐξεστράγγισας.

20. כְּתוֹא מִכְמָר. Euseb. οἱ λοιποί, ὡς ὄρυξ ἠμφιβληστρευμένος ἢ συνειλημμένος, *ut oryx illaqueatus & captus*] Ὄρυγον

δὲ

δέ ἐςιν ὄρυξ ὄντω χαλεύμενον. Hieron. Pro beta semicocta *reliqui Interpretes* orygem captum & illaqueatum *transtulerunt, qui Ebraicè appellatur* תאו: *quod genus bestiæ nascentis in eremo inter munda animalia in Deuteronomio ponitur.*

IDEM EX PROCOPIO.

1. חֻצַּבְתֶּם. Th. ἐξ ἧς ἐλατομήθητε *ex qua excisi estis.* ¶ וְאֶל־מַקֶּבֶת בּוֹר נֻקַּרְתֶּם. Idem, καὶ εἰς τὴν ὀπὴν τοῦ λάκκου ὅθεν ἐξεκόπητε, *& in foramen lacci * unde excisi estis.* Sym. εἰς τὴν τρυμαλιὰν *in foramen.* A. πρὸς ἐκκοπὴν *ad excisionem*] * i. Fossæ, foveæ aut cisternæ. Alii scribunt *laci*, unicâ *c*. Malè in Hieron. *loci* pro *laci*. Lex V. Λάκκος, *lacuna*, *cisterna*, *laccus*.

9. הַמַּחְצֶבֶת רַהַב מְחוֹלֶלֶת תַּנִּין. Th. ἡ λατομήσασα πλάτος, διαῤῥήξασα δράκοντα, *excidens latitudinem, confringens draconem*] Πλάτος i. רחב: error in Heth & He literis.

10. הֲלוֹא אַתְּ. Th. οὐ σὺ εἶ *non tu es.*

12. הוּא. Omnes, αὐτὸς *ipse.* ¶ מִי־אַתְּ. A. τίς σύ; *quis tu?* Sym. τίς εἶ; *quis es?* Th. τίς εἶσαι; Sic etiam οἱ ό.

16. וְלֵאמֹר לְצִיּוֹן עַמִּי אָתָּה. A. καὶ τοῦ εἰπεῖν τῇ Σιὼν, Λαός μου, *& ad dicendum Sioni, * Populus meus.* Sym. καὶ εἰς τὸ εἰπεῖν τῇ Σιὼν, Λαός μου εἶ, *& ad dicendum Sioni, Populus meus es.*

17. אֶת־כּוֹס חֲמָתוֹ אֶת־קֻבַּעַת כּוֹס הַתַּרְעֵלָה שָׁתִית מָצִית. Sym. τὸ ποτήριον θυμοῦ αὐτοῦ, τὸν κρατῆρα τοῦ σπαραγμοῦ, * καὶ ἐξεσπόγγισας † *poculum iræ ejus, & craterem exulcerationis ejus, * & exhausisti*] * Desideratur ἔπιες *bibisti*, aut aliquid tale. † Libri vulgati ἐξεσπόγγισε. * *Exhausit*, i. מצתה.

18. אֵין־מְנַהֵל לָהּ. Idem, Καὶ οὐκ ἔστιν ὁ παρηγορῶν αὐτὴν, *Et non est qui consoletur eam*] i. מנחם, cum Mem in ultima.

20. בָּנַיִךְ עֻלְּפוּ שָׁכְבוּ בְּרֹאשׁ כָּל־חוּצוֹת כְּתוֹא מִכְמָר. Sym. Οἱ υἱοί σου ἐπορεύθησαν † ἀγόμενοι ἐπ' ἀρχῆς πάντων ἀμφιβλήστρων ὡς ὄρυξ ἐν ἀμφιβλήστρῳ, *Filii tui abierunt ducti in principio omnium retiaculorum, ut oryx in retiaculo*] Sive *verriculo*, aut *reti*. † Fortè ἐβλήθησαν. nam in Hieron. *projecti sunt*. Santes habet *defecerunt*. Ἀγόμενοι, *ducti*, *alii*. Hieron. *dormierunt*. Verbum Ebræum potiùs sign. *cubare* vel *jacere*. Suspicor Sym. scripsisse κοιμώμενοι *dormientes*. ¶ Ἀμφιβλήστρων] Et hoc suspectum. Nam חוצות hoc non significat. Hieron. *viarum*: alii *platearum*. Job. 5. 10: חוצות *platearum*. Schol. ἐξωτάτων *extimorum vicorum*. Ὡς ὄρυξ] Sic etiam Th. & Aq. Ἐν ἀμφιβλήστρῳ] A. ἠμφιβληστρευμένος *irretitus*, sive *illaqueatus*. Th. συνειλημμένος *comprehensus*.

22. יָרִיב עַמּוֹ. Sym. ὑπερμαχήσει τοῦ λαοῦ αὐτοῦ *decertabit pro populo suo.*

23. גֵּוֵךְ. A. σῶμά σου, *corpus tuum.* Sym. τὸν νῶτόν σου, *tergum tuum.* Th. τὰ μέσα σου, *media tua.* Sic etiam Lxx.

GROTIUS.

1. Attendite *ad petram unde excisi estis*] Ad illum parentem generis vestri, virum inconcussæ fidei, quanquam צור [*petra*] etiam simpliciter pro *origine* accipi potest, notante Maimonidâ.

Et ad cavernam laci] *Perforationem cisternæ*: id est, uterum quem Deus aperuit.

2. *Unum vocavi eum*] Id est, prole omni carentem.

Et multiplicavi eum] Ab eo Ismaëlitæ, Idumæi, Israëlitarum tribus, Cheturæ posteri.

3. *Ponet desertum ejus*] Ut suprà XLIX. 19.

Quasi delicias] *Quasi Hedenem* in Hebræo. Vide Geneseos II.

4. *Lex à me exiet, & judicium meum in lucem populorum quiescet*] תורה etiam *doctrinam* significat. Docebo, inquit, populos me esse verum Deum, idque agnoscent ubi judicia mea in impios viderint.

5. *Propè est justus meus*] Veniet Cyrus cultor unius Dei.

Egressus est salvator meus] Qui populum meum liberabit.

Me insulæ exspectabunt, & brachium meum sustinebunt] In Hebræo, *In brachio meo confident.* Persæ mari adsiti à me sperabunt victoriam. Persæ, ut antè diximus, nullas habebant imagines quas colerent.

6. *Cœli sicut fumus liquescent*] Sidera in cœlo modò apparent, modò latent.

Terra sicut vestimentum atteretur] Magnæ terrarum partes hauriuntur à mari.

Et habitatores ejus sicut hæc interibunt] Multa loca inculta fiunt quæ plena fuêre cultoribus.

Salus autem mea in sempiternum erit, & justitia mea non deficiet] Promissa mea manent semper firma.

7. *Audite me qui scitis justum*] Pios qui inter Hebræos erant alloquitur.

Populus meus, lex mea in corde eorum] *In quorum corde lex mea est.*

Nolite timere opprobrium hominum, & blasphemias eorum ne metuatis] Nè timete convitia idololatrarum, qui vos vocabunt *nubium adoratores*, *recutitos*, *parcentes porcis*, *insociabiles*.

9. *Induere fortitudinem, brachium Domini*] *Brachium* hîc est casu vocandi.

Consurge sicut in diebus antiquis, in generationibus seculorum] In Hebræo, *Suscita te sicut in diebus antiquis, in ætatibus seculorum*: id est, quæ ante multa secula fuêre.

Pervertisti superbum] In Hebræo, רהב, quod *superbum* significat, & solet pro *Ægypto* poni, ut Psalmo LXXXVII. 4.

Vulnerasti draconem] *Belluam marinam.* Pharaonem. Tyrannos Prophetæ eo nomine appellant; maximè Ægyptios. Vide Ezech. XXIX. 3. XXXIII. 2. & ibi dicenda.

10. *Siccasti mare*] Rubrum.

11. *Et nunc*] Etiam nunc.

Lætitia sempiterna super capita eorum] Coronæ semper recentes.

12. *Quis tu ut timeres ab homine mortali?*] Ità parum tibi sit animi, ut homines timeas, Deum habens adjutorem?

13. *Ubi nunc est furor tribulantis?*] Vis illa Chaldæorum.

14. *Citò veniet gradiens ad aperiendum*] In Hebræo, *Festinabit vinctus ut solvatur.* Populus captivus, per Zorobabelem: nam preces suas ad Cyrum deferet.

Non interficiet usque ad internecionem] In Hebræo, *Non morietur in fovea*: non interibit in miseriis.

Nec deficiet panis ejus] Viaticum illi non deerit.

15. *Qui conturbo mare, & intumescunt fluctus ejus*] Ex Hebræo, *Qui findo mare, quamvis frementibus ejus fluctibus.*

16. *Posui verba mea in ore tuo*] Per Prophetas promissa mea tibi dedi quæ subinde recites.

In umbra manûs meæ protexi te, ut plantes cœlos & fundes terram] Videntur mihi Lxx optimè vertisse: ἐν ᾗ ἔστησα τὸν οὐρανὸν, καὶ ἐθεμελίωσα τὴν γῆν [*per quam constitui cœlum, & fundavi terram*]. Illâ manu te protegam, quæ satis valida fuit ad constituendum cœlum, firmandámque terram. Est in Hebræo Ellipsis non magna.

Et dicas Sioni, Populus meus es tu] *Et ad dicendum Sioni, Tu* (rursus) *mihi eris populus.*

17. *Usque ad fundum calicis soporis bibisti*] Pro *soporis* in Hebræo est התרעלה [*tremoris*] à רעל, quod Chaldæis est *tremere*: *horribile poculum*, quo totum corpus concutitur.

Et potasti usque ad faces] Totum exhausisti.

18. *Non est qui sustentet eam ex omnibus filiis quos genuit: & non est qui apprehendat manum ejus ex omnibus filiis quos enutrivit*] Cùm gravissimè concutereris ex illo horribili poculo, & esse quasi παραλελυμένη [*siderata*], nemo tuorum te manu duxit. nempe quia nulli id erat virium, non Regi, non Principi, non Sacerdoti.

19. *Duo sunt quæ occurrerunt tibi*] *Qui in te irruerunt.* Hæc duo sunt fames & cædes; sed utrumque bis nominat: idem enim sunt *vastitas* & *fames*, item *contritio* & *gladius*.

Quis contristabitur super te?] *Et tamen quis tibi indoluit?*

Quis consolabitur te?] Id est, quis hominum te consolatus est? nemo.

20. *Sicut oryx illaqueatus*] In Hebræo est תוא, quod & תאו scribitur Deuteron. XIV. 5. Videtur idem esse animal quod *Thoa* vocant Aristoteles Historiâ Animalium II. 17. Plinius VIII. 34. Oppianus de Venatu II. Miror qui legerint Lxx qui habent, ὡς σευτλίον ἡμίεφθον [*beta semicocta*]: aut Chaldæus qui posuit, *ut lagunculæ confractæ*.

21. *Ebria non à vino*] Nam, ut Alexis ait,

Λύπη μανίας κοινωνίαν ἔχει τινά.

[*Tristitia cum furore habet commercium.*]

Aliquos insanis attonitisque similes discurrere fecit metus, ait Seneca Naturalium quæstionum VI. 29.

23. *Ponam illam in manu eorum qui te humiliaverunt*] *Qui te afflixerunt.*

Et dixerunt animæ tuæ] *Tibi.*

Incur-

Incurvare ut transeamus] *Sternere ut transeamus.*

Et posuisti ut terram corpus tuum, & quasi viam transeuntibus] Fastus hic erat Regum Orientis super corpora humana incedere, Josuæ x. 24. Psalm cx. 1. Retinent adhuc quidem in India Reges.

CAP. LII.

MUNTSERUS.

1. NOn *adjiciet amplius*] Hebræi hæc omnia intelligunt de Redemptione, quam frustrà exspectant per Meschiam fiendam. Et per *incircumcisum* intelligunt Regnum Ædom, h. e. Romanorum; & per *immundum*, Regnum Ismael, i. Regnum Turcæ & Soldani. Nostri verò intelligunt de Redemptione Christi Synagogæ promissa, & jam exhibita: q. d. Deus, Toties es capta & redempta, & deinde iterum vastata: instituam aliquando redemptionem quæ sit æterna, & quam nulla alia sequatur captivitas. Et ea redemptio est spiritualis, quâ Christus in cruce nos gratis liberavit à peccatis, morte perpetuâ & inferno, nullis nostris præcedentibus meritis, *ut in sanctitate & justitia coram ipso serviamus*, & collætemur in Christi justitia, *omnibus diebus nostris.*

5. *Quid mihi hîc est?*] Est, inquit, populus meus in alia captivitate, graviori eâ quæ fuit in Ægypto aut apud Assyrios. Nam *qui illis præsunt*, pro arbitrio suo, & non juxta verbum meum, *dominantur illis*, ducunt eos in errores, *faciunt eos ululare, & blasphemare nomen meum totâ die.* Curabo *igitur* ego Dominus *ut populus meus me cognoscat*, & *me loquentem* audiat. Mittam Euangelistas qui *annuncient pacem & salutem* atque omne *bonum*, non privatis hominibus, sed *in montes pulcerrimis suis pedibus* ascendent: & toti mundo prædicabunt gratiam Dei & Euangelium Christi, & quòd deinceps *Deus* in nobis *regnaturus sit* verbo suo, & non Moses ceremoniis suis.

10. *Denudavit Dominus brachium suum*] h. e. Ostendit potentiam suam, & obtulit salutem suam omnibus gentibus, omnes monens ut discedant à perversa sua vita, *pollutiones vitent*, & *quisque studeat in sanctificatione possidere vas suum*, quod Spiritus Domini inhabitare dignatur. *Nec est festinandum* propriis operibus, *aut quòd fugias* in desertum locum: *sed Dominus præveniet & congregabit*; tu modò sequere.

13. *Ecce prudenter aget*] Incipit hîc Propheta describere modum quo Christus suos redemit, nempe passione & morte suâ. Vocâtque eum *servum* propter ministerium verbi & docendi officium atque totam vitam & mortem suam quâ nos Deo Patri reconciliavit. Unde & in resurrectione sua *exaltatus & sublimatus est ad summam gloriam, sedens ad dexteram Patris.* Et sicut *sine stupore* in passione aspici non potuit, *quòd deformatus esset vultus ejus ultra humanum modum*, *sic* rursus fuit in tantam gloriam elevatus ut *plurimæ gentes de hoc mirarentur & colloquerentur*, *atque Reges continerent os suum*, non valentes satis exprimere magnificentiam ejus. Et nota quòd נזה propriè sig. *spargere* & *stillas disseminare*: hîc verò capitur Metaphoricè pro *loqui* & *verbum seminare.*

VATABLUS.

1. NOn *adjiciet ut veniat per te* [לא יוסיף יבא בך עוד] Hebraismus, pro *Non veniet in te posthac.*

2. *Sede* [שבי] Sic vertit & Chald. P. à ישב. Alii vertunt *captivitas*, à שבה *captivum ducere.*

3. *Venundati estis* [נמכרתם] *Vendidistis vos.*

4. *Pro nihilo oppressit eum* [באפס עשקו] *Sine causa occupavit eum*, i. ejus bona: itâ & Chald. P.

5. *Quid mihi hîc?* [מה לי פה] Sub. *est negotii*: q. d. Quid moror quin libero populum meum? ¶ *Gratis* [חנם] i. Sine pecunia. ¶ *Totâ die* [כל היום] *Omnibus diebus.* ¶ *Spernitur* [מנאץ] *Blasphematur.* Alii, *contumeliæ exponitur.*

6. *In die illa* [לכן ביום ההוא] Ad verb. *propterea in die illa.* Redundat hoc loco לכן *propterea.* ¶ *Quòd ego*, &c. [כי אני וגו'] *Nam ego ipse sum qui loquebar*: & dicam, *En adsum.*

7. *Euangelizantis* [מבשר] *Annunciantis.* ¶ *Publicantis* [משמיע] *Prædicantis: publicantis.* ¶ *Regnat* [מלך] Præt. Heb. pro præs. i. jam regnare cœpit, regnat, & regnabit.

8. *Clamabunt* [ירנו] *Vociferabuntur*, sub. *præ lætitia*: *jubilabunt*: i. edent vocem plenam lætitiæ. ¶ *Cùm reduxerit Jehovah Sion* [בשוב יהוה ציון] *Cùm revertetur Jehovah in Sion.*

9. *Cantate, laudate* [פצחו רננו] *Laudate, exsultate.* Alii, *Erumpite in laudem & jubilate.* Alii, *Vociferamini, erumpite in vocem.*

10. *Sanctum suum* [קדשו] *Sanctitatis suæ.*

12. *Præcedet vos* [הולך לפניכם] Præt. Heb. pro fut. *ambulans ante faciem vestram, & colligens*, &c.

13. *Intelliget* [ישכיל] i. Erit præditus intelligentiâ & prudentiâ. Alii vertunt, *prosperabitur*, sive, *prosperum successum habebit.*

14. *Admirati sunt super illum* [שממו עליך] Ad verb. *obstupuerunt super te.* Confusio personarum, pro *super illum.* ¶ Quòd *adeò corruptus esset*, &c. [כן משחת מאיש וגו'] *Adeò deformata fuit ab hominibus species ejus, & forma ejus à filiis hominum: Sic*, &c. Alii, quòd *sic deformatus esset præter humanum morem aspectus ejus, & forma ejus* alienata *à filiis hominum: Sic*, &c. Sequenti versu perficitur sensus. Quidam separant, & vertunt, *Ut obstupescent super illum multi, ità corrumpetur pejùs quàm cujusvis hominis aspectus ejus, & species ipsius pejùs quàm reliquorum hominum.* Et *ità loqui faciet*, &c.

15. *Asperget* [יזה] Doctus inter Hebræos vertit, *effundet Gentes multas*: i. sanguinem Gentium multarum. Alii, *loqui faciet*, sub. *de se*: i. dabit ansam & occasionem multis loquendi de se. ¶ *Et quod non*, &c. [ואשר לא וגו'] i. Cognoscent rem insolitam & inauditam. Hîc Præt. Heb. pro fut.

CASTALIO.

11. EMigrate *ex ea*] Scilicet Babylone. ¶ *Este puri, ô gestatores supellectilis Jovæ*] Nam Templi vasa Babylone reportata sunt.

12. *Non enim trepidè emigrabitis, aut fugâ abibitis*] Alludit ad emigrationem ex Ægypto; & hæc omnia ad Christi Regnum refert.

CLARIUS.

3. GRatis *venundati estis*] *Invidiâ* enim *Diaboli mors intravit in orbem terrarum.* Sed hîc occultatur mysterium velamine literæ, dum dicit Ægyptios & Assyrios, nullâ acceptâ ab Israelitis injuriâ, quod appellat *sine causa*, eos tamen afflixisse: idcirco eos etiam *sine pretio redimendos.* Christus enim in cruce nos gratis liberavit à peccatis, à morte perpetua, ab inferno, nullis nostris præcedentibus meritis.

5. *Quid mihi est hîc*] Est, inquit, populus meus in alia captivitate graviori eâ quæ fuit in Ægypto aut apud Assyrios. Nam *qui illis præsunt*, pro arbitrio suo, & non juxta verbum meum, *dominantur illis*, ducunt eos in errores, *faciunt eos ululare, & blasphemare nomen meum totâ die.* Curabo *igitur* ego Dominus ut *populus meus me agnoscat*, & *me loquentem* audiat. Mittam Euangelistas, *qui annuncient pacem & salutem* atque omne *bonum*, non privatis hominibus, sed *in montes suis pulcerrimis pedibus ascendent*, & toti mundo prædicabunt gratiam Dei & Euangelium Christi, & quòd deinceps *Deus in nobis regnaturus sit* verbo suo & non Moses ceremoniis suis. Et vide ut videbatur Propheta jam tum cernere ipsos Apostolos Euangelizantes, dum contemplatur pedes eorum qui peragraturi erant omnem omnium terrarum orbem. Quem locum & Paulus produxit cùm de hac re scriberet ad Romanos: ut minimè dubitandum sit manifestissima hæc esse de Christo testimonia. Et illud *oculo ad oculum videbunt* quid aliud est quàm cernere Servatorem vestitum carne? quemadmodum dixit Simeon ille senex, *Quia viderunt oculi mei salutare tuum.*

10. *Nudavit Dominus*] h. e. Ostendit potentiam suam, & obtulit salutem suam omnibus gentibus, omnes monens ut discedant à perversa sua vita, *pollutiones vitent*, & *quisque studeat in sanctificatione possidere vas suum*, quod Spiritus Domini inhabitare dignatur.

12. *Quoniam non in festinatione*] Dixerat eos debere *exire*, sed nè putarent exeundum esse cum illa trepidatione quæ in exitu de Ægypto contigit, admonet non ità futurum, sed exeundum esse imitando ipsum *Dominum* ducem, qui *præcedet* ac viam commonstrabit, & dicet, *Discite à me quòd mitis sim & humilis corde*: &, *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego præcepta Patris mei servavi, & maneo in ejus dilectione.*

13. *Ecce prosperè aget*] Vel, *prudenter aget.* Incipit hîc Propheta describere modum quo Christus suos redemit, nempe passione & morte suâ. Vocâtque eum *servum* propter ministerium verbi, & docendi officium, atque totam vitam & mortem suam, quâ nos Deo Patri reconciliavit: unde & in resurrectione sua *exaltatus & sublimatus est* ad summam gloriam, *sedens ad dexteram* Patris. Et sicut *sine stupore* in passione aspici non

potuit.

potuit, quòd *deformatus esset vultus ejus ultra humanum modum*, sic rursus fuit in tantam gloriam elevatus ut *plurimæ gentes de hoc mirarentur & colloquerentur*, atque *Reges continerent os suum*, non valentes satis exprimere magnificentiam ejus. De quo & veteres Hebræorum exposuerunt hoc modo, *Exaltabitur Messias plusquam Abraham, & elevabitur plusquam Moses, & sublimis erit valde plusquam Angeli Dei. Prosperè enim geret omnia; totum sibi vendicabit orbem; adorabitur ab omnibus Regibus. In fimbria vestimenti scriptum habet*, REX REGUM, ET DOMINUS DOMINANTIUM.

15. *Contemplati sunt*] Studiosè cognoscere conati sunt. Alius finem hujus capitis sic vertit, *Eò quòd viderint quod non est narratum eis, & audierint quod non volverunt in animo.*

FORERIUS.

1. CONsurge, &c.] Libertatem filiorum Dei & Ecclesiæ Christi à peccato & iis quæ peccata consequuntur, canit jam Propheta: Interim tamen explicat quæ sit Christi Redemptio. Quemadmodum enim redemptio spiritalis fuit, sic & Tcion reparatio spiritaliter accipienda erit. *Consurge*, inquit. Multus est in hoc Propheta, sæpiùsque idem repetit: quo non solùm affectum suum & exsultationem animi sui explicat, verùm etiam quàm concidisset cor piorum, quàm abjecissent animum Israelitæ, quàm desperatæ fuissent res Ecclesiæ, quàm denique præter opinionem mutatæ jam essent rerum vices, intelligimus. Ubi etiam animadvertere oportet quòd quemadmodum *brachium Domini* superiùs alloquebatur, & incitabat, ut resumptâ fortitudine virtutem suam illam tot seculis contestatam exsereret; ità nunc ipsos qui redimuntur, ut fortitudinem & animi *firmitatem* omnibus collectis viribus *induant*, *excitare* miris modis conatur: & primò quidem ut *vestibus pretiosis*; quibus in diebus lætitiæ & ostentationis *gloriæ suæ* uti consuevissent, *induantur*. Neque mireris quòd apparente brachio Domini cum virtute, ac fortitudinem exserente, homines ad resumendas quoque vires excitet; quandoquidem viribus Redemptoris vires nostras accommodemus oportet, ut fructuosa in nobis sit redemptio, quæ desidibus & in utramque aurem dormientibus nihil commodi affert; enitentibus verò & torporem excutientibus mirum dictu quanta hinc gloria, quantus decor & dignitas nobis accrescet. ¶ *Civitas sancti*] Seu *sanctitatis*, i. sancta. Profectò si terrenam felicitatem aut jucunditatem decantaret, nequaquam *sanctitatis* nomen apponeret; sed antiquitatem, dignitatem, divitias, multitudinem ac pulcritudinem civitatis commemorasset: verùm quia ad sanctitatem erat redemptio, ejus tituli meminit, qui penè deletus fuerat, & jam jam erat restituendus. Quis enim unquam ad temporalem jucunditatem invitavit quempiam *sanctitatis* nomine præfixo? ¶ *Quia non adjiciet*, &c.] Non ampliùs ab hostibus devastandam Ecclesiam hæc significant: duraturam ejus integritatem & pulcritudinem, nempe ut nulla ampliùs redemptio exspectanda sit. Hoc notat *transitus incircumcisorum & contaminatorum*: quo nihil pejus habebat carnales Judæos in civitate illa terrena. Sed ut hæc secundùm carnem accepta mentibus carneis læta sunt, quæ tamen nunquam futura sunt; ità secundùm spiritum iis qui non in carne ambulant, suavissima. Dixerant hostes, *Incurvare, ut transeamus*: quo significabat Propheta extremam miseriam & durum imperium. *Eramus* enim *velut vilia mancipia*; *prout ducebamur ibamus*, inquit Paulus. At jam conversa sunt omnia, & non ultrà incurvabimur, non ultrà serviemus, non ultrà viles erimus, sed hostibus potiùs illudemus, & serpentes & scorpiones calcabimus, si volumus.

2. *Excutere*, &c.] Ex his verbis intelligere poteris quales fuissemus & futuri eramus absque Christo. Finge animo captivos vinculis ferreis detentos, humi cubantes, squalore ac pedore confectos, & cætera his similia: certè nunquam æquabis sortem eorum qui Christo carent & ab ejus redemptione sunt extorres: multò enim pejora, multò duriora in animo patiuntur: nam terræ adhærent, terram comedunt, ut qui terram sapiunt, propter quam tantummodo nati videntur; quare nihil nisi terra sunt. Quòd si affectus quibus ducuntur consideres, quæ vincula, qui carceres istis possent comparari? Neque tantùm Gentes hâc servitute premebantur, sed & ipsi Judæi. *Neque* enim *erat qui faceret bonum, nè unus quidem*, ut est in Psalmo: quare *omnes indigebant gratiâ Dei. Inventi* enim *sunt* & ipsi Judæi *peccatores*, ut dicitur ad Galatas. Sed Deo gratias quòd *pulverem excussimus & vincula abjecimus*, &c. ¶ *Sede*] שבי interpretantur ferè omnes cum Vulgato quasi sit imperativus à verbo ישב. Sed quid sibi vult, *Surge, sede?* Certè interpretationem non abjicio; sed vocem hanc pro nomine accipi posse affirmo, à verbo שבה, quod frequenter occurrit, & *captivitatem* notat, i. captivos; ut Num. 21. & suprà 49. Amos 4. &c. eritque sensus quem in versione habes. ¶ *Solve*] התפתחו *apertæ sunt*, i. soluta sunt. Et licèt sensus idem sit, malui tamen in tertia persona dicere. Nam ab alio *soluta sunt* nostra *vincula*: quibus solutis & confractis, jam *surgere* & ambulare, jam *pulverem excutere* possumus.

3. *Quia hæc dicit*, &c.] Jubeo ut exciteris, *induaris pretiosis vestibus*; annuncio *soluta* jam *vincula*: *quia sic dixit Dominus*, ¶ *Gratis venundati estis*, &c.] חנם *gratis*, *sine causa*, *temerè*. Sed quia *sine argento* dicit *redimendos*, *gratis* quoque *venditos* quadrat: ut dicamus, *Nullus fuit venditor, nullum fuit pretium: venditi estis in iniquitatibus vestris*, ut suprà dictum est; quare *etiam sine argento redimemini*. Noluit dicere, *& gratis redimemini*. Licèt enim *non corruptibilibus, auro & argento, redempti sumus*, nequaquam tamen sine pretio, eóque inæstimabili, *pretioso* videlicet *sanguine Agni immaculati*. Nos quidem nihil persolvimus: qui tamen pro rebus vilissimis nosmetipsos vendideramus & legitimo Domino subtraxeramus; ille verò quæ nos rapuimus exsolvit, & pro nobis pretium dedit. *Disciplina* enim *pacis nostræ super eum, & livore ejus conciliata est nobis sanitas*, ut dicitur cap. seq. ¶ *Et sine argento*] Hebraismum retinui, quòd facilis esset, *& non cum argento* (vel *in argento*) *redimemini*.

4. *Quia hæc dicit Dominus*, &c.] Explicat exemplo *populum sine argento redimendum*: q. d. *Meministine quid olim egerim quando populus meus descendit in Ægyptum, ut in Ægypto peregrinaretur?* Nam adacti fame è terra Chanaan illuc profecti sunt: Mortuo autem Josepho, Rex novus, qui illum ignorabat, eos ut captivos habuit atque tractavit. Quia igitur immerentem opprimebant populum meum, descendi tunc temporis ut oppressum iniquâ servitute eum liberarem. Non enim potui sustinere aut æquo animo pati clamorem qui ad aures meas ascendebat. At nunc quid moror? an non graviori servitute premitur? descendam ergò, & liberabo. Hic est germanus horum versuum sensus: Et de mysterio Incarnationis est sermo; rumpantur licèt Judæi & Rabini. ¶ *Et Assur*] Ferè omnes, quos vidi, de Captivitate per Assyrios seu Chaldæos interpretantur, propter nomen *Assur*. Ego certè tantum de Captivitate Ægypti sermonem esse puto: nam valde imperfectus esset sermo si secundum hoc membrum de alia captivitate loqueretur, *Descendit populus meus in Ægyptum, ut peregrinaretur ibidem*: quid indè? sed quid alii sentiant omitto. *Assurum* itaque vocari existimo Pharaonem propter potentiam & crudelitatem. Erat enim veluti in proverbio nomen *Assur* eâ tempestate, ut ex lectione Prophetarum apparet, qui hostes populi Dei illorum populorum nominibus solent appellare qui Judæis infensi fuerant. Adducit autem exemplum captivitatis hujus, quia similior erat captivitati de qua erat sermo. *Ut ibi*, inquit, *peregrinaretur descendit*, non ut hostis, non ut noceret; sed quod tunc licebat fecit: Ibi verò positus vim passus est, & *eum defraudavit* Pharaò *absque ulla causa*. Si enim aliqua fuisset, eam certè Pharao suis exposuisset cùm consiliorum eorum opprimendorum inibat. Videmus autem eum suis nihil nisi timores quosdam inanes exponentem, videlicet *nè si ingrueret bellum, adderetur inimicis*: cujus tamen rei nulla erat probabilis suspicio. *Absque ulla causa* ergò, seu *pro nihilo*, *defraudavit eos*, ut legis initio Exodi.

5. *Et nunc*] i. *Nunc autem quid mihi hîc?* Quidnam hîc habeo, ut non idem faciam quod tunc feci? quid me moratur? Inserit autem, *fidelis sermo Jehova*, quod solet facere in rei certitudinem, præsertim cùm mysterium tractat: ob quod bis in uno hoc versu hanc confirmationem repetit, ut attentionem captet, & verba penitùs inspicere faciat. ¶ *Quia ablatus est populus meus gratis*] Vides ut insistat verbis similitudinis? Assur gratis oppressit; nunc quoque gratis abactus est populus meus: id quod suprà dixerat, *Gratis venundati estis*. Nihil commeruerat Homo in Diabolum. Nascebamur quidem omnes filii iræ; verùm id ex alieno peccato contrahebamus. Adde quòd electi omnes morti tradebantur & captivi detinebantur, etiamsi pientissimè vitam duxissent: nec sat erat quòd gratis abacti essent, nisi ¶ *Dominatores ejus iniquè*, &c.] Quàm indigna enim paterentur peccatores à dominis suis, vix verbis explicari potest. Et ut cætera omittam, quis ignorat Pharisæorum ac Scribarum superstitiones, traditiones & studia? Cùm turpi lucro omnes studerent, & quæstui omnes deservirent, quas non iniquas leges conderent? quid injustitiæ omitterent? Lege 5. & 10. cap. hujus Prophetæ. Eadem verisimile est pertulisse per totum Orbem plurimos qui, ut præordinati erant ad vitam æternam, ità etiam interdum recti æquique erant amantes; quare & non bene accepti ab impiis; imò postquam Christo nomina dare cœperunt, gravissi-

gravissima perpessi sunt electi. Ad quodcunque igitur tempus hæc referas, verissima sunt. Verùm sub id tempus quo Christus Dominus in mundo apparuit, omnia occupabat vis & dolus. Cæterùm quod Vulg. dixit, ¶ *Iniquè agunt*] Hebræis est hoc loco verbum הילל, i. *ululare fecerunt*, videlicet ob vim quam inferebant, & injustitiam quam exercebant. Quare Vulg. secundùm morem Hebræorum Causam pro Effectu posuit. Scito autem quòd, licèt non reperiatur nisi in illa forma, sæpe tamen neutrum est, ut Jer. 47. Zach. 11. & suprà 13. *Ululate*, &c. Quare sic reddere possumus, *dominatores ejus ululant:* ut sit similitudo sumpta à feris, ut putà Lupis, qui noctu prædam expetentes præ fame ululatus edunt. Infensos igitur & quasi hostes populi notat Magistratus. ¶ *Et jugiter*, &c.] Non rarò queritur Dominus de Judæis quòd *inquinarent nomen ejus*, & *blasphemari facerent nomen Domini*, &c. quo universorum scelerum pelagus Scriptura notat. Quare de illis potissimùm hoc intelligendum puto è quorum tyrannide Dominus veros Israelitas liberavit: malè enim tunc audiebat nomen Domini. Non purus, nec sanctus, neque scelerum inimicus putabatur à plurimis qui videbant eos qui nomine *servorum Dei* insigniti erant omnis generis sceleribus imbutos ac contaminatos. Huic quoque rei addit asseverationem, *fidelis sermo Jehova*. Nam non minùs certùm erat, Deum ob bonitatem suam voluisse mundo subvenire, quàm indignum fuisse mundum eâ misericordiâ. Nam, nè inimici essemus, Filius Dei ad nos servandos descendit, & pro impiis mortuus est. *Hic est fidelis sermo & omni acceptione dignissimus, quòd Dominus JESUS venit in hunc modum ut peccatores salvos faceret*, &c. In quibus verbis ad hunc locum Jesaiæ respexisse videtur D. Paulus: ubi etiam *se blasphemum fuisse* fatetur.

6. *Propter hoc*] Partim eò quòd *gratis ablatus est*, partim quia malè eos accipiunt dominatores eorum, partim propter convitia quæ in me conjiciunt. *Propter hoc*, inquam, *sciet nomen meum*, i. illis adero, & meam virtutem in seipsis experientur. Est autem phrasis Hebræa, *Scies nomen meum*, quâ & nos Lusitani utimur tam in bonum quàm in malum, i. *Scies, sentties, quantum valeo*. Initium autem habuit hic loquendi modus ab invocatione Regum aut Magistratuum, quos solent invocare qui ab aliis vim patiuntur: sicut etiam apud nos ad invocationem Regis mox adsunt auxilio plurimi. Bis autem in Hebræo habetur לכן, i. *iccirco*; *Iccirco sciet populus meus nomen meum, iccirco in die illa:* pro, *sciet, inquam, in die illa*. Quamvis Hebræi hoc alterum ad sequentia referant. ¶ *Quia ego ipse*, &c.] Quid sit *scire nomen Dei* hìc habes: *Adsum*, inquit. Optimè enim Vulg. Hebraismum, *Ecce ego*, hoc verbo reddidit, *Ego qui olim loquebar*, cujus non sciebatis nisi verba, promissiones per Prophetas, *jam adsum*. Certè si de virtutis præsentia tantùm loquatur, etiam olim adfuerat. De Persona igitur intelligendus est locus. Venit enim Dominus ad nos; cujus nomen scimus, cujus fortitudinem experti sumus, qui nos eruit de potestate tenebrarum multò feliciùs quàm olim Israelitas ex Ægypto. *Qui olim loquebatur in Prophetis, locutus est nobis in filio*; ut jam Prophetis non opus sit nobis. O miseros Judæos, qui ut hanc veritatem non agnoscunt, ità neque eum loquentem audiunt, neque venientis auxilio gaudent! ob quod palpant in meridie quasi in tenebris.

7. *Quam pulchri*, &c.] Si advenisset Dominus, non autem fuissent qui de eo annunciarent, quisnam, quæso, credidisset? *Quomodo* enim *credidissent sine prædicante?* inquit Paulus Rom. 10. ubi etiam locum hunc in hanc sententiam adducit. Quare cùm dixisset *se adesse*, mox de prædicatoribus Evangelicis addit, *Quàm pulchri*, &c. Verbum נוה *gratiam* notat, & dicitur de rebus quæ invitant & alliciunt ad amandum: ut de genis Sponsæ Cant. 1. Et Nah. 2. negatur de superbo, quem comparat ebrio: opponitur itaque *turpi* & *indecoro*. Laudat autem *pedes Evangelizantium* redemptionem per Christum factam, eò quòd pedibus itinera conficerent, & nuncium de Regno in Reguum deferrent. *Pedes* itaque habere oportet Evangelicum prædicatorem non minùs quàm *eruditam linguam*, ita ut, *quoad ejus fieri possit, & Romæ* cum Paulo *paratus sit Evangelizare*, & usque ad fines terræ Christi nomen deferre. Videant qui Evangelizandi munere ad delicias abutuntur. Notandum verò est quòd, cùm nihil minùs decorum sit in homine pedibus itinera conficiente quàm ipsi pedes, istorum tamen decorum admiratur, non solùm ut gratiam in nuncio atque Evangelio esse intelligas, verùm etiam ut totos speciosos esse sciamus eos qui Evangelium prædicant, adeóque speciosos ut ad pedes usque gratia percurrat. Quid enim non decorum & speciosum in homine videatur qui Deum reconciliatum homini, Dei Filium in terris regnare, multis comparatis fratribus, & remissione peccatorum concessâ, adoptionem in filios Dei annunciat, & se testem tantæ miserationis & largitatis oculatum esse testatur? Placent verba, vultus, pedes denique speciosi videntur, & tantùm non pro Diis suscipiuntur. Hinc existimo manasse ritum illum *lavandi pedes sanctorum* in primitiva Ecclesia, de quo loquitur Paulus. ¶ *Super montes*] *Montium* meminit quòd de Tcione sermonem instituebat, quæ & in montibus sita, & in vicinis montibus speculas & speculatores habere consueverat, qui quæ viderent, celeri cursu nunciarent per montana currentes. Convenit autem mysterio. Nam *super montana Judææ* (ut est in Euangelio) divulgabantur omnia illa quæ in conceptione & ortu Joannis Baptistæ acciderant. Adde quòd è locis arduis meliùs audiuntur voces. Neque prætereundum est, quòd non sunt *speciosi pedes*, sed neque ora, eorum Euangelistarum qui non *super montes* sunt, sed humilia & jacentia sectantur. Quare & *super montem ædificatæ civitati* comparantur, & *lucerna super candelabrum constituta*, quorum *lucem videntes & opera, homines glorificent Patrem*, qui tam speciosos homines & decoros crearit, & terris donarit ad aliorum salutem. ¶ *Annunciantis, & prædicantis*] Duo verba sunt Hebræis hoc loco sine conjunctione, quorum posterius est *clarâ & intelligibili voce loqui*, prius verò בשר est idem quod *euangelizo:* unde nomen BISRAH idem quod Latini & Græci *Euangelium* vocant, quasi *bonum factum*, ac *lætum nuncium*, ut 2 Sam. 18. & 2 Reg. 7. aut *præmium quod pro læto nuncio datur*, ut 1 Sam. 4. & Paulus in eo Epistolæ ad Romanos loco verbo *Euangelizandi* reddidit. Est autem בשר *caro:* ut non desint qui dicant verbum indè sumptum, & esse *quasi mollia & suavia nunciare*. ¶ *Pacem, bonum, salutem*] Tria sunt nomina quibus ea significantur quæ Euangelii prædicatio complectitur. His autem universa felicitas continetur, & corporum & animorum. Reconciliato enim Deo, & effusâ supra nos Divinâ bonitate, cujus participatione fugantur vitia omnia & virtutes renovantur interiùs, quid ultrà desiderandum est? Quòd si uno verbo universam vim complectantur, ¶ *Tcion, regnavit, Deus tuus*] Hinc pax, hinc bonum, hinc salus, imò hoc est *omne bonum quod transire fecit Deus coram Mose*. Nam revelavit ei Deum in homine; cujus tamen non nisi *posteriora* vidit: vel quòd posterioribus temporibus id futurum esset, vel quòd anteriori parte, i. quâ Deus est, videri non poterat ab homine. Hoc ergò est Euangelium, *Regnavit Deus tuus:* non Diabolus, non Peccatum, non Mors, & Infernus, non Judex, aut quispiam Rex similis illis quos jam habuisti, sed *Deus* ipse, *qui est sapientia & justitia & sanctificatio*. Hæc est Euangelii prædicatio, quæ tota *mysterium* quoddam continet, nempe *Deum apparuisse in carne, angelis conspicuum factum, hominibus prædicatum, & à Gentibus & toto orbe creditum & susceptum, & tandem cum gloria in cælum assumptum*. Juvat hic meminisse quòd, cùm olim petiissent Israelitæ Regem, dixit Deus, quòd *se abjecissent nè super eos regnaret:* nam hactenus per duces & ministros suos eos gubernaverat: quam curam ob ingratitudinem ab eis auferendam significabat. Euangelium hanc gratiam restitutam prædicat, ut primo hujus Prophetæ capite dictum est.

8. *Vox speculatorum tuorum*] i. *Hæc est vox speculatorum tuorum*. Hoc indicant speculatores tui qui super montes sunt; hoc significant: hæc, inquam, est Euangelizantium vox, *Tcion, regnavit Deus tuus*. ¶ *Levaverunt vocem*] Hanc videlicet quam dixi. Regnum itaque Christi non summissè, aut pavidè, aut quasi rem tristem, annunciabunt, sed veluti qui lætum nuncium afferunt. ¶ *Simul laudabunt*] Non contenti nudâ rei annunciatione, laudes addent, ut auditores ad celebrandum Dei magnificentiam provocent. Decet ergò præcones Euangelii, mysterio Christi rectè affectos, non frigide tam lætum nuncium annunciare. ¶ *Quia oculo ad oculum*] עין בעין *oculus cum oculo:* qui Hebraismus apertam & claram visionem ac familiaritatem notat. Dicunt enim Hebræi *ore ad os loqui*, & *oculos cum oculo videre*, pro *familiaritate & consuetudine uti*. Hebraismum hunc paulò apertiùs extulit Jeremias 34. *Oculi tui oculos Regis Babel videbunt, & os ejus os tuum alloquetur*, pro, *Venies in conspectum Regis, & te coràm alloquetur*. Eadem phrasis est, *Facies cum facie*, Exod. 33. Deut. 5, & 34. &c. Significat ergò speculatores Tcionis & prædicatores illius boni nuncii ipsum Regem oculis suis conspecturos & familiariter allocuturos, & testes futuros oculatos eorum quæ diceret & faceret Rex ille. Unde in Euangelio huc respiciens dicebat, *Vestri beati oculi, qui vident*, &c. & 1 Joan. 1. *Quod fuit ab initio, quod vidimus & perspeximus, & manus nostra contrectaverunt*. Denique sic hæc verba Prophetæ cum illis conferas quæ dicebant Apostoli in Actis, *Non possumus quæ vidimus & audivimus tacere*, videbis idem omnino hic atque illic significari: hìc enim tanquam causa *exaltationis vocis* eorum & *prædicationis* assignatur, *quia oculo ad oculum videbunt:* sed quando? ¶

Cùm

Cùm converterit Dominus Sion] Seu *quando reduxerit Dominus Tcion*, i. testes aderunt, & oculis suis aspicient Dominum reducentem Israelitas. Quod suprà dixerat *regnare Deum*, hic vocat *reducere Tcion.* Viderunt certè Apostoli Christum Regem conversioni Israelitarum totis viribus incumbentem, ipsique ex Israelitis erant quos Dominus ore suo vocaverat ac reduxerat: ipsi viderunt in crucem sublatum, & morte suâ de Morte triumphantem: testes denique fuerunt resurrectionis & in cœlum ascensionis: quare tacere non poterant quin dicerent, *Regnavit Deus tuus*; Advenit Messias tuus; JESUS ipse est Messias: is reducit à potestate Peccati: *neque est aliud nomen sub cœlo in quo possit quispiam salvus fieri*: id significabant & prædicabant quocunque ibant.

9. *Gaudete, & laudate*, &c.] Cùm terra habitatoribus vacuatur, *lugere* dicitur, & omnia in solitudines & deserta rediguntur: at restitutis, *gaudere & lætari.* Omnia itaque in Israele, occupante impietate, spiritaliter *deserta* erant, & terræ calore Solis adustæ & *exsiccatæ* simillima: adveniente autem Redemptore, & reductis filiis ad prudentiam & fidem justorum patrum, *gaudere & lætari* jubetur. Attende, Christiane lector, quòd etiamsi redemptio spiritalis fuerit, res tamen est gaudio & jubilo dignissima; ob quam non civitates modo sed & ipsa *deserta* meritò exsultent, & pariter cum ipsis verbi Dei præconibus festos choros ducant. Pervadet enim & penetrabit annunciatio Euangelii ipsa etiam deserta; neque erit regio adeò sterilis quæ non satione verbi germinet & exsultet. Non enim à participatione Divinæ gratiæ excluduntur extremi in populo & ignobiles; neque in Christo JESU ulla est distinctio, aut personarum, quam vocant, acceptio. ¶ *Quia consolatus est*, &c.] *Consolatio populi Dei* & *redemptio Jerusalem* idem omnino sunt. Simeon *exspectabat consolationem Israelis*, quia exspectabat Redemptorem: Antonomasticè enim illa tantùm dicebatur *consolatio.* Adde quòd absque redemptione quænam posset esse vera consolatio? Quòd si apud Judæos, quorum bona pars corporalem tantùm redemptionem exspectabat, obtinuerat hæc opinio, ut adventus Messiæ *consolatio Israelis* diceretur, cogitemus quàm indignum sit ut Christiani mundanas consolationes *consolationum* nomine dignentur.

10. *Paravit Dominus*, &c.] Sensum expressit Vulgatus. Nam verbum חשף *denudare* notat; quod Vulg. Jer 49. 10. verbo *discooperiendi* reddidit, & Jer. 13. 16. verbo *nudandi*, &c. Cùm ad quidquam operis faciendum præparamus, brachium nudamus: ideo *parare* dixit Interpres. Dicit autem *brachium sanctitatis suæ*, seu *sanctum suum.* Nam nihil sic sanctitatem Dei nostri mundo commendavit quàm exhibitio unigeniti Filii Dei. In hoc intelleximus quanto odio omnem immunditiam peccati Deus odisset, cùm, ut nos immaculatos & irreprehensibiles redderet, Filium suum mundo dedit, & tam dira pati voluit. Vel, *brachium sanctitatis nudavit*, i. vim sanctitatis suæ exseruit, quâ potuit hominem ex immundo mundum, ex peccatore sanctum facere. Hoc est Dei benedicti & sancti *brachium* quod *oculis omnium gentium* visibile apparuit. Quod enim priori membro dixerat, posteriori quoque repetit, *Et viderunt omnes fines terræ salutare* (seu *salutem*) *Dei nostri*, i. Salvatorem, quem misit oculis carneis visibilem. Licèt enim tantùm in Judæa versatus fuerit, non latebat: sed si totus mundus illuc convenisset, oculis suis omnes illum videre potuissent: & tandem credentes illis qui viderunt, oculis fidei viderunt, & salutem perceperunt. Hæc addidit nè quis cum cæcis Judæis in superioribus verbis, *Consolatus est populum suum, redemit Jerusalem*, ad Judæos putaret tantùm pertinere Messiam & redemptionem ejus.

11. *Recedite*, &c.] Ad eos quibus revelata fuerat vis sanctitatis Dei, i. Filius Dei, qui erant dispersi per totum orbem, videtur esse sermo: ad quos tamen loquitur quasi loqueretur cum Judæis detentis in Babylone, ut suprà cap. 48. 20. Quare cùm hic dicitur *Exite de medio ejus*, in Hebræo est relativum feminini generis. Vel certè, cùm prævidisset Propheta Jerusalem ipsam impietate & omni genere scelerum contaminandam, ipsos Israelitas, qui veram Tcion efficiebant, paucos illos qui Christo credituri erant alloquitur, ut *caverent à fermento Pharisæorum & Scribarum*, ut desererent impiam Jerusalem, & recederent à contaminationibus ejus. Quare nomen civitatis noluit apponere, ut mysterium celaret; sed relativum pro antecedente posuit, quod præcesserat vers. 9. Quod autem illis dicit, omnibus dicit, videlicet ut recedant ab iniquitate & peccato omnes quibus innotuit Christus. Ob quod Paulus, cùm scriberet ad Corinthios *nè jugum ducerent cum infidelibus*, quòd *nihil commercii haberet justitia cum iniquitate, & lux cum tenebris, & templum Dei cum idolis*, nimirum ad hunc locum respiciens, ait 2 Cor 6. *Propter quod exite de medio eorum, & separamini, dicit Dominus, & immundum nè tetigeritis; & ego recipiam vos.* Ergò, ut universalem admonitionem accipiamus, ¶ *Pollutum nolite*, &c.] Allusio est ad legem in qua tactus rerum immundarum interdicebatur, alioqui *immundi* & tangentes ipsi judicabantur; cujusmodi erant Cadavera, Menstruatæ feminæ, Occisa à feris, &c. Quæ omnia immunditiem peccati significabant; à qua valde remotos esse suos vult Dominus. ¶ *Mundamini, qui fertis vasa*] Allusio item est ad purificationes quas indicebat Dominus Levitis, quorum erat deferre vasa Tabernaculi, & res cultui Divino dicatas de loco in locum transferre. *Nos* autem, ut eo loco dicit Apostolus, *templum Dei sumus*, & corpora nostra & animi vasa sunt Spiritûs sancti. Ob quod præcipit Apostolus alio in loco nè ea contaminemus; *Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit. An nescitis quòd membra vestra templum sunt Spiritûs sancti qui in vobis est, quem habetis à Deo, & non estis vestri? Empti estis pretio magno: glorificate & portate Deum in corpore vestro.* Membra itaque nostra sunt *vasa* seu *instrumenta Jehovæ*: mundos ergò nos esse jubet, tanquam hujus Templi Levitas, & ministros Divini cultûs, quem intra nos exhibere debemus Deo.

12. *Quoniam non in tumultu*, &c.] Manifestum est alludere hîc Prophetam ad exitum de Ægypto: de quo dicitur Deut. 16. *Quoniam* בחפזון *egressus es è terra Ægypti*: ubi Vulg. nomine *pavoris* reddidit. Reddit autem eo loco Moses rationem ob quam azymos panes deberent comedere in festo Paschatis, nempe ut meminerint egressionis ex Ægypto: in qua quia se quasi furtim subtrahebant, & maxima erat acceleratio, non potuit panis fermentari. Notat autem vox *celerem subtractionem* seu *subductionem*, qualis est præ metu fugientium. Hîc autem videtur reddi ratio quare debeant *mundi esse delatores vasorum sanctorum*, quasi spatium habeant ad purificationem faciendam & maculas omnes delendas. Non est hostis qui urgeat à tergo: et si urgeat, Dominum habemus ducem, qui tutos nos reddat. Quid si nihil aliud hæc significent quàm non esse hunc recessum corporalem & visibilem? q. d. Præcipio munditiem & separationem ab omni contaminatione, quandoquidem spiritalis est isthæc discessio, & non similis egressioni ex Ægypto, aut ex altera quavis captivitate, in qua nulla habetur ratio sanctificationis animorum: quod tamen in hac maximè attenditur: *nam ductor noster est Jehova; & qui nos tanquam oves colligit, est Deus noster.* Quo in loco certè alludit ad eam corporalem munditiam quam in castris exigebat Dominus, quandoquidem omnes sordes corporeas efferri jubebat & terrà operiri; & qui nocturno polluebantur somno, extra castra secedere jubebantur: *Dominus enim*, inquit Deut. 24. *Deus tuus ambulat in medio castrorum tuorum, ut eruat te, & tradat tibi inimicos tuos, & sint castra tua sancta, & nihil in eis appareat fœditatis, nè derelinquat te*, &c. Quasi hæc sic accipienda sint; *Brachium sanctitatis suæ nudavit coram vobis. Discedite ergò ab omni iniquitate, & nullo peccato contaminemini; sicut qui deferebant vasa Templi, ab omni immunditia corporali abstinebant. Nam liberatio hæc non est similis liberationi ex Ægypto, sed animorum est & spiritalis; in qua debet haberi ratio peccatorum & sanctificationis spiritûs. Deus enim ipse est dux noster, & dispersos suos congregat, & ut pastor ad se colligit*: quem sanè sensum in his verbis aperuit Paulus, optimus Prophetarum interpres, in eo loco 2 Cor. 6. Ait enim ex Levit. 26. *Inhabitabo in illis, & inambulabo, & ero illorum Deus: & ipsi erunt mihi in populum. Propter quod exite de medio eorum, & separamini*, &c. Vides nihil nisi tantùm ordinem verborum inversum? Paulus ait, *Deus inter nos; ergò separamini, & sitis sancti.* Jesaias verò, *Separamini, & sitis sancti, quoniam Deus præcedit nos*, &c. ¶ *Congregabit*] Participium est in Hebræo à verbo, quod *colligere* sign. *colligens vos*, vel *collector vester.* Dicitur [illegible]tem sæpe hoc verbum de Gregibus. De Castris etiam dicitur Num. 10. De Contaminatis autem, ejectis extra castra, cùm revocarentur, dicitur Num. 12. *postea colligentur.* De Exercitu etiam dicitur suprà cap. 13. Quovis autem istorum modorum verum est, *Dominum colligere suos*: id quod apud Joannem dicitur, *ut filios Dei qui erant dispersi congregaret in unum*: &, *alias oves habet, quas oportet adducere*: & apud Paulum 2 Cor. 7. *Si separarentur ab immunditiis, ipse susciperet eos.*

13. *Ecce intelliget*, &c.] Hanc eandem rem magis explicat, & quâ ratione futurum erat ut *colligerentur filii Dei dispersi*, nempe per Christum, qui formam servi haberet, exponit. De quo primò ait quòd ישכיל *consideratè & prudenter rem faciet*, seu *gnaviter se geret*: sicut de David 1 Sam. 18. dicitur quòd *gnaviter agebat*, vel *se gerebat præ reliquis omnibus servis*

vi

vis Saul, *& quocunque eum mitteret Saul*: ad quem locum fortè hic est allusio; erat enim David typus Christi jam tunc. Est autem sermo de Christi actionibus & conservatione. Et quæ sequuntur verba vel de gloria & honore quem, dum viveret, habuit à populo propter Divina opera & Divinam beneficentiam quam exhibebat mortalibus, accipienda sunt, vel etiam de gloria quam post mortem per Euangelii prædicationem & fidem Gentium fuit consecutus.

14. *Sicut obstupuerunt*, &c.] Vulgatus, & cæteri omnes quos videre licuit, hæc & quæ sequuntur hunc in modum accipere videntur, Quòd quemadmodum ob miracula quæ Christus patravit plurimi eum admirati sunt, ità plurimi quoque ejus mortem & ignominiam conspicerent, non tamen propterea impediretur redemptio, sed *Reges* & *gentes plurimæ* cum postea adorarent, &c. Quam interpretationem non solùm non reprehendo, sed exosculor, quod sit S. Patrum, & ferè ab omnibus recepta, adeòque & ab ipsis Rabinis: E quorum numero doctus quidam sic ad verbum reddidit, *Quemadmodum admirati sunt super eo multi*, *sic corruptus plùs quàm viri aspectus ejus*, *& forma ejus plùs quàm filiorum hominum*, *sic loqui faciet gentes multas*, &c. Ego tamen propter nodos, quos non ità bene solvebam, aliam interpretationem afferre non sum veritus, quòd non minus haberet pietatis quàm superior, & magis Hebraismo quadrare videretur: Quæ duo ubi simul reperiuntur, non est quòd quisquam vereatur nova adducere. Et primò quidem verbum שמם, quod plurimis locis in Scriptura legitur, nescio an dabunt vel unum locum ubi in bonum accipiatur: sed neque participia, neque nomina; quæ multa sunt, sed omnia *afflatum* sonant *quem emittere solemus propter malum aliquod ingens*, *aut culpæ aut pœnæ*. Quare verbo *desolandi*, *deserendi*, & nomina nominibus *desolationis* & *vastitatis* reddere solent: adeò ut quod habetur infrà 54. *Quoniam plures filii* שוממה *quàm filii maritatæ*, Paulus Gal. 4. Græcè ἐρήμου, Hieronymus *desertæ*, Symmachus *dissipatæ* reddiderit. Quare & hoc loco in malam partem accepi pro *afflare*, seu *flatum emittere*, videlicet propter deformitatem, inaudita tormenta gravissimósque cruciatus: & quidem verbis *stupendi* seu *admirandi* reddi posset, sed, ut dixi, in malum. Dictio verò משחת, quam *perditum* seu *inglorium* vertunt, à verbo שחת *funditus perdidit*, si dicamus Mem esse radicalem, quasi sit à verbo משח *unxit*, *unctionem* seu *unguentum* significabit, ut Exod. 25. & Levit. 7. *Hæc est unctio Aaronis*; & Exod. 30. *Oleum unctionis*, *sanctitatis*: q. d. *Quemadmodum multi super eum obstupuerunt* (seu *sibilarunt*) *videntes crucis ignominiam*, *sic unctio aspectûs ejus erit præ viro*, i. præ aliis. Ut sit quod Pf. 45. legitur, *Unxit te Deus tuus oleo exsultationis præ consortibus tuis*: &, *forma ejus præ filiis hominum* sit quod eodem Psalmo legitur, *Speciosus formâ præ filiis hominum*: vel nomen *formæ* à nomine *unctionis* regatur, & idem bis repetatur, *Et unctio formæ ejus præ filiis hominum*. Dicit autem Hebræis *unctionis* nomen Gratiam, Venustatem, Lætitiam: unde *ungere caput* vel *faciem* proverbialiter dictum pro *lætari*. Adde quòd juxta proprietatem Hebraici sermonis כאשר, quando ei respondet כן, potest reddi *quantò magis*, *tantò magis*, ut Exod. 1. *Sicut affligebantur*, *sic multiplicabantur*: vel, *Quantò magis affligebantur*, *tantò magis*, &c. sicut reddidit Vulgatus. Possumus ergò reddere, *Quantò magis super eum obstupuerunt*, *eò major erit gratia aspectûs ejus*, &c. quæ interpretatio superioribus videtur convenire. Nam cùm dixisset, *Exaltabitur*; *elevabitur*; *sublimis erit*; posset quis objicere, *Quid? an non capietur? an non conspuetur? an non flagellabitur*, *& morti ignominiosissimæ adjudicabitur?* subjicit ergò, *Nihil hæc obstabunt*: *sicut enim illa vera sunt*, *sic nullus ei in decore aut gratia conferri poterit*: *nam etsi ex infirmitate crucifixus est*, *vivit tamen ex virtute Dei*; *sicut & nos infirmi sumus in illo*, *sed vivimus cum eo*, *ex virtute Dei in nobis*, ait Paulus 2 Cor. 13. Vides ut apud Paulum *vivere*, in Christianorum pectoribus & fide, *infirmitati crucis* & *morti* opponatur, ità tamen ut simul sint, neque alterum alterum destruat? Omitto quòd sic despectus & pro portento habitus à plurimis, habet suam gratiam aliis, usque adeò ut neque aliam formam pulcriorem aut majori cum voluptate aspiciant & contemplentur, quàm Crucifixi formam. Sic, sic, inquam, omnes homines gratiâ & pulcritudine superabit.

15. *Hic asperget*] In Hebræo repetitur eadem vox Similitudinis כן *sic*: & sensus juxta Vulgatam editionem hic est, *Etsi præ aliis hominibus despectus & vilis habitus sit*, *redimet tamen gentes plurimas*; *lavans eas lavacro vitæ*, &c. Idem omnino dicendum est juxta nostram versionem, *Sicut super eum obstupuerunt multi ob ingentem humilitatem*, *sic multò plures sanguine suo asperget & mundabit*, &c. vel, *Sic crucifixus*, *sic ludibrio habitus*, *& velut portentum & prodigium admirationi expositus redimet*, *reconciliabit*, *inito per sanguinem suum fœdere & confirmato*: ut allusio sit ad aspersiones illas quæ fiebant in Lege ex aqua & cineribus vaccæ rufæ, Num. 19. & alias sanguinis aspersiones, quæ Aspersionis istius de qua Paulus Hebr. 12. & Petrus 1 Ep. 1. mentionem faciunt, figuræ erant. Præcipuè tamen ad illam respexisse existimo quam habes Exod. 24. quam Paulus Hebr. 9. diligenter enarrat ut sanguinis Christi aspersi figuram. ¶ *Continebunt Reges*, &c.] Sicut Hebræis *aperire os super aliquem* est Contumeliosè debacchari in aliquem, ut Job. 16. & Pf. 109. éstque Audaciæ & Procacitatis symbolum seu Inverecundiæ, ut Ezech. 16. ità *continere* seu *comprimere os* est Pudoris, & Subjectionis, Pœnitentiæ, & interdum Admirationis. *Admirabuntur*, inquit, *Reges & obstupescent*, *neque loqui audebunt quidquam adversus Christum ejúsque religionem*, *quando videbunt quod nunquam antea audierant*, *& intelligent quæ in mentem eorum nunquam venerant*. Quis enim, ubi intellexisset unde in homine interna bella & ad vitia incitamenta ortum habuissent, ac tandem mors, & quæ cum morte habent affinitatem, ex Dei vera bonitate profectum ut filius dilectionis suæ homo factus nos sanguine expiaret, Deo reconciliaret, mentes sanaret, vires restitueret, ad vitam iter ostenderet & patefaceret, non obstupesceret, non cogitabundus obmutesceret? &c. Si verò כי pro *quoniam* accipias, expositio & ratio est ejus quod dixerat, *Asperget gentes multas*, *& Reges super rebus ejus obstupescent*. Dixi verò *gentes multas*: nam non solùm Judæa, sed universæ nationes; quibus *nunquam fuerat* quidquam *de Christo* Redemptore *narratum*, *viderunt*; *& qui nunquam audieram*, *intellexerunt* hoc mysterium. Est autem sermo de Gentium fide & conversione. His enim verbis de hac re solent Prophetæ loqui, ut infrà cap. 56. initio. Et in hanc sententiam adducitur locus à Paulo Rom. 15. *Sic enim prædicavi Euangelium hoc*, *non ubi nominatus est Christus*: *sed sicut scriptum est*, *Quibus non est annunciatum de eo*, *videbunt*; *& qui non audierunt*, *intelligent*: quâ certè Apostoli expositione contenti esse debemus. Vide autem pulcerrimam Antithesin: *Multi exsufflarunt*; *at gentes plurimæ quoque aspergentur ab eo & mundabuntur*. *Illi ob humilitatem obstupebunt*, *& sufflantes vultum avertent*; *at Reges etiam super eum & ob ejus dignitatem os contrahent*. *Hoc ergò & in nobis sentiamus quod in Christo JESU*, ut (sicut ex Paulo superiùs dixi) contenti simus si *cum Christo infirmi sumus*, modò & *in ipso* aut cum ipso *vivamus ex virtute Dei*. Neque nos conturbet externa deformitas, humiliationes & ignominiæ: habent enim hæc suum decorem & gratiam, præter illam, quæ postea obveniet, gloriam & æternam felicitatem.

DRUSIUS.

5. יהילילו. A. *flebunt*. Sym. Th. *ululabunt*] Hieron. *Ut autem ista paterentur*, *dominatores eorum ac magistri iniquè egerunt*: *qui juxta Sym. & Th.* ululabunt, *juxta Aq.* flebunt, *cum tormentis traditi fuerint*.

7. מה־נאוו על־ההרים רגלי מבשר משמיע שלום מבשר טוב משמיע ישועה אמר לציון מלך אלהיך. Ἀκύλας, Τί ὡραιώθησαν ἐπὶ τὰ ὄρη πόδες εὐαγγελιζομένου, ἀκουτίζοντος εἰρήνην, εὐαγγελιζομένου ἀγαθὸν, ἀκουτίζοντος σωτηρίαν, λέγοντος ἐν Σιών; Ἐβασίλευσεν ὁ Θεός σου; *Quàm pulcruerunt super montes pedes euangelizantis*, [*annunciantis*] *audire facientis pacem*, *euangelizantis bonum*, *audire facientis salutem*, *dicentis in Sion*, *Regnavit Deus tuus*. Sym. Τί εὐπρεπεῖς ἐπὶ τῶν ὀρέων πόδες εὐαγγελιζομένου, ἀκουστὴν ποιοῦντος εἰρήνην, εὐαγγελιζομένου ἀγαθὰ, ἀκουστὴν ποιοῦντος σωτηρίαν, λέγοντος τῇ Σιὼν, Ἐβασίλευσεν ὁ Θεός σου; *Quàm decori super montes pedes euangelizantis*, *auditam facientis pacem*, *euangelizantis bona*, *auditam facientis salutem*, *dicentis Sioni*, *Regnavit Deus tuus*] Euseb. in, 6. Ἀποδείξ. pag. 188.

8. קול צפיך נשאו קול יחדו ירננו. Sym. Φωνὴ τῶν σκοπῶν σου, ἐπῆραν φωνὴν, ἐπὶ τὸ αὐτὸ αἰνέσουσιν, *Vox speculatorum tuorum*, *extulerunt vocem*, *pariter laudabunt*. Th. Φωνὴ τῶν σκοπῶν σου ἐπῆρε φωνὴν, ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἀγαλλιάσονται, *Vox speculatorum tuorum sustulit vocem*, *pariter exsultabunt*] Idem ibidem. ¶ כי עין בעין יראו. Th. ὅτι ὀφθαλμὸν ἐν ὀφθαλμοῖς ὄψονται, *quia oculum oculis videbunt*] Locus integer est in Symbolis ex Eusebio descriptus. Th. *Vox speculatorum tuorum exaltavit vocem*, *super* (*idem* ἐπὶ τὸ αὐτὸ, *i. simul*, *pariter*) *exsultabunt*, *quia oculum in oculis videbunt*.

13. עבדי. A. *servus meus*, ὁ δοῦλός μου. Prius erat ὁ παῖς μου. Vide in Symbolis Eusebium.

IDEM EX PROCOPIO.

2. הִתְפַּתְּחִי. A. περίλυσαι. Sym. ἀπόλυσαι *solve.* Th. διάλυσον *dissolve.*

4. יְהוָה. A. Sym. Th. Θεός σου *Deus tuus.*

5. וְעַתָּה מַה־לִּי־פֹה נְאֻם. A. Καὶ νῦν τί μοι ὧδε; φησί, *Et nunc quid mihi hic? dicit.* Sym. Καὶ νῦν τί μοι ὧδε; λέγει Κύριος, *Et nunc quid mihi hic? dicit* DOMINUS. In Comment. κατὰ τοὺς λοιποὺς, Καὶ νῦν τί ἐστί μοι ὧδε; *Et nunc quid est mihi hic?* Interpres habet *erit*, i. ἔσται. ¶ מֹשְׁלָו יְהֵילִילוּ. Sym. οἱ ἐξουσιάζοντες αὐτοῦ ὀλολύζουσιν, *dominatores ejus ululant.* Th. ἄρχοντες *principes.* ¶ כָּל־הַיּוֹם שְׁמִי מִנֹּאָץ. Sym. ὅλην τὴν ἡμέραν τὸ ὄνομά μου βλασφημεῖται, *totâ die nomen meum blasphematur.* ¶ תָּמִיד. Idem διαπαντὸς *jugiter.*

7. מַה־נָּאווּ עַל־הֶהָרִים רַגְלֵי מְבַשֵּׂר מַשְׁמִיעַ שָׁלוֹם מְבַשֵּׂר טוֹב מַשְׁמִיעַ יְשׁוּעָה. A. Τί ὡραιώθησαν ἐπὶ τὰ ὄρη πόδες εὐαγγελιζομένου * ἀγαθὸν ἀκουτίζοντος σωτηρίαν; *Quid pulcruerunt super montes pedes euangelizantis * bonum; audire facientis pacem?* Sym. Τί εὐπρεπεῖς ἐπὶ τῶν ὀρέων πόδες εὐαγγελιζομένου, ἀκουστὴν ποιοῦντος εἰρήνην, εὐαγγελιζομένου ἀγαθὰ, ἀκουστὴν ποιοῦντος σωτηρίαν; *Quid pulcri sunt in montibus pedes ejus qui euangelizat, auditam facientis pacem, annunciantis bona, auditam facientis salutem?* Th. Ὡς εὐπρεπεῖς; *Quàm pulchri?*] * Supple ἀκουτίζοντος εἰρήνην, εὐαγγελίζοντος, quæ omissa videntur à librariis.

8. קוֹל צֹפַיִךְ נָשְׂאוּ. Sym. Φωνὴ τῶν σκοπῶν σου ἐπῆρεν; *Vox speculatorum tuorum elata est*] Sic etiam Theodotio. Priùs Aq. posuerat σκοπευτῶν σου· quod in idem recidit. Procopius Jes. 56. Φωνὴ τῶν φυλασσόντων σε ὑψώθη. ἀνθ' οὗ οἱ λοιποὶ, φωνὴ τῶν σκοπῶν σου ἐπῆρε φωνήν, *Vox speculatorum tuorum extulit vocem.* ¶ יַחְדָּו יְרַנֵּנוּ כִּי עַיִן בְּעַיִן יִרְאוּ בְּשׁוּב יְהוָה צִיּוֹן. Sym. ἐπὶ τὸ αὐτὸ αἰνέσουσιν. ὀφθαλμοφανῶς γὰρ ὄψονται ἐν τῷ ἐπιστρέψαι Κύριον τὸν Σιών, *& pariter laudabunt: oculatè enim videbunt quando convertet* [vel *restituet*] DOMINUS *Sionem*] Cæteri, ὀφθαλμὸν ἐν ὀφθαλμῷ ὄψονται, *oculum in oculo videbunt.* Hier. *oculo ad oculum.*

9. פִּצְחוּ רַנְּנוּ יַחְדָּו חָרְבוֹת יְרוּשָׁלָםִ. Sym. Ἱλαρύνθητε καὶ ἀγαλλιᾶσθε ὁμοῦ, τὰ ἔρημα Ἱερουσαλήμ, *Exhilaremini & exsultemini simul, deserta Jerusalem.*

10. חָשַׂף. Sym. Th. ἀπεκάλυψε *revelavit.*

12. תֵּלֵכוּן. Sym. ἀπελεύσεσθε. Aq. Th. πορεύσεσθε, ut οἱ ό.

13. הִנֵּה יַשְׂכִּיל עַבְדִּי. A. Sym. Ἰδοὺ ἐπιστημονισθήσεται δοῦλός μου, *Ecce scientiâ instruetur servus meus*] Verbum novum, nec alibi repertum, quod sciam, à nomine ἐπιστήμη deductum. Sic השכיל dici videtur à שכל *intellectus*, *scientia*, ἐπιστήμη, peritia. ¶ יָרוּם. Aq. Sym. Th. καὶ μετεωρισθήσεται *& sublimis erit*] Vel *sublimabitur.* Nam μετέωρος in lingua Græca *sublimis.*

14. כַּאֲשֶׁר שָׁמְמוּ. Th. Ὃν τρόπον ἐθαύμασαν *quemadmodum mirati sunt.*

GROTIUS.

1. UT *pertranseat per te incircumcisus & immundus*] Quales erant Assyrii, & Ægyptii, & Chaldæi. Vide 2 Regum XVIII. & XXIII. 33. 34. & XXIV. & XXV.

3. *Gratis venundati estis, & sine argento redimemini*] Mihi, Domino vestro, nullum pretium persolverunt, nè gratiam quidem ullam retulerunt oppressores vestri.

4. *In Ægyptum descendit populus meus in principio*] Id est, Jam olim.

Ut colonus esset ibi] Sponte eò venit. Hoc ideo ut ostendatur pejor esse causa Assyrii.

Et Assur absque ulla causa calumniatus est eum] In Hebræo, *oppressit eum:* nempe Teglathphalasar, Salmanasar, Sennacheribus: hic etiam violato fœdere.

5. *Et nunc quid mihi est hic, dicit Dominus, quoniam ablatus est populus meus gratis?*] Pertuli hæc: sed an & hoc feram, ut illi in populum meum dominentur, qui mihi maledicunt? Chaldæi scilicet, quorum causa pejor quàm Assyriorum. Vide Jeremiam 50. 17.

Dominatores ejus iniquè agunt] *Vocem attollunt.* Nam הילילו non de *ejulatu* tantùm dicitur, sed & de omni *clamore.* *Jactant se*, Chaldæos.

Et jugiter totâ die nomen meum blasphematur] Ab illis Chaldæis. Vide Danielis III. V. VI.

6. *Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa: quia ego ipse qui loquebar ecce adsum*] Agnoscent me esse יהוה: id est, *reipsa implentem quod promisi.*

7. *Quam pulchri super montes pedes annuntiantis & prædicantis pacem?*] Quàm pulchrum erit ministerium Jeremiæ, qui definiet ipsum tempus quo Sion rursus habitata florebit?

8. *Vox speculatorum tuorum: levaverunt vocem: simul laudabunt*] Dicetis, quando Levitæ rursus in Templo cantaturi sint laudes Dei.

Cùm converterit Dominus Sion] Cùm populum in Sionem reverti fecerit.

11. *Recedite, recedite, exite inde*] Chaldæus, *Separamini, separamini*; id est, cavete vobis ab omni immunditie legali: & si quam contraxistis eam eluite secundùm Legem. Omnia accuratè agite cùm exibitis. Satis erit temporis: nec quisquam vobis obstabit.

Qui fertis vasa Domini] Vos, Sassabasar, & ejus comites, Esdræ I. 8. 9. 10. 11.

13. *Ecce intelliget servus meus*] Hæc omnia clarissimè sibi revelata cognoscet Jeremias: figura Christi, ad quem hæc refert Chaldæus.

Exaltabitur & elevabitur, & sublimis erit valde] In magno honore erit apud ipsos Chaldæos. Vide Jeremiæ XXXIX. in fine, & XL.

14. *Sicut obstupuerunt super te multi, sic inglorius erit inter viros aspectus ejus, & forma ejus inter filios hominum*] Modò secundâ, modò tertiâ personâ de Jeremia loquitur, quod frequens Hebræis. Sicut multi mirati erant hominem tam egregium tam fœdè tractari; detrudi in carcerem, deinde in lacum lutosum, ibique & pædore & cibi inopiâ contabescere: sic contrà rebus mutatis admirationi erit honos ipsi habitus.

15. *Iste asperget gentes multas*] In Hebræo, *sic asperget*; ut respondeat illi *sicut* quod præcessit. Multos ex Gentibus ab idolorum cultu avertet. Similitudo sumta ab aspersionibus legalibus: unde & Chaldæis נזף est *objurgare.* At LXX habent οὕτω θαυμάσονται ἔθνη πολλὰ ἐπὶ αὐτῷ [*sic mirabuntur de eo gentes multa*], non malè. Nam *mirari* est veluti aspergi fulgore alicujus.

Continebunt reges os suum] Reges, ut Nabuchodonosor Chaldæorum, Nechos Ægyptiorum, eorúmque Satrapæ admirabuntur cum silentio, ubi videbunt omnia quæ dicet Jeremias itâ adamussim & suis temporibus impleta.

Quia quibus non est narratum de eo viderunt] In Hebræo, *Quia quod explicatum illis non fuerat* (supple ab alio quoquam) *id viderunt:* per ipsum apertissimè prædictum.

Qui non audierunt contemplati sunt] In Hebræo, *Quæ non audierunt*, (ab Astrologis & magis suis) *hæc intellexerunt*, ab ipso prævisa.

CAP. LIII.

MUNTSERUS.

1. QUis *credidit auditui nostro?*] Cùm is quem prædicamus aliis hominibus non sit similis, *quis credet prædicationi & auditui nostro* quem inter homines spargimus, hunc esse Redemptorem mundi? Adeò offendentur *infirmâ ejus specie* ut nisi fides per Spiritum S. eis infundatur credere non possint. *Ascendet veluti pulcrum virgultum*, sed quod pulcrum est *coram Deo, & quasi radix nobilissima pullulans ex terra squalida & deserta. Coram hominibus* quidem *est despectus*, *dolorsbus plenus*, contumeliis & injuriis affectus, *ut etiam facies suas abscondant ab eo*; qui tamen coram Deo *peccata nostra diluit*, &c. Et hic excæcati Judæi toto errant cœlo, ut vix alio loco invenias eos pejùs errare. Nam totum istud caput, refragante sensu & ratione, exponunt de populo suo in moderna constituto captivitate; & quòd Gentes de eis dixerint, *illi portant iniquitates nostras.* Sed pudet mendacia eorum hîc referre, cùm Propheta omnino scribat quæ Euangelistæ de passione Domini annotarunt.

5. *Fuit castigatio pacis nostræ super eum*] Nos, inquit, in pace & securitate altum dormivimus somnum, & peccatis peccata cumulavimus, ut necesse esset illum nostri loco castigari, quò *nobis per vulnera sua medicatio fieret.* Sunt tamen qui hîc שלומו accipiunt pro שלום, ut sit sensus, *Integra nostra castigatio illi fuit imposita*, sed regimen orationis illam non admittit interpretationem. Alii sic exponunt, *ut nos haberemus pacem, ille fuit pœnis addictus.*

8. *De carcere*] Est עֹצֶר propriè *retentio:* hîc verò capitur pro *loco retentionis.* Vinctum autem ducebant Christum ad Judicem

Judice n. Sed & de sepulcro custodibus munito *sublatus fuit*, & judicium mortis per Pilatum datum in resurrectione evasit, & in novam & immortalem vitam natus est. ¶ *Succisus est de terra viventium*] h. e. Sublatus est per passionem ab hac mortali vita. Et ut etiam in morte opprobriis saturaretur, datum est illi sepulcrum, non in civitate David, sed in loco Calvariæ, & ubi malefactores interficiebantur.

9. *Et apud divitem in mortibus ejus*] Ego puto Prophetam respexisse ad id quod Matth. 27. legimus, *Venit homo dives ab Arimathæa, & posuit corpus in monumento suo*, &c. Et dicit *in mortibus* ob multiplices pœnas quas ei innocenti inflixerunt, *qui peccatum non fecit; nec inventus est dolus in ore ejus*, ut D. Petrus hanc citavit Scripturam.

10. *Quòd longos viveret dies*] Sensus est, *Vivet cum semine suo in perpetuos dies: nec erit Regni ejus finis. Videbit proinde cumulatissimum fructum qui ex labore & passione sua crescet.* Et si quæris, *Quomodo fructus passionis ejus derivabitur in alios?* respondet Propheta, quòd *cognitione sui atque fide multos justificabit.* Solus enim ipse justus est; atque ideo solus justificare poterit. Cognoscimus autem Christum per Euangelium, quod vehiculum quoddam est (ut insignis Theologi hîc utar verbo) per quod ad nos defertur Christus cum justitia sua & omnibus donis. Nunc verò audi qui Hebraicè intelligis, quas contumelias inimici crucis Christi in Christum & nos congerant, qui hoc caput de Passione Christi sanctissimè & verissimè interpretamur. Scribit autem autor libri Nizahon in hunc modum, הנה ישכיל עבדי ירום ונשא וגבה מאד · כל הפרשה מפרשים המינים בישו שנתיסר והומת: ותשובתו בצדו· ירום ונשא מכלל דעד עתה לא היה כן; וכתיב משחת מאיש מראהו ותארו· אם אלהים הוא לכה נפלה פניו · וא״ת מפני שהיו מכין אותו ומצערו · אם אלהים הוא מה היה לו להשגיח על כך: כתוב בו · אשר לא ספר להם ראו · והלאתם אומ׳ כי כל הנביא׳ נבאו עליו · וזרוע ה׳ על מי נגלתה? הרי לך שלא נגלו מעשי ישו מעולם ולא לנביא׳: לא תאר לו ולא הדר והלא הם אומ׳ שכת׳ בתלים יפיפית מבני אדם וזה ישו וכאן אמר עליו נבזה · וא״ת בחייו היה יפה תואר ובמותו לא תואר לו · תשוב׳ אם אלהי׳ הוא מה מיתה היתה בו ומה שינוי: ומסתר פנים ממנו נבזה ולא חשבנוהו · הרי אלו דברי תהפוכות כי דבר זה ידוע לכל כי קודם שהומת ונסתר מן הבריות ונחשב כאומה בעיני האדם אלא לאחר שכת מעו אחריו לומ׳ בשמים עלה : וא״ת כי חו׳ נשא עון האדם ·· מקודם שנולד ישו הלא אין נשיאת חטא · הלא לנבי׳ יקי׳ בנות כתיב ונסלח לו מחטאתו · וא״ת בנשיאת חטא לא הצלו כנידהם אלא כמו רעות ויסורין הצלו בסליחות · הרי מצינו כי בחייהן נפרע מהן דכתיב שימו איש חרבו על ירכו וגו׳, Scribit & alias multas blasphemias verpus ille; totum præsens caput impiis suis conspurcans verbis. Sed ut ipse aut posteri sui habeant verum & genuinum hujus capitis intellectum, libuit breviter in hunc modum respondere maledictis suis, הק״בה ישכיל עבדי ירום ונשא : קרא שמו של משיח עבדי שעלת אתו על הארץ לעבור לנו ולפדות אתנו מחטאינו : הנה ישכיל שיהיה לו החכמה של האלהות : ירום ונשא כמו אל רם ונשא ולגבהתו אין שיעור : וכאשר שממו עליו רבים בשביל שפלותו ותניע את ראשיהן על דבר מופלא שהיה כן משחת מאיש מראהו ותארו מבני אדם כן יקבצו אליו גוים רבים וקפצו מלכים פיהם אחר תחייתו ויהיו כתמיהין על יכלתו וכבודו ואשר לא ספר להם יראו כי הוא עשה דברי׳ מופלאים אשר לא נראה ולא נשמע כמוהו ואין נשמע שיש יכולת ביד האדם לעשות כדברים אלו · אלא כוודאי לאו אדם ממש הוא אלא אלהים · הוא עלה כיונק וכשורש לפני ה׳ כארץ ציה · כאלן שצומח מן הארץ בלי טרחות כן הוא נולד בלא ציער האמו וחבלה וכל מעשיו הן קלין לו ויש לו כח וגבורה שאין שייך בבן אדם : ואנחנו לא חשבנוהו ביכוריו כי אם כזונו אתו כמו נגוע ומכה אלהי׳ והו׳ לקח עליו מכאובינו וחלינו ודפת אותנו מחלינוכי אין אפשר לאדם שבעולם שיכול הלרפא כי אם על ידיו דכתיב והוא מחולל מפשעינו ומת בשבילנו שיפרה אתנו מצרותינו ויהיה שלום לנו לעולם הבא והוא רפה לנו מן היצרות ויתיר מעלינו חקי׳ התמורות שאין בהן טעם ואין דעת · קודם ביאתו כלנו היינו תועים כצאן עד שהוא בא וקבל עליו עונתינו ופדה אתנו מעין אדם ותורה · כל הנביא׳ וצדיקי׳ חכרו את ביאתו וידעו כי אין אדם יבא אל שמי׳ כי אם על ידי המשית שהו׳ אמצעי בין אלהים ובין האדם ואין אדם נושע או יושע לעולם אלא באמונתו שהו׳ אלהים ואדם וירד מן השמי׳ ומת בעבורנו למען יכפר עלינו אלהינו אשר בו כלנו חטאנו מבטן אמותינו · אבל אתם יהודי׳ לא מאמיני׳ אלה בשנ׳ מי האמין לשמועתנו ועל כן לעולם תאכדו · הנה ראו כל אפסי ארץ את ישועת אלהינו ומן כל גוים קנת האמינו ואתם יושבי׳ בצלמות. Origo Christi obscura prædicitur & ex ignobili stirpe. Pro miraculo habetur si plantula oriatur elegans in loco siticuloso: sed multò magis admiranda Christi nativitas & ortus, qui cùm Filius Dei sit, nascitur in similitudine peccati. Ex massa peccatrice flos omnis justitiæ & sanctitatis prodiit. Adolescit & fit magnus per passionem & opprobria, exaltatúrque per crucem in Regnum. Non videbatur judicio hominum talis qualis fuit. Is in quo reconditi fuerunt thesauri omnis bonitatis, infimæ conditionis homo habitus est. Editus est in hunc mundum à virgine paupere, humili & nescia viri, natus de massa simili peccato, absque tamen omni peccato, ut eos qui erant peccatis obnoxii & rei damnationis justos faceret & felices.

V A T A B L U S.

1. *Auditui nostro* לשמעתנו] Hebraismus, pro *rumori & famæ quam sparsimus de Christo.* Hæc omnia præterita debent intelligi per futurum.

2. *Et ascendit* ויעל] *Ascendit enim.* Alii, *Ascendes tamen*: ut sit præt. pro futuro. ¶ *Deserti* ציה] *Ariditatis*: i. arida & deserta. ¶ *Aspectus* מראה] Sub. *talis qualis antea erat.* ¶ *Et non desideravimus*, &c. ונחמדהו] *Ut desideraremus eum*, sub. *videre.*

3. *Et rejectus inter viros* וחדל אישים] Ad verb. *& rejectus virorum*, i. à consortio virorum: quem homines noluissent admittere in consortium suum. ¶ *Vir dolorum* איש מכאבות] Hebraismus, *doloribus confectus.* ¶ *Et expertus infirmitatem* וידוע חלי] Sing. pro plur. *expertus infirmitates*: sive *ægritudines*, sub. *varias.* Alii, *& attritus infirmitate.* ¶ *Et velut absconsio faciei ab eo* וכמסתר פנים ממנו] Hebraismus, quem sic nonnulli vertunt, *fuitque quasi homines tegerent faciem suam ne aspicerent illum.* Alii, *& quasi abscondimus faciem ab eo.* Alii, *& quisque erat quasi abscondens faciem ab eo.*

4. *Verè* אכן] *Sanè. Certè.* Alii, *Et tamen.* ¶ *Plagis affectum* נגוע] *Tactum tanquam leprâ: leprosum.* ¶ *Et humiliatum* ומעונה] *Atque afflictum.*

5. *Vulneratus est* מחולל] *Doloribus affectus: confectus.* ¶ *Castigatio*, &c. מוסר שלומינו וגו׳] Hebraismus, pro, *fuit castigatus ut haberemus pacem.* ¶ *Et livor*, &c. ובחברתו וגו׳] *Et livore ejus medicatum est nobis.* Vel, *sanatus est nobis*, sub. *morbus noster.*

6. *Conjecit in illum* הפגיע בו] Ad verb. *occurrere fecit ei*; vel, *irruere fecit in illum*: i. traduxit in eum.

7. *Aperuit* יפתח] Fut. Heb. pro præt.

8. *Et judicio sublatus est* וממשפט לוקח] *Et à sententia sublatus est*, sub. *de medio*: i. statim postquam vinctus fuit, & condemnatus à Pilato, actus fuit in crucem: vel, ut alii, in summum honoris gradum evectus post resurrectionem. ¶ *Et generationem ejus* ואת דורו] i. Pravitatem hominum sui seculi: ut sit exclamatio in pravos Judæos qui Christi tempore vixerunt; & cum ad mortem traxerunt. Alii exponunt *ætatem & durationem*; ut loquatur de ætate Christi permanente & æterna futura post resurrectionem: nam resurrexit, in æternum victurus, *neque jam* (inquit Paulus) *mori potest, nec mors ultrà ei dominabitur*, Rom. 6. 9. ¶ *Enarrabit* ישוחח] *Oratione consequi poterit?* ¶ *Propter prævaricationem* מפשע] *A transgressione*: i. falsò accusatus *à populo meo.* ¶ *Plaga* fuit ei נגע למו] Quidam hanc posteriorem versûs partem jungunt præcedenti, sic, *succisus est de terra viventium propter iniquitatem populi mei, quibus plaga* debebatur.

9. *Et dedit*, &c. ויתן את רשעים וגו׳] *Et posuit cum improbis sepulturam suam; & cum divite in morte sua*: vel, ut ad verbum legitur, *in mortibus suis*, propter multiplices scilicet pœnas & dolores. q. d. Voluit mori in loco ubi sumebatur supplicium de improbis: sed postea fuit delatus in sepulcrum hominis divitis, nempe Joseph ab Arimathæa. Alii, eodem sensu, *Et dedit apud impios sepulcrum ejus, & apud divitem in mortibus ejus.* Alii, *Et exposuit impiis sepulcrum ejus, & diviti mortem ejus.* Et scribunt, Singulare עשיר *diviti* poni pro plur. *divitibus*; præterea per *impios & divites* idem significari: ut significet Propheta Christum obnoxium fuisse contumeliis, insolentiæ & libidini impiorum, quibus obrutum ac sepultum quis non judicasset? Sic enim *sepulcrum* hîc Metaphoricè accipiunt, quòd impii ac violenti eum veluti obruerint. ¶ *Quamvis* על] Observa על pro Adversativa particula poni, *quamvis, cùm tamen.*

10. *Ægrotare fecit* החלי] i. Cruciatibus affecit. Quidam vertunt, *infirmitati subjecit.*

12. *Cum multis* ברבים] *Inter multos.* Alii, *cum magnis*; *magnatibus*, vel *primoribus.* ¶ *Oravit* יפגיע] Fut. Heb. pro præt.

C A S T A L I O.

8. *Ex vinculis & judicio ductus est*] Scilicet ad supplicium. ¶ *Ejus genus quis eloquatur? cùm sit ex vivorum terra excisus*] Quis eum dicat Deo natum, cùm sit infra omnes infimos homines.

CLARIUS.

1. Q*Uis credidit auditui nostro?*] h. e. Ei quod nos à Domino audivimus. Cùm is, inquit, quem prædicamus, aliis hominibus sit similis, *quis credet auditui nostro*, hunc esse Redemptorem mundi? Adeò offendentur infirmâ ejus specie ut nisi fides per Spiritum S. eis infundatur credere non possint. *Ascendet veluti pulcrum virgultum*, sed quod *pulcrum* est *coram Deo*, & *quasi radix nobilissima pullulans ex terra squalida & deserta.* Coràm hominibus quidem est *despectus*, *doloribus plenus*, contumeliis & injuriis affectus, *sciens infirmitatem*, h. e. assuetus ferendis miseriis, & *similis ei à quo quis avertere solet vultum suum*, qui tamen coram Deo peccata nostra diluit. Cæteráque persequitur Propheta quæ Euangelistæ de passione Domini annotaverunt.

4. *Et percussum à Deo*] Sunt qui contendunt Hebraicum textum legendum, *percussum Deum.*

5. *Disciplina pacis nostræ super eum*] i. Castigatio afferens nobis pacem: atque ut nos haberemus pacem, ille fuit pœnis addictus. Alius sic interpretatur, *Nos in pace & securitate altum dormivimus somnum, & peccatis peccata cumulavimus: ut necesse esset illum nostri loco castigari, quò nobis per vulnera sua medicatio fieret.*

8. *De angustia*] Vel, *de carcere.* Vinctum autem ducebant Christum ad Judicem; sed de iniquo adversariorum judicio, quin & de sepulcro custodibus munito sublatus est; & judicium mortis per Pilatum datum in resurrectione evasit, & in novam & immortalem vitam natus est. Quanquam illud *generationem* quidam interpretantur, *multiplicatam prolem credentium.* ¶ *Abscissus est*] h. e. Sublatus per passionem ab hac mortali vita: atque ut etiam in morte opprobriis saturaretur, datum est illi sepulcrum non in civitate David, sed in loco Calvariæ, & ubi malefactores interficiebantur.

9. *Et cum divite in morte sua*] h. e. Sicut qui ob divitias, non culpâ, occiduntur: sic enim quidam interpretantur. Sed fortasse aptius est quod alius vertit, *Et apud divitem in mortibus ejus:* ut videlicet Propheta respexerit ad id quod Matth. 27. legimus, *Venit homo dives ab Arimathæa, & posuit corpus in monumento suo novo.* Et dixit *mortibus* ob multiplices pœnas quas ei innocenti inflixerunt, qui *peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus*, ut D. Petrus hanc citavit Scripturam.

10. *Videbit semen longævum*] Vivet cum semine suo in perpetuos dies, nec erit Regni ejus finis. Videbit proinde cumulatissimum fructum qui ex labore & passione sua crescet. Et si quæris, Quomodo fructus passionis ejus derivabitur in alios? Respondet Propheta, quòd *in scientia*, h. e. cognitione sui, *atque fide multos justificabit.* Solus enim ipse justus est, atque ideo solus justificare poterit.

12. *Et cum fortibus dividet spolia*] Quando *captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus.* Postremò meminit quo pacto rogaverit Patrem pro crucifixoribus, dicens, *Pater, ignosce illis:* ut integre Euangelistæ officio fungeretur.

FORERIUS.

1. M Anifestiora sunt viris Christianis quæ hoc capite continentur quàm ut expositionem requirant. Neque in tota Scriptura video quibus plùs Judæis torqueantur. Nam quò se vertant nesciunt. Ad aperta enim de gloria Christi oracula facile est Judæis respondere, Nondum impleta esse: unum etiam aut alterum verbum quod Prophetæ de passione Domini inserunt, aliis rebus accommodare non est valde difficile hominibus ad fingendum atque mentiendum paratissimis: At integrum unum caput, in quo tota Christi Domini passio quasi ab Euangelista quopiam describitur, ut neque quid Judæi illius temporis egerint, neque causæ quòd talia passus sit, abscondantur; adeò luculenter, imò verbera, judicium, mors, sepultura, locus, socii denique latrones apertè pronunciantur; alteri quàm Christo accommodare quis poterit? Quare consilium mihi fuit, ferè nihil eorum quæ impii Judæi hîc somniant & suo more fingunt, apponere. Nam quidquid dicunt, ab ipsis Prophetæ verbis mendacii convincuntur. Quia verò quàm pertinaces essent, & quantùm in cruce Christi scandalizandi forent, prævidit Jesaias, idcirco sic auspicatur de passione Domini sermonem, *Quis credidit auditui nostro?*] Quæ verba, nisi ea Paulus Rom. 10. & Joannes 12. ad probandam Judæorum credentium paucitatem adduxissent, admirationem eorum quæ dicere volebat continere putassem: *Quotusquisque*, inquit, *fidem adhibuit iis quæ à nobis audivit?* i. Paucissimi credent quòd Christus Dominus Messias ille, quem exspectamus summa cum dignitate & amplitudine regnaturum, hæc quæ jam dicturus sum passus sit. *Verbum* enim *crucis Judæis est scandalum.* Aptissimè autem Judæorum infidelitatem commemorat, siquidem Gentium conversionem, Judæorum verò stuporem & emissionem flatûs cum abominatione, horrore & detestatione attigerat in fine præcedentis capitis. Ut autem causam seu occasionem potiùs infidelitatis annunciet, rem totam narrat. ¶ *Et brachium Domini cui revelatum est?*] Videlicet ex Judæis. Nam de Gentibus superiùs dixit quòd *nudasset Dominus brachium suum in oculis omnium gentium, & agnovissent termini terræ salutem Dei nostri*: & quòd *qui non audierant, intellexissent.* Agnovimus enim in Cruce & Morte *brachium Domini*, & virtutem Crucis in mundi conversione sensimus, ac nihil sic potuisse mundum Dei obedientiæ subjugare quàm Dei Filium pro homine hominem factum & pro hominum amore passum luce clariùs percepimus. Jam verò quòd Hebraismus habet, *super quem*, Joannes 12. reddidit *cui:* quem locum, ut dixi, adducit ut Judæos non credituros ostenderet. Negant ergò illi hominem crucifixum esse *brachium Domini:* nos verò vel propter hoc illi fidem adhibuimus. Illi *extra vineam eum ejecerunt:* nos extra vineam positi eum vel mortuum suscepimus, & salutem quam operatur *brachium sanctitatis Dei* læti experti & celebravimus, & misericordias in æternum cantabimus.

2. *Et ascendit*] Verbum *ascendendi* passim tribuit Hebraismus Herbis, Plantis, & omnibus quæ è terra producta augmentum accipiunt & sursum eminent. ¶ *Virgultum*] pr *surculus tener*, & qui veluti lactens succum attrahit sugitque stipitis aut radicis. ¶ *Coram eo*] Nempe Israele, coram ipsis Judæis. ¶ *Et sicut radix*] שרש *radix*, etsi propriè *ea pars plantæ aut herbæ quæ sub terra latet* dicitur, accipitur tamen abusivè pro *ima parte rei*, adeóque & pro ipso *trunco*; qui ex radice oritur, imò & pro ipsa *planta*, ut suprà c. 11. atque ità accipiendum hoc loco puto. ¶ *De terra sitienti*] Vel *siccitatis*, i. sicca: quod tam *virgulto* seu *surculo* quàm *radici* seu *plantæ* connecti debet. Hîc incipit narrare quam occasionem arripuere Judæi nè Christo crederent & *brachium Domini* non agnoscerent, etiam si nudaretur & visibile in carne appareret. In ipso statim suo ortu ac pueritia *similis fuit* in oculis Judæorum *surculo* seu *frutici orienti in terra quæ humore caret; cui non est ulla species, forma, pulcritudo* aut *decor:* hæc enim ad ipsum *surculum* referenda sunt juxta Hebraismum. Notum autem est quàm parùm viroris aut pulcritudinis habeant plantæ quæ in arenosis regionibus oriuntur: contrà verò habent plantæ quæ juxta aquas plantatæ sunt. Vide harum collationem Jer. 17. Natus est autem Dominus JESUS ex paupere virgine, privatámque vitam duxit triginta annos, humilis & ignotus, ut fabri filius: Inter homines egit non divitiis, non honoribus, non nobilitate clarus, licèt ex Regibus ortum duceret. Huc accedit quòd neque sectâ erat Pharisæus aut Sadducæus, sed ut quivis alius è media plebe in Galilæa regione ignobili, ex qua nihil boni oriturum sperabant, cum paupere matre & Josepho fabro degebat. *Ascendit* ergò *sicut surculus è terra sicca* in oculis Judæorum. Quare sequitur, ¶ *Et vidimus eum, & non erat aspectus, & desideravimus eum*] Quod duobus modis accipi potest. Primò, *& desideravimus*, i. ut desideraremus seu expeteremus eum. Sicut surculus aut planta quæ specie & decore caret, non expetitur neque desideratur cùm videtur; sic nos videntes JESUM non putavimus esse *brachium Domini*, quòd humilis & abjectus esset, neque habere videretur cur eum pro Messia & Redemptore vellemus. Exprimit autem Propheta in se sensum populi. Secundò, eodem tamen ferè sensu, ut illud *&* quod præcedit verbum *desideravimus*, cùm præcesserit negatio, juxta Hebraismum pro *neque* accipiatur; q. d. *& vidimus eum, & non aspectus ei, & non desideravimus eum*, &c. Vulgatus verbum cum sequentibus nominibus construxit. Sensus tamen quem apposui secundo loco planus est, & innuit occasionem sumpsisse suæ infidelitatis quòd *eum sine aspectu vidissent*, ac propterea *eum non desiderassent* pro Messia quòd humilis esset. Vocat autem Hebraismus *formam* nonnunquam מראה, i. *visum* seu *aspectum*, quòd quæ formosa sunt oculos oblectent; & *non habere visum* pro *deformem esse.* Cùm ergò Judæi essent avari, deformis eis erat Paupertas; cùm essent gloriæ cupidi & dignitatum ambitiosissimi, deformis eis erat Humilitas, &c. Neque enim de delineatione vultûs aut corporis hîc erat sermo. Licet enim proceræ staturæ esset Saul & melior omnibus, *filii* tamen *Belial eum despexerunt*, ni fallor, ob ignobilitatem & paupertatem.

3. *Despectum*] Vel *despectus erat*, vel *fuit.* Exponit præcedentia. Ecce quid est *esse sine aspectu.* Erat *despicabilis* in oculis hominum, nullâ earum rerum quas mundus magnificat con-

conspicuus atque insignis. Nam ipsa ejus scientia, quæ in pretio esse solet, quòd eam *non didicisset*, scandalo erat eis: & *insanivisse eum putabant consanguinei ejus*, ut est apud Marcum: neque sine animi indignatione & supercilio dicebant, *Unde hic literas scit, cùm non didicerit?* ¶ *Novissimus virorum*] Heb. *cessatio*, vel *cessator*, *virorum*, i. ultimus & finis: seu *novissimus virorum*, ultra quem non ampliùs vir, omnium minimus. De se enim dicebat quòd *minor* erat *in Regno cœlorum*, & ità accepit Vulgatus. Poteris etiam *cessationem virorum* seu *abstinentiam* interpretari, *à quo viri abstinerent, & cujus familiaritate uti dedignarentur.* Ea enim fuit conditio ejus in terra ut nobiles viri jacturam sui nominis & dignitatis facere putarentur si eum adiissent. Quare & *Nicodemus ad eum nocte accessit*; & *nemo ex Principibus in eum credebat*: & *maledictam* turbam dicebant quæ illi adhærebat; & esse discipulum ejus, maledictum seu maledictionem ducebant. ¶ *Virum dolorum*] Idem ferè est quod sequitur, *qui sciebat infirmitatem*, i. expertus. Nam defatigabatur, itinera pedibus conficiebat, inediâ & siti laborabat, flebat sæpius, ridebat nunquam: & cùm intus zelo Dei æstuaret, videretque nomen Dei vilipendi, jus & fas pessundari, hypocrisim rerum habenas manu tenere, suspiria trahebat; & ex vultu ac verbis quòd amaro esset animo credebatur. Vel simpliciùs, *Vir dolorum, & sciens infirmitatem*, i. doloribus expositus, qui quò eos arceret non haberet. ¶ *Absconditus vultus ejus*] Heb. *& quasi absconsio faciei eum ab ipso*: ut sit periphrasis Lepræ, sive cum Vulgato, sive cum Hebræo legas: nam & leprosi operire solebant faciem; & qui eos habebant obviam, idem facere consueverunt. Sciendum tamen Hebræis *abscondere vultum* esse non solùm faciem veste aut aliâ re operire, sed etiam avertere. ¶ *Et despectus*] Conjunctionem addidit Vulgatus. Potest sequentibus connecti, *Despectus fuit, & non reputavimus eum*, i. nullo honore dignum duximus: hoc enim est Hebræis לא חשב.

4. *Verè languores nostros*, &c.] Ego aliam hujus loci interpretationem non afferam quàm Matthæi, qui cap. 8. cùm infinitam multitudinem ægrotantium & malè habentium à Christo Domino sanatam narrasset, addit, *Ut impleretur quod dictum est per Jesaiam Prophetam dicentem, Ipse infirmitates nostras accepit, & ægrotationes nostras portavit.* Est enim juxta Hebraismum *levare* interdum idem quod *auferre*, ut Job. 7. *Quare non levas iniquitatem meam?* & multis aliis locis. Quare, ut ex verbis Euangelistæ apparet, verbum ἔλαβε non pro *super se suscipere* accipiendum est, sed *quasi manu apprehendere, ut ab eo qui habebat auferret.* Quo modo verbum נשא Hebræis non rarò accipitur: quo etiam hoc in loco accipiendum existimo. nam qui alterius onus accipere dicitur, aut *levare*, non propterea necesse est ut super se illum tollat: ut sic etiam accipi possit illud Joannis, *Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi*: ubi verbum αἴρειν ad abluendas tabes peccatorum accommodandum est; nam sanguine illius agni expiamur. Abluebat autem Joannes corpora cùm hæc diceret in Jordane: quâ re vim nativam agno illi inesse significabat sordes peccatorum eluendi: de satisfactione autem Domini JESU pro nobis; & quòd pœnas luerit pro nobis, peccata nostra sibi imputando, &c. infrà dicetur ver. 5, & 8, & 11. ad quos potiùs quàm ad hunc respexit Petrus cùm ait, *Qui peccata nostra ipse portavit in corpore suo super lignum*, &c. eodem quoque modo significandi accipiendum est hoc loco verbum *portandi*, quod Hebr. סבל dicunt: nam etsi propriè de gestatione onerum dicitur, eo tamen interdum tanquam synonomo verbi נשא, i. *levavit*, utuntur. Accipitur ergò pro *exportare*, & *quasi sublatum extra ejicere, & auferre.* ¶ *Quasi leprosum*] Vide mundi judicium. Cùm ille ægritudines & dolores auferret, non ut medici, sed veluti si manu acciperet ac projiceret, aut exportaret: nos tamen cæci Judæi (horum enim personam induit propheta) *eum, veluti leprosum, & à Deo percussum reputavimus.* Pro *leproso* est in Hebr. *tactum*; quâ formâ loquendi utimur & nos Lusitani, cùm ingentem plagam, & quæ non naturæ vitio sed peculiari Dei immissione evenerit, significamus: unde Job. 19. *se manu Domini tactum* dicebat: quare pro *lepra* accepit vulgatus. *Humiliatum* autem dixit pro *ope destitutum*: nam hæc est significatio verbi ענה, quod contrarias habet significationes, ut jam non semel annotavi. Hæc jam de passione Domini accipienda sunt: cujus illi etiamsi scirent se auctores esse, credebant tamen impossibile esse hominem quempiam tam dira pati posse; nisi à Deo esset destitutus propter ingentia scelera: unde deridebant eum in cruce pendentem, quòd vanè in Deum sperasset. Hìc autem insinuat propheta insignem malitiam, & ex malitia cæcitatem, quòd non conjicerent oculos in virtutem illam sanandarum infirmitatum, aut in beneficentiam illam quâ omnes oppressos sive à morbis sive à diabolo sanaverat; sed in tormenta quæ eum pati videbant, quæ tamen ipsimet ex invidia in eum excogitaverant; in quibus rursus non hanc malitiam & invidiam contemplabantur, sed occulta Dei judicia rimabantur, quasi Deo peccata sua imputarent, & non se sed Deum ipsum tantorum scelerum & immanitatis auctorem putarent. Hac puto de causa prophetam hoc versu & Christi beneficentiam & præposterum Judæorum judicium conjunxisse. Sed diceres, Quid ergo judicandum fuerat? respondet,

5. *Ipse autem vulneratus est*, &c.] Potest etiam esse à verbo חלל juxta diversitatem punctorum, i. *profanatus*, seu *vim passus est.* ¶ *Propter*] Heb. *A transgressionibus nostris*, i. propter: ea enim interdum est vis præpositionis מן, ut Prov. 25. *Propter frigus*, & 27. *Propter consilium*, &c. Seu *pro transgressionibus nostris*: q. d. *non eum percussit Dominus, ut impii suspicabantur, propter ipsius peccata, quòd seductor esset*, &c. *sed pro culpa nostra, pro peccatis nostris illa pertulit.* Vel simplicius, *ab iniquitatibus nostris*, i. nostræ illum iniquitates ligno affixerunt, &c. sensu eodem, quod magis explicat dum ait, ¶ *Disciplina pacis nostræ*, &c.] Ut integræ essent res nostræ, & nobis bene esset, & in summa pace, tranquillitate & felicitate vitam ageremus, placuit ipsi ut correptionem illam, verbera & plagas quas nos commeriti eramus, filius susciperet. Nos ergo qui eramus inimici & filii iræ, quâ excandescente non poterat nobis pax & salus constare, digni eramus verberibus, quibus vel si affecti fuissemus, non propterea reconciliaremur & bene nobis fuisset. Castigatione & verberibus filii reconciliati sumus patri, & efferbuit ira patris: unde reddita nobis est sanitas. Nam sicut dicebat David, *Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ: non est pax ossibus meis à facie peccatorum*: ex peccatis ira oriebatur, ab irâ ægritudo, fracturæ, ut nihil integrum, nihil sanum sit in homine. Christus autem Dominus pro peccatis nostris dolore affectus est: ergò peccata nostra deleta; ergò ira Dei remisit conseditque; ergò reconciliatus est nobis; ergò pax, integritas, salus & omne bonum in nos dimanavit.

6. *Omnes nos quasi*, &c.] Quia significaverat pace nos & integritate carere, exponit quo pacto res nostræ labefactatæ fuissent. *Omnes*, inquit, *erraveramus, veluti oves* absque pastore: non erat qui nos in officio contineret; sed neque contineri volebamus: unusquisque impetu affectuum suorum ferebatur & faciem ad ea quæ adlubebant convertebat: non disciplina, non metu, non spe retinebamur: abjecto fræno & excusso rectore vagabamur: nostrûm partem præcipitia, partem feræ absumebant: mors denique omnibus certa erat, & in æternum barathrum miseri nosmetipsos concitabamus. Divinâ itaque manû opus erat, eâque solummodo restitui res nostræ poterant. *Peccaverant omnes, & gratia Dei indigebant.* Quæ enim justitiæ nostræ? aut quis alius nos in viam rectam, ad sanam mentem, ad veram disciplinam, ab ore luporum & unguibus leonum, à perditissimis moribus, à nostris affectibus, impiissimis tyrannis revocare potuisset? aut quis tandem pro abjecta Dei lege, pro confracto Dei jugo, pro Dei à nobis spreta religione, iram Dei in nos effusam emollire & placare? si iniquitates observasset, quis sustinuisset? Divinæ ergò bonitatis consilium hoc fuit, ô homo, ut omnium nostrûm iniquitates Christo, ac si earum auctor fuisset, adscriberentur: is pro ipsis pœnas lueret, ut quia Deo Patri erat acceptissimus, tolerantiam ejus & patientiam ut nostram acceptaret, & nos vivi maneremus, peccatis tantummodo nostris cum eo mortuis, & vitiis ac concupiscentiis crucifixis; peccatum itaque, quo moriebamur, interiret, nos viveremus, & filii Dei merita nostra efficerentur, modò fide ac dilectione ei inhærentes, unúmque cum ipso facti, & ab eo nunquam divina justitia separatos reperiret. O felicem commutationem, ut homines Diaboli mancipia à suorum peccatorum onere levarentur; Filius autem Dei ea suscipiens, ac proinde pœnas luens, in *peccatum* iratus, ea *in profundum projiceret*, ut est apud alium Prophetam, ut non ampliùs ea sentiremus vivere aut regnare, sicut Israelitæ olim suffocatos non autem vivos Ægyptios ultrà viderant! Pro *posuit in eo* habet Hebr. הפגיע בו *incurrere fecit in eum*, aut *cum eo*, i. commisit eos veluti hostes: hæc enim est interdum vis verbi, quasi insinuaret quòd peccata irruerint in Christum Dominum, ut ab eis significet Dominum occisum; sed quia Deus erat, morte tandem suâ ea occidisse. Utrumque autem istorum video Scripturis hoc verbo significatum, nempe *irruere in aliquem ut eam perdat*: sicut Jud. 8. *Surge, irrue in nos*; item 2 Sam. 1. *Surge tu, & irrue in eum*; & 1 Regum 2. *Qui irruit in duos viros justiores & meliores se*: & in his locis commodè verbo *irruendi* redditur. Secundò, *irruere in aliquem ut ab eo perdatur*, & tunc verbo *incidendi* optimè redditur, Exod. 5. *Ne incidat*

incidat in pestem, vel in gladium. Utroque autem modo peccata nostra in Christum incurrerunt: irruerunt, ut perderent; inciderunt, ut perderentur. Alios modos significandi non est quòd hîc prosequamur: certè alium multò ab his diversum habes infrà versu ult. Hic mecum, Christiane lector, considera, peccata tua ac mea partem illius exercitûs exstitisse qui in Christum irruit.

7. *Oblatus est*] Verbum נגש cum puncto sinistro est *adigere ad solutionem debiti*, vel *ad aliud operis faciendum*, notátque vim quandam. Verbis ergò *exigendi* seu *adigendi* reddi non malè potest. In N. Test. verbo ἀγγαρεύω redditum videtur Matt. 5, & 27. & Marc. 15. ut hoc loco Jesaias Christum vaticinetur angariatum iri: nam est in passiva voce *addactus est*, vel potius *abactus est*, ut ad similitudinem Ovium pertineat quæ mox sequitur. ¶ *Quia ipse voluit*] Vel aliam lectionem habuit Vulg. vel certè verbum superius נגש in voce activa accepit, i. *accessit: accedere* enim eorum est qui volunt, *trahi* autem aut *adigi* vim notat. Ad verb. ergò dicendum erat, *Accessit, & ipse afflictus est*, i. accessit ut pateretur: quod quid aliud est quam *oblatus est quia ipse voluit?* h. e. quod habes Joan 10. *Nemo tollit animam meam à me: sed ego pono eam à me ipso.* At si ut Hebr. habent exponas, sic dices, *Abactus est, & est ope destitutus*, i. afflictus, tanquam is cui nemo respondet, & opem auxiliúmque fert: omnes enim eum dereliquerunt & aufugerunt. ¶ *Et non aperuit os suum*] Proverbialis forma est pro *non conqueri*, seu *queritur, ne uno quidem verbo emisso. Qui cùm malediceretur, non maledicebat, cùm pateretur, non comminabatur, tradebat autem judicanti se injustè.* Hæc Petrus ex hoc loco accepit, quæ affert ut nos ad similem patientiam exhortetur. ¶ *Quasi ovis*] שה *pecus*. Verbum *obmutuit* ad ipsam *ovem* רחל referendum est. Est enim feminini generis: verbum autem *aperiet* masculinum est; ideoque ad ipsum *Dominum* videtur referendum, i. *sic non aperiet os suum*; nisi referas ad *pecudem* שה, quod nomen est Hebræis masculinum: cui etiam tribuitur verbum *ducitur*, masculinum. Neque mireris quòd ultimo loco reddatur verbum nomini, quod priori præcessit: id enim familiare est Hebræis, ut sit sensus, *sicut pecus quæ ad mactationem ducitur, & tamen non aperit os suum; & sicut ovis quæ coram tonsoribus suis obmutescit.* Nota autem, prudens lector, hanc similitudinem ad id quod superiùs dixit de Christo, *Et non aperuit os suum*, omnes referre, nec malè. *Dominus non aperuit os suum, sicut pecus quæ ad mactationem ducitur, & non aperit os suum, & sicut ovis quæ coram tondente se obmutescit.* Possumus tamen sequentibus connectere ad hunc modum, *sicut pecus ducitur ad mactationem & non aperit os suum, de angustia*, &c. *sublatus est.*

8. *De angustia*] Difficilis locus est, & variæ interpretationes hîc afferuntur, quas apud auctores videre licebit. Ego certè *angustiam* seu *compressionem* & *coarctationem* pro *turba sese comprimente & coarctante* accipio, seu pro *cœtu populi* & *Synagoga*, quæ cogitur diebus statis imperante lege, vel indicente principe, aut quovis alio convocandi populum potestatem habente: tum quia hæc acceptio loco aptissima est, tum etiam quia verbum ipsum עצר Hebræis non rarò pro *concludere, coarctare, impedimento esse*, accipitur; & nomina עצרת & עצרה ità passim accipiuntur, ut 2 Reg. 10. *Sanctificate coactionem*, seu *cœtum*: ubi Vulg. sensum reddidit, *Sanctificate diem solennem ipsi Baal*; & Joel. 1. *Sanctificate jejunium, vocate cœtum*; item Jerem. 9. *Cœtus prævaricatorum.* Deut. 16. Levit. 23, &c. Sic etiam hoc nomen licèt alterius formæ עצר accipi potest, ut Christus Dominus à Synagoga & universo cœtu illo, vel ad festum Paschatis coacto, vel à Concilio quod Pontifices & Pharisæi coegerunt, vel à turba furente ad supplicium damnatus dicatur & pertractus, nec solùm à turba sed à judicio illo, i. judicum consessu; ut *judicium* accipiat pro ipsis *judicibus*, sicut *constrictionem* pro ipsa *turba coacta*, quasi significet Propheta ab omnibus ordinibus damnatum fuisse Dominum. Nam Pharisæi & Sacerdotes concitaverunt turbam ut peterent Barrabam, JESUM verò ad mortem postularent: ipsi verò Judices dixerunt, *Reus est mortis*; & non esse *dimittendum* apud Pilatum contendebant. ¶ *Sublatus est*] Vel *captus est*: turba enim ad eum capiendum missa est: vel potiùs, *Pertractus est*; sicut Prov. 24. *Eripe* לקחים *qui pertrahuntur ad mortem*: duplici enim verbo illa constructio reddi solet: *qui capiuntur ad mortem*, i. qui capti pertrahuntur ad supplicium. ¶ *Generationem ejus*, &c.] Vel *seculum ejus*: cùm enim à turba populi & ab ipsis Magistratibus, Pharisæis, principibus Sacerdotibus Christum Dominum damnatum & morti addictum dixisset, non potuit non admirari *generationem* illam, *seculum* illud, mores hominum illorum qui talia ausi fuissent. *Dor* enim Hebræis *ætatem* seu *seculum* notat; à *volubilitate*, quòd ætas ætati & seculum seculo succedat, ut circulum videantur conficere: dicitur autem tam de Tempore quàm etiam de Hominibus illius temporis, & omnibus denique quæ spacio illo fiunt & eveniunt: exempla passim obvia. ¶ *Quia abscissus est*, &c.] *Est*, inquit, *quod admirer homines illos, gentem illam perditam: quia tandem eum de medio sustulerunt immaturâ, violentâ & immeritâ morte.* Vel, *vitam ejus quis enarrabit? fuit enim brevissima: præreptus enim fuit immaturâ & violentâ morte, & subitò evanuit*: est enim דור sæpe idem quod *ætas*; suprà, *Ætas mea translata est, & ablata est à me, velut tentorium pastoris*, cap. 38. Potest & sequentibus annecti, *Quia excisus est de terra viventium, à transgressione populi mei, plaga eis* supple *erit*: q. d. quia per suam ipsorum malitiam, & pro sua ipsorum transgressione, malitia ac contumacia ausi sunt eum è vivis tollere qui ad eos redimendos missus fuerat, *plaga* seu percussura ingens veniet eis: quasi non potuerit propheta retributionem tantæ impietatis reticere, sicut neque ipsam impietatem non admirari in media narratione. ¶ *Percussi eum*] למו, *eis*, Vulg. pro לו accepit. Ex hac dictione infideles Rabini occasionem accipiunt ut de populo Israelitico hæc interpretentur: sed Ps. 28. invenies למו pro לו v. 8. & מו pro ו Job. 20. non semel, & alibi. Ego tamen *eis* malui dicere, tum quia de Christo Domino jam dixerat, quòd *à transgressionibus nostris fuisset occisus*; tum etiam quia למו plerumque est multitudinis, & interpretatio aptissima etiam adversus Judæos.

9. *Et dabit impios*, &c.] Obscurus locus est hic, & quem, mihi valde verisimile fit, impios Rabinos aliqua ex parte vitiasse. Et quidem Hebræa sensum, quem verba Vulg. interpretis exprimunt, admittunt, ut sit similis illi phrasi quam habuimus suprà 43. cap. vers. 3. *Dedi propitiationem tuam Ægyptum*, &c. *Dabit impios sepulturam suam*, i. faciet ut luant impii pœnas mortis suæ, & divites illi & pingues vaccæ retributionem accipiant sui sceleris: & hic sensus superioribus satis convenit. Ego longè aliam interpretationem apponere volui quam à quodam viro docto accepi, qui putabat hic gloriosam Domini sepulturam à Propheta decantatam: nam, ut Matthæus narrat, Josephus Arimathæus, vir dives, monumentum novum habuit in petra excisum in monte Calvariæ excelso, instar sacelli, splendidum, amplum & magnificum, sicut ex aliis locis historiæ colligitur; fuit enim saxum ostii ipsius ingens, ipsum monumentum *duos viros*, sic Angelos vocat, & aliquot mulieres capere potuit. Quare hic non vulgare aut vulgaris hominis sepulcrum, quale etiam fuit malefactorum, & nomine קבר notatur; sed excelsum, seu monumentum & quasi sacellum divitis alicujus hominis, qualis Josephus fuit, significatur. Existimo autem puncta à Rabinis ad sensum suum in hac voce apposita, & sic esse legendum, במתו *bamothau, excelsa ejus*, non *bemothau, in mortibus* seu *cruciatibus ejus*: nam præterquàm quòd Mem Dagues notatur, præcedente Seva in prima vocis litera, contra universam Grammatices rationem, quæro quare etiam in priori vocabulo קבר non sit præposita præpositio Beth, quam tamen juxta Hebrææ linguæ consuetudinem potiùs habere debebat quàm posterior. Est autem Hebræis במה *excelsum*, nempe *sacellum* seu *altare*, eò quòd in altum erigebantur, vel etiam quia plerumque in excelso loco exstruebantur. *Sepulcra* quoque Excelsa in Scripturis vocantur, ut suprà cap. 22. *Excidisti tibi hic sepulcrum, celsitudinem sepulcri sui constituit in rupe habitaculum sibi*: & apud Ezech. 43. de Excelsis, quæ ædificabant Reges pro cadaveribus suis condendis juxta domum Domini fit mentio: & infrà 65. ipsa Excelsa deorum *sepulcra* per contemptum vocare videtur: nam in ipsis Excelsis aut prope illa ædificabantur sepulcra propter superstitionem & studium erga idola. Hoc autem loco in plurali dicuntur *excelsa*; credo per amplificationem, nisi fortè Jod sit addititium, & in singulari cum affixo legat במתו *excelsum ejus.* Certè si quid hac in parte credendum esset vitiatum fuisse à Rabinis, ego tantùm voces ab illis transpositas dicerem, & ב additam, ut rem obscurarent, quasi sic Hebræa legenda essent, *Et dedit cum improbis cruciatus ejus, & cum divite sepulcrum ipsius.* Si autem nihil immutatum aut vitiatum à Rabinis fuit, (neque enim universa Biblia quæ in toto orbe erant simul vitiari poterant) aliud adhuc mysterium non minùs celebre sub his verbis latêre arbitror quàm sepulturæ Domini in monumento divitis Josephi. Accipe itaque prioribus versibus 2, 3 & 4 prophetam ea attigisse quæ Domini passionem præcesserunt, privatam videlicet conditionem, humilitatem, paupertatem & alienam à regno & imperio personam atque figuram: sub finem verò 4. usque ad 9. verbera, ignominiam, crucem denique atque mortem commemorasse: sub finem verò 8. nonnihil de pœna quæ maneret sceleris illius auctores attigisse: jam verò hoc 9. & sequentibus effectus & præmia passionis Domini recensere: initium verò sumere ab eo mysterio quod Paulus ad Rom.

cap. 6. celebrat, nempe quòd *commortui sumus Christo*, & *consepulti per baptismum*. *Dedit*, inquit Jesaias, *Deus improbos sepulcrum ejus*, i. fecit ut sepulcrum ejus (quod perfectæ mortis est symbolum) essent improbi & malefactores; i. sepultus est ut improbi cum ipso sepelirentur, & omnis improbitas in barathrum truderetur; neque ampliùs super terram vitam ageret, & tandem cum ipso resurgentes *in novitate vitæ ambularemus*. *Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul & resurrectionis erimus*. Nam *in hoc Christus mortuus est* (inquit idem Paulus) *& resurrexit*, *ut qui vivant*, *non sibi vivant*, *sed ei qui pro ipsis mortuus est*. Ergò est sepultura Christi & mors Christi mors & sepultura improborum, i. totius improbitatis: *existimaréque* debemus *nos mortuos peccato cum Christo*, *viventes autem Deo in Christo JESU* Domino nostro. *Dedit* quoque *divitem per cruciatus ipsius*, quia reddidit Dominum JESUM per suos ipsius cruciatus & mortem omnium ditissimum. Sic enim reddi posse Hebræa nemo dubitabit qui vel mediocriter Hebraicè noverit: *Et dabit improbos sepulcrum ejus*, *& divitem in cruciatibus ipsius*. De Divitiis autem quas consecutus sit; versibus sequentibus plura. Quòd autem מותיו non tam *mortes* significet quàm *cruciatus mortales*, patet ex Ezech. 28. & Jerem. 16. solent enim Hebræi, quæ mortem afferunt aut intentant *mortes* appellare: sicut etiam Paulus 2 Cor. 11. *In mortibus frequenter*; & 2 Cor. 1. *De tanta morte nos eripuit*, Vulg. *De tantis periculis*, Ambros. *De tantis mortibus*: ubi etiam Chrysostomus dicit ingentia discrimina hyperbolicè dici *mortes*. Jam verò quod sequitur ad sequentia pertinet. ¶ *Eò quòd iniquitatem*, &c.] Heb. על לא, i. *super non*: quæ phrasis Latinis nihil sonat; at nobis Hispanis elegantissima est. Similis locus est Ps. 119. i. Etiamsi nemini vim fecisset, aut quempiam dolo decepisset, etiamsi neque vi neque fraude cuiquam nocuisset; Jehova tamen voluit contundere eum, &c.

10. *Voluit*] חפץ *Beneplacitum habuit*: singula verba habent excessum, דכאו *oppressione* seu *opprimendo contudit*. Ps. 143. *Contudit in terram vitam meam*: de quo suprà cap. 3. *Facies oppressorum contunditis*: causam mox aperit. ¶ *Si posuerit pro peccato*, &c.] אשם *piaculum*: ità enim accipitur interdum hæc vox, præsertim in ritu sacrificiorum, i. *victima* quæ *pro expiando delicto* immolatur. Levit. 5, & 7. *In loco in quo jugulant holocaustum*, *ibi quoque mactabunt hostiam*. Paulus Rom. 8. & 2 Cor. 5. *peccatum* dixisse videtur, *Pro nobis peccatum fecit*, *& de peccato damnavit peccatum in carne*. *Facere* autem Christum *peccatum* est erga eum sic se habuisse atque erga peccatum ipsum. Si enim ipsum peccatum Deus pro dignitate vellet punire, quid amplius illi quàm Christo Domino fecisset? Atque eâ ratione victimas hominibus olim profuisse credimus, quòd ex Divina institutione ac bonitate in eas transferebantur ea quæ peccatores perpeti oportuisset: unde & *piacula* dixere Latini, quòd eis *expiarentur*, & à morte, quam commeriti fuissent, per pecudis mortem liberarentur. *Ponere* ergò *animam suam victimam* seu *piaculum*, est quod Vulgatus dixit, *Si posuerit animam suam pro peccato*; si, ut expietur homo à peccato, ipse fiat *peccatum*, seu *pro peccato hostia*: utrumque enim notat nomen אשם Hebræis: sicut apud Paulum *peccatum* seu ἁμαρτία, ut Genes. 26. *Induxisses super nos piaculum*, i. reatum, cui expiatione opus esset; & Prov. 14. *Stulti subsannant piaculum*, i. nihili ducunt, vel *immane scelus*: quin & Latinis *piaculum* utroque modo accipitur. Horatius,

Téque piacula nulla resolvent,

i. nullis hostiis te expiabis: & Virgilius 6. Æneid.

Distulit in seram commissa piacula mortem,

i. crimina quæ expiatione indigebant. Ergò si juxta linguæ Hebrææ consuetudinem, quam retinuit Apostolus locis citatis, locum hunc reddere vellemus, dicendum foret, *Si posuerit peccatum animam suam*. ¶ *Videbit semen longævum*] Sensum Vulg. exposuit: Hebr. ad verbum, *videbit semen*, *prolongabit dies*: fortè deest relativum אשר, *videbit semen quod prolongabit dies*. Multitudinem sobolis in præmium illius oblationis promittit. *Granum* enim *frumenti nisi cadens in terram mortuum fuerit*; *solum manet*; *at si mortuum fuerit*, *multum fructum affert*. Certè quia Isaac filium offerre voluit Abraham, vidit ex Isaaco *semen longævum*: nec hoc gaudio destitutus fuisset, si igne eum absumpsisset in holocaustum Deo, præcepto ipsius obediens. Nam is erat *Deus*, ut inquit Paulus, *qui posset* Isaac *è mortuis revocare*, ut generandis filiis indulgeret. Suscitavit itaque Christum Deus, quia *factus* fuit *obediens usque ad mortem*: ille verò redivivus, à suis exorsus, eos in fratres confirmavit, & per eos in toto orbe sobolem spargens, ab Oriente & Occidente suscitavit semen & filios generatione nunquam interiturâ. Hinc habes non esse sterilem obedientiam, sed multitudine filiorum exsultantem, etiamsi mortem afferat: cui enim obedimus, Dominus est vitæ & mortis. Idem cogita in præscindendis affectibus; & mortificatione Christi jugiter in nobis circumferenda: si occumbas, si obediens occideris, si vitia & concupiscentias crucifixeris, imò si sepelieris, non tristem, non sterilem, non orbatam vitam ducendam tibi existimes: non deerit quæ te lætificet proles, &c. ¶ *Et voluntas Domini*, &c.] Illa nimirum de qua in conversione Samaritanorum dicebat, *Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui misit me*, ut perficiam opus ejus. Reductio ergò hominum ad Deum, & progressus salutis usque ad ultimum terræ, erat *voluntas Domini*, seu *beneplacitum Domini*. Eâdem autem voce quâ suprà usus est, cùm dixit, *Dominus voluit contundere eum*, nunc utitur, חפץ. Hâc siquidem ratione placuit Deo *eum contundere*, ut ad Deum qui perierant revocarentur. Utrumque hoc beneplacitum, desiderium & intimi affectûs studium in Deo nostro semper nos agnoscere ac recolere necesse est: videlicet, quòd ut hoc, veluti summum, ingens, difficile & arduum negotium, quod summopere Deus exoptabat, nempe reductionis hominum ad se, proficeret, progressus faceret, felicémque exitum consequeretur, libuit ipsi Deo, ut filius dilectionis suæ piaculum fieret. Hoc certè insinuabant illæ Redemptoris voces, *Sic deus dilexit mundum*, *ut unigenitum filium suum daret*. His accedit, quòd hoc Patris beneplacitum ità animo Christi insederat, ut eisdem verbis & eandem animi indignationem significantibus, quibus diabolum à se repulit, ut ab eo adoraretur postulantem, Petrum, nè crucem pati vellet & pro hominibus piaculum nè fieret, suadentem redarguerit ac represserit. O Deum hominis amantissimum! *Voluntas*, inquit, *Domini*, id quod ille toto bonitatis affectu ambit & perfici peroptat, hominum videlicet sanctificatio, in manu & per ipsum Christum & ejus virtutem prosperè procedet, augmentum capiet: neque erit ulla potestas quæ progressum Euangelii possit impedire, si Dei filius piaculum fiat. Hoc itaque, O homo, affectat Deus tuus; ad hoc aspirat; hoc in votis habet, ut occidatur filius ejus, modo à morte tu servus eripiaris. *Si mortuus*, inquit, *promovebit salutis humanæ negotium*, *moriatur*. Hæc sunt decreta, hæc vota Dei nostri, & hoc filii præmium, *multos* secum fratres *in gloriam adducere*. Audi ergò quid sequatur,

11. *Pro eo*, *quòd laboravit anima ejus*] Vel *post laborem*: utrumque enim solet Hebræis significare illud Mem. עמל autem est & verbum & nomen, diversis punctis; cúmque *laborem* notat qui *cum molestia* & *defatigatione* fit, qualis ille est qui homini propter peccatum injunctus fuit, quando ei dictum est, *In sudore vultûs tui vescêris pane tuo*. Ad quem locum festivè sanè videtur alludere Dominus. *Videbit*, inquit; *saturabitur*: post labores sequitur quies, ut post tempestatem tranquillitas: *videbit*, *saturabitur*, i. *videns saturabitur*. Videbit fructum sui laboris, illóque saturabitur. Ita enim absolutè utuntur interdum verbo *videndi* Hebræi: voluptatémque notat & gaudium, quando de re læta dicitur, ut infrà 60. *Tunc videbis*, *& afflues*. Sic hoc loco, *Ubi viderit semen longævum*, *saturabitur*, i. plenè sibi satisfactum putabit: hoc uno sui laboris præmio affatim contentus erit. Vidisti enim suprà ex Joanne hunc esse *cibum* filii Dei, & has esse ipsius delicias; quem imitatus ipse Discipulus dicebat, *Majus hic non habeo gaudium*, *quàm ut videam filios meos in veritate ambulare*: & Paulus *gaudium & coronam suam* eos vocabat. De ipso verò Redemptore in Euangelio legimus, quòd cùm initia tantùm hujusmodi successûs vidisset, & primos Euangelii progressus considerasset, renuntiantibus Discipulis mirabilia quæ egissent, & *dæmonia* sibi *subjecta*, &c. ex illis initiis rem totam animo versans *exsultaverit in Spiritu S.* & gratias Patri egerit. Quid cùm vidisset orbem universum Deo subjectum? *Vidit*, *& saturatus est*. Hæc sunt viscera Dei nostri, ut tunc bene habere dicatur cùm res nostræ bene habent: tunc comedat, tunc quiescat, tunc deliciis affluat. Neque est obsequium aut munus quòd sic eum devinciat, & animum ejus nobis placabiliorem reddat, quàm multos timore ipsius imbuere. Quidnam aliud Deus in Abrahamo recolebat, ut ei nihil se posse denegare fateretur, quàm, *quòd docturus esset filios suos & posteritatem suam post se*, *ut Deum timerent ac colerent*? ità Dominus noster Dei Filius hoc potissimùm cibo vescitur: quod sequentia adhuc declarant. ¶ *In scientia sua*, &c.] i. Per *suam scientiam* atque doctrinam *ipse justus justificabit quamplurimos*: non quòd solâ doctrinâ justificentur, sed quòd generetur *fides per auditum*. *Justificare* ergò *per doctrinam* est Verbo viam ad salutem & justitiam aperi-

aperire: nam si de homine quopiam etiam hodie dicimus, quòd *prædicatione verbi & exemplo populos sanctificet*, multò veriùs de Filio Dei dici poterit, quòd *justificaverit per doctrinam suam plurimos*: quia eos qui per verbum ad detestationem prioris vitæ & fidem atque amorem Dei trahebantur, ipse justificabat, atque hodie etiam justificat. *Ipse enim est qui baptizat Spiritu Sancto & igni: ipse* est, qui *aufert iniquitates nostras*, id quod mox sequitur, ¶ *Et iniquitates eorum portabit*] Quo in loco etiamsi sit verbum סבל, quod propriè *portare* seu *gestare* notat: puto tamen eodem modo accipiendum esse quo ex Matthæo suprà vers. 4. accepimus, i. *exportare*, *auferre*, q. exponat quid sit *justificari*. Nisi malis dicere juxta Legis phrasim, *Portare iniquitates* esse Puniri pro iniquitatibus. Possumus etiam vertere *cognitione sui justificabit justus servus meus*. Est enim quoddam Cognoscere Deum seu Christum in Scripturis, quod non est sine iis omnibus quæ catholica doctrina ad justificationem dicit necessaria. Est, inquam, quædam cognitio quam *affectivam* vocant Scholiastici, quæ non minus habet amoris quàm fidei, quæ vera & integra est sapientia. Cæterùm cùm in Heb. sit *justus justificabit*, Vulg. nomen *justi* nescio cur omiserit, & pronomen apposuerit. Certè ad hunc locum allusisse videtur Paulus cùm ad Romanos ait, *ut sit ipse justus, & justificans*, &c. Huc quoque facit quod Joannes 1 Epist. 2. ait, *Si scitis, quoniam justus est; scitote, quoniam & omnis qui facit justitiam ex ipso natus est.*

12. *Ideirco dispertiam*, &c.] Perseverat in enarrando præmio passionis Christi. *Dispertiam ei plurimos*: Hebr. *in plurimis*, i. inter plurimos; dabo illi ut inter multos accipiat sortem, & multos secum deferat, *ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Possumus & רבים pro *magnis* accipere, ut non sit multitudinis sed magnitudinis, ut interdum Hebræi usurpant, ut Jerem. 14. *Magni regis*, i. magnates, & Job. 19. *Magni ejus*, &c. Quo in sensu eò libentiùs accipio, quòd nomen *fortium* seu *robustorum* sequitur, cum quo solet conjungi nomen גדול, i. *magnus*, Deut. 4. *Expellat gentes magnas & robustas supra te*, &c. Sensus ergò hic esse poterit, Dispertiam ei, seu dabo ei ut dispertiat cum magnatibus: faciam ut dividat magnatibus, & singulis det *gratiarum divisiones*; *alios faciat Apostolos, alios Euangelistas, alios prophetas, alios pastores, & doctores*, &c. neque dubito quin ad hunc locum alluserit Apostolus quando hæc dicebat. ¶ *Et fortium dividet*, &c.] Heb. *& cum robustis dispertiet spolium.* Nè quis hanc gratiarum divisionem Patri & non Filio adscriberet, eò quòd dixisset, *Dispertiam ei*, loco ejus eodem verbo חלק usus, ait, *Dispertiet spolium*: quæ enim operatur Pater, Filius etiam operatur. Quos dixit *magnos*, hìc dicit *robustos*, & quibus divisit dona cœlestia, eisdem *dividit spolia*: nam illis divisit provincias quas spoliarent Domino: & hic est Galliarum, ille Hispaniarum, alter Indiæ, alter Æthiopiæ Apostolus, &c. unde Paulus, *Non in immensum gloriamur, sed secundùm mensuram regulæ quâ mensus est nobis Deus, mensuram pertingendi usque ad vos*: & iterum, *Non in immensum gloriantes in alienis laboribus, spem autem habentes crescentis fidei vestræ in vobis magnificari, secundum regulam nostram, in abundantia.* Sed unde ei hoc datum est? unde & quòd divideret dona, & totum eis orbem spoliandum tradiderit? unde hæc virtus & potestas & divitiæ? Certè post Passionem suam dicebat Discipulis, *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra: accipite Spiritum S.* &c. Hic quoque obedientiam & mortem voluntariam audis, ¶ *Eò quòd tradidit in mortem animam suam*, &c.] Hæc est illa *exaltatio*, quam Paulus quoque humilitati passionis adscribit. Pro *tradiderit*, est verbum ערה, i. *denudavit*: Hebræis autem quæ evacuantur *denudari* dicuntur; quare verbo *effundendi* interdum verti potest, quando videlicet de Aqua dicitur, Genes. 24. *Effudit cadum suum in canale*: ità de Anima dici potest, *evacuavit animam morti*, vel *in mortem*, i. animam posuit, vitam profudit, morti effudit animam, ut illa obtineret, ipse vitâ destitueretur. Vel retentâ propriâ significatione, *pro eo quòd denudavit morti animam suam*: sicut dicunt Latini, *Pectus gladio nudavit*, i. libenter se discrimini objecit, & morti nequaquam restitit. Neque hoc solùm sed etiam quòd ¶ *Cum sceleratis reputatus est*] Hoc certè consummatissimæ fuit virtutis inauditum exemplum, ut justus & justificans occidi ut impius, & *annumerari sceleratis* non modò non recusarit sed etiam voluerit. Hinc ergò factum, & pro his meritis ei concessa est universorum potestas, & ut Spiritùs S. dona suis ducibus divideret, & eis universum orbem subjiceret, sicut ipsi canunt, *Omnes gentes plaudite*, &c. *subjecit populos nobis, & gentes sub pedibus nostris.* ¶ *Reputatus*] Heb. נמנה, *annumeratus cum transgressoribus.* Licet enim verbum propriè speciem illam Arithmeticam designet, quam vocant *Additionem*, & *in summam reductionem*: quia tamen qui summam colligit annumerat, pro *annumerare* interdum sumitur: & Euangelistæ quidem Matth. 15. & Luc. 22. ἐλογίσθη, i. *deputatus est*, verterunt. ¶ *Et ipse peccatum*, &c.] Licèt *cum transgressoribus sit annumeratus*, vel cum ipsis ab aliis subtractus, tanquam justis, nè ejus consortio contaminarentur, tantum abest ut is transgressor fuerit, ut morte suâ & hac ipsâ subtractione *multorum scelera abstulerit*, deleverit, nempe eorum qui illi adhæserunt; & *pro ipsis transgressoribus*, qui revera transgressores erant, & summam & inauditam transgressionem in hac ipsius morte perpetrabant, *ipse* damnatus *oraret*, vel (ut in Heb. est) *obviàm iret*: id enim interdum notat verbum פגע, de quo suprà v. 6. nonnihil diximus. Sic accipitur Genes. 23. *Occurrite pro me in Ephron*, i. intercedite: & Ruth. 1. & infrà 59. Possunt hæc autem per præteritum imperfectum non malè reddi; *Ipse verò multorum peccatum levabat, & pro transgressoribus orabat; Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.*

L U C A S B R U G.

11. *Justificabit ipse justus servus meus multos.*] Hanc hujus loci veram esse existimo lectionem. Non enim legendum esse præterito tempore, *justificavit*, emendatissimi quique libri & fons Hebraicus docent: quos Hentenius & Parisienses secuti *justificabit* emendarunt. Rursus non esse legendum *justos*, quod in duobus MSS. invenimus, plerique omnes codices, Hebræo conformiter, *justus* scribentes, probant. Chaldaica paraphrasis, יזכי זכאין, quod est, *justificabit justos*, habet: verùm non ex Chaldæo nostra profluxit editio. Tertiò, non legendum esse *servos meos*, quod in antigraphis est haud paucis, sed, quod ex aliis Hentenius & Parisienses in textum retulere, *servus meus*, Hebraica dijudicant exemplaria, יצדיק צדיק עבדי לרבים i. *justificabit justus servus meus multos.* Scio punctis mutatis esse posse *servos meos*, hoc est עֲבָדַי: verùm cùm proximè sequentem vocem לרבים Interpres verterit *multos*, puto eum non עֲבָדַי legisse, non *servos meos* transtulisse. Nam ministra litera Lamed præfixa sequenti voci רבים, non præcedenti עבדי, alio eam modo accipiendam significat quàm accipienda est præcedens, nempe non ut respondens adjectivum substantivo præcedenti conjungendam. Ergò, quod diximus, vera est hujus loci lectio quæ in 19 MSS. exemplaribus à nobis reperta est, *Justificabit ipse justus servus meus multos*: quàm, ut nè ullus supersit scrupulus, omni ex parte Hieronymi commentarius probat; *IN SCIENTIA SUA, i. in doctrina, IPSE JUSTUS, qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus, & servus patris qui formam servi acceperat & Domini servierat voluntati, MULTOS JUSTIFICABIT de toto orbe credentes.* Non opus est addere consonantes Hugonis & Haymonis Enarrationes.

D R U S I U S.

2. וַיַּעַל כַּיּוֹנֵק לְפָנָיו. A. καὶ ἀναῤῥηθήσεται ὡς τιτθιζόμενον εἰς πρόσωπον αὐτοῦ, *prædicabitur ut nutritius ante faciem ejus.* Th. καὶ ἀναβήσεται ὡς θηλάζων ἐνώπιον αὐτοῦ, *Et ascendet ut lactens coram eo.* Sym. *ramus*] Hier. *Pro* virgulto *Sym.* ramum *interpretatus est.* Ut hoc intelligas, sciendum est in ed. Hieronymi כיונק reddi *sicut virgultum.* ¶ וְכַשֹּׁרֶשׁ מֵאֶרֶץ צִיָּה. A. καὶ ὡς ῥίζα ἀπὸ γῆς ἀβάτου, *quasi radix de terra invia*] Ex Theodoreto, & ed. Rom. Hier. *Pro* sitienti *Aq. interpretatus est*, invia, *ut Virginitatis privilegium demonstraret, quòd absque ullo humano semine de terra priùs invia sit creatus.*

4. נָגוּעַ. A. Sym. *leprosus.* Th. *flagellatus*] Hieron. *Aq. & Sym. posuerunt* leprosum, *Th.* flagellatum (*quod aliis verbis Ebraico idiomate* lepra *intelligitur*) *juxta illud quod in Psalmo scriptum est*, Et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. Rutsum Hieron. *Pro eo quod Symmachus transtulit* ἐν ἀφῇ ὄντα, *h. e.* in lepra, *Aquila posuit* ἀφημένον, *i.* leprosum, *quod multi non intelligentes, putant* relictum; *& alii legunt* καθήμενον, *i.* sedentem. Vide nunc, si placet, Fragmenta in Odas Davidicas, Psal. 91. 8. ubi נגע. A. ἀφὴ, i. *tactus, plaga, lepra.* ¶ מֻכֵּה אֱלֹהִים. A. Th. ὑπὸ Θεοῦ —— *à Deo*] Hieron. *percussus à Deo.* Priùs erant in ed. τῷ ὁ, καὶ ἐν πληγῇ· deinde additum fuit sub asterisco ὑπὸ Θεοῦ, quod Procopius Aquilæ ac Theodotioni tribuit.

5. מְחֹלָל. A. ἐβεβηλώθη, *pollutus* (sive *profanatus*) *fuit*] Euseb. τότε γοῦν καὶ συνετρίβη καὶ ἐβεβηλώθη, κατὰ τὸν Ἀκύλαν. ¶ מְדֻכָּא. Idem συνετρίβη *contritus fuit.*

7. נִגַּשׂ וְהוּא נַעֲנֶה. Sym. *adductus & ipse obedivit*] Ex Eusebio. ¶ וְלֹא יִפְתַּח פִּיו. Sym. Th. *audiens non aperuit os suum*] Hieron. *Juxta Lxx* afflictus non aperuit os, *aut juxta Sym. & Th.* audiens non aperuit os suum. *Afflictus*, i. נענה, quod præcedit. ¶ כַּשֶּׂה לַטֶּבַח יוּבָל. Sym. *ὡς πρόβατον ἐπὶ σφαγὴν προσηνέχθη*, *tanquam ovis ad cædem adductus est.*

9. וַיִּתֵּן. A. Sym. Th. *δώσει dabit.*

10. בְּיָדוֹ. A. Sym. Th. *ἐν χειρὶ αὐτοῦ in manu ejus*] Legitur in quibusdam libris editionis Lxx: sed apud Procopium sub asterisco tribus Interpretibus adscribitur.

IDEM EX PROCOPIO.

1. עַל־מִי. A. Th. *ἐπὶ τίνι;*

2. כַּיּוֹנֵק. A. *ὡς τιτθιζόμενον ut lactens.* Th. *ὡς θηλάζον ut sugens*] Lex. V. Θηλάζω, *lacto*, *sugo*. Τιτθιζόμενον idem cum τιθεύόμενον, quod Gaza interpretatur *lactens*. Verbum à τιτθὶς deductum, quo nomine sign. *nutricem*, quæ & τίτθη & τιθήνη. Ergo τιτθίζω *nutrio* sive *nutrico* aut *nutricor*, τιθεύω, τιθηνέω. Job. 20. 16. ינק. A. Sym. Th. *μυζήσει*. Hieron. *suget.* Locus iste plenior exstat in Commentario ex ed. Aquilæ, ויעל כיונק לפניו וכשרש מארץ ציה. A. *ϗ ἀναβήσεται ὡς τιθηνιζόμενον εἰς πρόσωπον αὐτοῦ, ϗ ὡς ῥίζα ἀπὸ τῆς ἀβάτου, Et ascendet sicut qui nutricatur in faciem ejus, & sicut radix à terra inaccessa.* Aliter in margine, ut vidimus: nam illa indè descripsimus. Dico, ex margine Textûs, non Commentarii. Utra lectio germana sit, aliis dijudicandum relinquo. Sym. *Ἀνέβη ὡς κλάδος ἐνώπιον αὐτοῦ, ϗ ὡς ῥίζα ἀπὸ γῆς διψώσης, Ascendit ut ramus coram eo, & ut radix è terra sitiente*, sive *sitibunda*. Th. *Ἀναβήσεται ὡς θηλάζον, Ascendet ut sugens*, vel *lactens.* ¶ לֹא־תֹאַר לוֹ וְלֹא הָדָר וְנִרְאֵהוּ וְלֹא־מַרְאֶה וְנֶחְמְדֵהוּ. Sym. *οὐκ εἶδος αὐτῷ, οὐδὲ ἀξίωμα, ἵνα ἴδωμεν αὐτόν· οὐδὲ θεωρία, ἵνα ἐπιθυμήσωμεν αὐτὸν, Non forma ei, non dignitas, ut videremus eum; neque aspectus, ut cuperemus eum*] Descripsi ex margine: nam in textu est *ἀξιῶν.*

3. נִבְזֶה וַחֲדַל אִישִׁים אִישׁ מַכְאֹבוֹת וִידוּעַ חֹלִי. Sym. *Ἐξουδενωμένος ϗ ἐλάχιστος ἀνδρῶν, ἀνὴρ ἐπίπονος, ϗ γνωστὸς νόσῳ, Abjectus & minimus virorum, vir laboriosus, & morbo notus*] Sequitur in Procopio, *ϗ εἰδὼς φέρειν μαλακίαν, οὐ μὴν μεμαλακισμένος, & sciens ferre mollitiem, non tamen emollitus.* Vide illum pag. 600. ¶ כְּמַסְתֵּר פָּנִים מִמֶּנּוּ. A. *ὡς ἀποκεκρυμμένον πρόσωπον ἀπ' αὐτοῦ, ut facies abscondita ab eo*] Sic emendavi ex conjectura, cùm reperissem in libris *αὐτοῦ* tantum. Id sonat *facies ejus*, פניו. ¶ נִבְזֶה וְלֹא חֲשַׁבְנֻהוּ. *οἱ λοιποὶ, ἐξουδενωμένος, διὸ οὐκ ἐλογισάμεθα αὐτὸν, abjectus, ideóque non reputavimus eum.*

4. אָכֵן חֳלָיֵנוּ הוּא נָשָׂא וּמַכְאֹבֵינוּ סְבָלָם וַאֲנַחְנוּ חֲשַׁבְנֻהוּ נָגוּעַ מֻכֵּה אֱלֹהִים וּמְעֻנֶּה. Sym. *Ὄντως τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν αὐτὸς ἀνέλαβε, ϗ τοὺς πόνους ὑπέμεινεν· ἡμεῖς δὲ ἐλογισάμεθα αὐτὸν ἐν ἁφῇ ὄντα, πεπληγότα ὑπὸ Θεοῦ, ϗ τεταπεινωμένον, Certè peccata nostra ipse suscepit, & dolores nostros sustinuit: nos autem reputavimus ipsum leprâ percussum à Deo, & humiliatum*] Verbum è verbo *in lepra exsistentem, & percussum.* ἁφὴ propriè *tactus*: sed pro *lepra* sumitur, ut נגע apud Ebræos. Plenè diceretur *ἁφὴ λέπρας*· qua de re diximus aliàs. Adito sis ad libellos meos. *Dolores*] Priùs erat *labores*: sed hoc nomen Ebræum non significat. Sequitur in Procopio, *ᾧ συμφώνως ἐξέδωκαν οἱ λοιποὶ cui & reliqui consentiunt.* Verba hæc docent Aq. & Th. nihil à Symmacho in hoc versu discordare. Ὑπὸ Θεοῦ] Sic etiam A. & Th.

5. וְהוּא מְחֹלָל מִפְּשָׁעֵנוּ. A. *Αὐτὸς βεβηλωμένος ἀπὸ ἀθεσιῶν ἡμῶν, Ipse pollutus prævaricationibus nostris.*

6. וַיהוָה הִפְגִּיעַ בּוֹ אֵת עֲוֹן כֻּלָּנוּ. Sym. *Κύριος δὲ καταντῆσαι ἐποίησεν εἰς αὐτὸν τὴν ἀνομίαν πάντων ἡμῶν, Dominus autem fecit occurrere in eum iniquitatem omnium nostrum.*

7. נִגַּשׂ וְהוּא נַעֲנֶה. Sym. *προσηνέχθη, ϗ αὐτὸς ὑπήκουσε, admotus est, & ipse obaudivit.*

8. כִּי נִגְזַר מֵאֶרֶץ חַיִּים מִפֶּשַׁע עַמִּי נֶגַע לָמוֹ. Sym. *ἀπετμήθη γὰρ ἐκ γῆς ζώντων, ϗ διὰ τὴν ἀδικίαν τοῦ λαοῦ μου πληγὴ αὐτοῖς, Abscissus est enim de terra viventium: & propter iniquitatem populi mei plaga eis.* Th. *ὅτι ἀπετμήθη ἀπὸ γῆς ζώντων, ἀπὸ ἀθεσίας τοῦ λαοῦ μου ἥψατο αὐτῶν, quia abscissus est è terra viventium, ob prævaricationem populi mei tetigit eos*] i. Percussit. Sic *flos tactus aratro*. Aut, *læsit*, ut ibi, *Nolite tangere christos meos.*

9. וַיִּתֵּן אֶת־רְשָׁעִים. Sym. *Καὶ δώσει τοὺς ἀσεβεῖς, Et dabit impios.*

10. וְחֵפֶץ יְהוָה בְּיָדוֹ יִצְלָח. Sym. *ϗ θέλημα Κυρίου ἐν χειρὶ αὐτοῦ εὐοδωθήσεται, & voluntas Domini in manu ejus prosperabitur*] Ἐν χειρὶ αὐτοῦ. Sic etiam A. Th.

11. יִשְׂבָּע בְּדַעְתּוֹ. A. Th. *ἐμπλησθήσεται ἐν τῇ γνώσει αὐτοῦ, implebitur cognitione ipsius.* Sym. *χορτασθήσεται saturabitur.* ¶ וַעֲוֹנֹתָם הוּא יִסְבֹּל. Sym. *ϗ τὰς ἀσεβείας αὐτῶν αὐτὸς ὑπηνέγκει, & impietates eorum ipse suffert.*

GROTIUS.

1. QUis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui revelatum est?] Est continuus sermo cum iis quæ præcesserunt capite præcedente à commate 7. Vultis scire, inquit, quis ille sit futurus, de quo cœpi agere, qui & meis Prophetiis plenam habebit fidem, & ipse de maximis rebus, quas Dei potentia peraget, revelationes accipiet exactissimas, omnibus circumstantiis additis? dabo vobis geminas ejus notas, unde cognosci possit. Hæ notæ in Jeremiam quidem congruunt priùs, sed potiùs sublimiúsque, sæpe & magis κατὰ λέξιν [*secundum verba*], in Christum.

2. *Et ascendet sicut virgultum coram eo*] *Et* hic positum est pro *nimirum*. Sensus est: Jeremias adhuc puer Deo servire in prophetico munere incipiet. Habes testimonium de eo apud Hieronymum, in principio ad Jeremiam. Vide & ipsum Jeremiam 1. 6. Sic Dominus Jesus anno ætatis XII, Doctores docuit.

Et sicut radix de terra sitienti] Natus in paupere viculo Anathoth, Jerem. 1. 1. addito quod habuimus hîc suprà x. 30. Sic & Bethleem Jesu tempore vico quàm oppido propior, Joh. VII. 42.

Non est species ei neque decor] Nihil magnificum in vultu præferet, macer & mœstus.

Et vidimus eum] Hîc Esaias sermonem tribuit hominibus Judæis qui cum Jeremia victuri erant, & visuri vera esse quæ dixerat.

Et non erat aspectus, & desideravimus eum] Hebraismum secutus est Interpres: sed & valet *ut*. Sensus est, *non erit vultus illi amabilis.*

3. *Despectum & novissimum virorum*] *Rejectum ab hominibus.* خذل etiam Arabibus est *abjicere.*

Et scientem infirmitatem] Qualis ille apud Homerum:

Οὐ γάρ τι πληγέων ἀδαήμων, οὐδὲ βολάων.

[*Non ignarus enim telorum est atque dolorum.*]

4. *Vere languores nostros ipse tulit*] Ille non talia meritus mala tulit quæ nos eramus meriti. Hæc omnia ait dicturos Judæos post captam Urbem.

Et nos putavimus eum quasi leprosum ac percussum à Deo & humiliatum] Vox Hebræa נגוע sumitur quidem & de *leproso*, sed nihil aliud per se significat quàm vox sequens *percussum*. Ex hoc loco orta inter Judæos fabula, Messiam inter leprosos morari. Sed sensus est: nos credidimus Jeremiam meritò conjectum in carcerem & lutum, Deo illum exosum habente, ut hostem Urbis & Templi, ac pseudoprophetam. Vide Jerem. XXVI.

5. *Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras*] In Hebræo: *At verò ipse vulneratus* (id est, malè tractatus est) *nostro crimine*. In nobis culpa fuit, non in ipso. Sic & quod sequitur, *attritus est per nostram culpam*. Iniquissima de eo sensimus, & propterea crudeliter eum tractavimus: id nunc rebus ipsis apparet. Similia dixerunt Judæi qui se converterunt die Pentecostes & deinceps.

Disciplina pacis nostra super eum] *Apud eum*: id est, monita nobis attulit salutaria, si ea recepissemus.

Et livore ejus sanati sumus] *Livore ejus* (id est, ipsius patientiâ) *nos sanati fuissemus*: id est, liberati ab impendentibus malis, si verbis ipsius tantâ malorum tolerantiâ confirmatis habuissemus fidem. Hebræi potentialem modum aliter quàm per indicativum exprimere nequeunt: ideo multa adhibenda attentio ad consequendos sensus.

6. *Omnes nos quasi oves erravimus*] Erraveramus jam à Manassis temporibus.

Unusquisque in viam suam declinavit] Alii ad alia idola.

Et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum] Permisit Deus ut ille nostro gravi crimine indignissima pateretur.

7. *Oblatus est quia ipse voluit, & non aperuit os suum*] In Hebræo: *Oppressus & afflictus fuit, & non aperuit os suum.* Sensum bene exprimunt Lxx: *καὶ αὐτὸς διὰ τὸ κεκακῶσθαι οὐκ ἀνοίξει τὸ στόμα αὐτοῦ* [*& ipse non aperuit os suum ab eas vexa-*

vexationes]. Etiam tunc cùm in carcerem ageretur, & in locum lutosum, nihil fecit dixitve iracundè. Mirè hæc omnia invertit Chaldæus, ut Messiam nobis depingat qualem Judæi volunt.

Sicut ovis] Ovis mitissimum animal.

Et quasi agnus] Cum quo ipse Jeremias se comparat XI. 19.

8. *De angustia & de judicio sublatus est*] *De carcere & de judicio ablatus est*: id est, liberatus tandem. *Judicium* vocat hoc, quia specie judicii ipsi hæc mala imposita fuerant. Vide Jerem. XXXII. 3. liberatus autem per Babylonios.

Generationem ejus quis enarrabit?] Quis numerare poterit dies vitæ ejus? id est, erit valde longævus.

Quia abscissus est de terra viventium] Nempe cùm actus fuit primùm in carcerem, deinde in lacum illum cœnosum, ac rursum in carcerem.

Propter scelus populi mei percussi eum] In Hebræo est, *plaga ipsi*, supple *evenit*, populi summo errore ac crimine, ut & antè dictum est. Quidam codices Hebræi hîc habuerunt לו [*ei*] sed למו. idem significat: neque enim exemplis caret ם ἐπενθετικόν [*interjectitium*].

9. *Et dabit impios pro sepultura, & divitem pro morte sua*] Illi ipsum etiam interficere voluerant, ut legimus Jeremiæ XXVI. At Deus ipsius vice viros potentes quidem, sed improbos, sacerdotes nempe mortem Jeremiæ machinatos, morti dedit per Chaldæos, 2 Regum XXV. 18. 19. 20. 21. Nihil illis divitiæ suæ profuerunt, quibus redimi se posse speraverant. Sensum hunc bene expresserunt Græci.

Eò quòd iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus] Quanquam nihil aliud dixerat, quàm quod Deus ei mandaverat.

10. *Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate*] *Tamen Deo visum est eum conterere & infirmare*: id est, attenuare fame, illuvie, squallore. Verba activa apud Hebræos sæpe permittendi habent significatum. Causa sequitur cur id Deus permiserit.

Si posuerit pro delicto animam suam, videbit semen longævum] Vetteris rectè: *Ut cùm semetipsum subjecerit pœnis, videat semen, diùque vivat.* Hebræis pœna etiam injustè irrogata אשם [*delictum*] dicitur, quia infligitur, si non sonti, certè quasi sonti. Sic חטא [*peccatum*] sumi apparet Genes. XXXI. 39. Zachariæ XIV. 19. Vixit diu Jeremias in Ægypto.

Et voluntas Domini in manu dirigetur] Melius, *in manu* (*ejus* scilicet) *prosperabitur*. Multi per ipsum ad pietatem convertentur. quod & sequentia explicant.

11. *Videbit & saturabitur*] Videbit diu ad satietatem. Simile loquendi genus in Hebræo: Genes. XXV. 8. XXXV. 29. 1 Paralip. XXIII. 1. XXIX. 28. 2 Paralipomen. XXIV. 14.

In scientia sua] Per eam quam habet Dei cognitionem.

Justificabit ipse justus servus meus multos] Exemplo & institutione suâ corriget multos etiam ex gentibus. Hæc est maximè propria verbi הצדיק [*justificare*], & Græci δικαιοῦν significatio, quæ apparet & Daniel. XII. 3. Apocalyp. XXII. 11. & alibi sæpe. Ab hoc significatu proprio alii per similitudinem quandam fluunt.

Et iniquitates eorum ipse portabit] Id est, *auferet*, per μετωνυμίαν [*transnominationem*], quia qui sordes aliquas auferunt, solent eas collo supposito portare. Sic & נשא pro *auferro* habes Num. XVI. 15. 2 Reg. XX. 17. vertitúrque per ἐκσπᾶν, ἀναιρεῖν, ἀφαιρεῖν [*evellere*, *tollere*, *auferre*]. Abstulit Jeremias multorum peccata, ità ut diximus, eos corrigendo.

12. *Ideo dispertiam ei plurimos*] *Dabo ei partem in multis.* Id est, multos servabunt Chaldæi in ipsius gratiam. Vide Jerem. XXXIX. 17.

Et fortium dividet spolia] Id est, Nabuzardan magister militum captâ Urbe de præda ipsi dona mittet, Jerem XL. 5. Oblatum etiam ipsi à Chaldæis terræ quantum vellet. Vide & infrà XV. 11.

Pro eo quòd tradidit in mortem animam suam] In Hebræo: *Quia effudit in mortem animam suam.* Id est, periculis mortis semet objecit, colendo veritatem quæ odium parit. Vide historiam ad hanc rem appositam Jerem. XXVI. 13. Sic τιθέναι ψυχὴν [*ponere animam*] dici pro *periculo mortis semet objicere* diximus ad Joh. X. 11.

Et cum sceleratis reputatus est] Ità est tractatus, quomodo scelerati solent, in carcere, catenis, & barathro.

Et ipse peccata multorum tulit] Pessimè tractatus fuit per multorum improbitatem, ut suprà 5.

Et pro transgressoribus rogavit] יפגיע est *deprecari*, ut exponit ad hunc locum respiciens scriptor Hebræus De vita & morte Mosis. Sensus est: eo ipso tempore cùm tam dura pateretur à populo, non cessavit ad Deum preces pro eo fundere, ut olim Moses in deserto. Vide Jerem. XIV. 7. XXXVII. 3. XXXVIII. 17. XLII. 2.

CAP. LIV.

MUNSTERUS.

1. EXsulta sterilis] Vocat Propheta primam Ecclesiam *sterilem*, quòd comparatione Synagogæ, paucos haberet filios: sed consolatur eam, quòd brevi *plures habitura sit filios* quàm Synagoga, quæ *maritata* videbatur, Ecclesia autem *viduata*.

3. *Multiplicaberis*] Significat פרץ *fortificari numero & mole*.

4. *Confusionis adolescentiæ tuæ oblivisceris*] h. e. Sub marito Christo in tantam propagaberis sobolem ut non recorderis adolescentiæ tuæ, quando à Synagoga propter humilitatem tuam confundebaris.

9. *Est mihi in hac re*] Quidam libri habent hîc כי מי *quoniam aqua Noah*, alii כימי נח *secundùm dies Noah*, *tale quid concepi apud me*, &c. Manet tamen unus & idem sensus sub utraque lectione. ¶ *Ne irascar contra te*] Consolatio insignis est, Deum super nos non irasci, etiam si nobis irasci videatur, sed tentat *per momentum*, ut *in miserationibus multis* probatos suscipiat, Breve autem est & momentaneum quicquid in hac mortali agitur vita, etiamsi sensui afflictiones æternæ esse videantur.

10. *Montes movebuntur*] Priùs, inquit, montes commovebuntur quàm ut fedus meum tecum initum rumpatur.

12. *Super carbunculum lapides tuos*] Ædificabo, inquit, Ecclesiam tanquam regiam ex pretiosis lapidibus; nam lapides murorum ponentur *super carbunculum*, & in fundamento ponentur *Sapphiri*, &c. Lapides istius ædificii sunt docti viri pacifici, justi, &c. Aut sunt virtutes cœlestes, Fides, Charitas, Spes, Patientia, Beneficentia, &c.

15. *Congregando congregabit*] Exponunt Hebræi verbum גור hoc loco post Chald. Interpretem pro אסף *congregare*; ut sit sensus, *Omnes illi qui se tibi junxerunt* malo animo, & *non ex præcepto meo*, *cadent*. Sed & quicunque contra te arma fabricati fuerint, ut hæretici, peribunt. Et *filii tui docti à Domino* facilè *condemnabunt linguam quæ consurrexerit adversum te.*

VATABLUS.

1. LAuda רני] *Ede vocem latam: Exsulta.* ¶ *Pariebas* ילדה] Ad verb. *pariebat*? i. quæ es ut mulier quæ non parit. ¶ *Parturiebas* חלה] Ad verb. *parturiebat*: i. quæ es velut mulier quæ non parturit. ¶ *Desolata* שוממה] *Deserta*, i. non habentis virum.

3. *Dilataberis* תפרצי] *Cresces*, vel *multiplicaberis*.

5. *Vocatur* יקרא] Fut. Heb. pro præs.

6. *Et dolore affectam spiritu* ועצובת רוח] *Et perturbatam spiritu.* Quidam *spiritu* jungunt verbo sequenti *vocavit*; *spiritu vocavit te.* Alii totum versum sic legunt, *Quia ut mulier derelicta fuisti*, *& afflictam spiritu vocavit te Jehova*: fuistique velut *uxor juventutis cùm spernitur*, &c.

8. *In momento iræ* בשצף קצף] Ad verb. *in modico* [vel *parvo*] *iræ*. ¶ *Ad momentum* רגע] *Paulisper*: vel, *ad punctum temporis*.

9. *Nam ut aqua* כי מי] Legitur in quibusdam cod. כימי conjunctim, ut unica sit dictio ex כ Similitudinis & ימי *dies*: propterea quidam vertunt, *Sicut in diebus Noah*, sub. *sic erit*; ut referatur ad tempus exsilii Babylonici: nam comparat illam Captivitatem cum Diluvio quo facies terræ deleta est aquis; quoniam Ecclesia prorsus interiisse videbatur. ¶ *Hoc mihi* זאת לי] Significat hanc calamitatem instar Diluvii fore, ut quemadmodum dum uno diluvio contentus fuit, nè unquam ipsum iteret, ità hoc uno Ecclesiæ velut interitu contentus sit, nec unquam ejus faciem deleri sinat. ¶ *Cui* אשר] *Quandoquidem*, vel *quando*.

10. *Nutabit* תמוט] *Vacillabit*, vel *labetur*, aut *cadet*.

11. *In turbine versans* סערה] *Tempestate jactata*, vel *obruta*. ¶ *Jacere faciam*, &c. מרביץ בפוך אבניך] Quidam Hebraïs[...]

braisinum istum sic vertunt, *struam super carbunculum lapides tuos.* Alii, *substernam carbunculos lapidibus fundamenti tui.* Alii, *lapides fundamenti tui erunt lapides carbunculi.*

12. *Desiderabilibus* חפץ] Ad verb. *complacentiæ*, aut *voluntatis*, sive *beneplaciti*: i. qui habentur in pretio.

13. *Et multiplicabit*, &c. ורב שלום בניך] *Et multa pax filiis tuis.* Docti inter Hebræos dicunt esse præteritum quod ו convertit in futurum.

14. *Fundaberis* תכונני] *Præparaberis.* Alii, *stabilieris*, i. eris firma, stabilis & constans. ¶ *Longè aberis ab* רחקי] Ad verb. *procul esto.* Imperat. Heb. pro fut. Quidam, *recedes ab oppressione*, i. non senties ullam calumniam.

15. *Absque me* אפס מאותי] i. Injussu meo. ¶ *Tecum, contra*, &c. אתך עליך יפול] *In te, contra te cadet.* Alii, *contra te, in te cadet*, i. in regione tua peribit.

17. *Non prosperabitur* לא יצלח] *Non prosperum erit.* Alii, *non habebit successum.*

CASTALIO.

16. CUM *ego fabrum creaverim qui flat in igne carbones, & artis suæ telum procudit, & idem ego perditorem creaverim ad exitium*, &c.] Cùm creator sim & fabrorum qui tela cudunt, & eorum qui iis utuntur, facilè te contra illa defendam.

CLARIUS.

1. EXsulta sterilis] Vocat Propheta primam Ecclesiam *sterilem*, quòd comparatione Synagogæ paucos haberet filios: sed consolatur eam, quòd brevi *plures habitura sit filios* quàm Synagoga, quæ *maritata* videbatur, Ecclesia autem *viduata*.

2. *Locum tentorii*] Non dat hìc domum Ecclesiæ, sed *tentorium*. Nam in hac vita peregrinari se agnoscit.

4. *Confusionis adolescentiæ*] h. e. Sub marito Christo in tantam propagaberis sobolem, ut non recorderis adolescentiæ tuæ, quando à Synagoga propter humilitatem tuam confundebaris.

6. *Uxorem adolescentiæ abjectam*] Vir quidam optimè Hebraicam linguam callens sic vertit hunc locum, *Uxòrne adolescentula contemnêris?* h. e. Si Dominus derelictam & mœrentem tanti fecit ut uxorem duceret, nónne plurimi te faciet nunc? & contemnêris ab eo, quando per eum adolescentiæ annos receperis? Hæc autem ad Ecclesiam quidem pertinent, sed meminerimus eam ex Judæis & Gentibus constare, ut ad utrosque, quanquam diversis temporibus, ista referantur. Erat autem olim una, sed in Abraham facta divisio est.

9. *Juravi ut non irascar tibi*] Consolatio insignis, Deum super suos non irasci, etiamsi nobis irasci videatur: sed tentat *ad momentum*, ut *in miserationibus multis* probatos suscipiat. Breve autem est ac momentaneum quicquid in hac mortali agitur vita etiam si sensui diuturnum videatur.

10. *Montes enim commovebuntur*] Priùs, inquit, montes commovebuntur quàm fedus meum tecum initum rumpatur.

11. *Lapides tuos*] Ædificabo, inquit, Ecclesiam tanquam regiam ex pretiosis lapidibus: nam lapides murorum ponentur *ex carbunculo*, & *in fundamento* ponentur *sapphiri*, &c. Lapides istius ædificii sunt docti viri, pacifici, justi; quos infrà commemorat.

14. *Recede procul*] Tuta eris à calumnia.

15, 16. *Quicunque congregaverit se*] *Omnes illi*, inquit, *qui se tibi junxerint* malo animo, & *non ex præcepto meo, cadent:* sed & quicunque contra te arma fabricati fuerint, ut hæretici, peribunt. Et *filii tui docti à Domino* facilè *condemnabunt linguam quæ consurrexerit adversùm te.* Nam quod ait, *Ecce ego creavi fabrum*, &c. idem dicit quod seq. versu, de falsis Christianis. Et illud, *proferentem vas*, intellige instrumentum bellicum, nempe adversùs impios.

17. *In judicio condemnabis*] h. e. Impietatis condemnabis.

FORERIUS.

CUM fructus Passionis Domini commemorasset, & inter eos multiplicationem sobolis, & multitudinem justificandorum ac reducendorum ad veram Dei cognitionem prædixisset, id jam spiritu prævidens non potuit se continere, quin tot filiorum matri congratularetur, & ad decantandas Deo gratiarum actiones invitaret. Quæ sit autem hæc *sterilis*, exponit Paulus ad Gal. cap. 4. quòd sit *cœlestis Jerusalem mater nostra*; non patriam illam, aut quæ in cœlis jam agit Ecclesiam, sed novam illam nuptam, & novam Ecclesiam & *civitatem*, quam alius vidit de *cœlo descendentem*: in qua omnia sunt cœlestia, muri, domus, cives, ritus, leges, mores, sicut rex ipse cœlestis est, qui de cœlo descendit, & regnum cœli in terra fundavit, & ex terra & cœlo unum regnum effecit. Hæc designata fuit per Saram, quæ genuit *Isaac promissionis filium*, & per *Jerusalem, quæ sublimis erat*, & in terra promissionis sita. Synagoga autem Agar ancillæ & monti Sina comparatur, quòd *filios gignat in servitutem*, & extra hereditatem Domini sit; in qua sunt *filii secundùm carnem*, & non *promissionis*. Constitit autem primùm Ecclesia hæc ex paucis Domini Discipulis, quibus nova pactio sancita est pro omnibus qui per eos crediturì erant in Christum. Hæc sub tempus illud passionis Domini fuit *sterilis*, abjecta, &, ut Hebræi loquuntur, *afflata*, propter timores, inopiam, odia & persecutiones quas ob nomen JESU patiebatur; *pusillus* planè *grex* & nullius æstimationis. Spiritaliter autem *deserta* & *sterilis* fuit toto illo ante Christum tempore, quando soli Judæi erant Dei populus. Hujus jam felicitatem audi.

1. *Lauda*] Verbum, ut jam dixi, notat Exclamationem ex lætitia: quod Latinis olim erat *ovare*; licèt postea obsoleverit; nomen tamen *ovationis*, & participium *ovans* retinuere. ¶ *Quæ non paris*] Hebr. futurum *non paries*; sed pro præsenti capitur, *quæ non soles*, vel *non consuevisti parere*; quemadmodum Sara quam despiciebat Agar fœcunda. ¶ *Quæ non pariebas*] חלה *quæ non doluisti*, vel *doles*, i. quæ dolores parturientis non experiris. Dicunt enim Hebræi, sicut nos Hispani, *habere dolores* pro *parturire*. Etsi verò dolores experiri triste est, malunt feminæ, ut matres fiant, illos dolores perpeti, quàm steriles permanere; quare ut rem tristem Propheta commemorat, *non habere dolores*. Memineris verò Ecclesiam illam sponsam Christi usque ad diem Pentecostes neminem peperisse; hanc tamen, quasi instaret tempus quo non jam *sterilis* dicenda, sed mater filiorum læta futura erat, *hinnire* præcipit Hebr. צהלי equorum & taurorum est: hi Latinis *mugiunt* interdum ex lascivia & petulantia; illi *hinniunt*. Transfertur aptissimè ad eam quæ jam jam mater esset futura: instante enim hoc tempore animalia illa mugiunt, hinniunt, &c. ¶ *Deserta*] Jam suprà non uno loco de verbo שמם dixi. Interpretes, adeóque & Paulus verbis *desolandi*, *deserendi*, *devastandi* reddere solent. Erat autem grex ille, mater illa nostra, initio sub tempus Dominicæ passionis ostentui ac derisui; & occultabant se propter metum Judæorum. Postquam verò Spiritu de cœlis donati sunt, ut gignere per Euangelium alios possent, plures habuit filios. Pertinent quoque hæc ad Ecclesiam Gentium, ex qua paucissimi ab eo tempore quo Israelem elegit Deus Deo nati sunt. ¶ *Quàm ejus quæ habebat virum*] Synagoga enim videbatur Deum pro marito habere, & infinitos quotidie generabat. Sed cùm Deum impietate suâ à se expelleret, licèt se Dei cultricem gloriaretur, erant carnei tantùm filii, seu, ut suprà dixi cap. 49. ver. 21. molæ quædam, & informes imperfectique fœtus: cùm ergò non essent filii Dei, non dicendi erant *filii*; nam erant *in servitutem generati*, *servi peccati & filii Diaboli*, ut apud Joannem eis dicebat Dominus. Si autem qui gignebantur, diaboli & peccati erant filii, cum eis igitur rem habebat eorum mater. Verùm cùm in Euangelio *justi* appellentur interdum qui se justos putabant, licèt à justitia valde alieni essent, sic *maritatam* Synagogam potuit Propheta appellare & *virum habentem*, quæ se Deo maritatam credebat ob exteriorem illum cultum, cùm tamen esset *Synagoga Satanæ*. Est namque hic sermo de Synagoga ut opponitur Ecclesiæ Christi; ad quam non pertinebant nisi qui erant sectatores fidei patris nostri Abrahæ: ad illam verò omnes Israelitæ, qui secundùm carnem Israelitæ tantùm erant. Quo etiam modo Paulus eo capite ad Galatas accipit: imò etiamsi de Ecclesia Judæorum intelligas, quæ legitimum maritum Deum habuit, & plurimos Deo genuit filios, verum tamen est Ecclesiam Gentium post Christum multò plures genuisse quàm olim genuerit Synagoga: insuper & *quæ erat sterilis, peperit plurimos*; & *quæ habebat filios, infirmata est*, ut Anna cecinerat, non tam de se & æmula sua quàm de duabus Ecclesiis: ad cujus verba puto esse hìc allusionem. ¶ *Dicit Dominus*] Valde lætum nuntium ab ore Dei se accepisse Propheta affirmat, quò suo more dictis suis fidem ampliorem astruat.

2. *Dilata*, &c.] Si plurimos habitura es filios, necesse erit locum eis ad habitandum præparare. Hæc igitur omnia quæ hoc versu dicuntur huc faciunt, ut significent non posse Ecclesiam Christi uno loco, unâ civitate aut unâ provinciâ contineri, quemadmodum hactenus Ecclesia Judæorum se continuerat. Deinde insinuat his similitudinibus Propheta, quòd filii Ecclesiæ *non habituri* essent hìc *civitatem permanentem*, sed *peregrinos & advenas* eos semper futuros; veluti qui sub tentoriis vitam degunt, quæ statis temporibus in alias sedes transferunt. ¶ *Pelles*]

les] Nomen significat *alam*, seu *partem*: multæ autem simul laqueolis consociatæ integrum tentorium conficiebant. Tabernacula quidem inferiora erant ex serico, superiora verò ex pellibus ad arcendam aeris injuriam: qui usus fuisse videtur illis qui in tentoriis degebant: ideo hic *pelles* vertit Vulg. Exod. autem 36. *Saga* dixit *ex pilis caprarum.* Cant. verò 1. & Abakuk 3. *pelles*, ut hoc loco. Et quidem 2 Sam. 7. integrum tentorium per extenuationem numero singulari *alam* dixit Urias, *Arca Dei habitat intra alam*, &c. Vulg. *in medio pellium.* ¶ *Nè parcas*] חשך verbi varius usus est Hebræis. Propria ejus significatio est *cogitare*: neque hoc loco aliter vertendum est: sed in eo modo significandi accipiendum quo nos Lusitani cunctantibus & moram propter rei novitatem deliberando trahentibus dicere solemus, *nè modò cogites*, i. nè animo fluctues, neque variis cogitationibus locum præbeas; sicut Dominus in Euangelio, *Quid turbamini, & cogitationes ascendunt in corda vestra?* quare per circumloquium reddidi, *nè cogitabunda cuncteris.*

3. *Penetrabis*] Verbum propriè *rumpere* seu *rumpi* notat: dicitúrque de Exercitu, *rupit hostes*, 2 Sam. 5. de Muris, Neh. 4. in bonum dicitur 1 Par. 4. de Propagatione: de Rumore etiam 2 Paral. 31. *Cùm erupisset hoc verbum*, i. dimanasset hic rumor. Videtur enim secretum pectoribus concludi, &c. Hîc ergo dicitur de Extrusione, Propagatione, non tam violenta quàm quæ præter spem fit: *erumpendi* verbo non malè redde-tur; aut certè *penetrandi* cum Vulg. éstque expositio ejus quod dixerat de *extendendo tentorio.* ¶ *Gentes hereditabit*] i. Velut in hereditatem accipiet, quasi stabilem & tutam possessionem. Allusio est ad illud Genes. *Possidebit semen tuum portas inimicorum tuorum.* ¶ *Civitates desertas*] Hebraismus *afflatas* dicit, i. abominabiles ob impietatem & infamiam tyrannorum: quales erant Gentium plurimæ, Babylon, Ninive, &c. quæ Apostolorum prædicatione ad meliorem frugem conversæ sunt, & pietatem fidei coluerunt. Scythæ enim & extremi Indiæ populi & recèns lustratus orbis nostris etiam temporibus verbo fidei cesserunt, & apud eos est videre Apostolicum semen & Christi Ecclesiam, quam Dominus quotidie dignetur augere.

4. *Noli timere*, &c.] Hebr. *nè timeas.* Solet Vulgatus, nescio quâ ratione, semper addere verbum *noli*: usurpántque Hebræi sæpe hanc loquendi formam pro *bono animo esto.* ¶ *Non enim te pudebit*] חפר propriè est *fodere*: de quo suprà cap. 1. Trinâ istâ negatione securitatem promittit, quòd nullo pudoris genere laborabit Ecclesia ex Gentibus. Verùm quia quispiam poterat objicere vetera peccata & idololatriam, præoccupans addit, ¶ *Quia confusionis adolescentiæ*, &c.] *Adolescentiam* vocat Hebr. עלומים, i. *absconsiones.* Vocat autem hic *adolescentiam* primam illam ætatem Ecclesiæ, quando electo Abrahamo & posteritate ejus aliæ omnes Gentes dæmoniorum potestati permissæ sunt ob infinita eorum scelera: *Confusionem* verò, seu *pudorem* illius ætatis vocat Studia & mores quos tum sectabantur. Vivente enim adhuc Noe posteri ejus à Deo recesserunt: neque parùm insignes erant peccatores illi è quibus Abraham eductus est; qui tamen adhuc quinquaginta Noe annos vidit. Hujus verò pudoris dicit Ecclesiam memoriam non habituram, quasi esset præsenti felicitate & honore delenda. Nam *ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia*, ut magis diligamus fœneratorem illum qui nobis debitum quingentorum denariorum gratis remisit, quàm illi quibus tantùm quinquaginta donavit. Adde nihil minus ob ea scelera Gentes consecutas fuisse quàm si justitiam coluissent: factus est enim eis Christus fons in ablutionem veterum delictorum, & in lucem quæ tenebras fugavit: non minùs autem lucet hodie Sol quàm si nunquam nox præcessisset; neque minùs fulget mens Christi gratiâ, aut minùs est animus candidus postquam per Christum est ablutus quàm si nunquam sese sordibus inquinasset. De his loquor qui totos sese Christo dediderunt. Illud saltem verissimum est, nihil minùs Gentium Ecclesiam per Dei filium consecutam, quæ Deum abjecerat neque cognoverat, quàm Judæorum, in qua tantùm notus erat Deus. ¶ *Viduitatis*] Nomen habet Hebræis à *tacendo* seu *obmutescendo.* *Viduitatem* enim silentium decet. Porro Ecclesia Gentium *vidua* fuisse dicitur toto eo tempore quo sine Deo fuit. Quæ igitur à viduis exigit mundus, hæc ab iis qui Deum derelinquunt exigenda sunt. Ob quod gaudium apud alium Prophetam interdicitur Israeli, quòd Deum reliquisset. Nullos autem videas magis genio indulgere quàm insignes peccatores.

5. *Dominabitur tui*, &c.] Latissimè patet nomen בעל Hebræis, ut & *dominum* & *maritum* hoc loco reddere possimus. Nec refert hoc aut illo modo vertas. Nam cùm qui fecit nos est nobis pro Deo ac Domino, nos verò sumus illius populus, tum *nupsisse Domino* dicimur; & cum Paulo, *desponsati Christo.* Dixerat superiori v. *auferendum opprobrium viduitatis*: id vides hîc explicari. ¶ *Deus omnis terræ*, &c.] Tu per totum orbem diffusa es: Deus autem verus, nempe Jehova Tcebaoth, cui desponsari est viduitatis pudore carere, hactenus Deus Judæorum dictus est: ergò *Deus totius terræ dicendus erit* ea ratione quâ Judæorum hactenus dicebatur. *Numquid Judæorum Deus tantùm?* inquit Paulus, *non: imò & Gentium.* Certè si de amplificandâ Judæorum repub. esset sermo; cùm legant in Propheta, Deum Israelitis *dicendum* esse *Deum universæ terræ* possunt probabili raciocinatione carnales Judæi sibi blandiri, quòd per Messiam suum dominaturi sint in toto orbe. Verùm cùm de Viduitate abjicienda atque mœrore, & de reducenda uxore quam abjecerat Deus, apertè loquatur Propheta, dicátque Deum Israelis *dicendum universæ terræ Deum*, quis adeò cœcus erit ut non videat de Conversione Gentium ad unum eundémque Deum, quem veri Israelitæ coluerunt, esse hæc intelligenda? Id quod suprà manifestè dictum est; *Venite, ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob*, &c.

6. *Mulierem derelictam*, &c.] Rem jam, prout gesta est, brevibus exponit. *Vocavit te, ut mulierem derelictam*, i. hactenus sic se tecum gessit Dominus, ut se gerit vir cum muliere seu uxore quam repudiavit; quæ mœret & luget & extra domum viri manens, & opprobrium repudiationis iniquo animo ferens, squalida, horrida, paupercula, miserabilem vitam ducit: hanc vir non invisit, ejus nullam curam gerit, neque ullo dilectionis affectu erga illam tangitur. Hæc erat sors Gentium, quam eleganter describit Paulus non uno tantùm loco, præsertim ad Ephes. 2. ubi primò *mortuos delictis & peccatis*, appellat, *In quibus ambulastis*, inquit, *secundùm seculum mundi hujus, secundùm principem potestatis aeris hujus*: & paulò pòst, *Memores estote, quòd aliquando vos eratis Gentes in carne, qui dicebamini præputium ab ea quæ dicitur circumcisio in carne, manu facta: qui eratis illo in tempore sine Christo, alienati à conversatiône Israel, & hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo.* Dicit autem *vocatam à Domino*, tum quia in Scripturis, in quibus de Gentibus Deus loquebatur, tanquam de Muliere repudiata loquebatur & invisa quam ignoraret, cujus forma & mores ei summopere displicerent; proindéque Judæos ab eis longè diversos esse vellet; tum etiam quia ad legem de libello repudii est allusio, in quo sic vocabatur à viro, & pro repudiata eo ipso habebatur. Phrasis autem est Hebræis familiaris, ut *vocare* pro *censere* usurpent: *Vocabitur tibi semen in Isaac*, pro *censebitur*, seu *reputabitur*, Genes. 21. & Levit. 1. Hîc recolere juvat quæ lex de Repudiata muliere statuebat. Primò veluti immunda à sacerdote duci non poterat in uxorem: deinde si sic permanebat, tristem vitam duceret necesse erat; si autem alterum ducebat, non minùs infamis reddebatur; adeò ut si ab altero illo repudiaretur, aut ille alter moreretur, ad priorem nè rediret lex prohiberet, nimirum quia argumentum suæ lasciviæ atque impudentiæ præbuisset, quæ in feminis turpissima est. Quamvìs autem Gentium populus non lugeret ob repudiationem à Deo, neque suam sortem agnosceret; tamen cùm humanus animus absque Deo jucunditate omni & lætitiâ verâ careat, ob sordes peccatorum *lugentium* nomine censebatur. ¶ *Ab adolescentia abjectam*] Heb. *uxorem juventutis, quia fastidio habetur.* Sensum Vulgatus expressit. Major autem videbatur ignominia si florente adhuc ætate mulier repudiabatur. Porrò nondum transacti erant triginta anni à morte Noe quando vocavit Deus Abraham, eúmque & semen ejus ex omnibus Gentibus elegit, visúsque est universam Gentium multitudinem repudiasse. Nam quinquaginta annorum erat Abraham quando mortuus est Noe: & septuagesimo anno ætatis suæ vocatus est ex Ur Chaldæorum, Genes. 12.

7. *Ad punctum*, &c.] Plurimi anni præterierant ab ea repudiatione usque ad Christum Dominum: nam anno nonagesimo nono vitæ Abraham data est ei circumcisio & innovatum fedus, qui annus juxta probabiliorem supputationem erat 2047 à constituto mundo; at Christus Dominus natus videtur anno mundi 3961. A federe itaque illo usque ad Christum videntur fluxisse anni 1923. à nativitate autem Domini usque ad propagationem Euangelii per orbem numerare possumus 60 aut 70 annos. Ergò bis mille annos hoc loco vocat Dominus *momentum modicum.* Nam *mille anni ante oculos ejus est tanquam dies hesterna, quæ præteriit.* ¶ *Miserationibus magnis*] Magnitudo hæc ad temporis diuturnitatem videtur referenda, ut opponantur *modico momento*: æternæ enim sunt & nunquam interituræ: quod sequens versus confirmat.

8. *In momento indignationis*] i. Ad momentum iratus, præ ira quæ brevissimo tempore duravit. ¶ *Abscondi faciem*, &c.]

&c.] *Absconsio vultûs Dei*, seu *velatio*, seu *aversio faciei* in Scripturis est homini omne malum, sicut *vultûs illuminatio* omne bonum. Si enim sole sub hemisphærio nostro agente, omnia obsident tenebræ; at redeunte super nos, omnia sunt lucida (est enim lux mundi, seu mundi oculus,

— Per quem videt omnia tellus:)

quid de Deo, qui creavit solem, sentiendum erit? Facit quidem *indignatio operire faciem*, ut sit veluti deliquium solis: verùm ab interpositione densitatis *peccatorum nostrorum*, quæ *dividunt inter nos & Deum nostrum*, ortum habet: ipse enim semper idem ipse est, & radios emittit; non tamen ad nos penetrant quamdiu tetrùm spiramus & nebulas. Quâ re ad fuganda & delenda peccata descendit, quibus tanquam nebulâ depulsis in luce agimus. Ergò, *sicut in die honestè ambulemus.* ¶ *In misericordia sempiterna*] עלם hîc pro *æternitate* accipio. חסד propriè est Affectus ille pietatis aut charitatis & beneficentiæ quo parentes naturaliter tanguntur erga liberos, vel contrà. Quare cùm de Deo dicitur, nominibus *misericordiæ*, *beneficentiæ*, *clementiæ*, *benevolentiæ* & similibus reddi potest, ut locus postulaverit: hîc *iræ*, seu potiùs excandescentiæ, quam notat nomen קצף, opponi videtur. *Benignitatem* ergò & *Humanitatem*, seu *Clementiam* notare videtur: de qua Paulus ad Tit. 2. & 3. huc fortè respiciens ait, *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri:* & rursus, *Cùm apparuit benignitas, & humanitas Salvatoris nostri Dei, non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam salvos nos fecit*, &c. Quare hoc quoque loco hæc verba esse Dei Redemptoris dicit Propheta.

9. *Sicut in diebus Noe*, &c.] Hebræa, ut ego verti, sic ad verbum habent, *Quia aqua Noe hoc mihi*: neque est quòd quisquam existimet Vulg. pro *aquis* dixisse *dies*, ut quidam putant, sed cùm sensum vellet reddere, doctè reddidit. Quid enim est *Aquæ Noe hoc mihi*, quàm *Videor mihi esse in diebus Noe, quando aquas inundare feci super terram?* Perinde est ergò ac si dicat, *Tempora hæc possum conferre temporibus Noe: mihi persimiles sunt dies isti diebus illis: sicut enim tum ab ira quievi, & mundo quietem dedi, promissâ in æternum meâ misericordiâ; expiato jam per inundationem mundo; sic Christi filii mei tempore quietem mundo afferam, quasi per verum Noe. Inundabit enim misericordia mea universum orbem: & sic tandem expiabitur orbis.* Hunc arbitror esse germanum sensum. Quod verò additur de Juramento dato illis diebus, vel ipsi Noe, de non inducendo ultrà Diluvio, non est tam id in quo similia sunt tempora, quàm signum ejus: illud juramentum pacis & federis erat confirmatio, quo confirmati sperabant non ultrà experturos se Divinam iram, quinimo fore ut pace fruerentur. In hoc ergò similitudo consistit, quòd sicut tunc remisit iram, ità & nunc. Juramentum autem illud erat hujus remissionis tantùm confirmatio. Quare (sicut in Hebræo est) tunc juravit, *quòd non faceret transire ultrà aquas Noe*, i. aquas similes aquas Noe, quibus videlicet peccatores periere, quorum morte expiatus est orbis. Quasi insinuet Propheta, aquas quidem sed longè ab illis diversas inducendas fore per Christum; aquas, inquam, quibus non peccatores sed peccata mergerentur: *venit enim Dei Filius*, ut est apud Joannem, *non ut judicaret*, i. damnaret mundum, *sed ut salvaretur mundus per eum.* Non itaque *transire fecit Deus aquas Noe*, sed aquas filii sui: ut quemadmodum tunc aquis plena fuit terra, ità per Christum misericordiâ impleretur terra. Huc facit quòd aquæ baptismi à Petro Apostolo Aquis Diluvii conferuntur 1 Pet. 3. tunc quidem *fontes rupti* dicuntur, & *cataractæ cœli apertæ:* sub Christo autem *cœli distillaverunt desuper, & nubes depluerunt justitiam; terra quoque* aperta est; & *germinavit salutem*, ut suprà dictum est. Dei enim Filius de cœlo descendens in uterum Virginis, factus terræ germen qui de cœlis erat, terram fœcundavit, & miserationibus Divinis replevit. Quid verò si non hîc comparationem fieri intelligamus, sed hoc tantùm significetur, Adimpleri in Christo quod Noe pollicitus est Deus? nam Noe promisit, quòd conjectis oculis in arcum qui fit in nubibus, recordaretur Deus federis quod cum Noe fecerat: Christus verò erat Arcus ille cujus respectus facit nè Deus terram perdat. Patres enim per Arcum illum Christum designari senserunt. Rationes autem similitudinis apud eos videas. ¶ *Sic juravi, ut non irascar*, &c.] i. Sic nunc placatus sum; & nequaquam ultrà mundo irascar propter Christum. Sed cùm hæc verba similitudinem explicare aliqua ex parte videantur, aliam expositionem apponam haud contemnendam: q. d. *Videor nunc mihi esse in diebus Noe quando aqua operuerunt terram, ego autem eas exsiccavi placatus mundo. Sicut autem tunc juravi quòd non inducerem ultrà aquas quæ mundum perderent; ità nunc juravi quòd peccata & scelera, quibus spiritaliter mundus hactenus coopertus fuit; & quæ terram perdiderunt, non ultrà terram occupent: sed per Filium meum orbis reformatorem exsiccentur hujusmodi aquæ, & auferatur peccatum, & deleatur iniquitas, & redeat justitia sempiterna. Quòd si fiat, non erit cur commovear contra te, aut in te increpationes conjiciam.* Hinc habes, quòd sicut aquæ Noe non ultrà operient terram, sic neque scelerum inundatio, neque iterum mundus ad idololatriam relabetur.

10. *Montes enim*, &c.] Eodem sensu hæc accipienda sunt quo, *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt*, i. factu facilius hoc erit quàm illud. Ergò erit misericordia sempiterna. Nam si Dominus decrevit, quis avertet? Si Dominus juravit, quis eum perjurum reddet? Nunquam ergò ab Ecclesia Gentium discedet Dei benevolentia & paternus affectus, & cum ea erit usque ad consummationem seculi. Cùm igitur *montes* ingentes & immobiles rupes inspexerimus; hujus promissionis & asseverationis meminerimus, nè moveamur tribulationibus & jactationibus Ecclesiæ; Firmior, intra nosmetipsos dicentes; est amor quem Deus erga Ecclesiam suam gerit quàm sint isti *montes.* ¶ *Fedus pacis*, &c.] Cùm Noe iniit Dominus pacis fœdus, quòd ultra non perderet mundum, & fedus juramento firmavit: Christi sanguine etiam sancitum est fedus æternæ pacis cum Gentium Ecclesia.

11. *Paupercula*, &c.] Non solùm pace fruituram Ecclesiam, aut tantùm non indignationem Domini experturam ostendit, quinimo inæstimabiles futuras ejus divitias, & neminem futurum qui adversùs eam prævaleat. Primò autem eam nominibus illis compellat favoris & benevolentiæ gratiâ, quæ eas calamitates notant quas perpessa hactenus fuisset. ¶ *Inopem*] Et cui nemo fuit auxilio, neque miseræ laboranti aut opem imploranti responderat, primò nominat. Nam quotquot præteribant, etiamsi videbant hominem qui incidit in latrones vulneribus confossum, nullo pietatis affectu tangebantur, ut est in Euangelio: sed neque, si voluissent, possent subvenire, præter illum Samaritanum, &c. ¶ Secundò, quia omnium injuriis erat exposita & potestati tyrannorum tradita, ac eorum affectibus, qui si non coerceantur incredibiles tempestates concitant; derelicta, *Tempestate obrutam* appellat, סערה i. *dejectum*, seu *deturbatam horribiliter.* Est enim in Hophal. ¶ Tertiò *absque consolatione* seu *consolatione destitutam*] Cùm enim in extrema ageret miseria, non erat qui vel verbo eam consolaretur, aut animum aliquâ spe erigeret melioris fortunæ: carebant Prophetis; alieni erant à federe, & promissionum erant ignari. Sed jam videamus divitias Divinæ commiserationis. ¶ *Ecce ego*, &c.] Præter ullam spem & rebus planè desperatis adesse solius Dei est: *Non consolabor modò, non solùm erigam & subveniam; sed extremam miseriam summâ felicitate commutabo.* ¶ *Per ordinem*] פוך Hebræis est quod Latinis *fucus*; consentiente omnino voce, & quantum conjicere possum, primò Latinis significavit *Medicamen illud* tantùm *quo oculi decorantur, ex stibio*, (hoc inter mineralia computatur, & oculis confert) deinde abusivè *omnia alia feminis nota, quibus facies illita & immutata decoratur*; denique de *universis coloribus quibus pristinus color obtegitur aut immutatur*, dici cœpit. Propriâ ergò significatione *subnigrum colorem* notat, ab ipso metallo quod *stibium* appellatur, ex quo pavimenta aut lapides pavimentis aptos nigri coloris confici posse ipsius naturam considerantibus verisimile videbitur. Probantur enim passim pavimenta ex nigris lapidibus, candidis, præsertim marmoribus, immistis. Quare fictioni Rabinorum adscribendum duco, פוך esse lapidem quem *carbunculum* vocant, & perperàm eos locum 1 Paral. 29. 2. vertere: ubi David se præparasse dicit *aurum, & argentum, & ligna, & lapides*, פוך & רקמה, i. *varii coloris*; ubi doctissimè Vulgatus vertit, *quasi stibinos.* Licèt enim dicamus ex *fuco* seu *stibio* non posse pavimenta confici, nigerrimos tamen lapides, quos nos *marmor nigrum* vocamus, dici figuratè *lapides stibinos*, non erit absurdum affirmare. Quare Vulgatus *quasi stibinos* dixit: & hoc in loco dicit omnes præter septuaginta, *in stibio* vertisse. Ergo פוך primò Fossile illud quod Græcis στίμμι, Latinis *stibium* appellatur, significat, (de quo vide Dioscoridem lib. 5. cap. 59. & commentarium Matthioli) deinde *ipsum colorem subnigrum qui ex pulveribus metalli* conficitur, ut 1 Reg. 9. & Jerem. 4. Hoc itaque locô accipiendum puto, sicut in eo loco 1. Paral. 29. & vertendum, *Ecce sterno lapides tuos in stibio*, seu *cum stibio*: ex stibinis lapidibus conficio pavimenta tua. ¶ *Et fundo te in Sapphiris*] i. Pono Sapphiros lapides fundamenti tui. Possumus utrosque lapides & utrumque verbum ad *fundamenta* referre, & utrumque ad *pavimenta*, quod magis probo. Nam *fundamentum* etiam dicitur quod est

in superficie terræ. De lapide autem *Sapphiro*, quem vulgò quoque *Caphira* vocamus, vide Dioscoridem l. 5. c. 14. Est colore cyaneo perquàm translucido: & Plinius quidem dicit eum punctis aureis collucere, quod in nullo Sapphiro dicit Matthiolus se vidisse; putátque aut quos Sapphiros dicimus non esse Sapphiros, aut Plinium errasse, quòd fortasse cæruleum lapidem quem Mauritani *Azulum* vocant pro Sapphiro acceperit. Nam nullus præter hunc lapis scintillis aureis emicat inter gemmas. Loquitur autem de Ecclesia, ut ex sequenti v. etiam apparet, quasi de Regia quapiam aut etiam Civitate, cujus vel pavimenta quæ pedibus teruntur sint visui gratissima. Quare illius incolas adeò opulentos fore ut lapides, qui in annulis geri solent à regibus, sub pedibus habeant & conculcent. Certè aut hæc significant dona cœlestia etiam infimæ sortis hominibus danda ut ditiores sint quàm olim fuerint reges & prophetæ: nunquam enim retro actis seculis tantâ liberalitate Spiritûs S. dona hominibus concessa sunt quàm Christi tempore: illa fuit verè aurea ætas, quando ad impositionem manuum Discipulorum Christi Spiritus S. visibiliter conferebatur; & nulla erat Ecclesia Christi in qua non essent prophetæ, doctores habentes dona linguarum, & sanitatum conferendarum gratiam, & similes divitias quas Corinthiis concessas gaudebat Paulus: Aut certè significant servos Christi & Ministros Euangelicos pretiosa quæque mundi pedibus conculcaturos.

12. *Jaspidem*] Græcam ed. dicit se Hieronymus secutum, cùm כדכד *jaspidem* vertit. Ego consentiente voce *Gagatem* dixi: nam symbolicæ literæ sunt *c* & *g*, *d* & *f*: & nunc quidem in Heb. duplici Daleth vox legitur *cadcod*; at in Commentariis Hieronymi *carcod* legitur. Neque est mendum: nam dicitur Symmachum vertisse καρχηδόνις nescio an *calcedonem* voluerit significari. Cæterùm de *Gagate* vide Dioscoridem l. 5. c. 103. Est niger & squalidus, crustosus & perquam lævis. Galenus l. 9. De simplicium medicamentorum facultatibus, dicit se complures ex Cœlesyria asportasse crustaceos lapides nigros, & qui igni admoti parvam flammam ederent; neque se vidisse in Lycia eum fluvium qui Gagas dicatur, unde lapidi nomen inditum dixisset Dioscorides. Scatet hoc universa Flandria & plurima alia loca. Sed cùm hic ex כדכד *fenestras* exstruendas dicat Jesaias, haud scio an ex Gagate commodè fierent, licèt color placeat & ligno similis dicatur esse lapis hic, ut facilè lævigetur. Quare non est cur Græcorum & plurimorum Hebræorum versionem hoc loco rejiciamus, qui *jaspidem* dixere: quem scimus fenestris esse aptissimum, cujus in Lusitania nostra ingens est copia propè oppidum Setubal. ¶ *Propugnacula*] Nomen שמש est Hebræis *Sol*: hujus plurale hic habes, quasi *solaria* dicas, i. *fenestra*, per quas sol lucem administrat: neque alibi quàm hoc loco reperitur in Scripturis, & ob hoc variè accipitur ab interpretibus. ¶ *Sculptos*] אקדח *Crystallum* plerique dixerunt, neque absque ratione: nam קרח est *gelu*, & קרח *grando*. *Crystallus* verò maximam cum gelu aut grandine habere videtur similitudinem, ut & naturâ non differe ab his existimetur: nam & à gelu fieri tradiderunt Plinius l. 37. c. 21, Seneca atque alii complures, quorum tamen sententia non usque adeò certa est. Utrumque autem Hebræis appellationem habet à verbo קדח, i. *decalvavit*, quà etiam ratione Vulg. pro *dedolatione* accepisse videtur: cùm enim dolantur lapides quasi decalvantur. Verùm libentius hoc loco *Crystallum* significari dicerem: nam species lapidum connumerantur. ¶ *Desiderabiles*] Seu *acceptabiles*. Optimè Vulg. *desiderabiles* vertit, i. qui oculis & animo placeant, ac proinde amantur ac desiderantur. Accipitur autem גבול *terminus* Hebræis pro toto spacio usque ad terminum. *Quocunquè*, inquit, *te vertas*, *pretiosa quæque calcabis*, & *omnium divitiarum abundantiâ perfrueris*. Scimus autem sapientiam pretiosiorem esse auro & argento & omnibus gemmis: & spiritalia dona, quæ Dominus Ecclesiæ suæ contulit, lapillis pretiosis æstimari non posse. Quæ cùm his verbis significentur, vide quam aptissimè, quasi se ipsum explicat Propheta, addat;

13. *Et universos filios*, &c.] *Eruditione Domini* & *pace* nempe spiritali, *quam mundus non potest dare*, universam felicitatem comprehendit. Hæc sunt illæ divitiæ, illæ gemmæ, sapientiæ & animorum tranquillitas, quæ non est nisi deletis peccatis, & affectibus ac concupiscentiis si non extinctis, at certè refrænatis: Sapientia enim mentem, Pax voluntatem, ac proinde hæc duo totum hominem satis superque divitem reddunt. Hunc locum adducit Christus Dominus apud Joan. c. 6. ex quo ostendit, necesse esse à Deo doceri, & intus erudiri homines, ut sic pertrahantur ad Christum, i. ad fidem, ad gratiam, ad peccatorum remissionem, ad pacem denique quam solus Christus dat suis.

14. *Fundaberis*] Seu *firmaberis*: tua firmitudo erit *justitia*, quam à me consequeris; non erit cur timeas quòd has divitias tibi hostes diripient; ipsæmet divitiæ erunt firmamentum & propugnacula tua; ipsa te tua justitia firmabit, ut nullæ fraudes, nulla vis aut persecutio adversùm te prævaleant; sanctitate ipsâ tuta eris. Istæ sunt *inferorum portæ*, quæ *adversùs Ecclesiam* Christi *non prævalebunt*. Videtur autem in hoc versu esse inversus ordo orationis, ut dicendum sit, *In justitia firmaberis*, *quare ne timeas: longè enim aberis à fraude & à prostratione*, *quæ certè non appropinquabit tibi*. *Prostrationem* vocat vim & impetum quo adversa prosternuntur. Vulg. *pavorem* dixit: sed pro his quæ pavorem incutiunt & animum dejiciunt, cujusmodi sunt hostium exercitus, &c. accipere debemus. Duo etenim sunt quæ Ecclesiæ metum possent incutere, aut *fraudes* aut *vis*: hæretici aut tyranni occultè vel apertè oppugnantes. Ab utroque Ecclesiam suam tutam reddit Christus per *justitiam*, quâ eum justificavit. *Si enim Deus justificet*, *quis condemnet*? Si Deus tuetur, quis expugnabit? *Justitiâ* ergò seu *justificatione* tuta eris, firma eris: neque universa diaboli machinamenta aut te dejicere, aut opes tuas diripere poterunt. Hoc itaque versu crediderim obviasse Objectioni quæ ex tantarum divitiarum promissione oriri poterat: nam ut tuta est paupertas, ità & divitiis *fraudes* & *vis* parantur. Hic, obsecro, considera, Christiane lector, quanti æstimare hanc *justificationem* debeamus. Nam quod Ecclesiæ suæ promittit, suis quoque credendum est promisisse Christum, nempe quòd *justificati pacem habeamus*. Si ergò justitiam retinemus, ut diabolus fremat, ut mundus decipere conetur, ut caro concupiscat, pacem nihilominus possidebimus. Nè deseramus itaque justitiam: deserit autem qui parvi facit, qui ingratus non perpetuò gratias agit Deo pro tanto beneficio, qui non vigilat, neque justitiam in dies firmiorem reddere conatur. Hic licèt per hanc desidiam non statim impius fiat; at certè adventante hoste labitur quia ope illâ destituitur quam ad perseverantiam necessariam esse semper sancti Patres judicarunt: quæ non datur omni justitiam possidenti, sed etiam colenti & amanti. Hoc puto esse illud *semen Dei*, quod *qui habet non peccat*, apud Joannem: qui autem illo destituitur, is quàm facillimè à *justitia* labitur. Verùm quia Ecclesia justitiâ prorsus destitui non potest, ob Dei benevolentiam & veritatem, licèt plurimi ejus filii quotidie illam amittant, & ad hostium castra vel volentes transeant, firma semper est; neque decipi neque expugnari potest: ut obstruatur os Lutheranis, qui non verentur contra tam expressas Dei promissiones, qui semper verax est, affirmare Ecclesiam posse decipi, etiam in fide. Quod diaboli inventum eò certè tendit, ut auctoritati Conciliorum detrahatur, & suo se quisque judicio tueri velit. Sed de his hactenus. Hoc tantùm altâ mente repone, prudens lector, duo hæc, nempe *sapientiam* & *pacem*, seu doctrinam sanam & tranquillitatem, quæ non est absque veri cognitione & virtutis amore, hæc, inquam, duo quibus constat tota felicitas spiritalis ab Ecclesia Christi auferri non posse: ipse enim eam immaculatam & irreprehensibilem, *non habentem maculam aut rugam* reddidit, & Deo patri *exhibuit*.

15. *Ecce accola veniet*, &c.] Manifestum est quid Vulg. ed. significet, nempe Adventum Gentium ad Ecclesiam; in qua ob pacem & opulentiam atque omnium rerum abundantiam volent habitare: neque Hebræa repugnant. Nam & גור pro *peregrinari* accipitur, & *ad incolendum venire*: *cadere* autem *ad aliquem* in bonum accepit. Verùm quia quæ præcesserunt & quæ sequuntur hostile quid sonant, libuit hunc versum & de re hostili interpretari, in hanc sententiam, *Quicunque in te exercitum duxerit*, *quicunque copias adversum te collegerit*, & *tecum voluerit præliari*, *eum scito quòd à me defecerit*, *neque meus sit: quicunque autem is sit*, & *tecum bellum gesserit*, *juxta te cadet ac victus jacebit*. Qui sensus cùm sit augustus & Deo dignus, & superioribus & sequentibus congruat, aliquot annotatiunculis confirmandus erit. Et quidem verbum גור, quod verbo *peregrinandi* seu *incolendi* plerumque redditur, propter variam ejus constructionem & usum non potest uno verbo Latino ubique reddi: & quantum ex omnibus locis in quibus reperitur & ex derivatis conjicere possum, est interdum verbum Castrense, & hostibus tribuitur, ut Latinis *cogere*, *colligere*; *contrahere*, ut Psal. 56. *Adversùm me omnes cogitationes eorum in malum contrahunt*, *observant*, &c. & Psal. 59. *Contrahunt contra me robusti*, videlicet copias. Psal. 140. *Qui cogitant mala in corde*, *totâ die contrahunt bellum*: unde & מגור nomen, i. *contractio* seu *exercitus* congregatio inimicorum, Psal. 31. *Quoniam audivi rumorem multorum*, *contractionem undique consultantium contra me*, &c. atque ità hoc loco accipi potest, *Ecce* [*qui*] *contrahendo contrahit*, *qui bellum gerit* seu *exercitum cogit*, *ut bellum tecum geras*, &c. אפס autem

tem ut verbum accepi, sicut Gen. 47. *Defecit argentum*, & suprà 16, & 29. *Defecit emunctor, defecit prævalidus*: at מאתי quid aliud est quàm *à me*? ad verb. *de cum me*? i. qui in te exercitum ducit, à me defecit, vel *non habet partem mecum*, ut loquitur etiam Hebraismus: recessit à me, non est de numero eorum qui mecum sunt & mei dicuntur, i. scito hostes tuos esse hostes meos: & *qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei: qui vos spernit, me spernit*: nè existimes me hostibus tuis, quicunque illi sint, favere unquam posse: quo fit, ut quicunque in te *contraxerit*, i. contra te exercitum collegerit aut duxerit, *juxta te cadat* necesse sit. Me enim ille impugnat, & adversùm me bellum gerit. Huc credo allusisse Dominum in Euangelio, cùm ait, *Qui non est mecum, contra me est; & qui non colligit mecum, spargit*: nisi quòd *colligere secum*, dixit pro *unanimi consensu milites conscribere, & junctis viribus atque animis bellum gerere.* Qui, inquit, aliâ ratione bellum gerit, aut exercitum ducit, is non putandus est exercitum *contrahere*, sed potiùs dissolvere: quod est imbellium & eorum qui certam ruinam habent. Certè locus omnino idem est diligenter inspicienti. Finge Christo cum Discipulis eo in loco rem esse, atque eum ità dicentem, *Qui non est vobiscum, sed vobis bellum infert, contra me est*: (*esse* enim *cum Christo* est cum eo & sub ejus vexillo militare, & rem Christi cum Discipulis ejus agere) *& qui non colligit vobiscum*, i. qui vires suas non addit, neque exercitum comparat, ut vobiscum in hostes vadat, quin potiùs adversùm vos exercitum ducit, *notum vobis sit illud potiùs esse dispergere & exercitum solvere, (quod qui facit prope est ut vincatur) quàm colligere.* Hoc profectò hîc dicitur, *prope vos cadet*, i. gladio vestro interibit. Hinc intelliges quid sit *dispergere*, videlicet exercitum, nempe *cadere* & vinci; ut ex hoc loco locus Euangelii planus sit, & rursus ex Euangelio locus hic Jesaiæ manifestus: nam apparet *colligere* & *dispergere* esse verba castrensia.

16. *Ecce ego creavi*, &c.] Confirmatio est prædictorum: *Cadent hostes tui: licet te oppugnent, nunquam tamen expugnabunt, mihi crede. Nam tam faber quàm ars fabrilis, quam etiam vasa omnia quæ arte fabrili fiunt, me habent auctorem: Ego omnibus præsum; sum fabrorum omnium præfectus, neque quidquam ex arte aut industria eorum prodit quod ego non norim: nulla sunt vires quas notas non habeam: quid gladii, quid hasta & cætera belli instrumenta valeant, exactissimè intelligo*: q. d. tam hostes tui quàm eorum industria & vires in manu mea sunt: ego eos *creavi*, & ex dono meo habent vires, industriam & arma bellica. Si ergo jubeo te securam agere, non est quod timeas. ¶ *Proferentem vas*, &c.] Primum est *carbones follibus accendere*, ut ferrum immissum calefiat: alterùm est ut *apprehendat faber instrumentum*, quo opus faciat ex ferro calefacto & ignito: *vas* ergò *ad opus* vocat *Instrumentum operi faciundo adaptatum & commodum.* Et hic sensus planus est. Vel *proferentem*, seu *educentem vas ad opus suum*, i. ad quidquid facere instituit, & quo sibi opus est. Nomina enim *vasis* non solùm instrumenta artificum, sed omnia illa quæ arte quavis fiunt & usui apta sunt, tam pacis quàm belli Hebræis comprehenduntur. Non ineptè autem per *fabrum sufflantem*, & *instrumenta* bellica conficientem, tyrannorum conatus & industriam intelligimus contra Christi Ecclesiam mala fabricantium atque machinantium: nec minùs aptè ipsum eorum principem diabolum, qui *carbones sufflat in igne*, i. ignitos flatu reddit: qui homines accendit spiritu suo, & concitat adversùs Christum & ejus Ecclesiam. Hic eos educit tanquam *instrumenta* sua, ut per eos *opus suum* faciat. Hunc se *creasse* dicit Dominus, & quid possit notum habere, *ejus astutias* dicebat Paulus *se intelligere*, & suos communiebat adversùs eum. Is ipse est *perditor* per antonomasiam, qui totus in hoc incumbit *ut dissolvat* & frangat, labefactétque Ecclesiæ vires, & funditus deleat. Sed incassum laborat: *non enim portæ inferi prævalebunt adversus eam*: unde sequitur,

17. *Non dirigetur*] לא יצלח *non proficiet, non progressus faciet*: nullus tyrannus, quem instigaverit diabolus ut adversùm te arma capiat, *proficiet*, ut videlicet Ecclesiam pessundet aut deleat: sed & omnem hæreticum, qui *linguâ* & doctrinâ te evertere satagit, qui & ipse *vas* diaboli est, tu *damnabis in judicio.* ¶ *Resistentem tibi in judicio*] Ad verbum, *stantem tecum ad judicium.* Est Phrasis quâ nos Lusitani utimur, *stare ad judicium*, i. judicio contendere cum quoquam, & totam causam ad judices deferre; & coram eis sistere, ut sententia feratur. Ut priori autem membro tyrannos, ità posteriori hæresum auctores omnino intelligendi sunt, qui universi Ecclesiam oppugnant: & hæretici quidem doctrinam *linguæ* suæ doctrinæ Ecclesiæ præferri volunt: neque verentur *ad judicium* descendere, ut sæpe in Conciliis factum est. Sed omnis illa doctrina quæ cum Catholica pugnat *damnabitur*, inquit Dominus. Hic vides ad Ecclesiam ipsam, quæ oppugnatur lingua hæreticorum, judicium de doctrina quæ oppugnatur pertinere. ¶ *Hæc est hereditas*, &c.] Magnifico & eleganti epiphonemate seu acclamatione orationem claudit. *Hæc est hereditas* seu *sors*, quæ possidenda tanquam hereditate obvenit *servis Dei.* Quam, veluti unam domum, civitatem aut remp. unam denique familiam allocutus fuerat, nunc *servos Dei*, & *Domesticos Dei* appellat. *Hæc est* eorum *sors*, nempe ut sint ditissimi donis cœlestibus, justi & sancti Discipuli Domini, & summâ pace fruantur: hanc interturbare, & has eorum divitias diripere nemo possit, sed universos hostes superent & *condemnent*: *hæc* planè *est sors servorum Dei.* ¶ *Et justitia eorum*] i. Justificatio & laus: interdum enim *justitia* pro ipso *justitiæ præconio* accipitur Hebræis. *Hæc*, inquit, *est sors* quæ jure optimo illis competit: harum laudum, & bonorum sunt capaces. ¶ *Apud me*] i. Illi qui apud me degunt. Hæc enim vis est vocis compositæ מאתי *de cum me*, i. qui mei sunt, aut mecum habitant, & rem meam agunt: vel hæc per futurum enuncianda sunt: *Hæc erit sors*, &c. cui asseverationem addit, *fidelis sermo Jehovæ.* Dictum hoc omni acceptione dignum est, ut dictum Jehova. Felices sunt ergo servi Dei, neque est quòd eorum quis vicem doleat, sed potiùs quòd invideat. Est autem sermo de felicitate servorum Dei per Christum in domo ipsius, nempe Ecclesia degentium.

DRUSIUS.

1. רָנִּי עֲקָרָה לֹא יָלָדָה פִּצְחִי רִנָּה וְצַהֲלִי לֹא־חָלָה כִּי־רַבִּים בְּנֵי־שׁוֹמֵמָה מִבְּנֵי בְעוּלָה אָמַר יְהוָה. Sym. *Lætare sterilis, quæ non peperisti; gaude in exsultatione, & hinni, quæ non parturisti: plures enim filii dissipatæ magis quàm ejus quæ erat sub viro*] Hieron. *Symmachus hunc locum ità interpretatus est*; Lætare sterilis, *&c. A quo Th. & Aq. præter pauca verba non discrepant.*

11. הִנֵּה אָנֹכִי מַרְבִּיץ בַּפּוּךְ אֲבָנַיִךְ. Sym. ἰδοὺ ἐγὼ συντίθημι στίμμιας τοὺς λίθους σου, *ecce ego compono stibio lapides tuos.* Th. ἰδοὺ ἐγὼ ἐμβαλῶ ἐν στίμμι τοὺς λίθους σου, *ecce ego injiciam in stibio lapides tuos.*] Hieron. *Omnes præter Lxx, Sternam in stibio lapides tuos.* Græca citantur in ed. Rom. ubi perperàm *Theodoretus* legitur pro *Theodotio*: quem locum nos correximus ex Symbolis. Sumpta verò hæc sunt ex commentariis Eusebii.

12. כַּדְכֹּד. Sym. Καρχηδόνιος *Calchedonius*] Hieron. *Ubi nos* jaspidem, *sequentes Lxx, diximus, in Ebraico scriptum* כדכד, *quod solus Sym.* Καρχηδόνιν *transtulit.* Idem Ezech. 27. CHODCHOD *autem quid significet usque in præsentiarum invenire non potui. Ajunt Ebræi omnes pretiosissimas merces hoc nomine significari: vel speciem quandam esse pretiosarum mercium quam Romanus sermo non resonet, vel communi vocabulo scruta vendentium.* ¶ אַבְנֵי־אֶקְדָּח. Sym. Th. *lapides sculpturæ.* A. τρυπανισμοῦ quod verbum *foratarum cœlatarumque gemmarum* sensum sonat] *Sculpturæ*, γλυφῆς, i. *lapides sculptos*, ut vertit Hieronymus. Verba ejus hac de re sunt, *Pro* crystallo *quoque, in cujus loco apud Ebræos* אקדח *legitur, Sym. & Th.* γλυφῆς, *i.* Sculpturæ; *Aq.* τρυπανισμοῦ *posuit, quod verbum* foratarum cœlatarumque gemmarum *sensum sonat.* Τρυπανισμοῦ] Sic editi à Plantino. In aliis est τρηπτανισμός, i. *perforatio*, quod adfertur in veteribus Lexicis, credo ex hoc loco. Ejus origo est τρήπτω *perforo.* Τρυπανισμὸς potiùs denotat *terebrationem.* Nam τρυπάνη *terebra.*

16. בְּאֵשׁ. A. Sym. Th. ἐν πυρὶ *in igne*] Hoc à Procopio tribus Interpretibus attribuitur. Vide, si vacas & si vis, ed. Rom.

IDEM EX PROCOPIO.

1. פִּצְחִי רִנָּה וְצַהֲלִי. A. κελάδει αἴνεσιν, καὶ χρεμέτισον, *resona laudem, & hinni.* Sym. ἱλάρυνον ἐν ἀγαλλιάσει, καὶ χρεμέτισον, *hilaris esto cum exsultatione, & hinni.* Th. ῥῆξον εὐφροσύνην, καὶ τέρπου, *erumpe in lætitiam, & oblecta te*] Κελάδει αἴνεσιν, in commentariis Symmacho tribuitur, ut illud quod sequitur ἱλάρυνον, &c. Aquilæ. Mihi rectum videtur quod posui: quanquam falli possum. Jes. 49. 13, רנו. A. αἴνεσιν. Job. 39. 13. רננים idem αἰνούντων. Deut. 32. 43. הרנינו αἰνοποιήσατε *laudem dicite.* Jes. 52. 8. ירנו. Sym. αἰνέσουσιν. 9. ἀγαλλιᾶσθε. Χρεμέτισον] In margine χρεμέτισιν *hinnitum.* Sed tum dixisset potiùs, meo judicio, χρεμετισμόν. Ego non dubito quin legendum sit χρεμέτισον· cui firmando sequens fragmentum Symmacho à me attributum. Quanquam in Procopio, ὁ δὲ Ἀκύλας ἱλάρυνον, &c. Supra 52. 9. רנו. Sym. ἀγαλλιᾶσθε. ¶ בְנֵי־שׁוֹמֵמָה, Sym. —— ἠφανισμένης *desolatæ, sive vastatæ.*

3. וְעָרִים נְשַׁמּוֹת יוֹשִׁיבוּ. Sym. καὶ πόλεις ἠφανισμένας κατοικιοῦσι. *& urbes desolatas habitatas reddem.*

9. כִּי־מֵי נֹחַ זֹאת לִי אֲשֶׁר נִשְׁבַּעְתִּי מֵעֲבֹר מֵי־נֹחַ עוֹד עַל־הָאָרֶץ כֵּן נִשְׁבַּעְתִּי מִקְּצֹף עָלַיִךְ וּמִגְּעָר־בָּךְ. Sym. Ὡς αἱ ἡμέραι Νῶε τοῦτό μοι· ὡς ὤμοσα μὴ ἐπελθεῖν ὕδωρ Νῶε ἔτι ἐπὶ τὴν γῆν, οὕτως ὀμοσάμην μὴ ὀργισθῆναί σοι, μηδὲ ἐπιτιμῆσαί σοι, *Sicut dies Noe istud mihi est: sicut juravi non venturam aquam Noe ampliùs in terram, sic juravi quòd non irascar tibi, neque increpabo te.* Th. Κατὰ τὰς ἡμέρας Νῶε τοῦτό μοι. ὅτι ὤμοσα μὴ ἐπαγαγεῖν ὕδωρ Νῶε ἐπὶ τὴν γῆν, οὕτως ὤμοσα τοῦ μὴ ὀργισθῆναι ἐπὶ σέ, καὶ τοῦ μὴ ἐπιτιμῆσαι ἐν σοί, *Secundùm dies Noe hoc mihi: quia juravi non inducturum me aquam Noe super terram, sic juravi me non iratum fore tibi, nec increpaturum te.*

10. כִּי הֶהָרִים יָמוּשׁוּ וְהַגְּבָעוֹת תְּמוּטֶנָה וְחַסְדִּי מֵאִתֵּךְ לֹא־יָמוּשׁ וּבְרִית שְׁלוֹמִי לֹא תָמוּט אָמַר מְרַחֲמֵךְ יְהוָה. Sym. Τὰ γὰρ ὄρη σαλευθήσονται, καὶ οἱ βουνοὶ ταραχθήσονται, τὸ δὲ ἔλεός μου ἀπό σου οὐκ ἀποστραφήσεται, οὐδὲ ἡ διαθήκη τῆς εἰρήνης μου ἀνακληθήσεται, εἶπεν ὁ οἰκτείρων σε Κύριος, *Montes enim commovebuntur, & colles conturbabuntur; misericordia autem mea non recedet à te, neque pactum pacis meæ revocabitur, dixit qui tui miseretur Dominus.* Th. Τὰ γὰρ ὄρη σαλευθήσονται --- τὸ δὲ ἔλεός μου ἀπό σου οὐ σαλευθήσεται —— *Montes enim commovebuntur, --- & misericordia mea à te non removebitur*] In Comment. Οἱ Γ. εἶπεν οἰκτείρας σε Κύριος, *dixit tui misertus Dominus.* Οἱ Γ. i. *A. Sym. Th.*

11. הִנֵּה אָנֹכִי מַרְבִּיץ בַּפּוּךְ אֲבָנָיִךְ. Sym. Ἰδοὺ ἐγὼ συντίθημι στίμει τοὺς λίθους σου, *ecce ego compono stibio lapides tuos.* A. ἰδοὺ κατακλίνω ἐν στίμει τοὺς λίθους σου, *ecce ego depono in stibio lapides tuos. Th.* ἐμβάλλω ἐν στίμει, *immitto in stibio*] Στίμει, à recto στίμις, quod scribunt στίμμις & στίμμι, μ duplicatâ. Dioscorides etiam στίβι scribit, unde *stibium.*

12. כַּדְכֹּד. Sym. Καρχηδόνιος ἐξαίρετος καὶ διαφανής, *Carchedonius eximius & perspicuus*] Ezech. 27. 15. A. Sym. Th. χοδχόδ. ¶ שְׁעָרַיִךְ לְאַבְנֵי אֶקְדָּח. Sym. τὰς πύλας σου λίθους γλυφῆς, *portas tuas lapides sculpturæ.* A. --- λίθους τρυπανισμοῦ *cælaturæ*] *Sculpturæ*, i. sculptos. Cum Symmacho Theodotio concordat. *Cælaturæ*] interpres Curterius *terebrationis.* Lectio varians τρηπτανισμοῦ. Vide, si placet, Fragmenta.

17. כָּל־כְּלִי יוּצַר. LXX πᾶν σκεῦος σκευαστόν. Sym. πεπλασμένον. A. πλασσόμενον. Th. κεράμεως, i. יוֹצֵר. ¶ וְכָל־לָשׁוֹן תָּקוּם־אִתָּךְ לַמִּשְׁפָּט. Th. Καὶ πᾶσα γλῶσσα ἀναστήσεται εἰς τὰ σὰ εἰς κρίσιν, *& omnis lingua surget in tua ad judicium.*

GROTIUS.

1. LAuda *sterilis quæ non paris*] Redit ad eum sermonem quem cœperat initio capitis LII. & mentione injectâ Jeremiæ interruperat. Urbs Hierosolyma longo tempore fuerat *sterilis* ac *sine partu*, id est, deserta, desolata, ut illa locutio exponitur suprà XLIX. 21.

Multi filii desertæ magis quàm ejus quæ habet virum] Plenior fies illis urbibus quæ semper habitatæ sunt, & Reges apud se habuêre. Hierosolyma *longè clarissima urbium Orientis* Plinio.

2. *Dilata locum tentorii tui*] Urbes tentorio comparantur. Vide Ezech. XXIII.

Et clavos tuos consolida] Paxillos bene defige, ad quos deligantur funes illi qui tentorium sustinent. Vide suprà XXXIII. 20.

3. *Ad dexteram enim & ad lævam penetrabis*] Ad Aquilonem & Austrum.

Semen tuum gentes hereditabit] Etiam extra veteres fines imperium porriges in Idumæam, Moabitidem, Syriam.

4 *Confusiones adolescentiæ tuæ oblivisceris*] Adolescentiæ tempus, quod cùm hæc evenient diu exactum erit. Sic & mox 6.

5. *Quia dominabitur tui qui te fecit*] *Qui te fecit erit tibi maritus:* id est, fœcundam te faciet.

Et Redemtor tuus Sanctus Israel Deus omnis terræ vocabitur] Construe sic: *Sanctus Israëlis, Dominus omnis terræ, vocabitur Redemtor tuus.*

8. *In misericordia sempiterna*] Beneficiis in longum duraturis.

10. *Montes enim commovebuntur, & colles contremiscent*] Fieri hoc, inquit, potest, ut in magno terræ motu. Vide Senecam Naturalium quæstionum VI. ubi capite XXIX. *Vides totas regiones à suis sedibus revelli.* De Taygeti montis magna parte abrupta, de duobus montibus qui inter se concurrerunt crepitu maximo assultantes recedentésque, de prædiis in contrarias sedes transgressis, de duodecim urbibus unâ nocte prostratis, vide Plinium Historiæ naturalis lib. II. capitibus LXXXI. LXXXV. LXXXVI.

11. *Ego sternam per ordinem lapides tuos*] Chaldæus ex Hebræo: *Sternam in stibio lapides pavimenti tui.* Sed per *stibium* intellige lapides nigricantes, ut 1 Paralip. XXIX. 2. Nihil hîc super verum dicitur: nam & Josephus in Templi quod ipse vidit descriptione, Τὸ δὲ ὕπαιθρον ἅπαν πεποίκιλτο παντοδαπῶν λίθων κατεστρωμένον [*Subdiale totum variatum erat lapidibus stratis omnis generis*]. Vide & de lapidibus pretiosis à Davide ad Templi usum congestis 1 Paralipomen. XXIX. 2.

Et fundabo te in sapphiris] Chaldæus: *in lapidibus pretiosis.*

12. *Et ponam iaspidem propugnacula tua*] Meliùs alii: *Specularia tua ex crystallo faciam.* שמשות sunt *specularia*, à *Sole* sic dicta; quia, ut ait Martialis,

—— specularia puros
Admittunt soles, & sine face diem.

Et portas tuas in lapides sculptos] Et Hebraïca & Chaldaïca & Arabica lingua ostendunt intelligi hic lapides flammantes.

Et omnes terminos tuos in lapides desiderabiles] Græci, τὸν περίβολόν σου λίθους ἐκλεκτούς [*ambitum tuum lapides electos*]. Id est, in peristyliis erunt purissima marmora. *Marmor Parium*, ait hic interpres dicto loco 1 Paralipomen. XXIX. 2. Κίονες μονόλιθοι λευκοτάτης μαρμάρου [*columnæ solida ex candidissimo marmore*], ait Josephus belli Judaïci V. 14.

13. *Universos filios tuos doctos à Domino*] Bene institutos à Daniele, Aggæo, Zacharia, Malachia Prophetis.

Et multitudinem pacis filiis tuis] Omnia prosperrima.

14 *Et in justitia fundaberis*] Viri erunt optimi, qui Urbem restituent, qualis Esdras, Zorobabel, Jesus Josedeci filius, Nehemias.

Recede procul à calumnia] עשק, quod hic *calumniam* vertit, *vim* magis significat. Noli vi agere cum vicinis illis Samaritis & aliis, qui te impedire in ædificando volent: namque ego illorum consilia disslabo. Vide Esdræ IV. Nehemiæ VI.

Et à pavore] *Et à certamine omni.*

15. *Ecce accola veniet qui non erat mecum*] Optimè vertas cum Chaldæo: *Congregando congregabit te*, (nam sic גור sumitur Psal. LVI. 6. & LIX. 4.) *sed non ex me.* Sensus est: Samballetes multas vicinas gentes ad se attrahet ut opus impediat, sed me nolente, ac facilè ejus consilio disturbaturo.

Advena quondam tuus adjungetur tibi] Optimè vertit Chaldæus: *Quisquis coibit contra te, is coram te cadet.* עלי pro *coram* habes Zachariæ VI. 5. & alibi.

16. *Ecce ego creavi fabrum sufflantem in igne prunas, & proferentem vas in opus suum, & ego creavi interfectorem ad disperdendum*] Id est, Sicut fabri operâ utor ad opera fabrilia, sic etiam, ad perpendos quos volo, non desunt mihi instrumenta.

17. *Omne vas quod fictum est contra te*] Verte: *Omnia arma quæ contra te parantur.* Nam sic כלי sæpissime sumitur, vertitúrque ὅπλον [*instrumentum*] Jeremiæ XXI. 4. Ezech. XXXII. 27. nec aliter hic Chaldæus.

Et omnem linguam resistentem tibi in judicio, judicabis] In Hebræo: *omnem linguam quæ tecum judicio contendere voluerit, refelles.* Omnes calumnias quæ adversùs te ad Reges Persarum deferentur, facilè vinces.

Hæc est hereditas servorum Domini] Hoc est ipsorum privilegium.

Et justitia eorum apud me, dicit Dominus] Id est, eorum quorum probitas mihi perspecta est.

CAP. LV.

MUNSTERUS.

1. EMite *absque pecunia*] Gratis offertur Euangelium & gratia Spiritûs S. Ideo vocamur *omnes* ut illic hauriamus *aquam salientem in vitam æternam.* Grandiores inveniunt *vinum*, infirmiores verò *lac* pro sua consolatione. Locus est dignissimus qui fideliter tractetur & piè legatur, etiam nostris temporibus, quando verbum Dei spernitur ob id potissimùm quòd nostris resistat cupiditatibus.

2. *Quare expenditis* (vel *appenditis*) *pecuniam non propanibus?*] Nihil, inquit, est quod quietam facit conscientiam nisi verbum Dei & panis vitæ. Reliqua studia & labores addunt dolores, imò occidunt: sola doctrina Euangelii vivificat. Sicut enim

enim corpus humanum non subsistit sine cibo & potu, sic nec Ecclesiæ corpus mysticum & fidelium congregatio sine verbo Dei vegetatur salubriter.

5. *Vocabis gentem quam ignoras*] Respuentibus Judæis verbum Christi, vocatæ sunt Gentes, & illæ cum gaudio susceperunt gratiam Dei.

7. *Abundabit ut remittat*] Potest & sic verti, *multus erit ut propitietur.*

9. *Altiores sunt viæ meæ*] Damnantur per hæc verba cogitationes nostræ, studia nostra & omnes viæ nostræ. Et nisi nosmetipsos negaverimus, & voluntati Dei subjecerimus rationem nostram in obsequium Christi, gratiam Dei nunquam consequemur. Quòd enim, inquit, *terra profert fructum*, id non terræ debetur, sed *pluviæ* & *nivi*; *sic* per *verbum* Euangelii datur spiritus, qui operetur in nobis: per verbum affertur justitia & salus; & indè fit ut *cum lætitia egrediamur* de morte, inferno & peccato in Regnum gratiæ, & habeamus gaudium perpetuum in spiritu, videantúrque *nobis cantare montes & colles*, &c. Et ità demum fiet ut in Ecclesia non relinquantur *spinosæ* & steriles arbores, sed fructuosæ & proceræ, *in laudem & gloriam Christi*, atque in *signum* quòd ille nunquam deerit Sponsæ suæ.

V A T A B L U S.

2. IN *non panem*, &c. בלוא לחם ויגיעכם וגו'] Ad verb. *in non panem, & laborem vestrum in non ad saturitatem?* Hebraismi, pro *in id quod panem non afferet vobis, & laborem sumere in eo quod saturare non potest?* In eos invehitur qui vitam quidem appetunt, nec tamen ejus adipiscendæ rationem aut viam tenent, sed incerti per deserta & invia loca vagantur. Quidam vertunt, *non pro panibus, & laborem vestrum non pro saturitate.*

3. *Fideles* הנאמנים] i. Stabiles & firmas.

5. *Glorificabit te* פארך] *Decoravit te.* Præt. Heb. pro fut.

6. *Dum invenitur* בהמצאו] Ad verb. *in inveniendo eum*, i. dum inveniri potest ipse.

7. *Multus est* ירבה] Ad verb. *multiplicabit.*

9. *Quantò altiores sunt*, &c. גבהו שמים מארץ כן גבהו] Ad verb. sicut *exaltati sunt* [vel *exaltantur*] *cœli à terra, sic exaltata sunt*, &c.

10. *Et dabit* ונתן] Præt. Heb. pro futuro vel præsenti, *dátque.* Alii vertunt, *ut det semen seminaturo* anno sequenti, *& panem ad comedendum.*

11. *Sed facit*, &c. כי אם עשה את אשר וגו'] Præt. Heb. pro præs. Quidam vertunt, *donec faciat quod volo, & successum afferat quo misi ipsum.*

12. *In lætitia enim* כי בשמחה] *Itaque cum lætitia.* ¶ *Cantabunt coram vobis laudem* יפצחו לפניכם רנה] *Prorumpent in vocem lætam coram vobis.* Alii, *erumpent coram vobis in gaudium.* Alii, *jubilabunt coram vobis exsultatione.*

13. *Spina alba* הנעצוץ] Quidam Hebræorum dicunt vocem hanc significare *genus arboris vilis.* Alii, *genus esse spinæ quæ crescit in deserto.* ¶ *Ascendet* יעלה] i. Crescet. ¶ *Urtica* הסרפד] Doctus inter Hebræos scribit *genus esse germinis vilis & humilis.* Alius dicit esse *genus spinæ.* ¶ *In signum* לאות] i. In momentum: q. d. Propterea laudabitur Dominus, donabitúrque gloriâ indesinente.

C A S T A L I O.

5. TU *ignotam tibi gentem vocaturus es*] Christum alloquitur.

C L A R I U S.

1. ABsque argento] Gratis offertur Euangelium & gratia Spiritus S. Ideo vocamur *omnes* ut illic hauriamus *aquam salientem in vitam æternam.* Grandiores inveniunt *vinum*, infirmiores verò *lac* pro sua consolatione.

2. *Non in panibus*] *Quare expenditis argentum, & non accipitis panes?* Nihil, inquit, est quod quietam faciat conscientiam nisi verbum Dei & panis vitæ. Reliqua studia & labores addunt dolores, imò occidunt: sola doctrina Euangelii vivificat.

3. *Misericordias David fideles*] h. e. Infallibiles & immotas, quas promisit David in Christo, qui verus est *David*; *quem testem* Paternæ voluntatis, ac *ducem & præceptorem dedi* omnibus *gentibus.* Hic locus citatur à Paulo Actor. 13. in hæc verba, *Quòd autem suscitavit eum à mortuis, ampliùs jam non reversurum in corruptionem, ità dixit, Dabo vobis sancta David fidelia.* Vult autem Paulus pertinere locum hunc ad Resurrectionem Domini, ob hanc, opinor, causam, quòd Propheta dixit *fidelia*, h. e. duratura & stabilia; quæ non essent nisi surrexisset à mortuis.

5. *Gentem quam nesciebas*] Respuentibus Judæis verbum Christi, vocatæ sunt Gentes, & illæ cum gaudio acceperunt gratiam Dei. ¶ *Et Sanctum Israel*] *Deum sanctum Israelis*, qui *te* Messiam *glorificavit.*

8. *Non enim*] Dixerat *quærendum Dominum dum inveniri potest*, & *revertendum ad Deum* per pœnitentiam. Et quia suscepturus erat omnes, non Judæos solùm, verùm etiam Gentes, admonet eos nè, cùm viderint *ingentem illam misericordiam Dei* diffundi, metiantur hæc suis cogitationibus, & offendantur: quod fecerunt Judæi. Ero, inquit, in modum *imbris*, & omnem *terram fœcundabo.* Possunt & generatim per hæc verba damnari cogitationes nostræ ac studia nostra & omnes viæ nostræ. Et nisi nosmetipsos negaverimus, & voluntati Dei subjecerimus rationem nostram in obsequium Christi, gratiam Dei nunquam consequemur. Quòd enim, inquit, *terra profert fructum*, id non terræ debetur, sed *pluviæ* ac *nivi*: *sic per verbum* Euangelii datur Spiritus qui operetur in nobis: *per verbum* affertur justitia & salus; & indè fit ut *cum lætitia egrediamur* de morte, inferno & peccato in Regnum gratiæ, & habeamus gaudium perpetuum spiritu, videantúrque *nobis cantare montes & colles*, &c. ut in sequentibus narrat Propheta. Et ità demum fiet ut in Ecclesia non relinquantur *spinosæ* & steriles arbores, sed fructuosæ & proceræ, *in laudem & gloriam Christi*, atque *in signum* quòd ille nunquam deerit Sponsæ suæ.

F O R E R I U S.

1. OMnes *sitientes*, &c.] Cùm felicitatem Christianorum descripsisset, jam Deum invitantem homines, ut tantis bonis per Christum allatis frui velint, inducit Propheta. Ad hunc certè locum videtur respexisse in Euangelio Dominus, cùm ait; *Qui sitit, veniat ad me, & bibat:* &, *Venite ad me, qui laboratis*, &c. *Sitientium* autem nomine illi designantur qui pondere peccatorum pressi respirare desiderant, aut itineribus errorum divexati veritatem invenire satagunt. Utrísque subvenit Filius Dei: nam & peccatorum pondus abstulit, & jugum doctrinæ suæ suave imposuit; factúsque est nobis *via, veritas & vita.* In Hebræo est interjectio Vocantis, non sine animi affectu, quæ licèt interdum sit Dolentis, hoc tamen loco est Vocantis ex commiseratione הוי. *O omnis sitiens, ô quicunque siti premeris.* ¶ *Ad aquas*] Manifestum est ex Euangelio *aquarum* nomine Spiritûs S. gratiam & cætera dona designari, quibus sitis aliarum omnium rerum tollitur, & *fons* in animo fit *aquæ vivæ salientis in vitam æternam*, quia cœlestibus inhiare faciunt dona cœlestia, & initia sunt illius felicitatis & arrhabo hereditatis æternæ. Qui enim *illo signati sunt*, ut loquitur Paulus, illuc tantummodo admittentur. ¶ *Qui non habetis argentum*] Nè quis fortè putaret, ut terrena bona sic etiam hæc cœlestia divitibus hujus mundi solùm esse pervia; quòd magno constarent, pauperes verò excluderentur; eos nominatim vocat qui *argento* carent, ut fortè jam hæc significarent, *pauperes euangelizandos*, ut est in Euangelio. Profectò gratis dispensanda dona cœlestia non autem emenda, ut putavit Simon ille, locus hic manifestè insinuat: neque solùm nè *argentum* afferant clamat, sed omnem *commutationem* & omne pretium abigit. ¶ *Emite*] Quæ, quæso, est emptio, si non est pecunia aut aliquid aliud pretium seu *commutatio?* Scito ergò verbum שבר propriè non nisi *frangere* significare: sed cùm de Cibis dicitur vel Potu, est vel *aliis distribuere*, vel *ab habente partem seu fracturam accipere:* neque enim & *pretium* notat; nam sicut Deut. 2. dicitur, quòd *cibum frangerent pro argento*, ità hoc loco *absque argento.* Distributionem ergò donorum *secundùm mensuram fidei*, ut est apud Paulum, ab eo qui dona universa in sua manu habet, *absque* tamen ulla *commutatione*, hìc Dominus designat. Repetit verò verba, *Venite, comedite, accipite fracturam*, (sic enim volui reddere, ut emptionem excluderem) ut quanto desiderio nostræ felicitatis teneatur Deus noster aperiat. ¶ *Vinum & lac*] Colore & sapore suavia sunt ista gustui corporis; somnum etiam inducunt, & à sensu aliarum rerum immodicè epota auferunt: sic Spiritûs S. dona dulcissima & suavissima sunt, neque oculis inspicientium ingrata: & qui ex eis affatim bibit non sitiet in æternum.

2. *Quare*] למה *quorsum.* Frustra esse hominum labores & omnem illam industriam quam pro mundanis bonis impendunt, manifestè affirmat: & ut sequentia ostendunt, de illis loquitur qui Deum non quærunt. Ergò qui oblitus Dei terrenis bonis inhiat, quasi ea consecutus, atque habens quibus ventrem impleat & saturetur, felix esse possit, imprudens omnino

omnino à Domino judicatur: nam sine Deo neque panis panis dicendus est, neque saturitas saturitas. Cùm enim cibo & potu quantumvis largissimo non quiescat animus, neque ab appetendis aliis conquiescat, inhiare semper eum opportebit ad ea quibus caret: quæ cùm plurima sint, plus ob illorum penuriam cruciabitur quàm ob istorum possessionem lætetur. Si verò suâ sit sorte contentus, natura ipsa, ut quæ verorum & nunquam interiturorum bonorum est capax, interim dum illis destituta est, aliis omnibus quæ intereunt nequaquam contenta, ore semper aperto, similis voracissimo cani, præsentibus non fruitur, sed ea quàm citissimè devorat, ut nunquam ingluviem suam possit satiare. Hujusmodi hominem sub nomine *vino indulgentis* describit Sapiens Prov. 23. cujus voces exprimit, *Verberaverunt me, & non dolui; traxerunt me, sed non sensi: quando evigilabo, & rursus vina reperiam?* ¶ *Non in panibus*] Heb. *in non pane*, vel *cum non pane*: ut fortè hic sit sensus, *Si libratis argentum, cur non in altera lance panem apponere facitis, ut pro argento reportetis panem?* Idem de *labore*, quem pro *rebus labore partis* accipere potes. Sed dices, Pro pane do argentum; & ut saturer, laborem impendo. Novi; sed neque panem neque saturitatem consequeris, & misere deciperis quamdiu animum non paveris. ¶ *Audite*, &c.] Vel *attendite ad me*, nempe ut eis quæ dico sensum accommodetis, & *venietis ad aquas* quas dico, &c. quod ver. 6. explicat: orationem enim usque ad eum locum crediderim esse exordium & veluti præparationem ad illam exhortationem, quæ ver. 6. ac sequentibus continetur. Quare verbum אכלו, quod in forma imperativi *comedite* & præteriti legi potest, libenter in præterito legerem cum significatione futuri, *Et comedetis bonum, & voluptatem habebit*, &c. *bonum* verò id quod absolutè bonum est intelligit. *Non*, ait, *bona terræ comedetis*, ut suprà, sed *bonum* cui collata terræ bona bona non sunt. Vel טוב adverbium fit, ut sit quod nos vulgò dicimus, *bene comedere*, i. lautè, opiparè. ¶ *In crassitudine*] Vel *pinguedine*, i. pinguibus. Carnes enim animalium pinguium sapidæ sunt: & vulgò *pingue* usurpatur pro *meliori*. *Si audiatis*, inquit, *& animo percipiatis quæ dico, quod argento & laboribus assequi hactenus non potuistis, absque argento & quavis alia permutatione earum rerum quæ labore parantur comprehendetis, saturitatem videlicet ac delicias: quiescet enim animus vester.*

3. *Inclinate aurem*, &c.] Non semel attentionem exigit, & præmia haud vulgaria pollicetur. ¶ *Feriam pactum*] Fedus hoc exponitur diffusè infrà v. 6, & seq. ¶ *Misericordias David fideles*] Appositio est: *Fedus quod feriam vobiscum, totum est misericordia seu charitas & benevolentia illa & affectus ille plus quàm paternus quem Davidi aperui & juramento firmavi, quod ille testatum & decantatum reliquit Psalmo qui incipit, Misericordias Domini in æternum cantabo, quòd videlicet daturus essem ei filium qui in æternum regnaret: quotquot autem eum vellent regnare super se, beatos futuros. Ergo cùm instet tempus adventus ejus, necesse est ut fedus sanciamus: Ecce enim testem populis*, &c. Hanc esse hujus contextûs expositionem intelliges, si animadvertas hoc in loco alludere Jesaiam ad Ps. Davidis, & ad verba illa, *Misericordias Domini in æternum* [i. quæ æternùm duraturæ sunt] *cantabo.* Dixisti, *Misericordia ædificabitur in cœlis, præparabitur veritas tua in eis*, vel *cum eis* [ut tam firmæ sint promissiones quàm ipsum coelum.] *Disposui testamentum electis meis* [i. sancivi fedus cum electis meis.] *Juravi David servo meo*, &c. Ergò *promissio Davidi facta* erat fedus cum electis, videlicet quòd is qui ex Davide orietur, ipsos redimeret, modò eum reciperent. Cogita ergò sub adventum Christi hanc concionem factam, dicente Deo per ipsummet filium, *Venite ad me, & feriam vobiscum fedus*, i. Accedite ad me, ut feriamus fedus sempiternum: quod in promissione Davidi facta continetur: *fidelis* enim fuit *qui promisit*, adimplevit verbum suum. Certæ fuerunt promissiones illæ; adest tempus, nam

4. *Ecce testem*, &c.] Cùm obscurè & absque expressa mentione Christi de eo sermonem fecisset sub nomine *misericordiarum*, i. promissionum Davidi factarum de misericordia æterna & inenarrabili, subitò per relativum *eum* de Christo planè loquitur, ut hâc subitâ mutatione intelligamus, quonam semper mentes prophetarum tenderent, & in quem intenti erant eorum oculi. Optimè tamen præcedentibus hæc cohærent; nam si innovare fedus necessum esse dicebat, oportebat significaret, propè jam Messiam adesse. Eum igitur dicit primò in testem *datum nationibus*. Est autem testis qui proponit & statuit credenda, & testatur de veritate, & de re comperta. Ea namque natura est testimonii ut de veritate ac re certa aliis testetur quam cognovit, vidit & audivit: cui credere & fidem habere alios oportet qui non viderunt neque cognoverunt. Quare fidem requirit. Indè *testis* aliquando pro *prædicatore*, & *testimonium* pro *Verbo Dei* interdum accipitur, quibus credere oportet. Sic Dominus Jerem. 29. *Ego quod scio*, inquit, *testor:* & Joan. 3. *Amen dico tibi, quod scimus, loquimur, & quod vidimus, testamur; & testimonium nostrum non accipitis:* item 1 Joan. 1. & Actor. 1, & 22. prædicatores Euangelii *testes*, & *testari* dicuntur. Fuit autem Christus Dominus testis earum rerum quæ hactenus erant occultæ in sinu Patris: *Ipse autem ea nobis narravit*, ut inquit Joannes, inter quæ non infimo loco erat Divina dilectio, quâ nos immerentes prosequebatur Pater. Hanc confirmabat adventu suo, qui datus esset mundo à Deo: hoc verbis & miraculis rursum confirmabat. Erat igitur certissimus testis & fide dignissimus. ¶ *Ducem*] Nomen Hebræum נגיד ab *annunciando* dicitur. *Ducem* autem significat seu *antistitem* qui annunciat ac præcipit quid agendum sit. Expedit enim ut qui aliis præest, eos verbis dirigat & eloquentiâ polleat, quâ persuadeat, nè sit dura tantùm imperatio, sed suavis gubernatio & homini accommodata. ¶ *Præceptorem*] A *præcipiendo* dicitur, neque ad doctrinam tantùm refertur. Tria, quæ ordinem inter se considerationė dignissimum servant, hîc Christo Domino tribuit; quòd de veritate testimonium perhibeat; eum amplectendum suadeat; & quòd imperet ac præcipiat, tanquam verus ac legitimus princeps.

5. *Ecce gentem, quam nesciebas, vocabis*]. Hæc mutatio personæ seriem orationis aliquantò obscuram reddit: si ad tertiam reducas, planior erit sensus, ad hunc modum, *Vocabit gentem quam ignorabat: current ad eum qui eum nesciebant, propter decorem quo illum ornabit Deus. Suadeo igitur, ut jam initio cœpi, ut quæratis Dominum, nempe in Christo*, &c. ¶ *Quam nesciebas*] Manifestum est interdum verbum *cognoscendi* Hebræis aliquid præter nudam cognitionem notare. *Ignorat* Deus *impios*, *cognoscit suos*, & passim in Euangelio ità loquitur. ¶ *Current*] Promptitudinem Gentium ad fidem venientium notat, certè *ut ad æmulationem* Judæos *provocet*, ad quos primò hæc, quæ mox sequitur, concio pertinet, qui ad fedus illud soli pertinebant: de quo suprà dictum est, de promisso Christo redemptore, si eum reciperent. ¶ *Propter Dominum*, &c.] Vide mihi causam cursûs istius. Quia gentes viderunt Christum Dominum à Deo decorari sanctitate vitæ, doctrinæ verbo, miraculorum splendore, resurrectionis gloriâ, adventu Spiritus S. in Discipulos ipsius, ipsorum denique vitâ & prædicatione. Hæc, quæ omnia ipsum esse Dei Filium ac verum Deum comprobabant, cùm intellexissent gentes, ad ejus fidem & religionem amplectendam *accurrebant:* ea enim omnia in gratiam suam facta vident. Unde Deum adeò homines amantem redamare dignum judicant. Hunc autem splendorem & decorem, quia Judæi super cor velamen habentes non vident, ideo non occurrunt. Quamobrem consulerem verbi Dei præconibus, ut quoad ejus fieri posset, decorem Christi amplificarent, & quanta sit Euangelii ac crucis dignitas, quantæ Spiritûs S. vires, quàm fulgens sit Apostolicorum hominum virtus, denique *Euangelium gloriæ Christi* perpetuò audientium animis explicarent. Nihil enim sic nos in amorem Christi rapit, nihil sic ad religionem mentes inflammat, quàm decus Christi ac dignitas benè perspecta.

6. *Quærite Dominum*, &c.] Jam federis partes exponit; & unde digressus est, redit Dominus. Dixerat, vocaverat, ut ad se accederent fedus initum; tempus etiam, ut res exigebat, esse jam, quo id præstare deberent, ostenderat; ergò ad federis conditiones redit: quarum prima est, ut Deum propè agentem, & *in medio eorum*, ut dicebat Joannes, *stantem* non ignorarent, aut incognitum sinerent pertransire. Hæc concio, etiamsi omni tempore & omnibus hominibus apta esse videatur, verùm quia de adventu Christi erat sermo, qui bene acceptus felicitatem esset brevi allaturus, incognitus autem ac despectus esset Judæos perditurus; ad eos præsertim intelligenda est pertinere; & ad omne illud tempus referenda est quo Christus inter eos egit, & Discipuli ejus pœnitentiam eis ante vastationem per Titum prædicabant. Tunc enim, quia *propè* erat & recens erat sanctitatis ipsius & miraculorum memoria, facile erat eum *invenire*; & cùm adhuc *propè* esset, *invocatus* exaudiret. Sed quo pacto *quærendus* aut *invocandus* esset jam aperit.

7. *Derelinquat impius*, &c.] Apertus est locus ad asserendam pœnitentiam, per quam fit reconciliatio, & fedus cum Deo sancitur juxta doctrinam Catholicam. Per hanc invenerunt in die Pentecostes tria millia hominum Deum in Christo, quem paulò antè Cruci affixerant, & mox duo millia; & reconciliati in numerum servorum Dei admissi sunt. Vide autem unde initium sumat, a derelictione nempe peccatorum & veterum studiorum,

diorum, ut illa & opere & animo abjiciant. Et hæc est detestatio illa quæ dolorem secum affert, in qua cardo pœnitentiæ volvitur: quæ ex fide & cum dilectione sit oportet, ut vera sit & Deo placeamus. Non solùm autem animus in detestationem veteris vitæ ferri debet, sed ad Deum sese vertere, & propter eum ea sectari quæ ipse jubet, & quæ ei placent ex animo statuere necesse est: quæ duo ubi fiunt, (non fiunt autem nisi dono Dei) quid superest nisi ut hominem miserationis affectu amplectatur Deus, & ei peccata condonet? Deseruit prodigus filius regionem longinquam, deseruit porcos & porcorum siliquas; reversus ad patrem veniam precabatur, volens deinceps apud eum agere. Quid pater? ruit in amplexus & oscula, & gratanti animo illum excepit, vestes detritas abstulit, insignivit veste & annulo, ac convivio excepit. Quid mihi, hæretice, aliam pœnitentiæ & reconciliationis formam fingis? Annon cùm in Euangelio pœnitentiæ formam Dominus voluit præscribere, quâ justificaretur homo ex impio, ut ex ipsius parabolæ exitu apparet, aliam quàm hanc formam præscripsit? Quòd si objicis; ibi nullum de auriculari confessione fieri verbum; nè conturberis: modum enim pœnitentiæ quæ omnibus seculis vim habuit, tantúm ibi ostendere volebat. Alibi enim *ligandi* & *solvendi potestatem* ministris dedit, & *peccata remittendi*. Quod autem in Euangelio longâ parabolâ vides docuisse Dominum JESUM, idem luculentissimè, paucis licèt verbis, hoc loco fecisse videbis Dominum, modò videre velis. Non aliam enim rationem ineundi cum Deo foederis vides quàm per *desertionem* seu detestationem veterum studiorum, & *ad Deum reditum*, i. propositum ex ipsius præscripto vivendi. ¶ *Et miserebitur ejus*] Nullam dubitantis particulam apposuit, sed affirmat ut rem certissimam, quòd Deus misereatur sic pœnitentis ac redeuntis: quod & confirmare non veretur à præjudiciis; *quoniam*, inquit, *multus est ad condonandum*, vel *condonationes multiplicat*. Puto autem quòd hâc loquendi forma significet, uni eidémque sæpius peccanti sæpius etiam peccata remitti, & indulgentiam non denegare clementissimum patrem. Sequentes autem duo versus hoc nemini dubium aut novum videri debere confirmant.

8, 9. *Non enim cogitationes meæ*, &c.] Homines vel semel vix condonant in se peccanti: si verò bis aut ter id quispiam faciat, præter hominum naturam facere videbitur. Longè ab his moribus est Dominus; nam sæpe sæpius uni eidémque homini indulget veniam, modò detestetur ex animo veterem vitam, & novam juxta Christi institutionem ordiri paret. Comparationem autem distantiæ cœli à terra attulit quòd nulla alia major esset in rebus creatis. Quòd si hanc rationem de diversitate cogitationum, morum ac studiorum, non ad id quod immediatè præcessit de condonatione, sed ad totum de Christo mysterium referre velis, non repugno; q. d. *Ne miremini, quòd inter homines appareat Deus homo, ut vobis bene sit, & in deliciis & summâ felicitate vitam agatis: (agetis autem si Deum in Christo quæsieritis ad ipsum reversi) quoniam meæ cogitationes admodum à vestris dissimiles sunt, hâc unâ viâ dignum duxi hominum rebus succurrere. Non est quòd Divinum hoc consilium scruteris, sed quòd admirans gratias agas & ipsi adhæreas.*

10. *Et quomodo*] כי כאשר *quia sicut*: sed interdum *Quia* Hebræis non reddit rationem; sed est continuandi particula, ut Vulg. accepit. Ostendit autem quem fructum haberent si pœnitentiam agerent, si fedus illud pacis inire vellent: nempe, quòd quæ bona initio capitis dixerat consequerentur, comederent bona, in deliciis agerent, & omnimodâ felicitate fruerentur. Nam Filius Dei non frustrà ad terras descendit, sed ut homines felices redderet: hoc certè efficiet, &c.

11. *Sic erit verbum*, &c.] Vel *est*, *egreditur*: futuris enim pro præsentibus utuntur. Hæc de ipso æterno Verbo intelligere non ineptè possumus, cujus descensus apud Davidem jam *descensui pluviæ* assimilatus fuerat; quia occultâ virtute à supernis descendens inferiora fœcundat, ut terra decorem suum habeat, & adjuta superno humore fructus suos ad hominum commoditatem afferat. Cuinam rei aptiùs adventus Domini comparabitur? nam præter hominum opinionem & sensum germinante terrâ Spiritu sancto fœcundatâ, facies orbis immutata est: & non tantùm *semen ad seminandum*, *panem ad comedendum* habet homo; sed unde decoretur, & delectationem capiat in omnibus bonis cœlestibus: quæ licèt oculis carnis non videantur, videntur tamen & sensu percipiuntur fidelium. Notandum autem, quòd in redditione comparationis non dixit, *Non illuc revertitur*, quemadmodum de Pluvia & Nive dixerat, sed quòd *non rediret vacuè*: rediisset autem si hæc hominibus non tribuisset. Quid igitur faciet? *faciet proficere*, *promovebit*, faciet ut res propter quam advênit felicem exitum consequatur. Quod certè fecit non veniendo modò verùm etiam redeundo: nam *qui descendit, ipse est & qui ascendit super omnes cœlos, ut adimpleret omnia.* Quod hic Jesaias dixit, *rem promovere, ut progressus faceret*, dixit Paulus, *ut adimpleret omnia.* Quid autem sit *adimpleri omnia*, ipse quoque Paulus mox exponit: & ipse *dedit quosdam* quidem *Apostolos*, *quosdam Euangelistas*, *quosdam prophetas*, *alios pastores*, *& doctores*, *ad consummationem sanctorum*, [i. ad complendum numerum electorum] *in opus ministerii*, seu *dispensationis*, [i. ad dispensanda & ministranda Sacramenta in Ecclesia, & verbum Dei] *in ædificationem corporis Christi*, *donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionis filii Dei*, *in virum perfectum*, *in mensuram ætatis plenitudinis Christi*, i. ut simus conformes & similes Christo, qui summam perfectionem habuit, qualem in naturalibus habet vir qui trigesimum annum attigit. Possunt hæc etiam de Verbo Dei accipi, quod omnia efficit quæ Dominus præcipit. *Immittit eloquium suum terræ, velociter currit sermo ejus. Ergò cùm dico, quòd fruemini bonis, ità omnino futurum est*, &c.

12, 13. *Quia in lætitia*] Ecce quomodo res Christi progressus faciet: Educentur enim electi Dei ex omnibus locis ad quæ dispersi erant. Venient autem summo cum gaudio ad Christum & Ecclesiam; tantáque erit exsultatio, ut quæ sensu carent illis congratulari videantur. Ei enim qui Christum induit, elariùs resplendere sol, & lux diei pulcrior multò videtur: gratiora sunt ei omnia, & vultu lætitiam præ se ferunt universa. Nullæ jam spinæ, nulli infructuosi frutices in agro ejus succrescunt: grata & læta sunt omnia ob mansuetudinem, patientiam, charitatem & cætera hujusmodi dona, quibus per Christum donantur. Hæc autem promotio, hæc hominum reductio & sanctificatio erit Deo in nomen & in monumentum ac memoriale æternum, quod nunquam interibit aut abolebitur. Filius enim Dei Patrem glorificavit super terram: neque de Dei bonitate, sapientia ac potentia tanta mortales credidissent, nisi agnito mysterio Christi.

Possunt nihilominus hæc omnia sic quoque aptissime accipi, *Omnes sitientes venite ad aquas*, &c.] Invitantur Judæi ut participes esse velint hereditatis servorum Dei: isti enim siti adventûs Christi laborare videbantur. *Quare appenditis*, &c.] Judæi toti in ceremonias & cultus & sacrificia incumbebant, & in exteriora legis, *quæ neque ipsi neque Patres portare potuerant*: jejuni tamen manebant, qui fidem negligebant, justitiam & misericordiam. *Audite audientes*, &c.] Exhortatio est ut justificari per Christum velint, non per Legis justitias. Jejunus namque est animus & arescit interim dum Christum non induit, nihil succulentum comedit aut pingue. Vento pascebantur Judæi, & apparenti tantùm justitiâ: anima autem eorum vacua erat. *Feriam vobiscum*, &c.] Si Christum audieritis, confederabimini Deo federe durabili & non interituro: quale fuit quod cum Davide pepigit Deus de misericordia & beneficentia in æternum illi servanda. *Ecce testem*, &c.] Est veluti comminatio: futurum enim erat ut ad Gentes se transferret Christus, malè acceptus à Judæis. *Ecce gentem*, &c.] Imò ità futurum prædicit, & visuras gentes splendorem & decorem vultûs Christi, qui multò magis quàm facies Mosis resplendet. *Quærite*, &c.] Adhortatur ergò Judæos ut sapiant quàm citissimè & pœnitentiam agant: nam licèt occiderint heredem, largum tamen esse in condonando Deum: nullis enim magis amplificanda erat Dei misericordia in condonando quàm Judæis, qui Christum negarunt, & filium Dei sibi promissum occiderunt. *Non enim*, &c.] Solutio est tacitæ Objectionis. Quid? numquid Judæos deseres? numquid populum tuum abjicies? numquid ad immundos & circumcisos te conferes? Respondet, *Ignoratis sensum Domini*: *longè diversa sunt cogitationes meæ*, &c. Ad hunc autem locum allusisse credendum est Apostolum eo loci, ubi cùm reprobatis Judæis electas Gentes dixisset, exclamavit, *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & impervestigabiles viæ ejus! quis enim novit sensum Domini?* &c. *Quia sicut descendit*, &c.] q. d. *Ne miremini quòd relictis vobis ad Gentes me transferam: non enim decebat filium Dei frustrà in mundum venisse, & vacuum reverti: oportebat ut hominem, cujus naturam susceperat, juvaret ac redimeret. Ità omnino fiet; si vos non credideritis, alii credent, neque deerunt Christo fratres: quoquò enim se verterit, res ei bene cedet.* Est quod suprà dixit, *Voluntas Domini in manu ejus dirigetur*, vel *progressus faciet. Quia in lætitia*, &c.] Jam ad Gentes conversus ipsas alloquitur, & omnia eis felicia promittit: quod tandem ingentem Domino gloriam allaturum propheta asseverat: omnium enim Deum esse voluisse, & *omnes homines salvos facere*, non poterat non esse in nomen & signum seu monumentum

nosæ aut inutiles, ibi satum iri arbores ad usum aut voluptatem egregias. Chaldæus allegoricè sumit, impiis successuros viros pios.

Et erit Dominus nominatus in signum æternum, quod non auferetur] Id est, *his visis Dei nomen celebrabitur perpetuò.*

C A P. LVI.

M U N S T E R U S.

2. C*Ustodiens Sabbatum*] Monet Propheta ad observantiam Legis donec veniat Christus, ad cujus Regnum Lex tanquam pædagogus parat. Per *observantiam Sabbati* intellige cultum Dei & omnia quæ nos Deo debemus, & non otiosam illam externam quietem quam Judæi tanti faciunt ut plerique putent adventum Meschiæ retardari ob continuam Sabbati violationem. Alii verò dicunt כי התשובה מעכבת ביאת המשיח, *quod pœnitentia retardet Christi adventum.*

3. *Qui est adjunctus Domino*] Loquitur de proselytis sui temporis, qui ob id quòd de semine Abraham non essent, & promissiones non haberent, non desperarent, cùm Deus non sit personarum acceptor.

5. *Nomen melius*] Quia, inquit, tales fideles sunt mihi, etiamsi non sint de semine Abraham, erunt mihi amabiliores infidelibus Judæis, qui solùm de hoc gloriantur quòd sint filii & filiæ Abraham.

9. *Bestiæ agri, venite*] Advocantur contra impios & præfractos Judæos Reges Gentium, ut illos dilacerent & dispergant. Notanter autem exprimuntur *speculatores cæci.* Principes scilicet & Doctores populi, qui *muti* & *impudentes* erant *canes*, pascentes ventres suos, & præterea nihil agentes. Tales ferè hodie sunt qui Pastorum gloriantur nomine, *canes muti*, ignavi, avari, & luxui dediti, Oves, quas pascere debuerant, deglubentes & dilacerantes, nihil aliud quærentes quàm ut saginent cutes suas, & nulla prætereat dies quæ hesternam non excedat in luxu. Vide tu, Lector, si Propheta non respexerit ad tempora nostra. Alii utramque versiculi partem legunt in vocativo, *Omnes bestiæ agri, venite ut comedatis, universæ bestiæ saltûs.*

V A T A B L U S.

3. A*Dhæret* הנלוה] *Adjunxit se.*

4. *Qui servaverint*, &c. אשר ישמרו] Futura Heb. pro præsentibus, ut quidam vertunt, *Qui custodiunt*, &c.

5. *Quam filiis & filiabus* מבנים ומבנות] *Quàm filii & filiæ*, i. Patriarchæ, sub. *habuerint*: nam pleniùs effusa est in nos Dei gratia adventu Christi.

7. *In domo orationis mea* בבית תפלתי] Pronomen transpositum est, ut nonnulli vertunt, pro, *in domo mea orationis*: nam mox sequitur, *Domus mea, domus orationis vocabitur.* ¶ *Grata* לרצון] Ad verb. *in beneplacitum*, i. accepta. ¶ *Vocabitur*, &c. יקרא לכל העמים] Hebraismus, pro, *templum meum dicetur templum etiam omnium populorum, in quo illis orare me liceat, & exaudientur*: nedum Judæis, apud quos singulari privilegio constitutum erat, nec permittebatur aliis nationibus ipsum ingredi.

8. *Dispersos* נדחי] *Expulsos: exsules.* ¶ *Super eum* &c. עליו לנקבציו] i. Præter Israelem congregabo etiam eos quos adjuncturus sum illi in Ecclesia mea.

11. *Fortes animâ* עזי נפש] Sub. *appetente*, i. edaces, aut voraces. ¶ *Et ipsi pastores non norunt intelligere* והמה רועים לא ידעו הבין] *Et pastores ipsi nihil sciunt, nec intelligunt.* Alii, *& iidem pascunt sese, non norunt intelligere.* ¶ *Reversi sunt* פנו] *Declinant.* Ad verb. *respiciunt.* ¶ *In termino suo* מקצהו] i. Quilibet in regione sua, in loco suo, & in episcopatu: ut sit מ pro ב. Alii, *à fine suo*, i. à parte sua: quod Gallicè dicimus, *Chacun a son endroict.*

12. Vel *major* &c. גדול יתר מאד] Vel *major, excellentior multò*: vel *multò major & excellentior.* Ad verb. *magna*, & *excellens valde*: q. d. Idem faciemus die crastinâ, aut certè fortiùs compotabimus.

C A S T A L I O.

9. I*Tem præter eos, colligam ad eorum collectitios, bestias agrestes*] h. e. Cùm Israelitas in sacrum montem per Christum collegero, oppugnabuntur à Gog & Magog: quos ego vincam, eorúmque corpora bestiis comedenda tradam. Vide Ezech. 38, & 39. Esa. 18. Brevis est sententia, in qua ex sequentibus intelligenda sunt præcedentia.

11. *Nesciunt saturitatem*] Sunt insatiabiles.

C L A R I U S.

2. C*Ustodiens Sabbatum*] Monet Propheta ad observantiam Legis donec veniat Christus, ad cujus Regnum Lex tanquam pædagogus parat. Per *observantiam Sabbati* intellige cultum Dei & omnia quæ nos Deo debemus, & non otiosam illam externam quietem quam Judæi tanti faciunt ut plerique putent adventum Messiæ retardari ob continuam Sabbati violationem. Per illud verò quod priùs ait, *Custodite judicium, & facite justitiam*, quidam intelligunt nos tunc *judicium facere* cùm nos agnoscimus peccatores; *justitiam* verò, quando illam Deo tribuimus. Alii per *judicium* scientiam, per *justitiam* opera accipiunt. Alii *judicari* dicunt inferiores, *justitiam* fieri in æquales vel superiores.

3. *Qui adhæret Domino*] h. e. Cui in animo est adhærere Domino. Loquitur de proselytis sui temporis, qui ob id quòd de semine Abrahæ non essent, & promissiones non haberent, non desperarent, cùm Deus non sit personarum acceptor. Tacitè autem alloquitur eos qui ex Gentibus accessuri erant ad fidem.

4. *Hæc dicit Dominus eunuchis*] Pulchrè hunc locum tractat M. Basilius in libro De virginitate. Quæ autem Dominus in Euangelio dixit de eunuchis si consideres, hæc Esaiæ verba intelligere aptè poteris: Sub Euangelica enim prædicatione non quæritur propagatio carnis, sed commendantur qui sese castraverunt ob Regnum cœlorum.

5. *Nomen melius*] Quia, inquit, tales fideles sunt mihi, etiamsi non sint de semine Abrahæ, erunt mihi amabiliores infidelibus Judæis, qui solùm de hoc gloriantur quòd sint filii Abrahæ.

8. *Congregabo ad eum congregationes ejus*] Alii sic interpretatur, *Congregabo contra eum ultra illos, qui hucusque congregati nocere conati sunt illis*: ut dictum videatur contra perfidos Judæos; contra quos consequenter in illis verbis, *Omnes bestiæ agri, venite*, &c. advocantur Reges Gentium, ut illos dilacerent & dispergant. Notanter autem exprimuntur *speculatores cæci*, Principes scilicet ac Doctores populi, qui *muti* & *impudentes* erant *canes*, pascentes ventres suos, & præterea nihil agentes, & cùm multo vino se ingurgitaverint, sperantes omnia in dies meliùs habitura.

F O R E R I U S.

1. C*Ustodite*, &c.] Hæc est illa concio Joan. Baptistæ ac Domini nostri, *Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum cælorum*; quâ manifestè significabant non habituros oculos quibus videre possent, aut sensus quibus perciperent Dei regnum & quæ in illo sunt mysteria, qui peccatis immersi jacerent, & veterem vitam non detestarentur. Hic quoque locus Lutheranos arguit; Quid enim, dicerent, opus est justitiâ meâ & observatione mandatorum Dei, si justitia Christi in foribus est? Imò verò ob hoc ipsum mihi injungitur justitiam amplecti ac colere, suum cuique reddere, neminem opprimere, omnibus benefacere: quia justitia Christi instabat, quasi frustra adveniret, neque quidquam mihi profectura esset Christi salus ac justitia, nisi hoc facerem: non enim communicatur Christi justitia impœnitentibus.

2. *Beatus vir, qui*, &c.] אשרי optimè per circumloquium redditur, *Bene habebit! ô quàm bene habet! ô felicem virum!* &c. est enim adverbium, quantum conjicere possum. Vidit Propheta quanta futura esset illius hominis felicitas qui huic quod dabat consilio acquiesceret: prorumpit itaque in ejus viri, quisquis is fuerit, laudes. O te felicem, etiamsi miser à nativitate sis, (nam nomen אנוש *à miseria* videtur, aut à *desperatione* quæ à calamitate oritur appellationem habere, quæ in quævis scelera ruere facit absque fræno) quamvis heres sis mortalitatis & laboris, & *filius Adæ*! Hæc enim nomina Propheta libenter apposuit quæ hominis miserabilem sortem notant, ut insinuaret omnia illa per hanc, quam prædicabat, felicitatem absorbenda. Sed cui, quæso, beatitudinem promittit? certè illi, qui *faceret judicium & justitiam apprehenderet.* Poteris prius verbum ad id quod priùs dixerat referre, nempe *custodire judicium*, & *facere justitiam*: posterius ad id quod secundo loco, videlicet *apprehendere salutem & justitiam, quæ adveniebat*: q. d. *O felicem illum hominem qui fecerit quod dico faciendum, & apprehenderit quod dico venturum; fecerit justitiam, & apprehenderit justitiam & salutem!* Sed quomodocunque dividas, idem omninò significatur. Propheta enim prædicatur *beatum*;

tia. Nam præter hoc quòd totius Divini cultûs sint, aut certè fuerint observantissimi Euangelici eunuchi, nulli magis perpetuum Deo Sabbatum celebrant. Sed de illis loquor qui noctes diésque Deo Divinísque meditationibus & intelligentiæ Scripturarum consecrant & impendunt. Legant quæ de monachis scribat Philo Judæus & antiqui Patres. Quid dicam de electione eorum quæ Deo placent (quod in Propheta sequitur) & de firma legis Dei observatione? qui sunt qui *optimam partem* cum Maria *eligunt?* quinam sunt in Ecclesia Dei, qui nè violent vel in minimis Dei fœdus abstrictiori disciplinâ se communiunt, nisi veri monachi & ministri Domini, quos *Clericos* vocamus? Nam si plurimi ex eis multò aliter vivunt & mundo serviunt, aut concubinas alunt, & fœdus Dei conculcant, ipsi damnationem majorem sibi acquirunt; nec istos quisquam laudaverit, sed indignissimos ipsâ vitâ judicaverit: ipsum verò institutum, quod sanctissimi viri juxta verba Prophetarum & Apostolorum secuti sunt, quam causam habent propter quam accusent? Sed impudentes homines, & qui cùm soli sapere videri volunt ob superbiam suam insipientissimi sunt, missos faciamus. Certè locus hic Prophetæ maximum mihi solatium solet conferre: video enim in his verbis tot ante Christum annis Eunuchorum Euangelicorum delineatos mores ac professionem, & singula ità enarrata, ut si mihi donet Deus Opt. maximus illos antiquos monachos imitari, non possim me felicium numero non annumerare. Non enim de hac re loquitur Propheta nisi tanquam de maximo beneficio: quare & *nomen non interiturum* addidit. Nunquam enim Basilii, Hieronymi, Augustini, Gregorii Nazianzeni & Magni Benedicti, Bernardi, Dominici, Francisci, ac multorum qui eos tam instituto quàm moribus secuti sunt, memoria interibit, quantumvis insaniant hæretici.

6. *Et filios advenæ*, &c.] Prohibuerat nè dicerent alienigenæ; aut certè futurum dixerat non eos dictutos posthac, *Separatione separavit nos*, &c. Jam rationem hujus reddit: apponit tamen priùs conditiones quasdam, sicut de Eunuchis fecerat. Non enim gentes quæ ad Christum venirent inter filios computarentur, aut in populo Dei censerentur, nisi hæc adimplerent. Primum & veluti caput est, quòd addicant se Domino: quod fit quando nomen suum dant, & se religioni Christianæ addicunt in baptismo. ¶ *Ut colant eum*] Explicat quibus partibus constet illa *addictio*, seu *adjunctio*. Est autem שרת Hebræis *ministrare:* & minùs durum est quàm עבד, quod etiam de duriore servitute dicitur. Id apparet ex Num. 8. ubi de Levitis dicit Moses, *A viginti annis & suprà intrent ad militandum militiam in servitio tabernaculi constitutionis, & à filio quinquaginta annorum revertetur à militia servitii, & non serviet ampliùs, sed ministrabit fratribus suis in tabernaculo, ut custodiat custodiam, sed servitium non serviet.* Ubi vides שרת dici ministerium levius, quod jam emeriti facere & præstare poterant: alibi tamen, sicut hoc loco, ferè non distinguuntur. Exigit itaque ab eis, *ut ministrent Domino*; deinde *ut diligant*, seu *cupiant nomen Jehovæ*, nè scilicet sint tanquam servi sub lege, aut serviant *spiritu timoris*, sed ex animo tanquam filii & adoptati ament Dominum, & ad commemorationem ejus excitetur in eis desiderium, & amoris flammæ accendantur; denique ut sint Domino *in servos*, (ubi utitur nomine עבדים) neque alteri quàm Domino serviant. ¶ *Omnem custodientem*, &c.] Duabus iterum partibus omnes conditiones complectitur, *cultu* videlicet *Sabbati*, per quem omnem cultum notat qui Deo exhiberi debet, & *firmam retentionem fœderis*, quæ est totius legis adimpletio & mandatorum Dei observatio; nè sint sicut qui *labiis honorabant Deum*, & *corde longè aberant ab ipso:* qui universam justitiam cultu & sacrificiis cæterísque ceremoniis definiebant; *justitiam* autem, fidem & *misericordiam*, quæ *graviora* erant *legis*, i. præcipua & majori honore digna, prætteribant atque ignorabant.

7. *Adducam eos*, &c.] Est hîc conjunctio in Hebr. sicut suprà ver. 5. Ecclesiam significat per *montem sanctum*, seu *sanctitatis:* de quo 2. cap. quòd *erit in vertice montium*, &c. Ibi quidem dicitur, quòd ipsæ *gentes illuc confluerent:* hic quòd Dominus *eas adducat:* *nemo* enim *potest venire ad Christum, nisi pater cœlestis eum traxerit:* sed quia hæc attractio libertatem non tollit, dicimus illos venire summo cum desiderio, & Deum eos adducere suâ misericordiâ. ¶ *Lætificabo eos*, &c.] Qui in templo vota reddebant, & gratiarum actionis sacrificia offerebant; *lætari* dicebantur *coram Domino:* in festis etiam statísque diebus in domum Domini lætantes ibant: denique ibi laudabatur Dominus vocibus & omni genere instrumentorum musicorum; quod certè erat lætantium. Sed nonne in Ecclesia potiores sunt gaudii & lætitiæ rationes? *Alii laboraverunt, nos in labores eorum introivimus:* &, ut cætera omittam, ex gentibus Pontifices & Sacerdotes efficiuntur, & sacrificium offerunt pro se & pro aliis, & hostias laudationum & labiorum confitentium nomini Domini: quod mox exponens ait, ¶ *Quia domus mea, domus orationis vocabitur cunctis populis*] Quæ tantùm Judæis hactenus patuerat, jam per Christum omnibus populis patuit; nam etsi ad Templum liceret accedere gentibus ad deprecandum Deum, ut apparet ex verbis Salomonis in dedicatione Templi 3 Reg. cap. 8. admittebantur tantùm ut hospites. Per Christum autem jam non hospites, sed ut *cives sanctorum*, & *domestici Dei.* Notanda est autem lætitiæ ratio, nempe quia *domus Dei est*, & *dicitur domus orationis cunctis populis*, ut acceptaret eorum sacrificia, ut videas quòd habere Deum qui preces audiat & vota suscipiat, certa esset & vera lætitiæ causa. Est autem תפלה Hebræis *oratio* quâ Deo causam nostram exponimus, tanquam qui nosmetipsos dijudicamus, & nostra scelera, aut certè ad malum incitamenta damnamus, & ex ejus misericordia sanari optamus: est enim à verbo quod quasi *semetipsum dijudicare* notat: quod quia nusquam veriùs & puriùs fit quàm in oratione, pro *orare*, seu *interpellare* accipitur; quando videlicet causam nostram cum Deo tractamus. Hæc certè est propria vocis significatio ex verbo hitpahel; quam exposuit Paulus cùm ait, *Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur*, &c. Animadverte quoque, quòd pro maximo in gentes collato beneficio apponitur, Posse cum Deo causam suam tractare. Intelligito etiam ad hoc instituta templa in Ecclesia Christi, ut orationi in eis vacetur: ipsam quoque Ecclesiam hoc nomine à Deo non nisi tanquam glorioso nominari, *domum orationis.*

8. *Ait dominus Deus*, &c.] Est in Hebræo illa usitatissima asseveratio in rebus maximis, quam cum Paulo reddere consuevimus *Fidelis sermo.* Videtur autem ad id quod mox sequitur referendum, *Adhuc congregabo*, &c. Putare enim possent Judæos ex his quæ dicebantur, deserturum Dominum Judæos, &c. Nè hoc, inquit, veniat in mentem. Is enim Deus, cujus est depulsos Israelitas congregare, qui hoc sibi nomen toties imposuit, & toties pollicitus est quòd ex universis terris, ad quas ejecerat eos, colligeret eos, is ipse affirmat & veluti jurejurando confirmat; ¶ *Adhuc congregabo*, &c.] Non impedit, inquit, vocatio gentium quò minùs & vos congregemini: *postquam* enim *ingressa fuerit plenitudo gentium*, ut est apud Paulum, *tunc omnis Israel salvus erit.* ¶ *Congregabo ad eum*] Nempe Israelem. ¶ *Congregatos*] Seu *congregandos.* Similis locutio est in Actis, *Crediderunt quotquot præordinati erant ad vitam æternam:* Ità per Christum ex Israele congregati sunt quotquot præordinati erant ut congregarentur.

9. *Omnes bestiæ*, &c.] Hoc cum his quæ immediatè præcesserunt connectenda sunt, hunc modum; Dicit quidem Dominus, quòd adhuc colliget ex Israele eos qui congregandi sunt: verùm non statim id fiet, sed priùs patietur Israel inauditas calamitates, & hostium violentiæ patebunt, qui furorem suum & odium in eos satiabunt. Universa autem hæc mala ab ipsis Magistratibus & Pontificibus ortum habebunt. Mihi autem pro comperto est, quòd de Scribis & Pharisæis & Pontificibus illis sit sermo qui tempore Christi & Apostolorum Israeli præfecti erant. Porrò ut indignationem suam Dominus, vel etiam Propheta, in eos ostenderet, subitò & ex abrupto in hæc verba prorupit, quasi doleret quòd vitio ipsorum futurum esset ut gentes ad Deum venirent, populus verò Dei tam dira pateretur. Per *bestias* itaque Romanos & cæteras nationes quæ adversùs Judæos convenerunt, intelligit.

10. *Speculatores*, &c.] In Speculatore commendatur maximè visûs acumen. Quid si *cæcus* fuerit? Hic intellige eos qui in spiritalibus præsidebant, Sacerdotes, legis Dei interpretes & doctores, quorum est Magistratibus & populo annunciare quæ ipsis impendent mala, vel ex revelatione, vel certè ex conjecturis, partim ex moribus populi, partim ex illis quæ de Deo in Scripturis legunt, ductis. Vide locum apud Ezech. quòd *eum constituisset speculatorem, & nunciaret gladium venientem*, &c. Hæc cura in populo Christiano Pontificibus & prædicatoribus verbi Dei incumbit. Erant *Speculatores* illius tempestatis *cæci:* quod veluti exponens ait, ¶ *Nescierunt universi*] i. Sunt insipientes; nihil eorum quæ oportebat eos scire noverunt. Sapientia enim est veluti lumen in animo; & quod est in ferro acies, ut habes Eccl. 10. Certè huc respexit Dominus cùm ait de ipsis Pharisæis & doctoribus, *Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum*; & Matth. 23. *Stulti & cæci*; &c. Non intelligebant Scripturas, neque intelligebant adesse Messiæ tempus, aut qualis esset futurus ipsorum Messias: Spiritu Dei carebant, neque inter bona nisi visibilia computabant; cùm etiam se sanguine innoxio agni immaculati commaculassent, non intellexerunt quòd Deus esset vindex & patiens redditor. Quare hanc ce-

cæcitatem & ignorantiam sequebatur ut muti quoque essent. ¶ *Canes muti*] In hoc tantùm utiles sunt domestici canes, ut latratibus suis adventum eorum qui incommodare possunt annuncient, & lupos ac fures arceant. Quòd si *muti* sint, cùm naturâ sint voraces, plus ex eis damni quàm utilitatis accrescit. Sic Prophetæ seu doctores, si insipientes sint & *muti*, quid futurum speres? præsertim si hæc ex vitio animi patiantur. Certè sæpe mecum cogito, an præstaret interdum aliquot dierum spatio talibus pastoribus carere populum, si alios habere non possit; nam si populus intelligeret non habere se *speculatores*, aut oves noscerent carere se *canibus*, quisque pro se invigilaret atque caveret. At cùm putent se hujusmodi hominibus nequaquam destitutos, sed ex exteriori ornatu & loco seu dignitate colligant sibi superabundare Prophetas, Episcopos & Doctores, à quibus admoneantur de rebus necessariis, de moribus, de falsa doctrina, de ira Dei, & cæteris quæ scire & tenere oportet, in portu se agere arbitrantur. Sed me miserum! in portu naufragium: nam sunt idola & statuæ & *canes muti:* devorant substantiam populi, lac absumunt, lanâ operiuntur, adeóque inutiles sunt, ut pro beneficio ducendum sit si non versi in *bestias* oves devorent. ¶ *Videntes vana*] Heb. הזים Hieronymus legisse videtur cum ח, i. *videntes*, & quia de Cubitu erat sermo, addidit ad elucidationem de suo *vana*. Verisimile autem est mutationem similium literarum factam fuisse, ה videlicet in ח, quòd nullo alio loco hæc vox aut radix legatur. Chald. quidem vertit נימין, i. *dormientes*, seu *dormitantes*; ego *ignavos* dicerem, si non est scriptoris vitium. Est autem non contemnendus sensus si *videntes* legas, *videntes*, *cubantes*, i. qui dormiturire gaudeant; ignavi enim canes paululùm si caput attollant, paululùm si respiciant, quia auditu polleant, rursus caput reclinant, & perinde se habent ac si nihil vidissent: ità prorsus Pharisæi & Scribæ *videntes & cubantes:* nam etsi legebant quod *in Bethleem nasceretur Christus*, in adventu Magorum paululùm caput attollentes Scripturas evolverunt, rursus cubantes somno sese dedêre: nec aliter se in aliis rebus gerebant quæ è re populi erant, & ad Israelis salutem spectabant.

11. *Canes impudentissimi*] Heb. *canes* עזי נפש, *obfirmati animo*; quod unicâ dictione Vulg. *impudentissimos* dixit. Impudentia enim faciem obfirmat, & immotos facit, sicut pudor, avertere faciem, ac discedere ab incepto. Sic Deut. 28. dicitur, *Gens obfirmatâ facie:* pro quo Vulg. dixit *gentem procacissimam*. Sequitur enim, *Quæ non deferat seni, neque misereatur pueri*. Est autem canis naturâ impudens. Sensum ergo Vulg. reddidit: ego verba retinui, *obfirmati animi*, vel *anima*. Videtur autem *anima* pro *ingluvie* accipi posse. Quod autem sequitur hujus est expositio. ¶ *Nescierunt saturitatem*] Potest addi aut etiam omitti relativum, *qui non noverunt saturitatem*. Ignavorum hoc certè est: nam qui vident, qui intelligunt & sapientiâ præditi sunt, præterquam quòd ipsâ sapientiâ pascuntur, paucis etiam contenti sunt: nam neque corpori nimiùm indulgere sinit ipsa sapientia, multorum etiam coacervationem esse inutilem & sapiente viro indignam intelligunt, ut quæ citò relinquere oporteat, & animum à vero & bono avocent. Adde, quòd absque aliorum injuria vix acquiri possunt: & si acquisita aliis non communicentur, insipientiam possessoris & crudelitatem produnt. Quàm autem insatiabilis fuerit Ecclesiasticorum illius temporis avaritia, Euangelia satis indicant. Habes igitur vitia quibus laborabant Ecclesiastici, cæcitatem seu ignorantiam, ignaviam, taciturnitatem, otium, desidiam, delicias, ingluviem, avaritiam. Quantùm verò hæc *speculatoribus* & ducibus indigna sint, videant, quæso, nostri & meminerint, hæc *bestiis* tutum præbuisse ingressum ut devorarent Ecclesiam Dei, ut ubicunque reperiantur eosdem effectus sperare possimus. Legant hæc Episcopi, & confundantur: nam quod sequitur, licèt ad eos posset referri, ad politicos Magistratus puto pertinere. ¶ *Pastores non noverunt*, &c.] *Pastores* etiam profanis scriptoribus Reges dicuntur; & David è *pastore ovium*, ut ipse ait, vocatus est *ut esset pastor Jacob, quem pavit summa cum innocentia & sapientia:* & suprà Cyrus *pastor* vocatur, &c. Etsi enim ab Ecclesiasticis pascuntur verbo & exemplo spirituales oves, à magistratibus quoque diriguntur & gubernantur legibus & *gladio*, quem *non sine causa portant*. His quoque ferè eadem vitia quæ Ecclesiasticis tribuerat adscribit. Primùm in his etiam taxat ignorantiam: nam sapientia in Regibus & Magistratibus summopere necessaria est; unde apud Xenophontem legis, *Nihil magis in imperatore necessarium, quàm quòd eum sui sapientiorem aliis existiment.* Hanc autem opinionem is tantùm habiturus sit qui re verâ sapientior fuerit. Lege Proverbia Salomonis. ¶ *Intelligentiam*] Est Hebræis הבין *intelligere cum discrimine & dijudicatione*, 1 Reg. 3. *Ad intelligendum inter bonum & inter malum*, i. ad dijudicandum, &c. Possumus itaque hoc loco vertere, *Non noverunt discernere*, seu *dijudicare:* quod magistratuum præcipuum munus est, & ad sapientiam pertinet, quâ pollere Salomonem Israel intellexit, quando causam meretricum dijudicavit. ¶ *Omnes in viam suam declinaverunt*] Sicut eo tempore, de quo dicitur in lib. Judicum 17. *Non erat rex in Israel, & unusquisque quod rectum sibi videbatur, hoc faciebat. Declinare*, seu *faciem vertere unumquemque in viam suam* est, quod cuique libuit, id sequi: quisque pravitatem cordis sui secutus est, h. e. *traditi sunt* omnes *in desideria cordis eorum*. In his verbis designatur, quòd nullus fuerit in magistratibus Judæorum animorum consensus, non *idem omnes saperent*, sed omnium legum contemptus, & quisque sententiam ferret secundùm sensum & mentem suam. Vitia autem mentem immutare docet etiam Ethnicorum disciplina. ¶ *Unusquisque ad avaritiam suam*] Seu *utilitatem & emolumentum suum:* est enim בצע à verbo quod *vulnerare* notat, ac deinde *avaritiam exercere:* quare pro *lucro* seu *emolumento* accipitur; cui qui intentus est alios vulneret necesse est; vel quòd qui hoc vitio laborant, habeant in corde veluti vulnus, ut non à lucro mentem aut sensum valeant avertere, juxta illud Jerem. 22. *Non est oculus tuus & cor tuum, nisi ad avaritiam tuam*, seu *lucrum tuum*. Genes. 37. *Quod lucrum est, si occiderimus fratrem nostrum*, &c. & Ps. 30. *Quæ utilitas* (vel *quod lucrum*) *in sanguine meo*, &c. Quòd si de ea rep. actum est, in qua privati homines in quæstum & proprium emolumentum intenti sunt, neque communis boni ratione tanguntur; quid sentiendum putas si hoc malum magistratus quoque invaserit? ¶ *A summo usque ad novissimum*] Heb. מקצהו: quam vocem variè reddunt Interpretes. Ego putarem pronomen affixum referre ipsum *quæstum*, seu *lucrum*, & Mem esse Privativum, q. d. *Unusquisque vertit faciem ad lucrum suum, absque ejus termino:* quòd avaritiæ seu lucro finem non imponerent, sed *cresceret amor numi quantum ipsa pecunia:* nam nomen קצה in statu regiminis, & affixi servat ה. Quòd si idem dixeris in infinitivo contingere, erit infinitivus cum Mem, & idem quem dico sensus. Vulgatus pronomen affixum retulit ad nomen איש, i. nemine dempto: ideo dixit, *à summo usque ad novissimum*.

12. *Venite*] Mimicè voces eorum exprimit Propheta: ex quibus quæ fuerit eorum mens & studia, non jam ex narratione sed ex re ipsa perciperemus. ¶ *Sumamus*] In Hebr. est in singulari; sed parùm hoc ad sensum facit: *sumam vinum*; quisque sic loquebatur: alii, quasi respondendo, dicebant, *Potemus siceram*. ¶ *Et erit*] Sensum expressit Vulg. ego verbum verbo reddidi. Majorem & copiosiorem compotationem sibi in crastinum promittebant, quo intelligimus summum bibendi studium, de quo suprà cap. 5. *qui manè surgebant ad bibendum vinum, & in compotationibus usque ad crepusculum permanebant*, & *potentiam suam in epotandis ostentabant*. Vitia itaque magistratuum erant, ignorantia, proprius sensus contemptis legibus, inexplebilis avaritia, & crapula atque ebrietas: quibus qui subjecti sunt, quonam pacto alios regere possint nemo non videt. Vitio itaque Ecclesiasticorum & politicorum Principum factum est, ut populus Israeliticus libidini *bestiarum* fuerit expositus. Hæc eadem causa hodie regna subvertit, religionem conculcat, & omnia mala quibus atterimur invexit: neque est qui condoleat aut, ut veriùs dicam, qui consurgat, & teneat Deum nostrum, ut velit tantorum malorum impetum sistere, & principes ac pontifices dare sicut antiquitus: quos quamdiu non videro, in luctu & gemitu dies ducam.

DRUSIUS.

11. אִישׁ לְבִצְעוֹ מִקָּצֵהוּ. * *unusquisque ad avaritiam suam, à summo usque ad novissimum*, Hieron. —— πλεονέκτημα ἐκ ἄκρϗ αὐτ῀] Procopius ex Theodotione.

12. אֵתָיוּ אֶקְחָה־יַיִן וְנִסְבְּאָה שֵׁכָר וְהָיָה כָזֶה יוֹם מָחָר גָּדוֹל יֶתֶר מְאֹד. Th. Δεῦτε, λάβωμεν οἶνον, καὶ ἐκφλυγήσωμεν μέθην. καὶ ἔσαι τοιαύτη ἡμέρα αὔριον μεγάλη πλεῖστε ὡς σφόδρα] Proc. *Venite, sumamus vinum, & impleamur ebrietate: & erit sicut hodie sic & cras, & multò ampliùs.* Hieron. qui subvertit, *Istud in Lxx interpretibus non habetur, sed ex Ebraico additum stellis illuminantibus prænotatur.* Videnda & ed. Rom.

IDEM EX PROCOPIO.

1. וְצִדְקָתִי. οἱ λοιποί, καὶ τὴν δικαιοσύνην μου, *& justitiam meam.*

3. לֵאמֹר הַבְדֵּל. Th. λέγων, Ἀφορισμῷ, *dicens, Separatione.*

4. כִּי־כֹה אָמַר. A. Sym. Th. ὅτι τάδε λέγει, *quia sic dicit.*

5. יָד וָשֵׁם טוֹב מִבָּנִים וּמִבָּנוֹת. οἱ λοιποί, χεῖρα καὶ ὄνομα βέλτιον υἱῶν καὶ θυγατέρων, *manum & nomen præstantius filiis & filiabus.* ¶ שֵׁם עוֹלָם אֶתֶּן־לוֹ אֲשֶׁר לֹא יִכָּרֵת. ὄνομα αἰώνιον δώσω αὐτῷ, ὃ οὐκ ἐξαρθήσεται, *nomen æternum dabo eis, quod non auferetur.*

9. כָּל חַיְתוֹ. A. πᾶν ζῶον αὐτοῦ, *omne animans ejus.*

10. צֹפָיו עִוְרִים. Sym. Th. οἱ σκοποὶ αὐτοῦ τυφλοί, *speculatores ejus cæci.* A. Σκοπεύται. ¶ אִלְּמִים. Sym. ἄλαλοι, *sermonis expertes, muti.* A. μογιλάλοι, *linguâ impediti, difficulter loquentes.* Exod. 4. 11. אִלֵּם. A. Sym. Th. μογιλάλον. ¶ הֹזִים שֹׁכְבִים אֹהֲבֵי לָנוּם. Sym. ὁραματισταὶ κοιμώμενοι, ἀγαπῶντες νυστάζειν, *Prophetæ dormientes, diligentes dormitare.* A. (aliàs Th.) φανταζόμενοι, κοιμώμενοι, ἀγαπῶντες νυστάξαι, *Phantasiis & vanis imaginationibus acti, dormientes, diligentes dormitare.*

11. אִישׁ לְבִצְעוֹ. A. ἀνὴρ εἰς πλεονεξίαν αὐτοῦ, *vir ad avaritiam suam.* Sym. Th. ἕκαστος εἰς τὴν πλεονεξίαν αὐτοῦ, *quisque ad avaritiam suam.* ¶ מִקָּצֵהוּ. Th. ἀπ' ἄκρου αὐτοῦ *à summo* (seu *extremo*) *ejus.*

12. אֵתָיוּ אֶקְחָה־יַיִן וְנִסְבְּאָה שֵׁכָר וְהָיָה כָזֶה יוֹם מָחָר גָּדוֹל יֶתֶר מְאֹד. Th. Δεῦτε, λάβωμεν οἶνον, καὶ οἰνοφλυγήσωμεν μέθην· καὶ ἔσται τοιαύτη ἡμέρα μεγάλη * περίσσε ὡς σφόδρα, *Venite, sumamus vinum, & ingurgitemus nos vino inebriante; eritque hujusmodi dies magna, excellens valde*] Περισσὴ scribendum, non, ut in libris, περίσσε. Gen. 49. 3. יתר. A. περισσὸς, *præstans, excellens.* Sym. περισσὰ & ἐκ περισσοῦ. ¶ λάβωμεν. נקחה.

GROTIUS.

1. **H**Æc dicit Dominus, *Custodite judicium & facite justitiam*] Ut meliùs intelligatur natura promissorum de quibus hactenus actum est, additur monitio ad Judæos, ut ipsi quoque officium faciant, & ea evitent propter quæ tam graves pœnas in se accerserunt. Vide suprà 1. 16. x. 1.

Et justitia mea, ut reveletur] Mea fides in implendis iis quæ à mea parte exspectari possunt.

2. *Custodiens sabbatum, nè polluat illud*] Cavens sibi à violanda lege sabbati, & aliis legibus quæ in exsilio observari poterant. Est enim species pro genere.

3. *Et non dicat filius advenæ qui adhæret Domino*] *Alienigena.* Cùm autem pii alienigenæ duûm essent generum, alii qui præcepta Adamo & Noæ data servabant; alii qui toti Mosis legi se subjecerant: de hoc posteriori genere hîc agi ostendit sabbati mentio, quam illis prioris generis non esse datam consentiunt Hebræi. Unde & *fedus*, cujus sequetur mentio, intelligendum de eo quod per Mosem fuit publicatum. Talis fuit Jeremiæ temporibus Abdemelech Æthiops.

Separatione dividet me Dominus à populo suo] Poterat cogitare talis proselytus hæc magnifica promissa ad solos eos qui ex Israële ortum haberent pertinere, ac se ab iis excludi. Huic opinioni occurrit Deus.

Et non dicat eunuchus, Ecce ego lignum aridum] Sic & Israëlitæ eunuchi, cùm Lex promitteret Legem sequentibus fœcunditatem, & multam sobolem in rebus prosperis, cogitare poterant inane fore suum studium. Ideo quod hac in parte ipsis deest, id aliis magnis beneficiis se compensaturum dicit Deus: ità nulli operam perituram.

4. *Et elegerint quæ ego volui*] Amaverint præcepta mea.

5. *Locum & nomen melius à filiis & filiabus*] In δοξολογίαις [*laudum recitationibus*], in Templo nomen ipsorum memorabitur, eritque celebrius quàm si prolem reliquissent. Tales δοξολογίας [*laudum recitationes*] multas habemus apud Sirachidem. Imitati sunt id Christiani offerentes pro mortuis.

7. *Domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis*] Maximè proselytis qui pari jure cum Israëlitis intra τὸν δρυφακτὸν [*disseptum*] admittebantur.

8. *Adhuc congregabo ad eum congregatos ejus*] Rectiùs, *congregandos.* Post congregationem Esdræ sequetur congregatio Nehemiæ.

9. *Omnes bestiæ agri, venite ad devorandum, universæ bestiæ saltûs*] Novus hîc sermo incipit: nam post consolationes liberaliter piis expositas, nè animum abjicerent, redorditur objurgationem impiorum, qui post Esaiæ tempora exstituri erant inter Judæos plurimi, minis additis valdè gravibus. *Bestias agri omnis generis*, intellige Ægyptios, latrunculos ex Chaldæis, ex Syris, ex Moabitis, ex Ammonitis, qui omnes Judam cladibus & vastitate magnâ affecerunt, etiam ante deportationem. Vide 2 Regum XXIII. 33. XXIV. 2.

10. *Speculatores ejus cæci omnes*] *Ejus*, id est, populi Judaïci. *Speculatores* intellige tum Sacerdotes, tum eos qui se pro Prophetis venditabant. Confer Ezech. III. 17. XXXIII. 2. 6. 7.

Nescierunt universi] Non viderunt mala ventura.

Canes muti non valentes latrare] Peccata aliorum dissimulant. Sicut canum officium est allatrare fures, ità Sacerdotum & Prophetarum reprehendere vitia.

Videntes vana] *Delirant.* id Arabibus ז in ד mutato هذى.

Dormientes] *Cubantes.* Perstat in similitudine.

Amantes somnia] *Somni amantes.*

11. *Et canes impudentissimi*] *Et* pro *nempe.* Est enim ἐξηγητικὸν [*explicativum*].

Nescierunt saturitatem] Sunt insatiabiles.

Ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam] Non dant operam Legi. *Pastores* vocat eosdem quos antè *speculatores*, & quos sub Canum imagine descripsit.

Omnes in viam suam declinaverunt] Res suas agunt, non Dei.

Unusquisque ad avaritiam suam, à summo usque ad novissimum] In Hebræo, *Unusquisque ad lucrum suum ab initio ejus:* supple *viæ*, ad finem scilicet.

12. *Venite, sumamus vinum*] Supple, *dicunt illi.* Frequens apud Hebræos ἔλλειψις [*in loquendo defectus*].

Impleamur ebrietate] Potemus σίκερα [*sicera*] Vide Luc. 1. 15. & ibi dicta.

Et erit sicut hodie sic & cras, & multò ampliùs] Cras lautiùs etiam prandebimus. Sic Chaldæus hîc.

CAP. LVII.

MUNSTERUS.

1. **C**Olliguntur] Utitur Scriptura verbo *colligere* pro *mori & colligi ad patres defunctos.*

2. *Præcedit ante illum pax*] Hoc est, moritur pius antequam horribiles Dei incidant ultiones, sicut & Hizkijahu rex dicebat, cùm audisset futuram desolationem Jerusalem, *Fiat pax in diebus meis.* Aben Ezra verò sic interpretatur, *Qui ambulat coram ipso Deo, ille in morte venit ad pacem, quia mors est transitus in veram ac æternam vitam.* Si in Christo morimur, cùm Christo in paradiso erimus, transibimus de labore in requiem, de exilio in patriam & de terra in cœlum.

4. *Oblectatis vos ipsos*] Oblectationem dicit impiis fuisse, quando contra prophetas Domini, qui scelera eorum redarguebant, latrabant, linguas ejiciebant, & summo contemptui habebant. Enarrat autem qualia suo ævo in populo suo fuerint scelera: sub omni ligno frondoso thura idolis incendebant, proprios filios Molech immolabant, politos lapides ex vallibus eruebant, & in deos consecrabant, atque dicebant, *Tu es pars mea atque sors mea*, contra illud quod Psaltes dicebat, *Portio mea Deus in terra viventium.* Porrò *stratum* & *lectum* in quo fornicabantur, vocat altaria in quibus diis sacrificabant.

8. *Memoriale tuum*] Ego, inquit, jussi legem meam figi in *postibus* domûs tuæ, sed tu loco ejus *affixisti memoriale* deorum tuorum, nè ingrediens vel egrediens illorum obliviscereris. Et quod sequitur, *Publicâsti te*, potest etiam verti; *Discooperuisti te*, ut scil. fornicareris cum diis tuis cum quibus iniisti fedus.

9. *Abiisti ad Regem*] Me derelicto, ambiisti favorem gentilium regum, & in hos fiduciam tuam posuisti magis quam in me, mittens eis balsamum, mel, & alia pretiosa pigmenta.

10. *Destituor*] Est נואש propriè vox Desperantis, licèt sit passivum à verbo יאש. Et quod subditur, *Vitam manus tuæ invenisti*, sensus est, Prospere tibi successit, ideo dolorem non sensisti.

13. *Congregationes tuæ*] Hoc est, gentes, quas tibi contra prohibitionem meam conciliasti.

VATABLUS.

1. **P**Erit אבד] Præt. Heb. pro præs. ¶ *Ponat super cor* שם על לב] *Ponere super cor*, Hebraismus pro *advertere animum*, sive *curare.* ¶ *Et viri misericordes* ואנשי חסד] Hebraismus, pro *pietate insignibus*, sive *conspicuis.* ¶ *Qui intelligat* מבין] *Qui recogitet:* vel, *qui animadvertat.*

2. *Ingredietur* יבוא] Sub. *ad patres suos*, i. morietur in pace: Alii, *Veniet pax*, sub. *justo.* Sing. pro plur. ¶ *Qui ambulaverit coram eo* הלך נכחו] Nempe Deo. Relativum sine ante-

anteced. & ſing. pro plur. Aut expone, *quiſque ambulans coram Deo*, aut, *ſinguli qui ambulaverint*. Alii vertunt, pax *ambulat ante illum*, i. præcedit eum abeuntem & diſcedentem de hoc mundo. Alii, *ambulanti in rectitudine ſua*.

4. *Protraxiſtis* תאריכו] *Exſeruiſtis: produxiſtis: lingua* pro *ſermone:* i. cui detrahitis & obloquimini?

5. *Incaleſcentes* הנחמים] *Incaleſcitis*, ſub. *calore Venereo:* i. coeuntes: q. d. Qui idololatriam exercetis. ¶ *Cum diis* באלים] *Inter quercus*, vel *ulmos*. ¶ *Subter eminentes petras* תחת סעיפי הסלעים] *Sub dentibus* [i. ſcopulis, ſummitatibus vel cacuminibus] *petrarum*. Alii, *ſub prominentiis rupium*. Vox Hebræa ſignificat *ramos arborum*, quorum ſimilitudinem referunt ſcopuli & prominentiæ petrarum ſive rupium.

6. *In lenibus petris* בחלקי נחל] *In politis petris:* vel, *In politioribus lapidibus:* q. d. Cùm vides pulcrum aliquem & politum lapidem poſitum in torrentibus, viæ aut alterius rei causâ, illum adoras, & *ab eo portionem hereditatis tuæ* exſpectas: vel illo tam fidis quàm *portione tuâ hereditariâ*. Quidam vertunt, *In partibus torrentis*. ¶ *Conſolationem accipiam* אנחם] *Oblectationem capiam?* i. feramne æquo animo talia? Alii, *pænitebit me?* ſub. *mali quod immiſſurus ſum in mundum contra infideles, nè illud inducam?* Ità doctus inter Hebræos.

8. *Suffitum tuum* זכרונך] *Odorem tuum*. Alii, *memoriale tuum*, i. aliquid quod revocet tibi in memoriam Deum quem colis.

9. *Munera quoque detuliſti* ותשורי למלך בשמן] *Profecta quoque es ad Regem* Aſſyriorum, tuliſtique ad eum *oleum:* q. d. Tu quoque poſuiſti fiduciam tuam in hominibus, non in me. ¶ *Et multiplicaſti pigmenta tua* ותרבי רקחיך] i. Multa ac varia pigmenta etiam tecum tuliſti.

10. *Multitudine viarum tuarum* ברוב דרכך] *Multiplici itinere tuo*. ¶ *Deſperatum eſt* נואש] Hebræi ſubaudiunt *cor meum*. q. d. Deficiunt mihi vires. Plena locutio legitur Eccleſ. 2. 20. *Et ego verti me* ליאש את לבי *ut deſperare facerem cor meum:* vel ut *revocarem cor meum*, aut *ut tæderet animum meum laboris mei*. Verti hic poteſt, *Revocatum eſt cor meum, nè ſcilicet eat ultrà poſt deos alienos*. Ità intellexiſſe videtur doctus inter Hebræos. ¶ *Vitam*, &c. חית ידך וגו'] Quidam pro *vita* vertunt *victum:* acſi diceret, *Perinde gratus tibi fuit hic labor acſi victum tibi manu tuâ comparares*. Alii vertunt, *requiem virium tuarum inveniſti*. Doctus inter Hebræos, *Vitam virium tuarum inveniſti:* q. d. Inveniſti aliquid quòd tam dulce tibi fuit quàm ſunt eſcæ quæ ſunt vita hominis. ¶ *Non ægrotaſti* לא חלית] i. Via illa non fuit tibi moleſta.

11. *Nónne* quia *ego*, &c. הלא אני מחשה וגו'] *Annon ego taceo, & quidem à ſeculo? & tamen me non times:* i. Peperci tibi ſemper cùm peccaſti, nec alium Deum invenies clementiorem me: & tamen cultum meum deſeris. Quidam liberiùs vertunt, *An me, quod hactenus feci, perpetuò diſſimulaturum ſperas, ut me nihil metuas?*

12. *Annunciabo* אגיד] Quidam futurum convertunt in præteritum, *annunciavi*, vel *indicavi*. Ironicè loquitur: q. d. *Oſtendi qualis ſit tua juſtitia, & qualia opera, quæ tibi erunt pernicioſa: ex quibus tamen utilitatem aliquam ſperabas*.

13. Milites *congregati à te* קבוציך] Ad verb. *congregationes tuæ*. Quidam, *collectitii tui*. ¶ *Atque eos omnes* ואת כלם] *Sed omnes*.

14. *Dicétque* ואמר] Præt. Heb. pro fut. ſub. *Dominus*. ¶ *Elevate, elevate* סלו סלו] Sub. *viam lapidibus*, aut *ingeſtâ terrâ*. *Sternite, ſternite*.

15. In *ſeculum* עד] *In æternitate*, vel *perpetuitate*. ¶ *Et cujus*, &c. וקדוש וגו'] Ad verb. *& ſanctum* eſt *nomen ejus*. ¶ *Habito* אשכון] Fut. Heb. pro præſ. ¶ *Et humili ſpiritu* ושפל וגו'] *Et oppreſſo*. Sic mox, *ſpiritum oppreſſorum*.

16. *Induit* יעטוף] Fut. Heb. pro præt. i. Spiritus hominis à me profectus ſive creatus, immiſſus fuit in corpus: ego circumdedi corpore ſpiritum. q. d. Ego creavi homines: novi igitur eos, & ſcio quòd caro ſunt. Idem mox repetit.

17. *Avaritiæ ejus* בצעו] *Cupiditatis ejus*. ¶ *Rebellis* שובב] *Adverſus*. Alii, *oberrans*. *Abire in via cordis ſui* eſt Facere quicquid eſt nobis gratum.

19. *Fructum labiorum* נוב שפתים] i. Sermonem. ¶ *Pacem*, &c. שלום שלום וגו'] *Pax, pax longinquis & propinquis*.

20. *Impulſum* נגרש] *Quod impellitur*, ſive *propellitur*. ¶ *Propelluntque*, &c. ויגרשו וגו'] *Sed aqua ejus ejiciunt*. Alii intranſitivè legunt, *impuleruntque ſe aquæ ejus cœno & luto*.

21. *Non* eſt *pax* אין שלום] Idem verſus legitur etiam ſuprà 48. 22.

C A S T A L I O.

2. CUM *adveniet pax, quieſcent in ſuis cubilibus eâ præter eos eunte*] Eam ignorabunt impii, nec ejus erunt participes, dormientes in ſuis peccatis.

12. *Ego tuam innocentiam tuáque facta oſtendam*] An ſis innocens.

16. *Non enim ſemper contendam*] Hæc ſunt ità cum antecedentibus conjungenda; Dixi me reducturum meos *in meum ſacrum montem* Hieroſolymam. Dicent Iſraelitæ ut eſt Ezech. 37. *Quo pacto nos in Sionem reduces, cùm oſſa noſtra aruerint, nec ulla ſpes ſuperſit? tanta eſt tua in nos ſævitia*. Reſpondeo, *Non erit æterna hæc ſævitia: nam inducetur profectus à me Spiritus, & animantes ego faciam:* h. e. Placatus meis per Chriſtum, eorum corpora ſpiritu animabo, eóſque in vitam revocabo, & in promiſſam à me felicitatem perducam. Nunc quidem *eorum vitio eis iraſcor*, eóſque ſino præcipites *in ſuas ferri libidines:* Sed *medebor* aliquando eorum malis, mittámque nuncium quò omnibus, ubicunque ſint, *pax* nuncietur. Sed nè putent quicunque ſunt humanâ naturâ Iſraelitæ hanc ſe pacem conſecuturos, hoc denuncio, *hanc impiis non patère*. Ex hoc loco apparet pios eſſe veros Iſraelitas. Confer cum Ezechielis 37.

C L A R I U S.

1. COlliguntur] *De medio tolluntur*. Utitur Scriptura hoc verbo *colligere* pro *mori & congregari ad patres defunctos*. Continuatur autem hic ſenſus ſuperiori, Quòd ſcilicet dum impii regnant & voluptatibus operam dant, interim probi periclitantur, vel tolluntur pii, nè ſentiant futuram ultionem: & hoc tamen non attenditur. ¶ *A facie enim malitiæ*] Non eſt qui intelligat quòd *propter imminens malum* ad patres ſuos *collectus ſit juſtus*. Quanquam illud *à facie malitiæ* quidam interpretantur, *ob malos, & ob factionem peſſimorum*.

2. *Veniat pax*] Moritur, inquit, pius antè quàm horribiles Dei incidant ultiones. Sicut & Ezechias Rex dicebat cùm audiſſet futuram deſolationem Jeruſalem, *Fiat pax in diebus meis*. Vel ſic, *Qui ambulat* coram ipſo Deo, ille in morte *venit ad pacem*.

4. *Super quem luſiſtis*] Vel, *ſuper quo oblectaſtis vos ipſos*. *Oblectationem* dicit impiis fuiſſe quando contra Prophetas Domini, qui ſcelera eorum redarguebant, latrabant, & ſummo contemptui habebant. ¶ *Numquid non*] Tanquam dicat, *Contra voſmetipſos virulentam linguam veſtram exercere debueratis, cùm ſitis filii ſceleſti & ſemen mendax*, h. e. degeneres.

5. *Qui conſolamini in diis*] Vel, *turpiter incaluiſtis fœdo amore deorum*. Enarrat autem qualia ſuo ævo in populo ſuo fuerint ſcelera. *Sub omni ligno frondoſo* thura idolis incendebant, *proprios filios* Moloch *immolabant*, *politos lapides ex vallibus* eruebant & in deos conſecrabant, atque dicebant, *Tu es pars mea atque ſors mea:* contra illud quod Pſaltes dicebat, *Portio mea Deus in terra viventium*. Porrò *ſtratum & lectum* in quo fornicabantur, vocat altaria in quibus diis ſacrificabant, ut perſtet in Metaphora Fornicationis.

6. *Numquid ſuper his*] Quando illos elegiſti in ſortem tibi, ad hæc potero connivere?

8. *Memoriale tuum*] Ego, inquit, juſſi Legem meam figi in poſtibus domûs tuæ, ſed tu loco ejus affixiſti *memoriale* deorum tuorum, nè ingrediens vel egrediens illorum obliviſcereris.

9. *Miſiſti Regi unguenta*] Regi nimirum Ægyptio, vel Aſſyrio. Judæa autem dicitur *terra olei & mellis*. Improperatur & apud Oſeam quòd *oleum in Ægyptum ferrent*. Queritur ergò quòd ſe derelicto ambierit favorem Gentilium Regum, & in hos fiduciam ſuam poſuerit magìs quàm in Deum, mittens eis balſamum, mel & alia pretioſa pigmenta. ¶ *Et humiliata es*] Propter hoc, ſcilicet, quòd relicto Domino confugeris ad auxilium hominis Regis.

10. *Vitam manus tuæ*] h. e. Aſſecuta es quod voluiſti.

11. *Quia mentita es*] Negans ſcilicet te hæc facere. Alius ſic interpretatur, *Et quem ſolicitata timuiſti?* q. d. *méne? Non: quia mentita es, nec mei es recordata*. Vel ſic, Cùm me non timueris, ſed ſtudiis tuis mentita mihi ſis, quem poteris ultrà timere?

12. *Annunciabo juſtitiam tuam*] Palàm faciam quàm ſis juſta.

13. *Congregati tui*] Gentes ſcilicet, quas invitaveras ad ferendum auxilium.

16. *Non enim in ſempiternum litigabo*] Non enim odi creaturas, cùm omnes animas ego fecerim, &, ſi quando *iratus ſum*, id feci *propter iniquitatem avaritiæ*, h. e. concupiſcentiæ, *ejus*.

19. *Creavi fructum labiorum, pacem*] h. e. Materiam eis dedi gratiarum agendarum, nempe pacem.

FORERIUS.

1. Quorsum tendat hæc oratio non ità facilè est intelligere. Ego certè existimo hoc & duobus seq. cap. Jesaiam statum rerum Judaicarum describere, jam indè à suo tempore, à diebus videlicet Ahaz, usque ad adventum Christi. Ostendit autem quòd propter scelera, præsertim idololatriæ, puniendi essent, nempe captivitate Babylonicâ, justis tamen interim non defuturum solatium: postea verò, omnia occupante peccato & ingravescente iniquitate, adveniret Redemptor. Scio quidem multa ex his ad Christi tempora posse referri, sed aliorum hac in re operam in libris ipsorum videre poteris. *Justus perit*] Sicut in Psal. *Defecit Sanctus:* אבד est Hebræis *tolli, auferri, cum ipsius rei perditione.* ¶ *Non est qui recogites*] Vel *qui consideret, & altâ mente reponat.* Hebr. *ponere super cor* dicit pro *animadvertere, & rem penitus considerare.* Quid verò velit Propheta, quòd *in morte justorum considerarent homines*, mox aperiet hoc eodem versu. ¶ *Et viri misericordiæ*] Seu *pietatis*, i. pii in Deum & patriam, &c. ¶ *Colliguntur*] Quod dixit in primo membro rursus more Scripturæ repetit: idem enim intelligit per *justum*, & per *viros pietatis*; idem per *perire* seu *auferri*, & *colligi*; idem per *non ponere super cor*, & *non intelligere.* ¶ *Quia non est qui intelligat*] *Quia* redundat: ad verbum, *in non intelligente: cum non sit qui intelligat*, vel *non existente qui* ut Proverb. 8. *In non abyssis*, i. nondum exsistentibus, &c. nisi dicas באין scriptum pro בין ejusdem ferè prolationis; pro quo Chald. לית. ¶ *A facie enim malitiæ collectus est justus*] כי pro *quòd* enclitico accipiendum est, quasi hòc sit quod *nemo consideraret*, videlicet quòd *à facie malitiæ*, i. propter malitiam, vel antè quàm adventaret malitia, *ablatus sit justus*, nè videlicet eam videret & experiretur. *Malitia* autem Hebræis etiam est nomen pœnæ, ut Genes. 19. *Non potero evadere hanc malitiam*, (seu *hoc malum*) *nè quando apprehendat me malitia hac*; & suprà 45. *Faciens pacem, & creans malitiam*, seu *malum*, &c. Hic locus videtur exponi in libro Sapientiæ cap. 4. ubi ad Enoch & ad hunc Prophetæ locum factâ allusione dicitur; quia *Deo placuit, cùm inter peccatores viveret, de medio sublatus raptusque, nè malitiâ immutarentur sensus illius, nève anima ejus fraude circumveniretur:* Quod de utriusque malo intelligere possumus. Sic etiam hic locus quem præ manibus habemus intelligi potest, quòd Deus justos & pios viros, veluti sibi charissimos, ad se colligat, & de mundo auferat etiam non multorum annorum ætate completâ; tum nè, si diutiùs viverent, à pietate discederent propter peccatorum consortium & vim peccati, quod interdum inundare videtur & omnia convellere, ut hac nostra tempestate fieri videmus; tum etiam, quòd quasi illis indulgens & condolens nolit eos calamitatis cujuspiam ingentis testes aut participes esse. Quemadmodum Augustinus obsessâ civitate à Barbaris, & plerique alii justi, quorum spiritum non volens Dominus contristare, eos quasi ante tempus & veluti immaturâ morte rapit: quod amorem pietatis in hominum pectoribus enutrire & augere debet potiùs quàm remittere; nam ut in Ecclesiastico habetur, *exemplum est emendandæ vitæ nationibus*; propterea enim hoc privilegio donantur qui Deo placent: &, ut ait de ipso Enoch Apostolus, *priùs quàm auferretur testimonium habuit quòd Deo placeret.* Id autem testimonium habetur Sap. 4. & Eccl. 44 præterquam quòd Genes. 5. dicitur *cum Deo ambulasse.* Sive rò hoc dilectorum est aut diligentium, non est quòd condoleamus, sed quòd invideamus potiùs justorum funeribus. Optantandum enim est cum Davide, ut nobiscum agat Deus *secundùm judicium diligentium nomen ipsius.* Insipientes verò, cùm mori miserum putent, præsertim in juventute, tantùm abest ut propterea justitiam & pietatem colant, ut vel ea de causa, quòd ad se justos citò Deus dicatur *colligere*, genio indulgeant. Meritò itaque dolebat Propheta, quòd *in morte justorum nemo secum reputaret, à facie malitiæ illos rapi:* nam si hoc cogitassent, aut inducerentur ut pietatem colerent, aut sibi saltem timerent, qui ad malorum congressum servarentur. Dignum profectò est ut hanc philosophiæ Divinæ partem apprehendamus: & quid in justorum obitu considerare debeamus ex hoc loco erudiamur; nempe quòd *à facie malorum colligantur.* Quod apertè Scriptura in Josiam commemorat, dicens 2 Reg. 14. *Colligam te ad patres tuos, & colligêris ad sepulcrum tuum in pace, ut non videant oculi tui mala quæ introducturus sum super locum istum.* Ergò cùm propterea eos auferat Deus, id omnino est quod nos cogitare debemus, ut nobis timentes ad emendationem vitæ incitemur, ut ex Sapiente jam dixi.

2. *Veniat pax*] Vel *veniet* יבוא. Quid agatur cum justis exponit: & puto quòd Mortem appellet *pacem*, שלום enim est interdum Hebræis *tranquillitas*, & *felix rerum status*: opponitúrque *Perturbationi*, seu *perturbato rerum ordini.* Mors autem justorum pace hujusmodi plena est: unde Genes. 15. *Et tu vades ad patres tuos in pace*; & Simeon, *Nunc dimites servum tuum in pace*, i. tranquillâ morte, & in qua morienti nihil deesse videatur. Etenim *perfectionem* quoque nomen notat: ait ergo, *Veniet tranquilla mors*, quam scilicet summam pacem & felicitatem reputant viri pii. ¶ *Requiescant*] Vel *requiescent* ינוחו. Pii, adveniente morte, *super cubilia sua requiescent*, i. in sepulcris omni prorsus malorum timore sublato. ¶ *Qui ambulat in dilectione sua*] Quia hìc singularem numerum viderunt quidam, contexum luxarunt, ut pro *requiescant*, legerent *requiescat:* nam *requiescent* scriptum reliquit Hieronymus, & ità conjungendum putavit, *Veniat pax justi*, i. Christi, *qui ambulat in directione sua, & requiescent in cubili suo*; quasi sit similis oratio illi, *Sagitta tua acuta (populi sub te cadent) in corda inimicorum regis.* Sed cùm verba pluralis numeri passim Hebræis cum nomine singulari jungantur, præsertim participio, cùm indefinitus est sermo; non est cur negemus participium הלך *ambulans* construi cum verbo *requiescent*, ut sit sensus, *Requiescent in cubilibus suis, ambulantes ante eam*, nempe pacem. *Veniet*, inquit, *tranquilla mors justis, quam illi læti suscipientes in sepulcris suis requiescent, ut qui semper præ oculis eam habuerint, & ante eam perpetuò ambulaverint: istis enim non est terribilis neque amara mors, quorum vita est mortis quædam meditatio.* Hic sensus planus est: neque te conturbet hujusmodi acceptio vocis נכח: nam Prover. 5. sic accipitur; *Coram oculis Jehova via viri*; & Jerem. 17. *Annunciatio labiorum meorum coram facie tua, Jehova*; Jud. 18. *Ite in pace, coram Jehova via vestra*, &c. Eadem autem vox aliis punctis *rectum*, seu *rectitudinem* notat, nè quis Vulgatum immeritò reprehendat. Hinc habes quibus mors sit pax & tranquillitas, nempe justis, qui eam perpetuò meditantur: & quare pii viri mortem expetant.

3. *Vos autem accedite*, &c.] Rectè Vulg. Vau pro Adversativa accepit; *& vos*, pro *at vos.* Illi quidem quiescunt à laboribus suis, & in pace dormiunt: de vobis verò quid agendum sit, accedite ad me ut audiatis. Vocat autem *filios* עננה, i. *venefica*, quæ oculis nocet & fascinat, quasi venena diffundens: neque malè *auguratricem* dixit Vulgatus; nàm ab עין, i. *oculus*, est verbum ענן, q. d. *oculavit*, i. oculis observavit; unde nomen ענן de quo suprà 2. & 27. pro *observatoribus*, qui vel ex stellis, vel avibus, vel extis conjectant superstitiosè futura vel occulta. Judæos ergò sic vocat, quòd plurimi ex eis istis artibus vacarent. Unde Synagoga *venefica* dici commeruit. ¶ *Et fornicariæ*] Ad verb. *Et fornicaberis:* q. d. semen, generatio, quæ præteritis adulteriis & fornicationibus non eris contenta, sed adhuc fornicaberis, & mores tuos persequeris, & patrum vestigiis insistes. Vide, quibus nominibus cognominentur qui à Deo deficiunt.

4. *Super quem lusistis*] Vel *lascivistis*, vel *luxuriati estis*, ut sit quod Paulus ait de viduis impudicis, *cùm luxuriatæ fuerint in Christum*, i. Christo repudiato, & contra fidem illi datam: & Hebræis על non raró sic accipitur pro *contra.* Et hic sensus mihi arridet: nam Adulterii & Fornicationis meminerat. Indignissimum autem videri debuerat, quòd marito Deo abjecto fictitios deos colerent, & turpiter illis supplicarent. Quidquid autem pro Deo colitur, hâc ratione *viri* nomen seu *mariti* accipit: quia illi mens sese submittit, & ante eum humiliatur homo, humiliationem autem mentis curvationibus & supplicationibus exprimit. Ab hoc deinde cultu & humiliatione veluti fœcunda anima ea exsequitur quæ Deo marito suo adlubent, atque isti sunt liberi seu pignora quæ animos conciliant, à Dei quidem congressu fidei & dilectionis opera prodeunt; ab aliorum verò oblationes filiorum per ignem immolationésque eorum, quibus gaudent mirum in modum inimici dæmones. Si verò non de hac Lascivia, sed de deliciis, i. opiparis conviviis quæ in gratiam deorum instruebant, déque saltationibus & choreis, cantionibus quas in laudes idolorum componebant, & ludis quos instituebant verbum ענג accipias, quæ omnia erant contra Deum, non prohibeo; imò significationi vocum satis convenit hæc acceptio, & sequentibus non minùs. ¶ *Super quem dilatastis os*] Vel *contra quem?* Laudes deorum sunt convicia in Deum, & contra Deum aperiebant ora qui dicebant de vitulo, *Isti sunt Dei tui, Israel, qui eduxerunt te de terra Ægypti:* ubi *comedisse* & *lusisse* legis Israelitas. Ad quem locum fortè hìc alluditur. At quis prohibet ut inter illos lusus & cantus, incalescentes mero & furiis agitatos, in vituperationes & convicia quoque in Deum prorupisse intelligamus? ut cùm dicebant *meliùs habuisse quando serviebant militiæ cæli* apud Jeremiam, & similia multa. Est autem *dilatare os super aliquem, conviciari, conviciis lacessere.* In Psal. *Dilataverunt super os suum*

 non

non semel legis: & ferè idem est quod sequitur, ¶ *Ejecistis linguam*] Vel *produxistis*, sive *exsertastis*. Similis percunctatio est & increpatio adversùs Sinacherib suprà cap. 27. v. 23. Adde, quòd est gestus quidam apud Hispanos & alias etiam nationes irridentium & nihili facientium quempiam, aperto ore linguam exsertare, qui usurpatus & à Gallis fuit, ut apud Gellium lib. 11. cap. 13. ex Quadrigarii verbis perspicere licet. Possumus hæc omnia etiam non de Deo accipere, sed de Justis, de quibus paulò antè loquebatur, & sanctis Prophetis quos deridebant & ludibrio habebant impii. *Quem* enim *Prophetarum* non *occiderunt*, aut non *persecuti sunt?* ut est in Euangelio. Fortè & in funere eorum festa agebant, & insaniam eorum decantabant, & quòd ab eorum increpationibus liberati essent sibi mutuò congratulabantur. Cui expositioni quæ sequuntur non parùm favent. ¶ *Numquid non vos filii scelesti*, &c.] q. d. Aliam vitam à vitiis valde immunem ducere eos necesse est, qui volunt in homines pios dicere, aut eos reprehendere. Vos autem nihil aliud quàm transgressionem sectamini dolis & fallaciis pleni, &c. Quòd si de Deo dicta sint, superiora sic connecte; *Numquid non*, &c. q. d. Certè hâc ipsâ re comprobatis vos esse *transgressionis filios*, ut non possitis non referre genus vestrum, & *semen fallax*, aut *falsum*, quod à patribus & eorum fide degeneravit: ut cùm filii Abrahæ sitis secundùm carnem & dicamini, nihil minùs sitis quàm ejus filii, estis enim filii peccati & diaboli, idque operibus confirmatis.

5. *Qui consolamini in diis*] Vel *cum diis*. Plurale est nominis אל, sicut Psal. 29. & Exod. 15. neque bene hîc quidam pro *quercubus* accipiunt. ¶ *Frondoso*] רענן, quantum ex locis possum conjicere in quibus reperitur hoc nomen, est quod nos dicimus *fresco*: quare *virentem* dicere possumus. ¶ *Immolantes*] Vel *iugulatores*, *natorum*: שחט enim propriè *jugulare* est. Indignitatem & horrorem ipsa simplicissima verba continent. Quo enim pacto hoc, nisi corruptâ admodum naturâ, quæ immanitatem suadere consuevit, & rationis usu ferè absorpto fieri potuisset, ut lætarentur voluptatémque acciperent qui suos proprios natos jugularent? Mœror occupat bruta animalia, si coram ipsis occidantur filii quos genuerunt. Ergò amentiores brutis animantibus erant illi homines, in quorum pectoribus charitatem hanc extinxerat scelus cui addicti erant. Poterant super filiorum sanguinem, quos hîc ad exaggerationem ילדים, i. *genitos*, seu *natos* vocat, lætari, & amœnitate arborum delectari, sub quibus sanguinem fundebant filiorum quos genuerant. Imò verò illis cum diis & talium deorum consuetudine, quibus tam impia sacra placebant, consolationem accipiebant. Annon natura ipsa pro incolumitate filiorum numina placare jubet? Annon consolatione haud vulgari affici pater & mater putarentur, naturâ ipsâ instigante, qui ex naufragio aut lethali morbo filium salvum recepissent? Ergo ipsa natura ab eorum cultu revocabat deorum qui jugulatione filiorum pascebantur. O mortales miseros, qui religionem quam natura commendat deserunt, & religionis umbram, verissimum cacodæmonum inventum, vel ipsâ naturâ repugnante, amplectuntur! Vides, quantò major sit iniquitatis vis, quàm in plerisque rationis & virtutis ac veræ religionis? Vides hominum stultitiam, qui asperrima pro mendacio patiuntur, & cum jucunditate perferunt; pro veritate autem nihil non grave ducunt? Sciendum tamen est in animo verè pio non minores esse veræ pietatis vires quàm impietatis & sceleris apud impios: quod in Levitis, in Abrahamo & plerisque aliis satis apparuit. Sed Deus noster vitam hominum mavult quàm mortem. ¶ *In torrentibus*] Vox נחלים *valles* & *humilia loca* propriè notat, *quæ inter montes* jacent: deinde & *torrentes* notat qui per hujuscemodi valles decurrunt. Exempla passim obvia sunt. Erant autem dii qui vallibus gaudebant & opacis lucis ac subobscuris: alii autem rursus excelsis in locis & in montibus cultum exigebant. Id videtur haberi ex variis locis Scripturæ, præsertim ex eo libro Regum, in quo narratur de illis qui dicebant, *Dii eorum sunt dii montium, venite, & præliemur in vallibus*, &c. ¶ *Subter eminentes*, &c.] Sunt ad radices montium & in alveis torrentium excavatæ rupes & prominentes, sub quibus aræ erigebantur ad idolorum cultum, quasi ex antris prodiret numen, & ut religione tangerentur homines. Erant etiam ibi tuti ab aeris injuriis, æstu & imbribus, ut tranquilliùs & absque ullo impedimento sacra peragerent. Deorum enim est totum hominem sibi addicere; & quem homo Deum putant, ritè colendum esse ducit. Hinc loca solitaria petere, & ab urbium tumultu secedere. Id enim tantùm agendum est quod tunc agitur, neque aliò animus distrahendus. Imitatur autem religionem veram, quoad ejus fieri potest, superstitio.

6. *In partibus torrentis pars tua*] Paronomasia est in verbis Hebraicis haud invenusta, בחלקי נחל חלקך. Vox autem חלק interdum *lapides* notat: sunt autem in litoribus tam maris quàm fluviorum & in torrentibus orbiculati & glabri. Super hos sedere, & vestes deponere, & cibum capere ob munditiem juvat: super hos fortè propter munditiem filios jugulabant. Talis erat lapis quo fundâ rotato David gigantem percussit: & hâc voce notatur 1 Sam. 17. Eadem autem vox aliâ formâ *portionem* designat & *partem quæ cuique in divisione contingit*. Ergò *in saxis torrentis* dicit Propheta sibi *portionem*, & *sortem delegisse* Judæos, quasi hâc sorte contenti essent: sicut sors Leviticæ tribûs erat Dominus & cultus ejus, ut ad hanc sortem fiat allusio. Vel certè cùm frequentes ad cultum idolorum ad torrentem convenirent, necesse erat saxa & rupes sorte inter eos distribuere: quod illis pro summo opprobrio objicit Dominus, ut sit sensus, *In saxis torrentis portio tua*, i. æquis portionibus saxa & rupes sorte dividitis. ¶ *Hæc est sors tua*] Heb. *Ipsi, ipsi sors tua*, nempe *lapides* & *saxa torrentis*. *Non mentior*, inquit; *vera narro*; *ipsi, ipsi*, inquam, *lapides sors tua sunt*, & *sorte tibi dividuntur*: *tantus est idololatrarum concursus*, *tanta frequentia*, *tantus fervor ac tanta devotio*. Quid si in hoc membro Indat Propheta, & sit tacita irrisio ex animi indignatione? q. d. *In lapides sortem mittis*, & *lapides tanquam hereditatis portiones sorte tibi dividi facis*: *ipsi, ipsi, inquam, erunt sors tua*; *ut non nisi lapides & inutilia saxa possideas*, & *saxum ipse sis*, *similis effectus diis quos colis*. Quid si per *saxa torrentis* per contemptum ipsa Idola significet, quòd idola quæ colebant in torrente nihil differrent à saxis ipsius torrentis, & tot essent quot in torrente erant saxa, & hæc sorte destribuerent ut ea coleret? ¶ *Et ipsis effudisti libamen*] Potest hoc pronomen *ipsis* & ad *deos*, quorum meminit versu superiori, vel ad ipsos *lapides* & *saxa torrentis* referri. Est autem נסך *fusio*, seu *libamen ex vino*, Num. 15. & Exod. 29. &c. ¶ *Numquid super his non indignabor?*] Heb. *An super his commiserebor?* Sensus idem est. Etiamsi mox ad narrationem redeat; hanc percunctationem tamen, ob rei indignitatem, ex animi dolore inseruit, ut intelligamus ad perditionem hominum non nisi urgentibus rationibus impulsum Deum commoveri. Ea enim est quorundam scelerum impudentia, ea indignitas, ut si inulta illa relinqueret Divina majestas contra dignitatem suam agere videretur.

7. *Super montem*, &c.] Non diis vallium contenta deos quoque *montium* coluisti. ¶ *Cubile*] Perseverat in Adulterii similitudine. Ideo Altare & cultum *cubile* vocat; ibi enim alteri viro prostituebatur.

8. *Et post ostium*, & *retro postem posuisti*] Tutelares deos & lares designat. Ponebantur autem *post ostium & postes*, ut felix esset & faustus tam egressus quàm ingressus; nisi *post ostium* dici velis figuratè & proverbiali formâ, quasi nullus esset absque Deo angulus. ¶ *Memoriale tuum*] Vel *recordationem*: sic vocat Sculptilia, quæ numinis memoriam renovabant; & in hunc usum in singulis domûs partibus apponebantur, ut è memoria non dilaberentur; hoc enim videtur Divinitas exigere. Quare id ipsum summopere sanctorum Patrum scripta commendant, videlicet ut Deum semper in animo, ejúsque memoriam cordi impressam gestemus. ¶ *Juxta me*] Heb. מאתי, q. d. *de cum me*, i. à latere meo. More mariti loquitur Dominus, à cujus latere surgere, & cum altero rem habere est supremum scelus, contemptus & infidelitas: hoc omnino designant verba. ¶ *Discooperuisti*] i. Abiens te discooperuisti. Est enim גלה *aperire*, *revelare*; constructum autem cum constructione alterius verbi perinde est juxta Hebraismum ac si utrumque apponeretur; *Discooperuisti ex latere meo*, i. ex latere meo surgens te alteri denudasti. Cæterùm cùm גלה sit de numero eorum verborum quæ contrarias habent significationes, nam significat *apparere*, ac *disparere*, quod fit migrando, exsulando, &c. & cùm constructio conveniat, libenter pro *migrare*, seu *recedere* accipio; *ex latere meo*, *è lecto eodem in quo mecum jacebas recedens alteri tui copiam fecisti*. Hoc enim est Hebræum עלית, pro quo Vulgatus doctissimè vertit, sensum explicans, *Adulterum suscepisti*. In hac significatione verbo *ascendendi* utitur Scriptura, ità ut in significatione passiva sit hoc loco accipiendum עלה: neque enim de Ascensu in montes arbitror vocem hanc intelligendam. Unde ab ipso puto esse participium plurale femininum עלות, quod de Femellis dicitur, & pro *fœtis* & *uterum gestantibus*, vel *partu* etiam *exoneratis* accipitur Gen. 33. Psal. 78. &c. quod etiam verba illa Gen. 31. significant, *Ecce arietes ascendentes*, &c. ¶ *Dilatasti cubile*] Hoc & quod præcessit & quod statim sequitur optimè congruunt cum illis quæ sub Ahaz facta legimus ult. Reg. cap. 16. nam & ipse Rex *Filium suum consecravit*, *immolabat quoque victimas*, & *adolebat incensum in excelsis & sub omni arbore virescente*. Ibi etiam legitur de nunciis quos misit ad regem Assyrio-

riorum, quod dicitur versu 7. & quòd occurrerit regi venienti, quòd eodem versu habes. Quod autem illic dicitur de Altari, quod ædificari fecit in templo secundum similitudinem altaris quod viderat Damasci; & de *altari aneo, quod erat coram Domino*, quod *loco movit*, & loco ejus altare majus secundum ritus gentium collocavit; hîc puto significari, cùm dicitur, *è latere Domini surrexisse, & alteri succubuisse, & cubile suum dilatasse.* ¶ *Pepigisti cùm eis fedus*] Neque ipsi Rabini hanc versionem reprehendunt, imò sic ferè omnes vertunt: nam dicunt כרתת significare *pacisci*: quos neque mihi in animo est reprehendere: dico tamen nusquam me legisse in Scripturis כרתת pro *pacisci*, nisi cum nomine ברית, sicut Latinis *ferire*, *scindere*, non significant *pacisci* nisi cum nomine *federis* aut *pacti*, &c. Ad verbum autem sic habent Hebræa; *Et scidisti tibi ab eis*, nempe diis gentium: & repetendum est nomen *cubilis*: dixerat enim, *Dilatasti cubile tuum.* Ex loco autem libri Regum constat Altare majus ad similitudinem altaris Damasci fabrefactum; unde sequitur, ¶ *Dilexisti cubile eorum*] Ut enim vidit altare quod erat Damasci, placuit illi: & cùm ex Damasco rediisset, adoravit, & hostias super illud quod jam in templo constructum reperit immolavit. ¶ *Manu aperta*] Heb. יד חזית. Vulg. חזית ut nomen accepit à verbo חזה, i. *vidit*. Sed quia hujusmodi nomen alibi non reperitur, *manum* hîc Hebræi pro *loco* accipiunt; & nonnulla verba supplentes, quem volunt sensum conficiunt, vitio illis admodum familiari: quos plerique ex nostris sequuntur. Dicere tamen possumus hîc *manum* accipi pro *monumento* & *opere eximio*: sicut nos dicimus interdum de imagine esse *manum Apellis*, i. opus manu Apellis fabrefactum. Sic 2 Sam. 18. *Absalon erexit sibi statuam, qua est in valle regis, dicendo, Non est mihi filius, ut memoriam saltem relinquam nominis mei: vocavitque statuam secundùm nomen suum, & vocata est Manus Absalon*, i. *opus* seu *monumentum*. Ità Ahaz cùm vidisset altare Damasci, juxta ejus similitudinem aliud in templo erigi curavit: ideóque dicitur, *Dilexisti cubile eorum, manum quam vidisti.* Quod quamvis nemo Rabinorum annotavit, non propterea contemnendum ducas. Hîc mecum considera, Christiane lector, quo pacto Deus *peccata* quasi *in sacculo signet*, ut est apud Job: quemadmodum enim bonorum operum nostrorum singulas circumstantias ponderat, ut pro omnibus retribuat, sicut cùm ait, *Eò quòd fecisti rem hujusmodi, & non pepercisti unico filio tuo*, &c. sic etiam in peccatis *omnes semitas pedum nostrorum consideras.* En audis objicientem concursum, sortes, loca, memoriam jugem, deinde è latere suo surrexisse ut alteri succumberet, quæ ab aliis accepisset dilexisse, & mox imitatam fuisse, ut discas rationem habere operum tuorum, cogitétque impurus sacerdos, quantò sit atrocius crimen ab altari Domini recedere, & *membra Christi membra facere meretricis*; & laicus, quid sit in templo Dei, dum res sacra peragitur, oculis lasciviæ inservire: ut prætercam alia crimina inter Christianos passim obvia. *Numquid super his commiserebitur* Dominus? Notandum etiam est, etsi hæc inventa Regis impii fuerant, populo objici à Propheta: nam impii Regis præcepto summus Sacerdos obedierat, & populus illorum impietati acquieverat.

9. *Ornabas te Regi*] Corruptè legitur, *regio*. Objicit Assyriorum regi, quem propter excellentiam *Regem* absolutè vocabant, occurrisse Israelem cum *oleo* seu *unguento*, & *multiplicibus pigmentis*, quasi meretricem & adulteram, quæ adultero vult placere. Est alioqui *oleum* lætitiæ symbolum, quasi unctus & lætus occurrerit regi. Verisimile quoque est balsamum detulisse, cujus in agro Jericuntino erant arbores. Unde Oseæ 12. *Deferentes oleum in Ægyptum*, &c. Nam cùm gratiam habere vellet Israel Assyrio quòd adversus regem Syriæ hostis sui advenisset, processit ei obviàm. Miserat autem jamdudum argentum & aurum, quantum poterat: cultum quoque & religionem Regis imitatus est: & ob hæc dicit propheta, ¶ *Et humiliata es usque ad infernum*] Coram ipso videlicet rege Assyriorum, significans sibi non esse vires ad resistendum regi Syriæ: quasi ergò plùs virtuti, potentiæ & amicitiæ Assyriorum quàm potentiæ & amicitiæ Dei confidisset, audit, *Usque ad infernum humiliatus es.* Nam & temporali gloriâ & spiritali, quam in tutela veri Dei habuit, spoliatus erat Israel, Regi extero & diis extraneis serviens. Ob quam causam etiam in Exod. 32. dicitur, quòd *Aaron spoliaverit Israelem ad murmur inter hostes ipsorum*: meritò enim Israelitis detraherent & in eos obmurmurarent, quicunque in eos insurgere vellent, audientes quòd relicto Deo qui eos de Ægypto eduxerat, deos Ægyptios maluissent colere, qui neque eos retinere in Ægypto, neque ipsos Ægyptios, nè submergerentur, eripere valuerant. Potest etiam hæc humiliatio ad tempora quæ subindè secuta sunt referri. Quis enim ignorat quàm humiliata ac depressa fuerit illa resp. jam indè ab eo tempore?

10. *In multitudine viæ*, &c.] רב hoc loco de *longitudine viæ* dici existimo, ut Josue 9. Præter enim quòd ad Assyriam proficiscerentur pro auxilio, abeunt quoque omnes quotquot à Deo recedunt, in regionem longinquam & vias difficiles perambulant. Possumus & de Multitudine accipere: *In multitudine viæ*, i. *in multiplicibus viis tuis laborasti.* Nam plures deos colebant, & multiplices ritus addiscebant, qui uno potuissent contenti esse. Cùm autem hæc omnia apta sint & apposirè dicantur, ego tamen mallem רב in infinitivo accipere: *In multiplicando viam tuam laborasti*, i. ut proficeres & progressus faceres in eo vitæ instituto quod ingressa es. Si verò ut nomen accipias, eodem tamen sensu interpretari licebit; *In multitudine*, i. pro augmentatione & promotione studiorum tuorum laborasti. Objicit itaque zelum & contumaciam, quòd pro impietate labores sustinuerit, quæ multò minori negotio Dei sui gratiam potuisset promereri & beneficiis Omnipotentis frui. ¶ *Non dixisti, Quiescam*] Laborasti, inquit, & agones subiisti; nunquam autem in ipsa rerum difficultate, quâ sæpe laborabas, subiit in mentem ab incepto desistere, ut impedimentis ullis cederes. De voce נואש, pro qua Vulg. reddidit *quiescam*, sensum exprimens, variæ sunt sententiæ: puto autem esse passivum יאש, quod non est in usu in Cal, at in Piel semel, Ecclesiast. 2: éstque eo loco *abdicare animum*, aut *animo cadere præ diffidentia* seu *desperatione*. Usurpatur autem hæc tertia persona passivæ vocis pro eo quod Latini dicunt, *actum est*: dicerêque licebit, *desperatum est*. Hunc locum videtur explicare ille Jerem. 2. *Prohibe pedem tuum nè denudetur, & guttur tuum à siti. Et dixi; Num desperatum est? Non: quia amo alienos, & post ipsos ambulabo.* ¶ *Vitam manûs tuæ invenisti*] Non destitisti ab incepto, quinimo prosecuta es viam quâ ingredi cœperas, ac tandem illud vitæ genus quod consequi optabas invenisti atque apprehendisti. In nomine autem *vitæ* est ironia: *vitam* enim vocat Pestem atque ipsam mortem, quam tamen ipsi vitam reputabant: & *vitam manûs* vocat Vitam industriâ partam. Sicut autem qui multo labore & industriâ ac variis discriminibus vitam seu vitæ remedia consequitur, ut sunt opes & similia bona, bene collocatos labores suos arbitratur, neque eum laboris pœnitet; idem objicit Dominus contigisse Israeli. Atque hoc est quod sequitur, ¶ *Propterea non doluisti*] Ubi insinuat quàm se voti compotes arbitrarentur: & quantæ felicitati ducerent sese in amicitiam deorum insinuasse, cultùs ipsorum rationem tenuisse, observasse ritus, & inter eorum cultores connumeratos esse. O nos felices, dicebant, qui quod tamdiu optavimus, jam tandem tenemus! O bene collocatos labores! Nihil molestum nobis contigit: nullus fuit labor, postquam voti compotes facti, deorum istorum sumus cultores, &c. Quod verò Vulg. ait, nimirum Græcos secutus, ¶ *Propterea non rogasti*, perinde est ac si diceret, *Propterea animo elata nihil tibi deesse putas: neque Deo supplicas, aut quidquam petis more miserorum & inopum.*

11. *Pro quo solicita timuisti?*] Heb. *Ecquem metuisti & timuisti?* Vel, *ecquem reverita es*, aut *timuisti?* q. d. neminem. Sensum Vulg. benè reddidit, *Etamsi videaris me colere, & invocare soleas in adversis, mentiris: nihil de me aut meo cultu solicita es, neque ullo mei timore tangeris: voces tantùm habes & verba, corde longè es à me: mendax es & mentiri soles; & tantum abest ut me timeas, ut neque mei recorderis.* ¶ *Et non cogitasti*, &c.] Hebræa, *& non posuisti super cor tuum*, &c. Quidnam? ¶ *Quòd ego tacens*] Vel (ut est in Hebræo) *Annon ego tacens.* Non, inquit, existimare deberes, cùm non subitò animadverto in te, ignorare me res tuas, aut aliâ quavis ratione impunitatem tibi promittere; quin potiùs hoc sedulâ mente deberes attendere, *quod ego tacens, & à seculo*, i. quòd à seculo consueverim tacere, atque aliquandiu dissimulare. Nam quod in Vulgato legitur, ¶ *Et quasi non videns*] Non habetur in Bibliis Hebraicis. Symmachus tamen videtur legisse. ¶ *Et mei oblita es*] Hebræa, *Et me non timebis*, i. nequaquam timere soles: non cogitasti quòd ego consueverim tacere, neque me times.

12. *Ego annunciabo justitiam*] Ego faciam ut omnes intelligant quàm justa sis. Ironia est: hypocrisin enim & falsam justitiam Judæorum traduxit Deus, quoties eos potestati hostium tradidit. Nam si in illa repub. fuisset verum justitiæ studium, neque obtinuisset falsitas seu mendacium, nequaquam adversùs eos prævaluissent hostes: unde illi palàm testabantur; In exsilio se iccirco relictos fuisse à Deo, quòd ipsi Deum reliquissent. Vide Jeremiæ Lamentationes. ¶ *Et opera non proderunt*] Vel *non sublevabunt*: non enim sublevamen afferunt in adversis hypocritarum bona opera, aut falsa sanctitatis signa, ut quæ gra-

tiam hominum pro præmio habuerint, quia propter homines facta sunt: vel *opera* vocat Idola quæ fabricaverunt.

13. *Cùm clamaveris liberent te*, &c.] Ubi sunt dii eorum, in quibus habuerunt fiduciam? Dicebat Moses, *Surgant & opitulentur vobis, & in necessitate vos protegant.* Hîc *congregatos* vel illam deorum turbam vocat de qua paulò antè, vel auxiliares copias quas multo auro conduxerant adversùs Syriæ regem: quas non allaturas auxilium Judæis significat, quando Chaldæi adversùs Jerusalem venirent. Nam (ut ex Scripturis conjicitur) jam Chaldæis subditi erant Assyrii, & Babylonii erant rerum domini: ob quod fortè dictum est quòd *omnes eos levaret ventus, auferret vanitas*, i. levis aura; quod de diis fictitiis verum quoque est. Potest & hoc ultimum membrum sic accipi, ut mutatâ personâ de ipsis Judæis dicat, *Omnes eos levabit ventus*: q. d. Quid clamabunt? è terra hac, veluti paleæ quisquiliæque jactabuntur, & vento auferentur. ¶ *Qui autem*, &c.] Cùm sui temporis scelera Propheta commemorasset, ob quæ non posset Deus non immittere flagella, cujusmodi fuit captivitas Babylonica; jam tamen aperit, eos qui resipiscerent & flagellis ad sanam mentem reducti in Deum sperarent, non penitus oblivioni tradendos fore, sed è captivitate redituros, ut Deum laudarent. Quod tamen beneficium ad tam improbam gentem in officio continendam non potuisse sufficere prævidet Propheta atque prænuntiat sub finem capitis; inquit igitur, Pœnas dabitis, & instante captivitate *clamabitis:* nusquam tamen apparebunt illi *vestri congregati*, sed universos tam illos quàm vos calamitatis *ventus auferet:* non tamen omnino abolebitur gens hæc; sed qui protectionem in me quæsierint, & in me spem collocaverint, non jam ab idolis, non jam ab amicis protectionem sperantes, adducam eos ut iterum possideant terram hanc, & in ea diutius vitam agant.

14. *Viam facite*] Seu, ut est in Hebræo, *sternite: sternite*, i. complanate viam. ¶ *Declinate de semita*] פנו דרך i. facite ut faciem habeat & superficiem planam. Hæc est vis verbi פנה in Piel: quod meliùs explicare non possumus quàm verbo *repurgandi, evertendi*, ut Sophon. 3. *Inimicos tuos evertit, ut occuparet faciem terræ:* sic etiam Genes. 24, & Malach. 3. & suprà 40. ¶ *Auferte*, &c.] *Elevate. Elevare* pro *auferre* dicit Hebraismus non raro, ut versu præcedenti. Hæc autem verborum congeries nihil aliud notat quàm Dei benevolentiam erga suos, qui nolit illos, quorum ipse miseretur, impedimenta aliqua reperire quibus iter eorum retardetur. Quæ etsi dicantur de reditu è Babylone, in universum vera sunt, & in illis qui ex regione peccati redeunt, complentur. Quod annotarunt sancti in illud Exodi, quòd propterea voluerit Deus ducere Israelitas per terram Palæstinorum, nè insurgerent in eos; ut enim est apud Platonem, *Tamdiu difficile est hominem in recta contineri, quamdiu recti suavitatem non gustaverit: tota enim vita gustu ducitur.*

15. *Quia hæc dicit Dominus*] q. d. *Nè mireris quòd is qui tam severi populum ex terra sua ejecerit, tam sedulò nunc eorum reditum paret, ut & viam expurgare & lapillos ex ea auferri curet: nam in hunc modum dixit*, &c. Et suspensa est oratio usque ad versum sequentem. Antè quàm enim quid dixisset annunciaret, exordio utitur quo mores Dei explicat, ingenium & naturam, cui satis convenire videbis quæ jam dicturus est Deum dixisse. ¶ *Excelsus & sublimis*] Sensus est, Ille, qui cùm sit *excelsus, & supra omnia, & æternus, & cujus nomen est sanctum*, & juxta naturam suam *excelsum* quoque locum *inhabitat* & *sanctum*, ille, inquam, qui cùm talis sit, *cum contrito* tamen seu *contuso & qui est humilis spiritu cohabitat, ut* ejus *cor & spiritum vivificet*, recreet & consoletur; is, inquam, dicit, quòd *non in æternum litigabit*, &c. Argumentum tale est; Eum, qui cùm sit excelsus humilia respicit; qui *cùm sit in cœlo, respicit quæ sunt in terra*, (ut est in Psalmo;) qui cùm cœlum inhabitet, cohabitat quoque humilibus & abjectis; qui cùm *æternus* sit & impassibilis, nihilominus *contusorum* habet rationem, ut eis medeatur; eum, inquam, profectò nequaquam dedecet *in æternum non litigare*, &c. neque quos abjecerat, tam amanter reducere. Ergò juvabit in memoriam revocare quæ sit Dei nostri misericordia, qualis erga humiles & calamitatibus fractos, ut quem iratum sensimus, affabilem adhuc nos experturos sperare possimus. ¶ *Habitans æternitatem*] שכן עד, vel *æternùm manens.* Posset sic profectò homo cogitare: Mortalia curat æternus; fracturas peccatorum sanctus; humiles & abjectos excelsus & sublimis: quis ergò mortalis & peccatis eisdem ac reliquis vitæ humanæ conditionibus obnoxius, fratres, peccatores confractos aversabitur? ¶ *Ut vivificet spiritum*, &c.] Ità Paulus, *Qui consolatur humiles, consolatus est nos*, &c.] Facit hic locus ad illum Euangelii locum, *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua*, &c.

16. *Non enim*] Vel, *quia non:* vel, *quòd non.* Nihil mirum quòd auferre offendiculum, &c. jubeam: non enim is sum qui non consueverim à lite discedere & rixa. Scio quando opus est contendere, increpare peccatores, ut ab incepto desistant, & in eos quoque interdum animadvertere: novi quoque rursum mitiùs cum eis agere & pœnitentià placari. ¶ *Usque ad finem*] In superioribus de hac voce & phrasi dictum est. Deus noster in finem diligit, quia finem amoris attigit; & quò ultrà amor progredi non posset, pervenit: at *non in finem indignatur*, neque ea omnia iratus infert quæ posset, & indignatio suppeditaret, & peccata nostra exigerent. Quare cùm diutius in irâ persistere videretur, objicit Propheta, *ut quid Dominus irasceris in finem*, &c. ¶ *Spiritus à facie mea egredietur*] i. Ego, cùm volo, spiritum exhalare facio; *aufero* enim *spiritum Principum.* Sensum, non verba, reddidit Vulg. Verbum enim Heb. יעטוף est *tegere*, seu *obrui, ut non appareat.* Thren. 2. verbo *deficiendi* reddidit Vulg. bis, & Jonæ 2. verbo *angustiari:* ego verba reddidi. *Spiritus à facie mea operitur, tegitur, obruitur.* Hâc phrasi nos Lusitani utimur, *operiri cor* pro *valde tristari*, Hebræi pro *mori. Ego*, inquit, *sum qui occido: sed ipse quoque sum qui vivere facio:* & hoc est quod sequitur, *Et flatus ego feci.* Quòd si utrumque meum est, percutere & sanare, deducere ad inferos atque reducere, jam verò percussi, jam humiliavi usque ad inferos: non id perpetuò me agere exspectare debetis, sed ut rursus sanem & vivificem. Quod si יעטוף activè accipiamus, aut, teste Hieronymo, acceperunt Symmachus & Aquila, sensus erit, *Spiritus meus, qui à facie mea* supple *egreditur, operit, obtegit & omnia occupat:* i. ego sum qui omnia spiritu meo vivifico, & do spiritum habitantibus in terra, &c. Qui igitur fieri potest, ut omnino perire sinam homines, &c. Sed ut hæc interpretatio constet, nonnullæ voces supplendæ erunt: quod piis & doctis non placet.

17. *Propter iniquitatem avaritiæ*] De hoc *avaritiæ* studio, cui dediti erant Principes Judæorum, tam Ecclesiastici quàm seculares, diximus superiori capite. Hinc universa lues vitiorum in remp. eorum profluxit ob quæ iratus Deus eos in captivitatem abduxit. ¶ *Abscondi*] Quod sequitur, *Faciem meam*, ex commentario Hieronymi aliquis textui inseruit: & infinitivum pro præterito accepit Vulg. more Hebræorum. Existimo tamen esse peculiarem phrasim, quâ & nos utimur Hispani. *Percussi abscondendo*, i. latenter & alterius manu. Putabant enim Chaldæi, se esse illius calamitatis præcipuos auctores: at Deus erat qui per eos percutiebat. ¶ *Abiit vagus*] Hieronymus in commentariis legit *mærens*; secutus Græcos. *Vel* conversus, inquit, aversus *dicere possumus, ut apud Jeremiam*, Convertimini filii aversi. Sed sensus idem est: nam *converti in viam cordis sui*, & *averti à Deo*, re idem sunt. Hîc planè videtur loqui de *Desideriis cordis ipsorum* quibus *ipsos Deus tradidit* propter alia scelera: nam *Peccata peccatis punit Deus*, ut inquit Augustinus. Potiùs autem de hoc exsilio & peregrinatione loquitur quàm de illa quæ hanc consecuta est corporali: quia qui in Chaldæam abducebantur ex Teion *aversi*, à Deo priùs se averterant. Hanc etiam Aversionem priùs curat, & huic priùs mederi solet. Nam qui *errant in solitudine*, & *viam* quæ ducit *ad civitatem in qua habitent non inveniunt, esurientes & sitientes, & animo* quasi *deficiente*, non priùs *in viam rectam deducuntur* quàm *clament ad Dominum*, & misericordiam ab eo consequantur. Quare quæ sequuntur reductionem à peccato non minùs sonant quàm è Babylone. Nec mirum: nam typum & veritatem simul non raro Prophetæ enarrant.

18. *Vias ejus vidi*, &c.] Superior versus illud membrum explicat, *Spiritus à facie mea obruetur:* hîc autem alterum, *Et flatus ego creavi. Vidi*, inquit, *& sanavi*, aut *medicatus sum:* condolui, cùm viderem quantùm deflecterent à via vitæ: quare medelam ei adhibebo. Futura sunt in Hebræo: sed parvi refert. Commovit autem Deus ad pœnitentiam Israelem in captivitate detentum, ut agnoscerent errata sua, sicut legis in oratione Danielis, &c. ac deinde, *Deduxi eos*] In Judæam, *& reddidi consolationes*, quibus dudum fuerant destituti, & *lugentibus ejus.* Sunt qui vertunt, *lugentibus eam:* sed sensus idem est. Scio quòd per Christum *data* est *corona pro cinere, oleum pro luctu*, &c. sed ego seriem orationis contexo: quod qui facit, multa præterea necesse est, quæ aptè in singula verba dicta alioqui videri poterant.

19. *Creavi fructum*] Hebræis est participium, *creans:* quod pro præsenti accipi potest, sicut & futura quæ paulò antè præcesserunt. Potest & præcedenti verbo jungi, *Reddam consolationes, creans fructum*, &c. Sunt autem qui *fructum labiorum* dicunt esse quod Paulus ait, *Reddemus vitulos labiorum confitentium Deo*, &c. Puto tamen hic ipsam *pacem* dici *fructum labiorum. Feci*, inquit, *ut pax annunciaretur labiis hominum:*

minum: quo facit nomen ניב, qui ipsos *terræ proventus* propriè designat, sicut & verbum נב *fœcunditatem* notat. *Proventus*, inquit, *labiorum erit pax:* nihil aliud quàm pacem sonabunt passim ora hominum. Verùm quia in pace reddita Judæis per Persarum reges vidit Propheta pacem quæ per Christum mundo obveniret, non solùm Judæis pacem sed & gentibus annunciandam affirmat. Sic enim exponit locum hunc Apostolus ad Ephes. 2. & pro *fructu labiorum* dixit, *Euangelizavit pacem*, &c. gentibus, *qui longè*, & Judæis, *qui propè*.

20. *Impii autem*] Vau pro Adversativa particula non malè accepit Vulg. *at impii*, seu *improbi*, &c. Videbat autem Jesaias Judæos, qui è Babylone redituri erant, pace illâ abusuros, & ad impietates & scelera prolapsuros, ob quæ perpetuæ calamitates eos manerent; propterea hæc verba adjecit, & tandem affirmat ex ore Dei, quòd licèt iis *qui longe* & iis *qui prope pax* annunciaretur; *improbi* tamen, quasi nec *propè* neque *longe* essent, expertes illius pacis forent. Quod non sine doloris sensu, neque sine indignatione protulisse Prophetam existimo. Dolebat quippe Propheta in tanto pacis proventu, gentem illam pace carituram. ¶ *Mare fervens*] נגרש *propulsum*, & *tempestate agitatum*. Quid sentiat Spiritus S. de mentibus improborum, cogita hoc in loco, Christiane lector. Vidisti unquam concitatum magnâ vi ventorum mare? tales sunt, inquit, improborum mentes: quiescere non valent, affectibus suis & afflatu malorum spirituum agitatæ: quin etiam (ut Hebræa sonant) nunquam non *stercus* & *lutum* ejiciunt. Est autem רפש cum ש idem quod *stercus:* at si cum ס legatur, aut ש pro ס positum dicamus, ut sæpe solet, est *Perturbatio*, i. *spuma*. Icirco *conculcationem* vertit Vulgatus. Sic autem vocat res conculcatione dignas. Neque enim aliunde *egreditur impietas*, ut est in proverbio in libris Regum, quàm *ab impiis*. Inutilia sunt etiam eorum opera, & *spumæ* aut *luto* simillima, quæ non solùm non prosunt, sed alios inquinant. Tales semper fuerunt Judæi, etiam post reditum è Babylone, quare sequitur,

DRUSIUS.

3. בְּנֵי עֹנְנָה. Sym. *filii auguratricis*. Th. ὠνενὰ, *Onena*] Hier. *Th. ipsum verbum Ebraicum posuit, quod nos juxta Sym. inauguratricem vertimus*.

11. אֲנִי מַחְשֶׁה וּמֵעֹלָם. A. Sym. *ego semper tacui*] Descripsi olim ex Hieronymo: quod cùm quærerem his diebus, nòn inveni, Quæramus diligentiùs. Mihi nunc otium non est.

13. יַצִּילֻךְ קִבּוּצַיִךְ. Sym. *eruant te synagogæ tuæ*] Hier. *Pro eo quod Lxx transtulerunt*, eruant te in tribulatione tua, *& nos diximus*, liberent te congregati tui, *Sym. transtulit*, eruant te synagogæ tuæ. *Ergò propriè loquitur ad Judæos, quod eos Synagogarum suarum turba tempore obsidionis liberare non valeat.* ¶ וְהַחוֹסֶה בִי יִנְחַל־אֶרֶץ וְיִירַשׁ ¶ הַר קָדְשִׁי. Sym. *Qui autem confidit in me, possidebit terram, & hereditate consequetur montem sanctum meum.*

14. וְאָמַר סֹלּוּ סֹלּוּ פַּנּוּ־דָרֶךְ. *Et dicet*, —— *rectam facite viam*] Adi sis ad Comment. Hieronymi.

16. יַעֲטוֹף. A. Sym. Th. περιλεύσεται *circumdat*] Hier. Spiritus meus, qui ex me egredietur, *sive* qui, *juxta Ebraicum, Aq. Sym. & Th.* cuncta circundat, *hoc enim sig.* περιελεύσεται, vegetator est omnium.

IDEM EX PROCOPIO.

1. וְאֵין אִישׁ. A. Sym. Th. καὶ οὐδεὶς ἀνὴρ, *& nullus vir.*

3. קִרְבוּ. A. Sym. ἐγγίσατε, *accedite*, *appropinquate*. προσαγάγετε, *adducite*.

5. סְעִפֵי הַסְּלָעִים, A. ἀκρων τῶν πετρῶν *summitatibus petrarum*] Vel *eminentiis*. Sic Hier. *subter eminentes petras*. Secutus ergò Aquilam est.

6. בְּחַלְּקֵי־נַחַל. ἐν τοῖς μερίσι φάραγγος, *in partibus vallis*.

7. לִזְבֹּחַ זָבַח. A. Sym. Th. θυσίας θυσιάσαι, *sacrificia sacrificare*.

8. הִרְחַבְתְּ מִשְׁכָּבֵךְ וַתִּכְרָת־לָךְ מֵהֶם. Th. ἐπλάτυνας τὴν κοίτην σου, καὶ διέθου σαυτῷ παρ' αὐτῶν, *dilatasti cubile tuum*, *& disposuisti teipsum in eo*. ¶ אָהַבְתְּ מִשְׁכָּבָם. οἱ λοιποί, ἠγάπησας τὴν κοίτην αὐτῶν, *dilexisti cubile ipsorum*.

9. וַתַּרְבִּי רִקֻּחָיִךְ וַתְּשַׁלְּחִי צִרַיִךְ עַד־מֵרָחֹק. Sym. καὶ ἐπλήθυνας τὰ μυρέψιά σου, ἀπέστειλας ὁμήρους σου ἕως μακρὰν, *& multiplicasti pigmenta tua, misisti vades tuos usque longè*] In margine textus, *A. Sym. Th.* καὶ ἐπλάτυνας, *& multiplicasti*. ¶ *Vades*] Vel *obsides*. Alii *legatos*, & meliùs, veriùs. ¶ Τὰ μυρέψιά σου. A. συνθέσεις σου *compositiones tuas*, Th. μυρεψοὺς σου *unguentarios tuos*, vel *pigmentarios*. ¶ Ἕως μακράν. In margine, *A. Sym. Th.* ἕως εἰς μακράν. ¶ עַד מֵרָחוֹק ¶ וַתַּשְׁפִּילִי עַד־שְׁאוֹל. Iidem, καὶ ἐταπεινώθης ἕως ᾅδου, *& humiliata es usque ad infernum*.

10. לֹא חָלִית. A. οὐκ ἐλιτάνευσας ὥστε τυχεῖν ἀφέσεως, *non precata es ut veniam consequereris*] Vel *supplicata*, non supplex orasti. Hinc λιτανεία, *supplicatio*, & Gallicum *letanies*. Porrò videtur mihi legisse חלית in secunda conjug. Nam ibi *precari* denotat. Hoc pono, non decerno. Ὥστε τυχεῖν ἀφέσεως addita videntur à Procopio explicationis gratiâ.

11. וְאוֹתִי לֹא זָכַרְתְּ. A. διέμεινας ἐξ αἰῶνος ἄφοβος καὶ ἄνευ λάβης] Suspectum. Verba Procopii, Ὁ δὲ Ἀκύλας ἀντὶ τοῦ, Τίνα φοβηθεῖσα ἐψεύσω με; Διέμεινας δὲ, φησὶν, ἐξ αἰῶνος ἄφοβος καὶ ἄνευ λάβης. Interpretis Curterii, *At Aquilas pro quo*, QUEM TIMENS PERTERRITA ES? *legimus*, MANSISTI, *inquit*, A SECULO SINE METU ET SINE PIETATE. Juva me, lector, judicio tuo.

12. צִדְקָתֵךְ. A. Sym. Th. τὴν δικαιοσύνην σου *justitiam tuam*. ¶ לֹא יוֹעִילוּךְ. Iidem, οὐκ ὠφελήσει. Sic etiam οἱ ό.

13. יַצִּילֻךְ קִבּוּצַיִךְ. Sym. ἐξελέσθωσάν σε αἱ συναγωγαί σου, *eruant te synagogæ tuæ*.

15. כִּי. οἱ Γ. ὅτι *quia*.

17. לִבּוֹ. Τῆς καρδίας αὐτοῦ *cordis sui*.

20. וְהָרְשָׁעִים כַּיָּם נִגְרָשׁ כִּי הַשְׁקֵט לֹא יוּכָל וַיִּגְרְשׁוּ מֵימָיו רֶפֶשׁ וָטִיט. Sym. Οἱ δὲ ἀσεβεῖς ὡς θάλασσα ἐκβρασσομένη· ἡσυχάσαι γὰρ οὐ δυνήσονται, καὶ ἐκβρασθήσονται μετὰ τὰ ὕδατα αὐτῆς καὶ καταπάτημα καὶ πηλὸς, *Impii autem tanquam mare quod ebullit: quiescere enim non poterunt, & ejicientur ad aquas ipsius & conculcamentum & lutum.* A. —— καὶ ἐκβράσει ὕδατα αὐτῆς καταπάτημα καὶ πηλὸν, *& ebulliet aqua ejus conculcamentum & lutum*. Th. καὶ ἀποβαλεῖται ὕδωρ αὐτῆς καταπάτημα καὶ πηλός. Hier. *in conculcationem & lutum*. An legit εἰς καταπάτημα;] *Conculcamentum*, id quod conculcatur, cœnum conculcatum. Alii *conculcationem* reddunt, i. καταπάτησιν.

GROTIUS.

1. *Justus perit*] Moritur Rex Josias, qui erat & justus, id est, mali abstinens, & beneficus admodum, 2 Reg. XXII. 2. 2 Paralipom. XXXIV. 2.

Et non est qui recogitet in corde suo] Nemo cogitat de causa cur id Deus faciat.

A facie enim malitiæ collectus est justus] Verte: *ante malum colligitur* ad majores suos *ille justus*. *Ante malum*, id est, nè videat populi captivitatem. Sunt ipsa verba Holdæ ad Josiam ex Dei nomine: *Colligam te ad patres tuos*, *& colligeris ad sepulchrum tuum in pace*, *ut non videant oculi tui omnia mala quæ inducturus sum super locum istum*. *In pace*, id est, republicâ Judaïcâ salvâ.

2. *Veniat pax*, *requiescat in cubili suo*, *qui ambulavit in directione sua*] Verteris rectè: *Adveniat illi* (Josiæ Regi) *pax: requiescant in cubilibus suis* (id est, ἐν τῷ κοιμητηρίῳ [*in cœmeterio*], & subaudi *ossa ejus:*) *ambulavit* (enim) *coram eo*, Deo scilicet. Hæc vulgus intelligebat de corpore; sapientes de spiritu: qui in locis Deo cognitis, nobis incognitis, quiescebat. Sed hæc apertè revelari non debebant ante Messiæ tempus, cui reservata erat rerum obscurarum patefactio. Hæc ipsa verba in usu sunt Judæorum jam olim, ubi de piis mortuis loquuntur. Legit hîc Interpres non ut nos נכחו [*coram eo*], sed בנכחו [*in directione ejus*].

3. *Vos autem accedite huc, filii auguratricis*] Secutus est quod nos habemus עננה [*auguratricis*]. Sed & Chaldæus & Græci legerunt עונה [*iniquitatis*], cum He paragogico, sensu meliore: υἱοὶ ἀνομίας [*filii iniquitatis*], sive ἄνομοι [*iniqui*], ut hic habent Lxx.

Semen adulteri & fornicariæ] Σπέρμα μοιχῶν καὶ πόρνης [*semen mœchorum & meretricis*], id est, qui moribus non magis ad Israëlem pertinebis, quàm naturâ ad dictum patrem pertinent quos mater adultera ex adultero genuit. Γενεὰ πονηρὰ καὶ μοιχαλίς [*generatio mala & adulterina*] Matthæi XII. 39. XVI. 4.

4. *Super quem lusistis?*] Videte qualis fuerit ille Rex quem vos contempsistis. Ad eos loquitur qui ex Manasse impietatem didicerant, & Josiam irriserant ob pietatem, homines qualis Sobna, qui etiam cum pietatis detrimento rebus suis consulere volebant.

Super quem dilatastis os, & ejecistis linguam?] *Dilatare os* est loqui quæ lubitum est, ut Psal. XXII. 14. XXXV. 21. *Ejicere linguam*, inter tria sannarum genera quæ habet Scholiastes Persii ad Satyram 1.

Num

Numquid non vos filii scelesti] *Filii sceleris*: id est, quasi in hoc nati, ut scelera patretis, υἱοὶ ἀπωλείας [*filii perditionis*] in Græco, sicut Latinè dicimus *hominem perditum*.

Semen mendax] *Mendacii*, in Hebræo simili loquendi genere. Sic vocantur à Prophetis omnes idololatræ.

5. *Qui consolamini in diis*] *Qui incalescitis apud deos*, nempe in Venerem. Nam in lucis templo circumjectis prostabant feminæ & mares in honorem deorum falsorum. Ideo luci apud Templum in Lege prohibiti.

Subter omne lignum frondosum] Sub densis arborum umbris. Idem loquendi genus 2 Reg. XVII. 10. Oseæ IV. 13. Ezech. VI. 13.

Immolantes parvulos] More vetere Cananæorum, sive Phoenicum, de quo egimus alibi.

In torrentibus] נחל propriè *vallem* significat, quod hîc secuti LXX, ἐν ταῖς φάραγξι. Et quia in vallibus esse solent torrentes, ideo & torrentem significat. Intelligitur hic præcipuè vallis Hinnomi apud torrentem Cedron.

Subter eminentes petras] Græci, ἀνὰ μέσον τῶν πετρῶν [*inter petras*]. Chaldæus, *Subter eminentias petrarum*, sub præcipitiis, quæ Hebræi hic & alibi *ramos* vocant.

6. *In partibus torrentis pars tua, hæc est sors tua*] Videtur rectiùs verti, *in levigatis* (lapidibus) *qui sunt ad ripas torrentum posita spes & fiducia tua*. Illis fiditis sicut divites possessionibus suis.

Et ipsis effudisti libamen] In honorem illorum lapidum vinum libatis: ἐξέχεας σπονδὰς [*effudisti libamen*] Græci.

Obtulisti sacrificium] In Græco θυσίαν [*sacrificium*]. Sic Græci veteris Testamenti interpretes vertunt Hebræum, quod & hîc est מנחה [*manna*]: quod in Græcè loquentium libris est πέμμα [*placenta*]. Ipsi autem idololatræ vocabant כונים, ut Jeremiæ VII. 18.

Numquid super his non indignabor?] An hæc ego meo cultui adversantia, meâ Lege prohibita, sinerem abire impunè!

7. *Super montem excelsum & sublimem*] Qui loci Cananæis vicinisque populis erant pro Templis.

Posuisti cubile tuum] Nam pernoctabant in illis locis spe consequendi somnia futurorum præsaga. Sic olim Delphis fiebat, antequam oracula ibi redderentur. Euripides Iphigeniâ in Tauris:

Ἀπὸ ζαθέων χρηστηρίων νύχια
Χθὼν ἐτεκνώσατο φάσματα.
Οἳ πολίεσι μερόπων
Τάτε πρῶτα, τάτ' ἔπειθ',
Ὅσα τ' ἔμελλε τυχεῖν,
Ὕπνου κατὰ δνοφερᾶς γᾶς
Εὐνὰς ἔφραζον.
[*Visus sedibus è sacris*
Tellus noctivagos dabat,
Qui mortalibus ederent
Prima & deinde sequentia,
Et quæ curriculis novis
Ætas serior adferet,
Somnorum indiciis apud
Terræ nigra cubilia.]

Et illuc ascendisti ut immolares hostias] Victimas omnis generis.

8. *Et post ostium & retro postem posuisti memoriale tuum*] Tutelæ quædam simulacra, ut hîc explicat Hieronymus, idque in illa ipsa ædium parte, ubi præcepta Dei poni debuerant, Deuteronom. VI. 9. XI. 20.

Quia] *Quinimo*.

Juxta me] In conspectu meo: id est, in ipso Templo meo. Vide historiam 2 Reg. XXI. 3. 4. 5. 6. 7.

Discooperuisti] Tantam mihi fecisti injuriam, quantam uxor adultera marito facere posset. Ità hic Chaldæus. *Discooperuisti* est quod Græci dicerent ἀνέσυρας.

Et suscepisti adulterum] Bene vertit id quod in Hebræo est *ascendere fecisti*: id est, admisisti adulterum.

Dilatasti cubile tuum] Rectiùs, *Laxata es concubitu tuo*: nam sic sumi משכב apparet Num. XXXI. 17.

Et pepigisti cum eis fedus] Rectiùs: *castrasti quosdam ex eis*. Sic sumitur כרת Levit. XXII. 24. Deuteronom. XXIII. faciebant hoc feminæ libidinosæ servis, ut partum effugerent.

Dilexisti stratum eorum] Id est, *etiam horum concubitu delectata es*. Est enim hîc iterùm משכב.

Manu apertâ] In Hebræo, *Manum vidisti*: id est, sensisti. nam omnis sensus apud Hebræos *videndi* voce exprimitur, ut Psal. XXXIV. 9. & alibi. Libuit tibi contractari. LXX hæc omisère de industria.

9. *Et ornasti te regi unguento, & multiplicasti pigmenta tua*] Id est, etiam Ægyptios mores imitata es, ut Mechoni Regi placeres, 2 Regum XXIII. 35. 36. 37. Simile factum Achazi habes 2 Regum XVI. 10. & sequentibus.

Misisti legatos tuos procul] Velut amorum pararios.

Et humiliata es] Projecisti te.

Usque ad inferos] Tanquam vile scortum, ὡς χαμαιτύπη [*ut humicuba*]. Martialis:

Abscondunt spurcas & monumenta lupas.

10. *In multitudine vitæ tuæ laborasti*] Nil reliquisti intentatum: omnibus modis polluta es. Sic Judæi etiam nunc sumunt דרך. Vide Prov. XXX. 19.

Non dixisti, Quiescam] In Hebræo, *nunquam dixisti*, *Cor mihi linquit*.

Vitam manûs tuæ invenisti] Tam fœdo labore victum tibi parasti.

Propterea non rogasti] In Hebræo, *non elanguisti*, οὐκ ἐνάρκησας. omnia sustinuisti spe lucelli, non modò nulli negasti, sed & nihil. Vide Ezech. XVI. 26. & XXIII. 19.

11. *Pro quo solicita timuisti, quia mentita es, & mei non es recordata*] In Hebræo: *Quem tu vereris aut timeres, quandoquidem mentita es* (mihi scilicet), *meique oblita?*

Neque cogitasti in corde tuo] In Hebræo, *Nec posuisti super cor tuum*: in mentem tibi non veni.

Quia ego tacens, & quasi non videns, & mei oblita es] In Hebræo: *An quia ego taceo jampridem, ideo me non curas?* quasi dicat, Incipiam ergò loqui.

12. *Ego annuntiabo justitiam tuam*] *Ergò nunc eloquar tuas virtutes*. Εἰρωνικῶς [*per irrisum*]. ut, *Egregiam verò laudem*.

Et opera tua non proderunt tibi] In Hebræo, *& non proderunt tibi*: id est, talia sunt ut nihil tibi boni sint allatura.

13. *Cùm clamaveris, liberent te congregati tui*] Congreges tui quorum facta imitata es.

Omnes eos auferet ventus, & tollet aura] Difflabantur. Vide Psalm. I.

Qui autem fiduciam habet mei, hereditabit terram] Faciam ut is in patriam redeat, possessionésque avitas recuperet.

14. *Et dicam, Viam facite*] Omnia impedimenta tollam.

15. *In excelso & sancto habitans, & cum contrito & humili spiritu*] Quanquam in excelso habitat, humilibus tamen favet. Id enim est apud Hebræos *cum aliquo esse*. Confer Psalm. LI. 19.

Ut vivificet spiritum humilium] Id est, consoletur pœnitentiâ ductos.

16. *Non enim in sempiternum litigabo*] Non succensebo illis diu, nempe post pœnitentiam.

Spiritus à facie mea egredietur, & flatus ego faciam] Veteris rectè, *Imò aura à me* (veniens) *teget* (illum humilem & contritum): *& ventulum ego faciam*. Mœror æstui comparatur, solatium verò auræ refrigeranti.

17. *Propter iniquitatem avaritiæ ejus iratus fui*] *Fueram*. *Avaritia* propè *omnium malorum radix*, 1 Tim. VI. 10. Hoc autem morbo eximiè laborasse Iudæos suprà didicimus LVI. 12. & hic 10.

Et indignatus sum, & abiit vagus in via cordis sui] Id est, indignatus sum dum populus vagatur sequens cordis sui cupiditates.

18. *Vias ejus vidi*] Nunc verò cum videam vias ejus correctas.

Et sanavi eum] Volo medicinam adferre malis ipsius.

Et reduxi eum] *Reducam*.

Et reddidi consolationes ipsi, & lugentibus ejus] Solabor & ipsos, & eos qui ipsorum malis indolent.

19. *Creavi fructum labiorum*] Dabo illis materiam cur me laudent, mihique gratias agant maximas.

Pacem, pacem] Salutem maximam.

Et qui longè est, & qui propè] Rectiùs, *ei qui longè* (fuit à me) *& propè* (ad me accessit): id est, ei qui se convertit.

Et sanavi eum] Mala ejus auferam.

20. *Impii autem quasi mare fervens, quod quiescere non potest*] Ut fretum æstu reciproco, sic illi cogitationibus suis agitantur.

Et redundant fluctus ejus in conculcationem & lutum] In Hebræo: *Aqua ejus expellunt cœnum & lutum*. Sic & cor impii actiones fœdas.

21. *Non*

21. *Non est pax impiis, dicit Dominus Deus*] Scripsit puto Interpres *Dominus meus*, ut est in Hebræo & Chaldaico, nisi fortè Græcum sequi maluit: nam Græci libri alii habent ὁ Θεὸς [*Deus*], alii ὁ Κύριος ὁ Θεὸς [*Dominus Deus*]. Epiphonema repetitum ex XLVIII. 22. Sensum & hîc ibi bene exprimunt Græci, οὐκ ἔστι χαίρειν τοῖς ἀσεβέσιν [*non datur impiis gaudere*]. *Ut corpora verberibus, ità sævitiâ, libidine, malis consultis animus dilaceratur.* Tacitus Annal. VI.

CAP. LVIII.

MUNSTERUS.

2. MEe *per singulos dies quærunt*] Non ut faciant voluntatem meam, cùm corde me non quærant, nec sincerè præcepta mea custodiant, & tamen gloriantur perinde ac si justitiam & judicium fecerint, cùm nihil minùs fecerint, & audent mecum expostulare, quòd opera eorum bona non adverterim, quæ non faciunt propter me, sed invenitur in eis voluntas eorum.

3. *Invenitis quod desideratis*] Conveniebant enim in diebus jejuniorum, & quicunque inveniebat *debitorem suum*, *exigebat* ab eo debita, etiam *cum duritia*, id quod verbum נגש significat. Porrò עצב hic exponitur pro מכונא *mammona & facultate*.

4. *Ut percutiatis cum pugno impio*] Vel *cum pugno impietatis*. Non temperabant sibi etiam à pugnis in diebus jejuniorum, ut *clamor* oppressorum *in excelso audiretur*, impiè agentes sub illa hypocrisi, quâ capite inclinato incedebant, saccum corpori injiciebant, & cinere caput aspergebant. Alii legunt *ut percutiatis pugno eum qui condemnatus est in judicio.*

6. *Solvere fasciculos onerosos*] Idem est quod *solvere colligationes* seu *conspirationes impias*. Quid enim gravius est in civitate quàm impiæ sectæ & fasciculi impiorum omnibus justis onerosi?

9. *Emittere digitum*] Quod suprà *pugnum* vocavit, hîc appellat *digitum*: & rursum quod ante *contentionem*, hic vocat *inutilem* seu *iniquam locutionem*.

10. *Si protuleris esurienti animam tu*] h.e. Pium affectum.

11. *Cùm siccitates fuerint*] Cùm terra, inquit, *defectu pluviæ fructum suum non dederit, Dominus providebit tibi, & eripiet ossa tua*, h.e. corpus, *nè fame pereat*. Sunt tamen qui hîc חלץ pro דשן i. *saginare ossa* exponunt. Proinde si sic pius fueris in proximum, *eris quasi hortus irriguus, & quasi fons fidelis*, qui quantum effuderit aquæ, tantum illi administrat natura: idem tibi eveniet, si largiter tua proximo erogaveris; tunc enim futurum est ut operibus tuis bonis multos juves, & multis profis, deserta seculi repares, & suscites generationes alioqui perituras, acquirásque nomen gloriosum, ut te vocent *reparatorem ruinarum & restauratorem semitarum, per quas transitur ad loca inhabitanda.*

13. *Si averteris pedem tuum*] Notabis hic, quòd præpositio מ in משבת referenda est ad infinitivum עשות & commutanda in negationem, ut fieri solet quando Mem est bachlam, & tunc sanam invenies sententiam: quod interpretes nostri non observantes, misere torserunt hunc pasuc. Per *voluptatem sabbati* tu intellige pium cultum Dei, ut scilicet audiatur verbum Dei, & illi ex corde per fidem obediatur.

VATABLUS.

1. NE *probibeas* אל תחשך] *Nè parcas*, sub. *voci tua.*

2. *Me tamen* ואותי] *Me etenim*. Ad verb. *Et me*. Quidam scribunt ו hoc loco vacare. ¶ *Quærunt* ידרושן] Futura Heb. pro præs. ¶ *Appropinquationem*, &c. קרבת אלהים יחפצון] *Accessionem ad Deum optant*, i. optare videntur ut sint prope Deum, sítque Deus illis propinquus.

3. *Aspexisti* ראית] *Aspicis?* ut si tpræt. pro præs. sub. *afflictionem nostram*. ¶ *Et nescisti* ולא תדע] Et ignoras? ¶ *Facultates vestras* עצביכם] Sub. *creditas* aut *concessas aliis.*

4. *Impie* רשע] Ad verb. *improbitatis*, i. improbo, vel impio. ¶ *Ut audire faciatis*, &c. להשמיע במרום קולכם] i. ut oretis.

5. *Elegi* אבחרהו] i. Opto.

6. *Colligationes impietatis* רשע חרצבות] *Vincula improba*: vel *impia*. ¶ *Graves* מוטה] Ad verb. *nutationis*, vel *jugi*. Quidam vertunt *deprimentes*, i. onera gravissima imposita hominibus. Alii, *& jugum*. ¶ *Confractos* רצוצים] *Oppressos*, sub. *gravissimâ servitute.*

7. *Ut frangas* פרוס] *Ut partiaris*. ¶ *Vagos* מרודים] *Afflictos*, vel *attenuatos*, aut *abjectos*. ¶ *Et à carne tua* ומבשרך] i. A cognatis tuis. Propinquus enim sive consanguineus est homini tanquam ejus caro.

8. *Erumpet* יבקע] *Proferetur*. ¶ *Et sanitas tua*. וארוכתך] *Et medela tua.*

9. *Jugum* מוטה] i. Quicquid oneri potest esse fratri: q.d. Si dimiseris debita debitoribus. ¶ *Emittere digitum* שלח אצבע] *Exporrigere* [vel *extendere*] *digitum*, sub. *in proximum tuum*: i. si digito interminari proximo desieris.

10. *Et si protuleris* ותפק] *Et si effuderis*: i. si liberaliter & ex animo dederis de bonis tuis.

11. *In siccitatibus* בצחצחות] i. Tempore famis. ¶ *Ac velut scaturigo* וכמוצא] Ad verb. *ac veluti exitus.*

12. *Et erunt*, &c. ובנו ממך חרבות עולם] Ad verb. *Et ædificabunt à te desolata seculi*: i. ut quidam exponunt, opera quæ à te proficiscentur erunt in causa ut ob frequentiam tuam cogaris instaurare urbes olim destructas & interruptas, ut in illis habites. *Desolata seculi* vocat loca quæ fuerunt ante multa desolata. ¶ *Fundamenta generationis* מוסדי דור ודור תקומם] i. Ædificia quæ remanserunt imperfecta à multis seculis, eriges. ¶ *Vocaberisque* וקרא לך] Ad verb. *Et vocabitur tibi*. Similis locutio est infrà cap. 61. 3. ¶ *Sepiens rupturam* גודר פרץ] i. Instaurator ruinarum. ¶ *Reductor*, &c. משובב נתיבות לשבת] i. *Director viarum quæ ducunt ad loca antea desolata, ut in illis habitent homines.*

13. *Si reverti feceris* אם תשיב] *Si reduxeris*: aut, *retraxeris*; *averteris*. ¶ *Sanctum Jehovæ gloriosum* לקדוש יהוה מכובד] *Ad consecrandum Jehova* eo quod sit *honorabile*. Alii, *& diem sanctum Domino consecratum*. Alii, *ut sanctificetur* & *honoretur Dominus*. Alii, *Sanctum Domini glorificatum.*

14. *Et equitare faciam te*, &c. והרכבתיך וגו'] i. Imponam te excelsæ terræ: h.e. reducam te in Terram sanctam, ut habites in ea. ¶ *Et comedere faciam te* והאכלתיך נחלת] *Cibabo te hereditate*; vel *pascam.*

CASTALIO.

3. LIbidini *satisfacitis*] In Hebræo legitur *libidinem invenitis*: sed *invenire* pro *consequi* & *potiri* aut *indulgere* & *obsequi* ponitur: ut in hoc eodem capite ad finem, ubi ponitur *libidinem facere*; & paulò pòst eodem sensu, *libidinem invenire*. Jam hoc pacto loquitur & Paulus Phil. 3. ἵνα Χριστὸν κερδήσω, καὶ εὑρεθῶ ἐν αὐτῷ, h.e. *ut Christum lucrer, & in eo satis habeam*, aut *mihi satisfiat.*

4. *Isto pacto jejunaveritis*] Heb. *secundùm diem*. Nam quod paulò antè vertimus, *Tum cùm jejunatis*, ad verbum legitur, *Quo die jejunatis*: quod idem verbum hic repetitur, *Nè jejunaveritis secundùm diem*, h.e. isto modo quem dixi. Nec dissimile est quod paulò pòst v. 13. vertimus, *Isto modo loquendo*, videlicet quem suprà dixi. Dixerat autem, *iniquámque orationem removeris*. ¶ *Ut in alto vox audiatur vestra*] i. In cœlo.

9. *Digiti extensionem*] Hoc non intelligo.

11. *Cujus latices non sunt fallaces*] Sunt perennes.

13. *Vocaverisque Sabbatum honorandas sancti Jovæ delicias*] Habueris pro deliciis.

14. *In terræ fastigia sublatum*] In terrarum excellentissimam, ut Deut. 32.

CLARIUS.

1. ME *etenim de die in diem quærunt*] Non ut faciant voluntatem meam, cùm corde me non quærant, nec sincerè præcepta mea custodiant: & tamen gloriantur perinde ac si *justitiam & judicium fecerint*, & audent mecum expostulare quòd opera eorum bona non adverterim, quæ non faciunt propter me, sed *invenitur* in eis *voluntas eorum.*

3. *Invenitur studium propriæ voluntatis*] Conveniebant enim *in diebus jejuniorum* & quicunque inveniebat *debitorem suum*, exigebat ab eo debitum & violenter extorquebat.

4. *Et percutitis pugno impio*] Non temperabant sibi etiam *à pugnis* in diebus jejuniorum, ut *clamor* oppressorum *in excelso audiretur*, impiè agentes sub illa hypocrisi, qui *capite inclinato* incedebant, *saccum* corpori injiciebant, & *cinere* caput aspergebant.

6. *Solve fasciculos deprimentes*] Idem est quod *solvere colligationes*, seu *conspirationes*, *impias*. Quid enim gravius est in civitate quàm impiæ sectæ, & fasciculi impiorum omnibus justis onerosi?

9. *Extendere digitum*] Scilicet ad rem alienam. Alius intelligit, practicas hic notari in creandis Magistratibus, quòd ma-

tus, quòd ei profutura esset salus & justitia, quam Christus afferret. Hic quoque animadvertant Judæi, si oculos habent, manifestam fieri distinctionem inter Legis justitiam & justitiam Christi, nè putent quòd Messias justificaturus eos esset Legis sacrificiis & justificationibus. Notat autem verbum חזק *firmam apprehensionem*, vel *cum comprehensione firmam retentionem*: sic enim decet nos justitiam colere, aut advenientem Christi justitiam retinere, nè prætereat, aut nè eum derelinquamus. Hoc significabat Dominus cùm diceret, *regnum cœlorum vim pati, & qui viribus pollent illud rapere.*

3. *Et non dicat*, &c.] Hic locus apertè ostendit *in Christo JESU non esse Judæum, neque Græcum, nec servum, neque liberum*, &c. i. *non esse* ullam *personarum differentiam*, aut quam vocant *acceptionem*. Et quidem Judæos locus hic convincere poterat, non esse æternùm duraturam Legem Mosis quo ad ceremonias & eam partem quam *judicialem* vocant: nunquam enim Lex Gentibus incircumcisis & Eunuchis aditum daret ad ministerium in Domo Domini. Certè cùm dixisset *beatum hominem* seu *filium hominis qui justitiam sectaretur, apprehenderet salutem* seu *justitiam quæ adveniebat* & in propinquo erat, non diceret autem beatum filium Abrahæ aut Israelis, sed *filium hominis*, nonnulla ex parte id significaverat: sed non hôc contentus, imò quasi exponens quod dixerat, ait; *Neque dicat*, vel *neque dicet filius advena*, בן נכר *alieni*, seu *extranei*, *alienigena*, qui alterius est aut generis aut religionis. Hoc nomine significant Hebræi alias gentes ab ipsis, & deos etiam earum. ¶ *Qui adhæret*] לוה Hebræis est *adjunctum esse*, seu *additum esse*; accommodatur autem ex usu ad eam adjunctionem quæ est ministrorum ad dominos suos, sicut etiam ad eam quæ est inter dantem & accipientem mutuò: nam ut est apud Salomonem Prov. 22. *Servus est qui mutuò accipit viri mutuò dantis*, ubi eodem verbo usus quasi vim verbi & usum aperuit. Unde & Levi unius ex filiis Jacob nomen habuit, quem concepit Lia ex illo congressu quem pro Mandragoris filii sui obtinuit à sorore sua. *Obligationem* ergò notat. Hujusmodi igitur sibi addictos ex alienigenis, & quasi fide datâ sibi obligatos & adstrictos consolatur Dominus dicens, prohibens nè posthac, nempe adveniente Christo cui illi *adhærebunt*, & fide adstringentur, putent se aliquid minus habituros à Judæis. ¶ *Separatione dividet*] Idem verbum est Hebræis, *Separando separabit*, &c. nam Exod. 23. ullum *fœdus cum gentibus illis inire* quæ terram promissionis habitabant prohibentur: & Levit. 20. dicit Dominus *se separasse Israelitas à cæteris populis*: & 22. præcipitur, *nè alienigenæ comedant de sanctificatis, neque inquilini sacerdotis, aut mercenarii; empti verò à sacerdote & vernaculi* poterant: & Deut. 7. *de cunctis populis terræ* dicitur *Israel à Deo electus*: & Deut. 23. præcipitur, *nè Ammonites aut Moabites in æternum, neque post decimam generationem ingrederentur Ecclesiam Domini; neque facerent Israelitæ cum eis pacem, neque quærerent eis bonum cunctis diebus vitæ suæ in sempiternum.* Neque desunt ex Hebræis docti viri, qui nomen ממזר, quod ibi interpretatur *ex scorto natus*, *omnem extraneum* significare dicant, quasi legem universalem posuerit, quòd *alienigenæ usque ad decimam generationem non ingrederentur Ecclesiam*: postea nonnullas exceptiones ponat, nempe quòd Ammonitæ & Moabitæ neque post decimam, Idumæi autem & Ægyptii post tertiam generationem ingredi poterant. *Ingredi verò in Ecclesiam Domini* est annumerari populo Israelitico, & frui gratiis & privilegiis quibus in lege Israelitæ fruebantur, ut comedere ex sanctificatis, quòd illis non daretur pecunia ad usuram, & mille aliis. ¶ *Eunuchus*] De voce vide suprà c. 39. 7. quòd non semper de Castratis diceretur: hoc tamen loco manifestum pro eis tantummodo accipi. Hujusmodi autem Eunuchus dicitur Deut. 23. פצוע דכא *vulneratus contusione*: ad quam legem hoc loco alluditur, quæ videlicet prohibet nè hujusmodi homo aut *cui amputata sunt virilia ingrederetur Ecclesiam Domini.* Porrò *ingredi Ecclesiam* est Aliquid muneris vel ministerii exercere in Tabernaculo, vel Templo, vel Rep. &c. Ob hanc legem dicere consueverat Eunuchus, ¶ *Ecce ego lignum aridum*] i. Arbor quæ exaruit, quæ non est utilis nisi in ignem & incendium. Vel *lignum aridum* se appellabat quòd arbores aridæ non sint aspicientium oculis gratæ, & quasi pudefiant: Eunuchi verò exclusi ab Ecclesia veluti inutiles & publicæ functioni inepti non poterant non pudefieri: quare & nomen quo hîc usus est Propheta à verbo est quod *arescere* propriè, & in Hiphil *pudefieri* interdum notat, ut suprà 30. & Jerem. 1, & 6, & 10, &c.

4. *Quia hæc dicit*, &c.] Hæc est ratio quare non debeant castrati se reputare *ligna arida*. ¶ *Qui custodierint sabbata mea*] Non in universum de Castratis dicit se loqui, sed de his tantùm *qui custodiunt sabbata*, i. cultores sunt Dei, & *eligunt quæ Dominus voluit*, eáque omnibus præferunt. Denique qui *firmiter retinent fœdus* Dei, & conditiones omnes pacti adimplent, ut vitam potiùs dimittant quàm jura Dei resolvant, his, inquam,

5. *Dabo*, &c.] In Hebræo est conjunctio, quam quia sæpe vacat omisit Vulg. Valet autem in similibus locis id quod Latinis: *inquam istis*, *inquam*, *dabo*: vel *tunc*, q. d. *sic hæc fecerint*, *tunc dabo eis*, &c. ¶ *In domo mea*] i. In Templo, in Ecclesiastico ministerio seu militia Ecclesiastica. ¶ *In muris meis*] Vel *intra muros*, i. civili & politica administratione. Et hæc duo videntur opponi illis verbis Legis quæ suprà ex Deuteronomio attuli, quòd *Eunuchi non ingrederentur Ecclesiam Domini.* ¶ *Locum*] In Hebr. יד, i. *manum*: sed *manum* interdum vocat Hebraismus quod nos dicimus *sinum*, *tractum*, &c. unde Vulg. pro *loco*, sicut & cæteri Interpretes acceperunt. Est tamen nobis Lusitanis quædam acceptio hujus nominis *manus*, ut cùm dicimus, *mea est manus*, i. à me initium sumi debet; ego caput sum, primus id incipere debeo: unde *amittere manum* est amittere dignitatem, & carere illo dignitatis loco: unde pro *vice* accipitur & *ordine*. Ità quoque Hebræis accipi videtur, ut hoc loco altero ex his duobus modis accipi debeat, *dabo illis primum locum*, *ut primi sint*, *& primas habeant*: sicut videtur accipi in cantico Mosis, cùm ait, quòd *Israelis miserebitur Dominus*, *cùm viderit quòd infirmata sit manus.* Hebr. *quia ablata est manus*, i. amisit manum & dignitatem, quam habebat inter cæteras nationes. Congruit autem hæc acceptio sequentibus; nam dicitur *& nomen melius à filiis & filiabus.* Vel certè pro *vice* accipitur, nempe ut suo ordine sicut cæteri ministrent, &c. ut accipitur Num. 2. *Unusquisque secundùm manum suam proficiscatur*, &c. ¶ *Nomen melius à filiis*] Hebr. *nomen bonum à filiis & filiabus*, i. *nomen melius quàm habent filii*, ut quidam interpretantur, quod nequaquam probo: vel *melius quàm sit nomen quod habere poterant à filiis & filiabus*, i. à generatione & posteritate. Dicant mihi Judæi quando hoc fuerit, vel futurum sit. Quandocunque hoc fuerit, abrogabitur certè lex illa Deut. 23. Sub Christo ergò hæc eventura intelligimus, & de illis *castratis qui se castraverunt propter regnum cœlorum*, & infœcundi carne esse voluerunt ut spiritu fœcundiores esse possent, & Christo Domino desponsari, neque ab eo divelli, aut cor cum mundo & Christo dividere. Nec dubites, Christiane lector, ad hunc locum allusisse Dominum in Euangelio, cùm de Eunuchis loqueretur. Virgines ergò hîc accipe qui suam Domino castitatem consecraverunt, tam feminas quàm viros: qui non naturâ, non arte & ab homine, sed ipsi liberè *seipsos castraverunt propter regnum cœlorum.* Profectò isti, si non contenti suâ castitate, *sabbata coluerint* & debitum Deo cultum exhibuerint, si ea sectentur quæ Deo magis placuisse agnoverint, si à Dei *fœdere* nequaquam recesserint, sed legem Domini inviolabiliter observaverint, sicut fecerunt antiqui illi monachi, quos admirata est antiquitas, & quorum plena fuerunt deserta; isti, inquam, in domo Dei & in Ecclesia Christi non infimum locum habuere, aut habent: sed eis reges & cæteri haud vulgarem honorem deferre consuevere, & melius habent nomen quàm si filios generarent. Hic unus locus est qui non solùm Judæos, sed nostri temporis hæreticos, nisi cæcutire vellent, posset ab errore revocare: quamcunque enim aliam expositionem afferant, videbis verbis Prophetæ non congruere. Affirmant illi, quòd nullam præ aliis dignitatem habeant Virgines: & dicunt in matrimonio esse etiam Castratos: sed non vident hic Eunuchos ab illis distingui qui habent nomen à filiis & posteritate? Sed ait quidam ex ipsis, *Hoc, meo judicio, non videtur tam ad castimoniam defensandam esse dictum*, *quàm ad exponendam regenerationem Spiritûs*, *quâ cunctæ gentes erant nobilitandæ.* O bellum judicium! quid est, *nè dicat*, *Lignum aridum sum*? si omnes sunt Eunuchi, quibus confertur ipsi se, vel eos Prophetæ? quid est *dare Eunuchis manum intra muros Jerusalem & in domo Domini*? Profectò locus hic eos torquet, quia veritati nolunt assentiri. At expositioni quam attuli favent omnia: primò verbum illud נלוה, quod *obligationem* notare nemo doctus in lingua Hebræa dubitabit, & de iis dici qui fidem suam alteri adstrinxere: unde de Ministris dicitur & Levitis Num. 18. & de iis qui fœdus ineunt, Jerem. 50. *Venient*, *& adjungentur ad Jehova fœdere sempiterno*, Deut. 28. *Tu obligabis gentes multas*, *& tu non obligaberis*, &c. hoc, inquam, verbum illis convenit qui Deo se addicunt, & consecrant virginitatem nè alteri serviant. Qui enim *habet uxorem*, *non est dominus sui corporis*; *& divisus est*, si Paulo credimus; *virgo autem cogitat quæ Dei sunt*, *quomodo placeat Deo.* Quòd si carnalibus hominibus hoc impossibile videatur, meminerint manum Domini non esse abbreviatam, & adhuc superesse monachis & monialibus, qui non alteri quàm Deo serviant. Conveniunt etiam quæ sequuntur de Sabbati observantia.

tia. Nam præter hoc quòd totius Divini cultûs sint, aut certè fuerint observantissimi Euangelici eunuchi, nulli magis perpetuum Deo Sabbatum celebrant. Sed de illis loquor qui noctes diésque Deo Divinísque meditationibus & intelligentiæ Scripturarum consecrant & impendunt. Legant quæ de monachis scribat Philo Judæus & antiqui Patres. Quid dicam de electione eorum quæ Deo placent (quod in Propheta sequitur) & de firma legis Dei observatione? qui sunt qui *optimam partem* cum Maria *eligunt?* quinam sunt in Ecclesia Dei, qui nè violent vel in minimis Dei fedus abstrictiori disciplinâ se communiunt, nisi veri monachi & ministri Domini, quos *Clericos* vocamus? Nam si plurimi ex eis multò aliter vivunt & mundo serviunt, aut concubinas alunt, & fedus Dei conculcant, ipsi damnationem majorem sibi acquirunt; nec istos quisquam laudaverit, sed indignissimos ipsâ vitâ judicaverit: ipsum verò institutum, quod sanctissimi viri juxta verba Prophetarum & Apostolorum secuti sunt, quam causam habent propter quam accusent? Sed impudentes homines, & qui cùm soli sapere videri volunt ob superbiam suam insipientissimi sunt, missos faciamus. Certè locus hic Prophetæ maximum mihi solatium solet conferre: video enim in his verbis tot ante Christum annis Eunuchorum Euangelicorum delineatos mores ac professionem, & singula ità enarrata, ut si mihi donet Deus Opt. maximus illos antiquos monachos imitari, non possim me felicium numero non annumerare. Non enim de hac re loquitur Propheta nisi tanquam de maximo beneficio: quare & *nomen non interiturum* addidit. Nunquam enim Basilii, Hieronymi, Augustini, Gregorii Nazianzeni & Magni Benedicti, Bernardi, Dominici, Francisci, ac multorum qui eos tam instituto quàm moribus secuti sunt, memoria interibit, quantumvis insaniant hæretici.

6. *Et filios advenæ*, &c.] Prohibuerat nè dicerent alienigenæ; aut certè futurum dixerat non eos dicturos posthac, *Separatione separavit nos*, &c. Jam rationem hujus reddit: apponit tamen priùs conditiones quasdam, sicut de Eunuchis fecerat. Non enim gentes quæ ad Christum venirent inter filios computarentur, aut in populo Dei censerentur, nisi hæc adimplerent. Primum & veluti caput est, quòd addicant se Domino: quod fit quando nomen suum dant, & se religioni Christianæ addicunt in baptismo. ¶ *Ut colant eum*] Explicat quibus partibus constet illa *addictio*, seu *adjunctio*. Est autem שרת Hebræis *ministrare*: & minùs durum est quàm עבד, quod etiam de duriore servitute dicitur. Id apparet ex Num. 8. ubi de Levitis dicit Moses, *A viginti annis & suprà intrent ad militandum militiam in servitio tabernaculi constitutionis, & à filio quinquaginta annorum revertetur à militia servitii, & non serviet ampliùs, sed ministrabit fratribus suis in tabernaculo, ut custodiat custodiam, sed servitium non serviet.* Ubi vides שרת dici ministerium levius, quod jam emeriti facere & præstare poterant: alibi tamen, sicut hoc loco, ferè non distinguuntur. Exigit itaque ab eis, *ut ministrent Domino*; deinde *ut diligant*, seu *cupiant nomen Jehova*; nè scilicet sint tanquam servi sub lege, aut serviant *spiritu timoris*, sed ex animo tanquam filii & adoptati ament Dominum, & ad commemorationem ejus excitetur in eis desiderium, & amoris flammæ accendantur; denique ut sint Domino *in servos*, (ubi utitur nomine עבדים) neque alteri quàm Domino serviant. ¶ *Omnem custodientem*, &c.] Duabus iterum partibus omnes conditiones complectitur, *cultu* videlicet *Sabbati*, per quem omnem cultum notat qui Deo exhiberi debet, & *firmam retentionem federis*, quæ est totius legis adimpletio & mandatorum Dei observatio; nè sint sicut qui *labiis honorabant Deum*, & *corde longè aberant ab ipso*: qui universam justitiam cultu & sacrificiis cæterísque ceremoniis definiebant; *justitiam* autem, fidem & *misericordiam*, quæ *graviora* erant *legis*, i. præcipua & majori honore digna, prætéribant atque ignorabant.

7. *Adducam eos*, &c.] Est hîc conjunctio in Hebr. sicut suprà ver. 5. Ecclesiam significat per *montem sanctum*, seu *sanctitatis*: de quo 2. cap. quòd *erit in vertice montium*, &c. Ibi quidem dicitur, quòd ipsæ *gentes illuc confluerent*: hîc quòd Dominus *eas adducat*: *nemo* enim *potest venire ad Christum*, *nisi pater cælestis eum traxerit*: sed quia hæc attractio libertatem non tollit, dicimus illos venire summo cum desiderio, & Deum eos adducere suâ misericordiâ. ¶ *Lætificabo eos*, &c.] Qui in templo vota reddebant, & gratiarum actionis sacrificia offerebant; *lætari* dicebantur *coram Domino*: in festis etiam statísque diebus in domum Domini lætantes ibant; denique ibi laudabatur Dominus vocibus & omni genere instrumentorum musicorum; quod certè erat lætantium. Sed nonne in Ecclesia potiores sunt gaudii & lætitiæ rationes? *Alii laboraverunt; nos in labores eorum introivimus*: &, ut cætera omittam, ex gentibus Pontifices & Sacerdotes efficiuntur, & sacrificium offerunt pro se & pro aliis, & hostias laudationum & labiorum confitentium nomini Domini: quod mox exponens ait, ¶ *Quia domus mea, domus orationis vocabitur cunctis populis*] Quæ tantùm Judæis hactenus patuerat, jam per Christum omnibus populis patuit; nam etsi ad Templum liceret accedere gentibus ad deprecandum Deum, ut apparet ex verbis Salomonis in dedicatione Templi 3 Reg. cap. 8. admittebantur tantùm ut hospites. Per Christum autem jam non hospites, sed ut *cives sanctorum*, & *domestici Dei*. Notanda est autem lætitiæ ratio, nempe quia *domus Dei est*, & *dicitur domus orationis cunctis populis*, ut acceptaret eorum sacrificia, ut videas quòd habere Deum qui preces audiat & vota suscipiat, certa esset & vera lætitiæ causa. Est autem תפלה Hebræis *oratio* quâ Deo causam nostram exponimus, tanquam qui nosmetipsos dijudicamus, & nostra scelera, aut certè ad malum incitamenta damnamus, & ex ejus misericordia sanari optamus: est enim à verbo quod quasi *semetipsum dijudicare* notat: quod quia nusquam veriùs & puriùs fit quàm in oratione, pro *orare*, seu *interpellare* accipitur; quando videlicet causam nostram cum Deo tractamus. Hæc certè est propria vocis significatio ex verbo hitpahel; quam exposuit Paulus cùm ait, *Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur*, &c. Animadverte quoque, quòd pro maximo in gentes collato beneficio apponitur, Posse cum Deo causam suam tractare. Intelligito etiam ad hoc instituta templa in Ecclesia Christi, ut orationi in eis vacetur: ipsam quoque Ecclesiam hoc nomine à Deo non nisi tanquam glorioso nominari, *domum orationis*.

8. *Ait dominus Deus*, &c.] Est in Hebræo illa usitatissima asseveratio in rebus maximis, quam cum Paulo reddere consuevimus *Fidelis sermo*. Videtur autem ad id quod mox sequitur referendum, *Adhuc congregabo*, &c. Putare enim posset Judæos ex his quæ dicebantur, deserturum Dominum Judæos, &c. Nè hoc, inquit, veniat in mentem. Is enim Deus, cujus est depulsos Israelitas congregare, qui hoc sibi nomen toties imposuit, & toties pollicitus est quòd ex universis terris, ad quas ejecerat eos, colligeret eos, is ipse affirmat & veluti jurejurando confirmat; ¶ *Adhuc congregabo*, &c.] Non impedit, inquit, vocatio gentium quò minùs & vos congregemini: *postquam* enim *ingressa fuerit plenitudo gentium*, ut est apud Paulum, *tunc omnis Israel salvus erit.* ¶ *Congregabo ad eum*] Nempe Israelem. ¶ *Congregatos*] Seu *congregandos.* Similis locutio est in Actis; *Crediderunt quotquot præordinati erant ad vitam æternam.* Ità per Christum ex Israele congregati sunt quotquot præordinati erant ut congregarentur.

9. *Omnes bestiæ*, &c.] Hoc cum his quæ immediatè præcesserunt connectenda sunt, hunc modum; Dicit quidem Dominus, quòd adhuc colliget ex Israele eos qui congregandi sunt: verùm non statim id fiet, sed priùs patietur Israel inauditas calamitates, & hostium violentiæ patebunt, qui furorem suum & odium in eos satiabunt. Universa autem hæc mala ab ipsis Magistratibus & Pontificibus ortum habebunt. Mihi autem pro comperto est, quòd de Scribis & Pharisæis & Pontificibus illis sit sermo qui tempore Christi & Apostolorum Israeli præfecti erant. Porrò ut indignationem suam Dominus, vel etiam Propheta, in eos ostenderet, subitò & ex abrupto in hæc verba prorupit, quasi doleret quòd vitio ipsorum futurum esset ut gentes ad Deum venirent, populus verò Dei tam dira pateretur. Per *bestias* itaque Romanos & cæteras nationes quæ adversùs Judæos convenerunt, intelligit.

10. *Speculatores*, &c.] In Speculatore commendatur maximè visûs acumen. Quid si *cæcus* fuerit? Hîc intellige eos qui in spiritalibus præsidebant, Sacerdotes, legis Dei interpretes & doctores, quorum est Magistratibus & populo annunciare quæ ipsis impendent mala, vel ex revelatione, vel certè ex conjecturis, partim ex moribus populi, partim ex illis quæ de Deo in Scripturis legunt, ductis. Vide locum apud Ezech. quòd *eum constituisset speculatorem*, & *nunciaret gladium venientem*, &c. Hæc cura in populo Christiano Pontificibus & prædicatoribus verbi Dei incumbit. Erant *Speculatores* illius tempestatis *cæci*: quod veluti exponens ait, ¶ *Nescierunt universi*] i. Sunt insipientes; nihil eorum quæ oportebat eos scire noverunt. Sapientia enim est veluti lumen in animo; & quod est in ferro acies, ut habes Eccl. 10. Certè huc respexit Dominus cùm ait de ipsis Pharisæis & doctoribus, *Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum*; & Matth. 23. *Stulti & cæci*, &c. Non intelligebant Scripturas, neque intelligebant adesse Messiæ tempus, aut qualis esset futurus ipsorum Messias: Spiritu Dei carebant; neque inter bona nisi visibilia computabant; cùm etiam se sanguine innoxio agni immaculati commaculassent, non intellexerunt quòd Deus esset vindex & patiens redditor. Quare hanc

ce-

cæcitatem & ignorantiam sequebatur ut muti quoque essent. ¶ *Canes muti*] In hoc tantùm utiles sunt domestici canes, ut latratibus suis adventum eorum qui incommodâre possunt annuncient, & lupos ac fures arceant. Quòd si *muti* sint, cùm naturâ sint voraces, plus ex eis damni quàm utilitatis accrescit. Sic Prophetæ seu doctores, si insipientes sint & *muti*, quid futurum speres? præsertim si hæc ex vitio animi patiantur. Certè sæpe mecum cogito, an præstaret interdum aliquot dierum spatio talibus pastoribus carere populum, si alios habere non possit; nam si populus intelligeret non habere se *speculatores*, aut oves noscerent carere se *canibus*, quisque pro se invigilaret atque caveret. At cùm putent se hujusmodi hominibus nequaquam destitutos, sed ex exteriori ornatu & loco seu dignitate colligant sibi superabundare Prophetas, Episcopos & Doctores, à quibus admoneantur de rebus necessariis, de moribus, de falsa doctrina, de ira Dei, & cæteris quæ scire & tenere oportet, in portu se agere arbitrantur. Sed me miserum! in portu naufragium: nam sunt idola & statuæ & *canes muti:* devorant substantiam populi, lac absumunt, lanâ operiuntur, adeòque inutiles sunt, ut pro beneficio ducendum sit si non versi in *bestias* oves devorent. ¶ *Videntes vana*] Heb. הזים Hieronymus legisse videtur cum ח, i. *videntes*, & quia de Cubitu erat sermo, addidit ad elucidationem de suo *vana*. Verisimile autem est mutationem similium literarum factam fuisse, ה videlicet in ח, quòd nullo alio loco hæc vox aut radix legatur. Chald. quidem vertit נימין, i. *dormientes*, seu *dormitantes*; ego *ignavos* dicerem, si non est scriptoris vitium. Est autem non contemnendus sensus si *videntes* legas, *videntes, cubantes*; i. qui dormiturire gaudeant; ignavi enim canes paululùm si caput attollant, paululùm si respiciant, quia auditu pollent, rursus caput reclinant, & perinde se habent ac si nihil vidissent: ità prorsus Pharisæi & Scribæ *videntes & cubantes:* nam etsi legebant quod *in Bethleem nascetur Christus*, in adventu Magorum paululùm caput attollentes Scripturas evolverunt, rursus cubantes somno sese dedêre: nec aliter se in aliis rebus gerebant quæ è re populi erant, & ad Israelis salutem spectabant.

11. *Canes impudentissimi*] Heb. *canes* עזי נפש, *obfirmati animo*; quod unicâ dictione Vulg. *impudentissimos* dixit. Impudentia enim faciem obfirmat, & immotos facit, sicut pudor, avertere faciem, ac discedere ab incepto. Sic Deut. 28. dicitur, *Gens obfirmatâ facie:* pro quo Vulg. dixit *gentem procacissimam*. Sequitur enim, *Quæ non deferat seni, neque misereatur pueri*. Est autem canis naturâ impudens. Sensum ergo Vulg. reddidit: ego verba retinui, *obfirmati animi*, vel *animæ*. Videtur autem *anima* pro *ingluvie* accipi posse. Quod autem sequitur hujus est expositio. ¶ *Nescierunt saturitatem*] Potest addi aut etiam omitti relativum, *qui non noverunt saturitatem*. Ignavorum hoc certè est: nam qui vident, qui intelligunt & sapientiâ prædití sunt, præterquam quòd ipsâ sapientiâ pascuntur, paucis etiam contenti sunt: nam neque corpori nimiùm indulgere sinit ipsa sapientia, multorum etiam coacervationem esse inutilem & sapiente viro indignam intelligunt, ut quæ citò relinquere oporteat, & animum à vero & bono avocent. Adde, quòd absque aliorum injuria vix acquiri possunt: & si acquisita aliis non communicentur, insipientiam possessoris & crudelitatem produnt. Quàm autem insatiabilis fuerit Ecclesiasticorum illius temporis avaritia, Euangelia satis indicant. Habes igitur vitia quibus laborabant Ecclesiastici, cæcitatem seu ignorantiam, ignaviam, taciturnitatem, otium, desidiam, delicias, ingluviem, avaritiam. Quantùm verò hæc *speculatoribus* & ducibus indigna sint, videant, quæso, nostri & meminerint, hæc *bestiis* tutum præbuisse ingressum ut devorarent Ecclesiam Dei, ut ubicunque reperiantur eosdem effectus sperare possimus. Legant hæc Episcopi, & confundantur: nam quod sequitur, licèt ad eos posset referri, ad politicos Magistratus puto pertinere. ¶ *Pastores non noverunt*, &c.] *Pastores* etiam profanis scriptoribus Reges dicuntur; & David è *pastore ovium*, ut ipse ait, vocatus est *ut esset pastor Jacob, quem pavit summa cum innocentia & sapientia:* & suprà Cyrus *pastor* vocatur, &c. Etsi enim ab Ecclesiasticis pascuntur verbo & exemplo spiritales oves, à magistratibus quoque diriguntur & gubernantur legibus & *gladio*, quem *non sine causa portant*. His quoque ferè eadem vitia quæ Ecclesiasticis tribuerat adscribit. Primùm in his etiam taxat ignorantiam: nam sapientia in Regibus & Magistratibus summopere necessaria est; unde apud Xenophontem legis, *Nihil magis in imperatore necessariam, quàm quòd eum sui sapientiorem aliis existiment*. Hanc autem opinionem is tantùm habiturus sit qui re verâ sapientior fuerit. Lege Proverbia Salomonis. ¶ *Intelligentiam*] Est Hebræis הבין *intelligere cum discrimine & dijudicatione*, 1 Reg. 3. *Ad intelligendum inter bonum & inter malum*, i. ad dijudicandum, &c. Possumus itaque hoc loco vertere, *Non noverunt discernere*, seu *dijudicare:* quod magistratuum præcipuum munus est, & ad sapientiam pertinet, quâ pollere Salomonem Israel intellexit, quando causam meretricum dijudicavit. ¶ *Omnes in viam suam declinaverunt*] Sicut eo tempore, de quo dicitur in lib. Judicum 17. *Non erat rex in Israel, & unusquisque quod rectum sibi videbatur, hoc faciebat*. *Declinare*, seu *faciem vertere unumquemque in viam suam* est, quod cuique libuit, id sequi: quisque pravitatem cordis sui secutus est, h. e. *traditi sunt* omnes *in desideria cordis eorum*. In his verbis designatur, quòd nullus fuerit in magistratibus Judæorum animorum consensus, non *idem omnes saperent*, sed omnium legum contemptus, & quisque sententiam ferret secundùm sensum & mentem suam. Vitia autem mentem immutare docet etiam Ethnicorum disciplina. ¶ *Unusquisque ad avaritiam suam*] Seu *utilitatem & emolumentum suum:* est enim בצע à verbo quod *vulnerare* notat, ac deinde *avaritiam exercere:* quare pro *lucro* seu *emolumento* accipitur, cui qui intentus est alios vulneret necesse est; vel quòd qui hoc vitio laborant, habeant in corde veluti vulnus, ut non à lucro mentem aut sensum valeant avertere, juxta illud Jerem. 22. *Non est oculus tuus & cor tuum, nisi ad avaritiam tuam*, seu *lucrum tuum*. Genes. 37. *Quod lucrum est, si occiderimus fratrem nostrum*, &c. & Ps. 30. *Quæ utilitas* (vel *quod lucrum*) *in sanguine meo*, &c. Quòd si de ea rep. actum est, in qua privati homines in quæstum & proprium emolumentum intenti sunt, neque communis boni ratione tanguntur; quid sentiendum putas si hoc malum magistratus quoque invaserit? ¶ *A summo usque ad novissimum*] Heb. מקצהו: quam vocem variè reddunt Interpretes. Ego putarem pronomen affixum referre ipsum *quæstum*, seu *lucrum*, & Mem esse Privativum, q. d. *Unusquisque vertit faciem ad lucrum suum, absque ejus termino:* quòd avaritiæ seu lucro finem non imponerent, sed *cresceret amor numi quantum ipsa pecunia:* nam nomen קצה in statu regiminis, & affixi servat ה. Quòd si idem dixeris in infinitivo contingere, erit infinitivus cum Mem, & idem quem dico sensus. Vulgatus pronomen affixum retulit ad nomen איש, i. nemine dempto: ideo dixit, *à summo usque ad novissimum*.

12. *Venite*] Mimicè voces eorum exprimit Propheta: ex quibus quæ fuerit eorum mens & studia, non jam ex narratione sed ex re ipsa perciperemus. ¶ *Sumamus*] In Hebr. est in singulari; sed parùm hoc ad sensum facit: *sumam vinum*; quisque sic loquebatur: alii, quasi respondendo, dicebant, *Potemus siceram*. ¶ *Et erit*] Sensum expressit Vulg. ego verbum verbo reddidi. Majorem & copiosiorem compotationem sibi in crastinum promittebant, quo intelligimus summum bibendi studium, de quo suprà cap. 5. *qui mane surgebant ad bibendum vinum, & in compotationibus usque ad crepusculum permanebant*, & *potentiam suam in epotandis ostentabant*. Vitia itaque magistratuum erant, ignorantia, proprius sensus contemptis legibus, inexplebilis avaritia, & crapula atque ebrietas: quibus qui subjecti sunt, quonam pacto alios regere possint nemo non videt. Vitio itaque Ecclesiasticorum & politicorum Principum factum est, ut populus Israeliticus libidini *bestiarum* fuerit expositus. Hæc eadem causa hodie regna subvertit, religionem conculcat, & omnia mala quibus atterimur invexit: neque est qui condoleat aut, ut veriùs dicam, qui consurgat, & teneat Deum nostrum, ut velit tantorum malorum impetum sistere, & principes ac pontifices dare sicut antiquitus: quos quamdiu non videro, in luctu & gemitu dies ducam.

DRUSIUS.

11. אִישׁ לְבִצְעוֹ מִקָּצֵהוּ. * *unusquisque ad avaritiam suam, à summo usque ad novissimum*, Hieron. —— πλεονέκτημα ἐκ ἄκρε αὐτȣ̃] Procopius ex Theodotione.

12. אֵתָיוּ אֶקְחָה־יַיִן וְנִסְבְּאָה שֵׁכָר וְהָיָה כָזֶה יוֹם מָחָר גָּדוֹל יֶתֶר מְאֹד. Th. Δεῦτε, λάβωμεν οἶνον, καὶ ἐκφλυγήσωμεν μέθην. καὶ ἔσαι τοιαύτη ἡμέρα αὔριον μεγάλη περί σε ὡς σφόδρα] Proc. *Venite, sumamus vinum, & impleamur ebrietate: & erit sicut hodie sic & cras, & multò ampliùs*. Hieron. qui subvertit, *Istud in Lxx interpretibus non habetur, sed ex Ebraico additum stellis illuminantibus prænotatur*. Videnda & ed. Rom.

IDEM EX PROCOPIO.

1. וְצִדְקָתִי. οἱ λοιποὶ, καὶ τὴν δικαιοσύνην μου, *& justitiam meam*.

3. לֵאמֹר הַבְדֵּל. Th. λέγων, Ἀφορισμῷ, *dicens, Separatione*.

4. כִּי־כֹה אָמַר. A. Sym. Th. ὅτι τάδε λέγει, *quia sic dicit.*

5. יָד וָשֵׁם טוֹב מִבָּנִים וּמִבָּנוֹת. οἱ λοιποὶ, χεῖρα καὶ ὄνομα βέλτιον υἱῶν καὶ θυγατέρων, *manum & nomen præstantius filiis & filiabus.* ¶ שֵׁם עוֹלָם אֶתֶּן־לוֹ אֲשֶׁר לֹא יִכָּרֵת. ὄνομα αἰώνιον δώσω αὐτῷ, ὃ οὐκ ἐξαρθήσεται, *nomen æternum dabo eis, quod non auferetur.*

9. כָּל חַיְתוֹ. A. πᾶν ζῶον αὐτοῦ, *omne animans ejus.*

10. צֹפָיו עִוְרִים. Sym. Th. οἱ σκοποὶ αὐτοῦ τυφλοὶ, *speculatores ejus cæci.* A. Σκοπεύται. ¶ אִלְּמִים. Sym. ἄλαλοι, *sermonis expertes, muti.* A. μογιλάλοι, *linguâ impediti, difficulter loquentes.* Exod. 4. 11. אִלֵּם. A. Sym. Th. μογιλάλον. ¶ הֹזִים שֹׁכְבִים אֹהֲבֵי לָנוּם. Sym. ὁραματισταὶ κοιμώμενοι, ἀγαπῶντες νυστάζειν, *Prophetæ dormientes, diligentes dormitare.* A. (aliàs Th.) φανταζόμενοι, κοιμώμενοι, ἀγαπῶντες νυστάξαι, *Phantasiis & vanis imaginationibus acti, dormientes, diligentes dormitare.*

11. אִישׁ לְבִצְעוֹ. A. ἀνὴρ εἰς πλεονεξίαν αὐτοῦ, *vir ad avaritiam suam.* Sym. Th. ἕκαστος εἰς τὴν πλεονεξίαν αὐτοῦ, *quisque ad avaritiam suam.* ¶ מִקָּצֵהוּ. Th. ἀπ' ἄκρου αὐτοῦ *à summo* (seu *extremo*) *ejus.*

12. אֵתָיוּ אֶקְחָה־יַיִן וְנִסְבְּאָה שֵׁכָר וְהָיָה כָזֶה יוֹם מָחָר גָּדוֹל יֶתֶר מְאֹד. Th. Δεῦτε, λάβωμεν οἶνον, καὶ οἰνοφλυγήσωμεν μέθην· καὶ ἔσται τοιαύτη ἡμέρα μεγάλη * περισσὴ ὡς σφόδρα, *Venite, sumamus vinum, & ingurgitemus nos vino inebriante; eritque hujusmodi dies magna, excellens valde*] Περισσὴ scribendum, non, ut in libris, περί σε. Gen. 49. 3. יֶתֶר. A. περισσὸς, *præstans, excellens.* Sym. περισσὰ & ἐν περισσῷ. ¶ Λάβωμεν. נִקְחָה.

GROTIUS.

1. H*Æc dicit Dominus, Custodite judicium & facite justitiam*] Ut meliùs intelligatur natura promissorum de quibus hactenus actum est, additur monitio ad Judæos, ut ipsi quoque officium faciant, & ea evitent propter quæ tam graves pœnas in se accerserunt. Vide suprà I. 16. X. I.

Et justitia mea, ut reveletur] Mea fides in implendis iis quæ à mea parte exspectari possunt.

2. *Custodiens sabbatum, nè polluat illud*] Cavens sibi à violanda lege sabbati, & aliis legibus quæ in exsilio observari poterant. Est enim species pro genere.

3. *Et non dicat filius advena qui adhæret Domino*] *Alienigena.* Cùm autem pii alienigenæ duûm essent generum, alii qui præcepta Adamo & Noæ data servabant; alii qui toti Mosis legi se subjecerant: de hoc posteriori genere hîc agi ostendit sabbati mentio, quam illis prioris generis non esse datam consentiunt Hebræi. Unde & *fœdus*, cujus sequetur mentio, intelligendum de eo quod per Mosem fuit publicatum. Talis fuit Jeremiæ temporibus Abdemelech Æthiops.

Separatione dividet me Dominus à populo suo] Poterat cogitare talis proselytus hæc magnifica promissa ad solos eos qui ex Israële ortum haberent pertinere, ac se ab iis excludi. Huic opinioni occurrit Deus.

Et non dicat eunuchus, Ecce ego lignum aridum] Sic & Israëlitæ eunuchi, cùm Lex promitteret Legem sequentibus fœcunditatem, & multam sobolem in rebus prosperis, cogitare poterant inane fore suum studium. Ideo quod hac in parte ipsis deest, id aliis magnis beneficiis se compensaturum dicit Deus: ità nulli operam perituram.

4. *Et elegerint quæ ego volui*] Amaverint præcepta mea.

5. *Locum & nomen melius à filiis & filiabus*] In δοξολογίαις [*laudum recitationibus*], in Templo nomen ipsorum memorabitur, eritque celebrius quàm si prolem reliquissent. Tales δοξολογίας [*laudum recitationes*] multas habemus apud Sirachidem. Imitati sunt id Christiani offerentes pro mortuis.

7. *Domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis*] Maximè proselytis qui pari jure cum Israëlitis intra τὸν δρυφακτὸν [*disseptum*] admittebantur.

8. *Adhuc congregabo ad eum congregatos ejus*] Rectiùs, *congregandos.* Post congregationem Esdræ sequetur congregatio Nehemiæ.

9. *Omnes bestiæ agri, venite ad devorandum, universæ bestiæ saltûs*] Novus hic sermo incipit: nam post consolationes liberaliter piis expositas, nè animum abjicerent, redorditur objurgationem impiorum, qui post Esaiæ tempora extituri erant inter Judæos plurimi, minis additis valde gravibus. *Bestias agri omnis generis*, intellige Ægyptios, latrunculos ex Chaldæis, ex Syris, ex Moabitis, ex Ammonitis, qui omnes Judam cladibus & vastitate magnâ affecerunt, etiam ante deportationem. Vide 2 Regum XXIII. 33. XXIV. 2.

10. *Speculatores ejus cæci omnes*] *Ejus*, id est, populi Judaici. *Speculatores* intellige tum Sacerdotes, tum eos qui se pro Prophetis venditabant. Confer Ezech. III. 17. XXXIII. 2. 6. 7.

Nescierunt universi] Non viderunt mala ventura.

Canes muti non valentes latrare] Peccata aliorum dissimulant. Sicut canum officium est allatrare fures, ità Sacerdotum & Prophetarum reprehendere vitia.

Videntes vana] *Delirant.* id Arabibus ז in ד mutato هذي.

Dormientes] *Cubantes.* Perstat in similitudine.

Amantes somnia] *Somni amantes.*

11. *Et canes impudentissimi*] *Et* pro *nempe.* Est enim ἐξηγητικὸν [*explicativum*].

Nescierunt saturitatem] Sunt insatiabiles.

Ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam] Non dant operam Legi. *Pastores* vocat eosdem quos antè *speculatores*, & quos sub Canum imagine descripsit.

Omnes in viam suam declinaverunt] Res suas agunt, non Dei.

Unusquisque ad avaritiam suam, à summo usque ad novissimum] In Hebræo, *Unusquisque ad lucrum suum ab initio ejus:* supple *viæ*, ad finem scilicet.

12. *Venite, sumamus vinum*] Supple, *dicunt illi.* Frequens apud Hebræos ἔλλειψις [*in loquendo defectus*].

Impleamur ebrietate] Potemus σίκερα [*sicera*] Vide Luc. I. 15. & ibi dicta.

Et erit sicut hodie sic & cras, & multò ampliùs] Cras lautiùs etiam prandebimus. Sic Chaldæus hic.

CAP. LVII.

MUNSTERUS.

1. C*Olliguntur*] Utitur Scriptura verbo *colligere* pro *mori & colligi ad patres defunctos.*

2. *Præcedit ante illum pax*] Hoc est, moritur pius antequam horribiles Dei incidant ultiones, sicut & Hizkijahu rex dicebat, cùm audisset futuram desolationem Jerusalem, *Fiat pax in diebus meis.* Aben Ezra verò sic interpretatur, *Qui ambulat coram ipso Deo, ille in morte venit ad pacem, quia mors est transitus in veram ac æternam vitam.* Si in Christo morimur, cùm Christo in paradiso erimus, transibimus de labore in requiem, de exilio in patriam & de terra in cœlum.

4. *Oblectatis vos ipsos*] Oblectationem dicit impiis fuisse, quando contra prophetas Domini, qui scelera eorum redarguebant, latrabant, linguas ejiciebant, & summo contemptui habebant. Enarrat autem qualia suo ævo in populo suo fuerint scelera: sub omni ligno frondoso thura idolis incendebant, proprios filios Molech immolabant, politos lapides ex vallibus eruebant, & in deos consecrabant, atque dicebant, *Tu es pars mea atque sors mea*, contra illud quod Psaltes dicebat, *Portio mea Deus in terra viventium.* Porrò *stratum* & *lectum* in quo fornicabantur, vocat altaria in quibus diis sacrificabant.

8. *Memoriale tuum*] Ego, inquit, jussi legem meam figi in *postibus* domûs tuæ, sed tu loco ejus *affixisti memoriale* deorum tuorum, nè ingrediens vel egrediens illorum obliviscereris. Et quod sequitur, *Publicâsti te*, potest etiam verti; *Discooperuisti te*, ut scil. fornicareris cum diis tuis cum quibus iniisti fœdus.

9. *Abiisti ad Regem*] Me derelicto, ambiisti favorem gentilium regum, & in hos fiduciam tuam posuisti magis quam in me, mittens eis balsamum, mel, & alia pretiosa pigmenta.

10. *Destituor*] Est נואש propriè vox Desperantis, licèt sit passivum à verbo יאש. Et quod subditur, *Vitam manus tuæ invenisti*, sensus est, Prospere tibi successit, ideo dolorem non sensisti.

13. *Congregationes tuæ*] Hoc est, gentes, quas tibi contra prohibitionem meam conciliasti.

VATABLUS.

1. P*Erit* אבד] Præt. Heb. pro præs. ¶ *Ponat super cor* שׂם על לב] *Ponere super cor*, Hebraismus pro *advertere animum*, sive *curare.* ¶ *Et viri misericordes* ואנשי חסד] Hebraismus, pro *pietate insignibus*, sive *conspicuis.* ¶ *Qui intelligat* מבין] *Qui recogitet:* vel, *qui animadvertat.*

2. *Ingredietur* יבוא] Sub. *ad patres suos*, i. morietur in pace. Alii, *Veniet pax*, sub. *justo.* Sing. pro plur. ¶ *Qui ambulaverit coram eo* הולך נכחו] Nempe Deo. Relativum sine ante-

anteced. & ſing. pro plur. Aut expone, *quiſque ambulans coram Deo*, aut, *ſinguli qui ambulaverint*. Alii vertunt, pax *ambulat ante illum*, i. præcedit eum abeuntem & diſcedentem de hoc mundo. Alii, *ambulanti in rectitudine ſua*.

4. *Protraxiſtis* תאריכו] *Exſeruiſtis: produxiſtis: lingua* pro *ſermone*: i. cui detrahitis & obloquimini?

5. *Incaleſcentes* הנחמים] *Incaleſcitis*, ſub. *calore Venereo*: i. coeuntes: q. d. Qui idololatriam exercetis. ¶ *Cum diis* באלים] *Inter quercus*, vel *ulmos*. ¶ *Subter eminentes petras* תחת סעיפי הסלעים] *Sub dentibus* [i. ſcopulis, ſummitatibus vel cacuminibus] *petrarum*. Alii, *ſub prominentiis rupium*. Vox Hebræa ſignificat *ramos arborum*, quorum ſimilitudinem referunt ſcopuli & prominentiæ petrarum ſive rupium.

6. *In lenibus petris* בחלקי נחל] *In politis petris*: vel, *In politioribus lapidibus*: q. d. Cùm vides pulcrum aliquem & politum lapidem poſitum in torrentibus, viæ aut alterius rei causâ, illum adoras, & *ab eo portionem hereditatis tuæ* exſpectas: vel illo tam fidis quàm *portione tuâ hereditariâ*. Quidam vertunt, *In partibus torrentis*. ¶ *Conſolationem accipiam* אנחם] *Oblectationem capiam*? i. feramne æquo animo talia? Alii, *pœnitebit me*? ſub. *mali quod immiſſurus ſum in mundum contra infideles, nè illud inducam*? Ità doctus inter Hebræos.

8. *Suffitum tuum* זכרונך] *Odorem tuum*. Alii, *memoriale tuum*, i. aliquid quod revocet tibi in memoriam Deum quem colis.

9. *Munera quoque detuliſti* ותשורי למלך בשמן] *Profecta quoque es ad Regem* Aſſyriorum, tuliſtique ad eum *oleum*: q. d. Tu quoque poſuiſti fiduciam tuam in hominibus, non in me. ¶ *Et multiplicaſti pigmenta tua* ותרבי רקחיך] i. Multa ac varia pigmenta etiam tecum tuliſti.

10. *Multitudine viarum tuarum* ברב דרכך] *Multiplici itinere tuo*. ¶ *Deſperatum eſt* נואש] Hebræi ſubaudiunt *cor meum*. q. d. Deficiunt mihi vires. Plena locutio legitur Eccleſ. 2. 20. *Et ego verti me* ליאש את לבי *ut deſperare facerem cor meum*: vel ut *revocarem cor meum*, aut *ut tæderet animum meum laboris mei*. Verti hic poteſt, *Revocatum eſt cor meum, nè ſcilicet eat ultrà poſt deos alienos*. Ità intellexiſſe videtur doctus inter Hebræos. ¶ *Vitam*, &c. חית ידך וגו'] Quidam pro *vita* vertunt *victum*: acſi diceret, *Perinde gratus tibi fuit hic labor acſi victum tibi manu tuâ comparares*. Alii vertunt, *requiem virium tuarum inveniſti*. Doctus inter Hebræos, *Vitam virium tuarum inveniſti*: q. d. Inveniſti aliquid quòd tam dulce tibi fuit quàm ſunt eſcæ quæ ſunt vita hominis. ¶ *Non ægrotaſti* לא חלית] i. Via illa non fuit tibi moleſta.

11. *Nónne* quia *ego*, &c. הלא אני מחשה וגו'] *Annon ego taceo*, & quidem *à ſeculo*? & *tamen me non times*: i. Peperci tibi ſemper cùm peccaſti, nec alium Deum invenies clementiorem me: & tamen cultum meum deſeris. Quidam liberiùs vertunt, *An me, quod hactenus feci, perpetuò diſſimulaturum ſperas, ut me nihil metuas?*

12. *Annunciabo* אגיד] Quidam futurum convertunt in præteritum, *annunciavi*, vel *indicavi*. Ironicè loquitur: q. d. *Oſtendi qualis ſit tua juſtitia, & qualia opera, quæ tibi erunt pernicioſa: ex quibus tamen utilitatem aliquam ſperabas*.

13. Milites *congregati à te* קבוציך] Ad verb. *congregationes tuæ*. Quidam, *collectitii tui*. ¶ *Atque eos omnes* ואת כלם] *Sed omnes*.

14. *Dicétque* ואמר] Præt. Heb. pro fut. ſub. *Dominus*. ¶ *Elevate, elevate* סלו סלו] Sub. *viam lapidibus*, aut *ingeſtâ terrâ*. *Sternite, ſternite*.

15. In *ſeculum* עד] *In æternitate*, vel *perpetuitate*. ¶ *Et cujus*, &c. וקדוש וגו'] Ad verb. & *ſanctum* eſt *nomen ejus*. ¶ *Habito* אשכון] Fut. Heb. pro præſ. ¶ *Et humili ſpiritu* ושפל וגו'] *Et oppreſſo*. Sic mox, *ſpiritum oppreſſorum*.

16. *Induit* יעטוף] Fut. Heb. pro præt. i. Spiritus hominis à me profectus ſive creatus, immiſſus fuit in corpus: ego circumdedi corpore ſpiritum. q. d. Ego creavi homines: novi igitur eos, & ſcio quòd caro ſunt. Idem mox repetit.

17. *Avaritiæ ejus* בצעו] *Cupiditatis ejus*. ¶ *Rebellis* שובב] *Adverſus*. Alii, *oberrans*. *Abire in via cordis ſui* eſt Facere quicquid eſt nobis gratum.

19. *Fructum labiorum* נוב שפתים] i. Sermonem. ¶ *Pacem*, &c. שלום שלום וגו'] *Pax, pax longinquis & propinquis*.

20. *Impulſum* נגרש] *Quod impellitur*, ſive *propellitur*. ¶ *Propelluntque*, &c. ויגרשו וגו'] *Sed aquæ ejus ejiciunt*. Alii intranſitivè legunt, *impuleruntque ſe aquæ ejus cœno & luto*.

21. *Non* eſt *pax* אין שלום] Idem verſus legitur etiam ſuprà 48. 22.

CASTALIO.

2. *CUM adveniet pax, quieſcent in ſuis cubilibus eâ præter eos eunte*] Eam ignorabunt impii, nec ejus erunt participes, dormientes in ſuis peccatis.

12. *Ego tuam innocentiam tuáque facta oſtendam*] An ſis innocens.

16. *Non enim ſemper contendam*] Hæc ſunt ità cum antecedentibus conjungenda; Dixi me reducturum meos *in meum ſacrum montem* Hieroſolymam. Dicent Iſraelitæ ut eſt Ezech. 37. *Quo pacto nos in Sionem reduces, cùm oſſa noſtra aruerint, nec ulla ſpes ſuperſit? tanta eſt tua in nos ſævitia*. Reſpondeo, *Non erit æterna hæc ſævitia: nam induetur profectus à me Spiritus, & animantes ego faciam*: h. e. Placatus meis per Chriſtum, eorum corpora ſpiritu animabo, eóſque in vitam revocabo, & in promiſſam a me felicitatem perducam. Nunc quidem *eorum vitio eis iraſcor*, eóſque ſino præcipites *in ſuas ferri libidines*: Sed *medebor* aliquando eorum malis, mittámque nuncium quò omnibus, ubicunque ſint, *pax* nuncietur. Sed nè putent quicunque ſunt humanâ naturâ Iſraelitæ hanc ſe pacem conſecuturos, hoc denuncio, *hanc impiis non patère*. Ex hoc loco apparet pios eſſe veros Iſraelitas. Confer cum Ezechielis 37.

CLARIUS.

1. *COlliguntur*] *De medio tolluntur*. Utitur Scriptura hoc verbo *colligere* pro *mori & congregari ad patres defunctos*. Continuatur autem hic ſenſus ſuperiori, Quòd ſcilicet dum impii regnant & voluptatibus operam dant, interim probi periclitantur, vel tolluntur pii, nè ſentiant futuram ultionem: & hoc tamen non attenditur. ¶ *A facie enim malitiæ*] Non eſt qui intelligat quòd *propter imminens malum* ad patres ſuos *collectus ſit juſtus*. Quanquam illud *à facie malitiæ* quidam interpretantur, *ob malos, & ob factionem peſſimorum*.

2. *Veniat pax*] Moritur, inquit, pius antè quàm horribiles Dei incidant ultiones. Sicut & Ezechias Rex dicebat cùm audiſſet futuram deſolationem Jeruſalem, *Fiat pax in diebus meis*. Vel ſic, *Qui ambulat* coram ipſo Deo, ille in morte *venit ad pacem*.

4. *Super quem luſiſtis*] Vel, *ſuper quo oblectaſtis vos ipſos*. *Oblectationem* dicit impiis fuiſſe quando contra Prophetas Domini, qui ſcelera eorum redarguebant, latrabant, & ſummo contemptui habebant. ¶ *Numquid non*] Tanquam dicat, *Contra voſmetipſos virulentam linguam veſtram exercere debueratis, cùm ſitis filii ſceleſti & ſemen mendax*, h. e. degeneres.

5. *Qui conſolamini in diis*] Vel, *turpiter incaluiſtis fœdo amore deorum*. Enarrat autem qualia ſuo ævo in populo ſuo fuerint ſcelera. *Sub omni ligno frondoſo* thura idolis incendebant, *proprios filios* Moloch *immolabant*, *politos lapides ex vallibus* eruebant & in deos conſecrabant, atque dicebant, *Tu es pars mea atque ſors mea*: contra illud quod Pſaltes dicebat, *Portio mea Deus in terra viventium*. Porrò *ſtratum* & *lectum* in quo fornicabantur, vocat altaria in quibus diis ſacrificabant, ut perſtet in Metaphora Fornicationis.

6. *Numquid ſuper his*] Quando illos elegiſti in ſortem tibi, ad hæc potero connivere?

8. *Memoriale tuum*] Ego, inquit, juſſi Legem meam figi in poſtibus domûs tuæ, ſed tu loco ejus affixiſti *memoriale* deorum tuorum, nè ingrediens vel egrediens illorum obliviſcereris.

9. *Miſiſti Regi unguenta*] Regi nimirum Ægyptio, vel Aſſyrio. Judæa autem dicitur *terra olei & mellis*. Improperatur & apud Oſeam quòd *oleum in Ægyptum ferrent*. Queritur ergò quòd ſe derelicto ambierit favorem Gentilium Regum, & in hos fiduciam ſuam poſuerit magìs quàm in Deum, mittens eis balſamum, mel & alia pretioſa pigmenta. ¶ *Et humiliata es*] Propter hoc, ſcilicet, quòd relicto Domino confugeris ad auxilium hominis Regis.

10. *Vitam manus tuæ*] h. e. Aſſecuta es quod voluiſti.

11. *Quia mentita es*] Negans ſcilicet te hæc facere. Alius ſic interpretatur, *Et quem ſolicitata timuiſti*? q. d. *méne*? *Non: quia mentita es, nec mei es recordata*. Vel ſic, Cùm me non timueris, ſed ſtudiis tuis mentita mihi ſis, quem poteris ultrà timere?

12. *Annunciabo juſtitiam tuam*] Palàm faciam quàm ſis juſta.

13. *Congregati tui*] Gentes ſcilicet, quas invitaveras ad ferendum auxilium.

16. *Non enim in ſempiternum litigabo*] Non enim odi creaturas, cùm omnes animas ego fecerim, &, ſi quando *iratus ſum*, id feci *propter iniquitatem avaritiæ*, h. e. concupiſcentiæ, *ejus*.

19. *Creavi fructum labiorum, pacem*] h. e. Materiam eis dedi gratiarum agendarum, nempe pacem.

FORE-

F O R E R I U S.

1. QUorsum tendat hæc oratio non ità facilè est intelligere. Ego certè existimo hoc & duobus seq. cap. Jesaiam statum rerum Judaicarum describere, jam indè à suo tempore, à diebus videlicet Ahaz, usque ad adventum Christi. Ostendit autem quòd propter scelera, præsertim idololatriæ, puniendi essent, nempe captivitate Babylonicâ, justis tamen interim non defuturum solatium: postea verò, omnia occupante peccato & ingravescente iniquitate, adveniret Redemptor. Scio quidem multa ex his ad Christi tempora posse referri, sed aliorum hac in re operam in libris ipsorum videre poteris. *Justus perit*] Sicut in Psal. *Defecit Sanctus*: אבד est Hebræis *tolli*, *auferri*, *cum ipsius rei perditione.* ¶ *Non est qui recogitet*] Vel *qui consideret*, *& altâ mente reponat.* Hebr. *ponere super cor* dicit pro *animadvertere*, *& rem penitus considerare.* Quid verò velit Propheta, quòd *in morte justorum considerarent homines*, mox aperiet hoc eodem versu. ¶ *Et viri misericordiæ*] Seu *pietatis*, i. pii in Deum & patriam, &c. ¶ *Colliguntur*] Quod dixit in primo membro rursus more Scripturæ repetit: idem enim intelligit per *justum*, & per *viros pietatis*; idem per *perire* seu *auferri*, & *colligi*; idem per *non ponere super cor*, & *non intelligere.* ¶ *Quia non est qui intelligat*] *Quia* redundat: ad verbum, *in non intelligente*: *cum non sit qui intelligat*, vel *non existente qui* ut Proverb. 8. *In non abyssis*, i. nondum exsistentibus, &c. nisi dicas אין scriptum pro באין ejusdem ferè prolationis; pro quo Chald. לית. ¶ *A facie enim malitiæ collectus est justus*] כי pro *quòd* enclitico accipiendum est, quasi hòc sit quod *nemo consideraret*, videlicet quòd *à facie malitiæ*, i. propter malitiam; vel antè quàm adventaret malitia, *ablatus sit justus*, nè videlicet eam videret & experiretur. *Malitia* autem Hebræis etiam est nomen pœnæ, ut Genes. 19. *Non potero evadere hanc malitiam*, (seu *hoc malum*) *nè quando apprehendat me malitia hæc*; & suprà 45. *Faciens pacem*, *& creans malitiam*, seu *malum*, &c. Hic locus videtur exponi in libro Sapientiæ cap. 4. ubi ad Enoch & ad hunc Prophetæ locum factâ allusione dicitur; quia *Deo placuit*, *cùm inter peccatores viveret*, *de medio sublatus raptusque*, *nè malitiâ immutaretur sensus illius*, *néve anima ejus fraude circumveniretur*: Quod de utriusque malo intelligere possumus. Sic etiam hic locus quem præ manibus habemus intelligi potest, quòd Deus justos & pios viros, veluti sibi charissimos, ad se colligat, & de mundo auferat etiam non multorum annorum ætate completâ; tum nè, si diutiùs viverent, à pietate discederent propter peccatorum consortium & vim peccati, quod interdum inundare videtur & omnia convellere, ut hac nostra tempestate fieri videmus; tum etiam, quòd quasi illis indulgens & condolens nolit eos calamitatis cujuspiam ingentis testes aut participes esse. Quemadmodum Augustinus obsessâ civitate à Barbaris, & plerique alii justi, quorum spiritum non volens Dominus contristare, eos quasi ante tempus & veluti immaturâ morte rapit: quod amorem pietatis in hominum pectoribus enutrire & augere debet potiùs quàm remittere; nam ut in Ecclesiastico habetur, *exemplum est emendandæ vitæ nationibus*; propterea enim hoc privilegio donantur qui Deo placent: &, ut ait de ipso Enoch Apostolus, *priùs quàm auferretur testimonium habuit quòd Deo placeret.* Id autem testimonium habetur Sap. 4. & Eccl. 44. præterquam quòd Genes. 5. dicitur *cum Deo ambulasse.* Siverò hoc dilectorum est aut diligentium, non est quòd condolecamus, sed quòd invideamus potiùs justorum funeribus. Optantandum enim est cum Davide, ut nobiscum agat Deus *secundùm judicium diligentium nomen ipsius.* Insipientes verò, cùm mori miserum putent, præsertim in juventute, tantùm abest ut propterea justitiam & pietatem colant, ut vel ea de causa, quòd ad se justos citò Deus dicatur *colligere*, genio indulgeant. Meritò itaque dolebat Propheta, quòd *in morte justorum nemo secum reputaret*, *à facie malitiæ illos rapi*: nam si hoc cogitassent, aut inducerentur ut pietatem colerent, aut sibi saltem timerent, qui ad malorum congressum servarentur. Dignum profectò est ut hanc philosophiæ Divinæ partem apprehendamus: & quid in justorum obitu considerare debeamus ex hoc loco crudiamur; nempe quòd *à facie malorum colligantur.* Quod apertè Scriptura in Josiam commemorat, dicens 2 Reg. 14. *Colligam te ad patres tuos*, *& colligêris ad sepulcrum tuum in pace*, *ut non videant oculi tui mala quæ introducturus sum super locum istum.* Ergò cùm propterea eos auferat Deus, id omnino est quod nos cogitare debemus, ut nobis timentes ad emendationem vitæ incitemur, ut ex Sapiente jam dixi.

2. *Veniat pax*] Vel *veniet* יבוא. Quid agatur cum justis exponit: & puto quòd Mortem appellet *pacem*, שלום enim est interdum Hebræis *tranquillitas*, & *felix rerum status*: opponitúrque *Perturbationi*, seu *perturbato rerum ordini.* Mors autem justorum pace hujusmodi plena est: unde Genes. 15. *Et tu vades ad patres tuos in pace*; & Simeon, *Nunc dimittes servum tuum in pace*, i. tranquillâ morte, & in qua morienti nihil deesse videatur. Etenim *perfectionem* quoque nomen notat: ait ergo, *Veniet tranquilla mors*, quam scilicet summam pacem & felicitatem reputant viri pii. ¶ *Requiescant*] Vel *requiescent* ינוחו. Pii, adveniente morte, *super cubilia sua requiescent*, i. in sepulcris omni prorsus malorum timore sublato. ¶ *Qui ambulat in dilectione sua*] Quia hic singularem numerum viderunt quidam, contexum luxarunt, ut pro *requiescant*, legerent *requiescat*: nam *requiescent* scriptum reliquit Hieronymus, & ità conjungendum putavit, *Veniat pax justi*, i. Christi, *qui ambulat in directione sua*, *& requiescent in cubili suo*; quasi sit similis oratio illi, *Sagitta tua acuta* (*populi sub te cadent*) *in corda inimicorum regis.* Sed cùm verba pluralis numeri passim Hebræis cum nomine singulari jungantur, præsertim participio, cùm indefinitus est sermo; non est cur negemus participium הלך *ambulans* construi cum verbo *requiescent*, ut sit sensus, *Requiescent in cubilibus suis*, *ambulantes ante eam*, nempe pacem. *Veniet*, inquit, *tranquilla mors justis*, *quam illi læti suscipientes in sepulcris suis requiescent*, *ut qui semper præ oculis eam habuerint*, *& ante eam perpetuò ambulaverint*: *istis enim non est terribilis neque amara mors*, *quorum vita est mortis quædam meditatio.* Hic sensus planus est: neque te conturbet hujusmodi acceptio vocis נכח: nam Prover. 5. sic accipitur, *Coram oculis Jehova via viri*; & Jerem. 17. *Annunciatio labiorum meorum coram facie tua*, *Jehova*; Jud. 18. *Ite in pace*, *coram Jehova via vestra*, &c. Eadem autem vox aliis punctis *rectum*, seu *rectitudinem* notat, nè quis Vulgatum immeritò reprehendat. Hinc habes quibus mors sit pax & tranquillitas, nempe justis, qui eam perpetuò meditantur: & quare pii viri mortem expetant.

3. *Vos autem accedite*, &c.] Rectè Vulg. Vau pro Adversativa accepit; *& vos*, pro *at vos.* Illi quidem quiescunt à laboribus suis, & in pace dormiunt: de vobis verò quid agendum sit, accedite ad me ut audiatis. Vocat autem *filios* עננה, i. *venefica*, quæ oculis nocet & fascinat, quasi venena diffundens: neque malè *auguratricem* dixit Vulgatus; nàm ab עין, i. *oculus*, est verbum ענן, q. d. *oculavit*, i. oculis observavit; unde nomen ענן de quo suprà 2. & 27. pro *observatoribus*, qui vel ex stellis, vel avibus, vel extis conjectant superstitiosè futura vel occulta. Judæos ergò sic vocat, quòd plurimi ex eis istis artibus vacarent. Unde Synagoga *venefica* dici commeruit. ¶ *Et fornicaria*] Ad verb. *Et fornicaberis*: q. d. semen, generatio, quæ præteritis adulteriis & fornicationibus non eris contenta, sed adhuc fornicaberis, & mores tuos persequeris, & patrum vestigiis insistes. Vide, quibus nominibus cognominentur qui à Deo deficiunt.

4. *Super quem lusistis*] Vel *lascivistis*, vel *luxuriati estis*, ut sit quod Paulus ait de viduis impudicis, *cùm luxuriatæ fuerint in Christum*, i. Christo repudiato, & contra fidem illi datam: & Hebræis על non rarò sic accipitur pro *contra.* Et hic sensus mihi arridet: nam Adulterii & Fornicationis meminerat. Indignissimum autem videri debuerat, quòd marito Deo abjecto fictitios deos colerent, & turpiter illis supplicarent. Quidquid autem pro Deo colitur, hâc ratione *viri* nomen seu *mariti* accipit: quia illi mens sese submittit, & ante eum humiliatur homo, humiliationem autem mentis curvationibus & supplicationibus exprimit. Ab hoc deinde cultu & humiliatione veluti fœcunda anima ea exsequitur quæ Deo marito suo adlubent, atque isti sunt liberi seu pignora quæ animos conciliant, à Dei quidem congressu fidei & dilectionis opera prodeunt; ab aliorum verò oblationes filiorum per ignem immolationésque eorum, quibus gaudent mirum in modum inimici dæmones. Si verò non de hac Lascivia, sed de deliciis, i. opiparis conviviis quæ in gratiam deorum instruebant, déque saltationibus & choreis, cantionibus quas in laudes idolorum componebant, & ludis quos instituebant verbum ענג accipias, quæ omnia erant contra Deum, non prohibeo; imò significationi vocum satis convenit hæc acceptio, & sequentibus non minùs. ¶ *Super quem dilatastis os*] Vel *contra quem?* Laudes deorum sunt convicia in Deum, & contra Deum aperiebant ora qui dicebant de vitulo, *Isti sunt Dei tui*, *Israel*, *qui eduxerunt te de terra Ægypti*: ubi *comedisse* & *lusisse* legis Israelitas. Ad quem locum fortè hic alluditur. At quis prohibet ut inter illos lusus & cantus, incalescentes mero & furiis agitatos, in vituperationes & convicia quoque in Deum prorupisse intelligamus? ut cùm dicebant *meliùs habuisse quando serviebant militiæ cæli* apud Jeremiam, & similia multa. Est autem *dilatare os super aliquem*; *conviciari*, *conviciis lacessere.* In Psal. *Dilataverunt super os suum*

 non

non semel legis: & ferè idem est quod sequitur, ¶ *Ejecistis linguam*] Vel *produxistis*, sive *exsertastis*. Similis percunctatio est & increpatio adversùs Sinacherib suprà cap. 27. v. 23. Adde, quòd est gestus quidam apud Hispanos & alias etiam nationes irridentium & nihili facientium quempiam, aperto ore linguam exsertare, qui usurpatus & à Gallis fuit, ut apud Gellium lib. 11. cap. 13. ex Quadrigarii verbis perspicere licet. Possumus hæc omnia etiam non de Deo accipere, sed de Justis, de quibus paulò antè loquebatur, & sanctis Prophetis quos deridebant & ludibrio habebant impii. *Quem* enim *Prophetarum* non *occiderunt*, aut non *persecuti sunt?* ut est in Euangelio. Fortè & in funere eorum festa agebant, & insaniam eorum decantabant, & quòd ab eorum increpationibus liberati essent sibi mutuò congratulabantur. Cui expositioni quæ sequuntur non parùm favent. ¶ *Numquid non vos filii scelesti*, &c.] q. d. Aliam vitam à vitiis valde immunem ducere eos necesse est, qui volunt in homines pios dicere, aut eos reprehendere. Vos autem nihil aliud quàm transgressionem sectamini dolis & falaciis pleni, &c. Quòd si de Deo dicta sint, superiora sic connecte; *Numquid non*, &c. q. d. Certè hàc ipsâ re comprobatis vos esse *transgressionis filios*; ut non possitis non referre genus vestrum, & *semen fallax*, aut *falsum*, quod à patribus & eorum fide degeneravit: ut cùm filii Abrahæ sitis secundùm carnem & dicamini, nihil minùs sitis quàm ejus filii; estis enim filii peccati & diaboli, idque operibus confirmatis.

5. *Qui consolamini in diis*] Vel *cum diis*. Plurale est nominis אל, sicut Psal. 29. & Exod. 15. neque bene hîc quidam pro *quercubus* accipiunt. ¶ *Frondoso*] רענן, quantum ex locis possum conjicere in quibus reperitur hoc nomen, est quod nos dicimus *fresco*: quare *virentem* dicere possumus. ¶ *Immolantes*] Vel *jugulatores*, *natorum*: שחט enim propriè *jugulare* est. Indignitatem & horrorem ipsa simplicissima verba continent. Quo enim pacto hoc, nisi corruptâ admodum naturâ, quæ immanitatem suadere consuevit, & rationis usu ferè absorpto fieri potuisset, ut lætarentur voluptatémque acciperent qui suos proprios natos jugularent? Mœror occupat bruta animalia, si coram ipsis occidantur filii quos genuerunt. Ergò amentiores brutis animantibus erant illi homines, in quorum pectoribus charitatem hanc extinxerat scelus cui addicti erant. Poterant super filiorum sanguinem, quos hîc ad exaggerationem ילדים, i. *genitos*, seu *natos* vocat, lætari, & amœnitate arborum delectari, sub quibus sanguinem fundebant filiorum quos genuerant. Imò verò illis cum diis & talium deorum consuetudine, quibus tam impia sacra placebant, consolationem accipiebant. Annon natura ipsa pro incolumitate filiorum numina placare jubet? Annon consolatione haud vulgari affici pater & mater putarentur, naturâ ipsâ instigante, qui ex naufragio aut lethali morbo filium salvum recepissent? Ergo ipsa natura ab eorum cultu revocabat deorum qui jugulatione filiorum pascebantur. O mortales miseros, qui religionem quam natura commendat deserunt, & religionis umbram, verissimum cacodæmonum inventum, vel ipsâ naturâ repugnante, apprehendunt! Vides, quantò major sit iniquitatis vis, quàm in plerisque rationis & virtutis ac veræ religionis? Vides hominum stultitiam, qui aspertima pro mendacio patiuntur, & cum jucunditate perferunt; pro veritate autem nihil non grave ducunt? Sciendum tamen est in animo verè pio non minores esse veræ pietatis vires quàm impietatis & sceleris apud impios: quod in Levitis, in Abrahamo & plerisque aliis satis apparuit. Sed Deus noster vitam hominum mavult quàm mortem. ¶ *In torrentibus*] Vox נחלים *valles* & *humilia loca* propriè notat, *quæ inter montes* jacent: deinde & *torrentes* notat qui per hujuscemodi valles decurrunt. Exempla passim obvia sunt. Erant autem dii qui vallibus gaudebant & opacis lucis ac subobscuris: alii autem rursus excelsis in locis & in montibus cultum exigebant. Id videtur haberi ex variis lociis Scripturæ, præsertim ex eo libro Regum, in quo narratur de illis qui dicebant, *Dii eorum sunt dii montium, venite, & prœliemur in vallibus*, &c. ¶ *Subter eminentes*, &c.] Sunt ad radices montium & in alveis torrentium excavatæ rupes & prominentes, sub quibus aræ erigebantur ad idolorum cultum, quasi ex antris prodiret numen, & ut religione tangerentur homines. Erant etiam ibi tuti ab aeris injuriis, æstu & imbribus, ut tranquilliùs & absque ullo impedimento sacra peragerent. Deorum enim est totum hominem sibi addicere; & quem homo Deum putant, ritè colendum esse ducit. Hinc loca solitaria petere, & ab urbium tumultu secedere. Id enim tantùm agendum est quod tunc agitur, neque aliò animus distrahendus. Imitatur autem religionem veram, quoad ejus fieri potest, superstitio.

6. *In partibus torrentis pars tua*] Paronomasia est in verbis Hebraicis haud invenusta, בחלקי נחל חלקך. Vox autem חלק interdum *lapides* notat: sunt autem in litoribus tam maris quàm fluviorum & in torrentibus orbiculati & glabri. Super hos sedere, & vestes deponere, & cibum capere ob munditiem juvat: super hos fortè propter munditiem filios jugulabant. Talis erat lapis quo fundâ rotato David gigantem percussit: & hâc voce notatur 1 Sam. 17. Eadem autem vox aliâ formâ *portionem* designat & *partem quæ cuique in divisione contingit*. Ergò *in saxis torrentis* dicit Propheta sibi *portionem*, *& sortem delegisse* Judæos, quasi hâc sorte contenti essent: sicut sors Leviticæ tribûs erat Dominus & cultus ejus, ut ad hanc sortem fiat allusio. Vel certè cùm frequentes ad cultum idolorum ad torrentem convenirent, necesse erat saxa & rupes sorte inter eos distribuere: quod illis pro summo opprobrio objicit Dominus, ut sit sensus, *In saxis torrentis portio tua*, i. æquis portionibus saxa & rupes sorte dividitis. ¶ *Hæc est sors tua*] Heb. *Ipsi, ipsi sors tua*, nempe *lapides* & *saxa torrentis*. *Non mentior*, inquit; *vera narro*; *ipsi*, *ipsi*, inquam, *lapides sors tua sunt*, *& sorte tibi dividuntur: tantus est idololatrarum concursus, tanta frequentia, tantus fervor ac tanta devotio*. Quid si in hoc membro ludat Propheta, & sit tacita irrisio ex animi indignatione? q. d. *In lapides sortem mittis, & lapides tanquam hereditatis portiones sorte tibi dividi facis: ipsi, ipsi, inquam, erunt sors tua, ut non nisi lapides & inutilia saxa possideas, & saxum ipse sis, similis effectus diis quos colis.* Quid si per *saxa torrentis* per contemptum ipsa Idola significet, quòd idola quæ colebant in torrente nihil differrent à saxis ipsius torrentis, & tot essent quot in torrente erant saxa, & hæc sorte destribuerent ut ea coleret? ¶ *Et ipsis effudisti libamen*] Potest hoc pronomen *ipsis* & ad *deos*, quorum meminit versu superiori, vel ad ipsos *lapides* & *saxa torrentis* referri. Est autem נסך *fusio*, seu *libamen ex vino*, Num. 15. & Exod. 29. &c. ¶ *Numquid super his non indignabor?*] Heb. *An super his commiserebor?* Sensus idem est. Etiamsi mox ad narrationem redeat; hanc percunctationem tamen, ob rei indignitatem, ex animi dolore inseruit, ut intelligamus ad perditionem hominum non nisi urgentibus rationibus impulsum Deum commoveri. Ea enim est quorundam scelerum impudentia, ea indignitas, ut si inulta illa relinqueret Divina majestas contra dignitatem suam agere videretur.

7. *Super montem*, &c.] Non diis vallium contenta deos quoque *montium* coluisti. ¶ *Cubile*] Perseverat in Adulterii similitudine. Ideo Altare & cultum *cubile* vocat; ibi enim alteri viro prostituebatur.

8. *Et post ostium, & retro postem posuisti*] Tutelares deos & lares designat. Ponebantur autem *post ostium & postes*, ut felix esset & faustus tam egressus quàm ingressus; nisi *post ostium* dici velis figuratè & proverbiali formâ, quasi nullus esset absque Deo angulus. ¶ *Memoriale tuum*] Vel *recordationem*: sic vocat Sculptilia, quæ numinis memoriam renovabant; & in hunc usum in singulis domûs partibus apponebantur, ut è memoria non dilaberentur; hoc enim videtur Divinitas exigere. Quare id ipsum summopere sanctorum Patrum scripta commendant, videlicet ut Deum semper in animo, ejúsque memoriam cordi impressam gestemus. ¶ *Juxta me*] Heb. מאתי, q. d. *de cum me*, i. à latere meo. More mariti loquitur Dominus, à cujus latere surgere, & cum altero rem habere est supremum scelus, contemptus & infidelitas: hoc omnino designant verba. ¶ *Discooperuisti*] i. Abiens te discooperuisti. Est enim גלה *aperire*, *revelare*; constructum autem cum constructione alterius verbi perinde est juxta Hebraismum ac si utrumque apponeretur; *Discooperuisti ex latere meo*, i. ex latere meo surgens te alteri denudasti. Cæterùm cùm גלה sit de numero eorum verborum quæ contrarias habent significationes, nam significat *apparere*, ac *disparere*, quod fit migrando, exsulando, &c. & cùm constructio conveniat, libenter pro *migrare*, seu *recedere* accipio; *ex latere meo, è lecto eodem in quo mecum jacebas recedens alteri tui copiam fecisti.* Hoc enim est Hebræum עלית, pro quo Vulgatus doctissimè vertit, sensum explicans, *Adulterum suscepisti*. In hac significatione verbo *ascendendi* utitur Scriptura, ità ut in significatione passiva sit hoc loco accipiendum תעלי: neque enim de Ascensu in montes arbitror vocem hanc intelligendam. Unde ab ipso puto esse participium plurale femininum עלות, quod de Femellis dicitur, & pro *fœtis & uterum gestantibus*, vel *partu* etiam *exoneratis* accipitur Gen. 33. Psal. 78. &c. quod etiam verba illa Gen. 31. significant, *Ecce arietes ascendentes*, &c. ¶ *Dilatasti cubile*] Hoc & quod præcessit & quod statim sequitur optimè congruunt cum illis quæ sub Ahaz facta legimus ult. Reg. cap. 16. nam & ipse Rex *Filium suum consecravit, immolabat quoque victimas, & adolebat incensum in excelsis & sub omni arbore virescente.* Ibi etiam legitur de nunciis quos misit ad regem Assyrio-

riorum, quod dicitur versu 7. & quòd occurrerit regi venienti, quòd eodem versu habes. Quod autem illic dicitur de Altari, quod ædificari fecit in templo secundum similitudinem altaris quod viderat Damasci; & de *altari æneo*, *quod erat coram Domino*, quod *loco movit*, & loco ejus altare majus secundum ritus gentium collocavit; hic puto significari, cùm dicitur, *è latere Domini surrexisse*, *& alteri succubuisse*, *& cubile suum dilatasse.* ¶ *Pepigisti cùm eis fœdus*] Neque ipsi Rabini hanc versionem reprehendunt, imò sic ferè omnes vertunt: nam dicunt כרת significare *pacisci*: quos neque mihi in animo est reprehendere: dico tamen nusquam me legisse in Scripturis כרת pro *pacisci*, nisi cum nomine ברית, sicut Latinis *ferire*, *scindere*, non significant *pacisci* nisi cum nomine *fœderis* aut *pacti*, &c. Ad verbum autem sic habent Hebræa; *Et scidisti tibi ab eis*, nempe diis gentium: & repetendum est nomen *cubilis:* dixerat enim, *Dilatasti cubile tuum.* Ex loco autem libri Regum constat Altare majus ad similitudinem altaris Damasci fabrefactum; unde sequitur, ¶ *Dilexisti cubile eorum*] Ut enim vidit altare quod erat Damasci, placuit illi: & cùm ex Damasco rediisset, adoravit, & hostias super illud quod jam in templo constructum reperit immolavit. ¶ *Manu apertâ*] Heb. חזית יד. Vulg. חזית ut nomen accepit à verbo חזה, i. *vidit.* Sed quia hujusmodi nomen alibi non reperitur, *manum* hîc Hebræi pro *loco* accipiunt; & nonnulla verba supplentes, quem volunt sensum conficiunt, vitio illis admodum familiari: quos plerique ex nostris sequuntur. Dicere tamen possumus hic *manum* accipi pro *monumento* & *opere eximio:* sicut nos dicimus interdum de imagine esse *manum Apellis*, i. opus manu Apellis fabrefactum. Sic 2 Sam. 18. *Absalon erexit sibi statuam*, *quæ est in valle regis*, *dicendo*, *Non est mihi filius*, *ut memoriam saltem relinquam nominis mei: vocavitque statuam secundùm nomen suum*, *& vocata est Manus Absalon*, i. *opus* seu *monumentum.* Ità Ahaz cùm vidisset altare Damasci, juxta ejus similitudinem aliud in templo erigi curavit: ideóque dicitur, *Dilexisti cubile eorum*, *manum quam vidisti.* Quod quamvis nemo Rabinorum annotavit, non propterea contemnendum ducas. Hic mecum considera, Christiane lector, quo pacto Deus *peccata* quasi *in sacculo signet*, ut est apud Job: quemadmodum enim bonorum operum nostrorum singulas circumstantias ponderat, ut pro omnibus retribuat, sicut cùm ait, *Eò quòd fecisti rem hujusmodi*, *& non pepercisti unico filio tuo*, &c. sic etiam in peccatis *omnes semitas pedum nostrorum considerat.* En audis objicientem concursum, sortes, loca, memoriam jugem, deinde è latere suo surrexisse ut alteri succumberet, quæ ab aliis accepisset dilexisse, & mox imitatam fuisse, ut discas rationem habere operum tuorum, cogitéque impurus sacerdos, quantò sit atrocius crimen ab altari Domini recedere, & *membra Christi membra facere meretricis*; & laicus, quid sit in templo Dei, dum res sacra peragitur, oculis lasciviæ inservire: ut prætercam alia crimina inter Christianos passim obvia. *Numquid super his commiserebitur* Dominus? Notandum etiam est, etsi hæc inventa Regis impii fuerant, populo objici à Propheta: nam impii Regis præcepto summus Sacerdos obedierat, & populus illorum impietati acquieverat.

9. *Ornabis te Regi*] Corruptè legitur, *regio.* Objicit Assyriorum regi, quem propter excellentiam *Regem* absolutè vocabant, occurrisse Israelem cum *oleo* seu *unguento*, & *multiplicibus pigmentis*, quasi meretricem & adulteram, quæ adultero vult placere. Est alioqui *oleum* lætitiæ symbolum, quasi unctus & lætus occurrerit regi. Verisimile quoque est balsamum detulisse, cujus in agro Jericuntino erant arbores. Unde Oseæ 12. *Deferentes oleum in Ægyptum*, &c. Nam cùm gratiam habere vellet Israel Assyrio quòd adversus regem Syriæ hostis sui advenisset, processit ei obviam. Miserat autem jamdudum argentum & aurum, quantum potuerat: cultum quoque & religionem Regis imitatus est: & ob hæc dicit propheta, ¶ *Et humiliata es usque ad infernum*] Coram ipso videlicet rege Assyriorum, significans sibi non esse vires ad resistendum regi Syriæ: quasi ergò plùs virtuti, potentiæ & amicitiæ Assyriorum quàm potentiæ & amicitiæ Dei confidisset, audit, *Usque ad infernum humiliatus es.* Nam & temporali gloriâ & spiritali, quam in tutela veri Dei habuit, spoliatus erat Israel, Regi extero & diis extraneis serviens. Ob quam causam etiam in Exod. 32. dicitur, quòd *Aaron spoliaverit Israelem ad murmur inter hostes ipsorum:* meritò enim Israelitis detraherent & in eos obmurmurarent, quicunque in eos insurgere vellent, audientes quòd relicto Deo qui eos de Ægypto eduxerat, deos Ægyptios maluissent colere, qui neque eos retinere in Ægypto, neque ipsos Ægyptios, nè submergerentur, eripere valuerant. Potest etiam hæc humiliatio ad tempora quæ subindè secuta sunt referri. Quis enim ignorat quàm humiliata ac depressa fuerit illa resp. jam indè ab eo tempore?

10. *In multitudine viæ*, &c.] רב hoc loco de *longitudine viæ* dici existimo, ut Josue 9. Præter enim quòd ad Assyriam proficiscerentur pro auxilio, abeunt quoque omnes quotquot à Deo recedunt, in regionem longinquam & vias difficiles perambulant. Possumus & de Multitudine accipere: *In multitudine viæ*, i. *in multiplicibus viis tuis laborasti.* Nam plures deos colebant, & multiplices ritus addiscebant, qui uno potuissent contenti esse. Cùm autem hæc omnia apta sint & appositè dicantur, ego tamen mallem רב in infinitivo accipere: *In multiplicando viam tuam laborasti*, i. ut proficeres & progressus faceres in eo vitæ instituto quod ingressa es. Si verò ut nomen accipias, eodem tamen sensu interpretari licebit; *In multitudine*, i. pro augmentatione & promotione studiorum tuorum laborasti. Objicit itaque zelum & contumaciam, quòd pro impietate labores sustinuerit, quæ multò minori negotio Dei sui gratiam potuisset promereri & beneficiis Omnipotentis frui. ¶ *Non dixisti*, *Quiescam*] Laborasti, inquit, & agones subiisti; nunquam autem in ipsa rerum difficultate, quâ sæpe laborabas, subiit in mentem ab incepto desistere, ut impedimentis ullis cederes. De voce נואש, pro qua Vulg. reddidit *quiescam*, sensum exprimens, variæ sunt sententiæ: puto autem esse passivum יאש, quod non est in usu in Cal, at in Piel semel, Ecclesiast. 2. éstque eo loco *abdicare animum*, aut *animo cadere præ diffidentia* seu *desperatione.* Usurpatur autem hæc tertia persona passivæ vocis pro eo quod Latini dicunt, *actum est:* dicerèque licebit, *desperatum est.* Hunc locum videtur explicare ille Jerem. 2. *Prohibe pedem tuum ne denudetur*, *& guttur tuum à siti. Et dixi; Num desperatum est? Non: quia amo alienos*, *& post ipsos ambulabo.* ¶ *Vitam manûs tuæ invenisti*] Non destitisti ab incepto, quinimo prosecuta es viam quâ ingredi cœperas, ac tandem illud vitæ genus quod consequi optabas invenisti atque apprehendisti. In nomine autem *vitæ* est ironia: *vitam* enim vocat Pestem atque ipsam mortem, quam tamen ipsi vitam reputabant: & *vitam manûs* vocat Vitam industriâ partam. Sicut autem qui multo labore & industriâ ac variis discriminibus vitam seu vitæ remedia consequitur, ut sunt opes & similia bona, bene collocatos labores suos arbitratur, neque eum laboris pœnitet; idem objicit Dominus contigisse Israeli. Atque hoc est quod sequitur, ¶ *Propterea non doluisti*] Ubi insinuat quàm se voti compotes arbitrarentur: & quantæ felicitati ducerent sese in amicitiam deorum insinuasse, cultûs ipsorum rationem tenuisse, observasse ritus, & inter eorum cultores connumeratos esse. O nos felices, dicebant, qui quod tamdiu optavimus, jam tandem tenemus! O bene collocatos labores! Nihil molestum nobis contigit: nullus fuit labor, postquam voti compotes facti, deorum istorum sumus cultores, &c. Quod verò Vulg. ait, nimirum Græcos secutus, ¶ *Propterea non rogasti*, perinde est ac si diceret, *Propterea animo elata nihil tibi deesse putas: neque Deo supplicas*, *aut quidquam petis more miserorum & inopum.*

11. *Pro quo solicita timuisti?*] Heb. *Ecquem metuisti & timuisti?* Vel, *ecquem reverita es*, aut *timuisti?* q. d. neminem. Sensum Vulg. benè reddidit, *Etamsi videaris me colere*, *& invocare soleas in adversis*, *mentiris: nihil de me aut meo cultu solicita es*, *neque ullo mei timore tangeris: voces tantùm habes & verba*, *corde longè es à me: mendax es & mentiri soles*; *& tantum abest ut me timeas*, *ut neque mei recorderis.* ¶ *Et non cogitasti*, &c.] Hebræa, *& non posuisti super cor tuum*, &c. Quidnam? ¶ *Quod ego tacens*] Vel (ut est in Hebræo) *Annon ego tacens.* Non, inquit, existimare deberes, cùm non subitò animadverto in te, ignorare me res tuas, aut aliâ quavis ratione impunitatem tibi promittere; quin potiùs hoc sedulâ mente deberes attendere, *quòd ego tacens*, *& à seculo*, i. quòd à seculo consueverim tacere, atque aliquandiu dissimulare. Nam quod in Vulgato legitur, ¶ *Et quasi non videns*] Non habetur in Bibliis Hebraicis. Symmachus tamen videtur legisse. ¶ *Et mei oblita es*] Hebræa, *Et me non timebis*, i. nequaquam timere soles: non cogitasti quòd ego consueverim tacere, neque me times.

12. *Ego annunciabo justitiam*] Ego faciam ut omnes intelligant quàm justa sis. Ironia est: hypocrisin enim & falsam justitiam Judæorum traduxit Deus, quoties eos potestati hostium tradidit. Nam si in illa repub. fuisset verum justitiæ studium, neque obtinuisset falsitas seu mendacium, nequaquam adversùs eos prævaluissent hostes: unde illi palàm testabantur; In exsilio se iccirco relictos fuisse à Deo, quòd ipsi Deum reliquissent. Vide Jeremiæ Lamentationes. ¶ *Et opera non proderunt*] Vel *non sublevabunt:* non enim sublevamen afferunt in adversis hypocritarum bona opera, aut falsa sanctitatis signa, ut quæ gra-

tiam hominum pro præmio habuerint, quia propter homines facta sunt: vel *opera* vocat Idola quæ fabricaverunt.

13. *Cùm clamaveris liberent te*, &c.] Ubi sunt dii eorum, in quibus habuerunt fiduciam? Dicebat Moses, *Surgant & opitulentur vobis, & in necessitate vos protegant.* Hîc *congregatos* vel illam deorum turbam vocat de qua paulò antè, vel auxiliares copias quas multo auro conduxerant adversùs Syriæ regem: quas non allaturas auxilium Judæis significat, quando Chaldæi adversùs Jerusalem venirent. Nam (ut ex Scripturis conjicitur) jam Chaldæis subditi erant Assyrii, & Babylonii erant rerum domini: ob quod fortè dictum est quòd *omnes eos levaret ventus, auferret vanitas*, i. levis aura; quod de diis fictitiis verum quoque est. Potest & hoc ultimum membrum sic accipi, ut mutatâ personâ de ipsis Judæis dicat, *Omnes eos levabit ventus*: q. d. Quid clamabunt? è terra hac, veluti paleæ quisquiliæque jactabuntur, & vento auferentur. ¶ *Qui autem*, &c.] Cùm sui temporis scelera Propheta commemorasset, ob quæ non posset Deus non immittere flagella, cujusmodi fuit captivitas Babylonica; jam tamen aperit, eos qui resipiscerent & flagellis ad sanam mentem reducti in Deum sperarent, non penitus oblivioni tradendos fore, sed è captivitate redituros, ut Deum laudarent. Quod tamen beneficium ad tam improbam gentem in officio continendam non potuisse sufficere prævidet Propheta atque prænuntiat sub finem capitis; inquit igitur, Pœnas dabitis, & instante captivitate *clamabitis*: nusquam tamen apparebunt illi *vestri congregati*, sed universos tam illos quàm vos calamitatis *ventus auferet*: non tamen omnino abolebitur gens hæc; sed qui protectionem in me quæsierint, & in me spem collocaverint, non jam ab idolis, non jam ab amicis protectionem sperantes, adducam eos ut iterum possideant terram hanc, & in ea diutius vitam agant.

14. *Viam facite*] Seu, ut est in Hebræo, *sternite: sternite*, i. complanate viam. ¶ *Declinate de semita*] פנו דרך i. facite ut faciem habeat & superficiem planam. Hæc est vis verbi פנה in Piel: quod melius explicare non possumus quàm verbo *repurgandi*, *evertendi*, ut Sophon. 3. *Inimicos tuos evertit, nè occuparet faciem terræ*: sic etiam Genes. 24, & Malach. 3. & suprà 40. ¶ *Auferte*, &c.] *Elevate. Elevare* pro *auferre* dicit Hebraismus non raro, ut versu præcedenti. Hæc autem verborum congeries nihil aliud notat quàm Dei benevolentiam erga suos, qui nolit illos, quorum ipse miseretur, impedimenta aliqua reperire quibus iter eorum retardetur. Quæ etsi dicantur de reditu è Babylone, in universum vera sunt, & in illis qui ex regione peccati redeunt, complentur. Quod annotarunt sancti in illud Exodi, quòd propterea voluerit Deus ducere Israelitas per terram Palæstinorum, nè insurgerent in eos; ut enim est apud Platonem, *Tamdiu difficile est hominem in recta contineri, quamdiu recti suavitatem non gustaverit: tota enim vita gustu ducitur.*

15. *Quia hæc dicit Dominus*] q. d. *Nè mireris quòd is qui tam severè populum ex terra sua ejecerit, tam sedulò nunc eorum reditum paret, ut & viam expurgare & lapillos ex ea auferri curet: nam in hunc modum dixit*, &c. Et suspensa est oratio usque ad versum sequentem. Antè quàm enim quid dixisset annunciaret, exordio utitur quo mores Dei explicat, ingenium & naturam, cui satis convenire videbis quæ jam dictura est Deum dixisse. ¶ *Excelsus & sublimis*] Sensus est, Ille, qui cùm sit *excelsus*, *& supra omnia*, *& æternus*, *& cujus nomen est sanctum*, & juxta naturam suam *excelsum* quoque locum *inhabitat* & *sanctum*, ille, inquam, qui cùm talis sit, *cum contrito* tamen seu *contuso & qui est humilis spiritu cohabitat, ut* ejus *cor & spiritum vivificet*, recreet & consoletur; is, inquam, dicit, quòd *non in æternum litigabit*, &c. Argumentum tale est; Eum, qui cùm sit excelsus humilia respicit; qui *cùm sit in cœlo, respicit quæ sunt in terra*, (ut est in Psalmo;) qui cùm cœlum inhabitet, cohabitat quoque humilibus & abjectis; qui cùm *æternus* sit & impassibilis, nihilominus *contusorum* habet rationem, ut eis medeatur; eum, inquam, profectò nequaquam dedecet *in æternum non litigare*, &c. neque quos abjecerat, tam amanter reducere. Ergò juvabit in memoriam revocare quæ sit Dei nostri misericordia, qualis erga humiles & calamitatibus fractos, ut quem iratum sensimus, affabilem adhuc nos experturos sperare possimus. ¶ *Habitans æternitatem*] שכן עד, vel *æternùm manens*. Posset sic profectò homo cogitare: Mortalia curat æternus; fracturas peccatorum sanctus; humiles & abjectos excelsus & sublimis: quis ergò mortalis & peccatis eisdem ac reliquis vitæ humanæ conditionibus obnoxius, fratres, peccatores confractos aversabitur? ¶ *Ut vivificet spiritum*, &c.] Ità Paulus, *Qui consolatur humiles, consolatus est nos*, &c.] Facit hic locus ad illum Euangelii locum, *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua*, &c.

16. *Non enim*] Vel, *quia non*: vel, *quòd non*. Nihil mirum quòd auferre offendiculum, &c. jubeam: non enim is sum qui non consueverim à lite discedere & rixa. Scio quando opus est contendere, increpare peccatores, ut ab incepto desistant, & in eos quoque interdum animadvertere: novi quoque rursum mitiùs cum eis agere & pœnitentiâ placari. ¶ *Usque ad finem*] In superioribus de hac voce & phrasi dictum est. Deus noster in finem diligit, quia finem amoris attigit; & quò ultrà amor progredi non posset, pervenit: at *non in finem indignatur*, neque ea omnia iratus infert quæ posset, & indignatio suppeditaret, & peccata nostra exigerent. Quare cùm diutius in ira persistere videretur, objicit Propheta, *ut quid Dominus irasceris in finem*, &c. ¶ *Spiritus à facie mea egredietur*] i. Ego, cùm volo, spiritum exhalare facio; *aufero* enim *spiritum Principum*. Sensum, non verba, reddidit Vulg. Verbum enim Heb. עטף est *tegere*, seu *obrui*, *ut non appareat*. Thren. 2. verbo *deficiendi* reddidit Vulg. bis, & Jonæ 2. verbo *angustiari*.: ego verba reddidi. *Spiritus à facie mea operitur, tegitur, obruitur.* Hâc phrasi nos Lusitani utimur, *operiri cor* pro *valde tristari*, Hebræi pro *mori*. *Ego*, inquit, *sum qui occido: sed ipse quoque sum qui vivere facio*: & hoc est quod sequitur. *Et flatus ego feci.* Quòd si utrumque meum est, percutere & sanare, deducere ad inferos atque reducere, jam verò percussi, jam humiliavi usque ad inferos: non id perpetuò me agere exspectare debetis, sed ut rursus sanem & vivificem. Quod si יעטף activè accipiamus, aut, teste Hieronymo, acceperunt Symmachus & Aquila, sensus erit, *Spiritus meus, qui à facie mea* supple *egreditur*, *operit*, *obtegit & omnia occupat*: i. ego sum qui omnia spiritu meo vivifico, & do spiritum habitantibus in terra, &c. Qui igitur fieri potest, ut omnino perire sinam homines, &c. Sed ut hæc interpretatio constet, nonnullæ voces supplendæ erunt: quod piis & doctis non placet.

17. *Propter iniquitatem avaritiæ*] De hoc *avaritiæ* studio, cui dediti erant Principes Judæorum, tam Ecclesiastici quàm seculares, diximus superiori capite. Hinc universa lues vitiorum in temp. eorum profluxit ob quæ iratus Deus eos in captivitatem abduxit. ¶ *Abscondi*] Quod sequitur, *Faciem meam*, ex commentario Hieronymi aliquis textui inseruit: & infinitivum pro præterito accepit Vulg. more Hebræorum. Existimo tamen esse peculiarem phrasim, quâ & nos utimur Hispani. *Percussi abscondendo*, i. latenter & alterius manu. Putabant enim Chaldæi, se esse illius calamitatis præcipuos auctores: at Deus erat qui per eos percutiebat. ¶ *Abiit vagus*] Hieronymus in commentariis legit *mærens*; secutus Græcos. *Vel* conversus, inquit, aversus *dicere possumus, ut apud Jeremiam*, Convertimini filii aversi. Sed sensus idem est: nam *converti in viam cordis sui*, & *averti à Deo*, re idem sunt. Hîc planè videtur loqui de *Desideriis cordis ipsorum* quibus *ipsos Deus tradidit* propter alia scelera: nam *Peccata peccatis punit Deus*, ut inquit Augustinus. Potiùs autem de hoc exsilio & peregrinatione loquitur quàm de illa quæ hanc consecuta est corporali: quia qui in Chaldæam abducebantur ex Teion *aversi*, à Deo priùs se averterant. Hanc etiam Aversionem priùs curat, & huic priùs mederi solet. Nam qui *errant in solitudine*, & *viam* quæ ducit *ad civitatem in qua habitent non inveniunt*, *esurientes & sitientes*, *& animo quasi deficiente*, non priùs *in viam rectam deducuntur* quàm *clament ad Dominum*, & misericordiam ab eo consequantur. Quare quæ sequuntur reductionem à peccato non minùs sonant quàm è Babylone. Nec mirum: nam typum & veritatem simul non raro Prophetæ enarrant.

18. *Vias ejus vidi*, &c.] Superior versus illud membrum explicat, *Spiritus à facie mea obruetur*: hîc autem alterum, *Et flatus ego creavi. Vidi*, inquit, *& sanavi*, aut *medicatus sum*: condolui, cùm viderem quantùm deflecterent à via vitæ: quare medelam ei adhibebo. Futura sunt in Hebræo: sed parvi refert. Commovit autem Deus ad pœnitentiam Israelem in captivitate detentum, ut agnoscerent errata sua, sicut legis in oratione Danielis, &c. ac deinde, *Deduxi eos*] In Judæam, *& reddidi consolationes*, quibus dudum fuerant destituti, & *lugentibus ejus*. Sunt qui vertunt, *lugentibus eam*: sed sensus idem est. Scio quòd per Christum *data* est *corona pro cinere*, *oleum pro luctu*, &c. sed ego seriem orationis contexo: quod qui facit, multa prætereat necesse est, quæ aptè in singula verba dicta alioqui videri poterant.

19. *Creavi fructum*] Hebræis est participium, *creans*: quod pro præsenti accipi potest, sicut & futura quæ paulò antè præcesserunt. Potest & præcedenti verbo jungi, *Reddam consolationes*, *creans fructum*, &c. Sunt autem qui *fructum labiorum* dicunt esse quod Paulus ait, *Reddemus vitulos labiorum confitentium Deo*, &c. Puto tamen hîc ipsam *pacem* dici *fructum labiorum*. *Feci*, inquit, *ut pax annunciaretur labiis hominum*:

minum: quo facit nomen ניב, qui ipsos *terræ proventus* propriè designat, sicut & verbum נוב *fœcunditatem* notat. *Proventus*, inquit, *labiorum erit pax:* nihil aliud quàm pacem sonabunt passim ora hominum. Verùm quia in pace reddita Judæis per Persarum reges vidit Propheta pacem quæ per Christum mundo obveniret, non solùm Judæis pacem sed & gentibus annunciandam affirmat. Sic enim exponit locum hunc Apostolus ad Ephes. 2. & pro *fructu labiorum* dixit, *Evangelizavit pacem*, &c. gentibus, *qui longè*, & Judæis, *qui propè*.

20. *Impii autem*] Vau pro Adversativa particula non malè accepit Vulg. *at impii*, seu *improbi*, &c. Videbat autem Jesaias Judæos, qui è Babylone redituri erant, pace illâ abusuros, & ad impietates & scelera prolapsuros, ob quæ perpetuæ calamitates eos manerent; propterea hæc verba adjecit, & tandem affirmat ex ore Dei, quòd licèt iis *qui longe* & iis *qui propè pax* annunciaretur; *improbi* tamen, quasi nec *propè* neque *longe* essent, expertes illius pacis forent. Quod non sine doloris sensu, neque sine indignatione protulisse Prophetam existimo. Dolebat quippe Propheta in tanto pacis proventu, gentem illam pace carituram. ¶ *Mare fervens*] נגרש *propulsum*, & *tempestate agitatum*. Quid sentiat Spiritus S. de mentibus improborum, cogita hoc in loco, Christiane lector. Vidisti unquam concitatum magnâ vi ventorum mare? tales sunt, inquit, improborum mentes: quiescere non valent, affectibus suis & afflatu malorum spirituum agitatæ: quin etiam (ut Hebræa sonant) nunquam non *stercus* & *lutum* ejiciunt. Est autem רפש cum ש idem quod *stercus:* at si cum ס legatur, aut ש pro ס positum dicamus, ut sæpe solet, est *Perturbatio*, i. *spuma*. Iccirco *conculcationem* vertit Vulgatus. Sic autem vocat res conculcatione dignas. Neque enim aliunde *egreditur impietas*, ut est in proverbio in libris Regum, quàm *ab impiis*. Inutilia sunt etiam eorum opera, & *spumæ* aut *luto* simillima, quæ non solùm non prosunt, sed alios inquinant. Tales semper fuerunt Judæi, etiam post reditum è Babylone, quare sequitur,

D R U S I U S.

3. בְּנֵי עֹנְנָה. Sym. *filii auguratricis*. Th. ὠνενά, *Onena*] Hier. *Th. ipsum verbum Ebraicum posuit, quod nos juxta Sym.* inauguratricem *vertimus*.

11. אֲנִי מַחְשֶׁה וּמֵעֹלָם. A. Sym. *ego semper tacui*] Descripsi olim ex Hieronymo: quod cùm quærerem his diebus, non inveni, Quæramus diligentiùs. Mihi nunc otium non est.

13. יַצִּילֻךְ קִבּוּצַיִךְ. Sym. *eruant te synagogæ tuæ*] Hier. *Pro eo quod Lxx transtulerunt*, eruant te in tribulatione tua, *&* *nos diximus*, liberent te congregati tui, *Sym. transtulit*, eruant te synagogæ tuæ. *Ergò propriè loquitur ad Judæos, quòd eos Synagogarum suarum turba tempore obsidionis liberare non valeat.* ¶ וְהַחוֹסֶה בִי יִנְחַל־אֶרֶץ וְיִירַשׁ ¶ הַר קָדְשִׁי. Sym. *Qui autem confidit in me, possidebit terram, & hereditate consequetur montem sanctum meum.*

14. וְאָמַר סֹלּוּ סֹלּוּ פַּנּוּ־דָרֶךְ. *Et dicet, —— rectam facite viam*] Adi sis ad Comment. Hieronymi.

16. יַעֲטוֹף. A. Sym. Th. περιελεύσεται *circundat*] Hier. Spiritus meus, qui ex me egredietur, *sive qui, juxta Ebraicum, Aq. Sym. & Th.* cuncta circundat, *hoc enim sig.* περιελεύσεται, vegetator est omnium.

IDEM EX PROCOPIO.

1. וְאֵין אִישׁ. A. Sym. Th. καὶ οὐδεὶς ἀνήρ, *& nullus vir.*

3. קִרְבוּ. A. Sym. ἐγγίσατε, *accedite, appropinquate.* προσαγάγητε, *adducite.*

5. סְעִפֵי הַסְּלָעִים, A. ἄκρων τῶν πετρῶν *summitatibus petrarum*] Vel *eminentiis*. Sic Hier. *subter eminentes petras*. Secutus ergò Aquilam est.

6. בְּחַלְּקֵי־נַחַל. ἐν τοῖς μερίσι φάραγγος, *in partibus vallis.*

7. לִזְבֹּחַ זָבַח. A. Sym. Th. θυσίας θυσιάσαι, *sacrificia sacrificare.*

8. הִרְחַבְתְּ מִשְׁכָּבֵךְ וַתִּכְרָת־לָךְ מֵהֶם. Th. ἐπλάτυνας τὴν κοίτην σου, καὶ διέθου σαυτὴν παρ' αὐτῶν, *dilatasti cubile tuum, & disposuisti teipsum in eo.* ¶ אָהַבְתְּ מִשְׁכָּבָם. οἱ λοιποὶ, ἠγάπησας τὴν κοίτην αὐτῶν, *dilexisti cubile ipsorum.*

9. וַתַּרְבִּי רִקֻּחָיִךְ וַתְּשַׁלְּחִי צִרַיִךְ עַד־מֵרָחֹק. Sym. καὶ ἐπλήθυνας τὰ μυρέψιά σου, ἀπέστειλας ὁμηρεῖς σου ἕως μακρὰν, *& multiplicasti pigmenta tua, misisti vades tuos usque longè*] In margine textùs, *A. Sym. Th.* καὶ ἐπλάτυνας, *& multiplicasti.* ¶ *Vades*] Vel *obsides*. Alii *legatos*, & meliùs, veriùs. ¶ Τὰ μυρέψιά σου. A. συνθέσεις σου *compositiones tuas*, Th. μυρεψούς σου *unguentarios tuos*, vel *pigmentarios*. ¶ Ἕως μακράν. In margine, *A. Sym. Th.* ἕως εἰς μακράν. ¶ עַד מֵרָחוֹק וַתַּשְׁפִּילִי עַד שְׁאוֹל. Iidem, καὶ ἐταπεινώθης ἕως ᾅδου, *& humiliata es usque ad infernum.*

10. לֹא חָלִית. A. οὐκ ἐλιτάνευσας ὥστε τυχεῖν ἀφέσεως, *non precata es ut veniam consequereris*] Vel *supplicata*, non supplex orasti. Hinc λιτανεία, *supplicatio*, & Gallicum *letanies*. Porrò videtur mihi legisse חלית in secunda conjug. Nam ibi *precari* denotat. Hoc pono, non decerno. Ὥστε τυχεῖν ἀφέσεως addita videntur à Procopio explicationis gratiâ.

11. וַתִּירְאִי כִּי תְכַזֵּבִי. A. διέμενες ἐξ αἰῶνος ἄφοβος καὶ ἄνευ λάθης] Suspectum. Verba Procopii, Ὁ δὲ Ἀκύλας ἀντὶ τοῦ, Τίνα φοβηθεῖσα ἐψεύσω με; Διέμενες δὲ, φησὶν, ἐξ αἰῶνος ἄφοβος καὶ ἄνευ λάθης. Interpretis Curterii, *At Aquilas pro quo*, QUEM TIMENS PERTERRITA ES? *legimus*, MANSISTI, *inquit*, A SECULO SINE METU ET SINE PIETATE. Juva me, lector, judicio tuo.

12. צִדְקָתֵךְ. A. Sym. Th. τὴν δικαιοσύνην σου *justitiam tuam*. ¶ לֹא יוֹעִילוּךְ. Iidem, οὐκ ὠφελήσει. Sic etiam οἱ ό.

13. יַצִּילֻךְ קִבּוּצַיִךְ. Sym. ἐξελέσθωσάν σε αἱ συναγωγαί σου, *eruant te synagogæ tuæ.*

15. כִּי. οἱ Γ. ὅτι *quia.*

17. לִבּוֹ. Τῆς καρδίας αὐτοῦ *cordis sui.*

20. וְהָרְשָׁעִים כַּיָּם נִגְרָשׁ כִּי הַשְׁקֵט לֹא יוּכָל וַיִּגְרְשׁוּ מֵימָיו רֶפֶשׁ וָטִיט. Sym. Οἱ δὲ ἀσεβεῖς ὡς θάλασσα ἐκβρασσομένη· ἡσυχάσαι γὰρ οὐ δυνήσονται, καὶ ἐκβρασθήσονται ὕδατα αὐτῆς καὶ καταπάτημα καὶ πηλὸς, *Impii autem tanquam mare quod ebullit: quiescere enim non poterunt, & ejicientur ad aquas ipsius & conculcamentum & lutum.* A. —— καὶ ἐκβράσει ὕδατα αὐτῆς καταπάτημα καὶ πηλὸν, *& ebulliet aqua ejus conculcamentum & lutum*. Th. καὶ ἀποβάλλεται ὕδωρ αὐτῆς καταπάτημα καὶ πηλός. Hier. *in conculcationem & lutum*. An legit εἰς καταπάτημα;] *Conculcamentum*, id quod conculcatur, cœnum conculcatum. Alii *conculcationem* reddunt, i. καταπάτησιν.

G R O T I U S.

1. JUstus perit] Moritur Rex Josias, qui erat & justus, id est, mali abstinens, & beneficus admodum, 2 Reg. XXII. 2. 2 Paralipom. XXXIV. 2.

Et non est qui recogitet in corde suo] Nemo cogitat de causa cur id Deus faciat.

A facie enim malitiæ collectus est justus] Verte: *ante malum colligitur* ad majores suos *ille justus*. *Ante malum*, id est, nè videat populi captivitatem. Sunt ipsa verba Holdæ ad Josiam ex Dei nomine: *Colligam te ad patres tuos, & colligeris ad sepulchrum tuum in pace, ut non videant oculi tui omnia mala quæ inducturus sum super locum istum.* *In pace*, id est, republicâ Judaïcâ salvâ.

2. *Veniat pax, requiescat in cubili suo, qui ambulavit in directione sua*] Verteris rectè: *Adveniat illi* (Josiæ Regi) *pax: requiescant in cubilibus suis* (id est, ἐν τῷ κοιμητηρίῳ [*in cœmeterio*], & subaudi *ossa ejus:*) *ambulavit* (enim) *coram eo*, Deo scilicet. Hæc vulgus intelligebat de corpore; sapientes de spiritu: qui in locis Deo cognitis, nobis incognitis, quiescebat. Sed hæc apertè revelari non debebant ante Messiæ tempus, cui reservata erat rerum obscurarum patefactio. Hæc ipsa verba in usu sunt Judæorum jam olim, ubi de piis mortuis loquuntur. Legit hîc Interpres non ut nos נכחו [*coram eo*], sed נכחו [*in directione ejus*].

3. *Vos autem accedite huc, filii auguratricis*] Secutus est quod nos habemus עננה [*auguratricis*]. Sed & Chaldæus & Græci legerunt עונה [*iniquitatis*], cum He paragogico, sensu meliore: υἱοὶ ἀνομίας [*filii iniquitatis*], sive ἄνομοι [*iniqui*], ut hîc habent Lxx.

Semen adulteri & fornicariæ] Σπέρμα μοιχῶν καὶ πόρνης [*semen mœchorum & meretricis*], id est, qui moribus non magis ad Israëlem pertinetis, quàm naturâ ad dictum patrem pertinent quos mater adultera ex adultero genuit. Γενεὰ πονηρὰ καὶ μοιχαλὶς [*generatio mala & adulterina*] Matthæi XII. 39. XVI. 4.

4. *Super quem lusistis?*] Videte qualis fuerit ille Rex quem vos contemsistis. Ad eos loquitur qui ex Manasse impietatem didicerant, & Josiam irriserant ob pietatem, homines qualis Sobna, qui etiam cum pietatis detrimento rebus suis consulere volebant.

Super quem dilatastis os, & ejecistis linguam?] *Dilatare os* est loqui quæ lubitum est, ut Psal. XXII. 14. XXXV. 21. *Ejicere linguam*, inter tria sannarum genera quæ habet Scholiastes Persii ad Satyram I.

21. *Non est pax impiis, dicit Dominus Deus*] Scripsit puto Interpres *Dominus meus*, ut est in Hebræo & Chaldaïco, nisi fortè Græcum sequi maluit: nam Græci libri alii habent ὁ Θεός [*Deus*], alii ὁ Κύριος ὁ Θεός [*Dominus Deus*]. Epiphonema repetitum ex XLVIII. 22. Sensum & hîc ibi bene exprimunt Græci, οὐκ ἔστι χαίρειν τοῖς ἀσεβέσι [*non datur impiis gaudere*]. *Ut corpora verberibus, ità sævitiâ, libidine, malis consultis animus dilaceratur.* Tacitus Annal. VI.

CAP. LVIII.

MUNSTERUS.

2. *ME per singulos dies quærunt*] Non ut faciant voluntatem meam, cùm corde me non quærant, nec sincerè præcepta mea custodiant, & tamen gloriantur perinde ac si justitiam & judicium fecerint, cùm nihil minùs fecerint, & audent mecum expostulare, quòd opera eorum bona non adverterim, quæ non faciunt propter me, sed invenitur in eis voluntas eorum.

3. *Invenitis quod desideratis*] Conveniebant enim in diebus jejuniorum, & quicunque inveniebat *debitorem suum*, *exigebat* ab eo debita, etiam *cum duritia*, id quod verbum נגש significat. Porrò עצב hîc exponitur pro ממונא *mammona & facultate*.

4. *Ut percutiatis cum pugno impio*] Vel *cum pugno impietatis*. Non temperabant sibi etiam à pugnis in diebus jejuniorum, ut *clamor* oppressorum *in excelso audiretur*, impiè agentes sub illa hypocrisi, quà capite inclinato incedebant, saccum corpori injiciebant, & cinere caput aspergebant. Alii legunt *ut percutiatis pugno eum qui condemnatus est in judicio.*

6. *Solvere fasciculos onerosos*] Idem est quod *solvere colligationes* seu *conspirationes impias*. Quid enim gravius est in civitate quàm impiæ sectæ & fasciculi impiorum omnibus justis onerosi?

9. *Emittere digitum*] Quod suprà *pugnum* vocavit, hîc appellat *digitum*: & rursum quod ante *contentionem*, hîc vocat *inutilem* seu *iniquam locutionem*.

10. *Si protuleris esurienti animam tu*] h.e. Pium affectum.

11. *Cùm siccitates fuerint*] *Cùm terra*, inquit, *defectu pluviæ fructum suum non dederit, Dominus providebit tibi, & eripiet ossa tua*, h. e. corpus, *nè fame pereat*. Sunt tamen qui hîc יחליץ pro ידשן i. *saginare ossa* exponunt. Proinde si sic pius fueris in proximum, *eris quasi hortus irriguus, & quasi fons fidelis*, qui quantum effuderit aquæ, tantum illi administrat natura: idem tibi eveniet, si largiter tua proximo erogaveris; tunc enim futurum est ut operibus tuis bonis multos juves, & multis prosis, deserta seculi repares, & suscites generationes alioqui perituras, acquirásque nomen gloriosum, ut te vocent *reparatorem ruinarum & restauratorem semitarum, per quas transitur ad loca inhabitanda.*

13. *Si averteris pedem tuum*] Notabis hîc, quòd præpositio מ in משבת referenda est ad infinitivum שבת & commutanda in negationem, ut fieri solet quando Mem est bachlam, & tunc sanam invenies sententiam: quod interpretes nostri non observantes, miserè torserunt hunc pasuc. Per *voluptatem sabbati* tu intellige pium cultum Dei, ut scilicet audiatur verbum Dei, & illi ex corde per fidem obediatur.

VATABLUS.

1. *NE prohibeas* אל תחשך] *Nè parcas*, sub. *voci tua.*

2. *Me tamen* ואותי] *Me etenim.* Ad verb. *Et me.* Quidam scribunt ו hoc loco vacare. ¶ *Quærunt* ידרשון] Futura Heb. pro præs. ¶ *Appropinquationem*, &c. קרבת אלהים יחפצון] *Accessionem ad Deum optant*, i. optare videntur ut sint prope Deum, sitque Deus illis propinquus.

3. *Aspexisti* ראית] *Aspicis?* ut si tpræt. pro præs. sub. *afflictionem nostram.* ¶ *Et nescisti* ולא תדע] Et ignoras? ¶ *Facultates vestras* עצביכם] Sub. *creditas* aut *concessas aliis.*

4. *Impie* רשע] Ad verb. *improbitatis*, i. improbo, vel impio. ¶ *Ut audire faciatis*, &c. להשמיע במרום קולכם] i. ut oretis.

5. *Elegi* אבחרהו] i. Opto.

6. *Colligationes impietatis* חרצובות רשע] *Vincula improba*: vel *impia*. ¶ *Graves* מוטה] Ad verb. *nutationis*, vel *jugi*. Quidam vertunt *deprimentes*, i. onera gravissima imposita hominibus. Alii, *& jugum*. ¶ *Confractos* רצוצים] *Oppressos*, sub. *gravissimâ servitute.*

7. *Ut frangas* פרוס] *Ut partiaris.* ¶ *Vagos* מרודים] *Afflictos*, vel *attenuatos*, aut *abjectos*. ¶ *Et à carne tua* ומבשרך] i. A cognatis tuis. Propinquus enim sive consanguineus est homini tanquam ejus caro.

8. *Erumpet* יבקע] *Proferetur.* ¶ *Et sanitas tua.* וארוכתך] *Et medela tua.*

9. *Jugum* מוטה] i. Quicquid oneri potest esse fratri: q. d. Si dimiseris debita debitoribus. ¶ *Emittere digitum* שלח אצבע] *Exporrigere* [vel *extendere*] *digitum*, sub. *in proximum tuum*: i. si digito interminari proximo desieris.

10. *Et si protuleris* ותפק] *Et si effuderis*: i. si liberaliter & ex animo dederis de bonis tuis.

11. *In siccitatibus* בצחצחות] i. Tempore famis. ¶ *Ac velut scaturigo* וכמוצא] Ad verb. *ac veluti exitus.*

12. *Et erunt*, &c. ובנו ממך חרבות עולם] Ad verb. *Et ædificabunt à te desolata seculi*: i. ut quidam exponunt, opera quæ à te proficiscentur erunt in causa ut ob frequentiam tuam cogaris instaurare urbes olim destructas & interruptas, ut in illis habites. *Desolata seculi* vocat loca quæ fuerunt ante multa desolata. ¶ *Fundamenta generationis* מוסדי דור ודור תקומם] i. Ædificia quæ remanserunt imperfecta à multis seculis, eriges. ¶ *Vocaberisque* וקרא לך] Ad verb. *Et vocabitur tibi*. Similis locutio est infrà cap. 61. 3. ¶ *Sepiens rupturam* גודר פרץ] i. Instaurator ruinarum. ¶ *Reductor*, &c. משובב נתיבות לשבת] i. *Director viarum quæ ducunt ad loca antea desolata, ut in illis habitent homines.*

13. *Si reverti feceris* אם תשיב] *Si reduxeris*: aut, *retraxeris*; *averteris*. ¶ *Sanctum Jehovæ gloriosum* לקדוש יהוה מכובד] *Ad consecrandum Jehovæ* eo quod sit *honorabile*. Alii, & *diem sanctum Domino consecratum*. Alii, *ut sanctificetur* & *honoretur Dominus*. Alii, *Sanctum Domini glorificatum.*

14. *Et equitare faciam te*, &c. והרכבתך וגו'] i. Imponam te excelsæ terræ: h.e. reducam te in Terram sanctam, ut habites in ea. ¶ *Et comedere faciam te* והאכלתיך נחלת] *Cibabo te hereditate*; vel *pascam*.

CASTALIO.

3. *LIbidini satisfacitis*] In Hebræo legitur *libidinem invenitis*: sed *invenire* pro *consequi* & *potiri* aut *indulgere* & *obsequi* ponitur: ut in hoc eodem capite ad finem, ubi ponitur *libidinem facere*; & paulò pòst eodem sensu, *libidinem invenire*. Jam hoc pacto loquitur & Paulus Phil. 3. ἵνα Χριστὸν κερδήσω, καὶ εὑρεθῶ ἐν αὐτῷ, h. e. *ut Christum lucrer, & in eo satis habeam*, aut *mihi satisfiat.*

4. *Isto pacto jejunaveritis*] Heb. *secundùm diem*. Nam quod paulò antè vertimus, *Tum cùm jejunatis*, ad verbum legitur, *Quo die jejunatis*: quod idem verbum hic repetitur, *Nè jejunaveritis secundùm diem*, , h. e. isto modo quem dixi. Nec dissimile est quod paulò pòst v. 13. vertimus, *Isto modo loquendo*, videlicet quem suprà dixi. Dixerat autem, *iniquámque orationem removeris*. ¶ *Ut in alto vox audiatur vestra*] i. In cœlo.

9. *Digiti extensionem*] Hoc non intelligo.

11. *Cujus latices non sunt fallaces*] Sunt perennes.

13. *Vocaverisque Sabbatum honorandas sancti Jovæ delicias*] Habueris pro deliciis.

14. *In terra fastigia sublatum*] In terrarum excellentissimam, ut Deut. 32.

CLARIUS.

1. *ME etenim de die in diem quærunt*] Non ut faciant voluntatem meam, cùm corde me non quærant, nec sincerè præcepta mea custodiant: & tamen gloriantur perinde ac si *justitiam & judicium fecerint*, & audent mecum expostulare quòd opera eorum bona non adverterim, quæ non faciunt propter me, sed *invenitur* in eis *voluntas eorum.*

3. *Invenitur studium propria voluntatis*] Conveniebant enim *in diebus jejuniorum* & quicunque inveniebat *debitorem suum*, exigebat ab eo debitum & violenter extorquebat.

4. *Et percutitis pugno impio*] Non temperabant sibi etiam *à pugnis* in diebus jejuniorum, ut *clamor* oppressorum *in excelso audiretur*, impiè agentes sub illa hypocrisi, qui *capite inclinato* incedebant, *saccum* corpori injiciebant, & *cinere* caput aspergebant.

6. *Solve fasciculos deprimentes*] Idem est quod *solvere colligationes*, seu *conspirationes*, *impias*. Quid enim gravius est in civitate quàm impiæ sectæ, & fasciculi impiorum omnibus justis onerosi?

9. *Extendere digitum*] Scilicet ad rem alienam. Alius intelligit, practicas hic notari in creandis Magistratibus, quòd ma-

manuum vel digitorum extensione olim suffragia populus daret.

11. *In siccitate*] Aliis siccitate atque inopia pereuntibus.

12. *Deserta seculorum*] h. e. Quæ multis *seculis deserta* fuerant ea *ædificabis*, & *generationes* alioqui perituras *suscitabis*, jactis *fundamentis* pacis ac justitiæ.

13. *Si averteris Sabbato pedem tuum*] h. e. Reliqueris studium utilitatis propriæ & reliquas pravas cupiditates tuas. ¶ *Sabbatum delicatum*] h. e. Deo acceptum. ¶ *Loquaris sermonem*] Scilicet in perniciem alterius.

FORERIUS.

1. CLama, &c.] Quòd Judæi sint illi *improbi*, quibus *nulla esset pax*, Propheta jam ostendit, & falsam justitiam, cui dediti erant, coarguit: possunt autem hæc aptissimè ad ea tempora referri quæ Christi Domini adventum præcesserunt: quibus cùm præter idololatriam omni genere scelerum contaminati essent ante Deum, exteriori & carnali justitiâ tantùm contenti, putabant malè secum Deum agere, quòd non Messiam mitteret, ut eos à tantis calamitatibus, quibus post reditum è Babylone premebantur, liberaret. Quare magnas voces edere Prophetam jubet Dominus, & ut magnis clamoribus ad se vocatos Judæos coarguat scelerum suorum. Neque malè pro *gutture vocare*, seu *vocem edere*, Vulg. *clamare* dixit. Possemus etiam verbo *prædicandi* reddere. Nomen autem *gutturis* per pleonasmum additur. ¶ *Annuncia*, &c.] Facilius per alios admoniti in peccatorum nostrorum cognitionem devenimus quàm si nullus commonefaciat: *nobis enim parcimus*, ut dicebat ille, *& deformitatem nostram venustatem sæpe putamus*. Alienis itaque oculis opus habemus & vocibus, imò & clamoribus, tanquam dormientes. Præcipitur autem ut *clamet*, *neque à clamore desistat* Propheta, aut vocem contrahat, contineat seu cohibeat, aut nè voci parcat: nonnullis enim frequentes clamores necessarii sunt, & perpetua peccatorum commemoratio; illis nempe qui se peccatis carere existimant, ut ex hoc loco apparet, & ex versu sequenti comprobatur.

2. *Me etenim*, &c.] Heb. *& me*: sed interdum conjunctio est Rationalis Hebræis: videtur tamen hoc loco peculiarem quandam vim habere, quam non facilè exprimas. Exigit enim ut nonnihil suppleantur, q. d. *habent scelera*, *transgressiones & errata*, *& me requirunt*, *quasi gens*, &c. ¶ *De die in diem*] Heb. יום יום *dies dies*, vel *die die*, i. singulis diebus. Gen. 39. Exo. 16. Ps. 60. ¶ *Scire vias meas volunt*] i. Consilia & meorum consiliorum rationes, ut de adventu Messiæ, cur differtur? quare permittat populum suum indigna pati, & hujusmodi, ut sequenti versu aperit. ¶ *Quasi gens quæ justitiam fecerit*] Justorum peculiare esse videtur, Divinorum consiliorum rationem tenere, & in omnibus suis actionibus Divinam voluntatem collimare, nè ab ea quavis ratione deflectant. Horum propria videtur esse solicitudo illa de Dei mente percipienda, de Divinæ legis, in qua beneplacitum ipse suum manifestat, intelligentia: hi præsentia præteritis conferunt, & futura animo metiuntur, & Dei providentiam præ oculis semper habent, cui humana omnia sciunt esse subjecta. Hos imitantur hypocritæ illi, præsertim qui exteriori tantùm specie sanctitatis pollent; nisi quòd ficti isti nunquam secum bene agi arbitrantur: cùm enim terrenis bonis animo fixi sint, iniquè ferunt ea sibi, tanquam justis, non affatim vel à Deo vel à reip. rectoribus distribui: at verè justi & pii de amissione æternorum tantùm soliciti sic sua componunt, ut cùm se indignos aere quem respirant arbitrentur, æternitatem & veram felicitatem semper meditantur, & super hac re rationes subducunt. ¶ *Et judicium Dei sui non dereliquerit*] *Derelinquere Dei judicium* is dicitur, qui à recto declinat, & bono quod ille probat, consulit ac præcipit. Itaque qui *judiciis Dei* per verbum suum promulgatis acquiescit atque obtemperat, qui ea observat, & ab eis latum unguem non discedit, is de aliis judiciis, quæ ignorat, inquirat (modò *majestatis* nè sit *præscrutator*:) qui verò manifesta contemnit, quid de occultis inquirit? numquid ut tantò asperioribus flagris dignus fiat, quantò plura didicerit? Hoc certè genus hominum malè semper habui, quorum vitam si explores, eam labe vitiorum aspersam reperias: si verò ex percunctationibus de Divinis mysteriis, de animæ cum Deo per indeficientem amorem unione, de perfectione & vitæ contemplativæ sublimitate, & id genus quæstionibus, de quibus inter sese disserunt, velis judicium facere, aut de quibus se instrui velle petunt, tantùm non Angelos judicabis. Similes profectò sunt illis Pharisæis, qui de *magno mandato* interrogabant, qui neque *minima* adimplebant. Interea tamen cogita, lector, quorum sit vias Domini velle addiscere, nempe qui à judiciis Dei sui non recesserit, aut aliquod ex eis prætermiserit: ex illis, inquam, quæ Ps. 119. celebrantur, & *judicia*, & *justitia*, & *justificationes Dei* dicuntur à Davide: quæ qui fecerit, homo justus est. ¶ *Judicia justitiæ*] Quasi vellent Deum redarguere alicujus injustitiæ: *interrogare* enim *judicia justitiæ* est, ni fallor, Deum quasi adigere ut rationem reddat aliquorum operum seu judiciorum suorum, & se justificet: ut si quis quæreret, *Domine, quid est quòd deseruisti Israelitas, & ad gentes te contulisti?* Sed non alia exempla requiramus quàm quæ mox sequuntur: huic namque sententiæ favet quod sequitur. ¶ *Appropinquare Deo volunt*] Quasi cum eo congressuri. Est enim Hebræis interdum קרב, i. *appropinquavit*, verbum Castrense, & animum hostilem notat, sicut verbum *videre* Ps. 27, & aliás: ità enim accipio quod superiori capite dicitur, *Appropinquate huc*, *filii veneficæ*, &c. ac si judicio cum eis contendere vellet: ut videas impiorum contumaciam atque arrogantiam, ut Deo quasi bellum movere audeant. Videte hypocritarum ingenium, ut sint superbi & numinis contemptores. Quid dicendum est, nisi quòd Deum cœlo deturbarent, si possent, & à rerum gubernatione amoverent?

3. *Quare jejunavimus*, &c.] Jactabatur variis tempestatibus Judæorum respub. post reditum e Babylone, prout videre poteris apud Josephum: interim tamen Judæi à veri Dei cultu non abstinebant; statis diebus jejunia celebrabant, & suis quoque temporibus nova indicebant, affligebántque animas suas luctu, & cineris aspersione atque cilicio, & aliis id genus quæ carnem macerant, quæ in usu erant sanctis Patribus, si quando Deum placare & ad misericordiam flectere decrevissent. Anima enim *quæ incedit curva*, *& tristis est super magnitudine mali*, *& oculi deficientes*, *& anima esuriens*, *dat Deo laudem atque justitiam*, ut est apud Baruch. Hæc, inquam, etsi exercebant, tamen calamitates magis magísque in dies inundabant, regnúmque illud brevi ruiturum funditúsque evertendum videbatur. Expostulabant ergò Judæi hypocritæ cum Deo & ut rationem suæ dissimulationis redderet, exigebant. Universam siquidem justitiam istis exterioribus exercitiis definiebant. Itaque cùm undiquaque justificationibus Legis respondere se arbitrarentur, & nihil externæ justitiæ prætermittere (quam coram Deo suam quoque sciebant habere laudem) ambigebant & animo fluctuabant, qui fieret quòd Deus justorum precibus non responderet, & in tantis calamitatibus aliquod favoris signum non exhiberet. *Non aspexisti*, inquiunt, *non novisti*. *Videndi* enim & *noscendi* verbis universa quæ nobis Divino munere contingunt complectuntur: nam unico intuitu & minimo negotio quidquid vult conficit omnipotens ille Dominus: sicut enim *respiciens facit terram tremere*; ità si in nos oculos conjiciat, ditabit, ornabit, liberabit & beatos reddet. Vide autem hominum istorum vecordiam. Nam cùm silentium Dei, vel ex Dei ipsius voluntate, vel ex ipsorum occulto vitio ortum posset ducere, haudquaquam eis in mentem veniebat hoc, quod verisimilius nemo, nisi imprudens quispiam, judicaret: illud autem, quod aliquid injustitiæ aut insolitæ inhumanitatis notam Deo videbatur inurere, potiùs animo versabant. Qua in re etiam hominum quorundam miseriam deflere libet, qui se putant jejuniis & corporalibus exercitiis, quibus nec vel media pars eorum quorum Deo sumus debitores constat, Deum adeò sibi debitorem reddere, ut si in mediis periculis exoratus non subvenerit, eum veluti injustum, aut certè parùm clementem, incusare non vereantur. At vera justitia cùm facit omnia quæ à Domino præcepta sunt, dicit, *Servi inutiles sumus*: &, *Non intres in judicium cum servo tuo: quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*: &, *Ab occultis meis munda me*: &, *Nihil mihi conscius sum: sed non in hoc justificatus sum.* Sciunt enim posse Dominum plurima objicere, quæ nostrum aspectum subterfugiunt, sicut hoc loco, ¶ *Ecce in die jejunii vestri*, &c.] Tempore jejunii ab aliis rebus, quæ vobis adlubent & animis vestris inhærent, nequaquam abstinetis, imò *invenitis*, i. conamini ut inveniatis. ¶ *Debitores*] Sensum vertit Vulgatus: עצב enim *labor* est; at *exigere labores* est *adigere ut reddant quæ labore & industriâ parta sunt*, i. bona quæ mutuò fortè dedimus. Sic accipitur nomen *laboris* Prov. 5. *Labores tui non sint in domo ignoti*, &c. quare *panis* seu *cibus hominis* dicitur Ps. 127. *Panis doloris* seu *laboris*, i. labore partus. Bona itaque temporaria erant *beneplacitum* illorum, *quod* ab ipsis *inveniebatur tempore jejunii*: quo satis indicat eos non ità humiliari coram Deo in adversis sicut opus erat: qui enim tantâ curâ suarum rerum in medio jejunio afficiebantur, & adeò suæ utilitati invigilabant, profectò nondum eò dolor processerat & pœnitentia, (quam tamen jejunio & facco profitebantur) ut visibilium contemptum induceret aut oblivionem, quam certè vera pœnitentia secum affert: sensum enim purgat & noxias affectiones, eo saltem tempore quo viget, sedat: & quamdiu salubris ille

ille dolor obtinet, fastidio sunt quæ charissima esse solebant; filiorum aspectus tunc injucundus est; ornatus & pretiosæ vestes sordent; deliciásque & fercula ut stercora reputamus, & tantùm ad delictorum remissionem & Divinam gratiam suspiramus. Hæc רצון, hæc *beneplacitum* nostrum, hanc quærimus, hanc invenire satagimus. Lege Davidis Psal. Fictam itaque pœnitentiam eis objicit, & bonorum istorum impotens studium.

4. *Ad lites & contentiones*, &c.] Etiamsi inedia bilem commovet, non tamen usque adeò motionibus istis naturalibus subjectus esse debet qui tam castis cogitationibus, quales sunt pœnitentiæ, indulget, ut præter decorum, & non satis laudatam modestiam, in rixas & contentiones prorumpat. Hîc autem, quantum conjicere possum, eos adeò suorum bonorum & pecuniæ studiosos fuisse significat, ut jejunium non ad modestiam & humilitatem; non ad Divinam gratiam promerendam, sed ad pecunias congerendas instituisse viderentur. Nam illa propter quæ quidpiam facimus, opus ipsum subsequuntur, ut qui propter collocandam filiam ad Indos proficiscitur, illic congerit pecunias, non eas dissipat; atque ad suos rediens, mox quærit cui filiam suam nuptui tradat. Si igitur illorum jejunia *lites & rixæ* excipiebant, in hoc instituisse jejunia videbantur ut liberiùs possent istis vacare, & tempus ad judicia exercenda suppeteret. Quid si *ad lites* & *jejunia* vocet Jejuniis certare, videlicet ut hîc plures dies se jejunare quàm alius diceret? Isti enim sunt qui Domino dicebant, *Quare discipuli Joannis & Pharisæi jejunamus?* &c. quasi ipsum jejunium inani gloriæ potiùs quàm pœnitentiæ deserviret. ¶ *Percutitis pugno*] Vel eos à quibus suos labores exigebant; vel se invicem, dum de jejuniis contenderent ac litigarent. Qualis, quæso, hæc pœnitentia censenda est, quæ proximum violat, cujus charitatem nobis jejunio antiquiorem esse debere præcipit Divina majestas? Idem omnino dicendum est de illorum abstinentia vigiliis, vili habitu, illota facie, impexa coma, vitato hominum consortio, & similibus: quo quò magis, in husmodi corporali exercitatione excellunt & cæteros longo intervallo post se relinquunt, eò magìs plùs alios despiciunt, aut etiam de aliis obloquuntur, & illis detrahunt. Ridiculi prorsus homines, & istis simillimi qui charitatem, in qua totius justitiæ cardo vertitur, proscindentes, corporali exercitatione, quæ, si illâ destituatur, *nihili* nomine censetur ab Apostolo, universam sanctitatis rationem metiuntur, audiant quid hîc dicat Dominus; ¶ *Nolite jejunare, sicut*, &c.] Ad verb. *secundum diem*, i. sicut hodie, hoc tempore, hactenus, ut solenne vobis & moris est. ¶ *Ut audiatur*, &c.] *Clamor, vox*, קול, i. preces quas funditis; vel potiùs, ut in summa sit explicatio ejus quod dixerat, *secundùm diem*, Nè jejunetis, ut hactenus consuevistis, nempe *ut clamor vester*, quem inter contendendum & rixandum emittitis, *in excelso audiatur:* vel *clamor vester*, quam emittere facitis eos quos ad persolvendum adigitis, aut quos percutitis. Nomine autem *clamoris* intelligit sæpe Hebraismus Violentias, rapinas, fraudes, & ea omnia quibus violatâ charitate *clamorem* edere facimus injuriam passos. Hic cœlos penetrat, neque aures Dei hujusmodi clamorem ferre possunt. Exempla obvia sunt. Vide suprà cap. 6.

5. *Numquid tale est*, &c.] Nè putes hîc corporalem abstinentiam & jejunia rejici; sed per comparationem ad charitatem fieri sermonem, videlicet ut hinc jejunium & carnis macerationem absque charitate, illinc charitatem vel jejunio destitutam, & secundùm suam naturam consideratam colloces: non enim ait, *Non elegi jejunium*, sed *Non hoc jejunium elegi.* ¶ *Per diem*] Vulg. יום pro כיום accepit, neque malè: ego ad verbum reddidi, (quasi *jejunium* tempus jejunio dicatum appellet) ut sit sensus; *Numquid jejunium ejusmodi elegi*, seu *tempus quo affligat homo animam suam*, videlicet ut nihil aliud à jejunante requiram quàm ut affligat animam, i. se & corpus suum ità inediâ conficiat, ut caput rectum gestare non possit, sed dimittat, ut juncus flaccescens solet, & super saccum & cinerem stratum jaceat. ¶ *Contorquere*] כפף propriè est *curvare, incurvare:* unde כף *quævis curvitas* seu *concavitas quæ curvatione factâ manet.* Nomen verò אגמן, quod *circulum* vertit Vulgatus, *juncum* notat: at cùm interdum pro *reste ex junco* accipiatur, ut Job. 40. Vulgato licuit *circulum* dicere: vide suprà cap. 9. ¶ *Et diem acceptationis*] Locus hic confirmat superiorem interpretationem, quâ *diem* pro Jejunii tempore accepi. Hinc habemus, quando in veteri Instrumento Deus aut *jejunia* aut *sacrificia* aut quævis alia *sibi accepta* esse dicit; aut *odorem suavitatis Deo*, seu *fragrantiæ* (ut Paulus vertit) legimus, ea, inquam, omnia intelligenda esse, modò absque charitate non fiant: hanc adhibendam ubique conditionem locus hic luculentissimè confirmat. Nequaquam enim *sibi accepta* esse dicit, quæ alibi *sibi accepta* esse testatus est; verùm seipsum hoc in loco interpretatur ad nostram eruditionem; videlicet ut nihil probari Deo sine charitate intelligamus: ut vel ex hoc loco nos communire sufficienter satis possimus adversus hæreticos, qui Fidei adscribere volunt Justificationem ex locis perperàm intellectis: quibus si fidem suam Deo objiciant; Domine quare credidimus, & non aspexisti? dixisti enim; *Qui crediderit, salvus erit*; & *Fide justificari* sæpius homines Spiritu S. inspirati nobis testati sunt; non dubium quin responsurus sit Dominus; Ecce cum fide vestra invenitis beneplacitum vestrum; & lucro vestro intenti estis, & ad lites & contentiones reditis. Numquid hæc est fides quam elegi, & electam vobis commendavi? Fidem quidem commendavi, sed non talem quæ charitatem violat, Christi Ecclesiam scindit, obedientiam nescit: neque aliud quàm decertare & conviciis lacescere novit: nè ultrà, sicut hactenus, credatis, sed fidem charitate conjunctam colite: non eam pro ancilla habetote, sed ut sine qua nihil cætera habent pretii aut meriti. Vides, vel Domino interpretante & seipsum explicante, quo pacto debeamus sacram Scripturam exponere.

6. *Dissolve colligationes*] Possumus in infinitivo legere: Vulg. per imperativum vertit: quia, ut in nostra versione vides, sequuntur nonnulla verba in futuro: sensus tamen constat. חרצבות Vulg. *colligationes* dixit: cùm verbum habeat quatuor literas incerta est radix. Si צ adventitiam dicas, est à verbo חרב, quòd Vincula *adurant*, & exhauriant spiritum & vitam: si verò ב, est à חרץ, i. *exacuit:* unde חריצים, i. *tribulæ*, & sic à *punctione* nomen habent. Vel certè ex duabus radicibus compositum est, חרב, *adustum est*, & צבה, *intumuit*, quòd *colligationes & vincula* molesta sint & *tumescere* faciant membra. De felicitate mundanorum dicitur in Psalmo, quòd istis careant ante mortem, & molestiâ ligaminum, quæ vulneribus adhiberi solent, &c. *Vincula* ergò *improbitatis* appellat hîc quæ ipsa improbitas injicit debitoribus. ¶ *Fasciculos*] אגדות *fascem* notat: sed *fasciculos* hic appellat metaphoricè Fœnora, quæ dum debitores non sunt solvendo in dies augentur, & in *fasces* excrescunt, quos non possunt ferre: vel certè Servitia & operas, quas illis injungebant interim, dum non solverent. Quòd si scribendum per ר quis dixerit אגרות Tractatus interpretetur & Chirographa, quibus debitores obnoxii fiunt: sic enim appellantur *scripturæ*, & *epistolæ* Hebræis. Hos itaque *transilire facere*, i. præterire, jubet, nè debitores adigant, ut sicut in illis habetur, persolvant. ¶ *Deprimentes*] Seu *oppressionis*, sensus constat: vox autem מוטה *perticam*, ac deinde *jugum* notat quod cervicibus imponitur, tam boum ad sulcos faciendos, quàm hominum onera deferentium. Quod nomen hoc eodem versu repetitur; & *quidquid molestum* & *grave* est figuratè notat. Nihil itaque molestiæ inferre, sed potiùs humanitatem exercere erga omnes jubemur. Infra vers. 9. Vulg. *catenam* reddidit.

7. *Frange*] Quia per imperativum vertebat, omisit interrogationis particulam, *Annon dividere*, &c. ¶ *Operi eum*] Rectè conjunctio omittitur, quæ sæpius Hebræis vacat: vel alteri, quæ sequitur, respondet; *& operi eum, & nè te abscondas à carne tua:* sic Hebræa habent ad verbum. Hæc dicit esse jejunium acceptum sibi, quia virtute continent jejunium, & præstant jejunio, ut si alterum ex illis omittendum sit, jejunium potiùs omittatur. *Operi*, dixit, & *carnem tuam:* alterum per extenuationem ob facilitatem, alterum per augmentum, ut necessitatem induceret. Quod autem facile est & necessarium, quis non præstabit? Quid si propterea Operire fratrem nudum vocavit *non abscondere se à carne sua*, quòd qui fratrem nudum operit, seipsum operit, & sibi providere dicitur, nè nudus coram Deo appareat?

8. *Tunc erumpet quasi manè*, &c.] Quæ sint humanitatis & misericordiæ præmia hoc loco commemorat propheta. Interrogabant illi, quare jejunantibus non subveniret: respondit, quòd non sicut oportebat jejunarent. Simile est illud, *Petitis, & non accipitis, eò quòd malè petatis.* Cùm enim dicebatur, *Petite, & accipietis*, intelligendum erat, modò benè peterent. Addit ergò, quòd si formam jejunii mutarent, & misericordiæ jejunium conjungerent, multò plura & potiora acciperent quàm optarent. Primò ergò, *Erumpet:* rectè vertit Vulg. verbo neutro. *Erumpet lux tua*, i. incipiet tibi illucescere, & è mediis calamitatum tenebris incipies emergere. Has tenebras sparsit super vos vestra inhumanitas: hæc *sicut librum cœlum convolvit*, seu *plicat* (ut loquitur Scriptura) diem terris aufert, tempestates concitat, & totam mundi machinam conturbat. Ut vel hinc videas quantâ curâ afficiatur Deus pauperum suorum, & quanti eorum salutem atque consolationem ducat. Familiare est autem *lucis* nomine Prospera, & *tenebrarum* Adversa in Scripturis designari. ¶ *Et sanitas tua*, &c.] Nomen est quo chirurgi vocant Emplastra sua: hinc metaphoricè pro Medica-

mine, remedio seu reparatione quarumcunque rerum accipitur. Neh. 4. Jerem. 29, & 30. hîc ergò pro Opitulamine seu remedio sumitur: quamdiu enim durat inhumanitas nullum est remedium & adversùs irruentes tempestates obstaculum, seu operimentum: sicut suprà cùm crudelitates commemorasset, dicebat, *Quid facietis in die visitationis*, &c. ¶ *Anteibit faciem tuam justitia tua*] i. In omnibus quæ occurrerint rebus apparebit quòd justus sis. Obtinuerat enim passim opinio, quòd adversa non nisi ob scelera contingerent. Unde orta phrasis, *anteire justitiam*, pro *omnia, quæ nocere possent, amovere, & omnia plana reddere juxta justitiæ meritum*. Unde etiam illud, *Respondebit mihi justitia mea: & retribuet mihi Dominus secundùm justitiam meam, & secundùm innocentiam meam*, &c. ¶ *Et gloria Domini*, &c.] Vulg. supplevit conjunctionem, & meritò. Si in memoriam reduxeris historiam illam, quando Mosen voluerunt Israelitæ lapidibus obruere, & ille ad Dominum confugit, apparuítque gloria Domini in nebula, & operuit locum, &c. intelliges locum istum. Hinc enim ortum habuisse videtur hæc locutio, *Gloria Domini colliget te*, i. insurgentibus in te hostibus, per Dominum omni periculo subducêris: quemadmodum Mosen Dominus gloriâ suâ & nebulâ protexit: quò etiam respexit Psal. *Abscondes eos in abscondito faciei tuæ à conturbatione hominum: proteges eos in tabernaculo tuo à contradictione linguarum*. Ergò crudeles & immisericordes omnium injuriæ expositos esse intelligito, illísque in singulis ferè passibus timendam esse ruinam: præcedit enim eos iniquitas, & odium quo illos Deus prosequitur.

9. *Respondebit tibi*] Dicebant quòd *non videret*, *non aspiceret*, i. non attenderet ad preces cum multo jejunio conjunctas. Hic jam habes quid Deo aures obturet, & oculos avertere faciat. Misericordiam exercentes diu laborare non patitur: *ipsi* enim *misericordiam consequentur*. Lege psalmum, *Beatus, qui intelligit super egenum, & pauperem*. ¶ *Ecce adsum*] Heb. *Ecce ego*: quid tibi opus est? adsum opem laturus. ¶ *Si abstuleris*] Sunt qui hæc conjungunt superioribus: sed initium versûs sequentis, *Et effuderis*, (sic enim habetur in Hebræo) facit ut ex hoc loco pendêre dicamus orationem usque ad verbum *orietur*. ¶ *Catenam*] Vide suprà vers. 6. ¶ *Desieris digitum extendere*] Verbum supplevit ad elucidationem: ego verbum verbo reddidi, ut repetatur in hoc membro & sequenti verbum *abstuleris*. Est autem *mittere digitum* contendere & rixari: sumptum ex gestu videlicet rixantium. Fortè illud est in Proverbiis de petulanti femina, *Digito loquitur*; aut certè est quasi volentis oculos eruere: quod est irati & impotentis animi.

10. *Cùm effuderis*] Heb. *& effuderis*, seu (juxta propriam significationem) *deprompseris*. Sunt Hebræis peculiares quædam phrases quæ rem vehementer augent & amplificant, quas Latinus sermo nequit satis exprimere, aut vim earum adæquare. *Depromere* ergò *animam* est tota misericordiæ viscera patefacere; quod non facit qui aut non subvenit, aut non condolet, aut non quantum valet auxilii præstat: quod sequens membrum notat. *Satiare* enim *animam afflictam* seu *inopem* est affatim suppeditare quibus indiget, ut non ultrà indigeat. *Si tam magnificè*, inquit, *misericordiam exhibeas*, ¶ *Orietur in tenebris lux tua*] Discutientur calamitatum nubila, & ipsa *caligo* resplendebit *ut meridies*, i. in maximam lucem convertetur, ut læteris pro diebus quibus fuisti humiliatus, &c. Quid si ipsas luctûs causas gaudium allaturas significet? nempe ut de illis ipsis valde lætetur pro quibus tristabatur, & libenter *glorietur in infirmitatibus* cum Paulo, jam ad perfectionem vitæ perveniens: qui cùm Christum nesciret, aut in peccatis degeret, summam malorum pauperiem & injurias reputabat. Sed prior sensus planior est.

11. *Requiem dabit*] Potest esse verbum נחה i. deducet, ut pastor. Qui sensus aptus satis est: quasi alludat ad illam deductionem filiorum Israel per desertum: hoc enim verbo utitur Scriptura Exod. 13. *Jehova ibat ante eos interdiu in columna nubis, ut duceret eos in via*, & Ps. 77. *Duxisti, velut oves, populum tuum*, &c. Voluit autem eorum ducatum abjicere propter eorum scelera: at hîc ducatus perpetuus fore promittitur. Potest & sic accipi, *Erit perpetuò Jehova requies tua, in quo uno quiescas*. ¶ *Et ossa tua*] Hebræi scriptores nonnunquam *ossa* pro toto homine accipiunt. Psal. 141. *Dispersa sunt ossa nostra secus infernum*, i. in ea discrimina nos adduxerunt ut propè ad mortem accesserimus. Vocant etiam *ossa* singula quæque membra, quia ossibus distinguuntur, ut cùm dicitur Ps. 34. *Dominus custodit omnia ossa justorum, & unum ex eis non confringi patietur*: sic hoc loco *ossa extrahere*, seu *eripere* est. Non sinere ut aliquod piorum membrum quidquam detrimenti patiatur. ¶ *Quasi hortus*] Primò animo volve viriditatem, proceritatem, amœnitatem, fertilitatem & universam denique pulcritudinem *horti irrigui*: deinde eam cogitationem ad animum & vitam hominis transfer, & aliqua ex parte felicissimam eorum hominum conditionem percipies. Qui erga alios homines misericordes sunt, grati sunt universis propter utilitatem, & in largiendo hilaritatem: ad eos in æstu confugitur; nunquam eis gratia deficit; qui enim miseretur & tribuit, auget Deus illi vires & bona, & *dat semen ad seminandum, & panem ad manducandum*. Huc facit Apologus de eo, qui propterea agrum quempiam valde frugiferum emerat quòd ex eo, non septo neque vallis munito, tam dominus agri quàm plerique alii saturarentur: at post in possessionem avari devenisset, & cum muro communisset, nonnisi illi uni sufficientes fruges afferebat. Consulens itaque Oraculum tale audivit responsum,

Uni servit ager tibi, nunc cur tanta requiris?

Huc forte facit quod sequitur, ¶ *Et quasi fons aquarum, cujus*, &c.] Quo significat, semper habituros ex quibus possint misericordes esse. Conferre enim beneficium in pauperem est semen in pinguissimam terram propitio cœlo projicere. *Qui autem parcè seminat, parcè & metit. Alii aliena diripiunt & in egestate sunt: isti propria distribuunt, & semper abundant*, inquit Sapiens. Juvat in similitudine fontis hoc quoque considerare, quòd si quis aquas fontis muro includat, non emanant aquæ sed furtim aliò sese proripiunt. Id tibi continget si servare velis temporalia bona. Et in Hebræo quidem non est nomen *Fontis*, sed generale nomen *exitus, egressus, scaturigo*: & pro, *Non deficiunt, Non mentiuntur*, eleganti translatione. Qui enim scaturientes videt aquas, sperat meritò semper se ibi aquas reperturum: si verò vigente calore, supremis terræ partibus exsiccatis, squalidísque non scaturiant, *mentitas* fuisse aquas meritò dicere poterit. Sic divitiæ avarorum mendaces sunt, & sæpe fallunt possessores suos. Quare & *incerta* dicuntur à Paulo, seu *infideles*; at piorum, & misericordium *fideles* sunt aquæ. *Totâ*, inquit David Ps. 37. *die miseretur, & commodat, & semen illius in benedictione erit: at injusti disperibunt, & reliquiæ illorum interibunt*.

12. *In te*, vel *à te*, *deserta*, vel *siccitates*] Et quia de ædificatione est sermo, videntur istæ *siccitates* accipi pro dirutis civitatibus, quas Hebræus sermo cùm denudantur vel habitatoribus vel domibus, *exsiccari* dicit: sunt enim veluti sanguis & vita civitatum, ut apud Ezechielem 26, & 30, & 19. propterea hîc *siccitates* verti: & de his *desertis* intellige Vulgatam lectionem. ¶ *Seculorum*] Seculi, vel *æternitatis*, i. quæ à multo tempore exsiccatæ sunt. Illud etiam quod sequitur, *Fundamenta generationis, & generationis*, vel *seculi, & seculi*, i. multorum seculorum: illa excitabis ædificia, quorum tantùm ima fundamenta terrâ operta remanserunt. Hæc significant tantam sobolem habituros post se, ut necesse sit quærere ampliores habitationes. Sicut enim deficientibus habitatoribus peste vel captivitate desertæ fiunt & ruunt civitates; ità si multiplicentur, quæ fuerunt desertæ rursus ædificantur. Quòd si illam perpetuam aquarum scaturiginem, quæ versu superiori præcessit, ad perpetuitatem familiæ & heredum referas, satis hæc omnia conveniunt; Non solùm filii patribus perpetuâ serie succedent, verùm etiam in immensum multiplicabuntur. ¶ *Avertens*] Vel *convertens* משובב: qui enim perfossos & collapsos muros resarcit & instaurat, *avertit semitas* quæ *ad rupturas* tendebant, ad portas & domos in quibus est habitatio. Neque meritò quis hanc versionem potest reprehendere: nam verbum *aversionem* & *conversionem* notat. Possumus etiam reddere, *Restituens semitas quieti*, nè scilicet per eas *semitas* quæ *ad rupturas* tendebant, ultrà quisquam veniat. Et hoc est *semitas quiescere*, quasi obstructiones rupturarum & repagula perpetuò sint duratura; & non similia illis quæ agricolæ in olivetis aut vineis faciunt, quæ rursus viatores diruunt, & per easdem semitas rursus post paucos dies iter conficiunt. Et hic sensus planus est; ob idque mihi magis arridet ut totum sit unum membrum; *Obstructor rupturæ reddens*, vel *restituens semitas quieti*, ut sit nomen a verbo שבת, i. *quievit, cessavit*. Si vero sit à verbo ישב, i. *sedit*, sensus erit; *Reducens semitas ad habitandum*. Nam antè quàm reædificarentur desertæ civitates nullæ illuc ad habitandum tendebant semitæ: at plenâ habitatoribus terrâ & restauratis oppidis restituuntur *semitæ ad habitandum*.

13. *Si averteris à sabbato*, &c.] Videbatur in superioribus ità opera misericordiæ exigere, quasi his contentus cultum parùm curaret: sicut cùm Dominus dicebat, *Misericordiam volo, & non sacrificium*. Quare jam cultum addit. *Hæc enim oportet facere, & illa non omittere*. Neque Euangelii verba aliud notant, quàm quòd nollet sacrificium absque misericordia: quòd si utrumque quis conjungeret, jam vide quanta ei polliceatur

Domi-

Dominus. *Si*, inquit, *itinera sabbato non conficias*; jubebat enim lex quiescere etiam corpore, ut vacarent meditationi operum Domini & gratiarum actioni, orationi, & lectioni seu verbo Dei audiendo: sabbatis enim prælegere in Synagogis Mosen & Prophetas moris erat. ¶ *Facere*] Repetenda est præpositio *à* quæ cum nomine *sabbati* præcessit: non solùm quiescere opus est aut iter non conficere, sed in urbe in die sancto non *facere beneplacitum suum*, i. non indulgere genio, non præbere animæ suæ concupiscentias ejus. Quod alibi interdicitur, & suprà objecerat, *quòd in die jejunii invenirent beneplacitum suum.* ¶ *Vocaveris*] קרא cum hoc genere constructionis est *nomen imponere*. Quare non laudo eum qui vertit, *vocare ad sabbatum:* rectiùs Vulg. *si vocaveris*, i. hoc nomine sabbatum appellaveris, nempe *delicatum & sanctum Domini gloriosum*, i. delicatè & tenerè observandum, sanctéque colendum in Domini gloriam duxeris. Verùm cùm in Hebræo non sit conjunctio, planus erit sensus si in abstracto accipias pro *delicio*; ut nomen sabbati hoc sit, *dilicium sancto Jehovæ gloriosum*, seu *sancti Jehovæ gloria dicatum*, quemadmodum Deut. 15. habent Hebræa, *Vocata est remissio ipsi Jehovæ. Si duxeris*, inquit, *& ità etiam ore protuleris, quòd sabbatum sit delicium, seu voluptas quædam Domini, & ad ejus gloriam excogitata:* & hoc magis explicat, *& glorificaveris ipsum*, vel Deum, vel Sabbatum; quonam modo? ¶ *Non faciendo vias tuas*] Sed cùm *delicium* sit *Domini*, ea faciendo quæ ipsi adlubent, & viis ejus insistendo, recedendo videlicet à veteri vita, & qui Deo displicent moribus, neque vel verbo *faciendo beneplacitum tuum*, i. abstinendo à verbis levibus & ad mundanam jucunditatem compositis. Exigit itaque in observatione sabbati, ut Deo tantùm vacemus: nam quies Domino est, cujus quieti, gaudio & voluptati intendere debemus, nostri nostrarúmque rerum, nostræ voluptatis & jucundorum verborum prorsus obliti: icirco enim eo die & cibum parare prohibuit, nè occuparentur servi & ancillæ, sed omnes Domino vacarent; neque suaves cibi esse possent domi, nè quoquo pacto nobis intenderemus, sed Dei glorificationi, jucunditati atque exaltationi.

14. *Tunc delectaberis*, &c.] Est hìc verbum à quo illud nomen quod superiori versu *delicium* interpretati sumus, q. d. *Si delicias Domini procuraveris, & totus diebus festis invigiles, ut suas Dominus delicias habeat, ille vicissim te voluptate & deliciis afficiet; & si animum tuum à mundi deliciis abstraxeris, habebis alias tantò veriores & certiores seu stabiliores, quantò invisibilia & æterna corporeis & corruptibilibus præstant.* Nam cùm absque voluptate vitam ducere non possimus, propter Deum autem nobis his terrenis carníque cognatis, quásve magno impetu natura persequitur, interdicamus; non se continet Divina bonitas quò minùs suas illas nobis conferat, quibus mens gaudet, & animus in ipsius amorem rapitur: quod etiam ipsi carni non injucundum est. Unde David, *Renuit consolari anima mea: memor fui Dei, & delectatus sum:* & alio in loco, *carnem cum corde* dicebat *exsultasse in Deo suo.* Certò scio, si fieri posset ut has Divinas & cœlestes delicias homo istis aliis carnalibus immersus gustaret, confestim commutationem meditaretur; etiamsi magnò eam obtinendam sibi esse intelligeret. Tunc enim sibi naturæque suæ restituitur, non aliter quàm si filius regis & regiæ indolis furto sublatus, & inter agricolas educatus, post aliquot annos in regiam reduceretur, & regum delicias gustare inciperet: numquid ipsius animus planè regius, veluti è somno gravi emergens & veluti naturæ suæ redditus, indè abduci pateretur? At animus hominis Divinus est, neque ex carne prognatus: quare cùm cœlestia gustu percipit, isthæc omnia inferiora fastidit. Religionis igitur ac pietatis hoc primum est præmium, ut super Jehova oblectetur & veris voluptatibus pascatur: alterum est, ¶ *Sustollam te super altitudines terræ*] Allusio est ad verba Mosis, *Constituit eum super excelsam terram, ut comederet fructus agrorum, ut sugeret mel de petra, oleúmque de saxo durissimo, butyrum*, &c. Non quòd hæc carnalia hìc promittat; nam habitantibus Jerusalem & super excelsam terram jam dudum degentibus verba faciebat; sed cœlestem & spiritalem habitationem per illam significatam hìc notabat Propheta, quà in terra degens fruebatur Apostolus, quámque Christus suis daturus erat in Ecclesia *quæ de sursum est*, quam sibi promissam intelligebant sancti Patres, à qua quia longè aberant, se *peregrinos* dicebant *super terram*. Quod eleganter persequitur Paulus ad Hebræos, probans non esse Palæstinam, aut aliam terrenam provinciam ad quam illi suspirarent: nam illuc redire poterant, si vellent. Regionem ergò Messiæ hìc accipe, & regnum ejus planè excelsum atque cœleste *super omnes montes* elevatum: in quo aquam, oleum, mel, butyrum & quidquid optabile est ab uno Christo sugimus; qui omnia nobis factus, nos sibi amore constrictos super omnia terrena rapit, ut in nulla re, dum hanc vitam ducimus, pedem figamus; sed *quæ retrò sunt oblivioni tradentes, ad superiora feramur.* Ob quod fortasse non hìc dixit, *eos constituturum super excelsam terram*, sicut Moses antea dixerat, sed quòd *vehi faceret* eos, veluti qui nubibus veherentur, *super celsitudines terræ*; & ut rem magis animo infigeret, confirmationem addit, quòd *os Jehovæ locutum sit.* Vides, Christiane lector, præmia misericordiæ & pietatis? Si habet mundus quæ cum istis conferat, ametur; sin minùs, & os Domini vera loquitur, quid hæremus? Certè cùm hæc verba examino, simúlque oculos per Ecclesiam circumfero, & quàm pauci sint, qui delectati in Domino, habitationem suam supra nubes habeant; tunc planè intelligo paucissimos esse qui verè sint misericordes, & numinis veri cultores: Os etenim Domini scio vera dicere per Prophetam suum. Ergò lugendum est.

DRUSIUS.

1. כַּשּׁוֹפָר. A. Sym. ὡς κερατίνη, *ut buccina cornea*] Hier. *Juxta Aq. & Sym.* guttur suum vertat in buccinam, *quæ Ebraicè dicitur* שופר, *quam* κερατίνην, *i.* corneam, *interpretati sunt.*

3. וְכָל־עַצְּבֵיכֶם תִּנְגֹּשׂוּ. Sym. Th. *& omnes debitores vestros repetitis.*

6. מוֹטָה. A. *errorem.* Sym. *declinationem.* Th. κλοιὸν *torquem*] Hier. *In eo loco ubi suprà juxta Lxx diximus*, dissolve obligationes violentarum cautionum, *pro uno verbo* מטה *sciamus eos posuisse* violentas cautiones; *pro quibus Aq.* errorem, *Sym.* declinationem, *Th.* κλοιὸν, *i.* torquem, *transtulerunt.* ¶ וְכָל־מוֹטָה תְּנַתֵּקוּ. Sym. *& omnem cautionem falsam disrumpe*] Hier. Et omne onus quo deprimuntur rumpe: *pro quo manifestiùs Lxx transtulerunt*, καὶ πᾶσαν συγγραφὴν ἄδικον διάσπα, *i.* & omnem scripturam violentam conscinde: *quod Sym. transtulit*, & omnem cautionem falsam disrumpe.

7. וּמִבְּשָׂרְךָ לֹא תִתְעַלָּם. Hier. *& carnem tuam ne despexeris.* Alius Interpres, *& domesticos seminis tui nè despexeris*] Aug. De doctrina Christiana, lib. 2. pag. 18.

9. מוֹטָה. Hier. *catenam.* Lxx σύνδεσμον *colligationem* seu *vinculum.* A. *errorem*, ut suprà. Sym. Th. *torquem*, κλοιὸν] Hieron. *Symmachus in Theodotionis scita concedens in præsenti loco* torquem *posuit.* ¶ שְׁלַח אֶצְבַּע. A. Sym. Th. *extentum digitum*] Hier. *Pro* χειροτονίαν, *tres alii interpretes voce consona* extentum digitum *transtulerunt.*

12. וְקֹרָא לְךָ גֹּדֵר פֶּרֶץ. *& vocabitur in te.* A. περιφράγματα χολῆς *quod nos possumus juxta sensum dicere*, qui se opponit Dei iraeundiæ sævienti. *Denique Symmachus transtulit*, murum opponens cedenti. Hæc Hieronymus.

IDEM EX PROCOPIO.

1. כַּשּׁוֹפָר. A. ὡς κερατίνη, *ut buccina.* Th. Sym. ὡς κερατίνης, *tanquam buccina.*

4. הֵן. A. Th. Sym. Ἰδοὺ *Ecce.*

5. יוֹם רָצוֹן. Th. Sym. καὶ ἡμέραν δεκτὴν, *& diem acceptam.*

9. אִם־תָּסִיר מִתּוֹכְךָ מוֹטָה שְׁלַח אֶצְבַּע וְדַבֶּר־אָוֶן. Quidam, ἐὰν ἀφέλῃς ἀπὸ σοῦ σύνδεσμον ἐκτείνοντα δάκτυλον, καὶ λαλοῦντα ἀνωφελὲς, *si auferas à te vinculum extendens digitum, & loquens inutile.* Th. Sym. ἐὰν ἀφέλῃς ἐκ μέσου σου κλοιὸν ἐκτείνοντα δάκτυλον, —— *si abstuleris è medio tuo collare protendens digitum.* ——

11. מַיִם אֲשֶׁר. A. Th. Sym. ὕδατος, ὅς, *aqua, cujus.*

12. תְּקוֹמֵם. A. Sym. ἀναστήσεις. ¶ וְקֹרָא לְךָ גֹּדֵר פֶּרֶץ. Sym. κληθήσῃ τειχίζων διακοπὴν, *vocaberis muro cingens diruptionem.* Malè *direptionem* apud interpretem Procopii. גדר propriè *sepiens* aut *maceriâ muniens.* ¶ לָשָׁבֶת. A. τοῦ καθῆσθαι, *ad sedendum*, sive *habitandum.* Sym. εἰς τὸ οἰκῆσαι. Th. τοῦ οἰκῆσαι *ad habitandum.*

GROTIUS.

1. *Clama, ne cesses*] Deus, quia pœnitentiâ ductis reditum jam promiserat, videns multos inter Judæos fore qui se ei numero accenserent, tantùm quòd jejunassent in diebus כפרים [*propitiationum*], per Prophetam ostendit se tali pœnitentiâ non esse contentum, sed requirere ut siquid alieni teneant, id reddant; quia, ut dici solet, *non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum:* quâ de re aliqua diximus libro III. de Jure Belli ac Pacis, cap. X. § 3. & in Annotatis ad eum locum: præterea, ut ab omni injustitia rebúsque per Legem vetitis abstineatur: ad hæc, ut eximia quædam opera misericordiæ exer-

ceantur; quomodo & Nabuchodonosorum Daniel monet IV. 24.

Quasi tuba exalta vocem tuam] Gutture pro tuba utere, & quantum potes attolle vocem.

2. *Me etenim de die in diem quærunt, & scire vias meas volunt*] Id est, *dicunt se velle*, ut hic Chaldæus & Kimchi. Ità interrogant quasi nihil præter notitiam ipsis deesset, & quasi non multa facerent quæ sciebant iniqua esse: ut explicant sequentia.

Appropinquare Deo volunt] Id est, dicunt se nihil malle quàm Deo conciliari; & addunt quod sequitur.

3. *Quare jejunavimus, & non aspexisti? humiliavimus animas nostras, & nescisti?*] Cùm tam rigidè jejunemus, cur nos non liberas?

Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra] Hoc jam est quod Propheta illis quasi præsentibus dicere jubetur: Jejunatis quidem, sed pergitis ea facere quæ vobis lubet.

Et omnes debitores vestros repetitis] Id est, sine misericordia in nervum abducitis. Nam secutus est hic interpres Symmachum & Theodotionem, qui habent πάντας ὑποχειρίους [*omnes debitores*]: & non aliter fortè scripserunt LXX, quorum libri nunc habent vicinâ voce ὑποχειρίους [*obnoxios*]. Arabibus عصب est *ligare*. Indè עצבים sunt *obligati*. Non liberatis alios, & quomodo vultis liberari?

4. *Ecce ad lites & contentiones jejunatis, & percutitis pugno impiè*] Ne ipsis quidem diebus jejunii abstinetis à maledictis & malefactis: ità in consuetudinem vobis ista verterunt.

Nolite jejunare sicut usque ad hunc diem, ut audiatur in excelso clamor vester] In Hebræo, *sicut die*; id est, prout in diebus כפורים [*propitiationum*] facere soletis: ità jurgari, ut vel in montibus clamor vester possit exaudiri.

5. *Quod elegi*] Quod ego approbem.

Per diem affligere hominem animam suam] *Per diem* significat exiguo tempore. quid sit *se affligere* explicant sequentia.

Numquid contorquere quasi circulum caput suum] Ex Græco ὡς κρίκον [*quasi circulum*]. Thalmudici voce אגמן *juncum* significant, quod hîc nonnulli interpretes sequuntur.

Et diem acceptabilem Domino] Ità exacto die Deum putatis contentum fore?

6. *Dissolve alligationes impietatis*] *Nexus improbos. Coitiones Judicum in fraudem innocentium.* Ità hîc Chaldæus, & mox. 9.

Solve fasciculos deprimentes] In Hebræo, *Fasciculos jugi*: quod Græci interpretantur στραγγαλιὰς βιαίων συναλλαγμάτων [*obligationes violentorum contractuum*]. Significat contractus aut extortos vi aut metu, aut fœnebres, per quos opprimebantur pauperes. Vide Nehem. v. 7.

Dimitte eos qui confracti sunt liberos] Consanguineos vestros vinculis vestris attritos dimittite. Vide Levit. xxv. 39. Multi enim potentes eam legem spernebant. Confer Matth. xviii. 30.

Et omne onus disrumpe] In Hebræo, *jugum*: quod LXX vertunt πᾶσαν συγγραφὴν ἄδικον διάσπα [*omnem injustam syngrapham scinde*]. Symmachus vertit, Hieronymo teste, in hunc modum: *omnem cautionem falsam disrumpe*, sensu eodem quo suprà. nam quicquid aut æquo & bono, aut Legi non congruit, *falsum* Hebræis dici solet.

7. *Frange esurienti panem tuum*] Si quis fortè debitores non habeat, in quos misericordiam ostendat, cuivis egeno bene faciat. Panes in illis partibus erant tales qui facilè frangerentur: eo factum ut *frangere* dicatur pro *communicare*. Multùm ea quæ hîc dicuntur ad Euangelium accedunt. Confer ea quæ Matth. xxv. 36. & sequentibus.

Et egenos vagósque induc in domum tuam] Etiam φιλοξενία [*hospitalitas*] egregia est virtus, Matth. dicto loco, Rom. xii. 13. Hebr. xiii. 2. אלה hic est *potius*.

Cum videris nudum, operi eum] Vide Matth. dicto loco, Jacobi ii. 16.

Et carnem tuam nè despexeris] *Carnem tuam*, Id est, consanguineum tuum ex Abrahamo, Isaaco, Jacobo. LXX, ἀπὸ τῶν οἰκείων τοῦ σπέρματός σου οὐχ ὑπερόψῃ [*eos qui sunt ex domesticis seminis tui ne despice*]. Idem planè sensus apud Chaldæum. Vide quæ diximus hac de re lib. i. de Jure Belli ac Pacis, cap. vii. § 10. & in Annotatis.

8. *Tunc erumpet quasi manè lumen tuum*] Prosperitas tua succedet adversis, ut aurora tenebris nocturnis.

Et sanitas tua citiùs orietur] Τὰ ἰάματά σου ταχὺ ἀνατελεῖ [*medicatio tua cito orietur*]. Citò liberaberis à captivitate. nam ut omne malum *morbus*, ità omnis à malis liberatio Hebræis *medicatio* dicitur. Vide quantùm peccent negligentes librarii, qui pro ἰάματα, levi ad literas, sed magnâ ad sensum mutatione, scripserunt ἱμάτια [*vestimenta*]. Hanc autem scripturam haud dubiè corruptam secuti hic sunt Tertullianus, Cyprianus, Ambrosius, Augustinus. Notavit hunc errorem Hieronymus hoc in loco.

Et anteibit faciem tuam justitia tua] Tua probitas tibi pro duce erit in patriam.

Et gloria Domini colliget te] Id est, Dei bonitas, quæ Deo maximè gloriosa est, te subsequetur; οὐραγήσει [*agmen tibi claudet*]: id enim sæpe significat vox Hebræa אסף, ut apparet Num. x. 25. idque exigit ratio ἀντιθέτου [*oppositi*], quale & suprà lii. 12. Græci vertunt hoc verbum per συνάγειν, & ἐπισυνάγειν [*colligere*]. & nomen indè deductum מאסף per ἔσχατοι [*ultimi*], & per οὐραγοῦντες [*agmen claudentes*].

9. *Tunc invocabis, & Dominus exaudiet*] Id est, si ità egeris, invocantem te Deus exaudiet.

Clamabis, & dicet, Ecce adsum] *Clamanti dicet, Præstò sum. Faciet quod orabis*, ut hîc Chaldæus. Confer Matth. viii. 2.

Si abstuleris de medio tui catenam] Id est, *jugum*, de quo suprà 6. Est enim in Hebræo vox eadem מוטה; quod Theodotio κλοιὸν vertit. Id verò *nervum* aut *numellam* significat.

Et desieris extendere digitum] LXX χειροτονίαν [*manûs protensionem*], sed cujus sensum interpretantur Symmachus, Aquila, Theodotion per δάκτυλον ἐκτεταμένον [*digitum extensum*]: *si desieris infami digito* (ut Persius loquitur) denotare viros probos, & eorum simplicitati illudere.

Et loqui quod non prodest] In Hebræo, *verba iniquitatis*; id est, *verba violentiæ*, ut Chaldæus interpretatur; verba comminantia innocentibus: & idem fortè voluerunt LXX, qui transferunt ῥῆμα γογγυσμοῦ [*verbum murmurationis*]. Utuntur enim eâ voce in sensu quem dixi Exod. xv. 24. Num. xiv. 2. & alibi.

10. *Cùm effuderis esurienti animam tuam*] *Anima* benevolentiam significat, & hîc κατὰ μετωνυμίαν [*per transnominationem*] effectum benevolentiæ. Vide Rom. xii. 8. 2 Corinth. ix. 7.

Orietur in tenebris lux tua] Idem sensus qui suprà 8. Amant Hebræi eadem sæpe dicere, mutatis nonnihil verbis.

11. *Et requiem tibi dabit Dominus semper*] Dabit tibi sedem durabilem. Chaldæus hoc verbum derivat non à נוח [*quiescere*], sed à נחה, quod est *deducere*. Græci, Ἔσται ὁ Θεός σου μετὰ σοῦ διαπαντός [*Erit Deus tecum perpetuò*].

Et implebit splendoribus animam tuam] In Hebræo: *Implebit in siccitate* (id est, tempore ἀνομβρίας [*pluviæ cessantis*], ac proinde & famis) *te*. Græci: ἐμπλησθήσῃ καθάπερ ἐπιθυμεῖ ἡ ψυχή σου [*impleberis ità ut expetet anima tua*]. Ut tu feceristi, sic tibi fiet.

Et ossa tua liberabit] חלץ & *liberare* & *pinguefacere* significat. Posterior significatio huic loco magis congruit, quam & LXX sequuntur, & in notis suis habet Hieronymus, eámque firmat locus Proverbior. xv. 30. Chaldæus ad Resurrectionem hæc refert: sensu vero, sed non primitivo.

Et eris sicut hortus irriguus] Virebis, florebis.

Et sicut fons aquarum, cujus non deficient aquæ] Ad verbum in Hebræo, *Ut scatebra aquarum, cujus aquæ non fallunt*: id est, *Eris omnibus bonis affluens*.

12. *Et ædificabuntur in te deserta seculorum*] Id est, loca diu deserta non tantùm à vastatione per Nabuchodonosorem facta, sed & illa quæ facta est per Teglathphalassarum & Salmanasarum & Sennacheribum, per te rursum in urbes & oppida & vicos erigentur.

Fundamenta generationis & generationis suscitabis] Id est, quæ per multas hominum ætates durent.

Et vocaberis Ædificator sepium] In Hebræo: *Obstruens hiatus*, scilicet mœnium. Nam גדר, quod hîc in Hebræo est, id ipsum est verbum unde *Gadir* urbs Phœnicibus dicta, quod περίφραγμα [*circumseptum*] vertit Hesychius, Plinius *septum*, Solinus *sepem*, Avienus in Dionysio *locum undique septum, in ora maritima conseptum locum*.

Avertens semitas in quietem] LXX, ut quidem citat Hieronymus, τοὺς τρίβους τοὺς ἀναμέσον παύσεις [*vias interpositas cessare facies*], id est, ut ipse interpretari dicit Judæos, *tam excelsos muros ædificabis ut nullus hostium possit intrare, & omnium inimicorum prohibeatur ingressus*. Ad verbum, *convertens semitas ad quiescendum*. Nullum insidiatoribus aditum relinques.

13. *Si averteris à sabbato pedem tuum*] Ex uno præcepto cætera omnia, quæ quidem in exsilio observari poterant, vult intelligi. *Avertere pedem à sabbato*: id est, nulla itinera eo die facere, nisi pauxilla Synagogæ adeundæ, aut modicæ oblectationis causâ.

Facere

Facere voluntatem tuam in die sancto meo] Repetendum ἀπὸ κοινοῦ [*ex communiter dicto*] *averteris*, id est abstinueris. *Voluntatem tuam:* id est, *quæstum*, ut hic rectè explicat Chaldæus.

Et vocaveris Sabbatum delicatum, & sanctum Domini gloriosum] In Hebræo, *Et vocaveris Sabbatum delicias*, (supple, *tuas*) *& sacrum Domino ac gloriosum*. In Sabbato & gaudebant Judæi, & Deum laudabant, & splendidiùs quàm diebus cæteris vestiebantur.

Ac glorificaveris eum] Honorem ei diei habueris. Quomodo id faciendum sit sequitur.

Dum non facis vias tuas] Nullum iter, nisi quale diximus, suscipiendo.

Et non invenitur voluntas tua] In Hebræo, *Et non inveniendo voluntatem tuam:* id est, *quæstum nullum faciendo*, ut hic iterum bene Chaldæus.

Ut loquaris sermonem] Melius erit, *sed loquendo sermonem*, ut sit ו pro Adversativa, quod non rarum. *Sermonem* κατ' ἐξοχὴν [*per excellentiam*] intellige *Dei sermonem*, id est, Legem. Chaldæus & LXX negativam hîc tacitè repetitam volunt, & *sermonem* intelligunt *iracundum*.

14. *Tunc delectaberis in Domino*] Id est, si ista facies, Deo dante habebis quo te oblectes. Confer Psalm. XXXIII. 21. & XXXVII. 4.

Et sustollam te super altitudines terræ] In Hebræo, *vectari te faciam* (nempe curribus) *super excelsam terram:* id est, Judæam, ut Deuteronomii XXXII. 13. Est enim Judæa vicinis terris montosior.

Et cibabo te hereditate Jacob patris tui] Faciam ut vivas de fructibus terræ avitæ.

Os enim Domini locutum est] Id est, *Deus ità decrevit:* ut rectè hic vertit Chaldæus.

C A P. LIX.

M U N S T E R U S.

5. **O***Va aspidum ruperunt*] Sensus est, *Similes estis ovis aspidum: his enim fractis non aliud prodit quàm aspis: sic cùm vos serpentes sitis, cogitationes vestræ & opera vestra serpentina sunt & plena toxico. Sed & universi labores vestri similes sunt telis & texturæ aranearum, quæ ad nullum usum utiles sunt, cùm ex illis nullum fieri possit vestimentum.* Porrò verbum הזורה hîc capitur sicut Jud. 6. pro *premere* vel *comprimere*.

11. *Quasi ursi*] *Clamor ursi* est ululatus quidam, & *meditatio columbæ*, gemitus.

18. *Quasi propter retributiones*] Scilicet *induit se his armis & indumentis*. Et intelliguntur omnia de externis Judæorum hostibus.

19. *Cùm venerit*] Sunt qui hic כִּי pro צוף *demergi* exponunt. Demerguntur autem flumina in mare. Porrò נססה est hic verbum Piel à radice נס *fugit*. Sunt qui hunc eliciunt sensum; Cùm Dominus videt se & verbum suum contemni, assumit arma ultricia, induitur veste militari, tunicâ strictâ, pallio zeli, nec quisquam immunis evadit, etiam in extremis orbis angulis, ut fluvius vehemens venit, omnes perterrefaciens suo spiritu. Edidit multa hujusmodi exempla in mundo, ut patet de Ægyptiis, Assyriis, Babyloniis, & cæteris, quibus eversis propter scelera, exempla iræ ostendit.

V A T A B L U S.

2. **D***Iviserunt* היו מבדלים] Ad verb. *fuerunt dividentes*. Alii, *dissidium fecerunt*. Alii, *separaverunt vos à Deo vestro*. ¶ *Abscondere fecerunt* הסתירו] *Effecerunt ut absconderet*. Alii, *operuerunt*.

4. *Clamet pro justitia* קורא בצדק] *Clamet ad justitiam:* i. justè increpet proximum suum errantem. ¶ *Qui judicet in veritate* נשפט באמונה] *Qui disceptet pro judicio:* vel, *qui subeat judicium verè:* q. d. judices non judicant justè. ¶ *Confidunt* בטוח] Infinitivi Heb. pro præsentibus.

5. *Rumpunt*, בקעו] Præt. Heb. pro præs. *rumpunt:* vel *excludunt*. Qui *ova aspidum frangunt*, noxium sibi opus faciunt: nam rupto ovo erumpit aspis, quæ linguæ vulnere venenum infligit effractori ovi. Iis sunt similes improbi: illis item qui *telas* similes telis *aranearum texunt*, quorum opus est inutile; nimiâ enim tenuitate & fragilitate sunt, ideo nullius usûs: q. d. opera improborum aut ipsis noxia sunt, aut inutilia. Seipsum declarat sequenti versu. ¶ *Et quod fractum est* והזורה תבקע אפעה]

Et compressum [sub. *pedibus*] *frangetur in regulum*. Alii, *si comprimatur, excludetur vipera:* vel, *producetur*, sive *egredietur regulus*.

6. *Iniquitatis*, און] Vana.

7. *Currunt* ירוצו] Futura Heb. pro præs.

8. *Viam pacis non noverunt* דרך שלום לא ידעו] Hebraismus, pro *inter illos nihil est fidei, humanitatis nec integritatis*. ¶ *Nesciet* לא ידע] Quidam vertunt per præs. *ignorat*. Hebraismus, pro *quicunque imitantur studia eorum, omnino sunt alieni à pace:* i. effræni, in proximos irruunt, atque injurias inferunt. Alii exponunt, *Qui inciderit in manum ipsorum, truculentos ipsos & immanes sentiet*.

9. *Elongavit sese judicium* רחק משפט] *Longè recessit judicium*. Alii, *subduxit se judicium*. Phrasi Hebraicâ vocat *judicium*, cùm Deus ulciscitur injurias illatas populo suo: sicut *justitiam*, cùm eos tuetur. Pronunciat igitur Deum abjecisse curam populi sui, ac destituisse auxilio & ope suâ, quòd indignus esset. ¶ *Ambulavimus* נהלך] Fut. Heb. pro præt. Quidam vertunt per præsens.

10. *Palpavimus* נגששה] Futura Heb. pro præteritis. Vel, ut ferè omnes vertunt, pro præsentibus, & sic versu sequenti. ¶ *Ut in crepusculo* כנשף] *Ut vesperi*. ¶ *In sepulcris* באשמנים] i. Versamur in similibus tenebris quales sunt illæ in quibus versantur mortui qui jacent in sepulcris. Alii vertunt, *in desolatis:* sub. *locis*, ubi nulla est habitatio: vel, *in locis solitariis*.

11. *Gemendo gemuimus* הגה נהגה] *Susurrando susurramus:* vel, *garriendo garrimus*.

12. *Testificata sunt* ענתה] *Testantur: testimonium ferunt*. Quidam vertunt, *responderunt nobis:* sed obscurius. ¶ *Nobiscum sunt* אתנו] Hebraismus, *sunt nobis nota*. Seipsum declarat mox sequentibus.

13. *Prævaricati sumus & mentiti* פשע וכחש] Infinitivi sunt Heb. pro præteritis in hoc versu. ¶ *Calumniam & perversitatem* עשק וסרה] *Oppressionem & defectionem*.

14. *Propterea retrocessit* והסג אחור] *Propterea actum est retrorsum*. ¶ *Ingredi* לבוא] Sub. *congregationem nostram*.

15. *Prædæ fuit expositus* משתולל] Ablatus fuit: more spoliorum scilicet: i. sublatus fuit de medio.

16. *Intercederet* מפגיע] Occurreret. ¶ *Itaque salutem*, &c. ותושע לו זרעו] *Salutem itaque peperit ipsi brachium ejus, & justitia ejus ipsa sustentavit eum*. Alii, *itaque salutem sibi fecit brachio suo, & justitiâ suâ stabilivit se*. Significat desperandum non esse, tametsi nihil auxilii ab hominibus feratur: se enim sibi abunde sufficere, ac satis potentem esse ad ipsos redimendos.

17. *Et tanquam*, &c. ויעט וגו'] *Indignationéque amictus est vice pallii*. Alii, *nec non induit sese æmulatione tanquam pallio*.

18. *Quasi propter retributiones* כעל גמלות] *Ut propter retributiones*, & *sicut* olim fecit, ut *retribueret iram hostibus suis:* sic reddet *retributionem inimicis suis, insularibus retributionem reddet*. i. Quemadmodum olim Dominus Deus ultus est injuriam filiorum Israel quam acceperant ab Ægyptiis, ità perdet inimicos Christi sui. Quidam liberiùs sic vertunt, *Ac omnino talis erat fervor, qualis esse solet cùm redditur ac rependitur hostibus suis & inimicis suis, ut vicissitudinem redderet insulis*.

19. *Fugabit eum* נססה בו] A verbo נוס *fugit*. Alii deducunt à נס *vexillo*, vertentes *vexillabit eum:* i. exaltabit vexillum contra illum: q. d. *instruet aciem contra hostes Ecclesiæ*. Præt. Heb. pro fut.

20. Ab *iniquitate* פשע] A *prævaricatione*.

C L A R I U S.

5. **O***Va aspidum ruperunt*] *Ruperunt*, h. e. pullos excluserunt, nam reguli excidentes ova rostro paulatim duritiem decutiunt donec pulli exeant, ut sit sensus, Similes estis ovis aspidum, his enim fractis non aliud prodit quàm aspis; sic cùm vos serpentes sitis, cogitationes vestræ & opera vestra serpentina sunt & plena toxico. Sed & universi labores vestri similes sunt telis & texturæ aranearum quæ ad nullum usum utiles sunt, cùm ex illis nullum fieri possit vestimentum.

8. *Semita eorum*] *Semitas* suas in propriam perniciem inæquales fecerunt.

15. *Et qui recessit à malo, præda patuit*] Alius sic vertit, *Et abiit propter malitiam, tanquam spoliata misere*.

16. *Et salvabit sibi brachium suum*] Per filium justitiam servavit in mundo, *de peccato condemnans peccatum*.

18. *Insulis*] Sunt qui per *insulas* accipiant civitates terræ Judææ

dææ quòd inter maria sita sit, atque hic describi ac prædici eorum perditionem.

19. *Quem spiritus*] Tanquam signo dato.

FORERIUS.

1. ECce] Existimo initium hujus capitis esse conclusionem superioris orationis. Judæi enim variis calamitatibus afflicti, putantes quòd satis justi & pii essent per observationem legalium ceremoniarum, querebantur quòd non eos eriperet Deus. Quibus respondit se non esse in culpa: nam non ritè servabant quæ Lex præcipiebat, ut vidisti: quod tamen si fecissent, mirum quanta recepissent bona. Ubi ergò quasi digressione quadam eos de operibus misericordiæ & vera religione instruxisset, à qua omnino erant alieni, infert; *Ecce apparet quòd non me incusare debeatis, quòd vos non audiam neque respiciam: ex dictis enim intelligere potestis, quòd non sit manus mea contracta aut decurtata, ut non opem ferat; neque habeam aures graves*, i. obturatas aliquo humore noxio, *ut non audiam vestros clamores & preces.*

2. *Sed*] כי אם. *Quinimo iniquitates vestræ interstitium ingens fecerunt inter vos ac me, ut non pertingant voces vestræ ad me: elongati enim estis per scelera vestra: abiistis in regionem longinquam peccati, in qua nihil mihi est commercii. Si non respicio, si non attendo, vestræ iniquitates atque erratа operuerunt faciem, non ego.* Quantum conjicere possum, Christiane lector, hic locus illorum assertionem destruit, qui putant aliquid Deum facere vel apponere in excæcatione, in duratione seu derelictione peccatoris. Deus enim eodem loco (ut ita loquar) hæret, is ipse est, eodem vultu perseverat, eosdem suæ lucis radios immittit, & nemini in hac vita (ut cum Scholasticis loquar) auxilium sufficiens unquam denegavit; patulas habet aures clamoribus, oculos apertos, ut cultus, obsequia & ipsas denique calamitates attendat. Omnis obduratio, excæcatio & elongatio à nobis ortum habet: cùm enim videntes scientésque peccamus, & peccata peccatis cumulamus, facimus nè clamores ad Deum ascendant, neque nostram vicem doleat, ut è malis eripiat. Si quas tamen voces emitteremus pro peccatorum ipsorum remissione, audiret, attenderet: nam jam non tam longè agit peccator. Eum enim tantùm *longè esse* Scriptura solet dicere, qui cùm peccatis sit immersus, nihil aut parùm de suo casu est solicitus, sed suas vias persequitur.

3. *Manus enim*, &c.] Descendit ad species peccatorum. Primò eos homicidii coarguit. Verbum autem Hebræum licèt notet *devolutionem rei ad se*, & verbo *redimendi* reddatur, interdum tamen *devolvere*, ac proinde *devolvendo contaminare*, ut Malach. 1. quasi significatione contrariâ significat: quare hic *contaminari* verbo reddidi: sicut & Thren. 4. quod non unum aut alterum homicidium designat, sed camificum aut laniorum more sanguinem convolvere, versare, tractare. ¶ *Digiti*] *Volas*, seu *palmas manuum*, dein *digitos* dicit *contaminatos*, quasi nihil aliud tractarent quàm aliis injustè incommodare. ¶ *Iniquitatem*] Vox *omne malum* in genere significat *quo proximo vis infertur*, & præsertim *quo aliquid ab eo aufertur.* ¶ *Fatur*] Cùm verbum הגה omnibus animantibus tribuant Hebræi qui aliquem sonum edunt ore, verbo *sonandi* licet reddere: cùm verò homini tribuitur, imperfectas illas voces & veluti murmura notat quæ ab ore exeunt secum colloquentis hominis, & de re quam facturus est apud se disponentis; vel de re quâ afficitur gestientis.

4. *Non est qui invocet*] *Quia vocare in nomine Domini* est *Invocare nomen Domini*, non immeritò *vocare in justitia* reddere possumus *invocare justitiam.* Sed quid sit *invocare justitiam* non usque adeò planum est: arbitror autem esse quod in Euangelio dicitur, *esurire & sitire justitiam.* Ea enim invocamus quæ adesse optamus & quorum desiderio tenemur: sed propter id quod sequitur, *neque qui judicetur cum veritate*, reddere possumus, *vocare cum justitia*, q. d. *nemo est qui juste quemquam ad judicium vocet.* ¶ *Neque qui judicet*] Legendum, *judicetur*, נשפט. Est autem interdum Hebræis *judicari*, *in jus vocari.* Psal. 109. *Quando judicabitur, exeat condemnatus*: Suprà 33, & infrà 66, &c. Hanc phrasim secutus Paulus ait 1 Cor. 6. *Sustinet quis vestrûm judicari sub injustis*, i. litigare coram judice. Objicit ergò hic, neminem in judicium alterum cum justitia vocare, neque (quod ferè idem est) judicio contendere cum quoquam cum veritate. ¶ *Sed*] De suo addidit Vulg. Adversativam explicandi gratiâ. Quæ autem sequuntur verba in infinitivo sunt: in quo etiam non ineleganter verti possunt. ¶ *Confidunt*] *Confidere in nihili*, aut *in inordinatione*, quando nihil sine ordine aut dispositione est aut fit. Sic se res habet ubi non est justitia & veritas: & ipsa inordinatio animos iniquis auget; &, ut quidvis audeant, vires subministrat. ¶ *Loquuntur*] *Loqui* ¶ *Vanitates*] Vel *vanè*, ut Exod. 20. *Non eleves nomen Jehovæ temere*, seu *præcipitanter.* Sic omnino fit ubi non viget justitia: imò qui potentes sunt, *concipiunt laborem*, i. nihil aliud in corde machinantur quàm quo pacto *laborem* seu dolorem aliis inferant: & quemadmodum cogitant, ità etiam opere complent, quod est ¶ *Parere iniquitatem*, seu *vim* aut *violentiam.*

5. *Ova aspidis*] Quod genus sit animantis צפעוני suprà dixi cap. 11. *Rumpere* autem *ova aspidum* seu *excludere* est pestem esse aliis & causam mortis. Designat autem hæc metaphora humanitatis totius eliminationem, quòd exuissent naturæ affectus, & hostes essent humani generis. Hujusmodi sunt qui impiorum hominum studiis favent & auxilio sunt, ut quod animo scelesto designarunt efficiant. Quidam enim in repub. ingenio ad excogitandas fraudes pollent quàm vehementi & acri; sed exsequi quod inveniunt non valent. Non desunt in perdita repub. qui pessima illorum inventa executioni possint mandare & velint: posteriores isti *Ova aspidum excludunt.* ¶ *Et telas aranei*] Placet quod de Legibus quidam dixit, Quòd essent araneorum telis simillimæ, quibus muscæ, minuta animalcula, capiuntur, at paulò grandiora, si in eas incidant, dilaniant & perstringunt. Sic ubi non viget justitia omnino fit. Leges justissimæ ac sanctissimæ araneorum telæ sunt, nec eis nisi pauperes capiuntur. Sed fortè hìc aliud agit, & frustraneum eorum laborem & inania studia notat, quòd nulli usui apti essent conatus qui boni esse videantur. Jejunia, sabbata, preces, decimationes, alia denique quæ Judæi magnâ ambitione celebrabant, *araneæ telæ* erant: videbantur enim aliquid operis & dignitatis habere; sed cùm fide & charitate carerent, inutilis erat totus eorum labor. Quid si *ova aspidum* appellat perversa dogmata quæ cum præceptis Dei pugnabant, quæ erant præcepta vitæ, & *quæ qui faceret, vivebat in illis?* Profectò ex Euangelio habemus hujusmodi eorum scelera, ut cùm præceptum de parentibus honorandis pervertebant, de juramento, de sabbati violatione, & multa alia quæ enumerare longum esset: unde sequitur, ¶ *Qui comederit ex ovis eorum, morietur*] Futura pro præsentibus accipe, *Qui comedit, moritur:* totum enim virus in ovis est. In illis quoque interpretationibus Legis quas quæstus invexerat, & corrupti mores adinvenerant, erat venenum animorum: quicunque enim eorum doctrinæ addicebatur, moriebatur. Hoc certè illud erat, *Cavete à fermento Pharisæorum & Sadducæorum*, i. ab eorum doctrina; sicut Discipuli, disserente Domino, statim intellexerunt. ¶ *Quod confotum est*] Sensum doctè vertit: ad verb. *& compressum erumpet regulus*, i. si aliquod ex ovis *compressum* seu *confotum* fuerit, *erumpet* ex eo *regulus.* Quod animal sit אפעה non est notum: videtur autem à *sibilando* nomen dici.

6. *Telæ eorum*, &c.] Præter id quod de *telis* diximus, placet mihi ut per eas intelligamus non tam leges politicas, aut ceremonias Legis, quas sine misericordia servabant, sed & constitutiones & ritus quosdam peculiares absque spiritu Dei adinventos, quorum erat satis magna multitudo, quales erant de frequenti purificatione à foro & inter comedendum, & hujuscemodi multa quæ apud alios scriptores reperias: quibus quid similius *araneorum telis?* quare hìc dicitur, quòd ex illis *pannus* aut *indumenta non conficerentur*, neque stragula: cùm enim viderentur speciem quandam pietatis ac sanctitatis habere, virtute ejus prorsus carebant. Oportet autem opertos nos & honestè indutos in judicio Dei astare, nè si nudi appareamus pudefiamus. ¶ *Neque operientur operibus suis*] Vel *earum*, videlicet *telarum.*

7, 8. *Pedes*, &c.] Manus, inquit, rapinis plenæ; pedes ad homicidia properant; cogitationes sunt ad inferendam vim, etiamsi in lecto quiescant: si quà autem iter faciunt, omnia devastant ac perturbant. Quibus nihil aliud intelligas quàm totam eorum vitam corruptam, mores perversos, neque animi vitiis neque corporis carere, sibi atque aliis omnibus, qui eos sequuntur, perditionis causam esse. Hunc locum adducit Paulus ad Rom. 3. ut ostendat Judæos etiam gratiâ Christi indiguisse, neque ex Lege consecutos justificationem: immiscet autem verba Psalmi verbis Prophetæ; & *quæcunque lex loquitur, iis qui in lege erant loqui* dicit, *ut omnium os obstruatur*, &c. Eodem ergò sensu nobis hæc accipienda sunt. Vide infrà vers. 16. ut probes institutum nostrum in texenda serie verborum Prophetæ, à fine cap. 56. imò 52. ¶ *Incurvatæ sunt eis*] Vel *perverterunt sibi:* hoc est illud Euangelii, *Abstulerunt clavem scientiæ, ut neque ipsi ingrediantur*, &c. ¶ *Omnis qui calcat*, &c.] In Euangelio habes, *quòd si cæcus cæcum ducat, ambo in foveam cadunt:* habes etiam ex hoc loco illa verba Pauli, *Contritio & infelicitas*, quæ hìc dicuntur *fractura & devasta-*

vastatio, activè accipienda esse, quòd sint veluti pestis, quoquò irent.

9. *Propter hoc*] Vertit Propheta verba ad Dominum, ut ex sequentibus apparet: & licèt superioribus adjungi possit illud, *Propter hoc*, possumus etiam dicere usque ad versum duodecimum pendère orationem, *Propter hoc*, &c. *quia multiplicata sunt*, &c. Sed sententia ferè eadem est. *Judicium* autem & *justitiam* hoc loco ad Deum referas oportet. Cùm enim premerentur ab hostibus, jejuniis se affligebant, ut judicaret Dominus causam ipsorum, & damnatis hostibus eos eriperet. At quoniam ipsi judicia sine veritate exercebant, & absque justitia in jus vocabant; justus Dominus *judicium* & *justitiam* suam longè semovebat. ¶ *Non apprehendit*] Non nos occupavit, limina nostra ignorat; quinimo ¶ *Exspectavimus lucem*] Ut in tantis adversitatum tenebris lux affulgeret; sed frustrà id oculis atque animis intenti exspectavimus: adhuc enim in mediis calamitatibus versamur. Quod *judicium* & *justitiam* appellaverat, *lucem* ac *splendores* mox nominavit: nam si hostes Deus judicasset, & justitiam exercuisset, affulsisset illis lux.

10. *Palpavimus*] Futura sunt pro præsentibus. Est autem proprium cæcorum Tentare manu priùs quàm gressus promoveant. Unde 2 Pet. 1. *Cui non sunt hæc, is cæcus est, & manu viam tentans.* Pendebant itaque animis dubii, nec quæ esset causa cur eis Deus non subveniret intelligebant: de illa conquirebant inter sese &, ut mox aperit, in re adeò manifesta cæcutiebant. Si quis legem, quam ipsi profitebantur, legeret vel superficie tenus, simul quoque mores eorum & studia videret, modò eisdem non esset obnoxius, is statim perciperet causas suarum calamitatum: verùm ipsamet scelera hanc ipsam ignorantiam invexerant; in singulis enim membris repetendum est, *Propter hoc iccirco palpamus*, &c. *quia multiplicata sunt*, &c. ¶ *In caliginosis*] Vox Hebræa *spurcitiam* notare videtur, quâ usum quidam vir doctus putavit Dominum, quando invectus in Pharisæos, eos *sepulcris dealbatis* comparabat, *quæ foris*, inquit, *apparent speciosa*, *intus verò plena sunt ossibus mortuorum*, ϗ πάσης ἀκαθαρσίας, i. *omni spurcitiâ.* Quare hoc loco pro *Sepulcris* accipiunt docti ex Hebræis. *Quemadmodum*, inquit, *mortui locis illis tetris & abominandis alligati non indè exeunt*, *ità nos nostris flagitiis & immunditiis dediti*, *in eis hæremus*, *volutamur*, *in ea impingimus*, *ruimus*, *labimur*, *ut nunquam nobis illucescat*, *sicut neque mortuis.*

11. *Rugiemus*, &c.] Futura pro præsentibus, *fremimus*, *gemimus*, &c. ingentes, quibus premebantur, calamitates notat. ¶ *Exspectavimus judicium*] Repetit quod dixerat, ut causam annectat: ac si diceret, *Exspectavimus judicium*, *& elongatum est: quia multiplicata sunt*, &c. ubi vides *salutem* vocare quod suprà *justitiam* dixerat, i. damnatis hostibus justificationem seu absolutionem, quod Zacharias ait, *Salutem ex inimicis nostris*, &c.

12. *Multiplicata sunt enim*, &c.] Hinc totius mali labes & omnium calamitatum scaturigo, quæ adversùs proximos perpetramus scelera, coram Deo sunt. Hæc iram provocant; hinc non solùm non perterrere hostes nostros, sed eos è longinquo adversùm nos excitare; non pro nobis sententiam ferre, sed eorum causam superiorem facere videmus. Meritò non *judicium*, non *justitiam*, non *lucem*, non *salutem* sentimus: nam ab irato Deo quid aliud exspectare debemus? ¶ *Responderunt nobis*] Vel *in nos:* exigunt enim à Deo vindictam &, ut in superioribus diximus, vim quasi Deo inferunt, ut non possit non ultionem sumere. Vide suprà in illa verba, *Numquid super his non indignabor?* Usus est autem verbo *respondendi* vel pro *loqui* simpliciter; vel quia *coram Deo assistere peccata* dixisset, ex quorum aspectu Deus ad iram concitatur, hoc verbo *respondendi* significavit. Nam si peccata rogarentur, quidnam adversùs suos auctores designandum esset, omnium una vox esset, ut perirent. Huc facit *clamor* ille *sanguinis* & multa hujusmodi, quæ non modò rogata respondere, sed peccata coram Deo nos accusare & vindictam implorare testantur. Quantò enim ea libentiùs amplectimur, tantò adversùm nos acriùs coram Deo causam agunt. Illud minutius est, quòd in Hebræo est verbum singulare *respondit* cum nomine plur. *peccata*, quasi unumquodque ex eis testimonium adversùs eos tulerit. ¶ *Nobiscum sunt*] Vel *apud nos sunt*, vel potiùs *ante nos sunt*: peccata agnoscimus, coram nobis sunt. Quòd si illud *respondere* tanquam Echo intelligamus, eleganti translatione Frequentiam & divulgationem hæc omnia notant, quòd coram Deo, & in auribus aliorum, & coram ipsis semper astarent, ut, etsi velint ea abscondere aut negare, non possent. Ecce quare dixerat eos *quasi cæcos palpare in meridie.* Cùm enim tales essent & tam perditè viverent; adhuc tamen interrogabant, *Quare non aspexisti? quare non novisti?* Iccirco rursus ea commemorat.

14. *Conversum est retrorsum judicium*] Vel *retroactum est:* iccirco suo *judicio* nobis non subvenit, neque *justitiam* seu *salutem* nobis impendit, quia nullum locum apud nos habet *justitia*, *veritas* & *æquitas.* *Labor in medio civitatis & injustitia.* *Non defecit de plateis ejus iniquitas & dolus*, &c.

15. *In oblivionem*] Sensum vertit: verbum enim notat Veritatem in angustum redactam, & veluti domi reclusam; vel evanuisse & de medio sublatam, ut meritò *in oblivionem abiisse* dixerit Vulg. quò factum est, ut necessum fuerit è cœlo descendere Filium Dei, æternam veritatem, ut ad terras eam reduceret: sicut se advenisse dicebat Pilato, *ut testimonium præberet veritati*, i. ut eam suo loco reponeret, & quanta esset ejus dignitas & amplitudo hominibus testaretur. ¶ *Præda patuit*] Ad verbum sic reddendum, *seipsum despoliavit.* Quod significantius est: notat enim quàm certum & usurpatum fuisset, Omnem *qui à malo recederet* aliis *prædam fuisse.* Hactenus, Christiane lector, statum rerum Judaicarum à fine cap. 46. suo ordine animadvertere potuisti, nempe à tempore Ahaz usque ad Herodem, avaros Pharisæos impiósque Pontifices. Datâ enim operâ Propheta inundationem iniquitatis in Judæa voluit ostendere & ob oculos ponere, ut quanta in toto orbe essent mala vel ex istis possemus conjicere, omniáque sub peccato conclusa fuisse, in hunc certè finem, ut Dei in nos charitas altiùs animis infigeretur: & cùm eo tempore, & rebus suprà quàm credi potuisset perditis, Messiam advenisse narraret, eum ut redimeret à peccati servitute potiùs quàm ab altera quavis, crederemus. Si enim ab altera quavis servitute redimentem nobis Christum exhibere voluisset Propheta; consultiùs fecisset, si mala quæ Judæi ab hostibus paterentur exaggerasset: nunc autem totus in hoc est, ut pessimos illos fuisse ostenderet, & mille mortibus dignissimos, ut invenientes seipsos peccatores, sicut Paulus ait, non superbirent, sed Dei misericordiam cum gentibus prædicarent. Itaque in superiori oratione eundem scopum habuisse Prophetam non dubito quem habuit Apostolus initio epistolæ ad Romanos tribus primis capitibus. Postquam igitur quales fuissemus intellexerimus, qualem se exhibuerit Deus noster jam audiamus.

16. *Et vidit*, &c.] Sicut viderat iniquitates, ut puniret, ità tandem vidit, ut misericordiam impenderet. ¶ *Malum apparuit*] Sicut Hebræis *bonum esse in oculis* est *placere*; sic *malum esse in oculis* est *displicere: non enim nisi in bonum fertur voluntas*, ajunt philosophi. ¶ *Quia non est judicium*] Vel *quòd non esset judicium:* pœnituit itaque Dominum & malè accepit, quòd non esset qui hominum causam ageret, hominem vindicaret, & veluti judicio absolveret: est namque accipiendum hìc *judicium* sicut suprà vers. 9, & 11. ¶ *Quia non est vir*] Repetendum est ex superiori versu consuetudine Scripturæ, *& malum fuit in oculis Domini*, *quòd non esset vir*, nempe *qui occurreret*, ut mox exponit. ¶ *Aporiatus est*] Verbo *aporior* ex Græco ἀπορέω usi sunt Latini Interpretes hìc, & 2 Cor. 4. Est autem idem quod *hæreo*, *consilii inops fio.* At Hebraicum hoc in loco est *seipsum tanquam culpabilem damnare*, veluti qui negligentiam suam incusant & sibi maledicunt ob malum rei successum. Humano ergò more de Deo loquens Propheta insinuat vicem nostram doluisse Deum, veluti nostri amantissimum, sicut suprà: *& nunc*, *quid mihi hìc*, *dicit Dominus*, *quia ablatus est populus meus gratis*, &c. Sed quare *hæsit*, aut *seipsum afflavit?* sic enim loquitur Hebraismus. ¶ *Quia non est qui occurrat*] פגע interdum est *intercedere*, cap. 53. Dolebat itaque Dominus quòd non esset qui malis nostris obviaret; aut quòd non esset qui pro nobis intercederet. Adeò enim miseri eramus, ut in toto orbe non esset vir, nè unus quidem, qui Deum solicitaret ad subveniendum humanis rebus. Sed quid egit in desperatione rerum nostrarum misericors ille Dominus? num solummodo vidit? numquid non aliud quàm condoluit? minimè gentium. ¶ *Et salvavit sibi brachium suum*] Ex intelligentia hujus constructionis pendet intellectus illius acclamationis Evangelicæ, *Osanna filio Davidis.* Notandum igitur verbum ישע cum dativo verbo *opitulandi* reddendum esse: imò ea est propria ejus significatio. Constructionem hanc habes Proverb. 21. *Exspecta Jehova*, *& ipse opem feret tibi.* Deut. 22. *Non est opitulator tibi.* Pf. 98. *Opem sibi contulit dextera ejus.* Quæ verba hoc in loco legimus, ut *Osanna filio David* sit *Opitulare*, *quæso*, *filio Davidis*; *opem fer in altissimis*, i. ingentem atque insolitam. Cùm igitur videret Dominus quòd non esset opitulator, ipse suis viribus totam rem solus voluit conficere. Hoc Hebræi suâ hâc phrasi significant, *sibi opem suo brachio tulit.* ¶ *Et justitia ipsius*] i. Sanctitas, bonitas ac misericordia. Hæc ipsa

Deum confirmavit seu sustinuit nè ab incepto desisteret. Arduum enim opus erat, ut *cùm inimici essemus, pro nobis vellet Dei filius mori. Pro justis enim forsitan aliquis audeat mori: sed pro impiis & sceleratis* novum & inauditum. *Propter misericordiam suam salvos nos fecit.* Utitur autem verbo סמך, quod propriè est *sustinere nè res labatur* aut *pereat*: quia eum inducebat Propheta veluti virum bellatorem, qui pro nobis adversùs hostes depugnaturus descendebat: itaque hostes nostros, peccatum & mortem & *eum qui tenebat mortis imperium*, potuit debellare, quia per essentiam sanctus ac justus erat. Nisi enim esset verus Deus non adhibuisset remedium: ergò *ipsius justitia ipsum confirmavit* seu *sustinuit*, nè victus ab hostibus nostris nobis non esset auxilio. Quare nomine *sancti* eum appellavit David, quando eum in sepulcro non corrumpendum voluit significare. Habes ergò ex hoc loco Christi Divinitatem simul & humanitatem in verbo *famac*, quod nusquam de re dicitur quæ non labi potest & cadere; neque de eo, si homo non esset factus, unquam diceretur. Ille enim omnia sustinet, à nullo autem sustinetur. Ecquis porrò est quem sua sanctitas nè vinceretur sustineret, nisi homo Deus?

17. *Indutus est justitiâ*] Vel *& induit justitiam, sicut thoracem.* Ad hunc alludens Paulus locum reddidit, *Induti θώρακα*, i. *thoracem justitiæ. Indutum* hîc inducit Dominum *justitiâ* & *salute*, *vindictâ* & *zelo*: & pro *thorace* quidem *justitiâ*, pro *galea salute*, pro imis *vestibus vindictâ*, pro *pallio zelo*. Reconditam autem sub *vindicta* & *zelo* gestari *justitiam* insinuavit, quâ fretus, ut superiori versu dixerat, rem totam confecturus erat. *In capite* gestabat *salutem*; nam *caput Christi Deus*: in oculis hominum *zelum* exhibebat; totus enim in peccatum & hostem humani generis ferebatur: aliquantulùm occultior erat *vindicta*; non enim quantum esset perditurus, nisi signis quibusdam ostendebat; erat itaque intimè justus, ut me justificare, & nemo eum dejicere posset. *Salutem* in capite gestabat; quia nihil antiquius hominum salute ducebat: *vestimenta* erant *vindicta & zelus*; quia totâ vitâ & in omnibus actionibus reducebat zelus gloriæ Patris. *Non* enim *quærebat gloriam suam*, sed honorificabat Patrem; & huc omnia dirigebat, ut nos, in hostes vindictam exercens, assereret. Nomine enim *indumenti vestium* & *pallii* significant Scripturæ quod in homine multum est atque exuberat. *Vestimentum salutis & gloria induere* est totum salvum & gloriosum reddere. *Induere Christum* est Christum in omni nostra actione exprimere. *Pallium laudis* est valde laudare, & totos dies laudes celebrare: ut intelligas totam Domini JESU vitam, zelum & vindictam spirasse; ex nostri amore & gloriæ patris zelo, hostem imperio deturbasse, peccatum abegisse, mortem delesse, ut ubique & in omnibus obtineret fides, veritas, charitas, pax, justitia, gaudium, & cætera quæ sunt Regni Dei. Facessant ergò hinc Judæi: nam nos non aliter volumus S. literas intelligere quàm juxta rectam fidem, & alios Scripturæ locos, & scripta Apostolorum ac sanctorum Patrum qui Spiritu Dei præditi fuere.

18. *Sicut ad vindictam, quasi ad retributionem,* &c.] Variæ sunt hîc versiones atque interpretationes, quas apud alios videre licebit: ego eam quæ simplicissima videtur apponam, verbum verbo reddens. Sic igitur verti potest locus, *Juxta retributiones*, i. juxta ea quæ ab hostibus acceperunt homines, sic retribuet: sicut in Psalmo, *Beatus, qui retribuet tibi retributionem quam tribuisti nobis.* Ubi eisdem verbis & nominibus utitur. Est autem non semper *retribuere* Aliud pro alio, sed Simpliciter tribuere. Significat ergò, quòd juxta ea quæ ab hostibus nobis illata sunt, sic cum eis sit acturus Dominus, illisque vicem redditurus. Spoliaverant nos, spoliabuntur; occiderant, occidentur; captivos duxerant, captivi erunt; servire fecerant & servitute durâ presserant, illam ipsam experientur. Illos autem vocat *hostes suos*, qui erant hostes hominis. Quid retribuet? ¶ *Ardorem hostibus suis*] Furorem, & ea quæ furor solet ministrare, damna, mortem. ¶ *Retributionem inimicis suis*] Quis enim ignorat quòd mortem occiderit, peccatum enervaverit, diabolum hostem antiquum delumbaverit? Sed quid est ¶ *Insulis vicem reddet?*] Hæc verba coegerunt Interpretes ut de hostibus populi Dei superiora intelligerent. Sed non video cur dura videatur expositio, si cùm de perditione hostium Dei loqueretur Propheta, & quòd *illis* esset *vicem redditurus*, quandoquidem hæc *vindicta* in utilitatem hominum cederet, neque aliud esset diabolum mundo pellere quàm gentes quæ idolis serviebant ab eorum cultu desistere, & peccatum perdere nihil aliud esset quàm gentes justitiâ & sanctitate imbuere; cur dura, inquam, videatur expositio, si dixerimus *insularum*, i. gentium remotissimarum, meminisse, quòd essent istis hostibus subjectæ & eorum partes foverent: ut *insulis retribuere* sit deos populorum perdere, eos disciplinâ salutari coercere, alios eis mores, aliam vitæ rationem contrariam ei quam hactenus secuti sunt imperare. Planè *gentibus vicem rependit*, quia ad unius Dei cultum eos adegit, ut ei tantùm deservirent in quem semper fuerant blasphemi. Putarem igitur in verbis *retribuere* & *retributio* quodammodo Prophetam ludere, ut primò de redditione mali pro malo intellexerit, deinde de retributione boni pro malo, eò quòd retributio illa mali in hostes tam Dei quàm hominum, non esset sine retributione bonorum pro ingentibus peccatis: quod jam exponit, sequitúrque aptissimè,

19. *Et timebunt qui ab Occidente,* &c.] Vel *à deserto*, quod quia situm erat ad Occasum Palæstinæ pro Occasu accipi solet: vel מערב *ea cæli regio* dicitur *quæ ad vesperam* spectat, ubi dies cum nocte miscetur. ¶ *Cùm venerit quasi fluvius violentus,* &c.] Non dubium quin Hebræa hanc patiantur interpretationem. Nam צר potest accipi adjective, q. d. *hostilis, ex adverso veniens, & ad opprimendum currens* seu *violentus*, ut Vulg. dixit, satis accommodè. At pro *fugere cum eo* dixit Vulg. *cogit*: nam hoc experimento didicimus, si cùm fluvius præceps decurrit, ventus quoque ab eâdem parte emissus quasi cum aquis ipsis fugiat, multò vehementior est aquarum impetus quàm si ex opposito flaret, aut nullus esset. Adventum itaque Domini, juxta hanc interpretationem, rapidissimo Flumini comparat, cujus impetus vento adjutus obvia quæque prosternit, ut nihil sit quod ejus impetum possit sustinere, aut cursum impedire, aut adverso fluxu navigare. Quæ omnia, si impetum Euangelii Christi consideres, quod totum orbem brevissimo tempore prætervolavit, quod regna subvertit & *omnem altitudinem extollentem se dejecit*, & universum orbem *ad obediendum fidei* coegit, verissima esse cognosces: favor enim & vis Spiritûs Domini prædicationem Euangelii comitabatur. *Prædicabant* namque Apostoli *ubique, Domino cooperante, sequentibus signis; & virtute multâ reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Domini.* Lege epistolas Pauli & Acta Apostolorum, videbísque impetum fluminis & Spiritûs Sancti, cui neque *adversariæ potestates potuerunt resistere.* Inquit itaque Propheta, quòd tunc extremi orbis insulæ nomen Domini timerent, quando hic impetus fluminis advenisset. Hic certè est *qui lætificat civitatem Dei*, & majestatem Domini colere fecit in toto orbe. Quòd si כי rationem reddat, ut solet, significat Occidentales populos iccirco prædicationi Euangelii obedisse, quia vim Spiritûs sentiebant. Hæc enim est quæ mentes excitat, concitat, compellit, fidem & obedientiam extorquet, non frigidæ orationes ex algente pectore, quales hodie, pro dolor! habemus in Ecclesia. In omnibus autem locis N. Testamenti, in quibus aut de vi Euangelii, aut imperio fidei, aut de cursu Euangelii, aut de virtute Apostolorum, cui non erat qui resisteret, fit sermo, putato ad hunc Prophetæ locum fieri allusionem. Si autem hæc interpretatio placeat, sic ad verbum reddere poteris locum, *Timebunt*, &c. *quando venerit, tanquam fluvius arctatus, Spiritus Domini fugit cum eo*, i. quocum ventus ingens simul labitur & præceps currit. Alteram nihilominus interpretationem apposui, quòd non inepta sit. צר enim pro *hoste* accipi potest, & verbum נסס pro *elevari*. Sensus ergò erit, Quando hostis ut fluvius venerit, ut videlicet impediat ultionem illam Domini, & nè gentes Deum timeant, Spiritus Domini elevabitur in eum, ut vim ejus impediat. Sed angustior est prior interpretatio, posterior autem satis apta est, & sequentibus non minùs convenit.

20. *Et venit in Sion,* &c.] Hic certè decipi possunt Judæi, putantes Deum, expugnatis gentibus gladio, & magnis affectis cladibus, in Tsione visibili per Messiam regnaturum, collocatis in eis sedibus Judæis undique collectis, & ex vi hostium ereptis: sed si oculos haberent, intelligerent vel ex hoc loco Euangelii veritatem. Quorsum enim pugnaturus contra gentes *galeam salutis & thoracem justitiæ* acciperet? Rursus, quare in superioribus non oppressiones Judæorum, aut tyrannidem quam gentes exercent in eos commemoravit; sed totus in hoc fuit, ut scelera & iniquitates Israelitarum exponeret? Deinde quas hîc adversùs gentes victorias, quas strages vides referri? *timerène nomen Domini & gloriam ejus?* Hoc passim pro magno munere ipsis etiam Israelitis promittitur. Quare nobiscum agnoscant iram istam & zelum Domini esse adversus hostes humani generis, *justitiam* autem & *salutem* nobis omnibus à Domino oblatam; hanc denique esse *Tsionis redemptionem & salvationem*, multarum videlicet gentium ad agnitionem veri Dei conversionem. Quamobrem aptissimè sequitur, *Veniet Tsioni redemptor*, &c. cui facit quod sequitur, ¶ *Et iis qui redeunt ab iniquitate in Jacob*] i. Jacobitis qui ab iniquitate convertuntur,

tur, *Veniet Redemptor*, ut intelligant Redemptorem nihil commodi allaturum Messiam nisi illis qui peccata deserunt: neque aliam captivitatem tollendam per Christum quàm peccati. Quod quia illi nequaquam credere volunt, miserè pereunt & *in peccatis suis moriuntur*, ut dicit Dominus. Sed ipsos quoque hic locus redarguit, præsertim si abrasis punctis sic vertas, *Veniet*, inquit, *Tcioni redemptor*, *& Jacobitis captivis peccati*. Nam notum est שבי, si à verbo שבה accipias, notare *captivitatem*: de quo jam in fine primi capitis nonnihil diximus, ubi est alter huic locus similis, *Tcion in judicio redimetur*, *& captivitas ejus in justitia*, vers. 26. Non enim video quo pacto *redeuntes transgressionis* dicantur, ut Hebræa habent, qui ab iniquitate redeunt. Quare puto hoc loco, & illo primi capitis nobis à Judæis impositum fuisse, nè cogeremus eos fateri redemptionem Tcionis esse spiritalem. In hunc certè usum erat *super caput* redemptoris *salus*: nihil enim antiquius ducebat salute nostra in pectore *justitiam* sibi & nobis afferebat, & prælia nostra contra peccatum ipse præliabatur, justus & justificans. Miseri sunt, qui hanc redemptionem contemnunt: & propter hoc additum puto, *Fidelis sermo Jehova*, quod omni acceptione sit dignissimus, & fide & amore, ingentique religione suscipiendus.

21. *Hoc fedus meum*] Heb. *& ego*, *hoc fedus meum*: quod vel est Jurantis, vel est quasi dicat, *ego sum*, *qui isthæc loquor*: *ego ille sum redemptor*, *qui ab iniquitate redimo*; vel *& hoc est fedus meum*, *quod ego cum eis ferio*, i. istæ sunt promissiones federis, nempe ut non auferat Spiritum suum & mentem suam à Tcione, i. ab Ecclesia: non quæ initio fuit tantùm, sed quæ in futurum erit, neque *ab ore ipsius*, à pastoribus videlicet & rectoribus ejus qui tum erant, & *successoribus ipsorum in sempiternum*. Hoc summopere necessarium erat, alioqui parùm profuisset redemptio. Oportuit itaque unam esse Ecclesiam, in qua perpetuò Spiritus Domini resideret, quæ decipi in rebus ad salutem necessariis nequaquam posset. Et licèt ipsi ministri malè vivant, simul tamen juncti, & quatenus Ecclesiam unam constituunt, sensu Domini non destituuntur. Hoc est Dei fedus, hæ promissiones quas Lutherani infringere non poterunt. Nam Ecclesia Romana est quæ à tempore Apostolorum perpetuâ Pontificum serie Spiritum hunc Domini habuit, licèt aliqui ex eis perditè viverent: in qua etiam semper idem fuit sensus, eadem fides, eadem semper fuerunt Dei verba. Hoc est ipsum fedus; quod si quis neget, fedus Dei abnegat & infringit, & venisse Deum negat. Neque enim si venisset & abiisset, & sic rem non disposuisset, adventus ejus parùm admodum nobis utilitatis attulisset, dum quisque sensum suum pro sensu Christi afferret, & tot essent sententiæ quot capita, ut nunc in quibusdam provinciis, magno cum animi dolore, magno etiam totius reip. Christianæ malo, experimur. Ad *Tcion* autem referenda sunt verba hæc & promissiones istæ, de qua præcedenti versu. Quòd si ad *Redemptorem* referre velis, idem sensus est: *semen* enim Christi sunt Apostoli ipsius, & *semen seminis* ejus sunt successores eorum in Ecclesia Catholica & Apostolica. Et ob hanc promissionem sancti Patres ad versus hæreticos decertantes perpetuam in Ecclesia Romana seriem Pontificum narrant, qui semper eundem sensum habuere: quod in Ecclesiis suis hæretici ostendere non valent; siquidem negare non possunt aliud se, aliud patres suos credidisse: neque Pontifices, qui ante quinquaginta annos Ecclesias Germaniæ gubernarunt, Spiritum illum habuerunt quem nunc plures ipsorum habent, quo multò alia sentiunt nunc ab illis. At patres istorum fidem eandem tenuerunt quam Apostoli & successores eorum tenuere, ut ex serie Pontificum & fidei & Conciliorum patet. Ergò non sunt Ecclesia Christi, quæ eundem Spiritum & eadem verba semper habuit. Ità pugnabant cum hæreticis Patres; ità & nobis nunc agendum est, ut id credamus quod semper, quod ubique, quod omnes; & à novitatibus in fide caveamus, ut federis Christi participes simus.

DRUSIUS.

5. וַהֶאֹכֵל מִבֵּיצֵיהֶם יָמוּת. Οἱ λοιποὶ, ὁ ἐσθίων ἐκ τῶν ὠῶν αὐτῶν, ἀποθανεῖται, *qui comederit de ovis eorum*, *morietur*. Eusebius. ¶ אֶפְעֶה. A. *viperam*. Sym. Th. *aspidem*] Hier. & quod confotum est, inveniet regulum, *sive juxta Sym. & Th.* aspidem. *Aq. autem viperam posuit*, *pro qua in Ebraico legitur* אפעה.

19. כַנָּהָר צָר רוּחַ יְהוָה נֹסְסָה בוֹ. A. *quasi flumen angustum*, *spiritus DOMINI signaculum ejus*. Th. *quasi fluvius oppugnans*, *spiritus DOMINI signatus est*] Hieronymus.

20. גּוֹאֵל. * ἀγχιστεὺς *propinquus*] Hier. *Veniet Christus qui redimet Sion sanguine suo*, *sive juxta Ebraicam proprietatem*, qui propinquus est Sion, *& de Israel stirpe generatus sit. Hoc enim* גואל, *i.* ἀγχιστεύς, *sonat.*

21. בְּרִיתִי. Omnes, *fedus meum*] Hier. Hoc fedus meum cum eis, *sive pactum*, *ut omnes alii transtulerunt*; *aut* διαθήκη, *i.* testamentum, *ut posuere LXX.*

IDEM EX PROCOPIO.

5. הָאֹכֵל מִבֵּיצֵיהֶם יָמוּת. Οἱ λοιποὶ, ὁ ἐσθίων ἐκ τῶν ὠῶν αὐτῶν, ἀποθανεῖται, *qui comedit de ovis eorum*, *morietur*. ¶ וְהַזּוּרֶה תִּבָּקַע אֶפְעֶה. A. καὶ τὸ θαλφθὲν ἐῤῥάγη ἔχιδνα, *& quod fotum est erupit in viperam*. Sym. τὸ δὲ συνεσφιγμένον ἀποῤῥαγὲν ἔσται ἀσπίς, *quod autem convolutum est*, *ubi fractum fuerit*, *aspis erit*. Th. τὸ θαλφθὲν ἐῤῥάγη ἀσπίς, *quod fotum est erupit in aspidem*.

6. וּפֹעַל חָמָס בְּכַפֵּיהֶם. Th. καὶ ἔργον ἀδικίας ἐν χερσὶν αὐτῶν, *& opus injustitiæ in manibus eorum*.

7. וִימַהֲרוּ לִשְׁפֹּךְ דָּם נָקִי. Οἱ λοιποὶ, ταχινοὶ ἐκχέαι αἷμα ἀναίτιον, *veloces ad effundendum sanguinem innoxium*. ¶ אָוֶן. ἀφρόνων. Sym. ἀνομίας. Th. ἀδικίας *iniquitatis*. A. ἀνωφελοῦς *inutilis*.

8. לֹא יָדָעוּ. οὐκ ἔγνωσαν, *non noverunt*.

9. נְהַלֵּךְ. A. Th. Sym. περιπατήσομεν *ambulabimus*.

10. נְגַשְׁשָׁה. Sym. διαψηλαφήσομεν *palpabimus*. Th. ψηλαφήσουσι *palpabunt*. Vide Procopium.

11. כַּיּוֹנִים הָגֹה נֶהְגֶּה. Sym. Th. ὡς περιστερὰ μελέτῃ μελετήσομεν, *ut columba meditatione meditabimur*. A. ὡς περιστερᾶς φθογγῇ φθεγξόμεθα, *tanquam columbæ vocem emittemus*. ¶ נְקַוֶּה לַמִּשְׁפָּט וָאַיִן לִישׁוּעָה רָחֲקָה מִמֶּנּוּ. Sym. Διὰ τοῦτο μακρὰν ἐγένετο κρίσις ἀφ᾽ ἡμῶν· προσδοκήσομεν εἰς φῶς, καὶ ἰδοὺ σκότος, *Ob id longè factum est judicium à nobis*: *expectabimus lucem*, *& ecce tenebræ*] Hæc non respondent verbis Ebraicis; quocirca dubito an huc pertineant: aut potiùs non dubito; nam pertinent ad versum nonum, עַל כֵּן רָחַק מִשְׁפָּט מִמֶּנּוּ נְקַוֶּה לָאוֹר וְהִנֵּה חֹשֶׁךְ Διὰ τοῦτο μακράν, &c. προσδοκήσομεν εἰς φῶς, &c. Nihil verius.

13. פָּשֹׁעַ וְכַחֵשׁ בַּיהוָה. Sym. Ἔγνωμεν ἀδικεῖν καὶ ψεύδεσθαι τῷ Κυρίῳ, *Novimus injustè agere & mentiri adversus DOMINUM*. A. --- ἀρνήσασθαι ἐν Κυρίῳ, *negasse DOMINUM*. Ad textum in margine est, *A. Th.* ἐν ΠΙΠΙ. Sic olim scribebant literas Nominis tetragrammati, quas *PIPI* legebant ob elementorum similitudinem. Qua de re aliás. ¶ מֵאַחַר. A. ὄπισθεν. Sym. Th. ἀπὸ ὄπισθεν *de post*.

16. וַתּוֹשַׁע לוֹ זְרֹעוֹ. Quidam καὶ ἔσωσεν αὐτῷ βραχίων αὐτοῦ, *& servavit sibi brachium suum*. ¶ וְצִדְקָתוֹ הִיא סְמָכָתְהוּ. καὶ τῇ δικαιοσύνῃ αὐτοῦ ἐπεστηρίσατο, *& justitia ejus confirmavit*.

18. לָאִיִּים גְּמוּל יְשַׁלֵּם. Th. Sym. ταῖς νήσοις ἀνταπόδομα ἀνταποδώσει, *insulis retributionem retribuet*.

19. כִּי־יָבוֹא כַנָּהָר צָר רוּחַ יְהוָה נֹסְסָה בוֹ. A. ὅτι ἐλεύσεται ὡς ποταμὸς * πνεῦμα Κυρίου σύσσημον ἑαυτῷ, *quia veniet ut flumen Spiritus DOMINI commune signum sibi*. Sym. ἥξει ὡς ποταμὸς θλίβων, τὸ πνεῦμα Κυρίου ἐπείγει καὶ ἥξει, *veniet tanquam fluvius premens*, (sive *affligens*) *Spiritus DOMINI urget & veniet*. Th. ἥξει γὰρ ὡς ποταμὸς πολιορκητής, πνεῦμα Κυρίου ἐσημειώθη ἐν αὐτῷ, *veniet enim tanquam flumen poliorcetes*, *Spiritus DOMINI signatus est in eo*] Πολιορκητής, *urbium obsessor*, *qui urbes obsidet & capit*, *expugnat*. Verbum צור in Ebræo id aliquando significat. Sanè מצור est πολιορκία, i. *obsidio*, seu *obsessio*.

20. וּבָא לְצִיּוֹן גּוֹאֵל. A. Sym. Καὶ ἥξει τῇ Σιὼν ἀγχιστεύων, *Et veniet Sioni propinquus*] Gen. 48. 16. הגואל. Schol. ὁ ἀγχιστεύς. Sic Ruth. 4. 8. Sed & Levit. 25. 25. גאלו Lxx ὁ ἀγχιστεύων. ¶ וּלְשָׁבֵי פֶשַׁע בְּיַעֲקֹב. Sym. καὶ τοῖς ἀποστρέψασιν ἀσέβειαν ἐν Ἰακώβ, *& iis qui aversati sunt iniquitatem in Jacob*. A. καὶ τοῖς ἀποστρέψασι ἐν Ἰακώβ, *& iis qui aversati fuerint prævaricationem in Jacob*.

21. אָמַר יְהוָה. Sym. εἶπε Κύριος.

GROTIUS.

1. *Ecce non est abbreviata manus Domini ut salvare nequeat*] Cohæret hic sermo cum superiori. Idem sensus qui suprà L. 2. Deus nec imbecillior factus, nec surdior.

2. *Sed iniquitates vestræ diviserunt inter vos & Deum vestrum*, *& peccata vestra absconderunt faciem ejus à vobis nè exaudiret*] Crimina vestra impediunt nè preces vestræ pro libertate recuperanda à Deo exaudiantur. Illi enim neque potentia ad hoc deest, neque bonitas.

3. *Ma-*

3. *Manus enim vestræ pollutæ sunt sanguine*] Cædibus innocentum.

Et digiti vestri iniquitate] Rapinis & furtis.

Labia vestra locuta sunt mendacium] Falsa testimonia.

Et lingua vestra iniquitatem fatur] Calumniatur.

4. *Non est qui invocet justitiam*] *Nemo est* qui vocem liberam pro causa justa emittat. Cùm dicit, *Nemo est*, intelligere debemus paucos Manassis tempore & sequentibus viros bonos fuisse. Confer cum hoc loco Psalm. XIV. 3. ex quo loco, & hoc quem nunc habemus in manibus, additis & aliis Psalmorum particulis, conflatus est locus Pauli ad Roman. III. 11. & sequentibus, adaptatusque Pauli temporibus, simili cum αὐξήσει [*augmento*] & ὑπερβολῇ [*superjectione*].

Sed confidunt in nihilo, & loquuntur vanitates] Dolis malis rem quærunt, de qua se jactant.

Conceperunt laborem, & pepererunt iniquitatem] Vide Job. XV. 35.

5. *Ova aspidum ruperunt*] Id est, excludunt. Pessima cogitata produxerunt in actus.

Et telas araneæ texuerunt] Nulli rei utiles, ut sequitur 6. Vide Job. VIII. 14.

Qui comederit de ovis eorum morietur] Id est, qui illorum consilia probabit, exitium sentiet.

Et quod confotum est erumpet in regulum] In Hebræo, *At si quis comprimat, exibit pullus:* id est, nihil ipsi nocebit. Ità videtur hic sumsisse Chaldæus: nam אפרוח aut אפרוחין sunt *pulli*.

6. *Opus iniquitatis in manibus eorum*] Sensus est, *Opus puniens*, ipsos scilicet: nam און etiam pro *pœna* sumitur, ut Psalm. VII. 17. & alibi Græcis vertitur ταλαιπωρία [*miseria*] & πένθος [*luctus*]. Sunt enim hîc perpetua ἀντίθετα [*opposita*] mali consilii & infortunati eventûs.

7. *Cogitationes eorum, cogitationes inutiles*] Vanæ, nihil ipsis profuturæ.

Vastitas & contritio in viis eorum] *Et* pro *quia*. Sensus est: quia ea moliuntur quæ contra jus sunt.

8. *Semitæ eorum incurvatæ sunt eis*] Tortuosa sunt eorum consulta.

Omnis qui calcat in eis ignorat pacem] Qui ea sequitur, infelix erit.

9. *Propter hoc elongatum est judicium à nobis*] Populum captivum hîc loquentem inducit Esaias. Hæ sunt causæ, ajunt illi, cur Deus nos non vindicet. Nam משפט sæpe vertitur ἐκδίκησις [*ultio*], Exod. VII. 4. XII. 12. Num. XXXIII. 4. Ezech. XIV. 21. XVI. 38. 41. XX. 4. XXIII. 10. 45. XXV. 11. XXX. 14.

Et non apprehendet nos justitia] Id est, Cur Dei beneficentia ad nos non perveniat.

Exspectavimus lucem] Libertatem.

Et ecce tenebræ] Manet calamitas.

10. *Palpavimus quasi cæci parietem*] Bene descripsit cæcorum morem. de quo vide Quintilianum in *Pariete palmato*. Sensus est, Nihil nobis certi est: sumus ἀστατοῦντες [*incerti laris*], ut loquitur Paulus.

Impegimus meridie quasi in tenebris] Ubique positæ nobis sunt offensæ.

In caliginosis quasi mortui] In Hebræo, *In sepulchris sicut mortui*. Id est, ut Chaldæus exponit: *ità conclusi undique tenemur ut mortui in sepulchris suis*.

11. *Exspectavimus judicium*] Vide suprà 9.

12. *Peccata nostra responderunt nobis*] Testimonium contra nos dicunt; nam ענה [*respondere*] & hoc significat: nimirum quia testes adjurati & interrogati respondebant. Vide suprà III. 9. Sicut ad verba testium condemnari solent rei, sic nos ex ipsa criminum evidentia.

Quia scelera nostra nobiscum] Undique se nobis ostendunt.

Et iniquitates nostras cognovimus] Id est, agnoscere cogimur. Earum enumeratio sequitur.

13. *Peccare*] In Hebræo est פשע, quod est *præfractè legem transgredi*.

Et mentiri contra Dominum] Falsum jurare.

Et aversi sumus] Hic quoque in Hebræo infinitivum est *averti*.

Ut loqueremur] Et hic est *loqui*.

Et transgressionem] סרה ἀποστασίαν [*defectionem*].

Et locuti sumus de corde] In Hebræo, *Meditari*.

14. *Et conversum est retrorsum judicium*] Corrupta sunt judicia, quæ Judæi in Judæos ex concessu Regum exercebant.

Corruit in platea veritas] Rectiùs, *in foro*.

Et æquitas non potuit ingredi] A foro exclusa est.

15. *Et qui recessit à malo prædæ patuit*] Vir innocens ad omnium injurias patet.

16. *Et vidit quia non est vir*] *Vidit esse neminem*, nempe qui preces serias ad Deum funderet, ut sequitur.

Aporiatus est] *Obstupuit*.

Quia non est qui occurrat] *Deprecetur*, ut hîc Chaldæus.

Et salvavit sibi brachium suum] Hæc indicativa per modum subjunctivum exponenda sunt: *ut suo brachio eum servet*.

Et justitia ejus ipsa confirmavit eum] *Et bonitate suâ ipsum stabiliat*.

17. *Indutus est justitiâ ut loricâ*] Ut per justitiam tutus sit velut loricæ præsidio, nempe si quis esset Deum orans, ex superioribus.

Et galea salutis in capite ejus] Ut salvus sit in periculis quomodo galeati in prælio.

Indutus est vestimentis ultionis, & opertus est quasi pallio zeli] Ut Deus ipsum protegat, vindictam sumendo de oppressoribus, ut sequitur.

18. *Sicut ad vindictam quasi ad retributionem indignationis hostibus suis, & vicissitudinem inimicis suis: insulis vicem reddet*] Vertas ex Hebræo, *Sicut pro factis, sicut pro* (ipsis, inquam, factis) *reddit* (aliquis) *iram hostibus suis, & recompensationem inimicis suis, sic* (Deus) *redderet vicem insularibus:* id est, Mesopotamiensibus, nempe si essent qui orarent.

19. *Et timebunt*] Timerent Gentes Dei potentiam.

Cùm venerit quasi fluvius violentus, quem spiritus Domini cogit] Superveniret illis Dei potentia ità subitò, sicut Euphrates interdum ventis impulsus terras obruit. Ità hîc Chaldæus optimè. Solitam enim præcipiti Euphratis cursu Babyloniam infestari testis est Plinius v. 26.

20. *Et venerit Sion redemtor, & eis qui redeunt ab iniquitate in Jacob, dicit Dominus*] Secundum *&* est positum pro *nempe*, ut sic habeat locus: *Veniet Sioni liberator, nempe illis qui in Jacobo* (id est, inter Israëlitas) *ab iniquitate se converterint*, ad Deum scilicet. Is liberator est Cyrus, figura Christi. גאל propriè quidem *redimere jure propinquitatis*; sed per κατάχρησιν [*abusionem*] *quovis modo liberare*.

21. *Hoc fœdus meum cum eis*] Cum illis qui conversi fuerint.

Spiritus meus qui est in te, & verba quæ posui in ore tuo] Id est, *Prophetia*, ut hîc interpretatur Chaldæus: sermo à Spiritu Dei profectus.

Non recedet de ore tuo, & de ore seminis tui, dicit Dominus, à modo usque in sempiternum] Id est, ità implebitur ut semper ejus memor sit futura posteritas.

CAP. LX.

MUNSTERUS.

1. Surge & splendesce, Omnia verba hujus capitis diriguntur ad Jerusalem, per quam Ecclesia Christi significatur, atque ideo omnia pronomina scribuntur in feminino genere. Significatur autem per *lucem* & *lumen*, Euangelium ipsum, quod per verbi ministerium asserit Propheta subitò ad Gentes propagandum. *Surge*, inquit, *à peccatis ut illumineris, quia venit lumen tuum, & gloria Domini tibi oblata est: sed & Gentes venient ad lumen tuum:* quod significat Mosen omnino abrogandum, & Christi Euangelium coruscaturum, extra quod omnia *tenebræ* sunt.

4. *Quæ in latere sunt, fovebuntur*] h. e. Quæ propinquæ & ad latus sunt, sicut pueri ab obstetricibus, sic illæ suaviter gestabuntur.

5. *Copia maris*] Sensus est, *Quando multitudo hominum quasi mare sonans ad te confluxerit, & facultates suas apportaverint ad juvandam Ecclesiam, dilatabitur cor tuum, &c. Sebaitæ portabunt aurum & thus, & habitatores Kedar & Nebaioth pecora, atque qualibet regiones mittent ad te de facultatibus suis, ut offerant Christo in pauperibus suis*.

8. *Qui ut nubes volant*] Comparat Apostolos Nubibus propter fructus & efficaciam verbi, comparat & Columbis propter velocem cursum, quasi dicat, Nos Prophetæ hîc ceu in angulo quodam delitescimus, at tempore Euangelii unus Apostolus totum terrarum orbem replebit.

10. *Exstruent filii alieni muros tuos*] Hi *muri* Ecclesiæ sunt boni & fideles Pastores, qui Ecclesiam Christi muniunt verbo Dei.

11. *Aperientur portæ tuæ jugiter*] Significat Ecclesiam Christi in summa esse securitate, quantum attinet ad spiritum. Sunt etiam *portæ* ejus *apertæ*, ut Gentibus passim pateat introitus.

Et

Et omnes Gentes & regna quæ hanc Ecclesiam persequuntur & ei non serviunt, peribunt.

16. *Suges lac gentium*] Alent, inquit, Gentes & Reges Ecclesiam omnibus quibus possunt officiis, defendent & juvabunt fideles.

17. *Oppressionem tuam pacem*] Est hîc פקדה propriè *tyrannica præfectura*, & חמס *violenta depradatio*.

19. *Non erit sol ampliùs in lucem*] Christiani, inquit, in spirituali vivunt regno, ideo alio quàm hoc corporali egent sole, qui scilicet radios suos in cor transfundat, & hic est Christus & verbum ejus, quo illuminantur corda per fidem. Et quando subditur, *Non occidet sol*, id maximè implebitur in resurrectione justorum.

21. *Omnes justi erunt*] Credentes scilicet in Christum, quòd morte & merito ejus liberati sint à peccatis. Per hoc enim justitia Christi fit justitia nostra, & in Christo efficimur justi, qui apud nos peccatores sumus.

22. *Parvus erit in mille*] Contractum fuit initium Ecclesiæ, sed crevit in multa millia.

VATABLUS.

1. ILluminare אורי] *Splendesce*: i. da operam ut recipias lucem.

4. *Venerunt tibi* באו לך]. *Ut veniant ad te*.

5. *Et illuminaberis* ונהרת] *Et splendebis*: i. in magno splendore eris. ¶ *Timebitque* ופחד] *Obstupescétque*. Alii, *diffluetque*.

8. *Ad fenestras suas* אל ארבתיהם] i. Columbarii sui.

9. *Tharsis* תרשיש] i. Nautæ venientes ex Tharsis sperabunt in me, & venient ad te, ut olim faciebant tempore Solomonis. Alii, *maris*: vel *marinæ*. ¶ *Nomini* לשם] *Ad nomen*, sub. *glorificandum*.

10. *Et in beneplacito meo* וברצוני] *Et in clementia mea*. Alii, *& in reconciliatione mea*: i. cùm rediisti mecum in gratiam.

11. *Fortitudinem* חיל] *Robur*. Alii, *opes*. ¶ *Adducantur* נהוגים] *Ducti*: i. qui se patientur duci, feroces alioqui, & qui se duci non patienter ferrent.

12. *Vastando vastabuntur* חרב יחרבו] *Desolando desolabuntur*: i. omnino vastabuntur, vel desolabuntur.

13. *Et locum*, &c. ומקום רגלי אכבד] *Nam locum pedum*, &c. Alii, *& ut locum pedum meorum glorificem*.

14. *Curvando se filii affligentium te* שחוח בני מעניך] Cum *incurvatione filii eorum qui te affligebant*. *Incurvatione*: i. demisso ac dejecto vultu in terram. ¶ *Super plantas* על כפות] i. Vestigia plantarum. Quidam, *ad vestigia*.

15. *Generationis & generationis* דור ודור] i. Duraturam per multas ætates ac secula.

17. Prò *præfectis tuis* פקדתך] Pro *præfectura tua*: i. pro illis qui præficientur tibi ut exigant à te tributa, dabo tibi homines amantissimos pacis & justitiæ: q. d. *pro afflictione dabo tibi summam pacem*. Doctus inter Hebræos vertit, *tributum tuum pacem*: i. pro tributo quod præfectis impendis, dabo tibi pacem, non solves ultrà tributum.

18. *Rapina* חמס] *Injuria*. ¶ *Vastitas & contritio* שד ושבר] *Vastitas & oppressio*: vel, *conquassatio*. Alii, *depopulatio & contritio*. ¶ *Et vocabis*, &c. וקראת ישועה] i. In muris tuis erit summa pax, in portis verò canentur laudes Domino. Chaldæus paraph. *& evenient redemptiones muro tuo, & in portis tuis erunt laudantes*.

20. *Deficiet* יאסף] Ad verb. *recolligetur*: i. postea non obscurabitur.

21. *Virgultum* נצר] Significat *plantam teneram & novellam*, & etiam *ramum*. ¶ *Plantationis meæ* מטעי] *Plantationum*; vel *plantarum*, aut *planta mea*; sive *ejus*: nam varia est lectio Hebræis; מטעו & מטעי.

CASTALIO.

4. TUæque natæ ad latus educabuntur] In sinu, in ulnis.

CLARIUS.

1. SUrge] Omnia verba hujus capitis diriguntur ad Jerusalem per quam Ecclesia Christi significatur. Intelligitur autem per *lumen* Euangelium ipsum, quod per verbi ministerium asserit Propheta subitò ad gentes propagandum. *Surge*, inquit, *quæ hactenus jacuisti in tenebris peccatorum*, *ut illumineris*, *quia venit lumen tuum*, *& gloria Domini tibi oblata est*, *sed & gentes venient ad lumen tuum*: quod significat Mosen omnino abrogandum.

2. *Quia ecce tenebræ operient terram*] Omnes quicunque, sive ex Judæis sive gentibus, in sua infidelitate obduruerint, *tenebræ* undique *cooperient*; apud te una erit lux, ut cùm tenebræ Ægyptum omnem occupavissent, apud solos Israelitas fuit lux.

4. *Ad latus educabuntur*] h. e. Juxta te, sicut cùm nutrices parvulos applicitos lateribus fovent ac gestant, sic hi afferentur multâ patientiâ doctorum.

5. *Multitudo maris*] *Multitudinem maris* vocat multitudinem populorum occidentalium ac maritimorum: *mare* enim Hebræi Mediterraneum mare vocant & occidentem, in cujus littoribus multi populi sunt. Irrumpit enim ab occasu, & ad sinistram habet Hispaniam, Galliam, Italiam, Græciam, Macedoniam, Asiam, Ciliciam: ad dexteram verò, Mauritaniam, Aphricam, Cyrenaicam, Ægyptum usque ad Palæstinam, & in medio multas Insulas, Cyprum, Cretam, Rhodum & alias, & Propheta exponens seipsum dicit, *fortitudo gentium venerit tibi*. Vel, simpliciter, *Quando multitudo hominum quasi mare sonans ad te confluxerit, & facultates suas apportaverit ad juvandam Ecclesiam, dilatabitur cor tuum*, &c. *Sabaita portabunt aurum & thus, & habitatores Cedar & Nabaioth pecora, atque qualibet regiones mittent ad te de facultatibus suis, ut offerant Christo in pauperibus ejus*. Arabiam triplicem ponunt, desertam, petreiam, & felicem, quæ per *Madian* & *Epha* intelliguntur. *Saba* nepos Abrahæ ex Sara, filius Jecsan, similiter & *Madiam* filius Abrahæ ex Cethura, qui Madian Epho genuit, & ex primogenitis Ismaelis nepotes Abrahæ eodem loco recensentur *Cedar* & *Nabaioth*, ut ubique nobis promissio Abrahæ facta inculcetur. Hi autem filii & nepotes Abrahæ, alii alias in oriente sortiti sunt regiones. Josephus tribuit Madiam & Epha Troglodyticem regionem & Arabiam felicem. Per *Saba* & *Madiam* dextram orientis partem accipe: per *Cedar* & *Nabaioth* sinistram, ut sunt Damasceni, Armenii, Assyrii.

8. *Qui ut nubes volant*] Comparat apostolos Nubibus, propter fructus & efficaciam verbi: comparat & Columbis, propter velocem cursum, maximè cùm *fenestras*, h. e. nidos suos repetunt: avis enim est singularis erga pullos affectionis, quo charitas quoque commendatur.

9. *Et naves maris sicut in principio*] h. e. Tempore Salomonis.

10. *Muros tuos*] Hi *muri* Ecclesiæ sunt boni & fideles pastores qui Ecclesiam Christi muniunt verbo Dei.

11. *Aperientur portæ tuæ jugiter*] Significat Ecclesiam Christi in summa esse securitate, quantum attinet ad spiritum: Sunt etiam *portæ* ejus *apertæ*, ut Gentibus passim pateat introitus: & omnes Gentes ac regna quæ hanc Ecclesiam persequuntur & ei non serviunt, peribunt.

16. *Suges lac gentium*] Alent (inquit) Gentes, & Reges Ecclesiam omnibus, quibus possunt, officiis defendent, & juvabunt fideles.

19. *Sol ad lucendum*] Christiani (inquit) in spirituali vivunt regno, ideo alio quam hoc corporali egent sole, qui scilicet radios suos in cor transfundat, & hic est Christus & verbum ejus, quo illuminantur corda per fidem.

21. *Omnes justi*] Credentes scilicet in Christum, quòd & morte & merito ejus liberati sint à peccatis, per hoc enim justitia Christi fit justitia nostra, & in Christo efficimur justi, qui apud nos peccatores sumus.

22. *Minimus erit*] Contractum enim fuit initium Ecclesiæ, sed crevit in multa millia. ¶ *In tempore*] Suo, (inquit) tempore fient. Esaias enim non minùs sexcentis annis ante Christum vaticinatus est.

FORERIUS.

1. SUrge, &c.] Jam de mysterio Christi apertiora decantat Propheta: redimendam Tcion, & captivis peccati adimendum jugum prædixerat sub finem superioris capitis; atque adeò nunquam destituendam Spiritu & mente Dei Ecclesiam ejus: ad eam igitur nunc conversus, miris modis ei congratulatur & ejus felicitatem describit. Nomen autem *Jerusalem* hoc loco ex cantu Ecclesiæ videtur additum: sed planum est quòd de Ecclesia Christi sit sermo. Utuntur autem Hebræi istis Imperativis, *surge*, *vide*, & similibus pro interjectionibus Adhortantium: *surgendi* tamen verbum aptissimè hic apponitur, quoniam de Adventu & ortu lucis loqui incipit. Præcesserat autem nox, quâ cubatur & dormitur: &, *qui dormiunt*, *nocte dormiunt*; *& qui ebrii sunt*, *nocte ebrii sunt*, ut inquit Paulus; &, *Surge, qui dormis, & illuminabit te Christus*. Sciebat enim Propheta multos ex Judæis somno & operibus noctis gravatos

vatos lumen Christi non esse percepturos. ¶ *Illuminare*] *Luce perfundere*, *excipe in cor & intimos mentis sinus*, *retege mentem*, *discute nebulas*, *excipe tanquam speculum lucem*, &c. Adhortatur planè ad illud quod Paulus se & condiscipulos suos facere dicebat, nempe quòd *revelatâ facie gloriam Domini*, *tanquam speculâ*, *reciperet.* Idem enim *lux*, *gloria*, *splendor*, *claritas*, &c. Nitida verò corpora, quæ radiis lucis feriuntur, à luce quam accipiunt in lucem transformantur: undè & Apostoli ad candem imaginem transformati lucem ex sese emittebant, veluti soles quidam: ideóque & *lux mundi* dicti sunt. ¶ *Gloria Domini*] Christi præsentiam, doctrinam & miracula hic notat Propheta; sicut interpretatur Matthæus illud cap. 9. *Populus qui ambulabat in tenebris*, *vidit lucem magnam*, &c. & Paulus loco superiori dicens, *Velamen positum super cor Judæorum*, & *auferendum velamen*, *cùm conversi fuerint ad Dominum*, *ut videre possint claritatem*, satis explicat quæ sit hæc *lux*, nempe *Euangelii gloriæ beati Dei*, quam nè videant impedimento est cæcitas, quâ *Deus hujus seculi excæcavit mentes illorum*, ut alibi Paulus affirmat.

2. *Tenebræ operient*] Magnitudine gratiæ seu beneficii suadere conatur quod superiori versu dicebat. *Nulli*, inquit, *alteri genti Deus tribuit quod tibi tributum est: ecce enim omnia occupantibus tenebris*, *sola tu lumine suæ præsentiæ illustraris*, *ex patribus tuis natus*, *in Judæa ortus & educatus*; *ad te solam missum se testatus*, *talia in te operatur quæ nullus alius fecit.* *Quid cunctaris?* Si hîc sensus placet, futura pro præsentibus accipito, *Operiunt*, *oritur*, *videtur*: puto enim hæc ad Judæos pertinere; ità ut quæ exhortationis sunt ad omnes pertineant, quæ autem magnifica promittuntur, ad eos tantummodo qui verè Israelitæ fuerunt, & Christum susceperunt, ratione quorum Israel dicitur *redemptus*, & Teion *sanctificata & gloriosa*: effecta enim est ex ipsis spiritalis Jerusalem, cui omnia *gloriosa* competunt. Quòd si omnia, tam quæ exhortationis sunt quàm quæ promissionis, ad electos tantùm Israelitas velis pertinere, non repugno: illud enim, *Surge*, *illuminare*, &c. erit, *Fruere luce quâ irradiaris*; *congratulare tibi*, *& gratias agas Deo. Nam universa quæ extra te sunt caligo densissima occupat*, *semperque occupabit: at tu lumine Christi veri Solis irradiata nunquam tenebricosa eris*: & omnia quæ sequuntur huc quoque faciunt. Videtur autem hoc loco esse allusio ad tenebras illas Ægyptiacas, quæ regionem in qua erant Israelitæ non occupabant. Quid si per allusionem ad utrasque dicantur illæ tenebræ, ad quas mittitur qui non habens vestes nuptiis aptas extra convivium ejicitur in Euangelio, *tenebræ exteriores*? Certè quidquid extra Ecclesiam est tenebricosum est: unde fit ut quisquis ab ea ejicitur aut egreditur, ea mox sentiat & faciat qualia ab iis qui in tenebris agunt fiunt ac judicantur. Vide hæreticorum placita & mores. Quid de Mahometanis & Ethnicis, qui extra sunt, dicam? Conveniunt autem hæc superioribus, quia sunt veluti explicatio ejus quod dixerat ult. versu, quòd *Dei spiritus & verba Dei non recederent in æternum* ab Ecclesia.

3. *Et ambulabunt*, &c.] Nè quis putaret solos Judæos lumine Christi illustrandos, Gentes autem semper in tenebris futuras, ait quòd Gentes etiam visuræ essent lumen, & Christi gloriâ fruerentur, sed per Judæos: q. d. quòd si Gentibus lumen impertiatur, non aliud erit quàm quo tu frueris, & ad te primùm destinatum fuit, juxta promissiones Patribus factas. ¶ *In splendore ortûs tui*] Seu *ad splendorem qui tibi orietur*: & hoc est quod habet amplius Judæus quàm Græcus; & hæc est utilitas circumcisionis, Gentes autem misericordiâ adductæ sunt & *insertæ radici pingui*: quæ in sequentibus magis explicantur hoc eodem capite: significatur enim, quòd conversio & illustratio Gentium sit beneficium Judæis exhibitum.

4. *Leva in circuitu*] Si quisquam filius non admodum æquo animo ferat aliorum fratrum nativitatem & insipienter tristetur, pater autem eum velit exhilarare, ac dicat, Mi fili, ecce do tibi alios fratres, qui tibi tanquam seniori serviant; nihil est quòd timeas aut invideas; tui sunt; ex superfluis & iis quæ tu abjeceris induentur; diligent te ut fratres, servient autem ut famuli; quantò plures habueris, ditior ac beatior eris: ità multis in locis cum illa primitiva Ecclesia ex Judæis congregata mihi videtur Dominus agere, sicut in Euangelio, *Fili*, *tu semper mecum es*, *& omnia mea tua sunt*, &c. & hoc præsertim loco. *In circuitu*, circumquaque, ad omnes mundi plagas. Gaudere jubet ob ea quæ secundùm carnem non nihil mœroris illis afferebant, præsertim cùm videret ex Judæis paucissimos sibi adjungi. ¶ *Venerunt tibi*] *Tibi*, *inquam*, *venerunt*: *tui erunt*: *si quid ex hoc illis emolumenti accrescit*, *tibi quoque illud ipsum accrescit*; *tibi enim veniunt*; *tui sunt filii*; *qui dispersi erant*, *neque eos noveras*, *tibi eos congrego.* ¶ *De latere sugent*] Sic omnino legendum est, & sic scriptum ab interprete puto, consentientibus Hieronymi commentariis. Hebr. *Super latus confirmabuntur*, i. educabuntur. Quòd si vim verbi תאמנה exprimere velis, pluribus vocibus explicare oportebit, i. *fideliter*, *tanquam ad latera nutricum educabuntur*; *ut confirmentur viribus*, &c. Puto etiam quòd de filiis idem sentiendum sit: utrumque enim verbum utrisque tribuendum est; quæ eleganter Hebraismus solet distribuere. Dicendum enim foret, *Filii tui & filiæ tuæ de longinquo venient*, *& utrique super latus tuum confirmabuntur.* Vide de hoc verbo suprà cap. 7. *Si non credideritis*, *non stabiliemini*, &c.

5, 6, 7. *Tunc videbis & affiues*] Seu *diffiues*: i. *videns diffiues.* Est autem Hebræis *videre* absolutè positum interdum Gaudii. *Læta*, inquit, *aspicies*, *& tanquam fluvius*, *qui cùm ripas transgreditur latè diffunditur*, *amplificaberis.* ¶ *Quando*] Vel *quia.* ¶ *Conversa fuerit*] Vel *convolvetur*, ¶ *Super te multitudo maris*] Quemadmodum si undæ maris ruptis vallis terram operiant, aut si ingentes aquarum moles in fluvium quempiam convolvantur, redundabit, & diffluens omnia vicina occupabit; ità multitudine transmarinarum gentium ad te veniente, & magno impetu veluti irruente, diffiues; amplificaberis, &c. Possumus autem nomen המון, i. *turba*, seu *strepitus*, vel pro ipsis Hominibus accipere, quos inducit per mare advenientes ad Judæam, nempe Afris, Græcis; Italis; Hispanis: vel etiam pro Divitiis transmarinis, ut Eccles. 5. *Qui diligit argentum*, *non satiabitur argento*: *& qui appetitum habet in copia*, i. divitiis, *non erit proventus*, &c. & Psal. 37. *Melius est modicum justo*, *quàm copia improborum multa*: & sæpe aliàs. Et vox quam *fortitudinem* vertit Vulg. pro *exercitu & robore exercituum* accipi potest, vel pro ipsis *Divitiis strenuitate & labore partis.* Ingentes enim divitiæ per mare tam Indicum quàm Mediterraneum in Phœniciam afferri consueverant, ut ex profanis & sacris historiis manifestum est. Quando etiam omnes mundanæ divitiæ & imperia Ecclesiæ Christi cesserint, omnibus notum est. Quòd si per *Divitias*, *aurum* & *argentum*, & cætera quæ mox commemorat, intelligas vires, ingenium, industriam, artes, scientias, & hujusmodi, quæ veriores divitiæ sunt quàm illæ aliæ, hæc omnia quoque ad Christi Ecclesiam devoluta esse nemo est qui ignoret; quibus ditata Ecclesia per totum orbem dilatata est: & istæ sunt *copia camelorum* & *dromedariorum*, quæ onustæ auro & argento *ex Saba veniunt*, & laudes Jehova euangelizant. Isti sunt greges *ovium* & caprarum ex Arabia, & ex Ismaelitis seu Agarenis, qui hujusmodi gregibus abundabant. De quibus nominibus vide, si vis, Hieronymum hoc loco. ¶ *Ministrabunt*] Passivè accipiendum videtur, *ministrabuntur*, seu *in ministerium* aut *cultum erunt*: quod mox exponit. ¶ *Offerentur*] Heb. *ascendent.* ¶ *Super placabili altari meo*] Sensum vertit: ego Hebraismum retinui, quòd apertus esset, *Super acceptionem altaris mei*, i. super altare mihi gratissimum: vel *juxta acceptationem altaris*; i. quantum quantum altari meo placuerit, ut Voluntas figuratè rei inanimatæ tribuatur. Per has autem nationes quæ infensæ erant Judæis, intelligit omnes quantumcunque legibus ac moribus à sanctitate morum & Deo debita subjectione separatas. Repetendum est autem in singulis membris illud *quando* quod vers. 5. præcessit. *Diffiues*, *quando greges*, &c. Scimus autem quòd Ismaelitæ & Sabæi & cæteræ nationes Christo obedierint, & ad eum qui *plus quàm Salomon* erat venerint. Qui autem fidem Christi amplectebantur, omnia illi libenter offerebant, & dispositioni seu providentiæ Apostolorum omnia committebant: & sat bene secum actum putabant si in gremio Ecclesiæ exciperentur, & *laudes Domini decantare* seu *euangelizare*, tanquam rem suavissimam, summam felicitatem ducebant. Reperiebant enim *thesaurum in agro*, pro quo coemendo tam gregum oves quàm armenta, tam aurum quàm cætera omnia bona non satis dignum pretium reputabant. Contemptu itaque omnium illum sibi acquirebant, non sine ingenti gaudio: quare hîc dicuntur *aurum & argentum deferre*, *& laudes annunciare*, non dicentes cum aliis emptoribus, *Malum est*, *malum est*; sed, *Hoc quod do nihil est*: *quod accipio*, *ingens bonum est*, &c.

8. *Qui sunt*, &c.] Hæc verba possunt referri ad id quod dixerat vers. 5. *Miraberis dicens*, *Qui sunt isti*, &c. Quæ autem interjacent tempus admirationis exponunt: vel certè sunt verba Prophetæ quasi rem jam videntis, & præ gaudio gestientis. Adventum autem gentium *celeritati nubium* comparat, & *columbarum* ad peristereon suum & *ad foramina sua* magno alarum strepitu *convolantium*: ventus properare facit nubes; columbas amor & pullorum desiderium. In plurimis autem qui ad fidem veniebant Spiritûs S. motionem erat videre, qui quasi impellere & propellere ad fidem videbatur: in aliis ingentem amoris vim quem erga eum gerebant à quo adeò se amatos sentiebant.

tiebant. Quod significabat Dominus, *quando*, si *exaltaretur à terra omnia ad se attracturum* dicebat. Hic, quæso, mecum considera, Christiane lector, quàm omnia impedimenta mundi prætervolent illi quos Deus ad se trahit Spiritu seu amore sui, sicut non est in terra qui nubium cursum possit impedire, aut volantes aves retardare, quò minùs quò properant eant. Qui igitur te retineri diutius doles, pete aut spiritum cœlestem, aut Divino ut amore calefias: quo subitò omnia deseras, & ad proprias sedes properes, ubi est vera quies.

9. *Me enim insulæ*, &c.] q. d. Dixi volaturos: nam extremi quique orbis accolæ & transmarinæ provinciæ à me uno pendebunt, & spes suas in me collocabunt; quare ad me properabunt; neque enim alteri rei incumbent, nisi ut me teneant & apprehendant. ¶ *Et naves Tarsis*] Explicat quod paulò obscuriùs dixerat de Nubibus & Columbis, dicens, quòd advehendis filiis Ecclesiæ ex ultimis orbis partibus & regionibus transmarinis deservirent naves onerariæ, quæ extensis velis Avibus & Nubibus possunt comparari, propter celeritatem & non exspectatum adventum. In superioribus autem à nobis jam dictum est de voce *Tarsis* & *navibus Tarsis*. Cæterùm quod sequitur, ¶ *In principio*] Nemo est qui explicat. Video quidem quid alii dicant, sed quàm apposite, judicet prudens lector. Ego certè quæ illi afferunt, quâ ratione verbis Prophetæ conveniant, me fateor non intelligere: neque si suppleamus notam Similitudinis, *sicut à principio*, propterea sensus constabit; neque si ad adventum navium tempore Salomonis cum *argento* & *auro* & *pavonibus* referamus, quòd ità tempore Messiæ advenient, quidquam ad rem dictum existimabo; neque enim verba id sonant, & nimis violenta videtur expositio. Quare postquam diu mecum rem cogitavi, aliter verti posse verba existimavi: ut בראשנה non pro *principio*, ut interdum solet, sed pro *prima*, seu *priori & quæ præcedit*, accipiamus, i. *prætoria navi*; interdum enim *primus* seu *principium* Hebræis non tam temporis aut ordinis sunt nomina quàm dignitatis, sicut etiam *Principes* Capita dicuntur Hebræis, & *principium anathematis* 1 Sam. 15. dicitur *populus accepisse ut sacrificaret*, i. præcipua & meliora, &c. Non ergò abs re fuerit si hanc vocem hic pro Primaria nave capiamus, quam *prætoriam* Latini vocant. Solet autem & cæteras præcedere, & major esse, & Ducem totius classis portare. Ergò per *naves onerarias cum primaria* puto significari integram classem: nec venturam unam aut alteram navem, sed multas, inter quas solet aliqua esse veluti dux & antesignanus in exercitu: quod facit & ad dignitatem filiorum Dei, & ad commendandam multitudinem filiorum adventantium ad Ecclesiam matrem. Ordo itaque verborum hic sit, *Intentæ ad me erunt insulæ*; *naves item onerariæ plurimæ cum primaria*; *& integræ classes mihi erunt intentæ*, *& mihi parebunt ad adducendum*, &c. Hæc autem non juxta literam accipienda sunt, ut ad Palæstinam eundum sit, sed figuratè, nempe quòd undique ad Christum veniendum esset ingenti Gentium omnium desiderio & velocitate: ità etiam & quod sequitur, ¶ *Argentum eorum*, &c.] Nempe quòd omnia sua, quantumcunque pretiosa, libenter ad Dei gloriam impenderent: &, ut est apud Paulum, *si opus esset*, *oculos eruerent*, &c. Omnia enim lucra detrimentum ducit qui ad Christum trahitur, & libenter omnium rerum jacturam facit ut Christum possideat. Quare qui Christo nomen dant, & adhuc lucro inhiant, & cupiditatibus implicantur, nescio quàm verè & ex animo in Christi militiam transeant; hoc enim video esse valde rei quæ geritur consentaneum, *Argentum eorum & aurum eorum cum eis*. Sed quorsum? ¶ *Nomini Domini Dei tui*, &c.] Quasi tunc aliquid pretii habere aurum & argentum & lapides pretiosos existiment, quando in usus glorificationis illius qui omnia condidit impenduntur. Glorificatur autem cultu; prædicatione verbi, subventione pauperum, captivorum redemptione, & hujusmodi aliis, quæ Sacræ literæ & Patrum sanctorum decreta commendant. ¶ *Quia glorificavit te*] Hic insinuatur, quòd in usus Ecclesiæ deferrent aurum & argentum. Quia, inquit, Deus tuus, & qui à te colitur, *te glorificavit*, iccircò quæ tibi offerunt, *nomini Dei & Decori* ejus putant se offerre. Absque dubio hic ordo est, & hunc sensum hæc verba insinuant. Neque enim alibi nomen Domini magnificatur, neque nomini ejus aliquid potest deservire, neque Deo quidquam oblatum quisquam existimet, præterquam in Ecclesia ejus. Quòd si hæretici dicunt apud se Ecclesiam esse; sciant tantùm unam esse Christi Ecclesiam, quam videlicet ille *ornavit & glorificavit*, à qua præsciderunt se universi hæretici. Si enim apud Lutheranos est Christi Ecclesia, quid ni & apud Zuinglianos & apud Calvinistas? Vis scire quæ sit Ecclesia Christi? Vide unde isti omnes se præsciderunt; quæ una est, & Spiritum Dei habet qui non sibi contrarius est; & in qua est verbum Dei, & erit usque in seculum seculi; quam Deus ornavit, in qua colitur, quem cultum in templis vides, quem ignorant hæretici, cultum spiritalem tantùm prætexentes, homines ipsi carnales, qui non nisi carnem sapiunt: isti, ut sunt cupidi & cupiditatum servi, universam Dei glorificationem prædicatione verbi definiunt; cujus se præcones gloriantur, ut omnia quæ in Dei cultum in Ecclesia offerre solebant fideles, in suas voluptates & suæ carnis cultum quoquo pacto convertant. Huc certè ille tendit exterioris cultûs contemptus. Diabolus verò, ut est mirus malorum artifex, his istorum inventis mirè favet: scit enim quòd cùm ex corpore & animo constent homines, & ad animum omnia per sensus corporis perveniant, si cultum exteriorem auferat, spiritalem tantùm de mente Domini esse docens, citò neque corpore neque animo Deum colent, sed toti, tanquam bruta, in voluptates ruent, nullo religionis fræno coerciti. Ergò istis omissis agnoscamus in Ecclesia exteriorem cultum, qui mentes fidelium tenet, & animos ad amandum Deum incitat. Hunc sacræ literæ commendant: nam quæ in usus Ecclesiæ conferuntur, nomini Domini oblata affirmant, qui quàm Ecclesiam suam spiritaliter exornarit, nec non etiam visibiliter inæstimabilibus Sacramentorum divitiis suscipit ea quæ à fidelibus Ecclesiæ offeruntur, quòd ad celebrationem nominis sui faciant. Hâc autem iccirco gaudet, quòd ad nostri sanctificationem summopere conducat.

10. *Ædificabunt filii peregrinorum*] In Hebr. est singulare; *extranei* seu *advenæ*: sed rectè Vulg. numerum mutavit. Sunt autem juxta tropum Scripturæ *filii advenæ* advenæ ipsi seu extranei, qui alterius sunt generis seu religionis, ut suprà non uno loco annotavi. ¶ *Muros tuos*] Inquit, tanquam Civitatem alloquatur: sed muros ex lapidibus vivis hic intellige. Non minùs enim ædificarunt Ecclesiæ muros alienigenæ quàm Judæi. Habuit namque in illa aurea ætate ex Gentibus plurimos Episcopos & verbi Dei præcones, qui potestate & scientiâ ad ædificationem Ecclesiæ usi sunt: neque deerunt unquam his aliqui similes inter quamplurimos qui sanctorum sedes obtinent; destructores potiùs censendos quàm ædificatores. ¶ *Et reges eorum*] Quot Christianissimos reges habuerit Ecclesia, novimus; qui ei non minùs servierunt suâ potestate & seculari auctoritate quàm sancti Pontifices. ¶ *In indignatione enim mea*, &c.] Hic locus facit ut superiora de Judæorum Ecclesia intelligamus, quæ à Domino fuit expurgata per Christum; quæ bonâ parte suorum filiorum fuit per infidelitatem exspoliata, & tandem ad paucissimorum numerum redacta, rursus ex Gentibus aliis filiis donata est, & ab ipso Domino magnificè amplificata, magnisque divitiis tam spiritalibus quàm corporalibus exornata. Hanc autem vicissitudinem quæ sequuntur magis explicant. Habemus interim hic propter scelera filiorum Ecclesiæ Deum dici *indignari in ipsam Ecclesiam*. Fatetur enim quòd *adversus eam indignatus sit*, i. adversùs populum qui intra Ecclesiam est: ex indignatione autem proficiscuntur & pestes & intestina bella inter semetipsos, & ab hostibus populi Dei illata: adde schismata, adde hæreses, & id genus mala quæ Ecclesiam invaserunt, eamque magna ex parte dilacerant, & filios ejus ad paucitatem redigunt: quæ utinam nostro hoc seculo non usque adeò manifesta essent; & hactenus quidem iratum Deum sentimus. Commiserationes autem ejus, etiamsi scelera in dies augeri intelligam, exspecto tamen; nam *multus est ad condonandum*: in momento enim, si ei visum fuerit, tam tempestates omnes quàm quæ ipsa concitant scelera delebit: quod si faciat, pro εὐδοκίᾳ ברצוני, seu *bona voluntate sua*, faciet. Eò autem magis in ea, quam dixi, spe confirmor, quò res nostras desperatas conspicio: aut enim finis omnium in januis est, aut rerum facies immutabitur.

11. *Et aperientur portæ*] Vel *aperient ipsi*, scilicet ministri, &c. Significant autem hæc infinitam adventantium multitudinem, simul etiam & capacitatem civitatis, quæ totum mundum capere potest. Non enim Sacramentorum finita est virtus, ut in plures dispersa minùs prosint; neque absolvendi à peccatis potestas ullis finibus clauditur, sed integra in Ecclesia perseverat; neque Deus in divisione cœlestium donorum avarus est, ut molestum sit illi quotidie & in singulas horas beneficia impertiri: imò *portas apertas* esse jubet, & quæ *gratis accepimus* nos *gratis dare*, & absque ulla personarum acceptatione omnes excipere, & ad nuptias Filii sui, quæ usque hodie durant, introducere.

12. *Gens enim*, &c.] Non est extra Ecclesiam Christi, extra Ecclesiam Apostolicam, salus: *est* enim *firmamentum & columna veritatis*, i. firma, quæ ruere non potest, ut tutum admodum fuerit ei inniti; qui enim ei innititur, Deo ipsi innititur. Aliæ verò Ecclesiæ sunt *calami confracti*, & *baculi arundinei*: Deum non colunt in veritate; ideóque exscindentur. Nam *omnis plantatio*

quam

quam non plantavit cœlestis pater, eradicabitur. Non solùm autem hæreticorum Ecclesiæ, sed universa regna quæ ad Ecclesiam non transierint, auferentur & abolebuntur. Imperet licèt multos annos Turca, & magna prælia adversus populum Dei conficiat, ipse tandem ejúsque imperium, si Ecclesiæ Dei non obedierit, exscindetur. Nam qui Ecclesiæ filius non est, Dei filius esse nequit. ¶ *Solitudine vastabuntur*] Sensum Vulg. expressit: ego verbum verbo reddidi, quòd ex superioribus planum esset, *civitates & regna exsiccari*, Hebræis esse Habitatoribus nudari; *Gentes* verò *exsiccari* est occidi & interimi.

13. *Gloria Libani*, &c.] Quasi de materiali Templo loquitur: est enim Ecclesia templum Dei, regia & aula Dei. Per Arbores autem quarum hîc nomina ponit (quarum tamen naturam nostra ætas ignorat) intelligit omnia quæ ad decorem, pulcritudinem & stabilitatem Ecclesiæ pertinent. Crescebant verò in Libano arbores in admirandam magnitudinem, qui jam nunc arboribus ferè totus destitutus est. De his vocabulis & arborum nominibus vide suprà cap. 41. 19. Admonendum te tamen duxi, Christiane lector, quòd תדהר, quam hoc loco *buxum* dixit Vulg. cap. 41. *ulmum* vertisse; תאשור verò, quam hîc *pinum*, illic *buxum* dixisse: ipsi quoque Hebræi sibi non constant. Fortè autem est *Tascur taxus* arbor abieti similis, de qua vide Plinium. Nomen enim congruit, cujus licèt baccæ venenosæ sint, ligna tamen construendis fabricandísque domibus non sunt inepta, sed venustatem habent. ¶ *Locum sanctificationis*] Nomen Hebraicum plerumque etiam pro *Sanctuario* accipitur, i. loco sacro, in quo tantùm sacra peragebantur & reponebantur. Exod. 15. *Sanctuarium, ô Jehova, quod firmamentum manûs tua.* Josue 24. &c. in locum autem Sanctuarii successerunt in Christi Ecclesia Templa. Notandum tamen, quòd locum quem *Sanctuarium*, seu *sanctificationem suam*, i. quem ipse sanctificavit, vel in quo ipse sanctificatur & colitur, vocaverat, vocet etiam *locum pedum suorum*: ut videas quantum civitas hæc & domus Dei ab illa cœlesti distet, quantóque optabilius sit ad eam transire quàm hic commorari: ubi tantùm *pedes Domini* quiescunt. Vide etiam qualem sanctitatem requirat Deus, qui *locum pedum suorum* ipsam *sanctificationem* faciat, ut non nisi in sanctissimo vel pedem tantùm figere dicatur. Hunc autem *pedum locum se honorare* dicit Dominus, seu *ornare pedibus suis.* Quæ autem ornamenta sint Ecclesiæ omnes novimus: quæ tamen nemo viderat neque audiverat & *in cor hominis non ascenderant*; ut tecum cogites, quænam ornamenta, quis decor sit civitatis illius beatæ, aut etiam quale habitaculum sibi velit in animis nostris adornari. Sed tibi, amantissime hominum Deus, hoc ego libenter committo, ut qui *locum pedum tuorum* ob sanctitatis amorem sic sanctificasti atque *ornasti*, animam, in qua totus habitare dignaris, ipse quoque ornare velis.

14. *Et venient ad te*, &c.] Græci & Romani, Babylonii quoque & Ægyptii, à quibus Ecclesia Dei multa mala passa est, ipsam tandem ingressi sunt, & ejus sunt facti filii; ut fortè ob hanc causam *filios affligentium eam* dixit, quia illi quidem populi, licèt non iidem homines, Deum coluere, cujus cultores ipsorum patres afflixerant. ¶ *Curvi*] Incurvando se. Verbum gestum notat humiliantium semetipsos, & eorum quos propria conscientia revocat, nè accedant. Agnoscentes ergò filii patres suos veri Dei cultores insectatos fuisse, pœnitentiâ & religione ducti, submittentes animos quasi veniam deprecaturi accedent; accedent, inquam, non quidem ad te, sed *super vestigiis plantarum tuarum* sese prosternentes *supplicabunt.* Quæ omnia nihil aliud notant, quàm quòd magnâ humilitate & animi submissione erratorum suorum veniam peterent, indignitatem anteactæ vitæ agnoscentes, & omnia Ecclesiastica mysteria magni facientes. Quod certè eorum est proprium qui verè ad Christum pertrahuntur. Nesciunt isti superbiam & fastum, & indignos sese esse arbitrantur qui vel ministris Dei famulentur. Cùm enim è quantis malis eruti sint solâ Dei miseratione agnoscunt, in quibus poterant quemadmodum patres eorum consenescere, ac tandem diem claudere extremum; non possunt non se submittere illis, qui tantæ suæ felicitatis ministri fuere. Eos sanctissimos viros putant; ipsam verò Ecclesiam, ut sui Domini sponsam, venerantur: in qua etsi vident aliquorum ministrorum errata, ipsam nihilominus *sanctam civitatem* appellant, & *Dei domicilium*, & *multorum millium Angelorum frequentiam*, & alia hujusmodi nomina quibus sensum animi sui produnt & studium quod erga Ecclesiam Christi matrem suam gerunt. Quare parùm ad Christum eos pertinere existimo qui parùm Ecclesiæ ipsius deferunt, & ministros ejus insectantur: nam filii illorum patrum qui Ecclesiam oderunt & insectati sunt, si ad Deum convertantur, ut habes ex hoc loco, *curvi* & in terram demissi *vestigia eorum adorant.*

15. *Pro eo, quòd fuisti*, &c.] Jam suprà annotavi, Ecclesiam sub tempus Christi admodum fuisse contemptam, fuisséque veluti omnino abjectam, non solùm quòd populus ille variis tempestatibus jactaretur, sed multò magis quòd peccatum ferè omnes possederat: neque erat *justus quisquam*, *sed omnes declinaverant*, &c. ut superiori capite visum est. Decrevit autem Deus penè extinctam Ecclesiam suam suscitare, & in paucis admodum Israelitis promissiones suas factas Patribus adimplere. Cùm igitur hæc legis, oculos mentis conjice in Ecclesiam illam quam Dominus JESUS congregavit, ditavit Spiritu suo, & ornavit cœlestibus ornamentis; videbísque omnia quæ hîc dicuntur minora esse rebus ipsis, eò quòd non possint rei magnitudinem ulla verba æquare. Quare figurata sunt omnia; & quamvis Judæorum gloriam ac dignitatem contineant; cùm verba ipsa spiritaliter intelligenda sint, si vera esse velimus, tantum abest ut habeant unde glorientur carnales Judæi, ut hisce rebus & tantarum promissionum splendore magis cœci reddantur. Fuit igitur ante adventum Christi Ecclesia *derelicta* & penè *deserta*, veluti *exosa* & despecta: quod explicatur, cùm ait, *Absque transeunte*; declinaverant enim ferè omnes ad impietatem: non erat qui fidem, qui justitiam & misericordiam sectaretur: erat quidem terrena Jerusalem hominibus plena, Templum visebatur, sacrificia offerebantur, legebantur Lex & Prophetæ; erat tamen Ecclesia *absque transeunte*, sicut civitas quæpiam *deserta.* Illi enim interdum tantùm numerantur & recensentur, & homines vivi putantur in Scripturis, qui pietatem & justitiam colunt. Qui si nulli sint, dicit, *Non erit vir: omnia vacua, & thohu*; adveniente autem Domino cœpit regio illa frequentari, statímque post mortem Domini magna accessio facta est, præsertim postquam Discipuli fuere *induti virtute ex alto*, & Divinam bonitem mundo cœperunt aperire. Confer enim desolationem illam cum iis quæ postea subsecuta sunt, & videbis quàm verum sit, ¶ *Ponam te in superbiam seculorum*] Subjugarunt Discipuli Domini universum orbem, & Roma orbis caput Ecclesiæ jugum subiit lubens; & tunc se satis gloriosam putavit, si piscatorum pauperculorum, atque adeò Judæorum prædicationi obediret, ut multò amplior fuerit Romæ dignitas quòd Euangelio cessit quàm quòd mundum subjugarit. Nè autem existimaret quis, imperium Ecclesiæ armis ac metu propugnandum, addidit, ¶ *Gaudium generationis*, &c.] Omnium ætatum gaudium est Ecclesia Christi, neque est quòd quisquam gaudeat, si ejus gaudii particeps non est. Possunt verba hæc non solùm ad tempus referri sed etiam ad omnes generationes hominum. Quamdiu enim homines erunt, seu mundus durabit, & secula seculis succedent, Ecclesiæ dignitas & gaudium durabit. Durabit enim remissio peccatorum, & sanctificatio mentium, fides, spes, charitas, thesaurus desiderabilis, pignus æternæ beatitudinis: quæ tanta est, ut spe satiet, & perpetuò gaudere faciat. Quòd si totius orbis *gaudium* est Ecclesia, ergò ad eam omnes occurrent: ergò ab omnibus judicabitur dilecta, ut videas commutationem, quòd pro derelictione & nulla habitatore, sed neque *prætereunte*, omnium ætatum homines sit habitura.

16. *Suges lac*, &c.] *Videbaris despecta: suges lac*, &c. Quidquid enim pingue, dulce, quidquid optimum habuit totus orbis, Discipulorum Christi imperio cessit, & Ecclesia Christi de optimis terræ bonis quod voluit, habuit, quod noluit, abjecit. ¶ *Mamillâ regum*, &c.] Quantis favoribus Constantinus aliíque Imperatores Ecclesiam prosecuti sint, profanæ etiam historiæ narrant. Quod certè cùm factum vidit orbis, planè intellexit rem à Deo geri, & omnipotentem esse qui Ecclesiam fundaverit. Notandúsque est locus hic: nam apertè evincit, quòd nihil sic Dei agnitionem promoveat ut regum ac principum pietas. Cùm enim in terra sint veluti dii; si eos videmus alteri fidem servare, servos Dei colere, Ecclesiam Dei, Dei domum, adeóque & Templa ædificare, ornare, fovere, non possumus non magnificare Dei potentiam, qui homines hominum dominos mansuefaciat & in officio contineat. Adde, quòd mundus ea tantùm honore digna putat quæ mundi Principes magnificant. Hanc ob causam cùm dixisset, *Et mamillâ regum lactaberis*, addit, *Et scies, quòd ego Jehova*, &c.

17. *Pro ære*, &c.] Commutationem tristium in res lætas vidimus superiori versu, hîc credo attingere Prophetam commutationem etiam bonorum in alia potiora bona. *Æs* certè & *ferrum* dici poterant pretiosissima quæque illius ætatis: & quæ Ecclesia ante adventum Christi habuit, sive Sacrificia, sive Sacramenta, si conferantur cum iis quæ per Christum habuit, sunt *æs* & *ferrum* collata *auro* & *argento.* Minùs etiam autem pretiosa illius ætatis collata minoribus bonis Ecclesiæ sunt *ligna* & *lapides*: vilia autem Ecclesiæ sunt *æs* & *ferrum.* Pretiosa itaque sunt, & æternùm duratura Ecclesiæ bona, & veteris Ecclesiæ

Sacra-

Sacramenta in perfectiora commutata sunt; significabant enim tantum sanctificationem, non item efficiebant: quod certè nova Sacramenta faciunt, ut ineptire & omnino errare hæreticos intelligamus, qui non majorem Baptismo efficaciam aut Eucharistiæ ad sanctificandum tribuunt quàm veteri Circumcisioni: fidei enim omnia adscribunt: sed decipiuntur *ignorantes Scripturas & virtutem Dei.* Certè, etsi omnia ista figurata sint, *argentum* & *aurum* tunc habuisse negat hic locus. Quid mihi responsuri sint, novi; sed figmenta quoque esse novi. ¶ *Visitationem*] פקדה non solùm ipsam *Actionem visitationis* seu *inspectionis*; sed *Munus* quoque, quale est Pastoris, Episcopi vel Magistratûs notat: quorum est noscere quid agant subditi, ut justis præmia: injustis pœnas conferant. Cùm autem Præfecti impii ac tyranni sunt, omnia perturbant, & miserè divexatur Ecclesia. Si verò sunt pacis & reip. integritatis amatores, bene habent omnia. Quantus autem sanctissimorum pontificum fuerit numerus, quis narrare poterit? quàm humanos *exactores* olim quoque habuerit respub. Christiana, nemo est qui ignorat. Ego certè hoc loco tam Pastores Ecclesiasticos quàm Magistratus politicos intelligo; hos *exactores*, illos *visitatores* appellat; illos integrè, hos justè officia peracturos pollicetur: adimpletam promissionem felicitatémque hanc durasse non paucos annos scio. Quid autem nostro hoc seculo fiat, juvat magis deflere quàm describere.

18. *Non audietur ultrà iniquitas*, &c.] Objiciunt nobis Judæi *iniquitates* seu חמס, i. *violentiam*, seu *tyrannidem*, *quæ rapinæ conjuncta est* (hæc enim est vis nominis:) objiciunt oppressiones, *vastationes* & *confractiones*, quæ in rep. Christiana vigent. Quare ajunt hæc nondum impleta. Quæ objecta eò majorem vim habent, quò manifestius est in ipsis quoque Ecclesiasticis reperiri hujusmodi mala: nam & belligerantur interdum, & aliorum regna devastant. Illud etiam *Non ultrà* aliquantulum urgere videtur. Sed his ego respondeo, hæc ad hostes pertinere, quòd non ultrà vim inferant sanctæ Civitati; vel terram ejus devastent aut diripiant, aut muros perfodiant diruántque: spiritalis enim civitas est, quæ licèt oppugnetur, nunquam tamen expugnabitur: *neque portæ inferi prævalebunt adversùs eam.* Quid? quòd multi ad hæreticos deficiunt, & multa regna Ecclesiam Dei ignorant? Verum id quidem, sed Ecclesia integra est, muros integros habet; omnia sua bona possidet, sempérque possidebit: si deficiunt nonnullæ nationes, aliæ succedunt: si Europa neget, Asia confitebitur: & priùs aderit Filius hominis, quàm omnes deficiant. Itaque veluti Accidentia sunt hæc, (ut loquuntur Dialectici) quæ ab Ecclesia auferri possunt: dignitatem, integritatem, divitias, quæ infinitos mundos ditare possunt, nemo poterit convellere: habet enim *salutem pro muris*, *& laudes pro portis.* Æterna est Ecclesiæ salus, neque ei unquam deerunt qui pro tantis in eam collatis à Deo beneficiis laudes decantent, aut certè ea quæ laudari satis pro dignitate nequeunt. Alludit autem ad morem civitatum pacis tempore, quando in muris non arma, non vigilum voces sonant, non diruentium & quatientium ictus; sed in portis choros ducunt juvenes & puellæ, &c. ut integros semper muros & portas fore hæc notent. Sicut enim refectionem murorum Hebraismus vocat *curationem*, seu *emplastrum*, ut suprà annotavimus; ità integritatem, *salutem.* Est autem Christus Dei filius murus & propugnaculum Ecclesiæ: non est quòd ruituram timeamus: defectionem tamen nonnullorum non possumus non deflere. Ex sequentibus autem hæc magis elucescunt.

19. *Non erit tibi ampliùs sol*, &c.] Hæc apertè significant spiritalem esse civitatem, & spiritale regnum, quod non corporali sole indigeat aut lunâ. Alia hujus regni lux est quàm quæ oculis cernitur: Christus & numen ejus pro *sole* est, pro *luna* Ecclesiæ suæ: tenebras adversitatum suo tempore depellit, ignorantiæ verò semper. Neque enim unquam decepta fuit, neque decipi potest in rebus fidei & doctrina morum, velint nolint Lutherani. Quid enim est *lux sempiterna?* quid est quod ver. 20. dicitur, *non occidere solem*, *neque colligi lunam?* Non hic de æterna patria agitur: perpetua oratio est, & de felicitate Ecclesiæ est sermo: quod qui negaverit, sensu indiget & istius lucis radiis.

20. *Non occidit sol*, &c.] Rectè vertit Hebraismum. Verbum enim בוא, i. *venit*, cùm de Sole dicitur, est Hebræis idem quòd *occidere*, ut Genes. 28. *Quia ingressus erat sol.* Tunc enim videtur *ingredi* terras, vel *Oceanum*, ut loquuntur Poetæ & vulgus. Similiter & Mich. 3. quod etiam dixit de luna. ¶ *Non minuetur*] Sensum expressit: num Hebræi *colligere* dicunt. Cùm enim luna minuitur, videtur colligi & contrahi. Potest autem *Sol* uni aut alteri Ecclesiæ *occidere*; potest aliqua particularis Ecclesia decipi: at universalis Ecclesia & Christi sponsa errare nequaquam potest. Si enim erraret, *Sol* illi *occumberet*, *& luna minueretur:* Deus autem, qui illi est lux, in æternum manet; & deficere non potest. Quæ enim sequuntur, apertè probant in hac vita hæc complenda esse. Nam quod ait, ¶ *Complebuntur dies luctûs tui*] Mox versu sequenti exponitur: luctus enim Ecclesiæ fuit videre se filiis orbatam, & omnes filios suos ad impietatem declinare: at post adventum Christi,

21. *Populus autem tuus omnes justi*, &c.] *Omnes* solet Scriptura usurpare pro *plurimis*. Primis autem illis Ecclesiæ temporibus, cùm in vivis agerent Apostoli, atque adeò post illorum discessum, ferè omnes sancti erant, & *Sancti* dicebantur. Vide Pauli epistolas. Quidnam, quæso; tunc lugeret Ecclesia? Adde, quòd per Christum imperio exutus est diabolus, & semel damnatus est, ut aliâ redemptione aut redemptore non indigeant homines, licèt peccent; sed ad sanctitatem facilis sit regressus. Quare statim addit, ¶ *In sempiternum hereditabunt terram*] q. d. Non esse ejusmodi regnum Christi, è quo expelli inviti possint habitatores: poterunt quidem ipsi discedere, & suâ sponte in aliena castra, & devicti jam tyranni potestatem transfugere; sed si nolint, nemo est qui hereditate pellat. Talis enim regio est quam animo possiderent, quando corpus dissiparetur, aut in profundum maris demergeretur. ¶ *Germen plantationis meæ*] Seu *surculus mihi charissimus*, *qui meis manibus plantatus est*, *quo tanquam ornamento me ornabo.* Ità enim accipiendum est verbum in Hitpael. Quis verò audeat plantulam convellere quam *ad se decorandum* plantavit Dominus omnium? quis *rapiet oves de manu Filii*, *quas ei dedit Pater*, *omnibus major?* Hic mecum, quæso, considera Ecclesiæ & fidelium dignitatem, quos fatetur ipse Dominus in hunc usum à se plantatos, ut eis tanquam vestimento ornaretur. Quid miramur *gloriam suam* & *coronam suam* Paulum Discipulos appellare, si ipse Dominus id apertè de semetipso testatur? Ex plantatione Judæorum, quam ad suas delicias plantaverat in Judæa, ut vides suprà cap. 5. non quem exspectaverat fructum recepit: at novella hæc plantatio, quam *suis manibus*, i. labore & sudore vultûs sui *plantavit ad semetipsum ornandum*, agricolam nequaquam fefellit; sed jucundissimos flores ac fructus protulit; quos intrepidè & absque rubore potuit exhibere Patri *immaculatos & irreprehensibiles* & sibi conformes: etsi enim despecti essent in oculis mundi; *erat illis indignus mundus*, & in oculis Dei erant jucundissimi; quare sequitur,

22. *Minimus erit in mille*] Vides, quòd non spe suâ deciderit agricola? *Surculus* unus admodum *parvulus* & in oculis hominum vilissimus *mille*, i. plurimos Deo germinabit, sicut unum granum frumenti cadens in terram multum fructum atterat. Quot *millia* hominum *minimus* ille Apostolorum, qui *non erat dignus Apostoli nomine*, ad Christum adduxit? Quàm *fortem gentem* unus Matthæus progerminavit, quæ adhuc hodie Euangelium retinet in Æthiopia ultrà Ægyptum? Sed, ut Apostolos taceam, infinitus est *parvulorum* numerus, qui uberrimos fructus & Deo gratissimos protulerunt, quales fuerunt religionum, quas vocant, auctores, in quos nostri temporis hæretici immeritò debacchantur. Quid enim si multi ex illis, qui illorum institutis addicuntur, ceciderunt, neque sanctè vivunt? *Nunquid ruina illorum fidem Dei evacuavit*, & *manum ejus abbreviavit?* Si isti, ut malè de vitæ instituto sentias, tibi suadent; quid innumerabiles alii qui vitam sanctissimè duxerunt, & adhuc hodie vivunt, te ad laudandum non invitant? Verùm canes odio sunt furibus & lupis. Sed ad rem redeamus. ¶ *Ego Dominus in tempore ejus*, &c.] Puto esse formam Jurantis, *Ego Jehova:* & interdum per se, *Ego*, ut suprà 59. vers. 21. Additur autem in rebus magni ponderis. ¶ *In tempore ejus*] Apertius est si dicas, *suo tempore*, i. aptissimo tempore. Habent enim sua tempora & occasiones ferè omnia. Sed quid est, *Festinare faciam suo tempore?* Fortè significat, quòd ubi advenerit harum rerum tempus & occasio, brevi tempore complebuntur quæ dixit. Paucorum enim annorum curriculo Euangelium in toto orbe obtinuit, & Ecclesia ad immensam gloriam & amplitudinem pervenit. Quid si significet quòd Dominus accelerarct harum rerum tempus? ut illud Beth sit accusativi, ut interdum solet, & verti debeant verba in hunc modum, *Ego Jehova in tempus suum festinare faciam istud.* Cùm enim quæ futura sunt apud ipsum jam sint, non *festinare tempus*, *ut adveniant*, sed *festinare res ipsas*, *ut accedant ad tempus suum*, aptissimè dicit Dominus: & hic sensus planus est, & ad consolationem facit. Nos hujus *temporis plenitudinem* vidimus, ob quod infinitas Deo gratias agimus, etsi jam *multorum charitas refrigescit*, & res ad interitum properare videntur.

DRUSIUS.

7. יַעֲלוּ. Th. *offerent se*] Hier. Veniant & offerantur, *sive juxta*

juxta Th. offerant ſe. Idem paulò pòſt, *Quod autem in Ebraico ſcriptum notavimus*, Arietes Nabaioth miniſtrabunt tibi, & offerent ſuper placabili altari tuo.

8. אֶל־אֲרֻבֹּתֵיהֶם. A. *ad cataractas ſuas.* Sym. Th. *ad feneſtras ſuas.* Gen. 8. ארבות השמים Lxx, καταῤῥάκτας τοῦ οὐρανοῦ. Hier. *cataracta cœli.* Oncelos, כוי שמיא *feneſtra cœli.* Hoſ. 13. 3. ארבה. Sym. *foramen.* Th. καπνοδόχον. A. καταῤῥάκτου.] Porrò *cataractam* vocat, teſte Hier. foramen propriè in pariete fabricatum per quod fumus egreditur. Vide quæ ſcripſimus ad illum locum. *Ad feneſtras ſuas:* ità Santes. Arias emendavit *ad columbaria ſua.* Hier. feſtinare, *juxta Sym. & Th.* ad feneſtras ſuas; *juxta Aq.* ad cataractas ſuas.

13. בְּרוֹשׁ תִּדְהָר וּתְאַשּׁוּר. A. *Abietem, Thadaar & Thaaſſur.* Th. *Brathi, Thadaar & Thaaſſur*] Perperàm *Prathi* in editis à Plantino. Vox eſt Chaldaica. Ebræi dicunt ברוש *abies*; Chaldæi ברת, Sin, ut fit, in Thau verſâ, & Holem in Camets. Hinc βραθὴ, quod legebant *Brathi.* Ab eodem eſt βοραθίναι, i. *abiegna.* Conſule Cadmum noſtrum. *Thadaar*] Antiquitas lectionis pro *Thidar.* Sic *Thaglath* legebant *Thiglath*, & *Mariam* pro *Miriam.* Cæterùm *Thadaar* Santes poſt Hieronymum convertit *buxus*, & Arias *ſapinus.* Sunt qui *pinum* eſſe volunt. Hieronymus *ulmum* reddit Jeſ. 41. 19. Ei affinis vox Arabica *Dirdar*, quæ *ulmum* ſignificat. *Thaaſſur*] Hier. & Santes *pinus.* Arias *ulmus.* Alii aliter interpretantur. Forerius Taxum eſſe ſuſpicatur.

IDEM EX PROCOPIO.

1. קוּמִי אוֹרִי כִּי־בָא אוֹרֵךְ. A. Sym. Ἀνάστηθι, φωτίζου, ὅτι ἦλθε φῶς σου, *Surge, illumina: quia venit lumen tuum*] Alibi eſt φωτίσθητι, *illuminare.* Quod Hieronymus ſecutus videatur. Verior ſcriptura φωτίσθητι, quæ bis occurrit in Procopio.

2. כִּי־הִנֵּה הַחֹשֶׁךְ. Ὅτι ἰδοὺ σκότος, *quia ecce tenebræ.* ¶ יִזְרַח יְהוָה. οἱ λοιποὶ, ἀνατελεῖ Κύριος, *exorietur DOMINUS.*

3. זַרְחֵךְ. A. Th. Sym. τῆς ἀνατολῆς *orientis.*

4. כֻּלָּם נִקְבְּצוּ. Iidem, πάντα συνηγμένα *omnes congregatos.*

5. וְנָהַרְתְּ. Th. καὶ χαρήσῃ. ¶ כִּי־יֵהָפֵךְ עָלַיִךְ הֲמוֹן יָם חֵיל גּוֹיִם. Sym. ὅταν ἐπιστραφῇ ἐπὶ σε τὸ πλῆθος τῆς θαλάσσης καὶ ἡ δύναμις τῶν ἐθνῶν, *cùm ad te converſa fuerit multitudo maris & exercitus Gentium.*

6. וְעֵיפָה. A. Sym. Th. καὶ Γαιφὰ & *Gaipha.* Aliàs Γεφὰ *Gepha.* עֵיפָה Γαιφὰ ut עַי. Ἀὶν & Γεφὰ ut עַזָּה. *Gaza* item ut עֵילָם Ἐλάμ.

9. לְשֵׁם יְהוָה אֱלֹהַיִךְ וְלִקְדוֹשׁ יִשְׂרָאֵל. A. Sym. Th. τῷ ὀνόματι Κυρίου Θεοῦ σου, καὶ τῷ ἁγίῳ Ἰσραὴλ, *nomini* DOMINI *Dei tui, & Sancto Iſrael.*

13. וּמְקוֹם רַגְלַי אֲכַבֵּד. A. Th. Sym. καὶ τὸν τόπον τῶν ποδῶν μου δοξάσω, *& locum pedum meorum glorificabo.*

14. וְהִשְׁתַּחֲווּ עַל־כַּפּוֹת רַגְלַיִךְ כָּל־מְנַאֲצָיִךְ. Iidem; καὶ προσκυνήσουσιν ἐπὶ τὰ ἴχνη τῶν ποδῶν σου πάντες οἱ παροξύναντες, *& adorabunt ad veſtigia pedum tuorum omnes exacerbantes.*

16. אֲבִיר יַעֲקֹב — Ἰακώβ.

18. תְּהִלָּה. A. ὕμνησις, *celebratio per hymnos.* Sym. αἴνεσις, *laudatio*, vel, ſi mavis, *laus.*

GROTIUS.

1. SUrge illuminare *Jeruſalem*] *Illuminare:* id eſt, *expergiſcere.* Cauſa ſequitur, quia adeſt lux, id eſt, proſperitas. Nomen *Jeruſalem* in Hebræo non eſt, ſed non malè ad ſenſum additum eſt & à Græcis & à Chaldæo.

2. *Et caligo populos*] Medos primùm, deinde Babylonios.

3. *Ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in ſplendore ortus tui*] Venient tibi gratulatum.

4. *Omnes iſti congregati*] Ex longo exſilio.

De latere ſurgent] Scripſit Interpres, *ſugent.* *Lac ſugent* habet in Commentariis Hieronymus. Videtur ergò pro צד [*latus*] legiſſe שד [*mammam*]. At Chaldæus & Græci pro תאמנה [*nutrientur*] videntur legiſſe תעמסנה [*portabunt*].

5. *Quando converſa fuerit ad te multitudo maris*] *Venient ad te divitiæ maris.* Tyrii ad te res promercales adferent, Nehem. XIII. 16. imò & de Tyriis ſpolia capies. Vide Joſephum XII. 11. & 12.

6. *Inundatio camelorum operiet te*] *Copia camelorum terram operiet.* Diſces ex dicto Joſephi loco & 1 Macchab. V. 25. tum *Nabatæos*, qui jam mox hic nominabuntur, tum Arabas alios, ſocios & amicos fuiſſe Populi Judaïci.

Et Epha] Vide Geneſeos XXV. 4.

7. *Et domum majeſtatis meæ glorificabo*] Nempe per illas pecudes quæ tibi ex longinquis locis advenient.

8. *Qui ſunt iſti qui ut nubes volant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas?*] In Hebræo, *ad columbaria ſua.* Senſus eſt bene à Chaldæo expreſſus: *quàm velociter, ut nubes, Judæi undique in patriam redeunt, ſicut columbæ ad notas turres.*

9. *Me enim inſulæ exſpectant*] Ad meum nutum attentæ ſunt gentes illæ fluminibus adſitæ.

Et naves maris in principio, ut adducam filios tuos de longè] Id eſt, ante omnia paratæ ſunt naves in mari Perſico quæ Judæos deducant.

Argentum eorum & aurum eorum cum eis] Multi liberalitate ſuâ vos juvabunt ob Dei reverentiam, Eſdræ I. 6.

10. *Et ædificabunt filii peregrinorum muros tuos*] Proſelyti multi adjutores erunt ad inſtaurandum templum & Urbem.

Et reges eorum miniſtrabunt tibi] παρεχήσονταί σοι [*adjutores tibi erunt*]. Suppeditabunt tibi neceſſaria. Vide Eſdræ I. 8. VI. 8. 9. 10.

In indignatione enim mea percuſſi te, & in reconciliatione mea miſertus ſum tui] Sicut graviter iratus te afflixi, ità ſummè tui miſertus te reſtituam & ornabo.

11. *Et aperientur portæ tuæ jugiter: die & nocte non claudentur*] Ut in alta pace fieri ſolet. Vide Lucæ XXI. 37. Johann. XVIII. 1.

Ut afferatur ad te fortitudo Gentium] Id eſt, opes, bello ſcilicet Judæis partæ. Vide 1 Macchabæorum IV. 23.

Et reges earum adducantur] Nempe bello capti, & per Reges, Duces quoſvis intellige, more loquendi Hebræo.

12. *Gens enim & regnum quod non ſervierit tibi peribit*] Siqua civitas à vobis bello juſto impetita, ad conditiones non venerit, ea excidium feret, ut evenit plurimis civitatibus, quarum mentio apud Joſephum dictis capitibus, & 1 Macchab. V. Sic & Pella ſubverſa quòd leges Judæorum ſuſcipere noluiſſet, Joſephus XIII. 23.

13. *Gloria Libani ad te veniet*] Nam & Syriæ loca multa poſſeſſa ab Judæis docet nos Joſephus eodem loco. Strabo de Judæis agens: καὶ τῆς Συρίας κατεστρέφοντο καὶ τῆς Φοινίκης πολλοὺ [*multa & Syriæ & Phœnices loca ſubegerunt*].

Abies & buxus & pinus] Vide ſuprà XLI. 19. Græci hîc habent *cupreſſum, & pinum & cedrum.*

Ad ornandum locum ſanctificationis meæ] Ad ornandum Templum.

Et locum pedum meorum glorificabo] Ex illis ſcilicet Libani arboribus. *Locus pedum* eſt Arca, 1 Paralipomen. XXVIII. 2. & per συνεκδοχὴν [*Comprehenſionem*] ipſum Templum.

14. *Venient ad te curvi*] Curvato corpore in reverentiæ ſignum. Vide Eſdræ IV. 2.

Adorabunt veſtigia pedum tuorum] Ad pedes tibi accident. Vide ſuprà XLIX. 23.

15. *In ſuperbiam ſeculorum*] In claritatem durabilem.

16. *Suges lac gentium*] *Divitias earum ad te attrahes*, ut hîc habet Chaldæus.

Et mamillâ regum lactaberis] Idem quod ſuprà XLIX. 23.

17. *Pro ære afferam aurum*] Omnia quæ tibi adempta ſunt reſtituam cum augmento.

Ponam viſitationem tuam pacem] פקדה [*viſitatio*] Hebræis *præfecturam* ſignificat, & μετωνυμικῶς [*per tranſnominationem*] pro ipſis *Præfectis* ſumitur, quomodo hic acceperunt & Græci & Chaldæus. Senſus eſt: clementer gubernaberis ab Eſdra, Zorobabele, Nehemia, & horum ſimilibus.

Et præpoſitos tuos juſtitiam] In Hebræo, *Exactores tuos juſtitiam:* id eſt, ſumma cum æquitate ac moderatione tributa abs te exigentur. Vide Nehemiæ X. 32.

18. *Non audietur ultrà iniquitas in terra tua*] *Rapina*, Chaldæus rectè.

Vaſtitas & contritio] *Spoliatio & concuſſio:* quæ frequentia ſolent eſſe ſub externis Imperiis.

Et occupabit ſalus muros tuos] Videtur legiſſe תקרא [*occurret*], à קרה [*occurrere*]; ſed ut nos habemus legerunt & Græci & Chaldæus: *Muros vocabis ſalutem*, quia ſcilicet nullus hoſtis eos aſſiliet.

Et portas tuas laudatio] *Portas tuas laudem vocabis*, nempe quia vigiles in illis non hoſtium adventum ſignificabunt, ſed in ſumma ſecuritate Dei laudes canent.

19. *Non erit tibi ampliùs ſol ad lucendum per diem, nec ſplendor lunæ illuminabit te*] In Hebræo: *Et pro ſplendore* (nocturno ſcilicet) *luna non illuſtrabit te.* Senſus eſt: Non indè gaudium capies quòd Solem de die, & noctu Lunam videas; cùm multò majus gaudium, idque perpetuum tibi ſit futurum, ex Dei perpetuo favore. Sæpe jam vidimus *lucis* nomine gaudium ſignificari: myſticè tamen hæc ad vitam meliorem trahunt non Apocalypſis tantùm, ſed & Hebræorum eruditi.

20. *Non*

20. *Non occidet ultra sol tuus, & luna tua non minuetur*] Non erit vobis ampliùs ea anxietas animi, quæ vultus in terram dejiciat, & astra aspectare vetet. Vide suprà XL I. 10. & considera id quod sequitur hoc loco.

Complebuntur dies luctûs tui] Finiti erunt.

21. *Populus autem tuus, omnes justi in perpetuum hereditabunt terram*] *Illi omnes in populo qui justi erunt, perpetuo jure terram possidebunt.* Confer quod suprà LVII. 19. 20. 21. LIX. 20.

Germen plantationis meæ, opus manûs meæ ad glorificandum] Legit מטעי [*plantationis meæ*], ut Masoretæ in margine posuerunt, putantes nimirum id significari, istos reduces à Deo velut consitos in terra avita. Sed potest retineri lectio quæ est in textu מטעו [*plantarum ejus*] hoc sensu, quem quidam interpretes posuêre: *Ut surculus plantarum ejus in opere manuum mearum* (id est, ob mea beneficia) *glorietur. Surculus plantarum ejus*, id est, posteritas.

22. *Minimus erit in mille*] In Hebræo, *Paucissimus:* ut & Græcè ὀλιγοστὸς [*rarus*], nempe familiæ numerus.

Et parvulus in gentem fortissimam] Idem sensus qui præcessit.

Tempore ejus] In Hebræo, *Tempore suo.* Postquam domum redierint.

CAP. LXI.

MUNSTERUS.

1. **O***B id unxit me Dominus*] Explicat hic Propheta quis sit Christus, & quæ sint officia ejus. Christus, inquit, spiritu Dei est missus, à Deo Patre constitutus rex & sacerdos. Missus quidem non in externa gloria, sed in humilitate, *ut* pauperibus & *mansuetis prædicaret* verbum Dei, *mederetur contritis corde, liberaret eos qui capti erant* peccatis, & *vinctis* sub legis ceremoniis *promulgaret apertionem carceris, prædicaret annum* & tempus *gratuitum, consolaretur lugentes* sub pressuris mundi. Et Christus ipse quoque Luc. 4. docuit totum istud in se impletum, qui caput & princeps est Ecclesiæ suæ.

3. *Arbores justitiæ*] Sunt Christiani quasi arbores & plantæ, quas Dominus, ut fructum ferrent, posuit in Ecclesia tanquam in horto voluptatis, ut homines indè *glorificarent Patrem qui est in cœlis.* Sunt & reparatores collapsi orbis, instaurantes ruinas ejus, quæ tam in Judæis quàm in Gentibus à generatione in generationem contigerunt.

5. *Alieni pascent oves vestras*] Etiam Gentes, inquit, assumentur in Ecclesia ad docendum. Et vos tanquam *sacerdotes* mactabitis eas, & per verbum Euangelii convertetis ad Christum, & *comedetis fortitudinem earum*, h. e. fruemini bonis earum, scilicet potentiâ, opibus, eloquentiâ, & similibus. Et ità *pro confusione vestra*, quam aliquando ab eis sustinuistis, *recipietis duplicia*, videlicet gaudium in spiritu, & exteriorum bonorum subventionem: sicut & *pro* illata *ignominia exsultabitis de portione eorum.*

8. *Odio raptorem in holocausto*] *Raptorem in holocausto* vocat qui per opera sua contendit justificari, & rapit id quod Deo est proprium.

10. *Ornavit*] In Hebræo est, *sacerdotali ornavit decore.* Est autem Sacerdos propriè minister Dei, licèt non rarò capiatur pro *magnifico*, sicut diximus in Exodo de Jithro sacerdote Midian.

VATABLUS.

1. **E***O quòd unxerit* יען משח] *Nam unxit.* ¶ *Ut alligarem* לחבש] *Ad obligandum:* i. ut illis medear; ut consoler, & confirmem eos qui tum ob tardum meum adventum penè de salute sua desperabunt. Sumpta à chirurgis metaphora, qui fasciolis suis fracta & contusa alligant sanitatis causâ: propterea quidam vertunt, *ut medelam afferrem contritis corde*, vel, *mederer.* ¶ *Apertionem* פקח קוח] *Duæ sunt dictiones* (inquit doctus inter Hebræos) *una tamen significatio.* Alius scribit dictionem unam esse geminantem secundam & tertiam radicalem. Potest etiam ut duæ dictiones exponi, ut קח sit macor à לקח *accepit:* hoc sensu, *ad aperiendum, ad accipiendum eos è carcere*, vel *captivitate.* Quidam etiam Hebræorum annotat קח significare *carcerem:* sic dictum quòd capti & clausi ibi sint: unde noster vertit, *apertionem carceris.*

2. *Beneplaciti* רצון] *Placabilem.* Alii, *acceptabilem.* Doctus inter Hebræos vertit, *voluntatis:* & exponit *redemptionis, qui est annus beneplaciti*, ut suprà c. 6. 10. *Et in voluntate meâ misertus sum tui.*

3. *Ut ponerem*, &c. לשום לאבלי ציון לתת להם פאר] *Ad constituendum lugentibus in Sion ut dem illis decorem:* vel, *ut detur illis decor.* Miserum populi statum in libertatem restituendum significat. ¶ *Constricto* כהה] *Deficiente:* sive *debili & infirmo*, aut *languido.* ¶ *Et vocabuntur in eis* וקרא להם] Sing. Heb. pro plur. *& vocabitur in eis.* Hebraismus, pro *ad vocandum eos.* Aut redundat להם, pro *& vocabuntur.* Similis locutio suprà 58. 12. ¶ *Arbores* אילי] *Fortes:* ab איל *fortitudo.* ¶ *Ut glorificer* להתפאר] Ad verb. *ad glorificandum:* i. ut glorificem me in illis: vel, gloriam habeam de illis.

4. *Longi temporis* עולם] Ad verb. *seculi.* Vide eundem penè versum suprà cap. 58. 12. ¶ *Antiquorum* ראשנים] *Primorum:* i. priscas. ¶ *Et innovabunt*, &c. וחדשו ע'] *Et innovabunt civitates desertas, solitudines generationis*, &c. i. instaurabunt. Alii, *Instaurabunt urbes vastitatis, solitudines multarum ætatum:* vel *seculorum.*

5. *Stabuntque* ועמדו] i. Surgent: quòd finis surrectionis sit statio: q. d. *Venient ex Gentibus, qui*, &c.

6. *Opes* חיל] *Fortitudinem:* i. opes: q. d. *opibus fruemini quas Gentes in medium afferent; ubi fidem receperint.*

7. *Duplicia* משנה] Ad verb. *duplex:* i. duplicem mercedem. ¶ *Exsultabunt de portione*, &c. ירנו חלקם וגו'] Quidam personæ mutationem esse dicunt, vertentes, *Vocem lætam edetis in parte vestra: ideo in terra vestra duplicia possidebitis, lætitia sempiterna erit vobis.*

8. *Opus eorum* פעלתם] *Mercedem eorum:* i. mercedem condignam reddam eis. ¶ *In veritate* באמת] i. Verè, & sine fraude. Alii vertunt, *firmum.*

9. *Et germina eorum* וצאצאיהם] i. Filii, vel nepotes.

10. *Pallio justitiæ induit me* מעיל צדקה יעטני] *Indumento justitiæ circundedit me.* ¶ *Tanquam sponsa*, &c. כחתן יכהן פאר] Fut. Heb. pro præs. Qui volunt verbum referri ad *sponsum qui magnificat gloriam*, vertunt ut versum est, nempe, *instar sponsi qui elegantissimè ac splendidissimè ornat sese.* Alii referunt ad *Dominum*, vertentes futurum in præt. *tanquam sponsum ornavit decore.* ¶ *Et tanquam sponsa* וככלה תעדה כליה] Ad verb. *& tanquam sponsam quæ ornabit se vasis suis:* i. quæ die nuptiarum ornat sese monilibus suis. Id hoc loco significant *vasa.*

11. *Profert* תוציא] Fut. Heb. pro præs.

CLARIUS.

1. **E***O quòd unxerit me*] Vel, *& ob id unxit me Dominus.* Explicat hic Propheta, quis sit Christus, & quæ sint officia ejus. Christus (inquit) spiritu Dei est missus, à Deo patre constitutus rex & sacerdos; missus quidem non in externa gloria, sed in humilitate, *ut* pauperibus & *mansuetis prædicaret* verbum Dei, *mederetur contritis corde, liberaret eos qui capti erant* peccatis, & *vinctis* sub legis ceremoniis *promulgaret apertionem carceris, prædicaret annum* & tempus *gratuitum, consolaretur lugentes* sub pressuris mundi. Locum hunc reperies à Luca Euangelista citatum de Christo cap. 4.

3. *Fortes justitiæ*] Vel, *Arbores justitiæ.* Sunt Christiani quasi arbores & plantæ, quas Dominus ut fructum ferrent posuit in Ecclesia, tanquam in horto voluptatis, ut homines indè *glorificarent Patrem qui est in cœlis.* Sunt & reparatores collapsi orbis, instaurantes ruinas ejus, quæ tam in Judæis quàm in Gentibus à generatione in generationem contigerunt.

5. *Stabunt alieni & pascent pecora vestra*] Etiam Gentes (inquit) assumentur in Ecclesia ad docendum. Et vos tanquam *sacerdotes* mactabitis eas, & per verbum Euangelii convertetis ad Christum, & *comedetis fortitudinem earum*, h. e. fruemini bonis earum, scilicet potentiâ, opibus, eloquentiâ, ac similibus. Et ità *pro confusione vestra*, quam aliquando ab eis sustinuistis, *recipietis duplicia*, videlicet gaudium in spiritu, & exteriorem bonorum subventionem: sicut & *pro* illata *ignominia exsultabitis de portione eorum.* Quod ergò ait, *laudabunt partem suam*, h. e. quam ego dabo illis.

8. *Rapinam in holocausto*] Vel, *raptorem:* Odi (inquit) omnem injuriam exhibitam proximo, etiam si de ea mihi holocaustum fiat. Alius autem illa verba, *quia ego Dominus*, &c. sic interpretatur, Quæ enim esset justitia, si populum se suáque offerentem petire sinerem? cùm in aliis ego iniquitatem oderim. ¶ *Et dabo opus eorum in veritate*] Fidelis erò in retribuenda mercede operis eorum.

FORERIUS.

1. SPiritus Domini, &c.] Dixerat in fine superioris capitis quòd *rem citò ad tempus suum properare faceret*: cùm autem felicia illa per Christum Dominum essent ventura, eum ipsum loquentem facit, quasi jam operi accinctum: hoc enim sonant verba hæc, *Spiritus Domini super me, unxit me*, &c. Inaugurationes enim sunt regni initia. Et præter hoc quòd & ipsæ cum lætitia celebrantur, sunt etiam futurorum gaudiorum prælibationes. Esse autem verba filii Dei, ipse in Euangelio exposuit. Notanda porrò est hoc loco Scripturæ phrasis; *Esse*, aut *fieri*, *spiritum*, seu *manum Domini super aliquem* est Spiritu Dei impelli, & à Deo destinari ad aliquid peragendum. Exempla passim obvia. Hic verò quod priori loco dixit, mox aliis verbis exposuit. Idem enim hic vocabat *Spiritum Domini esse super JESUM*, & *JESUM ungi*. Quorsum autem *Spiritus super ipsum* fieret, aut *eum Dominus ungeret*, statim explicabit. *Unctum oleo lætitiæ* cantat David, i. unctione suavissimâ; quæ & ejus qui ungitur mentem & circumstantium omnium, i. in ipsum credentium, inenarrabili lætitiâ perfundit: nam *de plenitudine ejus omnes accipimus*: & statim v. 3. de alio *gaudio* fit mentio quod afflictis Christus Dominus daturus erat. ¶ *Eò quòd*] יען sic optimè interdum redditur: eritque Vulg. editionis sententia, *quia Dominus me unxerat, me misit ad euangelizandum.* Si autem pro *ideo* accipiamus, redditur adventûs Spiritûs S. super eum seu unctionis ratio ex fine; *Dominus unxit me: iccirco autem me unxit ut euangelizarem*, &c. Priorem expositionem probat Lucas, qui hunc locum juxta 70 versionem adducit. ¶ *Unxit*] משח: hinc *Messia* nomen, i. *uncti*: quo nomine per excellentiam dicebatur præcipuus ille Rex qui exspectabatur. Hic autem habes unctionis illius seu functionis & ministerii usum, ut interim videant Judæi quale futurum erat Messiæ regnum. Non propterea se *unctum* dicit ut orbem bello subjugaret, & Judæos rerum dominos faceret, quemadmodum Romani postea fuerunt, sed ut euangelizaret. ¶ *Mansuetis*] Seu ut est in Heb. ענוים, i. *auxilio & ope destitutis*. Quia verò humilis fortuna animos quoque deprimit, ferocitatem aufert, & mansuetudine induere solet, nihil obest quo minùs pro *mansuetis* accipiatur. Verùm ubinam gentium reges bona nunciant afflictis & ope destitutis? Aliorum certè non Regum hoc munus esse consuevit: at regi Christo hoc in primis hic demandari vides. Non ergò de hoc mundo est Regnum ejus. Mecum quoque, Christiane lector, hoc loco, quæso, considera horum verborum consecutionem, *eò quòd unxit me ad euangelizandum, ad ope destitutos misit me.* Arbitror enim nihil aptius dici potuisse. Cui enim *humilium & auxilio destitutorum* hominum cura mèliùs committi potuisset quàm *uncto à Domino*, i. spiritu Dei prædito? Spiritus enim mundi tantùm abest ut istis faveat, istísve *bona nunciet*, istorum rationem habeat, ac curâ tangatur, ut similes canibus eos quos imbuit reddat, qui sui similem obgannientem & læsum canem latratibus & morsibus impetunt: expers enim humanitatis & totius commiserationis est. Spiritus quoque carnis sibi tantum amicus cùm sit, nimiùmque carnem sapiat, hoc monstri habeat, ut fratrem ejusdem carnis non nisi cùm res sua agitur curet: Spiritus autem Dei, qui naturâ in immensum à carne distat, totus humanus est & charitate plenus, etiam in cordibus hominum diffusus. Quare cùm *præ consortibus* cæterísque hominibus *unctus* fuerit, & *spiritu sancto plenus* homo ille JESUS Christus, meritò ei pauperum cura demandatur, *ut eis euangelizet*, i. *læta nunciet.* Quod enim Græcis & Latinis est *euangelizare*, hoc Hebræis est בשר: quo verbo hìc utitur Propheta. Neque dubites ad hunc locum allusisse Dominum, quando inter cætera signa Discipulis Joannis dixit, *Pauperes euangelizantur.* Tam autem Luc. 4. ubi verba hæc adducuntur, quàm ejusdem 7. ubi de Discipulis Joannis narratur, & Matth. 11. ubi ad hunc locum fit allusio, pro Hebræo ענוים ponitur Græcè πτωχοὶ quod nomen apud probatos auctores, ut cum Tertulliano loquar, *inopes* aut *mendicos* notat: & eo utitur Matthæi interpres cùm cap. 5. dicit, quòd sint *beati*, *quoniam ipsorum esset regnum cœlorum*, quod certè est *pauperes euangelizare.* Quem enim gratiorem nuncium audire possent, quàm ex ore veritatis felices se & Reges in Regno cœlorum esse? Non ignoro autem quòd eo loco, atque adeò hoc ipso quem præ manibus habemus, multi non indocti viri vellent non Inopiam, sed Mansuetudinem commendari. Verùm hoc quoque scio, animum hominis, cui non molesta est inopia, & qui cupiditate omni vacuus est, Regno Dei aptissimum judicari. Hæc tantùm dicta velim propter eos qui hisce diebus inopiam & mendicitatem, quoad ejus fieri potest, damnare non cessant. Vide Tertul. in enarratione Lucæ contra Marcionem. ¶ *Mederer*] Vel *superalligarem*: quod faciunt Chirurgi. *Contritos* autem *corde*, seu *confractos* vocant Hebræi eos quos Latini dicunt *animo frangi*: qui quando adversa irrumpunt, liberè ipsis cor dilaniandum tradunt. Horum Dominus JESUS rationem habuit, hos bono animo esse jussit, quòd *non essent condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam: gauderent & exsultarent, quoniam merces eorum multa esset in cœlis.* Hic quoque cogita, absque unctione Spiritûs S. rectè munus hoc geri non posse. Quare in singulis membris illud repetendum, *Eò quòd unxit me, ad superalligandum confractos misit me.* Rursus, *Eò quòd unxit me, ad prædicandum captivis indulgentiam misit me*, &c. ¶ *Clausis apertionem*] Vel *vinctis*, seu *ligatis*: at quia verbum פקח, à quo nomen geminatum hic legitur, propriè de Apertione oculorum aut aurium dicitur, factum est ut Græci Interpretes hic verterent, *& cæcis visum.* Nam qui cæci sunt aut surdi *ligati* Hebræis sunt. Porrò membrum aliud quod in Græcis codicibus legitur, & etiam apud Lucam cap. 4. ἀποστεῖλαι τεθραυσμένους ἐν ἀφέσει, i. *ut emittam confractos per remissionem*, additum videtur ex margine, ut in versione 70 pleraque legimus ex margine textui assuta: videtur enim fuisse altera ejusdem membri versio.

2. *Annum placabilem*] Vel *annum beneplaciti*, i. Deo jucundissimum: cùm enim non de uno tantùm anno fit sermo, *annum* tamen voluit dicere propter allusionem ad annum Jubilei, qui quinquagesimo quoque anno celeberrimus erat, quo omnia in libertatem restituebantur, agri, vineæ, domus, servi, omniáque aut sibi aut suis reddebantur. Vide Levit. 15. de sanctificatione hujusmodi anni quinquagesimi: de quo non dubites quin figura fuerit temporis redemptionis per Christum; ob quod etiam septies septem annos numerare jubebantur, qui numerus plenitudinem plenissimam signabat. At Filius Dei *in plenitudine temporis* ab Apostolo advenisse dicitur. Alludit etiam in verbo *prædicarem* ad denunciationem illam quæ tubis fiebat instante anno Jubilei. Levit. 25. *Clanges buccinâ mense septimo, decimâ die mensis, propitiationis tempore in universa terra vestra.* Erat autem dies decimus mensis septimi celeberrimus, & *dies expiationis* dicebatur: mense itaque septimo, qui numerus plenitudinis erat, mense sanctissimo, & festorum celebrationibus referto, & in die expiationis jubebatur denunciari annus Jubilei. Quæ omnia significabant rem illam quæ denunciabatur esse sanctissimam Deóque gratissimam, ut quæ præfigurabat tempus veræ expiationis. Ipse enim Dominus erat illud כפרת *tegumentum*, vel, ut eum vocat Paulus, ἱλαστήριον Græcâ voce, *propitiatorium*, nimirum ad Legis propitiatorium respiciens, & typum ad veritatem referens, ac significans, quòd quemadmodum operculo illo tegebatu Lex, quæ, teste Apostolo, erat *cognitio peccati*; ità Christus tegeret & absconderet peccata nostra, ut Lex ampliùs non accuset nec damnet, sed Deum habeamus propitium. Quare huc quoque respexit David, quando *beatum hominem* dixit *cui remissa est iniquitas & peccatum opertum.* Nihil autem gratius videtur esse Divinæ bonitati quàm hominem à peccatis expiari: tota enim curia cœlestis *exsultat super uno peccatore pœnitentiam agente.* Quale ergò fuisse credimus gaudium in totius mundi expiatione? Sed quid commercii habet *annus beneplaciti* cum *die ultionis*? Inquit enim, ¶ *Et diem ultionis*] Seu *vindictæ.* Non parùm profectò *vindicta* cum *bona voluntate* convenit: nam eam vindictam hic accipere oportet de qua plura dicta sunt c. 59. v. 17, & 18. Veros enim hostes nostros prostravit, & de manu dominorum crudelium suos eripuit: eos verò præcipitavit atque delevit. Quod quasi exponens ait, ¶ *Ut consolarer omnes lugentes*] Quid enim aliud in Christo videmus? *Peccatores suscipiebat, & manducabat cum illis*; illis se advenisse *Medicum* dicebat; eis peccata condonabat; *filios* appellabat; *omnes laborantes & onustos peccatis*, & doloribus confectos vocabat ad se, ut eorum pondera super se tolleret; ac tandem *pro peccatis nostris mortuus est*: quâ unâ re nullam potest majorem consolationem lugentibus afferre.

3. *Ut ponerem fortitudinem*] *Fortitudinem* de suo supplevit: in Hebræis enim non nisi verbum *ponendi* absolutè legitur. Et non dubium, quin Hebræi verbo *ponendi* utantur interdum pro *curam gerere*, & *cor apponere*: & quidam plerumque nomen *cordis* apponunt, aliquando verò, sed rariùs, non apponunt. Exemplum jam suprà semel atque iterum vidimus: & Job. 4. *A manè usque ad vesperum conterentur, absque ponente*, i. animadvertente, seu curante. Significat ergò sibi demandatam lugentium curam, ut animum apponeret lugentibus Jerosolymitanis, & cogitaret de eorum rebus, tanquam in paracletum & patronum datus lugentibus. Qualis autem hæc cura esset, mox aperit: nempe quòd non nudâ tantùm cogitatione sed opere con-

constaret. ¶ *Coronam pro cinere*] Cinis symbolum erat mœroris; & qui se affligebant, cinerem sternebant, & caput etiam aspergebant. Est autem paronomasia in vocibus *cineris* & *ornatûs* in Hebræo, *peer*, *eper*: & qui in afflictione erant ab ornatu abstinebant. Istæ verò commutationes ac vicissitudines satis manifestæ erunt cogitanti quantum distet homo à seipso, si priùs expers fuit Divinæ gratiæ, & peccato vivebat, deinde verò abjecto peccato servit justitiæ, *perficiens sanctificationem in timore Domini*. Hic jam ornatus incedit par Angelis, & Divinæ majestatis oculis nequaquam indignus; jam perfunditur spiritali gaudio, spe gaudet; in tribulatione patientiam exhibet; in omnibus gratias agit, quâ gratiarum actione & Divinis laudibus tanquam operimento amicitur; qui antea lugebat & *spiritu* erat *conturbato* & *obscuro*: sic enim mœrorem vocat Hebraismus, translatione satis aptâ. De Oculis dicitur Gen. 27, & Deut. 31. transfertur autem ad animum suprà 42, & Ezech. 25. Est itaque *obscuritas spiritûs* & obtenebratio eorum qui sine Dei timore & cognitione vitam degunt. ¶ *Et vocabuntur in ea fortes*, &c.] Heb. *vocabitur illis*: hoc est nomen quo illos appellabunt, *fortes justitiæ*, seu *potentes justi*: cujus nominis ratio in ipsis qui eo vocati sunt satis est manifesta; Discipuli enim Domini in tantam potentiam evecti sunt, quantam nunquam homines sunt adepti. Nam præter quòd dæmonum tyrannidem vicerunt, Regna mundi & Imperia everterunt: neque erat qui eis posset super terram resistere, ut qui rerum naturas, mores, inveteratas consuetudines verbo & signis invertere poterant. Hanc verò Divinam potentiam cum tanta justitia conjunctam habuere, quantâ nullus alius præditus fuit; ut meritò *potentes justi*, seu *dii* ac *principes justi* dici possent: etenim plurale nominis אל de Principibus dici solet, qui etiam *dii* dicuntur. Quid si *fortes*, seu *potentes justitiæ* dicantur quos justitia habet veluti ministros; sicut dicuntur *potentes Davidis* vel *alterius Regis*, per quos magna conficiebat David? Nullos profectò unquam fortiores duces aut milites habuit ullo seculo justitia quàm Discipulos Domini, qui orbem universum ei subdidere: unde Romanos vocabat Paulus *servos justitiæ*. ¶ *Plantatio Domini*, &c.] Vide suprà capite superiori v. 21. Quibus adde, quòd Hebræis *plantare* aliquando transfertur ad alias res, nempe homines; quos cùm Deus possessione alicujus regionis donat plures annos duraturâ, dicitur *plantare eos*: sicut de Israelitis dicitur Exod. 15. *Plantabis eos in monte hereditatis tuæ*, ad quem locum est in hoc allusio. Ps. autem 44. & suprà 51. de cœlis dicitur, propter firmitatem, &c. Quare *plantatio Domini*, & habitatio quam Dominus condidit & firmavit ad laudem suam, sunt Discipuli Domini & veri Israelitæ, quos Dominus condidit in gloriam suam; quibus indutus & ornatus incessit per orbem. Hos titulos sæpius recolere juvat, ut dignitatem servorum Dei & Divinam dignationem intelligentes Deum in sanctis suis laudemus, & similes illis effici contendamus.

4. *Ædificabuntur*, &c.] Seu *ædificabunt*. Ipsi nempe quos consolatus est Dominus, & decoravit, & superioribus titulis exornavit, *ædificabunt deserta*, i. civitates desertas, quæ in Hebræo *siccitates* dicuntur, domibus & hominibus per ignem seu gladium excisis: eosdem mox vocat *afflatas*, i. stupendas desolationes, *antiquas*, i. civitates quæ à multis jam annis desolatæ sunt. Cæterùm his metaphoris significatur infinita soboles & multitudo eorum, quam ad Ecclesiam adducturi erant Discipuli Domini.

5. *Et stabunt*, &c.] עמד *stetit* interdum est famulantium, quorum est coram dominis stare, ut jussa accipiant. Hæc cùm ut sonant intelligant carnales Judæi, falsâ spe lactantur: nos verò impleta jam hæc omnia novimus, qui obsequia gentium ad Christum conversarum novimus, & quo pacto *ex facultatibus suis ministrabant sanctis qui erant in Jerusalem*. His accedit hæc figuratè nihil aliud quàm Dominium seu dignitatem notare. Scimus autem præcipuos & quasi principes in regno Dei fuisse Apostolos, & *sanctum* illud *semen*: nos autem ipsorum sumus veluti servi. Adde etiam quòd *vinitores*, *agricolas*, ac *pastores* esse in agro Domini sit, esse Episcopos & doctores. Cùm verò Apostolorum & verorum Israelitarum agri, vineæ, oves seu greges nihil aliud essent quàm Ecclesiæ & homines ipsi quorum illi primùm curam gesserunt; in his profectò verbis hoc potissimùm significatur, quòd ex gentibus & alienigenis accipiendi essent qui forent Episcopi & Pastores.

6. *Sacerdotes Domini*, &c.] Quando Apostoli ministros mensarum elegerunt, sibi verò Orationem & Verbi ministerium reservarunt, aliqua ex parte hanc prophetiam adimpleverunt. Est autem animadvertendum nomen כהן, ut ex ipso verbo apparet, propriè non designare nisi eum qui ordinatus est & constitutus ad sacra peragenda, & in sacris ministrat, quem Græci λειτουργὸν vocant, qui sacrificat, intercedit pro populo, & alia quæ lex jubet peragit, & similia: quia verò Reges pro *diis* habentur in terris, & ità in Scripturis appellantur, factum est ut transferretur hoc nomen ad eos qui Regi erant à secretis & familiares, per quos Regis voluntas aliis manifestabatur, & Rex consulebatur, &c. ut 2 Sam. 20. *Hira Sairitha erat sacerdos ipsi David*: & 1 Reg. 4. *Zabub filius Nathan sacerdos, & socius regis*: & 2 Sam. 8. *Filii David erant sacerdotes*; pro quo 1 Paralip. 18. dicitur, *Et Filii David erant primi à manu regis*. Non est ergò quòd quis putet indifferenter nomen hoc *sacerdotes* & *principes* seu *magnates* notare. Qui enim ità existimaverit, certò sciat sibi à Judæo impositum. Quare locus ille Genes. 14. nullo pacto aliter accipi potest nisi de vero sacerdotio, *Et Melchisedech Rex Salem protulit panem & vinum: & ipse erat sacerdos Altissimi*. Quod confirmat Epistola ad Hebræos, cujus auctoritatem infringere impium est. Utraque autem significatio beatis istis viris competit: manifestum est enim veros illos Israelitas sacerdotes Domini fuisse, & ministros Dei nostri: per quos Domini voluntas nobis innotuit, ut qui testes fuerunt omnium Christi actionum ac verborum, qui *viderunt*, *perspexerunt*, *& manibus contrectaverunt*, *& nobis exposuerunt verbum vitæ*: isti quoque sunt principes in regno Dei; & qui dum in terris agerent, primi sacerdotes fuerunt, etiam nunc in cœlo rem nostram agunt fidelissimè. ¶ *Fortitudinem gentium*] Suprà jam dixi de potentia & exercitibus hæc verba intelligi posse, quos isti Domini sacerdotes tubis Evangelii devicerunt, vel etiam facultatibus & divitiis gentium, quibus ad libitum usi sunt; nihil enim eis denegabant qui veritatem amplectebantur: atque ità in gloria earum gloriati sunt, vel gloriosi esse existimabantur, seu prædicabantur. Unde Psalmum illum, *Omnes gentes plaudite manibus*, &c. *subjecit populos nobis, & gentes sub pedibus nostris*, &c. Canticum Apostolorum esse non dubito.

7. *Pro confusione*] Seu *pudore*. *Duplex* autem solet interdum vocare Hebraismus quod forte, solidum, magnum, latum ac constans est: *duplex* enim *contritio* est validâ & ingens, & *duplex honor* est magnus honor, &c. vide suprà c. 4. v. 2. Valde verò pudefacti & multiplici ignominiæ expositi fuerunt sancti illi Israelitæ, præsertim apud ipsos infideles Judæos, atque etiam apud gentes initio prædicationis: illi tamen ipsi potiorem partem seu *portionem* habuerunt præ omnibus Israelitis. Unde *pro multiplici* illa *sua confusione laudabilem partem* obtinuisse dicuntur, & *duplicem portionem* consecuti, quasi omnes essent primogeniti quorum duplex erat secundùm Legem portio. Fuerunt namque & ipsi veluti Christi primogeniti, quare & *Spiritûs primitias* acceperunt, & divitias bonitatis suæ & dona cœlestia abundantiùs super ipsos Dominum effudisse testantur Sacræ literæ. ¶ *Lætitia sempiterna*, &c.] Ad hunc puto locum allusisse Dominum in Evangelio cùm ait, *Quia hæc dixi vobis, tristitia implevit cor vestrum: sed tristitia vestra vertetur in gaudium, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis*. Non te verò conturbet personarum mutatio, quæ Scripturæ familiaris est. Quod autem dicit *In terra sua*, puto de vera promissionis terra, quam à longè salutabant Patres, i. Regno Christi & Ecclesia ipsius, accipiendum esse. Adde quòd etiam in ipsa Palæstina terrena & Jerusalem materiali illi ingentes illas divitias in die Pentecostes acceperunt: ut interim omittam quòd ex bonis illis quæ toti Israeli promissa erant, & per terrena illa bona *lac* & *mel* & cætera designata, quæ potissima erant ipsi acceperunt.

8. *Quia ego*, &c.] Videtur illius distributionis quasi rationem reddere: q. d. Non Pharisæis, non Pontificibus meliorem partem dedi, non eos honoratiores feci in regno meo; quia ego Dominus sum recti æquique amantissimus: neque enim mihi placent sacrificia ex furto, qualia sunt omnia quæ Pharisæi isti mihi offerunt: sunt avari, aliena dolis & fraudibus diripiunt, parentibus debitum honorem negari faciunt ob quæstum suum; ac tandem quò plura sacrificia mihi offerunt, eò sanctiores se putant & mihi chariores: ego verò illorum sacrificia odi; parvulos verò istos, Galilæos simplices, dilexi, evexi, honoravi, primogenitos duxi, illis *duplicia* contuli; *quia judicium* & æquitatem *diligo*, &c. quare sequitur, ¶ *Et dabo opus eorum in veritate*] i. Faciam ut opera sua & actiones eorum veritatis & sinceritatis sint plenæ, non fucatæ, non hypocritarum more depravatæ; non *labiis me honorent*, *longè absente corde*; non me exteriùs colant, & *intus* sint *pleni fallaciâ & dolo*: sed *in veritate* seu *cum veritate sit opus eorum*. Puto autem hoc verbum opponi toti illi hypocritarum justitiæ, quam Dominus illis objicit cùm ait, *Sine causa colunt me docentes doctrinas & mandata hominum*, contemptis videlicet præceptis Dei. Faciam, inquit, eos veros Dei cultores, ut eum *colant in spiritu & in veritate*, abjectâ omni falsitate & mendacio, videlicet ut exteriora interioribus & signa signatis conveniant: vel, *Dabo opus eorum in veritate*, i. fa-

i. faciam ut constantes sint in opere, neque unquam ab incepto desistant, sed quòd nunc faciunt semper faciant. Utrique verò expositioni convenit quod sequitur. ¶ *Et fedus sempiternum*, &c.] Tam enim qui ab obsequio Dei deficiunt, quàm qui ad mendacium declinant & hypocrisin, quemadmodum declinaverunt Judæi, inepti sunt federi sanciendo cum eo: neque *sempiternum fedus* esse potest cum eis qui fidem frangunt & promissis stare nolunt. Fedus itaque quod cum Apostolica Ecclesia Deus sanxit, æternum est, & æternùm durabit: quia fides Ecclesiæ non deficiet.

9. *Et scietur in Gentibus*, &c.] Hoc ad dignitatem illorum facit qui primogeniti fuerunt Christi, & omnium illorum quos illi ad Christum pertraxerunt. Qui ad fedus hoc, inquit, novum pertinent, inter omnes gentes cognoscentur. Nam hoc in primis mandatum acceperunt, *ne fierent sicut gentes*, sed ab eis & eorum moribus, tanquam lux à tenebris, diversi forent, & *inter eos lucerent sicut luminaria in tenebris*. Distinguuntur enim ab eis Fide, quia invisibilem Deum colunt; Spe, quia futura & invisibilia sperant; Dilectione, quia quem non vident amant, concupiscentiis Gentium vacui sunt, non gaudent quibus illæ, neque cum eis currunt ad spectacula, &c. non tristantur sicut Gentes, *quæ spem non habent*, non de vestitu & alimento soliciti sunt, *quæ omnia gentes inquirunt*; denique *spiritu Dei aguntur*, illæ verò spiritu mundi aut diaboli, *qui operatur in filios incredulos*, seu *inobedientes*: quare ab aliis omnino distincti sunt; & hoc est *cognosci inter* omnes *gentes*, quod mox exponit. ¶ *Omnes qui viderint eos*, &c.] Hæc est vis virtutis, ut non possint non admirationi esse cæteris etiam qui illam odio prosequuntur: agnoscunt enim esse Numinis supremi donum; non enim humanum reputari potest, in carne præter carnem vivere: cùm verò eos qui Christiani dicebantur eandem vitam apud Persas, apud Scythas, apud Hispanos, Afros atque Indos ducere viderent, *semen benedictum*, seu *progeniem Deo charam*, eos vocare compellebantur. *Ex bonis* enim *operibus Christianos considerantes, qui priùs ipsis detrahebant*, convicti *glorificabant Deum*, ut est apud Apostolum.

10. *Gaudens gaudebo*, &c.] Puto esse voces chori Apostolici & spiritalis illius Jerusalem, quæ ex sanctis reliquiis constabat, ad quam superiori capite locutus fuerat Propheta. Possunt etiam ut Prophetæ ipsius voces accipi præ gaudio exsultantis, & se felicissimum reputantis ob felicitatem regni Dei, ad quod ipse pertinebat. Videntur autem verba hæc pedibus & mensurâ poeticâ constare in Hebræo: cujus tamen in universum rationem ignorant Hebræi. *Gaudere* autem *in Domino* vel *cum Domino* est gaudio Divino & cœlesti perfundi, non scilicet ob res inanes, sed ob solida & vera bona. ¶ *Indumentis salutis*] i. Salute tanquam indumento me induit; quod rursus repetit, *Et pallio justitiæ obtexit me*: *justitia* enim hîc pro justificatione & testificatione justitiæ accipitur, ut in superioribus non semel, nempe ut omnibus notum esse possit me salvum & justificatum per Deum, ut qui ex tyrannide ereptus in judicio absolvitur & liber dimittitur. ¶ *Quasi sponsum*] Sponso & Sponsæ se comparat chorus Apostolicus propter decorem, ut manifestè apparet: puto tamen quòd utrisque se comparavit, quòd respectu Christi sint veluti sponsa, juxta illud Pauli, *Despondi vos uni viro, virginem castam exhibere Christo*. Et *Sponsa* vocatur Ecclesia, atque adeò ipsi fideles apud Oseam: at respectu eorum quos ipsi ad fidem adducebant, erant veluti Sponsi, qui filios generabant & Ecclesiis copulabantur. ¶ *Ornatum*] Ubi Vulg. vertit per participia, *decoratum*, *ornatum*, doctè sanè & eleganter. In Heb. sunt duo verba futuri: quare supplendum est relativum, & in præsens vertenda, nam consuetudinem notant; *qui decoratur*, *quæ ornatur*. ¶ *Monilibus*] Nomen Hebræum *cujuscunque artis instrumenta* & *quævis vasa* notat: hic aptè *mundum muliebrem* dicere poteris, qui infinitam multitudinem rerum & ornamentorum comprehendit, quæ ad mundissimum ornatum pertinent. Quæ sint autem hæc Ecclesiæ ac Sanctorum ornamenta jam in superioribus annotavimus, & in sequentibus manifesta erunt.

11. *Sicut enim terra*, &c.] Hæc similitudo superiora explicat. Terra herbis, arbustis, arboribus, præsertim si more *hortorum* colatur, vestiri & ornari solet, ut vix terræ quidquam appareat: sic, inquit, justi illi Discipuli Domini, primitiva Ecclesia (Dei quidem dono & curâ, qui *incrementum dat* & omnia ad perfectum perducit) coram universis gentibus omni justitiâ & sanctitate & diversis virtutum generibus operti, ornati, & omnium cœlestium bonorum copiâ instructi oculis gentium apparuere, ut vix in eis quidquam terrenum & vile consiceretur. *Laudem* autem vocat quæ laudem & gloriam merentur, qualia sunt modestia, temperantia, patientia & similes virtutes, quæ homines hominibus admirationi esse faciunt. Hic Ecclesiæ & Christianorum decor, quem *Dominus succrescere* & *germinare faciebat*, animos gentium perducebat ut ad delicias illas Paradisi seu horti amœnissimi occurrerent. Hoc certè loco per antithesin mihi videtur facta allusio ad ejectionem illam primorum parentum ex Paradiso, ut inauditam rerum vicissitudinem factam insinuet Propheta: illi è Paradiso ejecti sunt ut illuc regredi non valerent; at in mundi regeneratione paradisum deferri ad omnes Gentes facit Dominus, & nulla fuit tam inculta gens ad quam paradisus Domini non pergeret. Unus homo, qui Æthiopiam adibat, paradisus erat, & brevissimo tempore *faciebat Dominus succrescere justitiam*, arbores & plantas cœlestes in terra illa, ut Ecclesia Æthiopum multò amœnior esset hortus quàm ille initio mundi constitutus. Idem de cæteris Ecclesiis existimato. Plurima hîc annotatione dignissima habes, Christiane lector: vides enim Divinam bonitatem; vides cui adscribi debeat progerminatio virtutum in terra; vides quæ sint ornamenta terræ; vides Apostolorum gloriam & primorum illorum Christianorum divitias; vides quænam sint quæ laude digna sunt: *laudem* enim vocat quæ in sanctis illis laudabantur, & alia quamplurima ex hoc loco poteris eruere; quæ persequi leges Commentarii non patiuntur. Hæc autem tibi Deum tuum amabilem valde reddere poterunt, qui tantis mundum beneficiis affecit.

DRUSIUS.

1. לַחֲבֹשׁ. Sym. Th. *ad obligandavulnera*. ¶ לִקְרֹא לִשְׁבוּיִם דְּרוֹר. Sym. Th. *prædicare captivis remissionem*. ¶ לַאֲסוּרִים פְּקַח־קוֹחַ. Sym. *vinctis solutionem*] *Prædicare captivis remissionem*, Κηρύξαι αἰχμαλώτοις ἄφεσιν· ità Lxx. Dubito an etiam cæteri. Verba enim Hieronymi ambigua sunt, *Sive juxta Sym. & Th.* ad alliganda vulnera peccatorum, prædicare captivis remissionem, cæcis ut videant: *vel* clausis apertionem, *quod manifestius interpretatus est Symmachus*, vinctis solutionem.

6. וּבִכְבוֹדָם תִּתְיַמָּרוּ. A. καὶ ἐν δόξῃ αὐτῶν πορφύρᾳ ἐνδύσεσθε] Hieron. *Pro* SUPERBIA gloria *interpretatus est*, καὶ ἐν δόξῃ αὐτῶν πορφύρᾳ ἐνδύσεσθε, i. purpurâ vestiemini, *ut insigne regii decoris ostenderet*.

10. יְכַהֵן פְּאֵר. A. ἱερατευόμενος στέφανον, *sacerdotii portans coronam*] Hieron. *Perfectus erat Paulus, qui quasi sponsus decoratus coronâ atque coronandus, sive, ut Aquila transtulit*, ἱερατευόμενος στέφανον, *quod in lingua nostra dicitur*, sacerdotii portans coronam, &c. Lxx, μίτραν. Theodoretus, οἱ τρεῖς, στέφανον *coronam*. ¶ תַּעְדֶּה כֵלֶיהָ. Cæteri, *quæ ornatur vasis* (vel *monilibus*) *suis*] Hieron. *Et ideo sponsa assimilatur ornatui, quæ ornatur mundo muliebri, sive, ut cæteri transtulerunt*, vasis, *vel* monilibus suis.

IDEM EX PROCOPIO.

1. רוּחַ אֲדֹנָי. Πνεῦμα Κυρίου, *Spiritus Domini*. ¶ עֲנָוִים. Ταπεινοῖς *humilibus*] Priùs erat πτωχοῖς, i. עניים.

2. שְׁנַת־רָצוֹן. οἱ λοιποὶ, ἐνιαυτὸν εὐδοκίας *annum beneplaciti*. ¶ לַיהוָה. τῷ Κυρίῳ *Domino*. ¶ לֵאלֹהֵינוּ. τῷ Θεῷ ἡμῶν *Deo nostro*.

3. לָתֵת לָהֶם. δοῦναι αὐτοῖς *ad dandum illis*. ¶ לָהֶם. A. Th. αὐτοῖς *illis*. ¶ אֵילֵי. Sym. ἰσχυροὶ *fortes*.

4. רִאשֹׁנִים. πρώτων *primorum*. Th. Sym. ἀρχαίων *antiquorum*.

6. אֱלֹהֵינוּ. A. Th. Sym. Θεοῦ ἡμῶν *Dei nostri*. ¶ יֵאָמֵר לָכֶם. Iidem, ῥηθήσεται ὑμῖν *dicetur vobis*. ¶ חֵיל גּוֹיִם. A. τὴν εὐπορίαν τῶν ἐθνῶν, *abundantiam Gentium*.

7. תַּחַת בָּשְׁתְּכֶם מִשְׁנֶה וּכְלִמָּה יָרֹנּוּ חֶלְקָם. Th. Ἀντὶ τῆς αἰσχύνης ὑμῶν διπλᾶς καὶ ἐντροπῆς ἀγαλλιάσονται μερὶς αὐτῶν, *Pro pudore ipsorum duplo & ignominiâ exsultabunt pars eorum*.

8. בֶּאֱמֶת. Πάντες οἱ λοιποὶ, ἐπ' ἀληθείᾳ *in veritate*.

9. בְּתוֹךְ הָעַמִּים. ἐν μέσῳ τῶν λαῶν *in medio populorum*.

10. שׂוֹשׂ אָשִׂישׂ בַּיהוָה תָּגֵל נַפְשִׁי בֵּאלֹהַי. Th. Sym. Ἀγαλλιάσει ἀγαλλιάσομαι ἐν Θεῷ, εὐφρανθήσεται ἡ ψυχή μου ἐν τῷ Θεῷ μου, *Exsultatione exsultabo in Deo, lætabitur anima mea in Deo meo*. A. Χαίρων χαρήσομαι ἐν Κυρίῳ, ἀγαλλιάσεται ἡ ψυχή μου —— *Gaudens gaudebo in Domino, exsultabit anima mea* —— ¶ כֶּחָתָן יְכַהֵן פְּאֵר וְכַכַּלָּה תַּעְדֶּה כֵלֶיהָ. A. ὡς νυμφίον ἱερατευόμενον, καὶ ὡς νύμφην κοσμουμένην σκεύεσιν αὐτῆς, *tanquam sponsum sacerdotio functum, & tanquam sponsam ornatam vasis suis*. Sym. ὥσπερ νυμφίον κεκοσμημένον στέφανον, καὶ ὡς νύμφην περικειμένην τὴν σκευὴν αὐτῆς, *quasi sponsum ornatum coronâ, & quasi sponsam circumdatam supellectili suâ*.

11. תַּצְמִיחַ. Sym. ἀνατέλλει *exoriri facit*.

GROTIUS.

1. SPiritus Domini super me] Loquitur hic Esaias de se, ut notat Chaldæus; sed in quo Christi non obscuram conspicimus imaginem. *Ideo me*; inquit, *Spiritu suo afflavit Deus.*

Eò quòd unxerit Dominus me ad annuntiandum mansuetis] Sensus est: ideo mihi Spiritum suum dedit, quia munus magnificum mihi imposuit, quale est unctorum in regnum aut sacerdotium. Illud *annuntiandum* in Hebræo est *ad latum nuntium portandum:* Quibus? *mansuetis*, id est, bonis, ac patienter inflicta sibi mala tolerantibus. Lxx πτωχοῖς [*pauperibus*] literæ unius mutatione, de qua vide ad Lucæ IV. 18.

Misit me ut mederer contritis corde] In Hebræo, *Ut obligarem contritos corde:* nempe quomodo boni chirurgi vulnera obligant, sic ego jussus sum illorum dolorem mitigare meis vaticiniis.

Et prædicarem captivis indulgentiam] In Hebræo, *Libertatem*; nec aliter in Græco & Chaldaico. Judæi non tantùm exsules erant, sed & quasi in laxa catena captivi, ut olim in Ægypto: exire enim illis de assignatis locis non licebat.

Et clausis apertionem] Quod in Hebræo est פקח קוח, vertunt plerique *apertionem carceris.* Vox illa Hebræa non alibi apparet. Sed in lingua Chaldaïca unde hoc loquendi genus credibile est sumsisse Esaiam, quòd de ea captivitate ageretur quæ per Chaldæos facta est, קוח *lorum* significat. *Apertio* autem sive *dissolutio lori* non malè per similitudinem dicitur illa de qua hic agitur liberatio. Lxx hîc posuêre τυφλοῖς ἀνάβλεψιν [*cæcis visum*], nimirum quia summæ miseriæ per cæcitatem adumbrantur.

2. *Ut prædicarem annum placabilem Domino*] Ut significarem tempus, quo Deus se ostensurus esset propitium Judæis, si pœnitentiâ ducerentur.

Et diem ultionis Deo nostro] In Babylonios.

3. *Ut ponerem lugentibus in Sion, & darem eis coronam pro cinere*] In Hebræo quod est פאר, generaliter quidem omne *decus* aut *ornamentum* significat, sed pro *corona* sumitur etiam Ezech. XXIV. 17. Pleniùs infrà LXII. 3. עטרת תפארת [*corona decoris*].

Oleum gaudii pro luctu] Unguenta quæ in rebus lætis sumi solebant.

Pallium laudis] Καταστολὴν δόξης [*amictum gloriæ*] Lxx. Vide Lucæ XV. 22. Cæterùm per *amictum* hic intelligitur *spiritus lætitiæ*, ut hic interpretatur Chaldæus, & ostendit contextus.

Et vocabuntur in ea] Qui in ea erunt.

Fortes justitiæ] Rectiùs alii *arbores justitiæ*, ob id quod sequitur. *Arbores justitiæ* dicuntur, qui firmi sunt in justitia, velut actis radicibus. Vide quæ dicta ad Matth. XIII. 6. Pro *arbore* autem hæc vox sumitur & suprà I. 30.

4. *Et ædificabunt deserta à seculo*] Id est, quæ diu deserta fuerant, ultra annos quinquaginta: quod tempus עולם [*seculum*] Hebræis.

5. *Et stabunt alieni, & pascent pecora vestra*] Ità in bona omnes fortuna eritis, ut facilè ad quævis ministeria reperturi sitis aut hostes bello captos, aut alios mercede conductos. *Stare* hic significat ad nutum præstò esse, ut suprà XLVIII. 13.

6. *Vos autem Sacerdotes Domini vocabimini*] Omnes Israëlitæ quasi Sacerdotes in Paschate: diximus de eo Exod. XIX. 6. Cæterùm etiam extra hanc causam omnes sanctè viventes, sanctèque Deum precantes dici possunt *Sacerdotes*, id est, quasi Sacerdotes. Vide Hieroclem ad initium Aurei Carminis. Stoïcorum dictum, Μόνος ἱερεὺς ὁ σοφός [*Solus sapiens est Sacerdos*].

Fortitudinem gentium] Divitias, ut suprà LX. 11.

7. *Pro confusione vestra duplici*] Chaldæus: *Pro pudore vestro duplicia.* Id est, honores duplos vobis dabo, ut sequitur.

Et rubore laudabunt partem suam] Idem Chaldæus non malè, *Et rubor illis veniet qui laudant partem suam*, id est, idola: sicut Deus est pars piorum, Psalm. LXXIII. 26. & alibi.

Propter hoc in terra sua duplicia possidebunt] Mutat personam: transit enim de secunda ad tertiam, ut sæpe. Nam ad Judæos hæc pertinent.

8. *Odio habens rapinam in holocausto*] Et Græci & Chaldæus illud עלה legerunt punctis aliis, ut sit à עול [*iniquus*], non à עלה [*ascendo*]. Vertunt enim illi ἁρπάγματα ἐξ ἀδικίας [*rapinam ex injustitia*]. Chaldæus: *Abominabilis est coram me falsitas & violentia.* Et hoc magis probo.

Dabo opus eorum in veritate] Id est, *Dabo illis æquam mercedem:* ut hîc Chaldæus. Nam Hebræis mos est *operis* nomine μετωνυμικῶς [*per transnominationem*] significare mercedem.

Et fœdus perpetuum feriam eis] Id est, fœdus meum cum ipsis instaurabo, quod ex parte mea nunquam deficiet. Ex mea parte sponsores erunt Aggæus, Zacharias, Malachias. Ex parte populi illi qui nominantur Nehemiæ X.

9. *Et scient in gentibus semen eorum*] In Hebræo, *cognoscetur:* id est, *nobile erit semen eorum in gentibus.* Apparuit id in Daniele amicisque ejus, & in Zorobabele.

Cognoscent illos, quia isti sunt semen cui benedixit Dominus] Id est, cognoscent illos esse posteritatem Abrahami, cui Deus tam magna promisit, Geneseos XXVI. 4.

10. *Gaudens gaudebo in Domino*] Hic Prophetæ respondet civitas Hierosolymorum, ut hîc notat Chaldæus.

Induit me vestimentis salutis] Prosperitate tanquam veste me circumdedit.

Quasi sponsum decoratum coronâ] Nuptiali scilicet. Eadem vox est in Hebræo quæ suprà 3. Græci hîc habent μίτραν [*mitram*], quæ vox inter alia etiam *coronam* significat.

11. *Sic Dominus Deus germinabit justitiam & laudem coram universis gentibus*] Quod hic vertitur *germinabit*, in Hebræo est יצמיח, *germinare faciet*; & per Metaphoram, *faciet ut appareat:* quomodo hic vertit Chaldæus. *Justitia & laus*, nempe *Hierosolymorum*, quod hic idem Chaldæus rectè addit.

CAP. LXII.

MUNSTERUS.

1. NON quietus ero] Licèt impii persequantur me, & verbum Domini, & multi sint qui illud vel contemnant vel negligant, propter pios tamen non quiescam nec tacebo, donec veneris Christus; qui *justitiam* & *salutem* afferet populo suo, & nedum populo suo, verùm & Gentibus, quæ hanc Christi justitiam sunt participaturæ, & gratiam ejus percepturæ. Et ex utroque populo fiet populus unus, quem Dominus *novo nomine* appellabit, non secundùm carnem filios Abraham aut populum Israel, sed populum & filios Dei. Consurgetque in regnum novum, non externum sub rege aliquo seculari, sed regnum erit spirituale *in manu Domini.* Et foris quidem subjacebit tribulationibus & persecutionibus, intus autem erit in summa pace: secundùm illud, *In mundo habebitis pressuras, in me autem pacem.* Unde quæ hîc scribuntur, quòd *non derelinquetur, non vocabitur desolata*, &c. omnia in spiritu sunt intelligenda.

4. *Vocaberis Voluntas mea in ea*] Non sufficit, inquit, vocari nomine aliquo, nisi & ipse re ipsâ sis id quod appellaris. Si filius Dei vocaris, cura ut voluntatem ejus facias.

5. *Maritabunt te filii tui*] Chald. interpres clariùs sic vertit, *Quoniam sicut adolescens habitat cum virgine, sic habitabunt filii tui in medio tui.* His vehementissimis affectibus Sponsi & Sponsæ vult persuadere Ecclesiæ quòd ametur à Deo non vulgari amore, sed sicut *adolescens* deperit in *puellam*, & sicut *sponsus sponsam* complectitur. Non solùm autem amat Christus Ecclesiam, sed etiam bona sua communicat Ecclesiæ, & se totum dat Ecclesiæ cum omni justitia sua. Si igitur nos peccatum habemus, Christus illud recipit super se, & justitia ejus vicissim fit nostra. Sicque mortem nostram cum vita, infirmitatem nostram cum potentia Christi, infernum nostrum cum cœlo commutamus.

6, 7, 8. *Constitui custodes*] Hi sunt boni Pastores, qui nunquam tacere debent, sed semper prædicare Christum & ejus beneficia. Et sicut Christus ad Petrum ter dixit, *Pasce oves meas*, sic quoque Propheta iste ter replicat, *Non taceatis, non sit vobis silentium*, &c. Porrò per *frumentum* & *vinum* intelligitur fructus verbi & donum fidei, quod solùm pii percipiunt.

10. *Transite per portas*] *Portæ*, inquit, sunt *apertæ*, Ecclesia docet verbum remissionis peccatorum: transite & amplectimini verbum, & *complanate viam*, i. tollite scandala & retinete verbum purum.

VATABLUS.

1. QUiescam אחשה] Silebo.

2. *Vocabiturque tibi nomen novum* וקרא לך שם חדש] Hebraismus, pro *& vocaberis nomine novo.* ¶ *Imponet* יקבנו] *Vocabit:* vel, *exprimet.*

3. *Et*

3. *Et diadema* וצנוף] *Et amictus:* i. tegmen capitis.

4. *Non dicetur tibi* לא יאמר לך] Hebraismus, pro *Non vocaberis.* ¶ *Desolata* שממה] Ad verb. *Desolatio.* ¶ *Voluntas mea in ea* חפצי בה] Hebraismus, pro *dilecta à me, & mihi grata.* ¶ *Maritata* בעולה] *Juncta viro:* i. inhabitata: translatione sumptâ ab uxore quæ viro cohabitat. ¶ *Nubet viro* תבעל] Ad verb. *maritabitur:* i. habitura est incolas qui erunt illi vice mariti.

6. *Qui reminiscimini* המזכירים] *Qui memores estis*, vel *memoriam celebratis:* i. qui prædicatis Dominum.

7. *Stabiliat* יכונן] *Confirmet.* Alii, *Reparet.* ¶ *Ponat Jerusalem laudem* ישים את ירושלים תהלה] Hebraismus, *reddat eam illustrem & laudabilem, ut illinc materia laudis effulgeat.*

8. *In quo laborasti* אשר יגעת בו] Ad verb. in *quo laborasti in eo.* Hebraismus.

9. *Sanctitatis meæ* קדשי] i. Sanctis meis.

10. *Purgate* eam *lapidibus* סקלו מאבן] Verti potest, *sternite* eam *lapidibus:* i. *facite viam altam magnis lapidibus.* Ità Hebræi.

11. *Audiri fecit* השמיע] *Proclamavit.* ¶ *Et opus ejus* ופעלתו] *Et præmium ejus.* Alii, *& præmium operis ejus.*

CASTALIO.

7. QUI *Jovam memoratis nolite vel vobis ipsis vel ei intermissionem dare*] Eum sine intermissione orate.

CLARIUS.

1. PRopter *Sion non tacebo*] Chorus prophetarum loquitur; Licèt impii persequantur me & verbum Domini, & multi sint qui illud vel condemnent, vel negligant, propter pios tamen non quiescam, nec tacebo, donec venerit Christus, qui *Justitiam* & *salutem* afferet populo suo, neque solùm populo suo, verùm & Gentibus, quæ æquè hanc Christi justitiam sunt participaturæ, & gratiam ejus percepturæ. Et ex utroque populo fiet populus unus, quem Dominus *novo nomine* appellabit, non secundùm carnem filios Abrahæ, aut populum Israel, sed populum & filios Dei, consurgétque in regnum novum, non externum sub rege aliquo hujus seculi, sed regnum erit spirituale in manu Domini. Et foris quidem subjacebit afflictionibus & persecutionibus, intus autem erit in summa pace, secundùm illud, *In mundo habebitis pressuras, in me autem pacem.* Unde quæ hîc scribuntur quòd *non derelinquetur, nec vocabitur desolata*, omnia in spiritu sunt intelligenda.

4. *Vocaberis Voluntas mea in ea*] Non sufficit (inquit) vocari nomine aliquo, nisi & reipsâ sis id quod appellaris. Si filius Dei vocaris, cura ut & voluntatem ejus facias. Et quod ait, *Inhabitata*, Hebraismus habet *maritata*, & similiter quod sequitur, *Inhabitabitur, marito copulabitur.* Idem Hebraismus est in sequenti versu.

6. *Constitui custodes*] Hi sunt boni pastores, qui nunquam tacere debent, sed semper prædicare Christum & ejus beneficia. Et sicut Christus ad Petrum ter dixit, *Pasce oves meas*, sic quoque Propheta iste ter replicat, *Non taceatis, non sit vobis silentium*, &c.

8. *Si dedero triticum*] Per *triticum* & *vinum* intelligitur fructus verbi, & donum fidei, quod soli pii percipiunt.

10. *Transite per portas*] h. e. De porta ad portam. *Portæ* (inquit) sunt *apertæ*, Ecclesia docet verbum remissionis peccatorum: transite, & amplectimini verbum, & *complanate viam, auferte lapides ex ea:* h. e. tollite scandala, & retinete verbum purum.

11. *Merces ejus*] h. e. Electi: & *opus ejus*, h. e. merces operis.

FORERIUS.

1. PRopter *Sion*, &c.] Propheta patriæ & Civitatis suæ amicus, sed multò magis illius civitatis quam terrena Jerusalem designabat, cujus laudes & gloriam non semel cecinerat, veritus nè forsitan quisquam eum prolixitatis damnaret, & quòd in eodem argumento diutiùs hæreret vitio daret, non solùm non desistendum sibi putavit, ut etiam sciens vidensque inceptum persequatur. Verùm innuit quòd quamdiu viveret, à celebranda suæ Civitatis gloria non cessaret, quousque tandem, quæ mente prævidebat, coràm ipse oculis (si daretur) conspiceret. Quare illud *propter Tcion* in bonum accipiendum putarem, *Ob amorem*, inquit, *quem erga Tcion gero, non tacebo, sed eandem cantilenam libens canam.* ¶ *Donec egrediatur*, &c.] Multò quidem antea tacuit Jesaias: verùm, ut dixi, hoc nihil aliud significat quàm quòd si usque ad illa tempora viveret, non taceret: sicut qui dicebat, *Misericordias Domini in æternum cantabo: in generatione & generationem annunciabo veritatem tuam*, &c. Quod certè nobis exemplo esse deberet, nè propterea minùs grati, quòd jam beneficium acceperimus, quàm qui illud exspectabant, esse videamur. ¶ *Justus ejus*] Quia de Messia videbat esse sermonem, *Justum* & *Salvatorem* pro *justitia* ac *salute* dixit Vulgatus: quòd jam suprà annotavi etiam ex usu sermonis & vocum Hebraicarum id ipsum ei licuisse. Manifestum est autem, quod cùm universa nostra justitia à Christo promanarit, *justitia nostra & Ecclesiæ* meritò Christus dicatur, & *salus.* ¶ *Ut splendor*] Magnum futurum Euangelii fulgorem passim Sacræ literæ testantur, ut de adventu in mundum & prædicatione Euangelii intelligendum videatur illud Euangelistæ, *Sicut fulgur exit ab Oriente, & paret usque ad Occidentem, sic erit adventus Filii hominis*, quòd videlicet innotesceret brevi tempore, & haud vulgari splendore, ut non audiendi essent qui dicerent, *Ecce hic, aut Ecce illic est Christus.* Quod enim de Christo credere debemus, per totum orbem vel pueri decantarunt per mille quingentos annos, ut impium sit Christianis aliud nunc Euangelium, seu (ut illi loquuntur) *Reparationem Euangelii* audire. ¶ *Lampas*] *Lapid* idem quòd *lampas* Græcis ac Latinis, consentiente voce. ¶ *Accendatur*] Vel *ardeat:* dicitur autem *tæda* & *splendor Tcionis*, quia *de Tcione exibit Lex, & verbum Domini de Jerusalem*; & præcipui in Euangelio fuerunt Judæi.

2. *Et videbunt gentes*] Cùm enim in tenebris mundus ageret, non poterat non videri fax & splendor qui per orbem discurrebat. Hoc planè est quod sub finem superioris capitis dixerat, quòd *germinare faceret Dominus justitiam coram omnibus gentibus.* ¶ *Cuncti*] Non ità ut sonant verba accipienda sunt, sed quemadmodum illa Pauli, quibus jam *suo tempore* dicebat *prædicatum Euangelium omni creaturæ quæ sub cælo erat.* ¶ *Nominabit*] Ad verb. dicendum erat, *quod os Domini perforabit:* transfertur enim Hebræis verbum *excavandi* seu *perforandi* ad significandam eam notationem seu exarationem nominum aut rerum quæ *perforationibus* quibusdam fiebat. In malum accipitur Job. 3. hîc verò in bonum: est ergò *signare*, seu *notare*, ut Gen. 30. *Excava mercedem tuam*, i. nota, signa. Quale verò sit hoc nomen mox ver. 4. explicabit.

3. *Eris corona gloriæ*] Quod hîc dicit priori versûs membro, repetit in posteriori. Solent autem Coronæ Regum ex auro & lapidibus pretiosis fieri; quæ etsi capiti imponi consueverint, juvat tamen in manibus habere ad earum pulcritudinem contemplandam. Vel alludit ad Coronas quæ ex floribus fiunt. Vel certè illud *in manu*, Hebræis sæpe per Pleonasmum additur: alioqui chorus Apostolorum apud Dominum & in oculis ejus pretiosus erat, veluti *Corona regni.* Sicut autem qui coronâ insignitur Regem se meritò putat; ità Dominus JESUS Dei Filius tunc se Regem reputavit, quando sibi addictos homines illos aspexit. Unde cùm primùm eos ad prædicandum amandavit, dicebat *vidisse se Satanam, tanquam fulgur de cælo cadentem*; quasi jam regnum diaboli eversum per illorum hominum prædicationem videret: per hos enim orbem terræ possedit. Adde, quòd ornati fuerunt omni lapide pretioso. Quanta, quæso, est illorum hominum gloria, ex quibus sui *regni coronam* sibi conficit Deus? ¶ *Diadema*] צניף *cidaris*, tiara, pileolum rotundum non acuminatum erat, quo Reges, Sacerdotes & Judices utebantur: vide Zach. 3. & suprà 22.

4. *Non vocaberis*, &c.] Terrestris illa Jerusalem deserta mansit: at istæc de qua est sermo in æternum non erit deserta, neque *afflatio*, ut loquuntur Hebræi: est enim initium cum ea fedus æternum. ¶ *Sed vocaberis*] Quamvis particula כי Adversativè aliquando accipiatur, non malè tamen hîc suo more pro Rationali accipi poterit: quasi propterea credendum sit, *non ultrà vocandam desertam*, quòd vocari jam jam deberet *hefsiba*, i. *voluntas mea in ea*, seu *beneplacitum meum in ea*, vel *cum ea.* Quî autem fieri potest ut ea Civitas desoletur quæ hoc nomine ex ore Dei appellatur? Hoc est enim illud *nomen novum*, de quo suprà ver. 2. quod propterea fortè dicitur Dominus *ore suo excavasse*, quòd non sine industria & labore inventum sit, ut ea quæ exscinduntur & effodiuntur: quasi significet Propheta, esse hoc nomen summâ prudentiâ adinventum: sicut nos Lusitani dicimus, *ego illi hoc nomen & dignitatem effodi*, i. meâ industriâ & beneficio ad illum honoris gradum conscendit, non meritò, non viribus suis, &c. Quanti autem Dei Filius emerit, posse nomine hoc appellari parvulum illum gregem, quanta priùs pertulerit, facilè intelligit qui Euangelium perlegerit: unde illud, *O generatio incredula! usquequo ero vobiscum? usquequo patiar vos?* quod ad Discipulos videtur dictum: nam dicit,

dicit, *propter incredulitatem non potuisse eos dæmoniacum liberare:* & rursus, *Adhuc & vos sine intellectu estis?* & infinita alia quæ illorum ruditatem coarguunt, quam Dei Filius incredibili tolerantiâ pervicit ac dolavit, ut tandem fierent *corona regni*, & ei essent quàm gratissimi & acceptissimi: quod notat nomen illud *hefici ba.* Huic cùm nemo possit resistere, meritò pro causa assignatur quòd *non ultrà sit desolatio*, sed neque *terra ipsius*. Nam *voluntas* quoque *Domini in ea*, vel *in eam* erat: non solùm enim Apostolorum Collegium, sed Ecclesiam illorum qui crediturі erant per eos valde dilexit, ut illos *delicias suas* esse duceret. Huc faciunt verba illa Pauli, quibus ait; *Ecclesiam suam sic dilexisse, ut se pro illa traderet, & mundaret eam lavacro aquæ in verbo vitæ; ut tandem eam exhiberet non habentem maculam aut rugam.* Quare non dubito quin ad hunc locum facta sit allusio in verbis illis Angelicis in Nativitate Domini, quibus *Deo gloriam*, & *in terra pacem*, *hominibus* illis, præsertim *in quibus* Dominus sibi *complacuisset*, cecinerunt: legendum enim cum Vulgato existimo εὐδοκίας· *homines* verò εὐδοκίας, juxta Hebraismum, quem passim retinent Apostoli etiam si Græcè scriberent, sunt homines accepti seu grati, & *in quibus Deus bene placet*, ut loquitur Scriptura. Tunc sanè vocata est illa regio *voluntas Domini in ea:* imò postquam redemptio fuit consummata, habuit Ecclesia unde sic vocari possit: quod ad veritatem oraculi sufficit. ¶ *Inhabitabitur*] Jam præcesserat participium ejusdem verbi, pro quo Vulgatus dixit *inhabitata:* non quòd ea esset vis verbi, sed sensum utcunque reddens. Latissimè enim patet verbum בעל Hebræis, ut sæpe jam dixi, adeóque pro rei circumstantia variè reddere oportet: & de Terra dicitur, quando terra habet qui se cum amore fruatur, ut quando qui in ea nati sunt in ea absque timore habitant: dicitur quoque de Uxore & Sponsa, ut mox sequenti versu.

5. *Habitabit juvenis cum virgine*] Ubi juxta propriam verbi significationem diei posset, *fruetur juvenis virgine*, i. juvenes sibi in uxores ducent virgines, quod tempore pacis fieri solet: nam belli tempore delectus fit juvenum, neque datur otium ad nuptias contrahendas. Arbitror autem hoc verbum reddidisse Paulum cùm ait, *Ego te fruar in Domino:* notátque Dominium quoddam & auctoritatem. ¶ *Gaudebit sponsus*] Nomen est Hebræis *gaudium*, ut videatur supplenda nota similitudinis; *Quale gaudium est sponsi propter sponsam, sic gaudebit de te Deus tuus.* Huc respexit Joannes cùm ait de Christo, *Qui habet sponsam, sponsus est*, &c.] Si, Christiane lector, pro dignitate hoc loco consideres, quid sit eum qui se ipso felix abundè est, voluptates & *delicias suas* in homine collocare, homines sibi *desponsare*, in illis *complacere*, illis *frui*, illis *gaudere*, quemadmodum *sponsus de sponsa* dilectissima; non dubito quin indignum nimis tibi videatur, abjecto Deo, alias tibi delicias, quibus fruaris & quibus te addicas, perquirere: quod velut ingens malum hoc ipso verbo usus objicit Malachias 2. *Profanavit Jehuda sanctitatem Jehovæ, quam dilexit*, (i. cultum & religionem à Deo institutam) *& fruitus est filiâ Dei nothi*, seu *adamavit*, &c. duxit eam in uxorem, ut eâ frueretur, &c.

6. *Super muros*, &c.] Solent in muris excubare vigiles, nè hostes noctu irrumpant in civitatem: interdiu quoque speculatores in eisdem constituuntur, ut annuncient quæ ex longinquo adventare intellexerint. Hoc munus in Ecclesia est prædicatorum verbi Dei. Hîc mihi Prophetas significare videtur Jesaias, quos semper habuit ille populus. Hos (quandoquidem se immortalem non esse noverat Jesaias, neque ad tempora usque Messiæ victurum) exhortatur ut munus suum exsequantur; priùs tamen ad ipsam Jerusalem verba facit; ut hoc pro non vulgari Dei beneficio agnoscat. Sunt autem verba Domini, *Non tacebunt die ac nocte: semper mittam ad te qui te venturorum commonefaciant:* hoc est quod apud Jeremiam dicitur, *de nocte surrexisse Dominum ad mittendos prophetas*, &c. Deinde ad ipsos Prophetas conversus ait, ¶ *Qui reminiscimini*, &c.] Vel *qui commemoratis*, *qui facitis ut alii reminiscantur*, i. vos quorum munus est facere ut vigeat memoria Dei inter homines: quos enim *custodes* & *vigiles* appellaverat, hos hic vocat *commemorantes Jehovæ*, i. qui prædicant verbum Dei, & faciunt nè alii sui obliviscantur, sed timeant, & mandatis ejus obediant, Prophetas videlicet & Sacerdotes Legis Dei interpretes. ¶ *Ne taceatis*] Heb. *Nè silentium vobis:* construitur autem cum verbo sequentis versûs.

7. *Et ne detis silentium ei*] Neque vobis neque ei silentium detis: & in utroque loco *silentium* pro *quiete* accipiendum est. Nam ipsum verbum & *silere* & *quiescere* notat, sicut Græcis ἡσυχάζω· quia quæ quiescunt, silent. Nè detis, inquit, quietem vobis neque Deo ipsi; sed eum assiduè interpellate, ut promissis stet, & populi sui misereatur: hac spe populum confirmate, & de futura Israelis & Jerusalem felicitate verba faciendi nullo unquam fastidio teneamini: nè, quæso, quiescatis. Dixi quidem de me, quòd non quiescerem quousque oriretur Christus: id profectò fecissem si ad ea usque tempora viverem; sed cùm mihi priùs moriendum sit, vos qui futuris generationibus in ministros & custodes Jerosolymorum constituemini, pro me id facite: erit hoc unum desiderii mei solatium, si intellexero non deesse qui Deum pro sua Civitate solicitent, neque quiescant. ¶ *Quousque stabiliat*, &c.] Seu *confirmet & adimpleat quæ promisit:* vel utrumque verbum more Hebræorum simul est construendum, *stabiliat & ponat*, i. firmiter ponat, immobiliter statuat, ¶ *Jerusalem laudem in terra*] i. Felicem reddat, ut eam meritò omnes gentes laudent; & sit *totius orbis gaudium*, ut alibi dicitur. Quod certè per Christum contigit: nova enim Jerusalem ex veris illis Israelitis constans, *grex* ille *pusillus*, qui fuit lux mundi, gaudium fuit totius orbis; tum quia verum gaudium animorum mundo invexerunt, tum etiam quia toti mundo fuerunt ipsi jucundissimi, & eos ut felicissimos usque hodie laudant universi: sed neque illa terrena Jerusalem laudis omnino expers dicenda est, nam ex illa exivit verbum lætitiæ per totum orbem.

8, 9. *Juravit Dominus*, &c.] Explicat, sed figuris quibusdam, quòd lætitiâ implenda esset Jerosolyma, simúlque rationem reddit quare non debeant tacere Ministri verbi. *Juravit* enim *Jehova*, quòd Jerosolymitani *tritico suo* ac *vino suo* deinceps *fruerentur*, *non hostes*. Pacem hæc notant, *ut de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi in sanctitate & justitia coram ipso:* neque enim bona novæ Jerusalem rapinis hostium patebunt: solida & vera sunt, & quæ nemo ab invitis auferat, ut jam exposuimus in superioribus.

10. *Transite*, &c.] Congregandos in Jerusalem significat filios Dei qui erant dispersi. Adhortatur ergò veros illos Israelitas, ut celeriter exeuntes *per portas* civitatis *præparent itinera* adventantibus dispersis. Quæ certè nihil aliud significant quàm ex Jerusalem celeri cursu ituros Discipulos Domini per totum orbem, & ingenti conatu nihil non facturos, quò tandem, non quidem ad terrenam Jerusalem sed Ecclesiam Christi, *quotquot præordinati erant ad vitam æternam* pervenire possent. Et celerem quidem cursum significat illud repetitum verbum, *Transite, transite:* diligentiam verò & summum studium quæ sequuntur. ¶ *Præparate viam*, &c.] Hoc primò facere deberent prædicatores verbi, nè in via Domini sint quæ oculos vocatorum vel venientium offendant, sed jucundæ sint viæ, & ad ambulandum provocent. Huc quoque facit quod sequitur, ¶ *Planum facite*] Heb. *sternite, sternite:* quod idem est quod *planum facere*, sed repetitio studium commendat. ¶ *Eligite lapides*] Ità quoque Hebræi interpretantur; sed non video cur סכל מאבן non sit *munire terram*, seu *viam*, *lapidibus*, q. d. *Lapidate ex lapide.* Suprà enim cap. 5. interpretati sumus *lapidare* pro *lapidibus munire*, neque abs re: hîc autem constructio hanc interpretationem exigere videtur. Complanata autem itinera lapidibus per ordinem stratis minori labore conficiuntur, neque aquis pluvialibus facilè vitiantur. Quod certe etiam studium commendat prædicatorum Euangelii, ad quos manifestum est pertinere quod sequitur *de extollendo signo ad Gentes:* per crucis enim prædicationem vocandæ erant gentes. Omitto, quòd allusio sit ad militandi rationem: nam Christus Dominus imperator est, & qui in eum credunt, in militum numerum, datis nominibus, computantur. Quæ omnia sequenti versu explicantur.

11. *Ecce Dominus*, &c.] Solent milites *extollere signum*, & tubâ canere: ità Dominus *audiri fecit per totum orbem* hoc quod sequitur, nempe quòd *dictum fuerit Tcioni*, *Ecce salvator tuus venit*, &c. Hæc est Apostolorum prædicatio, nempe, quòd quem sperabat Tcion, *Redemptor* jam *venerit:* quòd Deus in mundum venerit, & ex Judæis carnem susceperit. Sed quorsum hoc gentibus nunciabitur? nimirum ut velint ejus salutis participes fieri, & in eum Deum eredere, qui sicut olim promisit, sic fecit: ei Deo, inquam, velint adhærere, qui hominum amator est. Unde Magi gentium primitiæ interrogant, *Ubi sit natus rex Judæorum?* Quid vobis & Regi Judæorum? Deus est: eum adoraturi venimus: etsi enim Judæis tantùm promissus est, & eorum Deus, & Rex peculiari ratione dictus est; Deus tamen cùm sit, nequit omnino fieri ut homines quos condidit despiciat: habeat nos vel secundo saltem loco, ac se adorari à nobis permittat, quoniam Deus omnium est Deus. Hoc *audiri fecit in terminis terræ*, hoc prædicari, *quòd consolatus sit Dominus populum suum*, redemerit Jerusalem, ut dicant Gentes, *Venite, ascendamus in montem Domini, & ad domum Dei Jacob; & ambulabimus in semitis ejus.* In hunc certè usum gloriabitur apud gentes de impletis promissionibus factis

patribus Judæorum. Sed quid dictum est Judæis? ¶ *Ecce salvator*] Vel *salus*: sed de persona est sermo: hoc certè eis dictum est per Joannem Baptistam, quando eis eum digito ostendens dicebat, *Ecce qui tollit peccata mundi*, & multa hujusmodi. Hoc ipsum eis dixit ipse JESUS verbis & operibus. Hoc multi ex eis agnoverunt, & dixerunt quòd esset verè Salvator qui antea dicebatur venturus: neque enim illud *dicite* certam personam respicit; sed perinde est Prophetis ac *dici poterit*. ¶ *Ecce merces ejus*, &c.] Hoc quoque Tcioni dici poterit, quòd *cum salvatore veniat merces ejus*, i. non tardabit, quin mundum possideat: hæc enim *merces* adventûs & laboris ejus, juxta illud, *Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*. Illud *coram eo*, *cum eo*, summam accelerationem significat, & quòd brevissimo tempore mercedem esset percepturus, & gentes essent subjugandæ. Hæc quidem audire Tcion, omne gaudium superabat: gentibus verò prædicatum est, hoc jam audisse Tcion, nimirum ne ipsæ tardarent venire, audientes quòd Judæis ex promissione adveniret Redemptor, sibi verò ex misericordia. Denique quòd *non Judæorum* esset *Deus tantùm, verùm & Gentium*: imò quòd pro suo labore, tanquam præmium, gentes quoque sibi adsciscerct, & parùm putaret si tantùm Israelitas vocaret. In Actis autem Apostolorum legimus, quòd cùm hæc gentes ex ore Pauli audiissent, *gavisæ sunt, & glorificaverunt Deum*. Idem autem hoc loco est *opus* & *merces*, ut jam suprà ostensum est, ex locis Levit. 19, & Deut. 24.

12. *Vocabunt eos*, &c.] Illos *populos* ad quos *signum elevabitur*, de quo vers. 10. illos, inquam, qui *in extremitate terræ audierunt* quid Judæis acciderit, qui pro *mercede* dati sunt Christo, & ad Jerusalem properabunt: illos, inquam, vocabunt *populum sanctum*; omnes enim Christiani olim *sancti* dicebantur. Ipsam verò Jerusalem dicit vocandam esse *civitatem requisitam*, i. dignissimam quam omnes gentes ambirent & quærerent, & ad quam omnes alacriter properarent, nullis itinerum difficultatibus aut incommodis retardati, nusquàmque ampliùs derelinquendam aut deserendam, ut contigit tegenæ illi Jerosolymæ, quæ sæpius *deserta* & *derelicta* fuit. ¶ *Tu autem vocaberis*] Vel *tibi vocabitur*, seu *nomen imponetur*. In participio autem *requisita* intelligimus quòd non solùm restauranda esset, sed & felicissima foret, sicut civitates illæ ad quas scimus ex variis nationibus quàm plurimos aut visendi studio aut negotiorum causâ sese conferre. Quæ sunt autem Ecclesiæ divitiæ sæpius apud hunc Prophetam vidisti. Verùm enimvero propter ea quæ sequuntur alteram expositionem horum duorum versuum apponendam duxi, quæ mihi simplicior videtur, quamvis superior non sit inepta. Significaverat vers. 2. adducendas ad Ecclesiam Gentes per eos qui ex urbe Jerusalem exirent: quare intulit, *Extollite signum ad populos*: q. d. inferte signa vestra ad quasvis gentes. Id ita factum esse statim significat, *Ecce Dominus auditum fecit ad finem usque terræ*, i. prædicari fecit. Neque quid prædicatum sit exponitur, neque opus erat: ordinem enim rerum tantùm indicare volebat, & quàm brevi Jerusalem ad summam felicitatem perventura esset, eam videlicet quam in superioribus hoc eodem capite exposuerat. Vide ordinem; *Exite*, *parate iter*, *prædicate gentibus*: hoc ubi factum fuerit, *Dicite filiæ Sion*, &c. & quia id jam tanquam factum prævidebat, jubet ut iidem prædicatores hæc quæ sequuntur annuntient *Tcioni*, & *dicant*, *Ecce Salvator tuus veniet*: ut non de adventu in carne hic agatur, sed de adventu ex devictis Gentibus per Euangelium: abiit enim Dominus *in regionem longinquam accipere regnum, & reverti*. Suprà autem ostendimus, quòd in gratiam Judæorum innuat Dominus in Scripturis non semel, *debellaturum se gentes*. Debellatio autem etsi utilis fuerit Gentibus (nam eos *à potestate Satanæ transtulit in libertatem filiorum Dei*) non minùs tamen fuit Judæis, si non desiperent, gloriosa: quandoquidem ad agnitionem & cultum Dei sui adducebantur, qui solus erat gloria & laus Israelis. Ergò tanquam rem jucundam & diu desideratam nunciari jubet Judæis, quòd *salvator ipsius rediret*, adducens infinitam hominum multitudinem captivam; *Ecce*, inquit, *merces ejus cum eo, & opus illius coram ipso*: ecce adducit gentes tanquam adventûs sui præmium; sicut cùm Jacob ex Mesopotamia rediret cum gregibus, &c. Vel perinde est ac si dicat, Si abiit in regionem longinquam suscepturus difficile bellum, non fuit labor ejus inanis: secum sui laboris adducit mercedem ac præmium; gentes enim adducit, quæ omnes dicantur *sanctæ*, & te laudibus celebrent, ut posthac dicaris *civitas* omnibus gentibus *exoptata*, &c. Ubi vides victoriam Christi per Apostolos hac unâ re constare, quòd Gentes ad fidem & sanctitatem morum perduxerit, & Ecclesiam suam celebrem reddiderit, ut Christo Domino gloriam quasi invidere videantur qui in culpa sunt nè aut sanctitas vigeat, aut Ecclesiæ splendor ac celebritas progressus faciat. Si hæc sic accipias, non jam difficile fuerit caput sequens exponere, alioqui difficillimum.

D R U S I U S.

4. בְּעוּלָה. A. ἐσχημένη. Sym. Th. συνῳκισμένη *cohabitata*, vel *inhabitata*] Ἐσχημένη, *habita*. Hieron. *inhabitata*. *Habere* pro *habitare* notum est in Latio. Sed & *possidere* sign. Ergò ἐσχημένη *possessa*. Hieron. בעולה *Aquila interpretatus est* ἐσχημένη, *Sym. & Th.* συνῳκισμένη, Lxx, οἰκουμένη· *quæ omnia* habitatam possessámque *significant*.

IDEM EX PROCOPIO.

1. צִדְקָהּ. A. Th. Sym. ἡ δικαιοσύνη αὐτῆς *justitia ejus*, ¶ וִישׁוּעָתָהּ. Lxx, καὶ τὸ σωτήριόν μου. Cæteri, αὐτῆς *ejus*.

2. וְכָל־מְלָכִים. A. Sym. καὶ πάντες βασιλεῖς *& omnes Reges*.

4. כִּי־חָפֵץ יְהוָה בָּךְ וְאַרְצֵךְ תִּבָּעֵל. Th. Sym. ὅτι εὐδοκήσει Κύριος ἐν σοὶ, καὶ ἡ γῆ σου συνοικισθήσεται, *quia complacebit Domino in te, & terra tua simul habitabitur*.

6. הַמַּזְכִּירִים אֶת־יְהוָה. Lxx, μιμνησκόμενοι τοῦ Κυρίου. Aq. Sym. Th. τὸν Κύριον. ¶ אַל־דֳּמִי לָכֶם. Sym. μὴ ἡσυχάσητε *nè quiescatis*.

7. וְאַל־תִּתְּנוּ דֳמִי לוֹ עַד־יְכוֹנֵן וְעַד־יָשִׂים אֶת־יְרוּשָׁלִַם תְּהִלָּה בָּאָרֶץ Idem, Μὴ δῶτε ἡσυχάσαι αὐτῷ ἕως ἑτοιμάσῃ, καὶ ἕως θῇ τὴν Ἱερουσαλὴμ αἴνεσιν ἐν τῇ γῇ, *Ne detis quietem ei donec paraverit, & donec posuerit Jerosolymam laudem in terra*. Th. Καὶ μὴ δῶτε σιγὴν αὐτῷ ἕως ἑτοιμάσῃ, καὶ ἕως θῇ τὴν Ἱερουσαλὴμ καύχημα ἐν τῇ γῇ, *Et ne detis silentium ei donec præparaverit, & donec posuerit Jerosolymam gloriationem in terra*] *Quietem*, ad verb. *quiescere*. Infinitum pro nomine quale illud,

Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter.

i. scientia tua nulla est. *Ei* αὐτῷ. Sic emendavi ex conjectura: nam in Græco textu Procopii λίθῳ· & apud interpretem, *neque permittatis lapidi quiescere*. Facilis lapsus de αὐτῷ in λίθῳ.

8. בִּימִינוֹ. Th. κατὰ τῆς δεξιᾶς αὐτοῦ *per dexteram suam*. Sym. ἐν δεξιᾷ αὐτοῦ *per dexteram suam*.

9. בְּחַצְרוֹת. οἱ λοιποὶ, ἐν ταῖς αὐλαῖς *in atriis*] Sic etiam Hieronymus. Minimè rectè interpres *in areis*: quanquam vox Græca hoc propriè significet.

10. עִבְרוּ. Th. Ὁδοποιήσατε, *Iter facite*. ¶ פַּנּוּ דֶּרֶךְ. Idem, σκευάσατε τὴν ὁδὸν, *apparate viam*.

11. אִתּוֹ. Th. Sym. μετ' αὐτοῦ *secum*.

12. לָהֶם. οἱ λοιποὶ, αὐτοὺς *eos*.

G R O T I U S.

1. PRopter Sion non tacebo, *& propter Jerusalem non quiescam*] Hic Deus rursum loqui incipit, ut observat Chaldæus. Quod hic dicitur *tacebo*, id locutione Hebræâ idem est ei quod sequitur *quiescam*. Sensus est, Regna omnia commovebo, donec Cyrus rerum potitus sit.

Donec egrediatur ut splendor justus ejus, & salvator ejus ut lampas accendatur] Justus hic est Cyrus, id est, misericors in Judæos: idem eorum sospitator, Christi figuram gerens, ut jam dictum est sæpe.

2. *Vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominabit*] Id est, gloriam obtinebit à Deo prædictam, nempe ut sit corona magnifica, sicut sequitur. Nam *vocari* apud Hebræos est jure tali elogio ornari posse.

3. *Et eris corona gloriæ in manu Domini*] Id est, per Dominum, Domini beneficio.

Et diadema regni] Cidaris regia. Eris summum ornamentum populi Judaïci.

4. *Sed vocaberis, Voluntas mea in ea*] Id est, dilecta mea, ut jamjam explicabitur.

Terra tua inhabitata] בעולה propriè *possessa*.

Quia complacuit Domino in te, & terra tua inhabitabitur] Redditur ratio utriusque ἐπιθέτου [*agnominis*].

5. *Habitabit enim juvenis cum virgine, & inhabitabunt in te filii tui*] Sensus est, Sicut amicè vivit juvenis cum virgine quam amat, (putà Jacob olim cum Rachele) ità vivent inter se cives tui. Hoc primis post reditum temporibus verum fuit.

fuit. Particula ו [*&*] hic est comparativa. Est autem hæc distinctior explicatio epitheti secundi.

Et gaudebit sponsus super sponsam, & gaudebit super te Deus] Id est, sicut sponsus de sponsa sua lætatur, ità de te Deus. Et hæc explicatio est ἐπιθέτε [*agnominis*] illius prioris.

6. *Super muros tuos Jerusalem constitui custodes*] Id est, pro muris tuis, pro salute tua precatores constitui Sacerdotes & Levitas.

7. *Qui reminiscimini Domini, nè taceatis*] Vos Sacerdotes & Levitæ precamini perpetuò.

Et nè detis silentium ei] Nè patiamini Deum quiescere: excitate eum.

Donec stabiliat, & donec ponat Jerusalem laudem in terra] Donec reparet urbem Hierosolyma, eámque faciat latè famosam.

8. *Si dedero triticum tuum ultrà cibum inimicis tuis*] Ut antehac Assyriis, Ægyptiis, Chaldæis.

9. *Qui comportant illud*] Qui in testas condiderint.

Et bibent in atriis sanctis meis] *Et* pro *iidem. Bibent* nempe in epulis illis ad quas Levitas vocabant in circumjectis Templo locis, Deuter XIV. 23. & sequentibus.

10. *Transite, transite per portas*] Vos sacerdotes & Levitæ, de quibus suprà, intrate in Templum.

Præparate viam populo, planum facite iter] Docete eos recta. Hoc officio Esdras ejúsque comites Levitæ bene functi sunt: Esdræ VII. 10. Nehemiæ VIII. 4. 5. 6. 7. 8. 18.

Eligite lapides] Id est, projicite omnia offendicula quæ æqualem gressum impedire possent. Talia sunt connubia cum alienigenis, Esdræ IX. & X. avaritia, usuræ, Nehem. V. sabbati violatio, Neh. XIII. aliáque similia.

Erigite signum ad populos] Facite gentes aliæ exemplo Judæorum ad pietatem provocentur.

11. *Ecce Dominus auditum fecit in extimis terræ*] Id est, ab extimis terræ partibus jussit hoc pronuntiari, per Ezechielem maximè.

Dicite filiæ Sion, Ecce salvator tuus venit] Cyrus, ut suprà initio hujus capitis.

Ecce merces ejus cum eo, & opus ejus coram illo] Hic iterum *opus* est merces operis. Sensus est: pro ista liberatione vestra jam mercedem in antecessum recepit, victoriam de Chaldæis.

12. *Quæsita civitas*] Ad quam multi confluent.

CAP. LXIII.

MUNSTERUS.

Ostendit Propheta in hoc capite qualis sit Christi & Ecclesiæ victoria, qualia ejus armamenta. Introducitur Christus qui justissimè præliatur, & vincit, & absque omni injustitia triumphat, sanguinolentis vestibus contra Idumæos & Moabitas & contra sanguinolentam Synagogam sine cessatione bellum gerens, ut suos liberet, quorum afflictiones & injurias suas esse dicit.

1. *Ab Ædom*] Sonat *Ædom* sicut & אדמון *rubedinem.* Rubicunda autem fuit Synagoga hîc per *Ædom* significata, quòd sanguine Christi & Prophetarum se polluit. Vocatur & *Bozra*, quod *vindemiam* significat, ob depopulationem quæ populo illi ob Christi necem accidit, sicut & paulò post mentio fit de *Torculari.* Respondetur autem ad quæstionem, *Quis est iste qui venit*, &c. quòd sic honoratus, sedens ad dexteram patris, & nullus non sit locus ubi non exserat vim suam, *Ego*, inquiens, sum *qui loquor in justitia, & copiosa apud me est salus.* Et si iterum quæras, *Cur igitur est rubicundum vestimentum tuum?* respondet, Quòd *solus calcaverim torcular, & in furore meo conculcaverim eos, ut etiam sanguis eorum asperserit vestes meas.* Ipsi facti sunt *Ædom* & *rubicundi* ex sanguine meo & meorum, & cùm venisset dies ultionis meæ, ego quoque pœnas sumpsi de eis.

5. *Et admiratus sum*] Suprà cap. 50. hæc eadem scribuntur verba, in alia tamen persona. Vide ibi, quia exponitur iste locus ibi aliquantò clariùs.

12. *Per dexteram Mosi*] h. e. Per virgam quam Moses dextrà manu tenebat.

16. *Super me continuerunt se*] *Apud te continuisti misericordias tuas, nè venirent super me.*

17. *Permittis avelli*] Secundùm Kimhi תעה significat *molesto corde ab aliqua re aversari.*

VATABLUS.

1. Demigrare faciens מעיר] i. *Proficisci faciens Israelem de omnibus locis captivitatis suæ in quos dispersus est.* Ità doctus inter Hebræos. Alii, *gradiens præ multitudine*, &c.

3. *Calcabo enim* ודרכם] Fut. Heb. pro præt. ut quidam vertunt, *Calcavi enim eos in ira mea, conculcavi, inquam, eos in furore meo, respersúsque est sanguis eorum super vestes meas, & omnia vestimenta mea pollui.* ¶ *Inquinabo* אגאלתי] Præt. Heb. nam א loco ה ponitur, ut scribit doctus inter Hebræos.

4. *Dies enim*, &c. כי יום וגו'] Jam olim statueram ulcisci genus humanum de inimicis suis: tempus quo meos redimerem advenerat.

5. *Et admiratus sum* ואשתומם] *Et stupefactus sum*, vel, *desolatus eram.* ¶ *Salvavit itaque me* ותושע לי] *Salutem igitur fecit mihi*: vel, *præstitit.*

6. *Et descendere faciam* ואוריד] *Et prosternam.*

7. *Memoriâ repetam* אזכיר] *Memorabo.*

8. *Verè* אך] *Certè.* ¶ *Et fuit eis* ויהי להם] *Itaque factus est eis.*

9. *Ei* לא] Annotant Hebræi hic scribi לא, & legendum esse לו *ei*: i. eùm affligebantur, videbatur quodammodo affligi. ¶ *Faciei ejus* פניו] i. Missus ab eo: Hebraismus. ¶ *Et indulgentiam suam* ובחמלתו] *Et clementiam suam.*

11. *Longi temporis* עולם] *Seculi*: i. priscorum.

12. *Qui ambulare fecit* מוליך] *Qui deduxit.* ¶ *Mosch* משה] Genitivus est.

13. *Sicut equus* כסוס] Quidam præcedentibus jungunt, hoc modo, *Qui deduxit eos per abyssos, velut equos in deserto, ut non impegerint*: vel, *quasi equos* qui currentes *per desertum non impingunt.*

14. *Descendit* תרד] Fut. Heb. pro præs.

15. *Multitudo viscerum tuorum* המון מעיך] Hebraismus, *Amor ille maximus quo prosequebaris olim populum tuum.* ¶ *Mihi continent sese* אלי התאפקו] Præt. Heb. pro præs. i. meo damno continent se apud te. Alii, *ergà me cohibuerunt se.*

16. *Etiamsi Abraham* כי אברהם] Observandum כ pro *quamvis*, aut *etiamsi*: q. d. tametsi abnegent nos Patres nostri, tamen nos, ô Deus, pro filiis habiturus es, téque patrem nobis præstabis: etiamsi jus patrium cesset, cognatióque omnis in terra, tamen pater esse non desines. Alii tamen vertunt, *nam Abraham non novit nos*, &c. q. d. non est quòd invocemus eos, nam nunquam juverunt nos.

17. *Induraſti* תקשיח] *Removisti*, vel, *recedere fecisti*: ità doctus inter Hebræos. ¶ *Tribus* שבטי] Quidam subaudiunt præpositionem *Ad*, alii *Propter*: ut sit, *ad tribum*, vel *propter tribum.*

19. *Fuimus*, &c. היינו מעולם וגו'] i. Fuimus ut ii quorum non fuisti Dominus, aut qui te non agnoverunt, & qui non fuerunt vocati de nomine tuo, h. e. qui non fuerunt populus tuus. Ad verbum legitur, *Fuimus, à seculo non dominatus es in eis, non invocatum est nomen tuum super eos.*

CASTALIO.

2. *Cur tua rubet vestis, tuáque indumenta similia sunt ejus qui torcular calcat?*] Alludit ad nomina: nam IDUMÆA à *rubendo*, & BOSRA à *vindemiando* nomen habet.

17. *Cur nos à tuis, Jova, viis avertis? cur mentes nostras à tui reverentia avocas?*] Confer hoc cum verbis quæ paulò antè dixit, *Sed illi contumaces*, &c. v. 10.

CLARIUS.

1. *Qui venit de Ædom*] Erant ii qui in Ædom agebant & Bozra, quamvis ex Esau fratre Jacob descenderant, valde infensi Judæis, sequentes nimirum patrem suum Esau, quamobrem & typum gerunt omnium persecutorum Verbi. Sonat autem *Ædom rubedinem.* Rubicunda autem fuit Synagoga hic per *Ædom* significata, quòd sanguine Christi & Prophetarum se polluit. Vocatur & *Bozra*, quod *vindemiam* significat, ob depopulationem quæ populo illi ob Christi necem accidit, sicut & paulò pòst mentio fit *torcularis.* Respondetur autem ad quæstionem, *Quis est iste*, &c. Introducit enim ex Ædom venientem rubricatis vestibus & cruentis, graduque virili & heroico incedentem: cùm ergò interrogetur, *Quis sit iste*, cur tam honoratus, sedens ad dexteram patris, ut nullus sit locus ubi non exserat vim suam; *Ego* (inquit) *sum qui loquor in justitia, & copiose apud me est salus.* Et si iterum quæras,

Cur igitur est rubicundum vestimentum tuum? respondet, *Solus calcavi torcular, & in furore meo conculcavi eos*, ut etiam *sanguis eorum asperserit vestes meas.* Ipsi facti sunt *Ædom* & *rubicundi* ex sanguine meo & meorum; & cùm venisset *dies ultionis meæ*, ego quoque pœnas sumpsi de eis: & quod ait de Gentibus *neminem secum esse*, intellige ipsum solum potuisse facere redemptionem; sic & illud, *Circumspexi, & non erat auxiliator* significat, necessarium fuisse ut ipse aggrederetur provinciam, cùm non inveniretur qui id posset. Illud autem *Quæsivi* in Heb. est *Admiratus sum, quòd non esset qui sustentaret.* Et cùm addit *se conculcasse populos*, accipe non solùm homines quicunque adversarentur veritati, verùm etiam contrarias potestates & angelos Satanæ.

7. *Miserationum Domini recordabor*] Refert se Propheta ad preces de more, atque ad gratiarum actiones, & redit in memoriam superiorum misericordiarum Dei, ut nunc in eadem miseratione salvet Israel.

10. *Et afflixerunt spiritum sancti ejus*] h. e. Sanctitatis.

11. *Et recordatus est*] Ambiguum est an ad Deum, an ad Israelem referatur. Sed videtur aptum ut dicatur, Israelem recordatum quæ Deus fecerit in gratiam Mosis & populi sui, & dixerit, *Ubi est, qui eduxit eos*, &c. & quod ait, *ubi est qui posuit in medio ejus spiritum sanctitatis suæ*, intelligit Prophetiam.

12. *Qui eduxit ad dexteram*] Vel *per dexteram*, h. e. per virgam quam Moses dextrâ manu tenebat.

13. *Super me continuerunt se*] *Apud te continuisti misericordias tuas, ne venirent super me.*

16. *Abraham nescivit nos*] *Pater quidem carnis nostræ Abraham est; sed tu verus perfectusque pater es, ad quem nobis confugiendum est in tempore afflictionis: nam hominis auxilium nihil est.*

17. *Quare errare nos fecisti*] Observandus est & hic Hebraismus, cujus aliis locis meminimus, ut sic intelligamus, *Quare passus es ut erraremus, & indurarctur cor nostrum?*

18. *Quasi nihilum possederunt*] Alii verterunt, *Ad modicum tempus in possessione fuerunt populus tuæ sanctitatis.* Nam post reditum è Babylone non fuerunt in terra sua Judæi multò pluribus quàm quadringentis annis, & pauci ex reliquis tribubus redierunt.

FORERIUS.

1. QUis est, &c.] Jusserat nunciare Tcioni, quòd *veniret Salvator ejus*; jam eum appropinquantem Civitati inducit & de hostibus triumphantem. Fideles itaque Israelitæ triumphantem admirantur &, *quisnam sit*, interrogant: ignorabant enim mysterium de vocatione Gentium, & vix fieri posse credebant ut Gentes fierent adventûs Messiæ participes. ¶ *De Edom*] Non displicet illorum commentarius qui per *Idumæos* & *Moabitas*, quorum civitas erat *Botcra*, intelligunt Gentes omnes populi Dei inimicas, quòd isti acerrimi essent hostes Israelis. Puto tamen horum duorum locorum meminisse propter etymologiam: nam *Edom* à *rubore* dictus est, & *Botcra* à *vindemia*. Gaudent enim Prophetæ hujusmodi allusionibus, sicut David Ps. 102. *Heu me! quia peragravi Mesec: inhabitavi cum tentoriis Chedar: Rabat habitavit sibi anima mea.* Sic enim omnino vertendus est locus. Non est autem intelligendum, quòd unquam apud Moscovitas septentrionales Scythas, qui aut apud Ammonitas, quorum civitas erat Rabat, à *multitudine* seu *magnitudine* dicta, aut in Agarenorum solitudine & regione, quæ nomen accepit à Chedar filio Ismaelis, quæ vox quoque *obscuritatem* notat, habitaverit David; sed ipsos Israelitas similes moribus illarum gentium insinuabat: quasi illis tribus nominibus nihil aliud significaverit quàm quòd longam moram traheret in *obscuritate*, populares suos notans. Ità hoc loco propter *ruborem* & *mustum* horum locorum meminit, quòd regiones è quibus redemptor cum triumpho redibat veluti sanguine effuso repletæ fuerunt, & gentes veluti in *vindemia uvas calcaverunt* (ut mox narrabitur.) Secunda enim percunctatio cum priori omnino eadem est, nisi quòd primo versu interrogatur de persona, secundo de causa. Dicere enim, *Quis est qui venit de Edom?* est dicere, *Quis est iste qui rubrum habet vestimentum?* & illud, *tinctis vestibus de Botcra? quis est qui vestimenta gerit musto tincta?* quæ certè, secundo versu continentur, ut mox explicabimus. Quæ verò fuerit hæc *inquinatio*, mox etiam aperiet. ¶ *Formosus in stola*] Notare autem oportet ut facilis sit eorum quæ sequuntur intelligentia, quòd etsi *indumenta* erant *contaminata*, dicitur tamen *decoratus in*, vel *cum*, *indumento suo.* ¶ *Gradiens*] Non habui aptiorem quâ redderem vocem, quæ propriè dicitur de eo qui incedit cum pompa & fastu, quasi conscius suæ dignitatis. ¶ *In multitudine virtutis*] i. Præ se ferens ingentem virtutem: aliter enim incedunt debiles & pusillanimes, aliter qui viribus & potentiâ pollent. ¶ *Ego, qui loquor*, &c.] In Hebr. est *loquens in justitia* seu *cum justitia.* Fortè hic *justitia* pro *veritate* accipitur, ut sæpe aliàs, quemadmodum & *veritas* etiam pro *justitia*, quasi glorietur quòd sicut promiserat sic adimpleverit, & ultionem sumpserit de hostibus suis, & hostes omnes populi Dei fidei subjugaverit. Vel certè *loqui in justitia* est *judicium justè exercere*, quo se Regem & justum esse dicit. Hoc enim Messiæ tribuebant Sacræ literæ, quòd *judicium mundo proferret, & cunctis gentibus jus diceret*, ut suprà non semel annotatum est. ¶ *Propugnator*] Heb. רב *multus*: potest & pro *Principe* accipi; *magnum* enim quoque designat. Est quòd suprà vertit Vulgatus *multus ad ignoscendum*: magnus remissionis auctor. Justitiam ergò & misericordiam suam hìc celebrat, sicut qui dicebat, *Misericordiam & judicium cantabo tibi, Domine.* Et licèt tam magnus sit ad judicium exercendum quàm est ad condonandum seu salvandum; cùm damnatio ex nobis oriatur, justificatio ab ipso; non se *principem* seu *multum* seu *magnum* dixit *ad justitiam exercendam*, sicut ad *salvandum.* Libenter autem utrumque membrum de Misericordia dictum acciperem, quasi non loqui se glorietur nisi hominum justificationem & salutem, nisi de Vindicta esset etiam hic sermo, ut mox videbis.

2. *Quare ergò rubrum*, &c.] Addidit *ergò* Vulgatus de suo, ad lucem orationis versu primo, *quis esset qui rubricatus veniret*: hic de causa quærunt. ¶ *Et vestimenta tua.*] Ad verb. *& in vestibus tuis*, sup. *est rubor.*

3. *Torcular calcavi solus*] Hæc significant victoriam quam de gentibus Christus reportavit, prædicato Euangelio, & *captivatis* Gentibus *in obsequium fidei.* Fuit itaque magna cædes spiritalis. Dicitur autem *conculcatio qualis est uvarum*, nimirum quòd omnem suam virtutem & succum, & quidquid laude dignum eis inerat, Deo deprompserunt. His verò similitudinibus utitur ut carnali exspectationi Judæorum satisfaciat; quâ victorem & stragem edentem, & colla regum prementem ex Scripturis exspectant Messiam suum. Ità verò huic opinioni satisfacit, ut interim eos ad spiritalem victoriam hæc & similia quæ in aliis Scripturis legerint doceat referre, ut in sequentibus videbitur: præter hoc, quòd sub finem capitis superioris dixerat, illos quos adducebat ex gentibus vocandos *populum sanctum:* & primo versu hujus *se multum* esse *ad salvandum* dicebat. Major siquidem victoria censeri debet Gentibus, moribus depravatis, & nihil nisi peccare scientibus, religionem & fidem Christi probabilem facere, ut desertis diis suis & legibus carnis & sanguinis, Christum dura imperantem sequerentur, quàm si ducto exercitu omnes trucidaret. ¶ *Solus*] Ut intelligamus soli Christo victoriam illam adscribendam: nam *quis* ad illud munus Euangelii (inquit Paulus) *idoneus esse* potuisset? Quidquid illi effecerunt, ut instrumenta Christi fecerunt. Adde, quòd cùm præcipua victoriæ hujus pars sit remissio peccatorum & reconciliatio mundi cum Deo, mortis & peccati damnatio, hæc autem omnia solus Dei Filius moriens in cruce peregerit, quamvis ejectionis ex orbe tyranni ministri fuerint Apostoli, & verbo Dei effecerint ut hæc bona ad gentes manarent, meritò tamen Salvator se *solum* fuisse dicit *qui torcular calcarit*, i. jugum gentibus imposuerit, neque ex universa hominum multitudine quenquam exstitisse qui manum apposuerit illi operi; quod versibus sequentibus explicatur. ¶ *Et conculcavi eos in ira*, &c.]. Nomen *iræ* ac *furoris* rem obscurant: nam si Misericordiæ fuit gentes fidei subjugare, ut planè fuit, neque aliud canunt scripta Prophetarum & Apostolorum quàm *Gentes super misericordia laudare Deum*, dices, Quænam fuit istæc *ira?* quis *furor?* Vide, Christiane, quæ suprà cap. 56. 16. & seq. annotavimus: ferè enim eadem sunt quæ illic & hîc dicit Propheta. Illic enim ubi dixit, *displicuisse in oculis Domini non esse judicium in terra*, addit quòd *semetipsum exhortatus est ut salvare* vellet. Quod cùm fecisset, finem victoriæ commemorans ait, *Timebunt qui ab Occidente nomen meum*, &c. Ergò indignatio erat ob peccatum & peccati tyrannidem; quod non solùm homini nocebat, sed ipsi quoque Deo injuriam faciebat: misericordia verò in ipsos captivos, quorum vicem dolens eis Redemptor advênit, ut ibi etiam explicatur. Conculcatæ sunt ergò gentes à Christo cum furore in ipsum, scilicet peccatum, quod in illis regnabat, & cujus partes etiam illæ tuebantur: repugnabant enim etiam ipsimet peccatores saluti, remedio suo; sed tandem victi succubuerunt. ¶ *Aspersus est sanguis eorum*] Cæterùm nomen quod hîc *sanguinem* vertunt נצח, nusquam in hac significatione accipitur nisi hîc, & ver. 6. ubi tamen Vulgatus *virtutem* vertit. Quo fit ut putem Rabinos sic existimasse vertendum, quòd verbum *aspergere* id postulare videretur. Ego verò hac voce uti voluisse Prophetam existimo,

nè de cæde corporali intelligeremus esse sermonem, sed illam vestium tinctionem figurate accipiendam. Nam nomen in Scripturis solet conjungi nominibus Magnificentiæ, Fortitudinis, Decoris & Confessionis. Ergò hîc pro *excellentia* accipere possumus, vel *sustentatione*, i. iis quæ sustentant, vel pro *laude*, & iis *quæ ad laudem* victoris faciebant, quasi significet in indumentis victoris potuisse quemvis videre quas gentes debellasset, quòd spoliis earum ditatus rediret. Et si dicas nomen significare *victoriam*, idem ferè sensus est. *Aspersas* autem victoriâ *vestes* dixit poeticè pro victoriæ signis, nempe sanguine hostium, ut hac ratione credam Vulg. *sanguinem* vertisse, non quòd crederet id vocem significare.

4. *Dies enim ultionis*] Ordinem rei narrat. Consueverunt enim scriptores sacri, ubi rem quampiam quodam veluti compendio significarunt, quasi rogati ut ab initio ordine rem exponant, iterum altiùs repetito exordio rem prout gesta est describere. Quod animadvertere oportet, nè in hujusmodi repetitionibus hæreat lector. Ergò sic accipe ac si diceret, *Vultis rei ordinem intelligere? dicam. Venit in cor meum dies ultionis*, i. Venit mihi in mentem tempus esse seu opportunum esse ut ultionem de hostibus meis caperem, & esse annum seu tempus quo jamdudum pater decreverat suos redimere. Tunc ergò aspexi, &c. Quæ omnia exposita sunt suprà cap. 59. 16. & seq. Et propter hostes quidem *dies ultionis* dicitur, propter homines autem *dies redemptionis*; sic enim in Vulgata editione legendum est, ut etiam legit Hieronymus in Commentariis. ¶ *In corde meo*] Vel *in cor meum*: More hominum loquitur, quibus de novò solet res in mentem venire: Deo autem omnia simul adsunt. ¶ *Annus redemptionis*] גאולי vel *redimendorum meorum*.

5. *Et circumspexi*, &c.] Conveniunt cum verbis cap. 59. 19. Illic dicitur, *Non fuit vir*, hîc *non fuit adjutor*: illic *non fuit intercessor*, hîc *non fuit sustentator*: illic quòd *justitia sustentavit*, hîc quòd *ipsa indignatio*. *Indignatio* enim ex ipsa sanctitate & justitia Dei procedebat, quæ diutiùs imperium peccati ferre non poterat. Cætera conveniunt. Ut tamen vim verbi aliquo pacto exprimerem dixi, *meipsum devovi*. Significat enim vox Hebræa *sese piaculum*, seu, ut loquitur Paulus, *peccatum*, *facere*, nimirum ad expianda aliorum peccata.

6. *Et conculcavi populos*, &c.] Exposita sunt hæc v. 3. *Inebriare* autem in Scripturis est ingentes tribulationes veluti propinare, & magnis calamitatibus afficere. ¶ *Detraxi*] Vel *descendere feci*. ¶ *Virtutem*] Juxta duplicem expositionem nominis נצח, quam suprà habes v. 3. dupliciter hic interpretari poteris, vel de *Excellentia* eorum, vel de *victoria*, i. sanguine signo victoriæ. Notandum autem idem esse in Scripturis *calcare torcular*, & *inebriare*, sicut in Thren. *Calcavit torcular filiæ Tsion*, &, *inebriare calice iræ*, &c.

7. *Miserationum*, &c.] Postquam Propheta devictas per Euangelium Gentes, ac triumphum Christi de hostibus suis narravit, animo (ut existimo) videns multa priùs Judæos passuros, ac demum adveniente redemptore pejùs habituros, & in peccatis permansuros, orationem ad Deum fundere decrevit, quæ durat usque ad finem capitis sequentis, quâ antiqua beneficia in Israelem collata commemorat, nempe electionem in populum Dei, introductionem in terram promissam, &c. Deinde ob ingratitudinem captivitatem Assyriorum & Babyloniorum, & plures alias calamitates perpessum Israelem inducit conquerentem, & adventum Messiæ exoptantem. Tertiò advenisse, ut optabant, commemorat, & vehementer dolet quòd nihil meliùs habeat Israel. Tandem quasi sentiret abjecisse Dominum populum suum, non sine magno dolore orationem claudit: cui respondet Dominus cap. 65. Quam seriem qui non animadverterunt, multa præter rem afferre coguntur; allucinantur autem, quia Rabinos sequuntur. ¶ *Recordabor*] Vel *commemorabo*. Volo, inquit, breviter commemorare misericordias Domini: quod exponens ait, *Laudes Domini juxta omnia*, &c. Volo laudare Dominum pro singulis populo suo collatis beneficiis, & multis bonis quæ in Israelem contulit, pro infinita ejus misericordia. Et licèt in hac oratione, seu hoc cantico, dura, ut dixi, comprehendat, neque peccata populi aut abjectionem sileat, videaturque canticum lugubre, quia quàm justus & rectus sit Dominus intelligebat, *canticum laudationum Domini* vocat: estque versus hic veluti cantici titulus & exordium.

8. *Et dixit*] Nempe olim *Dominus*. ¶ *Verumtamen*] Vel *fortasse*: est enim אך interdum Ominantis, sicut Ps. 119. *Forsan tenebræ obruent me*, &c. Hæc autem referenda sunt ad electionem Israelis in populum Dei, antè quàm educerentur ex Ægypto; q. d. Dominus, *Volo ex omnibus Gentibus hunc populum in meum accipere: etsi enim sunt homines, sunt tamen ex semine dilecti mei Abrahæ; fortassis populus meus ipsi*, i. fortassis isti qui populus meus sunt, & quos in populum meum eligo. ¶ *Filii non negantes*] Vel *non fallaces erunt*. Est enim verbum futuri ישקרו. Manifestum quidem est, multò antea notum Deo fuisse quales illi futuri essent. Sed nihil aliud hæc notant, quàm si ex ipsis rebus petendum esset judicium, illud potuisse prudentem quempiam hominem sperare propter patrum sanctitatem & fidem quâ suos filios imbuerant, & pactum circumcisionis, &c. ¶ *Et factus est eis salvator*] Cùm igitur fidelitatem sibi promisisset, hac spe conceptâ *factus est eis in salvatorem*, eos educens de terra Ægypti in manu valida.

9. *In omni tribulatione*, &c.] i. Quantacunque in eos ingruerent mala, non permittebat eos succumbere, aut calamitatibus opprimi. *Non coarctavit eos* Deus, i. non permisit eos coarctari: vel *ipsa angustia non arctavit eos*: vel *in omni angustia eorum non angustia* scilicet *fuit*. Insecuti sunt Ægyptii a tergo, ex altera parte montes, à fronte mare erat, in arcto positi esse videbantur: tamen non sunt coarctati. Idem in penuria panis & aquæ & cæterorum omnium per quadraginta annos in deserto est quod Paulus ad Corinth. dicebat, *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur*. Nam aut suos eripit ex angustia Dominus; aut certè, ut Paulus item ait, *Sicut abundant tribulationes, abundant & consolationes, & consolatur suos in omni tribulatione eorum*. Quare existimarem figmentum esse Rabinorum ut לא pro לו accipiatur: quod tamen plerisque ex nostris placuisse video. Rabini autem ità voluerunt, ut haberent quo confirmarent aliud figmentum: cap. 39. ubi nos legimus, *Et Israel non congregabitur*, illi legunt, *Israel ipsi congregabitur*: quæ quantum à se distent, nemo non videt. ¶ *Angelus faciei ejus*] De illo Angelo qui comitatus est Israelitas per desertum est sermo, quem vocat *Angelum faciei Dei*, qui vultui Dei assistebat, vel qui faciem & præsentiam Dei referebat, & loco Dei illis aderat. ¶ *Indulgentia*] Notat sæpius in deserto & in terra etiam promissionis peccasse, sed illis indulsisse Dominum, & pepercisse ex gratia & amore quem erga eos gerebat: iccirco per longum tempus illos detulerit, *portaverit*, *levaverit*, i. à malis eripuerit, & ad magnam gloriam evexerit. Habuerunt enim potentissimos reges, ingentes divitias, opinionem sanctitatis ob cultum & templum, fueruntque toti mundo celebres: neque enim alteri unquam nationi talia Deus fecit, &c. Quæ felicitas per plures annos duravit, indulgente sæpius Domino, & ad eorum scelera connivente, quousque tandem eum exacerbaverunt.

10. *Ad iracundiam*, &c.] Ad idololatriam referendum est & ad Prophetarum occisionem. Istis enim videtur spiritus Dei mœrore affici. Post multa beneficia, postquam multis annis indulserat, tandem diutiùs sustinere non potuit, & ab indulgentia in iram, à dilectione in inimicitias propter eorum scelera mutatus est. Quare sequitur quòd *conversus sit eis in inimicum*: possunt enim multiplicata scelera nostra indulgentissimum patrem in hostem convertere; ut videas quales nos erga peccata gerere debeamus. Quo enim loco duceret quis hominem qui amantissimi patris voluntatem abs se alienaret, qui indignatus multùm posset incommodare, hereditate pellere, omni reip. functione privare? hoc certè loco habere debemus iniquitates. ¶ *Ipse debellavit eos*] Vel *bellum gessit in eos*: nam ipse *sibilabat muscæ, & vespæ signum levabat*; exercitus ciebat; & à Deo instigati hostes in Israelem proficiscebantur, ut suprà jam vidimus. Hæc refero ad bella & excidia quæ ab Assyriis & Babyloniis passi sunt Judæi, & ad eas calamitates quas passi sunt post reditum è Babylone.

11. *Et recordatus est*] Ut constet series, cujus maxima habenda est ratio in Propheticis orationibus, de populo accipio, q. d. In medio illorum malorum, cùm in captivitate agerent, aut cùm dira pati se viderent, *recordabantur dierum seculi Mosis*: & in hunc modum dicebat, *Ubi est*, &c. in nominandi ergò casu verti potest, *populus ejus*. *Populus ejus recordatus est dierum seculi Mosis*, *dicens*, *Ubi est*, &c. Ità solebant antiqui expostulare cum Deo, *Ubi est Deus Heliæ, etiam nunc*, &c. i. quid non modò sic ut tunc subvenit? ¶ *Cum pastoribus*] Vel *pastore*, nempe Mose gregis ejus: antecedens ponitur pro relativo, i. *cum pastore suo*; *cum pastore, qui eos regeret*, &c. ¶ *Spiritum*, &c.] Potest hoc ad ventum, qui mare exsiccavit, referri, quòd in medium maris spiritum vehementem immiserit: vel ad *Angelum* qui in medio Israelis erat: vel etiam ad ipsum Dei *spiritum*, quo afflatus Moses & Aaron populum regebant & judicabant, &c.

12. *Qui dixit*] Vel *ambulare fecit*. *Fecit*, inquit, *ire ad*

dexteram Mosis brachium decoris, seu gloriæ suæ; erat quippe à dexteris Mosis virtus seu potentia Domini ad miranda perpetranda, sicut qui dicebat, *A dexteris est mihi, nè commovear.*

14. *Spiritus Domini ductor ejus fuit*] Deest relativum, *Sicut animal* [*quod*] *spiritus Jehova dimittit, dimittit*, relinquit, *ut libere*, scilicet *incedat*, *quò libuerit.* ¶ *Ut faceres tibi*, &c.] Quemadmodum Moses, cùm ei dixisset Dominus, *Peccavit populus tuus iste quem eduxisti*, &c. dixit Domino, *ut misereri vellet populi sui, quem eduxisset de terra Ægypti, alioqui malè consuleret nomini suo*, &c. causam illam nimirum causam Dei faciens: ità isti in suam ipsius utilitatem & gloriam populum eduxisse aiunt, nè ipsos, tanquam rem suam, vellet perdere.

15. *Attende*] Seu *respice*, cùm Deum deprecamur, ad cœlum mentem jubemur attollere, ut Deum naturâ ab omnibus quæ sunt in terra alienum existimantes, & mentem quoque ab istis abstrahamus, & illum majori religione veneremur. Iccirco dicitur Cœlum *habitatio sanctitatis Dei*, ubi illa Divina majestas *lucem habitat inaccessibilem*: dicitur etiam *habitatio decoris Dei*, i. decora, & quam videre valde appetere deberemus. Petit itaque Jesaias nomine populi, ut res Judæorum aspiciat, neque se tantùm contentus, rei populi sui obliviscatur. ¶ *Ubi est*, &c.] Amorem Dei, eâ præsertim ratione quâ hostes populi sui vexabat, solet Scriptura *zelum* vocare. Hunc experti fuerant Patres antè quàm in Ægypto servitute premerentur: hunc populus ipse tempore egressionis de Ægypto quasi manibus contrectarunt, & sæpius aliàs zelo hoc Dei, qui nolebat ut quisquam populum suum tangeret, erepti fuerant, fusis ac deletis hostibus. Hujus ferè nulla vestigia jam videbantur, pessiméque habebant: ideo rogant, ubinam esset zelus ille magna cum potentia quæ universa superaret conjunctus. ¶ *Multitudo viscerum*] Quid appellet *viscera* exponit, *Miserationum tuarum*: Quare & conjunctim etiam *viscera misericordiæ* dicuntur. Singulis penè momentis miserationes Dei super se sentiebant olim Judæi: cùm igitur Deum naturâ immutabilem fide agnoscerent, de *Miserationibus* illis interrogant, ubinam essent. Hinc percipere possumus, beneficia Dei esse nobis animo semper versanda, quò alia exoptemus, & petere etiam plura audeamus. Naturâ enim fit ut noster in eos propensus sit animus quos beneficiis affecimus, *magisque eos diligamus* (ut est apud Aristotelem) *quàm à quibus beneficia accepimus.* Alia igitur ab eodem, veluti quodam amoris jure, audacter exspectabimus, si multa in nos jam collata commemoremus. Ideoque David, cùm ingentia quædam in se à Deo collata beneficia retulisset, ea esse causam affirmat cur *inveniret cor*, i. fiduciam haberet, *ut oraret coram Domino*, &c. Hinc istæ Jesaiæ querimoniæ. ¶ *Super me*] Vel *erga me.* Si hoc membrum affirmativè legas, magnum doloris sensum habet; si interrogativè, ingentem & acrem admirationem: éstque emphasis in pronomine. Quòd si *multitudinem* illam *miserationum* quasi in omnes homines & non in Judæos tantùm acceperis, sensus erit, *Ubinam sunt miserationes tuæ, Domine, quas universæ nationes experiuntur? mihine tantum denegabuntur? erga me nullæ erunt, qui sum populus tuus*, &c.

16. Indignum valde videtur, ut erga nos contineas miserationes tuas: nam *Tu pater noster*] *Tu, tu, inquam; nihil enim genus Abrahæ facimus: iccirco filii Abrahæ dici nolumus, quòd ille servus tuus fuerit: nullo nisi te patre gloriamur: nihil nobis cum Abrahamo aut Israele est præ te: quòd illi nihil nobis nisi à te contulerunt, patres nobis fuere secundùm carnem; tu illos, & nos genuisti: mortui sunt, & nos tempestate jactamur, à te & illi & nos pendemus. Si sua merita, si suffragia nobis commodare possunt, non certè nisi volente & donante te commodabunt: tuum enim nomen ab æterno est.* Nè ex hoc loco hæretici putent quidquam se adversùs Ecclesiam habere, scito, quòd quantum olim in limbo existentes Patres vivis filiis prodesse possent, non usque adeò manifestum est: hoc tamen Christianis omnibus manifestissimum esse debet, longè nunc diversam esse rationem eorum qui nos præcesserunt in signo fidei, & dormiunt in somno pacis, & apud Deum ejus gloriâ fruuntur, ab illis qui Deum non videbant; nostri enim in Deo nostra vident; & quòd velit Deus ut pro nobis intercedant: quod eò faciunt efficaciùs & libentiùs quàm dum hic viverent, quò majore & Dei & nostri dilectione tenentur.

16. *Quare errare nos fecisti*, &c.] Præoccupatio est, quasi quis eis objiceret errata & effrænem peccandi libidinem: q. d. *Si propter nostra scelera misericordiam denegas, quid est quod nos errare fecisti?* &c. Non quòd scelerum suorum auctorem Deum crederent, (quod qui credunt impii sunt) sed quòd intelligerent potuisse Deum impedire nè peccarent, servata etiam arbitrii humani libertate: quod tamen Deus non nisi illis præstare creditur qui ejus donis grati sunt & bene utuntur; hos enim sancto semine & cœlesti dono videtur continere nè labantur, ingratos autem dimittere: quam dimissionem lapsus sequitur. Hinc fit ut credam, ob ingratitudinem (quæ etiam mortalis criminis limites non attingit) hominem ad amissionem Divinæ gratiæ disponi. Nam cui Deus speciali auxilio non adest, ille diu in officio nequaquam consistet. Illi autem qui jam lapsi sunt, si se peccatis ipsi submergant, & nullo Dei timore infrænentur, cùm propter hujusmodi scelera auxilia quæ passim Deus ad resurgendum omnibus dat eis nihil prosint, indurantur in peccatis; ut hac tantummodo ratione à Deo indurari dici possint, quòd cùm posset facere nè indurarentur, non facit: omnia enim quæ sub sole fiunt hac generali ratione Deo tribui possunt. ¶ *Convertere propter servos tuos*] Innuunt, quòd si Deus faciem verteret, (quam certè peccata eorum avertere fecerant) neque ipsi *errarent viis ejus*, neque *cor* ampliùs *obduresceret*, quinimo *timori Dei* cederet; quo fieret ut calamitates quoque cessarent: nam etsi dicunt, *Deum sibi ipsis errandi causam præbuisse*; intelligunt tamen se justo Dei judicio derelictos. Quare ad sanctitatem & merita Patrum confugiunt, sano quidem consilio: nam si licuit Jesaiæ dicere, *Convertere, Domine, propter Judam, Ruben, Levi*, &c. quos hìc vocat *baculos*, quis adeò cæcus erit ut non videat multò magis nobis licere dicere, *Convertere, Domine, propter Beatam Virginem matrem tibi dilectissimam, propter Petrum, Paulum, Joannem, & cæteros baculos hereditatis tuæ?* Quid aliud facimus cùm Sanctos precamur ut nobis veniam ac gratiam obtineant, quàm Deo eorum sanctitatem & merita exhibeamus, ut non propter nostram indignitatem avertatur, sed propter eorum sanctitatem, & propter amorem quo eos prosequitur, ad nos convertatur; etsi preces nostras non attendit, eorum saltem orationes non sinat inanes fieri? ¶ *Tribus hereditatis tuæ*] Nomen *virgæ* seu *baculi* Hebræis transfertur ad significandas Tribus & Familias, seu etiam Auctores familiarum, qui ex una arbore seu radice nati sunt, cujusmodi fuerunt filii Jacob, qui ex ipso prognati duodecim familias seu tribus genuerunt. Ergò hìc duodecim Patriarcharum meminit, quorum celebre quidem nomen erat, sed sanctitas morum multò certè inferior sanctitati Apostolorum, qui sunt *baculi hereditatis* novæ, qui nos in Christo genuerunt, propter quorum dilectionem & fidem multa etiam hodie Deus servis suis condonat.

18. *Quasi nihilum*] למצער *ad modicum*, vel *pro modico.* Sunt qui volunt verba esse transposita, ut sit sensus, *Ad modicum populus sanctus tuus possedit sanctuarium tuum: hostes nostri conculcaverunt*, sup. *illud*, &c. Sed nimis dura est hæc trajectio; & sensus quem Vulgatus secutus est potiùs est amplectendus: *pro modico* enim & *quasi modicum* idem sunt: ut hæc dicta sint pro eo tempore quo civitas in hostium potestatem devenerat. Possumus quoque sic accipere, *Ad modicum*, i. *modicum fuit, quin nos*, &c. q. d. *Parùm abest quin hostes possideant populum tuum, & conculcent sanctuarium tuum*, ut aptè hæc referantur ad ea tempora quibus, deficientibus ducibus ex Jehuda, Herodes ex patre Idumæo remp. Judæorum gubernabat. Oratio enim, ut dixi, totum tempus ordine prosequitur ab electione Israelis usque ad ultimam vastationem.

19. *Facti sumus quasi in principio*] Notam similitudinis Vulgatus de suo addidit, neque malè: interdum enim deest. Sed notanda est Hebræorum phrasis, quâ cum nominibus temporis & locorum omittunt relativum & verbum substantivum. *Timebunt ab Oriente nomen tuum*, i. qui sunt apud Orientem. Sensus ergò est, *Sumus qui à seculo eramus*; qui cum Vulgati interpretatione coincidit: ad verbum enim legitur ut in editione nostra vides. ¶ *Cùm non dominareris*] Particulam quoque temporis hìc addidit doctus Interpres: nam ad verbum legitur, *Non dominatus es in eos*, i. quando non dominaberis: de qua loquendi forma jam suprà dictum est. ¶ *Nostri*] בם *in eos*; sed rectè mutavit Vulgatus: ad eos autem refertur qui in seculo illo fuerant, quasi sic diceret, *Facti sumus sicut qui à seculo fuerunt, quando tu in eos non exercebas dominium, neque vocabatur nomen tuum super eos*: vel *seculum* illud respiciunt quo in Ægypto fuerunt, antè quàm ad eos mitteret Mosen: vel certè tempora ante Abraham; sentiúntque se non magis curæ Deo esse quàm cùm non essent Dei populus, tum propter adversa quæ non depellebat, tum etiam propter mores qui in Israelem obtinuerant nihilo gentium moribus meliores. Neque video quibus aliis verbis suam miseriam luculentiùs exponere potuissent. Cogita quid sit sine Deo vitam ducere, & intelliges in quo statu essent res Judæorum ante adventum Christi, in cujus adventum cùm hæc manifestè respicerent quæ jam sequuntur, Rabini suis distinctionibus rem hìc planè obscurare voluerunt, & primum versum

versum capitis sequentis hujus partem faciunt: quorum inventum non aliâ ratione refutare decrevi quàm continuâ & aptissimâ interpretatione, secutus doctissimi & Christianissimi Interpretis divisionem.

DRUSIUS.

3. פּוּרָה דָּרַכְתִּי לְבַדִּי. Alius, Ληνὸν ἐπάτησα μονώτατος.] Extat apud Procopium in margine ex alia quapiam editione. Sym. *torcular.* Th. φουρά. Hier. *Pro torculari, quod Ebraicè dicitur* פורה*, Theodotio ipsum verbum Ebraicum posuit. Sed melius Symmachus; quem & nos secuti sumus. Verbum enim PHURA ambiguum est ut tam torcular quàm lagunculam plerumque significet.* Hinc licet colligere interpretationis hujus partem esse Symmachum, quem Hieronymus secutus sit, vertendo, *Torcular calcavi solus.* Μονώτατος, superlativus à μόνος, ut si Latinè diceres *solissimus.* ¶ נִצְחָם. Cæteri, *contentio eorum*] Hier. Sanguinem eorum *vel Damonum* τροπαιῶν, *vel certè sanguinem Judæorum: pro quo cæteri Interpretes contentionem transtulerunt.* ¶ וְכָל־מַלְבּוּשַׁי אֶגְאָלְתִּי. Sym. Th. καὶ πάντα τὰ ἐνδύματά μου ἐμόλυνα, *& omnia indumenta mea pollui*] Citatur in ed. Rom. ex Procopio, ubi additum in margine sub asterisco *ex Symmacho & Theodotione.*

7. כְּעַל כֹּל אֲשֶׁר־גְּמָלָנוּ יְהוָה וְרַב־טוּב לְבֵית יִשְׂרָאֵל. Sym. *pro omnibus quibus benefecit nobis, & pro multitudine bonitatis quam super domum Israel exercuit*] Hier. *Pro eo autem quod nos interpretati sumus,* super omnibus quæ reddidit nobis DOMINUS, *quod potest in bonam & in malam partem accipi, Symmachus manifestius in bonorum posuit retributione, dicens,* pro omnibus in quibus benefecit, *&c.*

IDEM EX PROCOPIO.

1. מִבָּצְרָה. ἐκ Βοσορὰ ex *Bosra.* ¶ בִּלְבוּשׁוֹ. ἐν στολῇ αὐτῦ *stola suâ.* ¶ אֲנִי מְדַבֵּר בִּצְדָקָה רַב לְהוֹשִׁיעַ. Sym. ἐγὼ λαλῶ ἐν δικαιοσύνῃ, ὑπερμαχῶ εἰς τὸ σῶσαι, *ego loquor in justitia, decerto ad salvandum*] רַב *litigo, contendo:* unde & רִיב *lis, contentio,* & יריב ὑπερμαχῶν. Sed in fonte רַב *multus, magnus.* Hoc nomen, illud verbum est.

2. פּוּרָה. ὡς ἀπὸ πατητῦ, *ut ab eo quod calcatum est, à calcatione.*

3. פּוּרָה דָּרַכְתִּי לְבַדִּי וּמֵעַמִּים אֵין־אִישׁ אִתִּי. Ληνὸν ἐπάτησα μονώτατος, καὶ ἀπὸ τῶν λαῶν ἐκ ἔςιν ὐδεὶς σὺν ἐμοὶ, *Torcular calcavi solus, & ex populis nemo est mecum*] Procop. καὶ τῶν ἐθνῶν, ὁ Σύμμαχος, καὶ ἀπὸ τῶν λαῶν, ἐξέδωκεν. ¶ וְיֵז נִצְחָם עַל־בְּגָדַי. Sym. καὶ ἐρραντίσθη τὸ ἐπινίκιον αὐτῶν ἐπὶ τὰ ἱμάτιά μου, *& aspersa est victoria eorum super vestimenta mea*] Sic interpres Curterius. Alioqui *victoria* νίκη sive νῖκος dicitur. Τὰ ἐπινίκια sunt *carmina ob partam victoriam:* item *epulum quod ob partam victoriam datur,* aut *sacra quæ fiunt eam ob causam.* Usus est hâc voce Suetonius, *capturum epinicia.* Vide Fragmenta in Psalmos. Prov. 21. 28. לנצח. A. Th. Sym. εἰς νῖκος. Sic Thren. 3. 18. Rursum Symmachus Psal. 21. למנצח ἐπινίκιος, i. *victorialis, ad victoriam pertinens,* & sub. ὕμνος aut aliquid tale.

5. הִיא. A. Sym. Th. αὐτός.

6. וַאֲשַׁכְּרֵם בַּחֲמָתִי. T. Sym. καὶ ἐμέθυσα αὐτὺς ἐν θυμῷ μου, *& inebriavi eos in furore meo.* ¶ וְאוֹרִיד לָאָרֶץ נִצְחָם. Lxx, καὶ κατήγαγον τὸ αἷμα αὐτῶν εἰς γῆν, *& descendere feci sanguinem eorum in terram.* Cæteri, τὸ νῖκος *victoriam.*

7. אַזְכִּיר תְּהִלּוֹת יְהוָה. ἀναμνήσω τὴν αἴνεσιν Κυρίυ. ¶ כְּעַל כֹּל אֲשֶׁר־גְּמָלָנוּ. Sym. περὶ πάντων ὧν εὐηργέτησεν ἡμᾶς, *de omnibus quæ benefecit nobis.* ¶ וְרַב־טוּב. Idem, ἐν πλήθει ἀγαθωσύνης *de multitudine bonitatis.*

8. אַךְ־עַמִּי הֵמָּה בָּנִים לֹא יְשַׁקֵּרוּ. Sym. Πλὴν λαός μου ὡσὶν υἱοὶ ἀσυνθετῦντες, *Veruntamen populus meus sicut filii non prævaricantes.*

10. אֶת־רוּחַ קָדְשׁוֹ. A. Th. Sym. τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον αὐτῦ, *Spiritum sanctum ejus.*

11. מֹשֶׁה עַמּוֹ. Μωσῆ λαῦ αὐτῦ.

12. בּוֹקֵעַ מַיִם מִפְּנֵיהֶם. Sym. ὁ ῥήξας ὕδατα ἔμπροσθεν αὐτῶν, *qui fregit aquas coram eis.* ¶ הֶם. Idem, αὐτοῖς *eis*] In Procopio est αὐτῶν. sed puto rectum esse αὐτῷ *ei.* Sic ergò corriges, & pro αὐτοῖς rescribes αὐτῷ.

15. הַבֵּט. A. Sym. ἐπίβλεψον. Th. κάθιδε *despice.*

19. הָיִינוּ מֵעוֹלָם לֹא־מָשַׁלְתָּ בָּם לֹא־נִקְרָא שִׁמְךָ עֲלֵיהֶם. Sym. Ἐγενήθημεν ὡς ἀπ' αἰῶνος, ὧν ὐκ ἐξυσίασας, ὐδὲ ἐπεκλήθη τὸ ὄνομά σου αὐτοῖς, *Fuimus velut à seculo, quorum non dominaberis, neque invocatum est nomen tuum eis.*

GROTIUS.

1. *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra?*] Hic Prophetæ oblatum est visum de Juda Maccabæo, qui Idumæam vastavit, Bosram, quæ Βόσορα Ptolemæo & Straboni, Βοσόρρα Josepho & Maccabaïcorum scriptori, cepit atque incendit, cunctis maribus qui militaris essent ætatis interfectis. Vide Josephum. XII. 11. 12. 1 Mac. 1. 5. Non dissimilis est ἐννοια [*conceptio animi*] illa Virgiliana:

> *Quis procul ille autem ramis insignis olivæ*
> *Sacra ferens? nosco crines incanáque menta*
> *Regis Romani.*

Idumæi plurimùm semper gavisi fuerant Judæorum malis. Vide Psalm. CXXXVII. 7. Ideo multùm ad rem pertinebat solatium hoc ex malis quæ Idumæis per Judæos eventura erant, per Prophetam Judæis velut repræsentari: quale illud apud eundem Virgilium:

> *Ille triumphatâ Capitolia ad alta Corintho*
> *Victor aget currum, cæsis insignis Achivis.*
> *Eruet ille Argos, Agamemnoniásque Mycenas,*
> *Ipsúmque Æacidem genus armipotentis Achilli,*
> *Ultus avos Trojæ templa & temerata Minervæ.*

Tinctis vestibus, id est, cruentis ab hostium sanguine.

Iste formosus in stola sua] Pulchrè paludatus.

Gradiens in multitudine fortitudinis suæ] Id est, *Agmen agens, magnique ipse agminis instar.*

Ego qui loquor justitiam] Respondet Prophetæ ille exstiturus olim Maccabæus. Ego ille sum qui religionem veram contra Antiochum ejúsque potentiam defendi.

Et propugnator ad salvandum] Qui omnibus periculis me objicio ut populum servem. Vera descriptio Judæ Maccabæi.

2. *Quare ergò rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari?*] Dic, ait Propheta, unde iste cruor vestes tuas aspersit, sicut viri aspergi solent qui in torculari laborant. Similitudo hæc frequens Hebræis. Vide Thren. I. 15. In ista autem voce Hebræa אדם [*Adom*], id est *rubrum*, manifesta est allusio ad nomen Idumææ.

3. *Torcular calcavi solus, & de gentibus non est vir mecum*] Judas Maccabæus in viso oblatus Prophetæ rursum loquitur, aitque non mirum esse si cruentatus sit, quandoquidem ipse solus cum paucis Judæis, nullo externorum adjuvante, primùm cum Philisthinis, deinde cum Idumæis pugnaverit. Est & hic ingeniosa allusio: nam גת [*Gath*] quod *torcular* significat, est & nomen urbis principis Philisthinorum.

Conculcavi eos in ira mea] Est ex Hebræo ארמסם [*conculcavi*]; Lxx legerunt כעפרים [*tanquam pulverem*], aut simile aliquid: vertunt enim ὡς γῆν [*ut terram*].

Aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea] In Hebræo, *Aspersa est fortitudo:* μετωνυμικῶς [*per transnominationem*], id est, sanguis, in quo est hominis fortitudo.

Inquinavi] In voce Hebræa אגאלתי est א pro ה.

4. *Dies enim ultionis in corde meo*] Videbam venisse diem pridem mihi exoptatum, quo ultionem de Esavi posteris sumerem.

Annus redemptionis meæ] In Hebræo, *Redimendorum meorum:* id est, ut perdomitis Idumæis, Judæos in posterum liberem à vexationibus, quales sæpe antehac ab Idumæis pertulere.

5. *Circumspexi, & non erat auxiliator*] Eo tempore nulla erant Judæis cum gentibus illis federa: nam ea quæ facta sunt cum Demetrio, cum Romanis, cum Spartiatis, facta sunt postea.

Salvavit mihi brachium meum] Salutem mihi peperit brachium meum.

Et indignatio mea ipsa auxilata est mihi] In Hebræo: *Æstus meus* (id est, animus æstuans) *fulsit me.* Nam Judas ille ἐνεδύσατο θώρακα ὡς γίγας, καὶ συνεζώσατο τὰ σκεύη τὰ πολεμικὰ αὐτῦ. πολέμυς συνεστήσατο σκεπάζων παρεμβολὴν ἐν ῥομφαίᾳ. καὶ ὡμοιώθη λέοντι ἐν τοῖς ἔργοις αὐτῦ, καὶ ὡς σκύμνος ἐρευγόμενος εἰς θήραν. Καὶ ἐδίωξεν ἀνόμυς ἐξερευνῶν, καὶ τὺς ταράσσοντας τὸν λαὸν αὐτῦ ἐφλόγισε. καὶ συνεστάλησαν οἱ ἄνομοι ἀπὸ τῦ φόβυ αὐτῦ, καὶ πάντες οἱ ἐργάται τῆς ἀνομίας συνεταράχθησαν, καὶ εὐοδώθη σωτηρία ἐν τῇ χειρὶ αὐτῦ. καὶ ἐπίκρανε βασιλεῖς πολλὺς, καὶ εὔφρανε τὸν Ἰακὼβ ἐν τοῖς ἔργοις αὐτῦ. καὶ ἕως τῦ αἰῶνος τὸ μνημόσυνον αὐτῦ εἰς εὐλογίαν [*induit se loricam sicut gigas, & succinxit se arma bellica sua: in præliis protegebat castra gladio suo. Similis factus est leoni in operibus suis, & sicut catulus leonis rugiens*

giens in venatione. Et persecutus est iniquos perscrutans eos, & qui conturbabant populum suum eos succendit flammis; & repulsi sunt impii præ timore ejus, & omnes operarii inquitatis conturbati sunt: & directa est salus in manu ejus. Et exacerbabat Reges multos, & lætificabat Jacob in operibus suis: & in seculum memoria ejus in benedictione], 1 Macc. III. *Æstus* hîc nominatur ὁ ζῆλος νόμου [*zelus pro Lege*], qualis in Phinea & Elia, 1 Maccabæorum II. 54. 58.

6. *Inebriavi eos in indignatione mea*] Iræ meæ calicem eis potandum dedi. Vide Psalm. LXXV. 9. suprà LI. 21. 22. 23. At Chaldæus pro אשכרם [*inebriavi eos*] legit אשברם, quod est *confregi eos.*

Et detraxi in terram virtutem eorum] Id est, *sanguinem.* Est enim hîc in Hebræo vox eadem quæ suprà 3. Græci hîc, κατήγαγον τὸ αἷμα αὐτῶν εἰς γῆν [*deduxi in terram sanguinem eorum*]: ingentem occidionem feci.

8. *Verumtamen populus meus est*] In Hebræo, *Verè.*

Filii non negantes] In Hebræo, *Filii non mentientes:* id est, filii non falsi, quales sunt illi qui se in alienas familias mendacio inserunt.

Et factus est salvator] Tandem illis salutem attulit.

9. *In omni tribulatione eorum non est tribulatus*] Id est, non est defatigatus eos adjuvando. Sed Hieronymus notat legi pro לא [*non*] posse לו [*ipsi*], ut sensus sit, *in omni eorum angustia ipsi angustia fuit:* id est, ipse indoluit illorum malis. dictum καθ' ἀνθρωποπάθειαν [*per adfictionem humanarum passionum*], ut multa.

Et Angelus faciei ejus salvavit eos] LXX hîc negationem tacitè pro repetita habent: quasi dicat, *non per Angelum, sed ipse eos salvos fecit.* Verùm aliter Chaldæus: & dicunt Hebræi non quemvis Angelum dici *Angelum à facie Dei*, sed eum quem ipsi vocant מטטרון, voce ex Latina desumtâ, id est, *metatorem:* de qua vide quæ diximus ad librum quartum pro Veritate Religionis Christianæ. Vocant eundem ספרא רבא [*magnum præceptorem*]: Item שר, id est, *potentem*, propter potentiam ei à Deo communicatam. Ita Salomon Jarchi. Videtur hic Angelus esse is quem *Michaëlem* nominat Daniel, quem Deus populo Israëlitico dederat protectorem, qui *unus est de* septem *Angelis magnis*, sive *faciei*, id est, summis Satrapis regni cœlestis. Vide quæ diximus ad Matthæi XVIII. 10.

In dilectione sua, & in indulgentia sua ipse redemit eos] Non tantùm Angeli illius magni tutelæ ipsos commisit, sed ipse etiam fecit quod Angelus non poterat, movit cor Cyri ad illos liberandos.

Et portavit eos, & elevavit eos cunctis diebus seculi] Longo tempore eos tutos clarósque præstitit, à tempore nempe Zorobabelis.

10. *Ipsi autem ad iracundiam provocaverunt*] Nempe circa tempora Antiochi. Vide quæ ad Danielem dicemus.

Et afflixerunt spiritum sancti ejus] In Hebræo: *Spiritum sanctitatis ejus.* παρώξυναν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον αὐτοῦ [*irritarunt Spiritum ejus sanctum*]. Nimirum Deus, quia sanctus est, impietatem ferre non potest. Confer Eph. IV. 30. ubi tamen sensu paulò alio *Spiritus sanctus* pro donis sumitur.

Et conversus est eis in inimicum, & ipse debellavit eos] Tradendo eos in manum Antiochi, & ejus ducum.

11. *Et recordatus est dierum seculi Mosis*] *Et* hîc positum pro *attamen:* quanquam illi pessima erant meriti, Deus tamen etiam ab Antiocho eos liberavit, fecítque illis qualia olim Mosis tempore fecerat.

Ubi est qui eduxit eos de mari?] Deum inducit recogitantem sua beneficia. At Chaldæus putat hîc subintelligi: *nè dicant gentes*, nempe *ubi nunc ille Deus?*

Cum pastoribus gregis sui] Sub pastoribus Mose & Aarone. At Chaldæus vertit, *ut pastores pecus suum*, supple, *deducere solent.*

Ubi est qui posuit in medio ejus spiritum sancti sui?] Et hîc in Hebræo, *sanctitatis suæ:* id est, ut accipit Chaldæus, *qui donum Prophetiæ dedit Mosi & senibus* LXX. Vide Num. XI. 25. 26. 27. 28. 29.

12. *Qui eduxit ad dexteram Mosem brachio gloriæ suæ*] Rectiùs, *qui brachio magnifico suo deduxit Mosem, ad dexteram:* id est, dexteram ejus apprehendens, ut patres pueris solent.

13. *Quasi equum in deserto non impingentem*] Vertas meliùs: *Sicut equus in campis non impegerunt.* מדבר sæpe significat *campos, in quibus nec domus sunt, nec arbores, sed lata ad cursum spatia.* Israëlitæ non minùs securè per maris alveum ivêre, quàm equus per tales campos desultat.

14. *Quasi animal in campo descendens, spiritus Domini ductor ejus fuit*] *Spiritus Domini* (id est, Deus ipse, more Hebræo) *ità eos leniter duxit, quomodo pecus quod in vallem descendit.* Id ideo quia pecora cùm à monte per clivum descendunt, leniter admodum duci solent.

Sic adduxisti populum tuum] Hîc absolutis Dei verbis, quæ interjecerat, Judas Maccabæus sermonem suum prosequitur.

15. *Multitudo viscerum tuorum*] *Copia benignitatis tuæ*, ut hîc Chaldæus.

Super me continuerunt se] Meliùs: *In me se effuderunt cum impetu.* Nam à verbo אפק [*impetu effundere*] dicuntur אפיקים [*torrentes*]. Sicut aquæ diu retentæ uberiùs & validiùs erumpunt, ità & Dei bonitas, diu repressa, in Juda Maccabæo potentissimè se aperuit.

16. *Tu enim es pater noster*] Tu nos ut pater tractas.

Et Abraham nescivit nos, & Israël ignoravit nos] Tu justiùs pater noster diceris, quàm illi ex quibus naturæ ordine geniti sumus, & qui nos in his malis constitutos sublevare non potuerunt. Sic *ignorare* sæpe sumitur, nec aliter hîc sumsit Chaldæus. Et ידע [*cognoscere*] Græci vertunt per ποιμαίνειν, οἰκτείρειν, σώζειν [*pascere, misereri, servare*].

17. *Quare errare nos fecisti, Domine, de viis tuis*] Verte *faceres?* Cur enim sineres nos longâ tyrannide oppressos deficere à lege tua? Vide Psal. CXXV. 3.

Indurasti cor nostrum, nè timeremus te] Et hîc verte *Indurares*, nempe prorogando nimiùm nostra mala.

Convertere propter servos tuos] *Respice nos clemens propter illos patres ex quibus ortum ducimus.* Sic Chaldæus.

Tribus hereditatis tuæ] *Tribus* hîc pro capitibus tribuum sumuntur. Explicat quos *sanctos* intelligat, illos scilicet ex quorum *surculo* (id enim propriè שבט) rami isti prodière.

18. *Quasi nihil possederunt populum sanctum tuum*] Rectiùs vertas, *Ad breve tempus possederunt populum sanctitatis tuæ:* nempe Syromacedones Rege Antiocho Epiphane Hierosolyma tenuêre per annos tres & menses sex.

Hostes nostri conculcaverunt sanctificationem tuam] Sanctuarium tuum profanarunt sacris impuris. Id acciderat paulò antequam Idumæam invaderet Judas Maccabæus, 1 Macc. I. 45. 46. 47. 48. 49. 57.

Facti sumus quasi in principio, cùm non dominareris nostri, neque invocaretur nomen tuum super nos] Hæc de Græco expressa sunt; sed in Hebræo & Chaldæo melior est sensus, *Nos fuimus ab omni ævo* (tui scilicet): *non autem dominatus es illis* (Græcis scilicet), *neque pronuntiatum est nomen tuum de eis*, id est, nunquam vocati sunt Dei populus.

CAP. LXIV.

MUNSTERUS.

1. NUM *etiam rupisti cœlos?*] Sic Hebræi legunt hunc locum. Nostri verò hîc novum incipiunt caput, cùm tamen superioribus connectantur isti versus, legúntque in hunc modum, *Utinam disrumperes cœlos, & descenderes sicut olim descendisti per magnificentiam tuam super montem Sinai.* Secundùm Judæos verò est hîc sensus, *Num etiam rupisti cœlos propter eos sicut propter nos, quando descendisti in montem Sinai, & mons ipse propter ignem & densam nubem defluere videbatur?*

2. Omnia *liquescerent*] Pendant hæc ad finem præcedentis capitis. *Ignis*, inquit, *cùm in mone Sinai in tantum arderet, ut nihil non in illud projectum subitò liquefactum fuisset, & præterea densa nubes, quæ montem tegebat, vi caloris in aquam resolveretur, apparuisti ibi mirabilis Deus, quòd aqua ignem non extinxit, nec ignis aquam absumpsit, sed tantum in bullas excitavit. Et cùm mirabilia multa faceres, fecisti ea præter omnem exspectationem nostram: nos enim nunquam exspectassemus quòd tu descenderes de cœlo*, &c.

5. *Tu iratus fuisti*] Quando, inquit, justi fuerunt in mundo, & tu peccatis nostris ad iracundiam provocabaris, *per illos à diebus seculi salvabamur.* Sic enim Moses te iratum sæpe suis precibus placavit, &c. *Nunc verò quando justi sunt sublati, nos omnes sumus immundi, & justitiæ nostræ sunt quasi pannus deturpatus:* ubi quidam עדים exponunt pro מלוכלך בדם *inquinatus sanguine*, alii pro בלוי *inveterato & lacero panno.* Alii priorem locum sic interpretantur, *Ecce iratus es quòd peccavimus, & in his (peccatis) consenuimus, alioqui salus nobis contigisset.*

VATABLUS.

1. **U**Tinam dirumperes *לוא קרעת*] Istud est finis ultimi versûs præcedentis capitis apud Hebræos.

2. *Sicut exurit*, &c. *כקדח אש המסים וגו'*] *Tanquam incendio ignis liquefactionum, ignis aquas ebullire fecit, ut notum*, &c. Vel ut alii, *Sicut exarsit ignis dissolvens*, & *aquas fervere fecit ignis, ut notum faceres*, &c. Alludit ad montem Sinai: & pendet hic versus à præcedenti, *Utinam dirumperes*, &c. ¶ *Formidabunt ירגזו*] *Formident; timeant sibi.* Quidam sic liberiùs vertunt, tres istos versus simul jungentes, *O si cœlum scindas* ac *descendas, quò montes à facie tua tanquam ab ignis incendio colliquescant, ignis, inquam, qui ebullit violentas aquas, ut innotescat nomen tuum hostibus tuis, & Gentes à conspectu tuo contremiscant:* Utinam, inquam, descenderes ut olim *descendisti cùm faceres terribilia quæ non exspectabamus, & à conspectu tuo montes colliquescebant.*

3. *Sperabamus נקוה*] *Exspectabamus.*

5. *Occurristi gaudenti פגעת את שש*] Sub. *occursu mortis*: i. sustulisti eos de medio qui gaudebant, &c. & meminisse solebant tui. Alii Hebraismum sic exponunt, *Olim solebas occurrere Patribus, eósque adventu tuo exhilarare: ecce autem nunc longè abes.* Hoc pacto tacita subest antithesis. Docti quidam Hebræorum vertunt, *Exaudisti* orationem *eorum qui lætabantur* in te, *& faciebant justitiam*, & *in viis tuis recordabantur tui.* ¶ *Quia peccavimus ונחטא*] *Et peccavimus.* Alii, *postquam peccavimus.* ¶ *In ipsis*, &c. *בהם עולם ונושע*] *Seculum* hoc loco pro *diuturnitate*. Referri autem potest vel ad *peccata*, hoc sensu, *Tametsi obstinati fuimus in peccatis nostris, ac digni quos centies perderes, tamen misericordiâ tuâ salvati sumus*; vel *ad vias Domini*, & erit causæ redditio cur non perierit populus, *Quia perpetuæ & stabiles sunt viæ Domini, nec unquam cessat misericordia ipsius.*

6. *Inquinatum עדים*] *Sordidorum*: i. factum ex sordidis & putidis panniculis. Quidam vertunt, *& ut vestis centonum.*

7. *Et dissolvisti nos ותמוגנו*] *Et tabescere fecisti*; vel, *evanescere*; aut, *liquescere.* ¶ *In manu iniquitatum nostrarum ביד עוננו*] Hebraismus, *propter iniquitates nostras.*

9. *Usque valde עד מאד*] *Ultra modum.* Sic paulò pòst versu ult.

11. *Sanctificationis nostræ קדשנו*] *Sanctuarii nostri.* ¶ *In exustionem לשרפה*] *In incendium*: i. correpta est incendio.

12. *Usque valde עד מאד*] *Tam vehementer? ultra modum?*

CASTALIO.

5. **N**OS *in eis jamdiu peccavimus*] Scil. *viis.*

CLARIUS.

1. **U**Tinam dirumperes cœlos]. *Sicut olim cùm descendisti in montem Sina, cùm visi sunt defluere montes ob ignem, cùm descendit Dominus in nube & igne.* Hebræi continuant hæc verba cum superiore capite, & sic legunt, *Num etiam rupisti cœlos, & descendisti, atque à facie tua montes defluxerunt?* h. e. Num etiam propter eos rupisti cœlos sicut propter nos, quando descendisti in montem Sinai, & mons ipse propter ignem & densam nubem defluere videbatur?

2. *Sicut exustio ignis*] *Ignis* (inquit) *cùm in monte Sinai ità arderet, ut quicquid in illud fuisset projectum subitò liquefactum fuisset; & præterea densa nubes quæ montem tegebat vi caloris in aquam resolveretur, apparuisti ibi mirabilis Deus, quòd aqua ignem non extinxit, nec ignis aquam absumpsit, sed tantùm in bullas excitavit.*

3. *Non exspectabamus*] *Cùm mirabilia multa faceres; fecisti ea præter omnem exspectationem nostram: nos enim nunquam exspectavissemus quod tu descenderes è cœlo*, &c.

4. *Oculus non vidit*] Alii sic verterunt, *Oculus non vidit Deum alium præter te, qui sic faciat exspectanti se.*

5. *Occurristi*] h. e. Placatus es precibus lætantis in te & facientis justitiam, nam tales recordabantur tui in omnibus viis tuis & dispensatione judiciorum tuorum erga nos. ¶ *Ecce tu iratus es*] Quando (inquit) justi fuerunt in mundo, & tu peccatis nostris, *in quibus semper fuimus*, ad iracundiam provocabaris, *per illos à diebus seculi salvabamur.* Sic enim Moses te iratum sæpe suis precibus placavit. Nunc verò quando justi sunt sublati, *nos omnes sumus immundi, & justitia nostra sunt quasi pannus deturpatus.* Illud autem, *In ipsis fuimus*, &c. potest verti, *propter ipsos*, h. e. justos, *à seculo salvabamur*: nam horum justorum meminerat, cùm ait, *Occurristi lætanti & facienti justitiam.*

7. *Qui consurgat*] h. e. Erigere possit sese ut apprehendat te. ¶ *In manu iniquitatis nostræ*] h. e. Propter iniquitates nostras.

11. *Domus sanctificationis nostræ*] Nempe Templum. Et vide ut futuram calamitatem lugeat; quasi jam facta sit.

FORERIUS.

1. **U**Tinam] *לוא* ut suprà 48. *Utinam attendisses præceptis meis*: Est itaque optantis. Sunt ergò vota Judæorum desiderantium adventum Messiæ, quò à malis illis eriperentur: aut potiùs sunt vota Jesaiæ pro populo. Sed cùm Judæi Messiam è cœlo non exspectent, vim literæ suo more inferunt: nobis verò omnia plana sunt. ¶ *A facie tua montes defluerent*] Alludit ad descensum in montem Sina, quando *præ ardore* videbantur *montes liquescere*: quo tropo non uno loco Scriptura utitur; *Montes, sicut cera, fluxerunt à facie Domini*, &c. Figuratè verò per *montium fluxum* intelligit Propheta opera stupenda & admiratione dignissima quæ in adventu Messiæ exspectabantur. Ea quivis Christianus facilè potest commemorare; quæ natura plùs admiratur quàm *montium fluxum*, vel *tripudium.*

2. *Sicut exustio ignis tabescerent*] Verbum *tabescerent* addidit Vulgatus: ad verb. sic habetur, *Secundùm succendi ignem.* Est enim illud verbum *קדח*, quod habetur Deut. 32. & Jer. 17. *Ignis accensus est in ira mea*, infinitivum, ut nomen accepit Vulgatus, pertinétque comparatio ad superiora; *Montes defluxissent, sicut accenso igne*, &c. Manifestior autem esset oratio, si vitato Hebraismo nomen *ignis* non repeteretur; *Sicut accensus ignis liquidas aquas elicit.* Et puto esse sermonem de aquis quæ virtute ignis & aliis rebus eliciuntur, ut ex herbis, lignis, &c. vide suprà cap. 30. Quòd si quis *תבעה* pro *ebullire* accipiat, quod à verbi significatione alienum non est, similitudo est de quibusvis aquis quas ignis facit ebullire, ad quem modum etiam faciat Deus ebullire montes. Sed prior sensus magis placet. ¶ *Ut notum fieret*, &c.] Propheta in adventu Christi non tam liberationem populi quàm Dei gloriam & nominis ipsius celebrationem attendere videtur. ¶ *A facie tua gentes turbarentur*] Seu *commoverentur*: videtur esse explicatio *liquefactionis montium*, vel *agnitionis nominis Domini*: per Euangelium enim commotæ sunt nationes orbis, ut cum inciperent timere quem antea ignorabant, &c. Optabat autem Propheta hanc commotionem in gentibus non solùm ad celebrationem nominis Domini, sed ne electis Dei nocerent. Verùm si negligamus Rabinorum distinctiones, & hìc versus incipiat, alius sensus angustior erit: verba autem sive in futuro, ut in Hebræo habentur, vel in præsenti accipi possunt. Cogita ergò, prudens lector, Jesaiam Prophetam in spiritu videre Adventum Domini, & Gentium conversionem & Christi victoriam, quàm paulò antè cecinerat, Judæos autem adhuc immotos manere, & quasi dolentem & semidesperantem dicere, *A facie tua Gentes commoventur: video jam Gentes ante te commoveri; & ad prædicationem Euangelii contremiscere; at nos*

3. *Cùm feceris*] Vel *cùm facias terribilia*, & quæ saxa & arbores possent perterrefacere, nedum gentes, nedum eos qui religione tibi astricti sunt; nos tamen *non attendimus*, non attentionem præstamus, neque quid agatur mente volvimus, sed veluti lapides hæremus, & in tanta rerum commotione profundùm dormimus & quiescimus. Innovatur apud gentes religio: quærit totus orbis Deum Jacob: illum timent & venerantur; quem nos veluti impium damnavimus: adimplentur Prophetarum oracula: nos in captivitate seu dispersione exsules agimus: Gentes Scripturas nostras legunt, in illis oblectantur; nostram desidiam ex nostris Scripturis nobis improperant: & tamen non attendimus ad isthæc adeò terribilia, quibus si liquefactionem montium conferas, risum moveres. Quis hæc vel referens non inhorrescat? Nec mireris quòd pro *sustinebimus*, dixi *non attendimus*, vel *non attendemus*: nam *קוה*, ut jam suprà non semel ostendi, dicitur de *animorum suspensione, & attentâ animi consideratione ad aliquam rem*, ut non semper verbo *exspectandi*, sed interdum verbo *spectandi* reddi debeat. Job. 17. *Etiam si diu & circumquaque spectavero, tamen infernus domus mea est*, &c. Vulgatus pro *sustinere exspectando*, accepit; ut interdum solet. ¶ *Descendisti*] Optabam ut *descenderes*, desiderabam, *liquescerent montes*: quasi nihil aliud nobis opus esset ad nostram perpetuam felicitatem. O vota inania! ecce jam *descendisti*; ecce jam *montes fluxerunt*: video totum orbem perterrefactum: video universas *nationes commotas.*

4. *A seculo non audierunt*, &c.] Vel, *à seculo non est auditum*, *neque unquam fuit qui auribus perciperet: nullius hominis oculus unquam vidit quæ video Deum facientem iis qui ad ipsum inhiant*, *& amore ejus tenentur*. Hæc pro *montium fluxu* posuit Propheta, significans omnem intellectûs humani spem & capacitatem excedere quæ per Christum mundo exhibita sunt. Hunc enim locum ità etiam interpretatur Paulus 1 Cor. 2. paucis immutatis verbis.

5. *Occurristi lætanti*] Vel, *obviàm habuisti gaudentem*, *& facientem justitiam*; *eos denique qui in via mandatorum tuorum tui sunt memores*, *istis*, *inquam*, *bona tua*, *quæ nullus hominum putasset*, *obtulisti: quicunque enim de tuo adventu gavisus est*, *& justitiam proinde apprehendit*, *currens in via mandatorum tuorum*, *tui memor*, *& se suáque omnia tibi offerens*, *is per te servatus est*, *ex quacunque is gente seu regione fuerit. Sed heu nos miseros Judæos! nam tu iratus es*, &c. ut mox sequitur. Hinc interim cogita, Christiane lector, quibus prosit adventus Domini. Ut enim omnem personarum acceptationem excluderet, indefinitè dixit *lætantem*, *facientem justitiam*, &c. ubi etiam vides, quàm non inimica naturæ hominum aut diligat aut imperet, *gaudium per justitiam*, *Dei recordationem*, & similia quæ in his comprehenduntur. Volui versum dividere, quòd diversa admodum hîc continerentur. ¶ *Ecce tu iratus es*, &c. Illos quidem *obviàm habuisti*, illis dona tua cœlestia obtulisti; at in nos Judæos *efferbuisti* irâ: nam *peccavimus*, *& in ipsis* peccatis *semper fuimus*: propter peccata iratus es; & postquam iratus es, à peccando non destitimus, ut qui semper in illis fuerimus. ¶ *Et salvabimur*] Libenter hoc per interrogationem legerem, *Et salvabimur?* q. d. *minimè gentium*: vel, *Et salvati sumus*: nam pretium pro omnibus quantumvis peccatoribus persolutum est, ut omnes qui velint salvi esse possint: at cùm salutem advenientem amplecti debuissemus, tamen nihilo meliores facti, imò multò pejores; nam *facti sumus*, seu *fuimus*, *velut contaminati*, &c. Vel quintus versus sic accipi potest, ut de præterito sit sermo, & verba pro imperfectis præteritis accipiantur: *Ecce olim irascebaris*, *& nos nihilominus peccabamus*: *& cùm in peccatis semper degeremus*, *tamen salvabamur*; *at nunc facti sumus ut contaminatus*, *omnes nos*, &c. Et hic sensus planus est.

6. *Facti sumus ut immundi*, &c.] Ad tempora post Christi adventum omnia quæ sequuntur referenda existimo. Ad contaminatos in Lege nemo accedere audebat: ità Judæos post Domini passionem & Euangelium annunciatum nemo est qui non ut reos & *contaminatos* ducat. ¶ *Pannus menstruatæ*] Ità quoque nonnulli ex Rabinis vertunt: alii tamen עדים pro *detritis pannis* accipiunt. Ego certè aut per antiphrasim pro *contaminatis* acciperem, aut à verbo עד deductum dicerem: עד enim *præda* est, quasi *Justitias* Judæorum comparet *Vestibus prædæ*, i. dilaceratis, dilaniatis. Indignæ sunt autem hominum conspectu hujusmodi vestes: ità & *justitiæ* Judæorum post adventum Christi: erant enim rei sanguinis Christi, quem sibi imputari & filiis suis magnis vocibus petierunt. Adde, quòd universam justitiam exteriori cultu definiebant: quare magna ex parte nullæ erant, i. ad nullos usus aptæ. Non igitur ex hoc loco patrocinium habent qui omnia opera nostra damnant & peccata esse contendunt: non enim nisi de justitiis Judæorum seu hypocritarum est sermo, quibus nulla fides erat. ¶ *Cecidimus*] Verbum Hebræum de corruptione florum & foliorum, quando marcescunt, dicitur: nullus Judæis subindè decor neque viror, neque ullus intus succus Divinæ gratiæ, quo consistere in terra sua possent, aut sub Dei protectione: sed hujusmodi humore destituti, & Deo aperiente manum ut à se divellerentur, statim in omnes gentes divisi sunt, quemadmodum *ventus folia* arida & quisquilias dispergit. Neque solùm corpore vagi & dispersi sunt in omnes provincias Orbis, sed errorum & opinionum variarum tempestatibus jactati huc atque illic fluctuant.

7. *Qui invocet nomen tuum*] Verè & ex animo, quod mox explicat. ¶ *Qui consurgat*] מתעורר *seipsum excitet*, *exsuscitet magno animi conatu*: parvi enim refert frigidè precari, & dicere ore tenus, *Domine*, *Domine*. Vera oratio est cum sui ipsius *exsuscitatione*, tanquam ad rem seriam & magni ponderis, excutere desidiam, avocare ab aliis omnibus animum, & magnâ animi contentione ad deprecandum Deum accedere. Hoc qui facit, *tenet Deum*, seu *apprehendit* quasi manu, & nè elabatur tenet, ut sententiam revocet, neque priùs abeat quàm nobis benedicat, ut fecit Jacob, ob quod *Israel* vocatus est, quasi *in Deum prævaluisset*. Sic *tenebat* Moses Deum: illæ enim voces, *Dimitte me*, *ut irascatur furor meus*, &c. quid aliud sonant nisi quòd à Mose fortiter *teneretur*? ut ad hanc *retentionem* putem postea factum allusionem quoties Prophetæ hoc verbo utuntur, & de Deo & nobis est sermo. ¶ *Abscondisti faciem*] Vulgatus omisit particulam rationalem, vel temporis כי: & si pro *quia* accipiatur, tribuere videtur Propheta iræ & punitioni quod dixerat, nempe *non esse qui Deum teneret*, &c. *non est qui se exsuscitet*, *ut te teneat percutientem & omnia devastantem*, *quia abscondisti faciem tuam à nobis*; i. Omnino decrevisti nos delere, non videre miseriam nostram; ut miserearis. ¶ *Et allisisti*] Vel *liquefecisti*, seu *resolvisti*, *nos in manu iniquitatis nostræ*: i. tradidisti nos peccatis nostris; ut illa nos comminuerent, resolverent, & omnem virtutem nostram exhaurirent, ut consistere prorsus nequeamus, sed sicut cera quæ liquescit laberemur, & tota resp. nostra, regnum, cultus, religio, dignitas, insuper fides, spes, charitas & quidquid virium est, tam animi quàm corporis, evanescerent. Has enim vires habet iniquitas in sui auctores, ut si in manus ejus tradantur, sive homines sive integra imperia, brevissimo tempore comminuantur, velut vas testaceum magnâ vi lapidum obrutum: aut certè liquescant &, ut ea quæ ignis calore dissolvuntur, vires amittant, neque ampliùs consistant, sed in præceps labantur. Propter peccatum enim regnum de gente in gentem transfertur; & quicunque peccatum concipit, parit laborem & dolorem. Denique eversiones totius mundi sub Noe, & Sodomorum, & omnes aliæ per iniquitatis manus evenerunt, *abscondente Deo faciem suam* & sæviente. Quòd si regna in quibus viget iniquitas hodie stare conspicis, certò scias nondum tradita esse huic tortori, & adhuc superesse qui *Deum teneant*. Quod si כי pro *quando* accipias, dolet Propheta quòd nemo sit qui *Deum teneat*, quando iratus *abscondit faciem suam*, ut iniquitas liberè pervagetur sæviendo. Scio quidem vocem עון, i. *iniquitas*, posse capi pro ipsa *iniquitatis pœna*: sed sensus idem est. Peccatum enim, si ejus *manibus* tradamur, intus & extrà vastat.

8. *Et nunc pater noster*, &c.] Ad commiserationes redit: *patrem* vocant, i. auctorem generis: quod *luti* & *figuli* similitudine explicant, nè velit *opus manuum suarum* sic perire: quæ enim manibus nostris confecimus non æquo animo fecerimus si confringantur; nemo enim labores suos non magni facit, & opera etiam ex luto ut filios diligunt homines.

9. *Satis*] Ad verbum, *usque valde* עד מאד. Duo videtur petere, Nè iram multùm sinat excrescere; nè sit valde magna ira; neque longo tempore iram servet: sequitur enim, *Neque in sempiternum recorderis iniquitatis. Recordari* autem *iniquitatis* est *non remittere*, *punire*, &c. Vulgatus עד secundo loco pro *ultrà* accepit: sed in eo quem explicavi sensu accipiendum est illud *ultrà* in Vulgato, i. *æternùm* seu *longum tempus*. Et (ni fallor) petit Propheta nè Judæorum reprobatio æternùm duret. Quare esse *Dei populum* commemorat, & per hypotyposim indignissimarum rerum ad commiserationem provocare conatur.

10. *Civitas*] In Heb. plurale est, *civitates*: quod de universis civitatibus Judææ intelligit, vel de Tcione & Jerosolyma, de quibus veluti de duabus civitatibus loquitur, ut mox exponit. ¶ *Sancti*] Vel *sanctitatis*. Ità vocabatur Jerosolyma propter Templum & Cultum: Fortè Vulgatus Davidem intellexit.

11. *Domus sanctificationis*, &c.] Vel *sanctitatis* quâ Deus sanctè colitur à nobis, & in qua tota sanctitatis nostræ ratio continetur: propter cultum enim *sanctus* dicebatur ille populus, quia Deum sanctum & ab aliis omnibus separatum sanctis ritibus colebat. Dicebatur etiam *domus decoris*, seu *gloria Israel*, quia hac unâ re super omnes nationes conspicui erant, quòd apud ipsos solos erat Templum & cultus veri Dei. Unde quamdiu Templum & cultus stabant, cætera omnia detrimenta æquo animo ferebant. Unde cùm eos mœrore afficere vellet, sæpius minabatur quòd domum illam everteret: nam ex Templo & cultu gloriam & honorem tantùm aucupabantur. Quare non tam Deum in ea domo quàm seipsos colebant. Hoc honore cùm impii indigni essent, illo eos exspoliabat. Quæ an conveniant etiam nostræ ætati, qui legit intelligat: non tamen ut impius Eliam alios ad ea quæ ipse viderit conspicienda vocet, sed condolens ipse *consurgere* & *tenere Deum* conetur. ¶ *In quâ te laudaverunt*, &c.] Etiam parietes intra quos Deus laudatur & colitur magni faciendi sunt, præsertim si à sanctis viris laudes & cultus exhibeantur. ¶ *Desiderabilia*] *Expetibilia*, tam privata quàm publica, palatia, *domus solatii* (quas vocant) & cætera quæ appetuntur, *fuerunt in siccitatem*: sic enim vocat Hebraismus etiam *ignis exustionem*. Vulgatus ad *domos & muros & munitiones* videtur retulisse: sed omnia puto comprehensa, ut Thren. 7. *Dederunt expetibilia sua pro cibo*; & iterum, *Manum suam misit hostis ad omnia expetibilia ejus*; & Joel. 3, &c.

12. *Numquid*, &c.] Statum rerum Judaicarum videbat Jesaias post illam per Titum vastationem: hanc, credo, deflebat, quòd

quod tunc temporis omnia quæ antea Ifrael habuerat, tam fpiritalia quàm temporalia bona, fimul corruêre & interiete. Caufam itaque coram Deo populi fui agens, ea omnia commemoravit quæ Deum ad commiferationem flectere poffe videbantur. Orationem itaque vehementi percunctatione concludit, quòd vix adduci poffit ut credat quòd in tantis illius populi malis, quem tantopere ab eo dilectum fuiffe fciebat, fimul cum ablatione cultûs fui, diffimulet in fempiternum tam clemens Deus. *Numquid te continebis, Domine? fierine poteft ut omnino nos perdas?* Sed quid refpondeat Dominus, jam audiamus.

DRUSIUS.

1. הֲמָסִים. Cæteri, *confumptionem & tabem*] Hieron. המסים *non* confumptionem & tabem, *ut cæteri, interpretati funt, fed iniquos intelligi volunt, i.* חמסים. Idem paulò antè, *Si enim tu defcenderes, & tua promiffa compleres*, tabefcerent, *juxta Symmachum*, aquæ maris.

6. עִדִּים. Sym. *κυεσῶν parientium.* Th. *Eddim.* A. *μαρτυρίων teftimoniorum, quando fanguis in primo coitu maritali virginis approbatur*] Hæc Hieronymus.

IDEM EX PROCOPIO.

1. לוּא־קָרַעְתָּ שָׁמַיִם יָרַדְתָּ מִפָּנֶיךָ הָרִים נָזֹלּוּ. Sym. Ὀυδὲ ῥήξας οὐρανοὺς κατέβης, ἀπὸ προσώπου σου ὄρη κατέῤῥευσαν, *Neque ruptis cælis defcendifti, à facie tua montes defluxerunt.*

2. כִּקְדֹחַ אֵשׁ הֲמָסִים מַיִם תִּבְעֶה. Idem, Ὡς ἔκκαυσις πυρὸς ἐτάκη θάλασσα, ὕδατα ἐπλήσθησαν, *Tanquam combuftio ignis tabuit mare, aqua confternatæ fuerunt*] Locus fufpectus de vitio: aut legit המס ים divifim & duabus dictionibus. Hoc verius videtur. ¶ שִׁמְךָ. A. Th. Sym. τὸ ὄνομά σε.

4. עַיִן לֹא־רָאָתָה. Ὀφθαλμὸς ὐκ ἴδε, *oculus non vidit.*

6. כֻּלָּנוּ. A. Th. πάντες ἡμεῖς *omnes nos.*

8. וְאַתָּה יֹצְרֵנוּ. A. Th. καὶ σὺ πλάσης ἡμῶν, *& tu fictor nofter.*

9. עַד־מְאֹד. A. Th. Sym. ἕως σφόδρα. Sic infrà v. 12.

GROTIUS.

1. *Utinam dirumperes cœlos*] Continuatur fermo Judæ Maccabæi. Illud לוא, quod *utinam* hîc Interpres vertit, Græci ἐὰν, Chaldæus fumfit non malè pro הלוא, quod eft *nónne*, & verba non optantis, fed indicantis fenfu, hunc in modum: *Nónne tu* (*propter nos*, addit Chaldæus) *dirupifti cœlos, & defcendifti? à facie tua liquefacti funt montes? ficut ardente igne ex ramalibus aquas ebullire facit vis ignis: ut manifeftares nomen tuum hoftibus, & coram te formidarent gentes?* Refpicit hiftoriam eorum quæ fecit Deus in monte Sinaï. Vide Exodi XIX. 18. Adde Pfalm. XVIII. 8. XCVI. 5. ubi Græci habent τὰ ὄρη ὡσεὶ κηρὸς ἐτάκησαν [*montes ut cera colliquati funt*], ut hîc ὡς κηρὸς ἀπὸ πυρὸς τήκεται [*ficut cera ab igne liquefit*].

3. *Cùm feceris mirabilia non fuftinebimus*] Id eft, cùm tam mira noftri causâ feceris, nónne æquum eft tuam opem à nobis patienter exfpectari?

Defcendifti, & à facie tua montes defluxerunt] Repetit quod fuprà dixerat, quò magis rem inculcet animis.

4. *A feculo non audierunt, neque auribus perceperunt: oculus non vidit, Deus, abfque te, quæ præparafti exfpectantibus te*] Senfum fimpliciffimum hic Græci exprimunt, quem fequendo licet hunc locum fic vertere: *Nunquam auditum eft, nunquam*, inquam, *auribus perceptum, nunquam oculis patuit effe Deum, præter te, ullum qui in fe confidentibus talia faciat.* Nemo eft qui viderit deos Gentium talia fuis præftare, imò nemo eft qui vel probabili auctoritate tale aliquid de illis audierit.

5. *Occurrifti lætanti & facienti juftitiam, in viis tuis recordabuntur tui*] Rectè fic vertas: *Occurrifti cum gaudio* (id eft, patientiâ, ut hic explicant Græci) *recta facienti: iis*, inquam, *qui in omnibus actibus fuis tui meminerunt. Occurrifti*, id eft, ultro illis nec fperantibus beneficia maxima contulifti, ut Abrahamo, Ifaaco, Jacobo, Jofepho, Mofi, Judicibus, Davidi, Eliæ, & aliis.

Ecce tu iratus es, & peccavimus] Id eft, *At nobis iratus fuifti, quia peccavimus:* quia fimiles illis majoribus noftris non fuimus.

In ipfis fuimus femper & falvabimur] Optima verfio eft: *Si in ipfis* (in illorum viis, de quibus fuprà) *fuiffemus femper*, etiam nos *falvi fuiffemus.*

6. *Et facti fumus ut immundi omnes nos*] Ut leprofi. Ità enim folet fumi טמא [*immundus*], Levit. XIII. 45. ità peccatis obfurduimus, ut leprofi leprâ.

Et quafi pannus menftruatæ] Secutus eft Græcos, qui habent ὡς ῥάκος ἀποκαθημένης. Nomen illud עדים non reperitur alibi in facris literis; fed Chaldæis עריא eft quod Hebræis פתחות, Theodotioni ἐκζέσματα [*eruptio*], ut diximus ad Levit. XIII. 6. Significabitur ergò *pittacium* quod puftulis imponi, ac deinde abjici folet: ideo *panniculum abjectum* non malè hic pofuit Chaldæus.

Univerfæ juftitiæ noftræ] Loquitur κατὰ μίμησιν [*aliena verba imitando*], & *juftitias* vocat id quod homines improbi eo nomine appellant, facrificia fcilicet & ritus fimiles. Similis locutio fuprà LVII. 12. Male facerent qui hæc referrent ad vitam compofitam ad legem Mofis: multò pejus, qui hæc verba referunt ad martyrium, & alia opera Euangelio congruentia: — πᾶ πᾶ φρένας ἐκπεπτώκασι; [*— quò vobis avolitat mens?*]

Et cecidimus quafi folium univerfi, & iniquitates noftræ quafi ventus abftulerunt nos] Confer Pfalmum I. 3. 4.

7. *Non eft qui invocet nomen tuum, qui confurgat & teneat te*] Id eft, pauci funt, ut Pfalm. XIV. 3. Sunt ὑπερβολαὶ [*fuperjectiones*] tales frequentes omnibus populis, Orientalibus maximè. *Invocare nomen Dei* eft ad eum preces dirigere, ut hîc interpretatur Chaldæus. *Qui confurgat*, id eft, qui fe excitet. *Et teneat te*, id eft, ut tibi adhæreat.

Abfcondifti faciem tuam à nobis] Benevolentiam tuam nobis fubtraxifti, id eft, beneficia, per μετωνυμίαν [*transnominationem*].

Et allififti nos in manu iniquitatis noftræ] Meliùs, *Tradidifti nos in manus peccatorum noftrorum*, ficut fcilicet debitor creditori addicitur: מגן eft *tradere*. Græci: παρέδωκας ἡμᾶς διὰ τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν [*tradidifti nos propter peccata noftra*]. nec aliter Chaldæus interpres: hic nofter à מוג [*liquefcere*] derivavit.

8. *Et nunc, Domine*] *At nunc, Domine:* nempe quando nos vides in meliora verfos.

Pater nofter es tu, nos verò lutum] Sicut opus fictile ad figulum, quod & fequentia oftendunt. Neque fola creatio hic refpicitur, fed tota Dei circa populum fuum difpenfatio.

9. *Ne irafcaris, Domine, fatis*] In Hebræo, *vehementer.*

Et ne ultra memineris iniquitatis noftræ] Ut Deus jure fuo facere poffet. Ideo etiam converfi deprecationibus uti debent.

Ecce refpice, populus tuus omnes nos] *Profitemur nos effe populum tuum*, id eft, omnia noftra nos tibi debere. Ità hic Chaldæus.

10. *Civitas fancti tui facta eft deferta*] In Hebræo: *Civitates fanctitatis tuæ factæ funt in defertum.* Id eft, urbes terræ Judææ, quæ omnes te Deum agnofcunt.

Sion deferta facta eft] Ipfa etiam Sion, five Jerufalem, non tantùm urbium minores.

11. *Domus fanctificationis noftra*] Id eft, Templum, in quo folebamus expiari, & te colere.

Et gloria noftra] Ea de quibus gloriabamur, palatia putà.

Ubi laudaverunt te patres noftri] A Zorobabelis temporibus.

Facta eft in exuftionem ignis] Συνεκδοχή [*Complexio*]. Non enim omne Templum, fed in Templo & in Urbe multa exuffit Antiochus. Jofephus XII. 7. ἐνέπρησε δὲ αὐτῆς (urbis) τὰ κάλλιστα [*incendit autem ejus pulcherrima*]. Scriptor Maccabaïcæ hiftoriæ I. I. 23. Καὶ εἰσῆλθεν εἰς τὸ ἁγίασμα ἐν ὑπερηφανίᾳ, καὶ ἔλαβε τὸ θυσιαστήριον τὸ χρυσοῦν, καὶ τὴν λυχνίαν τοῦ φωτὸς, καὶ πάντα τὰ σκεύη αὐτῆς, καὶ τὴν τράπεζαν τῆς προθέσεως, καὶ τὰ σπονδεῖα, καὶ τὰς φιάλας, καὶ τὰς θυΐσκας τὰς χρυσᾶς, καὶ τὸ καταπέτασμα, καὶ τὰς στεφάνους, καὶ τὸν κόσμον τὸν χρυσοῦν τὸν κατὰ πρόσωπον τοῦ ναοῦ· καὶ ἐλέπισε πάντα [*Et intravit in fanctificationem cum fuperbia, & accepit altare aureum, & candelabrum luminis, & univerfa vafa ejus, & menfam propofitionis, & libatoria, & phialas, & mortariola aurea, & velum, & coronas, & ornamentum aureum quod in facie Templi erat: & comminuit omnia*]. Et poftea 33. καὶ ἔλαβε τὰ σκῦλα τῆς πόλεως, καὶ ἐνέπρησεν αὐτὴν πυρὶ [*& accepit fpolia Civitatis, & fuccendit eam igni*]. Et 59. τὰ βιβλία τοῦ νόμου ἐνεπύρισαν πυρὶ κατασχίσαντες [*& libros Legis combufferunt igni, fcindentes eos*].

Et omnia defiderabilia noftra verfa funt in ruinas] Hoc facile intellectu ex iis quæ jam diximus.

12. *Numquid fuper his continebis te, Domine, tacebis?*] Poffélne hæc, ô Domine, diffimulare?

Et affliges nos vehementer?] Et interim nos pati miferos? Quafi dicat Judas Maccabæus, Non eft hoc credibile.

CAP. LXV.

MUNSTERUS.

1. A*B his qui non quæſiverunt*] Invenitur Deus ab his qui non propriis ſtudiis & operibus à ſe confictis illum quæ-runt, ſed excitati per internam Dei locutionem, apprehendunt Dei verbum, *aut potiùs apprehenduntur verbo ejus, & feliciter quærunt eum. Unde & à Gentibus inventus eſt, apud quas tamen nulla fuit cogitatio quærendi Dei. Et quod ſequitur, *Expandi manus meas ad populum rebellem*, Judæi eam ſententiam torquent contra Chriſtianos in hunc modum: פותרים הכ׳נים כי בן אחד ישו ליהודים אשר אתם שוכינ לו ותשובתו בצירו רכת׳ העם המכעיסים אותי על פני תמיד : נראים הדברי׳ דכל זה לא נאמר אלא על היהודים אשר תפשו אחר ישו והזובחי׳ בגנות והוקלו״ שטר שלהם ומקטרי׳ על הלבני׳ זו היא הכנה שקורא׳ אלטיר היושבי בקברי׳ שבכביבי אהקברי פגרי׳ ואוכלי׳ בשר החזיר׳

3. *Sacrificantes in hortis*] *Non*, inquit, *ſequuntur verbum meum, ſed ambulant poſt cogitationes ſuas, eligentes opera quæ ego non juſſi. Ego juſſi ſacrificia fieri in templo, ipſi autem ſacrificant in hortis & in caminis ubi lateres coquuntur, cùm id fieri deberet in altari meo. Ego juſſi conſulere Prophetas, & ipſi conſulunt mortuos in ſepulcris, & dæmonia in deſertis locis. Ego juſſi ut mundi viverent, ſed ipſi polluunt ſe cibis immundis. Prophetas quoque quos audire debuerant arcebant à ſe, judicantes ſe ſanctiores illis.*

6. *Ecce ſcriptum eſt*] Subaudi *peccatum eorum*, nè illud ullâ oblivione deleatur.

7. *Ut non perdam omnes*] Juſti propter impios non perdentur, ſicut nec vites frugiferæ reciduntur quando vinea infœcunda ſubvertitur.

9. *Saron*] Locus eſt paſcuoſus.

10. *Gad*] Plerique Heb. intelligunt per *Gad ſtellam* צדק i. *Jovis*: & per מני aliam quandam certam *Conſtellationem*, & *quæ in certo eſt numero*. Jonathan vertit *idola*. Alii intelligunt *fortunam* & *fatum*.

15. *Relinquetis nomen veſtrum in exſecrationem*] Quàm exſecrabile factum ſit nomen Judæorum electis Dei poſt Chriſti paſſionem, nemo ignorat.

16. *Abſconditæ ſunt ab oculis meis*] Sunt enim electi Dei etiam in hac vita in regno Dei. Nam habent remiſſionem peccatorum, & ex conſequenti vitam æternam, ſalvi facti, ſed ſpe. Caro quidem nondum eſt in regno Chriſti, cùm adhuc obnoxia ſit peccato & morti: ſed excolenda eſt donec exuatur. Cùm igitur ſpiritu ſimus in regno Dei, dicit Deus *ab oculis ſuis abſconditas priores tribulationes*, etiamſi nobis adhuc durent, donec exuamus carnem. Sic nobis videntur *creari cœli novi* propter hanc carnem, qui tamen coram Deo jam ſunt creati. In hoc quoque regno Chriſti non erunt infantes, *ſed omnes erunt docti à Deo: infantes* excludentur, qui ſcilicet ſemper ſtudent in lege, & ad veram Legis cognitionem non perveniunt. *Morientur* multi in *centeſimo anno* qui adhuc *infantes* erunt. Studium enim Legis, operum, propriæ juſtitiæ atque ſapientiæ nihil prodeſt. Alii hæc omnia referunt ad æternitatem promiſſam, in qua electi omnes erunt in perfecta ætate. Hìc autem ædificamus domos per fidem & miſericordiam quas alibi inhabitabimus: hìc paramus fructus quibus ibi fruemur.

22. *Juxta dies arboris*, &c.] Significatur per id quòd electi Dei immobiles ſtabunt in regno Chriſti, ut illis nulla nocitura ſit tempeſtas: vel ſignificatur per durationem arboris perpetuitas vitæ, vel quòd fructum ferent, *ſicut arbor plantata juxta decurſum aquarum*.

25. *Lupus & agnus paſcentur pariter*] De hoc ſuprà cap. 12. diximus, ſcilicet quòd à Chriſtianis aberit omnis invidia vel inhumanitas. Qui priùs *lupi* noxii & peſtiferi fuerant, illi deponent immanitatem & affectus belluarum. Erunt ſtudioſi benefaciendi fratribus.

VATABLUS.

1. Q*Uæſitus ſum ab iis qui*, &c. נדרשתי וגו׳] *Exhibui me quærendum iis qui*, &c. Vel, *Effeci ut me quærerent ii.* Alii, *Obviam ivi. Occurri iis qui*, &c. Alii, *Patefeci me iis qui.* ¶ *Interrogabant* שאלו] Præt. perf. Heb. pro imperf. vel plus quàm perf. ¶ *Non vocatam* &c. לא קרא בשמי] *Quæ non vocabatur* antea *de nomine meo*: q. d. ad Gentes, & non tantùm ad Judæos. Alii vertunt, *quæ non invocabat nomen meum.*

2. *Totâ die* כל היום] *Quotidie.* ¶ *Perverſum* סורר] *rebellem.*

4. *Prophanatorum* פגולים] *Pollutorum*: vel, *abominationum*: i. carnium quæ comedi Lege prohibentur.

5. *Mane apud te* קרב אליך] Ad verb. *Accede ad te*: vel ut alii, *Retrocede illuc apud te*: i. Recipe te in locum tuum: vel contine te in loco tuo. ¶ *Nè appropinques mihi* אל תגשבי] *Nè accedas ad me.* Alii, *nè contingas me.* ¶ *Fumus in furore meo* עשן באפי] Hebraiſmus, pro *ad iracundiam provocant me.*

7. *Simul* יחדו] Sub. *erunt*, ſive *conjungentur*: i. puniam vos propter iniquitates veſtras & propter iniquitates patrum veſtrorum; quia imitati eſtis iniquitates illorum. ¶ *Primum* ראשונה] i. In primis, ſive ante omnia. Alii, *vetuſtum.*

8. *Invenitur*, &c. יִמָּצֵא וגו׳] *Siquis inveniat muſtum in botro, & dicat.*

10. *Planities* השרון] *Saron.* Vide Propriorum nominum Hebraicorum interpretationem.

11. *Exercitui* לגד] *Fortunæ.* Alii, *Jovi.* ¶ *Numero ſtellarum* למני] i. Septem planetis paratis libamina. Doctus inter Hebræos exponit, *Qui adimpletis vaſa eorum ad libamen numeri ſtellarum.*

12. *Numerabo certè vos*, &c. ומניתי אתכם וגו׳] i. Numeratos vos enſi objiciam, & omnes vos corruetis in cædem. ¶ *Malum in oculis meis* הרע בעיני] i. Quod diſplicebat mihi. ¶ *Et quæ nolui* ובאשר לא חפצתי] *Et* id *in quo mihi complacitum non fuit.* Alii, *& in quibus voluptatem non cepi.*

14. *Lætabuntur præ jucunditate cordis* ירנו מטוב לב] *Vocem lætam edent præ bonitate cordis.* Ità loquuntur Hebræi ſignificantes hilaritatem cordis.

15. *In exſecrationem* לשבועה] *In juramentum*: q. d. *Faciam ut nomen veſtrum in malis imprecationibus locum habeat; dicántque homines qui ſibi malè precabuntur, Ità mihi contingat ut Judæo idololatræ*: Vel, *Diſpeream ut Judæus idololatra, ſi non id fecero.*

16. *Qui benedicit*, &c. אשר המתברך וגו׳] i. Qui benedictus haberi volet, dicet & aſſeret ſe benedictum in Deo veraci, qui præſtat quod pollicetur. ¶ *Et abſcondent ſe* וכי נסתרו] Ad verb. *& quia abſcondent ſe.* Redundat כי.

17. *Priores* הראשונות] Sub. *afflictiones.* Quidam vertunt, *priora.* ¶ *Nec aſcendent*, &c. ולא תעלינה על לב] Hebraiſmus, pro *tradentur oblivioni.*

18. *Gaudete & exſultate* שישו וגילו] Imperativa Heb. pro fut. *gaudebitis & exſultabitis.* ¶ *Creo Jeruſalem*, &c. בורא את ירושלים וגו׳] Præſ. Heb. pro fut. *creaturus ſum Jeruſalem* cum *exſultatione*, *& populum ejus* cum *gaudio*: i. inſtauraturus ſum Jeruſalem, h. e. redditurus ſum Eccleſiæ & populo fideli gaudium & exſultationem.

20. *Non erit*, &c. לא יהיה וגו׳] i. Non egredietur illinc ultrà parvulus. Hyperbole: q. d. *diutiſſimè vivent.*

22. *Nam juxta dies*, &c. כימי העץ וגו׳] i. Tamdiu vivet populus meus quamdiu vivere ſolet arbor vivaciſſima: q. d. *diutiſſimè vivet, nec morietur donec viderit ædes ſuas vetuſtate conſumptas.*

23. *Cum terrore* לבהלה] *Ad conturbationem*: i. ut conturbentur morte filiorum qui ſtatim morientur: q. d. *ſi pepererint filios, filii diutiſſimè vivent.* ¶ *Et germina eorum* וצאצאיהם] *Et filii eorum*, aut *nepotes*: q. d. *non morientur ante illos.*

25. *Nocebunt* ירעו] *Perdent, vaſtabunt.*

CASTALIO.

3. S*Uper lateribus ſuffientes*] Lateritiis aris.

5. *Qui dicunt, Contine te, nè ad me accedas: nam te conſecrarem*] Alios à ſe tanquam ſacri profanos arcent. Vide Lam. 3. ¶ *Hac mihi in naſum fumum concient*] i. Iram.

6. *Hoc equidem ob oculos ſcriptum habeo*]. Non obliviſcar.

7. *Quibus ego priſtinum ipſorum opus remetiar penitus*] Digna factis præmia rependam.

11. *Gadi*] Sunt qui putant Fortunam. ¶ *Meni*] Neſcio quis Deus à *numero* denominatus. Quidam Mercurium arbitrantur.

12. *Vos ego gladio numerabo*] Alludit ad nomen *Meni.*

20. *Non erit illinc ampliùs ætate infans, aut ſenex, qui non ſuam compleat ætatem*] h. e. Eorum qui illic erunt. Vide animadverſ. in Pſal. 68. ¶ *Qui centum annos natus morietur, puer erit*] Ità diu vivent ut qui centenarius morietur, puer moriatur.

CLARIUS.

1. QUæsierunt me qui ante non interrogabant] Respondet Deus Prophetæ in commendationem Gentium, & ait non se in culpa esse quòd Judæi rejiciantur, sed ipsos qui nolunt recipere verbum ejus: contrà verò, se quæsitum ab eis qui eum penitus ignoraverant. *Nam ego* (inquit) *quotidie expandebam manus meas* (quem locum & Paulus attigit) *ad hunc populum, ut eum ad me adducerem, sed non vult mihi credere.*

3. *Immolant in hortis*] *Non sequuntur* (inquit) *verbum meum, sed ambulant post cogitationes suas, eligentes opera quæ ego non jussi. Ego jussi sacrificia fieri in templo: ipsi autem sacrificant in hortis & in caminis ubi lateres coquuntur, cùm id fieri deberet in altari meo: ego jussi consulere prophetas; & ipsi consulunt mortuos in sepulchris, & dæmonia in desertis locis: ego jussi ut mundi viverent; sed ipsi polluunt se cibis immundis. Prophetas quoque, quos audire debuerant, arcebant à se, judicantes se sanctiores illis. In delubris idololatriæ dormiunt.* Mos erat ethnicis dormire in deorum templis, ut ab eis somnia acciperent.

5. *Accede ad te*] h. e. Cura te ipsum. Non appropinques mihi, ut scilicet me sanctiorem facias.

6. *Ecce scriptum est coram me*] Subaudi *peccatum eorum*, nè illud ullâ oblivione deleatur. ¶ *Et remetiar opus eorum primum in sinu eorum*] Similitudo ab iis sumpta est in quorum sinu dantur empta, ut si multam pecuniam dederint, multa infundantur.

7. *Mustum in botro*] Non passurus est Deus conculcari reliquias, neque abjici, quemadmodum in die vindemiæ acini abjiciuntur.

8. *Et hereditabunt eam electi mei*] Per *eam* intelligit Jerusalem, tanquam rem notam, figuratè, ut,

Ipsa petenda mihi est, Juno de pellice dixit.

9. *Et vallis Achor in cubile armentorum*] h. e. Loca quæ priùs erant maledicta, ut illa vallis. *Pomeria* (inquit) *valde dilatatura est. Achor* à septentrione est Jericho: ejus mentio fit Oseæ 2. *Saron* autem, quem interpres vertit *campestria*, à Cæsarea Palæstinæ usque ad oppidum Joppen.

10. *Ponitis Fortunæ mensam*] Alii dicunt *stellam Jovis*: & illud, *Libatis super eam*, alius vertit, *implentes numero libamen*, ut alludere videatur ad numeros Pythagoræos, & maximè τετρακτὺν quam superstitiosè observabant.

11. *Numerabo vos in gladio*] Eleganter. *Quia* (inquit) *vos numerum observastis, ego vos numerabo ad cædem.*

15. *Nomen vestrum in exsecrationem*] Quam exsecrabile factum sit nomen Judæorum electis Dei post Christi passionem, nemo ignorat. Servi autem Dei vocati sunt nomine alio, non enim *Judæi*, sed *Christiani* appellantur.

16. *Qui benedictus erit*] Qui benedictum se senserit in terra referet eam benedictionem acceptam Deo fideli. ¶ *Abscondita sunt ab oculis meis*] Sunt enim electi Dei etiam in hac vita in regno Dei, nam habent remissionem peccatorum, & ex consequenti vitam æternam, salvi facti, sed spe. Caro quidem nondum est in regno Christi, cùm adhuc obnoxia sit peccato & morti, sed excolenda est donec exuatur. Cùm igitur spiritu simus in regno Dei, dicit Deus *ab oculis suis absconditas priores tribulationes*, etiamsi nobis adhuc durent donec exuamus carnem. Alii hæc & quæ sequuntur referunt ad æternitatem promissam.

17. *Cælos novos*] Omnia significat renovanda per Christum, ut quasi in novo mundo versari videamur; erit enim novus cultus, nova morum justitia, novæ promissiones, novæ beatitudines, novi homines, novæ leges.

20. *Infans dierum*] Quid sit *infans dierum* videtur exponere per id quod sequitur, & *senex qui non impleat dies suos*, quòd scilicet omnes longissimam ætatem victuri sint. Quibus verbis quid aliud quàm æternitas significatur? quam æternitatem cùm obtectis verbis dicere vellet, quo sermone alio uti aptiùs potuisset? Mysticè verò cùm *omnes erunt docti à Deo*, *infantes* excludentur, qui scilicet semper studentes in Lege nunquam veram assequuntur Legis intelligentiam. ¶ *Quoniam puer*] h. e. *Filius centum annorum*: scilicet homo qui centum annos habuerit, si ipso *centesimo anno mortuus* fuerit, *puer* existimabitur, & tanquam *peccator maledicetur*, eâ ætate moriens: dicetur enim quòd vitam suam ob peccata abbreviaverit. Consueverunt autem Prophetæ ea præsertim quæ ad futuram vitam pertinent velare hujuscemodi narrationibus. Sin mysticè cogites, intellige eos qui illam æternitatem jam cogitatione perceperint, etiamsi centenarii moriantur, arbitrari se tamen *pueros*, dum illam ætatem cum æternitate conferunt: siquis verò existimaverit se aliquid assecutum si ad *centesimum* usque *annum* vixerit, hunc tanquam *peccatorem exsecrandum*; non enim satis diu vixisse existimabitur qui quamvis longâ ætate hîc vivere contentus fuerit.

21. *Et ædificabunt domos*] Hîc ædificamus domos per fidem & misericordiam, quas alibi inhabitabimus: hic paramus fructus quibus ibi fruemur.

22. *Ipsius arboris*] h. e. Ligni vitæ. ¶ *Durabunt electis meis*] h. e. Nemo auferet illa ab eis.

25. *Et serpenti pulvis panis ejus*] Serpens suo utetur cibo, terrâ scilicet sibi destinatâ à Domino, non mordebit, non inficiet veneno, non erit ultrà cui insidietur Diabolus. His autem rebus adumbratur plena futura electorum felicitas.

FORERIUS.

1. QUæsierunt me, &c.] Dictum fuerat in oratione superiori, quidnam causæ esset quòd non misereretur, non recordaretur populi sui sancti, &c. Respondet Dominus, Gentes, quæ me neque *quærebant*, neque de me rogabant, neque *interrogabant* quid agere deberent, qui me non consulebant, quibus meam voluntatem per Legem aut Prophetas non significabam, *me quæsierunt* summo cum studio, ac tandem etiam *invenerunt*: quare me ad illos transtuli. Judæos autem, quos vocabam, quærebam, & ad quos *omni tempore manus expandebam*, noluerunt attendere: quare illos punio acerrimè & deleo. Hæc his septem primis versibus continentur. ¶ *Qui non interrogabant*] Tantum abest ut me agnoscerent, ut nè de me quidem *interrogarent*. Hæc de Gentibus dicta interpretatur Paulus Rom. 10. nimirum quando *signum elevatum* viderunt, & clangor tubæ Euangelii ad eos pervenit, tunc avidè *quæsierunt* & *invenerunt*. ¶ *Dixi, Ecce ego*, &c.] Judicavi ex dignitate mea esse ut eis me offerrem qui, cùm me anteà ignorassent, tam promptè ad me transibant, & qui meum nomen penitus ignorabant, neque me invocare consueverant, i. qui mei non erant, neque me pro Domino habebant, (servi enim dominum suum invocant, & nomen ejus sæpius ore sonant) auditâ tubâ Euangelii antiquam religionem deserebant, & me colere desiderabant. Placet itaque Deo nostro suprà quàm dici queat promptitudo & animi alacritas ad obediendum & eum inveniendum: istis enim sese negare non potest, sed ad eos se transfert, & totus piis mentibus libens illabitur: siquidem illa imperfecta oratio, *Ecce ego ad gentem*, alacritatem quoque Domini notat, qui alacritati nostræ non se potest continere quin respondeat; ideóque arbitror verbum non apponere, ut ad quosvis usus adesse suis intelligatur, & verbum pro votis suppleretur. Illa etiam geminatio, *Ecce ego, ecce ego*, habet nescio quid jactantiæ & provocationis. Nam jam dudum per Mosen illis dixerat, *Ipsi provocaverunt me in eo qui non est Deus: & ego provocabo eos in eo qui non est populus, & in gente stulta irritabo eos.*

2. *Expandi manus*, &c.] Opponit obedientiam Gentium Judæorum contumaciæ. *Expansio* verò *manuum* est nihil omittere quod ad captandam attentionem faceret: vocationem autem per Christum & Discipulos suos intellige. Adde, quòd reverà in cruce *manus* quoque *expensas* habuit, ut quàm paratus esset ad eos suscipiendos etiam moriens & ab eis occisus, innueret. In hanc ferè sententiam dixerat Salomon, *Quia vocavi, & renuistis; expandi manus meas, neque fuit qui aspiceret*, &c. ¶ *Totâ die*] Vel *omni die*, i. per multum temporis. ¶ *Incredulum*] Paulus ex versione LXX duabus vocibus reddidit unam Hebræam סורר, nempe *non credentem & contradicentem*: unâ voce *contumacem*, seu *immorigerum*, seu *intractabilem* dicere possumus. ¶ *Post cogitationes suas*] מחשבות non simplicem *cogitationem* tantùm notat, sed etiam *discursus* & *ratiocinationes*, adeóque & *opiniones*. Eæ si nostræ sint & ex nobis oriantur, sæpissime noxiæ & falsæ sunt, aut saltem inutiles. Has persequi stultum est: nam est juxta carnis sapientiam vitam instituere, aut spiritu hujus mundi duci. Judæi autem sub Christo intractabiles supra modum fuerunt, neque aliud quàm *cordium suorum sensa* sequebantur.

3. *Ante faciem meam*] Coràm & in facie me convicijs impetit, & ad iracundiam provocat. Sunt qui hæc ad tempora Christi referre non audent propter ea quæ sequuntur: nam Judæi tunc temporis non erant dediti idololatriæ: sed ego non uno loco suprà ostendi, Spiritum S. datâ operâ tempora Christi his rerum circumstantiis obtegere voluisse. Nam qui essent animo pio & fideli, istis aut non impedirentur, si non ea intelligerent; si verò intelligerent, majorem ex obscuritate caperent fructum: in-

increduli verò & impii indigni erant quibus sua sensa Spiritus S. aperiret. Itaque hæc omnia quæ sequuntur, quæ idololatriam sapere videntur, figuratè dicta accipio: nam tametsi *in hortis* non *jugularent victimas* Pharisæi & Sacerdotes; nihilominus magna cum voluptate diis suis, videlicet quæstui & gloriæ, serviebant, umbrarum & nemorum amicissimi, qui volebant magis tenebras quàm lucem. ¶ *Sacrificant super lateres*] Vel *suffiunt*. Nunc suffitui deserviunt vascula argentea apud divites, apud alios verò testacea: apta enim sunt ad incendendos odores, quæ nullum ex se odorem vi ignis reddere possunt neque etiam aduri. Quare olim *super lateres* suffiebant, & odorifera adolebant.

4. *Qui habitant*] Vel *sedent*, i. commorantur. Vide Hieronymum hoc loco de consuetudine idololatrarum, quo pacto ad excipienda somnia apud deorum fana cubabant: ubi etiam mentionem facit de sepulcris & cineribus Martyrum, eorúmque cinerum virtute, & orationibus quas fideles solebant apud Martyrum cineres fundere: quæ quia, inquit, diabolus ferre non poterat, hæreticos instigavit qui basilicas Martyrum declinandas docerent. Quæ verba Hieronymi possent Lutheranis pudorem conciliare, intelligentibus cujus sit inventum corpora vilipendere, & orationes in eorum memoriam fusas damnare: & quòd hoc sentire sit ab Apostolica Ecclesia dissentire. Cæterùm Pharisæi & Sacerdotes sub Christo etiam si ad *delubra* pro somniis non accurrerent, inter *sepulcra* tamen commorabantur: imò ipsi *sepulcra* erant *plena omni immunditiâ*, ut est in Euangelio. *Sedere* ergò *inter sepulcra*, hoc loco est hypocritarum moribus gaudere, qui extrà ornantur, intus autem pleni sunt dolo & avaritiâ, &c. ¶ *In delubris idolorum*] Unica vox est in Hebræo נצורים, de qua voce capite primo dictum est. Significat autem *loca abominosa & tetra, à quibus præservare nosmet ipsos solemus præ metu*, à נצר, i. *servavit*, *observavit se*, vel *rem* &c. Vulgatus sensum reddidit. Continent autem ipsa simplicia verba rei indignitatem, ut auderent homines pernoctare in locis teterrimis, & quæ adire noctu sine horrore nemo posset. Pharisæi quoque ab horrendis facinoribus non abhorrebant. ¶ *Qui comedunt carnem suillam*] Hîc omnes transgressiones Legis intellige. ¶ *Jus*] In lege prohibitum erat, nè quidquam in alterum diem ex sacrificio relinqueretur, præsertim ex sacrificio quod Vulgatus *pacificorum* vocat: quod si in tertium usque diem servaretur, esset *pigul*, i. *inquinatio*, seu *inquinamentum*. Vide Levit. 7, & 19. & Ezech. 4. Est autem vox hæc à verbo פלג transpositis literis, quasi esset *divisum* seu *separatum ab usu*, tanquam res quæ *inquinare* posset. Quare sic verti locus aptè poterit, *Edulium inquinationum vasa eorum*, quòd in vasculis & utensilibus eorum reperientur edulia contra Legem, in tertium usque diem reservata, quod juxta Legem nequaquam licitum erat; & qui ex eo vescebatur, *iniquitatem suam portaret* necesse erat. Per hæc, ut dixi, universæ Legis transgressiones significantur. Pharisæi autem immundi erant, & ab eis quæ verè *coinquinabant hominem* nequaquam abstinebant. Vide Matth. 15.

5. *Recede à me*] Ad verb. *appropinqua ad te, & nè accedas mecum*, vel *in me*: Hebraismum doctè vitavit Interpres. ¶ *Qui immundus es*] Hebr. *sanctificavi te*: cujus sensum doctissimè reddidit Vulgatus. Nam Hebræis immundi quoque, & impurissimi homines קדשים dicuntur, & profana mulier קדשה significatione voci contrariâ, quòd nihil minus quàm *sanctitatem* habeant. Deut. 23. Job. 36. 2 Reg. 23. Genes. 35. &c. Ità etiam accepit Propheta verbum, *sanctificavi te*, i. impurum te reputo, cùm inquit, *Sint ipsi impurissimi, & inquinamenta comedant*, &c. se tamen pro justis & sanctis haberi volunt, & alios tanquam *immundos* à se abigunt. Qui isti erant nisi impurissimi Pharisæi, qui Christum & Discipulos reprehendebant *quòd cum publicanis & peccatoribus comederent*? Annon isti *se justos æstimabant, & aspernabantur cæteros*? Quòd si cui durum nimis videatur hæc quæ hîc commemorantur scelera ad Christi tempora referre, non repugno, modò hæc de populo dicta accipiat, ex quo erant Pharisæi & alii quibuscum negotium Christo erat, qui patres suos sceleribus superabant; existimétque commemorare Prophetam iniquitates patrum, quæ jam suo tempore vigebant: filiorum autem, sub quibus fuit reprobatio, nonnisi in genere mentionem facere, quod vers. 7. Propheta insinuat. ¶ *Isti fumus*, &c.] Hujusmodi homines scelerati ignibus tradentur sempiternis.

7. *Ecce scriptum est*] In numerato sunt hominum scelera, & quæ quisque pro eis passurus sit apud Deum, sicut est apud Mosen, *Nonne hæc abscondita sunt apud me, & signata in thesauris meis? ego retribuam eis in tempore: nam mea est ultio.* Ad hunc locum hîc alludit Jesaias. ¶ *Non tacebo*] Vel *cessabo*. Quid autem redditurus sit, explicat sequenti versu, mutatâ tertiâ in secundam personam: & verbum *reddam* cum nomine *iniquitatum* construendum est.

7. *Iniquitates vestras*, &c.] Dicuntur *filii pœnam iniquitatum patrum suorum recipere*, non quòd patres pœnâ careant pro suis sceleribus, & filii pro eis puniantur; sed cùm propter iniquitates patrum & filiorum dignum visum est apud Deum aliquod regnum aut remp. perdere, quia patres jam vitâ functi malum illud non sentiunt, filii autem illud experiuntur, dicuntur *filii pœnas scelerum paternorum luere*: & hoc est *adimpletas esse iniquitates Amorræorum*. Neque enim si qui tempore Mosis superstites erant in Palæstina, primi fuissent illius regionis peccatores, exuti fuissent possessione & regno suo; sed cùm præcessissent scelera patrum, quæ *signata* habebat Deus, & filii imitarentur iniquitates patrum, *numerus iniquitatum completus est*, ob quas juxta Dei sapientiam & justitiam digni erant ut exterminarentur. Nam etsi non credendum sit certum quendam esse numerum peccatorum, ad quem cùm quis pervenerit converti ad Deum non possit; est tamen certus numerus & certa mensura peccatorum, quæ cùm impletur, regna & imperia evertuntur: neque valent ex lege (ut loquuntur Theologi Scholastici) diutiùs consistere. De singulis autem illius regni hominibus asserendum est, quòd quamdiu in vivis agunt in gratiam cum Deo redire & salvari possint. ¶ *Simul*] Judæi enim exterminati sunt & regno expulsi in omnes gentes propter scelera omnia quæ ab egressu ex Ægypto usque ad illud tempus commiserunt: & *venit super ipsos universus sanguis justus qui effusus est à sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ*, &c. i. à primo justo quem occiderunt patres vestri usque ad ultimum. Ut huc fortè pertineat illud quod Dominus Mosi dixit, post vituli adorationem dimisso jam peccato, & placatus precibus Mosis, *Ego autem in die ultionis visitabo & hoc peccatum eorum*; & illud Exod. 32. *Ego retribuam eis in tempore*: & hoc est quod sequitur, ¶ *Metiar opus eorum primum*] i. Antiquum: & ad illum locum Exodi puto alludi, atque illud antiquum scelus intelligi, simul & alia antiqua scelera. ¶ *In sinu eorum*] Vel *super sinum*: metaphora sumpta est à consuetudine feminarum, quæ plurima *sinu* excipiunt: vel quia quæ *in sinu* habere dicimur in tuto habere putamus, ut quæ brachiis complecti & tueri possimus. Hinc tam præmii & gloriæ portionem quam perpetuò possidebimus (ut est in Euangelio, *Mensuram bonam*, &c. *dabunt in sinus vestros*) quàm etiam retributiones pro iniquitate, quæ ab impiis non recedent, *in sinum dari* dicit Scriptura, ut hoc loco vides, &c.

8. *Quomodo si inveniatur granum*, &c.] Non semel in oratione dixerat Jesaias, *omnes velut immundos esse, & omnes perire*, &c. Objecerat quoque patrum priscorum merita: his nunc respondet Dominus, cohærétque cum præcedentibus oratio, hoc pacto, *Etiamsi dicam quòd dabunt pœnas Judæi suorum scelerum & antiquorum, nequaquam tamen omnes delebo.* ¶ *Granum*] תירוש *mustum*, seu *uvæ succum* notat: & in locis in quibus reperitur vox hæc, *succum uvæ* videbis significare. Si quis tamen pro *granis uvarum* accipiat cum Vulgato, seu *uva*, non damno: quasi velit significare tantam futuram electorum raritatem, ut magni faciendum sit unum aut alterum reperire; ut si in maxima uvarum penuria quis vellet dissipare botrum in quo essent nonnulla grana, & ei diceretur, *Nè dissipes, est enim benedictio in eo*, &c. Et hic est sensus Vulgatæ editionis haud contemnendus. Si autem pro *musto* accipias, planus quoque erit sensus: nam cùm quis vult exscindere botrum ad comedendum, vel ad alios usus, si plurimum succi habere videtur, solet ei dici, *Ne exscindas; nam in eo est benedictio*, i. plurimum succi: indignum est ut hujusmodi botrus pereat, &c. Quid hac similitudine sibi velit Dominus, ipse aperit. ¶ *Sic faciam propter servos meos*, &c.] Propter patres, quorum apud me pretiosa est memoria, qui apud me vivunt, & quibus generis perpetuitatem pollicitus sum, *non exscindam*, *non perdam* funditus *totum* Israelem. Nam nonnullos, quos plurimum succi habere videbo, ut torcularia mea implere possint, conservabo: steriles & aridos palmites exscindam, & in ignem mittam; eos verò qui pleni musto erunt, pleni *benedictione* Domini, qui inebriare universam terram potentes erunt, & succo suo *lætificare Deum & homines*, non sinam interire, sed ut charissimos filios protegam. Isti sunt semen cui benedixit Dominus, quos in discessu suo benedixit Dominus JESUS, quos *induit virtute ex alto*, super quos *divitias bonitatis suæ* effudit, qui abunde Spiritu S. pleni fuerunt, qui denique putabantur *ebrii*, sed, ut Petrus ostendit, *non à musto*. Quid apertiùs dici potuit? quibus verbis magis commendari fœcunditas ex Divina largitate? Disce, Christiane lector, quinam sint

sint dilecti Deo, & quorum rationem habeat, nè cum impiis pereant; illis nimirum qui succo Divino implentur, qui cœlesti virtute proficiunt, & aliis utiles esse possunt: rejicitur siccitas, damnatur sterilitas, & *maledictioni proxima* est *tellus* quæ præ benedictione Domini non refert fructum, illi denique in quos beneficia Domini malè collocantur.

9. *Educam*, &c.] *Exire faciam.* Non in universum genus Jacob interibit: nam ex Jacobitis nascentur in quibus omnes promissiones Patribus factæ abunde adimpleantur. Dixit autem *Ex Jacob & ex Jehuda*, vel propter utrumque regnum, nempe decem tribuum, quod *Jacob* seu *Israel* dicebatur, & *regnum Jehuda*; nam ex utrisque electi sunt Discipuli Domini: vel *Judam* nominavit propter Dominum JESUM qui ex Juda oriturus erat, cujus erat *regnum & hereditas*, ut est in benedictionibus Jacob. ¶ *Montes meos*] Aliis motionibus potest esse singulare, *montem meum*, i. montem Tcionis, montem in quo erat Templum. Hæc autem & quæ sequuntur figuratè accipienda sunt, pro illis videlicet rebus quæ per montem illum significabantur: si verò, ut omnes legunt, *montes* legas, certè per eos ipsam Jerosolymam quæ in montibus sita erat intelligit, & per ipsam alteram Jerusalem novam, de qua infrà ver. 18, & 19. unde mox relativum femininum sequitur. ¶ *Hereditabunt eam*] Perinde enim fuit *montes* dixisse, atque *in montibus sitam Jerosolymam*: per antonomasiam enim *montes* pro illis montibus accipiebantur.

10. *Campestria*] Nomen est proprium שרון regionis cujusdam, quæ Joppen & Lyddam usque protendebatur, fertilissima & pascuis prædita uberrimis: quam puto vulgò *campestrem* dictam, sicut hodie in nonnullis provinciis video appellari *campestrem* in Italia & Gallia, & *terram camporum* in Hispania: ut non mirum sit quòd Hieronymus, qui ea loca optimè noverat, nunc proprium nomen *Saron* servet, nunc *campestria* dicat. Alteram quoque vallem armentis deputat prope Jerico, quæ etiam, sicut altera, quasi proverbialiter tunc temporis celebrabatur. Quibus significatur summa pax: nam belli tempore armenta & pecora ad montana transire faciunt, nè hostibus sint prædæ: amœnissimæ enim valles statim ab hostibus occupantur. עכור autem est vallis in tribu Jehuda, Jos. 15. ad Septentrionem Jerico, haud procul à Galgal, à *tumultu* & *turbatione* populi Israelitici habens appellationem potiùs quàm ab Achan sacrilego qui ibi lapidatus fuit, Jos. 7. quanquam idem Achan *Achor* quoque dicatur, 1 Paral. 2. *Filii Carmi Achor*, *qui turbabat Israelem cùm prævaricaretur cum anathemate.* Crediderim ego qui antea dicebatur *Achan*, post illam turbationem dictum *Achor* propter vicinitatem nominum ab eventu: unde ad nomen alludens Josue dixit ei, *Quia turbasti nos*, *turbet te Jehova in die hac.* Significatur autem istis omnium rerum abundantia quibus fruituri erant electi post adventum Domini. Si enim *armenta* & pecudes servorum Dei bene habebunt, quantò magis ipsi? ¶ *Populo meo*, *qui requisierunt me*] Dicebam, inquit, *transiisse me ad gentem quæ me antea non quæsierat*: quæsivit autem mox ut audivit: ideòque me rejecisse populum immorigerum. Id quidem pro majori parte dictum accipe: nam si qui ex populo meo me quæsierint, omnibus istis bonis perfruentur. Huc facit quod ait Apostolus, *Gloria & felicitas in omnem animam hominis operantis bonum*, *Judæi primùm*, *atque Græci*, &c.

11. *Et vos qui reliquistis*, &c.] Vel *& vos derelictores*, seu *desertores Jehova*, i. qui pro more habetis Deum deserere, &c. ¶ *Et obliviscimini*] Non solùm transgrediendo Legem Deum deserebant, sed cultum quoque contemnebant, moribus & fide perversi. Intellige autem per hæc antiqua scelera alia illis similia quæ tempore Christi patrabant. ¶ *Qui ponitis*] Vel *disponitis*, *instruitis.* ¶ *Fortunæ*] גד est *excursor.* Sic Martem vocabant, sidus à quo putabant Gentes pendêre rei bellicæ fortunam. ¶ *Et libatis super eam*] Vulg. לכני pro præpositione accepit, & nihil de eâ re in Commentariis dixit, nisi quòd Symmachus interpretatus sit *absque me.* Ego puto eos מני appellasse planetam quem astrologi *Mercurium* vocant à *supputatione*, cui libabant ut in negotiationibus feliciores essent. Nam eidem etiam hodie vim ac Divinam quandam potentiam adscribunt in illos qui eo horoscopo seu ascendente, aut aliâ duodecim domorum feliciter posito nascuntur, quò sint in negotiationibus cæteris multò feliciores. Docti inter Hebræos pro *numero* accipiunt, & nomen stellarum supplent. Sed nihil ad rem: si enim liceret supplere quæ quisque volet, quot Scripturas haberemus pro unâ? Sed nostros magis demiror qui illos sequuntur. Pagninus hìc pro *gad*, *exercitum cœli* in quadam editione sua ponit, & pro *meni*, *planetæ.* Judicet prudens lector. Ad verbum, *Impletis ipsi meni infusionem*, seu *poculum*; illi videlicet libantes, & libamina offerentes. Hæc autem significabant, Judæos eventus bellorum & pacis astris solere adscribere potiùs quàm Deo, secutos gentium judicium. Vide apud Hieronymum de ritibus illis mensæ instructæ, quos ab Ægyptiis mutuati fuerant.

12. *Numerabo vos in gladio*] Cum nomen *meni* à מנה; i. *supputavit*, dicatur, & interdum *deputare* seu *destinare* designet, alludens ad ipsum nomen planetæ eodem verbo usus ait, *Deputabo vos gladio*, vel *Supputabo vos gladio*, ut Lamed pro *in* accipiatur. *Numerabo vos ad gladium*, i. ad gladii numerationem. Per *gladium* autem & *mactationem* omnis generis supplicia intelligit. ¶ *Pro eo quòd vocavi*] Hæc superioribus & etiam inferioribus annecti possunt: sive autem hoc vel illo modo accipias, *vocari*, *& non respondere*, *loquentémque Deum nolle auscultare* posuit pro *mensæ instructione & libaminibus*: hæc enim in illis intelligi obscurè volebat. Propter ergò contumaciam duritiémque cordis, propter incredulitatem & contradictionem numerati sunt gladio, &c.

13, 14. *Propter hoc*, &c.] Propter ea quæ præcesserunt paulò antè, quorundam videlicet obedientiam & aliorum contumaciam, &c. ¶ *Servi mei*] Ex vobis Israelitis *comedent*, *bibent*, *lætabuntur*, *ovabunt*, i. omnibus bonis tam corporis quàm animi perfruentur: (quod in Discipulis Domini impletum scimus) cæteris autem, *qui sunt ex mendacio*, *credunt autem iniquitati*, *ira* & omne malum, quæ per *esuriem*, *sitim*, *pudorem*, *dolorem* atque *ululatum* significantur, quod totus mundus in incredulis Judæis impletum novit. ¶ *Præ exsultatione cordis*] Heb. *præ bono cordis.* Est. 1. *Cùm bonum esset cor Regis*, i. hilare. ¶ *Contritione spiritûs*] Heb. *fracturâ.* Est autem *fractura* seu *contritio spiritûs* seu *cordis* Hebræis, quando rebus desperatis animus succumbit: unde absque ulla consolatione in lamentabiles ejulatus prorumpitur.

15. *In juramentum*] לשבעה dicat Hieronymus variato accentu plura significare. Accentus autem appellabat motiones vocales, quas juxta sententiæ exigentiam docti opponebant: hinc factum est ut hoc loco LXX pro *saturitate* acceperint, ut suprà hæc vox accipitur cap. 23, & 56. Libera erat punctorum seu accentuum additio, quod sæpe admonere soleo in defensionem veteris Interpretis. Sicut autem verbum נשבע *jurare*; & *adjurare* notat, ità quoque videtur nomen pro *adjuratione* accipi. Genes. 24. *Eris vacuus à juramento meo*, non teneberis adjuratione, &c. Sic nomen *Judæorum* juramentis & adjurationibus servire consuevit, *Sic mihi contingat ut contigit Judæis*, &c. in quem usum nobis sunt nomina rerum abominabilium. Quare abominationi & horrori futurum Judæorum nomen hìc significatur; cujus rei omnes nationes testes sunt. ¶ *Et interficiet te*, *& vocabit*] i. Interfecto te vocabit: non imponet nomen tuum electis suis, licèt ità vocari meritò possint *veri Israelitæ*, & *semen Abrahæ*, ut Paulus satis luculenter ostendit; sed *alio nomine eos vocabit*, vel (juxta proprietatem Hebræi sermonis) *aliud nomen imponet*: quod optimè Hieronymus interpretatur de nomine *Christianorum*; & sic intelligendum esse locum quæ sequuntur ostendunt, si ritè expendantur. Dignum quippe erat ut hoc quoque à Prophetis prædiceretur, quòd à nomine Filii Dei & Dei veri populus denominandus esset, non ab homine quopiam Israele, Jehuda, &c. ut olim: ut vel ex ipso nomine appareret quòd esset Dei populus. Neque æquo animo feram alios hoc loco tropos mihi inferri: sine tropis enim interdum loquuntur & Prophetæ: unde sequitur,

16. *In quo*, &c.] Hic locus valde insignis est, & rem Christianam mirum in modum illustrat: Divinitatem enim Christi Domini mihi apertè testari videtur: quare optarem in hujusmodi locis plurimos ex nostris minùs Hebræis confidere. Verba itaque pensemus, ut sensum tandem verum eliciamus. אשר, si non essent infiniti penè loci in quibus in relativo אשר intelligitur præpositio quam verbum exigit, illis fortè acquiescerem qui dicunt illud *In quo* Vulgatum Interpretem de suo addidisse: quamvis neque id libenter illis darem; nam vicem relativi *qui*, juxta Grammatices Hebrææ regulam & Scripturæ consuetudinem, supplet ה participio appositum, quod mox sequitur; adeò ut sine אשר vertendus esset locus, *Qui benedictus est*, aut *qui se benedixit*, המתברך. Quorsum ergò additur אשר? Certè oporteret qui Vulgatum interpretem flagellant, interdum oculatiores esse. Arbitror ergò cum Vulgato legendum esse, *In quo*, & esse sermonem de Christiano nomine, in hunc modum, *Qui se*, vel *sibi*, *in illo nomine altero benedixit*, i. qui sibi bonum aliquod in Christi nomine imprecatus fuerit: is certè in nomine Dei, qui fidelis est & præstare potest quod petitur, seipsum benedixit. Quo circumloquio Christum verum Deum esse affirmat: quo etiam facit quod sequitur, *Et qui juraverit*; ubi repetendum est, *In quo*: *In quo* etiam nomine *qui juraverit*, *in Deo jurabit*, *qui verax est*, & rata habet juramenta quæ in nomine suo fiunt. Qui ergò dixerit, *Salvet me Christus*, vel quid simile, sese benedixit in Dei nomine: & qui per Christum jura-

juraverit, per Deum jurat. In benedictionibus enim & juramentis nomen veri Dei usurpare solemus. Neque mireris quòd pro *Deo amen* dixerim *Deum veritatis*: est enim vox Hebræa in regimine, ut *amen* nominaliter accipi necesse sit, ac si dicas, *In Deo ipsius amen*; *in Deo cujus est fides, veritas & firmitudo*, &c. in Deo, quem cùm deprecamur, responderi solet *Amen*, tanquam quem sciamus potentem esse donare quod petimus; in Deo, quem cùm laudamus, & ei fortitudinem, potentiam, sapientiam, æternitatem, &c. tribuimus, respondetur *Amen*, tanquam is omnino dignissimus sit cui hæc omnia tribuantur. Fictitii autem dii non sunt *dii Amen*, qui nihil possunt, & vanitas sunt. Ut ergò aliquo modo redderem regimen vocum Hebraicarum, dixi *Deum veritatis*. Quare & Lxx *Deum verum* dixerunt, & in Apocalypsi dicitur, *Procubuerunt in conspectu throni in facies suas, dicentes, Amen. Benedictio, & charitas, & sapientia*, &c. ubi quasi nominaliter manifestè ponitur. Quare ad hunc locum respexisse crediderim Apostolum 2 Cor. 1. cùm ait, *Dei enim filius JESUS Christus, qui in vobis per nos prædicatus est*, &c. *non fuit vaì* ϰ *ȣ* (i. *etiam, & non*) *sed vaì in ipso fuit. Quotquot enim* [*sunt*] *promissiones Dei per ipsum vai, & per ipsum Amen Deo ad gloriam per nos.* Ubi significat non levem fuisse, non varium & inconstantem, sed eundem semper, & omnes promissiones in ipso complendas constanti atque invariatâ ratione: hoc est enim *promissiones esse in Christo vaì, & Amen.* Et *Amen* quidem Hebræis non tantùm est Optantis, sed etiam factum ratum habentis & confirmantis. Quòd si verbum נשבע hoc loco non pro *jurare*, sed *adjurare* accipiamus, fortè aptior erit sententia, quòd qui in benedictionibus & adjurationibus, i. mala aut bona imprecatus, Christi nomen usurpaverit, ut *Christus me salvet*, vel *Christus me perdat, si hoc fecerim, vel illud*, &c. *Deum Amen* putandus erit nominasse, qui ratam habeat benedictionem vel maledictionem. Commendant itaque hæc Christi nomen, & nomen Dei esse convincunt: & augustior est hæc interpretatio quàm eorum qui dicunt, nihil aliud hîc haberi quàm quòd tempore Christi jurabunt in nomine Dei, & non falsorum deorum. Quod etsi sciam alibi etiam promitti, sed inter tam magnificas promissiones non aptè hæc collocari videtur. Quia autem locus hic adversùs Judæos facit pro Divinitate Messiæ, Rabini ità interpretantur ac si non esset initio versûs relativum אשר, quos omnes ferè ex nostris inconsideratè sequuntur. Exempla autem in quibus in אשר suppletur præpositio apta constructionis, aut etiam in quibus participia præposito ה exigunt per relativum reddi, adeò pervia sunt ut supervacaneum duxerim ea afferre. Qui verò illud, *In quo*, excludunt, & nihilominus *in Deo Amen* de Christo interpretantur, ni fallor, Judæis nostra ridendi occasionem præbent. ¶ *In terra*] More Hebræorum additur per Pleonasmum. ¶ *Angustiæ priores*] Non hìc pressuras aut calamitates, neque etiam peccata intelligo, sed Legis & legalium *angustias* per contemptum: unde non *absconditas ab oculis hominum*, sed *ab oculis Dei*, dicit textus Hebraicus, quasi non ultrà à suis exigere deberet legalium observantiam, neque ritus illos benedictionum & aliarum rerum qui in lege proscripti erant certis ac definitis verbis; sed quisque seipsum aut sibi ipsi in nomine Christi posset singulis momentis benedicere: est enim Deus hominibus admodum familiaris, qui *ditissimus* est *in omnes qui eum invocant*: ratæ sunt sub Christo preces, & benedictionibus in nomine Christi factis largiter respondet Dominus; est enim Christus *Deus Amen.* Hoc illud est, *Quidquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.* Olim dicebant, *De rore cæli & de pinguedine terræ sit benedictio tua*: bona terræ sibi invicem optabant homines; & secum bene actum existimabant, si terra illis lac & mel proferret, & hujusmodi peritura bona germinaret. Istæ *priores angustiæ oblivioni traditæ sunt*, amplissimus campus est: quicunque super terram agens poterit sibi imprecari regnum cœlorum & æterna bona, & ratæ erunt benedictiones & vota ejus; quia Christus est *Deus Amen.* Neque huic interpretationi nominis צרות repugnat usus: nam de locis *angustis* dicitur, & Paulus *angustiam* rei familiaris & penuriam ità quoque appellat 2 Cor. 8. *Non ut aliis sit relaxatio, vobis autem angustia.* Ergò libertatem à legalibus & largitatem, abundantiam seu exuberantiam bonorum verorum sub Christo locus hîc continet: atque ità optimè convenit quod sequitur.

17. *Ecce enim*, &c.] Nè miremini quòd dixerim *oblivioni tradendas angustias priores*, & multò ampliora Christianos habituros quàm olim habuerint Judæi: decrevi enim novum orbem condere: hoc enim per *cælos* intelligitur in Scripturis. Regnum itaque Christi est novus mundus, multò augustior, multò pulcrior, infinitis partibus isto quem cernimus amplior atque ornatior. Siquidem si mundus hic visibilis millies tantum cresceret, adhuc ipsum caperet novus hic orbis. Facile fuerit singula singulis conferre, quod omitto facere, nè mensuram & leges commentariorum transgrediar: hoc tamen non silebo, quòd quantò æterna temporariis, spiritalia corporeis, Divina humanis præstantiora sunt, tantò novus mundus visibili huic præstat. Adde, quòd ipsa quoque visibilia novi mundi, quæ in mundo hoc sunt præstantissima, longè superant dignitate & gloriâ. Annon pulcriores & digniores Paulus & Petrus lunâ & sole? ánnon præstaret mundum tenebris involvi quam doctrinæ istorum hominum luce carere? Quid singula persequor? Meritò sequitur, *Non erunt in memoria priora, neque super cor ascendent.* Qui enim *gustaverint dona cælestia* universa hæc visibilia parvi facient, neque eorum desiderio tenebuntur. Hoc enim est in *memoriam non venire.* Nam *qui biberit ex aqua quam Christus dat, non sitiet in æternum.* De his qui sapiunt est sermo; neque enim stultorum, cùm de rebus his agitur, habenda est ratio.

18. *Gaudebitis*, &c.] Parvi refert quòd in Hebr. est tertia persona. Exponit ergò quid sit, *non venire in memoriam priora*, i. magis, magisque gaudere & exsultare super novis creaturis: illa enim germinatio עד עד valet *ultrà, ultrà*, i. assiduè magìs, in dies magis. Qui autem novis in dies magis gaudet, vetera in dies magis obliviscitur, minúsque in dies appetit. Ad hunc credo locum respiciens Paulus ait, *Quæ retro sunt obliviscens, ad anteriora extendo me.* Hæc est autem natura verorum bonorum, ut eorum amor, æstimatio & voluptas non minuatur tempore, sed magìs magisque proficiat; visibilium autem non item, sed quotidie magìs fastidio est: circumscripta enim admodum est eorum perfectio & naturâ. Unde cùm animus hominis semper ad ulteriùs procedendum atque proficiendum natus terminos reperit, affligi solet. Vera autem bona Deum in se continent, quem quò diutiùs & vehementiùs amaveris, magìs magisque amare optabis, eóque frui appetes, nunquam satiatus aut ullis limitibus impeditus. ¶ *Creo Jerusalem*, &c.] Quid fiet de Jerusalem? perpetuóne jacebit desolata? alióne transferetur gaudium servorum Dei? Vehementer enim doluerat in oratione Jesaias super Jerusalem. Propterea nunc subdidit, quòd simul cum novo cœlo & terra *Jerusalem crearet*, quæ esset *exsultatio, & populus ejus gaudium*, i. in quâ perpetua esset exsultatio. Nam Apostolis ipsis dixit Dominus & cæteris omnibus electis, quòd *gaudium eorum nemo ab ipsis tolleret*; quia ejusmodi est electorum gaudium ut ab eis auferri non possit: nam ea de quibus gaudent potestati humanæ non sunt subjecta. Quare non necesse est ad gaudia supernæ patriæ confugere, quò hæc vera esse ostendamus.

19. *Exsultabo in Jerusalem*] Dixerat in oratione, *nè perpetuò irasci vellet*: respondet, quòd non solùm *populus gaudebit*, sed *ipse* quoque *in ea exsultaret*: neque in illam indignaretur; ità ut eos qui eam incolerent faceret flere & ejulare, seu exclamare: non potest enim abjicere Christus Ecclesiam suam, nam *corpus ipsius est*. Peribunt quidem multi & deficient multi; sed semper corpus Christi integrum est, & erunt semper qui verè gaudeant. Deflere autem alios non excludit verum gaudium: nam ubi est *bona conscientia*, ibi gaudium est & *quasi juge convivium*, ut est apud Salomonem: at bona conscientia non est sine aliorum misericordia, pietate, aliísque multis affectibus quos gignit charitas: nam, ut inquit Prosper, *In hac vita non rectè vivitur, si non timeat quisque, aut caveat, nè aut ipse quamdiu mortalitate vivit, aut alius quem in Christo diligit, fide suâ deficiat; si neque de suo neque de proximi sui peccato contristetur, nec doleat, de profectu lætetur aut gaudeat; si nihil boni velit aut cupiat. Non solùm*, inquit, *rectè non vivet, sed etiam sensum ipsius humanitatis amisit.* Non igitur isti affectus verum gaudium auferunt, si sine ipsis bona conscientia seu recta vita constare non potest. Est itaque in Ecclesia sempiternum gaudium, quia bona ejus æterna sunt; neque prò oblatione eorum *unquam in ea vox fletûs audietur*, aut pro ipsius civitatis eversione; æterna enim est, quia Deus æternus est, qui in ea *exsultat & gaudet*: quod *gaudium* etiam *nemo auferre potest.*

20. *Non erit ibi*] משם *indè*, i. non indè exibit *infans dierum*; non immaturâ morte rapientur parvuli, qui paucos dies vixerunt, nec etiam indè efferetur *senex, qui dies suos non impleverit.* Parvuli antè quàm ad perfectam ætatem perveniant, non morientur: neque qui jam canescere incipit, indè exibit aut ad tumulum efferetur antè quàm ad decrepitam ætatem perveniat. ¶ *Quia puer*, &c.] Exponit quod dixerat: nam puer, inquit, si morte auferendus erit, nonnisi post centum annos vitæ (illud enim est Hebræis *filius centum annorum*) auferetur. *Auferri* autem *in Ecclesia* seu *mori* est ab Ecclesia damnari, non absolvi, non illi parcere, vel illum ad pœnitentiam recipere:

re; sed eum à cœtu aliorum ut infamem & reprobum ejicere. Quare exponens quod obscurè dixerat, addit, ¶ *Et peccator*] Seu *qui peccaverit*, *filius centum annorum maledictus erit*, i. non antè vilis habebitur probrisve afficietur & honore privabitur, quàm fuerit *filius centum annorum*, i. in peccatis senuerit, & impudens ac contumax fuerit; ut nihil aliud hic locus commendet, quàm peccata quæ per ignorantiam aut fragilitatem committuntur facilè condonari, & ferè nihil ex eis detrimenti hominem accipere, non ignominiam, non damnationem in Ecclesia incurrere, sed facilè eos ad pœnitentiam admitti. Est autem קלל in Piel *vilipendere*, *dehonestare*, *conviciari*: verbo *maledicendi* solet reddere Vulgatus. Exod. 22. & Levit. 20. *Qui patri suo aut matri suæ maledixerit*, &c. Idem autem sunt, *non implere dies*, *mori*, & *maledici*, seu *vilipendi*: esse verò *centum annorum* est inveteratum esse, & perfrictâ fronte. Possumus hæc quoque sic accipere, *Non erit ex nova Jerusalem puer paucorum dierum*, i. qui immaturâ ætate moriatur, neque senex qui non perveniat ad ætatem decrepitam: quandoquidem pueri non morientur, nisi postquam centesimum vitæ annum attigerint. Verùm nè quis hæc ut sonant acciperet, & ætatem hominum adveniente Christo diuturniorem fore putaret quàm antea, sed ea tanquam de sapientia & morum gravitate dicta caperemus, addidit, *Et qui peccaverit*, etiam si sit *filius centum annorum*, & plurimos annos natus fuerit, tamen *vilipendetur*, neque ullum honorem habebit, neque felix judicabitur: *Cani enim sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata.* Ergò nihil aliud hæc significant, quàm sub Christo diuturnam hominum fore vitam, modò longitudinem vitæ ejus puritate metiaris, alioqui adeò à nova Jerusalem alienum erit peccatum, ut in quocunque homine reperiatur, tantum aberit ut felicitati tribuatur, ut ob hoc ipsum infelix censeatur, etiamsi omnia alia ad votum succedant, & annos Mathusalem impleat. Hic sensus planus est, & nequaquam priori cedit. Quid si *peccatorem* appellet quasi per contemptum? Hic erit tunc sensus, Si quis in juvenili ætate sit auferendus, non antè auferetur quàm centum annos impleverit, & hujusmodi peccatorem omnes vilipendent qui centum tantùm annos vixerit. q. d. Nemo in regno Christi immaturâ morte auferetur: nam qui in puerili ætate auferendus erit, centum annos natus auferetur, & hujusmodi tanquam peccator malè audiet quòd tam parùm vixerit. Meo quidem judicio hæc expositio neutri ex superioribus cedit, & simplicissima est, & sequentibus quadrat quæ de diuturnitate vitæ loquuntur; quæ omnia figuratè accipienda sunt, nempe ut hanc vitæ longitudinem vitam gratiæ intelligamus, quæ non moritur, sed transfert de morte ad vitam. Quæ alii hìc dicunt, apud ipsos videre poteris, & quàm appositè, prudens lector, judicabis, si priùs advertas illud, quidquid hoc versu continetur ad felicitatem pertinere debere, & nequaquam in malum esse accipiendum, si vim inferre textui Prophetæ nolis. Quomodo autem hæc in Ecclesia vera sint, quis non videt? Omnia enim errata, tanquam si puerorum essent errata, condonantur; neque ignominiâ afficiuntur nisi qui in peccatis consenescunt, & qui impudentiâ & nullo timore peccant. Isti non absolvuntur à sacerdotibus, isti Excommunicationibus subjacent; cæterorum verò peccata, quæ ex fragilitate seu ignorantia contrahuntur, veluti peccata puerorum censentur, & condonantur. Digna profectò res, quæ oracula quoque sua multò antea haberet; quòd neque pueri neque senes etiam peccatis præventi non damnentur ab Ecclesia, nisi in suis peccatis velint inveterascere: tunc enim morti & probris digni tantùm censebuntur. Atque ex hoc probat Propheta, *non audiendam in* nova *Jerusalem vocem fletûs aut clamoris*: vix enim inveteratos quisquam defleat; si dira patiatur impudens peccator, vix dolemus; si autem juvenis & qui ex fragilitate seu ignorantia peccans ad supplicium traheretur, vel ab Ecclesia ejiceretur, & infamis vitam duceret, non deesset justus dolor. Quare olim luctu erant omnia plena: immundi censebantur & viles mille homines singulis diebus, & ob unum tantùm crimen ex fragilitate commissum portabat quisque statim peccatum suum. Si autem posteriores expositiones sequaris, verissima etiam ea quæ dicuntur esse reperies: judicio enim Christianorum juxta Euangelicam institutionem judicantium ille tantùm diu vixisse judicatur qui sanctè vixit, neque felix censetur cui prosperè succedunt omnia, sed qui justè vivit, etiamsi dira patiatur. Gratias ergò agamus Deo nostro pro tantis miserationibus.

21, 22, 23, 24. *Et ædificabunt domos*, &c.] Alludit ad benedictiones quæ sunt in Lege servantibus mandata Dei in his quatuor versibus, quòd fruentur suis laboribus, non autem hostes: quòd non devastabunt hostes vineta, oliveta, domos, sed hæc diuturna erunt; nam & ipsi diu vivent, veluti arbores, & pueros suos non abducet hostis, neque interimet: sed sicut progerminationes arborum prope ipsas durant, & simul cum matribus stant, ità etiam soboles electorum, &c. Ratio istorum est, *quod sunt semen benedictorum Domini*, seu *semen benedictum*. Ista enim omnia *benedictis à Domino* promittuntur; i. Legem suam servantibus: quòd si quidpiam adversi immineat, statim Deus illis adest. Per hæc autem temporaria spiritalia intellige, & felicitatem veram in omnium verorum bonorum abundantia, quæ hostis non auferat, & multarum Ecclesiarum erectione, & filiorum spiritalium generatione. ¶ *Secundùm dies ligni*] *Arboris*, i. arborum; quercus, aut cedros & abietes intelligit, ex quibus ædificia solent construi. Nos Lusitani dicimus, *vivet*, *sicut lapides*; Hebræi, *sicut arbores*, pro vita longissima. Arboribus verò potiùs comparantur electi propter pulcritudinem & germinationes, ut mox explicat. Fortè ad *dies ligni vitæ* fit allusio, quod viverent ac si *de ligno vitæ* ederent: quod etiam verum est: nam vita gratiæ vita æterna est, & domus quas in cœlis ædificamus perpetuæ sunt, ut quæ non manu factæ sint, & fructus laborum nostrorum in æternum illic comedemus cum iis quos in Euangelio genuerimus. Et hæc omnia ad felicitatem vitæ præsentis faciunt; de qua est sermo, etiam si futura sint: scire enim illic esse *domum æternam*, &c. felicitatis nostræ non est pars minima. ¶ *Et opera manuum eorum inveterabunt electi mei*] Sic in Vulgato legendum est, h. e. durare facient & ad senium pervenire. ¶ *In conturbatione*] מהרה est *celeritas*, seu *præcipitantia*: & hoc intelligit Vulgatus per *conturbationem* quæ celeritatem comitatur, præsertim si sit *celeritas* de qua hìc est sermo, nempe *generationis*, i. si citò auferatur ante oculos proles. Quia verò *generare ad præcipitantiam* obscurum valde erat, sensum aliis verbis expressit.

25. *Lupus & agnus*] Hoc est quod in Euangelio dicitur, *Ecce mitto vos sicut agnos inter lupos*, ad feras & barbaras nationes: profecti *agni* Euangelici eos ad mansuetudinem traduxere, ut unum esse videantur, ac si fuissent semper unius generis seu religionis. ¶ *Paleas*] תבן est *demensum*, certa mensura constituta vel operis faciundi, vel cibi comedendi: quia verò *palea* bobus dantur, Vulgatus *paleas* dixit. Sunt autem *leones* feræ voracissimæ, & Gentes, quæ ingluviei deditæ erant, notat; per Euangelium autem jejunare & abstinuisse didicere, non nisi semel in die edere, non carnibus sextis feriis vesci, & similia quæ per *demensum* intelligere oportet, velint nolint hæretici nostri temporis, qui jejunium Euangelii dicunt esse Temperantiam, ut Ecclesiæ auctoritatem infringant, & ipsi nunquam abstineant, neque temperantiam servent, in *leones* jam versi, qui *demensum* nolunt comedere cum armentis Dei. Certè una hæc vox jejuniorum tempora & dilectus ciborum & certas leges commendat, quæ vel ex hac intelligent pii Christiani non esse contra libertatem Euangelicam, quòd à Propheta inter felicia commendantur, & dum *de cessatione veterum angustiarum* sermonem faciebat: quæ enim ad infrænandas animorum passiones & sedandos affectus faciunt, tantum abest ut libertatem tollant, ut eam veram efficiant. Qui autem libertatem aliam Christianorum auribus occinunt, sciant se nomine Euangelii carnis libertatis esse propugnatores. ¶ *Et serpenti pulvis panis ejus*] Non dubito quin de hoste humani generis sit sermo, qui ablatis ab ejus potestate hominibus quos in lupos & *leones* converterat, & quos depascebat, non ultra homines devoraret; sed tantùm pro cibo habeat *pulverem*, quem ei Deus in cibum initio mundi dedit. Profectò ex hoc loco intelligimus illam serpentis maledictionem ad tempus Messiæ pertinere: antea enim homines devorabat; at sub Christo non nisi eos qui non homines censendi sunt, & qui sese scientes volentésque illi devorandos præbent, devorat. ¶ *Non nocebunt*] Vel *non malè agent*, *neque occident*, vel *non exscindent*, seu *funditus perdent*: & impersonaliter accipiuntur hujusmodi verba Hebræis, i. non erit qui alteri nocumentum inferat, non qui vitam auferat: regnabit charitas in Ecclesia & regno Christi. Hæc eâ ratione vera esse existimo, quia ingens est Divinorum donorum copia, & magna fuit charitatis effusio per Spiritum Sanctum qui Ecclesiæ datus est: quem qui non rejicit neminem contristat, & ab injuriis aliorum abstinet. His accedit, quòd qui lædit alterum, quive occidit, pertinet quidem ad regnum Christi & montem sanctum Domini & Ecclesiam propter fidem; sed tantum minus habet regni Christi quantum charitatem dereliquit ac læsit: illi enim perfectè de regno Christi sunt, qui ut fidem non deserunt ità charitatem non violant, quâ certè re cæteris regnis præstat, in quibus nihil minus reliquis habent qui nocent & injusti sunt, imò sæpius illi plus habent & feliciores judicantur qui aliis nocere possunt, dum volunt & id impunè faciunt.

LUCAS BRUG.

22,23. **E**T *opera manuum eorum inveterabunt electi mei. Non laborabunt frustrà*] Octo MSS. codices, & post Moguntinam editionem impressi plerique, cum Dionysio Richelio, distinguunt hunc ad modum, *Et opera manuum eorum inveterabunt. Electi mei non laborabunt frustrà:* quam distinctionem Græcus autor Cyrillus sequitur, & Græca antigrapha, ea quæ nos vidimus, exigunt; sic enim habent, *Opera enim* [R.] *laborum suorum* [*manuum suarum* R.] *veterafacient. Electi autem mei non laborabunt in vacuum.* Porrò alteram distinctionem, *Et opera manuum eorum inveterabunt electi mei. Non laborabunt frustrà*, quæ D. Hentenio probata fuit, servant nostra decem manuscripta: quam & Hebraici libri, quos ego viderim, referunt, & translatio septuagintaduorum ut est in Hieronymi commentariis, *Opera laborum suorum inveterascere facient electi mei: non laborabunt in vacuum.* Sunt alia nostra manuscripta 13, quæ eundem ad modum distinguunt, sed paulò aliter legunt; *Et opera manuum eorum inveterabunt electis meis. Non laborabunt frustrà:* quibus comprehensa sunt antiquiora atque integriora nostra, Brug. Leod. Lob. Pl. m. E, O, Q. His suffragantur vetera Parisiensium Di. o. l. Ge. o. l. p. & antiqua Epanorthotæ. Hugo Cardinalis de hac istorum lectione, *Hanc literam*, inquit, *habet Hieronymus, & libri correcti.* Habet eam disertè Hieronymi commentario adjunctus textus (quanquam pro *inveterabunt*, *veterascent* legat) nec parùm vult ei ipse Hieronymi commentarius, si diligenter discutiatur. Atque hoc etiam indicet transtulisse eum *electis meis* potiùs quàm *electi mei*, quòd *eorum*, non *suarum*, dixerit, *Et opera manuum eorum:* satis enim commentaria docent & veriores codices, non eum sequentibus copulasse, *τὸ elect. me.* Haymo utramque lectionem explicat, *electi mei* & *electis meis*, eâdem distinctione; Lyranus hanc, *electis meis:* cujus ad literam sensus est, Opera populi Dei ad ejus usum vetera fient, ità ut interim dum nova & recentia sunt, nec pereant, nec per mortem auferantur, nec ab hoste diripiantur: id quod Hebraicè & Chaldaicè ad verbum est, *Et opus manuum suarum ad vetustatem perducent electi mei.*

DRUSIUS.

11. לְמְנִי. Sym. *absque me*] Hier. *Quod Lxx transtulerunt τῷ δαιμονίῳ, i.* dæmoni, *in Ebraico habet* למני, *quod Sym. interpretatus est* absque me; *ut sensus sit*, qui paratis Fortunæ mensam, & impletis absque me potionem; *ut doceat non sibi fieri, sed damoni.* ¶ מִמְסָךְ. Omnes, *κέρασμα*] Hier. Impletis dæmoni poculum, *aut κέρασμα, quod omnes similiter transtulerunt, i.* mixtam potionem.

15. לִשְׁבוּעָה. Cæteri, *juramentum*] i. Ὅρκον. לשבועה Hieronymus quoque vertit *in juramentum.* Idem in Comment. *Pro πλησμονῆς, i.* saturitate, *quæ Ebraicè dicitur* שבועה, *cæteri* juramentum *interpretati sunt: quod verbum multas habet intelligentias, & pro diversitate accentuum variatur. Intelligitur enim &* juramentum, *&* saturitas, *&* satietas, *&* plures, *&* septem.

16. בֵּאלֹהֵי אָמֵן. Hier. *in Deo Amen.* Lxx, τὸν Θεὸν τὸν ἀληθινόν, *Deum verum.* A. *πεπιστωμένως fideliter*] Hier. *Rursum pro eo quod Lxx transtulerunt τὸν ἀληθινόν, i.* verum, *& in Ebraico dicitur AMEN, Aquila vertit πεπιστωμένως, i.* fideliter.

23. לַבֶּהָלָה. A. Sym. Th. *ad festinationem*] Hier. Neque generabunt in conturbatione, *sive* in maledictione, *&, ut in Ebraico expressius ponitur, εἰς ἀνυπαρξίαν, quod linguâ eorum dicitur* לבהלה, *h. e. ut esse desistant & finem substantiæ suæ habeant. Pro quo Aq. Sym. & Th.* festinationem *interpretati sunt, ut nequaquam festinent absque ratione credere.*

IDEM EX PROCOPIO.

1. הִנֵּנִי. Ἰδοὺ εἰμι *Ecce sum.*

2. הַהֹלְכִים הַדֶּרֶךְ לֹא־טוֹב. τοῖς πορευομένοις ὁδῷ οὐ καλῇ. A. Th. Sym. —— ὁδῷ οὐκ ἀγαθῇ *viâ non bonâ.*

7. יַחְדָּו. Th. ἐπὶ τὸ αὐτό.

8. כֹּה אָמַר. Ὅτι οὕτω λέγει.

15. לִשְׁבוּעָה. οἱ λοιποί, εἰς ὅρκον *in juramentum* sive *jurandum.* ¶ וְלַעֲבָדָיו יִקְרָא שֵׁם אַחֵר. A. καὶ τοῖς δούλοις καλέσει ὄνομα ἕτερον, *& servis* suis *vocabit nomen aliud.* Sym. τοῖς δὲ δούλοις αὐτοῦ καλέσει ὄνομα ἕτερον, *servis autem suis indet nomen aliud.*

16. אֲשֶׁר הַמִּתְבָּרֵךְ בָּאָרֶץ יִתְבָּרֵךְ בֵּאלֹהֵי אָמֵן. A. Ὁ εὐλογημένος ἐν τῇ γῇ εὐλογηθήσεται πεπιστωμένως, *Qui benedictus est in terra benedicetur fideliter.* Sym. Ἐν ᾧ ὁ εὐλογημένος ἐπὶ τῆς γῆς εὐλογηθήσεται ἐν τῷ Θεῷ ἀμήν, *In quo qui benedictus est in terra, benedicetur in Deo Amen.*

18. אֲשֶׁר אֲנִי בוֹרֵא. Th. ὅσα ἐγὼ κτίζω, *quacunque ego creo.* ¶ אֶת־יְרוּשָׁלַםִ. A. Th. Sym. τὴν Ἱερουσαλήμ.

20. עוֹד יָמִים. Th. ἄωρος ἡμέραις *immaturus diebus.* ¶ הַנַּעַר. A. Th. ὁ υἱὸς αὐτός] Puto leg. υἱὸς pro αὐτός, ut mox. ¶ בֶּן־מֵאָה שָׁנָה. Iidem, υἱὸς ἑκατὸν ἐτῶν *filius centum annorum.*

GROTIUS.

1. **Q***Uæsierunt me qui ante non interrogabant*] Inducitur hîc Deus respondens Judæ Maccabæo, & ei comiter causas reddens suæ dispensationis. Optimè verti potest, *Obvius factus sum iis qui me non interrogabant:* ut sensus sit qui suprà LXIV. 5. Judæi plerique corruptissimi erant cùm Deus eos ab Antiocho liberavit, & egregias rei bene gerendæ occasiones præbuit. Videntur quidam codices habuisse נדרשתי, quod εὑρέθην [*inventus sum*] vertit Apostolus Rom. x. in fine. Nec aliter credo legisse Lxx, qui verterunt ἐμφανὴς ἐγενήθην [*conspicuus sum factus*]

Dixi, Ecce ego, ecce ego, ad gentem quæ non invocabat nomen meum] Ostendi me præstò esse, cùm illi me non colerent.

2. *Expandi manus meas totâ die ad populum incredulum*] Id est, incitavi eos ad conversionem. Vertitur פרש [*expandere*] per διδάσκειν [*docere*] Nehemiæ VIII. 10.

Incredulum] סרר [*rebellem*]. Ità hîc Chaldæus; nec aliud significat quod est in Græco, ἀπειθοῦντα [*inobedientem*].

Qui graditur in via non bona post cogitationes suas] Qui cupiditatibus suis obsequitur per vias illicitas. Hæc autem verba omnia per imperfectum exponenda sunt: *qui gradiebatur*, *provocabat*, *immolabat*, &c.

3. *Ante faciem meam*] Id est, in ipso Templo, & apud Templum.

Qui immolant in hortis] In lucis more Gentium: Exod. XXXIV. 13. Deuter. VII. 5. XII. 3. Jud. III. 7. VI. 28. 1 Regum XIV. 15. 23. XVI. 33. XVIII. 19. 2 Reg. XIII. 6. XVII. 10. 16. XVIII. 4. & alibi sæpe.

Et sacrificant super lateres] Figuris quibusdam incisos, Levitic. XXVI. 1. Numer. XXXIII. 52. ut in Hebræo est.

4. *Qui habitant in sepulcris*] Mansitant in sepulcris, ut ibi captent somnia, ut hîc habent Græci.

Et in delubris idolorum dormiunt] Ut in Æsculapii templis fieri solebat. Notatum id hîc Hieronymo. Exemplum habes apud Aristiden.

Qui comedunt carnem suillam] Comedebant, à Gentibus coacti aut illecti, II Macc. VI. 18.

Et jus profanum in vasis eorum] מרק *jus* vertunt Chaldæus & Græcus. Si originem sequamur, *fragmentum* potiùs significari videtur. Quod hîc est *profanum*, in Hebræo est פגלים. Eâ voce significatur quicquid Lege vetitum est, ut apparet Ezechielis IV. 14. ubi Græci, κρέας βέβηλον [*caro profana*]. Sed quia illud quod diximus פרס etiam *reservare* significat, putat in commentariis Hieronymus spectari hîc legem Sacerdotibus datam Levit. VIII. 32. & notari eos qui edebant jus hesternum, quod, inquit, Græci vocant ἕωλον [*rancidum*].

5. *Qui dicunt, Recede à me, nè appropinqua mihi*] Ipsi impuri cùm essent, alios à se ut impuros arcebant, sicut Samaritas Geographus Arabs clamasse ait, *Nè attingas.* Ejus Samaritarum moris etiam ad hunc locum meminit Hieronymus.

Isti fumus erunt in furore meo, ignis ardens totâ die] עשן [*fumum*], ni fallor, rectè hîc intelligemus vaporem ex lignis, rebúsque aliis unde ignis accenditur. Sublimiore sensu ad gehennam hoc refert Chaldæus.

6. *Ecce scriptum est coram me*] Tam bene memini quàm Reges ea quæ in commentariis suis scripta asservant. Vide Esth. VI.

Non tacebo] *Non quiescam.* Non diu differam pœnam eorum, ut hîc Chaldæus.

6. 7. *Sed reddam & retribuam in sinum eorum iniquitates vestras, & iniquitates patrum vestrorum simul*] *In sinum reddere* est cumulatè reddere, ut quæ in sinum effundi solent, Psalm. LXXIX. 12. Hîc quoque permiscentur personæ secunda & tertia. Qui fortè admodum puniuntur (etsi non suprà merita) dicuntur luere, & sua peccata, & eorum qui ipsos in similibus peccatis præcesserunt: quorúmque Deus peccata reliquit impunita. Vide ad Matth. XXIII. 35.

Qui sacrificaverunt super montes, ac super colles exprobraverunt mihi] *Irritarunt me:* ut temporibus Abiæ, Athaliæ,

Ma-

Manassis. Pro *sacrificaverunt* in Hebræo est *suffitum fecerunt*: quod & Græci sequuntur, & Chaldæus.

Opus eorum primum] Id est, à principio omnibus eorum factis vicem rependam.

8. *Quomodo sic inveniatur granum in botro*] Id est, acinus integer inter multas uvas corruptas.

Et dicatur, ne dissipes illud] Solet paterfamilias illud jubere servari.

Quoniam benedictio est] Id est, in eo spes novæ vitis. Omnia quibus alimur *benedictionis* nomine appellant Hebræi.

Sic faciam propter servos meos, ut non disperdam totum] Paucos bonos servabo in spem generis, ut olim Noam cum suis: (quo exemplo hic utitur Chaldæus, & Lothum in excidio Sodomorum. Hæc ad Euangelium aptat Paulus Roman. XI. 5.

9. *Et educam de Jacob semen*] Sicut in semine, re parvâ, est arbor: ità in illis paucis erit unde gens tota renovetur.

10. *Et erunt campestria in caulas gregum*] In Hebræo: *Et erit Saron caula pecoris.* Tam plena ea regio erit pecore quàm caulæ esse solent. Eam regionem Hieronymus esse ait apud Lyddam, Joppen & Jamnes pecori pascendo aptissimam: quod etiam discimus ex I Paralip. XXVII. 29.

Et vallis Achor in cubile armentorum] Tam plena armenti quàm esse solent stabula. Per *vallem Achor* intelligitur pulcherrimus ille tractus apud Hierichuntem. Vide Josuæ VII. 24. 26. Oseæ. II. 15.

11. *Qui ponitis Fortunæ mensam*] גד in Oriente, id est, Hebræis, Chaldæis, Arabibus, *fortunam* significat, sive bonam, sive malam, sed sæpius bonam. Indè factum est nomen idolo, quod Idumæi maximè, si Hebræis credimus, coluerunt. Vide, si libet, Beresith Rabba ad Genes. XXVII. 31. & adde quæ multi interpretes dixêre ad Genes. XXX. 11. Hieronymus ad hunc locum: *Est autem in cunctis urbibus, & maxime in Ægypto, & in Alexandria idololatria vetus consuetudo, ut ultimo die anni & mensis eorum qui extremus est, ponant mensam refertam varii generis epulis, & poculum mulso mistum, vel præteriti anni, vel futuri fertilitatem auspicantes. Hoc autem faciebant & Israelitæ omnium simulacrorum portenta venerantes.*

Et libatis super eam] In Hebræo: *Et impletis Meni libamen.* id est, Θεῷ Μηνὶ, quem deum cultum in Armenia & Phrygia discimus ex Strabone. Meminit ejus & Jamblichus in vita Pythagoræ. Quia autem id nomen proximè accedit ad מנה, quod est *numerare*, ideo hic sequitur,

12. *Numerabo vos in gladio*] Id est, gladio Græcorum, fame, malisque aliis vos interfici curabo, ità ut de numero omni nemo desideretur. Est Hyperbole.

14. *Et vos confundemini*] Rebus instauratis pudebit vos desertæ Legis. Idem dicit quod Daniel XII. 2.

15. *Dimittetis nomen vestrum in juramentum electis meis*] Dicent pii cùm jurare volent, *Si fallo, eveniat mihi quod illis ἑλληνίσασι [qui Græcos ritus sectati sunt] sub Antiocho.*

Et servos suos vocabit nomine alio] חסידים Ἀσιδαῖοι [*Pios*], I Macc. II. 42. ex quo nomine factum nomen *Essenorum*, extritâ ח literâ.

16. *Ex quo qui benedictus est super terram benedicetur in Deo amen*] Vertas commodè: *Qui sibi bene precabitur in terra (Judæa,) is sibi bene precabitur à Deo vero.* Nam אמן inter alia & *verum* significat, ut hic accipiunt LXX. *Deum vivum* eodem sensu dixit Chaldæus. Utrumque nomen opponitur idolis.

Quia oblivioni tradita sunt angustiæ priores, & quia absconditæ sunt ab oculis meis] Nempe causæ earum. Neque illi calamitatum, neque ego peccatorum meminero, & ità ostendam reipsa me esse ipsorum Deum.

17. *Ecce enim ego creo cælos novos, & terram novam*] *Cælum novum:* id est, non ut antè nubilum, sed serenum: & *terram novam*, id est, non desertam & sterilem, sed habitatam & fœcundam. Sicut *vetustiscere* dicuntur quæ vim suam amittunt, sic *innovari* quæ vegeta fiunt.

Et non erunt in memoria priora] Omnia illa mala sub Antiocho.

18. *Usque in sempiternum*] Diutissimè.

In his quæ ego creo] *Creandi* verbum Hebræi de omni magnifico Dei opere usurpant.

20. *Non erit ibi ampliùs infans dierum*] Qui paucos dies vivat. Nam Deus, si Judices peccata non punirent, se vindicem erat professus, ut Lev. XX. 3. 5. Vindicta autem erat mors ipsius qui deliquisset immatura, aut sine prole. Hoc ampliùs eventurum jam negat, quia Judices optimè facturi erant officium. *Infans dierum* dicitur, qui non vivit ultra infantiæ annos, quæ, ut diximus, pœna erat parentum.

Et senex qui non impleat dies suos] *Senem* hic intellige oppositum *infanti*, qui provectæ sit ætatis, non tamen maximæ.

Quoniam puer centum annorum morietur] In Hebræo, *Adolescens*: id est, qui adolescens erit tempore instaurati Templi, perveniet ad plenissimam ætatem, qualis est annorum centum.

Et peccator centum annorum maledictus erit] Si quis contra Legem facinus aliquod commiserit, ne summa quidem senectus, cui apud multos parci solet, obstabit quominus judices ei pœnam Legis (quæ *maledictio* dici solet) infligant. Vide quæ diximus ad Deuteron. XXI. 23. Mirum est quid non comminiscantur Judæi quidam, qui hæc ad tempora post Resurrectionem referunt.

22. *Non ædificabunt, & alius habitabit: non plantabunt, & alius comedit*] Non fiet secundùm illud,

Insere, Daphni, pyros, carpent tua poma nepotes.

Secundùm enim dies ligni erunt dies populi mei] Tamdiu vivent quàm ipsa arbor. *Arbor vitæ* apud LXX, & Chaldæum, & Rabbinum Solomonem hoc loco, an ad Paradisum respicit, an ità dicitur arbor vivacissima?

Et opera manuum eorum inveterabunt] Id est, durabunt ædes quas struxerint.

23. *Electi mei non laborabunt frustra*] Non demetent alii illorum sementem, quod impiis eventurum minatur Deus Levit. XXVI. 16. & Deuteronomii XXVIII. 30.

Neque generabunt in conturbatione] Ex Hebræo לבהלה [*ad perturbationem*]. At LXX legerunt לאלה εἰς κατάραν [*ad exsecrationem*], quod Chaldæus bene interpretatur *ad mortem*, nempe ἄωρον [*immaturam*], quæ inter κατάρας [*exsecrationes*]. Potest in eundem sensum trahi recepta lectio, si per *conturbationem* intelligamus luctum parentum. Hieronymus בהלה putat verti posse ἀνυπαρξίαν [*non-exsistentiam*]. Vide quæ ad Jobum XVIII. 13.

Semen benedictorum Domini est] In Hebræo, *Semen ipsi benedictorum Domino:* supple *erunt.* Ideo Deus infantes in vita conservabit quia amabit parentes.

24. *Eritque antequam clament, ego exaudiam*] Mala avertam antequam de iis conquerantur.

Adhuc illis loquentibus ego audiam] Ad bona largienda paratus ero, simulatque rogabor.

25. *Lupus & agnus pascentur simul, leo & bos comedent paleas*] Repetendum hic quod præcessit *simul.* Sensus idem qui suprà XI. 6. ubi vide.

Et serpenti pulvis panis ejus] Cibus ejus erit pulvis tantùm, homines non attinget. Serpentes solent pasci pulvere, Genes. III. 14 Cum his comparantur homines feroces, qui coguntur ferociam deponere & parere legibus, ut videre est clarissimè Michææ VII. 19. addito loco Psalm. LXXII. 9.

Non nocebunt, neque occident in omni monte sancto meo] Nulla homicidia, nullæ rapinæ erunt: ità vigebunt leges. Vide suprà 20.

CAP. LXVI.

MUNSTERUS.

2. AD *eum respicio qui est pauper vel humilis*] *Volo*, inquit, *habitare in cordibus humilium magis quàm in templo manufacto: & quoniam me ejicietis de cordibus, nolo quoque habitare in templo vestro, nolo usum & opera quæ fiunt in templo, quia per hæc putatis vos justos esse, viventes sine timore Dei & charitate proximi.* Non tamen Deus simpliciter damnat sacrificia, sed quia ea faciebant sine fide & sine timore, putantes se solùm ex opere ipso justificari.

3. *Vias istorum*] Non, inquit, illi qui in templo meo ministrant, meliores illis sunt qui homines offerunt Molech, aut qui canes sacrificant, & libant sanguinem suillum, sicut Gentes fecerunt, cùm anima eorum haud alias desideret abominationes.

4. *Illusiones eorum*] Kimhi post Jonathan interpretatur תעתועים מעשים *opera perversa*, ut sit sensus, *sicut mecum egerunt, sic ego agam cum illis.*

5. *Gravis est Dominus*] Sic dicebant impii, nauseam habentes à Lege Domini. Jonathan tamen Chald. exponit יגדל יקר *multiplicabitur gloria*, sicut Vulg. quoque editio habet.

7. *Antequàm parturiret*] *Priusquam*, inquit, *se sentiret gravidam*, vel *priusquam sentiret dolorem partus, peperit, & consecuta est prima Ecclesia post excidium Jerosolymitanum maximam posteritatem.* Et quod sequitur, *Numquid reparatur terra in die uno?* in Hebræo propriè est, *nascitur* seu *producitur*, & intelligitur per *terram* multitudo hominum inhabitantium terram, quos Dominus subitò in Ecclesia suscitavit, ut etiam uno die multa millia baptizarentur.

11. *Ut sugatis*] Quasi modò geniti infantes exhortamur, *sugere*

sugere ubera consolationis Divinæ, *ubera*, inquam, *gloriæ*, ut paulò pòst subditur, *Ut delectemini à splendore gloriæ ejus.*

14. *Ossa vestra quasi herba florebunt*] Sicut *spiritus tristis exsiccat ossa*, sic spiritus lætus dicitur *ex ossibus germina producere.*

15. *In igne veniet*] Videtur loqui de ultima Judæorum devastatione.

17. *Post unam in medio*] Quidam intelligunt per *unam*, Piscinam: alii אחת Arborem in ipso horto.

19. *Ad gentes Tharsis*] Hinc patet hæc verba non de extremo judicio accipienda, sed de judicio Euangelii, quod Judæos & gentes cum omnibus operibus judicat. Et quando additur, *Adducent omnes fratres vestros*, intelligitur per illam *Adductionem* Conversio Gentium quæ fit per *equos & quadrigas*, h. e. per verbum Euangelii, quod vehiculum est salutis. Et *ex* omnibus *illis assumentur sacerdotes* qui doceant, *& Levitæ* qui audiant, & ità tam sacrificium quàm sacerdotium Judæorum in universum interibunt. Sed & solennitates *mensium* & *sabbati* mutabuntur, cùm per singulos dies & non ad certum tempus accessuri sint, qui me *adorent in spiritu & veritate.*

24. *Videbunt cadavera*] Homines qui sine fide & spiritu sunt, quales hodie sunt Judæi & impii Christiani, *cadavera* hic vocantur: & horum conscientiæ morsus in æternum manet, qui hic per *vermiculum* significatur. Judæi totum istud caput infeliciter exponunt de sua felicitate, quam se consecuturos sperant in adventu Meschiæ, post devictum exercitum Gog & Magog, quos fingunt cum magna hominum multitudine erupturos ex partibus aquilonis, ut sese opponant Meschiæ. De qua re in Ezechiele nonnihil dicemus.

VATABLUS.

1. QUÆ *est ista*, &c. א׳ זה בית ונ׳] *Ubi ista domus quam ædificabitis mihi? & ubi hic locus*, &c.

2. *Et cùm hoc respiciam* ואל זה אביט] *Et ad hunc respiciam.* Alii, *& tamen respiciam.* Alii, *& ad eum* potiùs *respicio qui est pauper*, &c.

3. *Jugulat* עורף] Ad verb. *decervicat.* ¶ *Oblationem* מנחה] *Minha.* ¶ *Qui recordatur thuris* מזכיר לבונה] Hebraismus, pro *qui adolet*, aut *suffire facit thus.* ¶ *Benedicit idolo* מברך און] *Benedicit iniquitati.* Alii, *qui offert pro munere pecuniam rapto congestam:* nam ברך etiam *offerre munus* significat. ¶ *Etiam ipsi*, &c. גם המה בחרו ונ׳] *Et sanè elegerunt vias eorum, & abominationes eorum anima ipsorum desideravit.* Alii, *nam & ipsi elegerunt*, &c.

4. *Illusiones eorum* בתעלוליהם] *Adinventiones eorum.* ¶ *Et quæ timent* ומגורתם] Ad verb. *& timores eorum.* ¶ *Feceruntque malum*, ויעשו הרע ונ׳] Hæc eadem leguntur capite præcedenti, v. 12.

5. *Glorificetur* יכבד] i. Gloriosus appareat liberando vos: Ironia. Alii, *Gravis est:* i. præcepta ejus gravia sunt & importabilia. ¶ *Et conspiciatur in lætitia vestra* ונראה בשמחתכם] *Et videamus lætitiam vestram.* Alii referunt hæc ad sequentia, vertentes, *atqui videbitur cum lætitia vestra, illi autem pudefient.*

6. *Sonitus* שאון] *Tumultus.*

7. *Antequam parturiret*, &c. בטרם תחיל ילדה] *Antequam parturiat, pariet: antequam veniat dolor ei, pariet*, &c.

8. *An edita*, &c. היוחל] Ad verb. si Latinè dici posset, *parturita est.* Quidam, *an nata est.* Alii, *an parietur.* ¶ *Parietur* ילד] *Nascetur.*

11. *Ut mulgeatis* למען תמצו] *Ut exprimatis.*

12. *Declino* נוטה] *Extendo*, Alii, *multiplico: augeo super eum.* ¶ *Lætificabimini* תשעשעו] i. Ad risum & lusum provocabimini.

14. *Cum servis suis* את עבדיו] *Erga servos suos.*

15. *Ut reddat in ira*, &c. להשיב בחמה אפו ונ׳] *Ut convertat in indignationem iram suam, & increpationem suam in flammas ignis:* i. in iram ardentissimam: q. d. *ut acriùs ac severiùs solitò puniat inimicos suos.*

16. *Judicabit* נשפט] Præt. Heb. pro Fut. Alii, *disceptabit.* ¶ *Multique*, &c. ורבו חללי יהוה] Ad verb. *multiplicabunturque interfecti Jehovæ:* i. multi peribunt in eo judicio.

17. *In hortis* אל הגנות] i. In piscina quæ est in horto. ¶ *Post piscinam peculiarem* אחר אחד] *Post unam:* i. insignem & præcipuam quæ in loco peculiari est in medio horti. Legitur & *post unum:* i. peculiarem & insignem, ac præcipuum fontem.

18. *Ero cum operibus eorum*, &c. ואנכי מעשיהם ונ׳] Ad verb. *Nam ego opera eorum & cogitationes eorum: quia venit tempus ut congregem.* Quidam vertunt, *Ego autem novi opera & cogitationes eorum: venit tempus quo congregabo*, &c.

19. *Evasores* פליטים] *Servatos:* sive, *qui evaserint, & salvati fuerint.* ¶ *Trahentes arcu* משכי קשת] i. Ad Thraces, sive Turcas.

20. *Et in carrucis* ובכרכרות] *Et in equis velocibus.* Alii, *camelis.*

23. *In mensem ejus* בחדשו] Redundat utrobique pronomen *ejus*, i. quotidie, cunctis diebus. Doctus inter Hebræos vertit, *de calendis in calendas ejus.* ¶ *Ut incurvet se coram me* להשתחות לפני] *Ut adoret me.*

24. *Opprobrium* דראון] *Abominationi: contemptui.* Alii, *nauseæ:* ut non possint eos videre ob multitudinem vermium qui in illis erunt.

CASTALIO.

2. CUMque *hæc omnia fecerit mea manus, cùm hæc omnia exstiterint*] i. Facta sint.

3. *Qui bovem immolat, occidit hominem*, &c.] Non magis mihi gratus est quàm si hominem occideret, &c.

4. *Eorum infantes deligam*] In eos adeò graviter animadvertam, ut etiam infantes ad pœnas desumam.

5. *Osores vestros, qui vos propter nomen meum vexant*] Mei odio. ¶ *Dictitantes, Afficiatur Jova gloriâ*] Defendat vos, quod sit ei gloriæ. Vide cap. 5.

12. *Ad latus gestemini*] In ulnis.

CLARIUS.

1. COElum *sedes mea*] Vide ut spiritualem cultum prædicat Propheta, qui Christi tempore requirendus erat, de quo Salvator in Euangelio dixit, *Venit hora, cum neque in monte hoc, neque Hierosolymis adorabitis Patrem*; & paulò pòst, *venit hora & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate: nam & Pater tales quærit qui adorent eum.*

2. *Ad quem autem respiciam*] *Volo*, inquit, *habitare in cordibus humilium magis quàm in templo manu facto, & quoniam me ejicitis de cordibus, neque in templo vestro habitabo.*

3. *Qui immolat bovem*] *Hæc sacrificia vestra tanquam res abominandas rejicio, cùm sine timore Dei ac charitate vivatis.* ¶ *Hæc omnia elegerunt*] Alius sic vertit, *Nam & ipsi elegerunt vias istorum:* h. e. non illi qui in Templo meo ministrant, meliores illis sunt qui homines offerunt Moloch, aut qui canes sacrificant, & libant sanguinem suillum, sicut Gentes fecerunt; cùm anima eorum easdem desideret abominationes.

5. *Glorificetur Dominus*] Ironicus sermo est impiorum dicentium, *Appareat Deus vester, si verè Deus est, & veniat gaudium vestrum quod in Domino vobis promittitis. At ipsi*, ait Dominus, *confundentur, & jam audietur ex omni parte clamor, de civitate, de templo, & retributionem dignam sentient.*

7. *Antequàm parturiret*] *Priùs quàm*, inquit, *se sentiret gravidam, vel priusquam sentiret dolorem partus, peperit, & consecuta est prima Ecclesia post excidium Hierosolymitanum maximam posteritatem:* quæ res, quia supra humanum negotium ac morem fuit, addit, *Quis audivit unquam talia? & quis vidit huic simile?* quasi prodierint repentè è terra homines: ità fideles repentè Dominus in Ecclesia suscitavit, ut etiam uno die multa millia baptizarentur.

9. *Numquid ego*] *Nè mireris*, inquit, *nam æquum est ut ego, qui vim pariendi aliis præbeo, & ipse pariam, ne sim sine liberis, præsertim cùm filii Synagogæ sunt rejiciendi.*

11. *Ut sugatis*] Quasi modò geniti infantes, *sugamus ubera consolationis* Divinæ, *ubera*, inquam, *gloriæ*, ut paulò pòst subditur, *ut delitiis affluatis omnimoda gloriâ ejus.*

14. *Et ossa vestra*] Sicut *spiritus tristis exsiccat ossa*, sic spiritus lætus dicitur *ex ossibus germina producere.*

15. *In igne veniet*] Videtur loqui de ultima Judæorum devastatione: alii de judicio intelligunt.

17. *Qui sanctificabantur*] *Qui se sanctos jactabant.* ¶ *Post januam intrinsecus*] In Heb. est, *post unam in medio*, & intelligunt *piscinam*, habebant enim in hortis piscinas in quibus abluebantur.

19. *Et ponam in eis signum*] *Signum*, nimirum *cui contra-*

dictum

dictum à multis est. ¶ *Ad gentes in mare*] Vel, *ad gentes Tharsis.* Apostoli missi sunt ad omnes Gentes, quæ hîc variis nominibus dicuntur, juxta quatuor fines terræ. *Tharsis* enim Cilicia est ad Septentrionem Judææ; *Aphrica* ad Meridiem occidentalem. Per *tenentes sagittam* Cappadoces intelligunt, qui ad Orientem septentrionalem sunt. *Italia* & *Græcia* ad Occidentem septentrionalem.

20. *Adducent omnes*] Intelligitur per illam *adductionem* Conversio Gentium, quæ fit per *equos & quadrigas*, h. e. per verbum Euangelii, quod vehiculum est salutis. Et *ex* omnibus *illis assumentur sacerdotes* qui doceant, *& Levitæ* qui audiant, & ità tam sacrificium quàm sacerdotium Judæorum in universum interibunt, sed & solennitates *mensium* & *Sabbati* mutabuntur, cùm per singulos dies & non ad certum tempus accessuri sint qui *adorent in spiritu & veritate.*

24. *Videbunt cadavera*] Homines qui sine fide & spiritu sunt, quales hodie sunt Judæi & falsi Christiani, *cadavera* hîc vocantur, & horum conscientiæ morsus in æternum manet, qui hîc per *vermem* significatur. ¶ *Et erunt*] Vel *erunt nausea omni carni.*

FORERIUS.

1. HÆC *dicit Dominus*, &c.] Jesaias populi vicem dolens & eorum causam agens, suprà in oratione prope finem domum illam, in qua Deum patres laudaverant exustam esse dicebat, veluti rem indignissimam, & quæ provocare posset ad misericordiam Divinam bonitatem, ut iterum vellet reædificari, &c. His nunc respondere videtur Dominus. ¶ *Cælum sedes mea*, &c.] Adeò, inquit, magnus sum, ut cùm in cœlo sedeam, *terram* pro *subsellio pedum* habeam. Quid igitur adeò soliciti estis de domo mea, ut ejus quoque curâ ego tangi debeam? Manifestum est autem hæc figuratè & pro capto humano dicta nihil aliud significare quàm se loci spatio non capi, & infinitæ esse magnitudinis, ¶ *Quæ est ista*, &c.] Vel *ubi est:* nam אי de Loco interrogat, & si jungitur pronomen זה optimè redditur per verbum substantivum, *Ubi est*, ut Job. 29. *Ubi hic locus intelligentiæ?* & 1 Sam. 19. *Ubi hæc domus Videntis?* Ità hoc loco, *Ubinam erit domus quam ædificabitis?* ¶ *Ædificabitis*] Ità est in Hebræo, i. quam ædificare optatis, & de qua reædificanda soliciti estis? ¶ *Quis iste locus*] *Ubi est locus?* ¶ *Requietionis*] In quo resideam, quiescam, &c. Nam sic vocabant Templum Domini, *Surge, Domine, in requiem tuam.* Et ipse Dominus cùm de ædificanda domo ageretur, *domum, ut in ea habitaret*, dicebat. Quamdiu verò res intelligebatur ut erat, videlicet quòd Dominus non caperetur illâ domo, sed propter homines voluisset habere locum ad quem venirent ut se precarentur, & in quo tantùm sacrificia susciperet, nè quisque pro voluntate sua cultum excogitaret & ad idololatriam relaberetur, tamdiu in illa domo sibi complacuit. Vide orationem quam fudit Salomon in Dedicatione Templi, & hæc ità esse intelliges. At postquam Judæi eò insipientiæ devenerunt ut de Deo non digna sentirent, sed eum propter seipsum domo illâ gaudere arbitrati, omnino crederent eum se sibi veluti debitorem reddere, quòd quasi beneficium illi impenderent, atque interim nullis non sceleribus immergerentur, putantes sat sibi esse *Templum Domini* habere apud se, ut inquit Jeremias, cœpit domum illam parvipendere, & cultum omnem nihili facere, tandem & odisse, ut ad cumulum malorum pervenientibus ejus cultoribus, templum & cultum omnem averterit, funditùsque deleverit: nequaquam id fecit quamdiu pietas viguit, & recta de Deo sententia. Non ergò hîc damnari exteriorem cultum existimes, sed interiorem quoque exigiat requiri.

2. *Omnia hæc manus mea*, &c.] Hæc omnia quæ cernitis, cœlum, aerem, mare, terram, ego meâ potentiâ feci, & hactenus eâdem meâ virtute consistunt, & erunt quamdiu fuerint: ità enim accipiendum puto illud futurum ויהיו *& sunt*, vel *& erunt.* Vulgatus pro præterito accepit, *& facta sunt:* quasi illud *Fecit* sit *præcepit ut fierent*, ut sit idem cum Psalmo, *Dixit, & facta sunt.* Vel est pleonasmus Hebræis familiaris, *Fecit, & facta sunt*, i. nemo avertit, nemo impedivit. Si igitur universa quæ videbantur Dei erant, meritò rogat, *ubinam* esset *domus illa* ædificanda, an extrà mundum? sin minùs, quid ergò beneficii accipere ipsum putarent? ¶ *Dicit Dominus*] Vel, ut vertere cum Paulo consuevi, *Fidelis sermo Jehova*, quasi rem magnam & acceptatione dignissimam dicere velit. ¶ *Ad quem autem*] Hebr. *& ad quem:* q. d. quid pluribus opus est verbis? quid à me exspectandum est? *ad quemnam respicere* soleo? aut ad quid dignum est me respicere? ad domumne lapideam? an ad animalium sanguinem qui in ea funditur? numquid ad donaria hominum perditissimorum? minimè gentium. ¶ *Nisi ad pauperculum*] Vulgatus sensum vertit: in Hebræo tantùm est responsio absoluta, *ad pauperculum*, vel *ad inopem* i. ope destitutum hominem. ¶ *Et contritum spiritu*] נכה, *cæsum, percussum, saucium*, i. afflicto animo & mœrore affectum. ¶ *Et trementem sermones meos*] Vel *super sermonibus meis:* i. qui nè latum quidem unguem audet à verbis meis declinare, & ità pavet aliquod Dei verbum præterire; ut pueri contremiscunt ad spectrum, & mundani ad nuncium vel signum amissionis bonorum, vel etiam vitæ. Denique hac auxesi Legis Dei observantem & amantem intelligit: non enim amittere timemus nisi quæ ingenti amore complectimur. Si tales fuissent Judæi, ad eos respexisset Dominus, neque Templum eorum evertisset. Vide vers. 5. At quia multò diversi ab istis, subdit Propheta,

3. *Qui immolat bovem*, &c.] Viri sanguinem fundere gravissimum coram Deo crimen erat: at *canis* adeò immundum animal in lege judicabatur, *ut neque pretium canis in domum Dei inferri liceret.* De *sue* quid opus est dicere? Victimæ verò *boum, pecudum*, & *adolere incensum* grata erant Deo: ab impiis verò manibus perinde erat *bovem jugulare*; *ac si* quis *virum caderet* ad placandum Deum, &c. מנחה quoque, quæ in Lege erat *oblatio ex farre*, Deo non ingrata, *sanguini suillo* confertur: *incensi* verò *crematio* cum *laude violentiæ*; quâ nihil est putridius aut odiosius coram Deo. Qui fieri igitur poterat ut ad illa munera attenderet Deus, aut eorum preces exaudiret, aut domum in qua istæ abominationes illi offerebantur non deleret? ¶ *Hæc omnia elegerunt*, &c.] Hebræum גם non erat omittendum: habet autem correctionis vim hoc loco, ut sæpe aliás: q. d. quid immolationem bovis cum hominis jugulatione confero, &c. quasi verò illa omnia quibus eorum sacrificia comparo illi non perpetrent? Homicidæ planè sunt, & *canes* & *sues immolant*, & vim inferre aliis felicitatem ducunt: & istæ universæ *abominationes* illis placent. De vocibus jam suprà dictum est.

4. *Unde & ego eligo illusiones eorum*] Seu *cogitationes:* illi sibi in *abominationibus* placent, & illis rebus à quibus sciunt me abhorrere. Idcirco ego etiam placebo mihi in illis rebus quas illi valde metuunt. Illas *ipsorum cogitationes*, i. solicitudines, curas, *timores* ego eligam, ut illis adducam ea à quibus illi abhorrent. Ità prorsus intelligendus est locus hic: quod statim explicat dicens, *Et pavores eorum adducam eis*, nempe timores amittendi regnum, &c. quas in consilio illo prodiderunt, *Venient Romani, & tollent locum nostrum & gentem.* ¶ *Quia vocavi*, &c.] Concludit repetens quod suprà dixerat capite superiori ver. 12. eandem assignans causam captivitatis hominum & desolationis Templi, nempe contemptum prædicationis Euangelii & impœnitentiam: redit tamen statim ad consolationem paucorum electorum ex Israele, & eorum qui per eos crediderunt.

5. *Audite verbum Domini*, &c.] Propter scelera rejiciendos Israelitas hypocritas, & devastandum *templum & locum*, neque reædificandum meritò significaverat: jam cùm electis ex Israele & novo populo, veris Israelitis, nova Jerusalem ei res est. Et primo Discipulos Domini alloquitur, ut eos adversùs impios fratres Judæos confirmet. ¶ *Qui tremitis*, &c.] Hi enim tantùm ex Israelitis electi sunt, rejectis contumacibus qui vocanti non responderunt, & ad expandentem manus non attenderunt, neque prædicanti aures accommodarunt. Vos qui vocati secuti estis Dominum relictis omnibus, & quocunque pergebat eum sequebamini, ad quos Dominus respexit, quorum curam gessit, veluti mater filiorum, vestram pauperiem, vestram inopiam, vestrum mœrorem respiciens, fovens, relevans, & in divitias, gaudium & gloriam commutans; vos Discipuli Domini, in quos conjectis sæpe ipse oculis de paupertate, de luctu, de mansuetudine multa disserebat, ut vulgi opinione rejectâ hæc mundi bonis anteponeretis; vos, inquam, *audite verbum Domini.* ¶ *Dixerunt fratres vestri, qui vos oderunt*, &c.] Certè ad hunc locum alludit Dominus cùm ait, *Beati eritis cùm vos oderint homines, exprobraverint, & ejecerint nomen vestrum tanquam malum propter nomen meum*, &c. ¶ *Abjicientes* Seu *removentes*, tanquam immundum & pollutum. Hanc Prophetæ prædicationem Dominus apud Joannem cap. 16. pluribus verbis exponens ait, *Absque synagogis facient vos*, &c. ¶ *Propter nomen meum*] Hæc verba sunt verba Jehova Dei ipsius benedicti: qui ejiciebant Discipulos propter nomen JESU, (juxta prophetiam istam) damnabant eos *propter nomen Dei* veri: filius enim Dei Deus est, unus cum patre. ¶ *Glorificetur Dominus*] Qui non intellexerunt Hebræam phrasin verterunt, *Gravis est Dominus.* Sed quorsum? Nonnulli Hebræi sic conjungunt, *propter nomen meum glorificetur Dominus:* sed nihil ad rem. Certè istæ sunt voces infidelium Judæorum adversùs pios & in Christum credentes. Est itaque irrisio

in his verbis, quâ & nos utimur quando aliorum aut spem inanem aut arrogantiam, quam sine causa eos habere putamus, deridemus, *Laudetur Deus, qui vos adeò felices fecit*, i. nihil minùs estis quàm felices: nihil est quòd gratias agamus, &c. Sic isti, Glorificetur Dominus, *& videbimus in lætitia vestra, lætabimur vestro bono, vestrâ felicitate: vobis congratulabimur, vos collaudabimus, cùm ea quæ exspectatis advenerint.* Irridebant enim Discipulos Christi, præsertim cùm sublatum in crucem vidissent eum in quem illi spes suas omnes collocaverant, *Laudetur Deus qui vos adeò felices fecit: cum Principes fueritis in regno Messiæ, memineritis nostri: congaudebimus felicitate vestrâ*, &c. Possunt quoque hæc aliter accipi, servatâ tamen ironiâ, *Glorificabitur Jehova*, i. ille quem vos pro Deo colitis regnum obtinebit, & nos admirabimur felicitatem & gaudium vestrum, &c. Sed quid tandem erit? ¶ *Ipsi autem confundentur*] Isti tamen vestri inimici pudefient, ut omnino idem sit quod Dominus dicit, *Plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit: sed tristitia vestra vertetur in gaudium, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Ex quo etiam sequebatur ut qui antea gaudebant & illos deridebant tanquam ab impostore deceptos, pudefierent & contristarentur.

6. *Vox populi*] Vulgatus *tumultum* seu *strepitum* pro *tumultuante populo* accepit, & rectè quidem. Ista quæ ab infidelibus adversùm vos jactantur sunt voces tumultuantis populi Jerosolymitani. Prodeunt quoque *ex Templo:* Pontifices & ministri templi hæc loquuntur; isti irrident spes vestras, & irridentes dicunt *visuros se gloriam vestram & gaudium:* sed illa altera vox quæ dicit, *Ipsi pudefient*, est *vox Domini retribuentis retributionem inimicis*. Non erubescetis vos, ut illi putant, sed ipsi qui vos derident, *pudefient, cùm viderint gaudium vestrum*, &c. Hæc interpretatio valde germana est, & nodis caret. Vel certè hîc est veluti initium orationis, quæ tamen cum superiori continua est. Dixerat enim derideri Discipulos Domini à fratribus ipsorum, sed quòd tandem *pudefierent* isti derisores. Ergò jam explicat quonam pacto *pudefierent*, dicens se audire *vocem ex civitate & ex templo* & audire se *vocem Domini reddentis vindictam*, &c. & *vocem* quidem *ex civitate* & *ex templo* explicat v. 7, & 8. *vocem* autem *Domini* v. 9.

7. *Antè quàm parturiret*] Subitam Gentium conversionem hæc significant, quam admirari potuit populus Jerosolymitanus, & ipsi Pontifices qui servos Dei deridebant. Antè quàm autem Jerusalem vastaretur, viventibúsque adhuc illis qui Christum Dominum sustulerant, prædicatum est per Discipulos Domini, veros Israelitas, qui derisui erant aliis, *Euangelium Regni sub omni natione quæ sub cœlo est*, ut loquitur Paulus. ¶ *Partus ejus*] חבל *funem* significat, & *dolorem* quoque, qui in modum *funis* constringit, quales sunt parturientium dolores, de quibus hîc loquitur. Idem enim repetitur in secundo membro quod in primo dixerat.

8. *Quis audivit*, &c.] Sensum Vulgatus rectè reddidit: ego Hebraismum retinui, quòd non esset obscurus. ¶ *Numquid pariet terra?*] Vulgatus hîc sensum quoque reddere satis duxit: nam יוחל est *profanari*, quando scilicet facto aliquo principio, à re aliquid detrahitur, aut res læditur. Vulgatus accepit pro *edere* seu *germinare fructus suos:* in partu enim seu progerminatione videtur esse quædam ruptio. Unde versu sequenti dicit Dominus, *se facere ut fiant fracturæ*, i. partus & progerminationes: non autem id fit nisi multorum dierum spacio: quod similitudo sequens confirmat, de gente quæ non *uno ictu* seu *impetu* solet nasci; exponitúrque similitudo, quòd *Tcion uno die* & *uno* ferè *nixu ediderit* quamplurimos *filios*. Quod hyperbolicè dictum est pro brevissimo tempore quo Euangelii præcones per orbem discurrentes, gentes in unam fidem & Ecclesiam verámque Tcion congregarunt.

9. *Numquid ego*, &c.] q. d. Desine mirari: nam ego Deus hujus generationis auctor sum. Quòd si omnia meâ virtute partus suos edunt, & omnia quæ generant me auctore *rumpuntur* & aperiuntur ad fœtus edendos, inesse mihi quoque virtutem generandi nemo ambigat. Significant autem hæc verba conversionem Gentium: & si per Apostolos fieret, auctorem tamen esse Deum, alios autem ministros tantùm & *plantatores* aut *irrigatores*, ut inquit Paulus. ¶ *Sterilis ero*] Sensum vertit: nam fœminæ quæ steriles sunt Hebræis *conclusæ* dicuntur. Hæc est *vox Dei retribuentis vindictam:* nam vocatione gentium, ut prædixerat Moses, ingratitudinem Judæorum punivit: *irritavit* enim *eos in eo qui non erat populus, & in gente stulta.* Illi subtrahendo se, Deum veluti *sterilem* reddebant; non enim superesset populus qui Deum agnosceret: hoc Divina bonitas se pati non posse affirmat, quinimo tot se pro illis geniturum filios, ut admirari faciat ipsos Judæos, &c.

10. *Lætamini*, &c.] Quantum futurum esset verorum Israelitarum gaudium post conversionem gentium hæc significant: Nam sicut propter amorem sui generis, & multò magis propter Dei honorem continuum habebant in corde dolorem, adeò ut si fieri posset mille mortibus afficerentur libenter à Christo, modò fratribus suis, *cognatis* suis *secundùm carnem* prodesse possent: sic cùm viderunt *inserta trunco olivæ oleastra*, & infinitos fratres *ex lapidibus suscitatos* ad Dei gloriam, non potuerunt non vehementer exsultare, & Ecclesiæ Dei congratulari, quòd pro amissis filiis integra regna & imperia simul peperisset. ¶ *Qui diligitis eam*] Horum est lætitia quorum fuerat tristitia ex amore quem erga Deum & Ecclesiam ejus gerebant. Illam autem hîc intelligere oportet *Jerosolymam* non quæ diruta fuit, sed quæ filios Deo generabat, cujus qui amore tenetur, Deum diligere agnoscitur. Ecclesiam, inquam, Dei, matrem sanctorum patrum & nostram: amor hujus est amor gloriæ Dei, quæ in ipsa residet, in qua ipse cognoscitur & colitur.

11. *Ut sugatis*] Tanquam ad filios loquitur, quos matres si flentes vident, uberibus applicitos consolari solent. ¶ *Deliciis affluatis*] Ego non meliùs potui vim verbi תתענגו exprimere, quod *se ipsum deliciis affluentem reddere* significat, quàm verbo *ingurgitandi*. ¶ *Ac omnimoda gloria*] Quid sentiendum sit de voce זיז nihil certi ex Rabinis habere poteris: neque enim sibi constant. Sunt qui *universitatem* significare dicunt, & esse à verbo זוז: unde pro Universitate pecorum depascentium gramen putant accipi, Psal. 50, & 80. ubi nos *pulcritudo agri*, &c. quod quia verisimilius videbatur, *omnimodam gloriam* cum Vulgato dicere volui.

12. *Ecce ego declino*] Vel *extendo:* Rursus diffusiùs exponit gaudii materiam, quòd omnia occupabit *pax* & omnimoda felicitas, sicut cùm *inundant flumina* omnia vicina occupant ac replent. De his jam in superioribus dictum est, *Suges lac gentium, mamillâ regum lactaberis: erunt reges nutricii tui*, &c.

13. *In Jerusalem*] Extra Ecclesiam nulla à Deo promittitur consolatio; manifestúmque quàm semper ejus expertes fuerint hæretici qui ab Ecclesia desciverunt, & quantis involvantur malis.

14. *Quasi herba*, &c.] *Spiritus tristis exsiccat ossa*, ut ait Sapiens: sic gaudium succo abundare facit: ideóque & *Herbis ossa* gaudentium comparantur; & apud Paulum non uno loco videre licet, ad *regnum Dei* pertinere *Gaudium*. ¶ *Cognoscetur manus Domini servis ejus*, &c.] את interdum pro *cum*. *Tunc*, inquit, *planum erit ac manifestum quòd potentia & virtus Domini sit cum servis suis*; videlicet *trementibus ad verba ejus*, illis quos superbi Pharisæi & sacerdotes irridebant, quos conviciis impetebant, quorum spes ludibrio habebatur. Ubi totus orbis crucifixum pro Deo colere cœperit, tunc *cognoscetur esse manus & virtus Domini in servis Dei.* Quo enim pacto fieri potuisset ut pauci homines, imbelles, imperiti, illiterati & ignobiles, tot gentes, tot regna, tótque imperia pervaderent, commoverent & in suam opinionem pertraherent adeò brevi tempore, adigeréntque gentes ut patrios Deos abjicerent, & quem non vidissent colerent ac timerent, nisi *manus Dei* omnipotentis cum ipsis fuisset? Quòd si cum eis erat *manus Domini*, unde id, quæso, habuerunt? Cur non aliis Judæis quàm in JESUM credentibus id contigit? Christus ergò Deo dilectus. Qui fieri verò poterat, ut Deo dilectus esset, qui se Deum faceret, nisi Deus esset? Ergò Christus Deus, qui in Apostolis loquebatur & virtutes operabatur, ut regnum Dei virtute magnâ & prodigiis inauditis fundarent ac promoverent. Hoc autem ubi innotescere cœpit, perdidit *inimicos suos:* per Romanos devastavit, *perdidit homicidas, & civitatem succendit.* Nam nolentibus ad nuptias venire Judæis, missi servi Domini omnes, quotquot invenerunt, introduxerunt ad nuptias. Rex autem in illos qui ingrati fuerunt indignatus, *missis exercitibus suis perdidit illos, & civitatem eorum succendit.* Hoc enim est verbum זעם, cùm activè sumitur, *cum ira*, seu *malè tractavit*, ut Malach. 1, & Num. 23.

15. *Quia ecce Dominus in igne*] Sunt qui de futuro judicio hæc exponunt; quorum sententiæ non repugno: ausim tamen dicere posse de altero judicio intelligi & altero *igni*, de quo cap. 3. dictum est: nam sicut hoc ipso capite diximus, Gentium conversionem esse confusionem & retributionem Judæorum, quia *gentes in labores eorum introierunt*, &c. ità hoc loco cùm dixisset, quòd *manus Domini agnosceretur esse cum discipulis ejus, & malè acciperet inimicos suos*, videtur utrumque aliis verbis exponere. ¶ *In igne*] *Ignem venit Dominus mittere in terram, quem cupiebat vehementer accendi:* quem ignem qui non accipiebat & in sinu suo fovebat, reus alterius *ignis* fiebat *inextinguibilis:* id quod suprà dicebat, *emundandam Jerusalem spiritu judicii & spiritu ardoris*, i. veluti vehementi

vento

vento & adurente. ¶ *Quasi turbo quadrigæ*, &c.] Velocissimum ejus adventum notat: nam *turbo* priùs quàm adventurus putetur, adest, & obvia quæque deturbat & proterit: cum vento igitur validissimo advenire dicitur & igni: *currûs* verò meminit, ut cum exercitu adventare intelligatur. ¶ *Reddere*] Optimè hic redditur verbum השיב, ut etiam Genes. 50. *Reddendo reddet nobis omne malum*, &c. *reddere* verò *furorem* est ea quæ furor subministrat impendere: quod velut exponens ait, *Increpationem suam*; *ut reddat* etiam *increpationem*, i. prout digni sunt increpet, *cum flamma ignis*: quod versu sequenti exponam. Aliam interim versionem apposui tantùm ut videret prudens lector posse aliter neque ineptè Hebræa reddi; נשב enim est *efflare*, suprà cap. 40. 7. *Spiritus Jehova flavit in illum*, Genes. 15. 11. de Abrahamo, qui abigebat aves è sacrificio; & Ps. 147. 18. *Efflat spiritum suum*, & *fluent aquæ*, &c. *Cum igne* igitur *venit Dominus ad efflandum in indignatione*, seu *ardore nasi sui*, i. venit naribus ignem emittens præ indignatione & furore: id quod alibi quoque Scriptura Deo tribuit. Quod exponens aliquantulum ait, *Et increpatio ejus in flamma ignis*, i. increpabit non verbis tantùm, sed igni: de quo *igni* statim repetens ait,

16. *Quia in igne Dominus dijudicabit*, &c.] Hic *gladium* & *ignem* conjungit, & utrumque tribuit venienti ad judicium Domino. Annon in Euangelio Luc. 12. Dominus ad hunc fortè locum alludens ait, *Ignem veni mittere in terram*, & *quid volo nisi ut accendatur? Putatis quia pacem veni dare in terram? non*, *dico vobis*, *sed separationem*. Pro quo Matth. 10. dicitur, *Non veni pacem mittere*, *sed gladium*. Ergò Euangelium est *ignis*, vitalis quidem, cùm ad Dei dilectionem inflammat, & zelum pro domo Dei & gloria ejus: pestilens autem est eis qui eo indurantur; ob quod & ab altero igni in pulverem comminuentur. Est item *gladius*, vitæ quidem eis quos à mundo & rebus perituris &, ut loquitur magnus Basilius, *à cognatione secundùm carnem* separat; illis verò qui ab istis divisi & separati manent, mundo dediti, est gladius mortis. Separantur itaque per Euangelii auditum alii ab aliis: ob quod *in resurrectionem* & *ruinam multorum* esse dicitur Christus, & *in judicium venisse*, *ut qui non videbant*, *viderent*, & *qui videbant*, *cæci fierent*: item, *Hoc est judicium*, *quia lux venit in mundum*, & *dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem*. Hoc verò judicium alterius illius postremi tota ratio & materia est. ¶ *Multiplicabuntur interfecti*, &c.] Seu *vulnerati*: quos enim non vivificavit Euangelium, dicitur *interemisse* seu *vulnerasse*, & in Euangelio dicitur *dejecisse*, tanquam *petra scandali*: quamdiu quidem vivunt, *vulnerati* seu *confracti* dicuntur in Euangelio, eò quòd *impegerunt* seu *ceciderunt super petram scandali*, & reparari possunt; at *super quos ipsa ceciderit*, quod fit in cujusque morte, & Judæis in vastatione urbis accidit, *comminuuntur*. Quare hîc *saucios* aut *vulneratos* pro *interfectis* aptè dicemus: nam & nomen juxta significationem verbi est *violatus*, *profanatus*, sive maneat in vita, sive non, Jerem. 51. *Et ingemiscet vulneratus*, &c. Ob magnam itaque cognationem quam hæc duo Domini judicia habent, possunt hæc de utroque judicio interpretari: sed quæ sequuntur huic quam persequor expositioni magis favent.

17. *Qui sanctificabantur*, &c.] Vel *qui sanctificant se*: *sanctificare* verò *se ad hortos*, aut *mundare*, juxta proprietatem Hebraismi est *proficisci ad hortos ut ibi sanctificentur* & *mundi fiant*: illuc enim se conferebant ad cultum idolorum, quo existimabant se *sanctificari*. ¶ *Post januam intrinsecus*] Nunc omnes Interpretes legunt, *Post unum*: quàm bellè autem interpretentur, apud eos videre est. Certè, Hieronymo teste, Symmachus & Theodotio bis legerunt אחד legunt enim *alter post alterum in medio comedentium*, &c. quæ interpretatio magis mihi placet quàm omnes quas nunc afferunt Neoterici: & hanc sequi videtur Hiero. licet in versione LXX. Interpretes secutus videatur, qui dixerunt, *In liminibus*; & putarem in Chaldæo mendosè legi vocem מיצע, pro מצוע, facilis enim mutatio est unius literæ in alteram: sed de his aliorum esto judicium. Certè, ut quod sentio, liberè dicam, nihil omninò mutandum puto, sed aliis motionibus legendam vocem אחר, ut non sit præpositio sed nomen, i. *alienus*, seu *alius*. Quo nomine vocari fictitios deos nemo Hebrææ linguæ peritus inficiabitur, ut vertendum sit, *Alius unus*, seu *alienus quispiam in medio*. Utuntur autem passim rectis pro ablativo absoluto. Latinè dicendum esset, *alieno quopiam in medio existente*; quasi collocato in medio aliquo idolo illi circumsedentes *comedebant carnes suillas*, *abominationem* (i. triduanum jus) *murem*, &c. *Omnes*, inquit, *isti qui talia agunt*, i. transgressores legis & infideles, *simul deficient*.

18. *Ego opera eorum*, &c.] Est Aposiopesis seu *reticentia*; *novi* supp. vel *video*, vel *notata habeo*, vel quid simile. ¶ *Venio*, &c.] q. d. Quia Judæi talia agunt, ego venio in mundum in judicium, ut illis damnatis, gentibus innotescam; hæc enim *gentium* & *linguarum congregatio* illa congregatio est quæ in unitatem fidei facta est, quam suscipientes *viderunt Dei gloriam*, & Christi filii ejus.

19. *Ponam in eis signum*, &c.] *Facto* enim *repentè de cœlo sono vehementi*, cecidit Spiritus S. super nonnullos Israelitas: quo *signati* sunt, tanquam amici & ministri Dei. ¶ *Mittam ex eis*] Ex ipsis Israelitis mittam. ¶ *Qui salvati fuerint*] Vel *qui salvent*, & *evadere faciant*, & *auctores sint evasionis*: convenit enim hoc loco ut activè accipiamus, nihilominus sensus quem expressit Vulgatus stare potest. ¶ *Ad gentes Tarsis*] Ità puto conjungenda hæc nomina; i. gentes ad quas per mare magnum transitur: quæ mox exponuntur, nempe *Pul*, quòd rectè Vulgatus pro *Africa* accepit; & in Commentariis ostendit quòd tota Africa à Libya usque ad Mauritaniam *regio Phutensis* adhuc suo tempore vocaretur à fluvio Phul. Per *Hed* quoque *Lydos* intelligere oportet, sagittandi peritissimos: per quos quoque *Etruria* intelligitur Italiæ pars, quæ Lydorum est colonia. *Tubal* autem Vulgatus in textu *Italiam* dixit: sed, ut ipse in Commentariis annotavit, *Hispania* rectè accipi potest, quam incoluit Tubal, à quo conditum oppidum in Lusitania dicunt quod dicitur hodie *Setubal*: per *Javan* verò *Jones* & *Græci* convenienter intelliguntur. Nomine autem *Græcia* comprehenditur bona Italiæ pars, quæ *magna Græcia* olim dicebatur. Tandem nomine *longinquarum insularum* reliquæ regiones ad quas ex Judæa per mare ibatur. Juvat autem hic annotare, eas regiones hîc potissimùm commemorari in quibus maximè viguit & diutiùs permansit Christiana religio. Per Apostolos itaque istæ omnes gentes congregatæ sunt; *quæ non audierant auditum*, i. prædicationem de Deo; neque gloriam Dei agnoverant, quam viderat frequenter populus Israel.

20, 21. *Omnes fratres vestros*] Putant Judæi de Israelitis secundùm carnem esse sermonem: ignorant enim miseri mysterium, neque volunt intelligere quòd *fratres* dicuntur qui erant *præordinati ad vitam æternam* ex omnibus gentibus, qui erant verorum Israelitarum fratres, quoniam filii erant promissionis. Ad quod confirmandum nolo aliud adducere quàm quod versu sequenti habetur, nempe quòd *ex eis assumeret Sacerdotes* & *Levitas*. Dicant Judæi, si Israelitæ erant secundùm carnem, quid mirum si *ex eis acciperet sacerdotes* & *Levitas*? Cæterùm *per equos* & cætera *vehicula* diversi generis quæ hîc commemorat, nihil aliud significatur quàm quòd honorificè ad Ecclesiam perducerentur, delicatéque tractarentur ab auctoribus seu ministris illius *evasionis*: quandoquidem non minùs ab illis diligebantur quàm à patribus filii; illos enim & parturiebant & educabant, ut pro quorum profectu & salute leve ducebant vitam profundere. ¶ *Donum Domino*] De voce מנחה non semel diximus. Est autem hic allusio ad ipsius nominis etymologiam; verbum enim notat *sensim* & *cum pompa deferre*, ut cùm munera Regibus deferuntur, aut Deo: quare Apostolus *oblationem gentium mundam* optabat *esse*, ut hinc quoque intelligamus eos qui Christi fide imbuuntur, Deo donari, ut non perfunctoriè eos catechizemus, i. instruamus, sed ità ut Deo se deinceps vivere debere agnoscant. ¶ *Quo modo*, *si* &c.] i. Eâ religione & pompâ, eâque animorum lætitiâ quâ vos Israelitæ soletis *ad domum Domini deferre donaria* vestra *in vasis mundis*: quod simpliciter accipi potest pro ipsis vasis in quibus defertur donarium, vel pro ipsis deferentium corporibus, quæ *munda* esse oportebat oblationis tempore; quod exigebat Sacerdos à pueris Davidis, ut panes sacros edere possent: cui David promisit, quòd etsi in via quâ ituri erant non deessent contaminandorum corporum occasiones, non tamen contaminarentur illo die, sed *dies ille sanctificaretur in vasis*.

22. *Sicut cœli novi*, &c.] Additur in nomine *cœli* articulus, & nomine etiam adjectivo *novi*: propterea dixi in versione, *cœli illi novi*, & *terra illa nova*. Dixerat *ex gentibus* per Apostolos conversis *accepturum se sacerdotes* & *ministros* cultui Dei addictos; hoc ergò versu promittit perpetuitatem hujus ministerii, quòd quamdiu duraret novus orbis, i. regnum Dei & Ecclesia, tamdiu duraret ministerium ministrorum ex gentibus assumptorum, in illisque durarent perpetua Petri & Pauli & aliorum Apostolorum nomina, qui gentes ad fidem vocarunt: *stare* enim *coram aliquo* juxta Hebræorum consuetudinem & phrasim est Servorum seu ministrorum. Deut. 10. *Separavit tribum Levi*, *ut staret coram Jehova ad ministrandum ei*. 1 Sam. 16. *Cùm venisset David ad Saulem*, *stetit coram eo*, pro *astitit illi ministrando*: & mox, *Stet*, *obsecro*, *David coram me*: & sæpe aliàs.

23. *Et erit mensis ex mense*] Ego ad verbum reddidi, &

verbum

verbum *erit* construitur cum nomine *mensis*: sed absolutè ponitur hoc sensu, *futurùmque est ut de mense in mensem suum & de sabbato in sabbatum suum veniat omnis caro*, &c. i. singulis quibusque mensibus & singulis sabbatis: non ut olim, ter in anno, &c. sed sæpissime omnes Christiani venient ante Dominum ad eum deprecandum. Nam præter quòd ubique terrarum me adorare poterunt, tamen Templa quoque ubique terrarum erunt, ad quæ omnes singulis septimanis & aliis festivitatibus convenient ad supplicandum. Possumus hîc חדש non pro *mense*, sed pro *Kalendis & festis quæ initio mensium celebrabantur*, accipere: nam illis potissimùm diebus & Sabbatis venire solebant ad audiendum verbum Dei, ut nihil aliud hîc intelligamus quàm quòd singulis sabbatis & aliis festivitatibus quæ certis mensibus celebrabantur venirent Christiani ante conspectum Dei, nimirum ad Templa. Quod usus Ecclesiæ confirmat, in qua mos est diebus Dominicis & aliis festivitatibus ad templa convenire. Si enim non de adventu in templa hîc esset sermo, non opus erat dierum *Sabbatorum* & *festivitatum* mentionem facere, neque verbo *veniendi* uti; nam orandi semper datur nobis locus & tempus. Neque enim, ut quidam volunt, *de mense in mensem & de sabbato in sabbatum* est *totis mensibus* & *totis septimanis*: tunc enim non *veniet* dicendum foret, sed *stabit*. Est autem phrasis quâ nos Lusitani utimur, *de sabbado in sabbado*, i. singulis sabbatis. Sive autem pro *festo*, sive pro *septimana* accipias, sensus stat, quòd sæpissime, & non tantùm ter in anno venturi essent fideles ad adorandum Dominum. Unde in versione ό. *Veniet omnis caro ut adoret in Jerusalem Dominum.* Hîc nonnulla exemplaria finem faciunt Jesaiæ: sed alia etiam Hebræa unum adhuc versum habent, qui omnino legendus est cum Vulgata editione, ex quo sunt illa verba apud Marcum, *Vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.*

24. *Et egredietur*, &c.] Rectè hoc de Egressu per considerationem accipiemus, quâ pii intelligent æternam mortem & æternam pœnam quam impii patientur: ut enim Mortem significaret, *cadavera* dixit, & *vermes*; ut verò Vitam omni morte acerbiorem ob pœnam, *ignem* dixit *inextinguibilem*. Possumus & per *vermem* conscientiæ aculeos rectè accipere, qui nunquam cessabunt neque quietem dabunt. Usus verò est verbo *egrediendi*, quia dixerat, quòd *venturi essent ad montem Domini ex dispersione* ver. 20. quod ubi factum fuerit, & nomina Deo dederint, & fide imbuti fuerint, intelligent quàm sanum consilium ceperint, nè cum impiis damnarentur, quorum mortem & supplicium per doctrinam in monte acceptam percipient, ac si ex conspectu regis egressi viderent cædem malefactorum, quam ipsi quoque habituri fuissent nisi ad regem precatum veniam venissent, atque ità in timore & gratiarum actione perpetuò vitam ducent. ¶ *In satietatem visionis*] Quasi דראון esset dictio composita ex די, i. *sufficientia*, & ראה, i. *videre*; quod *nonnulli* quoque Hebræi existimarunt, secuti nimirum Thargum: *fastidium* dicere possumus, seu *abominationem*. Vide Pagninum. Quòd si quis istum *egressum* accipere velit pro exitu ab hoc convivio, ad quod vocatæ sunt gentes in locum Judæorum, qui noluerunt venire ad nuptias, non repugno: exeuntes enim ex hac vita pii ut ad aliud convivium transeant, videbunt æterna impiorum supplicia, qui noluerunt gustare cœnam Domini. Det nobis omnibus rex iste, qui nos vocavit ex gentibus, nè etiam illis annumeremur qui sordidis induti vestibus ex convivio ejiciuntur ad eadem supplicia ad quæ infideles Judæi: quinimo hinc egressi ex corporibus ad ipsius consortium transeamus. Amen.

LUCAS BRUG.

17. **Q**Ui *sanctificabantur & mundos* [*immundos* o.] *se putabant in hortis post januam intrinsecùs.*] Quidam codices pro *post januam* legunt *post unam*, Hentenii septem, Parisiensium quinque, Di. o. l. Ge. o. l. p. correcti Lyrani, antiqui Dominicanorum. Epanorthotes dicit antiquiores habere *post januam*, satis antiquos *post unam*: id quod omnino se ità habere ex nostris deprehendimus exemplaribus. Vetustissima namque, Brugense, Leodiense, Lobiense (his enim non existimo alia ex nostris esse vetustiora) *post januam* scribunt: nonnulla verò, vetustate his inferiora, Plantini medium, Hunnæi L, M, & G, atque unicum Bessarionis, *post unam* legunt: quibus adde alia duo, quæ utrumque indicant modum. Dominicani Hieronymo attribuunt lectionem *post unam*: verùm non id liquet ex Hieronymi commentario, neque id habet textus commentario nunc additus. Haymonis enarrationibus adscriptum est *januam*; Glossæ Ordinariæ *unam*; id quod Richelius manifestè interpretatur. Lyranus & Carensis utrumque exponunt. Hebraicè est, *sanctificantes se & purificantes se in hortis post* אחר [ק׳ אחת] *in medio*. אחר, quod scribunt Hebræi, *unum*, אחת, quod legunt, *unam* significat; nullo autem modo *januam*. Itaque vertunt complures, *Post unam*, vel, *post peculiarem*. Pagninus explicationis ergò nonnulla addidit, *Post piscinam peculiarem quæ est in medio horti.* Forerius reddidit, *Alienus unus in medio.* *Alienus* reddidit quod alii *post*, punctis vocis אחר mutatis. Chaldæus Paraph. transtulit סיעא בתר סיעא, quod est, *cœtus post cœtum*, seu, *societas post societatem*, quomodo & R. Salomon, si N. Lyrano credas, exponit. Non fit verisimilis, mihi quidem, Forerii annotatio, quæ in Chaldæo mendosè arbitratur legi, pro כיפא (quod *angulum* & *limen* significat) סיעא; reperitur enim ס׳ ב׳ כ׳. Similem esse puto Chaldæi metaphrasin Symmachi & Theodotionis versioni, qui, D. Hieronymo teste, interpretati sunt, *Alter post alterum.* Quòd sequitur בתוך *in medio*, sequentibus hi conjunxere, *Inter eos qui comedunt*, &c. in Chaldaico vel omissum est, vel in eo quod attulimus comprehensum. Potuit enim Chaldæus hoc, *post unam in medio*, intellexisse, primæ mediâ succedente, atque id, unam societatem alterâ sequente. Subaudierunt Interpretes Theodotio & Symmachus, ac fortasse etiam Chaldæus, alterum אחר: neque enim eis bis אחר lectum necesse est dicere. Horum autem omnium interpretationes ei suffragantur lectioni quæ *post unam* habet: quam existimant nonnulli amplectendam, Nicolaus à Lyra, Adamus Sasbout. Castigatores Parisienses & Dominicani in textum eam recepere. Et certè videri possit, quia obscurior est, scribarum lectorúmve temeritate mutata. Faciliùs enim adduci possim ut credam *post unam* variatum fuisse in *post januam*, quàm è converso, *post januam* in *post unam*. Verumenimvero putat Forerius *post januam* Hieronymum transtulisse, secutum LXXII senes, quorum versio est, *Qui sanctificantur & purificantur in hortis*, καὶ ἐν τοῖς προθύροις, i. *& in liminibus*, vel, *& in vestibulis.* Leo Castrensis arbitratur Hieronymum Hebraicæ lectioni *post unam* subaudiisse *januam*, sicque convertisse *post januam*. Sed neuter horum meminit variæ Latinorum codicum scripturæ: quam, etsi varia sit, Lyranus & Epanorthotes in eundem sensum interpretantur, eum quem Castrensis Hieronymo transferenti attribuit. POST UNAM, inquit Lyranus, *scilicet* portam *vel* clausuram; *& ideo aliqui libri habent* POST JANUAM.

DRUSIUS.

3. כְּמַכֵּה־אִישׁ. Sym. Th. ὡς ὁ τύπτων ἄνδρα *ut qui percutit virum.* ¶ זוֹבֵחַ הַשֶּׂה. Sym. Th. ὁ θυσιάζων ἐκ ποιμνίου *qui sacrificat è grege.* Hæc apud Procopium ex Theodotione & Symmacho sub asteriscis in margine posita sunt.

9. הַאֲנִי אַשְׁבִּיר וְלֹא אוֹלִיד יֹאמַר יְהוָה. Hieron. *In Ebraico, cui reliqui Interpretes congruunt*, Numquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam? dicit Dominus.

11. מִזִּיז. Sym. *à pinguedine.* Th. *à multitudine*] Psal. 80. 14. זיז שדי, ubi LXX μονιὸς ἄγριος *singularis ferus*, Aquila transtulit παντοδαπίαν χώρας, i. *omnimodum regionis.*

17. הַמִּתְקַדְּשִׁים וְהַמִּטַּהֲרִים אֶל־הַגַּנּוֹת אַחַר אַחַת בַּתָּוֶךְ אֹכְלֵי בְּשַׂר הַחֲזִיר וְהַשֶּׁקֶץ וְהָעַכְבָּר יַחְדָּו יָסֻפוּ נְאֻם־יְהוָה. Sym. Th. *Qui sanctificamini & lustramini in hortis alter post alterum, inter eos qui comedunt carnem suillam & abominationem & murem: simul deficient, dicit Dominus*] Hieron. *Sym. & Th. hunc locum sic interpretati sunt*, Qui sanctificamini, *&c. volentes ostendere, non ipsos comedere carnem suillam & abominationem & murem qui sanctificantur in hortis alter post alterum, sed eos qui lustrantur versari cum iis qui comedunt quæ prohibita sunt.*

19. מֹשְׁכֵי קֶשֶׁת. Omnes, *tendentes arcum*] Meminit Hieronymus in Comment. ad h. l.

20. בַּצַּבִּים. Th. ἐν λαμπήναις *in lampenis.* Sym. *lecticis*] Aq. σκεπαστὰ posuit, quod & ipsum *lecticas opertas pellibus* significat. Λαμπήνη in censu vehiculorum recensetur à Polluce: unde ἅμαξαι λαμπηνικαὶ Num. 7. 3. Suidas scribit λαπήνη. Sign. *vallum è curribus* 1 Sam. 26. Vide Fragmenta ad illum locum. *Lecticis*] Ità Hieron. quoque. ¶ בַּכִּרְכָּרוֹת. Sym. *& carrucis.* A. Th. *mulis*] Hieron. *Pro carrucis, quas solus interpretatus est Symmachus, quem nos hoc loco secuti sumus, Aq. LXX, & Th. mulos transtulerunt.* Latet ὕπαλον ulcus. Nam LXX פרדים vertunt *mulos*, ut etiam Hieronymus. כרכרות autem iidem interpretantur μετὰ σκιαδίων *cum umbraculis.* Ergò sequitur in Hieronymo, *Et ubi posuere* LXX cum umbraculis, *quæ nos dormitoria interpretari possumus, vel* basternas, *alii voce consonâ transtulerunt* φορεῖα, *quæ nos varii generis interpretamur vehicula.*

IDEM

IDEM EX PROCOPIO.

5. וְנִרְאֶה בְשִׂמְחַתְכֶם. Sym. κ̀ ὀφθώμεθα ἐν τῇ εὐφροσύνῃ ὑμῶν *& videbimus in lætitia vestra.*

7. בְּטֶרֶם תָּחִיל יָלָדָה בְּטֶרֶם יָבוֹא חֵבֶל לָהּ וְהִמְלִיטָה זָכָר. Sym. Πρὶν ἢ ὠδινῆσαι ἔτεκε, πρὶν ἐλθεῖν ὠδῖνα αὐτῆς ἔσωσεν ἄρσεν, *Antequam parturiret peperit, priusquam veniret dolor ejus, peperit masculum*] Verbum è verbo *servavit.* Posses vertere *liberavit se masculo.* Sic vulgò dicimus *liberata est masculo* pro eo quod est *peperit marem.*

8. אִם־יִוָּלֵד גּוֹי פַּעַם אֶחָת. Οἱ Γ. εἰ κ̀ ἐτέχθη ἔθνος εἰς ἅπαξ. Alias, ὁμοῦ. Α. Θ.

9. הַאֲנִי אַשְׁבִּיר וְלֹא אוֹלִיד יֹאמַר יְהוָה אִם־אֲנִי הַמּוֹלִיד וְעָצַרְתִּי אָמַר אֱלֹהָיִךְ. Sym. Μὴ ἐγὼ ὁ καθίζων ἐπὶ τὸ τεκεῖν, ἐκ ἐκτοκίζω; εἶπε Κύριος· ἢ ἐγὼ ὁ συνεκτοκίζων, κ̀ συνέξω; εἶπεν ὁ Θεός σε, *Num ego qui sedere facio ad pariendum, non pariam? dicit Dominus: aut ego qui fœtum promoveo, etiam comprimam, dicit Deus tuus?*

10. שִׂמְחוּ אֶת־יְרוּשָׁלַם. A. Sym. Εὐφράνθητε σὺν Ἱερουσαλὴμ, *Lætamini cum Jerusalem.* Th. Εὐφράνθητι ἅμα Ἱερουσαλὴμ, *Lætare simul cum Jerusalem.* ¶ אִתָּהּ. Th. ὁμᾶ αὐτῇ *simul cum ea.*

11. כִּשְׁדּ. A. Th. μαστῷ. Sym. μαστῷ. ¶ תַּנְחֻמֶיהָ. A. Th. Sym. —— αὐτῆς. ¶ מִזִּיז. A. ἀπὸ παντοδαπίας. Sym. ἀπὸ πλήθους *à multitudine*] Παντοδαπία nomen effictum ex παντοδαπὸς, *omnifarius, omnigenus, omnis generis*; item *varius, multiplex.* Reperitur & παντοδαπής. Psal. 80. 13. זִיז שָׂדַי. A. παντοδαπῶν χώρας, i. interprete Hieronymo, *omnimodum regionis.* Hoc loco idem habet *ab omnimoda gloria ejus.*

15. בָּאֵשׁ. οἱ λοιποὶ, ἐν πυρὶ *in igne.*

17. אַחַר אַחַד בַּתָּוֶךְ אֹכְלֵי בְּשַׂר הַחֲזִיר. Sym. ὀπίσω ἀλλήλων ἐν μέσῳ ἐσθιόντων τὸ κρέας τὸ χοίρειον, *post se invicem in medio comedentium carnem suillam.*

19. לוּד. Sym. Λυδὸς *Lydos.*

20. בַּסּוּסִים וּבָרֶכֶב וּבַצַּבִּים וּבַפְּרָדִים וּבַכִּרְכָּרוֹת. Sym. ἐφ' ἵπποις, κ̀ ἐν ἅρμασι, κ̀ ἐν λεκτικοῖς, κ̀ ἐν καρούχαις, κ̀ ἐν φορείοις, *in equis, & in curribus, & in lecticis, & in caruchis, & in vehiculis*] Λεκτικοῖς. Hujus ὑποκοριστικὸν exstat in V. L. ex Alexandro Tralliano citatum λεκτίκιον, quod interpretantur *lectica.* Quæ significatio etiam in φορεῖον, quod sequitur. *In caruchis*] Videtur redas aut carros innuere. Lex. Καρούχιον, *reda.* Καρουχάριος *mulocisiarius, earucharius.* Interpres Procopii, *& in carneis*: puto legendum *& in carris*: nisi potiùs ut legamus *& in carrucis*: nam καρούχη *carruca.* Hinc *carrucarius*, qui carrucam agit, cisiarius. Ulpianus, *Si cisiarius, i. carrucarius, dum cæteros transire contendit, cisium evertit.* Repone igitur pro CARUCHIS, *& in carrucis. Vehiculis*] Φορεῖον *vehiculum*; item *lectica, gestatorium.* Interpretes malè, *in ferculis.* Hieronymus hoc loco habet *in carrucis.* ¶ בִּכְלִי טָהוֹר. Sym. ἐν σκεύει καθαρῷ *in vase mundo.*

24. בְּפִגְרֵי הָאֲנָשִׁים. Sym. τὰ ἔσχατα --- i. *extrema.*

GROTIUS.

1. HÆc dicit Dominus] Quæ jam sequuntur consolandis illis serviunt, qui visuri erant profanationem Templi sub Antiocho, & sacrificiorum cessationem per annos tres & dimidium. Ostendit ergò Deus non esse quòd hac re offenderentur. Sibi optimum Templum esse piam mentem: ex eo æstimari sacrificia. Est oraculum apud Hieroclem,

Εὐσεβέων δ' ἐβροτοῖς γάνυμαι τόσον, ὅσσον Ὀλύμπῳ.

[*Tam mihi res grata est pia mens quàm regia cœli.*]

Seneca: *Vultisne Deum cogitare magnum & placidum, & majestate leni verendum, amicum & semper in proximo? Non immolationibus & sanguine multo colendum, sed mente purâ, honestoque proposito? Non templa illi congestis in altitudinem saxis exstruenda sunt: in suo cuique consecrandus est pectore.* Vide & alia paris sensûs circa finem Annotationum ad librum IV. de Veritate Religionis Christianæ. Quæ autem hîc dicuntur omnia talia sunt ut iter struant Euangelio.

Cœlum sedes mea] Solium majestatis.

Terra autem scabellum pedum meorum] Ὑποπόδιον [*scabellum* sive *suppedaneum*], quale erat Regum soliis. *Terra*, pars rerum vilior. Vide quæ ad Matthæi v. 35.

Quæ est ista domus quam ædificabitis mihi, & quis est iste locus quietis meæ?] Exiguum hoc est, si cœlo & terræ comparetur. Euripides:

Ποῖος δ' ἂν οἶκος τεκτόνων πλασθεὶς ὕπο
Δέμας τὸ θεῖον περιβάλοι τοίχων πτυχαῖς;

[*Qui posset ædes structa fabrili manu
Tenere vim parietibus inclusam Dei?*]

2. *Omnia hæc manus mea fecit*] Omnia quæ usquam videtis à me facta sunt, ac proinde mei juris. Simile habes Psalm. L. 10.

Ad quem autem respiciam?] Jam venit ad sacrificia, quæ dicit ità sibi aut grata aut ingrata esse prout est vita & animus offerentis.

Nisi ad pauperculum] עָנִי τὸν ταπεινὸν [*humilem*], ut vertunt hîc LXX: id est, modestè de se sentientem. At Chaldæus ענו [*mansuetum*]. Sæpe hæ voces ejusdem originis & vicini significatûs inter se permiscentur.

Et contritum spiritu] Pœnitentiam agentem peccatorum, ut in Psalm. LI 19.

Et trementem sermones meos] Metuentem in leges meas impingere.

3. *Qui immolat bovem quasi interficiat virum*] Subaudiendum *alioqui*; id est, si istæ virtutes absint, abominor victimas quasi homicidium: quod Deus ità exsecratur ut etiam ab altari suo homicidam velit abstrahi, Exod. XXI. 14. Pythagoras: Θυηπολίαι ἄφθονοι, πυρὸς τροφή [*Sacrificia insipidorum, pabulum ignis*].

Qui mactat pecus, quasi qui excerebret canem] In Hebræo: *Quasi si quis decollet canem*: nempe ad sacrificandum. Canis ità vile Hebræis animal, ut nè pretium quidem ejus in Templo recipi posset. Vide quæ dicta ad Deuteron. XXIII. 18.

Qui offert oblationem] Μαναὰ, nempe *libum ex simila*: σεμίδαλιν [*similam*] hîc LXX.

Quasi qui sanguinem suillum offerat] Quod dupliciter illicitum, & quia sus immunda Lege, & quia sanguis omnis effundendus, non offerendus, Exodi XXIII. 18.

Qui recordatur thuris, quasi qui benedicat idolo] *Qui mei recordatur per thus, quasi idolo laudes ac gratias diceret.* Sic sumsêre & LXX: ὁ διδοὺς λίβανον εἰς μνημόσυνον [*qui dat thus in memoriale*]. At Chaldæus pro און [*idolo*] legit עשק; vertit enim *rapinam.*

Hæc omnia elegerunt in viis suis] Nempe Hebræorum quidam, qualis Jason, qui Pontificatum sibi pretio mercatus est ab Antiocho, dejecto fratre suo Oniâ Pontifice optimo: deinde Menelaus qui pari modo Jasonem expulit, Oniam autem interfecit, successorémque sibi substituit Lysimachum sacri ærarii expilatorem.

Et in abominationibus suis anima eorum delectata est] In vi, cædibus, rapinis.

4. *Unde & ego eligam illusiones eorum, & quæ timebant adducam eis*] Nec Jason, nec Menelaus retinebunt emptum pontificatum: Lysimachus in ipso scelere interibit: Jason & Menelaus inter se movebunt arma, II Macc. IV. & V.

5. *Audite verbum Domini qui tremitis ad verbum ejus*] Qui viri boni eritis illo tempore: ut qui Oniæ favebant.

Dixerunt fratres vestri odientes vos] Isti qui in factione erant Jasonis, aut Menelai.

Glorificetur Dominus] Id est, faciat aliquid magni vestri causâ, si tanti apud eum estis.

Et videbimus in lætitia vestra: ipsi autem confundentur] In Hebræo, *At conspicietur* (nempe Deus) *cum gaudio vestro: illi autem pudefient.* id quid sit jam sequitur.

6. *Vox populi de civitate*] Audio ovationem Judæ Maccabæi, & militum ejus intra Urbem derelictam ab Antiochi militibus & impiis Judæis, qui Antiochi erant partium.

Vox de Templo] Audio eosdem illos in ipso Templo Deo gratias agere de multis victoriis.

Vox Domini reddentis retributionem inimicis suis] Deus in illis Psalmis quos canunt respondet jamjam ultionem se sumturum de illis malis Judæis, quorum alii mutuis cædibus, alii manu Judæ Maccabæi conciderunt. Talis est Psalm. LXXXI. LXXXIX. 20. & sequentes.

7. *Antequam parturiret, peperit: antequam veniret partus ejus, peperit masculum*] Priusquam quisquam id sperare posset, venit Judææ liberatio per Maccabæum.

8. *Numquid parietur terra in die una, aut parietur gens simul?*] Quis unquam id vidit, ut ità subitò restitueretur totus status aliquis, & ubi non erat populus, populus exsisteret?

Quia parturivit & peperit Sion filios suos] *Sicut parturivit* (id est, partitudinem primùm sentire cœpit), *&* (eodem momento) *peperit Sion.* Uno velut momento impleta est civibus, quæ deserta fuerat.

9. *Numquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam*] In Hebræo: *Qui parere facio* (nempe feminas), *non pariam?* id est, non potero subitò efficere ut exsistat populus?

Sterilis ero?] *Claudar:* id eſt, ero velut mulier clauſo utero?

10. *Qui lugetis ſuper eam*] *Qui luxiſtis.* Participia enim apud Hebræos ſunt cujuſvis temporis. Hæc Hebræi multi μυςικῶς [*myſtice*] referunt ad tempus Reſurrectionis.

11. *Ut ſugatis & repleamini*] Ut participes ſitis divitiarum Urbis ac triumphorum.

12. *Quaſi fluvium pacis*] In Hebræo: *Pacem tanquam fluvium. Tanquam Euphratem*, ait Chaldæus, id eſt, ingentem proſperitatis copiam.

Gloriam gentium quam ſugetis] Prædam de Idumæis, Moabitis, gentibúſque aliis.

Ad ubera portabimini] Satiabimini ut infans de uberibus pendens.

Et ſuper genua blandientur vobis] In Hebræo, *Delectabimini:* id eſt, læti agetis in urbe patria, non minùs quàm pueri qui in gremio matris ludunt.

13. *Quomodo ſi cui mater blandiatur, ità ego conſolabor vos*] In Hebræo eſt: *Si quem mater conſoletur*, puerum flentem ſcilicet.

Et in Jeruſalem conſolabimini] Id eſt, non privatim tantùm vobis bona contingent, ſed & gaudebitis patriâ gaudente, ut ſuprà 10.

14. *Oſſa veſtra quaſi herba germinabunt*] Id eſt, *florebunt*, ut vertit Symmachus, teſte Hieronymo. Per *oſſa* autem μετωνυμικῶς [*per tranſnominationem*] intelligi corpora docet nos Chaldæus. Confer Ezechielis XXXVII.

Et cognoſcetur manus Domini ſervis ejus] Apparebit jam quàm potens ſit Deus ad ſervandos & ornandos quos amat.

15. *Dominus in igne veniet, & quaſi turbo quadrigæ ejus*] Per *ignem* efficacia, per *turbinem* celeritas intelligitur.

Reddere in indignatione furorem ſuum, & increpationem ſuam in flamma ignis] Hic illud *furorem* ſignificat ἐκδίκησιν [*ultionem*], ut rectè verterunt Græci. Quod hic eſt *increpationem*, Græci verterunt ἀποσκορακισμόν [*contemtum*]. Suidas: ἀποσκορακίζω, ἀθετίζω, ἐξορίζω, διώκω [*vilipendo, ejicio, perſequor*]. Verbum גער alibi vertunt interpretes per ἐπιτιμᾶν [*increpare*], vel ἐμβριμᾶσθαι [*indignari*]. Nomen indè derivatum, quod hic habemus, vertitur ἐπιτίμησις, ἀπειλή, ἔλεγμος [*increpatio, comminatio, exprobratio*]. Vertitur & נטש [*evellere*] per ἀποσκορακίζειν in Pſalm. XXVII. 9. Ità enim ex LXX citat Theodoretus, ubi alii codices habent μὴ ἐγκαταλίπῃς με [*nè me deſeras*]. Σκορακίζειν eſt dictum pro ἐς κόρακας βάλλειν [*ad corvos mittere*], ut Græci ſentiunt. Hæc omnia minantur Judæis illis qui Legem quidem non apertè reliquerant, ſed revera facti erant impii, neque Legem retinuerant, niſi, ut Herodes, ad gratiam populi retinendam. Hi omnes graviſſimas pœnas dedêre, ut ex Joſepho & Maccabaïca hiſtoria diſcimus.

16. *Quia in igne Dominus dijudicabit, & in gladio ſuo ad omnem carnem*] Incendiis oppidorum caſtrorúmque, & multâ hominum occidione ſe ulciſcetur. Vide I Macc. IV. 20. V. 5. 44. VI. 31. X. 84.

17. *Qui ſanctificabantur, & mundos ſe putabant in hortis poſt januam intrinſecus*] Cùm מתקדשים, non minùs quàm ipſa vox קדש, & in bono & in malo ſenſu ſumatur, non malè vertas: *Qui ſe polluerunt, ac deinde luſtrarunt* (aquâ ſumptâ) *in lucis.* Confer quæ ſuprà I. 29. LXV. 3. Vide & I Reg. XIV. 23. XV. 13. II Regum XXIII. 7.

Poſt januam] Sic vertit hîc Interpres, quod in Hebræo legimus אחר אחד, ut & Græci, ἐν τοῖς προθύροις [*in veſtibulis*], ſenſu non malo, qui intelligi poteſt ex iis quæ ſuprà LVII. 8. At Chaldæus haud dubiè legit אחר אחר, id eſt, *alius poſt alium*, magno agmine. Non improbo. Si tamen lectio recepta retinenda eſt, אחד ſumam pro *Sole* Deo Aſſyriorum, qui nomen habebat, unde & Latinum eſt, quòd *ſolus* ſit in ſuo genere, nec quicquam ſimile habeat. Hebræi dicunt אחד, Syri autem, omiſsâ literâ gutturali, & duplicatâ litera poſtremâ, חדד [*Adad*]. Philo Byblius, Ἄδωδος βασιλεὺς θεῶν [*Adodus Rex deorum*]. Macrobius I. Saturn. XXIII. *Accipe quid Aſſyrii de Solis potentia opinentur. Deo enim quem ſummum maximúmque venerantur, Adad nomen dederunt. ejus nominis interpretatio ſignificat* unus. *Hunc ergò ut potentiſſimum adorant Deum.* Ergò *poſt Adad* erit, ponè ſacella illa in quibus Adad colebatur.

Qui comedebant carnem ſuillam] Vide quæ diximus ſuprà LXV. 4.

Et abominationem] Intelligenda hic εἰδωλόθυτα [*idolis immolata*], diſcere poteris ex Chaldæo ſuprà XXVIII. 8.

Et murem] Cujus eſus vetitus lege Levit. XI. 29. Erant qui eo veſcerentur; ut gliribus Itali, teſte Varrone.

18. *Ego autem opera eorum, & cogitationes eorum*] Hic ponendum κῶλον [*ſignum membri orationis*]. Et eſt ἀποσιώπησις [*Reticentia*]. Subauditur enim *ſcio*, quod ſupplent Græci & Chaldæus.

Venio ut congregem cum omnibus gentibus & linguis] In Hebræo: *Eo congregatum gentes omnes & linguas.* Id eſt, tanta erit gloria populi Judaïci, ut omnes gentes eorum fœdera ambiant. Hunc ſenſum exigunt ſequentia.

19. *Et ponam in eis ſignum*] Advocabo eos, velut ſigno erecto.

Et mittam ex eis qui ſalvati fuerint] Ex Judæis qui ſuperſtites erunt illis temporibus Antiochi. *Mittam*, faciam ut mittantur Legati ad amicitias quærendas. Vide I Maccab. XII. 2.

Ad gentes in mare] In Hebræo, *ad gentes Oceani:* id eſt, ad eos qui adſiti ſunt mari Perſico & Arabico.

In Africam] Ex Græcis, qui legerunt פוט, ubi nos habemus פול. Ea eſt pars Africæ apud Feſam. Vide quæ diximus in Annotatis ad librum I. de Veritate Religionis Chriſtianæ. Chaldæus tamen פלוא, id eſt, Πύλαι, Portæ Caucaſiæ; de quibus vide Plinium VI. 11.

Et Lydiam tendentes ſagittam] In Hebræo, *Et Lydos tendentes arcum.* Lydos quidem Cyrus bis ſubegit, & gentem bellacem omni luxûs genere corrumpi voluit, ſed facilè reditur ad ingenium. Itaque proverbium inter Græcos natum eſt, Λυδὸν εἰς πεδίον προκαλεῖς [*Lydum in campum provocas*].

In Italiam] Romam uſque, cum qua fœdus fecêre. Vide I Maccab. VIII. At in Hebræo eſt תבל, nec aliter legêre aut Græci, aut Chaldæi. Ea verò eſt Iberia Aſiatica, ut in dictis Annotatis videbit qui volet. Dubitari poteſt an quidam codices habuerint איטל [*Ital*].

Et Græciam] Vide dictum locum I Maccabæorum XII. 2.

Ad inſulas longè] Ad loca longinqua mari aut amnibus adſita.

Qui non audierunt de me, & non viderunt gloriam meam] Ad quos de Judæa & rebus actis in Judæa tenuis notitia pervenerat. Cauſas vide apud Joſephum contra Appionem priore.

Et annuntiabunt gloriam meam gentibus] Hiſtoriam plenam eximiis Dei factis.

20. *Et adducent omnes fratres veſtros de cunctis gentibus donum Domino*] Id eſt, in honorem Dei, Romani & Græci in libertatem reſtituent, ac domum remittent cum honore captivos, quos bellis Macedonico & Syriaco ceperant. Similia exempla benignitatis in ſocias gentes vide libro III. de Jure Belli ac Pacis, cap. IX. §. 2. & in Annotatis ad eum locum.

Quomodo ſi inferant filii Iſrael munus in vaſe mundo in domum Domini] Pari lætitiâ ac gaudio. *In vaſe mundo*, id eſt, in lance bene purgata ab omni immunditie legali. At LXX per כלי intelligunt inſtrumenta muſica. Vertunt enim μετὰ ψαλμῶν [*cum pſalmis*], non malè. ſolet enim כלי ſæpe eo ſenſu ſumi, ut I Paralip. XV. 16. XVI. 5. 42. XXIII. 5. II Paralipom. V. 12. VII. 6. XXIII. 13. XXIX. 26. 27. XXX. 21. XXXIV. 12. Et quod additur ἐπίθετον [*epitheton*] טהור, id vertitur interdum per ἅγιον, ὅσιον, δόκιμον [*ſanctum, ſacrum, probum*].

21. *Et aſſumam ex eis in Sacerdotes & Levitas, ait Dominus*] Ex illis Judæis qui apud gentes externas bello capti ſervitutem ſervierant: quaſi dicat, Non obſtabit illis iſta non ipſorum culpâ ſed ex bellica fortuna tolerata calamitas. Hyrcano quidam objecerunt, non poſſe eum Pontificatu fungi, quod mater ejus captiva aliquando fuiſſet: nimirum quia captivis fœminis ægrè creditur de pudicitia. Alioqui poſtliminii jus omnia reſtituit in eum ſtatum in quo ante bellum fuerant.

22. *Quia ſicut cœli novi & terra nova*] Vide ſuprà LXV. 17. & ibi dicta.

Sic ſtabit ſemen veſtrum & nomen veſtrum] Splendebit ut cœlum, florebit ut terra.

23. *Et erit menſis ex menſe, & ſabbatum ex ſabbato; veniet omnis caro, ut adoret coram facie mea, ait Dominus*] Omnis generis gentíſque homines venient oraturi in ſubdiali Gentium. ídque non tantùm fiet ſingulis menſibus, ſed quaque hebdomade. Simile loquendi genus habes apud Amoſum VIII. 5. Vide quæ dicta ad Joh. XII. 20.

24. *Et egredientur*] Spatiatum per Judæam.

Et videbunt cadavera virorum qui prævaricati ſunt in me] Id eſt, illorum qui in Antiochi fuerunt partibus.

Vermis eorum non morietur] Id eſt, diu vermis paſcetur illorum cadaveribus, quia ſepulturâ indigni judicabuntur.

Et ignis eorum non exſtinguetur] Μετωνυμία [*tranſnominatio*], id eſt, ignis ſigna in oppidis incenſis. Vide quæ dicta ſuprà 16. μυςικῶς [*myſtice*] tamen etiam Judæi hæc ad diem Judicii trahunt: etiam Chaldæus hoc loco.

Et erunt uſque ad ſatietatem viſionis omni carni] *Ad nauſeam:* id eſt, fœtorem de ſe excitabunt odioſum.

ANNO-

ANNOTATA AD JEREMIAM.

CAP. I.

MUNSTERUS.

FUit Jirmeia filius Hilkijahu Sacerdotis, qui sub Josia Rege Jehuda invenit in domo Domini librum Legis, XVIII scilicet anno Regni ejus. Jirmeiahu verò cœpit prophetare XIII anno Regni Josiæ, quando Rex, Sacerdotes & populus perditissimè vivebant, donec inventus fuit liber Legis Divinæ. Tunc Rex pia induens viscera cultum Dei restauravit & idololatriam exterminavit, ut posterior liber Regum cap. 22. testatur. Prophetavit verò Jirmeia à XIII anno Josiæ usque ad captivitatem Babylonicam annis ferè XLI, tandémque in codicem scribens, diu quidem se prædicasse verbum Dei ostendit, sed nihil promovisse tanto tempore. Porrò quamdiu vixerit in Ægypto, nihil habetur compertum.

11. *Baculum amygdalinum*] Scribitur primo loco שָׁקֵד cum Camez, & secundo loco שֹׁקֵד cum Holem: quod Interpretes nostri non adverterunt. Significabat autem *baculus amygdalinus* ultionem Divinam subitò venturam. Siquidem Amygdalus præ cæteris arboribus citiùs in flores rumpitur. Et Dominus respóndit, *Benefecisti videndo* (sic Hebraismus habet) *ego enim accelero ultionem meam*, &c.

13. *Ollam bulliementem*] h. e. Ollam propter calorem in bullas resolutam. Quem locum Jonathan sic exponit, *Regem qui fervet sicut olla ego video.* Est autem ordo inter Baculum & Ollam. Quando enim *Baculus*, minor pœna, non movet hominem, sequitur gravior pœna: Excoquendos enim dicit impios *velutì carnes in olla*, de quo Ezech. quoque 24 habetur. Habet Deus multa media quibus suos conatur convertere ad meliora. Quosdam minoribus erudit pœnis, ut emendentur. Aliis verò, qui incorrigibiles sunt, graviores imponit, ut eos à malo revocet.

16. *Judicia mea cum eis*] Referuntur hæc verba ad Jerosolymitanos & reliquarum urbium habitatores: ubi Jonathan pro משפטי vertit פורענות דיני, i. *vindictas judicii mei.*

VATABLUS.

1. VErba Irmeiahu דברי ירמיהו] Sub. *sunt hæc*: q. d. *sequitur Prophetia Jeremiæ.* Chaldæus Paraph. *Verba Prophetiæ Jeremiæ.* ¶ *Qui* erant *in Anathoth* אשר בענתות] i. Qui habitabant in Anathoth. Vel, ut habet Chaldæus Paraph. *unus ex sacerdotibus qui habebant suas possessiones in Anathoth, quamvis alibi habitarent.* ¶ *In terra Benjamin* בארץ בנימן] i. In sorte. Chaldæus Paraph. *in terra tribûs Benjamin.*

2. *Ad quem factum est*, &c. 'אשר היה וגו] Ad verb. *Quod fuit verbum Jehovæ ad eum*: sive, *cui factum est verbum Jehovæ ad eum*: i. quem Dominus allocutus est quo tempore regnabant Josias, &c. ¶ *Quo regnavit ipse* למלכו] Chaldæus Paraph. *ex quo regnavit*: vel *regnare cœpit.*

3. *Factum est præterea* ויהי] Sub. *verbum istud Propheticum.* Ad verb. *Et fuit*: pro *fuit etiam.* ¶ *Filii Josijahu* בן יאשיהו] Chaldæus Paraph. *fratris ejus filii Josiæ.* ¶ *Usque ad consummationen* 'עד תום וגו] *Donec compleretur undecimus annus*: vel, *donec completi fuerunt undecim anni.* ¶ *Usque ad transmigrationom* עד גלות] *Donec abducta fuit in captivitatem*: vel, *donec transmigravit.* Ad verb. *donec captivata fuit.* Chaldæus paraph. *donec venit Nabuchadnezar Rex Babylonis, & obsedit Jerusalem tribus annis, & abduxit captivum populum qui erat in ea, mense quinto.*

4. *Et fuit*, &c. ויהי דבר יהוה אלי] *Fuit, inquam, verbum*, &c. i. Locutus, inquam, est mihi Jehovah. Chaldæus Paraph. *Et fuit verbum Prophetiæ à conspectu Jehovæ*, &c.

5. *Sanctificavi te* הקדשתיך] Chaldæus Paraph. *præparavi te*: & ità doctus inter Hebræos. Alii, *segregavi*, aut *seposui*, quasi in rem sanctam.

6. *En nescio loqui* הנה לא ידעתי דבר] Chaldæus Paraph. *non novi futura prædicere.*

7. *Ad omnia ad quæ* על כל אשר] Chaldæus Paraph. *ad quemcunque.*

8. *A facie eorum* מפניהם] i. Propter eos ad quos te mittam.

9. *Et misit* וישלח] *Tum extendit.* Id significare שלח quoties sequitur יד scribit quidam Hebræorum.

10. *Constitui te* הפקדתיך] Præt. Heb. pro præs. ut quidam vertunt. ¶ *Ut evellas*, &c. 'לנתוש וגו] Pluribus verbis utitur ad declaranda adversa quàm prospera, quòd diutius immoretur in prædicendis adversis quàm secundis: i. ut intermineris hostibus meis quos in regionibus suis plantavi, collocavi, confirmavi, ædificavi, me captivitatibus evulsurum illos, nisi resipuerint. Id significari ex cap. 45. 4. licet intelligere, ubi legimus, *Ecce quæ ædificavi ego destruo, & quæ plantavi ego evello, & omnem terram ipsam.* Et contrà, dices me ædificaturum rursus & plantaturum eos quos destruxero & evulsero, si peccata sua agnoverint. Et istud intelligimus ex cap. 42. 10. ubi dicitur, *Si manendo manseritis in terra hac, ædificabo vos, & non destruam; plantabo vos, & non evellam: quia pœnitet*, &c.

11. *Virgam amygdalinam* מקל שקד] i. Baculum arboris *vigilantis*, & *festinantis* præ cæteris arboribus ut suos flores prima emittat: à שקד *vigilavit*, aut *festinavit*, derivatur. Chaldæus Paraph. exponit, *Regem qui festinat malefacere ego video. Baculum* dicit, quòd virga illa amygdalina quam vidit carebat foliis & floribus.

12. *Rectè vidisti* היטבת לראות]. Ad verb. *bene fecisti ad videndum*: i. exactè vidisti, aut videndo bene judicasti. ¶ *Accelero*, &c. 'שוקד וגו] *Vigilo ego super verbum meum.*

13. *Et faciem ejus* ופניו] *Cujus facies est*, &c. *Facies ollæ* dicitur anterior pars ejus quæ igni obvertitur. Chaldæus Paraph. exponit, *Regem qui fervet sicut olla ego video: & dispositionem copiarum ejus quæ incedunt & veniunt à facie Septentrionis.* Babylon respectu Terræ sanctæ est in plaga Septentrionali.

14. *Solvetur* תפתח] *Dissolvetur.* Alii, *pandetur.* Alii, *erumpet.* ¶ *Terra* הארץ] Sub. *sanctæ.*

15. *Advoco* קורא] Præs. Heb. pro fut. *advocaturus sum*: i. suscitaturus & invitaturus ut mox veniant.

16. *Loquárque judicia mea cum eis* ודברתי משפטי אותם] Hebraismus, *feram sententiam meam in illos*: q. d. *Ostendam illis, me justis de causis pœnas de illis sumere, nempe propter*, &c. Chaldæus Paraph. *Et loquar vindictam judicii mei ex eis*: i. condemnabo eos. ¶ *Incurvaverunt se operibus* וישתחוו למעשי] *Et adoraverunt opera.* ¶ *Qui* אשר]. *Quoniam.*

17. *Accinge* תאזר] Futura Heb. pro Imperat. ut scilicet eas cum festinatione. ¶ *Nè paveas* אל תחת] *Nè frangaris animo.* Chaldæus Paraph. *nè contineas teipsum à corripiendo illos.* ¶ *Conteram te* אחתך] *Frangam te: confringam.*

18. *Super omnem terram* על כל הארץ] *Contra universam regionem*: sub. *hanc.* ¶ *Regibus* למלכי] *Contra Reges, contra principes*, &c. Declarat quid vocaverit *omnem terram.*

19. *Et ipsi quidem pugnabunt contra te* ונלחמו אליך] Chaldæus Paraph. *Et litigabunt & pugnabunt adversum te, ut perdant verba Prophetiæ tuæ.*

CASTALIO.

12. NAm *ego meum dictum exsequi maturabo*] Amygdalus Hebraicè à *maturando* nomen habet.

CLARIUS.

ALii ex Prophetis, ut Esaias, Osee, Joel, fuerunt ante captivitatem decem tribuum Israel, sive duarum tribuum Judæ & Benjamin; alii post captivitatem, ut Daniel, Aggæus, Zacharias: at Hieremias & Ezechiel imminente captivitate vaticinium texuerunt, sed alter eorum in terra Juda, alter in Babylone. Hieremias filius Helchiæ Sacerdotis fuit, qui sub Josia Rege Juda invenit in domo Domini librum Legis, XVIII scilicet anno Regni ejus. Hieremias verò cœpit prophetare XIII anno regni Josiæ, quando Rex, Sacerdotes & populus perditissimè vivebant, donec inventus fuit liber Legis Divinæ; tunc Rex pia induens viscera, cultum Dei instauravit, & idololatriam exterminavit, ut IV Regum libro habetur. Hieremias ergò cùm adhuc esset puer prophetare cœpit, & annis XLI prophetavit, præter illud tempus quando ductus est in Ægyptum. Tricesimo autem quinto prophetiæ hujus anno Ezechiel in Babylone exorsus est prophetare. Ab Esaia autem ad Hieremiam interfuerunt anni CL.

3. *In mense quinto*] Mensis quintus insignis est propter subversam urbem Jerusalem, unde & jejunium indictum fuit. Hoc autem libro historiarum ordo negligitur, & priùs sæpe dicuntur quæ posteriùs contigerunt.

5. *Priùs quàm te formarem*] Adimit occasionem excusandi & recusandi negotii Prophetiæ, cùm paratum eum dicit fuisse ante ortum. ¶ *Prophetam in Gentibus*] Vel, *ut prædiceret etiam vocandas Gentes:* vel Judæos intelligit, qui Gentilium more vivebant.

6. *Nescio loqui*] *Non sum idoneus tantæ provinciæ subeundæ.*

10. *Constitui te hodie super Gentes*] Tanquam monitorem & doctorem.

11. *Virgam vigilantem*] Virga symbolum pœnæ. Heb. cum 70 exponunt *baculum amygdalinum*, eò quòd accelerata esset ultio, siquidem amygdalus præ cæteris arboribus citiùs in flores rumpitur, & Amygdalus Hebræis nomen accepit ab *accelerando*, & Dominus respondet, *Bene fecisti videndo, ego enim accelero ultionem meam.*

13. *Ollam succensam*] Vel *ollam bullientem*, h. e. ollam propter calorem in bullas resolutam. Quem locum Jonathas sic exponit, *Regem qui fervet sicut olla ego video.* ¶ *Et faciem ejus à facie Aquilonis*] h. e. Tanquam veniat ab Aquilone.

14. *Ab aquilone*] Nam Babel ad Orientem aquilonarem sita est. ¶ *Super omnes habitatores terræ*] Habitatores scilicet hujus terræ.

DRUSIUS.

3. עַד־גְּלוֹת יְרוּשָׁלַםִ. Omnes alii, *ἕως τῆς μετοικεσίας Ἱερουσαλήμ, usque ad transmigrationem Jerusalem*] Hier. *Pro* transmigratione, *quod omnes alii voce consonâ transtulerunt, Lxx posuere* captivitatem: quod in eorum editione *ἕως τῆς αἰχμαλωσίας.*

11. מַקֵּל שָׁקֵד. A. Sym. *virga vigilans.* Th. —— *amygdalina*] Hier. in Comment. ad h. l. *Pro* baculo nuceo (nam in Lxx *βακτηρίαν καρυΐνην*) *Aq. & Sym.* virgam vigilantem. *Th. verò* amygdalinam, *transtulerunt.* Idem paulò antè, *SACED* nux *dicitur*; vigilia *autem*, *vel* vigil, *sive* vigilans, *SOCED: unde in posterioribus* pardus vigilans *hoc nomine appellatur:* ità legendum, non ut in libris Antverpiæ cusis, *vigil sive vigilare, SACAD.* Nam Jer. 5. 6. quem locum ibi citat, in Ebræo est נמר שקד, i. *Soced*, non *Sacad.* Mirum autem, cùm dicat *SACED nucem* significare, cur verterit *virgam vigilantem*, i. *SOCED.* An legit aliter quàm nunc est in cod. Ebræis? Videtur; nam etiam Aq. & Sym. ità legerunt. Quòd autem Theodotio vertit *ἀμυγδαλίνην* non est de nihilo. Nam שקד antiquâ declaratione *amygdalus* sive *amygdalum.* Porrò Amygdalum sub generali voce *nucis* continetur. Heraclius Ephesius, *Κάρυα ἐκάλουν καὶ τὰς ἀμυγδάλας καὶ τὰ νῦν κασάνεια.* Sanè ab aliis vocatur *nux Thasia* sive *Græca.* Dicimus etiam, *Amygdala, amygdala*; unde *ἐξαμυγδαλόω*, *ad instar amygdalæ torno.* Ebraicè etiam לוז dicitur. Glossarius Philonis, *Luza, amygdalon.* Glossæ veteres, *Luza, nux, vel amygdalum.* Sed לוז propriè *nux*, Lamed in N versâ. Sic permutantur נשכה & לשכה. Vide Cadmum nostrum.

17. פֶּן־אֲחִתְּךָ. *οἱ λοιποὶ, nè fortè timere te faciam*] Hier. in Comment. *NE TIMEAS A FACIE EORUM, sive, ut Lxx & cæteri habent Interpretes, NE FORTE TIMERE TE FACIAM.* In ed. Rom. *τοῦ ὁ μηδὲ πτοηθῇς·* sed notatum in quibusdam libris esse *μηδὲ πτοηθῆναι καί σε ποιήσω*, quod reddunt, *neque exterreri te faciam.* Potest fieri ut Hieronymus legerit *μήποτε*, i. *nè fortè*, vel potiùs *nè quando.*

GROTIUS.

1. V*Erba Jeremiæ*] Liber. Est autem hæc inscriptio libri hujus ad finem capitis XXXIX. indè sequitur velut alter liber, additus priori.

De Sacerdotibus qui fuerunt in Anathoth] Qui ibi habitabant, & per *ἐφημερίας* [*vices*] suas serviebant Deo in Templo.

2. *Quod factum est verbum Domini ad eum*] Ideo hic liber scriptus est, quia Deus ei multa futura revelavit, digna quæ posteris mandarentur in signum Divinæ providentiæ.

In diebus Josiæ] Reges hîc tres nominantur, omissis duobus, ob breve admodum regnum. Ordo Regum sub quibus vixit Jeremias hic est:

Josias.
Joachaz.
Jojakim.
Joachin, qui & Jechonias.
Sedecias.

Anni per quos in terra Judæa Prophetam egit Jeremias, colliguntur XLI. post eos in Ægypto Prophetiæ ei obvenerunt.

4. *Et factum est verbum Domini ad me*] Ferme puerum adhuc, ut apparet infrà 7. Vide quæ diximus ad Esaiam LIII. 2.

5. *Priusquam te formarem*] Potiùs vertas, *formassem.* Vide quæ dicta ad Esaiam XLIX. 1.

6. *Puer ego sum*] Ætatis infirmæ, & ad res magnas eloquendas non satis idoneæ.

7. *Quoniam ad omnia quæ mittam te ibis*] Vertas non malè: *Imò ad omnia* (peragenda) *ad quæ te mittam, ito.* Sic in iis quæ sequuntur, *loquitor.*

9. *Et tetigit os meum*] Per Angelum. Vide Esaiæ VI. 7.

Ecce dedi verba mea in ore tuo] Eloquentiam tibi tribuo mandatis parem.

10. *Ecce constitui te hodie super gentes & super regna*] Prophetam res eximias prædicturum, quæ non ad singulos, sed ad integras gentes, ut Judæos, Tyrios, Idumæos, magnáque regna, quale fuit Babylonis, Persarum, Ægypti, pertineant.

Ut evellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes] Dei hæc sunt opera, regna, populósque evellere & restituere, infrà XIV. 4. Sed Prophetæ tribuuntur, quia non minùs certò eventura erant quæ dixerat (nempe sub suis conditionibus) quàm si ipse ea faceret. Vide Gen. XLIX. 7. Exod. VIII. 5. Ezech. XLIII. 3. Oseæ VI. 5.

11. *Virgam vigilantem ego video*] Theodotion optimè vertit *amygdalinam.* Vide Ecclesiastæ XII. 5.

12. *Quia vigilabo ego super verbo meo ut faciam illud*] Pro *vigilabo*, rectiùs pones, *maturabo*; nam & hoc שקד significat: & indè nomen שקד *amygdala*, quia *floret omnium prima amygdala mense Januario, Martio verò poma matura*, ait Plinius XVI. 26. Sicut in somniis apud Artemidorum, & alios, multa significant *ἐξ ὁμωνυμίας* [*ex ambiguo vocis*], ità ex conspectu amygdalinæ virgæ intelligi debuit maturatio eorum quæ Deus constituerat.

13. *Ollam succensam*] In Hebræo, *sufflatam:* id est, bullientem. Speciem Judææ gravissimas calamitates sensuræ quasi ab igne, sic ut etiam cives extra eam projiciantur. Vide Ezech. XI. 7. & quæ ad Psalmum LVIII. 10.

Faciem ejus à facie Aquilonis] Id est, ignis ille qui eam accendit est positus ab Aquilone.

15. *Omnes cognationes regnorum Aquilonis*] Nam regnum Babylonicum multum in Septentrionem se porrigebat: & Medi erant federati Nabuchodonosoro, qui Mediæ Regis filiam uxorem duxerat. Vide quæ ad librum III. de Veritate Religionis Christianæ.

Ponent unusquisque solium suum] Id est, prætorium suum castrense.

In introitu portarum] In via quâ ad portas itur.

Et super omnes muros ejus] Circum muros.

16. *Loquar judicia mea cum eis*] Prædicam illis mea decreta, per

per te, Jeremia, per Holdam, Sophoniam, Ezechielem. Considera quæ sequuntur.

17. *Accinge lumbos tuos*] Para te operi. Vide quæ ad Lucam XII. 35.

Nè formides a facie illorum] Nè eos extimescas.

Nec enim timere te faciam vultum eorum] In Hebræo, *Nè ego te coram illis perterrefaciam*: id est, perdam. Confer 1 Corinth. 9. 16.

18. *Super omnem terram, Regibus Juda, Principibus ejus, & Sacerdotibus*] Tam על quàm particula ל hic valent *contra*: ut sit sensus, Faciam te invictum adversùs omnem populum terræ, & omnes viros summates.

19. *Bellabunt adversum te*] Multa mala tibi facient. Sic πολεμεῖν [*bellare*] sumitur Apocalypseos XVII. 14.

Et non prævalebunt] Mortem tibi non inferent.

Ego tecum sum, ait Dominus, ut liberem te] Movendo corda Regum ac Principum.

CAP. II.

MUNSTERUS.

2. *Desponsationis tuæ*] Vocant Hebræi Sponsam כלה, quasi *consummatam in pulcritudine & ornamentis*. Et postquam ingressa fuerit thalamum ad sponsum, vocatur tunc כלה *nurus*, respectu socrûs & soceri. Sic quoque כלולת significat hîc *desponsationem & tempus perfectæ pulcritudinis*. Notatúrque per id tempus illud quando populus Israeliticus dicebat, *Omnia quæ mandavit nobis Dominus faciemus*, ineuntes cum Domino fœdus haud secùs quàm sponsus qui puellam sibi desponsat. Tunc etiam consecrati sunt *Domino* veluti *res sancta* & *primitiæ* Deo debitæ, &c.

8. *Pastores prævaricati sunt*] Per *pastores* Hebræi intelligunt Reges. Nostri simul intelligunt doctores & monitores quosque, qui omnes perfidi erant. ¶ *Rursus contendam*] Dicit *rursus*, quòd priùs cum patribus eorum quoque contentionem habuit.

11. *Gloriam suam*] i. Deum, qui fuit gloria ejus.

15. *In exustionem*] Hebræi interpretantur שממו *desolata sunt civitates ejus*.

18. *In via Ægypti*] Sensus est, Cur quæris auxilium humanum, & magis confidis de auxilio Ægyptiorum quàm Dei, qui tamen voluit ut fiduciam tuam solùm in eum poneres?

20. *Confregi jugum tuum*] Intelligitur hic locus de dura servitute Ægypti.

21. *Vitem optimam*] Est שורק idem quod גפן המשובח *vitis nobilis*, at סורי הגפן sunt *palmites vitis degeneris*, à verbo *recedere* sic denominati.

22. Per *nitrum* quidam intelligunt Alumen, alii Pulverem cum quo caput lavatur. Et per *Borith* aliqui intelligunt Saponem, alii herbam quâ lotores utuntur.

24. *Onagræ*] Usurpat hic Hebraismus פרה pro פרא, idque in utroque genere. Et תאנה est impulsus quidam fatalis, quo se onager carpendæ auræ gratiâ irrevocabiliter ad certum locum impellit. Nec ab insequentibus capi potest, quantumlibet insidientur, donec in illo mense id fecerint quo uterum gestat.

25. *Prohibe pedem tuum*] Sensus est, Noli currere ad gentes alienas: ut quid enim frustrà atteris calceamenta pedum tuorum, & teipsam siti maceras? Jonathan sic vertit, *Prohibe pedes tuos, nè societatem facias cum populis, & os tuum nè colat Deos vanos*, &c.

31. *Numquid solitudo factus sum*] In solitudine nihil invenitur unde homo vivere possit: Sic Judæi Deum deserebant, & ad idola convertebantur, perinde ac si utilius eis esset idola colere quàm verum Deum. ¶ *Nos dominamur*] i. Habemus Reges & Principes; non habemus opus te Deo, ut ad te veniamus. Legerunt hic omnes Interpretes nostri ירדנו pro רדנו, atque ideo perperàm verterunt *descendimus*.

33. *Quid pulcram facis viam*, &c.] Quare tantopere conaris tibi devincire gentes alienas in malum tuum? Nam sic fit ut illis te conformem facias, & discas mala eorum, atque mala tua illas doceas. Scribitur hîc למדת in secunda persona fem. in quibusdam tamen exemplaribus superadditur Jod otiosum, manente personâ secundâ.

34. *In secreto non invenisti*] Seu potiùs *in suffossione*. Alludit enim ad id quod scribitur Exod. 22. *Si in suffossione inventus fur fuerit atque percussus, non imputabitur sanguis occisori*. Judæi verò, de quibus Propheta hîc loquitur, publicè & impunè effundebant sanguinem innocentem. Nota etiam quòd מצאתים hic est secundæ personæ fem. generis cum affixo, habétque formam primæ personæ.

VATABLUS.

1. *Et fuit verbum*, &c. ויהי דבר יהוה וגו'] i. Sic dixit mihi Jehovah.

2. *Tui* לך] Quidam volunt pronomen istud redundare. Alii subaudiunt conjunctionem *&*, *tui*, & *misericordiæ*. Alii legunt, *tibi*; i. propter te: vel in gratiam tuam. ¶ *Misericordiæ adolescentiæ tuæ* חסד נעוריך] *Misericordiæ juventutis tuæ*. Chaldæus Paraph. *misericordiæ dierum antiquorum*, i. memini beneficiorum quæ in te contuli ab initio, cùm te eduxi de Ægypto. Quidam vertunt, *pietatis* [vel *bonitatis*] *juventutis tuæ*. ¶ *Charitatis desponsationis tuæ* אהבת כלולתיך] i. Amoris quo te prosequebar quando te accepi veluti in uxorem, ut mihi eam fidem servares quam sponsæ probæ maritis suis servare solent. Quidam liberiùs vertunt versum, sic, *Recordor quòd tu fueris suavis adolescentula & amata sponsa, quando*, &c. ¶ *Quando ambulabas post me* לכתך אחרי] Hebraismus, *cùm sequereris me*. ¶ *Non sata* לא זרועה] i. *Inculta*, ubi penuria annonæ erat.

3. *Sanctitas*, &c. קודש ישראל וגו'] Hebraismus; i. Israel est velut res sacra Deo & dicata, quæ pollui à Gentibus non debet: & tanquam primitiæ, sive oblatio primitiarum, quibus vesci aliis non licebat, nisi sacerdotibus.

5. *Elongaverunt se à me*, רחקו מעלי] *Recesserunt à me*; vel, *longiùs sese subduxerunt*: i. defecerunt à me. Chaldæus Paraph. *quòd recesserunt à timore mei*: i. cultu meo. ¶ *Post vanitatem* אחרי ההבל] Chaldæus Paraph. *post idola ipsa*.

6. *Ascendere fecit* המעלה] *Abduxit*; vel, *eduxit*. ¶ *Ambulare fecit* המוליך] Hebraismus, *eduxit*. ¶ *Et umbræ mortis* וצלמות] i. Horridam, quæ incutiebat metum mortis. ¶ *Per quam*, &c. לא עבר וגו'] Præt. perf. Heb. pro imperf. *per quam nemo transibat, & ubi non habitabat quisquam*: vel, *nemo habitabat*.

7. *Charmel* הכרמל] Hæc dictio significat *agrum feracem & arboribus consitum*: unde quidam vertunt, *cultam & fertilem*. Chaldæus Paraph. *in terram Israel quæ erat plantata sicut Charmel*. ¶ *Et bonum ejus* וטובה] Sing. pro plur. *bona*: i. optimos fructus ejus. ¶ *In abominationem* לתועבה] Chaldæus Paraph. *in cultum idolorum*: q. d. in hereditate mea coluistis idola.

8. *Et tenentes Legem* ותפשי התורה] *Et apprehendentes Legem*. Alii, *versantes circa Legem*. Alii, *qui tractabant Legem*. Chaldæus Paraph. *& qui docebant Legem*. ¶ *In Baal* בבעל] i. In nomine Baal. Dicebant enim, *Hæc dicit Baal*; non, *Hæc dicit Jehovah*. ¶ *Profuerunt* יועלו] *Proderunt*; i. secuti sunt idola.

9. *Judicabo vos* אריב אתכם] *Contendam vobiscum*; *disceptabo*; *rixabor*: sic mox. Chaldæus Paraph. *puniam vos*.

10. *Chithiim* כתיים] i. Ad insulas maris mediterranei idololatras. Alii, *ad insulas Cypriorum*. ¶ *Mittite* שלחו] Sub. *legatos*, aut *exploratores*. ¶ *Vehementer* מאד] *Valde*; i. summâ animi attentione animadvertite. ¶ *Si factum*, &c. הן היתה כזאת] *Si fiant talia*. Alii, *utique fiunt res talis?*

11. *Gloriam suam* כבודו] i. Deum verum in quo gloriari poterat.

12. *Admiramini* שמו] *Obstupescite*. Alii, *Desolamini*. ¶ *Super hoc* על זאת] *Ob id*: sub. *quod dicturus sum*. ¶ *Et timete: desolamini* ושערו חרבו] *Tumultuamini*, *in solitudines redigamini*: vel, *horrescite*, *desolamini*.

14. *Vernaculus* יליד בית] Ad verb. *natus domi*? i. Estne Israel servilis conditionis, ut sic à Deo contemnatur? q. d. non: cur ergo patuit prædæ hostium suorum?

15. *Exustæ sunt* נצתה] *Desolatæ sunt*; sive *destructæ*.

16. *Filii Noph* בני נף] i. Memphitæ, ad quorum scilicet auxilium tu confugis. ¶ *Confringent tibi verticem* ירעוך קדקד] *Verticem tuum contundent*; vel *conterent*. Chaldæus Paraph. *occident fortes tuos, & diripient divitias tuas*.

17. *Fecit*, &c. העשה לך וגו'] Fut. Heb. pro præt. ut quidam volunt. Ad verb. *faciet tibi*, *derelinquere tuum Jehovam Deum tuum tempore*, &c. pro, *derelictio tua Jehovæ Dei tui*; aut *desertio*: i. ob tuam desertionem hæc evenient tibi. עזב infinitivus pro nomine omnis generis: hîc verò masculeum jungitur verbo masculeo תעשה. Chaldæus Paraph. *Nónne ista vindicta sumetur de te quòd deserueris*, &c. Sunt qui תעשה velint esse femineum, vertentes, *Annon tu tibi id fecisti eò quòd*, &c.

&c. ¶ *Ambulare faciebat te* מולכך] *Deducebat te.* Chaldæus Paraph. *qui ostendit tibi viam, & non ambulasti per eam.*

18. *Quid tibi in via Ægypti* מה לך וגו'] Hebraismus, *Quare vadis in Ægyptum, cum habeas tam præsens auxilium?* Totum versum sic vertit Chaldæus Paraph. *Nunc ergò quid vobis, contrahendo societatem cum Pharaone Rege Ægyptiorum? ut projiciatis* iterum *mares vestros in amnem? & quid vobis percutiendo fedus cum Assyria? ut transmigrare faciatis vos ultra Euphratem?* ¶ *Nili* שחור] *Sihor?* Per *Aquam* hîc suppetias intelligit: q. d. *cùm haberes domi præsens auxilium, cur aliò confugiebas?* ¶ *Fluminis?* נהר] Euphratem significat. Cùm puniebantur Judæi ab Ægyptiis, petebant auxilium ab Assyriis: cùm verò Assyrii eos premerent, confugiebant ad Ægyptios.

19. *Corripiet te* תיכרך] *Castigabit te*; i. malitia tua erit causa correctionis tuæ, & propter eam castigaberis. ¶ *Increpabit te* תוכחך] *Castigabit te*; *arguet*; *corripiet.*

20. *Serviam* אעבד] Sub. *idolis ultrà: non colam ea.* Legitur & אעבור: unde quidam vertunt, *Non transgrediar*; sub. *ultrà mandata tua:* vel, *non prævaricabor.* Chaldæus Paraph. *Non addemus ultrà transgredi verbum tuum.* ¶ *Nam super omnem collem* כי על כל גבעה] Sub. *& tamen non stetisti promissis: nam super omnem collem.* Sunt qui כי convertunt in *Tamen.* ¶ *Discurrebas meretrix* צועה זונה] Subaudiendum כ *sicut meretrix:* i. ut scorta facere solent. Chaldæus Paraph. *tu colebas idola.*

21. *Optimam vitem* שורק] *Sorec:* genus vitis optimæ & laudatissimæ in cujus uvis ajunt non inveniri acinos. Chaldæus Paraph. *sicut plantam vitis electæ.* ¶ *Totam ipsam semen* כולה זרע] *Totum semen.*

22. *Nitro* בנתר] Quibusdam est *alumen.* ¶ *Et multiplicaveris tibi borith* ותרבי לך בורית] Hebraismus, *& frequenter utaris borith:* i. purgaveris te. *Borith* quidam dicunt esse *saponem*, alii *herbam fullonum.* ¶ *Signata est* נכתם] *Insignis est*; vel, *nota est.* Hebræi, *descripta est*, vel *impressa:* & ut doctus inter ipsos exponit, כגולה, i. *manifesta*, ut illam negare non possis: q. d. *etiamsi coneris dissimulare tuam idololatriam, non falles me.* Alius nostrâ lingua exponit, מאקא, scribere voluit *tachee.* Chaldæus Paraph. *Quoniam si putes mundari à peccatis tuis, quemadmodum lavant sese nitro, & dealbant cum borith, sanè ut est signum maculæ quæ non mundatur, sic multiplicata sunt delicta tua coram me*, &c.

23. *Post Baalim non ambulavi* אחרי הבעלים לא הלכתי] i. Non sum secuta idola. ¶ *Dromedaria* בכרה] Camelus est femina, juvenis ac parva, quæ masculo citiùs currit. Chaldæus Paraph. *eras similis dromedariæ levi.* ¶ *Circuiens* משרכת] *Implicans*; instar scilicet corrigiæ calcei, quæ iteratis vicibus illi circumligatur. Quidam vertunt, *quæ per vias suas discurrit.* Chaldæus Paraph. *quæ confundit* [vel *perturbat*] *vias suas:* nempe discurrendo nunc huc nunc illuc.

24. *Onager* פרה] Nempe femina. Subaudiendum כ similitudinis, *Et tanquam asina sylvestris, quæ cicurari non potest.* Chaldæus Paraph. *Sicut onager cujus habitatio est in deserto.* *Onagri* sunt velocissimi: ad hoc facit respirandi facilitas: nam difficultas respirandi causa est tardi incessûs. *Tu* (inquit) *similis es onagro velocissimo cùm tibi est iter ad idola tua: quotquot voluerint capere onagram illam, non conabuntur illam assequi currendo, sed exspectabunt tempus quo gravida erit, & tunc facilè illam capient: sic tandem à me capieris, & punieris cùm gravida eris*, i. cùm ad summum pervenerit peccatum tuum. ¶ *Pro desiderio animæ suæ* באות נפשו] i. Vivens in summa libertate & deliciis, sine lege & præceptis, haurit ventum. ¶ *Occasionis suæ*, &c. תאנתה מי ישיבנה] *Acceptâ occasione*, & *quis reducet eam?* sub. *ab hoc appetitu.* Alii distinguunt post *ventum:* & vertunt, *impetum ejus quis revocabit?* vel, *impetu suo quis revocabit illam?* Nam תאנה *occursum fortuitum* significat. ¶ *Fatigabuntur* ייעפו] *Deficient*; currendo scilicet post illam: q. d. *cùm viderint illam sic currentem, non fatigabunt se currendo post eam, quia desperabunt se posse assequi: sed tempore quo gravida erit capient illam.*

25. *Prohibe pedem tuum ne* sit *discalceatus* מנעי רגלך מיחף] Phrasis est Hebraica: acsi dicat, *Contine te domi, & noli ire in regionem longinquam ad quærendum auxilium: atteruntur enim calcei longo itinere; premuntur etiam siti viatores, præsertim in regionibus calidis.* ¶ *Desperatum est*, &c. נואש וגו'] *Desperavit*, sub. *cor meum, nè eat post Dominum, non ibo post illum.* Vide Esa. 7. 10. Alii vertunt, *Abhorrens est*, sub. *cor meum, à Domino, nequaquam faciam quod dicis, non sequar consilium tuum, ô Propheta.*

26. *Pudore affecti sunt* הובישו] Præt. Hebr. pro fut. *pudore afficientur.*

28. *Et ubinam*, &c. ואיה] Sub. *Et dicam.* Quidam vertunt, *Sed ubinam.* ¶ *Surgant*, &c. יקומו וגו'] *Surgant*, ut videamus *an liberare*, &c.

29. *Litigatis contra me?* תריבו אלי] *Disceptatis mecum?* vel, *disceptabitis.* Chaldæus Paraph. *Quare vos cogitatis judicare adversum verbum meum? Judicare*, pro *ferre judicium.* Alii vertunt, *expostulabitis*, vel *conquerimini contra me?* q. d. *cùm affligimini, nullam habetis justam causam expostulandi mecum: omnes enim à me defecistis.*

30. *Frustrà* לשוא] *Propter vanitatem*, sive *vaniloquentiam:* i. quia filii vestri didicerunt à pueritia sua loqui vanitatem & mendacia. ¶ *Vastator* משחית] *Exterminator*, vel *perdens.*

31. *O generatio* הדור] *O seculum*; i. homines hujus seculi & ætatis. ¶ *Num solitudo* המדבר] Admirantis est ה, ut annotant Hebræi: q. d. *non fui Israeli tanquam desertum in quo omnia desunt: nam suppeditavi illi omnia necessaria.* ¶ *Tenebrosa* מאפליה] Ad verb. *caliginis?* in qua scilicet omnia sunt lethifera & infœcunda: nam tellus quæ Soli non est exposita, nihil profert, sicut neque ea quæ non est sub cœlo libero. Chaldæus Paraph. sic hunc versum convertit, *Popule seculi, vos audite verbum Jehovæ: an sicut desertum virgultorum* [i. plenum virgultis] *in quo nulla est utilitas, fuit verbum meum Israeli? an sicut terra desolationis? quare dixit populus meus, Recessimus, non revertemur ultrà ad cultum tuum?* ¶ *Dominamur* רדנו] *Dominium accepimus:* q. d. *habemus Reges & Principes; nec est nobis opus alio nunc duce.*

32. *Muranularum suarum* קשריה] *Torquium suorum?* vel *monilium?* Repetitio ejusdem. Virgo sponsa nunquam sustineret prodire in publicum absque ornamento suo: si non obliviscitur ornamenti sui, multò minùs sponsi sui obliviscetur.

33. *Præparas*, &c. תיטבי וגו'] Ad verb. *bonificas viam tuam, ut quæras amicitiam?* i. cur tanto studio apparas profectionem ut ineas amicitiam cum populis externis? Quidam vertunt, *Quare tam diligenter huc illuc discurris ut quæras amorem?* Chaldæus Paraph. *Quare ornas te in viis tuis, ut facias amatores, ut contrahas societatem cum populis?* ¶ *Mala* את הרעות] *Malas*; sub. *gentes:* i. ut assequaris quod optas, tu perpetras gravissima flagitia, graviora, inquam, ipsis Gentibus, ut ipsas docere possis malitiam. Chaldæus Paraph. *mala* (vel *malas*) *docuisti viis tuis.* ¶ *Docuisti* למדתי] Legitur & למדת: *docui.* Præt. pro fut. *docebo.* Unde quidam vertunt, *Ob id docebo vias tuas malas:* sub. *esse.*

34. *In oris* vestimentorum *tuorum* בכנפיך] Ad verb. *in oris tuis*; vel, *alis:* sub. *vestimentorum tuorum:* i. in veste tua: pars pro toto: q. d. *nè à cæde quidem innocentium abstines, ut ineas gratiam cum exteris gentibus.* Chaldæus Paraph. *Etiam in secreto* [i. sub veste tua] *deprehensa es quòd effudisti sanguinem justum.* ¶ *In suffossione* במחתרת] i. Suffodientes domum tuam. Alludit ad illud Exod. 22. 2. *Si in suffossione inventus fuerit fur.* ¶ *Sed propter omnia ista* כי על כל אלה] Sub. *quæ dicta sunt*, quòd scilicet te carperent de supradictis, crudelitate & aliis.

35. *Innocens sum* כי נקיתי] *Quia innocens sum.* Redundat כי *quia.* ¶ *Judico te* נשפט אותך] *Condemno judicio.* Alii, *judicio contendam tecum:* vel, *judicium subibo.* Chaldæus Paraph. *faciam tecum vindictam hanc.*

36. *Discursus crebrò* תזלי מאד] *Pergis tam studiosè:* vel *anxiè tantum discurris.* Ab אזל. Quidam Hebræorum deducit à זל vel זלל *viluit*, vertens, *quàm vilis facta es valde:* id improbant doctiores inter ipsos. ¶ *Mutando viam tuam* לשנות את דרכך] Frequentibus scilicet ac variis itineribus modò ad Assur, nunc ad Ægyptum discurrendo. ¶ *Etiam ab Ægypto* גם ממצרים] q. d. *Frustrà petis auxilium ab Ægyptiis, sicut frustrà petisti ab Assyriis.*

37. *Et manus tuæ*, &c. וידיך וגו'] i. Tristis & mœrens: sic enim solebant testari dolorem suum ac tristitiam, præsertim mulieres. Chaldæus Paraph. *peccata tua erunt super caput tuum:* i. recident in caput tuum. ¶ *Contempsit* מאס] *Abominatus est*; *despexit*: *abhorret à fiduciis tuis.*

C A S T A L I O.

10. *Transite enim ad Cittias insulas*] Græcas. ¶ *In Cedar mittite*] Scilicet nuncios.

11. *Gloriam suam*] Deum.

18. *Quid tibi itio est in Assyriam, ut fluminis bibas aquam?*] Scil. Euphratis.

25. *Prohibe tuos discalceari pedes*] Cave nè committas ut tibi in captivitatem nudis pedibus procul eundum sit.

26. Ut

26. *Ut pudet furem deprehensum, sic pudet Israelitas*] Non magis pudet Israelitas quàm fures.

31. *Desertáne & obscura terra fui Israelitis?*] Inutilisne fui Israelitis, ut me relinquant?

33. *Quid tuam rationem componis ad amorem captandum?*] Cur te componis ad peregrinorum deorum cultum? & ideo doces alias civitates tuam defectionem; atque ità in causa es ut peregrinos colant deos, quod sit eis perniciosum? Id quod perinde est ac si insontes interficias, & eorum sanguine vestem tuam cruentes. Neque verò istud occultè facis, ut solent latrones; sed palàm, sub opacis arboribus tuos colens deos. Cæterùm quod verto aliàs & paulò pòst *quercus*, in Hebræo paulò aliter habent puncta vocalia. Sed ea nonnunquam immutata sunt, ut aliàs ostendimus. Certè mecum facit sententia, quæ alioqui non constat. In posteriore etiam verbo Græcus Interpres, qui vertit δρυΐ ut sit in priore legendum REOTH, *proximas*, h. e. alias (ut & Græci dicunt ὁ πέλας pro *altero*) in posteriore autem ELAH, aut ALLAH, quod iisdem scribitur literis quibus ELLEH.

34. *Exstátque tuis in gremiis pauperum hominum sanguis*] Homicida es & hominum exitii causa. ¶ *Non in scrobibus*] Occultis locis.

37. *Ac isthinc migrabis, manus habens in capite*] Cum probro, ut stuprata ab Amnone Thamar.

CLARIUS.

2. D*Esponsationis tuæ*] Notatur tempus illud quando populus Israeliticus dicebat, *Omnia quæ mandavit nobis Dominus faciemus*, ineuntes scilicet cum Domino fedus haud secùs quàm cùm sponsus puellam sibi desponsat, tunc etiam consecrati sunt *Domino* veluti *res sancta* & *primitiæ* Deo debitæ, ideo addit, *Sanctus Israel*, h. e. tunc dedicatus eras Deo.

6. *Per terram sitis*] Allegoricè, Ascendimus per baptismum Christi de Ægypto, & transmittimur ad crucem, sed non permittit Deus tentari suprà vires. Terra arida est, sed petra fluit aquis: terra non seminata, sed datur è cœlo manna, &c.

10. *Cethim*] Duos populos ponit, *Cedar* ad Orientem, quæ est regio solitudinis, & Ismaelitarum, quos nunc *Saracenos* vocant, & *Cethim*, qui sunt occidentales, Cyprii & quicquid versùs Italiam. Cedaræni & orientales adorabant ignem & solem, quem vocarunt *Mithram*: Cethii autem & maritimi Neptunum.

14. *Numquid servus est Israel?*] *Non erubescis* (inquit) *te, qui filius eras, ob peccata tua servilem in modum tractari*, &c.

18. *Quid tibi vis in via Ægypti?*] Cur quæris auxilium humanum, & magis fidis auxilio Ægyptiorum quàm Dei, qui tamen voluit ut fiduciam tuam solùm in eum poneres? ¶ *Aquam fluminis*] Videlicet Euphratis.

20. *A seculo confregi jugum tuum*] *A seculo*, h. e. olim, & antiquitus. Intelligitur autem hic locus de dura servitute Ægypti. ¶ *Non serviam*] Scilicet, idolis ampliùs.

21. *Vineam electam*] Vel, *sorec*: *vitis* enim est *botros electos absque acinis ferens*.

23. *Vide vias tuas*] h. e. Viam factam planam frequentibus ambulationibus tuis per vallem ad loca excelsa, idolis tuis dedicata. ¶ *Camela levis*] Ea enim est concitatioris cursûs, & institutum suum subindè mutat, nunc huc, nunc illuc proruens. Sic Israel idola per circuitum quærebat.

24. *Attraxit ventum occasionis suæ*] Ferunt impulsum quendam fatalem esse, quo se onager carpendæ auræ granâ irrevocabiliter ad certum locum impellit. Nec ab insequentibus capi potest, quantumlibèt illi insidientur, donec in illo mense id fecerint quo uterum gestat. ¶ *Omnes qui quærunt*] Vel, *omnes qui insectari cœperint eam, lassabunt se frustrà; mense quo ei pariendum erit invenient eam.*

25. *Prohibe pedem tuum*] h. e. Nè curre, quemadmodum facis, nudis pedibus sitibunda. Persistit autem in metaphora *camelæ* seu *dromedariæ*. Quia ergò solent rumpi calcei propter viarum asperitatem & prolixitatem, occurrùntque in solitudine loca inaquosa, scitâ comparatione eos revocat, q. d. *noli currere ad gentes alienas: ut quid enim frustrà atteris calceamenta pedem tuorum, & teipsam siti maceras?*

26. *Sic confusi sunt*] Vel, *Sic confundi meritò deberet domus Israel*, &c.

28. *Erant dii hic Juda*] Quidam addidit hæc verba, *Et juxta numerum viarum Jerusalem immolabam Baal.*

31. *Numquid solitudo*] Vel *Similis, deserto*. In solitudine nihil invenitur unde homo vivere possit: sic Judæi Deum deserebant, & ad idola convertebantur; perinde ac si utilius eis esset idola colere quàm verum Deum. ¶ *Nos dominamur*] Sensus est, Habemus Reges & principes, non habemus opus te Deo, ut ad te veniamus.

33. *Quid pulcram facis viam tuam?*] Quid niteris magno studio inire amicitiam cum exteris nationibus, quæ res tibi causa fuit ut illis te conformem faceres, & disceres mala eorum, atque mala tua illos doceres. Nam quidam sic vertit, *Quid pulchram facis viam tuam, ut quæras dilectionem & subinde etiam malitias, & doceas vias tuas?*

34. *In alis tuis*] Sumpta est comparatio ab Aquila, vel Milvo, quibus sanguis avium raptarum adhuc adhæret. ¶ *Non in suffossione*] h. e. In insidiis, quos liceret impunè interficere. Alludit enim ad id quod scribitur Exod. 22. *Si in suffossione inventus fur fuerit atque percussus, non imputabitur sanguis occisori.* Judæi verò de quibus Propheta hìc loquitur, publicè & impunè effundebant sanguinem innocentem. ¶ *Super omnibus his*] h. e. Non obstantibus his omnibus.

37. *Quin & ab ista egredieris*] Ab ista scilicet terra tua; & quod sequitur, *Et manus tua erunt super caput meum*, videlicet more mulierum ejulantium, quæ lamentantes solebant super caput manus utrasque conserere.

MASIUS.

12. E*T porta ejus desolamini vehementer.*] Noster videtur legisse 'שערי חרבו וג. Verbum vero שערו quod in textu Heb. est. significat tempestuosum esse ac rigidum, præsertim cum ad cœlos refertur aut auræ constitutionem. Nam alioqui eum horrorem significat, quo quis correptus pilos subrigit. Propheta videtur hic ipsos cœlos in ultionem tantorum scelerum invocare, ut scilicet vastis tempestatibus omnem regionem perdant longe lateque.

16. *Constupraverunt te usque ad verticem.*] ירעוך קדקד pascent te vertice, vel ut alii, concutient te vertice. Signif. רעה etiam amicum esse: inde videtur noster Interpres deduxisse. Ego dixerim esse sensum, *mala tibi inferent usque ad* vel *in verticem*. Juxta illud Esaiæ, *a planta pedis usque ad verticem* &c. hoc est, corrumpent te totum. Ad quod fortasse respexit noster Interpres, ac si diceretur, polluent te totum idololatria. Radix porro verbi רעה fere significat aut affligere dissipareque aut pascere, aut denique amicitiam inire. Ac proinde quia Propheta in his locis sæpe Israeli objicit quod ad Ægyptios confugiebat, fieri potest ut luserit in verbo ambiguo, quasi dicat; talis erit tibi amicitia cum Ægypto, qua fiet ut tibi caput confringatur.

17. הלא זאת תעשה לך *Nunquid non istud factum est tibi; &c.*] Noster legit passive תֵּעָשֶׂה sed Hebraica videntur aliquanto aptiora, *An non tu tibi horum causa es malorum?*

20. כי מעולם שברתי עולך *A seculo confregisti jugum meum &c.*] Nondum queo conjectari, qui tam longe ab Hebræo hic discesserit noster. Nam neque כי vertit. Et personas plane invertit. Et pro לא אעבור legisse videtur לא אעביר quod ejus lectioni magis congruit. Hebræa tamen ut nunc legimus eleganter quoque sese habent intellecta de libertate Ægyptiaca & aliis &c. Sed inspicienda sunt Græca & Chaldaica.

21. ואיך נהפכת לי סורי הגפן *quomodo ergo conversa es mihi in pravum vitis &c.*] Noster legit סורי in statu absoluto, ut Jod scilicet faciat adjectivum nomen. Nam סור significat idem quod גפן נכריה.

24. פרה למד מדבר Locus est obscurior, nec placet admodum Hebræorum commentum. Posset fortasse sic verti ut sit mutatio secundæ personæ in tertiam. Scilicet Israel (nam appellat fœm. genere) est veluti onager assuetus sylvis, captat enim aerem liberrime pro suo arbitrio. Nec potest ejus impetus contineri, per increpationes prophetarum scilicet. Et quæcunque gentes eam ad se pellicere conantur ut suam ipsorum religionem amplectatur, non frustra fatigantur. Nam vel in ipsis neomeniis, si interpellata fuerit, abjecerit cultum Dei, ac ritus gentiles sequatur. Si vero ad onagrum omnia spectant. Ego sic verterim, *Onager assuetus sylvis aerem libere captat*; sive *spirat naribus* scilicet, *cujus impetum quis cohibeat*; hunc tametsi plurimi indefesso cursu persequantur, tamen semper veluti recentem & novum ad longius fugiendum reperiunt; ut חדש sit novitas scilicet roboris & veluti recens virtus impetusque.

31. רדנו לוא נבוא עוד אליך *Recessimus &c.*] Noster ita legit ut a verbo רוד sive רד deductum sit, quod significat *vagari cum quadam lamentatione*. Et melius, meo judicio, quam qui interpretantur *dominati sumus*. Nam sic dicendum erat רדינו.

33. לכן גם את הרעות למדתי. Sicut hic Hebræi capiunt verbum

bum לכרתי in secunda persona, sic & supra videlicet כי מעולם שברתי וגו' videtur noster interpres quoque accepisse. Et facile fieri potest, ut aliquis illic sciolus mutaverit secundas personas pronominum in primas, scripseritque pro sua sententia *jugum meum*, pro *tuum* &c. Mihi vero etiam hic videretur optime congruere prima persona nisi puncta obstarent, videlicet, *Propterea etiam docui vias tuas malas esse. &c.*

34. לא במחתרת מצאתים *Non in fossis &c.*] Ego omnino credo legendum interrogative, ut scilicet interrogatio magis affirmet. Nonne in ipsa suffosione inveni eos circa hæc omnia occupatos scilicet, ac si dicat, Nonne in ipso actu, sive (ut loquuntur) αὐτοφωρὶ eos deprehendi his vitiis occupatos? Et plane non placet mihi, quod Hebræi hic verbum מצאתים faciunt secundam personam: contra rationem prædictam. Alludit enim ad id quod Exod. 22. dicitur de fure αὐτοφώρῳ occidendo.

36. מה תזלי *Quam vilis factus es &c.*] Recte defenditur nostra translatio à verbo זלל.

DRUSIUS.

1. וַיְהִי דְבַר־יְהוָה אֵלַי לֵאמֹר. Th. Καὶ ἐγένετο ῥῆμα Κυρίου πρός με, λέγων, *Et factum est verbum Domini ad me, dicens.*

2. הָלֹךְ וְקָרָאתָ בְאָזְנֵי יְרוּשָׁלַם לֵאמֹר, Πορεύε, καὶ βόα εἰς τὰ ὦτα Ἱερουσαλὴμ, λέγων, *Vade, & clama in auribus Jerusalem, dicens*] Verba hæc habentur in ed. Complut. Olim autem, teste Hieronymo, *addita erant sub asteriscis de Theodotionis editione, qui verbum*, inquit, *Ebraicum* קרא, *pro quo nos diximus* clama *sive* prædica, *interpretatus est* lege. Quibus deinde subnectit, *Et lectionem enim & clamorem & prædicationem pro sui ambiguitate significat.* Unde colligas lectum fuisse olim in Theodotione καὶ ἀνάγνωθι. Vide infrà 3. 12.

6. וְצַלְמָוֶת. Th. *& umbra mortis*] Hieron. *Pro* imagine mortis *de Theodotione additum est* umbra mortis, i. σκιὰ θανάτου. Hæc interpretatio melior est illâ Hieronymi *imagine mortis.* Nam *imago* צלם dicitur, & *umbra* צל, unde compositum putatur צלמות, quod nunc in textu Ebræo.

12. שָׁמַיִם. A. & Sym. *cælos.* Th. *cælum*] Hieron. *Quòd Aq. & Sym.* cœlos, *Lxx verò & Th.* cœlum *interpretati sunt, nullum moveat. Ebraicum enim* SAMAIM *communis est numeri, & tam* cœlum *quàm* cœli *eodem appellantur nomine, ut* Athenæ, Thebæ, Salonæ. Mens horum verborum, ut Athenæ de una urbe usurpatur, item שמים de uno cœlo. Sensu ergò singulare est, licèt terminatio semper dualis sit. Sic *Thebæ, Salonæ* in numero multitudinis sensum habent singularem. Sed SAMAIM de pluribus cœlis etiam dicitur.

18. שִׁחוֹר. κοινὴ, *Gehon*] Κοινὴ, i. *communis editio.* Hieron. *Pro* SICHOR *nos turbidam interpretati sumus, quod verbum Ebraicum significat; pro quo communis editio habet* Gehon. Ad sensum non malè. Siquidem GEHON de veterum sententia *Nilus.* Eusebius De locis, GEON, *fluvius qui apud Ægyptios* Nilus *vocatur.* Augustinus De Genesi ad lit. l. 8, c. 7. GEON *quippe ipse est qui nunc dicitur* Nilus. Idem *Sihor*, si credendum Interpretibus. Nam Santes hoc loco *aquam Nili*, & Hieron. Jes. 23. 3. זרע שחר *semen Nili.* R. D. *Fluvius qui vocatur* Sihor *irrigat Ægyptum.* R. S. SIHOR *sive* SICHOR *est Nilus.*

23. בַּגַּיְא. A. Sym. ἐν τῇ φάραγγι *in convalle*, sive *valle*] גיא dicimus, & גי absque Aleph, item גיא & גיא. Hieronymus ferè *vallem* reddit, ut Mich. 1. 6. & Jes. 28. 1. Lxx quoque Psal. 60. 1. בגיא מלח ἐν τῇ φάραγγι τῶν Ἁλῶν. ¶ בִּכְרָה קַלָּה. A. Sym. Th. δρομεὺς κοῦφη, *cursor levis.* Hieron. *Quomodo, inquit, caprea levis, quam nos genere commum cursorem diximus, significantiusque Aq. Sym. & Th. vertere* δρομεὺς κούφη, *explicat vias suas, & velox fertur ad pabula,* &c. בכרה aliis est *camelus dromas* fem. Santes certè vertit *dromedaria*, & Hieron. Jes. 60. *dromedarii*, & Lxx ἀγέλαι καμήλων, & R. D. *cameli parvi.* Sunt autem Dromades cæteris camelis minores. Cæterùm puto Interpretes illos δρομεὺς posuisse pro *dromas.* Quod tamen pono, non statuo.

24. שָׁאֲפָה רוּחַ. Cæteri, εἵλκυσεν ἄνεμον *attraxit ventum*] Legitur in Ed. Rom. ex Chrysostomo. Hieron. *Sicuti onager assuetus in solitudine trahit in desiderio animæ suæ ventum vel spiritum amoris sui. Uno enim apud Ebræos nomine & Ventus appellatur & Spiritus.* ¶ בְּחָדְשָׁהּ. Aq. *in memoria sua.* Sym. *in mense suo.* Th. *in humilitate sua*, ἐν τῇ ταπεινώσει αὐτῆς] Ità Lxx. Hieron. IN MENSTRUIS ET IN IMMUNDITIA EJUS INVENIENT EAM. *Pro quo Aq.* νεομηνίαν, *h. e.* Kalendas, *Sym.* mensem, *Lxx & Th.* humilitatem *interpretati sunt.*

25. נוֹאָשׁ. A. ἀπέγνων σε] Victor Antiochenus, Ἀκύλας, ἀπέγνων σε, ἤγων, ἀπήλπισα, i. *desperavi.* Santes ex Ebræo, *desperatum est.* Alius, *actum est.* Alius, *animus abjiceretur.*

GROTIUS.

2. Recordatus sum tui miserans adolescentiam tuam] Id est, quomodo misertus fuerim adolescentiæ tuæ, quomodo te protexerim. considera sequentia. Vult enim ostendere Deus post tot ac tanta beneficia immeritò se derelictum.

Et charitatem desponsationis tuæ] Quomodo te primùm desponsatam mihi amaverim.

Quando secuta es me in deserto, in terra quæ non seminatur] Ubi scilicet cibum tibi præbui.

3. *Sanctus Israel Domino*] Nempe tunc erat. Erat peculium meum.

Primitiæ frugum ejus] Sicut frugum primitiæ Dei sunt, & jure Dei Sacerdotibus cedunt, ità populus ille primus ex omnibus populis Deo selectus ad Deum pertinebat.

Omnes qui devorant eum delinquunt] Pone *devorabant* & *delinquebant.* Qui de messe aut fruge alia comedunt antequam primitias dederint Sacerdotibus, ex Lege damnantur, Exod. XXIII. 19. XXXIV. 26. Num. XV. 19. Deuter. XXVI. 2. & sequentibus. Sic tunc damnati fuère non tantùm Septem illi populi, non parentes Israëlitarum denuntiationibus, verùm etiam alii qui Israëlitis ulla ex parte nocuerunt, ut Amalecitæ, Madianitæ, & alii.

Mala venient super eos] Verte *veniebant.*

5. *Quid invenerunt in me patres vestri iniquitatis?*] Quando ego prior eos deserui? cui parti fœderis non steti? Confer Michææ VI. 3.

Et ambulaverunt post vanitatem] Id est, idola. Id enim הבל [*vanitas*] Hebræis, quod εἴδωλον vertitur Deuter. XXXII. 21. infra XIV. 22. XVI. 18.

Et vani facti sunt] Bruti & amentes. Vide Psalmum CXV. 8.

6. *Et imaginem mortis*] צלמות, quod plerumque σκιὰν θανάτου [*umbram mortis*] vertunt Lxx, propriè sunt tenebræ illæ quæ morituris oboriuntur; impropriè omnia loca plena periculis, qualia illa erant per quæ incessère olim Israëlitæ, plena serpentum & scorpionum ferarùmque. Vide Deuter. VIII. 15.

7. *In terram Carmeli*] כרמל non est hic proprium, sed commune, *agrum feracem* significans. Apud Thalmudicos *spica* eo nomine vocatur.

Contaminastis terram meam] Jam à Judicum temporibus, ac deinceps. Confer Nehem. IX. Maximè *contaminari* terra dicitur per eminentissimum crimen, id est, idololatriam.

8. *Tenentes legem*] Qui profitebantur se Legis magistros, סופרים [*Scribæ*].

Et pastores prævaricati sunt in me] *Reges*, ut hic Chaldæus: adde & Principes. Vide 1 Reg. XXII. 17. Ecclesiast. XII. 11. Esaiæ LXIII. 11.

Prophetæ prophetaverunt in Baal] In nomine Baalis.

10. *Insulas Cethim*] Cyprum, ubi Κίτιον, & insulas orasque vicinas.

In Cedar mittite] Ad Arabas Cedarenos.

11. *Si mutavit gens deos suos*] Videte an ulli eorum abdicaverint deos suos, ut Adonin, Venerem, Dusarem.

Et certè ipsi non sunt dii] *At verò isti dii non sunt.*

Mutavit gloriam suam in idolum] כבודו [*gloriam suam*]. Sed olim fuit כבודי [*meam majestatem*]; sed quia illa vox posterioribus temporibus mirabilem quandam Dei præsentiam significare cœperat, ideo mutarunt hoc Scribæ, ut & in Psalm. CVI. 20.

12. *Obstupescite cœli super hoc*] Id est, Angeli, συνεκδοχικῶς [*per comprehensionem*].

Et portæ ejus desolamini] Janitores ejus, lugete. Duplex hic est figura: nam & *portæ* dicuntur pro *janitoribus*, & *desolari* pro *lugere*, κατὰ μετωνυμίαν [*per transnominationem*].

13. *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ*] Id est, perennis, qui perpetuò eos omnibus bonis abundantes facere possum.

Cisternas dissipatas] Perfluentes.

14. *Numquid servus est Israel?*] An paupertatis causâ se vendidit? Vide Deuter. XV. 12. Nulla populum presserat paupertas.

Aut vernaculus] *Verna*, id est, natus ex ancilla, qui in dominio erat ejus cujus ipsa mater. Causas falsas removet, ut veram vehementiùs adstruat. Israëlitæ ex Sara venerant matrefamilias legitimè ductâ.

Quare ergo factus eſt in prædam?] Id eſt, præda factus eſt externis.

15. *Super eum rugierunt leones*] *Reges*, ut hîc explicat Chaldæus; ſed propriè hîc Aſſyrios intellige, Theglathphalaſarum, Salmanaſarem, Sennacheribum.

16. *Filii quoque Mempheos & Taphnes conſtupraverunt te uſque ad verticem*] *Taphnes* eſt Daphne ad Peluſium, ut alibi diximus. רעה eſt *corrumpere*. Quare non malè generali voce aptatâ ad locum ſpecialem vertit *conſtuprare* hic interpres. Nec aliud voluère LXX, cùm dicunt ἔγνωσάν σε [*cognoverunt te*]. At *conſtuprarunt uſque ad verticem*, hoc eſt quod dicerent Græci ἐφοινίκιζεν, Latini *irrumarunt*: quod ipſum tum in Latino, tum hîc in Hebræo maximum contemtum & illuſionem ſignificat. Et bene convenit hiſtoria. Nam Ægyptii multas ab Judæis pecunias abſtulerant, & cùm in ſummis eſſent periculis, nihil eis adversùs Aſſyrios opitulabantur, II Regum XXIII. 35. XXIV. 7.

17. *Quo ducebat te per viam*] Rectam ac facilem.

18. *Et nunc quid tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquam turbidam?*] In Hebræo מי שחור, id eſt, *aquas Nili*, qui Σεῖρις dictus accolis, ut diximus.

Et quid tibi cum via Aſſyriorum, ut bibas aquam fluminis?] Nempe Euphratis, quod ubique κατ' ἐξοχὴν [*per excellentiam*] *flumen*. *Aquam bibere* non eſt hic ſimpliciter eorum auxilia quærere, ſed etiam deos illorum adſciſcere, ut eo apud illos eſſent commendabiliores: quod ſæpe factum didicimus jam ex Eſaia.

19. *Arguet te malitia tua*] Argumento erit juſtè te puniri.

20. *A ſeculo confregiſti jugum meum, rupiſti vincula mea*] Sic & Græci vertunt συνέτριψας καὶ διέῤῥηξας [*confregiſti & rupiſti*]. legerunt ergò שברת & נתקת in ſecunda perſona, & עלי [*jugum meum*]: ubi Hebræa nunc lectio & Chaldæus habent primam, & עלך [*jugum tuum*]. Hieronymus etiam in commentario Græcam lectionem ſequitur. Neuter ſenſus eſt incommodus. Nam aut dicit pro liberatione ab Ægyptiis & hoſtibus aliis malam ſibi relatam gratiam; aut jampridem Iſraëlitas fuiſſe legirupas, & ſæpe in eundem morbum eos recidere.

Et dixiſti, Non ſerviam] לא תעבד. At Chaldæus legit לא תעבור [*quæ non tranſgredereris*], ut & in Hebræo margine ſcribitur, hoc ſenſu: promiſiſti te non ultrà facturum talia contra Legem & fœdus.

Tu proſternebaris meretrix] Ut meretrix. Sternere ſe utrique convenit, & idololatræ, & meretrici.

21. *Ego autem plantavi te vineam electam*] *Plantavi*, id eſt, in locis optimis conſtitui, Exod. XV. 17. Pſalm. XLIV. 3. *Vineam electam*, id eſt, ut eſſes vitis nobiliſſima, quæ *Sorec* Hebræis.

Omne ſemen verum] Id eſt, plantam nulla ex parte adulterinam, aut inſititiam, ſed ex Abrahamo, Iſaaco, Jacobo, Sara, Rebecca, Lea, Rachele, viris & feminis optimis.

Vinea aliena] *Degeneraſti, facta es inutilis*, ut hîc Chaldæus: producis uvas, neque aptas unde vinum fiat, neque τροφίμους [*eſculentas*].

22. *Si laveris te nitro*] *Nitrum ſordes erodit*, Plinius XXXI. 10.

Et multiplicaveris tibi herbam Borith] בורית explicatur *ſapo*. At Hieronymus, qui in iſtis locis vixit, *herbam* eſſe *fullonum* ait, *quæ in virentibus & humectis Palæſtinæ naſcitur locis.* Vide Malachiam III. 2. & Chaldæum hoc loco. Senſus eſt: gravior eſt culpa quàm ut victimis expietur.

Maculata es in iniquitate tua coram me] In Hebræo, *Signata eſt iniquitas tua coram me*: id eſt, altiùs impreſſa eſt macula quàm ut tam facilè eluatur.

23. *Quomodo dicis, Non ſum polluta, poſt Bahalim non ambulavi*] Sicut inter Chriſtianos quidam εἰδωλόθυτα [*res idolis immolatas*] manducantes negabant ſe eſſe εἰδωλολάτρας [*idololatras*], ſic & inter Judæos, qui de menſa dæmoniorum participaverant, credi volebant nihil mali feciſſe. Vide Ancyranæ Synodi canonem IV.

Vide vias tuas in convalle] Hinnomi. LXX, ἐν τῷ πολυανδρείῳ [*in polyandrio ſive ſepulchreto*]. nam multa erant oſſa combuſtorum in ea valle.

Curſor levis explicans vias ſuas] Ex Symmacho & Theodotione, qui verterant δρομὰς κούφη [*dromas levis*,] pro quo librarii fecère δρομεὺς [*curſor*], mendosè: nam בכרה eſt *dromas* cameli genus. Vertitur κάμηλος [*camelus*] Eſaiæ LX. 6. *Cameli toto die coeunt*, Ariſtoteles de Hiſtoria Animantium lib. V. cap. II. Meretrici, cui Judaïcam gentem comparaverat, ulteriùs comparat animantes maximè libidinoſas, quo magis fœditas rei appareat.

Explicans vias ſuas] *Depravans vias ſuas*, habet hîc Chaldæus: id eſt, à mare ad marem alium diſcurſitans.

24. *Onager aſſuetus in ſolitudine*] Onagrum feminam intellige: eſt enim hæc vox ut aliæ multæ, & in hac & in aliis linguis ἐπίκοινος [*ſexui utrique communis*].

Attraxit ventum amoris ſui] Eminus olfecit marem. legit hîc Interpres & alii תאותה [*cupiditatis ſuæ*], ubi nos habemus תאנתה, id eſt, *occurſûs ſui*, nempe *auram obviam.*

Nullus avertet eam] Nemo eſt qui inhibere eam poſſit, ne ad marem currat.

Omnes qui quærunt eam, non deficient] Redit ad primam comparationem. Sic etiam ait, qui hac meretrice uti voluit, nemo recuſatus eſt.

In menſtruis ejus invenient eam] Id eſt, etiam in menſtruis eam paratam invenient qui volent. Non potuit impudentiſſimum ſcortum meliùs deſcribere.

25. *Prohibe pedem tuum à nuditate*] Id eſt, *ſi quis tibi dixit* (id enim hic ſupplendum), *Noli denudare partes muliebres.* Eas enim Hebræi, ut & alii, honeſtè *pedum* vocant nomine. Vide Geneſ. XLIX. 10.

Et guttur tuum à ſiti] Nova tranſlatio in ipſa comparatione: nam *ſitim* intelligit libidinem. *Guttur* quid ſit intelliges ex Proverb. XXX. 16. 20.

Et dixiſti, Deſperavi] In Hebræo, *Deſperatum eſt*: id eſt, abſtinere nequeo.

Alienos] In comparatione *viros*; in ἀνταποδόσει [*redditione*] *deos.*

26. *Quomodo confunditur fur quando deprehenditur*] Nempe qui honeſtum hominem agebat.

Sic confuſi ſunt] Meliùs in futuro, *pudefient*, ipſo eventu, derelicti à ſuis idolis, Eſaiæ XLVI. 7.

27. *Dicentes ligno, Pater meus es tu*] Id eſt, Deus. *Sic Jupiter, Marſpiter, Dieſpiter* apud Latinos. Simulacra autem deorum ferebant nomina; imò & dii in ipſis habitare credebantur.

Et lapidi, Tu me genuiſti] Quod Soli præſertim dici ſolebat.

Et in tempore afflictionis ſuæ dicent: Surge & libera nos] Tunc omiſſis inefficacibus idolis ad me recurrent.

28. *Ubi ſunt dii tui?*] Supple: *ego autem reſpondebo.*

Secundùm numerum quippe civitatum tuarum erant dii tui, Juda] Idem habes infrà XI. 13. Adde II Regum XVII. 30.

30. *Fruſtra percuſſi filios veſtros*] Incurſu Aſſyriorum.

Devoravit gladius veſter Prophetas veſtros] Vobis à Deo datos, Aſæ, Joaſi, Manaſſis temporibus. Habes idem Nehem. IX. 26. & Matth. XXIII. 34. Adde Luc. XIII. 33. XI. 49. Act. VII. 52. Jac. V. 10.

Quaſi leo vaſtator generatio veſtra. Videte verbum Domini] In Hebræo illud *quaſi leo vaſtator* priorem ſenſum claudit: ſequitur deinde, *ô generatio!* (ô homines hujus ſeculi!) *vos*, inquam, *conſiderate verbum Domini.* quaſi dicat, Locutus ſum de majoribus veſtris: jam ad vos venio, attendite quid dicturus ſim.

31. *Numquid ſolitudo factus ſum Iſraëli?*] Id eſt, an infructuoſus ipſi fui, ut Arabum deſerta?

Aut terra ſerotina?] Bene vertit quod hîc eſt מאפליה [*caliginis maximæ*]. Sic אפלית [*obſcura*; *ſerotina ſemina*] ſumitur Exod. IX. 32. In Thalmudicis ſæpe *imbres*, *nubes*, *fruges* אפלי. Senſus eſt: an tardus fui in utilitate ipſis adferenda? imò celerrimus, dum mihi paruerunt.

32. *Numquid obliviſcitur virgo ornamenti ſui?*] *Ornamenta muliebria ſunt quibus mulier ornatur, veluti inaures, armillæ, viriolæ, annuli, præter ſignatorios, & omnia quæ ad aliam rem nullam parantur niſi corporis ornandi causâ, quo ex numero etiam hæc ſunt: aurum, gemmæ, lapilli*, ait Ulpianus L. Argumento. D. de auro, argento, mundo.

Aut ſponſa faſciæ pectoralis ſuæ] Id *mamillare* in Apophoretis; *Strophium* Cinnæ,

Strophio lactentes cincta papillas.

Et Turpilio, apud quem virgo loquitur:

Me miſeram quoniam inter vias epiſtola excidit mihi,
Infelix, inter tuniculam, ac ſtrophium quam collocaveram.

Vide ſi libet quæ diximus ad imaginem Virginis in Arateis.

33. *Quid niteris bonam oſtendere viam tuam, ad quærendam dilectionem*] In Hebræo, *quærendo dilectionem*: quaſi dicat, Fruſtra te purgas, cùm nihil agas niſi quod tibi ſit libitum.

Quæ inſuper & malitias tuas docuiſti vias tuas] Illud *malitias* exponitur per *vias tuas*: id eſt, tuo exemplo etiam gentes improbas improbiores facis.

34. *Et in alis tuis*] Nempe *veſtium tuarum*: quomodo כנף ſumitur I Sam. XXIV. 6. Thren. IV. 14.

Non in foſſis inveni eos] In Hebræo, *Non cum perfoſſoria* (inſtrumento) *inveniſti eos*: ut illos ſcilicet tanquam directarios occi-

occidere ex lege posses. Vide Exod. XXII. 2. & quæ à nobis dicta de Jure Belli ac Pacis libro II. cap. I. § 12.

Sed in omnibus quæ suprà memoravi] Id est: ideo eos occidisti quòd tuas idololatrias sequi nollent. Græci אלה, non pro pronomine *istis*, sed pro *quercu* sumsère, minùs commodè.

35. *Ego judicio contendam tecum, eo quòd dixeris, Non peccavi*] Auget culpam culpæ negatio.

36. *Quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas*] In Hebræo: *Quid discursas adeò mutando viam tuam?* Id est, nunc Assyriis blandiris, nunc Ægyptiis, ipsorum cultus imitando.

Et ab Ægypto confunderis, sicut confusa es ab Assur] Assyrius pactis violatis terram vastavit, Urbem obsedit. Ægyptius magna de te tributa exegit, nec quicquam tibi proderit, 1 Reg. XXIII. XXIV.

37. *Nam & ab ista egredieris*] Id est, Legati tui irriti redibunt cum moerore summo, ut sequitur.

Et manus tuæ erunt super caput tuum] Qui mos feminis in gravi dolore, 11 Sam. XIII. 19.

Obtrivit Dominus confidentiam tuam] In Hebræo, *confidentias tuas:* omnes spes tuas corrupit: nulla earum succedet.

CAP. III.

MUNSTERUS.

REdarguit Propheta hactenus flagitia, & ostendit poenas: jam hortatur ad poenitentiam, promittens spem esse veniæ apud Deum, si convertantur. Amplificat autem misericordiam Dei ex Deut. 24. sumens exemplum de Repudii lege. *Ajunt*] Heb. לאמר *dicens.* Et secundùm Hebræos refertur ad finem præcedentis capitis, ubi dicitur, *Abominatus est Dominus confidentias tuas:* & jam sequitur, *dicens, Si quispiam dimittat uxorem suam,* &c. ¶ *Polluta est terra illa*] Subintelligendum est *propter crimen adulterii.*

2. *Constuprata*] Est שגלת passivum Piel, cujus activum sign. *mulierem humiliare.* Significatur autem hîc per *fornicationem* & *adulterium* Idololatria.

5. *Numquid observabit in seculum*] i. Numquid, si iterum conversa fueris ad Deum tuum, ille in perpetuum observabit peccata tua? Et respondet infrà v. 12. *Non observabo in æternum.* ¶ *Potuisti*] Quantum scilicet valuisti peccatis indulsisti.

6. *Rebellis illa Israel*] Vocat Regnum Israel fem. genere *rebellem* (vel *aversatam*) *Israelem.*

14. *Dominabor vestri*] Heb. *ego maritus vester ero* etiam postquam idololatriæ adulterio estis polluti. Et si solùm *unus* fuerit *in civitate* qui ad me converti voluerit aut *duo in tota aliqua cognatione*, non respuam eos.

16, 17. *Arca federis Domini*] Abolebitur, inquit, in diebus illis totus ille Dei cultus qui in ceremoniis Templi consistebat, & erit *Jerusalem*, non illa terrena, sed spiritualis, Ecclesia scilicet, *solium Dei; congregabunturque in eam omnes gentes*, seu *de omnibus gentibus aliqui, propter nomen Domini.* Non erunt tempore Euangelii corporalia sacrificia, sed spiritualia, nempe gratiarum actiones. Tunc Ecclesia erit solium Domini in quo sedeat Christus Caput & Rex, & omnes gentes amplectentur veritatem verbi Dei: *non ambulabunt* in propriis sententiis, sed unicum attendent verbum Dei.

24. *Consumpsit laborem patrum nostrorum*] Nam propter vanitatem suam fruges in campis grandine perierunt, & pecora atque filii peste interierunt.

VATABLUS.

1. D*Icendo* לאמר] Pertinet istud ad finem capitis præcedentis, *Contempsit confidentias tuas, neque tibi prospere cedet in eis, dicendo,* &c. Alii vertunt, *Dicitur*, vel *Ajunt.* ¶ *Et fuerit viri alterius* והיתה לאיש אחר] Hebraismus, pro *nupserit alteri viro.* ¶ *Prævaricando prævaricata est* חנוף תחנף] *Pollutione polluta* est. Chaldæus Paraph. *peccando peccavit*, vel, *condemnando condemnata est:* aut, *puniendo punietur.* ¶ *Amatoribus* רעים] *Amicis.* Chaldæus Paraph. *tu autem errasti* [i. in errore versata es] *& societatem inisti cum populis multis: & tamen revertere ex nunc ad cultum meum.* ¶ *Sed revertere* ושוב] *Attamen revertere.*

2. *Fueris constuprata* שגלת] *Fueris vitiata.* Scribitur שגלת, & honestatis gratiâ legitur שכבת *dormieris.* Chaldæus Paraph. *ubi non inieris societatem tibi ad colendum idola: in viis domûs planitiei eorum* [i. in biviis] *exspectabas illos, sicut Arabes qui habitant in tentoriis in deserto.* ¶ *In viis* על דרכים] *Juxta vias.* ¶ *Eis* להם] *Propter illos:* vel, exspectando *illos.* ¶ *In deserto*, במדבר] Sub. *sedere solet, exspectans mercatores quibus vendat, aut à quibus emat merces.* ¶ *Et prævaricari fecisti* ותחניפי] *Et polluisti.*

3. *Imbres* רבבים] Pluviæ temporaneæ, quæ in Octobri sive Autumno decidunt: ea pluvia dicitur etiam יורה vel מורה: at מלקוש ea est quæ decidit in Martio, vel Vere.

4. *Ex hoc tempore vocabit me* מעתה קראתי לי] Præt. Heb. pro fut. *ex nunc* [vel *post hac*] *clamabis ad me:* aut *debebis vocare*, sive *deberes*, &c. Doctus inter Hebræos exponit, *Nónne ex quo vidisti quòd prohibuerim pluvias, debuisti converti ad me, & invocare me, Pater mi?* Alii interpretantur, *Nónne nuper cœpisti invocare me, dicendo*, &c.

5. *Et potuisti* ותוכל] *Et prævaluisti:* i. pro virili tua; vel, quando potuisti: ut ו sit pro כאשר. Aut, *& potuisti:* sub. *implere ea.*

6. *Rebellis* משבה] *Aversatrix.* ¶ *Abit* הולכה] *Ire solet.* ¶ *Et fornicatur* ותזני] *Ut fornicaretur.* Chaldæus Paraph. *& colunt lignum pro idolo.*

7. *Et dixi, post*, &c. ואמר אחרי עשותה וגו'] *Et cogitavi* apud me, *Postquam fecerit hæc omnia revertetur ad me.* ¶ *Vidique* ותראה] Sub. *quod fecerit omnia ista aversatrix Israel, & non posuit in corde suo.*

8. *Et vidi* etiam *quòd* vidit, &c. וארא כי וגו'] *Et vidi* etiam quòd non egerit poenitentiam: vidit, inquam, *quòd propter*, &c. Chaldæus Paraph. *Et manifestum fuit coram me quòd propterea quòd erraverunt* [i. coluerunt idola] *qui continent sese nè revertantur ad cultum meum, qui sunt de domo Israel, abduxi eos in captivitatem*, &c.

10. *Et tamen in omnibus his* וגם בכל זאת] *Et etiam in toto hoc.* ¶ *Mendaciter* בשקר] *In mendacio:* i. simulatè & fictè.

11. *Justificavit animam suam*, &c. צדקה נפשה וגו'] Hebraismus, pro *Justiorem præstitit sese quàm sit Juda soror ejus, si conferatur cum ea.*

12. *Revertere*, &c. שובה וגו'] Chaldæus Paraph. *Cùm reversi fueritis, non mittam iram meam in vos; quoniam multus in faciendo bona sum, dicit Jehovah: & non reservabuntur tibi peccata tua in æternum.* ¶ *Iram*] Subaudire potes, *peccata tua.*

13. *Et dispersisti vias tuas alienis* ותפזרי את דרכיך לזרים] i. Discurristi huc illuc ut coleres varia idola.

14. *Dominatus sum vobis* בעלתי בכם] i. Dominus & maritus sum vobis: h. e. dilexi vos quemadmodum maritus diligere solet uxorem sibi charissimam. Chaldæus Paraph. *quoniam unicè vos dilexi.* Alii, *nam ego sum vice mariti vobis.* Alii per futurum, *nam ego futurus sum sponsus vester.* ¶ *Unum de civitate* אחד מעיר] i. Siquis vel unicus relictus sit in aliqua urbe, assumam eum. Vel per *unum* & *duos*, intelligit paucos: acsi dicat, *Eligam aliquot ex vobis.* Hunc versum & sequentes interpretantur omnes Hebræi de Messia. ¶ *Et introducam* והבאתי] *Et reducam.*

16. *Arca federis Jehovæ* ארון ברית יהוה] Sub. *sit nobis propitia*, vel *egrediatur nobiscum ad bellum.* ¶ *Nec ascendet super cor* ולא יעלה על לב] Sub. *arca:* i. Non veniet in mentem. Hebraismus: q. d. *nullâ ampliùs bellorum molestiâ prementur, ut opus sit deferre arcam ad prælium, neque ampliùs pendebunt à ceremoniis & cultu externo.* Chaldæus Paraph. *& non commovebuntur, neque committent cum illa ultrà prælium.* ¶ *Neque visitabunt* ולא יפקדו] *Neque memores erunt.*

17. *In nomine Jehovæ* לשם יהוה] i. Propter nomen & gloriam Jehovæ. ¶ *Duritiam* שררות] Obstinationem.

18. *Ad domum* על בית] *Unà cum domo:* על pro עם *cum.* ¶ *Dedi in hereditatem*, &c. הנחלתי את אבותיכם] *Possidere feci patres vestros.* Chaldæus Paraph. *in terram quam* quasi *hereditariam dedi patribus vestris.*

19. *Desiderabilem*, חמדה] Ad verb. *desiderii.* ¶ *Concupiscibilem*, &c. צבי וגו'] Ad verb. *concupiscentiæ* [vel *desiderationis*] *exercitibus Gentium:* i. Optatam & desideratam à multis Gentibus. Hebraismus. ¶ *Et dixi*, ואמר] *Cùm dixerim*, sub. *frequenter, Voces me, Pater mi.* ¶ *Et à me* ומאחרי] Ad verb. *& à tergo meo:* vel, *à post me.*

20. *Siquidem* אכן] *Revera, Verùm.* ¶ *A socio suo* מרעה] *Ab amico suo:* i. à viro suo. Doctus inter Hebræos dicit verbum בגדה construi hoc loco cum מ in מרעה. quòd mulier prævaricando in maritum suum, discedat ab ipso ad alterum virum.

22. *Ecce nos*, &c. הננו אתנו לך] Quidam Hebræorum dicit Prophetam eos docere ut sic precentur, *Ecce*, &c. Chaldæus Paraph. sic totum versum convertit, *Convertimini filii qui continetis vos nè revertamini* [i. qui non vultis reverti] *dimittum vobis* [sub. *omnia peccata*] *quando revertemini. Ecce omni tempore vos dicitis, Reversi sumus ad cultum tuum: salva nos, quoniam tu es Jehovah Deus noster.*

23. *Mendacium est* לשקר] *frustrà: in vanum.* ¶ *A multitudine*

tudine המצח] Sub. *sacerdotum*: מ præpositum in מנעורי repetitur in subsequentibus.

24. *Confusio autem* והבשת] i. Idololatria. ¶ *Oves*, &c. צאנם ואת] *Greges eorum & armenta eorum.*

25. *Dormiemus* נשכבה] Chaldæus Paraph. *Dormiemus in pudore peccatorum nostrorum*, &c. Doctus inter Hebræos exponit istud *Dormiemus*, &c. *sicut homo qui est in tribulatione magna, & nescit quid agere debeat, conjicit se in somnum, & dormit.*

CASTALIO.

2. **A***ttolle oculos ad cacumina*] Scilicet montium. ¶ *Tanquam Arabs in silvis*] Arabes pastores erant vagi.

3. *Cùmque interceptæ sint pluviæ, imberque serus deficiat*] Scilicet ob tuum peccatum.

5. *Numquid perpetuò semperque memor erit injuriæ?*] Scilicet Jova.

8. *Videns ut ego*] Hoc verbum in tertia persona legendum puto, ut legit V. Interpres.

12. *Ego non conjiciam in vos meum vultum*] Non sæviam.

20. *Enimvero ut fidem fallit femina amico suo*] Conjugi.

21. *Vox in cacuminibus auditur, miserabilis Israelitarum ploratus*] Ob istam perfidiam calamitas accidit Israelitis, unde ploratus exstitit.

22. *Ecce nos venimus ad te, qui sis Jova Deus noster*] Hoc dicite, *Ecce*, &c.

23. *Certè nequicquam est ex collibus turba montana*] Scilicet deorum.

CLARIUS.

1. **V***ulgò dicitur*] In Hebræo est *dicens*: at secundùm Hebræos refertur ad finem præcedentis capitis, ubi dicitur, *contrivit*, vel *abominatum est Dominus confidentiam tuam*, & jam sequitur, *dicens*, *Siquis dimittat uxorem suam*, &c. ¶ *Numquid non polluta erit terra illa?*] Subintelligendum est *propter crimen adulterii.*

2. *Fornicata es*] Significatur per *fornicationem* & *adulterium* Idololatria. ¶ *Quasi Arabs*] h. e. Sicut mercatores Arabiæ juxta publicas vias exspectant prætereuntes, ut aut illis vendant sua, aut emant ab eis.

3. *Serotinus imber*] Matutinus imber mense Octobri jactâ semente decidit, *serotinus* verò rarior, & mense Martio distillat. Uterque in benedictionibus habetur, sed maledictionis est siccitas duobus illis mensibus.

5. *Numquid irascetur in perpetuum*] Hoc (inquit) si feceris, & conversa fueris ad Deum, numquid ille in perpetuum observabit peccata tua? ¶ *Locuta es*] h. e. Decrevisti facere mala, & fecisti quantum potuisti.

11. *Justificavit animam suam aversatrix Israel*] Exaggerat peccata populi Judæ, quòd etiam graviùs peccarit quàm tribus Israel. Et vide, ut Deus minus peccatum temporali pœnâ graviùs puniat: Israel enim est in perpetua captivitate; Judæi, qui magis taxantur, redierunt post 70 annos. Appellat autem Israel *rebellem*, sive *aversatricem* (loquitur enim feminino genere tanquam de muliere) quia Deum penitus aversata erat, adoratis in Dan & Bethel vitulis aureis; Juda autem vocatur *prævaricatrix*, in qua erat religio Dei, sed imitatione sororis paulatim recesserat à Domino.

12. *Vade, & clama*] Miram Dei benignitatem! ut induit humanos affectus & imitatur homines, qui si rectâ assequi aliquid non possunt, zelo alterius & æmulatione id tentant! ut enim attrahat & Judam, invitat Israelem ad pœnitentiam, & ait, *O Israel, Juda impœnitens est, age vel tu pœnitentiam, & à me suscipieris.* Jubet autem, ut *clamet versùs aquilonem*, h. e. versùs Medos, apud quos Israel captivus tenebatur.

14. *Ego vir vester*] h. e. Etiam posteaquàm idololatriæ adulterio estis polluti, revertimini. Et si solus *unus* fuerit *in civitate*, qui ad me converti voluerit, aut *duo in tota aliqua cognatione* vel tribu, non respuam eos. Et hîc innuit reliquias tantùm servandas, & paucos fore electos.

16. *Non dicent ultrà, Arca testamenti Domini*] Atqui nihil erat apud eos tam Divinum. Sed apertè significat abolendum totum illum Dei cultum qui in ceremoniis Templi consistebat, & futuram *Jerusalem*, non illam terrenam, sed spiritualem, Ecclesiam scilicet, *solium Dei*, quod ut nihil dubitetur de hoc dici, addit, *congregandas ad eam omnes gentes.*

18. *Et venient simul de terra Aquilonis*] *Ab Aquilone* videtur simpliciter intelligendum, *à captivitate*, h. e. à peccato. Aquilonares enim Gentium typus sunt. Nam *terram Aquilonis* localiter intelligendum non facilè dixeris, non enim congruit nec primæ nec secundæ captivitati; in prima non rediit Israel, in secunda non rediit Juda, nam per totum mundum dispersi sunt. Videmus autem præcipuè ubi de regno Christi fit mentio, Prophetas obtectis ac figuratis verbis uti.

19. *Quomodo ponam te in filios*] Est admirantis, h. e. Dabo tibi innumerabilem progeniem, quod proculdubio tempore conversarum Gentium fuit.

22. *Ecce nos venimus ad te*] Docentur quid dicere debeant revertentes.

24. *Confusio comedit laborem patrum nostrorum*] Nam propter vanitatem suam fruges in campis grandine perierunt, & pecora atque filii peste interierunt.

MASIUS.

1. לאמר Vulgo dicitur. Sic & alibi usus ejus dictionis reperitur ni fallor. Quanquam possit hic dependere ab eo quod dixit הלא חנוף תחנף הארץ כי מאס יי בבטחיך. Existimo sciolum pro terra, substituisse, mulier.

5. הינטר לעולם אם ישמר וגו׳. *Nunquid irasceris?*] Nisi mendum sit, mutavit interpres personam tertiam, in secundam, ut sensus sit dilucidior.

7. אלי תשוב. *ad me revertere.*] Non male interpres, si non esset hactenus locutus propheta in fœm. genere, ut & ilico, ולא שבה. Sed excusatur interpres ipsa phrasi, quæ interdum in tertia persona loquitur, pro 2. Quanquam fortasse mendum sit, pro revertetur.

13. ובקולי לא שמעתם. Interpres servavit sing. numerum, nisi mendum sit. Nec quicquam perit de sensu. Opinor legendum, *audistis.*

14. שובו בנים שובבים. Usque ad finem capitis fere pulcerrimus est locus contra Judæos volentes cæremonias legales in diebus Messiæ non esse abolendas. Et de gentium conversione &c. nec patet effugium. Si omnia expendantur.

19. נחלת צבי צבאות גוים.] Interpres *exercituum gentium.* Potest etiam accipi, ut sit ἀσύνδετον, ac si dicat, Terram desiderabilem & hæreditatem præclaram ac exercitus gentium. Et fortasse pro *exercituum*, est scribendum, *exercitum.* Illud vero observandum hic, quod quum reliqua omnia per genus fœmininum efferantur, dicat in masculino genere ואתן לך dabo tibi viro, ac si hoc de Messia, reliqua de ecclesia intelligantur.

23. אכן ביהוה תשועת ישראל. Quia hic est nomen יהוה ex hoc & similibus locis quidam conantur, ut mihi videtur, non pie elevare humanitatem Christi quasi in sola divinitate simus redempti.

DRUSIUS.

2. וַתַּחֲנִיפִי. Alius, ἐφονοκτόνεις] Victor, ἄλλος ἀντὶ τοῦ, ἐμίανας, ἐφονοκτόνεις ἐξέδωκεν. Hieron. *& polluisti, sive interfecisti.* Idem Jes. 24. 5. חנפה *infecta est*: aliàs *interfecta.* Verbum חנף inter alia sign. *pollui cædibus*, ut Num. 35. 33. & Psal. 106. 38. Rursum Hieron. in Comment. *Interfecta est terra sive polluta propter interfectionem eorum qui idololatriæ fornicatione perierunt.*

12. וְקָרָאתָ. A. & Sym. *clamita*] Th. *lege*, i. ἀνάγνωθι. Vide suprà 2. 2. Hieron. *Verbum Ebraicum* קרא *& voca & clama & lege significat. Unde Aq. & Sym.* clamita, *Lxx & Th.* lege *interpretati sunt.*

19. נַחֲלַת צְבִי צִבְאוֹת גּוֹיִם. Th. *hereditatem inclytam fortitudinis robustissimi Gentium*] Hieron. *Pro* hereditate præclarâ exercituum gentium, *quam Lxx transtulerunt* hereditatem nominatam Dei omnipotentis gentium, *Th. significantiùs transtulit* hereditatem inclytam fortitudinis robustissimi gentium, *Christum significans, qui Ductor aut Dominus est universarum gentium suo nomini passionique credentium.* Legit haut dubiè ὀνομαςὴν pro eo quod nunc in libris ἐκλεκτὴν *electam*: quam lectionem etiam Theodoretus agnoscit. Notabis autem צבאות hîc reddi Θεοῦ παντοκράτορος: quod eos juvat qui inter nomina Divina illud recensent.

22. משובתיכם. Sym. *Conversiones*] Priùs erat τὰ συντρίμματα *contritiones.* Id Hieronymus emendavit *aversiones*, & meliùs: *conversio* משובה dicitur: משובה autem potiùs est *aversio à Deo*, quam *rebellionis* vocabulo Santes innuit.

GROTIUS.

1. **N***umquid revertetur ad eam ultrà*]. Estne maritus aliquis adeò remissus, ut, etiamsi lex id permitteret, vellet eam recipere? Arabes pro summa exsecratione dicunt: *Ter dimissam, & ab aliis subactam recipias.*

Num.

Numquid non contaminata & polluta erit mulier illa?] In Hebræo: *An verò non contaminata & polluta est terra illa?* id est, Judæa: ut hic incipiat ἀντίθετον [*pars opposita*]. At Græci, quos hic Interpres sequitur, legerunt אשה [*mulier*] pro ארץ [*terra*].

Tamen revertere ad me] Tamen tantâ sum patientiâ ut recipere te velim.

2. *Leva oculos tuos in directum*] In Hebræo, *in excelso.*

In viis sedebas]

Cunctis in triviis & angiportis.

Vide Genes. XXXVIII. 14.

Exspectans eos quasi latro in solitudine] In Hebræo, ut Chaldæus interpretatus est, *velut Arabs in deserto.* Insidias fecisti omnibus, sicut Arabes illi, qui ad Hieronymi usque tempora (imò & ad nostra) incursabant terminos Palæstinæ, & descendentibus de Jerusalem in Jericho obsidebant vias.

Polluisti terram] Ut suprà I.

3. *Quamobrem prohibitæ sunt stillæ pluviarum, & serotinus imber non fuit: frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere*] Meliùs cum aliis vertas: *Et quanquam retentæ sunt guttæ pluviæ, neque ullus fuit imber vernus* (qui *serotinus* Hebræis, apud quos annus popularis ab autumno inchoabat), *tibi tamen mansit frons meretricis, nè erubesceres.*

4. *Ergò saltem amodo voca me*] Vel nunc saltem tot malis edocta.

Pater mi] Qui me amasti, ut pater.

Dux virginitatis meæ tu es] In Hebræo: *ô dux adolescentiæ meæ*, qui me à prima ætate fovisti. Confer Proverbiorum. II. 16.

5. *Numquid irasceris in perpetuum?*] Hæc sunt verba quæ te loqui oportuit.

Ecce locuta es, & fecisti mala, & potuisti] Sensus est, *Si ità loquereris, quanquam mala* (plurima) *fecisti, prævaleres:* id est, iram mihi adimeres.

6. *Et dixit Dominus ad me in diebus Josiæ Regis*] Hic novum caput inchoari debuit. Diximus alibi à Josia ritus aliquantùm correctos fuisse, sed plerisque è populo mansisse mentem ex Manassis temporibus.

Aversatrix] Aversa à Deo: LXX legerunt כמשבה, ἡ κατοικία [*habitatio*].

Israël] Ità hic vocantur Decem tribus. Sequitur enim nomen oppositum *Juda*, id est, tribus Judæ & Benjaminis, unà cum Sacerdotibus & Levitis.

8. *Dedissem ei libellum repudii*] Abdicassem illam à tutela mea.

9. *Et facilitate fornicationis suæ*] Per *facilitatem* intellige frequentiam: alii *famam* interpretantur.

Contaminavit terram] Vide Deuteron. XXIV. 4.

10. *In toto corde suo*] Id est, sincero animo.

Sed in mendacio] Simulatè.

11. *Justificavit animam suam aversatrix Israël, comparatione prævaricatricis Judæ*] Id est, *minùs nocens apparuit.* Vide Ezechielis XVI. 51. & Lucæ XVIII. 14.

12. *Vade & clama sermones istos contra Aquilonem*] Mediam versus & vicinas regiones, in quas Decem tribuum homines Teglathphalassaro & Salmanassare erant deportati.

Revertere aversatrix Israël] Redite ad Legem, & unius veri Dei cultum. Ei conditioni cùm plerique illorum nunquam paruerint, non mirum est si promissa hic facta in ipsis impleta non sunt.

Quia sanctus ego] In Hebræo, *Benignus.*

13. *Verumtamen scito iniquitatem tuam*] Meliùs: *Tantùm agnosce culpam.*

Dispersisti vias tuas alienis] Diis scilicet. Lucan. II.

Nec cuncta summi Templo jacuêre Tonantis:
Divisêre deos.

14. *Convertimini filii revertentes*] In Hebræo: *Refractarii.*

Et assumam vos unum de civitate, & duos de cognatione] Etiamsi in aliqua urbe & vico unus tantùm aut duo essent Israëlitæ, etiam illorum non obliviscar. Ad Messiæ tempora μυστικῶς [*mysticè*] hæc etiam Rabbini referunt; sed alium esse sensum primum ostendunt quæ sequuntur infrà 20.

15. *Et dabo vobis pastores juxta cor meum*] Id est, Principes, ut suprà II. 8.

Et pascent vos scientiâ & doctrinâ] Id est, *peritè ac sapienter*, ut hic Chaldæus & LXX.

16. *Non dicent ultrà, Arca Testamenti Domini*] Supple, *præcedat nos ad prælium.* Omnino sic intelligenda hæc esse docent sequentia: solebat enim ea in castra adferri spe præsentioris præsidii, ut apparet I Sam. IV. 4. Adde Josuæ III. 3. 6. II. IV. 7. VI. 8. 13. II Sam. VII. 2. XI. II. XV. 24.

Neque ascendet super cor, neque recordabuntur illius] Nempe ad eum usum.

Nec visitabitur, nec fiet ultrà] Id est, non pugnabitur, nec ea fient quæ nunc in bello fieri solent. *Visitare* pro *pugnare* est χαριεντισμὸς [*emollitio locutionis*], qualis 2 Regum XIV. 8. פקד [*visitare*] vertitur sæpe per ἐκδικεῖν [*ulcisci*]. Vide & Esaiæ XXVII. 3. Chaldæus hic: *Nec in ea ampliùs inibitur prælium.*

17. *In tempore illo vocabunt Jerusalem Solium Domini*]. Id est, potentia Divina in eo apparebit. Hunc locum Rabbini quidam ad tempus post Resurrectionem referunt, nempe sensu quodam sublimiore.

Et congregabuntur ad eam omnes gentes] Multi ex Gentibus venient Deo vero cultum exhibituri in subdiali Gentium.

18. *Ibit domus Juda ad domum Israël*] Regna duo diu divulsa, & gravibus bellis inter se collisa coalescent.

Et venient simul de terra Aquilonis] Nempe illi quos Teglathphalasar & Salmanasar ex Decem tribubus, nec minùs illi quos Sennacheribus ex Judæa captivos fecit.

19. *Ponam te in filios*] Efficiam ut multâ sobole floreas.

Tribuam tibi terram desiderabilem] Dignam quæ votis expetatur.

Hereditatem præclaram] Id est, *arva latissima.* צבי [*decorem*] de terra Judæa habes & II Sam. I. 19. & Ezech. XXV. 9. Daniel. XI. 6.

Exercituum gentium] Meliùs additâ copulâ, *& exercitus Gentium*, tibi dabo scilicet in occidionem, captivitatem, prædam.

Et dixi, Patrem vocabis me, & post me ingredi non cessabis] Meliùs: *Sed* simul *dixi, Patrem me voca, & ne cessa me sequi.* Sub hac lege ista promitto.

20. *Sed quomodo si contemnat mulier amatorem suum, sic contemsit me domus Israël*] Ostendit jam cur illa promissa vim suam non habuerant, quia nimirum Israël sua ex parte non fecit quod debuit.

22. *Convertamini filii revertentes*] Iterum in Hebræo, *refractarii.*

23. *Verè mendaces erant colles*] Hoc, inquit, dicitote: Colles illi in quibus idola colebantur nos deceperunt.

24. *Confusio comedit laborem nostrum*] Id est, idolum in causa est cur nobis omnia mala successerint. Mos Hebræis idolum vocare בשת [*confusionem*], ut vides infrà XI. 13. Oseæ IX. 10.

25. *Dormiemus in confusione nostra*] Meliùs, *cubamus*, tanquam ægroti.

Et operiet nos ignominia nostra] Quasi stragula.

CAP. IV.

MUNSTERUS.

2. **J***Urabis*] Jurare, inquit, licet per nomen Dei, sed non in vanum, h. e. si necessitas non cogat, neque falsò. Etiamsi judices aliquem cogant jurare contra æquitatem & veritatem, non est illis obtemperandum. Futurum enim est, dicit Propheta, ut gentes, quæ per nomina deorum suorum jurant, religiosè sibi imprecaturi sint bona & benedicturi per sacrosanctum nomen Dei, quod inter vos blasphematur. Scriptura itaque admittit, committit & commendat Jusjurandum, addens tres conditiones: I. ut in Domino tantùm juretur; 2. ut non temere fiat, sed quando necessitas id poscit; 3. ut in veritate juretur & ex animo, nè quis sciens fallere contendat.

3. *Novate novale*] *Novare agrum* est eum repurgare a spinis & herbis, atque adaptare sementi. Significatúrque per id ut populus se innovet & ad susceptionem seminis Divini præparet, sicut subditur, *Circumcidamini*, &c. Noluit enim Dominus ut semen illud cadat *inter spinas*, & *suffocetur.*

5. *Congregate*] Heb. *implete:* pro quo Chald. אסגו *multiplicate*, scilicet homines in unum. Prædicitur autem per hæc verba horribilis adventus Nebuchadnæzer, contra quem Propheta suos monet ut sese arment, licèt frustrà, cùm Dominus illum adduxerit tanquam *sævum leonem ex condensis ramis prorumpentem.*

9. *Peribit cor Regis*] h. e. Ille qui suos corroborare debuerat adeò terrebitur & consternabitur in adventu hostis ut omnis consilii inops futurus sit.

10. *Decipiendo decepisti populum tuum*] i. Ut quid, Domine, tamdiu sinis falsos Prophetas illudere miseræ plebeculæ, qui illis falsò nunciant pacem, & in errore fovent & retinent?

11. *Ventus fortis*] Hebraismus propriè habet *ventus splendidus.*

didus. Significatur autem per hunc *ventum* exercitus hostilis armis candescens, qui comparatur *vento deserti*, quòd sicut ventus in deserto, præsertim in locis eminentioribus, ubi nulla habet obstacula, importunior est, sic exercitus Chaldæorum citra ullum obstaculum omnem Judæorum evertit terram.

12. *Veniet ad me*] Verba sunt Prophetæ.

16. *Recordamini Gentium*] i. Intelligite rumorem illum de gentibus quæ *veniunt de terra longinqua* ut devastent terram nostram. Alii sic vertunt, *Mentionem horum facite apud Gentes*, &c. Et nota, ubi nos vertimus *Observatores*, quidam Hebræorum putant נוצרים derivari à נצר *Nazar*, quasi *Nebuchadnazari exercitus venit*, &c. Alii interpretantur בוצרים, i. *armati.*

17. *Custodes agrorum*] Sicut custodes in campo diligenter curant nè ullum pecus de grege amittant, sic Chaldæi observabunt urbem Jerosolymitanam, nè vel ullus evadat.

18, 19. *Fecerunt tibi ista*] Verbum עשו in Hebræo scribitur in infinitivo, ad insinuandum quòd usque ad tempus illud adhuc impiis suis studiis vacabant in magnam sui perniciem: sicut subditur, *Res est amara, quæ paulò post penetrabit cor tuum.* Propheta verò in Spiritu videns imminentem Dei ultionem, clamabat, *Doleo ventrem, & omnia interiora mea*, &c.

23. *Non erat eis lux*] Turbatis & in summo discrimine positis videtur etiam serenum cœlum tenebris obductum. Usque adeò interna mentis anxietas obnubilat exteriores sensus.

28. *Lugebit terra*] Dicitur Terra *lugere* quando à cultura in squalorem redigitur. Cœli verò *tristantur* seu *nigricant* quando è supernis nullum exspectatur auxilium.

29. *Ingressi sunt nubes*] h. e. Fugerunt in cacumina montium quæ ad nubes usque extolluntur.

VATABLUS.

1. *Si reversus fueris*, &c. אם תשוב וגו'] *Si reverti voles, ô Israel, dicit Jehovah, ad me revertere.* Illud *Quiesces*, significat frueris quiete, & tranquillè ages in patria tua. Chaldæus P. *Si revertaris, Israel, ad cultum meum, dicit Jehovah, recipietur pœnitentia tua prius quàm sigilletur sententia tua.*

2. *Et jurabis* ונשבעת] Quidam subaudiunt *si*, *Et si jures.* Ità etiam Chaldæus P. inquiens, *Si jures per nomen meum, Vivit*, &c. ¶ *Et benedicent se in eo Gentes*, והתברכו בו גוים] Hebraismus, in quo est mutatio personæ, pro *in te*: q. d. *Gentes optabunt sibi felicitatem tuam.* Doctus inter Hebræos aliam affert expositionem, nempe, *Adhuc veniet tempus quo etiam reliquæ Gentes benedicentur in eo* (scilicet Deo) *& gloriabuntur in eo, & non in idolis.*

3. *Arate vobis arvum* נירו לכם ניר] *Novate vobis novale.* Chald. P. *Quia sic dicit Jehovah homini Jehudah & habitantibus Jerusalem, Facite vobis opera bona, & quæratis liberationem in peccatis.*

4. *Circumcidite*, &c. המלו וגו'] Chald. *Revertimini ad cultum Jehovæ, & auferte impietatem cordis vestri*, &c.

5. *Audiri facite* השמיעו] i. Efficite ut audiatur. Chald. *annunciate.* ¶ *Congregate* מלאו] Quidam non admodum ex loco vertunt *implete.* Quæ hic dicuntur, fieri solent imminente hoste aliquo crudeli. Prædicuntur autem hic pœnæ quibus afficientur Judæi quòd pœnitere noluerint.

6. *Congregate vos* העיזו] Sub. *ad fugiendum.* Alii, *fugite*: utrumque significat vox Hebræa.

7. *De umbraculo suo* מסבכו] *De latibulo suo*: סובך, Hebræis à *perplexitate ramorum* seu *arborum* dicitur. ¶ *Et interfector* ומשחית] *Et vastator.* Alii, *expugnator*, aut *exterminator.*

8. *Super hoc* על־זאת] *Ob id. Eam ob rem.*

9. *Peribit* יאבד] Chald. *frangetur.* ¶ *Et Prophetæ* והנביאים] Chald. *& pseudoprophetæ.* ¶ *Admirabuntur* יתמהו] *Consternabuntur animo.* Alii, *consternentur.* Alii, *terrebuntur.*

10. *Decipiendo decepisti* השא השאת] Doctus inter Hebræos ità exponit, *Ex quo tu prorogas iram, pseudoprophetis seducentibus illos, ac imponentibus eis, dicendo, Pax, certè perinde est atque tu imponeres illis: existimat enim major pars populi quòd Dominus locutus sit illis.* ¶ *Et pervenit* ונגעה] *Tamen pertingit.* Chald. *nunc autem ecce gladius occidit in populo*, i. grassatur per populum.

11. *Populo huic, & Jerusalem* לעם הזה ולירושלם] *De populo isto & de Jerusalem.* Chald. *Tempore illo dicetur de populo hoc, & de habitatoribus Jerusalem, Sicut ventus mundus super capita rivorum aquarum in deserto, sic erit semita* [vel *in semita*] *Synagoga populi mei, non ad dispergendum, neque ad spargendum*, i. repurgandum. ¶ *Siccus* צח] *Aridus*: i. in quo nulla est utilitas hominibus. Alii, *serenus*: vel *sudus ac nitidus.* ¶ *Via filiæ populi mei* דרך בת עמי] i. Veniens rectà ad filiam populi mei.

12. *His* מאלה] Sub. *ventis quibus repurgare solent frumenta.* ¶ *Loquar judicia cum illis* אדבר משפטים אותם] Hebraismus, acsi dicat, *increpabo eos propter scelera quibus offensus Deus hæc intulit.* Verba sunt Prophetæ, ut quidam volunt.

13. *Et veluti turbo* וכסופה] *Et veluti tempestas.* ¶ *In prædam*, &c. שדדנו] *Vastati sumus*: vel *direpti.* Alii, *consumpti.*

14. *Morari sines* תלין] Sing. Heb. pro plur. *morabuntur*: *permanebunt*: vel *perseverabunt.* ¶ *Iniquitatis tuæ* אונך] i. Injuriæ à te illatæ. Chald. *opera injuriæ quæ sunt in medio tui.*

15. *Annunciantis* מגיד] Sub. *adventum Nabuchodonosor.* Doctus inter Hebræos exponit, *Ex Dan veniet qui annunciabit adventum hostis.* Meminit *Dan*, quia est terminus terræ Israel, oppidum occurrens primùm venientibus è Babylone Jerosolymam. Inter utraque medio ferè itinere est *mons Ephraim* qui non tantum abest ab Jerosolymis quantum ipse Dan. ¶ *Et audire facientis* ומשמיע] i. Annunciantis. Hebraismus. ¶ *Iniquitatem* און] *Calamitatem*: *afflictionem.* Alii, *contritionem.*

16. *Memorate de Gentibus* הזכירו לגוים] *Dicite* [vel, *Narrate*] *de Gentibus*: i. annunciate Gentes non procul abesse. Alii, *Recordamini Gentium*, i. intelligite rumorem illum de Gentibus quæ veniunt de terra longinqua. ¶ *Custodes* נוצרים] i. Milites Chaldæi, qui, ut solent custodes qui in campo diligenter curant nè ullum pecus de grege amittant, sic observabunt urbem Jerusalem nè vel unus evadat. Alii vertunt *vastatores*, i. milites Regis Nabuchadnesar, q. d. *Nabuchadnesarei.* ¶ *Et dabunt super civitates*, &c. ויתנו על ערי יהודה קולם] i. Invadent, voce sublatâ, urbes Juda.

17. *Fuerunt juxta eam in circuitu* היו עליה מסביב] i. Cinxerunt illam obsidione. ¶ *Me irritavit* אתי מרתה] *Non obtemperavit mihi.*

18. *Amarum* מר] Sub. *quod tibi eventurum est*: q. d. Malitia tua in causa fuit ut amarum ac durum sit malum istud quod venit super te, *adeò ut pertigerit usque ad cor tuum.*

19. *Parietes cordis mei* קירות לבי] Sub. *doleo*: i. præcordia, quæ sunt tanquam parietes cordis, quia sunt ferè cordi conjuncta. ¶ *Resonat* הומה] *Tumultuatur*: vel *fremit*, aut *obstrepit.* ¶ *Audisti* שמעת] Dicit, *Anima mea, audisti* (ut annotat doctus inter Hebræos) & non, *auris mea*; quia nondum audierant aures ejus: necdum enim venerat hostis: at anima ejus audierat per Prophetiam. Legitur & שמעתי *audivi.*

20. *Contritio post contritionem vocata est* שבר על־שבר נקרא] *Clades super cladem accidit*: q. d. Contritio altera alteri successit: i. Decem Tribus jam abductæ sunt captivæ: duæ reliquæ etiam abducentur, nisi resipuerint. ¶ *Tota terra* כל־הארץ] Sub. 10 *Tribuum.* ¶ *Tabernacula mea* אהלי] Vocat urbes *tabernacula* sive *tentoria* & *cortinas*, quòd facillimè captæ ac subjugatæ fuerint. Chaldæus P. interpretatur *terram & urbes Terræ sanctæ.*

21. *Vexillum* נס] Sing. pro plur. *vexilla*: q. d. Quousque videbo cœtus istos attollentes vexilla ad congregandum sese ut veniant præliaturi contra me?

22. *Quia* כי] Sub. *omnia ista eveniunt, quia*, &c. Aut verte כי *Certè.*

23. *Vidi* ראיתי] Sub. *spiritu Prophetico.* Sunt enim verba Prophetæ quæ sequuntur. ¶ *Desolata & vacua* תהו ובהו] Sub. *habitatoribus.* Ad verb. *inanitas & vacuitas.* Describit acerbitatem calamitatis: q. d. Vidi regionem vastatam & destructam. Vide easdem voces Gen. 1. 2. ¶ *Lux eorum* אורם] *Lumen in eis*: i. obscurati erant ac destituti lumine suo: stellæ cœli non lucebant. His summam afflictionem describit.

24. *Destructi fuerunt* התקלקלו] *Corrupti sunt*, aut *perditi.* Alii, *commoti sunt*: vel *agitaverunt sese.* Quidam Hebræorum à *levitate* deducit verbum, vertens *alleviati sunt*, i. præ levitate sua tremebant: nam gravitas eorum reddit eos stabiles.

25. *Nullus* erat *homo* אין האדם] Chald. *non erat populus ejus manens in ea.*

27. *Consummationem tamen* וכלה] *Consumptionem tamen*: ו pro *tamen*: i. non omnino perdam.

28. *Desolabitur* תאבל] *Peribit.* Alii, *lugebit.* Dicitur *lugere* Terra quando non culta in squalorem redigitur. ¶ *Eò quòd locutus sum, cogitavi* על כי דברתי זמותי] *Dixi enim quod cogitaveram.* Doctus inter Hebræos exponit, *Quia ejus quod locutus*

locutus sum, cogitavi [על כי דברתי זמותי]. *Dixi enim quod cogitaveram.* Doctus inter Hebræos exponit, *Quia ejus quod locutus sum Prophetis sicut cogitaveram, non pœnituit me hactenus: nam quemadmodum cogitavi & dixi, sic fiet.* Alii exponunt, *Locutus sum & cogitavi*, pro, *tuli sententiam postquam cogitavi.*

29. *Equitum & sagittariorum* [פרש ורמה] Sing. Heb. pro plur. *equitis & jaculantis arcu*: pro, *equitum & sagittariorum fugerunt omnes urbes*, vel *habitatores urbium.* ¶ *Silvas densas* [בעבים] *Densitates*: i. nemora densa & spissa. Alii, *nubes*, à *densitate*: i. receperunt se in montes altissimos, super quos requiescere videntur nubes. ¶ *Omnes civitates derelictæ* [כל העיר עזובה] Sing. Heb. pro plur. *omnes urbes desertæ*, vel *desolatæ.*

30. *Quòd ornas*, &c. [כי תלבשי וגו'] Quidam hæc sequentibus conjungunt, vertentes, *cùm indueris te coccino, cùm ornaveris te ornamentis aureis*, (vel *monilibus*) *cùm pinxeris fuco oculos tuos, in vanum ornabis te*, &c. ¶ *Pingis* [תקרעי] Ad verb. *scindis*: i. diducis & dilatas: nam præ nimia fucandi assiduitate oculi dilatantur.

31. Vocem, inquam, *angustiæ* [צרה] *Angustiam*: vel *tribulationem*, inquam. ¶ *Vox* [קול] Per Appositionem dictum. Vertere potes in accusativum *vocem*, ut à verbo *audivi* regatur. ¶ Quæ *lamentatur* [תתיפח] Fut. Heb. pro præs. *loquitur: fremit.* Chald. *quæ prostrata est.* Alii, *conqueritur.* ¶ *Expandit* [תפרש] Etiam fut. Heb. pro præs. Quidam Hebræorum, *frangit, confringit*: aut *percutit manus suas*, alteram ad alteram more lugentium. ¶ *Interfectos* [להרגים] *Interfectores.*

CASTALIO.

1. *SI redieris, Israelita*] Si te corriges.

11. *Ventus æstuosus per silvarum cacumina tendit versùs puellam mei populi*] Civitatem, videlicet Hierosolymam.

12. *Ventus plenior quàm ad talia mihi veniet*] Ad ventilandum.

13. *Ecce autem ascendit more nubium*] Nabuchodonosor.

15. *Auditur enim vox nunciantis à Dane*] Illàc Babyloniis erat iter in Judæam.

29. *Eunt in nubila*] Ardua loca.

CLARIUS.

1. *SI reverteris*] Vel sic, *Si revertaris Israel, ait Dominus, si ad me, inquam, revertaris, si abstuleris offendicula tua à facie mea, non moveberis. Et si juraveris, vivit Dominus in veritate, & in judicio & in justitia, benedicent eum gentes*, &c. ¶ *Non moveberis*] Scilicet de loco tuo, ut in captivitatem abducaris.

2. *Et jurabis, vivit Dominus*] Jurare (inquit) licet per nomen Dei, sed non in vanum, h. e. si necessitas non cogat, neque falsò. Etiam si Judices aliquem cogant jurare contra æquitatem & veritatem, non est illis obtemperandum. Ponit autem tres conditiones juramenti, ut *vera* non falsa juremus, ut *cum judicio* & ex rationabili causa, & *justa* facturos nos non injusta juremus. ¶ *Benedicent eum*] Nempe Israelem. Alius sic vertit, *benedicent se gentes in eo, atque gloriabuntur in eo.* Futurum est enim, dicit Propheta, ut gentes, quæ per nomina deorum suorum jurant, religiosè sibi imprecaturæ sint bona & benedicturæ per sacrosanctum nomen Dei, quod propter vos in eisdem gentibus blasphematur.

3. *Novate vobis novale*] *Novare agrum* est cum repurgare à spinis & herbis, atque adaptare sementi, significatúrque per id, ut populus se innovet, atque ad susceptionem seminis Divini præparet, sicut subditur, *circumcidimini*, &c. Noluit enim Dominus, ut semen illud cadat *inter spinas*, & *suffocetur.*

6. *Confortamini*] Vel, *ferte vestra in locum munitum.* Prædicitur autem terribilis adventus Nabuchodonosor, contra quem Propheta suos monet ut sese arment, licèt frustrà, cùm Dominus illum adduxerit tanquam *sævum leonem ex condensis ramis prorumpentem.*

9. *Peribit cor regis*] h. e. Ille qui suos corroborare debuerat, adeo terrebitur & consternabitur in adventu hostis, ut omnis consilii inops futurus sit.

10. *Decepisti populum istum*] h. e. Ut quid, Domine, tamdiu sinis falsos Prophetas illudere miseræ plebi, qui illis falsò nunciant pacem, & in errore fovent & retinent?

11. *Ventus urens*] h. e. Hostis erit tanquam ventus urens editiora loca in deserto, quæ nihil habent quo à vento defendantur. ¶ *Non ad ventilandum*] Sed scilicet ut omnia penitus auferat.

12. *Spiritus vehemens ex his veniet mihi*] Verba sunt Prophetæ in persona populi. Deinde idem Propheta dicit *se locuturum judicia*, quæ scilicet Dominus ei revelarat.

15. *Vox enim annunciantis*] Hostes scilicet propinquare.

16. *Dicite de gentibus*] Quæ adveniunt ut devastent terram nostram.

17. *Quasi custodes agrorum*] Obsidionem exprimit diligentissimam nequis intrare vel exire valeat, sicut custodes in campo diligenter curant nè ullum pecus de grege amittant.

18. *Ista malitia*] Hæc calamitas tam dura non leviter attigit te, sed *pervenit* usque *ad cor.*

20. *Pelles meæ*] Tentoria scilicet.

23. *Vacua erat, & nihil*] Supple, *erat in ea.* Hìc autem in Heb. eædem voces sunt quæ & in Gen. ubi legitur, *Terra erat inanis & vacua.* ¶ *Non erat lux in eis*] Turbatis & in summo discrimine positis videtur etiam serenum cœlum tenebris obductum. Usque adeò interna mentis anxietas obnubilat exteriores sensus.

28. *Lugebit terra*] Dicitur *Terra lugere* quando à cultura in squalorem redigitur, cœli verò *tristantur* vel *nigricant* quando è supernis nullum exspectatur auxilium.

30. *Cùm vestieris te*] Quæ modò *vestiris coccino*, & *ornaris*, &c. h. e. quæris exterarum gentium favorem. Perstat enim in metaphora Meretricis.

MASIUS.

5. קראו מלאו ואמרו וגו'. *Clamate fortiter & dicite.*] Ego arbitror מלאו hic significare id quod 3 Reg. 1. videlicet manum operi admovere. Sive potius rem effectam dare, rem ipsam conficere. Nisi malis accipere pro eo quod est implere, scilicet urbes ac castra præsidiario milite, ut sequitur.

11. רוח צח שפים וגו'. Noster interpres plerumque vertit שפיים pro viis & quidem in rectum porrectis. Mihi videtur hic sensus: in illo tempore dicetur huic populo & ipsi Jerusalem (hoc est veniet ei nuncium) ventus urens sive aridus atque exiccationis ventus (spirat scilicet) in excelsioribus locis deserti, recta qua iter est versus populum meum. Non quidem spirat ut evannet atque repurget commode frumentum. Sed mihi venit ille ventus, ut scilicet vindictam sumam de populo meo. Erat enim ventus, exercitus Chaldæorum.

14. מחשבות אונך. *Cogitationes noxiæ.*] Non male sic vertit. Nam און aliquando fere idem est quod עון ut hic statim in sequenti versiculo. Tamen plerumque significat *facultates*, quæ aut ex viribus naturalibus, aut divitiis homini suppetunt. Ut possis vertere, *usque quo tu confides in tuis facultatibus*; ac non potius jactabis omnem cogitationem tuam in dominum.

19. כי קול שופר שמעתי נפשי. Puto nostrum interpretem scripsisse, *quoniam vocem buccinæ audivi: anima mea clamorem prælii* (scilicet *audivit*,) & a sciolo quopiam esse substitutam tertiam personam, non intelligenti illam phrasim Hebraicam, ut sæpe alibi constat in nostra translatione factum.

28. *Lugebit terra*] Haud dubiè deest; *propter hoc, lugebit terra &c.*

31. קול בת ציון תתיפח Vulg. eleganter, *Vox Filiæ Sion intermorientis.* Id quod Theologista quispiam indoctus non intelligens scripsit temere, *inter morientes.* Nam verbum illud significat anhelare atque ita veluti extremum spiritum ducere. Quanquam plerumque malint pro הגה meditari ac secum loqui musitareque interpretari. Id quod etiam non abest ab hac sententia. Nam qui animam agunt tanquam aliquid dicant os contorquent sed fine clara voce, &c.

LUCAS BRUG.

12. *ET nunc ego, sed loquar judicia mea cum eis*] *Sed* conjunctionem prætermittunt Complutensis editio & textus Hieronymi ac Rabani commentariis adscripti. In Hebræo expresè non habetur: sic enim ad verbum est, *Nunc etiam ego loquar judicia cum eis.* Hentenius & Parisienses, illâ omissâ, emendarunt, *Et nunc ego loquar judicia mea cum eis.* Atqui plerique omnes libri, tum scripti tum impressi, addunt conjunctionem illam *sed*: ex universis nostris, præter Regium, qui ex Complutensi expressus est, nullus qui omittat est; duntaxat tres sunt, iique infimi ordinis, manuscripti, qui pro ea *ecce* legant. Agnoscunt etiam eam Expositores, Richelius, Carensis, Lyranus, Thomas, Glossæ Ordinariæ Autor: his adde Dominicanos, &c, nè istorum consensum parvi quis faciat, Hieronymum. Ut enim illi notant aposiopesin hoc loco esse, ac subaudiendum aliquid; ità & Hieronymus, quem secuti haud dubiè sunt. *Aposiopesis*, inquit, *est, juxta illud Virgilianum*,

Quos

Quos ego, sed motos præstat componere fluctus.

Dicturus itaque prospera retinet se, & tristibus jungit tristia. Hæc enim sunt judicia quæ cum populo suo quondam loquitur Deus, ut sciant se juste sustinere quæ sustinent: quæ totidem verbis in suum commentarium Rabanus transtulit. Retinenda est igitur *sed* conjunctio, quòd Interpres sic locum intellexisse videatur, ut eam aut addiderit, aut pro גם, quod est *etiam*, explicando posuerit. Unus certè scriptus codex, Atrebatensis collegii signatus, eo loco legit *sed*, quo Hebraicè legitur גם, *Et nunc, sed ego loquar judicia mea cum eis*; atque eodem loco tres illi libri quos paulò antè citavimus, habent *ecce*. Verùm non sunt ex præstantissimis codicibus quatuor hi.

16. *Concitate gentes* scribunt, Abbate Joachim, Thoma, Carensi & Richelio adstipulantibus, exemplaria manuscripta quotquot habemus: *Dicite gentibus* legunt sine commentariis excusa Biblia quotquot vidimus, iis exceptis quæ Parisiensium curâ & Hentenii diligentiâ emendata sunt. Hebraicè est הזכירו לגוים, quod est, *Commemorate*, vel *narrate*, *gentibus* aut *in gentibus*. Huic manifestiùs consonat quod impressi codices legunt, *Dicite gentibus*: verùm quod est in manuscriptis, ad similem eúmque significantiorem intelligendum est modum, eum quem Hieronymi commentarius insinuat; *Vult omnes in circuitu nationes Dei nosse sententiam, & flagellatâ Jerusalem cunctos recipere disciplinam.* Textus huic Hieronymi commentario junctus habet *Dicite gentibus*: sed non eam lectionem commentarius ipse exigit. Hentenius, Parisienses, *Concitate gentes* castigarunt: similiter Dominicani hunc receperunt, alterum legendi modum rejecere, quem Richelius alii translationi tribuit; CONCITATE GENTES, *ut Dei*, inquit, *æquitatem in punitione Judæorum advertant. Unde alia translatio continet*, DICITE IN GENTIBUS. Verisimile fit mihi primùm explicationis ergò adscriptum fuisse, postea pro nostræ editionis lectione substitutum in manuscriptis codicibus; ex quorum uno in Moguntinum, atque ex hoc in sequentes plerosque Chalcographorum fœtus, transierit.

DRUSIUS.

4. הִמֹּלוּ לַיהוָה וְהָסִרוּ עָרְלוֹת לְבַבְכֶם. Sym. *Purificamini* DOMINO, *& auferte malitias cordium vestrorum*] Hier. *Pro eo quod nos diximus*, Circumcidimini Domino, & auferte præputia cordium vestrorum, *Symmachus posuit*, Purificamini Domino, & auferte malitias cordium vestrorum, circumcisionem *emendationem & præputium vitium intelligens*.

9. יָהֹמּוּ. A. *amentes erunt*] Hier. & Prophetæ consternabuntur, *sive, ut Aquila transtulit verbum Ebraicum, amentes erunt*. Job 26. 11. יתמהו. Sym. θαμβηθῶσι *obstupescunt*. Hier. *stupent*. LXX, καὶ ἐξέστησαν. Jes. 13. 8. יתמהו, LXX, ἐκστήσονται *stupebunt*. Hier. *stupebit*. Sed hoc loco LXX, θαυμάσονται, optimè ac rectissimè.

14. אונך. A. ἀνωφελείας. Sym. ἀδικίας] Ἀνωφελείας vertunt *damni*, *noxiæ*. Sanè Hieronymus habet *cogitationes noxiæ*. Ἀνωφέλεια propriè *inutilitas*. Nam ὠφέλεια *utilitas*, *commodum*, *emolumentum*, & ἀνωφελὴς *inutilis*. Vide sequentia. ¶ Ἀδικίας, *injustitia*. Job. 15. 35. און. A. ἀνωφελὲς, *inutile*. Hier. *iniquitatem*. Prov. 22. 8. Sym. ἀδικίαν. Th. ἀνομίαν. A. ἀνωφελές. Hos. 4. 15. בית און. Aq. & Th. *Domus inutilis*. Sym. *Domus iniquitatis*, i. Οἶκος ἀδικίας. Prov. 6. 12. איש און. Hier. *vir inutilis*.

19. הומה. Th. μαιμάσσει. A. ὀχλάζει. Sym. *turbati sunt*. Hier. *Ubi nos juxta Symmachum posuimus* turbati sunt, *in Ebræo scriptum est* הומה, *LXX & Th. posuerunt* μαιμάσσει, *quod verbum usque in præsentiarum quid significet ignoro. Aquila autem posuit* ὀχλάζει, *quod & ipsum* tumultum *sonat. Hoc de verbo dictum, super quo scio apud plerosque magnum esse certamen.* Editi ad exemplar Complut. μὲ μάσσει, quod reddunt *me premit*. Putarim scribendum μαιμάσσει conjunctim & unicâ dictione. Id eodem significatu usurpatur quo μαιμάσσει, quod interpretantur *fluctuat*. Sed in Hesychio exponitur σφύζει, & in Suida κλονεῖται, πηδᾷ, κυματοῦται, καχλάζει, & in Thesauro *furibundo impetu fertur*, *sursum deorsum feror*. ¶ Ὀχλάζει, *tumultuatur*. Sic Interpres Romanus. Prov. 7. 11. הומה. A. ὀχλάζουσα. Legerim ὁ χλάζουσα, i. *tumultuans*, *tumultuosa*. ¶ *Turbati sunt*, ἐταράχθησαν, Psal. 144. 6. ותהמם, LXX, καὶ συνταράξεις αὐτούς. Arias *disturbabis illos*.

23. תהו. A. κενὴ *vacua*. Sym. συγκεχυμένη *confusa*] *Vacua* etiam Hieronymus. Gen. 1. 2. A. κένωμα. Sym. ἀργόν. Th. κενόν. Aliàs A. κενότης. Job. 26. 7. A. κένωμα. Hier. *vacuum*. LXX, οὐδέν. Hic quoque habent οὐθὲν, i. *nihil*.

30. שדוד. A. *vastata*. Alii, *misera*.] Hier. *Pro* vastata, *quod Ebraicè dicitur* SADUD, *quod solus interpretatus est* *Aquila, alii transtulerunt* miseram *atque* miserabilem *culpâ sua*. Psal. 137. 8. השדודה. A. ἡ προνομευθεῖσα. Hier. *vastata*, ut hic. Th. ἡ διαρπαζομένη, i. *direpta*, *spoliata*. Psal. 12. 5. שד. A. ἡ προνομὴ. Hier. *vastitas*. Sym. ταλαιπωρίαν, משד. A. ἀπὸ προνομῆς. Similiter Prov. 21. 7. ¶ *Misera*, ταλαίπωρος. Ità Senes vertunt Psal. 137. Iidem שד reddunt ταλαιπωρία locis modò citatis, nisi quòd Prov. 21. 7. in eorum editione sit ὄλεθρος, ut Amos 5. 9. συντριμμὸς, & mox ταλαιπωρία. Psal. 12. 5. משד ἕνεκεν τῆς ταλαιπωρίας.

GROTIUS.

1. *Si reverteris Israël, ait Dominus, ad me convertere*] Ità distingue: *Si ad me reverteris, Israël, reverteris*, supple *in patriam*. Hunc sensum exigit membrum sequens. Chaldæus addit, *Antequam signetur sententia*.

Non commoveberis] In Hebræo: *Non exsulabis*, ultrà scilicet.

2. *Et jurabis, Vivit Dominus*] Forma jurisjurandi hæc erit; non, *Vivit Baal*.

In veritate, in judicio, & in justitia] Nihil falsi, nihil iniqui.

3. *Hæc enim dicit Dominus viro Juda & Jerusalem*] Meliùs, *Sic verò*; nam ab Israëlitis ad Judæos redit oratio.

Novate vobis novale] Repurgate agrum cordis.

Et nolite serere super spinas] Peccata peccatis addere.

4. *Auferte præputia cordium*] *Præputia* per translationem apud Hebræos dicuntur ea quæ sunt inutilia. *Impietatem* vertit Chaldæus, Græci σκληροκαρδίαν [*duritiem cordis*.]

5. *Canite tubâ*] Nempe ut omnes se ex agris recipiant.

6. *Levate signum in Sion*] Virgilius,

Ut belli signum Laurenti Turnus ab arce
Extulit.

Confortamini] In Hebræo, *fugite*. Chaldæus, *migrate*. Græci, σπεύσατε [*festinate*].

Ab Aquilone] Ut suprà 1. 14.

7. *Ascendit leo de cubili suo*] *Rex ex arce sua*, Chaldæus hic. Τὸ θηρίον βασιλέα δηλοῖ [*fera regem significat*], Zeno in Leone Iconomacho, ubi θηρίον [*fera*] est *leo*. Nabuchodonosorum describi apparet.

Prædo gentium] Herculi prælatus à suis: Africæ ipsius & Hispaniæ vastator. Vide quæ attulimus ad librum III. de Veritate Religionis Christianæ.

9. *Peribit cor regis*] Implementum vide infrà XXXIX. & LII.

10. *Ergóne decepisti populum istum*] In Hebræo, *certè decepisti*: id est, *sivisti decipi*. Sæpe enim apud Hebræos verba sono activa, significatu permissiva sunt.

Dicens, Pax erit vobis] Id est, *per eos qui dicebant*, *Salus erit vobis*, per pseudoprophetas illos; quorum & infrà mentio VI. 14. VII. 4. 10. XXIII. 15.

Pervenit gladius usque ad animam] Magna fit occidio.

11. *Ventus urens*] Pestilens.

In viis quæ sunt in deserto viæ populi mei] In Hebræo: *Ab eminentiis per desertum, quâ itur ad populum meum*. In Chaldæa multi sunt montes: inter Chaldæam & Judæam multa loca deserta.

Non ad ventilandum, neque ad purgandum] *Sed ad urenda* omnia: id enim subintelligitur.

12. *Spiritus plenus ex his veniet mihi*] Sensus est, *Ventus istis rebus vehementior:* id est, vehementior quàm ut ventilationi aut purgationi inserviat.

Et nunc ego loquar judicia mea cum eis] Id est, per hunc ventum vindicabo me de Judæis.

15. *Vox annuntiantis à Dan, & notum facientis idolum de monte Ephraim*] Id est, occidio & exsilium Decem tribuum tibi pro monitore esse debet, quam mercedem acceperit idololatria. Nominat autem specialiter *Dan* & *Ephraim*, quia ibi positi fuerant Vituli, 1 Regum XII. 29. Nam Bethel fuit in parte Ephraimi.

16. *Custodes venire*] Est χλευασμὸς [*acerba irrisio*] ex ambiguo. Custodes agrorum curam adhibent nè in agrum intretur, & obsessores nè in Urbem; sed illi noxia arcent, hi profutura. Hunc sensum apertiorem faciunt verba sequentia. Theodotio pro נצרים [*custodes*] legit בצרים [*vindemiatores*].

18. 19. *Ista malitia tua, quia amara, quia tetigit cor tuum: Ventrem meum, ventrem meum doleo*] Videntur hæc cohærere, & ἔλλειψις [*defectus*] esse verbi *dices*, hoc sensu: *Quia pœna peccati tui amaritiem affert animo tuo, dices, Ventrem doleo*: id est,

misera

——— *misero solvent tibi classica ventrem.*

Sensus cordis mei turbati sunt in me] In Hebræo: *parietes cordis mei*, (&) *cor meum tumultuatur*. *Parietes cordis* sunt viscera cordi circumjecta. הומה *tumultuatur*, quod Aquilæ ὀχλάζει [*deficit*], Theodotio verterat μαιμάσσει. Id quid sit negat se intelligere Hieronymus. Est autem *insanire*, & sic reperitur apud Lycophronem, Sophoclem, Herodotum, alios.

Non tacebo] Abstinere non possum quin clamore metum tester.

Audivit anima mea] In Hebræo, *Audivi:* ut *anima mea* sit *ego*, & constructio κατὰ τὸ σημαινόμενον [*ad id quod significatur*].

20. *Contritio super contritionem vocata est*] Clades cladem sequitur. Confer Psalm. XLII. 8.

Repente vastata sunt tabernacula mea, subitò pelles mea] Id est, habitacula. Metaphora à Scenitis desumta.

21. *Videbo fugientem*] In Hebræo: *vexillum*, nempe hostile.

22. *Quia stultus populus meus me non cognovit*] Hactenus μίμησις [*imitatio*] fuit eorum quæ populus præ pavore erat clamaturus. Nunc Deus reddit causas cur id futurum sit.

Sapientes sunt ut faciant mala] In id unum ingeniosi sunt. Sic φρονιμώτερος [*prudentior*] sumitur Lucæ XVI. 8.

23. *Aspexi terram, & ecce vacua erat & nihili*] In Hebræo plane ut initio Geneseos תהו ובהו; Chaldæus, *deserta & vacua:* Aquila κενή [*inanis*], Symmachus συγκεχυμένη [*confusa*]. Sensus est: erit terra sine habitatoribus, sine domibus, sine frugibus, qualis initio rerum fuit.

Et cœlos, & non erat lux in eis] Fumus undique surgens nubem sideribus obducet.

24. *Vidi montes, & ecce movebantur, & omnes colles conturbati sunt*] Tantorum agminum transitu tremunt omnia.

25. *Et non erat homo*] Omnes aut occisi, aut capti sunt, aut aufugerunt.

Et omne volatile cœli recessit] Non mirum; cùm etiam cecidisse de cœlo aves legamus, militarem per clamorem concusso aëre.

26. *Et ecce Carmelus desertus*] Meliùs & hîc explices, *agrum fertilem*, ut suprà II. 7.

27. *Deserta erit omnis terra, sed tamen consummationem non faciam*] Nondum ea pœna mihi sufficiet. Volo terra diu sic maneat, ut dictum Levitici XXVI. 34.

29. *A voce equitis*] Horatius:

Nec sinas Medos equitare inultos
Te duce, Cæsar.

Et mittentis sagittam] Propertius:

Non tot Achæmeniis armantur Susa sagittis.

Ingressi sunt ardua] In Hebræo, *densa*, id est, *silvestria:* ut interpretatur Chaldæus. Fugerunt Judæi in silvas & rupes.

30. *Et pinxeris stibio oculos tuos*] In Hebræo, *aperueris. Stibium* dilatat oculos: ideo πλατυόφθαλμον [*oculos dilatans*] dicitur. Vide quæ dicta II Regum IX. 30. Corrige hic Græcam editionem, ubi est ἐγχρίσῃς τιμῇ τοὺς ὀφθαλμούς σου [*oculos tuos stibio inunges*], & lege στίμμι. Id est enim *stibium*. Error ex pronuntiatione persimili.

Contemserunt te amatores tui] Non ultrà concubitum quærunt.

Animam tuam quærunt] Vitæ imminent expletis libidinibus: quamvis

Turpe vir & mulier, juncti modò, protinus hostes.

31. *Angustias ut puerperæ*] In Hebræo est, *primum parientis:* Græci πρωτοτοκούσης. Non caret hoc emphasi. Sic in Andria:

Nec satis digna cui committas primo partu mulierem.

Vox filiæ Sion intermorientis] Deficientis præ dolore. Græci, ἐκλυθήσεται [*deficiet*].

Expandentisque manus suas] Ut solent feminæ in dolore magno. Vide suprà II. 37.

Defecit anima mea propter interfectos] In Hebræo: *propter interfectores*. Amore defeci eorum qui pro amatoribus apparent interfectores.

CAP. V.

MUNSTERUS.

1. *SI invenire possitis virum*] Capitur hîc *vir* pro *viro integro & justo*, sicut & Jes. 59. dicitur, *Vidit quòd non esset vir, & admiratus est*, &c.

4. *Pauperes sunt*] h. e. Occupantur magis agris colendis & vineis plantandis quàm ut die noctúque vacent Legi Divinæ.

6. *Percussit eos leo*] Per *leonem* intellige Regem Babyloniorum, & per *lupum* exercitum ejus, atque per *pardum* Principes exercitûs. Ubi notandum quòd quidam Hebræorum hic per ערבות intelligunt עת ערב *tempus vespertinum*.

7. *Saturavi eos*] Secutus sum Chald. Interpretem. Alii legunt Schin pro Sin, *adjuravi eos*. ¶ *In domo meretricis simul conjuncti sunt*] In Hebræo non est *in:* ideo potest & hic esse sensus, *Et domus meretricis*, seu *tota familia, simul congregata est*; vel tota Jerusalem consensit ad idololatriam.

10. *Consummationem nolite facere*] Id non refertur ad Jerusalem, sed ad populum. Illa enim tota in solitudinem est redacta; ex populo autem aliqui salvati sunt. ¶ *Auferte mœnia ejus*] Docet Kimhi per נטישות intelligendos שיני החומה *demes & intercisas muri summitates*. Significat alioqui *propagines*.

15. *Quæ à seculo fuit*] Per *seculum* intellige זמן רב *tempus longum*. Hinc ab עולם Latini dicunt *olim*, i. ante longum tempus.

16. *Sepulcrum apertum*] Comparatur *Sepulcro aperto* Pharetra, quòd vivos devoret, sicut sepulcrum mortuos.

24. *Hebdomadas statutas*] Kimhi reddit rationem quare magis *hebdomadas* dixit quàm *dies messis*.

26. *Insidiatur quisque*] Est hîc שור idem quod הביט *aspexit*. Tanta, inquit, est impietas in populo ut quisque in itineribus transeuntes observet ut illos dispoliet.

27. *Domus eorum plena sunt dolo*] i. Bonis dolo & fraude quæsitis.

30. *Horror*] Hebræi exponunt שעורה pro ליכלוך *fœditate* & *inquinatione*.

31. *Accipiunt munus*] Est verbum ירדו à radice רדה, significátque idem quod לקח: in quo significato etiam Judic. 14 invenitur.

VATABLUS.

1. *SCrutamini* שוטטו] *Discurrite*; vel, *Discursate quærendo. Explorate. Perlustrate.* ¶ *Et cognoscite* ודעו] *Et considerate*. ¶ *Ei* לה] Nempe civitati Jerusalem. Chald. *illis*, nempe civibus Jerusalem.

2. *Et si* ואם] i. Nam si juraverint per nomen meum, dicentes, *Vivit Jehovah*, &c. ¶ *Verè* לכן] *Ob id:* quia scilicet Dei studiosi non sunt, & nomen ejus contemnunt. Chald. *Quòd si per nomen Jehovæ jurent, propterea in vanum jurant.*

3. *Ad veritatem* לאמונה] i. Ad amatores veritatis. Alii, *ad fidem:* sub. *intenti sunt:* q. d. *Nonne oculi tui vident siqua sit in animo hominis jurantis fides? Numquid vides & probè nosti an homo sit verax?* Quidam Hebræorum exponunt *ad stabilitatem?* ut scilicet conserves omnia in hoc mundo; acsi dicat, *Domine, providentia tua solet operam dare ut quæ condita sunt servet: at contra morem tuum facere videris, dum Judæos percutis & perdis: verùm percussisti illos ut resipiscerent, non ut perirent: illi tamen noluerunt resipiscere.* ¶ *Duriores fuerunt facies eorum* חזקו פניהם] *Induraverunt facies suas supra petram; obduraverunt:* i. faciem suam reddiderunt duriorem petrâ.

4. *Profectò* אך] Quidam volunt אך poni pro אולי, i. *forsitan*. ¶ *Stulti facti sunt* נואלו] *Desipuerunt*. Alii, *stulte egerunt*. ¶ *Judicium* משפט] Sing. Heb. pro plur. *judicia:* vel *jura & leges*.

5. *Majores* הגדלים] *Magnates*. ¶ *Fregerunt jugum*, &c. שברו על וגו'] Vide eundem sensum in Psal. 2. 3.

6. *Percutiet eos* הכם] Præt. Heb. pro fut. Chald. *Propterea Rex cum exercitu suo ascendet contra eos sicut leo de silva, & interficient eos populi qui fortes sunt sicut lupi vespertini, diripient eos principes qui fortes sunt sicut pardi, insidiantes urbibus eorum.* ¶ *Deserta incolens* ערבות] Ad verb. *vesperarum*, i. vespertinus, quòd vesperi discurrere soleat liberius. ¶ *Rebelliones eorum* משובותיהם] *Aversiones eorum*.

7. *O* אי] *Quomodo:* ut אי sit pro איך, & desit ך: vel est Exclamandi & Admirandi particula. Alii, *Non*, ut אי sit positum pro אין. Alii, *Quamobrem*. ¶ *Congregaverunt* יתגודדו] Fut. Heb. pro præt. *turmatim convenerunt:* vel *congregari solent tanquam exercitus*.

8. *Ut equi*, &c. סוסים וגו'] i. Manè fuerunt velut equi *bene pasti*. Quidam vertunt *armati*, sub. *instrumentis armorum*, à זן *armavit*. Alii autem dicunt זן & זון vel יזן ejusdem esse significationis, & significare *bene pastos*. ¶ *Hinniant* יצהלו] Fut. Heb. pro præs.

9. *Num-*

9. *Numquid super his* [היעל אלה] *Annon propter hæc.* ¶ *Visitabo* [אפקוד] *Visitarem?* Chald. addit, *ut adducam super eos malum? Visitare aliquem* pro *de ipso sumere pœnas* dicunt Hebræi quando פקד jungitur præpositioni על. Vide v. 29.

10. *Consummationem autem* [וכלה] *Consumptionem autem.* Vide c. 4. 27. i. nolite tamen totam gentem illam perdere.

11. *Prævaricando prævaricati sunt* [בגוד בגדו] Solent Hebræi ad augendam rem & exaggerandam præponere infinitivum ejusdem verbi: q. d. *supra modum prævaricati sunt.*

12. *Non* est *ipse* [לא הוא] Sub. *qui prospicit nobis*, *& aspicit opera nostra.*

13. *In ventum* [לרוח] i. Erunt vani, sive evanescent: aut, vaniores erunt vento. ¶ *Et sermo*, &c. [והדבר אין בהם] *Et verbum* Dei *non est in illis*, i. non afflantur Divino Spiritu, sed confingunt sibi somnia. ¶ *Fiet* [יעשה] Sub. *ut dixi.* Alii, *fiat:* i. ità pereant quemadmodum verbum Dei est in illis.

14. *Sic dixit Jehovah* [כה אמר יהוה] Phrasis est Hebraica, acsi diceret, *Ob id prædices huic populo adversa quæ illi evenient.* ¶ *Ponam* [נותן] Præs. Heb. pro fut.

15. *Adducam* [מביא] Præs. Heb. pro fut. *inducam.* ¶ *Gens* [גוי] Vertere potes in accusativo, *gentem quæ*, &c. ¶ Quæ *à seculo* est [מעולם הוא] Sic loquuntur Hebræi cùm gentem antiquam & priscam dicere volunt, & non obscuram: i. *quæ à multo tempore est*, ut exponit doctus inter Hebræos. ¶ *Intelliges* [תשמע] Ad verb. *audies*, pro *intelliges.*

16. *Veluti sepulcrum patens* [כקבר פתוח] i. Utetur sagittis quæ omnes perdant. Comparatur *sepulcro aperto* Pharetra, quòd vivos devoret sicut sepulcrum mortuos.

17. *Comedent* [יאכלו] *Devorabunt*; *interficient.* ¶ *Oves tuas & boves tuos* [צאנך ובקרך] Sing. Heb. pro plur. *greges tuos & armenta tua.*

18. *Et etiam* [וגם] *Veruntamen. Attamen.* ¶ *Non faciam*, &c. [לא אעשה וגו'] Hebraismus, nè tum quidem perdam vos omnino, sed relinquam aliquos qui abducentur captivi in Babylonem.

19. *Tum dices* [ואמרת] Sub. *ô Propheta.* ¶ *Peregrinis* [נכר] Ad verb. *peregrinitatis.*

22. *Statutum sempiternum* [חוק עולם] *Statuto sempiterno.* Ad verb. *æternitatis.* ¶ *Commovebuntur quidem* [ויתגעשו] *Agitabuntur quidem*, sub *fluctus ejus.* ¶ *Et intumescent* [והמו] *Et frement*; vel *perstrepent.*

23. *Declinaverunt & abierunt* [סרו וילכו] *Deficiunt* ad alios, *& recedunt*, sub. *à Deo vero.* Doctus inter Hebræos exponit, *declinaverunt à via bona*, *& abierunt sibi in cogitationem cordis sui.* Chald. *quoniam defecerunt à meo cultu*, *demigraverunt*; vel *captivi facti sunt.*

24. *Pluviam temporaneam & serotinam* [גשם ויורה ומלקוש] Aut ו redundat in ויורה, aut verte, *tum tempestivam*, *tum serotinam.* Doctus inter Hebræos, si legatur ו, exponit, *qui dat pluviam reliquo tempore anni ad necessitatem hortorum*, *& ad bibendum*, *& ad cæteras necessitates tam hominum quàm jumentorum*; *& dat etiam pluviam tempestivam & serotinam ad necessitatem proventuum*, *quamlibet tempore suo*, *nempe in Autumno & Vere.* ¶ *Hebdomadas*, &c. [שבעות וגו'] Fut. Heb. pro præs. i. tempus commodum & aptum sive idoneum metendis segetibus teservat nobis: q. d. *qui tempore messis dat nobis serenitatem temporis.* Quidam vertunt, *Juramentis statutis messem servat nobis.* Ut loquatur de juramento & pacto cujus meminit Gen. 8. 22. & Lev. 26. 4.

25. *Declinare fecerunt hæc* [הטו אלה] i. Evenire vobis hæc mala: ità etiam Chaldæus P. Alii, *averterunt ista*, sub. *à vobis.* Ità quidam Hebræorum exponens, *declinare fecerunt statuta illa à vobis*, *ut non servaverim illa vobis: itaque vos periistis fame.*

26. *Inveniuntur enim* [כי נמצאו] Præt. Heb. pro præs. ¶ *Aspicient* [ישור] Sing. Heb. pro plur. aut *aspiciet*, sive *aspicit quisque:* i. insidiatur hominibus, ut aucupes qui aspiciunt quando quiescant aves ut rete expandant. ¶ *Ut qui ponit laqueos* [כשך יקושים] Ad verb. *secundùm positionem* (aut *expansionem*) *laqueorum:* i. cum posuerit laqueos. ¶ *Statuerunt laqueum* [הציבו משחית] *Collocaverunt exterminatorium.* Ad verb. *perditionem:* machina quædam erat. Alii *pedicas* vertunt. Vertere potes omnia per præsens. Alii, *statuerunt foveam perditionis in qua homines capiant.*

27. *Ideo magni*, &c. [על כן וגו'] *Ex ratione magni evadunt*, *& ditescunt.* Præt. Heb. pro præs.

28. *Nituerunt* [עשתו] *Habuerunt cutem nitidam.* Est enim cutis hominis pinguis nitida. ¶ *Facta mali* [דברי רע] Sub. *hominis:* i. superarunt facta pessimi cujusque. ¶ *Prospere egerunt* [ויצליחו] i. Feliciter & prosperè degunt.

29. *Numquid super his*, &c. [העל אלה] Idem versus qui 9. Chald. *An de populo cujus talia sunt opera non sumam vindictam pro voluntate mea?*

30. *Stupendum*, &c. [שמה ושערורה] *Admiratio* [*Stupor*; vel *Ecstasis*] *& fœditas facta est.*

31. *Mendaciter* [בשקר] *Falsò:* i. vana & falsa. ¶ *Acceperunt*, &c. [ירדו על ידיהם] *Accipiunt* munera *manibus suis*, ut scilicet pervertant causas. Alii, *accipiunt munera per manus illorum*, sub. *pseudoprophetarum.* Alii, *dominantur* [vel *dominabantur*] *per manus illorum.* ¶ *Et populus meus*, &c. [ועמי אהבו כן] Hebraismus, pro, *Hæc placent populo meo:* q. d. Delectantur in eo quòd decipiantur. ¶ *In novissimo ejus* [לאחריתה] *In fine ejus?* nempe *stuporis & fœditatis.* Chald. *Quid autem facietis in fine?* i. tandem.

CASTALIO.

8. *Equi sunt saginati, matutini*] Equi manè, collecto per noctem semine, sunt libidinosiores.

14. *En ego faxo ut verba mea sint ignis in ore tuo*, *& illi ligna*, *quæ consumat*] Quæ ego tibi dicenda mando, damnabunt eos, & per ea punientur.

24. *Qui nobis status messis septenarios custodit*] Stata messis tempora dat. Vide Deut. 16.

31. *Sacerdotes manibus suis admittunt*] Videlicet *munera*, mercede docentes. Vide Mich. 3.

CLARIUS.

1. *Et propitius ero ei*] Nempe Civitati. Hoc autem videtur dixisse ad exaggerandum scelus Civitatis: q. d. si ostendere potestis vel unum qui sinceritatem sectetur, toti parcam urbi. Quanquam scimus Deum, quà est benignitate, ob paucorum bonorum gratiam ingenti ignoscere peccatorum multitudini.

3. *Respiciunt fidem*] Veritatem atque integritatem.

4. *Forsitan pauperes sunt*] h. e. Occupantur magis agris colendis & vineis plantandis quàm ut die noctúque vacent Legi Divinæ.

6. *Leo de sylva*] Per *leonem* intellige Regem Babylonis, & per *lupum* exercitum ejus, atque per *pardum* Principes exercitûs. Et quod ait, *Lupus ad vesperam*, poterat etiam verti *lupus solitudinum*, vel, *deserta incolens.*

7. *In domo meretricis*] Potest & hic esse sensus, *Et domus meretricis*, seu *tota familia simul congregata est*, vel *tota Jerusalem consensit ad idololatriam.*

8. *Et emissarii*] In Heb. est, *Manè consurgentes*, nempe ad hinnitum.

10. *Consummationem autem nolite facere*] Vide, ut ubique reliquiæ servandæ promittantur. Id autem non refertur ad Jerusalem, sed ad populum: illa enim tota in solitudinem est redacta, ex populo autem aliqui servati sunt.

13. *Propheta fuerunt*] Alius sic vertit, *Propheta vana loquuntur*, *verba tantùm sunt*, *& nullum in eis pondus: quare nihil eveniet illorum quæ minantur illi.*

15. *Gentem antiquam*] Nam Chaldæi tunc à nulla gente domiti erant, multísque temporibus fuere invicti & inexpugnabiles.

16. *Quasi sepulcrum patens*] Comparatur *Sepulcro aperto* Pharetra, quòd vivos devoret, sicut sepulcrum mortuos.

22. *Qui posui arenam terminum mari*] Tanta (inquit) moles reveretur ob meum imperium tam fragilem terminum, nempe *arenam*, & homo vas fictile non me reveretur. Ubi obiter observa hanc præ omnibus omnium philosophorum rationibus veram esse, cur suis finibus coerceatur mare, nempe quòd ei Deus posuerit arenam terminum.

24. *Plenitudinem annuæ messis*] In Heb. est, *Hebdomadas statutas pro messe.*

26. *Insidiantes quasi aucupes*] Tanta (inquit) est impietas in populo ut quisque in itineribus transeuntes observet ut illos dispoliet.

27. *Domus eorum plena sunt dolo*] h. e. Bonis dolo & fraude quæsitis.

28. *Causam non*] Potest & sic verti, *Causam nullam judicaverunt*, *etiam causam pupilli*, *& prospere agunt*, &c.

LUCAS BRUG.

8. *Equi* [*Et qui* o.] *amatores in feminas & emissarii facti* [*effecti* 1 MS.] *sunt*] Sic nostri codices plerique omnes legunt: eodem apud Enarratores legitur modo. Quinque autem Parisiensium exemplaria Di. o. I. Ge. o. I. p. atque ex nostris tria Leod. Tril. V. auferunt τὸ *in feminas:* id quod nec Hebræa habent [מיזנים ק'] סוסים מוזנים משכים היו. Τὸ מוזנים, quod ab aliis *pasti* seu *saturati*, ab aliis *armati* vel *habenis phalerati* translatum est, deductum à זן, aut à זון, noster *amatores* vertit, à זנה quod *fornicari* denotat. Cate-

Cæterùm an addiderit pro sententiæ perspicuitate, *in feminas*, sum dubius. Hentenius & Parisienses transfodiendum id censuerunt: verùm suis Hieronymus commentariis videri possit agnoscere, *Equi amatores in feminas facti sunt*, ità in commentariis habet. Potuit LXXII viros secutus fuisse, qui hujusmodi interpretati sunt voce quæ *feminarum amatores* significat: θηλυμανεῖς enim dicuntur, quasi *feminarum amore insani*. Hæc, quamvis non evincant addidisse Interpretem Hieronymum *in feminas*, tamen cur dubitem faciunt, accedente vetustissimorum exemplarium suffragio. Sequitur in Hieronymi commentario, *Pro* emissariis *in Hebraico scriptum est* משכים, *quod omnes voce consonâ* ἕλκοντες, *i.* trahentes, *transtulerunt, ut ostendatur magnitudo genitalium.* Si *omnes, voce consonâ*, משכים ἕλκοντες transtulerunt; mirum est nihil aliud in LXXII libris quàm ἵπποι θηλυμανεῖς ἐγενήθησαν legi, *Equi feminarum amatores facti sunt*. Hieronymus, enarrans caput nonum prophetæ Zachariæ, & contra Helvidium disputans, citat locum hunc in modum, nimirum juxta 70, *Equi insanientes in feminas facti sunt-mihi.* Citat similiter in calce secundi Adversùs Jovinianum, *mihi* prætermisso. Porrò qui ἕλκοντες reddidere, non מַשְׁכִּים legerunt, ut in Hieronymi commentario ex punctatis Bibliis scriptum est, sed מַשְׁכִּים: hoc *trahentes* significat; illud, *manè*, juxta Hebræos, Pagninus interpretatur, *Ut equi saturati singulo manè erant.* Hieronymus, illos qui *trahentes* dixere secutus, *emissarii* transtulit. Vir quidam doctus legendum arbitratur *admissarii*: & quidem aptiùs sic dicatur; sed dicuntur vulgari usu & *emissarii* qui admissarii, equi præsertim, gregúmque & armentorum mariti: atque ità, *emissarii* inquam, nec aliter, in vetustis editionis nostræ manuscriptis exemplaribus lego.

DRUSIUS.

1. אֱמוּנָה. Sym. *veritatem*] Ἀλήθειαν, i. אמת. Nam אמונה propriè *fides*, i. πίστις. Sed confundi scias. Vide Observat. meas. Psal. 89. 2. אמונתך, LXX τὴν ἀλήθειάν σου. Hier. *veritatem tuam*. Trem. *fidem tuam, veritatem & constantiam in omnibus rebus tuis*. Jes. 26. 2. אמונים, quod ab eadem radice, LXX ἀλήθειαν. Hier. *veritatem*.

8. מַשְׁכִּים. Omnes ἕλκοντες] i. מֹשְׁכִים, quod nunc legerunt מַשְׁכִּים aliis vocalibus. Hier. *Pro* emissariis *in Ebraico scriptum est* משכים, *quod omnes voce consonâ* ἕλκοντες, *i.* trahentes, *transtulerunt, ut ostendatur magnitudo genitalium, juxta illud Ezecielis*, Quasi asinorum carnes, eorum carnes.

24. שְׁבֻעֹת. Aquilæ prima editio & Sym. *hebdomadas*] Hier. שבעות *pro ambiguitate verbi &* septimanas *sign. &* plenitudinem. Verum non videtur. Nam *plenitudo*, vel potiùs πλησμονή, שבע dicitur. שבעות autem sunt *hebdomada*, & aliquando *juramenta*.

26. יָשׁוּר כְּשַׁךְ יְקוּשִׁים. A. & Sym. *rectus quasi rete aucupis*] Hier. *Quódque nos diximus* insidiantes quasi aucupes *& in LXX non habetur, Aq. & Sym. transtulerunt verbum JASUR* quasi rete aucupis. Suspicor legendum, *transtulerunt* rectus quasi rete aucupis. Docent consequa verba, *quòd etiam qui bonus inter eos videtur & rectus, instar aucupis tendat insidias, dum invicem se venantur ad mortem, & aliorum damnis atque dispendiis suas complent domos: ut impleatur Philosophorum illa sententia, OMNIS DIVES AUT INIQUUS, AUT HERES INIQUI.* Hoc pono, non statuo. *Rectus*, i. ישר. An etiam ישור? quod diminuentes dicunt ישורון *rectulus*.

GROTIUS.

1. ET *propitius ero ei*] Eum communi exitio eximam, ut Lothum è Sodomis.

2. *Quin si etiam, Vivit Dominus, dixerint, & hoc falsò jurabunt*] Etiam ipsi qui non per deos, sed per Deum verum jurant, adeò eum contemnunt ut ad res falsas ejus nomen adhibeant.

3. *Domine, oculi tui respiciunt fidem*] In Hebræo: *Oculi tui nónne ad veritatem?* Id est, At tu Domine à simulatoribus illis non falleris: etiam intima cogitata pervides.

Induraverunt facies suas] Depuduerunt.

4. *Forsitan pauperes sunt & stulti, ignorantes viam Domini*] In Hebræo: *Fortè pauperes desipiunt, quia viam Domini*, id est, Legem, *non didicerunt*. Hoc dicit quasi per concessionem, ut eos graviùs premat.

5. *Ipsi enim cognoverunt viam Domini*] Id est, illi nihil habent quo se excusent, cùm & otium & opes illis suppetant ad discendam Legem.

Confregerunt jugum] Legem spreverunt. Vide quæ dicta ad Psalm. II.

6. *Iccirco percussit eos leo de silva, lupus ad vesperam vastavit eos, pardus vigilans super civitates eorum*] Nabuchodonosor *leoni* comparatur ob vires; ut & suprà IV. 7. *lupo* ob rapacitatem, *pardo* ob velocitatem. Hæc præterita per futurum rectè vertas. Solent enim ista misceri in Hebræo. *Præsens pro futuro in vaticiniis*, ait Servius.

Omnis qui egressus fuerit ex eis capietur] Tam extra urbes quàm in urbibus periculum erit. Vide 2 Regum XXV. 4. & 5.

7. *Filii tui dereliquerunt me*] Cives singuli.

Saturavi eos, & mœchati sunt] Ἐν πλησμονῇ γὰρ Κύπρις [*In satietate Venus*]. Vide & Ezech. XVI. 49.

Et in domo meretricis luxuriabantur] In Hebræo: *In lupanar concurrebant.*

8. *Equi amatores & emissarii facti sunt. Unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat*] Voluit dicere *admissarii*, quo nomine etiam Cicero hominem libidinosum infamat Oratione in Pisonem. Sed in Hebræo est, *Ut equus pastus manè: sic quisque aliena uxori adhinniunt.* Manè alacriores sunt equi, præsertim bene pasti.

10. *Ascendite muros ejus, & dissipate*] Verba Dei ad Chaldæos.

Consummationem autem nolite facere] Nè satis hoc putate, sed omnem gentem de terra hac tollite, ut sequitur.

12. *Et dixerunt, Non est ipse*] Deus qui in Judæa colitur non est ille Dominus Universi.

Gladium & famem non videbimus] Nulla erit obsidio adversùs nos. Nam obsidiones alios ferro, alios fame interimunt. *Videre*, pro *experiri*.

13. *Propheta fuerunt in ventum locuti*] —— Ἀνεμώλια βάζον [*—— ventosa locuti*], ut Homerus loquitur.

Et responsum non fuit in eis] In Hebræo, *Verbum* (supple *Dei*) *non fuit in eis*: nullam habuerunt divinam revelationem.

Hac ergò evenient illis] *Eveniant.* In ipsorum capita recidant tristes istæ ominationes. Huc usque verba impiorum.

14. *Do verba mea in ore tuo in ignem*] Per tua verba convincentur contumaciæ, & ejus pœnas dabunt. Simile suprà I. 10.

15. *Gentem de longinquo*] Verba legis Deuteronom. XXVIII. 49. Vide & Esaiæ v. 26.

Gentem antiquam] Genes. X. 10. XI. 2. Vide & quæ allata à nobis ad librum primum de Veritate Religionis Christianæ.

16. *Pharetra ejus quasi sepulchrum patens*] Sicut in uno sepulchro multi sunt mortui, sic & una Chaldæi pharetra multos dabit mortuos.

Universi fortes] Omnes sunt bellacissimi.

17. *Devorabit filios tuos & filias tuas*] Nempe gladio: nam omnis consumtio Hebræis solet dici אכל [*comestio*].

18. *Non faciam vos in consummationem*] In Hebræo, *vobiscum*; id est, nondum abstinebo punire vos, ut suprà 10. quod restat, est longa servitus, de qua jam aget.

22. *A facie mea non dolebitis*] *Pavebitis*, ut hîc Chaldæus.

Qui posui arenam terminum mari] Littora.

Et commovebuntur] Supple, *fluctus*: quod ex sequentibus hîc intelligendum.

Et non poterunt] *Non prævalebunt.*

23. *Recesserunt & abierunt*] A lege mea, quam & mare observat.

24. *Plenitudinem annuæ messis custodientem nobis*] Græci & hic interpres legerunt שבעות [*abundantias*] cum Schin notato in sinistro cornu. At Chaldæus & Hebræi codices cum Schin notato in dextro: id est, *Septimanas statutorum messis servat nobis*. Sensus est: efficit ut omnia sata maturescant septem illis septimanis quæ sunt inter Pascha & Pentecosten.

25. *Iniquitates vestræ declinaverunt hæc*] *Averterunt ista*: bona scilicet à vobis.

26. *Insidiantes quasi aucupes*] In Hebræo: *Qui observat* (singularis pro plurali), *sicut quando ponuntur laquei.*

Et pedicas] משחית, quod hîc est in Hebræo videtur esse *fovea*; & nomina ejusdem originis per βόθρος [*fovea*] vertuntur alibi.

27. *Sicut decipula plena avibus*] Imò *cors*, sive ὀρνιθών [*avium custodia*], quomodo accepit Chaldæus.

28. *Et præterierunt sermones meos pessimè*] Vertere possis, *superant res malas*: ut idem sit cum sequente *prosperaverunt*.

Judicium pauperum non judicaverunt] Aut jus illis non reddunt, aut pravè judicant. Has autem personas maximè nominat Deus, quæ per se impotentes publici auxilii maximè egent.

30. *Stu-*

30. *Stupor & mirabilia facta sunt in terra*] Stupenda & horrenda.

31. *Sacerdotes applaudebant manibus suis*] Meliùs: *Sacerdotes dominabantur* [in populum scilicet) *per illos*, scilicet falsos prophetas, quorum operâ utebantur.

Et populus meus dilexit talia] Itâ tractari voluit.

Quid igitur fiet in novissimo ejus?] In Hebræo: *Quid facietis posthac?* Id est, quò non evadet ista improbitas, nisi ego eam pœnis repressero?

CAP. VI.

MUNSTERUS.

1. *Satagite*] In Hebræo propriè est *fortes sitis*, scilicet *ad fugam*: pro quo Chaldæus vertit גלו *migrate*, *ô filii Binjamin*, &c. ¶ *Super domum vineæ*] Per *domum vineæ* intellige turrim quæ in medio vinearum ad custodiam earum erigebatur: & signum aliquod in ea dabatur quod hîc משאת *elevatio* vocatur: sicut & Jud. 20. eadem vox pro *flamma in cœlum erecta* accipitur.

3. *Pastores & greges*] Nomine *pastorum* accipiuntur Rex & Principes Babyloniorum, & per *greges* intelliguntur exercitus eorum.

7. *Ægritudo*] In tantum divites & potentiores abutebantur pauperibus ut viribus destituti ægris assimilarentur.

8. *Castigare*] Scribitur in passiva voce: & est sensus, Si ad huc castigationem susceperis & pœnitentiam egeris, potero ego Dominus ab ira mea revocari, & imminentia avertere mala.

9. *Racemabunt*] h. e. Sicut post vindemiam vinea denuo racematur, sic hostes depopulatâ Urbe etiam remanentes reliquias spoliabunt; sicut subditur, *Reduc manum tuam*, ut scilicet iterum spolies populum, sicut vindemiator, cùm racemat vineam, mittit manus iterum in sportam.

11. *Super parvulos*] Tantam, inquit, exercebit hostis tyrannidem ut etiam sine misericordia trucidaturus sit parvulos in platea. ¶ *Plenus dierum*] Per *plenum dierum* intellige decrepitum, & qui non est vulgaris ætatis.

16. *State juxta vias*] h. e. Animadvertite apud vosmetipsos viam bonam & rectam, atque viam perversam; & judicet ratio vestra quæ magis sit eligenda.

17. *Speculatores*] Hi sunt Prophetæ veri, qui magnâ voce populum dehortabantur nè audirent falsos Prophetas.

18. *Qualia sint in eis*] Sub. *scelera*, cùm à majoribus usque ad minores omnes iniquitatibus studeant. Alii legunt, *quid in eos constituerim*: & alii, *quid in istis*, scilicet *consiliis Dei*.

27. *Propugnaculum*] Hoc dicit Deus nè timeat Propheta, sed constanter & intrepidè annunciet impiis scelera eorum. Sunt qui *probatorem* seu *metalli examinatorem* intelligunt per בחון, propter sequens verbum בחנת. Primi ad מבצר respiciunt.

29. *Accensum est sufflatorium*] Assimilat hic Propheta pessimos homines conflationi argenti, in qua oleum & operâ perduntur; quandoquidem nihil agitur nisi quòd follis ex continuo usu ab igne comburitur, & scoria ab argento non educitur, cùm nihil illic boni fit à quo malum separetur. Facit autem mentionem *plumbi*, quòd argentum non conflетur sine appositione plumbi; illud enim fluere facit. Significatur proinde per *conflatorem* Propheta, per *sufflatorium* os ejus & guttur, quod ex continuo clamore raucum fiebat, & tamen nihil in perverso illo populo effecit. Et nota quòd נחר hic est passivum in duplicatorum ordine. Jonathan Chaldæus Interpres in versione hujus loci hâc usus est periphrasi; *Ecce sicut conflatores flatum faciunt, ut incalescat id quod est in medio ignis, sic fatagit vox Prophetarum, qui prophetizant eis, Convertimini ad Legem; sed ipsi non convertuntur. Et sicut plumbum diffluit in fornace, sic inania visa sunt illis verba Prophetarum*, &c.

VATABLUS.

1. *Fugite* העיזו] *Congregamini*, ut scilicet fugiatis. Chald. *Demigrate*. Doctus inter Hebræos scribit hæc dici per modum Ironiæ, quia non erat eis locus quò fugerent: q. d. *Si sit vobis locus quò fugiatis, illuc fugite.* Prædicit obsidionem Jerusalem. ¶ *Et in Thecoa clangite* ובתקוע תקעו] Allusio dictionum. Clangite ut admoneantur adventûs hostium, & se in locum tutum recipiant. ¶ *Vexillum* משאת] *Facem*; *incendium*, vel *ignem*: i. accendite pyram & rogum, ut fugæ signum detis vinitoribus, pastoribus & agricolis, ut se recipiant in tutum aliquem locum.

2. Jugiter *habitanti in tabernaculo* הנוה והמענגה] i. Pulcræ & formosæ: itâ & Chaldæus Paraph.

3. *Pastores*, *& greges eorum* רועים ועדריהם] Chaldæus P. exponit *Reges & turmas eorum.* ¶ *In loco suo* את ידו] *Locum suum*; vel *partem suam*: q. d. *Rex unus* (inquit doctus inter Hebræos) *aut Princeps destruet urbem unam aut plures, & sic alius, donec finierint subigere regionem illam: & tum congregabuntur universi ad oppugnationem Jerusalem.*

4. *Præparate*, &c. קדשו וגו'] i. Instruite aciem adversùs eam, ut invadamus illam. Itâ loquuntur pastores illi alter alteri. ¶ *Væ nobis* אוי לנו] q. d. *Infelices sumus, quia destituimur die, & jam advesperascit.* Describit magnum desiderium pugnandi quo tenebantur Chaldæi. ¶ *Extenderunt se* ינטו] Fut. Heb. pro præt. i. majores solitò factæ sunt.

6. Quæ *visitata est*, &c. הפקד וגו'] *Cujus iniquitas visitabitur, tota ejus oppressio est in medio ejus*: i. quia opprimuntur in ea pauperes omni genere oppressionum. Seipsum declarat seq. versu. Alii, *in ea tota est calumnia, in medio ejus*: i. visitabitur propter rapinam & oppressionem.

7. *Quemadmodum scaturire facit* כהקיר] *Ut fundit*, sub. *sine intermissione.* ¶ *Et vastitas* ושוד] *Et direptio.* Chald. *vox direptorum & spoliatorum auditur*, &c. ¶ *Auditur* ישמע] Fut. Heb. pro præs. ¶ *In conspectu*, &c. על פני וגו'] i. Me vidente occidunt pauperes injuriâ affectos à potentioribus. Alii, *coram me jugiter est morbus & plaga*: q. d. *Jugiter meditor inducere adversus illam malum & plagam*: itâ Chaldæus Paraph.

8. *Erudire* הוסרי] *Cape disciplinam*: i. Resipisce. ¶ *Recedat*, &c. תקע וגו'] *Avellatur*; *separetur.* Hebraismus, nè cogar desinere te amare. *Anima* pro *favore* & *amore*. ¶ *Habitatam* נושבה] Præteritum tempus est: i. quæ nunquam fuit habitata.

9. *Racemabunt* עולל] *Racement*: q. d. Non solùm nobiles & potentes captivi abducentur, sed etiam post illos pauperrimi quique qui relicti fuerint à Nabuchodonosor, quos postea abducet Nabuzardan, ut habetur infrà cap. 52. ¶ *Converte* השב] *Reverti fac*: i. crebrò percute. Verba sunt mutuò sese cohortantium, *Redire fac manum tuam*, &c. subindè capiendo novos quos abducas in Babylonem. Comparat eos qui captivos abducebant Vindemiatoribus, carcerem autem captivorum, *canistris vindemiatoriis.*

10. *Et* quem *monebo*, &c. ואעידה וישמעו] *Et quem obtestabor, ut audiant*? i. quasi adhibitis testibus denunciabo ut acquiescant consiliis meis? ¶ *Incircumcisa est* ערלה] i. *Obturata*, ut exponunt Hebræi. Chald. *infatuata.* Dicit eos esse surdos qui nolunt audire, ut qui obstructas habent aures. ¶ *Non amaverunt illud* לא יחפצו בו] Fut. Heb. pro præsenti vel præterito: i. non tenentur desiderio illius. Chald. P. *eo quod non amaverunt illud.*

11. *Itaque irâ* ואת חמת] *Itaque furore*: vel *indignatione*: ו pro *idcirco*. Chald. *Et Prophetiâ de ira à conspectu Jehovæ plenus sum, fatigatus sum sustinendo, & non possum*, sub. *ultrà ferre.* ¶ *Defatigatus sum continendo me* נלאתי הכיל] Ad verb. *laboravi continendo*: id est quam ægrè contineo. ¶ *Ad effundendum* שפך] Sub. *irâ*, *inquam*, *Jehovæ plenus sum, ut effundam illam*, &c. ¶ *Congregationem* סוד] *Consilium.* Utrumque sign. סוד. *De adolescentibus loquitur qui jungunt se simul in cœtum unum & consilium unum, quibus nihil hoc totum profuerit, neque robur ipsorum*: Itâ doctus inter Hebræos. ¶ *Pleno dierum* מלא ימים] i. Decrepito.

12. *Et vertentur* ונסבו] *Et devolventur*; i. transferentur: q. d. *Alii possidebunt domos eorum.*

13. *A parvo*, &c. מקטנם וגו'] Hebraismus; pro, *A minimo eorum usque ad maximum eorum quisque avaritiæ & lucro inhiat*, sive *mirum in modum intentus est quæstui.* Chald. *Omnes sunt captores pecuniæ.* ¶ *Faciunt mendacium* עשה שקר] i. Omnes sunt impostores, vel fraudulenter & perfidè agunt. Chald. *Omnes sunt operatores falsitatis.*

14. *Et curabant contritionem* וירפאו את שבר] *Et medentur fracturæ*, vel *contusioni.* ¶ *Levi* על נקלה] i. Vano, verbis inanibus & vanis: aut, *verbis leviculis*, aut *levitate quadam*, sive *leviter*, quasi jocus esset aut ludus aliquis, nihil seriò agentes in re tam seria: q. d. *Pseudoprophetæ vobis pollicentur pacem*; *at pace non fruemini.*

15. *Ne pudendo quidem*, &c. גם בוש לא יבושו] *Utiquè confusione non sunt confusi, nec etiam*, &c.

16. *Et interrogate* ושאלו] Sub. *alios sapientiores.* ¶ *Antiquas* עולם] Ad verb. *seculi.* Chald. *quæ à seculo sunt.* ¶ *Bona*

Bona הטוב] *Melior: optima.* Hebræi carent comparativo & superlativo. Chald. *quæ recta sit.* ¶ *Et invenietis* ומצאו] Imperat. Heb. pro fut.

17. *Speculatores* צופים] Chald. *doctores.*

18. *Quæ* sunt *in eis* את אשר בם] Relativum pro anteced. i. peccata quæ sunt in hominibus tuis.

19. *Et legem meam reprobaverunt* ותורתי וימאסו בה] *Et à Lege mea abhorruerunt.* Hoc loco ו tantummodo futurum vertit in præteritum, & relativum redundat. Alii tamen vertunt, *neque Legi meæ, sed abhorruerunt ab ea.*

20. *Ad beneplacitum* לרצון] *Ad voluntatem:* i. non sunt mihi grata. ¶ *Dulcia sunt* ערבו] q. d. *Dulcuerunt:* i. non fuerunt mihi odorata, non placuerunt.

21. *Do* נתן] *Pono.* Præs. Heb. pro fut. ¶ *Ruinas* מכשלים] *Offendicula*, ut scilicet in ea impingant: q. d. Creabo perniciem Judæis, quam nullâ ratione vitare poterunt. ¶ *Et amicus ejus* ורעו] *Et proximus ejus.*

22. *Consurget à lateribus terræ* יעור מירכתי ארץ] *Excitabitur ex angulis terræ*, i. ab uno ex angulis: q. d. *ab ultimis regionibus.* Prædicit rursus adventum Chaldæorum; quem sæpe inculcat ut ostendat contumaciam animi Judæorum, qui toties admoniti suæ calamitatis resipiscere noluerunt.

23. *Vox eorum* קולם] *Strepitus eorum.* ¶ *Sonabit* יהמה] *Perstrepet:* vel *tumultuabitur.* ¶ *Parati* ערוך] Sing. Heb. pro plur. *dispositi: præparati.*

24. *Debilitatæ sunt* רפו] *Dissolutæ sunt: remissæ sunt.*

25. *Ne exeatis*, אל תצאי וגו'] *Ne exeas ad agrum, & per viam ne ambules.* Varia lectio Hebræis: scribitur enim תצאו & תלכו. ¶ *Inimici* לאויב] *Est inimico:* q. d. Omnes agri pleni sunt hostibus, qui omnibus pavorem incutiunt.

26. *Amaritudinum* תמרורים] i. Amarum.

27. *Propugnaculum* בחון] *Arcem munitissimam*, sub. *ô Propheta*, i. fortem instar arcis munitissimæ. Chald. *Electum posui te in populo tanquam munitionem fortem.* ¶ *Et probes* ובחנת] *Et explores*, i. increpes. q. d. *Et cùm cognoveris viam illorum, redargue eos liberè; quia tibi non poterunt nocere: nam firmavi te tanquam arcem fortem.*

28. *Principes* סרי] Hebræi scribunt ס positum esse vice ש. Alii vertunt ut scribitur, *Omnes sunt apostatæ, apostatæ*, inquam: vel, *Omnes ipsi contumaces apostatæ sunt.* *Principes declinantium* vocat declinantes à Lege. Chald. *Omnes Principes eorum sunt rebelles*, vel *omnes Principes declinantium*, i. Domini servorum declinantium, &c. ¶ *Fraudulenter* רכיל] In *delatione*, aut *obtrectatione.* ¶ *Chalybs & ferrum* נחשת וברזל] q. d. *Frontis sunt chalybeæ & ferreæ*, i. impudentissimi. Doctus inter Hebræos exponit, *Sicut chalybs miscetur ferro, quando alterum sine altero non scinderet, sic ipsi sunt misti alter cum altero ut fraudulenter malefaciant, noceant & lædant.* Et sic Chaldæus Paraph. dicens, *Ambulantes fraudulenter, quemadmodum miscetur chalybs cum ferro*, ¶ *Corruptores* משחיתים] *Exterminatores sunt.*

29. *Combustum est sufflatorium* נחר מפח] *Combustus est follis*, nimiâ scilicet sufflatione. In hac similitudine Deus est *conflator: Argentum* repurgandum est Juda: *Follis* est Jeremias: *Plumbum* significat omnia adminicula repurgationis. Ut igitur conflator aliquando operam perdit dum studet ut conflando repurget argentum, sic Deus cùm voluit repurgare scoriam Juda, operam & oleum perdidit. Meminit *plumbi*, quòd plumbum admisceatur conflationi argenti, ut faciliùs & minori detrimento confletur. Chald. *Ecce sicut follis sufflatorum qui combustus est in medio ignis, sic abiit vox eorum, scilicet Prophetarum qui prophetabant illis, Convertimini ad Legem; & non sunt conversi: & sicut plumbum quod liquatur in medio fornacis, sic fuerunt otiosa in oculis eorum verba Prophetarum qui prophetabant illis sine utilitate: docuerunt eos Doctores eorum, & opera sua mala non dereliquerunt.* ¶ *Et mali*, &c. ורעים וגו'] *Cùm mali non sint avulsi.* Alii, *nam mala non fuerunt avulsa.*

30. *Vocate* קראו] *Vocaverunt*, sub. *Propheta.*

CASTALIO.

3. A*D quam venient cum suis pastores gregibus*] Ut pastores lætum pascuum undique depascunt; sic hostes Sionem.

4. *Hei nobis, quòd inclinante die vespertinæ vergunt umbræ*] Tam avidè invadent Urbem hostes ut malint noctu pergere quàm crastinum exspectare.

9. *Refer manum tuam, ceu vindemiator in qualos*] Crebros capiendo, ut solent leguli.

CLARIUS.

1. F*Ugite, filii Benjamin*] Alloquitur suos cives: nam patria Jeremiæ erat in Anathoth, quæ est in tribu Benjamin: Jerusalem autem habitabatur à Juda & Benjamin promiscuè. Et quod ait, *Fugite*, in Heb. est, *Fortes sitis*, scilicet ad *fugam.* Pro quo Chaldæus vertit, *Migrate, ô filii Benjamin*, &c. ¶ *Et in Thecua clangite tubâ*] h. e. Invitate ad fugam. Thecua duodecim millibus passuum distat ab Jerusalem, in tribu Benjamin. Inter Jerusalem & Thecua est *Bethcarem.* Alius vertit pro *super Bethcarem, super domum vineæ:* & per *domum vineæ* intelligit Turrim quæ in medio vinearum ad custodiam earum erigebatur, & signum aliquod in ea dabatur.

3. *Pastores & greges eorum*] Nomine *pastorum* accipiuntur Rex & Principes Babyloniorum, & per *greges* intelliguntur Exercitus eorum.

4. *Væ nobis*] Verba sunt hostium dolentium noctem supervenire antè quàm perveniant ad Jerusalem.

6. *Hæc est civitas visitata*] Advenit tempus ut hæc civitas visitetur, cùm tota ipsa intrinsecùs sit plena calumniæ.

7. *Sicut evomit*] Sicut aquæ assiduæ emanant è fontibus, sic nequitia illorum perennis est. ¶ *Infirmitas*] Ità divites & potentiores abutebantur pauperibus, ut viribus destituti ægrotis assimilarentur.

8. *Erudire, Jerusalem*] Si adhuc (inquit) castigationem susceperis & pœnitentiam egeris, potero ego Dominus ab ira mea revocari, & imminentia avertere mala. Tu verò contemplare charitatem Dei, qui cum denunciaverit jam certissimè venturum hostem, adhuc tamen invitat ad emendationem; tanquam qui doleat atque ægrè patiatur imminens opprimere eos malum.

9. *Racemando colligent*] h. e. Sicut post vindemiam vinea denuo racematur, sic hostes depopulatâ Urbe etiam remanentes reliquias spoliabunt, sicut subditur, *converte iterum manum tuam*, & paulatim acinos exime, ut scilicet iterum spolies populum, sicut vindemiator, cùm racemat vineam. Tanquam dicat aliquis ad hostem, Adhuc reliqui sunt acini aliquot quos tu præteristi, quare iterum manum tuam mitte ad colligendos illos paulatim: sicut è sporta paulatim eximi manu solent vel uvæ vel pyra vel ova, &c.

11. *Super parvulum*] Tantum (inquit) exercebit hostis tyrannidem, ut etiam sine misericordia trucidaturus sit parvulos in platea. ¶ *Cum pleno dierum*] Per *plenum dierum* intellige decrepitum, & qui non sit vulgaris ætatis.

16. *State super vias*] h. e. Animadvertite apud vosmetipsos viam bonam & rectam, atque viam perversam, & judicet ratio vestra quæ magis sit eligenda. Huic similis est parabola negotiatoris quærentis pulcras margaritas; standum est igitur in Prophetis.

17. *Speculatores*] Hi sunt Prophetæ veri, qui magnâ voce populum dehortabantur nè audirent falsos Prophetas.

18. *Quanta ego faciam eis*] Alius vertit, *Qualia sint in eis*, subaudi *scelera*, cùm à majoribus usque ad minores omnes iniquitatibus studeant.

27. *Propugnaculum*] Hoc dicit Deus, nè timeat Propheta, sed constanter & intrepidè annunciet impiis scelera eorum.

28. *Æs & ferrum*] Ministros intelligi volunt, qui dominorum suorum mandata crudeliter exsequebantur contra pauperes. Æs sive chalybs conjungitur ferro ut ex eo fiant arma, sic alter alteri adhæret ad facienda mala.

29. *Defecit sufflatorium*] h. e. Omnem operam perdidi in te purgando. Alius vertit, *Accensum est sufflatorium ab igne, integrum est plumbum*, &c. Assimilat autem hic Propheta pessimos homines conflationi argenti, in qua tamen oleum & opera perduntur, quando quidem nihil agitur aliud nisi quòd follis ex continuo usu ab igne comburitur, & scoria ab argento non educitur, cùm nihil illic boni sit à quo malum separetur. Facit autem mentionem *plumbi*, quòd argentum non conflatur sine appositione plumbi, illud enim fluere facit. Significatur proinde *conflatorium* Propheta, per *sufflatorium* os ejus & guttur, quod ex continuo clamore raucum fiebat, & tamen nihil in perverso illo populo effecit. Jonathas Chaldæus Interpres in versione hujus loci hâc usus est paraphrasi, *Ecce sicut conflatores flatum faciunt, ut incalescat id quod est in medio ignis, sic satagit vox Prophetarum, qui prophetant eis, Convertimini ad legem: sed ipsi non convertuntur. Et sicut plumbum diffluit in fornace, sic inania visa sunt illis verba Prophetarum.*

DRU-

DRUSIUS.

7. בּוֹר. Omnes, λάκκος, i. *lacus*] Hieron. *Hoc autem Latinus lector intelligat, ut semel dixisse sufficiat,* LACUM *non stagnum sonare, juxta Græcos, sed* cisternam, *quæ sermone Syro & Ebraico* גבא GEBE *appellatur. In præsenti autem* lacus, *quem omnes similiter transtulerunt, in Ebraico dicitur* בור, BOR vel BAIR. Sic dico, In scriptura est בור, & in apicibus בי׳ BAIR, quomodo legi debere hoc loco nos admonent Critici Ebræorum Massoritæ. Sign. autem *puteum, cisternam, sepulcrum & locum subterraneum in carcere.* Lex. V. Λάκκος, *lacuna, laccus, cisterna.* Mihi non displicet hæc scriptura, ut LACUS sit *stagnum*, & LACCUS duplici *cc*, *lacuna, cisterna.*

20. קָנֶה. Th. κινάμωμον] Hieron. *Pro* calamo, *qui Ebraice dicitur* קנה, *Lxx & Th.* cinamomum *transtulerunt.* Sequitur in eodem loco, *Hoc genus pigmenti Medici κασσίαν σύριγγα appellant.* Κασσία σύριγξ, vel σύριγξ τῆς κασσίας est *casia*, vulgò *caneel*; quæ in locum Cinamomi nobis successit. Alioqui *cinamomum* Ebraicè קנמון CINNAMON dicitur. קנה propriè *canna aromatica.* Lxx alibi κάλαμον εὐώδη vertunt, i. *calamum odoriferum.* Moses Ger. Exod. 30. 34. ait esse *corticem qui Arabicè & in Gemara* דראציני *vocatur, formámque aliorum calamorum referre.* Notatum invenio in adversariis meis דראציני *cinamomum*, nec scio unde descripserim.

27. מִבְצָר. A. *munitum.* Sym. & Lxx *clausum* atque *circumdatum*] Hieron. *Datur Propheta populo incredulo probator robustus, quod Ebraicè dicitur* מבצר, *quod vel* munitum *juxta Aquilam, vel* clausum *atque* circumdatum *juxta Sym. & Lxx sonat.* Hodie in Lxx ἐν λαοῖς δεδοκιμασμένοις *in populis probatis.*

GROTIUS.

1. CONfortamini, *filii Benjamin in medio Jerusalem*] Meliùs: *Excedite ex Hierosolymitis Benjaminitæ.* Est autem χλευασμὸς [*acerba irrisio*] ad Benjaminitas, qui Hierosolymis habitabant, ut agros suos & villas irent defensum contra hostem adventantem: significare enim vult omnia ista fore vana atque inutilia.

Et in Thecua clangite buccinâ] Qui vicus XII millibus distabat ab Hierosolymis, ut nos docet Hieronymus.

Et super Betacherem levate vexillum] In Hebræo *facem*, nempe ex qua intelligebatur adventus hostis, φρυκτωρίαν. Est Betacherem vicus alter in monte positus, eam regionem spectans per quam venturi erant Chaldæi: quod hîc velut in re præsente describitur.

2. *Speciosæ & delicatæ assimulavi filiam Sion*] Similis erit optimæ terræ pascuæ, quò pastores cum magnis gregibus convenire solent. Est autem hic in voce *pastorum* χλευασμὸς [*acerba irrisio*], qualis in voce *custodum* suprà IV. 16.

3. *Pascet unusquisque eos qui sub manu sua sunt*] In Hebræo, *Manum suam*; id est, greges sibi creditos: suas nimirum legiones, alas, turmas, cohortes.

4. *Sanctificate super eam bellum*] Quod hic *sanctificate* dicitur, rectè vertas *præparate*: nam eum sensum habet sæpe id verbum, quanquam à Templi ritibus deductâ translatione. *Bellum* autem hic intellige oppugnationem. Verba sunt Chaldæorum se mutuò adhortantium.

Ascendamus in meridie] Ostendit his verbis quanta fuerit Chaldæis aviditas exscindendæ Urbis.

Væ nobis quia declinavit dies] Indignantur primo adventûs die non potuisse rapi Urbem.

Quia longiores facta sunt umbræ vesperi] Virgilius itidem vesperam describens,

Majoresque cadunt altis de montibus umbræ.

5. *Dissipemus domos ejus*] Turres.

6. *Quia hæc dicit Dominus exercituum*] Fient hæc, quia Deus fieri hæc voluit.

Cadite lignum ejus] Ad arietes, ballistas, aliáque oppugnandi instrumenta.

Fundite circa Jerusalem aggerem] Id est, admovete urbi aggerem. Vegetius IV. 15. *Agger autem ex terra lignisque attollitur contra murum, de quo tela jactantur.*

Hæc est civitas visitationis] In Hebræo, *visitata*: id est, de qua ultio sumitur.

Omnis calumnia in medio ejus] Meliùs, *quanta quanta est violentia in ea*: supple *conspicitur.*

7. *Sicut frigidam fecit cisterna aquam suam: sic frigidam fecit malitiam suam*] Secutus est Græcos, qui הקירה [*obvenire* aut *scaturire fecit*] à קרר [*frigescere*] derivant. At verior versio: *Sicut putei aqua scaturit, sic scaturit illorum malitia*, nova semper succrescit.

Coram me semper infirmitas & plaga] Id est, hæc à me ipsis reddentur pro iniquitate ac direptione.

8. *Ne fortè recedat anima mea à te*] *Ne te planè abjiciam*, ut hic Chaldæus.

9. *Usque ad racemum colligent*] *Racemationem facient*, id est, nihil in terra relinquent.

Converte manum tuam sicut vindemiator ad cartallum] Hic subintelligendum *dicentes*, *Iterum manum tuam refer, ut vindemiator gerens cartallum.* Id est, Bis térve venient Chaldæi; ut videant siquid vel exiguum restet quod auferri posset. Vide infrà LII. 58.

10. *Incircumcisæ aures eorum*] Sordibus obturatæ.

11. *Iccirco furore Domini plenus sum*] Sentio intra meipsum quàm graviter his Deus succenseat.

Laboravi sustinens] Sensum illum non diutius intra me continere possum.

Effunde super parvulum foris] In Hebræo, *effundere*: id est, quominus hunc sensum meum effundam, gravissima mala omni ætati, sexui, atque ordini denuntiando. Illud *foris* in Hebræo significat *in platea.* Solent enim pueri in plateas excurrere.

Super consilium juvenum simul] *Super juvenum choros.*

Senex cum pleno dierum] *Senem* hic vocat senescentem.

14. *Et curabant contritionem populi mei cum ignominia*] In Hebræo, *super levi*: id est, quasi res esset levissima. *Contritionem*: id est, vulnus.

Dicendo, pax] Id est, jamjam sanescet.

Et non erat pax] Non sanescebat.

15. *Quin potiùs confusione non sunt confusi*] Est ἐπανόρθωσις [*Correctio*]. quid dico eos pudefactos? imò pudoris nihil illis restat.

16. *Hæc dicit Dominus*] Hæc dicere Dominus solebat.

State super vias, & videte, & interrogate] Facite ut viatores solent ubi dubitant quà eundum sit.

De semitis antiquis] Per quas iverunt Abraham, Isaac, Jacob.

Invenietis refrigerium animabus vestris] *Requiem*, Chaldæus; Græci, ἁγιασμὸν [*sanctificationem*], id est, *criminum veniam.*

17. *Speculatores*] Prophetas. Esaias LII. 8. Ezech. III. 17. XXXIII. 2. 6. 7.

19. *Audi terra*] Omne genus humanum.

Fructum cogitationum ejus] Sentient paria iis quæ in alios fecêre: Proverb. I. 31. Psam. XXVIII. 4.

20. *Ut quid mihi thus de Saba adfertis*] Virgilius:

Molles sua thura Sabæi.

Confer quæ apud Esaiam I. 11.

21. *Ruinas*] Murices vel tribulos.

23. *Sagittam & scutum arripiet*] Τόξον καὶ σιβύνην [*sagittam & hastile*], Græci. In Glossis, Σιβύνη, *venabulum.* Pro *hastili* sumunt Polybius & Diodorus: כידון, quod hic in Hebræo est, alibi vertitur γαῖσον [*gæsum*]; alibi ἐγχειρίδιον [*pugio*].

Crudelis est, & non miserebitur] Simile Esaiæ XIII. 17. 18.

Præparati quasi vir prælians] Tam facilè totus exercitus movebitur quàm vir unus.

23. *Audivimus famam ejus, dissolutæ sunt manus nostræ*] *Nostræ* dicit pro Judæorum, quia & ipse Propheta ex ea gente. Ad primum rumorem Judæis omnibus concidet animus.

25. *Nolite exire ad agros*] Nihil proderit exire de Urbe: mors ubique.

26. *Luctum unigeniti*]

Qualis peremtum qua flet unicum mater.

Sic & Amos VIII. 10. & Zach. XII. 10.

27. *Probatorem dedi te in populo meo robustum: & scies, & probabis viam eorum*] Rectiùs cum Symmacho & Theodotione; *Ut arcem aut munitissimum locum posui te in populo meo*; id est, perge constanter: ego te protegam ut arcem munitissimam. Nec difficile tibi erit, velut in sublimi constituto, explorare quid agant singuli.

28. *Principes declinantes*] Meliùs: *defectores contumacissimi.*

Æs & ferrum] Nihil de argento habent, nedum de auro. Notum quid Hesiodus & Ovidius de Ætatibus dixerint, & de variis animorum temperaturis ad metalla relatis Plato.

29. *Defecit sufflatorium in igne*] Folles dirupti sunt flando.

Consumtum est plumbum] Quo tunc utebantur ad metallorum purgationes, nondum cognitâ vi argenti vivi.

Frustra conflavit conflator] Ut aliquid argenti indè eliceret.

Malitia enim eorum non sunt consumta] In Hebræo: *Et malitiæ eorum non sunt consumtæ.* Tot malis, quæ Assyrii Ægyptiique intulerant, nihilo meliores facti sunt. Miscentur voces comparationis & rei comparatæ, ut sæpe.

30. *Argentum reprobatum vocate eos*] Pro argento se venditant; sed exploratio per ignem ostendit speciem fuisse argenti, non rem.

CAP. VII.

MUNSTERUS.

2. *AD portas istas*] Jubetur stare in una porta, quæ scilicet Orientem respiciebat: populus autem qui Templum ingressurus erat, poterat per illam ingredi portam, aut per alias sex, quarum tres erant in muro Meridiem respiciente, & tres in muro Aquilonari.

4. *Templum Domini*] Absit, inquiunt ad Prophetam, ut Dominus propter peccata nostra devastari permittat Templum, quod suum est magis quàm nostrum. Repetit autem ter *Templum*, propter Vestibulum, Domum sanctam, & Sanctum sanctorum. Chald. *Coram Templo Domini vos sacrificatis.* Complectitur proinde Propheta nomine *Templi* totum externum cultum Divinum: & dicit illum esse rem abominandam in oculis Domini, si fiducia ponatur in illum, & interim pessimè vivatur, sicut Judæi faciebant, & hodie multi Christiani faciunt, qui plus externis tribuunt ceremoniis quàm sinceræ Christianæ vitæ.

10, 11. *Liberati sumus*] Licèt, inquiunt, peccemus, tamen quia venimus ad domum Domini, non punimur pro peccatis nostris, atque ideo facimus omnes abominationes istas. Et quia sic cogitabant in domo Domini, improperat illis id Propheta, & dicit, *Numquid spelunca nebulonum*, &c. Vocantur autem פריצים propriè qui sunt עזוז מצח וקשי לב *impudenti fronte & duro corde*, ut Kimhi exponit. Chaldæus interpretatur *cœtum impiorum.*

15. *Universum semen Ephraim*] Significantur per *Ephraim* 10 Tribus Israel, eò quòd tempore Rehabeam, quando Regnum Davidicum in duas partes fuit scissum, Regnum Israel Tribui Ephraim primùm obvenerit. Fuit enim Jarobeam primus Rex Israel Ephratæus, ut 3 Reg. 11. habetur.

18. *Placentas machinæ cælorum*] Sunt כונים præparationes ciborum quæ fiebant ad honorem exercitûs cœlorum loco Minha. Et nota quòd hîc scribitur מלכת pro מלאכת, sicut & Jonathan vertit שׁעבד *opus.*

21. *Holocausta vestra*] Sensus est, Comedite vos holocausta & pacifica, modò incorruptam vivatis vitam. Id enim potissimùm semper à vobis habere volui *à tempore quo patres vestros eduxi de Ægypto*, ut scilicet *audirent vocem meam*, & quòd holocausta sine fide & obedientia mihi grata non essent. Sed nec holocausta & pacifica præcepi aut exegi ab homine, quin illa arbitrio ejus reliqui; modum sacrificandi tantùm præscripsi: Decalogum autem præcepi & vitam integram.

29. *Tonde comam tuam*] Est נזר à נזר. Nazaræus autem jubetur nutrire capillum capitis, quem hîc Propheta jubet in signum luctûs resecare & abjicere.

VATABLUS.

2. *ET prædica* וקראת] *Et clama.* ¶ *Per portas* בשערים] Portas quæ erant in lateribus intelligit: nam ipse stabat in Orientali.

4. *Templum Jehovæ, sunt* היכל יהוה המה] *Templum Jehovæ ea* sunt, sub. *verba illa mendacia*: vel, *sunt hæc ædificia. Ista sunt verba* (inquit doctus inter Hebræos) *quæ pseudoprophetæ dicebant illis, seducentes eos: q. d. Nolite credere verbis Pseudoprophetarum qui dicere solent, nunquam futurum ut Dominus sinat urbem vestram venire in potestatem Chaldæorum ob Templum magnificentissimum quod in ea est constructum. Aut verba sunt quæ ipsi Pseudoprophetæ dicebant Jeremiæ: acsi dicerent, Deus non destruet Templum suum propter iniquitatem, nec destruetur civitas ista. Et hæc repetitio*, inquit, *fit ad exaggerandam rem, pro more Scripturæ.* Alii exponunt acsi dicat, *Quia tria ista*, אולם *vestibulum*, היכל *templum*, *&* דביר *adytum, sunt templum Dei, non sinet Deus ut destruatur à Chaldæis.* Et ter repetit, quia Templum ex illis tribus partibus constabat. Vel ad majorem expressionem ter repetiit. Alii existimant esse verba Judæorum digito monstrantium Templum ipsum Salomonis, & omnes partes illius, magnificentissimum & sanctissimum: quibus respondet Dominus per Jeremiam, Nolite Templo magnificentissimo & sanctissimo fidere: quia neque Templo, neque urbi propter Templum parcam, nisi resipueritis.

5. *Quoniam si* כי אם] *Sed si.* Alii, *Quin potiùs.* Alii, *Quòd si.* Hoc pacto in principio 7 versûs abundabit ו, nisi vertatur in *Tunc.* ¶ *Emendando emendaveritis* היטב תיטיבו] Ad verb. *bonas faciendo bonas feceritis*, i. corrigendo correxeritis. ¶ *Inter virum*, &c. בין איש וגו'] *Inter hominem & socium ejus.* Hebraismus, pro *inter unum & alterum.*

8. *Quod non prodest* לבלתי הועיל] Ad verb. *ad non proficiendum*, vel *promovendum*, i. quæ non proderunt: vel, ita ut nemo vestrûm proficiat.

9. *Numquid*, &c. הגנב רצח ונאוף] Infinitivi Heb. pro futuris, *furandum, adulterandum, occidendum*, &c. vel, *furando, occidendo*, &c. q. d. *An facietis ista, & proderit Templum vobis?* ¶ *Baal* לבעל] *Idolo*: vel *idolis.*

10. *Et venietis*, &c. ובאתם וגו'] Præterita Heb. pro fut. ¶ *Super*, &c. אשר נקרא וגו'] Hebraismus, *quæ dicitur domus mea*: vel, *quæ appellatur de nomine meo*, nempe *Domus Dei.* ¶ *Ut faciatis*, &c. למען עשות וגו'] i. Cogitantes facere, vel, ut faciatis adhuc abominationes illas quas fecistis ab initio? Alii, *propterea quòd facimus omnes*, &c. vel, *ideo facimus*, &c. Alii, *tametsi fecerimus omnes*, &c.

11. *In oculis vestris* בעיניכם] i. Judicio vestro: q. d. *Quî fit ut judicio vestro ædes hæc mea sit velut antrum latronum, neque pluris eam faciatis quàm antrum grassatorum?* Nam ut in antra sua recipiunt sese grassatores cædibus & latrociniis patratis, sic vos post scelera etiam gravissima non erubescitis venire in domum meam, quasi existimetis me peccatorum vestrorum esse ignarum. ¶ *Video* ראיתי] Præt. Heb. pro præs. sub. *cogitationes vestras, & animos vestros*: q. d. Non potestis me fallere.

12. *Quæso* נא] *Nunc.* ¶ *Nomen meum* שמי] Chald. Paraph. *Divinitatem meam*, vel *majestatem.*

13. *Fecistis vos* עשותכם] Præt. Heb. pro præs.

14. *Super quam*, &c. אשר נקרא וגו'] Hebraismus, quæ de nomine meo appellata est: quæ dicitur mea.

16. *Assumas* תשא] *Attollas*, i. clarâ voce roges.

18. *Reginæ cœli* למלכת השמים] i. Stellæ præcipuæ, qui est Sol: aut stellæ cuidam magnæ quæ est in cœlo. Doctus inter Hebræos existimat deesse א, pro למלאכת, i. *opificio*, sive *operi cœli*, aut *cœlesti*: h. e. cœlo ipsi.

19. *Irasci faciunt* מכעיסים] *Ad iram provocant?* q. d. Non: nam non residet in me affectus iracundiæ, neque affectus alius: expers sum humanorum affectuum. ¶ *In confusionem*, &c. למען בשת פניהם] *Ut erubescant facies eorum?*

20. *Effundetur* נתכת] *Stillabit.* Præs. Heb. pro fut.

21. *Carnes* בשר] Sub. *illarum victimarum*: acsi diceret (ut exponit quidam Hebræorum) *cùm offertis holocausta, præstaret vos adjungere illa pacificis vestris, & offerre ea ut pacifica: nam comederetis carnes: illa enim non sunt mihi grata: quare ergò perditis ea?* Aut, *vertite holocausta vestra in victimas, ut earum carnes edatis*: hoc tantùm commodi ex illis percipietis: nam mihi omnino displicent. Holocausta tota comburebantur, nec aliquid indè comedebatur.

22. *De holocaustis*, &c. על דברי וגו'] Ad verb. *super verbis holocausti & victimæ*, i. de his quæ pertinent ad holocausta & victimas.

24. *Sed abierunt* וילכו] *Sed ambulaverunt*: i. secuti sunt consilia sua & cogitationes cordis sui mali. ¶ *In duritia* בשררות] *In pravitate.* Alii, *visione.* Alii, *obstinatione.* ¶ *Et retrocesserunt*, &c. ויהיו וגו'] Ad verb. *& fuerunt à tergo, & non antè*: i. aversi sunt, *& non processerunt*, aut *promoverunt*: vel, *propterea passi sunt adversa, nihilque illis succedit: fuit maledictio* (inquit doctus inter Hebræos) *in operibus manuum ipsorum, & non benedictio.* Aliter Hebraismum exponit Chaldæus P. dicens, *Et verterunt in cultu meo cervicem, & non posuerunt timorem mei è regione faciei suæ.*

25. *Misi* ואשלח] *Et misi.* Redundat hoc loco ו, tantùm vertit futurum in præteritum: aut principium hujus versûs jungitur fini præcedentis. ¶ *Per diem*, &c. יום השכם] *Quotidie manè consurgendo.* Vide infrà 25. 3, 4

27. *Et vocabis eos* וקראת אליהם] *Et clamabis ad eos.*

28. *Veritas* האמונה] *Fides, religio.*

29. *Et attolle* ושאי] *Et eleva*, i. altâ voce lamentare. Alii, *assume.* Alii, *excita.* ¶ *Projecit* מאס] *Reprobavit.* Alii, *contempsit*, vel *floccifecit*, sub. *te.* ¶ *Furoris sui* עברתו] *Indigna-*

Indignationis suæ. Hebraismus, pro *contra quam indignatus est.*

31. *Filii Hinnom* בן הנום] *Ben-hinnom.*

32. *Et non dicetur* ולא יאמר] *Ut non dicatur.* ¶ *Interfectionis* ההרגה] *Cædis: stragis.* ¶ *Et sepelient* וקברו] *Sepelient enim.* ¶ *Donec,* &c. מאין מקום] Ad verb. *à non loco,* i. donec nullus supersit locus in quo aliquis sepeliri possit,

33. *Morticinum* נבלת] *Cadaver.* Sing. Heb. pro plur. *cadavera.*

C A S T A L I O.

18. C*Œli regina*] Junonem puto.

21. *Hostias vestras solidas legite cum vestris sacrificiis, & carnem comeste*] Habete vobis istas victimas.

22. *Nec enim dixi aut præcepi majoribus vestris*] Lege 4 Esdr. 3.

30. *Posuere sua flagitia*] Nefarios deos.

C L A R I U S.

2. S*TA in porta*] Portam illam orientalem fuisse dicunt quæ unica fuit, cùm ad Meridiem tres, & Septentrionem tres fuerint, & ità in summa septem portæ: à Meridie enim & Septentrione in Templum ferè ascendebatur.

4. *Templum Domini*] Absit (inquiunt ad Prophetam) ut Dominus propter peccata nostra devastari permittat Templum, quod suum est magis quàm nostrum: iccirco admonet, nè his fidant mendacibus ac vanis cogitationibus. Aiunt autem eum ter repetere *Templum* propter Vestibulum, Domum sanctam, & Sanctum sanctorum. Ait ergò Propheta exteriorem cultum Dei minimè gratum esse Deo, si interim pessimè vivatur.

10. *Liberati sumus*] Licèt (inquiunt) peccemus, tamen quia venimus ad domum Domini, non punimur pro peccatis nostris, atque ideo facimus omnes abominationes istas. Et quia sic cogitabant in domo Domini, objicit illis id Propheta, & dicit, *Numquid spelunca latronum,* &c.

15. *Universum semen Ephraim*] Significantur per *Ephraim* 10 tribus Israel, eò quòd tempore Roboam, quando Regnum David in duas partes fuit scissum, Regnum Israel tribui Ephraim primùm obvenerit; fuit enim Jeroboam primus Rex Israel Ephratæus, 3 Reg. 11.

16. *Nec assumas pro eis laudem*] h. e. Psalmum: Pulcrè autem affectus humanos induit, ut populum magis deterreat: dum admonet Prophetam, nè precetur pro populo, neque se intercessorem interponat; cùm tamen id optaret Deus, ut resipiscerent.

18. *Reginæ cœli*] h. e. Lunæ, cui palàm sacris operabantur mulieres propter sexus puritatem. Alius pro *regina cœli* vertit *machina cœlorum.*

21. *Holocaustomata vestra*] Sensus est, Comedite vos holocausta & pacifica, modò incorruptam vivatis vitam. Id enim potissimum semper à vobis habere volui *à tempore quo patres vestros eduxi de Ægypto,* ut scilicet *audirent vocem meam,* & quòd holocausta sine fide & obedientia mihi grata non essent; sed nec holocausta & pacifica præcepi aut exegi ab homine, quin illa arbitrio ejus reliqui, modum sacrificandi tantùm præscripsi, Decalogum autem præcepi, & vitam integrari: vel ait non præcepisse se de holocaustis, nempe si tam malè affecto animo offerantur, cùm non is sit finis institutorum sacrificiorum. Ait autem, ut *addant holocausta victimis suis,* quia holocausta tota (ut nomen sonat) exurebantur, victimæ verò pacificorum redibant ex parte ad offerentes. Dicit ergò, Comedite vos carnes etiam holocaustorum, &c.

29. *Tonde capillum*] Nazaræus autem jubetur nutrire capillum capitis, quem hic Propheta jubet in signum luctûs resecare & abjicere. Apud veteres hæc erat omnium consuetudo lugentium, tondere cæsariem.

31. *Excelsa Topheth*] Tradunt Hebræi ex hoc loco appellatam Geennam, quòd scilicet omnis populus Judæorum ibi periret offendens Deum. Topheth locus erat apud Jerusalem in Geenna, h. e. *in valle Hennom,* satis amœnus, & propterea aras ibi posuerunt ubi idolis immolabant, & ea tanquam deos tantâ insaniâ colebant ut & filios immolarent: nomen habere aiunt à *tympano.* Colebatur autem ibi Moloch, ut ferunt. Erat facies ejus ut vituli, manibus ad recipiendum ab astantibus dispositis, & habuisse aram ejus septem conclavia dicunt; unum aperiebatur similæ offerendæ, secundum turturibus, tertium ovi, quartum arieti, quintum vitulo, sextum bovi. Qui verò volebat offerre filium, huic aperiebatur septimum cubiculum. Porrò puer receptus ab idolo succendebatur, & igne peribat, saltantibus iis qui astabant, & nè pueri ejulatus audiretur tympanizantibus. Idolum hoc Saturnum quidam putarunt & Sidoniorum deum, cui pueros immolabant. Sumptam ferunt hanc falsam religionem à prava imitatione. Quandoquidem fides eximia Abrahæ comprobata est in filii oblatione, hi absque jussu Dei rem similem attentarunt, eo nomine Deo se placituros sperantes. Tandem rex Josias contaminavit locum illum, projiciendo illuc cadavera & alias quascunque potuit immunditias.

D R U S I U S.

1. הַדָּבָר אֲשֶׁר־הָיָה אֶל־יִרְמְיָהוּ מֵאֵת יְהוָה לֵאמֹר. Th. Ῥῆμα ὃ ἐγένετο πρὸς Ἱερεμίαν παρὰ Κυρίου, λέγων, *Verbum quod factum est ad Jeremiam à DOMINO; dicens,*

2. עֲמֹד בְּשַׁעַר בֵּית יְהוָה וְקָרָאתָ שָּׁם אֶת־הַדָּבָר הַזֶּה. Th. Ἵστα ἐπὶ τῆς πύλης τοῦ οἴκου Κυρίου, καὶ ἀνάγνωθι ἐκεῖ τὸ ῥῆμα τοῦτο, *Sta in porta domûs DOMINI, & lege ibi verbum istud.* ¶ וְאָמַרְתָּ. Th. καὶ εἰπὲ, *& dic*] Hæc habentur hodie in Ed. Compl. & versa leguntur in Hieronymo, qui scribit olim addita fuisse de Theodotione ex Ebraico. Verba quibus hoc dicit hæc sunt, *Hoc in Editione Lxx non habetur, sed de Theodotione ex Ebraico additum est.*

3. וַאֲשַׁכְּנָה אֶתְכֶם בַּמָּקוֹם הַזֶּה. Sym. *& confirmabo vos in loco isto*] Hier. *Habitabo, inquit, vobiscum, ut securos de habitatione vos faciam, sive vosipsos, juxta Symmachum, firmâ habitatione fundabo; qui ait,* & confirmabo vos in loco isto.

G R O T I U S.

2. S*Ta in porta domûs Domini*] Illa nempe per quam populus ingrediebatur ad subdiale maximum.

Qui ingredimini per portas has, ut adoretis Dominum] *Ut vos incurvetis Domino.*

3. *Et habitabo vobiscum in loco isto*] In Hebræo: *Et faciam habitare vos in loco isto.* Faciam nè migretis, ut intelligitur in sequentibus.

4. *Nolite confidere in verbis mendacii*] Prophetarum mendacium, quales sunt omnes qui ritualia pro præcipuis habent.

Dicentes] Dicentium.

Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini] In Hebræo additur *sunt.* Ità sæpe nomen singulare construitur cum nomine plurali ob rei partes, quales in Templo erant tres היכל [*Subdiale*], אולם quod & קדש [*Basilica*], & דביר [*Oraculum*]. Sensus hic idem est quem oppugnat Stephanus Actor. VII. & quem bene hîc explicat Chaldæus. Templum hoc Dei imperio structum fuit per Salomonem: ibi ter anno apparetis, procumbitis, offertis victimas: quomodo fieri posset ut Deus locum hunc cultùmque non respiciat, etiamsi cætera malè habeant? Gravis error, & qui vel maximè pseudoprophetas à Prophetis distinguit.

5. *Quoniam si bene direxeritis vias vestras*] Quod mox per tres partes eximias explicat, justitiæ, bonitatis, ac pietatis.

7. *Habitabo vobiscum*] *Habitare vos faciam,* ut suprà 3.

Quam dedi patribus vestris à seculo usque in seculum] Id est, ab Josuæ temporibus ad ea tempora quibus hæc loquebatur Propheta.

8. *Confiditis vobis in sermonibus mendacii*] In illis dictis pseudoprophetarum vobis blandientium.

9. *Furari*] *An furando.* Sic & sequentia infinitiva sunt pro gerundiis, quo Hebræi non habent. Vide ut egregius Propheta peccata reprehendens, nominet non manducationem per ignorantiam cibi vetiti, non parsimoniam in victimis, omissas lotiunculas, sed furta, homicidia, adulteria, perjuria, deos falsos. Certè Prophetæ omnes egregii ad Euangelium duces.

10. *Et venistis*] *Interim venistis:* cohæret enim oratio cum superioribus.

Liberati sumus eo quòd fecerimus omnes abominationes istas] Rectiùs verteris, *quamvis fecerimus.* Liberati sumus per victimas & lotiones. Sic paulatim in Judaïsmum insinuaverat se Paganismus: quò magis necessarium fuit omnia ea per Euangelium aboleri quibus errores tales nutriri poterant.

11. *Numquid ergò spelunca latronum facta est domus ista?*] Id est, Patiámne ego, ut, sicut speluncæ latronibus sunt pro perfugio, ità Templum meum vos contra omnia scelera defendat? Certè non faciam.

Ego sum, ego vidi] Nihil est quod mihi lateat.

12. *Ite, ite ad locum Silo, ubi habitavit nomen meum à principio*] Statim post ingressum terræ promissæ. Egregium argumentum, quo & Stephanus utitur Actor. VII. 45. ut probet Dei benevolentiam loco non adstringi. Nam olim Tabernaculum & Arca erant vice Templi.

Videte

Videte quæ fecerim ei propter malitiam populi mei Israël] Nempe eousque ista, quæ illi putant maxima, contemsi ut ipsam Arcam propter peccata ipsorum siverim capi ab hostibus, Psal. LXXVIII. 60. 61. 1 Samuelis IV.

14. *Faciam domui huic*] Templo, quæ nihil est nisi *domus*.

Sicut feci Silo] Quo loco posthabito, fixi mihi Templum alibi.

15. *Sicut projeci omnes fratres vestros, universum semen Ephraim*] Sic per συνεκδοχὴν [*Comprehensionem*] vocatur Decem tribuum populus, quòd Reges habuerit ex Ephraimi stirpe.

16. *Tu ergò noli orare pro populo hoc*] Pro populo scilicet in suis peccatis contumaciter permanente.

Et non obsistas mihi] Loquendi genus quo precum efficacia significatur, Exod. XXXII. 10. Psalmo CVI. 30. Numeror. XVI. 47.

18. *Filii colligunt ligna*] Nulla ætas nullus sexus ab idolorum cultu vacat.

Et mulieres conspergunt adipem] *Conspergunt massam*, Chaldæus; τρίβουσι σαῖς, id est, *farinam aquâ macerant ac depsunt*.

Ut faciant placentas] Πόπανα, ut Chrysostomus interpretatur; πέμματα [*cupedias*], ut Olympiodorus. LXX Hebræam vocem retinuêre χαυῶνας. Est vox ea apud Etymologicum & Suidam. Salomon Jarchi addit, quod verum puto, in illis libis fuisse deorum icunculas.

Regina cœli] Lunæ, quæ בעלת [*Domina*] dicebatur illis gentibus, Βῆλτις apud Abydenum loco quem produximus Annotatis ad librum III. de Veritate Religionis Christianæ. Est idem nomen scriptum Βααλτὶς apud Philonem Byblium.

Et libent diis alienis] Vinum scilicet, quod יין הגוים [*vinum Gentium*] Hebræis, σπονδαὶ [*libamen*] Græcis.

19. *Numquid me ad iracundiam provocant?*] Id est, An sperant se mihi nocituros? omnia ista in ipsos recident.

20. *Super viros, & super jumenta, & super lignum regionis*] Est μετωνυμία [*transnominatio*], causa pro effecto. Sensus est: omnia ista consumi volo.

21. *Holocautomata vestra*] Quæ solida urebantur, Levitici I.

Addite victimis vestris] Sive illæ pro beneficiis impetrandis, sive pro gratiis laudibúsve agendis, sive pro crimine culpáve expianda offeruntur. Vide quæ ad Leviticum diximus.

22. *Non locutus sum cum patribus vestris, & non præcepi eis in die quâ eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocautomatum & victimarum*] Nota *in die*, id est, in tempore, cùm primùm vos ex Ægypto eduxi. Si tanta vobis bona feci priusquam legem ullam tulissem de holocaustis illis vel victimis, vel ex hoc solo intelligere poteratis non ista à me curari. Mos quidem erat vetustus ut talia fierent, sed ab humano ingenio profectus, ut ostendimus sensisse veteres in Annotatis ad librum IV. pro Religione Christiana. Multò pòst Lex lata est, cùm cultus vituli ostendit illos talibus frænis egere. Paschatis alia est ratio: id enim convivium magis erat quàm sacrificium.

23. *Sed hoc verbum præcepi eis dicens, Audite vocem meam, & ero vobis Deus, & vos eritis mihi populus: & ambulate in omni via quam mandavi vobis, ut bene sit vobis*] Ea tantùm præcepi exeuntibus quæ per se honesta sunt. Res eadem verbis aliis est Exodi XV. 26. ubi quæ notavimus vide.

24. *Factique sunt retrorsum, & non in antè*] Id est, à primo tempore longiùs semper à me recesserunt: nempe si non singula momenta temporum, sed tota secula spectentur. Vide Nehem. IX.

25. *Per diem consurgens diluculo*] Id est, summa cum diligentia, ut qui bene manè ad opus surgunt. Sic & suprà 13.

26. *Pejus operati sunt quàm patres eorum*] Ut infrà XVI. v. 12.

> *Ætas parentum pejor avis tulit*
> *Nos nequiores*,

ait Horatius.

29. *Tonde capillum tuum & projice*] Hieronymus ad hunc locum: *Apud veteres hæc erat omnium consuetudo lugentium tondere cæsariem. At nunc è contrario comam dimittere luctûs indicium est.* Vide Jobi I. 20. Chaldæus maluit, *evellere capillos*. Sic in Hippolyto Senecæ:

> *Crinis tractus & laceræ comæ.*

Et sume in directum planctum] In Hebræo, *Attolle lamenta in locis eminentibus*: id est, unde longè audiaris, ut suprà III. 16.

30 *Posuerunt offendicula sua in domo*] LXX βδελύγματα, & Chaldæus *abominationes*: id est, idola. Alii ex Græcis verterunt προσόχθισμα [*offendiculum*], ut Deuter. VII. 26. II Reg. XXIII. 13. 24. Ezech. V. 11. VII. 20. XXXVII. 23. & indè hoc Latinum.

31. *Ut incenderent filios suos & filias suas igne*] Vide quæ ad sensum hujus & aliorum locorum attulimus ad Deuteronom. XVIII. 10.

32. *Sed vallis interfectionis*] Id est, ut Græci rectè interpretantur, τῶν ἀνῃρημένων [*interfectorum*], ab ingenti multitudine Judæorum, quos à se occisos Chaldæi in eum locum projicient.

Et sepelient in Topheth, eo quòd non sit locus] Meliùs vertas: *ita ut non sit locus*, nempe vacuus à mortuis.

33. *Et erit Morticinum*] Id est, *& erunt cadavera*.

Volucribus cœli & bestiis terræ] Lactantius dixit: *Feris ac volucribus in prædam jacere*. Vide quæ diximus libro II. de Jure Belli ac Pacis, cap. XX. § 2. & in Annotatis ad eum locum.

Et non erit qui abigat] Præ hostium metu. Vide Antigonen Sophoclis.

34. *Et quiescere faciam de urbibus Juda & de plateis Jerusalem vocem gaudii & vocem lætitiæ*] Simile Ezechielis XXVI. 13.

Vocem sponsi & vocem sponsæ] Carmina quæ sponsus juvenibus, sponsa virginibus præcinebant. Sic & infrà XVI. 9.

CAP. VIII.

MUNSTERUS.

1. *Efferent ossa*] Fuit in devastatione Jerusalem etiam in mortuos sævitum, præsertim in pessimos Reges & Sacerdotes, qui idolorum fœdam culturam sustinuerunt & instituerunt. Quæ res tantum terrorem & mœrorem incussit viventibus ut magis mori quàm vivere deliberaverint, videntes gravissimam Dei ultionem tandem post tot Prophetarum monitiones tam horribiliter in se effusam.

6. *Ego auscultavi*] Hæc sunt verba Prophetæ, qui diligenter advertit si quidam commoverentur minis Divinis; sed neminem reperit qui resipisceret & à cursu viæ suæ perversæ pedem retraheret. Non, inquit, equus est tam fervens in prælio, quin illi ferventiores fuerint in sceleribus suis.

8. *In vanum adaptavit stylum*] Sensus est, Dicitis vos habere Legem, & nemo ex vobis facit Legem: frustrà igitur scriptor laborem insumpsit cùm Legem scriberet, cùm à vobis non observetur.

13. *Quæ dedi eis migrabunt ab eis*] h. e. Nedum amittent fructus qui adhuc hærent in arboribus, verùm & quos jam condiderunt auferent hostes eorum.

15. *Si exspectemus*] Heb. *Exspectando pacem non est bonum; & tempus medelæ, & ecce turbatio.*

17. *Mitto in vos serpentes*] Hunc locum Chald. sic exponit, *Ecce ego mitto vobis populos qui interficiunt sicut serpentes basilisci*, &c.

18. *Roborari cupiebam*] Est hîc מבליגיתי participium Hiphil, compositum ex מבליג masc. & מבליגה feminino. Alii putant esse nomen verbale juxta formam מרבית, significátque idem quod להתחזק *fortificare se*. Alii interpretantur *rictum per fletum diducere*, alii, *consolationem accipere*.

19. *Si Dominus non est in Zion*] i. Si Dominus est in Zion, quare permittit hostem grassari contra eam?

22. *Recuperata sanitas*] Heb. *Quare non ascendit reparatio* (vel *prolongatio*) *filiæ populi mei?* Accipitur autem ארכה pro רפואה, sicut vertimus.

VATABLUS.

1. *Educent* ויוציאו] *Efferent: extrahent.* Solent ferè hostes parcere sepulcris & mortuis: sed aliter vobis fiet, inquit.

2. *Quæ dilexerunt*, &c. 'אשר אהבום ואשר וגו] *Eò quòd dilexerint ista, & coluerint ea, atque ambulaverint post ea*, &c.] ¶ *Quæsierunt* דרשום] *Consuluerunt: requisierunt.*

3. *De familia* [מן] המשפחה] *De cognatione: generatione.* ¶ *Quod reliquum*, &c. 'בכל המקמות וגו] Ordo inversus Heb. *in omnibus locis quod superetit ad quæ pepulerim eos*: vel *expulero*. Aut per expositionem accipiendum est, *in omnibus locis relictis*, i. quæ relicta fuerint intacta ab hostibus. Alii vertunt, *in quibuscunque tandem locis in quæ eos impulero, reliqui fuerint*: vel, *in omnibus locis ubicunque relictos illos impulero*.

4. *Num.*

4. *Numquid avertetur*, &c. [אם ישוב ולא ישוב] i. *An avertetur* homo à Deo, *& non revertetur* ad Dominum? Alii, *an revertetur* homo ad Deum, *& non revertetur* ab ira sua Deus? i. non placabitur? שוב enim interdum sig. *averti*, aliquando *reverti*: aliquando in bonam, aliquando in malam partem accipitur: q. d. *Putántne homines sibi veniam praeclusam si peccaverint? Falluntur: nam sum misericors.*

5. *Forti* [נצחת] i. Perpetuâ & pertinaci.

6. *Et audivi* [ואשמע] Sub. *illos loquentes.* ¶ *Loquuntur* [ידברו] Fut. Heb. pro praes. ¶ *Omnis conversus est* [כלה שב] Sing. Heb. pro plur. *omnes convertuntur in cursum suum*, i. ad priorem vitam. ¶ *In cursum suum* [במרוצתם] Duplex est lectio: nam legitur במרוצותם cum ו in penultima, signo pluralis numeri, *in cursus suos*; & במרצתם sine ו, *in cursum suum.*

7. *In caelo* [בשמים] i. In aere. Novit ciconia quibus temporibus debeat redire ad nos, & abire.

8. *Sapientes*, &c. [חכמים] q. d. Si Lex Jehovae penès vos est, quid proderit si non adimpleveritis eam? & posteaquam vos non adimpletis Legem, perinde est acsi scripta non esset.

9. *Et sapientia*, &c. [וחכמת מה להם] *Et sapientia quid* proderit *eis?* Alii, *& sapientia quid est eis?*

10. *Heredibus* [לירשים] *Possessoribus*, sub. *novis*, i. iis qui usurpabunt eos in captivitate acsi essent veri possessores, nempe Chaldaeis, qui eos jure hereditario possessuri sunt. ¶ *Quia à parvo*, &c. [כי מקטן וגו'] Haec eadem usque ad v. 13. leguntur suprà 6. 13.

11. *Levi* [על נקלה] i. Vano sermone, verbis inanibus. Chald. *verbis mendaciorum suorum.*

13. *Consumendo consumam eos* [אסף אסיפם] *Delendo delebo eos*: vel, *Perdendo perdam eos.* ¶ *Defluxit* [נבל] *Decidet.* ¶ *Et quae dedi*, &c. [ואתן להם יעברום] *Et quae dabo eis, praeteribunt eos*, i. privabuntur eis.

14. *Ut quid manemus?* [על מה אנחנו ישבים] *Ut quid immoramur* hic? vel *desidemus?* q. d. *Non habitamus in locis munitis.* Alii, *Ubinam habitamus?* Alii, *Super quid desidemus* hîc? Gallicè dicimus, *Sur quoy nous reposons nous?* ¶ *Et silebimus illic* [ונדמה שם] q. d. *Non est nostrum* (inquit doctus inter Hebraeos) *murmurare aut tumultuari quare venerit super nos tribulatio: quia Jehovah Deus noster silere fecit nos: nam peccavimus in eum: quomodo ergò obfirmabimus vultum nostrum coram illo?* Quidam vertunt, *& quiescemus*, i. erimus in magna tranquillitate. Alii, *& sedebimus illic*, nempe silentes ac lugentes. ¶ *Tacere nos facit* [הדמנו] *Compescuit nos.* Alii, *perdidit nos*, vel *excidit.* ¶ *Fellis* [ראש] *Veneni: toxici*: i. venenata.

15. *Exspectabimus* [קוה] Infinit. Heb. pro futuro: q. d. *Si exspectemus pacem ab initio, non erit bonum.* ¶ *Medela* [מרפה] *Sanationis: curationis*: sub. *Si exspectemus tempus*, &c.

16. *Fremitus* [נחרת] Sternutatio.

17. *Mitto* [משלח] Praes. Heb. pro fut. *missurus sum.* ¶ *Quibus non*, &c. [אשר אין להם לחש] i. Contra quos nihil efficit incantatio.

18. In *fortificatione*, &c. [מבליגיתי וגו'] Hebraismus, Latinè dixeris, *Dum conor dolorem animi depellere à me, deficit mihi animus.* Alii, *Roborari* cupiebam *contra maerorem*, sed *in me cor meum maeret.* Alii, *Risum flendo deduxi propter maerorem, cor meum dolore affectum est in me.*

19. *Quare*, &c. [מדוע וגו'] Responsio est Dei: q. d. *Si habeo in Sion Templum, quare ergò in deserto coeperunt colere idola?* ¶ *Et vanitatibus* Dei *alieni* [בהבלי נכר] Et *vanitatibus populi alienigenae?* Chald. *in cultu idolorum.*

20. *Praeteriit messis* [עבר קציר] Populus loquitur, acsi dicat, *Exspectabimus auxilium ab AEgyptiis, sed non venit: diximus, Transibit messis: tunc erunt otiosi, & venient. Et ecce transiit messis in Martio, & tempus aestatis in Septembri, & non venerunt.* Ità quidam Hebraeorum: q. d. *Fraudati sumus ope AEgyptiorum quam exspectabamus.*

21. *Contritus sum* [השברתי] *Confractus sum.* ¶ *Obtenebratus sum* [קדרתי] *Obscuratus sum: denigratus*, i. contristatus sum. Verba sunt Prophetae miserantis conditionem popularium suorum.

22. *Annon est theriaca* [הצרי] *Annon est balsamum.* Alii, *opobalsamum.* Alii, *resina.* ¶ *Sed cur*, &c. [כי מדוע וגו'] Ad verb. *Quoniam quare non ascendit medela*, &c. i. cur ergò non est obducta cicatrix populi mei? Alii, *quare ergò non est recuperata sanitas*, &c. Alii, *cur igitur non est curata sanitas*, &c.

CASTALIO.

13. *Usque peritura dedero*] Quae dedero peribunt.

16. *Usque à Dane audiuntur ejus equorum ronchi*] *Ejus*, sc. Assyrii.

19. *Cur peregrinis irritavere vanitatibus?*] Vanis diis.

CLARIUS.

1. *Ejiciem ossa regis Juda*] Fuit in devastatione Jerusalem etiam in mortuos saevitum, praesertim in pessimos Reges & Sacerdotes, qui idolorum culturam sustinuerunt & instituerunt. Quae res tantum errorem & moerorem incussit viventibus, ut magis mori quàm vivere deliberaverint, videntes gravissimam Dei ultionem tandem post tot prophetarum monita tam horribiliter in se effusam. Putatur hanc ossium ejectionem factam ob spem praedae, quia scilicet juxta antiquum morem aurum & quaedam ornamenta in sepulcris condere solebant.

4. *Numquid qui cadit non resurget*] h.e. Hi ceciderunt & surgere nolunt. Vel, omnes qui cadunt resurgere cupiunt: at hic populus cùm ceciderit non quaerit resurgere.

6. *Attendi, & auscultavi*] Haec sunt verba Prophetae, qui diligenter advertit si quidam commoverentur minis Divinis, sed neminem reperit qui resipiscere & à cursu viae suae perversae pedem retraheret. Non (inquit) equus est tam fervens in praelio, quin illi ferventiores fuerint in sceleribus suis.

7. *Milvus in caelo*] Alius pro his avibus transtulit *Ciconiam, Gruem, Turdum, Hirundinem*, quod Ciconiae aestatis, Grues hyemis advenae, sint inter majores aves; inter minores turdi hyemis, hirundines aestatis nunciae. Sed variè interpretatio fit: magna enim in rerum vocabulis etiam apud Hebraeos obscuritas est.

8. *Stilus mendax scribarum*] Quia nihil aliud quàm Legem scribebant, eam factis non servantes. Cur ergò (inquit) gloriamini vos habere Legem, cùm nemo ex vobis faciat legem?

11. *Et sanabant*] h. e. Promittebant sanitatem, & corripuit eos morbus.

13. *Et dedi eis qui transierunt per illa*] Nempe hostibus. Alius vertit, *Et quae dedi eis, migrabunt ab eis*, ut sit sensus, Non solùm amittent fructus qui adhuc haerent in arboribus, verùm & quos jam condiderunt auferent hostes eorum.

14. *Aquam fellis*] Ferunt letiferum venenum esse quod ex herba quadam exprimatur, eóque succum illum *aquam* nominat.

17. *Serpentes regulos*] Hunc locum Jonathas Chaldaeus sic exponit, *Ecce ego emitto vobis populos qui interficiunt sicut serpentes reguli, & illud quibus non est incantatio*, h. e. qui non capientur incantationibus.

18. *Dolor meus*] Hebraismus habet, *Corroboratio mea super dolorem.* Quare potest etiam verti, *Roborari cupiebam contra maerorem, sed cor meum in me dolore affectum est.*

20. *Transiit messis*] h. e. Praeteriit nobis omnis spes, tanquam aestate exactâ & colligendorum fructuum tempore.

22. *In Galaad*] Ferunt in Galaad quercus & pinus esse unde resina colligitur. Vel intelligitur theriaca aut aliud praesens pharmacum contra desperatos morbos.

DRUSIUS.

6. כֻּלֹּה שָׁב בִּמְרוּצָתָם כְּסוּס שׁוֹטֵף בַּמִּלְחָמָה. Syrus, πάντες τῇ γνώμῃ αὐτῶν πορεύονται, ὡς ἵππος ὁρμῶν εἰς πόλεμον, *omnes sensu suo ibant, ut equus ruens in praelium.* Ex Theod.

7. חֲסִידָה. A. *Herodiona.* Sym. *milvum.* Th. ἡ ἀσιδὰ] Hier. *Pro milvo, quem interpretatus est Symmachus, Lxx & Theodotio ipsum verbum Ebraicum posuere ἀσιδὰ, Aquila Herodiona.* Victor Antiochenus, ἣν Ἀκύλας ἐρωδιὸν ἐξέδωκεν, i. *herodium.* Olympiodorus, Ἰνδικὸν δέ ἐστι γένος ἀσιδὰ. Idem Job. 39. 13. Ἀσιδὰ ὁ ἐρωδιός ἐστι κατὰ Ἀκύλαν, ἢ πελαργὸς, ὥς τινες ἔφασαν, οὐ καλῶς νοήσαντες. Zach. 5. A. Sym. Th. *herodium.* Suidas *herodium* Ciconiam esse putat, aut Ciconiae similem. ¶ *Milvum.* ἰκτῖνον. Psal. 104. 17. חסידה. Hier. *milvum.* Edit. Vulg. *herodium.* Arnobius, *fulicam.* Glossae veteres, *Hasidia, milvus, vel herodius.* Rursum Psal. 104 Sym. & 6. editio, ἰκτῖνον. In libro Interpretationum, *Asida, milvi, vel herodii.* Sed idem Sym. Job. 39. 13. חסידה, κύκνος, i. *cygnus.* ¶ Ἀσιδὰ. Aspirandum est, ut sit ἁσιδὰ. Sic *Hasidaei* scribendum, non *Asidaei.* Quanquam in cod. Graecis Ἀσιδαῖοι. ¶ סִיס. Sym. *cicada*, Scriptum סוס, & lectum סיס. Hier. *Rursum pro hirundine Sym. cicadam transtulit*;

stulit, quæ Ebraicè dicitur סִיס. Aliàs סוס. Nam Jes. 38. 14. סוס etiam in Ebræo textu. Jonathan ibi reddit כרוכיא, quæ vox *gruem* denotat, si non fallit nos Rabbenu Salomo. Sunt etiam qui סוס *gruem* interpretentur. Sed melius ut sit *hirundo*; i. χελιδών· unde & ἶσις dicta, quam in Hirundinem versam fabulantur. ¶ עגור. A. & Sym. ἀγοὺρ *Agor*] Hier. *Pro eo quod nos posuimus* ciconiam, *& Aquila & Symmachus ità ut in Ebræo scriptum est*, Agor *transtulerunt*, *Lxx* agri passeres ἀγροῦ στρουθία *interpretati sunt.* Nunc *Agur*, quod alii *picam*, alii *hirundinem* interpretantur. Sym. Jes. 38. *inclusam.* Hier. *hirundinem.* Arabs כמאף. R. D. exponit סנוניתא, quæ est avis parva Aquilæ terrorem incutiens. Fortè σίττη *sitta* Aristotelis, quæ minima est in genere Picarum, & Aquilæ ova frangit. Apud Nigidium, teste Plinio, *Subis* vocatur.

17. צִפְעֹנִים. A. *regulos:* i. βασιλίσκους. Hier. *Serpentes eos appellans pessimos sive mortiferos, &, ut Aquila transtulit,* regulos, *qui Ebraicè appellantur* SIPHONIM: *pro quo quid sibi voluerit secunda ejus editio, ut* speculatores *diceret, non intelligo, nisi fortè ob verbi similitudinem.* Prov. 23. 32. צפעני, Lxx, κεράστης. Hier. *regulus.* Sic etiam Santes. Jes. 11. 8. מאורת צפעוני, Lxx, κοίτη ἐκγόνων ἀσπίδων. Hier. caverna reguli. Jes. 59. 5. ביצי צפעוני, Lxx, ὠὰ ἀσπίδων. Hier. *ova aspidum.* Porrò *speculatores*, i. צפים, σκοποί

GROTIUS.

1. IN *illo tempore, ait Dominus, ejicient ossa Regum Juda*] Ut captis urbibus solet fieri. Horatius:

> *Barbarus, heu! cineres insistet victor, & urbem*
> *Eques sonante personabit ungulâ,*
> *Quæque carent ventis & solibus ossa Quirini*
> *(Nefas videre) dissipabit insolens.*

2. *Et omnem militiam cœli*] Ut astrum Saturni, Veneris, Jovis, Martis, & cætera.

Non colligentur] Id est, eorum qui tum morientur corpora non deferentur ad monumenta majorum: id enim est אסף [*colligere*].

Et non sepelientur] Imò nè commune quidem omnibus, quale pauperibus dari solebat, sepulchrum continget. Tale illud Lucani:

> ——— *petimus non singula busta,*
> *Discretósque rogos: unum da gentibus ignem.*

Horatius I Satyrar. VIII.

> *Hoc miseræ plebi stabat commune sepulchrum,*
> *Pantolabo scurræ, Nomentanóque nepoti.*
> *Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum*
> *Hic dabat, heredes monumentum nè sequeretur.*

Vide & quæ ad Matth. XXVII. 7.

5. *Aversione contentiosâ*] *Pertinaci.*

6. *Nemo quod bonum est loquitur*] Ὑπερβολὴ [*superjectio*], qualis in Psalm. XIV. 3. & alibi.

Omnes conversi sunt ad cursum suum] Effuso impetu feruntur.

7. *Milvus*] Alii, ut Chaldæus, hîc ponunt *ciconia.* Vide quæ diximus ad Jobum XXXIX. 13.

Et ciconia] *Hirundo* apud Chaldæum, ut & apud nostrum Esaiæ XXXVIII. 14.

8. *Verè mendacium operatus est stilus mendax Scribarum*] Vertas, ni fallor, optimè: *profectò stilus mendacia scribit, falsimonia penes scribas. Falsitas* Hebræis sæpe id quod iniquum est. Quomodo Doctores vestri dicunt Legem se tenere, cùm quotidie decreta scribant contra Legem? ut Esaiæ X.

9. *Confusi sunt sapientes*] Id est, ideo punientur.

11. *Ad ignominiam*] *Velut rem levem.* Vide suprà VI. 14.

12. *Quinimo confusione non sunt confusi*] Ἐπανόρθωσις [*Correctio*] eadem quæ suprà VI. 15.

13. *Congregans congregabo eos*] Rectiùs vertas, *Omnino perdam eos:* quomodo hîc Chaldæus. Lxx אסף per ἀπόλλυμι [*perdo*] vertunt Ezech. XXIV. 4. alibi per αἴρω aut ἀφαιρέω [*tollo*].

Non est uva in vitibus] Deest comparationis nota. plenus enim sensus est: *sicut cùm non est uva in vitibus*, ubi omnes uvæ dejectæ sunt aliquâ tempestate.

Et non sunt ficus in ficulnea] Id est, in ficu arbore.

Folium defluxit] Aut sicut folia ab arboribus dejiciuntur vi venti.

Et dedi eis quæ prætergressa sunt] *Quia dedi eis (Legem* scilicet, quod hîc supplet Chaldæus) *& (eam) transgrediuntur.*

14. *Quare sedemus*] Describit jam consilia eorum qui in oppidis infirmioribus futuri erunt adventante hoste. ii putabunt se salutem habituros Hierosolymis, abiturámque hanc procellam, ut olim Sennacheribi tempore.

Ingrediamur civitatem munitam] Hierosolyma.

Et sileamus ibi] Quietos nos contineamus.

Quia Dominus Deus noster silere nos fecit] Noluit nobis victoriam dare de hostibus.

Et potum nobis dedit aquam fellis] Voluit nos hanc ignominiam subire, ut mœnibus hostem arceamus. Ità loquuntur, quòd nihil pejus instare crederent.

Peccavimus enim Domino] Hoc sæpe dicunt etiam qui animum non repurgant. Vide I Reg. XXI. 29.

15. *Exspectavimus pacem*] In Hebræo, *Exspecta pacem.* Respondet enim Propheta illis quos modò loquentes induxerat. Exspecta sanè quantumlibet meliora tempora.

Et non erat bonum] Id Hebræo, *& non bonum:* id est, at verò nihil erit boni.

Tempus medelæ] Exspecta donec abeant Chaldæi.

Et ecce formido] Tunc maximè venient mala, cùm intra Urbem eritis.

16. *A Dan auditus est fremitus equorum ejus*] Quia Phœnice subactâ, indè per Danitarum terminos adventabat Nabuchodonosor. Ita hîc Hieronymus. Confer quæ adduximus ad librum III. de Veritate Religionis Christianæ.

Commota est omnis terra] Intremuit.

Devoraverunt terram & plenitudinem ejus] Omnes arborum segetúmque fruges: opes omnes abripient.

17. *Quibus non est incantatio*] Per Metaphoram intelliguntur homines duri, nullis precibus mitigabiles.

Et mordebunt vos] Gravissimis malis vos afficient.

18. *Dolor meus super dolorem, in me cor meum mœrens*] In Hebræo; *In consolatione mea super dolorem, cor meum in me languet.* Id est, dum memet spe inani consolor, nec quicquam succedit, linquor animo. Hæc sunt verba eorum qui obsidionem erant perpessuri, ut indicant sequentia.

19. *Ecce vox clamoris filiæ populi mei*] Nempe is quem dixi erit eorum clamor.

De terra longinqua] Synecdoche: propter illos è longinquo venientes, Chaldæos.

Numquid Dominus non est in Sion, aut Rex ejus non est in ea?] Hoc etiam addent, An Deus, Rex noster, hanc urbem non ultrà respicit?

Quare ergò me ad iracundiam concitaverunt?] Respondet illis Deus: Si Deus sum & Rex vester, cur idola mihi prætulistis?

20. *Transiit messis, finita est æstas, & nos salvati non sumus*] Populus iterum loquitur: Ecce jam tanto tempore toleramus obsidium, neque spes ulla apparet.

21. *Super contritione filiæ populi mei contritus sum*] Loquitur Propheta indolens popularium malis.

22. *Numquid resina non est in Galaad?*] Ità צרי [*resinam*] & hoc loco & Gen. XXXVII. 25. ubi itidem *Galaaditidos terræ* mentio, verterunt LXX. Nec aliter Genes. XLIII. 11. Arabibus ضرو est *terebinthus.* Plinius lib. XIV. c. 20. de resina: *In Oriente optimam tenuissimámque terebinthi fundunt.* Iterum de resina agens lib. XXIV. 6. *Liquida è terebintho:* deinde, *In arborum differentia placet terebinthina.* Usus autem quis sit resinæ, de quo hîc agitur, eodem Plinii loco satis discimus: *Resolvitur resina ad vulnerum usus & malagmata oleo, in potiones amygdalis amaris. Natura in medendo contrahere vulnera, purgare, discutere collectiones.* In Galaaditide, ubi multa erat resina, multi etiam erant medici, id est, chirurgi. Itaque si qui vulnerati erant, nec curabantur, ipsorum erat culpa, Medicis præbere se nolentium. Sic Israëlitis nunquam defuerant monita & Prophetæ, qualis & Elias Galaadites I Reg. XVII. 1. & schola ipsius; sed quo minùs sanarentur, per ipsos stetit.

CAP. IX.

MUNSTERUS.

SUprà Jeremias confutavit præsidium quod posuerant in sapientia; nunc subdit pœnam non audientium verbum Domini, & confutat fiduciam quam locaverant ad societates & fœdera cum hominibus. Deplorat antè sortem suam & frustrari suas optationes. Tanta, inquit, mala impendent ut non sufficiant lacrymæ ad deplorandum. Optat se fieri solitarium in

in eremo, nè intersit consortio *adulterorum & cœtui crimino sorum*. Non tamen sequitur hunc affectum, sed fert mores malorum, & facit officium boni viri ob emendationem. Non quærit se & quæ sua sed populi sui bonum.

1, 2. *Interfectos*] Sunt חללים propriè *profani*, & *qui tangi sine contagione non possunt*, ut sunt corpora mortuorum, quæ cùm tetigerit Judæus fit immundus usque ad vesperam. Porrò עצרת est *conciliabulum malorum hominum*, qui scelere aliquo simul retinentur. Significat enim verbum עצר *continere* & *retinere*.

3. *Prævalent in terra*] h. e. Opprimunt pauperes & debiles tyrannide suâ, ut non sit veritas, judicium & justitia in terra. Sed nec frater fratri fidem servat; aut amicus amico, sed omnia sursum & deorsum feruntur: tantáque est in hominibus perversitas ut seipsos fatigent quomodo alter alterum circumveniat.

7. *Conflabo eos*] Igne, inquit, exuram eos, atque universam terram eorum devastabo, ut tandem sciam qui in tanto populo sint mei.

8. *Sagitta acuta*] Hebræi exponunt חץ נכשך *sagittam evulsam*, *& quæ coti adhibetur ut acuatur*.

12. *Ille qui est vir sapiens*] i. Sapiens facilè agnoscet causam tantæ depopulationis: Propheta autem, *ad quem locutum est os Domini*, prædicit illam antequam veniat.

15. *Ego cibabo hos*] Chald. Interpres simul vertit & dilucidat sententiam istam in hunc modum, *Ecce ego adduco angustiam super populum istum quia tam acerba erit ut absinthium, & potabo eos calice maledictionis quasi veneno serpentum.*

21. *Ascendit mors per fenestras nostras*] i. Subitò & nemine prævidente accidit nobis hæc tribulatio, & urbis nostræ subversio, ut videatur Mors ipsa clanculùm per fenestras irrepsisse. Fuit autem mors ipsa tam sæva ut etiam non pepercerit *pueris & juvenibus in plateis* ludentibus: sed *nec sapientes astutiâ suâ* evadere potuerunt, *nec fortes viribus suis* illam avertere, aut *divites pecuniâ* se redimere ab ea.

24. *Si intelligat*] *Intelligere Deum* est scire, כי הוא אחד קדמון ואין גות והוא בורא הכל וכשגיח על הכל ומנהיג כל העולם וחכמתו ותבונתו הגדולה עליונים ותחתונים. *Cognoscere* autem *Deum* est, ללכת בדרכיו של אלהים לעשות חסד משפט אבת וצדקה. Vera enim fides non est sine operibus pietatis & charitatis.

25. *Qui circumcisum habet præputium*] Kimhi hunc locum sic distinguit ut præpositio על referatur tam ad כל quàm ad בערלה, ut sit sensus, *Visitabo omnem qui est circumcisus*, qualis est Israel, *& omnem qui adhuc est in præputio*, ut sunt Gentes. R. S. verò refert בערלה & ad Judæos, qui præputium habebant cordis, & ad Gentiles, qui præputium habebant carnis. Et nota quòd מול hîc est Pual in quarto verborum ordine, etiamsi raro hoc inveniatur participium in illo ordine.

VATABLUS.

1. QUis ponat, &c. [מי יתן וגו'] Quoniam Hebræi optativo carent, circumlocutione utuntur, *Quis det*, *quis ponat*, &c. i. Utinam totum caput meum aqua fit, fluántque per viam oculi mei fletu: & sic erit oculus meus fons lacrymarum qui non deficiet. Alii, Utinam caput, i. cerebrum meum in aquam convertatur, & oculus meus vertatur in fontem jugiter emittentem lacrymas. ¶ *Ut defleam* [ואבכה] Ad verb. *& deflebo*. Sic mox,

2. *Quis det mihi*, &c. [מי יתנני במדבר מלון ארחים] *Quis ponat me in deserto in diversorio viatorum*, &c. i. Utinam essem in deserto, in hospitio quò divertere solent viatores. Desiderat Propheta habitare in deserti diversorio, nè ultrà videat Israelem; quòd non possit ultrà videre malitiam eorum.

3. *Et jaculari fecerunt*, &c. [וידרכו את לשונם וגו'] i. *Efficiunt ut lingua ipsorum, tanquam arcus, jaculetur mendacium*; non sagittas. Aut, *linguâ suâ*, *quâ utuntur vice arcûs*, *jaculantur mendacium*; h. e. falsa loquuntur. ¶ *Neque in veritate roboraverunt* [ולא לאמונה גברו] *Et non propter veritatem potentes sunt*: i. non propter fidelitatem & probitatem dignitates obtinuerunt. ¶ *Egressi sunt* [יצאו] *Egrediuntur*. Hebraismus, pro, *multa flagitia admittunt*.

4. *Ab amico suo cavete*. [מרעהו השמרו] *A proximo suo* [vel *socio*] *se custodiat*, vel *caveat sibi*. ¶ *Fraudulenter incedet* [רכיל יהלך] Vox רכיל propriè *mercatorem* & *negotiatorem* significat. Accipitur autem pro *fraudulento* & *impostore*, quòd ferè negotiatores dolis & fraude, etiam proximi jacturâ negotium suum agant. Propterea hic versum est *fraudulenter*, sive, *in fraude*. Alii vertunt, *in detractione ambulabit*, sive *ambulat*: ut sit fut. Heb. pro præs. Alii, *supplantat*; vel *delator est*; *defert*, *detrahit*. Jungitur autem verbo *ambulandi* (ut annotant docti inter Hebræos) in S. literis, quòd detractor ad aliorum domos vadat, ut quæ ibi audierit, suis postea narret, detrahendi causâ.

5. *Amicum suum circumveniunt* [ברעהו יהתלו] *Socium* [vel *proximum*] *suum circumveniunt*. Fut. Heb. pro præs. *circumvenire solent*. ¶ *Prave agendo laborant* [העוה נלאו] *Ad prave agendum defatigantur*: vel, *prave agendo laborant ad lassitudinem usque*.

6. *In medio doli* [בתוך מרמה] i. Virorum dolosorum: q. d. *inter homines fraudulentos ac dolosos*. ¶ *Præ dolo* [במרמה] *Præ fraude*, i. amore fraudis.

7. *Excoquam eos* [צורפם] Præs. Heb. pro fut. Alii, *examinabo eos igne instar argenti scilicet & auri*. ¶ *Quomodo enim faciam* [כי איך אעשה] Ut scilicet me contineam nè eos excoquam, cùm sint populus meus? *filia* pro *congregatione*.

8. *Extensa* [שחוט] *Tracta*, sub. *super cotem*, *ut exacuetur*: i. exacuta & tersa, & proinde incidens. In hac significatione scribitur (nam duplex est lectio שחוט) per ו post ח. Legitur & שחט per ו post ט, & significat *occidens*, *interficiens*, sive *perimens*.

10. *Super montes assumam* [על ההרים אשא] *Propter montes elevabo*: i. propter desolationem montium flebo magnâ voce, & lamentabor. ¶ *Habitacula* [נאות] *Pascua*. Alii, *loca amœna*. ¶ *Incensa sunt* [נצתו] *Desolata sunt*.

11. *In acervos* [לגלים] Sub. *lapidum*.

12. *Et intelliget hoc?* [ויבן את זאת] *Qui intelligat istud?* vel, *ut consideret?* Sic mox, *ut renuntiet*. ¶ *Propter quod* [על מה אבדה] Potest esse alia interrogatio quæ præcedentibus non jungatur, sed versui sequenti, in quo Dominus illi respondet, hoc modo, *Quare periit terra*, &c. *Eò quòd dereliquerunt*, &c.

14. *Duritiem* [שרירות] *Contumaciam*. Alii, *cogitationem*, vel *phantasiam*. ¶ *Quos docuerunt* [אשר לימדום] *Quemadmodum docuerunt eos*: אשר pro כאשר. Chald. *quæ docuerunt eos*: vel *in quibus assuefecerunt eos*.

15. *Fellis* [ראש] *Venenatam*. Vide cap. 8. 14.

17. *Contemplamini* [התבוננו] *Considerate diligenter*. ¶ *Sapientes* [החכמות] *Peritas*, in negotio scilicet planctûs & lamentationis.

18. *Et deducant oculi nostri lacrymas* [ותרדנה עינינו דמעה] *Et defluant oculi nostri* per *lacrymas*. Ad verb. *descendant*: i. oculi nostri præ multo fletu fluant, & descendant in lacrymam, vel in lacryma; h. e. cum lacrymis. Chald. *& emittant oculi nostri lacrymas*. ¶ *Defluant aquis* [יזלו מים] *Defluant* versæ in *aquam*.

19. *Projecerunt* nos [השליכו] *Projecerunt* inimici nostri in terram *habitacula nostra*.

20. *Propterea audite* [כי שמענה] *Sed audite*. ¶ *Amicam suam* [רעותה] *Sodalem suam*.

22. *Cadet morticinum* [ונפלה נבלת] Sing. pro plur. & ו redundat; *Cadent cadavera*.

23. *Jactet sese* [יתהלל] *Laudet sese*; aut *glorietur*.

24. *Volo* [חפצתי] Præt. Heb. pro præs. *Diligo*; *amo admodum*. Alii, *in eis complacitum est mihi*.

26. *Habitantes in extremo angulo* [קצוצי פאה] Ad verb. *angulatos anguli*; vel *extremificatos angulo*, i. redactos & detrusos in angulum orbis terræ, sive qui siti sunt in extremitate orbis. Seipsum declarat cùm mox dicit *qui habitant in deserto*. ¶ Sunt *præputiata* [ערלים] Sunt *incircumcisæ*, carne scilicet; sic mox: i. contumaces & immorigeræ, peccatores & rebelles Deo: ut per contemptum circumcisionis, totius religionis contemptus intelligatur.

CASTALIO.

25. IN *omnes qui circumciso sunt præputio*] Quas hîc gentes commemorat, hæ omnes circumcidebantur: id quod ignorantes quidam hunc locum, quem bene transtulerat Vetus (ut & multos alios) depravarunt, non autorem sequentes, sed trahentes; videlicet Judæos magistros suos, cœci cœcos, secuti; qui arbitrantur solos Judæos circumcidi; cùm non solùm Ægyptii præter Judæos circumciderentur, sed & Æthiopes, & Colchi, & Macrones, & Syri, ut docet in Euterpe Herodotus.

26. *Et in omnes extremum solitudinis tractum incolentes*] Cedarenos. Vide cap. 49.

CLARIUS.

2. QUis dabit] h. e. Quis det ut domus mea in deserto sit hospitium viatorum? desererem enim populum meum.

3. *Quasi*] h. e. Cujus sagittæ sunt mendacia, & nihil minus

mus quàm veritas. ¶ *Confortati sunt*] h. e. Corroborati in sua malitia.

7. *Ecce ego conflabo*] Igne (inquit) exuram eos, atque universam terram eorum devastabo, ut tandem sciam qui in tanto populo sint mei. ¶ *Quid enim aliud?*] Quid aliud (inquit) faciam, si vocari velit filia populi mei? vel, Quomodo enim aliter faciam, cum sit filia populi mei? quasi consultet Deus, & dicat, Ostendat mihi quis aliam viam, relinquámne incastigatam cùm non cesset à peccatis?

10. *Super montes*] Agrorum devastatio & Civitatis depopulatio prædicitur. ¶ *Vocem possidentis*] h. e. Habitatoris: Alius vertit *vocem pecorum*.

12. *Quis est vir sapiens?*] Ille qui est vir sapiens facilè agnoscet causam tantæ depopulationis, & quòd Propheta, ad quem locutum est os Domini, prædicit illam antè quàm veniat.

15. *Ecce ego cibabo*] Chaldæus Interpres sic explicat hanc sententiam, *Ecce ego adduco angustiam super populum istum, quæ tam acerba erit ut absinthium, & potabo eos calice maledictionis quasi veneno serpentum.*

19. *Docete filias vestras lamentum*] Hic mos usque hodie dicitur permanere in Judæa, ut mulieres sparsis crinibus nudatísque pectoribus voce modulatâ omnes ad fletum concitent.

20. *Ascendit mors per fenestras nostras*] h. e. Subitò & nemine prævidente accidit nobis hæc afflictio, & urbis nostræ subversio, ut videatur Mors ipsa clanculùm per fenestras irrepsisse. Alius putat allusisse Prophetam ad Jerusalem quæ alta erat: q. d. securè degebamus ut ii qui alta loca inhabitantes apertis fenestris securè dormiunt, sed imprudentibus nobis invasit nos afflictio.

22. *Non glorietur sapiens*] Nec sapientes astutiâ suâ evadere potuerunt, nec fortes viribus suis illam avertere, aut divites pecuniâ se redimere ab ea.

23. *Facio misericordiam*] Inter Misericordiam, Judicium & Justitiam hoc discrimen esse volunt, ut misericordia non respiciat meritum; judicium gravatos ab aliorum calumniis liberet, puniens impios & nocentes; justitia autem, cùm bonos, qui hic oppressi sunt, refocillat bonis & remunerat.

24. *Super omnem circumcisum integro præputio*] Judæum scilicet, qui circumcisus carne præputium integrum cordis gerit. Alius sic distinguit, *Visitabo omnem qui est circumcisus*, qualis est Israel, *& omnem qui adhuc est in præputio*, ut sunt gentes.

LUCAS BRUG.

19. QUoniam dejecta sunt tabernacula nostra [o.] Antiquorum codicum quidam *dejecta*, quidam *deserta* legunt. Hebraica vox השליכו, quæ *projecerunt* significat, utroque facilè intelligi potest modo. In Hieronymi cùm textu tum commentario *dejecta* legitur: verùm pòst paululùm *deferendi* vocabulo Hieronymus utitur; sed videtur ibi LXXII respicere interpretationem, quæ est, *Et abjecimus tabernacula nostra.* Dominicani, Parisienses atque Hentenius unanimiter in textum transtulere *dejecta*.

DRUSIUS.

22. דַּבֵּר. A. & Sym. λάλησον *loquere.* Th. *morte*] i. דֶּבֶר. Quod etiam Senes legerunt, si fides Hieronymo cujus verba hac de re sunt, *Verbum Ebraicum, quod tribus literis scribunt* דבר *(vocales enim in medio non habet) pro consequentia & legentis arbitrio, si legatur* דָּבָר sermonem significat, *si* דֶּבֶר mortem, *si* דַּבֵּר loquere. *Unde Lxx & Th. junxerunt illud præterito capitulo, ut dicerent*, disperdent parvulos de foris, juvenes de plateis morte. Notabis *mortem* hic poni pro *pestilentia*, quæ à Chaldæis מותא dicitur. Galli dicunt *mortalité* hoc significatu. Sic accipies Jes. 9. 8. in Lxx, θάνατον ἀπέστειλε Κύριος ἐπὶ Ἰακώβ· nam in fonte דבר, quod legerunt דֶּבֶר. ut Psal. 91. 3. מדבר הוות, ubi Hier. *de morte insidiarum:* sed Græci ἀπὸ λόγου παραχώδους, i. מִדֶּבֶר. Severus quoque in Historia sacra *morte tridui* dixit pro *pestilentia tridui.* Qui voce *pestis* hoc significatu utuntur, barbarissant. Nam *pestis* exitium, non morbus ille quem veteres constanter *pestilentiam* appellant. Apud Nonium etiam *pestilitas* vocatur. Cæterùm ubi Hieronymus habet *disperdent*, in Græco est τοῦ ἐκτρίψαι *parvulos de foris*, νήπια ἔξωθεν, *& juvenes de plateis*, καὶ νεανίσκους ἀπὸ τῶν πλατειῶν.

GROTIUS.

1. QUis dabit capiti meo aquam] Hebraismus pro, *Utinam caput meum sit aqua: torrens* scilicet, ut hic Chaldæus.

Et oculis meis fontem lacrymarum] I: *oculi mei sint fons perpetuò fluens.*

Et plorabo die ac nocte] Ut semper deflere possem clades quas prævideo.

2. *Quis dabit me*] *det mihi.*

In solitudine diversorium viatorum] Tugurium aliquod, quale est in quod per deserta loca viam facientes se recipiunt. Optat hoc, nè Urbis scelera summo suo cum dolore aspicere cogatur.

3. *Quasi arcum mendacii*] Nam calumnia omni telo nocentior.

4. *Et in omni fratre suo non habeat fiduciam*] Descriptio pessimæ ætatis, qualem ob oculos nobis ponit Hesiodus:

Οὐδὲ κασίγνητος φίλος ἔσσεται ὡς τοπάρος περ.
[*Nec fratri jam frater erit dilectus ut antè.*]

Et Ovidius:

——— *fratrum quoque gratia rara est.*

5. *Et vir fratrem suum deridebit*] Meliùs, *circumveniet.*

6. *Habitatio tua in medio doli: dolo renuerunt scire me*] Verba Dei ad Jeremiam. Dicit eos non levi, ac nè latâ quidem culpâ, sed dolo malo delinquere. Confer Esai. VI. 5. Pro illis vocibus במרמה מרמה [*dolus in dolo*] Lxx legerunt תך בתוך תוך, quod est τόκος ἐπὶ τόκῳ [*usura ad usuram*].

7. *Ecce ego conflabo & probabo eos*] Meliùs: *Ego excoquens eos probavi.* Misi minora mala Josiæ & Joakimi temporibus, experiens an per ea purgari possent. Similitudo qualis suprà VI. 29.

Quid enim aliud faciam à facie filiæ populi mei?] Quid aliud facere poteram ejus causâ?

10. *Super montes assumam fletum*] Propheta loquitur. *Super montes:* id est, propter montes illos quondam plenos pascuis.

Et super speciosa deserti] Meliùs: *amœnas planities.* Ità enim sæpe מדבר sumi aliquoties observavimus.

Eò quòd non sit vir pertransiens] non modò nemo ibi habitat, sed nè transit quidem: omnia facta sunt ferarum lustra.

Et non audierunt vocem possidentis] Verte, *Non auditur vox pecoris:* nullus auditur mugitus, nullus balatus.

A volucre cœli usque ad pecora transmigraverunt & recesserunt] Tam aves quàm terræ animantia. Id enim בהמה. Hieronymus ad IV. Oseæ: *Hoc qui non credit accidisse populo Israël, cernat Illyricum, cernat Thracias, Macedoniam atque Pannonias, omnémque terram quæ à Propontide & Bosphoro usque ad Alpes Julias tenditur, & probabit cum hominibus & animantia cuncta deficere, quæ in usus hominum à Creatore priùs alebantur.*

11. *Dabo Jerusalem in acervos arenæ*] In ruta cæsa.

Et cubilia draconum] Lustra.

Et civitates Juda] Oppida cætera.

12. *Quis est vir sapiens qui intelligat hoc, & ad quem verbum oris Domini fiat, ut annuntiet istud, quare perierit terra*] Id est, Si quis inter vos aut per se sapit, aut prophetico dono instructus est, dicat nobis causas tantæ vastitatis; aut si nemo est qui dicere possit aut velit, ego dicam.

Quasi desertum, eo quòd non sit qui pertranseat] *Ità ut non sit qui pertranseat.*

13. *Et dixit Dominus*] Mihi, inquit Jeremias, Deus causas ejus rei aperuit.

15. *Absinthio*] Summâ amaritie. ψωμίζω αὐτοὺς ἀνάγκαις [*miseriis eos pasco*], Græci. Quid sit ἀνάγκη vide Lucæ XXI. 23.

Et potum dabo eis aquam fellis] Ut suprà VIII. 14. Eadem infrà XXIII. 15.

16. *Et mittam post eos gladium*] Nè fuga quidem tuta erit. Infrà XLII. & sequentibus.

17. *Vocate lamentatrices*] Præficas. Vide Festum & Nonium.

Ad eas quæ sapientes sunt mittite] Edoctas cantus lugubres.

19. *Quomodo vastati sumus?*] Hic incipit μίμησις [*imitatio*] carminis præficarum.

Dereliquimus terram] Id est, cogimur migrare. Chaldæus: *Deserta est terra.*

Dejecta sunt tabernacula nostra] Habitationes eversæ.

20. *Audite ergò mulieres*] Vos præficæ.

Filias vestras] Discipulas vestras in ista arte.

21. *Ascendit mors per fenestras nostras*] Saxa illa balistaria: διατύπωσις [*depictio*] valde vivida.

Ingressa est domos nostras] Id est, per ipsas domos transivit, nec ibi substitit.

Disperdere parvulos deforis, juvenes de plateis] Ità ut eadem illa saxa per domos transeuntia etiam in plateis plurimos occiderent.

22. Lo-

22. *Loquere: Hæc dicit Dominus*] Perge hæc mea mandata loqui.

Et cadet morticinum hominis quasi stercus super faciem regionis, & quasi fœnum post tergum metentis, & non est qui colligat] Quid sit *colligere*, jam dictum suprà VIII. 2. *Stercus* nemo colligit. Et manipulos, siqui excidant (id enim vox עמיר etiam Chaldæis & Arabibus sonat,) eos parum curat messor mercede conductus. Non pluris tunt fient humana corpora.

23. *Non glorietur sapiens in sapientia*] Nè ei nimiùm fidat. Nam Solomon Dei gratiâ excidit.

Et non glorietur fortis in fortitudine sua] Nam Samson fortissimus à fœmina deceptus exitium reperit.

Et non glorietur dives in divitiis suis] Nam Achab filius Amri Decem tribuum Rex ditissimus fuit, sed propter impietatem in maxima incidit mala. Hæc tria exempla non abs re hìc adfert Chaldæus.

24. *Sed in hoc glorietur qui gloriatur, scire & nosse me*] In eo fidat quòd me noverit, nimirum si & hoc factis ostendat.

Qui facio misericordiam, & judicium, & justitiam in terra] Non dicit, *ut me noverint secundùm naturam meam*; ea enim hominum captum superat: sed secundum eas proprietates quæ homines spectant, quas מדות appellant Hebræi, quarum præcipuæ sunt benignitas in pios, severitas in impios, & in omnibus rebus perfectissima ἐυθότης [*rectitudo*], quæ hìc significatur nomine *justitiæ* generaliùs sumtæ, cùm alioqui ea vox varias habeat significationes. Et nota illud *in terra*: contra philosophos qui ante Aristotelem censuêre Dei providentiam ad sublunaria non pervenire.

25. *Visitabo super omnem qui circumcisum habet præputium*] Ex Hebræo rectissimè vertas, supplendo ἔλλειψιν [*defectum*], *puniam omnem circumcisum* (nempe *flagitiosum*; *nec minus eum qui est*) *in præputio*. Pari modo eos pro meritis tractabo. neque me movebit tantilla pellicula retenta, vel rejecta.

26. *Super Ægyptum, & super Juda, & super Edom, & super filios Ammon, & super Moab*] Vide infrà XLVI. XLVIII. XLIX.

Et super omnes qui attonsi sunt in comam, habitantes in deserto] Id est, Arabas Scenitas. Vide quæ de eorum more protulimus ad Levit. XIX. 27. Adde quæ infrà XXV. 23. & XLIX. 32. ubi Arabes eâdem περιφράσει [*circumlocutione*] notantur.

Quia omnes gentes] Istæ scilicet quas jam nominavi.

Habent præputium] Nempe in glande; aut si non in glande, certè in corde. Quid autem refert, ubi sit quod Deum offendit? cor pluris quàm σύμβολον [*significativum*] cordis. Idumæi & Arabes obligati erant ad Circumcisionem, non minùs quàm Judæi, sed pridem eam omiserant. Ægyptii, Ammonitæ, Moabitæ eâ lege non tenebantur; sed omnes pariter cor habebant plenum rebus resecandis.

CAP. X.

MUNSTERUS.

2. V*Iam Gentium nè discatis*] h. e. Ritum & cultum quem diis suis exhibent nè imitemini. Timent enim signa cœlestia, & colunt ea ut deos, fabricantes in honorem eorum imagines ligneas auro & argento obductas, putantes per id eorum promereri gratiam, ut cumulatiores colligant fructus: cùm id stellarum non sit, sed Dei, cui stellæ & universum cœlum in suis influentiis obtemperant. Idololatria hinc cœpit, quia homines ad cœlum & astra conversi viderunt omnia magnifica, pulcra, motum, vicissitudinem, adverterunt influentias & effectus, affectus quoque inferiorum commotos, mutari in bona & mala; & contrà viderunt juxta temporis rationem adversa ac prospera demitti, viderunt fulgura & strages, aliáque opera supernorum corporum; & hinc cœperunt illa placare oblationibus & sacrificiis.

5. *Integer truncus*] Scripsimus Exo. 25. quomodo Hebræi מקשה exponant. Sunt tamen qui hic pro תמר interpretantur, ut sit sensus, Sicut palma habet procerum truncum, sic imagines illorum stant rectæ in modum corporis humani.

7. *Imperium*] Heb. יאתה *decor*, pro quo Rabini post Jonathan Chaldæum interpretantur מלכות.

8. *Erudito vanitatum*] Sapientes, inquit, qui inter Gentes inveniuntur cognoscunt quidem te, sed non ut Deum glorificant, quin magis hoc errore tenentur, ut putent te ista inferiora non curare; atque ideo convertuntur ad creaturas, & ab illis petunt quæ à te postulari debuerant.

11. *Sic dicetis eis*] Scribitur versus iste Chaldaico sermone, monentúrque Judæi qui jam in Babylonia agebant, ut Babyloniis culturam idolorum suadentibus illum objiciant, non Hebraico sermone, quem illi non intelligebant, sed Chaldaico & patrio. Unde Jonathan Chaldæus hunc versum sic vertit, *Hoc est exemplar Epistolæ quam misit Jirmeia Propheta ad residuos Seniores qui erant in captivitate Babel; Si dixerint vobis populi inter quos estis, Colite idola, domus Israel, respondebitis eis in hunc modum; Idola quæ vos colitis sunt absque Divinitate, nec possunt demittere pluviam de cœlis, neque possunt facere ut terra producat fructus: atque ideo qui ea colunt peribunt & perdentur de sub cœlis istis.* Hæc Chaldæa translatio.

12. *Qui facit terram in virtute sua*] Subaudi, *hunc nos ut verum colimus Deum.*

14. *Stultus fit præ scientia*] Vana, inquit, hæc est scientia quâ quis conatur suâ arte facere Deum, & major stultitia in mundo inveniri nequit. Sed his similes sunt qui talia venerantur simulacra manibus hominum facta.

17. *Congrega de terra merces tuas*] Sic Jonathan hunc explicat locum ut nos vertimus. Kimhi verò paulò diversiùs exponit, nempe in hunc modum, *Contrahe, ô Babel, quæ jam jubilas humiliationem tuam, quâ scilicet cunctas terras tuâ tyrannide humiliasti, quia in brevi futurum est ut & tu humilieris.*

21. *Infatuati sunt pastores*] Per *pastores* intelliguntur Reges Israel.

23. *Non est hominis via ejus*] Hebræi ad Regem Babel referunt, qui cùm in itinere constitutus, Moabitas bello petere deliberasset, mutato consilio contra Jerusalem arma movit. *Cor enim Regis in manu Domini est.* Sic & alio loco dicitur, *A Domino gressus hominis diriguntur.*

VATABLUS.

1. S*Uper vos* עליכם] *De vobis*; *propter vos.*

2. *Viam* דרך] *Ritum*, vel *mores*. Conatur revocare Israelitas ab idololatria cui erant dediti. ¶ *Nè metuatis*, &c. אל תחתו כי וגו'] *Nè consternamini, quia consternantur Gentes ab illis*: vel, *nè frangamini animo, quamvis consterni soleant Gentes ab his.* Alii, *signa cœlestia nè metuatis, sicut Gentes metuunt ab eis.*

3. *Statua* חוקות] *Leges: ceremoniæ: ritus.* ¶ *Præcîdit* כרתו] Ad verb. *scidit illud*, sub. *faber.* ¶ *Cum ascia* במעצד] *Cùm dolabra*, sub. *factum, vel dolatum*: i. quod adaptavit dolabrâ.

4. *Ornat* ייפהו] Ad verb. *Pulcrum faciet.* Præt. Heb. pro præs. ut mox, *firmant.* ¶ *Nè cadat* ולא יפיק] Ad verb. *& non cadet*: vel *corruet*: aut *movebitur.* Chald. *ut non moveatur.* Quidam, *& non egredietur*, sub. *loco suo.*

5. *Æqualis* מקשה] Doctus inter Hebræos exponit השוה והישר *æqualis & recta.* Alii, *teres & procera.* ¶ *Incedunt* יצעדו] *Incedere possunt.* ¶ *Penes eos est* אין אותם] Ponitur אותם pro עמם *cum eis*, ut ait doctus inter Hebræos.

6. *Non est similis*, &c. מאין כמוך וגו'] *Quia non est similis tui Jehova: maximus es*, &c. Alii, *Non est itaque similis tibi, Jehova tu magnus es*, &c. Ad verb. *Ex eo quòd non est tibi similis*, cognoscimus quòd *magnus es*, &c. Observa Hebraismum, sic seq. versu.

7. *Timebit te* ייראך] *Timeat.* ¶ *Convenit* יאתה] *Competit*, sub. *Regnum.* Chald. *tuum est regnum.* ¶ *Et inter omnia regna*, &c. ובכל מלכותם מאין כמוך] Sing. Heb. pro plur. *in omni Regno eorum*, [sub. *regnas*, vel *Rex es*] *eo quòd non sit similis tui.*

8. *Et in unum* ובאחת] i. Ut uno verbo dicam: vel, ut semel dicam. Alii totum versum sic vertunt, *In hoc autem uno desipiunt & stultescunt, quòd eruditio vanitatum* eorum est *lignum.* Alii, *At in re una brutescunt & stulti apparent: eruditio vanitatum & lignum est*: i. eruditio eorum vana, est sculptilia eorum: vel eruditio vana est simulacrum ligneum. ¶ *Desipiunt* יבערו] Fut. Heb. pro præs.

9. *Extensum* מרקע] i. Quod extendi solet. Alii, *ductile, dilatatum: diductum*, i. optimum. ¶ *Affertur* יובא]. Fut. Heb. pro præs. ¶ *Aurificis* צורף] *Fusoris: conflatoris.* ¶ *Sapientum* חכמים] *Artificum peritorum.*

10. *Contremiscet* תרעש] Fut. Heb. pro præs. quibusdam; *contremiscit, concutitur*: vel *quatitur.* ¶ *Sustinebunt* יכלו] *Sustinent: ferre possunt.*

11. *Sic dicetis*, &c. כדנה וגו'] Scribitur versus iste Chaldaico sermone: quo monentur Judæi qui jam in Babylonia agebant, ut Babyloniis culturam idolorum suadentibus versum illum objiciant, non Hebraico sermone, quem illi non intellige-

bant,

bant, sed Chaldaico & patrio. Unde Chaldæus P. hunc versum sic vertit, *Hoc est exemplar epistolæ quam misit Irmeiah Propheta ad residuos seniores qui erant in captivitate Babel; Si dixerint vobis populi inter quos estis, Colite idola, domus Israel, sic respondebitis, & sic dicetis eis, Idola quæ vos colitis sunt idola in quibus non est utilitas ulla: de cælo non possunt deducere pluviam, & de terra non possunt producere fructus: ipsa & cultores eorum pereant de terra & destruantur de sub cælis istis.* ¶ *Istis* אלה] *Dicit istis*, ut annotat doctus inter Hebræos, *quòd appareant hominibus*, *quamvis sint sublimes.*

12. *Qui facit*, &c. 'עשה וג] Subaudienda quædam, cujusmodi, *Nos adoramus Deum qui*, &c. Chald. *Et sic dicetis illis*, *Nos colimus eum qui*, &c.

13. *Qui voce* suâ *dat* לקול תתו] Ad verb. *In voce dare eum.* Quidam vertunt, *Ad vocem quæ editur*, i. tonitru, *cùm dat copiam*, &c. Ut præcedenti versui jungatur, hoc modo, *& intelligentiâ suâ extendit* (sive, ut Chald. *suspendit*) *cælum*, *quando voce dat copiam aquarum.* Sic etiam quidam Hebræorum exponit, utrumque versum conjungens, *Intelligentiâ suâ extendit cælum tempore quo venit vox quâ ipse dat copiam aquarum*, &c. *& quando fulgura cum pluvia facit*, &c. Alii qui præcedentibus non jungunt, subaudito verbo vertunt, *Cùm ille vocem dat, ingens copia aquarum* erit *in aere.* ¶ *Posteaquam ascendere facit* ויעלה] Ad verb. *Et ascendere fecit:* i. eduxit, aut elevavit. Observa ו pro *posteaquam.* ¶ *Nubes* נשאים] Ad verb. *elevationes*, i. vapores qui elevantur: *exhalationes.* ¶ *Fulgura* ברקים] Qui à fine præcedentis versûs dependere istum volunt, subaudiunt nonnihil, cujusmodi, *Et quando fulgetra facit cum pluvia*, i. permista pluviæ: sive, ut Chald. *tempore pluviæ: & quando educit.*

14. *Ut brutum animal*, &c. נבער כל אדם מדעת] *Brutescit* [sive, *Bruto similis redditur*] *omnis homo à sciendo*, vel *præ scientia*, sub. *Dei.* *Stultior est omnis homo quàm ut hoc cognoscere possit:* q. d. nemo assequi potest providentiam Dei in operibus prædictis. Præt. Heb. pro præs. ¶ *Pudore afficitur*, &c. הוביש כל צורף מפסל] *Pudet omnem aurificem sculptilis sui.* Chald. *pudet omnem aurificem facere statuam.* ¶ *Mendacium est conflatile ejus* שקר נסכו] *Vanitas est testio ejus:* vel *obductio:* i. frustrà obtexit illa. Chald. *quoniam frustrà fudit illa.* ¶ *In eis* בם] i. In quoquam eorum.

15. *Irrisionum* תעתעים] *subsannationum:* i. deridendum, vel ridiculum. ¶ *Visitationis eorum* פקודתם] Sub. *conflatorum simulacrorum.* Chald. *quo tempore visitabo super illos peccata eorum.*

16. *Sicut illa* כאלה] Sub. *idola:* vel *sicut illi*, sub. *dii.* ¶ *Ipse est* הוא] Sub. *portio ipsius Jaacob.* ¶ *Virga* שבט] *Sceptrum.*

17. *Congrega*, &c. אספי מארץ כנעתך] *Collige* [vel, *Retrahe*] *de terra merces tuas*, sub. *& alio transfer.* Alii, *Contrahe à terra humiliationem tuam*, ut activè accipiatur: q. d. Desine subjicere tibi omnes regiones. Alloquitur Chaldæam. ¶ *In loco munito* במצור] *In munitione:* i. quæ videris nunc habitare in loco inexpugnabili. Chald. *in fortitudine*, nempe *in civitatibus munitis.*

18. *Fundâ projiciam* קולע] Ad verb. *fundibulo*, si sic loqui liceret. Præs. Heb. pro futuro: i. *Sicut jaciunt lapidem fundâ, sic spargam habitatores hujus regionis*, inquit Chaldæus Paraph. ¶ *Et affligam eos* והצרותי להם] *Et tribulatione afficiam eos:* vel *coartabo & angustiabo.* Alii, *obsidere faciam eos:* aut *doloribus angustiisque afficere faciam eos.* ¶ *Ut inveniant* למען ימצאו] Sub. *quæ locutus sum adversùm illos per servos meos Prophetas*, *ut cognoscant quòd à meipso sunt omnia.* Chald. *ut recipiant vindictam iniquitatum suarum.*

19. *Super contritione mea* 'על שבר] *Ob contritionem meam:* vel *contusionem quæ mihi accidit*, aut *quam patior.* Alii, *hei mihi confracto.* Queritur de afflictione populi sui Propheta. ¶ *Hæc infirmitas mea*, &c. זה חלי ואשאנו] *Hic morbus meus*, *& tolerabo illum:* q. d. Hanc ægritudinem feram patienter. Doctus inter Hebræos jungit hæc cum sequentibus, *Cogitavi quòd hanc infirmitatem ferre possim: sed non potero, quia tentorium meum*, &c.

20. *Tabernaculum meum* אהלי] *Tentorium meum.* Jerusalem intelligit; ut per *funiculos* sive *vincula* quibus extenduntur pelles tabernaculi, civitates reliquas Israel. Chald. *Terra mea desolata est*, *& omnes civitates meæ venerunt in prædam.* ¶ *Egressi sunt à me* יצאני] Declarat præcedentia: q. d. Populus meus abductus est in captivitatem: nemo est qui sit instauraturus Jerusalem.

21. *Ut bruta animalia facti sunt* נבערו] *Desipuerunt: stulti facti sunt.* ¶ *Non intellexerunt* לא השכילו] *Non egerunt prudenter.* Alii, *miseri fuerunt*, i. rem malè gesserunt. Chald. paraph. *propterea non prosperè agent*, *& universus populus eorum dispergetur.* ¶ *Pascua eorum* מרעיתם] i. Omnes oves pascuæ eorum: q. d. Omnis grex eorum quem pascere debebant.

22. *Rumoris* שמועה] Ad verb. *auditûs.* ¶ *Et commotio magna* ורעש גדול] *Et tremor magnus: terræmotus: commotio.* Chald. *contritio magna.*

23. *Non* est *hominis via ejus* לא לאדם דרכו] *Non homini sit via sua.* Exponunt de Nabuchodonosor, qui cùm proficisceretur contra Ammonitas, Dominus imprudentem induxit in viam quæ ducebat Jerusalem, relictâ illâ quæ ducebat ad Ammonitas, cùm non proposuisset illud. Vide Ezech. 21. 21. ac si dicat, *Scio hominem non esse autorem itineris sui*, *& nescire quò vadat*, *neque ad illum pertinet disponere de gressibus suis:* vel, *Non est in manu cujusvis hominis virtus ut prosperari faciat viam suam.*

24. *In judicio* במשפט] *Jure.* Hebraismus, pro *cum modo & mensura: modice:* q. d. servatâ æquitate & mediocritate, non pro meritis meis. Vertere potes *remisse*, *leniter*, *indulgenter.*

25. *Invocant* קראו] Præt. Heb. pro præs. ¶ *Comederunt* אכלו] Quibusdam videntur hic Præt. Heb. pro futuris poni, *devorabunt*, sive *comedent*; *destruent*, sive *perdent & evertent.* Chald. *quoniam dominati sunt in eos qui sunt de domo Jaacob*, *& diripuerunt facultates eorum*, *& destruxerunt illos*, *& habitationes illorum desolaverunt.*

CASTALIO.

5. ILLI *solidæ palmæ similes*] Scilicet lignei dii.

11. *Cosi gli direte, Gli Iddii, i quali non hanno fatto il cielo & la terra, saranno tolti de la terra & di sotto'l cielo*] Jeremias Hebraicè scribens hunc versum scripsit Chaldaicè, ut Chaldæos ipsorum linguâ alloqueretur. Id ego imitari conatus eundem scripsi Italicè. Est autem hæc eorum verborum notio, *Qui dii cælum & terram non fecerunt*, *ii ex terra & locis cælo subjectis tollentur.*

13. *Voce dat aquæ multitudinem in cælo*] In aere.

17. *Quæ degis in munitione*] Hierosolymitani.

18. *Eosque urgebo ut digni sunt*] Ad verb. *ut inveniant:* scilicet *quod quærunt:* h. e. ut dignas dent pœnas.

CLARIUS.

2. JUxta vias gentium] h. e. Ritum & cultum quem diis suis exhibent ne imitemini: timent enim signa cœlestia, & colunt ea ut deos, fabricantes in honorem eorum imagines ligneas auro & argento obductas, putantes per id eorum promereri gratiam, ut cumulatiores colligant fructus: cùm id stellarum non sit, sed Dei, cui stellæ & universum cœlum in suis influxibus obtemperant. Hic locus insignis est contra astrologos. Ex primo enim Geneseos discimus quòd stellarum est lucere, ac distinguere tempora, operationem autem in elementis Scriptura non sideribus sed Deo tribuit.

5. *In similitudinem palmæ*] Quæ scilicet rectà in altum succrevit; flecti nescia, sic imagines illorum stant erectæ in modum corporis humani.

11. *Dii qui cælos & terram non fecerunt*] Scriptus est versus iste Chaldaico sermone, monenturque Judæi qui jam in Babylonia agebant, ut Babyloniis culturam idolorum suadentibus illum objiciant, non Hebraico sermone quem illi non intelligebant, sed Chaldaico & patrio: unde Jonathas Chaldæus hunc versum sic vertit, *Hoc est exemplar Epistolæ quam misit Jeremias Propheta ad residuos seniores qui erant in captivitate Babel; Si dixerint vobis populi inter quos estis, Colite idola domus Israel, respondebitis eis in hunc modum, Idola quæ vos colitis sunt absque Divinitate, nec possunt demittere pluviam de cælis, neque possunt facere ut terra producat fructus, atque ideo qui ea colunt peribunt & perdentur.*

12. *Qui facit terram*] Subaudi *hunc nos ut verum colimus Deum.*

13, 14. *Fulgura inter pluviam facit*] Vel *cum pluvia.* Quam rem tanquam admirandam commemorat, quòd in media pluvia igneæ fulgurationes appareant. Nos verò, dum quærimus unicuique rei naturalem ascribere causam, amittimus fructum contemplandorum Divinorum operum: perinde quasi & ipsarum causarum minimè Deus author sit, ità miseri abutimur & ingenio, & omnibus bonis quæ à Deo ad nos proficiscuntur, ut meritò consequenter dicat hîc Propheta, *stultus factus est omnis homo à scientia sua.* Quæ tamen verba nunc dicta sunt adversùs idololatras, quod scilicet vana sit hæc scientia quâ quis conatur suâ arte facere Deum, & major stultitia in mundo inveniri nequeat.

16. *Pars Jacob*] h. e. Deus verus non est iis similis; qui Deus *pars Jacob* dicitur, quia ab hac gente quæ à Jacob profecta est colebatur, juxta illud, *Notus in Judæa Deus, in Israel magnum nomen ejus*.

17. *Congrega de terra merces tuas*] *Congrega*, h. e. aufer: loquitur enim (ut quidam volunt) Deus ad Babel, Ut videas (inquit) omnem sapientiam tuam esse stultitiam, licèt habites loca munita, ego tamen dissipabo te: sed videtur posse & ad Jerusalem pertinere propter ea quæ sequuntur, *Væ mihi*, &c.

19. *Væ mihi*] Verba sunt Prophetæ vicem populi sui dolentis. Et quod sequitur, *Planè hæc infirmitas mea est, & portabo illam*, h. e. intolerabilis est hæc plaga, quam quomodo ferre potero?

20. *Tabernaculum meum*] Vocat Civitatem *tabernaculum*; *funes* verò oppida ejus, quòd adhæreant illi quasi funes quibus figuntur tabernacula.

23. *Non est hominis via ejus*] Hebræi ad Regem Babel referunt, qui cùm in itinere constitutus Moabitas bello petere deliberasset, cùm audisset rebellasse Israelitas, mutato consilio contra Jerusalem arma movit: *Cor* enim *Regis in manu Domini*, sicut & alio loco dicitur, *A Domino gressus hominis diriguntur*. Dicunt dictionem Hebræam pro qua hic dictum est, *viri*, significare *hominem insignem*, qualis fuerit Nabuchodonosor.

24. *Veruntamen in judicio*] h. e. Habitâ ratione imbecillitatis meæ.

DRUSIUS.

6. מֵאֵין כָּמוֹךָ יְהוָה גָּדוֹל אַתָּה וְגָדוֹל שִׁמְךָ בִּגְבוּרָה. Th. Οὐκ ἔστιν ὅμοιός σου, Κύριε· μέγας εἶ σὺ, καὶ μέγα τὸ ὄνομά σου ἐν τῇ ἰσχύϊ, *Non est similis tui, Domine: magnus tu, & magnum nomen tuum in fortitudine.*

7. מִי לֹא יִרָאֲךָ מֶלֶךְ הַגּוֹיִם כִּי לְךָ יָאָתָה כִּי בְכָל־חַכְמֵי הַגּוֹיִם וּבְכָל־מַלְכוּתָם מֵאֵין כָּמוֹךָ. Idem, Τίς οὐ φοβηθήσεταί σε, βασιλεῦ ἐθνῶν; σοὶ γὰρ πρέπει· ὅτι ἐν πᾶσι τοῖς σοφοῖς τῶν ἐθνῶν καὶ ἐν πάσαις ταῖς βασιλείαις αὐτῶν οὐκ ἔστιν ὅμοιός σοι, *Quis non timebit te, ô Rex gentium? Tuum est enim decus: inter cunctos sapientes gentium & in universis Regnis eorum nullus est similis tui.*

8. וּבְאַחַת יִבְעֲרוּ וְיִכְסָלוּ מוּסַר הֲבָלִים עֵץ הוּא. Idem, Ἅμα ἄφρονες καὶ ἀνόητοί εἰσι. διδασκαλία ματαίων αὐτῶν ξύλον ἐστὶν, *Pariter fatui & insipientes sunt, doctrina vanitatis eorum lignum est*] Hæc leguntur hodie in Complutensi, & apud Theodoretum. Hieronymus autem admonet, *de Theodotionis editione in plerisque addita esse.*

16. כִּי־יוֹצֵר הַכֹּל הוּא וְיִשְׂרָאֵל שֵׁבֶט נַחֲלָתוֹ. A. & Th. ὅτι ὁ πλάσας τὰ πάντα αὐτός ἐστι, καὶ Ἰσραὴλ ῥάβδος κληρονομίας αὐτοῦ, *Qui enim formavit omnia ipse est, & Israel virga hereditatis ejus*] Ex Origene.

18. קוֹלֵעַ. A. & Sym. σφενδονήσω] Hieron. *Verbum Ebraicum* קלע *Aq. & Sym. interpretati sunt* σφενδονήσω. *Et est sensus*, instar fundæ cum omni impetu abjiciam, &c. Σφενδόνη *funda*. Σφενδονάω, vel σφενδονάω, *fundâ utor, fundam torqueo.*

22. תַּנִּים. Sym. *sirenarum*] Hieron. Draconum *sive struthionum*, *sive, ut Sym. interpretatus est*, sirenarum. Jes. 13. 21. תנים, Lxx ἐχῖνοι. A. Sym. Th. σειρῆνες. Hieron. *sirenes.* Rursum Jes. 27. 1. התנין Sym. τὸν δράκοντα. A. Th. τὸ κῆτος *cetum.*

GROTIUS.

2. Juxta vias Gentium nolite discere] Chaldæos maximè intelligit, unde nomen arti Chaldaïcæ.

Et à signis cœli nolite metuere quæ timent Gentes] Nempe quasi ab illis omnes eventus rerum humanarum pendeant. Pleræque gentes primam causam, eandémque liberè agentem non agnoscebant, ut docet Maimonides.

3. *Leges populorum variæ sunt*] Ritus intellige.

Lignum de saltu præcidit opus manuum artificis in ascia] Sensus est, Exscinditur è saltu lignum quod deinde fit opus manuum artificis utentis asciâ. *Materiam superabat opus.* Ideò autem sermonem de simulacris conjungit cum sermone de astris, quòd gentium illarum in Oriente simulacra pleraque Solem, Lunam, Saturnum, Venerem, aut astrum aliud referrent, & quidem cum ea hominum opinione, ut crederent deductum magicis quibusdam ritibus spiritum ab astris in simulacris morari, atque ibi vim suam exserere bono illa simulacra venerantium. Est autem hic locus de Simulacris expressus ex duobus Esaiæ XL. 20. XLIV. 19. & sequentibus. Nihil omittit quo auctoritatem demat simulacris. Materia, *lignum* exanime; opifex, homo mortalis, victûs indigens; instrumenta *ascia*, *clavi*, *mallei*.

4. *Compegit*] Quod Græci elegantiùs dicunt γομφοῖ [*gomphis trajicit*].

Ut non dissolvatur] In Hebræo, *Ut non exeat*: ut stare possit. Vide quæ illorum infirmitas, quæ semet sustinere nequeunt.

5. *In similitudinem palmæ fabricata sunt*] In Hebræo: *Adæquationes eorum ut palmæ arboris.*

Portata tollentur] In Hebræo, *Portando portantur*: in thensis scilicet.

Quia incedere non valent] Et hæc magna infirmitas, ire non posse; & bene hinc infert: Si ista non possunt, quantò minùs prodesse aut nocere?

7. *Inter cunctos sapientes Gentium*] Quorum multi & in deos relati, ut Taautes.

8. *Doctrina vanitatis eorum lignum est*] Ea quæ de istis simulacris credunt docéntque sunt vanissima.

9. *Argentum involutum*] In Hebræo, *extensum*, nempe in laminas.

De Tharsis] *Ab Oceano*, id est, ab Hispania, ubi maxima auri fertilitas, Plinius XXXIII. 4. *Africam* hic posuit Chaldæus, nimirum quia Pœni Carthagine aurum Hispanicum petebant.

Et aurum de Ophaz] Est idem nomen Dan. X. 5. Est insula Πάζος in India memorata Stephano ex Alexandro Polyhistore: creditur eadem esse quam in mari Rubro *Topazon* Plinius nominat, unde gemmæ *Topazio* nomen, quæ in Jobo. In eam insulam cuncta ex India perferebantur, atque indè distribuebantur: ideo aurum Ophir hîc explicat Chaldæus. De *Ophir* vide quæ dicta alibi.

Et manus aurarii] Interpres credo scripserit *aurarii*. צרף *omnis generis fabrum* significat, sed hîc de aurario agi evincit materia.

Opus artificum] Mortalium.

11. *Sic ergò dicetis eis: Dii qui cœlos & terram non fecerunt, pereant de terra, & de his quæ sub cœlo sunt*] Vetus est dictum etiam inter Græcos quosdam, *Qui præter unum Deum se Deum dicit, mundum alterum faciat.* Chaldæus putat hæc esse Epistolam ab Jeremia missam ad primores exsulum in Babylonia. Sed series ipsa Prophetiarum ostendit hæc in antecessum dicta, sed ut tunc præcipuè usurparentur cùm inter idololatras vivendum esset. Et ideo sermone voluit uti Propheta hoc loco non Hebræo sed Chaldæo.

12. *Qui facit terram in fortitudine sua*] Verte, *qui fecit*; & mox *præparavit*: is est Deus ac Dominus noster. Hoc Judæi respondebunt Chaldæis: & sic multi eorum ab idololatria avertentur.

13. *Ad vocem suam dat multitudinem aquarum in cœlo*] Id est, ubi ipsi lubet. Nam *vox* aut *verbum Dei*, apud Chaldæos maximè, voluntatem significant.

Fulgura in pluviam facit] Supple, *desinere*. Sic & in Psalm. CXXXV. 7. unde hæc verba & proximè sequentia sumta sunt.

14. *Stultus factus est omnis homo à scientia*] Videtur esse ἔλλειψις [*defectus verbi*], ut sensus sit, *Brutescit omnis homo* (recedens) *à scientia*: id est, à cognitione unius Dei. id ità sumi suadent sequentia.

Falsum est quod conflavit] Non est id quod dicitur.

Et non est spiritus in eis] A cœlo demissus, ut ipsi arbitrantur.

15. *In tempore visitationis suæ peribunt*] Quasi, ubi Deo vacaverit ad illorum facta animum adjicere.

16. *Non est his similis pars Jacob*] Non est his similis Deus quem Israëlitæ colunt.

Israel virga hereditatis ejus] Portio ipsius: sicut virgâ vel perticâ in regno designari solebat pars Principis. Vide Ezech. XLVIII. 21.

Dominus exercituum nomen illi] Dominus & Angelorum & siderum ipse est.

17. *Congrega de terra confusionem tuam, quæ habitas in obsidione*] כנעתך meliùs vertemus *res tuas*, nempe quæ absportari possunt. Convasa, migrandum erit. Et pro *in obsidione* rectiùs ponemus *quæ habitas in loco munito*, ἐν τειχίσματι, ut hîc Lxx; id est, plebs Hierosolymitana.

18. *Longè projiciam*] Sensum bene vertit. Aquila & Symmachus propiùs ad verbum σφενδονήσω [*ejiciam velut fundâ*].

Et tribulabo eos, ità ut inveniantur] Rectiùs vertas sensu accedente ad sensum quem voluit Chaldæus hoc loco: *affligam eos, ut inveniam*, nempe me non esse mendacem in iis quæ per Prophetas dixi. Id autem ipsi agnoscent verbis quæ jam sequuntur ad finem capitis.

19. *Væ mihi super contritione mea*] Ah quantum vulnus accepi!

Ego autem dixi] *Præterea dixi*, nempe civitas Hierosolymorum.

Planè hæc infirmitas mea est, & portabo illam] Subintellige, *magna est*; *& portabo illam?* Lege cum interrogatione: *Erone ferendo?*

20. *Tabernaculum meum*] Metaphora eadem quæ suprà IV. 20.

21. *Stultè egerunt pastores*] *Reges ipsi*, ut hîc Chaldæus: nempe à Joakimo deinceps.

Et omnis grex eorum dispersus est]

——— *Et castra simillima Regi.* Papinius.

22. *Vox auditionis*] Id est, *nuntius*, ut hîc bene Chaldæus.

Commotio magna] *Tumultus ingens*, ut Latini de bellis Italicis & Gallicis loquebantur.

Et habitaculum draconum] Vide suprà IX. 11.

23. *Scio, Domine, quia non est hominis via ejus, nec viri est, ut ambulet & dirigat gressus suos*] Hoc etiam dicent illorum infelicium temporum homines: (nam, ut dicitur, Τ' ἐπὶ Μαλέαν πλεύσας ἐπιλάθου τῶν οἴκοι [*Ubi Maleam campsabis pius eris*]) scimus successus bellicos non pendêre à sola prudentia, aut fortitudine humana, sed à tuo maximè arbitratu, qui etiam potentissimorum Regum conatus facilè disslas. *Dirigere gressus* est successus dare, ut Psal. XXXVII. 23.

24. *Corripe me, Domine, verumtamen in judicio, non in furore*] Si pœnas vis expetere, expete, quæsumus, moderatas, ut Psalm. VI. 1.

25. *Effunde indignationem tuam super gentes quæ non cognoverunt te, & super provincias quæ nomen tuum non invocaverunt*] Sumtum hoc & quod sequitur de Psalmo LXXIX. 6. & 7. ubi quæ dicta sunt vide. In pari re paria verba.

Et decus ejus] In Hebræo, *Habitaculum ejus*: id est, urbem præstantissimam.

CAP. XI.

MUNSTERUS.

2. *Verba federis hujus*] Loquitur de federe quod Dominus percussit cum patribus eorum Deut. 28. quando eduxerat eos de Ægypto.

5. *Verum fiat*] Ut scilicet maledictus sit qui non audierit verba federis. Et nota quòd אמן scribitur pro אמן. Est enim imperativus passivus Kal.

9. *Inventa est conspiratio*] Sensus est, Post pœnitentiam quam facere cœperunt sub Josijahu iterum reversi sunt ad vomitum, contemnentes me & legem meam.

15. *Quid est dilecto meo*] Hæc sunt verba Prophetæ loquentis ad Deum. Per *domum* intellige templum Domini, in quo Deus ampliùs non colebatur, sed tota Judæa, præter paucissimos Deum timentes, colebat idolum Baal. ¶ *Carnes Sanctuarii transeunt à te*] i. Holocausta & oblationes Templi transtulisti in cultum idolorum, & cùm hoc malum feceris, gaudes, cùm potiùs confundi deberes. Alii exponunt *carnem* pro *hominibus*, secundùm illud, *Et omnis caro corruperat viam suam*: & tunc hîc erit sensus, Omnes viri sancti transeunt à te nè malis tuis contaminentur.

16. *In ea*] Nostri communiter hîc vertunt *folia ejus*, sicut & quidam Hebræorum. Nos imitati sumus Chaldæum Interpretem, licèt is mutaverit affixum tertiæ personæ in secundam personam.

18. *Ostendit mihi*] Revelavit, inquit, mihi Dominus dolos gentis meæ, quæ consilium iniit contra me ut veneno me interficeret: & ego exsistens inter eos ducebar quasi ovis ad victimam, nesciens mihi mortem intentatam. Repræsentat verò hîc Propheta Christum, qui *ut agnus ad mortem ductus fuit, non aperiens os suum.*

19. *Perdamus ligno panem ejus*] h. e. Inficiamus cibum ejus ligno venenato, seu misceamus toxicum in vinum & cibum ejus; sicut & Jonathan in hunc modum vertit, *Immittamus venenum mortiferum in cibos ejus.* Quidam ex nostris putant per *lignum* significari crucem & extremum supplicium; & per *panem* intelligunt vitam, quæ per panem sustentatur.

VATABLUS.

1. *Dicendo* לאמר] *Ut diceret*, sub. *illud viris Juda.*

2. *Audite verba* שמעו את דברי] *Obedite.* Alloquitur Jeremiam & alios Prophetas. ¶ *Et loquimini* ודברתם] *Ut loquamini.* ¶ *Ad viros* אל איש] Ad verb. *ad virum*: sing. pro plur.

3. *Paruerit*, &c. 'ישמע וגו] Verbum שמע non solùm ad Aures sed etiam ad Manus pertinet: nam continet auditum cum actione sive effectu & perfectione præcepti. Integra locutio seq. versu & 6 legitur, *Audite verba federis hujus, & facite illa.*

4. *Et facite ea* ועשיתם אותם] Sub. *præcepta mea.* Non conveniunt verba, sed res & sententia satis conveniunt. ¶ *Juxta omnia quæ præcepero* ככל אשר אצוה] *Prorsus ut præcepi*: vel *omnino sicut præcepi.* Fut. Heb. pro præs.

5. *Ut statuam* למען הקים] *Ut adimpleam*: *confirmem*: *suscitem*: *ratificem.* ¶ *Secundum diem hanc* כיום הזה] *Sicut hodie*: i. qualis adhuc hodie est, sive qualem videtis hodie. ¶ *Amen* אמן] *Veritas*, sub. *fit.* Est enim nomen, non verbum. i. Ità fiat, ità contingat ut dicis.

7. *Patres vestros* באבותיכם] *In Patres vestros*: vel *adversus patres vestros.* ¶ *Usque ad diem hanc* עד היום הזה] Subaudiendum nonnihil, hoc pacto, *& sic in singulis ætatibus usque in hunc diem.* ¶ *Manè surgendo & contestando* השכם והעד] Phrasis Hebraica, pro *quotidie manè protestando*: q. d. *diligenter admonendo*: *nam* (ut ait doctus inter Hebræos) *misi illis Prophetas ut protestarentur singulo manè*: *quotidie*: *jugiter.*

8. *In pravitate* בשרירות] *In visione*, vel *imaginatione*: aut *cogitatione*, & *adinventione*: i. secuti sunt inventionem vel pravitatem cordis sui. ¶ *Proinde inducam* ואביא] Præt. Heb. pro fut. *& induxi*, pro *inducam ergò.* ¶ *Verba* דברי] i. Maledictiones quæ sunt conditiones federis si non audierint.

9. *Inventa est conjuratio* נמצא קשר] i. Conjuraverunt in me homines Jehudah. Chald. *Inventum est quòd rebellaverunt verbo meo*, &c. ¶ *In viris* באיש] Sing. Heb. pro plur.

10. *Imò* והמה] Ad verb. *& ipsi.*

11. *Exire* לצאת] *Se eximere.* Chald. *à quo non poterunt liberari.*

13. *Confusionis* לבשת] i. Idolorum, quorum vos pudere deberet. Alii vertunt *in confusionem.*

14. *Assumas* תשא] *Attollas.* ¶ *Super malo suo* בעד רעתם] *Propter afflictionem suam*: vel *pro calamitate sua.*

15. *Quid* est *dilecto*, &c. 'מה לידידי וגו] Queritur hîc Propheta de idololatria suorum popularium. Quid causæ est cur diutiùs habitet Dominus, quem unicè diligo, in Templo Jerosolymorum, quod pro Templo Dei habeo? ¶ *Cùm faciat* עשותה] Ad verb. *facere ipsa.* Relativum pro antecedente, *cùm faciat synagoga*, &c. ¶ Cùm *multis* הרבים] i. Colendo multos deos. ¶ *Et carnes*, &c. 'ובשר וגו] *Et carnes sanctæ recedunt* [vel *prætereunt*] *à te*, sub. *ô synagoga*: i. quando non sanctificas Deo, sed idolis: cùm non cures ampliùs oblationes facere quas præcepit Jehova. Quidam per *carnem sanctitatis* sanctos homines intelligunt, juxta illud, *Omnis caro fœnum*; q. d. Cùm jam destituta sis viris sanctis. ¶ In *malitia tua*, &c. 'רעתכי וגו] Præt. Heb. pro præs. *cùm malefeceris*: vel, *cùm adimpleta fuerit malitia tua, tunc exsultare soles.* Alii, *dum patras flagitia, exsultas.*

16. *Ad vocem loquelæ magnæ* לקול המולה גדולה] i. Cum voce strepitûs sive fremitûs ingentis militaris accendet Deus ignem super eam. Chald. sic vertit versum istum, *Ecce sicut arbor oliva quæ est formosa visu & elegans aspectu, & rami ejus exporrigunt sese inter arbores, sic multiplicavit Jehova nomen tuum inter gentes*: *at quando transgressa fueris Legem, exercitus populorum qui fortes sunt sicut ignis venient contra te, & associabunt sese illis Arabes.* ¶ *Super eam* עליה] i. Super te. Mutatio personæ. ¶ *Ramos ejus* דליותיו] *Summos ramos ejus*: i. Etiam tuos altissimos ramos fregerunt. Mutatio personæ.

17. *Quæ fecerunt sibi* אשר עשו להם] *Quam fecerunt sibi*, i. in suam perniciem. ¶ *Sacrificando* לקטר] *Cremando thura*: *adolendo.*

18. *Indicavit mihi* הודיעני] Ad verb. *scire fecit me*, sub. *insidias quas parabant mihi.* Chald. *docuit me*, *& didici.* ¶ *Ostendisti mihi opera eorum* הראיתני מעלליהם] Ad verb. *videre fecisti me studia eorum*: vel *cogitationes.*

19. *Corrumpamus ligno*, &c. 'נשחיתה עץ וגו] *Perdamus lignum in panem ejus.* Genus dicendi Hebræis, pro, *Injiciamus perdendi eum causâ lignum lethale*, i. toxicum, *in panem ejus.* Legi potest, *Corrumpamus lignum in pane ejus*: pro *in ligno panem ejus*: per Transpositionem.

20. *Sed, ô Jehovah* ויהוה] Ad verb. *Et, ô Jehovah.* Alii, *Itaque, ô Jehovah.* ¶ *Justè* צדק] Ad verb. *justitiam*: vel, subaudità præpositione, *in justitia.*

22. *Visito* פוקד] Præs. Heb. pro fut. *visitaturus sum.*

23. *Et residuum* ושארית] *Et reliquiæ*: i. nullum relinquent super-

superstitem. ¶[*Anno visitationis eorum* שנת פקודתם] i. Tempore quo visitabo illos. Chald. *anno visitationis peccatorum eorum.*

CASTALIO.

15. QUid meo dilecto est in templo meo, cùm ea (scilicet *Hierosolyma*) tot committat flagitia?] In Hebræo verbum *Committat* & sequentia feminina sunt, cùm nomen *dilecto* masculinum sit. Vocat enim *dilectum* Judæum: deinde feminino genere alloquitur Judæam, quod idem est, & eodem nomine utrumque dicitur Hebraicè. Cujusmodi mutationem enotavimus Esa. 15. Est autem in hac sententia multa in Hebræo mutatio: nam *tot* pluralis numeri est, & *flagitia* singularis; & *facessant* pluralis, & *carnes* singularis: & paulò pòst, *cujus folia* masc. generis, & *cujus rami* feminini: id quod & alibi sæpe animadverti, sed ubique indicare non est necesse. ¶[*Facessant à te sacræ carnes, qui malefaciendo exsultes*] h. e. Frustrà victimas immolas: nam eæ mihi non placent cùm à sceleratis immolantur. Vide Esa. 1.

19. *Corrumpamus arborem cum suo cibo*] Jeremiam interficiamus, ut pereant ejus actiones. *Cibum arboris* vocant fructum.

CLARIUS.

2. AUdite verba pacti hujus] Loquitur de fœdere quod Dominus percussit cum patribus eorum Deut. 28. quando eduxerat eos de Ægypto. Superiorem prophetiam prædixit Propheta in porta templi, magnâ libertate utens; hanc à Domino admonitus accipit in natali suo loco Anathoth, qui tribus millibus passuum distat à Jerusalem. Et videbis verum quod Dominus dicit, *nullum prophetam in patria acceptum esse*; quærebant enim eum interficere, in quo typum gerit Christi. Sed quomodo quadrat *verbum factum ad Jeremiam*, cùm sequatur *Audite, & loquimini?* Ut scias Spiritum & aliis locutum, tametsi præcipuus fuerit Jeremias. Vivebant enim eodem tempore Sophonias & alii.

5. *Amen, Domine*] h.e. *Fiat, æquum est.*

9. *Inventa est conjuratio*] h.e. Conspiratio in hoc ut faciant mala. Post pœnitentiam enim, quam facere cœperunt sub Josia, iterum reversi sunt ad vomitum, contemnentes me & legem meam.

14. *Noli orare*] In Epistola Joannis jubemur *non orare pro peccato ad mortem*. Et quod addit, *non assumas pro eis laudem*, quædam est oratio in qua Divinæ laudes magis ponuntur: aliud genus ubi plus petitionibus vacatur.

15. *Quid est dilecto meo*] Volunt esse verba Prophetæ loquentis ad Deum: licèt quidam sic interpretetur, Quid dilectus meus Jeremias assiduus prophetat in templo, dum illa Ecclesia Israelis facit abominationem? Per *domum* intellige Templum Domini, in quo Deus ampliùs non colebatur, sed tota Judæa, præter paucissimos Deum timentes, colebat idolum Baal. Et quod sequitur, ¶[*Carnes sancta recedent à te*] Sensus est, holocausta & oblationes templi transtulisti in cultum idolorum, & cùm hoc malum feceris, gaudes, cùm potiùs confundi deberes. Alii exponunt *carnem* pro *hominibus*, secundùm illud, *Et omnis caro corruperat viam suam:* & tunc hic erit sensus, Omnes viri sancti transeunt à te nè malis tuis contaminentur. Chaldæus verò interpretatur in hanc sententiam, *Quid populo fiet qui mihi in pretio habebatur, omisso cultu ac reverentia domûs meæ sanctæ? Ceperunt consilium peccandi multifariam, confundentes carnes abominationum cum carnibus sanctis*, &c.

16. *Ad vocem loquelæ*] Vel, *cum voce magni tumultûs hostis incendit ignem in ea.*

18. *Demonstrasti mihi*] Revelavit (inquit) mihi Dominus dolos gentis meæ, quæ consilium iniit contra me, ut veneno me interficeret, & ego cùm essem inter eos, ducebar quasi ovis ad victimam, nesciens mihi mortem intentatam, nisi postea quàm tu revelasti. Repræsentat verò hic Propheta Christum, qui *ut agnus ad mortem ductus fuit, non aperiens os suum:* nam id in Jeremia non fuit impletum.

19. *Mittamus lignum*] Venenatum scilicet: Sunt qui existiment fuisse lignum taxi. *Panis* apud Hebræos omne edulium significat. Figura autem alludit ad crucem, ut is qui panis verus esset occideretur ligno, nempe crucis, ut infamaretur cruce, & fieret quod hìc dicitur, *& nomen ejus non memoretur ampliùs.*

21. *Non prophetabis*] Non propheta (inquiunt) in nomine Domini, ut non moriaris in manibus nostris.

DRUSIUS.

2. הַבְּרִית. A. & Sym. *pactum*, i. συνθήκην. Th. *testamentum*, i. διαθήκην] Hieron. *Notandum est autem quod verbum* ברית *Aq. & Sym. semper* pactum, *Lxx & Th.* testamentum *interpretati sunt.* Hinc *Vetus* ac *Novum Testamentum*, quo nihil aliud significatur quàm *fœdus* aut *pactum*, h. e. διαθήκη pro συνθήκη quod proprium linguæ Hellenisticæ.

7. כִּי הָעֵד הַעִדֹתִי בַּאֲבוֹתֵיכֶם בְּיוֹם הַעֲלוֹתִי אוֹתָם מֵאֶרֶץ מִצְרַיִם עַד־הַיּוֹם הַזֶּה הַשְׁכֵּם וְהָעֵד לֵאמֹר שִׁמְעוּ בְּקוֹלִי. Ὅτι συμμαρτυρούμενος συνεμαρτυράμην τοῖς πατράσιν ὑμῶν ἐν ἡμέρᾳ ᾗ ἐξήγαγον αὐτοὺς ἐκ γῆς Αἰγύπτου ἕως τῆς ἡμέρας ταύτης. ὀρθρίζων συνεμαρτυράμην, λέγων, Ἀκούσατε τῆς φωνῆς μου, *Quia contestans contestatus sum patres vestros in die quâ eduxi eos de terra Ægypti usque ad diem hanc: mane consurgens contestatus sum, & dixi, Audite vocem meam.*

8. וְלֹא שָׁמְעוּ וְלֹא־הִטּוּ אֶת־אָזְנָם וַיֵּלְכוּ אִישׁ בִּשְׁרִירוּת לִבָּם הָרָע וָאָבִיא עֲלֵיהֶם אֶת־כָּל־דִּבְרֵי הַבְּרִית־הַזֹּאת אֲשֶׁר־צִוִּיתִי. Καὶ οὐκ ἤκουσαν, οὐδὲ ἔκλιναν τὸ οὖς αὐτῶν, ἀλλ' ἐπορεύοντο ἕκαστος ἐν σκολιότητι τῆς καρδίας αὐτοῦ τῆς πονηρᾶς. καὶ εἰσήγαγον ἐπ' αὐτοὺς πάντα τὰ ῥήματα τῆς διαθήκης ταύτης, ἧς ἐνετειλάμην τοῦ ποιῆσαι, *Et non audierunt, nec inclinaverunt aurem suam, sed abierunt unusquisque in pravitate cordis mala: & induxi super eos omnia verba pacti hujus, quod præcepi ut facerent*] Hæc hodie leguntur in ed. Complut. aberant autem olim, teste Hieronymo, à Lxx. Unde colligas ex Theodotione addita fuisse. Habentur etiam in Theodoreto, qui pro σκολιότητι legisse videtur εὐθύτητι.

9. קֶשֶׁר. A. Th. σύνδεσμος *colligatio.* Sym. *conjuratio*] Hieron. *Pro conjuratione, quam nos juxta Sym. interpretati sumus, Aquila & Lxx & Th.* σύνδεσμον *transtulerunt, quam nos* colligationem, *possumus dicere. Unde & Athalia, cùm in Templo sibi parari insidias deprehendisset, eodem verbo locuta est,* Conjuratio, conjuratio. *Propriè autem hoc verbo Scriptura abutitur quando non subito fortuitóque peccato sed paratis insidiis & conjuratione tenditur ad delictum*, &c. Lex. V. *Conjuratio*, συνωμοσία. Amos 7. 10. in ed. Græca est συστροφὴ hoc sensu, i. *coitio factiosa multitudinis alicujus ad seditionem concitata.* Gallicè *ligue.* Verba sunt, συστροφὰς ποιεῖται κατὰ σοῦ, *coitiones facit contra te.* Vulg. *congregationes.*

GROTIUS.

1. VErbum quod factum est à Domino ad Jeremiam] Nempe post illud tempus designatum suprà III. 6.

2. *Audite verba pacti hujus*] Meliùs, *illius:* nempe quod per Mosem publicatum est. Audite, tu Jeremia, & Sacerdotes collegæ tui: ut memoriam illius pacti renovetis apud Judæos.

3. *Maledictus vir*] Id est, pœnas sentiet.

4. *In die quâ eduxi eos*] Id est, aliquo tempore postquam eos eduxeram.

De fornace ferrea] Fornax explorationem, *ferrum* diuturnitatem significat. Sumta verba de Deuteronomio IV. 20.

5. *Ut suscitem juramentum*] *Statuam:* id est, rebus ipsis ratum faciam.

Terram fluentem lacte & melle] Adducit hic Hieronymus non dissimilem Virgilii locum,

Mella fluant illis.

Et dixi: Amen, Domine] Id est, faciam quod jubes, & collegas meos ad idem officium excitabo.

6. *Vociferare*] Altâ voce, ut omnes audiant.

7. *Mane consurgens contestatus sum*] Tantâ diligentiâ quanta est opificum antelucanorum. Vide hanc locutionem suprà VII. 13. infrà XXV. 4.

8. *Abierunt unusquisque in pravitate cordis sui mali*] Secuti sunt lubita prava.

Et induxi super eos] *Inducam certò.*

Omnia verba pacti hujus] Id est, omnes illas ἀρὰς [*diras*] sive *minas* quas habemus Deut. XXVII. XXVIII. XXIX. XXXII. Adde egregium Philonis Judæi librum περὶ ἄθλων καὶ ἐπιτιμίων [*De præmiis & pœnis*].

9. *Inventa est conjuratio in viris Juda*] Quod hìc in Hebræo est קשר, in Chaldæo est מרדין, quæ vox *rebellionem* aut *defectionem à Rege* significat. Vide quæ diximus ad Esaiæ VIII. 12.

10. *Irritum fecerunt domus Israël & domus Juda pactum meum*] Hoc jure quodam eximio de idololatria dici solet.

11. *Et clamabunt ad me, & non exaudiam eos*] Id est, ut maximè clament, non exaudiam.

12. *Quibus libant*] In Hebræo: *Quibus adolent*, sive *suffitum faciunt*. Nec aliter hic Lxx & Chaldæus.

13. *Secundùm numerum enim civitatum*] Repetitum ex capite II. 28.

Ab libandum] *Ad adolendum*, ut jam modò.

14. *Tu ergò noli orare pro populo hoc*] Repetitum ex VII. 16. suprà, & repetendum infrà XIV. II.

15. *Quid est quòd dilectus meus in domo mea fecit scelera multa?*] *Dilectus meus*: id est, *populus quondam mihi dilectus*, ut rectè Chaldæus. *Fecit scelera multa*: id est, cultui meo ritus miscuit idololatricos. Vide 2 Regum XVI. 12. 13. 14. 15. 16. & quæ hîc sequuntur.

Numquid carnes sanctæ auferent à te malitias tuas?] In Hebræo: *An caro sancta faciat transire super te* (id est, dissimulare) *quod in malitia tua pridem exsultasti?* Id est, an victimæ legitimæ purgare te poterunt à victimis contra Legem oblatis? *Fermenti vel paululum totam inficit massam*. Hunc sensum bene exprimit hîc Chaldæus.

16. *Olivam uberem*] Frondosam.

Speciosam] In bona partium συμμετρίᾳ [*commensione*].

Ad vocem loquelæ] Dicto citiùs.

Exarsit ignis in ea] Contra eam.

Et combusta sunt fruteta ejus] *Combusti sunt rami ejus*. Id est, populi.

17. *Pro malis domûs Israël & domûs Juda*] Propter cultus idololatricos, quos Judæ populus hausit à populo Decem tribuum tam avidè ut discipulus magistrum superaret.

Libantes Baalim] *Adolentes*.

18. *Tu autem Domine demonstrasti mihi*] Etiam illa quæ in abdito fiebant.

19. *Et ego quasi agnus mansuetus qui portatur ad victimam, & non cognovi quia cogitaverunt super me consilia*] Non magis cogitabam ista in me agitari, quàm agnus qui ad Templum ducitur.

Dicentes, Mittamus lignum in panem ejus] Lxx: ἐμβάλωμεν ξύλον εἰς τὸν ἄρτον αὐτοῦ [*immittamus lignum in panem ejus*], quomodo citat & Chrysostomus περὶ τελάδος [*de Trinitate*], tom. VI. Saviliano. In Hebræo, *Corrumpamus lignum in pane ejus*: per Hypallagen, pro *panem ejus ligno*, nempe *venenato*, ut rectè hîc sumsit Chaldæus. Sic *taxis inesse venenum*, ait Plinius, & indè credi *toxica* nomen habere, XVI. 10. Lucanus:

Toxica fatilegi carpunt matura Sabæi.

Agit autem sub hac similitudine de consiliis Sacerdotum in perniciem ipsius. Vide infrà XXVI.

Et nomen ejus non memoretur ampliùs] Etiam memoriam damnemus, ut pseudoprophetæ.

20. *Et probas renes*] Id est, desideria hominum.

Et corda] Consilia.

Tibi enim revelavi causam meam] Id est, commendavi, per μετωνυμίαν [*transnominationem*]. nam qui causam suam alicui commendant, priùs eam notam faciunt.

21. *Ad viros Anathoth*] Sicut Propheta nemo magni factus in patria sua, ità & Jeremias nullos sibi habuit inimiciores, quàm Sacerdotes secum Anathothis habitantes, qui & cæteres Sacerdotes adversùs eum incitarunt.

Non prophetabis in nomine Domini] *Nè vaticinare*.

Et non morieris in manibus nostris] *Nè per nos pereas*.

23. *Inducam enim malum super viros Anathoth, annum visitationis eorum*] Meliùs *in anno*, ut habent hîc Græci, id est, suo tempore.

CAP. XII.

MUNSTERUS.

3. EDuc eos quasi oves] Verbum התיקם est Hiphil, à radice נתק, in quo significato etiam Judic. 20. invenitur. Et est sensus, Postquam impii multa cumulaverint bona, & in omnibus felicem habuerint successum, tu subitò educis illos ex bonis eorum, & destinas morti, etiam postquam visi sunt *radicem firmasse*, talíque fine clauditur felicitas eorum. Verùm impii hoc non credunt cùm à piis admonentur, sed respondent, *Non videt Deus novissimum nostrum*.

4. *Si cum peditibus cucurristi*] Respondet hîc Deus prophetæ ad suam quæstionem, ut Hebræi putant, & docet nè temere perquirat consilia Divina; *Non*, inquiens, *potuisti cursu contendere cum peditibus & tui similibus, & quomodo provocas equos ut tecum currant?* Nesciebas quòd Anathothitæ contribules tui meditabantur tibi exitium, & interrogas quâ ratione ego gubernem hunc universum mundum? Ecce cucurristi eum contribulibus tuis, & illi anteverterunt te; & quid putas fiet, si cursum institueris *cum equis*, h. e. cum Principibus & magnatibus qui sunt in Jerusalem, & qui inflantur quasi *Jordanis?*

6. *Turmatim*] Kimhi exponit hic verbum כלא pro התקבצו *collecti sunt turmatim*.

7. *Dilectionem animæ meæ*] Hebraismus est pro; *populum meum quem ex animo dilexi tradidi propter iniquitates ejus in manus hostium ejus: quin & templum meum dereliqui, atque universam terram hereditatis meæ horrui*. Haud secùs quàm cùm quis per *silvam* graditur & rugientem audit *leonem*: declinat à loco illo; sic ego propter rugitum pauperum, qui à potentioribus vim & calumniam patiuntur, deserui terram meam, &c. Ex derelictione autem mea hoc futurum est, ut tanta populi mei fiat strages, ut etiam rapaces *aves sanguine occisorum se tincturæ sint*, & *bestiæ agri* corpora ipsa *laceraturæ*. Et nota quòd verbum התיו est à radice אתה, Aleph mutato in He.

10. *Pastores multi corruperunt vineam*] Intelliguntur per *pastores* Reges & Principes qui cum Nebuchadnæzar venerunt.

11. *Qui ponat super cor*] i. Non est aliquis qui hanc comminationem meam, quam per Prophetas denuncio, cordi accipiat.

13. *Seminaverunt triticum*] De Prophetis hoc dictum accipe, qui seminaverunt bonum semen, at illi non responderunt fructibus illis, ideo non frumentum sed tribulos messuerunt.

14. *Attrectant*] Capitur hîc sicut & in multis aliis locis *tangere* pro *nocere* vel *damnum inferre*.

16. *Si discendo didicerint*] Hoc dicitur de gentibus quæ vicinæ erant Judæis, ut erant Ammonitæ, Moabitæ, Philistæi, Ædomæi, &c. quos Nebuchadnæzar etiam captivos abduxit.

VATABLUS.

1. JUstus es, &c. צדיק אתה וגו'] *Justior es, Jehova*, quàm *ut contendam tecum*. Ità etiam Chaldæus P. ¶ *Judicia* משפטים] i. Rationes meas & argumenta: q. d. *attamen cupio disceptare tecum & expostulare*. Chald. *quæstionem judiciorum ego peto coram te*. ¶ *Prosperè evenit* צלחה] *Prosperos habet successus, est felix*, ¶ *Pacem habem* שלו] Præt. Heb. pro præs. Ad verb. *pacifici sunt*, i. tranquilli sunt, sive in summa tranquillitate vitæ vivunt. ¶ *Prævaricantes prævaricationem* בוגדי בגד] Hebraismum quidam convertunt, *impudentissime prævaricantur*.

2. *Prope fuisti*, &c. קרוב אתה בפיהם] Pronomen pro verbo substantivo: q. d. *Habent te frequenter, imò assidue in ore, at longè abes ab animo eorum*. Chaldæus P. sic convertit totum versum, *Plantasti eos, & roborati sunt; ditati sunt, & comparaverunt sibi opes: propinqua sunt verba Legis tuæ in ore ipsorum, & remotus est timor tuus à renibus eorum*.

3. *Vidisti me, & probasti* תראני ובחנת] *Consideres me, & probes* (vel *examines*) *cor meum quod te colit*.

4. *Desolata erit* תאבל] *Destruetur*. Alii, *lugebit*: i. Quamdiu durabit sterilitas terræ hujus? vel, ut Hebræi interpretantur, *Quando tandem eveniet illud ut destruatur hæc terra?* ¶ *Defecerunt* ספתה] Singulare junctum plurali, *defecit animalia*, pro *finierunt*, aut *esse desierunt animalia*. Alii, *consumpta sunt jumenta*. ¶ *Novissima nostra* אחריתנו] *Finem nostrum*: i. non sumet pœnas de nobis, ut nos prorsus perdat: quia non est ei de nobis providentia.

5. *Si* כי] *Quia*. Alii volunt כי positum esse pro אם, ut nos exponimus. ¶ *Miscebis te* תתחרה] i. Quomodo certabis cum equis cursu? Alii, *contendes*: vel *pugnabis*. Aut, ut alii, *ad certamen provocabis equos?* vel, *cum equis certare contendas?* Verba Dei ad Jeremiam, quibus illi prædicit gravem afflictionem quam accepturus erat Jerosolymis. Cives ejus, i. Anathothitas, comparat hîc *peditibus*; *equis* verò celerrimis, sive *equitibus*, Jerosolymitanos. Conatus es (inquit) cives tuos in viam rectam adducere: quod assequi non potuisti; imò fatigaverunt te & afflixerunt: quòd si pedites illi te fatigarunt, longè magis fatigaturi sunt te Jerosolymitani, inter quos sunt Pharisæi & Rex, qui te majore odio prosequentur magísque affligent. ¶ *Pacis* שלום] *Quietis*: i. inter homines patriæ tuæ quibuscum vivebas in pace & securus. ¶ *In elatione* בגאון] *In superbia*, i. in loco ubi maximè intumescunt fluctus Jordanis.

6. *Clamaverunt post te congregatio* קראו אחריך מלא] *Convocaverunt adversùm te congregationem*. Alii, *clamabunt post te turmatim*. Alii, *clamant post te plenâ*, sub. *voce*.

7. *Dilectionem animæ meæ* ידדות נפשי] Urbem significat cum Templo & universo populo, quem unicè & ex animo diligebat.

8. *Tan-*

8. *Tanquam leo*, &c. 'כאריה וגו] q. d. Ut fugere solent qui iter agunt audito rugitu leonis in saltu, ità fugi ego.

9. *Tincta* צבוע] *Colorata:* vel *picta*. Miratur Propheta hereditatem suam esse factam similem avi versicolori, quam aliæ omnes persequuntur.

10. *Desiderabilem meam*, &c. חמדתי לםדבר שממה] *Expetibilem in desertum desolatum*, vel *squalidum*.

11. *Posuit eam* שמה] Quidam vertunt præt. in fut. *Ponet eam*, sub. *unus pastorum illorum*, nempe Nabuchodonosor. ¶ *Luxit contra me* אבלה עלי] i. Lugendo, de me conquesta est. ¶ *Qui ponat super cor* שם על לב] Sub. *timorem meum*, aut *verba Prophetarum adhortantium populum ad pænitentiam*. Chaldæus P. sic vertit Hebraismum, *Nemo est qui attendat Prophetis*.

12. *In deserto* במדבר] Loquitur de deserto in quo aluntur armenta. ¶ *Ejus* הארץ] Ad verb. *terræ*. Antecedens Heb. pro relativo. ¶ *Universæ carni* לכל בשר] i. Omni homini.

13. *Ægrotaverunt* quòd *non profecerunt* נחלו לא יועלו] i. Dolore quodam animi affecti sunt Prophetæ quòd non profuerint verba eorum. ¶ *Ob iram*, &c. 'מחרון וגו] Convertit sermonem ad improbos; acsi dicat, *Propheta iram Dei timentes quam effundit in peccatores, propter scelera vestra pudore confusi sunt*.

14. *Sic dixit*, &c. כה אמר יהוה] De se loquitur Dominus in tertia persona, q. d. *Hæc ego Dominus dico*. ¶ *Qui attrectant* הנגעים] *Attrectare* sive *tangere* pro *nocere* sive *damnum inferre*. ¶ *Quam hereditare feci populum meum* אשר הנחלתי את עמי] *Quam possidendam tradidi populo meo*. ¶ *Evellam* אתשם] Nè scilicet eant in exsilium cum illis gentibus quæ sunt vicinæ eorum.

15. *Convertar* אשוב] i. Redeam cum eis in gratiam; vel, *mutem sententiam*.

16. *Ædificabuntur* ונבנו] i. Non tranferam eos ad Gentiles, sed prosperè & feliciter agent cum populo meo.

CASTALIO.

4. QUoniam *negant me visurum esse ipsorum exitum*] Supplicium, sicut minari soleo, ut cap. 11. h. e. putant se impunè peccare.

5. *Si cum peditibus currens, defatigaris ab eis, quo pacto cum equitibus certabis?*] Si te fatigant Anathothenses, quid facient Hierosolymitani? ¶ *In pacato solo, in quo securus es*] Patria tua. ¶ *In Jordanis fastigio*] Montibus, in quibus sunt leones, ut est cap. 49. h. e. Hierosolymæ.

8. *Habeóne tale patrimonium qualis est versicolor ales?*] Mea patria sic infestatur à multis ut noctua ab avibus.

13. *Eósque suorum pudet proventuum*] Habent minimos proventus.

CLARIUS.

1. JUstus *quidem tu es, Domine*] Ingeniosus est Propheta, & abundat argumentis spiritûs, ut unam eandémque rem tot tàmque variis modis inculcet. Omnia præmitigat, & profert magnâ cautione nè quem offendat. Videtur ergo esse σχηματισμὸς ad correctionem impiorum factus, quò clarius proponatur iniquitas: sic & Psalmus 72. & Abacuch 1. & Job. 21. tametsi spiritus in homine multa cum libertate suos æstus interim proferat. ¶ *Si disputem tecum*] More scilicet hominum, qui judicio eum aliis contendant.

2. *Prope tu es ori eorum*] Fatentur se nosse Deum, factis autem negant. *Renes* accipiuntur pro interioribus affectionibus, qui simulatione variâ, sicut involuti renes habentur, obtecti sunt. *Longè* ergò *es à renibus*, h. e. à cogitationibus eorum, cùm de re nulla minùs quàm de te cogitent.

3. *Et sanctifica eos in diem occisionis*] h. e. Præpara, vel segrega in tempus certum quo sunt occidendi. Hebraismus enim est. Sensus est ergò, Postquam impii multa cumulaverint bona, & in omnibus felicem habuerint successum, tu subitò educis illos ex bonis eorum, & destinas morti, etiam postquam visi sunt *radicem firmasse*, talique fine clauditur felicitas eorum. Verùm impii hoc non credunt, cùm à piis admonentur, sed respondent, *Non videt* Deus *novissimum nostrum*, h. e. ignorat quid nobis eventurum sit.

5. *Si cum peditibus*] Respondet hîc Deus Prophetæ ad suam quæstionem, ut Hebræi putant, & docet, nè temerè perquirat consilia Divina. *Non potuisti* (inquit) *cursu contendere cum peditibus & tui similibus, & quomodo provocas equos ut tecum currant?* h. e. nesciebas misceri tibi ab Anathothitis letalia pocula, & scire vis quâ ratione ego gubernem hunc universum mundum? ¶ *Si in terra pacis*, &c.] Hunc habet sensum, Si in tua patria ignorasti quid adversùm te moliantur inimici tui, sed securus in mediis periculis versatus es, *quid facies si fluctibus Jordanis objiciaris?* i. quomodo cognosces consilia Dei de prosperitate impiorum &c. Et hæc quidem erit sententia si prioribus continuetur; si verò sequentibus eam adjungas, animatur Propheta ad aspiciendum simpliciter in Deum, quia nihil tutum sit inventurus, quando gravissimos inimicos invenerit inter familiares & propinquos suos. Longè molestiùs, (inquit) insolentia urbana, cùm Regis, tum Principum te feret. Vel sic; si cum tuis fracto animo usus fuisti, quid ages cum potentibus Jerusalem? & qui non resistunt carni & sanguini, quomodo obsistent Principibus adversariis? Idem dicit etiam aliâ parabolâ. Tu sperabas te pacem inventurum in Anathoth, quid igitur futurum est Jerosolymis, ubi tam superbè arrogantes inflantur sicut *Jordanis*? Jonathas priori sententiæ expositæ adjungit intelligendum etiam de exercitu Nabuchodonosor, quem transmittit ultra Jordanem.

6. *Nam & fratres tui*] Exponit quæ sit *terra pacis*, & qui *pedites*, nempe consanguinei & amici Prophetæ, qui dolis illum conati sunt interficere. *Clamaverunt enim post eum, nè prophetaret in nomine Domini:* invitabant ad prandia, sed cupiebant occidere. ¶ *Ne credas eis*] h. e. Ad eundem modum non putes fidendum prosperitati impiorum.

7. *Reliqui domum meam*] *Domum* Templum; *hereditatem* populum intellige, quem *dilectam animam*, vel *dilectionem animæ* appellat. Loquitur enim ἀνθρωποπαθῶς. Inter omnia difficilè relinquitur *domus*, difficiliùs *hereditas*, difficillimè *dilectio animæ*, h. e. quod summè diligitur.

8. *Quasi leo in silva*] h. e. Universam terram hereditatis meæ horrui haud secùs quàm cùm per *silvam* quis graditur & rugientem audit *leonem*, declinat à loco illo: sic ego propter rugitum pauperum qui à potentioribus vim & calumniam patiuntur, deserui terram meam.

9. *Numquid avi sanguinariæ*] Ex derelictione, (inquit) mea hoc futurum est, ut tanta populi mei fiat strages ut etiam rapaces aves sanguine occisorum se tinctura sint, & bestiæ agri corpora ipsa laceraturæ.

10. *Pastores multi*] h. e. Reges & Principes qui cum Nabuchodonosor venerunt. Vide verò pulcras antitheses; eam appellans *vineam suam*, *partem suam*, *portionem desiderabilem*; addit *demoliti sunt*, *conculcarunt*, *posuerunt in dissipationem*, & quod sequitur, *luxitque ad me*, h. e. auxilium implorant serò à me.

11. *Nullus est qui recogitet corde*] h. e. Nullus est qui hanc comminationem meam quam per prophetas denuncio corde accipiat.

12. *Super omnes vias deserti*] Ut intelligas ex omni parte vastatores hujus terræ advenire.

13. *Seminaverunt triticum*] Intelligunt de Prophetis, qui bonum semen *tritici seminaverunt & messuerunt spinas*, h. e. ingratitudinem populi: potest tamen & ad populum referri, qui eùm sibi tuta omnia polliceretur, quod erat quasi *triticum seminare*, *spinas messuerunt*, quando omnia illis cessere in contrarium.

14. *Vicinos meos pessimos*] h. e. Moab, Edom, Philistiim, Tyrum, Sidonem.

15. *Et cùm evulsero eos*] Hîc vocatio gentium adumbratur, nam Ammon & Moab vicinæ gentes reductæ sunt in suas sedes, unà cum Juda & Benjamin à Babylone redeuntibus.

16. *Si eruditi didicerint*] Hoc de eisdem gentibus dicitur: qui locus etiam ad gentium pertinet vocationem & ad Christi tempora.

DRUSIUS.

3. הַקְדִּשֵׁם. Lxx ἅγνισον αὐτούς. Syrus εὐτρέπισον] Ἅγνισον, *purifica*. Sed Theodoretus annotat hoc loco significare *segrega*. *Nam segregat se*, inquit, *qui vult purificari ac sanctificari*. Εὐτρέπισον vertunt *bene præpara*. Lexicon Græco Lat. vetus; Εὐτρεπής, *paratus*, *præparatus*. Εὐτρεπίζω, *apparo*, *paro*, *comparo*. Εὐτρεπίζων, *parabundus*. Santes ex Ebræo *præpara eos*.

5. אֶת־רַגְלִים רַצְתָּה וַיַּלְאוּךָ. Aq. σὺν δρομεῦσι ἔδραμες, καὶ ἐμόχθησέ σε, *Cum cursore cucurristi, & fatigavit te*. Syrus, μετὰ πεζῶν τρέχουσα ἡττήθης, *Cum peditatibus currens victa es*] Ex Theodoreto & Chrysostomo. Vide num sit legendum δρομεῦσι. Quanquam *cursores* רָצִים dicuntur: רגלים autem propriè sunt *pedites*. Nam רגל *pes*. ¶ וְאֵיךְ תְּתַחֲרֶה אֶת הַסּוּסִים. Syrus, καὶ πῶς ἀναστῆναι ἱππεῦσι δυνήσῃ; *& quomodo consurgere adversus equites poteris?*] Nota *equum* pro *equite* poni. Sic *currus* ponitur pro ipsis *vectoribus* Nah. 24. Contrà *eques* pro *equo* sumitur apud Virgilium, ut notatum A. Gellio lib. 18. cap. 5. Hinc *eques quadrupes*, i. equus. ¶ אֵיךְ תַּעֲשֶׂה בִּגְאוֹן הַיַּרְדֵּן. Syrus, πῶς περάσεις Ἰορδάνην πλημμυροῦντα; *quomodo trajicies Jordanem exundantem?*] Ex Theodoreto.

9. העיט צבוע נחלתי לי. Hier. *Numquid avis discolor hereditas mea mihi?* Lxx & alii Interpretes, *Numquid spelunca hyanæ hereditas mea mihi?* Græca sunt, Μὴ σπήλαιον ὑαίνης ἡ κληρονομία μου ἐμοί; ex Comment. Hieronymi, cujus hæc sunt, *Sin autem, ut Lxx & alii Interpretes transtulerunt, legatur*, Numquid spelunca hyænæ hereditas mea mihi? *referamus ad immunditiam nocturnæ bestiæ, quæ vivit cadaveribus mortuorum, & de sepulcris solet effodere corpora; nihilque est immunditiæ quâ non vescatur.* Ut dicam quod res est, locus iste mihi suspectus est de vitio. Cogitent viri eruditi. Nam mihi nunc ad hoc otium deest.

12. שְׁפָיִם. Syrus, ἀτεροπὸν] *Theodoretus*, διεκβολήν. *Syrus interpretatus est ἀτεροπὸν, diverticulum, semitam.* Ex Ed. Rom. Lege ἀτραπὸν, i. *callem, semitam, tramitam:* nam ἀτεροπὸς aliud est. In Lexico Hesychii Ἀτραπὸς definitur *via trita, non habens diverticula,* ἐκτροπὰς, *sed recta.*

GROTIUS.

1. J*Ustus quidem tu es Domine, si disputem tecum*] In Hebræo: *Justus tu Domine:* nempe apparebis. Vinces si tecum judicio contendam, Psal. LI. 6. Scio tibi causas esse nobis non patentes.

Verumtamen justa loquar ad te] In Hebræo, *Verumtamen judicia tecum loquar:* id est, agam tecum moderatè, quomodo משפט [*judicium*] sumitur suprà X. 24. Psalm. CXII. 5. Liceat mihi non disputare, sed mirari.

Quare via impiorum prosperatur] Hæc cogitatio illorum temporum piis sæpe oborta, propter promissa & comminationes ad hanc vitam pertinentes; quæ tamen Deo jus non adimebant suos ad tempus explorandi, ac sic viam sternendi Euangelio. Vide Jobum passim & Psalm LXXIII. De Nabuchodonosori mira prosperitate multa hic adferunt Judæi, & huc etiam hunc locum trahit Chaldæus. Ego potiùs de Sacerdotibus Jeremiæ adversantibus censeam agi. Considera sequentia.

2. *Plantasti eos, & radicem egerunt*] Firmo sunt in statu.

Proficiunt & faciunt fructum] Opulescunt.

Propè es tu ori eorum, & longè à renibus eorum] De Lege multa loquuntur, neque tamen eam sequi volunt.

3. *Probasti cor meum tecum*] Quale sit erga te.

Congrega eos quasi gregem ad victimam] Vide quæ dicta ad Psalmum CIX.

Sanctifica eos ad diem occisionis] Id est, præpara omnia ad eorum pœnam.

4. *Usquequo lugebit terra, & herba omnis regionis siccabitur, propter militiam habitantium in ea?*] Causas reddit cur Deum oret, ut illos tollat, nempe nè propter ipsorum peccata terræ maneant steriles, nihil bonæ frugis proferentes. Vide infrà XIV.

Consumtum est animal & volucre] Animalia emortua sunt fame, volucres desperatione pastûs abierunt.

Quoniam dixerunt, Non videbit novissima nostra] Id est, non curat Deus eventus rerum humanarum. Sic אחרית pro *mercede* sumitur Proverbiorum XXIII. 18.

5. *Si cum peditibus currens laborasti, quomodo contendere poteris cum equis?*] Deus Jeremiam alloquens significat exigua esse de quibus querebatur, nempe contumelias & minas Anathothanorum, præ iis malis quæ ipsi illaturi essent Hierosolymitani.

Cùm in terra pacis securus fueris] Supple, *& tamen præter exspectationem insidiæ tibi factæ sint. Terra pacis:* id est, inter amicos & cognatos, ut infrà 6.

Quid facies in superbia Jordanis?] In Hebræo: *In altitudine Jordanis:* id est, ubi Jordanis fluctibus intumescet: cum quibus comparat vulgus Hierosolymitanum.

6. *Nam & fratres tui, & domus patris tui, etiam ipsi pugnaverunt adversùm te, & clamaverunt post te plenâ voce*] Anothothani.

Ne credas eis, cum locuti tibi fuerint bona] Id est, Multò minus est quòd bene speres de Hierosolymitanis, etiamsi interdum blandiantur tibi.

7. *Reliqui domum meam*] Quia adeò corrupta sunt omnia, ipsum Templum tueri desinam.

Dimisi hereditatem meam] Populum Judaïcum abduci sinam.

Dedi dilectam animam meam in manu inimicorum ejus] Meliùs, *dilectionem animæ meæ:* id est, populum quem dilexeram. Ità hîc Chaldæus.

8. *Facta est mihi hereditas mea quasi leo in silva: dedit contra me vocem, ideo odivi eam*] Sicut rugitus leonis hominibus horrori est, ità mihi hic populus, loquens impia.

9. *Numquid avis discolor hereditas mea mihi? numquid avis tincta per totum?*] Variè hic locus vertitur & exponitur: commodissimè sic, ni fallor, *An non hereditas mea mihi* (dicta) *est avis* (quædam) *discolor*, & *an non* (propterea) *aves* (aliæ) *circumquaque ei adversabantur?* Solet siqua avis peregrini coloris ad alias aves advenerit, ab aliis impeti.

Venite, congregamini omnes bestiæ terræ] Chaldæi, Syri, Ammonitæ, Moabitæ. Vide dictum locum II Regum.

10. *Pastores multi*] Reges ac Principes.

11. *Luxitque super me*] Lamentantur, & ad me clamant, nec exaudiuntur.

Quia nullus est qui recogitet corde] Qui resipiscat, ad me redeat.

12. *Super omnes vias deserti*] Agri; id est, ab omni parte.

Ab extremo terræ ad extremum ejus] Ab uno fine ad alterum.

Non est pax] Non erit salus.

13. *Seminaverunt triticum, & spinas messuerunt*] Omnes eorum labores cassi atque irriti.

Hereditatem acceperunt, & non eis proderit] Ut si quis jure heres sit, sed possessione excidat.

Confundemini à fructibus vestris] Opera vestra vobis ignominiam parient.

Propter iram furoris Domini] Deo irascente.

14. *Adversùm omnes vicinos meos*] Ammonitas & Moabitas.

Ecce ego evellam eos de terra sua, & domum Juda evellam de medio eorum] Id est, non est quòd sibi placeant de malis quæ nunc inferunt Judæis: Judæos longè ab ipsis auferri curabo. Sed nec ipsi in suis locis mansuri sunt. Vide infrà XLVIII. XLIX. Ezechielis XXV.

15. *Et cùm evulsero eos, convertar & miserebor*] Judæos reducam.

16. *Et erit, si eruditi didicerint vias populi mei, ut jurent in nomine meo, Vivit Dominus, sicut docuerunt populum meum jurare in Baal: ædificabuntur in medio populi mei*] Id est, si Ammonitæ & Moabitæ, qui Judæis auctores fuerunt ad idololatriam, nunc meliùs ab Judæis instituti ad me, id est, Dei unius cultum, se referant, vivent placidè in vicinia Judæorum, nemine ipsis nocente.

17. *Quòd si non audierint; evellam gentem illam evulsione & perditione, ait Dominus*] Sic Ammonitarum pars cæsa ab Juda Maccabæo: Pella in Moabitide excisa tempore Alexandri Judæorum Regis.

CAP. XIII.

MUNSTERUS.

2. E*Mi igitur succinctorium*] Quidam putant hoc non fuisse rem gestam: & hujus opinionis fuit R. Moses F. Maimon, qui dicit Prophetam in Spiritu hæc vidisse quæ hic se fecisse scribit. Pro *succinctorio* alii legunt *balteum lumbarem.*

12. *Laguncula*] Capitur hîc נבל pro *vase fictili*; significatúrque per ipsum populus Israel, qui quasi inebriatus fuit à Domino, cùm varias tribulationes & calamitates illi immitteret, & concuteret atque collideret eos ad invicem. Unde Chald. sic vertit, *Ego implebo habitatores Jerusalem angustiâ, & erunt similes ebriis.*

15. *Et non elevemini*] i. Non præsumatis de astutia & sapientia vestra, ut putetis non audiendos Prophetas & increpationem Domini.

16. *Tenebrescat*] יחשך verbum Hiphil hîc est neutrum, vel refertur ad *Solem.* Significant verò *tenebræ, nox* & *caligo* insignes & horribiles tribulationes. Per *montes* verò *caliginosos* Kimhi putat intelligendam Ægyptum, ad quam confugere Judæi contendebant.

18. *Dignitas vestra*] Hebraica vox מראשתיכם propriè sig. *capitalitatem*; capitúrque hic pro *Regia dignitate.* In Genesi verò capitur pro *pulvinari capiti supposito*, quod scilicet Jacob fecerat ex lapidibus.

19. *Civitates Austri*] Per has *civitates Australes* intelliguntur civitates fortis Jehuda; quæ *clausæ* memorantur, quòd devastatæ essent, & nemo ingrederetur egrederetúrque.

21. *Tu instituisti eos*] Hoc dicitur quòd Reges Israel fœdus iniissent cum Regibus Assyriorum, & eos in auxilium vocassent, & tamen eos extremos sensissent hostes. Præsertim Rex Ahaz accivit Regem Assur contra Regem Syriæ.

27. *Non mundaberis posthac*] Est hic Hebraicus textus obscurus, habet namque sic, *Non mundaberis in posterum, quando adhuc?* Et Kimhi sic exponit, *non mundaberis postquam es inquinata, & prinsquam in captivitatem ducta fueris.*

VATA-

V A T A B L U S.

1. *Vade* הלוך] Infinit. Heb. pro imperat. ¶ *Cingulum* אזור] Quidam intelligunt de balteo militari. ¶ *Et in aquam*, &c. 'ובמים וגו] Gallicè *ne le mets point à la lexive.*

4. *Et surge, vade* קום לך] Hebraismus, pro, *& surgens vade.* ¶ *Petra* הסלע] Loquitur de petra quadam insigni & nota.

7. *Nec utile*, &c. לא יצלח לכל] Ad verb. *non proficiet omnibus*: i. nulli proficiet. Fut. Heb pro præt. imperf.

9. *Putrescere faciam* אשחית] *Corrumpam*: vel *perdam.*

10. *In duritie* בשררות] *In pravitate.* Vide suprà 11. 8. ¶ *Quod nullius*, &c. אשר לא יצלח לכל] Eadem verba quæ v. 7.

11. *At non audierunt* ולא שמעו] *At non obtemperaverunt*, sub. *mihi*, vel *voci meæ.*

12. *Uter* נבל] *Laguncula.* Indicat eos replendos esse ebrietate spirituali, i. omni cæcitate. ¶ *Numquid ignoramus* הידוע לא נדע] Ad verb. *an sciendo non scimus*: i. annon certò scimus.

13. *Impleo* ממלא] Præs. Heb. pro fut.

14. *Non parcam*, &c. 'לא אחמול וגו] Hæc tria verba sunt ejusdem significationis. ¶ *Ut non destruam eos* מהשחיתם] *A perdendo eos*: i. cùm, sive quominus eos perdam.

16. *Contenebrescere faciat* יחשך] *Obtenebrescat: obscuretur: in tenebras vertatur*, sub. *Sol*: i. priusquam veniant tribulationes nubilæ. ¶ *Caliginosos* נשף] *Obscuros.* Ad verb. *crepusculi*, sub. *noctis.*

17. *In occultis* במסתרים] *In abditis*: vel *secretis*, i. in animo. ¶ *Deducétque*, &c. 'ותרד וגו] Ad verb. *& descendet oculus meus in lacrymam*: i. defluet, versus in lacrymas.

18. *Descendit* ירד] Præt. Heb. pro fut. ¶ *De capitibus vestris* מראשותיכם] Ad verb. *principalitates vestræ*, i. principatus vester, magnificentia regiáque dignitas vestra.

19. *Civitates* quæ sunt ad *Meridiem* ערי הנגב] *Civitates Austri.* Intelligit civitates Juda; quòd Terra sancta sita sit ad Meridiem respectu Babylonis. Dicit autem *clausas esse*, ab effectu, acsi dicat quòd claudentur & desertæ erunt. ¶ *Translata est omnino* הגלת שלומים] Ad verb. *emigravit* [vel *emigrare facta est*] in *perfectionibus* i. perfectè, sive in perfectione: q. d. *Abiit in captivitatem cum universis*, sive *universaliter, omnino*, aut sive *tota.*

20. *Levate*, &c. 'שאו עיניכם וגו] Explicat versum præcedentem, perstátque in Metaphora Pastoris. Nam populi subditi Regibus dicuntur *greges*, cùm Reges dicantur *pastores.* Principio autem versiculi alloquitur Judæos omnes; deinde mutat numerum & genus, & alloquitur Synagogam sive congregationem.

21. *Cùm visitaverit te* כי יפקד עליך] Sub. *hostis*: i. cùm opprimet te hostis. Alii subaudiunt *Deus*: q. d. *cùm affliget te Deus propter iniquitatem tuam.* ¶ *Tu enim*, &c. 'ואת וגו] *Cùm tu docueris eos* esse *super te principes* & *in caput*: i. duces. Alludit ad historiam quâ Achaz petivit auxilium à Chaldæis.

22. *Propter multitudinem* ברב] Sub. *respondebit aliquis.* ¶ *Fimbriæ tuæ* שוליך] i. Vestis tua: h. e. pudenda tua nudata sunt. ¶ *Plantæ tuæ* עקביך] *Calces tui: vestigia tua*: i. pudenda tua. Bis idem dicit.

23. *Et pardus* ונמר] *Aut pardus.* ¶ *Assueti* לימדי] *Docti.*

24. *Transeuntem ad ventum deserti* עובר לרוח מדבר] i. Quæ vento rapitur.

25. *Hæc sors tua* זה גורלך] *Ista erit sors tua.* Mutatio numeri & generis. ¶ *Mensurarum tuarum à me* מדך מאתי] i. Hereditatis tuæ quam à me accipies: q. d. *Consequêris hac à me, & tibi evenient.* ¶ *Et fidisti*, &c. ותבטחי בשקר] *Et sperasti in mendacio*, i. re vana & fallaci.

26. *Et etiam ego nudavi* וגם אני חשפתי] Præt. Heb. pro fut. ut quidam vertunt, *Unde & ego denudabo*: vel, *Ego quoque revelabo*, i. nudando rejiciam, *super faciem tuam vestes tuas, & apparebit*, sive conspicietur ab omnibus, *ignominia tua.*

27. *Et exsultationes tuæ* ומצהלותיך] *Et hinnitus tui.* ¶ *Fæditas* זמת] *Scelus*, sub. *conspicua erunt.* Pluribus verbis figuratè notat idololatriam illorum. ¶ *Non mundaberis*, &c. 'לא תטהרי וגו] *Non mundaberis tandem? quousque ultra?* Alii, *non mundaberis posthac aliquamdiu.* Alii, *non mundaberis*, aut *post quando adhuc*: i. aut id fiet quando reliqueris idololatriam tuam, & abducta fueris in captivitatem. Alii similiter vertunt, sed interrogativè, *Non mundaberis*: aut *post quando adhuc?* vel, *rursus?* sub. *mundaberis.* Gallicè, *apres quel temps*, i. non dabis operam ut munda sis: aut si id facias, quando tandem id erit? q. d. *Non priùs id fiet quàm abducta fueris in captivitatem.*

C A S T A L I O.

17. *Flebo ego in occulto istam superbiam*] Dabitis superbiæ pœnas: id quod mihi Jeremiæ dolebit.

22. *Ob tui criminis magnitudinem tui calces, diductis tuis finibus, detecti sunt*] Fœdo affecta supplicio es, ut si meretrici, subductis vestis finibus, detegantur ad ignominiam obscœna.

C L A R I U S.

1. *Vade & posside tibi lumbare*] Novo argumento eadem tractat quæ superiùs & in toto libro. Sunt qui putent hanc non fuisse rem gestam, sed Propheticam visionem, quòd scilicet arbitraretur se ità agere in visione, quemadmodum in somnis accidit: & videntur hoc pacto multa ità se habere in prophetis, ut nuda incessio Esaiæ, nuptiæ Oseæ, somnus Ezechielis ad dies 350, & similia. Tametsi non facilè refellitur, omnia verè egisse prophetam ut jussus erat, in qua sententia sunt præcipui Hebræorum. Illud verò *lumbare*, sive, ut alii vertérunt, *succinctorium*, sunt qui intelligant illud esse quo præcinguntur operarii in laboribus; vel potiùs eâ ætate vestis lumbaris fuit reliquis ornatior; nam vel ex hoc loco videtur honestissimum quoddam genus vestimenti fuisse, proinde aptiùs quis *baltheum* fortasse verteret.

6. *Vade ad Euphraten*] Fluvius est Assyriorum discriminans terram Israel quâ Damascus & regna Azor ultra regionem Traconitidem jacent.

9. *Sic computrescere faciam*] Adaptat simile: Populus ille magnificus corrumpendus erat per aquas, h. e. Babylonios, *in foramine petræ*, captivitate scilicet Babylonicâ, ut planè inutilis gens futura esse videatur.

12. *Omnis laguncula*] Significatur per hoc populus Israel, qui quasi inebriatus fuit à Domino cùm varias afflictiones & calamitates illi immitteret, & concuteret atque collideret eos ad invicem. Unde Chaldaicus Interpres sic vertit, *Ego implebo habitatores Jerusalem angustiâ, & erunt similes ebriis.* Et hoc loco Propheta specialiter *spiritum vertiginis* signat, de quo dictum est Esaiæ 28.

15. *Nolite elevari*] Sensus est, Non præsumatis de astutia & sapientia vestra, ut putetis non audiendos Prophetas & increpationem Domini.

16. *Ad montes caliginosos*] Ægyptum intelligi volunt, cui fidebant. Dum igitur (inquit) vobis res integræ sunt, date Domino Deo vestro gloriam ut in eo uno speretis neque superbiatis.

17. *In abscondito plorabit*] More lugentium, qui se abdunt ut aptiùs vacent luctui.

19. *Civitates Austri*] Civitates scilicet Judæ, quæ hostibus ab Aquilone venturis australes sunt, quæ *clausæ* memorantur quòd devastandæ essent, & nemo egrederetur ingrederetúrque: ostendit ergò neminem ibi congregari. Ità apud Esaiam *clausa omnis domus* nè quis ingrediatur. Migravit autem Judas sub Jechonia, & defecit perfectè sub Sedechia.

20. *Levate oculos*] Regi Joachin & matri Reginæ loquitur. ¶ *Qui datus est tibi*] Regi scilicet.

21. *Tu enim docuisti eos*] Quomodo scilicet fieri possent Principes. Alludit autem ad historiam de Achab 4 Reg. 16. cùm invitavit ad se regem Assyriorum, missis legatis cum hoc mandato, *Servus tuus ego, & filius tuus: ascende, salva me de manu regis Syriæ & regis Israel, qui insurrexerunt contra me.*

24. *Quæ vento raptatur in deserto*] Alludit ad desertum quod inter Babylonem & Jerusalem jacet.

27. *Non mundaberis posthac, usquequo adhuc?*] Est hic Hebraicus textus obscurus, quem quidam sic exponunt, Non mundaberis postquam es inquinata, & priusquam in captivitatem ducta fueris. Quidam sic vertit, *Non mundaberis postquam*, subaudi *contaminata es.* Quòd si dicat, Mundabor, respondet, *Quousque adhuc?* q. d. in Jerusalem non mundaberis?

D R U S I U S.

12. נֵבֶל. Aquilæ prima editio *laguncula*, secunda νεβέλ. Sym. *craterem.* Th. *vas*] Hier. *Verbum Ebraicum NEBEL Aquilæ prima editio* lagunculam, *secunda ipsum* Nebel, *Sym.* craterem, *Lxx* utrem, *Th.* vas *interpretati sunt.* Νεβέλ *utrem* reddunt hodie. Sed נבל non solùm ex corio fiebat, verùm etiam ex testa: unde Thren. 4. 2. נבלי חרש, Lxx ἀγγεῖα ὀστράκινα. Hier. *vasa testacea.* Chald. *lagenis testaceis*, ללגינין דחסף.

17. בְּמִסְתָּרִים. A. *in tenebris*] Hier. *Sin autem, inquit, me audire nolueritis, in abscondito* (*juxta Aq.* in tenebris) *plorabit anima vestra.*

18. לַגְּבִירָה . A. Sym. *dominatrici & dominæ*] Hier. *Verbum Ebraicum* גבירה *Aq. & Sym.* dominatricem & dominam *interpretati sunt*] Æmulatus est postea Hieronymus. Videtur autem hoc interpretamentum Aquilæ esse, & alterum Symmachi.

GROTIUS.

1. *Vade & possede tibi*] Acquire.
Lumbare] Περίζωμα [*subligar*] Græcis, quod corpori proximè adhæret. Sic populum Judaïcum Deus præ cæteris populis proximè sibi admoverat, infrà 11.
Et in aquam non inferes illud] Sines linum illud esse asperum, qualis est populus Judaïcus.
4. *Vade ad Euphratem*] Quò scilicet ducendus erat populus Judaïcus, Psalm. CXXXVII. 1.
Et absconde ibi illud in foramine petræ] In locis remotis ac sterilibus, qualia fuêre illa in quæ deducti Judæi.
7. *Et ecce computruerat lumbare*] Sic populus in misera illa servitute contabuit, secundùm prædicta in Levitici XXVI. 39. quod ampliùs explicant quæ hîc sequuntur.
12. *Laguncula implebitur vino*] Lagena fictilis; ut Esaiæ XXX. 14.
Et dicent ad te: Numquid ignoramus quia omnis laguncula implebitur vino?] Quid in hac re novi est? Hoc ideo dicunt, quia nondum intelligebant quò irent istæ ambages.
13. *Ebrietate*] Ut præ miseriis fiant velut amentes. Vide Esaiæ LI. 17.
14. *Et dispergam eos, virum à fratre suo*] In varias regiones, nullâ cognationis ratione habitâ. Sic apud Tacitum Civilis de dilectu Romanorum agens: *Instare dilectum, quo liberi à parentibus, fratres à fratribus velut supremùm dividantur.* Idem Annal. XIV. *Ignoti inter se, diversis manipulis sine rectore, sine affectibus mutuis, quasi ex alio genere mortalium repentè in unum collecti, numerus magis quàm colonia.*
16. *Date Domino Deo vestro gloriam*] Agnoscite culpam, ut Josuæ VII. 19. 20.
Et antequam offendant pedes vestri ad montes caliginosos] Ad montes Mediæ nebulosos.
Exspectabitis lucem, & ponet eam in umbram mortis, & in caliginem] Id est, quo tempore Deus vos frustra meliora exspectantes adversis magis magisque involvet.
17. *Plorabit anima mea à facie superbiæ*] Id est, propter superbiam ac contumaciam vestram.
18. *Dic Regi & dominatrici*] Joachino & matri ejus Nohestæ, qui deportati sunt in Babylonem priore adventu Nabuchodonosoris, II Reg. XXIV. 8. 15. Ità hic Hieronymus.
Descendit de capite vestro corona gloriæ vestræ] Et regnum & libertatem amittetis.
19. *Civitates Austri clausæ sunt, & non est qui aperiat*] Id est, ab Ægypto (quæ ad Austrum Judææ) nihil vobis erit auxilii: omnia ibi vobis erunt clausa, II Regum XXIV. 7. Tacitus in Judææ descriptione: *A meridie Ægyptus objacet.*
Translata est omnis Juda transmigratione perfectâ] Id est, hanc deportationem sequetur altera multò gravior.
20. *Videte qui venitis ab Aquilone*] Meliùs: *Videte* illos (Chaldæos & Medos), *qui veniunt ab Aquilone:* quo modo habet Chaldæus. Hi sunt qui illud effectum dabunt.
Ubi est grex qui datus est tibi?] Regem alloquitur. Ecce populus tuus dispellitur.
Pecus inclytum tuum] In Hebræo, *Pecus gloriæ tuæ:* quia *multitudo populi gloria Regis*, Proverbiorum XIV. 28.
21. *Tu enim docuisti eos adversùm te, & erudisti in caput tuum*] Dux illis fuisti ad idololatriam, II Regum XXIV. 9.
Numquid non dolores apprehendent te quasi mulierem parturientem] Dolores acerrimi, ὠδῖνες [*dolores partûs*], Matth. XXIV. 8.
22. *Revelata sunt verecundiora tua, pollutæ sunt plantæ tuæ*] Id est, seminudus & excalceatus abducêris, ut captivi solent, Esaiæ XX. 4.
23. *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas: & vos poteritis benefacere cum didiceritis malum*] Vos, id est, tu Rex, & mater tua. Ostendit hic locus difficultatem maximam in mutandis moribus diu inolitis. Euenus vetus Poëta:

> Φημὶ πολυχρόνιον μελέτην ἔμεναι, φίλε, καὶ δὴ
> Ταύτην ἀνθρώποισι τελευτῶσαν φύσιν εἶναι.
> [*Quod meditare diu durabile fiet, amice,*
> *Atque id naturam credo mortalibus esse.*]

Hieronymus hoc loco: *Quicquid discitur, non natura est, sed studii & propriæ voluntatis, quæ nimiâ consuetudine & amore peccandi quodammodo in naturam convertitur. Sed hoc quod hominibus impossibile est, Deo possibile est.*
25. *Hæc sors tua*] Ad feminam hîc loquitur, nempe ad Regis matrem.
Confisa in mendacio] Idolis.
26. *Nudavi femora tua contra faciem tuam, & apparuit ignominia tua*] Id est, attollam vestes tuas super caput tuum: quod ignominiæ causâ feminis fieri solet, præsertim belli jure captis.
27. *Adulteria tua & hinnitus tuus scelus fornicationis tuæ*] Apparebit quàm laxa facta sis, libidines tuas explendo.
Vidi abominationes tuas] Et idololatriam, & libidines quæ idololatriam comitabantur.
Væ tibi, Jerusalem, non mundaberis post me? usquequo adhuc?] Meliùs ex Hebræo: *non mundaberis tandem? quando verò?* Id est, an non hæc tam fœda Regis & Augustæ tractatio te ad mentem meliorem vertet?

CAP. XIV.

MUNSTERUS.

1. *De rebus caristiarum*] Est בצרת idem quod יקר האכל, i. *escarum pretium*; derivaturque à verbo בצר, quod מנע *prohibere* significat. Est igitur sensus, quòd Propheta habuit revelationem Divinam de magna fame & aquarum penuria quam passuri fuerant Judæi, & quòd *portæ*, i. civitates, ut Jonathan habet, *redigendæ fuerunt in solitudines* & planè evertendæ atque cum inhabitantium *mœrore in terram prosternendæ*.
8, 9. *Sicut peregrinus*] Peregrinus, cùm aliunde veniat in terram, non ut mansurus in ea, sed transiturus tantùm, non curat quid agatur in ea; *pernoctandi* tantùm *gratiâ divertit ad hospitium*, cras aliò profecturus: sic quando Deus deserit civitatem vel regionem propter hominum peccata, peregrino similis est. Sed væ civitati illi quæ à Deo protectore relinquitur. ¶ Porrò per *virum attonitum* intellige hominem qui usque adeò tentationibus & adversitatibus molestatur ut nesciat quò se vertat.
10. *Voluerunt vagari*] Quia, inquit, refugium habuerunt nunc ad Regem Assur, nunc ad Regem Ægypti, & me contempserunt, agam ego ut omnes transferantur de terra sua in regiones alienas.
12. *Non exaudiam clamorem eorum*] Hoc additur quòd jejunium tunc non fiebat nisi cum oratione.
13. *Pacem veram*] i. Pacem firmam & stabilem.
19. *Et tempus medelæ*] Sub. *exspectavimus*.
22. *Qui pluviam faciunt*] Hic Propheta propiùs attingit scopum. Pluviæ defectus erat occasio futuræ famis. Non est, inquit, ad quem confugiamus: tu solus potes nos liberare ab omni malo. Non ergò asperneris supplices. Ubi duo notantur. Primò rejicit administrationem salutis in solum Deum, eripitque hanc facultatem omnibus creaturis. Deinde cœli sine Deo nihil possunt. Cœlum non est Dominus mundi, sed instrumentum est quo Deus dispensat & agit omnia ista inferiora.

VATABLUS.

1. *Verbum Jehovæ, &c.* אשר היה דבר יהוה] Ad verb. *Quod fuit verbum Jehovæ.* ¶ *Super verba prohibitionum pluviarum* על דברי הבצרות] *De negotiis prohibitionum.* Alii, *de rebus retentionum*, sub. *imbrium.* Causa pro effectu. Nam retentionem aquarum sequitur sterilitas; sterilitatem, annonæ caritas & fames. Gallicè dicimus, *Sur l'affaire de la charté.* Prædicit hîc Jeremias insignem famem & annonæ penuriam.
2. *Desolata est* אבלה] *Luxit.* ¶ *Obscurata sunt* קדרו] i. Quæ priùs erant claræ, erunt nominis obscuri & nullius pretii. Alii vertunt *mœrore affecta sunt.*
3. *Et majores eorum* אדיריהם] *Et fortes eorum*, i. Magnates, vel magnifici. ¶ *Minores suos* צעיריהם] i. Inferioris dignitatis. Refertur enim ad conditionem, non ad ætatem. ¶ *Ad fossas* על גבים] *Ad cisternas.* Alii, *lacunas*, in quibus solet aqua pluvia asservari. Gallicè *aux mares.* ¶ *Vacui* ריקם] Ad verb. in *vacuitate.* ¶ *Caput suum* ראשם] More scilicet lugentium.
4. *Erat contrita* חתה] *Erat devastata.* Alii, *ruperat sese.*
5. *Et dereliquit* עזב] *Deseruit:* sub. *fœtus suos*, quos alioqui maximè amare solet.
6. *Defecerunt oculi eorum* כלו עיניהם] *Consumpti sunt oculi eorum*, huc illuc aspiciendo scilicet, si fortè alicubi conspicerent herbam.

7. Pro-

7. *Propter nomen tuum* למען שמך] i. Age nobiscum secundùm misericordiam tuam, ut celebretur nomen tuum ob clementiam tuam erga nos.

8. *Exspectatio* מקוה] *Spes*: i. in quo sperat.

9. *Tanquam fortis*, &c. כגבור לא יוכל להושיע] Et *sicut gigas qui non potest ferre opem?* ¶ *Et nomen*, &c. ושמך עלינו נקרא] Hebraismus, pro, *dicimur tui*.

10. *Movere se* לנוע] *Vagari*, vel *discursare*, sub. *ad opem quaerendam*. ¶ *Ideo*, &c. ויהוה לא רצם] *Ideo non placuit Jehova in eis*; i. non placent ipsi Jehovae. ¶ *Nunc* עתה] *Mox*.

11. *In bonum* לטובה] Hebraismus, pro, *noli bona imprecari populo huic*.

12. *Quia gladio* כי בחרב] *Sed gladio*.

13. *Veram* אמת] *Firmam*; *stabilem*.

14. *Et nihilum* ואליל] *Et vanitatem*, i. mera somnia.

16. *Malum suum* רעתם] *Malitiam ipsorum*.

17. *Deducant oculi mei lacrymas* תרדנה עיני דמעה] *Descenda t oculi mei in lacrymas*, i. vertantur. ¶ *Dura* נחלה] *Infirma*; *agrotante*.

18. *Ægrotantes* תחלואי] *Confecti*; *laborantes*. ¶ *Circuierunt in terram* סחרו אל ארץ] i. Vagando venerunt in terram imprudentes.

19. *Num Sijon abominata est anima tua?* אם בציון געלה נפשך] *Num à Sion abhorret anima tua?* ¶ *Sanitas* מרפא] *Curatio? medela?* nempe *ab hoste & fame*. ¶ *Sanitatis* מרפא] *Curationis*; *medela*.

21. *Reprobes* תנאץ] *Exsecreris*. Alii *floccifacias*, vel *spernas*.

22. *Te igitur exspectamus* ונקוה לך] Quidam per futurum, *te autem exspectabimus*, i. opem à te exspectabimus; pendebimus à te.

CASTALIO.

8. CUR *sis quasi peregrinus in terra, quasique divertens ad pernoctandum viator?*] Cur adeò aversus es ut nos non magis cures quàm si nullâ nobiscum necessitudine conjunctus esses?

CLARIUS.

1. DE *sermonibus siccitatis*] Sensus est, quòd Prophetae revelatum à Deo fuerit magnam famem & aquarum penuriam passuros Judaeos, & quòd *porta*, i. civitates, ut Jonathas habet, *redigenda essent in solitudines* & planè evertendae, atque cum inhabitantium *mœrore in terram prosternenda*.

6. *Et onagri*] Ferunt onagri famem & sitim multo tempore; amant solitudinem: sed tandem longioris impatientes sitis ac famis circumspiciunt ubinam locorum *gramen* vel herba sit, & magno desiderio *in excelso loco aerem attrahunt celeri attractu*, *sicut dracones solent*, quorum est vehementissima spiratio & sorbitio. Sed *deficiunt oculi* intentè videntes, & nihil invenientes; vel potiùs prae debilitate ex media contracta, sicut de Jonatha legitur famelico, hebetatur oculorum acies.

7. *Responderint nobis*] h. e. Tales sint ut meritò haec eveniant nobis.

8. *Quasi colonus*] Vel *peregrinus*, qui cùm aliunde veniat in terram, non ut mansurus in ea, sed transiturus tantùm, non curat quid agatur in ea *pernoctandi* tantùm *gratiâ divertit ad hospitium*, cras aliò profecturus: sic quando Deus deserit civitatem vel regionem propter hominum peccata, peregrino similis est.

9. *Ut fortis qui non potest salvare*] Cùm sis fortissimus, cris ei similis qui non potest salvare?

10. *Qui dilexerunt mutationem*] Quia refugium, inquit, habuerunt nunc ad Regem Assur, nunc ad Regem Ægypti, & me contempserunt, agam ego ut omnes transferantur de terra sua in regiones alienas.

12. *Non exaudiam preces eorum*] Hoc additur quòd jejunium tunc non fiebat nisi cum oratione.

13. *Propheta dicunt eis*] Vide diligentissimam intercessionem. Cùm non posset excusare eos, culpam rejicit in falsos Prophetas qui illos seducunt.

18. *Propheta quoque & Sacerdos*] Loquitur de falsis, qui nescierunt impendère captivitatem donec capti essent.

22. *Aut cœli possunt dare*] Neque cœli ipsi, inquit, possunt per se, sed tu solus es qui juvare nos potes. Iterum locus contra Astrologos.

DRUSIUS.

8. כְּאֹרֵחַ. Syrus ὡς ὁδίτης. Hier. *quasi viator*] Priùs erat in LXX ὡς αὐτόχθων *ut indigena*, כאזרח. Iidem *viatoris* vocabulo utuntur Job. 31. 32.

22. הֲיֵשׁ בְּהַבְלֵי הַגּוֹיִם מַגְשִׁמִים. A. Μή ἐστιν ἐν τοῖς ματαίοις τῶν ἐθνῶν ὑετίζων; *Numquid est in vanitatibus Gentium qui pluat?*] h. e. In idolis, aut diis falsis, quos Jonas Propheta vocat הבלי שוא *vanitates vanissimas*.

GROTIUS.

1. QUod *factum est verbum Domini ad Jeremiam?*] Titulus hic est duorum capitum sequentium; olim ea erant indivisa. Confer suprà I. 2.

De sermonibus siccitatis] על דברי Hebraeis nihil aliud quàm *propter*. Itaque haec Deus dixit Jeremiae de futura siccitate magna, quam Judaei ajunt incidisse in initium regni Sedeciae. LXX: περὶ τῆς ἀβροχίας [*de defectu imbris*]. Hoc ipsum ἀνομβρίαν vocat Josephus in rebus Eliae. Hebraeis dicitur *retentio*, nempe *pluvia*.

2. *Luxit Judaea*] *Lugebit*, & sic caetera.

Et porta ejus corruerunt] *Infirmata sunt*: id est, urbes exhaustae: quomodo & Graeci hic interpretantur & Chaldaeus.

Clamor Jerusalem ascendit] Urbis per se minimè aquosae. Vide Esaiam XXII. 9. Tacitum Histor. V.

3. *Majores*] Id est, Viri summates.

Miserunt minores suos] Servos, aut domesticos suos.

Ad aquam] Supple, *quaerendam*.

Venerunt ad hauriendum] In Hebraeo, *ad cisternas*: optimè. Vide Tacit. dicto loco de Hierosolymis. Nec aliter hic Chaldaeus.

Confusi sunt] Id est, indoluerunt.

Et operuerunt capita sua] Id in luctu fieri solebat, II Samuel. XV. 30.

4. *Propter terra vastitatem*] In Hebraeo, *Propter humum contritam* aut *fractam*, quod non malè interpretantur LXX: τὰ ἔργα τῆς γῆς ἐξέλιπεν [*opera terra defecerunt*].

5. *Cerva in agro peperit & reliquit*] Id est, quod peperit reliquit in agro, quòd pastu destituta lac non haberet unde foetum aleret. Cervae magna cura foetus: Plin. VIII. 32.

6. *Et onagri steterunt in rupibus, traxerunt ventum*] Nempe vice aquae. In altis locis liberior est ventus.

Quasi dracones] Qui ob calidissimum sanguinem quaerunt frigora; ideóque & elephantis sanguinem, qui frigidissimus est, appetunt: Plinius VIII. 12.

Defecerunt, oculi eorum] Id est, prae macie acti sunt introrsum.

7. *Si iniquitates nostra responderint nobis*] Meliùs, *testificata sunt contra nos*: ut hic rectè Chaldaeus.

Domine, fac propter nomen tuum] Ità nobiscum age ut memineris nos tuos esse.

Quoniam multa sunt aversiones nostra, tibi peccavimus] Meliùs: *Si multa sunt aversiones nostra, tibi peccavimus*. Vicinos nostros non offendimus: de tuo jure agitur.

8. *Quare quasi colonus futurus es in terra*] Solent conductores terram exhaurire, quia ipsorum non est; at haec tua est.

Et quasi viator declinans ad manendum?] Viator de salute ejus terrae per quam transit solicitus non est. Tu autem hic non diverteris, sed habitas.

9. *Quare futurus es velut vir vagus, ut fortis qui non potest salvare?*] נדהם [*lassus*] alibi in sacris literis non est. Arabibus دهم est *supervenire*. *Quare similis esses viro Principi, qui superveniens alicui periclitanti, non satis validus est ad eum liberandum?*

Tu autem in nobis es, Domine] Non transis, aut supervenis.

10. *Hac dicit Dominus populo huic*] *De populo hoc*.

Qui dilexit movere pedes suos] Me neglecto nunc huc, nunc illuc discurserunt, suprà II. 18. Faciam ut egregiè discursent.

11. *Noli orare pro populo isto in bonum*] Suprà VII. 16.

12. *Gladio, fame & peste*] Quae vel singula sufficerent. Sunt haec tria gravissima irae divinae instrumenta. Vide I Samuel. XXIV.

13. *Ah, ah, ah, Domine Deus, Propheta dicunt eis, Non videbitis gladium, & fames non erit in vobis, sed pacem veram dabit vobis in loco isto*] Vide & infrà XXIII. 17. Adfert hoc Jeremias, ut leviorem faciat populi culpam.

14. *Falsò propheta vaticinantur in nomine meo*] Deus hanc excusationem non recipit: neque enim credere debuit populus iis qui blandiendo fovebant vitia, neque ex ulla praedictione circumstantiis, ità ut oportet, bene definita ac circumscripta, & secuto eventu, fidem fecerant se à Deo mandatum habere. Vide Deuteron. XVIII. 22. & ibi dicta.

15. 16. *Consumentur propheta illi, & populi quibus prophetant erunt projecti in viis*] Peribunt & seductores & seducti, Ezech. XXXIII. 6.

Effundam super eos malum suum] In Hebraeo, *malitiam ipsorum*; id est, poenam malitiae respondentem.

17. *Deducant oculi mei lacrymam per noctem & diem*] Hæc ipsa verba vult Jeremiam loqui, ut perterrefiat populus.

18. *Propheta quoque & Sacerdos abierunt in terram quam ignorabant*] סחר אל ארץ, vel אל ארץ, est *circuire terram nego. tiandi causâ*, quod ἐμπορεύεσθαι vertunt Græci: unde & hic ἐμπορεύθησαν [*negotiati sunt*] legendum videtur, non ἐπορεύθησαν [*abierunt*]. Vide Genes. XXXIV. 10. 22. XLII. 34 II Paral. IX. 14. Prov. III. 14. XXXI. 14. Ezech. XXVII. 21. Ergò & hîc sensus est, tam prophetas illos falsos, sive Scribas, ut hic habet Chaldæus, quàm Sacerdotes pariter id egisse, ut stultitiam populi sibi haberent quæstui: quod verum esse etiam suprà v. 21. didicimus.

Quam ignorabant] In Hebræo, *Et non cognoverunt*: id est Judæi non intellexerunt se decipi agyrtarum dolis.

19. *Quare ergò percussisti nos ità ut nulla sit sanitas*] *Quare ergò percuteres.* Nam Hebræi cùm subjunctivum non habeant, pro eo ponunt indicativum. Sensus est: moderatiùs feri.

Exspectavimus pacem, & non est bonum] Repetitum ex eo quod suprà VIII. 15.

21. *Neque facias nobis contumeliam solii gloriæ tuæ*] In Hebræo: *Nè dejicias solium gloriæ tuæ.* noli Judæam ità vilipendere.

22. *Numquid sunt in sculptilibus Gentium qui pluant?*] Pluviam petimus, non ab idolis, sed abs te qui dare potes.

CAP. XV.

MUNSTERUS.

1. *Si steterit Moses*] Recordatur Mosi & Samuelis, quòd uterque fuerit Levita, Propheta & Rector populi Israelitici.

3. *Quatuor genera*] Hebraismus propriè habet *cognationes* seu *familias*, pro quo Chald. פורענין *vindictas.* ¶ *Ad distrahendum*] Hebraica vox סחב propriè sign. *in terra trahere*, sicut canes faciunt quando aliquid ore portare nequeunt.

7. *In portas terræ*] Jam sæpe diximus per *portas* accipiendas civitates. Et loquitur hîc de filiis Israel qui jam in captivitatem erant ducti; quæ calamitas non movit filios Jehuda ad pœnitentiam.

8. *Turmam adolescentum*] Heb. *matrem adolescentum*: sed capitur hîc אם pro סיעה, ut Jonathan vertit. Dicit autem hostem *meridie* & clarâ luce irruisse in eos, ut ostendat illius crudelitatem. ¶ *Feci ruere super eam civitatem*] Vult ostendere civitates dirutas & subversas ab hoste antequam abducti essent in captivitatem.

9. *Quæ peperit septem*] Sensus est, Populus multus redactus est in exiguum numerum; & qui superstites manserunt tam acerbè afflicti sunt ut penè efflaverint animam, & dies illis visus fuit commutatus in noctem, &c.

10. *Virum rixæ*] Quia, inquit, cogor illis denunciare increpationes & comminationes Divinas, quocunquè me verto invenio contradictores qui mecum rixantur, & innocentem calumniantur, exsecrantur & maledicunt, cùm tamen nullum eorum gravaverim, nemini quicquam debeam, aut usuræ exegerim lucrum.

11. *Si non reliquiæ tuæ in bonum*] Habet dictio *Si non* speciem juramenti. Intelligitur autem per *reliquias* אחרית *tempus ultimum*, quando scilicet post desolationem terræ hostes populi benè usi sunt Propheta, sicut infrà patet cap. 40. ubi dicitur quòd *Nebuzaradan solverit Jirmeiam à catenis*, &c. Et sic intelligendum est id quod mox subditur; ¶ *Si non fecero tibi occurrere hostem*] Non quòd in te ruat, sed benignè suscipiat. Atque in hunc modum solet Dominus suis post crucem dare solatium. Sunt tamen qui hujus versûs alteram partem referendam putant ad Jerusalem, & illi accipiunt *occurrere* pro *hostiliter irruere*: id quod ex sequentibus colligunt, quando dicitur, *Numquid ferrum frangit ferrum*, &c. h. e. exercitus Chaldæorum, qui *chalybi* comparatur, facilè conteret exercitum tuum.

15. *Tu nosti, Domine*] Qualia scilicet patior ab eis pro tui nominis honore. ¶ *Nè tollas me*] i. Nè permittas me mori antequam veniat ultio tua, quò infelices cognoscant me prædicatorem fuisse veritatis. Patitur Propheta humanum quid, rogans nè Deus pro sua longanimitate cum hostibus agat, sed mox eos perdat. ¶ *Quòd sustinuerim opprobrium*] Notandum quòd שאתי est infinitivus cum affixo Jod, à radice נשא.

18. *Dolor meus perpetuus*] *Dolorem* vocat illam perpetuam contentionem & persecutionem quam ei moliebatur populus suus. ¶ *Aquæ infideles*] Heb. *aquæ quæ infideliter agunt.* Est autem hic sensus, ut Jonathan vertit, *Non sit mihi verbum tuum in mendacium, & quasi scaturigo aquarum cujus aquæ deficiunt.* Et nota quòd היו hic est infinitivus purus, scribitúrque Vau loco He. Et quoniam Propheta peccavit per hæc verba, animi commotionem ostendens, redarguitur à Domino per sequentia verba, *Si reversus fueris*, h. e. si pœnitueris ab hac incredulitate tua, quâ etiam verbum meum sugillas, & pro virili tua conatus fueris *ad te reducere* populum rebellem, & ex impiis facere justos, *eris quasi os meum*, &c. Nec formidabis eos, cùm *ego te murum posuerim æneum*, &c. Hic lapsus Jeremiæ nobis est notandus ad nostrum profectum. Supposuit Dominus cadenti manum suam nè collideretur. Si agnoveris, inquit, peccatum tuum, & pœnitentiâ ducaris, recipiam te in dignitatem pristinæ functionis &c.

VATABLUS.

1. *Anima mea* נפשי] *Animus meus: voluntas mea.* i. Non afficiar erga populum istum, etiamsi rogent Moses & Samuel pro eo. ¶ *Ejice* שלח] Sub. *eum*: i. vaticinare illis quòd ejiciam illos in exsilium.

2. *Qui ad mortem*, &c. אשר למות למות] i. Qui destinati sunt ad mortem, ad mortem ipsam egrediantur; & qui ad ensem, ad ensem exeant, &c.

3. *Et præficiam eis quatuor gentes* ופקדתי עליהם ארבע משפחות] *Et constituam super eos quatuor familias*, sive *cognationes*: i. quatuor species & genera animantium. ¶ *Gladium* החרב] Sic vocat homines accinctos gladio. ¶ *Ad distrahendum* לסחוב] *Ad dilacerandum.* ¶ *Et dissipandum* ולהשחית] *Et perdendum.* Conjunxit duo nomina & duo verba: prius verbum refertur ad prius nomen, secundum ad posterius.

4. *Et dabo eos*, &c. ונתתים לזועה] i. Cogam ac compellam eos se conferre ad omnia Regna terræ, vertentes solum. ¶ *Regis* מלך] *Regem*, nempe Menasseh.

5. *Discedet* יסור]. *Secedet*, sub. *è loco suo.* ¶ *Ad petendum*, &c. לשאל וגו'] *Ut interroget te de incolumitate tua*, i. quomodo valeas. Alii, *ad postulandum pacem* pro *te.*

6. *Fatigatus sum* toties *pœnitere* נלאיתי הנחם] i. Non sustinui agere pœnitentiam, h. e. mutare sententiam, de te perdendo ob scelera tua: q. d. *Toties pœnituit me mali quod locutus fueram ut facerem eis, & non feci*; *laboravi, propterea non possum ultrà pœnitere, sed ulciscar de illis.* Quidam vertunt, *laboravi ut consolationem accipiam.*

7. *Et ventilavi*, &c. ואזרם וגו'] i. Ejeci eos in captivitatem ut repurgarem eos ventilabro afflictionis. ¶ *In portis terræ* בשערי הארץ] *Portæ* pro *ostiis* aut *finibus*, *ingressibus terrarum ac regionum*, sive pro ipsis *urbibus.*

8. *Mihi* לי] i. A me: me autore. ¶ *Illis* להם] i. In perniciem illorum. ¶ *Congregationem juvenum* אם בחור] Ad verb. *matrem adolescentum.* Sed אם capitur hîc pro קהלה, in quo sensu intellexit & Chaldæus P. exponens per סיעת. Dicit hostem *meridie* & clarâ luce irruisse in eos, ut ostendat illius crudelitatem. Et quando subditur, *feci ruere super eam civitatem*, vult ostendere civitates dirutas & subversas ab hoste antequam abducti essent in captivitatem. ¶ *Civitatem & festinanter* עיר ובהלות] *Ipsam urbem*, & *in festinationibus*, vel *præcipitationibus*: i. urbs fuit subitò expugnata, cujus ruinâ intercepti sunt & oppressi omnes fortes. Alii, *hostem & terrores.*

9. *Enervata est* אמללה] *Anhelavit*, flatu scilicet emisso: præ dolore sufflavit. ¶ *Quæ peperit septem* ילדת השבעה] Sensus est, Populus multus redactus est in exiguum numerum: & qui superstites manserunt, tam acerbè afflicti sunt ut penè efflaverint animam, & dies illis visus fuit commutatus in noctem.

10. *Virum rixæ* איש ריב] Phrasis Hebraica, acsi diceret, omnium injuriis & contumeliis expositum propter verbum Dei. Quia (inquit) cogor illis denunciare increpationes & comminationes Divinas, quocunquè me verto invenio contradictores qui mecum rixantur, & innocentem calumniantur.

11. *Si non*, &c. אם לא שריתך לטוב] Sub. *non habear posthac verax.* *Reliquias* vocat reliquum vitæ tempus. Promittit Deus Jeremiæ reliquo vitæ suæ tempore felicia omnia: q. d. *Non habear verax nisi vivas in felicitate, nisi rogare fecero te tempore afflictionis & tempore angustiæ inimicum tuum*, i. nisi effecero ut Nabuchodonosor & sui te rogent. Chald. *Si non finis tuus in bonum.* Quidam Hebræorum deducunt à שרה, & exponunt, *Si non solutiones tuæ in bonum*, i. si non solvero te à vinculis tuis.

12. *Numquid ferrum conteret* הירע ברזל] *Num ferrum franget*, &c. Vires Judæorum comparat ferro puro, & vires Chal-

Chaldæorum ferro quod habet multum chalybem admiſtum, & propterea validiori: q. d. *Enſis Judaicus ferreus franget enſem Chaldæum ferro & chalybe conſtantem? Non. Ferrum & æs* vocat ferrum æri admiſtum, i. chalybem.

13. *Abſque pretio* לא במחיר] i. Non redimentur ullò pretio. ¶ *Et in omnibus terminis tuis* ובכל גבוליך] Sub. *id accidet.*

15. *Noſti* ידעת] Sub. *quæ faciant mihi.* ¶ *Suſcipias me* תקחני] *Tollas me*, ſub. *de medio*: vel, *aſſumas*, i. nè dum differs vindictam, priùs moriar quàm ſumpſeris pœnas de hoſtibus meis.

16. *Inventi ſunt*, &c. נמצאו דבריך ואוכלם] *Inventa ſunt* à me *verba tua*, *& devoravi ea*: i. cùm inventa ſunt à me, devoravi illa. Comparat recipientem verbum Dei comedenti cibum ſuaviſſimum. ¶ *Invocatum eſt nomen tuum ſuper me* נקרא שמך עלי] Hebraiſmus, *Vocatus ſum Propheta Domini*, ſive *tuus.*

17. *Ludentium* משחקים] *Jocantium.* Alii *deriſorum.* ¶ *Propter plagam tuam* מפני ידך] *Propter Prophetiam tuam*, i. quam mihi inſpiraſti: q. d. *Credidiſti mihi Prophetiam plenam indignatione tuâ erga populum tuum.*

18. *Fortis* נצח] In *æternum.* ¶ *Deſperata* אנושה] *Inſanabilis.* Alii *gravis.* Alii *doloris plena.* ¶ *Futurus ès* היו תהיה] Ad verb. *eſſendo eris.* ¶ Vena *mendax* אכזב] Fons *fallax.* Quidàm nihil ſubaudiunt, vertentes *quaſi mendax.* ¶ *Non ſunt fideles* לא נאמנו] Aquæ non perpetuò fluentes, ſed aliquando ceſſantes, dicuntur *infideles*: ſic fons *mendax*, & venæ aquarum: q. d. *Cùm ſperarem te laturum mihi auxilium, deſeruiſti me.*

19. *Tunc convertam tè* ואשיבך] i. Remittam ac condonabo tibi peccata tua. Quidam vertunt, *reſtituam te ut ſtes coram me.* Alii, *& converti fecero te, coram me ſtabis.* ¶ *Coram me ſtabis* לפני תעמד] Hoc tantùm dicitur de Prophetis & electis, ut annotat doctus inter Hebræos: q. d. *proſequar te omni favore & gratiâ.* ¶ *Tanquam os meum eris* כפי תהיה] *Juxta os meum eris*, i. accidet tibi ut ego tibi prædixero. ¶ *Convertentur*, &c. ישבו וגו'] *Convertantur ipſi ad te*, *& tu nè convertaris ad eos*: i. fac ut qui receſſerunt à Legibus Dei tibi acquieſcant, & nè acquieſcas illis.

CASTALIO.

1. ETiamſi *coram me ſtaret*] Pro eis oraret.

5. *Quis tibi pacem petere aggrediatur?*] *Pacem*, i. ſalutem.

6. *Temperando defeſſus*] A pœnis me continendò.

8. *In matrem ſobolis*] Hieroſolymam.

9. *Septipara*] Fœcunda. ¶ *Sol ejus*] Lætæ res.

10. *Cùm neque creditor ſim, neque debitor*] Cùm ſim à litibus alienus.

12. *Scilicet ferro ferrum rodetur*, &c.] Cùm te ferreum æneúmque fecerim, tibi noceri non poteſt. Vide finem capitis. ¶ *Septentrionale*] Quod ex Septentrione importatur, h. e. duriſſimum.

13, 14. *Veſtras copias & facultates*] In Hebræo ſingularis numerus eſt pro plurali. Nam hæc de Jeremia non dici, apparet ex eo quod dicitur de *finibus*, quaſi multos fines haberet Jeremias, quibus omnibus finibus paterent ejus peccata, id quod non de Jeremia ſed de Judæis dicitur, qui *quot oppida*, *tot habebant deos*; ut ait idem Jeremias. Præterea ad extremam ſententiam pluralis eſt numerus. Adde quòd cap. 17. eadem potur ſententia; ubi perſpicuum eſt hæc in Judæos dici. Itaque ego duos hos locos contuli, & ex utroque alterum nonnihil juvi, quoniam videtur uterque nonnihil depravatus. Quod enim hîc legitur והעברתי, id illic rectiùs videtur legi והעבדתיך, facili mutatione literæ Daleth in Res, propter figuræ ſimilitudinem. Eſt enim eadem ſententia quæ cap. 16. ponitur his verbis, *Exigam vos ex iſta terra*, *in terram & vobis & majoribus veſtris ignotam.* Conferantur diligenter hi duo loci.

15. *Noli me tuâ lentitudine tollere*] Hoſtium pœnas differendo, qui mihi perniciem moliuntur.

18. *Tu mihi, ſicut infidelis aqua, quaſi fallax ès*] Speratum à te auxilium non adipiſcor, ut ſi quis ſperatam in fonte aquam non inveniat.

19. *Appariturum mihi*] Miniſtraturum. ¶ *Si pretioſum à vili diſcernes*] Prudens eris.

CLARIUS.

1. MOyſes *& Samuel*] Inter ſanctos præcipui ſunt Moſes & Samuel. *Non ſurrexit Propheta in Iſraël ſicut Moſes.* Poſt quem Samuel ſecundus eſt opinione omnium; de quo dicitur, *non cecidiſſe unum verborum ejus ſuper terram.*

4. *Propter Manaſſem filium Ezechiæ*] Qui occidit Prophetas, adoravit idola, conſuluit pythoniſſas, immolavit pueros dæmoniis. Quamvis autem Manaſſes rediiſſet in gratiam, reductúſque in Jeruſalem eſſet, commemoratur tamen peccatum ejus, quòd cæteri fuerunt imitati pertinaciter. Et vide quàm horrendum ſit autorem eſſe publicæ corruptelæ.

6. *Laſſus ſum miſerendo*] Vel *pœnitendo.* Toties debitam tibi pœnam intermiſi, inquit, ceu ductus pœnitentiâ, ut jam ſim delaſſatus.

7. *In portis terræ*] h. e. Per omnes civitates. ¶ *Interfeci*, &c.] Loquitur de iis qui jam in captivitatem erant ducti. Quæ calamitas non movit filios Juda ad pœnitentiam.

8. *Super matrem adoleſcentum*] h. e. Super turbam adoleſcentum, eſt enim Hebraiſmus. ¶ *Vaſtatorem meridie*] h. e. Exercitum omnia diripientem palàm. ¶ *Et feci ruere ſuper eam repente civitatem, & terrores*] Significat, civitates dirutas antequam abducti eſſent in captivitatem.

9. *Quæ peperit ſeptem*] h. e. Populus multus redactus eſt in exiguum numerum; & qui ſuperſtites manſerunt tam acerbè afflicti ſunt ut penè efflaverint animam, & dies illis ſit viſus commutari in noctem. Cùm regnante Achaz *Phacee filius Romeliæ centum & viginti millia juvenum de Juda uno prælio ſtraviſſet*, id evenit quod hîc ferè Propheta vaticinatur. Nam tum viduarum & pupillorum maximus numerus fuit, quem per Hyperbolen *arenæ maris* comparat.

10. *Virum rixæ*] Quia cogor, inquit, illis denunciare increpationes & comminationes Divinas, quocunquè me verto invenio contradictores qui mecum rixantur, & innocentem calumniantur & exſecrantur, cùm tamen nullum eorum gravaverim, nemini quicquam debeam, aut uſuræ exegerim lucrum.

11. *Si non reliquiæ*] Illud *Si non* ſpeciem habet juramenti. Intelligitur autem per *reliquias* tempus ultionum; quando ſcilicet poſt deſolationem terræ hoſtes populi bene uſi ſunt Prophetâ, ſicut infrà patet cap. 40. ubi dicitur quòd *Nabuzardan ſolverit Jeremiam à catenis*, & optionem obtulit ei utrùm abire an manere vellet in terra. Et ſic intelligendum eſt id quod mox ſubditur, *ſi non occurrerit tibi*, &c. quòd ſcilicet hoſtis occurret ei, & benignè ſuſcipiet. Atque in hunc modum ſolet Dominus ſuis poſt crucem dare ſolatium. Sunt tamen qui hujus verſûs alteram partem referendam putent ad Jeruſalem; & illi accipiunt illuc *occurrere* pro *hoſtiliter irruere*, id quod ex ſequentibus colligunt, quando dicitur, *Numquid ferrum franget ferrum*, &c. h. e. Exercitus Chaldæorum, qui *chalybi* comparatur; facilè conteret exercitum tuum, ut ſic dicat, *Numquid frangere poterit ferrum ſolum aliud ferrum chalybe temperatum & factum fortius, quale veniet ab Aquilone?* Videris, inquit, tibi fortis ut ferrum, ſed ferrum Babylonicum obduratum chalybe fortius erit.

15. *Tu ſcis, Domine*] Quòd ſcilicet patior ab eis pro tui nominis honore, quódque quicquid mihi faciunt, odio faciunt nominis tui. Jam edoctus erat *non eſſe orandum pro eis*, ideirco diverſum ſpectavit ſpiritus ab oratione Moſis & Pauli. ¶ *Noli in patientia tua tollere me*] Nè ſic utaris erga illos patientiâ tuâ ut me perire ſinas illis ſalvis; ut agnoſcant me prædicatorem fuiſſe veritatis: alioqui fuiſſet hoc in opprobrium Dei.

16. *Et comedi eos*] Verba Prophetiæ tam fuerunt mihi grata quàm cibus qui comedenti eſſe poteſt gratiſſimus.

17. *A facie manûs tuæ*] Non irriſi te, inquit, quemadmodùm illi, ſed propter te ac munus Prophetiæ, quæ *manus* dicitur, *ſedebam ſolus*, &c.

18. *Dolor meus perpetuus*] *Dolorem* vocat illam perpetuam contentionem & perſecutionem quam ei moliebatur populus ſuus. ¶ *Eris mihi quaſi mendax*] Quare eris mihi inſtar putei aquam falsò promittentis, & inſtar aquarum inſtabilium, & quæ non ſemper fluunt. Jonathas ſic vertit, *Non ſit mihi verbum tuum in mendacium, & quaſi ſcaturigo aquarum cujus aqua deficiunt.* Promiſiſti ergò, inquit, *te facturum me murum æneum*, & ego adhuc nihil promovi: tantùm malevolorum vim in me irritavi.

19. *Si converteris*] Quoniam Propheta peccaverat per ſuperiora verba, animi commotionem oſtendens, redarguitur hîc à Domino: *Si reverſus fueris*, h. e. ſi pœnituerit te hujus incredulitatis tuæ quâ etiam verbum meum ſugillas, & pro virili tua conatus fueris *ad te reducere* populum rebellem; & ex impiis facere juſtos, (hoc enim eſt *ſeparare pretioſum à vili*) *eris quaſi os meum*, & quod tibi promiſi præſtabo, & quicquid dixeris ratum ac firmum erit ac ſi ego dixiſſem. ¶ *Convertentur ipſi ad te*] h. e. Cupient amicitiam contrahere tecum.

DRUSIUS.

9. השבעה. A. Th. *ſeptem* ἑπτά. Sym. *plurimos*] Hieron. *Sæpe diximus verbum Ebraicum* שבע *vel* ſeptem *vel* juramen-

mentum *sonare vel* plurimos. *Unde & diversa est interpretio, Aquilâ, Lxx & Theodotione* septem *transferentibus*; *Symmacho* plurimos. Numerus certus pro incerto. Sic alibi, *Septies in die cadit justus*, i. sæpius, *aut* multoties. Hieron. Jes. 4. שבע *nunc* septem, *nunc* plures, *nunc* juramentum *interpretantur. Itaque in illo*, Apprehendent septem mulieres virum unum, *per* SEPTEM plures *significantur*. Videndus Lira Zach. 4. 10. ad locum, *Septem isti oculi DOMINI pervagantes totam terram*. R. D. Psal. 12. 6. *Numerus Septenarius usurpatur pro Multo sive Plurimo*. Idem שבעתים, quod Græci reddunt ἑπταπλασίως, & alii *septies*, interpretatur *multis vicibus*.

10. לא נשיתי ולא נשו בי. Th. *non debui, nec debuit mihi quisquam*] Pro quo Lxx. *non profui, neque profuit mihi quisquam*. Hieron. *non fœneravi, neque fœneravit mihi quisquam*. *Non profui*, ὐκ ὠφέλησα. Syrus apud Theodoretum, ὐκ ὤφλησα, *non conflavi æs alienum*. Ex ed. Rom. Vide si vacat, & si otium est.

12. הירע ברזל ברזל מצפון ונחשת. Sym. *Numquid nocebit ferrum ferro ab Aquilone, & æs?* Th. *Si cognoscet ferrum? & operimentum æneum?* Sic etiam Lxx. Græca sunt, Εἰ γνωσθήσεται σίδηρος; καὶ περιβόλαιον χαλκοῦν, &c. Legerunt autem Daleth pro Res, h.e. ידע pro ירע. Qui error frequens est in illa editione.

13. לא במחיר. *Absque pretio*] Legitur in Hieronymo. Assentior autem iis qui putant illum ex aliqua editione sumpsisse.

16. ואכלם. Sym. *& suscipiebam eos*] Hieron. & comedi eos. *h.e. in cibum mihi versi sunt: sive juxta Symmachum*, suscipiebam eos, *ut mihi in lætitiam verterentur qui dudum fuerant in opprobrium.*

GROTIUS.

1. *SI steterint Moses & Samuel coram me*] Meliùs, *Si starent*. Si viveret nunc aut Moses, aut Samuel, duo populi hujus amantissimi, non me moverent. Simile Ezech. XIV. 14. Stare, gestus orantium in illis populis. Vide quæ dicta ad Matth. VI. 5. & Lucæ XVIII. 11.

Ejice illos à facie mea] Id est, patere ejici.

2. *Qui ad mortem, ad mortem*] *Mortem* hîc pestem intellige. Vide dicta ad Matth. XXIV. 7. Sensus est, Nihil mea refert quomodo ab hac terra tollantur dum modo tollantur. Tribus mortis generibus, pesti, gladio hostili, & fami, quartum per feras addit Ezech. XIV 15. At hic feræ sequentur, non tamen ut interemtrices vivorum, sed ut laceratrices mortuorum.

3. *Visitabo super eos quatuor species*] In Hebræo, *Præficiam illis quatuor genera:* rerum scilicet carnivorarum, ut denumeratio ostendit.

4. *Et dabo eos in fervorem universis regnis terræ*] *In commotionem:* id est, ut vagi errent. Sumtum enim est hoc verbum ex Deuteron. XXVIII. 25.

Propter Manassem filium Ezechiæ regis Juda, super omnibus quæ fecit in Jerusalem] Id est, ob peccata illa omnia, quorum auctor fuit Manasses, imitator populus. Simili modo causa pœnæ adferuntur peccata Jeroboami I Regum XIV. 16.

5. *Quis enim miserebitur tui, Jerusalem?*] Id est, *Quis misereretur?* Quis ità esset lenis, ut tui posset misereri?

Aut quis contristabitur pro te?] Quis indoleret tuis malis? paulatim crescit oratio.

Aut quis ibit ad rogandum pro pace tua?] *Quis pedem movere velit, ut inquirat quomodo valeas?* Ità hîc Chaldæus: שאל לשלם [*interrogare de pace*] sic sumitur II Samuel. VIII. 10. I Paralipom. XVIII. 10. Psalmo CXXII. 6.

6. *Laboravi rogans*] In Hebræo, *Lassus sum pœnitendo:* id est, indulgentiam meam tamdiu præstando contra Legis minas.

7. *Et disperdam eos ventilabro in portis terræ*] Disjiciam illos in omnes terminos terræ, ut nempe per eos evehantur: disjiciam ut palea disjicitur ventilabro.

Interfeci & disperdidi populum meum] Id est, multos antehac tradidi hostibus interficiendos, ut eos qui in Mageddo ceciderunt.

Et tamen à viis suis non sunt reversi] Nempe, qui istis cladibus fuerunt superstites.

8. *Multiplicatæ mihi sunt viduæ ejus*] *Multiplicabuntur:* & ità cætera.

Induxi eis super matrem adolescentis vastatorem meridie] Hoc est, cum illis adducam qui non per insidias, sed clarâ die matres orbet liberis.

Natum ante ora patris, patrem qui obtruncet ad aras.

Ut cum Virgilio loquar. Viduis bene subjicit orbos.

Misi super civitates repentè terrorem] Tantum undique terroris erit ut minorum oppidorum nullum resistere audeat.

9. *Infirmata est quæ peperit septem, defecit anima ejus*] Id est, Hierosolyma, numerosæ prolis parens, succumbet hosti.

Occidit ei Sol cùm adhuc esset dies] In medio rerum secundarum cursu eversa est.

Et residuos ejus in gladium dabo] Illos qui cum Godolia, qui popularium suorum manibus cecidêre, II Regum XXV. 25.

In conspectu inimicorum eorum] Id est, *oblectationi, oculisque hostium occiderunt*, ut Tacitus in re simili loquitur.

10. *Væ mihi mater mea*] Loquitur Jeremias conquerens de maximis odiis quæ ipsi pareret talium rerum vaticinatio. nam

Obsequium amicos, veritas odium parit.

Quare genuisti me?] In quas miserias sum genitus?

Virum rixæ, virum discordiæ in universa terra] Quem odere, quem maledictis incessunt omnes: σημεῖον ἀντιλεγόμενον [*signum quod oppugnatur*] Lucæ II. 34.

Non feneravi, nec feneravit mihi quisquam] Fenus inter Hebræos vetitum. Itaque vertendum: *mutuam pecuniam nec dedi ego cuiquam, nec quisquam mihi*. Nullum mihi pecuniarium negotium cum quoquam intercessit, unde lites oriri solent.

11. *Si non reliquiæ tuæ in bonum*] *Ne verax habear, nisi ultima res tua futura sint prospera.*

Si non occurri tibi in tempore afflictionis, & in tempore tribulationis adversus inimicum] Nisi in tempore misero ac calamitoso tibi conciliator sim gratiæ apud hostem. Vide infrà XL.

12. *Numquid fœderabitur ferrum ferro ab Aquilone & æs*] Multam hic fuisse versionum varietatem notat Hieronymus. Ea indè nata quòd alii legêre ירע, ut & nos habemus, Theodotio vero ידע [*cognoscit*]. Rursum illud ירע alii derivant à רעע, ut sit *nocebit*; alii à רעה, ut sit *fœderabitur:* quomodo & Chaldæus accepisse videtur. Versio maximè loco conveniens hæc esse videtur: *An ferrum nocere poterit & ferro Aquilonari, & æri?* Ferrum Aquilonare intellige *chalybem*, ità dictum à Chalybibus populis ad Septentrionem, de quibus vide Strabonem XII Geographicôn. Sensus autem hic: Esto Judæi sint duri ut ferrum, ego tibi ero pro duplici muro, altero chalybeo, altero aheneo.

13. *Divitias tuas & thesauros tuos in direptionem dabo*] Hîc sermo Dei ad Judæam se convertit.

Gratis] Nihil pro eo munere accipiam, contentus ultione.

In omnibus peccatis tuis, & in omnibus terminis tuis] *Propter omnia peccata quæ in finibus tuis* omnibus commisisti. Hunc sensum nobis monstrat id quod infrà habemus XVII. 3. Inter peccata autem vel maximè intelligenda idololatria.

15. *Tu scis, Domine, recordare mei*] Iterum Jeremias loquitur, & se tutelæ divinæ commendat.

Noli in patientia tua suscipere me] Id est, noli patiens esse, & tardus in injuriis meis vindicandis. Sic *susceptus* etiam Latinis dicitur qui in alterius est tutela.

16. *Inventi sunt sermones tui, & comedi eos*] Simulatque intellexi mandata tua, statim ea in animum admisi. Vide Ezech. III. 1.

Quoniam invocatum est nomen tuum super me] Lætabar *Prophetam Dei* me vocari.

7. *Non sedi in concilio ludentium*] In choro cantantium & saltantium.

Et gloriatus sum] Neque *exsultavi*. Id est, nihil mihi ab eo tempore fuit dulce.

A facie manûs tuæ solus sedebam] Propter mandata mihi imposita desertus sum ab omnibus.

Quoniam comminatione implesti me] Quia omnia vaticinia quæ mihi imposuisti sunt minacia.

18. *Quare factus est dolor meus perpetuus?*] Meliùs, *fieret*. Et mox: *renueret curari*. Cur patereris me perpetuò opprimi?

Facta est mihi quasi mendacium aquarum infidelium] Rectiùs, *Et fieres mihi fallax, ut aquæ infideles:* quæ hyeme multùm strepunt, æstate non comparent. Confer Jobum VI. 15.

19. *Si converteris, convertam te*] Meliùs: *Quia verteris quò te verto*, Id est, ad cuncta imperia mihi præstò es.

Et ante faciem meam stabis] *Stas:* id est, & quia ministras mihi. Id enim est *stare coram aliquo*. Vide Deuteron. X. 8 & quæ diximus ad Matth. XVIII. 10.

Quasi os meum eris] *Quasi os meum es*. Fideliter refers quæ tibi imperavi. Idem loquendi genus Exodi IV. 16.

Convertentur ipsi ad te, & tu non converteris ad eos] Illi te rogabunt, non tu illos. Vide impletum hoc XLII. 2.

20. *Et*

20. *Et dabo te populo huic in murum aneum fortem*] Superabis omnes illorum ictus.

Et bellabunt adversum te, & non prævalebunt] Multis quidem modis te vexabunt, sed vitam tibi non auferent.

CAP. XVI.

MUNSTERUS.

2. Oportet in Scriptura diligenter observare quomodo præcedentia cohæreant ad sequentia, nè frustulatim decerpantur quæ cohærent, nè quid statuatur contra verbum Domini, sicut olim faciebant Tatiani, qui nimis puri esse volentes utebantur hâc parte Scripturæ, prohibentes nubere, quia hîc videtur præcipi Jeremiæ *nè uxorem ducat:* Cùm magis observandum sit quo tempore, cui & quâ ratione Dominus hæc dixerit, nè per sophisticam versutiam trahant ea quæ dicuntur in alienum sensum, hoc modo arguendo, *Dominus ob illam & illam rationem tunc prohibuit Jeremiæ ducere uxorem. Ergò non est cuiquam uxor ducenda.* Sophisma est à dicto secundùm quid ad dictum simpliciter, sicut & hic; *In magno periculo maris projicienda sunt merces: Ergo semper sunt projicienda.* Non sequitur.

4. *Mortibus ægritudinum*] Chaldæus Interpres & alii Rabini post eum sic exponunt hunc locum, *Morientur morte quæ ex ægritudine famis proveniet.*

5. *Sustuli pacem*] Mutavimus hîc Hebraismum, qui habet, *Collegi pacem*, &c.

6. *Nemo se incidet*] Erat quidem à Mose prohibitum *nè propter mortuos seipsos lacerarent & carnem inciderent*, sed illi legis Mosaicæ obliti & ritibus Gentium assueti ab incisuris non abstinebant in amarioribus planctibus.

7. *Ut quis aliquem consoletur*] *Consolationem* istam aliqui Judæi accipiunt de refectione corporali, sicut & Interpres noster hîc vertit, *non frangent inter eos lugenti panem*, sed is legit לחם pro להם.

16. *Mitto ad piscatores multos*] Hebræi per *piscatores* intelligunt interfectores, & per *venatores* abductores. Partim enim fuerant occisi in terra, & partim in captivitatem ducti. Nostri verò verba ista ad Christi Regnum pertinere contendunt, in quo per *piscatores* & *venatores* Gentes Christo fuerunt lucrifactæ.

18. *In cadaveribus abominationum*] Vocat Scriptura hîc & in multis aliis locis culturam idolorum *stercus, fœtidum cadaver, abominationem, miseriam, vanitatem, dolorem, immunditiam*, &c.

19. *Nihil utile est*] Est מועיל participium Hiphil; ideo sign. propriè *id quod utilitatem aliquam profert.*

VATABLUS.

4. *Ægrotationum* ממותי תחלואים] *Ægritudinum.* Alii *ægrotantium morte*, i. confectorum fame. Sic exponit Chaldæus P. & docti inter Hebræos. ¶ *Et erunt*, &c. והיו לנבלתם] Sing. Heb. pro pluralibus.

5. *Neque condoleas eis* ואל תנד להם] *Neque commoveare propter eos:* q. d. *Non dolebitis cum dolentibus, neque gaudebitis cum gaudentibus.* ¶ *Abstuli* אספתי] *Abstraxi.*

6. *Neque se incident* ולא יתגדד] i. Non laniabunt vultum suum. ¶ *Nec decalvabunt*, &c. ולא יקרח להם] *Neque calvitium erit pro eis*, vel *fiet super eis.*

7. *Et non expandent manus suas* ולא יפרסו] i. Non expandent manus in luctu propter illos mortuos, luctûs indicandi gratiâ, ad consolandum unumquemque superstitum, consolandum, inquam, ob mortuum. Alii, *Et non frangent*, sub. *panem, inter eos lugenti.*

12. *Pejus fecistis faciendo* הרעתם לעשות] Ad verb. *deteriorastis facere*, i. deteriora fecistis illis. ¶ *Duritiem* שררות] *Pravitatem*: i. sectamini quisque pravam libidinem cordis sui mali quò minùs me audiatis.

13. *Non dabo*, &c. לא אתן לכם חנינה] i. Faciam ut hostes non misereantur vestri, sed cogant vos ad idola colenda.

16. *Mitto* שלח] Præt. Heb. pro fut. *missurus sum*, sub. *legatos*, vel *nuncios. Piscatores*, Chaldæi, *pisces*, cives Jerusalem: acsi dicat, *Excitabo Chaldæos adversus urbem, & cingent illam obsidione quasi reti, & cives illius capient.* Comparantur etiam hîc Chaldæi venatoribus; Sedecias autem & milites ejus in fugam versi, feris quæ metu venatorum fugiunt & se huc atque illuc recipiunt. ¶ *Ex omni monte* מעל כל הר] Sing. Heb. pro plur. *ex omnibus montibus*, ad quos scilicet confugerint salutis causâ. ¶ *Petrarum* הסלעים] *Rupium*, i. saxorum ingentium.

18. *Duplum iniquitatis eorum* משנה עונם] *Duplicem iniquitatem eorum:* i. sumam primùm pœnas de illis propter iniquitatem eorum & Patrum ipsorum.

19. *Et non est*, &c. ואין בם מועיל] *Et eos in quibus nulla est utilitas.* Alii, *Et non est in eis juvans*, sub. *tempore tribulationis.*

20. *Et ipsi* והמה] *Cùm tamen ipsi non sint dii?*

CASTALIO.

5. *Ne domum parentalium ingredere*] In qua fiunt parentalia: h.e. funebre convivium.

7. *Neque panis in luctu distribuetur*] לחם lego, ut & Vetus & Græcus Interpres legit, & sententia ostendit: & cum eo congruit quod pauló pòst sequitur, *Sumendi cibi potionisque gratiâ.*

18. *Flagitiorum suorum cadavere*] Fœdis suis diis.

CLARIUS.

4. *Mortibus ægrotationum*] Chaldæus Interpres & alii Rabini post eum sic exponunt hunc locum, *Morientur morte quæ ex ægritudine famis proveniet.*

6. *Et non se incident*] Erat quidem à Mose prohibitum *nè, propter mortuos seipsos lacerarent & carnem inciderent*; sed illi legis Mosaicæ obliti & ritibus Gentium assueti ab incisuris non abstinebant in amarioribus planctibus.

7. *Et non frangent inter eos lugenti panem*] Mos erat, lugentibus ferre cibos & præparare convivium: quod Græci *περίδειπνα* vocant, nos *parentalia*. Vocantur etiam *ἀγάπη*. De hoc habes Prov. 31. *Date siceram lugentibus, & vinum iis qui amaro sunt animo.*

11. *Post deos alienos*] Semper invenies idolis obnoxiam fuisse gentem usque ad captivitatem Babylonicam.

15. *Qui eduxit filios Israel de terra Aquilonis*] Hoc per Christum factum est. Reducti enim sumus qui tam ex Judæis quàm ex Gentibus credidimus *ad terram patribus datam:* h. e. ad cognitionem Dei. Nam *Abraham*, ut Stephanus inquit, *nè vestigium quidem pedis possederat.* Iccirco *terrâ* illa Dei favor & gratia est per fidem.

16. *Mittam piscatores multos*] Ponit consequenter quomodo filii Israel congregati sunt, nempe per *piscatores*. Neque absque causa Christus Piscatores delegit, quò veritas figuræ responderet. Postquam verò prædicatum est in Judæa, exierunt in nationes similes facti *venatoribus*, qui omnia loca indagant.

17. *Quia oculi mei super omnes vias eorum*] Antequam liberem eos, puniam illos propter idololatriam.

18. *Duplices iniquitates*] Patrum scilicet atque ipsorum. Alius interpretatur, *reddenda peccatis duplicia:* quòd abunde expietur supplicio Christi peccatum hominis. ¶ *In morticinis idolorum suorum*] Vocat Scriptura sæpe culturam idolorum *stercus, fœtidum cadaver, abominationem, miseriam, vanitatem, dolorem, immunditiam*, &c.

19. *Domine fortitudo mea*] Pro se & pro illustrandis dicit, Domine, & ego nullus essem, ac cæteri quos piscatores venabuntur, sed *à te robur* nostrum est. *Dies* verò *tribulationis* erit cùm Judæi & Gentes contra Apostolos insurgent.

21. *Ostendam eis manum meam*] In excæcatione Israel, cùm perdiderunt gentem & locum.

DRUSIUS.

17. ולא נסתרו מלפני. *οὐκ ἀπεκρύβησαν ἀπὸ προσώπου μου*, *non sunt abscondita à facie mea*] Hæc habentur apud Theodoretum. Negat autem Hieronymus exstare in Lxx; unde colligas aliunde petita esse. Verba Hieronymi, *Quod hic de Ebraico posuimus*, non sunt abscondita ea à facie mea, *in Lxx non habetur.*

GROTIUS.

2. *Non accipies uxorem, & non erunt tibi filii & filiæ in loco isto*] Vetat Jeremiam uxorem ducere, & liberos gignere, propter mala imminentia, quibus satius unum exponi quàm plures. Vide Paulum 1 Corinth. VII. 29.

4. *Mortibus ægrotationum*] *Peste*, ut suprà XV. 2. nam de *fame* & *gladio* sequitur.

5. *Ne ingrediaris domum convivii*] Id est, jam nunc exemplum illis esto, ut discant carere omnibus gaudii signis, ut quæ brevi omnia ab ipsis erunt auferenda. Hunc sensum suggerunt quæ sequuntur infrà 9.

6. *Et non se incident, neque calvitium fiet pro eis*] Quos scilicet

scilicet mores multi à vicinis sumserant, spretâ lege quæ exstat Levitici XIX. 27. 28. Deuteronomii XIV. 1.

7. *Non frangent inter eos lugenti panem, & non dabunt eis potum calicis ad consolandum super patre suo & matre sua*] Mos enim erat, ut notant Hebræi, lugentibus mitti ab amicis & epulas, & vinum, longè optima. Vide Ezech. XXIV. 17. Apparet & hunc interpretem & LXX legisse לחם [*panem*], non להם [*ipsis*], meliùs haud dubiè. Non dissimilem morem Græcorum ἐν περιδείπνοις & Latinorum in parentalibus notat hîc Hieronymus.

9. *Vocem gaudii & vocem lætitiæ, vocem sponsi & vocem sponsæ*] Repetit ex iis quæ suprà VII. in fine.

10. *Quare locutus est Dominus super nos*] Confer quæ suprà XIII. 22.

12. *Ambulat unusquisque post pravitatem cordis sui mali*] Nulla tam prava vobis incidit cupido quam non opere impleatis.

13. *Et serviatis ibi diis alienis die ac nocte*] Id est, *servietis populis qui illis diis serviunt*, ut hîc optimè interpretatur Chaldæus. Videtur enim qui domino imperat & servo imperare.

Qui non dabunt vobis requiem] Optimè ad sensum qui sequitur connectendum vertas: *donec vestri misertus fuero.*

14. *Propterea ecce dies venient*] *Etenim, ecce venient dies.* Causa redditur postremi dicti.

Non dicetur ultrà] Id est, nova beneficia obscurabunt veterum memoriam: sicut magis placent nova cantica.

15. *De terra Aquilonis*] De Media & vicinis ei locis.

16. *Ecce ego mittam piscatores multos dicit Dominus, & piscabuntur eos*] *Piscatores* isti sunt Chaldæi, qui Judæos undique velut ἀμφιβλήστρῳ, sive *everriculo* cepere.

Et post hæc mittam eis multos venatores, & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle, & de cavernis petrarum] *Venatores* isti sunt Persæ, qui ex omnibus locis Judæos recolligent.

17. *Oculi mei super omnes vias eorum*] Malas ac bonas.

18. *Et reddam primùm duplices iniquitates & peccata eorum*] Non antè eos reducam quàm gravissimè eos punierim. *Duplicis pœnæ* mentio eodem sensu Esaiæ XL. 2. quò videntur hæc verba respicere. Chaldæus: משנה ראשונה interpretatur *primis & secundis: primis* qui avecti sub Jechonia, *secundis* qui sub Sedecia.

In morticinis idolorum suorum] *Cadaveribus deorum suorum.* Id est, victimis humanis. Vide infrà XIX. 5. & Ezechielis XVI. 20.

Et abominationibus suis] Idolis.

19. *Domine, fortitudo mea*] Arripit Jeremias pollicitationem Dei de reducendo populo, & cum gaudio approbat.

Ad te gentes venient] Magni greges Judæorum.

Verè mendacium possederunt patres nostri, vanitatem quæ eis non profuit] Spes habuerunt malè collocatas: hoc dicent experimento edocti.

20. *Numquid faciet sibi homo deos, & ipsi non sunt dii?*] Id est, *qui dei non sunt.* Fierine potest ut humana audacia id jus sibi sumserit, ex non diis faciendi deos? Tertullianus Apologetico, *Apud vos de humano arbitratu divinitas pensitatur; nisi homini Deus placuerit, Deus non erit: homo jam Deo propitius esse debebit.*

21. *Iccirco ecce ego ostendam eis per vicem hanc, ostendam eis manum meam, & virtutem meam*] Respondet Deus Prophetæ, quia rem tam fœdam, Jeremiâ fatente, admiserant Judæi, se manifesta daturum divinitatis suæ indicia. *Manum* intellige in illis puniendis, *virtutem* sive *potentiam* in reducendis.

Et scient quia nomen mihi Deus] יהוה, id est, qui in promissis mihi constem. Vide Exodi VI. 2.

C A P. XVII.

M U N S T E R U S.

1. UNgulâ adamantinâ] i. Tam profundas misit peccatum Jehuda radices in cordibus eorum ut ferè indelebile sit. Etiam si excelsa in montibus destruantur, altaria diruantur, idola aboleantur, & luci exstirpentur, adhuc vivacissimum est peccatum eorum in cordibus eorum. Et nota quòd per *ungulam adamantinam* intelligitur stilus ferreus. Repetitur enim plerumque apud Prophetas una & eadem sententia.

3. *Montem meum in agro*] Kimhi hunc elicit sensum, *O mons meus, in agro dabo substantiam tuam, & thesauros tuos in direptionem*; h. e. ego tradam bona Jerusalem hostibus eorum, quæ distribuent inter se in agro.

6. *Quasi myrica in deserto*] Hæc arbor propter nimias soli exustiones nullos fert fructus; putatúrque à quibusdam esse Tamarica, vulgò *Tamarisch*. *Cùm*, inquit, *venit bonum*, i. pluvia, arbor illa non sentit bonum illud, ideo semper manet sterilis. Et huic assimilat Propheta impios, qui omni gratiâ cœlesti destituuntur.

8. *Non videbit si venerit æstus*] h. e. Non sentiet æstum propter jugem humorem quem fluvius illi ministrat.

9. *Perversum est cor*] Alii sic vertunt, *vafrum*, seu *subdolum*, *super omnia.* Ærumnosum seu desperatum est cor hominis, magna scilicet & ardua præsumens, nihil autem potens.

11. *Perdix cumulat ova*] Comparantur divites, qui divitias suas fraude & rapinâ congerunt, *Perdici* avi malitiosæ. Hæc enim *aliena ova congregat*, & cum suis iis incubat: & postquam nati pulli matri dissimiles inveniuntur, *derelinquuntur* à matre; aut, secundùm alios, pulli deserunt matrem. Idem evenire solet divitibus, qui citiùs quàm putaverant coguntur relinquere congregatas opes.

12. *Solium gloriæ*] Ut Deus, inquit, sibi ab initio mundi præparavit in sublimitate cœlorum *solium gloriæ*, ità quoque apud nos in terris delegit sibi peculiare *sanctuarium.* Alii aliud hîc sentiunt.

13. *In terra scribentur*] h. e. Terræ deputabuntur, & nihil habebit Deus commune cum illis.

16. *Non sum affectus angore*] i. Rebellis non fui cùm mihi delegares munus Prophetiæ, sed humiliter te secutus sum, pro viribus populum pascens. Posset etiam sic verti, *Ego non festinavi à te pastore, sed secutus sum te.* Tu etiam nosti quòd ego periculoso huic officio me non ingressi, (id enim vocat hîc Propheta *diem desperatum*) nec aliud docui quàm quod à te accepi. Alii interpretantur *diem calamitosum* qui tempore Jeremiæ impendebat Judæis.

17. *In die malitiæ*] Hebraismus est pro, *in die quo illi mihi malum intentaverint.*

18. *Duplici contritione*] Kimhi putat legendum *secundâ & repetitâ contritione contere eos*, h. e. multiplici.

22. *Sanctificabitis diem Sabbati*] Per *sanctificationem Sabbati* intellige verum & sincerum cultum Dei. Est enim Sabbatum symbolum creationis mundi, ducens nos in agnitionem magnifici Creatoris nostri. Sublatum tamen est Sabbatum ceremoniale, pro quo Judæi tam pertinaciter usque in hunc diem certant. Declaratum quoque est à Christo ex causâ otium vertendum in occupationem, cùm *Sabbatum sit propter hominem, & non homo propter Sabbatum.* Ad observationem ergò Divinorum mandatorum adhortatur hîc Judæos spe utilitatis.

V A T A B L U S.

1. S*Tylo ferreo* בעט ברזל] Sub. *in re dura, quæ requirat stylum ferreum:* q. d. Peccata Judæ sunt indelebilia: nam cor eorum est durissimum. ¶ *Ungue* בצפרן] Gallicè dicimus, *Avec une pointe de diamant.*

2. *Recordantur enim filii eorum* כזכר בניהם] *Ut filii eorum monumenta habeant ararum eorum*, &c. Alii, *Sicut recordantur filiorum suorum*, ità recordantur *ararum suarum:* q. d. Tam grata est illis memoria ararum quàm grata esse solet memoria liberorum.

3. *Montane* הררי] i. O Juda, qui versaris in montibus ut illic colas idola. Alii, *O mons mi.* ¶ *Propter peccatum excelsorum tuorum* במותיך בחטאת] Ordo inversus Hebræis, *excelsorum tuorum propter peccatum.*

4. *Et remissio erit in te* ושמטתה ובך] Ad verb. *Et facies remissionem, &* remissio illa erit *in te:* i. quiesces sive cessabis à colenda terra tuâ, quam scilicet non sivisti quiescere septimo quoque anno juxta præceptum meum: Et erit remissio illa in te: q. d. non erit spontanea, sed coacta; privaberis enim hereditate tuâ, & abducêris captivus.

6. *Tanquam myrica* כערער] *Tanquam juniperus.* ¶ *Neque videbit*, &c. ולא יראה וגו'] i. Non fruetur bono, h. e. imbre & pluviâ. ¶ In *siccitatibus* חררים] *In ardoribus*, i. locis aridis.

8. *Mittit* ישלח] Fut. Heb. pro præs. ¶ *Probibitionis* בצרת] *Carentiæ*, sub. *imbrium:* i. caritatis, sive penuriæ annonæ. Vide suprà 14. 1. ¶ *Timebat* ירא] *Dolebit.* Alii, *erit solicita.*

9. *Fraudulentum* עקב] *Dolosum.* Potest enim homo verbis factísque bonum præ se ferre corde pravo.

10. *Ut dem* ולתת] Quidam subaudiunt לשלם, propter ו in ולתת, & legunt *ut retribuam & dem.*

11. *Colli-*

11. *Colligit* דגר] Præt. Heb. pro præs. *Sicut perdix colligit alterius avis ova, & cubat super ea acsi sua essent, sic qui parat sibi divitias nullâ suâ industriâ.* Comparantur divites qui divitias fraude & rapinâ congerunt *Perdici* avi malitiosæ: hæc enim aliena ova congregat, & cum suis incubat; & postquam nati pulli matri dissimiles inveniuntur relinquuntur à matre, aut (ut alii) pulli deserunt matrem. Idem evenire solet divitibus, qui citiùs quàm putaverant coguntur relinquere congregatas opes. ¶ *Et non in judicio* ולא במשפט] Hebraismus, pro *præter æquum.*

12. *Altitudo* מרום] Est in *excelso*, i. in cœlo. Ut, inquit, solium Dei gloriosi fuit ab æterno (sive, Quemadmodum Deus ab æterno habitavit in cœlo) ità nunc habitat in hoc Templo, nempe per ostensionem gloriæ suæ: acsi dicat, Cùm Deus habitet in Templo nostro ut in cœlo, quî fit ergò ut quis audeat dicere illum aut non videre aut non curare quæ in mundo patrantur? ¶ *Sanctificationis nostræ* מקדשנו] *Sanctuarii nostri.*

13. *Recedentes à me* יסורי] *Apostatæ mei*, i. qui defecerint à Deo quem colo. Legi potest simpliciter *apostatæ*, i. qui recesserint à te, *in terra scribentur*, & non in cœlo, i. delebuntur nomina eorum de libro vitæ. ¶ *Aquarum viventium* מים חיים] i. Quæ semper scaturiunt, & nunquam deficiunt.

14. *Laus mea* תהלתי] i. De te solo glorior, & à te uno pendeo.

16. *Non sum abominatus* לא אצתי] *Non sum affectus angore quò minùs pastor essem*, &c. q.d. Non fui rebellis cùm mihi delegares munus Prophetiæ, sed humiliter sum te secutus, pro viribus populum pascens. Alii, *non elongavi meipsum ne essem*, &c. Vel, *moram non traxi*, &c. Alii, *non formidavi nè*, &c. Alii, *non festinavi à te pastore, sed secutus sum te.* Alii, *non impuli me ut essem pastor post te*, i. non intrusi me, nec arrogavi mihi provinciam. *Post Deum esse Prophetam* est Dei esse Prophetam: nam Prophetæ sunt secundi à Deo pastores. Hæc posterior versio magis loco convenire videtur propter mox sequentia, *nec diem contritionis ego desideravi.* ¶ *Contritionis* אנוש] *Doloris*, aut *gravis infirmitatis.* Alii, *durum*, i. gravem, infelicem, calamitosum, quo mirum in modum affligentur populares mei. ¶ *Coram te fuit* נכח פניך היה] i. Sermo meus non fuit tibi ignotus.

17. *Spes mea* מחסי] *Fiducia mea*: vel *refugium meum.*

18. *Paveant*, &c. יחתו המה ואל אחתה אני] *Terreantur ipsi, & nè terrear.* ¶ *Et duplici* ומשנה] Doctus inter Hebræos exponit *secundâ & repetitâ contritione*, i. multiplici.

19. *Filiorum populi* בני עם] i. In qua frequenter versantur cives Jerusalem: vel, *sta in porta Jerusalem frequentissima*, nimirum in ea ad quam præcipuè convenire solent cives Jerusalem juris causâ. Sic describit portam Regiam, primariam & præcipuam. Hic increpat Propheta Judæos quòd non observarent Sabbatum.

21. *Cavete* השמרו] Ad verb. *Sitis custoditi.* ¶ *Neque inferatis* והבאתם] *Ut inferatis.*

25. *Vecti curru & equis* רוכבים ברכב ובסוסים] *Insidentes currui & equis.* ¶ *Viri* איש] Sing. Heb. pro plur.

26. *Et de monte* ומן ההר] Sing. Heb. pro plur. *& de montibus*, i. regione montana, q. d. *ex omni parte.* ¶ *Laudem* תודה] *Gratiarum actionem: confessionem.* ¶ *Domum* בית] Quidam nonnulla subaudientes vertunt, *& adducentes confessionem venient, inquam*, in *domum Jehovæ.*

27. *Domos* ארמנות] *Palatia*: ædes magnificas & egregias.

CASTALIO.

2. QUi *quantum suos filios suas recolunt aras*] Non minùs amant aras quàm solent amari liberi.

6. *In silvestri salsa terra*] Sterili.

13. *Inscribentur terræ*] In terram redibunt, h. e. morientur.

16. *Atqui non ego te sequens incommodare conor*] מרעה à רוע ductum significat *incommodare*, & capitur pro eo quod est *nunciare*, ut cap. 1. dicitur mitti Jeremias *ad destruendum*, &c. h. e. ad nunciandam ruinam: & sæpe in Levitico *purgare* aut *polluere* pro *purum polluumve pronunciare.* Est autem gemina sententia; ut sit idem *incommodare conari* & *sævam diem avere.*

25. *Ingredientur per hujus urbis portas Reges & Principes qui in solio Davidis sedent*] Salva manebit Urbs & Regnum.

CLARIUS.

1. IN *ungue adamantino*] Tam profundas, inquit, misit peccatum Juda radices in cordibus eorum ut ferè indelebile sit. Etiamsi excelsa in montibus destruantur, altaria diruantur, idola aboleantur, & luci exstirpentur, adhuc vivacissimum est peccatum in cordibus eorum.

2. *Cùm recordati fuerint*] Alius vertit, *Recordantur quasi filiorum suorum, altarium suorum, & lucorum suorum juxta ligna frondosa*, &c.

3. *Montium amatores*] Intelligit eos qui amabant in montibus sacrificare: quibus minatur Dominus se traditurum bona Jerusalem hostibus eorum, quæ distribuent inter se in agro. Alius ità distinguit ut novum hoc principium faciat, & sic vertit, *Montem meum in agro, possessionem tuam & cunctos thesauros tuos tradam*, &c.

6. *Quasi myrica*] Hæc arbor, quam hìc nominat Propheta, propter nimias Solis exustiones, nullos fert fructus. *Cùm*, inquit, *venit bonum*, i. pluvia, arbor illa non sentit bonum illud; ideo semper manet sterilis: & huic assimilat Propheta impios, qui omni gratiâ cœlesti destituuntur.

9. *Pravum est cor*] Cor aptum est ad fallendum maximè omnium rerum, & excogitandorum malorum studiosissimum. Hoc versu probat, *maledictum esse qui spem in homine ponit*: nam eventus ubi ab homine pendet, incertus sit necesse est.

11. *Perdix fovit*] *Sicut Perdix fovit quæ non peperit, sic qui facit divitias, & non in æquitate.* Comparantur divites, qui divitias suas fraude & rapinâ congerunt, *Perdici* avi malitiosæ. Hæc enim *aliena ova congregat*, & cum suis eis incubat; & postquam nati pulli matri dissimiles inveniuntur, *derelinquuntur* à matre; aut, secundùm alios, pulli deserunt matrem. Idem evenire solet divitibus, qui citiùs quàm putaverant coguntur relinquere congregatas opes.

12. *Solium gloriæ altitudo*] Ut Deus, inquit, sibi ab initio mundi præparavit *in sublimitate* cœlorum *solium gloriæ*, ità quoque apud nos in terris delegit sibi peculiare *sanctuarium.* Alius sic exponit, *O Domine, cujus solii majestas altissima est ab exordio conditionis rerum omnium, qui & locus es sanctificationis nostræ, exspectatio Israel, omnes qui te derelinquunt confundentur*, &c.

13. *In terra scribentur*] h. e. Nullam portionem cœli habebunt, terræque deputabuntur, & nihil habebit Deus commune cum illis.

14. *Sana me, Domine*] Tu, Domine, & non alius, potes & me & populum meum sanare.

16. *Non sum turbatus*] Non fui rebellis cùm mihi delegares munus Prophetiæ, sed humiliter te secutus sum, pro viribus populum pascens. Tu etiam nosti quòd ego periculoso huic officio me non ingessi (id enim vocat hìc Propheta *diem contritionis*) nec aliud docui quàm quod à te accepi.

18. *Duplici contritione*] h. e. Aliâ post aliam atque multiplici.

18. *Sanctificate*] Per *Sanctificationem Sabbati* intellige verum & sincerum cultum Dei. Est enim Sabbatum symbolum creationis mundi, ducens nos in agnitionem magnifici Creatoris nostri. Sublatum tamen est Sabbatum ceremoniale, pro quo Judæi tam pertinaciter usque in hunc diem certant. Declaratum quoque est à Christo, ex causa otium vertendum in occupationem, cùm *Sabbatum sit propter hominem, & non homo propter Sabbatum.*

DRUSIUS.

1. חַטַּאת יְהוּדָה כְּתוּבָה בְּעֵט בַּרְזֶל בְּצִפֹּרֶן שָׁמִיר חֲרוּשָׁה עַל־לוּחַ לִבָּם וּלְקַרְנוֹת מִזְבְּחוֹתֵיכֶם. οἱ λοιποὶ, Ἁμαρτία Ἰούδα γέγραπται ἐν γραφείῳ σιδηρῷ, ἐν ὄνυχι ἀδαμαντίνῳ ἐγκεκολαμμένη ἐπὶ τοῦ στήθους τῆς καρδίας αὐτῶν, καὶ τοῖς κέρασι τῶν θυσιαστηρίων ὑμῶν, *Peccatum Juda scriptum est stylo ferreo, in ungue adamantino, insculptum in pectore cordis eorum, & in cornibus altarium vestrorum*] Hier. *Hoc cur à Lxx prætermissum sit nescio, nisi forsitan pepercerunt populo suo, sicut & in Esaia eos fecisse manifestum est.* Vide sequentia, si non est grave. ¶ *Stylo ferreo*: apud Theodoretum *in scriptura*, ἐν γραφῇ. ¶ *In pectore cordis eorum.* Hier. *super latitudinem cordis eorum*, ἐπὶ πλάτος. pro quo suspicatus aliquando sum legendum esse ἐπὶ πλακὸς *in tabula.* Nam לוח *tabula.* i. πλάξ. Unde αἱ πλάκες τῆς διαθήκης *tabulæ fœderis*, לוחי הברית: &, μετὰ δύο πλάκας τοῦ μαρτυρίου, *cum duabus tabulis testimonii.* ¶ *In ungue*, vel *ungue.* ¶ *Altarium*, sive *ararum*, Hier. ¶ *Vestrarum*, ὑμῶν. Sed in Eusebio ἡμῶν, & apud Hier. *eorum*, i. αὐτῶν.

2. כזכר בניהם מזבחותם ואשריהם על־עץ רענן על־גבעות הגבהות. ἡνίκα ἀναμνησθῶσιν οἱ υἱοὶ αὐτῶν τὰ θυσιαστήρια αὐτῶν καὶ τὰ ἄλση αὐτῶν ἐπὶ ξύλῳ δασεῖ καὶ ἐπὶ βουνῶν μετεώρων, *Cùm recordati fuerint filii eorum altarium suorum & lucorum suorum super lignum condensum & super colles sublimes*] Hier. *lignorumque frondentium in montibus excelsis.*

3. הררי בשדה. Hier. *sacrificantes in agro.* In citatis ex Theodoreto, *& montes in agro.* ¶ חילך כל־אוצרותיך לבז אתן במותיך בחטאת בכל־גבוליך. ἰσχύν σου καὶ πάντας τοὺς θησαυρούς σου εἰς προνομὴν δώσω, καὶ τὰ ὑψηλά σου ἐν ἁμαρτίᾳ ἐν πᾶσι τοῖς ὁρίοις σου, *fortitudinem tuam & omnes thesauros tuos in direptionem dabo, & excelsa tua propter peccatum in omnibus finibus tuis*] *Fortitudinem tuam*, opes tuas. ¶ *Et excelsa tua.* Hier. *excelsa tua.* Abest copula etiam in Ebræo. ¶ *Propter peccatum.* Hier. *propter peccata*, ἐν ἁμαρτίαις. Apud Theodoretum, *propter peccata tua quæ in omnibus finibus tuis.*

4. ושמטתה ובך מנחלתך אשר נתתי לך והעבדתיך את־איביך בארץ אשר לא־ידעת כי־אש קדחתם באפי עד־עולם תוקד. Καὶ ἀφαιρεθήσῃ καὶ ταπεινωθήσῃ ἀπὸ τῆς κληρονομίας ἧς ἔδωκά σοι, καὶ ἀναβιβῶ σε ἐν τοῖς ἐχθροῖς σου, καὶ ἐν τῇ γῇ ἣν οὐκ ἔγνως. ὅτι πῦρ ἐκκέκαυται ἐν τῷ θυμῷ μου, ἕως αἰῶνος καυθήσεται, *Et auferis & humiliaberis ab hereditate tua quam dedi tibi, & servire te faciam inimicis tuis in terra quam ignoras: quoniam ignis succensus est in furore meo, usque in æternum ardebit*] Hier. *relinquêris sola.* Theodoretus, *dimittêris sola & humiliaberis.* ¶ *Servire faciam te inimicis tuis:* ità Hier. & Theodoretus. Græca magis sonant, *prodire faciam te inter inimicos tuos.* Cogitemus ampliùs. ¶ *Ignis succensus est.* Hier. *ignem succendistis.* Hæc omnia exstant in nonnullis cod. Græcis, & in uno Vaticano leguntur sub asteriscis. Unde liquet sumpta esse ab aliis Interpretibus. Quod clarè docet Eusebius 10. Ἀποδείξ. per hæc verba, εἰ καὶ μὴ παρὰ τοῖς ό, ἀλλ' οὖν ἐν τῷ Ἑβραϊκῷ ταῦτα εὑρόντες, καὶ ἐν τῇ τῶν λοιπῶν ἑρμηνευτῶν ἐκδόσεσιν, ἔτι μὴν μετὰ παραθέσεως ἀστερίσκων, καὶ τοῖς ἀκριβέσι τῶν παρὰ τοῖς ἑβδομήκοντα ἀντιγράφοις, &c. Vide etiam Complut. Ed. Nam interdum variat. Nos autem Græca descripsimus ex Eusebio.

6. ערער. Sym. *lignum infructuosum*, ξύλον ἄκαρπον] Hier. Et erit quasi myricæ, *sive, ut interpretatus est Sym.* lignum infructuosum, in solitudine. Apud Augustinum, pro *myrica*, *tamarix* legitur. ¶ חררים. Syrus ἐν φωλεοῖς, *in antris*] Lxx ἐν ἁλίμοις, quod reddunt *in salsis.* Sed τὰ ἅλιμα inter genera olerum, quæ ab Ebræis מלוחים vocantur. Vide Quæst. meas.

9. עקב הלב מכל ואנש הוא מי ידענו. Sym. *Inscrutabile cor omnium: vir autem quis est qui inveniat illud?*] Malim *qui cognoscat.* ¶ *Inscrutabile:* nam profunda scrutari facilè non possunt. ¶ *Vir autem.* Legit אנוש pro אנש. Hier. *Verbum Ebraicum* אנש, *si legatur* ENOS, homo *dicitur*; *si autem* אנוש, inscrutabile *sive* desperabile, *eò quòd nullus cor hominum valeat invenire. Sym. verò hunc locum ità interpretatus est*, inscrutabile cor, *&c.*

11. בחצי ימו יעזבנו. A. ὃς ἐν ἡμίσει ἡμερῶν ἐγκαταλείψει αὐτούς, *qui in dimidio dierum relinquet eos*] Ex Ed. Rom.

27. ארמנות. A. Sym. βάρεις] Hier Domos *sive* vicos Jerusalem, *Lxx, Aq. & Sym.* βάρεις, *i.* turritas domos, *interpretati sunt, appellantúrque Ebraicè* ARMENOTH. Alibi dicit esse verbum ἐπιχώριον Palæstinæ, quo domus ab omni parte conclusæ & in modum ædificatæ turrium ac mœnium publicorum significantur. Psal. 122. 7. ἐν πυργοβάρεσί σου. Euthymius, *Hac dictione mœnia turribus circumsepta ac munita intelligimus.* Scholion, Βάρεις ἐπιχωρίως λέγονται παρὰ Σύροις αἱ μεγάλαι οἰκίαι. Psal. 45. ἀπὸ βάρεων ἐλεφαντίνων ex hoc loco intelligentiam habet. Nam malè interpretantur *à gravibus eburneis*, tanquam à βαρὺς, cùm sit à βάρις.

GROTIUS.

1. P*Eccatum Juda scriptum est stylo ferreo in ungue adamantino*] Meliùs Chaldæus: *& ungue adamantino.* Est enim utrobique ב nota instrumenti. *Unguis adamantis* est acumen ejus quo scribi solet. Vide Paraphrasten Hierosolymitanum Deuteronomii XXXII. 13. Sensus est: Ego durè eos tractando faciam ut meminerint quæ & quanta peccaverint. Pro *scriptum est*, rectè verteris *scribetur.*

Exaratum super latitudinem cordis eorum] *Sculptum* (supple, *erit*) *in tabula cordis eorum.* Solebant ab idololatris περίαπτα [*amuleta*] quædam suspendi ad cor, in quibus erant deorum nomina, aut χαράγματα [*insignia*], aut numeri. Ad ea alludens dicit illam idololatriam non facilè abituram ab ipsorum corde, ob pœnas scilicet quas sint sensuri.

Et in cornibus ararum eorum] In cornibus ararum scribi solebant deorum nomina. Vide Act. XVII. 23. Ad eum morem alludens hoc significat, fore ut illis cornibus transfodiantur, id est, pessimè tractentur ob ista facta. Confer Psalm. XXII. 22.

2. *Cùm recordati fuerint filii eorum ararum suarum*] In Hebræo: *Secundùm recordari filios ararum suarum.* Sensus est: ut recordentur diu quid fecerint.

3. *Montane in agro*] Id est, ô tu Hierosolymita, qui in agro optimo montem Sionis inhabitas.

Fortitudinem tuam] Id est, opes tuas, vasa, gemmas, vestes.

Omnes thesauros tuos] *Congesta argenti pondera & auri.*

Excelsa tua propter peccata in universis finibus tuis] Meliùs, & *excelsa tua* quæ tibi *in peccatum* fuêre *in universis finibus tuis:* Omnia hæc, ait Deus, diripientur.

4. *Et reliquêris sola ab hereditate tua*] Versio optima & Chaldaïcæ congruens, *Et intermissionem facis tu, & qui tecum ab hereditate tua*; id est, cogêris non unum annum, ut lex præcipit Exod. XXIII. 11. Levit. XXV. 3. 4. sed multos annos tu cum domesticis tuis cessare à colenda terra, nimirum ut olim comminatus fui Levit. XXVI. 34.

Usque in æternum ardebit] In Hebræo: *in seculum*, id est, diu.

5. *Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor ejus*] Id est, cùm interim à Domino recedat ejus cor. Similis additio Esaiæ XXXI. 1. *Carnem*, id est, hominem mortalem, omnibus casibus obnoxium. *Brachium*, id est, potentiam.

6. *Erit enim quasi myrica in deserto*] ערער, alii *myricam*, alii *juniperum* vertunt: quo sensu & Arabes vocem eandem usurpant.

Et non videbit cùm venerit bonum] Id est, quæ, cùm tempus venerit arboribus fructum esculentum proferendi, ipsa nihil profert tale. Hunc sensum nobis indicat membrum oppositum.

In terra salsuginis & inhabitabili] *Qualis terra Sodomorum*, ait hîc Chaldæus.

8. *Lignum quod transplantatur super aquas*] *Quasi arbor plantata propter aquæ rivum.*

Et in tempore siccitatis] Ἀβροχίας, ἀνομβρίας [*defectus pluviæ*]. Est hîc eadem vox in Hebræo quæ suprà XIV. 1.

9. *Pravum est cor omnium*] *Dolosum.* De Judæis plerisque illius temporis loquitur.

Et inscrutabile] Vox Hebræa אנש à Chaldæo vertitur, *validum*, id est, durum.

11. *Perdix fovit quæ non peperit*] In Hebræo: *Perdix ova fovet, sed non parit.* Id est, sæpe fit ut pullus non sequatur, quia ova sunt subventanea. Vide Aristotelem de Historia Animantium VI. 2. Plinium X. 33.

Fecit divitias & non in judicio] Iniquis modis opes sibi quæsivit non mansuras.

In dimidio dierum suorum derelinquet eas] Vide Psalmum LV. 24.

Et in novissimo suo erit insipiens] Id est, tandémque apparebit ipsum non fuisse sapientem, sicut se esse putaverat.

12. *Solium gloriæ altitudinis à principio, locus sanctificationis nostræ*] Hîc Propheta se suósque nonnullos opponit illis, de quibus Deus locutus fuerat. Locus, inquit, cultûs nostri non sunt excelsa & luci, sed illud Templum magnificum abs te ipso, ô Deus, jam à Solomonis temporibus ei rei destinatum.

13. *In terra scribentur*] Quæ in pluvere scribuntur, ea levi vento delentur.

Quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium, Dominum] Id est, scaturiginem omnis boni.

14. *Sana me Domine, & sanabor*] Adfer solatium gravissimis illis doloribus meis, de quibus questus sum XV. 10. ut meliùs me habeam. *Salvum me fac, & salvus ero:* id est, protege me contra inimicorum machinationes, nè mihi noceant.

15. *Ipsi dicunt ad me: Ubi est verbum Domini? veniat*] Ubi tam diu moratur tuorum vaticiniorum eventus? Adsit. Ità illudebant Prophetæ.

16. *Et ego non sum turbatus te pastorem sequens*] Meliùs, *Ego non cucurri post te, ut pastor essem:* id est, non ambii munus hoc propheticum.

Et diem hominis non desideravi] Hebræa punctatio requirit: *Diem doloris non optavi*, nempe popularibus meis. Sic & Chaldæus.

Tu

Tu scis: quod egressum est de labiis meis, rectum in conspectu tuo fuit] In Hebræo, *Quod egressum est de labiis meis coram te fuit*: id est, à te processit.

17. *Non sistu mihi formidini*] Id est, *exitio*, ut hic Chaldæus; μετωνυμία [*transnominatio*].

18. *Duplici contritione contere eos*] Multiplici malo eos edoma.

19. *Hæc dicit*] *Hæc dixerat.*

Sta in porta filiorum populi, per quam ingrediuntur Reges Juda, & egrediuntur] Portam intelligit Urbis quæ Regis palatio erat proxima.

Et in cunctis portis Jerusalem] Nempe per quas populus intrare & egredi solebat.

21. *Custodite animas vestras*] Id est, attendite vobis ipsis.

Nolite portare pondera in die Sabbati, nec inferatis per portas Jerusalem] Neque ipsi merces inferte, neque ab aliis inferri in Urbem sinite die Sabbati. Vide Nehem. XIII. 16. 17. 18.

22. *Et nolite ejicere onera de domibus vestris in die Sabbati*] Sordes putà.

Et omne opus non facietis] Nempe *famulum*. Vide Decalogum.

Sanctificate diem Sabbati] Nempe *quietem servando*.

24. *Si audieritis me, inquit Dominus, ut non inferatis onera*] Συνεκδοχικῶς [*per complexionem*], id est, si & legem de Sabbato, & alias leges meas observaveritis.

25. *In curribus & equis*] Magnificè.

26. *De campestribus, & de montosis, & ab Austro*] Distributio totius in suas partes. Nam sortis Judæ pars erat ad Austrum, pars in planis, pars in montanis locis, Josuæ XV.

Portantes holocaustum & victimas] Tutò scilicet, nemine impediente.

27. *Succendam ignem in portis ejus*] In his ipsis portis per quas Jeremias meo mandato vos alloquitur.

Et devorabit domos Jerusalem, & non extinguetur] Id est, non existinguetur donec omnes domos urbis absumserit. Illud *domos* in Hebræo est ארמנות, quod *domos turritas* significat.

CAP. XVIII.

MUNSTERUS.

3. ROtam] Heb. אבנים in duali numero, unde putant instrumentum illud tunc fuisse quasi duplicatum lapidem molarem. Chaldæus verò Interpres vertit סדן *truncum* seu *incudem super qua vasa fictilia cuduntur.*

12. *Res desperata est*] Kimhi refert hoc passivum נואש ad *cor*; ut sit sensus; Obstinatum est cor nostrum in malo, ut te non possit sequi.

14. *De saxo agri nivem Libani*] Per *nivem Libani* intellige aquam frigidam: & per *saxum agri* accipe fontem in vicino loco scaturientem. Nemo, inquit, petit aquam à remotis cùm in propinquo habeat fontem aquam vivam & frigentem evomentem: Nemo quoque contemnit aquas quæ extra Urbem oriuntur; & per canales subterraneas in Urbem introducuntur. Quod cùm ità sit, tamen Israel & Jehuda *deseruerunt me fontem aquarum viventium.* Alii hunc locum sic vertendum putant, *Num ager deserit nivem Libani?* Vel sic, *Num nix Libani petram in agro destituit?*

15. *A semitis antiquis*] i. A viis patrum præteriti seculi, qui Dei præceptis obtemperabant.

17. *Per ventum Orientalem*] Quidam legunt *quasi vento Orientali*, qui est ventus urens & perniciosus.

18. *Non peribit Lex à Sacerdote*] Licèt, inquiunt, Jirmeia iste sit *Sacerdos* in *Lege* doctus, sit *sapiens* & *Propheta*, non tamen ob ejus interitum destituemur *Sacerdotibus*, *Legisperitis* & *Prophetis*. *Venite* igitur, *& percutiamus eum linguâ*, h. e. accusemus eum apud Regem, ut ille interficiat eum, *nec curemus quicquid ille loquitur contra nos.*

VATABLUS.

2. FIguli היוצר] *Figuli illius*: nempe insignis aut noti, quòd fortè solus esset in eo vico aut urbe. Id significat ה emphaticum.

3. *Rotam* האבנים] Dualis numeri est dictio, significans instrumentum non super quo sedet figulus, sed super quo facit opus, quod utplurimum fit è ligno, rotundum. Quibusdam autem in locis est instar duarum molarum; idcirco dualem habet formam.

4. *Figuli* היוצר] Antecedens pro relativo *ejus*, ut & mox. ¶ *Fecit illud* ועשהו] Ad verb. *& fecit illud*: *profecit ex illo*, omissâ conjunctione. ¶ *Secundum quod*, &c. כאשר ישר וגו'] Hebraismus. Latinè dixeris *ut illi placuit*.

6. *Vobis* לכם] *De vobis.*

7. *Et adversus* ועל] *Aut contra.* ¶ *Et confringam* ולנתוץ] *Et dissipem.* Alii, *& exstirpem.*

8. *Sin autem convertatur* ושב] Ad verb. *Et convertetur.* ¶ *Pœnitebit me mali* ונחמתי על הרעה] i. Mutabo sententiam nè affligam eos ut constitueram.

9. *Repentè quoque ut locutus fuero* ורגע אדבר] Ad verb. *Et repentè loquar adversus*, &c.

10. *Quo constitui illi benefacere* אשר אמרתי להיטיב אותו] Ad verb. *quod dixi ut benefacerem ei.*

11. *Quæso, viro* נא אל איש] Sing. Heb. pro plur. *nunc viris.* ¶ *Fingo* יוצר] i. Machinor. Alludit ad figulum. ¶ *Nunc* נא] Nonnulli convertunt istud נא in *Igitur*.

12. *Desperatum est* נואש] *Desperatione affectum est*, sub. *cor nostrum. Fastidio & contemptu affectum est cor nostrum.* Verbum Hebraicum complectitur *fastidium*, *contemptum* & *negligentiam*. Gallicè *nonchallance & mespris*. *Animus noster abjectus spem in Deum*; Ità doctus inter Hebræos. Vide Esa. 57. 10. & suprà 2. 25. Quidam vertunt, *Actum est.* ¶ *Sed post cogitationes nostras* כי אחרי מחשבותינו] *Quia post cogitationes nostras.* Alii, *nam post cogitationes nostras.* Vel, *post cogitationes enim nostras*, &c. ¶ *Cogitationem* שרירות] *Pravitatem.*

14. *Relinquet* היעזב] Fut. Heb. pro præs. *deserit.* Sic mox in plurali *deseruntur.* i. *An deserere solet homo aquas manentes è rupe quæ est in agro, aquas, inquam, quæ proveniunt è nive Libani, quæ per montium rimas percolantur? an aliquis relinquere solet aquas vivas & fluentes, quæ canalibus deducantur in Urbem?* q. d. *Non.* Vel, ut alii, *Numquid deserit aliquis aquam manantem de petra agri*, i. sibi proximam, ut scilicet aliò ac longiùs se conferat, *ut bibat nivem Libani?* sive *aquam provenientem à nive montis Libani? an deseruntur aquæ peregrinæ & adventitiæ*, h. e. deductæ per canales in Urbem? acsi dicat, Nemo petit aquam à remotis, cùm in propinquo habeat fontem aquam vivam & frigentem evomentem: nemo quoque contemnit aquas quæ extra Urbem oriuntur, & per canales subterraneos in Urbem introducuntur. Quod cùm ità sit, tamen Israel & Juda *deseruerunt me fontem aquarum viventium.*

15. *Adolent & impingere faciunt* יקטרו ויכשלום] Fut. & præt. Heb. pro præsentibus, *thus accendunt, faciuntque eos corruere*, &c. ¶ *Longi temporis* עולם] Ad verb. *seculi:* vel *sempiternas*, i. antiquas, sive Majorum suorum fidelium, ut relictâ regiâ viâ, irent per vias novas & non tritas. ¶ *Non calcatam* לא סלולה] Sub. *à justis.*

16. *In admirationem* לשמה] *In desolationem.* Vide eadem infrà 25. 9. ¶ *Sibilósque perpetuos* שריקות עולם] Ad verb. *sibilos seculi*, i. duraturos per longum tempus. Solent enim qui mirantur, edere sibilum.

17. *Sicut ventus Orientalis* כרוח קדים] De Orientali vento æstivali, qui proximus est Septentrioni, intelligit, qui nubes dispergere solet: i. vertam eos in fugam. Alii, *Per ventum Orientalem*, legentes ב pro כ. ¶ *Cervicem*, &c. עורף ולא פנים וגו'] *Cervice, & non facie aspiciam eos in die calamitatis eorum*, vel *ærumnæ*; h. e. obvertam illis dorsum, & non faciem: q. d. Non liberabo eos.

18. *Percutiamus eum linguâ* ונכהו בלשון] i. Deferamus eum apud Judicem, ut perdat eum.

19. *Litigantium mecum* יריבי] *Rixantium mecum:* vel *adversariorum meorum.*

20. *Numquid redditur* הישלם] *Numquid reddi solet:* aut *debet.* ¶ *Steterim in conspectu tuo* עמדי לפניך] i. Oraverim te pro eis. ¶ *Ut averterem*, &c. להשיב וגו'] Exponit quid intelligat per præcedens, *loquerer pro eis bonum.*

21. *Propterea*, &c. לכן תן את בניהם וגו'] Hebraismus. Latinè dixeris, *perime eos fame, & effunde sanguinem eorum fame.*

23. *In mortem* למות] i. Quo volunt me perdere. ¶ *Ne propitieris iniquitati eorum* אל תכפר על עונם] *Ne condones illis iniquitatem eorum.* ¶ *Impingentes* מכשלים] *Corruentes.* ¶ *Cum eis* בהם] *In eis:* i. ut facere soles cùm es iratus iis qui deficiunt à te: q. d. Perde illos.

CASTALIO.

9. EXempli causâ] Verbi gratiâ: רגע Græcè ad verbum redditur αὐτίκα, aut τάχ' ἄν.

14. *Nivémne relinqui subdialis rupis Libani?*] Qui vult nivem, petat Libanum, qui perpetuò nivalis est: qui vult aquam,

quam, petat jugem fontem, unde gelida, h. e. ex profundo oriens, manat aqua; nihil æstum metuens. Ità qui sibi bene esse vult, me petat bonorum fontem vivum. At mei Israelitæ, omisso me, suffiunt falsis diis: quod perinde est acsi quis omisso jugi fonte pertusas aridásque cisternas adeat. ¶ *Recentem*] Jugem.

18. *Neque sacerdoti lex*] Ut nunquam Sacerdoti Lex; aut sapienti deest consilium; sic Jeremiæ, qui Vates est, nunquam deest quod dicat. Est ergò compescenda ejus loquacitas. Comparatio est sic posita ut illa Virgilii;

Nec lacrymis crudelis amor, nec gramina rivis;
Nec cytiso saturantur apes, nec fronde capellæ.

h. e. Ut gramina non saturantur rivis, &c. sic amor non saturatur lacrymis. ¶ *Est nobis feriendus in lingua, nec est ejus loquacitas attendenda*] h. e. Eum occidamus, ut loqui desinat.

CLARIUS.

12. D*Esperata res est*] h. e. Obstinatum est cor nostrum in malo, ut te non possit sequi.

14. *Nix Libani*] Per *nivem Libani* intellige aquam frigidam, ut solet esse nix in Libano: & per *saxum agri* accipe fontem in vicino loco scaturientem. Nemo, inquit, petit aquam à remotis, cùm in propinquo habeat fontem qui aquam vivam & frigidam evomat: Nemo quoque contemnit aquas quæ extra Urbem oriuntur, & per canales subterraneos in Urbem introducuntur. Quod cùm ità sit, tamen Israel & Juda *deseruerunt me fontem aquarum viventium.*

15. *Et in semitis seculi*] i. Antiquis, quibus ambulaverunt sancti patres eorum.

18. *Non enim peribit*] h. e. Non ità evenient mala ut ille minatur. Vel, Licèt Jeremias iste sit *Sacerdos* in *Lege* doctus, sit *sapiens* & *Propheta*, non tamen ob ejus interitum destituemur *Sacerdotibus*, *Legis peritis* & *Prophetis*. *Venite* igitur, *& percutiamus eum linguâ*, h. e. accusemus eum apud Regem, ut ille interficiat eum, *nec curemus quicquid ille loquitur contra nos.*

23. *Fac cum eis*] Supple *vindictam.*

DRUSIUS.

12. נואש. A. *desperavimus.* Sym. *defecimus*] Hier. *Qui dixerunt, Confortabimur in malis, videlicet operibus, sive juxta Aquilam* desperavimus, *& juxta Sym.* defecimus.

GROTIUS.

2. D*Escende in domum figuli*] *Descende*, ex Templo scilicet: nam sub Templum erant figulinæ. Vide quæ ad Matth. XXVII. 10.

3. *Super rotam*] Sic & Chaldæus. Alii *sellas* malunt interpretari, quomodo vox אבנים sumitur Exodi I. 16.

4. *Et dissipatum est vas quod ipse faciebat è luto manibus suis*] *Quod fecerat.* Fractum autem ab ipso, quia ei displicebat.

6. *Sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea*] Id est, ità vos possum frangere & refringere.

7. *Repentè loquar*] *Tempore aliquo loquar*, ut hîc Chaldæus.

Ut eradicem & destruam] Tales minæ, ut & promissa, suam habent tacitam conditionem, *rebus sic manentibus.* Vide Jonæ historiam. Non ergò propriè Deus aut pœnitentiam agit suorum decretorum, aut ea mutat, sed ità agit quasi mutet, cùm mutatio sit in re, non in ipso. Sic dicimus navigantibus terras recedere.

11. *Ego fingo contra vos malum*] *Fingam.* Manet enim in comparatione figuli.

Et cogito contra vos cogitationem] Id est, consilio contra vos sumpto.

12. *Qui dixerunt: desperavimus*] *Desperatum est*, ut suprà II. 25.

14. *Numquid deficiet de petra agri nix Libani?*] Ex iis quæ jam sequentur ἐν ἀποδόσει [*in redditione*], videtur hæc versio esse optima: *An deseret* (viator aliquis) *agrum præ rupe ac nive Libani?* Eritne aliquis tam stultus, qui iter confragosum ac nivibus obsitum malit inire quàm vias planas?

Aut evelli possunt aquæ erumpentes frigidæ & defluentes?] *Aut deseret* (sitiens aliquis) *aquas fluentes præ corruptis gelu:* ut sit transpositio quædam verborum, & defectus literæ מ ante נזלים [*profluentes*].

15. *Quia oblitus est mei populus meus*] *Attamen oblitus est.* Est enim oppositio.

Frustra libantes] In Hebræo, *Adolentes rei vanæ:* id est, idolo.

Et impingentes in viis suis] In Hebræo, *fecerunt* (idola) *ut* (Judæi) *errarent in itinere suo.*

In semitis seculi] In Hebræo hîc iterum deest מ, & sensus est; *à semitis antiquis*, quas Abrahamus, Isaacus, Jacobus, Moses, & Prophetæ instituerant.

Ut ambularent per eas in itinere non trito] *Ut irent per semitas via non complanata:* per confragosa. Instat enim cœptæ comparationi.

16. *Ut fieret terra eorum in desolationem*] *Ut fiat:* id est, hic erit exitus illarum pravarum actionum.

Et in sibilum sempiternum] *Sibilum longi temporis.* Sibilus apud omnes gentes signum contemtus, 1 Regum IX. 8. Sic,

——— *Populus me sibilat.* ———

Pastoritia fistula apud Ciceronem.

Et movebit caput suum] Signum & hoc contemtûs, ut II Reg. XIX. 21. Matth. XXVII. 39.

17. *Sicut ventus urens dispergam eos coram inimico*] In Hebræo, *Ventus ab Oriente.* Is violentus est illis in locis, & obvia quæque abripit, Job. XXVII. 21.

Dorsum & non faciem ostendam eis] In Hebræo, *cervicem.* Tergum alicui obvertere est aversantis.

18. *Cogitemus contra Jeremiam cogitationes*] *Accusationes*, ut mox sequitur, *percutiamus linguâ.*

Non enim peribit lex à Sacerdote, neque consilium à sapiente, neque sermo à Propheta] Accusatio hæc erit, Eum falsa vaticinari. Neque enim fieri potest ut Deus hanc terram sibi dilectam sinat esse sine Sacerdotibus qui Legem doceant, & sine Scribis qui obscura enodent, & sine Prophetis qui Dei voluntatem revelent. Confer quæ suprà v. 12.

19. *Attende, Domine, ad me*] Illi non attendunt: tu, Domine, attende.

20. *Foderunt foveam*] Sic vocat illam accusationem. Vide & mox 22.

Steterim in conspectu tuo] Ministraverim tibi.

21. *Da filios eorum in famem*] Nihil obsto ampliùs quin omnia efficias quæ minatus es, cùm tam obduratam esse ipsorum malitiam video.

CAP. XIX.

MUNSTERUS.

1. V*Asculum testeum*] Addit *testeum* ad innuendum aliud esse poculum è ligno factum. Kimhi dicit esse *poculum quod habet os angustum*, sic vocatum כי כאשר שותה בו האדם עושה בקבוק. Vide in radicibus ejus. ¶ *Duc tecum*] Id accepimus ex Chaldæo P. qui habet ותדבר עמך: id quod ex sequenti loco colligitur, ubi dicitur, *Frange vasculum in oculis virorum euntium tecum.*

2. *Porta fictilis*] Secundùm quosdam Hebræos est hîc vertendum *porta Solaris*, i. Orientalis. Et hæc est *porta Sur*, & *porta* האשפות, i. *stercorum*, ut in Ezra habetur.

4. *Alienum fecerunt locum istum*] h. e. Locum sanctum profanaverunt idolorum culturâ.

VATABLUS.

1. O*Enophorum* בקבוק] *Lagenam. Vas testaceum est*, inquit doctus inter Hebræos, *vel vitreum, aut ligneum, cujus os est angustum: sic appellatum quòd bibente vel propinante aut fundente homine facit* BACBUC: *ut est œnophorum vas vinarium, quod Gallicè vocamus* flacon, *vel phiala stricti orificii.*

2. *Et prædica* וקראת] *Et clama*, i. clarâ & altâ voce dicito.

3. *Adduco* מביא]. Præs. Heb. pro fut. *adducturus sum.* Sic v. ultimo. ¶ *Ità ut*, &c. אשר כל שומעה] *Quòd quicunque audierit illud.* Duplex relativum pro uno.

4. *Et alienum reddiderunt* וינכרו] i. Profanaverunt.

5. Sed *nec ascendit*, &c. ולא עלתה על לבי] Hebraismus, pro, *imò ne unquam cogitaveram quidem.*

7. *Et dissipabo* ובקתי] Ad verb. *Et evacuabo*, i. irritum faciam. Alludit ad בקבק v. 1. ¶ *Quærentium animas eorum* מבקשי נפשם] *Quærere animam alicujus* dicuntur qui student & conantur perdere illum. Sic v. 9.

8. *In stuporem* לשמה] *In desolationem:* vel *solitudinem.*

10. *Qui eunt* ההלכים] *Qui ituri sunt:* aut *iverint.*

11. *Instaurari* להרפה] Ad verb. *sanari*; *reparari.*

13. *Propter omnes domos* לכל הבתים] *Cum omnibus domibus.*

bus. Alii subaudiunt, idem accidet *omnibus domibus.* ¶ *Et libaverunt* וְהַסֵּךְ] *Libando.*

14. *Venit autem* וַיָּבֹא] *Rediit itaque.*

CLARIUS.

1. DE *senioribus*] Sub. *ducas tecum.*

2. *Porta fictilis*] Alius vertit *porta testacea*; quæ ità sit appellata quòd eo loco testacea fragmenta dispersa essent. Secundùm verò quosdam Hebræos est hic vertendum *porta Solaris*, h. è. Orientalis.

4. *Alienum fecerunt locum istum*] i. Locum sanctum profanaverunt idolorum culturâ.

DRUSIUS.

2. גֵּיא. Cæteri φάραγγα *vallem*] Sumptum ex Scholio quodam Græco. In textu est גיא בן הנם *vallis filii Hinnom:* quod breviùs dicunt *Gehinnom*, & ἀρχαϊκῶς *Gehennam*, *o* ex dialecto Syriaca in *a* versâ, unde *Gehenna* nomen. *Gehennam*, *Gehenna*, ut *Mariam*, *Maria.* ¶ הַחַרְסִית. A. Sym. Th. *Harsith*] Vel *Harasith. Pro* porta fictili *Aq. Sym. Th. ipsum verbum posuerunt Ebraicum* HARSITH: *pro quo* LXX *juxta morem suum pro aspiratione Heth litera addiderunt χ Græcum, ut dicerent* Charsith *pro* HARSITH; *sicut & illud est pro* HEBRON Chebron, *& pro* JERIHO Jericho. Verba sunt Hieronymi in Comment. ad hunc locum.

11. וּבְתֹפֶת יִקְבְּרוּ מֵאֵין מָקוֹם לִקְבּוֹר. καὶ ἐν τῷ Ταφὲθ θάψουσιν, ὅτι οὐκ ἔστι τόπος τοῦ ταφῆναι, *& in Topheth sepelient, quia non est locus sepeliendi*] Sive *ad sepeliendum.* Malim Θωφέθ. Verba hæc habentur in C. & apud Theodoretum, & descripta putantur ex aliqua veteri editione, cùm LXX pro *Thopheth* reddere soleant διάπτωσιν, i. *ruinam.* Erat autem locus ejus nominis in valle filii Hennom sive Hinnom, de quo in hunc modum Hieronymus in Comment. Jer. 8. *Topheth, quæ est in valle filii Hennom, illum locum sign. qui Siloe fontibus irrigatur: & est amœnus atque nemorosus, hodieque hortorum præbet delicias. Hic autem Gentilitatis error omnes provincias occupavit, ut ad capita fontium lucósque amœnissimos victimas immolarent, & omnis prava superstitionis religio servaretur.* Idem in Comment. Jer. 19. *In valle filii Hennom erat delubrum Baal, & nemus ac lucus Siloe fontibus irrigatus. Ipsa autem vallis juxta portam est quæ Ebraicè* HARSITH, *i.* fictilis, *appellatur.* Plura in Comment. ad voces N. T. ad quem te adire volo.

GROTIUS.

1. HÆc *dicit Dominus*] *Dixit.* Narrat enim sibi à Deo imperata.

Lagunculam figuli] *Lagenam fictilem*, quæ quàm facilè frangitur, tam facilè Deus fracturus erat populum Judaicum. *Lagena* בַּקְבֻּק nomen apud Hebræos habet ἐξ ὀνοματοποιΐας [*ex nominis fictione*], quia sonus quem edit sic non malè exprimitur.

A senioribus populi, & à senioribus Sacerdotum] Quis credat fictile emi potuisse à tot viris summatibus? Est omnino ἔλλειψις [*defectus*], aut σύλληψις [*complexus*] potiùs: nam קנית [*sumere*] etiam huc, quanquam minùs propriè, potest referri: quod bene visum & à Chaldæis, & à Græcis, si editionum posteriores sequimur, καὶ ἄξεις ἀπὸ τῶν πρεσβυτέρων τοῦ λαοῦ καὶ ἀπὸ τῶν ἱερέων [*& adduces à Senioribus populi & Sacerdotibus*], supple τινάς [*aliquos*]. Eos tibi assume testes, nempe ex magno Synedrio, quod partim ex Sacerdotibus, partim ex aliarum tribuum hominibus constabat, nè quis postea excusationem haberet de ignorantia: nam illi LXXII totum populum repræsentabunt.

2. *Quæ est juxta introitum portæ fictilis*] Hebraïcè החרסית, aut החרסות: nam duplex est lectio. Quidam à חרס, quod *Solem* interdum significat, intelligi volunt portam Soli orienti oppositam, de qua mentio apud Nehem. III. 29. At Chaldæus exposuit תרע קלקלתא, id est, *portam sterquilinii.* Vox חרסית, quæ hîc in Hebræo reperitur, Chaldæis *lutum* significat. At חרש cum puncto in cornu Schin sinistro, quod ferme idem est cum Samech, & sæpissime permutatur, est *fictile.* Et hanc interpretationem cæteris præferam, ut illa fuerit porta extra quam figuli, qui proximè Templum vasa in usus Templi fabricabant, fragmenta fictilium abjiciebant, quò deinde & alias sordes abjectas fuisse non est incredibile. Hanc interpretationem firmant quæ diximus suprà XVIII. 2. & quæ modò habebimus 10. & 14. & Zachar. XI. 13. *Vallis Ennomi*, sive *Topheth*, & Cedron torrens proximè Templum fuêre: ibidem figuli intra portam, & extra portam ista loca ejectamentorum.

3. *Reges Juda*] Id est, Rex & Augusta. Vide suprà XIII. 18.

Ità ut omnis qui audierit illam, tinniant aures ejus] Locutio Hebræa, 1 Sam. III. 11. II Reg. XXI. 12. Sensus est: aures omnium hoc nuntio quasi tonitru percellentur.

4. *Et alienum fecerint locum istum*] Templum profanarint. Vide quæ suprà VII. 30.

Et libaverint in eo] *Adoleverint:* ut suprà jam aliquoties notavimus.

Et repleverunt locum istum sanguine innocentum] Puerorum. *Locum istum* cùm dicit, digito vallem Ennomi demonstrat, quæ non longè erat à Templo, ubi hic sermo habitus. Vide Psalm. CVI. 37. suprà VII. 31.

5. *Quæ non præcepi, nec locutus sum, nec ascenderunt in cor meum*] Repetita ex illis suprà VII. 31.

6. *Sed vallis occisionis*] Nempe non puerorum, sed virorum; non innocentium sed eorum qui id sunt meriti. Repetita & hæc ex eodem capite VII. 32.

7. *Et dissipabo consilium Juda & Jerusalem in loco isto*] Adhuc vallem Ennomi sive Hinnomi demonstrat, ubi pars futura erat castrorum Chaldaicorum.

8. *In stuporem & sibilum*] Vide suprà XVIII. 16. Idem loquendi genus infrà L. 13.

9. *Et cibabo eos carnibus filiorum suorum*] Horrenda, sed vera. Simile habuimus II Reg. VI. 28. & aliud in Josepho VII. 8. belli Judaïci.

10. *Et conteres lagunculam in oculis virorum*] Mos vetus in Oriente, & apud alias gentes, non vocibus tantùm sed & rebus loquendi: indè σύμβολα [*res significantes*].

11. *Quod non potest ultrà instaurari*] Lagena fracta non instauratur, sed ex eadem materia fit alia lagena, suprà XVIII. 4. Sic Deus novum fecit populum Judaïcum, non eundem ex iisdem, sed per suffectionem.

Et in Topheth sepelientur, eò quòd non sit alius locus ad sepeliendum] Rectiùs: *Ità ut non* (sufficiat) *locus ad sepeliendum*, ut diximus suprà VII. 32.

12. *Loco huic*] Jam ex Templo Urbem monstrat, ut sequentia indicant.

13. *Et erunt domus Jerusalem & domus Regum Juda sicut locus Topheth, immunda*] Id est, plenæ cadaveribus. Illud *domus Regum Juda* negat Hieronymus in Hebraïcis sui temporis exemplaribus fuisse. At est in nostro, & in Chaldaico, non minùs quàm in Græco. Vides varietatem exemplarium.

In quarum domatibus sacrificaverunt omni militiæ cœli] Id est, *in tectis planis*, sive *solariis*, quæ Græci δώματα, Hebræi גגות vocant. Vide quæ ad Matthæi X. 27. Nam talia tecta pro excelsis usurpabantur, eò quòd liber ibi esset siderum conspectus.

14. *Et stetit in atrio domûs Domini*] Neque enim longè à Topheth erat Templum. *Atrium* intelligit subdiale maximum.

Et dixit ad omnem populum] Cùm maxima esset frequentia.

CAP. XX.

MUNSTERUS.

2. IN *cippum*] Kimhi putat מהפכת esse *duo ligna quibus collum vinctorum constringitur, compedum habentia formam.* Jonathan vertit כיפתא, quem nos imitati sumus. Sunt rursum aliqui qui putant מהפכת esse idem quod בית הסהר, i. *domus vinctorum*, seu *carcer*, ab eventu aliquo nomen illud *conversionis* sortitus, sicut pleraque alia vocabula, quorum ratio ignoratur. Erat verò collarium & vinculum illud *in porta Binjamin*, quæ scilicet erat in sorte Binjamin. Nam Templum partim stabat in sorte Jehuda, & partim in sorte Binjamin, confinia complectens utriusque sortis.

3. *Non vocavit Dominus nomen tuum*] h. e. Falsus tu es Propheta, & non à Domino ad munus Prophetiæ vocatus. Aptius nanciscêris aliquando vocabulum, ut *Pavor* nomineris, &c.

4. *Trado te in pavorem*] Kimhi putat hunc esse sensum, *trado pavorem tibi & amicis tuis.*

7. *Seduxisti me, Domine*] Significat פתה propriè *verbis persuadere*, & *simplicem ad aliquid inducere.* Quidam exponunt hîc *illicere.* Dicit igitur Propheta, *Si seductus sum, Domine*, ut isti falsò queruntur, *tu me seduxisti.*, cùm ego non meâ sponte hoc subierim officium, sed te vocantem secutus sum, & clamo contra impios, redarguens eos propter injurias quas sibi mutuò inferunt, & prædicens imminentem devastationem.

8. *Vociferor injuriam*] Kimhi hunc locum sic exponit, *Nihil efficio clamore meo & vociferatione, quàm quòd injurias & devastationem excito contra me, ut etiam impii homines manus jecerint in me.*

9. *Non recordabor ejus*] Cogitavi, inquit, melius esse tacere nomen Domini quàm sic prophetando crabrones irritare, sed verbum Domini adeò arsit in me ut etiam non potuerim illud tenere intra me.

10. *Blasphemiam multorum*] Objiciebant, inquit, mihi *convitia*, intentabant *terrores per circuitum*: clamabant, *Indicate* clamoribus, sed & nos ipsi *annunciabimus ipsi* Regi, ut perdat hominem. Hos, inquit Propheta, clamores audivi etiam ab his quos putabam *esse pacificos meos*. Ubi notandum quod צלע propriè sign. *latus*: & quoniam claudi in unum flectuntur latus, capitur hîc pro *claudicatione*, h. e. interemptione, quâ veneno nitebantur eum exstinguere.

14. *Maledicta dies in qua natus sum*] *Justi viri*, inquit Kimhi, *acerbitate doloris nonnunquam in impatientiam labuntur. Præ amaritudine animæ suæ maledicunt diei nativitatis suæ, quæ tamen maledici nequit, cùm jam præterierit.* Est igitur sensus, *Verè sum homo miser & ad calamitates natus: & si diei vel tempori est adscribendum, utique dies ille maledictus est qui me in has transtulit miserias.* Eodem fervore accensus animus & exagitatus fertur in nuncium qui patri congratulatus natum indicavit filium.

16. *Audiat clamorem manè*] Hebræi referunt hæc verba ad patrem Prophetæ; ut sit hic sensus, Si scivisset pater meus quòd tales mihi obventuræ fuissent calamitates, maluisset audire clamorem & ejulatum à propinquis quàm congratulationem de nato filio.

VATABLUS.

1. P*Ræpositus & dux* פקיד נגיד] *Præpositus & princeps*: vel, *constitutus dux*, i. princeps Sacerdotum, secundus à summo Sacerdote.

2. *In carcerem* המהפכת] *In nervo*. Alii, *in cippo*; sic dicto Hebraicè quòd constaret variis lignis ex adverso coeuntibus. In eo erant tria foramina; unum in quod collum immittebatur, & duo in quæ manus singulæ. Græci verterunt καταῤῥάκτην, quod significat *fossam profundam in quam vincti demitti solent*. ¶ *In domo Jehova* בבית יהוה] i. In septis, sive ædificio quod pertinebat ad Templum ipsum. Non enim hic locus debet intelligi de primo atrii popularis ædificio, sed de appendicibus atrio populari adjectis post tempora Salomonis. Dicit fortasse portam superiorem, quòd appendices istæ essent in loco Urbis acclivi.

3. *Et fuit in crastino ut educeret* ויהי ממחרת ויצא] *Postridie autem eduxit*. ¶ *Sed Magor, &c.* כי אם מגור מסביב] *Sed Magor* [i. *Pavor*] qui imminebit tibi *per circuitum*.

4. *Videntibus oculis tuis* ועיניך ראות] Ad verb. *& oculi tui videntes*. ¶ *Et traducet eos* והגלם] *Et abducet*, vel *transferet eos*.

5. *Et omne pretiosum ejus* ואת כל יקרה] *Et quicquid pretiosum habet*; vel, *& pretiosa ejus quæque*.

6. *Mendaciter* בשקר] *Fallaciter*. Ad verb. *in mendacio*.

7. *Seduxisti me* פתיתני] *Imposuisti mihi*: q. d. Cùm munus Prophetandi commisisti mihi, fucum mihi fecisse videris: pollicitus enim fuisti te nunquam permissurum me libidini hostium meorum; quod tamen fecisti. Verba Jeremiæ deplorantis sortem suam post cruciatum in cippo. Hæc humano spiritu dicit, non Divino. Alludere videtur ad illud capitis primi, *Ne formides*, &c. Vox Hebræa propriè sign. *verbis persuadere*, & *simplicem ad aliquid inducere*. Quidam exponunt *Illexisti*. Alii subauditis nonnullis exponunt, *Si est aliquid seductionis in verbis meis, ut isti clamant contra me, quod non puto, profectò tu me decepisti: non enim sponte meâ cucurri, sed tu vocasti me detrectantem*. ¶ *Et prævaluisti* ותוכל] i. Vicisti me verbis tuis & argumentis. ¶ *Omne die* כל היום] *Totâ die*: vel *quotidie*.

8. *Omni tempore* מדי] *Ex quo tempore*. ¶ *Vociferor* אזעק] i. Cogor vociferari & inclamare injuriam mihi fieri. ¶ *Iniquitatem* חמס] *Violentiam*; *injuriam*. Gallicè dicimus, *Je crie au meurtre & aux larrons*. ¶ *Quia fuit* כי היה] *Nam est*. Ratio est quare cogatur *vastitatem & violentiam inclamare*, quòd *probris afficiatur & subsannetur*. Alii vertunt *verùm*: q. d. *Nihil aliud vociferor quàm ob violentiam, ipsorum subitam vastitatem: verum probris afficior quòd ex verbo tuo & jussu hac annuncio*. Alii, *propterea*; eodem sensu. Nonnulli istud seq. versui conjungunt, hoc modo, *Quandoquidem ergò verbum Domini mihi probro vertitur, & omnibus diebus vituperor, ideo statui, me ejus mentionem ultrà non facturum*. ¶ *Totâ die* כל היום] *Quotidie*.

9. *Et dixi* ואמרתי] Qui versum istum præcedenti jungunt, convertunt, *Propterea dixi*. Alii ad sequentia referentes, vertunt in futuro, *Si dixero, Non recordabor, &c. tunc erit in corde meo, &c. fatigabor sustinendo, nec potero*, sub. *ferre illud*. ¶ *Potui* אוכל] Sub. *ferre*.

10. *Audivi enim* כי שמעתי] Non reddit rationem proximè præcedentis versûs, sed alterius qui præcessit ante illum. ¶ *Annunciate, & renunciabimus illud* הגידו ונגידנו] i. Dicunt inter se, Indicate nobis verbum aliquod falsum contra eum, & renunciabimus illud Regi, ut conjiciatur in carcerem, & moriatur. ¶ *Pacis meæ* שלומי] Hebraismus, *qui ante mihi erant amici*. ¶ *An claudicem* in aliquo צלעי] Ad verb. *claudicationem meam*: i. sicubi claudicem aut titubem linguâ. Alii, *sunt custodes costæ meæ*, i. lateris mei, *dicentes, Fortè, &c.*

11. *Mecum* est *tanquam potens* אותי כגבור] Posuit *me tanquam gigantem fortem*. Ità doctus inter Hebræos. ¶ *Fortis* עריץ] *Gigas: Robustus*. ¶ *Impingent* יכשלו] *Corruent*. ¶ *Non prosperè agent* השכילו] i. Suâ spe frustrabuntur.

13. *Jehovam* את יהוה] Antecedens pro relat. *eum*. ¶ *Malorum* מרעים] *Affligentium*: vel *mala infligentium*. Alii *malignorum*.

16. *Et non pœnituit eum* ולא נחם] *Et non mutavit sententiam*. ¶ *Clamorem* זעקה] Sub. *cæsorum*, vel *pereuntium*. Per *manè & meridiem* intelligit totum diem: i. Totis diebus sit in ea animi perturbatione in qua ii solent esse qui urbem incolunt obsidione hostili cinctam: terreatur totâ die.

17. *A vulva* מרחם] *Ab utero*: i. Cùm primùm editus sum in lucem. ¶ *Et vulva, &c.* ורחמה הרת עולם] *Et vulva ejus prægnans perpetuò*, i. quæ nunquam edit fœtum; acsi dicat, *Quare non perii?*

18. *In pudore* בבשת] *In ignominia*.

CASTALIO.

7. D*Ecepisti me, Jova, deceptúmque tenes ac vincis*] Vide ad cap. 15. 18.

16. *Audiátque & clamorem manè, & quiritatum meridiano tempore*] Scilicet pereuntium.

CLARIUS.

1. P*Rinceps in domo Domini*] Summo loco dignitatis Summus Sacerdos erat, qui in urbe Jerosolyma propè Regnum obtinebat, cui Rex ipse in plerisque concedebat.

2. *Qui erat in porta Benjamin superiori, in domo Domini*] Quæ scilicet fuit juxta domum Domini. Nam Templum partim stabat in sorte Juda, & partim in sorte Benjamin, confinia complectens utriusque sortis.

3. *Non Phassur vocavit Dominus nomen tuum*] Alius sic vertit, *Phassur, non vocavit Dominus nomen tuum*; h. e. Falsus tu es Propheta, & non à Domino ad munus Prophetiæ vocatus; *sed pavor imminebit tibi per circuitum*.

7. *Seduxisti me, Domine, & seductus sum*] Quem scilicet recusantem hanc provinciam dixisti fore idoneum administrandæ illi. Nam vox Hebræa significat propriè *verbis persuadere*, & *simplicem ad aliquid inducere*. Ait ergò, *Si seductus sum, Domine*, ut isti falsò queruntur, *tu me seduxisti*, cùm ego non meâ sponte hoc subierim officium, sed te vocantem secutus sum, & clamo contra impios, redarguens eos propter injurias quas sibi mutuò inferunt, & prædicens imminentem devastationem.

8. *Vociferans invidiam*] h. e. Clamitando nihil aliud quàm omnes adversùm me provoco, atque injurias ac devastationes excito contra me, ut etiam impii homines manus injecerint in me.

9. *Non recordabor*] Cogitavi, inquit, melius esse tacere verbum Domini quàm sic prophetando crabrones irritare: sed verbum Domini adeò arsit in me ut etiam non potuerim illud tenere intra me.

10. *Indicate, & annunciabimus ei*] Sic dicebant, Si quid habetis quo opprimi possit, indicate nobis: nos illum apud Regem accusabimus. Et hos clamores, ait Propheta, audivi etiam ab iis quos putabam *esse pacificos meos*. ¶ *Si quomodo decipiatur*] h. e. Nónne seducetur in errorem aliquando, ut comedat ac bibat nobiscum, quo contra eum prævaleamus, veneno eum perdentes?

14. *Maledicta dies*] Maximum dolorem quem sentit ex perditione gentis suæ exprimit, dicens, *Si ullus dies infaustus est, illum dicerem esse natalis mei diem: & si quis nuncius infaustus, eum judicarem qui annunciavit patri meo nativitatem meam*. Quòd verò non ità perturbato, ut putatur, animo hæc dixerat, attende quæ præcesserint, & rectè ac piè hæc verba interpretaberis.

16. *Audiat clamorem manè*] Hebræi referunt hæc verba ad patrem

patrem Prophetæ; ut sit hic sensus, Si scivisset pater meus quòd tales mihi obventuræ fuissent calamitates, maluisset audire clamorem & ejulatum à propinquis quàm gratulationem de nato filio.

17. *Conceptus sempiternus*] Quem nihil vitæ consecutum fuisset.

LUCAS BRUG.

17. *Quia non me interfecit à vulva.*] Impressi codices ferè legunt *quia*: manuscripti ferè habent *qui*. Hebraicè est אשר quod & *qui*, & *quia*, interpreteris licet. Græci transtulerint ὅτι *quia*. Hieronymus *qui* convertisse videtur: nam præterquam quòd exemplaria scripta pleraque omnia, & quidem vetustissima atque emendatissima quæque nostra, id legant; ipse in hunc scribit locum, *Quod autem infert*, qui me non interfecit in vulva, *Deum significari putant*. Suam indicat versionem, etsi non approbet quam refert expositionem. Porrò eam secutus glossæ Interlinearis Autor, *qui* supplevit *Dominus*. Lyranus & Carensis *quia* exponunt: sed *qui* similiter legunt. Id igitur nobis servandum videtur, quamvis Parisiensis typographus cum *quia* mutaverit, Moguntinâ fretus editione.

DRUSIUS.

2. המהפכת. Th. τ̀ καταῤῥάκτην. Sym. βασανιστήριον sive στρεβλωτήριον] Hier. *Pro* nervo, *quem nos diximus*, *Lxx & Th. vertere* cataractem, *Sym.* βασανιστήριον *sive* στρεβλωτήριον, *quod utrumque* tormenta *sig. Nos autem* nervum *diximus more vulgari: quod tormenti genus etiam in Actibus Apostolorum legimus, quando Apostoli Paulus & Silas in custodiam dati sunt.*

4. מגור. Th. μέτοικον. Aquilæ prima ed. *circumspicientem*, secunda *peregrinum*. Sym. *ablatum*, sive *congregatum*, sive *coactum*] Hier. *Pro* pavore, *quod in Ebraico scriptum* מגור, *Lxx & Th.* μέτοικον, i. migrantem, *Aquila secunda editio* peregrinum, *prima* circumspicientem, *Sym.* ablatum (aliàs *oblatum*) *sive* congregatum & coactum *interpretati sunt*. Et mox, *Juxta superiorem interpretationem, quâ Phaschor nomen fuerat immutatum ut appellaretur* MAGOR, *omnes similiter transtulerunt, ut significarent vel* pavorem, *vel* peregrinationem, *vel* sublationem & translationem & congregationem. † Μέτοικον, *incolam*. De metœcis vide Budæum pag. 206. Lex. V. Μέτοικ☉, *advena*. Μετοικῶ, *migro, commigro, transmigro*. Μετοίκησις, *migracio*. † *Peregrinum*, ξένον. Quid discriminis sit inter μέτοικον & ξένον docent hæc verba Harpocrationis, Μέτοικ☉, ὁ ἐξ ἑτέρας πόλεως μετοικῶν ἐν ἑτέρᾳ, κ̀ μὴ πρὸς ὀλίγον, ὡς ξέν☉, ἐπιδημῶν, ἀλλὰ τ̀ οἴκησιν αὐτόθι κατακλησάμεν☉. † *Ablatum*. In ed. Rom. *oblatum*. Nescio an mendum sit.

GROTIUS.

1. *Et audivit Phassur filius Emmer Sacerdos, qui constitutus erat princeps in domo Domini*] Id est, ex sacerdotali familia ἐφημερίας [*functionis per vices*] decimæ sextæ, 1 Paralipom. XXIV. 14. *Princeps* נגיד in Templo: id est, στρατηγὸς τ̃ ἱερoῦ [*Prætor Templi*], cui jus erat prehensionis in eos qui in Templo delinquebant, ut diximus ad Matth. XXVI. 47. ad Lucam XXII. 4. Judicium autem non erat penes illum, aut penes Sacerdotes solos, sed penes Synedrium, in quo plerumque multi erant è Sacerdotibus. Vide infrà XXVI.

2. *Et percussit Phassur Jeremiam Prophetam*] Id est, manum ei injecit: quomodo & Græca vox πατάσσειν [*percutere*] sumitur Matth. XXVI. 31. & Marci XIV. 27. ubi in Syriaco est מחא, idem significans quod id quod hîc habemus נכה. Hoc autem נכה per ἁλίσκειν [*capere*] vertitur Ezechielis XXXIII. 21. XL. 1.

Et misit eum in nervum] Id est, *in carcerem*, ut hîc habet Chaldæus. Lxx καταῤῥάκτην [*portam pensilem*] vocant; infrà XXIX. 26. ἀπόκλεισμα [*claustrum*]. At Symmachus modò βασανιστήριον [*quæstionarium*], modò στρεβλωτήριον [*locum cruciatuum*]. Is qui Paralipomena interpretatus est φυλακὴν [*custodiam*]. Ajunt quidam fuisse cippum factum ex lignis, in quibus erant foramina, unum per quod collum, duo altera per quæ manus trajiciebantur.

Quod erat in porta Benjamin superiori] Id est, in summa porta illa quæ à *Benjamine* dicebatur.

In domo Domini] In Templi appendicibus.

3. *Non Phassur vocavit Dominus nomen tuum*] Id est, *augescentem principem* à פוש & חור.

Sed pavorem undique] *Magor-misabib*, id est, exitium undique: nam id per μετωνυμίαν [*transnominationem*] formi*dinis* nomine appellant Hebræi. Græci à גור, quod est *migrare*, vertunt μέτοικον [*advenam*], aut verbis similibus. Vide hîc Hieronymum.

6. *Quibus prophetasti mendacium*] Nempe dicens fieri non posse ut Deus hanc terram relinqueret sine *Sacerdotibus, Prophetis & Doctoribus*. Vide suprà v. 31. & XVIII. 18.

7. *Seduxisti me, Domine, & seductus sum*] Hîc jam incipiunt questus Jeremiæ cum esset in illo carcere, Iobi questibus non multùm dissimiles. Optimè autem vertas: *Si tu me seduxisti, Domine, seductus sum*. Isti homines ajunt me falsa vaticinari; at ergo decipi non possum, nisi tu me deceperis, cui fidem habui.

Fortior me fuisti, & invaluisti] Tu qui multò me es validior, hoc onus vaticinandi mihi imposuisti: quomodo detrectare potui?

Factus sum in derisum totâ die] Attamen cùm faciam quod mei est muneris, irrideor, vexor, excrucior.

8. *Factus est mihi sermo Domini in opprobrium*] Nempe quia non illico eveniebant quæ dixerat. Atqui δίκη [*Justitia*] ut ait Euripides,

——— σῖγα κ̀ βραδεῖ ποδὶ
Στείχουσα μάρψῃ.
[——— *gressu neutiquam observabili tardoque vadit.*]

9. *Et dixi, Non recordabor ejus, neque ultrà loquar in nomine ejus*] Cogitatio hæc interdum mihi incidit, rectiùs tutiùsque me facturum, si mihi mandata silentio premerem.

Et factus est in corde meo quasi ignis exæstuans, claususque in ossibus meis, & defeci, ferre non sustinens] Repressit illam cogitationem metus pœnæ à Deo inferendæ, sicut Apostolus ait 1 Corinth. IX. 17. ἀνάγκη γάρ μοι ἐπίκειται. οὐαὶ δέ μοι ἐστὶν ἐὰν μὴ εὐαγγελίζωμαι [*necessitas enim mihi incumbit. Væ autem mihi est nisi euangelizavero*]. Non abludit illud Lucani:

——— *magnóque exæstuat igne*
Iratum te, Phœbe, ferens: nec verbere solo
Uteris & stimulis, flammásque in viscera mergis.

10. *Audivi enim contumelias multorum*] Meliùs *audivi quidem*: ut sit præparatio ad id quod mox sequitur, *Dominus autem*.

Et terrorem in circuitu] Meliùs, *Magormisabib*: quod nomen Jeremias Phassuri indiderat suprà 3. Audivi, inquit, jampridem quas insidias ille & sodales ejus mihi tenderent.

Persequimini, & persequamur eum] Melius: *annuntiate & annuntiabimus*. Hoc illi dicebant amicis Jeremiæ, ut sequitur, Indicate nobis aliquid mali de ipso, ut nos indicium faciamus Synedrio, & sic eum opprimamus.

Ab omnibus viris qui erant pacifici mei, & custodientes latus meum] Meliùs in dativo, *omnibus viris*: supple *talia dicebant homines Phassuris*.

Si quomodo decipiatur] Si qua fortè in re dixerit repugnantia, aut aliter διαβάλητε [*in calumniam pateniia*].

Et prævaleamus adversus eum] In judicio Synedrii.

11. *Quia non intellexerunt opprobrium sempiternum quod nunquam delebitur*] Meliùs: *Non succedet res eis*: imo sequetur eos *infamia æterna quæ nunquam delebitur*. Quod verè prædixisse Prophetam res ipsa comprobat. Est enim in hunc diem infame nomen eorum qui Prophetæ exitium machinati sunt.

12. *Probator justi*] Qui virorum bonorum constantiam multis modis exploras.

Tibi enim revelavi causam meam] Id est, commendavi. μετωνυμία [*transnominatio*], qualis suprà XI. 20.

13. *Liberavit animam pauperis de manu malorum*] Liberatio hæc contigisse videtur cùm Joachino sive Jechoniæ in regnum successit Sedecias. Id colligi videtur ex capitibus duobus sequentibus.

14. *Maledicta dies in qua natus sum*] Subauditur hîc *dixeram*, nempe in carcere isto detentus. Confer Jobum III.

16. *Sit homo ille ut sunt civitates quas subvertit Dominus, & non pœnituit eum*] Id est, *quæ ità eversæ sunt, ut ne nunc quidem habitentur*, ut hîc exposuit Chaldæus. Respicit Propheta Sodoma & vicinas urbes.

17. *Qui non me interfecit à vulva*] Imò *in utero*, id est, unà cum matre: quem sensum requirunt sequentia.

Et vulva ejus conceptus æternus] *Et uterus ejus prægnans perpetuò*: id est, sine partu.

CAP. XXI.

MUNSTERUS.

DOcuerat Propheta novem annis sub Sedechia, sed parùm promoverat. Dixerat jam sæpe futurum id quod nunc fit. Admonuit ut promissam fidem Nabuchodonosori servarent, & simul studiosi essent verborum Dei, justitiæ & pietatis: id si faciant, bene habituros. Si verò cœperint impiè agere, venturum prædixit Babylonium, & subversurum Regnum. Sæpius hæc dixerat, sed deridebant eum. Toties spretum nunc adeunt, orantes ut pro se oret Dominum, &c.

4. *Ego reducam*] Sensus est, Ego unà cum Chaldæis pugnabo contra vos: nam impediam arma vestra, & retundam ea de manu vestra, ut non possitis resistere hostibus vestris. Ego pugnabo contra vos in civitate fame & peste, & Chaldæi foris pugnabunt donec urbem expugnent, &c.

9. *Quasi spolium*] Vel *in spolium*; h. e. ut Jonathan vertit, לשיזבא *in salvationem*.

13. *Quæ habitas in valle*] Est fundus civitatis montosus & saxosus, habens per circuitum vallem, & ultra vallem sunt montes; sicut in Psalmis habetur, *Montes in circuitu ejus*, &c. ¶ *Quis descendet*] Est verbum יחת à radice נחת, scribitúrque sub Jod Zere loco Dages, cujus litera gutturalis non est capax.

14. *In silva ejus*] Jon. בקרויהא *in civitatibus ejus*, quæ scilicet erant in circuitu Jerusalem quasi silva.

VATABLUS.

2. INterroga nunc [דרש נא] *Consule, quæso. Roga. Require.* ¶ *Et ascendat* [ויעלה] *Et ascendet*: i. recedet, solutâ obsidione.

4. *Converto* [מסב] Præs. Heb. pro fut. *convertam*, sub. *in viscera vestra*.

7. *Et qui remanserint* [ואת הנשארים] *Et* pro *id est*, ut quidam vertunt: i. qui immunes fuerint à peste illa quam immittam, nequis putet illam temerè accidisse. ¶ *Acie* [לפי] Ad verb. *ore*. Hebræi tribuunt Gladio *os*, quod Latini vocant *aciem*. Ob id etiam Gladius dicitur *comedere*.

8. *Propono* [נתן לפניכם] Ad verb. *do coram vobis*.

9. *Qui habitaverit* [היושב] *Qui resederit*: vel *remanserit*. Hinc colligere licet Benoni non solùm esse præsentis temporis sed etiam futuri significativum, aliquando etiam præteriti. ¶ *In spolium* [לשלל] i. Instar spoliorum multorum.

12. *Judicate mane judicium* [דינו לבקר משפט] *Reddite manè jus.* ¶ *Oppressum* [גזול] *Despoliatum.* ¶ *Et succendatur* [ובערה] *Et exardescat*: sive *ardeat*. ¶ *Operum suorum* [מעלליהם] *Operum vestrorum*. Pronomen tertiæ personæ pro secundæ.

13. *Habitatrix vallis petræ campestris* [ישבת העמק צור המישר] *Quæ habitas in valle, in petra, in planitie*. Jerusalem erat sita in rupe, juxta quam erat vallis, circùm erant planities, post planities erant montes: & hic erat situs urbis naturâ munitissimæ: acsi dicat, Nè fidas huic loco quanquam naturâ munito; nam mittam hostes qui te perdent. ¶ *Descendet contra nos* [מי יחת עלינו] *Ascendet contra nos*: i. castrametabitur: q. d. *Quis auderet nos oppugnare?* Quidam vertunt *conteretur super nos*.

CASTALIO.

14. ISTius silvam] Hierosolymæ.

CLARIUS.

4. COnvertam vasa belli] h. e. Transferam ad hostes arma vestra: ut sit sensus, Ego unà cum Chaldæis pugnabo contra vos: nam impediam arma vestra, & retundam ea de manu vestra, ut non possitis resistere hostibus vestris. Ego pugnabo contra vos in civitate fame & peste, & Chaldæi foris pugnabunt donec urbem expugnent, &c.

9. *Quasi spolium*] h. e. Servabitur captivus.

13. *Habitatricem vallis solidæ*] Jerusalem dicit, quæ ad radicem montis triplici muro cincta petræ innitebatur, & habebat planitiem sub qua erat vallis circumquaque.

14. *In saltu ejus*] Vel *silva*; h. e. in civitatibus ejus, quæ scilicet erant in circuitu Jerusalem quasi silva.

DRUSIUS.

13. צור. A. prima ed. *solidam*, secunda *Tyrum*. Sym. *petram*. Th. *obsessam*.] Hier. צור *Sym.* petram, *Th.* obsessam *interpretati sunt*, *Aquilæ prima editio* solidam, *secunda* Tyrum. SUR *enim sive* SOR *linguâ Ebraâ & Tyrum & silicem & coartatam sonat*. † *Solidam*. Hinc Hier. *habitatricem vallis solidæ*. † *Tyrum*. i. צר. † *Obsessam*. Nam צר *premo, obsideo*: à quo participium generis passivi צור *obsessus*, *coarctatus*. Unde & Græcum verbum τυρεῖν & τυρὸς *caseus*, i. *pressi copia lactis*. Theodoretus ex Syro annotat ἡ μεταξὺ ὀρῶν κειμένη ἐν κοίλῳ τόπῳ, *quæ inter montes sita es in cavo loco*.

GROTIUS.

1. REx Sedecias] Hæc aliquantò sunt posteriùs gesta quàm editæ istæ quas habuimus prædictiones. Cùm hæc scriberet liber fuit Jeremias, & incepit impleri quod habuimus suprà xv. 19.

Phassur filium Melchiæ] Alius est hic Phassur ab eo de quo actum capite præcedente. Nam ille erat ἐφημερίας [*vicis*] decimæ sextæ, hic verò quintæ, ut videre est 1 Paralipom. XXIV. 9. Sacerdotibus in his libris cognomen additur non ex patre, sed ex familia.

Et Sophoniam filium Maasiæ] Id est, ἐφημερίας [*vicis*] vicesimæ quartæ. Vide 1 Paralipom. XXIV. 18.

2. *Præliatur adversùm nos*] LXX: ἐφέστηκεν ἐφ' ἡμᾶς [*bellum nobis infert*].

Si fortè faciat Dominus nobiscum secundùm omnia mirabilia sua] Id est, sciamus an Deus nobis adesse velit potentiâ suâ admirabili, ut cùm Sennacheribus nos obsedit.

Et recedat à nobis] Nempe Nabuchodonosor, divinâ virtute coactus.

4. *Ecce ego convertam vasa belli, quæ in manibus vestris sunt*] Vertam in alios longè usus quàm quibus destinata sunt.

Et congregabo ea in medio civitatis] Id est, efficiam ut Urbe irruptâ arma vestra omnia vobis erepta adferantur in locum aliquem urbis vestræ, quem ad id elegerint victores Chaldæi.

5. *Et debellabo ego vos in manu extenta*] Per Chaldæos. Verba omnia magnifica. *Ego*, fame & peste, ut sequentia explicant.

7. *In manu inimicorum eorum*] Sub potestatem hostium.

Et percutiet eos in ore gladii] Vide quàm distinctè hæc prædicta, non ut Λοξίου θεσπίσματα [*oraclo flexiloqui Dei*]. Confer II Reg. XXV. 6. 7. *Eos*, nempe filios Sedeciæ, multos ex proceribus & populo. Sedecias ipse, ità ut Jeremias infrà XXXIV. 4. & Ezechiel IX. 13. prædixerunt, mortuus est Babylone, morte quidem non violentâ, sed haud dubiè ex mœrore contractâ.

8. *Ecce do coram vobis viam vitæ, & viam mortis*, Enuntiabo vobis conditiones per quas salvi eritis, aut peribitis. Si vos deditis Regi Chaldæo, vivetis; sin minùs, peribitis. Hæc vera erant; sed quanto cum periculo dicerentur nemo non intelligit. Tamen dicenda erant. Et fecit Propheta quod erat officii sui. Libertas προαιρέσεως [*humanæ electionis*] hîc ostenditur, ut multis aliis in locis.

10. *Posui enim faciem meam super civitatem hanc in malum, & non in bonum*] Maligno vultu illam aspiciam. Vide Levit. XVII. 10. & XX. 5.

In manu Regis Babylonis dabitur] Veniet in ejus potestatem, ut suprà 7.

11. *Domui Regis Judæ*] Sedeciæ, matri, uxoribus, filiis ejus.

12. *Judicate manè judicium*] Diximus alibi judicia in illis locis tantùm manè exercita. Vide quæ ad Jobum XXIV. 17. Rex Duarum Tribuum etiam ipse judicare poterat: & curam adhibere in Synedrio nè per sordes judicaretur.

Et eruite vi oppressum de manu calumniantium] Semper hic interpres עשק, quod est *concutere*, ut Jurisconsulti Romani loquuntur, vertit *calumniari*, minus accuratè.

Nè fortè egrediatur ut ignis indignatio mea, & succendatur, & non sit qui exstinguat, propter malitiam studiorum vestrorum] Etiam decretis Dei contra Urbem obsignatis, poterat servari Rex, & ejus domus, & pii alii, non minùs quàm Jeremias servatus est, & Abdemelech, tótque alii.

13. *Ecce ego ad te habitatricem vallis solidæ, atque campestris*] Meliùs: Nunc *ad te* me verto (ô civitas) quæ *habitas vallem*, quæ (velut) *rupes planitiei* (immines). Urbs Hierosolyma magnâ sui parte in montibus sita latè valles, Raphaïmorum putà & Hinnomi, despiciebat. Vide Josuæ XV. 8.

14. *Et succendam ignem in saltu ejus*] Mutatio personæ frequens Hebræis; deinde μετωνυμία [*transnominatio*]. nam *silvam* vocat domos è cedro exstructas. Vide mox XXII. 7. Adde II Regum XXV. 9. II Paralipom. XXXVI. 19. infrà LII. 13.

CAP.

CAP. XXII.

MUNSTERUS.

6. G*Ilead, tu mihi caput Libani*] Kimhi putat hunc locum sic legendum, *Tu, domus Jehuda, fuisti mea, sicut Gilead & jugum Libani.* Per *Gilead* intellige terram Regni Og & Sihon, atque universam Basan. Ut autem Gilead fuit caput super omnes terras istas, sic Jerusalem fuit caput super totam terram Israel. R. Salomon verò post Chald. interpretem per *Gilead* intelligit Templum in edito loco situm.

7. *Electas cedros tuas*] h. e. Domos ex electis cedris exstructas.

13. *Absque justitia*] i. Qui ex rapinis & injustis lucris exstruit palatia, pauperes expilans, & operariis mercedem denegans. Et intelliguntur hæc de Jehoiakim Rege Jehuda, qui ductus in captivitatem in ipso itinere mortuus est.

14. *Domum amplam*] Heb. *domum mensurarum*, sicut & אנשי מדות dicitur, i. *viri mensurarum*, pro *viri habentes magnam staturam.* ¶ *Cœnacula spatiosa*] Quidam exponunt מרווחים pro *æstivis habitaculis quæ causâ refrigerii ventis exponuntur.*

15. *Numquid regnabis*] h. e. Numquid putas te ob id regnaturum quòd egregia erexisti palatia, tyrannicè ad hæc abutens subditorum operâ? Nec est ut Josiam patrem tuum in hoc te dicas imitari, cùm ille præter id quòd more regio *comedit & bibit*, atque amœnis usus est palatiis, *etiam sectator fuerit justitiæ.*

16. *An non hoc est nosse me*] Exponitur hic locus suprà cap. 9. in fine, ubi dicitur, *In hoc glorietur qui gloriatur, si intelligat & cognoscat me, quoniam ego Dominus facio pietatem, judicium & justitiam*, &c.

18. *Væ frater, & Væ soror*] Hæc fuerunt verba amicorum plangentium. De viro enim dicebant, *Heu frater*; & de muliere, *Heu soror.* Vel refertur, *Heu soror*, ad Reginam. Cæterùm per הודה *magnificentiam ejus* Jonathan intelligit Regnum. Patet etiam per id quod subditur, *Extra & ultra portas Jerusalem*, illum haud longè ab Urbis mœniis, cùm abduceretur, defunctum.

20. *Clama à regionibus*] h. e. Clama ab una plaga ad aliam, vel inclama transfluvianos, si fortè sit aliquis ex amatoribus tuis qui tibi ferat opem, in quos tu fiduciam tuam posuisti. Sed ecce ipsi quoque devastati sunt per Nebuchadnæzar; Rex scilicet Ægypti, & Rex Assur.

23. *Sedisti in Libano*] i. Domus tuæ exstructæ fuerunt magnificis cedris Libani, & habitasti in eis quasi in Libano. ¶ *Quàm accepta eris*] Heb. *quàm gratificaberis*, vel *quàm pulcra eris, cum venerint tibi dolores.* Est enim נחנת passivum à חנן.

24. *Choneiahu*] Hic est Jehoiachin filius Jehoiakim, qui ductus in Babylonem 36 annis detentus fuit in carcere.

27. *Attollunt animam suam*] h. e. Sperant in anima sua.

28. *Ad quod nemo habet animum*] Jon. דלית צרוך בית *cujus usus ad nihil valet.*

30. *Scribite virum istum orbatum*] Sed quomodo dicitur *orbatus filiis* cùm *genuerit Sealthiel*, & *Sealthiel genuerit Zerubabel*, & sic consequenter usque ad Christum, cujus genealogiam Matthæus describit? Solvitur hoc dubium per id quod in fine hujus capitis subjungitur, *Non prosperabitur de semine ejus vir aliquis sedens super solium David, & qui dominator ampliùs sit in Jehuda.* Post captivitatem enim Babylonicam nemo fuit de semine David qui liberè Regnum administraret in Jehuda, sed parebant exteris gentibus, nunc Medis, & nunc Græcis, donec Machabæi, qui erant de gente Sacerdotali, excusserunt jugum Græcorum: quibus domus Herodum subrepsit. Nullus igitur fuit post Jehoiachin qui Regnum liberè administraret: & ob id vocat hîc Propheta Jehoiachim *orbatum*, &c. Nec his dictis adversatur id quod habetur Gen. 49. *Non auferetur sceptrum de Jehuda*, &c. De quo ibidem multa diximus; nempe quòd Principes fuerint de stirpe Jehuda qui censuram habebant in populum, præsertim Senatus Sanhedrin. Sed nato Christo omnis potestas fuit illis adempta sub præside Cyrenio, ut etiam illis non esset fas supplicium sumere de facinorosis. Non igitur Judæi post captivitatem Babylonicam perfectè redempti erant; sicut nec ornamenta Templi habuerunt, putà Arcam, Propitiatorium, Cherubim, Ephod, & similia; ad innuendum quòd exspectarent perfectum redemptorem tunc in brevi venturum. Unde & Samaritana mulier dicebat. *Cùm venerit Meschias, ille docebit nos omnia.*

VATABLUS.

3. O*Ppressum* גזול] Vide suprà 21. 1. ¶ *Ne fraudetis neque rapiatis* אל־תנו אל־תחמסו] *Ne contristetis, neque injuria afficiatis.*

4. *Si enim faciendo feceritis* כי אם עשו תעשו] *Sed faciendo facite verbum istud, & ingredientur*, &c. ¶ *Domus hujus* הבית הזה] i. Civitatis hujus. ¶ *Ex David* לדוד] *Pro David.*

5. *Domus hæc* הבית הזה] *Domum* pro *civitate* usurpavit, ut v. 4.

6. *Gilad tu*, &c. גלעד אתה וגו'] q. d. Ut quondam regioni Galaad sitæ ultra Jordanem urbs primaria fuit Galaad, sic tu, Jerusalem, metropolis fuisti Regni Juda, *& fuisti ut caput Libani*, h. e. totius Judææ. *Libanus*, mons Judææ, pro *tota Judæa* per Synecdochen. ¶ *Si non posuero te* אם לא אשיתך] Sub. *Ne credas mihi posthac.* ¶ *Non habitantur* לא נושבו] *Non fuerunt habitata.*

7. *Interfectores* משחתים] *Exterminatores.* Alii, *devastatores.* ¶ *Cum armis suis* וכליו] Ad verb. *& arma ejus.* ¶ *Et conjicient*, &c. והפילו על האש] Ad verb. *& cadere facient super ignem.*

8. *Ad socium suum* אל רעהו] *Ad proximum suum*: vel *amicum.*

10. Pro *abeunte* להולך] Sub. *in exsilium.* Alii, *ipsum abeuntem*: q. d. Ne prosequamini lacrymis funera vulgi, sed calamitatem Regis vestri multò miserabiliorem. Hæc non cohærent cum præcedentibus: prædicit enim exsilium Joachin, qui alio nomine *Sellum* dicebatur, qui fuit filius Joacim filii Josiæ.

11. *Egressus est* יצא] Præt. Heb. pro fut. *emigraturus est.*

13. *Sine justitia* בלא צדק] Ad verb. *in non justitia*, i. injustè. Loquitur de Joacim patre Joachin, qui *Eliacim* alias dicebatur, qui sumptuosa ædificia exstruxerat, mercede pauperum retentâ; quod Lege cavetur. ¶ *Sine judicio* בלא משפט] Ad verb. *in non judicio*, i. absque æquitate. ¶ *Operatur gratis* יעבד חנם] Fut. Heb. pro præs. i. abutitur proximo suo sine mercede. ¶ *Et mercedem operis sui* ופעלו] Ad verb. *& opus suum.*

14. *Mensurarum* מדות] Subaudire potes *multarum*, i. maximam. ¶ *Spatiosa* מרווחים] *Vento exposita.* Alii, *refrigerantia*, i. æstiva. Alii, *perflata.* ¶ *Et apertas facit ei* וקרע לו] *Et aperit sibi*: vel, *perforat.* Alii, *aperiet.* ¶ *Et tectam*, &c. וספון בארז] *Et tecta est cedro*, i. obducta est tabulis cedrinis. ¶ *Et pictam sinopide* ומשוח בששר] *Et uncta est minio.* Ità ad verbum.

15. *Cum cedrino ædificio* בארז] Ad verb. *cum cedro*, i. quòd habites in ædibus cedrinis? Convertit sermonem suum ad Joacim. ¶ *Comedit & bibit*, &c. אכל ושתה וגו'] i. Nónne longitudinem vitæ sibi peperit exercendo justitiam? Hebraismus.

16. *Judicium* דין] *Causam.* ¶ *Nosse me* הדעת אתי] Exponitur hic locus suprà 9. 24. *In hoc glorietur*, &c.

17. *Contritionem* המרוצה] Sub. *corporis*: vel *afflictionem.* Quidam dicunt vocem Hebræam significare *oppressionem*, cùm tyrannus exigit à suis immoderatas operas. Abutebatur enim operâ suorum subditorum Joacim.

18. *Heu, frater mi*, &c. הוי אחי וגו'] Sub. *luctu in quo dici solet, Heu*, vel, *O frater, aut, Heu soror*; h. e. planctu privatorum: neque eo planctu quo dicebant, *Heu here*, sive *domine*, quo planctum publicum intelligit: q. d. Non plangent eum neque planctu privato neque planctu regio & publico, quo scilicet subditi solent plangere Principes suos. ¶ *Gloria ejus* הודה] *Magnificentia ejus*: vel *decus*, sive *decor.*

19. *Sepulturâ asini sepelietur* קבורת חמור יקבר] i. Non sepelietur. ¶ *Tractus & projectus* סחוב והשלך] *Trahendo illum, & projiciendo.*

20. *Conscende*, &c. עלי הלבנון] Ut scilicet implores opem aliunde. ¶ *Undique* מעברים] *Ab lateribus*, sub. *omnibus*; i. undequaque: acsi dicat, *O congregatio Juda, impendet tibi periculum maximum: ideo conscende Libanum, & cùm in vertice ejus fueris, implora clarâ voce opem amicorum tuorum, siquos habes.* Ironia est; acsi dicat, *Frustrà conscendes: eversi enim sunt & fracti amici tui Ægyptii & Assyrii.*

21. *In felicitatibus tuis* בשלותיך] *In tranquillitatibus tuis*, i. cùm esses in prosperitate tua, rebus tuis adhuc integris à pueritia tua: h. e. ex quo eduxi te de terra Ægypti, monui te ut resipisceres. ¶ *Hæc via tua* זה דרכך] *Hic fuit mos tuus*: vel, *consuetudo tua.*

22. *Depascet* תרעה] *Pascetur*, i. absumet: q. d. *Evanescent & peribunt pastores tui.*

23. *Habitas in Lebanon* ישבת בלבנון] *Sedes in Lebanon*: vel, *Habitasti*, sub. *antea, dudum*, vel *hactenus, in ipso Libano*; h. e. in ædibus eximiis & sumptuosis, nempe ex cedris

ædificatis, quæ quidem cedri deportatæ fuerant è Libano. ¶ *Gratiosa eris* נחנת] *Chara eris.* Quidam legunt, *Quam gratiam habuisti:* vel, *quomodo precata es:* aut, *quid gratiæ relictum est tibi*, scilicet ex omnibus quæ ædificasti & possedisti in cedris, *cùm venerint tibi dolores*, &c.

24. *Choniahu* כניהו] Trisyllabum est. Hic & v. 28. Jechoniam vocat *Choniam*, detractâ primâ literâ per contemptum.

26. *Et asportari faciam te* והטלתי אותך] *Et tollam te.* Alii, *Et projiciam te.*

27. *Elevant animam suam*, &c. מנשאים את נפשם ונו'] i. Animo eriguntur in spem revertendi illuc: sive ad quam sperant se reversuros.

28. *Contemptibile* נבזה] *Contemptum; vile.* ¶ *Voluntas* חפץ] *Desiderium:* vel *beneplacitum.* Alii, *ad quod nemo animum habet*, i. neglectum, tanquam inutile. ¶ *Projecti sunt* הוטלו] *Abjecti sunt; abducti; traducti; translati:* vel per futura, *abducentur.*

30. *Scribite* כתבו] Vos scilicet Angeli, vel Prophetæ, quorum interest scribere decreta Divina. ¶ *Orbum* ערירי] i. Sine liberis, & toto vitæ tempore infelicem.

CASTALIO.

6. TU *mihi Galaadus, ô Libani caput*] Alludit ad rationem nominis *Galaadus*, quæ posita est in Gen. 31. ubi *Galaadus* dicitur *Tumulus testimonii.* Est igitur hæc sententia, *O caput Libani*, h. e. ô domus Regis Judææ, h. e. Hierosolyma Judææ caput, tanquam silvæ (nam & ad extremum superioris capitis *silvam* vocat Judæam gentem) *tu mihi Galaadus es*, h. e. tumulus testimonii: h. e. te testor, ut apud Mosem testatur Laban Galaadum tumulum. Ità *Galaadi* nomine in affirmando ac jurejurando utitur, propter celebre illud Galaaditicum jusjurandum: quomodo Romani in connubiis solebant uti nomine *Thalassii*, quo sponsus indicabatur.

14. *Perstabilia cœnacula*] Alta & ventis exposita.

15. *Habebat quod esset ac biberet*] Satis locuples erat.

18. *Non plangetur, Heu frater, heu soror; non plangetur, Heu Domine, heu majestas*] Nec à cognatis nec à subditis lugebitur.

22. *Omnes tuos pastores pascet ventus*] Ad nihilum redigentur.

24. *Annulus in manu dextra*] Charissimus & conjunctissimus.

30. *Sic dicit Jova, Scribatur homo iste orbus*] Quæ scribuntur certa sunt. Certum est, istum hominem orbare, &c.

CLARIUS.

1. DEscende in domum Regis] Totum caput quod antecedit continuus sermo est habitus ad legatos Regis. Deinde quia multus est misericordiâ Dominus, Prophetam cum lenioribus mandatis ad regiam mandat. Ubi advertendum est, Cursum verbi esse ut primò terreat, posteà viam salutis monstret reversuris. Spiritûs Dei est in spem semper erigere. Et vide ut sæpe benignitas Dei polliceatur veniam si corrigantur, quamvis certissimum interitum Civitatis jam toties denunciaverit.

6. *Galaad, tu mihi caput Libani*] Jerusalem florens sicut Galaad, caput es Terræ sanctæ. Per *Galaad* intellige terram Regni Og & Seon, atque universam Basam. Ut autem Galaad fuit caput super omnes terras istas, sic Jerusalem fuit caput super totam terram Israel. Alii per *Galaad* intelligunt Templum in edito loco situm.

7. *Et sanctificabo super te*] h. e. Præparabo contra te. Ad hoc unum, inquit, parati erunt; quemadmodum res sanctas in alienum usum non licet convertere. ¶ *Electas cedros*] h. e. Domos ex electis cedris exstructas.

10. *Nolite flere mortuum*] Tanquam dicat, Minùs erunt infelices qui hic morientur quàm qui hinc abducentur. Putant quidam dictum de Joacim, qui & *Eliachim*, quòd *non sit deflendus*, quòd in via mortuus sit, & propterea à multis malis fuerit liberatus. Sed filium ejus Jechoniam vel Joacim jubet plangi, qui XXXVII annis in Babylone fuit in carcere. Quod exponunt & de Sallum, quòd etiam ipse sit *Jechonias* dictus. Alii de Sedechia.

15. *Numquid regnabis*] h. e. Num hujusmodi pretiosis structuris Regnum tuum stabilies? ¶ *Confers te cedro*] Patrem ejus vel David vocat *cedrum* propter virtutis & religionis eminentiam. ¶ *Pater tuus numquid non comedit*] Non est, inquit, ut Josiam patrem tuum in hoc te dicas imitari: cùm ille præter id quòd more Regio *comedit & bibit*, atque amœnis usus est palatiis, etiam *sectator fuerit justitiæ.* Sunt qui hinc affirment opinionem hanc, Joacim perpetuis jejuniis corpus macerasse, ut abstinentiâ & jejunio prava sua facinora expiaret; & idcircò dictum à Propheta, *Pater tuus comedit & bibit, sed fecit justitiam & judicium.*

19. *Projectus extra portas*] Quibus verbis patet illum haud longè ab Urbis mœniis, cùm abduceretur, defunctum.

20. *Ascende Libanum*] Jubetur ascendere in altissimos montes, & frustrà *clamare ad obvios quosque*, siquis fortè ei succurrat ex *amatoribus* ejus in quibus illa fiduciam suam collocarat. Sed ecce ipsi quoque devastati sunt per Nabuchodonosor; Rex scilicet Ægypti, & Rex Assur, quos etiam *pastores* ejus vocat.

23. *Quæ sedes in Libano*] Domus, inquit, tuæ exstructæ fuerunt magnificis cedris Libani, & habitasti in eis quasi in Libano. ¶ *Quomodo congemuisti*] Alius vertit, *quàm accepta eris*, vel *quàm pulcra eris, cùm venerint tibi dolores.*

24. *Vivo ego*] Nunc ad alterum Regem venit, nempe Jechoniam, qui hic *Chonias* dicitur. De quo jurat sententiam latam, *Etiam si sibi ità adhæreret ut annulus* aut *sigillum*, quod quis die noctúque *in manu* haberet ut rem pretiosam, *tamen rejecturum se eum.*

28. *Vir iste Chonias*] Significat JECHONIAS *Domini præparatio.* Cui in præsenti loco prima syllaba, h. e. Domini nomen, aufertur tanquam indigno literis Divini nominis: sicut contrà *Abrahæ* litera additur.

30. *Scribe virum istum sterilem*] Quomodo dicitur *orbatus filiis* cùm *genuerit Sealthiel, & Sealthiel genuerit Zorobabel*, & sic consequenter usque ad Christum, cujus genealogiam Matthæus describit? Solvitur hoc dubium per id quod in fine hujus capitis subjungitur; *Non erit* (vel *non prosperabitur*) *de semine ejus vir aliquis sedens super solium David, & qui potestatem habeat ultrà in Juda.* Post captivitatem enim Babylonicam nemo fuit de semine David qui liberè Regnum administraret in Juda; sed parebant exteris gentibus, nunc Medis, nunc Græcis, donec Machabæi, qui erant de genere Sacerdotali, excusserunt jugum Græcorum: quibus domus Herodum subrepsit. Nullus igitur fuit post Joacim qui Regnum liberè administraret; & ob id vocat hic Propheta Joacim *orbatum.* Nec his dictis adversatur id quod habetur Gen. 49. *Non auferetur sceptrum de Juda*, &c. De quo ibidem dictum est, quòd Principes fuerint de stirpe Juda qui censuram habebant in populum, præsertim Senatus Sanhedrin; sed nato Christo omnis potestas fuit illis adempta sub Præside Cyrenio, ut etiam illis non esset fas supplicium sumere de facinorosis. Non igitur Judæi post captivitatem Babylonicam perfectè redempti erant; sicut nec ornamenta Templi habuerunt, putà Arcam, Propitiatorium, Cherubim, Ephod, & similia; ut significaretur exspectari perfectum Redemptorem tunc brevi venturum. Unde & Samaritana mulier dicebat, *Cum venerit Messias, ille docebit nos omnia.* Quòd autem ait, *Scribe virum istum*, videtur mos fuisse Prophetarum, literis comprehensas Prophetias pro foribus Templi populo omni legendas proponere. Quod sic esse ex Propheta Abachuc colligitur. Unde & SCRIBERE LEGEM apud Oseam, *vaticinari* & *mittere Vates* significat; *Scribam*, inquit, *ei præcipua Legis.*

DRUSIUS.

15. אָבִיךָ הֲלוֹא אָכַל וְשָׁתָה וְעָשָׂה מִשְׁפָּט וּצְדָקָה. Scholion, Ἀκύλας, Ὁ πατήρ σου οὐκ ἔφαγε καὶ ἔπιε, καὶ ἐποίησε κρῖμα καὶ δικαιοσύνην, *Pater tuus non comedit & bibit, & fecit judicium & justitiam?*] Vide Rom. ed. Apud Theodoretum, Μὴ βασιλεὺς εἶ ὅτι ἁμιλλᾶσαι πρὸς τὴν κέδρον; ὁ πατήρ σου μὴ οὐχὶ ἔφαγε καὶ ἔπιε, καὶ ἐποίησε κρῖμα καὶ δικαιοσύνην; *Numquid Rex es quia contendis cum cedro? Pater tuus nonne comedit & bibit, & fecit judicium & justitiam?*

19. סָחוֹב. Sym. ὡς κόπριον συλληφθεὶς, *quasi stercus collectus*] *Nam Babylonius, cùm hunc sustulisset, sic projecit, & non est sepultus; aut, si sepultus, tanquam asinus, conspersus cinere & terrâ & pulvere. Nam propter tumultum neque planctus factus est super eum, neque corpus ejus oppletum est.* Verba sunt Scholii cujusdam ex Chrysostomo desumpti, quod exstat in ed. Rom.

20. מֵעֲבָרִים. Sym. *decontra.* Th. *trans mare*] Lxx εἰς τὸ πέραν τῆς θαλάσσης. Legerunt מֵעֵבֶר יָם divisim & duabus dictionibus. Hier. *Quod autem nos diximus*, clama ad transeuntes, *& in Ebraico scriptum est* מעברים, *Lxx Theodotióque verterunt* trans mare, *Sym.* decontra, *ut significent quòd vox Prophetæ de Jerusalem usque ad montem Libanum & Basan debeat pervenire.*

24. חוֹתָם. Cæteri σφραγὶς *sigillum*] Meminit Origenes: quanquam in eo σφραγῖς *sigilla.* Gen. 38. 18. Aq. σφραγῖδα. Lxx δακτύλιον. Hier. *annulum.* Sign. propriè *annulum sigilla*

gillatorium, pro quo *annulum* simpliciter nominavit Tacitus.

25. וּבְיַד נְבוּכַדְרֶאצַּר מֶלֶךְ־בָּבֶל. καὶ εἰς χεῖρας Ναβουχοδονοσὸρ τοῦ Βαβυλῶνος, *& in manus Nabuchodonosor Regis Babylonis*] Vide Rom. ed.

28. הַעֶצֶב נִבְזֶה נָפוּץ. Sym. *numquid purgamentum*] Sive *quisquilia viles atque projecta*. Hier. *Pro eo quod nos diximus*, numquid vas fictile atque contritum, *Sym. transtulit*, numquid purgamentum, *&c. pro quo in Lxx nihil habetur*, *sed hoc tantum interpretati sunt*, Inhonoratus est Jechonias quasi vas in quo nulla est utilitas. Apud Theodoretum, *vir iste est ut contemptum atque abjectum*.

30. עֲרִירִי. A. prima ed. *sterilem*, secunda ἀναύξητον. Sym. *vacuum*. Lxx & Th. *abominabilem & abdicatum*] Ἀναύξητον, *non crescentem*. Hier. *Pro* sterili *in Ebræo scriptum est* עֲרִירִי, *quod Aquila prima editio* sterilem, *secunda* ἀναύξητον, *i.* non crescentem, *&c.* † *Vacuum*, κενόν. In ed. Rom. κενὸν ἀπηλλοτριωμένον. † *Abdicatum*, ἐκκήρυκτον. ¶ גֶּבֶר לֹא־יִצְלַח בְּיָמָיו ἀνευόδωτον ἄνθρωπον ἐν ταῖς ἡμέραις αὐτοῦ, *hominem qui non prosperè aget in diebus suis*.

GROTIUS.

1. HÆc *dicit Dominus*] *Hæc dixit*. Jeremias enim Sedeciæ loquens simul repetit quæ Regibus antecedentibus, fratri scilicet ipsius Sedeciæ, fratrisque filio prædixerat, nè quid haberent quod de tam gravi Dei ultione conquererentur.

2. *Rex Juda*] Qui II Reg. XXIII. 30. *Joachaz* vocatur, hîc verò infrà II. & I Paralipomen. III. 15. *Sellum*, quod *retributionem* significat, omine ipsi non bono.

3. *Facite judicium*] Jus sanctè reddite.

Et justitiam] Beneficentiam exercete.

Liberate vi oppressum de manu calumniatoris] Suprà XXI. 12.

Et advenam, & pupillum, & viduam nolite contristare] Suprà VII. 6.

Et sanguinem innocentem nè effundatis in loco isto] Dicto loco VII. 6.

4. *Ingredientur per portas domûs hujus*] Palatii. Vide suprà I.

Reges sedentes de genere David super thronum ejus] Ut suprà XVII. 25.

6. *Galaad, tu mihi caput Libani*] Noli aut opibus, aut situ loci nimiùm confidere. Galaaditis regio est opulentissima. Vide Genes. XXXVII. 25. & sita est in ipso Libano. Attamen vastata est per Teglathphalasarem, II Regum XV. 29. idem huic regiæ eveniet.

Si non posuero te solitudinem] Nè habear verax, nisi id facio.

7. *Sanctificabo super te*] *Præparabo & instruam contra te*, ut suprà VI. 4. infrà LI. 27.

Electas cedros tuas] Unde fabricata erat regia, Cant. I. 16.

10. *Nolite flere mortuum, neque lugeatis super eum fletu*] Regem Josiam, qui in prælio contra Ægyptium gloriosè occubuerat, ereptus adventantibus malis: II Reg. XXIII. 29. 30. XXII. 20. Esaiæ LVII. I.

Plangite eum qui egreditur] Qui evehetur hinc in Ægyptum per Necaonem. Is est ipse Sellum, ut sequitur, qui *Joachaz*, ut diximus II Reg. XXIII. ubi vide comma 33.

11. *Qui egressus est de loco isto*] *Egressurum illum de loco isto*: nempe Rege Ægypti cogente.

13. *Væ qui ædificat domum suam in injustitia*] *Fecit* enim *Joachaz malum coram Domino*, ut legimus II Regum XXIII. 32.

Et cœnacula non in judicio] Non datâ, ut sequitur, operantibus mercede, contra legem Levit. XIX. 13. Deuteronom. XXIV. 14.

Amicum suum opprimet frustra] Qui popularem suum nulla justa de causa malis premit.

14. *Qui dicit: Ædificabo mihi domum latam*] *Latè patentem*, ut solent Reges quibus pecunia abundat.

Et cœnacula spatiosa] In Hebræo, *vento exposita*, qualis Anastasii Imperatoris ædes Constantinopoli dicta *Magnaura*. Lxx hîc ῥιπιστά [*perflata*].

Qui aperit sibi fenestras] In omne latus.

Pingitque sinopide] In Hebræo, שָׁשַׁר. Græci hîc μίλτον [*minium*] vertunt, alibi χρώματα [*colores*]. Sunt qui *Indicum* significari putant.

15. *Numquid regnabis, quoniam confers te cedro?*] Pro אֶרֶז, quod *cedrum* significat, Lxx manifestè legerunt אחז [*Achazo*], ut sensus esse possit longè optimus: *Ideóne te diu ac feliciter regnaturum putas quòd Achazi exemplo peccas?* de quo vide II Regum XVI. & II Paralipom. XXVIII. הרה, quod verbum hîc habemus in Hebræo, alibi vertitur ἁμαρτάνειν [*peccare*], alibi πονηρὸν εἶναι [*malum esse*].

Pater tuus numquid non comedit & bibit?] Id est, fuit in rebus prosperis diù Josias.

16. *Numquid non ideo quia cognovit me? dicit Dominus*] *Cognoscere Deum* dicuntur qui factis ostendunt scire se quid Deo placeat, quod fecerat Josias.

18. *Propterea hæc dicit Dominus ad Joakim filium Josiæ*] לכן optimè vertes *præterea*, & *dixit*, pro *dicit*. Nam Jeremias, sicut retulerat Sedeciæ ea quæ fratri ejus Joachazo, sive Sellumo ex Dei mandato antehac dixerat, ità pergit referre quæ Joakimo quondam regnanti, itidem fratri Sedeciæ, dixerat; venturus deinde ad Jechoniam, qui proximè in regno Sedeciam præcesserat; ut, sicut modò diximus, ultionis ejus quam Deus sumere parabat justitia, ex tot monitis ac minis antecedentibus apertior fiat.

Non plangent eum, Væ frater, & væ soror] *Ah frater, & ah soror*. Ità in luctu dicebant consanguinei.

Non concrepabunt ei, Væ domine, & væ inclyte] *Non flendo dicent, Ah Domine, & ah decus ejus*: id est, *regnum*, ut bene hic exponit Chaldæus. Ità solebant in luctu dicere subditi.

19. *Sepulturâ asini sepelietur*] Sine honore.

Extra portas Jerusalem] Meliùs: *Longè à portis*. Id enim est Hebræum מֵהָלְאָה, & Græcum ἐπέκεινα [*procul*]. Vide Genes. XIX. 9. & Amos V. 27. Joakim à Chaldæis latronibus, quorum mentio II Regum XXIV. 2. abductus est in Babylonem, ut legimus II Paralipomen. XXXVI. 6. ibi interiit longè à patria, longè à suis.

20. *Ascende Libanum, & clama, & in Basan da vocem tuam*] Hæc etiam dixerat Jeremias civitati Hierosolymorum, antequam aveheretur Rex Joakim; *Clama ad* Syros *amicos tuos*: nihil tibi proderunt.

Et clama ad transeuntes] In Hebræo: *Trans vada*, Nili scilicet. Clama etiam quantum lubet ad Ægyptios, non juvabunt te.

Quia contriti sunt omnes amatores tui] *Amici tui*. Vide II Regum XXIV. 7.

21. *Locutus sum ad te in abundantia tua*] *Ad te*, ô Hierosolyma. *In tranquillitatibus tuis*: cùm adhuc tuta ac secura viveres.

Hæc est via tua ab adolescentia tua] Jam pridem est quod mea monita spernis. Vide suprà II. 2. Esaiæ XLVII. 12.

22. *Omnes pastores tuos pascet ventus*] Reges tuos omnes ac Principes vana spes lactat.

Et amatores tui in captivitatem ibunt] Ægyptii. Vide infrà XLVI.

23. *Quæ sedes in Libano, & nidificas in Cedris*] Idem bis dixit: nam per *Libanum* Libani arbores, quarum præcipuæ *cedri*, intelliguntur, ex quibus Templum, palatium, ac præcipuæ domus Hierosolymorum ædificatæ erant. Confer Zach. XI. I.

Quomodo congemuisti?] *Ingemisces*.

24. *Vivo ego, dicit Dominus*] *Dixit Dominus*. Venit jam ad ea quæ olim Jechoniæ prædixerat, filio fratris Sedeciæ.

Si fuerit Jechonias filius Joachim Regis Juda annulus in manu dextera mea, indè evellam eum] In Hebræo hic est כניהו [*Chonjahu*], ablato Jod, quod initium facit nominis, & addito ad finem ו. Prius illud eventuram ipsi capitis deminutionem significat: alterum est contemtûs nota, quasi dicat, *Conia ille*. *Etiamsi*, inquit Deus, *antehac eum tam charum habuissem, & sollicitè custodissem, quàm haberi ac custodiri solet gemma signatoria quæ est in annulo* (id propriè חותם, ut & Græci & Chaldæus hîc accepêre) *tamen nunc, cùm facinora ejus video, eum abjicerem*. Pro *evellam eum*, in Hebræo est, *evellam te*. Miscent enim Hebræi sæpe personas.

26. *Et mittam te, & matrem tuam quæ genuit te*] Nohestam: de cujus flagitiis vide suprà XIII. 18. & sequentibus. Vide implementum II Regum XXIV. 12. & 15.

In terram alienam] Babylonem, ut videre est dicto loco historiæ Regum, & II Paral. XXXVI. 10.

27. *Et in terram ad quam levant ipsi animam suam, ut revertantur, non revertentur*] In Judæam, quò redire ardentissimè desiderant.

28. *Numquid vas fictile atque contritum vir iste Jechonias? numquid vas absque omni voluptate*] Est objectio Judæorum fidem Jeremiæ verbis non habentium. Verba Hebræa sic habent: *An ut sculptile vile atque confractum* esset (scilicet apud Deum) *vir iste Jechonias, aut ut vas quod displicet?* id est, *quisquiliæ*,

ut

ut hic vertisse Symmachum ait Hieronymus. An ità Deus, ajebant, Regem nostrum haberet despicatui?

Quare abjecti sunt ipse & semen ejus, & projecti in terram quam ignoraverunt?] Verte: *Quare repudiarentur ipse & semen ejus, ac projicerentur in terram ignotam?*

29. *Terra, Terra, Terra, audi sermonem Domini*] Respondet Jeremias, & ter inclamans Judæam, quò notabilior sit obtestatio, planè asseverat hoc esse Dei constitutum.

30. *Scribe*] Ut memoria dictorum meorum permaneat, quæ probabit eventus. Refer in acta me hoc dixisse.

Virum istum sterilem] Decessurum nullo filio relicto: id enim Hebræis est ערירי [*illiberis*].

Virum qui in diebus suis non prosperabitur] Infelicem eum fore toto vitæ tempore.

Nec enim erit de semine ejus vir qui sedeat super solium David, & potestatem habeat ultrà in Juda] In Hebræo: *Non prosperaturum de semine ejus.* Quod Græci dicunt οὐ μὴ αὐξηθῇ ἐκ τοῦ σπέρματος αὐτοῦ [*non augebitur ex semine ejus*]. Non erunt ei superstites, ut sperare possit unquam regnum ad suam posteritatem rediturum, aut etiam dignitatem aliquam regno minorem. Vide quæ de hac re diximus ad Lucæ III. 23.

CAP. XXIII.

MUNSTERUS.

4. NON *timebunt amplius*] Hæc non dici poterunt de Israelitis ex Babylonia reversis, cùm in continuis fuerint timoribus & adversitatibus: ideo ad tempora Christi referenda sunt, in quo perfecta liberatio facta est, ut Christianus homo jam non timeat neque homines neque Dæmones, cùm se sciat esse ovem Christi.

5. *Suscitabo Germen justum David*] Pro *Germine justo* Jonathan Chaldæus vertit *Meschiam justum.* Igitur per *germen David* intelligitur semen David, h. e. humana natura Christi. Insinuatur & natura Divina quando mox subditur; *In diebus ejus salvabitur Jehuda: & hoc est nomen ejus quo vocabunt eum*, DOMINUS JUSTITIA NOSTRA. Addo, *eum*, quia Chald. Interpres quoque addidit. Pro DOMINUS autem in Hebræo est Nomen tetragrammaton, quod soli Deo competit. Convincit igitur locus iste Judæos negantes Meschiæ Divinitatem, quantumlibèt ipsi conentur eum in hunc modum corrumpere, *In diebus ejus erit justitia Domini nobis stabilis & perpetua:* sicut & Exod. 17. Moses vocavit altare יהוה נסי DOMINUS EXALTATIO MEA, vel MIRACULUM MEUM. Et Ezech. ultimo, *Vocatum est nomen civitatis ex die illa* יהוה שמה DOMINUS IBI. Ad hæc dicendum, quòd Altare non vocatur *Dominus* per se, neque Civitas, sed ostenditur gratia Dei illic concessa atque effectus Dei: Hic verò Christus vocatur יהוה & *justitia nostra*, non solùm quòd in diebus ejus justitia fuerit futura, sed quòd ipse sit justitia nostra.

9. *Propter Prophetas*] Hoc dicitur propter Prophetas falsos, qui virum sanctum in negotio suo impediebant, ut nihil proficeret in populo suo, quantumlibèt illis dura comminaretur. Porrò verbum רחפו exponunt pro התנודדו, sicut & Gen. I. ubi dicitur, *Spiritum Domini motum super aquas.*

18. *Quis enim stetit*] q. d. Ad falsos illos Prophetas non est factum verbum Domini, cùm nunquam *admissi sint in consilium Dei*, sicut viri sancti.

19. *Tempestas Domini*] Jon. *Increpatio Domini cum furore prodiit.* Est autem מתחולל à radice חול, quod sign. נפל *cadere*, & חנה *manere.*

23. *Deus de propinquo*] i. Súmne ego Deus recèns natus aut formatus, aut potiùs ante mundi conditionem exsistens?

30, 31. *Qui furantur verba mea*] h. e. Usurpant sibi munus Prophetiæ, & loquuntur nomine meo quæ ego non præcepi eis, blandâ linguâ populum in errore retinentes. Exponit autem hic Kimhi הנחלקים pro הלוקחים. Jonathan verò sic vertit; *qui prophetant juxta voluntatem cordis sui, & loquuntur cum autoritate, Sic dicit Dominus, Prophetis veris sese conformantes.*

33. *Quod est onus Domini?*] Est *onus* Prophetia gravis afflictiones & tribulationes denuncians. Judæi autem in tanto contemptu habebant verbum Domini ut Prophetarum oracula odioso nomine & per derisum *onus* nominarent.

35. *Quid respondit Dominus?*] Monemur hîc ut sanctè & piè loquamur de verbis Domini, quæ plena sunt salutis & gratiæ, non ea *onus* vocantes, sed *responsa* & *oracula Dei*, quibus invitamur ad pœnitentiam & salutem.

VATABLUS.

1. VÆ *pastoribus* הוי רעים] *O pastores*: vel, O infelices & miseros Pastores & Principes, quorum culpâ, incuriâ ac negligentiâ periit & abductus est in captivitatem populus à me vobis commissus ac concreditus!

2. *Et ejecistis eas* ותדחום] *Et expulistis eas*: i. fecistis ut abirent in captivitatem. ¶ *Visito* פוקד] Præs. Heb. pro fut. *visitaturus sum*, i. sumam pœnas de vobis condignas & respondentes malis operibus vestris.

3. *Ad habitacula sua* על נוהן] *Ad caulas suas.*

4. *Neque deficient* ולא יפקדו] *Neque desiderabuntur*: i. nè ulla quidem earum desiderabitur: q. d. Nullæ peribunt, non requirentur ut oves perditæ requiri solent à pastoribus.

5. *Et regnabit Rex* ומלך מלך] q. d. Erit verus Rex, non tyrannus. Hebraismus. ¶ *Et prosperè aget* והשכיל] *Et felix erit.* Alii, *& sapiens erit.*

6. *Justus noster* צדקנו] *Justitia nostra.*

8. *Ascendere fecit* העלה] *Eduxit.* ¶ *Ejeci eos* הדחתים שם] *Expuli* [vel per futurum, *expulero*] *eos illuc*: sive, *pepulero.* Redundat adverbium Loci.

9. *Propter Prophetas* לנבאים] Sub. *falsos*: i. propter imposturas illorum. Alii, *ad Prophetas*: ut sit tituli vice. ¶ *Commota sunt* רחפו] *Contremiscunt*, metu scilicet futuri judicii. ¶ *Pertransivit vinum* עברו יין] Quidam præteritum convertunt in præsens, *transgreditur vinum*, i. quem vincit & superat vinum, h. e. temulentus. ¶ *A facie Jehovæ* מפני יהוה] i. Propter Jehovam, sive propter honorem Jehovæ, *& propter verba sua sancta* quæ isti contemnunt ac blasphemant.

10. *Desolata est* אבלה] *Luxit*: sive *luget*, ob sterilitatem. ¶ *Pascua* נאות] *Habitacula*: i. caulæ adjacentes locis pascuosis. Alii, *speciosa.* ¶ *Et fortitudo eorum* וגבורתם] *Et robur eorum*, i. favor. Potiùs favent falsitati quàm veritati.

11. *Peccaverunt* חנפו] Præt. Heb. pro præs. *impiè agunt*: vel, *sunt simulatores & hypocritæ.* ¶ *In domo mea* בביתי] i. In Templo mihi dicato reperi idololatriam.

13. *Insulsa* תפלה] *Fatuitatem: rem insulsam*, i. omni ratione carentem, & absurdam admodum. ¶ *Prophetaverunt* הנבאו] *Prophetabant*: i. proponebant populo Prophetias quas dicebant esse de Baal. Nomine *Samariæ* Decem Tribus intelligit quæ abierant in captivitatem propter idololatriam.

14. *Et confortaverunt* וחזקו] Præt. Heb. pro præs. *confirmant*, i. favent hominibus facinorosis.

15. *Ad Prophetas illos* על הנביאים] *Adversus Prophetas illos.* ¶ *Comedere facio* מאכיל] Præs. Heb. pro fut. *cibabo*: *cibaturus sum.* ¶ *Et propinare faciam*, &c. והשקתים מי ראש] *Et potabo eos aquis fellis.* ¶ *Iniquitas* חנופה] *Impietas*, *hypocrisis.*

16. *Vanescere faciunt vos* מהבלים המה אתכם] i. Reddunt vos vanos, h. e. verbis vanis & fallacibus seducunt vos.

17. *Dicunt dicendo* אומרים אמור] Constanter loquuntur. Hebraismus. ¶ *Spernentibus me* למנאצי] *Ad eos qui me irritant.* ¶ *In duritia* בשרירות] *In pravitate.* Alii, *in cogitatione*: i. omnibus qui vivunt pro libitu suo. ¶ *Dixerunt* אמרו] Præt. Heb. pro præs. *dicunt.*

18. *In secreto* בסוד] *In arcano*, i. in loco in quo arcana sua consilia tractat Dominus. Gallicè, *en l'estroict conseil d'iceluy*: q. d. *Cui ex Pseudoprophetis revelata sunt arcana Dei?* ¶ *Quis attendit*, &c. מי הקשיב וגו'] i. Quis attentè considetavit verbum illius posteaquam audivit illud ab eis?

19. *Imminens* מתחולל] *Immanans*: vel *impendens.* ¶ *Cadet* יחול] *manebit.*

20. *Statuerit* הקימו] i. Donec opere compleverit id quod statuit & decrevit. ¶ *Eam* בה] i. Hanc Prophetiam. Quidam vertunt *in ea intelligentiam. In ea*, sub. *Prophetia*, relativum pro antecedente: i. tum demum intelligetis hanc Prophetiam cùm impleta fuerit: vel, tandem considerabitis Prophetiam de captivitate, cùm, &c. Alii, *percipietis de hac re intelligentiam.*

22. *In secreto meo* בסודי] i. Si admissi fuissent in locum in quo tracto consilia mea & arcana, h. e. Si fuissent afflati Spiritu meo, aliter docuissent. ¶ *Et audire fecissent* וישמעו] Aut redundat ו, aut per *certè* vertendum est; *certè narrassent* (aut *exposuissent*) *verba mea populo meo.* ¶ *Et averti fecissent* וישבום] *Et convertissent*: vel, *reduxissent eos.*

23. *De propinquo* מקרוב] Sub. *tempore*: q. d. An sum Deus novus & recens, & non potiùs Deus æternus? non sum similis idolis nuper inventis. Gallicè, *nouvellement forgez.*

24. *In occultis* במסתרים] *In latebris*: vel, *in ipsis latibulis*: q. d. Nihil me latet.

26. *Usquequo* עד מתי] Sub. *hæc dicturi sunt.* ¶ *Annon est in*

in corde, &c. היש בלב וגו'] *Esse in corde* pro *cogitare:* q. d. Habéntne in animo, vel éstne scopus illorum imponere populo meo, &c.

28. *Verè* אמת] Verbum, inquam, *veritatis:* i. verum.

30. *Ad Prophetas* על הנביאים] *Adversùs Prophetas.* ¶ *Qui furantur verba mea* מגנבי דברי] i. Qui utuntur alienâ Prophetia, quam audierunt ab aliis, cui tamen affingunt sua somnia.

31. *Qui lenificant linguam suam* הלוקחים לשונם] *Qui mollificant* sermonem *linguâ suâ:* i. blandis sermonibus utuntur, ut illiciant plebem, & utuntur dictione usitatâ veris Prophetis, nempe *Dixit Jehovah.*

32. *Et narrant ea*, &c. ויספרום ויתעו] Præt. Heb. pro præs. *& narrant ea, & seducunt.* ¶ *Et blanditiis suis* ובפחזותם] *Atque in levitatibus suis:* i. levibus & stultis suis cogitationibus & inventis. *Levitates animi* dicuntur cùm modò hoc modò illud inconstanter sentiunt. ¶ *Et proficiendo non profuerunt*, &c. והועיל לא יועילו לעם הזה] Infinitivus cum futuro pro præsenti, ad amplificationem rei. Alii, *& juvando non juvant populum istum:* i. nihil utilitatis afferunt populo isti. Alii eodem sensu, *nullâ utilitate prosunt populo isti.*

33. *Quod est onus* מה משא] i. Cujusmodi est Prophetia quam à Deo proximè accepisti? Quodnam onus habes quod nobis pronuncies nomine Domini? De משא vide Esa. 13. 1.

34. *Aut Sacerdos vel populus* והכהן והעם] *Et Sacerdos & populus.* Copulativa particula pro disjunctiva, *aut Sacerdos, aut populus*, ut apparet ex præcedenti versu. ¶ *Visitabo super virum* ופקדתי על האיש] Hîc ו convertit præteritum in futurum, & non copulat: i. sumam pœnas de illo & familia ejus.

35. *Et quid* ומה] *Aut quid.*

36. *Et, Onus*, &c. ומשא וגו'] *Et oneris Jehova non recordabimini*; vel *non memineritis:* i. non utemini hâc formulâ dicendi, *Onus Domini:* nam qui ità usus fuerit punietur: aliter enim interpretamini verbum illud quàm debeatis exponere, quasi nunquam Dominus velit prospera prædici, sed semper mala. Itaque irridentes dicitis, *Quod est onus Domini?* i. Quæ adversa est prædictio? cùm tamen omnes Divinæ Prophetiæ non sint de adversis rebus, sed aliæ de adversis, aliæ de rebus prosperis. Judæi impii utebantur hâc dictione æquivocâ משא pro *Prophetia*; quæ tamen utplurimùm accipitur in malam partem, cùm scilicet denunciatur aliquid adversum; per hoc ostendentes se malè sentire de Deo & verbo ipsius, quod semper accipiebant in malam partem, & Prophetas nunquam prædicere ex ore Domini nisi adversa. ¶ *Verbum suum* דברו] Sub. *verum:* q. d. Ut existimant prædici sibi exitium, ità illis eveniet: quicunque ità locutus fuerit punietur. ¶ *Et pervertistis*, &c. והפכתם וגו'] Præt. Heb. pro præs. *& pervertitis*, i. accipitis in malam partem omnes Prophetias Domini.

37. *Ad Prophetam* אל הנביא] Sub. *verum.*

38. *Et misi* ואשלח] *Cùm miserim.*

39. *Obliviscar vestri obliviscendo* ונשיתי אתכם נשא] Hoc loco ו non copulat, sed præteritum mutat in futurum. Utrumque autem verbum à נשה *oblitus est.* *Oblivisci obliviscendo* tropo Hebraico est Omnino oblivisci. Quidam subauditis pauculis propter ו, vertunt, *Ecce enim* accinctus sum contra vos, *& obliviscar vestri*, nè *feram* vos, נשא à נשא *tulit* derivantes: vel *tollam vos tollendo:* quod docti inter Hebræos à נשה deducunt ut dictum est.

CASTALIO.

4 D*Esiderentur*] Perdantur.

9. *De vatibus*] Vates.

11. *Domi mea*] In Templo.

14. *Improborum manus corroborantibus*] Improbos in improbitate confirmantibus.

23. *Ac non Deus longinquus?*] Antiquus & cujus omnium rerum cognitio & majestas vobis nota esse debeat.

28. *Quid stramini cum farre?*] Vanitati cum veritate? Plurimum differt inter falsa & vera.

31. *Suis linguis utuntur ad inquiendum*, *Inquit*] Dicunt illud, *Inquit Jova.*

33. *Ecquæ sint Jova mina?*] Minax oraculum.

CLARIUS.

3. C*Ongregabo reliquias*] Hoc ad Regnum Christi pertinet. *De omnibus* enim *terris* nondum vocatus est carnalis Israel aut Juda, nisi quatenus *reliquiæ* & passim aliqui nomen Christo dederunt.

4. *Non formidabunt ultrà*] Hæc non dici poterunt de Israelitis ex Babylonia reversis, cùm in continuis fuerint timoribus & adversitatibus. Ideo ad tempora Christi referenda sunt, in quibus perfecta liberatio facta est, ut Christianus homo jam non timeat neque homines neque Dæmones, cùm se sciat esse ovem Christi. ¶ *Et nullus quæretur ex numero*] Vel, *non deficient ex numero, neque imminuentur.*

5. *Suscitabo David Germen justum*] Pro *Germine justo* Jonathas Chald. vertit *Messiam justum.* Igitur per *Germen David* intelligitur *Semen David*, h. e. humana natura Christi. Indicatur & natura Divina quando mox subditur, *In diebus ejus salvabitur Juda*, *& hoc est nomen ejus quo vocabunt eum*, DOMINUS JUSTITIA NOSTRA. Pro illa autem dictione DOMINUS in Hebræo est Nomen tetragrammaton, quod soli Deo competit. Convincit igitur locus iste Judæos negantes Messiæ Divinitatem.

9. *Ad Prophetas*] Vel *propter Prophetas.* Intelligit de falsis Prophetis, qui virum sanctum in negotio suo impediebant, ut nihil proficeret in populo suo, quantumlibet illis dura comminaretur. ¶ *Quasi vir ebrius*] h. e. Parùm compos mentis. ¶ *A facie Domini*] Quæ hæc patitur, h. e. propter Dominum, qui hæc fert. ¶ *Et propter verba sancta ejus*] Quæ Pseudoprophetæ falsò usurpant, dicentes, *Hæc dicit Dominus.*

18. *Quis enim affuit in consilio Domini?*] q. d. Ad falsos illos Prophetas non est factum verbum Domini, cùm nunquam *admissi sint in consilium Dei*, sicut viri sancti.

23. *Dominus è vicino*] Súmne ego, inquit, Deus recèns natus aut formatus, aut potiùs ante mundi constitutionem existens? Ego omnia vestra intueor & scio.

24. *Cælum & terram ego impleo*] De substantia Divinitatis Scriptura & fidei Spiritus nihil anxiè pervestigat: quod in Targo significatum videtur. *Gloria*, inquit, *mea cælum & terram adimplet.*

29. *Verba mea sunt quasi ignis*] Sicut nihil est quod *Ignis* non consumat, & *Malleus* non conterat, ità nihil potest obsistere verbo Domini.

30. *Qui furantur verba mea*] h. e. Quæ dicunt esse mea, & usurpant sibi munus Prophetiæ, & loquuntur in nomine meo quæ ego non præcepi eis, blandâ linguâ populum in errore retinentes.

31. *Ecce ego ad Prophetas*] Tria pseudoprophetarum genera ponit. Primò sunt qui subauscultant quid veri Prophetæ ex Domino attulerint, & illud assumptum ex parte ad suum institutum detorquent. Hujus exemplum ponunt in Anania filio Ezor, de quo infrà c. 28. Nam cùm foro superiore Jeremias dissereret, *Sic*, inquiens, *dixit Dominus exercituum*, *Ecce ego frango arcum Elam*, *primitias roboris eorum*, arripuit hoc Ananias, secúmque rem reputavit hoc modo, *Si populus Elam auxiliarius Chaldæorum frangetur*, *à majori sequitur*, *& ipsos Chaldæos frangendos*, idcirco restitit in foro inferiore, atque exclamavit, *Sic dixit Dominus Deus Israel*, *Confregi jugum Babel.* Secundò, homines eruditi & eloquentes, qui linguas suas arte instruxerunt ad gratiam apud homines comparandam. Tertiò, qui falsa sua somnia pro veris Dei oraculis plebeculæ obtrudunt. ¶ *Qui assumunt linguas suas*] h. e. Abutuntur linguis.

33. *Si igitur interrogaverit te populus iste*] Videlicet per irrisionem. Tantus enim erat verbi contemptus ut Prophetiam per derisum *onus* nominarent, quia ferè tristia veri Prophetæ nunciabant. Est enim *onus* Prophetia gravis afflictiones denuncians. Idcirco Judæi Prophetarum oracula odioso nomine *onus* nominabant. ¶ *Quod onus?*] si scire cupitis, inquit, quod sit onus, *Projiciam vos*, h. e. tanquam hoc erit vestrum onus.

35. *Quid respondit Dominus?*] Monemus hîc ut sanctè & piè loquamur de verbis Domini, quæ plena sunt salutis & gratiæ, non ea onus vocantes, sed *responsa & oracula Dei*, quibus invitamur ad pœnitentiam & salutem.

38. *Propter hoc*] Supple *visitabo super vos.*

39. *Tollam vos portans*] Vel potiùs, *obliviscar portare vos.*

LUCAS BRUG.

14. V*Idi similitudinem adulterantium* [*adulterinam* c. *& adulterium* o.] *& iter mendacii.*] Nonnulla MS. *adulterii* pro *adulterantium* legunt; sed vulgaria illa: eximia aut *adulterantium* habent, aut *adulterium*; quædam hoc, quædam illud scribunt. Typis excusi libri ferè *adulterantium* legunt. Hebræa dictio נאוף non est inprimis numeri pluralis participium: sed, si quidem נאוף legatur, nomen est singulare, *adulterium*; si נָאוֹף, ut est in Bibliis, verbi infinitivus, *adulterari.* Infinitivum Græci Interpretes in participium plurale mutarunt: verterunt enim, ἰωεχα

φειχτὰ,

φερικὰ, μοιχωμένας, καὶ πορευομένας ἐν ψεύδεσι, *vidi horribilia* [*turpitudinem* Chaldæus] *adulterantes*, & *ambulantes in mendaciis.* Nam & ſequentem infinitivum הלך ad eundem mutarunt modum. Utrùm ſimili modo Hieronymus priorem infinitivum mutaverit, an potiùs priorem, ſicuti poſteriorem, in nomen verterit (ut eſt infinitivus verbi nomen) vel utrumque ut nomen legerit, נאוף הלך, ob codicum meliorum diſcrepantiam fit incertum. Hunc enarrans locum, *In Prophetis quoque Jeruſalem*, inquit, i. *Doctoribus Eccleſiæ*, *vidi ſimilia*, *ſive horribilia*, *adulterantium verbum Dei*, & *ingredientium per viam mendacii*, Ubi an uſus ſit voce *adulterantium*, quòd eam tranſtulerit; an quòd ſenſui explicando (quem myſticum eſſe præfatus eſt) congruere videretur, ut ſequens *ingredientium*, ignoro. Textus additus *adulterium* legit: id quod Pariſienſes & Dominicani pro germana lectione receperunt. Autor gloſſæ Interlinearis, Lyranus & Carenſis *adulterium* deprehenduntur exponere: tametſi adjuncti textus *adulterantium* lectori objiciant.

DRUSIUS.

5. צֶמַח צַדִּיק. Sym. βλάστημα δίκαιον *germen juſtum*] Sic etiam Hier. Priùs erat in Lxx ἀνατολὴν δικαίαν, eàdem ſententiâ. Nam ἀνατολὴ *germen*; ut in Euangelio ἀνατολὴ ἐξ ὕψους, quod reddunt *germen ex alto.* Quanquam in Vulg. *oriens ex alto.*

6. יְהוָה צִדְקֵנוּ. Sym. *DOMINE*, *juſtifica nos*, δικαίωσον ἡμᾶς] Hier. *Pro* DOMINUS juſtitia noſtra, *Sym. vertit*, DOMINE, juſtifica nos. Videtur legiſſe צַדְּקֵנוּ in Piel. In Hieronymo etiam eſt, *DOMINUS juſtus noſter.* Nè ſperne. Nam צרק antiquâ declaratione δίκαιος *juſtus.* Quâ formâ reperiuntur אֶרֶךְ *longis*, כָּבֵד *gravis*, & alia. Senes hic habent Ἰωσεδὲκ, quod compoſitum ex Ἰαὼ & nomine *Sedec.* Ἰαὼ, i. יהוה, nomen tetragrammaton. Quod autem ſequitur IN PROPHETIS *malè additum eſt*, inquit Hieronymus, *penitúſque amputandum.*

10. כִּי מְנָאֲפִים מָלְאָה הָאָרֶץ ὅτι μοιχῶν ἐπλήσθη ἡ γῆ, *quoniam adulteris repleta eſt terra*] Quæ olim abfuerunt in Lxx, nunc autem leguntur in C. Unde valde credibile eſt ex alia aliqua verſione deſcripta eſſe. Quod tamen pono, non ſtatuo. Sic dico; arbitrariam eſſe volo, nolo ut ſit certum.

15. לַעֲנָה. Sym. *amaritudine*] Hier. *Ego cibabo eos abſinthio*, *ſive doloribus*, & *juxta Sym. amaritudine.*

18. כִּי מִי עָמַד בְּסוֹד. Sym. τίς γὰρ παρῆν ἐν ὁμιλίᾳ; *quis enim adfuit in colloquio?*] Aut *converſatione.* סוד autem Aq. vertit *ſecretum*: Th. autem *ſubſtantiam*, ſive *ſubſiſtentiam*, tanquam à יסוד, i. ὑπόστημα aut ὑπόστασις. Hier. סוד *Aq.* ſecretum, *Sym.* ſermonem, *Lxx* & *Th.* ſubſtantiam *ſive* ſubſiſtentiam *interpretati ſunt.* ¶ וַיִּשְׁמַע. Sym. καὶ τίς ἢ ἤκουσε; *ecquis verò audivit?*

22. בְּסוֹדִי. A. ut ſuprà, *in ſecreto meo.* Sym. ἐν ὁμιλίᾳ μου. Th. ἐν ὑποστήματί μου] Hier. *Et in hoc loco ubi ſcriptum eſt*, Si ſtetiſſent in conſilio meo, *Aq.* & *Sym.* & *Th.* & *Lxx ut ſuprà ſimiliter tranſtulerunt.*

23. הַאֱלֹהֵי מִקָּרֹב אָנִי נְאֻם־יְהוָה וְלֹא אֱלֹהֵי מֵרָחֹק. A. Sym. *Numquid Deus de propinquo* (ſive *vicino*) *ego ſum*, *dicit DOMINUS*, & *non Deus de longè?* Th. Θεὸς ἐγγίζων ἐγώ εἰμι, καὶ οὐ Θεὸς πόῤῥωθεν; *Deus appropinquans ego ſum*, *dicit DOMINUS*, & *non Deus de longè?* Hier. *Aq.* & *Sym. ſimiliter interpretati ſunt*, Numquid Deus de propinquo (*ſive* vicino) ego ſum, & non Deus de longè? *Lxx verò* & *Th. ſenſu vertere contrario*, *ut dicerent*, Deus appropinquans ego, dicit DOMINUS, & non Deus de longè. † Ὁ Θεός. Aliàs, οὐχὶ Θεός.

33. מַשָּׂא. A. ἆρμα *onus*, vel *pondus.* Sym. Th. λῆμμα, *aſſumptio.* Hier. *Verbum Ebraicum MASSA Aq.* ἆρμα *i.* onus & pondus *interpretatur*; *Sym. Lxx* & *Th.* Aſſumptionem. † *Onus*, vel *pondus.* Hier. *Ubicunque grave eſt quod DOMINUS comminatur* & *plenum ponderis ac laboris* & *importabile*, *in titulo* ἆρμα, *i.* pondus, *dicitur*: *Ubicunque autem proſpera DOMINUS pollicetur*, *ſive poſt comminationem meliora promittit*, *ibi* viſio *dicitur*, *vel certè* verbum DOMINI. *Et perſpicuum erat ex ipſo titulo Prophetiæ*, ponderis *ſive* viſionis & verbi Dei, *qualis vaticinatio ſequeretur.* † *Aſſumptio.* Idem aliquam multò pòſt, λῆμμα *non ſolùm* aſſumptionem *ſed* & donum munúſque *ſignificat.*

36. דִּבְרֵי אֱלֹהִים חַיִּים יְהוָה צְבָאוֹת אֱלֹהֵינוּ. *Verba Dei viventis*, *DOMINI exercituum*, *Dei noſtri*] Hier. *Notandum eſt quòd* verba Dei viventis, &c. *Latini* & *Græci cod. non habeant*, & *Ebræi in ſuis voluminibus contra ſe legant*, *quod propriè myſterium ſignificat Trinitatis.*

GROTIUS.

1. VÆ *paſtoribus*] Hæc omnia uſque ad caput XXVIII. commemorationem continent ab Jeremiâ factam apud Sedeciam, de ſermonibus ante Sedeciæ tempora diverſis locis ac temporibus à ſe habitis, ac congruentibus cum iis quæ nunc Sedeciæ dicere cœperat, ut Dei in decretis ſuis & æquitas & conſtantia magìs appareret, ut jam aliquoties diximus. In hoc capite deſcripturus peccata quæ erant in omnium ordinum hominibus, Jechoniâ regnante, incipit à Principibus. Confer Ezechielis XXXIV. 2.

Qui diſperdunt & *dilacerant gregem*] Malo ſuo exemplo cauſa ſunt cur multi ex populis ſint interituri gladio hoſtili, peſte, ac fame, multi verò diſpergendi in terras exteras.

2. *Qui paſcunt populum meum*] Nomine, non re.

Et non viſitaſtis eos] Non habuiſtis eorum curam quam debebatis.

Ecce ego viſitabo ſuper vos malitiam ſtudiorum veſtrorum] Puniam. Luſus ex ambiguo; nam פקד & *curare* & *punire* ſignificat.

3. *Et ego congregabo reliquias gregis mei*] Mitiùs eos tractabo qui alieno exemplo peccarunt, quàm qui peccandi auctores aliis fuerunt; Confer quæ infrà cap. XXIV. & Zachar. X. 3.

Et creſcent, & *multiplicabuntur*] Ut ſanè evênit poſt reditum.

4. *Et ſuſcitabo ſuper eos paſtores*, & *paſcent eos*] Principes bonos, quales Eſdra & Nehemias.

Non formidabunt ultrà, & *non pavebunt*] Vivent ſecuri ſub præſidio potentiſſimo Regum Perſarum.

Et nullus quæretur ex numero] Diutiſſimè vivent. Vide Iſaiam LXV. 20.

5. *Ecce dies veniunt*] Venient poſt annos ferme ducentos.

Et ſuſcitabo David] Id eſt, *Davidi.*

Germen juſtum] Zorobabelem, qui צמח [*germen* aut *ſurculus*], ut hîc appellatur ità & Zachariæ VI. 12. nimirum quòd velut ſurculus renatus eſſet ex arbore Davidis, quaſi præciſa. *Juſtitiæ* nomine commendatur Zorobabel etiam apud Zachariam IX. 9.

Et regnabit Rex, & *ſapiens erit*] Nomen quidem *Regis* & regni inſignia non ſumſit ſibi Zorobabel, ſed à ſuis pro Rege cultus fuit, quantum res ferebant, vera quippe Davidis progenies: ideóque Rex appellatur etiam apud Zachariam IX. 9. & hîc infrà XXXIII. 17. figuram gerens Chriſti ſatis manifeſtam.

6. *In diebus illis ſalvabitur Juda*] Id eſt, tutò vivet, ut ſequentia explicant.

Et hoc eſt nomen quod vocabunt eum] Nempe populum.

Dominus juſtus noſter] Meliùs, *Dominus juſtitia noſtra*; id eſt, Deus nobis *bene fecit*: nam צדק Hebræis ſæpe eſt *beneficentia*: neque aliter hîc ſumſit Chaldæus. Quod hîc de populo Iſraëlis, idem de civitate Hieroſolymorum infrà dicitur XXXIII. 16.

7. *Propter hoc*] Etiam hic לכן meliùs vertas *præterea.*

Non dicent ultrà: Vivit Dominus qui eduxit filios Iſraël de terra Ægypti] Vide ſuprà XVI. 14. Sæpe eadem dixit Propheta quo magìs dicta hærerent animis.

9. *Ad Prophetas*, *contritum eſt cor meum in medio mei*] Meliùs hæc cohærent apud Chaldæum: *Propter Prophetas frangitur intra me cor meum.* *Prophetas* autem vocat, ſicut antea *paſtores*, qui tales credi volebant: κατὰ φάσιν [*ſecundum id quod videbantur eſſe*]. Dicit his & ſequentibus verbis, ſe mirari illorum impudentiam, qui ſe venditarent nomine ad ſe nihil pertinente, tantùm ut populo palpum obtruderent, ac vitia nutriendo ſe nutrirent, quo nihil eſt ſceleratius.

Factus ſum quaſi vir ebrius & *quaſi madidus à vino*, *à facie Domini*, & *à facie verborum ſanctorum ejus*] Planè obſtupeſio conſiderans iram Dei, & illa quæ Deus ei juſtiſſimè minatur.

10. *Quia adulteris repleta eſt terra*] Dum illi qui ſe Prophetas falsò dicunt ad vitia connivent, & propter Terram ac Templum Domini ità viventibus omnia pollicentur proſpera, depravantur omnium mores.

A facie maledictionis luxit terra, *areſacta ſunt arva deſerti*] Id eſt, *ob juramenta* (falſa ſcilicet) *terra erit in luctum*, *campi omnes erunt ſine fruge.*

Factus eſt curſus eorum malus] Ibunt εἰς κόρακας [*ad corvos*].

Et fortitudo eorum diſſimilis] *Non recta.* Viribus quas habent malè utuntur: ideo eis eripientur illæ vires.

11. *Pro-*

11. *Propheta namque & Sacerdos polluti sunt*] *Impiè egerunt*; id enim significat חנפו.

Et in domo mea inveni malum eorum] In ipso Templo idololatriam commiserunt, II Regum XXI. 5. suprà XI. 15. & Ezech. VIII. 3. & sequentibus.

12. *Iccirco via eorum erit quasi lubricum in tenebris: impellentur enim, & corruent in ea*] Qui noctè in via lubrica ambulat, fieri non potest quin sæpe cespitet, tandem & cadat. Sic illi pseudoprophetæ experientur suo malo quàm falsa prædixerint.

13. *Et in Prophetis Samariæ vidi fatuitatem*] ו multos usus habet in lingua Hebræa. Hic valet *quidem*. Sensus enim est, *In Prophetis quidem Samariæ stultitiam deprehendi: nam vaticinantes nomine Baalis deceperunt populum Israël. At in Prophetis illis Hierosolymitanis deprehendi res horrendas*: id est, multò plus habentes malitiæ.

14. *Vidi similitudinem adulterantium, & iter mendacii*] Meliùs: *Vidi horrenda* hominum *adulterantium* veritatem & *ambulantium in mendacio*. Tantò pejores sunt, quòd non in Baalis, sed in meo nomine fovent vitia, meæ voluntati vel maximè adversantia.

Et confortaverunt manus pessimorum, ut non converteretur unusquisque à malitia sua] Blanditi sunt vitiis, omnia prospera promittentes propter Templum, domum Davidis, sacerdotium & ritus à Deo institutos: atque eo modo multorum impedierunt conversionem, quo genere hominum nullum est exitialius. Vide II. Timoth. III. 6.

Facti sunt mihi omnes ut Sodoma, & habitatores ejus quasi Gomorra] Non pluris eos facio quàm Sodomæ & Gomorræ cives, homines non errore aliquo sed destinatò malos.

15. *Ecce ego cibabo eos absinthio, & potabo felle*] Vide suprà IX. 15.

A Prophetis enim Jerusalem egressa est pollutio super omnem terram] Illi enim adulando vitia propagarunt.

16. *Visionem cordis sui loquuntur*] Loquuntur quod ipsis visum est.

Non de ore Domini] Nullo Dei mandato.

17. *Et omni qui ambulat in pravitate cordis sui*] *In duritie cordis sui*. Eo sensu hæc vox sumitur semper apud Rabbinos & Thalmudistas.

18. *Quis affuit in consilio Domini, & vidit, & audivit sermonem ejus? quis consideravit verbum illius, & audivit?*] Ex conjectura, non ex revelatione loquebantur. Conjecturæ autem, si in Regum consiliis, quantò magis in consiliis Dei, hominem fallunt? Similis est huic loco ille ad Romanos XI. 34. 35. contra Judæos, qui solâ conjecturâ de voluntate Dei pro certo affirmabant, nolle Deum homines incircumcisos sed pios ad vitam æternam admittere.

19. *Ecce turbo dominicæ indignationis egredietur*] *Procella ingens*: λαῖλαψ, καταιγὶς, κλύδων [*tempestas, procella, turbo*], quibus verbis verti solet סער.

20. *Non revertetur furor Domini*] Similitudo à nuncio sumta. Sic ἐπιστραφήτω [*revertatur*] ponitur & Matthæi X. 13.

In novissimis diebus intelligetis consilium ejus] Id est, *tandem*: ubi tempus venerit.

22. *Si stetissent in consilio meo*] Si à me revelationes accepissent.

Et nota fecissent verba mea populo meo] Et mea mandata elocuti essent, nihil addendo, aut demendo.

Avertissem utique eos à via sua mala] Scripsit Interpres *avertissent*, ut & in Hebræo est & in Græco & in Chaldaïco. Dedissent, ait, populo ea consilia per quæ à peccatis sanati simul & pœnas evasissent.

23. *Putásne Deus è vicino ego sum, dicit Dominus, & non Deus de longè?*] Putatisne me tantùm cœlestia curare & non terrestria?

24. *Si occultabitur vir in absconditis, & ego non videbo eum?*] *Itáne se latebris involvet aliquis, ut ego eum non videam?*

Numquid non cœlum & terram ego impleo] Tum perspicaciâ, tum efficaciâ. Vide Psalm. CXXXIX. 7.8.9.10.

27. *Propter somnia eorum*] Ex ὀνειροκριτῶν [*somnia interpretantium*] nugis vaticinia venditabant.

28. *Propheta qui habet somnium narrat ut somnium*] Qui se Prophetam dicit si quid somniavit, narret ut somnium, non ut revelationem divinam.

Et qui habet sermonem meum, loquatur sermonem meum verè] Bonâ fide enuntiet quæ à Deo accepit, nihil subticeat, nihil addat de suo.

Quid paleis ad triticum?] Quid simile habent talia somnia cum revelationibus divinis?

29. *Numquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, & quasi malleus conterens petram?*] Nemini parcens, nè durissimo quidem, cùm illi pseudoprophetæ omnium auribus ac voluntatibus se accommodent.

30. *Qui furantur verba mea unusquisque à proximo suo*] Id est, suis mendaciis efficiunt nè homines Legi & veris Prophetis fidem adhibeant.

31. *Qui assumunt linguas suas*] Dicunt quod ipsis in mentem venit.

32. *Et in miraculis suis*] Chaldæus meliùs, *temeritate suâ*. LXX, ἐν τοῖς πλάνοις αὐτῶν [*per deceptiones suas*]. פחז Chaldæis est *subsilire*.

33. *Dicens, Quod est onus Domini?*] משא Græci λῆμμα [*sumtionem*] vertunt: & sic hoc loco utitur Chrysostomus Sermone *Utriusque Legis eundem esse auctorem*. Latinus bene *onus*, & Aquila ἆρμα [*quod in humeros tollendum est*]. Eo enim titulo aut præfatione utebantur Prophetæ, ubi vulgaturi erant vaticinia dira atque tristia, & gravia portatu. Quia verò hæc vox, ob longam patientiam Dei non statim minas suas implentis, apud impios Judæos in ludibrium verterat; ideo Jeremias graviter eos de hujus vocis irrisu increpat.

Dices ad eos: Vos estis onus, projiciam quippe vos] Lusus ex ambiguo. Nam onera gravia & inutilia projici solent. Et illos homines Deus plùs satis toleraverat. Vide & mox 38.

36. *Quia onus erit unicuique sermo suus*] Id est, illa verba vocem oneris per risum usurpantium pessimè ipsis cedent.

Et pervertistis verba Dei viventis] *Nam vos*, inquit, *Dei viventis verba in jocum vertistis*.

39. *Tollam vos portans*] Id est, *deportandos*. Bis hîc est verbum נשא [*ferre*], unde derivatur משא; id est, *onus*.

40. *In opprobrium sempiternum*] Vide suprà XX. 11.

CAP. XXIV.

MUNSTERUS.

1. DUÆ *sportæ*] Jonathan, quem hîc secuti sumus, vertit דודאי pro דודי. Et fuerunt hæ Sportæ symbola Captivitatis; ut sicut ficus in sportis continentur, sic captivi in manibus hostium. Porrò quid secundùm Hebræos intelligatur per מסגר ostendi 2 Reg. 24. Quæ sequuntur explicatio sunt visionis. Nam per *ficus bonas* intelligitur Jechoniahu & qui cum eo erant pœnitentiam in Babylonia agentes, verbo Domini obsequentes, & spontè crucem Domini suscipientes; & per *ficus malas* & quas Dominus respuit, Zidkijahu cum suis, qui afflictionibus & Jiremeiæ increpationibus non meliores effecti in obstinatione permanserunt.

VATABLUS.

1. VIdere fecit me הראני] *Ostendit mihi*, nempe in visione Prophetica. ¶ *Et artifices* ואת החרש] i. Architectos qui conficiebant arietes & turres ad oppugnandas urbes. ¶ *Et inclusores* ואת המסגר] Sub. *Castrorum*: i. Peritos castrametandi. Hic enim Nabuchodonosor abduxit viros ingenio præstantes & excellentes in rebus bellicis. Vide 2 Reg. 24. 16.

2. *Præcoces* הבכרות] i. Primi temporis. Quidam, *Ut sunt ficus arborum ferentium ficus præcoces*. ¶ *Propter malitiam* מרע] i. Præ insuavitate & inamœnitate.

5. *Agnoscam transmigrationem* אכיר את גלות] Comparat Dominus partem populi Judaici ficubus bonis: alteram verò partem malis, symbolo nempe ficuum. *Agnoscere* autem *aliquem in bonum* est illi favere & benevolentiâ sive misericordiâ prosequi: q. d. Ut ficus istæ suaves sunt, & illas pro talibus habeo, sic agnosco pro bonis captivos qui cum Jechonia abducti sunt in Chaldæam, eos verò qui Jerosolymis sunt pro perversis habeo.

6. *Ponam enim*, &c. ושמתי עיני וגו'] i. Aspiciam eos oculo clementi & misericordi: Hebraismus. ¶ *Et ædificabo eos* ובניתים] i. Dabo illis sedes stabiles, & augebo illos liberis & opibus.

9. *In commotionem & malum* לזועה לרעה] *In terrorem & in afflictionem*: i. Omnes Reges externorum regnorum concutientur metu cùm audierint quæ Judæis illis acciderint, veriti nè talia ipsis eorúmque populis aliquâ ratione contingant. Vide infrà 29. 18. ¶ *In opprobrium* לחרפה] i. Malè audient ab externis populis quòd Deum suum deseruerint. ¶ *Et parabolam*, &c. ולמשל ולשנינה וגו'] *Et parabolam & fabulam*. Prædixerat illis hæc eadem Moses Deut. 28. 37. *In parabolam*, i. Exteri comparabunt Judæis infelices & calamitosos, *In fabulam*, i. Omnes

 quoti-

quotidianis sermonibus usurpabunt calamitatem & improbitatem Judæorum. *In maledictionem*, i. cùm exteri volent malè precari alicui, dicent, *Contingat illi ut contigit Sedeciæ Regi Juda & suis.* Vide infrà 29. 2.

CLARIUS.

1. O*Stendit mihi Dominus*] Redit ad Jechoniam quem nunc confert cum Sedechiâ patruo, qui successit in Regno, & illo beatiorem fore ostendit, sub quo hæc Prophetia est dicta, qui & cum omnibus suis exstirpandus erat, cùm Jechoniæ iterum promittatur posteritas in Babylone, nimirum propter insignem obedientiam, eò quòd ad jussum Dei sponte se tradidit manibus crudelissimi hostis Nabuchodonosor. Per *ficus* ergò *bonas* intelligitur Jechonias & qui cum eo erant pœnitentiam in Babylonia agentes: & per *ficus malas* quas Dominus respuit, Sedechias cum suis, qui afflictionibus est Jeremiæ increpationibus non meliores effecti in obstinatione permanserunt.

8. *Et qui habitant in terra Ægypti*] Qui scilicet cum Joanne filio Caree in Ægyptum descenderant.

10. *Et mittam in eos gladium*] Hoc accidit partim cùm obsideretur Jerusalem à Nabuchodonosor, partim in Ægypto, & pauperibus relictis in terra sub Godolia & Joanne.

DRUSIUS.

1. דוּדָאֵי תְאֵנִים. Sym. *cophini ficuum*] Κόφινοι σύκων. Alii *calathi*, alii *canistra*. Psal. 81. 6. דוד Hier. *cophinum*, LXX ἐν τῷ κοφίνῳ. Lex. V. Κόφινος, *corbes*, *corbula*, *qualus*, *corbis*. In versione Latina quæ in Comment. Hier. *ecce duo calathi* (sive *cophini*) *pleni ficis.*

GROTIUS.

1. O*Stendit mihi Dominus, & ecce duo calathi pleni ficis*] Id est, *ostendit mihi duos calathos*, aut *duo canistra plena ficis.* Jeremias postquam Regi Sedeciæ commemoraverat quæ olim dixerat Regibus primùm, deinde Principibus, postea his qui Prophetæ haberi volebant, venit ad comparationem quandam inter Regem & Principes, interque populum, postremò monita additurus quæ ad populum solum pertinent: rerum quippe magis quàm temporum ordinem persequens.

Positi ante templum Domini] Quos de primitiis ad Templum tulerant agrorum domini.

Postquam transtulit Nabuchodonosor Jechoniam filium Jojakim Regem Juda & Principes ejus] Id est, statim postquam illud acciderat, quod narratur II Regum XXIV. 10. Ità ipso initio regni Sedeciæ exitum ejusdem regni Propheta prospexerat.

Et fabrum & inclusorem] Vide quæ dicta II Regum XXIV. 14.

2. *Ut solent ficus esse primi temporis*] Sunt enim ficus quædam, *quæ & præcoces & serotinos* fructus ferunt, Plinius XV. 18.

Malas nimis] Ut ex aspectu patebat.

5. *Sicut ficus hæ bonæ; sic cognoscam transmigrationem Judæ, quam emisi de loco isto in terram Chaldæorum in bonum*] Sicut tu ficus illas approbas; ità ego approbabo pœnitentiam quam agent aliquando isti nunc deportati: quibus ideo Deus vitam produxit quia alieno exemplo peccaverant.

6. *Ponam oculos meos super eos*] Favens eos respiciam.

Et ædificabo eos, & non destruam] Locabo eos hìc in certa sede, quam feliciter obtenturi sunt.

7. *Et dabo eis cor ut sciant me, quia ego sum Dominus*] Maximis beneficiis ità eos obligabo, ut mei immemores esse non possint.

Quia revertentur ad me in toto corde suo] Meliùs: *Postquam ad me reversi fuerint in toto corde suo.*

8. *Qui remanserunt in urbe hac*] Meliùs, *Qui remanebunt in urbe hac:* nempe post omnes deportationes.

Et qui habitant in terra Ægypti] *Et qui habitatum ibunt in terram Ægypti.* Illi scilicet de quibus II Regum XXV. 26. & infrà XLII. XLIII. XLIV.

9. *Et in parabolam*] De miserrimo homine dicetur, *Tam miser est quàm Sedecias.*

12. *Donec consumantur de terra*] Id est, pereant, nunquam in patriam redituri.

CAP. XXV.

MUNSTERUS.

3. M*Anè consurgens*] Scribitur hîc אשכים, h. e. Aleph pro He. Et est *manè consurgens* Hebraismus, capiturque pro, *in tempore aliquid facere* vel *monere*. Sic cùm Dominus vellet punire Judæos propter abominationes suas, misit priùs ad eos per Prophetas verbum suum, si fortè resipiscerent & pœniterent de malo suo. Cupiebat enim Dominus parcere populo suo atque habitaculo suo. Sed cùm illi subsannarent nuncios Dei, & parvipenderent verbum Dei; venit furor Domini super eos.

9. *Et Nebuchadrazar*] Scribitur hîc in Hebræo אל pro את, ut sit sensus, *Assumam omnes cognationes Aquilonis unà cum Nebuchadrazar, qui exsequantur voluntatem meam.*

10. *Vocem molæ*] Quâ scilicet molebant condimenta & alia quæ pro sumptuosis conviviis parabantur. Per *lumen* verò *lucernæ* intelliguntur magnificæ lucernæ quæ in conviviis accendebantur.

15. *Sume calicem vini*] Visio hæc fuit Prophetica, quâ omnibus populis jubetur annunciare judicium Dei. Intelligitur autem per *calicem furore* (vel *maledictione*) *Dei repletam* Prophetia ipsa, cujus gustu gentes inebriatæ sunt & dementes effectæ, obstinatæque in sua malitia.

26. *Sesach*] Secundùm Hebræos hic est Rex Babel; per conversionem Alphabeti, quam בש את vocant; h. e. Aleph pro Tau, Beth pro Sin, Gimel pro Res, & sic consequenter.

30. *Resonabit clamor*] Est הידד *elevatio vocis quâ quis alterum incitat ad strenuè agendum*, sicut fieri solet in calcatione uvarum. Hic verò capitur pro illo clamore quo hostes mutuò se provocabant ad eliminationem gentium.

31. *Judicium iniit*] Exponunt hîc Hebræi נשפט pro נכנס, בטשפט, sicut nos quoque vertimus.

34. *Quasi vas pretiosum*] Seu *desiderabile:* h.e. Qui fuistis vasa pretiosa, jam veluti stercus abjiciemini.

37. *Pascua pacifica*] Ubi scilicet pacificè & sine incursione bestiarum greges antea pascebantur. Et intelliguntur per hæc *pascua* civitates & provinciæ, quæ in pace & securitate fuerunt.

38. *Sævitiæ*] Vocem Hebræam יונה nostri hîc interpretantur pro *columba*, referúntque ad Deum, qui est naturâ clementissimus, sed superatur iniquitate hominum ut recedat à genuina sua bonitate ad iram & vindictam. Jonathan autem vertit *vinum inebrians*, & Kimhi חרב האונה *gladium sævientem & grassantem*; ut sit à verbo ינה, quod *vim inferre* significat. Dicitur autem Deus *derelinquere tugurium suum*, h. e. Templum suum, *quasi leo*, eò quod non inveniret ibi fructum aliquem & impletionem voluntatis suæ. Siquidem leo relinquit latibulum suum si sibi in eo loco non occurrat unde vivere possit.

VATABLUS.

3. E*T locutus sum* ואדבר] Sub. *verbum illud.* ¶ *Manè surgendo & loquendo* אשכים ודבר] i. Summâ diligentiâ ac summo studio hortando vos ad resipiscentiam. Hebraismus.

4. *Manè surgendo & mittendo* השכם ושלח] Eadem phrasis Hebraica quæ & præcedenti versu: i. summâ curâ & diligentiâ; assiduè & sine intermissione mittendo.

5. *Et habitabitis* ושבו] Imperat. Heb. pro fut.

6. *Malefaciam vobis* ארע לכם] *Affligam vos:* vel, *inferam vobis mala.*

9. *Mittam & assumam* שולח ולקחתי] *Missurus sum ut assumam*, sub. *ad me:* i. movebo & excitabo corda universorum. ¶ *Ad terram istam* על הארץ הזאת] *Contra terram istam: adversus:* sic in sequentibus. ¶ *In stuporem* לשמה] Vide eadem suprà 18. 16. i. reddam homines propter calamitatem eorum stupentes & attonitos, adeò ut præ admiratione edant sibila. ¶ *Sempiternas* עולם] *Perpetuas* vocat quæ duraverunt LXX annorum spatium: nam tot annis captivi fuerunt Judæi in Chaldæa, ut mox sequitur v. 11.

10. *Perdámque*, &c. 'והאבדתי וגו] Similia leguntur & suprà, 7. 34. & 16. 9. ¶ *Vocem molarum*, &c. קול רחים וגו] *Strepitum* [vel *sonum*] *molarum, & lumen facula.* *Molas* vocat quæ agitabantur ad conficienda condimenta quæ apparari solebant in conviviis opiparis. *Lumen* autem *lucernæ*, sive *lucernarum* (sing. pro plur.) aut *facularum*, quæ adhiberi solent in conviviis illis lautis.

11. *In solitudinem*, &c. לחרבה לשמה] *desolationem & solitudinem*, i. desolata & solitaria.

13. *Omne quod scriptum est* את כל הכתוב] *Cum omni eo quod scriptum est*, i. & quicquid scriptum est.

14. *Utentur eis*, &c. 'עבדו בם וגו] *Utentur operâ eorum etiam ipsorum*, sub. *tanquam operâ servorum:* i. redigent eos in servitutem, subjiciéntque illos sibi; qui scilicet antea erant domini, dominabantúrque toti orbi. עבד enim quando construitur

struitur cum ב, significat *uti operâ alicujus tanquam servi*. Gallicè *se servir de luy:* & illud est domini. Vide idem infrà 27. 7. ¶ *Multa* רבים] *Fortes*. ¶ *Secundùm opus suum* כפעלם] Istud refertur ad 8 & 9 versus.

15. *Furoris* החמה] Vini, inquam, *furoris*. ¶ *Et propina illum* והשקיתה אתו] *Et potes illo omnes gentes*. Per *calicem* intelligit afflictionem.

16. *Et trement* והתגעשו] *Et commovebuntur:* vel per Imperativum, *& bibant & tremant*, &c. i. cùm biberint, incipiant tremere & similes esse furiosis.

17. *Ad quas*, &c. אשר שלחני יהוה אליהם] Ad verb. *quas misit me Jehovah ad eas*. Alterum relativum redundat.

18. *Ut ponerem* לתת] *Ut ponam*. Alii, *ut tradam*. Alii, *ad ponendum eas*. ¶ *Secundùm diem hanc* כיום הזה] i. Ut hodie videre est: sive, ut hodie videmus; aut, ut res habet. Hæc verba adjecta sunt à Jeremia post captivitatem Babylonicam, h. e. Prophetiâ Captivitatis impletâ, & cùm in unum volumen redacti sunt hi Sacri libri. Nam cùm prædicebat hanc captivitatem, hæc locum habere non poterant.

20. *Et omnibus populis mistis* ואת כל הערב] *Et universæ miscellaneæ*. Intelligit populum quendam miscellaneum ex diversis ac variis gentibus conflatum; habitantem in desertis finitimis Jerusalem.

22. *Mare* הים] Intelligit *Mediterraneum*. *Reges insularum* sitarum in mari Mediterraneo, Cyprum, Rhodum & Cretam vocat; & alias maris Mediterranei insulas. *Trans mare* autem, sive *ultra mare*, sive *ultra litora maris Mediterranei*, i. in medio mari. Gallicè, *fort avant dedens la mer:* non omnino ultre mare dicit, sed ultra litora ejus.

23. *Terminis anguli* mundi קצוצי פאה] Ad verb. *extremificatis anguli*, i. sitis & positis in extremâ parte mundi.

24. *Hoc est omnibus*, &c. ואת כל מלכי הערב] Aut pro *id est* accipitur, ut de una sola Arabia loquatur; aut vertendum *& omnibus Regibus Arabiæ:* ut per istam *Arabiam* intelligat Arabiam Desertam: cùm sit duplex.

26. *Aliis ab aliis* איש אל אחיו] *A se invicem*. Ad verb. *viro à fratre suo*. Hebraismus. ¶ *Sesach* ששך] i. *Babylonis*, ut vertit Chaldæus P. q. d. Ubi Rex Babylonis alios Reges subjugaverit aut afflixerit, tandem subjugabitur à Rege Persarum. Vide infrà 51. 41.

27. *Et inebriamini: & vomite*, &c. ושכרו וקיו ונפלו] Multiplicatio conjunctionum, pro, *Bibite usque ad ebrietatem & vomitum, atque ità ut corruatis, & postea non resurgatis:* q. d. *Temulenti postea redeunt ad se, sed vos ità corruetis ut nunquam restituamini in pristinum statum:* vel, ut de solis Judæis intelligatur hic versus, *Cadetis, & non resurgetis, nisi post longum tempus, nempe post LXX annos*. ¶ *Mitto* שלח] Præs. Heb. pro fut. *missurus sum:* vel, *paratus sum mittere*.

28. *Biberis* שתו] *Bibatis*.

29. *Super quam invocatum est*, &c. אשר נקרא וגו'] i. Quæ dicitur *Urbs Domini*. 1 Pet. 4. 17. *Tempus est ut incipiat judicium à domo Dei: quòd si primùm incipit à nobis, quis erit finis eorum qui non credunt Dei Evangelio?* ¶ *Penitus*, &c. הנקה וגו'] Ad verb. *absolvendo absolvemini? non absolvemini*. Alii, *immunes exsistendo, immunes eritis? aut innoxii?* i. & vos impunè abiretis? non impunè feretis. ¶ *Advoco* קרא] Præs. Heb. pro fut. *advocabo:* i. accersam exercitum bellicum.

30. *Celeusma* הידד] Hæc dictio significat vocem quam edere solent qui hortantur sese mutuo ad opus aliquod. *Celeusma* autem Græca vox, κέλευσμα *exhortationem* significat. ¶ *Veluti calcantium* כדרכים] i. Instar eorum qui intendunt prælum ad exprimendum vinum ex uvis. Gallicè *qui bandent le pressoir:* non enim tantummodo significat *uvas pedibus exprimere*. ¶ *Omnibus habitatoribus* אל כל ישבי] *Ad omnes habitatores:* i. majorem partem. Alii, *adversùs omnes habitatores ejus regionis*.

31. *Pervenit* בא] Præt. Heb. pro fut. *perveniet strepitus* [sive *tumultus*] *usque ad extremum terræ*. Aut Hyperbole est, aut certè intelligit de regione illa tantùm. ¶ *Judicium est ipsi* כי ריב ליהוה] *Judicio contendet Jehovah*. Alii, *habet Jehovah disceptationem*.

32. *A lateribus* מירכתי] i. A finibus. Prædicit desolationem secundi Templi: priùs de primo egit. Orientur gravissima bella in mundo, venietque magnus exercitus oppugnatum Jerusalem ex longinquissima regione.

33. *Ejus* הארץ] Antecedens Heb. pro relativo. ¶ *Nec colligentur neque sepelientur* לא יאספו וגו'] i. Non recolligentur in unum ut sepeliantur.

34. *Ululate* הילילו] *Lugete*; vel, *Gemite*. ¶ *Et volutate vos in pulvere* והתפלשו] Id totum significat verbum Hebraicum. Aliquando אפר, i. *cinis* sive *pulvis*, ei adjungitur, ut Jechez. 27. 30. באפר יתפלשו *in cinere volutabunt se*. ¶ *Majores* אדירי] *Optimates:* vel, *insigniores in grege:* i. vos qui in populo primum locum tenetis. ¶ *Ut juguletis*, &c. לטבוח וגו'] Ad verb. *ad jugulandum, & dispersionum vestrarum: & corruetis vos tanquam vas pretiosum:* i. Venit tempus quo conficietis vos mutuis vulneribus (quod impletum fuit in destructione Jerusalem) venit, inquam, tempus quo dispergemini in exsilium & captivitatem, & frangemini instar vasis pretiosi quod excidit manibus alicujus: vos scilicet qui antea eratis in magno pretio habiti.

35. *Et peribit*, &c. ואבד וגו'] q. d. *Ne principes quidem aut optimates gregis habebunt quò fugiant, neque poterunt fugâ saluti suæ consulere*.

36. *Vox clamoris* קול צעקת] Sub. *exaudietur*.

37. *Et succisa sunt* ונדמו] *Et defecerunt*. Alii, *Et excidentur*, i. perdentur: ut sit præteritum pro fut. ¶ *Pascua pacifica* נאות השלום] Ubi scilicet pacificè & sine incursione bestiarum greges antea pascebantur. Significant autem civitates & provincias quæ in pace & securitate fuerant. Alii legunt *habitacula pacis*, i. caulæ pastorales in quibus erat summa pax & tranquillitas.

38. *Dereliquit*, &c. עזב וגו'] Præt. Heb. pro fut. *Derelinquet*, i. deseret, *eos Deus more leonis*, qui penitus deserit latibulum suum: vix enim deserit illud nisi ad paucum tempus pro captanda præda. ¶ *Opprimentis* היונה] *Depopulantis:* vel *vim inferentis*. Quidam interpretantur pro *columba*, referentes hæc ad Deum qui est naturâ clementissimus, sed superatur iniquitate hominum ut recedat à genuina sua bonitate ad iram & vindictam. Chaldæus verò vertit, *à facie gladii odio habentis* [vel *inimici*] *qui est sicut vinum inebrians*. Ità deducit à יין *vinum*. Doctus inter Hebræos derivat à ינה, quod *vim inferre* sign. vertens ut nos vertimus.

CASTALIO.

14. *Servierunt eis*] Scilicet diis peregrinis, ut & Israelitæ.
26. *Sesac*] Babyloniæ.
33. *Ab altero terrarum fine ad alterum*] Quàm longè patet terra.

CLARIUS.

1. *A Tertio decimo anno Josiæ*] Annis 19 sub Josia prophetavit, qui 31 annos Regno præfuit, & 4 sub Jacim filio. Itáque usque ad annum quartum Joacim, qui primus annus fuit Nabuchodonosor, 23 annis clamaverat ad eos. Et si addas 7 sub Joacim, & 11 sub Sedechia, invenies 41 prophetasse. In principio Danielis scriptum est quòd *Nabuchodonosor Rex Babel tertio anno Regni Joacim Hierosolymam obsederit*, & hîc dicitur *anno quarto*. Sed pars tertii anni & pars quarti anni Regni Joacim faciunt primum annum Nabuchodonosor. ¶ *De nocte consurgens*] Vel *manè*. Est autem Hebraismus, capitúrque pro, *in tempore aliquid facere vel monere*. Sic cùm Dominus vellet punire Judæos propter abominationes suas, misit priùs ad eos per Prophetas verbum suum, si fortè resipiscerent, & pœniteret eos suorum scelerum. Cupiebat enim Dominus parcere populo suo atque habitaculo suo. Sed cùm illi subsannarent nuncios Dei, & parvi penderent verbum Dei, venit furor Domini super eos.

9. *Regem Babylonis servum meum*] Et Esa. 13. vocantur *sanctificati Dei*. ¶ *Nationes quæ in circuitu*] Nam obtinuit Ægyptum, Ammonitas, Palæstinos, Tyrios & Damascenos.

10. *Vocem molæ*] Cum gaudio fruebantur partis frugibus, & molebant condimenta & alia quæ pro sumptuosis conviviis parabantur. ¶ *Lumen lucernæ*] In conviviis enim multæ lucernæ accendi solent.

12. *Visitabo*] Excidium Babylonis typus est perituri Mundi.

13. *Et adducam*] Chaldæa multò post Cyrum facta fuit in solitudinem, quando ex una Babylone ædificata est Ctesiphon & Seleucia, & redacta in hortum ferarum regiarum.

15. *Sume calicem*] Visio hæc fuit Prophetica, quâ omnibus populis jubetur annunciare judicium Dei. Intelligitur autem per *calicem furore* (vel *maledictione*) *Dei repletum* Prophetia ipsa, cujus gustu gentes inebriatæ sunt, & dementes effecti, obstinatíque in sua malitia.

18. *Sicut est dies ista*] Ex hoc verbo videtur esse indicium, scriptam fuisse Prophetiam & librum post desolatam Civitatem.

19. *Pharaoni Regi Ægypti*] Ordine narrat vicinas & potentissimas gentes. Ægyptii potentissimi erant, partim ad Meridiem, partim ad Occidentem siti.

 26. *Et*

26. *Et Rex Sesach*] Secundùm Hebræos hic est Rex Babel, per conversionem Alphabeti. Nam Judæi in usu habent quoddam Alphabetum ubi pro prima litera Aleph ultima, nimirum Tau, ponitur, & pro secunda Beth penultima Sin; sic Res pro Gimel, & sic consequenter. Itaque *Sesach* idem erit quod *Babel* si ad rationem hujus Alphabeti expendas.

28. *Cùmque noluerint accipere*] h. e. Si adhuc repugnaverint, & speraverint judicium Dei non eventurum.

32. *Ecce afflictio egredietur*] Alius vertit *malitia*, *afflictionem* tamen significans; ut illud Pauli, *dies mali sunt*. Hyperbolicus autem sermo admonet futuri Judicii.

33. *Et erunt interfecti Domini*] Nusquam hoc factum esse legitur; sed hoc erit in insigni adventu illo Domini.

34. *Quasi vasa pretiosa*] Quæ scil. frangentur. Fuistis, inquit, *vasa pretiosa*; jam veluti stercus abjiciemini.

35. *Peribit fuga*] h. e. Non erit fugæ locus.

37. *Arva pacis*] Ubi scilicet pacificè & sine incursione bestiarum greges antea pascebantur. Et intelliguntur per hæc *pascua* civitates & provinciæ, quæ in pace & securitate fuerant.

38. *Dereliquit quasi leo*] Dicitur Deus *derelinquere tabernaculum suum*, h. e. Templum suum, *quasi leo*, eò quòd non inveniret ibi fructum aliquem & impletionem voluntatis suæ. Siquidem leo relinquit latibulum suum si sibi in eo loco non occurrat unde vivere possit.

DRUSIUS.

1. היא השנה הראשנית לנבוכדראצר מלך בבל. αὐτὸς ἐνιαυτὸς πρῶτος τῷ Ναβυχοδονόσορ. βασιλεῖ Βαβυλῶνος, *ipse est annus primus Nabuchodonosor Regis Babylonis*] Vide Rom. ed. Τῷ Ναβυχοδονόσορ, i. *Nabuchodonosoris*, ut ψαλμὸς τῷ Δαυὶδ *Psalmus Davidis*. Scripserim autem libentiùs Ναβυχοδονέσορ, quod Ebræi etiam enunciant Ναβυχοδορέσορ, ρ cum ν permutantes.

3. היה דבר־יהוה אלי. καὶ ἐγένετο ῥῆμα Κυρίου πρὸς με, *& factum est verbum Domini ad me.*

10. קול רחים. φωνὴν μύλου *vocem molæ.*

14. כי עבדו־בם. ὅτι ἐδούλευσαν αὐτοῖς] Aliàs ἐν αὐτοῖς. Alia interpretatio, καταδουλεύσονται γὰρ αὐτούς. ¶ גוים רבים ומלכים גדולים. ἔθνη πολλὰ καὶ βασιλεῖς μεγάλοι, *gentes multæ & Reges magni.* ¶ ושלמתי להם כפעלם וכמעשה ידיהם. καὶ ἀποδώσω (aliàs ἀνταποδώσω) αὐτοῖς κατὰ τὰ ἔργα αὐτῶν καὶ κατὰ τὰ ποιήματα τῶν χειρῶν αὐτῶν, aliàs, κατὰ τὴν πονηρίαν τῶν ἐπιτηδευμάτων αὐτῶν, *& reddam eis secundùm opera eorum & secundùm facta manuum ipsorum*: aliàs, *secundùm nequitiam adinventionum ipsorum.*

18. ולקללה כיום הזה. καὶ εἰς κατάραν, ὡς ἡ ἡμέρα αὕτη, *& in maledictionem, sicut dies hæc.*

20. ואת כל־מלכי ארץ העוץ. καὶ πάντας τοὺς βασιλεῖς τῆς γῆς Οὖς, *& omnes Reges terræ Us*] Hieronymus annotat Theodotionem pro Οὖς interpretatum esse *insulam*: quod mihi suspectum. Nam

22. האי. Cæteri, τῆς νήσου *insulæ*, ex Victore Antiocheno.

23. בוז. Βοῦς, *Bus*.] In Compl. & apud Theodoretum Βοὺζ quæ scriptura robur accipit ex nomine Ναζωραῖος, quod Syri scribunt נצראי per צ Sade.

24. ואת כל־מלכי ערב. καὶ πάντας τοὺς βασιλέας Ἀραβίας, *& cunctis Regibus Arabiæ.*

25. ואת כל־מלכי זמרי. καὶ πάντας τοὺς βασιλεῖς Ζαμρὶ, *& cunctis Regibus Zamri.* ¶ מדי. Μήδων *Medorum.*

26. ומלך ששך ישתה אחריהם. καὶ βασιλεὺς Σησὰχ πίεται μετ' αὐτοὺς, *& Rex Sesach bibet post eos.*

30. הידד. A. ἰασμόν. Sym. κελεύσμα] Hier. *Cùmque ille rugierit, instar calcantium in torcularibus celeuma cantabitur, & in effusione sanguinis mutui carmen lugubre concinetur, quod Sym. κελεύσμα, Aq. ἰασμὸν vocat, cujus celeumatis sonitus usque ad terræ extrema perveniet.* Hæc duo vocabula mihi suspecta sunt de mendo, neque tamen occurrit qui ea emendem. Juvari cuperem ab iis qui habent Hieronymum manuscriptum.

GROTIUS.

3. *A Tertio decimo anno regni Josiæ*] Nam XXXI annis regnavit Josias. Ab his deme XII, & adde annos IV Joakimi, fiunt ipsi anni XXIII: per quos nullo labore & se & socios suos abstinuisse ait Jeremias ut ad meliorem frugem populum reduceret.

9. *Cognationes Aquilonis*] Medos, aliásque gentes Chaldæis aut subditas aut fœderatas.

Nabuchodonosor Regem Babylonis servum meum] Id est, instrumentum iræ meæ.

In stuporem & in sibilum] Suprà XVIII. 16. XIX. 8.

Et super omnes nationes quæ in circuitu illius sunt] Vicinos Judæorum, de quibus infrà 20. 21. 22.

10. *Perdámque ex eis vocem gaudii, vocem sponsi & sponsæ*] Suprà VII. 34. & XVI. 9.

Vocem molæ] Cantica puellarum molam trusantium. Vide Matth. XXIV. 41. Tale canticum erat illud memoratum Plutarcho:

> Ἄλει μύλα, ἄλει·
> Καὶ γὰρ Πίτλακος ἀλεῖ
> Μεγάλας Μιτυλάνας βασιλεύων.
> [*Mola, tu molito, molito:*
> *Facit & Pittacus istud*
> *Magnæ dominator Mitylenæ.*]

Et lumen lucernæ] Faces intelligere videtur, cum quibus ad convivia ibatur.

11. *Septuaginta annis*] Prædictio insignis, ob ità exactam temporis designationem.

12. *Visitabo super Regem Babylonis*] Nabonidum puniam per Cyrum.

In solitudines sempiternas] Diuturnas.

13. *Omne quod scriptum est in libro isto*] Hic sequuntur in Græco Prophetiæ hujus Prophetæ adversùs gentes varias, ut, contra Elymæos ea quam nos habemus XLIX. 35. deinde illa contra Ægyptum, quæ nobis est capite XLVI. tum contra Babylonem, quam nos habemus capite L. & LI. deinde illæ XLVII. XLVIII. XLIX. Postea sequuntur ea quæ in hoc sunt capite à commate 15. Non improbo. Videntur enim istæ Prophetiæ indicari, cùm dicitur, *In libro isto quem prophetavit Jeremias adversùs omnes gentes.*

14. *Quia servierunt eis cùm essent gentes multæ & Reges magni*] Meliùs, *Nam servient & ipsi gentibus multis & Regibus magnis*: Medis & Persis scilicet. Sed hæc Græci non habent, ut & Hieronymus annotavit.

15. *Sume calicem vini furoris hujus de manu mea*] Hoc factum ἐν ὀπλασίᾳ [*in viso*]. In illo calice quem videbat Jeremias erat vinum fumigans, signum iræ divinæ.

16. *Et bibent & turbabuntur, & insanient à facie gladii*] Confer Esaiam LI. 17. Magnus, inquit, dolor omnem illis sensum ac sapientiam adimet.

> Λύπη γὰρ ὀργή τ' εἰς ἕνα ψυχῆς τόπον
> Ἐλθόντε, μανίας τοῖς ἔχουσι γίνεται,
> [*Cùm dolor & ira pectoris sedem occupant*
> *Unam, furores inde generari solent,*]

ait Cleænetus.

18. *Et Regibus ejus*] Joakimo, Jechoniæ, Sedeciæ.

19. *Pharaoni Regi Ægypti*] Vide infrà XLIII.

20. *Et universis generaliter*] In Hebræo: ואת כל הערב, quod LXX vertunt καὶ πάντας τοὺς συμμίκτους αὐτοῦ [*& omnes convenæ ejus*]. sicut Exodi XII. 38. verterunt ἐπίμικτος [*convenæ*]. Putat Hieronymus intelligi peregrinos in Ægypto morantes. Chaldæus, *omnes vicinos*. Non malè vertas: *Et omnes illos Arabas*, quorum scilicet enumeratio sequitur.

Terra Ausitidis] De qua vide initium Jobi, & Geneseos X. 23.

Terræ Philisthiim] Quarum oppida sequuntur hic. Confer Esaiæ XIV. 29. & quæ infrà XLVII.

Et reliquiis Azoti] Exhausta enim erat illa regio obsidione Psammitichi Ægyptii Regis, ut ex Herodoto in Euterpe discimus. Ideo Geth hic non nominatur, quippe eodem bello disjecta.

21. *Idumæis*] Vide infrà XLIX. 7.

Moabitis] Vide infrà XLVIII.

Ammonitis] Ibidem.

22. *Et Regibus terræ insularum, qui sunt trans mare*] Syriæ mari adjacentis. Vide infrà XLIX. 23.

23. *Et Dedan*] Geneseos XXV. 3.

Thema] Genes. XXV. 15.

Et Buz] Genes. XXII. 21. Hi omnes mixti sunt Sarracenis, ut hic notat Hieronymus.

Et universis qui attonsi sunt in comam,] Id est, περικεκαρμένοι [*in orbem tonsi*], quales Sarraceni. Vide suprà IX. 26. Levit. XIX. 27.

24. *Et cunctis Regibus Occidentis, qui habitant in deserto*] Meliùs cum Chaldæo, *Regibus Arabum habitantium in deserto*: id est, *Scenitarum*, quod & Chaldæus addit. Vide infrà XLIX. 28.

25. *Et cunctis Regibus Zamri*] A Zimrane nominato Geneseos XXV. 2. Hi sunt *Zamareni* Plinio VI. 28.

Et

Et cunctis Regibus Elam] Elymaidos. Vide Geneseos X. 22. infrà XLIX. 34. & à nobis dicta ad librum primum de Veritate Religionis Christianæ.

Et cunctis Regibus Medorum] Regibus & Regulis. Pertinet, hoc ad bellum Cyri contra Astyagem.

26. *Cunctis quoque Regibus Aquilonis de propè & de longè, unicuique contra fratrem suum*] Illi Medis vicini, alii Astyagi, alii Cyro aderunt, atque ità inter se collidentur. Lxx verò צפון, alibi *Boream* vertunt, at hîc ἀφηλιώτην, non malè: est enim is ventus inter Aquilonem & Eurum, in quo situ sunt pleræque gentes, de quibus hîc agitur ad Judæam.

Et Rex Sesach bibet post eos] *Regem Babylonium* hîc significari etiam Chaldæus nos docet; nec alius Rex per ambages nominandus erat extra hunc, sub cujus imperio aliquamdiu victurus erat Jeremias. Sed & ipse Propheta, cùm jam in Ægypto viveret, nomen hoc explicat infrà L. I. 41. Judæi & cum eis Hieronymus putant ששך [*Sesach*] esse בבל [*Babel*], per eam literarum permutationem quam אתבש [*Athbasch*] vocant, id est, ubi ultima Alphabeti litera pro prima ponitur, penultima pro secunda, & contrà, atque ità deinceps. At alii malunt hoc nomen, repetitâ literâ primâ, derivare à שך [*Sach*], quod nomen alicui dearum Babylonis, ob quam is qui Hebræis vocabatur מישאל [*Misael*] dictus est Babyloniis מישך [*Misach*], Daniel. I. 7. Indidem Σακχαῖα [*Sacchaa*] nomen festorum dierum apud eosdem Babylonios, ut ex Beroso & Ctesia docet Athenæus XIV. 10. Meminit & Dion Chrysostomus IV. de Regno, Σακχῶν ἑορτὴν [*solenne Sacchorum*] vocans.

28. *Cùmque noluerint*] Verte, *etiamsi nolint*.

29. *Ecce in civitate in qua invocatum est nomen meum ego incipiam affligere, & vos quasi insontes & immunes eritis?*] Si urbi Hierosolymorum non peperci, cur vobis parcerem? Confer Ezechiel. IX. 6. I Petri IV. 17.

30. *Rugiet*] Ut leo iratus.

De habitaculo sancto dabit vocem suam] De cœlo vocabit eos quorum operâ uti volet.

Rugiens rugiet super decorem suum] Contra Templum.

Celeusma quasi calcantium] Scilicet *uvas*, ut Esaiæ XVI. 10. His comparantur hostes sanguinem multum exprimentes, ut Esaiæ LXIII. 3.

Adversùs omnes habitatores terræ] Nempe ad illos posteriùs perveniet pœna, ut suprà 29.

31. *Usque ad extrema terræ*] Ad mare Rubrum & Caspium.

Judicatur ipse cum omni carne] Ostendit toti mundo se nihil nisi justissimè facere. Vide Esai. I. 18.

33. *Et erunt interfecti Domini*] Quos Dominus interfici curavit.

A summo terræ usque ad summum ejus] Meliùs: *A fine terræ ad finem alterum.* Ità hîc Chaldæus. Lxx quoque, ἐκ μέρους τῆς γῆς καὶ ἕως μέρους τῆς γῆς [*à parte terræ & ad partem terræ*]. Sic ἀπ' ἄκρων ἕως ἄκρων [*ab extremis usque ad extrema*] Matth. XXIV. 31.

Non plangentur] Ut de Judæis dictum suprà XVI. 6. XXII. 18.

Et non colligentur] Non collocabuntur in monumentis majorum. Vide suprà VIII. 2.

Neque sepelientur] Nè plebejo quidem more sepelientur.

In sterquilinium] Suprà VIII. 2. IX. 22. XVI. 3.

34. *Ululate pastores*] Reges, & Senatores magni Synedrii.

Aspergite vos cinere, optimates gregis] Judices urbium.

Et dissipationes vestræ] Id est, ut dispergamini alius aliò.

Et cadetis quasi vasa pretiosa] Ut vasa ex crystallo, aut gemma aliqua, quæ ità tenera sunt ut semel solo allisa in partes dissiliant.

35. *Et peribit fuga à pastoribus, & salvatio ab optimatibus gregis*] Illi enim maximè quæri solent ad cædem.

37. *Et conticuerunt arva pacis*] Meliùs: *Et excidentur habitacula pacis.* Est allusio ad nomen *Salem*, sive *Jerusalem*.

38. *Dereliquit quasi leo umbraculum suum*] Meliùs hæc connectes cum superioribus in hunc modum, *Propter iram æstuantem Dei, similis leoni juveni derelinquenti spelæum suum:* nempe ut prædam suam quærat.

A facie iræ columbæ] יונה in Hebræo & *columbam* significat & *vastatorem*, sive *inimicum*, ut hîc habet Chaldæus, aut, ut Græci sæpe vertunt, θλίβοντα, καταδυναστεύοντα [*prementem, dominantem*]. Subauditur autem vox *gladii*. Sensus enim est: *omnia desolata à furore gladii hostilis.* Id subintelligi apparet & ex Chaldæo hîc, & ex locis infrà XLVI. 16. L. 16. ubi de re eadem agitur. Lxx hîc, ἀπὸ προσώπου τῆς μαχαίρας μεγάλης [*à facie gladii magni*]. At aliis duobus illis locis, ἀπὸ μαχαίρας Ἑλληνικῆς [*à gladio Græco*], quasi esset adjectivum femininum à יון, quod *Græcum* significat. Est enim חרב, quod *gladium* significat, Hebræis generis feminini. Et sic hunc quoque locum explicari posse ait Hieronymus ad Zach. III. At si quis omnes hos locos consideret, videbit Græciæ nullas hîc esse partes. Qui *columbam* vertunt, ajunt Semiramidis signum bellicum fuisse columbam: idque postea usurpatum semper ab Assyriis. Sanè columbas scimus apud Syros sacras fuisse, & Veneri dicatas. Diodoro quoque Siculo persuasum *Semiramida* dictam à *pipitu columbæ*, quasi esset à זמירה, quod est *canticum* Chaldæis, non à שמי רם [*cœli altitudine*]. At hîc & XLVI. 16. non de Assyriis, sed de Babyloniis agitur. At L. 16. de Persis. Quis autem credat victarum gentium signa sumta à victoribus? quare optima est illa prima interpretatio.

Et à facie iræ furoris Domini] Si Nabuchodonosori ira evadi nequit, quantò minùs Dei?

CAP. XXVI.

MUNSTERUS.

6. *Sicut Silo*] In Silo fuit Arca Domini & cultus Dei; sed ubi Phelistim Arcam ceperunt, desolata fuit Silo: & reducta Arca non fuit in locum Silo restituta, sed mons Sion fuit deinceps electus pro cultu Dei.

20. *Fuit præterea vir*] Quid nobis, inquiunt, objicitis Micham Morasthiten, cùm Rex Jehoiakim interfecerit Uriam, qui eadem quæ Jirmeiahu prophetavit contra Civitatem & Templum, &c.

23. *In sepulcra filiorum populi*] Jonathan vertit *in sepulcra publica*, funus scilicet Prophetæ contumeliâ afficiens, quò minùs putaretur Propheta fuisse Domini. Unde discimus distinctam fuisse sepulturam Prophetarum & honoratam à reliquo vulgo.

VATABLUS.

1. *Fuit* היה] *Factum est*: i. habitus est hîc sermo ad Jeremiam.

2. *Ad omnes civitates* על כל ערי] *Ad omnes viros urbium.* ¶ *Nè prohibeas verbum* אל תגרע דבר] *Noli subtrahere quicquam*, i. subticere, sive supprimere. Alii, *noli diminuere verbum.*

3. *Si fortè audiant, & convertantur* אולי ישמעו וישבו] *Fortè audient, & convertentur.* ¶ *Et pœniteat me mali*, ונחמתי אל הרעה] i. Mutabo sententiam afflictionis quam, &c.

4. *Dedi coram vobis* נתתי לפניכם] *Posui in conspectu vestri.* Alii, *proposui vobis.*

5. *Manè surgendo & mittendo* והשכם ושלח] i. Manè consurgens: q. d. *magnâ curâ & diligentiâ mittendo.* Vide eadem cap. 25. 4.

6. *Certè dabo* ונתתי] Ad verb. *Et dabo.*

8. *Moriendo morieris* מות תמות] *Morte morieris.* Heb. *certò morieris.*

10. *Et ascenderunt* ויעלו] Templum enim erat situm in vertice montis Sion; Regia verò in loco inferiore. ¶ *Et sederunt in ostio* וישבו בפתח] *Et sederunt in vestibulo.* Chald. *in ingressu*, vel *introitu*; more scilicet Judicum, ut meliùs cognoscerent de causa. ¶ *Nova* החדש] Chald. *Orientalis:* quæ omnium maxima erat, & quæ fortasse instaurata fuerat: unde *nova* dicebatur 2 Reg. 15. 35.

11. *Judicium mortis est*, &c. משפט מות וגו'] Hebraismus, pro *Obnoxius est judicio mortis*: aut, *Dignus est morte*, sive, *Mori debet.*

13. *Et opera vestra* ומעלליכם] *Et studia vestra.* ¶ *Et pœnitebit*, &c. וינחם יהוה] Vide eandem locutionem v. 3.

15. *Sciendo sciatis* ידוע תדעו] Hebraismus, pro *certè scitote.* ¶ *Tradetis* נתנים] Præs. Heb. pro fut. *ponetis:* i. eum occidetis propter cujus mortem daturi estis pœnas; neque solùm vos, sed etiam hæc urbs & cives ejus.

16. *Judicium mortis* משפט מות] Ut v. 11.

18. *Ut desertum erit* עיים תהיה] In *acervos* lapidum *erit*, vel *tumulos*: i. plena erit ruinarum. ¶ *Et mons domûs in excelsa silva* והר הבית לבמות יער] i. Mons Moria, ubi est Templum, erit plenus arboribus. Hebraismus.

19. *Facimus*, &c. עשים וגו'] Quidam interrogativè sive potiùs indignanter aut commiseranter vertunt per futurum, *Et nos faceremus scelus hoc nefandum contra animas nostras?*

20. *Fuit præterea*, &c. וגם איש וגו'] Ad verb. *Et etiam vir erat vaticinans.*

21. *Potentes ejus* גבוריו] *Fortes: heroes:* i. duces: q. d. rei militaris insignes.

22. *Et*

22. *Et viros*, &c. [ואנשים וגו׳] Repetitio Hebraica, pro, *emisit, inquam, quosdam cum eo in Ægyptum.*

23. *Filiorum populi* [בני העם] i. Vulgi ignobilis: q. d. *cadaver ejus non fuit sepultum more aliorum Prophetarum.* Chald. *sepulcra publica:* funus scilicet Prophetæ contumeliâ afficiens, quominus putaretur Propheta fuisse Domini.

24. *Manus* [יד] i. Favor: q. d. Impii illi infirmare non potuerunt sententiam Principum. Ahicam enim, qui inter eos erat nominis magni, favebat Jeremiæ: unde à concilio Principum libidini vulgi non fuit permissus.

CLARIUS.

6. SIcut Silo] In Silo fuit Arca Domini & cultus Dei: sed ubi Philistæi Arcam ceperunt, desolata fuit Silo. Et reducta Arca non fuit in locum Silo restituta, sed mons Sion fuit deinceps electus pro cultu Dei.

8. *Morte moriatur*] Typum gerit Christi; contra quem dicunt, *Reus est mortis*, quòd affirmassent falsi testes eum dixisse, *Possum destruere templum Dei, & triduo illud readificare.*

20. *Fuit quoque vir*] Quid nobis, inquiunt, objicitis Micheam Morasthiten, cùm Rex Joacim interfecerit Uriam, qui eadem quæ Jeremias prophetavit contra Civitatem & Templum, &c. Alii, referunt ad eandem rationem cum superiore exemplo; quòd scilicet quia Rex Joacim interfecit Uriam, & ipse abductus sit captivus in Babylonem cum matre, &c. 2 Reg. 24.

LUCAS BRUG.

19. ITaque non faciamus malum grande [*grande malum* o.] * *contra* [* *hoc* o.] *animas nostras.*] Sic, cum glossematico Carensi, complures codices scribunt. Cum Lyrano autem antiqui Epanorthotæ, quatuor Parisiensium & 8 nostri legunt, *Itaque nos facimus malum grande contra animas nostras*; quibus Græca auxiliantur, * ἡμεῖς [* καὶ R.] ἐποιήσαμεν, * *Nos* [* *&* R.] *fecimus* (sic enim pleraque exemplaria legunt;) Chaldaica suffragantur, ואנחנא גרמין *Et nos causam damus*; Hebraica adstipulantur, ואנחנו עשים *& nos facimus*; denique S. Hieronymi commentaria patrocinantur, *Simulque frangunt accusatorum rabiem, & se miscent cum eis, dicentes*, Itaque nos facimus malum grande contra animas nostras. *Non quòd facere debeant, sed quia si fecerint, nequaquam noceant accusato, sed animabus suis, quas mutatione sententiæ potuerint liberare.* Quare rectè castigatores, Dominicani, Parisienses atque Hentenius, rejecto *non faciamus*, correxere, *Itaque nos facimus malum grande contra animas nostras.* Mutatio hinc facta est, quòd non id mali faciant, nec in Jeremiæ necem consentiant, seniores terræ præsertim quorum hic sermo est. Qua etiam ex causa in Lobiensi antigrapho, *Itaque nos faciemus*, in Græco Vaticanæ Bibliothecæ exemplari, ὑμεῖς τετολμήκατε, *vos ausi estis*, scriptum fuit.

DRUSIUS.

10. שַׁעַר־יְהוָה הֶחָדָשׁ. Cæteri, πύλης Κυρίου τῆς καινῆς, *porta Domini nova.*

22. אֶת־אֶלְנָתָן בֶּן־עַכְבּוֹר וַאֲנָשִׁים אִתּוֹ אֶל־מִצְרָיִם. Ἐλναθὰν υἱὸν Ἀχοβὼρ καὶ ἄνδρας μετ᾽ αὐτοῦ εἰς τὸν Αἴγυπτον] Perperàm in ed. Rom. Ἐλιακὶμ, i. אליקים, nisi probari posset διώνυμον fuisse.

GROTIUS.

2. STa in atrio domûs Domini] Nempe maximo.

3. *Si forte audiant*] Hieronymus: *Nostro loquitur affectu, ut liberum homini servetur arbitrium.*

Et pœniteat me mali] Vide suprà XVIII. 8.

5. *Misi ad vos de nocte consurgens*] Id est, sollicitudine assiduâ, ut VII. 13. XI. 7. XXV. 3. 4.

Et non audistis] Id est, *quos non audistis.*

6. *Sicut Silo*] Suprà VII. 12.

8. *Apprehenderunt eum Sacerdotes*] Nempe ὁ στρατηγὸς τοῦ ἱεροῦ [*Prætor Templi*], cui prehendendi in Templo jus erat, assentientibus Sacerdotibus qui aderant & Prophetis, plebe autem obsecundante.

10. *Principes Juda*] Senatores magni Synedrii, ad quos pertinebat judicium de Propheta vero aut falso.

Et sederunt in introitu portæ domûs Domini novæ] Ædificatæ à Jothamo, II Reg. XV. 35. II. Paralipomen. XXVII. 3. Eam *fuisse ad Orientem* ait hîc Chaldæus. At Maimonides curiam hujus Synedrii ad Occidentem locat. Verùm nihil mirum cum conventûs locum in Templo secundo fuisse translatum.

11. *Judicium mortis est viro huic, quia prophetavit adversùs civitatem istam*] Crimine nempe seditionis, quia qui malè ominatur patriæ, plebem sæpe commovet, & occasiones dat aut seditionibus, aut desperatis consiliis. Confer Actorum VI. 13.

12. *Dominus me misit ut prophetarem ad domum istam, & civitatem hanc*] *Domum*, id est, Templum. Notat prudentiam Jeremiæ Hieronymus, qui cùm Deum sibi dicat auctorem, satis validam protulit exceptionem contra leges omnes. Deinde non dicit *contra civitatem*, sed *ad civitatem*, significans se ipsorum utilitatibus servire, locum adhuc esse pœnitentiæ.

14. *Ego autem ecce in manibus vestris sum: facite mihi quod bonum & rectum est in oculis vestris*] Hîc humilitatem ejus observat Hieronymus. Agnoscit in Synedrio vitæ & necis potestatem.

15. *Verumtamen scitote & cognoscite, quòd si occideritis me, sanguinem innocentem tradetis contra vosmet ipsos, & contra civitatem istam, & habitatores ejus*] Hic constantiam observat Hieronymus. Videte ait quid agatis. Facile vobis est mihi vitam adimere. Sed hoc facto adeò mala, de quibus locutus sum, non evadetis, ut etiam ob id ipsum ea futura sint graviora.

16. *Et dixerunt Principes*] Major pars Synedrii. Hieronymus: *Perierat Propheta, quantum fuit in Sacerdotibus & Prophetis, si accusatores ipsi habuissent judicii potestatem. Ex quo intelligimus crudeliores fuisse in Prophetam per invidiam sanctitatis, qui religioni videbantur dediti, quàm qui necessitatibus publicis præerant.*

Et omnis populus] Motus auctoritate Senatorum, ut antè motus fuerat auctoritate Sacerdotum. *Citò*, ait hîc Hieronymus, *vulgus indoctum acceptâ ratione mutat sententiam. Dolor autem accusantium, præcipuè Sacerdotum & pseudoprophetarum, non potest immutari. Et ideo illis accusantibus, & in accusatione perseverantibus populus commutatur.*

17. *Surrexerunt ergò viri de Senioribus terræ*] Eidem sunt quos antea שרים, sive *Principes* dictos vidimus.

18. *Michæas de Morasthi fuit Propheta in diebus Ezechiæ*] Politici multa exemplis persuadent. Et in legum interpretatione multùm valet rerum antè judicatarum auctoritas. Morasthi vicus est in tribu Juda. Hic est idem Michæas cujus Prophetia exstat.

Sion quasi ager arabitur] Tale illud:

Nunc seges est ubi Troja fuit.

19. *Numquid morte condemnavit eum Ezechias Rex Juda?*] Jure regio, tanquam seditiosum.

Et omnis Juda] *Aut omnis Juda.* Id est, Synedrium gerens totius populi vices, & cognitionem habens de iis qui Prophetas se dicerent.

20. *Fuit quoque vir prophetans*] Absoluto sermone Senatorum additur hîc historia illorum temporum: unde intelligi potest quanto in periculo Jeremias fuerit sub Rege improbo.

De Cariathiarim] Vide Josuæ XV. 9.

22. *In Ægyptum*] Ubi facilè etiam iniqua impetrabat Jojakimus, ideo quòd se in fidem & clientelam Regis Ægyptii dedisset, II Regum XXIII. 34. Observatum hoc Hieronymo.

23. *Percussit eum gladio*] Tanquam seditiosum, ut modò diximus. In tales Rex jus habebat, nisi Prophetas se dicerent. Animadversio autem regia omnis per gladium.

In sepulchris vulgi ignobilis] *In sepulchretum advenarum*, ut hîc Chaldæus. Vide II Reg. XXIV. 6. & Matthæi XXVII. 7.

24. *Igitur manus Abican filii Saphan fuit cum Jeremia*] Pro *igitur*, rectiùs pones *veruntamen:* id est, quanquam sub tam malo Rege viveretur, qui jam tale sævitiæ suæ exemplum dederat. *Manus*, id est, auctoritas. Erat enim Ahicam inter præcipuos viros, quorum consilio Josias Rex pater Jojakimi plurimùm usus fuerat: ut videre est II Reg. XXII. 12.

Ut non traderetur in manus populi] Reges sæpe, cùm perire volunt hominem claræ virtutis, malunt id per seditionem vulgi (quam concitare ipsis facile est) quàm suo jussu fieri, ut sine suo odio alieno scelere fruantur.

CAP. XXVII.

MUNSTERUS.

1. VIdetur hic in principio error irrepsisse, scriptúmque *Jehoiakim* pro *Zidkijahu*, sub quo ista quæ in hoc capite scribuntur contigerunt. Is enim cùm munera misisset in Babylonem, solicitatus à Regibus Ægypti, Tyri, Ammon & Moab ad defectionem, anno Regni sui octavo deficit contra verbum Domini à Rege Babel.

2. Et

2. *Et ligamina*] Sunt qui מוטה exponunt pro על *jugo*, alii dicunt esse רצועה שנקשר בה העל *lorum & nervum quo jugum ligatur*.

7. *Filio ejus*] Hic fuit Evilmerodach: nepos autem Nebuchadnezer fuit Belsshazer, quem nostri *Balthasar* vocant.

16. *Vasa Domini*] Loquitur de vasis Templi, quæ Rex Babyloniæ cum Jechonia asportaverat. Abstulit autem meliora & pretiosiora quæque, relinquens alia usque ad tempus destructionis Jerusalem.

22. *Quo visitavero ea*] Id factum fuit sub Chores, quem nostri *Cyrum* vocant, Rege Persarum, qui captos Judæos unà cum vasis Templi in Judæam remisit.

VATABLUS.

2. *Vincula & vectes* [מוסרות ומטות] *Cingula* [vel *lora*] *& juga*. ¶ *Et pones ea* [ונתתם] Sub. *tempore Sedeciæ*: vel, *& pone*. Hoc fecit Jeremias initio Regni Sedeciæ. Nam capite sequenti traditur, *jugum quod è collo Jeremiæ pendebat fuisse detractum ab Hanania* Pseudopropheta, *& fractum*.

3. *Qui veniunt* [הבאים] Præs. Heb. pro fut. *venturi sunt*.

4. *Et præcipies*, &c. [וצוית אתם וגו'] *Et mandata dabis illis ad heros suos, ut dicant*.

5. *Et dedi eam*, &c. [ונתתיה לאשר וגו'] *Et trado eam cui placuerit*, &c. Alii, *Proinde dabo eam cui rectum fuerit mihi*: vel, *proinde optimo jure eam dare possum cui libuerit mihi*.

7. *Et filio ejus* [ואת בנו] Nempe Evilmerodach. ¶ *Et filio filii ejus* [ואת בן בנו] i. Nepoti, qui fuit Belsasar. ¶ *Tempus* [עת] Sub. *ultionis*, in quo me ulciscar etiam de ipso Nabuchodonosor. ¶ *Et in servitutem redigent eam*, [ועבדו בו] *Et subjicient sibi eam*: i. reddent eam tributariam: q. d. utentur operâ illius: quod pertinet ad dominium. Id enim significat hæc radix juncta cum ב. h. e. *serviet gentibus multis*. Relativum in בו refert ארץ, quod hic est generis masc. Vide idem suprà 25. 14.

8. *Donec compleverim*, &c. [עד תמי אתם בידו] *Donec finiero tradere eos*, &c. i. donec prorsus subjecero eos illi.

9. *Nè audiatis Prophetas vestros* [אל תשמעו אל נביאכם] *Nè auscultetis* [vel *acquiescatis*] *Prophetis vestris*. ¶ *Et somnia vestra* [ואל חלומתיכם] h. e. Somniatores vestros qui exponunt vobis sua somnia.

10. *Ut elongent vos* [למען הרחיק אתכם] *Ut vos longissimè abducant: ut summoveant vos*: vel *procul abducant*.

11. *Introduxerit* [יביא] *Indiderit, immiserit, injecerit*, Ad verb. *fecerit venire*. Sic seq. versu.

12. *Quin & ad* [ואל] *Itaque ad*. ¶ *Et vivite* [וחיו] Imper. Heb. pro fut. *vivetis*: i. salva erunt vobis omnia: Hebraismus.

14. *Nè, inquam*, &c. [אל תשמעו וגו'] *Nè, inquam, auscultetis* [vel *acquiescatis*] *verbis*: i. dictis: ut suprà v. 9.

16. *Nunc citò* [עתה מהרה] i. Brevi, sive intra paucos dies.

17. *Et vivite* [וחיו] Vide v. 12.

18. *Prophetæ sunt* [נבאים הם] Sub. *veri*. ¶ *Quæ residua sunt* [הנותרים] *Quæ remanserunt*.

20. *Optimates* [חורי] *Nobiles*. Ità dicti à *candore* animi quo in primis ornari debent.

22. *Adducentur* [יובאו] *Transferentur, asportabuntur*.

CLARIUS.

1. *In principio*] Monarcham fore Nabuchodonosor Jeremias hoc loco prædicit annis tribus antequam in Regnum paternum ille inauguraretur. Nam cùm in Juda Regnum obtinuisset Joacim annis tribus, Nabuchodonosor apud Babylonem Regnum iniit, mox Joacim vicit: Quo rebellante, tandem initio anni sui octavi, adversùs Jechoniam filium hujus arma suscepit, quem, cùm in potestatem ejus ultro venisset, captivum abduxit, instituto in locum ejus Sedechia patruo ejus: Cujus anno nono Nabuchodonosor Urbem iterum oppugnat, & redit toties donec ad internecionem redigerentur Judæi juxta verbum Domini. Videtur autem huic Joacim hanc fuisse dictam Prophetiam, quamvis ad tempus Sedechiæ pertinebat, nè omisso Deo humanis præsidiis fideret.

3. *In manu*] Prophetia illa est contra rebellantes Magistratui. Nam Sedechias erat obstrictus Regi Babyloniorum, qui fecerat eum Regem, & præfecerat quinque Regnis vicinis. Is eos solicitabat ad ruptionem federis. Jubetur itaque Propheta loqui ad Legatos.

7. *Et filio ejus*] Hic fuit Evilmerodach. Nepos autem Nabuchodonosor fuit Baltasar. ¶ *Donec veniat tempus*] Scilicet puniendi etiam Babylonios.

22. *Usque ad diem*] Id factum fuit sub Cyro Rege Persarum, qui captos Judæos una cum vasis Templi in Judæam remisit.

DRUSIUS.

1. בראשית ממלכת וגו' Ἐν ἀρχῇ τῆς βασιλείας Ἰωακὶμ υἱοῦ Ἰωσίου βασιλέως Ἰούδα ἐγένετο τὸ ῥῆμα τοῦτο πρὸς Ἱερεμίαν παρὰ Κυρίου, λέγων, *In principio Regni Joacim filii Josiæ Regis Juda factum est verbum istud ad Jeremiam à Domino, dicens*] Hieron. *Hoc in editione Lxx non habetur: & multi putant sequentis capituli esse principium: quod nequaquam ità est, sed jungendum superiori, ut quicquid dictum refertur & factum in principio Regni Joacim factum esse credamus.*

7. ואת בנו ואת בן בנו עד בוא עת ארצו גם הוא. Καὶ τῷ υἱῷ αὐτοῦ, καὶ τῷ υἱῷ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, ἕως τοῦ ἐλθεῖν καιρὸν τῆς γῆς αὐτοῦ, καίγε αὐτοῦ, *& filio ejus, & filio filii ejus donec veniat tempus terra ejus, & ipsius.* ¶ ועבדו בו גוים רבים ומלכים גדולים καὶ δουλεύσουσιν αὐτῷ ἔθνη πολλὰ καὶ βασιλεῖς μεγάλοι, *& servient ei gentes multa & Reges magni.* Sym. *subjicient eum servituti gentes multa & Reges magni.* καταδουλεύσονται αὐτόν] Vide suprà 25. 14. Hieron. *Juxta Sym. non legitur*, servient ei gentes multæ, *&c. sed* subjicient eum servituti, &c.

8. והיה הגוי והממלכה וגו'. Καὶ τὸ ἔθνος καὶ ἡ βασιλεία ὅσοι ἂν μὴ ἐμβάλωσι τὸν τράχηλον αὐτῶν... [Καὶ τὸ ἔθνος καὶ ἡ βασιλεία ὅσοι ἂν μὴ ἐδούλευσαν Ναβουχοδονόσορ βασιλεῖ τῆς Βαβυλῶνος, καὶ ὅσοι ἂν μὴ ἐμβάλωσιν], *Et gens & Regnum quicunque non servierint Nabuchodonosor Regi Babylonis, & quicunque non injecerint.*

12. בעול מלך בבל ועבדו אתו ועמו וחיו. ὑπὸ ζυγῷ τοῦ βασιλέως Βαβυλῶνος, καὶ ἐργάσασθε αὐτῷ καὶ τῷ λαῷ αὐτοῦ, καὶ ζῆτε, *sub jugo Regis Babylonis, & opus facietis ei & populo ejus, & vivite*] Vel *operabimini.* † *Et vivite, ut vivatis*, vel *& vivetis.*

13. למה תמותו אתה וגו'. Ἱνατί ἀποθνήσκετε σὺ καὶ ὁ λαός σου ἐν μαχαίρᾳ καὶ ἐν λιμῷ καὶ ἐν λοιμῷ, ὡς ἐλάλησε Κύριος τῷ ἔθνει ὃ οὐκ ἐδούλευσεν τῷ βασιλεῖ Βαβυλῶνος; *Cur moriemini, tu, & populus tuus gladio, fame & peste, sicut locutus est Dominus contra gentem quæ non servierit Regi Babylonis?*] *Locutus est*, decrevit.

14. ואל תשמעו וגו'. Μὴ ἀκούσητε τὰ ῥήματα τῶν προφητῶν λεγόντων ὑμῖν, Μὴ δουλεύσητε τῷ βασιλεῖ Βαβυλῶνος, *Nolite audire verba Prophetarum dicentium vobis, Nolite servire Regi Babylonis.*

16. עתה מהרה. νῦν ταχέως *nunc citò.*

17. אל תשמעו וגו'. Μὴ ἀκούετε αὐτῶν, ἀλλὰ δουλεύετε τῷ βασιλεῖ τῆς Βαβυλῶνος, καὶ ζῆτε. Ἱνατί ἔσαι αὕτη ἡ πόλις εἰς ἐρήμωσιν; *Nolite audire eos, sed servite Regi Babylonis, & vivite: quare erit hæc civitas in desolationem?*

GROTIUS.

1. *In principio regni Joakim*] Sicut quæ antecessit vaticinatio ad populum pertinet, ita & hæc: sed hæc cum verbis rerum etiam signa conjuncta habet, more antiquo.

2. *Fac tibi vincula & catenas*] Sensus est: fac tibi juga lignea complura mittenda ad Reges, unum verò gestandum tibi ipsi Jeremiæ, nomine populi. Vide infrà XXVIII. 2. 10. 13. Nam מוסרות sunt *duo ligna jugi*, מט verò *lignum tertium quo duo connectuntur*, ut vult David Kimchi.

3. *Et mittes eas ad Regem Edom, & ad Regem Moab, & ad Regem filiorum Ammon, & ad Regem Tyri, & ad Regem Sidonis*] Omnes enim hi Reges subjugati à Nebuchodonosoro. Vide infrà XLVIII. XLIX.

In manu nuntiorum qui venerunt Jerusalem ad Sedeciam Regem Juda] Nempe ut eum solicitarent ad defectionem à Chaldæo. De qua vide II Paralipomenon XXXVI. 13.

6. *Et nunc itaque ego dedi omnes terras istas*] Nempe jam nominatas. *Dedi*, id est, constitui dare.

Et bestias agri dedi eis] Equos, ut iis vehantur Chaldæi: boves, ut machinas & commeatus trahant.

7. *Et servient ei omnes gentes*] Modò dictæ.

Et filio ejus] Evilmeroducho, qui apud Ptolemæum corrupte Ἰλουαρόδαμος [*Iluarodamus*].

Et nepoti ejus] Laborosoarchodo filio filiæ Nabuchodonosori. Vide quæ congessimus ad librum III. de Veritate Religionis Christianæ. Ptolemæo hic corruptè Νηρικασσολάσαρος [*Nericassolassarus*.]

Donec veniat tempus terra ejus, & ipsius] Tempus destinatum excidio Babylonis & regni, ut infrà 22. suprà XXV. 12. infrà XXIX. 10.

8. *Et quicunque non curvaverit collum suum sub jugo Regis Babylonis*] Explicatio συμβόλων [*rerum significantium*].

9. *Nolite audire Prophetas vestros*] Qui afflatum divinum simulabant.

Et divinos] Τῶν μαντευομένων [*vaticinantium*] Græci. *Aruspices* intellige.

Et somniatores] Ὀνειρομάντεις, qui humanâ arte somniorum interpretationem pollicebantur.

Et augures] Prædicentes futura ex avium gestu gustûve.

Et maleficos] Qui sanguine humano effuso umbras excitabant, νεκυομάντεις [*ex mortuis prædicentes*].

10. *Ut longè vos faciant de terra vestra*] Ut hîc est ἐκβατικὸν [*eventuale*]. sic & infrà 15.

11. *Porrò gens quæ subjecerit cervicem suam sub jugo Regis Babyloniæ*] Nempe deditione factâ ante vim hostilem.

12. *Et ad Sedeciam Regem Judæ*] Alia est sectio, & ad aliud tempus pertinens, sed argumento conjuncta cum superiori.

16. *Ecce vasa Domini revertentur de Babylone*] Nempe illa quæ Jechoniæ tempore ablata fuerant, II Regum XXIV. 13.

18. *Occurrant Domino exercituum*] Precibus impetrent.

Ut non veniant vasa quæ derelicta fuerant] Quæ tempore Jechoniæ ablata non fuerant; nempe ut sequitur, *columna, mare, basis*, & alia, quæ scilicet postea abstulit Nabuzardan, II Reg. XXV. 13. Eorum vasorum descriptionem vide I Reg. VII.

Et in domo Regis Juda] Supellex palatii.

Et in Jerusalem] Domuum aliarum, quales multæ atque opulentæ Hierosolymis.

22. *Usque ad diem visitationis suæ*] Id est, punitionis: usque dum Cyrus Babylonis victor vasa Templi remittat, Esdræ I. 7.

CAP. XXVIII.

MUNSTERUS.

1. *IN anno quarto*] Si fuit *in principio Regni*, quomodo fuit *in quarto anno Zidkijæ?* Judæi multùm torquentur in hujus loci complanatione, & varias excogitarunt expositiones: sed quia nihil certi de hac re ex Textu haberi potest, relinquemus nos illis difficultatem hanc explicandam.

3. *Ego reducam omnia vasa*] Hic Hanania fuit falsus Propheta, seducens populum, & Prophetam sanctum omnibus invisum & odiosum reddebat. Nam omnia contraria prophetabat, & commutandas vices rerum asseverabat; Judæos scilicet fore felices, & Babylonios calamitosos, Jechoniam non in Babylonia moriturum, ut Jirmeiahu prædixit, sed post biennium rediturum, &c.

13. *Catenas ligneas*] Vel, *ligamina lignea*, ut sunt restes quibus jugum innodatur. Kimhi tamen hoc loco per מוטות intelligit *nervos & lora quibus lignum jugi ligari solet*: unde pro *catena lignea* ipse legit *lorum lignei jugi*.

16. *Defectionem*] Est סרה propriè *recessus*. Faciebant autem pseudoprophetæ ut populus recederet à Deo, & fiduciam haberet in rebus vanis.

VATABLUS.

1. *IN anno ipso* בשנה ההיא] i. Eo anno quo Jeremias gestare cœpit in collo jugum ligneum & lora jugalia, nimirum anno primo Sedeciæ, qui incidit in quartum annum hebdomadis *hasemita*, i. *quietis* [sive *cessationis*] *terræ*, Deut. 15. 1. & Levit. 25. 1. Anno quarto hebdomadis cœpit regnare Sedecias, regnavítque annis undecim, quæ est septima hebdomada, in qua Templum fuit destructum: nam anno undecimo Sedeciæ fuit destructum Templum, qui principium est hebdomadis septimæ, quæ dicitur *annus remissionis*: quod significabat terram sabbatizaturam sabbata Dei, ut priùs minatus erat Propheta.

2. *Confregi* שברתי] Præt. Heb. pro fut. q. d. Statui sive decrevi me brevi erepturum populum meum è manu Babyloniorum.

3. *Cùm adhuc*, &c. בעוד וגו׳] i. Exacto biennio integro. Chald. *In fine duorum annorum*. *Annum dierum* vocat annum perfectum & suis diebus constantem.

4. *Transmigrationem* גלות] *Captivitatem*, i. omnes captivos.

6. *Amen* אמן] i. Sit *veritas* (aut *verum*) *quod dicis*. Ità contingat ut dicis. ¶ *Suscitet* &c. יקם וגו׳] *Stabiliat*. Seipsum declarat: q. d. *ratam habeat*, sive *firmam faciat*, *Prophetiam tuam*. Est enim veritas firma. ¶ *Transmigratio* גולה] *Captivitas*: i. omnes captivi & exsules Judæi.

7. *In auribus tuis & in auribus*, &c. באזניך ובאזני וגו׳] i. Te audiente & universo populo.

8. *Prophetaverunt* ויגבאו] Non copulat ו hoc loco, sed tantùm convertit futurum in præteritum: i. prædixerunt fore ut evenirent bella, afflictiones & pestes; nec semper accidit: quia Deus mutavit sententiam quòd pœnitentiam egissent. Eventus comprobat Prophetam: q. d. Duo sunt Prophetarum genera: Alii enim prædicunt adversa, alii prospera. Qui prædicunt adversa, non semper eveniunt quæ prædixerunt: est enim Deus summè misericors, qui sæpe mutat sententiam super afflictione quam interminatus est. At qui prædicunt prospera, necessariò oportet ut eveniant quæ prædixerunt: alioqui sunt Pseudoprophetæ: nunquam enim pœnitet Deum boni quod pollicitus est. Ità Hebræi: quod tamen ità intelligendum est, nempe quòd frequentiùs eveniant promissiones Dei quàm interminationes: est enim Dominus Deus pronior ac proclivior ad parcendum quàm ad perdendum, & ad misericordiam quàm ad vindictam.

10. *Vectem* המוטה] *Jugum*. Sic infrà ad finem capitis.

11. *Post* בעוד] Ad verb. *in ultrà*.

14. *Jugum* על] Pro hac voce v. 10. posuit מוטה *vectem*. ¶ *Et quidem servient ei* ועבדהו] q. d. *Et ità eveniet*.

15. *Nunc* נא] *Quæso*. ¶ *Fidere fecisti* הבטחת] *Securum reddidisti*: vel, *fiduciam dedisti populo isti*, &c.

16. *Emittam te* משלחך] Præs. Heb. pro fut. *En ego ejiciam te*: vel *expellam*: aut *ejecturus sum te*: q. d. *tollam te de medio*. ¶ *Hoc anno* השנה] Non anno currente, sed computando à tempore quo hæc prædixit Jeremias: i. intra unum annum. ¶ *Declinans* סרה] *Recedens*: i. alienum à veritate, & absurdum: q. d. *absurdè locutus es contra Dominum*: adscripsisti enim illi falsitatem loco veritatis.

CASTALIO.

8. *BEllum aut malum*] Considera num pro רעה sit legendum רעב, h. e. *famem*.

CLARIUS.

4. *IN anno quarto*] Illum *annum quartum* putant fuisse initium Regni quo Sedechias præfuit Regibus quinque vicinis. Ideo dicit *in principio Regni Sedechiæ*, ut subaudiatur *in alios quinque Reges*. Quanquam multùm torquentur Judæi in hujus loci complanatione, & varias excogitarunt expositiones.

17. *Mense septimo*] Mensis septimus initium anni est juxta Orbem conditum, ut volunt Hebræi: quam supputationem vulgò etiam nunc imitantur. Nam à primo Martii sumitur initium quantum attinet ad supputationem festorum.

DRUSIUS.

11. בְּעוֹד שְׁנָתַיִם יָמִים. Δύο ἔτη ἡμερῶν *duobus annis dierum*.

14. וְעֲבָדֻהוּ וְגַם אֶת־חַיַּת הַשָּׂדֶה נָתַתִּי לוֹ. τοῦ δουλεύειν αὐτῷ. καί γε τὰ κτήνη τῆς γῆς ἔδωκα αὐτῷ, *ad serviendum ei: insuper & bestias terræ dedi ei*] Hieron. *Quod sequitur*, Et servient ei: insuper & bestias terræ dedi ei, *in Lxx non habetur*, καὶ δουλεύσουσι αὐτῷ.

16. כִּי־סָרָה דִבַּרְתָּ אֶל־יְהוָה. ὅτι ἐκάλησας ἀπόστασιν πρὸς τὸν Κύριον, *quia defectionem locutus es ad Dominum*] Hier. *Quod que sequitur*, quia adversùm *Dominum* locutus es. Et Mortuus est Ananias Propheta in anno illo, in mense septimo, *in Lxx non habetur*. *Pro quo tantùm posuerunt*, & mortuus est mense septimo.

GROTIUS.

1. *ET factum in anno illo*] Eodem anno quo ista quæ præcedunt Sedeciæ dixeram.

In principio regni Sedeciæ] Id est, cùm adhuc longè abesset malum illud quod prædixi: nam per undecim annos regnavit Sedecias.

In anno quarto, in mense quinto] Quidam *annum quartum* intelligunt ἑβδομάδος [*septimanæ*] annorum qui putantur ab anno sabbatico. Sed de anno regni Sedeciæ intellexêre Græci & Chaldæus. Nec obstat id quod præcessit *in principio*, sic intellectum ut diximus.

Propheta] Qui Prophetam se dicebat.

2. *Contrivi*] Conterere decrevi. Vide infrà 4.

3. *Adhuc duo anni dierum*] Completi, περιπλόμενοι ἐνιαυτοί [*anni vertentes*]. Mira improbitas hominis, qui sine ulla divina revelatione ità definitè loqui ausus est: itaque meritò pœnas dedit.

6. *Amen sic faciat Dominus*] *Amen* hîc valet *Utinam*. Velim, inquit, vera dicas. Sic & Michææ II. 11.

Suscitet Dominus verba tua] Velim Deus ea rata faciat.

8. *Qui fuerunt ante me, & ante te*] Joël, Amos, Oseas, Esaias, Michæas, Sophonias, Nahum, Abacuc, & alii.

Et prophetaverunt] Hic & illud abundat more Hebraïco,

De

De prælio, & de afflictione, & de fame] Quæ tamen interdum non evenêre, intercedente pœnitentiâ. Neque id Prophetis auctoritatem detrahit, qui functi officio monendo, fructum quem maximè volebant officii sui vidêre.

9. *Propheta qui vaticinatus est pacem*] Qui prædixit res prosperas.

Cùm venerit verbum ejus] Si eventus respondet.

Scietur Propheta quem Dominus misit in veritate] Hananias de conversione nihil monuerat populum, sed simpliciter res felices prædixerat, quæ si non evenirent, jam pseudopropheta deprehendebatur.

10. *Catenam*] *Jugum illud ligneum.* Vide suprà XXVII. 2. & infrà 13.

11. *De collo omnium gentium*] Nominatarum suprà XXVII. 3.

13. *Facies pro eis*] Tu Jeremia, & Hananiæ ostendes.

Catenas ferreas] *Jugum ferreum*, durissimam servitutem significans. Allusio ad locum Deuteronomii XXVIII. 48.

16. *Hoc anno morieris*] Bene tempore circumscripta prædictio, qualis verum Prophetam ostendit. Vide quæ ad Deuteron. XVIII. 22.

CAP. XXIX.

MUNSTERUS.

11. F*Inem & exspectationem*] In Hebræo est אחרית *novissimum*, pro quo Jonathan vertit סוף *finem*. Et est sensus, *Ego terminabo captivitatem vestram bono fine: id quod vos exspectatis atque speratis.*

12. *Ibitis*] h. e. Ambulabitis in viis meis.

15. *Prophetas*] Jonathan Chaldæus vertit מלפן *doctores*, qui scilicet spe vanâ seducebant populum quòd brevi Jerosolymam essent reversuri.

17. *Ficus turpes*] Est hîc שער idem quod מלוכלך, *ficus fœdas & abominandas*, à quibus gustus nauseam habet. Jonathan tamen vertit בישא *malas*.

24. *Nahalamiten*] Hebræi putant eum sic dictum quòd esset חולם *somniator vanus.*

26. *Amentem*] Diximus 2 Reg. 9. quare Prophetæ apud Judæos appellentur *furiosi* & *amentes.* ¶ *Truncum*] Kimhi exponit hanc dictionem pro כלי מסגר לידים *instrumento quo manus constringuntur.*

VATABLUS.

1. A*D residuum seniorum transmigrationis* אל יתר זקני הגולה] *Ad reliquos seniores captivitatis*, i. Ad seniores captivos qui adhuc superstites erant: multi enim perierant in itinere.

2. *Et Regina* והגבירה] *Et domina*; mater scilicet Regis. Significat *mulierem principem.* Gallicè *imperatrice*, *ou regente.* ¶ *Et eunuchi* והסריסים] *Et aulici*; i. qui grati erant Principi, ut grati sive gratiosi esse solent eunuchi in aulis Principum. Chald. *magnates*, vel *optimates.* ¶ *Et artifices & inclusores* והחרש והמסגר] *Et architecti, & castrametatores.* Vide suprà 24. 1.

4. *Dicit* אמר] Præt. Heb. pro præs. ¶ *Transmigrare feci* הגליתי] *Transtuli*; pro *transtulit*: confusio personarum.

6. *Neque imminuamini* ואל תמעטו] *Et nolite esse pauci.*

7. *In pace illius* בשלומה] *In tranquillitate ejus*: i. Optate statum tranquillum urbis ejus in qua exsulatis: nam si fruatur pace, vos etiam agetis in pace.

8. *Ad somnia vestra quæ*, &c. אל חלומתיכם אשר אתם מחלמים] i. Ad somnia quibus imponitur vobis, & quæ vos facitis somniare Pseudoprophetas: nam admittitis eorum somnia quæ accommodantur rebus optatis à vobis.

9. *Falsò* בשקר] *Mendaciter.* Ad verb. *in mendacio*, vel *falsitate.*

10. *Ut impleti* כי לפי מלאת] Ad verb. *Quòd ut impleri.* Redundat כי *quia*, sive *quòd.* Elapsis, inquit, LXX annis (quot annos durabit captivitas illa Babylonica) tum demum incipiam misereri vestri: tum enim permittet vobis Cyrus reditum in patriam: q. d. Non revertemini ante LXX annos. ¶ *Et suscitabo super vos verbum*, &c. והקמתי עליכם את דברי הטוב להשיב אתכם] Hebraismus, *Præstabo promissionem bonam quam feci vobis de reducendis vobis*, &c.

11. *Finem & exspectationem* אחרית ותקוה] i. Finem à vobis optatum. Ad verb. *novissimum & exspectationem*: pro quo Chald. *finem.* q. d. Perficiam captivitatem vestram bono fine: id quod vos exspectatis atque speratis.

12. *Et incedetis* והלכתם] Sub. *in viis meis.*

14. *Transmigrare feci vos* והגליתי אתכם] *Transtuli vos*: vel, *abduxi vos captivos.*

15. *Prophetas* נביאים] Intelligit falsos Prophetas: q. d. quibus vos creditis, & non veris: non tamen evenient quæ illi prædicunt vobis, sed quæ isti. Chaldæus P. vertit *doctores*: qui scilicet spe vanâ seducebant populum quòd brevi Jerosolymam essent reversuri.

16. *Quia* כי] Redundat: aut in *Profectò* vertendum, aut subaudienda nonnulla, sic, *Quia*, inquam, talia dixistis: vel, Scitote *quòd*, &c. Potest esse Aposiopesis. Irascitur enim Pseudoprophetas imposuisse illis.

17. *Turpes* השערים] *Sordidas*; *fœdas*; *inquinatas.*

18. *Daboque*, &c. ונתתים וגו'] i. Dispergam eos per omnia Regna. Vide aliam expositionem Hebraismi hujus suprà 24. 9. ¶ *In maledictionem* לאלה] *In exsecrationem.*

19. *Quæ misi*, &c. אשר שלחתי וגו'] *Cùm misi ad eos servos*, &c. ¶ *Manè surgendo & mittendo* השכם ושלח] Hebraismus: i. quotidie sive assiduè & sine intermissione mittendo. Vide suprà 25. 4. & 26. 5. ¶ *Audistis* שמעתם] Secunda persona Heb. pro tertia; i. non obediverunt illis.

20. *Omnis transmigratio* כל הגולה] i. Universi captivi sive exsules.

21. *Ecce ego trado* הנני נתן] Præs. Heb. pro fut. *ego quidem tradam*: vel *traditurus sum.*

22. *Maledictio* קללה] i. Formula maledictionis. ¶ *Quos combussit* אשר קלם] Ad verb. *quos combussit eos.* Hebraismus, redundante altero relativo. Alii, *frixit*; tanquam in sartagine. Alii, *ustulavit.*

23. *Ego autem sum is qui* ואנוכי היודע וגו'] *Id quod ego scio, & testis sum.*

24. *Nehelamitem* הנחלמי] Quòd esset ex Nehelam, ut quibusdam placet. Chald. *ex Halem.* Doctus inter Hebræos *somniatorem* exponit, quòd somniasset reditum populi esse propinquum.

26. *Furiosum* משגע] *Arreptitium*; vel, *maniacum.* Ità dicebantur Prophetæ cùm acti essent Spiritu Sancto. ¶ *Et prophetantem* ומתנבא] *Et eum qui fingit se Prophetam*, i. qui præ se fert munus Propheticum. Id sign. verbum in conjug. Hithpahal. ¶ *In carcerem & in nervum* אל המהפכת ואל הצינק] Vide cap. 20. 2. *in cippum & truncum.* Prior vox sign. *instrumentum quo constringitur collum*; altera verò, *quo manus constringuntur*, ut ait doctus inter Hebræos.

27. *Prophetantem* המתנבא] Idem verbum quod v. 26. qui falsò sibi Prophetiam vendicat.

28. *Idcirco* על כן] Sub. *ut sibi Prophetiam vendicet.* ¶ *Longum est* ארוכה היא] *Longa*, vel *diuturna*, sub. *futura est captivitas ista.*

29. *Et legit* ויקרא] *Legerat autem.*

31. *Ad universam transmigrationem* על כל הגולה] *Ad universam captivitatem*, i. ad omnes captivos. ¶ *Et ego non misi eum* ואני לא שלחתיו] *Cùm ego non miserim eum.*

32. *Non erit ei vir* לא יהיה לו איש] *Neminem habiturus est qui habitet.* ¶ *Facio* עשה] Præs. Heb. pro fut. *facturus sum.* ¶ *Declinans* סרה] *Abhorrens*; *alienum*, sub. *à veritate.* Vide c. 28. 16. Alii, *aversionem.*

CASTALIO.

15. Q*UI dicitis Jovam vobis ad Babylonem suscitasse vates*] Nè fortè fidem habeatis Vatibus quos Babylone habetis, quasi Divinitus afflatis, cùm aliter dicant quàm futurum sit.

CLARIUS.

7. Q*Uærite pacem civitatis*] Quandò ità Deo visum est ut sub Tyrannis vivamus, orandum est pro eis.

11. *Ut dem vobis finem & spem*] h. e. Finem bonum, & id quod speratis.

15. *Suscitavit nobis Dominus Prophetas*] Qui scilicet spe vanâ reditùs seducebant populum.

DRUSIUS.

1. הַסֵּפֶר. τὸ βιβλίον. & mox, ἐπιστολῆς. & in Hier. *Hæc epistola, imò libellus.* Sicut duæ diversæ interpretationes, ut quidam putant. ¶ אֲשֶׁר הֶגְלָה נְבוּכַדְנֶאצַּר מִירוּשָׁלַםִ בָּבֶלָה. ὃν ἀπῴκισε Ναβουχοδονόσορ ἐξ Ἱερουσαλὴμ εἰς Βαβυλῶνα, *quem transduxerat Nabuchodonosor ex Jerusalem in Babylonem.*

6. וְתֵלַדְנָה בָּנִים וּבָנוֹת. καὶ τέξονται υἱοὺς καὶ θυγατέρας *parientque filios & filias.*

12. וַהֲלַכְתֶּם. Sym. *& invenietis.* Hier. & ibitis, *sive juxta Sym.* & invenietis. Videtur error esse, cui occasionem dederit sequens versus, in quo ומצאתם *& invenietis.*

13. כִּי תִדְרְשֻׁנִי. ὅταν ζητήσετέ με *quando quaeretis me.*

16. כֹּה אָמַר וגו׳. Οὕτω λέγει Κύριος πρὸς τὸν βασιλέα τὸν καθήμενον ἐπὶ θρόνου Δαυὶδ, καὶ πρὸς πάντα τὸν λαὸν τὸν κατοικοῦντα ἐν τῇ πόλει ταύτῃ, καὶ πρὸς τοὺς ἀδελφοὺς ὑμῶν οἳ οὐκ ἐξεπορεύθησαν μεθ᾽ ὑμῶν εἰς αἰχμαλωσίαν, *Sic dicit* DOMINUS *ad Regem sedentem super solium David, & ad omnem populum habitatorem urbis hujus, & ad fratres vestros qui non sunt egressi vobiscum in captivitatem.*

17. כֹּה אָמַר יְהוָה וגו׳. Οὕτω λέγει Κύριος τῶν δυνάμεων, ἰδοὺ ἐγὼ ἀποστελῶ εἰς αὐτοὺς μάχαιραν καὶ λιμὸν καὶ λοιμόν· καὶ θήσω αὐτοὺς ὡς σῦκα πονηρὰ, ἃ οὐκ ἐδεσθῆναι δύνανται ἀπὸ τῆς πονηρίας, *Sic dicit* DOMINUS *exercituum. Ecce ego mittam in eos gladium & famem & pestem: & ponam eos quasi ficus malas, quae comedi non possunt prae malitia*] Th. τὰ σῦκα Σουαρειμ *ficus Suarim.* Hier. Ficus malas *Th. interpretatus est* sudrinas, *secunda editio* (Aquilae, nisi fallor) pessimas, *Sym.* novissimas, *quae Ebraicè appellantur* SUARIM: *sed scriptorum vitio pro media syllaba sive litera* α *Graecum* δ *inolevit, ut pro* SUARIM *legatur* SUDRIM. † *Pessimas*, πονηρά.

18. וְרָדַפְתִּי אַחֲרֵיהֶם וגו׳. Καὶ διώξω αὐτοὺς ἐν μαχαίρᾳ καὶ λιμῷ καὶ λοιμῷ, καὶ δώσω αὐτοὺς εἰς κίνησιν ἐν πάσαις ταῖς βασιλείαις τῆς γῆς, καὶ εἰς κατάραν καὶ εἰς ἀπορίαν καὶ εἰς συριγμὸν καὶ εἰς ὀνειδισμὸν πᾶσι τοῖς ἔθνεσι πρὸς οὓς ἐγὼ ἐκβάλλω αὐτούς· *Et persequar eos gladio & fame & peste, & dabo eos in commotionem in omnibus Regnis terrae, & in maledictionem & in penuriam & in sibilum & in opprobrium cunctis gentibus ad quas ego ejicio eos.*

19. תַּחַת אֲשֶׁר וגו׳. Διότι οὐκ ἤκουσαν τὰ ῥήματά μου, λέγει Κύριος, ἃ ἀπέστειλα πρὸς αὐτοὺς διὰ τοὺς δούλους μου τοὺς προφήτας, ὀρθρίζων καὶ ἀποστέλλων, καὶ οὐκ ἠκούσατε, λέγει Κύριος, *Eò quòd non audierunt verba mea, dicit* DOMINUS, *quae misi ad eos per servos meos Prophetas, diluculo consurgens & mittens, & non audivistis me, dicit* DOMINUS.

20. וְאַתֶּם שִׁמְעוּ דְבַר וגו׳. Ὑμεῖς οὖν ἀκούσατε τὸν λόγον Κυρίου πᾶσα ἡ μετοικεσία ἣν ἀπέστειλα ἀπὸ Ἱερουσαλὴμ εἰς Βαβυλῶνα, *Vos ergò audite verba* DOMINI *omnis deportatio quam emisi de Jerusalem Babylonem.* Hier. *Hucusque in Lxx non habentur, quae asteriscis praenotavi. Caetera enim, in quibus vel singuli versus vel pauca ab eis praetermissa sunt verba, victus tadio annotare nolui, ne fastidium legentibus facerem.*

25. כֹּה אָמַר יְהוָה וגו׳. Τάδε λέγει Κύριος τῶν δυνάμεων, ὁ Θεὸς Ἰσραὴλ, λέγων, Ἀνθ᾽ ὧν σὺ ἀπέστειλας ἐν τῷ ὀνόματί μου τὰ βιβλία πρὸς πάντα τὸν λαόν μου τὸν ἐν Ἱερουσαλὴμ, καὶ πρὸς Σοφονίαν υἱὸν Μαασίου τὸν ἱερέα, καὶ πρὸς πάντας τοὺς ἱερεῖς, λέγων, *Hac dicit* DOMINUS *exercituum, Deus Israel, dicens, Pro eo quòd tu misisti in nomine meo libellos ad omnem populum meum qui Jerosolymae, & ad Sophoniam filium Maasiae Sacerdotem, & ad omnes Sacerdotes, dicens*] Hier. *In Lxx non habetur.*

26. אֶל־הַמַּהְפֶּכֶת וְאֶל־הַצִּינֹק. Theodoretus habet εἰς τὸ ἀπόκλεισμα Σινὼχ, καὶ εἰς τὸ καταρράκτην. Additque Syrum pro SINOC dixisse εἱρκτὴν *carcerem*] Hieronymus vero ait Symmachum posuisse μοχλὸν *vectem*, Aquilam verò ipsum verbum Ebraicum SINOC. Idem in versione sua habet, *in nervum & in carcerem, sive in custodiam & in cataractem* † Σινὼχ. Elegerim Σινωκ.

GROTIUS.

1. HAEc *sunt verba libri*] Hic tenor est Epistolae quam misit Jeremias per Elasam & Gamariam, ut sequitur infrà.

De Jerusalem] Ex Hierosolymis misit.

Ad reliquias Seniorum transmigrationis] Ad illos qui inter exsules superstites erant de Magno Synedrio.

2. *Et domina*] Nohesta mater Jechoniae, II Regum XXIV. 15.

3. *Quos misit Sedecias Rex Juda ad Nabuchodonosor*] Ex morte Hananiae majorem jam fidem habens verbis Jeremiae, idcòque Nabuchodonosorum sibi studens conciliare, sed frustra.

5. *AEdificate domos, & habitate*] Omnia agite tanquam diu mansuri in exsilio.

6. *Et multiplicamini ibi, & nolite pauci esse numero*] Melius: *Ut multiplicemini, & non diminuamini.* Sic enim in Hebraeo.

7. *Orate pro ea ad Dominum: quia in pace illius erit pax vobis*] Tuti eritis sub illius regni praesidio.

8. *Prophetae vestri qui sunt in medio vestri, & divini vestri*] Quales non paucos fuisse etiam in exsilio ostendit Ezechiel XIII. 3. 6.

10. *Septuaginta anni*] Suprà XXV. 12. Implementum vide II Chron. XXXVI. 21. Daniel. IX. 2. Egregium Divinae providentiae argumentum.

Suscitabo super vos verbum meum bonum] Praestabo promissa, modò vos ex vestra parte impleatis conditionem.

11. *Ut dem vobis finem & patientiam*] In Hebraeo, *finem & spem*: id est, finem qualem speratis, ἓν διὰ δυοῖν [*Unum per duo*].

12. *Invocabitis me*] Id est, *invocate, ite, orate, quaerite.*

13. *Cùm quaesieritis me in toto corde vestro*] Animo sincero.

15. *Quia dixistis, suscitavit nobis Dominus Prophetas in Babylone*] Transpositio. Sensus est, *Postquam dixeritis in Babylone, Deus nobis suscitaverat* (jam olim scilicet) *Prophetas*: veraces nempe, qui haec omnia praedixerunt quae nobis evenêre. Confer Daniel. IX. 6. 12.

16. *Super solium David*] Id est, de Sedecia.

17. *Gladium, & famem, & pestem*] Suprà XV. 2.

Quasi ficus malas] Ut suprà XXIV. 8.

18. *Et in stuporem, & in sibilum*] Suprà XVIII. 16. XIX. 8. XXV. 18.

19. *De nocte consurgens*] Suprà XXV. 3.

21. *Percutiet eos*] Interficiet igne, ut sequitur.

22. *Quos frixit Rex Babylonis in igne*] קלה est *torrere* ut hìc habet Chaldaeus. In caminum conjectio poena apud Chaldaeos, Daniel. III. 6. Adde Amos II. 1.

23. *Pro eo quod fecerint stultitiam in Israel*] *Flagitium, rem foedam*, ut hìc Chaldaeus. Graeci generis nomine, ἀνομίαν [*injustitiam.*]

Et maechati sunt in uxores amicorum suorum] Judaei hos eosdem illos esse volunt qui Susannae pudori insidiati sunt. Historiam enim illam veram existimant, non autem omnia quae in Graeco habemus. & credibilius punitos à Rege, quàm à populo exsulante. Si quis fabulis delectatur, videat quae de Regis Babylonii filia ab Achabo isto, & Sedecia ad stuprum sollicitata narrat Gemara ad titulum de Synedrio, capite כל ישראל [*Omnis Israel.*]

Ego sum judex & testis] In Hebraeo, *Ego novi, & testificor.*

24. *Et ad Semejam Nehelamiten dices*] Separandum hoc à superioribus. Hoc enim mandatum Jeremias accepit postquam Legati redierant.

25. *Pro eo quòd misisti in nomine tuo libros*] Id est, epistolas ad Sophoniam & alios. *In nomine tuo*: id est, meo injussu. Sic ἐν τῷ ὀνόματι τῷ ἰδίῳ [*in nomine proprio*] sumitur Johann. V. 43.

Ad Sophoniam] Qui erat כהן, id est, secundus à summo Pontifice, ejúsque vicarius, II Reg. XXV. 18.

26. *Dominus dedit te Sacerdotem pro Jojada Sacerdote*] Id est, Jojadae zelum imitari debes: de quo II Reg. XI. 18. II Paralip. XXIII. 17.

Ut sis dux in domo Domini] Ut caeteris Sacerdotibus praeeas, jubeásque per στρατηγὸν τοῦ ἱεροῦ [*Praetorem Templi*] capi pseudoprophetas, qualis est Jeremias.

Virum arreptitium] Qui non à Dei Spiritu, sed daemonibus incitatur. Vide II Reg. IX. 11.

In nervum & in carcerem] Prior vox eadem quae suprà XX. 2. Altera צינק est, ut plerique Hebraeorum censent, *manica ferrea.* صنك Arabibus *arctum esse* significat. Sunt qui etymo ducti significari putant supplicium illud scapharum cujus in Artaxerxe Plutarchus meminit. Verùm id supplicium Hebraeis incognitum fuit, & Sacerdotes in Templo prehendendi non puniendi jus habebant.

29. *Legit ergò Sophonias Sacerdos librum istum in auribus Jeremiae Prophetae*] Nolens prehendere inauditum.

32. *Non erit ei vir sedens in medio populi hujus*] Id est, habitans.

Et non videbit bonum quod ego faciam populo meo] Reditum in patriam.

Quia praevaricationem locutus est adversùs Dominum] Impediit conversionem populi.

CAP. XXX.

MUNSTERUS.

5. VOcem horroris] Tam Hebraei quàm Christiani referunt haec verba ad tempus Christi. Et quidem Judaei intelligunt ea de bello Gog & Magog; Christiani autem de persecutione quam Christus & populus Dei passi sunt à filiis hujus mundi, sicut Christus dixit, *Non veni pacem mittere in terram, sed gladium. Si me persecuti sunt, & vos persequentur.*

7. *Ab ea salvabitur*] Alludit ad id, *Sed confidite, quia ego vici mundum.* Porrò ירקון est color qui in facie relinquitur post sanguinis recessum.

9. *David Regi suo*] Pro quo Jonathan sic vertit, *Et obedient Meschia filio David Regi suo.*

11. *Etiam*

11. *Etiam si innocentem & innoxium*, &c.] Chald. ושיצאה *& delendo non delebo te.* Cui subscribens Kimhi exponit נקה pro כרת *eliminavit*, ut scilicet sit expositio prioris sententiæ, quando dicitur. *Te non faciam in consummationem.* Nos ad sequentia respeximus; & est sensus, *Non exactè & ad purum excoquam te, ut nihil ultrà sordium in te sit: nemo enim id ferre posset sine suo interitu.*

12. *Periculosa est contritio tua*] Jon. *Dura est confractio tua:* non *insanabilis*, ut Vulgata habet editio: etiam si אנוש capiatur pro *eo de quo exigua habetur spes, quódque desperationi proximum est:* id quod ex passivo נחלה advertitur. Quod enim ægrum est convalescere potest, non autem quod mortuum. Sed Deus Medicus animarum potest & ægros curare atque mortuos suscitare.

16. *Qui te comedunt devorabuntur*] Ego quidem utor illis loco flagelli, quod tu commerita es; sed quia illi ducuntur pravo affectu, & non quærunt ultionem meam, non erit hoc illis impune.

23. *Quasi tempestas Domini*] Suprà cap. 23. eadem scribitur sententia, variatis tamen quibusdam vocibus.

VATABLUS.

1. D*Icendo* לאמר] *Dicente.*

5. *Vocem terroris*, &c. קול חרדה שמענו פחד ואין שלום] Sub. *Gentes dicturæ sunt, Vocem horroris audivimus*, vocem, inquam, *timoris*, *& in qua nulla est pax:* vel, *& non* vocem *pacis.*

6. *In pallorem* לירקון] q. d. *Viri non solent parere: cur igitur sunt habitu mulierum parturientium, ut usqueadeo timeant, mutatæque sint præ timore facies eorum in pallorem?*

7. *Væ* הוי] *Heu.* Dolentis.

8. *Conteram* אשבור] *Frangam: Confringam.* ¶ *Et non redigent*, &c. ולא יעבדו בו] Tertia persona pro secunda, *te:* q. d. *non tenebunt te in servitute:* sive *non utentur operâ tuâ tanquam servi, nec dominabuntur tibi externi tanquam servo.* Idem verbum quod suprà 25. 14.

9. *Et David Regi suo* ואת דוד מלכם] Chald. *Et obedient Messiæ filio David Regi suo.*

10. *Paveas* תחת] *Formides: frangaris metu*, aut *formidine.* ¶ *A* loco *longinquo* מרחוק] *A remoto:* i. reducendo te è regione longinqua, qui priùs eras procul à me. Vide eadem infrà 46. 27. ¶ *Et pacatus erit* ושאנן] *Et erit in tranquillitate:* aut *otio*, vel *securitate.*

11. *Faciam autem consummationem* כי אעשה כלה] *Consummationem facere* more Hebraico dicitur pro *totum perdere*, *exscindere funditus*, *& in universum tollere:* q. d. *Perdam gentes inter quas dispersus fueris; at te non perdam ut illas.* ¶ *In judicio* למשפט] i. Modo adhibito quem in castigando servare soleo. Sive *in judicio*, i. pro more meo, nempe moderatè. *In judicio punire* est, Non summo jure agere & exactâ justitiâ, sed modo quodam & æquitate, non furore. Chald. *judicio remisso*, i. indulgenter. Hebraismus. ¶ *Nec succidendo succidam te* ונקה לא אנקך] i. Non tollam te prorsus de medio. Alii, *Veruntamen neutiquam te ad purum putum excoquam:* vel, *mundando non mundabo te:* i. Non exactè excoquam te, ut nihil ultrà in te sit sordium: nam si hoc tentem, ferre haudquaquam posses, & simul pessum ires.

12. *Desperata* אנוש] *Deplorata. Doloris plena.*

13. *Judicium tuum*, &c. דינך וגו׳] *Causam tuam ad medelam inveniendam: medicina & curatio non est tibi.* Alii, *causam tuam* adhibendo *emplastrum*, *medicamen*, &c. i. nullus inveniri potest medicus qui sciat quo medicamento, emplastro sive cataplasmate, sanari possis: q. d. *Hac plaga videtur incurabilis.* מזור dicitur ab *exprimendo*, quòd adhiberi soleat expressione saniei factâ; תעלה ab *imponendo.*

14. *Amatores tui* מאהביך] *Amici tui:* qui scilicet priùs præ se ferebant te amare. ¶ *Quærent* ידרשו] Quidam per præsens vertunt, *te non requirunt*, i. non invisunt, nec quærunt quomodo valeas. ¶ *Crudelis* אכזרי] Sub. *hominis:* quam infligere solent hostes & homines crudeles. ¶ *Propter multitudinem iniquitatis tuæ* על רב עונך] *Propterea quòd multiplicata est iniquitas tua.*

15. *Contritione tuâ?* שברך] *Conquassatione tuâ?* Alii, *ob afflictionem tuam?* q. d. *Non est quòd conqueraris: nam justè affligeris.* ¶ *Desperatus* אנוש] *Doloris plenus:* i. pars illa quæ tibi dolet est plena doloris, ut v. 12.

16. *Diripientes*, &c. שאסיך למשסה] *Conculcatores tui in conculcationem.*

17. *Adducam*, &c. כי אעלה וגו׳] *Admovebo enim medicinam tibi;* vel *medicamentum.* ¶ *Ejectam vocaverunt te* נדחה קראו לך] *Expulsam vocant te*, sub. *dicentes*, *Sion*, &c. Præt. Heb. pro præs. *Expulsam*, ut ejicitur uxor à marito suo.

18. *Super cumulum suum* על תלה] *In colle suo.* ¶ *Secundum consuetudinem suam manebit* על משפטו ישב] Ad verb. *secundum jus suum sedebit:* i. ut decet illud, instauratum subsistet, h. e. in dignitate in qua priùs erat. Quidam vertunt, *in loco suo residebit.* Alii, *& templum stabit more suo.*

19. *Multiplicabo*, &c. והכבדתים וגו׳] *Honorabóque eos*, *nec fient pauciores:* vel, *& non attenuabuntur.*

20. *Filii ejus* בניו] Sub. *Jacob*, i. Ecclesiæ universalis. ¶ *Firmabitur* תכון] *Stabilietur;* vel *dirigetur:* i. confirmabo fideles ipsos: sive, advero & favebo illis.

21. *Fortis ejus* אדירו] *Clarus ejus: inclytus:* vel *admirabilis:* q. d. *Rex Christus nascetur ex genere Israel secundum carnem.* ¶ Qui *illexit* ערב] i. Quasi blanditiis & illecebris pellexit: q. d. *Quis ille qui tanto studio adhæserit*, vel *qui adeò studuerit placere mihi, ut ille?* sub. *Christus.* Sunt enim verba Dei Patris, ut quidam volunt. Alii vertunt *direxit cor suum.* Alii, *despondit cor suum ne accedat ad me?*

23. *Turbo imminens* סער מתגורר] *Procella impendens.* ¶ *Manebit* יחול] *Residebit: quiescet.*

24. *Non revertetur ira furoris* לא ישוב חרון אף] *Non convertetur furor iræ:* i. non sedabitur, aut conquiescet. *Iram furoris* vel *furorem iræ* dixit more Hebraico pro *ira vehementi.* ¶ *Statuerit* הקימו] *Adimpleverit: exsecutus fuerit.* ¶ *In novissimo dierum* באחרית הימים] *Novissimum dierum* vocat finem seculi.

CASTALIO.

6. N*UM pariat mas? Cur video viros omnes admotis ad latera manibus more parturientis, omnésque vultus in pallorem versos?*] Cùm viri parere non soleant, quî fit ut parturientium more doleant?

21. *Quis est qui mentem suam ad me accedendum libenter applicet?*] Nemo nisi alliciente me.

CLARIUS.

1. H*OC verbum quod factum est*] Spiritus S. in Scripturis solet post promissionem temporalium & carnalium evehere mentes Prophetarum per promissiones spirituales & æternas, quæ in Christo adimplentur. Quare nunc transit ad veram liberationem.

5. *Vocem terroris*] Tam Hebræi quàm Christiani referunt hæc verba ad tempus Christi. Et quidem Judæi intelligunt ea de bello Gog & Magog: Christiani autem de persecutione quam Christus & populus Dei passi sunt à filiis hujus mundi; sicut Christus dixit, *Non veni pacem mittere in terram, sed gladium. Si me persecuti sunt, & vos persequentur.*

7. *Et ex ipso salvabitur*] h. e. Ex ipsa tribulatione. Alludit enim ad id quod ait Dominus, *Sed confidite; quia ego vici mundum.*

8. *Conteram jugum ejus*] Diaboli scilicet.

9. *David Regi suo*] Pro quo Jonathas sic vertit, *Et obedient Messiæ filio David Regi suo.*

11. *Non quantum peccata*] In hunc sensum Chaldæus interpres vertit: sic enim ait, *Delendo non delebo te:* ut sit expositio prioris sententiæ, *te non faciam in consummationem.* Alius vertit, *Etiam si innocentem & noxium te non facturus sim.*

12. *Insanabilis fractura tua*] Humanâ scilicet ope.

16. *Qui te comedunt devorabuntur*] Ego quidem utor illis loco flagelli, quod tu commerita es: sed quia illi ducuntur pravo affectu, & non quærunt ultionem meam, non erit hoc illis impunè.

17. *Non habet requirentem*] h. e. Cui curæ sit.

21. *Et applicabo eum, & accedet ad me*] Salvator apud Joannem ait, *Nemo potest venire ad me nisi Pater meus traxerit illum.*

23. *Ecce turbo Domini*] Salutem justorum & reproborum excidium juxtà tractat.

DRUSIUS.

6. כַּיּוֹלֵדָה. ὡς τικτούσης *ut parientis.*

10. וְאַתָּה אַל וגו׳. Th. Σὺ ἢ μὴ φοβοῦ, δοῦλέ μου Ἰακώβ. λέγει Κύριος. οὐδὲ μὴ πτοηθῇς, Ἰσραήλ· ὅτι ἰδοὺ ἐγὼ σώσω σε ἐκ γῆς μακρόθεν, καὶ τὸ σπέρμα σου ἐκ γῆς τῆς αἰχμαλωσίας αὐτῶν. καὶ ἀποστραφήσεται Ἰακώβ, καὶ ἀναπαύσει, καὶ περισσεύσει πᾶσι τοῖς ἀγαθοῖς, καὶ οὐκ ἔσται ὁ φοβούμενος, *Tu autem nè time; serve mi Jacob, ait* DOMINUS, *& nè consterneris, Israel: quia ecce ego servabo te de terra longinqua, & semen tuum de terra captivitatis eorum: & revertetur Jacob, & quiescet, & cunctis affluet bonis; & non erit quem timeat.*

11. כִּי־אִתְּךָ אֲנִי וגו׳. Ὅτι μετὰ σοῦ εἰμι, λέγει Κύριος, τοῦ σώζειν σε. ποιήσω γὰρ συντέλειαν ἐν πᾶσι τοῖς ἔθνεσιν ἐν οἷς διέσπειρά σε, σὲ δὲ οὐ μὴ ποιήσω εἰς συντέλειαν, ἀλλὰ παιδεύσω σε ἐν κρίσει, καὶ καθαρίζων οὐ καθαριῶ σε, *Quia tecum sum, ait DOMINUS, ut salvem te. Faciam enim consummationem in cunctis gentibus in quibus dispersi te, te autem non faciam in consummationem, sed castigabo te in judicio, & mundans non mundabo te*] Hier. *Hæc pericope* (περικοπὴ) *in Lxx non habetur, & in plerisque cod. vulgatæ editionis sub asteriscis de Theodotione addita est.* Quibus deinde postea hæc subnectit, *Quod autem intulit*, ut non tibi videaris innoxius, *sive juxta Sym.* & mundans non mundabo te, *vel juxta Aq.* cùm te erudiero per judicium, nequaquam innocentem faciam, *illud significat, quòd omnis mundus indigeat misericordiâ Dei*, &c. Apud Theodoretum est ἀθῷων οὐκ ἀθῳώσω. Vide Rom. ed.

15. מַה־תִּזְעַק עַל־שִׁבְרֵךְ אָנוּשׁ מַכְאֹבֵךְ עַל רֹב עֲוֺנֵךְ. Τί βοᾷς ἐπὶ συντρίμματί σου; ἀνίατος ὁ πόνος σου διὰ τοῦ πλήθους τῆς ἀδικίας σου, *Quid clamas super contritione tua? insanabilis est dolor tuus propter multitudinem iniquitatis tuæ*] Hier. *Quódque sequitur*, Quid clamas, *&c. in Lxx non habetur. Videlicet quia secundò dicitur* propter multitudinem iniquitatis tuæ, & dura peccata tua, *qui scribebant à principio additum putaverunt.* Adde, si placet, עָצְמוּ חַטֹּאתַיִךְ עָשִׂיתִי אֵלֶּה לָךְ ¶. καὶ διὰ τῶν ἁμαρτιῶν σου τῶν σκληρῶν ἐποίησά σοι ταῦτα, *& propter dura peccata tua feci hæc tibi.*

20. עֲדָתוֹ. Syrus *synagoga ejus*] Vel certè *synagoga* in numero multitudinis. Theodoretus, τὰ μαρτύρια *Syrus interpretatus est* synagogas. Vide in Psal. 1.

GROTIUS.

2. SCribe tibi omnia verba quæ locutus sum ad te] Quæ jam ad te loquor. Intelligit verba quæ jam sequuntur.

In libro] In membrana quæ diu duret; ut hæc tuâ manu scripta legi possint tunc cum implebuntur, in signum meæ veracitatis.

3. *Convertam conversionem*] In Hebræo, *Convertam transmigrationem:* id est, eos qui transmigrarunt. Ità & Chaldæus hìc & Græci. Simile loquendi genus habuimus suprà XXIX. 1. Est autem allusio vicinarum vocum, quarum prior est à שׁוב [*convertere*], altera à שׁבה [*captivum duxit*].

Populi mei Israel & Juda] Nam cum Judæ & Benjaminis posteris nonnulli etiam rediêre ex aliis tribubus, maximè ex Levitica. Vide Lucæ II. 36.

5. *Vocem terroris audivimus: formido & non est pax*] Diu durabunt mala.

6. *Interrogate & videte, si generat masculus*] Verte: *an pariat mas.* Interrogate sapientes, quærite in libris, an id fieri possit. Reperietis non posse.

Quare ergò vidi omnis viri manum super lumbum suum quasi parturientis?] Nam solent feminæ parturientes lumbis manus apponere ad reprimendum dolorem.

Et conversæ sunt universæ facies in auruginem] Luteo colore suffusæ sunt, ut ictericis accidere solet. Id fit diffusâ bile.

7. *Magna dies illa*] Tempus totum exsilii.

Et ex ipso salvabitur] *Sed ex ipso salvabitur.* Nam post descriptionem malorum hìc incipit consolatio.

9. *Servient Domino Deo suo, & David Regi suo*] Id est, Zorobabeli, de quo & suprà XXIII. 5. Is David vocatur, & hìc & Ezech. XXXIV. 23. & XXXVII. 24. nimirum sicut à Ptolemæo orti *Ptolemæi*, à Cæsare *Cæsares.*

10. *Et cunctis affluet bonis, & non erit quem formidet*] Suprà XXIII. 6.

11. *Faciam enim consummationem in cunctis gentibus*] Id est, semel eas ità puniam ut nihil ultrà puniendum restet.

Castigabo te in judicio] Moderatè. Idem loquendi genus supra X. 24.

Ut non videaris tibi innoxius] Græci, καθαρίζων οὐ καθαριῶ σε [*purgans non purgabo te*] Id est, *non omnino te relinquam impunitum:* nam καθαρίζειν sæpe Græcis *à pœna liberare.* At Chaldæus, *perdendo non perdam te.* נקה Hebræum & *purgare* & *succidere* significat.

12. *Insanabilis fractura tua*] Ad populum tanquam ad feminam loquitur: quod affixa demonstrant. Sic & suprà XXII. 21. Hoc dicit, *Vulnus tuum desperatum videbitur:* nempe cùm per tot annos servies.

Pessima plaga tua] In Hebræo, *Doloris plena.*

13. *Non est qui judicet judicium tuum ad alligandum*] Nemo erit qui de causis tui vulneris rectè judicet, ac manum ei curando admoveat.

Curationum utilitas non est tibi] Meliùs sic exprimas: *Nulla tibi erunt remedia ad sanationem.*

14. *Omnes amatores tui obliti sunt tui*] Persistit in similitudine feminæ. *Amatores*, id est, federati illi quorum mentio capite XXVII.

Plagâ enim inimici percussi te] Id est, graviter, ut sequitur.

Propter multitudinem iniquitatis tuæ dura facta sunt peccata tua] Id est, pœnæ: quo sensu sæpe sumitur Hebræum חטאת [*peccatum*].

15. *Quid clamas super contritione tua, insanabilis est dolor tuus*] Meliùs: *desperato* (nempe humanitus) *morbo tuo:* ut sit expositio prioris κατὰ πρόσθεσιν [*per appositionem*].

16. *Propterea omnes qui comedent te devorabuntur*] Rectiùs: *Veruntamen omnes*, &c. Tunc apparebit non odio, sed jure me adductum ut ista facerem.

Cunctósque prædatores tuos dabo in prædam] Vide Esaiæ XXXIII. 1.

17. *Obducam enim cicatricem tibi*] *Obducam autem tibi cicatricem:* id est, vulnus tuum sanabo, ut sequitur. ארוכה bene vertit *cicatricem.* Est eo sensu sæpe apud Rabbinos ארוכה, & in Chaldæo Paraphraste Psalm. CXLVII. 3. Per Metaphoram sic etiam dicitur *sarcitura murorum.*

Quia ejectam vocarunt te, Sion, hæc est quæ non habeat requirentem] Meliùs: *quanquam* (alienigenæ) *abjectam te dixerunt*, addentes, *Sion est* urbs *cujus nemo curam gerit.*

18. *Convertam conversionem*] Meliùs: *transmigrationem*, ut suprà 3.

Et ædificabitur civitas in excelso suo] In montanis suis locis. Hæc Zorobabelis tempore impleta rectè notat Hieronymus: neque minùs rectè mysterium hoc ad Ecclesiam refert.

Et Templum juxta ordinem suum fundabitur] In Hebræo est ארמון, id est, *palatium*, quod intelligi potest de domo Principis. Sed Chaldæus & Græci *Templum* intellexerunt.

19. *Vóxque ludentium*] Id est, canentium: quomódo hic verterunt Græci & Chaldæus. Sic & Latini;

Ludere quæ vellem calamo permisit agresti.

20. *Et erunt filii ejus sicut à principio*] Id est, *ut olim.* Lxx, ὡς τὸ πρότερον [*ut ante*].

Coram me permanebit] In Hebræo, *firmabitur.*

Et visitabo adversum omnes eos qui tribulant eum] Babylonii, Idumæi, Ammonitæ punientur.

21. *Et erit dux ejus ex eo, & Princeps de medio ejus producetur*] Ad Zorobabelem redit oratio. Habebunt Principem non externum, sed suæ gentis.

Et applicabo eum] Habebo eum amicissimum.

Et accedet ad me. Quis enim est qui applicet cor suum ut appropinquet mihi? ait Dominus] Rectiùs vertas: *Et ad me aditum habebit quisquis volet, quisquis edulcavit cor suum ut ad me accedat, ait Dominus.* מי sæpe ponitur pro *quisquis:* & ערב per ἡδύνειν [*edulcare*] vertunt Græci multis in locis.

23. *In capite impiorum*] Illorum, de quibus suprà 20.

24. *In novissimo dierum intelligetis ea*] *Tandem:* nempe ubi eventus aderit. Repetitum ex eo quod suprà XXIII. 20.

CAP. XXXI.

MUNSTERUS.

3. E *Longinquo*] h. e. Ante multa tempora apparuit Dominus majoribus nostris, sed quid mihi hoc prodest cùm ego deserar ab eo? Respondet Dominus, *Dilectione perpetuâ dilexi te*, &c. Bono igitur sis animo: quando enim putas te derelictum à me, tunc ego propè adsum.

5. *Profanabunt*] *Profanare arborem* vel *vitem* est idem quod *licitè de ea comedere.* Nam Lev. 19. habetur quòd *fructus tertii anni à plantatione erant abjiciendi veluti immundi; fructus autem quarti anni erant Domino consecrati: Et quinto anno profana fiebat arbor, & poterat plantator ejus de ea comedere.* Opponitur hic *profanum sancto.*

15. *Vox in excelso audita est*] Abiit, inquit, populus in captivitatem cum magno mœrore, ut & Rahel, mater Binjamin & avia Ephrajim atque Manasse, i. populus ipse Israeliticus, amarè fleverit. Accipitur enim hìc congregatio Israel per *Rahel.* Quod autem Euangelista hunc citat locum, id facit quòd sub Herode non minor tyrannis & ejulatus fuerit in Bethlehem quàm cùm populus abduceretur in captivitatem. ¶ *Quia non sunt*] Heb. *quia non est*; vel *nullus est.*

16. *Est merces operi tuo*] *Opus* vocat patientiam in tribulatione; captivitate & exsilio; ut etiam illis spes esset redeundi in terram.

18. *Vitulus non instructus*] i. Vitulus indomitus. Comparatur

ratur autem Israel *vitulo indomito* quòd nullis legibus coerceri potuit, quin jugum Legis à se abjiceret, donec tandem stimulis & flagellis humilior factus fuit.

21. *Constitue tibi signa*] Consolatur Dominus per hæc verba abeuntes in captivitatem, ut passim in itinere statuas, titulos & lapidum acervos erigant: futurum enim esse ut brevi redituri sint per eandem viam. Est autem hîc ציון idem quod אבן כנכת; & תמרורים accipitur pro ציונים הגבוהים. Alii exponunt *palmulas*.

22. *Femina circumdabit virum*] Sic nostri communiter hunc legunt locum, videlicet quòd Virgo Maria Christum perfectum sapientiâ circumdederit utero suo. Quod cùm Judæos non fugiat, acerbiùs hic invehuntur contra Christianos. Nam scribit triumphator eorum in hæc verba, לא תמצא בכל הנביאים שיהא הנביא מתנבא על ישו בן הריא כי אפילו במקום שאתם אומרים פסוק על ישו רמז כי הוא דכתוב בירמיה והיה אדירו כמנו ומושלו מקרבו יצא ואמ׳ נקבה תסובב גבר לא נאמר בו: Vocat autem nebulo ille perpetuo gloriosam Christi matrem הריא detestabili nomine, quod *sterquilinium* significat; sicut ipsemet super Jirmeiam scribit, כרה צריך היה לו לרוח ליכנס בהריא במקום טינוף. Quod propterea scribo quòd vox HARIA mihi aliquamdiu ignota fuit, nec potui explorare à verpis cur Christi matrem sic appellarent. Proinde Hebræi hunc locum sic legendum contendunt, *femina reducet virum*, & hoc est *novum in terra*, ut mulier quæ passim aliis viris se prostituit, veteris mariti cupida, illum iterum sui amantem obtineat. Meretrix autem illa fuit populus Israeliticus, & Deus maritus. Attraxit illam Deus novo miraculo ut inquieta ambiret amicitiam ejus.

29. *Patres comederunt uvam immaturatam*] Proverbium erat, ut cùm filius pro patre puniretur, dicerent, *Patres nostri comederunt uvam acerbam*, &c. q. d. *Patres peccaverunt, & nos luimus pœnam.* Quo argumento uti possumus contra Judæos, qui asserunt se hodie puniri propter peccata patrum. Cùm tamen Dominus dicat, *In diebus illis non dicent ampliùs*, &c. Est autem בוסר *fructus* שלא נגמר בשולו: & קהה propriè significat חלש *enervari*.

31. *Fedus novum*] Iniit Dominus olim cum Judæis fedus carnale & imperfectum, transitoriis rebus alligatum, duraturum ad certum tempus, & quod Judæi sæpe irritum fecerunt, eò quòd Lex non esset impressa affectibus eorum, sicut lex Euangelica, quæ scripta est in cordibus hominum piorum. *Fedus* autem *Novum* confirmatum est sanguine Christi: quod violari non potest, quia est æternum, & scriptum non in tabulis lapideis sed in cordibus & affectibus hominum. Porrò leges quæ in hac confederatione sunt constitutæ inter Deum & Hominem, sunt, quòd *Deus vult esse Deus noster, salvator, liberator, defensor, & omnium bonorum suppeditator.* Nostræ autem leges sunt, ut *audiamus Deum, confidamus in verbo suo, credamus Christum esse justitiam & salutem nostram*, &c. Confederatio enim non fit sine legibus vel conditionibus utrinque servandis. Est, inquam, hoc fedus quod Christus pepigit nobiscum *novum*, non ut nuper allatum, cùm etiam Patres V. Testamenti per fidem venturi Christi remissionem obtinuerint peccatorum, & quodammodo in Novo fuerunt Testamento, sed quòd novâ ratione per Christum fuit institutum, & sanguine ejus sancitum, atque discussis Legis umbris explicatum, quod apud Patres latenter viguit. Atque hîc mirum in modum sese torquent Judæi quò Legem suam Mosaicam tueantur atque invariabilem esse demonstrent. Quidam enim ajunt *fedus* istud *novum* esse *Legis renovationem*, quæ à Judæis toties fuit violata. Alii dicunt *fedus novum* esse קיימת *confirmationem Legis*; quòd scilicet tempore Messiæ nemo aut paucissimi sint prævaricaturi Legem, eò quòd Dominus impressurus sit illam in corda hominum. Autor quoque Nizahon arguit hîc contra Christianos, magis ex insania quàm ratione contra eos invectus, sic dicens, כאן פוקרים המינים ואומ׳ על ישו נתנבאת שכשנולד נתן להן תורה חדש׳ ישמך שבילתם תחת ברית מילה רום ראשון תחת השבת׳ השוכרה לפי דבריהם הנה מכבי׳ את תורתם שכן כתיב בספר טעותם לא באתי לבטל דברי הנביא׳ ותורה אלא להשלימם ויחלפו שמים וארץ ולא יחסר דבר מדברי משה הנבטל דבר אחד מדברי משה חסר נקרא בכלות שמים ולדבריהם הרי הוא חסר תורת משה כשבטל המילה ושמירת שבת ודברים מצוות: Hæc est impiorum consuetudo, ut quem ratione superare non possunt, conentur obruere calumniis & maledictis.

34. *Non docebit ultrà*] Tempori Novi T. charitas & unctio docent, capacésque faciunt Divinorum mysteriorum. Et frustrà docent Doctores extrinseci nisi Spiritus ab intrà doceat. Innuitur etiam per id quod subjungitur, *Cognoscite Dominum*, Prophetam respexisse ad exteriorem idololatriam, à qua homines sub Christo non fuerunt arcendi sicut tempore Legis.

34. *Leges Lunæ*] Intelliguntur per has *leges* מחלכים *varii motus orbium Lunarium atque Planetarum.*

40. *Veluti sanctum*] Hæc loca, inquit, erunt *sancta Domino*, & includentur intra mœnia Civitatis. Vel; populus erit *sanctus Domino, & nunquam evelletur*, cùm Regnum Christi sit æternum. Id enim agunt Prophetæ, ut cùm Babylonicam describunt liberationem, ubique assurgant in illam æternam Redemptionem quam erat Christus in fine dierum præstaturus.

VATABLUS.

1. ERO *in Deum* אהיה לאלהים] Hebraismus est, sicut *Erit mihi in populum*, pro *Ero illis Deus*, & *Erit mihi populus.*

2. *Invenit gratiam* מצא חן] Sub. *apud me populus: cur ergò non erit nunc mihi charus?* ¶ *Evasores gladii* שרידי חרב] *Qui reliqui facti sunt à gladio*, sub. *Ægyptiorum*: i. quos eripui de manibus Ægyptiorum. Quidam, *superstites gladii.* ¶ *Ambulavit* הלוך] Infinit. Heb. pro præterito, *eundo*, pro *ivit*, vel *ambulavit.* Deus præcedebat Israelem interdiu per nubem, & noctu per columnam ignis, donec perduceret eum ad locum quietis. ¶ *Israelem* ישראל] Istud additum ut exprimeretur quid significaret pronomen ו in להרגיעו.

3. *A longinquo* מרחוק] *Jam olim.* Dialogus est Synagogæ sive Ecclesiæ afflictæ & Domini Dei: acsi dicat Synagoga, *Vera dicit Dominus: jam olim adfuit ac favit mihi: verum nunc sum derelicta.* Respondet Dominus, *Charitate sempiterna*, &c. q. d. *Non prorsus dereliqui te.* ¶ *Perpetuâ* עולם] *Sempiternâ.* ¶ *Attraxi te misericordiâ* משכתיך חסד] *Protraxi tibi misericordiam*: i. usus sum erga te magnâ misericordiâ, nè perderem te.

5. *Plantantes* נטעים] *Plantatores.* ¶ *Et profanabunt* וחללו] Sub. *anno quinto.* Fructus tribus prioribus annis à plantatione arborum immundi erant, nec eis vesci licebat: quarto anno consecrabantur Domino: quinto verò anno *profanabantur*, i. communes fiebant, sive illis vesci licebat. Lev. 19. 23.

6. *Erit* יש] Præs. Heb. pro fut. *futurus est.*

7. *In Jaacob cum lætitia* ליעקב שמחה] Quidam ordinem dictionum scribunt esse inversum, & legunt, *Dixit Jehovah ipsi Jaacob.* Aut ל pro ב positum, *Jubilate in lætitia in Jaacob*, i. edite vocem testem lætitiæ. ¶ *Et exsultate in capite* וצהלו בראש] *Et jubilate in capite.* Alii, *& hinnite in capite*, &c. i. erumpite in vocem præ gaudio, in præcipua turba Gentium: h. e. ubi Gentes præcipuæ conveniunt, ad quas etiam pertinet salus. ¶ *Auditum facite* השמיעו] *Annunciate*; vel potiùs, *clarâ & altâ voce dicite.* ¶ *Residuum* שארית] *Reliquias.*

8. *Reducam* מביא] Præs. Heb. pro fut. ¶ *De lateribus* מירכתי] i. De finibus extremis; extremitatibus: quòd latera sint fines. ¶ *Cæcus & claudus*, &c. עור ופסח וגו׳] q. d. Nulla erit acceptio personarum. ¶ *Et pariens* וילדת] *Et enixa*; aut *parturiens.* ¶ *Cœtus magnus* קהל גדול] Cum *cœtu magno.* Quidam, *ut huc magno numero revertantur.*

9. *Cum fletu* בבכי] i. Flentes, præ gaudio scilicet. Alii, *Cum fletu ibant*, sub. *ad terram hostium.* ¶ *Et cum misericordiis* ובתחנונים] i. Clementissimè. ¶ *Ambulare faciam eos ad torrentes* אוליכם אל נחלי] *Deducam eos juxta torrentes.* ¶ *Primogenitus meus est* בכרי הוא] i. Eo amore illum prosequor quo pater aliquis primogenitum suum.

11. *Redemit* פדה] Præterita Heb. pro fut. *Redimet*, ut nonnulli vertunt.

12. *In excelso* במרום] i. In colle. ¶ *Ad bonitatem* אל טוב] i. Ad bona. ¶ *Ad frumentum*, &c. על דגן וגו׳] Quidam subaudiunt nonnihil, & vertunt, quam ostendit *in frumento, & in vino, & in oleo, & in fœtibus pecorum & armentorum. Filios pecorum* vocat pecora, sive fœtum pecorum. ¶ *Nec addent*, &c. ולא יוסיפו וגו׳] Hebraismus; pro, *nec ultrà dolebunt*; aut *pavebunt*: i. ultrà non afficientur mœrore aut solicitudine.

13. *Simul* יחדו] Sub. *erunt in choro.* ¶ *Lætificabóque eos* ושמחתים] *Lætari faciam eos*; vel *consolabor.*

15. *Ploratus* נהי] *Lamentatio.* Locus iste explicatur in Annot. in Matth. 2. 17. ubi citatur. ¶ *Amaritudinum* תמרורים] i. Amarus. Hebraismus. ¶ *Non sunt* איננו] *Non ipse*: q. d. *Nè unus quidem eorum exstat*, sive *superest*: sublati enim sunt de mundo.

16. *Prohibe* מנעי] *Arce. Contine.* ¶ *Operi tuo* לפעלתך] i. Filiis tuis ob Christum occisis: vel, labori quem tui sustinuerunt in Chaldæa.

17. *Novissimo tuo* לאחריתך] *Fini tuo*: i. de reliquis filiis tuis: q. d. est bene sperandum de illis.

18. *Audiendo audivi* שמוע שמעתי] Hebraismus, *Certè audivi*; aut, *Planè audivi.* ¶ *Plangentem* מתנודד] *Lamentantem*; *conquerentem*: sub. *& dicentem mihi in captivitate, Castigasti*,

stigasti, &c. ¶ *Non assuetus* [לא לומד] Sub. *ferre jugum*, vel *trahere aratrum*: i. indomitus. ¶ *Fac me converti* [השיבני] *Converte me.*

19. *Ostensum est mihi* [הודעי] *Cognitus sum*, sub. *mihimet-ipsi*: i. cognovi meipsum. ¶ *Sustinui* [נשאתי] *Tuli*: i. Lui pœnas scelerum probrosorum quæ olim admisi.

20. Est *mihi* [לי] Fuit *mihi*; q. d. *Non*; *peccavit enim: ideo ejeci illum.* ¶ *Delectabilis* [שעשעים] Ad verb. *delectationum? deliciarum?* Alii, *lætitiarum?* Alii, *lusuum?* Alii, *solatiorum*, sub. *meorum?* i. cum quo jocari debeam ut solent patres jocari cum filiis morigeris, & qui in omnibus student servare jussa paterna? q. d. *Non.* ¶ *Locutus sum de eo* [דברי בו] Infinit. Heb. & ב pro מן *de*: *attamen cùm illi sim locutus, adhuc illius meminero.* Quidam per præsens vertunt, *Tamen ex quo loquor*, &c. i. ex quo tempore loqui incipio, sive sermonem facio de illo, soleo adhuc recordari amoris quo antea solitus sum illum prosequi. ¶ *Sonuerunt* [המו] *Infremuerunt*; *commota sunt.*

21. *Signa* [צינים] *Titulos*; i. lapides erectos quales solent erigi in agris ad indicandam viam. ¶ *Cumulos altos* [תמרורים] *Acervos*; sub. *lapidum.* ¶ *Ad semitam* [למסלה] Propriè significat *viam stratam lapidibus.* Gallicè *chaussee.* q. d. *Adhibe animum & mentem ad considerandas vias per quas in captivitatem perfecta es: nam per easdem reverteris.*

22. *Vertes te*, &c. [התחמקין וגו'] *Vagaberis.* Alii, *divertes*; aut *declinabis*; i. vives sine certa lege: q. d. diu quidem, sed non semper. ¶ *Rebellis* [השובבה] *Immorigera? aversatrix?* ¶ *Circumdabit* [תסובב] *Cinget*; *amplectetur.*

23. *Cùm convertero captivitatem eorum* [בשובי את שבותם] i. Cùm reduxero eos qui jam captivi sunt: sive cùm asseruero eos in libertatem veram.

24. *Et proficiscentur* [ונסעו] i. Vagabuntur huc illuc: q. d. *non tantùm urbani, sed & rustici.* Quidam separant *agricolas* à *proficiscentibus cum grege*, vertentes, *Et agricolæ & qui mutant loca cum grege suo*, i. pastores, quibus sæpe dissidium est cum agricolis.

25. *Inebriavi* [הרויתי] Præt. Heb. pro fut. *inebriabo*, *implebo. Inebriare* pro *reficere* & *satiare* more Hebraico positum est.

26. *Expergefactus sum* [הקיצתי] *Evigilavi.* Verba sunt Prophetæ. ¶ *Et vidi* [ואראה] *Posteaquam vidi*: sic vertendum hoc loco, ut quidam volunt: q. d. *Posteaquam vidi per somnium Prophetiam illam de Christo venturo, evigilavi protinus; & recordatio talis somnii in quo talem Prophetiam videram, fuit mihi gratissima.* ¶ *Dulcis fuit mihi* [ערבה לי] Sub. *quia plena gaudii erant verba illa.* Liberiùs quidam totum versum sic convertunt, *Idcirco evigilavi, & suspexi, ubi suaviter dormieram.*

27. *Et seminabo*, &c. [וזרעתי וגו'] Hebraismum sic exponunt nonnulli, *futurum est ut impleam Judam & Israelem hominibus & opibus quæ olim erant in gregibus & pecoribus.*

28. *Quemadmodum solicitus fui* [כאשר שקדתי] Ad verb. *Quemadmodum vigilavi super eos ut evellerem eos*, &c. i. ut omnem curam & diligentiam posui in illis evertendis, &c. q. d. *Ut olim severe cum illis egi, animadvertendo in illos, sic illis omnia flagitia condonabo, eósque in integrum restituam.* ¶ *Et destruendum* [ולהרס] *Et evertendum*: vel, *ut contererem.* ¶ *Et affligendum* [ולהרע] *Et ut confringerem.* ¶ *Solicitus ero* [אשקד] Ad verb. *vigilabo.* Idem verbum quod paulò antè. ¶ *Ad ædificandum & plantandum* [לבנות ולנטוע] *Ut ædificem & plantem*, sub. *eos.*

29. *Uvam acerbam* [בוסר] *Fructum immaturum.* ¶ *Obstupuerunt* [תקהינה] Fut. Heb. pro præs. ut quidam vertunt, *obstupescunt: hebetantur: infirmantur: debilitantur.* Proverbium Hebraicum, acsi dicas, *Filii luunt pœnas propter peccata parentum.*

32. *Et ego dominatus sum eis* [ואנכי בעלתי בם] *Quamvis dominatus sim in eis*: i. quamvis fuerim eis in Deum. Alii, *& fui maritus eis.* Aut, *egi maritum erga illos*: i. ego verò semper functus sum erga illos officio boni ac fidelis mariti.

33. *In medio eorum* [בקרבם] *In intimis eorum*: vel *interiora*, i. in visceribus eorum. ¶ *Et in corde eorum* [ועל לבם] Hìc ו pro *id est* ponitur. Exponit enim quid vocet *interiora* sive *medium eorum.*

34. *Propitiabor iniquitati eorum* [אסלח לעונם] *Condonabo eis scelera eorum.*

35. *Qui dedit* [נתן] Præs. Heb. *qui dat.* ¶ *Statuta* [חוקות] *Leges*: i. qui dedit sive dat Lunæ & stellis leges ortûs & occasûs: vel, qui præfecit & præposuit Lunam & stellas nocti, ut illam illustrent. ¶ *Qui rupit* [רגע] Præs. Heb. *rumpit.* Vertere potes per præteritum, *scidit mare* Rubrum, *& fremuerunt*, vel *fremebant*, aut *tumultum faciebant.*

36. *Si amoveri possunt*, &c. [אם ימשו החוקים האלה] *Si recedant leges istæ. Si desinant esse.* Alii, *Si ablatæ fuerint leges istæ*: vel *ordinationes*, sub. *Solis, Lunæ, & stellarum*: q. d. Ut Sol, Luna & stellæ, quamdiu mundus erit, suam lucem & sua officia non possunt non servare, sic nec populus Dei desinet esse Dei populus. ¶ *Amoveri poterit* [ישבתו] *Recedet: cessabit: deficiet*: i. desinet esse gens.

37. *Si mensurari possint*, &c. [אם ימדו וגו'] q. d. *Siquis agere possit mensuram à terra ipsa usque ad supremum cœlum, & à superficie terræ usque ad centrum ejus.*

38. *Anguli* [הפנה] i. Angulorum, ut habes Zach. 14. 10. ubi eadem prædicuntur.

39. *Et exibit*, &c. [ויצא עוד קוה מדה נגדו] *Et exibit ultrà funiculus mensuræ à conspectu ejus*, sub. *portæ.* Quidam liberiùs, *Et indè latiùs regula mensuræ exibit usque ad*, &c. Alii, *Hinc ultrà ducetur funis mensuræ ante ipsam.* ¶ *Et circuibit* [ונסב] *Et vertet se*, sub. *funis illinc.* Hæc loca vicina sunt ipsi Jerusalem: q. d. *Jerusalem amplioribus finibus exstruetur quàm antea.*

40. *Cadaverum* [הפגרים] Quòd scilicet illic interfecti fuissent Assyrii ab Angelo. Quidam in nominativo vertunt versum istum, *Et tota vallis cadaverum, & cineris locus, & universi agri usque ad torrentem Cidron*, &c. ut ad sequentia referatur, nempe *erunt sanctitas Jehovæ. Cinerem* sive *locum cineris* vocat in quem cineres sacrificiorum effundebantur. ¶ *Et universas regiones* [וכל השרמות] *Et universa campestria*: aut, *& universi agri.* ¶ *Equorum* [הסוסים] Quòd illic exercerentur equi Regii. ¶ *Sanctitas ipsi Jehovæ* [קדש ליהוה] i. Consecrabuntur Domino. ¶ *Non evelletur* [לא ינתש] i. Non evertetur: sub. *quod consecratum fuerit Domino*: q. d. *Perpetuò sacra erit Domino Ecclesia.*

CASTALIO.

1. CUI *Jova procul apparuit*] In Hebræo pro לי videtur legendum לו, ut & sententia ostendit, & Græcus interpres legit, qui ὀφθήσεται αὐτῷ. Loquitur enim Deus, non populus: nisi fortè est personæ mutatio, qualis est in Psal. 91. & sic quoque conveniet cum re translatio mea. ¶ *Æterno te amore prosecutus sum*] *Te* femininum in Hebræo est, quippe relatum ad puellam Israelem.

5. *Profanabunt*] Fructum percipient: alludit ad Deut. 28.

7. *In cacumine gentium*] Editissimo loco.

14. *Sacerdotum appetitum pingui perfundam*] Terram ità fœcundabo, ut primitiis & primogenitis, quæ libabuntur, Sacerdotes ad satietatem epulentur.

15. *Auditur apud Ramam lamentabilis*] Rama erat oppidum in Benjamitarum finibus, ut habetur Jos. 18. Plorat *Rachel*, h. e. Benjamitides fœminæ à Rachele Benjaminis matre prognatæ. Itaque posset & sic verti, *Vox Rachelidarum suos natos deplorantium.* Dicitur enim *Rachel* pro *Rachelidibus*, ut paulò pòst *Ephraim* pro *Ephraimitis*, qui loquendi modus apud Hebræos frequentissimus, etiam apud Latinos exstat, qui nonnunquam *Romulum* pro *Romano* dicunt, ut Persius,

——— *An, Romule, ceves?*

Quod autem locum hunc citat Matthæus cap. 2. de occisis ab Herode infantibus, sciendum est Vatum dicta sæpe spectare longiùs quàm videantur. Esaias cùm de *Emmanuele* & de *Cyro* loquitur, ad Christum venit, de qua re scripsimus in ejus cap. 7, & 8, & 9. Item cùm de inferenda per Senacheribum calamitate scribit, eam ad Titum Vespasiani filium extendit; qua de re vide quæ scripsimus in Esa. 32. Itidem quod hic scribit Jeremias de Ephraimitarum calamitate, id extendendum est ad usque Christi tempora. Id quod ex eo patet quòd etiam & quæ paulò post hunc locum & quæ capite superiore de revocandis captivis dicit, planè ad Christum ferenda sunt. Ex quo patet, cùm uno calamitatis nomine comprehendat ea quæ Judæi passuri erant donec revocarentur, cúmque revocandi essent per Christum, rectè hunc locum adduxisse Matthæum de infantibus qui primi propter Christum occisi sunt.

22. *Ambibit femina marem*] Novum & insolitum est ut marem ambiat in matrimonium femina, cùm contra fieri soleat: Atqui ego tot Israelitas interficiam, inquit Jova, ut præ paucitate virorum ambiant feminæ viros, & tamen ex tanta paucitate erunt qui evadant. Vide Esa. 4. & deprehendes eandem sententiam.

CLARIUS.

1. IN *tempore illo*] Hic versus epilogus est superioris Prophetiæ. ¶ *Ero deus universis cognationibus Israel*] Omnibus scilicet qui fide referent Israelem patrem, sive Judæi fuerint sive Gentes.

2. *In-*

2. *Invenit gratiam*] Exemplo veterum beneficiorum sperare jubet.

3. *E longinquo Dominus apparuit mihi*] Versus per interrogationem & responsionem, tacitam dubitationem per verbum Domini excludit. *A longo tempore*, inquit populus, h. e. olim, *Dominus apparuit mihi*, videlicet in Patribus & nunc oblitus est. Cui respondet, *Dilectione perpetuâ dilexite*. Bono igitur sis animo, quando enim putas te derelictum à me, tunc ego propè adsum.

8. *Cæcus & claudus*] h. e. *Cæci, claudi, flentes* & *parturientes* ad me venient; sed ego curabo illos.

13. *Et lætificabo à dolore suo*] Mutato scilicet in lætitiam dolore.

15. *Vox in excelso audita est*] Abiit, inquit, populus in captivitatem cum magno mœrore, ut & *Rachel*, mater Benjamin & avia Ephraim ac Manasse, i. populus ipse Israeliticus, *amarè fleverit*. Accipitur enim hic congregatio Israel per *Rachel*. Quòd autem Euangelista hunc citat locum, id facit quòd sub Herode non minor tyrannis & ejulatus fuerit in Bethleem quàm cùm populus adduceretur in captivitatem. ¶ *Quia non sunt*] Heb. *quia non est*: vel *nullus est*.

16. *Merces operi tuo*] h. e. Filiis tuis. Vel *opus* vocat patientiam in tribulatione, captivitate & exsilio, ut etiam illis spes esset redeundi in terram.

18. *Quasi juvenculus indoctus*] Supple *eram prius quàm erudires me*. Illud tamen *indoctus* idem est quod *indomitus*. Et comparatur Israel *vitulo indomito* quia nullis legibus coerceri potuit quin jugum Legis perpetuò à se abjiceret, donec tandem stimulis & flagellis humilior factus fuit.

19. *Postquam ostendisti mihi*] h. e. Ostendisti me mihi. ¶ *Sustinui opprobrium*] *Pudore affectus sum ob peccata adolescentiæ meæ.*

20. *Nónne filius*] Ubi primùm Israel pœnitentiæ signa ostendit, mox vocatur *filius honorabilis ac pretiosus*.

21. *Statue tibi*] Consolatur enim Dominus per hæc verba abeuntes in captivitatem, ut passim in itinere titulos & lapidum acervos erigant: futurum enim ut brevi redituri sint per eandem viam. ¶ *Viam in qua ambulasti*] h. e. Vide qualis fuerit via tua, ducásque pœnitentiâ.

22. *Filia aversatrix*] h. e. Rebellis & inconstans. ¶ *Femina circumdabit virum*] Virgo scilicet Maria Christum perfectum sapientiâ circumdabit utero suo. Sic enim & veterum Judæorum Glossæ sunt interpretatæ. Sunt etiam qui sic ad literam interpretentur, *Israelitica gens post longam desertionem sponsi sui Dei & pietatis veræ neglectum convertetur ad Dominum Deum suum, tanquam mulier ad virum*, ut hoc sit *novum in terra*, ut mulier, quæ passim aliis viris se prostituit, veteris mariti cupida, illum iterum sui amantem obtineat.

23. *Adhuc dicent verbum istud*] Et hoc pertinet ad Regnum Christi propriissimè, consentientibus Judæis, usque ad caput sequens. ¶ *Pulcritudo justitiæ*] Vel *habitaculum justitiæ*: & est vocativi casûs.

24. *Agricolæ*] Laudatur charitas & pax Episcoporum, qui *agricolæ* & *pastores* dicti sunt. Dicit igitur *omnes illos unanimiter habitare in uno monte*, cùm sæpe sit certamen aliàs inter agricolas & pastores feréque discordent inter se, sicut inter primos fratres, pastorem Abel & agricolam Cain, funestum dissidium intercessit.

26. *Ideo quasi de somno suscitatus sum*] h. e. Ut hæc contingerent hominibus, *exsurrexi*. ¶ *Somnus meus*] Nempe in sepulcro. Hæc enim in persona Christi dicit Propheta. Quæ qui ad Prophetam referunt, dicunt hanc mutationem in melius consolatam fuisse Prophetam, à Prophetiæ hujus visione excitatum.

27. *Seminabo domum Israel*] Hæc benedictio Deut. 28. & Levit. 26. habetur. *Benedictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, fructúsque jumentorum tuorum.*

28. *Et sicut vigilavi*] Sicut virga vigilans videbatur à Propheta in principio libri.

30. *Unusquisque in iniquitate sua morietur*] h. e. Nunc post Christi Redemptionem, ubi vera præmia & pœnæ æternæ erunt, *unicuique reddetur secundùm opera sua*. Alludit autem ad peccatum Adæ, per quod totum humanum genus venundatum fuit Diabolo, ut Paulus ait. Verùm in Christi Regno unicuique sola propria iniquitas obest.

31. *Fedus novum*] Iniit Dominus olim cum Judæis fedus carnale & imperfectum, transitoriis rebus alligatum, duraturum ad certum tempus, & quod Judæi sæpe irritum fecerunt, eo quòd Lex non esset impressa affectibus eorum, sicut Lex Euangelica, quæ scripta est in cordibus hominum piorum. *Fedus autem Novum* confirmatum est sanguine Christi: quod violari non potest, quia est æternum, & scriptum non in tabulis lapideis sed in cordibus & affectibus hominum. Porrò leges quæ in hac confederatione sunt constitutæ inter Deum & Hominem, sunt, quòd *Deus vult esse Deus noster, servator & liberator; defensor, & omnium bonorum suppeditator.* Nostræ autem leges sunt, ut *audiamus Deum, confidamus verbo ejus, credamus Christum esse justitiam ac salutem nostram*, &c. Confederatio enim non fit sine legibus vel conditionibus utrinque servandis. Est, inquam, hoc fedus quod Christus pepigit nobiscum *novum*, non ut nuper allatum; cùm etiam Patres V. T. per fidem venturi Christi remissionem obtinuerint peccatorum, & quodam modo in Novo fuerint Testamento; sed quòd novâ ratione per Christum fuit institutum, & sanguine ejus sancitum; atque discussis Legis umbris explicatum, quod apud patres latenter viguit.

32. *Et ego dominatus sum eorum*] Vel *neglexi eos*. Alius sic vertit, *Etiam cum ego quasi maritus dominium haberem in eos.*

34. *Non docebit ultrà*] Tempore N. T. charitas & unctio docent capacésque faciunt Divinorum mysteriorum. Et frustrà docent Doctores extrinsecì nisi Spiritus intus doceat. Innuitur etiam per id quod subjungitur, *Cognoscite Dominum*, Prophetam respexisse ad exteriorem idololatriam, à qua non fuit opus sub Christo arcere homines, sicut tempore Legis.

36. *Si defecerint leges istæ*] De Sole scilicet ac Luna.

38, 39, 40. *A turre Hananeel*] Sic etiam describitur à Zacharia cap. 14. Loca quæ hic numerantur fuerunt extra Civitatem. Dum staret Jerusalem, notissima turris Hananeel, ex qua mille clypei. ¶ *Porta anguli* dicitur à Zacharia *facierum*. ¶ *Gareb & Goatha* loca sunt viciniæ Jerusalem, utrùm intra an extra mœnia incompertum est adhuc Hebræis, etsi Prophetæ contextus arguat extra Urbis pomœria fuisse. ¶ *Vallis cadaverum*] Ubi cadavera exercitûs Assyriorum putruerunt. ¶ *Locus cineris*] In quem de altari repurgatus quotidie cinis exponebatur. ¶ *Angulus portæ equorum*] Et porta est quà Rex cum equitibus egredi solebat dum equestri cursu decertare liberet. Ajunt quatuor plagas cœli his designari. ¶ *Sanctum Domino*] Hæc loca, inquit, erunt *sancta Domino*, & includentur intra mœnia civitatis. Vel, populus erit *sanctus Domino, & nunquam evelletur*, cùm Regnum Christi sit æternum. Id enim agunt Prophetæ, ut, cùm Babylonicam describunt liberationem, ubique assurgant in illam æternam Redemptionem quam erat Christus in fine dierum præstaturus.

LUCAS BRUG.

6. **Q**Uia erit [*erunt* o.] *dies in qua* [*quibus* o.] *clamabunt custodes, in monte Samariæ* * *in monte* [* *& in monte Samariæ, &* 2 MS. * & MS. multa. - 1 MS.] *Ephraim, Surgite.*] τὸ *in monte Samariæ*, quod, cum expositore Richelio, multi codices legunt; nostri quatuordecim, Brug. Leod. Lob. O. Q. &c. Parisiensium octo, Di. o. l. Ge. o. l. p. &c. Epanorthotæ & Dominicanorum antiqui tollunt: quibus Hebraici libri volunt, Græcáque exemplaria suffragantur. Latini libri quibus id additur variant: quidam & conjunctione interpositâ, quidam omissâ, ei quod sequitur jungunt; nonnulli *in monte Samariæ* repetunt; unus *Samariæ* duntaxat habet: quæ, superiori margine demonstrata, adjectionis qualiacunque indicia sunt. Quare veram nostræ editionis scripturam esse existimarim, quam Hentenius, Parisienses & Dominicani amplexi sunt, *Quia erit dies in qua clamabunt custodes in monte Ephraim, Surgite.* Verùm Hieronymi commentarius utrumque agnoscit atque exponit, *tam illud *in monte Samariæ*, quàm hoc *in monte Ephraim. Tunc fuit dies Domini*, habet, *in qua clamaverunt custodes, Apostoli videlicet & apostolici viri, in monte Samariæ & in monte Ephraim: quorum alterum custodiam, alterum ubertatem sonat. Quid verò dicunt custodes Samariæ? imò quid clamant in monte Ephraim?* SURGITE, &c. Hic profectò effecit cur minùs in Bibliorum margine nigro ausi fuerimus carbone notare τὸ *in monte Samariæ*. Sed videri possit Hieronymum hoc quod in textu non posuerat (ut certè adscriptus ei textus non habet) in commentariis addidisse: tum quòd montium Samariæ versu proximè præcedente sit mentio, his verbis, *Adhuc plantabis vineas in montibus Samariæ:* tum quòd idem sit mons Samariæ & mons Ephraim, nempe, ut opinor, loca montosa quæ per illum tractum posita erant, quem decem tribus, de quibus Prophetæ hic sermo est, post secessionem incolebant. Frequenter nomine *Ephraim* decem tribus significantur: quarum regio à metropoli *Samaria* dicta fuit. Crediderim itaque versioni Hieronymi ex commentario illud additum, *in monte Samariæ.*

9. *Et in misericordia reducam eos.*] Codicum alii *in misericordiis*, alii *in precibus* legunt. Hebræum בתחנונים, utrovis modo transferatur, rectè: ad illum modum Jonathan Chaldæus, ad hunc Santes Pagninus in Onomastico transtulit: in editione Bibliorum etiam Santes *cum misericordiis* vertit. S. Hieronymi commentarius *in misericordia* habet: id quod glossematici, Thomas, Lyranus, Carensis & Richelius secuti sunt; & castigatores, Hentenius, Parisienses ac Dominicani in textum retulere. Verùm in antiquissimis & emendatissimis exemplaribus *in precibus* reperio, Brugensi, Leodiensi, Lobiensi, E, O, Q, Plantini medio, & aliis: quibus primæ typographorum editiones consonant. Ità & Epanorthotes noster, exactissimus harum rerum scrutator, invenit. Hinc enim scripsit, *Item b.* in precibus deducam eos, *sicut habet translatio Hieronymi; commentum Hieronymi habet* in misericordia; *Lxx habent* in consolatione. *Et revera Hebræum* tahanunim *ad hæc tria se habet: sed magis propriè ad* preces, *cùm sit pluralis numeri: nam & ipse Hieronymus Zachariæ xij.* (v. 10. Dan. 9. 17, 18, 23.) *vertit illud in* preces; *ibi*, spiritum gratiæ & precum. Hæc ille: quibus translationi Hieronymi *in precibus* attribuit: aliter enim vertisse nonnunquam Hieronymum dum commentaria scriberet quàm priùs verterat, nuper observatum annotavimus. Porrò animadvertendum est insuper pro *reducam* Epanorthoten legere *deducam*: id quod Dominicani probavere, & nos in melioribus libris vidimus, quamvis sensus idem sit utriusque.

39. *Et exibit ultrà norma mensuræ in conspectu ejus super collem Gareb* [*Cares* o. *Jares* o. *Gareth* o. *Gaber* o.] Plerique nostri libri, cum D. Gregorio 34 caput Job enarrante v. 25. Moral. c. 11. & D. Thomæ, Abbatis Joachim, atque Hugonis Carensis propriis commentariis, accusandi casu scribunt *normam*: quinque, cum Lyrano & Richelio, legunt nominandi casu *norma*, Lob. Atr. scripti, Mogunt. Nuren. Colon. (anni 1479.) impressi, quibus quatuor Parisiensium, Di. o. Ge. o. l. p. & quidam ex antiquis Dominicanorum, concinunt. His fons Hebraicus suffragatur, ויצא עוד קוה המדה וגו׳, *Et exibit adhuc*, vel *ulteriùs*, *linea mensuræ*, &c. Dictio עוד significat *ultrà*, non pro præpositione, sed pro adverbio sumptum: quare non est transferendum *ultra lineam*, aut, *ultra normam*. Adhæc, verbum יצא *exibit* masculini generis est. Non est igitur subaudiendum feminini generis nomen עיר *civitas*, quod superiori versiculo legitur: sed suppositum ejus est קו quod est *linea* seu *norma*, masculino genere. Ergò transferendum est, *Et exibit ultrà linea*, vel *norma*, *mensuræ*: atque ità neoterici Interpretes transtulerunt, quorum multas versiones in Hebraicis Scholiis licet videre. Nec alio modo veteres interpretati sunt: quanquam Chaldæi paraphrasis Hebraico fonti sit consimilis, quæ his verbis in Regio opere traducta est, *Et egredietur adhuc filum mensuræ ædificii.* Lxx convertère, καὶ ἐξελεύσεται ἡ διαμέτρησις αὐτῆς, *& exibit dimensio ejus*; ubi non est additum τὸ *ultrà*, fortè quòd satis intelligatur. Similiter vertit Symmachus, ut statim liquebit. Hieronymum eundem ad modum reddidisse textus & commentarius conjuncti loquuntur: ille habet, *Et exibit ultrà norma* (*sive*, *juxta Symmachum*, *funiculus*) *mensuræ ejus contra eam super collem Gareb*; hic, *Exitque ultrà funiculus mensuræ contra eam*, *i. portam anguli*, *super collem Gareb*, *qui*, &c. Rectè igitur correctores, Hentenius, Parisienses, Dominicani, & alii quidam, emendarunt, *Et exibit ultrà norma mensuræ*: quanquam alterâ lectione idem intelligi possit, nempe, Jerusalem amplioribus quàm priùs terminis ædificandam.

D R U S I U S.

2. מָצָא חֵן בַּמִּדְבָּר וגו׳. Sym. Εὑρίσκω χάριν ἐν ἐρήμῳ, λαὸν σεσωσμένον ἐκ μαχαίρας, πορευόμενον ἀναπαῦσαι τὸν Ἰσραήλ, *Invenio gratiam in deserto, populum salvatum è gladio, euntem ut faciat requiescere ipsum Israel*] Ex Scholio quodam Græco. † *Invenio* מֹצֵא alijs vocalibus. חן. A. Th. χάριν. Syrus οἰκτιρμὸν *miserationem.* Lxx θερμὸν, i. חם. Hieron. *Ridiculè Latini codices in hòc loco ambiguitate verbi Græci pro* calido lupinos *interpretati sunt. Græcum enim* θερμὸν *utrumque significat. Quod & ipsum non habetur in Ebræo. Est enim scriptum* חן, *quod Aq. Sym. & Th.* χάριν, *i.* gratiam, *interpretati sunt: Soli Lxx posuerunt* calidum, *putantes ultimam literam Mem esse*, &c. Idem Esa. 28. pag. 216. edit. Plantinianæ, *Pro eo quod scriptum est* θερμὸν, *i.* calidum, *Latinus Interpres verbi ambiguitate deceptus* lupinum *interpretatus est: in quo & Græcorum plerique errant. Et tamen sciendum in Ebraico pro* calore *scriptum esse* חן, *quod interpretatur* gratia, *quòd scilicet gratiâ Dei & non merito suo salvatus sit Israel.*

21. הַצִּיבִי לָךְ צִיֻּנִים. Στῆσον σεαυτῇ ἐπισκόπους, *Statue tibi speculatores*] Habetur in C. ut suspicor, ex Aquila. Nam in Hier. *Verbum Ebraicum* SIONIM *vel in speculatores vel in speculas vertitur*, *ut Aq. & Sym. interpretati sunt. Unde miror quid sibi voluerit Vulgata editio*, *ut pro* SIONIM, *h. e. pro* speculatoribus, SION *poneret.* Hæc Hieronymus. Mihi vix dubium quin manus aberrans SION pro SIONIM scripserit, quod legitur in Theodoreto, qui ait Syrum pro eo interpretatum esse σημεῖα, i. *signa.* ¶ תַּמְרוּרִים. Sym. *transmutationes*] Hieron. *Quòdque sequitur* amaritudines, *quæ Ebraicè dicuntur* תמרורים, *pro quibus Sym. interpretatus est* transmutationes, *hoc indicat, quòd flere debeat, &c.*

22. עַד־מָתַי תִּתְחַמָּקִין. Sym. *usquequo demergêris in profundum*] Ac si esset תתעמקין per Ain. ¶ כִּי־בָרָא יְהוָה חֲדָשָׁה בָּאָרֶץ נְקֵבָה תְּסוֹבֵב גָּבֶר. A. Sym. *quia creavit Dominus novum super terram*; *Femina circumdabit virum.* Th. *quia creavit Dominus salutem novam*, *in salute circuibit homo*] Hieron. *Audi quod nunquam antea cognoveras*: Novam rem creavit DOMINUS super terram. *Absque viri semine*, *absque ullo coitu atque conceptu* fœmina circumdabit virum *gremio uteri sui*, *qui juxta incrementa quidem ætatis per vagitus & infantiam proficere videbitur sapientiâ & ætate*: *sed perfectus vir in ventre femineo solitis mensibus continebitur. Unde Sym. & Aq. juxta nostram editionem interpretati sunt*: *Theodotio autem & ipse Vulgata editioni consentiens*, *interpretatus est*, creavit DOMINUS salutem novam, in salute circuibit homo, *singulare ponens pro plurali.*

37. אֶפְאַס. Οὐκ ἀποδοκιμῶ. Sed à cæteris Interpretibus abest οὐκ, & etiam in textu Ebræo.

38. מִמִּגְדַּל חֲנַנְאֵל עַד־שַׁעַר הַפִּנָּה. ἀπὸ τοῦ πύργου Ἀνανιὴλ ἕως τῆς πύλης τῆς γωνίας, *à turri Hananeel usque ad portam anguli*] Theodoretus annotat Syrum dixisse ἀπὸ πύργου τῆς γωνίας Ἀνανιὴλ, *à turre anguli Hananiel.*

39. קַו הַמִּדָּה. Sym. *funiculus.* Apud Theodoretum, *funiculus dimensionis*, i. τὸ σχοινίον τῆς διαμετρήσεως.

40. הַפְּגָרִים. Th. Φαγαρὶμ *Phagarim.* In Compl. & apud Theodoretum, καὶ πᾶσαν φάραγγα Φαγαρὶμ καὶ σποδὸς, καὶ πάσας Ἀσαρημὼθ] השרמות scriptum sed lectum השדמות per Daleth. Id Aquila olim transtulit *suburbana* sive *arva & rura*. Schol. προάστεια. Hieron. *Et universam Sademoth*, *quod nos vertimus in* regionem mortis, *unum nomen in duo verba dividentes*, שדה SADE, *quod dicitur* regio, *&* מות MOTH, *quod interpretatur* mors; *pro quo Aquila vertit* suburbana *sive* arva *&* rura. In libro Locorum, ASSEREMOTH *in Jeremia*, *pro quo in Ebræo scriptum est* SADEMOTH, *quod Aquila interpretatur* suburbana.

G R O T I U S.

1. **E***Ro Deus*] אלהים, id est, *Judex justus.*

Et ipsi erunt mihi in populum] Mihi ut Regi suo obedient.

2. *Invenit gratiam in deserto populus*] Repetit Deus vetera beneficia, quò magis nova sperentur. In deserto prospexi illis de omnibus necessariis. Hîc pro חן [*gratiam*] Lxx Senes legisse חם [*Cham*] rectè observat Hieronymus.

Qui remanserat à gladio] Qui evaserat gladium Ægyptiorum.

Vadet ad requiem suam Israel] Meliùs, *ivit*: id est, non potuerunt impedire Amalecitæ, Cananæi, Philistini, atque alii, quominus pervenirent Israëlitæ ad sedes quietas. Terra Judæa vocatur κατάπαυσις [*quies*] Psalm. XCV. 11. Hebræor. III. 11.

3. *Longè Dominus apparuit mihi*] Olim Dominus se mihi ostendit, nempe *benevolum*; quasi dicat, *non nunc.* Verba sunt gentis Judaicæ, quæ hic etiam ut femina ob oculos ponitur.

Et in charitate perpetua dilexi te] Respondet Deus genti, Imò perenni amore te dilexi. Id est, nunquam quicquam omisi quod mearum esset partium.

Ideo attraxi te miserans] *Attraho te*; id est, ad resipiscentiam exhortor.

4. *Rursúmque ædificabo te*] Ubi conversa fueris ad me, faciam, rursus habeas domos.

Et ædificaberis] Et tutò eas possideas.

Adhuc ornaberis tympanis tuis, *& egredieris in choro ludentium*] Ut feminæ solebant, 1 Samuel. XVIII. 6.

5. *Plantabis vineas in montibus Samariæ*] Demetrius in epistola ad Judæos quæ exstat apud Josephum Antiquæ Historiæ XIII. 5. καὶ τῶν τριῶν τοπαρχιῶν τῶν τῇ Γαλιλαίᾳ προσκειμένων, Σαμαρείας, καὶ Γαλιλαίας καὶ Περαίας, τούτους παραχωρῶ ὑμῖν

ἀπὸ

ἀπὸ τοῦ νῦν εἰς τὸν ἅπαντα χρόνον [*Et eos qui sunt in tribus Toparchiis, quæ antehac Judæis accessere, Samariæ, & Galilææ, & Peræa concedo vobis ab hoc tempore in perpetuum*]. Adde eundem Josephum XIII. 17.

Et donec tempus veniat, non vindemiabunt] Pro his verbis in Hebræo est *profanabunt*: id est, vescentur fructibus vineæ legitimo tempore. Hoc intellige ex lege Levit. XIX. 25. Confer. & Deuteronomii XX. 6.

6. *Clamabunt custodes in monte Ephraim*] Judæi, qui ibi sunt habitaturi. *Custodes* in Hebræo נצרים, quod ad mysticum sensum de Ecclesia optimè trahas: nam Christiani à Judæis nunc quoque hoc nomine vocantur.

7. *Exsultate in lætitia Jacob*] Id est, in publica lætitia suam quisque partem sumite. Est enim hic *Jacob* cum ל, quæ nota sæpe genitivi.

Hinnite contra caput gentium] Id est, claram vocem edite in conspectu gentium omnium.

Dicite: Salva Domine] Ὡσαννά [*Hosanna*].

8. *De terra Aquilonis*] De Media, terrísque circumsitis.

Inter quos erunt cæcus & claudus] Nemo volet abesse. At LXX legerunt במועד פסח, id est, *tanquam in festo Paschatis*, quo maxima multitudo confluebat.

Prægnans & pariens simul] Nec uterus, nec partus instans tardabit feminas. At LXX summam fœcunditatem significari volunt.

Cœtus magnus] *Ingens exercitus*, ut hic Chaldæus.

9. *In fletu venient*] Meliùs: *in fletu iverunt*, nempe cùm abducerentur. Ità accepit Chaldæus. Græci: ἐν κλαυθμῷ ἐξῆλθον [*plorando abierant*].

Et adducam eos per torrentes aquarum] In Hebræo & Chaldæo, *ad rivos aquarum*: id est, non deerit iter facientibus quod bibant.

In via recta, & non impingent in ea] *In via ità plana ut in ea impacturi non sint.*

Et Ephraim primogenitus meus est] Ità carus ut solent esse primogeniti. Hoc ideo quòd nonnulli de Israëlitis Decem tribuum cum Judæis rediêre. Vide Esdræ II & suprà XXX. 3.

11. *Redemit enim Dominus Jacob*] *Redimet.*

Et liberavit] *Liberabit.*

12. *Eritque anima eorum quasi hortus irriguus*] Plena gaudii.

14. *Et inebriabo animam Sacerdotum pinguedine*] Satiabo Sacerdotes pinguibus victimis.

15. *Vox in excelso audita est lamentationis*] Melius est ut רמה sumatur pro proprio nomine, ut hic etiam Chaldæus & Græci sumsêre. *Rama* urbs est in tribu Benjamin, Josuæ XVIII. 25. 1 Reg. XV. 17. In eam Nabuzaradan collegit omnes Judæos vinctos catenis, ac deportandos in Babylonem, ut discimus infrà XL. Non mirum ergò si magna ibi tum fuit lamentatio.

Et fletus Rachel plorantis filios suos, & nolentis consolari super eis, quia non sunt] Videtur esse προσωποποιΐα [*personæ fictio*] Rachelis pridem mortuæ, & non longè à Rama sepultæ, qualem mortuorum προσωποποιΐαν [*personæ fictionem*] etiam habuimus Esaiæ XIV. quanquam possint & per *Rachelem* matronæ intelligi tribûs Benjaminis, sicut *Jacob* pro *Israëlitis* dicitur, & *David* pro *Davidis posteris*. Hæ inconsolabiliter fleverunt, cùm viderent à se abstrahi liberos suos.

16. *Est merces operi tuo*] Propter tuam pietatem, ô Rachel, posteros tuos clementer tractabo. Vel propter vestras preces, ô matres.

17. *Et est spes novissimis tuis*] Id est, *tandem erit*: id est, implebitur *spes tua*.

18. *Audiens audivi Ephraim transmigrantem*] Sensus hujus loci longè alius mihi videtur esse quàm is qui plerisque visus est. Causas reddit Deus cur Decem tribus non sit reducturus, Judam autem reducturus: quia Israëlitæ Decem tribuum (qui ab Ephraimo nominantur, quòd regnum in ejus stirpe fuerit) noluerunt resipiscere in captivitate. *Transmigrantem* intellige *exsulantem*.

Castigasti me, & eruditus sum quasi juvenculus indomitus] Tu quidem me punivisti, sed ego nihilo melior factus sum quàm juvencus indomitus. Illud *eruditus sum ut juvencus indomitus* significat, *non sum eruditus*, *non sum correctus*, ut hîc rectè accepit Chaldæus. Chrysostomus hunc locum siccitat, unde corrigenda videntur exemplaria Græca quæ habemus: Ἐπαίδευσάς με, Κύριε, καὶ οὐκ ἐπαιδεύθην, ἀλλ' ἐγενόμην ὡς μόσχος ἀδίδακτος· ἐπίστρεψόν με καὶ ἐπιστραφήσομαι [*Correxisti me, Domine, & correctus non sum; sed fui quasi juvencus indocilis. Converte me & convertar*]. Locus est Tomo VI. Sermone *Eundem esse Deum Veteris & Novi Testamenti.*

Converte me, & convertar] Sensus est hoc illos dixisse: *Fac ut redeam in patriam, & tunc resipiscam.*

19. *Postquam enim convertisti me, egi pœnitentiam*] Verte, *Ubi me reduxeris, agam pœnitentiam.*

Et postquam ostendisti mihi] *Ubi ostenderis mihi*: supple, *beneficia tua.*

Percussi femur meum] *Percutiam femur meum*: nempe in diebus כפרים [*propitiationum*].

Confusus sum, erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ] Quasi diceret, *Nunc non possum vacare agendæ pœnitentiæ, adeò me pudet horum malorum, per quæ vetera mea delicta tam severe puniuntur.*

20. *Si filius honorabilis mihi Ephraim, si puer delicatus*] Respondet Deus: *Nonne pretiosus filius mihi est Ephraim, nonne natus delicatulus?* Certè necesse est credat me ipso carere non posse, quòd tam delicatus est ut pœnitentiam agere nolit nisi priùs obtento reditu.

Ex quo locutus sum de eo, adhuc recordabor ejus] *Ubi satìs cum eo locutus ero* (id est, ubi satis eum admonuero), *omninò recordabor ejus*, nempe meminero illius pertinaciæ.

Idcirco conturbata sunt viscera mea super eum] Ob hoc vehementer ei succenseo. Vox *viscerum* apud Hebræos ad omnem graviorem affectum refertur.

Miserans miserebor ejus?] Hæc per interrogationem legenda arbitror. *An omnino misereri ejus possem* qui corrigere se non vult quamdiu in malis est rebus?

21. *Statue tibi speculam, pone tibi amaritudines*] Hæc pertinent ad Israëlitas ex Duabus tribubus. Hebræa habent, *Statue tibi titulos, pone tibi altos cumulos*, nempe quibus viæ signari solent, ut reperias quà iveris: nam eàdem redibis.

Dirige cor tuum in viam rectam in qua ambulasti] *Adverte animum ad istam viam stratam, per quam ivisti.* Vide ut totius viæ per quam ductus es bene memineris.

Revertere virgo Israel, revertere ad civitates tuas istas] Id est, dicturus sum aliquando, Redi eàdem viâ.

22. *Usquequo deliciis dissolveris, filia vaga?*] *Quousque te subducis* (mihi te vocanti), *filia rebellis?* Quid est quod non statim ad me venis?

Quia creavit Dominus novum super terram] Rem novam facio.

Femina circumdabit virum] Proverbiale. Viri solent ambire puellas; non puellæ viros. Sic populi erat Deum quærere; at Deus ultro ad populum venit, ejúsque amorem ambit. Ad Messiam mysticè hæc aptat etiam Moses Hadarsan ad Genesin XLI.

23. *Benedicat tibi Dominus, pulchritudo justitiæ*] *Habitaculum justitiæ*: id est, religionis sedes, Hierosolyma.

Mons sanctitatis] Templum.

24. *Et minantes gregem*] In Hebræo, *Et qui eunt cum grege*: id est, pastores.

25. *Inebriavi animam lassam*] Vide suprà 14. vertenda autem hæc per futurum.

26. *Ideo quasi de somno suscitatus sum, & vidi, & somnus meus dulcis mihi*] Loquitur Propheta, *Ubi ab hoc viso surrexi, vidi*, id est, cum voluptate contemplatus sum quæ mihi erant revelata: *& somnus meus mihi dulcis fuit*, id est, suaviter dormivi postea, quod antea præ dolore facere non solebam.

27. *Seminabo domum Israel*] Id est, replebo.

28. *Et sicut vigilavi*] Sedulus fui.

29. *Non dicent ultrà: Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt*] Ὄμφαξ, id est, *uva acerba*, vim habet multùm adstringentem. Hoc adagium Judæi usurpabant, ut videre est Ezechiel. XVIII. 2. quasi dicerent:

Delicta majorum immeritus lues,
Romane.

Non dubitandum est quin Deus, omnium hominum Opifex, ac propterea Dominus, possit parentes ità meritos punire exsilio etiam ad posteros permanente. Sed huic summo juri bonitas ipsius tandem modum imponit, partim propter antiquiorum parentum, partim propter ipsorum posterûm egregias virtutes. Nota *in diebus illis*: & apud Ezechielem, *si erit ultra.*

30. *Unusquisque in iniquitate sua morietur*] Sic apud Ezechielem, *Anima*, id est homo, *qui peccaverit, ipse morietur.* Judicia tam bene exercebuntur ut nihil necesse futurum sit ad extraordinarias illas & generales pœnas veniri. Idem est sensus Esaiæ LXV. 20. ubi notata vide.

31. *Et feriam domui Israel & domui Juda fœdus novum*] Renovabo fœdus per Prophetas meos. Vide Nehem. IX. 38. & X. Solet autem id fieri ubi pars altera fœdus infregit.

32. *Non secundùm pactum quod pepigi cum patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum ut educerem eos de terra*

Ægypti] Nam illud pactum dicit: *Ego sum Dominus Deus tuus qui te eduxi de terra Ægypti.* Hoc autem beneficium majore ac admirabiliore beneficio obumbrabitur, Esaiæ XLIII. vers. 18.

Quod irritum fecerunt] Multis gravibus ac diuturnis peccatis, de quibus vide Esaiam, hunc Prophetam, & Nehemiam IX.

Et ego dominatus sum eorum, dicit Dominus] Vertere licet, *Et ego eorum maritus mansissem.* Sed LXX pro בעלתי, legerunt געלתי; ideóque verterunt, ἐγὼ ἠμέλησα αὐτῶν [*ego eos neglexi*]. Nihil causæ est cur hoc improbemus. Illi me neglexerunt, ego eos vicissim neglexi.

33. *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam*] Tanta in eos beneficia conferam ut eorum non possint non meminisse. Sed & hic locus & ille apud Ezechielem XI. 19. XXXVI. 26. suum quidem implementum temporibus illis post reditum habuit, sed quod viam sternebat Euangelio, quo tempore hæc multò eminentiorem effectum habuêre, per revelationem non dubitandam vitæ æternæ, & vim ingentem Spiritûs super Christianos, etiam qui in plebe erant, effusam.

Et ero eis in Deum, & ipsi mihi erunt in populum] Ego ut Rex eos protegam, illi mihi ut Regi parebunt suprà VII. 23. XI. 4. XXIV. 7. infrà XXXII. 38.

34. *Et non docebit ultrà vir proximum suum, & vir fratrem suum, dicens: Cognoscite Dominum*] Sensus est, Non opus erit ut alter alterum moneat ad reverentiam Deo exhibendam: quod sæpe Hebræi per ידע [*cognoscere*] significant.

Omnes enim cognoscent me] Omnes sponte me colent ac reverebuntur, ob tam ingentia benefacta.

Quia propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor amplius] Sensus est: quia ostendi (tantis nempe benefactis) me veniam dedisse ipsis criminum, neque ultra ea velle exsequi.

35. *Qui turbat mare, & sonant fluctus ejus*] Id est, quo turbante maris fluctus insonant.

36. *Si defecerint leges istæ coram me*] Si totus ille ordo naturæ cessaverit, tunc & illud fiet.

Tunc & semen Israel deficiet] Hoc est decretum Dei absolutum, & ut Paulus loquitur, ἀμεταμέλητον [*sine pœnitentia*], ut semper & sit & cognoscatur distinctè ab aliis magna Israëlitarum multitudo.

37. *Si mensurari potuerint cœli sursum*] Illa cœli quæ supra astra sunt.

Et investigari fundamenta terræ deorsum] Intima terræ viscera.

Et ego abjiciam universum semen Israel propter omnia quæ fecerunt] Hoc Deus negat planè se unquam facturum. Ità enim vult punire Judæorum peccata, ut tamen aliquos eorum semper velit superesse.

38. *A turre Hananeel*] Describit accuratè totum Urbis ambitum. *Turris Hananeel* est in meridiano latere, Nehem. III. 1. Confer cum hoc loco alterum Zachariæ XIV. 10.

Usque ad portam anguli] Qui inter Orientem & Septentrionem in parte Benjamini II Reg. XIV. 13.

39. *Et exibit ultrà norma mensuræ in conspectu ejus super collem Gareb*] *Normam* hic posuit pro *linea*, ut & alibi. *Collis Gareb* erat ad Septentrionem, sed Occasum versùs, ità dictus quòd ibi se tenerent leprosi.

Et circuibit Goatha] *Arcem rotundam* ait fuisse Chaldæus, fortè ità dictam quòd *laboriosus* illuc esset ascensus, à יגע, quod κοπιᾶν & μοχθεῖν [*laborare*] vertunt Græci. Ea fuit ad Occasum & Meridiem.

40. *Et omnem vallem cadaverum & cineris*] Id est, Chaldæo interprete, *ubi maxima pars ceciderat eorum qui erant cum Sennacheribo.* Ea ipsa est vallis Topheth, in qua Molocho immolati cinefiebant, Esaiæ XXX. 33. Hæc regio ab Occasu propiùs ad Meridiem accedit.

Et universam regionem mortis] Græci Hebræam vocem retinuêre השׁמות, ἀσαρημώθ. Hieronymus legit השרמות, derivátque à שרה & מות, quorum illud *regionem*, hoc *mortem* significat. Aquila vertit προάστεια [*anteurbana*], *vites* puto *suburbanas* intelligens, quæ dicuntur שרמות. At Chaldæus *aquæductus*, à particulis duabus ה [*hoc*] & ש [*quod*] & רמות à רמה, quod est *projicere.* Videtur intelligere aquæductus factos ab Ezechia.

Usque ad torrentem Cedron] Qui proximus valli Topheth.

Et usque ad angulum portæ Equorum Orientalis] Chaldæus: *ad angulum portæ stadii regii, qui ad Orientem.* Hic designatio à Meridie ad Orientem redit. De hac *porta Equorum* vide Nehem. III. 28.

Sanctum Domini] Omnia hæc loca personabunt Dei laudibus.

Non evelletur & non destruetur ultrà in perpetuum] Id est, Diu stabit Urbs postquam erit reparata.

CAP. XXXII.

MUNSTERUS.

2. IN atrio & custodia] Vel *in atrio custodiæ.* Pro quo Chald. בדרת בית אסיריא *in habitaculo domus vinctorum.*

5. *Dum visitavero eum*] *Quando scilicet tollam animam ejus ab eo*, ut Kimhi exponit.

7. *Tuum est jus redemptionis*] Etiamsi alteri venderem agrum, tibi competeret illum redimere, nè ad aliam transferretur Tribum: quantò magis igitur teneris emere eum? De hoc agitur Levit. 25. Sacerdotes autem, licèt non haberent possessionem, sicut cæteræ Tribus, habebant tàmen suburbana quædam loca.

10. *Scripsique in libro*] Per *libros* intellige *schedas*, sicut & Jonathan vertit, שטרא, quod nostri vocant *instrumentum publicum.* Fuerunt autem factæ duæ schedæ, una sigillo clausa, & alia aperta, h. e. *copia originalis*, ut notariorum nostrorum utar vocabulis. Jubentur autem hæc fieri ut piis & credulis daretur magnæ fiduciæ argumentum de redeundo, qui tam certò omnia fieri videbant ac si nullus urgeret hostis. Impiis autem & incredulis frivolum & stultum videbatur, præsertim cùm hostis jam omnia occuparet.

17. *Occultata à te*] Secutus sum hîc Jonathan, qui מלית vertit pro יתכסה. Posset & sic verti, *nihil est tam mirabile quod sit supra potentiam tuam, postquam fecisti cælum & terram.*

24. *Munitiones accesserunt*] Quidam exponunt סללות pro *aggeribus*, alii pro *catapultis*; h. e. ligneis instrumentis quibus hostes lapides jaciunt in civitatem. ¶ *Data est*] Sensus est, *Propter famem, pestem & gladium non potest defendi Civitas contra hostem, atque ideo perinde est acsi jam tradita esset in manum ejus.*

31. *A die quâ ædificaverunt eam*] h. e. A tempore Salomonis, qui instauravit eam, cœperunt exstruere excelsa, uxoribus ejus eum ad idololatriam impellentibus.

VATABLUS.

2. IN atrio בחצר] *In vestibulo.* Chald. *in habitaculo domus vinctorum. Custodiam* vocat carcerem. Quidam annotant inversionem esse verborum Hebræis, *in atrio custodiæ quæ erat in domo*, pro *in custodia* [sive *carcere*] *quæ erat in atrio palatii*, &c.

3. *Vaticinaris* נבא] i. Quare vaticinatus es fore ut hæc urbs veniat in potestatem Regis Babylonis, & expugnetur ab eo?

4. *Loquetúrque*, &c. ודבר פיו עם פיו ועיניו את עיניו תראינה] i. Alloquetur cum coràm, ac videbit. Hebraismus.

5. *Ire faciet* יוליך] *Deducet.* ¶ *Donec visitavero* עד פקדי אתו] i. Donec tollam animam ejus ab eo, & moriatur. Hebraismus.

7. *Agrum meum* שדי] *Agellum meum: prædium. Agrum* hic intelligit prædium urbanum, i. ædificium in urbe cum horto olitorio satis amplo. Erat enim Levita Hanameel: unde non licuisset illi agrum arabilem possidere, nec Jeremiæ illum emere: nam etiam Jeremias erat Levita. ¶ *Jure redemptionis ut emas* משפט הגאלה לקנות] *Ejus propinquitatis*: i. tibi competit ut emas illud ratione propinquitatis. q. d. Etiam si alteri venderem agrum, tibi competeret illum redimere, nè ad aliam transferretur Tribum: quantò magis igitur teneris emere eum? De hoc vide Levit. 25. 32.

8. *Juxta verbum Jehovæ* כדבר יהוה] i. Ut prædixerat mihi Dominus. ¶ *Ad atrium custodiæ* אל חצר המטרה] Vide v. 2. ¶ *Tunc cognovi* ואדע] Hîc ו pro *Tunc* accipitur. Hebraismus autem est, *cognovi quòd ille missus esset à Domino.*

9. *Secalim* שקלים] Siclos sacros intelligit: ut per *decem argenteos*, medium Sicli. Constabat autem Siclus sacer, sive Sanctuarii, *viginti obolis*, ut liquet Exod. 30. 13. Levit. 27. 25. & Num. 3. 47. Rectè verò sacer Siclus hîc intelligitur, quia Levita à Levita emebat, ad quos sacri Sicli pertinebant. *Siclus sacer* opponitur *profano*, quem quadraginta obolos valuisse scribunt nonnulli. ¶ *Argenteos* הכסף] Sub. *nummos.*

10. *In libro* בספר] *In libellum*: i. curavi id scribendum in libello sive charta, & obsignandum, idque præsentibus testibus. De instrumento publico loquitur. Primùm enim conscribebatur instrumentum in quo exprimebatur pretium rei venditæ. Dein testes contractûs adhibebantur, qui instrumento nomina sua adhibebant. Tertio loco instrumentum obsignabatur publico

blico annulo. Postremò pecunia numerabatur & appendebatur. In contractu autem venditionis duo fiebant instrumenta: quorum alterum annulo publico obsignabatur, quo carebat alterum; unde minus autoritatis & fidei habebat. Nam siquando emptor ob rem emptam vocabatur in jus, obsignato instrumento locus erat apud Judices, non aperto illi & resignato. Præcipui ergò instrumenti primo loco hic fit mentio, dein alterius, idque in fine seq. versûs. Hoc secundum vocant *copiam* aut *duplum*. ¶ *Testificarique feci testes* ואעד עדים] *Attestatus sum testes*, i. adhibui testes.

11. *Accepi post hæc* ואקח] Ad verb. *Et accepi*. ¶ Secundùm *præceptum & consuetudines* המצוה והחקים] Ad verb. *præcepti & consuetudinum*: i. in quibus cum re empta & ejus pretio scribebantur leges illæ quæ ad redemptionem fundorum pertinent, quarum mentio fit Levit. 25. 23, 32. sive in quo describebatur Lex Dei de emendo & vendendo, & conditiones emptionis & venditionis. Quidam vertunt *obsignatum* pro *more ac ritu*. Alii, *obsignatum* juxta *præceptum & ritus* Legis. ¶ *Apertum* הגלוי] *Patens*. Vulgò vocant *copiam*, ut v. 10. dictum est.

12. *Scripti erant* הכתבים] *Scripserant*, i. adscripserant sive subscripserant sua nomina vel sigilla. ¶ *Custodiæ* המטרה] i. In quo erat custodia, sive carcer.

14. *Et signatum* ואת החתום] Hic ו pro *id est* ponitur: aut geminatur, ut sæpe fit in sermone Latino.

15. *Possidebuntur* יקנו] *Ementur: comparabuntur*.

18. *Iniquitatem* עון] i. Punis posteros impiorum si imitentur rationem vitæ sive scelera ac flagitia majorum suorum. ¶ *Nomen ejus* שמו] Phrasis Hebraica, pro, *cujus nomen est* JEHOVA EXERCITUUM.

19. *Magnus* גדל] Comparativo & superlativo nomine carent Hebræi, quorum alterum circumloquuntur per יותר *magis quàm*; alterum per מאד semel positum, vel repetitum. Vertere hîc potes *maximus*: q. d. *qui maximè vales consilio, & id opere perficere soles*.

20. *Posuisti* שמת] *Ponere* pro *facere*, more Hebræorum. ¶ *Et in homine* ובאדם] i. In reliquis hominibus. ¶ *Secundùm diem hanc* כיום הזה] i. Qualis est etiam hodie.

23. *Propterea evenire fecisti eis* ותקרא אתם] Hic ו pro *Propterea* positum.

24. *Ecce arietibus ingressi sunt civitatem* הנה הסללות וג׳] *Certe catapultæ venerunt* ad murum *urbis*: סללות significat tormenta illa quibus conjicere sive jaculari solent saxa ingentia in mœnia urbis ut illa dejiciant: q. d. *Certè balista* (aut *catapulta*) *jam admota sunt muro hujus urbis ad capiendam eam*. Præt. Heb. pro futuris. ¶ *Propter gladium* מפני החרב] Ad verb. *à facie gladii*: i. tradetur vi gladii, famis & pestis: q. d: *capietur hæc urbs à Chaldæis, sed fame & peste prius afflicta*. Obsidionem longam comitari solet fames, & famem pestis: unde *famis* & *pestis* hic commode fit mentio. ¶ *Locutus es* דברת] Sub. *per Prophetas*: q. d. *quod autem prædixisti eveniet, & tu quidem jam vides illud*.

25. *Et testificari fac testes* והעד עדים] *Et attestare testes*, i. adhibe testes hujus emptionis.

27. *Celabitur* יפלא] *Occultabitur*. Phrasis Hebræa, pro, *Mene latebit* [sive *latere potest*] *quicquam?* Quidam vertunt, *Numquid mihi difficile esse potest quicquam?*

29. *Qui præliantur* הנלחמים] i. Qui oppugnant.

30. *Profectò* אך] *Tantùm*: vel *tantummodo*. ¶ *Ab adolescentia sua* מנעריתם] *A pueritia sua*. Per *pueritiam* intelligit tempus quo populus ille habitabat in deserto.

31. *In furore meo & in ira mea* על אפי ועל חמתי] i. Ira ac indignatio mea fuit adversùm urbem istam, sive iratus sum urbi isti, &c. vel, urbs ista provocavit me ad iram. Ratio etiam est quare tradenda sit civitas Babyloniis. ¶ *Ut auferre faciam eam* להסירה] *Ut auferam eam*, vel *tollam eam*.

33. *Et verterunt mihi cervicem* ויפנו אלי ערף] i. Deseruerunt me. ¶ *Mane surgendo* השכם] Vide eadem & supra 11. 7. & 25. 3. & 26. 5. & 29. 19. ¶ *Non audiebant* ואינם שמעים] Ad verb. *& non audiebant*. Redundat ו hoc loco: i. non paruerunt monitis meis ut resipiscerent.

34. *Super quam*, &c. אשר נקרא וג׳] i. Quæ dicebatur mea, sive de nomine meo, & mihi consecrata.

35. *Excelsa* במות] Ità dicuntur altaria quòd attollantur sursum. ¶ *Ut transire facerent* להעביר] *Ut traducerent*, sub. *per ignem*. Plenam locutionem lege 2. Reg. 21. 6. & Ezech. 20. 31. i. ut consecrarent ipsi Molech. Hæc autem initiandi ratio erat: Exstruebantur duæ pyræ & initiandus nudis pedibus eas pertransibat. ¶ *Nec ascendit*, &c. ולא עלתה על לבי] i. Nè cogitavi quidem ut præciperem illis ut facerent, &c.

36. *Propterea* לכן] i. Ne desperent, aut despondeant animum.

37. *Congrego eos* מקבצם] Præs. Heb. pro fut. ¶ *Confidenter* לבטח] i. In magna fiducia, & absque metu & formidine.

40. *Non revertar à tergo*, &c. אשר לא אשוב מאחריהם וג׳] *Non retro ab eis abscedam quominus benefaciam eis*, i. non desinam amore prosequi illos, benefaciendo illis.

44. *Et scribent*, &c. וכתוב בספר וחתום] Infinitivi sunt Heb. quos quidam per singularem vertunt, cùm exponi debeant per pluralem, quòd præcesserit plurale verbum *ement*. *Scribent*, inquit, contractum emptionis *in libello*, i. instrumento publico, instrumento inquam, emptionis, & adjecto sigillo diligenter claudent instrumentum illud, & adhibebunt testes qui subscribent nomina sua. Vide v. 10. ¶ *Et testificari facient testes* והעד עדים] *Et attestabuntur testes*, i. adhibebunt testes.

CASTALIO.

34. DEnominatam à me ædem suis sceleribus in ea ponendis polluerunt] Infandis simulacris.

CLARIUS.

5. DOnec visitem eum] Quando scilicet tollam animam ejus ab eo.

8. *Eme tibi agrum*] Sub figura empti agri in media obsidione spem futuræ liberationis ponit: quæ nostræ liberationis est typus. Notandum autem, Non fuisse licitum possessiones de Tribu in Tribum nec de familia in familiam transferre, nè confunderentur familiæ. Maximè autem suburbana Sacerdotum vendi non poterant usque ad annum redemptionis, nisi ei cui ex propinquitate sanguinis competebat, Levit. 25. Ait ergò, Etiamsi alteri venderem agrum, tibi competeret illum redimere, nè ad aliam transferretur Tribum: quantò magis igitur teneris emere eum?

10. *Et scripsi in libro*] Intellige schedas. Fuerunt autem factæ duæ schedæ, altera sigillo communita, altera ad ejus exemplum bonâ fide descripta, quæ Judicum calculo confirmabatur. Jubentur autem hæc fieri ut piis & credulis daretur magnæ fiduciæ argumentum de reditu, qui tam certò omnia fieri videbant ac si nullus urgeret hostis. Impiis autem & incredulis frivolum & stultum videbatur, præsertim cùm hostis jam omnia occuparet.

16. *Et oravi*] Videbatur vereri Jeremias nè Prophetiæ dignitas contemneretur, dum misericors Deus revocat interdum minas, & non affligit, ut pollicitus erat. Proinde ut certior redderetur, ad preces se convertit, & discere cupit quid sibi velit præposterum illud præceptum juxta sapientiam carnis. Porrò cùm multa verba præmittat, ostendit se non diffidere de Omnipotentia. Deinde certum se ait de Misericordia & Justitia, & propterea non orare tanquam dubium vel ignorantem.

20. *Sicut est dies hæc*] h. e. *Tam verè quàm est dies hæc*.

24. *Acciderunt ut tu ipse cernis*] Vel aptiùs, *Quod argumentum est te omnia videre*.

31. *A die quâ ædificaverunt eam*] h. e. A tempore Salomonis, qui instauravit eam, cœperunt exstruere excelsa, uxoribus ejus eum ad idololatriam impellentibus.

37. *Ecce ego congregabo eos*] Exponitur de reditu à Babylone. Sed illa non est per omnia impleta Prophetia, sed in congregatione Christianæ Ecclesiæ & in secundo adventu verè pergemus in civitatem Jerusalem.

DRUSIUS.

5. עַד־פָּקְדִי אֹתוֹ נְאֻם־יְהוָה כִּי תִלָּחֲמוּ אֶת־הַכַּשְׂדִּים לֹא תַצְלִיחוּ] ἕως ὃ ἐπισκέψωμαι αὐτὸν, λέγει Κύριος. ἐὰν δὲ πολεμήσητε πρὸς τοὺς Χαλδαίους, οὐκ εὐοδωθήσεσθε, *donec visitavero eum*, *dicit Dominus*. *Quòd si bellaveritis contra Chaldæos*, *non prosperabimini*] Hieron. *Quòdque sequitur*, donec visitem eum, ait *Dominus*. Et si pugnaveritis adversùs Chaldæos, nihil prosperum habebitis, *in Lxx non habetur*.

24. וְהַדָּבֶר] Alibi est καὶ λοιμῷ, & alibi καὶ τῷ θανάτῳ. Solet autem *mortis* vocabulo Pestilentia significari. Chaldaicè מותא dicitur. Taceo duas interpretationes esse λοιμῷ καὶ θανάτῳ· nam λοιμὸς *pestilentia*.

29. וּבָאוּ. A. καὶ εἰσελεύσονται *& ingredientur*] Priùs erat in Lxx καὶ ἥξουσι *& venient*. Hieron. *Meliùs Aquila, qui pro eo quod scriptum est* venient *transtulit* εἰσελεύσονται, *h. e.* ingredientur civitatem. *Neque enim absentes erant ut venirent, quippe qui circumdederant Jerusalem*. Et mox, *Verbum enim Ebraicum* ובאו *ambiguitate sui & venient & ingredientur sonat*.

30. אַךְ. A. πλὴν *veruntamen*. Symmachi prima ed. & Th. μόνον *soli*. Sym. secunda ed. διόλου *jugiter*] Hieron. *Verbum Ebrai-*

Ebraicum אך *Aq. interpretatus est* πλὴν, *quod conjunctionem sign.* veruntamen, *Symmachi prima editio & Lxx & Theodotio solos interpretati sunt: secunda quippe Symmachi vertit* διόλου, *quem & nos inpræsentiarum secuti sumus, ut diceremus* jugiter. ¶ בני ישראל אך ובני. υἱοὶ Ἰσραὴλ εἰ παραπικραίνουσί με ἐν τοῖς ἔργοις τῶν χειρῶν αὐτῶν, λέγει Κύριος, *filii Israel, qui* (Hieronymus addit *usque nunc*) *exacerbant me in operibus manuum suarum, dicit DOMINUS*] *Hoc in Lxx non habetur*, inquit Hieronymus, *& de Ebraico additum est.*

35. להעביר. A. & Sym *ut transducerent.* Th. *ut offerent*, τοῦ ἀναφέρειν] Hieron. *Pro* initiarent *in Ebraico scriptum est* הִעֲבִיר, *quod Aq. & Sym.* transducerent, *Lxx & Th. interpretati sunt* offerrent.

GROTIUS.

1. **I***Pso est annus decimus octavus Nabuchodonosor*] Vide suprà xxv. 1.

2. *Tunc exercitus Regis Babylonis obsidebat Jerusalem*] Jam per aliquod tempus obsederat, ut apparet 11 Regum xxv. 1.

Erat clausus in atrio carceris qui erat in domo Regis Juda] *In vestibulo carceris, paulò leniore custodiâ quàm in qua ante fuerat.* Ità hîc Hieronymus: qui & quod hic *atrium*, infrà 8. *vestibulum* vertit. Probatur hoc ipsum ex loco qui infrà est xxxvii. 15. 20.

5. *Ibi erit donec visitem eum*] Donec eum mortali vitæ eximam.

7. *Patruelis tuus*] In Hebræo, Chaldæo, Græco, *filius Sellum patrui tui.*

Eme tibi agrum meum qui est in Anathoth] Intelligit Hieronymus de horto aliquo suburbano, quales habere Levitæ poterant. Sed obstat lex Levit. xxv. 34. quæ talia prædia omnino negat posse vendi. Ergò potiùs sumendum de prædio aliquo, quod ab avia, aut proavia communi venerat. Nam mulieres, si fratres non haberent, heredes erant parentum, & si propinquus eas ducere nollet, nubebant aliis.

Tibi enim competit ex propinquitate ut emas] Sensus est: si alii vendidissem, tibi esset jus redimendi, ex lege Levit. xxv. 25. Quare ad evitandum hunc circuitum, tibi ante alios agrum hunc venalem offero.

8. *Tibi competit hereditas*] Nempe si ego sine liberis decederem.

Et tu propinquus es ut possideas] In Hebræo: *Et tibi redemtio.* Id est, si alii venderem tibi jus foret redimendi. Tu es גאל, ὁ ἀγχιστεύων [*redemptor*]. Græci hîc, σὺ πρεσβύτερος [*tu senior*], id est, *inter agnatos primus ordine.*

Intellexi autem quòd verbum Domini esset] Deus mihi revelavit hæc ipso dirigente fieri, ut meo exemplo populus de reditu certam conciperet fiduciam, videns à me agrum emi, qui ab hoste teneretur. Florus libro secundo, capite sexto: *Parva res dictu, sed ad magnanimitatem populi Romani probandam satis efficax, quòd illis ipsis, quibus obsidebatur, diebus ager quem Annibal castris insederat, venalis Romæ fuit, hastaque subjectus invenit emtorem.*

9. *Septem stateres & decem argenteos*] Chaldæus: *septem minas & decem argenteos nummos.* Nam שקלים [*siclos*] interpretatur מנין [*minas*]. Ergò שקל [*pondus*] cùm præponitur *nummis argenteis* aliud significat quam cùm ponitur per se.

10. *Et scripsi in libro*] Feci instrumentum emtionis & venditionis.

Et signavi] Clausum obsignavi annulo. Idem fecerunt testes.

Et appendi argentum in statera] Ut appareret perfectam fuisse solutionem, ac sic jus agri transiisse.

11. *Et accepi librum possessionis signatum, & stipulationes, & rata, & signa forinsecus*] Vertas optimè: *Accepi instrumentum venditionis signatum secundum leges & mores, & apertum*, supple *alterum*, quod erat ἴσον [*pariculum*], sive exemplum illius signati, ut apparet infrà 14. Hieronymus hoc loco, *Ut assumat libros, unum signatum, alterum apertum; quæ emptionum consuetudo hucusque servatur: ut quod intrinsecus clausum signacula contineat, hoc legere cupientibus apertum volumen exhibeat.* Quod hîc dicitur *possessionis*, positum est pro *emtionis*, ut & suprà 8. *posside* קנה est *eme*, quomodo & Chaldæus vertit.

12. *Baruch filio Neri*] Discipulorum suorum præcipuo.

Testium qui scripti erant in libro emptionis] Quorum nomina perscripta erant in tergo instrumenti.

Et in oculis omnium Judæorum qui sedebant in atrio carceris] Eorum scilicet qui ad videndum aut audiendum Jeremiam eò venerant.

14. *Pone illos in vase fictili, ut permanere possint diebus multis*] *Ne*, inquit Hieronymus, *vel foris positi paterent rapinæ, vel humo conditi humore terræ solverentur.*

15. *Adhuc possidebuntur*] *Ementur.*

17. *Non erit tibi difficile omne verbum*] *Res ulla.* Vide idem loquendi genus Lucæ 1. 37.

18. *Qui facis misericordiam in millibus*] Ex Decalogo.

19. *Magnus consilio, & incomprehensibilis cogitatu*] Lxx: δυνατὸς τοῖς ἔργοις [*potens operibus*]. nec aliter Chaldæus עלילות sunt *opera, actiones.*

Cujus oculi aperti sunt super omnes vias filiorum Adam]

——— καὶ Διὸς

Ὀφθαλμὸς ἐγγύς δ' ἐστὶ καὶ παρὼν πόνῳ.

[——— ——— ——— *Jovis*

Non dormit oculus, sed laboranti propè est.]

Ut reddas unicuique secundum vias suas, & secundum fructum adinventionum ejus] Qui non opera tantùm, sed & cogitata judicas ac repensas.

20. *Qui posuisti signa*] *Edidisti.*

Usque ad diem hanc] Celebrata scilicet.

Et in Israël, & in hominibus, & fecisti tibi nomen] Hic posterius & abundat more Hebræo. Illis factis ingens tibi nomen comparasti non apud Israëlem tantùm, sed etiam apud populos extraneos.

Sicut est dies hæc] *Sicut est hodie:* id est, nomen quale hoc tempore te habere apparet.

23. *Omnia quæ mandasti eis ut facerent, non fecerunt*] Omnes leges tuas proculcarunt.

24. *Ecce munitiones extructæ sunt adversum Civitatem, ut capiatur*] *Aggeres* habet hîc bene Chaldæus, obsidionales scilicet.

Urbs data est in manus Chaldæorum, qui præliantur adversus eam] *Qui eam oppugnant.* Ostendisti mihi te nihil opis adferre Urbi velle.

A facie gladii, & famis, & pestilentiæ] Id est, metu gladii, famis ac pestis oppugnant nos.

29. *Venient Chaldæi*] Rectiùs: *intrabunt*, Urbem scilicet, impetu facto.

In quarum domatibus sacrificabant Baal] *In tectis planis*, sive *solariis*, quæ erant vice excelsorum. Causas reddit cur Urbem passus sit exscindi. Vide suprà xix. 13.

30. *Qui usque nunc exacerbant me in opere manuum suarum*] Ne nunc quidem desinunt idolis servire.

31. *In furore & in indignatione mea facta est mihi civitas hæc*] *Urbs hæc facta est mihi* suscitabulum *iræ & furoris.*

A die qua ædificaverunt eam] Nam Solomon Urbis structuram perfecit: idem primus Regum ad idola se vertit.

32. *Prophetæ eorum*] Quos ipsi pro Prophetis habent.

33. *Verterunt ad me terga*] *Cervicem* in Hebræo. Vide suprà 11. 27.

Cùm docerem eos diluculo] Id est, summâ assiduitate; ut suprà xxix. 19.

34. *In domo in qua invocatum est nomen meum*] In Templo quod vocatur *Domus Domini* 11 Regum xxi. 4. 5.

35. *Ut initiarent filios*] Lustrarent trajiciendo per ignem. Vide quæ diximus ad Deuteronom. xviii. 10.

36. *Et nunc propter ista dicit Dominus*] Rectiùs vertas: *Attamen jam nunc dicit Dominus.*

37. *Habitare eos faciam confidenter*] *Securè:* ut suprà xxiii. 6.

39. *Et dabo eis cor unum & viam unam*] Faciam ut concorditer unam religionem profiteantur.

40. *Et feriam eis pactum sempiternum*] Suprà xxxi. 31.

Et non desinam eis benefacere, & timorem meum dabo in corde eorum ut non recedant à me] Sensus est: *Pluribus beneficiis reverentiam mei in animis eorum excitabo*, Ità locus hic interpres est ejus quem suprà habuimus xxxi. 33.

41. *Et lætabor super eis*] Cum his verbis connectenda sunt quæ sequuntur, *in toto corde meo, & in tota anima mea.*

Cùm bene eis fecero, & plantabo eos in terra ista in veritate] *Cùm bene eis fecero, & plantavero eos in terrà hac firma.*

43. *Et possidebuntur agri*] *Ementur*, ut suprà 15.

44. *Et scribentur in libris*] In instrumento.

Et imprimetur signum] Vendentis & ementis.

Et testis adhibebitur] Testes aliquot, ut suprà 10.

Et in civitatibus campestribus] שפלה. quod hic retinuère Græci Σεφηλά, *situm humilem* significat.

Et in civitatibus quæ ad Austrum sunt] Et hîc Græci retinuère נגב Ναγέβ. id pro *Meridie*, aut *Meridiano situ* sæpe sumitur. Describit omnes Judææ partes. Vide infrà xxxiii. 13. Confer Zach. vii. 7.

Qui

Quia convertam captivitatem eorum] Id est, captivos, sive exsules. Vide suprà xxx. 3.

CAP. XXXIII.

MUNSTERUS.

2. **Q**Ui *formas eam*] h. e. Dominus est qui reparabit & renovabit Urbem in ruinas collapsam, atque magnificabit quam priùs humiliavit.

5. *Eò quòd venerunt*] Hæc, inquit, est causa quòd domus Israel sunt *diruta & cadaveribus repleta*, quòd Jerosolymitani non aperuerunt portam Chaldæis, sed vi restiterunt illis: Ideo illi commoti impleverunt domos cadaveribus.

6. *Amplissimum pacem*] Kimhi exponit עתרת pro רוב, sicut nos vertimus. Posset etiam verti *pro impetrata pace*. Pertinent autem promissiones illæ veriùs ad Christum quàm reditum captivitatis de Babylone. Fuitque liberatio illa captivitatis Babylonicæ typus Redemptionis quæ per Christum est facta. Non enim fuerunt hæc quæ hic scribuntur impleta in populo Judæorum reverso è captivitate: id quod cuique facilè patet.

15. *Germen justitiæ*] Tam Judæi quàm Christiani confitentur hoc dictum de Meschia; sicut & suprà cap. 23. eadem ferè ponuntur verba.

16. *Vocabit eam*] Refertur *eam* ad *Jerusalem*, per quam hic Ecclesia designatur Christi, cujus justitia est justitia nostra. Ipse igitur vocat Ecclesiam suam DOMINUS JUSTITIA NOSTRA quòd ipse civibus suis suppeditet justitiam suam.

18. Quod sequitur de *Sacerdotibus* & *oblationibus* tu accipe in spiritu. Est enim Christi Regnum & Sacerdotium æternum, sicut firmæ sunt leges motuum Solis & Lunæ, unde consurgunt *dies & noctes*.

24. *Duæ cognationes*] Hæ sunt cognatio Davidica Regia & Aaronica Sacerdotalis, quæ regebant populum. Et quoniam in Captivitate videbantur *rejecta à Domino*, filii eorum contemnebant Israelitas, nec voluerunt imperare illis: unde factum est ut populus jam non esset populus, cùm nullum haberent rectorem. At Dominus dicit se semen illud suscitaturum, & illis præfecturum David, &c.

VATABLUS.

1. **E**T *fuit* ויהי] *Et factum est*. ¶ *In atrio custodia* בחצר המטרה] Vide cap. 32. 1.

2. *Qui facit eam* עשה] Præs. Heb. pro fut. *facturus est eam*, i. magnificaturus & amplificaturus est eam, auctturus dignitatibus & honoribus. ¶ *Ut stabiliat illam* להכינה] *Ut confirmet eam*: vel *disponat*: *præparet*.

3. *Et annunciabo* ואגידה] *Et indicabo*. ¶ *Et fortia* ובצורות Ad verb. *& munita*. Quidam *recondita*; alii *ardua & difficilia* exponunt.

4. *Ad domos* על־בתי] *De domibus*. Mox *domos Regum* appellat pluraliter, quòd Reges domum æstivam haberent & domum hibernam, alteram in Urbe, alteram extra Urbem. Vel *domos* dicit quòd in regia esset multiplex ædificium. ¶ *Qua destructa*, &c. הנתצים וגו׳] *Quæ destruentur* [vel *destruenda sunt*] *balistis & gladio*: vel, *aggeribus & bipenni*: aut *malleo*: ut אל pro ב ponatur. Chald. *quas demoliti sunt ut accumularent aggeres ad firmamentum murorum adversùs eos qui gladio trucidabant*. Quidam dicunt סללות fuisse instrumenta ferrea quibus dejiciebant muros. Vide c. 32. 24.

5. *Venerunt ut dimicarent* באים להלחם] i. Statuerunt, aut conati, sive ausi sunt dimicare. ¶ *Ad implendum eas* ולמלאם] Abundat ו hoc loco: nisi vertas *& ut implerent eas*, sub. *domos*. Relativum pro antecedente: i. *& ità efficerent ut implerent* [vel *replere facerent*] *domos cadaveribus*: sive in causa sint ut, multis Judæis cæsis, Chaldæi cadaveribus humanis domos Juda repleant. ¶ *Percutere feci* הכיתי] *Percussi*. ¶ *Et quia absconditi* ואשר הסתרתי] Alia est ratio. Quidam vertunt, *& quibus abdidi*, i. propter quos. Quidam per gerundium vertunt, *abscondendo faciem*, &c.

6. *Puro ipsi*, &c. מעלה לה ארוכה] Præs. Heb. pro fut. Ad verb. *ascendere facio* (pro *imponam*) [vel *adhibebo*] *ipsi Jerusalem medelam*, vel *cataplasma*: i. adhibito cataplasmate & medicinâ curabo eos. Qua sit hæc medicina mox sequentibus declarat, nempe *pacem & veritatem*. ¶ *Multitudinem pacis*, &c. עתרת שלום ואמת] i. Depromam eis multiplicem pacem, & stabo promissis. Hic declarat quæ esset illa *sanitas*: ut hic accipias ו sive & pro *id est*. Sequenti versu exponit quid per *veritatem* intelligat.

7. *Et redire faciam* והשבתי] Hic ו per *Nam* nonnulli vertunt, *Nam reducam*, ut declaret quid vocet *veritatem*, nempe impletionem promissionum.

9. *Gaudium* ששון] *Gaudii*: i. hâc ratione comparabo mihi famam gratissimam. ¶ *Faciam* עשה אתם] Præs. Heb. pro fut. *qua auditura sunt omne bonum quod facturus sum eis*: vel, *collaturus in eos*. ¶ *Et pavebunt & contremiscent* ופחדו ורגזו] *Et timebunt*, *conturbabunturque*: vel *trepidabunt*: aut *commovebuntur*. ¶ *Ei* לה] Nempe *captivitati*.

10. *Absque homine* מאין אדם] Ad verb. *à non homine*: i. eò quòd nulli sint homines, neque animalia, qui in ea habitent. Mox seipsum ampliùs exponit. ¶ *In civitatibus* בערי] Subaudienda conjunctio, *nempe*, *in civitatibus*.

11. *Confitemini Jehova* הודו את יהוה] *Laudate Jehovam*. ¶ *Offerentium* מבאים] Ad verb. *adducentium*, vel, *venire facientium*. ¶ *Confessionem* תודה] Sacrificium *laudis*. Dicunt Hebræi quòd *omnia sacrificia habitura sint finem excepto sacrificio laudis*.

12. *Accubare facientium gregem* מרביצים צאן] Ubi *facient accubare gregem*: i. adhuc erunt pastores pascentes gregem suum.

13. *Campestribus* השפלה] *Planitiei*, i. sitis in regione plana ac demissa. Topographia est terræ Juda, quæ partim est montana, partim plana, & partim versa ad Austrum. ¶ *Ad manus numerantis* על־ידי מונה] Solent pastores vesperi, cùm reducunt oves ad caulas numerare eas: q. d. Adhuc erunt pastores qui curam habebunt ovium suarum & gregis sui.

14. *Et confirmabo* והקמתי] *Et suscitabo*: *stabiliam*: i. futurum est ut adimpleam promissionem illam optimam & omnium excellentissimam quam feci ipsis electis.

15. *Germen justitiæ* צמח צדקה] i. filium justum.

16. *Confidenter* לבטח] *Securè*, i. in magna fiducia, & sine metu, nihil sibi timens ab hostibus. ¶ *Et iste qui vocabit eam* וזה אשר יקרא לה] i. *Iste* Christus *qui vocabit ipsam* Jerusalem, *est*, &c. Alii, *Et hoc est* nomen *quo vocabit* eum *illi*, i. in gratiam illius Jerusalem, sive Ecclesiæ: q. d. Pater in gratiam Ecclesiæ suæ indet nomen Christo, JEHOVAH JUSTITIA NOSTRA. ¶ *Justus noster* צדקנו] *Justitia nostra*.

20. *Irritum facere potestis* תפרו] *Dissolvere potestis*.

22. *Quemadmodum* אשר] Observa אשר pro כאשר adverbio Similitudinis. ¶ *Nec mensurari potest* ימד] i. Nullis mensuris capi.

24. *Nonne vidisti* הלוא ראית] *Considerastine*? ¶ *Abjecit* ויםאסם] Ad verb. *& abjecit eas*: ו convertit tantùm præt. in fut. pronomenque redundat. ¶ *Et populum meum despexerunt* ואת עמי ינאצון] Fut. Heb. pro præt. tanquam scilicet prorsus abjecerim illos. Alii, *& populo meo exprobrarunt*, sub. *Chaldæi*, aut potiùs *Judæi increduli*, non existimantes populum Judaicum ampliùs esse populum Dei, tanquam actum sit de eo, nec sit habendus pro gente ulla.

25. *Si non* אם לא] Sub. *non est firmum*: i. Si non sit ampliùs dies & nox, & cœli non moveantur, terráque non producat fructum suum.

CASTALIO.

2. **S**IC *dicit Jova ejus autor*, *Jova ejus formator ac compositor*] Sionis.

5. *Ad domos cadaveribus hominum replendas*] Sunt enim in causa ut multi occidantur, dum Babyloniæ Regi repugnant.

6. *Pacis fideique ornamentum aperiam*] עטרת legendum videtur, Teth secundâ literâ, ut *coronam* & *ornamentum* significet. Cujusmodi Translatio est Psal. 5. alioquin friget & cogitur sententia.

22. *Innumerabiles sunt cœlestes copiæ*] Stellæ.

24. *Quas duas Jova familias elegerit*, *easdem repudiasse*] Regalem & Sacerdotalem.

CLARIUS.

2. **Q**Ui *custos est ejus*] Heb. *Qui facit ipsam*, *Dominus est qui formas eam ut præparet eam*: h. e. Dominus est qui reparabit & renovabit Urbem in ruinas collapsam, atque magnificabit quam priùs humiliavit. Alius putat illud *qui facit eam* Hebraismum esse; ut alibi, *Et fecit Dominus Mosen & Aaron*, h. e. eos exornavit & gloriosos reddidit.

5. *Eò quòd venerunt*] Hæc, inquit, est causa cur *domus Israel sint diruta & cadaveribus repleta*, quòd Jerosolymitani non aperuerunt portam Chaldæis, sed vi restiterunt illis: ideo illi commoti impleverunt domos cadaveribus.

6. *Multitudinem pacis*] Promissiones illæ omnes quæ magnæ sunt ac rariores ad Christum pertinent, sub typo tamen de-

descriptæ. Nam illa quæ hîc promittuntur veriùs ad Christum pertinent quàm ad Reditum de captivitate Babylonica. Fuitque liberatio illa captivitatis Babylonicæ typus Redemptionis quæ per Christum est facta. Non enim fuerunt hæc quæ hîc scribuntur impleta in populo Judæorum reverso è captivitate: id quod cuique facilè patet.

7. *Ædificabo eos sicut*] Hæc locutio *sicut à principio* ubique ferè in Prophetis & aliis Scripturæ locis idem est quòd *multò magis quàm unquam antea.* Similiter cùm ait Moses, *Suscitabo vobis Prophetam similem mihi*, significari vult multò majorem se.

11. *Reducam enim*] h. e. Restituam illi faciem pristinam. *Conversionem* verò Interpres sæpe vertit pro *captivitate.*

13. *Ad manum*] h. e. Diligentissimè observantis nè quid desit.

15. *Germinare faciam*] Ut illud *David* sit dativi casûs, *ipsi David.* Tam Judæi autem quàm Christiani confitentur hoc dictum de Messia; sicut & supra cap. 23. eadem ferè ponuntur verba.

16. *Quod vocabit eam*] Refertur *eam* ad *Jerusalem*, per quam hîc Ecclesia designatur Christi, cujus justitia est justitia nostra. Ipse igitur vocat Ecclesiam suam DOMINUS JUSTITIA NOSTRA quod ipse civibus suis suppeditet justitiam suam.

18. Quod sequitur de *Sacerdotibus* & *oblationibus* tu accipe in spiritu. Est enim Christi Regnum & Sacerdotium æternum, sicut firmæ sunt leges motuum Solis & Lunæ, unde consurgunt *dies ac noctes.*

24. *Duæ cognationes*] Hæ sunt cognatio Davidica Regia & Aaronica Sacerdotalis, quæ regebant populum. Et quoniam in Captivitate videbantur *rejectæ à Domino*, filii eorum contemnebant Israelitas, nec voluerunt imperare illis: unde factum est ut populus jam non esset populus, cùm nullum haberent rectorem. At Dominus dicit se semen illud suscitaturum, & illis præfecturum David, &c. ¶ *Eò quòd non sit*] Despexerunt, inquit, paucas reliquias populi mei, tanquam qui minor sit quàm qui illorum judicio in gentem excrescere unquam possit.

26. *Jacob & David*] Utrique enim facta fuit Regni æterni promissio.

LUCAS BRUG.

16. IN *diebus illis salvabitur Juda, & Jerusalem habitabit confidenter.*] Multi codices scribunt *Israel*, *Et Israel habitabit confidenter*: verùm optimi, Hebræo, Chaldæo Græcóque conformiter, *Jerusalem* legunt; id quod Epanorthotes noster & reliqui Correctores amplexi sunt.

Sequitur, *Et hoc est nomen quod* [*quo* 1 MS.] *vocabunt* [*vocabit* 3 MS.] *eum* [*eam* 1 MS.] *Dominus justus noster.*] Vocem *nomen* jugulant MSS. nostrorum præstantissima, Brugense, Leodiense & Lobiense: sed Lobiense quidem legit, *Et hoc est quod vocabunt eum*; Leodiense verò, *Et hoc est quod vocabit eum*; Brugense, *Et hoc est quod vocabit eam.* Brugensi MS. consonant quinque Parisiensium exemplaria, Di. o. I.. Ge. o. l. p. & quinque Hentenii. Atque hunc legendi modum Epanorthotes probavit: eum autem qui Leodiensis est codicis Dominicani secuti sunt. Porrò quem Epanorthotes probavit, prototypo Hebraico is convenit, וזה אשר יקרא לה, i. *& hic qui vocabit eam*, vel, *& hoc quod vocabit eam* (sequitur, יהוה צדקנו *Dominus justitia nostra*, vel, *justus noster*:) quare ille genuinus videtur.

Fuit locus iste demutatus ex altero simili, qui est c. 23. superiori: sic enim ibi legitur v. 6. ex nostra editione, *In diebus illis salvabitur Juda, & Israel habitabit confidenter, & hoc est nomen quod* [*quo* Lob. Hier. Richel.] *vocabunt eum, Dominus justus noster.* Hebraicè ad similem est modum, וישראל ישכן לבטח וזה שמו אשר יקראו יהוה צדקנו, quod est, *& Israel habitabit in confidentia, & hoc nomen ejus quod* [vel *quo*] *vocabunt, Dominus justus noster*; aut, si legas יקרא ut in punctatis est Bibliis, utque Lxx legere (id quod ex Græcis antigraphis & Hieronymi commentariis liquet) *Et hoc nomen ejus quod* [vel *quo*, vel *qui*] *vocabit eum, Dominus justus noster.* Hieronymus commentariis suis testatum reliquit se יקרא legisse. Ex eo igitur loco hîc, in quibusdam Vulgatæ editionis codicibus, mutatum in primis est *Jerusalem* cum *Israel*; deinde addita est vox *nomen*, præterea *vocabit* in *vocabunt* est transformatum; denique *eum* pro *eam* substitutum: fuit enim vicesimi tertii capitis lectio scribis notior, quod ea in sacro tempore, quod *Adventum* vocat Catholica Ecclesia, quotidie legatur canatúrque.

Porrò nonnulli Interpretes ità ferè tricesimo-tertio capite ut vicesimo-tertio est vertunt: & quidem recentiores nonnulli hoc modo, *Et est nomen quo vocabit eum illi* (scilicet Jerusalem sive Ecclesiæ) qui in Hebraicis scholiis adfertur. Inter veteres Lxx (ut certè in Regia & Complutensi editione est) transtulerunt, καὶ τοῦτό ἐστι τὸ ὄνομα ὃ καλέσουσιν αὐτῷ, *Et hoc est nomen quod vocabunt ei.* In aliis editionibus, quas viderim, tricesimi tertii capitis posteriorem partem invenire haud potui. Apud Theodoritum legitur, *Et hoc est nomen quo vocabitur.* Chaldæus Paraph. sic reddit, *Et hoc nomen ejus, quo ipsi vocantes eum*: sic enim in regio opere legimus, ודין שְׁמֵהּ דיהון קָרַן לֵהּ. Sed meliùs, nostrâ sanè sententiâ, in Venetis Bibliis punctatum est, שְׁמָהּ לַהּ, ità ut sit, *Et hoc nomen ejus quo ipsi vocantes eam*, Hebræo conformiter. Nam sequitur, *Fient nobis justitiæ à præsentia Domini in medio ejus*: quod nomen personæ non convenit, sed aptè loco quadrat, ipsi Jerusalem, cujus mentio proximè antecedit: quare & non בְּגַוֵּיהּ sed בְּגַוַּהּ scribendum est, ut mihi esse videtur, tam in Regia quàm in Veneta editione. Vicesimotertio capite dixit paraphrastes, *Fient nobis justitiæ à præsentia Domini in diebus ejus*: illi itaque loco masculini generis puncta congruant, ac verè congruunt. Hi igitur Interpretes ad eum ferè modum tricesimotertio capite transtulerunt quo vicesimotertio legitur: nimirum quòd existimarint tricesimitertii capitis locum ex eo qui in vicesimotertio similis est interpretandum. Cæterùm non ità & nostrum Interpretem Hieronymum convertisse tricesimotertio capite ut vicesimotertio, ex melioribus fidéque dignioribus libris discimus.

DRUSIUS.

14. הנה ימים וגו׳. Ἰδοὺ ἡμέραι ἔρχονται, λέγει Κύριος, καὶ ἀναστήσω τὸ ῥῆμα τὸ ἀγαθὸν ὃ ἐλάλησα ἐπὶ τὸν οἶκον Ἰσραὴλ καὶ ἐπὶ τὸν οἶκον Ἰούδα, *Ecce dies veniunt, dicit* DOMINUS, *& suscitabo verbum bonum quod locutus sum ad domum Israel & ad domum Juda.*

15. בימים ההם וגו׳. Ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις καὶ ἐν τῷ καιρῷ ἐκείνῳ βλαστῆσαι ποιήσω τῷ Δαυὶδ βλαστὸν δικαιοσύνης, καὶ ποιήσει κρῖμα καὶ δικαιοσύνην ἐν τῇ γῇ, *In diebus illis & in tempore illo germinare faciam Davidi germen justitiæ, & faciet judicium & justitiam in terra*] Post βλαστὸν δικαιοσύνης legitur in ed. Complut. καὶ βασιλεύσει βασιλεὺς, καὶ συνήσει, *& regnabit Rex, & intelliget*: ut ante hæc verba in Theodoreto ἀνατελῶ κέρας τῷ Δαυὶδ, *exoriri faciam cornu Davidi.* Consule sis ed. Rom. Nam indè hæc descripsimus.

16. בימים ההם וגו׳. Ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις σωθήσεται Ἰούδας, καὶ Ἱερουσαλὴμ κατοικήσει πεποιθότως, καὶ τοῦτό ἐστιν τὸ ὄνομα ὃ καλέσουσιν αὐτῷ, Κύριος δίκαιος ἡμῶν, *In diebus illis salvabitur Judas, & Jerusalem habitabit confidenter, & hoc est nomen quo vocabunt eum*, DOMINUS JUSTUS NOSTER] In Theodoreto ὃ κληθήσεται *quod vocabitur.* In eodem δικαιοσύνη ἡμῶν. Vide quæ notavimus ad c. 23.

17. כי־כה אמר וגו׳. Ὅτι οὕτω λέγει Κύριος, Οὐκ ἐκλείψει τῷ Δαυὶδ ἀνὴρ καθήμενος ἐπὶ τοῦ θρόνου Ἰσραὴλ, *Quia sic dicit* DOMINUS, *Non deficiet Davidi vir sedens super thronum Israel*] Alibi ἐξολοθρευθήσεται.

18. ולכהנים וגו׳. Καὶ ἐκ τῶν ἱερέων καὶ Λευιτῶν οὐκ ἐκλείψει ἀνὴρ ἐνώπιόν μου προσφέρων ὁλοκαύτωμα καὶ θυμιῶν δῶρον καὶ ποιῶν θυσίαν πάσας τὰς ἡμέρας, *Et de Sacerdotibus & Levitis non deficiet quisquam coram me offerens holocaustum & adolens donum & faciens sacrificium omnibus diebus*] Theodoretus, ἐξολοθρευθήσεται.

19. ויהי דבר־יהוה אל־ירמיהו לאמר. Καὶ ἐγένετο ῥῆμα Κυρίου πρὸς Ἱερεμίαν, λέγων, *Et fuit verbum* DOMINI *ad Jeremiam, dicens.*

20. כה אמר וגו׳. Οὕτω λέγει Κύριος, Ἐὰν ἀθετηθήσεται ἡ διαθήκη... ποιήσητε τὴν διαθήκην μου τὴν μετὰ τῆς ἡμέρας, καὶ τὴν διαθήκην μου τὴν μετὰ τῆς νυκτὸς, ὥστε μὴ εἶναι ἡμέραν καὶ νύκτα ἐν τῷ καιρῷ αὐτῶν, *Sic dicit* DOMINUS, *Si irritum feceritis testamentum meum quod cum die, & testamentum meum quod cum nocte, ut non sit dies & nox in tempore suo.*

21. גם בריתי וגו׳. Καὶ ἡ διαθήκη μου ἠθετημένη ἔσται μετὰ τοῦ Δαυὶδ τοῦ δούλου μου, ὥστε μὴ εἶναι ἐξ αὐτοῦ υἱὸς βασιλεύων ἐπὶ τοῦ θρόνου αὐτοῦ, καὶ μετὰ τῶν Λευιτῶν καὶ ἱερέων λειτουργῶν μου, *Et testamentum meum irritum erit cum David servo meo (ut non sit ex eo filius regnans super thronum ejus) & cum Levitis & sacerdotibus ministris meis.*

22. אשר לא וגו׳. Ὥσπερ οὐκ ἀριθμηθήσεται ἡ στρατιὰ τοῦ οὐρανοῦ, καὶ οὐ μετρηθήσεται ἡ ἄμμος τῆς θαλάσσης, οὕτως πληθυνῶ τὸ σπέρμα τοῦ Δαυὶδ τοῦ δούλου μου καὶ τοὺς Λευίτας τοὺς λειτουργούς μου, *Sicut non numerabitur militia cœli, & non mensurabitur arena maris, sic multiplicabo semen David servi mei, & Levitas ministros meos.*

23.

23. וַיְהִי דְבַר־יְהוָה אֶל־יִרְמְיָהוּ לֵאמֹר. Καὶ ἐγένετο ῥῆμα Κυρίου πρὸς Ἱερεμίαν, λέγων, *Et factum est verbum* DOMINI *ad Jeremiam, dicens.*

24. הֲלוֹא רָאִיתָ וגו׳. Οὐκ εἶδες τί ὁ λαὸς οὗτος ἐλάλησε, λέγων, Δύο συγγενείας ἃς ἐξελέξατο ὁ Κύριος ἔξωσεν αὐτάς, καὶ τὸν λαόν μου παρώξυναν, ἵνα μὴ ᾖ ἔθνος ἐνώπιον αὐτῶν, *Non vidisti quid populus iste locutus sit, dicens, Duas cognationes quas elegerat* DOMINUS *expulit eas, & populum meum irritaverunt, ut non sit gens coram eis*] *Vidisti.* i. audivisti. Sic alibi, *Et populus videbat voces.* Sic apud Nonium, *Vox illius certè est: idem omnes cernimus.* † *Cognationes: familias, gentes.* † *Et populum: quæ populum.*

25. כֹּה אָמַר וגו׳. Οὕτω λέγει Κύριος, Ἐὰν μὴ ἦν ἡ διαθήκη μου τῇ ἡμέρᾳ καὶ τῇ νυκτὶ, καὶ νόμους τοῦ οὐρανοῦ καὶ τῆς γῆς μὴ ἔθηκα, *Sic dicit* DOMINUS, *Si non esset testamentum meum cum die ac nocte, & leges cæli ac terræ non posuissem.*

26. גַּם־זֶרַע וגו׳. Οὕτως τὸ σπέρμα τοῦ Ἰακὼβ καὶ Δαυὶδ τοῦ δούλου μου ἔξωσα ἂν, ὥστε μὴ λαβεῖν ἐμὲ ἀπὸ τοῦ σπέρματος αὐτοῦ ἄρχοντας ἐν τῷ σπέρματι τοῦ Ἀβραὰμ καὶ τοῦ Ἰσαὰκ καὶ τοῦ Ἰακώβ. ὅτι ἀναστρέψω τὴν αἰχμαλωσίαν αὐτῶν, καὶ ἐλεήσω αὐτοὺς, *Sic semen Jacob & David servi mei expulissem utique, ut non acciperem de semine ejus Principes in semine Abraham & Isahac & Jacob. Quia reducam captivitatem eorum, & miserebor eorum.*

GROTIUS.

1. SEcundò, *cùm adhuc clausus esset in atrio carceris*] *Secundò, Ex quo clausus erit in vestibulo carceris.* Sæpe aliàs multa ei Deus patefecerat; sed hoc ei alterum contigit in palatino carcere.

3. *Clama ad me, & exaudiam te, & annuntiabo tibi grandia ac firma quæ nescis*] Id est, si me ores, multa futura certa tibi dicam.

4. 5. *Hæc dicit Dominus Deus Israël ad domos urbis hujus, & ad domos Regis Juda quæ destructæ sunt, & ad munitiones, & ad gladium venientium ut dimicent cum Chaldæis, & impleant eas cadaveribus hominum*] Hæc obscuriora sunt, quæ sic ex sensu Græcorum & Chaldæi optimè interpretaberis: *Hæc dicit Dominus Deus Israël ex occasione domuum urbis hujus, etiam domuum Regum Juda, quæ dirutæ sunt ut inde vallum fieret* (nam in obsessis urbibus, ubi vallum exterius hosti cessit, fit vallum interius, & in id non domus tantùm, sed & palatia diruuntur. Vide Nahum. III. 14) *& eorum qui gladio armati eunt ut pugnent cum Chaldæis; nempe ut impleant illas* (domos scilicet dirutas, aut eorum areas) *cadaveribus hominum*, popularium scilicet suorum. Illud *ut* hic, ut alibi sæpe, est non τελικὸν [*significativum præpositi*], sed ἐκβατικὸν [*eventûs*]. non enim hoc agebant, sed hic futurus erat exitus.

Quos percussi in furore meo] *Quos* (Hierosolymitas) *percutiam* (nempe per Chaldæos) *iratus.*

Abscondens faciem meam à civitate hac] Favorem meum ab illis auferens.

6. *Ecce ego obducam eis cicatricem*] Suprà XXX. 17.

Et sanitatem] Ità ut nulla maneat suppuratio.

Et revelabo illis deprecationem pacis & veritatis] Sensus est, ut ex Græco & Chaldæo intelligi potest, *Docebo eos quomodo apud me deprecari supplicium possint, & impetrare salutem firmam:* nempe *vitam corrigendo*, quomodo hic explicat Chaldæus.

7. *Et convertam conversionem Juda*] *Redire faciam captivos*, ut suprà XXXII. 44.

Ædificabo eos sicut à principio] Faciam habitent, ut olim. Sic suprà XXXI. 4.

8. *Et emundabo illos ab omni iniquitate sua*] Id est, pœnarum finem faciam; ut sequentia explicant. Sic enim טהר [*mundare*], & καθαρίζειν [*purgare*] sumuntur sæpissime.

9. *Cunctis gentibus terræ*] *Apud omnes gentes terræ.*

Et pavebunt & turbabuntur in universis bonis, & in omni pace quam ego faciam eis] *Pace*, id est, *felicitate. Pavebunt* autem, quia potentiam Dei & in Judæos benevolentiam tam manifestis signis agnoscent.

10. *Quem vos dicitis esse desertum, eò quòd non sit homo, nec jumentum*] Vide suprà XXXII. 43.

11. *Vox gaudii & vox lætitiæ, vox sponsi & vox sponsæ*] Vide suprà VII. 34. XVI. 9. XXV. 10.

Vox dicentium, Confitemini Domino exercituum, quoniam bonus Dominus, quoniam in æternum misericordia ejus] Hæc ipsa verba sumta ex Psalmo CXXXVI cecinisse Judæos reduces apparet Esdræ III. 11.

Portantium vota] In Hebræo, תודה [*confessionem*] id est, *victimas ad laudem Dei.*

Reducam enim conversionem terræ sicut à principio] *Reducam enim captivitatem*] (id est captivos) *terræ* (hujus, ut sint) *sicut olim.* Ut eodem modo sicut olim in hac ipsa terra vivant.

12. *Habitaculum pastorum accubantium greges*] Vide suprà XXXI. 12.

13. *In civitatibus montuosis*] Idem quod suprà XXXII. 44.

Transibunt greges ad manum numerantis] Virgilius,

Bisque die numerant alter pecus, alter & hædos.

Virgâ autem percutientes pecudum quamque caulâ exeuntem simul numerabant, Levit. XXVII. 32.

14. *Suscitabo verbum bonum*] Rata faciam promissa.

15. *David*] *Davidi.*

Germen justitiæ] Zorobabelem, germen Davidis; virum æqui amantem. idem habuimus suprà XXIII. 5.

16. *Salvabitur Juda*] Felix erit.

Jerusalem habitabit confidenter] Suprà XXXII. 37.

Et hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus] Idem sensus qui suprà XXIII. 6. nisi quòd ibi de populo, hîc de civitate agitur. Et ideo ibi est יקרא [*vocabunt eum*]; hîc verò יקרא לה [*vocabunt eam*], pro quo tamen & Græci & Chaldæus legegerunt לו [*eum*], & ad *Judam* referunt. Sensu sublimiore non Christiani tantùm, sed & Kimchi hoc ad Messiam refert.

17. *Non interibit de David vir qui sedeat super thronum domûs Israël*] *Non deerit:* οὐκ ἐκλείψει LXX, nec aliter Chaldæus. Et sic Græci כרת vertunt multis aliis in locis.

18. *Et de Sacerdotibus & Levitis non interibit vir à facie mea*] Est idem verbum: & significat, quanquam reduces plerique erunt ex Juda & Benjamine, tamen etiam numerum sufficientem Sacerdotum & Levitarum non defuturum qui sacra curent.

Et incendat sacrificium] In Hebræo, *adoleat.* מנחה, *μαναὰ*, id est, *partem de libo è simila.* Vide Levitici II.

20. *Si irritum potest fieri pactum meum cum die, & pactum meum cum nocte*] Hic ברית, *legem* sive *præceptum* potiùs quam *fœdus* aut *pactum* significat. Vide prolegomena nostra ad Euangelia. Confer & quæ suprà habuimus XXXI. 26.

21. *Et pactum meum irritum esse poterit cum David servo meo*] Promissio Davidi facta II Samuelis VII. I Paralipomen. XVII.

22. *Sicut enumerari non possunt stellæ cæli, & metiri arena maris*] Respicit loca Genes. XV. 5. XXVII. 17. XXVI. 4. & XXXII. 12.

24. *Quid populus hic locutus sit*] Συνεκδοχὴ [*Comprehensio*] id est, quidam de populo.

Duæ cognationes quas elegerat Dominus abjectæ sunt] Id est, Davidica & Aaronica; illa regia, hæc pontificia.

Et populum meum despexerunt, eò quòd non sit ultrà gens coram eis] *Ideo despexerunt populum meum, quòd eorum opinione gens ultrà non esset futura.* Nam ad rempublicam constituendam imprimis requiruntur ἡ κυρία ἀρχὴ [*potestas rerum Domina*], & ἡ ἱερωσύνη [*Sacerdotium*].

26. *Reducam enim conversionem*] Verte & hic *captivitatem*, ut suprà aliquoties. Nec aliter hic LXX, & Chaldæus.

CAP. XXXIV.

MUNSTERUS.

5. IN *pace morieris*] *Non gladio* aut violentâ morte, sed lecto decumbens morieris, & post mortem honor Regius tibi exhibebitur. Nam comburent super funus tuum more Regio aromaticas & odoriferas species & alia odoramentorum genera, quæ Hebræi בשמים & זנים מרקחים vocant: sicut de Asa legitur 2. Par. 16. 14. Unde & Hebræus textus hîc propriè habet *sic comburent tibi*, sub. *myropolæ.* R. S. tamen dicit quòd *olim super cadavera Regum combusserint* משכן וכלי תשמיש, i. *lectum & quicquid Veneri inservierit.*

8. *Ad prædicandum eis*] Sub. *servis & ancillis.* Inductus enim Rex per Prophetam prædicari fecit manumissionem servorum & ancillarum Hebræorum; quæ septimo quolibet anno fieri jubetur Exo. 21. ut *si quispiam emisset servum Hebræum, septimo anno dimitteret eum*, &c. Sed legem illam, sicut cæteras, populus rebellis contemnebat. Persuasus tamen à

Rege pepigit cum eo fedus ut dimitterent servos liberos; sed mox sententiam mutantes illos ad servitutem revocabant. Et quoniam nulla in eis inveniebatur misericordia in conservos, indigni fuerunt & ipsi misericordiâ Dei. Præceperat autem Deus illam manumissionem, quòd & ipsi liberati essent de servitute Ægyptiaca, atque ideo misericordes essent in proximum.

17. *Ego prædico vobis libertatem*] h. e. Ego vos manumitto, ut non sim Dominus vester, subtracturus protectionem meam à vobis, ut eatis in durissimam servitutem, nempe *in gladium, pestem & famem.*

18. *Cùm vitulum conciderint*] Hic erat ritus ineundi federis à priscis temporibus observatus, & à facto Abrahæ Gen. 15. desumptus. Dividebatur enim vacca in duas partes, & transibatur per medium earum; repræsentabatúrque per id devotio gravissima. Nam significabat ritus ille ut, si quis dolo malo discessisset à pollicitis, illum quoque secaret Dominus & occideret horrendè. Hodie simpliciùs agitur, digitis arrectis in cœlum cum gravi obtestatione, ut si quis discedat à federe, subtrahat Deus eidem auxilium suum.

21. *Qui recesserunt à vobis*] Recesserunt quidem à Jerusalem propter Ægyptios, qui pugnaturi contra Chaldæos venerant: sed devictis Ægyptiis redierunt Chaldæi, & expugnaverunt Jerusalem.

V A T A B L U S.

1. *Potestatis manûs ejus* ממשלת ידו] *Imperii manûs ejus*, i. regionis potestati ejus subditæ: h. e. Regna terræ quæ parebant ejus imperio. ¶ *Pugnarent contra Jerusalem* נלחמים על ירושלם] *Oppugnarent Jerusalem, & omnes*, &c.

2. *Do* נותן] Præs. Heb. pro fut. *traditurus sum.*

3. *Non evades*, &c. לא תמלט מידו] Ad verb. *non eripies te*, &c. ¶ *Et oculi tui*, &c. ועינך וגו'] Phrasis est Hebraica, pro, *venies in conspectum Regis, & te coram alloquetur.*

5. *Comburent tibi* ישרפו לך] *Adurent tibi*, sub. *aromata adorata*, sive *res odoriferas ac suavis odoris, in gratiam tuam, honoris causâ*, ut factum fuit in honorem eorum Regum qui te præcesserunt. In funeribus Regum Judæorum solebant comburere aromata. Vide 2 Par. 16. 14. ¶ *Et, Va domine* הוי אדון] In funere dicebant, *Hei adon*: q. d. *plangent te, vociferantes, O domine.* Prosequentur te Judæi captivi planctu regio, quo plangere solent dominos suos.

8. *Ut prædicaret eis* לקרא להם] *Ut indiceret illis*: voce scilicet præconis publicè denunciaret ut quisque servos suos manumitteret juxta Legem Domini Exod. 21. 2. Deut. 15. 12. Seipsum declarat v. seq. Alii, *proclamando eis*, nempe *servis libertatem.* Alii, *ut denunciaretur eis libertas*, vel *manumissio*: ut vides v. 15, & 16.

9. *Nè ullus*, &c. לבלתי עבד בם ביהודי אחיהו איש] Ad verb. *ut non uteretur eis tanquam servis, Judæo fratre suo unusquisque*: i. ut nemo uteretur operâ Judæi fratris sui tanquam servi, néve haberet eos ultrà pro servis. Quidam liberiùs sic vertunt, *nè ampliùs premeret eos servitute, Judæum scilicet fratrem suum.* Alii, *nè scilicet quis ex eis serviret Judæo fratri suo.* Sic etiam seq. versu verterunt. Verba Hebraica non sanè videntur id sonare quod verterunt, licèt idem sit sensus.

10. *Qui venerant in pactum* אשר באו בברית] Hebraismus, pro, *qui pactum inierant cum Rege.* Neque hîc rectè vertisse videntur qui transferunt, *qui venerant propter fedus.*

11. *Conversi autem sunt*, &c. וישובו אחרי כן וישבו] *Conversi sunt autem postea, & revocarunt*, i. pœnitentiâ ducti sunt, sive mutaverunt sententiam: q. d. *Mutatâ sententiâ reduxerunt*, sive *revocarunt eos*, i. redegerunt eos in servitutem pristinam. ¶ *Et subjugaverunt eos* ויכבשום] *Et subjecerunt eos*; vel *subegerunt: vi & violentiâ cœperunt.*

13. *De domo servorum* מבית עבדים] i. De loco ubi erant servi, sive servitutem serviebant.

14. *A fine* מקץ] i. Ineunte septimo anno, sive initio septimi anni: *in termino septimi anni*, h. e. anno septimo. Est enim duplex terminus cujusque rei, nempe *terminus à quo*, i. incipiens, & *terminus ad quem*, ut vocant, i. finiens. Nè autem interpreteris, *cùm exacti fuerint septem anni.* Nam Exo. 21. 2. scriptum est, *Si emeris servum Hebræum, sex annis serviet tibi, & septimo anno egredietur liber gratis.* Istorum verborum hîc mentionem facit. ¶ *Sed non* ולא] Hic ו pro *sed.*

15. *Et conversi eratis* ותשובו] i. Pœnitentiam egeratis, sive pœnituerat vos. ¶ *Ut prædicaretis* לקרא] *Prædicando*; vel, *cùm prædicastis*: vide v. 8. ¶ *Super quam*, &c. אשר נקרא שמי עליו] Ad verb. in *qua invocatum est nomen meum super eam*: i. quæ dicitur mea, vel de nomine meo: h. e. in Templo mihi dicato.

16. *Sed reversi*, &c. ותשובו ותחללו] *Sed mutatâ sententiâ profanastis*; aut *polluistis*, &c. ¶ *Et reduxistis* ותשבו] *Et revocastis.* ¶ *In animam suam* לנפשם] i. Pro arbitrio suo, aut sibi: ut scilicet abirent quò vellent. Hebraismus. ¶ *Et subjugastis eos* ותכבשו אתם] Vide v. 11.

17. *Proximo suo* לרעהו] *Socio suo*; *sodali suo*, i. fratri suo Hebræo. ¶ *Prædico vobis* קורא לכם] Præs. Heb. pro fut. *prædicaturus sum* [vel *prædicabo*] *vobis*, i. in perniciem vestram. ¶ *Libertatem* דרור] *Facultatem.* q. d. *Denunciaturus sum in perniciem vestram liberam facultatem invadendi vos, Gladio hostili, Pesti & Fami, ut perdant vos.* ¶ *Ad gladium*, &c. אל החרב אל הדבר ואל הרעב] *Gladio, & pesti & fami.* ¶ *In commotionem* לזועה] Verbum זוע significat *movere se subindè de loco ad locum, cùm præ metu diffugimus*: atque ità *commotio* hoc loco significabit *motum ad locum*: q. d. *qui ex vobis evaserint gladium, famem & pestem, dispergentur per alias nationes.* Significat & *commoveri* & *contremiscere*: juxta quam significationem *commotio* hîc significabit *metum, cujusmodi est cùm animo fluctuamus, & quid agendum nobis sit nescimus*: q. d. *efficiam ut omnium aliorum Regnorum homines auditâ calamitate vestrâ, commoveantur & contremiscant.*

18. *Vitulo* העגל] Sub. *mactato.* Alii in genitivo vertunt, repetitis præcedentibus verbis, *Verba federis, inquam, vituli*, i. icti mactato vitulo. In federe pangendo dividebant vitulum, & per medium transibant, significantes se optare emori ut ille vitulus erat cæsus si fedus frangerent. Idem fecit Abraham Gen. 15. 9.

21. *Et in manum* וביד] Hic ו pro *id est* ponitur. ¶ *Qui ascenderunt* העלים] i. Qui recesserunt à vobis, audito adventu Regis Ægypti.

22. *Præcipio* מצוה] Præs. Heb. pro fut. *præcipiam*; *mandabo.*

C L A R I U S.

5. *In pace morieris*] *Non gladio* aut violentâ morte, sed lecto decumbens morieris, & post mortem honor Regius tibi exhibebitur. Nam comburent super funus tuum more regio aromaticas & odoriferas species & alia odoramentorum genera.

8. *Prædicans eis libertatem*] Inductus enim Rex per Prophetam prædicari fecit manumissionem servorum & ancillarum Hebræorum, quæ septimo quoque anno fieri jubetur Exo. 21. *ut si quispiam emisset servum Hebræum, septimo anno dimitteret eum.* Sed legem illam, sicut cæteras, populus rebellis contemnebat; Persuasus tamen à Rege pepigit cum eo fedus ut dimitterent servos liberos: sed mox sententiam mutantes illos ad servitutem revocabant. Et quoniam nulla in eis inveniebatur misericordia in conservos, indigni fuerunt & ipsi misericordiâ Dei. Præceperat autem Deus illam manumissionem quòd & ipsi liberati essent de servitute Ægyptiaca, atque ideo misericordes essent in proximum.

17. *Ecce ego prædico libertatem*] h. e. Ego vos manumitto, ut non sim Dominus vester, subtracturus protectionem meam à vobis, ut eatis in durissimam servitutem, nempè *in gladium, pestem & famem.*

18. *Et dabo viros*] Ordo orationis est, *Dabo viros qui prævaricantur fedus meum, sicut vitulum quem conciderunt*, &c. In Templo enim immolarant, ritu celeberrimo diviso vitulo, per cujus partes utrinque oppositas incedebant, simúlque jurabant & se devovebant ut eveniret ipsis sicut vitulo si fedus rumperent. Dicit ergò, *Dabo vos sicut vitulum illum*, &c.

21. *Qui recesserunt à vobis*] Recesserant quidem à Jerusalem propter Ægyptios, qui pugnaturi contra Chaldæos venerant: sed devictis Ægyptiis redierunt Chaldæi, & expugnaverunt Jerusalem. Quocirca æquâ mensurâ rependit eis Dominus. Nam sicut vanâ libertate liberaverant servos, ità vanè confidunt se liberandos brevi discessu exercitûs Babylonici. Usque adeò displicet Deo immisericordia dominorum.

D R U S I U S.

1. וְכָל־מַמְלְכוֹת ארץ. καὶ πᾶσαι αἱ βασιλεῖαι τῆς γῆς αἱ ὑπὸ τῆς δυναστείαν τῆς χειρὸς αὐτοῦ, καὶ πάντες οἱ λαοὶ ἐπολέμουν, *universáque Regna terræ quæ erant sub potestate manûs ejus, & omnes populi bellabant.*

3. וּפִיהוּ אֶת־פִּיךָ יְדַבֵּר. Καὶ τὸ στόμα αὐτοῦ μετὰ τοῦ στόματός σε λαλήσει, *& os ejus cum ore tuo loquetur.*

4. אֵלֶיךָ. πρός σε *ad te.* ¶ לֹא־תָמוּת בֶּחָרֶב. Οὐκ ἀποθανῇ ἐν ῥομφαίᾳ, *Non morieris gladio.*

5. בְמִשְׂרְפוֹת אֲבוֹתֶיךָ. ὡς ἔκαυσαν τοὺς πατέρας σου· & mox יִשְׂרְפוּ. καύσονται *comburent.* Quæ manus imperita mutavit in ἔκλαυσαν & κλαύσονται· exstatque ea scriptura hodie in ed. Rom.

tan-

tanquam gemina Interpretum ό ῥ altera verò legitur in C. ex aliqua alia, ut opinor, editione. Nam non est dubium quin cæteri omnes, vel aliqui saltem, ità verterint. ¶ הוֹי אָדוֹן. In LXX Οὐαὶ κύριε, καὶ ἕως ᾅδου. Videntur esse duæ interpretationes. Una sincera, Οὐαὶ κύριε· altera corrupta ex ὦ ἀδών, aut καὶ ἀδών. Vide Rom. editionem.

7. הַנּוֹתָרוֹת. τὰς καταλελειμμένας, *quæ reliquæ erant*, aut *remanserant.*

8. אֲשֶׁר בִּירוּשָׁלִָם. τῇ ἐν Ἱερουσαλὴμ *qui Jerosolymæ.*

10. וַיִּשְׁמְעוּ. καὶ ἐπήκουσαν *obedierunt.* ¶ וַיִּשְׁמְעוּ וַיְשַׁלֵּחוּ. καὶ ἤκουσαν καὶ ἀφῆκαν *& audiverunt & dimiserunt.*

11. וַיָּשׁוּבוּ אַחֲרֵי וגו׳. Καὶ ἐπεστράφησαν μετὰ ταῦτα, καὶ ἀνήγαγον τοὺς δούλους καὶ τὰς παιδίσκας οὓς ἀπέστειλαν ἐλευθέρους, καὶ κατέπαιξαν αὐτοὺς εἰς δούλους καὶ παιδίσκας, *Et conversi sunt postea, & reduxerunt servos suos & ancillas quos dimiserant liberos, & subjectos redegerunt eos in servos & ancillas.*

18. אֲשֶׁר כָּרְתוּ לִשְׁנַיִם וַיַּעַבְרוּ בֵּין בְּתָרָיו. ὃν ἔκοψαν εἰς δύο μέρη, καὶ διῆλθον ἐν μέσῳ τῶν μερῶν (aliàs διχοτομημάτων) αὐτοῦ, *quem conciderunt in duas partes, & transiverunt in medio partium ejus.*

19. וְשָׂרֵי יְרוּשָׁלִַם. καὶ ἄρχοντες Ἱερουσαλὴμ, *& Principes Jerusalem*] Aliàs ἄρχοντας. ¶ וְכֹל עַם הָאָרֶץ הָעֹבְרִים בֵּין בִּתְרֵי הָעֵגֶל. καὶ πᾶς ὁ λαὸς (aliàs καὶ πάντα τὸν λαὸν) τῆς γῆς οἱ διῆλθον ἐν μέσῳ τῶν μερῶν τοῦ μόσχου, *& omnis populus terræ qui transierunt in medio partium vituli.* Aliàs *& omnem populum.*

20. וּבְיַד מְבַקְשֵׁי נַפְשָׁם. καὶ εἰς χεῖρας ζητούντων τὴν ψυχὴν αὐτῶν, *& in manum quærentium animam eorum.*

21. אֶתֵּן בְּיַד וגו׳. Δώσω εἰς χεῖρας ἐχθρῶν αὐτῶν καὶ εἰς χεῖρας ζητούντων τὴν ψυχὴν αὐτῶν, καὶ εἰς χεῖρας δυνάμεως βασιλέως Βαβυλῶνος τοῖς ἀποτρέχουσιν ἀπ᾽ αὐτῶν, *dabo in manus hostium ipsorum & in manus quærentium animam eorum, & in manus exercitûs Regis Babylonis, iis qui recedunt à vobis.*

GROTIUS.

1. VErbum quod factum est ad Jeremiam] Hic per ὑστέρον [*retrogressum*] causam reddit Propheta, ob quam à Sedecia in carcerem missus fuerat. Sunt enim hîc ipsa verba ob quæ Sedecias ei malè voluerat, ut didicimus capite XXXII.

5. *In pace morieris*] Non vi bellicâ.

Secundùm combustiones patrum tuorum Regum priorum comburent te, &, Væ Domine, plangent te] Nempe concedente id Rege Babylonis, quod Joakimo non contigerat, suprà XXII. 18.

7. *Lachis*] Vide Josuæ x. 31. II Paralip. XI. 9.

8. *Postquam percussit Rex Sedecias fœdus cum omni populo in Jerusalem*] Communi decreto statuerat impleri quod Lex jubebat, sed Judæi non observaverant. Vide Exod. XXI. 2. Deuteron. XV. 12.

11. *Et conversi sunt deinceps*] Mutarunt sententiam, cùm Chaldæi, auditâ famâ de adventu Ægyptii, obsidionem primam solvissent, ut legimus infrà 21. & XXXVII. 4. 5. 6. 7. 8. Sic & infrà hoc verbum sumitur 15. 16.

Et retraxerunt servos & ancillas] In servitutem, contra Legem.

15. *Ut prædicaretis libertatem*] Publicaretis, idque in Templo, ut sequitur.

17. *Ego prædico vobis libertatem, ait Dominus, ad gladium, & ad pestem, & ad famem*] *Ego publico adversùs vos libertatem gladio, & pesti, & fami.*

18. *Non observaverunt verba fœderis quibus assensi sunt in conspectu meo*] Id est, in Templo.

Vitulum quem conciderunt in duas partes, & transierunt inter divisiones ejus] *Vitulum concidendo in duas partes, & transeundo inter divisiones ejus.* De hoc more fœderum sanciendorum vide Genes. xv. 9. & quæ diximus ad Matth. XXVI. 28.

19. *Eunuchi*] *Eunuchos.*

Et omnis populus terræ] *Et omnem populum terræ.* Cohærent enim hæc cum eo quod sequitur, *Dabo eos in manus*, superfluente copula, more Hebræo.

21. *Et in manus exercituum Regis Babylonis, qui recesserunt à vobis*] Et redibunt scilicet, cognito ad sua rediisse Ægyptium.

22. *Ecce ego præcipio*] *Præcepturus sum*, id est, effecturus, ut illi Chaldæi redeant.

CAP. XXXV.

MUNSTERUS.

2. REchabitarum] Descendit familia Rechabitarum à remotissimo progenitore Jonadab, qui tempore Jehu vixisse putatur: Laudanturque filii ejus quòd parenti carnali constantiùs & in re difficiliori obedierint quam Israelitæ Patri cœlesti: redarguiturque eorum exemplo impietas populi Israelitici, qui & ob id damnandi prædicuntur à Domino, cujus mandata toties inculcata & prædicata à Prophetis respuunt & non servant. Dederat autem Jonadab posteris suis quatuor præcepta, *Ne* scilicet *biberent vinum*, *Ne colerent agros*, *Ne plantarent vineas*, & *Ne ædificarent domos ad inhabitandum*, *sed* quasi pastores & peregrini *viverent sub tuguriis*, ut si fames vel adversitas incideret possent liberi in aliam concedere regionem. Dispensasse tamen in uno leguntur, nempe quòd domos habitare cœperunt intra Jerusalem, idque metu hostium. ¶ *In unum triclinio-rum*] Est לִשְׁכָּה idem quod חדר, *conclave, camera, exedra, gazophylacium.*

4. *Thesauri*] Hebræi exponunt הסף pro כלי הבית וכלי היין *Vasis quibuslibet, ut sunt vasa domûs & pocula vinaria.* Jonathan vertit אמרכלא quod Kimhi exponit pro גזבר, i. *præfectus thesauri.* Significat vox ipsa & *limen.*

14. *Confirmata sunt verba*] In Hebræo est הוקם, *exsecutio data est verbis Jehonadab*, seu *rata facta*, &c.

VATABLUS.

2. REchabitarum הרכבים] *Rechabitæ* à *Rechab*, qui genus duxit ab Hobab, qui aliter dicitur *Jethro*, socero Mosis. Jonadab autem filius Rechab hæc præcepta filiis dederat, qui amicus Jehu Regis Israelis fuit, 2 Reg. 10. 15. ¶ *E cubiculis* הלשכות] *Cellarum*; *cubiculorum.* Erant parva cubicula exstructa in appendicibus Templi: i. in locum publicum & sacrum, saltem qui adjunctus erat loco sacro.

4. *Viri Dei* איש האלהים] i. Prophetæ. ¶ *Liminis* הסף] *Vasorum.* Sing. pro plurali: i. qui præerat servandis vasis Templi Domini.

6. *Et dixerunt* ויאמרו] *Quiresponderunt.* ¶ *Non bibemus vinum* לא נשתה יין] *Non bibimus vinum*, i. non soliti sumus bibere vinum: q. d. *sumus abstemii.* ¶ *Pater noster* אבינו] *Avi nostri*: ut referatur ad Rechab. A tempore Jonadab filii Rechab usque ad Regnum Joacim fluxerunt ferè trecenti anni.

7. *Nec erit vobis* לא יהיה לכם] i. Neque domus, neque agri neque vineæ erunt vobis, neque emptione, neque dono. ¶ *Sed in tabernaculis* כי באהלים] *Sed in tentoriis.* Observa כי pro *sed.* ¶ *In qua peregrinamini* אשר אתם גרים שם] Ad verb. in *qua vos peregrinamini ibi.* Redundat *ibi.* Erant isti peregrini, non ex genere Jacob.

10. *Atque obedivimus* ונשמע] *Paruimus itaque.* ¶ *Juxta omnia quæ præceperat* ככל אשר צונו] Hebraismus, *prorsus ut præceperat.*

11. *Cùm ascenderet* בעלות] i. Cùm cœpisset oppugnare. Occurrit tacitæ objectioni, *Cur igitur Urbem incolitis contra legem patris? Nunc quidem*, inquiunt, *habitamus in Jerusalem, sed coacti necessitate, ne scilicet perderet nos exercitus Babylonius si permansissemus in tentoriis.* ¶ *Venite* באו] *Agite.* ¶ *A facie exercitûs* מפני חיל] i. Propter exercitum: aut metu adventûs exercitus.

14. *Confirmatum est* הוקם] *Ratificatum. Exsecutioni mandatum est*: vel, *Exsecutum est mandatum.* ¶ *Quod præcepit* אשר צוה] *Qui præcepit.* ¶ *Manè surgendo & loquendo* השכם ודבר] Istud dicendi genus, cum eo quod seq. versu ponitur, *manè surgendo & mittendo*, habes suprà 25. 4. & 26. 5. & 29. 19.

15. *Obsecro* נא] *Nunc.* ¶ *Et habitabitis* ושבו] Imperat. Heb. pro fut. q. d. *hâc ratione fiet ut habitetis.*

16. *Quia* כי] Aut ad sequentia refertur כי, vel pro *Certè* accipitur. Quidam redundare existimant, propterea non vertunt. ¶ *Confirmaverunt* הקימו] *Adimpleverunt*, ut v. 14.

19. *Stans in conspectu meo* עומד לפני] i. *Non deerit de stirpe Jonadab filio Rechab ministrans mihi*, ut interpretatur Chaldæus P. Existimant Hebræi filias Rechabitarum nupsisse Levitis, & liberos ex illis natos ministrasse Domino in Templo. Verùm doctioribus magis probatur ut interpretentur, *Posteros Jonadab gratiâ & favore sum prosecuturus quamdiu illi vixerint; nunquam desinam memor esse nepotum Jonadab.* Eos quos amamus, non sinimus à conspectu nostro recedere: propterea dicunt, *Stans coram me*: acsi dicat, Ut non possunt homines non meminisse eorum qui semper observantur oculis ipsorum, sic

sic semper Rechabitarum memor ero, præ oculis illos semper habens.

CASTALIO.

4. **H**Ananis *Jegedeliæ filii, divini*] Vatis.

19. *Non deerit unquam Jonadabo*] De stirpe Jonadabi.

CLARIUS.

1. **V**Erbum *quod factum est*] Transit ad Prophetiam quam ante multos annos viderat, nempe ante annos plùs minùs 14 sub Rege Joacim.

2. *Vade ad domum Rechabitarum*] Rechabitæ dicuntur fuisse de familia Jethro soceri Mosis, à quo descendit Jonadab qui vixit sub Rege Jehu. Laudantúrque filii ejus quòd parenti carnali constantiùs & in re difficiliori obedierint quàm Israelitæ Patri cœlesti. Dedit autem Jonadab posteris suis quatuor præcepta; *Nè* scilicet *biberent vinum*; *Ne colerent agros*; *Nè plantarent vineas*; &, *Nè ædificarent domos ad inhabitandum*, *sed* quasi pastores & peregrini *viverent sub tuguriis*, ut si fames vel adversitas incideret possent liberi in aliam concedere regionem. Dispensarunt tantùm in uno, quòd domos habitare cœperunt intra Jerusalem, idque metu hostium.

8. *Obedivimus ergò*] Memorant suam obedientiam quam patri annis propemodum trecentis exhibuerunt.

18. *Stans in conspectu meo*] Cùm neque Judæi Templum interius adeant, nisi in ordine primorum Judicum electi, fit conjectura ex Rechabitis allophylis de ordine Judicum aliquos exstitisse, ut vir ex eis servire queat in sacrificiis obeundis. Alii autumant filias eorum locatas conjugio Sacerdotibus, & ex eis natos qui postea ministrarint. Verùm illud certiùs, quòd Vocatio Gentium fuerit adumbrata.

DRUSIUS.

14. עַד־הַיּוֹם הַזֶּה כִּי שָׁמְעוּ אֵת מִצְוַת אֲבִיהֶם. ἕως τῆς ἡμέρας ταύτης, ὅτι ἤκουσαν τὴν ἐντολὴν τοῦ πατρὸς αὐτῶν, *usque in diem hunc, quia audiverunt mandatum patris sui.*

15. הַשְׁכֵּם וְשָׁלֹחַ. ὀρθρίζων τὸ πρωῒ, καὶ ἀποστέλλων, *consurgens diluculo, & mittens.*

17. 18. יַעַן דִּבַּרְתִּי אֲלֵיהֶם וגו׳. διότι ἐλάλησα αὐτοῖς, καὶ οὐκ ἤκουσαν, καὶ ἐκάλεσα αὐτοὺς, καὶ οὐκ ἀπεκρίθησαν. Καὶ τῷ οἴκῳ τῶν Ῥαχαβὶμ εἶπεν Ἱερεμίας, Οὕτως εἶπε Κύριος, *eò quòd locutus sum ad eos, & non audierunt; & vocavi illos, & non responderunt. Et domui Rachabim dixit Jeremias, Sic dicit Dominus.*

GROTIUS.

1. **V**Erbum *quod factum est ad Jeremiam à Domino, in diebus Joakim filii Josiæ Regis Juda*] Ex occasione historiam rei multò antè actæ huic loco attexit, ut ostendat quàm graviter Deum offendant, qui leges ejus qualescunque violant, ut illi fecerant, qui in servitutem populares suos retraxerant.

2. *Vade ad domum Rechabitarum*] Id est, *ad familiam*. Ea antiquitus ex Cinæis erat orta, 1 Paralipomenon II. 55.

In unam exedram thesaurorum] *Exedram* dicere satis fuerat. Græci modò μίαν τῶν αὐλῶν [*unam aularum*], modò παστοφόριον dicunt. *Pastophorium* Hieronymus ad XXII Esaiæ interpretatur *thalamum in quo habitat Præpositus Templi*, speciem ponens pro genere. Sed quia in exedris illis & vestes Sacerdotum, & vasa asservabantur, ideo hîc dicitur *exedra thesaurorum*, & mox *gazophylacium*.

4. *Filiorum Hanan filii Jegedeliæ hominis Dei*] *Propheta*, ut hic Chaldæus. Sic eadem vocabula usurpantur II Regum IV. 7. 25. 40. VI. 6. & alibi.

Juxta gazophylacium Principum] Juxta exedram, in qua primi Sacerdotum cibum capiebant.

Super thesaurum] *Super exedram.*

Qui erat custos vestibuli] סף & *vasa* & *limen* significat. Priorem significatum hic amplectitur Chaldæus, qui habet אמרכלא. Eo nomine dicebantur in Templo septem arcarii, ad quos pecunia in usus Templi capitatim soluta, & res votivæ atque consecratæ deferebantur ab iis qui vocabantur גזבריא [*Collectores*]. Posteriorem cum Latino Græci, qui habent τοῦ φυλάσσοντος τὴν ὁδὸν [*custodientis viam*].

6. *Quia Ionadab filius Rechab pater noster*] *Patrem* vocant qui progenitor eorum fuerat ante annos trecentos. Fuerat enim hic Jonadab amicus Regis Jehu, ut videmus II Regum X. 15.

Præcepit nobis dicens: Non bibetis vinum] Si hoc præcipere progenitor posteris suis potuit, & laudem à Deo habent qui id observarunt, cur non Ecclesiæ Patres præcipere quædam poterunt, non per se necessaria, sed pro ratione temporum locorúmve utilia, aut ad vitandas mali occasiones, aut ad virtutum adminicula?

7. *In tabernaculis habitabitis*] In tentoriis, more ipsis avito, Judicum IV. 17.

Ut vivatis diebus multis super faciem terræ, in qua vos peregrinamini] Non erant enim de stirpe Jacobi; incolis autem talibus præcipuè vitanda invidia est.

11. *Cùm autem ascendisset Nabuchodonosor Rex Babylonis in terram nostram*] Quæri poterat, *Cur ergo in Urbe moramini contra Ionadabi interdictum?* occurrunt huic accusationi, & ajunt necessitate coactos se id fecisse: quòd terras omnes hostis teneret, neminem ibi patiens consistere. Præcepta ejus generis, cujus hoc fuit, amant ἐπιείκειαν [*æquitatem*] interpretem.

Et à facie exercitûs Syriæ] Nam Syri socii erant Chaldæorum.

14. *Prævaluerunt sermones Ionadab*] Auctoritatem apud posteros habuerunt.

Et non biberunt usque ad diem hanc] Per annos, ut diximus, trecentos.

16. *Firmaverunt igitur filii Ionadab filii Rechab præceptum patris sui*] Ratum fecerunt.

19. *Non deficiet vir de stirpe Ionadab filii Rechab stans in conspectu meo cunctis diebus*] Id est, *ministrans mihi*, ut ait Chaldæus, nempe Dei laudes canendo. Quod colligi videtur ex loco 1 Paralip. II. 55. ubi & hoc discimus, rediisse eos ab exsilio.

CAP. XXXVI.

MUNSTERUS.

2. **V**Olumen *libri*] Est מגלת idem quod גליל *scheda volubilis & in unum plicabilis*: sed cùm in eo scriptura exarata fuerit, vocatur ספר *liber*.

22. *Foculus*] Quidam exponunt אח pro מחתה *vase & foco mobili in quo ardet ignis*, alii pro מדורה *incendio* ipso, sicut & Jonathan נורא vertit. Porrò מבערת hîc est participium præteritum, sive Paul in conjug. Piel.

23. *Tres paginas*] Heb. *tres januas*; quòd videlicet folia libri, ut vulgò vocant, aperiantur & claudantur sicut janua quæ cardinibus adhæret.

28. *Scribe in eo omnia verba priora*] Voluit Deus denuò scribi verba sua, nè malitia humana videretur superare sapientiam Divinam. *Potiùs* enim *rueret cælum & terra quàm ut unus apex periret de verbis Domini quæ scripta sunt in Lege & Prophetis.* Rex autem exussit volumen, non justâ aliquâ causâ, sed veritatis & Prophetiæ odio, quasi Deus non posset ferre ut Jerusalem, locus tam sanctus, in captivitatem duceretur. Sed quid illi profuerit impietas sua rei exitus demonstravit. Nam scripti sunt contra eum multò plures sermones, & ipse cum toto Regno suo in captivitatem ductus est. Frustrà igitur resistere conatur humana infirmitas omnipotentiæ Divinæ. Quantò rectiùs egisset si deposito animi tumore, quo Principes in altum subvecti statum plerumque turgescunt, humiliter Prophetam Domini, imò Dominum ipsum, audisset? Sic enim & sibi & populo consuluisset, propitiúmque Dominum invenisset. Sed ubi impietas regnat, ibi Deus non agnoscitur. In Rege isto videmus exempla eorum qui exstinguere conantur verbum Domini, & nihil proficiunt, quin magis ac magis illud illustrant.

VATABLUS.

1. **A**Nno *quarto* בשנה הרביעית] Sub finem anni tertii Joacim Regis Judæ cœpit Nabuchodonosor comparare & conscribere exercitum contra Jerusalem, quam post nonum mensem quinti anni Regni Joacim, i. in fine quinti anni, aut initio sexti (tempus enim primæ expugnationis incertum est) expugnavit, & Joacim abduxit captivum, & simul cum eo Danielem & æquales ejus. Eodem anno quo abductus est captivus Joacim, rediit Jerosolymam pacto tributo, quod tribus annis tantùm pependit, i. sexto, septimo & octavo Regni sui. Postea tributum negavit Nabuchodonosori: unde ille rursus duxit copias contra Jerusalem, quam iterum cepit, & Joacim vinxit catenis ut Babylonem perduceretur: ad quam non pervenit, sed in ipso itinere obiit, & sepulturâ caruit. Anno quarto Joacim scripta fuit epitome Prophetiarum a Baruch & mense nono anni quinti Regni Joacim recitata fuit in cœtu populi qui convenerat in Templum, jejunii indicendi causâ ob adventum Chaldæorum, quos fama erat advenire contra Jerusalem. Indictum fuit jejunium & recitata fuit Prophetia ante obsidionem Urbis. Nam

infrà

infrà traditur crematam fuisse epitomen à Joacim, quòd contineret prædictionem adventûs Chaldæorum. His conciliantur inter se Daniel, cap. 1. & locus 2 Reg. 24. & hoc caput 36. Nabuchodonosor in primo adventu duos ferè annos consumpsit. Babylon abest ab Jerusalem itinere quatuor mensium: nam totidem mensibus reversus est Esdras à Babylone in Jerusalem, ut scriptum est 1 Esdr. 7. 8.

2. *Volumen libri* מגלת ספר] Volumen vocat *librum* à fine, postquam scilicet descriptum fuerit. *Volumen libri* dicit, i. membranam in qua commodè scribere possis, h. e. librum volubilem, Gallicè *un rolle de parchemin.* מגלה significat *corticem* aut *membranam in qua scribere solebant.* ספר autem *membrana* est *conscripta.* ¶ *Locutus sum ad te* דברתי אליך] i. Cœpi loqui tibi.

3. *Si fortè audiant domus* אולי ישמעו בית] Verbum plurale nomini singulari junctum tanquam collectivo. Quidam, *fortè audient*, i. attendent: sive attentiùs considerabunt. ¶ *Et propitius sim*, &c. 'וסלחתי וגו] *Et condonem eis iniquitatem ipsorum & peccatum ipsorum*: vel, *ignoscam eis.*

5. *Ego sum clausus* אני עצור] i. Ego vinctus detineor in carcere. Alii, *Ego prohibitus. Ego prohibeor.*

6. *In volumine* בכגלה] *De volumine.* ¶ *Ex ore meo* מפי] i. Me dictante. ¶ *Qui veniunt* הבאים] *Qui venerint*: aut *venturi sunt*, sub. *ad Templum indicto publico jejunio.* Nam epitome non fuit recitata eo anno quo descripta fuit, sed sequente, i. quinto Joacim.

7. *Si fortè cadat*, &c. 'אולי תפול וגו] Hebraismus, pro, *Si fortè precentur Judæi ex animo Dominum.* ¶ *Quam locutus est Jehovah* אשר דבר יהוה] i. In qua interminatus est Jehovah dira huic populo.

8. *Legendo* לקרא] *Ut legeret.* Alii, *legens scilicet.* ¶ *Verba Jehova* דברי יהוה] i. Prophetias Jeremiæ.

9. *Prædicaverunt jejunium*, &c. 'קראו צום וגו] *Indixerunt jejunium coram Jehovah*, i. in Templo, publicè ad placandum Dominum. Subaudiendum ו, &, vel אשר *ut prædicarent.*

10. *Legitque* ויקרא] *Tunc legit.* ¶ *Verba* דברי] i. Prophetias. Paulò antè vocavit *verba Jehova.* ¶ *Scriba* הסופר] Sub. *Regii*, i. Cancellarii Regii. ¶ Ad *ostium porta* פתח שער] In *introitu.* Ista erat porta Orientalis.

11. *Et audivit* וישמע] *Cùmque audivisset.*

12. *Ad cubiculum* לשכת] *In cellam: exedram.*

15. *Nunc* נא] *Quaso.*

16. *Fuit autem* ויהי] *Contigit autem.* ¶ *Unusquisque ad proximum suum* איש אל רעהו] i. Inter se. Hebraismus. ¶ *Nunciando nunciabimus* הגיד נגיד] *Indicando indicabimus*, i. indubiè indicabimus. Hebraismus.

17. *Nuncia nunc* הגד נא] *Indica, quaso. Expone.*

18. *Legebat* יקרא] Fut. Heb. pro præt. imperf. i. quasi legeret, loquebatur. Alii, *dictabat.*

20. *Commendaverunt* הפקידו] *Deposuerunt*, i. tanquam depositum reliquerunt. ¶ *Et nunciaverunt*, &c. 'ויגידו וגו] *Et renunciaverunt in auribus Regis*, i. audiente Rege: aut, ut alii, & exposuerunt Regi. Hebraismus.

21. *Ut caperet* לקחת] *Ut tolleret.* Alii, *ut afferret.*

22. *Sedebat* יושב] *Habitabat.* ¶ In *domo hiemali* בית החורף] i. In regia hiberna. ¶ *Et foculus* ואת האח] Docti inter Hebræos *foculum* exponunt, vel *ignem*, ut & Chaldæus P. Quidam vertunt *arulam* & *receptaculum in quo fovetur ignis.* Observa autem hoc loco את articulum esse nominativi, quod rarissimum est.

23. *Tres pagellas* שלוש דלתות] Impropriè loquitur, nullæ enim sunt pagellæ in volumine: i. quantum tres aut quatuor pagellæ continere possunt. Dicuntur *pagella* דלתות, quòd *claudantur* aut *aperiantur* ut *fores.* ¶ *Cultello scriba* בתער הסופר] *Scalpello quo utitur scriba.* תער est quod nunc vocant *cultellum pennarium*; Gallicè *un ganivet.*

24. *Sciderunt vestimenta sua* קרעו את בגדיהם] In signum scilicet mœroris quòd Dominus minaretur eis exitium.

26. *Abscondit autem* ויסתרם] *Verùm absconderat eos*; i. non potuerunt eos invenire.

27. *Volumen & verba* את המגלה ואת הדברים] i. Volumen in quo descripta erant verba, &c. Hebraismus.

28. *Revertere, tolle tibi* שוב קח לך] Hebraismus, in quo imperativa duo consequuntur sine copula, quorum prius Latini per adverbium efferunt, sic, *Rursum tolle.*

29. *In hunc modum* לאמר] *In hanc sententiam.* Ad verb. *dicendo.* ¶ *Veniendo veniet* בא יבוא] Geminatione verbi celeritatem aut certò aliquid futurum indicant Hebræi. Propterea quidam vertunt, *Certissimè veniet.* ¶ *Et cessare faciet ex ea* והשבית ממנה] Hebraismus, pro, *privabit ac spoliabit eam hominibus & jumentis.*

30. *Qui sedeat* יושב] i. Qui diu obtineat Regnum Juda, neque cadaver ejus sepelietur.

31. *Et visitabo* ופקדתי] i. Sumam pœnas de eo & servis ejus propter iniquitates eorum. ¶ *Super eos* עליהם] *Adversùs eos.* ¶ *Omne malum*, &c. 'כל הרעה וגו] i. Universam afflictionem quam prædixi eis. ¶ *Et non audierunt* ולא שמעו] i. Et non paruerunt Prophetis meis prædicentibus & monentibus.

32. *Libri* הספר] i. Voluminis conscripti: non enim dicitur *liber* nisi descriptus fuerit, ut dictum est v. 2. ¶ *Similia* כהמה] Ad verb. *sicut illa*, i. similia illis.

CLARIUS.

5. EGO *clausus sum*] Quod alii verterunt, *ego detentus*, vel *ego cohibitus sum.* Non quidem carcere, sed impeditus erat, nimirum à Spiritu Domini.

28. *Omnes sermones priores*] Voluit Deus denuò scribi verba sua, nè malitia humana videretur superare sapientiam Divinam. Nam *cœlum & terra transibunt*, *verba autem Domini non transibunt*, *neque Jota unum aut unus apex peribit de verbis Domini.*

DRUSIUS.

9. בשנה החמשית. ἐν τῷ ἔτει τῷ πέμπτῳ *anno quinto.*

20. ויבאו אל המלך. Aq. καὶ ἀπήντησαν τῷ βασιλεῖ, *& occurrerunt Regi*] Suspectum est.

22. בחדש התשעי. ἐν μηνὶ ἐννάτῳ *mense nono.*

24. ולא פחדו. καὶ οὐκ ἐξίστησαν] In ed. Rom. καὶ οὐκ ἐξήτησαν, & alibi additur Κύριον, *non quæsierunt Dominum.*

25. לבלתי שרף את המגלה ולא שמע אליהם. τοῦ μὴ κατακαῦσαι τὸ χαρτίον. καὶ οὐκ ἤκουσεν αὐτῶν, *de non comburendo volumine. Et non audivit eos.*

31. את עונם. τὰς ἀνομίας αὐτῶν *iniquitates eorum.*

32. מגלה אחרת ויתנה אל ברוך בן נריהו הספר. χαρτίον ἕτερον, καὶ ἔδωκεν αὐτῷ τῷ Βαρούχ υἱῷ Νηρίου τοῦ γραμματέως, *volumen aliud, & dedit illud Baruch filio Neria scriba.*

GROTIUS.

1. ET *factum est in anno quarto Joakim filii Josia Regis Juda: factum est verbum hoc ad Jeremiam à Domino*] Sicut Esaias vaticiniis suis subtexuit historiam rerum, per quas probata est vaticiniorum fides, capitibus XXXVI. XXXVII. XXXVIII. XXXIX: sic & Jeremias, cujus historia incipiet capite sequenti, & per aliquot capita decurret. Sed priusquam id faciat, præmittit narrationem rei gestæ jam olim, ex qua constaret Jeremiam non voce tantùm dixisse, sed & scripto, & quidem bis, consignasse omnia ea quæ evenisse deinde ostendet.

2. *Tolle volumen libri*] Sume tibi de membranis volubilibus quantum satis est.

4. *Baruch*] Discipulorum suorum potissimum, ut suprà notavimus XXXII. 12.

5. *Ego clausus sum*] *Detineor.* Jussus scilicet à Rege domi me continere.

6. *In die jejunii*] Quod Rex erat indicturus, infrà 9.

7. *Si fortè cadat oratio eorum in conspectu Domini*] *Cadere oratio* dicitur quæ fit à procumbentibus. Sic infrà XXXVIII. 26.

9. *Et universa multitudini qua confluxerat de civitatibus Iuda in Ierusalem*] Ex Regis edicto.

10. *Scriba*] Nempe Templi.

In introitu porta nova] De qua suprà XXVI. 10.

12. *Descendit in domum Regis ad gazophylacium scriba*] Ad exedram, scribæ regii.

Et ecce ibi omnes Principes sedebant] Primores aulæ.

Elnathan filius Achabor] Nominatus jam suprà XXVI. 22.

16. *Obstupuerunt unusquisque ad proximum suum*] Respexerunt se mutuò, perculsi tam gravium rerum denuntiatione.

18. *Ex ore suo loquebatur*, *quasi legens ad me*, *omnes sermones istos*] Distinctè, nihil hæsitans, omnia ista mihi dictavit.

19. *Vade, & absconde tu & Jeremias*] Erant hi viri non mali, & prospiciebant Regis iram. Vide infrà 25.

21. *Misit Rex Juda*] Hominem Regi similem, eóque ei individuum.

22. *In domo hyemali*] Mutabant enim Reges exedras pro anni tempore.

Posita erat arula] Id est, *batillus*: ἐσχάρα [*focus*] Græcis hîc, aliter πυρεῖον [*ignitabulum*]

23. *Tres pagellas, vel quatuor*] In Hebræo, *ostia.* Sic vocantur tituli lectionum. Idem est פתח in Chaldaico.

 Scidit

Scidit illud scalpello scriba] *Cultello scriptorio*, quod
— σμίλην δονάκων ἀκροβελῶν γλυφίδα,
[*Cultellumque aciem qui dat arundinibus*]
vocat Epigrammatarius Græcus. Alius,
Γλυφανοῦ καλάμων πλατὺ γλωχῖνα σιδήρου.
[*Et latum calamos aptas quod cuspide ferrum.*]
Rursus alius,
— χαλκὸν δονάκων τέκτονα λεπταλέων.
[*Et faber argutis culter arundinibus.*]
Alius, ——— σμίλης ὀξυτόμου κοπίδα.
[——— *chalybem scindere non hebetem.*]
Alius, ——— γλυπτῆρα σιδήρεον. ———
[——— *è ferro scalprum.* ———]

24. *Et non timuerunt*] Tantò pejores illis de quibus suprà 12. 16.

25. *Contradixerunt Regi, nè combureret librum*] *Deprecati sunt.* Sic habet Hebræum & Chaldæus.

26. *Abscondit autem eos Dominus*] Fecit nè inveniri possent.

28. *Tolle volumen aliud*] *Sume membranas alias.*

26. *Dicens*, *Quare scripsisti omnia*] Hoc est quod Rex jusserat dici Jeremiæ, si inventus esset: *Cur scripsisti in istam sententiam*, *Venturum Regem Babylonis*, &c. Nolunt Reges sibi vera dici.

30. *Non erit ex eo qui sedeat super solium David*] Id est, non manebit in solio Davidis ejus posteritas. Nam Jechonias filius ejus post trimestre regnum sine liberis decessit.

Et cadaver ejus projicietur ad æstum per diem, & ad gelu per noctem] Idem sensus qui suprà XXII. 18. 19.

31. *Quod locutus sum ad eos*] In isto volumine.

Et non audierunt] Noluerunt in animum admittere.

32. *Et insuper additi sunt sermones multò plures quàm antea fuerant*] In Hebræo: *Ut isti:* id est, simili argumento.

CAP. XXXVII.

MUNSTERUS.

1. *Nolite elevare animas vestras*] i. Nolite vobis polliceri spem vanam. Habent tamen quædam exemplaria hic ו cum Jamin, & tunc sign. *decipere*, sicut & Jonathan vertit, לא תטעון *nolite seducere.*

10. *Quò se illinc segregaret*] Nolebat manere in medio populi, timens nè denuò eum in carcerem conjicerent, præsertim cùm dixisset, *Etiamsi percusseritis Chaldæos, perfossi & semimortui resurgent & incendent civitatem vestram.* Chaldæus tamen vertit sicut Vulgata habet editio, nempe quòd *abierit ut divideret possessionem quam in Anathoth Benjamin in medio populi habebat.*

13. *Habens præfecturam*] Kimhi exponit בעל פקדת *vir numeratus* annumeratus scilicet portæ illi, vel habens præfecturam inter custodes illius portæ, quorum officium erat ut diligenter observarent nè quis dilaberetur ad Chaldæos, consulens saluti suæ.

16. *In cauponariam domum*] Sunt חנויות secundùm Kimhi *loca* שחונים שם האכסנאים *in quibus manent hospites.* In hoc igitur hospitio fuit lacus quidam, in quem conjectus fuit Propheta.

21. *Ex platea pistorum*] Kimhi exponit משוק האופים, sicut nos quoque vertimus: quod me quidam annotare coegit qui vertit *præter cibos coctos.*

VATABLUS.

3. *Et misit* וישלח] *Misit ergò*, audito scilicet rumore adventûs Chaldæorum.

4. *Ingrediebatur & egrediebatur* בא ויצא] i. Liberè versabatur, licebat ei liberè versari cum populo.

5. *Egressus est* יצא] *Egressus erat*, sub. *ut suppetias ferret Jerosolymitanis.* ¶ *Audierúntque Chasdim* וישמעו הכשדים] Hebraismus pro, *Cùm autem audissent*, sive *intellexissent*, *rumorem adventûs ejus*, *recesserunt ab Jerusalem*, *relictâ obsidione.* *Auditus* pro *fama* & *rumore.*

7. *Ad interrogandum me* לדרשני] *Ut consuleretis me.* ¶ *Reversus est* שב] *Revertetur*, sub. *re infectâ.*

9. *Animas vestras* נפשותיכם] i. Vosmetipsos, q. d. *Nolite ponere fiduciam in recessu Chaldæorum*, *tanquam non sint reversuri: nam etiamsi ex iis qui pugnant adversum vos confossi fuerint aliquot*, *& acceperint vulnera mortalia*, *adhuc tamen consurgent*, *& succendent*, &c. ¶ *Abibunt* ילכו] Fut. Heb. pro præt. *abierunt.* Quidam vertunt *indubiè recedent à nobis.* ¶ *Abituri sunt* ילכו] Sub. *non reversuri.*

10. *Oppugnant vos* הנלחמים אתכם] Ad verb. *qui præliantur vobiscum.* ¶ *Transfixi* מדקרים] *Confossi*, i. etiamsi aliquot ex eis acceperint à vobis vulnera lethalia, ut præcedenti versu.

12. *Ut segregaret se indè*, &c. 'לחלק משם וגו] Ad verb. *ut divideret seipsum inde in medio populi.* Quidam, *quò se illinc segregaret de medio populi:* & ב pro מן ponitur. Nolebat manere in medio populi, timens nè denuo eum conjicerent in carcerem, præsertim cùm dixisset, *Etiamsi percusseritis Chaldæos*, *perfossi & semimortui resurgent*, *& incendent civitatem vestram.* Alii, *ut elaberetur illinc in medio populi:* q. d. ut lubricaret seipsum instar rei lubricæ, quæ manibus teneri non potest: i. ut subduceret sese ex Urbe, admistus turbæ egredienti solutâ obsidione; tunc enim maximè elabi & eripere sese solent homines. Chaldæus P. quem secutus est V. Interpres, vertit quòd *abierit indè ut divideret possessionem quam habebat in Anathoth Benjamin in medio populi.*

13. *Cùm autem esset*, &c. 'ויהי הוא וגו] i. Cùm devenisset ad portam, ubi erat Præfectus custodum illius portæ, nomine *Irijah*, apprehendit eum, &c. *Porta Benjamin* dicebatur una ex portis Jerusalem, quòd illac irent in terram Benjamin, vel quòd porta illa sita esset in Tribu Benjamin. ¶ *Transfuga* נפל] Ad verb. *cadis:* i. tu vis deficere à nobis ad Chaldæos. Quidam vertunt *dilaberis.* Sequenti versu idem verbum repetitur.

14. *Falsum est* שקר] *Mendacium est:* q.d. *Non est verum me deficere à vobis ad Chaldæos.*

15. *Et percutere fecerunt* ויכו] *Et percusserunt.*

16. *Et in locum*, &c. ואל החנויות] *Et i ergastulis*, sive *hospitiolis:* i. in locum horrendæ foveæ & atræ, & ad cellulas ubi detinebantur vincti. Hæc arguunt carcerem domûs Jonathan fuisse tetrum atque horrendum.

17. *Num est verbum*, &c. היש דבר מאת יהוה] *Estne verbum Jehovæ?* i. Estne Prophetia quam prædixisti vera. ¶ *Præterea dixit* ויאמר] *Addiditque.* Ad verb. *Et dixit.*

20. *Cadat*, *obsecro*, *deprecatio* 'תפל נא וגו] Hoc genere dicendi usus est cap. 36. 7. Latini dicerent, *Sine ut impetrem quæ peto; sine te exorem.* At in activa voce, *prosternere orationem*, aut *facere cadere orationem*, est Humiliter supplicare, ut cap. 38. 26. ¶ *Et ne redire facias me* ואל תשיבני] Conjunctio & aut redundat, aut per *ut* vertenda, *ut nè præcipias me reduci:* vel *exaudi orationem meam*, *quæ est ut ne revertar*, &c.

21. *Et posuerunt* ויפקדו] *Tanquam depositum* scilicet. Idem verbum quod c. 36. 20. ¶ *Et dedit* ונתן] i. Curavit dandum. Alii, *dantes.* ¶ *Tortam* ככר] *Buccellam:* aut *frustum:* & ità Chaldæus P. i. portionem aliquam. ¶ *Mansit itaque* וישב] Sub. *usque ad expugnationem Urbis*, *durante obsidione.*

CASTALIO.

21. *Eique quotidie panis unus dabatur*] ככר *tortam* vertit Vetus, verè ille quidem, sed parùm Latinè. Significat enim Hebræum verbum *rem ità conformatam ut solent panes.* Itaque si pecunia est, vocatur *talentum*; si alia res est, vocatur *massa*, ut apud Virgilium,
— *Massam picis urbe reportat.*
Aut *gleba*, ut Cæsar *glebas picis* appellat. Sed *panis massam* aut *glebam* dicere vix ausim. Itaque malui dicere *unum panem*; quod idem est. Significat enim integrum panem, qui erat, ut videtur, ejus magnitudinis ut homini satis esset in diem. Galli ad verbum bene exprimunt, dicunt enim aliis in rebus *pain*, ut, *un pain de miel ou de cire:* In pane dicunt *une miche de pain:* id quod Latinè dici non potest.

CLARIUS.

1. *Et redibunt Chaldæi*] 18 mensibus exercitus oppugnavit Civitatem magno studio, illis se pari prudentiâ & labore defendentibus, ut videretur interdum victoria stare à Judæis: unde ait, *Si percusseritis omnem exercitum*, &c.

21. *Præcepit ergò Rex*] Nota, Prophetam hâc occasione, providentiâ Dei curante, venisse in publicum locum, *in atrium carceris*, ubi Rex ei victum suffecit: In quo loco locutus est ea quæ habes cap. 32, & 33. *Defecerunt* autem *panes* 11 *anno Sedechiæ*, *mense* 4, *die* 9 *mensis*, ut infrà cap. ultimo, & 2 Reg. 25. 2, 3.

DRUSIUS.

1. תחת כניהו בן יהויקים. ἀντὶ Ἰεχονίου υἱοῦ Ἰωακείμ.] Vulgò ἀντὶ Ἰωακείμ sed fortè legendum Ἰωαχείμ. Nam Jechonias sive Chonias alibi *Joachin* vocatur, per χ, & cum ν in fine.

5. מבצר ירושלם. ἀπὸ Ἱερουσαλὴμ *à Jerusalem.*

16. אֶל־בֵּית הַבּוֹר וְאֶל־הַחֲנֻיוֹת. εἰς τὸν συγκλεισμὸν *in clausuram*. A. *in officinas*, vel *tabernas*] Euseb. De locis. ÆNIOTH *in Jeremia*, *quod Aq. vertit* in officinas *vel* tabernas.

20. וְעַתָּה שְׁמַע־נָא אֲדֹנִי הַמֶּלֶךְ. καὶ νῦν ἄκουσον δὴ, Κύριε, *& nunc audi quæso*, *Domine*.

GROTIUS.

3. **O***Ra pro nobis Dominum Deum nostrum*] Incertus consiliorum nesciebat quò se verteret.

4. *Non enim miserant eum in custodiam carceris*] Id est, *nondum*: nam postea datus est in carcerem, infrà 14. & ibi visa illa habuit quæ jam antè in Prophetias retulit Jeremias XXXII. & XXXIII.

Recesserunt ab Jerusalem] Quo tempore Rex & Principes resciderunt decretum de popularium libertate, ut habuimus XXXIV.

6. *Ecce exercitus Pharaonis*, *qui egressus est vobis in auxilium*, *revertetur in terram suam*] Non ausus obviam ire Babylonio, qui ob id ab obsidione Hierosolymorum discesserat, relictis per alia oppida præsidiis. Vide II Regum XXIV. 7.

7. *Et redient Chaldæi*] Redibunt ad repetendam obsidionem.

9. *Singuli*] Istorum vulneratorum. Tanta est Dei in vos ira, ut vel pauci saucii ad vestram perniciem sufficiant.

11. *Et divideret ibi possessionem in conspectu civium*] חלק quidem *partiri* quoque significat; verùm etiam *extrahere*, quo significatu sæpe reperitur apud Thalmudicos: ità ut sensus sit non incommodus, *ut subduceret se de conspectu civium*, Hierosolymitanorum scilicet.

12. *Filii Ananiæ*] Cui mortem prædixerat Jeremias suprà XXVIII. Eam mortem, quasi non prædicta sed illata fuisset ab Jeremia, vindicare voluit nepos.

14. *In carcerem qui erat in domo Jonathan scribæ*] Unius ex aulicis scribis: nam carcer hic in aula erat. Vide suprà XXXII.

15. *In domum laci*, *& in ergastulum*] Meliùs: *in domum carceris* (interiorem scilicet) *& in cellulas*. Eas intelligit quas nunc *geolas* vocant: triste habitaculum.

16. *Tulit eum*] Jussit clam eum ad se deduci.

Putásne est sermo à Domino?] *An est* (supple, *tibi*) *sermo à Domino?* An nunc etiam hoc tempore certi aliquid nobis potes prædicere?

17. *Quia misisti me in domum carceris*] Locum tetrum ac tenebricosum.

20. *In vestibulo carceris*] Ubi & cœlo frui poterat, & ab amicis adiri. Vide suprà XXXII.

Et daretur ei torta panis quotidie, *excepto pulmento*] *Et daretur ei frustum panis quotidie de vico pistorum*. Sic Chaldæus; quæ optimè cum Hebræo conveniunt. Panes grandes fieri solebant: ex iis partes μερίδες, κλάσματα [*fragmenta*] singulis dabantur.

Et mansit Jeremias in vestibulo carceris] Donec in pejorem locum transferretur, ut habebimus capite sequenti.

CAP. XXXVIII.

MUNSTERUS.

2. **I***N spolium*] i. In salvationem.

9. *In loco suo*] Heb. *subter te*: pro quo Jonathan vertit באתריה, sicut nos vertimus.

10. *Accipe in manum tuam viros*] Chald. clariùs sic vertit, *Accipe tecum*, &c.

11. *Laceros pannos*] Sunt מרטוטי, interprete D. K. חתיכות בגדים *fragmenta panni quæ inter pedes obambulant & protruduntur*: & מלחים sunt *panni* נשחתים *corrupti propter vetustatem*.

19. *Et illudant mihi*] i. Viliter interficiant me.

22. *Incitaverunt te*] Sensus est, *Mulieres quæ post transmigrationem* Jehoiachin *in domo ejus manserunt*, *ductæ ad Regem Babel dicent*, *Quomodo familiares tui*, Principes scilicet & falsi Prophetæ, *te incitaverint* ut rebellaveris Regi Babylonis, *& illi te ad hoc adegerint ut pedes tui demersi sint in lutum*, *& acti sint retrorsum*, nè acquieveris Babyloniis?

23. *Combures igni*] i. Tu occasio eris ut civitas illa gloriosa Vulcano tradatur.

27. *Quæ præceperat Rex*] Non mentitus est, quia nihil loquitur ad fraudem proximi. *Perfectio Legis est charitas*. Licet mentiri pro gloria Dei & charitate proximi officioso mendacio. Sic egit Raab: Sic Joseph dissimulat ad tempus: Et Christus ipse *fingebat se longius ire*: Sic multi viri cum emolumento aliorum & sine cujusdam fraude mentiti sunt. In Judicio verò non est mentiendum pro quocunque bono.

VATABLUS.

2. **E***T fame*, *& peste* ברעב ובדבר] Aut *fame*, *aut peste*.

4. *Moriatur*, *quæsumus* יומת נא] *Age*, *occidatur*: sive *interficiatur*. ¶ *Idcirco* על כן] *Propterea*: i. hâc ratione: sive hoc modo. ¶ *Debilitat* מרפא] *Remittit*: *dissolvit*: i. frangit animos: quòd vires corporis pendeant à virtute animi. ¶ *Talia verba* כדברים האלה] Ad verb. *secundùm verba ista*.

5. *In manibus vestris* בידכם] i. Licet vobis per me eum interficere. ¶ *Non enim Rex*, &c. כי אין המלך וגו'] Fut. Heb. pro præs. *quia non est Rex qui prævaleat vobis* in *quoquam*. Alii, *Rex non potest contra vos quicquam*: i. non possum vobis obsistere. De se loquitur in tertia persona. Cùm hoc promisit Sedecias, non erat in regia, sed in porta Benjamin, ut sequentia docent.

6. *In atrio custodiæ* בחצר המטרה] Vide cap. 32. 1.

7. *Tunc Rex*, &c. והמלך יושב וגו'] Ad verb. *& Rex*. Quidam hæc jungunt sequenti versui, *Cum autem esset Rex in porta Benjamin*, *egressus est Ebed-melech*, &c.

9. *Malè fecerunt* הרעו] *Perperàm egerunt*. Quidam per præsens, *pessimè agunt*. ¶ *Quem projicere fecerunt* את אשר השליכו] Nempe *quòd projecerunt eum*. ¶ *Morietur*, &c. וימת תחתיו] Ad verb. *& mortuus est subtus se*. Quidam vertunt, *moritúrque in loco suo*. Alii, *mortuus est in loco suo*: q. d. *actum est de illo*, sive *brevi morietur in loco ubi nunc est*.

10. *In manu tua* בידך] i. *Tecum*, ut vertit Chaldæus P. vel, *in potestate tua*, sive *dominio tuo*: q. d. *Facio tibi potestatem tollendi hinc triginta viros*. Sequenti versu idem Hebraismus repetitur. ¶ *Et ascendere fac* והעלית] *Et educ*, vel *extrahe*: i. ut educas.

11. *Veteres*, &c. בלוי הסחבות וגו'] Ad verb. *veterationes putridorum*, & *veterationes corruptorum*: vel *vetera tractationum*, & *vetera consumptionum*: i. pannos veteres, pedibus calcantium huc & illuc tractos, sparsos & disjectos; putrida item, lacera & corrupta. Gallicè, *des vieux haillons*.

12. *Veteres*, &c. בלואי וגו'] Eadem verba quæ v. 11. ¶ *Manuum tuarum* ידיך] i. Brachiorum tuorum. Pars pro toto.

13. *In atrio* בחצר] *In vestibulo*.

14. *Ad introitum tertium*, &c. אל מבוא השלישי] *Ad ingressum tertium*, i. portam tertiam quæ erat ex portis Templi tertia, quæ respiciebat regiam: per illam enim de regia ingrediebantur Templum. ¶ *Interrogo* שאל] Præs. Heb. pro fut. *Interrogaturus sum*. ¶ *Nè abscondas*, &c. אל תכחד וגו'] Ad verb. *nè abscondas à me verbum*, i. rem aliquam. Latinè, *nè me celes quicquam*.

15. *Si annunciavero*, &c. כי אגיד וגו'] *Cùm indicavero tibi*, *annon occidendo occides me? & cùm consilium dedero*, *non audies me*: i. Etiamsi dixero tibi veritatem, curabis me interficiendum; præterea tu non credes mihi.

17. *Exeundo exieris* יצא תצא] *Egressus exieris*, ut scilicet facias imperata illorum. ¶ *Et vivet anima tua* וחיתה נפשך] i. Tu vives. Seipsum mox exponit, dicens, *Et vives tu*, i. non morieris.

19. *Timeo mihi* אני דואג] *Anxius sum*: vel *solicitus*. ¶ *Tradant* יתנו] Sub. *ipsi Chaldæi in manum Judæorum*.

20. *Quæso* נא] *Nunc*.

22. *Ecce* והנה] Ad verb. *Et ecce*. Redundat conjunctio. ¶ *Remanserunt* נשארו] *Reliqua sunt*, cùm scilicet abductus fuit captivus Joachin unà cum matre sua. Chaldæi contenti illis, pepercerunt aliis mulieribus. ¶ *Educentur* מוצאות] Præs. Heb. pro fut. ¶ *Suaserunt tibi* הסיתוך] *Imposuerunt tibi*. *Seduxerunt te*. ¶ *Viri pacis tuæ* אנשי שלומך] i. *Viri pacifici tui*, h. e. familiares ac domestici tui; nempe Pseudoprophetæ, & Principes qui credunt illis. Quidam, *viri qui pacem tibi pollicebantur*. Alii, *viri cum quibus fuit tibi pax*. ¶ *In cœno* בבוץ] Falsas persuasiones comparat *cœno* sive *luto*: q. d. non poteras egredi. Dum fugâ tentasti consulere vitæ tuæ, captus es à Chaldæis, & quasi in lutum tenacissimum incidisses, coactus es referre pedem. ¶ *Conversi sunt retrorsum* נסגו אחור] i. Te deserto abierunt & te dereliquerunt.

23. *Combures* תשרף] i. Eris autor & causa comburendæ urbis.

24. *Et non morieris* ולא תמות] Phrasis Hebraica, pro, *nè moriaris*.

26. *Cadere feci ego deprecationem meam* מפיל אני תחנתי] Hebraismus, pro *obnixè precatus sum Regem*. Vide c. 37. 20. Quidam, *Ego supplex procubui orans coram Rege*. Alii, *prostravi*

ſtravi ego orationem meam coram Rege. Alii, *fudi preces ad Regem.*

27. *Juxta omnia*, &c. ככל הדברים וגו'] i. Prorſus ut præceperat ei Rex. ¶ *Et ſiluerunt ab eo* ויחרשו ממנו] i. Deſierunt ſive deſtiterunt interrogare eum.

28. *Erátque*, &c. ויהיה כאשר וגו] Quidam hæc verba referunt ad ſequentia, *Factum eſt autem cùm capta eſſet Jeruſalem, anno nono*, &c.

CLARIUS.

19. ET *illudant mihi*] h. e. Viliter interficiant me.

22. *Quæ remanſerunt in domo Regis Juda*] Regem Joacim intelligit, qui cum matre abductus fuerat, relictis mulieribus in Jeruſalem in domo ſua. Hæ metuentes nè & ipſæ abducerentur, dehortatæ ſunt Regem, & credidit magis illis quàm Jeremiæ. *Hæ ergò mulieres*, inquit, *etiam ipſæ verbis ſuis ſeduxerunt te*, &c. Sin legas, *& ipſæ dicent*, *Seduxerunt te*, vel *Incitaverunt te*, ſenſus erit, *Mulieres quæ* poſt tranſmigrationem Joacim *in domo ejus manſerunt*, *ductæ ad Regem Babel dicent quomodo familiares tui*, Principes ſcilicet & falſi Prophetæ, *te incitaverint*, ut rebellares Regi Babylonis, *& illi te ad hoc adegerint ut pedes tui demerſi ſint in lutum*, *& alii ſint retrorſum*, nè acquieveris Babyloniis Alius intelligit, mulieres parabolam cantillaturas, quòd *viri pacis*, h. e. Pſeudoprophetæ, *te deceperunt*, &c. Sed videtur aptius ſi legas, *Et ipſæ verbis ſuis ſeduxerunt te, prævaluerunt adverſum te viri pacifici tui*, h. e. falſi Prophetæ, qui tibi pacem promittebant, &c.

DRUSIUS.

1. ופשחור בן־מלכיה. καὶ Πασχὼρ υἱὸς Μελχίου, *& Paſchor filius Melchiæ.*

2. הישב. ὁ καθήμενος *ſedens*, i. manens. Alii, ὁ κατοικῶν *habitans*, ſed minùs rectè. ¶ ובדבר. καὶ ἐν λοιμῷ *& peſtilentiâ.*

4. השרים. οἱ ἄρχοντες *Principes.*

6. ויקחו את־ירמיהו וישליכו. Καὶ ἔλαβον τὸν Ἱερεμίαν, καὶ ἔῤῥιψαν, *Et acceperunt Ieremiam, & projecerunt*] Vel *tulerunt.*

7. איש סריס. ἀνὴρ εὐνοῦχος *vir eunuchus.*

9. אדני המלך וגו'. Κύριέ μου βασιλεῦ, ἐπονηρεύσαν οἱ ἄνδρες ἐκεῖνοι πάντα ἃ ἐποίησαν κατὰ τοῦ Ἱερεμίου τοῦ προφήτου ῥίψαντες αὐτὸν εἰς τὸν λάκκον, ἵνα ἀποθάνῃ ἐν αὐτῷ ἀπὸ προσώπου.

14. השלישי. Cæteri τὴν τρίτην *tertiam*] Ex Apollinario. Plenum eſt אל מבוא השלישי. Id Syrus reddidit ἔσω τὴν τρίτην θύραν. מבוא propriè *ingreſſus, introitus.* Porrò per januam introitus eſt in domum.

22. ויכלו. καὶ ἠδυνάσθησαν *& prævaluerunt.* ¶ בבץ רגלך. ἐν ὀλισθήματι ποδός σου *in lapſu pedis tui.* Alii πόδας σου, quod interpretantur *contra pedes tuos.* Sed hæc varietas eſt in ed. τῶν ό. Rom. ed. ὀλισθήμασι habet.

GROTIUS.

1. GEdelias filius *Phaſſur*] Illius de quo capite XX.

Et Juchal filius Selemiæ] Ejus cujus mentio ſuprà XXXVI. 26.

Et Phaſſur filius Melchiæ] Is ipſe eſt qui nominatus eſt ſuprà XXI. 1.

4 *De induſtria enim diſſolvit manus virorum bellantium qui remanſerunt in civitate hac*] In Hebræo: *nam per iſta* (nempe verba) *debilitat manus virorum*, &c. Infringit illis animos, ſpem omnem adimendo. *Puniendi ſunt, qui aliquid fecerint quo leves hominum animi ſuperſtitione Numinis terrentur*, ut docet Modeſtinus L. *Si quis aliquid.* D. de pœnis. Et *Principis fata ſcrutari capital* apud Romanos, ut Tacitus nos docet Annal XVI. Vera hæc: ſed Dei juſſus ſupra omnem legem eſt, & quicquid imperat, defendit.

Non quærit pacem populo huic] Id eſt, ſalutem.

5. *Ecce ipſe in manibus veſtris eſt*] In manibus Synedrii, cujus eſt judicare de Propheta vero aut falſo.

Nec enim fas eſt Regem vobis quicquam negare] In Hebræo, *Nam Rex nihil contra vos poteſt*: nempe in iſto rerum genere, ut explicavimus libro I. de Jure Belli ac Pacis, cap. II. §. 20.

6. *Filii Amelech*] Cujus *Amelech* mentio ſuprà XXXVI. 26. At Chaldæus & Græci utrobique pro nomine *Regis* ſumſerunt, putantes & hunc Melchiam & illum Jeremielem alicujus Regum fuiſſe filios.

In lacum in quo non erat aqua, ſed lutum: deſcendit itaque Jeremias in cœnum] Qui hanc miſeriam ſuam flebiliter deſcribit Thren. III. & prædixerat eam Eſaias LIII. 8. Joſephus: παραλαβόντες αὐτὸν εἴς τινα λάκκον βορβόρου πλήρη καθιμήσαντο, ὅπως ἰδίῳ θανάτῳ πνιγεὶς ἀποθάνῃ· ὁ δὲ μέχρι τοῦ αὐχένος ὑπὸ τοῦ πλήθους περισχεθεὶς ἐν τούτοις ἦν [*aſſumtum eum demiſerunt in puteum cœni plenum, ut ſic ſuffocatus nemine manum admovente periret. Et ille quidem collo tenus demerſus ob luti copiam in illis erit malis*].

7. *Abdemelech Æthiops*] Jam tum eminus oſtendere Deus voluit, quàm juſtas cauſas haberet gentes extraneas ad ſalutem vocandi. Servat Æthiops Prophetam quem Judæi opprimebant. Gentes in Chriſtum credidère, quem Judæi crucifixerant.

In porta Benjamin] Ubi deſideria civium audire ſolebat.

9. *Mittentes eum in lacum, ut moriatur ibi fame : non ſunt enim panes ultrà in civitate*] Aliter in Hebræo eſt: *Mortuus fuiſſet per ſe à fame, quia non eſt ultrà panis in urbe.* Hoc ſenſu: nihil opus erat mortem ejus appetentibus eum transferre in locum tam fœdum; nam etiamſi in veſtibulo carceris eum reliquiſſent, ex fame mors eum manebat, quippe cùm panes jam defecerint. Chaldæus: *Mortuus eſſet in loco ſuo præ fame*, in loco ſcilicet illo priore.

11. *Ingreſſus eſt domum Regis quæ erat ſub cellario*] אוצר modò *theſauros*, modò *apothecas* ſignificat, quâ voce Hebræam illam interdum verterunt Græci. Credibile eſt hunc locum in quem deſcendit Abdemelech, fuiſſe ſubter cellam penuariam, quo penicul uſu detriti abjiciebantur.

Tulit indè veteres pannos, & antiqua quæ computruerant] In Hebræo, *Vetera tractionum, & vetera corruptionum.* Id eſt, penicillos laceratos, vel uſu detritos. De voce hac מלחים vide quæ diximus ad Marcum IX. 49.

12. *Sub cubito manuum tuarum*] *Sub axillis manuum tuarum*: id eſt, brachiorum tuorum.

Super funes] In Hebræo, *ſubter* (eos peniculos, pone) *funes*: nempe quominus funes læderent hominem nudum, aut ſeminudum.

13. *In veſtibulo carceris*] Ubi antè fuerat, XXXVII. 20.

14. *Tulit ad ſe Jeremiam*] Sume ut ſuprà XXXVII. 16.

Ad oſtium tertium quod erat in domo Domini] *Ad introitum tertium qui ibat in domum Domini.* Id eſt, in Templum. Vide I Reg. X. 5. 12. I Paral. XXVI. 16. 18. II Paralipomenon IX. 11.

15. *Si annuntiavero tibi*] Credebat illum iterum de obſidionis eventu aliquid interrogaturum: quod verum erat.

Numquid non interficies me] Id eſt, *profectò interficies me.* Eam conjecturam faciebat ex rebus antecedentibus. Vide caput præcedens, & hoc in quo nunc ſumus.

Et ſi conſilium dedero tibi, non me audies] Loquitur ſecundùm id quod erat credibile: nam ſæpe monitus nihilo factus erat melior.

16. *Vivit Dominus qui fecit nobis animam hanc*] Id eſt, qui nobis hanc vitam dedit. Solent Reges etiam mali in magnis periculis aliquo Numinis metu percelli. Vide Suetonium Caligulâ 51.

In manus virorum iſtorum] Qui nominati initio capitis, quique per Synedrium, cujus pars erant, facilè ſperabant obtinere ſe poſſe mortem Prophetæ.

17. *Si profectus exieris ad Principes Regis Babylonis*] Id eſt, ſi te eas deditum. Non dicit *ſi eas ad Regem.* Non enim tanti cum feciſſet, ut fœderis violatorem admittere ad ſuum aſpectum voluiſſet.

20. *Non te tradent*] Deus non ea tantùm novit quæ eventura ſunt, ſed & quæ eventura eſſent, ſi hoc, vel illud fieret; partim quòd omnes hominum affectus ipſi perſpectiſſimi ſunt, partim quòd vi ſuâ omnipotente & affectus vertere, & effectus quoſvis etiam ſine eo impedire poſſit.

22. *Omnes mulieres quæ remanſerunt in domo Regis Juda*] Quæ aut Joakimi, aut Jechoniæ fuerunt.

Ipſæ dicent : ſeduxerunt te] *Ipſæ dicent te ſeductum* ab his quos jam deſcribet.

Viri pacifici tui] Id eſt, amici tui, ut Pſalm. XLI. 10. Intellige Ægyptios, Pſeudoprophetas, procerum quoſdam.

Demerſerunt in cœno & in lubrico pedes tuos] Dicent illos fuiſſe qui te involverunt inexplicabilibus malis.

Et receſſerunt à te] Id eſt, illos verò retro abiiſſe. Ægyptii exercitum ſtatim reduxère. Pſeudoprophetarum & Procerum, qui ante pericula promtiſſimi fuerant urgente periculo transfugêre ad Chaldæos, ſuprà 19.

23. *Et omnes uxores tuæ, & filii tui*] Scandit oratio: propiùs enim propiùſque ad ipſum venit.

24. *Nullus ſciat verba hæc, & non morieris*] Id eſt, Si hæc in vulgus non proferas, ſalvum te præſtabo.

26. *Proſtravi ego preces meas coram Rege*] Id eſt, proſtrato corpore Regem oravi. Similem locutionem habuimus ſuprà XXXVI. 7.

In

In domum Jonathan] In carcerem illum interiorem ac tenebricosum, de quo suprà XXXVII. 15.

27. *Et locutus est eis juxta omnia verba quæ præceperat ei Rex*] Partem veri dicere non est mentiri.

Et cessaverunt ab eo] Non traxerunt eum ad Synedrium.

Nibil enim fuerat auditum] De iis quæ Rex eum interrogaverat, quæque ipse responderat.

28. *Mansit verò Jeremias in vestibulo carceris*] De quo XXXII. 2. XXXIII. 1. XXXVII. 21.

Usque ad diem quo capta est Jerusalem] Ut apparet infrà XXXIX. 13.

Et factum est ut caperetur Jerusalem] Hæc verba meliùs ad caput sequens referentur, ut primum & secundum comma παρενθέσεως [*sermonis interjecti*] vim habeant, & in tertio abundet copula.

CAP. XXXIX.

MUNSTERUS.

3. *NErgal*] Iste alius fuit Princeps à priori, sicut & *Sarazer.*

9. *Magister sicariorum*] Jon. רב קטוליא *Magister* (vel *Princeps*) *militum*, sive *gladiatorum*. Sunt etiam qui exponunt pro *Magistro laniorum*. Alii accipiunt pro *Præfecto rerum capitalium*.

16. *Erunt coram te ipsâ die*] i. Tu videbis quòd verba implebuntur, & quòd civitas ista tradetur in manus Chaldæorum: nec tamen est ut tu timeas ab eis, quia me protegente liberaberis de manu eorum.

VATABLUS.

2. *MEnsis* בחדש] Antecedens pro relativo, *nonâ ejusdem.* ¶ *Rupta est* הבקעה] i. Perruptus fuit murus urbis. Gallicè, *la breche fut faicte.*

4. *Per portam*, &c. בשער וגו׳] *Portam* intelligit orificium cuniculi cujusdam habentis utrinque murum: q. d. per os cuniculi qui erat in horto Regis, qui ità factus erat ut utrinque murum haberet, ut fit in fornicibus. Os autem habebat in horto Regis, nè omnibus pateret, & ut illinc nemine conscio liceret Regi fugere. De Urbis porta quæ inter murum & antemurale sita erat intelligi non potest hic locus, quòd ea omnibus pateret. ¶ *Egressusque est* ויצא] Sub. *Rex*: qui per campestria aufugit.

5. *In desertis* בערבות] *In campestribus.* ¶ *Et locutus est*, &c. וידבר אתו משפטים] Chald. *& locutus est cum eo verba judiciorum*: h. e. corripuit sive increpavit eum; vel, *judicavit.* Gallicè, *il luy remonstra ses faultes*, *ou*, *il luy fait son procez.* Acriter increpavit eum quòd fregisset fedus cum eo initum adhibito jurejurando per nomen Dei.

6. *Et jugulavit* וישחט] *Et occidit*; vel *interfecit*, i. interficiendos curavit. Idem verbum mox. ¶ *Nobiles* חרי] *Principes.* Sic Hebraicè dicuntur à *candore animi* quo pollere debent.

7. *Compedibus* בנחשתים] *Geminis compedibus*, *ferreis*; vel *chalybeis*. Duale nomen est Hebræis, quòd fierent utrique pedi.

8. *Domum autem* ואת בית] Quidam vertunt per plurale, *domos autem*, æstivam scilicet & hybernam. Vide suprà 33. 4.

9. *Ad eum* עליו] Imperatorem exercitûs Regis Babylonis intelligit. ¶ *Militum* טבחים] Hæc vox à radice טבח, quod *mactare*, *jugulare & occidere* est, derivata significat *coquum*. Unde quidam transferunt *præfecto coquorum*. Per translationem autem significat *militem* à *cæde*: nam & occisionem illam quæ fit in bello Gallicè vocamus *Belle boucherie*. Et Chaldæus P. vertit *princeps occisionis*. Vertendum igitur *Præfectus militiæ*. Vide Gen. 37. 36.

10. *De plebe verò pauperum* ומן העם הדלים] *De populo verò paupere*, i. tenuis fortunæ hominibus, quibus nullæ erant facultates. ¶ *Reliquit* השאיר] Ad verb. *remanere fecit.*

11. *Per manum* ביד] *In manu.* Hebraismus pro, *per Nebuzaradan*, vel *ipsi Nebuzaradan.*

12. *Et oculos tuos pone super illum* ועיניך שים עליו] Hebraismus, *Gere* [vel *habe*] *curam illius*, sive *prospice illi*: nam ab illis solemus oculos avertere quos contemnimus. ¶ *Ut loquetur*, &c. כאשר ידבר וגו׳] *Quemadmodum dicet tibi*, *sic age cum illo*; aut *facito ei*: i. facito illi ut petierit.

13. *Misit itaque* וישלח] *Jam autem miserat*: pro, *Jam autem miserant*, sub. *in atrium custodiæ*, *expugnatâ Urbe*. Sing. pro plur. ¶ *Principes* רבי] *Optimates*; *magnates.*

14. *Miserunt*, *inquam* וישלחו] *Miserant*, *inquam. Jam*, *inquam*, *miserant.* ¶ *Filii Saphan* בן שפן] *Filio Saphan.* ¶ *Ut educeret eum* להוציאהו] i. Ut eductum è medio captivorum deduceret in domum. ¶ *Et habitavit in medio populi* וישב בתוך העם] Hebraismus, factus est liber: sive licuit ei habitare in medio populi in summa libertate.

15. *Clausus in atrio custodiæ* עצור בחצר המטרה] i. Vinctus in atrio carceris regii. Non semper servatur series historiæ in literis Sacris.

16. *Ad Ebedmelech Æthiopem* לעבד מלך הכושי] Quidam vertunt, *ad servum Regis Æthiopem.* ¶ *Adducturus sum* מביא] Præs. Heb. pro fut. Est autem Hebraismus, acsi dicat, *Efficiam ut eveniant mala*, *& non bona*, *quæ prædixi adversus hanc urbem*, *quorum tu eris spectator tempore quo evenient.*

18. *Sed eruendo eruam te* כי מלט אמלטך] *Quia certissimè eruam*, vel *liberabo te*, *nè gladio cadas.* ¶ *In prædam* לשלל] *In spolium*: i. lætaberis pro vita tua conservata, perinde atque milites lætari solent cùm incidunt in spolia multa. Vide cap. 21. 9. & 38. 2. & 45. 5. ¶ *Fidisti mihi* בטחת בי] *Fiduciam habuisti in me*: vel *sperasti in me.*

CLARIUS.

1. *ANno nono*] Nono anno Sedechiæ obsederunt: Venitque initio Rex ipse: qui cùm diutiùs duraret obsidio, discessit in Antiochiam, locum Syriæ amœnissimum. Interim civitatem Jerusalem pestis & fames vexare cœperunt. Capta est autem Civitas obsidionis mense XVIII, quo tempore Romæ regnabat Tarquinius Priscus, Olympiade XLVII, & anno ab exstructo Templo CCCCLXX, mense VI, die X. ab initio Mundi juxta Josephum anno MMMDXIII. Judæi tamen alicubi aliam supputationem habent annorum.

6. *In Reblatha*] Ea creditur esse Antiochia. Cujus rei conjectura fit ex historiis: & est amœnissima Syriæ civitas.

9. *Nabuzardan magister militum*] Alii vertunt *Magister sicariorum*, vel *interficientium*. Alii putant significare *Præfectum laniorum* qui pecora jugulent. Græci ἀρχιμάγειρον, i. *Principem coquorum*: nam dictio Hebræa interdum significat *coquum*. Interpres hanc eandem dictionem 4 Reg. 25. vertit *Princeps exercitûs.*

10. *Et de plebe pauperum*] Destructio Jerusalem typum quendam Divini judicii gerit. Sicut enim in Jerusalem perierunt impii, liberatique sunt pauperes & donis locupletati, ità in die Judicii quem exspectamus eveniet.

11. *Præceperat autem*] Non potuit latère virtus Jeremiæ Regem Babyloniorum: unde præcepit, haud dubium ex instinctu Dei, ut per Nabuzardan defenderetur. Et cognovit hic Rex quòd à Deo esset victoria, sed ex Esa. 13. ostenditur quòd non permanserit in ea animi moderatione. Similiter & apud Danielem elatus & impotenter superbus est, idoláque veneratur.

16. *Et erunt in conspectu tuo*] *Sermones* scilicet *mei*. Videbis enim omnia verba mea impleri, &c.

DRUSIUS.

1. בַּשָּׁנָה הַתְּשִׁעִית וגו׳. Ἐν τῷ ἔτει τῷ ἐνάτῳ τοῦ Σεδεκίου βασιλέως Ἰούδα, ἐν τῷ μηνὶ τῷ δεκάτῳ, *Anno nono Sedeciæ Regis Juda*, *mense decimo.*

4. וַיְהִי כַּאֲשֶׁר וגו׳. Καὶ ἐγένετο ὡς εἶδεν αὐτοὺς Σεδεκίας βασιλεὺς Ἰούδα, καὶ πάντες οἱ ἄνδρες πολεμικοί, καὶ ἔφυγον καὶ ἐξῆλθον νυκτὸς ἐκ τῆς πόλεως κατὰ τὴν ὁδὸν κήπου τοῦ βασιλέως, διὰ τὴν πύλην ἀναμέσον τοῦ τείχους καὶ τοῦ προτειχίσματος, καὶ ἐξῆλθον διὰ τὴν ὁδὸν Ἀραβά, *Et factum est ut vidit eos Sedecias Rex Juda & omnes viri bellatores*, *& fugerunt & exierunt nocte è civitate per viam horti Regis*, *per portam inter medium muri & antemuralis*, *& exierunt per viam Araba*] *Araba*: i. *deserti*. Vox est Ebraica. Jonathan ferè reddit *planitiem*. Sanè ים הערבה idem interpretatur *mare planitiei*. Sym. τῆς ἀοικήτου, i. *solitudinis*. Aquila vocem ARABA retinuit. Vide Masium in Jos. 8. 14. & 15. 6. & 18. 22. Eusebius De locis, ARABA *Aq.* planam, *Sym.* campestrem *interpretatur*. Amos 6. 14. נחל הערבה. Hier. *torrens deserti*. Sym. *vallis campestris*. Aq. *torrens qui est in planitie*. Th. *torrens Arabia*. Fortè leg. *Araba*. Jes. 40. 3. בערבה. Hier. *in solitudine*. Jon. במישרא *in planitie*. Jos. 11. 2. ערבה. A. τὴν ὁμαλήν. Sym. πεδινήν. Hoc *campestrem*, illud *planam* significat. Job. 39. 6. A. ὁμαλήν. Sym. ἀοίκητον. Th. Ἀραβά. Hier. *in solitudine*. LXX ἔρημον. Rursum Masius in Josuam 8. 14. *Non solùm sig. idem quod* מדבר desertum, *sed etiam* locum æquabilem, planum, campestrem: *unde à Symmacho nunc* πεδινή, *nunc* ἀοίκητος

redditur, ab Aquila verò plerumqe ὁμαλή. Mercerus in Amos, *Nomine* ARABA *significatur locus planus, non desertus omnino nec planè fertilis, sed mediæ cujusdam naturæ, ubi tantùm pabulum jumentis aptum crescat, quod* μίγμα *appellatur. Nam* ערב ARAB misceo.

5. וירדפו חיל וגו׳. Καὶ κατεδίωξεν ἡ δύναμις τῶν Χαλδαίων ὀπίσω αὐτῶν, καὶ συνέλαβον τὸν Σεδεκίαν ἐν τῷ πέραν Ἱεριχῶ, καὶ ἤγαγον αὐτὸν πρὸς Ναβουχοδονόσορ βασιλέα Βαβυλῶνος εἰς Ῥεβλάθα τὴν ἐν τῇ γῇ Αἰμάθ, καὶ ἐλάλησεν αὐτῷ μετὰ κρίσεως, *Et insecutus est exercitus Chaldæorum eos, & ceperunt Sedeciam in regione trans Jericho, & adduxerunt eum ad Nabuchodonosor Regem Babylonis in Reblatha quæ est in terra Aimath: locutusque est ei cum judicio.*

6. וישחט מלך וגו׳. Καὶ ἔσφαξεν ὁ βασιλεὺς Βαβυλῶνος τοὺς υἱοὺς Σεδεκίου ἐν Ῥεβλάθα κατ᾽ ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ, καὶ πάντας τοὺς ἄρχοντας Ἰούδα ἔσφαξεν, *Et jugulavit Rex Babylonis filios Sedeciæ in Reblatha coram oculis ejus, & omnes Principes Juda jugulavit*] Malim ἐν Ῥεβλά. † *Jugulavit:* Deest ὁ βασιλεὺς Βαβυλῶνος.

7. ואת־עיני וגו׳. Καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς Σεδεκίου ἐτύφλωσεν, καὶ ἔδησεν αὐτὸν ἐν πέδαις, καὶ ἤγαγεν αὐτὸν εἰς Βαβυλῶνα, *Et oculos Sedeciæ excæcavit, & vinxit eum compedibus, duxitque eum Babylonem.*

8. ואת־בית וגו׳. Καὶ τὸν οἶκον τοῦ βασιλέως καὶ τὰς οἰκίας τοῦ λαοῦ ἐνέπρεσαν [f. ἐνεπύρισαν] οἱ Χαλδαῖοι ἐν πυρὶ, καὶ τὸ τεῖχος Ἱερουσαλὴμ καθεῖλαν, *Et domum Regis & domos populi succenderunt Chaldæi igne, & murum Jerusalem destruxerunt.*

9. ואת יתר וגו׳. Καὶ τὸ περισσὸν τοῦ λαοῦ, καὶ τοὺς καταλειφθέντας ἐν τῇ πόλει, καὶ τοὺς ἐμπεπτωκότας οἳ ἐνέπεσαν πρὸς τὸν βασιλέα Βαβυλῶνος, καὶ τὸ λοιπὸν τοῦ λαοῦ, καὶ τοὺς καταλειφθέντας μετῆρεν Ναβουζαρδὰν ὁ ἀρχιμάγειρος εἰς Βαβυλῶνα, *Et residuum populi, & eos qui remanserant in civitate, & transfugas qui transfugerant ad Regem Babylonis, & reliquum populum, eósque qui remanserant in urbe, transtulit Nabuzardam princeps coquorum in Babyloniam*] vel, *magister exercitûs.* Hier. in Quæst. pag. 467. *In plerisque locis* archimagiros, *i. coquorum principes, pro* magistris exercitûs *Scriptura commemorat:* μαγειρεύειν *quippe Græcè interpretatur* occidere. Augustinus in Quæst. super Genesin, *Nolunt quidam* præpositum coquorum *interpretari qui Græcè* ἀρχιμάγειρος *dicitur, sed* præpositum militiæ, *cui esset potestas occidendi. Nam sic appellatus est etiam ille quem Nabuchodonosor misit, penès quem potiùs invenitur primatus fuisse militiæ.*

10. ומן־הדלים וגו׳. Καὶ ἐκ τῶν πτωχῶν τοῦ λαοῦ, οἷς οὐκ ἦν οὐθὲν, κατέλιπεν Ναβουζαρδὰν ὁ ἀρχιμάγειρος ἐν γῇ Ἰούδα, καὶ ἔδωκεν αὐτοῖς ἀμπελῶνας καὶ ἀγροὺς ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ, *Et de pauperibus populi, quibus non erat quicquam, reliquit Nabuzardam princeps coquorum in terra Juda, & dedit eis vineas & agros in die illo.*

11. ויצו נבוכדראצר וגו׳. Καὶ ἐνετείλατο Ναβουχοδονόσορ βασιλεὺς Βαβυλῶνος ὑπὲρ τοῦ Ἱερεμίου ἐν χειρὶ Ναβουζαρδὰν τοῦ ἀρχιμαγείρου, λέγων, *Et mandaverat Nabuchodonosor Rex Babylonis de Jeremia in manu Nabuzardam archimagiri, dicens,*

12. קחנו ועיניך שים וגו׳, Λάβε αὐτὸν, καὶ θὲς τοὺς ὀφθαλμούς σου ἐπ᾽ αὐτὸν, καὶ μὴ ποιήσεις αὐτῷ οὐθὲν κακὸν, ἀλλὰ καθὼς λαλήσῃ πρὸς σὲ, οὕτω ποιήσεις αὐτῷ, *Accipe eum, & pone oculos tuos super eum, & nè facias ei ullum malum: sed sicut locutus fuerit tibi, facies ei.*

13. וישלח נבוזראדן וגו׳. Καὶ ἀπέστειλε Ναβουζαρδὰν ὁ ἀρχιμάγειρος, καὶ Ναβουσεζβὰν, καὶ Ῥαψαρὴς, καὶ Νηργὲλ, καὶ Σαρασὰρ, καὶ Ῥαβμὰγ, καὶ πάντες οἱ ἡγεμόνες βασιλέως Βαβυλῶνος, *Et misit Nabuzardam archimagirus, & Rabusezbam, & Rabsares, & Nergel, & Sarasar, & Nabmag, & omnes duces Regis Babylonis*] In ed. Rom. *Rapsares* minùs probo. Similiter Ἀψαλὼν scribi debet *Absalon*, non *Apsalon.* Nam ψ etiam valet βσ. † Ῥαβμάγ. Perperam in eadem edit. Ῥαβμαν· quod videtur esse mendum chalcographiæ.

GROTIUS.

2. Q*Uinta mensis*] Error est non interpretis, sed scribæ, qui v. scripsit pro IX. Consentiunt enim hîc Hebræi codices, Græci, Chaldaici. Nec aliter iidem codices & ipse Latinus II Reg. XXV. 3. & hoc libro infrà LII. 6.

Aperta est civitas] Id est, ut Historici loquuntur, ruinis nudata urbs erat.

3. *Et ingressi sunt omnes*] Impetu irruperunt.

Et sederunt in porta media] Quæ duas urbis partes dividebat.

Neregel-Serescr, Semegarnabu] Cùm duo hîc nominentur nomine *Neregel-Serescr*, credibile est eos officiis hîc distinctos esse: סמגר נבו [*Samghar-Nebu*] videtur esse *Custos templi Nabo*, ut ס sit vice ז ἐπενθετικοῦ [*injectitii*].

Rab-saris] Id est, *Præfectus eunuchorum.*

Rab-mag] *Princeps magorum.* Nomina hæc omnia apud Josephum ità corrupta reperies, ut vestigia vix agnoscas.

4. *Per viam horti Regis*] Id est, per cryptam aliquam.

Et per portam quæ erat inter duos muros] Id est, ipsa porta erat extra murum, & ipsa, ut in obsidionibus fit, muro obstructa: unde eum murum perfodi necesse fuit, ut Regi pateret exitus, Ezech. XII. 12.

Et egressi sunt per viam deserti] *Viâ campestri.* Græci, retentâ voce Hebræâ, Διὰ τὴν ὁδὸν Ἀραβά [*per viam Araba*]. Ea est via versùs Hierichuntem, ut sequentia ostendunt.

5. *In Reblatha, in terra Emath*] De qua vide II Reg. XVII. 24.

Et locutus est ad eum judicia] Id est, contra eum, ut fœderis ruptorem, sententiam tulit, quomodo Tullus in Metium Suffetium.

9. *Et reliquias populi qui remanserant in civitate*] Exceptis, ut jam dicet, pauperrimis, à quibus nihil metuebat: ut sequentia ostendunt.

Et perfugas qui transfugerant ad eum] De quibus suprà XXXVIII. 19.

Et superfluos vulgi qui remanserant] Id est, illos qui ex minoribus oppidis agrisque post tantas strages restabant. Vide quæ dicta ad historiam hanc in libro Regum.

11. *Præceperat autem Nabuchodonosor Rex Babylonis de Jeremia Nabuzardan magistro militum*] Nempe edoctus è perfugis eum semper monitorem fuisse ut Chaldæis Urbs dederetur, & ob id ipsum à suis popularibus tractatum pessimè.

14. *Tradiderunt eum Godoliæ*] Est anticipatio ejus quod uberiùs narrabitur cum suis circumstantiis capite sequenti. Godolias ille præcipuus fuit eorum qui ad Chaldæos transfugerant.

16. *Et erunt in conspectu tuo in die illa*] Videbis omnia illa evenire quæ prædixit Jeremias.

17. *Non traderis in manus virorum quos tu formidas*] Aulici isti Sedeciæ Regis tibi infensi, ob Jeremiam liberatum, nihil adversùs te poterunt: habebunt domi negotium.

18. *Erit tibi anima tua in salutem*] In Hebræo, *pro spolio*; Chaldæo *in ereptionem.* Sicut spolia eripiuntur hostibus: ità tu vitam ab eorum vi eripies. Græci vertunt εἰς εὕρεμα [*pro inventa*], & hîc & XLV. 5.

Quia in me habuisti fiduciam] Nempe cùm virorum potentium iram non veritus Prophetæ & æquitati vocem liberam commodasti. Suprà XXXVIII. 18.

CAP. XL.

MUNSTERUS.

5. M*Unera & commeatum*] Kimhi dicit hîc utrumque vocabulum significare *munus:* ut sit sensus, שני מיני מנחה *duas species munerum dedit ei.* Nos secuti sumus Jonathæ expositionem, qui vertit מתגן ונבזבן *munera & commeatum.*

7. *Principes exercituum*] Cùm Chaldæi obtinuissent Urbem, fugerunt noctu bellatores quique qui fuerant intra civitatem, in campum, & constituerunt super se duces & gubernatores: & hi vocantur hîc *principes exercituum*, seu *catervarum.* ¶ *De pauperibus terræ*] Heb. *de penuria terræ:* pro quo Jonathan vertit מחשכי עמא *de pauperibus populi terræ:* & est Metonymia.

10. *Ut stem ante Chaldæos*] Ego, inquit, cùm venerint Chaldæi, respondebo pro vobis, & ponam animam meam pro vobis, & vos securi vivetis, & locupletabimini in civitatibus vestris.

VATABLUS.

1. V*Erbum quod fuit*, &c. הדבר אשר היה וגו׳ q. d. *Prophetavit quoque Jeremias post expugnatam Urbem.* Ab hoc loco usque ad Prophetiam quâ Dominus admonet per Jeremiam reliquias Juda nè fugiant in Ægyptum, interseritur longa historia per parenthesin: quâ narratâ, exponitur Prophetia revelata Jeremiæ à Deo cujus mentio fit v. 1. hujus capitis. ¶ *De Ramah* [מן הרמה] Ubi scilicet substiterat dum expugnaretur Jerusalem, & ubi captivos abducendos congregabat. ¶ *Catenis* [באזקים] *Compedibus:* vel potiùs *manicis ferreis:* ut ex v. 4. apparet. ¶ *Qui captivi*, &c. [הגולים בבלה] *Qui captivi deducendi erant:* vel *demigrabant.*

2. *Princeps militum* [רב טבחים] Vide cap. 39. 9. Initium est

est longæ Parenthesis, quæ durat usque ad 42 caput, circiter principium, v. 7. ante hoc verbum, *Et fuit in fine decem dierum.* ¶ *Locutus est malum hoc* דבר את הרעה הזאת] i. Prædixit afflictionem hanc, quam & fecit ut eveniret.

3. *Locutus est* דבר] i. Prædixit, sive prædixerat. ¶ *Propterea*, &c. והיה לכם דבר הזה] Ad verb. *& fuit vobis verbum istud:* pro, *idcirco evenit vobis ista calamitas.*

4. *A catenis* מן האזקים] *E manicis ferreis:* i. restitui te pristinæ libertati. ¶ *Si bonum est*, &c. אם טוב וגו'] Hebraismus, *Si tibi placet*, aut *gratum est*, *venire mecum in Babylonem, veni; tui enim curam geram* (ut cap. 39. 12.) *sin autem non placuerit venire mecum*, &c. ¶ *Ad* locum, &c. אל טוב וגו'] Hebraismus, pro, *universa regio tibi proponitur.* Gallicè, *est à ton commandement:* proficiscere ad locum qui tibi magis placuerit, & quem potiùs delegeris. Similis locutio est etiam Gen. 13. 9. *Numquid non omnis terra coram te?* Et 20. 15. *Ecce terra mea coram te: in* loco *bono coram oculis tuis habita.* Item 34. 10. *Et nobiscum habitabitis, & terra erit coram vobis; habitate.*

5. *Adhuc autem*, &c. ועודנו וגו'] Ad verb. *Et adhuc ille non reverteretur:* pro, *Adhuc enim ille non responderat se velle reverti in terram Sanctam*, cùm ille jussit ut Jerusalem rediret: voluntatem enim Jeremiæ ex vultu deprehenderat, aut è mora. ¶ Qui *rectus fuerit in oculis tuis* הישר בעיניך] Hebraismus qualis v. 4. i. *habita apud eum in libertate*, vel *ito quocunque tibi ire libuerit.* ¶ *Viaticum & munus* ארוחה ומשאת] Doctus inter Hebræos dicit utramque dictionem hoc loco significare *munus*, ut sit sensus, *Duo genera munerum dedit ei.* Alii, ארוחה dicunt significare quidem *munus*, sed propriè *de his quæ pertinent ad victum.* Chald. *munera & commeatum.*

6. *Qui remanserat* הנשארים] *Qui relictus fuerat:* aut *reliquus erat.*

7. *Principes exercituum* שרי החילים] Cùm Chaldæi obtinuissent Urbem, fugerunt noctu bellatores quicunque fuerant intra civitatem, in campum, & constituerunt super se duces & gubernatores: & ii vocantur hic *principes exercituum*, seu *catervarum.* *In agro* autem dicit, i. extra Urbem. ¶ *Et viri eorum* ואנשיהם] i. Milites. ¶ *Et pauperes*, &c. ומדלת וגו'] Ad verb. *& de paupertate terræ* [vel *penuria terræ*] *& iis qui*, &c. pro quo Chald. *de pauperibus populi terræ.* Quidam vertunt, *aliquot ex pauperibus regionis, ex iis qui captivi abducti non fuerant* (vel *non demigraverant*) *in Babylonem.*

8. *Nempe Ismael* וישמעאל] Hic ו & pro *nempe* positum est: nam hi sunt Principes qui venerunt.

9. *Et juravit* וישבע] i. Promisit illis, jurejurando adhibito, salutem, & militibus eorum. Verba jurejurandi hic omittuntur brevitatis causâ, ut 2 Reg. 25. 24.

10. *Habito* יושב] Præs. Heb. pro fut. habitaturus sum. ¶ *Ut stem coram Chasdim* לעמד לפני הכשדים] *Ut astem Chaldæis.* Hebraismus, pro *excipiam Chaldæos qui è Chaldæa venturi sunt ad nos:* quibus fidejubebo pro vobis, ponámque animam meam pro vobis, ut securi vivatis, & locupletes efficiamini in civitatibus vestris. ¶ *Colligite* אספו] *Congregate: recondite.* ¶ *Et fructum* וקיץ] Sub. *æstatis*, sive *fructus autumnales:* nam קיץ accipitur pro *æstate & autumno.* *Fructus æstivos* significat qui desiccari solent in Sole tempore æstivo, ut Ficus & id genus. Chald. *caricas*, i. massas ficuum compressarum & siccatarum. ¶ *In vasis vestris* בכליכם] *In penuariis vestris.* ¶ *Quas cepistis* אשר תפשתם] *Quas apprehendistis*, sub. *ad inhabitandum.* Quidam, *quas occupastis.* Alii, *quas tenetis*, sub. *ut in illis habitetis.*

11. *Residuum* שארית] *Reliquias:* i. Reliquisset aliquot Judæos in Juda, quibus præfecisset Godoliam.

12. *Et fructus* וקיץ] Eadem vox quæ v. 10.

13. *Qui* erant *in agro* אשר בשדה] i. Agebant in agro, sub. *Jerosolymitano*, vel *Judaico:* non in Urbe, quando fuit expugnata: sive qui aufugerant Urbe expugnatâ. Gallicè, *qui tenoyent les champs.* Hoc autem versu repetit quæ priùs dicta fuerunt v. 7. expresso tamen nomine ducis, ut narret factum ipsius, quo scilicet detexit insidias quas struebat Ismael contra Godoliam, invidens præfecturæ ejus.

14. *Cognoscis* ידע] Fut. Heb. pro præs. ¶ *Ut percutiat te* in *anima* להכותך נפש] *Ut percutiat te* percussione *animæ*, i. plagâ animæ, quâ scilicet anima separatur sive sejungitur à corpore, h. e. vulnere lethali: q. d. *ut occidat te.* Alii, *ut percutiat animam tuam.* Hoc modo pronomen affixum verbo referri debet ad nomen.

15. *Ibo nunc* אלכה נא] *Vadam, quæso:* i. Age, vadam: q. d. *Per te mihi liceat ire. Fac mihi potestatem eundi.* ¶ *Et nemo sciet:* i. nemine sciente. ¶ In *anima* נפש] Percussione *animæ:* ut v. 14.

16. *Ne feceris verbum hoc* אל תעשה את הדבר הזה] *Ne facias rem hanc.*

CLARIUS.

4. *Ponam oculos meos super te*] Quidam sic intelligunt, *Ero quasi servus tibi, & observabo te tanquam dominum.* Certè ea locutio singularem favorem & curam indicat.

5. *Revertere ad Godoliam filium Ahicam*] Intelligebat enim Nabuzardan ex silentio Jeremiam nolle redire Jerusalem.

7. *Omnes principes exercitûs*] Cùm Chaldæi obtinuissent Urbem, fugerunt noctu bellatores quique qui fuerunt intra civitatem, in campum, & constituerunt super se duces & gubernatores: & hi vocantur hîc *principes exercitûs.*

10. *Ut stem coram Chaldæis*] Ego, inquit, cùm venerint Chaldæi, respondebo pro vobis, & ponam animam meam pro vobis: & vos securi vivetis, & locupletabimini in civitatibus vestris.

DRUSIUS.

3. כאשר דבר. καθὼς ἐλάλησεν *quemadmodum locutus est.* ¶ וְהָיָה לָכֶם הַדָּבָר הַזֶּה. καὶ ἐγένετο ὑμῖν ὁ λόγος αὐτὸς, *& factus est vobis sermo iste.*

4. בֹּא. ἧκε *veni.* ¶ ראה כל וגו'. Ἰδοὺ πᾶσα ἡ γῆ ἐνώπιόν σου, εἰς καλὸν καὶ εἰς ἀρεστὸν ἐν ὀφθαλμοῖς σου τοῦ πορευθῆναι, ἐκεῖ πορεύου, *Ecce omnis terra in conspectu tuo est: eò quò bonum & placitum oculis tuis ire, illuc ito*] Sequitur in iisdem libris καὶ ἀνάστρεψον *& revertere*, שוב.

5. אֲרֻחָה. ἑστιατορίαν *viaticum*] In historia Danielis ארחה Theodotio reddit ἄριστον, i. *prandium*, videlicet quod Habacuc paraverat messoribus, postea jussu Angeli detulit ad Danielem in lacu cum leonibus inclusum.

7. וְטַף וּמִדַּלַּת הָאָרֶץ. καὶ τὰ νήπια, καὶ ἀπὸ τῶν πτωχῶν τῆς γῆς, *& parvulos, & de pauperibus terræ.*

12. וַיָּשֻׁבוּ כָל וגו'. καὶ ἐπέστρεψαν πάντες οἱ Ἰουδαῖοι ἀπὸ πάντων τόπων εἰς οὓς διεσπάρησαν, *& reversi sunt omnes Judæi de omni loco in quem dispersi fuerant.*

14. בַּעֲלִיס מֶלֶךְ בְּנֵי עַמּוֹן. Βαλισὰ βασιλεὺς τῶν υἱῶν Ἀμμὼν, *Balisa Rex filiorum Ammon*] Vel *Balissa*, ut Φαρισαῖος, ut Μεσσίας. In ed. Rom. Βελεισσὰ *Belissa*, quod depravatum in Compl. in βασίλισσα. בעליס Βαλεὶς, ut יעקב Ἰακώβ: indè Βαλεισὰ, i. *Balisa.*

GROTIUS.

1. *Sermo qui factus est ad Jeremiam à Domino*] Hæc referenda sunt ad ea quæ sequentur capite XLII. 9. Cætera præmittuntur, ut tempus & occasio ejus Prophetiæ rectiùs intelligantur.

De Rama] Vide quæ diximus suprà XXXIX. 15.

Quando tulit eum vinctum catenis] Ignotum scilicet adhuc sibi. Nam simulatque dedicit eum esse Jeremiam, liberavit eum ac bene ei fecit ex præcepto Regis quod habuimus suprà XXXIX. 11.

4. *Ponam oculos super te*] Curam tui singularem habebo: ut suprà XXXIX. 12.

Ecce omnis terra in conspectu tuo est] Elige hujus terræ quam volueris partem.

5. *Et mecum noli venire, sed habita apud Godoliam*] Chaldæus non malè vertit: *Et si tu non* (vis) *habitare*, (ruri scilicet) *confer te ad Godoliam.* Si mavis in oppido aliquo quàm in agro habitare, poteris id tutò facere sub Godoliæ præsidio, cui te commendabo. Apparet Chaldæum illud ישוב derivasse à ישב [*sedere*], non à שוב [*reverti*].

Dedit quoque ei magister militum cibaria & munuscula] Meliùs, *convivium & munus.* Convivio eum excepit, & munera dedit de præda eximia. Josephus: δωρησάμενος αὐτὸν δωρεαῖς πολυτελέσι [*cùm eum donasset donis sumtuosis*]. Vide Esaiam LIII. 12. Græci libri quidam hîc: ἔδωκεν αὐτῷ ἑστιατορίαν καὶ δῶρα [*dedit ei convivium & dona*].

6. *In Masphath*] Nempe Benjaminis, Jos. XVIII. 26.

7. *Cùmque audissent omnes principes exercitûs qui dispersi erant per regiones*] Judæi duces, qui in oppidis aliis positi, cùm viderent Chaldæis resisti non posse, in tempore se ad vicinas regiones, ubi bellum non erat, receperant. Exponitur hoc infrà 11.

8. *Et Ismahel*] *Et* hîc more Hebræo superfluit.

10. *Ut respondeam præcepto Chaldæorum qui mittuntur ad nos*] In Hebræo: *Ut stem ad facies Chaldæorum qui venient ad nos.* Id est, ut impleam mandata Legatorum quos missurus est Rex Babylonis.

Et messem] קיץ ὀπώραν potiùs significat, ut hîc habent Græci, *arborum fructus.* Chaldæus *caricas* dixit, speciem pro genere. Messis tempus jam præterierat. Mense enim Julio Urbs fuit incensa. Sic interpretare & infrà 12.

Manete in urbibus vestris quas tenetis] In Hebræo: *quas tenuistis*, nempe ante bellum.

13. *Johanan autem*] In Hebræo: *Etiam Johanan*. Nempe & ille inter eos fuit qui se Godoliæ applicuerunt.

14. *Scito quod Baalis Rex filiorum Ammon misit Ismahel filium Nathaniæ percutere animam tuam*] Græci libri quidam hic habent βασίλισσα βασιλέως υἱῶν Ἀμμών, id est, *Regina* (mater) *Regis Ammon*, tutelam scilicet Regis pueri gerens. Sicut *mater Regis* Hebræis vocabatur גבירה [*potens*], ità Ammonitis בעלים [*Domina*]. Nam ס pro ה ponere est dialectus. Pro שלח [*misit ipse*] ergò legerunt שלחה [*misit ipsa*]. Pro illo *scito*, in Hebræo est *an planè scis?* id est, an non intellexisti rem tanti momenti? Ismaël iste Judæus erat, ad regiam Davidis familiam pertinens, ut mox videbimus XLI. I. Ità Ammonitarum Augusta vetus in Hebræos odium, Ismaël verò ille spem quam conceperat ex ortu Davidicæ stirpis, unà miscuerunt. *Percutere animam* est vulnerare lethaliter, ut Genes. XXXVII. 21.

16. *Noli facere verbum hoc*]: *Rem hanc*. Ità enim Hebræi דבר [*verbum*] sæpissime usurpant. LXX, πρᾶγμα τοῦτο [*negotium hoc*].

Falsum enim tu loqueris de Ismahel] Vir non malus, sed nimiùm credulus, qualis Eumenes.

CAP. XLI.

MUNSTERUS.

CRudele spectaculum proponitur in hoc capite. Ostenditur quàm ambitiosus fuerit, quàm crudelis, avarus, astutus artifex ad simulandum & dissimulandum, aptus ad imponendum astu suo, Ismael Regio genere natus, quíque affectus suos pessimos comprimere non potuit: A quibus tamen eundem plurima deterrere debuerant, nempe Urbs jam exusta, Judaica res collapsa, beneficia Chaldæi Regis, mansuetudo Gedaliæ. Sed hæc omnia nihil efficiunt: ut intelligamus omnium belluarum nocentissimam esse hominem perversum, permissum affectibus suis. Cavendum à talibus hominibus & ingeniis. Scelus gravissimum est & semper habitum violare hospitalitatis amicitiam: sed tamen frequenter fit ut mala retalientur pessimis.

5. *Lacerati corpore*] quamvis autem in Lege prohibitum esset nè Judæi inciderent corpora sua, obliti tamen Legis, & assueti moribus Gentilium, ab hoc errore in summis tristitiis sibi non temperarunt. Sed quomodo veniunt sacrificaturi in Templo, quod jam erat devastatum? Dicendum quòd ignorabant domum Domini devastatam cùm de terra sua egrederentur; sed cùm in itinere id audissent, summâ affecti tristitiâ, volebant declinare ad Gedaliam.

9. *Propter Gedaliam*] Heb. *in manu Gedaliæ:* sed accipitur hic ביד pro בסבה *propter causam*. Sunt etiam qui accipiendum putant pro במקום *in loco*.

17. *Geruth Chimham*] i. In loco ubi peregrinatus fuit Chimham filius Barzillai. Sonat enim GERUTH *peregrinationem*, Jonathan hunc locum sic vertit, *in Geruth quam dedit David ipsi Chimham Barzillai Gileadita*. De hoc Chimham Gileadita habes 2 Sam. 19.

VATABLUS.

1. ET *optimates* ורבי] *Et principes*, i. aliquot ex principibus Sedeciæ. ¶ *Et comederunt ibi panem* ויאכלו שם לחם] q. d. Admisit Godolias Ismahelem ad mensam suam, nihil sibi timens ab eo. Nomine *panis* omnem cibum intelligunt Hebræi.

2. *Quem* אשר] *Quia illum*, &c.

4. *Idque nemine sciente* ואיש לא ידע] Ad verb. *& vir nescivit*, i. nemine illorum qui in Urbe erant sciente.

5. *Rasâ barbâ, & scissis vestibus*, &c. מגלחי זקן וקרעי בגדים ומתגדדים וגו'] Ad verb. *rasi barbâ, & scissi vestibus, & incisi: & munera & thus in manibus eorum*. *Scissos* vel *laniatos* aut *dilaceratos facie* vocat, cultris videlicet aut unguibus: quæ erant indicium luctûs & mœroris. Hi octoginta viri hæc signa luctûs edere cœperunt in itinere ipso quando audiverunt Templum ipsum direptum & exustum fuisse à Chaldæis. Urbs enim capta fuit mense quarto, ut vides suprà 39. 2. & Templum combustum fuit mense quinto 2 Reg. 25. 9. Quando ergò hi octoginta viri accinxerunt se itineri, poterant audisse famam Urbis captæ: at de Templo vastato nihil audierant; alioqui non detulissent secum munera & thus ad oblationem. Intellexerunt autem in ipso itinere; unde tantus illis obortus est luctus. ¶ *Munera* ומנחה] *Et cibarium sacrificium*; aut *oblationem*.

6. *Vadens eundo & flens* הלך הלוך ובכה] *Incedens incedendo, & flens*: vel, *incedens eundo, & plorans*, i. flens inter eundum, aut properans flendo, h. e. simulans se tristem ob ea quæ acciderant ipsi Jerusalem & Templo, ut hàc viâ faciliùs imponeret incautis hominibus.

7. *Ad medium cisternæ* אל תוך הבור] *Juxta medium laci*. Alii, & *in medium laci* conjecit. Quòd hi occisi non fuerint in fovea ipsa, sed occisi, & pòst in illam conjecti, clarum est ex v. 9.

8. *Qui dixerunt* ויאמרו] Ad verb. *& dixerunt*. ¶ Thesauri *frumentorum*, &c. חטים ושערים וגו'] Thesauri, inquam, *frumenti, & hordei, & olei, & mellis*. Alii, nempe *triticum, hordeum, oleum & mel*. ¶ *Destitit igitur* ויחדל] Ad verb. *& cessavit*.

9. *Propter Gedaliahu* ביד גדליהו] Ad verb. *in manu Gedaliahu*. Hic significat *causâ Gedaliahu*. Doctus inter Hebræos vertit, *virorum, inquam, qui fuerant ad manum* [vel *consilium*] *ipsi Gedaliah*: i. qui erant illi à consiliis dum viveret. *Manus* pro *consilio*. Sic 2 Sam. 1. 14, 19. *Numquid manus Joab tecum est in omnibus istis?* Quidam vertunt *in loco*. ¶ *Propter Basa* מפני בעשא] Ad verb. *à facie Baasa*. Quidam, *metu Baasæ*. Alii, *contra Baasa*. ¶ *Occisis* חללים] *Interfectis*, i. cadaveribus interfectorum.

10. *Qui remanserat* הנשארים] *Qui relictus fuerat*; *relictum*. ¶ *Quos commendaverat* אשר הפקיד] *Quem deposuerat*, vel *ceu depositum reliquerat*. Alii, *quibus præfecerat Nabuzar-adan princeps militiæ, ipsum Gedaliahu*.

12. *Viros* האנשים] i. Milites suos. ¶ *Et invenerunt eum* וימצאו אתו] *Et offenderunt eum*: aut *assecuti sunt*.

17. *Et abierunt* וילכו] Exactis scilicet aliquot diebus. ¶ *In Geruth Chimham* בגרות כמהם] i. In loco ubi peregrinatus fuit Chimham filius Berzellai. Sonat enim גרות *peregrinationem*. Chaldæus P. locum hunc sic vertit, *in Geruth quam dedit David ipsi Chimham Berzellai Galaadita*. De hoc Chimham Galaadita vide 2 Sam. 19. 38.

18. *A facie Chasdim* מפני הכשדים] *Propter Chaldæos*. Alii, *Metu Chaldæorum*.

CASTALIO.

5. RAsis barbis, *laceratis vestibus, & compuncti*] Lugentes.

CLARIUS.

1. ET *factum est in mense septimo*] Mense quinto Templum incensum: & post breve temporis spatium, nempe mense septimo, trucidatur Godolias. Propter quas duas calamitates est jejunium indictum quinti & septimi mensis Zach. 7. 5. ut quibusdam videtur.

5. *Munera & thus habebant in manu*] Quomodo veniunt hi sacrificaturi in Templo, quod jam erat devastatum? Dicendum, eos ignorasse domum Domini devastatam cùm de terra sua egrederentur; sed cùm in itinere id audissent, summâ affecti tristitiâ, volebant declinare ad Godoliam.

17. *Sederunt in Geruth Chamaam*] Sonat GERUTH *peregrinationum*. Jonathas hunc locum sic vertit, *In Geruth, quam dedit David ipsi Chimam Barzillai Galaadita*. De hoc Chamaam sive Chimam habes in 2 Sam. 19.

18. *A facie Chaldæorum*] Non sine causâ formidant. Accuratiùs enim observare oportuerat nè Ismael hanc cædem patraret, aut certè debuerant indicare præsidio Chaldæorum.

DRUSIUS.

1. וְרַבֵּי הַמֶּלֶךְ. καὶ ἡγέμονες τοῦ βασιλέως *& duces Regis*.

2. בַּחֶרֶב. μαχαίρᾳ *gladio*. ¶ וַיָּמֶת אֹתוֹ. καὶ ἐθανάτωσαν αὐτὸν *& morte affecerunt eum*] Fortè leg. ἐθανάτωσεν, unius literæ immutatione.

3. אֶת אַנְשֵׁי הַמִּלְחָמָה הִכָּה יִשְׁמָעֵאל. καὶ τοὺς ἄνδρας πολεμιστὰς ἐπάταξεν Ἰσμαήλ, *& viros bellatores percussit Ismael*.

5. וּמִנְחָה. A. δῶρα *dona*. Sym. θυσία *sacrificium*] Pro μαννὰ in Lxx legendum μαναά. Nam μαννὰ Ebraicè מן dicitur. Theodoretus, Τὸ, μαναὰ, *vocant Ebræi* θυσίαν, *i. sacrificium*. Consule libellos meos. Hier. Ezec. 44. מנחה, *Aq. Sym.* donum, *i.* δῶρον· & 45. *Pro* sacrificio, *i.* θυσία, *Aq. & Sym.* donum *interpretati sunt, quod in Ebraico dicitur* MANAA *sive* MANAHA, *& propriè non pertinet ad hostiam, sed ad ea quæ ex simila & polenta & oleo offeruntur in sacrificio*. Idem Ezech. 46. τὸ, μαναὰ, *Th.* sacrificium, *Aq. & Sym.* donum. Vulgò perperàm τὸ μαναά. Cæterùm ed. Compl. hoc in loco Jeremiæ pro μαναὰ, δῶρον habet, i. *donum, munus*.

7. וַיִּשְׁחָטֵם. ἔσφαξεν αὐτοὺς καὶ ἐνέβαλεν, אֶל־תּוֹךְ הַבּוֹר. εἰς τὸ φρέαρ, *jugulavit eos, & projecit in puteum.* ¶ הוּא וְהָאֲנָשִׁים אֲשֶׁר־אִתּוֹ. αὐτὸς καὶ οἱ ἄνδρες οἱ μετ' αὐτοῦ, *ipse, & viri qui erant cum eo.*

13. אֲשֶׁר אִתּוֹ. τοὺς μετ' αὐτοῦ *qui cum eo.* ¶ וַיִּשְׂמָחוּ. καὶ ηὐφράνθησαν *& lætati sunt.*

16. מֵאֵת יִשְׁמָעֵאל וגו׳. Ἀπὸ Ἰσμαὴλ υἱοῦ Ναθανίου ἀπὸ Μασσηφὰ, μετὰ τὸ πατάξαι αὐτὸν Γοδολίαν υἱὸν Ἀχικὰμ, *ab Ismael filio Nathaniæ de Masipha, postquam ille percusserat Godolsam filium Achicam.*

17. בְּגֵרוּת כִּמְהָם. Legendum in Græca ed. ἐν Γηρωθ Χαμαὰμ pro eo quod vulgò legitur ἐν Γαβηρωχαμαὰ. Nam est vox merè Ebraica. Sunt editiones quæ habent ἐν γῇ Βερωθ Χαάμ, quod magis corruptum, cùm ex unica voce factæ sint duæ, & (quod absurdissimum) syllaba Ebraica in Græcam degenerarit. Sed imperitia quid non audet?

GROTIUS.

1. COmederunt ibi panes] Convivio excepti sunt.

2. *Quem præfecerat Rex Babylonis terræ*] Hoc additamento ostendit magnitudinem criminis.

4. *Nullo adhuc sciente*] Antequam fama de occiso Godolia emanasset.

5. *Viri de Sichem, de Silo, & de Samaria*] Viri pii, quales erant pauci, in illis locis.

Rasi barbâ, & scissis vestibus, & squallentes] Ut dolorem testarentur de incenso Templo.

Et munera] מִנְחָה, μαναὰ [*oblationem è simila*].

Ut offerrent in domo Domini] In area, ubi Templum fuerat. *Locus in quo ædes sacræ sunt ædificatæ, etiam diruto ædificio, sacer adhuc manet*, Instit. de Rerum divisione, § *Sacræ*: ex Papiniano.

6. *Et plorans ibat*] Quasi & ipse Templi exitium lugeret: ut sic faciliùs eos ab omni metu averteret.

Venite ad Godoliam filium Ahicam] Quasi ipse esset de ejus comitatu.

7. *Interfecit eos Ismahel filius Nathaniæ circa medium laci*] Est ἔλλειψις [*defectus*] pro *interfectos abjecit*, ut apparet infrà 9. בּוֹר autem, quod hic *lacum* vertit, hoc loco *fossam* significat urbi circumdatam, quomodo φρέαρ [*puteus*] sumitur & II Maccab. I. 19. Similis huic locutio I Maccab. VII. 19. ἔθυσεν αὐτοὺς εἰς τὸ φρέαρ τὸ μέγα [*occidit eos in puteum magnum*], id est, *interfectos in fossam abjecit.*

8. *Quia habemus thesauros in agro frumenti, & hordei, & olei, & mellis*] Id est, *apothecas*, ut interpretati sumus suprà XXXVIII. 7.

Et cessavit, & non interfecit eos] Apparet hoc exemplo verum sæpe esse quod dixit Sapiens, *Divitiis vitam redimi*, Prov. XIII. 8. Simul ostenditur Ismaëlis avaritia, hominis per omnia Ammonitæ quàm Judæo propioris.

9. *Lacus*] *Fossa*, ut suprà 7.

Quem fecit Rex Asa] Nempe cùm Maspatham muniret, 1 Regum XV. 22.

10. *Et captivas duxit Ismael omnes reliquias populi qui erant in Masphath, filias Regis, & universum populum*] Indignus Davide pronepos. Filias Sedeciæ Chaldæi in Judæa reliquerant, quia nec ad arma valet is sexus, nec ad regnum jus sibi vindicare poterat. Vide infrà XLIII. 6.

Et abiit, ut transiret ad filios Ammon] Quorum incitatu scelera hæc in populares suos patraverat.

11. *Johanan filius Caree*] Nominatus suprà XL. 8.

12. *Et invenerunt eum ad aquas multas quæ sunt in Gabaon*] Id est, *ad magnam piscinam*, ut hic habet Chaldæus. Ea ipsa est, cujus mentio II Sam. II. 13. Erat autem Gabaon in itinere à Maspatha ad Ammonitas.

13. *Lætati sunt*] Conspecto vindice suæ libertatis.

14. *Et reversus est omnis ille populus*] In Hebræo: *Et reduxerunt* (illi qui cum Johanane erant) *omnem illum populum*, nempe captum ab Ismaële.

Reversusque abiit ad Johanan filium Caree] *Qui populus reversus* (ad res suas) *adhæsit Johanani filio Careæ*: id est, eum agnovit Ducem.

15. *Ismael autem filius Nathaniæ fugit cum octo viris*] *Ismael enim filius Nathaniæ fugerat cum octo viris.* Ostenditur quomodo factum sit ut captivi illi evaderent. Sæpe captoribus multitudo captivorum non oneri tantùm, sed & periculo fuit. *Cum octo viris*, quia duos amiserat, tentato frustra prælio.

16. *Et eunuchos*] Nam & hoc hominum genus exemplo aliorum Regum Judæi Reges sibi circumdederant, quos ut nulli bono usui Chaldæi in Judæa reliquerant.

17. *Sederunt peregrinantes in Chamaam, quæ est juxta Bethlehem*] In Hebræo: *Consederunt in habitatione Chimhamis quæ est juxta Bethlehem.* David bello adversùs Absolomum patrato, cùm Berzellajum amicum suum senem secum Hierosolyma reducere non posset, filium ejus Chamaamum secum duxit, eo animo ut patris merita in filio remuneraret. Cùm autem David patrimonium haberet in agro Bethlehemitico, jus ibi habitandi & fructus quosdam suos faciendi dedit Chamaamo: atque indè id rus nomen accepit. Consederunt autem ibi tantùm ut se pararent itineri, de quo agunt sequentia.

18. *Timebant enim eos, quia percusserat Ismahel filius Nathaniæ Godoliæ filium Ahicam, quem præposuerat Rex Babylonis in terra Juda*] Eâque re majestatem Regis Babylonii insigniter læserat. Vide L. 1. § 1. D. ad L. Juliam Majestatis. Non carebat autem ratione metus ille, nè Chaldæi ex suspicione Judæos omnes in idem crimen traherent, quasi qui Principem sibi desiderassent ex stirpe Davidis.

CAP. XLII.

MUNSTERUS.

10. S*I sedendo manseritis*] Scribitur hîc in Hebræo שׁוֹב pro ישׁוֹב, deficiente scilicet primâ radicali literâ Jod: etiamsi infinitivus in hoc verborum ordine hanc formam habere non soleat. ¶ *Pœnitet me mali*] Eadem est sententia cum ea quæ scribitur in Genesi, *Pœnitet me fecisse hominem*: non quòd mutabilitas sit in Deo (hoc enim impium esset de Deo sentire) sed dicit finem adesse pœnarum & calamitatis, & quòd ampliùs non metuant flagella ejus si obedientes fuerint. Unde Jonathan hunc locum sic vertit, ארי תבית מן בישתא, *quoniam reversus sum à malis quæ feci vobis.*

20. *Fefellistis me*] Sensus est, Ore aliud locuti estis ad me quàm fuerit in animo vestro. Verbis enim polliciti estis obedientiam cùm rebellionem in animo meditaremini. Est autem hic התעיתם verbum Hiphil à radice תעה, scribitúrque Zere sub Ain loco Hirec & Jod.

VATABLUS.

1. A *Parvo usque ad magnum* מקטן ועד גדול] Hebraismus, *parvus & magnus*, secundùm ordinem, non ætatem: i. cujuscunque ordinis, infimi scilicet & summi.

2. *Cadat, quæsumus*, &c. תפל נא תחנתנו לפניך] Hebraismus, qui Latinè sic redditur, *Age, quæso, exaudiatur deprecatio nostra à te*; sive *acquiesce precibus nostris*, *quæ sunt ut ores pro nobis. Precamur te ut ores pro nobis.* Similis loquendi modus legitur & suprà cap. 36. 7. ¶ *Pro omni residuo isto* בעד כל השארית הזאת] Nempe *pro omnibus reliquiis istis.* ¶ *Pauci ex multis*, &c. מעט מהרבה וגו׳] Ad verb. *paucum quid de multo, quemadmodum oculi tui vident nos*: i. ex multo numero hominum, ut vides nos esse.

3. *Et annunciet* ויגד] *Ut indicet.* ¶ *Et verbum quod faciamus* ואת הדבר אשר נעשה] Hebraismus, pro, *& quid faciamus*: aut *facturi sumus.*

4. *Orabo* מתפלל] Præs. Heb. pro fut. ¶ *Secundùm verba vestra* כדבריכם] Hebraismus, *ut petiistis.* ¶ *Quicquid autem*, &c. והיה כל הדבר וגו׳] Ad verb. *& erit, omne verbum quod responderit*, &c. ¶ *Non prohibebo*, &c. לא אמנע וגו׳] Hebraismus, pro, *non celabo vobis quicquam, sed bonâ fide renunciabo.*

5. *Sit Jehovah*, &c. יהי יהוה וגו׳] Hebraismus, Testamur Dominum, testem verum & fidelem, nos velle turpiter & crudeliter vitam hanc finire, nisi fecerimus quicquid per te jusserit nos facere. Locutio concisa.

6. *Sive bonum sive malum*, &c. אם טוב ואם רע וגו׳] *Sive bona sive mala, voci*, &c. i. Sive commodum sive incommodum fuerit, voluntati Dei parebimus. Hic versus finis est longissimæ illius parenthesis quæ incepit circiter principium capitis 40.

7. *Fuit autem*, &c. ויהי מקץ עשרת ימים וגו׳] Hebraismus, *Contigit autem, cùm advenisset decimus dies* (sive *exactis decem diebus*) *allocutus est Jehovah Jeremiam.* קץ significat *terminum.* Est autem cujusque rei duplex terminus; incipiens, i. à quo res incipit; & terminus finiens, i. in quem ipsa desinit. Hîc autem accipitur pro termino incipiente, quem vocant *terminum à quo*: q. d. *Cùm autem numeraretur decimus dies*, à precatione scilicet. Vide suprà 34. 14.

8. *A parvo usque ad magnum* למקטן ועד גדול] *A minimo usque ab maximum*: i. cujuscunque ordinis, ut ver. 1.

9. *Ut cadere facerem* להפיל] *Ut prosternerem.* Hebraismus, *ut orarem eum pro vobis.* Sic v. 2. & cap. 39. 26.

10.

10. *Manendo manseritis* שוב תשבו] Hebraismus, *permanseritis.* ¶ *Ædificabo vos* ובניתי אתכם] Ad verb. *& ædificabo vos.* Redundat conjunctio. Terra Sancta confertur hîc Solo in quo ædificatur, & Horto in quo pulcræ conseruntur arbores: populus verò Judaicus comparatur Ædificio, & Arboribus in horto consitis: q. d. Non sinam posthac ullos è vobis in Chaldæam abduci. ¶ *Pœnitet me*, &c. נחמתי אל הרעה] *Resipui à malo:* i. mutavi sententiam super afflictione quâ afflixi vos. Dicit adesse finem pœnarum & calamitatis, & quòd ampliùs timere non debeant si obedientes fuerint. Chald. *Quoniam reversus sum à malis quæ feci vobis.*

12. *Dabo enim vobis misericordias* ואתן לכם רחמים] Hebraismus, Miserebor vestrî, miserebitur etiam vestri Rex Nabuchodonosor; vel, Efficiam ut gratiâ & favore vos Rex Babyloniæ complectatur, & vobis benefaciat: tantum abest ut eum metuere debeatis: *& permittet vobis habitare in terra vestra.*

13. *Non habitabimus* לא נשב] Sub. *diutiùs.* ¶ *Non obediendo*, &c. לבלתי וגו'] Ad verb. legitur Hebraicè ut vertimus, quod quidam per verbum sic vertunt, *nec audiemus vocem*: &c. Alii, *ut non audiatis vocem*, &c.

14. *Dicendo* לאמר] i. *Dicentes.* ¶ *Et pane non esuriemus* וללחם לא נרעב] Hebraismus, *neque panis penuriâ laborabimus.* Quidam, *nec cibi penuria erit.*

15. *Ponendo posueritis facies vestras* שום תשמון פניכם] i. Converteritis faciem vestram, aut verteritis vosipsos, *ut pergatis* (sive *proficiscamini*) *in Ægyptum.* Hebraicâ hâc locutione *ponere* vel *firmare faciem suam* significat Firmum & fixum habere propositum aliquid faciendi. Similis locutio & Luc. 9. 51. legitur de Christo, *Dum complerentur dies assumptionis ejus, & ipse faciem suam firmaverat ut iret Jerosolymam.* ¶ *Ad peregrinandum ibi* לגור שם] i. Ut illic habitetis tanquam peregrini.

16. *Erit* והיה] Ad verb. *Et erit.* Hîc videtur conjunctio, quæ alioqui redundaret, certitudinem denotare; acsi dicat, *Profectò futurum est ut gladius*, &c. Alii conjungunt sequentibus, pauculis subauditis, *Erit gladius* super vos.

17. *Erit enim* ויהיו] Ad verb. *Et erunt.* Confirmatio est præcedentis versûs: propterea *&* per *enim* redditum est. Quidam subaudiunt *in malum*, i. in interitum. *Et erunt in malum omnes viri*, &c. ¶ *Nec erit*, &c. ולא יהיה וגו'] Hebraismus, *nec erit quisquam ex eis reliquus, neque evadet quisquam à malo quod ego inducturus sum super eos.* Præs. Heb. pro fut.

18. *Effusus est furor meus* נתך אפי] *Fusus est furor meus*, more scilicet metalli quod liquefactum repentè ac subitò decidit: aut sicut aqua nubis quæ soluta subitò concrescit in aquam ut pluviam. ¶ *In jusjurandum* לאלה] Hæc dictio *exsecrationem* sive *maledictionem* & *jusjurandum* significat. Quoniam autem statim sequitur *in maledictionem & in opprobrium*, hoc loco *jusjurandum* pro *imprecatione mala* accipi existimo (propterea quidem verterunt, *exsecrationem*) ut qui malè alicui velint imprecari, dicturos significet, *Sic tibi contingat ut Israelitis qui ab Ægyptiis petierunt auxilium præter Dei mandatum.* Sic infrà 44. 12. & Dan. 9. 11. ubi voce non ambiguâ legitur האלה והשבועה *maledictio & jusjurandum.* Huic contrarium est, *In te benedicent se Israel*, Gen. 48. 20.

19. *Locutus est Jehova super vos* דבר יהוה עליכם] *Edicit vobis Jehovah*, &c. Alii, *Locutus est Jehovah ad vos per me*, i. exhortatur hunc in modum. ¶ *Sciendo sciatis*, &c. ידע תדעו וגו'] Hebraismus, *Certo sciatis quòd monuerim vos quasi adhibitis testibus*, i. publicè. Verbum עוד in conjug. Hiphil, præsertim quando construitur cum ב, significat *monere:* quod qui admonebant, solerent adhibere testes.

20. *Equidem errare fecistis animas vestras* כי התעיתם בנפשותיכם] *Siquidem vestras ipsorum animas seducitis.* Alii, *Decepistis* [vel, *Seduxistis*, sub. *me*] *cogitationibus vestris:* q. d. *per id quod erat in animabus vestris*, sive *mentibus:* h. e. cogitationes vestræ non responderunt verbis vestris; sive, aliter locuti estis quàm esset in animis vestris: cùm scilicet petiistis à me ut Dominum vestro nomine orarem. Hîc observa *animam* pro *cogitatione* & *voluntate.* ¶ *Sic annuncia* כן הגד] *Sic indica.* Quidam annotant *sic* redundare, exponentes, *prorsus ut præceperit renuncia nobis ut faciamus.*

21. *Et annunciavi* ואגיד] *Et indicavi*, sub. *voluntatem Divinam, & tamen non vultis parere præcepto.* ¶ *Sed non audistis* ולא שמעתם] *Et non obedistis voci.*

22. *Ad peregrinandum ibi* לגור שם] *Ad habitandum illic*, tanquam peregrini scilicet.

CASTALIO.

6. Sive id bonum sive malum sit] Suave sive acerbum.

CLARIUS.

20. Quia decepistis animis vestris] h. e. Ore aliud locuti estis ad me quàm fuerit in animo vestro: verbis enim polliciti estis obedientiam cùm rebellionem in animo meditaremini.

DRUSIUS.

2. רֹאוֹת אוֹתָנוּ. Βλέπουσιν ἡμᾶς *vident nos.* Vulgata, *intuentur nos.*

9. אֱלֹהֵי יִשְׂרָאֵל אֲשֶׁר וגו'. Ὁ Θεὸς Ἰσραὴλ, ὃ ἀπεστάλκατέ με πρὸς αὐτὸν, ἵνα πέσῃ ὁ δέησις ὑμῶν ἔμπροσθεν αὐτοῦ, *Deus Israel ad quem misistis me, ut cadat deprecatio vestra ante eum*] *Ut cadat*, לנפול.

13. אֱלֹהֵיכֶם. τοῦ Θεοῦ ὑμῶν *Dei vestri.* Quanquam in C. ἡμῶν *nostri.*

14. לֵאמֹר לֹא כִּי. Λέγοντες, Μηδαμῶς, ὅτι, *dicentes, Nequaquam, quia.*

15. שְׁאֵרִית יְהוּדָה וגו'. Κατάλοιποι Ἰούδα, οὕτως εἶπεν Κύριος τῶν δυνάμεων ὁ Θεὸς Ἰσραὴλ, *residui Juda, sic dicit Dominus exercituum, Deus Israel.*

17. וּבַדָּבֶר. καὶ λοιμῷ *& pestilentiâ.*

19. כִּי־הַעִידֹתִי בָכֶם הַיּוֹם. ὅτι ἐμαρτυρησάμην ὑμῖν σήμερον, *quia contestatus sum vobis hodie.*

20. כֵּן הַגֶּד־לָנוּ וְעָשִׂינוּ. οὕτως ἀνάγγειλον ἡμῖν, καὶ ποιήσομεν, *sic annuncia nobis, & faciemus.*

21. וָאַגִּד לָכֶם הַיּוֹם וְלֹא שְׁמַעְתֶּם. καὶ ἀνήγγειλα ὑμῖν σήμερον, καὶ οὐκ εἰσηκούσατε, *& annunciavi vobis hodie, & non audivistis.*

22. וּבַדֶּבֶר. καὶ ἐν λοιμῷ] Aliàs θανάτῳ *morte.*

GROTIUS.

1. Et Johanan filius Caree] Nempe *Johanan.*

2. *Cadat oratio nostra in conspectu tuo*] Meliùs, *à conspectu tuo:* id est, tu procumbens preces nostras ad Deum defer. *Cadere* oratio dicitur quæ fit à procumbentibus, ut suprà XXXVI. 7. XXXVIII. 26. Vide & infra 9.

Derelicti sumus pauci de pluribus] Tale illud:

——— *Relliquias Danaûm, atque immitis Achilli.*

3. *Verbum quod faciamus*] *Rem faciendam à nobis.* Multi Prophetas consulebant facturi quod dicerent, si modò Prophetæ dicerent ipsorum votis congruentia.

6. *Sive bonum est, sive malum*] Id est, sive facile, sive difficile.

10. *Si quiescentes manseritis*] Sub imperio Babylonico, cui eos subjici planè Deus voluerat.

In terra hac] Judæa.

Ædificabo vos] *Domos vobis dabo*, ut suprà XXXIII. 7.

Plantabo] Firmas sedes vobis faciam, ut arboribus quæ solo infiguntur.

Jam enim placatus sum super malo quod feci vobis] Contentus sum iis pœnis quas vobis intuli, modò nè novam impœnitentiæ culpam adjiciatis.

11. *Vobiscum sum ego*] Vide ad ultima Matthæi.

14. *Et ibi habitabimus*] Non vagabimur, ut hîc, pro arbitrio Chaldæorum.

15. *Si posueritis faciem vestram ut ingrediamini Ægyptum*] Vide de hoc loquendi genere ad Lucam IX. 51. Quòd autem in Ægyptum ire vetantur, non venit ex illo loco Deuter. XVII. 16. cujus alium quàm à nonnullis putatur sensum esse ibi ostendimus, sed ex speciali decreto Dei, ex causa illa quam attulimus suprà 10.

16. *Gladius quem vos formidatis ibi comprehendet vos in terra Ægypti*] Gladius Nabuchodonosoris. Factum hoc eâ expeditione quâ in Africam ivit Nabuchodonosor: cujus meminit Megasthenes productus à nobis ad librum III. de Veritate Religionis Christianæ.

18. *Sicut conflatus est furor meus*] Meliùs: *effusus est.* Solet enim נתך exponi per יצק [*fudit*]. *Resedit*, Chaldæus, bene ad sensum.

Et eritis in jusjurandum] *In exsecrationem.* Dicetur: *Ità vos perdat Deus ut Judæos in Ægypto perdidit.*

Et in stuporem] Meliùs, *in desolationem?* quomodo Chaldæus. Græci, εἰς ἄβατον [*in loca invia*].

Et in maledictionem] Dicetur de vobis: *ô homines scelerati.*

Et in opprobrium] *Ludificatui.*

Et nequaquam ultrà videbitis locum istum] Non redibitis in Judæam, ut illi qui in Babylona deportati fuerunt.

19. *Verbum Domini super vos, ô reliquiæ Juda*] Hoc est, quod Deus vobis per me seriò & irrevocabiliter denuntiat.

Scientes scietis quia ego vos obtestatus sum hodie] Scitote, id est, mementote *me contestatum vos omnes.*

20. *Decepistis animas vestras*] In Hebræo: *Decepistis* (*me* scilicet, quo ad orandum & consulendum Deum uti voluistis) *in animas vestras:* id est, contra vosmetipsos, malo vestro.

CAP. XLIII.

MUNSTERUS.

2. *VIri contumaces*] Jonathan vertit זדים pro רשיעיא *impiis.* Rabini verò dicunt quòd זד est *qui peccat frivolè & ex proposito.* Alii interpretantur *arrogantes.*

9. *In luto laterificina*] Kimhi exponit hîc מלט pro חומר *luto ex quo fiunt lateres.* Hinc & Latini *maltam* vocant calcem arenâ & aquâ subactam. מלבן verò est *locus ubi lateres coquuntur.* Et est sensus, Vos fugistis in Ægyptum luto abundantem, & non animadvertitis quantùm patres vestri olim oppressi fuerunt in faciendo ex luto latere, quódque servitus illa planè fornax fuit ferrea: & ibi jam tutos vos speratis fore.

10. *Decorum tabernaculum*] Vocatur tentorium regium שפריר à *pulcritudine* ipsa. Significat enim שפר *pulcrum.*

12. *Involvet terram Ægypti*] h. e. Omnia ornamenta terræ Ægypti simul involvet haud secùs quàm pastor, qui die noctúque manet apud oves suas in deserto, & munit se vestibus suis contra æstum & frigus. Sic ille spoliabit Ægyptum, & totam prædam in unum congeret acervum, &c. ut nec parciturus sit sanctis deorum templis.

13. *Domus Solis*] Hæc est *Heliopolis* Ægypti, Hebraicè *Bethsemes* vocata, in qua Solem coluisse putantur.

VATABLUS.

2. *SUperbi* הזדים] *Arrogantes: impudentes.* ¶ *Dicentes* אומרים] i. Hunc in modum. ¶ *Dicendo* לאמר] *Ad dicendum*, i. ut diceres. ¶ *Ad peregrinandum* לגור] *Ut habitetis*, tanquam peregrini.

3. *Ut tradas* למען תת] Ad verb. *ut tradere*, infinitivus; quem quidam per tertiam personam vertunt, *ut tradat*, nempe *Baruch.* ¶ *Ut interficere facias*, &c. להמית אותנו וגו'] Ad verb. *ad interficiendum nos, & migrare faciendum.* Quidam per tertiam personam vertunt, *ut interficere faciat, & migrare faciat*, nempe *Baruch.* Alii per plurale, referentes ad *Chaldæos*, *ut interficiant nos, & traducant:* vel *captivos abducant.*

4. *Principes* שרי] *Duces.*

5. *Sed tulit* ויקח] Ad verb. *Et tulit.* Et pro *Sed.* ¶ *Omne residuum* את כל שארית] *Universas reliquias.*

6. *Et omnem animam* ואת כל הנפש] i. Omnem personam.

9. *In luto* במלט] Doctus inter Hebræos exponit *lutum ex quo fiunt lateres:* q. d. *& abde illos in luto lateritio*, superstruendo alios aliis ope luti lateritii. ¶ *In fornace laterum* במלבן] *In loco in quo fiunt* [vel *excoquuntur*] *lateres.* Gallicè, *en la tuillerie.* ¶ *In porta* בפתח] *In introitu:* vel *ad introitum*, i. non procul ab introitu Regiæ. ¶ *In oculis virorum* לעיני אנשים] i. Cernentibus sive spectantibus viris Juda; vel præsentibus, h. e. adhibitis testibus, Judæis aliquot.

10. *Servum meum* עבדי] i. Cujus operâ utar tanquam operâ servi. Fuit enim flagellum Dei, fecítque ipsius imperata. Hic versus continet superioris expositionem. ¶ *Super lapides istos* ממעל לאבנים האלה] i. In loco eminentiore quam sint lapides isti. ¶ *Tentorium suum* שפרירו] Sic vocavit tentorium regium à שפר SAPHER *pulcritudine:* q. d. *elegans & magni pretii.*

11. *Qui ad mortem*, &c. אשר למות למות] Phrasis est Hebraica, acsi diceret, *Qui ad mortem destinati fuerint*, *morti tradentur*, i. morientur, fame scilicet & peste; *& qui captivitati destinati fuerint, in captivitatem ibunt; & qui gladio destinati fuerint, gladio tradentur*, i. peribunt gladio, sive interficientur. Verti potest per singulare.

12. *Et induet terram* ועטה את ארץ] *Et amiciet sese terrâ:* ablativus: i. redibit in patriam onustus spoliis Ægyptiorum. ¶ *In pace* בשלום] i. Incolumis.

13. *Conteret quoque* ושבר] Confringet quoque.

CASTALIO.

12. *OMni Ægyptiâ terrâ amictus, quomodo amicitur suâ veste pastor*] Ægypto spoliatâ.

CLARIUS.

9. *IN crypta lateritia*] Vel, *in luto laterificinæ.* Ægyptus luto abundat propter inundantiam Nili: Ex eo lateres fiunt. Hinc & Πηλούσιον nomen habet. Videtur ergò sic innuere, Vos fugistis in Ægyptum luto abundantem, & non animadvertitis quantùm patres vestri olim oppressi fuerint in faciendo ex luto lateres, quódque servitus ille planè fornax fuit ferrea: & ibi jam tutos vos speratis fore.

10. *Et ponam thronum ejus super lapides*] Quidam putant Prophetam ob hanc Prophetiam à Judæis lapidibus obrutum, quia de *lapidibus* dixerat. Et est in ea sententia Hieronymus alicubi. Sed caput 46 contrarium ostendit.

12. *Et amicietur terrâ Ægypti*] h. e. Prædabitur hostis, & omnia illius secum auferet, *sicut pastor*, qui nihil habet præter *pallium*, quod ubi abiens induerit, nihil illic unde abit suum relinquit. Sic ergò dicitur fore ut hostis *amiciatur* & tanquam *induatur terrâ Ægypti.*

DRUSIUS.

2. הזדים. οἱ ὑπερήφανοι *superbi.* ¶ שקר אתה מדבר. ψεῦδη σὺ λαλεῖς, *mendacia tu loqueris.*

5. אשר שבו מכל הגוים אשר נדחו שם. τοὺς ἀποστραφέντας ἐκ πάντων τῶν ἐθνῶν ἃ διεσκορπίσθησαν ἐκεῖ, *qui reversi fuerant de cunctis gentibus, ad quas fuerant dispersi.*

9. במלט, Cæteri ἐν κρυφαίῳ *in occulto.*

10. עבדי. τὸν δοῦλόν μου *servum meum.*

13. אשר בארץ מצרים. τοὺς ἐν Αἰγύπτῳ. Prius erat τοὺς ἐν ὤν. Fortè leg. τοὺς ἐν ὤν. Nam On & Heliopolis synonyma sunt. Aut On est Heliopolites novus. ¶ אלהי מצרים. Θεῶν Αἰγύπτου, *Deorum Ægypti.*

GROTIUS.

2. *AZarias filius Osaiæ*] Auctor consilii illius de profectione in Ægyptum.

3. *Baruch filius Neriæ*] Qui, ut junior, fervidiùs ea eloquebatur quæ ab Jeremia didicerat.

7. *Et venerunt usque ad Taphnis*] *Daphnas Pelusias.* Vide Esaiæ XXX. 4. Græci Τάφνας.

9. *Abscondes eos in crypta quæ est sub muro lateritio in porta domûs Pharaonis in Taphnis*] מלט haud dubiè *cæmentum est:* nam ità usurpant & Thalmudistæ & Chaldæi & Arabes, & ab illis Itali. Idemque significat טפלי, quod hic habet Chaldæus. *Maltha*, quæ ex calce fit additis rebus aliis, meminere Plinius XXXVI. 24. Palladius I. 17. unde verbum *malthare* apud eundem Plinium, & Juvenalis Scholiasten. מלבן sunt *lateres*; ut apparet Exod. I. 14. V. 16. 18. 19. & *locus ubi lateres fiunt.* Sensus ergò est, *Lapides illos magnos cæmento imponito quod erat in officina lateraria*, nempe quò rectiùs serventur: *quia illis usurus est Nabuchodonosor ad sternendum solum cui sedem regiam erat impositurus.*

10. *Et statuet solium suum supra eos*] *Tentorium.* Sic enim in Hebræo & Chaldæo: *Augustale.*

11. *Quos in mortem, in mortem; & quos in captivitatem, in captivitatem; & quos in gladium, in gladium*] Aliis pestem adferet (ex malis alimentis), alios captivos aget, alios occidet: parum suâ referre existimans in quem exitum cujusque sors ceciderit. Simile loquendi genus habuimus suprà XV. 2.

12. *Et succendet ignem in delubris deorum Ægypti & comburet ea*] Sic Pompeji filius apud Lucanum, de diis Ægyptiis loquens,

Suppositisque deis uram caput.

Et captivos ducet illos] Tertullianus Apologetico, *Tot de diis quot de gentibus triumphi: tot manubiæ quot adhuc manent simulacra captivorum deorum.* Vide quæ diximus libro III. de Jure Belli ac Pacis, cap. V. § 2. & in Annotatis ibi.

Et amicietur terrâ Ægypti sicut amicitur pastor pallio suo] *Terrâ Ægypti* est hic ablativus, pro *spoliis Ægypti*; ut,

Spoliis Orientis onustum.

At Græci legerunt חטא, quod est interdum *purgare*; & explicant, *ità perpurgabit Ægyptum quomodo pastor abollam suam pediculis repurgat:* id est, omnia scrutabitur, & auferet.

Et egredietur inde in pace] Sine noxa ac tutò ibit in Africam.

13. *Et conteret statuas domûs Solis*] בית שמש. LXX verbum verbo optimè reddiderunt, Ἡλιουπόλεως. Heliopoli in Ægypto magnam fuisse πανήγυριν [*celebritatem*] in honorem Solis memorat Herodotus Euterpè. Eam esse quæ olim *On* vocabatur docet nos Græca versio Genes. XLI. 45.

Et

Et delubra deorum Ægypti comburet igni] Idem quod suprà 12. Mos est Hebræis, ea quæ eximia & minimè credibilia sunt sæpius repetere.

CAP. XLIV.

MUNSTERUS.

7. **Q***Uare facitis malum hoc grande?*] Prohibuit Deus tantopere Jehudæis nè ingrederentur Ægyptum, non ob aliam causam quàm nè fierent socii peccatorum Ægypti: id quod illis illico accidit. Facti sunt enim statim idololatræ, relinquentes Dei veri cultum. Alii hoc permittebant uxoribus suis. Videtur autem esse ultimus actus Jeremiæ ad populum Judaicum, post quem lapidibus obrutus est. Proposuit Propheta exemplum recens, notum, domesticum & insigne, excidium videlicet patriæ: idque tractat diligenter revocans adhuc non exstinctos cineres urbis Jerusalem in medium, quia non cessabant adhuc ea agere ob quæ talia passi fuerant. Discamus hoc loco quàm sit periculosum consuetudinem habere cum impiis, unde sine cicatricibus & fascinatione non reditur.

14. *Levant animam suam*] i. Habent spem ut postliminio revertantur in patriam.

17. *Machinæ cœli*] Scribitur hic מלכת cum defectu Aleph, sicut & supra cap. 7. indicavimus. Qui verò מלך pro radice ponunt, dicunt stellam quandam insignem sic vocatam, quòd quasi *Regina* sit inter alia sidera. ¶ *Fuimusque quieti*] Heb. *& fuimus boni*, quod Jonathan sic vertit, והוינא שלן שליוא *& fuimus felices & quieti.*

19. *Simulacro scilicet illi*] Sic Chaldæus vertit. Alii exponunt לשמחה *cum lætitia*, vel *ad lætificandum eam*, sub. *machinam cœli.*

21. *Harum recordatus est Dominus*] Sub. *suffumigationum.*

VATABLUS.

3. **A***D iram me provocando*, &c. להכעיסני ללכת וגו׳] Ad verb. *irasci me faciendo, eundo, suffiendo, serviendo*: vel, *ad irasci me faciendum, ad eundum, ad suffiendum, ad serviendum diis*, &c.

4. *Manè surgendo, & mittendo* השכים ושלח] Hebraismum istum habes suprà 7. 25. & 25. 3, 4. & 26. 5. & 29. 19. & 32. 33. ¶ *Verbum abominationis hujus* דבר התעבה הזאת] Hebraismus, *hanc rem abominandam.*

5. *Ne suffirent* לבלתי קטר] *Nè offerrent incensum*: vel *cremarent thura in honorem Deorum alienorum*: h. e. nè colerent deos alienos. Per *suffitum* enim intelligit Idololatriam.

6. *Et effusa est ira mea* ותתך חמתי] Eadem verba habes suprà 42. 18. ¶ *Secundum diem hanc* כיום הזה] *Sicut in die hac*: i. ut hodie res habet.

7. *Contra animas vestras* אל נפשותכם] i. In perniciem vestram. ¶ *Ut excidatis ex vobis* להכרית לכם] Ad verb. *ad excidendum* [*ad exterminandum*] in *vobis*: q. d. *Quare efficitis sceleribus vestris ut pereat universus populus?*

8. *Ut exterminetis vobis* למען הכרית לכם] *Ut excidatis vobis*, sub. *viros ac mulieres*, &c. ut v. 7. Ad verb. verò, *ad exterminandum*. Quidam vertunt in tertia persona, *ut exterminare faciat vos*, sub. *Deus*. Alii in prima, *ut exscindam vos*. Alii, *ut excidamini vos.*

9. *Malorum* רעות] *Scelerum*: vel *flagitiorum*. ¶ *Uxorum ejus* נשיו] i. Uxorum cujusque eorum.

10. *Non sunt attriti* לא דכאו] i. Humiliati: h. e. non pœnituit eos scelerum suorum. ¶ *Timuerunt* יראו] Sub. *sibi à me*. ¶ *Et in statutis meis* ובחקותי] *Et in ceremoniis meis*: vel, *in juribus meis*. ¶ *Dedi coram vobis* נתתי לפניכם] *Proposui vobis.*

11. *Pono faciem*, &c. שם פני וגו׳] Hebraismus, Non aspiciam vos ultrà benigno vultu ac favorabili, sed perdam vos. Præs. Heb. pro fut. ¶ *Et ad exterminandum* ולהכרית] *Et ad exstirpandum*: vel, *ut excidatur universus Juda.*

12. *Posuerunt facies suas* שמו פניהם] Hebraismus iste explicatus est suprà 42. 15. ¶ *A parvo*, &c. מקטן ועד גדול] Vide cap. 42. 1. ¶ *In jusjurandum* לאלה] Vide cap. 42. 11.

14. *Ad revertendum* ולשוב] Ad verb. *& ad revertendum*. Redundat conjunctio *&*, i. qui ingressi sunt in Ægyptum eo animo ut aliquando reverterentur. ¶ *Ad quam ipsi*, &c. אשר המה וגו׳] Ad verb. *qui sunt elevantes animam suam ut*, &c. Hebraismus, qui eriguntur in spem repetendæ aliquando terræ Juda. ¶ *Qui evaserint* פליטים] Ad verb. *evasores*: q. d. aliquot, & ii quidem pauci.

15. *Cœtus magnus* קהל גדול] Per appositionem dictum.

16. *Verbum*, &c. הדבר וגו׳] Ad verb. *Res quam locutus es nobis in nomine Jehovah, non parebimus illi tibi*, i. in gratiam tuam: h. e. *in re quam locutus es nobis in nomine Domini, non parebimus tibi*: aut, *Rei quam locutus es nobis nomine Domini, non parebimus illi in tuam gratiam*. Alii, In *re quam locutus es ad nos in nomine Domini, non paremus tibi.*

17. *Omne verbum*, &c. כל הדבר וגו׳] Hebraismus; Omne votum quod voverimus: i. quotiescunque voverimus nos thura incensuros Stellis, vel Reginæ cœli, h. e. Soli qui tenet primas inter sidera. *Verbum egressum de ore* pro *voto* accipi, vides v. 25. ¶ *Reginæ cœli* למלכת השמים] i. Soli: à verbo מלך *regnavit*. Absurdum videri non debet quòd hîc per *Reginam cœli* Sol intelligatur: nam שמש, quod *Solem* significat, est fem. gen. Hebraicè. Chald. *stellæ cœli*. Quidam existimant nomen esse insignis cujusdam stellæ quæ tanquam regina sit inter alia sidera. Sunt qui à לאך deducunt, ut deficiat א, & fit למלכת pro למלאכת: & vertunt *opificio* vel *machinæ*, aut *operi*, *cœli*, i. sideribus. Doctus inter Hebræos existimat nomen esse quatuor literarum, ut & כ & א sint radicales literæ. ¶ *Et saturati*, &c. ונשבע לחם וגו׳] Hebraismus, *tum enim & alimento abundabamus, & læti ac hilares vivebamus, neque adversi quicquam nobis accidebat*. Pro *fuimus jucundi*, Hebraicè ad verbum legitur *& eramus boni*. *Bonum* autem accipiunt pro *læto*, *hilari*, *summo otio & summâ pace fruente.*

18. *Caruimus omnibus* חסרנו כל] *Indiguimus omnibus*. Alii, *defecerunt nobis omnia.*

19. *Suffimus* מקטרים] Sub. *nos feminæ*. Abutitur masculeo pro fœmineo, quòd mulieres id fecissent factâ sibi potestate à viris suis.

21. *Nonne suffitus quem suffivistis* הלוא את הקטר אשר קטרתם] *An incensi quod incendistis*, &c. q. d. Dominus meminit eorum suffituum quos fecistis in honorem idolorum, neque illius injuriæ est oblitus. ¶ *Et ascendit super cor ejus* ותעלה על לבו] i. Venit illi in mentem.

22. *Secundùm diem hanc* כיום הזה] Vide v. 7.

25. *Et locutæ estis* ותדברנה] Abutitur Propheta genere fem. pro masculino, ut indicet peccatum uxorum imputari maritis, si modò ipsi autores fuerint illis peccandi. Quidam scribunt femininum pro masculino positum esse. Vertere potes, *Ità ut locuti estis ore vestro, ità manibus*, &c. ¶ *Faciendo faciemus* עשה נעשה] Hebraismus, summâ curâ & diligentiâ ac sedulitate adimplebimus: vel, Certissimè faciemus vel invitis omnibus. ¶ *Confirmastis* תקימנה] Fut. Heb. pro præt. vel pro præsenti: i. persolvitis vota vestra, rata facitis & executioni mandatis. Est enim hîc eadem verbi geminatio ad auxesin quæ & suprà, *Faciendo faciemus.*

26. *Si erit ultra*, &c. אם יהיה וגו׳] Hebraismus, acsi dicat, Dispeream si posthac permisero ut quisquam è Judæis juret per nomen meum in tota regione Ægypti: omnes enim morientur.

27. *Vigilo super*, &c. שקד עליהם וגו׳] Hebraismus, Apparo mala & calamitates contra eos, non bona.

28. *Et evasores gladii* ופליטי חרב] Hebraismus, *Et ii qui effugerint gladium*: quibus gladius pepercerit. ¶ *Viri pauci admodum* מתי מספר] Ad verb. *viri numeri*: q. d. tam pauci ut facillimè numerari possint. ¶ *Complebitur* יקום] Ad verb. *consurget*, vel *consistet*: *stabit*, i. eveniet: adimplebitur: verificabitur: *meúsne sermo*, quo prædico illis calamitatem: *an illorum*, quo sibi iniquitatem permittunt.

29. *Visitaturus sum* פוקד] Præs. Heb. pro fut. ¶ *Confirmando confirmabuntur* קום יקומו] Ad verb. *stando stabunt*: i. revera adimplebuntur quæ prædixi vobis adversa.

30. *Hophra* חפרע] Cognomen est Pharaonis, quem quidam existimant alium fuisse à Necho. Chaldæus P. interpretatur *contritum & fractum.*

CASTALIO.

14. **N***EC enim redibunt præterquam elapsi*] Pauci qui evaserint.

CLARIUS.

7. **Q***Uare vos facitis malum hoc grande?*] Prohibuit Deus tantopere Judæis nè ingrederentur Ægyptum, non ob aliam causam quàm nè fierent socii peccatorum Ægypti: id quod illis illico accidit. Facti sunt enim statim idololatræ, relinquentes Dei veri cultum. Alii hoc permittebant uxoribus suis.

14. *Ad quam ipsi elevant animas suas*] i. Sperant se redituros. ¶ *Nisi qui fugerint*] h. e. Nisi paucissimi quos Deus servabit ab his malis.

17. *Ut*

17. *Ut sacrificemus reginæ cæli*] Sunt qui putent Solem; qui Hebræis in fem. genere ferè usurpatur. Jonathas ait *stellam cæli esse*. Alii dicunt stellam quandam insignem sic vocatam, quòd quasi Regina sit inter alia sidera. Quidam vertit *machinæ cæli*.

29. *Et hoc vobis signum*] Quòd Rex dabitur in manu Nabuchodonosor, sicut & factum est postea. De quo apud Josephum lib. 10. cap. 11. *Quinto anno captivitatis Hierosolymorum, qui est tertius & vigesimus Regni Nabuchodonosor, castrametatus est idem Nabuchodonosor in inferiore parte Syria, eámque armis infestans, expugnavit Moabitas & Ammonitas. Cúmque subegisset has gentes, perrexit in Ægyptum, eámque similiter vastavit, & Regem qui tunc ibi erat occidit; alióque substituto, denuò Judæos captivos duxit Babylonem.*

DRUSIUS.

1. וּבְנֹף. καὶ ἐν Μέμφοις *& in Memphis.* Pro *Noph* alibi est *Moph*: i. מף: unde *Memphis*, insertâ *n*, ut fit, per epenthesin.

2. הַיּוֹם הַזֶּה. σήμερον, *hodie.*

3. לֹא יְדָעוּם הֵמָּה אַתֶּם וַאֲבֹתֵיכֶם. οὐκ ἔγνωσαν αὐτοί, καὶ ὑμεῖς καὶ οἱ πατέρες ὑμῶν, *nesciebant ipsi, & vos, & patres vestri.*

10. וְלֹא יָרְאוּ. καὶ οὐκ ἐφοβήθησαν, *& non timuerunt.*

11. צְבָאוֹת אֱלֹהֵי יִשְׂרָאֵל. τῶν δυνάμεων, ὁ Θεὸς Ἰσραήλ, *exercituum, Deus Israel.* ¶ [לְרָעָה. εἰς κακὸν] Aliàs κακά. ¶ וּלְהַכְרִית אֶת־כָּל־יְהוּדָה. τοῦ ἀπολέσαι πάντα Ἰούδα, *ad disperdendum omnem Judam.*

12. אֲשֶׁר־שָׂמוּ וגו׳. Οἳ ἔθεντο τὸ πρόσωπον αὐτῶν τοῦ εἰσελθεῖν εἰς γῆν Αἰγύπτου τοῦ κατοικῆσαι ἐκεῖ, καὶ ἐκλείψουσι πάντες ἐν γῇ Αἰγύπτου. Ante hæc verba repone ולקחתי את שארית יהודה, καὶ λήψομαι τοὺς καταλοίπους Ἰούδα, *Et accipiam residuos Juda, qui posuerunt faciem suam ut ingrederentur terram Ægypti ad habitandum ibi: deficiéntque omnes in terra Ægypti.*

13. וּבַדָּבֶר. καὶ ἐν θανάτῳ *& in morte*, i. pestilentiâ.

17. בְּחֻצוֹת. ἐν πλατείαις *in plateis.*

24. כָּל־יְהוּדָה אֲשֶׁר בְּאֶרֶץ מִצְרָיִם. πᾶσα Ἰούδα, οἱ ἐν γῇ Αἰγύπτου, *omnis Juda, qui in terra Ægypti.*

25. אַתֶּם וּנְשֵׁיכֶם. ὑμεῖς καὶ αἱ γυναῖκες ὑμῶν, *vos & uxores vestra*] Vel *femina vestra.*

28. מִמֶּנִּי וּמֵהֶם. ὁ ἐμὸς, ἢ ὁ αὐτῶν, *meus, an illorum.*

29. בַּמָּקוֹם הַזֶּה חוי. ἐν τῷ τόπῳ τούτῳ, ἵνα γνῶτε ὅτι ἐμμενοῦσιν οἱ λόγοι μου ἐφ᾽ ὑμᾶς εἰς κακὰ, *in loco isto, ut sciatis permansuros sermones meos super vos in mala.*

30. אֶת־פַּרְעֹה חָפְרַע. τὸν Φαραὼ Οὐαφρῆ *Pharaonem Vafre*] Οὐαφρῆ *Vafre*, ut Οὐεσπασιανὸς *Vespasianus*, Οὐαλέριος *Valerius.* Cæterùm in Ebræo est Ὠφρῆ, quod scribes *Hofre*, sive *Hophre*, vel certè *Chophre.*

GROTIUS.

1. IN *Magdalo*] Locus est non longè à sinu Arabico, sive mari Rubro, ut apparet Exodi XIV. 2.

Et in Memphis] *In Memphide*, quæ נף Hebræis, Chaldæo propriùs מפס.

Et in terra Phatures] Non abit longè nomen *Pharusiorum* (ità Plinius scribit) aut *Chaurusiorum* (nam ità Strabo) Æthiopum. Nomen Hebræum פתרוס habemus & Genes. X. 14. & Esaiæ XI. 11. Sed & Ægypti pars ità dicta, ut videbimus Ezechielis XXIX. 14.

3. *Ut sacrificarent, & colerent deos alienos*] In Hebræo: *Ut adolerent & servirent diis alienis.*

6. *Et conflata est indignatio mea*] *Effusa*, ut suprà XLII. 18.

Secundùm diem hanc] *Ut sunt in hunc usque diem.*

9. *In regionibus Jerusalem*] Sicut Romæ sexdecim erant regiones.

10. *Non sunt mundati usque in diem hanc*] Transit à secunda persona ad tertiam, iterúmque ad secundam.

Præceptis meis quæ dedi coram vobis & coram patribus vestris] Quæ proposui vobis, ac majoribus vestris.

11. *Ponam faciem meam vobis in malum*] Iratus vos aspiciam, ut suprà XXI. 10.

12. *Qui posuerunt facies suas ut ingrederentur terram Ægypti*] Suprà XLII. 15.

Erunt in jusjurandum] *In exsecrationem*, ut suprà XLII. 18.

13. *Et visitabo super habitatores terra Ægypti*] Judicia mea exsequar.

14. *Ad quam ipsi elevant animas suas*] Id est, quò se venturos sperant. Eadem locutio Deuteronom. XXIV. 15. & suprà XXII. 27. ubi LXX: ἐν αὐτῷ ἔχειν τὴν ἐλπίδα [*in ipso spem habere*]. & hic: ἐφ᾽ ἣν αὐτοὶ ἐλπίζουσι ταῖς ψυχαῖς αὐτῶν [*in qua sperant animabus suis*]. Sic & elegantiores Græci dicunt μετεωρίζεσθαι [*pendere*].

17. *Sed facientes faciemus omne verbum quod egreditur ex ore nostro*]. Id est, quicquid nos vovimus facturos. Vide infrà 25. Sic *egredi de labiis* de voto dicitur Deuteronom. XXIII. 23.

Ut sacrificemus reginæ cæli] *Ut adoleamus. Regina cæli* בעלית. Βῆλθις, *Luna*, ut dictum suprà VII. 18.

Reges nostri, & Principes nostri] Tum aliis, tum maximè Manasse regnante.

Bene nobis erat] *Fuimus boni*: id est, in bonis rebus.

19. *Numquid sine viris nostris fecimus ei placentas*] *Popana.* Hîc loquuntur illæ mulieres, quarum *ingentem* fuisse *multitudinem* suprà dixit. Non agitavimus, inquiunt, sacra privata ac nocturna, quæ suspecta viris esse solent. Palàm & viris nostris consciis ac videntibus ista fecimus. Vide Livium de Bacchanalibus.

21. *Numquid non sacrificium quod sacrificastis in civitatibus Juda, & in plateis Jerusalem, vos & patres vestri, & Reges vestri, & Principes vestri, & populus terra, horum recordatus est Dominus*] *At nónne aromatum quæ adolestis in urbibus Juda, & in* (vatiis) *regionibus Hierosolymorum, vos* (inquam) *& patres vestri, & Reges vestri, & Principes vestri, & plebs, recordatus est Dominus?* Id est, an non pro egregiis factis egregiam vobis rependit vicem?

22. *Et non poterat Dominus ultrà portare*] *Quia non poterat.*

Eò quòd non sit habitator] *Absque habitatore.* In Hebræo.

23. *Quod sacrificaveritis*] *Adoleveritis.*

In Lege] In iis quæ per se honesta Lex habet.

Et in præceptis] In ritualibus.

Et in testimoniis] In judicialibus.

25. *Et manibus vestris implestis*] Id est, operibus.

26. *Ecce ego juravi in nomine meo magno*] Et ego votum feci quod implebo.

Quia nequaquam ultrà vocabitur nomen meum ex ore omnis viri Judæi dicentis, Vivit Dominus Deus in omni terra Ægypti] Id est, ità eos odi, ut ab iis nè nominari quidem velim: quod nè ultrà fiat abolebo omnes.

27. *Vigilabo super eos in malum*] Sollicitus ero ut eis noceam.

28. *Et qui fugerint gladium revertentur de terra Ægypti in terram Juda viri pauci*] Connecte hæc cum superioribus hoc sensu: Morientur omnes, exceptis admodum paucis, qui metu cædis ex Ægypto in Judæam, quam malo consilio reliquerant, refugient.

Ingredientium terram Ægypti] Id est, qui ingressi fuerunt in Ægyptum: tum ii qui ibi morientur, tum qui aufugient.

Cujus sermo compleatur] *Stabit*: id est, ràtum à Deo fiet.

29. *Et hoc vobis signum*] Nempe antecedens. Dicam rem magnam quæ priùs eveniet quàm vos intereatis. ταῦτα ἀρχὴ ὠδίνων [*hoc initium dolorum*], ut Matthæi XXIV. 8.

Quòd visitem ego super vos in loco isto] Quo cognoscatis me ibi de vobis pœnas exacturum.

30. *Pharaonem Ephree*] חפרע in Hebræo: Οὐαφρῆ habent hîc Græci, & Clemens Alexandrinus. Ἀπρίην vocat Herodotus Euterpe. Chaldæus nomen hoc Ægyptium putat significationem habere *hominis claudi.*

In manu inimicorum ejus, & in manu quærentium animam illius] In manum Amasidis, & eorum qui Amasidis sectam sequebantur. Ab his captus asservatúsque est in urbe Sai, & tandem occisus; instigantibus Amasin iis qui nisi morte ejus se satis tutos esse non putabant. Hæc habes apud Herodotum optimum hujus loci interpretem.

CAP. XLV.

MUNSTERUS.

5. TU *quæris tibi grandia?*] Fuit Baruch Jirmejahu Prophetæ discipulus anxius & mœstus pro populo suo, quem audiebat ad interitum destinatum: sed accipit à Domino hujusmodi consolationem, Ego Dominus facio quod volo, & destruo terram propter peccata inhabitantis populi. Et tu quidem rogas ut mutem sententiam meam, cùm tu magis assentiri debeas voluntati meæ. Contentus esto quòd *anima tua* inter tot pereuntes *quasi spolium* eripitur.

VATABLUS.

1. VErbum quod locutus est [הדבר אשר דבר] i. Prophetia quam prophetavit. Ordo historiæ non servatur: nam quæ hîc narrantur octodecim annis antequam Urbs caperetur prædicta fuere, anno videlicet quarto Joacim, quia quadraginta annis regnavit. Nam si undecim annis Regni Sedeciæ adjeceris septem ex annis Joacim, constitues octodecim. ¶ *Verba hæc* [הדברים האלה] i. Has Prophetias, quæ scilicet continentur in hoc libro ab initio ejus usque ad annum quartum Regni Joacim.

3. *Dixisti, Va nunc mihi* [אמרת אוי נא לי] i. Cogitasti apud te, *Væ misero mihi*, vel, *Heu me miserum.* ¶ *Addidit* [יסף] Duplici enim nomine conquerebatur Baruch, primò quòd Jeremias conjectus esset in carcerem, secundò quòd nulla ratione nullisque precibus nec lacrymis consequi posset Spiritum Prophetiæ. ¶ *Laboravi in gemitu meo* [יגעתי באנחתי] *Fatigatus sum flendo*: vel, *flevi ad lassitudinem usque.* Alii, *defatigatus sum gemitu meo*: sive *suspiriis meis.* Vide eadem verba Psal. 6. 7.

4. *Destruam*, &c. [הורס 'וגו] Præs. Heb. pro fut. Duplici Metaphora hîc utitur, alterâ sumptâ ab Ædificiis elegantibus & sumptuosis, alterâ ab Arboribus quæ in hortis egregiis summâ curâ ac diligentiâ conservantur: q. d. Alii morientur, alii exsulabunt. Nam domus non transferuntur ut arbores. ¶ Quæ mea est [היא] Ut ea *est*: talis qualis est, sive quanta est.

5. *Et tu quæris tibi grandia?* [ואתה תבקש לך גדלות] *Tu ergò quæres tibi grandia?* sive, *tu ergò quærere debes tibi grandia?* i. munus Propheticum: nè cures si non possis consequi illud; nihil enim prædicere illis posses nisi adversa. ¶ *Adducam* [מביא] Præs. Heb. pro fut. adducturus sum afflictionem super omnes homines hujus regionis. ¶ *Et dabo tibi animam tuam*, &c. [ונתתי לך את נפשך לשלל] Similis Hebraismus legitur & suprà 21. 9. & 39. 18. q. d. Aliud consequêris à me, nimirum vitam incolumem, aliis Judæis pereuntibus: quæ vita erit tam grata quàm militibus grata esse solent spolia.

CASTALIO.

5. ET tu tibi tam magna petes?] Ardua & difficilia, videlicet requietem in omnium inquietudine.

CLARIUS.

5. ET tu quæris tibi grandias?] Fuit Baruch Jeremiæ Prophetæ discipulus anxius & mœstus pro populo suo, quem audiebat ad interitum destinatum: sed accepit à Domino hujuscemodi consolationem, Ego Dominus facio quod volo, & destruo terram propter peccata inhabitantis populi: Et tu quidem rogas ut mutem sententiam meam, cùm tu magis assentiri debeas voluntati meæ. Contentus esto quòd *anima tua* inter tot pereuntes eripitur *quasi spolium*: Nam quod Interpres vertit & hîc & aliquot locis *in salutem*, in Hebræo est *in spolium*.

DRUSIUS.

4. וְאֶת־כָּל־הָאָרֶץ הִיא. καίγε πᾶσαν τὴν γῆν ταύτην, *etiam universam terram hanc.*

GROTIUS.

1. VErbum quod locutus est Jeremias Propheta ad Baruch filium Neriæ] Absolutis & Prophetiis & historiis ad Reges populúmque Judæum pertinentibus, subjungit unam quæ ad unum hominem, Baruchum scilicet, pertinet: Sicut Epistolis Pauli ad Ecclesias subjunguntur illæ quæ ad singulos pertinent, etiamsi quædam harum ante illas scriptæ sunt. Post id subnectet Propheta Prophetias quæ spectant ad gentes alias, isque erit totius libri finis. Nam ultimum caput quò pertineat, ubi eò ventum erit, dicemus.

Verba hæc] *Verba ista*, nempe posita suprà xxxvi.

3. *Dolorem dolori meo*] Periculum ad periculum, suprà xxxvi. 10. 19. 26.

Et requiem non inveni] Locum tranquillum habitationis. De *Prophetia dono* intelligit Chaldæus.

4. *Ecce quod ædificavi ego destruo*] Regnum hoc totum tantâ meâ curâ inchoatum, educatum, auctum, defensum, ornatum.

5. *Et tu quæris tibi grandia?*] Magna facis vota: vis tranquillam vitam extra pericula, extra metum. Atqui Cato apud Lucanum,

Sidera quis, mundúmque velit spectare cadentem
Expers ipse metûs? quis, cùm ruat arduus æther,
Terra labet, mixto coëuntis pondere mundi,
Complosas tenuisse manus? gentésne furorem
Hesperium ignota, Romanaque signa sequentur,
Deductique fretis alio sub sidere reges:
Otia solus agam? procul hunc arcete furorem,
O Superi, motura Daas ut clade Getásque
Securo me Roma cadat.

Super omnem carnem] Judæorum; ut præcedentia ostendunt.

Et dabo tibi animam tuam in salutem] *In spolium* in Hebræo, ut suprà xxxix. 18. Satis tibi sit tali tempore vitam habere salvam.

CAP. XLVI.

MUNSTERUS.

1. COntra omnes gentes] Gentes, inquit, extra providentiam Dei non sunt, etiamsi illas contemnere videatur, cùm de illis Scriptura nihil loquatur nisi quatenus ad consolationem facit piorum. Prophetat autem Jirmeiahu contra novem Regna, quæ ad Orientem, Meridiem, Occidentem & Aquilonem sunt sita respectu terræ Israel. Et primò contra Ægyptum, quæ est ad Meridiem, eò quòd Rex Ægypti occiderat piissimum Regem Jehuda Josijam. Et dicit Ægyptios his à Domino percussos: Semel juxta ripam Euphratis.

7. *Qui quasi stagnum intumescit*] Comparat exercitum Pharaonis Stagno inundanti, quod totam terræ replet superficiem. Comparat & Fluminibus impetu suo magnum fragorem excitantibus.

9. *Ascendite, ô equi*] Hæc loquitur in persona Pharaonis exhortantis exercitum suum, cùm illi obviàm veniret exercitus Regis Babyloniorum.

11. *Tolle resinam, filia Ægypti*] Frustrà, inquit, ibis in Gilead pro comparanda resina, quæ multa est in Gilead. Tanta enim erit strages in tuo exercitu ut nulla medicina juvare possit: h. e. omnia bellica præsidia te liberare non poterunt ab illa cæde.

13. *Ad percutiendam terram Ægypti*] Describit hîc propheta alteram cædem Ægypti, quæ contigit in Ægypto postquam Jehudæi in Ægyptum ingressi sunt. Civitas *Noph* est Memphis, & *Thahpanhes* est Taphnis. Porrò Alexandriam vocat Hebraismus *No*.

16. *Surge, & revertemur ad populum nostrum*] Sic dicebant Æthiopes, Lydii & alii populi qui erant cum Ægyptiis. ¶ *Gladii contristantis*] Hebræi putant ינה esse à verbo הונה, & exponunt hunc locum per הזונה *contristantis* vel *sævientis*. Jonathan verò putat derivari à nomine יין ut sit *gladius Domini sanguine occisorum inebriatus*.

17. *Rex tumultûs*] Sensus est, Vocabant Pharaonem *Regem tumultûs & perturbationis*, eò quòd condictum pugnæ tempus quod cum Rege Babel iniit præteriit. Et cùm hostem ad pugnam lacesseret, salutatus est *Rex tumultûs*. Alii sic legunt, *Clamate ibi, Pharao tumultuans trajecit limitem*, scilicet Regni sui: q. d. Nebuchadnezar, ô Rex Ægypti, transivit limitem Regni tui, &c.

18. *Sicut Thabor in montibus*] Sensus est, Venabuntur Babylonii Ægyptios haud secùs quam feræ capiuntur in præcipuo monte Thabor; & abducent eos sicut ligna de Charmel pro mare abducuntur.

20. *Vitula pulcra*] Vocatur Ægyptus *vitula pulcra*, quòd impinguata lasciviret in locis pascuosis, unà cum *mercenariis*, h. e. conductitiis militibus, qui magis ad delicias quàm ad militiam hic referuntur enutriti; atque ideo impendente exitio fugerunt.

22. *Vox ejus*] *Vox*, inquit, *Ægypti*, & ejulatus ejus procedet in longinquum *sicut vox serpentis*. Jonathan verò exponit de *fragore armorum hostilium*. Per *silvam succisam* intelligitur populus interfectus.

25. *Vulgus de Alexandria*] Quidam putant hic legendum המון pro אמון, sicut nos vertimus. Alii intelligunt per אמון Regem Alexandriæ. De hac Ægypti devastatione habentur explicatiora Ezech. 29.

27. *Noli timere, serve mi*] Ponit discrimen inter pœnas ethnicorum & fidelium. Gentibus enim nulla est spes salutis sicut fidelibus. Non igitur debent fideles desperare in flagellis Domini. Scribuntur proinde hæc eadem verba suprà c. 30.

VATABLUS.

1. Quod fuit verbum Jehova אשר היה דבר יהוה] Ordo dictionum præposterus, Verbum Jehova quod fuit, &c.

2. Ad Misraim למצרים] q. d. Primo loquitur ad Ægyptum: vel, contra Ægyptum vaticinatur. ¶ Qui erat אשר היה] Qui fuit: qui, nempe exercitus, oppugnabat urbem Charchamis quæ sita erat in ripa fluminis Euphratis. Fuerat autem antea ditionis illius: sed postea ceperat illam Rex Assur, & Rex Aram, ut ajunt Hebræi. Chaldæus P. pro Necho vertit claudum.

3. Præparate scutum ערכו מגן] Classicum canit Propheta Ægyptiis: in quo ostendit quid faciant, & in quo fiduciam ponant: acsi dicat, Instruite aciem eorum qui clypeos & peltas gestant, ò Ægyptii, & estote parati; bellum enim, & quidem cruentum, imminet. Mox verò ut ad congressum ventum est, metum eorum ostendit.

4. Jungite אסרו] Ligate, sub. curribus falcatis.

5. Pavidos חתים] Fractos, sub. corpore & animo: h. e. eos trepidare & pavidos esse. Vertere potes omnia per futurum. ¶ Conversi sunt retrorsum נסגים אחור] Et retrocedentes: retrogradientes. ¶ Contriti sunt יכתו] Fut. Heb. pro præt. cæsi sunt. ¶ Et fugâ fugerunt, &c. ומנוס נסו ולא הפנו] Significat tam trepidam fuisse fugam ut nè aspicerent quidem eos qui persequebantur ipsos.

6. Nè fugiat levis, &c. אל ינוס וגו'] q. d. Nè speret fugâ servare se posse miles levis armaturæ, aut alacritate pedum valens, neque arbitretur strenuus evadere se posse suâ fortitudine, pugnando aut resistendo. ¶ Ad Aquilonem צפונה] Sub. ipsius urbis: in parte Septentrionali respectu Ægypti.

7. Ascendit יעלה] Futura Heb. pro præsentibus. ascendit, & cujus aqua commoventur [vel agitantur] veluti flumina? Seipsum declarat v. seq. Animosi, inquit, & instructi veniunt Ægyptii, insolescunt & gloriantur de victoria nupera: sed mox metu concussi fugiunt. Est autem Ironia: q. d. Etiam si socios equos feroces multò plures congregaveritis vobis, nunquam evadetis.

8. Ascendit יעלה] Rursùm futura Heb. pro præs.

9. Et insanite והתהללו] i. Huc illuc sine ratione & modo currite, sub. ad conflictum, more amentium. ¶ Chus & Put כוש ופוט] i. Æthiopes & Libyes. ¶ Apprehendentes, &c. תופשי וגו'] i. Ferentes, scutum, sive qui in bello uti solent clypeis: & Lydies qui arcu intento utuntur, i. sagittarii periti.

10. Domini Jehova לאדני יהוה] Domino Jehova, i. in gratiam Domini: vel, autore Domino. ¶ Cædes זבח] Strages: occisio erit Domino, &c. Quidam, victimam habet Dominus Jehovah, &c. sive mactationem.

11. Balsamum צרי] Opobalsamum. In Galaad magna est copia balsami, quod adhiberi solet plagis recentibus. Describit gravitatem afflictionis Ægyptiorum: acsi dicat, Frustrà ibis in Galaad pro comparanda resina sive balsamo: tanta enim erit strages in tuo exercitu ut nulla medicina juvare possit. Seipsum mox exponit. ¶ Virgo בתולת] Virginem vocat quòd inviolati & intacti fuissent & non appetiti ab hostibus. ¶ Multiplicabis הרבית] Præt. Heb. pro fut. i. frustrà uteris multis medicaminibus. ¶ Sanitas תעלה] curatio: ab ascendendo super vulnus & imponendo dicitur Hebraicè: q. d. vulnera incurabilia accipies.

13. De adventu לבוא] Ad verb. de veniendo, i. quòd venturus esset. ¶ Ad percutiendam להכות] i. Ut subjugaret, sive expugnaret.

14. Et prædicate והשמיעו] Ad verb. & auditum facite. ¶ Circuitum tuum סביביך] i. Urbes tibi vicinas.

15. Propulsatus est נסחף] Repulsus est: i. Quare cogetur cedere hostibus unusquisque fortium tuorum? Præterita Heb. pro futuris, ut & seq. versu.

16. Multiplicavit corruentem הרבה כושל] q. d. Efficiet Dominus ut multi in eo conflictu perituri sint. ¶ Etiam ruit, &c. גם נפל וגו'] Præterea cum incident alter in alterum, dicent: i. sese mutuò cohortabuntur ut desertis castris dilabantur & abeant. ¶ Opprimentis היונה] Vim inferentis, i. cujus vi resistere non valemus. Alii, contristantis.

17. Clamaverunt קראו] Præt. Heb. pro fut. Clamabunt, sub. Ægyptii, i. publicè dicent. ¶ Et tumultûs שאון] Genitivus est, & perturbationis: q. d. Ægyptii novo titulo ornabunt Regem, vocabunt enim eum Regem tumultûs & perturbationis. Causa hujus erit, quia condictum pugnæ tempus, de quo cum Rege Babel antehac illi convenerat, sit præteriit. Alii hanc partem versûs sic legunt, Pharao Rex Ægypti, & turbæ multæ, transgressus est tempus condictum: q. d. Chaldæi publicè dicturi sunt, ridendo Pharaonem, Permisit Pharao labi tempus quod constituerat Regi Babylonis ad confligendum cum eo. Quidam Hebræorum exponunt, Vocaverunt per præconem illuc in prælium Pharoh Regem Ægypti, qui se jactabat de multitudine exercitûs sui: transire fecit tempus quod constituerat, i. diem determinatum ut egrederetur ad prælium.

18. In montibus בהרים] Est inter montes: vel, in regione montosa. ¶ In mari בים] Est ad mare: imò excurrit in mare. ¶ Veniet יבוא] Sub. hæc calamitas Ægyptiis. Ut, inquit, verum est Thabor montem altissimum situm esse in regione montana, & Charmelum montem excurrere in mare, sic verè hæc Ægyptiis evenient.

19. Vasa transmigrationis כלי גולה] Instrumenta transmigrationis: i. Præpara tibi quæcunque apta & necessaria sunt ad transmigrandum. ¶ Habitatrix יושבת] Quæ sedes, i. quæ desides otiosa, in otio & tranquillitate. Filiam vocat congregationem.

20. Vitula formosa עגלה יפה פיה] Bucula elegantissima. Regnum Ægypti felicissimum & opulentissimum buculam sive vitulam vocat, quòd impinguata lasciviret in locis pascuosis unà cum mercenariis sive conductitiis militibus, qui magis ad delicias quàm ad militiam hìc referuntur enutriti: atque ideo impendente exitio fugerunt. ¶ Excisio קרץ] Excidium: exterminium.

21. Etiam milites ejus mercede conducti גם שכיריה] Ad verb. Etiam mercenarii ejus. ¶ Quia כי] Aut redundat istud כי, aut per propterea vertendum. ¶ Contritionis eorum אידם] Calamitatis eorum.

22. Vox ejus קולה] Sub. Ægypti: i. instar vocis serpentis vociferabitur. Serpentium sibila eminus exaudiuntur: q. d. Ægyptii incipient exclamare cùm advenient contra illos Chaldæi. ¶ Pergent ילכו] Venient: venturi sunt, sub. Chaldæi contra Ægyptum. ¶ Venient ei באו לה] Præt. Heb. pro fut. venient contra illam. ¶ Lignorum עצים] i. Arborum.

23. Succident כרתו] Præt. Heb. pro fut. ut etiam ex doctioribus Hebræorum nonnulli exponunt. Silvam vocat arbores saltûs: q. d. delebunt exercitum. Alii legunt in imperativo, Succidite. ¶ Non poterit investigari numerus לא יחקר] Non supputabitur, i. supputari non poterit sub. exercitus Nabuchodonosor, præ multitudine. Quidam, non finietur, vel terminabitur: i. non poterit inveniri finis exercitûs. Seipsum mox exponit. ¶ Multiplicabuntur enim magis, &c. רבו מארבה וגו'] Numero enim superabunt locustas, nec poterunt numero comprehendi.

24. Pudore afficietur הבישה] Præt. Heb. pro fut. ut & mox.

25. Populum de No אמון מנא] Vulgum de Alexandria, sive Alexandria. Chaldæus P. interpretatur Amon Regem Alexandriæ: quem sequuntur qui vertunt, Amon de No, i. qui regnat sive dominatur in No: h. e. Regnum Alexandriæ.

26. Et in manum וביד] Et pro id est positum. ¶ Habitabitur תשכן] Habitabit, sub. filia Ægypti. ¶ Secundùm dies antiquos כימי קדם] i. Ut olim, vel ut antea.

27. Et nè paveas ואל תחת] Et nè frangaris animo, sub. præ metu. ¶ Salvum facio te de longinquo מושיעך מרחוק] Præs. Heb. pro fut. i. salvum ac incolumem reducam te in patriam tuam ex terra ista longinqua. Hæc eadem verba habes cap. 30. 10. ¶ Et felix erit ושאנן] Et feliciter aget: vel & ditabitur: aut abundabit: in tranquillitate aget.

28. Tecum sum אתך אני] Tecum ero, i. tibi adero, tibi favebo. ¶ Consummationem כלה] Consumptionem, i. perfectam ac consummatam deletionem: h. e. prorsus delebo, &c. te autem non prorsus delebo. ¶ Ejecite הדחתיך] Ejecero te: aut expulero, sive propulero. ¶ In judicio למשפט] Hebraismus, moderatè, sive servato modo. ¶ Et excidendo non excidam te ונקה לא אנקך] Nec tollendo tollam te de medio, i. non te prorsus perdam. Alii, & expurgando te non expurgabo, i. non tollam te prorsus de medio, ut solent abjici recrementa expurgato tritico. Alii, & absolvendo non absolvam te, i. tanquam innocenti non parcam.

CASTALIO.

7. Quis iste est qui ritu fluminis ascendit] Rapidè.

17. Clamatur ibi, O Pharao Ægypti Rex, tumultus intercipit tempus] Repentinus hostium adventus Ægyptum opprimit, ità ut nullum sit pugnandi tempus.

18. Quàm est Tabor montanus, & Carmelus maritimus, tam ille veniet] Assyrius in Ægyptum.

20. Quam invadet ab Aquilone impressio] videtur legisse Hieronymus כאה, qui vertit, Veniet ei; & Græcus Interpres, qui ἦλθεν ἐπ' αὐτήν quæ lectio mihi videtur verior.

21. Ejus mercenarii] Scilicet milites.

22. Vox ejus feretur anguinea] Ægyptus attonita stridebit.

CLARIUS.

1. *Contra Gentes*] Dictum fuerat Jeremiæ, *Ecce constitui te super gentes & Regna*, &c. Sed primùm ostendit quæ Judææ terræ eventura erant. *Judicium* enim *à domo Dei incipit.* Nunc memorat gentes quæ in circuitu ejus sunt. *Ægyptus* ad Meridiem Occidentalem sita est, *Palæstina* ad Occidentem Meridionalem, *Moab* ad Orientem Meridionalem, *Ammon* ad Orientem Septentrionalem, *Edom* ultra Moab ad Orientalem Meridionalem, *Damascus* ad Septentrionem Occidentalem, *Azor* ad Septentrionem Orientalem, *Babylon* & *Elam* ultrà Damascum, *Azor* ad Orientem Aquilonarem. Contra hæc novem Regna prophetat. Primùm autem prophetat contra Ægyptum, eò quòd Rex Ægypti occiderat justissimum Regem Juda Josiam. Et bis indicat flagellatos Ægyptios, primùm extra suam terram juxta Carcamis civitatem, regnante in Juda Joacim; & deinde post subversam Jerusalem. Historiam Josephus in hunc modum recenset, *Josia pacificè agente, Necao Rex Ægypti regnare cupiens in Asia, & accersitus ab Assyriis, qui Babylonios novos dominos ægre ferebant, principio valde feliciter belligerabat: obsistentem enim Josiam in bello vulneravit, & ad Euphraten usque pervenit. In Antiochia Joacham Rege Judæorum victo, Joachin Regem fecit tributarium. Porrò post aliquot annos Nabuchodonosor contra Necao Regem Ægypti, cui universa Syria parebat, exercitum movit, & victor evasit:* de quo bello præsens Prophetia loquitur. *Necao cum multis millibus periit; & obtinuit Rex Nabuchodonosor anno Regni sui quarto omnem Syriam usque ad Pelusium, præter Judæam: cui tamen & Joacham sibi timens anno Regni octavo tributarius factus est.*

3. *Præparate scutum*] Alloquitur Ægyptiorum exercitum per irrisionem; q. d. Inanis ille omnis apparatus erit. Sic & Esa. 8. 9. *Congregamini, & vincemini.*

5. *Quid igitur*] Quid hoc, inquit, rei est, ut tam instructi milites turpiter fugiant? Usque ad Euphraten, inquit Dominus, permittetur Æpyptiis ascendere; sed ipsi impingent, fugient, cadent.

6. *Non fugiat velox*] i. Non conetur frustrà sperans posse se celeritate evadere.

9. *Fortes Æthiopiæ & Libyæ*] Quamvis & conductitios, inquit, milites in exercitu habeatis ex Æthiopia & Libya & Lydia, qui arte sagittandi multùm valeant, miserè tamen cadetis.

11. *Tolle resinam*] Frustrà, inquit, ibis in Galaad pro comparanda resina, quæ multa est in Galaad. Tanta enim erit strages in tuo exercitu ut nulla medicina juvare possit; h. e. omnia bellica præsidia te liberare non poterunt ab illa cæde.

12. *Fortis impegit in fortem*] Ità gentes Deus inter se collidere solet suis ipsorum viribus nimiùm confidentes.

13. *Percussurus terram Ægypti*] Describit hic Propheta alteram cædem Ægypti, quæ contigit in Ægypto postquam Judæi in Ægyptum ingressi sunt.

16. *Surge, & revertamur*] Alienigenæ, quorum in Ægyptum magna multitudo propter abundantiam frugum confluxerat cùm suis in regionibus fames invaluisset, ii cladem Ægypti videntes se mutuò cohortabantur ut quisque ad suam terram redeat.

17. *Clamaverunt ibi*] i. In Ægypto. ¶ *Pharao Rex Ægypti potens*] Alii verterunt *Rex tumultûs, & non ordinati exercitûs, quia condictum pugnæ tempus quod cum Rege Babel iniit præterierit.* Et cùm hostem ad pugnam lacesseret, pro *Imperatore* salutatus est *Rex tumultûs.*

18. *Sicut Thabor*] Sicut Thabor mons venationibus infestatur, & sicut è Carmelo ligna exciduntur ad faciendas naves, sic veniet hostis ut vastet Ægyptios & abducat eos.

20. *Vitula elegans*] Vocatur Ægyptus *vitula pulcra* quòd impinguata lasciviret in locis pascuosis, unà cum *mercenariis*, h. e. conductitiis militibus, qui magis ad delicias quàm ad militiam hic referuntur enutriti, atque ideo impendente exitio fugerunt.

22. *Vox ejus*] Vox hostis tanquam flatus serpentis omnia inficientis. Alii referunt ad Ægyptios, ut dicat, *Vox Ægypti* & ejulatus ejus *procedet* in longinquum, *sicut vox serpentis.*

25. *Super tumultum Alexandriæ*] Alius vertit *vulgus.* De hac autem Ægypti vastatione habentur explicatiora Ezech. 29.

26. *Post hæc habitabitur*] Post annos 40. cæterùm in pristinam dignitatem nunquam restituta est.

27. *Et tu ne timeas*] Ponit discrimen inter pœnas ethnicorum & fidelium. Gentibus enim nulla est spes salutis, sicut fidelibus. Et hoc ad Regnum Christi pertinet.

DRUSIUS.

10. צְבָאוֹת. σαββαώθ *Sabbaoth*] Quod ità scribitur ut דְּבוֹרָה *Debbora.* Malim tamen σαβαώθ, unicâ β.

14. הַגִּידוּ בְמִצְרַיִם וְהַשְׁמִיעוּ בְמִגְדּוֹל. Ἀναγγείλατε εἰς Αἴγυπτον, καὶ ἀκουστὸν ποιήσατε εἰς Μαγδωλὸν, *Annunciate in Ægyptum, & auditum facite in Magdolum.* ¶ וּבְתַחְפַּנְחֵס אִמְרוּ הִתְיַצֵּב. Καὶ ἐν Τάφναις εἴπατε, Ἐπίστηθι, *& in Taphnis dicite, Sta.* ¶ סְבִיבֶךָ. Cæteri, τὰ κύκλῳ σε *quæ in circuitu tuo*] In ed. Rom. *Anonymus, Cæteri pro τὸ σμίλακα ediderunt τὰ κύκλῳ σε. Id Theodoretus Syro tribuit: atque id smilacis etiam nomine significari, quòd sit herba quæ plantis succrescentibus implicatur.*

17. שָׁאוֹן הֶעֱבִיר הַמּוֹעֵד. Syrus, Ταραχώδη καὶ καιροὺς παραφέρων. Aq. παρήγαγεν ὁ καιρὸς, *adduxit* (aut *accessit*) *tempus.* Sym. καιρὸς παρεγένετο *tempus advenit*] Ex ed. Rom.

18. כְּתָבוֹר. Ὡς τὸ Θαβὼρ, *sicut Thabor*] Locus integer, Κύριος τῶν δυνάμεων ὄνομα αὐτῷ ὅτι ὡς τὸ Θαβώρ. Suspicor ex Theodotione descripta esse. Nam LXX pro THABOR *Itabyrium* reddere solent.

26. וּנְתַתִּים בְּיַד וגו׳. Καὶ δώσω αὐτοὺς εἰς χεῖρας τῶν ζητούντων τὴν ψυχὴν αὐτῶν, καὶ εἰς χεῖρας Ναβουχοδονόσωρ βασιλέως Βαβυλῶνος, καὶ εἰς χεῖρα τῶν δούλων αὐτοῦ· καὶ μετὰ ταῦτα κατοικισθήσεται ὥσπερ ἐν ταῖς ἡμέραις ταῖς ἀρχαίαις, λέγει Κύριος, *Et dabo eos in manus quærentium animam eorum, & in manum Nabuchodonosor Regis Babylonis, & in manum servorum ejus: & post hæc habitabitur sicut in diebus pristinis, ait* DOMINUS.

GROTIUS.

1. CONTRA GENTES] Hic est titulus generalis omnium eorum quæ per sex capita sequentur. Sequitur deinde specialis titulus *Ad Ægyptum*, id est, *Contra Ægyptum.* Hæ Prophetiæ per gentes digeruntur, non per tempora. Hæc Prophetia Jeremiæ data est, ut sequitur, *anno quarto Regis Joakim.* At Græci libri has Prophetias suprà posuêre, ut alibi monuimus.

2. *Pharaonis Nechao*] Qui *Necos* Herodoto. Regnavit is in Ægypto Nabuchodonosoris temporibus, Josiâ primùm, indè Joakimo regnantibus in Judæa. Huic Nechaoni in Ægypti regnum successit Psammitichus, & Vaphres, sive Apries. Nechao Nabuchodonosorem bello lacessivit. Nabuchodonosor eum prælio vicit ad Euphratem: deinde eam injuriam ultum ivit, ingressúsque Cœlen Syriam, perdomitis Ammonitis & Moabitis, de quibus vaticinia sequentur, adortus Ægyptum, magnam ejus partem tenuit: atque indè in Africam profectus est, prætextu belli sumto, quòd Afri Ægyptios adjuvissent. Hæc sunt quæ colligimus ex II Regum capite XXIII. circa finem, & XXIV. 7. & ex Megasthene ac Strabone, collatis cum eo quod infrà habemus 9. & cum Josepho. Partem Ægypti aliquam jam antè & Nabuchodonosoris pater tenuerat Nabopollasarus, ut ex Beroso discimus.

In Charcamis] Quod *Cercusium* Ammiano, ut diximus ad II Paralipomen. XXXV. 20. Eam partem Syriæ sibi vindicabat Ægyptius, ut apparet II Regum XXXV. 20.

Percussit] Prælio vicit, ut jam diximus.

3. *Præparate scutum & clypeum, & procedite ad bellum*] Est χλευασμὸς [*acerbus irrisus*], quo indicatur ingens ille apparatus & magnæ minæ in nihilum casuræ.

4. *Ascendite equites*] Vos equites ascendite currus falcatos.

5. *Fugerunt conciti, nec respexerunt*] Effusâ fugâ.

6. *Non fugiat velox*] Meliùs, *Non effugiet velox*: utut veloces sint, non effugient. Sic & Chaldæus.

Nec salvari se putet fortis] In Hebræo: *Fortis non evadet*: id est, Si quis erit qui resistere hosti velit, nec ille salutem inveniet. Nec pugnare proderit, nec fugere.

Ad Aquilonem juxta flumen Euphratem] Ad Aborram & Euphratem sita ex parte Septentrionali Judæis. *Ex parte* dico: nam & nos Græci sæpe Βορρᾶν [*Boream*] vertunt, interdum Ἀπηλιώτην [*Subsolanum*], ut diximus suprà XXV. 26.

7. *Quis iste qui quasi flumen ascendit, & veluti fluviorum intumescunt gurgites ejus?*] In Hebræo: *Turbidi sunt gurgites ejus.* Allusio ad Nilum qui & ripas transcendit, & turbidus est limo.

8. *Ægyptus fluminis instar ascendit*] Id est, Rex & exercitus Ægypti. Respondet sibi ipsi Propheta iisdem verbis quibus interrogaverat. Simile vide Esaiæ LXIII. 3.

9. *Æthiopia & Libyci tenentes scutum, & Lydi arripientes & jacientes sagittas*] Nimirum:

— omnis

——— *omnis eo terrore Ægyptus & Indi,*
Omnis Arabs, omnes vertebant terga Sabæi.

Ut Virgilius loquitur. Libyci in Hebræo *Phuth*. Vide quæ diximus ad librum I. de Veritate Religionis Christianæ. Ex his Afrorum auxiliis in Ægyptum missis occasio sumta Nabuchodonosoro post Ægyptum invadendi Africam. Lydos sagittis multùm usos docet nos Polyænus.

10. *De inimicis suis*] De iis qui Josiam occiderant.

Victima enim Domini Dei exercituum] Lætabitur Deus illorum sanguine.

11. *Ascende in Galaad, & tolle resinam*] Nempe ad curanda vulnera. Vide quæ dicta suprà VIII. 22.

12. *Audierunt gentes ignominiam tuam*] Cladem.

Fortis impegit in fortem, & ambo pariter conciderunt] Meliùs, *ambo similiter cadent*: id est, nunc Ægyptius, postea verò sub Medis Babylonius.

13. *Et percussurus terram Ægypti*] Invasurus bello.

14. *In Magdalo, & resonet in Memphis & in Taphnis*] Vide suprà XLIV. 1.

15. *Quare computruit fortis tuus*] In Hebræo: *Propulsatus est*.

16. *Revertamur ad populum nostrum, & ad terram nativitatis nostræ*] Verba sunt eorum qui Ægyptiis auxilium attulerant, Lydorum, Afrorum, Æthiopum. Vide infrà 21.

A facie gladii columbæ] *Gladii vastatoris*. Diximus hac de re suprà XXV. 38.

17. *Vocate nomen Pharaonis Regis Ægypti, Tumultum adduxit tempus*] Verte, *dicent illi* (nempe auxiliares) *de Pharaone Rege Ægypti, Strepitus est, sed transmittit occasionem*. Magna minatur; sed ubi res exigit, nihil agit.

18. *Quoniam sicut Thabor in montibus, & Carmelus in mari veniet*] Tam certum hoc est eventurum, quàm certum *Thaborem*, sive Itabyrium montibus claudi, & *Carmelum* Syriæ montem *ad mare pertingere*.

19. *Vasa transmigrationis fac tibi*] *Vasa collige*, ut loquuntur Latini.

20. *Vitula elegans, atque formosa Ægyptus*] Alludit ad cultum Apidos & Mnevis.

Stimulator ab Aquilone veniet ei] *Mactator*. Ità Chaldæus, & solet קרץ apud Thalmudistas de *victimario* dici.

21. *Quasi vituli saginati*] Refer hoc ad præcedentia: *Qui versabantur in medio ejus*.

22. *Vox ejus quasi æris sonabat*] Allusum videri potest ad sistra. Sic Virgilius:

Regina in mediis patrio vocat agmina sistro.

Sed & Chaldæus & Græci *unà serpentem* vertunt: ut sensus sit, *Sibilabunt præ metu ut vipera*.

Cum securibus venient quasi cædentes ligna] Armati Scythicum in morem.

23. *Succiderunt saltum ejus, ait Dominus, qui supputari non potest*] *Succidite silvam ejus, ait Dominus*, (ad exercitum) *qui supputari non potest*. Perstat in similitudine cœpta ὑλοτόμων [*lignicidæ*]. *Silvæ* sunt urbes, quæ in Ægypto mille & viginti illis temporibus.

Multiplicati sunt super locustas, & non est eis numerus] Qui Chaldæi *plures sunt quàm locustæ, imò innumeri*.

25. *Ecce ego visitabo super tumultum Alexandriæ*] In Hebræo hîc המון מנא, apud Nahumum III. 8. נא אמון: fuit urbs Ægypti populosissima, in Pharo, ut puto; unde Chaldæus ex posterioris ævi nomine Alexandriam posuit. At אמון est dialectus, pro המון *populi*: אמון מנא *populi de No*: נא אמון *No populosa*.

Et super deos ejus] *Omnigenum deûm monstra*, ut loquitur Virgilius. Vide suprà XLIII. 12. 13.

Et super Reges ejus] Sic vocat τοὺς νομάρχας [*regionum Præfectos*]. de quibus vide Strabonem & Aristotelem II Ethicorum.

Et super Pharaonem] *Super Pharaonem, inquam*. Nam ו sæpe sic ponitur, & præcessit jam *Pharaonis* mentio.

Et super eos qui confidunt in eo] Subditos & socios.

26. *Et post hæc habitabitur sicut diebus pristinis, ait Dominus*] Ægyptus valde desolata post annos XL incipiet reflorescere, & libertatem suam ac commercia recuperare. Vide Ezechielem XIX. 11. Ea ἀποκατάστασις [*restitutio in statum meliorem*] incidit in Amasis tempora, Cyro coævi.

27. *Et tu ne timeas servus meus Jacob, & ne paveas Israel*] Hæc consolatio pertinet ad eos qui à Rege Nechaone cum Joachazo Rege in Ægyptum abducti erant, II Paralipomen. XXXVI. 4. quos redituros ait in patriam, nempe fractis Ægyptiorum rebus.

28. *Consumam cunctas gentes ad quas ejeci te*] Id est, gravissimis cladibus, ac velut internecione, eos exhauriam.

Castigabo te in judicio] Moderatè; ut discas, non ut pereas. Vide suprà X. 24. XXX. 11.

Nec quasi innocenti parcam tibi] Quomodo hæc verba optimè vertantur, vide suprà XXX. 11.

CAP. XLVII.

MUNSTERUS.

1. CONTRA *Phelistæos*] Dicunt Hebræorum scriptores, præsertim autor libri Sedar Olam, quòd hæc Prophetia impleta fuerit decimo anno Zidkijahu Regis Jehuda, quando Pharao venit ad pugnandum contra Chaldæos Jerosolymam oppugnantes. Et cùm Chaldæi rumorem audissent Ægyptiorum advenientium, intermissâ obsidione Jerusalem, converterunt se in Ægyptios. Tunc Pharao devastans Azam Phelistæorum metropolim, reduxit exercitum domum. Porrò per *aquam inundantem* intelligitur Babyloniorum exercitus, qui se effudit super omnem terram horribili ululatu, clamore, strepitu equorum & curruum, omnium dissolvens corda & vires.

5. *Venit calvitium*] Per *calvitium* intellige luctum insignem.

7. *Littus maris*] i. Civitates maritimæ, vel portus maris, qualis est Joppe.

VATABLUS.

1. QUod fuit verbum אשר היה דבר] Ordo dictionum immutatus, ut c. 46. 1. ¶ *Super Pelisthim* אל פלשתים] *De Philisthæis: vel adversus Palæsthinos*. ¶ *Azah* עזה] Dicunt Hebræorum scriptores quòd hæc Prophetia impleta fuerit decimo anno Ezechiæ Regis Juda, quando Pharao venit ad pugnandum contra Chaldæos Jerosolymam oppugnantes: tunc Pharao devastans Gazam Philisthæorum metropolin, reduxit exercitum domum.

2. *Aquæ ascendunt* מים עלים] i. Exercitus maximus ascensurus est à Chaldæa. ¶ *Et erunt in torrentem* והיו לנחל] i. Evadent, aut vertentur in torrentem. ¶ *Et plenitudinem ejus* ומלואה] Seipsum declarat mox cum dicit *urbem* (pro *urbes*) *& habitantes in ea*. ¶ *Urbem* עיר] Sing. Heb. pro plur.

3. *A sonitu incessûs* מקול שעטת] *Præ clamore strepitûs*. ¶ *Equorum ejus* אבריו] Ad verb. *fortium ejus*, i. equorum fortium. ¶ *A commotione* מרעש] *A strepitu*: vel *tumultu*. ¶ *Multitudine* המון] A *tumultus fragore*. ¶ *Propter debilitatem* מרפיון] *Præ dissolutione: remissione*: q. d. Adeò erunt exterriti ut nè patres quidem de salute liberorum futuri sint soliciti, pro quibus tamen bella suscipiuntur & geruntur.

4. *Propter diem* על היום] Refertur istud ad v. 2 aut subaudiendum ו. ¶ *Ad succidendum* להכרית] *Ad delendum* ¶ *Omnem superstitem auxiliatorem* כל שריד עזר] Sing. Heb. pro plur. *omnes reliquias auxiliatrices*. Palæsthini ferebant opem laborantibus Tyriis: unde hîc dicit defuturos qui opem ferrent illis. ¶ *Vastat* שודד] Præs. Heb. pro fut. *vastaturus est*. ¶ *Insulæ Chaphthor* אי כפתור] *Insulæ Cappadociæ*; quæ hîc dicitur *insula*, quanquam sit in continente, quia est maritima. Erant autem fratres Cappadoces & Palæsthini; unde & auxilio venerunt Palæsthinis; qui unà cum ipsis Palæsthinis victi & cæsi sunt, quod hic dicit.

5. *Venit calvitium* באה קרחה] Præs. Heb. pro fut. *Venturum est calvitium*. Maximum luctum futurum significat, ut quidam exponunt. Alii *direptionem* interpretantur: Futurum est ut diripiantur omnia bona illius, primùm à Pharaone, deinde à Nabuchodonosor Rege Babel: q. d. *Depilabitur*. ¶ *Et residuum vallis earum* שארית עמ'] *Et reliquiæ vallis eorum*, sive *earum*, sub. *urbium*: i. Reliquiæ civium earum urbium quæ se in valles receperint perdentur. Gaza & Ascalon erant sitæ in locis editis. Quidam Hebræorum vertunt, *Et reliquiæ magnarum & immensarum opum eorum*, sub. *Palæsthinorum*. ¶ *Incides te?* תתגדדי] i. Carnem tuam, præ mœrore ac tristitia.

6. *Collige te* האספי] i. Recipe & reconde te.

7. *Quiesces?* תשקטי] i. Quiescere poteris? ¶ *Præcepit ei* צוה לה] Aut mutatio est personæ in pronomine, pro *præcepit*, sive *mandata dedit tibi* ut deszvias *adversus Ascalon & adversus littus maris*: *ibi* enim *constituit te*. Aut refert *Ascalon*, ut scribit doctus inter Hebræos; atque ità vertit Chaldæus P. *nam præcepit gladio deus*, ut eat *contra Ascalon*, &c.

¶ Con-

¶ *Constituit eum* יעדה] *Constituit ei*, sub. *tempus*: & ità Chaldæus P. Alii, *statuit eum*, ut scilicet grassetur in ea regione.

CASTALIO.

3. P*RÆ sonitu strepitûs ungularum illius ducum*] Nabuchodonosoris. ¶ *Adeò erunt soluta manus*] Territi homines.

4. *Reliquias insulæ Cappadocum*] *Insulam* vocat maritimum locum.

5. *Rasura*] Luctus, in quo raduntur pili. ¶ *Quousque te laniabis?*] Scil. in luctu; h. e. *quousque lugebis?*

7. *Quò tibi indixit*] Ubi te adesse jussit.

CLARIUS.

1. Q*uod factum est*] Dicta est Prophetia hæc x anno Sedechiæ, cùm Pharao & Ægyptii irent ad pugnandum contra Chaldæos jam tum obsidentes Jerusalem, qui cùm rumorem advenientium Ægyptiorum audivissent, intermissâ obsidione, vim belli in illos direxerunt. Tunc Pharao Gazâ Palæstinorum metropoli devastatâ domum reduxit exercitum. Dicit ergò, Ægyptii quidem terram afflixerunt, Babylonii verò inundabunt.

4. *Reliquias insulæ Cappadociæ*] Ut sint non illi Cappadoces de quibus Historici, sed in finibus Palæstinorum, ut ex hoc loco manifestè arguitur. Cappadoces enim circa Pamphyliam ad mare Euxinum ultra Armeniam Majorem habitant.

5. *Usquequo concidêris*] Delacerabis te unguibus.

7. *Maritimas ejus regiones*] Ut erat Joppe.

DRUSIUS.

1. אֲשֶׁר הָיָה וגו׳. Καὶ ἐγένετο ῥῆμα Κυρίου πρὸς Ἱερεμίαν τὸν προφήτην ἐπὶ τοὺς ἀλλοφύλους πρὸ τοῦ πατάξαι Φαραὼ τὴν Γάζαν, *Et factum est verbum DOMINI ad Jeremiam Prophetam de Allophylis antequam percuteret Pharao Gazam*] *Allophylis*, i. Philisthæis.

4. כַּפְתּוֹר .א׳ τῶν νήσων τῆς Καππαδοκίας *insularum Cappadociæ*] i. .אי Malim ergò *insulæ Cappadociæ*, si modo *CHAPHTHOR* est *Cappadocia*. In Theodoreto, τῶν νήσων καὶ Καππαδοκίας *insularum & Cappadociæ*. Hier. *reliquias insulæ Cappadociæ*.

GROTIUS.

1. Q*Uod factum est verbum Domini*] Transpositio, pro *Verbum Domini quod factum est*.

Antequam percuteret Pharao Gazam] Cùm non per tempora sed per gentes has Prophetias dispartiverit aut Propheta, aut is qui eas collegit, *Pharaonem* hic intelligo Nechaonem: ab eo autem obsessam Gazam Philisthinorum urbem post victoriam in Mageddo, cùm jam nemo ultrà adversùs eum prælio certare auderet. Est autem hæc Prophetia eò insignior quòd Philisthinæ terræ vastationem prædixit eo tempore cùm à solis Ægyptiis hostilia, à Chaldæis verò amica omnia exspectarentur.

2. *Ecce aquæ ascendunt ab Aquilone, & erunt quasi torrens inundans*] Sicut Ægyptii Nilo, sic Chaldæi Euphrati comparantur. Ea autem quæ hîc prædicuntur non dubito quin facta sint per Nabuzardanem, quem post capta Hierosolyma cæteris circùm perdomandis Nabuchodonosor reliquerat.

Et ululabunt omnes] Solent Prophetæ voce הילל uti in significatu luctûs gravis. Vertitur per ὀλολύζειν, ἀλαλάζειν, θρηνεῖν, πενθεῖν [*ululare, barrire, plorare, lugere*].

3. *A strepitu pompæ armorum & bellatorum ejus*] *A quadrupedante sono ungularum fortium* (id est) *equitum ejus*.

A commotione quadrigarum ejus] *A strepitu quadrigarum ejus*.

Et multitudine rotarum illius] *Præ fragore rotarum*.

Non respexerunt patres filios] *Non respicient patres filios*: & connecte cum præcedentibus. Sibi quisque consulet summâ festinatione, nullas necessitudines respiciens.

Manibus dissolutis] Spes omnis in pedibus erit, non in manibus.

4. *Pro adventu diei*] In Hebræo, *Supervenire diem*: id est, cùm ille dies venerit.

Et dissipabitur Tyrus & Sidon cum omnibus reliquis auxiliis suis] Id est, Tyrii & Sidonii, aliique auxiliares Philisthinorum.

Depopulatus est enim] *Depopulabitur*.

Reliquias insulæ Cappadociæ] כפתור *Cappadociam* transferunt, non hic tantùm Chaldæus & Græci, sed & Hierosolymitanus interpres ad Deuter. II. 23. nec aliter censet Hieronymus. Quare pro vero habendum à Cappadocia, quæ *insula* vocatur quòd maritima sit, venisse Philisthinos, & ab iisdem nomen habere Idumææ urbem *Caparorsam*, ut ad dictum Deuteronomii locum notavimus. Adde Amosum IX. 7.

5. *Venit calvitium super Gazam*] Luctûs signum, ut Esaiæ III. 24.

Conticuit Ascalon] *Excidetur*. Sic Græci & Chaldæus.

Et reliquiæ vallis earum] Rectiùs *eorum*; id est, & aliæ urbes Philisthinorum in vallibus sitæ. nam quas nominaverat jam urbes, ex editiores erant. At LXX pro עמקם [*vallis eorum*] legerunt ענקים Ἐνακείμ [*Enacim*]. Placet mihi hæc lectio: nam reliquias Enacim fuisse illis in locis apparet Numer. XIII. 28.

Usquequo concidêris] In Hebræo: *Quousque te incides?* Id est, quousque brachia tua cultris lacerabis? quod gentes illæ in luctu facere solebant, ut diximus ad Levit. XIX. 28.

6. *O mucro Domini*] Id est, *dicens*, *O mucro Domini*. Verba incidentium se imitatur.

7. *Quomodo quiesces?*] Respondet illorum planctui Propheta.

Cùm Dominus præceperit ei adversùs Ascalonem] Supple, *ire*.

Et adversùs maritimas ejus regiones] Joppen, Jamnes.

CAP. XLVIII.

MUNSTERUS.

2. G*Loriatio*] Heb. *laus*. Fuit populus Moabiticus præ cæteris Regnis superbus & magnificus; & ridebat quando cæteris nationibus calamitates à Deo immittebantur. Ideo Dominus denunciat ei per totum istud caput interitum & eliminationem.

4. *Contrita est Moab*] Capitur hîc *Moab* non pro gente tantùm, sed & pro civitate, quam putant Ariopolim fuisse.

10. *Maledictus qui facit opus Domini in dolo*] *Opus Domini* erat eliminare & devastare Moabitas: & qui hoc negotium negligenter agebant, maledicebantur.

11. *Quietus in fæcibus suis*] i. Nunquam fuit Moab ejectus suis sedibus, ideo præditus fuit multâ opulentiâ, sicut vinum nativum gustum retinet quamdiu cum fæcibus manet.

18. *Sede in siti*] h. e. in captivitate, ubi sitim, famem & omnium bonorum defectum sustinebis.

25. *Resectum est cornu*] Jonathan explicatiùs sic vertit, *Amputatum est Regnum Moab*, &c.

26. *Complodat manus Moab*] i. Sicut ebrius se volutat, vomit & manibus corpus amplectitur, sic Moabitæ afflictionibus *inebriati manus* præ mœrore *complodent* in capite: & qui *contemptui habuerunt Israelem*, *facti sunt & ipsi in derisum*.

30. *Indignationem ejus*] Quâ scilicet sine causa sævit contra quaslibet vicinas gentes. Sed & ex superbia sua multa præsumpsit facere in quibus tamen mendax invenietur, cùm illa ob irruentem calamitatem perficere non possit. Alii exponunt בדיו pro *Vectibus*. *Vectes* hominis sunt vires ejus. Et tunc idem cum priore erit sensus, Plus sibi præsumunt Moabitæ quàm præstare possunt.

31. *Meditabitur*] Capitur hîc *meditari* pro *mussitare*, ut ejulantes faciunt.

32. *Ob planctum Jazer*] i. Movebit me amarus planctus Jazer, quod etiam propter te flebo, cùm eadem afflictio tibi ventura sit quæ Jazer accidit. Nam *vitis tua*, h. e. populus tuus, *transmigrabitur usque ad mare*, &c.

34. *Vitula triennis*] Comparatur Moab *vitulæ triennali* ob voluptuosam vitam in qua vixerat.

45. *Ignis egressus est de Hesbon*] Hoc dicitur ad indicandum quòd Hesbon ab antiquo, cùm esset sub dominio Æmoræorum, fuit urbs munitissima.

47. *Convertam captivitatem Moab*] Non, inquit Deus, erit Moab in omnimodam consummationem, sed habet adhuc promissionem. Reducetur enim posteritas aliqua usque ad tempus Meschiæ, quia Christus ex Ruth Moabitide descendit.

VATABLUS.

1. A*D Moab* למואב] *De Moab*. *Contra* [vel *Adversùm*] *Moab*. ¶ *Væ super Nebo* הוי אל נבו] q. d. *O miseram & infelicem Nebo: vastabitur enim*, &c. Præt. Heb. pro fut. ut & in sequentibus. ¶ *Misgab* המשגב] Sic dicta urbs quòd in *excelso* loco sita sit. Propterea quidam transtulerunt *civitas in excelso sita*. Ad verb. *exaltatio*. Doctioribus Hebræorum magis placet ut sit nomen urbis. ¶ *Et expavit* החתה] *Et consternata est*, i. fracta est animo.

2. *Glo-*

2. *Gloriatio* [תהלת] Ad verb. *laus*: q.d. *Jam non gloriabitur* (sive *gloriari poterit*) *Moab de Hesbon*, quòd esset urbs insignis, celeberrima ac nobilissima. ¶ *Cogitaverunt* [חשבו] *Excogitaverunt*; *machinati sunt*. ¶ *De gente* [מגוי] Ut *non sit gens*, sub. *in ea*: i. ut nemo posthac habitet in ea: vel, ut posthac non numeretur inter populos. ¶ *Succideris* [תדמי] *Deleberis*; *eradicaberis*. Alii, *ad silentium redigeris*.

3. *De Horonaim* [מחרונים] Sub. *egreditur*: i. exaudietur in utraque Horon. Erat enim duplex Horon, superior & inferior.

4. *Contrita est*, &c. [נשברה וגו׳] Quidam hîc annotant, hoc loco *Moab* non pro gente tantùm, sed & pro civitate, quam putant Arcopolin fuisse, accipi. Alii vertunt per futurum, *Conteretur* [vel *Frangetur*] *Moab*; & exponunt *Principes superioris* sive *summi ordinis & dignitatis*. ¶ *Audire*, &c. [השמיעו וגו׳] *Auditum facient* (i. edent) *clamorem minores ejus*, i. *Principes ac nobiles inferioris ordinis*.

5. *Lubith* [הלוחית] Erat locus editus ac sublimis in quem se recipere solebant qui fugâ saluti suæ consulere volebant ut illic essent tuti: q. d. Qui vertentur in fugam à Chaldæis, illuc cum fletu se recipient. ¶ *Ascendet flens* [יעלה בכי] Ad verb. *ascendet vir fletus*, i. ascendent flentes. ¶ *Contritionis audituri sunt* [צרי שבר שמעו] *Destructionem* [vel *vastationem*] *audituri sunt*. Præt. Heb. pro fut.

6. *Et sitis* [ותהיינה] *Et sint*, sub. *anima vestra*: q. d. Fugite à consortio hominum, & concedite in loca deserta, ut illic vivatis solitariè. Alii, *& sint*, sub. *urbes è quibus egressi fueritis*, desertæ ac solitariæ. Alii, *& sitis*, sub. *ô vos urbes*, i. congregationes urbium. Sunt qui velint ערוער nomen esse arcis.

7. *In pecudibus tuis* [במעשיך] Ad verb. *in operibus tuis*. Sic dicuntur pecudes, oves, boves, greges, & armenta, quòd opus hominis tunc esset in educandis ovibus & bobus. Sic 1 Sam. 25. 2. *Vir erat in Mahon*, *& opus ejus in Charmel*, *& erat vir magnus valde*, *& ei erant oves tria millia*, *& mille capræ*, &c. ubi posterioribus verbis explicat quid vocarit *opus*, pecudes scilicet. Quidam vertunt *in munitionibus*. ¶ *In transmigrationem* [בגולה] *In captivitatem*. ¶ *Et principes ejus* [ושריו] Sic vocat illos qui eum colebant, tuebantur ac defendebant cultum ejus.

8. *Ad singulas urbes* [אל כל עיר] Sing. Heb. pro plur. ut & mox.

9. *Quia volando volabit* [כי נצא תצא] *Ut volando volet*. Sic quidam vertunt כי: i. ut ocyssimè avolet.

10. *Maledictus* [ארור] *Exsecratus*. Præs. Heb. pro fut. *Opus Domini* erat devastare Moabitas: & qui hoc negotium negligenter agebant, *maledicebantur*. Gallicè dicimus, *Maudict soit celuy qui se feindra de tuer*.

11. *Quietus fuit* [שאנן] *Fuit* [vel *Vixit*] *in otio & tranquillitate*: *tranquillus fuit*. ¶ *Et requievit in fæcibus suis* [ושוקט הוא וגו׳] q. d. *Ad hunc usque diem Moab fuit similis vino intra dolium quieto*, *& non agitato*, *& quod non fuit transfusum de vase uno vinario in alterum*: q. d. Nunquam fuit ejectus suis sedibus. Otium & tranquillitatem Moab vocat *fæces*, quòd ut sapor germanus vini conservatur optimè subsidio fæcis, ità in otio & tranquillitate dignitas & status Moab bellè fuit conservatus. Chaldæus P. per *fæces* intelligit opes: nam ut vinum fæce, ità Regna servantur divitiis. ¶ *Et in transmigrationem* [ובגולה] *Et in captivitatem*: 1 sive *&* pro *id est* positum: nam declarat Metaphoram transfusionis vini.

12. *Transmigratores*, *& transmigrare facient* [צעים וצעוהו] *Translatores*, *qui demigrare facient*, i. hostes qui facient eum transmigrare, transferéntque cum aliò. ¶ *Exhaurient & utres* [וכליו יריקו] *Evacuabunt*, *& vasa*: vel *lagunculas*.

13. *Quemadmodum pudore affecti sunt* [כאשר בשו] q. d. Quemadmodum fiducia Vituli aurei adorati in Bethel à Decem Tribubus Israel non impedivit quominùs illæ abducerentur captivæ in Assyriam, ità Chamos non est liberaturus Moabitas à calamitate ipsis imminente: propterea pudefient, frustrati spe suâ.

14. *Dicitis* [תאמרו] *Dicetis*: q. d. *Quâ fronte audebitis dicere*, *Quis vincet nos*?

15. *Et civitates illius excidit* [ועריה עלה] *Et civitates ejus exterminavit*, *consumpsit*, sub. *hostis*. Alii, *& civitates ejus ascenderunt* per ignem: ut sit præt. Heb. pro fut. & sing. pro plur. *ascendent*. Alii meliùs ex commentariis Hebræorum, *Et populus civitatum ejus ascendit*, i. evanuit in auras. Vel, *& multitudo urbium ejus ascendet sursum*, i. evanescet: tolletur de medio, & peribit. ¶ *Ad jugulationem* [לטבח] *Ad mactationem*; *ad cædem*: *ad occisionem*.

16. *Propinqua est contritio* [קרוב איד] *Festinat calamitas*. *Accelerat interitus*, &c. i. brevi venturus est interitus.

17. *Condolete ei* [נדו לו] *Commovemini ei*: vel *ejus gratiâ*. ¶ *Qui scitis nomen ejus* [וכל ידעי שמו] Nempe Moab; i. quibus illa nota est: vel, ii ad quos pervenit fama sive rumor ejus. ¶ *Baculus gloriæ* [מקל תפארה] *Baculus decorus*? Alii, *sceptrum gloriæ*? i. quâ ratione factum est ut Regnum Moab tam potens & gloriosum sit deletum?

18. *In siti* [בצמא] i. In loco arido & siticuloso, in quo sitias & perducaris ad extremam paupertatem. *Sitim* opponit *gloriæ*, augendo afflictionem: q. d. Non tantùm eris ignominiosa, sed egebis rebus necessariis in captivitate. ¶ *Habitatrix*, &c. [יושבת בת דיבון] Vide cap. 46. 19. *Habitatrix filia Ægypti*. ¶ *Vastator* [שודד מואב] Genitivus est *Moab*, pro *Moabitarum*; *qui vastaturus est Moab*: vel *vastatores Moabitarum*: aut, *qui vastaturus est Moab*. Præterita in hoc versu pro futuris.

19. *Habitatrix* [יושבת] i. O congregatio civium Aroer: q. d. Egredere, & sta juxta viam publicam, & interroga viros ac mulieres fugâ saluti suæ consulentes, suis urbibus jam captis. ¶ *Quidnam factum est* [מה נהיתה] Sub. *urbibus vestris*, *quòd fugiatis*?

21. *Venit* [בא] Præt. Heb. pro fut. *venturum est*. Judicium Divinum intelligit: q. d. Non solùm regio montana Moab est peritura, sed etiam plana & campestris, idque ob idololatriam.

25. *Abscissum est cornu*, &c. [נגדעה קרן וגו׳] *Excidetur cornu Moab*, *& brachium ejus frangetur*, vel *conteretur*: i. Peribit Regnum, sive Regia dignitas Moab, robur item ac vires confringentur. Alii, *Principes ac nobiles*. Regnum vocat *cornu*, quòd cornua sint in sublimiori parte, nempe in fronte, animantis corniger, & quòd illis sese tueatur ac defendat. Chald. *Amputatum est Regnum Moab*.

26. *Inebriate eum* [השכירוהו] i. Efficite ut Moab vi iræ & afflictionis incidat in amentiam. Alloquitur Angelos, vel Nabuchodonosor & Chaldæos. ¶ *Magnificavit* [הגדיל] Sub. *os suum*: i. verba plena arrogantiæ protulit aut effutivit contra honorem Domini, tribuendo sibiipsi quæ Domino tribuere debebat. Alii, *magnificavit sese*, i. extulit sese. ¶ *Et volutet sese* [וספק] Metaphora ab immodicè ebriis, qui postquam vomuerint volutant sese in vomitu, postea ridentur à sobriis. Alii, *& concutiat sese*: i. terram corpore suo, concutiendo sese, ut solent ebrii. Alii, *& plaudat* manibus suis.

27. *Inventus esset* [נמצא] *Deprehensus esset*? q. d. Cur risisti Israelem dum captivus abduceretur, idque non aliter quàm si eum in furto deprehendisses? nam quoties de calamitate ipsius Israelis verba facis, præ gaudio vehementi exsilis. ¶ *Locutus es*, &c. [דבריך וגו׳] Ad verb. *verba tua de eo*, *commovisti te*: i. quoties de afflictione ejus verba facis, vidèris gestire & exsultare præ gaudio.

28. *In petra* [בסלע] *In rupe*: q. d. Desertis urbibus concedite in loca altissima, ut illic sitis tuti. ¶ *In lateribus*, &c. [בעברי פי פחת] Ad verb. *intrans os foveæ*. Quidam, *in prominentiis orificii cavernæ*, i. in rupium foraminibus: q. d. *Cogemini morari in cavernis ut columbæ*. Alii, *ultra hiatum foveæ*. Alii, *in ulterioribus lateribus foveæ*.

29. *Et exaltationem cordis ejus* [ורום לבו] *Et altitudinem cordis ejus*: vel *celsitudinem*. Multis describit extremam arrogantiam Moabitarum.

30. *Iram ejus* [עברתו] *Iracundiam ejus*. Gallicè, *sa felonnie*. ¶ *Non stabilictur*, &c. [ולא כן וגו׳] Ad verb. *& non veritas* [vel, *& non* erit *stabilitas*, sub. *iræ ejus*, *novi*, *inquam*] *mendacia ejus*, *& non ita facturi sunt*. Præt. Heb. pro fut. q. d. *Superbia ejus non sortietur eventum*: *non efficiet Moab quod per fastum minatur se facturum*: *novi*, *inquam*, *mendacia ipsius Moab*. Gallicè, *ses bourdes & baveries*: *& non ità facturi sunt cives Moab*, sub. *ut decreverunt se facturos contra vicinas gentes*. Quidam totum versum sic vertunt, *Ego novi*, *inquit Dominus*, *indignationem ejus*; *non rectè* agit: *mendacia ejus sunt*, *non rectè agunt*. *Indignationem ejus*, quâ scilicet sine causa sævit contra quaslibet vicinas gentes: sed & ex superbia sua multa præsumpsit facere, in quibus tamen mendax invenietur, cùm illa ob irruentem calamitatem perficere non poterit. Alii exponunt בדיו pro *vectibus*. *Vectes* hominis sunt vires ejus: & tunc idem cum præcedente erit sensus, *Plus sibi præsumunt Moabitæ quàm præstare possint*. Doctus inter Hebræos admonet quosdam exponere, *filii ejus non sic facient*: *quia Regnum ejus deficiet*.

31. *Super Moab ejulabo* [על מואב איליל] *Propter Moab vociferabor*. ¶ *Cir-heres* [קיר חרש] Hæc urbs dicitur in Jes. 16. 7. *Vir-hareseth*, sic dicta fortè quòd ejus mœnia essent *fictilia*. Lege caput illud, in quo etiam calamitas Moab prædicitur, multáque habet quæ ad hanc Prophetiam Jeremiæ pertinent. ¶ *Gemet* [יהגה] Sub. *cor meum*: Vel, *ingemiscet*.

32. *Fletu*

32. *Fletu Jaazer* כבכי יעזר] i. Consimili fletu quo flevi Jaazer, quæ jam victa & abducta fuit. ¶ *Propagines tuæ* נטישותיך] *Rami tui*, i. cives tui: q. d. *O Sibma, deteriùs tibi continget quàm ipsi Jazer: nam cives tui trans mare abducentur, idque tempore æstivo, cùm cives Jaazer ad litus quidem maris pervenerint, sed trans mare abducti non fuerint.* Præt. Heb. pro futuris. ¶ *Jaazer* יעזר] i. Cives Jaazer. ¶ *Super fructus tuos æstivos* על קיצך] Ad verb. *in æstatem tuam*, i. in fructus tuos æstivos: q. d. *Eo tempore quo fructus erunt in agris tuis, invadet te hostis qui totam regionem tuam depopulabitur.* ¶ *Prædo* שודד] *Vastator; depopulator.* Jesaias cap. 16. 9. habet *celeusma:* vide locum.

33. *Et deficiet* ונאספה] *Et auferetur*, i. tolletur de medio. Alii, *finem habebit.* ¶ *Celeusma non*, &c. הידד לא הידד] i. Celeusma quo tunc utentur, nempe ut adhortentur sese mutuò ad fugam, non erit celeusma quo uti solent calcandis uvis. De quo fusiùs Jes. 16. 9.

34. *Dederunt vocem suam* נתנו קולם] Hebraismus, pro *edent vocem:* q. d. *Qui captâ Hesebon urbe celeberrimâ Moab, fugam capessent, fugientes continuabunt vociferationem usque ad urbes vicinas Eleale & Jahas.* ¶ *Vitula triennis* עגלת שלשיה] Sub. *ejulans ibit.* Comparat Moab, sive reliquos Moabitas, *vitulæ trienni*, quòd sit formosa & in flore ætatis, atque ob voluptuosam vitam quam vixerat. ¶ *In desolationes erunt* למשמות יהיו] i. Acsi essent desolatæ: q. d. *Nemini erunt utiles, quòd perituri sint qui illic habitant.*

35. *De Moab* למואב] *Ipsi Moab:* q. d. *Perdam idololatras qui sunt in regione Moab.*

36. *Ad Moab* למואב] *Propter Moab.* ¶ *Veluti tibiæ resonabit* כחלילים יהמה] *Instar tibiarum perstrepet.* Tibias lugubres intelligit, quibus canebatur carmen lugubre in funeribus, ut habes Matth. 9. 23. q. d. *Ob calamitatem Moab, quæ gravissima erit, cor meum edet vocem lugubrem, instar tibiarum quibus funebria carmina canuntur.* ¶ *Perierunt* אבדו] *Perituræ sunt.*

37. *Diminuta* גרועה] *Truncata.* Describitur habitus lugentium, simúlque maximus luctus significatur. Omnes, inquit, præ luctu vellent sibi capillos, barbam sibi truncabunt, incident sibi manus, sive lacerabunt ac dilaniabunt unguibus aut cultris, & cilicium asperum induent, depositis solitis vestibus.

38. *Universus* Moab erit in *planctu* כלה מספד] *Omnibus planctus.* ¶ *In quo non* est *complacentia* אין חפץ בו] *In quo non* est *beneplacitum*, i. non gratum figulo; vel quo nemo delectatur.

39. *Expavit, ululabunt* חתה הילילו] *Contritus* [vel *fractus*] *est* animo, *ululabunt.* Præt. Heb. pro fut. Legendum hoc ordine, *Ejulabunt, quomodo fractum est*, i. *Ejulando dicent, Quomodo fractum est Regnum Moab?* q. d. Cùm Moabitæ videbunt calamitatem suæ regionis, vociferabuntur, dicentes, Quomodo factum est ut Regni Moab potentissimi tam citò vires fractæ sint? Verti potest, *Ejulando dicite, Quomodo*, &c. ¶ *Vertit cervicem* הפנה עורף] *Dedit terga.* ¶ *Et in formidinem* ולמחתה] *Et in terrorem.*

41. *Capta*, &c. נלכדה וגו'] Præt. Heb. pro fut. *Capientur urbes, munitionésque capientur*, i. capientur urbes in loco plano sitæ, & illæ quæ sitæ sunt in locis arduis ac sublimibus. Verba sunt singularia: q. d. *Quo tempore capientur omnes urbes perinde atque essent unica urbs.* ¶ *Afflictæ* מצרה] *Angustiatæ*, i. quæ sentit angustias partùs.

42. *Et perdetur* ונשמד] *Et delebitur. Et exscindetur.* ¶ *Magnificavit* os suum הגדיל] i. Contumeliosè in Deum est locutus. Vide v. 26.

43. *Pavor*, &c. פחד ופחת ופח] His varia calamitatum genera intellige. Per *pavorem* sive *terrorem* intelligit hostes terrificos.

44. *A facie pavoris* מפני הפחד] i. Propter hostes qui metum & terrores incutiunt.

45. *Propter potentiam* מכח] *Propter fortitudinem; vires*, sub. *civium ejus.* Quidam vertunt *absque fortitudine.* Præt. Heb. pro fut. ¶ *Ignis egressus fuerat* אש יצאה] *Ignis exibat*, sub. *antea:* quando scilicet Hesebon erat in ditione Amorrhæorum; acsi dicas Gallicè, *Elle faisoit feu en guerre.* Virtutem militum significat Igni. Cur fugerent, cùm Hesebon olim fuerit potentissima, cùm teneretur ab Amorrhæis, & egressi sint olim ex ea & ex Sihon alia Amorrhæorum urbe milites ardentissimi & alacritate & celeritate certantes cum ipso igni, qui usque ad angulum totam Moabitidem devorarunt, ità ut nè exigua quidem terræ portio relicta sit Moabitis habitanda? ¶ *Filiorum tumultuantium* בני שאון] *Filiorum tumultuosorum*, i. duces & principes populi superbi & arrogantis.

46. *Chemos* כמוש] i. Qui colit Chamos. ¶ *Comprehensi sunt* לקחו] *Capti sunt; ablati sunt.* Præt. Heb. pro fut. i. capti ducentur in captivitatem.

47. *Et convertam captivitatem* ושבתי שבות] Hebraismus, pro, *Restituam libertatem Moabitis captivis in fine dierum*, sive *postero tempore*, i. tempore Christi, ut etiam ipsi Judæi interpretantur. ¶ *Hucusque*, &c. עד הנה וגו'] q. d. Hactenus descriptum ac recitatum est justum decretum justáque Dei sententia de Moabitis. Hæc adjecit ob Prophetiæ prolixitatem.

CASTALIO.

7. C*Hamosus*] Moabitarum Deus.

26. *Paviátque Moabita vomitum suum*] Irâ Jovæ ità inebrietur & perfundatur ut ei accidat quod ebriis, qui vomunt, cadúntque in vomitum.

27. *Simulac ejus mentionem facis, commoveris*] Exsultas, ejus calamitatis lætitiâ.

34. *Vitulam trimam*] Lascivam.

CLARIUS.

1. A*D Moab*] Moabitas pluribus scommatis insectatur. Apud Esaiam pleraque ut hîc ferè iisdem verbis dicuntur: nam Propheta Esaias ostendit quomodo ab Assyriis, hic docet quomodo à Babyloniis sint depopulandi. Fuit autem populus Moabiticus præ cæteris Regnis superbus & magnificus, & ridebat quando cæteris nationibus calamitates à Deo immittebantur: ideo Dominus denunciat ei per totum istud caput interitum & eliminationem.

4. *Contrita est Moab*] Capitur hîc *Moab* non pro gente sed pro civitate, quam putant Ariopolim fuisse.

5. *Per ascensum enim Luith*] Et ipsa, inquit, in itinere habet *ascensum in fletu* ad Assyrios: & dum *audiunt ea ii qui habitabant Horoniam, fugerunt & liberaverunt animas.*

6. *Quasi myricæ*] Quæ scilicet præ siti arescunt.

10. *Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter*] *Opus Domini* erat eliminare & devastare Moabitas: & qui hoc negotium negligenter agebant, maledicebantur.

11. *Requievit in fecibus suis*] Sumpta est Metaphora à Vino. Nunquam, inquit, fuit Moab ejectus suis sedibus, ideo præditus fuit multâ opulentiâ, sicut vinum gustum nativum retinet quamdiu cum fæcibus manet.

13. *A Bethel*] Ubi scilicet coluerunt idola.

18. *Sede in siti*] i. In captivitate, ubi sitim, famem & omnium bonorum defectum sustinebis.

19. *Habitatio Aroer*] h. e. Omnes accolæ fluminis Arnon qui ad urbem Aroer pertinent, Deut. 2.

16. *Inebriate eum*]. Abutitur, inquit, proventibus terræ: ergò inebriate eum poculo iræ meæ, ità ut prolapsus corpore suo terram veluti complodat conspersam vomitione. Ubi autem nos vertimus *volutatus est*, transtulimus sensum. Heb. *Et complosit Moab.*

27. *In derisum tibi Israel*] *Tibi* ô Moab, *Israel fuit in derisum.*

30. *Eò quòd non sit juxta eam*] Scilicet *jactantiam. Vires ejus*, inquit, *non respondent jactantiæ ejus. Nec juxta quod poterat*, sed plusquam poterat, *conata est facere.*

31. *Submissâ voce loquetur*] Heb. *meditabitur*, h. e. mussitabit, ut ejulantes faciunt.

32. *Planctu Jazer*] Movebit, inquit, me amarus *planctus Jazer*, quòd etiam *propter te flebo*, cùm eadem afflictio tibi ventura sit quæ Jazer accidit. Nam *vitis tua*, h. e. populus tuus, *transmigrabit*, &c.

33. *De Carmelo*] h. e. De locis pascuis.

34. *Vitulam trimam*] Comparatur Moab *vitulæ triennali* ob voluptuosam vitam in qua vixerat.

45. *In umbra Hesebon*] Præsidio civitatis Hesebon satis fidebant: at indè excitata ira Regis & civitatem exussit & perdidit ipsos etiam Principes. ¶ *Sion*] Non est illa civitas David: nam diversis literis in Hebræo scribitur.

47. *Convertam captivitatem Moab*] Habet promissionem & Moab, quia ex Ruth Christus descendit. Hic locus notabilis est super Vocatione Gentium, quia Moab impius in extremis diebus revertetur.

LUCAS BRUG.

34 *" A [* *Et* o. " *Et* o.] *Segor usque ad* [*ab* o.] *Oronaim* [*Oronembrim* o.] *vitulam conternantem* [*vitulâ consternante* Brug, *vitulâ consternam te* Busl.] Sic legunt duo Parisiensium & novem nostri codices. Porrò antiqua Epanorthotæ exemplaria sexto casu habent *vitulâ conternante:* quibus

bus Lobienſis Abbatiæ manuſcriptum conſonat. Aureus D. Donatiani Brugenſis codex ſexto etiam caſu ſcribit. Leodienſe antigraphum ad eum modum habuiſſe videtur: Buſlidianum hunc refert. Ex Hebræo verti poteſt & quartus caſus & ſextus: cæterùm hunc potiùs quàm illum vertendum eſſe, etſi illum nonnulli hodie vertant, docet Iſaiæ cap. 15. v. 5. quo ſimilis legitur adversùs Moab Prophetia, & diſertè, non Oronaim, ſed Segor, *vitula conternans* ſeu *triennis* nominatur, his verbis, *Veſtes ejus uſque ad Segor vitulam conternantem.* Itaque legendum videtur, *A Segor uſque ad Oronaim vitulà conternante:* pro quo Neotericorum quidam, primo caſu, *A Segor uſque ad Horonaim vitula triennis.*

Multi codices & hoc Jeremiæ & illo Iſaiæ loco, cum Nicolao Lyrano, *conſternantem* habent, ſine dubio perperàm. Non pauci, cùm noſtri tum Hentenii & aliorum, *conternantem* utroque legunt loco: id quod Ordinariæ Gloſſæ Autor, Dominicani, Epanorthotes, Pariſienſes, atque alii, utrobique probavere: quanquam Epanorthotes *conternante* poſteriori loco ſcribat. Hebraicam vocem שלשיה, à שלש quod eſt *tres* dictam (utroque enim loco hæc eadem legitur) Græci olim Interpretes τριετῆ (tametſi poſteriori loco ſervarint σαλισία [σελισία R.]) Latini hodie *trimam* ſeu *triennem* transferunt. Noſter, D. Hieronymus, in eundem ſenſum *conternantem* vertit, quaſi tertium annum agentem: quod ſuis in Iſaiam commentariis, quinti pariter & ſexti libri, teſtatum fecit. Quinto autem libro hunc Jeremiæ locum cum illo Iſaiæ jungit hoc pacto, *Veſtes ejus uſque ad Segor vitulam conternantem. Et Jeremias, A Segor,* inquit, *uſque ad Oronaim vitulam conternantem.* Unde id colligo, cum non *vitulam conternantem* in Jeremia à ſe verſum legiſſe, quamvis ità ſit ſcriptum; ſed auferendi caſu, *vitulà conternante.* Nam alioqui non erat hic locus cum illo Iſaiæ, ut par, componendus, qui, quod ille Iſaiæ tribuit Segor, ipſe Oronaim adſcriberet: niſi poſſit etiam quarto caſu lectum, *vitulam conternantem*, ad *Segor* referri, id quod mihi commodè fieri non poſſe videtur.

DRUSIUS.

1. הַמִּשְׂגָּב. Μασιγὰϐ, ὀχύρωμα, ἡ κραταίωμα] Vulgò perperàm Μασγάθ· ejus interpretamentum ὀχύρωμα, &c. ¶ נִלְכָּדָה. καὶ ἐτιάθη *& victa eſt.*

2. חָשְׁבוּ. ἐλογίσαντο *cogitaverunt.* ¶ לְכוּ וְנַכְרִיתֶנָּה. δεῦτε, καὶ ἐκκόψωμεν αὐτὴν, *venite, & excidamus eam.*

9. צִיץ. Aq. ἄνθος *florem.* Sym. βλάστημα *germen*] Jeſ. 27.6. יָצִיץ, LXX βλαστήσει Hieron. *florebit.* Hieron. h. l. *Date florem*; alii *alam* ſive *alas.*

12. וְצֵעֻהוּ וְכֵלָיו יָרִיקוּ. Sym. καὶ σειρώσουσιν αὐτὸν, καὶ τὰ σκεύη αὐτοῦ ἐκκενώσουσι· quod redditum in ed. Rom. *& exhaurient eum, & vaſa ejus evacuabunt.* ¶ וְנִבְלֵיהֶם. A. τὰ κέρατα αὐτῶν *cornua eorum*] Hic libri editionis LXX variant: nam in aliis τὰ κέρατα αὐτοῦ συγκόψουσι *cornua ejus concident*, & in aliis τὰ κεράσματα αὐτοῦ συντρίψουσι *pocula ejus conterent.* Origenes, τὰ κεράσματα ὡς ἐπ' οἴνῳ ῥηθέντα, Ἀκύλας ἐξέδωκε κέρατα· ὅπερ ἀρχαῖον ποτηρίου ἐτύγχανεν εἶδος. κέρασι γὰρ ἔπινον· ὅθεν καὶ τὸ κεράσαι λέγειν παραμένει, *Ceraſmata tanquam in vino dicta, Aquila edidit* CERATA, i. cornua, *quod antiquum poculi genus erat. Nam cornibus bibebant, unde manſit conſuetudo dicendi* κεράσαι, *quaſi ſcilicet* è cornu miſcere.

31. אֶל־אַנְשֵׁי קִיר־חֶרֶשׂ. *Ad viros Cir Heres*, quod in C. Κεὶρ Ἀρὲς vel Ἀρές. Et eſt nomen loci. Syrus, κεφαλαὶ αὐτῶν κεκαρμέναι, καὶ οἱ πώγωνες αὐτῶν ἐξυρημένοι, *capita eorum raſa, & barba eorum raſa.* Non eſt interpretatio, ſed explicatio illius, *ad viros Cir Hares.*

32. שִׂבְמָה. Σαβαμὰ, vel Σεβαμά.

33. לֹא־יִדְרֹךְ הֵידָד הֵידָד. Syrus, οὐκ ἔτι οἱ ληνοβατοῦντες κελεύσουσι, λέγοντες, Ἰὰ, ἰὰ, *Non ampliùs calcantes torcular inclamabunt, dicentes, Eja, eja*] Pro his poſtremis dictionibus in LXX eſt Αἰδὲ, & in quibuſdam libris Αἰδὲδ, i. הידד, quod nunc legunt Ἡδὰδ, & eſt vox merè Ebraica, quam Hieronymus *celeuma* reddere ſolet.

34. עַד־אֶלְעָלֵה עַד־יַהַץ. ἕως Ἐλεαλὴ καὶ ἕως Ἰασσὰ, *uſque Eleale & uſque Jaſſa.* ¶ עֶגְלַת שְׁלִשִׁיָּה. *Vitulam triennem.* In ed. Complet. Ἐγγελὰ Σελισία, i. עגלה. Alibi, καὶ Ἀγγελίαν Σαλασία, quæ ſunt ad Græcam conſuetudinem deflexa. Cave hic ἀγγελίαν accipias ut ſuprà, pro *nuncio.* שלשיה A. *triennalem* interpretatur. Ex libro Locorum.

GROTIUS.

1. AD *Moab hæc dicit Dominus exercituum*] Prophetiam de vaſtatione Moabitidos, quæ per Salmanaſſarem evênit, habemus Eſaiæ xv. & xvi. Hîc non dubito quin de ea agatur, quæ per Nabuzardanem facta eſt, de qua & Ezechiel agit xxv. 9. Hi ſunt inter Syros illos; aut Phœnices, quos à Nabuchodonoſoro ſubactos narrat Beroſus. Eveniſſe hoc excidium & Moabitis & Ammonitis ait Joſephus quinto anno poſt exciſa Hieroſolyma.

Væ ſuper Nabo] Vide Numer. XXXIII. 47. Eſaiæ xv. 2. Ἰνάφα Ptolomæo.

Capta eſt Cariathaim] Joſuæ XIII. 19. Urbs ex duabus urbibus conſtans, ut vocabulum oſtendit; fortè eadem quæ *Kirchereſeth* Eſaiæ XVI. 7. *Chariatha* Ptolemæo.

2. *Contra Eſebon cogitaverunt malum*] Chaldæi nimirum, dicentes ea quæ ſequuntur. De Eſebone vide Eſaiam xv. 4. xvi. 8. Ἐσβοὺς Ptolemæo. Hinc *Esbonitæ Arabes* apud Plinium, ut alibi diximus.

Ergò ſilens conticeſces] *Madmen, ſilebis.* Alluſio ad nomen מדמן à דמם, quod eſt *ſilere.* Mutire non audebis. Madmen *Madiama* Ptolemæo, *Medaba* Joſepho XIII. 17. ubi fortè ſcriptum fuit Μηδαμά [*Medama*]: nam β & μ valde ſimiles in manuſcriptis.

Sequeturque te gladius] *Inſequetur.*

3. *Vox clamoris de Oronaim*] Eſaiæ xv. 5. ubi diximus hanc eſſe *Avaram* Ptolemæi.

5. *Per aſcenſum enim Luith*] Repetit ipſa Eſaiæ verba in re ſimili xv. 5 ubi hanc Ptolemæo *Luſam* eſſe notavimus.

6. *Et eritis quaſi myricæ in deſerto*] *Eſtote:* id eſt, vivite in deſertis atque inviis locis, ut myricæ faciunt, aut juniperi: *Ne fidete muris*, ut ſequitur. De voce ערער [*myrica*] vide ſuprà. Chaldæus pro proprio nomine hîc accipit quòd ipſum infrà habemus 19.

7. *Tu quoque capieris*] Nempe Ar Moab urbs Moabitarum munitiſſima. Ἄρη βασιλέων [*Are Regum*] Ptolemæo. Vide dictum Ezechielis locum.

Ibit Chamos in tranſmigrationem] Nam captis populis & dii capiuntur, ut diximus ſuprà XLIII. 12. *Chamos* deus Moabitarum Numer. XXI. 29. Judicum XI. 24.

8. *Peribunt valles*] Id eſt, *qui habitant in valle*, ut hîc habet Chaldæus.

9. *Date florem Moab, quia florens egredietur*] *Date alam Moabo, ut volando avolet.* ציץ pro *ala* Chaldaicum eſt, ut videre eſt in Chaldæo interprete Pſalmo CXXXIX. 9. Senſus eſt: *niſi alas habeat non poterit evadere.* Sic Cophen interrogabat, *An Alexander volare poſſet.*

10. *Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter*] Id eſt, ἀμελῶς, ut hîc Græci, *negligenter.* Verba ſunt Dei Chaldæos cohortantis, ut à ſe miſſos.

11. *Fertilis fuit Moab ab adoleſcentia ſua*] In Hebræo *Tranquillus fuit.* Græci ἀνεπαύσατο [*requievit*]. Chaldæus *opulenti fuêre. Ab adoleſcentia ſua:* id eſt, jampridem, à temporibus ſcilicet Salmanaſſari.

Et requievit in fæcibus ſuis, nec transfuſus eſt de vaſe in vas] Comparatio egregia à vino deſumta.

Et in tranſmigrationem non abiit] Illud *&* hîc valet *id eſt.* Verba enim hæc allegoriam interpretantur.

Iccirco manſit guſtus ejus in eo, & odor ejus non eſt immutatus] Redit ad ſimile, id eſt, ad vinum. Nam vina non transfuſa vim nativam conſtantiùs retinent. Ità & Moabitæ ſuum faſtum, Eſaiæ XVI. 6.

12. *Mittam ei ordinatores, & ſtratores laguncularum, & ſternent eum, & vaſa ejus exhaurient, & lagunculas eorum collident*] In Hebræo: *Mittam ei transfuſores, qui eum transfundant, & dolia inaniant, & lagenas confringant.* Perſtat in cœpta ſimilitudine. *Transfuſores* ſunt Chaldæi; *dolia* urbes; *lagenæ fractæ*, homines interfecti.

13. *Et confundetur Moab à Chamos*] Id eſt, videbunt inanem fuiſſe ſuam fiduciam, ut ſequitur.

Sicut confuſa eſt domus Iſraël à Bethel] A vitulo aureo.

15. *Vaſtata eſt Moab*] *Vaſtatus eſt* in Hebræo. De populo enim agitur.

Et civitates illius aſcenderunt] *Aſcendent:* nempe in fumum, igne incenſæ. Eſt hîc in Hebræo conſtructio verbi ſingularis cum nomine plurali, ut ſæpe in collectivis.

Et electi juvenes ejus deſcenderunt in occiſionem] Id eſt, cadent occiſi. Eſt ἀντίθεσις [*oppoſitio*]: *urbes aſcendent, juvenes deſcendent.*

17. *Conſolamini eam omnes qui eſtis in circuitu ejus*] *Condolete ei* in Hebræo, ut & Jobi II. 11. Græci codices meliores κινήσατε αὐτῷ [*movete ei*], id eſt, *capita ejus causâ movete*, quod ſignum condolentis. Jobi XLII. 11.

Et univerſi qui ſcitis nomen ejus, dicite, Quomodo confracta eſt virga fortitudinis, baculus glorioſus?] Græci codices me-

meliores eodem sensu πάντες εἰδότες [*omnes qui scitis*], non ἔκδοτε [*dedite*]. Nec aliter Chaldæus. Priùs Propheta ad dolorem testandum invitat vicinos, deinde & longiùs positos, ad quos fama Moabitarum pervenisset. Vocat autem populum Moabitarum *baculum* & *virgam*, quòd *molestus* ac terribilis fuisset *aliis populis*, ut hic explicat Chaldæus.

18. *Et sede in siti*] In locis aridis & desertis, ut suprà IV. 6.

Habitatio filiæ Dibon] *Vos qui Dibonæ habitatis:* Esaiæ XV. 2. Josuæ XIII. 17. Hæc est Δήβα [*Deva*] Ptolemæo. Nam ב per β sæpe vertitur.

19. *In via sta, & prospice habitatio Aroer*] Urbs Ammonitarum, non longè à Moabitide. Vide Deuteron. II. 36. III. 12. Interroga quid acciderit, & indè disce quæ & te sors maneat. Idem sensus in commate sequenti.

20. *Confusus est Moab, quia victus est*] Spem perdidit, ob tantam cladem. Hoc enim est הביש [*confundi*]. Hæc erunt verba fugientium è clade ad Ammonitas. Simile Esaiæ XVI. 2.

21. *Et judicium pervenit ad terram campestrem super Elon*] Ultio divina. *Helon*, Chaldæus. Χαιλὼν [*Chalon*], Græci. Ptolemæo Ἀλαβάνα [*Alabana*], ו literâ in β versâ, ut sæpe. Elon & quæ sequuntur sunt in illa *terra campestri*.

Et super Jasa] Ptolemæo Ἰάδυ [*Jadu*], literâ Σ mutatâ in Δ, quod frequens illis gentibus.

Et super Mephath] Est hæc urbs non longè ab Esbunte & Dibone & Cariathaim, Josuæ XIII. 18. XXI. 37. Μαίφα [*Mapha*] *metropolis* Ptolemæo.

22. *Et super Dibon*] Suprà 18.

Et super Nabo] Vide suprà 1.

Et super domum Deblathaim] *Domus* pro *urbe* sumi solet, ut in hac ipsa Moabitide Βαθαὶς [*Bathais*] Ptolemæo est בית עין [*Baith-ain*] *Domus Fontis.* Est apud Nabuntem, ut apparet Num. XXXIII. 46. Hæc est Δίλα [*Dela*] Ptolemæo, omisso ב & additamento finali.

23. *Et super Cariathaim*] Suprà 1.

Et super Bethgamul] *Urbem camelorum*, quæ Ptolemæo transpositis literis Μάκαλα [*Maccala*] pro Κάμαλα [*Camala*]. Simile nomen *Gaugamela* גו גמל, vicus ubi postremò victus est ab Alexandro Darius.

Et super Bethmaon] Quæ בית [*Baith*] per excellentiam Esaiæ XV. 2. ubi à nobis dicta vide. Ptolemæo Βάβανα [*Babana*], omisso ת, & מ mutato in ב, ob sonum vicinum.

24. *Et super Carioth*] Nominatur hæc urbs Amos II. 2. Γοιράθα [*Goiratha*] Ptolemæo.

Et super Bosra] Non illam urbem Idumææ, sed aliam Moabitidis, quæ בצר Josuæ XXI. 36. Βοσὸρ [*Bosor*] 1 Maccabæor. V. 36.

25. *Abscissum est cornu Moab*] *Abscindetur.* קרן nomen est urbis, Κάρνα [*Carna* id est *cornu*] apud Ptolemæum: sed simul alludendo ad nomen, significatur ablata illis omnis vis aut nocendi aliis, aut se defendendi. Vide 1 Samuel. II. 1.

Et brachium ejus contritum est, ait Dominus] Est & hoc nomen urbis, quæ Ζόαρα [*Zoara* id est *brachium*] Ptolemæo. Sed simul egregia allusio, ut suprà.

26. *Inebriate eum, quoniam contra Dominum erectus est*] Vos Chaldæi plenum ei date poculum iræ divinæ, ità ut nesciat quò se vertat, ut suprà XXV. 17.

Et allidet manum Moab in vomitu suo] Ut simul & vomat, & cadens se sauciet. Perstat in cœpta comparatione.

Et erit in derisum etiam ipse] Et sic ab aliis rideatur.

27. *Fuit enim in derisum tibi Israel*] Populus Decem tribuum cùm abduceretur in captivitatem, & quidam ex tribu Juda. Æquum est ut & tu ridearis.

Quasi inter fures reperisset eum] Proverbiale. Vide suprà II. 26. & ibi dicta.

Propter verba ergò tua quæ adversùs illum locutus es, captivus ducêris] *Propter multa verba quæ contra illum* (populum Israeliticum) *locutus es, transmigrabis.* Ità Chaldæus, bene ad Hebræum.

28. *Relinquite civitates, & habitate in petra, habitatores Moab*] Nè fidite urbibus, sed in loca sola & inaccessa, quales sunt rupes, vos recipite. Idem sensus qui suprà 6.

Et estote quasi columba nidificans in summo ore foraminis] Quæ scilicet præ metu insidiantium nidum sibi quærit in aliquo latere scissæ rupis. At Chaldæus intelligit de columba de turre sua descendente ut se in fovea aliqua occultet. Prior sensus magis congruit antecedentibus.

29. *Audivimus superbiam Moab, superbus est valde*] Repetit verba quæ Esaias in simili tempore dixerat.

Sublimitatem ejus & arrogantiam, & superbiam, & altitudinem cordis ejus] Aliquid addit ad verba Esaiæ, ut ostendat non modò non correctos, sed etiam in pejus profecisse Moabitas. Sic etiam facit in sequentibus, ut & culpam & pœnam ostendat majorem.

30. *Ego scio, ait Dominus, jactantiam ejus, & quòd non sit juxta eam virtus ejus, nec juxta quod poterat conata sit facere*] Id est, plus voluit quàm potuit. Sensus idem qui apud Esaiam XVI. 6. sed auctus. Pro בדיו [*nugas ejus*] legit hîc Interpres post Græcos בידו, *quod in manu ejus erat*, quod poterat. Chaldæo בדיו sunt *Principes eorum.*

31. *Ideo super Moab ejulabo, & ad Moab universam clamabo*] Idem sensus qui Esaiæ XVI. 11. Dicit se quoque ipsum nihil Moabitis debentem, tamen tantis ipsorum calamitatibus nonnihil commoveri.

Ad viros muri fictilis lamentantis] *Ob lamenta eorum qui habitarunt in Kircharesch*, vel *Kircharesseth*, quod *murum fictilem* transfert Latinus, cùm potiùs sit *Urbs Solis.* Vide etiam XVI. 7. & 11. & ibi à nobis dicta. Græci hîc retinuerunt Hebræam vocem Κεὶρ ἀρεσὲθ [*Kir Haresseth*]. Quare Esaiæ XVI. 7. vocem mutilatam repone, Κεὶρ ἀρεσὲθ. & 11. pro ἐνεκαίνισας scribe Κεὶρ ἀρὰς [*Kir Haras*].

32. *De planctu Jazer plorabo tibi vinea Sabama*] Jazor Ἰδάρα [*Idara*] Ptolemæo, ז in ד verso, quod Chaldæis frequens est; non longè ab Esbunte, Josuæ XXI. 39. Hinc non longè Sabama, Σαβὴ [*Sabe*] Ptolemæo, vinetum optimum. Junguntur hæc simul & apud Esaiam XVI. 9. de quo hîc locus cum augmento depromtus est, ut diximus.

Propagines tuæ transierunt mare] Et hoc ex Esaia XVI. 8. Alludens ad vineam, per *propagines* sive *plantas* habitatores intelligit, quorum quidam *trans mare*, Cyprum putà, missi, quæ insula primùm Assyriis, deinde Babyloniis, ac postremùm Persis paruit. Vide nostra ad tertium librum de Veritate Religionis Christianæ.

Usque ad mare Jazer pervenerunt] Ἔλλειψις [*defectus in loquendo*] pro *homines Jazer*, qualem & alibi sæpe notavimus.

Super messem tuam, & super vindemiam tuam prædo irruit] Nabuzardan.

33. *De Carmelo*] *De locis cultis.* Communiter enim hîc & alibi sæpe, non propriè, sumitur.

Et vinum de torcularibus sustuli] Deus pergit loqui, ut suprà 30. Cætera à Propheta velut per παρένθεσιν [*parenthesim*] interjecta.

Nequaquam calcator uvæ solitum celeusma cantabit] Et hoc ex Esaia XVI. 10. Vide & suprà XXV. 30.

34. *De clamore Esebon usque Eleale & Jasa*] Supple, *pervenit sonus*, ut ex sequentibus intelligitur: id est, à fine uno ad alterum. Similis locutio Esaiæ XV. 4. *Esbunta* habuimus jam suprà 2. & *Jasa* 21. *Eleale* habemus & Esaiæ XV. 4. XVI. 9. Videtur אל esse articulus Arabicus, nomen autem עלה [*Ala*] Ὕελα [*Hyela*] Ptolemæo.

A Segor usque ad Oronaim] *Segor* habemus & Esaiæ XV. 5. Est id ipsum oppidum quò Loth se receperat, pereuntibus Sodomis. *Oronaim* suprà ibidem, & suprà 3.

Vitula consternante] *Tanquam vitula trima.* Et hoc ex Esaia XV. 5. In re pari paria verba.

Aquæ quoque Nemrim pessimæ erunt] *Desertæ erunt.* Per *aquas* pascua adsita intellige, ut diximus ad huic consanguineum Esaiæ locum XV. 6.

35. *Et auferam de Moab, ait Dominus, offerentem in excelsis*] Quia aliter auferre non potui, vel sic auferam. *Offerentem* illud, intellige ὁλοκαυτοῦντα [*holocausta facientem*]. id poscit vox Hebræa. Vide II Regum III. 27.

36. *Cor meum ad Moab quasi tibiæ resonabit*] *Ut cor*, id est, intimum *tibiæ perstrepit sono: ità cor meum* (ait Propheta) commovetur cùm tanta mala imaginor. Vide suprà 31.

Ad viros muri fictilis] *Ad viros Kir-cheres*, suprà 31.

Quia plus fecit quàm potuit, icciréo perierunt] Meliùs: *nam & qui reliqui erunt facti, peribunt.* Nam יתרה [*reliquiæ*] hoc sensu sumitur etiam apud Esaiam XV. 7. qui occisi ab hoste non fuerint, fame ac morbis peribunt.

37. *Omne enim caput calvitium*] Id est, *depilabitur*, more gentis, ut suprà XLVII. 5. Cicero Tusculanarum III. *Stultissimum in luctu capillum sibi evellere, quasi calvitio mæror levaretur.* Est & hic locus ex Esaia XV. 2.

Et omnis barba rasa erit] Vide quæ dicta ad eundem Esaiæ locum.

In cunctis manibus colligatio] In Hebræo, *incisio.* *Manus* sume pro *brachiis*, ut suprà XXXVIII. 12. refer autem ad morem de quo suprà XLVII. 5.

38. *Sicut vas inutile*] *Vas displicens*, id est, quisquiliæ, ut suprà XXII. 28.

39. *Quo*

39. *Quomodo victa est*] *Quomodo consternata est*, nempe civitas Kir-cheresch, de qua sermo præcessit.

Et ululaverunt] *Ità ut ularent*, nempe cives ejus.

Quomodo dejecit cervicem Moab] *Vertit cervicem* : id est, tergum obvertit, ut solent qui faciem ostendere non audent.

Et in exemplum omnibus in circuitu suo] *Terrori facta est*, omnibus paria sibi metuentibus.

40. *Ecce quasi aquila volabit*] Nabuzardan.

Et extendet alas suas ad Moab] Ut aquila in minutas aves involat. Est autem lusus in voce. Nam *alæ* dicuntur etiam militares prætenturæ.

41. *Capta est Carioth*] *Capietur subitò Carioth*, de qua suprà 24.

Sicut cor mulieris parturientis]. *Gravem habentis partum*, δυστοκοῦς.

42. *Et cessabit Moab esse populus*] Occidione & dispersione, quomodo civitates intereunt. Vide quæ diximus lib. II. de Jure Belli ac Pacis, cap. IX. § 3. 4. 5. 6.

43. *Pavor, & fovea, & laqueus*] Ex Esaia XXIV. 17.

45. *In umbra Hesebon steterunt de laqueo fugientes*] Meliùs, *In umbra Hesebon steterunt: ideo à vi fugient.* Confisi sunt apud Esbuntem sisti hostes posse, sed falsò.

Quia ignis egressus est de Hesebon, & flamma de medio Sehon] Sensus est, novo eventu comprobatum vetus proverbium, quod est Num. XXI. 28. hoste scilicet indè effuso in cæteros Moabitas ad eorum perniciem. Sehon vetus Rex fuit tractûs ejus, ut ex libro Numerorum & alibi discimus: *Sehon* autem hìc dicitur pro *urbe Sehonis*, quæ est ipsa Esbus, sive Hesebon.

Et devoravit partem Moab] *Angulum Moab* in Hebræo, id est, *Moabitidem ad angulum*, id est, finem ultimum. At Chaldæus legit פאתי, & explicat *Principes*: quomodo idem nomen & de iisdem Moabitis explicatur tum ab aliis, tum à Latino interprete Numerorum XXIV. 17.

Et verticem filiorum tumultûs] *Turbæ*, id est, *nobilissimos populi*, ut hìc accepit Chaldæus.

46. *Væ tibi, Moab; periisti, popule Chamos*] Et hoc ex Numeris XXI. 29.

47. *Et convertam*] *Attamen reverti faciam.*

Captivitatem Moab] Id est, captivos.

In novissimis diebus] Id est, tandem. Moabitas restitutos in patriam testis est locuples Josephus XIII. 17. 21. & alibi.

Hucusque judicia Moab] Id est, *ad id usque tempus durabit vindicta Dei in Moabitas.* Ità hìc Chaldæus bene.

CAP. XLIX.

MUNSTERUS.

2. SUper Rabba] Hæc fuit metropolis filiorum Ammon quam Philadelphiam esse putant. Peccaverunt autem Ammonitæ in hoc quòd supra modum avari occupaverunt hereditatem Israel in Gad & Gilead, perinde quasi *Israel non haberet filios* qui terram illam incolerent. ¶ *Filiæ ejus comburentur igne*] Intelliguntur per *filias* minora loca, h. e. כפרים *villæ*.

3. *Discurrite per sepes*] Hoc dicitur quòd villæ sepibus, & non muris, ut civitates, cinguntur.

4. *Quid gloriaris in vallibus*] Per *valles* intellige terram planam aptam frumento ferendo.

5. *Ante faciem suam*] h. e. Unusquisque fugiet quò sibi commodum visum fuerit: vel, fugiet ad incertum locum, quocunque sors illum tulerit.

7. *Sapientia in Theman*] q. d. *Nihil proderit eis sapientia eorum cum advenerit tempus visitationis eorum.* Significatur autem hic per THEMAN *Meridies*, ut quidam dicunt. Alii accipiunt per ipsum filium Eliphaz filii Esau. ¶ *Periit consilium ab intelligentibus*] Kimhi sic interpretatur ut sit בנים participium à verbo בן.

8. *Fugite*] *Fugite*, inquit, *habitatores Dedan*, quia conversi sunt hostes vestri ut incolant terram vestram vobis expulsis. Alii sic legunt, *Fugite, terga vertite, in valles vos demergite, ô habitatores Dedan.*

12. *Quorum judicium non est*, &c.] Sensus est, Si Deus populo suo non pepercit quin illis calicem passionis ebibendum porrexerit, quid de te inimico futurum est? Aut refertur ad alias gentes quæ ante Ædom interierunt, quibus peccata quæ in populum Dei commiserunt non sic imputanda videbantur sicut tibi, quòd tu frater esses, & pro viribus Israeli subsidio esse debuisses. *Igitur Bozra* metropolis tua *unà cum aliis civitatibus tuis in solitudinem redigetur.*

16. *Terror tuus*] Quo scilicet terribilis fuisti vicinis populis.

19. *De tumore Jordanis*] h. e. *Hostis advenit fremens sicut leo, & inundans sicut Jordanis plenus.* Vel, *Hostis veniet de magnifica terra Jordanis contra montem Seir*, qui hic significatur per *habitaculum*, & tunc *requiem dabo* populo meo qui detentus fuit inter Ædomæos, *& faciam eum currere indè.* Et quemcunque invenero aptum ad bellum, hunc numerabo seu destinabo contra Ædom. ¶ *Quis est pastor*] Nomine *pastoris* apud Prophetas sæpe appellatur Rex, sicut hìc. *Non est*, inquit Deus, *ut Rex Ædom possit resistere ordinationi meæ.*

20. *Si non traxerint eos*] Significat סחב propriè *aliquid in terra trahere*, unde res tracta dilaceratur. Per *parvulos* verò significantur debiles, per quos Deus tam forte Regnum destruxit.

23. *Hamath*] Hanc putant esse Antiochiam.

25. *Quomodo non est derelicta*] i. Quare tam celebris civitas non est dimissa à pugnatoribus? Quis cogitasset tam gloriosam urbem bello petendam? Loquitur autem de urbe Damascena.

28. *Filios Orientis*] Quidam Hebræorum legunt hìc *filios Kedem.* Fuit enim Kædem de filiis Ismael, sicut & Kedar.

35. *Principium fortitudinis*] Hoc dicitur quòd Cyrus primus fuerit Persarum Rex, qui & ipsis Medis præfuit. Putant autem quidam ex nostris hìc per *Elam* significari Persiam. Alii per *principium* intelligunt præcipuam fortitudinem.

VATABLUS.

1. AD filios Ammon לבני עמון] *De Ammonitis*: vel *Contra Ammonitas*: q. d. Hæc Prophetia est de Ammonitis, qui cùm Gaditæ abducti fuissent in captivitatem, invaserunt patriam eorum. ¶ *Hereditate accepit* ירש] i. Quasi jure hereditario invasit & possedit.

2. *In Rabbath* אל רבת] *Contra Rabbath.* ¶ *Clamorem prælii* תרועת מלחמה] *Clangorem belli: classicum prælii: clamorem bellicum*, qualem edunt milites sub conflictum. ¶ *Et filiæ ejus* ובנותיה] i. Vicinæ urbes minores subditæ illi.

3. *Ulula* הילילי] *Ejula*: i. inter ejulandum voces querulas ede: q. d. Time tibi Hesbon: jam enim *Hai capta est*, urbs tibi vicina, & brevi tota terra Ammonitarum capietur; quâ captâ invadêris à Nabuchodonosor. ¶ *Et circuite* והתשוטטנה] *Et discurrite*, i. vagamini, aut recipite vos juxta sepes agrorum ac villarum. Hoc dicitur quòd villæ sepibus, & non muris, ut civitates, cinguntur. ¶ *Rex eorum* מלכם] sub. *Ammonitarum*: i. Rex vester. Mutatio personæ. ¶ *Abiit* ילך] Præt. Heb. pro fut.

4. *In vallibus* בעמקים] i. Propter fertilitatem tuæ patriæ: nam valles sunt fertiles, aptæ frumento ferendo. ¶ *Defluxit* זב] Sub. *sanguine occisorum.* Præt. Heb. pro fut.

5. *Adduco* מביא] Præs. Heb. pro fut. *inducturus sum. Terrorem* vocat milites terribiles & terrorem incutientes. ¶ *Ante faciem suam* לפניו] Hebraismus, & versi in fugam, fugietis singuli in regionem vobis oppositam: & non erit qui vagos vos & discurrentes huc illuc hospitio excipiat. Alii, *ante faciem suam*: h. e. quisque fugiet quò sibi commodum visum fuerit: vel, fugiet ad incertum locum quocunque sors illum tulerit. ¶ *Qui congreget* מקבץ] *Qui recolligat.*

7. *Ad Edom* לאדום] *De Idumæa*, sive *Idumæis*: vel, *Contra Idumæos.* ¶ *In Theman* בתימן] i. In Idumæa, à *Theman* filio Eliphaz nepote Esau: q. d. *Qui fit ut Idumæi pereant, sintque nunc destituti consilio virorum prudentium, qui prius tam sapientes fuerunt?* acsi dicat, Nihil profuerit eis sapientia eorum. ¶ *Corrupta est* נסרחה] *Nihil facta est: fœtuit.*

8. *Fugite, conversi sunt* נסו הפנו] Imperativum & præt. Heb. pro fut. *fugietis, convertent se*: q. d. *Vos cogemini terga dare, ô habitatores Dedan: nam hostes vestri convertent sese contra vos posteaquam simulaverint fugam.* ¶ *Callidum consilium inierunt* העמיקו] Ad verb. *profundaverunt*, sub. *consilium*: i. hàc ratione callidum, subtile & astutum ac vafrum consilium inibunt adversùm vos, *ut habitent* in terra vestra. ¶ *Contritionem*, &c. איד וגו'] *Calamitatem* [*interitum, concussionem, perditionem*] *Esau inducturus sum*, &c. *Esau* vocant Idumæam. Præt. Heb. pro fut.

9. *Venerint*, &c. באו לך וגו'] *Venissent contra te, non reliquissent racemos: si fures in nocte, vastassent quod satis fuisset illis*, i. quantum voluissent. Ad verb. *sufficientiam suam.* Gallicè *tout leur saoul.* Quidam כי pro כ accipiunt. *Cum vindemiatores venerint*, &c. *cum fures*, &c.

10. *Discooperui* חשפתי] *Nudavi.* Præt. Heb. pro fut. *Nudabo*, sive *Denudabo*, i. Detraham Idumææ omnia ornamenta

sua,

sua, & spoliabo illam. ¶ *Et non erit* ואינו] *Et nullus erit*, sub. *qui dicat moribundo, & ei qui lethale vulnus acceperit, Relinque*, &c. Hic versus sequenti jungitur.

11. *Vivificabo* אחיה] Hebraismus, nutriam, reficiam, dabo illis victum: q. d. Esto bono animo, te mortuo curam pupillorum tuorum & viduarum tuarum geram.

12. *Quorum non* erat *judicium* אשר אין משפטם] *Quorum non* est *judicium*: vel, *quibus non* convenit *judicium*: q. d. Qui non peccaverunt unde judicari sive affligi debeant, aliquando solent à me affligi: multò magis à me punieris. Quidam interpretantur, *Qui suo judicio indignum judicabant ut biberent calicem*, scilicet Judæi, *illi biberunt*: nam Judæi reputabant, quòd Dei essent populus, non esse se affligendos, sed iram Dei effundendam in gentes tantùm. ¶ *Calicem* הכוס] Sub. *iræ Dei*. Sic vocat magnam calamitatem quæ à Deo velut irato immittitur. ¶ *Immunis exsistendo, immunis eris* נקוה תנקה] *Absolvendo absolvêris?* Alii, *innoxius exsistendo, innoxius eris?* Simile habes suprà 25. 29.

13. *Juravi* נשבעתי] Præt. Heb. pro præs. ut quidam vertunt. ¶ *In solitudinem* לשמה] *In desolationem*. ¶ *In desertum* לחורב] *In solitudinem*. Alii, *in vastitatem*. ¶ *Seculi* עולם] i. Sempiternas: q. d. *desolabuntur desolatione perpetuâ*.

14. *Auditum audivi* שמועה שמעתי] Hebraismus, pro *famam ac rumorem intellexi, Domino revelante*: h. e. Revelavit mihi Dominus, fore ut Bosrah unà cum urbibus illi subditis destruatur ac desoletur.

15. *Abjectum* קטן] Ad verb. *parvum*: q. d. Decrevi te humiliare, & summâ illâ dignitate (ob quam hodie superbis) spoliare te, ô Edom.

16. *Simulacrum tuum* תפלצתך] *Terror* [vel *Metus*] *tui*, i. quem solebas aliis incutere præ nimia arrogantia. Alii, *Superstitio tua*: quòd superstitiosi semper sint timidi. Alii, *Arrogantia tua*. Chald. *Hebetudo tua*, sive *stultitia*. ¶ *In cavernis petræ* בחגוי הסלע] *In gyris* [vel *circuitu*] *rupis*, i. in vertice sive cacumine rupis, h. e. in locis inexpugnabilibus & inaccessis. ¶ *Qui apprehendis* תופשי] *Qui tenes*: vel *occupas*. Jod in fine hujus Benoni & præcedentis abundat. ¶ *Descendere faciam te* אורידך] *Dejiciam te, depellam, deturbabo*.

17. *In solitudinem* לשמה] *In desolationem*. ¶ *Et sibilabit*, &c. וישרק וגו'] i. Edet sibilum præ admiratione.

18. *Secundum subversionem Sedom* כמהפכת סדום] Hebraismus, quemadmodum evenit postquam subversa fuit Sodoma.

19. *A tumore Jarden* מגאון הירדן] i. A Jordane superbo; h. e. maximo: vel, à loco in quo Jordanis magnam vim aquarum secum trahit, h. e. à Judæa, veniet Nabuchodonosor contra domos robustas montis Seir. ¶ *Robustum* איתן] Loci *robusti*, vel *fortis*: i. ad loca munitissima. ¶ *Quiescere faciam* ארגיעה] Sub. *Israelem*. ¶ *Currere faciam eum ab illa* ארוצנו מעליה] Sing. Heb. pro plur. i. celerrimè liberabo captivos Israelitas qui sunt in Idumæa, efficiámque ut cursu celerrimo revertantur in patriam suam. ¶ *Et quis*, &c. ומי בחור] i. Et quis est ad bellum aptus, ut contra illam Idumæam constituam eum ducem & imperatorem? ¶ *Constituet*, &c. יועדני] Tempus pugnæ intelligit. Gallicè, *Qui m'assignera jour de combat?* ¶ *Castor*, &c. רועה וגו'] Hebraismus, pro, *Quisnam Rex ille fuerit qui poterit mihi resistere?*

20. *Si non traxerint*, &c. אם לא יסחבום] Hebraismus, *Dispeream* (vel *Nè posthac credatis mihi*) *nisi cadavera eorum traxerint*, sive *raptaverint per terram, ignominiæ causâ, vilissimi exercitûs Chaldæorum*. ¶ *Desolaverit*, &c. ישים וגו'] *Destruxerit* hostis *super eos tentoria eorum*.

21. *A voce casus eorum*, &c. מקול נפלם וגו'] *Præ strepitu ruinæ eorum concutietur*, vel *tremet*: i. ob strepitum qui committetur cùm ipsi concident in terra mortui, *concutietur* vel *tremet terra*, quæ ad ingentem quendam strepitum concuti solet. ¶ *Clamor*, &c. צעקה וגו'] *Clamor* exaudietur, *in Mari Suph* [i. *carectoso*] *audietur vox eorum*. Mare Suph sive Rubrum adjacet Idumææ: q. d. *in loco remoto*.

22. *Afflicta* בצרה] *Angustiata*, i. in angustiis partûs comprehensæ.

23. *Ad Dammesech* לדמשק] *De Damasco*: vel *Contra Damascum*. ¶ *Rumorem* שמועה] Ad verb. *auditum*, i. famam, nuncium. ¶ *Liquefacti sunt* נמגו] *Dissoluti sunt*, sub. *animo & viribus*. ¶ Sicut qui est *in mari*, &c. בים וגו'] Ut qui est *in mari in angore, quietum reddere* cor suum *non potest*: i. Ut qui sunt in mari, inquit, non possunt metu liberari, qui naufragium sunt facturi; sic cives Arphad & Hamath bono esse animo non possunt, audito rumore belli. Legitur & כים per Caph כ, quod *Sicut* significat: unde quidam legunt, *Sicut mare pavoris quiescere non poterit*: i. sicut mare pavendum quod quiescere non potest, sub. *sic erit Dammesec & urbes ejus*.

24. *Dissoluta est* רפתה] *Remissa est animo. Exanimata est.* ¶ *Tanquam parturientis* כיולדה] *Tanquam parturientem.*

25. *Est derelicta* עזבה] i. Non mansit intacta, nè pugnarent contra eam? quare tam celebris urbs non esset dimissa à pugnatoribus? quis cogitasset tam gloriosam urbem bello petendam? Videntur esse verba Regis Damasci. ¶ *Laudis* תהלה] i. Laudatissima & celeberrima. ¶ *Gaudii mei* משושי] i. Quæ erat mihi gaudio & lætitiæ summæ: sive, quæ mihi maximè placebat.

26. *Ideo* לכן] Quia scilicet Syri fiduciam suam habebant in hac urbe, & non in Deo. ¶ *Excidentur* ידמו] Ad verb. *conticescent, silebunt*: i. interficientur, & de medio tollentur.

28. *Filios Cedem* בני קדם] Chald. *filios Orientis*. Sors filiorum Cedem sive Cedma vergebat magis ad Orientem quam Cedar.

19. *Capient* יקחו] Verti possunt futura per imperativa. ¶ *Formidinem* מגור] i. Homines terribiles ac formidabiles milites, qui illis terrorem maximum incutiant.

30. *Elongate vos multùm* נדו מאד] Hebraismus, demigrate in regionem longinquam: migrate quam longissimè. ¶ *Callidum*, &c. העמיקו וגו'] Vide v. 8. idem verbum.

31. *Felicem* שליו] *Fortunatam*. Alii, *opulentam*: vel *prosperitate affluentem*. Alii, *pacificam*, i. in summo otio agentem. ¶ *Confidenter* לבטח] *Secura*, vel *in magna fiducia*. ¶ *Soli* בדד] *Solitarii*: q. d. Ite ad populum qui nullas ædes habet, quique in solitudinibus & desertis habitare solet, neglectis urbibus & ædibus, tanquam sibi nihil timeat. Periphrasis est Arabum Nomadum: vel, qui nullos habent milites præsidii causâ, & singuli seorsum habitant, non oppidatim, quia nihil timent.

32. *Ejectos in extremum angulum* קצוצי פאה] Ad verb. *extremificatos orbis*: vel *angulatos anguli*: i. dispergam eos in omnes partes mundi, ita ut sint habitaturi in extremis mundi regionibus. Chald. *rejectos in extremum angulum mundi*. ¶ *Lateribus ejus* עבריו] *Partibus ejus*, nempe Hasor. Quidam, *ab omnibus qui ultra eos sunt*.

34. *Super Elam* אל עילם] *Contra Elam*. Contra Persas prophetat, qui *Elamitæ* dicuntur ab *Elam* filio Sem: Josephus lib. 1. Antiq. cap. 14. Jes. 22. 6. Junguntur autem *Elamitæ* & *Medi*, ut Act. 2. 9. Docti quidam putant *Elam* non significare totam Persidem, sed illius regionis partem quandam tantùm. Meminit *arcûs*, quia Elamitæ erant optimi & exercitatissimi sagittarii.

35. *Principium fortitudinis eorum* ראשית גבורתם] *Caput roboris eorum*, i. in quo vires Regni sui in primis positas esse censent: h. e. strenuos duces eorum, balistas, currus falcatos, aut aliud ejusdem generis. Quidam existimant ideo *principium fortitudinis* dicere, quòd Cyrus primus fuerit Persarum Rex, qui & ipsis Medis præfuit.

36. *Et ventilabo* וזריתים] *Et dispergam*.

37. *Gladium* חרב] i. Homines armatos tenentes gladium.

38. *Et perdam*, &c. והאבדתי וגו'] i. Imperator ille quem mittam contra Elamitas collocabit solium suum in Elam: efficiámque ut posthac nullus futurus sit *Rex* aut *Princeps* in Elam.

39. *Erit autem*, &c. והיה וגו'] Hebraismus. *Tandem autem*: q. d. Exacto tempore à me constituto, nempe sub Christo meo, asseram eos à tyrannide Satanæ.

CASTALIO.

1. *GAditas occupaverit Melchomus*] Ammonitarum Deus.

4. *Puella perfidatis confisa facultatibus: quis me invadet?*] Quæ te à nemine invadi posse putas.

7. *Nullâne superest in Themane sapientia?*] Is fuit Esai nepos, Eliphazi filius, à quo mons Seir *Theman* appellatur.

12. *Potandi poculi insolentes*] Perferendi supplicii.

19. *Ut leo ex Jordanis fastigio*] Montibus & silvis. ¶ *Quisnam pastor est qui mihi resistat?*] Hoc dicit propter similitudinem quam paulò antè duxit à Leone.

CLARIUS.

1. *AD filios Ammon*] Prior destructa fuit terra Ammon quàm Moab vel Ægyptus: sed Propheta visione transit ab Ægypto usque ad Babylonem, quod alii Prophetæ non observant.

2. *Super Rabbath*] Hæc fuit metropolis filiorum Ammon, quam Philadelphiam esse putant. Peccaverunt autem Ammonitæ in hoc quòd supra modum avari occupaverunt hereditatem Israel in Gad & in Galaad: perinde quasi *Israel non haberet filios* qui terram illam incolerent. ¶ *Filiæ ejus igne succendentur*] Intelliguntur per *filias* minora loca, ut suburbia vel villæ.

3. *Va-*

3. *Vastata est Hai*] Duæ sunt Hai: una circa Hiericunta in terra Chanaan; alia in terra Ammon, de qua jam agit. ¶ *Circuite per sepes*] Hoc dicitur quòd villæ sepibus, & non muris, ut civitates, cinguntur. Quo Hebraismo usus est Dominus Lucæ 14. ubi ait; *Exi in vias & sepes.*

4. *Quid gloriaris in vallibus*]. Per *valles* intellige terram planam aptam frumento ferendo. ¶ *Defluxit vallis*] Quidam interpretatur, *Defluxit sanguine occisorum.*

5. *Singuli in conspectu vestro*] Vel, *unusquisque ante faciem suam:* h. e. unusquisque fugiet quomodo sibi commodum visum fuerit: vel, fugiet ad incertum locum, quocunquè sors illum tulerit.

6. *Reverti faciam*] Christi adventu, in quo erit benedictio Gentium.

7. *Ad Idumæam*] Idumæi Arabes sunt ad mare Rubrum habitantes, in Arabia Deserta, supra Moabitas. Sunt qui hos magis Orientales esse ad terram Israel putant. Tota vis Prophetiæ adimpleta nondum est: nam in Ædom excidium impiorum planissimè adumbratum est, quòd in Resurrectione ultima absolvetur. ¶ *Sapientia in Theman*] q. d. *Nihil proderit eis sapientia eorum cùm advenerit tempus visitationis eorum.* Significatur autem hîc per THEMAN Meridies, ut quidam dicunt. Alii accipiunt per ipsum filium Eliphaz filii Esau.

8. *Fugite*] Alius vertit, *Fugite, conversi sunt, & fundamenta posuerunt habitationis, ô habitatores Dedan:* ut sit sensus, *Fugite, habitatores Dedan, quia conversi sunt hostes vestri, ut incolant terram vestram vobis expulsis.*

9. *Non reliquissent racemum*] Vel rectiùs, *nónne reliquissent racemum?* ut sit sensus, Dominum funditus deleturum Idumæos. Nam *vindemiatores relinquunt* saltem *racemos, & fures rapiunt tantùm sufficientia sibi*, cætera relinquunt: in te autem nihil omnino est relinquendum.

11. *Relinque pupillos*] Ex clade, inquit, non erit superstes qui te saucium & adhuc spirantem soletur, ac dicat, *Securo animo liberos mihi tuos relinque*, &c. Alii intelligunt, Dominum polliceri relinquendos pupillos, orphanos & viduas, neque negandam clementiam imbecillibus hujuscemodi personis. Hos autem ad unum perituros Abdias testatur, *& non erunt reliquiæ domus Esau.* Idem orat David, *Memor esto, Domine, filiorum Ædom.*

12. *Ecce quibus non erat judicium*] Sensus est, Si Deus populo suo non pepercit quin illis calicem passionis ebibendum porrexerit, quid de te inimico futurum est? Aut refertur ad alias gentes quæ ante Ædom interierunt, quibus peccata quæ in populum Dei commiserunt non sic imputanda videbantur sicut tibi, quòd tu frater esses, & pro viribus Israeli subsidio esse debuisses. *Igitur Bozra* metropolis tua *unà cum aliis civitatibus tuis in solitudinem redigetur.*

19. *De superbia Jordanis*] *Hostis*, inquit, *adveniet fremens sicut Leo, & inundans sicut Jordanis plenus.* Vel, *Hostis veniet de magnifica terra Jordanis contra montem Seir*, qui hîc significatur per *domum robustam.* Et tunc *requiem dabo* populo meo ibi detento, *& indè currere eum faciam.* ¶ *Et quis erit electus*] Quemcunque invenero aptum ad bellum, hunc numerabo seu destinabo contra Ædom. ¶ *Iste pastor*] Rex Idumæus. Nomine enim *pastoris* apud Prophetas sæpe appellatur Rex, & apud Poetas ethnicos, præsertim Homerum, ut illud, ποιμένα λαῶν, h. e. *pastorem populorum*, Regem scilicet.

20. *Parvuli gregis*] Significantur debiles, per quos Deus tam forte Regnum destruxit. Quidam Regem Persarum intelligunt, qui de Japheth minimo natu originem duxerit. Alii de Israele, minore natu quàm Esau.

21. *In mari Rubro*] Meminit *maris Rubri*, quod ex opposito est montis Seir, ut longum intervallum intelligas.

23. *Ad Damascum*] De hoc Amos, & Esaias 10. 9. Civitates ejus *Hemath*, quam putant esse Antiochiam, & *Arphad.* ¶ *Turbati sunt in mari*] h. e. *Sicut qui est in mari:* ità alius vertit.

25. *Quomodo non dereliquerunt*]. Quare, inquit, tam celebris civitas non est dimissa à pugnatoribus? Quis cogitasset tam gloriosam urbem bello petendam? Intelligit autem Damascum.

28. *Ad Cedar*] Regio dicta à *Cedar*, qui unus ex 12 Princip. Ismaelis fuit. Similiter & *Cedem* oriundus est ex Ismaele. Inhabitaverunt Arabiam Desertam & Scenitarum regionem. De his & Esaias. ¶ *Filios orientis*] Quidam Hebræorum legunt hîc *filios Cedem*, qui fuit de filiis Ismael, sicut & *Cedar.*

29. *Tabernacula eorum*] Gloria enim eorum erat in *tabernaculis, gregibus, pellibus & camelis.*

34. *Adversùs Ælam*] *Ælamitæ*, ab Ælam filio Sem, Persæ sunt juxta Josephum. Ii se junxerant Chaldæis & Nabuchodonosor, cùm principiò devastarent Judæam, & Joacim abducerent. Crudeliores erant tunc cæteris. Judæi putant impletam tunc Prophetiam cùm Vasthi destitueretur Regno; & Aman cum filiis periret propter Hester & Mardochæum. Verùm Historiæ ostendunt primum Persarum Regem fuisse Cyrum; qui & Medis præerat, cœpitque *Rex Persarum* dici. Unde & primi pereunt: deinde enim & Babylonem sibi subjecit, victo Balthasare Rege.

38. *Solium meum*] Imperium Cyri rectè vocatur *solium Domini*; qui eum fortunabat & excitabat.

39. *Reverti faciam*] Nimirum per Christum.

DRUSIUS.

1. אם־יורש אין לו. Sym. ἢ κληρονόμος οὐκ ἔστιν αὐτῷ, *& heres non est ei.*

3. בגדרות. Aq. *in sepibus.* Sym. *in coloniis*] Hunc locum in mente habuit (videtur certè) Eusebius cùm ità scriberet, GABARTH, *pro quo Aquila interpretatur* in sepibus, Sym. *verò* in coloniis. Legendum ergò *Gadarib*, vel *Gaderoth*, ut in Glossis veteribus, ubi vulgò; GABATH, *sepes, vel coloniæ:* aut, *in sepibus, sive in coloniis.* Quod tamen arbitrarium esse volo, nolo ut sit certum. † *In sepibus*, ἐν φραγμοῖς. Hier. *per sepes.* ¶ מלכם. *Rex eorum*] Apud Theodoretum Μελχὸμ, quod ait esse *idolum filiorum Ammon*, i. מלכם.

4. בעמקים. Alibi est ἐν πεδίοις, & alibi ἐν Ἐμακεὶμ, i. *in vallibus.* Vox merè Ebraica. Mihi non dubium quin sint duæ interpretationes diversæ.

14. ציר. Sym. ἀγγελίαν] Scholion ex Cyrillo, Περιοχὴν; *dixit quos Jeremias* Angelos, *Sym. verò edidit* ἀγγελίαν. Lex. V. Ἀγγελία, *nunciatio.*

19. איתן. A. *validam.* Sym. *antiquam*] In libro Locorum, ETHAN *in Jeremia, quam Aq.* validam, *Sym. interpretatur* antiquam. Locus est אל נוה איתן, quod reddunt εἰς τόπον Ἐθάν, vel certè Ἀιθάν. Quanquam in libris Ἐμαθ. איתן Ἀιθάν, ut עילם Ἀιλάμ.

28. בני־קדם. Cæteri, τοὺς υἱοὺς ἀνατολῶν *filios Orientis*] Priùs erat in LXX τοὺς υἱοὺς Κεδέμ. Sed Theodoretus annotat, οἱ λοιποὶ, ἀνατολῶν.

32. מכל־עבריו. Aq. ἐκ παντὸς μέρους αὐτῶν *ex omni parte ipsorum.* Th. ἐκ πάντων μερῶν αὐτῆ *ex omnibus partibus ejus.*

GROTIUS.

1. AD *filios Ammon*] Qui hæc in capita distribuerunt, in unum hoc caput compegerunt quinque vaticinia diversa; quorum primum pertinet ad Ammonitas, alterum ad Idumæos, tertium ad Syros circa Damascum, quartum ad Cedarenos Arabas eorúmque vicinos, quintum ad Elymæos. Eventus hujus Prophetiæ paululùm præcessit eventum ejus quem habuimus contra Moabitas. Apparet id & hîc infrà 3. & Ezech. XXI. ubi evectioni Sedeciæ subnectitur clades Ammonitarum.

Numquid non filii sunt Israel? aut heres non est ei? cur igitur hereditate possedit Melcham Gad, & populus ejus in urbibus ejus habitavit?] *Melcham* deus Ammonitarum, idem qui *Moloch* II Reg. XXIII. 13. *Hereditate possedit*, id est, velut proprio perpetuóque jure possedit. Ἀδέσποτα [*res nullius*] fiunt occupantis. Bona autem eorum qui aut liberos habent aut propinquos, qui ex lege debeant succedere, non sunt ἀδέσποτα [*res nullius*]. Ergò per injuriam Ammonitæ sola Israëli distributa, ut Gaditarum regionem, occupaverant. Fecerant autem hoc Ammonitæ, pactione initâ cum Theglathphalasaro, cùm ille eas partes bello vastasset II Reg. XV. 29. Erant enim contermini Gaditarum sorti, Josuæ XIII. 24. 25. Æquum autem erat illas partes desertas Judæis, qui cum Gaditis eundem parentem Jacobum habuerant, accrescere. Hinc bellum inter Judæos & Ammonitas memoratum II Regum XXIV. 2. Discimus hinc, quanquam vulgò dicitur, Qui bello terras aliquas cepit, earum dominus fieri jure gentium, id tamen, si bellum sit injustum, neque ipsum capientem, neque alios causam ab eo habentes apud Deum absolvere. Vide quæ de hac re diximus libro III. de Jure Belli ac Pacis, cap. X. Tangit eandem hanc invasionem Sophonias II. 8.

Super Rabbath filiorum Ammon] Erat hæc urbs princeps urbium Ammoniticarum, Josuæ XIII. 25. II Samuel. XI. 1. Polybio Ῥαββαθαμανά. *Philadelphia* dicta est postea. Excidium hujus urbis prædixit & Ezechiel XXV. 5.

Filiæ ejus igni succendentur] Urbes minores, ut & infrà 3. Græci pro בנות [*filiæ*] legerunt במות [*aræ*].

Et possidebit Israel possessores suos] Meliùs: *Et perdet Israël perditores suos.* Id est, in causa erit cur pereant. ירש pluribus in locis vertitur per ἐξολοθρεύειν, ἀπολλύναι, ἐξαναλίσκειν, ἐξαίρειν [*exscindere*, *perdere*, *consumere*, *tollere*]. Vide similem sensum Abdiæ 18.

3. *Ulula, Hesebon, quoniam vastata est Hai*] Hæc Hai non est illa in Josuæ libro cap. VIII. memorata, sed altera Γαία [*Gaia*] Ptolemæo: nam ע per γ verti solet: ut עמרה Γομόῤῥα [*Gomorra*]. Hac urbe excisâ Esbus, quæ non longè erat, habebat quod sibi timeret. Et mox ad hanc quoque pervenit malum, ut ex capite præcedenti didicimus.

Plangite, & circuite per sepes] Chaldæus: *Incidite vos in turbis.* שוט est *flagellum.* גדר *locus septus*, quales sunt κωμοπόλεις [*vicurbia*].

Melchom in transmigrationem ducetur] Simile suprà XLVIII. 7.

4. *Quid gloriaris in vallibus*] Frugiferis admodum.

Defluxit vallis tua] *Fluet.* Valles tuæ sanguine fluent.

Filia delicata] *Pervicax*, *temeraria*: θυγάτηρ τῆς ἰταμίας [*filia temeritatis*] Græcis, Chaldæo *insipiens.*

5. *Ecce ego inducam super te terrorem, ait Dominus Deus exercituum, ab omnibus qui sunt in circuitu tuo*] In Hebræo, *ab omnibus circuitibus tuis*: id est, undique.

6. *Et post hæc reverti faciam captivos filiorum Ammon*] Hoc quoque factum patet ex Josepho XII. 12. & alibi.

7. *Ad Idumæam*] Hæc quoque Prophetia iisdem temporibus completa est quibus priores. Vide Ezechiel. XXV. 12. & infrà 12. Multa hic sumta ex Abdia, qui eadem de temporibus Sennacheribi prædixerat.

Numquid non ultrà est sapientia in Theman?] Urbe Idumææ; unde *Themanai* Herodoto, ut diximus ad Genes. XXXVI. 15. Omnes Arabes jam olim sapientiâ celebres, ut notavimus ad Matth. II. 1. præsertim illi ab Esavo orti, ut ex Jobi historia apparet. Et inter hos ipsos eminebant hac laude Themanæi, Abdia 8.

Periit consilium à filiis] Nempe *sapientia*, ut Matthæi XI. 19.

8. *Descendite in voraginem*] *In specus.*

Habitatores Dedan] Vide Genes. XXV. 3. Ezechiel. XXV. 13. Hi sunt ex Cethuræ posteris, sed subacti ab Idumæis.

9. *Si vindemiatores venissent super te, non reliquissent racemum*] *Nonne reliquissent aliquid ad racemandum?* Hunc sensum exigit quod sequitur. Vindemiatores aliquid relinquunt, imò & fures. At Chaldæi omnia auferent cum pulvisculo. Sumta hæc ex Abdia 5.

10. *Revelavi abscondita ejus*] Effeci ut nihil esset tam abditum quod non inveniret victor.

11. *Relinque pupillos tuos: ego faciam eos vivere, & viduæ tuæ in me sperabunt*] Id est, si relinquas pupillos & viduas, ego eos curabo. Hoc ideo dicit, quia nec pupilli, nec viduæ superfuturæ erant: quem sensum hic indicant LXX.

12. *Ecce quibus non erat judicium ut biberent calicem, bibentes bibent*] Nempe Judæi, qui comparati cum Idumæis innocentes haberi poterant. משפט *culpa*, *reatus*, ut suprà XXVI. vers. 11.

Et tu quasi innocens relinquêris?] In Hebræo, *Et tu omnino impune feres?* Id enim נקה [*innocentificare*] sæpissime significat.

Non eris innocens] Non impunè feres.

13. *In maledictionem erit Bosra*] Nempe Idumæa, de qua vide Esaiam LXIII.

14. *Auditum audivi à Domino*] Decretum à Deo quasi pronuntiatum. Ex Abdia 1.

Et legatus ad gentes missus est] Angelus Dei qui excitet Chaldæos.

16. *Arrogantia tua decepit te*] Idolum. Sic enim מפלצת sumitur 1 Regum XV. 13. *Terriculas* simili sensu Lucilius. Nam פלץ est *terrere.* Et hæc sunt ex Abdia 3. 4.

Qui habitas in cavernis petræ] Ideòque te inexpugnabilem putas, ut illi scilicet qui in Petra erant Sogdianorum apud Curtium X. Hieronymus ad Abdiam: *Omnis Australis regio Idumæorum de Eleutheropoli usque ad Petram & Hailam (hæc est enim possessio Esau) in specubus habitatiunculas habet.*

Et apprehendere niteris altitudinem collis] *Et tenes celsa collium*: Seir scilicet.

Indè detraham te] Fame, quomodo ex Aurasio monte detractus fuit Gelimer.

17. *Omnis qui transibit per eam stupebit, & sibilabit super omnes plagas ejus*] Est proverbiale, ut apparet 1 Regum IX. 8.

18. *Sicut subversa est Sodoma & Gomorra, & vicinæ ejus*] Adama & Seboim.

19. *Ecce quasi leo ascendet de superbia Jordanis*] Nabuzardan Judææ vastator ascendet quasi leo, quem Jordanes exundans lustris expulit.

Ad pulchritudinem robustam] In Hebræo, *Ad habitaculum robustum*: Idumæam in rupibus sitam.

Quia subitò faciam currere eum ad istam] Nabuzardanem ad Idumæam.

Et quis erit electus quem præponam ei] Diximus alibi מי sæpe poni pro *quisquis.* Itaque rectè verteris: *quisquis erit fortissimus* (inter Chaldæos) *eum præficiam ei*, vastandæ scilicet.

Quis est iste pastor qui resistat vultui meo?] Id est, Dux.

20. *Si non dejecerint eos parvuli gregis*] *Si non traxerint eos minimi gregis*: supple, *ne verax habear.* Lixæ, inquit, & calones eos captivos trahent.

21. *Clamor in mari Rubro auditus est*] Pertingunt enim ad mare Rubrum Idumææ fines. Ideo id mare dictum ים אדום [*Mare Edom*], & Græcis verbum verbo reddentibus θάλασσα Ἐρυθραία [*mare Erythræum*].

22. *Ecce quasi aquila ascendet & avolabit*] Imò *volabit*: id est, *involabit* Idumæam subitò Nabuzardan.

Expandet alas suas super Bosram] Idem loquendi genus suprà XLVIII. 40.

Et erit cor fortium Idumææ in die illa quasi cor mulieris parturientis] Et hoc ibidem habuimus.

23. *Ad Damascum*] Συνεκδοχικῶς [*per comprehensionem*] id est, ad Syriam illam, in qua est Damascus.

Confusa est Emath] *Amathus* Syriæ. Genes. X. 18. Num. XIII. 22. II Sam. VIII. 9. II Reg. XVII. 24. 30. XVIII. 34.

Et Arphad] Sic scribitur & II Regum XVIII. 34. At Gen. X. 18. ארוד, id est, *Aradii*, ut ibi habent Græci. Vide Plinium in Libani descriptione.

Turbati sunt in mari] Id est, insulares proximi, putà Antaradii.

24. *Quasi parturientem*] Ut suprà 22.

25. *Quomodo reliquerunt civitatem laudabilem, urbem lætitiæ*] In Hebræo, *Cur non dereliquerunt urbem laudatam, oppidum* (plenum) *lætitiæ.* Cur eam voluerunt defendere? Hæc est causa exitii eorum, ut sequitur. Hic י in voce משושי [*gaudii*] est merè παραγωγικὸν [*adjectitia*], ex dialecto Syrorum, de quibus hic agitur. Talia sunt גבי Nahumi III. 17. יחי Zachariæ XIV. 5. ירי Esaiæ XIX. 9. שבי Esaiæ XX. 4. יאדי Ezechiæ XIII. 9. & alia quædam alibi.

27. *Et devorabit mœnia Benadad*] *Palatia Benadadi*; *domos Benadadi*, quomodo hìc ipse interpres vertit easdem has duas voces Amosi I. 4. Benadadus Rex Syriæ potentissimus fuit, I Reg. XV. 18. Vide quæ diximus ad tertium librum de Veritate Religionis Christianæ.

28. *Ad Cedar*] Id est, *ad Cedræos*, sive *Cedarenos.* Vide ad Psalm. CXX. 5. Græci nomina Orientis formant duplici modo, ut Stephanus notavit, in αῖος, vel in ηνός. Postremum hoc, ob pluralem illarum gentium, qui est in ין.

Et ad regna Asor] *Regna* vocat provincias, ad quas se contulerunt illi ab urbe Asore, quam diruerat Josue XI. 13. Judicum IV. 2.

Quæ percussit Nabuchodonosor Rex Babylonis] *Percussurus est*: id est, bello vastaturus. Hoc autem impletum est, cùm Nabuchodonosor Ægypti magnam partem suam fecit, & partem copiarum misit ad loca vicina.

Hæc dicit Dominus: Surgite, & ascendite ad Cedar] Chaldæis scilicet hæc dicet. Vide & infrà 31.

Et vastate filios Orientis] Arabes illos qui ad Orientem Judæis. Vide quæ ad Matth. II. 1.

29. *Tabernacula eorum*] Erant enim Cedareni pars Scenitarum.

Pelles eorum] Vela illa elegantia per quæ tentoria distinguebantur. Vide Paraphrasten Chaldæum Exod. XXV. Psalm. CIV. 2. Vide hic suprà IV. 20. X. 20.

Et camelos eorum] Quibus abundat Arabia, ut apparet ex Jobo & aliis.

Et vocabunt super eos formidinem in circuitu] Milites formidandos. Μετωνυμία [*transnominatio*].

30. *In voraginibus sedete*] *In specubus*: ut suprà 8. Græci utrobique, βαθύνατε εἰς κάθισιν [*profundate ad sedendum*], *profunda quærite.*

31. *Ad gentem quietam & habitantem confidenter*] Pridem intactam, ideóque securam.

Non ostia, nec vectes eis, soli habitant] Id est, seorsim in tentoriis.

32. *Dispergam eos in omnem ventum*] In omne latus.

Qui sunt attonsi in comam] Arabas, τρεχοκουρίδας [*in orbem tonsos*]. Vide suprà IX. 26. & XXV. 23. & ibi dicta.

33. Et

33. *Et erit Asor*] Populus ille, de quo suprà 28.

34. *Quod factum est verbum Domini*] Transpositio, ut suprà XLVII. I.

Adversus Elam] Elymæos. Vide quæ dicta à nobis ad primum librum de Veritate Religionis Christianæ.

In principio regni Regis Sedeciæ] Id est, multò antequam res eveniret.

35. *Ecce ego confringam arcum Elam*] Arcu enim valebant, ut videre est Esaiæ XXII. 6. & apud Livium libro XXXVII. Factum hoc credibile est cùm Elymæi defecissent à Mediæ Rege, cujus filiam in matrimonio habebat Nabuchodonosor.

36. *Et inducam super Elam quatuor ventos*] Multos populos, Babylonios, Medos, eorúmque subditos ac fœderatos.

Et ventilabo eos in omnes ventos istos] Dispergam bello captos.

38. *Et ponam solium meum in Elam*] *Solium meum*, id est, solium Cyri à me ad hoc singulariter electi. Vide Esaiam XLV. 1. Nam Cyrus ex Perside Medos bello impetens incepit ab Elymaide inter illos populos sita.

39. *In novissimis autem diebus*] Id est, tandem.

Reverti faciam captivos Elam] Per Cyrum, qui eâ ratione suum in Medos firmavit imperium.

CAP. L.

MUNSTERUS.

2. ANnunciate in gentibus] Denunciatur ruina Babylonis omnibus gentibus, ut quæ omnes populos devastaverat, omnes quoque de ejus devastatione lætarentur. Fuit enim hoc Regnum Babyloniorum illo tempore *malleus totius terræ*, terror populorum, flagellum omnium gentium, officina Satanæ, contagio mundi, sentina flagitiorum, refugium sceleratorum, arx magorum & incantatorum, theatrum idolorum, carcer filiorum Israel, & cultûs Dei deletrix: ideo digna fuit hæc civitas quæ funditus periret. Dii ejus præcipui fuere *Bel* & *Merodach*.

3. *Gens ab Aquilone*] Medi scilicet & Persæ.

4. *Venient filii Israel*] Patet hinc filios quoque Israel, & non tantùm Tribum Jehuda & Binjamin, de captivitate ad terram Israel reversos, quicquid Hebræi dicant de 10 Tribubus in Assyria reclusis.

5. *Adhærebimus*] Hebraismus propriè habet *& applicabuntur Domino*.

6. *Pastores earum*]. h. e. Reges, Sacerdotes & Doctores *seduxerunt eas*, & *fecerunt eas errare in montibus* & locis desertis.

8. *Estote sicut hirci*] i. Egredimini confidenter & securi; & non deseram vos, &c.

11. 12. *Gaudebitis quidem*] Loquitur Propheta in futuro, quia tunc cùm hæc prædiceret adhuc futurum erat ut Babylonii hereditatem Domini dissiparent. Vel potest futurum verti in præteritum imperfectum, ut sit sensus, Sicut fecistis populo meo, sic fiet vobis. Nam *confundetur mater vestra*, i. civitas vestra fortissima, vel, ut Jonathan vertit, כנשתכון *congregatio vestra:* illa, inquam, dissipabitur, & *novissimum populorum ejus erit desertum*, &c.

15. *Jubilate super eam*] Capitur hîc *jubilare* pro *clamore terrere*, & *dare manum* pro *se victam tradere hosti*.

16. *Unusquisque ad populum suum se convertet*] Qui scilicet in Babylonia capti ex gentibus tenebantur, hi captâ urbe ad terras suas lætantes reversi sunt.

17. *Exossavit eum*] Kimhi sic exponit; *Rex Assur comedit carnes Israelis, abducens 10 Tribus Israel; Nebuchadrezar autem contrivit etiam ossa, h. e. destruxit Regnum Jehuda, urbem Jerosolymitanam & Templum, & abduxit duas residuas Tribus, Jehudam scilicet & Binjamin.*

20. *Requiretur iniquitas Israel*] Hæc videntur referenda ad tempora Christi, per quem solum remittuntur peccata.

21. *Contra habitatores*] Hæc præcipiuntur exercitui Cyri vel Darii. Et est hîc פקד infinitivus: licèt Jonathan accipiat pro nomine civitatis.

26. *Thecas ejus*] Kimhi exponit pro *granariis*, & *juvencos* exponit pro *magnatibus*.

29. *Convocate*] Heb. *facite audire*, h. e. divulgate inter gentes, ut sagittarii multi adveniant. Exponunt tamen quidam dictionem רבים pro רבי *jaculatoribus:* nos verò Chaldæum imitati sumus Interpretem.

31. *Proterve*] Dirigitur hîc sermo Prophetæ ad Regem Babylonis. Suprà cap. 43. exposuimus hoc vocabulum.

44. *Ecce ascendet sicut leo*] Præcedenti capite hæc eadem scribuntur verba, v. 19.

VATABLUS.

1. PEr manum ביד] *In manu.* Gallicè *par le moyen.*

2. *Annunciate* הגידו] *Significate: auribus inculcate*, sub. *quæ sequuntur.* ¶ *Elevate quoque signum* ושאו נס] *Attollite quoque vexillum*, in signum scilicet victoriæ. ¶ *Pudore affectus est* הוביש] Quia scilicet non poterit suis ferre opem. Duo præcipua Babyloniorum idola fuerunt *Bel* & *Merodach*, per quæ reliqua intelliguntur.

3. *Ascendit* עלה] Præt. Heb. pro fut. ¶ *In solitudinem* לשמה] *In desolationem.* ¶ *Moti sunt* נדו] *Migrarunt*, sub. *alió.*

4. *In diebus illis*, &c. בימים וגו'] i. Cùm expugnata fuerit Babel, liberabitur populus Juda. ¶ *Et flendo* ובכו] Præ lætitia scilicet. ¶ *Ibunt* ילכו] *Venient*, sub. *in Jerusalem.* Aliquot Israelitæ ex Decem illis tribubus quæ abductæ fuerant in Assyriam, remanserant in Judæa, qui postea abducti fuerunt in Babylonem unà cum Judæis.

5. *Sijon* ציון] Genitivus est, *Sionis viam interrogabunt:* Vertere potes, *De via Sion interrogabunt*, i. in qua parte sita sit, & quà ad illam sit eundum, interrogabunt sese mutuó. ¶ *Huc conversæ facies eorum, Venite* הנה פניהם באו] Versísque *huc vultibus suis*, dicent, *Venite.* ¶ *Et copulate*, &c. ונלוו אל יהוה] *Et conjungimini* ut eatis *ad Jehovam*, i. initâ societate ite ad Dominum. Chaldæus P imperativa ista vertit in futura, *Venient, & apponentur* { sive *adjungentur*, sub. *advenæ ad eos* } *ad Dominum.*

6. *Perdita* אובדות] *Pereuntes*, i. similes sunt gregi erranti per montes. Priùs meminit liberationis, hîc verò causæ captivitatis: Captivus autem abductus fuit Juda quòd totus esset vitiis deditus & idololatriæ: quod malum accidit culpâ Regum ejus idololatrarum. ¶ *Errare fecerunt eos* התעום] *Seduxerunt eos.* ¶ In *montibus vagari fecerunt eos* הרים שובבום] *Ad montes expulerunt eos:* vel, *ejecerunt:* q. d. Perdita institutio Regum Juda fecit ut populus Judaicus tandem abductus sit in captivitatem. Alii, *in montibus eos contriverunt*, i. causâ fuerunt captivitatis & calamitatis eorum: traducendi enim fuerunt per montes altos: Ità Chaldæus P. vel, *in montibus fregerunt eos*, i. maximè afflixerunt eos in itinere ipso, cùm deducerent eos per montes & colles. ¶ *Accubitûs sui* רבצם] i. Caularum suarum in quibus accubare solebant: q. d. Dum per montes in Chaldæam abducebantur, non habuerunt locum in quo accubarent ac requiescerent: q. d. Duxerunt noctes insomnes.

7. *Non deliquimus* לא נאשם] Fut. Heb. *Non peccabimus*, i. erimus innoxii, sub. *perdendo & affligendo illos.* Inimici eorum cùm perderent eos promittebant sibi impunitatem. ¶ *Habitaculo*, &c. נוה צדק ומקוה] Qui erat eis *habitaculum justitiæ*, *ut* antea fuerat *spes*, &c. i. in quo erant, antequam peccassent, semper tuti, ut sub tutela legum & justo judice, si qui eos afflixissent: quemadmodum antea fuerat *spes* & columen *Patrum suorum:* ו sive *&* pro *ut* aut *quemadmodum.*

8. *Recedite* נדו] *Fugite.* Revertitur ad liberationem illorum, explicatâ causâ captivitatis. ¶ *Tanquam hirci* כעתודים] i. Alieni à metu, ut hirci gregem præcedentes: q. d. Nemo ex vobis refugiat tenere primas in agmine ipso cum fiducia, nihilque timens.

9. *Suscito & ascendere facio* מעיר ומעלה] Præsentia Heb. pro fut. *excitabo & adducam.* ¶ *Et ordinabunt* וערכו] *Et instruent*, sub. *aciem.* ¶ *Inde* משם] *Illinc*; i. ex eo loco in quo primùm castra posuerint non recedent antequam urbs capta sit: q. d. *primo conflictu*, sive *primâ oppugnatione capietur.* ¶ *Orbantis* משכיל] Sub. *mulieres viris.* Quidam vertunt *viri prudenter agentis.* ¶ *Vacua* ריקם] i. Nulla mittetur sagitta quæ non conficiat aliquem.

10. *Saturabuntur* ישבעו] *Satiabuntur:* i. evadent divites ex ejus oppugnatione.

11. *Diripientes hereditatem meam* שוסי נחלתי] *Prædatores hereditatis meæ:* aut *vastatores.* ¶ *Multiplicati estis* תפושו] *Increvistis: sumpsistis incrementum:* i. incrassati estis: pinguiores, corpulentiores & succulentiores facti estis. ¶ *Quæ pascit germina* דשאה] Ad verb. *herbificata*, sive *herbaria.* Gallicè *qui est mise aux herbages.* Legitur & דושה per ו, ut legas *triturans:* quæ scilicet tempore triturationis sit pinguior ac succulentior: comedit enim totâ die de frugibus areæ: & opponitur vitulæ aranti, quæ est macra. ¶ *Et mugistis sicut tauri* ותצהלו כאבירים] *Et hinnistis velut equi*; sub. *fortes partâ victoriâ:* habent enim equi sensum victoriæ.

12. *No-*

12. *Novissima* אחרית] *Finis: postremum.* Gentes vocat Chaldæos. ¶ *Terra arida* ציה] *Vastitas.*

13. *Et sibilabit*, &c. 'ישרק וג] Sic suprà 49. 17.

14. *Præparate* bellum ערכו] *Instruite*, sub. *aciem.* Gallicè, *Donnez luy l'assault de tous costez.* ¶ *Jaculo* אל חץ] Sing. pro plur. *sagittis: telis.*

15. *Clamate* הריעו] *Vociferamini:* i. edite ingentem clamorem, ut solent mulieres sub conflictum.

19. *Anima ejus* נפשו] i. Appetentia ejus.

20. *Quæretur* יבקש] *Requiretur:* i. si requiratur, aut si quis requirat. ¶ *Relinquam* אשאר] Sub. *superstites*, vel *in vitam:* i. qui mortui non fuerint.

21. *Visitationis* פקוד] *Ultionis: vindictæ*, i. Babylonis: quæ sic dicitur quòd advenerit tempus ut *visitetur*, h. e. puniatur, ejus iniquitas. Scribit doctus inter Hebræos, *Chaldæum P. tanquam proprium nomen reliquisse* PECOD, ut etiam Ezech. 23. 23. ¶ *Post eos* אחריהם] h. e. Fugientes. Alii vertunt, eundo *post eos.*

22. *Sonitus* קול] *Vox: fama.*

23. *Fuit in desertum* היתה לשמה] *Versa est in solitudinem*, i. prorsus desolata est.

24. *Illaqueavi te* יקשתי לך] *Laqueos tetendi tibi.* ¶ *Contra Jehovam litigasti* ביהוה התגרית] *Jehovam offendisti:* vel *provocasti.*

25. *Thesaurum suum* אוצרו] Intelligit *armarium:* per *armarium*, Persidem & Mediam, è quibus tanquam ex armario deprompsit Darium & Cyrum contra Babylonem. ¶ *Vasa iræ suæ* כלי זעמו] *Instrumenta indignationis suæ*, i. quæ mittere solet quando est iratus.

26. *Ab extremo* מקץ] *A fine*, i. in fine: q. d. *Dari & Cyre, invadite Babylonem; quia instat finis Imperii ejus.* ¶ *Acervos* ערמים] Sub. *tritici calcato solent in area.*

27. *Vitulos ejus* פריה] *Juvencos ejus*, i. potentes ac robustos: nobiles ac principes. ¶ *Ad occisionem* לטבח] *Ad mactationem:* i. deducantur ad necem, h. e. interimantur.

28. *Et evasorum* ופליטים] *Et evadentium*, sub. *Judæorum:* q. d. *è Judæis profugi narrabunt ultionem Dei in Chaldæos propter eversum Templum.*

29. *Jaculatores* רבים] i. Sagittarios. Alii, *quamplurimos*, i. exercitum maximum. ¶ *Ne sit ei evasor* אל יהי לה פליטה] *Nemo ex ea evadat.* ¶ *Superbivit* זדה] *Arrogans fuit.*

32. *Ei qui suscitet* לו מקים] *Qui eum erigat:* i. nunquam resurget. ¶ *Omnes*, &c. כל סביבותיו] *Omnia quæ per circuitum ejus sunt.*

33. *Retinent eos* החזיקו בם] Præt. Heb. pro præs.

34. *Judicando*, &c. 'ריב וג] *Disceptando disceptabit disceptationem eorum:* i. patrocinabitur causæ Israelitarum adversus Chaldæos. ¶ *Ut quiescere faciat* למען הרגיע] i. Ut quietam ac tranquillam reddat terram.

35. *Gladius* חרב] Sub. *venturus est ad Chaldæos*, vel *contra Chaldæos:* q. d. Perituri sunt gladio Persico.

36. *Ad mendaces* הבדים] Chald. *ad divinos:* nam divini mentiri solent. ¶ *Et insanient* ונאלו] *Et desipient.* ¶ *Et timebunt* וחתו] *Et conterentur: confringentur.*

37. *Vulgus* הערב] Sub. *promiscuum:* significat turbam miscellaneam. Alii, *ad mercaturam:* vel *mercatores qui sunt*, &c.

38. *Siccitas* חרב] Hoc dicit in primis propter Euphratem, qui in oppugnatione divisus est in multos alveos, qui facilè trajici poterant sine scaphis: quo stratagemate reddidit Cyrus urbem expugnabilem, quæ alioqui vix expugnari potuisset. ¶ *Et in simulacris* ובאימים] Quidam vocem Hebræam non vertunt, *& in Emim.* Significat simulacra, sive idola, sic dicta à *terrore*, quòd ea colentibus terrorem incutiant: nam אימה est *terror: formido.* ¶ *Insaniunt* יתהוללו] Fut. Heb. pro præs. vel præt. *insanierunt:* i. adeò dediti sunt simulacris ut videantur insanire. Alii, *gloriantur.*

39. *Bestiæ silvestres cum ululis* ציים את איים] *Sijim cum Ijim.* Quidam vertunt, *Satyri cum faunis.* Alii, *bestias desertum incolentes, & feles.* Vide easdem voces Jes. 13. 21. ¶ *Filiæ struthionis* בנות יענה] Vide Jes. 13. 21. ¶ *Usque in generationem & generationem* עד דור ודור] i. Longo, sive longissimo tempore.

40. *Quemadmodum subvertit* כמהפכת] Vide suprà 49. 18.

41. *Ab Aquilone* מצפון] i. A Perside & Media regionibus sitis ad Aquilonem respectu Babylonis. ¶ *Multi* רבים] *Magni: fortes & invicti.* ¶ *A lateribus* מירכתי] i. Ab uno è lateribus, à fine orbis.

42. *Et scutum* וכידון] *Et lanceam: hastam.* ¶ *Apprehendent* יחזיקו] *Accipient: firmiter tenebunt.* Verti potest futurum in præteritum. ¶ *Et super equos equitabunt* ועל סוסים ירכבו] *Et equis insidebunt*, i. insidentes equis pugnabunt.

43. *Dolor tanquam parturientis* חיל כיולדה] Vide eadem suprà 6. 24. & 48. 41. & 49. 24.

44. *Ecce tanquam leo*, &c. הנה כאריה] Tres isti versus posteriores leguntur & suprà 49. 19. mutatis tantùm propriis nominibus.

46. *A voce capta Babel* 'מקול נתפשה וג] i. Ob strepitum quem edent in expugnatione urbis Babel.

CASTALIO.

12. *Gentium exitus est vastitas, incultus, solitudo*] Gentes ad extremum vastantur.

15. *Dat manus*] Vincitur.

27. *Ferro trucidate omnes ejus tauros*] Homines præcipuos.

21. *Jovæ Dei nostri vindictam, scilicet ejus templi*] Qui Babylonios ultus sit ob profanatum suum Templum.

44. *Ac veluti leo ex Jordanis fastigio*, &c.] Eadem cap. 49. 19.

CLARIUS.

2. *Levate signum*] Non ad belligerandum, quia jam victa jacet, sed ad annunciandum triumphos lætos. Denunciatur ergò ruina Babylonis omnibus gentibus: ut quæ omnes populos devastaverat, omnes quoque de ejus devastatione lætarentur. Fuit enim hoc Regnum Babyloniorum illo tempore *malleus totius terræ*, terror populorum, flagellum omnium gentium, officina Satanæ, contagio mundi, sentina flagitiorum, refugium sceleratorum, arx magorum & incantatorum, theatrum idolorum, carcer filiorum Israel, & cultûs Dei deletrix: ideo digna fuit hæc civitas quæ funditus periret, & typus perituri esset mundi. Dii ejus præcipui fuere *Bel* & *Merodach.*

3. *Gens ab Aquilone*] Medi scilicet ac Persæ.

4. *Venient filii Israel*] Patet hinc filios quoque Israel, & non tantùm tribum Juda & Benjamin, de captivitate ad terram Israel reversos, quicquid Hebræi dicant de 10 Tribubus in Assyria reclusis. Hoc tamen propriè per Christum factum est.

6. *De monte in collem*] Vel *de monte ad vallem.* Sub iniquis enim pastoribus nulla quies, nullum otium datur.

8. *Quasi hirci*] i. Egredimini confidenter & securi; ego non deseram vos.

11. *Effusi estis sicut vituli*] Vel *aucti* (sive *incrassati*) *ut vitula pasta gramine.*

15. *Dedit manum suam*] i. Tradidit sese hostibus, & fatetur se victam ultione Domini.

16. *Disperdite satorem*] Olim parcebatur agricolis: nunc non parcetur: nam nec ipsi pepercerunt colonis Terræ sanctæ. ¶ *Unusquisque ad populum suum convertetur*] h. e. Qui in Babylonia capti ex gentibus tenebantur, hi captâ urbe ad terras suas lætantes reversi sunt.

17. *Primus comedit eum*] *Prior Rex* Assur Israelis *carnes comedit:* nam hi tres Assyriorum Reges intulerunt arma Judæis, Phul, Teglatphalassar & Salmanasar: Ruben enim & Gad & dimidiam Tribum Manasse, & postea reliquas Tribus Israel abduxerunt. Relicta sunt nuda ossa, Juda & Benjamin: Nabuchodonosor autem etiam *ossa contrivit*, h. e. has fortiores Tribus abegit.

18. *Ecce ego visitabo*] Sicut Deus punit Assyrios, quorum Regnum transtulit ad Chaldæos, ità Babylonios Medi & Persæ delebunt, quia hæ duæ gentes populum Dei sedibus suis ejecerant.

19. *Et pascetur Carmelum*] Perstat in similitudine. Loca pascua commemorat, trans Jordanem *Basan* & *Galaad*, cis Jordanem *Carmelum* & *Ephraim.*

20. *Quæretur iniquitas Israel*] Hæc videntur referenda ad tempora Christi, per quem solum remittuntur peccata.

21. *Super terram irritantium*] Præcipitur exercitui Cyri ut ascendat contra Babylonem. ¶ *Interfice post eos, ait Dominus*] h. e. Fugientes persequere.

23. *Babylon in gentibus*] Sub. *inclyta.*

29. *Annunciate in Babylonem plurimis*] *Convocate contra Babylonem*, &c.

31. *Ecce ego ad te superbe*] Sermo est ad Regem Babylonis.

38. *Siccitas super aquas*] Potest exponi de Urbis expugnatione. Per alveum enim Euphratis, aquis vehementer imminutis, Cyrus introduxit noctu exercitum inopinantibus omnibus: captáque regia & bona pars urbis est ante quàm scirentur hostes adesse.

39. *Non habitabitur ultrà*] In loco solito videlicet. Nam quæ nunc *Babylon* dicitur alio in loco est, nimirum campestri: neque ullum domicilium ruinis tantæ urbis superstes apparet, si Historiis creditur.

41. *Ecce populus*] Per Cyrum & Darium Reges Persarum subver-

subvertendam Babel prædicit, qui sibi reliquas quoque gentes associabunt.

44. *Ecce quasi leo*] Sicut leo securus de Jordane ad Æthan desertum incedit, sic Darius & Cyrus, &c. Hæc autem verba præcedenti etiam capite scribuntur.

DRUSIUS.

2. שְׂאוּ־נֵס הַשְׁמִיעוּ. ἄρατε σημεῖον, ἀκουστὸν ποιήσατε, *tollite signum, auditum facite.* ¶ בֵּל. Βὴλ *Bel*] Contractum ex בעל *Beel.*

8. כְּעַתּוּדִים. Syrus, τράγους *hircos*] Theodoretus ex alia, ut videtur, editione, ἔριφοι *hœdi*, sive *capri.*

44. אֶל נְוֵה אֵיתָן. εἰς γῆν Αἰθὰν *in terram Aithan.* A. *validam.* Sym. *antiquam.* In libro locorum, ÆTHAN *in Jeremia, quam Aq.* validam. *Sym. interpretatur* antiquam] Vide quæ scripsimus cap. 49. 19.

GROTIUS.

1. *VErbum quod locutus est Dominus de Babylone & de terra Chaldæorum in manu Jeremiæ Prophetæ*] Postremo loco ponit vaticinia de Babylone, & Chaldæis, tanquam egregia Judæorum, qui in exsilio acturi erant, solatia. Est autem res eadem quæ prædicitur ab Esaia XLV. XLVI. XLVII. & alibi; sed quantò tempora accedebant propiùs, tantò distinctiùs revelata: quo spectare diximus locum Esaiæ LIII.

2. *Annuntiate in gentibus*] Vos omnes Judæi tempore dispersionis alii alios hac certâ spe sustentate.

Auditum facite] Id est, famam spargite. Ità enim השמיע sumitur Hebræis, & ἀκοὴν vel ἀκουστὸν ποιεῖν [*auditum facere*], interpretibus Græcis.

Levate signum] Signum gaudii adventantis. Nam capta à Cyro Babylon erat pignus liberationis ipsorum.

Confusus est Bel] Idolum בל [*Bel*] id est, *Solis*, qui prioribus Judææ בעל [*Baal*]: nam gutturales facilè eliduntur. Idem, quia primus erat deorum apud Babylonios, Græcis Ζεὺς [*Jupiter*] dictus. Gentibus victis dicuntur & dii victi, ut de diis Ægypti, de Chamoso Moabitarum, Melchomo Ammonitarum deo suprà habuimus.

Victus est Merodoch] Rex vetus, Esaiæ XXXIX à Babyloniis relatus in deos.

Confusa sunt sculptilia ejus] Dii minorum gentium.

3. *Gens ab Aquilone*] Medi Septentrionales Chaldæis.

4. *Venient filii Israel ipsi, & filii Juda simul*] Per filios Israël Levitas intellige, & ex aliis tribubus paucos, qui Judæ & Benjaminis tribui permixti vivebant.

Ambulantes & flentes properabunt, & Dominum Deum suum quærent] Chaldæus non malam versionem præit, *Ambulantes & flentes iverunt* (olim cùm abducerentur); *at* (nunc) *Dominum Deum quærent*, id est, gratias ipsi agent.

5. *In Sion interrogabunt viam*] Id est, viam quæ fert ad Sionem.

Huc facies eorum] De hac locutione vide Lucæ IX. 53. suprà XLII. 15.

Apponentur ad Deum fœdere sempiterno] Id est, diuturno, ut alibi sæpe. Sensus sublimior in fœdere Euangelico, quod verè æternum.

6. *Pastores eorum seduxerunt eos*] Reges: quibus ablatis sanabiliores sunt.

Feceruntque vagari in montibus, de monte in collem] Id est, causa fuerunt ut huc illuc vagi disjicerentur. Perstat enim in cœpta gregis similitudine.

Obliti sunt cubilis sui] Caulæ suæ.

7. *Omnes qui invenerunt comederunt eos*] Despoliant.

Peccaverunt Domino decori justitiæ] Quis ipsis erat *caula benignissima.* Sic נוה [*caula*] sumitur Ezechiel XXXIV. 14. Perstat in similitudine pecoris. Per *caulam* autem perfugium intelligitur.

8. *Recedite de medio Babylonis*] Avolate: nullum tempus abire sinite: arripite occasionem.

Estote quasi hædi ante gregem] In Hebræo, *hirci*: qui aliis pecudibus alacriores esse solent. Tales fuêre illi Esdræ comites, qui multis aliis exemplo prævirêre.

9. *Inde capietur*] In Hebræo, משם, id est, *statim: imperitur rapietur*: ἐξ ἀπροσδοκήτου [*ex improviso*], ait Herodotus.

Sagitta ejus quasi viri fortis interfectoris, non revertetur vacua] Medi & Persæ, ut modò de vicinis eorum Elymæis diximus, arcu valebant, quæ laus ad successores eorum Parthos transiit, testibus Historicis & Poëtis. Vide infrà 14.

11. *Diripientes hereditatem meam*] *Direptores mei patrimonii.* Chaldæos Deus alloquitur, qui Judæam & ipsa Hierosolyma diripuerant.

Et mugistis sicut tauri [צהל omnem *sonum elatiorem* significat, ait Rabbi Abraham.

12. *Confusa est mater vestra*] *Erit*: nempe Babylon.

14. *Præparamini contra Babylonem per circuitum omnes*] Simile supra XLIX. 14. & alibi.

Quia Domino peccavit] *In Dominum.* Templi vasa vertendo in usus profanos, Dan. V. 2. Nunc verò quàm multi hoc faciunt Principes, & Christiani dici volunt.

15. *Clamate adversus eam: ubique dedit manum suam*] *Clamate adversus eam undique: dedit manum suam.* Id est; Babylon fœderata fuit cum Lydis hostibus nostris (id ità fuisse ab Herodoto discimus); quare non est illi parcendum. Διδόναι δεξιὰς [*dare dextras*] pro *societatem inire* habemus I Maccab. XI. 50. & Galat. II. 9. Sic & *ponere manum* sumitur Levit. VI. 2. *manum complodere* Jobi XVII. 3.

Ceciderunt fundamenta ejus, destructi sunt muri ejus] *Cadant fundamenta ejus, destruantur muri ejus.* Hæc enim omnia jubentur clamare milites dum irruptionem faciunt. Nec aliter res se habuit. Βαβυλὼν μὲν οὕτω ἀραίρητο [*Babylon sic destructa est*], ait Herodotus. Strabo verò: κατήρειψαν τῆς πόλεως, τὰ μὲν οἱ Πέρσαι, τὰ δ' ὁ χρόνος [*dejecerunt urbis alia Persæ, alia tempus*].

Sicut fecit, facite ei] Sic Gotthis dicitur in Apocalypsi de Roma: ἀπόδοτε αὐτῇ ὡς καὶ αὐτὴ ἀπέδωκεν ὑμῖν [*reddite ei, sicut ipsa reddidit vobis*], XVIII. 6. Babylon multas urbes exciderat, etiam Hierosolyma. Patiatur legem quam tulit.

16. *Disperdite satorem de Babylone, & tenentem falcem in tempore messis*] Babylon habuit περιγραφὴν [*ambitum*] magis ἔθνους [*gentis*] quàm πόλεως [*urbis*], Aristoteles Politic. III. 2. Itaque in ipsa urbe seritur ac metitur: Plinius XVIII. 17. ob id multi in ea urbe erant agricolæ. Cùm verò victores clementiores soleant agricolis parcere, non fecêre id Medi ac Persæ cùm Babylonem caperent.

A facie gladii columbæ] *Vastatoris*: id enim hic est היונה: ut diximus suprà XXV. 38. & XLVI. 16.

Unusquisque in populum suum convertetur, & singuli ad terram suam fugient] Auxiliares scilicet à Babyloniis conducti.

17. *Grex dispersus Israel: leones ejecerunt eum*] *Dispulerunt eum. Leones* sunt *Reges*, ut rectè interpretatur Chaldæus: τὸ θηρίον βασιλέα δηλοῖ [*fera regem significat*], ut alibi ostendimus.

Primus comedit eum Rex Assur] Salmanasar, qui decem tribus deportavit.

Exossavit eum Nabuchodonosor Rex Babylonis] Quod de corpore reliquum erat, id est, Judam & Benjaminem, abstulit.

18. *Ecce ego visitabo Regem Babylonis*] Qui Nabuchodonosori locum tenet, *Nabonidum* Beroso, *Labynitum* Herodoto: nam sæpe apud Chaldæos ל & נ permutantur. Idem *Nabannidachus* Abydeno, *Nabonadus*, Ptolemæo.

Sicut visitavi Regem Assur] Nempe Sennacheribum Salmanasaris successorem.

19. *Et reducam Israel ad habitaculum suum*] Id est, Judam, Benjaminem, Levitas, & alios quosdam his adjunctos.

Et pascetur Carmelum] *Depascetur. Carmelus*, ut alibi ex Tacito ostendimus, *mons Judæam inter Syriámque* medius. Alibi כרמל [*Carmel*] est commune, hîc proprium.

Et Basan] Ubi pascua optima.

Et in monte Ephraim] Samariæ, quæ concessa Judæis à Demetrio, ut alibi demonstravimus.

Et Galaad] Pars Galilææ. Fuit autem in eadem concessione Demetrii & Galilæa: & ut accessio Judææ, non minùs quàm Samaria, possessa à Regibus Judæis, etiam ab Herode Magno.

Saturabitur anima ejus] Id est, ipse.

20. *Quæretur iniquitas Israel, & non erit; & peccatum Juda, & non invenietur*] Similitudo sumta à debitis, quæ in libro scribuntur, & ubi acceptilata sunt, delentur. Sic τὰ ἀδικήματα ἐν Διὸς δέλτου πτυχαῖς γράφεσθαι [*culpas scribi in tabulis libri Jovis*] dicebant Græci, teste Euripide in Melanippe.

Quoniam propitius ero eis quos reliquero] *Iis qui superstites erunt peccata condonabo*: id est, tractabo eos quasi nec ipsi nec parentes eorum peccassent.

21. *Super terram dominantium ascende*] Loquitur Deus homini nondum nato, Cyro scilicet, ostenditque quid eum velit facere. Ostendit autem quo itinere venturus sit contra Babylonem. Quare assentior iis qui per *terram* מרתים hîc non *terram dominantium*, ut Latinus hic ex Chaldæo, nec *rebellium*, ut alii, sed *Mardorum* intelligunt; qui duali numero ideo nominantur quòd alii essent cis Tigridem, alii trans Tigridem, ut ex Ptolemæo discimus, itémque ex Plinio & Mela.

Et super habitatores ejus visita] Pro *visita* Chaldæus habet proprium nomen, *habitatores Pekod*, id est, ut puto, Bactrorum.

Dissipa & interfice quæ post eos sunt] Id est, posteritatem illis

aufer,

aufer, omnes etiam pueros occidendo. Sic vox אחר [*post*] sumitur Daniel. XI. 4.

Fac juxta omnia quæ præcepi tibi] Mandata mea, quæ per Esaiam edidi, exsequere.

23. *Malleus universæ terræ*] Sic vocat Chaldæos, pari de causa, ut ob quam Francorum quidam dictus est *Martellus*.

Quomodo versa est in desertum Babylon in gentibus] Meliùs: *Quomodo Babylon gentibus stupori fuit?* nam שמה [*stupori esse*] & hoc significat.

24. *Capta es Babylon, & nesciebas*] Subitò, nihil tale adhuc suspicans. Vide suprà 8. Narrat Herodotus, & ex eo Aristoteles, jam partem urbis fuisse captam cùm qui in media essent urbe id adhuc ignorarent.

25. *Aperuit Dominus thesaurum suum*] Nempe is cujus thesauros tu abstulisti.

Et protulit vasa iræ suæ] Is, cujus vasa tu profanasti. Vide suprà 14.

Quoniam opus est Domino Deo exercituum] Opus illi est talibus instrumentis quales sunt Medi & Persæ.

26. *Venite ad eam ab extremis finibus*] A mari Caspio & Euxino.

Aperite ut exeant qui conculcent eam: tollite de via lapides, & redigite in acervos, & interficite eam: nec sit quicquam reliquum] Variant hîc versiones. Optima hæc videtur, *Aperite apothecas ejus, calcate eam sic acervi* (tritici scilicet, teruntur calcando): *quin ità eam delete ut nihil supersit.*

28. *Vox fugientium, & eorum qui evaserunt de terra Babylonis, ut annuntient in Sion ultionem Domini Dei nostri, ultionem Templi ejus*] Tanta erit fuga ut quosdam perlatura sit ad Judæam usque, qui ibi narraturi sint quid Babyloni evenerit.

29. *Annuntiate in Babylonem plurimis, omnibus qui tendunt arcum*] *Convocate contra Babylonem multos, qui omnes arcum tendant.*

Consistite adversùs eam per gyrum, & nullus evadat] *Stationes ab omni parte ponite, ne quis evadat.*

Reddite ei secundum opus suum] Suprà 15.

Quia contra Dominum erecta est] Vide ibidem.

30. *Conticescent in die illo*] Meliùs *succidentur*, à דמה; non à דמם [*siluit*]. *conterentur*, Chaldæus: ῥιφήσονται [*projicientur*], Græci.

31. *Ecce ego ad te superbe*] Superbe Chaldæe, ad te venio.

32. *Corruet, & non erit qui suscitet eum*] *Qui erigat.*

33. *Calumniam sustinent*] *Vi opprimuntur*. Id enim עשק: καταδεδυναστευόνται [*dominatu pressi sunt*] Lxx hoc loco, qui alibi minùs propriè vertunt συκοφαντεῖν [*calumniari*], de quo diximus ad Lucæ III. 14.

Omnes qui ceperunt eos tenent, nolunt dimittere eos] Tam Assyrii quàm Babylonii. ideo aliis hominibus mihi opus est.

34. *Judicio defendet causam eorum*] Erit ipsis advocatus. Videt enim durè eos haberi, & illudi, ob unius veri Dei cultum.

Ut exterreat terram] In Hebræo, *Ut quiescere faciat terram:* id est, ut tranquillam reddat Judæam.

35. *Ad sapientes ejus*]

Μοῦνοι Χαλδαῖοι σοφίαν λάχον. ———

[*Soli Chaldæi sapiunt.* ——— ———]

Ità de se existimabant. Strabo: Ἀφώριστο δ' ἐν τῇ Βαβυλωνίᾳ κατοικία τοῖς ἐπιχωρίοις φιλοσόφοις, τοῖς Χαλδαίοις προσαγορευομένοις, οἳ περὶ ἀστρονομίαν εἰσὶ τὸ πλέον [*Definita erat in terra Babylonia habitatio indigenis Philosophis, qui dicuntur Chaldæi, & maximè circa astrorum inspectionem versantur*].

36. *Ad divinos ejus*] In Hebræo, *mendaces ejus*. Chaldæus interpretatur קסם, quod nomen de Balaamo usurpat Chaldaïca versio. *Chaldæi vates* apud Curtium: cujus & hoc, *Si modò ars est, & non vanissimi cujusque ludibrium.*

Qui stulti erunt] Id est, stulti deprehendentur esse, quòd ista non præviderint.

37. *Et erunt quasi mulieres*] Pavidi, nihil virile cogitantes.

38. *Siccitas ejus super aquas, & arescent*] Quia abducto flumine alveum Euphratis sibi pervium fecit Cyrus, narrante Herodoto in Clio, & Xenophonte libro VII Institutionis. Vide & infrà LI. 32. Idem olim Semiramis fecerat, & post Cyrum Alexander: Frontinus III. 7.

Quia terra sculptilium est] Hæc causa est, cur Deus ista fieri siverit.

Et in portentis gloriantur] Idem est quod suprà: nam אימים sunt *idola*. At Græci legêre איים [*insulas*]; minùs rectè.

39. *Propterea habitabunt dracones*] *Silvestres feræ*, ut diximus ad Esaiam XIII. 21.

Cum faunis ficariis] *Cum feris felibus*, ut Esaiæ XIII. 22.

Et habitabunt in ea struthiones] Vide Esaiam ibid. & XXXIV. 14.

Usque in sempiternum] In Hebræo, נצח [*ad finem*]: id est, ad tempus usque à Deo præstitutum.

Usque ad generationem & generationem] Per γενεὰς [*generationes*] duas.

40. *Sicut subvertit Dominus Sodomam & Gomorram, & vicinas ejus*] Suprà XLIX. 18.

41. *Ecce populus venit ab Aquilone*] Medi.

Et gens magna] ו hic est ἐξηγητικὸν [*explicativum*]. Sensus: *Qui sunt gens magna.*

Et Reges multi] Armeniorum, Hyrcanorum, Cadusiorum, Lydorum. Vide Xenophontem V Institutionis.

A finibus terræ] Vide suprà 26. Sæpe eadem repetit, quò firmior hæreat memoria.

42. *Vox eorum quasi mare sonabit*] Sævùm frement.

Sicut vir paratus ad prælium] In Hebræo: *Ordinatus* (id est, *ordinati*), *tanquam vir ad prælium*. Tantus ordo, ut totum agmen virum unum esse dicas.

43. *Audivit Rex Babylonis famam eorum*] Nabonidus.

Et dissoluta sunt manus eorum] Statim prælio victus est. Vide Herodotum.

Dolor quasi parturientem] Suprà VI. 24. XIII. 21. XXII. 23.

44. *Ecce quasi leo ascendet*] Eadem sunt quæ suprà de Nabuzardane habuimus XLIX. 19.

45. *Quid concepit adversùs Babylonem*] Sicut suprà XLIX. 20. *adversùs Edom.* & pro *in mari Rubro* 21. est hic *in gentibus.* Cætera eadem.

CAP. LI.

MUNSTERUS.

1, 2. QUI *corde consurgunt*] Secundùm Hebræos conversione Alphabeti per לב קמי intelliguntur כשדים *Chaldæi*, qui ex corde fuerunt hostes Dei. Sic זרים quidam non accipiunt pro *ventilatoribus*, cùm in illo significatio sit de quinto ordine, & זורים scribi debeat; sed exponunt pro *alienis*.

5. *Quasi viduatus*] i. Non est usque adeò derelictus Israel à Deo suo quin de hostibus eorum sim sumpturus vindictam.

7. *Calix aureus*] Hebræi intelligunt per *calicem aureum* יין זהב *vinum flavum & purum:* per quod significatur Rex Babylon, qui fuit flagellum Dei quo omnes gentes sunt castigatæ.

10. *Eduxit Dominus justitias nostras*] Quia, inquit, inventi sumus in Babylone justi secundùm electionem Dei, liberati sumus à perditione Babylonis.

13. *Et terminus avaritiæ tuæ*] Quidam hîc intelligunt אמת per אמה, ut sit sensus, *adest finis tyrannidis quâ alios expilasti.* Alii exponunt מדה *mensuram*, in hoc sensu, *remetietur tibi Deus eâdem mensurâ quâ erga alios usus es.*

14. *Canticum vindemiæ*] h. e. Epinicion & canticum triumphale.

19. *Pars Jacob*] h. e. Deus, quem populus Jacob & Israel elegit pro hereditate & portione sua.

25. *Mons perditissime*] Vel, *mons perditor & dissipator.* Vocat autem Babylonem *montem* ob ædificiorum molem, cùm urbs ipsa in planitie fuerit sita. Nec obstat quod sequitur, *Devolvam te de petris*: quia hoc dicitur de præsidiis turrium eminentium, sicut & id, *Tradam te in montem combustionis*, h. e. eris posthac acervus ruinæ qui ex tui combustione relinquetur.

27. *Sanctificate contra eam gentes*] Capitur hîc *sanctificare* pro *præparare*. Non autem constat ex Hebræis scriptoribus qui fuerint populi *Ararat*, *Minni* & *Askenaz*, nisi quòd per *Ararat* accipitur Armenia; quam Jonathan *Kardu* vocat, à *Gordæis*, ut putant, montibus.

33. *Tempus trituræ*] Tritura sequitur messem, hîc verò præcedit: quòd *messis* referatur ad civitates Babyloniæ, quæ primùm fuerunt depopulatæ, *tritura* verò in Babylone fuit facta.

35. *Substantia mea direpta*] Vel, *præda mea, reliquiæ mea, quas scilicet per vim abduxerunt*: ut sit sensus, *Substantia quam diripuerunt Chaldæi in terra mea, & homines quos abduxerunt de Judæa, clamant vindictam contra Babylonios, sic dicant Israelitæ.*

36. *Arefaciam mare ejus*] Intelligunt hîc Hebræi per *mare* affluentiam omnium bonorum, quam Deus per hostes à Babyloniis sustulit.

39. *In calore eorum ponam convivia eorum*] Quando vino incaluerint, & soluti à curis genio securissimè indulserint; ego interturbabo convivium eorum, & vertam gaudium eorum in mœrorem, & delicias in cladem: id quod Daniel factum scribit, quòd unâ eâdem nocte Rex Belsazar cum proceribus aulicis fuerit interfectus.

41. *Sesach*] Est *Sesach* idem quod *Babel*, conversione scilicet Alphabeti.

42. *Mare*] Per *mare* impetuosum & sævum intelligitur exercitus hostilis.

46. *A rumore qui audietur*] Rumor de interficiendo Rege Babylonis primo anno percrebuit; & mox anno altero sermones de adventu Medorum spargebantur; & post hunc annum rursum similis rumor defertur per urbem de interitu Regis.

55. *Vocem magnam*] Per *vocem magnam* intelligitur strepitus ille tanti populi qui fuit in Babylone, quam Dominus interfecto populo quiescere fecit.

58. *Laborabunt populi in vanum*] Kimhi hunc locum sic exponit, *Populus Babylonicus conabitur se & sua ab incendio liberare, sed frustrà fatigabitur:* vel, *tunc cognoscent se in vanum laborasse in munitione urbis cùm ignis absumpturus sit universum laborem eorum.*

59. *Cum Zidkijahu*] Autor libri Sedar Olam scribit *Zidkijam quarto Regni sui anno unà cum Seraia principe exercitûs & homine quieto concessisse in Babylonem ad Nebuchadrezar, & tunc Propheta prædixit Monarchiæ excidium, præscribens tamen* LXXVII *annos pænitentiæ.* Jonathan verò sentit solum Serajam propter Regem Jehuda abiisse in Babylonem. Vocatúrque *princeps quietis & solatii* quòd semper cum Rege fuerit, & facetis suis colloquiis illum ab animi levaret molestia, aut quòd Rex illo per otium se oblectarit.

VATABLUS.

1. SUscito מעיר] Præs. Heb. pro fut. *suscitaturus sum:* sive *excitaturus.* ¶ *Et contra cor,* ואל ישבי וגו'] Ad verb. *& super habitatores cordis insurgentium contra me:* vel *inimicorum meorum.* Quidam convertunt, *& contra habitatores* terræ qui *corde consurgunt adversum me.* Alii, *& adversus habitatores* ejus, & contra *cor hostium meorum.* Alii, *& adversus habitatores* ejus *qui elevaverunt cor* suum *contra me.* Alii, *& super habitatores corde repugnantium mihi.* ¶ *Corrumpentem* משחית] *Exterminantem.* i. Boream, ventum Aquilonarem omnia perdentem. Alii vertunt *spiritum exterminatoris*, i. Darii.

2. *Ventilatores, & ventilabunt eam* זרים וזרוה] *Dispersores, & dispergent eam.* Alii, *alienos, & alienabunt eam:* i. *quicunque alienam & extraneam facient eam in cunctis quæ fuerint ei: quia tollent omnes, & diripient eam, sive prædabuntur:* ità doctus inter Hebræos. ¶ *Evacuabúntque* ויבוקקו] *Exinaniéntque*, i. vacuam, & inanem reddent. ¶ *Erunt adversus*, &c. היו עליה מסביב] i. Invadent ac oppugnabunt eam omni ex parte.

3. *Ad tendentem*, &c. אל ידרך וגו'] i. Ad sagittarios qui in bello utuntur arcu, h. e. ad milites levioris armaturæ: *& ad eum qui gloriatur & sibi placet in lorica sua*, sive *propter loricam suam*, i. quòd sit bene armatus, h. e, ad milites gravioris armaturæ, sub. *dicturus sum*, *Nolite parcere.* Quidam legentes אל per Pathah subscriptum, quod significat *Ne*, verterunt, *Ne tendat tendens arcum suum, & nè extollat se in lorica sua; & ne parcatis*, &c. Omnia tamen exemplaria Hebræa legunt אל cum Segol subscripto. ¶ *Interficite* החרימו] *Exterminate; exscindite funditus.*

5. *Viduatus* אלמן] *Viduus*; i. inquit doctus inter Hebræos *non fuit sicut vidua, cujus maritus mortuus est quia ipsa est derelicta ab eo semper; non sic Israel, quia vir ejus Dominus Deus vivit & permanet: quod si derelicta est in transmigratione, adhuc visitabit eam, & revertetur ad eam. Viduatum* sive *viduum Deo* dicit, ut *orbum liberis* dicimus. Hebraicè legitur *viduatus à Deo suo & à Jehovah.* ¶ *Terra eorum* ארצם] Sub. *Chaldæorum.* Quidam referunt ad *Judæos*, vertentes, *Quamvis terra eorum repleta fuerit*, &c. ¶ *Propter Sanctum Israel* מקדוש ישראל] Ad verb. *à Sancto Israelis*, i. ob injuriam illatam Sancto Israelis. Qui pronomen *eorum* dicunt referre Chaldæos, exponunt *sanctum Israelis* ipsum Judaicum populum quem afflixerunt Chaldæi: q. d. ob populum ejus indignissimè afflictum & tractatum: nam Deus videbatur affici injuriâ quando graviùs affligebantur Judæi.

6. *Fugite* נסו] Sic cap. 50. 8. alloquitur externos qui erant in Babylone. ¶ *Et eruite* ומלטו] Vide cap. 48. 6. *& servate.* ¶ *Perdamini* תדמו] *Exstirpemini; excidamini funditus*, ut v. 3. ¶ *Retributionem*, &c. גמול הוא משלם לה] Ad verb. *retributionem ipse reddit ei.* Præs. Heb. pro fut. *vices ei rependet.*

7. *Calix auri* כוס זהב] *Aurum* pro *vino purissimo* ut est aurum. *Calicem vini* intellige pœnam acrem: q. d. Dominus acres pœnas sumet de omnibus gentibus per Babylonios, tandem acerrimè eos perditurus. Propinatrix calamitatum omnibus gentibus fuit Babylon. ¶ *De vino ejus* מיינה] Sub. *calicis.* ¶ *Bibent* שתו] Præt. Heb. pro fut. i. quem porriget bibendum gentibus impiis, adeò ut præ nimia afflictione redigantur ad insaniam & amentiam.

8. *Tollite balsamum* קחו צרי] Vide suprà 46. 11. ¶ *Si forte sanetur* אולי תרפא] *Forte sanabitur.* Ironicè dictum.

9. *Curavimus* רפאנו] Sub. *dicet alter ad alterum*, *Dedimus operam ut curaremus*, sive *sanaremus.* ¶ *Judicium ejus* משפטה] i. Pœna justè ei inflicta est summa & immensa.

10. *Eduxit* הוציא] *Protulit. Emisit in lucem:* q. d. Babylonios pœnâ maximâ afficiet Deus: contrà suâ sententiâ nos tanquam justos absolvet, opere externo comprobabit fiduciam quam in eo habemus; h. e. restituendo nos in libertatem pristinam, ostèndet quòd nos pro justis & innocentibus habet. Opponit *judicio*, i. pœnæ, *justitiam*, i. remissionem pœnæ. ¶ *Venite* באו] *Agite. Adeste.*

11. *Extergite* הברו] *Expolite.* Quidam Hebræorum ab אבר deducunt, & exponunt, *Ponite pennas in sagittis.* ¶ *Congregate scuta* מלאו השלטים] *Implete clypeos*, i. tegite corpora vestra clypeis. ¶ *Ultio Jehovæ* נקמת יהוה] Sic cap. 50. 28. q. d. *Quia Dominus constituit apud se sumere pœnas de Babyloniis ob violatum suum Templum ab illis.*

12. *Levate vexillum* שאו נס] Verba Dei aut Prophetæ, *Date operam; ô Medi; ut vexilla vestra collocetis super mœnia Babylonis in argumentum victoriæ partæ.* Aut, *erecto & explicato vexillo invadite Babylonem.* ¶ *Fortificate custodiam* החזיקו המשמר] *Roborate custodias.* Alii, *augete excubias.* ¶ *Etiam cogitavit Jehovah, etiam fecit* גם זמם יהוה גם עשה] Geminatio ista augmentum habet, ut annotat doctus inter Hebræos: quasi Latinè dicas, *non modò cogitavit, sed etiam perfecit quod cogitavit:* aut, *etiam perfecit quod cogitavit.*

13. *Juxta aquas multas* על מים רבים] i. Ad Euphratem amnem celeberrimum. ¶ *Finis oppressionis tuæ* אמת בצעך] *Finis desiderii tui:* vel *avaritiæ tuæ.*

14. *Hominibus* אדם] i. Militibus. ¶ *Et cantabunt* ויענו] *Et clamabunt:* q. d. *Non habear posthac pro summo Deo nisi implevero te militibus qui æquabunt numerum bruchorum; & nisi illi milites cohortaturi sint se mutuò ad te perdendum, ut tempore vindemiæ se mutuò hortari solent calcatores ad uvas exprimendas.*

15. *Qui facit*, &c. עשה וגו'] Hic versus cum quatuor sequentibus usque ad 20 legitur & suprà 10. 12.

20. *Et conteram* ונפצתי] *Et contundam.* Possunt hi versus aut per præsens verti, aut per futurum, aut etiam per præteritum. Deus impiorum & idololatrarum operâ aliquando utitur ad sumendam vindictam.

23. *Et jugum boum ejus* וצמדו] *Et par equorum ejus.* ¶ *Et principes* וסגנים] *Et tyrannos.*

25. *Corrumpens* המשחית] *Perdens. Ego quidem* [vel *certè*] missurus sum *contra te* milites meos, Darium scilicet & suos. Vocatur hîc Babylon *mons*, non quòd esset sita in monte (sita enim erat in loco humili) sed quòd esset fortis & inexpugnabilis. Chaldæus P. vertit *urbem.* ¶ *De petris* מן הסלעים] *De rupibus.* Ut per *montem* significat urbem munitam, sic per *petras* sive *rupes* denotat munitiones sive præsidia, i. loca inexpugnabilia, quemadmodum & Montes & Rupes naturâ sunt loca inaccessa. ¶ *Et ponam te*, &c. ונתתיך וגו'] Hebraismus, *reddam te similem urbi quæ conflagravit.*

26. *Lapidem pro angulo* אבן לפנה] i. Quem ponant ac collocent in præcipua & excellentiore parte ædificii. Per *lapidem pro angulo* intelligitur Regnum, & per *lapidem pro fundamentis*, Rex: q. d. Nunquam nascetur in te qui sit Rex aut Imperator.

27. *Ararat, Minni, & Aschenaz* ארט מני ואשכנז] *Ararat*, Armenia Major seu montosa dicitur; *Minni* verò, Armenia Inferior. De Armenia montosa fit mentio Gen. 8. 4. Per *Aschenaz* tota regio Gothica intelligitur, quæ est Septentrionalis, & accedit ad Scythiam. Judæi hujus ætatis per *Aschenaz* etiam Germaniam intelligunt. ¶ *Principem* טפסר] *Ducem*, ad eam scilicet expugnandam. ¶ *Ascendere facite* העלו] *Educite.*

28. *Potestatis ejus* ממשלתו] *Ditionis ejus: dominii ejus.*

29. *Et contremiscet terra, & dolebit* ותרעש הארץ ותחל] *Et commota est terra, & dolore afficitur instar parturientis:* q. d. Jam incipiunt timere, nec audent conserere manus cum hostibus, sed continent sese in munitionibus suis. ¶ *Firmata est* קמה] i. Effectum sortitur, adimpletur quod Dominus cogitarat contra Babel. ¶ *Omnis cogitatio* מחשבות] Plurale est Hebræis junctum verbo singulari, acsi dicas, *unaquaque cogitatio firmata est*, sive *quæcunque cogitavit.*

30. *Habitaverunt in munitionibus* ישבו במצדות] *Sederunt* [*continuerunt sese*] *in præsidiis:* vel *arcibus.* q. d. Non audent milites qui tuentur Babylonios egredi ut conserant manus. ¶ *Habitacula ejus* משכנותיה] Sub. *Babylonis.* Relativum est femininum.

31. *A termino* מקצה] *Ab angulo*, sub. *uno qui pertinet ad Euphraten.* Per alveum Euphratis capta fuit Babylon, qui per medium ejus fluebat.

32. *Et vada* המעברות] *Et transitus.* Gallicè *les passages:* sub. *ex Euphrate in urbem*, quos aliò derivans Persa, exustis carectis ex alveis fluminum, ut expeditior esset via ad urbem, occupavit eam. Apud Euphraten & Nilum crescunt arundines magnitudine arborum. ¶ *Et arundines* ואת האגמים] *Et juncos.* Significat & *paludes.*

33. *Tanquam area* כגרן] i. Nunc quidem opulenta est & plena divitiis Babylon: at brevi spoliabitur illis, non aliter quàm agri segetibus tempore messis.

35. *Rapina mei, & caro mea* חמסי ושארי] i. Rapina opum mearum & caro interfectorum meorum, sive qui ex meis sunt occisi, debent imputari Babyloni. Alii, *Injuria* [vel *violentia*] *mihi illata* [accipitur passivè] *& caro mea*, i. cædes facta de incolis meis. Alii, *Substantia mea direpta & caro mea* clamant *contra Babel:* vel, *præda mea*, reliquiæ meæ quas scilicet per vim abduxerunt: ut sit sensus, Substantia quam diripuerunt Chaldæi in terra mea, & homines quos abduxerunt de Judæa, clamant vindictam contra Babylonios.

36. *Judico* רב] Præs. Heb. pro fut. *judicaturus sum pro te.* Alii, *contendo in causa tua.* Alii, *litigabo cum litigantibus tecum.* Alii, *defendam causam tuam.* Alii, *causam tuam agam.* ¶ *Et ulciscar ultionem tuam* ונקמתי את נקמתך] i. Sumam pœnas sive vindictam de Babyloniis, ob injuriam tibi illatam ab eis. Alii, *vindicabo pro te.* ¶ *Mare ejus* ימה] *Mare* pro *affluentia omnium bonorum:* q. d. Exhauriam & deprædabor opes ac divitias ejus immensas, & quæ magnitudine æquant mare, i. maximas & infinitas. Quod immensum est comparat mari. ¶ *Venam ejus* מקורה] *Fontem ejus: scaturiginem ejus.*

37. *Stupor* שמה] *Admiratio.* Alii, *desolatio.* Vide supra 25. 9. & 49. 17, 33. & 50. 13, 40.

38. *Rugient* ישאגו] Præt. Heb. pro fut. Si referatur ad Babylonios, pertinebit ad dolorem ac tristitiam: si vero ad Medos ac Persas, significabit alacritatem invadendi & aggrediendi.

39. *In calore eorum*, &c. בחמם וגו'] *Cùm incaluerint* vino, *ponam*, sub. *in malum.* i. In convivio quod celebraturus est Balsasar suis nobilibus, ut scribitur Dan. 5. 1. efficiam ut convivium eorum sit illis perniciosum, vertatúrque gaudium eorum in tristitiam. Utitur plurali *convivia*, quòd convivium Balsasar esset instar multorum conviviorum, ob rerum copiam. ¶ *Et non evigilent* ולא יקיצו] *Unde non expergiscantur.*

40. *Descendere faciam eos*, &c. אורידם וגו'] Similis locus suprà 48. 15. & 50. 27. i. *deducam eos tanquam agnos ad jugulationem*, h. e. ad locum ubi jugulentur.

41. *Sesac* ששך] Babylonem esse, suprà 25. 26. dictum est. Miratur in spiritu eversionem Babylonis, quia humanis viribus expugnari posse non videbatur. ¶ *Laus* תהלה] *Gloria*, i. omnium urbium terræ celeberrima & clarissima.

42. *Mare* הים] i. Immensus exercitus Medorum & Persarum.

43. *Non habitabit*, &c. לא ישב וגו'] Vide suprà 49. 33.

44. *Quod deglutivit* את בלעו] *Quod devoravit*, i. donaria & munera quæ obtulerunt ei cultores ipsius. Is enim religiosissimè colebatur.

46. *Et nè fortè mollescat* ופן ירך] Subaudi, *Ego autem dico vobis:* aut ו conjunctio vacat. ¶ *Propter rumorem* בשמועה] Ad verb. *in auditu.* ¶ *In anno rumor*, &c. בשנה השמועה] i. Alio atque alio anno veniet rumor: vel, rumorem belli subsequetur alius major rumor. Obscurè docet tempus expugnandæ Babylonis, quod accidit tertio anno Balsasar, qui tribus annis regnavit: Primo belli rumor sparsus est, secundo advenerunt Persæ, tertio expugnata fuit Babylon. ¶ *Et fiet rapina* וחמס] *Iniquitas: injustitia: oppressio.* ¶ *Super dominatorem* על מושל] *Post dominatorem*, sub. *veniet.* Cyrus enim Dario successit.

47. *Ecce dies veniunt, & visitabo* הנה ימים באים ופקדתי] Hebraismus, futurum est ut visitem. ¶ *Et universa terra*, &c. וכל ארצה וגו'] i. Incolæ totius agri Babylonici pudore afficientur cùm viderint deos suos confractos & contritos, & nihil posse.

48. *Et laudes dicent* ורננו] *Et jubilabunt.* ¶ *Quia* כי] *Cùm.* ¶ *Prædones* השודדים] *Vastatores.*

49. *Siquidem*, &c. גם וגו'] Ad verb. *Etiam Babel ut caderent interfecti Israel, etiam in Babel ceciderunt*, &c. Præt. Heb. pro fut. & ל in לבבל significat *Propter*, vel *In.* Quidam vertunt, *Nam Babel* fuit causa *ut caderent interfecti Israelis: etiam propter Babel ceciderunt interfecti totius terræ.* Alii, *Siquidem Babel* effecit *ut caderent interfecti Israel, & ob id Babyloniorum interfecti ceciderunt* in *universa terra.* Alii, *Sicut Babylon prostravit in Israel interfectos, prosternentur interfecti Babylonis in tota terra.* Alii, *Etiam ex Babel est ut caderent interfecti Israelis, etiam ex Babel est ut caderent interfecti omnis terræ.* Geminatum גם nonnihil obscurat locum. Item infinitivus hanc numerorum & personarum varietatem efficit.

50. *Evasores à gladio* פלטים מחרב] i. Qui fugistis gladium in excidio Jerosolymitano. ¶ *A longè* מרחוק] i. Post multos annos, sive multa tempora, nempe post LXX annos. ¶ *Ascendat super cor vestrum* תעלה על לבבכם] Hebraismus, Jerusalem vobis redeat in memoriam, in qua colitur Deus. Alii, *Jerusalem vobis sit cordi.* Subaudi, *Et dicite, Puduit nos.*

51. *Opprobrium* חרפה] i. Injuriam illatam Deo & Templo ejus. ¶ *Sanctuaria* מקדשי] Plurali numero utitur propter Vestibulum, Templum & Adytum. Vide Psal. 68. 36.

52. *Gemet occisus* יאנק חלל] i. Qui interficientur, moriendo edent gemitus ac suspiria, efflando scilicet animam.

53. *Si* כי] *Cùm.* ¶ *Et si munierit excelsum roboris sui* וכי תבצר מרום עזה] *Et cùm roboraverit altitudinem fortitudinis suæ*, i. cinxerit se muris crassissimis & altissimis. Quidam, *& si munierit in excelso fortitudinem suam.* Alii, *& si munierit per altitudinem robur suum.* ¶ *A me* tamen *venient* מאתי יבאו] Ut v. 48.

54. *Vox clamoris* קול זעקה] Hebraismus, *Ingens clamor*, sub. *audietur.* ¶ *Et contritio magna* ושבר גדול] i. Clamor qui excitari solet in oppressione, exaudietur.

55. *Vastat* שדד] Præs. Heb. pro fut. *vastaturus est:* quod indicat verbum mox sequens. ¶ *Vocem magnam* קול גדול] Quia magna turba magnum tumultum facit, idcirco *vocem* pro *turba* accipit: q. d. Ubi nunc est magnus tumultus, erit magnum silentium, occisis civibus. ¶ *Et sonabunt* והמו] *Posteaquam sonuerint.* ¶ *Edetur* נתן] Præt. Heb. pro fut. *datus est* pro *dabitur.*

56. *Venit* בא] Præt. Heb. pro fut. ut ex posteriore verbo hujus versûs apparet, quod est fut. temp.

57. *Et inebriabo* והשכרתי] Sub. *calice iræ meæ:* i. sumam pœnas de illis: vel, auferam illis mentem.

58. *Confringendo confringetur* ערער תתערער] *Destruendo destruetur: evertendo evertetur.* ¶ *Et laborabunt* ויגעו] *Et fatigabuntur*, sub. *in igne exstinguendo.* Alii exponunt, *frustrà exstruent Babylonii ædes magnificas; quia igne absumentur.* ¶ *Et gentes in igne* ולאמים בדי אש] *Et nationes in igne*, sub. *restinguendo.* ¶ *Et lassabuntur* ויעפו] q. d. Priùs lassabuntur quàm ut illum exstinguere possint.

59. *Verbum*, &c. הדבר וגו'] Sing. pro plur. acsi dicat, *Hæc sunt verba quæ*, &c. ¶ *Quietis* מנוחה] i. Recreationis. Hic locus non est intelligendus de captivitate Sedeciæ, sed de profectione quam suscepit in Babylonem anno quarto Regni sui, ut Nabuchodonosorem inviseret, illúmque salutaret. Hujus autem profectionis comitem sibi ascivit Semeiam Principem, cujus commercio uti solebat quoties animum remittere volebat & recreare, à feriis negotiis respirando. Chaldæus P. vertit *Princeps muneris*, pro *munerum:* i. præerat muneribus offerendis Regi: q. d. Cùm quis offerre vellet munera quædam Regi, ille excipiebat ea, & offerebat Regi. Videtur legisse מנחה.

61. *Hæc* האלה] Quæ scilicet scripta sunt in hoc libro quem tibi trado.

63. *Et erit, cùm compleveris legere* והיה ככלותך לקרא] Hebraismus, *Cùmque finem feceris legendi.*

64. *Et non consurget*, &c. ולא תקום מפני הרעה] *Et non consistet propter afflictionem quam inducturus sum*, &c. i. non poterit resistere adversariis. ¶ *Et lassabuntur* ויעפו] Sub. *cives Babel:* i. erunt similes hominibus lassis, qui adversariis resistere non possunt. ¶ *Verba* דברי] Sub. *de eversione Babel:* q. d. Hactenus Jeremias vaticinatus est de eversione Babel.

CASTALIO.

1. EGO *in Babylonem & incolas Lebcamai*] Hoc verbum sign. *cor infestorum meorum*, quà voce Chaldæam terram innuit, tum significatione (nam ea erat Deo contraria & infesta) tum verbo, nam hæ literæ לבקמי si Alphabetum præposterè numeres, in eodem sunt numero in quo כשדים si rectè numeres, quod in Hebræo eleganter dictum, in aliis linguis dici non potest. Itaque Græci verterunt Χαλδαίους. Ejusmodi ænigmate dictum videtur & suprà cap. 25. ששך pro בבל. Hic animadvertendum est, ex qua Babylone velit Deus migrare nos; videlicet *ex* LEBCAMAI, h. e. *ex corde nostro*, quod est Deo contrarium. Sed hoc nemo intelliget, nedum præstabit, nisi qui volet retrogredi (ut postulat hujus verbi natura) h. e. omnia & intelligere & facere contrà quàm facit caro.

5. *Non*

5. *Non enim viduati sunt Israelitæ & Judæi Deo suo Jovâ armipotente, sed eorum terra criminibus in Israelitarum Augustum commissis repleta est*] Non ideo in Chaldæa exsulant quia sunt à Deo destituti, sed quia eum in Judæa offenderunt.

13. *O quæ in humore copioso habitas, facultatibus abundans*] Opibus affluis, ut arbores in humido loco.

15,—19. *Is qui terram vi suâ fecit*, &c.] Eadem cap. 10. 12,—16.

25. *Mons perniciose*] Babylon, quæ elata es & excellens.

27. *Adducite equos hirsutarum erucarum similes*] Horridos & densissimos.

32. *Stagna cremata igni*] Exhaustam aquam. Nam Cyrus Euphratem ab Urbe corrivasse aliò, & per alveum ingressus esse dicitur.

33. *Cui brevi veniet tempus messis*] Excidii.

34. *Consumpsit turbavitque me Nabuchodonosor*] Sionis verba.

35. *Meique sanguinis*] h. e. Cædis, scilicet autores sunt.

38. *Illi simul ritu leonum rugient*] Sc. Medi.

44. *Eique bolum ex faucibus eripiam*] Victimas & ferta.

58. *Nationes igni sese defatigaverint*] Quod opus magno cum labore fecerint, id igni flagrabit.

CLARIUS.

3. AD *eum qui tendere solet*] Subaudi *dicam*, nempe ea quæ sequuntur, *Nolite parcere juvenibus ejus*.

5. *Non fuit viduatus*] *Non fuit quasi vidua*, h. e. non usque adeò est derelictus Israel à Deo suo quin de hostibus eorum sit sumpturus vindictam. ¶ *Repleta est delicto à Sancto Israel*] Repleta est delicto defectionis à Sancto Israel, à quo scilicet defecit.

7. *Calix aureus*] Hebræi intelligunt per *calicem aureum* vinum flavum & purum, per quod significatur Rex Babylonis, qui fuit flagellum Dei quo omnes gentes sunt castigatæ.

8. *Ululate super eam*] Dicitur Ironicè. Si quisquam, inquit, est qui vicem ejus doleat, tentet an sanari possit: sed experietur insanabile esse vulnus ejus.

10. *Protulit Dominus justitias nostras*] Quia, inquit, inventi sumus in Babylone justi secundùm electionem Dei, liberati sumus à perditione Babylonis.

13. *Quomodo oppressisti alios*] Explicuimus sensum paraphrasticώs. Heb. *Mensura violentiæ tuæ*. Alius vertit, *terminus avaritiæ tuæ*.

14. *Celeuma*] Quod alius vertit *canticum vindemiæ*. Intelligit autem epinicion & canticum triumphale.

19. *Pars Jacob*] h. e. Deus, quem populus Jacob & Israel elegit pro hereditate & portione sua.

20. *Malleus tu mihi*] Babylonem elegit Deus ut per Reges ejus in omnem terram animadverteret. Verùm intemperanter abusi sunt victoriâ: idcirco retaliabitur eis. ¶ *Collisi in te*] h. e. Per te. Usus sum, inquit, *te* ad collidendos alios: nunc collidam te, & reddam Babyloniis omne malum quod fecerunt.

25. *Mons pestifer*] Vocat Babylonem *montem* ob ædificiorum molem, alioquin in planitie sita urbs est. De qua Strabo, *Babylon in campo jacet. Muri ambitum habent* CCCLXXXV *stadia, crassitudo pedum* XXXII, *altitudo turris cubitorum* L. *via super mœnibus tam lata ut quadrigæ occurrentes facilè pertransire possent. Unde & hæc ex septem spectaculis Orbis unum dicitur.* ¶ *Evolvam te*] Hoc dicitur de præsidiis turrium eminentium. ¶ *Dabo te in montem combustionis*] h. e. Eris posthac acervus ruinæ, qui ex tui combustione relinquetur.

27. *Sanctificate super eam gentes*] Capitur hic *sanctificare* pro *præparare*. Non autem constat ex Hebræis scriptoribus qui fuerint populi *Ararat*, *Menni* & *Ascanez*, nisi quòd per *Ararat* accipitur Armenia.

33. *Tempus trituræ*] Tritura sequitur messem, hìc verò præcedit: quòd *messis* referatur ad civitates Babyloniæ, quæ primùm fuerunt depopulatæ; *tritura* verò in Babylone fuit facta.

35. *Iniquitas*] h. e. Injuria quâ affectus sum, & *caro mea*, h. e. cadavera meorum, clamant vindictam contra Babylonios.

36. *Desertum faciam mare*] Intelligunt hic Hebræi per *mare* affluentiam omnium bonorum, quam Deus per hostes à Babyloniis sustulit.

39. *In calore eorum*] Tempus hìc definitur excidii: dum noctis convivio quod magnificè Rex instruxerat, incalescebant, ebriique jactabantur, *emicuit manus in pariete scribentis*, ut est apud Danielem, gaudium convivii interturbatum, versúmque est in mœrorem ac metum atque adeò in funestam cladem: nam eàdem nocte Rex Balthasar cum proceribus aulicis interfectus est.

41. *Capta est Sesach*] Est *Sesach* idem quod *Babel*, conversione scilicet Alphabeti, ut suprà est dictum.

44. *Visitabo super Bel*] Aureum idolum Belis erat, quod victor comminuit.

45. *Egredimini*] Alloquitur Israelitas, & triennio antè præmonuit.

46. *Veniet in anno auditio*] h. e. Rumor de interficiendo Rege Babylone primo anno percrebruit, & hoc est quod ait, *auditum qui audietur in terra*. Altero anno sermones de adventu Medorum spargebantur, post hunc rursus de bello & interitu Regis. Aut aliter; Monarchæ Dario, qui Balthasaris Regnum occuparat, peracto uno anno Regni, statim successit Cyrus.

50. *Qui fugistis*] Israelitæ scilicet, hos enim alloquitur.

55. *Vocem magnam*] Intelligit strepitum illum tanti populi qui fuit in Babylone, quem Dominus interfecto populo quiescere fecit.

59. *Saraiæ filio Neriæ filiæ Maasiæ*] Sedechias quarto anno Regni sui, comite Saraiâ, salutaturus Regem, Babylonem concessit. Tum Propheta excidium Urbis & Regni Monarchæ potentissimo prædixit septem annis ante dirutam Jerusalem, h. e. LXXVII annis antequam id fieret. Tantum spatii ad pœnitentiam præscripsit, quò minus haberent quod excusarent, & ut admoniti humaniùs tractarent captivos. ¶ *Principes quietis*] h. e. Qui eum miseriæ suæ oblivisci faceret, dum illo per otium se Rex oblectaret. Alii intelligunt quòd ei mandatum fuerit per militem tueri publicam quietem.

64. *Hucusque verba Jeremiæ*] Excidium Babylonis postremo loco prædixit. Aliis videtur hinc liquere quòd aliquis mandatarius librum Prophetiarum Jeremiæ conscripserit, recensendo verba Prophetæ, & fidei parandæ causâ hanc clausulam esse adjectam, nequis existimaret scribæ & non Prophetæ sermones esse. Sed puto illa verba addita ut secerneretur caput ultimum à scriptis Jeremiæ.

LUCAS BRUG.

6. QUoniam [o.] *tempus ultionis ejus est* [o.] *à Domino.*] Pronomen *ejus* sustulerunt Castigatores, Hentenius, Parisienses & Dominicani, quòd multis & emendatioribus codicibus non addatur, id quod certè in nostris deprehendimus. Hebraicè quoque & Chaldaicè non legitur. Græcè est; vel quòd Interpretes pro נְקָמָה legerint נִקְמָתָהּ, vel quòd ob sententiam adjecerint, ut nonnulli hodie Latini translatores. Omittunt insuper *à* præpositionem Moguntina & Coloniensis editio, & manuscripta exemplaria pleraque, atque inter ea correctissima quæque cum Glossæ Ordinariæ & Richelii textibus: id quod bene convenit Hebraico ליהוה. Græcè est αὐτῆς Κυρίῳ *à Domino*: sed non cum Græca nostra commiscenda translatio est. Ergò hujus loci vera est lectio, *Quoniam tempus ultionis est Domino*: quam Dominicani recepere, & Carensis secutus est.

58. *Murus Babylonis ille latissimus suffossione* [*suffusione* o.] *suffodietur.*] Quatuor Parisiensium codices, scripti duo Ge. p. Di. o. impressi totidem, B. Compl. & octo nostri, scripti quinque, impressi tres, habent *latissimus*: cæteri nostri legunt *altissimus*. Lyranus in correctis libris dicit esse *latissimus*. Apud Richelium hoc, apud Rabanum & Carensem alterum scriptum est. Castigatores, Dominicani, Parisienses atque Hentenius, *latissimus* in textum retulerunt. Id enim significat vox Hebraica הרחב, quam LXX ἐπλατύνθη *dilatus est* interpretati sunt. Ex emendatioribus nostris MSS. unum, O notatum, *latissimus* habet: reliqua, Brug. Leod. Lob. Pl. m. E, L, Q, & primæ typographorum excusiones, Mogunt. Nuren. Colon. *altissimus* servant. Ac potuit fortè Interpres *altissimus* vertisse, si Hebraicè הרם legerit, ר pro ח.

DRUSIUS.

1. לֵב קָמָי. A. καρδίας ἐπεγειρόντων. Sym. ipsam posuit dictionem Ebraicam. Sign. autem *ardens & excitatum cor*. Adhibe Rom. ed.

20. מַפֵּץ אַתָּה לִי כְּלֵי מִלְחָמָה. Theodoretus ex Syro, Ἑτοίμασόν μοι σκεύη πολέμου, *Para mihi vasa bellica*.

27. אֲרָרַט מִנִּי. Ἀραράτ, Menni, *Ararat*, *Menni*.

GROTIUS.

1. HÆc *dicit Dominus*] Est sermo continuus cum priore. *Ecce ego suscitabo super Babylonem & super habitatores ejus, qui cor suum levaverunt contra me, quasi ventum pestilentem*] *Ventum urentem*. illud לב קמי, quod hìc vertitur, *Qui cor suum levaverunt contra me*, per literarum transmigrationem

tionem illam frequentem Chaldæis, quæ dicitur אתבש [*Athbasch*] de qua aliquid diximus suprà xxv. 26. facit כשדים, quod *Chaldæos* significat. Et ità hanc κρύψιν [*occultationem*] intellexêre & Græci & Chaldæus hoc loco: nec aliter Rabbini Salomon & Kimchi.

2. *Et mittam in Babylonem ventilatores, & ventilabunt eam*] Id est, *dispersores:* nam qui ventilant, dispergunt.

Et demolientur terram ejus] *Despoliabunt.* Sic & Chaldæus.

Quoniam venerunt super eam undique, in die afflictionis ejus] Meliùs: *Cùm eam undique circumvenerint tempore* (ipsi Babyloni) *adverso.*

3. *Non tendat qui tendit arcum suum, & non ascendat loricatus: nolite parcere juvenibus ejus, interficite omnem militiam ejus*] Meliùs, *Et qui tendit tendendo tendens arcum suum, & ei qui ascendit loricatus,* hæc scilicet dicit Deus quæ sequuntur, *Ne parcite juventuti: omnem militiam ejus interficite.* Ter repetit vocem tendendi, quia vult quàm maximè tendi nervum.

4. *Et cadent interfecti in terra Chaldæorum*] Transpositio, pro *interfecti Chaldæorum* (id est, ex Chaldæis) *cadent in terram.*

5. *Quoniam non fuit viduatus Israel & Juda à Deo suo Domino exercituum, terra autem eorum repleta est delicto à Sancto Israel*] *Nam non à Deo suo Domino exercituum viduati sunt* (derelicti ut vidua) *Israël & Juda* (id est, meminit Deus contumeliæ Judæis illatæ ob religionem); *ideòque terra eorum* (id est, Chaldæorum) *plenissimè punietur à Sancto Israelis,* à Deo: id est, multò graviorem pœnam ferent quàm Judæi pertulerunt.

6. *Fugite de medio Babylonis, & salvet unusquisque animam suam*] Hoc ad Romam à Gotthis oppugnatam applicat Apocalypsis XVIII. 4. Implevit hæc verba Nabonidus. Fugit enim Babylone in Borsippa. Vide locum Berosi quem produximus ad librum tertium de Veritate Religionis Christianæ.

Nolite tacere super iniquitatem ejus] Meliùs vertes, *Ne succidamini propter culpam ejus:* ut sit à דמה [*excidere*], non à דמם [*tacere*], quomodo suprà L. 30. Et sic sumsit Johannes in Apocalypsi XVIII. 4. ἵνα μὴ συγκοινωνήσητε ταῖς ἁμαρτίαις αὐτῆς [*ne communicetis peccatis ejus*].

7. *Calix aureus Babylon in manu Domini, inebrians omnem terram*] *Poculum aureum Babylonis Dei manu* (dispensante) *inebriat omnem terram.* Id est, Babylonis societas valde splendida multas auxiliares populus in exitium traxit. Per calicem inibatur societas. At verò ut in Octæo est Senecæ:

Aurea miscet pocula sanguis.

Juvenalis:

——— nulla aconita bibuntur.
Fictilibus: tunc illa time, cùm pocula sumes
Gemmata, & lato Setinum ardebit in auro.

Sic illi etiam Babylonis socii ex calicibus aureis venenum biberunt. Vide quæ suprà xxv. 16.

Et ideo commota sunt] *Ideo insanient.* Nam & magnus dolor non minùs quàm vinum hominibus mentem adimit, ut jam aliquoties notavimus.

8. *Subitò cecidit Babylon, & contrita est*] Sanè *subitò,* ut diximus L. 8. & 24. Sumtum hoc ex vaticinio simili Esaiæ XXI. 9. Iisdem verbis de Roma utitur Apocalypsis XIV. 8.

Ululate super eam] Id est, *ejulate,* ut in luctu fieri solet. Θρηνεῖτε [*lugete*], ut hic Græci.

Tollite resinam ad dolorem] Quæ ad vulnera adhiberi solebat, ut diximus VIII. 22. & XLVI. 11.

9. *Curavimus Babylonem, & non est sanata*] Hoc dicent illi auxiliares: Dedimus quidem operam ut eam servaremus, sed servari non potuit.

Eamus unusquisque in terram suam] Ut suprà L. 16.

Pervenit usque ad cœlos judicium ejus] Crimina ejus. Vide Jonæ I. 2. Geneseos XVIII. 21.

10. *Protulit Dominus justitias nostras*] Ostendit Deus religionem nostram esse veram. Loquuntur Judæi deportati.

Narremus in Sion opus Domini Dei nostri] Id est, nos exsules mittamus ad illos paucos, qui in Judæa restant, ut norint Deum hæc tam magna fecisse nostri causâ.

11. *Acuite sagittas, implete pharetras*] Alloquitur Babylonios, quasi dicat: Molimini quantum potestis, nihil proficietis. Simile suprà XLVI. 3.

Suscitavit Dominus spiritum Regum Medorum] Cyri, & Principum qui cum ipso.

Ultio templi sui] Suprà L. 28.

12. *Super muros Babylonis levate signum*] *Vos,* ô Babylonii, *signa attollite è mœnibus,* ut, si qui extra urbem sint vobis faventes, intelligant quo loco res sint.

Augete custodiam] Vigiles in portis & mœnibus.

Levate custodes] *Disponite procubitores* extra portas.

Præparate insidias] *Mittite eò speculatores,* qui hostium vires ac consilia explorent.

Quia cogitavit Dominus, & fecit quæcunque locutus est contra habitatores Babylonis] Est hic quoque transpositio. Sensus: *omnia facite quæ vultis & potestis. Attamen* (hoc enim valet כי גם) *quæ cogitavit Deus, quæque elocutus est contra habitatores Babylonis, dabit effecta.*

13. *Quæ habitas super aquas multas*] Ad Euphratem, fossas ingentes, lacum magnum, de quibus vide Abydenum & Herodotum. Hîc quoque in שכנתי [*habitas*] Jod est adjectitium.

Venit finis tuus, pedalis præcisionis tuæ] *Venit exitium tuum,* quæ est *mensura* (id est, retributio) *avaritiæ tuæ.* בצע *avaritia* etiam Exodi XVIII. 21. Græci pro אמת בצעך [*mensura avaritiæ tuæ*] legêre אמן במעיך. [*verè ad viscera tua*].

14. *Iuravit Dominus exercituum per animam suam*] Καθ' ἑαυτοῦ [*per se*], ut hanc locutionem interpretatur scriptor ad Hebræos VI. 13.

Replebo te hominibus quasi brucho] Bruchus genus est proprium locustarum, ut Hieronymus notat ad III. Nahum. Ea animantia ingenti agmine terras invadunt, ut is ipse locus Nahumi ostendit. Vide & mox 27.

Et super te celeusma cantabitur] Id est, triumphus.

15. *Qui fecit terram in fortitudine sua*] Is scilicet est qui hæc dicit, nè dubitetis quin implere possit.

16. *Dante eo vocem multiplicantur aquæ in cœlo*] Repetit hæc ex capite X. 13. suprà.

20. *Collidis tu mihi vasa belli*] *Tu* (Cyre) *mihi pro malleo frangente, pro armis bellicis.* Vide suprà L. 23.

Ego collidam in te gentes] *In te,* locutio Hebræa, pro *per te.*

24. *Et reddam Babyloni*] Repete hîc illud *per te.*

25. *Ecce ego ad te*] Supple *venio,* ut suprà L. 31.

Mons pestifer qui corrumpis universam terram] Babylon *mons* dicitur ob regiam sublimem, &, ut Berosus loquitur, montibus persimilem. *Pestifer,* quòd multis gentibus exitio fuisset.

Evolvam te de petris] Id est, de muris tuis ducentos cubitos regios in altitudinem assurgentibus. Docent id Herodotus, Strabo, Diodorus Siculus, Plinius.

Et dabo te in montem combustionis] Ut sis Ætnæ similis, aliisque montibus ignem vomentibus.

26. *Non tollent de te lapidem in angulum, & lapidem in fundamenta*] Nulli lapides ædificio utiles tibi restabunt. Chaldæus per *lapidem angularem* Regem significari putat, per *fundamenta* Principem. Sic in Ecclesia Christus *lapis angularis,* Apostoli *fundamenta.*

Perditus in æternum] *Desolatus eris longo tempore.* Nam ità עלם sumi sæpe notavimus.

27. *Levate signum in terra*] *Belli signum attollite:* id est, vos Angeli omnes illas gentes ad bellum animate.

Clangite buccinâ in gentibus] Idem sensus aliâ translatione.

Sanctificate super eam gentes] *Præparate contra eam gentes.* Ità hîc Chaldæus. habuimus jam sæpe קדש [*sanctificate*] eo sensu.

Annuntiate contra illam] *Concitate contra eam.*

Regibus Ararath] *Reges Cordyæos.* קרדו hîc Chaldæus, ut & in Diluvii historia, sicut diximus in Annotatis ad librum I. de Veritate Religionis Christianæ. *Reges* intellige, tum Reges, tum Principes.

Menin] *Qui in minyade.* Vide Damasceni locum in iisdem Annotatis. Hinc dicta videtur *Armenia,* ארם מני [*Syria Minyados*]. Nam Armeniam sub nomine *Aramæo* olim comprehensam notat Strabo. Chaldæus hîc habet חור מני [*cavernam Minyados*]. Sic Chaldæi Armeniam vocant, quia montibus clauditur. *Tangit Mediam,* ut Plinius notat; & Reges eorum cum Cyro fuêre, ut notavimus L. 41.

Et Ascenez] Hoc nomen voce *Asia* reddit Hierosolymitanus interpres ad Genesin. In ea est *Ascania* pars Phrygiæ & Mysiæ, & alia loca paris nominis, quæ congessimus in dictis Annotatis. Idque verum puto, quanquam Chaldæus hoc loco posuit הדיב, quæ Thalmudicis הדיב, id est, *Adiabene.* Onkelos in Genesi *Carmaniam,* pro qua *Germaniam* perversè intellexerunt Rabbini. Phrygiam fuisse sub Cyro testis est Xenophon Institutionis VII.

Numerate contra eam Taphsar] *Præficite ei Satrapam:* facite ex Regno ut Satrapia fiat. Frequens est Hebræis in barbaris vocibus literas transponere, ut notavimus ad Marcum XIV. 3. Itaque ex *Satrapa* factum est *Taphsar* hîc & Nahumi III. 17. Persæ eos vocabant אחשדרפנים, ut videre est Esther IX. 3. Hinc ἐξατράπην [*Exsatrapen*] fecit Theopompus, Græci alii σατράπην [*Satrapen*], ut diximus ad Matth. XVIII. 10. Et quia Angeli,

Angeli, ut ibidem diximus, sunt veluti Satrapæ Dei: ideo vox טפסר [*Taphsar*] etiam pro *Angelo* ponitur à Jonathane ad Deuteron. XXVIII. 12. quod apparet collato ejusdem Jonathanis loco ad Geneseos XXX. 22.

Adducite equum quasi bruchum aculeatum] *Adducite* (supple *contra eum*, quod hic addunt Græci) *equum veluti bruchum vastantem.* Enallage singularis pro plurali. שמר est *vastare*. Pro ש autem ponere ס est Chaldaïsmus. Bruchi terras devastant, Nahum. III. 15. Joël I. 4. & cap. II. 25. Idem faciebant Chaldæi equites.

28. *Reges Mediæ*] Regem ac Principes, ut suprà 27.

29. *Commovebitur terra, & conturbabitur*] *Terra commota* (Chaldaïca) *dolebit.*

Qui evigilabit contra Babylonem cogitatio Domini] *Cùm firmabitur* (id est eventum habebit) *contra Babylonem cogitatio Domini.*

30. *Cessaverunt fortes Babylonis à prælio*] Non ausi sunt urbem defendere.

Habitaverunt in præsidiis] *In locis munitis.* Id est, receperunt se in Borsippa urbem munitam. Vide Berosi locum.

Devoratum est robur eorum] *Defecit eorum fortitudo.*

Facti sunt quasi mulieres] Pavidi, ut suprà L. 37.

Incensa sunt tabernacula ejus] *Domus*, ut hic Chaldæus.

Contriti sunt vectes ejus] *Fracti sunt.* Per *vectes* portas intellige.

31. *Currens obviam currenti veniet, & nuntius obviam nuntianti*] Nuntii rerum malarum alii alios consequentur.

Ut annuntiet Regi Babylonis quia capta est civitas ejus à summo usque ad summum] In Hebræo, *à fine*: id est, in una parte κατὰ τὰ ἔσχατα τῆς πόλιος [*ad extima urbis*] ut Herodotus: quod adhuc nesciebant illi qui cum Rege in media erant urbe, ut ex eodem Herodoto & Aristotele modò retulimus.

32. *Et vada præoccupata sunt*] Inventus transitus per abacti Euphratis alveum.

Et paludes incensæ sunt igni] Id est, munimenta τῆς ἕλης [*paludis*], cujus ἕλης meminit Herodotus. Ea munimenta sunt τὰ ἔξω τῆς πόλεως τείχη [*muri extra urbem*], Beroso.

33. *Filia Babylonis quasi area: tempus trituræ ejus: adhuc modicum: & veniet tempus messionis ejus*] Hæc sic distingue, & verte, *Filia Babylonis quasi area: tempus ad trituram ejus adhuc modicum: nam adventavit tempus messionis ejus. Messis* est interfectio civium; *Tritura*, quæ messem sequitur, dissipatio urbis.

34. *Comedit me, devoravit me Nabuchodonosor*] Loquitur Jerusalem, ut statim apparebit.

Absorbuit me quasi draco] *Quasi balæna.*

Replevit ventrem suum teneritudine mea] *Deliciis meis.*

Et ejecit me] *Evomuit me.* Id est, *postquam omnes apothecas suas implevit bonis meis, postea me ex hac terra depulit.* Ità Chaldæus.

35. *Iniquitas adversùm me, & caro mea super Babylonem*] Pro *caro mea* pone *carnem meam.* Sensus est: Malum quod Babylon mihi & aliis popularibus meis intulit, ipsi superveniat.

36. *Propterea hæc dicit Dominus*] Precibus populi sui hunc in modum respondet.

Desertum faciam mare ejus] Alveum Euphratis.

37. *Et erit Babylon in tumulos*] Esaiæ XXV. 2

Habitatio draconum] Suprà IX. 11.

Stupor & sibilus] Suprà XXV. 9. 18. XXIX. 18. XLIX. 17.

38. *Simul ut leones rugient, excutient comas, veluti catuli leonum*] In Hebræo, *Frement ut catuli leænarum*: id est, magno clamore festum agent diem eo ipso tempore cùm urbs capietur. Herodotus: τυχεῖν γάρ σφι ἐοῦσαν ὁρτὴν [*Evenerat ut ipsis dies festus ageretur*].

39. *In calore eorum*] Id est, ubi vino incaluerint. Solebant enim diebus festis convivia agitari: & hoc Babylone factum cùm urbs caperetur narrat Xenophon. *Fuisse eos in εὐπαθείῃσιν* [*gaudiis*], Herodotus.

Ponam potus eorum, & inebriabo eos] Dabo illis aliud quod bibant, & unde inebrientur, *calicem iræ meæ*, ut Esaiæ LI. 17. & sequentibus, suprà XXV. 15. & sequentibus, XLIX. 11. Thren. IV. 21.

Ut sopiantur] Sic & Græci, ὅπως καρωθῶσιν. Legerunt scilicet, non יעלזו, quod est *exsultent*, ut nos habemus, sed יעלפו [*in soporem dentur*], quomodo & Chaldæus legit.

Et dormiant somnum sempiternum] Somnum mortis. Chaldæus sensu sublimiore hæc refert ad mortem secundam. *Moriantur*, ait, *morte secundâ, & non vivant in seculo futuro.* Confer Apocalypseos XX. 6. 14. XXI. 8.

40. *Deducam eos quasi agnos ad victimam, & quasi arietes cum hædis*] Est transpositio; *Deducam eos ad occisionem, sicut ducuntur agni, arietes, hirci.* Sed pro כרים [*agni*] Chaldæus legit תורים [*tauri*].

41. *Quomodo capta est Sesach*] Dea Babylonis, ut dictum XXV. 26.

Et comprehensa est inclyta universæ terræ] *Laus universæ terræ*, nempe decus Orientis.

42. *Ascendit super Babylonem mare*] Id est, summa calamitas quæ mari comparari solet, ut Psalmo XLII. 8.

43. *Factæ sunt civitates ejus in stuporem*] Constabat enim Babylon ex duabus urbibus, interiore & exteriore: τὴν ἔνδον πόλιν & τὴν ἔξω [*urbem interiorem & exteriorem*] vocat Berosus.

44. *Super Bel*] Vide suprà L. 2.

Et ejiciam quod absorbuerat de ore ejus] Gazas Templi & donaria.

45. *Egredimini de medio ejus populus meus*] Judæi, qui tunc eritis Babylone, fugite in tempore. Confer Matthæi XXIV. 16.

46. *Et ne fortè mollescat cor vestrum, & timeatis auditum qui audietur in terra*] Nolo, inquit, ad primum rumorem belli statim fugiatis. Dicam vobis tempus.

Veniet in uno anno auditio] Primo anno erit rumor Cyrum parare bellum in Babylonios.

Et post hunc annum auditio] Cyro jam progresso in Assyriam, & Gyndem amnem in multos rivos lacerante.

Et iniquitas in terra] Tertio anno terra Babylonia suas pœnas feret, quas Hebræi חמס [*iniquitatem*] vocant, ut videre est Psalmo VII. 17.

Et dominator super dominatorem] Id est, Cyrus Nabonnidum expellet.

47. *Propterea ecce dies veniunt, & visitabo super sculptilia Babylonis*] Clariùs sic: *Quia tunc* (tertio illo anno) *venerit tempus quo vindictam sum sumturus de idolis Babylonis.*

Et omnis terra ejus confundetur] Id est, nihil virium habebit.

Et universi interfecti ejus cadent in medio ejus] Meliùs vertes: *Et omnes saltatores ejus in medio ejus cadent.* Sic חלל sumitur Judicum XXI. 21. 23. 1 Samuel. XVIII. 6. XXI. 11. 1 Regum I. 40. in quibus locis Græci χορεύειν [*choros ducere*] posuêre. Herodotus autem ubi Babylonem à Cyro captam describit: τυχεῖν γάρ σφι ἐοῦσαν ὁρτὴν, χορεύειν τε τοῦτον τὸν χρόνον καὶ ἐν εὐπαθείῃσιν εἶναι [*evenerat ut ipsis dies festus ageretur, utque saltarent eo ipso tempore & essent in gaudiis*].

48. *Et laudabunt super Babylone*] *Propter Babylona laudabunt*, Deum scilicet.

Cæli] Angeli.

Et terra] Judæi & aliæ gentes malè tractatæ à Chaldæis.

Quia ab Aquilone venient ei prædones] *Cùm ab Aquilone venient ei vastatores.* Id enim propriè שודדים.

49. *Quomodo fecit Babylon, ut caderent occisi in Israël*] Ostenditur justitia Dei, ob quam meritò ei laudes & gratiæ canentur.

Sic de Babylone cadent occisi in universa terra] Nempe Chaldaïca.

50. *Qui fugistis gladium*] Vos Judæi, ubi secundùm hæc monita fugeritis è Babylone metu gladii Persici.

Venite, nolite stare] Ite quàm longissimè.

Recordamini procul Domini, & Jerusalem ascendat in cor vestrum] Interim fugientes estote memores Templi & Urbis, ac dicite apud vos quæ sequuntur.

51. *Confusi sumus quoniam audivimus opprobrium*] Puduit nos quoties Chaldæi nobis objecerunt servitutem nostram.

Operuit ignominia facies nostras: quia venerunt alieni super sanctificationem domus Domini] Maximè verò cùm nobis objectarent se Templum incendisse, quasi religio nostra res esset nihili.

52. *Propterea*] Propter has Judæorum querelas.

Dies veniunt dixit Dominus] Appropinquant.

Et visitabo super sculptilia ejus] Ut vindictam exerceam de eorum diis, & ostendam me quidem puniisse qui me neglexerant, illos autem deos salutem præstare nequisse iis qui ipsos quàm maximè coluerant.

Et in omni terra ejus mugiet vulneratus] Ubique jacebunt saucii gementes.

53. *Si ascenderit Babylon in cælum*] *Etiamsi ascenderet.* Exaggeratio.

Et firmaverit in excelso robur suum] Arces sibi in summa cœli parte faceret.

55. *Perdidit ex ea vocem magnam*] Ronchos illis abstulit.

Et sonabunt fluctus eorum quasi aquæ multæ] Calamitates ipsorum efficient ut longè alium edant sonum, qualem plangentes littora fluctus. Vide suprà 42.

55. *Præ-*

56. *Prædo*] *Vaſtator*, ut ſuprà.

Apprehenſi ſunt fortes ejus] Deprehenſi ſunt, cùm minimè id cogitarent.

Et emarcuit arcus eorum] Id eſt, fractæ vires.

57. *Inebriabo Principes ejus*] Sic ſuprà XLIX. 38. & hìc 23.

Et dormient ſomnum ſempiternum] Vide ſuprà 39.

58. *Murus Babylonis iſte latiſſimus ſuffoſſione ſuffodietur*] In Hebræo, *muri*. Erant enim terna mœnia circumdata urbi interiori, exteriori totidem, ut Beroſus nos docet. Bene autem additum *latiſſimi*: craſſi enim erant quinquaginta cubitos, ut ex Herodoto, Strabone, Diodoro Siculo diſcimus. Plinius dicit *latos* fuiſſe *quinquagenos pedes*, *in ſingulos pedes tribus digitis menſurâ ampliore quàm erat Romana.*

Et portæ ejus excelſæ igni comburentur] Vide ſuprà 30.

Et labores populorum ad nihilum, & gentium in ignem erunt & diſperibunt] Poſtremum illud magis ſignificat, *laſſati ſunt.* Eſt autem Tranſpoſitio, quæ ſic optimè exponetur: *Labores populorum & gentium quæ ſe fatigarunt* (muros ſtruendo), *in nihilum per ignem recident.*

59. *Cùm pergeret cum Sedecia Rege in Babylonem*] את particula ſæpe *à* ſignificat, ut Geneſ. XLIV. 4. Itaque verte: *Cùm ipſe iret à Sedecia Rege* (miſſus ſcilicet) *Babylonem.* Sic LXX, παρὰ Σεδεκίου [*à Sedecia*]. Chaldæus eodem ſenſu: *in legatione Sedeciæ.*

In anno quarto regni ejus] Non temere id adjectum eſt, ut appareat Babylonis ruinam ab Jeremia prædictam totis ſex annis antequam Babylonii Hieroſolyma exſcinderent, & hanc prædictionem ſcripto ſimúlque conſpicuâ quadam actione conſignatam.

Saraias autem erat princeps Prophetiæ] Et Græci, & Chaldæus non מנוחה [*quietis* ſive *Prophetiæ*] legerunt, ſed מנחה; vertunt enim ἄρχων δώρων [*Princeps munerum*]: id eſt, fuit Comes ſacrarum largitionum. מנחה μαναὰ ſæpe quidem ſumitur de *munere quod Deo offertur*: ſed & de eo quod homines hominibus dant uſurpatur, ut Geneſ. XXXII. 13. 20. 21. II Regum VIII. 8. Pſalm. XLV. 12.

60. *Omnia verba hæc quæ ſcripta ſunt contra Babylonem*] Nempe quæ habuimus duobus capitibus præcedentibus.

62. *Domine, tu locutus es*] Ac proinde futurum id credo.

Ne ſit qui in eo habitet] *Ità ut nemo in eo ſit habitaturus.*

63. 64. *Et projicies illum in medium Euphratem, & dices, Sic ſubmergetur Babylon, & non conſurget*] Simile illud Horatii:

> —— *ſimul imis ſaxa renarint*
> *Vadis levata, nè redire ſit nefas.*

Quod de Phocæorum facto adumbratum, qui pariter, ut hic Seraias, verbis adhibentes ſignum conſpicuum, ut mos erat illo ſeculo, laminam plumbeam in mare jecerant.

Sic ſubmergetur] Calamitatibus. Vide ſuprà 55.

Hucuſque verba Jeremiæ] Hæc eſt clauſula non ad hanc tantùm partem, ſed ad totum librum pertinens: ut apparebit ex iis quæ jam dicemus.

CAP. LII.

MUNSTERUS.

OStenditur in hoc capite quæ evenerint tribus illis Judaicis Regibus & Urbi, quomodo Urbs deſtructa, Templum exuſtum, vaſa tranſlata in Babylonem: Tantum abfuit ut quæ ſub Jechonia ablata jam fuerant rediiſſent; id quod prædixerant & contenderant Pſeudoprophetæ contra Jeremiam. Maxima autem pars hominum occiſa eſt. Et Sedechias Rex videre compulſus eſt interfectionem omnium ſuorum filiorum, & pati deinde oculorum ſuorum effoſſionem.

4 *Munitionem*] Chaldæus vertit כרקום, Græcâ utens voce. Eſt autem χαράκωμα *vallum*, *agger.* Kimhi exponit *turrim ligneam.*

9. *Locutus eſt cum eo judicia*] Fuerat enim perfidus in Deum, atque Regi Babylonis non ſervavit fidem. Unde iratus Deus, qui ob impietatem ejus & populi Iſrael illum punire decreverat, dedit illi animum repugnandi, quò Rex Babylonis provocatus contra illum arma ſumeret, & ſæviret in impios homines, qui nullis minis aut beneficiis ad pœnitentiam emolliri poterant.

12. *Venit Nebuzaradan*] Qui ſcilicet *in Babylone ſteterat coram Rege*, *venit in Jeruſalem* ut exſequeretur mandatum Regis: id quod ex 2 Reg. 25. colligitur, ubi eadem deſcribitur hiſtoria.

16. *De pauperibus terræ reliquit*] Quoſdam, inquit, ex pauperibus reliquit, & quoſdam tranſtulit in Babylonem. Et nota quòd hic ſcribitur האמון pro ההמון. Sunt enim Aleph & He literæ permutabiles.

21. *Columnæ*] De his *columnis* habes 1 Reg. 7. ubi & de *capitellis* ſeu *coronis columnarum*, & de *malis Punicis* fit expreſſior mentio.

23. *Nonaginta ſex mala punica in plaga una*] Sciendum quòd hìc רוח accipitur pro פאה vel עבר *latere.*

VATABLUS.

1. QUando regnavit במלכו] *Cùm Regnum eſſet adeptus*: vel, *cùm regnare cœpiſſet.* Principium iſtud capitis habetur 2 Reg. 24. 18.

3. *Quia propter furorem*, &c. כי על אף וגו'] i. Nam tantam iram conceperat Dominus contra Jeruſalem & Judam, ut permiſerit rebellare Sedeciam, quò fieret ut abducerentur à terra ſua in captivitatem. Quidam vertunt, *Quia ira Jehovæ commota fuit contra Jeruſalem & Jehudam, donec projiceret eos à facie ſua, rebelliſque fuit*, &c. Alii, *Eò quòd ira Jehovæ fuit* commota *contra Jeruſalem & Judam, donec eos abjiceret è conſpectu ſuo: defecit autem Sedecias à Rege Babylonis.* Alii, *Etenim juxta furorem Domini actum eſt contra Jeruſalem & Jehudah, donec projiceret eos à conſpectu ſuo; & rebellis fuit*, &c. Alii, *Nam cum ira Domini erat* congregatio *in Jeruſalem & Judam, donec projecit eos à facie ſua; tum rebellavit*, &c. i. Nam invito & ægre ferente Domino, congregatio eorum qui evaſerant, nec abducti fuerant in captivitatem, erat in Jeruſalem & Juda; donec ejecit eos è terra ſancta in qua erat templum Domini in quo facies ipſius Domini erat, ſive in quo præſentiam ſuam exhibebat. Proinde rebellavit Sedecias: h. e. ità volente Domino ut rebellaret, abducti fuerunt.

4. *Fuit autem* &c. ויהי וגו'] Hæc ſequentia ſcribuntur etiam ad verbum ferè 2 Reg. 25. 1. ubi fuſiùs omnia explicantur, & ſuprà 39. 1.

5. *Venitque civitas*, &c. ותבא העיר במצור] Hypallage, pro *Obſidio venit in urbem*, i. obſeſſa eſt urbs.

7. *Per viam portæ*, &c. ודרך שער וגו'] Vide ſuprà 39. 4. ¶ *Qui* אשר] Sub. *muri.* Alii vertunt *quæ*, nempe *via.*

8. *Diſperſus*, &c. נפוצו מעליו] *Dilapſus erat ab eo*, i. cum reliquerat.

9. *Et locutus eſt*, &c. וידבר אתו משפטים] Hebraiſmus iſte explicatus eſt ſuprà 39. 5.

12. *Qui ſtabat coram Rege* אשר עמד לפני מלך] i. Qui aſtare ſolebat Regi Babylonis. Gallicè *le Coneſtable.* Pro hoc 2 Reg. 25. 8. legitur *ſervus Regis Babel.*

13. *Et omnem domum magnam* ואת כל בית הגדול] *Et omnem domum magnificam*, i. omnes domos magnatum.

15. *Tranſmigrare fecit* הגלה] *Tranſtulit*, *tranſportavit.*

16. *De pauperibus verò terræ* ומדלות הארץ] q. d. Quoſdam ex pauperibus reliquit, & quoſdam tranſtulit Babylonem. ¶ *Vinitores & agricolas* לכורמים וליוגבים] *In vinitores & agricolas* i. qui vineas & agros colerent.

18. *Et pſalteria* ואת המזמרות] Doctus inter Hebræos dicit ſignificare *inſtrumenta quibus pſallebant aut cantabant.* Alia nomina hujus verſûs & ſequentium vide Exod. 27. 3. & 2 Reg. 25. 1.

19. *Et hydrias* ואת הסיפים] Ad purificationem ſcilicet. Alii, *crateres.* ¶ *Et mortariola* ואת הכפות] *Et cochlearia.* ¶ *Quæ aurea*, &c. אשר זהב זהב וגו'] Hebraiſmus: i. tam aurea quàm argentea tulit, &c.

20. *Qui erant ſub baſibus* אשר תחת המכונות] *Qui erant ſub* mari, & *baſes*, quæ ſcilicet ſuppoſitæ erant conchis.

21. *Et columnarum* והעמודים] *Columnæ autem*: i. Quod ad columnas duas attinet. ¶ *Et filum* וחוט] *Et funis*, i. peripheria quæ erat *duodecim cubitorum.* ¶ *Vacua* נבוב] *Inanis.* Alii, *concava.*

22. *Et ſimilia* וכאלה] *Et talia.* Ad verb. *Et ſicut hæc.*

23. *Nonaginta & ſex* תשעים וששה] q. d. Videbantur tantummodo nonaginta ſex malogranata: quatuor autem reliqua latebant viſum: nam corpus ſphæricum aſpici undique non poteſt uno obtutu. Loquitur igitur de viſis. ¶ *Ad plagam* רוחה] *Ad latus* unum: vel *in latere*, apparenti ſcilicet: i. qui videri poterat ab eo qui non circuibat totum corpus illud columnæ: is enim tum non videbat quatuor reliqua malogranata. ¶ *Centum* מאה] Intellige *in uno ordine*: nam duo erant ordines malorum granatorum: in unoquoque ordine erant centum.

24. *Tulit quoque* ויקח]. Sub. *è Templo.* ¶ *Primum* הראש] *Primarium*, *principem*, *capitalem*, i. præcipuum. ¶ *Secundum* המשנה] Sub. *ab eo*: q. d. *vicarium ſummi Pontificis*, ſecundæ dignitatis ab illo.

25. *Præ-*

25. *Præpositus super viros bellatores* [פקיד על אנשי המלחמה] i. Præfectus militum. ¶ *Qui videbant faciem Regis* [מראי פני המלך] Hebraismus, *ex illis qui assistebant Regi*, aut *qui coram Rege stabant*, i. ex domesticis Regis, familiaribus, intimis & assiduis apud Regem. ¶ *Et Scribam*, &c. [ואת ספר וגו׳] i. *Et Scribam principem exercitûs, qui habebat potestatem conscribendi exercitum ex populo ejus terræ.* Quidam vertunt, *& Scribam exercitûs ex populo in militiam conscribendi officio præfectum.* Alii, *& Sopher principem exercitus, qui experitur militaturos.* ¶ *Viros de populo terræ* [איש מעם הארץ] i. Plebeios ejus regionis.

26. *Et deduxit* [וילך] Ad verb. *& ire fecit.*

27. *Et translatus est* [ויגל] *Itaque demigravit:* vel *transmigravit:* q. d. Atque ità completa fuit Prophetia, & quæ illis interminatus fuerat Deus per Prophetas.

28. *Anno septimo* [בשנת שבע] h. e. Partim circa finem anni septimi, & partim circa initium anni octavi. Alibi enim scribitur *anno octavo*, 2 Reg. 24. 12.

29. *Decimo octavo* [בשנת שמונה עשרה] i. In fine decimi octavi, & initio decimi noni. Nam 2 Reg. 25. 8. scribitur *decimo nono.*

30. *Tertio & vicesimo* [שלש ועשרים] Quo scilicet cepit Tyrum & Sidonem. ¶ *Transferre fecit* [הגלה] *Transtulit. Animas* pro *personis* ponit, more Hebræorum.

31. *Transmigrationis* [לגלות] *Captivitatis*, i. à captivitate, sive à quo captivus ductus est. ¶ *Vicesimâ quintâ* [בעשרים וחמשה] 2 Reg. 25. 27. scribitur *vicesimâ septimâ.* Ajunt Hebræi obiisse Nabuchodonosor 25, sed inhumatum 27. Aut dicendum Regem cœpisse hoc dicere 25, & id adimplevisse 27. ¶ *Elevavit* [נשא] Calamitosi sunt capite demisso. Unde *Elevare alicujus caput* est ansam lætitiæ præbere, & eum honore afficere, sive pristinæ dignitati restituere. Chald. *magnificavit.* ¶ *Anno* [בשנת] *In anno*, sub. *primo.*

32. *Bona* [טובות] Sub. *verba:* i. consolatus est eum blandis verbis, & affatus amicè. ¶ *Super thronum* [לכסא] i. In loco eminentiore & altiore quàm esset thronus Regum qui cum eo erant in Babel.

33. *Carceris ejus* [כלאו] i. Quibus utebatur dum esset clausus in carcere: q. d. dedit ei vestes dignas Rege. ¶ *Et comedebat*, &c. [ואכל לחם לפניו] *Cibum quoque sumebat apud eum:* i. in aula ejus, sive in mensa.

34. *Et portio ejus portio perpetua* [וארחתו ארחת תמיד] *Et cibus ejus, cibus assiduitatis:* i. Annona, & cibus constitutus assiduus dabatur ei, & sine intermissione. Gallicè, *Il avoit bouche a court.* ¶ *Per singulos dies ejus* [דבר יום ביומו] Ad verb. *rem diei in die suo.* Hebraismus, pro *quotidie*, sive *per singulos dies ejus.*

CASTALIO.

3. ADeò *iratus erat in Hierosolymitanos & Judæos Jova ut eos ex suo conspectu abjiceret*] Et ideo Regem bonum non daret, cujus pietate posset ab irrogando supplicio revocari, quoniam eorum puniendorum occasionem quærebat. Vide Esa. 6.

15. *Reliquias hominum qui in Urbe supererant*] Hunc locum redundantem emendavi ex 4 Reg. 25. Alioqui *plebeii* iidem & *relicti* & *relegati* viderentur. Et sanè caput hoc multis in locis discrepat ab illo.

CLARIUS.

1. F*Ilius*] Hæc paucis immutatis eadem leguntur 2 Reg. 25. Adjunguntur autem, ut ostendat verborum Domini certitudinem.

21. *De columnis autem*] De his *columnis* habes 1 Reg. 7. ubi & de *capitellis* seu *coronis columnarum*, & de *malis punicis* fit expressior mentio.

28. *In anno septimo*] Videlicet post captivitatem Joacin, sub Jechonia.

29. *In anno octavo decimo*] Quando scilicet destructa jam Civitas erat.

30. *In anno vigesimo tertio*] Cùm Tyrum devastasset, vicinam Ammonitis ac Moabitis, & rediret domum.

LUCAS BRUG.

22. ET *capitella* * *super* [* *super capitella* o.] *utramque* [*utrumque* o.] *area.*] Antiqui Epanorthotæ codices legunt *utraque:* quibus concinunt ex nostris Brugensis, Leodiensis, E, Q, Tril. Atr. C. & Complutensis editio. *Quod dicitur* utraque, inquit Epanorthotes, *est casûs ablativi.* Unde minùs ornatè, sed evidentiùs, ponunt novi, *super utramque.* Sequitur, *Altitudo capitelli unius quinque cubitorum, &* [o.] *retiacula, & malogranata* [*mala granata* MSS. multa] *super coronam in circuitu* [*circuitum* 2 MS.] *omnia area* [*ænea* Compl.] *Et fuerunt malogranata nonaginta* * *sex* [* *&* MSS. multa H.] *dependentia: & omnia malogranata centum, retiaculis circundabantur.* Hæc Moguntinæ, Complutensis, & aliarum quatuor, quas vidimus, typographicarum editionum lectio est: cui adjecerunt castigatores, Hentenius & Parisienses, ex codicibus nonnullis, *Similiter columna secunda & malogranata;* adjecerunt, inquam, post illud, *omnia area:* id enim Hebraicè est, Chaldaicè ac Græcè. Hebraicè sic locus iste legitur, *Et capitellum super eam æreum, & altitudo capitelli unius quinque cubitorum: & retiaculum, & malogranata super capitellum circum omne æs: & sicut hæc, in columna secunda, & malogranata. Et fuerunt malogranata nonaginta & sex ad latus: omnia malogranata centum super retiaculum per circuitum.* Porrò Epanorthotes superfluum, id quod Hentenius & Parisienses addiderunt, Latinis nostræ editionis libris censet; quod facilè mihi persuadeo: maximè enim variè variis exemplaribus legitur. Quædam habent, *Similiter erat columna secunda & malogranata;* quædam, *similiter* * *columnæ* [* *&* 1.] *alterius*, nec addunt *malogranata:* quædam duos legendi modos connectunt, sed interjectâ pericope quadam, de qua dicturi statim sumus, hoc modo, *Similiter erat columna secunda & malogranata, & erant super capitellum in circuitu omnia area, similiter columnæ alterius.* Sed quærat aliquis, cur id omisisset Interpres quod est apertè in Hebraico fonte. Respondet Epanorthotes, Interpretem in iis quæ præcedunt de utraque simul columna locutum; atque hinc pro eo quod Hebraicè est, *Et capitellum super eam æream*, vertisse, *Et capitella super utraque area;* ideóque non seorsum *alterius*, seu *secundæ*, *columnæ* mentionem fecisse. Quemadmodum quod Exod. 25. 35. Hebraicè legitur, *Et sphærula sub duobus calamis ex ipso, & sphærula sub duobus calamis ex ipso, Et sphærula sub duobus calamis ex ipso*, ter inquam repetitum; non seorsum Interpres ter extulit, sed in unum hoc pacto contraxit, *Sphærula sub duobus calamis per tria loca.*

Cæterùm non hoc tantùm, *Similiter erat columna secundâ & malogranata*, & quæ ejus loco in aliis exemplaribus repetiuntur, superflua Epanorthotes judicat; verùm etiam id quod præcedit, *Super coronam in circuitu omnia area:* tametsi & hoc Hebraicè legatur, sicut etiam Chaldaicè ac Græcè. Id autem probat cùm ex antiquorum codicum fide, tum ex eo quòd interpretationis modus ab eo qui nostri Interpretis est diversus sit. Nam כתרת, quod noster Interpres 3 Reg. 7. & 4 Reg. 25. 17. & hoc Jeremiæ capite consuevit *capitellum* reddere, hic *corona* redditum est. Verùm legunt ex nostris codicibus quidam illius loco, *Super capitellum in circuitu omnia area*, qui ferè omittunt *retiacula & malogranata* quæ antecedunt. Fortè ab alio id versum est, qui lacunam quam putabat cautiùs, ità ut animadverti nequaquam posset, opplere voluerit. Multi libri utramque versionem hoc modo conjungunt, *Et* [MSS. meliora] *altitudo capitelli unius quinque cubitorum, & retiacula & malogranata super coronam in circuitu totum erat æneum. Similiter erat columna secunda & malogranata* [*columpnam* 1 MS. - 1 MS.] - *&* [3 MS.] *erant super capitellum in circuitu omnia area, similiter columnæ alterius.* Ubi observa & alterius particulæ aliam translationem, *Totum erat æneum.* Dominicani hunc legendi modum probarunt, sublatâ posteriori parte, *Et erant super capitellum*, &c. Atqui posteriorem partem, excepto illo *& erant*, priori sublatâ, ab his verbis, *Et retiacula & malogranata super*, in melioribus longè antigraphis nos comperimus, Lob. E. L. Pl. m. & aliis. Porrò ideo & istud, *super coronam*, seu *capitellum*, *in circuitu*, *totum erat æneum*, quamvis Hebraicè legatur, Interpres, juxta Epanorthotæ vero similem sententiam, omiserit, quòd aliis hinc indè circumstantibus verbis satis significetur.

Hæc igitur est, quam genuinam pronunciat Epanorthotes, Interpretis scriptura, *Et capitella super utraque area; altitudo capitelli unius quinque cubitorum; & retiacula, & malogranata nonaginta & sex dependentia: & omnia malogranata centum, retiaculis circundabantur;* quam docet in antiquis & approbatis esse libris. Nos eam in duobus Hunnæi lectissimis codicibus, literis O & Q signatis, & tertio, non contemnendo, A notato, vidimus; insuper in Plantini angusto ac longo, & Atrebatensis Collegii sericato, quanquam non hi omnes *utraque* legant. Brugensis D. Donatiani codex hoc tantùm ab illis discrepat, quòd repetat eo loco quo superiora adduntur, nullâ veri specie, *Et retiacula & malogranata centum retiaculis circundabant* [*circundabantur* Tril.] quod idem in Collegii Trilinguis manuscripto deprehendimus.

DRUSIUS.

18. Schol. ποδιστῆρας ὁ Σύρος τοὺς νιπτῆρας τῶν ποδῶν ἐξέδωκε, i. *pelves lavandis pedibus aptas.* In eodem Scholio, τοὺς δὲ Ἐπφαθ (aliàs Ἀπφωθ) aliqui dicunt esse *obeliscos*, aliqui τοὺς ἀποχυτῆρας *hydrias.* Μεσομερὼθ autem *candelabra*, i. λυχνίας. *Joacim* verò vocat ipsum Jechoniam. Hæc quò referenda sint nescio. In textu Ebræo כפות, i. Χαπφώθ, sunt *cochlearia*, & מזמרות, interprete Pagnino, *Psalteria.* Aliud Scholion ad τοὺς Ἀπφωθ, *hydrias*, *phialas*, *thuribula*, *lebetes.* Græca sunt, ὑδρίας, φιάλας, θυμιατήρια, λέβητας.

22. וְכֹתֶרֶת. Scholion, καὶ κεφαλίδες *& capitella.*

GROTIUS.

1. F*Ilius viginti & unius anni erat Sedecias*] Pro certo haberi debet hoc caput non fuisse ab Jeremia huic loco additum: neque enim in eodem libro repetisset historiam antè positam, & quidem suo loco capite XXXV. & XL. Præterea pertexitur hæc historia ad regnum Evilmeraduchi, & finem usque Jechoniæ, quæ posteriora sunt temporibus Jeremiæ. Quare dubitari non debet quin primores captivorum in regno Babylonico, quos vocabant ראשי גלות, αἰχμαλωτάρχας, hæc scripserint, ut esset εἰσαγωγὴ [*introductio*] ad librum qui sequi Prophetias Jeremiæ solebat, id est, ad Threnos Jeremiæ. Argumentum enim illorum planctuum his verbis continetur, quæ desumta sunt ferè omnia ex fine posterioris libri Regum, additis quibusdam ex historia structi à Solomone Templi. *Filius annorum* XXI, pro, *annos natus* XXI, Hebraïsmus notus satis. Prima hæc tria commata sumta de fine capitis XXIV libri II Regum.

4. *Factum est autem anno nono*] Ex capite XXV dicti libri II Regum.

7. *Et ducit ad hortum Regis*] In Hebræo & hîc, & in loco Regum, *ad hortum Regis:* id est, ponè hortum. Vide notata à nobis in loco Regum.

9. *Et locutus est ad eum judicia*] Id est, contra eum ac familiam comitésque ejus sententiam tulit, tanquam perduellionis reos.

11. *In domo carceris*] Hebræum propriè habet *domum inquisitionis*, ubi in reos inquiritur: *domum vinctorum*, Chaldæus. LXX duriùs, εἰς οἰκίαν μύλωνος [*in domum molæ*].

12. *Decimâ mensis*] *Septimâ* est in libro Regum. Error haud dubiè ex veteribus notis numeralibus, aut hîc aut illic. *Nonam diem mensis* habet Josephus.

Princeps militiæ] In Hebræo: *Princeps interficientium.* Ità semper appellant milites Ægyptios, Babylonios, & alios externos, quorum bella erant aut injusta, aut immoderata.

16. *Vinitores & agricolas*] In Hebræo, *In vinitores & agricolas:* id est, qui essent vinitores & agricolæ. Græci, εἰς ἀμπελουργοὺς καὶ εἰς γεωργούς. Chaldæus, *ut colerent agros & vineas.*

17. *Confregerunt Chaldæi*] Quò faciliùs portari possent.

18. *Creagras*] Mirum quot modis vertatur vox יעים. *Creagras* hîc posuêre Græci & Latinus; Græci alibi καλυπτῆρα, φιάλην, θέρμας, πυρεῖα [*obtegumentum*, *phialam*, *calida folia*, *ignitabula*], Latinus modò *creagras*, ut hîc, modò *forcipes*, modò *tridentes*, modò *scutras*, modò *trullas.* Quidvis potiùs crediderim, quàm *scopas* fuisse, ut quidam vertunt. Neque enim tanti erant ut eas tanto itinere auferrent Chaldæi. יעה Hebraïcè, & יעא Chaldaïcè est *removere.* Id facit ut *palas* fuisse existimem.

19. *Quotquot aurea, aurea: & quotquot argentea, argentea*] Id est, utriusque materiæ ὁλόσφυρα [*solida*], nullâ inanitate, nullâ admixtione.

20. *Et mare unum, & vitulos duodecim æreos, qui erant sub basibus quas fecerat Rex Salomon*] Imò non *sub basibus erant*, sed *sub Mari*, I Regum VII. 24. 25. collato 27. Quare omnino supplenda ἔλλειψις [*omissio vocis*] hoc modo: *Mare unum & vitulos duodecim qui erant subter* (mare, &) *bases quas fecerat Rex Salomon.* LXX, οἱ μόσχοι δώδεκα χαλκοῖ ὑποκάτω τῆς θαλάσσης [*vituli duodecim ærei qui sub Mari*].

21. *Decem & octo cubiti altitudinis erant in columna una, & funiculus duodecim cubitorum circuibat ipsam*] *Decem & octo cubitos* communes altæ erant, qui, si demas basim, faciunt XXXV *cubitos* memoratos I Paralipomen. III. 15. *Funiculus* hîc significat τὴν περίμετρον [*lineam ambientem*].

Porrò grossitudo ejus quatuor digitorum] Id est, ἡ διάμετρος [*linea dimetiens*]. Omnino necesse est scribæ hîc erraverint in numero: nam quatuor digiti non possunt facere dimetientem ambitûs octo cubitorum in columna.

23. *Malogranata nonaginta sex*] Nempe in cujusque columnæ dimidiato latere: quæ omnia juncta ex duobus lateribus duarum columnarum, faciunt *quadringenta*, ut est II Paralipomen. IV. 13. addito scilicet ad quodque latus uno malo Punico distinguente latera. Quòd autem hîc statim pro XCV dicuntur C, factum est ad rotundandum numerum; nisi & hîc scriba erraverit.

24. *Et tulit Magister militiæ*] Nempe de Templo, ut ostendit oppositio sequens.

25. *Septem viros de his qui videbant faciem Regis*] Quinque in libro Regum. At *septem* habet Josephus.

Scribam principem militum] Imò, *scribam Principis militum* modò dicti. Meliùs hoc quàm pro nomine proprio accipere, ut fecit hîc interpres I Regum XXIV. 19.

Qui probabat tyrones] In Hebræo: *Qui militare faciebat populum terræ:* id est, qui cives ascribebat numeris & delectui aderat. Vide non dissimile officium in castris Assyriis eodem nomine ספר [*scriba*] Esaiæ XXXIII. 18.

28. *In anno septimo Judæos* III *millia* XXIII] Regni Nabuchodonosoris, ut sequentia indicant. Est ea ipsa abductio prima quæ narratur II Reg. 12. 13. 14. 15. 16. sed & hîc discrepant numeri. Parum est quòd ibi facta hæc res dicitur *anno octavo* Nabuchodonosoris: potuit enim id accidisse partim anno septimo, partim octavo. Sed in libro Regum habes abductos plus decem millibus. Summa tamen hîc infrà posita cum trium abductionum numeris hîc positis congruit.

29. *In anno octavodecimo*] Id est, eo tempore, cùm Urbs capta est; quanquam suprà 12. & II Regum XXV. 8. is annus dicitur fuisse XIX. unde corrigendus videtur hic locus.

30. *In anno vigesimo tertio*] Hoc in historia Regum & Paralipomenis non est. Sed omnino credibile est id factum, cùm post interfectum Godoliam novi motus metuerentur. Vide in Jeremia XL. & II Regum XXV. 23.

Omnes ergò animæ quatuor millia sexcenta] Videtur mihi hîc numerus æquo minor esse: ideóque suspecta & summa & numeri præcedentes. Notæ, quæ olim in libris usurpatæ, facilè inter se mutantur.

31. *In trigesimo septimo anno transmigrationis Joachin*] Primæ abductionis, in qua abductus Joachin sive Jechonias.

Vicesimâ quintâ mensis] *Vicesimâ septimâ* in libro Regum. De cæteris vide quæ diximus ad finem posterioris Regum.

ANNO-

A N N O T A T A

A D

LAMENTATIONES JEREMIÆ.

C A P. I.

MUNSTERUS.

SCribuntur hi Threni Jirmeiæ Prophetæ hoc ordine in Hebræo, ut primus versus incipiat ab Aleph, secundus à Beth, tertius à Gimel, & sic consequenter, servatá literarum Alphabeti serie; nè putes aliquod aliud subesse mysterium quòd Latini scriptores literas Hebraicas singulis adscripserunt versibus. Observatur enim id in quibusdam carminibus ut faciliùs discantur & memoriâ teneantur: Quod hîc quoque factum censemus, cùm Threni isti lugubre quoddam sint carmen de lamentabili casu Jehudæorum & urbis Jerosolymitanæ: etiamsi non constet quo genere carminis hi Threni sint conscripti, quòd Hebræi non eis generibus canant carmina & numerent metra quibus Græci & Latini. Est proinde liber iste apud Hebræos anonymus, nisi quòd ab initiali dictione eum איכה ECHA vocant. In Commentariis tamen appellant eum קינות KINOTH, i. *Lamentationes*; cujus nomenclaturæ rationem jam expressimus. Et putant Hebræi hunc fuisse librum quem Rex Jehuda ab initio legit, & mox in ignem abjecit, sicut Jirmeiæ 36. scribitur.

1. *Civitas solitaria*] Monet Kimhi dictionem בדד in utroque inveniri genere & numero. ¶ *Quæ magna fuit inter gentes*] Vel *in gentibus*; cui scilicet gentes tributa pendebant, ut fuerunt Ammonitæ, Moabitæ, Palæstini, & multæ aliæ gentes.

3. *Exsulavit Jehuda propter afflictionem*] Chaldæus Interpres, quicunque is fuit, hunc locum sic vertit, *Abiit Jehuda in captivitatem eò quòd ipsa afflixit pupillos & viduas, & cum duritia tractaverunt servos Hebræos*, &c. ¶ *Inter macerias*] Sic Kimhi dictionem במצרים exponit. Est tamen מצר propriè *angiportus*, unde quis evadere nequit.

5. *Facti sunt hostes ejus in capite*] h. e. Dominari illis cœperunt hostes eorum, & pro arbitrio in eos sævierunt.

7. *Dierum afflictionis suæ*] Videtur hic esse sensus; *Recordata est Jerusalem in diebus afflictionis suæ & transmigrationis, desiderabilium suorum*, videlicet Pacis, Sacerdotii, Regni, Benedictionis fructuum, Prophetiæ, Victoriæ, &c. Exponunt autem hic quidam dictionem מרוד pro מלשל, à radice רוד.

9. *Immunditia ejus in fimbriis ejus*] Sensus est, Sine omni verecundia peccavit, similis facta mulieri impudenti, quæ non veretur menstruum sanguinem in fimbriis publicè circumferre. ¶ *Cum miraculis*] Quidam legunt *cum admirationibus*: multi enim mirati sunt lamentabilem casum tam florentis urbis & Regni.

13. *De excelso misit ignem*] Chald. *De cœlis misit ignem in castella mea fortiora, & subegit ea.* Exprimit verò gravitatem iræ Divinæ variis similitudinibus: dicit illam esse *Immissionem ignis*, *Illaqueationem*, *Impositionem jugi*, & *Calcationem torcularis.*

15. *Torcular calcavit Dominus*] h. e. Tradidit Dominus populum suum hosti, ut interficiat eum, torqueat & conculcet, haud secùs quàm uvæ in torculari. *Veluti* ergò *torculari pressit Dominus virginem filiam Jehuda.*

VATABLUS.

HIc liber apud Hebræos est sine nomine; nisi quòd à prima ipsius dictione nominant איכה, i. QUOMODO. In Commentariis tamen appellant eum קינות LAMENTATIONES. A Lxx autem dicitur Θρῆνοι, quod etiam *Lamentationes* sive *Fletus* significat. Existimant Hebræi hunc fuisse librum quem Rex Juda ab initio legit, & mox in ignem abjecit, ut Jer. 36. 23. legimus. Cui opinioni contradicunt doctiores inter ipsos. Scribitur autem hoc ordine in Hebræo ut primus versus incipiat ab א, secundus à ב, & ità reliqui, servatâ literarum Alphabeti Hebraici serie. In tertio autem capite tres primi versus incipiunt singuli ab א, tres verò sequentes à tribus ב, servato ternario numero, usque ad finem Alphabeti. In cujus rei memoriam Latini singulis versibus nomina aut etiam notas literarum Hebraicarum ascripserunt: nè putes aliud subesse mysterium. Fortasse id factum fuit ab ipso autore, ùt faciliùs disceretur & memoriâ teneretur. Vide primam Annotationem Psal. 25. & 119. Apud Lxx hæc leguntur, *Et factum est, postquam in captivitatem redactus est Israel, & Jerusalem deserta est, sedit Jeremias Propheta flens, & planxit lamentatione hâc super Jerusalem, & amaro animo suspirans & ejulans, dixit.*

1. *Sedet* ישבה] Præt. Heb. pro præs. ut & v. 3. ¶ *Veluti vidua* כאלמנה] *Tanquam vidua:* nam inquiunt Hebræi, *cùm civitas est plena populo, est veluti mulier habens maritum; sed destructa, est instar viduæ.* ¶ *Copiosa* רבתי] *Magna.*

2. *Plorando plorat* בכו תבכה] Hebraismus, *Uberrimè plorat.* Fut. Heb. pro præs. quidam per futurum legunt. ¶ *Spreverunt eam* בגדו בה] *Prævaricati sunt in eam: iniquè egerunt in eam.* Alii, *oderunt eam.*

3. *Propter afflictionem*, &c. מעני ומרוב וגו'] Chald. *Eò quòd ipsa afflixit pupillos & viduas, & cum duritia tractaverunt servos Hebræos.* Alii vertunt, *præ afflictione, & præ gravi servitute*, sub. *à Chaldæis perpessa.* ¶ *Inter angustias* בין המצרים] *Inter duas macerias*, unam hinc, & alteram indè, unde nequeas effugere. Propriè *angiportum* significat *unde quis evadere nequit.*

4. *Ad solennitatem* מועד] *Ad statas ferias.* Deest ל vel אל. ¶ *Suspirantes* נאנחים] Ingemiscunt.

5. *In caput* לראש] *Esse in caput* est Superiorem esse, & dominari alicui: h. e. Dominari illis cœperunt hostes eorum. ¶ *Prosperè egerunt* שלו] Ad verb. *habitaverunt in pace: pacifici fuerunt:* i. feliciter habuerunt: feliciter successit inimicis. ¶ *Dolore affecit eam* הוגה] *Afflixit eam.* ¶ *Ante hostem* לפני צר] i. Sequentibus hostibus qui eos abducebant captivos.

6. *A filia Sijon* מן בת ציון] Jerusalem vocat *Sion:* q. d. Regnum à Jerusalem ad Chaldæos translatum est. ¶ *Invenerunt* מצאו] Præt. Heb. pro præs. *inveniunt.* Sic vocat *cervos* timidos.

7. *Et indigentiarum suarum* ומרודיה] *Et prævaricationum suarum:* vel, *& rebellionum suarum.* ¶ *Desiderabilium suorum* מחמדיה] *Expetibilium suorum*, nempe pacis, tranquillitatis, victoriarum, benedictionis fructuum, Prophetiarum, & aliorum hujusmodi, quibus retro temporibus potita fuerat. ¶ *Sabbatum ejus* משבתה] Nomine *Sabbati* intelligit quemcunque ritum cultûs Domini ac veræ religionis. Quidam Hebræorum vertunt, *riserunt super cessatione ejus*, i. quòd cessaret lætitia ejus.

8. *Peccatum peccavit* חטא חטאה] Hebraismus, Gravissimè peccavit. ¶ *In derisionem* לנידה] *In commotionem*, sub. *capitis*, *Gentibus*, quæ deridentes eam commoverunt caput. Alii, *in transmigrationem facta est:* vel, *instabilis & vaga facta est:* q. d. Variè jactata est, abducta scilicet in captivitatem.

9. *Sordes ejus*, &c. טמאתה בשוליה] *Immunditia ejus*, &c. i. Sine omni verecundia peccavit, similis facta mulieri impudenti quæ non veretur menstruum sanguinem in fimbriis publicè circumferre. ¶ *Et descendit mirabiliter* ותרד פלאים] *Propterea descendit* in *mirabilibus*, i. admirabili descensu. Multi enim mirati sunt lamentabilem casum tam florentis urbis & Regni. Vel *mirabiliter*, i. mirabili & summâ dejectione ac depressione; h. e. summam rerum suarum passa est jacturam. ¶ *Magnifice fecit* הגדיל] *Magnificavit*, sub. *se*: i. immensa patravit: vel, *magnificat se*, h. e. temere jactat se inimicus, quasi hoc suâ virtute factum sit.

11. *Suspirantes, quærentes* נאנחים מבקשים] *Cum gemitu quærunt.* ¶ *Ut refocillarent animam* להשיב] Ad verb. *ad faciendum quiescere animam.* Quidam, *ut revocarent* deficientem *animam.* Alii, *ad retinendam animam.* ¶ *Quòd sim vilis* כי הייתי זוללה] *Quòd vilis habita sim.* Alii, *nam abjecta* [vel *ignominiosa*] *sum.* Præt. Heb. pro præs.

12. *Ne sit vobis* grave לוא אליכם] *Ne ad vos*, sub. *veniat quod accidit mihi*: q. d. Absit ut talia vobis contingant. Formula est deprecantis malum. Facit autem loquentem Jerusalem, ac querentem suas calamitates, cui nulla par sit.

13. *Ignem* אש] Per *ignem* intelligit furorem. Chald. *De cælis misit ignem in castella mea fortiora, & subegit ea.* Exprimit verò gravitatem iræ Divinæ variis similitudinibus: dicit illam esse *immissionem ignis*, *illaqueationem*, *impositionem jugi*, & *calcationem torcularis.* ¶ *Et dominatus est unicuique ipsorum* וירדנה] Ad verb. *& dominatus est ipsi*, sub. *ossi*, i. unicuique ipsorum ossium. Quidam, *& desævit in ea*: vel, *vim suam exseruit in ea.* Potest etiam legi, *dominatus est ipse*, sub. *ignis*, ut ex Hebræorum doctis nonnulli exponunt. Alii, *& contrivit ipsum*, i. unumquodque ipsorum. ¶ *Posuit me* נתנני] Ad verb. *dedit me*, i. reddidit desolatam. Hebraismus.

14. *Ligatum est* נשקד] *Tractum est*: vel, *Acceleratum est*, ut doctus inter Hebræos vertit. Alius, *Punctis quibusdam designatum est*: q. d. Deus quibusdam notis peccata mea in manibus suis designavit ut illorum recordetur. Nusquam alibi in S. literis legitur hæc dictio. ¶ *Implexa sunt, ascenderunt* ישתרגו עלו] i. *Involuta veluti ramusculi arborum*, *ascenderunt*, &c. ¶ *Corruere fecit* הכשיל] *Dejecit*: *depressit*, sub. *jugum illud.* ¶ Hostium] Subaudiri potest, earum *transgressionum à quibus*, vel *cum quibus*, *non potero surgere.*

15. *Validos meos* אבירי] *Robustos meos.* Alii, *magnificos.* ¶ *Congregationem* מועד] *Concionem.* Quidam, *Indixit adversum me tempus.* ¶ *Electos meos* בחורי] *Juvenes meos.* ¶ *Torcular*, &c. 'גת דרך וגו] i. Tradidit Dominus populum suum hostibus ut interficiant eum, torqueant & conculcent haud secùs quàm uvæ in torculari calcantur. Quidam vertunt, *tanquam in torculari calcavit Dominus virginem filiam Juda*, i. Jerusalem, quæ est urbs præcipua Tribûs Juda.

16. *Ex oculo meo*, &c. 'עיני עיני וגו] *Oculus meus*, *oculus*, inquam, *meus descendit* in *aquam.* ¶ *Recreans* משיב] Ad verb. *quiescere faciens.*

17. *Frangit* פרשה] Sub. *panem*: q. d. Ipsa sibimet frangit panem, cùm nullum habeat qui sibi frangat. Solet enim frangi panis mœrentibus. Ut ergò indicet neminem esse qui eam consoletur, hoc dicit. Nomine autem *panis* Hebræi quemcunque cibum intelligunt. Chaldæus P. sino ב in בידיה legit, hoc modo, *Frangit Sion manus suas more lugentium.* Sic etiam quidam ex doctis Hebræorum. Alii, *Expandit Sion manus suas.* ¶ *Præcepit*, &c. צוה יהוה ליעקב] i. *Mandato convocavit Jehovah contra Jaacob ut essent*, &c. ¶ *In abominationem* לנדה] *In menstruatam*, i. ut mulier menstruis polluta, separata erat à viro suo, & à Templo, ut scribitur Levit. 15. 19. vel, *in separationem.*

19. *Vocavi amicos meos* קראתי למאהבי] *Clamavi ad amatores meos*, qui scilicet antea quærebant amicitiam meam, vel quorum amicitiam quærebam. ¶ *Consumpti sunt* גועו] *Exspirarunt*: *languore perierunt.*

20. *Intumuerunt* חמרמרו] *Conturbata sunt.* Alii, *astricta sunt.* ¶ *Rebellando rebellavi* מרו מריתי] Hebraismus, pertinaciter rebellavi. ¶ *Tanquam mors* כמות] Est aliquid *simile morti*: nempe fames.

21. *Audito malo meo gavisi sunt* שמעו רעתי שש] Ad verb. *audiverunt malum meum*, *gavisi sunt*, h. e. intellectâ calamitate meâ gavisi sunt. *Malum* pro *afflictione.* ¶ *Adduxisti*, &c. 'הבאת וגו] Ad verb. *Adduxisti diem*, *vocasti*, *& fuerunt* [vel *erunt*] *sicut ego*: i. *induxisti* [aut *inducis*] *contra me diem* quem *indixisti*: *erunt igitur*; i. eâdem ratione & argumento aliquando *similes mei futuri sunt*: tu enim indixisti quoque diem per Prophetas tuos contra illos, ut scilicet eos punias. Quidam convertunt per futurum, *Adduces diem à te vocatum*, *& erunt similes mei.* Alii, *inducas ergò* [vel, *utinam induceres*] *diem* quem *indixisti* [sub. *per Prophetas tuos*] *ut sint similes mei*, i. puniantur quemadmodum ego punior.

22. *Et fac illis*, &c. 'ועולל למו וגו] *Et vindemia eos*, *sicut vindemiasti me.* Quidam Hebræorum vertit, *& causa sis* [sub. *ruinæ*] *eis*, *sicut causa fuisti mihi.* Verti etiam posset, *& dolore affice eos ut dolore affecisti me*: ut infrà 3. 51.

CASTALIO.

8. *Ipsa se gemebunda retrovertit*] Præ pudore avertit.

9. *Lacinias habet sordibus coinquinatas*] Per lutum agitur in exsilium, & ità urgetur à prædonibus ut respiciendi non sit potestas.

CLARIUS.

Scribuntur hi THRENI Jeremiæ Prophetæ hoc ordine in Hebræo, ut primus versus incipiat ab Aleph, secundus à Beth, tertius à Gimel, & sic consequenter, servatâ literarum Alphabeti serie. Observatur enim id in quibusdam carminibus, ut faciliùs discantur, & memoriâ teneantur. Quod hìc quoque factum censent, cùm THRENI isti lugubre quoddam sint carmen de lamentabili casu Judæorum & urbis Jerosolymitanæ: etiamsi non constet quo genere carminis hi Threni sint conscripti, quòd Hebræi non eis generibus canant carmina & numerent metra quibus Græci & Latini. Et putant Hebræi hunc fuisse librum quem Rex Juda ab initio legit, & mox in ignem abjecit, sicut Jer. 36. scribitur.

1. *Quomodo sedet*] Videt Jerusalem in specie Mulieris lugentis & tristis. Erat autem Jerosolymis maxima hominum multitudo. Certè sub destructione secunda ad undecies centena millia hominum reputata fuerunt, factâ computatione ex agnis Paschalibus qui immolabantur. Josephus de bello Jud. dicit, Neroni significatum; in Pascha numerata hostiarum ducenta quinquaginta millia, & quingentas. Fiunt autem, si denos epulatores per singulas imputemus, vicies centena ac septingenta millia, sancti omnes & puri: nec enim leprosis sive vitiliginosis & quocunque modo Lege impuris permittebatur esse sacrificiorum participes. ¶ *Domina gentium*] Cui scilicet gentes tributa pendebant; ut fuerunt Ammonitæ, Moabitæ, Palæstini, & multæ aliæ gentes: & exteri Reges munera mittebant.

2. *Ploravit in nocte*] Quæ hora quieti assignari solet.

3. *Migravit Juda propter afflictionem*] h. e. Fame & bello fatigatus. Chald. *Abiit Juda in captivitatem eò quod ipsa afflixit pupillos & viduas, & cum duritia tractaverunt servos Hebræos.*

5. *Hostes ejus in capite*] *In capite esse* est Præcipuum esse ac potiores partes obtinere. Sensus ergò est, Dominari illis cœperunt hostes eorum, & pro arbitrio in eos sævierunt.

7. *Recordata est Jerusalem dierum afflictionis suæ*] Videtur hic esse sensus, *Recordata est Jerusalem in diebus afflictionis suæ & transmigrationis desiderabilium suorum*, videlicet Pacis, Sacerdotii, Regni, Benedictionis fructuum, Prophetiæ, Victoriæ, &c. ¶ *Deriserunt Sabbata ejus*] h. e. Legem & ceremonias, quas jactare consueverant.

9. *Sordes ejus in fimbriis ejus*] i. Sine omni verecundia peccavit, similis facta mulieri impudenti, quæ non veretur menstruum sanguinem in fimbriis publicè circumferre. ¶ *Erectus est inimicus*] Contra me scilicet insultans assiduè.

12. *O vos omnes*] Sic nihil eorum malorum eveniet vobis, si attenderitis, & misertum fuerit nostri.

13. *De excelso misit ignem*] Chald. *De cælis misit ignem in castella mea fortia, & subegit ea.* Exprimit verò gravitatem iræ Divinæ variis similitudinibus: dicit illam esse *immissionem ignis*, *illaqueationem*, *impositionem jugi*, & *calcationem torcularis.*

14. *Grave factum est*] Sensum transtulimus: alioqui verti potest, *ligatum est.*

15. *Torcular calcavit*] h. e. Tradidit Dominus populum suum hosti, ut interficiat eum, torqueat & conculcet haud secùs quàm uvæ solent in torculari.

16. *Convertens animam meam*] h. e. Animans me.

19. *Et ipsi deceperunt*] h. e Frustrati sunt. Cùm enim florerem, erant amantes mei, verùm in periculo destituerunt me.

22. *Multi enim gemitus*] Scilicet propter contumelias illorum.

DRUSIUS.

ORigenes, Ἔκδοσις Ἀκύλα καὶ Θεοδοτίωνος ἐν τοῖς Θρήνοις οὐ φέρεται, μόνου δὲ Συμμάχου καὶ τῶν ό. *Editio Aquilæ & Theodotionis in Threnis non circumfertur, sed solùm Symmachi & Lxx.*

5. לְרֹאשׁ. Sym. εἰς ἄρχοντας *in Principes.*

12. עוֹלַל לִי. Sym. ἧψε μοι, *coxit me*] Apud Theodoretum est ἐπεφύλλισέ μοι, & apud Interpretem nostrum *vindemiavit me.*

16. מֵשִׁיב. Sym. ἀνακτώμενος *qui recreet.* ¶ שׁוֹמֵמִים. Sym. ἔρημοι *desolati.*

17. צִוָּה יְהוָה לְיַעֲקֹב סְבִיבָיו צָרָיו. Sym. ἐνετείλατο Κύριος κύκλῳ γενέσθαι αὐτοῦ τοὺς θλίβοντας αὐτὸν, *mandavit DOMINUS in circuitu ejus fieri tribulantes ipsum.*

22. וְעוֹלֵל לָמוֹ כַּאֲשֶׁר עוֹלַלְתָּ לִי. Syrus, teste Theodoreto, *& affige illos sicut affixisti me.*

GROTIUS.

HIc quoque Liber Poëticis addendus. Scriptus est enim metris, quæ & per Alphabetum digesta sunt omnia, excepto ultimo capite. Sed & in prioribus hæc est differentia, quòd primum, secundum, & quintum caput singulis literis singulos dant versus, caput tertium ternos. Valde fuit aptus ad tractanda τὰ παθητικὰ [*ea quæ sunt plena affectuum*] Jeremias. Apparet id & ex scriptis ejus Propheticis, & indè quòd in Josiæ Regis mortem lessum fecit, ut didicimus II Paral. XXXV. 25. Est autem horum Θρήνων [*Lamentorum*] argumentum, ut & Lxx in capite annotarunt, Excidium urbis Hierosolymorum, & Deportatio per Nabuchodonosorem facta. Notandum autem in secundo, tertio & quarto capite inversum ordinem literarum Phe & Ayn. Nam cùm soleat apud Hebræos Ayn præcedere, Phe sequi; hìc contrà fit ut Phe præcedat, Ayn sequatur; cujus rei non aliam conjectare possum rationem, quàm quòd Chaldæi alio ordine sunt usi quàm Hebræi: sicut & Arabes aliter digerunt literarum ordinem. Et in Phœnicum Alphabeto Koph litera præcessit literam Tsade. Itaque primo capite loquitur Jeremias ut Hebræus; sequentibus ut Chaldæorum subditus.

1. Q*Uomodo sedet sola civitas*] Respondet huic descriptioni nummus temporibus factus similibus, id est, Vespasiani, ubi Judæa sedet plorans sub palma, in forma captivæ.

Princeps provinciarum] Illa urbs quæ Ammonitis, Moabitis, aliisque imperaverat.

2. *Omnes amici ejus spreverunt eam*] Ut Idumæi. Vide Psal. CXXXVII. 7. & quæ ibi dicta.

3. *Migravit Judas propter afflictionem & multitudinem servitutis*] מ particula non hìc *præ* sed *per* significat.

4. *Quòd non sint qui veniant ad solemnitatem*] Ad Pascha, ad Pentecosten, ad σκηνοπηγίαν [*festum tabernaculorum*].

5. *Facti sunt hostes ejus in capite*] Deuteronomii XXVIII. 45.

6. *Ut arietes*] In Hebræo, *ut cervi.*

7. *Recordata est*] Recordatur.

Dierum afflictionis suæ] Quam nunc patitur.

Et prævaricationis] Quæ causa malorum.

Desiderabilium suorum] Supplendum hìc *&*: id est, simul tempora felicitatis suæ cum his temporibus comparat.

Cùm caderet] Vertas rectè nunc, *dum cadit populus*, &c.

Viderunt eam hostes, & deriserunt sabbata ejus] Ut Agatharchides libro priore contra Appionem, ubi vocat φαῦλον ἐθισμὸν [*stultam consuetudinem*]: Seneca apud Augustinum de Civitate Dei lib. VI. cap. 11. qui *septimam partem* ait *sic perdi vacando*: Plutarchus de Superstitione, & Rutilius in Itinerario. Mirum verò non intellexisse eos quantæ esset utilitatis aliquos esse conventus ad docendam veram pietatem, cùm alibi templa essent fine ulla institutione, scholæ fine ulla pietate.

8. *Propterea instabilis facta est*] In Hebræo, *ut separata*: id est, ἡ ἐν ἀφέδρῳ [*quæ menstrua patitur*]. Nam impuritates legales figuram habent impuritatum animi. Vide infrà 17.

Quia viderunt ignominiam ejus] In Hebræo, *nuditatem*: id est, ità contumeliosè tractatam, ut mulieres quibus omne tegumentum detrahitur.

Ipsa autem gemens conversa est retrorsum] Ut solent feminæ verecundæ.

9. *Sordes ejus in pedibus ejus*] *In fimbriis ejus*, habet Hebræum. Id est, undequaque manat, & conspici se dat profluvium ejus. Perstat in comparatione.

Vide Domine afflictionem meam] Supplendum hìc *ait*, ut sæpe alibi. sic & infrà 11.

10. *Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia ejus*] Id est, ad Templi donaria.

Quia vidit gentes ingressas sanctuarium suum] Coacta videre fuit.

De quibus præceperas nè intrarent in Ecclesiam tuam] Qui nec connubii jus nobiscum habebant. Vide quæ dicta Deuteron. XXIII. 1.

11. *Dederunt pretiosa quæque pro cibo ad refocillandam animam suam*] In obsidione. Vide simile II Regum VI. 25.

12. *O vos omnes*] לא non semper est deprecantis, sed sæpe optantis, ut apparet Genes. XVII. 18.

Vindemiavit me] In Hebræo, *Dolore me affecit.*

13. *De excelso*] *E cœlo*, ut hìc habet Chaldæus. Nam Assyrius virga furoris Dei.

14. *Vigilavit jugum*] Legit Schin dextratum. At in textu Hebræo quo utimur meliùs est sinistratum, ut sensus sit, *impressum est jugum.*

Convoluta sunt] *Contorta* ut funes, qui graviter collo insidunt.

15. *Omnes magnificos*] Proceres.

Ut contereret electos meos] Juvenes.

Torcular calcavit Dominus virgini filiæ Juda] Id est, Expressit ei sanguinem, ut vinum solet exprimi in torculari.

19. *Vocavi amicos meos, & ipsi deceperunt me*] Ægyptios: Jerem. II. 18. & XXXVII. 5.

Consumti sunt quia quæsierant sibi cibum] Id est, *postquam quæsierant.*

20. *Conturbatus est venter meus*] In Hebræo, *Viscera mea conturbata sunt.*

Foris interficit gladius, & domi mors similis est] *Quasi mors*, id est, fames est in urbe: descriptio temporis ejus, quo obsessa fuit urbs Hierosolyma, II Regum XXV. 3. Jerem. LII. 6. quare rectiùs hæc per præteritum vertentur.

21. *Læti sunt: quoniam tu fecisti*] Rectiùs כִּי hìc vertitur per *sed*: quasi dicat, Ferenda mihi sunt tua judicia.

Adduxisti diem consolationis] *Adduces diem consolationis*, scilicet meæ.

Fient similes mei] Imminet & Babyloni captivitas, Psalm. CXXXVII. 8. 9. Jer. LI. 20. 30. 31. 32. Adde quæ ex Herodoto produximus Annotatis ad librum III. de Veritate Religionis Christianæ.

22. *Vindemia eos, sicut vindemiasti me*] Potest etiam verti: *Fac eis ut mihi fecisti.* Est enim verbum ambiguum.

CAP. II.

MUNSTERUS.

2. H*Abitacula Jacob*] Sic R. S. hunc locum exponit, ut scilicet sit נאות idem quod נוה. Chaldæus tamen Interpres vertit עדירין *ornatam.* Porrò sensus est, quòd non pepercit civitati nec ædificiis quàntumlibèt pulcris. Non redimere potuerunt divitiæ, neque potentiæ, non pulcritudo ceremoniarum, nec robur scientiæ verbi.

3. *Omne cornu Israel*] Per *cornu* intelligitur omne sublime & יקר, ut Chaldæus habet, h. e. *honorificum.* ¶ *Retraxit dexteram tuam*] i. Permisit hostem pro illius voto grassari in populum, nec illum repressit, ut antea fecit quando pro Israel pugnavit.

5. *Luctum & lamentum*] Sic ferè Chaldæus exponit: nam habet אבילותא ואניתא i. *luctum & mœrorem.* Idem sentit Kimhi.

6. *Testimonium suum*] h. e. Arcam & Propitiatorium.

9. *Sunt absque lege*] Chald. *Abducti sunt inter gentes eò quòd non custodierunt verba Legis.*

13. *Quale testimonium*] D. K. hunc locum sic exponit, *Quámnam gentem adducam quæ tam horribile pro peccatis suis sumpsit judicium sicut tu? vel quem populum assimilabo tibi, qui tam duro percussus est supplicio? Tantis enim flagellis castigatus es ut ea sævientis maris procellis comparari possint.*

14. *Abjectiones*] h. e. Seduxerunt te Prophetæ tui falsi, ut in hanc calamitosam veneris abjectionem.

20. *Parvulos infantiles*] Est טפח propriè *mensura palmæ*: & hinc transfertur significatum ejus, autore Kimhi, ad *infantes*, שמטפחין אותם ומישרין אבריהם בכלי עת כשמתחלין אותם, *quod cùm involvuntur, mensurent eos, & rectificent membra eorum.* Potest etiam hìc sicut & in ultimo versu accipi pro גדל *educare.* Chald. *involutos sindone.*

VATABLUS.

1. *Quomodo obscuravit* איכה יעיב] *Quàm obscuram reddidit:* vel, *Quomodo obnubilavit.* Quidam Hebræorum vertunt, *Quomodo usque ad nubes exaltavit:* nam sequitur, *& projecit*, sive *dejecit*, eam ab alto in ira sua. ¶ *Projecit* השליך] *Dejecit.*

2. *Dejecit in terram* הגיע לארץ] Ad verb. *attingere fecit terram.*

3. *Concidit in ira*, &c. גדע בחרי אף כל קרן] *Confregit in furore iræ omne cornu:* i. Confregit irâ furente ac æstuante omne robur *Israel*, h. e. duo Regna. ¶ *Redire fecit retrorsum*, &c. השיב אחור וגו'] *Convertit retro*, &c. i. retraxit. Hebraismus, negavit [vel subduxit ab eis] auxilium, cùm ventum esset in hostes. ¶ *Et accensus est* ויבער] *Exarsit itaque.* ¶ *Veluti ignis*, &c. כאש להבה וגו'] *Veluti ignis flammantis qui circumquaque absumit.* Alii, *velut ignis inflammatus, consumpsit per circuitum.* Alii, *velut ignis flamma devoravit per circuitum.*

4. *Desiderabilia oculi* מחמדי עין] i. Quæcunque expetere potest oculus.

5. *Planctum & luctum* תאניה ואניה] *Mærorem & tristitiam.*

6. *Et transtulit*, &c. ויחמס כגן שכו] *Et dissipavit velut* tugurium *horti tabernaculum suum*, i. Templum, vel Sionem, quæ est illi velut tabernaculum & tugurium. ¶ *Congregationem suam* מועדו] i. Locum ubi congregantur, quod est Sanctuarium. Alii, *perdidit Sanctuarium suum:* itâ docti Hebræorum. ¶ *Et sprevit* וינאץ] *Abjecitque*, cum contemptu scilicet. Alii, *& flocci fecit.*

7. *Abominatus est* נאר] *Neglexit.* ¶ *Vocem dederunt* קול נתנו] Sub. *hostes*, facto strepitu, ut populus clamitare solet præ gaudio *in solennitate.*

8. *Regulam* קו] *Funiculum*, sub. *vastationis.* Alii, *perpendiculum.* ¶ *Desolavitque*, &c. ויאבל חל וחומה] *Luxitque antemurale & murus.*

9. *Regem ejus*, &c. מלכה ושריה בגוים] *Rex ejus & principes ejus* [sub. *abducti sunt*] *inter Gentes.* ¶ *Non invenerunt visionem à Jehovah* לא מצאו חזון מיהוה] i. Non prophetant quæ Domini sunt.

10. *Imposuerunt* העלו] Ad verb. *ascendere fecerunt*, i. Consperserunt *pulvere caput.*

11. *Intumuerunt* חמרמרו] *Conturbata sunt.* ¶ *Cùm deficeret* בעטף] i. Cùm viderem *deficere*, sive *animi deliquium pati, parvulos*, &c.

12. *Tanquam occisus* כחלל] i. Ut solent qui cæsi sunt gladio. ¶ *Cùm effunderetur*, &c. בהשתפך נפשם וגו'] *Cùm efflarent animam suam:* vel, *postea quam effuderant animum suum*, i. votum ac desiderium, *in sinum matrum suarum.*

13. *Quid testificabor*, &c. מה אעידך וגו'] i. Quid testibus probabo quenquam accepisse tantam cladem quantam accepisti? aut quem populum adducam qui tam duro affectus sit supplicio ut tu?

14. *Ut converterent aversionem tuam* להשיב שביתך] *Ut reducerent captivitatem tuam.* ¶ *Et expulsiones* ומדוחים] i. Ea quæ te expellebant à me: h. e. rationes quibus expellerent te à via recta.

15. *Perfecti esse decoris* כלילת יפי] *Consummatâ pulcritudine præditam?*

16. *Aperuerunt*, &c. פצו עליך וגו'] Hebraismus, diducto ore irrident te. ¶ *Perdamus* בלענו] Præt. Heb. pro fut. & fut. pro imperat. *Devoravimus*, vel *perdidimus*, pro *devoremus.*

17. *Mandaverat* צוה] Sub. *per Prophetas suos.*

18. *Clamavit* צעק] *Clamabat:* i. Clamabant Hierosolymitani animo quidem intento ad Deum, sed convertentes sermonem suum ad murum. ¶ *Descendere fac* הורידי] *Deduc; emitte; dimitte.* ¶ *Quiescat* תדום] Ad verb. *taceat.*

20. *Cuinam sic feceris* למי עוללת כה] *Quem sic racemaveris;* vel, *ad quid vindemiasti?* ¶ *Num comedunt* אם תאכלנה] Admirativè dictum: q. d. *An hoc unquam fando auditum, ut matres ederent fœtus suos?* Alii, *an comedent?* ¶ *Qui educantur* טפחים] *Educationem.* Ità dicuntur quod statura eorum sit aliquot *palmorum;* vel quòd à nutricibus *palmis* contrectari soleant. ¶ *Num occiditur* אם יהרג] *An occidatur*, i. occidi soleat. Alii, *an occidetur.*

22. *Timores meos* מגורי] i. Eos à quibus mihi maximè timebam. ¶ *De circuitu* מסביב] *Undique; omni ex parte.* ¶ *Et evexi* ורביתי] *Et enutrivi.*

CASTALIO.

3. *Eorum dexteram in hostis adventu retrahens*] Eis resistendi vim adimens.

CLARIUS.

3. *Omne cornu Israel*] i. Omnem virtutem se defendendi, quæ per cornu intelligitur, & perdendi ac ventilandi inimicos. Vel intelligit omne sublime atque honorificum. ¶ *Avertit retrorsum dexteram suam à facie inimici*] h. e. In gratiam inimici retraxit manum, & permisit hostem pro illius voto grassari in populum; nec illum repressit, ut antea fecit quando pro Israel pugnavit.

7. *Vocem dederunt*] Nempe *hostes.*

8. *Tetendit funiculum*] Quasi hostibus terram partiendam permissurus.

9. *Non est lex*] Chald. *Abducti sunt inter gentes quia non custodierunt verba Legis.*

11. *Effusum est in terra jecur meum*] *Jecur*, amoris & affectuum receptaculum, ceu *humi affixum*, & in sordibus jacet: nihil enim amo præ morte & sepulcro.

13. *Cui comparabo te*] h. e. Quamnam gentem adducam qui tam horribile pro peccatis suis sumpserit judicium sicut tu? vel quem populum assimilabo tibi, qui tam duro sit percussus supplicio? tantis enim flagellis castigatus es ut ea sævientis maris procellis comparari possint.

14. *Et ejectiones*] Propter quas scilicet ejecta es. Seduxerunt te, inquit, Prophetæ tui falsi, ut in hanc calamitosam veneris ejectionem vel abjectionem.

20. *Comedent mulieres fructum suum*] Prædicta est hæc pœna Deut. 28. Et quod nos vertimus *infantes paulatim succrescentes*, alius vertit *parvulos qui educantur:* alius *parvulos infantiles.* Vox Hebræa TAPHACH significat *mensuram palmæ.*

DRUSIUS.

5. אַרְמְנוֹתֶיהָ. Sym. τὰ βασίλεια αὐτῆς *regias ejus.* Lxx βάρεις de qua voce diximus alias.

18. בַּת. κόρη, i. *pupilla.*

GROTIUS.

1. *Projecit de cœlo in terram inclytam Israel*] A summis ad ima. Confer Matth. XI. 23.

Scabelli pedum suorum] Arca sæpe sic vocatur respectu cæteræ terræ Judææ. Sed & Judæa tota sic vocari potest respectu aliarum terrarum.

2. *Omnia speciosa Jacob*] In Hebræo, *habitacula.*

Polluit regnum & Principes ejus] Infamavit, tradens & terram & populum in ditionem profanarum gentium.

3. *Confregit in ira furoris sui omne cornu Israel*] *Cornu*, id est, gloriam, ut I Sam. II. 1. Præcipuè Regia majestas hoc nomine indicatur.

5. *Replevit in filia Juda humiliatum & humiliatam*] Secutus est Græcam versionem. Alii ex Hebræo vertunt, *luctum & mærorem.*

6. *Et in opprobrium & in indignationem furoris sui Regem & Sacerdotem*] In Hebræo, *Sprevit in ira furoris sui Regem & Sacerdotem.*

7. *Vocem dederunt in domo Domini, sicut in die solenni*] Hostes scilicet ità triumphum cecinerunt in Templo, sicut ibi Deo à nobis gratiæ agi solebant.

8. *Tetendit funiculum suum*] In Hebræo, *Tetendit regulam:* id est, omnia solo æquavit quasi ad libellam.

9. *Regem ejus & Principes ejus in gentibus: non est lex*] Vertas optimè, *sine lege:* id est, amisso jure αὐτονομίας [*utendi suis legibus*].

10. *Abjecerunt in terram capita sua virgines Jerusalem*] Hoc est quod Græci dicunt κατηφεῖν vel κατηφᾶν [*mæsto esse vultu*]. Cæsar: *tristes capite demisso terram intueri.*

11. *Effunditur in terram jecur meum*] Id est, desideria mea omnia conciderunt. Eorum enim sedes jecur.

Cùm deficeret parvulus] Præ fame, ut sequitur.

13. *Magna est enim velut mare contritio tua*] Legit ut nos in Hebræo habemus כים [*ut mare*]. At Lxx legerunt כוס [*calix*], ποτήριον συντριβῆς σου [*calix contritionis tuæ*].

14. *Propheta tui*] Non Dei Prophetæ, sed tui, tibi adulantes, Jerem. XXIII. 16.

Viderunt autem tibi assumtiones falsas] In Hebræo משאות [*onera*], quod de vaticiniis tristibus dici solet. Talia illi canebant adversùs Babylonem.

Et ejectiones] Vaticinabantur tibi fore ut Babylonios longè dispelleres.

15. *Moverunt caput suum*] Per ludibrium, ut II Regum XIX. 21.

16. *Aperuerunt super te os suum*] Ut hiantes feræ. Psalmo XXII. 14.

17. *Quem præceperat à diebus antiquis*] Quem minatus erat in fanctione Legis fuæ, Levit. XXVI. 25. Deuteron. XXVIII. 36. 48.

19. *Confurge, lauda in nocte*] In Hebræo, *clama*.

Leva ad eum manus tuas pro anima parvulorum tuorum] Ut Deus, fi non te, illos faltem in vita confervet.

20. *Ergóne comedent mulieres fructum fuum, parvulos ad menfuram palmæ?*] Factum & hoc fecundùm minas Legis Deuteron. XXVIII. 53.

22. *Vocafti quafi ad diem folennem qui terrerent me de circuitu*] Ab omni regione hoftes in me advocafti, non aliter quàm ad feftum diem homines convocari folent.

CAP. III.

MUNSTERUS.

1. EGO *vir ille*] Imitati fumus hîc Chaldæum Interpretem, qui paulò clariùs hunc reddidit locum quàm in Hebræo habetur. Habet enim fic, אנא גבריא חזא ענׄי. Et poffunt hæc verba referri tam ad perfonam Jirmeiæ multas injurias fuftinentis, quàm ad Judæos in exfilium ductos.

7. *Sepe circumdedit me*] Vocatur omnis *claufura* גדר, five ea fiat fepe ligneâ, five כותל *pariete*, qualis fieri folet per circuitum vinearum & hortorum. Sed & murus qui domum & atrium ambit vocari folet גדר. Cui in Latino *maceria* propriè refpondet. ¶ Porrò pro *vinculis* Chaldæus interpres habet כבלין דנחשא *compedes æneos*.

9. *Sepivit vias meas*] Hoc dicitur propter biennalem obfidionem quâ intra urbis mœnia ab exercitu Chaldæorum veluti capti tenebantur, ut exire non poffent nifi per devias & obliquas vias.

13. *Filios pharetræ fuæ*] Hebraifmus eft pro *fagittis*.

16. *Comminuerunt* (feu *fregerunt*) *lapillis dentes meos*] Eft חצץ idem quod אבן חול *lapillus arenofus*, & eft fenfus fecundùm R. S. *Immifcuerunt calculos panibus meis, quorum efu attriti funt dentes mei*.

19. *Recordare afflictionis meæ*] Secundùm quofdam eft hic זכור infinitivus, ut fit fenfus, *Periit fpes mea, recordante me afflictionis meæ:* unde Chaldæus Interpres vertit אדכר *recordabor*. Cæterùm מרוד eft hîc idem quod דלות vel שפלות, ut Kimhi exponit.

21. *Hoc reduco ad cor meum*] Chald. *Hanc confolationem inducam in cor meum, videlicet quòd ex mifericordiis Domini eft quòd non fumus confumpti*. Eft Divina benevolentia Abyffus quædam, quâ etiam immerentes bonis afficit, quâ miferetur & ignofcit propter femetipfum. Multa funt fcelera noftra, & ob id Dei irati ferimus verbera: fed major eft bonitas Dei, quâ nos gratis fervabit. Ipfe in dies multiplicat mifericordias fuas, & novis miferationibus prævenit nos, & fidelis eft in promiffionibus fuis. Id enim hîc fignificatur per אמונתך, quæ vox *fidem* & *fidelitatem* atque *veritatem* fignificat. R. S. tamen fic exponit, Magna res eft promiffio tua, & magnum eft credere in te, quòd tu impleturus fis & obfervaturus quod nobis promififti.

27. *Si portet jugum in adolefcentia fua*] Chald. *Bonum eft viro, fi erudierit animam fuam ad ferendum jugum præceptorum in pueritia fua*. Quod enim recens tefta femel imbibit, hujus rei odorem non facilè amittet. Si tali homini jugo Domini affueto acciderit aliquid adverfitatis, tacebit & feret patienter quicquid Dominus impofuerit ei. Humiliabit fe, & non defperabit, quin & maxillam obvertet pro Domino percutienti fe; fciens temporariam effe afflictionem & non perpetuam, & quòd Deus non ex animi fententia nos punit, fed neceffitate peccati noftri adactus, non ut nos totos deleat, fed ut falvet. Et hoc fignificatur per hæc verba, v. 34. *Ut conterat fub pedibus fuis omnes vinctos terræ*. Continuantur enim hæc verba ad præcedentem fententiam. Vocat *vinctos terræ* qui catenis peccatorum revincti in terra jacent. Non igitur conterit Deus hominem, nec *fallit eum in judicio*, vel *declinat* feu *pervertit judicium ejus*, imò dedignatur hæc *videre*, qui amat judicium & juftitiam.

38. *Ergò ex ore Altiffimi*, &c.] Quia, inquit, impii negant providentiam Dei fefe extendere ad hæc inferiora, quòd putent omnia fieri in terris במקרה *cafu quodam*; id fi verum eft, jam Deus nec bene nec malè nobis facere poteft. Sed blafphema eft hæc vox, *mentiturque homo in peccatis fuis*. Verti autem יתאונן pro *mentiri*, quia Kimhi exponit שקר.

43. *Umbraculum pofuifti*] Pofuifti, inquiunt, iram tuam veluti מחיצה *interftitium* inter nos & te, ut non licuerit in noftris afflictionibus ad te confugere. Et quod סחי pro *colluvie* vertimus, fecuti fumus D. Kimhi.

51. *Filias civitatis meæ*] h. e. Propter tot devaftatas civitates Regni Jehuda.

53. *Jecerunt lapides*] Sunt qui hæc & fequentia verba intelligunt de Propheta dicta: alii verò intelligenda putant de Judæis in captivitate multas injurias fuftinentibus.

65. *Cor obftinatum*] Heb. *Clypeum cordis*, h. e. velamen excæcans, vel afflictionem cordis.

VATABLUS.

1. QUI *vidi afflictionem* ראה עני] Phrafis Hebræa, *afflictus fum, afflictionem expertus fum*. Iftud caput intelligunt Hebræi de Jeremia conjecto in carcerem, Jer. 20. 1. Poteft etiam ad Judæos referri in exfilium actos. ¶ *In virga*, &c. בשבט עברתו] i. Vehementi furore ejus.

2. *Et deduxit* ויולך] Ad verb. *ire fecit*.

5. *Felle & labore* ראש ותלאה] *Toxico & moleftiâ*, five *fatigatione*, à לאה. Alii, *caput* meum, *& fufpendit* ipfum: à תלה *fufpendit*. Chald. *& circumdedit civitatem, & eradicavit capita*, i. duces populorum.

6. *Manere fecit me* הושיבני] *Collocavit me*.

7. *Circumfepivit me* גדר בעדי] *Sepem* [vel *maceriam*, aut *parietem*] *ftruxit circum me:* i. quafi fepe objectâ viam interclufit nè egrediar. ¶ *Compedem meum* נחשתי] *Pedicas æreas meas*.

8. *Occlufit*, &c. שתם תפלתי] Ad verb. *claufit orationem meam*, nè fcilicet perveniret ante illum: q. d. Non audivit orationem meam.

9. *Excifo lapide* בגזית] *Lapidibus quadris*. Hoc dicitur propter biennalem obfidionem, quâ intra Urbis mœnia ab exercitu Chaldæorum veluti capti tenebantur, ut exire non poffent nifi per devias & obliquas vias. ¶ *Pervertit* עוה] *Depravavit*, i. mutavit à confuetudine. Sic ver. 11.

11. *Pervertit* סורר] *Diffipavit: abalienavit: vagas reddidit*.

13. *Ingredi*, &c. הביא וגו'] Ad verb. *intrare fecit in renes meos filios pharetræ fuæ:* i. Confixit me fagittis fuis.

16. *Et confregit*, &c. ויגרס וגו'] i. Immifcuerunt lapillos panibus meis, quorum efu attriti funt dentes mei. Nam Jeremiæ datus eft panis miftus lapillis. ¶ *Operuit*, &c. הכפישני באפר] *Verfavit me in cinere:* i. *partem fummam verterunt ad imum, ut caput ad locum pedum*. Ità Hebræi. Alii, *inquinavit me cinere*. Alii, *cibavit me cinere*.

17. *Et elongavit fe* ותזנח] *Et fubduxit fe. Et difceffit:* q. d. Deturbavit me Dominus à tranquillitate ftatûs mentis meæ. ¶ *Boni* טובה] i. Bonorum, five felicitatum.

18. *Periit fortitudo mea* אבד נצחי] Quidam Hebræorum, Periit ftatio mea in fortitudine quæ erat mihi. Ità folent homines conturbari, varia cogitare ac dicere: jam defperant, putantes fe à Deo non exaudiri; jam iterum in fpem eriguntur, & precando, ad Dominum occurrunt. Gradum igitur jam ftruit confolationi. Hoc dum cogito, fcilicet quod fequitur, *Miferationes Domini non defecerunt*, iterum fpem concipio.

19. *Dum recordor* זכר] Infinit. Heb. *Recordando*. Verti poteft in Imperativo, *Recordare*.

20. *Recordatur*, &c. תזכור וגו'] Fut. Heb. pro præf. *recordatur, atque incurvatur*, vel *dejicit fefe:* q. d. *recenti memoriâ recolit*, &c.

21. *Reduco* אשיב] Fut. Heb. pro præf. i. dum hoc reduco in animum, hócque intelligo, refumo fpem meam in Deum. *Cor* pro *animo*, five *mente & intellectu*.

22. *Mifericordiæ*, &c. חסדי יהוה וגו'] Converfo ordine particulæ כי, nonnulli legunt, *Quòd mifericordiæ Jehovæ non deficiunt* [vel *defecerunt*] *neque pereunt* [vel *confumptæ funt*] *miferationes ejus:* ut præcedenti verfui jungatur. In hac lectione תמנו pro תמנו ponitur, נ loco ס literæ geminandæ. Utraque lectio conftat.

23. *Quolibet manè* לבקרים] *Singulis matutinis*. Pars pro toto. *Nova*, inquit, *prodeunt fingulis diebus miferationes Dei*. ¶ *Fides tua* אמונתך] *Fidelitas tua:* i. veraciffimus es in præftandis promiffionibus. Quidam Hebræorum vertunt, *promiffio tua:* q. d. magna res eft promiffio tua, magnum eft credere in te quòd tu impleas & obferves quod nobis promififti.

24. *Exfpectabo eum* אוחיל לו] *Exfpecto eum:* vel, *fpero in eum: fufpicio eum:* i. totus ab eo pendeo.

25. *Exfpectantibus eum* לקוו] *Sperantibus in ipfo*.

26. *Bonum eft*, &c. טוב ויחיל וגו'] *Bonum eft tales fperare*, [vel *exfpectare*] *& in filentio* exfpectare *falutem Jehovæ*. Alii,

lii, *Bonus* vir est *qui exspectat & silet ad salutem Domini:* vel, *qui sperat, & in silentio* exspectat *salutem Jehovæ.*

27. *Cum portaverit* כי ישא] *Si portaverit.* ¶ *In adolescentia sua* בנעוריו] *Ab adolescentia sua:* ut sit ב pro מן.

28. *Manebit*, &c. ישב בדד] Fut. Heb. pro præs. ut quidam vertunt, *manet solitarius* [vel, in *solitudine*, & *silentio*] *quòd portaverit super se*, sub. *illud jugum Domini. Portaverit*, sive *solitus sit portare.* Alii, *Solus sedet*, & *tacet*; *quia projecit super ipsum*, sub. *Dominus jugum.* Non significat desperantem animum, sed projicientem se in judicium & voluntatem Dei, paratum semper ad majora ferenda.

29. *Ponet*, &c. יתן בעפר פיהו] *Ponit in pulvere.* &c. *Ponere os in pulvere* est Submissè loqui, De se submissè sentire, quasi terram deosculari.

31. *Deseret* יזנח] *Repellet.*

32. *Nam si dolore affecerit* כי אם הוגה] *Quin si afflixerit.*

35. *Ut declinare faciat* להטות] *Ut pervertat.* ¶ *Altissimi* עליון] i. Suo.

36. *Ut pervertat* לעות] *Ut iniquè tractet.* ¶ *Non vidit* לא ראה] Præt. Heb. pro præs. i. nè cogitat quidem. Alii, *non novit*, i. non probat.

37. *Quis* igitur, &c. מי זה אמר וגו'] *Quisnam* ergò *jubet aliquid fieri, si Dominus non jubet?* Alii, *Quis hoc dixerit, aliquid fieri quod Dominus non præcipiat?* Alii, *Quis est qui dixit, & factum est, & Dominus non præcepit?*

39. *Dolet* יתאונן] *Tristatur.* Alii, *conqueritur*, *expostulat.*

43. *Opposuisti furorem* סכותה באף] Ad verb. *Posuisti veluti tentorium iram:* vel, *fecisti tentorium ex ira:* sub. *contra nos.* q. d. Posuisti tentorium furoris tui nè videremus quò iremus: aut, Posuisti iram tuam veluti interstitium inter nos & te, ut non licuerit in nostris afflictionibus ad te confugere. ¶ Et *non pepercisti* לא חמלת] *Nec misertus es.*

44. *Opposuisti nubem tibi* סכותה בענן לך] *Obtexisti te nube.* Ad verb. *Posuisti tentorium nubem tibi.*

45. *Abrasionem* סחי] Sic vocat sordes quæ abraduntur à pavimento, sive superflua quæ à re aliqua abraduntur: q. d. *Sordidos ac contemptibiles reddidisti nos.*

46. *Aperuerunt*, &c. פצו עלינו פיהם] i. Riserunt nos aperto ore.

47. *Formido*, &c. פחד וגו'] *Pavor & fovea evenit nobis:* i. More timentium fugientes incidimus in foveam nobis paratam. ¶ *Vastatio* השאת] Vetus Interpres secutus est alteram dictionis Hebraicæ significationem, cùm transtulit *vaticinatio:* nisi Librariorum vitio positum sit pro *vastatio.*

48. *Rivi*, &c. פלגי מים וגו'] Ad verb. In *rivos aquarum descendit oculus meus.*

49. *Defluit*, &c. נגרה ולא תדמה] Præt. Heb. pro præs. & sing. pro plur. *Oculi mei defluunt*, *nec quiescunt.* Ad verb. *nec tacent.* ¶ *Intermissiones* הפגות] *Requies*, pluraliter, i. relaxationes, aut cessationes.

51. *Oculus meus dolore*, &c. עיני עוללה לנפשי וגו'] Chald. *Fletus oculi mei ascendit ut noceat anima mea, propter desolationem populi mei, & deturpationem filiarum Jerusalem urbis meæ.* Alii, *Oculi mei negotium mihi fecerunt supra cunctas*, &c. i. plùs flevi quàm omnes filiæ.

52. *Venando*, &c. צוד צדוני וגו'] Hebraismus, Summâ curâ ac diligentiâ insectati sunt me.

53. *Strinxerunt in carcere* צמתו בבור] *Succiderunt in fovea:* vel, *Perdiderunt in lacu:* aut, *Excisa est in carcere vita mea.* Vide Jer. 37. 16.

54. *Dixi*, *Excisus sum* אמרתי נגזרתי] *Dicebam* apud me, *Abscissus sum:* i. Perii. q. d. Putabam actum esse de me.

55. *Invocavi* קראתי] *Invocabam.* ¶ *Infimo* תחתיות] Ad verb. *inferiorum*, i. profundissimo & altissimo.

56. *Audisti* שמעת] Præt. Heb. pro præs. *audis*, vel *audire soles.* ¶ *Propter respirationem meam* לרוחתי] Ad verb. *propter flatum meum:* vel *propter dilatationem meam:* sive *pro dilatatione mea*, i. respiratione. Ordo dictionum inversus, *Nè abscondas aurem tuam ad clamorem meum propter respirationem*, i. ut respirare me sinas. Chald. *Nè abscondas aurem tuam à receptione orationis meæ ad respirationem meam*, *propter petitionem meam.*

57. *Appropinquasti* קרבת] Etiam præt. Heb. pro præs. *Accedis.* *Appropinquas die quo te invoco, dicens*, &c.

58. *Judicasti, Domine, judicium*, &c. רבת אדני ריבי וגו'] *Litigasti, Domine, lites animæ meæ.* ¶ *Redemisti vitam meam* גאלת חיי] Præt. Heb. pro præs. *Agere soles, Domine, causam meam, méque defendere à morte.*

59. *Vidisti, ô Jehovah, perversitatem meam* ראיתה יהוה עותתי] Præt. Heb. pro præs. *Vides, ô Jehovah, calumniam meam*, i. perversitatem juris mei quam mihi struunt. Nonnulli ità præcedenti versui jungunt, *Cùm tu, Domine, vides injuriam mihi inferri.* ¶ *Judica judicium meum* שפטה משפטי] i. Tuere ergò jus meum: vindica ergò me.

60. *Vidisti omnem*, &c. ראיתה כל נקמתם] Præt. Heb. pro præs. *Perspectum habes omne eorum studium nocendi mihi.*

61. *Audisti opprobrium eorum* שמעת חרפתם] *Intellexisti, ô Jehovah, quibus me probris affecerint.*

62. *Labia insurgentium*, &c. שפתי קמי וגו'] i. Quæ garriunt adversarii mei, ac demurmurant adversùm me jugiter.

63. *Sessionem*, &c. שבתם וקימתם וגו'] Hebraismus, *Contemplare tum quando sedent, tum quando stant, me esse canticum eorum.*

65. *Da eis dolorem cordis* תתן להם מגנת לב] Fut. Heb. pro imperat. *Da eis tegumentum cordis*, i. ignorantiam. Alii, *clypeum cordis*, i. obstinatum cor.

66. *Et contere eos* ותשמידם] Futurum Heb. pro imperat. Alii, & *dele eos.* ¶ *Jehova* יהוה] i. *Tuis.* Alii, *ô Jehovah:* Antecedens pro relativo.

CASTALIO.

5. Felle & *fatigatione circumvallans*] *Fatigatio* cum *felle* non bellè conjungitur. Vide num legendum sit לענה, ut *fel* cum *absinthio* conjungatur, duæ res amarissimæ; ut fit & paulò post hunc locum in Zain, & Deut. 29.

13. *Egit per renes meos pharetra suæ natos*] Sagittas.

19. *Miseria & acerbitatis*] מרודי legendum videtur, Daleth penultimâ, qui facilis est lapsus, indiscretâ penè literarum similitudine. Est enim gemina sententia eleganter composita. Alioqui quale esset, *Memento meæ miseriæ & rebellionis?* cùm sit potiùs Deo obliviscenda rebellio, ut misereatur.

35. *Invertere jus hominis in Supremi conspectu*] In judicio: nam Deus adest in judicantibus.

44. *Obvelasti te nube, nè transeant preces*] Nè nostras preces audias.

51. *Oculi mihi vitam afficiunt*] Mœrent.

CLARIUS.

1. Ego vir videns] *Ego sum vir ille qui vidit afflictionem in virga furoris ejus.* Et possunt hæc verba referri tam ad personam Jeremiæ (qui interim tamen gerit typum Christi) multas injurias sustinentis, quàm ad Judæos in exsilium ductos.

9. *Conclusit vias meas*] Hoc dicitur propter biennalem obsidionem quâ intra urbis mœnia ab exercitu Chaldæorum veluti capti tenebantur, ut exire non possent, nisi per devias & obliquas vias.

13. *Filios pharetra suæ*] Hebraismus est pro *sagittis.*

16. *Confregit lapillis dentes meos*] *Immiscuerunt*, inquit, *calculos panibus meis, quorum esu attriti sunt dentes mei.*

21. *Hæc recolo in corde meo*] Vel, *hoc pacto solabor cor meum*, & *exspectabo.* Jam consolationis & fidei argumenta efficacissima ponit. Ait ergò, *Hanc consolationem inducam in cor meum, videlicet quod ex misericordiis Domini est quòd non sumus consumpti.* Est Divina benevolentia abyssus quædam, quâ etiam immerentes bonis afficit, quâ miseretur & ignoscit propter semetipsum. Multa sunt scelera nostra, & ob id Dei irati ferimus verbera; sed major est bonitas Dei, quâ nos gratis creavit, & gratis servabit. Ipse in dies multiplicat misericordias suas, & novis miserationibus prævenit nos, & fidelis promissionibus est in suis.

23. *Nova*] Singulis diebus novæ apparent misericordiæ. ¶ *Multa est fides tua*] h. e. In servandis promissis fidelitas.

27. *Cùm portaverit*] *Si erudierit animam suam ad ferendum jugum præceptorum in pueritia sua.* Quod enim recens testa semel imbibit, hujus rei odorem non facilè amittet. Si tali homini jugo Domini assueto acciderit aliquid adversitatis, tacebit, ac feret patienter quicquid Dominus imposuerit ei, humiliabit se, & non desperabit, quin & *maxillam obvertet* pro Domino *percutienti se*, sciens temporariam esse afflictionem & non perpetuam, & quòd Deus non ex animi sententia nos punit, sed necessitate peccati nostri adactus, non ut nos totos deleat, sed ut servet. Et hoc significatur per hæc verba, *Ut conterat sub pedibus suis omnes vinctos terræ.* Continuantur enim hæc verba ad præcedentem sententiam. Vocat autem *vinctos terræ* qui catenis peccatorum revincti in terra jacent. Non igitur *conterit* Deus *hominem*, nec *fallit eum in judicio*, vel *declinat* seu *pervertit judicium ejus*; imò dedignatur hæc *videre*, qui amat judicium & justitiam.

29. *Ponet in pulvere os suum*] h. e. Pronus in terram orabit. Ponit conditiones patientis hominis, qui non murmurat, projicit omnem solicitudinem suam in Deum, humiliat sese, alacris

alacris est ad toleranda mala, ut ad saturitatem usque ferat opprobria.

36. *Dominus non vidit*] h. e. Nunquam visum est illi facere hujusmodi.

37. *Quis est iste*] Quis est qui audeat dicere, casu quodam res fieri, negetque providentiam Dei sese extendere ad hæc inferiora, quasi nec bona nec mala à Deo proficiscantur?

39. *Vir pro peccatis suis*] h. e. In excusatione peccatorum suorum.

44. *Opposuisti nubem*] i. Tanquam nubem ponens inter te & nos, aversus es.

51. *Pro cunctis filiabus urbis meæ*] i. Propter tot devastatas civitates Regni Juda.

52. *Venatione venati sunt me*] Hactenus destructionem Jerusalem deploravit, variis personis assumptis: tandem & suum casum deplorat. Alii hæc intelligenda putant de Judæis in captivitate multas injurias sustinentibus.

65. *Dolorem cordis*] Alius vertit *cor obstinatum*. Hebraismus habet *clypeum cordis*, h. e. velamen excæcans.

LUCAS BRUG.

PRæfatiuncula quæ Threnis Jeremiæ in plerisque Latinis libris præmittitur, *Et factum est, postquam in captivitatem redactus* [*ductus* 16 MS.] *est Israel, & Jerusalem deserta* [*destructa* 16 MS.] *est, sedit Jeremias - Propheta flens, &* † *planxit " lamentatione hac " in Jerusalem, & amaro animo suspirans & ejulans* [. 2 MS. G. " *lamentationem hanc* 16 MS. " *super* 1. . 3 MS. G. † *plangens desolationem populi sui & subversionem civitatis, dicens* 1 MS.] *dixit*, Hebraicè non exstat: sed in Græcis codicibus legitur. Latinorum exemplarium quædam superioris libri fini conjungunt, quædam hujus principio connectunt, quædam medio inter utrumque loco constituunt; optimè hæc: neque enim prophetæ ipsius, sed Græcorum vel Interpretum vel Tractatorum sunt verba, quibus ostendere voluerunt quomodo hic Lamentationum libellus cum superioris libri historia cohæreat. Quæ verba an Interpres noster suæ editioni ex Græco adjecerit, multùm dubito. Ex nostris aureus D. Donatiani Brugensis codex non legit. Lyranus in correctis libris haud esse testatur. Enarratores, Rabanus & Paschasius, non attingunt, ut nec Richelius. Castigatores Dominicani non agnoscunt. Denique Epanorthotes Noster, & alii quidam, redundare pronunciant.

23. *Novi diluculò*] Major cùm codicum tum Expositorum pars legit *novi*: Antiqua autem omnia Dominicanorum exemplaria, quatuor Hentenii, duo nostra, Brug. V. & unum Parisiensium Ge. l. habent *nova*. (In Leodiensi MS. corruptor scripsit *vi*, pro eo quod fuit priùs.) Hebræa vox חדשים verti non potest *novi*, si pro verbo *novi* accipias, quomodo glossematici, Paschasius, Autor ordinariæ Glossæ, Autor Interlinearis, Thomas, Lyranus, Carensis & Richelius acceperunt: quare aliquando nos alteri lectioni *nova* Hebræa, Chaldæa ac Græca suffragari scripsimus. Cæterùm si *novi* nomen esse intelligatur, reddi ex Hebræa illa voce potest. Potest autem & *nova* transferri, ac quidem commodissimè, ut referatur ad רחמיו *miserationes*, quod est in præcedenti versiculo, quò Ruperti Tuitiensis commentarius refert. Hinc Pagninus paraphrasticòs interpretatus est, *Nova sunt quolibet manè misericordia*. Atque hanc & nostri Interpretis versionem esse, *nova*, inquam, non *novi*, vetera MSS. loquuntur: quæ Epanorthotes secutus, id approbavit, *Nova diluculò*. Existimarim pro *nova* minimè intellecto verbum *novi* substitutum fuisse. Lobiense antigraphum scribit, " *Nova es* [." *Surge* 1 MS.] *diluculò*: id quod Dominicani S. Hieronymo attribuunt. Certè optimè convenit commentario qui est in Hieronymi operibus: sed non eum Hieronymi commentarium esse doctorum virorum opinio est, quòd multæ in eo inveniantur sententiæ ex Gregorio Papa decerptæ. Rabani potiùs esse creditur, cujus in Jeremiam commentariis Basileæ excusis junctus est. Porrò hoc legendi genus, *Nova es diluculò*, ex eo confictum arbitror, quòd sequatur *Multa est fides tua*. Græca Regis editio & Complutensis habent, τὰ καινὰ ἐν τῷ πρωΐ, *nova in diluculo*. In aliis Græcis editionibus duplicem reperio translationem; unam, κενὰ εἰς τὰς πρωΐας *vana in dilucula*, quæ cum illa eadem est; nam corruptè legi κενὰ pro καινὰ *vana* pro *nova* exemplar Vaticanum docet: alteram loco priorem, μῆνας, sive μῆνας, εἰς τὰς πρωΐας, *menses in dilucula*, quæ ex eadem Hebraica dictione, paulò aliter lecta, profluxit: posito enim puncto ־ loco ־, ità ut sit חֳדָשִׁים *menses* significat, Latinum M. N. Augustini Hunnæi exemplar, O notatum, scribit *Renova illas diluculò*: id quod Græci Tractatoris Theodoriti lectioni accedit, qui deinde habet, *Propheta*

supplicationem offert eorum nomine, Renova eos velut diluculum matutinum. *Quia calamitatem nominavit* tenebras, *mutationem ejus comparat* diluculo. Possit & hoc ex Hebraica illa dictione verti, si legas חִדְּשָׁם. Chaldæi paraphrasis est, *Miracula nova promit diluculò*.

28. *Sedebit* [*sedit* o.] *solitarius & tacebit, quia levavit* [*levabit* o.] *super se*] Pronomen *se*, quod multi codices, cum Glossematicis, Lyrano, Carensi & Richelio, repetunt, hoc modo, *Quia levavit se super se*; antiqua Dominicanorum scripta, tria Parisiensium Di. l. Ge. o. l, tria nostra O. C. Bess. & Complutensis editio, cum Enarratoribus, Paschasio, & Autore Glossæ Ordinariæ qui Paschasium secutus est, haud agnoscunt. Hebraicè non additur, כי נטל עליו: nec Græcè legitur, ὅτι ἦρεν ἐφ' ἑαυτῷ. Itaque castigatores, Dominicani, Epanorthotes, Parisienses, Hentenius, emendarunt, *Quia levavit super se*. Additum fuisse videtur alterum illud *se* ex commentario qui id subaudierit. Porrò alii subaudiunt *jugum*, quòd legitur in superiori versiculo; Paschasius, Dominicani, Scholiastes Hebraicus: id quod etiam in textum ab aliquibus relatum est: nam Theodoriti Græci textus habet, *Quia tollit super seipsum grave jugum*. τὸ grave Latinus Paschasius in superiori versiculo *jugo* junctum legit. Chaldæus *castigationes* subaudivit, cujus hæc paraphrasis est, *Sedebit solus, & tacebit, & sustinebit castigationes quæ eveniunt propter unitatem nominis Domini: quæ mittuntur, ut vindicet se de eo, propter peccatum leve, quod peccavit in seculo isto, usque dum parcet ei, & auferet eas ab eo, & recipiet mercedem perfectam in seculo venturo*.

DRUSIUS.

7. נְחֻשְׁתִּי, *Æs meum*. Sym. τὸν τοῦ τραχήλου μου ζυγὸν *colli mei jugum*] In Lxx χαλκόν μου, & alia scriptura, ἐβάρυνε τὸν χαλκὸν τοῦ τραχήλου μου; *aggravavit æs colli mei*. Origenes, λέγει δὲ ζυγὸν καὶ τοὺς κλοιοὺς τοὺς σιδηροῦς οὓς ἀντὶ ξυλίνων Θεοῦ κελεύσει περιεβάλετο, *Dicit jugum & ipsas boias ferreas quas pro ligneis Dei jussione circumdederat*. Vide sequentia.

16. וַיַּגְרֵס בֶּחָצָץ. Syrus, Ἐν πέτρᾳ ἐστέρησέ με, *Petrâ privavit me*.

23. חֲדָשִׁים. Μῆνας *menses*. Aliàs καινά· melior interpretatio. Nam *menses* propriè חֳדָשִׁים dicuntur. Καινὰ, i. *nova*.

29. בֶּעָפָר. Syrus, ἐν γῇ *in terra*] Alius ἐν χώματι, alius ἐν κονιορτῷ.

47. פַּחַד. Sym. πτόησις *formido*.

49. עֵינִי נִגְּרָה וְלֹא תִדְמֶה מֵאֵין הֲפֻגוֹת. Sym. Ὁ ὀφθαλμός μου ἐπέμεινε, καὶ οὐκ ἐπαύσατο, τοῦ μὴ εἶναι ἄνεσιν, *Oculus meus immoratus est, & non cessavit, eò quòd non esset remissio*.

51. עוֹלְלָה. Vide sis ed. Rom.

GROTIUS.

1. EGo vir videns paupertatem meam] Cum publicis malis simul & sua deplorat Jeremias, præcipuè cùm obsessâ urbe in diro carcere conclusus fuit.

5. *Ædificavit in gyro meo*] Undique me inclusit. Vide infrà 9.

8. *Cùm clamavero & rogavero*] Cùm clamarem & rogarem.

11. *Semitas meas subvertit*] Ademit mihi ambulandi libertatem.

Posuit me desolatam] In Hebræo est *desolatum*.

16. *Fregit ad numerum dentes meos*] Quia in Græco est, ἐξέβαλε ψήφῳ ὀδόντας μου, putavit hic interpres ψῆφον esse *calculum*. At Græci per ψῆφον intellexêre *lapillum*. Et sic in Hebræo est, *Fecit confringi lapillis dentes meos*, id est, *pane lapidoso*, ut Seneca loquitur.

Cibavit me cinere] In Hebræo: *immersit me cineri*. Sed *cinerem* pro *luto* sæpe sumunt Hebræi. Historiam vide Jerem. XXXVIII. 6.

17. *Et repulsa est à pace anima mea*] Scribæ posuerunt נפשי [*anima mea*], sed fuerat נפשך [*anima tua*], ad Deum verso sermone, cujus cogitationes longè à sua prosperitate abfuisse querebatur Jeremias.

20. *Memoriâ memor ero, & tabescet in me anima mea*] In Hebræo, *Recordando recordabitur*: id est, quotiescunque animus meus illius temporis reminiscitur, totus contabescit.

21. *Hæc recolens in corde meo, in Deo sperabo*] *Hæc*, id est, statum præsentem, liberationem meam ex lacu lutoso, simul mihi ob oculos ponens, id argumentum habebo, quo in posterum quoque Deo confidam.

22. *Misericordiæ Domini quia non sumus consumti*] Meliùs: *Quia*

Quia misericordia Dei non sunt consumta. Nam תמנו [*consumta sunt*] per ἐνίθησιν [*insertionem*] literæ נ, pro תמו, est forma Chaldaica. Et hîc ità sumsit Chaldæus interpres. Etiam LXX: ὅτι οὐκ ἐξέλιπέ με [*non me dereliquerunt*].

23. *Novi diluculo*] Scribe *nova*, & refer ad *miserationes.* Quotidie, inquit, aliæ alias sequuntur.

26. *Cum silentio*] Id est, patientia.

28. *Quia levavit super te*] Jugo se accommodat; non jactat jugum, οὐ ζυγομαχεῖ.

29. *Ponet in pulvere os suum*] Deum adorat in terram pronus. Sic 1 Cor. XIV. 25.

30. *Dabit percutienti se maxillam*] *Os præbere contumeliis* dixit Tacitus Historiar. III. Vide quæ ad Matth. V. 39. & de Jure Belli ac Pacis libro 1. cap. 11. § 8.

33. *Non enim humiliavit*] *Afflixit.*

Ex corde suo] Non quòd bonis malè velit, sed ut eos aut exploret, aut in exemplum patientiæ proponat. Vide sequentia

38. *Ex ore altissimi non egredientur nec mala nec bona*] Meliùs connectas cum illis superioribus: *Quis dixerit ex ore Altissimi non procedere & mala* (id est, adversa) *& bona?* id est, prospera.

39. *Quid murmuravit homo vivens, vir pro peccatis suis?*] *Cur murmuret homo quisquam ob peccata sua?* Id est, pœnas peccatorum suorum. Si ob peccata affligitur, corrigat se.

44. *Opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio*] Peccatorum recentem memoriam.

45. *Eradicationem & abjectionem posuisti me in medio populorum*] In Hebræo: *Ejectamentum & sordes posuisti nos* (non enim specialiter de se hîc, sed toto de populo Propheta loquitur) *inter populos.* סחי propriè est quod Paulus Apostolus dixit περίψημα [*purgamentum*] 1 Corinth. IV. 13.

46. *Aperuerunt super nos os suum*] Suprà II. 16.

47. *Formido & laqueus facta est nobis vaticinatio & contritio*] Meliùs ex Hebræo: *Formido & fovea evênit nobis, vastatio & contritio.*

48. *Divisiones aquarum deduxit oculus meus*] Meliùs: *Rivis aquarum manat oculus meus.*

49. *Nec tacuit*] *Nec quievit.* Ità enim דמה sæpe sumitur.

51. *Oculus meus deprædatus est animam meam*] Chaldæus rectè explicat: *Tantus fuit fletus meus, ut noceret vitæ* (id est, valetudini) *meæ.*

In cunctis filiabus urbis meæ] Cùm oppida circum Hierosolyma sita undique caperentur.

52. *Venatione ceperunt me*] Jerem. XXXVIII. 12. 13.

Gratis] Sine ullo meo crimine.

53. *Lapsa est in lacum vita mea*] Vide locum adductum suprà 16.

Et posuerunt lapidem super me] Quo puteus obstruebatur. Vide simile in historia Danielis.

54. *Inundaverunt aquæ super caput meum*] *Aquam* dixit pro *luto.*

55. *De lacu novissimo*] Rectiùs: *profundissimo.*

56. *Ne avertas aurem*] Rectiùs: *non avertisti.*

63. *Sessionem eorum & resurrectionem eorum vide*]. Per *sedere* & *surgere* Hebræi omnia hominum otia & negotia intelligunt. Vide Psalm. CXXXIX. 2.

65. *Dabis eis scutum cordis laborem tuum*] Meliùs: *absconsionem cordis,* nam גנן est *abscondere.* Facies ut cor ipsis refugiat. Quod verò hîc est *laborem*, in Hebræo est, *exsecrationem*, תאלתך. At Græci & Latinus legerunt תלאתך [*labores*], transpositis literis.

CAP. IV.

MUNSTERUS.

1, 2. OBscuratum est aurum] Chaldæus Interpres ad literam exponit de Templo Jerosolymitano, auro & gemmis ornato, sed quod per Chaldæos fuit destructum & exustum. Exponit autem Kimhi vocabulum כתם per בכלים נעשים. Et per *filios auro ornatos & compositos* Hebræi communiter intelligunt filios Josijæ. Nam ut ex Paralipomenωn libro patet; Jirmeia speciali carmine deploravit interitum Regis Josijæ.

3. *Extraxerunt mammam*] Dicitur Draco *extrahere mammam*, quia habet primò *thecam* quandam vel *operimentum* quo mammas includit.

6. *Major fuit iniquitas*] Ex נקמה *ultione*, inquit, licet advertere peccatum Jehudæorum gravius fuisse peccato Sedomæ. Hujus rationem addit Chaldæus, quòd videlicet *non habitaverint Prophetæ in Sedoma qui eos retraxerint ab impiis conatibus.* Fuit præterea Sedomitarum supplicium levius, quòd non longâ obsidione fuerunt excarnificati, quandoquidem *manus* humanæ *non fuerint adhibita*, aut in deditionem accepti, sed *in momento fuerunt* per manus Angelicas *subversi.*

7. *Candidiores fuerunt*] i. *Nazaræi* hujus urbis, qui priùs bonæ valetudinis erant, *candidi & rubicundi*, in depopulatione urbis videntur *exsangues, deformes & nigri*, quasi qui caminis purgandis operam impenderint. Porro ubi nos עצם pro *osse* vertimus, Chaldæus vertit זיו *aspectum.* Et גזרה Kimhi exponit pro *nitidis fragmentis quæ à sapphiro secantur*; ut sit hic sensus, *Rubebam specie præ margaritis, & polities eorum similis fuit sapphiro.*

9. *Perfusi sunt sanguine*] i. *Qui fame moriuntur*, perinde est ac si *perforati essent & fluerent sanguine*, nisi quòd lentâ tabe & diutinâ morte contabescunt & animam efflant, cùm perempti gladio semel ponant animam. Porro מדקרים idem est quod מחסר תנובות, sicut vertimus.

13. *Prophetarum ejus*] Quando in malo meminit *Prophetarum*, semper accipiendum est de malis Prophetis, sicut hoc loco, ubi ponit causas destructionis Jerusalem. Fuit, inquit, Jerusalem tam munita præsidiis ut impossibilis videretur gentibus expugnatio ejus, præsertim cùm jam per orbem divulgatum esset, potentes Reges ante illam periclitatos fuisse: id quod Sanherib Regi Assur accidit.

14, 15. *Moti sunt cæci*] Hebræi ex his verbis hunc eliciunt sensum, *Cæci oberrantes in plateis polluti sunt sanguine occisorum, ut dedignarentur accedentes contingere vestes illorum, sed dicerent, Discedite à nobis, quoniam polluti estis sanguine: quo dicto, avolaverunt & amoti sunt ab eis.* Chaldæus exponit verbum נצו per משתקצים *abominati sunt*, &c.

17. *Ad auxilium nostrum vanum*] Ad Ægyptios scilicet auxilium humanum, dimittentes auxilium Divinum.

20. *Spiritus narium nostrarum*] Chaldæus Interpres & alii Rabini hunc versum intelligunt de Josijahu Rege piissimo, sub quo Judæi pacem & quietem habere sperabant; sed captus & occisus ab hostibus frustravit eos spe suâ.

21. *Gaude & lætare*] Scilicet ad horam, quoniam & tu bibes calicem furoris Domini. Ex hoc quoque loco colligunt Hebræi Romam Italiæ per *Ædom* significari: sed quàm aptè id faciant, ipsi viderint. Propheta meminit hîc illius *Ædom quæ situm habet in terra Uz.* Vertit itaque Chaldæus Interpres hunc locum in hæc verba, *Non adjiciet Dominus ut iterum te in captivitatem abducat: & in ipso tempore visitabo iniquitates tuas, ô impia Roma, quæ exstructa es in Italia, plena collectionibus Ædomæorum: veniéntque Persæ, & coangustabunt te atque devastabunt te, &c.* Et cùm Propheta hîc apertè loquatur de prima Jerosolymitana destructione, ipsi intelligendum docent de secunda sub Tito facta, propter id quod additur, *Non adjiciet ut te transmigret*; nè scilicet non sint *filiæ Zion*, sicut verè non sunt, cùm in universum sint abjecti à Domino, ut est dies hæc. Porrò per *completam iniquitatem*, *etiam* Jehudæi intelligunt tempus Meschiæ, quando perfectè *abolendas iniquitates filiæ Zion* Prophetæ vaticinati sunt.

VATABLUS.

1. OBscuratum est יועם] *Obtectum est.* Ad verb. *tegetur, abscondetur*, pro *absconditum est.* ¶ *Disjecti sunt* תשתפכנה] Ad verb. *diffusi sunt.* Per *aurum* intelligit Principes; per *Lapides*, Sacerdotes & Levitas.

2. *Pretiosi* היקרים] *Nobiles: inclyti.* ¶ *Æstimati auro puro* המסלאים בפז] *Æquiparati* [vel *comparati*] *auro optimo.* Significat aurum purissimum & purgatissimum ac defæcatissimum.

3. *Educunt mammam, lactant, &c.* חלצו שד היניקו] Præt. Heb. pro præs. Hebraismus, *nudatis mammis lactant*, &c. Amplificat malum per comparationem, Crudeles feræ alunt catulos suos, sola Jerusalem non alit. Dicuntur *serpentes nudare* sive *educere mammas* quòd eas habeant sub squamis. Aut certè habent thecam quandam sive operimentum quo mammas includunt. Alii dicunt eos *educere mammas vaccarum & ovium:* hoc enim facere solent serpentes. ¶ *Veluti struthiones* כיענים] *Struthiones* animalia partim terrestria, partim volatilia, quæ agunt in desertis, & pedibus jaciunt lapides. Quidam dicunt *struthiones* ideo dici *crudeles*, quòd statim ubi posuerint ova sua, ea relinquant: Ità & mulieres Judææ relinquunt filios suos.

5. *Delicatis cibis* למעדנים] Ad verb. *ad delicias.* ¶ *Perierunt* נשמו] *desolati sunt.* i. Qui voluptuosè vivebant, perierunt publicè

publicè ac ſub dio. ¶ *In coccino* עלי תולע] *In ſerico*: vel, *in vermiculo*, i. in veſtibus vermiculatis, aut coccineis.

6. *Et non caſtrametata ſunt*, &c. ולא חלו בה ידים] Ad verb. *& non manſerunt* [vel *reſederunt*] *in ea manus*, i. vires, robur hoſtium, caſtrametantium ſcilicet: q. d. Non fuit vi hoſtili diu agitata aut oppreſſa.

7. *Mundiores erant* זכו] *Candidiores erant. Puriores.* ¶ *Sapphirus erat excìſio eorum* ספיר גזרתם] i. Ac ſi fuiſſent exciſi ex ſapphiro, ob multam eorum politiem. Quidam, *ſapphiro ſimilis erat polities eorum.*

8. *Obſcurior eſt nigredine* חשך משחור] Ad verb. *obſcura magis quam nigredo*, vel *carbo.* ¶ *Non ſunt agniti* לא נכרו] *Non agnoſcuntur.* ¶ *Aret tanquam lignum* יבש היה כעץ] Præt. Heb. pro præſ. *arida eſt ut lignum*, ſub. *aridum ac ſiccum*: vel *riget*, aut *rigida eſt.*

9. *Fluxerunt perfoſſi* יזובו מדוקרים] i. Perinde ac ſi ipſis confoſſis fluxiſſet ſanguis eorum, extabuerunt conſumpti ob ſterilitatem terræ. Qui fame moriuntur perinde eſt acſi enſibus confoſſi eſſent & fluerent ſanguine, niſi quòd lentâ tabe & diutinâ morte animam efflant, cùm perempti gladio ſemel ponant animam.

10. *In contritione* בשבר] i. Sæviente calamitosâ clade urbis noſtræ.

11. *Furorem iræ ſuæ* חרון אפו] *Æſtum*, i. iram ſuam furentem & æſtuantem. ¶ *Qui conſumpſit* ותאכל] Ad verb. *& devoravit*: *conſumpſit.*

12. *Non credebant* לא האמינו] *Nunquam credidiſſent*, &c. *quòd ingreſſurus eſſet.*

14. *Vacillarunt* נעו] *Oberrarunt*: *Moverunt ſe.*

15. *Immundus ſum* טמא] Gens *polluta*: Sing. pro plur. *immundi*: q. d. *O cæci immundi, diſcedite, ne veſtimenta veſtra polluta contingamus.* Alii volunt eſſe verba cæcorum pollutorum, adhortantium alios nè ſe contingant, quòd ſint immundi. ¶ *Quia inquinati*, &c. כי נצו גם נעו] *Inquinati quippe erant & commoti.* Alii, *evolarant enim, & vagabantur*, i. celerrimè & cum maxima feſtinatione abſceſſerant, adeò ut viderentur habere alas. Hebræi hunc locum ſic intelligunt, *Cæci oberrantes in plateis polluti fuerunt ſanguine occiſorum, ità ut dedignarentur accedentes contingere veſtes illorum, ſed dicerent, Diſcedite à nobis qui polluti eſtis ſanguine: quo dicto avolarunt & amoti ſunt ab eis.* ¶ *Non ultrà incolent* לא יוסיפו לגור] Ad verb. *non addent ad incolendum*, i. nunquam redibunt ad ſua.

16. *Ira Jehovæ diviſit eos* פני יהוה חלקם] *Vultus Jehovæ ſeparavit illos*, i. disjecit eos Jehovah & diſperſit in varias ac diverſas regiones. ¶ *Non ſunt reveriti* לא נשאו] Ad verb. *non ſuſceperint*, i. non acquieverint illis rogantibus.

17. *In exſpectatione noſtra* quâ *exſpectavimus* בצפיתנו צפינו] i. Dum anxiè exſpectavimus.

20. *In foveis eorum* בשחיתותם] *In retibus eorum.* Chaldæus P. Hebræorum quoque Doctores intelligunt hunc verſum de Joſia Rege piiſſimo, ſub quo Judæi pacem & quietem habere ſperabant; ſed capto eo & occiſo ab hoſtibus fruſtrati ſunt ſpe ſuâ. Appellant eum *Meſſiam*, i. *unctum*, ſicut & omnes alios reges; præterea *ſpiritum* ſive *vitam narium ſuarum*, quòd eos tueretur & conſervaret in pace nè ab hoſtibus occiderentur. Hic autem Joſias Chriſtum adumbrabat, qui his verbis promittebatur pro conſolatione. Sunt igitur hæc verba piorum Judæorum in Chriſtum credentium, ejúſque adventum toleranter exſpectantium. *Spiritus*, inquiebant, *narium noſtrarum*, i. vita noſtra, ſive is per quem vivimus, *Chriſtus Domini capietur retibus eorum*; *de quo dicimus* (ſive *ſolemus dicere*) *Sub umbra*, &c.

21. *Gaude & lætare*, &c. שישי ושמחי וגו'] Ironia eſt, ſicut & Eccl. 11. 9. *Lætare, juvenis*, &c. ¶ *Et eris vomens* ותתערי] Ad verb. *& teſe evacuabis*: q. d. Eris ebria uſque ad immodicum vomitum. Doctus inter Hebræos etiam exponit, *& diſcooperieris*, ſive *diſcooperies te, ut ſolent ebrii*: quod legimus de Noe.

22. *Iniquitas tua* עונך] i. Pœna iniquitati tuæ debita. ¶ *Non addet*, &c. לא יוסיף להגלותך] *Non ultrà te abducet in captivitatem*: vel, *non ultra ſinet* Dominus *te abduci captivam.* ¶ *Viſitabit*, &c. פקד עונך] Præt. Heb. pro fut. Quidam vertunt, *& recordabitur iniquitatis tuæ.*

CASTALIO.

1. O*Bſcuratum eſt aurum? mutatum obrizum? disjecti paſſim per compita ſacri lapides?*] Pretioſa indignè tractantur?

2. *Nati Sionis pretioſi, auro rependendi*] Superioris verſûs declaratio.

6. *Majórque eſt puellæ meorum popularium culpa quàm Sodomæ peccatum, quæ de improviſo everſa fuit, nec in ea relanguerunt manus*] Graviores culpæ dat pœnas quàm Sodoma, quippe cùm illa ſine longo obſidionis languore perierit.

13. *Ob ejus & Vatum peccata*] Falſi *Vates & Sacerdotes* fuerunt tantæ calamitatis autores, *qui Hieroſolymis effuderunt innocentum ſanguinem*: h. e. falſa vaticinati ſunt, quæ ſecutus populus incidit in hæc mala. *Ibant* enim *cæci* (neque enim Deo afflati) *per vicos* urbis, *ità ſanguine* illo quem dixi *contaminati ut eorum veſtes tangi non poſſent*; quippe adeò ſanguine imbutæ ut in eis nihil præter ſanguinem tangi poſſet: h. e. erant magnæ cædis cauſa. Repellebant autem alios à ſe, tanquam ſacri profanos (vide Eſa. 65.) & paſſim *jurgabantur* vaticinantes.

17. *Cùm adhuc oculi nobis ad inane auxilium noſtrum intabeſcerent, dum intenti in non defenſuram gentem intuemur*] Fruſtrà auxilium ab Ægyptiis intentiſſimè exſpectaremus.

20. *Narium noſtrarum ſpiritus*] Vita noſtra. Vide Eſa. 2. 22.

CLARIUS.

1. Q*Uomodo obſcuratum eſt aurum*] Certum eſt ex 2 Par. 35. Jeremiam deploraſſe ſpeciali carmine mortem Regis Joſiæ, qui occiſus eſt quando exivit ut dimicaret in campo Mageddo contra Necao Regem Ægypti: unde dicit, *Univerſus Juda & Jeruſalem luxerunt eum, Jeremias maximè, cujus omnes cantores & cantatrices uſque in præſentem diem lamentationes ſuper Joſiam replicant; & quaſi lex obtinuit in Iſrael. Ecce ſcripta eſt in Lamentationibus.* Et infrà dicit, *Spiritus oris noſtri, Chriſtus Domini, captus eſt.* Porrò cùm Rex defletur, defletur & populus, qui ſimul periit cum Rege. Ex hac hiſtoria manuducimur ad mortem Chriſti recogitandam, cujus figuram bonus ille Rex, qui pro populo ſuo mortuus eſt, geſſit. Ab admiratione incipit, Quomodo fiat ut optimi perierint. Nam tres filii Regis poſtea captivi facti ſunt: quod prævidebat Propheta: nam Joachaz captus in Ægyptum ductus eſt; Joacim in Jeruſalem periit: Sedechias quoque exoculatus in Babylone periit. Chaldæus interpres ad literam exponit de Templo Jeroſolymitano auro & gemmis ornato, ſed quod per Chaldæos fuit deſtructum & exuſtum. Per *filios* verò *auro ornatos & compoſitos* Hebræi communiter intelligunt filios Joſiæ.

3. *Sed & lamiæ*] Vel *dracones.* Et videtur is eſſe ſenſus, *Etiam fera animalia lactant catulos ſuos, & filia populi mei non lactavit, quia non potuit.* Ferunt Lamias ſpecie humanâ eſſe, ſed crudeliſſimas beſtiarum. Sunt qui putent hoc quod ait, *filia populi mei crudelis*, impletum fuiſſe cùm matres coxerunt filios. Potuit & appellari *crudelis*, quia maluit extrema quæque pati quàm ſe dedere Regi Babylonio, ſicut hortabatur Propheta.

6. *Et major facta eſt iniquitas*] h. e. Pœna iniquitatis. Vel, Exultione, inquit, licet advertere, *peccatum Judæorum gravius fuiſſe peccato Sodomæ.* Hujus rationem addit Chaldæus interpres, quòd videlicet *non habitaverint Prophetæ in Sodoma qui eos retraherent ab impiis conatibus.* Fuit præterea Sodomitarum ſupplicium levius, quòd non longâ obſidione fuerunt excarnificati, quandoquidem *manus* humanæ *non fuerunt adhibitæ*, ſed *in momento fuerunt* per manus Angelicas *ſubverſi.* Et hoc eſt quòd ait, *Et non afflixerunt eam manus.*

7. *Candidiores Nazaræi ejus*] Nazaræi tempore voti abſtemii & magnæ præterea abſtinentiæ fuere: unde maciem contrahere ſolebant. Verùm tanta erat terræ benedictio ut lauti & nitidi viderentur. Jam in depopulatione Urbis viderentur exſangues, deformes & nigri, quaſi qui caminis purgandis operam impenderint.

13. *Propter peccata Prophetarum*] Quando in malo meminit *Prophetarum*, ſemper accipiendum eſt de malis Prophetis; ſicut hoc loco, ubi ponit cauſas deſtructionis Jeruſalem. Fuit, inquit, Jeruſalem tam munita præſidiis ut impoſſibilis videretur gentibus expugnatio ejus, præſertim cùm jam per orbem divulgatum eſſet, potentes Reges ante illam periclitatos fuiſſe: id quod Sennacherib Regi Aſſur accidit.

14. *Erraverunt cæci*] Hebræi ex his verbis hunc eliciunt ſenſum, *Cæci oberrantes in plateis polluti ſunt in ſanguine occiſorum, ut dedignarentur accedentes contingere veſtes illorum, ſed dicerent, Diſcedite à nobis, quoniam polluti eſtis ſanguine.* Quod autem nos vertimus conſpurcati, alius vertit *amoti ſunt.*

15. *Dixerunt inter gentes*] Exiſtimaverunt, inquit, actum eſſe de Judæorum gente, neque eos ultrà colligendos.

17. *Ad auxilium noſtrum vanum*] Ad Ægyptios ſcilicet, auxilium humanum, dimittentes auxilium Divinum.

20. *Spiritus oris noſtri*] Chaldæus & alii Rabini hunc verſum intelligunt de Joſia Rege piiſſimo, ſub quo Judæi pacem & quie-

tem habere ſperabant; ſed captus & occiſus ab hoſtibus fruſtravit eos ſpe ſuâ.

21. *Gaude & lætare*] Ironicè. Ad horam, inquit, lætare, quoniam & tu bibes *calicem* furoris Domini.

22. *Completa eſt iniquitas tua*] Per *completam iniquitatem* etiam Judæi intelligunt tempus Meſſiæ, quando perfectè *abolendas iniquitates filiæ Sion* Prophetæ vaticinati ſunt. Per illud enim quod ait, *non addet ultrà ut tranſmigret te*, & quod de *Edom* vaticinatur, omnium gentium futuram redemptionem ſubindicat.

DRUSIUS.

3. תַּנִּין. Sym. σειρῆνες *Sirenes*] Jeſ. 13. 21. תנים, Lxx ἐχῖνοι. A. Sym. Th. σειρῆνας. Hieron. *Sirenes*, 27. 1. התנין. Sym. τὸ δράκοντα Th. & A. κῆτος. Jer. 10. 22. Sym. *Sirenes*. ¶ כַּיְּעֵנִים. Sym. ὡς ςρουθοκάμηλοι] Olympiodorus, *Avolare enim more ſtruthocamelorum non poſſunt, ſed ſemper per terram diſcurrunt. Iſtud enim ςρουθίον ſic edidit Symmachus.* Verba Græca ſunt, Ἀποπτῆναι κατὰ τοὺς ςρουθοκαμήλους μὴ δυνάμενοι, ἀλλὰ τὴν γῆν ἀεὶ διαθέοντες. τὸ γὰρ ςρουθίον οὕτως ἐξέδωκε Σύμμαχος.

6. כְּמוֹ־רָגַע. Sym. ἐξαπίνης *ſubitò*] Lex. V. Ἐξαπίνης, *recenté, repentim, ſubitò*. Pſal. 73. 19. Lxx ἐξάπινα· Hîc vertunt ὥσπερ σπουδῇ. ¶ לֹא־חָלוּ בָהּ. Sym. ἣν οὐκ ἔτρωσαν *quam non vulnerarunt*] Ex Origene.

7. זַכּוּ נְזִירֶיהָ וגו׳. Sym. Ἄχραντοι ἀφωρισμένοι αὐτῆς ὑπὲρ χιόνα, λαμπρότεροι γάλακτος, πυῤῥότεροι τὴν ἕξιν ὑπὲρ τὰ περίβλεπτα, σαπφείρου τὰ μέλη αὐτῶν, *Immaculati ſunt ſegregati ejus ſupra nivem, ſplendidiores lacte, rubicundiores corpore ſuper conſpicua, ſapphirus membra eorum*] *Segregati*, Alibi vertit ἡγιασμένοι *ſanctificati*, ut in Amos. Vide Fragmenta noſtra ad illum locum. Scholion, Ναζιραῖος *ſign.* ἡγιασμένος. *Ità enim Sym. & Th. in Amos* ἡγιασμένους *interpretati ſunt Naziræos.*

8. חָשַׁךְ מִשְּׁחוֹר תָּאֳרָם. Sym. Σκοτεινότερον αἰθάλης τὸ εἶδος αὐτῶν, *Obſcurior fuligine ſpecies eorum.*

14. נָעוּ עִוְרִים בַּחוּצוֹת וגו׳. Symmach. Ἀκατάστατοι ἐγένοντο, τυφλοὶ ἐν ταῖς ἐξόδοις, ἐφύρησαν ἐν αἵματι, ὥστε μὴ δύνασθαι ἅψασθαι τῆς ἐσθῆτος αὐτῶν, *Inſtabiles facti ſunt, cæci in plateis, conſperſi ſunt ſanguine, ut non poſſet tangi veſtimentum eorum*] Ἐν ἐξόδοις, τουτέστι, ἐν ταῖς ἀγυιαῖς καὶ ῥύμαις, *in vicis & plateis.* Theodoretus.

18. צָדוּ. Syrus, ἐθηρεύσαντο *venati ſunt*] Ex Theodoreto.

20. רוּחַ אַפֵּינוּ. Aq. Πνεῦμα μυκτήρων ἡμῶν, *Spiritus narium noſtrarum.* Sym. Πνοὴ μυκτήρων, *Spiratio narium.*

GROTIUS.

1. *Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus?*] Per *aurum* Principes intelligendi.

Diſperſi ſunt lapides Sanctuarii] Id eſt, Sacerdotes & Levitæ.

2. *In vaſa teſtea*] In fictilia nullius pretii.

3. *Sed & lamia nudaverunt mammam, lactaverunt catulos ſuos*] תנין, quod hîc eſt in Hebræo, modò *draconem*, modò quodvis *monſtrum marinum* ſignificat, vertitúrque Græcè alibi κῆτος [*cetus*], alibi σειρὴν [*Siren*], ut & hîc à Symmacho.

Filia populi mei] Hieroſolyma.

Quaſi ſtruthio in deſerto] Sic & Græci ςρουθίον. & Scholiaſtæ interpretantur ςρουθοκάμηλον [*ſtruthocamelum*]. Videtur hic in Hebræo per ſcriptoris vitium elapſum י: nam יענים ſunt ςρουθοὶ vel ςρουθία [*ſtruthiones*], Levit. XI. 16. XIV. 15. Joſ. XXX. 29. Eſaiæ XXXIV. 13. XLIII. 20. Struthiones ova ſua negligunt. vide Job. XXXIX. 15.

4. *Adhæſit lingua lactentis ad palatum ejus in ſiti*] Quia feminæ fame exhauſtæ lac non habebant.

5. *Amplexati ſunt ſtercora*] Quæſierunt an in fimetis aliquid eſſet alimenti. Vide II Reg. XVIII. 27.

6. *Major effecta eſt iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum*] *Quia Propheta nulli ad Sodomorum cives miſſi fuerant*, ut hîc notat Chaldæus. Confer Matthæi XI. 23.

Subverſa eſt in momento, & non ceperunt in ea manus] In Hebræo, *Non ſederunt in eam manus*: non paſſa eſt obſidionem ab hoſtili exercitu antequam dirueretur.

7. *Candidiores Nazaræi ejus nive*] Ob crebras lotiones.

Nitidiores lacte] Bene habiti.

Rubicundiores ebore antiquo] פנינים, quod hîc eſt in Hebræo, verti ſolet λίθοι πολυτελεῖς [*lapides pretioſi*]. Hîc intelligendi pyropi, ſive carbunculi: unde Græci hîc bene, ἐπυῤῥώθησαν [*rutilarunt*].

Sapphiro pulchriores] In Hebræo, *Sapphirus exciſio eorum*: erat polities eorum qualis ſapphiri.

9. *Melius fuit occiſis gladio quàm interfectis fame*] Feliciores fuêre qui gladio perierunt, non autem lentâ ac cruciabili morte, quam *peſſimam omnium* dixit Homerus.

10. *Manus mulierum miſericordium coxerunt filios ſuos*] Vide ſuprà II. 20. Simile II Reg. VI. 28. 29. & in hiſtoria Joſephi de obſidione per Titum Veſpaſianum.

13. *Propter peccata Prophetarum ejus*] Nota iterum *ejus*. Falſos enim Prophetas indicat, quos populus ſibi adſciverat.

Et iniquitates ſacerdotum ejus] Id eſt, *etiam ſacerdotum*: adeò omnes ordines invaſerat morum corruptio.

14. *Erraverunt cæci in plateis*] Id eſt, *ut cæci*. Sacerdotes qui ſanguinem injuſtum effuderant, undique ſanguine aſperſi fuêre cùm Urbs caperetur. *Erraverunt ut cæci*, curſitarunt huc illuc, incerti quò ſe verterent præ multitudine cadaverum.

Polluti ſunt in ſanguine, cumque non poſſent tenuerunt lacinias ſuas] Cùm aliter ſanguinem vitare non poſſent, oram veſtium manibus tenuêre.

15. *Recedite polluti, clamaverunt eis*] Illi qui omnes pollutiones religioſiſſimè vitare debebant, ab ipſis gentibus habiti ſunt pro pollutis. Nam gentium erat opinio, pollutos eſſe quibus adhæreret ſanguis.

Jurgati quippe ſunt, & commoti inter gentes] Id eſt, Multi ex gentibus gravi irâ in tam miſeros commoti dixerunt.

Non addet ultrà ut habitet in eis] Nempe, Deus apud tam pollutos verſari nolet. Legerunt לא יסף [*non addet*]. At noſtri codices Hebræi habent לא יוסיפו, *non habitabunt ultrà*, nempe Judæi in patria ſua.

16. *Facies Domini diviſit eos*] *Ira Dei diſperſit eos.* At Græci חלקם [*diviſit*], legerunt cum aliis punctis, vertunt enim μερὶς αὐτῶν [*pars eorum*].

Facies Sacerdotum non erubuerunt] Hæc gentes exprobrabant Hebræis. Nulla dicebant, ſpes eſt illis reditûs. Etiam in bonos Sacerdotes ſævierunt. Vide exemplum II Paralip. XXIV. 22.

Neque ſenum miſerti ſunt]

Οὐκ ὄπιδα φρονέοντες ἐνὶ φρεσὶν, οὐδ᾽ ἐλεητύν.
[*Qui nec opem divûm ſoliti curare, nec iram.*]

Ut ait Homerus Odyſſeæ Ξ.

17. *Cùm adhuc ſubſiſteremus, defecerunt oculi noſtri ad auxilium noſtrum vanum: cùm reſpiceremus attenti ad gentem quæ ſalvare non poterat*] Id eſt, cùm adhuc ſtarent res noſtræ, reſpeximus ad Ægyptios, ſed fruſtra. Vide II Reg. XVIII. 21.

18. *Lubricaverunt veſtigia noſtra*] Non ſatis video quomodo legerit Latinus interpres. At duplex ab antiquo fuit lectio, צדו & צרו. Hanc ſequuntur Abeneſdra & alii interpretantes, *Arctaverunt greſſus noſtros*, id eſt, egreſſus omnes clauſerant; illam Chaldæus, *Venaticè inſtiterunt veſtigiis noſtris.* Vide II Reg. XXIV. 5. Græci longiùs abeunt, legerunt enim צדו צעירנו, Ἐθηρεύσαμεν μικροὺς ἡμῶν [*Venati ſumus parvos noſtros*].

Appropinquavit finis noſter] Urbis & ſtatûs civilis.

Completi ſunt dies noſtri, quia venit finis noſter] Id eſt, tempus illud exitio gentis deſtinatum.

19. *Velociores fuerunt perſecutores noſtri aquilis cæli*] Repræſentat ultima illa tempora quæ anteceſſerunt captæ Urbis tempus. Nuſquam erat effugium, in montibus, in planis, ubique erant qui interciperent ob famem fugere volentes.

20. *Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus captus eſt in peccatis noſtris*] Rex, ait, captus eſt ob peccata noſtra. Retro trahunt hoc ad Joſiam Hebræorum nonnulli; ſed qui præcedentia rectè conſideraverit, videbit multò hæc rectiùs ad Sedeciam aptari.

Cui diximus, In umbra tua vivemus in gentibus] Sub cujus tutela ſperaveramus nos tutò victuros, etiam invitis gentibus.

21. *Gaude & lætare filia Edom*] Id eſt, Idumæa, gaude dum licet. Eſt συγχώρησις [*Conceſſio.*]

Ad te quoque perveniet calix] Id eſt, pœnæ portio. Nam ſicut calicem paterfamilias convivis porrigit ut quiſque ſuam partem bibat; ſic Deus adverſa diſpartitur ubi opus id judicat: Jer. XXV. 15. 16. 17. De Idumæorum malis vide Jer. XLIX. 7. & ſequentib. Pſ. CXXXVII. 7.

Inebriaberis, atque nudaberis] Nam ebrios qui vult diſpoliat, Geneſ. IX. 22. mihi tamen Græci rectiùs ſenſum percepiſſe videntur, μεθυσθήσῃ καὶ ἀποχεεῖς, *euſque bibes ut evomas*: nam ערה etiam hanc ſignificationem habet.

22. *Completa eſt iniquitas tua filia Sion*] Præteritum pro futuro more Hebræo. Et *iniquitas* pro *pœna iniquitatis*. Veniet tempus, ô Judæi, cùm pœna veſtra ceſſabit.

Non

Non addet ultrà ut transmigret te] Est verbum in Hiphil, qualia verba sæpe permissionem significant. Sensus est: *post id non ultrà te relinquet in exsilio.*

Visitavit iniquitatem tuam filia Edom] Iterum eadem enallage quæ modò notata est. Haud dubiè Deus animadvertet in malitiam Idumæorum, quibus mala nostra gaudium attulêre.

Discooperuit peccata tua] Ex pœnis gravissimis intelligent homines quantum peccaveris. Confer Jeremiæ XLIX. 10.

CAP. V.

MUNSTERUS.

5. IN *cervice nostra*] h. e. Durum captivitatis & servitutis jugum impositum est nobis.

6. *Ægypto dedimus manum*] i. Hostibus nostris supplices facti sumus, *ut saturaremur panibus.* Quin & ex agris nostris non licuit sine mortis discrimine afferre ea quibus ventrem expleremus. Alii tamen legunt, *Propter siccitatem deserti paravimus panem, vita nostra periculo.*

13. *Ad molendum*] Scribitur טחון pro לטחון. Et est sensus, quòd fortiores venundati sunt in molas, ut illas agitarent. Vel est proverbium, quòd ad gravissima destinati sunt onera ferenda. Quin & *pueros* ipsos usqueadeo aggravaverunt *lignis* ut deficientibus viribus sub illis *corruerent.*

VATABLUS.

2. V*ersa est* נהפכה] *Devoluta est.*

4. *Venerunt* יבאו] Sub. *ad nos:* i. emimus nobis pretio. Futurum Heb. pro præterito, ut quidam vertunt.

5. *Super collum*, &c. על צוארנו נרדפנו] *Super cervicem nostram persecutionem patimur.* Præt. Heb. pro præs. Hebraismum quidam sic reddunt, *Cervicibus nostris vis infertur.* Alii, *Imminet cervici nostræ persecutio:* q. d. Durum captivitatis & servitutis jugum impositum est cervicibus nostris. ¶ *Laboravimus*, &c. יגענו לא הונח לנו] *Lassi eramus*, & *non dabatur nobis requies:* à נוח. Alii vertunt, *Laboramus* quidem, sed *nihil reliquum fit nobis*, sub. *eorum quæ nostro labore paramus:* omnia enim nobis vi hostium auferuntur: à נוח *reliquit.*

6. *Dedimus manum* נתנו יד] i. Pepigimus fedus cum Ægyptiis, sive illis supplices facti sumus, *ut pane saturaremur:* nam ex agris nostris non licuit nobis sine mortis discrimine auferre ea quibus ventrem expleremus.

7. *Portavimus* סבלנו] Præt. Heb. pro præs. *portamus.*

9. *Cum discrimine vitæ*, &c. בנפשנו נביא וגו'] Ad verb. *In anima nostra attulimus panem nostrum, à facie gladii deserti:* i. Cum vitæ periculo ob hostem nos gladiis insequentem cogebamur quærere nobis victum in terra nostra, quæ nunc est velut desertum. Alii posteriorem partem vertunt *Præ siccitate deserti.*

10. *Denigratæ sunt* נכמרו] *Exustæ sunt:* vel *incaluerunt.* ¶ *Exustiones* זלעפות] *Horrores: terrores: tremores.*

11. *Affixerunt* ענו] *Stupraverunt*, vel *vi oppresserunt.*

12. *Manu eorum* בידם] Sub. *hostium.* ¶ *Non honoraverunt* לא נהדרו] *Non fuerunt honoratæ*, i. non detulerunt honorem senibus.

13. *Corruerunt* כשלו] q. d. Fortiores venundati sunt in molas ut eas agitarent: quin & pueros ipsos usqueadeo aggraverunt lignis, ut deficientibus viribus sub illis corruerint.

14. *Cessaverunt* שבתו] Sub. *ab exercendis judiciis in portis.* ¶ *A cantico suo* מנגינתם] *A pulsatione sua*, i. à pulsandis instrumentis suis musicis.

15. *Chorus noster* מחולנו] *Tripudium nostrum.*

17. *Obtenebrati sunt* חשכו] *Hebetes facti sunt.*

18. *Ambulent* הלכו] Hebraismus, pro *versentur.*

19. *Permanebis* תשב] *Permanes.* Fut. Heb. pro præs.

20. *In longitudinem dierum* לארך ימים] i. Longissimo tempore.

21. *Innova* חדש] *Instaura.*

22. *Sed reprobando*, &c. כי אם מאס וגו'] *Quòd si reprobasti nos*, & *iratus es vehementer contra nos.* Pendet sententia, propterea repeti debet versus præcedens, ut annotant Hebræi, ad absolvendam sententiam, *Converte nos, ô Domine.* Alii, *Quòd si duriùs repulisti nos*, id fecisti quòd *contra nos vehementer iratus esses.*

CASTALIO.

9. P*ropter arma silvarum*] Hostes foris grassantes.

13. *Juvenes ligno pessundantur*] Lignatores sunt.

CLARIUS.

5. C*Ervicibus nostris minabamur*] h. e. Durum captivitatis & servitutis jugum impositum est nobis.

6. *Ægypto dedimus manum*] i. Hostibus nostris supplices facti sumus ut saturaremur panibus.

9. *In animabus nostris afferebamus panem*] h. e. Et ex agris nostris non licuit sine mortis discrimine afferre ea quibus ventrem expleremus. Illud ergò *in animabus nostris* idem est quòd *cum discrimine vitæ*, timentes scilicet ab insidiis hostis in deserto.

13. *In ligno corruerunt*] h. e. Sub graviori onere quàm ferre possent pressi sunt, ut deficientibus viribus sub oneribus corruerent.

16. *Cecidit corona*] Templum & cultus.

DRUSIUS.

5. עַל צַוָּארֵנוּ. Sym. Ζυγὸς κατὰ τοῦ τραχήλου ἡμῶν, *Jugum super collum nostrum*] Legit עֹל pro עַל. Aliàs κατὰ τοῦ τραχήλου. Videatur ed. Rom.

6. מִצְרַיִם נָתַנּוּ יָד וגו'. Κατὰ δὲ Σύμμαχον, Τοῖς μὲν Αἰγυπτίοις ἑαυτοὺς ἐξεδώκαμεν, προσδραμόντες ὡς φίλοις τοῖς ἀεὶ πολεμίοις· τοῖς δὲ Ἀσσυρίοις τῷ λιμῷ πιεζόμενοι προσεδράμομεν. *Juxta Sym. verò, Ægyptiis quidem nos ipsos tradidimus, accurrentes tanquam ad amicos ad sempiternos hostes: ad Assyrios autem fame oppressi accurrimus.*

17. דָוֶה. Lxx ὀδύνη ὀδυνηρὰ] Videntur esse duæ interpretationes. Cæterùm in C. abest ὀδύνη, & דוה magis sonat ὀδυνηρὰ *mæstum.*

GROTIUS.

1. ORATIO JEREMIÆ PROPHETÆ] In Græcis quibusdam libris ascriptus est hic titulus, argumento conveniens.

2. *Hereditas nostra versa est ad extraneos*] Terra dono tuo nobis quondam concessa.

3. *Pupilli facti sumus absque patre*] Te patre nostro nos deserente.

Matres nostræ quasi viduæ] Matres familias etiam quæ maritos habent nihil in illis reperiunt præsidii.

4. *Aquam nostram pecuniâ bibimus*] Aditus ad fluvios & fontes vectigal pendunt.

Ligna nostra pretio comparavimus] *Comparamus:* nam in patria quisque in sylvas ibat lignatum sine pretio.

5. *Cervicibus nostris minabamur*] Id est, agebamur ut pecudes. Vox est illius seculi.

6. *Ægypto dedimus manum*] Vide suprà. Post captam Urbem alii in Ægyptum ivêre, Jerem. XLIII.

Et Assyriis, ut saturaremur pane] Magna enim pars in regiones Assyriæ transportati sunt.

7. *Patres nostri peccaverunt, & non sunt*] Mors eos exemit his miseriis.

Et nos iniquitates eorum portavimus] Quas illi morte effugerunt pœnas, eas nos longis ærumnis luimus.

8. *Servi dominati sunt nostri*] *Sicut in familia recentissimus quisque servorum & conservis ludibrio est, sic in hoc orbe terrarum vetere famulatu novi nos & viles in excidium petimur.* Hoc quod apud Tacitum dicit dux Britannus de Romanorum imperio, idem de Babylonico dicere Judæi poterant.

9. *In animabus nostris*] Cum summo vitæ nostræ periculo.

Afferebamus panem nobis] Hoc de illis dicitur quos Chaldæi in Urbe reliquerant.

A facie gladii in deserto] Id est, præ metu militum qui agros tenebant.

10. *Pellis nostra quasi clibanus exusta est à facie tempestatum famis*] Id est, atratæ sunt ob famem vehementissimam.

11. *Mulieres in Sion humiliaverunt, & virgines in civitatibus Juda*] Et mulieres & virgines quarti hîc sunt casus. ענה autem ubi de feminis agitur est *constuprare.* Diximus Deuteronom. XXI. 14. *constupraverunt*, scilicet Chaldæi.

12. *Principes manu suspensi sunt*] *Manu* nempe eorundem Chaldæorum. Pœna suspensionis usitata jam olim in Oriente, Genes. XL. 19.

 13. *A-*

13. *Adolescentibus impudicè abusi sunt*] Putavit *molere* hic poni in sensu obscœno, ut apud Græcos & Latinos interdum. sed multò simplicius est interpretari eos *actos in pistrinum*. Vide quæ diximus ad Job. XXXI. 10.

Et pueri in ligno corruerunt] Sub lignorum fascibus.

14. *Senes defecerunt de portis*] Nulla in portis nostris ampliùs exercentur Judicia.

Juvenes de choro psallentium] Nulli usquam audiuntur cantus juvenum, ut solebant.

16. *Cecidit corona capitis nostri*] Decus & gloria.

17. *Contenebrati sunt oculi nostri*] Hebetati lacrymis.

18. *Vulpes ambulaverunt in eo*] Ut solent in locis non habitatis.

19. *Tu autem, Domine, in æternum permanebis, solium tuum in generationem & generationem*] Quanquam hæc fieri passus es, tua potestas tamen non est imminuta.

20. *Quare in perpetuum oblivisceris nostri?*] Per multa secula, ut sequitur.

21. *Converte nos Domine ad te, & convertemur*] Sensus est, ut ex sequenti membro apparet, *Reduc nos ad te:* i. Restitue nos in gratiam apud te, ut restituamur in veterem statum.

22. *Sed projiciens repulisti nos, iratus es contra nos vehementer*] Solet אם verti per *an*. Itaque optimus sensus fiet sic vertendo: *An enim omnino nos abjiceres, & irasceteris contra nos sine modo?*

FINIS.

ANNOTATA
AD
EZECHIELEM.

Cap. I.

MUNSTERUS.

PRophetavit Jehezkel in Chaldæa, juxta fluvium Chebar suam exordiens Prophetiam, sub Jechonia Rege Jehuda unà cum reliquis Jehudæis in captivitatem ductus. Fuitque eodem tempore quo Jirmeia, nisi quòd ille Jerosolymis, hic autem in Chaldæa prædixit Jehudæorum futuram calamitatem.

1. *In tricesimo anno*] Jonathan Chaldæus hunc locum sic explicat, *Factum est in tricesimo anno, à tempore quo Hilkija Sacerdos magnus invenit librum Legis in domo Sanctuarii, in mense Thamuz, in quinta die mensis*, &c. Fuerat autem Rex Jechonia per quinque annos in captivitate cùm Jehezkel Prophetico afflaretur Spiritu, sicut & Textus habet.

3. *Manus Domini*] Pro quo Jonathan vertit, *Mansit super eum Spiritus Prophetiæ.* Vidit autem in Spiritu trium rerum simulacra, nempe effigies Animalium, Rotas & earum motum, atque Firmamentum. Et vocant Hebræi hanc visionem מרכבה, i. *quadrigam*, quòd constet ex quatuor animalibus & quatuor rotis. Monueruntque Rabini eorum nè quisquam in eam commentaria scribat, & explicare tentet res tam arcanas: quibus D. K. obsecutus noluit principium hujus libri explicare, sed vocabula tantùm exponit. Seorsum tamen in קנטרס, ut dicit, scripsit Perusch, i. *expositionem*, in hanc quadrigam, reconditam in thesauris suis.

4. *Vidi ventum turbinis ab Aquilone*] Significatur per hæc judicium Divinum quod venturum erat super Urbem & populum: q. d. Propheta, *Ecce quàm turbulenta aderunt tempora*, &c. Erat & *ignis receptus intra nubem*; quod significabat terribilem apparitionem Divinam. Sic enim apparuit in monte Sinai, quando mons ipse ardere videbatur. Sic apparuit Mosi in rubo, &c. Sic in Psalmo, *Nubes & caligo in circuitu ejus, justitia & judicium correctio sedis ejus; & ignis ante ipsum præcedet.* ¶ *Aspectus Angeli*] Plerique Hebræi putant חשמל esse nomen Angeli. Kimhi verò putat esse *colorem flammeum.*

12. *Animus*] Heb. *Spiritus.* Sed accipitur hic *spiritus* pro *voluntate*, sicut & Jonathan רעותא vertit. ¶ *Non vertebant se*] Intelligitur id de reflexione faciei.

13. *Lampadarum*] Est לפיד secundùm Hebræos עץ הדולק *lignum ardens & succensum.*

14. *Revertebantur*] h. e. Retrocedebant, sed non reflectebant facies, cùm quodlibet animal haberet quatuor, in quatuor mundi partes directas, & quæque facies sive procedendo sive retrocedendo in plagam sibi objectam prospiceret. *Aspectus* verò *fulguris* significat cursûs velocitatem.

15, 16, 18. *In terra*] Hebræi exponunt, *sub cœlo in sublimitate aeris.* Proinde per *lapidem Tharsis* Kimhi intelligit lapidem pretiosum cujus color נוטה לעין התכלת *ferè conformis est colori hyacinthino*, quem cœruleum ajunt esse colorem. ¶ *Rota in medio rotæ*] h. e. Duæ rotæ sic erant sibi innexæ ut constituerent secundùm R. S. שתי וערב *crucem*: id quod facilè imaginaberis si cogites eas implicatas quasi duos circulos ad angulos rectos sese intersecantes. Tales enim cùm ferè sphæram constituant, ad omnem plagam sine earum reflexu moveri possunt: id quod duo inserti circuli tibi facilè ad oculum demonstrabunt. Porro intelliguntur כפיהם, h. e. *peripheriæ* rotarum, sive *superficies* earum, convexæ, quæ hic *terga* vocantur, i. curvaturæ seu canthi rotarum.

20. *Spiritus vitalis*] Jonathan sic vertit, *quasi spiritus creaturarum* (sic enim vocat quatuor animalia) *erat in rotis*, h. e. vivebant sicut animalia, & simul movebantur cum eis, atque simul constiterunt.

24. *Vocem alarum*] Cùm, inquit, animalia incederent, edebant alis suis strepitum horribilem, ut putarem me audire *sonum aquarum multarum*, aut *vocem Omnipotentis*, i. terribilem, *qualis est locutio & strepitus castrorum*, &c.

26. *Veluti aspectus lapidis sapphiri*] *Firmamentum*, inquit, *quod imminebat capitibus animalium*, rutilabat *instar lapidis sapphiri*, & *supra* firmamentum fuit *similitudo throni*, in quo erat *quasi similitudo hominis.* Aderat & *similitudo Angeli Hasmal*, vel, ut Jonathan habet, *quasi color Hasmal*, quem *ignis* illustrabat: erátque visio illa tam præclara quòd oculus non poterat eam intueri.

28. *Similitudo gloriæ Domini*] Tota, inquit, visio illa cum animalibus, rotis, admirabili firmamento, & spectro illo humano quod sedebat super solium, erat *similitudo gloriæ Dei.* Eandem hanc visionem vidit Propheta cap. 10. Sunt qui putant & Jesaiæ hanc demonstratam visionem: nam ita ille scribit cap. 6. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & fimbriæ ejus replebant Templum. Et commota sunt superliminaria postium, & domus ipsa impleta est fumo*, &c.

VATABLUS.

1. ET *fuit* ויהי] In principiis librorum ו apposita tantùm convertit futura in præt. ¶ *Tricesimo* בשלשים] Sub. *ab invento libro Legis.* Chaldæus P. sic explicat locum istum, *Factum est in tricesimo anno ab eo tempore quo liber Legis repertus fuit ab Helcia summo Pontifice.* Anno nempe 18 Josiæ filii Amon. Alii, *tricesimo à jubileo.* ¶ *Quarto* mense, *quintâ*, &c. ברביעי בחמשה לחדש] Hebraismus, quem quidam sic reddunt, *quarto mense, quintâ die ejusdem.* *Quartum mensem* Chaldæus P. exponit *Junium.* ¶ *In medio transmigrationis* בתוך הגולה] Hebraismus pro *inter captivos.* ¶ *Chebar* כבר] Pro hoc *Euphraten* quidam vertunt. ¶ *Visiones Dei* מראות אלהים] i. Insignes, eximias, mirabiles, maximas. Vide Psal. 36. 7. Vel *Dei* simpliciter, quòd Prophetia ejus esset Divina, non somnium humanum. Dicit autem pluraliter *visiones* quòd visio illa esset multiplex, multásque haberet partes, résque inclytas contineret.

2. *Transmigrationis Regis* לגלות המלך] i. Quo abductus est Rex. Hic *Joachin* dicitur à Matthæo 1. 12. *Jechonias*, ut & à Jeremia 29. 2. ordine literarum immutato.

3. *Chasdim* כשדים] *Chaldæorum.* ¶ *Manus* יד] Quidam interpretantur *virtutem* sive *potentiam* & *fortitudinem.* Alii, *Prophetiam*: i. cœpit agi spiritu Prophetiæ Domini. Chald. *mansit super eum Spiritus Prophetiæ.* Hebræorum Doctores scribunt *sic vocari Prophetiam quæ venit cum fortitudine.*

4. *Et vidi, & ecce*, &c. וארא והנה רוח סערה] Hebraismum istum sic convertunt quidam, *Et videbar videre turbinem venti* [sive *ventum tempestuosum*] *venientem.* Alii, *Et ecce vidi ventum turbinis.* ¶ *Et ignis* in medio nubis *involvens se* ואש מתלקחת] *Ignis reciprocans sese.* Alii, *ignis implicatus*, vel *admissus.* Alii, *conceptus*, sive *correptus*, i. incensus, sive accensus, *in medio ejus*: q. d. Nubes illa correpta erat igni & accensa, flagrabáque & ardebat; i. quæ conceperat ignem, erátque tota lucida ac fulgida. ¶ *Veluti aspectus electri* כעין החשמל] *Veluti species Hasmal.* Quidam vertunt *velut species Angeli*, secuti veteres Judæos. Alii volunt esse speciem coloris similis colori ignis: q. d. *apparebat aliquid simile colori igneo.*

5. *Aspectus eorum* מראיהן] *Effigies eorum*, sive *forma*, aut *species*, i. color.

7. *Rectus* ישרה] *Planus.* Quidam volunt singulare esse pro plurali. ¶ *Et planta* וכף] *Et vestigium.* ¶ *Et scintillantes* ונוצצים] Ad verb. *& scintillæ*, à נצץ, vel נוץ. Quidam, *& scintillabant*,

bant, i. præ fulgore videbantur emittere ſcintillas. Alii, *& ſcintillas vibrabant.* Chald. *& ſcintillantes.* ¶ *Æris politi* [נחשת קלל] *Chalybis terſi: limati: mundi: lævigati.*

8. *Porrò manus hominis* [וידי אדם] i. Brachia humana, ſive ſimilia brachiis hominis, ſita erant, ſive apparebant, *ſub*, &c. Hebræi annotant conciſam eſſe locutionem, pro, *& manus ejus, manus hominis:* ideo Hebraicè ſcribitur, וידו cum ו, & legitur וידי cum י. Chald. *& manus eorum, manus hominis.* ¶ *In quatuor* [על ארבעת רבעיהם] Ad verb. *in quartis eorum*, i. in quatuor quadrangulis eorum. Chald. *in quatuor extremitatibus*, ſive *lateribus eorum.* ¶ *In quatuor ipſis* [לארבעתם] *Ad quatuor partes eorum*, ſive *ad quatuor latera.* Alii, *erant facies & alæ ipſis quatuor.* Alii, *& quatuor ipſis erant ſuæ facies, & ſuæ alæ.*

9. *Juncta erant unum*, &c. [חוברות אשה וגו'] *Aliud alii junctum erat alis ſuis.* Alii, *juncta erant una ad aliam alæ eorum.* Ad verb. *juncta erant vira* [ſive *mulier*] *ad ſociam ſuam pennæ eorum.* ¶ *Non revertebantur* [לא יסבו] *Non convertebant ſe*, i. non aſpiciebant retro. Alii, *non circuibant: non gyrabant.* Seipſum exponit cùm mox dicit, *Unumquodque*, &c. ¶ *Contra faciem ſuam gradiebatur* [אל עבר פניו ילכו] Ad verb. *ad latus faciei ſuæ gradiebatur.* Alii, *antrorſum incedebat.* Alii, *in proſpectum* [ſive, *e regione*] *faciei ſuæ ibat*, i. ante ſe. Fut. Heb. pro præt. imperf. Vide infrà 10. 22.

10. *Quatuor ipſis* [לארבעתם] Sub. *ad ſiniſtram.* Facies Hominis & facies Aquilæ opponebantur.

11. *Et facies eorum* [ופניהם] Sub. *tales erant, & eo modo diſpoſita.* ¶ *Juncta erant* [חוברות] *Correſpondentes:* vel, *ex adverſo poſita.* ¶ *Unaquaque* [איש] Integram locutionem legis v. 9. אשה אל אחותה; *unaquaque ad ſororem ſuam*, vel, *ad alteram.*

12. *Contra faciem ſuam* [אל עבר פניו] Ad verb. *ad latus faciei ſuæ*, i. coram facie ſua: *e regione faciei ſuæ, ante ſe.* Sic v. 9. ¶ *Quocunque erat*, &c. [אל אשר וגו'] Chald. *quò erat voluntas ambulandi, ambulabant. Spiritus* pro *voluntate:* ſic Prov. 1. 23. *Proferam vobis ſpiritum meum.* Alii, *ad* locum *quò impellebat ſpiritus* [aut *ventus*] *ibant.* ¶ *Non convertebantur* [לא יסבו] Vide v. 9.

13. *Aſpectus eorum* [מראיהם] Subaudiunt nonnihil interpretes, ſic, *aſpectus ſcilicet eorum:* vel, *quod ad aſpectum eorum attinet.* ¶ *Veluti prunarum ignis ardentium* [כגחלי אש בערות] *Inſtar carbonum ignitorum ac ardentium*, Alii, *velut prunæ ignita, qui* [nempe *oculi*] *ardebant.* Nonnulli referunt *ardentium* ad *prunarum*, ſive *carbonum*, poſt illud diſtinguentes, & vertentes, *inſtar carbonum* (ſive *prunarum*) *ignis rutilantium, & quaſi*, &c. ¶ *Lampadarum* [הלפידים] *Titionum; facium; facularum.* ¶ *Et ſplendor* erat *ipſi igni* [ונגה לאש] Ad verb. *& ſplendor ignis.* Quidam, *igniſque ſplendebat.* ¶ *Egrediebatur* [יוצא] *Emicabat.*

14. *Secundùm aſpectum fulguris* [כמראה וגו'] Hebraiſmus, pro *inſtar fulguris.*

16. *Tharſis* [תרשיש] Sub. *lapidis*, ex cap. 10. 9. ubi legitur אבן תרשיש *lapidis Tharſis*, i. *carbunculi*, aut (ut alii) *chryſolithi:* alii, *hyacinthi.*

18. *Et canti erant eis* [וגביהן] *Et terga erant eis.* Alii, *cacumina*, vel *circuitus*, aut *canti.* Summas partes rotarum ſignificat: unde quidam ſic vertunt, *Terga erant eis, eratque illis altitudo* tanta ut *metum afferrent* aſpicientibus: *ſummaque earum partes erant*, &c. vel, *canti earum erant pleni*, &c. ¶ *Et pavor erat propter eas* [ויראה להם] Ad verb. *& pavor eis:* i. erant formidabiles ac horribiles, metúmque ac terrorem incutiebant.

20. *Quocunquè*, &c. [על אשר וגו'] Vide v. 12. ¶ *Animalis* [החיה] Sing. pro plur. i. rotæ illæ agebantur ac impellebantur eodem ſpiritu quo animalia, nempe Spiritu Divino.

22. *Et ſimilitudo*, &c. [ודמות וגו'] Ordo turbatus, pro *Et ſimilitudo firmamenti erat ſuper capita*, &c. vel, *Et ſuper capita animalium erat ſimilitudo firmamenti.* ¶ *Firmamenti* [רקיע] *Expanſionis; extenſionis.* ¶ *Terribilis* [הנורא] *Admiranda*, i. eximii ſplendoris.

23. *Recta, altera alteri* [ישרות אשה אל אחותה] Ad verb. *recta, vira ad ſororem ſuam.* Hebraiſmus; i. correſpondentes ſibi mutuò, vel invicem. ¶ *Unicuique*, &c. [לאיש שתים וגו'] Ad verb. *unicuique* erant *duæ quæ tegebant illis, unicuique, inquam, duæ quæ tegebant illis corpora eorum.* Redundat *illis.*

26. *Similitudo* [דמות] *Effigies.* Ordo præpoſterus ſic collocandus erat, *ſimilitudo throni tanquam aſpectus* [ſive *ſpecies*] *lapidis ſapphiri.*

27. *Tanquam ſpeciem electri* [כעין חשמל] *Tanquam ſpeciem coloris ſimilis colori ignis.* Vide v. 4. ¶ *Tanquam aſpectum ignis intra ipſam* [כמראה אש בית לה] Hebraiſmus, *intra quam erat velut aſpectus ignis*, i. intra quam apparebat ignis. ¶ *Ab aſpectu*, &c. [ממראה מתניו ולמעלה] Hebraiſmus, pro, *à lumbis ejus ſurſum verſus: & à lumbis ejus deorſum verſus*, &c.


28. *Velut aſpectus*, &c. [כמראה וגו'] *Velut forma arcûs qui fit:* vel, *Sicut color iridis qui eſt tempore*, &c. i. Sicut apparet arcus, &c.

CASTALIO.

5. *Forma quatuor animalium, quorum ea erat facies ut hominis formam haberent*] Atqui dicit *ea ſingula quaternos habere vultus.* Sed corporis ſtatus & forma erat humana. Eſt autem intelligendum, in hoc capite multam eſſe generis mutationem apud Hebræos. Nam quod vertimus, *quorum ea erat facies*, relativum illic femininum eſt, ut poſtulat nomen *animantis*; in ſequentibus maſculinum, & rurſus femininum. Item numeri: nam quod de rotis vertimus, *rotas quaſdam humi apud animalia ad quatuor eorum facies*, relativum *eorum* in Hebræo ſingulare eſt, cùm antecedens plurale ſit, & ad verbum ità legitur, *apud animalia ad quatuor ejus facies*, ſcilicet *animalis*, h. e. animalium. Quanquam relativum hoc in Hebræo eſt maſculinum, cùm *animal* ſit femininum. Sed & paulò poſt, ubi vertimus, *rota ſecundùm ea attollebantur*, EA in Hebræo eſt maſculinum, cùm tamen referat *animalia.* Ac quæ hîc *animalia* dicuntur, eadem cap. 10. *animal* unius numero vocantur. Quod idem & de *rota* dico, quam hîc *unam* vocat, quo nomine ſignificat unam rotarum quadrigam, ut continuò pòſt apparet. Itaque nos per pluralem ſumus interpretati. Hujuſmodi mutationem & Jer. 11. declaravimus.

Oriens.

Septentrio. Meridies.



Occidens.

H Hominis facies eſt, L leonis, B bovis, A aquilæ: 1 primum animal, 2 ſecundum, &c. quanquam reipſa nullum primum eſt, ſed ità pono docendi gratiâ. Jam declaremus difficiliora verba. *Erant eorum facies eâ figurâ ut illa quatuor haberent dextrâ parte humanam leoninámque faciem, ſiniſtrâ bovinam & aquilinam*] His verbis intelligenda eſt dextra aut ſiniſtra pars non uniuſcujuſque animalis ſed univerſorum, ut vides in figura. Nam ſi in ſingulis hoc fieret, e. g. ut primum animal haberet ab Auſtro (quæ dextra pars eſt) faciem Hominis & Leonis, à Septentrione autem Bovis & Aquilæ, ſequeretur ut nullam ab Oriente aut Occidente haberet: quod idem & in aliis fieret. Atqui ſecundùm ea animalia rotæ incedebant: rotæ autem tendebant in quatuor ſuæ quadraturæ partes, ut eſt in capite 10. ubi eadem res apparet, i. in Orientem, Occidentem, Meridiem & Septentriones. Quòd ſi animalia ad Orientem & Occidentem non haberent facies, ſequeretur ut in has partes tendente quadrigâ, nullæ facies eſſent adverſæ: quod falſum apparet ex his capitis primi verbis, *Ibant autem eorum ſingula prorſum tendentia*, h. e. in anteriorem partem, obverſâ illuc facie, ut quamcunque in partem tenderent, haberet ſemper unumquodque animal unam faciem eò ſpectantem; ut ſi tenderent in Septentrionem, adverſa eſſet facies in primo bovis, in ſecundo aquilæ, in tertio bovis, in quarto aquilæ. Ità fiebat ut quocunque tenderent, ſemper eſſent quatuor aſpectus adverſi, & totidem averſi, totidémque dextri, & totidem ſiniſtri. ¶ Quòd autem dicit, *Nec intereundum convertebantur*, & tamen paulò pòſt ſequitur, *Currebant redibántque*, ſignificat, non circumflecti hanc quadrigam, ut ſolent aliæ, ut temo ſemper antecedat; ſed ità moveri ut quæ facies antè fuerint anteriores, eo redeunte ſint poſteriores; ut ſi in Orientem pergat, adverſi ſint aſpectus Bovis & Aquilæ, averſi autem Hominis & Leonis: ſin autem

autem in Occidentem redeat, non id faciat circumflectendo, ut semper Bos & Aquila præcedant; sed retrògradiatur, antecedente Homine & Leone, illis autem sequentibus: ut si navigii puppis & prora eâdem formâ fiant, & ita navigium fine conversione agatur, ut quæ pars fuit eundo prora, eadem redeundo sit puppis. Atque eadem est & Rotarum ratio, ut in omnes similiter partes ferantur, ut quæ pars earum eundo in Orientem fuit anterior, eadem eundo in Occidentem sit posterior. Quod idem de Septentrione & Meridie intelligo. ¶ Quod ad *electrum* attinet, est in Hebræo HASMAL: quod quia antiqui *electrum* interpretati sunt; nos eos secuti sumus, cùm nihil de eo certius haberemus. Nam in Hebræo sermone id verbum nihil quod sciatur significat; nisi fortè literas ordine præpostero colloces (sunt autem in S. literis talia quædam ænigmata, ut in Jer. 51. docuimus) erit enim למשח, h. e. *Ungendus*, qui Græcè *Christus*, Heb. *Messias* appellatur; ut sit litera ל eodem modo posita quo Jer. 3. & Joan. 13. ἵνα· ubi ἵνα πληρωθῇ dictum est pro πληρωτέον aut πληρωθῆναι δεῖ. Qua de re lege quæ in 2 Cor. 8. scripsimus. Ità esset HASMAL *ungendus*, quomodo si Latinè pro UNGENDUS dicas SUDNEGNU, aut pro JESUS SUSEI. Jam occurrit aliud arcanum: Ut enim si HASMAL Hebraico more legas, nihil significat; sin Græco aut Latino, h. e. præpostero ordine literarum (nam nos scribimus à læva in dextram, cùm Hebræi à dextra scribant in lævam) significat *Messiam:* Ità si quæ de Christo in Hebræorum oraculis scripta sunt intelliges ut Judæi, Christum crucifiges, tantum aberit ut cognoscas; sin ut Græci, h. e. Christiani, qui ex extraneis potissimùm nationibus asciti sunt, Christum disces, & ex Saulo Paulus fies. Item ut hoc nomen HASMAL in Hebræo autore, videlicet Ezechiele, scriptum, tamen non est Hebraico more legendum, si sententiam velis elicere; ità de Christo prodita ab Hebræis oracula si Hebræorum more excutias, habebis meras literas & sine mente sonum. Habent enim obvelatam faciem cùm hæc legunt. Sed hæc de HASMAL ut proposita volo, sic affirmata nolo, nè incerta pro certis habeamus.

CLARIUS.

ORdine Prophetam Jeremiam Ezechiel sequitur, ut qui sint ejusdem argumenti & eodem tempore floruerint. Jeremias prior annis & officio, Ezechiel posterior, ille Jerosolymis, hic in Babylone, eadem prædixerunt, atque adeò sibi mutuò Prophetias comprobarunt. Nam qui sub Jechonia in Babel migrarant, pœnitentiâ propè ducti, crimine incredulitatis graviter solicitati sunt quasi à Propheta Jeremia seducti fuissent, cujus persuasione adducti se dederant Babyloniis. Huc enim alioqui pronos impellebant falsi Prophetæ. Igitur destructionem Jerusalem affirmatissimè uterque prædicunt. Et ferè in hoc uno versatur Propheta usque ad cap. 40. Interim, sicut alii Prophetæ, gentibus quoque Judææ regionis vicinis multa adversa vaticinatur, quò generalem cursum operum Dei delinearet. Quidam eandem visionem putant hujus Prophetæ & Esaiæ, sed hunc dicunt magis agrestem, & pluribus exponere quod ille paucioribus & civiliùs.

1. *In tricesimo anno*] *Annus tricesimus* erat tam à Jubilæo quàm à Lege inventa. Decimus enim octavus annus Josiæ Regis Jubilæus erat, quo tempore liber Legis, i. Deuteronomium, in Templo repertus est. Tredecim pòst in Regno idem peregit, & Joacim filius hujus undecim. In tertio autem mense sequentis anni captus est Jechonias. Sunt igitur anni xxv. à Jubilæo usque ad captum Jechoniam. Cùm autem illuxisset quintus annus captivitatis ejus, Sedechias à Jerusalem Babyloniam venit, aut certè misit legatum Elassa, per quem se velut statuerat Babylonio. Eo tempore in consolationem traducti populi, Propheta gloriam Domini vidit hâc visione repræsentatam, auferendam à Templo & loco, quò minùs eis molestum esset quòd, præcepto Dei obsecuti per Prophetam monentis, sponte in potestatem hostis venissent. ¶ *Visiones Dei*] h. e. Visiones magnas. Sic *montes Dei*, *cedros Dei*, *urbs Domini*, *ignis flamma Dei*, & id genus locutionum pro *eximiis* ponitur. *Visiones*, quia non una, sed triplici ordine. Primò effigies Animalium, mox Rotas & earum motum, postremò Firmamentum & virum Hasmalem super eo.

3. *Secùs flumen*] Apud fluvios & aquas munda loca esse putantur, quòd idonea sint purificandis corporibus. ¶ *Chobar*] Alii Euphraten, alii peculiarem Babyloniæ fluvium faciunt. Et in Psalmo. *Super flumina*, inquiunt, *Babylonis sedimus*. ¶ *Manus Domini*] h. e. Spiritus Prophetiæ: nam Manus organum est agendi.

4. *Et ecce ventus turbinis*] Significatur per hæc judicium Divinum quod venturum erat super Urbem & populum, q. d. Propheta, *Ecce quàm turbulenta aderunt tempora*. Erat & *ignis receptus intra nubem*, quod significabat terribilem apparitionem Divinam. Sic enim apparuit in Monte Sinai, quando mons ipse ardere videbatur. Sic in Psalmo, *Nubes & caligo in circuitu ejus: justitia & judicium correctio sedis ejus: & ignis ante ipsum præcedet*. In hac autem visione partes tres Ecclesiæ significantur. Primò Caput est *Vir qui sedet super thronum:* mox *animalia*, membra justa ceu vitalia, sunt perfectiores in Ecclesia, variis ornati donis; *rota* autem infirmiora & imbecilla membra, quæ tamen etiamnum ad corpus pertinent, ut sunt vulgus credentium, qui in omnia vertentur ad habitum solidioris Ecclesiæ. Est autem hæc visio tantâ difficultate impedita, ut monuerint Rabini Hebræorum, nè quisquam in eam commentaria scribat, & explicare tentet res tam arcanas. Cautum etiam est ab Hebræorum antiquis nequis ante annum xxx Ezechielis initium, principium Geneseos, & Canticum canticorum attingeret.

5. *Similitudo quatuor animalium*] Non eadem hic figura est quæ ponitur Apoc. 4. Ibi enim sola quatuor animalia, sed non quadricipitia, hic unumquodque ex quatuor animalibus ostenditur quadriceps, ità ut ab anteriore parte facies Hominis, à dextra Leonis, à sinistra Bovis, à posteriore Aquilæ sit. Ut intelligas similitudinem Hominis variatam lineamentis; ut alia esset explicatissimè Hominis, alia Leoninæ formæ proprior, alia Aquilinæ, alia Bovinæ. Infrà cap. 10. nominat animalia *Cherubin*, cujusmodi humanas facies instar pueri habuerunt cum aquilinis alis. Jonathas tribuit cuique animali quatuor formas, & cuique formæ facies quatuor, faciebus autem singulis quatuor alas; unde quatuor animalibus alas CCLVI affingit. Substantia igitur similitudinis necdum satis explorata est.

7. *Et pedes eorum*] Pedes undique versùm flexiles, atque undique æquabiliter desinentes, sine genibus, suffraginibus & poplitibus, quolibèt versùm currere valentes. Vel dictio Hebræa pro *rotundo* accipitur, ut *pes* intelligatur respondere cruribus rectis & æquabiliter teretibus.

8 *Manus hominis*] Manus humanæ in quatuor lateribus juxta situm mundi imaginatis erant sub ipsis alis singulis singulæ. Mundi autem situs ad Prophetæ statum, ut in visione tum erat, pariter congruisse videtur. Quòd si ad positum animantis aut etiam facierum latera fingeres, tota videtur confundi similitudo. Nam & Scriptura rei sæpe dat *latera*, non ex ipsius natura, sed ad respectum mundi: ut in Tabernaculo federis videre est.

9. *Junctaque erant*] Ex adverso binæ alæ hinc atque hinc conjunctim assurgebant: nam ala sinistri lateris in dextram declinabat, & e diverso dextra ala in sinistram, donec se contingerent: Et sic binæ facies intermediæ binis alarum complexibus addebantur. Verùm non absurdè, ut videtur, hoc versu ad latera facierum, non mundi neque animalium fortasse, licet sumas: ut sit sensus, quòd cuique faciei à sinistris suprà & infrà alæ duæ fuerint, & duæ in dextris etiam, supernè & infernè, superiores faciem, inferiores corpus integebant. ¶ *Non revertebantur*] Vel *non vertebant se:* Intelligitur hìc de reflexione faciei.

13. *Similitudo autem vultûs*] Unumquodque animal quatuor facies habuit, à dextris quidem Humanam ac Leoninam, à sinistris autem faciem Vituli & Aquilæ.

11. *Et facies eorum, & pennæ eorum*] Hæc particula *& facies eorum* puncto distinguitur à sequentibus. Sic erant, inquit, facies distributæ. Poterat igitur sic verti, *Hæ facies eorum. Alæ autem erant supernè extentæ.*

14. *Et revertebantur*] h. e. Retrocedebant, sed non reflectebant facies, cùm quodlibet animal haberet quatuor, in quatuor mundi partes directas, & quæque facies sive procedendo sive retrocedendo in plagam sibi objectam prospiceret. ¶ *Aspectus* verò *fulguris* significat cursûs velocitatem.

15. *Apparuit rota una*] Rotam cernit cùm intuetur animalia. Sunt autem rotæ quatuor. *Unam*, ait, visam, videlicet *ad quatuor facies ejus*, i. cujusque animalis. Ideo dicit *juxta animalia*. Sic legis cap. 10. *Et vidi, & ecce quatuor rotæ propè Cherubim, rota una prope Cherub unum, & rota altera propè Cherub alterum.* Illud nota, rotas vidit, sed nihil aliud quam similitudinem animalium, itaque animalia non erant certo modo finita, sed spectrum diffusum & inconditum, similitudo quædam, & aliquid affine animalibus repræsentabatur. ¶ *Super terram*] h. e. Sub cœlo in sublimitate aeris, vel in pavimento, quod erat per visionem Prophetæ objectum, quasi sedimentum cœli. Id fortasse est quod nos dicimus *mediam regionem aeris*, quæ velut fundamentum firmamenti in Prophetæ videntis aspectum incidit. Nam cœlos apertos vidit, & conjectis in cœlum oculis videbat hanc visionem. *Juxta animalia* igitur proximè constitit *rota*, ut intelligentiam Anima-

 lium

lium & Rotarum spiritualem affinitatis habere aliquid intelligas. ¶ *Habens quatuor facies*] Vel *in quatuor faciebus ejus*, h. e. cujusque animalis.

16. *Et opus earum*] *Opus* reliquam dicit corporis facturam, ut ceu corpus & solidum opus non tantùm similitudinaria res consideranti apparuerit; & de materia tamen nobilissima, nimirum *lapidis Tharsis*, qui creditur vergere ad colorem olei. Alii cærulei coloris eum esse autumant. Ejus lapidis proprietas fertur adjuvare concoctionem; & idcirco contritus cibo admiscetur. ¶ *Rota in medio rotæ*] h. e. Duæ rotæ sic erant sibi innexæ ut constituerent crucem: id quod facilè imaginaberis si cogites eas implicatas quasi duos circulos ad angulos rectos sese intersecantes. Tales enim cum ferè sphæram constituant, ad omnem plagam sine earum reflexu moveri possunt: id quod duo inserti circuli tibi facilè ad oculum demonstrabunt.

20. *Quocunque ibat spiritus*, &c.] Alii verterunt *animus*, vel *voluntas*, quòd scilicet irent quò volebant. ¶ *Spiritus vitæ erat in rotis*] Jonathas sic vertit, *quasi spiritus creaturarum* (sic enim vocat quatuor animalia) *erat in rotis*, h. e. vivebant sicut animalia, & simul movebantur cum eis, atque simul consistebant.

22. *Crystalli horribilis*] h. e. Elegantis & admiratione digni.

24. *Sonum alarum*] Cùm, inquit, animalia incederent, edebant alis suis strepitum horribilem, ut putarem me audire *sonum aquarum multarum*, aut *vocem Omnipotentis*.

27. *Quasi speciem electri*] Alius vertit *formam Angeli Hasmal*, quod nomen esse Angeli putant, aut animalis ignei loquentis.

DRUSIUS.

2. לַגּוֹלָה. Cæteri τῆς μετοικεσίας *transmigrationis*] Prius erat τῆς αἰχμαλωσίας *captivitatis*. Hier. in Comment. ad h. l. *Significantiúsque juxta Ebræos & cæteros interpretes* transmigratio *dicitur* Joachim, *& non* captivitas, *quod Lxx transtulerunt. Non enim captus Urbe superatâ, sed voluntate se tradens, ductus est in Babylonem. Igitur* Joachim, *i. Jechonia, dicatur prima* transmigratio; Sedeciæ *autem secunda, vel extrema*, captivitas.

4. רוּחַ סְעָרָה. A. *ventus turbinis*. Sym. Th. *flatus ac spiritus tempestatis*] *Flatus*, i. πνοή. Hier. *Ac primùm sciendum* spiritum auferentem *sive* attollentem, πνεῦμα ἐξαῖρον, *quem nos juxta Aq. interpretati sumus* ventum turbinis, *& juxta Sym. & Th.* flatum *ac* spiritum tempestatis, *ab aliis in bonam, ab aliis in contrariam partem accipi.* Et mox, *Verbum enim Ebraicum* רוח *pro locorum qualitate vel* spiritus *vel* anima *vel* ventus *accipitur.* Theodoretus ex Sym. πνεῦμα καταιγίζον, *ventus cum impetu flans.* Lex. V. Καταιγίς, *procella*. Καταιγιζόμενος, *procellosus*.

7. עֵגֶל. A. *rotunda*] Legit עָגֹל, quod nunc legunt עֵגֶל, i. *vituli*. Sic etiam olim Hieronymus legit: quod attestantur hæc ipsius verba, *& plantam pedis, quasi vestigium pedis vituli, sive, ut interpretatus est Aquila*, rotundam: *quod Lxx penitus omiserunt.* Plenum esset, *ut planta pedis rotunda*.

14. וְהַחַיּוֹת רָצוֹא וָשׁוֹב כְּמַרְאֵה הַבָּזָק. Th. Καὶ τὰ ζῶα ἔτρεχον καὶ ἀνέκαμπτον ὡς εἶδος Βεζέκ, *Et animalia currebant & reflectebant se quasi species Bezec*. Sym. —— ὡς εἶδος ἀκτῖνος ἀστραπῆς *quasi species radii fulguris*] Hier. *Quódque sequitur*, Et animalia currebant & revertebantur quasi species Bezec, *de editione Theodotionis in Lxx additum est*: & aliquammultò pòst, *Essétque quæstio nisi sequeretur*, in similitudinem fulguris coruscantis, *quod Ebraico sermone dicitur* BEZEC, *& interpretatus est Symmachus*, quasi species radii fulguris. ¶ Βεζέκ, i. בזק. Nunc est בזק in cod. Ebræis. Scholion, τὸ Βεζὲκ ἀστραπῆς σημαίνει. Gregorius Nazianzenus, BEZEC, *fulgur*, Hier. *fulgur coruscans*. Philo in Nom. ex libro Judicum, *fulgur micans*: Idem, ADONIBEZEC, *Dominus meus fulgurans, vel, Dominus fulminis*.

16. כְּעֵין תַּרְשִׁישׁ. Sym. ὡς ὅρασις ὑακίνθου *quasi aspectus hyacinthi*] Vide Theodoretum. Hieronymus Aquilæ hoc tribuit, ità scribens, *Pro* THARSIS, *quam nos* in mare *vertimus*, *Aquila* hyacinthum *posuit*; *qui lapis cæli habet similitudinem.* Sed fortè mendum in nomine culpâ scribarum commissum, aut μνημονικὸν ἁμάρτημα Hieronymi. Nam Theodoreto assensum præbet Nazianzenus pag. 532. edit. Colon. ubi ex Symmacho citatur *formâ hyacinthinâ*. Idem ibidem ex eodem laudat *ut pedum vestigium vituli*, quod habetur suprà ver. 7. & Aquila, eodem teste, *rotundum* interpretatur. Vide quæ notavimus ad illum locum. Scholion, τὸ Θαρσεὶς χρυσόλιθόν φησιν ἢ ὑάκινθον, THARSIS *chrysolithum dicit aut hyacinthum*.

18. וְיִרְאָה לָהֶם. καὶ φοβεροὶ ἦσαν, *& terribiles erant*] Legitur in quibusdam libris & apud Theodoretum, nec Hieronymus agnoscit in versione.

24. שַׁדַּי. A. Sym. ἱκανοῦ *sufficientis*] Vide Theodoretum. Job. 6. 4. שדי. Schol. τοῦ Ἱκανοῦ. Sym. Σαδδαΐ. Exod. 6. 3. באל שדי. A. ἐν Θεῷ ἱκανῷ. Hier. SADDAI *Aq. Sym. Th.* ἱκανὸν *transtulerunt, quod* fortem potentémque *significat*. Et, SADDAI, *Aquila interpretatur* ἄλκιμον, *quod nos* robustum *&* sufficientem ad omnia perpetranda *possumus dicere*. Rursùm Job. 22. 3. Sym. Ἱκανός. & 34. 10. idem τοῦ Ἱκανοῦ. & 37. 23. similiter: & 39. 32. עם שדי, LXX μετὰ Ἱκανοῦ. Sym. σὺν τῷ Ἱκανῷ.

GROTIUS.

Diximus ad 11 Regum XXII. 14. hunc Ezechielem fuisse inter eos qui de Judæ tribu primi omnium avecti fuêre Jechoniæ temporibus. Fuit autem avectus, ut testatur ipse, ad ripam amnis כבר. Is amnis est Χαβώρας [*Chaboras*] Ptolemæo in Mesopotamiæ descriptione, Straboni Ἀβόρας [*Aboras*]. Nominis causam, dubito an certam, indicat Plinius VI. 26. *Sunt qui tradunt Euphratem Cobaris præfecti opere deductum ubi eum diximus findi, nè præcipiti cursu Babyloniam infestaret.* Fuit Ezechiel Sacerdos, ut mox ipse dicet. Valuit eruditione & ingenio, ità ut (seposito Prophetiæ dono, quod incomparabile est) non immeritò Homero eum compares, ob pulchras ἐννοίας [*animi conceptiones*], comparationes illustres, magnam rerum multarum, præsertim Architecturæ, cognitionem.

1. *Et factum est in trigesimo anno*] *Ab invento Legis libro per Helciam*: de quo 11 Reg. XXII. 10. 11. 12. Ità hîc Chaldæus.

Cùm essem in medio captivorum] Cùm essem inter illos Jechoniæ temporibus deportatos.

Aperti sunt cæli] Quæ est θεοσημεία [*præsignificatio*] visi cœlestis. Diximus ad Matth. III. 16.

3. *Et facta est super eum ibi manus Domini*] Potenter in me egit Deus: Infrà III. 14.

4. *Et vidi*] Visum hoc quod sequitur, מרכבה, id est, *currum*, vocant Hebræi, & hoc nomine appellant secretiorem Theologiam de Deo & Angelis; sicut Physicam appellant בראשית [*In principio*], ab initio Geneseos desumto nomine. Nolunt autem Judæi has duas Scripturæ partes legi nisi ab hominibus provectæ ætatis. *Multas in hujus loci explicatione Synagogas ait esse Hieronymus.* Moses Maimonides in Duce dubitantium ea quæ hîc sunt partim ad Angelos refert motores Sphærarum, partim ad ipsas Sphæras, id est, Primum mobile, Planetarum quinque, Solis ac Lunæ, deinde sublunarium. At si quis diligenter hæc contulerit cum iis quæ habemus Exodi XXV. 18. & Esaiæ VI, videbit agi de Dei proprietatibus & actionibus circa populum suum. Pertinet autem eò hoc visum, ut Judæi deportati in suis malis Dei justitiam agnoscerent, & spem conciperent, siquando se corrigerent, rerum meliorum.

Et ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone] Gravissima mala à Chaldæis.

Et nubes magna] Exercitus Chaldæorum, Jeremiæ IV. 13.

Et ignis involvens] *In gyrum se agens.* Dei ultio ad omnes Judæos perveniens.

Et splendor in circuitu ejus] Apertissima Dei justitia.

Et de medio ejus quasi species electri] Nempe forma vehiculi quadrati, quo repræsentabatur populus Israeliticus, electro in hoc similis, quòd sicut electrum in igne non consumitur, ità nec ipse in tantis malis erat interiturus, sed excoctione factâ exstiturus purior.

Id est de medio ignis] Undique pressus pœnis Divinitus immissis.

5. *Et in medio ejus*] In illo vehiculo.

Similitudo quatuor animalium] Id est, duorum Cherubinorum, qui singuli partes habebant quatuor animalium.

Et hic aspectus eorum, similitudo hominis in eis] Id est, vultus hominem præferebat.

6. *Quatuor facies uni*] פנים hîc rectiùs expones *formas*, sive *similitudines*, ut Chaldæus: forma hominis, ut jam dici cœpit, forma aquilæ, forma tauri, forma leonis.

Et quatuor pennæ uni] Duæ ad volandum, duæ ad tegenda ea quæ tegi debent. Apud Esaiam adduntur præterea duæ ad tegendum vultum; quia ibi adstant throno, hîc verò sub throno: ibi consultatio est, hîc exsecutio.

7. *Pedes eorum, pedes recti*] Id est, crura æqualia, nullâ parte exuberantia. Omnes actiones rectæ. Hebræi *pedem* vocant totum illud quod sub ventre est.

Et planta pedis eorum quasi planta pedis vituli] Id est, pedes

pedes ipsi bovini. Sic & Græci *βοείῳ ποδὶ* [*bovino pede*] dicunt, cùm tardè ac graviter agi aliquid significant.

Et scintillæ quasi aspectus æris candentis] In Hebræo: *Et fulgentes ut color æris politi.* Id est, χαλκολιβάνῳ [*chalcolibani*], ut est in Apocal. I. 15. II. 18. quod plerique *aurichalcum* interpretantur. Significat in illis actionibus apparere Dei puritatem, nempe quòd tam diu ac tam patienter Judæorum resipiscentiam exspectaverit.

8. *Et manus hominis sub pennis eorum in quatuor partibus*] Id est, pennæ alarum articulos habebant, quales manus hominis. Hoc significat etiam in celerrimis actionibus omnia distinctè ordinatéque peragi.

Et facies & pennas per quatuor partes habebant] Repetit quod suprà dixerat, quò magis infigatur memoriæ: fuisse cuique Cherubino ut quatuor alas, ità formas quatuor.

9. *Junctæ erant pennæ eorum alterius ad alterum*] Nempe ut in Sanctuario, Exodi XXV. 20. Id significat, actiones Dei mirè convenire inter se omnes, & proposito.

Non revertebantur, cùm incederent] Non retro spectabant, cùm moverent vehiculum. Nam Puhal hic, ut sæpe, pro Hiphil ponitur. Respectare est pœnitentià duci. Vide quæ ad Lucam XVII. 31. Significatur hic constantia in exsequendo Dei proposito.

Sed unumquodque ante faciem suam gradiebatur] Movebat vehiculum quoquò spectabat, velut nutu.

10. *Similitudo autem vultûs eorum*] Verte: *Similitudo autem formarum ejus.* Explicatiùs dicit quod dicere cœperat 6.

Facies hominis] *Forma:* sic & in sequentibus.

Facies leonis à dextris ipsorum quatuor; facies autem bovis à sinistris ipsorum quatuor] Est breviloquentia Hebraïca. Sensus est, Tam à dextra quàm à sinistra fuisse & formam leonis in jubis, & bovis in pedibus: eásque formas fuisse de formis quatuor.

Facies aquilæ desuper ipsorum quatuor] Id est, forma aquilæ, una ex quatuor erat, in alis.

11. *Facies eorum & pennæ eorum extentæ desuper*] Sensus est: Tales quales dixi erant formæ, & alæ quæ super corpora erant.

Duæ pennæ singulorum jungebantur] Distinctiùs explicat quod suprà dixerat 9, alas Cherubinorum fuisse inter se contiguas. intelligendum de alis volantibus, non de alis tegenda tegentibus.

12. *Et unumquodque eorum coram facie sua ambulabat*] Quoquò spectabat, eò movebat vehiculum. Repetitum ex eo quod supra 9.

Ubi erat impetus spiritûs, illuc gradiebantur] In Hebræo, *Quocunque erat movendi voluntas, eò movebant:* nempe majori facilitate quàm voluntas hominis sua membra movet.

Nec revertebantur cùm ambularent] Nec retro spectabant inter movendum, ut supra 9.

13. *Et similitudo animalium*] Id est, Hæc erat compositio Cherubini cujusque constantis ex quatuor illis animalium formis.

Aspectus eorum] *Color.*

Quasi carbonum ignis ardentium] Post longam Dei patientiam omnia ad ultionem spectabant. Ipsa patientia furor erat facta.

Et quasi aspectus lampadarum] Elucescente ubique Divinâ justitiâ ac puritate.

Hæc erat visio discurrens in medio animalium] Id est, talis qualis dixi color erat in partibus omnibus.

Splendor ignis] *Igneus.*

Et de igne egrediens fulgur] Incendium Urbis ac Templi. Allusio ad Sodomorum historiam.

14. *Et animalia ibant, & revertebantur*] Id est, cùm pervenissent quò vellent, aliud instituebant iter. Ità hoc nihil pugnat cum eo quod supra 9. 12.

In similitudinem fulguris coruscantis] Id est, subitò admodum. Vide Matthæi XXIV. 27. Lucæ X. 18. XVII. 24. Sic Chaldæus hîc.

15. *Cùmque aspicerem animalia*] In Hebræo: *Et vidi animalia.* Id est, tales vidi Cherubinos quatuor animalium formas præferentes. Est conclusio præcedentium, & transitus ad rotas.

Apparuit rota una super terram] Id est, vidi primò unam è rotis, mox diligentiùs intuens vidi tres alias similes; ut ostendunt & sequentia, & illa quæ infrà X. 9.

Juxta animalia] Interpretare ut suprà.

Habens quatuor facies] Id est, forma eadem illis quatuor rotis: quod & sequentia clariùs explicant.

16. *Aspectus rotarum*] *Color*, ut suprà 13.

Quasi visio maris] *Tanquam color Oceani*; id est, *hyacinthinus*, ut vertit Symmachus. Vide Apocalyps IX. 17. Non multùm à smaragdi colore distat. Vide Plinium XXXVII. 9. Significatur eo, sicut Oceanus, quanquam fluxus, vices tamen statas atque ordinatas à Deo habet: sic & populum Judaïcum.

Et una similitudo ipsarum quatuor] *Forma*, ut jam diximus.

Et opera quasi sit rota in medio rotæ] *Fabrica ipsarum ut rotæ in rota.* Id est, quæque rota ex duabus constabat se mutuò decussantibus, ac sic erat quasi sphærica. Id eò pertinebat, ut ex jussu Cherubinorum vehiculum illud nullo negotio possit verti in partes quatuor. Significabatur autem eo deportatio Judæorum in Septentrionem & Meridiem, Ortum & Occasum, Esaiæ XLIII. 5. 6.

17. *Per quatuor partes earum euntes ibant*] Id est, in quatuor latera poterant moveri.

Et non revertebantur cùm ambularent] Nisi cursu suo peracto, ut modò diximus. Sic & omnes deportationes à Deo destinatæ suum effectum habuêre.

18. *Statura quoque erat rotis, & altitudo*] Id est, absides earum altæ erant.

Et horribilis aspectus] Ità ut spectanti horrori essent.

Totum corpus oculis plenum in circuitu ipsarum quatuor] At in Hebræo: *Absides earum quatuor plenæ variis coloribus circumquaque.* *Oculus* pro *colore* ponitur; Num. XI. 7. sic & infrà 22. Absides *altæ* sunt & *terribiles*, quia per eas significantur Reges per quos Deus deportationes illas exsequebatur; & *versicolores*, quia alii Assyrii, alii Ægyptii, alii Chaldæi,

Tam varii linguis, habitu quam vestis & armis.

19. *Cùmque ambularent animalia*] *Moverent, incedere facerent*, ut modò diximus, idque spiritu suo, id est, divinâ vi atque efficaciâ, ut sequetur.

Ambulabant pariter & rotæ juxta ea] Procedebant, quomodo visum illis esset.

Et cùm elevarentur animalia de terra, elevabantur simul & rotæ] Id est, cùm vellent cessabat deportatio.

20. *Quocunque ibat spiritus, illuc eunte spiritu & rotæ pariter elevabantur, sequentes eum: spiritus enim vitæ erat in rotis*] *Spiritus animantis*, id est, Cherubini, *cujusque pertingebat ad rotas.* Ità hic optimè Chaldæus. Sicut naves ad ventum, ità rotæ istæ ad spiritum Cherubinorum procedebant, aut attollebantur.

22. *Et similitudo super capita animalium firmamenti, quasi aspectus crystalli horribilis*] *Apparebat super capita Cherubinorum tympanum specie admirabilis crystalli.* *Tympanum* est *tectum vehiculi*, ut nos docet Servius: id Hebraïcè רקיע, id est, *expansio*, quo nomine & cœlum appellatur. Sic & Græcis οὐρανίσκος est *umbella sub qua Reges resident.* Directè proprietates Dei nè Angeli quidem intuentur, sed per oppansum; lucidè tamen, ut qui per crystallina specularia aliquid vident. Ità idem hîc præstat *tympanum crystallinum* quod apud Esaiam *alæ faciem tegentes.*

23. *Sub firmamento autem*] Sub isto tympano.

Pennæ eorum rectæ alterius ad alterum] Id est, alæ superiores ità expansæ erant ut se mutuò contingerent.

Unumquodque duabus alis velabat corpus suum, & alterum similiter velabatur] Alteris alis obtegebant obtegenda, planè ut unus sic alter Cherubinorum. Repetita hæc ex superioribus, nè lectoribus excidant.

24. *Et audiebam sonum alarum quasi sonum aquarum multarum, quasi sonum sublimis Dei: cùm ambularent quasi sonus erat multitudinis, ut sonus castrorum*]. Verte, *quasi sonus prælii*, id est, *sonus castrorum.* Dicit alas illas non fuisse motas sine magno strepitu, quem tribus similitudinibus explicat, maris clangentis, cœli tonantis (tonitru enim *vox Dei* dicitur Psalm. XXIX. 3. infrà X. 5.), & exercitûs barrientis. Significatur hoc, atrocia & horribilia fuisse Dei ista mandata, quorum ministri Angeli.

25. *Nam cùm fieret vox super firmamentum quod erat super caput eorum*] ו hîc potiùs *at* valet; & sensus est, *At verò quoties ex throno, qui erat super tympanum, vox audiebatur* (nempe receptui, τὸ ἀνακλητικόν).

Stabant, & submittebant alas suas] *Stabant alis quiescentibus.* Id enim רפה [*quiescere*] plerumque significat: nec aliter hic sumsit Chaldæus & LXX. Deo jubente quiescebant ministeria: cessabatur à deportationibus.

26. *Et super firmamentum quod erat imminens capiti eorum*] Super illud tympanum.

Quasi aspectus lapidis sapphiri similitudo throni] Est hic Transpositio. Sensus: *Erat ibi forma throni colore sapphirino.*

Thronus significat judicia Dei, Psalm. IX. 5. XLVII. 9. XCVII. 2. Esaiæ VI. 1. Daniel. VII. 9. in Apocalypsi sæpe. *Sapphirus* colore cœruleo, & aureis punctis, cœlum significat, ubi thronus Dei, Apocalypseos IV. 2.

Et super similitudinem throni similitudo quasi aspectus hominis desuper] Id est, & *super speciem throni species quadam humana.* Deus throno suo insidens, non leoni, aut urso, aut balænæ comparatur, sed Homini, cujus propria est justitia, ut ait Hesiodus:

> Ἰχθύσι γὰρ καὶ θηρσὶ καὶ οἰωνοῖς πετεηνοῖς
> Ἐσθέμεν ἀλλήλους, ἐπεὶ οὐ δίκη ἐστὶ μετ' αὐτῶν·
> Ἀνθρώποισι δ' ἔδωκε δίκην, ἣ πολλὸν ἀρίστη.
>
> [*Quippe fera, pisces, avium genus altivolantum*
> *Mutua se vertunt in pabula, juris egentes;*
> *Justitia ast nobis, qua res est optima, cessit.*]

Significatur ergò Deum æquissimis arbitriis res Judaïci populi dijudicare.

27. *Et vidi quasi speciem electri, velut aspectum ignis intrinsecus ejus per circuitum: à lumbis ejus, & desuper, & à lumbis ejus usque deorsum vidi quasi speciem ignis splendentis in circuitu*] Est hic ἔλλειψις [*omissio vocum*] rectè animadversa Senibus LXX, ex collatione loci qui infrà est VIII. 2. Reddendus ergò sic locus, *Vidi colorem electri, & formam velut ignis intus atque extrà* (hoc enim est בית לה סביב). *à specie lumborum ad superna* (electrum): *à specie lumborum ad infima usque, speciem ignis, ejúsque splendentis circumquaque.* Est hæc imago non naturæ Divinæ, sed decretorum ejus de populo Judaïco, quæ planè cum exsecutione respondent. *Igne*, id est, calamitatibus non interibit populus, sed excoquetur & purgabitur: multi peribunt: reliquiæ supererunt.

28. *Velut aspectum arcûs cùm fuerit in nube in die pluviæ, hic erat aspectus splendoris per gyrum*] *Qualis est species Iridos in nube die pluvio, talis erat forma circum illum splendorem:* ignis illius scilicet. Iris fœderis Dei symbolum, Genes. IX. 13. Judicia Dei, utcunque severa videantur, non abolent in Deo memoriam fœderis facti cum Abrahamo, Isaaco, Jacobo; in quo & hoc est ut semper maneat eorum posteritas, Esaiæ LIV. 10. Jeremiæ XXXIII. 20. 21. 26.

CAP. II.

MUNSTERUS.

5, 6. *Sive cessaverint*] Sic Kimhi hunc locum exponit. Jonathan autem in hunc modum vertit, *Et ipsi si acceptaverint doctrinam, & si cohibuerint se ut non peccent.* Porrò per *scorpiones* Hebræi intelligunt קוצים קשים *spinas duriores.* Habentúrque apud Hebræos in proverbio, secundùm illud 1 Reg. 12. *Pater meus castigavit vos flagellis, ego autem castigabo vos scorpionibus.*

9. *Et vidi*] h. e. *Propheticâ visione contemplatus sum quòd manus mitteretur ad me in qua erat liber.* Hoc signum ostendit Deus Prophetæ ut imbecillem confortaret; sicut & ad Jesaiam missus fuerat Seraph cum carbone ad tangendum labia ejus. Est igitur sensus hujus loci, Ego pono verba mea amara & dura in os tuum, ut ea populo annuncies: sed ea tibi dulcia erunt, ut ea avidè doceas.

VATABLUS.

2. *Loquentem* את מדבר] Ad verb. *dictum.*

3. *Prævaricati sunt in me* פשעו בי] *Perfidè mecum egerunt: peccaverunt contra me.*

4. *Et filii* 'והבנים וגו] *Et ad filios qui sunt durâ*, &c. *Filios* vocat, quòd priùs meminerit majorum ipsorum. ¶ *Duri facie* קשי פנים] *Durâ facie:* vel *induratâ.* Hebraismus, pro *impudentibus*, qui non noverunt erubescere. ¶ *Et duri corde* וחזקי לב] *Et fortes corde.* Alii, *obstinato corde.* Alii, *pertinace corde.* Hebraismus, i. induratis & impœnitentibus, quorum corda non emolliuntur. ¶ *Dicésque ad eos, Sic*, &c. 'ואמרת אליהם כה וגו] Genus dicendi Hebraicum, acsi dicat, *Ego constituo te Prophetam, ut posthac jure ac meritò uti possis hac formulâ loquendi quâ uti solent Prophetæ prædicendo futura, Sic dicit Dominus.*

5. *Et ipsi si*, &c. 'והמה אם וגו] Genus dicendi Hebraicum, quo affirmat neque eos audituros, neque cessaturos ab iniquitatibus. Quidam vertunt, *Et sive audierint, sive quieverint:* vel *destiterint*, sub. *ab audiendo.*

6. *Rebelles* סרבים] *Irritatores: renuentes: nolentes.* ¶ *Et cùm tribulis* 'ואל עקרבים] *Et juxta spinas pungentes admodum.* Alii, *& cum scorpionibus:* q. d. Sunt erga te velut spinæ pungentes, & velut scorpiones qui te pungent. ¶ *Ne formides* אל תחת] *Nè frangaris: nè expavescas.*

7. *Cessent* יחדלו] *Quiescant.* Alii, *destiterint.* Eadem verba quæ & v. 5.

9. *Et vidi, & ecce*, &c. 'ואראה והנה וגו] Hebraismus, *Cùmque aspicerem, apparebat manus porrecta ad me, quæ tenebat librum.* ¶ *Volumen libri* מגלת ספר] Vide Psal. 40. 8.

10. *Antè & retro* פנים ואחור] i. Ex utraque parte, externa & interna. ¶ *Veh* והי] Vox est Doloris, planctûs & luctûs. Propterea quidam vertunt, *& planctus.* Significat sermones in quibus hæc dictio frequenter repetitur.

CLARIUS.

1. *Fili hominis, sta super pedes tuos*] Idiotismus est Hebræis: & hîc legitur *filius Adam*, cujus effigiem similitudo animalium omnium referebat. Et cùm primus Adam typus sit secundi, audit se esse *filium* non tam prioris quàm posterioris.

6. *Cum scorpionibus habitas*] Per *scorpiones* Hebræi intelligunt *spinas duriores*, habentúrque apud Hebræos in proverbio, secundùm illud 3 Reg. 12. *Pater meus castigavit vos flagellis, ego autem castigabo vos scorpionibus.*

9. *Et vidi*] h. e. Propheticâ visione contemplatus sum quòd *manus mittebatur ad me in qua erat liber*, vel *epistola.* Hoc signum ostendit Deus Prophetæ ut imbecillum corroboraret, sicut & ad Esaiam missus fuerat Seraph cum carbone ad tangendum labia ejus. Est igitur sensus hujus loci, Ego pono verba mea amara & dura in os tuum, ut ea populo annuncies; sed ea tibi dulcia erunt, ut ea avidè doceas.

10. *Intus & foris; & scripta erant*] Quod exponunt alii pro præsentibus & futuris malis. Vel plurima mala significantur per tam copiosam scripturam, quæ non potuerit interiore chartâ constringi, sed & tergum eâ adimpletum est.

DRUSIUS.

4. 'והבנים קשי וגו. καὶ υἱοὶ σκληροπρόσωποι καὶ στερεοκάρδιοι (apud Theodoretum θρασυκάρδιοι) ἐγὼ ἀποστέλλω σε πρὸς αὐτούς, *& filii duro vultu & obfirmato corde, ego mittam te ad eos*] In Hieron. *Et filii durâ facie & indomabili corde sunt*, &c. *Hoc in* LXX *non habetur.* Hinc elicio ex alia quapiam versione desumptum esse. Nam legitur in quibusdam exempl. editionis LXX.

10. קִנִים וָהֶגֶה וָהִי. Th. θρῆνος καὶ μέλος καὶ οὐαί, *lamentatio & carmen & va.* Sym. θρῆνοι καὶ κατάλεγμα καὶ μέλος πενθικόν, *threni & querimonia & carmen lugubre.* A. κτίσις, καὶ ἀντιβολησις, καὶ ἔσαι, quod reddunt, *creatio, & collatio, & erit.* כתוב אליה. Idem Aq. γεγραμμένον ἦν ἐπ' αὐτῇ. Quod notant Origenes, & ex eo Romanenses. Verba sunt, Ὁ μὲν Θεοδοτίων ἀκολούθως τοῖς Ἑβδομήκοντα ἐξέδωκεν· ὁ δὲ Σύμμαχος οὐ πάνυ ἀπᾴδοντως, &c. ὁ δὲ Ἀκύλας, γεγραμμένον, φησίν, &c. Quid sit κατάλεγμα aliis inquirendum relinquo. Ego nunc secutus sum Interpretem Romanum, cùm aliud nihil melius occurreret. Κτίσις] Malim κτῆσις, ut sit verbale à קנה *possedit.* Sed sciendum κτίσις & κτῆσις quandoque confundi. *Collatio*] i. Ἀντιβολή. Sanè ἀντιβάλλειν dicuntur *qui conferunt exemplaria inter se*, item *qui conferunt sermones inter se.* Job. 37. 2. הגה. A. φθογγή. Hieron. *sonus.* LXX μελέτη. Καὶ ἔσαι] והי.

GROTIUS.

1. *Hæc visio similitudinis gloria Domini*] Meliùs hoc comma in Hebræo & Græco cum superioribus cohæret. *Gloriam Dei* vocat Divinas proprietates, Justitiam, Æquitatem, Sapientiam, quæ per talem imaginem intelligebantur.

Et vidi, & cecidi in faciem meam] Id est, *videns cecidi in faciem meam*, tantarum rerum consideratione perculsus: Daniel. VIII. 17. Vide quæ ad Matthæi XVII. 6.

Fili hominis] Id est, quanquam magna visa tibi contigere, memento te hominem, & quidem despicabilem, si vel cum Angelis compareris.

Sta super pedes tuos] Id est, surge. Sic apud Matthæum: ἐγέρθητε καὶ μὴ φοβεῖσθε [*Surgite & nolite timere*].

2. *Et ingressus est in me spiritus*] Rediit mihi animus.

Postquam locutus est mihi, & statuit me super pedes meos] Ἓν διὰ δυοῖν [*Unum per duo*], pro *stare me jussit.*

3. *Ad gentes apostatrices*] Id est, ad Tribus refractarias in me.

4. *Et filii durâ facie*] Σκληροπρόσωποι [*duro vultu*], id est, *impudentes*: ut hîc interpretatur Chaldæus.

5. *Si fortè vel ipsi audiant, & si fortè quiescant, & scient quia Propheta fuerit in medio eorum*] Optima erit versio: *Ut, sive audiant sive abstineant* (audire), *est enim domus refractaria, certè meminerint Prophetam ad se missum.* Si se corrigunt, rectè: si non (quod hactenus magis de illis credibile est, ob summam pertinaciam) erunt inexcusati. Hieronymus hoc loco: *Loquitur autem hæc Deus ambigentis affectu, ut liberum hominis monstret arbitrium.*

6. *Neque sermones eorum metuas*] Consilia.

Quoniam increduli & subversores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas] *Quanquam contumaces sunt, & spinei adversum te, imò* (quasi) *cum scorpionibus habitas. Spinei*, id est, nocere quærentes. *Scorpiones*, id est, homicidæ.

Quia domus exasperans est] *Quanquam est domus refractaria.*

7. *Loquêris ergò verba mea ad eos*] Nè abstine tibi commissa eloqui: ego te tuebor.

Si fortè audiant, & quiescant] *Sive te audiant, sive abstineant*, securus esto scilicet.

Quoniam irritatores sunt] *Quanquam pertinacia ei* (populo placet): non poterunt tamen tibi nocere.

8. *Et noli esse exasperans, sicut domus exasperatrix*] Noli & tu esse refractarius, quales sunt illi.

Et comede quæcunque ego do tibi] In animum penitus admitte. Id enim voce אכל [*comedere*] sæpissime significari rectè notavit Maimonides Ductoris dubitantium 1. 2. Sic & Latini dicunt *in sanguinem & succum vertere.*

9. *Erat scriptus intus & foris*] Tale illud:

Scriptus & in tergo, necdum finitus, Orestes.

Id est, Prophetia erit longa, longam seriem continens malorum, ut explicant sequentia. *Erit tota Ilias*, dicerent Græci.

Et carmen] Nempe lugubre: id enim requirit materia. Est alioqui vox generalis, quæ omne *meditatum* significat. Sic μέλος [*melos*] dictum ἀπὸ τοῦ μελετᾶν [*à meditando*]. Sic & in Psalmo v. 1.

CAP. III.

MUNSTERUS.

3. VEnter tuus comedet] Chald. *Anima tua satiabitur.* Intelliguntur enim per *volumen* illud verba Dei, quæ sunt cibus animæ, non corporis. Sic ad Jeremiam dicitur, *Ecce dedi verba mea in ore tuo.* Et licèt in illo volumine scriptæ essent *lamentationes & gemitus*, qui excidium illius populi significabant, tamen Prophetæ dulce erat, cernenti decretum judiciorum Dei. Et nota quòd hæc omnia per visionem facta sunt in Spiritu.

5. *Profundi labii*] *Profundum labium* & *gravem linguam* vocat linguam extraneam & quæ non est Hebraica.

6. *Si non misissem te*] Docet hîc Kimhi אם לא esse vocem Jurantis, & quòd capiatur pro באמת, ut sit sensus, *Revera si misissem te ad populos multos & qui profundum habent labium, illi te audissent, populus verò meus noluit te audire.*

12. *Vocem strepitûs magni*] Sub. *dicentem*, *Benedicta gloria Domini*, &c.

13. *Osculabatur*] Jon. נקשן, i. ut K. exponit מקישות *quatiebant* seu *collidebant.* Ex collisione, inquit, alarum grandis excitabatur vox.

14. *Manus Domini*] h. e. Prophetiæ spiritus.

15. *Thel-Abib*] Nomen est loci juxta fluvium Chebar.

25. *Impositi sunt tibi funes*] Heb. *dederunt super te funes.* Quem locum K. sic exponit, *Ingredere in domum, & esto in ea reclusus perinde ac si illi te funibus ligassent donec ego universas Prophetias tibi revelavero. Nec licebit tibi interim ut illos corripias, donec ego tibi autoritatem concessero*, &c.

VATABLUS.

2. ET *comedere fecit me volumen illud* ויאכלני את המגלה הזאת]. *Et cibavit me volumine illo.*

3. *Ventrem tuum*, &c. בטנך תאכל וגו'] Fut. Heb. pro imperat. *Venter tuus comedet, & viscera tua implebuntur.* Verbum sing. ut posterius verbum sit, &c. pro plurali.

4. *In verbo meo* בדברי] Ad verb. *in verbis meis*, i. sermone, quo ego loquor tibi, sic loquêris ad eos. Alii, *verba mea*: vel *sermones meos.*

5. *Profundi labii*, &c. עמקי שפה] Ad verb. *profundi labio.* Hebraismus, pro *magnæ eruditionis*, vel potiùs *alterius*, aut *alienæ linguæ*, i. qui lingua aliâ utatur atque tu, h. e. quàm Hebræâ; ut possis queri te non intelligere: quia ejusdem linguæ es cum illis, ipsi intelligent te, & tu intelliges eos. *Omnis res*, inquit doctus inter Hebræos, *& omne verbum multiplex dicitur Profundum.* ¶ *Et gravis linguæ* וכבדי לשון] Ad verb. *& graves linguâ*: difficilis & ignoti sermonis: h. e. ad populum Barbarum. ¶ *Mitteris*, &c. שלוח וגו'] Ad verb. *missus es.* Quidam converso dictionum ordine vertunt, *Non enim mitteris ad domum Israel*, tanquam ad *populum*, &c.

6. *Multos* רבים] i. Numerosos, vel fortes. Quidam ex commentariis Hebræorum exponunt *longinquos*, *multùmque distantes*, *qui sint de terra longinqua valde, quorum nunquam audieris linguam.* ¶ *Profundi labii & gravis linguæ* עמקי שפה וכבדי לשון] Eadem verba quæ præcedenti versu. ¶ *Intelligas* תשמע] Ad verb. *audieris.* Istud videtur explicari quòd præcedit *profundi labii.* ¶ *Profectò*, &c. אם לא וגו'] Ad verb. *si non ad eos misi te, ipsi audient te.* *Si non* Jurantis & Confirmantis sermo: aut subaudiendum, *dispeream nisi te audissent.* Quidam vertunt, *Omnino si misissem te ad eos, ipsi te audissent.* Alii, *Si non misissem te, ipsi te audissent.* Dicit hîc Kimhi אם לא vocem esse Jurantis, & capi pro באמת *in veritate*, ut sit sensus, *Revera si misissem te ad populos multos & qui profundum habent labium, illi te audissent: populus verò meus noluit te audire.* Alii exponunt, *Quamvis te ad populos Barbaros aut Græcos mitterem, acquiescerent tua prædicationi; quemadmodum Ninivitæ Jonæ: quibus tamen deteriores sunt Israelitæ.*

7. *Durâ fronte, & duro*, &c. חזקי מצח וקשי וגו'] *Robustâ fronte, & intractabili corde.* Vide similia c. 2. 4. mutatis paulùm verbis.

8. *Contra facies eorum* לעמת פניהם] *E regione facierum eorum*, i. fortiorem reddam facie eorum: q. d. Dabo tibi fortitudinem & constantiam ut resistere possis minis eorum.

9. *Dedi* נתתי] Præteritum, quod quidam per futurum reddunt, *ponam, reddam, efficiam.* ¶ *Nè igitur timeas eos* לא תירא אותם] *Non igitur timebis eos.* ¶ *Neque metuas* ולא תחת] *Neque frangaris animo*: vel, *neque terrearis.* ¶ *Quia domus rebellis est* כי בית מרי המה] *Licet* [vel *quantumvis*] *domus exasperans sit*: aut *contumax.*

10. *Excipe*, &c. קח וגו'] Transpositio verborum Hebræis frequens, pro, *auribus tuis audi, & excipe in corde tuo.* Quidam Hebræorum dicunt ו & accipiendum pro *postquam*, sic, *postquam audieris auribus tuis, assume in cor tuum.* Ità & illud Jesaiæ 64. 5. *Ecce tu iratus es, & peccavimus*: pro *postquam peccavimus.*

11. *Ad transmigrationem* אל הגולה] Pro *captivis & abductis in captivitatem* accipitur: unde quidam vertunt *ad captivos.* ¶ *Si audierint, & cessaverint* אם ישמעו ואם יחדלו] Eadem verba quæ suprà 2. 5.

12. *Vocem commotionis magnæ* קול רעש גדול] *Sonitum strepitûs magni.* ¶ Discedentis] *Aut mox discessuri.* Hæc verba non leguntur Hebraicè, sed ad perficiendum sensum subaudienda sunt, aut similia. ¶ *De loco suo* ממקומו] i. Templo, ubi exhibebat præsentiam suam, dabat responsa, & exaudiebat preces populi sui: quo breviter sed obscurè innuit fore brevi excidium urbis Jerosolymitanæ & Templi, & captivitatem populi Judaici.

13. *Et vocem* וקול] Ex præcedenti versu subaudiendum *audivi.* ¶ *Mutuò sese contingentium*, &c. משיקות וגו'] Ad verb. *adhærentium* [vel *attingentium*, *more osculantium*] *vira ad sororem suam.* ¶ *Contra eas* לעמתם] *E regione eorum.* ¶ *Et vocem commotionis magnæ* וקול רעש גדול] *Et vox strepitûs magni*, sub. *facta est.*

14. *Et spiritus* ורוח] Quidam convertunt ו & in *rursum.* q. d. *Rursum mihi visus sum agi vento quodam qui me aliò transferret.* ¶ *Amarus in ira spiritûs mei* מר בחמת רוחי] Hebraismus, amaro & irato animo. ¶ *Et manus* ויד] *Et* pro *nam*, ut quidam vertunt. *Manum* interpretantur *Prophetiam.* ¶ *Fortis* חזקה] *Vehemens.* Alii existimantes esse verbum, vertunt *prævaluit*: vel *roborata est*: *vehemens facta est*: q. d. Tunc afflatus magno illo Spiritu parui Domino.

15. *Ad transmigrationem Thel-abib* אל הגולה תל אביב] Ordo inversus, pro, *in Telabib, ad transmigrationem*, i. ad captivos. Quidam convertunt proprium nomen *Thelabib* sic, *ad Acervum novarum frugum.* ¶ *Ipsis sedentibus ibi* המה יושבים שם] *Ubi ipsi sedebant.* Alii, *ipsi* autem *habitabant ibi.* Doctus inter Hebræos exponit, *quando vidi eos sedentes, sedi ibi*: vel *sedi sicut ipsi erant sedentes.* ¶ *Admirans* משמים] *Stupefactus*: *desolatus.* Chald. *quiescens*, sive *tacens.*

17. *Dedi te*, נתתיך] *Posui te*: *constitui te.* ¶ *Et admonebis*

nebis eos והזהרת אותם] *Et commonefacies eos:* vel, *& cautos reddes eos*, sive *circumspectos*. Alii, *docebis*. Alii, *disertè monebis eos*. ¶ *Nomine meo* ממני] *Ex me: verbis meis.*

18. *Admonueris eum* הזהרתו] Idem verbum quod versu præcedenti. ¶ *Ut caveat impius*, ut recedat *à via sua* להזהיר רשע מדרכו] *Ad dehortandum impium à via*, &c. vel, *commonefaciendo impium* ut recedat *à via*, &c. ¶ *Ut vivat* לחיתו] *Ut vivifices eum*, i. ut revoces à peccatis in quibus est mors. Qui hominem à peccatis revocat, videtur eum vivificare: retrahit enim eum à morte. ¶ *In iniquitate sua* בעונו] *Propter iniquitatem suam.* ¶ *Sanguinem*, &c. ודמו מידך אבקש] Hebraismus, tibi imputabitur mors ejus: vel, sumam pœnas de te, quòd fueris causa interitûs & perditionis ejus.

19. *Admonueris* הזהרת] Idem verbum quod præcedenti versu. ¶ *Animam tuam liberasti* את נפשך הצלת] i. *Non requiram sanguinem de manu tua.*

20. *Dabo offendiculum coram eo* ונתתי מכשול לפניו] *Et posuero offendiculum coram eo.* Ponit Deus offendiculum coram peccatore quando non revocat eum afflictionibus, calamitatibus & consolationibus, se facilem præbens ejus conversioni, & iens obviam. Per *scandalum* sive *offendiculum* quidam intelligunt felicitatem, sive prosperitatem; alii, mortem ipsam.

22. *In campum* הבקעה] *In planitiem: in vallem:* q. d. in locum solitarium & procul ab hominibus flagitiosis ac sceleratis. Hæc vox significat *locum planum & æqualem, situm inter montes:* erat enim vallis illa insignis & amœna admodum in qua Babylonem exstructam fuisse dicunt.

23. *Similis gloriæ* ככבוד] *Secundùm gloriam*, i. talis ac similis gloriæ quam videram, &c.

24. *Ingredere*, &c. בוא] Videtur indicare ac taxare duritiam cordis & obstinationem atque incredulitatem populi Judaici: acsi dicat, Tantum proficies tacendo quantum loquendo.

25. *Ponent* נתנו] Præt. Heb. pro fut. *conjicient te in vincula.* ¶ *Et non egredieris* ולא תצא] Hebraismus, ità ut non possis egredi domo tuâ, & inter illos versari.

26. *Et non eris*, &c. ולא תהיה וגו'] *Nè sis eis*, &c.

27. *Quando autem*, &c, ובדברי וגו'] *Cùm autem finem loquendi fecero tecum:* quod fiet in fine capitis undecimi: loquitur enim Dominus cum Propheta usque ad finem illius capitis. ¶ *Et qui cessat cesset* והחדל יחדל] *Et qui quiescit quiescat:* vel, *desistit* [sub. *audire*.] Quidam, *qui audit, audiet*; *& qui desistit* audire, *desistet*. Alii, *qui audiet, audiet*; *& qui desistet, desistet.*

CASTALIO.

3. *Istisque visceribus conficies*] Hebræum verbum significat *perficere* & *absolvere*, quod pro *concoquendi* verbo ponitur; ut apud Plinium sæpe *perfici cibus* dicitur, pro *confici* sive *concoqui*.

CLARIUS.

1. *Comede*] h. e. Diligentissimè manda memoriæ.

2. *Et aperui os meum*] *Et aperto ore*, ait Hieronymus, *Dominus largitus est mihi cibos, ut initia voluntatis in nobis sint, & perfectionem beatitudinis à Domino consequamur. Non est enim volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. Attamen & velle & currere nostri est arbitrii.* Hæc ille.

3. *Venter tuus comedet*] Pro quo Chaldæus, *anima tua saturabitur.* Intelliguntur enim per *volumen* illud verba Dei, quæ sunt cibus animæ, non corporis. Sic ad Jeremiam dicitur, *Ecce dedi verba mea in ore tuo.* Et licèt in illo volumine scriptæ essent *lamentationes & gemitus*, qui excidium illius populi significabant, tamen Prophetæ dulce erat, cernenti decretum judiciorum Dei. Et nota quòd hæc omnia per visionem facta sunt & in spiritu.

5. *Profundi sermonis*] *Profundum sermonem* seu *labium* & *gravem linguam* vocat linguam extraneam & quæ non est Hebraica. Major, inquit, hæc provincia est quàm si ad Barbaros mitterere. Quo dicto indicat vocandas olim Gentes, & eas ad suscipiendum Euangelium paratiores fore Judæis. ¶ *Ad domum Israel*] Habet emphasim hæc brevitas: h. e. missus es ad notos, ad eam domum cujus sunt Testimonia & Patres.

8. *Ecce dedi faciem tuam*] Malo nodo, quod ajunt, malus est cuneus quærendus. Et contra populum perfrictæ frontis obstinatique ad malum propositi pertinacissimâ constantiâ Propheta mittendus.

12. *Vocem commotionis magnæ*] Sub. *dicentem*, *Benedicta gloria Domini.* Vel, *Gloria Domini de loco suo recessit*, relicto Templo & populo.

13. *Et vocem alarum*] *Alæ* Amoris præconium, *rotæ* Timoris indicium.

15. *Et abii amarus*] Antea volumen illi dulce erat; & cùm res agi debet, amarescit experiendo. *Spiritus* enim *promptus est, caro infirma.*

15. *In Telabib*] Locus est sic dictus. *Sedit* autem ac *moratus est inter eos*, ut perNosceret eorum mores: invenitque omnia atrociora quàm speraret.

22. *Egredere in campum*] Ut solitarius capacior sit revelationum sanctarum.

24. *Ingredere*] Ut facto prophetet Jerosolymæ obsidionem, captivitatem, cessationem verbi Dei & Divini cultûs.

25. *Dederunt super te vincula*] Quidam exponunt sic, *Ingredere in domum, & esto in ea inclusus perinde ac si illi te funibus ligassent, donec ego universas Prophetias tibi revelavero. Nec licebit tibi interim illos corripere, donec ego tibi authoritatem concessero.*

DRUSIUS.

15. תֵּל אָבִיב. A. Sym. Th. Θὴλ ἀβὶβ, *Thel-abib*] Hier. *Pro eo quod nos vertimus* acervus novarum frugum, *Aq. Sym. & Th. ipsa verba posuere Ebraica, quod Lxx transtulerunt* μετέωρος καὶ περιῆλθον, i. sublimis & circuivi; *melius esse credentes aliquid dicere quàm imponere quod lectori faceret quæstionem. Nos autem ab Ebræis didicimus* THEL-ABIB *significare quando nova frumenta vel hordea congregantur, & post famem & penuriam, antequam terantur in area, spem ciborum aliquam repromittunt.* ¶ מַשְׁמִים. A. ἠρεμάζων *quiescens.* Th. *admirans*] Hieron. *Pro eo quod nos diximus* mœrens, *& in Ebræo scriptum est* משמים, *Theodotio transtulit* admirans, *ut stuporem Prophetæ iniquitates eorum cernentis exprimeret. Aquilæ verò secunda editio, quam Ebræi* κατ' ἀκρίβειαν *nominant, transtulit* ἠρεμάζων, *i.* quiescens, *&* seorsim positus; *ut fuisse quidem se in medio captivorum, sed ab eis separatum mente monstraret.*

20. מִכְשׁוֹל. Th. *infirmitas*] ἀσθένεια. Hieron. *Sed ponitur* offendiculum *coram eo, sive* tormentum, *&, ut Theodotio dixit*, infirmitas.

27. השמע יִשְׁמָע וְהֶחָדֵל יֶחְדָּל. A. secunda ed. *Qui audit audietur, & qui relinquit relinquetur*] Hier. *Id autem quod nos posuimus*, Qui audit audiat, & quiescit quiescat, *pro quo Lxx interpretati sunt*, Qui audit, audiat, & qui incredulus est, incredulus sit, *secunda Aquilæ editio ità transtulit*; Qui, *&c. Et est sensus*, Qui habet, dabitur ei: qui autem non habet, etiam id quod videtur habere auferetur ab eo.

GROTIUS.

1. *Comede*] *Meditare, & ut verum suscipe.* Ità hîc Chaldæus rectè. Interpretatio infrà subjicitur commate 10.

3. *Venter tuus comedet, & viscera tua complebuntur volumine isto*] *Venter tuus comedat, & viscera tua compleantur.* Explica ex præcedentibus.

Factum est in ore meo quasi mel dulce] Ubi omnem earum imaginum, quas videram, sensum rectè comprehendi, toto animo approbavi justitiam Divinam in illis rebus.

5. *Non enim ad populum profundi sermonis, & ignotæ linguæ tu mitteris, ad domum Israël*] Est ἔλλειψις [*defectus*] voculæ adversantis. Sensus: *non ad populum* ἑτερόγλωσσον [*sermonis extranei*] *mitteris, sed ad populum tuum tui sermonis.* Non mitteris ad Niniven, ut Jonas: quare nihil metue.

6. *Neque ad populos multos profundi sermonis, & ignotæ linguæ, quorum non possis audire sermonem*] Tacitè innuit se hoc aliquando facturum in vocatione Apostolorum; & inventurum qui pareant.

Et si ad illos mittereris, ipsi audirent te] Id est, propius spei est, ut illi tuis dictis pareant, quàm ut Israëlitæ: adeò sunt corrupti. Simile vide Matthæi XI. 23.

7. *Attritâ fronte est*] *Fronte perfrictâ.* Vide suprà II. 4.

8. *Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum*] Modò te pares obsequio, animum tibi addam quo eorum impetus contemnas.

9. *Ut adamantem & ut silicem dedi faciem tuam*] In Hebræo: *Frontem tuam faciam ut adamantem, qui durior est rupe.* Est enim proverbium שמירא תקיף מטינרא [*Adamas rupe durior*] Vide Jeremiæ XVII. 1.

Quia domus exasperans est] *Quamvis est domus refractaria.* Sic כי sæpe sumitur, ut jam aliquoties notavimus.

11. *Ad*

11. *Ad transmigrationem*] Ad illos dispersos primâ deportatione per Chaldæos factâ, quorum & tu fuisti.

Hæc dicit Dominus Deus: Si forte audiant, & quiescant] Meliùs: *Sive audiant, sive abstineant audire*, ut suprà II. 5. 7.

12. *Et assumsit me spiritus*] Id est, compulit me, ut irem ad populares meos. Hunc sensum & præcedentia & sequentia insinuant.

Et audivi post me vocem commotionis magnæ] *Magni strepitûs*: id enim רעש. Intelligi vult chorum Angelorum Dei judicia approbantium.

Benedicta gloria Domini de loco suo] Id est, laus Dei celebratur ab Angelis. Δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ [*Gloria in excelsis Deo*], Lucæ II. 14.

13. *Et vocem alarum animalium percutientium alteram ad alteram*] Alæ enim illæ & contingebant se, & magno sono concutiebantur in imagine ea quam viderat Ezechiel. Vide suprà I. 24. *Vocem* pro *strepitu* sæpe ponit hic interpres. Significatur autem, magna & atrocia parari.

Et vocem rotarum sequentium animalia] Strepitum rotarum, motantibus Cherubinis: id est, deportationes graviores primâ imminentes.

Et vocem commotionis magnæ] Magnos gemitus ac lamenta.

14. *Spiritus quoque levavit me, & assumsit me*] ו [*quoque*] hic est pro *autem*. Quanquam hæc videbam quæ me terrebant, tamen Deus me compulit pergere ad illos deportatos.

Et abii amarus in indignatione spiritûs mei] In Hebræo: *Amarus in æstu spiritûs mei*. Id est, valde tristis, ob mala illa imminentia quorum esse jubebar κακὸς ἄγγελος [*malus nuntius*].

Manus enim Domini erat mecum confortans eum] Et hic ו [*enim*] est pro *autem*. Sensus est, Tristis eram, sed vis Dei mihi addebat animum, ac me erigebat conscientia debiti officii; ut sequentia ostendunt.

15. *Et veni ad transmigrationem*] Ad illos Judæos mecum deportatos.

Ad acervum novarum frugum] *Ad Thelabib*. Nomen, sed ductum à loci in colles assurgentis fertilitate. Sic & Chaldæus accepit; nec aliter Symmachus, Aquila, Theodotio, ut nos docet hoc loco Hieronymus. Hic ipse locus est *Thelda* Ptolemæo, in Mesopotamia.

Et sedi ubi illi sedebant] Id est, substiti, qua in parte maxima pars illorum sedes habebat. Nam interpretes secuti sunt lectionem marginis, quæ est ואשב [*sedi*]. Textus habet אשר [*quibus*], ubi fortè fuerit אשור [*Assar*]: ut sensus sit, venisse ad regionem illam quæ est inter Chaboram & flumen alterum, quod Ptolemæus vocat Σαοκόραν [*Saocoram*], qua in parte illi morabantur.

Et mansi ibi septem diebus mœrens in medio eorum] משמים, quod hic vertitur *mœrens*, rectiùs vertas *solitarius*. Aquila verterat ἠρεμάζων, id est, ait Hieronymus; *quiescens & seorsim positus*: nempe observans eorum vitam, & actiones, ut pro earum modo minas graviùs aut remissiùs eloqueretur.

16. *Cùm autem pertransissent septem dies*] Qui sufficere poterant Ezechieli ad cognoscenda illorum vitia.

17. *Speculatorem dedi te domui Israël*] Cunctantem Deus ad officium implendum acriter extimulat, Prophetam comparans homini in specula constituto à Rege, qui si eminus periculum videns non annuntiaverit, ipse in periculum incidit.

Et audies de ore meo verbum, & annuntiabis eis ex me] *Ut quod de me audies, id ipsis meo nomine annunties.*

18. *Si dicente me ad impium, Morte morieris*] Jubente dici, omnino, si ità pergis, exitium tibi imminet. Nam cum conditione tacita hoc intelligendum ostendunt sequentia: *Ut avertatur à via sua impia, & vivat.* Est horum verborum latior explicatio infrà XVIII.

Ipse impius in iniquitate sua morietur] *Ob peccata sua.*

Sanguinem autem ejus de manu tua requiram] Id est, tu de morte ipsius reus eris non minùs quàm ipse. *Sanguis* Hebræis, specie sumptâ pro genere, vocatur omnis interitus. Vide Genes. IX. 5.

19. *Tu autem animam tuam liberasti*] *Tu temet liberaveris.*

20. *Sed & si conversus justus à justitia sua fuerit*] Averterit se à via recta. Vide infrà XVIII. 24.

Ponam offendiculum coram eo] Faciam ut ruat.

Et non erunt in memoria justitiæ ejus] Tantum abest scilicet ut homines sceleratos absolvant parentum virtutes.

21. *Si autem annuntiaveris justo, ut non peccet justus*] Id est, monueris virum bonum, nè tot malorum sequatur exempla.

Et ille non peccaverit] *Non peccaverit* hic sume in sensu graviore, id est, sciens, ac deliberatò non impegerit in Legem.

Vivens vivet] Certò in vita conservabitur.

22. *Et facta est super me manus Domini*] Iterum scilicet. Vide suprà I. 3.

23. *Et ecce ibi gloria Domini*] Imago hominis partim ignea, partim ex electro, ut suprà, & infrà VIII.

24. *Ingredere, & includere in medio domûs tuæ*] Nè indè exeas priusquam tibi res futuras, tum per signa, tum per verba revelaverim: quod fit sequentibus capitibus usque ad undecimum. Imago hæc erat obsessæ urbis.

25. *Ecce data sunt super te vincula, & ligabunt te in eis*] Futurum pro Imperativo. *Imponant tibi vincula, & ligent te*: domestici scilicet tui, ut sic quoque captivitatis futuræ geras imaginem.

Et non egredieris de medio eorum] In Hebræo, *In medium eorum*: id est, in turbam.

26. *Et linguam tuam adhærere faciam palato tuo, & eris mutus*] Id est, quasi mutus, nemo enim isto tempore ad te accedet.

Nec quasi vir objurgans] In Hebræo, *Non eris in virum arguentem*. Nemo erit quem verbis castiges.

Quia domus exasperans est] *Refractaria*. Cùm norint te hic esse & esse Prophetam, non curabunt tamen à te discere quæ sunt salutaria.

27. *Cùm autem locutus fuero tibi*] Ubi omnia futura tibi exposuero.

Aperiam os tuum] Faciam tibi potestatem exeundi & loquendi ad eos quæ à me didiceris.

Qui audit audiat, & qui quiescit quiescat] Qui abstinere ab audiendo vult, abstineat suo periculo.

CAP. IV.

MUNSTERUS.

1, 2, 3. Accipe tibi laterem] Docetur hìc, populum qui in Jerusalem remanserat exterminandum bello, peste & fame propter iniquitatem suam. Agitúrque id non tantùm verbis, sed & picturis & factis, quæ plùs movent simplicium animos. Unde jubetur Propheta *pingere in tegula*, quâ domus urbium teguntur, *Urbis obsidionem*, quæ olim fiebat *aggeribus*, דיק *turri ex ligno fabricatâ*, quâ hostes tuti ad mœnia usque propinquabant, scalis, cuniculis, *arietibus*, quibus muri quatiebantur, catapultis & aliis variis machinis: Quarum reliquiæ adhuc hodie passim in urbibus inveniuntur: sicut hìc Basileæ est vetusta quædam jaculatoria machina, quæ funibus & rotis intensa lapidem miræ magnitudinis in tantam acris ejaculatur sublimitatem ut ferè evanescat ab oculis suspicientium; idquod superioribus annis vidimus, quando hoc priscorum mirabile instrumentum in sua compaginatum membra & usus ejus pro spectaculo ostentabatur. Jubetur Propheta & מחבת h. e. *patellam* planam & non concavam vice cratis sumere post quam tutus lateat, & Urbem veluti hostis oppugnet. Et hæc omnia, ut subjicitur, *signum* erant grave expugnandæ urbis Jerosolymitanæ.

4. *Jace super latus tuum*] Est & hoc factum in visione Prophetica, ostenditúrque per id Urbem obsidendam tot diebus quot annis incolæ ejus dereliquerunt Deum & coluerunt idola. Propter Samariam jubetur *jacere super sinistrum latus*, & *ferre*, i. repræsentare, *iniquitatem Israëlitarum*, & *propter iniquitates Jehuda super latus dextrum jacere*. Samaria coluit idola 390 annis, partim scilicet sub Judicibus & partim sub Regibus Israël. Jehuda autem post abactum Israëlem per Idololatriam peccasse dicitur 40 annis, ideo Propheta tot diebus jubetur *jacere super latus dextrum*, & *portare* seu *ferre iniquitates eorum*. Et hi numeri simul juncti constituunt 430 dies, h. e. annum unum, menses duos, & novem dies. Tot autem diebus obsessa fuit Jerusalem graviore obsessione: dico, graviore; cùm alioqui duraverit obsessio ferè novem mensibus ultra integrum annum, occupato scilicet interim Nebuchadnezzar cum exercitu Ægyptiorum.

7. *Versùs obsidionem Jerusalem*] h. e. Versùs urbem illam in tegula depictam. *Denudatio* verò *brachii* significat strenuam exsecutionem imperii.

8. *Dedi super te funes*] Videbatur sibi in Prophetica visione quasi vinculis constrictus esset, propter quæ se movere non potue-

potuerit. Et quod subditur de *frumento*, *hordeo*, &c. simul commixtis, significatur fames magna, quam obsessi passuri erant, ut etiam panem conficerent ex speciebus frumenti quæ ad hoc aptæ non erant, ut sunt *lentes* & *fabæ*, & tamen his panibus ad saturitatem non uterentur, cùm certa illis præscribatur mensura seu pondus, nempe *viginti siclorum*. Ajunt autem Talmudistæ pondus Sicli continere 320 grana hordeacea. Nec permittebantur hoc pondus cibi comedere aliquoties per diem, sed semel duntaxat, *à tempore* scilicet *in tempus*, ut textus habet.

12. *Comedes autem placentam*] i. Comedes panem illum sicut subcinericium & horridum hordeaceum panem, non in mundis decoctum carbonibus, sed in prunis quæ *humano stercore* sunt incensæ. Vocatur autem hîc גלל stercus pecorinum vel humanum ob *volubilitatem* ejus, quòd omnia talia stercora digesta rotunda sint.

VATABLUS.

1. *Coram te* לפניך] More scilicet ejus qui aliquid est descripturus. ¶ *Et describe* וחקות] *Et pinge*, *insculpe*: Fut. Heb. pro imperat.

2. *Obsidionem* דיק] *Munitionem*. Docti inter Hebræos scribunt vocem Hebræam significare *turrim ligneam quâ hostes tutò ad mœnia usque propinquabant, ex eâque prospiciebant quâ parte urbem caperent*. ¶ *Et funde* ושפכת] *Et comporta: coacerva*. Hæc vox *effundere* significat, quòd effunderent terram in fossas quæ erant per circuitum civitatis ut complerent eas, sicque tumulum excelsum erigerent unde murum conscenderent. ¶ *Arietes* כרים] Ferreos scilicet, ad eam oppugnandum.

3. *Sartaginem* מחבת] Aut per *sartaginem ferream* intelligit crates illas ferreas quibus commoventur tormenta bellica, aut, ut ait doctus inter Hebræos, *duritiam cordis Israelitarum*, *& nigrorem iniquitatum quo conspurcata erant mentes eorum*. ¶ *Et obfirmabis faciem*, &c. והכינותה וגו] i. Eris animo obfirmato in obsidenda urbe. Quidam vertunt, *& obfirmabis faciem tuam*, *& erit in ea obsidione*. Infrà v. 7. dicit, *Et ad obsidionem Jerusalaim obfirmabis faciem tuam*.

4. *Iniquitatem* עון] i. Pœnas, dolores & afflictiones iniquitati eorum debitas: q. d. Hâc ratione videberis quasi portare iniquitatem Israelitarum; non ut expies illam, sed ut eam repræsentes. Jubet Dominus Prophetam *dormire* sive *jacere* primùm *in latus sinistrum*, quòd priùs peccaverint Decem illæ Tribus, & priùs abductæ fuerint in captivitatem, (est enim latus sinistrum debilius dextro) quódque Samaria caput illarum sita sit ad sinistram respectu Judææ ac Jerusalem. Gravissimè autem peccaverunt tempore Judicum & Regum Israel.

5. *Dedi tibi*, &c. נתתי לך] i. Verti tibi annos quibus illi peccaverunt in dies: h. e. tot diebus decumbes quot annis illi peccaverunt, ad repræsentandam pœnam iniquitati Israelis debitam.

6. *Diem pro anno*, &c. יום לשנה וגו'] Hebraismus, i. singulos dies pro singulis annis.

7. *Obfirmabis* תכין] *Dispones*, *præparabis*, *diriges*: i. videberis esse animo obfirmato ut obsideas Jerusalem. Alacritatem eorum qui oppugnaturi erant Jerusalem describit. ¶ *Et prophetabis adversùs eam* ונבאת עליה] i. Prædices illi omnia mala quæ eventura sunt illi.

8. *Posui* נתתי] Ad verb. *dedi*: i. posui, vel injeci. ¶ *Et non vertes te* ולא תהפך] *Ne verteris*: vel, *ut non possis te vertere*. ¶ *Obsidionum tuarum* מצוריך] Plurali numero utitur, quòd obsidio illa futura esset diuturna; vel quòd solvenda esset circiter tres menses. Toties prædictus numerus conficit plùs minùs quatuordecim menses: tot enim tantùm mensibus fuit in gravissima obsidione: nam soluta fuit obsidio aliquot mensibus ob rumorem Regis Ægypti. Legitur & singulari numero *obsidionis tuæ*. Sunt qui velint hîc Prophetam gerere personam obsessorum & obsidentium.

9. *Et viciam* וכסמים] *Et far*. Alii, *& speltas*. Alii, *zeam*. Prædicit famem futuram tempore obsidionis.

10. *Quo vescêris* אשר תאכלנו] Ad verb. *quo vescêris eo*. Relativum *eo* vacat. Hebraismus. ¶ *In pondere* במשקל] *Ad pondus*, sub. *determinatum & finitum*. ¶ *A tempore*, &c. מעת עד עת] Hebraicum dicendi genus, pro, *à tempore determinato unius diei usque ad tempus determinatum alterius diei*: q. d. Toto die naturali comedes tantummodo 20 siclos panis. Hi 20 sicli panis libram non efficiunt.

12. *Et tanquam panem subcinericium* ועגת] *Et quasi placentam*, &c. i. ut antea solebas vesci placentis purè hordeaceis. ¶ *Excrementi* צאת] Ad verb. *exitûs*, genit. casûs. Excrementa humana retorrida sunt figurâ & formâ cylindri. Significat penuriam lignorum quæ accidere solet obsessis.

13. *Ejiciam eos* אדיחם שם] Ad verb. *expulero eos illuc*. Adverbium ad locum redundat.

14. *Ahah* אהה] Conquerentis est ac deplorantis sortem suam. ¶ *Et raptum* וטרפה] *Discerptum*. ¶ *Rei immundæ* פגול] *Corrupta: rancida: rei abominabilis*.

15. *Dedi* נתתי] Præt. Heb. pro præs. *do*: q. d. Permitto tibi decoquere illas stercoribus, &c. ¶ *Cum eis* עליהם] *Super illa*, sub. *incensa*.

16. *Contero* שבר] *Confringo*: vel *fracturus sum*: i. efficiam ut Jerosolymitani penuriâ panis laborent, quo confortantur vires hominis. ¶ *Et pavore* ובדאגה] *Et solicitudine*: vel *anxietate*: i. soliciti de cibo temporis futuri. ¶ *Et stupore* ובשממון] sub. *cordis*. Alii, *& cum admiratione*.

17. *Ut careant* למען יחסרו] *Ut indigeant*. Eò quòd indigebunt. Istud refertur ad initium præcedentis versûs. ¶ *Et obstupescam alter ad alterum* ונשמו איש ואחיו] *Et obstupescant inter se*. Alii, *devastabunturque vir & frater ejus*: nam legi potest & in plurali, mutatis punctis.

CLARIUS.

1. *Sume tibi laterem*] Docetur hîc, populum qui in Jerusalem remanserat exterminandum bello, peste & fame propter iniquitatem suam. Agiturque id non tantùm verbis, sed & picturis & factis, quæ plùs movent animos.

3. *Sume sartaginem*] Jubetur & *patellam planam* vice cratis sumere, post quam tutus lateat, & Urbem veluti hostis oppugnet.

4. *Dormies super latus*] Hoc factum est in visione Prophetica; quâ ostendit quanto tempore obsidenda fuerat Jerusalem; sicut & Esaias nudus triennium incessit. Ostendit autem justum judicium Dei, quo tot diebus obsidenda fuerat quot annis idola cives ejus coluerint. Propter Samariam jubetur *jacere super sinistrum latus*, & *propter iniquitates Juda super latus dextrum*. Samaria coluit idola 390 annis, partim scilicet sub Judicibus, & partim sub Regibus Israel. Juda autem post abactum Israelem per idololatriam peccasse dicitur 40 annis: ideo Propheta tot diebus jubetur *jacere super latus dextrum*, *& ferre iniquitates eorum*. Et hi numeri simul juncti constituunt 430 dies, h. e. annum unum, menses duos & novem dies. Tot autem diebus obsessa fuit Jerusalem graviore obsessione; ut excipiatur illud tempus quo occupatus erat Nabuchodonosor cum exercitu Ægyptiorum.

5. *Annos iniquitatis eorum*] Ut non supplicii sed delicti tempus intelligas figurari.

6. *Diem pro anno*] D. Hieronymus ait totidem annos afflictionis esse; quos supputat, Israeli quidem à Rege Phacea filio Romeliæ usque ad annum Assueri quadragesimum, Judæ autem à Joachim usque ad primum annum Cyri Regis Persarum. Intersunt enim anni 40. quo tempore mitigata est captivitas Judæorum ex eo quòd Persa remiserit vasa Templi ablata per Nabuchodonosor.

7. *Et ad obsidionem Jerusalem*] h. e. Versùs urbem illam in tegula depictam. ¶ *Et brachium tuum erit exsertum*] Vel *nudatum*. Qui mos erat rem manu gerentium. Denudato enim brachio dextro pugnabant milites: Oratores dicturi brachium & latus dextrum detegebant. *Denudatio* ergò *brachii* significat strenuam executionem Imperii.

8. *Circumdedi te vinculis*] Videbatur sibi in Prophetica visione quasi vinculis constrictus esset, propter quæ se movere non potuerit. Et quod subditur de *frumento* & *hordeo*, &c. simul commixtis, significatur fames magna quam obsessi passuri erant, ut etiam panem conficerent ex speciebus quæ ad hoc aptæ non erant, ut sunt *lentes* & *fabæ*; & tamen his panibus ad saturitatem non uterentur, cùm certa illis præscribatur mensura seu pondus, nempe *viginti siclorum*. Ajunt Thalmudistæ, pondus Sicli continere 320 grana hordeacea. Nec permittebantur hoc pondus cibi comedere aliquoties per diem, sed semel duntaxat, *à tempore* scilicet *in tempus*. Siclus autem, h. e. stater, habet Drachmas quatuor, Drachmæ autem octo Latinam Unciam faciunt; ità ut unus panis decem uncias habere dicatur, quo trahitur magis anima quàm sustentatur.

11. *Sextam partem Hin*] Hin, ait Hieronymus, *duos Choas Atticos facit, quos nos appellare possumus duos Sextarios Italicos, ità ut Hin mensura sit Judaici Sextarii, nostrique Castrensis; ejus sexta pars facit tertiam partem Sextarii Italici. Qui cibus & potus juxta inclytum Oratorem non vires tribuit, sed mortem prohibet*.

12. *Subcinericium hordeaceum*] Lex ipsa, quam Judæi legunt & non intelligunt, *subcinericius panis* est, & opertus *humano stercore*;

quamobrem & Paulus Apostolus lucra Legis & pristinarum ceremoniarum observantiam dicit *se habuisse sicut stercora, ut Christum lucrifaceret.* Jubetur autem ut panis ille non mundis coquatur carbonibus, sed in prunis quæ *humano stercore* sint incensæ.

14. *Morticinum*] Quod vitam exhalat sine legitimo ritu mittendi sanguinis. Græcis dicitur θνησιμαῖον. Quod in Actis videtur τὸ πνικτὸν nominatum. *Discerptum* autem aut *laceratum* Græcè vocatur θηριάλωτον.

16. *Baculum panis*] Quòd imbecilles confirmet ac fulciat sicut baculus innitentem hominem.

DRUSIUS.

1. לְבֵנָה. Sym. πλινθεῖον] Hier. *Pro latere, qui Græcè dicitur f. gen. ἡ πλίνθος, Symmachus manifestiùs interpretatus est πλινθεῖον, quem nos* laterculum *& abacum appellare possumus. In cujus pulvere solent Geometræ γραμμὰς, i.* lineas radiósque, *describere.*

5. שְׁלֹשׁ־מֵאוֹת וְתִשְׁעִים יוֹם. A. Sym. Th. *trecentos nonaginta dies*] Aliàs *annos.* Nam *dies* pro *anno* ponitur interdum. Conjicio tamen Hieronymum scripsisse *dies* pro *annos. Satisque miror,* inquit, *cur vulgata exemplaria* centum nonaginta annos *habeant, & in quibusdam scriptum sit* centum quinquaginta, *cùm perspicuè & Ebraicum & Aq. Symmachusque & Th.* trecentos nonaginta annos *teneant, & apud ipsos Lxx, qui tamen non sunt scriptorum vitio depravati, idem numerus reperiatur.* Hoc postremum ità esse deprehendes ex ed. Rom. Nec Polychronius aliter legit; qui etiam notat aliam editionem habere *nonaginta & centum dies.* Græca sunt, ἐνενήκοντα καὶ τριακοσίας ἡμέρας *nonaginta & trecentos dies.*

9. כֻּסְּמִים. A. prima ed. ζέας vel ζειὰς. Th. ὄλυραν. Sym. ut Aquila] Hier. *Quam nos* viciam *interpretati sumus, Lxx Theodotióque posuerunt* ὄλυραν, *quam alii* avenam, *alii* secalem *putant. Aquila autem prima ed. & Sym.* ζέας *sive* ζειὰς *interpretati sunt, quas nos vel* far, *vel gentili Italiæ Panno-niæque sermone* spicam speltámque *dicimus.*

14. אֲהָהּ אֲדֹנָי יֱהוִה. Th. *O Domine DEUS.* A. *Ah, ah, ah.* Sym. Μηδαμῶς, *Nequaquam*] Hier. *Quod cùm Propheta didicisset, juxta Aquilam tertiò detestatus est,* Ah, ah, ah. *Juxta Sym. verò & Lxx respondit* Μηδαμῶς, *quod Latinè dicitur* Nequaquam: *pro quo Theodotio transtulit,* O Domine DEUS. Ὦ Κύριε Θεός. Quod alibi depravatum in Ὦν Κύριε. *Ah, ah, ah*] Æmulatus est Hieron. qui habet, *Ah, ah, ah, Domine Deus.*

16. מַטֵּה־לֶחֶם. A. Prima ed. *baculum panis.* Secunda, Sym. Th. στερέωμα *firmamentum*] Hier. *Verbum Ebraicum MATTE prima Aquilæ ed.* baculum, *secunda & Sym. Theodotióque* στερέωμα, *i.* firmamentum, *interpretati sunt. Baculum panis*] Sic etiam Hieronymus.

GROTIUS.

1. *Sume tibi laterem*] Non coctum, id est, argillam.

Et describes in eo civitatem Jerusalem] Nempe plasticâ arte, quam hic Propheta, ut architecturæ peritissimus, didicerat. Hieronymus ex Symmacho putat πλινθεῖον esse *abacum*, & in pulvere factam σκιαγραφίαν [*picturam umbrantem*].

2. *Et ordinabis adversùs eam obsidionem*] Effinge figuram obsidionis circum Urbem.

Et ædificabis munitiones] In Hebræo דיק, *turrim ligneam*: de qua vide Vegetium IV. 17. Josephus in descriptione hujus obsidii: ὁ Βαβυλώνιος πύργους μεγάλων οἰκοδομήσας χωμάτων, ἀπ' αὐτῶν ἀνεῖργε τοὺς τοῖς τείχεσιν ἐφεστῶτας [*Babylonius turres magnis aggeribus imponens, inde arcebat murorum propugnatores*]. Et mox: διεφθάρησαν ὑπὸ τῶν βελῶν ἅπερ ἀπὸ τῶν πύργων εἰς αὐτοὺς ἠκόντιζον οἱ πολέμιοι [*interimebantur telis quæ hostes ex turribus in eos jaculabantur*].

Et comportabis aggerem] Josephus dicto loco: καὶ πολλὰ περὶ τὸ κύκλον ὅλον ἤγειρε χώματα τοῖς τείχεσι τὸ ὕψος ἴσα [*& in omni ambitu multos excitavit aggeres muris æquales*].

Et dabis contra eam castra] Figurabis castra Urbi circumdata.

Et pones arietes in gyro] כרים, quod hîc in Hebræo est, *arietes* significat; sed per *arietes* castrorum Duces intelligit Chaldæus, quem sequitur David Kimchi. Alii machinas. Et sanè si arietem machinam bello Trojano invenit Epeus, non mirum erit si tanto post tempore frequens ejus fuerit usus. At Vitruvius Carthaginensibus in Gadium oppugnatione initium reperti tribuit, consummationem Cetræ Chalcedonio. כרים pro *ducibus* habes II Regum XI. 4, 18. Et sic vertit Chaldæus etiam infrà XXI. 22. ubi LXX χάρακα [*vallum*], qui hîc, βελοστάσεις [*contabulationes unde tela jaciuntur*].

3. *Et sume tibi sartaginem ferream*] Atram & duram, qualia erant peccata Judæorum.

Et pones eam in ferreum murum inter te, & inter civitatem] Propheta in hac re Deum repræsentat, qui peccatis intercedentibus impeditur quo minus populum respiciat. Vide Esaiam LIX. 2.

Et obsirmabis faciem tuam ad eam] Sartaginem. Irato vultu eam aspicies, quomodo Deus peccata Judæorum.

Et erit in obsidionem, & circumdabis eam] Perge in figuranda obsidione, ut quæ diu sit duratura.

Signum est domui Israel] Omnibus Jacobi posteris.

4. *Et tu dormies super latus tuum sinistrum*] *Cubabis. Cubatio* hæc Ezechielis patientiam Dei summam ac Deo molestissimam in spectandis peccatis significat. *Latus sinistrum*, ut minùs dignum, significat populum Decem tribuum. *Latus dextrum*, utpote dignius, sunt Judas & Benjamin, in quorum solo Templum.

Et pones iniquitates domûs Israel super eo numero dierum quibus dormies super illud] *Cubabis*: id est, ex diebus intelliges per quot annos ego illorum peccata tacitus pertulerim. Nam dies Ezechieli dati sunt pro totidem annis divinæ patientiæ, ut statim sequetur.

Et assumes iniquitatem eorum] Feres in signo.

5. *Trecentos & nonaginta dies*] Tot anni sunt à lapsu Solomonis ad deportationem Decem tribuum per Salmanassarem, per quam illarum tribuum homines gens esse desierunt.

6. *Dormies super latus tuum dextrum secundò*] Transpositio, pro *alterùm cubabis, idque in dextrum latus.*

Assumes iniquitatem domûs Juda] Feres in signo, ut suprà.

Quadraginta diebus] Quot anni sunt à renovato per Josiam fœdere ad excidium Urbis & Templi.

7. *Et ad obsidionem Jerusalem convertes faciem tuam, & brachium tuum erit extentum*] *Esto nudatum*: qui mos pugnantibus illo tempore. Tam vultu atroce obverso in eam regionem, in qua est urbs Hierosolyma, quàm brachio nudato, oppugnatores imitaberis.

Et prophetabis adversùs eam] Id est, signis istis res futuras præsignificabis.

8. *Ecce circumdedi te vinculis*] Volo maneas in istis vinculis, quæ tibi domestici meo jussu imposuêre, ut sic quoque urbem obsessam exprimas.

Et non convertes te à latere tuo in latus aliud] Ut Divinam patientiam hoc modo exprimas.

Donec compleas dies obsidionis tuæ] Dies illos CCCXL, qui respondent diebus per quos Urbem obsessam (ipsa enim obsessio duravit ferme per biennium, II Regum XXV. 1, 2.) premere cœpit rerum necessariarum penuria. Vide Jerem. XXXVII. 20. XXXVIII. 9. Vide & Josephum XII. *Obsidionis tuæ* dicit, quia domi manendi, neque se convertendi necessitas, & vincula, obsidionis habebant figuram. Solet autem res figurans rei figuratæ vocabulo exprimi. Sicut autem egestas ibi duravit per dies CCCXC, ità incendium Urbis ac Templi per dies XL.

9. *Sume tibi frumentum*] Id est, *triticum*, ut hîc Chaldæus, & Græci.

Et hordeum, & fabam, & lentem, & milium] Nam in obsessis urbibus non solent panes ex solo tritico, sed multis rebus aliis admixtis fieri, quò diutiùs protrahantur alimenta.

Et viciam] כסמים ὄλυραν [*olyram*] vertunt Græci. Est genus ζειᾶς [*zea*], teste Herodoto. Equis solitum dari ex Homero discimus. Tamen apud gentes inopes etiam panem indè factum docet Herodotus. Chaldæus habet כונתין, quod *zeam* significat, ut videre est Exodi IX. 32.

Et mittes eas in vas unum] Farraginem indè facies.

Et facies tibi panes numero dierum quibus dormies super latus tuum] Id est, qui sufficere possint in tempus dierum CCCXC, ut sequitur.

10. *Cibus autem tuus quo vescêris erit in pondere viginti stateres in die*] Id est, panis in diem tibi erit qui minùs aliquantò librâ pendat; cùm in nervum conjectis ex lege Duodecim tabularum libra farris in diem daretur.

A tempore usque ad tempus comedes illud] Tantundem quoque die.

11. *Et aquam in mensura bibes*] Hostes quascunque poterant aquarum venas interscidêrunt, ità ut ejus quoque rei penuria esset obsessis.

Sextam partem hin] Heminæ partem tertiam: quantum caperent testæ ovorum duodecim. *Duos χόας* [*congios*] *Atticos,*

ticos, aut *Sextarios Italicos* interpretatur in commentariis Hieronymus.

12. *Et quasi subcinericium hordeaceum comedes illud*] In Hebræo, *Præterea libum ex hordeo comedes.* Nempe quadraginta illis diebus secundæ cubationis, ut intelligant Judæi quid peracto obsidio exspectandum habeant.

Et stercore quod egreditur de homine operies illud in oculis eorum] In Hebræo, *coques.* Tanta erit & pecoris & ligni egestas ut ex oleto ignem facturi sint, sicut quædam gentes ex boum egestu.

13. *Sic comedent filii Israel panem suum pollutum*] Ex contactu oleti. Deuteronom. XXIII. 14. Hieronymus: *Usque hodie in populo Judæorum servatur ista sententia, ut non comedant panem suum in humano stercore.*

14 *A, a, a, Domine Deus*] אהה [*Ahah*] est interjectio deprecativa. Chaldæus: *Suscipe deprecationem meam.* Lxx & Symmachus, Μηδαμῶς [*Neutiquam*]. Theodotion, ὦ [ô].

Morticinum] Pecudem fato suo mortuam. Vide Deuteronom. XIV. 21.

Et laceratum à bestiis] Exodi XXII. 31. Levitici XVII. 15.

A pueritia mea] A juventute mea: ex quo ratione uti cœpi.

Et non est ingressa in os meum omnis caro immunda] Κρέας βέβηλον [*caro profana*]. Id est, nihil edi Lege vetitum. Vide simile Act. X. 14. Vult dicere: Si cæteris abstinui per Legem immundis, nè cogar uti re per naturam immundâ. In quibusdam libris Græcis est κρέας ἕωλον [*caro pridiana*], & apud Theodoretum κρέας ἕωλον ἢ βέβηλον [*caro pridiana aut profana*]. Nempe de sacrificiis pro gratiis Deo agendis vetitum pridianis vesci, Exod. XXII. 19.

15. *Ecce dedi tibi fimum boum pro stercoribus humanis*] Nempe ità ut boum egestus significaturus sit oletum.

Et facies panem tuum in eo] Id est, coques, ut suprà.

16. *Ecce ego conteram baculum panis in Jerusalem*] Id est, panem, qui est sustentaculum hominis. Faciam ut desit quo corpus sustentatur. στήριγμα [*fulcimentum*] hîc Lxx, Symmacho & Theodotioni στερίωμα [*sustentaculum*]. Vide Levit. XXVI. 26. Hic est explicatio typorum præcedentium.

Comedent panem in pondere] Appensum, & quidem tenuiter.

17. *Ut deficientibus pane & aquâ*] Postremò, post longos pastus tenues.

Corruat unusquisque ad fratrem suum] Hîc & illic exanimis cadat præ fame ac siti.

Et contabescant in iniquitatibus suis] Id est, aut si qui superfint, ii vix ossibus hæreant. *In iniquitatibus suis*, id est, ob peccata sua.

CAP. V.

MUNSTERUS.

1. Gladium acutum] h. e. Novaculam, sicut mox exponit. Et est alia Prophetica visio, civitatis Jerosolymitanæ significans excidium. *Caput* enim significabat Urbem, & *pili* viros: ex quibus quidam *fame & peste intra civitatem interierunt*; quidam, qui cum Rege Zidkija fugerunt, *gladio ceciderunt per circuitum civitatis*; & quidam, qui effugerunt in alias regiones, ibi *gladio ceciderunt*. Ex quibus *pauci*, h. e. decem millia, qui in Babylonem abducti sunt, servati sunt in Babylone veluti *in fasciculo & vestimento inclusi*; ex quibus tamen etiam multi *igne exusti* referuntur, unà cum *Israelitis*, *in quos omnes ignis deflagravit*. Israel enim periit, & Jehuda in paucis superfuit.

5. *Ista est Jerusalem*] h. e. Visio ista significat Jerusalem, cui tanta bona feci, & posui quasi dominam *in medio Gentium*, &c.

7. *Populosiores fuistis*] Radicem verbi K. ponit המן, indè המון *turba, vulgus.* Potest etiam esse ut המן & המה idem significent, scilicet *tumultuari*; & tunc hic erit sensus, *Turbulentiores fuistis omnibus Gentibus.* ¶ *Secundùm judicia Gentium non fecistis*] i. Non tam zelosi fuistis pro cultu Dei servando sicut Gentiles sunt pro idololatria tutanda.

16. *Sagittas famis*] Hæ sagitta sunt Locustæ, Erucæ, Bruchi, & alia insecta quæ messem corrumpunt. ¶ *Famem adjiciam super vos*] Kimhi dicit intelligi retentionem pluviæ, cujus defectu fit ut omnis *baculus panis*, i. sustentatio, auferatur.

VATABLUS.

1. Tonsoriam הגלבים] Ad verb. *tonsorum.* ¶ *Et transire fac*, &c. והעברת על ׳וגו] i. Ductâ novaculâ abrade tibi pilos capitis, & barbam. ¶ *Stateram ponderis* מאזני משקל] i. Quâ utuntur in rebus ponderandis. Quidam vertunt *lances libræ.* ¶ *Et divide eos* וחלקתם] *Et partire illos.* Relativum sine antecedente: subaudiendum *pilos novaculâ decussos.*

2. *In medio civitatis* בתוך העיר] *Intra urbem*, sub. *à te in latere descriptam ac depictam.* Per *ignem* famem & pestem intelligit quibus periit pars Jerosolymitanorum durante obsidione; Per *gladium*, Sedeciam cum comitatu suo, quos persecuti sunt Chaldæi, & interfecerunt maximam partem eorum in campestribus Jericho; Per *ventilationem* autem, eos qui fugerunt in Ægyptum cum Johanan, eósque qui in alias terras dilapsi sunt; Per *paucos* verò, eos qui se receperunt in Babylonem. ¶ *Juxta adimpletionem*, &c. כמלאת ימי המצור] Hebraismus, *secundum quod adimplebuntur dies obsidionis*, h. e. toto tempore quo durabit illa obsidio.

3. *In oris* vestimenti *tui* בכנפיך] Ad verb. *in alis tuis*, i. in ora vestis tuæ.

4. *Ex eo egredietur ignis* ממנו תצא אש] Hebraismus, Ignis ille quem succendes portendet futurum excidium, sive maxima damna & detrimenta quibus afficientur Israelitæ.

5. *In medio Gentium* בתוך הגוים] q. d. Collocavi eam in loco omnium optimo, amœnissimo ac saluberrimo. ¶ *Terras* וארצות] *Regiones*, sub. *omnium aliarum Gentium.*

6. *Præ Gentibus* מן הגוים] *Plusquam Gentes.* Sic mox PRÆ TERRIS, *plusquam nationes.* ¶ *Spreverunt* מאסו] *Rejecerunt: reprobaverunt.*

7. *Multitudo vestra* fuit *præ Gentibus* המנכם מן הגוים] *Populosiores fuistis Gentibus:* nomen ab המן. Alii dicunt esse Macor sive infinitivum ab eadem radice, & vertunt, *Multiplicati estis præ Gentibus:* i. Pluribus ac majoribus beneficiis ac gratiis affecti estis à me quàm quævis gens. Alii, *turbulentiores estis Gentibus*, copiâ scilicet, ferociâ, strepitu, fremitu, luxu, fastu, opibus, &c. à verbo המה, quod *tumultuari* significat. ¶ *Non fecistis* לא עשיתם] i. Juxta mores Gentium non fecistis, quæ non mutant deos suos: aut, quæ vivunt juxta Legem, sive præscriptum Legis, quam in cordibus habent.

8. *Ecce ego ad te, etiam ego* הנני עליך גם אני] *En ego adversùm te, etiam ego.* Alii, *Ecce me tibi, ego quidem.* ¶ *Et faciam*, &c. ועשיתי ׳וגו] Hebraismus, sumam de te pœnas gravissimas, videntibus ac cernentibus Gentibus.

10. *Et ventilabo*, &c. וזריתי ׳וגו] *Et dispergam omnes reliquias tuas in omnem ventum.* Metaphora ducta à Tritico, quod exponitur vento ut repurgetur.

11. *Vivo ego* חי אני] q. d. Tam verum est id quod prædico vobis quàm verum est me esse. ¶ *Si non propterea*, &c. אם לא יען ׳וגו] Jurantis forma, *Non habear à vobis posthac Deus, nisi*, &c. ¶ *Contaminationibus tuis* שקוציך] *Abominationibus tuis.* ¶ *Abominationibus tuis* תועבותיך] *Exsecrationibus tuis*, i. idolis tuis. ¶ *Confringam* אגרע] *Exstirpaturus sum*, sub. *te:* vel, *succidam.* Alii, *subtraham*, sive *diminuam*, sub. *gloriam, honorem ac dignitatem tuam.*

12. *Et gladium*, &c. וחרב אריק אחריהם] i. Evaginato ense persequar illos, & perdam eos, etiam in regionibus illis ad quas aufugerint.

13. *Et cessabit* וכלה] *Et consummabitur, Et finietur:* i. Explebo animum meum in gentem istam, gravissimè puniendo illam. ¶ *Et consolationem accipiam* והנחמתי] i. Afficiar maximo solatio posteaquam gravissimè puniero illos. ¶ *In zelo meo* בקנאתי] *In indignatione mea.*

14. *In desertum* לחרבה] *In desolationem.* Hebraismus, quem quidam convertunt, *Reddam te desolatam.* Nam *dare* vel *ponere* frequens Hebræis in hujusmodi locutionibus pro *reddere* & *efficere.* ¶ *In oculis*, &c. לעיני כל עובר] i. Cernentibus omnibus qui per te iter facturi sunt.

15. *Et contemptus* וגדופה] *Et blasphemia.* Alii, *convitium:* ut idem repetat exaggerandi gratiâ. ¶ *Disciplinâ* מוסר] *Castigatio: correptio:* vel *castigationi*, sive *correptioni.* Alii, *exemplo:* aut *disciplinæ:* q. d. Gentes agnoscent justitiam Dei ex pœna Israelis, discéntque indè non peccare. ¶ *Locutus sum* דברתי] q. d. Et ità faciam ut locutus sum: ità decrevi, & ità eveniet.

16. *Sagittas famis* חצי הרעב] *Tela famis.* Sic vocat Robiginem, Locustas, & id genus segetum ac frugum pestes. ¶ *In destructionem* למשחית] *In vastationem.* ¶ *Congregabo* אסף] *Adjiciam: augebo:* ob penuriam scilicet pluviæ: q. d.

Cœlum

Cœlum non dabit pluviam tempore suo. ¶ *Et conteram*, &c. [ושברתי לכם וגו] Vide c. 4. 16.

17. *Et sanguis* דם] *Sanguinem* pro *cæde* ponit. ¶ *Ego Jehovah* אני יהוה] Eadem quæ paulo ante v. 15.

CASTALIO.

7. NEque finitimarum gentium consuetudines imitamini] Non obeditis Deo vestro ut illæ suis.

CLARIUS.

1. NOvaculam tonsorum] Est hæc alia Prophetica visio, civitatis Jerosolymitanæ significans excidium. *Caput* enim significabat Urbem, & *pili* viros, ex quibus quidam *fame & peste intra civitatem interierunt*; quidam, qui cum Rege Sedechia fugerunt, *gladio ceciderunt per circuitum civitatis*; & quidam, qui effugerunt in alias regiones, ibi *gladio ceciderunt*. Ex quibus *pauci* ex his qui fugerant ad Ægyptios, h. e. decem millia, qui in Babylonem abducti sunt, servati sunt in Babylone, veluti *in fasciculo & vestimento inclusi*; ex quibus tamen etiam multi *igne exusti* referuntur, unà cum *Israelitis*, *in quos omnes ignis deflagravit*. Israel enim periit, & Juda in paucis superfuit.

2. *In medio civitatis*] Intelligit urbem Jerusalem fictitiam: nam Propheta in Babylone erat. ¶ *Combures igni*] Ardori ignis famem comparat: obscuros enim & nigros facit inedia.

4. *Et ex eo egredietur ignis*] *Ex eo*, scilicet *igne* quem præcepi.

5. *In medio gentium*] A partibus enim Orientis cingitur plagâ quæ appellatur *Asia*, à partibus Occidentis Europâ, à Meridie & Austro Libyâ & Africâ, à Septentrione Scythiâ, Armeniâ, Perside & cunctis Ponti nationibus.

7. *Quia superastis Gentes*] Divitiis scilicet, multitudine, &c. Potest & intelligi, *Turbulentiores fuistis omnibus Gentibus*. ¶ *Juxta judicia Gentium*] Non estis operati juxta judicia Gentium: non enim tam æmulatores fuistis servandi cultûs Divini quàm Gentes tuendæ Idololatriæ.

9. *Quæ non feci*] Scilicet in alia gente. Etsi enim Deus Chananæos exterminavit, Ægyptios submersit, Sodomitas exussit, tamen nulli istorum fuerunt admissi ad eam Dei cognitionem ad quam filii Israel. Et plùs dolet ejectus domo filius quàm servus vel advena.

10. *Patres comedent filios*] Ad literam hoc contigisse non legimus: est ergò Metaphorica locutio, ut illud, *Qui devorant plebem meam sicuti cibum panis*. Ita durè acturos patres cum filiis signat quasi devoraturi essent, dum eos vel tradunt puniendos, vel judicibus efferunt accusatos. *Venit enim Christus separare hominem adversùs patrem suum*.

16. *Sagittas famis*] Hæ *sagittæ* sunt Locustæ, Erucæ, Bruchi, & alia insecta quæ messem corrumpunt.

LUCAS BRUG.

7. ET *juxta judicia gentium quæ in circuitu vestro sunt, estis operati*] Sic novem Hentenii, & nostra 5 manuscripta (Brug. Leod. &c.) legunt. Porrò alia nostra 22 manuscripta [Lob. E, L, Q, Pl. m. &c.] omnésque impressi libri addunt negationem, *Et juxta judicia gentium quæ in circuitu vestro sunt, non estis operati*. Quibus suffragantur Hebraica, Chaldaica & Græca, quotquot vidimus, exemplaria. Adstipulantur Tractatores, Serranus, Richelius, Carensis, Lyranus, Autor Ordinariæ Glossæ, denique Hieronymus. Videri possit dempta negatio, quòd judicatum fuerit, non argui Judæos quia Gentium judicia non sint secuti, sed potiùs quia sint secuti, Dei judiciis, quod antecedit, spretis. Nam & hinc quidam *non in vos mutavere*: sic enim tria ex scriptis nostris legunt, *Vos estis operati*: quod miror Carensem Hieronymo attribuere. Porrò autem, juxta Hieronymi enarrationem, reprehenduntur Judæi quòd non fecerint quæ Gentes, naturali lege scriptâ in cordibus suis, sæpe fecerunt. Epanorthotes docet nostram lectionem negatione additâ constare; sed tamen in Hebræo negationem non esse, nisi, ut ait, zeugmaticè repetatur, ut infrà cap. 11. ver. 11. ideóque, juxta alium transferendi modum aliámque literam, affirmando legi, *Estis operati*. Ego in codicibus Hebraicis, quoscunque videre potui, huic parti expressè additam inveni negationem; similiter in Chaldaicis & Græcis, & Vatabli ex Hebræo versione. Cæterùm in Pagnini versione, Lugduni anno 1527, item 1542 excusâ, sine negatione reperi, *Et juxta judicia gentium quæ in circuitu vestro sunt fecistis*. Rursus cap. 11. ver. 12. quo eadem penè leguntur quæ hoc versu quinti capitis, Hebraicè ac Chaldaicè negationem huic parti non additam deprehendi; quam nec Latinus Interpres, Hieronymus, eo loco dedit, qui vertit, *Sed juxta judicia gentium, quæ in circuitu vestro sunt, estis operati*.

DRUSIUS.

2. שלשית. A. Th. τὸ τρίτον, i. *tertia pars*: & sic deinceps] Vide Rom. ed.

5. זאת ירושלם בתוך וגו׳. Sym. *Hæc Jerusalem, quam in medio nationum posui, & circa eam regiones*] Nam ut ait Hieronymus, *à partibus Orientis cingitur plagâ quæ appellatur Asia; à partibus Occidentis, ejus quæ vocatur Europa; à Meridie & Austro, Libyâ & Africâ; à Septentrione Scythis, Armeniâ atque Perside, & cunctis Ponti nationibus*.

6. ותמר את־משפטי. Idem, *commutavit judicia impietatibus quas didicit à Gentibus, & justificationes meas à regionibus quæ sunt in circuitu ejus: quia legitima mea reprobaverunt, & in judiciis meis non ambulaverunt*] Ἤλλαξε τὰς κρίσεις μου εἰς ἀνομίαν ἐκ τῶν ἐθνῶν, καὶ τὰ νόμιμά μου ἐκ τῶν χωρῶν, &c. Hanc interpretationem Hieronymus laudat per hæc verba, *Quod pulcrè interpretatus est Symmachus*, Hæc, *inquiens*, Jerusalem, &c.

7. יען המנכם מן־הגוים אשר סביבותיכם. Sym. *Quia multitudo vestra fuit ex Gentibus quæ in circuitu vestro sunt*. Aquilæ secunda edit. *Eò quòd numerati estis in Gentibus quæ in circuitu vestro sunt*] Hier. *Pro eo quod nos interpretati sumus*, Quia superastis Gentes quæ in circuitu vestro sunt, *Sym. transtulit*, Quia multitudo, &c. *Aquilæ secunda ed.* Eò quòd, &c.

12. והשלשית בחרב יפלו. *& tertia pars tui gladio cadet*] Hier. *Quod posuimus*, & quarta pars tui in gladio cadet, *de Theodotionis editione sub asteriscis additum est*. Perspicuè leg. *tertia pars*, i. τὸ τρίτον. Vide suprà v. 2.

14. ולחרפה בגוים אשר סביבותיך. καὶ εἰς ὀνειδισμὸν (aliàs ὄνειδος) τοῖς κύκλῳ σου] Hier. *Quódque sequitur*, & in opprobrium Gentibus quæ in circuitu tuo sunt, *in Lxx non habetur: pro quo addiderunt de suo*, & filias tuas in circuitu tuo.

15. וגדופה. Th. δειλαίση cæteri, *blasphemia*] Hier. ET ERIS OPPROBRIUM ET BLASPHEMIA. *Pro quo in Lxx legitur*, & eris στενακτὴ, i. gemibilis: *& de Theodotione additum est* καὶ δειλαίση, *cujus verbi notitiam non habemus. Pro quo tres alii Interpretes* blasphemiam *transtulerunt, quæ in Ebraico dicitur* גדופה. Idem paulò pòst, δειλαίσην *vel* δειλαίαν *quidam* infelicem & miseram, *alii* perspicuam & expositam ad miserias *intelligi volunt*. Δειλαίση] Suspectum. In usu sunt δείλαιος & δείλακρος, non δειλαίσος quod sciam. Quæramus diligentiùs. *Tres alii*] Quomodo *tres alii*, si Th. vertit δειλαίση; An legendum *duo alii?* aut potiùs dictio *tres* expungenda? Cæterùm *blasphemiam* etiam Hieronymus interpretatur. Et in ed. Romana scriptum δηλαίσῃ aut δειλαίσῃ cum accentu in ultima, aut, ut plerique, δειλαία, i. *misera*. Vide, si placet. *Blasphemiam*] Βλασφημίαν quod in aliquo editionis vulgatæ. Reperio & δήλη παιδεία, *insignis disciplinâ*: aliàs δήλη παιδία, & δειλαία παιδεία. Nam sequitur מוסר in Ebræo.

GROTIUS.

1. SUme tibi gladium acutum] Id est, novaculam: nam omne quod abscindit Hebræis est חרב [*gladius*]. Hunc sensum exigit adjectio sequens.

Et duces per caput tuum, & per barbam tuam] Fac ut & capillos & barbæ pilos tibi attondeat. Est hic alter typus valde exactus rerum futurarum.

Et assumes tibi stateram ponderis, & divides eos] *Statera* symbolum Divinæ justitiæ, quæ cuique admetitur quod æquum est. *Novacula* est, ultio Divina; *Statera*, æquitas ejus; *Pili* sunt Judæi; *divisio*, pœnæ cuique attributæ.

2. *Tertiam partem igni combures in medio civitatis, juxta completionem dierum obsidionis*] Lxx Senes hic quatuor partes faciunt, ac ob id cum Hebræo, quod quidem nos nunc habemus, multis partibus non congruunt. Monstrat id codicum antiquiorum in rebus nihil ad pietatis summam spectantibus discrepantiam. Nos Hebræum Masoriticum sequemur. *Ignis* hoc loco iram Divinam significat variis modis efficacem, & hic maximè per *pestem* & *famem*, ut infra hæc verba explicantur 12. Nam & pestis urit, & fames urit. *In medio civitatis*: id est, facies hoc in ipsa illa formula urbis, quam tibi de argilla fecisti. *Juxta completionem dierum obsidionis*: id est, significabit hoc id quod futurum est quamdiu durabit obsidio.

Et assumes tertiam partem, & concides gladio in circuitu ejus]

ejus] Eos designat qui ex urbe in castra eruptiones faciebant. Vide infrà 12.

Tertiam verò aliam disperges in ventum] Id est, tertia pars propelletur in exsilium; ut paleæ quæ à vento disperguntur.

Et gladium nudabo post eos] Id est, efficiam ut in perpetuo sint metu, expositi omnium violentiæ & injuriis. Vide infrà 12.

3. *Et sumes inde parvum numerum, & ligabis eos in summitate pallii tui*] Hic illi designantur qui permissu Nabuzardanis pauci admodum in Judæa mansêre. *Ora* istæ *pallii* significant ultimum illud quò Dei bonitas extendere se poterat, valde tamen ab illis ipsis reliquiis contempta, maximo ipsarum malo. Parvum sit oportet quod in laciniis colligitur.

4. *Et ex eis rursum tolles, & projicies eos in medio ignis, & combures eos igni: & ex eo egredietur ignis in omnem domum Israël*] *Ignis* est ira divina, ut modò diximus, & multis aliis in locis apparet. Ea autem ira se exseruit in illas exiguas Judæorum in Judæa reliquias per bellum quoddam inter ipsos civile, aliis Godoliæ, viri boni & Chaldæis amici, aliis Ismaëlis, hominis scelerati, sed ex regio Davidis sanguine, partes sequentibus. Qui motus Chaldæis occasionem præbuêre auferendi è Judæa etiam minimum quemque, nec quemquam relinquendi, ut nè ulla essent rerum novarum semina. Vide Jerem. LII. 30.

5. *Hæc dicit Dominus Deus*] Explicatio figuræ antecedentis.

Ista est Jerusalem] Isti pili Hierosolymitas præcipuè significant.

In medio Gentium posui eam, & in circuitu ejus terras] Nempe ut exemplum indè sibi sumerent pietatis Ægyptii, Syri, Arabes, Afri, Græci, atque ità gradatim alii.

6. *Et contemsit judicia mea, ut plus esset impia quàm Gentes*] משפטים [*judicia*] sunt hîc *ea qua ad mores emendandos pertinent.* Gentes autem, inquit, ipsis sunt moratiores. Magna & justa exprobratio.

Et præcepta mea ultrà quàm terræ quæ in circuitu ejus sunt] חקים [*præcepta*] sunt *ritualia.* Gentes ritus suos ab hominibus inventos meliùs retinent quàm isti datos Divinitus.

7. *Et juxta judicia Gentium, quæ in circuitu vestro sunt, non estis operati*] Nè illam quidem mensuram implestis gentium moratiorum. A quibus quàm multa laudanda hausit Pythagoras, & in Græciam attulit.

8. *Ecce ego ad te*] *Venio*; ut antehac aliquoties.

Ipse ego faciam in medio tui judicia in oculis Gentium] Ego leges meas à contemtu vindicabo, ut solent facere magni Reges. Cur patiar ut dicatur, Ecce illi qui soli verum Deum se colere profitentur quomodo vivunt?

9. *Et faciam in te quod non feci, & quibus similia ultrà non faciam*] Æquum est puniri graviùs quibus majora contigerunt beneficia. Vide Lucam XII. 48.

Propter omnes abominationes tuas] Scelera gravissima, quæ passim accusant Prophetæ.

10. *Ideo patres comedent filios in medio tui, & filii comedent patres suos*] In gravi fame vix est ut non talia eveniant. Vide Deuter. XXVIII. 53. Thren. II. 20. IV. 10. Adde II Regum VI. 28. & Josephum Belli Judaïci VII. 8.

Et ventilabo universas reliquias tuas in omnem ventum] Id est, dispergam; ut suprà 2. & alibi sæpe.

11. *Quod sanctum meum violasti in omnibus offensionibus tuis, & in cunctis abominationibus tuis*] *Sanctum*, sive *sanctuarium* est Templum. Idem autem valent שקוץ [*abominatio*] & תועבה [*detestatio*]. Utrâque enim voce idola aut idololatria significantur; sed amant Hebræi in rebus eximiis ταυτολογεῖν [*idem sæpius eloqui*].

Ego quoque confringam] In Hebræo, *Diminuam*. Id est, honorem tibi omnem detraham, ut tu mihi, quantum in te erat, detraxisti.

12. *Tertia pars tui in peste morietur*] Explicatio ejus quod de pilis fieri Deus jusserat.

13. *Requiescere faciam indignationem meam in eis*] Id est, fatiabo. Vide Esaiæ I. 24.

15. *Et eris opprobrium & blasphemia*] Maledicent tibi omnes.

16. *Sagittas famis*] Grandinem, imbres, mures, uredinem, rubiginem, locustas.

Conteram in vobis baculum panis] Suprà IV. 16.

17. *Et bestias pessimas*] Ut solet fieri in locis vastatis. Levitici XXVI. 22.

Usque ad internecionem] In Hebræo, *Ut te orbam faciant.*

Sanguis] Cædes ab hoste.

Transibunt per te] Invadent te.

Et gladium inducam super te] Bella civilia.

CAP. VI.

MUNSTERUS.

4, 6, 8. **S***imulacra vestra*] Venit חמנים ab חמה, quòd Soli ea dedicata essent simulacra. Alii putant sic dicta ab *incalescendo*, quòd solatia essent amoris eorum qui colebant ea. ¶ Porrò verbum נשבר capitur hoc loco pro שכבו. ¶ Et כהרוחכם infinitivus est passivæ vocis.

9. *Quòd fractus fuerim*] Quidam post Chaldæum interpretem interpretantur hic נשברתי pro שברתי *confregi* in activa voce. Kimhi verò Grammaticam probat lectionem, ut sit idem sensus qui & in Genesi invenitur in verbo ויתעצב *& dolore tactus est Deus*, &c. ¶ *Cor meretricans* vocat quod ad peccata propensum est, præsertim idololatriæ.

11. *Percute manu tua*] i. *Percute tanquam mœrore plenus manum super femur, & pedem super terram*, sicut Jonathan habet. Hebraica tamen habent, *Fac distensionem cum pede tuo.* Est enim quorundam mos ut turbati pedem unum à se abjiciant.

14. *Diblath*] Monet hic R. David, scribendum quidem *Diblath*, sed legendum *Riblath*. Est autem locus ubi mansit Nebuchadnezar cùm exercitus ejus oppugnaret Jerusalem.

VATABLUS.

2. **P***One faciem tuam* שים פניך] Hebraismus, *Converte te ad*, &c.

3. *Torrentibus* לאפיקים] *Decursibus aquarum fortium*; *rivis impetuosis.* ¶ *Adduco* מביא] *Venire facio.* Præs. Heb. pro fut. *inducam*, vel *inducturus sum.*

4. *Et desolabuntur* ונשמו] *Et devastabuntur.* ¶ *Simulacra vestra Solis* חמניכם] Hæc vox ab חמה *Sole* derivatur, quòd ea simulacra Soli essent dedicata. Alii existimant sic dicta ab *incalescendo*, quòd solatia essent amoris eorum qui colebant ea. Verti posset *solaria vestra*, à *Sole*, in honorem Solis ædificata. ¶ *Et cadere faciam* והפלתי] *Et prosternam*; i. efficiam ut loca in quibus nunc colunt idola, polluantur suis ipsorum cadaveribus.

6. *In cunctis habitationibus vestris* בכל מושבותיכם] i. In tota regione vestra. *Deserta erunt* תחרבנה] *Vastabuntur*; *desolabuntur.* ¶ *Ità ut desolentur* למען יחרבו] *Propterea desolabuntur, & vastabuntur*, i. peribunt. ¶ *Et cessabunt* ונשבתו] *Et abolebuntur.* ¶ *Simulacra vestra Solis* חמניכם] Eadem dictio quæ ver. 4.

7. *Et cadet interfectus* ונפל חלל] *Et corruet saucius*; *vulneratus.*

8. *Et reliquum*, &c. והותרתי וגו'] *Residuum tamen* aliquid *faciam ex vobis qui evadant*, &c. i. relinquam tamen ex vobis aliquot inter Gentes, qui effugerint gladium.

9. *Contrivi me* נשברתי] *Fractus fuerim*, i. dolore affectus fuerim. ¶ *Declinavit* סר] *Recessit*; *defecit.* ¶ *Et succidentur*, &c. ונקטו בפניהם] *Et excidentur coram illis.* Alii, *& nauseâ afficientur in faciebus suis.* Alii, *pudore & mœstitiâ afficientur in faciebus suis.*

10. *Locutus sim* דברתי] i. Prædixi me immissurum illis hanc calamitatem.

11. Femur] Subaudire potes *manum alteram:* in signum scilicet mœroris ac tristitiæ: i. Plaude manibus, ut solent irati in malis inopinatis. ¶ *Et extende pede tuo* ורקע ברגלך] *Et calca pede tuo*; extendendo scilicet pulverem sive lutum quod est sub pede tuo: cùm enim aliquis pede terram percutit, velut extendit & expandit terram sub pedibus, ut solent ii quibus subitò accidit quidpiam mali. ¶ *Propter omnes abominationes malorum* אל כל תועבות רעות] Hebraismus, *super omnia mala abominanda quæ committunt Israelitæ.* ¶ *Quia* אשר] *Qui.*

12. *Et obsessus* והנצור] *Et servatus*; vel *custoditus*, aut *clausus*, sub. *in urbe, tempore obsidionis.* ¶ *Complebóque* וכליתי] *Explebóque*; *consumámque.*

13. *Et scietis* וידעתם] Secunda pers. pro tertia, *& scient.* ¶ *Viridi* רענן] *Frondosâ*; *ramosâ*; *densâ.* ¶ *Quercu* אלה] Propriè significat arborem quam quidam interpretantur *quercum*, vel *terebinthum.* Alii, *castaneam*, vel *ulmum.* ¶ *Frondosâ* עבותה] *Densâ*; *perplexâ*; intricatos sive perplexos habente ramos. ¶ In *loco ubi dederunt* מקום אשר נתנו שם] Ad verb. *loco in quo dederunt ibi.* Vacat *ibi.* Quidam vertunt, *Qui est locus in quo*, &c. ¶ *Suavissimum* ניחח] Ad verb. *quietis*, i. gratissimum ac suavissimum; quòd soleamus quiescere in rebus suavibus ac nobis gratis.

14. *Et*

14. *Et dabo* ונתתי] *Et ponam*, i. reddam. Sic c. 5. 14. ¶ *Et desertam* ושממה] *Et vastam.* ¶ *Usque Diblath* דבלתה] Hebraicè legitur דבלתה pro אל דבלת *in Diblath*, sive *usque Diblath*: nam ה in fine nominum Milel ponitur loco אל vel ל in principio, quod significat *in*, *ad*, *usque*. Quidam Hebræorum existimant eundem esse locum de quo in Jeremia 39. 5. *In Reblath, quæ est in terra Hemath*: & ob viciniam, imò similitudinem ד & ר Hebraicarum literarum, quæ parvo apice distinguuntur, vel *Diblath* vel *Reblath* appellari. Quidam vertunt, *& desertam plusquam desertum Diblath*.

CLARIUS.

3. *Montibus & collibus, rupibus & vallibus*] Quibus in locis idololatriæ operam dederant.

11. *Percute manu tuâ, & allide pedem tuum*] Vult magnitudinem peccatorum & suppliciorum Gentibus indicare, qui indignationem & ingentem anxietatem ostendunt. Complodunt enim manus ex inopinato attoniti, aut manibus femur feriunt; & perterrefacti pedibus se fortiter sustinent, ac divaricant crura quasi terram intra pedes essent in latum distracturi, aut pede fortiter complodunt terram, quo impetu ceu diffunditur substratum solum.

14. *A deserta Deblatha in omnibus habitationibus eorum*] Quæ est in terra Emath, quæ hodie vocatur *Epiphania Syriæ*, ut ait Hieronymus. Est autem locus ubi mansit Nabuchodonosor cùm exercitus ejus oppugnaret Jerusalem.

DRUSIUS.

5. ונתתי את־פגרי בני ישראל לפני גלוליהם. καὶ δώσω τὰ πτώματα τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ κατὰ πρόσωπον τῶν εἰδώλων αὐτῶν] Lege ex Hieronymo ὑμῶν. Hier. *Hoc quod nos posuimus*, & dabo cadavera filiorum Israel ante faciem simulacrorum vestrorum, *in Lxx non habetur*.

6. ונמחו מעשיכם. καὶ ἐξαλειφθῶσι τὰ ἔργα ὑμῶν, *& delebuntur opera vestra*] Hier. *Multa de hoc capitulo à Lxx prætermissa sunt, illudque mutatum*, juravi cordi eorum fornicanti, *pro quo nos posuimus*, contrivi cor eorum fornicans. Locus est v. 9. אשר נשברתי את לבם הזונה. Sed Græci videntur legisse נשבעתי, i. *juravi*.

11. אח. A. Ἆ ἆ. Sym. Σχετλίασον. Th. Εὖγε. Hier. *Heu*] Idem in Comment. *Quod ostenditur verbo* Heu; *pro quo Aq. interpretatus est* Ἆ ἆ, *Sym.* Σχετλίασον, *quod significat* Lamentare *vel* Plange, *Lxx & Th.* Εὖγε, *quod magis Insultantis est quàm Plangentis.* Origenes, τὸ, καὶ εἶπον, εὖγε, παραφράζων ὁ Σύμμαχος πεποίηκε, καὶ σχετλίασον.

13. בכל ראשי ההרים. καὶ ἐν πάσαις κορυφαῖς τῶν ὀρέων. ¶ ותחת כל־אלה עבתה. καὶ ὑποκάτω πάσης δρυὸς δασείας] Hier. *Id quod nos interpretati sumus* in cunctis summitatibus montium. *Et post paululum*, & subter universam quercum frondosam, *Lxx reliquerunt*.

GROTIUS.

2. *Pone faciem tuam ad montes Israel*] Faciem verte in eam partem ubi sita est Judæa: in qua sunt montes plurimi, Exod. xv. 17. Deuteron. xi. 11.

Et prophetabis ad eos] Alloquere eos: προσωποποιΐα [*personæ fictio*] non dissimilis illi, *Vos Albani tumuli atque luci.*

3. *Rupibus & vallibus*] In Hebræo, *rivis & vallibus*. Idololatris inter numina etiam fontes.

4. *Dejiciam interfectos vestros ante idola vestra*] Hoc faciet Chaldæus quod apud Virgilium Pyrrhus:

Natum ante ora patris, patrem qui obtruncat ad aras.

7. *Et cadet interfectus in medio vestri*] Enallage numeri. Ideo pluralem hîc posuêre tum Chaldæus, tum Græci.

8. *Et relinquam in vobis eos qui fugerint gladium in Gentibus, cùm dispersero vos in terris*] *Faciam ut quidam superstint evadendo gladium Gentium, quos in varias terras dispergam.*

9. *Et recordabuntur mei liberati vestri in Gentibus*] Illi qui gladium evaserint.

Quia contrivi cor eorum fornicans] *Me fractum fuisse* (id est, dolore affectum) *corde eorum meretricio.* At Lxx non נשברתי [*fractus sum*] legerunt, sed נשבעתי ὀμώμοκα [*juravi*]. Chaldæus autem Niphal sumit pro Pohal, *confringam cor eorum insipiens.*

Oculos eorum fornicantes post idola sua] Capiuntur enim specie & cultu idolorum, ut Paridis Helena.

10. *Et scient quia ego Dominus non frustra locutus sum*] Id est, non sine gravi causa decrevi hæc mala ipsis inferre.

11. *Percute manum tuam, & allide pedem tuum*] Id est, manum tuam extende versùs Judæam, tanquam percussurus, & terræ pulverem pede discute, ut figures quod ego facturus sum. Hunc sensum exigunt quæ mox sequentur 14.

12. *Qui longè est*] Nempe ab hoste, ut sequentia indicant.

Et qui relictus fuerit, & obsessus] Meliùs, *Qui relictus fuerit, & servatus*: nam נצר inter alia est *servare*. *Qui relictus fuerit* à peste, *& servatus* à gladio, *fame interibit*.

Complebo indignationem meam in eis] Ut suprà v. 13.

14. *Faciam terram desolatam, & destitutam à deserto Deblatha*] Hieronymus suspicatur irrepsisse ד pro ר, & scriptum olim fuisse רבלתה, ut sit eadem *Reblatha* cujus meminit Jeremias xxxix. At receptæ lectioni favent Chaldæus & Græci, videntúrque mihi optimè quidam interpretes vertere: *Faciam terram* (Judæam) *desolatiorem & vastiorem Deblatha*, quod est desertum Moabiticum, cujus mentio Numer. xxxiii. 47. Jerem. xlviii. 22. Est pars deserti illius horribilis, cujus meminit Moses Deuteronomii viii. 15.

Et scient quia ego Dominus] Ut norint me esse constantem in dictis meis præstandis.

CAP. VII.

MUNSTERUS.

2. *Venit finis super quatuor plagas terræ*] i. Desolabitur universa terra Israel, ut nec homines nec pecora in ea habitent, neque fructus & frumentum producat.

7. *Non erit clamor montium*] h. e. Tumultus ille erit horribilis, & non erit res inanis, sicut est vox & clamor montium resonantium ex clamore hominis. Jonathan tamen sic vertit, *non erit salvatio in refugiis montium.*

10. *Floruit baculus*] Quo scilicet percutiendi erant. Et hic erat Nebuchadnæzar, qui & *superbia* hic vocatur.

11. *Vis injuria*] Refertur ad Judæos, qui cùm impii essent in Deum & proximum, *surrexit hæc violentia & impietas in baculum* cum quo percutiendi erant. ¶ *Aliquis ex eis*] h. e. Ex semine eorum.

12. *Ut emens non lætetur*] Quòd scilicet re emptâ diu frui non possit. Sed nec vendens lætari perhibetur, nempe ad quem venditum prædium redire in jubilæo spes non esset.

13. *Adhuc in viventibus vita eorum*] Licèt, inquit, quidam supervicturi sint, nihil tamen eis proderit, sive vendiderint sive emerint possessiones, cùm in captivitatem migraturi sint. Et horum omnium subjicitur ratio, Quia cùm monerentur à Prophetis, nemo erat qui eos audiret & se converteret, quísque pro virili sua animam suam ab iniquitate sua erueret.

16. *Sicut columbæ convallium*] *Sicut columba*, inquit, congregantur *in vallibus* magis quàm in montibus, gemitum habentes pro cantu, sic illi tristes fugient *ad montes*, flentes & *plangentes* ibi, *unusquisque propter iniquitatem suam. Dissolventur manus* eorum, & *vacillabunt genua* eorum *sicut aqua*, deficiente scilicet virtute subsistendi. Vel, præ metu urinam continere non poterunt: quod magis Hebraismus habere videtur.

19. *Offendiculum iniquitatis eorum fuit*] i. Pecunia & pecuniæ sitis duxit eos ad hoc offendiculum, eò quòd in ipsam posuerunt fiduciam suam, obliviscentes Dei, & à proximo per fas & nefas extorquentes impium lucrum. Et in summo positi discrimine, justo Dei judicio per pecuniam liberari non poterunt.

20. *Elegans ornamentum suum*] Hebræi exponunt *ornamentum* illud pro Templo, & צפון *arcanum* accipiunt pro דביר *Sancto sanctorum*, in quo Arca continebatur, & nemini licitum fuit illuc venire nisi summo Sacerdoti: Sed avertente Deo faciem, etiam grassatores ingressi sunt & violarunt illud.

23. *Fac catenam*] Signatur per hoc eos vinculis constringendos & abducendos, quòd innoxium effuderunt sanguinem, & vim faciebant impotentioribus. Alii interpretantur *conclusionem*, ut sit sensus, *Collige omnia in brevem summam.*

26. *Inquirent visionem*] In summo positi discrimine currere volunt ad *Prophetas & Sacerdotes*, ut legem Domini ex eis requirant, & ad *Seniores* pro *consilio* captando anxii confugere satagunt, quos priùs audire nolebant: atque ideo non est apud quem inveniant consolationem. Periculosa igitur est sera pœnitentia.

VATABLUS.

2. *Finis* קץ] Subaudi ex v. 6. *venit*, vel *imminet*.

3. *Et judicabo*, &c. ושפטתיך כדרכיך] Hebraismus, pro,

pro, *animadvertam in te pro ratione scelerum tuorum*, sive *juxta scelera tua abominanda*; ut mox in sequentibus declarat. ¶ *Ponámque*, &c. 'ונתתי עליך וגו] Hebraismus, pro *afficiam pœnis quas merentur omnes abominationes tuæ*. Idem significat, *judicabo te juxta vias tuas*, &c, *ponam super te omnes abominationes tuas*, sive, ut seq. versu habetur, *vias tuas ponam super te*, i. affligam te pro ratione scelerum tuorum.

4. *In medio tui erunt* בתוכך תהיין] *In te erunt*. Hebraismus, Affligam te pro meritis, & pœna debita sceleribus tuis erit in te.

5. *Unum* אחת] i. Malum eximium & singulare, quale antea non fuit, nec erit. Sic suprà 5. 9. *Et faciam in te quod non feci, neque facturus sum simile ultrà, propter*, &c. Quædam exemplaria legunt אחר *alterum*, *aliud*, & ità legisse videtur Chaldæus P. cùm vertit, *Multa mala tibi advenient*. Sic etiam quidam vertunt, *Malum post malum venit*, vel, *Calamitas calamitatem excipit*.

6. *Evigilavit* הקץ] *Expergefacta est*, sub. *afflictio*: i. rupto somno venit. Alii, *finem attulit* [vel *fecit*] *tibi*: aut, *finem imposuit tibi*, sub. *Deus*. Videtur esse battologia, sed tamen multùm necessaria est, ut magis commoveat populum ad resipiscentiam, útque avocet à cultu idolorum.

7. *Matutina* הצפירה] *Matutinam sententiam Dei* vocat brevi venturam in perniciem eorum. Theodotio vertit, *Ordo contextúsque malorum*. Aquila, *contemplatio & prospectio*. Quidam Hebræorum, *succisio*. Alii, *causa*: q. d. In causa est Deus ut veniat contra te inimicus. Alii, *corona* sive *diadema*. Unde Chal. *Venit regnum ad te*, i. imperator Nabuchodonosor: & ita deducit à צפירה pro *cidari* sive *corona*. Alii, *venit mané*. Alii, *venit excidium tuum mané*. Hieronymus, *Contractio*, exponens *contractam esse diem & abbreviatam*. ¶ *Occisionis* מהומה] *Clamoris*. Alii, *fractionis*: *calamitatis*. Symmachus, *festinationis*. Theodotio, *famis*. ¶ *Echo* הד] *Resonantia*: *repercussio*: q. d. Instat clamor, & tumultus verus, non autem fictus, ut qui editur repercussu loci concavi. Alii, *celeusma*, i. vox lætitiæ quam referunt montes vitiferi clamantibus vindemiatoribus: q. d. Exaudietur vox tristitiæ, non lætitiæ. Qui verterunt *gloriæ*, putaverunt הד esse ab הוד, quod *gloriam* significat.

8. *E proximo effundam* מקרוב אשפוך] *In propinquo est* [vel, *propè est*] *ut effundam*. Alii, *brevi effundam*. ¶ *Et judicabo*, &c. 'ושפטתיך וגו] Vide eadem v. 3.

9. *Et non parcet*, &c. 'ולא תחוס וגו] Eadem dixit v. 4.

10. *Egressa est matutina sententia* יצאה הצפירה] *Progressum est mané*. Eadem dictio quæ v. 7. ¶ *Virga* המטה] *Baculus*: *flagellum*, sub. *quod immittam*: q. d. Jam adest afflictio quam toties interminatus sum per Nabuchodonosor. ¶ *Germinavit superbia* פרח הזדון] *Floruit superbia*: vel, vir *superbiæ*, i. superbus: nempe Nabuchodonosor, qui jam accepit summum imperium, & est in magna autoritate, qui jam se apparavit, ut te oppugnet.

11. *Iniquitas surrexit* החמס קם] *Violentia excrevit*. Alii, *Afflictio*, [vel *oppressio*] *evasit*, i. Fuit causa flagelli quo percutientur impii: q. d. Iniquitas Israëlis excitavit illud flagellum quo percutiet illos Deus. ¶ *Neque ex eorum semine* לא מהמהם] *Neque* aliquis *ex ipsis*, i. de iis qui ad eos pertinent, non afflictus. Hebræi exponunt מהמהם pro מהם *ex ipsis*; dicúntque מ & ה geminari acsi dixisset bis מהם *ex eis ipsis*: q. d. Nihil prorsus ex eis remanebit. Alii deducunt ab המה *tumultum & strepitum facere*, & vertunt *de strepitu eorum*, i. de re super quam homo se conturbat & tumultuatur, h. e. de filiis. Unde Chald. *ex filiis eorum*. Alii, *ex multitudine*, vel *cœtu eorum*. ¶ *Lamentum in eis* נהּ בהם] *Luctus ex eis*, vel *propter eos*, i. propter multitudinem angustiarum viventes non flebunt super mortuos, ut Jeremias dixit 25. 33. *Non plangentur*, *neque sepelientur*.

12. *Adest dies* הגיע היום] *Attigit dies*, sub. *afflictionis*: vel *venit*. ¶ *Populum ejus* המונה] Sub. *regionis*.

13. *Non revertetur* לא ישוב] Sub. *in anno jubilei*: quia in alienam terram transmigrabunt. q. d. Omnes sunt abducendi; ob id non fruentur Legis privilegio quæ Levit. 25. 13. scribitur. ¶ *Etiamsi in vita*, &c. ועוד בחיים חיתם] Ad verb. *& adhuc in viventibus vita eorum*. Pro quo Latinè quidem, *etiamsi adhuc vivi superessent*. ¶ *Visio enim ad omnem*, &c. 'כי חזון וגו] *Nam prophetia fiet super universum populum* [sive *turbam & vulgum*] *ejus*, *& tamen non resipiscet*. Prophetæ enim conabantur revocare populum à sceleribus suis ad resipiscentiam. Alii, *Quoniam cum visio esset ad universum vulgum ejus*, *nemo revertebatur*. Alii, *Quoniam visio super omnem opulentiam ejus non revertetur*, i. quod minatur Prophetia ex revelatione Dei, quòd opulentia eorum sit perdenda, non redibit vacua, non erit inanis, sed perficietur: non erunt verba duntaxat, sed res sequetur: nec erit ut quisquam putet se vitam suam tueri posse opibus aut iniquitate. ¶ *Et uniuscujusque*, &c. 'ואיש בעונו וגו] Ad verb. *Et unusquisque in iniquitate sua vitæ suæ* [vel *animæ suæ*] *non confortabuntur*. Latinè, *Sed uniuscujusque anima in iniquitate sua demersa erit*; *non roborabunt se*, sub. *ut revertantur ad rectitudinem*: q. d. Singuli pertinaciter retinebunt sua, nec dabunt operam (id significat *roborare se*) ut resipiscant. Alii vertunt, *Neque ullus propter iniquitatem suam pro anima sua se roborabit*.

14. *Clangite* תקעו] Præt. Heb. *Clanxerunt*. Alii, *Clangant*. Alii, *Clangunt tubâ ut præparentur omnia*, sub. *ad certamen*. Quidam Hebræorum scribunt quòd *tubâ clangebant ut fugarent eos qui erant extra civitatem ipsam*, *ut sic præpararent omnia quæ erant in agro*, *& conveherent in medium civitatis*.

16. *Evasores eorum* פליטיהם] *Qui evaserint ex eis*, aut *salvati fuerint*. Alii, *qui reliqui facti fuerint ex eis*, evadentes scilicet, *erunt in*, &c. Hebraismus, pro, *evadent ex eis aliquot*, *sed pauci*. ¶ *Gementes* הומות] Ad verb. *sonantes*, vel *resonantes*.

17. *Debilitabuntur* תרפינה] *Dissolventur*: *infirmabuntur*: *flaccescent*, i. imbelles erunt, ut pugnare non possint neque consistere præ metu. ¶ *Ibunt* תלכנה] *Fluent*: *diffluent*. Alii, *vertentur in aquam*, i. præ sudore videbuntur resolvi in aquam: timor enim sudorem elicit. Liquefient, ut non sit in eis fortitudo præ terroris multitudine.

18. *Formido* פלצות] *Tremor*: *terror*. ¶ *Calvitium* קרחה] i. Præ mœrore curabunt omnes radenda sua capita.

19. *Elongabitur* לנדה] Ad verb. *in elongationem*: i. abjicient à se, ut expeditiùs fugiant. Alii, *in abjectionem*. Alii, *in sterquilinium*, vel *in immunditiem*, & propriè *menstruatæ*. ¶ *Animam suam* נפשם] Pro *appetitu* posuit *animam*. ¶ *Et ventres suos* ומעיהם] *Et viscera sua*. ¶ *Ruina hæc*, &c. 'מכשול וגו] Ad verb. *scandalum iniquitatis eorum fuit*, vel *erit*. *Scandalum* vocat id in quod impingent, i. ruinam: q. d. Incident in talem calamitatem propter iniquitates suas.

20. *Et gloriam*, &c. 'וצבי עדיו וגו] i. Domum Sanctuarii, sive Templum, quod erat gloria decoris gloriæ Dei, & quo ornabatur tanquam sponsa pretiosis vestibus ac monilibus suis, propter quod superbiebant & extollebant se. Alii vertunt, *Et gloriam ornamenti sui in superbiam* [vel *decus eximium*] *posuerat* Deus *eis*: i. Dederat illis Deus Templum pulcerrimum & celeberrimum, de quo ipsi gloriabantur, & tamen contaminaverunt. Alii, *Et pulcritudinem ornamenti sui ad superbiam convertit*. Alii, *Et elegans ornamentum suum*, *quod* Deus *posuerat in magnificentiam*, *ipsi fecerunt in eo abominationes suas pro idolis suis*. ¶ *Idolorum suorum* שקוציהם] *Spurcitiarum suarum*. ¶ *In elongationem* לנדה] i. Abducam eos longiùs à meo Templo. Alii, *in abjectionem*. Alii, *in disjectionem*, i. disjeci illos, & abstuli illis Templum. Alii, *in immunditiam*.

21. *Et dabo eam* ונתתיו] *Et tradidi eam*, nempe *gloriam*, h. e. Templum, habitationem sive domum.

22. *Adytum meum* את צפוני] *Arcanum meum*: *abditum*: *absconditum*: sive *reconditum*. Significat locum secretiorem in Templo, i. Oraculum, sive Sanctum sanctorum. ¶ *In illam* בה] Sub. *civitatem*. Aut, *in illud*, sub. *adytum*, *& polluent illud*. Pronomen femineum est Hebraicè. ¶ *Diruentes* פריצים] *Destructores*: *dissipatores*: *latrones*: *corruptores*: *nebulones*.

23. *Catenam* הרתוק] Admonent Hebræi, significari quòd *catenis ferreis colligati*, *à Chaldæis abducendi essent in captivitatem*. Hieronymus secutus Aquilam vertit *conclusionem*; ut sit sensus, *Collige omnia in brevem summam*. ¶ *Judicio sanguinum* משפט דמים] Hebraismus, pro *peccatis quæ morte sunt digna*. ¶ *Iniquitate* חמס] *Rapinâ*: *violentiâ*.

24. *Et possidebunt* וירשו] *Et hæreditabunt*. ¶ *Superbiam fortium* גאון עזים] *Magnificentiam potentium*. ¶ *Sanctuaria eorum* מקדשיהם] i. Templum; sic dictum quòd esset divisum in tres partes, ut dictum est Psal. 68. 36. & Jer. 51. 51.

25. *Excisio* קפדה] *Succisio*. *Exterminium*. i. Brevi ventura est succisio.

26. *Contritio super contritionem* הוה על הוה] *Calamitas post calamitatem*. q. d. Crebræ contritiones & calamitates venturæ sunt super populum. Vox Hebræa significat *contritionem*, *accidens*, sive *eventum malum*. ¶ *Et auditus super auditum* ושמועה אל שמועה] *Rumor post rumorem*: i. Crebri rumores spargentur de adventu hostis. Hebraismus. ¶ *Visionem* חזון] i. Prophetiam, sub. *de salute sua*. Interrogabunt quomodo possint evadere.

27. Luge.

27. *Lugebit* יתאבל] *Mœrore se conficiet.* Alii, *sumet planctum.* ¶ *Induetur desolatione* ילבש שממה] *Induetur stupore.* Hebraiſmus, obſtupeſcet, & ſpe deſtituetur. ¶ *Et manus* וידי] *Et vires: virtutes: conſilia.* ¶ *Et judiciis eorum* ובמשפטים] Hebraiſmus, i. pro ratione delictorum pro quibus morte digni ſunt.

CASTALIO.

3. JAM *tibi adeſt finis, téque ego, laxatâ in te irâ meâ, ut merita es, puniam, tibique tua tot flagitia rependam*] Regionem alloquitur.

7. *Non montani ſonitûs*] Vani rumoris, qualis eſt echo.

10. *Floret virga*] Quâ verberabimini. ¶ *Pullulat ſuperbia*] Veſtra.

11. *Aſſurgit injuſtitia in virgam impietatis*] Injuſtitia iſta in cauſa erit ut impietas veſtra Divina virgâ puniatur.

18. *In capite glabretum gerent*] Glabrabantur & tondebantur in luctu capita.

20. *Nobili ſuo ornamento in ſublimi poſito*] Fano.

CLARIUS.

2. FInis venit] In hoc capite oſtendit prædicta mala ſtatim eventura, ne impii lactent ſeipſos vanâ ſpe, quaſi adhuc longè abſit tempus pœnæ. ¶ *Super quatuor plagas terræ*] i. Deſolabitur univerſa terra Iſrael, ut nec homines nec pecora in ea habitent, neque fructus & frumentum producat.

5. *Una afflictio*] i. Maxima, cui nulla alia ſimilis. Hæc autem tam crebra repetitio ejuſdem rei, quæ ferè decies inculcatur, non eſt putanda βαττολογία, ubi tanta neceſſitas admonendi tantúſque contemptus rerum meliorum.

6. *Venit finis*] Quinto anno Sedechiæ Ezechiel in Babylone cœpit prophetare captivis: nono anno Nabuchodonoſor obſidione cinxit Jeruſalem, quam undecimo cepit.

7. *Et non voces montium*] i. Tumultus ille erit horribilis, & non erit res inanis, ſicut eſt vox & clamor montium reſonantium ex clamore hominis.

10. *Egreſſa eſt frondatio*] Alii verterunt, *Venit manè*, h. e. ſententia in te dicta. Alius, *egreſſa eſt ſententia.* Nos virum quendam eruditum imitati alluſimus ad id quod ſequitur, videlicet, *floruit*, & *germinavit.* ¶ *Floruit virga*] Quâ ſcilicet percutiendi erant. Et hic erat Nabuchodonoſor, qui & *ſuperbia* hic vocatur.

11. *Iniquitas excrevit in virgam impietatis*] Refertur ad Judæos, qui cùm impii eſſent in Deum & proximum, *excrevit hæc violentia & impietas in baculum*, quo percutiendi erant.

13. *Ad id quod vendidit non revertetur*] Sicut fieri ſolet in Jubilæo. ¶ *Adhuc in viventibus vita eorum*] Licèt, inquit, quidam ſupervicturi ſint, nihil tamen eis proderit, ſive vendiderint ſive emerint poſſeſſiones, cùm in captivitatem migraturi ſint. Et horum omnium ſubjicitur ratio, quia cùm monerentur à Prophetis, nemo erat qui eos audiret, & ſe converteret, quique pro virili ſua animam ſuam ab iniquitate ſua erueret. Nam quidam vertit quod ſequitur in hunc modum, *Quoniam cùm viſio eſſet ad omnem multitudinem ejus, nemo revertebatur, neque ullus propter iniquitatem ſuam pro anima ſua ſe roborabat.* Sin legis ut noſtra habent, erit ſenſus, Viſio portendit totius multitudinis confuſionem, ut in integrum reſtitui non poſſit ſors hereditatum ut fuerat; neque viſio irrita eſſe poterit, & quiſque iniquitate ſuâ deprimetur.

14. *Et non ſit*] i. Nihil proderit imperaſſe ut ſe præparent, cùm non ſit futurus qui prodire audeat.

16. *Et erunt in montibus quaſi columbæ*] Ii ſcilicet *qui fugerint ex eis. Et ſi ſalvi*, inquit, *aliquot elapſi fuerint ex eis, illi ipſi ſicut columbæ congregantur in vallibus* magìs quàm in montibus, gemitum habentes pro cantu, ſic triſtes fugient ad montes, flentes & plangentes ibi, *unuſquiſque propter iniquitatem ſuam. Diſſolventur manus* eorum, *& vacillabunt genua* eorum *ſicut aqua*, deficiente ſcilicet virtute ſubſiſtendi. Vel, præ metu urinam continere non poterunt: quod magìs Hebraiſmus habere videtur.

18. *Calvitium*] Soli ſancti, i. Nazaræi, non radunt capita ſua: neque enim habent mortis opera, nec immundi ſunt.

19. *Scandalum iniquitatis eorum*] i. Pecunia & pecuniæ ſitis duxit eos ad hoc offendiculum, eò quòd in ipſam poſuerunt fiduciam ſuam, obliviſcentes Dei, & à proximo per fas & nefas extorquentes impium lucrum; & in ſummo poſiti diſcrimine, juſto Dei judicio, per pecuniam liberari non poterunt.

20. *Egregio enim ornamento*] Hebræi exponunt *ornamentum* illud pro Templo.

22. *Avertam faciem meam ab eis*] Quidam intelligunt *ab hoſtibus: Averti*, inquit, *faciem meam ab hoſtibus*, nè eos affligerem, quòd illud *abſconditum meum*, h. e. Sanctuarium interius, & Sanctum ſanctorum, *violarint.*

23. *Fac catenam*] Signatur per hoc, eos vinculis conſtringendos & abducendos, quòd innoxium effuderunt ſanguinem; & vim faciebant impotentioribus.

26. *Et quærent viſionem*] In ſummo poſiti diſcrimine, currere volent ad *Prophetas* & *Sacerdotes*, ut legem Domini ex eis requirant, & ad *ſeniores* pro *conſilio* capiendo anxii confugere ſatagent, quos priùs audire nolebant; atque ideo non erit apud quem inveniant conſolationem. Periculoſa eſt igitur ſera pœnitentia.

DRUSIUS.

HIeron. *In hoc capitulo juxta Lxx Interpretes ordo mutatus eſt atque confuſus, ità ut prima noviſſima ſint, & noviſſima vel prima vel media, ipſáque media nunc ad extrema nunc ad principia transferantur. Ex quo nos & ipſum Ebraïcum & cæteros ſecuti Interpretes ordinem poſuimus veritatis.*

5. רָעָה אַחַת רָעָה הִנֵּה בָאָה. Th. κακία μία, κακία ἰδοὺ ἔρχεται, *malitia una, malitia ecce venit*] Hieron. *Hæc in Lxx non habentur, ſed in editione eorum de tranſlatione Theodotionis ſub aſteriſcis addita ſunt:* רָעָה. Sym. κάκωσις *vexatio:* vel *afflictio.* Sic κακία ſumitur in illo, *Sufficit diei malitia ſua.* Hieron. *Pro* afflictione, *quam juxta Sym. qui interpretatus eſt* κάκωσιν, *perſpicuitatis causâ poſuimus, & in Ebraico* רָעָה, *& in Græco* κακία *vel* πονηρία *ſcribitur*, i. malitia.

7. בָּאָה הַצְּפִירָה אֵלֶיךָ. Th. ἥκει ἡ πλοκὴ ἐπὶ σὲ] Schol. *οἱ ὁ αἰτὶ τοῦ, πλοκὴ, τὸ, πέρας, τεθείκασι, Lxx pro* πλοκὴ *poſuerunt* τὸ πέρας. Eſſe autem πλοκὴ Theodotionis docet Hieronymus, cujus verba mox adducam. Ejus loco Aq. poſuit προσκόπησιν, i. *contemplationem & proſpectionem*, tanquam à צפה *ſpeculor, contemplor.* Πλοκὴ, *contextus, nexus.* Hieron. *Venit contractio; quæ in Ebraico dicitur* הצפירה, *& quam Aquila interpretatus eſt* προσκόπησιν, *i.* contemplationem & proſpectionem, *quam ſemper pavida tibi venire metuebas, & quam interpretatus eſt Theodotio* πλοκὴν, *i.* ordinem contextúmque *malorum omnium.* ¶ בָּא הָעֵת קָרוֹב הַיּוֹם מְהוּמָה וְלֹא־הֵד הָרִים] Sym. *Venit tempus, propè eſt dies feſtinationis, & non recraſtinationis.* Th. *venit tempus, propè eſt dies famis, & non gloriæ montium*] Hieron. *Verbum Ebraicum* הד הרים, *quod nos in duo verba diviſimus, primum* הד, *ſecundum* הרים, *juxta Theodotionem* gloriam montium *interpretati ſumus. Symmachus vertit in* recraſtinationem, *dixitque*, & tempus propè eſt, dies feſtinationis, *&c. Porrò Lxx ità tranſtulerunt*, Venit tempus, appropinquavit dies, non cum perturbatione neque cum doloribus. *Th.* Venit tempus, propè eſt dies famis, & non gloriæ montium. Δόξης, i. הד.

10. הִנֵּה הַיּוֹם וגו׳. Ἰδοὺ ἡμέρα Κυρίου ἥκει, ἐξῆλθεν ἡ πλοκὴ, καὶ ἤνθησεν ἡ ῥάβδος, ἐξανέστησεν ἡ ὕβρις, *Ecce dies Domini venit, exiit nexus, & floruit virga, germinavit ſuperbia*] Hieron. *Locus difficilis, & inter Ebraicum & Lxx multùm diſcrepans, quibus pleraque de Theodotionis editione addita ſunt, ut aliquam habere conſequentiam viderentur.* הַצְּפִרָה. Sym. *inſpectio*] Hier. *Ecce dies parit quod multò antè conceperat, venitque finis, & egreſſa eſt complexio, quæ mala veſtra omnia complectatur & teneat, ſive, ut Symmachus interpretatus eſt,* inſpectio, *ut omnia videat Deus quæ feciſtis, & conſideret opera omnia, & reddat unicuique quod meretur. Domini*] יהוה pro הנה.

12. כִּי חָרוֹן אֶל־כָּל־הֲמוֹנָהּ. ὅτι ὀργὴ εἰς πᾶν πλῆθος αὐτῆς, *quoniam ira in omnem multitudinem ejus*] Hieron. *Hoc in Lxx non habetur. Pro* populo *poteſt* multitudo & turba *juxta Ebraicum accipi. Hoc enim ſignificat* המונה.

13. וְעוֹד בַּחַיִּים חַיָּתָם כִּי־חָזוֹן אֶל־כָּל־הֲמוֹנָהּ לֹא יָשׁוּב. καὶ ἔτι ἐν ζωῇ τὸ ζῆν αὐτῶν· ὅτι ὅρασις εἰς πᾶν τὸ πλῆθος αὐτῆς οὐκ ἀνακάμψει, *& etiam vitâ vivere ipſorum; quia viſio ad omnem multitudinem ejus non regredietur*] Hieron. *Sed nec iſti duo verſus habentur in Lxx editione.*

14. וְאֵין הֹלֵךְ לַמִּלְחָמָה כִּי חֲרוֹנִי אֶל־כָּל־הֲמוֹנָהּ. καὶ οὐκ ἔστι πορευόμενος εἰς πόλεμον· ὅτι ἡ ὀργή μου εἰς πᾶν τὸ πλῆθος αὐτῆς, *& non eſt qui eat ad prælium: quia ira mea in omnem multitudinem ejus*] Hieron. *Et hæc in Lxx non habentur.*

16. כְּיוֹנֵי הַגֵּאָיוֹת. Ὡς περιστεραὶ μελετητικαί, *ut columbæ meditantes*] Hieron. *Lxx* columbas convallium, *ſive, ut Th. tranſtulit*, meditantes, *omnino tacuerunt.* ¶ כֻּלָּם הֹמוֹת אִישׁ בַּעֲוֹנוֹ] Th. *Omnes muſſitantes, unaquæque in iniquitate ſua*] Hieron. *Hócque quod nos interpretati ſumus*, omnes trepidi, unuſquiſque in iniquitate ſua, *Theodotio tranſtulit ità*, omnes muſſitantes, *&c. ut ſub Metaphora* columbarum meditantium *ſignificet unumquemque de populo ſuum flere peccatum, & intelligere atque ſentire cur iſta patiatur.* Et aliquantò pòſt, *Pulcréque juxta*

juxta Theodotionem vocabimus columbam meditantem *cum qui in lege* D O M I N I *die ac nocte meditatur.*

17. הַלֵּכְנָה מָּיִם. Schol. ὁ Ἑβραῖος, παραλυθήσονται ὡς ὕδωρ, *dissolventur ut aqua.*

19. כַּסְפָּם וּזְהָבָם תּוּ. Τὸ ἀργύριον αὐτῶν καὶ τὸ χρυσίον αὐτῶν οὐ δυνήσεται ἐξελέσθαι αὐτοὺς ἐν ἡμέρᾳ ὀργῆς Κυρίου, *argentum eorum & aurum eorum non valebit liberare eos in die ira Domini*] Hieron. *Et hoc in Lxx non habetur.*

20. שִׁקּוּצֵיהֶם. καὶ προσοχθίσματα αὐτῶν, *& offendicula eorum*] Apud Theodoretum προσοχθισμάτων *offendiculorum.* Hieron. *Illudque quod sequitur*, offendicula eorum, *sciamus de Theodotione additum.* ¶ לְנִדָּה. Sym. *in nauseam.*] Hieron. Dedi eis illa in immunditiam & in stercora. *Pro quibus Symmachus interpretatus est* nauseam, *volens idolorum sordes exprimere.*

22. פָּרִיצִים. Sym. Th. *irrumpentes & pestilentes*] Hieron. Et introibunt in illam emissarii, *sive, ut Lxx transtulerunt*, ἀφυλάκτως, *i.* temere, *vel, ut Sym. & Th.* irrumpentes & pestilentes. Λοιμοί.

23. הָרַתּוֹק. A. *conclusionem.* Sym. Th. καθήλωσιν, *confixionem.*] Hieron. *Verbum Ebraicum* הרתוק *Aq.* conclusionem, *Sym. & Th.* καθήλωσιν, *i.* confixionem, *interpretati sunt. Pro quo Lxx posuere* φυρμὸν, *quod nos in* perturbationem *vertimus.* ¶ מִשְׁפַּט דָּמִים. κρίσεως αἱμάτων *judicio sanguinum.*

24. וְהֵבֵאתִי רָעֵי גוֹיִם וְיָרְשׁוּ אֶת־בָּתֵּיהֶם. καὶ ἄξω πονηροὺς ἐθνῶν, καὶ κληρονομήσουσι τοὺς οἴκους αὐτῶν, *& adducam pessimos Gentium, & hereditate possidebunt domus eorum.*

25. קְפָדָה בָא. A. Th. *adest angustia.* Sym. *mœror*] Hieron. *Juxta superiorem ordinem rectè Aq. & Th. interpretati sunt* adesse angustiam, *Symmachúsque* mœrorem. Et mox, *Nos autem juxta Sym. priorem sententiam cum posteriore conjunximus, ut diceremus*, Angustià superveniente requirent pacem, & non erit.

27. הַמֶּלֶךְ יִתְאַבָּל. Th. ὁ βασιλεὺς πενθήσει, καὶ, *Rex lugebit, &*] Hieron. *Nescio quid volentes Lxx hoc, quod de Ebraico expressimus*, Rex lugebit, *omnino tacuerunt.* Origenes, τὸ, ὁ βασιλεὺς πενθήσει, συνήθως ἠστέρισται, quod emendant ἠστέρισαι, i. *notatum est asterisco*, nempe quia additum erat ex edit. Theodotionis.

G R O T I U S.

2. F*Inis venit*] Id est, *suprema ultio*, ut hîc Chaldæus.

Super quatuor plagas terra] Id est, super totam Judæam.

3. *Judicabo te juxta vias tuas*] Id est, puniam pro meritis.

Ponam contra te omnes abominationes tuas] Faciam ut in caput tuum recidant.

4. *Abominationes tua in medio tui erunt*] *Pœna peccatorum ubique tibi aderit.* Ita hic Chaldæus rectè.

6. *Evigilavit adversum te*] Pervigil irruit in te ultio.

7. *Venit contritio super te*] *Venit manè illud in te*; id est, judicium: nam manè judicia exercebantur. Est autem צפירא pro *manè* vox Chaldaïca. Lxx qui πλοκὴν [*nexum*] vocant, Arabicam linguam respexêre: nam ضفر est πλοκή.

Dies occisionis, & non gloria montium] In Hebræo: *Dies tumultûs, & non carminis vinitorum in montibus.* Vide Esaiam XVI. 9. & 10. ubi vox eadem.

10. *Egressa est contritio*] *Manè illud apparuit*, ut suprà.

Floruit virga] Id est, tribus Judæ: nam מטה & *virgam* & *tribum* significat. *Floruit*, fuit in rebus prosperis.

Germinavit superbia] *Protulit superbiam.* Is fructus flores secutus est.

11. *Iniquitas surrexit in virga impietatis*] *Violentia* (id est, Chaldæus violentus) *se expedivit adversus virgam istam impiam:* id est, adest qui eam exscindat radicitus.

Non ex eis] Supple, *quisquam immunis à malo erit.*

Non ex populo] Neque ex plebe.

Neque ex sonitu eorum] *Neque ex strepitibus eorum:* id est, Primoribus. Verbum est frequens Chaldæis.

Et non erit requies in eis] In Hebræo, *Non erit de illis luctus.* Nemini vacabit lugere mortuos, Jeremiæ XVI. 4. 5. 6. 7.

12. *Qui emit nè lætetur, & qui vendit non lugeat*] *Nè doleat.* Solent gaudere qui bene rem emerunt, & dolere qui vendere sua coguntur. Nunc par utriusque erit sors.

13. *Quia qui vendit ad id quod vendidit non revertetur, & adhuc in viventibus vita eorum*] Sensus est, Qui rem vendidit, etiamsi vivat (nempe ad Jubilæum usque) non tamen repetet rem venditam: quia in potestate erit aliorum & ipse & prædia.

Visio enim] Prophetia.

Ad omnem multitudinem] De omni hoc populo.

Non revertetur] Non erit irrita. Sic Esaiæ LV. 11.

Et vir in iniquitate vita sua non confortabitur] Nè quis se malè agendo putet tutum fore. Lxx legerunt עין [*fonte*], non עון [*iniquitate*]; quod & Hieronymo notatum.

14. *Canite tubâ, præparentur omnes*] Quidvis molimini.

Et non est qui vadat in prælium] *Attamen nemo erit qui pugnare audeat.* Vide infrà 17.

16. *Et salvabuntur qui fugerint ex iis, & erunt in montibus quasi columba convallium*] *At qui eorum sospites* (ab illis malis jam dictis) *evadent; illi erunt in montibus sicut columba in vallibus.* Id est, trepidabunt.

Omnes trepidi, unusquisque in iniquitate sua] In Hebræo, *Gementes quisque ob pœnam suam.* Gemere propriè de columbis aut turturibus dicitur.

17. *Omnes manus dissolventur*] Vires deficient.

Et omnia genua fluent aquis] Perfluent lotio præ metu. Lxx: πάντες μηροὶ μολυνθήσονται ὑγρασίᾳ [*omnia femina humore fœdabuntur*]. Hieronymus in Commentario: *Urinâ perfluent genua.*

18. *Accingent se ciliciis*] Ut in summo mœrore.

Et operiet eos formido] Horror eos undique invadet.

Et in universis capitibus eorum calvitium] Esaiæ III. 17. Jerem. XLVIII. 37. Michææ I. 16.

19. *Argentum eorum foràs projicietur*] Ab ipsis, quia vidèbunt se id sibi servare non posse. Itaque id agent, nè ad hostes perveniat, si modò id fieri possit.

Et aurum eorum in sterquilinium erit] Defodietur alicubi. In Hebræo: *Spernetur, ut res immunda.* Græci, ὑπερόφθήσεται [*contemnetur*]. nec aliter Chaldæus.

Argentum eorum, & aurum eorum non valebit liberare eos in die furoris Domini] Neque enim erunt ipsorum, sed in victoris potestate.

Animam eorum non saturabunt] Id est, semetipsos, locutione Hebræâ.

Et ventres eorum non implebuntur] Tenuiter pascentur, ut servi solent.

Quia scandalum iniquitatis eorum factum est] Sensus est, Ideo aurum & argentum ipsis non proderit, quia eo usi sunt ad idololatriam. Ostendunt hoc sequentia: & rectè id vidit in Commentariis Hieronymus.

20. *Et ornamentum monilium suorum in superbiam posuerunt, & imagines abominationum suarum, & simulacrorum fecerunt ex eo*] *Quod in decorum ornatum & splendorem datum erat ipsis* (est enim hîc verbum impersonaliter positum pro passivo) *de eo imagines suas abominabiles ac spurcas fecere.* De isto auro & argento quo speciosi esse poterant apud vicinos.

Propter hoc dedi eis illud in immunditiem] Propterea feci ut ipsi hæc abjicerent. Est hic nomen idem quod suprà 19. נדה, quod ibi *sterquilinium* verterat hic interpres.

21. *Et contaminabunt illud*] Ad viles usus vertent.

Ventris onus misero, nec te pudet, excipis auro.

Clemens Alexandrinus libro II. Pædagog. cap. III. *mulieres* ait solitas χρυσοῦ ποιεῖσθαι τῶν σκυβάλων τὰ ὑποδοχεῖα [*ex auro facere receptacula excrementorum*]. *Mulierum* autem *vulgò scaphia fuisse argentea* docemur ex Ulpiano L. *Quintus Mucius* libro II. & ex Martiali.

22. *Et violabunt arcanum meum*] Chaldæi scilicet. *Arcanum* vocat adytum Templi: quod Lxx vocant τὴν ἐπισκοπὴν [*visitationem*], quia Deus ibi signa exhibebat suæ majestatis.

Et introibunt in illud emissarii] *Latrones.* Latrones, inquit, venient in illud penetrale quò Israëlitæ, quò Levitæ, quò Sacerdoti, extra Summum, nefas est intrare.

Et contaminabunt illud] Non pluris facient quàm locum profanum. *Cùm loca capta sunt ab hostibus, omnia desinunt sacra esse*, ait Pomponius in L. *Cùm loca.* D. de Religiosis. Cicero Verrinâ quartâ: *Sacra Syracusarum victoria profana fecerat.*

23. *Fac conclusionem*] Id est, *catenam:* id enim est רתוק Hebræis & Chaldæis. Hoc signo ostendit futuram captivitatem.

Quoniam terra plena est judicio sanguinis] Id est, tenetur criminum quæ Lex morte vult lui.

24. *Et quiescere faciam superbiam potentium*] Id est, *cessare*, ut est in Hebræo & Chaldæo.

Et possidebunt sanctuaria eorum] Hebræus textus, Chaldæus & Græcus: *Et profanabuntur sanctuaria ipsorum:* tres partes Templi. *Ipsorum* dicit Deus, quia Templum ab ipsis pollutum pro suo ampliùs non habebat.

25. *Angustiâ superveniente*] קפדה [*præcisio*], pro quo Lxx legerunt כפרה [*expiatio*].

Requi-

Requirent pacem] Quærent salutem.

26. *Auditus super auditum*] Mali nuntii alii super alios. Sic ἀκοὴ [*auditio*] sumitur Matth. XXIV. 6. & alibi.

Et quærent visionem de Propheta] Optabunt aliquam consolationem audire à Propheta. Vide Jeremiæ XXXVII. XXXVIII.

Et lex peribit à Sacerdote] Sacerdotes in tantis angustiis solennia Legis implere non poterunt: deerunt pecudes, simila, vinum, suffitus.

Et consilium à senioribus] Nè sapientissimi quidem quicquam, quod è re sit, suadere poterunt.

27. *Rex lugebit*] Erit in summa anxietate. Vide dicta jam Jeremiæ loca.

Et Princeps induetur mœrore] *Stupor Principem circumdabit.* Idem quod præcessit verbis aliis.

Et manus populi terræ conturbabuntur] Sensus idem qui suprà 17.

Secundùm viam eorum faciam eis] Profanarunt ipsi Templum: ego faciam ut profanetur à Chaldæis.

Secundùm judicia eorum judicabo eos] Oppresserunt pauperes, libertatem non dederunt popularibus: faciam ut & ipsi opprimantur, & libertatem amittant.

Et scient quia ego Dominus] Ut suprà VI. 14.

CAP. VIII.

MUNSTERUS.

1. IN *anno sexto*] Videlicet à transmigratione Jechoniæ. Factáque est hæc visio post superiorem visionem anno uno & mensibus duobus. Et quod paulò post dicit *se ductum in Jerusalem*, etiam intelligi debet factum esse in visione & non re ipsâ.

3. *Ubi erat constitutum simulacrum*] Hebraismus propriè habet *ubi erat constitutio imaginis, æmulatione æmulantis*, scilicet *Deum*. *Æmulari* autem *Deum* idolum illud dicitur quòd staret in domo gloriæ magnifici Dei.

8. *Fode, quæso, parietem*] h. e. Fac foramen parietis amplius, donec homo veluti per ostium ingredi possit: hoc enim significatur per verba sequentia, *Et ecce ostium unum.*

12. *In penetralibus imaginum suarum*] Heb. *In penetralibus imaginationis suæ*, vel *in cubilibus figurati pavimenti.* Ibi, inquit, miras perpetrant abominationes, dicentes etiam in corde suo, Deus in supernis occupatur, nec ista inferiora advertit; atque ob id liberiùs in peccata ruunt.

14. *Plangentes Thammuz*] Quis fuerit iste *Thammuz*, ex Hebræis scriptoribus certò sciri non potest. Kimhi hoc loco & in Radicibus suis varias adducit opiniones & fabulas de Thammuz. Quidam enim dicunt fuisse imaginem in cujus oculos ponebatur plumbum; & cùm ei ignis admovebatur, liquefacto plumbo videbatur idolum flere. Moses F. Maimonis in libro Perplexorum aliam adducit fabulam, ut idem Kimhi in Radicibus citat. Quidam putant esse animal quod olim coluerint. Id certum est, fuisse fictam quandam religionem, qualiscunque fuerit. Significat alioqui תמוז *mensem* seu *lunationem* quæ in Julium nostrum tota vel ex parte cadit. Unde & quidam dicunt mulieres illo mense convenisse quotannis ad celebrandam superstitionem cujusdam idoli sic vocati.

17. *Odorem malum*] Per hunc *fœtorem* intellige suffitum idolis exhibitum. Kimhi post Jonathan putat suffitum hunc fuisse עטוש מלמטה *crepitum inferiorem.* Habet autem Jonathan sic, מיתן בהתהא לאפיהון *Obvertebant podicem faciebus illorum*, h. e. nudatis natibus pepederunt in honorem eorum suorum. Aut certè per hunc *pedorem* intelligit detestabilem odorem sacrificiorum, diis alienis impio animo exhibitum, quo illi digni erant.

VATABLUS.

1. ANno *sexto* בשנה הששית] Sub. *Regis Joacim capti.* ¶ Mense *sexto* בששי] Augustum significat. ¶ *Manus* יד] i. Prophetia, sive Spiritus Prophetiæ: quem sic dici scribunt Hebræi quòd cum vehementia veniat (יד enim significat *manum*, *virtutem* & *fortitudinem*) quódque confortare ac vegetare soleat mentem sive animum hominis.

2. *Tanquam aspectus* כמראה] *Visio.* Vide eadem cap. I. 27.

3. *Et misit*, &c. וישלח וגו'] i. Gloria illa quæ apparebat visa est mihi porrigere manum. Quidam vertunt, *Et misit similitudo.* ¶ *In visionibus Dei* במראות אלהים] Hebraismus, pro *in visione Divina*, h. e. non corpore, sed spiritu: vel, *in visione magna, insigni, clara: nobili & mirabili.* ¶ Atrii] Istud subauditum est ut dilucidior esset sensus. In id atrium interius conveniebat populus, quòd esset extra peribolon, i. ambitum sive cincturam, montis Sion, primam scilicet; atrium verò Sacerdotum intra secundam. Paulò pòst dicit, *Adduxit me ad ostium atrii.* ¶ *Zelare facientis Deum* המקנה] *Provocantis*, sive *ad iram provocantis*, aut *irasci facientis*; juxta illud Deut. 32. 21. *Ipsi zelare fecerunt me in* re quæ *non est Deus*, *irasci fecerunt me in vanitatibus suis: & ego zelare faciam eos*, &c.

4. *In campo* בבקעה] *In valle: planitie.* Suprà 3. 22.

5. Ad *viam Aquilonis* דרך צפונה] *Viâ* [ablativus] *Aquilonis*, i. versùs Aquilonem. ¶ *Juxta portam altaris* לשער המזבח] Paulò antè vocavit *portam atrii interioris.* In atrio immundorum, i. populi, in quo orabat populus & audiebat verbum Domini, struxerant altare Baal, & ipsum idolum in medio portæ Septentrionalis statuerant: quæ ex ea re *porta altaris* dicebatur.

6. *Ut procul recedant* לרחקה] *Ut longiùs recedant*, vel *abeant*, sub. Israelitæ. Est infinitivus. ¶ *Sed adhuc converte te* ועוד תשוב] Fut. Heb. pro imperat.

8. *Nunc* נא] *Quæso.*

10. *Et ecce*, &c. והנה כל תבנית וגו'] *Et ecce forma omnium reptilium & jumentorum abominandorum:* vel, *quæ erant abominationes*, i. vice abominationum.

11. *Vapor nebulæ* ועתר ענן] *Densitas nebulæ:* i. densa nubes ex fumo incensi exhalata erat.

12. *In tenebris* בחשך] i. In hoc thalamo obscuro. ¶ *In cubiculis*, &c. בחדרי משכיתו] *In thalamis picturæ suæ*, i. in cubiculis & penetralibus interioribus egregiè pictis: Hebraismus.

13. *Converte te* תשוב] Fut. Heb. pro imperat.

14. *Domûs* בית] i. Appendicis quæ adjuncta erat Templo. Nam circùm Templum ædes erant in quibus Sacerdotes qui vices suas peragerent habitabant. Hæ sanctæ erant, & in eas ingredi non licebat mulieribus. Appendices Templi dicuntur *Templum*, sive *domus*, *Jehovæ*, ut & Atrium habet nomen *Templi*, per Synecdochen: nam totum illud ædificium Templi cum appendicibus dicitur *Templum.* ¶ *Thammuz* התמוז] Idoli nomen: Adonidem amasium Veneris fuisse dicunt.

15. *Nónne vides* הראית] Præt. Heb. pro præs. subaudi *has superstitiosas mulieres?*

16. *Et altare* ובין המזבח] Sub. *holocausti.* Joel. 2. 17. *Inter templum & altare plorabunt Sacerdotes*, i. citra vestibulum & ultra altare holocausti, ubi scilicet stare solebant Sacerdotes.

17. *Numquid leve est* הנקל] *Numquid leve fuit:* i. an parùm videtur: q. d. An putat Juda non esse scelus isthæc facere? aut non magni facit relinquere cultum meum? ¶ *Faciunt* עשו] Præt. Heb. pro præs. *facere solent.* ¶ *Iniquitate* חמס] *Violentiâ, rapinâ, oppressione.* ¶ *Et conversi sunt*, &c. וישובו וגו'] i. Et denuo huc redeunt ut me ad iracundiam provocent: vel, postea cœperunt provocare me. ¶ *Mittunt fœtorem* שלחים את הזמורה] *Adhibent malum odorem* [i. malum crepitum ventris] *in faciem meam.* Nam docti inter Hebræos dicunt, *ad nares suas*, sive *ad nasum suum*, positum esse pro *ad nasum meum*; & ità scriptum fuisse, sed immutatum pronomen ob Dei reverentiam: q. d. *Videntur mihi oppedere in faciem.*

18. *Et etiam ego faciam* וגם אני אעשה] *Unde & ego agam*, sub. *erga illos pro meritis.* ¶ *Et clamabunt*, &c. וקראו וגו'] *Et cùm clamaverint, me audiente, voce magnâ, non exaudiam eos.*

CASTALIO.

1. ANno *autem sexto*] A capto Joachino.

3. *Ubi collocatum erat obtrectatorium simulacrum efficiens obtrectationis*] Simulacrum alieni dei, quod Jovam irritaret zelotypúmque redderet, ut maritum adulter.

14. *Ubi sedentes conspexi feminas plorantes Thammuzum*] Nonnulli arbitrantur Adonidem.

CLARIUS.

1. ET *factum est in anno sexto*] Facta est hæc visio post priorem anno uno, mensibus duobus. Nam illa quinto anno, mense quarto, hæc anno sexto & mense sexto: utrobique autem ad transmigrationem Jechoniæ annus sumitur. Et *seniores Juda coram assidere* ceu testes visi sunt. Et quod paulò pòst dicit, *se ductum in Jerusalem*, etiam intelligi volunt factum esse in visione, & non re ipsâ.

3. *Apprehendit me in cincinno*] Nunc trahitur crinibus, exprimens futuram captivitatem servilem ac duram, ut solent

 inoffi.

inofficiosi servi ab heris trahi. Sed quando visionem vidit amabilem futuri Regni Christi cap. 40. deducitur ad terram Israel & collocatur in excelso monte, non trahitur crinibus. ¶ *Juxta ostium interius*] Sion mons cinctus erat muro quem nominabant *exteriorem*: ad Templum enim id spatii non pertinebat, sed pecora tantùm arcebat, quò minùs ad sacratiora illa loca propiùs accederent. Deinde murus alter Templum & partes ejus ambiebat, sicut cortinæ in deserto Tabernaculum: is interior murus habebatur, etsi extremus Templi esset; & portæ ejus *interiores* dicuntur & sunt quàm portæ & murus montis erant. Interjacens spatium ab interiore hoc muro usque ad Templum dicebatur *atrium*. In hoc ambitu interiore circumquaque januæ erant. In interioris igitur portæ janua constituitur Septentrionalis: nam sacratior locus ille erat, & accedebatur ad illa sacra Templi ab Aquilonari porta. His sacris rebus admixtum erat odiosum simulacrum Baal, quod *idolum zeli* hic vocat eò quòd irritabat ad æmulationem Dominum, qui solus coli vult.

7. *Ad ostium atrii*] Atrium ad varios usus Templi parvas ædiculas habuit muro atrii circumquaque adhærentes. Quæ portæ Aquilonari continua fuit, foramen habuit, quod Propheta per visionem jubetur ampliare.

11. *Et septuaginta viri*] Qui constituti fuerant ut legem Dei populum docerent.

14. *Porta domûs Domini*] Jonathas *domum Sanctuarii* dicit, quâ appellatione Templum, vestibulum & atrium totum venit. ¶ *Plangentes Adonidem*] In Hebræo est *Thammuz*. Apud Hebræos nihil explorati legitur, sed diversa inter se dicunt. Hieronymus interpretatur *Adonidem, qui occisus & revixisse narratur: Junium mensem eodem appellant nomine, & anniversariam ei celebrant solennitatem. Interfectionem verò & resurrectionem Adonidis interpretantur, ut alterum in seminibus, quæ moriuntur in terra, alterum in segetibus, quibus mortua semina renascuntur, ostendi putent.*

15. *Vidistine*] q. d. Tam sunt absurda ut, nisi quis videat, credere non possit.

16. *Dorsa habentes contra Templum*] Vel *posteriora*, h. e. nates. Nam cùm Tabernaculi introitus ab Oriente sit, & Sanctum sanctorum in Occidente constitutum, lex erat ut aversi ab exoriente sole versùs Occidentem adorarent, causâ exterminandi cultûs Solis, quem ad Orientem gentes communiter adorabant. At illi contrà obversis dorsis ad Occidentem, cum ingenti contumelia sanctitatis Domini, faciem convertunt in plagam Orientis, more Gentium.

17. *Odorem malum*] Suffitum idolothytorum. Quidam intelligit crepitum ventris loco thuris. Habet autem Jonathas sic, *Obvertebant podicem faciebus illorum*: h. e. nudatis natibus pepederunt in honorem deorum suorum.

DRUSIUS.

1. בַּשִּׁשִּׁי. ἕκτῳ *sexto*: & subintelligitur *mense*. Exstat in edit. C. ¶ וַתִּפֹּל עָלַי שָׁם יַד אֲדֹנָי יְהוִה. Sym. *incidit mihi manus Domini*] Hieron. *Pro eo quod nos diximus*, cecidit super me manus Domini, *Sym. transtulit*, incidit mihi manus Domini, *quod in Ebraico dicitur* חמל.

2. כְּמַרְאֵה־אֵשׁ. ὡς ὅρασις φέγγους, *quasi aspectus fulgoris*. Th. ὡς ὅρασις ἀνδρὸς, *quasi visio auræ*] Φέγγος legitur in quibusdam libris, & apud Theodoretum; nec mihi dubium quin scriptum sit ex Aquila vel Symmacho: nam Lxx hoc membrum omiserunt. Hieron. Visionem *autem* auræ, *quæ in Lxx non habetur, de Theodotione addidimus*. Et paulò pòst, *Pro* splendore, *qui in Ebraico dicitur* ZOHAR, auram *Theodotio transtulit, ut in supernis Dei refrigeria demonstret*.

3. הַפְּנִימִית. τῆς ἐσωτέρας *interioris*. ¶ סֶמֶל הַקִּנְאָה. Th. τῆς εἰκόνος τοῦ ζήλου *imaginis zeli*] Hieron. *Hoc autem quod in quibusdam cod. reperitur*, & in statua imaginem zeli, *de Theodotione additum est*, Schol. εἰκὼν ζήλου. Sym. ἐκτύπωμα παραζηλώσεως *simulacrum æmulationis*.

5. הַמִּזְבֵּחַ סֶמֶל הַקִּנְאָה הַזֶּה בַּבִּאָה. τοῦ θυσιαστηρίου ἡ εἰκὼν τοῦ ζήλου τούτου, ἐν τῷ εἰσπορεύεσθαι αὐτήν] Hieron. *Pro eo quod nos posuimus*, ab Aquilone portæ altaris idolum zeli in ipso introitu, *Lxx transtulerunt* ab Aquilone ad portam Orientalem, *quod in Ebraico non habetur, cætera quæ ibi scripta sunt relinquentes*. Vide nunc, si placet, ed. Rom. Lat. Sym. ἐκτύπωμα παραζηλώσεως *expressio æmulationis*: *effigies*, *simulacrum*, i. ὁμοίωμα. Dicitur & ἐκτύπωσις. Lex. V. Ἐκτύπωσις, *effigies*. *Æmulationis*, vel *zelotypia*. Cæterùm Series videntur legisse הַקֹּנֶה. Nam vertunt *possidentis*. Hieron. *Porrò quia Zelus, & Possessio, quod Ebraicè dicitur* קנאה, *eodem appellantur nomine, pro* statua zeli, *Lxx* statuam possidentis *interpretati sunt*. Hæc cum judicio legenda. Nam quod ait *Zelum & Possessionem eodem nomine appellari*, apertè falsum est. *Possessio* enim קנין dicitur, non קנאה. Hoc à קנא deducitur, illud à קנה.

7. וָאֶרְאֶה וְהִנֵּה חֹר־אֶחָד בַּקִּיר. καὶ εἶδον, καὶ ἰδοὺ ὀπὴ μία ἐν τῷ τοίχῳ, *& vidi, & ecce foramen unum in pariete*] Hier. *Hoc in Lxx non habetur*.

8. חֲתָר־נָא בַקִּיר וָאֶחְתֹּר בַּקִּיר וְהִנֵּה פֶּתַח אֶחָד. ὄρυξον δὴ ἐν τῷ τοίχῳ. Καὶ ὤρυξα ἐν τῷ τοίχῳ, καὶ ἰδοὺ θύρα μία, *fode nunc in pariete. Et fodi in pariete, & ecce porta una*.

10. וְהִנֵּה כָל־תַּבְנִית רֶמֶשׂ וּבְהֵמָה. καὶ ἰδοὺ πᾶσα ὁμοίωσις ἑρπετοῦ καὶ κτήνους, *omnis similitudo reptilium & animantium*] Hieron. *Hoc in Lxx non habetur*.

16. אולם. Sym. προπύλαιον *vestibulum*. Aquilæ prima editio πρόσαδα, secunda αἰλὰμ *templi*. Th. Οὐλὰμ *Ulam*] Hieron. *Quod nos* vestibulum *juxta Sym. interpretati sumus, qui* προπύλαιον *posuit, pro eo quod Lxx & Th. ipsum verbum Ebraicum transtulerunt, Aquila prima editio* πρόσαδα, *secunda* αἰλὰμ templi *interpretata est: quam nos* porticum Templi *exprimere possumus, sive* intectum atrium, *quod inter Templum & altare erat*. Αἰλὰμ corruptum ex Αὐλάμ. *Ulam*, *Aulam*, ut *Us*, *Aus*, unde *Ausitis* regio. Sic רגו *Ragau*. Αἰλὰμ etiam legitur in editione τῶν ὁ. Ἡ πρόσας exponitur ab Hesychio πρόσωον, i. *porticus*, *vestibulum*. Sed pro ipso *porticu* accipi tradunt Budæus & Camerarius. Alibi est τοῦ Οὐλὰμ, & alibi τὸ Αἰλάμ. Schol. Τὸ ἀναμέσον τοῦ Αἰλὰμ τοῦ προθύρου, φησὶν, ἤτοι τῆς καγκέλλων. Αἰλὰμ δὲ τὸ προπύλαιον ἐκάλεσε τοῦ θείου ναοῦ· πρὸ αὐτοῦ γὰρ ἵδρυτο τὸ χαλκοῦν θυσιαστήριον. Aliud Schol. Αἰλὰμ γὰρ τὸ προπύλαιον ὁ Σύρος τὴν κιγκλίδα καλεῖ, ἣν λέγεται παρὰ τοῖς πολλοῖς Κάγκελον. ¶ וַחֲמִשָּׁה. Th. καὶ πέντε *& quinque*] Plenum est *circiter viginti quinque viri*. Hieron. *Quod nos* viginti quinque viros *transtulimus, Lxx posuerunt* viginti; *& in quibusdam exemplaribus* quinque *de Theodotione additi sunt*.

17. שֹׁלְחִים אֶת־הַזְּמוֹרָה אֶל־אַפָּם. Sym. καὶ ὡς ἀφιέντες εἰσὶν ἦχον ὡς ᾆσμα διὰ τῶν μυκτήρων ἑαυτῶν, *& sunt quasi emittentes sonitum veluti anhelitum per nares suas*. Th. ἐκτείνουσι τὸ κλῆμα, *extendunt ramum*] Hieron. *Pro eo quod nos diximus*, & ecce applicant ramum ad nares suas, *Lxx transtulerunt*, & ecce ipsi sicut subsannantes: *quibus de Theodotione additum est* extendunt ramum: *ut sit totum pariter*, & ecce ipsi extendunt ramum quasi subsannantes. Ὡς ᾆσμα] Fallor, aut Hieronymus legit ᾆσμα, quod vertit *canticum*. Ejus verba sunt, *Pro quo interpretatus est Sym.* quasi emittentes sonitum in similitudinem cantici per nares suas. Hæc lectio meliùs quadrat cum veritate Ebraica. Prior exstat apud Origenem. Vide sis ed. Rom. Ἐκτείνουσι] In Origene ἐκτείνουσι *extendent*, Τὸ μὲν τοι, inquit, ἐκτείνουσι τὸ κλῆμα, μὴ κείμενον παρὰ τοῖς ὁ. ἀπὸ Θεοδοτίωνος προστεθήκαμεν. Ἴσθι δὲ ὅτι Μωρὰ (legerim Ζεμωρά) Ἑβραῖοι καὶ ἦχον καὶ κλῆμα σημαίνει. שלח pro *extendere* accipi notavimus in iis quæ ad Genesin scripsimus.

18. וְקָרְאוּ בְאָזְנַי קוֹל גָּדוֹל וְלֹא אֶשְׁמַע אוֹתָם. καὶ καλέσουσιν ἐν τοῖς ὠσί μου φωνῇ μεγάλῃ, καὶ οὐκ εἰσακούσομαι αὐτῶν, *& clamabunt in auribus meis voce magnâ, & non exaudiam eos*] Hier. *Quódque sequitur*, & cùm clamaverint ad aures meas voce magna, non exaudiam eos, *in Lxx non habetur*.

GROTIUS.

1. ET *factum est in anno sexto*] Nempe à deportata Jechonia, ut suprà 1. 2. Post impletam cubationem CCCXC & XL dierum.

Ego sedebam in domo mea] Apud Chaboram.

Et senes Juda sedebant coram me] Primores eorum qui cum Jechonia fuerant deportati.

Et cecidit ibi super me manus Domini Dei] Ut suprà 1. 3.

2. *Et ecce similitudo quasi aspectus ignis: ab aspectu lumborum ejus, & quasi deorsum ignis; & à lumbis ejus, & sursum, quasi aspectus splendoris, ut visio electri*] Eadem ὀπτασία quæ suprà 1. 27. significans Dei judicia per res durissimas excoctura populum Judæum, salvis tamen reliquiis quibusdam.

3. *Et emissa similitudo manûs apprehendit me in cincinno capitis mei, & elevavit me spiritus inter cælum & terram*] Manus istius figuram, & Prophetam ejus vi suspensum, videre illi Seniores. Visum autem quod sequitur vidit Propheta solus, planè quasi præsens esset in Templo. Causa visi, ut judiciorum eorum, de quibus diximus, causæ justissimæ ipsi patefierent.

Et adduxit me in Jerusalem in visione Dei] Non corpore translatum, sed ità ut oculis suis cunctas res Templi velut præsens aspiceret.

Juxta ostium interius, quod respiciebat ad Aquilonem] Ubi intrabatur ad subdiale maximum, quod erat populi, in quo altare

tare positum erat Achazi temporibus, simile Damasceno II Regum XVI. II.

Ubi erat statutum idolum] Baalis; nempe unum ex iis quæ fecerat Manasses, II Reg. XXI. 7. II Paralipomen. XXXIII. 3. destruxerat Josias, II Paralipomen. XXXIV. 4. reposuerant Reges sequentes. Vide II Reg. XXIII. 37. II Paralip. XXXVI. 12.

Zeli ad provocandam æmulationem] Id est, quo Deus provocabatur tanquam maritus, cui ob oculos adulter adducitur.

4. *Et ecce ibi gloria Dei, secundùm visionem quam videram in campo*] Vide suprà III. 22. Et vehiculum & thronum intellige; vehiculum ad significandam deportationem; thronum ad omnia judicia Dei figuranda.

5. *Idolum zeli*] Illud de quo dicere cœperat.

6. *Putásne vides tu*] In Hebræo: *Non vides tu.*

Ut procul recedam à sanctuario meo] Ut deseram hujus Templi curam.

Et adhuc conversus] In partes Templi alias.

Videbis abominationes majores] Sufficere poterat quod vidisti, sed videbis graviora.

7. *Introduxit me ad ostium atrii*] Nempe Levitici, quo passim tunc & ii qui Levitæ non erant admissi contra Legem.

Et ecce foramen unum in pariete] Fenestella quædam, per quam videre possem quæ intra cellas Levitarum peragebantur.

8. *Et dixit ad me, Fili hominis, fode parietem*] *Nam dixerat ad me* (Deus), *Fili hominis, perfode parietem.* Causam reddit unde facta sit ista fenestella.

Et cum fodissem parietem] Nempe in visione, sed planè quasi res verè ageretur.

Apparuit ostium unum] *Exstiterat illa fenestella.* Nam omnis apertura Hebræis פתח dicitur: ideóque Græci nonnunquam vertunt ἄνοιγμα [*aperturam*].

10. *Et ecce omnis similitudo reptilium & animalium abominatio*] Id est, quæ colunt Ægyptii, aliique.

Et universa idola domûs Israel depicta erant in pariete in circuitu per totum] Putabant se minùs peccare quòd non eminentes sed pictas haberent figuras. Verùm etiam picturæ vetitæ earum formarum quæ propriæ erant idololatris. Apparet id Levit. XXVI. I. Numer. XXXIII. 52. in Hebræo. Pingere tales formas in parietibus mos erat Troglodytarum, narrante Philastrio.

11. *Et septuaginta viri de senioribus domûs Israel;*] Id est, illi Septuaginta, qui inter Judices omnes eminebant summa cum potestate, tum eò accesserant quò fas ipsis non erat, tum ea videbant quæ tollere ipsorum erat officii.

Et Jezonias filius Saphan stabat in medio eorum] Nominatur II Regum XXII. 9. Eum credibile est fuisse Senatûs principem.

In medio eorum stantium ante picturas] Levitarum.

Et unusquisque habebat thuribulum in manu sua] Non dicit illos Septuaginta suffitum fecisse in honorem idolorum: sed si picturas tales habere non licebat, minùs etiam licebat apud eas Deum colere.

12. *In tenebris*] Omnia enim illarum cellarum diligenter obstructa erant, ut nisi forato pariete inspici nequirent.

14. *Et ecce ibi mulieres sedebant plangentes Adonidem*] In Hebræo est תמוז [*Thamuz*]. Quidam Osirim esse putant, qui vicinâ voce *Ammuz* Herodoto & Plutarcho. Sed Maimonides, Kimchi, & Hebræorum alii magum ajunt fuisse insignem, de quo mira narrant. Hieronymus autem *Adonidem* ideo posuisse videtur quòd quo modo Adonis lugebatur ab Assyriis (qua de re vide Macrobium Saturnalium I. 21.) & eorum exemplo ab Ægyptiis, ut docent Ἀδωνιάζουσαι [*Adonin celebrantes*] Theocriti, & à Græcis, ut Bion: eo & Thammuz ille Chaldæis, qui & mensium uni nomen ab eo dedêre.

16. *Et introduxit me in atrium domûs Domini interius*] Sacerdotale.

In ostio Templi Domini inter vestibulum & altare] Ostium illud per quod ex porticu Templi (id enim אולם Hebræis. Vide I Regum VI. 3.) ibatur ad altare holocaustorum.

Quasi viginti quinque viri] Nè unus aut alter id facere putaretur.

Dorsa habentes contra Templum Domini] Aversi ab ea parte in qua erat adytum; quod hic *Templum*, quia pars Templi dignior.

Et facies ad Orientem, & adorabant ad ortum Solis] Ad Orientem versi more Chaldæorum; non ad Occidentem, qui mos Judæorum. Vide Danielis VI. 10.

17. *Et ecce applicant ramum ad nares suas*] Scribitur quidem אפם [*nares eorum*], sed olim אפי [*nares meas*] scriptum fuisse testantur Hebræi, & זמורה, id est *canticum*, ridiculè vocari ventris crepitum: quo sensu ea vox & in Arabica reperitur. Deus igitur (ut censent Salomo & David Kimchi) ait eos sibi opponere flatus obscœnos: nempe quòd tergum Deo obverterent, ut jam diximus. Quod quia minùs decorè dici videbatur, mutatum est à posterioris ævi scriptoribus. Similes mutationes factæ in aliis locis octodecim.

18. *Ergò & ego faciam in furore*] Idem ipsis faciam: tergum obvertam orantibus. Reddit Deus causas cur Templum exscindi sit passurus.

CAP. IX.

MUNSTERUS.

1. **A** *Ppropinquate*] Verterunt nostri hîc communiter, *Appropinquaverunt*, non advertentes קרבו hic esse imperativum Piel, & non præteritum Kal: id quod sententia quoque ipsa probat. Porrò פקדות accipitur pro אנשים הפקודים על אנשי חיל *viris qui præfecti erant militibus exercitûs Babylonici*, & quibus à Rege præceptum erat ut Urbem perderent. *Arma perditionis* sunt instrumenta bellica. Erant sex vastatores, & unus liberator eorum qui morti erant addicti, & is erat scriba lineâ indutus veste.

4. *Pinge signum*] i. Scribe cum atramento signum aliquod in frontibus eorum quibus displicuit abominatio ista. Sunt tamen qui per signum illud intelligunt literam ת, sicut & Hebraismus habet תו. Vocatur autem ultima Alphabeti litera *Taf*, & præterea est appellativa vox idem significans quod סימן *signum*.

6. *A sanctuario meo incipietis*] i. Ab his initium facite cædis qui præsunt Templo, & occasionem præbuerunt ad ruinam.

VATABLUS.

1. **E** *T clamavit* ויקרא] Sub. *gloria Dei Israel*, i. Angelus loquens in persona Dei. Paulò pòst v. 4. vocat *Jehovam*. ¶ *In auribus meis* באזני] Hebraismus, *me audiente*. ¶ *Visitationes* פקדות] i. Jam propè sunt qui destructuri sunt Urbem. Verti potest, viri *visitationum*, i. præcipui duces exercitûs Nabuchodonosor, qui ab Jeremia recensentur cap. 39. 3. Alii vertunt *præfectura*, i. duces præcipui qui præfecti sunt ut destruant Urbem, qui fuerunt octo, ut in prædicto loco Jeremiæ narratur. ¶ *Et singuli* ואיש] Sub. *Qui visitaturi sunt Urbem*. ¶ *Instrumentum ad perdendum* משחתו] *Arma perditionis suæ*, activè, i. quibus perditurus est cives. Alii, *instrumentum interfectionis suæ*, vel *demolitionis*, aut *devastationis*.

2. *Superioris* העליון] Hæc erat inter portam Orientalem & Septentrionalem. Dicitur *superior* respectu portæ Septentrionalis. Describit autem diligenter hanc portam, ut doceat unde hostes essent venturi Urbem obsessum, nempe è Babylonia. Hæc porta ducebat in atrium Sacerdotum. ¶ *Et singuli*, &c. ואיש כלי וגו'] Ad verb. *& uniuscujusque vas interitûs sui in manu sua*; activè ut v. 1. pro, *unusquisque habebat in manu sua instrumentum quo disperderet*, sive *destrueret*. Alii, *Et unusquisque* habebat *instrumentum mallei sui*, &c. i. arma malleis similia. Gallicè, *sabache d'arme*. Prior versio melior, quòd v. 1. dictum sit voce non ambiguâ, *Instrumentum* משחתו *perditionis suæ*. ¶ *Lineis* בדים] Sub. *vestibus*. ¶ *Et atramentarium scribæ* וקסת הסופר] i. Quo uti solent [aut quod gestare solent] scribæ. Vox Hebræa קסת significat etiam *pugillares* & *tabellas in quibus scribitur*: unde Chald. P. habet פנקס. Hîc tamen potiùs accipiendum pro *atramentario*: nam sequitur, *Et signa Thau in frontibus eorum.* ¶ *Altare æreum* מזבח הנחשת] i. Holocausti.

3. *Recessit* נעלה] Jam *recesserat*. Ad verb. *ascenderat*. ¶ *Cherub* הכרוב] Sing. Heb. pro plur. i. qui tegebant alis suis Propitiatorium. ¶ *Super quem fuerat* אשר היה עליו] Sub. *antea*: unde dicitur Psal. 80. 2. *Qui sedes super Cherubim.* ¶ *Ad limen domûs* אל מפתן הבית] Sub. *& concessit*, vel *recepit sese ad limen*. *Domum* vocat Sanctum sanctorum. ¶ *Et vocavit virum* ויקרא אל האיש] *Et clamavit ad virum.*

4. *Et signa Thau* והתוית תו] Fut. Heb. pro imper. i. signum quod vocatur *Thau*, ut exponunt Doctores Hebræorum. Doctiores inter eos vertunt, *signa signum & scripturam*: sic & Aq. & Symmachus. ¶ *Et clamantium* והנאנקים] *Et vociferantium.*

5. *Et illis* ולאלה] *Et aliis*, sub. *sex viris me audiente*: id

id significat *in auribus meis*. ¶ *Et percutite*, &c. [והכו וגו'] Legitur אל, ut nos vertimus: & scribitur על, pro על אשר *super quo*, unde quidam scripturam hanc sequentes vertunt, *& percutite* eos *super quibus* alioqui *parceret oculus vester*, i. feminas.

6. *Ad perditionem* [למשחית] *Ad necem: vastationem:* aut meliùs *ad internecionem*. Alii, *ad exterminationem*. ¶ *Thau* [התו] Signum illud. Vide v. 4. ¶ *Et à Sanctuario meo* [וממקדשי] i. Ab iis qui versantur in Templo meo, nempe à Sacerdotibus & Levitis. ¶ *Coram domo* [לפני הבית] *Ante templum:* i. qui adorabant idola in prima exedra atrii interioris, quod erat juxta Templum.

7. *Contaminate domum* [טמאו את הבית] *Contaminate Templum:* i. Interficite eos in Templo qui jam contaminaverunt illud idololatriâ suâ. ¶ *Atria* [החצרות] Plurali numero utitur, quòd esset atrium interius & atrium exterius. Atrium autem interius erat divisum in atrium Plebis & atrium Sacerdotum. Porrò atrium plebis iterum erat divisum in atrium Virorum & atrium Mulierum. ¶ *Egredimini* [צאו] Urget eos, acsi dicat, *Adimplete praeceptum meum citra ullam moram*. ¶ *In civitate* [בעיר] Sub. *cives quos offenderunt non signatos signo illo ab Angelo*.

8. *Remansi* [ונאשאר] *Relictus sum superstes*. Dictio composita ex tertia praeteriti Niphal נשאר, & prima futuri Kal אשאר: q. d. *consideravi quisnam remansisset, & deprehendi me solum remansisse*. Alii dicunt tertiam personam positam pro prima, & א redundare: acsi dicat, *is qui remansit, ego ipse fui*. ¶ *An perdes omne*, &c. [המשחית וגו'] Ad verb. *An perdis* [vel, *perdere facis*] *omnes reliquias Israel, effundendo furorem tuum*, &c. praes. pro fut. *An perditurus es reliquias Israelis, effundendo indignationem tuam*, &c. Metaphora ab aqua quae tota simul effunditur.

9. *Admodum* [במאד מאד] Ad verb. *valde valde:* nam ב redundat: pro, *maxima est*. Superlativo carent Hebraei, quod exprimunt geminato adverbio. ¶ *Sanguinibus* [דמים] i. Effusoribus sanguinum, ut exponit doctus inter Hebraeos, qui legit & חמס *iniquitate*, vel *rapinâ*. ¶ *Dereliquit*, &c. [עזב יהוה וגו'] Hebraismus, Non curat haec mortalia, nec considerat quae gerimus, sive facta nostra.

10. *Et ego quoque* [וגם אני] Sub. *agam cum illis in iracundia mea pro meritis suis*. Reticentia est: vel, *sicut ipsi non pepercerunt, nec parcam*. ¶ *Reddam* [נתתי] Praet. Heb. pro fut. *dedi:* i. sumam de illis poenas pro meritis. Hebraismus.

11. *Et ecce vir*, &c. [והנה האיש וגו'] Hebraismus, *His dictis, ille vir*, &c. Vide v. 2. ¶ *Juxta id quod*, [כאשר] Legitur & ככל אשר *juxta omnia quae:* i. *prorsus* [sive *omnino*] *ut praecepisti mihi*.

C L A R I U S.

1. **V***Isitationes urbis*] h. e. Viri ad sumendum supplicium de eis destinati.

2. *Et ecce sex viri*] Sex electi sunt ad perdendos homines malos, h. e. qui intra naturam rerum, ut ea sex diebus condita est, resistunt: unus est ad liberandum bonos ordinatus, qui ordine septimus, Sabbati magni numerum referens, quòd in sepulcro Christus egit die septimo. Is est *vestitu candido*, summâ praeditus innocentiâ, *Agnus Dei* immaculatus, *qui tollit peccatum mundi*. Unicus est enim nobis Redemptor Christus, qui etiam hoc habitu describitur Apoc. 11.

3. *Quae erat super eum*] Scilicet *Cherub*. *Gloria* ergò *Domini* deseruit propitiatorium Arcae, ubi hactenus à tempore Mosis intra duo Cherubim responsa dederat.

4. *Signa Thau*] Hieronymus, *Hebraei autumant, quia Lex apud eos Thau literâ in principio nominis sui scribitur, illos hoc accepisse signaculum qui Legis praecepta compleverant. Antiquis autem Hebraeorum literis, quibus usque hodie utuntur Samaritani, extrema Thau litera Crucis habet similitudinem*. Alius vertit, *Pinge signum*, h. e. Scribe cum atramento signum aliquod in fronte eorum.

6. *A Sanctuario meo incipite*] i. Ab iis initium facite caedis qui praesunt Templo, & occasionem praebuerunt ad ruinam.

7. *Implete atria*] Erant in Templo atria tria, unum Mulierum, alterum Virorum, tertium Sacerdotum. Sed & spatium montis usque ad interiorem murum similiter *atrium exterius* dicitur, quo in loco Idolum zeli primùm viderat.

11. *Feci sicut praecepisti mihi*] Sic ad Patrem Christus, *Opus consummavi quod dedisti mihi ut facerem*, Joan. 17.

D R U S I U S.

2. הַבַּדִּים. Th. βαδδίμ. A. *praecipua* vel *stola*. Sym. *lineis*] Hier. *Et in hoc loco pro* ποδήρη, *i.* veste talari, *quam interpretati sunt Lxx, Theodotio ipsum verbum Ebraicum posuit* Baddim, *Sym.* lineis (*aliàs* lineam) *Aq.* praecipuam *sive* stolam. Βαδδίμ] vel βαδδείμ. Minùs rectè in quibusdam βαδδίν. Lex. Hesychii, Βαδδίν, βύσσινον. Cave spernas. Nam Exod. 28. Ebraeum בד Chaldaeus Onkelos בוץ, i. *byssum*, interpretatur. *Praecipua*] ἐξαίρετα. Dan. 10. בדים. Th. βαδδίν. Aq. *lineis*. Sym. ἐξαιρέτοις, i. *praecipuis*. *Lineis*] Sic etiam Hier. optimè ac rectissimè. Siquidem בד *linum*, unde כְּתֹנֶת בַּד *tunica linea*, χιτῶνα λινοῦν vertunt Lxx, ut אבנט בד *zonam lineam* ζώνην λινῆν. Sic לבוש בדים ἔνδυμα λινοῦν *indumentum lineum*, & מכנסי בד *subligacula linea*. *Praecipuam* sive *stolam*] Suspicor legendum *praecipuam*, sub. *stolam*, ut בדים sit *stola praecipua*, ἐξαιρέτη. Aut in una editione posuit *praecipuam*, & in altera *stolam*. Quomodo & Lxx interdum exponunt. Hier. Ezec. 10. *Pro* lineis *Lxx hoc loco* stolam *interpretati sunt*. ¶ וְקֶסֶת הַסֹּפֵר בְּמָתְנָיו. Sym. *& tabulas scriptoris habebat in renibus suis*. Th. *&* κάσυ *scribae in manu ejus*. A. *& atramentarium scribae ad lumbos ejus*] Hier. *Pro zona quoque Sym.* tabulas, *Aq.* atramentarium, *Th.* κάσυ *posuerunt*. Schol. ex Symmacho, πινακίδιον. Origenes, Πινακίδιον γραφέως ἔχων ἐπὶ τῆς ὀσφύος αὐτοῦ, *tabellam scriptoris habens in manu sua*. Dicimus & πινάκιον, & πινακίς, ἰδ☉, eodem significatu. Porrò meliùs redditur *tabella* quàm *tabula*. Nam *tabula* potiùs πίναξ dicitur. Κάσυ] Sic etiam Aquilae prima editio, de qua intelligendus Origenes quo in loco ità scribit, Ἀκύλας καὶ Θεοδοτίων, κάσυ γραμματέως, *casty scribae*. Est autem vocabulum merè Ebraicum. Idem Origenes, Οὐδὲν γὰρ ἡγοῦμαι σημαίνεσθαι παρ' Ἕλλησι ἐκ τῆς Κάσυ φωνῆς. Τῶν δὲ Ἑβραίων τις ἔλεγε τὸ καλούμενον Καλαμάριον εἶναι τὸ Κάσυ, *Nihil autem puto apud Graecos significari vocabulo* κάσυ. *Ebraeus verò quidam dicebat* κάσυ *esse id quod vocatur Calamarium*. Idem etiam sibi ab Ebraeo responsum esse narrat Hieronymus. Verba quibus hoc dicit haec sunt; *Quódque Aquilae prima editio & Theodotio dixerant* κάσυ, *pro quo in Ebraeo legitur* קסת, *cùm ab Ebraeo quaererem quid significaret, respondes mihi Graeco sermone appellari* καλαμάριον, *ab eo quòd illo calami recondantur. Nos* atramentarium, *ex eo quòd atramentum habeat, dicimus. Multi significantiùs* thecas *vocant, ab eo quòd thecae sint scribentium calamorum*. Aquilae secunda editio μελανοδοχεῖον, i. *atramentarium*. De hac intelligendus est Hieronymus ità scribens, *Rursum ubi diximus*, & atramentarium scriptoris ad renes ejus, *LXX posuerunt* & zona sapphirina super renes ejus. *Th.* κάσυ scribae in manu ejus, *Aq.* μελανοδοχεῖον, *i.* atramentarium, scribae ad lumbos ejus, *Sym.* tabulas (malim *tabellam*) scriptoris habebat in renibus suis.

3. אֶל מִפְתַּן הַבָּיִת. Th. εἰς τὸ αἴθριον τοῦ οἴκου, quod reddunt *sub dio domûs*. Nam etiam in Lxx legitur] Hier. *Ubi nos transtulimus* limen domûs, *Lxx & Th.* εἰς τὸ αἴθριον, *i.* sub divo, *posuere* vestibulum.

4. וְהִתְוִיתָ תָּו עַל־מִצְחוֹת. A. Th. σημειώσεις τοῦ Θαῦ ἐπὶ τὰ μέτωπα, *signum Thau super frontes*] Priùs erat σημεῖον ἐπὶ τὰ μέτωπα. Sed Origenes, Ἀκύλας, inquit, καὶ Θεοδοτίων, σημειώσεις τοῦ Θαῦ ἐπὶ τὰ μέτωπα. Aliter Hier. *Pro signo, quod LXX, Aq. & Sym. transtulerunt, Theodotio ipsum verbum Ebraicum posuit* Thau, *quae extrema est apud Ebraeos vigintí & duarum literarum*. Idem aliquanto post, *Antiquis Hebraeorum literis, quibus usque hodie utuntur Samaritani, extrema Thau litera Crucis habet similitudinem: quae in Christianorum frontibus pingitur, & frequenti manûs inscriptione signatur*. Antè Origenes hoc notaverat, ab Ebraeo quodam ità edoctus; quod docent haec ipsius verba, Ἑβραῖ☉ δέ τις τῶν εἰς αὐτὴν πεπιστευκότων ἔλεγε, τὰ ἀρχαῖα στοιχεῖα ἐμφερὲς ἔχειν τὸ Θαῦ τῷ τοῦ σταυροῦ χαρακτῆρι, &c. Mirari libet, cùm in Samaritanis characteribus nulla hujusmodi figura sit. Sunt qui mutatum existimant odio Christianorum. Vide Genebrardum Psal. 77. 47.

6. מִמִּקְדָּשִׁי. A. Th. ἀπὸ τοῦ ναοῦ *à templo*] Si non legerunt ממקדש, tum certè scribendum erit ἀπὸ τοῦ ναοῦ μου. Verbum è verbo *à sanctuario meo*. Quidam *sacrarium* appellant.

7. אֶת־הַחֲצֵרוֹת. Scholion, ὁ Ἑβραῖ☉, τὰς αὐλὰς, i. *atria*] Hier. *Pro* atriis, *quae Ebraicè dicuntur* Haseroth, *LXX posuere* vias.

8. וְנֵאשְׁאַר אָנִי. Th. καὶ ὑπελείφθην ἐγὼ, *& relictus sum ego*] Theodoretus addit μόν☉, quod non est in Ebraeo. Vide, si vacas, ed. Rom. Lat. sed & Hier. in comment. ad h. l.

9. דָּמִים. A. Sym. Th. αἱμάτων] Origenes, ἀντὶ τοῦ, λαῶν, αἱμάτων οἱ λοιποὶ πεποιήκασι, *pro* λαῶν *caeteri fecerunt* αἱμάτων. Hier. *Repleta est terra sanguinibus, sive, ut Lxx transtulerunt, populis*.

11. הַבַּדִּים. Th. βαδδείμ sive βαδδίμ. Sym. *lineam*. A. *praecipuam*, sive *stolam*] Vide Hier. & quae suprà notavimus ad

ad v. 2. ¶ הַסֵּפֶר. Th. κάσυ. Sym. *tabulas*. A. *atramentarium*, i. μελανοδοχεῖον] R. D. in libro Rad. קסת *cum sex punctis est* atramentarium (Ebraicè כלי הדיו *vas atramenti*) *& in Thargum exponitur* פנקס דספרא, i. πίναξ τοῦ γραμματέως. *Id significat illud in quo scribitur, videlicet* chartam *aut* tabulam. Vide sequentia.

GROTIUS.

1. *ET clamavit in auribus meis*] Deus scilicet.

Appropinquaverunt visitationes urbis] Id est, *Præfecti Urbis*; quos scilicet Deus Urbi destruendæ præfecit, Duces exercitûs Nabuchodonosoris, qui ex sex partibus Urbem oppugnarunt. Eos *Præfectos Urbis* vocat per χλευασμὸν [*acerbum irrisum*], qualem & alibi habuimus. Frequens autem est Hebræis pro *Præfectis* dicere *præfecturas*, ut hìc, & similia.

Et unusquisque vas interfectionis habet in manu sua] *Instrumentum destructorium* ut hìc habet Chaldæus: quod Lxx interpretantur *securim*, non malè.

2. *De via portæ superioris quæ respicit ad Aquilonem*] Erat hæc via inter Septentrionem Orientémque media, qui situs est gentis Chaldæorum ad Judæam.

Vir quoque unus in medio eorum vestitus erat lineis] In Græco: ἐνδεδυκὼς ποδήρη [*indutus poderem*], nempe ex lino tenuissimo, qualis erat Pontificis maximi. Levit VI. 10. XVI. 4. 23. 32. Idem habitus hìc & in Daniele x. 5. XII. 6. 7. datur Angelo qui Pontifici maximo: ambo enim ministri Dei.

Et atramentarium scriptoris ad renes ejus] Nempe ut scriberet id quod infrà dicitur 4. Pro קסת, κάσυ posuêre Aquila & Theodotio, eâque voce *calamarium* aut *atramentarium* significari ab Hebræis se didicisse ait Hieronymus: nec aliter hic sumsit Chaldæus. At Lxx קשת interpretantur *zonam*, & pro ספר [*scriba*] legunt ספיר [*sapphirinam*], malè.

Et ingressi sunt] Tam Urbem quàm Templum.

Et steterunt juxta altare æneum] Holocaustorum; nempe ut qui multas Deo paraturi erant victimas. Ità enim appellari solent scelerati, de quibus Deus sumere vult ultionem, Esaiæ XXXIV. 6. Jerem. XII. 3. XLVI. 10. infrà XXI. 9. 10. XXXIX. 17. Dan. VII. 11. Vide quæ dicta ad Marcum IX. 49.

3. *Et gloria Domini Israël*] Fulgor quidam, qualis interdum supet Cherubinos in adyto apparebat.

Assumta est de Cherub quæ erat super eum, ad limen domûs] Hebræum rectiùs vertitur, *quem erat super eum*: id est, *super quem fuerat*. Fulgor ille transiit à vehiculo ad limen basilicæ Sacerdotalis, quod de proximo spectabat altare holocaustorum.

4. *Et dixit Dominus ad eum*] Id est, vox majoris Angeli alicujus sonuit de illo fulgore, Dei nomine loquens.

Transi per mediam civitatem in medio Jerusalem] Id est, per mediam urbem Hierosolymorum.

Et signa Thau super frontes virorum gementium & dolentium super cunctis abominationibus] Litera ת, unde incipit vox תורה [*Legis*], significabat illos fuisse Legi addictos. Solebant in Oriente servi in fronte habere nomen domini. Vide Hesychium Ἰσχίατα, & Σαμίων δῆμος. Non qualecunque signum, sed literam Thau hìc significari sensit & Chaldæus, & Theodotio. Eam literam in antiquis Hebræorum literis, quibus utebantur Samaritani, crucis habuisse similitudinem dicit in Commentariis in hunc locum Hieronymus. Negat id in Eusebianis Scaliger, qui tamen Hieronymo cognitum fuisse Alphabetum Samaritanum non negat. Non video quid obstet quominus apud Samaritas & Hebræos veteres unius literæ plures figuræ fuerint. Signamus quæ bene custodita volumus. Sic Deus illos Legis reverentes servare voluit ab occidione: quæ figura est eorum qui à communi mundi exitio servabuntur.

5. *Et illis dixit*] Ducibus Chaldæis.

6. *Senem, juvenem, & virginem parvulósque & feminas*] Vide II Paralipomen. XXXVI. 17.

Et à sanctuario meo incipite] Illos primùm trucidate qui in Templo sunt.

Cœperunt ergò à viris Senioribus qui erant ante faciem domûs] Illis Lxx qui erant in cellulis circumjectis Templo, VIII. 11.

7. *Contaminate domum*] Sanguine polluite Templum à Deo destitutum.

Implete atria interfectis] Subdialia Templi omnia.

Egredimini] Ex Templo in Urbem.

8. *Et cæde completâ remansi ego*] Nempe solus signatus inter Sacerdotes qui tunc erant in Templo.

9. *Repleta est terra sanguinibus*] Cædibus innocentum.

Et civitas repleta est aversione] Idololatriâ.

Dixerunt enim, Dereliquit Dominus terram & Dominus non videt] Non curat res humanas.

11. *Feci sicut præcepisti mihi*] Ut Centuriones Romæ Imperatoribus dicere solebant: *Factum est quod imperasti.* Sensus hic est: Provisum ut piis parcatur.

CAP. X.

MUNSTERUS.

1. *CHerubim*] Suprà c. 1. pro *Cherubim* legitur *animalia*. Est autem eadem visio.

12. *Caro earum*] Per *carnem* intellige corpus & substantiam rotarum.

13. *Clamavit, O rota*] Vox illa aliunde apud rotas audiebatur, quæ acclamabat unamquamque rotam, quasi excitaret eas ad parendum imperio præcipientis.

14. *Facies Cherub*] Cùm quilibet Cherub habuerit quatuor facies, docet Kimhi hunc textum sic legendum, *Facies una ex faciebus erat facies Cherub, & facies altera facies hominis.* Per *faciem Cherub* hìc intelligenda est facies Bovis, sicut primo patet capite. Sed tunc nascitur dubium apud Hebræos, qui dicunt כרוב Chaldæâ linguâ esse quasi כרביא, i. *quasi puer*, quòd effigies Cherub sit facies infantuli. Quidam hunc nodum sic solvunt, quòd quadriga à longè conspecta videbatur habere animal bovillâ facie, quæ tamen propius visa ostendebat puerilem effigiem. Sed ut nunc ostendamus quid per hanc significetur visionem, brevissimè referemus quid recentiores Theologi de ea sentiunt. Habet hæc visio tres partes: Una est Viri sedentis super solium in firmamento, altera quatuor Animalium, tertia Rotæ duplicis. Per *similitudinem quasi hominis sedentis super solium* intellige Christum, qui est *fulgor gloriæ & character substantiæ paternæ.* Apparet in eo *ignis* aliquis *latens ab aspectu scilicet lumborum & sursum*, quòd judicii ejus vis lateat, nisi quà per effectus agnoscitur. *Infra lumbos ignis est apertus & dilucidus*, adumbrans Christi Regnum, tam in servandis electis quàm in damnandis reprobis. Ibi *splendor emicat*, quia gloriam Patris hominibus patefacit. Quòd *Cherubim subsunt firmamento*, signat Christum esse Dominum Angelorum. *Animalia* & *Rotæ* & eorum *motus* significant Ecclesiam & ejus progressum, quæ adhuc agit sub firmamento gloriæ. Surrexit quidem cum Christo, sed juxta internum hominem; foris adhuc premitur & indies purgatur sacro illo igne qui inter Cherub versatilis oberrat. *Similitudinem Hominis* habent omnia, quòd ille sit fundamentum gloriæ Dei. *Quatuor facies* insunt omnibus. *Facies Hominis* significat judicium & mansuetudinem; *facies Bovis*, qui agrum colit, fructum; *facies Leonis*, robur patientiæ; & *Aquilæ facies*, velocitatem in actione boni. Duplices *alæ*, sunt Fides & Dilectio in Deum & proximum directa. Nam *duæ alæ extenduntur supra caput*, & *duabus velatur corpus*. *Sub alis* quoque sunt pariter actuosæ *manus*. Habet enim Fides manum suam, sicut & Dilectio. *Pedes* verò *recti* quid aliud sunt quàm quod Jesaias pronunciat 52 cap. *Quàm pulcri sunt in montibus pedes euangelizantis & annunciantis pacem?* &c. Per *rotas* intelligi videntur inferiores qui sunt in Ecclesia, flexibiles ad normam veritatis, animatíque quidem *spiritu animalium*, hoc est, superiorum in Ecclesia qui luculentiora præ se ferunt dona. *Oculi in rotis* signant, ubique accuratâ opus esse custodiâ ad cavendum noxia exempla & perniciosam doctrinam. Unde Christùs, *Si oculus tuus simplex est, totum corpus tuum lucidum erit.*

VATABLUS.

1. *SUper firmamentum quod* אל הרקיע אשר] *In extensione quæ erat*: sive *imminebat*, aut *incumbebat*. Describit solium quod videbatur constare lapide sapphirino, de quo c. 1. 26. *Cherubim* hìc appellat quæ primo capite *animalia*. ¶ *Sapphirus* כספיר] *Sapphirinus*: h. e. apparebat solium quod videbatur constare lapide sapphirino. ¶ *Veluti species similitudinis* כמראה דמות] Hebraismus, pro, *id quod referebat solium*, sive *speciem solii*. ¶ *Super eos* עליהם] *Super ea*, i. super firmamentum & Cherubim. Rectiùs tamen *super eos*, nempe *Cherubim*.

2. *Et dixit* ויאמר] Sub. *ille qui sedebat in solio sapphirino.* ¶ *Ignis* אש] *Ignitis*, i. ardentibus. Prædicitur futurum incendium urbis Jerosolymitanæ. ¶ *Ingressúsque est* ויבא] *Ingressus est igitur.*

3. *Cherubim autem* והכרובים] Iste versus cum 4 & 5, legi debent per parenthesin.

4. *Ad limen domûs* על מפתן הבית] Vide suprà 9. 3. Describit discessum gloriæ Domini à Templo. ¶ *Nube* הענן] Per *nubem* intelligit caliginem sive tenebras quæ comitabantur lucem

cem illam inaccessam quam inhabitare dicitur Dominus Deus. ¶ *Et atrium* החצר] Sub. *interius illud.*

5. *Quando loquitur* בדברו] *Quando loquebatur*, sub. *in monte Sinai.* Recedente gloriâ Dei à Sancto sanctorum factus est iste strepitus maximus. Vide eadem suprà 1. 24.

6. *Et fuit cùm præcepisset* ויהי בצותו] *Cùm ergò ille præcepisset*, &c. Redit ad id quod cœperat.

7. *Cherub* הכרוב] i. Unus ex illis Cherubim. ¶ *Et sumpsit* וישא] *Et tulit*, sub. *de prunis illis.* ¶ *Qui accepit* ויקח] Ad verb. *& accepit.* ו pro relativo, ut Psal. 89. 38.

8. *Manus hominis* יד אדם] Vide cap. 1. 8.

9. *Rota una*, &c. אופן אחד וגו'] Perissologia non est, sed Hebraismus, acsi dicat, *Singula rota erant juxta singulos Cherubim: tot erant rotæ quot Cherubim.* ¶ *Tanquam color*, &c. כעין אבן תרשיש] Ad verb. *tanquam aspectus lapidis Tharsis:* i. tanquam color vel nitor lapidis Carbunculi: vel, ut alii, Hyacinthi, alii Chrysolithi. Vide suprà 1. 16.

10. *Et aspectus earum* ומראיהם] i. Quod ad facturam, sive fabricam aut architecturam illarum attinet: vel subaudiatur ומעשיהם *& opus earum*, ut exprimitur suprà 1. 16. ¶ *Una* אחד] *Unica: eadem.* ¶ *In medio rotæ* בתוך האופן] i. Intra alteram rotam, acsi rota una secasset alteram.

11. *In quatuor lateribus suis* אל ארבעת רבעיהם] Successivè scilicet, & vicissim: i. per unum ex quatuor: q. d. moveri poterant in omnem partem, anteriorem, posteriorem, dextram & sinistram. ¶ *Non revertebantur* לא יסבו] Ad verb. *non convertebant sese:* i. non intermittebant gressum suum, sive iter cœptum, sed rectà progrediebantur: q. d. promptissimè exsequebantur voluntatem Divinam. Vide suprà 1. 9. ¶ *Primus Cherub*, *post illum ibant* הראש אחריו] *Prima rota*, *post illam ibant.* Ità Chaldæus P. Doctus inter Hebræos exponit, *primus Cherub*, *& rota ibat post Cherub.*

12. *Caro earum* בשרם] Pro *corpore* posuit *carnem*, quòd corpus carne constet: q. d. *totum corpus earum rotarum:* i. i. ipsæ totæ rotæ. ¶ *Et dorsa* וגביהם] Vide suprà 1. 18. ¶ *Et manus earum* וידיהם] *Radii:* qui scilicet infixi sunt modiolo. ¶ *Quatuor ipsarum rotarum* לארבעתם אופניהם] *In ipsis quatuor rotis eorum*, sub. *Cherubim.* Ad verb. *in quatuor eorum rotis ipsis.*

13. *Acclamatum est* קורא] *Acclamavit:* q. d. *me audiente.* Cherub nominatim appellavit Rotas, & jussit nescio quid, *O rota agite*, *facite hoc aut illud:* subticet formam dati præcepti, quo excitabat eas ad parendum imperio præcipientis.

14. Cherub] Subaudire potes *animali:* nam quæ primo capite, v. 5, & aliis vocantur *animalia*, in hoc capite appellantur *Cherubim:* neque etiam revera erant animalia. Vide v. 21.

15. *Hoc est animal*, &c. היא החיה וגו'] Singul. pro plur. *Hæc sunt animalia quæ videram juxta fluvium Chebar.*

16. *Ab illis* אצלם] Ad verb. *de prope illos:* i. comitabantur semper illos, ac sequebantur.

17. *Dum starent illi* בעמדם] *Dum consistebant illi*, & rotæ *consistebant.* Fut. Heb. pro præt. imperf. Eadem cum isto versu & præcedente vide suprà 1. 19, 20, & 21. ¶ *Voluntas*, &c. רוח החיה בהם] *Animus* [*spiritus*] *animalis erat in eis.* Singul. Heb. pro plur. *animalium.* Hebraismus, erat maximus consensus inter rotas illas & animalia, sive Cherubim: agebantur enim eodem Spiritu Divino.

18. *Super Cherubim* על הכרובים] De jam descriptis Cherubim intelligit.

19. *Stetitque* ויעמד] Quidam per plurale vertunt, *steteruntque*, sub. *Cherubim.* ¶ *Porta domus Jehovæ* שער בית יהוה] Porta ista Orientalis erat porta atrii in quo orabat populus qui orabat ad Occidentem, unde ingressus erat ad Orientem.

20. *Hoc est animal* היא החיה אשר] Singul. pro plur. *Hæc sunt animalia quæ.*

22. *Erat ut facierum* הפנים הנה] *Erant facies illæ:* vel *eædem.* ¶ *Et ipsamet* ואותם] *Et substantia eorum:* vel *essentia:* q. d. Eadem prorsus erant quæ vidi in hac secunda visione cum his quæ vidi in prima illa visione. ¶ *Unusquisque*, &c. איש אל וגו'] *Quisque ante faciem suam incedebat*, vel *progrediebatur:* i. rectà ante se motu recto & non circulari, aut obliquo. Vide suprà 1. 9.

CASTALIO.

11. SEd quò spectabat caput] Facies quæ in capite adversa erat.

12. *Illorum autem totum corpus*] Cheruborum.

CLARIUS.

1. SUper caput Cherubim] Suprà cap. 1. pro *Cherubim* legitur *animalia:* est tamen eadem visio, ut suprà monuimus. Sed cùm c. 1. 22. dicat, *Et similitudo firmamenti super capita cujusque animalis*, *sicut aspectus terribilis crystalli*, hic dicitur *firmamentum super capite Cherubim*, *sicut lapis sapphirus*, quasi firmamentum *sapphirinum* dicat. Sed hic nodus ità dissolvitur, quod hæc particula *sicut lapis sapphiri* referatur ad sequentia, nempe ad *solium* quod sequitur, hoc sensu, In firmamento, quod crystallinæ lucis, puritatis & candoris erat, visam sedem quæ rubra ad modum sapphiri fuerat. Nam Sapphirum rubri coloris esse ostenditur in Threnis cap. 4. *Candidiores erant Nazaræi ejus nive*, *& puriores lacte*, *plus rubebant quàm aspectus gemmæ*, *quàm quorum excisio est ex sapphiro.* Superiori autem interpretationi consimiliter accipiendum videtur id quod in Exodo legitur cap. 24. *Et viderunt Deum Israel*, *& sub pedibus ejus*, &c. h. e. Duo viderunt simul, *Deum Israelis*, deinde ea quæ *sub pedibus ejus* suberant, ut sunt Firmamentum, Animalia & Rotæ. Erat autem gloria Dei populo deserti & Patribus notissima; nam subindè iterum apparuit: brevibus igitur ibi describitur. Sed cùm esset negligentiâ posteritatis nonnihil obliterata, per Prophetam Ezechielem refricatur & explicatur accuratiùs. Quare quæ primo capite confusa & perturbata leguntur, sic ordinentur, *Candente colore firmamentum fuit: id imminebat capitibus animalium: super firmamento throni similitudo instar sapphiri lapidis.*

2. *Et dixit ad virum*] Hoc loco vir ille candidis vestibus mandatum accepit perdendæ civitatis, qui salutem antehac obsignatis dederat. Nam Christus, qui in primo adventu *non venit ut judicaret mundum*, in secundo, postquam delegerit suos ad Regnum, tum reprobos ignibus torquendos tradet. ¶ *Subtus Cherubim*] Pro *intra*, sed & rotæ, non sub neque intra, sed juxta animalia constiterunt. Intra animalia mutatorius, atque in se reciprocus ignis exstitit, quemadmodum suos radios in incertum flamma vibrat, idcirco dicitur, *de medio Cherubim*, non unius sed omnium.

7. *Et extendit Cherub manum*] Viro nondum ingresso, Cherub unus, manu in medio Cherubim protensâ, correptum ignem tradidit: sic ad imperium domini, pro opere injuncto adimplendo, supernæ virtutes subfamulabantur.

8. *Similitudo manûs hominis subtus pennas eorum*] Agilis & expedita actio spiritualis est, quia manus sub alis.

13. *O rota*, *audiente me*] Jubens scilicet ut vel huc vel illuc volveretur.

14. *Facies Cherub*] Hìc nominat *faciem Cherub*, quæ alibi *facies Bovis* dicitur: indè Bovem *Cherub* aliqui putant. Sed hoc receptius, quòd *Cherub* effigies sit facie infantili. Facies autem Hominis à Cherub hoc distare putatur, quòd illa sit tenerior, hæc virilior, quemadmodum viri ab infantibus specie discriminantur. Quidam dicunt quadrigam à longè conspectam visam esse habere animal bovillâ facie, quæ tamen propiùs visa ostendebat puerilem effigiem. Habet hæc visio tres partes: una est Viri sedentis super solium in firmamento, altera quatuor Animalium, tertia Rotæ duplicis. Per *similitudinem quasi hominis sedentis super solium* intellige Christum, qui est *splendor gloriæ & character substantiæ Paternæ.* Apparet in eo *ignis* aliquis latens, *ab aspectu* scilicet *lumborum & sursum*, quòd judicii ejus vis lateat, nisi quà per effectus agnoscitur. *Infra lumbos ignis* est apertus & dilucidus, adumbrans Christi Regnum, tam in servandis electis quàm in damnandis reprobis. Ibi *splendor emicat*, quia gloriam Patris hominibus patefacit. Vel *sub lumbis* quòd *igneus* videtur significat severitatem judiciorum Dei contra impios, impuritates cordium humanorum exurens & purificans. *Supra lumbos* autem *electri similitudo* serenitatem significat & clementiam ad justos electósque post hanc vitam, sicut & Eliæ ostenditur primò per turbinem horribilem, deinde per auram tenuem ac lenissimam. Quòd *Cherub subsunt firmamento*, signat Christum esse Dominum Angelorum. *Animalia*, & *Rotæ*, & eorum *motus* significant Ecclesiam & ejus progressum, quæ adhuc agit sub firmamento gloriæ. Surrexit quidem cum Christo, sed juxta internum hominem; foris adhuc premitur & in dies purgatur sacro illo igne qui inter Cherub versatilis oberrat. *Similitudinem hominis* habent omnia, quòd ille sit fundamentum gloriæ Dei. *Quatuor facies* insunt omnibus. *Facies Hominis* significat judicium & mansuetudinem; *facies Bovis*, qui agrum colit, fructum; *facies Leonis*, robur patientiæ; *facies Aquilæ*, velocitatem in actione boni. Duplices *alæ* sunt Fides & Dilectio in Deum & proximum directa. Nam *duæ alæ extenduntur supra caput*, & *duabus velatur corpus.* *Sub alis* quoque sunt pariter actuosæ *manus.* Habet enim Fides manum suam, sicut & Dilectio. *Pedes* verò *recti* quid aliud sunt quàm quod Esaias pronunciat, *Quàm pulcri sunt in montibus pedes euangelizantis & annunciantis pacem?* Per *rotas* intelligi videntur inferiores qui sunt in Ecclesia,

Ecclesia, flexibiles ad normam veritatis, animatique *spiritu animalium*, h. e. superiorum in Ecclesia, qui luculentiora præ se ferunt dona. *Oculi in rotis* signant, ubique accuratâ opus esse custodiâ ad cavendum noxia exempla & perniciosam doctrinam. Unde Christus, *Si oculus tuus simplex est, totum corpus tuum lucidum erit.*

20. *Ipsum est animal*] Hæc secum Propheta; Quandoquidem, inquit, video in hac quadriga omnia quæ in priore videram, affirmo idem animal esse quod *ad fluvium Chobar* vidi. Ex eo autem Cherubim esse cognovi, quòd explicatiùs humanas facies referre quàm pridem juxta fluvium Chobar viderentur. Puerilis enim facies ea est quæ antehac bovilla apparuit; remotiùs enim lineamenta Bovis referebat: in Templo quidem major lux quàm juxta flumen Babylonicum effulsit.

DRUSIUS.

5. קול אל־שדי. Sym. Th. βροντὴ Θεοῦ ἱκανοῦ, *tonitru Dei fortis*] Hier. SADDAI *Aq. Sym. & Th.* ἱκανὸν, *quod* fortem potentémque *significat, transtulerunt.* Vide quæ scripsimus ad cap. I. 24. *Tonitru*] קול hoc significatu sumitur cùm alibi tum apud Davidem in illo, *Vox DOMINI frangit cedros*, & Exod. 20. *Populus videbat voces*, i. tonitrua.

7. וישלח הכרוב. καὶ ἐξέτεινεν ὁ χερούβ, *& extendit Cherub.*

9. אבן תרשיש. A. *chrysolithum.* Sym. *hyacinthum*] Hier. *juxta Lxx*, quasi visio λίθου ἄνθρακος, *i.* carbunculi; *licèt in Ebraico* Tharsis *scriptum sit, quod Aq.* chrysolithum, *Sym.* hyacinthum *transtulerunt.*

11. אחריו. Th. ὀπίσω αὐτοῦ *post ipsum.*

12. וכל־בשרם. καὶ πᾶσα ἡ σὰρξ αὐτῶν, *& omnis caro earum.*

13. הגלגל. (quod Senes olim legerunt γελγὲλ, i. גלגל, *e* pro *a*, ut כלכי *Melchi:* quod crebrum in antiquitate) A. *rota.* Sym. *volubiles*] Hier. *Rotæ quoque ipsæ appellata sunt linguâ Ebraicâ* Gelgel, *quod Sym.* volubiles, *Aq.* rotam *interpretatus est.* Psal. 77. 20. בגלגל, Lxx ἐν τῷ τροχῷ. Sym. ἐν τοῖς τροχοῖς. 83. 14. כגלגל, Lxx ὡς τροχὸν *quasi rotam.*

14. וארבעה פנים לאחד וגו׳. καὶ τέσσαρα πρόσωπα εἶχεν ἕκαστον τῶν ζώων. τὸ πρόσωπον τὸ ἕν, πρόσωπον χερούβ· καὶ τὸ πρόσωπον τὸ δεύτερον, πρόσωπον ἀνθρώπου· καὶ τὸ τρίτον πρόσωπον λέοντος· καὶ τὸ τέταρτον πρόσωπον ἀετοῦ, *& quatuor facies habebat unumquodque animalium; facies una, facies Cherub; & facies secunda, facies hominis; & facies tertia leonis: & quarta facies aquilæ*] Hier. *Porrò quod sequitur*, audiente me, *usque ad eum locum ubi scriptum est*, elevati sunt Cherubim, *in Lxx non habetur, sed de Ebraico additum est.* Innuit versum quem modò produximus.

16. גם־הם מאצלם. καίγε αὐτὰ ἐπεχόμενα αὐτῶν, *etiam ipsa juxta illa.*

18. מעל מפתן הבית. ἀπὸ τοῦ αἰθρίου τοῦ οἴκου, *de sub dio domûs*] Vide suprà 9. 3.

21. ארבע כנפים. τέσσαρες πτέρυγες *quatuor alæ.*

22. מראיהם. τὴν ὅρασιν αὐτῶν *aspectum eorum.*

GROTIUS.

1. IN *firmamento quod erat super caput Cherubim*] In tympano vehiculi, ut diximus I. 26.

Quasi lapis sapphirus, quasi species similitudinis solii apparuit super ea] Super illud tympanum, sub quo erant Cherubini. *Plerique* τὰ Χερουβείμ [*Cherubim*] *neutrali genere, numeròque plurali dici putant*, ait Hieronymus ad hunc locum. Significatur hîc repetito viso propiùs propiúsque appropinquare horrenda illa Dei judicia.

2. *Et dixit ad virum qui indutus erat lineis*] Ad illum Angelum imperii sui ministrum: de quo suprà IX. 2.

Ingredere in medio rotarum] Adsta vehiculo medio.

Imple manum tuam prunis ignis quæ sunt inter Cherubim, & effunde super civitatem] Ignis enim ambiebat omne vehiculum, I. 4. 13. Significatur fore brevi ut Urbs incendatur.

Ingressúsque est in conspectu meo] Prope rotas constitit.

3. *Cherubim autem stabant à dextris domûs*] *Ad partem Australem*, ut habet Chaldæus: quàm longissimè ab illis locis, ubi erant illæ cellulæ & planctus de Thamuso. Hæc usque ad illa *Omnipotentis loquentis* dicuntur per παρένθεσιν [*insertionem*].

Et nubes implevit atrium interius] Atrium Sacerdotale; quò ibat, aut stabat imago illa Dei judicia referens. Antecedebat *splendor*, sequebatur *nubes.* *Splendor* claritatem in judicando significat: *nubes* ingentes procellas adversorum.

4. *Et elevata est gloria Domini super Cherub*] De vehiculo descendit, sub quo erant Cherubini, paulatim Templum deserens.

Ad limen domûs] Ad illam portam quæ à basilica Sacerdotali spectabat ad subdiale populi.

Et repleta est domus nube] Ipsa illa basilica Sacerdotalis, quæ velut à tergo erat imagini isti.

Et atrium repletum est splendore gloriæ Domini] Atrium sive subdiale populi, quod erat ante imaginem.

5. *Et sonitus alarum Cherubim audiebatur usque ad atrium exterius*] Personabat per omne illud populi subdiale.

Quasi vox Dei omnipotentis loquentis] Id est, *quasi tonitru*; ut explicarunt Symmachus & Theodotion. Vide suprà I. 24. Significantur, ut ibi diximus, horribilia Dei mandata.

6. *Cùmque præcepisset viro*] Repetit cœptum sermonem.

Sume ignem] Porrigente Cherubino, ut jam dicetur. Sic Angeli minores à majoribus instruuntur.

Stetit juxta rotam] Juxta intervallum rotarum.

7. *Et extendit Cherub manum de medio Cherubim*] Id est, alter ex Cherubinis alam ad manûs modum articulatam extendit.

Et ignem qui erat inter Cherubim] Qui vehiculum omne ambiebat.

Et sumsit, & dedit in manus ejus qui indutus erat lineis: qui accipiens egressus est] Ad Urbem incendendam.

8. *Et apparuit in Cherubim similitudo manûs hominis subtus pennas eorum*] Pennæ articulos habebant ut manus humana. Vide I. 8.

9. *Et vidi, & ecce quatuor rotæ juxta Cherubim*] Quibus vehiculum movebatur in quo erant Cherubini. Vide I. 15. 16.

Rota una juxta Cherub unum, & rota alia juxta Cherub unum] Enallage est: vult enim dicere de binis rotis, quæ in binis erant lateribus, utramque tam propinquam fuisse Cherubino ejus lateris ut ab eo tangeretur.

Species autem rotarum erat quasi visio lapidis chrysolithi] Tanquam color Oceani, I. 16.

10. *Et aspectus earum similitudo una quatuor*] Pares erant ac similes rotæ.

Quasi sit rota in medio rotæ] Diximus I. 16.

11. *Cùmque ambularent, in quatuor partes gradiebantur*] Quocunque vellent Cherubini. Sensum vide I. 17.

Et non revertebantur ambulantes] Nisi peracto cursu, ut I. 17.

Sed ad locum ad quem ire declinabat quæ prima erat, sequebantur & cæteræ, nec convertebantur] Hic quoque *prima* dictum pro *duæ priores.* *Cæteræ*, id est, *posteriores duæ.* Erant autem priores, & posteriores, vicibus; ut voluerant Cherubini.

12. *Et omne corpus earum*] *Eorum:* Cherubinorum scilicet, ut hîc Chaldæus.

Et colla, & manus, & pennæ, & circuli, plena erant oculis] Id est, *coloribus.* Hoc accessit viso illo quod in primo capite habuimus, aut nunc exactiùs à Propheta observatum est.

In circuitu quatuòr rotarum] Meliùs, *circumquaque, & quatuor rotæ:* ut illud *circumquaque* ad præcedentia referatur, addatúrque pari modo versicolores fuisse & rotas, id est, rotarum absides, quod & capite primo dictum fuerat 18.

13. *Et rotas istas vocavit volubiles audiente me*] Meliùs, *Et audiente me inclamavit* (nempe ex Cherubinis alter) *rotis illis*, id est, cuique rotarum, *Volvitor:* ut sit defectus ה in fine, qui verbis talibus frequens.

14. *Quatuor autem facies habebat unum*] Id est, de duobus Cherubinis quisque ex formis constabat quatuor.

Una facies Cherub] Id est, bovis sive vituli. Ex hac parte totum illud nomen suum accepit; nec immeritò: nam cætera hujus velut additamenta erant. Bovem magni semper fecêre Hebræi: ideo quòd Josephus, de ipsis optimè meritus, eo cognomine sit appellatus, eâque specie adumbratus, ut diximus alibi.

Facies secunda facies hominis] Forma humana in vultu.

Et in tertio] Id est, tertio.

Facies leonis] Forma leonis in jubis.

Et in quarto] Id est, quarto.

Facies aquilæ] Forma aquilæ in alis.

15. *Et elevata sunt Cherubim*] Id est, deportatio adhuc inhibita ad modicum tempus.

Ipsum est animal] Modò *animal* vocat, modò *animalia*; quia ex quatuor animalium formis animal quodque erat compositum. Et rursus est Enallage: nam unum nominat, cùm duo essent.

Quod videram juxta fluvium Chobar] In ripa: de quo cap. I.

16. *Cùmque ambularent Cherubim*] Cùm moverent, ut diximus ad primum caput.

Et cùm elevarent Cherubim alas suas, ut exaltarentur de terra, non residebant rotæ] Nempe non hærebant terræ.

Sed & ipsæ juxtà erant] Id est, pariter attollebantur, ut sequentia explicant.

17. *Spiritus enim vitæ erat in eis*] *Spiritus animantis* (id est, Cherubini,) *ad eas*, supple *pertingebat*. Vide quæ capite primo 20.

18. *Et egressa est gloria Domini à limine Templi*] Ubi constiterat nonnihil, suprà 4.

Et stetit super Cherubim] Super tympanum illud vehiculi, ut de deportatione decerneret.

19. *Et elevantia Cherubim alas suas, exaltata sunt à terra coram me, & illis egredientibus rotæ quoque subsecutæ sunt*] Id est, ipsis surgentibus surgebant & rotæ. *Surgere* hoc est deportationem inhibere. Factæ enim sunt multæ, & multis intervallis.

Et stetit in introitu portæ domûs Domini Orientalis] Vehiculum illud scilicet, cui imago judiciorum Dei insidebat, ut quæ sequuntur significant, progressum ab intimis Templi stetit ubi erat exitus, ut Templum planè desertum à Divina tutela intelligeretur.

20. *Ipsum est animal quod vidi subter Deum Israël juxta fluvium Chobar*] Iterum Enallage, ut suprà 15. nam *animal* dicitur, cùm duo essent, sed indiscreta. Quare plurale hic posuit Chaldæus.

Et cognovi Cherubim ea esse] Sæpe idem vidit Propheta, ut consideraret propiùs, & intelligeret has formas easdem esse quæ supra Aream erant positæ: quod ex summo Pontifice intellexisse aliquando potuerat.

21. *Quatuor vultus uni*] Quatuor formæ in singulis. Sæpe id repetit, ut populus sine Templo victurus, Templi mysteria pro Templo haberet, & sic ad fœdus multò meliùs pararetur.

Et quatuor alæ uni] Id est, singulis erant. duæ alæ volabant, duæ tegebant inferiora.

Et similitudo manûs hominis sub alis eorum] Pennæ articulatæ manuum invicem, ut suprà diximus.

22. *Et similitudo vultuum eorum, ipsi vultus quos videram juxta fluvium Chobar*] Species illarum quatuor partium planè eadem quam viderat in Chaboræ ripa.

Et intuitus eorum] Color idem partium: id enim מראיה [*conspectus*].

Et impetus singulorum ante faciem suam ingredi] In Hebræo: *Et ipsorum singuli quò spectabant eò movebant.* Nam ילכו [*movebant*], ut alibi diximus, est Pahal, aut Pihel pro Hiphil, minimè infrequenti mutatione.

CAP. XI.

MUNSTERUS.

3. NON *est in propinquo*] Sic dixerunt quidam qui Jirmeiæ Prophetias contempserunt, & dicebant tam brevi tempore non destruendam Jerusalem quin tutò possent exstruere domos & illas inhabitare, spe vanâ seducti. Fecerunt autem id sub parabola Carnis & Ollæ, significantes se in civitate illa satis tutos fore. Non extrahuntur de olla carnes nisi satis elixatæ: sic putabant se de Urbe haud unquam vivos egressuros, donec ad extremam pervenirent ætatem. Sed Dominus contrarium disposuit. Nam inquit, *Quos interfecistis*, nempe Prophetæ & viri sancti qui vos à malis vestris avocare conati sunt, *hi erunt caro* in civitate, manebúntque in ea, *vos autem* in captivitatem ibitis.

10. *Intra limitem Israel*] Significatur per id judicium quod Nebuchadnezar dedit contra Regem Zidkijam & Principes ejus in Riblath, quæ est in termino Israel.

15. *Fratres tui*] i. *Proximi tui & omnes Israelitæ* qui jam abierunt in captivitatem, *de quibus dicunt Jerosolymitæ, Separati sunt à Sanctuario Domini; nostra est hereditas eorum*, &c. non omnino à me relicti sunt. Habebunt enim & ipsi *sanctuariolum* suum, & sunt inter eos quos mihi delegi, nec faciam in eis omnimodam consummationem, sed *colligam* quosdam ex eis, quibus possidendam *tradam terram Israel. Venientes* autem in terram, *eliminabunt omnes immunditias idolorum* quas invexerunt Gentiles.

21. *Quorum cor vadit ad cor idolorum*] h. e. Si qui retinuerint cor propensum ad idolorum culturam, dabo illis secundùm opera eorum.

VATABLUS.

1. ET *elevavit*, &c. ותשא וגו׳] *Jam verò sustulerat me Spiritus, & adduxerat*, &c. Quæ enim hìc narrantur gesta fuerunt ante ea quæ describuntur capite præcedenti. ¶ *Inter quos vidi* ואראה בתוכם] Ad verb. *& vidi in medio eorum.*

2. *Iniquitatem* און] *Pravitatem: vanitatem*: nam isti adhortabantur populum ad exstruenda ædificia sumptuosa, quasi nunquam ex Urbe migraturum.

3. *Hæc*, &c. היא הסיר וגו׳] q. d. *Ne cessemus exstruere ædificia*, &c. *nam urbs ipsa est ut lebes*, sive *vice ollæ*: *nam permanebimus in hac urbe donec moriamur. Non enim auferre solent carnes ab olla donec perfectè elixentur: sic nec egrediemur de Jerusalem donec veniat tempus nostrum ut moriamur in ea.* Hæc doctus inter Hebræos. Notandum autem בנות infinitivum pro futuro, vel imperativo.

5. *Sic* כן] *Vere. Veritatem.* ¶ *Et quæ ascendunt*, &c. ומעלות וגו׳] Ad verb. *Et ascensiones spiritûs vestri ego novi eam*: i. unamquaque illarum, sive singulas, h. e. quæ ascendunt in mentem vestram, h. e. cogitationes vestras ego novi.

6. *Interfectos vestros* חלליכם] Hebraismus, quamplurimos dolo & fraude interemistis: quare merito hæc urbs dicitur *lebes.* Seipsum explicat in sequentibus, *Et implestis*, &c.

7. *Ipsa autem* והיא] Sub. *urbs*.

9. *Et faciam*, &c. ועשיתי בכם שפטים] Hebraismus, *sumam judicium de vobis*, h. e. animadvertam in vos.

10. *In termino Israel*, &c. על גבול ישראל וגו׳] Hebraismus, adjudicabo vos morti, curabóque vos interficiendos in finibus Israel, h. e. in Reblah, quæ erat in Hemath, ibi Nabuchodonosor jussit interfici Principes, & Regem excœcari.

12. *Sed juxta judicia* וכמשפטי] *Et secundùm mores*, vel *consuetudinem*, colendo scilicet idola, & effundendo sanguinem innoxium. *Judicium* pro *more* & *consuetudine*, ut suprà 5. 7.

13. *Et fuit, cùm prophetarem* ויהי כהנבאי] Hebraismus, *Cùm autem prophetarem. Interea dum vaticinarer.* ¶ *Túne consummationem facis*, &c. כלה אתה עשה וגו׳] *Túne perfectam consumptionem facturus es de reliquo Israelis?* q. d. *Decrevistíne prorsus delere reliquias Israelis?* Hæc interrogativè legenda esse docet doctus inter Hebræos, etsi nullum sit signum interrogationis in contextu.

15. *Propinqui tui* גאלתך] Ad verb. *Propinquitatis tuæ*: vel *affinitatis*, i. qui tibi sunt affines: ità Chaldæus P. ¶ *Elongate vos* רחקו] *Recedite. Procul discedite*: q. d. Illi quidem ejiciendi erant ab hac Terra sancta, quòd reprobi essent: nos verò hic perpetuò sumus mansuri.

16. *Etiamsi procul ejecerim*, &c. כי הרחקתים וגו׳] Ad verb *Quòd elongavi eos in Gentes, & quòd dispersi*, &c. Observa כי pro *quamvis*, sive *etiamsi*. ¶ *Ero tamen* ואהי] Ad verb. *& fui.* Præt. Heb. pro fut. ¶ *In Sanctuarium parvum* למקדש מעט] i. Non deseram eos, sed adero illis, & exaudiam preces eorum, ut solebam exaudire in Templo illo magno. Hebræi referunt ad Synagogas: q. d. quoties congregati fuerint in nomine meo.

18. *Et ingredientur*, &c. ובאו שמה וגו׳] *Et venient illuc, auferéntque omnes contaminationes ejus*, sub. *terræ*.

19. *Cor unum* לב אחד] *Cor unicum*, i. non erunt duplici corde. Alii, *eundem animum*, i. erunt unanimes. ¶ *Cor lapideum* לב האבן] Sic vocat cor immorigerum & indocile, quod non admittit correptionem, sicuti non admittit impressionem lapis, sed resistit. Huic opponitur *cor carneum*, aptum recipiendæ disciplinæ. ¶ *De carne eorum* מבשרם] i. De corpore eorum.

21. *Et quorum cor*, &c. ואל לב וגו׳] Ad verb. *Et ad cor contaminationum suarum & abominationum suarum cor eorum ambulat, viam*, &c. i. *Et quorum cor vergit ad cor* [i. affectum] *spurcitiarum eorum, & abominationum eorum, viam eorum*, &c. q. d. Animadvertam in eos quorum animus est magis propensus ad colenda idola quàm Deum. Loquitur hìc de duplici corde, i. affectu. Tria hominum genera facit, unum quod Deum solum colit, alterum quod idola, tertium quod cum Deo idola vel aliud colit. Chald. *Qui sunt præditi affectu ad affectum eorum qui colunt idola, plectentur à me.*

24. *Ad transmigrationem* אל הגולה] *Ad captivitatem*, i. ad captivos. ¶ *Et recessit à me* ויעל מעלי] Ad verb. *Et ascendit desuper me*, i. evanuit à me.

CASTALIO.

3. NOn *propè est*] Procul absunt quæ minantur Vates. ¶ *Hæc olla est, nos autem caro*] Ut in olla caro manet, ità nos in Urbe manebimus.

6. *Ut multos in ista urbe interficiatis, ejusque vicos impleatis occisorum*] Necis causa estis dum eis Deo contraria persuadetis.

CLARIUS.

3. NON *est propinqua vastatio*] Sic dixerunt quidam qui Jeremiæ Prophetias contempserunt, & dicebant, tam brevi tempore non esse destruendam Jerusalem quin tutò possent exstruere domos, & illas inhabitare, spe vanâ seducti. Fecerunt autem id sub parabola Carnis & Ollæ, significantes se in civitate illa satis tutos fore. Jerusalem, inquiunt, nobis est quod olla iis qui carnes coquunt in ea, quas non extrahunt ex ea nisi bene coctas. Ita & nos hinc non extrahemur priusquam venerit nobis matura senectus, elatique fuerimus in summa pace ad sepulcra.

7. *Hi sunt carnes, & hæc est lebes*] In qua scilicet miserè discerpti & cocti sunt miseri illi. Dominus, inquit, contrarium decrevit. Nam *quos interfecistis*, nempe Prophetæ & viri sancti qui vos à malis vestris avocare conati sunt, *hi erunt caro* in civitate, manebúntque in ea; vos autem in captivitatem ibitis. Videntur autem in hac parabola allusisse ad dictum Jeremiæ, qui de Olla succensâ & ebulliente c. 5. parabolam proposuerat, ut dicat, Etiam si ebulliant aquæ, & pereant vulgares, manebimus tamen in olla nos.

10. *In finibus Israel*] Significatur per id judicium quod Nabuchodonosor dedit contra Regem Sedechiam & Principes ejus in Reblatha, quæ est in termino Israel.

15. *Fratres tui*] Quia Propheta oraverat pro conservatione reliquiarum Israel, quas in morte Phaltiæ etiam perituras suspicabatur, maximè quia nomen alludebat, quod à *liberatione* deducitur, quasi liberati Domini morerentur, consolationem accipit pro reliquiis. Et est sensus, *Proximi tui & omnes Israelitæ*, qui jam abierunt in captivitatem, *de quibus dicunt Jerosolymitæ, Separati sunt à Sanctuario Domini; nostra est hereditas eorum*, & abjiciunt eos, dicentes, *Recedite à Domino*, h. e. à gloria Domini, à Templo, indigni estis; at nostrum est habitare terram; hi, inquam, non omnino à me relicti sunt: habebunt enim & ipsi *sanctuariolum* suum, & sunt inter eos quos mihi delegi; nec faciam in eis omnimodam consumptionem, sed *colligam* quosdam ex eis quibus possidendam *tradam terram Israel. Venientes* autem in terram *eliminabunt omnes immunditias idolorum* quas invexerunt Gentiles. Et observa, eum ex liberatione terrena assurgere more Prophetico in illam generalem & spiritualem quæ facta est per Servatorem Christum. Nam sub Ezra & Zorobabel non sunt præstita quæ hîc promittit: quod in Malachia & aliis minoribus Prophetis videre est.

23. *Super montem qui est ad Orientem Urbis*] Visa *est gloria Domini stare super montem* Oliveti, *qui est Orientalis* nec posthac in Occidentali Templi parte quærenda est, sed abolito Templo, in monte Orientis, unde Christus in cœlum receptus est.

LUCAS BRUG.

21. Q*uorum autem* [*verò* 2 MS. Chaldæa Regiæ editionis legunt, ut Hebræa, *Vau*; Venetæ omittunt] *cor post offendicula.*] Quædam manuscripta addunt, multa tollunt, *autem* conjunctionem. Hebraicè est *vau* conjunctio, quam LXXII καὶ transtulerunt. Hieronymus *autem* vertisse potuit. Atque *autem* conjunctione mediâ Hieronymi enarratio hanc partem iis quæ præcedunt connectit; *Qui autem*, habet, *nequaquam pœnitentiâ priora peccata correxerint, sed ambulaverint post abominationes suas, retribuam eis quod merentur*. Porrò castigatores, Hentenius, Parisienses & Epanorthotes, transfossо *autem* legendum censuerunt, *Quorum cor post offendicula*, nimirum quòd plura atque integriora pleraque manuscripta sic habeant, id quod in nostris observavimus. Glossa Lugduni impressa addit *autem*, & exponit *sed*: verùm scripta quam ex Leodiensi Abbatia D. Jacobi habemus, ignorat *autem*, subaudit *sed*.

DRUSIUS.

11. היא לא־תהיה וגו'. Αὕτη ὑμῖν οὐκ ἔσται εἰς λέβητα, καὶ ὑμεῖς οὐ μὴ γένησθε ἐν μέσῳ αὐτῆς εἰς κρέα. ἐπὶ τῶν ὀρέων τοῦ Ἰσραὴλ κρινῶ ὑμᾶς, *Hæc non erit vobis lebes, & vos non eritis in medio ejus caro; in terminis Israel judicabo vos*] Lectio alia, ἐπὶ τῶν ὀρέων *in montibus*. Nam proclivis sanè lapsus de ὁρίων in ὀρέων.

12. וידעתם כי וגו'. καὶ ἐπιγνώσεσθε ὅτι ἐγὼ Κύριος, ὅτι ἐν τοῖς δικαιώμασί μου οὐκ ἐπορεύθητε, καὶ τὰ κρίματά μου οὐκ ἐποιήσατε, ἀλλὰ κατὰ τὰ κρίματα τῶν ἐθνῶν τῶν περικύκλῳ ὑμῶν ἐποιήσατε] Hieron. *Quod sequitur, in Lxx non habetur, sed de Ebræo additum est*, quia in præceptis meis non ambulastis, & judicia mea non fecistis, sed juxta judicium Gentium quæ in circuitu vestro sunt, estis operati. Edit. Rom. ἀλλ' οὐδὲ κατὰ τὰ κρίματα & mox, οὐκ ἐποιήσατε, auctior est negatione, quam nos omisimus; primùm quia non habetur in fonte Ebræo, deinde quia Hieronymus eam non legit.

15. כלה. A. Sym. Th. *universi*] Hieron. *Pro universis Lxx posuerunt* consummata est, *propter literarum & verbi ambiguitatem.* כלה *enim, quod Aq. & Sym. & Th.* universos *interpretati sunt, illi verterunt* consummata est, *quod juxta sensum omnino non resonat.*

GROTIUS.

1. ET *elevavit me spiritus*] Rectiùs, *Elevarat me spiritus*: id est, suspensum me tenuerat. Repetit enim id quod diximus de illis xxv suprà VIII. 16. nam illum sermonem ad convertendas res majores interruperat.

Et introduxit me ad portam domûs Domini Orientalem] Videre me fecerat illas partes quasi præsentem. Portam intelligit illam basilicæ Sacerdotalis spectantem in subdiale populi, VIII. 16.

Et ecce in introitu portæ] Quà in portam itur, inter portam & altare holocaustorum, suprà VIII. 16.

Et vidi in medio eorum] *Inter eos.* Locutio Hebræa.

Jezoniam filium Assur] Non illum filium Saphan qui peccaverat.

Et Pheltiam filium Benajæ] Alterum ex Principibus, ut sequitur.

2. *Dixitque ad me*] Dixerat ad me illa imago stans ad eandem portam, x. 4.

Fili hominis, hi sunt viri qui cogitant iniquitatem, & tractant consilium pessimum in urbe ista] Nempe aptandi se ad superstitiones Chaldaïcas, ad eo modo demerendam ejus gentis gratiam. Fœdus quod Sedecias malè ruperat illi malè sarcire volebant.

3. *Dicentes, Nonne dudum ædificatæ sunt ædes?*] An noviter facta est urbs?

Hæc est lebes, nos autem carnes] Recenter facti lebetes aptiores sunt ad coquendas carnes. Sic irridebant Jeremiam, qui Urbem *lebeti*, homines *carnibus* comparaverat I. 15. Vide & quæ infrà XXIV. ubi contra hoc dicterium dicit Ezechiel, Rubiginem ollæ nihil obstituram quominus olla alias carnes coquat, alias ejiciat.

4. *Idcirco vaticinare de eis, vaticinare fili hominis*] Dic quæ illis sunt eventura longè alia quàm putant.

7. *Interfecti vestri quos posuistis in medio ejus, hi sunt carnes, hæc est lebes*] Illis hæc urbs fuit pro lebete, vobis non erit.

8. *Gladium metuistis*] Chaldaïcum scilicet, ità ut ejus causâ sacra deserere velletis.

Et gladium inducam super vos] Eundem illum quem metuistis.

9. *Et ejiciam vos de medio ejus*] Extra urbem ibitis.

Dabóque vos in manu hostium] Non liberi, sed captivi ibitis,

Et faciam in vobis judicia] Per Chaldæos.

10. *In finibus Israel judicabo vos*] In Reblatha, II Regum XXV. 20. Jeremiæ LII. 9.

13. *Pheltias filius Benajæ mortuus est*] In arrham ejus, quod aliis illis xxv eventurum est.

Consummationem tu facis reliquiarum Israel] Itáne omnes vis perdere ut istum Pheltiam?

15. *Fratres tui, fratres tui viri propinqui tui*] גאלתך *agnati tui*]; Lxx legerunt גלותך, id est, *deportationes tuæ*, id est, tecum deportati: deficit verbum *sunt*.

Quibus dixerunt habitatores Jerusalem] Illi qui relinquebantur in Urbe, deportato Jechoniâ, & aliis cum eo.

Longè recedite à Domino] Meliùs: *Longè recesserunt à Domino.* Illi qui deportantur multò graviùs quàm nos peccarunt.

Nobis data est terra in possessionem] Nam nos possidebimus hanc terram tantò laxiùs ex quo illi abiêre.

16. *Quia longè feci illos in gentibus, & quia dispersi eos in terris*] Illos cum Jechonia deportatos, in quibus Ezechiel.

Ero eis in sanctificationem modicam in terris ad quas venerunt] *Et fui eis in sanctuarium ad tempus modicum, in terris ad quas venerunt.* id est: Et quia hoc tempore ex quo deportati sunt, Templum non habent, ego illis sum pro Templo, intra animi penetrale me colunt, ut olim facturi sunt Christiani.

17. *Propterea loquere hæc, dicit Dominus: Congregabo vos de populis*] Illud *propterea* cohæret cum *congregabo*. Nam

quia vos deportati mei obliti non estis, ideo vos reducam. Transitur de persona tertia in secundam, & rursum de secunda in tertiam, more Hebræo.

18. *Et auferent omnes offensiones, & cunctas abominationes ejus de illa*] Vivent sine idololatria, præeuntibus viris egregiis, Esdrâ, Nehemiâ, Zorobabele, Aggæo, Zachariâ, Malachiâ, Mardochæo, & aliis viris τῆς συναγωγῆς τῆς μεγάλης [*Synagogæ magna*].

19. *Et dabo eis cor unum*] Efficiam maximis beneficiis ut concordi animo me colant. Confer Jeremiæ XXXI. 37. infrà XXXVI. 26.

21. *Quorum cor post offendicula*] In Hebræo: *ad contaminationes*, id est, idololatriam.

Horum viam in capite suo ponam] Deseruerunt me, & ego eos deseram: Templum profanarunt, & ego profanabo per Chaldæos.

22. *Et elevaverunt Cherubim alas suas, & rota cum eis*] Nondum enim aderat tempus deportationis.

23. *Et ascendit gloria Domini de medio civitatis*] Sicut de Templo in Urbem exierat illa imago, sic nunc & Urbem deserit, státque parata ad exercenda judicia ex illo loco unde maxima vis telorum hostilium in urbem erat perventura.

Stetitque super montem qui est ad Orientem urbis] Montem Oliveti, ut nominatur II Samuel. XV. 30. Eundem esse montem qui ad Orientem Urbis erat, apparet Zach. XIV. 4. Sic & Christus ex eo monte in regiam suam ascendit, judicia in Judæos exerciturus.

24. *Et spiritus levavit me, adduxitque in Chaldæam ad transmigrationem in visione in spiritu Dei*] Transpositio: *Spiritus qui me levaverat in visione, id est, in spiritu Dei, me in Chaldæam restituit apud deportatos.* Nam quia omnia quæ Hierosolymis agebantur, ut præsentia viderat, ibi spiritu præsens fuisse dicitur, ac mox rediisse ad suos populares.

Et sublata est à me visio quam videram] Cessavit, disparuit, ut Geneseos XVII. 22.

25. *Et locutus sum ad transmigrationem omnia verba Domini quæ ostenderat mihi*] Res omnes. *Ad transmigrationem*: id est, ad Seniores illos deportatorum, de quibus suprà VIII. 1.

CAP. XII.

MUNSTERUS.

3. FAC *tibi vasa captivitatis*] Per hæc *vasa* intelliguntur Baculus, Pera, Pileus, ורכל *Saccus* pro pane ferendo, Amphora, & similia, quæ viatoribus & exsulibus sunt necessaria, præsertim qui longam ituri sunt viam; quales tunc erant Jehudæi in Babylonem abducendi.

4. *Efferes instrumenta tua quasi vasa transmigrationis*] i. Portabis vasa tua eo modo sicut qui in exsilium ducuntur sua portant vasa, nempe saccum in humero, pileum in capite, & baculum in manu. ¶ *Juxta egressiones transmigrationis*] i. Vade ante eos mœstus & tristis, sicut illi faciunt qui in exsilium ducuntur.

5. *Perfode tibi parietem*] Hoc dicitur ut facto ostenderet Propheta Jerosolymitanos tanquam fures abducendos, quippe qui per foramina trajecturi erant vasa peregrinationis, & in caligine ipsa abituri, faciem ob pudorem operturi, nè vel terram ipsam aspicerent.

10. *Onus istud est Principis*] i. Prophetia ista quam tu facto ostendis tangit Zidkijam Regem Jehuda & omnes habitatores Jerusalem. Illi enim *perforabunt murum*, & fugient noctu, sed non effugient. Nam *ego expandam rete meum*, h. e. excitabo Chaldæos ut eos persequantur & occidant, *Regem* verò exoculatum *ducant in Babylonem.*

14. *Omnes catervas ejus*] Heb. *Omnes alas ejus*, h. e. בני חילו *milites* seu *copias militares stipantes eum.*

19. *Post tantam plenitudinem ejus*] Terra, inquit, quæ plena fuit hominibus & divitiis non sine stupore redigetur in subitam desolationem, idque propter calumnias, injurias & oppressiones quas potentiores irrogarunt impotentioribus.

23. *Protrahuntur dies, & peribit omnis visio*] Significabunt hoc proverbio terram non devastandam, sed post multos dies visionem perituram. Vel habet hunc sensum, Continuabuntur dies ordine suo, & Prophetæ in ventum loquuntur.

VATABLUS.

2. R*Ebellis* המרי] Ad verb. *rebellionis.* ¶ *Ut videant* לראות] *Videre & audire* est per sensus in animum inducere, & sibi persuadere. Hæc dicit propter contemptum verbi Dei: nam captivi non credebant Ezechieli: nam Pseudoprophetæ dicebant meliùs fore his qui in Jerusalem remanserant quàm captivis. ¶ *Vident* ראו] Præt. Heb. pro præs. sub. *quæ facies, & credant, & pæniteat eos.*

3. *Vasa transmigrationis* כלי גולה] Hebraismus, i. quæ necessaria sunt, & quibus uti solent qui aliò sunt demigraturi.

4. *Tanquam vasa transmigrationis* ככלי גולה] Sub. *vera, & non ficta*: i. perinde acsi revera esses aliò demigraturus. ¶ *Secundum exitus transmigrationis* כמוצאי גולה] Hebraismus, *ut fieri solet in demigratione*: aut, *ut solent egredi qui aliò demigrant*, sive *more eorum qui fugam adornant.* Fortasse his verbis habitum sive gestum demigrantis significat, acsi dicat, *Tu egredieris mœstus & indignabundus.*

5. *Parietem* בקיר] Sub. *domûs in qua habitas*, ea enim significabat Jerusalem. ¶ *Et educ per eum* והוצאת בו] *Et effer* [*exporta*, sub. *suppellectilem tuam*] *per eum*, nempe parietem perfossum.

6. *Porta* תשא] Futura pro Imperat. quæ tamen quidam vertunt per præteritum. ¶ *Portentum dedi te* מופת נתתיך] *Portentum posui te*, i. typum & figuram eorum quæ brevi eventura sunt ipsis Jerosolymitanis: per ea quæ facturus es significabis ac indicabis illis quòd brevi demigraturi sint.

7. *Manu* ביד] i. Manibus meis: præ nimia scilicet festinatione.

9. *Quid tu facis* מה אתה עשה] q. d. *Quid sibi volunt hæc?*

10. Super *ducem*, &c. הנשיא וגו'] Hic deest præpositio על quam habet Chaldæus P. Alii vertunt, De *principe* qui nunc habitat *in Jerusalem* intelligitur *prophetia ista.* ¶ *Et* super, &c. וכל בית ישראל] *Et universam familiam Israel.* Intelligit eos qui e decem illis Tribubus commisti erant inter Judæos & Benjaminitas.

11. Et *in captivitatem* בשבי] Istud addidit, quòd qui aliò migrant, non semper abeunt in captivitatem.

12. Vestimenta sua] Istud subaudit doctus inter Hebræos, & exponit, *Portabit vestimenta sua velut is qui fugiens vestimentum suum in humerum rejicit ut leviùs ac citiùs ambulet.*

13. *Et expandam*, &c. ופרשתי וגו'] i. Mittam qui eum insequantur & comprehendant. ¶ *Ipsam tamen* ואותה] Ad verb. *& ipsam*. Variè vertitur ו ut locus postulat.

14. Ad *auxilium ejus* עזרה] *In præsidium ejus, omnésque alas ejus*, sub. *militares*: i. copias & exercitum patrium. Videtur alludere ad Reges socios ejus qui polliciti erant auxilia adversùs Chaldæos: q. d. omnes milites ejus tam externos quàm indigenas dispergam. Potest & hoc ordine legi, *Omne auxilium ejus, copia ejus*, i. omnes copiæ auxiliares ejus quæ sunt circùm illum, &c. ¶ *Et gladium*, &c. וחרב וגו'] i. Mittam post eos qui exserto gladio interimant ipsos.

16. *Et relinquam* והותרתי] *Et reliquos faciam.* ¶ *Viros paucos* אנשי מספר] Ad verb. *viros numeri.* Significat *paucos*, quòd quæ pauca sunt numero facilè comprehendi possint. ¶ *Ut enarrent*, &c. למען יספרו וגו'] Abominationes propter quas scilicèt ejecero eos: h. e. ut commendetur justitia mea in Gentibus.

18. *Cum commotione & tremore* ברגזה ובדאגה] *Cum fremitu & formidine*: q. d. exprime, & facto doce futuram Israelis trepidationem propter demigrationem Jerosolymitanorum.

19. *Cum timore* בדאגה] *Cum pavore.* Alii, *cum solicitudine.* ¶ *In desolatione* בשממון] Sub. *animi*, i. stupore: admiratione. ¶ *Ut desoletur* למען תשם] i. Ut intelligant fore brevi ut desoletur regio ipsius Jerusalem, h. e. in aqua ipsa Jerusalem sita est. Quidam, *eò quòd desoletur*, &c. ¶ *A plenitudine sua* ממלאה] i. Iis quibus plena est: q. d. privabitur incolarum & opum multitudine. ¶ *Propter iniquitatem* מחמס] *Ob injustitiam: injuriam.* Alii, *rapinam.*

22. *Proverbium* המשל] Significat sententiam tritam, & verbum quod est in ore omnium: q. d. *Quid sibi vult quod semper habetis in ore, dicentes*, &c. ¶ *Prolongabuntur* יארכו] *Producentur*, i. longi ac prolixi erunt, antequam scilicet eveniant quæ isti prædicunt nobis: q. d. *Non evenient ante multos annos, & interim peribit*, sive cassa & irrita erat, *omnis visio*, lapsu ac diuturnitate temporis.

23. *Faciam cessare* השבתי] Præt. Heb. pro fut. *Quiescere faciam.* ¶ *Dicent proverbium* ימשלו] Ad verb. *parabolizabunt: proverbiabunt*: i. non ultra his verbis tanquam proverbio utentur. ¶ *Et verbum* ודבר] *Et res*, i. eventus eorum quæ per Prophetas prædicuntur.

24. *Blandientis* חלק] *Assentatoris.* Potest legi *divinatio blanda*, aut *assentatrix*, ut *prophetia mendax.*

27. *Videt* חזה] i. Quam ista narrat se vidisse. ¶ *Et in*

tempora

tempora longa ולעתים רחוקות] *Et de eo tempore longo*, i. quod procul distat à tempore instante.

28. *Omne verbum meum* כל דברי] Eventus *omnium verborum meorum.*

CASTALIO.

24. L*Ubrica divinatio*] Ambigua & incerta.

CLARIUS.

3. F*Ac tibi vasa transmigrationis*] Variis argumentis, sicut & in Jeremia factum est, studet admonere eos ut resipiscant. *Vasa* autem, h. e. instrumenta, *transmigrationis* sunt Baculus, Calcei, Penula, Pera, Pileus, & quæ ad iter pertinent, præsertim iis qui longam ituri sunt viam; quales tunc erant Judæi in Babylonem abducendi.

4. *Et efferes foràs vasa tua quasi vasa transmigrationis*] i. Portabis vasa tua eo modo sicut qui in exsilium ducuntur sua portant vasa, nempe saccum in humero, pileum in capite, & baculum in manu. ¶ *Egredieris vespere*] Designans Regem sub vesperam & noctu fugiturum de Jerusalem jam capta. Et *egredieris*, inquit, *sicut egreditur migrans*, h. e. ibis ante eos mœstus & tristis, sicut illi faciunt qui in exsilium ducuntur.

5. *Perfode tibi parietem*] Angusto foramine, quòd cementibus concaptivis fecerat, extrahit instrumenta viatoria, ad angustam ac diram impendentis captivitatis cladem significandam. Parietem ergò manu absque instrumentis festinans perfodit. Sic effugit Sedechias cum Principibus. Et sunt qui conjectent illos parietem horti regii, per cujus viam elapsi esse scribuntur, perfregisse manibus, ut qui ad manum idonea instrumenta non haberent: & valde verisimile est.

6. *Faciem tuam velabis*] Cæcitatem innuens quæ Regi accidit: nam effossi sunt ei oculi. Significat præterea eos in caligine abituros, faciem ob pudorem operturos, nè vel terram ipsam aspicerent.

12. *In humeris portabit*] Pallium vel vestes conjiciet in humeros.

14. *Et ipsam non videbit*] Quia eruit oculos ei Rex Babylonis.

20. *Et scietis*] Flagella enim adhibentur ut agnoscatur Dominus.

22. *In longum differentur dies*] Videlicet de quibus Prophetæ loquuntur, h. e. in risum exibit illorum Prophetia.

LUCAS BRUG.

4, 7. Q*Uasi vasa transmigrantis*] Quidam codices uno versu legunt, *transmigrationis*, altero *transmigrantis*, quidam utroque *transmigrationis*; complures utroque *transmigrantis*. Hebraicè utrobique est גולה, quod si legas ut in punctatis est Bibliis, גּוֹלָה, *transmigrationem*; si גֹּלָה, *transmigrantem* significat. גֹּלָה legerunt Græci & Chaldæus: verterunt enim, illi *αἰχμαλωσίαν captivitatem*: hic גלותא *transmigrationem*. Latinus Interpres, ut etiam hi, versu tertio legit גּוֹלָה; nam transtulit, codicibus sibi consentientibus, *transmigrationis*: sed quarto & septimo versibus utrum legerit, utrúmve converterit, codices dissentientes incertum reddunt. Ex emendatioribus nostris, O & Q, *transmigrationis* utrobique habent; Brug. Lob. E. L. Pl. m. utrobique *transmigrantis*. Hieronymo adscriptus textus priori loco *transmigrantis*: posteriori *migrantis* scribit. In Commentario Hieronymi, pro prioris loci explanatione legitur, *Collige*, inquit, *sarcinas tuas*, *hæc enim vasa sunt transmigrantis, videntibus eis.*

DRUSIUS.

2. בְּתוֹךְ בֵּית־הַמֶּרִי. ἐν μέσῳ οἴκου παραπικραίνοντος, *in medio domûs exasperantis*] Hieron. *Pro eo Lxx posuerunt in medio iniquitatum eorum*, i. עונם.

3. בֵּית מְרִי. οἶκος παραπικραίνων. Sym. προσερειστὴς *contentiosa*] Plenum est, οἶκος προσερειστὴς *domus contentiosa.*

22. הַמָּשָׁל. Sym. *proverbium*. Omnes alii *parabola*] Hieron. *Quod nos diximus* proverbium *juxta Symmachum*, *omnes alii Interpretes* parabolam *transtulerunt*, *qua Ebraicè appellatur* Masal. *Proverbium*] Παροιμία. *Parabola*] Παραβολὴ, *comparatio.* Aliquando etiam *proverbium* denotat. ¶ וְאָבַד. Sym. διαπνεύσει] Hieron. *Omnis visio peribit*, *vel juxta Sym.* διαπνεύσει, *i. in ventum & auram tenuem dissolvetur.*

24. חָלָק. Omnes, *lubrica*] Hieron. *Ubi à nobis editum est*, neque erit divinatio ambigua, *vertere Lxx* neque divinans juxta gratiam: *pro quo omnes* lubricum *interpretati sunt*, *quod nos* ambiguum *diximus*, *ut decipientia audientes suos Prophetarum verba noscamus.*

GROTIUS.

2. I*N medio domûs exasperantis tu habitas*] *Domûs contumacis.*

Oculos habent ad videndum, & non vident] Ut illa:

——— *video meliora, probóque,*
Deteriora sequor.

Et aures ad audiendum, & non audiunt] Id est, doceri nolunt.

3. *Fac tibi vasa transmigrationis*] Id est, *collige sarcinulas*, ut Juvenalis loquitur. Describit talem commigrationem Martialis isto Epigrammate:

Vidi, Vacerra, sarcinas tuas, vidi.

Vasa pro *sarcinis* etiam Latinè dicuntur: nam indè *convasare.*

Et transmigrabis per diem coram eis] Id est, Migra claro die ipsis spectantibus: rem ipsis eventuram signis exprime.

Si fortè aspiciant] Id est, si fortè moveantur isto conspectu.

Quia domus exasperans est] *Quanquam domus est contumax*: nempe ut incredibile sit vel hoc spectaculo redituram esse ad bonam mentem.

4. *Et efferes foràs vasa tua*] Præmittes sarcinas tuas ipse secuturus.

5. *Perfode tibi parietem, & ingredieris per eum*] Sicut Rex ipse Sedecias perfosso muro erat exiturus, ut explicatur infrà 12. Vide quæ dicta sunt ad Jeremiam XXXIX. 4.

6. *In conspectu eorum in humeris portaberis*] Imò *portabis*, nempe ad victum necessaria.

In caligine efferens] Efferes temetipsum. Nam noctu exiit Sedecias, Jerem. XXXIX. 4. LII. 7.

Faciem tuam velabis, & non videbis terram] Oculos tuos vela, nè aspicias terram hanc Babylonicam, in qua vivis, sicut eam ob cæcitatem, quæ velatis oculis adumbratur, visurus non est Rex Sedecias, infrà 12.

Portentum dedi te domui Israël] Tuis factis ostendere volo quid Judæis sit eventurum, præsertim autem Regi, ut sequitur.

7. *In humeris portatus*] Imò *portavi*, nempe alimenta, ut diximus.

10. *Super ducem*] נשיא est qui *Princeps* est in populo, ut in regnis Rex. Itaque suprà eodem sensu habemus מלך [*Rex*], & נשיא [*Princeps*]: ideoque Lxx נשיא [*Princeps*] interdum vertunt βασιλεὺς [*Rex*].

Onus istud] משא, id est, dirum vaticinium.

11. *Ego portentum vestrum*] Sic Esaias VIII. 18.

12. *Facies ejus operietur*] Cæcitate. Ità factum, ut *ductus sit in Babyloniam*, quod prædixerat Jeremias, & *eam non viderit*, quod dixerat Ezechiel. Quæ duo inter se pugnare crediderat Sedecias: ideóque Prophetis fidem non habuerat, narrante Josepho.

13. *Et extendam rete meum super eum, & capietur in sagena mea*] Omne effugium ei præcludam. Vide II Regum XXV. 5. Jeremiæ XXXIX. 5. LII. 8.

14. *Et omnes qui circa eum sunt, præsidium ejus, & agmina ejus*] Aulicos, satellites, milites.

Dispergam in omnem ventum] Quod significatum per quatuor motus rotarum.

Et gladium evaginabo post eos] Faciam ut aliqui metuant sibi à victoris gladio, trepidique vivant, ut suprà v. 2. 12.

16. *Et relinquam ex eis viros paucos à gladio, & fame, & pestilentia*] Superstites tot malorum.

Ut enarrent scelera eorum in gentibus] Ut dicant causas propter quas excisum erit Templum & Civitas.

18. *Panem tuum in conturbatione comede, sed & aquam tuam in festinatione & mœrore bibe*] Meliùs: *in trepidatione & mœrore.*

19. *Panem suum in sollicitudine comedent*] Nempe in exsilio.

Ut desoletur terra à multitudine sua] *Cùm desolata erit terra.*

22. *In longum differentur dies, & peribit omnis visio*] Est hîc *&* pro *aut*; dicebant enim illi homines, Aut ea quæ prædicuntur multò post nos evenient, aut planè *evanescent*, Διαπνεύσει [*exspirabunt*], ut vertit Symmachus. Utrique membro respondet Deus.

24. *Non enim erit ultrà omnis visio cassa, neque divinatio ambigua in medio filiorum Israël*] *Non ultrà erit Prophetia mendax, & divinatio blandiens.* Ejicientur enim omnes illi falsi Prophetæ XIII. 23.

25. *In diebus vestris*] Vobis viventibus. Simile Matth. XXIV. 34. Hinc interpretare & sequentia.

Jerusalem [vel *super Jerusalem*] *& videbant in gratiam ejus visionem pacis*, i. prædicebant illi omnia felicia ac prospera. ¶ *Et non est pax* ואין שלום] *cùm non sit pax*.

17. *Pone faciem tuam* שים פניך] Hebraismus, Verte te, sive converte te, omissis viris Prophetis, *ad filias*, &c. *Filias populi sui* vocat mulieres quæ erant de populo suo. Non solùm autem erant viri in populo Dei qui falsâ doctrinâ seducebant, sed & feminæ, quas hîc taxare videtur: nisi fortè, ut major sit contemptus, per mulieres intelligat viros nihili & molles, qui linguâ tantùm valerent. ¶ *De corde suo* מלבהן] Hebraismus, quæ ipsæ somniarunt, non quæ revelaverim eis. Priùs dixit in eodem sensu de Prophetis, v. 3. *Væ Prophetis insipientibus qui ambulant post spiritum suum, & nihil viderunt.*

18. *Pulvinaria* כסתות] *Pulvinos: pulvillos.* ¶ *Axillis manuum* אצילי ידי] *Cubitis manuum*, i. brachiorum: h. e. quæ assuere solent pulvillos brachiis eorum qui consulunt ipsas, & velare peplis capita hominum cujuscunque ætatis. ¶ *Staturæ* קומה] i. Ætatis: mutatur enim statura pro ætate cujusque. Doctus inter Hebræos dicit ideo hîc positum esse *staturæ*, quòd illæ juberent eos stare qui ipsas interrogabant. Describit superstitionem quâ utebantur mulieres illæ fatidicæ in prædicendis futuris. Consuebant namque pulvillos, & sciscitantium virorum axillis inducebant, & pepla imponebant capitibus eorum, quasi per hæc indumenta apti fierent ad suscipiendum sacrum oraculum. Quin & ipsæ interim quæ commentæ erant insipientium ingerebant auribus, quòd nempe hæc vel illa eis futura essent. ¶ *Ad venandum animas* לצודד נפשות] i. Ut perdant. Justorum enim animas interficiebant tanquam essent captæ in retibus illarum. ¶ *Venabimini* תצודדנה] i. Perdetis: q. d. numquid permittam ut perdatis: h. e. imponatis populo meo, prædicendo illis omnia adversa ac infelicia? ¶ Quæ sunt *vobis* לכנה] Scribitur לכנה pro שהן לכן *quæ sunt vobis*, *quæ ad vos pertinent*, h. e. vestras. Quidam, *quæ vestræ sunt*, i. credunt vobis. Alii, *quæ ad vos*, sub. *veniunt*. ¶ *Vivificabitis* תחיינה] Promittendo scilicet illis omnia felicia: q. d. Res aliter continget quàm speretis: nam prospera impiis non evenient, ut denunciatis, sed vobis & vestris auditoribus infelicia omnia. Vide v. 22.

19. *Pro pugillis hordei* בשעלי שעורים] i. Pro minima mercede. ¶ *Quæ non morientur* אשר לא תמותנה] Sub. *propter prædictionem vestram:* vel, *quæ sunt immortales*.

20. *Ecce ego*, &c. הנני אל כסתותיכנה] Aposiopesis: subaudi, *missurus sum iram meam:* q. d. brevi perdam omnia instrumenta quibus eluditis populum meum. ¶ *Ut avolent* לפורחות] Chald. *ut pereant*. ¶ *Et dirumpam* וקרעתי] *Et avellam*. Alii, *& conscindam*, vel *lacerabo*. ¶ *Et dimittam* ושלחתי] *Et amandabo:* i. eripiam. ¶ *Quas venamini*, &c. אשר אתם וגו'] Ordo inversus, *animas*, inquam, *quas venamini ut avolent*. Alii vertunt, *animas*, inquam, *ut sint avolantes*, sub. *è manibus vestris:* q. d. liberabo eas è manibus vestris.

22. *Dolore affecistis* הכאות] *Mœrore affecistis*. ¶ *Mendaciter* שקר] *Mendacio:* i. Prophetia vanâ, prædicendo scilicet illis adversa & infelicia nomine meo, idque falsò. ¶ *Et ego*, &c. ואני לא הכאבתיו] Hebraismus, cujus doloris ego non fui causa. ¶ *Et* propterea, &c. ולחזק] *Et* propterea quòd *confirmastis: confortastis*. Alii volunt hoc loco vacare *&*, vertentes, *ad confirmandas manus impii*. Sunt qui alteram partem subintelligunt, hoc modo, *ut errare faceretis justum, & confirmaretis manus impii*. ¶ *Vivificando eum* להחיתו] i. Dicentes quòd viveret, ut exponit doctus inter Hebræos: q. d. promittendo illi omnimodam felicitatem.

23. *Vanum non videbitis* שוא לא תחזינה] i. Prophetiam falsam non prædicetis.

CASTALIO.

4. Silvestrium *vulpium similes sunt tui Vates*] Fallaces Vates Dei iram non avertunt.

10. *Dicendo, pacem*] Salvam esse rem. ¶ *Quem exstruxit ille murum, illi inconditè trullissant*] Hierosolymam, quam Jova condidit, Vates malè tuentur, falsa promittendo: quæ res ruinæ causa erit.

18. *Væ quæ pulvinulos consuitis ad omnium manuum axillas, facitisque cervicalia ad omnis staturæ caput*] Sc. omnium hominum. ¶ *Animas vobis conservatis*] Quibus vultis vitam promittitis meo nomine: quæ res efficit ut ego vanus esse videar, dum morte dignis vitam per vos promittere videor, & contrà.

CLARIUS.

4. Quasi *vulpes in desertis*] Comparantur falsi Prophetæ & seductores populi Vulpibus subdolis, quæ per laceratas sepes & neglectas cortes intrant, & lædunt. Nam vox Hebræa significat *loca sepium disrupta*, per quæ bestiis patet locus intrandi. Porrò Israel est *vinea Domini Sabaoth*; & *Prophetæ* falsi sunt *vulpes*; *interruptio* autem *sepis* est parva fides simplicium. Queritur ergò adversus Principes, in quorum potestate erat perdere falsos Prophetas, quòd *non ascenderint per interruptiones*, vel *in illas fracturas:* nam perstat in Metaphora. Debuerant enim animam suam ponere pro ovibus suis, & sese veluti murum opponere falsis Prophetis.

5. *In die Domini*] h. e. In die iræ Divinæ.

9. *In concilio populi mei*] h. e. Non admittentur in concilium electorum & bonorum in Israel. ¶ *Et in scriptura domûs Israel non scribentur*] Alludit ad Mosen, qui de libro Viventium potiùs deleri voluit quàm ut populo peccatum asservaret Dominus. Jonathas sic vertit, *non erunt in secreto bono quod repositum est populo meo, nec in catalogo justorum scribentur*, h. e. in libro Vitæ.

10. *Ipse ædificabat parietem*] Pseudopropheta lactabat miseram plebem, illa acquiescebat. Alius sic, *Ruinosus paries erat populus Jerosolymitanus, lictores ejus falsi Prophetæ, qui dicebant, Pax, pax.*

11. *Et dabo lapides*] Alius vertit, *Et vos, ô lapides grandinis, ruere facietis ædificium.*

18. *Consuunt pulvillos*] Mulierculæ magicâ instructæ arte *consuebant pulvillos*, & sciscitantium virorum axillis inducebant, & *pepla*, h. e. tenuissimos lineos pannos, imponebant *capitibus* eorum quasi per hæc indumenta apti fierent ad suscipiendum oraculum sacrum. Quin & ipsæ interim ea quæ commentæ erant insipientium ingerebant auribus, quòd scilicet hæc vel illa eis eventura essent. Sunt tamen qui interpretentur *pulvillos consuere* pro *grata & prospera promittere*. ¶ *Et faciunt cervicalia sub capite universæ elevationis*] h. e. Ut caput sit paulò elevatius reliquo corpore. Alius vertit, *Et faciunt pepla super caput cujuscunque staturæ:* & sic exponit, *quod viri & mulieres erecti stabant ante illas pseudo-prophetissas, & earum incantamentis dementati, quod volebant didicerunt.* ¶ *Et vivificabitis animas vestras*] h. e. Eorum qui vestris vaticiniis credunt: sic enim vir quidam eruditus interpretabatur.

19. *Propter pugillum hordei*] *Pugillum hordei* & *frustum panis* is qui consulebat divinatrici dabat; quæ munera inter orgia sua peragenda, ut videtur, ceu oblationem acceperunt. ¶ *Et vivificandas animas*] Hoc non dicitur quòd ipsæ vivificarent morituras animas, sed quòd impios homines seduxerint mendacibus suis verbis, quasi animas eorum morituras vivificare potuerint.

20 *Capitis animas volantes*] Ut sint advolantes & venientes ad eos, h. e. alliciunt animas mendaciis suis, ut eas perdant. ¶ *Animas ut avolent*] h. e. Quæ per me avolabunt liberatæ à venationibus vestris.

DRUSIUS.

4. כְּשֻׁעָלִים בֶּחֳרָבוֹת נְבִיאֶיךָ יִשְׂרָאֵל הָיוּ. Sym. ὡς ἀλώπεκες ἐν ἐρειπίοις οἱ προφῆταί σου, Ἰσραήλ, *sicut vulpes in parietinis Prophetæ tui, Israel*] A. & Lxx ἐν ταῖς ἐρήμοις. Theodoretus, ταῦτα ὁ Σύμμαχος σαφέστερον ἡρμήνευσεν, ὡς ἀλώπεκες ἐν ἐρειπίοις, &c. Hier. *Prophetæ Israel vulpium similes sunt, quotidie domesticarum avium furta facientes, qui habitant juxta Aquilam & Lxx* in desertis, *juxta Sym. & Th.* in parietinis atque ruinosis.

5. לֹא עֲלִיתֶם וגו'. Sym. οὐκ ἀνέβητε εἰς τὰς διακοπὰς, οὐδὲ περιεφράξατε φραγμὸν περὶ τοὺς υἱοὺς Ἰσραήλ, ὥστε τοῦ στῆναι ἐν πολέμῳ ἐν ἡμέρᾳ Κυρίου, *non ascendistis ad intercisiones, neque obsepivistis sepem circa filios Israel, ad standum in prælio in die DOMINI*] Alibi est ὡς ἐν πολέμῳ *tanquam in prælio*. Vide Theodoretum.

7. וְאֹמְרִים נְאֻם יְהוָה וַאֲנִי לֹא דִבַּרְתִּי. Καὶ ἐλέγετε, Φησὶ Κύριος, καὶ ἐγὼ οὐκ ἐλάλησα] Hier. *Quódque sequitur*, & dicebatis, Dicit DOMINUS, & ego non sum locutus, *in LXX non habetur.*

9. בְּסוֹד. Sym. ἐν ὁμιλίᾳ] Hier. *in concilio*. Lxx ἐν παιδείᾳ *in disciplina*, sive *correptione*, ביסור. Res pro Daleth. Amos 3. 7. סודו. Th. τὴν βουλὴν αὐτοῦ, *consilium suum*. Hier. *secretum suum*.

14. טָחִים תָּפֵל. Sym. *linebatis absque temperamento*. A. ἀνάλῳ *absque sale*. Th. *stultitiâ*] Hier. *Ipsúmque parietem linebant Pseudoprophetæ* absque temperamento, *ut interpretatus est Symmachus, h. e. puro luto, & quod paleas non haberet, ut nec præbere posset aliquam fortitudinem: ut verò Lxx & Theodotio*, linunt cum stultitiâ: *Aquila autem verbum Ebraicum THAPHEL interpretatus est ἀνάλῳ, quod significat* absque

absque sale, *de translatione transiens ad aliam translationem: ut quomodo cibus absque sale nullum habet saporem, ità & lutum absque paleis, quibus firmatur & stringitur, nil roboris possit præbere parieti.* Schol. Ebræus habet χρίουσι τὸν τοῖχον πηλῷ ἄνευ ἀχύρων, *liniunt parietem luto absque palea.* Ἀνάλῳ] *Re insulsâ.* Nam ἄναλος *insulsus.* Job. 6. 6. Sym. ἀνάρτυτον *inconditum.* Hier. *insulsum.* Santes, *insipidum. Absque sale*] Vel *insulsè*: quod per Translationem accipitur interdum pro *ineptè, insipienter.* Ergò Theodotio vertit *stultitiâ*, i. ἀφροσύνῃ. Sic etiam, teste Hieronymo, Lxx. Quanquam in libris πεσεῖται, i. חָפֵל, aliis apicibus. In C. utrumque est, ἀφροσύνῃ, πεσεῖται.

18. הוי לְמְתַפְּרוֹת וגו׳. Sym. καὶ τῶν συῤῥαπτούσαις ὑπαγκώνια ὑπὸ πάντα ἀγκῶνα χειρὸς, καὶ ποιούσαις ὑπαυχένια πρὸς κεφαλῆς πάσης ἡλικίας εἰς τὸ θηρεύειν ψυχὰς, *Va consuentibus pulvinos sub omni cubito manûs, & facientibus cervicalia ad caput omnis ætatis ad venandum animas*] Hoc fragmentum invenies apud Theodoretum in edit. Rom.

22. הַכְאוֹת. A. ἐχειμάζετε *fluctuare faciebatis.*

G R O T I U S.

2. F*Ili hominis, vaticinare ad Prophetas Israel*] Mitte illis falsò se dicentibus Prophetas hanc Epistolam.

Prophetantibus de corde suo] Pro lubitu animi sui, quod mox dicet, *qui sequuntur spiritum suum.*

3. *Et nihil vident*] *Cùm nihil viderint*: id est, nullam habuerint ὀπτασίαν [*visionem*].

4. *Quasi vulpes in desertis Propheta tui Israel erant*] Meliùs *sunt. In locis desertis*, id est, ubi nihil est quod edant. Tales enim feræ famelicæ sunt: ejusdemmodi illi falsi Prophetæ.

5. *Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel*] Interea *non stetistis in capta parte muri, neque opposuistis munimentum pro domo Israel.* Ubi hostis urbem oppugnat, & mœnium partem arietibus disjecit, duo fieri solent: opponi homines, qui hiantia defendant, & muniri interiora. Sic Deo irato ii qui Prophetæ dici volunt debent opponere consilia & monita. Locutio prior sumta ex Psalmo CVI. 23. & XXX. vide infrà XXII. 30.

Ut staretis in prælio in die Domini] Meliùs, *ut ea domus*, id est, urbs, *stet in prælio in die Domini*: pro, *stet in die oppugnationis quam Deus facit.* Adversùs eam nulla est defensio, nisi in resipiscentia, & piis precibus.

6. *Vident vana*] — *Ipsi sibi somnia fingunt.*

Et divinant mendacium] In Hebræo: *Et divinationem mendacem.*

Dicentes, Ait Dominus] Mendacio ingens addunt crimen, Deum auctorem inscribendo.

Cùm Dominus non miserit eos] *Mittere* est mandatum dare.

Et perseveraverunt confirmare sermonem] *Et spem faciunt* (populo) *ratum fore quod dicunt.* Falsâ spe lactant populum.

8. *Ego ad vos*] *Venio* scilicet.

9. *In consilio populi mei non erunt*] Populus rediens illorum consilio non utetur, ut antè.

In scriptura domûs Israel non scribentur] Quod plus est, non erit nomen illorum in catalogo redeuntium.

Nec in terram Israel ingredientur] Aut antè mortui, aut à piis exclusi.

10. *Dicentes, Pax; & non est pax*] Dicentes salva omnia, cùm tamen salva non sint.

Et ipse ædificabat parietem] *Ipse* (populus) *ædificat parietem*, id est, malos mores accumulat.

Illi autem] Falsi Prophetæ.

Liniebant eum luto absque paleis] In Hebræo: *Liniunt inepto*, supple *tectorio*, quale esse solet lutum sine paleis, aut sine ulla temperatura. Efficere volunt ut fœditas vitiorum non appareat: sed inutilem sumunt operam.

11. *Erit enim imber inundans*] Qui lutum merum facilè dissolvit.

Et dabo lapides prægrandes desuper irruentes] In Hebræo: *Et vos, ô lapides Elgabis, cadetis. Gabis* est pyropus, ut dictum Jobi XXVIII. 18. *El* verò articulus Arabicus. Sensus est: cadent de cœlo igniti lapides similes pyropo.

Et ventum procella dissipantem]. *Et ventus procellosus dissipabit*, parietem scilicet.

14. *Et destruam parietem*] Cadent illi cum suis moribus.

17. *Contra filias populi tui qua prophetant de corde suo*] Quia in populo Dei interdum etiam feminæ Prophetiæ dono donatæ fuerant, ut Debora & Olda, ideo & aliæ mulieres hunc honorem sibi arrogabant, Deo non dante.

18. *Consuunt pulvillos sub omni cubito manûs*] Quibus homines suaviter innitantur. *Manum* pro *brachio* dicere Hebræorum est.

Et faciunt cervicalia sub capite universæ staturæ] מספחות David Kimchi ait esse velamina, *quibus mulieres faciem velant.* Græci hic dicunt ἐπιβόλαια [*injecta*]. Sic illæ Prophetides magnis & parvis suggerebant prætextus ad obtegenda vitia.

Ad capiendas animas] Id est, *ad venandum animas*: ad homines allieiendos in sui amorem.

Et cùm caperent animas populi mei vivificabant animas eorum] In Hebræo: *Nonne venamini animas populi, & ubi vestra sunt eis vitam promistis?* Nam apud Hebræos etiam declarandi verba faciendi vocabulis appellantur.

19. *Et violabant me in populo meo*] In Hebræo: *Et profanatis me ad populum meum.* Id est, nomen meum falsò usurpatis.

Propter pugillum hordei, & fragmen panis] Victûs causâ mentimini, Michææ III. 5. Persimile illud Catonis: *Frustro panis conduci potest, vel uti taceat, vel uti loquatur.*

Ut interficerent animas qua non moriuntur] *Ad interficiendas animas qua non morientur.* Id est, ad prædicendum exitium piis Prophetis, quos ego servabo.

Et vivificarent animas qua non vivent] *Ad vivificandas animas qua non vivent.* Ad salutem promittendam iis quos ego perdere statui.

20. *Quibus vos capitis animas volantes*] *Quibus vos venamini animas ad pubem*, scilicet vestram: eò enim illos amore vestro captos attrahetis. פרח est *flos*, & metaphoricè *pubes*, in Baal Aruch, & alibi.

21. *Et dirumpam cervicalia vestra*] Velamina facierum.

Neque erunt ultrà in manibus vestris ad prædandum] *Et non erunt ultrà obnoxia vestris venatibus.*

22. *Pro eo quòd mœrere fecistis cor justi mendaciter*] Id est, calumniis vestris.

Confortastis manus impii] Animum ei addidistis.

Et viveret] In Hebræo, *vivificando eum*: id est, vitam ei promittendo.

23. *Propterea vana non videbitis, & divinationem non divinabitis amplius*] In obsidione peribitis fame, peste, telis Chaldæorum.

C A P. XIV.

M U N S T E R U S.

3. P*Rodiderunt immunditias suas ex corde suo*] Vel verte sic, *Fecerunt ascendere abominationes suas super cor suum*, h. e. non renunciaverunt idolorum cultui, quantumlibet foris videantur per te consulere Dominum & sciscitari de voluntate ejus, imò *statuerunt offendiculum iniquitatis suæ ante faciem suam*, h. e. timent adhuc idola tanquam Deum, ut R. S. exponit. Hæc cùm ità sint, *numquid respondebo eis cùm me consultant*, quem pro Deo ex corde non habent?

5. *Ut deprehendam domum Israel*] h. e. Respondebo quidem eis, non secundùm postulationem eorum, sed ut manifestum fiat quod absconditum tenent in corde suo.

8. *Perdam eum*] Chaldæus Interpres legit hìc verbum השמותיו cum Sin Smol, atque ideo vertit ואשויניה *ponam eum.*

9. *Ego Dominus seduxi Prophetam illum*] i. Ego cùm sim justus utor eo pro vase iræ, sicut & ego induravi cor Pharaonis ut persequeretur populum meum in suam perniciem, & ego trado hominem in manum alterius, à quo fortuitò occiditur, de quo Exo. 21. Et hæc quidem omnia non fiunt sine causa, sed quæ nobis est occulta, Deo autem manifesta. Alii sic hunc locum exponunt, *impellit Deus pseudoprophetam juxta malitiosum cordis ingenium, ut in apertum peccatum abditum proferatur.* Cur autem gratiam non dederit, ut aliis, nemo explicabit.

11. *Ut scilicet domus Israel amplius non errent*] Hoc dicitur, quòd pii ex aliorum seductionibus non solùm non moventur, sed etiam confirmantur.

14. *Si fuerint tres viri illi in medio ejus*] Sensus est, Unusquisque suâ salvabitur fide. Inducuntur autem tres illi viri, *Noah, Daniel* & *Ijob*, quòd magnam experti sint felicitatem & calamitatem, ut Kimhi hic latè explicat. *Pereunte toto mundo Noah salvatus est suâ fide & justitiâ*, h. e. gratiâ justificante: *Pereuntibus filiis Ijob, ipse superstes mansit: Pereunte urbe Jerusalem, jam Daniel salvus in captivitatem abierat.*

abierat. Viderunt isti, inquit Kimhi, *tria secula: ut Noah vidit seculum ante Diluvium, vidit in Diluvio, atque reparationem ejus post Diluvium. Vidit Daniel templum stans, vidit desolationem ejus, & vidit reædificatum*, (*sc. edicto Cyri.*) *Sic Ijob vidit felicitatem suam, vidit deinde filiorum & omnium bonorum interitum, & rursus vidit se restitutum. Passi sunt hi tres viri maximas tentationes, sed confisi de Deo firmi perstiterunt. Qualia putas passum Noah centum illis & viginti annis, quando perverso & incredulo seculo suo intimavit horribile Dei judicium, adversantibus omnibus hominibus? Quid horroris passus est Daniel, invidiâ malorum hominum conjectus in lacum leonum? Porrò quàm variè tentatus sit Ijob, neminem latet. Et tamen viri illi fide suâ tantum seipsos liberaverunt.*

21. *Quantò magis*] Est אף כי hîc idem quod כל שכן, & est sensus, Unaquæque ex dictis plagis perdit nationem totam; *quantò magis* delebunt omnes *quatuor* immissæ? Omnes autem *quatuor in urbem Jerusalem mittam*, & tamen non redigetur ad internecionem, sed *relicta est in ea salvatio filiorum & filiarum, qui ad vos* in Babylonem *ducentur, & tunc cognoscetis* eos justo Dei judicio percussos: quod *vos* in captivitate *consolabitur.*

VATABLUS.

1. *Viri* אנשים] Pro *quidam* positum est more Hebræorum.

3. *Ascendere fecerunt idola*, &c. העלו גלוליהם וגו'] Hebraismus, in animum induxerunt cultum idolorum, sive ex animo colunt idola, & iniquitatem suam in quam impingunt, proposuerunt sibi, q. d. Viri qui sedent coram te, sunt idololatræ ex animo, magnam tamen præ se ferentes religionem: nam idololatriam habent non tantùm in corde, sed etiam in oculis; h. e. cultu etiam externo colunt idola: hoc enim pertinet ad cultum externum, prius verò cultum internum. Est autem idolum quod colitur, offendiculum in quod idololatræ peccando impingunt. Idola vocat *immunditias*: nam id significat גלולים, & ità quidam vertunt. Agnoscit autem impostores revelante Spiritu. ¶ *Num interrogatus*, &c. האדרש וגו'] *Num rogatus respondebo eis?* q. d. Non respondebo eis pro voto suo, sed ut revelem secretas cogitationes eorum. Verbum enim דרש in conjugatione Niphal significat *respondere quod ab alio consulitur*: nam qui respondet, videtur quasi pati & affici ab interrogante. Quidam vertunt, *Num requisitus consultationi eorum adero?* Alii, *Num interrogando interrogabor eis?* vel, *num quærendo quærar eis?* Geminatio ista verbi ad rem corroborandam sive confirmandam posita est, ut ait doctus inter Hebræos.

4. *Quicunque* איש איש] Ad verb. *Vir vir.* ¶ *Ascendere fecerit*, &c. יעלה וגו'] Vide versu præcedenti. ¶ *Ad Prophetam* אל הנביא] Sub. *verum, interrogaturus eum.* ¶ *Respondebo*, &c. נעניתי לו וגו'] Præt. Heb. pro fut. Alii, *exorabilis ero ei*: vel, *exorabilem me faciam ei.* Ut scilicet revelem secretum cordis ejus, non ut dem ei petitiones cordis ejus, ut sequenti versu exponit. Varia est lectio Hebræis in בה: scribitur enim בה, cum ה, & legitur בא cum א. Unde quidam vertunt, *eò quòd venit*, &c. ¶ *In multitudine idolorum suorum* ברב גלוליו] i. Tametsi fuerit maximus idololatra.

5. *Capiam* לתפש] *Deprehendam*: i. carpam. Hebraismus, ut revelem cogitationes ipsorum. ¶ *Quòd separaverint*, &c. אשר נזרו מעלי] *Qui separaverunt se de super me*: i. nè sequantur me: *subduxerunt sese à me*: à נזר *separavit*. Alii, à זור *alienavit*, vertunt *nam abalienati sunt à me*: sive *alienaverunt se universi per idola sua.*

6. *Alios*] Alii subaudiunt *oculos vestros*. Alii *uxores vestras*. *Converti facere* pro *ad resipiscentiam invitare* positum est. ¶ *Converti facite facies vestras* השיבו פניכם] *Avertite facies vestras*: i. reipsâ desistite colere idola. Hebraismus.

7. *Si quispiam* כי איש איש] Ad verb. *Quia vir vir.* Latinè, *Nam quicunque.* ¶ *Separaverit se*, &c. וינזר וגו'] *Subduxerit sese à me.* Idem verbum quod v. 5. ¶ *Et ascendere fecerit*, &c. ויעל גלוליו וגו'] Vide ista v. 3. ¶ *Ut inquirat eum propter me* לדרש לו בי] *Ut consulat eum de me.* Quidam, *ut consulat me per eum.* ¶ *Respondebo ei propter me* נענה לו בי] Vide v. 4. idem verbum.

8. *Et dabo* ונתתי] *Dare* pro *ponere* positum, more Hebræo: i. animadvertam in eum. Chald. *Et ponam iram meam in eum hominem.* ¶ *In signum, & in proverbia* לאות ולמשלים] Hebraismus, efficiam ut sit aliis exemplo, & vice fabulæ.

9. *Verbum* דבר] Sub. *aliquod falsum.*

10. *Sicut* est *iniquitas*, &c. כעון הדרש וגו'] Ad verbum, *Sicut iniquitas quærentis, sicut iniquitas Prophetæ erit.* Modus loquendi quem sic exponunt quidam ex doctioribus Hebræorum, *Iniquitas quærentis erit sicut iniquitas Prophetæ, & iniquitas Prophetæ erit sicut iniquitas quærentis*: i. ut punientur qui fictè consulunt Prophetam ità Propheta ipse punietur; & contra. *Iniquitatem* vocat pœnam iniquitatis, & *quærentem* consulentem Prophetam.

11. *Non eundo post me* מאחרי] Ad verb. *de post me*, i. recedendo à me.

13. *Cum peccaverit mihi* כי תחטא לי] *Si peccaverit contra me*: i. cùm regio aliqua peccaverit in me gravissimè. ¶ *Extendam*, &c. ונטיתי וגו'] *Et extendero manum meam super eam, & contrivero ei virgam panis*: vel *sustentaculum*, sive *fulcimentum*. Metaphora sumpta à scipione, quem si detrahas homini infirmo, aut senio confecto, corruet: ità perit homo, detracto illi cibo. Pendet sententia usque ad 16 versum, in quo perficitur. Quidam ו & quod est ante *extendam* vacare volunt; quorum sententiam secutus est noster Interpres. ¶ *Et mittam* והשלחתי] Hic ו & pro *id est* positum. ¶ *Et succidere faciam* והכרתי] *Cum succidero*, vel *excidero*, i. interfecero & exterminavero.

14. *Et si fuerint* והיו] Doctus inter Hebræos annotat ו positum esse pro אם *si.* ¶ *Ipsi justitiâ suâ* המה בצדקתם] *Ipsi per justitiam suam*, i. ipsi soli propter pietatem suam liberabuntur: nam v. 17. additum est *soli liberabuntur.*

15. *Per terram* בארץ] i. Per regionem illam quæ peccaverit in me. ¶ *Et orbaverit eam* ושכלתה] i. Privaverit eam incolis. Seipsum declarat verbis sequentibus. ¶ *Desolata absque transeunte* שממה מבלי עובר] Ad verb. *desolatio à non transeunte*, i. ità desolata ut nemo per eam iter faciat. Jeremias, 51. 43. sic extulit, *Terra in qua non habitabit quisquam, nec transibit per eam filius hominis.* Quidam vertunt, *ità ut desolata sit propterea quòd nemo per eam transeat, propter illas bestias.* Sing. Heb. pro plur.

16. Quòd *neque filios*, &c. אם בנים וגו'] Ad verb. *si filios, & si filias liberabunt*: q. d. Juro ego, nè parvulis quidem ejus regionis cujuscunque ætatis fuerint me parciturum propter eos. ¶ *Erit desolatio* תהיה שממה] Hebraismus, pro *desolabitur*, sive *destruetur*, *terra illa quæ in me peccavit.*

17. *Vel* si *gladium* או חרב] *Aut gladium.* Alii, *cùm gladium.* Intellige maximum militum armatorum exercitum: q. d. *milites armatos.* ¶ *Gladie, transi* חרב תעבר] *O ensis, transi.* Fut. Heb. pro imperat.

19. *In sanguine* בדם] Sub. *corrupto*; *propter sanguinem corruptum*: i. effecero ut sanguis humanus corrumpatur propter aeris corruptionem. ¶ *Ut succidam* והכרתי] *Ut exterminem.*

20. *Si filium*, &c. אם בן אם בת] Vide v. 17. ¶ *Ipsi justitiâ suâ* המה בצדקתם] Vide v. 14.

21. *Quantò magis* אף כי] Hic אף כי pro כל שכן, hoc sensu, Unaquæque ex dictis plagis perdidit nationem totam: quantò magis delebunt ipsæ quatuor immissæ? Ipsas autem quatuor in urbem Jerusalem mittam: & tamen mitiùs agam cum ea: nam non redigetur ad internecionem, &c. ut versu sequenti docet. ¶ *Judicia mea* שפטי] i. Flagella quibus orbem punio.

22. *Attamen remanebit* והנה נותרה] Ad verb. *Et ecce remanens*, i. remanebunt ex ea aliquot qui evadent: nempe *qui abducentur*, &c. ¶ *Qui abducentur* המוצאים] Ad verb. *abductorum*: q. d. Aliter agam cum populo meo quàm cum alieno: nam etsi immisero omnia flagella in populum meum, erunt tamen aliqui superstites, idque ad gloriam nominis mei: nam videbuntur opera eorum mala, unde cognoscetur eos solâ Dei misericordiâ servatos. ¶ *Viam eorum* את דרכם] i. Vivendi rationem eorum malam. ¶ *Induxero* הבאתי] Ad verb. *venire feci.* Præt. Heb. pro fut.

23. *Et consolabuntur vos* ונחמו אתכם] *Et consolationem afferent vobis.* ¶ *Et scietis* וידעתם] *Tunc demum cognoscetis.* ¶ *Feci*, &c. עשיתי את כל אשר עשיתי] Præt. Heb. pro fut. *fecero omnia quæ fecero.*

CASTALIO.

9. *QUI vates autem deceptus aliquid dixerit, illum ego vatem Jova decepi*] Falso spiritu afflavi. Vide 3 Reg. 22. Malo consultari malum Vatem dat Deus, & contrà.

14. *Hi tres viri, Noa, Daniel, & Jobus*] Pauci viri boni, quales fuerunt illi.

22. *Tamen supersunt in ea qui elapsi educantur*] Cæterarum quidem nationum sontes omnes punio, solis parcens insontibus. At in Israelitas sum clementior: id quod indè licet intelligi, quòd cùm sint omnes Israelitæ nocentes, & ideo omnes interficiendi si summo jure uti velim, tamen evadent nonnulli, meâ videlicet clementia conservati: qui cùm ad vos pervenerint,

rint, capietis indè consolationem, & intelligetis, quòd Hierosolymam ità affecerim, me meritò fecisse; quòd autem nonnullos reliquos fecerim, fecisse misericorditer, cùm eorum scelera eversionem mererentur Sodomitanæ similem. Vide Amos 9. & Abdiam.

CLARIUS.

3. P*Osuerunt idola sua*] h. e. Non renunciaverunt idolorum cultui, quantumlibet foris videantur per te consulere Dominum, imò *statuerunt offendiculum iniquitatis suæ ante faciem suam*, h. e. timent adhuc idola tanquam Deum. Hæc cùm ità sint, *numquid respondebo eis cùm me consultant*, quem pro Deo ex corde non habent?

5. *Ut capiatur domus Israel in corde suo*] h. e. Respondebo quidem eis, non secundùm postulationem eorum, sed ut manifestum fiat quod absconditum tenent in corde.

9. *Decepi Prophetam illum*] h. e. Ego cùm sim justus, utor eo pro vase iræ, sicut & ego induravi cor Pharaonis ut persequeretur populum meum in suam perniciem; & *ego trado hominem in manum alterius*, à quo fortuitò occidetur, de quo Exod. 21. Et hæc quidem omnia non fiunt sine causa, sed quæ nobis est occulta, Deo autem manifesta. Alii sic hunc locum exponunt, *Impellit Deus Pseudoprophetam juxta malitiosum cordis ingenium, ut in apertum peccatum abditum proferatur.*

10. *Juxta iniquitatem*] h. e. Pœnam iniquitatis.

11. *Ut non erret*] Est hic versus in consolationem piorum dictus, qui ex aliorum seductionibus, quæ hactenus expositæ sunt, non solùm non moventur, sed etiam confirmantur.

16. *Tres viri isti*] Sensus est, Unusquisque suâ salvabitur justitiâ. Inducuntur autem tres illi viri, *Noe*, *Daniel* & *Job*, quòd magnam experti sint & felicitatem & calamitatem. Pereunte enim toto mundo Noe salvatus est suâ fide & justitiâ: Pereuntibus filiis Job, ipse superstes mansit: Pereunte urbe Jerusalem, jam Daniel salvus in captivitatem abierat. Passi sunt isti tres viri maximas tentationes, sed confisi de Deo firmi perstiterunt. Qualia putas passum Noe centum illis & viginti annis, quando perverso & incredulo seculo suo denunciavit horribile Dei judicium, adversantibus omnibus hominibus? Quid horroris passus est Daniel, invidiâ malorum hominum conjectus in lacum leonum? Porrò quàm variè tentatus sit Job, neminem latet. Et tamen viri illi suâ justitiâ tantùm seipsos liberaverunt. Apparet autem Danielem non tam puerum fuisse ætate cùm abiret in captivitatem, sed jam insignem justitiâ, quòd à coætaneo Propheta mox in captivitate tanto elogio afficeretur.

22. *Relinquetur in ea salvatio*] Omnes, inquit, *quatuor has plagas in urbem Jerusalem immittam*, & tamen non redigetur ad internecionem, sed *relicta est in ea salvatio filiorum & filiarum, qui ad vos* in Babylonem *ducentur, & tunc cognoscetis* eos justo Dei judicio percussos: quod vos in captivitate *consolabitur.* Et observa quàm sæpe Prophetæ servandarum reliquiarum mentionem faciant.

DRUSIUS.

1. מִזִּקְנֵי יִשְׂרָאֵל. *ἐκ τῶν πρεσβυτέρων τοῦ Ἰσραὴλ, ex Senioribus Israel*] Aliàs, *ἀπὸ τῶν πρεσβυτέρων*, & apud Hier. *de Senioribus.*

3. הָאֲנָשִׁים הָאֵלֶּה וגו׳. Aquila, *οἱ ἄνδρες οὗτοι ἀνήνεγκαν τὰ εἴδωλα αὐτῶν ἐπὶ καρδίας αὐτῶν, καὶ σκάνδαλον ἀνομίας αὐτῶν ἔδωκαν ἀπέναντι τοῦ προσώπου αὐτῶν, Viri isti dedicarunt idola sua in corde suo, & scandalum iniquitatis suæ posuerunt contra faciem suam*] Theodoretus, *Apertiùs hoc Aquila est interpretatus*, Viri isti, *&c.* Hier. *Fili hominis, isti viri qui coram te sedent, posuerunt immunditias suas in cordibus suis, sive cogitationes, & juxta Sym. & Th.* idola & scandalum, *i. ruinam atque tormentum*, iniquitatis suæ posuerunt contra faciem suam.

4. גִלּוּלָיו. Sym. Th. *idola sua.*

8. לְאוֹת. *εἰς σημεῖον in signum.*

9. דָּבָר. *λόγον sermonem.*

10. כַּעֲוֹן הַנָּבִיא יִהְיֶה. *ὡσαύτως καὶ τὸ ἀδίκημα τοῦ προφήτου ἔσται, similiter & iniquitas Prophetæ erit.*

GROTIUS.

1. E*T venerunt ad me viri Seniorum Israel*] *De Senioribus Israël.* Saraias & qui cum eo à Sedecia missi Babylonem, Jerem. LI. 59. Hi Ezechielem Prophetiæ famâ celebrem in itinere compellandum sibi duxêre.

3. *Posuerunt immunditias suas in cordibus suis*] Id est, idololatriam toto animo gestant.

Et scandalum iniquitatis suæ statuerunt contra faciem suam] Id est, idola quotidie illorum oculis obversantur.

Numquid interrogatus respondebo eis?] Id est, *consilium darem?* non est æquum.

4. *Homo, homo*] Id est, quisquis fuerit.

Ego Dominus respondebo ei in multitudine immunditiarum suarum] In Hebræo, *Respondebo ei: venit in multitudine immunditiarum suarum.* Ecce ille ad me venire audet, animum habens idololatriæ plenum.

5. *Ut capiatur domus Israël in corde suo*] *Ut reprehendatur* (id est, convincatur) *domus Israël in corde suo.*

7. *Et de proselytis quicunque advena fuerit in Israël*] *Aut de incolis qui incolunt terram Israel.* Nam & extranei qui inter Israëlitas vivebant, etiamsi Legi se non subjecissent, tenebantur tamen ab idololatria se abstinere.

Ego Dominus respondebo ei per me] Factis ei respondebo.

9. *Et Propheta cùm erraverit*] *Cùm seductus fuerit*, nempe spe lucri.

Et locutus fuerit verbum] Quasi à Deo sibi imperatum.

Ego Dominus decepi Prophetam illum] *Decipiam.* Exitum illi inferens quem non exspectat.

10. *Juxta iniquitatem interrogantis, sic iniquitas Prophetæ erit,*] Id est, pœnas pariter sentient, & qui emunt vaticinia, & qui vendunt.

11. *Ut non erret ultrà domus Israel*] Seducta scilicet à pseudoprophetis illis.

13. *Ut prævaricetur prævaricans*] מעל [*prævaricatio*] est mutatio cultûs Domini.

Conteram virgam panis ejus] Suprà IV. 16. V. 16.

14. *Noë*] Qui octo homines diluvio eripuit.

Daniel] Qui Chaldæos magos ab imminente morte liberavit.

Et Job] Qui veniam impetravit iis qui ipsum offenderant.

Justitiâ suâ] Ob suas virtutes.

Liberabunt animas suas] Tantùm mediocriter malis ob pios interdum parcitur, non ità contumaciter flagitiosis.

15. *Ut vastem eam*] *Orbaturus eam.*

19. *Pestilentiam*] *Θάνατον* [*mortem*], Græci. Vide quæ dicta ad Matth. XXIV. 7.

In sanguine] Id est, *cum multa hominum strage*, ut hîc Chaldæus. Nam omne mortis immaturæ genus *sanguis* Hebræis.

22. *Tamen relinquetur in ea salvatio educentium filios & filias*] *Etsi maneant aliqui superstites, qui filios ac filias secum educant.*

Ipsi ingredientur ad vos] Illi ad vos deportatos ipsi quoque deportabuntur.

Et videbitis viam eorum, & adinventiones eorum] Id est, ut illorum qui ad vos veniunt testimonio cognoscatur quales illi fuerint quos fami, pesti, gladio, bestiis tradidi. *Videre* apud Hebræos est cognitionem alicujus rei quovis modo adipisci.

Et consolabimini super malo quod induxi in Jerusalem] Minùs dolebitis cùm videritis tam justam fuisse ultionem.

CAP. XV.

MUNSTERUS.

2. E*T labrusca*] Est גפן *vitis silvestris* & infrugifera, ad nihil utilis. Fuit Israel *vinea Domini exercituum:* Gentes autem fuerunt quasi silva infrugiferarum arborum. Et ut nihil utilius est atque gratiosius vite frugiferâ, ità rursus nullum lignum tam iners invenitur quàm vitis degener, aut quæ exaruit. Ad nihil enim utilis est quàm ut in ignem mittatur, ut habet parabola Euangelica. Sic cùm Jehudæi bonos fructus non ferrent, opera scilicet misericordiæ & pietatis, sed in moribus responderent Æmorræis & reliquis gentibus, judicio Dei condemnati transierunt ab igne in ignem, de pœna in pœnam.

4. *Duas extremitates ejus*] Loquitur de Jerusalem, cujus *extremitates*, Samaria scilicet & oppida Judææ, cùm periissent, sola Jerusalem supererat, sed quæ jam ex vicino igne נחר, i. *arefacta & exæstuata* fuerat, & planè inutilis facta ad ferendum fructum. Est proinde hîc נחר passivum ex duplicatis à radice חרר.

VATABLUS.

2. Q*UI est* אשר היה] Præt. Heb. pro præs. i. annumeratur, sive annumerari debet, *inter arbores nemorum. Esse inter ligna silvæ* phrasi Hebraicâ dicitur pro *annumerari inter steriles*

riles & infructuosas arbores, h. e. non ferre fructum: q. d. *Quâ re præstantius erit* [vel *est*] *lignum vitis cæteris arboribus*, *si fructum non fert?*

3. *Ad faciendum opus* לעשות למלאכה] i. Ad apparandum illud ad aliquod opus? sive, ut ex eo fiat opus? nè *paxillus* quidem *ex eo* fieri potest *in quo suspendatur* vel minimum *vas*, sive *instrumentum* aliquod.

4. *Ecce igni datum est* הנה לאש נתן] Præt. Heb. pro præs. vel futuro, *Certè igni traditur.* ¶ *Ut consumatur* לאכלה] *Ut devoretur*, *ut comburatur.* ¶ *Extremitates ejus* קצותיו] *Summitates ejus.* Per *duas extremitates* intelligunt afflictiones quas passi sunt Israelitæ ab Aramæis ab Oriente, & à Palæstinis ab Occidente; per *medium* verò intelligunt Jerusalem. ¶ *Numquid profuerit* היצלח] i. Num utile erit *ad opus* aliquod faciendum ex eo?

5. *Non apparabitur* לא יעשה] Ad verb. *non fiet*, i. non apparabitur ad aliquod opus faciendum, sive non erit aptum alicui operi faciundo. ¶ *Quantò minùs*, &c. 'אף כי אש וגו] Ad verb. *quantò magis ignis devorabit illum*, *& comburet*, *& fiet ultrà opus?* Subauditur negatio præcedens, *& non fiet.*

6. *Inter ligna silvæ* בעץ היער] i. Quod annumerari debet inter arbores infructiferas & steriles, ut v. 2. Explicat parabolam, Quia, inquit, cives Jerusalem tantopere abhorrent à resipiscentia & operibus bonis. ¶ *Ut consumatur* לאכלה] *Ut consumat illud*, sub. *ignis.* ¶ *Tradidi* נתתי] i. Statui me traditurum igni afflictionum & tribulationum.

7. *Ponam enim faciem meam*, &c. 'ונתתי את פני וגו] Ad verb. *Et ponam faciem meam*, &c. i. convertam faciem meam contra eos: q. d. aspiciam eos torvo vultu, & in eos incumbam ut perdam eos. ¶ *De igne*, &c. 'מהאש וגו] i. Ex una afflictione transibunt in aliam: & quia non resipuerunt, conficientur calamitatibus. ¶ *Cùm posuero*, &c. 'בשומי וגו] Quod priùs *dare* sive *tradere* dixerat, nunc *ponere* dicit: ut videas נתן *dare* poni pro שום *ponere.* Est autem schema Hebraicum acsi dicat, *Cùm iratus affixerim eos.*

2. *Et dabo* ונתתי] *Et ponam.* ¶ *Prævaricati sunt prævaricationem* מעלו מעל] Hebraismus, gravissimè peccaverunt.

CASTALIO.

2. QUid fiet ligno vitis ex omnibus ramosis arboribus] *Ramosas arbores* vocat arbores, supervacaneo adjectivo, quod tamen in Hebræo est substantivum, sed adjectivi loco positum; sicuti sæpe *volucres aëreæ*, & *pisces marini* sive *aquatiles* dicuntur, adjecto verbo non necessario. Item, quod interpretor *in arborum silva*, est in Hebræo *in arboribus silvæ*: sed *silva* significat arborum multitudinem, sive silvestrium sive domesticarum; sicut Gen. 3. dicitur *herba agri* pro *agris terrestribus*, sive agrestes sint sive domesticæ. Nec refert quod Vitis magis *frutex* est quàm *arbor*: nam apud Hebræos etiam frutices appellantur *arbores*, omissâ illâ subtiliori partitione quæ *Frutices* medios facit inter *Herbas* & *Arbores*. Est autem hæc Vatis sententia, Ut vite (quæ alioqui stirps est utilissima) nihil est inutilius si est sterilis, ita & Israelitis nihil est inanius si rectè factorum fructu carent. Idem dixit Christus cum Sale suos comparans.

CLARIUS.

2. DE ligno vitis] Fuit Israel *vinea Domini exercituum*; Gentes autem fuerunt quasi silva infrugiferarum arborum. Et ut nihil utilius est atque gratiosius vite frugiferâ, ità rursus nullum lignum tam iners invenitur quàm vitis degener aut quæ exaruit. Ad nihil enim utilis est aliud quàm ut in ignem mittatur, ut habet parabola Euangelica. Sic cùm Judæi bonos fructus non ferrent, opera scilicet misericordiæ & pietatis, judicio Dei condemnati transierunt ab igne in ignem, de pœna in pœnam: quod videtur significare cùm ait, *de igne egredientur*, *& ignis consumet eos.* Nam quoties Jerusalem sibi visa est discrimen superasse, graviter tamen tandem periit. Significat ergò quòd paulatim igne toti consumendi essent.

4. *Utramque partem*] Alius sic vertit, *Duas extremitates ejus consumpsit ignis*, *& medium ejus exaruit.* Loquitur autem de Jerusalem, cujus extremitates, Samaria scilicet & oppida Judææ, cùm periissent, sola Jerusalem supererat; sed quæ jam ex vicino igne arefacta fuerat & exusta, & planè inutilis facta ad ferendum fructum.

DRUSIUS.

4. הִנֵּה לָאֵשׁ נִתַּן. ἰδοὺ πυρὶ δέδοται, *ecce igni datum est.* ¶ אֵת שְׁנֵי קְצוֹתָיו. A. *duo novissima ejus.* Sym. Th. *duas summitates ejus*] Hier. *Ambiguitas verbi Ebraici* שני, *quod tribus literis scribitur*, *Sin*, *Nun & Joth*, *si legatur* SENE, duo *significat*; *si* SANE, annos. *Unde factum est ut pro* duabus summitatibus ejus, *quod nos interpretati sumus* utramque partem ejus, *LXX interpretarentur* annuam purgationem ejus, *cùm Aquila dixerit* duo novissima ejus, *Sym. & Th.* duas summitates ejus.

GROTIUS.

2. QUid fiet de ligno vitis] Verteris rectè, *Quid erit in quo vitis præstet aliis plantis*, *si palmes ejus sit par silvestribus arboribus?* Id est, nullos fructus proferat. Vitis figura populi Judaïci, Esaiæ v. Jeremiæ II. 21.. Psalm. LXXX. 9. Matth. XXI. 33.

3. *Numquid tolletur de ea lignum*, *ut fiat opus*] Ut ex aliis arboribus silvaticis fiunt mali navium, trabes, mensæ.

Aut fabricabitur de ea paxillus] Nè in hoc quidem satis firma sunt sarmenta.

4. *Ecce igni datum est in escam*] *Dabitur igni absumendum.* Id unum restat. Matth. III. 10.

Utramque partem ejus] Extima ejus utraque.

Consumsit ignis] Consumet.

Et medietas ejus redacta est in favillam] In Hebræo: *Medium ejus ustulatum est.*

Numquid utile erit ad opus?] Ut scilicet propterea cura ejus aliqua sumi debeat? Nihil minùs.

6. *Sic tradam habitatores Jerusalem*] Nulli usui homines.

7. *Et ponam faciem meam in eos*] Aspiciam eos vultu torvo, ut Jerem. XXI. 10. XLIV. 11. 27. Suprà 13. 17.

De igne egredientur, *& ignis consumet eos*] Ignis hîc omne malorum genus significat, Psalm. LXVI. 12. & alibi. Uno malo vitato in aliud incident.

8. *Eò quòd prævaricatores exstiterint*] Est hîc rursus in Hebræo מעל [*prævaricari*]. Hieronymus in Commentario ad hunc locum: *Non enim peccatores sicut cæteræ gentes*, *sed prævaricatores exstiterunt.* *Aliud est enim negligere quod ignores*, *aliud contemnere quod colueris.*

CAP. XVI.

MUNSTERUS.

3. PAter tuus Æmoræus] Hoc dicit propter imitationem; sicut & Christus ad Jehudæos dixit, *Vos ex patre Diabolo estis.* Et nota quòd hic מכורה idem est quod מגורה, Caph scilicet pro Gimel. Alii interpretantur *venam & originem.*

4. *Non est præcisus umbilicus tuus*] Sensus hujus loci est, Nata est in Ægypto Synagoga in magna miseria, ut ob persecutionem Pharaonis, qui omnes parvulos jussit necari, non licuerit infantibus consueta exhibere officia, ut præscindere umbilicum: repurgare corpusculum à sanguine & adhærentibus sordibus, solidare cutem sale, & membra fasciâ constringere.

6. *Vive in sanguinibus tuis*] h. e. Licèt in pueritia destituta fueris omni humanitate, ego tamen curam tui habui, & effeci ut *viveres in sanguinibus* illis quibus maculatus in mundum prodiisti; ut hæc immunditia, quæ in tempore abstergi non potuit, vitæ tuæ non noceret.

7. *Ornamento præcipuo*] Quidam referunt ad pulcritudinem corporis, propter id quod sequitur, *Parata sunt ubera tua.* Alii referunt ad prædam jocalium quâ spoliaverunt Ægyptios. Tertii per *ornamentum ornamentorum* intelligunt legem Mosaicam. Siquidem comparat Propheta hoc in capite Synagogam Jehudæorum puellæ succrescenti & desponsatæ marito, sed quæ relicto marito adulteris multis copulatur. Adulterium hoc Jehudæorum fuit Idololatria, quando deserto Dei cultu & fractâ fide, quâ illi desponsati fuerant, idola coluerunt.

10. *Thasino*] Est *Thahas* animal quoddam ex cujus pelle tegumentum unum in Exodo fieri jubetur super Tabernaculum, ut ibidem diximus. Alii intelligunt de *pelle melina.*

26. *Qui magnâ sunt carne*] Alludit ad illud, *Caro asini*, *caro eorum:* significatúrque per hanc similitudinem ingens desiderium quod habuerunt ad deos Ægyptiorum.

27. *Statutum tuum*] h. e. Abundantiam illam Terræ promissæ commutavi in penuriam & famem. Porrò per *filias Phelistim* intellige oppida Palæstinis subjecta. Dicit autem hîc, tanta facinora fuisse inter Jehudæos ut etiam Phelistæi Deum ignorantes erubuerint & horruerint scelera eorum.

30. *Quàm obstinatum est cor tuum*] Kimhi exponit אמולה pro נמולה *ad varia distractum.*

31. *Quæ deridet munus*] i. Solent meretrices respuere munera

nera nisi fuerint magnifica: tu verò nullum exegisti donum, quin magis, contra morem omnium gentium, *amatoribus tuis dedisti dona.*

36. *Prostituitur pubes tua*] Jonathan hunc locum sic vertit, *discooperitur confusio tua*: & Kimhi exponit נחשת pro חתחרת *inferioribus partibus corporis*, cùm alioquin נחשת significet *aes*. Unde & quidam sic vertunt, *Quandoquidem erogatur aes tuum*, &c.

38. *Dabo te sanguinem*] i. Sumam de te supplicium capitis.

43. *Ut non perficeres*] Ego, inquit, pœnis meis cohibui te nè omnem nefarium cogitatum tuum opere compleres.

44. *Qualis mater, talis filia ejus*] Per *matrem* Hebræi intelligunt terram Chanaan, & per *filiam* synagogam Israel, quæ imitata fuit Chananæos in operibus malis. Eâdem ratione Samaria & Sedoma vocantur *sorores* ejus, quòd eas imitata fuerit, imò longè excesserit in malitia, ut etiam Sedoma comparatione Jehudæ *justa* videri possit. Nam non leguntur à Sedomitis factæ tam exsecrandæ abominationes sicut à Jehudæis, qui etiam proprios filios immolaverunt idolis. Per *filias Sedomæ* intellige urbes quæ Regi Sedomæ paruerunt.

47. *Quasi parùm fecisti*] Non emendavit te, inquit, gravis pœna Samaritis inflicta, sed cùm adhuc paucis annis in terra remaneres, pejor illis effecta es, quæ tamen longè plura habuisti beneficia quam Samaritæ, nempe Templum, Sacerdotium, Regnum, promissionem Meschiæ, &c.

52. *Quæ judicasti sororem tuam*] Cùm innocenter & in timore Domini viveres, judicabas & condemnabas inculpatâ vitâ impietatem Samariæ: nunc autem cùm etiam tu in impietatem ejus lapsa sis, & adhuc abominabiliora feceris, *portabis & tu confusionem tuam* propter peccata tua. Et sunt hæc verba, *Quæ judicasti sororem tuam*, quasi per Parenthesin legenda. Vel hic erit sensus, *Justificasti Sodomitas*, non quòd justos eos feceris, sed comparatione eorum sceleratior deprehensus es, ut illi respectu tui justi censeri possent.

53. *Ego convertam captivitatem earum*] Nostri sic putant hunc locum legendum, *Quòd si ad pristinam dignitatem redibit Sedoma & Samaria, etiam tu redibis.* Sed non est sperandum Sedomæ de aliqua promissione, cùm malitia ejus sit completa; & Samaria quoque non sit vocandus *Populus meus*, dicit Dominus Hos. 2. Ergò nec Jerosolymitani restituentur, qui pejores fuerunt Sedomitis. Et licèt habeant multiplices promissiones in Prophetis, non tamen totus Israel salvabitur, sed reliquiæ secundùm electionem gratiæ. Et hoc est quod Christus dixit apud Matthæum, *Tolerabilior erit conditio Sedomæ & Æmoræ quàm hujus generationis.* Porrò Samaria, quæ sunt Decem tribus, cùm degenerarit in gentes, non sunt populus aliter atque gentes, ideo promissionem habent cum gentibus. Sed nunquam restituentur in pristinum statum, sicut nec Sedoma, imò neque Jehuda: quantumlibèt Jehudæi ex hoc loco colligant hæc tria regna restituenda. Potest etiam hic locus legi per interrogationem sic, *Reducámne captivitatem earum?* Sic quæ paulò pòst sequuntur, *Et sorores tuæ Sedom & filiæ ejus revertentur ad priora sua?* Minimè gentium.

56. *Fama Sedom*] Cùm tu, inquit, exuberares *in pompis tuis* & luxu tuo, oblita es horrendæ *famæ Sedomitarum*, qui ob similia crimina igne perierunt. Antequam scilicet Dominus te sub Ahaz traderet in manus Regis Syriæ, quando ex te multa fuerunt millia occisa, & Phelistim diffusi per urbes campestres ceperunt multa loca.

61. *Cùm tu acceperis sorores tuas*] *Ego*, inquit, *faciam tecum fœdus æternum*, idque per Christum, & adjungentur tibi *sorores tuæ*, Decem tribus & reliquæ gentes, *majores & minores*, h. e. quæ in majoribus & minoribus fuerunt peccatis, qui omnes invenient redemptionem in Christo.

VATABLUS.

3. **H***Abitatio tua & cognatio tua* מכורתיך ומולדותיך] *Habitatio tua & natales tui*: i. Tu videris habitasse inter homines infideles & impios, ut erant Chananæi, quos Dominus expulit à facie filiorum Israel: q. d. Opera tua similia sunt operibus illorum, nempe infidelia & impia.

4. *Nativitas*, &c. 'ומולדותיך וגו] *Nativitas autem tua* talis est, *Die quo nata es, non fuit præcisus umbilicus tuus, & aquâ non fuisti lota ad lenimentum, & fasciis non fuisti involuta.* ¶ *Ad lenimen* למשעי] *Ad lenimentum*, i. ad leniendam ac molliendam cutem tuam, & remollienda ossa tua: à radice שעע *lenivit*: & sic י est vice literæ geminandæ ע. Quidam Hebræorum deducunt à שעה *linivit*, & vertunt *ad linimentum.* ¶ *Et sale* והמלח] Habet etiam Sal vim purgandi ac detergendi & arcendi putrefactionem. ¶ *Fuisses involuta* חתלת] Sub. *fasciis pannisque*, ut consolidentur dirigantúrque tenera membra.

5. *Cum abjectione animæ tuæ* בגעל נפשך] *Cum abominatione personæ tuæ*, sive *corporis tui*: i. ut eras adhuc contaminata sanguine partûs. Hebraismus: q. d. Destituta fuisti omni ope & auxilio humano, ac prorsus neglecta.

6. *Conculcatam* מתבוססת] *Contaminatam*, *inquinatam. Cùm autem*, inquit, *illàc iter facerem, vidi te adhuc contaminatam sanguine matris tuæ, quo adhuc fœdata eras in partu ipso.* Induit formam viatoris ac hominis transeuntis per agrum quendam. ¶ *In sanguine tuo vives* בדמיך חיי] Imperat. Heb. pro fut. *in sanguine tuo vive*: q. d. Etsi nunc prorsus neglecta sis ac destituta omni ope & auxilio humano, adhuc tamen vives.

7. *Decem millia*, &c. 'רבבה כצמח וגו] Hebraismus: Mirum in modum, instar germinis agri feracis, multiplicatam reddidi te. ¶ *Et ingressa es ornamentum ornamentorum* ותבאי בעדי עדיים] Hebraismus: & ornasti te ornamento vario, pulcerrimo ac elegantissimo, vel aptè disposito. Facta es studiosa mundi muliebris. ¶ *Intumuerunt* נכונו] Decentem formam & figuram nacta sunt: à כון *formare*, *præparare*, *firmare*. Unde quidam, *firma facta sunt*. Alii, *prominuerunt.* ¶ *Et pilus tuus germinavit* ושערך צמח] *Et pilus tuus crevit*: *ortus est*, sub. *valde*. Intelligit partes illas quas natura vestire solet pilis. ¶ *Tu autem* ואת] *Tu tamen.*

8. *Tempus tuum* erat, &c. עתך עת דודים] i. Tempus aptum viro ac nuptiis, in quo eras nubilis & matura viro. ¶ *Expandi autem amictum meum* ואפרש כנפי] Ad verb. *& expandi oram meam*, i. oram vestimenti mei, h. e. vestimentum meum: more scilicet eorum qui despondebant uxorem: q d. Despondi te. ¶ *Ignominiam tuam* ערותך] *Nuditatem tuam.* Partem illam corporis significat quam natura tegi vult. Dicitur autem per Antiphrasin *nuditas*, quòd minimè nuda esse debeat. ¶ *Et ingressus sum pactum tecum* ואבוא בברית אתך] Hebraismus: *inii fœdus tecum.*

9. *Sanguinem tuum à te* דמיך מעליך] Ad verb. *sanguinem tuum desuper te*: i. abluendo detraxi sanguinem illum quo adhuc fœdata eras ab utero matris.

10. *Discoloribus* רקמה] *Veste acupictâ*, i. arte Phrygionicâ factâ. Gallicè *de broderie.* ¶ *Taxo* תחש] *Corio taxeo.* תחש animal quoddam erat ex cujus pelle tegumentum unum factum fuit super Tabernaculum Exo. 26. 14. ¶ *Bysso*, &c. בשש ואכסך משי] i. Veste byssinâ, & ornavi te veste factâ ex serico.

11. *Ornavi te*, &c. ואעדך עדי] i. Variis ac diversis pulcerrimísque ornamentis ornavi te. ¶ *Et dedi* ואתנה] *Dare* pro *Ponere*, ut & mox. ¶ *In manibus tuis* על ידיך] *In brachiis tuis.* ¶ *In gutture tuo* על גרונך] *Guttur* pro *collo*: cinxi ac ornavi collum tuum torque.

12. *Circulum in naribus tuis* נזם על אפך] *Annulum in naribus tuis.* Solebant enim aurei circuli in os ex fronte pendere, & naribus imminere. ¶ *Et coronam gloriæ* ועטרת תפארת] *Et diadema decoris*, i. eximium ac pulcerrimum.

13. *Ornata es* ותעדי] *Ornasti te itaque.* ¶ *Et polymitum* ורקמה] *Et acupictum*, ut v. 10. Vestes tuæ fuerunt ex bysso, serico & acupicto. ¶ *Vehementer valde* במאד מאד] *Vehementissimè.* ¶ *Et profecisti*, &c. 'ותצלחי וגו] *Et prosperè tibi successit usque ad Regnum*: i. facta es apta & idonea Regno suscipiendo: nam ex populo Israelitico designati sunt Reges.

15. *Propter nomen tuum* על שמך] *Propter famam tuam.* ¶ *Et effudisti* ותשפכי] Doctus inter Hebræos exponit, *Tot fuerunt fornicationes tuæ ut eas effunderes omnibus transeuntibus*: q. d. Effusè prostituisti te ac pudorem tuum omnibus transeuntibus: h. e. quæcunque idola tibi oblata sunt, coluisti. ¶ *Erga eum erat* לו יהי] Sub. *voluntas tua*, sive *desiderium tuum.* Fut. Heb. pro imperfecto: i. ferebaris desiderio erga quoscunque. Quidam vertunt *ut ejus fieret*, sub. *amplexus tuus.*

16. *Discoloria* טלואות] i. Quibus præparasti tibi aras diversorum colorum, in quibus coluisti idola. ¶ *Non futura*, &c. 'לא באות וגו] Ad verb. *non venium, & non erit.* Doctus inter Hebræos exponit, *Non veniunt* כמות במות *excelsa sicut ipsa*, i. similia: acsi dicat, Non sunt futura ut veniant: nec erit homo vel populus qui facturus sit in tanta multitudine aras.

17. *Gloriæ tuæ* תפארתך] Hebraismus, vasa tua insigniora & elegantiora, facta ex auro meo.

18. *Dedisti coram eis* נתת לפניהם] Hebraismus, *posuisti coram eis*, pro *obtulisti eis.*

19. Quibus *cibavi te* האכלתיך] Ad verb. subaudito אשר, *quæ comedere feci te*, i. quæ dederam tibi in cibum. ¶ *In odorem quietis* לריח ניחח] i. Ad excitandum odorem suavissimum. ¶ *Et ità fuit* ויהי] *Et ità factum est*: q. d. Ità fecisti tu, non potes negare: nam testis sum oculatus.

20. *Quos generasti mihi* אשר ילדת לי] *Quos genueras mihi*, vel

vel *pepereras*: i. qui ex lege matrimoniali debebant esse mei. ¶ *Ad consumendum* לאכול] *Ad devorandum*, i. ut in gratiam illorum ignis absumeret eos. ¶ *Numquid parum*, &c. המעט כתזנותך] *Numquid modicum est* [vel *parva res est*] *quòd sic fornicata sis?* q. d. Parúmne tibi videtur quòd sic dedita fueris idololatriæ, nisi etiam jugulares filios meos, &c. acsi dicat, Satis id tibi esse debebat.

21. *Et immolasti* ותשחטי] *Sed immolasti. Etiam immolasti.* Quidam jungunt hæc fini præcedentis versûs, *Numquid parva res tibi visa est quòd fornicata sis*, nisi *etiam filios meos*, &c. ¶ *Ut transire faceres* בהעביר אותם] *Ut eos transire facerent: ut eos traducerent*, sub. *Sacerdotes.* ¶ *Illis* להם] i. In gratiam illorum idolorum.

22. *Conculcata* מתבוססת] *Fœdata, volutata, inquinata*, vel *polluta adhuc sanguine tuo.* ¶ *In sanguine tuo* בדמך היית] Ad verb. *in sanguine tuo eras.* Verbum substantivum istud posteriore loco jungitur participio præcedenti.

23. *Et fuit* ויהי] i. *Ultra omnem malitiam tuam* prædictam factum est ut *ædificeris*, &c. Hoc modo sequenti versui jungitur iste versus, interpositâ parenthesi per exclamationem, *Væ, væ tibi*: q. d. O miserrima & infelicissima, *dicit Dominus.* Alii, non jungunt sequenti versui, vertentes, *Et factum est, post omne malum tuum Væ væ tibi*: vel; *Unde post omnem malitiam tuam accidit tibi Væ væ*; i. maledictio & infelicitas. Alii ex commentariis doctiss. Hebræorum vertunt, *Et ità fuit, post omne malum tuum*: vel, *erit*; ut sit præteritum pro præsenti: i. eveniet quod tibi fuit priùs, nempe ut sis adhuc nuda & discooperta postquam admiseris omnia flagitia tua, expleverísque desiderium tuum. Pòst sequitur exclamatio, O miserrimam ac infelicissimam: i. Tu es miserrima & infelicissima.

24. *Excelsum* גב] Singul. Heb. pro plur. *excelsa*, sive *aras.* Quidam *prostibulum* vertunt, sicuti LXX Interpretes. ¶ *Excelsum* רמה] Quidam vertunt *altare sublime.*

25. *Ad omne caput viæ* אל כל ראש דרך] *Juxta omne caput viæ.* Alii, *In omni capite viæ*, i. initio viarum. q. d. In omnibus triviis aut quadriviis exstruxisti tibi, non mihi, aram quandam. ¶ *Et abominatum reddidisti decorem tuum* ותתעבי את יפיך] *Et abominabilem reddidisti* Gentibus *pulcritudinem tuam*, i. dignitatem ac majestatem illam Regni tui, quod antea habebatur ab omnibus in summo honore ac pretio. ¶ *Et aperuisti pedes tuos* ותפשקי את וגו'] *Et divaricasti pedes tuos*, i. femora tua. Rem alioqui inhonestam honestâ expressit oratione. q. d. Prostituisti te ac pudorem tuum omnibus transeuntibus. h. e. Omnia omnium gentium idola, quotquot scilicet illæ tibi offerebant, coluisti. Innuit ingens studium Israelitarum circa idololatriam. ¶ *Et multiplicasti* ותרבי] *Et auxisti.* Hebraismus, supra modum dedita fuisti cultui peregrino idolorum.

26. *Et fornicata es*, &c. ותזני וגו'] Hebraismus, coluisti deos Ægyptiorum.

27. *Statutum* cibum *tibi* חקך] Ad verb. *statutum tuum.* Quidam vertunt *annonam tuam*, vel *demensum tuum*, i. cibum tibi statutum ac constitutum & tibi necessarium: q. d. Effeci ut laborares inediâ cibi. ¶ *Et dedi*, &c. ואתנך וגו'] Hebraismus, *tradidi te desiderio ac voluntati urbium Palæsthinorum quæ te odio habebant*: i. effeci ut te vincerent, agerentque in te pro voto. *Filias* vocat villas & oppida. ¶ *Quæ erubescunt*, &c. הנכלמות וגו'] *Quas etiam pudebat viæ tuæ sceleratæ.* Ad verb. *viæ tuæ* quæ est *scelus.* Hebræi subaudiunt שהיא דרך זמה *Quæ est via sceleris.*

28. *Eò quòd*, &c. מבלתי וגו'] Ad verb. *sine saturitate tua*: vel, *propter non saturitatem tuam.* ¶ *Esses satiata* שבעתך] Sub. *cultu idolorum aliarum gentium.*

29. *Et multiplicasti* ותרבי] *Sed multiplicasti*, ut v. 25. ¶ *In terra Chenaan* אל ארץ כנען] *Præ terra Chanaan.* Alii, *cum terra Chanaan*: vel, *ad terram Chanaan*: & ità Chaldæus P. dicens, *ut conjungeres te ad populum* [vel *populo*] *Chanaan.* ¶ Terræ *Chasdim* assimilata כשדימה] Ad verb. *in Chaldæam*, sub. *mittendo nuncios qui discerent ritus quibus colendi essent dii Chaldæorum.* Vel *pergendo animo usque in Chaldæam.* Alii, *usque in Chaldæam*, sub. *extendisti*, vel *protraxisti, fornicationem tuam.*

30. *Infirmum est* אמלה] *Debile: imbecille.* Alii, *excisum*: i. quàm demens facta es, sive in quam dementiam incidisti. ¶ *Quòd feceris* בעשותך] *Quod fecisti: quòd faciebas.* ¶ *Dominium*, &c. שלטת] Ut scilicet faciat omnia quæ desiderat. Chald. *quæ dominatur sibi ipsi in animo suo.* Alii, *imperiosæ*: vel, *omnia pro arbitrio suo facientis.* Quidam Hebræorum exponunt, *prævalentis fornicationibus post eam.*

31. *Quod ædificaveris* בבנותיך] Infinit. cum י pluralem indicante more nominum. q. d. Quòd multa ædificia exstruxeris. ¶ *Et excelsum tuum* ורמתך] Paulò pòst v. 39. plurali numero ponit, *diruet excelsa tua.* ¶ *Spernendo* לקלס] *Deridendo: subsannando.* q. d. Tu es longè diversa ab aliis scortis, quæ spernunt præmia ab amatoribus sibi oblata ut majora ambiant: suscipis enim quodvis præmium, etiam vilissimâ mercede contenta.

32. *Adultera* המנאפת] Sub. *ità & tu.* Significat eam quæ allexit alios in amorem sui.

33. *Dant* יתנו] Fut. Heb. pro præs. ¶ *Mercedem* נדה] Est *merces* sive *præmium quod datur scorto.* ¶ *Undique*, &c. מסביב וגו'] *Per circuitum in fornicationibus tuis.*

34. *Nec post*, &c. ואחריך] *Nec post te* fuit sic *fornicatum.* ¶ *Fuisti*, &c. ותהי וגו'] Ad verb. *& fuit* tibi *in contrarium.* Redundat.

36. *Effusa est turpitudo tua* השפך נחשתך] Ad verb. *effusum est æs tuum.* Significat etiam *imum* cujusque rei. Metaphora sumpta à vasis, quorum imum sive inferiorem partem munire solent ære. Quidam vertunt, *effusum est imum tuum*: i. exposita est conspectui & oculis hominum inferior pars ventris tui. Circumloquitur pudenda. Chald. *discooperta est confusio tua.* ¶ *Super amatores tuos* על מאהביך] *Cum amatoribus tuis*, i. illis quos deperibas. ¶ *Et super omnia idola* ועל כל גלולי] *Prope omnia idola.* Redundat ו *&*. *Idola abominationum* vocat idola abominanda, à quibus maximè abhorret Dominus. ¶ *Et juxta sanguinem* וכדמי] *Et in sanguinibus.* Alii, *& cum sanguinibus. Sanguis* pro *morte*, quod qui efflant animam soleant eam emittere unà cum sanguine: i. quando effusus est sanguis liberorum tuorum. Quædam exemplaria legunt per Caph וכדמי *& secundùm sanguinem.* Duobus, inquit, modis revelata fuit turpitudo tua, sive deprehensa es meretrix; primùm quando colebas idola abominanda; secundò, cùm in honorem idolorum immolasti liberos tuos & sanguinem eorum fudisti.

37. *Congrego* מקבץ] Præs. Heb. pro fut. ¶ *Cum quibus oblectata es te* אשר ערבת עליהם] Ad verb. *Quibus delectata es super eos.* Redundat *super eos*, i. quorum consuetudo & familiaritas antè fuit tibi admodum grata. ¶ *Turpitudinem tuam* ערותך] Eadem vox quæ continuò sequitur. Quidam vertunt *ignominiam.*

38. *Et judicabo te judiciis*, &c. ושפטתיך וגו'] Hebraismus, afficiam te suppliciis quibus subjacent adulteræ & homicidæ. ¶ *Dabóque te sanguinem*, &c. ונתתיך דם וגו'] Hebr. curabo te interficiendam: ut solent qui perciti sunt irâ & laborant zelotypiâ, qui parcere non solent deprehensis.

39. *Excelsum tuum* גבך] *Fornicem tuum.* Alii, *locum prostitutionis tuæ.* Ut suprà v. 31. ¶ *Et confringent excelsa tua* ונתצו רמתיך] *Et diruent excelsa tua*, i. aras tuas: hîc plurali numero posuit quod v. 31. in singulari dixerat. ¶ *Gloriæ tuæ* תפארתך] Hebraismus, elegantia & pretiosa.

40. *Et ascendere facient*, &c. והעלו עליך וגו'] *Et adducent super te congregationem*, i. ingentem exercitum. Quidam, *Posteaquam adduxerint super*, &c. ¶ *Et lapidabunt te lapide* ורגמו אותך באבן] Alludit ad lapides quos catapultis projiciunt in Urbem. Hoc pertinet ad oppugnationem.

41. *Et facient in te judicia* ועשו בך שפטים] Hebraismus, afficient te variis suppliciis, videntibus multis aliis nationibus. *Mulieres* pro *nationibus & gentibus.*

42. *Et requiescere*, &c. והנחותי וגו'] Hebraismus, Extremis suppliciis afficiam te, animum meum explendo, & desinam te prosequi amore illo quo antea te prosequebar ob zelotypiam tui.

43. *Et etiam ego*, &c. וגם אני וגו'] *Ego quoque ecce viam tuam*, &c. Quidam volunt *ecce* hoc loco redundare. Hebraismus, Puniam te pro ratione scelerum tuorum. ¶ *Nec tamen fecisti cogitationem* ולא עשית את הזמה] Hebraismus, Nec cogitasti quâ ratione resipisceres: vel, non iniisti consilium ut resipisceres.

44. *Quicunque*, &c. כל המושל וגו'] Ad verb. *Omnis parabolizans super te parabolizabit.* Latinè, *Quicunque adagiis gaudet* (sive *proverbiis uti solet*) *de te parabolicè loquetur.*

45. *Abominata est* גועלת] *Respuit: sprevit.* Est Benoni, *abominatur: evomit: rejicit.*

46. *Et filiæ ejus* ובנותיה] Urbes & oppida intelligit subdita ac subjecta ipsi Samariæ tanquam metropoli. Sic in sequentibus accipiendum: quod creberrimum est in libro Josue.

47. *Non ambulasti* הלכת] Sub. *sed in multò deterioribus*, ut mox declarat. ¶ *Veluti paululum*, &c. כמעט קט וגו'] *Secundùm parvulum, paucum tempus, & corrupisti te*: vel *fecisti pejora illis*: i. nam parvo admodum tempore permansisti in officio post illam transmigrationem [sive captivitatem] Samariæ, h. e. Decem tribuum; sed statim multò deteriora ac sceleratiora admisisti quàm illa.

 49. Sa-

49. *Saturitas panis* שבעת לחם] *Satietas cibi:* vel *copia ciborum*. Intelligit luxum ſive abundantiam omnium bonorum. ¶ *Et abundantia otii* ושלות השקט] *Altum otium*, ſive *ſummum*. Alii, *quies otii*. Vel, *otium quietis*. Intelligit eos in proſperitate & felicitate omnium rerum ſecuros & otioſos fuiſſe. ¶ *Non apprehendit* לא החזיקה] *Non roboravit*. Alii, *non firmavit*, i. non ſubvenit inopiæ pauperum.

50. *Elevatæ ſunt autem* ותגבהינה] i. Fuerunt animo elato & ſuperbo. ¶ *Et abſtuli*, &c. 'ואסיר וגו] *Propterea amovi eas* [ſub. *à conſpectu meo*] *ſicut vidi*, ſub. *juſtum eſſe*, i. ità ut apud me ſtatui ac decrevi. Alii, *quando vidi*, ſub. *ità oportere fieri*. Vel, *quando vidi*, ſub. *abominationem ejus*.

51. *Secundum dimidium peccatorum tuorum* כחצי חטאתיך] *Juxta mediam partem peccatorum*, i. dimidium ſcelerum, *tuorum non admiſit*. ¶ *Et multiplicaſti abominationes tuas* ותרבי את תועבותיך] Hebraiſmus, *quin* (vel *nam*) *tu plures abominationes feciſti quàm illæ*. ¶ *Et juſtificaſti* ותצדקי] Hebraiſmus, juſtiores oſtendiſti. q. d. Collatione operum illarum factâ cum operibus tuis, viſæ ſunt juſtiores. Abuſivè dictum eſt *juſtificare* hoc loco.

52. *Etiam tu porta* גם את שאי] *Ergò & tu ſuſtine confuſionem tuam*, vel *ignominiam tuam*. Imperat. Heb. pro fut. i. confundêris. ¶ *Judicaſti* פללת] *Condemnaſti*, Samariam ſcilicet, cùm vidiſti Decem tribus in captivitatem abduci: dixiſti enim meritò id eam pati. Verbum פלל ſignificat *in alios ſententiam proferre tanquam juſte mulctatos*. ¶ *Abominationes feciſti* התעבת] *Magis abominanda feciſti*. Alii, *quibus abominabilem* [vel *abominandam*] *reddidiſti te præ illis*, i. deteriùs te geſſiſti illis. ¶ *Juſtificatæ ſunt præ te* תצדקנה מכך] *Juſtificabuntur præ te*, i. juſtiores apparebunt te, ſi ſcilicet conferantur opera earum cum tuis operibus.

53. *Convertam igitur* ושבתי] *Reverti igitur faciam captivos earum*, i. aſſeram eos in libertatem. Intelligit de libertate ſpirituali quam aſſecuturæ erant gentes illæ per Chriſtum. Et per *Sodomam & villas ejus* intelligit Idumæos & Moabitas, qui originem duxerant à Lot, qui habitabat in Sodomis. ¶ *Et captivitatem*, &c. 'ושבות וגו] Hebraiſmus, quem ſic quidam reddunt, *captivitatem quâ tu captiva teneris inter eas*.

54. *Ut portes ignominiam tuam* 'למען תשאי וגו] *Ut feras confuſionem tuam*. Hebraiſmus, ut pudeat te, ac pœniteat ſcelerum tuorum. ¶ *Dum tueris*, &c. בנחמך אתן] Ad verb. *in conſolando te eas*, cùm ſcilicet viderint afflictionem tuam: nam conſolatio miſerorum eſt habere pares.

55. *Ad antiquitatem ſuam* לקדמתן] *Ad priora ſua:* i. ad fidem illam Majorum, quam habebant in Meſſiam, ad priſtinam libertatem. Sic in ſequentibus.

56. *Soror tua*, &c. 'אחותך וגו] Ad verb. *ſoror tua in auditum in ore tuo*. Quidam, *ſororis tuæ fama in ore tuo*. Alii, *ſoror tua in ſermonem in ore tuo*. Ità per *auditum* ſignificat ſermonem, quòd ſermo audiatur. Eſt autem Hebraiſmus acſi dicat, Tempore quo degebas in ſummo otio ac tranquillitate, ob quæ ſuperbiebas admodum, non recordabaris neque ullum faciebas ſermonem Sodomæ ſororis tuæ, quòd olim everſa fuiſſet propter ſcelera ſua.

57. *Sicut tempore opprobrii* כמו עת חרפת] Activè accipiendum, i. quo te affecerunt Syri. ¶ *Quæ te ſpernunt* השאטות אותך] *Quæ te prædantur*, *diripiunt*.

58. *Portaſti* נשאתים] Ad verb. *portaſti eas*, vel *ea*. Pronomen redundans. Quidam vertunt per futurum, *portabis*, i. affligêris pro ratione ſcelerum tuorum.

59. *Faciam* ועשיתי] Ad verb. *Et faciam*. Redundat ו quibuſdam. Alii vertunt, ut ſequenti verſui jungatur, Ego *quidem agerem tecum*, &c. *Sed recordabor*, &c. Alii, *Faciam etiam*. ¶ *Quæ contempſiſti* אשר בזית] *Quia ſprevisti:* vel *quæ deſpexiſti*.

60. *Recordabor tamen* וזכרתי] Ad verb. *Et recordabor*. Quidam, *Recordabor autem*.

61. *Et recordaberis* וזכרת] *Tunc recordaberis*. ¶ *Cùm ſuſceperis* בקחתך] *Quando accipies:* vel *recipies*, i. cùm adjungentur tibi ſorores tuæ Decem tribus & reliquæ gentes, majores & minores, quæ in majoribus & minoribus fuerunt peccatis, quæ omnes invenient redemptionem in Chriſto meo. ¶ *At non ex pacto tuo* ולא מבריתך] Ad verb. *Et non ex pacto tuo*. Quidam, *non autem ex pacto tuo*, i. non propter pactum illud vetus tecum initum, ſed per gratiam quam aſſecuturæ ſunt per Chriſtum meum.

63. *Et pudefias* ובושת] *Et confundaris*. ¶ *Apertio oris* פתחון פה] Sub. *contra me*. Hebraiſmus, pro *expoſtulatione*, vel *excuſatione*, i. ut ultrà non habeas quo poſſis juſtè conqueri de me, vel quo excuſare te poſſis. ¶ *Propter pudorem tuum* מפני כלמתך] *Præ ignominia tua*. ¶ *Cùm placatus fuero*, &c. 'בכפרי וגו] *Cùm expiavero te omnibus:* vel, *dum ego propitius ero tibi in omnibus*.

C A S T A L I O.

3. *Tu originem nataléſque trahis ex Chananæa terra*] Impura es ut illæ gentes, ut ab illis genus ducere videaris.

6. *Dixi tibi*, *Vive cruenta*, *vive*, *inquam*, *cruenta*] Vitam tibi cruentæ conſervavi.

8. *Tibique jurans*, *tecum fœdus feci*] Te mihi deſponſavi.

21. *Niſi meos mactares natos*, *& illis trajiciendo dares*] Scilicet per ignem.

27. *Palæſtinarum puellarum*] Civitatum.

36. *Quoniam tuum & æs profuſum*] Pecunia.

38. *Suppliciúmque de te ſumam quale ſolet irâ & obtrectatione inferri*] Ab iratis & zelotypis maritis.

41. *Cernentibus multis mulieribus*] Gentibus.

42. *Et meam bilem in te ſedabo*, *ſublataque meâ in te obtrectatione*, *quieſcam*, *non ſæviturus ampliùs*] Satiabo me pœnis, quibus tu adeò oppriméris ut deinceps flagitium quod mihi obtrectationem moveat facere nequeas.

45. *Tu tuæ filia matris es*] Hoc eſt ſimilis.

51. *Adeóque tu illas tuis ſceleribus ſuperaſti*, *ut tot ſceleribus committendis tuas ſorores inſontes reddideris*] Effeceris ut præ te inſontes eſſe videantur.

53. *Et in iis etiam tuos*] *Meus*, *tuus*, *ſuus*, *noſter* & *veſter* Hebraicè dici non poſſunt niſi conjunctis aliis, quemadmodum in Gen. 24. ſcripſimus. Ut ſi velis quod Latinè dicitur *Meus pater & tuus* Hebraicè reddere, ità cogaris dicere, *Meus pater*, *& tuus pater*. Hac de cauſa cùm hoc in loco in Hebræo ſermone *captivitatis* nomen ſæpe iteretur, cogente linguæ naturâ, ego in Latino, ubi non eſt ea neceſſitas, id nomen ſemel poſui, in ſequentibus ſatis habui pronomina ponere. Ac quod hîc admoneo, id volo & alibi animadverti: nam ſæpe occurrit. Cæterùm quod de *revocandis Sodomæ captivis* dicit, ſciendum eſt, verbum hoc loco poſitum non ſolùm *captivitatem* indicare ſed etiam *miſeriam*, ut Job. 24. & in Gallico ſermone, ubi ductum à *captivitate* vocabulum *miſeriam* declarat, *chetiveté*. Jam quoniam Ezechiel de Samariæ & Hieroſolymæ captivis loquitur, etiam in Sodoma, quam cum illis conjungit, eodem utitur vocabulo, quamvis Sodomitani non fuerint captivi. Sed quid eſt quòd dicit ſe *reſtituturum eas in priſtinum ſtatum?* Nam ſi Sodoma & Samaria reſtituentur in priſtinum ſtatum, in malum ſtatum reſtituentur. Semper enim vitiis abundarunt, præſertim Samaria, cujus & primordium & progreſſus malus fuit. Ità fiet ut ſi in priſtinum reponentur, perpetua fiat viciſſitudo & peccandi & pœnas dandi. Quamobrem intelligendum eſt hoc loco, tranſitum fieri à Sodoma illa ad aliam Sodomam, h. e. ad gentes Sodomitarum ſimiles; quemadmodum cap. 20. fit tranſitus à ſimulacricolis Iſraelitis ad veros Iſraelitas; ut ſit hæc ſententia, *Sodoma & Samaria*, h. e. gentes illarum ſimiles, *reſtituentur in priſtinum ſtatum*, h. e. ſtabunt aliquando per Chriſtum, cùm nunc jaceant in Satanæ tyrannide; quemadmodum ſtetit aliquando Sodoma & Samaria, quæ nunc jacent: (loquitur autem de Sodomæ mutatione ex caſu in ſtatum) *idémque tibi accidet inter eas: ut cùm tu te videbis reſtitutam, pudeat te tuorum ſcelerum adeò fœdorum ut iis faciendis illas conſolata ſis*, h. e. effeceris ut minùs nocentes apparerent ſi tecum compararentur, quæ res ſolet eſſe ſolatio. Sed cujuſmodi futura ſit ea reſtitutio ſcietur ſuo tempore.

56. *Quæ dignata non eſſes ſororis tuæ Sodomæ iſto ore mentionem facere*, *cùm in faſtigio fores*] Regnante Davide, qui Syros & Palæſtinos ſubjugavit.

61. *Admiſſis tuis ſororibus*, *tum te grandioribus*, *tum minoribus*, *quas ego tibi filias dabo*, *nec id ex tuo fœdere*] Hieroſolyma mater eſt Chriſtianorum ex fœdere gratiæ.

C L A R I U S.

3. *Pater tuus Amorrhæus*] Hoc dicit propter imitationem, ſicut & Dominus ad Judæos dixit, *Vos ex patre Diabolo eſtis*. Sic vivis, inquit, tanquam inter Chananæos educata fuiſſes & arctiſſimâ cognatione illis conjuncta eſſes.

4. *Et quando nata es*] Nata eſt in Ægypto Synagoga in magna miſeria, ut ob perſecutionem Pharaonis, qui omnes parvulos juſſit necari, non licuerit infantibus exhibere conſueta officia, ut præſcindere umbilicum, repurgare corpuſculum à ſanguine & adhærentibus ſordibus, ſolidare cutem ſale & membra faſciâ conſtringere.

6. *In ſanguine tuo vive*] h. e. Licèt in pueritia deſtituta fueris omni humanitate, ego tamen tui curam habui, & effeci ut viveres quantumvis polluta ſanguine.

7. *Perveniſti ad mundum muliebrem*] h. e. Ad pubertatem, & facta

& facta es nubilis. Interim observa quàm eleganter toto hoc capite Metaphoricè rem tractet Propheta, dum comparat Synagogam Judæorum puellæ succrescenti & desponsatæ marito, sed quæ relicto marito adulteris multis copulatur. Adulterium hoc Judæorum fuit Idololatria, quando deserto Dei cultu & fractâ fide quâ illi desponsati fuerant, idola coluerunt. ¶ *Et eras nuda*] Postea etiam quum crevisti in ingentem numerum, ut tanquam nubilis puella esses, operimenta tamen non habebas; h. e. non erat in te quicquam quo audere posses ad me accedere, omnia autem quibus conspicua facta es à me profecta sunt.

15. *Fornicata es in nomine tuo*] Alius legit *meo*: h. e. donis quæ à me accepisti abusa es in fornicationibus.

16. *Excelsa discoloria*] Lectos vocat & cubilia, quibus impudica scorta amatores suos alliciunt.

23. *Et accidit*] Ut scilicet ad pristinam miseriam redieris.

26. *Magnarum carnium*] Membrorum scilicet virilium. Perstat enim in Metaphora Scortationis, & alludit ad illud, *Carnes asinorum, carnes eorum*. Significatúrque per hanc similitudinem ingens desiderium quo affecti erant erga deos Ægyptios.

27. *Filiarum Palæstinarum*] *Filiæ Palæstinæ* civitates sunt & populi.

31. *Fastidio augens pretium*] Solent meretrices respuere munera, nisi fuerint magnifica; tu verò nullum exegisti donum, quin magis contra morem omnium gentium, *amatoribus tuis dedisti dona*.

34. *Non erit fornicatio*] Similis videlicet.

43. *Dierum adolescentiæ tuæ*] i. Beneficiorum quæ contuli in te adolescentulam. ¶ *Et non perficeres*] Ego, inquit, pœnis meis cohibui te nè omnem nefarium cogitatum tuum opere compleres.

44. *Sicut mater, ità & filia*] Per *matrem* Hebræi intelligunt terram Chanaan, & per *filiam* Synagogam Israel, quæ imitata fuit Chananæos in operibus malis. Eâdem ratione Samaria & Sodoma vocantur *sorores* ejus, quòd eas imitata fuerit, imò longè excesserit, in malitia, ut etiam Sodoma comparatione Judæ *justa* videri possit. Nam non leguntur à Sodomitis factæ tam exsecrandæ abominationes sicut à Judæis, qui etiam proprios filios immolaverunt idolis. Per *filias Sodomæ* intellige urbes quæ Regi Sodomæ paruerunt.

46. *Soror tua major*] Samaria *major* est, quia Regnum Decem tribuum majus erat Regno Juda, estâque *ad sinistram*, quia in distributione sors Juda ad Meridiem, & portio Joseph ad Septentrionem fuit.

52. *Quæ vicisti sorores tuas*] Heb. *Judicasti*. Sed Interpres sensum explicare voluit, ut idem esset *judicare* eas quod *vincere criminibus*, dum ipsa suis sceleribus fecit ut sorores suæ judicarentur minùs iniquæ. Potest tamen & sic dici, *judicasti sorores tuas*, i. cùm innocenter & in timore Dei viveres, condemnabas inculpatâ vitâ tuâ impietatem Samariæ, &c.

53. *Et convertam restituens eas*] Nostri sic putant hunc locum legendum, *Quòd si ad pristinam dignitatem redibit Sodoma & Samaria, etiam tu redibis*. Sed non est sperandum Sodomæ de aliqua promissione, cùm malitia ejus sit completa; & Samaria quoque non sit vocanda *Populus meus*, dicit Dominus Hos. 2. Ergò nec Hierosolymitani restituentur, qui pejores fuerunt Sodomitis. Et licèt habeant multiplices promissiones in Prophetis, non tamen totus Israel salvabitur, sed *reliquiæ secundùm electionem gratiæ*. Et hoc est quod Dominus dixit apud Matthæum, *Tolerabilior erit conditio Sodomæ & Gomorrhæ quàm hujus generationis*. Porrò Samaria, quæ sunt Decem tribus, cùm degenerarit in gentes, non sunt populus aliter quàm gentes, ideo promissionem habent cum gentibus. Sed nunquam restituentur in pristinum statum, sicut nec Sodoma, imò neque Juda, quantumlibèt Judæi ex hoc loco colligant hæc tria Regna restituenda. Potest etiam hic locus legi per interrogationem sic, *Reducámne captivitatem earum?* Sic quæ paulò pòst sequuntur, *Et sorores tuæ Sodoma & filiæ ejus revertentur ad iniquitatem suam?* minimè gentium.

56. *Audita in ore tuo*] Cùm tu, inquit, exuberares *in pompis tuis* & luxu tuo, oblita es horrendæ *famæ Sodomitarum*, qui ob similia crimina igne perierunt. Antequam scilicet Dominus te sub Achaz traderet in manus Regis Syriæ, quando ex te multa fuerunt missa occisa, & Philisthæi diffusi per urbes campestres ceperunt multa loca.

59. *Et faciam tibi*] Quæ tibi faciam, tuo merito faciam: sed postquam deserti pacti pœnas sumpsero, tui iterum miserebor.

60. *Pactum meum sempiternum*] De quo Heb. 6. & Jer. 33. Habes hic locum memorabilem de duplici fœdere, unum fœdus cum solo Israele, alterum cum omnibus gentibus. *Faciam*, inquit, *tecum fœdus æternum*, idque per Christum, & adjungentur tibi *sorores tuæ*, Decem Tribus & reliquæ gentes, *majores & minores*: h. e. quæ in majoribus & minoribus fuerunt peccatis; quæ omnes invenient redemptionem in Christo.

LUCAS BRUG.

18. ET *sumpsisti vestimenta tua multicoloria, & operuisti illas*] Impressi libri plerique omnes legunt, *& operuisti illas* [*illa* 2.] Manuscripti, Epanorthotæ antiqui, Hentenii plurimi, nostri omnes, numero unus & triginta, illius loco habent *& vestita es* eis* [* *in* 3 MS.] quibus Glossematicorum, Lyrani, Carensis & Richelii lectio consonat. Hebræum תְּכַסִּים verti utroque modo possit. Camhius, in commentariis & in libro Radicum, Pagnino referente, in verbo כסה utroque modo exponit, *& operuisti illas*, ac, *& operuisti te illis*. D. Hieronymus, hunc enarrans locum, explicat *& operuisti illas: Et operuisti illas*] *subauditur, imagines masculinas, ut omnem cultum quem acceperat ad utendum, verteret in blasphemiam. Hieronymus*, inquit Epanorthotes, *in commento ponit istam plus secundum Hebræum*, Et operuisti illas, *nec per hoc intelligo primam damnatam*. Videtur hoc loco accidisse, quod & alibi quandoque Hieronymum, dum commentaria scriberet, aliter vertisse quàm priùs verterat; itaque antiquiores libros primam servasse translationem, posteriores esse ex commentario mutatos. Etenim, Hieronymiani commentarii occasione, scripsit Carensis literam hanc, *& vestita es eis*, non esse in Hebraica veritate nec in LXX, sed veram secundùm Hieronymum esse literam, *& operuisti illas*. Porrò autem secutus videtur Hieronymus LXXII, dum vertit commentaria texens, *Et operuisti illas*: nam traduxerunt illi, καὶ περιέβαλες αὐτά, *& operuisti illa*: sic enim legunt hodie Græci codices, neutro genere, quo modo & quidam Latini scribunt; quod ad σκεύη *vasa* referri opinor, ex quibus dixit propheta imagines factas. Aut certè ipsa LXXII translatio est, quam Hieronymus explicat: nonnunquam enim, suâ translatione præteritâ, eam duntaxat quæ LXXII est explanat.

DRUSIUS.

4. לֹא־כָרַּת שָׁרֵּךְ. οὐκ ἐτμήθη ὁ ὀμφαλός σου, *non est præcisus umbilicus tuus*.

6. בְּדָמָיִךְ. Schol. Ebræus habet ἐν ὑγρασίᾳ *in humore*, ὑγρασίαν appellans *circumjacentem ichorem*. Græca sunt, nè quid requiras, ὁ Ἑβραῖος, ἐν τῇ ὑγρασίᾳ, ἔχει· ὑγρασίαν καλέσας τὸν περικείμενον ἰχῶρα] Ex ed. Rom.

7. וַתָּבוֹאִי בַּעֲדִי עֲדָיִים. Sym. *& pervenisti ad ornatum mulierum*. Th. *& ingressa es ad ornatum ornamentorum*.] Hieron. *Porrò quod interpretatus est Sym.* & pervenisti ad ornatum mulierum, *sive, ut Theodotio*, & ingressa es ad ornatum ornamentorum, *pro quo nos secuti sensum Ebraicum diximus*, & pervenisti ad mundum muliebrem, *tempus pubertatis ostendit, quando puellæ nubiles appellantur, & possunt maritorum amplexibus copulari. Denique sequitur*, Ubera tua intumuerunt, & pilus tuus germinavit. *Honestè adolescentularum maturitas indicatur, quando intumescunt ubera sive eriguntur, & germinat pilus*. Quæ verba produxi propter Scholion illud v. 8. *tempus ut ex virginibus excedas*: Nam ejus signum est tumor uberum. Ergò *tempus uberum*, quando ubera intumescunt: tum enim certè adolescentulæ ex virginibus excedunt. Sic mihi videtur.

8. עֵת דֹּדִים. Aquilæ 1 editio *tempus* μαστῶν *uberum*; 2 συναλλαγῆς, i. *sponsalium*. Sym. ἀγάπης *dilectionis*. Scholion ex Theodoreto, Ebræus, καιρὸς τοῦ διαπαρθενευθῆναι, *tempus ut ex virginibus excedas*] Hieron. *Ecce tempus ejus tempus amantium, sive juxta LXX* divertentium, *& juxta interpretationem Aquilæ secundam* συναλλαγῆς, sponsalium *videlicet*, & temporis nuptiarum: *juxta primam verò ejusdem editionem, & Theodotionis*, μαστῶν, *quod interpretatur* uberum: *pro quo Symmachus vertit* ἀγάπης, *quod* dilectionem *sonat*. *Uberum*] Cant. 1. 2. דדיך, LXX μαστοί σου. Hieron. *ubera tua*. Prov. 7. 18. דודים, Hieron. *uberibus*. LXX φιλίας. Rursum Cant. 1. 13. דודי, Sym. ὁ ἀγαπητός μου. Alius, ὁ ἑταῖρός μου. LXX ἀδελφιδός μου. Hieron. *dilectus meus*. 2. 8. קול דודי, Sym. ἀγαπητοῦ μου· cæteri πατραδέλφου μου. *Dilectionis*] Hieron. *amantium*: alius, *amorum*. Rursum Hieron. *Pro* divertentium dilectione *& uberum in Ebraico habetur* DODIM, *quod secundùm linguæ eorum proprietatem omnia quæ supra versa sunt significat*. ¶ כְּנָפִי. τὸ πτερύγιόν μου, *oram meam*] Hieron. *Sive amictum expandit pro alis: hoc enim interpretatur* πτερύγιον

quo

quo operta est Ruth ad pedes dormiens Booz. Et in ora, i. πτερυγίῳ, *vestimenti nostri jubemur hyacinthinas fimbrias alligare.*

10. תחש. A. Sym. *ianthina*. Th. *hyacinthina*] Hieron. *Aq. & Sym.* ianthina, *Lxx & Th.* hyacinthina *transtulerunt: pro quo in Ebræo scriptum est* תחש. In textu Hieronymi, *calceavi te hyacintho:* sed in Comment. *ianthino*. Et mox, *pulcre, quia ad Jerusalem sermo dirigitur, & sub persona feminæ omnis ejus ornatus exprimitur, hyacinthina sive ianthina calceamenta narrantur, quæ virorum personæ non conveniunt.* Lxx ϗ ὑπέδυσά σε ὑάκινθον, i. *hyacintho*. ¶ משי. Th. μεσσί. Sym. *indumentum*. A. *floridum* sive *palpabile*. Lxx τριχάπτῳ *trichapto*] Hieron. *Pro* trichapto *Aq.* florido *sive* palpabili, *Sym.* indumento, *Theodotio ipsum verbum Ebraicum posuit* Messi. Et aliquantò pòst, *Possumus juxta interpretationem* 2 *editionis Aquilæ, qui* floridum *interpretatus est* indumentum, *ubertatem terræ Judææ per Metaphoram intelligere, & Divini cultûs pulcritudinem.* Hinc eruo, משי. *Aquilæ* 1 *ed.* palpabile, 2 floridum, i. ἄνθιμον. Orig. τρίχαπτον, *alii Interpretes verterunt* ἄνθιμον ϗ ἐπένδυμα. Significat Aquilam & Symmachum. Nam Sym. vertit *indumentum*, i. ἐπένδυμα. משי *Messi*, ut משיחא *Messias*, דבורה *Debbora*. Quanquam hîc Scheva, ibi Segol. TRICHAPTO. Hieron. *Cùm diligenter inquirerem quid sibi vellet vocabulum* trichapti, *quod Lxx transtulerunt, & à nullo Græcorum nec usum nec etymologiam possem invenire sermonis, tandem didici à Lxx esse compositum.* Theodoretus, *Plexus est hic è capillis factus qui capitibus mulierum circumponitur.* Aliud Scholion, πλέξις ἡ τισιν αἱ τρίχες συμπλέκονται· τρίχαπτον ἢ λέγει τὸ ἀπὸ χρυσοῦ κατεσκευασμένον, ἵνα εἴπῃ ἀπὸ χρυσονήματος· λέγει ἢ τὴν ἐκ χρυσοῦ διάζωδον ἐσθῆτα· quæ sic versa offendi in ed. Rom. *plexus quo capilli complicantur. Trichaptum autem dicit quod ex auro fabrefactum est, quasi dixerit ex aureo texto. Dicit autem vestem ex auro* διάζωδον *quasi ex animalium figuris intertextum.* Cæterùm Hieronymus pro eo posuit *subtilibus*. Paulò autem inferiùs *polymitum* dixit post Symmachum, qui eo in loco ità verterat. In Thesauro Stephani, Τρίχαπτον, *textum quoddam tenue & bombycinum magni pretii, quod crinibus obducebatur, sicut* crinale aurum *Maroni. Apud Hesychium scribitur cum accentu in ultima, exponitúrque* βομβύκινον ὕφασμα ὑπὲρ τῶν τριχῶν κεφαλῆς ἁπτόμενον· *quod* capillare *esse apud Martialem quidam tradunt.* Et mox, *Hieronymus volens exprimere tenuitatem vestimenti,* τρίχαπτα *vertit* subtilia, *quòd tenui stamine atque subtegmine contexta essent.*

11. רביד. Aquilæ 2 ed. & Sym. *torquem*. Th. κάθεμα. Sic etiam Lxx] Hieron. *Pro* torque, *quam nos juxta Aquilæ* 2 *ed. & Sym. interpretati sumus, Lxx & Th.* κάθεμα *transtulerunt, quod non solum hic sed & in Esaia scriptum est,* Auferet Dominus gloriam vestimenti earum, & murænulas, & corymbos, & circulos, & κάθεμα. *Puto autem* κάθεμα *ab eis dictum ex variis gemmis in pectus mulierum monile descendens, qui & ipse ornatus pulcerrimus mulierum est.* Gen. 41. 42. רביד הזהב, Hieron. *torquem auream*, Lxx κλοιὸν χρυσοῦν, Onc. & Jon. מניכא. Quidam *focale* reddunt.

12. נזם. Sym. ἐπιῤῥίνιον· alii omnes, *inaurem*, i. ἐνώτιον] Hieron. *Verbum Ebraicum* נזם (malè משי in edit. Plantiniana) *excepto Symmacho, qui interpretatus est* ἐπιῤῥίνιον, *omnes* inaurem *transtulerunt: non quòd inaures ponantur in naribus, quæ ex eo quòd de auribus pendeant* inaures *vocantur, sed quòd circulus in similitudinem factus inaurium eodem vocabulo nuncupetur, & usque hodie inter cætera ornamenta mulierum solent aurei circuli in os ex fronte pendere, & imminere naribus.* Job. 42. 11. נזם. A. Th. ἐνώτιον, Sym. ἐπιῤῥίνιον. Jes. 3. 20. נזמי האף Hieron. *gemmas in fronte pendentes.* Prov. 11. 22. נזם זהב Lxx ἐνώτιον χρυσοῦν *inauris aurea*. ¶ תפארת. Sym. *decoris*, cæteri, καυχήσεως] Hieron. Decorem *juxta Sym. ob sensus elegantiam interpretati sumus. Alioqui & in Ebræo est* תפארת, *& in reliquis translatoribus* καυχήσις gloriatio *dicitur.*

13. רקם. A. ἄνθιμον. Sym. *polymitum*. Th. μεσσί] Hieron. *Verbum Ebraicum* משי *& hic Theodotio ipsum, ut suprà, posuit, Aq.* ἄνθιμον. *Sym.* polymitum. *Nos autem quod suprà* subtile, *hic juxta Sym.* polymitum *diximus, Lxx* τρίχαπτα *transtulerunt, servantes interpretationem præteritam, ut ad similitudinem capillorum tenuia vestimenta monstrarent.* ¶ במאד מאד. σφόδρα σφόδρα] Vel σφοδρῶς. Hieron. *fiet pulcerrimus, non semel, sed repetito,* nimis nimis. *Duplicatum enim adverbium pondus facit orationis, quò ad pulcritudinis magnitudinem addi nihil possit.* ¶ ותצלחי למלוכה. ϗ κατευθύνθης εἰς βασιλείαν, *Et profecisti in Regnum.*] Hieron. *Hoc in Lxx non habetur, qui forsitan Alexandriæ in Græcum sermonem Scripturas ex Ebraica veritate vertentes timuerunt hoc edere, ne Regem Ægypti viderentur offendere, dum à Deo Jerusalem debitum Regnum esse commemoraretur: quanquam eruditi solos quinque libros Moysi ab eis interpretatos putant.*

14. ויצא לך וגו'. Sym. *& egressum est nomen tuum in Gentes, quod perfectum erat propter dignitatem meam quam posueram super te, dicit Dominus Deus*] Hieron. *Hunc locum manifestiùs interpretatus est Symmachus,* & egressum est, &c. *Est autem sensus, Meis beneficiis meâque incredibili largitate ad Reginæ vocabulum pervenisti, ita ut de te omnium gentium sermo loqueretur, & esses non tuis meritis atque virtutibus sed meâ liberalitate perfecta.* ¶ בהדרי. ἐν εὐπρεπείᾳ, ἐν τῇ ὡραιότητι, *in decore, in pulcritudine*] Videntur coaluisse duæ interpretationes. Sanè apud Theodoretum & in uno codice tantùm est ἐν εὐπρεπείᾳ, & apud Hieron. *in pulcritudine*. Complutensis editio habet ἐν εὐπρεπείᾳ ὡραιότητος, *in decore pulcritudinis*.

16. ותקחי מבגדיך וגו'. Hieron.] *Symmachus hunc locum ità interpretatus est,* Cúmque tulisses de vestibus tuis, fecisti tibi excelsa multicoloria, & fornicata es in eis, non facta, neque futura. *Pro* consutis *&* versicoloribus *&* excelsis *sive* idolis *Aq. & Th.* ἐμβολίσματα *transtulerunt, quod significat diversos pannos hinc indè consutos, & instar emplastri factum idolum, quasi* πολύῤῥαφον *vestimentum.* ¶ במות טלאות, Hieron. *excelsa hinc indè consuta.* Lxx εἴδωλα ῥαπτὰ, *idola consuta*. Sym. *excelsa multicoloria*. A. Th. ἐμβολίσματα. Santes, *excelsa multicoloria*. Arias, *maculosa*.

21. ותתנים בהעביר אותם. A. Sym. Th. *transtulisti & transduxisti eos*] Hieron. *In eo autem loco in quo nos posuimus,* & & dedisti illos consecrans eis, *pro quo Lxx transtulerunt,* & dedisti eos ad placandum, *sive* expiandum, *Aq. Sym. & Th. posuerunt,* transtulisti & transduxisti eos; *quia Ethnici per ignem filios suos vel transferunt parvulos, vel adultos transire compellunt.*

23. אוי אוי לך. Th. οὐαὶ οὐαί σοι] Hier. *Hoc quod secundò dicitur,* væ væ tibi, *Vulgata editio non habet, sed de Theodotionis editione additum est.*

24. גב. Sym. Th. πορνεῖον. A. βόθυνον. Hieron. *lupanar*. Lxx οἴκημα πορνικόν] Hieron. *Rursúmque ubi nos diximus,* & ædificasti tibi lupanar, *pro quo Lxx transtulerunt,* & ædificasti tibi habitaculum fornicationis, *Sym. & Th.* πορνεῖον *interpretati sunt; Aquila, volens exprimere etymologiam sermonis Ebraici* G A B, *posuit* βόθυνον, *quod nos dicere possumus* foveam, *ut significet ganeum & defossum specum, atque tenebrosum, in quo prostitutarum libido versatur.* Lex. V. Πορνεῖον, *fornix, ganeum, lupanarium.* Βόθυνον] i. גבא. In verbis Hieronymi pro *ganeum* libri quidam habent *ganeam*. Nam dicimus *ganea* & *ganeum*: & est locus abditus & velut subterraneus, libidini accommodus. ¶ רמה. A. Sym. Th. *excelsum*, sive *sublime*] Hieron. *Quódque sequitur,* & fecisti tibi prostibulum in cunctis plateis, *pro quo Lxx transtulerunt* ἔκθεμα, *in Ebraico habet* R A M A, *& tam Aq. quàm Sym. & Th.* excelsum *sive* sublime *interpretati sunt. Denique & in consequentibus, ubi scriptum est,* ad omne caput viæ ædificasti signum prostitutionis tuæ, *pro* signo *&* fornicatione *rursum in Ebræo habet* רמה, *quod nos vel* prostibulum *vel* signum *interpretati sumus, cùm apud Ebræos unum vocabulum sit. Hoc autem ponitur, quòd* excelsus *sit, ut volentibus fornicari procul appareat fornicationis locus, & non necesse sit quæri.* Hucusque Hieronymus. Sciendum verò & גב, de quo suprà, significationem habere *altitudinis*. Consule Lexicographos. Polychronius, Ἔκθεμα λέγει οἶον τὸ προαγώγιον, ἔνθα τὰς πόρνας τρέφειν εἰώθασι, *ubi meretrices alere consueverunt.* Interpres Latinus reddit *prostitutionem* sive *prostibulum*. Suetonius in Nerone, *Super ingenuorum proagogia & nuptarum concubinatus Vestali virgini Rubriæ vim intulit:* ubi *proagogia* pluralis est à nominativo singulari *proagogium*: sed non nemo reponendum putat *proagogias*, quod interpretatur *perductiones, lenocinia. Alioqui*, inquit, προαγωγεῖον *potiùs esset locus in quo fierent hujusmodi perductiones.* Lex. V. Προαγωγὸς, πορνοβοσκὸς, *lenocinator*. Paulò pòst, videlicet v. 25. רמתך Lxx τὰ πορνεῖά σου, *lupanaria tua*. Si rectè, tum רמה significabit inter alia πορνεῖον, i. *lupanar*. Sed ἔκθεμα locus est ubi omnium oculis exponuntur meretrices. Eadem vox *programma* denotat; sed Phrynichus tanquam barbaram eam rejecit.

27. זמה. Sym. *scelerata*. Th. ζεμμά] Hieron. *Quod nos interpretati sumus juxta Sym.* scelerata, *Th. ipsum verbum Ebraicum posuit* Z E M M A. Ità legendum, non *zimma*, aut ζεμά. Sign. autem in ea lingua *scelus* aut aliquid tale. Jud. 20. 6. עשו זמה Lxx ἐποίησαν ζεμμά· aliàs ζεμά. Hieron. *nefas*. ζεμὰ legitur

legitur Ezec. 24. in cod. Græcis, ubi Hieron. habet *immunditia exsecrabilis ac scelesta.* Vide sis eum pag. 402, & 403. Alibi est זמה ἀφροσύνη *insipientia.* R. D. ענין תועבה ומעשה רע *sign. rem abominandam & malam.*

29. אֶת־תַּזְנוּתַיִךְ. τὰς πορνείας σου *fornicationes tuas*] Alias τὰ πορνεῖά σου *lupanaria tua.* Vide Theodoretum. Cæterùm זמה Lxx interpretantur ἠσέβησας, quod cum sequentibus connectunt. Hieron. *Quod sequitur* ἠσέβησας, *h. e.* impiè egisti, *juxta Lxx sequenti capitulo coaptatur, juxta cæteros finis superioris est.* Ubi *capituli* vocabulo versum intelligere videtur. ¶ כְּנַעַן כַּשְׂדִּימָה. Χαναὰν κ̀ εἰς τοὺς Χαλδαίους, *Chanaan & apud Chaldæos.* Lectio varians, κ̀ Χαλδαίων *& Chaldæorum.*

33. לְכָל־זֹנוֹת וגו׳. πάσαις πόρναις δίδοται μισθώματα, σὺ δὲ προσέδωκας μισθώματά σου πᾶσι τοῖς ἐρασταῖς σου, *Omnibus meretricibus dantur mercedes: tu autem dedisti mercedes tuas omnibus amatoribus tuis.*

34. וְאַחֲרַיִךְ לֹא זוּנָּה. Sym. *& post te non erit fornicatio*] Hieron. *Tantáque fuit expositio adultera ad omnem turpitudinis magnitudinem ut non solùm præsentibus sed etiam futuris meretricibus præferatur. Unde & nos juxta Sym. interpretati sumus*, & post te non erit fornicatio. *Collatione enim tui omnis deinceps fornicatio levior existimabitur.* Græcè κ̀ μετὰ σὲ ὐκ ἔςαι πορνεία.

53. שְׁבוּת סְדֹם A. *captivitas Sodomæ.* ¶ שְׁבוּת שֹׁמְרוֹן. A. Sym. *captivitas Samariæ*, i. αἰχμαλωσία] Hier. *Primùm restituitur* conversio *sive* captivitas Sodomæ, *ut interpretatus est Aquila*; *secundò* captivitas Samariæ, *ut idem Aq. & Sym. transtulerunt.*

56. וְלוֹא הָיְתָה וגו׳. Sym. *Quia non fuit Sodoma soror tua in auditu per os tuum in die superbiæ tuæ.* Th. *Et non erat Sodoma soror tua in auditu oris tui in die superbiæ tuæ.* Translatio nostra, cui Aquilæ editio congruit, *Non fuit autem Sodoma soror tua audita in ore tuo in die superbiæ tuæ.*

57. בְּטֶרֶם תִּגָּלֶה וגו׳. Sym. *Antequam revelaretur ignominia tua, sicut in tempore opprobrii filiarum Syriæ, & omnium quæ in circuitu tuo sunt filiarum Palæstinarum, quæ te ambiunt per gyrum.* Th. *Antequam revelaretur malitia tua, sicut tempus opprobrii filiarum Syriæ, & omnium per circuitum ejus filiarum alienigenarum, quæ abominantur te per gyrum.* Translatio nostra, *Antequam revelaretur malitia tua, sicut hoc tempore in opprobrium filiarum Syriæ, & cunctarum in circuitu tuo filiarum Palæstinarum, quæ ambiunt te per gyrum*] Hieron. *Editioni Aquilæ congruit nostra translatio. Quas omnes posui ut ex collatione cunctarum alicujus sensûs possimus reperire vestigium*, &c.

58. אֶת־זִמָּתֵךְ וגו׳. Sym. *scelus tuum & nefas tuum tu portabis.* —— Th. *fornicationem tuam & contaminationes tuas tu portasti, dicit Dominus.* Vulg. nostra, *Scelus tuum & ignominiam tuam tu portasti, ait Dominus Deus*] Hieron. *Et interim absque aliorum præjudicio, sic nobis videtur lectionis ordo reddendus*, In diebus superbiæ tuæ, quando peccabas, non es recordata eversionis Sodomæ sororis tuæ, antequam pateret malitia tua: quæ hoc tempore revelata est in tantum ut cunctis urbibus Syriæ & Palæstinæ, quæ in circuitu tuo sunt, fieres opprobrium. Quia igitur vicisti in scelere sororem tuam, nec ejus exemplo territa es nè similia sustineres & prohiberes pedem tuum, nunc autem revelata est ignominia tua, Dei ausculta sententiam. *Vel* porta, *juxta Lxx, vel* portasti *juxta Aq. & Th. vel* portatura es *juxta Sym.* scelus & ignominiam tuam, *&c.* Σὺ κεκόμισαι αὐτὰς, λέγει Κύριος. Sic ed. Rom. sed in plerisque σὺ κόμισαι αὐτὰς, *tu porta eas*: quam lectionem secutus est Hieronymus.

GROTIUS.

2. **N***Otas fac Jerusalem abominationes suas*] Nempe per epistolam, quam mittere debebat ad Judæos in patria agentes. Est autem hujus totius capitis mira δείνωσις [*vehementia,*] egregiè persequens illam similitudinem adulterii & idololatriæ.

3. *Radix tua & habitatio tua de terra Chanaan*] Habitatio prima parentum tuorum, unde ortus est tibi, fuit terra Chanaan, corruptissima moribus, unde multò plus hausisti quàm de virtutibus Abrahami, Isaaci, & Jacobi.

Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa] *Patrem & matrem* vocat non naturâ sed habitatione eos qui priùs eandem terram tenuere, & quorum mores eorum in terra successores sequebantur. Sic γενᾶσθαι [*gigni*] dicuntur successores, ut ad III. Lucæ diximus.

4. *Non est præcisus umbilicus tuus*] Ab intestino illo per quod matri infans adhæret: id est, contemtissimus fuisti populus cùm nascereris in Ægypto. Scilicet infantes qui contemnuntur abjici solent, nullâ parentum de iis curâ. Vide titulum Codicis de Infantibus expositis, ubi est in L. 2. *Nec enim suum quis dicere potuerit quem pereuntem contemnit.*

Et aquâ non es lota in salutem] Aquâ abluuntur infantes à sanguine, ut hic bene notat Hieronymus.

Nec sale salita] *Humor enim corporum parvulorum*, ut idem ait, *salis adjectione siccatur.*

Nec involuta pannis] Fasciis, quod barbaros & diutiùs & diligentiùs observasse quàm Romanos testatur hic Hieronymus: ideòque & *corpora barbarorum esse rectiora.*

5. *Nec pepercit super te oculus, ut faceret tibi unum de his, misertus tui*] Ægyptiorum, qui quasi parentes illis esse debebant ob Josephi merita, duritiam significat, ut rectè hic observat Chaldæus.

Sed projecta es super faciem terræ] Exposita. *Qui infantes abjecerunt*, ait Lex *Sancimus* C. de Infantibus expositis. *projiciunt*, ait in eadem re Turrianus Clodius apud Senecam lib. IV. Controversiarum XXXIII. Tales infantes ἀπερριμένοι [*à cura abdicati*] Harmenopulo.

In abjectione animæ tuæ] Id est, cum periculo vitæ tuæ. *Perituros nisi auferantur*, Labienus in eadem controversia.

In die quâ nata es] Populus enim in Ægypto natus est.

6. *Transiens autem per te*] *Te præteriens*, ut fieri solet.

Vidi te conculcari in sanguine] *Rubentem à matre* (ità Juvenalis loquitur) *pedibus teri.* In dicto titulo Codicis additur: *Et de his qui sanguinolentos nutriendos acceperunt.* Eâdem voce utitur Lex secunda, Codice De patribus qui filios suos distraxerunt, & Donatus in Andria, & Prudentius adversùs Symmachum. Lactantius *infantes à sanguine* dixit.

In sanguine tuo vive] Quanquam fœda es sanguine, volo te vivere.

7. *Multiplicatam quasi germen agri dedi te, & multiplicata es, & grandis effecta*] Meliùs: *Crescere feci te ut germen agri, & crescendo grandis facta es.* Ut duret sermo de puella, sub cujus persona gens Judaica describitur.

Et pervenisti ad mundum muliebrem] Meliùs: *Et pervenisti ut transires transitiones*: id est, ut ex infante fieres adolescentula. עדה inter alia est *transire.* *Mundi* aut *ornamentorum* nulla hic esse potest mentio, quia adhuc nuda fingitur. *Transitum* autem istum explicant sequentia.

Ubera tua intumuerunt] Mammæ sororiarunt. Vide Canticum VIII. 8.

Et pilus tuus germinavit] Pubes. Macrob. lib. De somnio Scipionis cap. VI. *Post annos autem bis septem ipsâ ætatis necessitate pubescit.* Idem Saturnal. VII. 7. *Humor naturalis in corpore, quando ætas transit pueritiam, fit durior, & acuitur in pilos: ideo tunc & pubes.* Tertullianus de Virginibus velandis: *Jam & vox obsolefacta est, & membra completa sunt, & pudor ubique vestitur, & menses tributa dependunt.* Hebræi etiam corpore inspecto de ætate judicabant.

Et eras nuda & confusione plena] In Hebræo, *Nuda & retecta*: id est, vestitu carens, aut tenuiter vestita. Sic exprimitur miseria gentis in Ægypto.

8. *Et transivi per te, & vidi te*] *Præteriens te adspexi.*

Et ecce tempus tuum, tempus amantium] Amorum: id est,

Jam matura viro, jam plenis nubilis annis.

Et expandi amictum meum super te] Ritus in sumenda uxore, Ruth. III. 9. Sic Euripides:

Ὅταν δ᾽ ὑπ᾽ ἀνδρὸς χλαῖναν ἐμβάλῃς πέσῃς.

[*Quod si subieris conjugis clari togam.*]

Et operui ignominiam tuam] Vestibus te indui.

Et juravi tibi, & ingressus sum pactum tecum] In Sinaï.

Et facta es mihi] *Mea.*

9. *Et lavi te aquâ, & emundavi sanguinem tuum ex te*] Balnea tibi paravi, in quibus ex profluvio mundareris, ut mos feminis Levit. XV. 19. Significat mundationes in Lege institutas.

Et unxi te oleo] Ut mos fieri noviter nuptis, Ruth. III. 3. Judith. X. 3. Significatur Sacerdotium.

10. *Et vestivi te discoloribus*] Novæ nuptæ etiam vestes meliores sumebant versicolores. In Hebræo, *Vestivi te acupictis.* Hæc omnia significant varias Legis ceremonias.

Et calceavi te ianthino] In Hebræo, *melinis.* Hebræi diebus festis calceos habebant de melium pellibus: meminere Thalmudici.

Et cinxi te bysso] In Hebræo, *Instravi te bysso.* Stragulas lectorum tibi dedi è bysso.

Et indui te subtilibus] In Hebræo, *Cinxi te serico*: id est, è serico feci tibi lecti περιπετάσματα [*velaria*]. Hic significantur

cantur ornamenta sacri tentorii, quæ Deo velut nuptialis lectus.

11. *Et ornavi te ornamento*] Id est, omnem ornatum muliebrem tibi dedi: quæ generalitas deinde per suas species explicatur. Significantur ingentes divitiæ populi sub Davide maximè, & Solomone.

12. *Et dedi inaurem super os tuum*] *Monile super nasum tuum.* Is mos erat illis gentibus. Vide quæ dicta Job. XLII. 11. Prov. XI. 22. Hieronymus, qui in illis locis vixit, *Usque hodie inter cætera ornamenta mulierum solent aurei circuli in os ex fronte pendére, & imminere naribus.*

Et circulos auribus tuis] Annulos aureos in auribus.

Et coronam decoris in capite tuo] Etiam corona imponebatur nubentibus, Cant. IV. 8. Claudianus de Proserpina,

—— *seséque ignara coronat:*
Augurium fatale tori. ——

Significatur dignitas regia.

13. *Et vestita es bysso, & polymito, & multis coloribus*] *Bysso, & serico, & acupictis.* Opulentorum uxores multas habere solent vestium syntheses.

Similam & mel & oleum comedisti] Non cepas & allia, ut in Ægypto. Solebant tribus his mistis suavissimæ fieri placentæ.

Et decora facta es vehementer nimis] Ità delicatè habita speciosior indies evasisti. Significatur Templi magnificentia.

Et profecisti in Regnum] *Profecisti in Regno:* id est, in majestate. Significatur imperium quæsitum in gentes vicinas, ut rectè hîc notat Chaldæus.

15. *Et habens fiduciam in pulchritudine tua, fornicata es*] *Sed superbiens ob formam tuam, mœchata es.*

Lis est cum forma magna pudicitiæ.

Incipit jam attingere omnia gentis flagitia à Solomonis usque temporibus.

In nomine tuo] Quasi tui juris esses, & non in mariti potestate.

Et exposuisti fornicationem tuam omni transeunti] Id est, prostituisti libidines tuas.

16. *Et sument de vestimentis tuis*] Byssum, sericum, acupicta.

Fecisti tibi excelsa] Id est, tentoria in excelsis, more Babylonico.

Hinc indè consuta] טלאות sunt *segmentata*, plagis latioribus.

17. *Vasa decoris tui*] Ornamenta muliebria.

Fecisti tibi imagines masculinas] Baalimos.

Et fornicata es in eis] Cum eis mœchata es.

18. *Et operuisti illas*] Imagines.

Et oleum meum] Lychnos meos.

Et thymiama meum] Suffitus mihi debitos.

19. *Et panem meum quem dedi tibi*] *Panis* nomine Hebræi omne id quo nutrimur intelligunt. Hæc generalitas per subsequentia explicatur.

Similam & oleum & mel, quibus enutrivi te, posuisti in conspectu eorum in odorem suavitatis] Id est, fecisti indè מנחה, μαναὰ [*manaa* sive *oblationem è simila*], cujus descriptio Levitici II.

Et factum est] Hæc omnino sic facta sunt: negari nihil horum potest.

20. *Et immolasti eis ad devorandum*] Igne consumendos dedisti.

Numquid parva est fornicatio tua?] An parum sceleris esse putatis in sacrilegis illis sacris?

21. *Immolasti filios meos, & dedisti illos consecrans*] Idem aliis verbis repetit, ut magis hæreat animo rei indignitas.

24. 25. *Ædificasti tibi lupanar, & fecisti tibi prostibulum in cunctis plateis. Ad omne caput viæ ædificasti signum prostitutionis tuæ*] Tale illud:

Cunctis in triviis & angiportis
Glubit magnanimos Remi nepotes.

Nimirum *feminæ impudicæ tandem novissimam voluptatem habent in magnitudine infamiæ*, ut Taciti utar verbis. Talis Messalina,

Ausa Palatino tegetem præferre cubili,
Sumere nocturnos meretrix Augusta cucullos,
Linquebat comite ancillâ non amplius unâ:
Sed nigrum flavo crinem abscondente galero
Intravit calidum veteri centone lupanar,
Et cellam vacuam atque suam.

Per *lupanaria* aras intellige passim excitatas. Sicut in collibus erant aræ, ità & lupanaria. Propterea utitur voce במות [*excelsi*], & infrà גב [*eminentis loci*], quod & comparationi convenit, & rei comparatæ

Et abominabilem fecisti decorem tuum] Pulchritudo tua informem te fecit.

Et divisisti pedes tuos omni transeunti] Latini dicerent, *sustulisti pedes*, ut alibi notavimus: Græci, διήγαγες τὰ σκέλη σου.

Et multiplicasti fornicationes tuas] Ut illa de qua Martialis:

Cùm se dedisset omnibus modis largam.

Item:

Nulli, Thaï, negas; sed si te non pudet istud,
Hoc saltem pudeat, Thaï, negare nihil.

26. *Et fornicata es cum filiis Ægypti vicinis tuis magnarum carnium*] Id est, bene vasatis. Significatur idololatria ad exemplar Ægyptiorum, qui magni erant idololatræ. Vide quæ diximus ad Esaiam XXX. XXXI.

27. *Ecce ego extendam manum meam super te, & auferam justificationem tuam*] *Et cùm ego manum meam contra te extenderem, & diminuerem dimensum tuum.* Id est, auferrem aliquid de opulentia quâ abutebaris.

Et dabo te in animas odientium te filiarum Palæstinarum] *Et permitterem te arbitrio inimicarum tuarum Palæstinarum.* Femininum nomen usurpat, ut meliùs continuet allegoriam. Factum est hoc & quod sequitur Achazi temporibus. Vide II Paralipomenon XXVIII. 16. 18. II Regum XVI. 7. 10.

Quæ erubescunt in via tua scelerata] Erubescebant. Palæstini, quamvis mali, tua facta imitari non audebant: manebant penes deos suos, Jeremiæ II. 11.

28. *Et fornicata es in filiis Assyriorum*] Nam plerumque quorum amicitiam ambiebant, eorum cultus imitabantur, ut ad Esaiam plùs semel notavimus.

Et postquam fornicata es, nec sic es satiata] Ut Messalina:

Et lassata viris, nondum satiata recessit.

29. *Et multiplicasti fornicationem tuam in terra Chanaan cum Chaldæis*] Addit *in terra Chanaan*, ut intelligatur hoc factum ante deportationem: fieri hoc cœpit jam à Joachimi temporibus.

30. *In quo mundabo cor tuum, ait Dominus Deus*] *Quàm infirmum factum est cor tuum?* id est, ægrum præ libidine.

Mulieris meretricis & procacis] In Hebræo, *meretricis liberæ:* id est, *maritum non habentis.* LXX, παῤῥησιαζομένης [*licentiam usurpantis*].

31. *Nec facta es quasi meretrix fastidio augens pretium*] *Quasi meretrix, quæ vilem se facit ob mercedem.* Condonandum aliquid iis quæ se vulgant ut habeant unde vivant. Terentius:

Mi Pamphile, hujus formam atque ætatem vides:
Nec clam te est quàm illi utraque res nunc utiles,
Et ad pudicitiam, & ad tutandam rem fient.

32. *Sed quasi mulier adultera, quæ super virum suum inducit alienos*] *Pro viro suo:* à quo diligitur ac bene educatur, ut hîc Chaldæus.

33. *Tu autem dedisti mercedes*] Ut anus illa in Pluto Aristophanis.

Donabas eis] Magna munera intelligit missa ad Ægyptios, Assyrios & Chaldæos.

Ut intrarent ad te] In cubile tuum.

34. *Et post te non erit fornicatio*] Tam projectæ libidinis.

36. *Quia effusum est æs tuum*] *Effusa est spurcitia tua:* id est *virus*, ut loquitur Virgilius de equabus. [illegible] Arabibus *spurcitia.* Confer Jerem. XIII. 27.

Revelata est ignominia tua] Patuêre partes pudendæ.

Super amatores tuos] *Coram amatoribus.*

Et super idola abominationum tuarum] *Propter idola tua abominanda.*

In sanguine filiorum tuorum, quos dedisti eis] *Ac sicut sanguinem filiorum tuorum dedisti eis:* Nempe & ego tuum sanguinem dabo, ut sequitur. Hic incipit prima ἀπόδοσις [*redditio*] comparationis.

37. *Congregabo omnes amatores tuos*] Chaldæos adjutoribus Assyriis.

Cum universis quos oderas] Idumæis & Palæstinis.

Et nudabo ignominiam tuam coram eis] *Publica infamiæ te exponam:* παραδειγματίσω σε [*faciam te exemplum*].

38. *Et judicabo te judiciis adulterarum, & effundentium sanguinem*] Id est, partim lapidaberis, partim gladio trucidaberis, ut sequitur infrà 40. Lapidatas aliquibus temporibus adulteras diximus ad Joannem VIII. 5. Lapidata est Jerusalem, cùm ex ballistis Chaldæorum saxa in eam jacta sunt. Gladii pœna propria homicidarum, quales illi in liberos suos fuerant.

Dabo te in sanguinem furoris & zeli] Id est, in pœnam

nam qualem zelotypi mariti in adulteram exercent. Vide supra XIV. 19.

39. *Destruent lupanar tuum*] Templum, ex quo idolium fecisti.

Et demolientur prostibulum tuum] In Hebræo, *Excelsa tua.* Vide supra 24.

Et denudabunt te vestimentis tuis] Muros tibi detrahent.

Et auferent vasa decoris tui] Vasa Templi, II Regum XXV. 13.

41. *Et comburent domos tuas igni*] Ut Lex fieri præcipit in urbem idololatrarum Deuteron. XIII. 16.

Et facient in te judicia in oculis mulierum plurimarum] Id est, vicinarum gentium.

Et mercedes ultrà non dabis] Non erit unde des.

42. *Et requiescet indignatio mea in te, & auferetur zelus meus à te, & quiescam, nec irascar ampliùs*] Id est, istis pœnis exsatiabo iram meam.

43. *Vias tuas in capite tuo dedi*] Sprevisti me, ego spernam te: dolorem mihi intulisti, & ego tibi inferam.

Et non feci juxta scelera tua in omnibus abominationibus tuis] Id est, circa idola. Non feci quantum peccata exigebant. Legit Hieronymus עשיתי [*feci*], ut & LXX. Alii עשית [*fecisti*], & exponunt: *Non fecisti cogitationem* (nam זמה & *cogitationem & scelus* significat) *de omnibus abominationibus tuis*, nempe ad resipiscendum. Sic Chaldæus.

44. *Sicut mater, ità & filia ejus*] Sic Juvenalis:

> —— *Exspectas ut non sit adultera Largæ*
> *Filia, quæ nunquam maternos dicere mœchos*
> *Tam citò, nec tanto poterit contexere cursu,*
> *Ut non ter decies respiret?*

Matrem vocat Chananæos, & alias gentes quæ terram eandem antè tenuerant, ut diximus supra 3.

45. *Quæ projecit virum suum*] Deum quem à Noë didicerant.

Et filios suos] Quos neci dedit in honorem Saturni. Is enim primitus mos Phœnicum, id est, Chananæorum.

Et soror sororum tuarum es tu] Etiam ingenio similis iis quos attingis sanguine.

Quæ projecerunt viros suos] *Sorores* sunt Sodoma, & Ammonitæ, & Moabitæ, quorum origo è Sodomis; & Samaria, princeps civitas Decem tribuum. Ammonitæ & Moabitæ pro veteribus diis suis Molocho & Chamoso, Samaritæ pro vitulis suis deos Chaldæos receperant, quod tamen ipsis nihil profuit. Vide Jeremiæ XLVIII. XLIX. Erant autem Samariæ cognati Judæorum ex Jacobo, Ammonitæ & Moabitæ ex Thare.

46. *Soror tua major Samaria, ipsa & filiæ ejus*] Minora oppida, quorum Reges Samariæ habitabant. *Soror major* dicitur quæ propiori sanguine connectitur; ut Decem tribus, quæ ex Jacobo. *Soror*, id est, consanguinea, *minor*, quæ remotior sanguine.

Quæ habitant ad sinistram tuam] Id est, ad Septentrionem: locutio Hebraïca. Dicitur hoc ratione Templi, si indè Solem orientem respicias.

Quæ habitat à dextris] Id est, ad Meridiem. Vide Genes. XIII. 3. & ibi Chaldæos.

Sodoma & filiæ ejus] Ammonitis & Moabitis.

47. *Neque secundum scelera earum fecisti pauxillum minus*] *Neque secundùm scelera earum fecisti: perpaulum hoc fuisset*, supple *tibi*. Ità hic Chaldæus.

Penè sceleratiora fecisti] *Sceleratiora fecisti.* Nam illud *penè* ex superiori membro huc translatum est.

49. *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia*] Proprium vitium Ammonitarum & Moabitarum, Isaiæ XVI. 6. Jeremiæ XLVIII. 27. XLIX. 21. Si de veteribus Sodomitis egisset, adjecisset nefarias libidines.

Saturitas panis, & abundantia, & otium] Id est, superbia nata ex fertilitate terræ, rerum omnium copia, longâ pace: Jerem. XLVIII. 11. XLIX. 4. Philo in libro de Abrahamo, ubi de Sodomitis agit: ὅπερ φιλεῖ, κόρος ὕβριν ἐγέννησε [*ut fieri solet, satietas contumeliosam arrogantiam peperit*].

Et manum egeno & pauperi non porrigebant] Nempe Judæis illuc depulsis. Vide quæ dicta ad Esaiam XVI. 2. 3. Jeremiæ XLVIII. 27. XLIX. 1.

50. *Et elevatæ sunt*] Intumuerunt rebus secundis.

Et abstuli eas sicut vidisti] Id est, multos eorum per Salmanasarem. Vide Esaiæ XV. & XVI. & ibi dicta.

51. *Justificasti sorores tuas*] Comparatione tui fecisti eas probas videri, Jeremiæ III. 5.

52. *Porta confusionem tuam*] Volo feras pœnam cum ignominia conjunctam.

Quæ vicisti sorores tuas peccatis tuis] In Hebræo: *Quæ judicium præoccupasti adversus sororem tuam.* Id est, dixisti Decem tribus justè punitas. Vide Lucæ XIII. 2.

53. *Et convertam restituens eas conversione Sodomorum cum filiabus suis, & conversione Samariæ, & filiarum ejus, & convertam reversionem tuam in medio earum*] *Et redire faciam captivos illorum, captivos scilicet Sodomæ; id est, propaginum ejus: & captivos Samariæ, id est, propaginum ejus; & captivos qui ex vestris capti sunt pariter cum ipsis.* Redibitis quidem aliquando, sed & vobiscum redibunt Ammonitæ & Moabitæ, & quidam ex Decem tribus quotquot se correxerint. Vide Jeremiæ XLVIII. 47. & XLIX. 30.

54. *Ut portes ignominiam tuam, & confundaris in omnibus quæ fecisti consolans eas*] Id est, ut te pudeat parem te haberi iis quos tantopere contemsisti, & qui in longo exsilio ex te habebunt solatium.

55. *Et soror tua Sodoma, & filiæ ejus revertentur ad antiquitatem suam: & Samaria & filiæ ejus revertentur ad antiquitatem suam: & tu & filiæ tuæ revertemini ad antiquitatem vestram*] *Cùm soror tua Sodoma, id est, propagines ejus, ad loca originis suæ revertentur: & Samaria, id est, propagines ejus, revertentur ad loca suæ originis: tunc & tu, id est, propagines tuæ, revertentur ad loca suæ originis.* Non antè, nè tibi placeas.

56. *Non fuit autem Sodoma soror tua audita in ore tuo in die superbiæ tuæ*] Adeò despectui habuisti Ammonitas & Moabitas de suis locis expulsos, ut nè dignos quidem arbitrareris quos nominares.

57. *Antequam revelaretur malitia tua*] Antequam malitiæ tuæ pœna appareret.

Sicut hoc tempore in opprobrium filiarum Syriæ, & cunctarum in circuitu tuo filiarum Palæstinarum quæ ambiunt te per gyrum] Quod nunc ità fiet, ut sicut tu sprevisti Ammonitas & Moabitas, ità te despectui sint habituri tam Syri quàm Philisthini, qui sunt planè ἀλλόφυλοι [*alienigenæ*].

58. *Scelus tuum & ignominiam tuam tu portasti*] Ἓν διὰ δυοῖν [*Unum per duo*]. *Portatis ignominiam, quæ est sceleris pœna.*

59. *Et faciam tibi sicut despexisti juramentum, ut irritum faceres pactum*] Sicut tu despexisti pactum infringendo; sic ego te despiciam.

60. *Et recordabor ego*] *Attamen recordabor aliquando.*

Et suscitabo tibi pactum sempiternum] Renovabo tecum fœdus diu duraturum, Nehem. X.

61. *Et recordaberis viarum tuarum*] *Ubi tu recordata fueris viarum tuarum. Et* pro *cùm* satis frequens.

Et confunderis] Et pœnitentiam egeris.

Cùm receperis sorores tuas te majores cum minoribus tuis] Id est, in illarum comitatu redieris.

Et dabo eas tibi in filias] Faciam ut tibi pareant, sicut filiæ matri. Nam & Ammonitidos & Moabitidos multa Judæi sua armis fecerunt, ut alibi observavimus ex Josepho X. 12. & ex I Maccab. V. Et Samaria ipsis donata est, Joseph. XIII. 5.

Sed non ex pacto tuo] Μετωνυμία [*transnominatio*], pro eo quod diceret: *non quòd tu ex tua parte pacto steteris.* Ità Chaldæus.

62. *Et suscitabo ego pactum meum tecum*] Ideo novabo fœdus, quia fœderi non stetisti.

63. *Ut recorderis & confundaris, & non sit tibi ultrà aperire os præ confusione tua*] Ut agnoscas perpetuò quanta peccaveris.

Cùm placatus tibi fuero in omnibus quæ fecisti] Postquam novum fœdus ineundo ostendam me illa tam gravia ac magna condonare.

CAP. XVII.

MUNSTERUS.

2. PRopone ænigma] Heb. *Ænigmatiza ænigma, & parabolize parabolam.* Porrò per *Aquilam* priorem significatur Rex Babylonis, per posteriorem Rex Ægypti. Prior habuit *alas magnas*, h. e. exercitum validum, ornatum *pennis discoloribus*, h. e. variis populis. Et pennæ erant *longæ*, quia à Babylone usque in Occidentem celeriter volavit. Per *Libanum* intellige terram Israel, & per *supremum ramum cedri* Regem Jechoniam, atque per *summitatem surculorum* proceres aulæ. *Terra mercatorum* est Babylonia.

 5. *Tollens*

5. *Tollens de semine terræ*] Per hoc *semen* significatur Zidkija Rex Jehuda, quem Rex Babylonis instituit Regem *in terra bona & humecta*, ut cresceret *sicut salix plantata juxta aquas*. Erat is Rex *vitis humilis*, non cedrus alta, Regi Babel subjectus: & quamdiu illi obedivit, crevit & *fecit palmites & fructus*; sed cùm ab illo recederet & jusjurandum violaret, atque contra Dei ordinationem respiceret ad alteram *Aquilam*, Regem scilicet Ægypti, ut ille opem ei ferret & *irrigaret de areis & rivis plantationum suarum*, *exaruit*, *emarcuit*, & totus cum populo suo periit.

9. *Non per potentiam magnam*] Sensus est, Cùm Rex Babylonis minister Dei fuerit in expugnatione Jerusalem, non opus habuit *valido exercitu & multo populo* ad exstirpandum populum Jehudæorum. Per *areas* intellige cumulos seu sulcos terræ in quos vites frugiferæ plantantur.

12. *Tulit Regem ejus*] Hic fuit Jehoiachin, cui successit Zidkija.

19. *Juramentum meum*] Vocat Deus juramentum illud quod Zidkija fecit Regi Babylonis *juramentum suum*, quòd illud invocato nomine Divino præstitutum fuerit.

22. *Decerpam tenerum surculum*] Per hunc *tenerum ramum* de semine David descendentem intellige Christum. Nullus enim alius Rex de semine David successit Zidkijæ post captivitatem Babylonicam: ideo de exteriori Regno hic locus accipi non potest.

VATABLUS.

2. Ænigmaticè loquere, &c. 'חוד חידה וגו] Ad verb. *Ænigmatiza ænigma, & paraboliza parabolam*. Hebraismus, pro quo quidam vertunt, *Propone ænigma, & narra parabolam*: vel *loquere parabolam*.

3. *Cui inest varietas* אשר לו הרקמה] Ad verb. *cui ei inest varietas*, sub. *colorum*. Redundat Latinis לו *ei*. Vox רקמה propriè significat *opus plumarium*, sive *variegatum*, quod variis coloribus constat. Per *aquilam magnam* intelligit Imperatorem totius Orientis Nabuchodonosorem; per *magnas & prolixas alas*, magnitudinem & amplitudinem Regni ejus; per *plumas*, immensas opes; per *varietatem colorum*, dignitatem ac majestatem Regni. Seipsum exponit v. 12. ¶ *Summitatem* את צמרת] i. Summam partem, *cedrorum*. Significat summum ramum cedri, & altiorem quarumcunque arborum partem. Singul. pro plur. *Libanus* hîc est Jerusalem. Aliàs accipitur pro Terra ipsa sancta. *Cedri*, Rex & viri clari. De Jechoniæ transmigratione loquitur, quem significat per *summitatem*, sive *cacumen*, *cedrorum*.

4. *Novellarum plantationum ejus* יניקותיו] *Propaginum ejus: ramorum teneriorum*. Significat *plantas novellas & teneras*. Declarat quod præcedenti versu dixerat. ¶ *Mercatorum* כנען] Singul. Heb. pro plur. i. ubi degit multitudo mercatorum. Seipsum mox declarat, dicens, *In urbe negotiatorum*, i. in Babylone: erant enim mercatores Babylonii & negotiatores.

5. *Seminis* זרע] *Apto sementi*, i. feraci ac fertili. *Semen terræ*, Sedechias, qui erat de stirpe regia, quem Nabuchodonosor suffecit in locum Jechoniæ. *Ager aptus sementi excipiendæ*, terra Juda. ¶ Instar *salicis* כצפצפה] Subauditur Hebraicè כ Similitudinis, *sicut salicis*, vel *ulmi*, ut quidam interpretantur: ut solent, inquit, salices gaudere loco humente, non sicco sive siticuloso: q. d. Citò floruit.

6. *Et germinavit* ויצמח] *Et floruit*. ¶ *Ad illam* אליו] Vide v. 14. i. ut non altiùs ascendant, sed hæreant illi.

7. *Una* אחד] Pro *altera* positum. Regem Ægypti intelligit, non adeò potentem ut erat Rex Babylonis. ¶ *Lineis* מערגות] *Ex sulcis*, vel *areolis*; sive *ex elicibus*. Videtur alludere ad Nilum qui Ægyptum irrigat immissus in agros per fossas. Quidam vertunt *in lineis plantationis suæ*, i. in loco ubi plantata erat.

9. Num *prosperè cedet?* תצלח] Admirativè legendum esse admonet doctus inter Hebræos, subintellecto ה: subaudiendum autem relativum *ei*, nempe *viti*. Quidam vertunt, Num *prosperabitur?* ut sit verbum deponens, quo frequenter utuntur Ecclesiastici Scriptores. ¶ *Evellet* ינתק] Nempe aquila illa prior, ut scilicet aliò transferat. ¶ *Exscindet* יקוסס] *Distringet: decerpet: evellet*. ¶ *Cum brachio grandi* בזרוע גדולה] i. Cum potentia magna. ¶ *Ad evellendum*, &c. 'למשאות וגו] *Ut radicitus evellat eam*.

10. *Plantata est* שתולה] Sub. *opinione suâ*: q. d. Videtur sibi bene esse plantata. *Numquid prosperè cedet* התצלח] Ut v. præcedenti. ¶ *In lineis*, &c. על ערגות צמחה תיבש] *In areolis* [*sulcis*] *germinationis suæ arescet?* i. in ipsomet loco ubi plantata est, & irrigari debet. *Venti Orientalis* meminit quòd Babylon sita sit ad Orientem Aquilonarem respectu Judææ.

12. *Cognovistis* ידעתם] Præt. Heb. pro præs. *scitis: cognoscitis*. Exponit ænigma sive parabolam. ¶ *Ecce venit* הנה בא] Præterita ista quidam convertunt in futurum.

13. *Regni* המלוכה] i. Regio. ¶ *Et adduxit*, &c. 'ויבא וגו] Hebraismus, *venire fecit*, pro *coegit eum jurare*.

15. *Rebellavit verò* וימרד בו] *At rebellis fuit ei*. ¶ *Equos, & populum multum* סוסים ועם רב] i. Equites & pedites multos. ¶ *Aut qui irritum*, &c. והפר ברית ונמלט] Ad verb. *& irritavit pactum, & evadet?* i. cùm fregerit pactum, effugiétne?

16. *Si non* אם לא] *Nisi*. Jurantis est. ¶ *Qui regnare facit eum* הממליך אתו] *Qui eum Regem constituit*, *quod juramentum ejus sprevit*, *& quod pactum ejus irritum fecit*, ob id, inquam, *apud eum in medio*, &c. Ad verb. *cujus sprevit juramentum ejus*, *& cujus dissipavit* [*dissolvit*] *pactum ejus*, *cum eo in medio*, &c. Vacat relativa *ejus* more Hebræorum. *Cum eo*, i. apud eum, in Babylone.

17. *Faciet cum eo Paroh in prælio* יעשה אותו פרעה במלחמה] Hebraismus, *non faciet cum eo in prælio*, i. non juvabit Pharao ipsum Sedeciam suo magno exercitu, quando mittet Rex Babel exercitum contra Jerusalem. In istum sensum quidam vertunt, *Neque Pharao cum magnis istis copiis & ingenti multitudine in bello quicquam ei efficiet, dum Nabuchodonosor aggestâ terrâ excitarit aggerem, & exstruxerit machinam bellicam ut perdat Jerusalem*. Alii exponunt, *Non faciet in prælio*: i. non præliabitur, sive certabit, aut pugnabit cum eo adversùs Nabuchodonosorem. ¶ *Cùm effuderit aggerem*, בשפך סללה 'וגו] Infinitivi Hebræis, *in effundere, & exstruere*. Quidam vertunt in singulari, *cùm effuderit, & exstruxerit*. Alii in plur. *effuderint & exstruxerint*, eodem sensu. ¶ *Vallum* דיק] *Munitionem*, sive *turrim*, per quam respiciant in urbem ut capiant eam. Vide suprà 4. 2. ¶ *Ut succidant* להכרית] Ad verb. *ad excidendum*. *Animas* pro *personis* posuit, i. ut perdant quamplurimos in urbe ipsa.

18. *Sprevit*, *inquam*, &c. 'ובזה אלה וגו] Ad verb. *Et sprevit juramentum, ut irritum faceret* [vel *dissiparet*] *fedus, & ecce dederat manum*, in confirmationem scilicet fidei: i. cùm illum confirmasset datâ manu ipsi Nabuchodonosor. Solemus enim datis dexteris manuúmque contactu confirmare fedus. Quidam per futurum vertunt, *Spernet namque juramentum, ut dissolvat fedus quod cum Nabuchodonosore iniit, & dabit manum Pharaoni*.

19. *Nisi* אם לא] *Certè*. Duplex formula juramenti ad majorem confirmationem. ¶ *Juramentum meum* אלתי] i. Nomine meo interposito factum, ut exponit doctus inter Hebræos. ¶ *Dedero*, &c. 'ונתתי וגו] Ad verb. *& dabo illud in caput ejus*. Quidam per Aposiopesin explicant quod præcessit, subaudientes verbum *ulciscar*; *Nisi juramentum meum & fedus meum irritum factum ulciscar*; *& retorquebo illud*, i. iniquitatem illam, *in caput ejus*. Alii volunt conjunctionem *&* cum relativo vacare, conjungentes posteriora præcedentibus, ut vertimus.

20. *Et expandam*, &c. 'ופרשתי וגו] i. Mittam in animum Chaldæorum ut persequantur eum, quem tandem assequentur, ut exponit doctus inter Hebræos. ¶ *Et adducere faciam eum* והביאותיהו] *Et venire faciam eum*: vel, *& adducam eum*. ¶ *Et judicio contendam cum eo* ונשפטתי אתו] i. Stabo ad judicium cum illo. Alii, *ut judicer illic cum eo*. Alii, *& intrabo in judicium cum illo*, i. disceptabo cum illo, ostendamque se justè affligi. Chald. *& de eo judicium* (sive *vindicta*) *sumetur*: vel, ut alii vertunt, *ulciscar de eo*. ¶ Propter *prævaricationem suam* מעלו] Subauditur ב, *pro prævaricatione sua*.

21. *Fugitivi ejus* מברחיו] i. Qui cum eo, aut sine eo fugerint. ¶ *Residui autem* והנשארים] *Qui autem remanserint*: aut *reliqui fuerint*.

22. *Et tollam* ולקחתי] Aut redundat ו *&*, aut subaudi: *ita faciam, & tollam*. ¶ *De summitate cedri illius sublimis* 'מצמרת וגו] Quidam vertunt, *de summitate sublimi*, sive *de summo cacumine cedri illius*: de qua suprà v. 3. Doctus inter Hebræos cum Chaldæo P. vertunt, *de summitate cedri illius altæ*. ¶ *Et ponam* ונתתי] Seipsum mox declarat. ¶ *Novellarum plantationum ejus* יניקותיו] De his suprà v. 4. ¶ *Tenerum* רך] Sub. *ramum*, vel *surculum*. ¶ *Et instar cumuli elevatum* ותלול] Ad verb. *Et cumulatum*, vel *tumulatum*, i. *instar cumuli elevatum*. Summitas enim montis similis est cumulo sive tumulo. Quidam, *elevatum*. Alii, *fastigiatum*.

23. *Et elevabit* ונשא] i. Fiet arbor, producens ramos. ¶ *Magna* אדיר] *Potens: fortis: magnifica: nobilis*, ut Psal. 8. 2.

24. *Et.*

24. *Exsiccare fecerim* הובשתי] *Arefecerim.*

CASTALIO.

6. E*Vasit in luxuriantem vitem, staturâ humilem*] Non pugnant hæc duo. Potest enim vitis luxuriare fertilitate soli, & tamen humilis esse, quippe recèns pacta nec dum adulta. Est autem idem quod paulò pòst dicitur, *emisit sarmenta.*

18. *Cùmque manum dedisset*] Scil. Nabuchodonosori.

22. *Sumam autem, inquit Dominus Jova, de procera cedri coma*] Vide cap. 21. paulò ante finem.

CLARIUS.

3. A*Quila grandis*] Per *aquilam* priorem significatur Rex Babylonis, per posteriorem Rex Ægypti. Prior habuit *alas magnas*, h. e. exercitum validum, ornatum *pennis discoloribus*, h. e. variis populis. Et pennæ erant *longæ*, quia à Babylone usque in Occidentem celeriter volavit. Per *Libanum* intellige terram Israel, & per *supremum ramum cedri* Regem Jeconiam, atque per *summitatem surculorum* proceres aulæ. *Terra mercatorum* est Babylonia.

5. *Et tulit de semine terræ*] Per hoc *semen* significatur Sedechias Rex Juda, quem Rex Babylonis instituit Regem *in terra bona & humecta*, ut cresceret *sicut salix plantata juxta aquas.* Erat is Rex *vitis humilis*, non cedrus alta, Regi Babel subjectus. Et quamdiu illi obedivit, crevit & *fecit palmites & fructus:* sed cùm ab illo recederet, & jusjurandum violaret, atque contra Dei ordinationem respiceret ad alteram *aquilam*, Regem scilicet Ægypti, ut ille opem ei ferret, & *irrigaret de areis & rivis plantationum suarum*, *exaruit*, *emarcuit*, & totus cum populo suo periit.

8. *Super aquas multas plantata est*] Vel potiùs *plantata erat*, cùm scilicet Rex Babylonis Sedechiam præfecerat Judææ, in qua commodissimè vivere poterat si non rebellasset.

9. *Non in brachio grandi*] i. Cùm Rex Babylonis minister Dei fuerit in expugnatione Jerusalem, non opus habuit *valido exercitu & multo populo* ad exstirpandum populum Judæorum.

10. *Et in areis*] Per *areas* intelligit cumulos seu sulcos terræ in quos vites frugiferæ plantantur.

12. *Ecce veniet Rex*] Alius interpretatur hæc omnia de præterito tempore, *quando venit Rex Babylonis, & tulit Regem* Joacin, cui successit Sedechias, &c.

17. *In prælio, in jactu aggeris*] i. Quo tempore Rex Babylonis præliabitur contra Jerusalem, & einget aggere illam.

18. *Dedit manum suam*] Scilicet ad roborandum fœdus.

22. *Et sumam ego de summo ramo cedri sublimis*] *Cedrus sublimis* est tribus Juda, cujus caput est familia David: *unde surculum valde tenerum decerptum plantat Dominus in monte alto*, in Sion. Hic *surculus* non dubiè Christus est. Nullus enim alius Rex de semine David successit Sedechiæ post captivitatem Babylonicam. Ideo de exteriori Regno hic locus accipi non potest.

24. *Siccavi lignum viride*] *Lignum viride* est justitia falsa Judæorum; *aridum* autem, Ethnicorum desperatio, qui extra promissiones & testamenta erant.

DRUSIUS.

16. בִּמְקוֹם הַמֶּלֶךְ הַמַּמְלִיךְ אוֹתוֹ. *ἐν τῷ τόπῳ τοῦ βασιλέως τοῦ βασιλεύσαντος αὐτὸν, in loco Regis qui regnare ipsum fecerat*] Exstat apud Theodoretum

22. וְנָתַתִּי מֵרֹאשׁ יֹנְקוֹתָיו. Th. *καὶ δώσω ἀπὸ κεφαλῆς παραφυάδων αὐτῆς, & dabo de capite ramorum ejus*] Hier. *Quod in Lxx legitur*, & dabo de capite ramorum ejus, *de Theodotionis editione additum est.*

GROTIUS.

2. P*Ropone ænigma*] Ἆινον [*apologum*]. Qualis ille apud Hesiodum de accipitre. Habes hunc locum Græcè apud Chrysostomum XIX de Statuis.

3. *Aquila grandis*] Nabuchodonosor, ut videre est Jeremiæ XLVIII. 40. XLIX. 22.

Magnarum alarum] Magnas secum copias habens, Jeremiæ XLVIII. 4.

Longo membrorum ductu] Μακρὸς τῇ ἐκτάσει [*longè extensa*], Lxx אברא *membrum* Chaldæis. Hoc secuti sunt Interpretes omnes, non Hebræam significationem quæ *alam* significat: id enim satis præcesserat. Significatur Nabuchodonosor latè imperasse.

Plena plumis & varietate] In Hebræo: *Plena plumis, in quibus erat varietas.* Varios linguâ & habitu sub se populos habens.

Venit ad Libanum] *Libani* nomine vocatur & Templum & urbs Hierosolyma, quòd ferme tota ex cedris *Libani* constaret. *Libani* nomine Templum significari constat apud Judæos, ut ait in Demonstratione Eusebius.

Tulit medullam cedri] צמרת, quod Chaldæus vertit *ramum*; id enim est עטרתא. Intelligit bonam partem de populo: II Regum XXIV. 14.

4. *Summitatem frondium ejus avulsit*] *Caput tenerorum ramorum ejus.* Jechoniam Regem natum annos tantùm XVIII.

Transportavit eam in terram Chanaan] *In terram mercatoriam.* Talis enim Babylonia, maximis amnibus navigabilis. כנען vertitur ἔμπορος [*mercator*] Esaiæ XXIII. 8.

In urbe negotiatorum] Laudo qui verterunt *& aromatariorum.* Nam Chaldæis רכלים id propriè significat. Plena autem aromatum erat Babylon ex commercio cum Arabibus, Persis & Indis. Indè suffitus diis largissimè faciebant Babylonii, ità ut urbs tota fumare videretur.

5. *Et tulit de semine terræ*] Sedeciam Regiæ stirpis virum.

Et posuit illud in terra pro semine] *Ad sementem faciendam*, Chaldæus hic: ut familia Regia per eum duraret.

Ut firmaret radicem] Non est in Hebræo.

Super aquas multas] *Juxta aquas multas.* In solo optimo; Ecclesiastæ XI. 1.

In superficie posuit illud] A צפה, quod est *conspicere*, factum credidit geminatum צפצפה, ut & Lxx, qui vertunt ἐπιβλεπόμενον [*conspicuum*]. Ità Sedeciam posuit Babylonius ut aspici posset, id est, à Judæis quidem suspiceretur; ab ipso autem penderet, ut sequitur. صفصاف Arabibus, & Chaldæis צפצפה est *salicis* genus. Hinc sensus esset: *posuit quasi salices.* Nam salices aquas amant, Plinius XVI. 19. Psalmo CXXXVII. 2. Esaiæ XLIV. 4.

6. *Cùmque germinasset crevit in vineam latiorem*] *Latè se extendentem*, sive *luxuriantem:* id enim propriè est פרחה.

Humili staturâ respicientibus ramis ejus ad eam] *Ramis*, id est, palmitibus: *ad eam*, supple *aquilam.* Sensus erit: Erat Rex satis opulentus & felix, sed obligatus suspicere Regem Babylonium, ac venerari, ut partim subditus, aut ut cliens.

Et radices ejus sub illa erant] Id est, firmitas regni ipsius à Babylonico pendebat.

Facta est ergo vinea] *Facta est, inquam, vinea.* Repetit enim quod dixerat.

Et fructificavit in palmites, & emisit propagines] Filios genuit; Jeremiæ LII. 10.

7. *Et facta est*] *Fuit autem*, ויהי.

Aquila altera grandis] *Rex Ægyptius.* Infrà hoc explicatur 15. & bene agnovit dicto loco Chrysostomus. Is Rex videtur fuisse Apries, cujus Jeremias & Herodotus meminêre.

Magnis alis, multisque plumis] Exercitus & populos varios sub se habens.

Et ecce vinea ista] Sedecias.

Quasi mittens radices suas ad eam] In Hebræo: *Inflexit radices suas ad eam.* Ab ipso firmitatem petiit: ad ejus clientelam conferre se voluit, Jeremiæ XXXVII. 38. II Regum XXIV. 7. II Paralipomenon XXXVI. 13.

Ut irrigaret eam de areolis germinis sui] Id est, eâ spe, ut auxiliares copias magnas ab ipso acciperet. שקה non *irrigare* tantùm sed sæpe & *pinguefacere* significat, sumiturque hic pro *conserere.*

8. *In terra bona super aquas multas plantata est, ut faciat frondes, & portet fructum, ut sit in vineam grandem*] Repetit quæ dixerat, ut ex beneficiorum magnitudine gravior sit culpa animi ingrati.

9. *Ergóne prosperabitur?*] Fierine poterat, ut Deus res prosperas daret, & ingrato & perfido? Fides servanda jure gentium, etiam ad quam belli aliquâ necessitate deventum est. Vide lib. III. de Jure Belli ac Pacis, cap. XIX. § 11. At Sedecias præter fidem etiam beneficiis erat obligatus, omnia sua Babylonio debens.

Nónne radices ejus evellet] Statum ejus evertet Babylonius.

Fructus ejus distringet] *Excidet* liberos Sedeciæ.

Et siccabit omnes palmites germinis ejus: & arescent] Meliùs, *Et arescet* (ipsa vinea), *& palmites germinis ejus arescent* pariter. *Arescere* est succum vividum amittere, tabescere, ut solent qui in misera sunt servitute, Levit. XXVI. 19. *Palmites* sunt Principes & populares.

Et non in brachio grandi, neque in populo multo, ut evelleret eam radicitus] *Veniet* scilicet, quod hic addit Chaldæus. Non opus illi erit totis regni sui viribus uti adversùs Regem tam impotentem.

10. *Ecce plantata est*] Esto: *bene plantata erat.*

Nónne cùm tetigerit eam ventus urens] In Hebræo: *ventus Orientalis.* Nam populi qui Chaldaici erant Imperii, partim Judæis ad Orientem, partim ad Septentrionem objacebant, ut dictum est alibi.

Et in areis germinis sui arescet] Apud Jerichuntem capietur.

12. *Ecce venit Rex Babylonis*] Hoc est apologi ἐπιμύθιον [*adfabulamentum*].

Assumet Regem] *Cepit* Regem Jechoniam.

Et adducet] *Adduxit.* Sic & Chaldæus hæc omnia per præterita vertit.

13. *Et tollet*] *Tulit.*

Feriétque] *Feriitque.*

Cum eo fœdus] Nempe inæquale, quo Sedecias imperata quædam facere teneretur.

Et ab eo accipiet jusjurandum] *Accepit*, quod vel solum sufficere debebat ad eum retinendum in fide.

Sed & fortes terræ tollet] *Abstulit*, velut obsides fœderis.

14. *Ut sit regnum humile, & non elevetur, sed custodiat pactum ejus, & servet illud*] Ut illo velut fræno Judæa retineretur in obsequio.

15. *Misit nuncios ad Ægyptum*] Vide suprà 7.

Ut daret sibi equos] Quibus maximè valebat Ægyptus, Deuteronomii XVII. 16.

Et qui dissolvit pactum numquid effugiet?] An impunè feret rupta fœdera?

16. *In loco Regis*] In urbe regia, Babylone, ut jam sequitur.

17. *Et non in exercitu grandi, neque in populo multo faciet contra eum Pharao prælium*] Meliùs: *Faciet contra ipsum Pharaonem prælium*, nempe Chaldæus. Non opus erit ut totis viribus regni cum Ægyptio certet: nam Ægyptius audito ejus adventu recedet.

In jactu aggeris, & in exstructione vallorum] Supple, *satis erit virium ad urbem capiendam.* Non majoribus copiis opus est quàm castra ad urbem posita capiant.

Ut interficiat animas multas] Telis primùm, deinde, urbe captâ, gladiis.

18. *Et ecce dedit manum suam*] *Atqui dederat manum suam*, firmando fœderi, ut moris erat. Vide quod diximus Jeremiæ L. 15.

19. *Et fœdus quod prævaricatus est*] In Hebræo: *Fœdus meum quod rupit.* Juratum scilicet in meo nomine.

Ponam in caput ejus] Faciam ut illi malè vertat.

20. *Et expandam super eum rete meum, & comprehendam eum in sagena mea*] Suprà XII. 13. infrà XXXII. 3.

In prævaricatione qua despexit me] Ex lege Exodi XX. 7.

21. *Et omnes profugi ejus*] Comites fugæ.

22. *Et sumam ego de medulla cedri sublimis, & ponam*] *De ramis cedri:* id est, multos populi in suis sedibus collocabo. *Et sumam ego:* Meliùs mihi res succedet quàm Nabuchodonosori.

De vertice ramorum ejus tenerum distringam] *De summis ramis ejus teneris tenerum* (unum) *auferam:* nempe è captivitate. *Summi rami* sunt qui erant de domo Davidica; *teneri*, quia viribus exiguis. Zorobabel designatur.

Et plantabo super montem excelsum & eminentem] Hierosolymis, cujus urbis pars magna montana.

23. *Et erumpet in germen, & faciet fructum*] E cordis germine optimos proferet fructus pietatis. Verè hoc dictum de Zorobabele.

Et erit in cedrum magnam] Per illum gens Judæa potens erit.

Et habitabunt sub ea omnes volucres, & omne volatile sub umbra frondium ejus nidificabit] Id est, gentes aliæ sub ejus tutelam se conferent. Similis locutio Daniel. IV. 9. Vide quæ dicta Matth. XIII. 32. In his fuêre Nabathæi. Vide I. Maccab. V.

24. *Et scient omnia ligna regionis*] *Omnes ubivis arbores:* id est, gentes.

Humiliavi lignum sublime] Deprimam Babylonios. Præterita enim hæc futuri habent sensum. Tectè loquitur, quia vivebat sub Babyloniis.

Exaltavi lignum humile] Depressos Judæos erigam.

Et siccavi lignum viride] *Arefaciam.* Id est, suis opibus spoliabo Babylonem, quæ diu floruit.

Et frondere feci lignum aridum] Hierosolyma, quæ destructa fuêre, restituam, opésque ipsis dabo.

Et feci] *Faciam.*

CAP. XVIII.

MUNSTERUS.

2. *Patres comederunt labruscam*] Hoc proverbium Jonathan Chaldæus sic in sua versione explicuit, *Patres peccaverunt, & filii vapulant.* Sic autem dicebant quòd audirent Israelem affligendum propter Jarobeam, & Jehudam propter Menassem, insimulantes ob id Deum quasi injustus esset, non advertentes Deum illos minimè puniturum fuisse si patres suos in sceleribus non fuissent imitati. Unde jurat Deus, Unumquemque pœnam peccatorum suorum luiturum.

6. *In montibus non comederit*] h. e. Idolis non servivcrit in excelsis. Epulabantur enim in excelsis montibus coram idolis post oblationem victimarum.

10. *Qui fecerit contra unum ex illis*] Chaldæus hunc locum sic legit, *Et fecerit contra fratrem suum unum ex istis.* Kimhi verò exponit את non pro *fratre*, sed pro אחד *unum*, ut sit sensus, ועשה כאחד מאלה *& fecerit etiam unum ex his illis jam commemoratis.*

17. *Non morietur ob iniquitatem patris sui*] Id si verum est, quomodo totum genus humanum luit peccatum primi hominis? ut quid innocentes pueri cum Sodomitis perierunt? quare multa millia peste interierunt propter peccatum David? Ad hæc respondendum, quòd Deus aliquando punit ut pater, ad emendandum filios; aliquando ut virtutem probet filiorum; aliquando ut justus Judex, ut pœnam sumat & prorsus deleat. Et ità planè alius est erga vasa iræ & alius erga vasa misericordiæ. Et sic multæ sunt pœnæ quæ rectiùs *remedia* vocari possunt quàm *pœnæ.* Et quando boni & innocentes cum impiis temporaliter laborant, non luunt alienam pœnam, sed mala ferendo suam conservant sanitatem: sicut Abraham cum Chnanæis famem sustinuit, & boni viri cum habitatoribus impiis hujus mundi communia ferunt incommoda veluti virtutum exercitamenta, nè efferantur animo successu rerum. De pueris verò qui olim in fœdus Domini per circumcisionem suscipiebantur, & qui hodie per Baptismum Domino inaugurantur, dubium non est quin Regnum cœlorum eorum sit. De exterorum pueris dubium est, licet non negemus Deum quos velit servare. Justus enim ille est, nihil cuiquam debet. Bene actum putemus si pueri moriuntur aut occiduntur volente Domino, sicut in Sodomis & Diluvio accidit, nè malorum parentum vestigia secuti in graviorem incidissent pœnam, aut nè piorum filii à gratia excidant.

25. *Non æquè libratur*] Significat verbum תכן *ponderare, mensurare* & *numerare.* Quando igitur insimulant *viam Domini non æquè liberatam*, hoc volunt, Deum plùs punire quàm admissa mereantur, & æquabilitatem non servari inter pœnam & peccatum; aut Deum unum plùs punire quàm alium, aut uni admissa remittere, & alium perpetuis onerare peccatis.

VATABLUS.

1. *Dicendo* לאמר] i. Hujusmodi. Doctus inter Hebræos exponit, *ut dicerem*, sub. *Israelitis.*

2. *Ut parabolicè loquamini*, &c. אתם מושלים וגו'] Ad verb. *vos parabolizantes parabolam istam*, i. cùm dicitis parabolam istam, aut *Cur utimini hoc proverbio*, sive *adagio.* ¶ *Super terram* על אדמת] *De terra*, i. de futura desolatione terræ Israel. ¶ *Comederunt uvam acerbam* יאכלו בוסר] *Comederunt omphacem.* Fut. Heb. pro præt. i. Majores peccaverunt, & nepotes luunt pœnas pro peccatis Majorum. ¶ *Obstupescunt* תקהינה] Fut. Heb. pro præs. *stupidi sunt.*

5. *Si fuerit* כי יהיה] *Cùm fuerit.*

6. *Non comederit* לא אכל] Sub. *immolata idolis.* ¶ *Violaverit* טמא] *Polluerit*; *contaminaverit.*

7. *Pignus* חבלתו] Ad verb. *pignus ejus*, nempe debitoris. Relativum redundans. ¶ *Aliena* גזלה] Ad verb. *rapinam.*

8. *Et amplius* תרבית] Quidam vertunt, *excessum lucri.* Alii, *augmentum.* ¶ *Retraxerit* ישיב] Ad verb. *redire fecerit.* ¶ *Judicium*, &c. משפט וגו'] Ad verb. *judicium veritatis fecerit inter virum & virum:* i. justè judicarit. De Judicibus loquitur.

9. *In præceptis meis* בחקותי] *In statutis.* Quidam exponunt, *in ceremoniis* vel *Legibus.*

10. *Latronem* פריץ] *Nebulonem*; *effractorem.* ¶ *Unum*, &c. אח] Ad verb. *unum de uno ex istis.* Doctus inter Hebræos exponit, *iniquitatem unam, & hæc fuerit una ex istis suprà memoratis.* Est autem אח idem quod אחד, ut אני & אכי. Chaldæus P. deducit ab אחא, vertens, *& fecerit fratri suo de uno ex istis.*

11. *Sed etiam* כי גם] *Quin potius.* ¶ *Et uxorem* ואת אשת] Hic & in sequentibus ו pro או *vel*, sive *aut*, positum est.

12. *Aliena* גזלות] *Rapinas.* A fine dictum, ut suprà v. 7. & paulo infrà v. 18. ¶ *Abominationem fecerit* תועבה עשה] Quidam intelligunt de congressu cum menstruata, alii de Idololatria.

13. *Et amplius* ותרבית] Ut v. 18. ¶ *Omnes abominationes*, &c. את כל תו'] Hebraismus, pro, *cùm aliquot* (vel *cùm aliquam*) *ex abominationibus istis fecerit.* ¶ *Morietur* מות] *Interficietur.* ¶ *Sanguis*, &c. 'דמיו בו] Hebraismus, pro *peribit*, sive *morietur*: & est repetitio aliis verbis.

14. *Similia* כהן] Sub. *illis*. Ad verb. *secundùm illa*, i. talia.

16. *Pignus*, &c. 'ומשכן לא חבל וג] Ad verb. *pignus non pigneravit*, i. non retinuerit ultra tempus, Exod. 22. 26. ¶ *Et aliena* וגזלה] Ut suprà v. 7. *& rapinam non rapuit.*

17. *Retraxerit* השיב] Nè scilicet eum læderet. ¶ *Et amplius* ותרבית] Ut v. 8, & 13.

18. *Oppressit oppressione* עשק עשק] *Calumniando calumniatus est.* ¶ *Rapinam fratris* גזל אח] i. Rem fratris, quæ rapta appellatur *rapina*, à fine; h. e. abstulerit quod est proximi. Chaldæus P. deducens את ab אחד, vertit *rapueris rapinam uni ex fratribus.* ¶ *Et ecce mortuus est* והנה מת] *Certè morietur.* Redundat ו, & præt. Heb. pro fut.

19. *Et dicitis* ואמרתם] Ad verb. *Et dixistis.* Præt. Heb. pro præs. aut verte, *Quòd si dixeritis.* ¶ *Filius* והבן] Ad verb. *Et filius.* Aut ו omnino redundat; aut verte, *eò quòd filius.*

20. *Anima* נפש] More Hebræo pro *homine* sive *persona* ponitur, ut supra 17. 17. ¶ *Non portabit*, &c. 'בן לא ישא וג] Hebraismus, Filius justus non dabit pœnas pro iniquitate patris iniqui, neque pater justus luet pœnas ratione scelerum filii injusti; sed justus referet fructum justitiæ suæ, h. e. vivet propter justitiam suam; & impius dabit pœnas propter iniquitatem propriam, non alienam.

22. *Non commemorabuntur* לא יזכרו] *Non venient in recordationem*: vel *omnium pravaricationum ejus nulla erit recordatio.*

23. *Desiderando desiderio* החפץ אחפץ] *Volendo volo* [i. opto, vel beneplacitum est mihi] *in morte*, &c. q. d. *Numquid mors impii est mihi grata? annon potiùs conversio ipsius & vita?* De חפץ vide Psal. 1. 2. ¶ *Si aversus fuerit* בשובו] Ad verb. *in avertendo se*, i. cùm avertet se, vel, si resipiscat. Sic seq. versu, *Cùm averterit se justus.*

25. *Et dicitis* ואמרתם] Vide v. 19. ¶ *Æqua* יתכן] *Recta.* Alii, *librata*, vel *parata*, acsi diceres *æquata ad æquilibrium justitiæ*; i. non agit justè cum illis Dominus, nec ostendit se æquum illis.

26. *Morietur*, &c. 'ומת וג] Ad verb. *& morietur in illis*, sub. *peccatis.* Quidam, *mortuusque fuerit in illis*, vel *per illa*, aut *propter illa.* Plurale est pronomen.

27. *Vivificabit* יחיה] *Vivere faciet*, i. servabit vivam: q. d. *non peribit*, *sed vivet.* Seipsum seq. versu exponit.

28. *Vidit namque* ויראה] Ad verb. *& vidit.* Quidam, *contemplans namque*, sub. *impietatem suam.* Alii, *Videns enim*, sub. *malefacta sua.* Alii præcedentibus jungunt, *Cùm*, *inquam*, *viderit*, *& averterit se*, i. diligentiùs perpenderit. Repetitio est.

29. *Et dicunt* ואמרו] Præt. Heb. pro præs. vel, *Quòd si dicant*, ut v. 19. ¶ *Non est æqua* לא יתכן] Ut v. 25.

30. *Judicabo vos* איש כדרכיו אשפט] Ordo præposterus, pro *judicabo eos*, *unumquemque juxta*, &c. ¶ *Et converti facite* והשיבו] *Et avertite*, sub. *quisque fratrem suum à cultu idolorum.* Alii, *reducite quisque alterum*: q. d. *Cohortamini vos mutuò ad resipiscentiam.* Alii, *date operam*, sive *satagite*, *ut resipiscatis.* Ità etiam quidam exponunt in posteriore versu. Chald. *Convertimini ad cultum meum*, *& avertite à vobis cultum vanitatis.* ¶ *In offendiculum* למכשול] *In ruinam*: i. non peribitis propter peccata vestra, condonabuntur vobis omnia. Doctus inter Hebræos vertit, *Et non erit* [vel, *& nè sit impœnitentia vestra*] *in ruinam iniquitatis*; i. caveté nè impœnitentiâ vestrâ pereatis propter scelera vestra.

32. *Quia nolo*, &c. 'כי לא אחפץ במות המת וג] Ad verb. *Quia non complacebo mihi in morte mortui.* Quod quidam vertunt, *Quia non expeto mortem mortui*: vel, *Non enim delector morte mortui.* *Mortuum* vocat à fine, ut ait doctus inter Hebræos, i. qui, nisi resipiscat, moriturus est. Alii, *Quandoquidem non opto mortem morientis.* ¶ *Reverti facite igitur* והשיבו] Idem verbum quod v. 30. i. hortamini igitur vos mutuò ad resipiscentiam. Alii vertunt, *Convertimini igitur*, ut sit verbum neutrum sive intransitivum in Hiphil. Chald. *Revertimini ad cultum meum.*

CASTALIO.

25. ET *negatis Domini constare rationem?*] Dominum esse justum.

CLARIUS.

2. PAtres *comederunt uvam acerbam*] Sic dicebant quòd audirent Israelem affligendum propter Jeroboam, & Judam propter Manassen, insimulantes ob id Deum quasi injustus esset; non advertentes, Deum illos minimè puniturum fuisse si patres suos in sceleribus non fuissent imitati. Unde jurat Deus, Unumquemque pœnam peccatorum suorum luiturum.

4. *Anima quæ peccaverit ipsa morietur*] Videtur hîc loqui de secunda æterna morte; &, *Filius non portabit iniquitatem patris*, de prima æterna morte, cùm amisimus gratiam Divinæ majestatis ob peccatum primi parentis; à qua pœna redemit nos per unigenitum Filium suum, & per eum accepit ad cœlestem patriam, nisi nos nostrâ inobedientiâ nos ipsos eâ privemus.

6. *In montibus non comederit*] i. Idolis non servierit in excelsis. Epulabantur enim in excelsis montibus coram idolis post oblationem victimarum.

10. *Et fecerit unum de istis*] Alius vertit sic, *Qui fecerit contra unum ex illis.* Si, inquam, ipse nullum ex illis fecerit, &c.

20. *Filius non portabit iniquitatem patris*] Id si verum est, quomodo totum genus humanum luit peccatum primi hominis? ut quid innocentes pueri cum Sodomitis perierunt? quare multa millia peste interierunt propter peccatum David? Ad hoc respondendum, quòd Deus aliquando punit ut pater, ad emendandum filios; aliquando ut virtutem probet filiorum; aliquando ut justus Judex, ut pœnam sumat ac prorsus deleat: atque de hoc puniendi genere hîc videtur intelligendum. Nam cùm alioqui innoxios cum peccatoribus punit, ità rependit eis pro hac temporali pœna ut pœnâ affecti minimè dici possint. Et ità planè alius est erga vasa iræ, & alius erga vasa misericordiæ. Et sic multæ sunt pœnæ quæ rectiùs *remedia* vocari possunt quàm *pœna.* Et quando boni atque innocentes cum impiis temporaliter laborant, non luunt aliam pœnam, sed mala ferendo suam conservant sanitatem; sicut Abraham cum Chananæis famem sustinuit, & boni viri cum habitatoribus impiis hujus mundi communia ferunt incommoda, veluti virtutum exercitamenta, nè efferantur animo successu rerum. Et quamvis hîc de temporali pœna loqui videatur, non ineptè tamen statuunt Judæi quòd *mortem* ac *vitam* simul ad futurum sæculum tacitè hîc referat. De pueris verò qui olim in fedus Domini per circumcisionem suscipiebantur, & qui hodie per Baptismum Domino inaugurantur, dubium non est quin Regnum cœlorum eorum sit. De exterorum pueris dubium est; licèt non negemus Deum quos velit servare. Justus enim ille est; nihil cuiquam debet. Bene actum putemus si pueri moriuntur aut occidunt volente Domino, sicut in Sodomis & Diluvio accidit, nè malorum parentum vestigia secuti in graviorem incidissent pœnam, aut nè piorum filii à gratia excidant.

25. *Non est æqua via Domini*] Quando insimulant *viam Domini non æque libratam*, hoc volunt, Deum plùs punire quàm admissa mereantur, & æquabilitatem non servari inter pœnam & peccatum; aut Deum unum plùs punire quàm alium, aut uni admissa remittere, & alium perpetuis onerare peccatis.

DRUSIUS.

2. תקהינה. Sym. ἐγομφίασαν] Sirach. 30. 10. γομφιάσεις τοὺς ὀδόντας σου. Amos 4. 6. ubi textus Ebræus נקיון שנים, Jonathan edidit קהיון, & Lxx γομφιασμὸν ὀδόντων, i. *stuporem dentium.* Ergò ἐγομφίασαν *obstupuerunt.* Græci γομφίους ὀδόντας vocant *molares.* Porrò ἐγομφίασαν a Symmacho editum esse Theodoretus annotavit. Vide sodes ed. Rom.

10. פריץ. Aquilæ 2 ed. *peccatorem.* Sym. *transgressorem.* Th. *pestilentem*] Hier. *Pro latrone in Ebraico sermone scriptum habet* פריץ, *quod Aquila* 2. *editio* peccatorem, *Sym.* transgressorem, *Lxx & Th.* pestilentem *interpretati sunt. Pestilentem* λοιμόν. Hinc intelliges quid sit Psal. 1. 1. ἐν καθέδρᾳ λοιμῶν. Nam vertendum *pestilentis*, & non *pestilentia.*

GROTIUS.

2. PAtres *comederunt uvam acerbam*, *& dentes filiorum obstupescunt*] Frequens illis temporibus adagium, ut apparet Jeremiæ XXXI. 29. simile illi Horatiano:

Delicta majorum immeritus lues,
Romane.

Volebant

Volebant credi innocentes, cùm minimè tales essent.

3. *Vivo ego*] Est χαρακτηρισμὸς [*locutionis emollitio*], pro *Ne vivam.*

Si erit ultrà vobis parabola hac in proverbium] Deus vitæ necísque omnium Dominus potest ob peccata parentum etiam posteris aut immaturam mortem aut servitutem immittere: & cum id facit, ut fecit aliquoties, nemini facit injuriam. Regibus autem, qui tale dominium non habent, meritò id Lex interdixit. Cæterùm appropinquante jam Euangelii tempore, Deus exactiùs justitiam suam apparere, ideóque impios omnes gladio, peste, fame interire voluit, minùs malos mori in servitute, bonos redire liberos in patriam.

4. *Omnes animæ meæ sunt*] Omnes homines in mea sunt potestate.

5. *Fecerit judicium*] Cuique suum tribuendo.

Et justitiam] Beneficentiam exercuerit, ut mox latiùs explicatur.

6. *In montibus non comederit*] Post sacrificia epulari mos erat, & quidem iisdem in locis ubi sacrificatum fuerat.

Oculos suos non levaverit ad idola] Gestus precantium, Psalmo cxxi. 1.

Uxorem proximi sui] Israelitæ.

Et ad mulierem menstruatam non accesserit] Ex lege sapientissima Levit. xx. 18.

7. *Et hominem non contristaverit*] *Hominem non oppresserit.* Id enim est ינה, quomodo & Chaldæus & Lxx intellexêre.

Pignus debitori reddiderit] Nempe tale quo debitor sine gravi incommodo carere non possit, Exodi xxii. 26.

Per vim nihil rapuerit] In Hebræo: *Rapinam non rapuerit.* Vide Levit. xix. 3.

Panem suum esurienti dederit] Post officia *judicii*, id est, justitiæ, venit ad officia beneficentiæ, quam Hebræi sæpe *justitiam* vocant: & Euangelio viam struit, ut & Esaias fecerat lviii. 7. Vide Matthæi iii. 11.

Et nudum operuerit vestimento] Est & hoc apud Esaiam dicto loco. Confer Matthæi xxv. 35.

8. *Ad usuram non comodaverit*] *Commodare* pro *mutuum dare* posuit: sunt enim hæc affinia. *Usura* de pecunia propriè dicitur.

Et amplius non acceperit] תרבית πλεονασμὸν [*augmentum*]. Ità dicitur quicquid in rebus aliis præter pecuniam lucrifit super quantitatem mutuò datam, Levitici xxv. 36. Hieronymus in Commentariis ad hunc locum: *Putant quidam usuram tantùm esse in pecunia, quod prævidens Scriptura Divina omnis rei aufert superabundantiam, ut plus non accipias quàm dedisti. Solent in agris frumenti & milii, vini & olei, cæterarúmque specierum usuræ exigi, sive, ut appellat sermo Divinus*, superabundantiæ: *verbi gratiâ, ut hyemis tempore demus decem modios, & in messe recipiamus quindecim, hoc est amplius partem mediam. Qui justissimum se putaverit, quartam plus accipiet portionem, & solent argumentari ac dicere, Dedi unum modium, qui satus fecit decem modios: nónne justum est ut medium modium de meo plus accipiam, cùm ille meâ liberalitate novem & semis de meo habeat? Noli errare, inquit Apostolus, Deus non irridetur.*

Ab iniquitate averterit manum suam] עול est *dolus malus.*

Et judicium verum fecerit inter virum & virum] Sive Judex constitutus, sive lectus arbiter.

9. *Ut faciat veritatem*] Ità Hebræi vocant quidquid rectum est.

Vitâ vivet] Servabitur à gladio, peste, fame.

10. *Latronem*] Propriè פריץ est *effractor*, sed solet sumi latiùs.

Effundentem sanguinem] Nempe innoxium.

Fecerit unum de istis] De malis rebus quas recensuimus: quas mox repetit.

11. *Et hæc quidem omnia non facientem*] *Qui omnia hæc* (nempe bonas res antè dictas) *non fecerit.*

12. *Abominationem facientem*] Sic vocat congressum cum femina vetito tempore.

13. *Morte morietur*] Immaturâ: *ante diem*, ut dicunt Poëtæ.

Sanguis ejus in ipso erit] *Reatus mortis.* Ut hîc Chaldæus.

14. *Timuerit, & non fecerit simile eis*] *Videns*, inquam, *tamen simile illis non fecerit.* Exemplo paterno trahi se passus non sit.

18. *Pater ejus quia calumniatus est, & vim fecit fratri*] *Quia oppressit oppressione, & rapinam rapuit.*

Mortuus est in iniquitate sua] *Morietur ob peccatum suum.*

19. *Et dicitis, Quare non portavit filius iniquitatem patris?*] Meliùs sic: *Attamen dicitis, Cur?* id est, Cur hoc ità generaliter affirmas? *Nónne portat filius iniquitatem patris sui?* id est, Nónne ob parentum delicta nos vapulàmus? Respondet huic objectioni Deus.

Videlicet quia filius judicium & justitiam operatus est] *Imò si filius jus & beneficentiam exercuerit.*

Omnia præcepta mea] Vide quæ ad Lucam 1. 6.

Vivet vitâ] Felice.

20. *Justitia justi super eum erit*] Merces justitiæ hîc vocatur *justitia*, sicut pœna dicitur *iniquitas.*

21. *Egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis*] In Hebræo: *Aversus fuerit ab omnibus peccatis suis:* id est, exutus vitiis, virtuti se dederit.

22. *Omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor*] Aliquid boni erat in Deportatione: nam stante Republicâ, qui illa graviora peccasset, re ad notitiam Judicum perductâ, moriebatur. In exsilio cessantibus ex Lege judiciis, tempus dabatur ad pœnitentiam, ac per pœnitentiam accipiebatur impunitas. Ità paulatim ad Euangelium præparabantur animi.

Non recordabor] Id est, non infligam pœnas.

In justitia sua, quam operatus est, vivet] *Quam operatur.* Cui dat operam.

23. *Numquid voluntatis meæ est mors impii, & non ut convertatur à viis suis, & vivat?*] Comparatè hæc sumenda, ut Oseæ vi. 6. Sensus enim est: Malo ut homo ab impietate sua se avertat, & sibi prosit, quàm ut perstans in malis factis pœnam in se accersat.

24. *Omnes justitiæ ejus quas fecerat non recordabuntur*] Ut ille apud Valerium Maximum dicebat: *Manlius eras mihi cùm præcipites agebas Senonas: postquam mutari cæpisti, unus factus es ex Senonibus.* Bene Thucydides: Διπλασίας ζημίας ἄξιοί εἰσι ὅτι ἀντ᾽ ἀγαθῶν κακοὶ γεγένηνται [*Duplâ pœnâ digni sunt qui ex bonis mali sunt facti*]. Pestilentes sunt magistri qui negant id fieri posse, quod Deus & fieri posse, & graviter à se puniri testatur.

In prævaricatione] *Ob prævaricationem.* Sic mox *in eis*, id est, *propter eas.* Nam particula ב [*in*, *ob*, &c.] apud Hebræos varias habet significationes.

27. *Ipse animam suam vivificabit*] Id est, semet servabit à mala morte, ut rectè hîc exponunt Lxx. Verba in Hiphil sæpe talem significationem habent.

30. *Juxta vias suas*] Præsentes, non præteritas.

Convertimini] Vertite vos ad me.

Et agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris] In Hebræo: *Avertite vos ab omnibus impietatibus vestris.*

Et non erit vobis in ruinam iniquitas] *Ne sit vobis in ruinam.* Est enim absterrentis.

31. *Facite vobis cor novum, & spiritum novum*] Idem actus alibi Deo, alibi homini asscribitur: Deo ut causæ præcipuæ, homini ut liberè Deum sequenti.

Quare moriemini?] *Quare moreremini?* Cur ultrò accerseretis mortem?

32. *Nolo mortem morientis*] Comparatè, ut modò diximus: id est, magis me juvat vita mutati in melius quàm contumacium pœna. Hoc non obstat quin sit apud Deum limes aliquis misericordiæ, ut apparuit in Pharaone, Cananæis, & aliis. Vide 1 Samuel ii. 25. 1 Paralipom. xxxv. 16.

CAP. XIX.

MUNSTERUS.

2. **M**ater tua leæna] Kimhi hanc Propheticam similitudinem sic explicat; *Leæna est Regnum Jehuda, quod confidenter & sine pavore ut leæna cubavit inter leones, h. e. Reges gentium, quando Deum timuit & coluit. Sed nutrivit tandem rapaces catulos & leunculos, qui didicerunt devorare homines: inter quos primus erat Jehoahaz filius Josija, vir sanguinarius, leunculus tamen, quia fuit contracta potentia ejus propter terræ devastationem. Hic cùm vicina Ægypti devastare cæpisset, captus est in fovea Pharaonis, & vinctus abductus.*

5. *Quòd diu exspectasset*] Heb. כי נוחלה *quod exspectatum esset*, in passiva voce. Quem locum nostri perperàm vertunt pro *infirmata*, cùm non sit à radice חלה, sed à יחל. Est autem sensus, Cùm Leæna Jerusalem vel domus Regia vidisset successum suum frustrari, non ob id se humiliavit & prudentius rebus suis consuluit, sed alios subornavit successores in Regno ejusdem atrocitatis, nempe Jehojakim, *qui ambulavit inter leones*,

leones, nunc cum Rege Ægypti, nunc cum Rege Babel fedus iniens, & interim fæviens in vicinos Moabitas & Ammonitas, & occidens Prophetas; fed & *viduas* multas faciens, quarum maritos occidit, ut illas pro voto opprimeret. Et, ut in fumma dicam, tanta fecit mala ut *urbes & loca devaſtarentur*; & ipſe tandem juſtas luens pœnas, à Babyloniis captus & abductus eſt.

10. *Mater tua ſicut vitis*] Hæc alia eſt parabola populi Iſraelitici explicans excidium. Hic populus primùm fuit *quaſi vitis frugifera in ſanguine ſuo*, i. ברטיבת השבע *in virore & ſucculentia naturæ*, ſive in ſemine. Sanguinis enim copia vires & robur adauget. Alii legunt ברמוך pro ברמך *in ſimilitudine tua*, h. e. *Mater tua aſſimilatur viti frugiferæ plantatæ ſuper aquas*, quæ brevi tempore in Ægypto in multa centena crevit millia. *Facti ſunt*, inquit, *rami ejus ſolidiſſimi*, *& virga ejus firmiſſima*, ut etiam *ſceptra regalia* hinc fierent, & præter morem vitium *ſtatura ejus in altum conſurgeret*, & æquaretur altiſſimis arboribus, &c.

12, 13. *Evulſáque eſt cum furore*] Nobiliſſima, inquit, illa vitis in peſſimam degeneravit labruſcam, ut jam non eſſet præcidenda aut repurganda, ſed funditus evellenda. Per *ventum Orientalem* intellige exercitum Chaldæorum, & per *deſertum*, in quod hæc vitis *plantata* dicitur, accipe Chaldæam, ubi hæc vitis creſcere non potuit.

14. *Egreſſúſque eſt ignis*, &c.] *Virga* illa *ramorum* fuit Zidkija, qui cladem illam veluti ignem perfidiâ ſuâ in populum induxit, & *lamentum ſuper lamentum*, ut in fine capitis additur.

VATABLUS.

1. PLanctum קינה] *Lamentationem: querimoniam*: i. plange vicem Regum Iſrael.

2. *Cur* מה] *Quomodo. Heu.* Hîc particula eſt Plangentis & Lamentantis, ut ſuprà cap. 16. 30. *Quàm infirmatum eſt cor tuum.* ¶ *Multiplicavit* רבתה] *Enutrivit*, vel *educavit*: ità doctus inter Hebræos.

3. *Et aſcendere fecit* ותעל] *Et evexit.* De Jehoahaz loquitur. ¶ *Fuit* היה] *Evaſit: effectus eſt.*

4. *Reti eorum* בשחתם] *Laqueo eorum*: ità & Chaldæus P. Alii, *in fovea* vel *ſcrobe.* ¶ *Catenis* בחחים] *Compedibus.*

5. *Cùm autem vidiſſet* ותרא] Sub. *mater ejus.* Ad verb. *Et vidit ſe diu exſpectaſſe*, *& quòd periiſſet exſpectatio ejus*, [vel *ſpes*] *& tulit*, &c. Redundat ו in ותקח. ¶ *Se diu exſpectaſſe* כי נוחלה] Sub. *adventum filii in patriam.* Alii, *ſpe ſuâ fruſtratam*: nam utrumque ſignificat verbum Hebræum. Hoc pacto bis idem diceret, & poſterius exponeret præcedens. ¶ *Leunculum poſuit eum* כפיר שמתהו] Hebraiſmus, conſtituit eum Regem, ſuffectum quidem à Nabuchodonoſor in locum Jehoahaz, conſenriente tamen populo.

6. *Et incedebat*, &c. ויתהלך וגו'] Hebraiſmus, *Qui verſatus inter leones, factus eſt leunculus.*

7. *Cognovit quoque viduas eorum* וידע אלמנותיו] Singulare, *viduas ejus*: pro *eorum*, i. rem habuit cum viduis eorum quos occiderat. Alii, *Contrivit viduas eorum*, i. urbes. Chald. *& demolitus eſt palatia ejus*, ſub. אדם *hominis*, pro *hominum*: tanquam legerit ארמנותיו.

8. *Et ediderunt* vocem *ſuper eum* ויתנו עליו] Hebraiſmus. Sublato clamore irruerunt in eum, ut ſolent ſimul congregatæ. ¶ *Reti earum* בשחתם] *In fovea eorum*, ut v. 4.

9. *In catenis* בחחים] *In compedibus.* Chald. *In collari ferreo.*

10. *In ſanguine tuo* בדמך] i. In ſanguine Regio. Intelligit ſtirpem Regiam.

11. *Pro ſceptris dominantium* אל שבטי מושלים] *In ſceptra dominantium.* Alii, *cum ſceptris dominantium*, i. Regum: nati ſunt enim in Iſraele multi de ſtirpe Regia. ¶ *Supra, inter ramos* על בין עבותים] *Ultra* ramum qui eſt *inter ramos perplexos*, vel *intricatos & denſos.* Tener autem ramus ille medium in arboribus, éſtque altiſſimus omnium: rami verò perplexi ſunt circa medium arboris. ¶ *Et conſpecta eſt* וירא] *Et apparuit: viſa eſt*: i. evaſit altiſſima inter omnes alias arbores.

12. *Siccavit* הוביש] *Arefecit.* ¶ *Confracti ſunt*, &c. התפרקו] i. Liberi Sedeciæ perierunt: ipſe præterea Sedecias, qui per *virgam roboris* ſignificatur, abſumptus fuit. Pronomen הו affixum in אכלתהו redundat. Alii vertunt, *convulſa atque areſacta ſunt virgæ fortitudinis ejus*, *ignis abſumpſit eas.* Hoc pacto ſingulare מטה poſitum erit pro plurali, quod referet pronomen הו.

13. *Arida & ſitibunda* ציה וצמא] Ad verb. *ſiccitatis & ſitis*, i. regione ſiccâ, arente & ſitiente, ſive ſiticuloſâ.

14. *De virga ramorum ejus* ממטה בדיה] i. De trunco unde prodibant rami. ¶ *Et non fuit* ולא היה] i. Ità ut non remanſerit ulla virga. ¶ *Planctus eſt*, &c. קינה היא וגו'] Sub. *in hac prophetia*: q. d. Hæc prophetia continet planctum, & ità eveniet ut hîc prædicitur.

CASTALIO.

3. QUorum unus] Joachaz Joſiæ filius. ¶ *Ubi in leonem adolevit*] כפיר & אריה differunt ut אדם & איש, h. e. ut *homo & vir.* Atque ut idem *homo & vir* dici poteſt, ità utrumque illorum de eodem leone dicitur, Judic. 14. De qua re vide à nobis in eum locum animadverſa. Sed in Leone Latina lingua minùs habet multa vocabula quàm Hebræa. Itaque intellige *adoleſcere in leonem* ſic dici quaſi tu dicas *vitulum adoleſcere in taurum.*

6. *Qui inter leones verſatus*, *factus & ipſe leo*, *prædam rapere didicit*, *hominéſque comedit*] Joacimus.

7. *Et eorum arces populatus eſt*] וידע legitur, h. e. *& cognovit.* Sed quid eſt *cognovit arces*? Alii vertunt *cognovit viduas.* Sed non rectè dicitur Leo *cognoviſſe viduas*, cùm pergendum ſit in eadem figura, nec Leones *hominum viduas cognoſcant.* Deinde non *cognoſcendi* verbo uteretur, quod lenius eſt, ſed *ſtuprandi* aut *violandi.* Ego ſuſpicior legendum eſſe וירש, quod verbum Leoninæ violentiæ convenientiſſimum eſt. Nam & Græci verterunt ἐνέμετο, quod *depopulari* ſignificat, & idem erratum obrepſit etiam in Judic. 8. ubi eàdem literâ erratum eſt, poſitâ literâ Ain pro Schin. De qua re lege quæ nos illic ſcripſimus.

10. *Tua mater tanquam vitis*] Eſt omnino in hac Allegoria talis numeri generiſque in Hebræo ſermone confuſio qualem & in primo capite indicavimus, & ſæpe alibi animadvertimus, nè ſit ubique declaranda. Eſt autem eadem ſententia quæ prioris Allegoriæ. *Tua mater* Hieroſolyma *ſimilis fuit vitis ob humoris copiam latæ. Ea virgas habuit*, h. e. homines, *qui ſceptra tenuerunt*, videlicet Reges: *qui cùm ità creviſſent*, *ut inter alios*, tanquam inter palmites eæ quæ vocantur *ſagittæ*, *exſtarent*, ipſa Hieroſolyma *diruta eſt*; & ſi quid in ea excellebat, id periit, Regéſque interfecti ſunt. Nunc deſerta jacet: fuerunt ejus Reges cauſa & principium ejus calamitatis, nec jam in ea ſuperſunt.

CLARIUS.

2. MAter tua leæna] *Leæna* eſt Regnum Juda, quod confidenter & ſine pavore, ut leæna, *cubavit inter leones*, h. e. Reges gentium, quando Deum timuit & coluit. Sed *nutrivit* tandem rapaces *catulos & leunculos*, qui *didicerunt devorare homines*; inter quos primus erat Joachaz filius Joſiæ, vir ſanguinarius, *leunculus* tamen, quia fuit contracta potentia ejus propter terræ devaſtationem. Hic cùm vicina Ægypti devaſtare cœpiſſet, captus eſt in fovea Pharaonis, & vinctus abductus.

5. *Tulit unum de leunculis*] i. Cùm leæna Jeruſalem vel domus Regia vidiſſet ſucceſſum ſuum fruſtrari, non ob id ſe humiliavit & prudentiùs rebus ſuis conſuluit, ſed alios ſubornavit ſucceſſores in Regno ejuſdem atrocitatis, nempe Joacim, *qui ambulavit inter leones*, nunc cum Rege Ægypti, nunc cum Rege Babel fedus iniens, & interim fæviens in vicinos Moabitas & Ammonitas, & occidens Prophetas, ſed & *viduas* multas *faciens*, quarum maritos occidit, ut illas pro voto opprimeret. Et ut in ſumma dicam, tanta fecit mala ut *urbes & loca devaſtarentur*, & ipſe tandem luens pœnas, à Babyloniis captus & abductus eſt.

10. *Mater tua quaſi vinea*] Hæc alia eſt parabola, populi Iſraelitici explicans excidium. Hic populus primùm fuit *quaſi vitis frugifera in ſanguine ſuo*, h. e. in virore & ſucculentia naturæ ſive in ſemine. Sanguinis enim copia vires & robur adauget. Alii legunt *in ſimilitudine tua*, h. e. ut te gigneret ſimilem ſibi. Vel *mater tua aſſimilatur viti frugiferæ plantatæ ſuper aquas*, quæ brevi tempore in Ægypto in multa centena crevit millia. *Facti ſunt*, inquit, *rami ejus ſolidiſſimi*, *& virga ejus firmiſſima*, ut etiam *ſceptra regalia* hinc fierent, & præter morem vitium *ſtatura ejus in altum conſurgeret*, & æquaretur altiſſimis arboribus, &c.

12, 13. *Evulſa eſt in ira*] Nobiliſſima, inquit, illa vitis in peſſimam degeneravit labruſcam, ut jam non eſſet præcidenda aut repurganda, ſed funditus *evellenda.* Per *ventum urentem* intellige exercitum Chaldæorum; & per *deſertum*, in quod hæc vitis *plantata* dicitur, accipe Chaldæam, ubi hæc vitis creſcere non potuit.

14. *Egreſſus eſt ignis de virga ramorum*] *Virga* illa *ramorum* fuit Sedechias, qui cladem illam veluti ignem perfidiâ ſuâ in

in populum induxit, & *lamentum super lamentum*, ut in fine capitis additur.

DRUSIUS.

14. שֵׁבֶט לִמְשׁוֹל. σκῆπτρον εἰς τὸ ἐξουσιάζειν, *sceptrum ad dominandum*] In libris quibusdam Græcis φυλὴ σκῆπτρον. Sunt absque dubio duæ interpretationes, ex ambiguo vocabuli Ebraici. Nam שבט tam *tribum* sig. quàm *sceptrum*. Ipsi LXX suprà *tribum* reddunt, dum verba illa v. 11. אל שבטי משלים interpretantur *in tribum ducum*, vel certè *in tribus*, ubi Hier. *in sceptra dominantium*. Vide, si placet, Comment. ejus.

GROTIUS.

1. **A***Ssume planctum*] *Profer lamenta.*

Super Principes Israel] נשיא [*Principes*], id est Reges, ut suprà VII. 27.

2. *Quare mater tua leæna inter leones cubavit*] Meliùs: *Quid* (fuit) *mater tua* (Judæa gens)? *leæna cubans inter leones:* id est, tuta vivens inter tot vicinos Reges. Alluditur ad locum Geneseos XLIX. 9.

In medio leunculorum enutrivit catulos suos] Fœcunda fuit, invidentibus vicinis.

3. *Et eduxit unum de leunculis suis: leo factus est, & didicit capere prædam, hominémque comedere*] Joachazus crudelis factus, II Regum XXIII. 32.

4. *Et non absque vulneribus suis ceperunt eum*] In Hebræo: *In scrobe eorum captus est.*

Adduxerunt eum in catenis in terram Ægypti] In Hebræo, *hamis*; sed per eam metaphoram significantur *compedes*, II Regum XXIII. 33.

5. *Quæ cùm vidisset quoniam infirmata est, & periit expectatio ejus*] *Quæ* (gens Judæa) *videns cùm expectasset* (aliquandiu), *periisse spem suam:* id est, non reddi suis precibus ab Ægyptio Joachazum.

Tulit unum de leunculis suis, leonem constituit eum] Eliachimum sive Joachimum Regis Ægyptiorum concessu Regem agnovit, II Regum XXIII. 30. II Paralipom. XXXVI. 4.

6. *Qui incedebat inter leones*] Regio more vivebat.

Et didicit prædam capere, & homines devorare] Factus est & ipse crudelis. Vide II Reg. XXIII. 37. II Paralipom. XXXVI. 5.

7. *Didicit viduas facere*] Chaldæus legit ירע אלמנותיו [*corrupit palatia eorum*]. optimè.

Et desolata est terra & plenitudo ejus à voce rugitûs illius] *Plenitudo ejus*, supple *fugit*. Plenitudo terræ sunt homines: hi præ metu crudelis Domini fugiebant.

8. *Convenerunt adversus eum gentes undique*] Chaldæi, Syri, Moabitæ, Ammonitæ, II Regum XXIV. 2.

In vulneribus earum captus est] *In scrobe earum*, ut suprà 4.

9. *In catenis*] *Hamis*, ut suprà 4.

Ad Regem Babylonis] II Paralipom. XXXVI. 6.

Ne audiretur vox ejus ultrà super montes Israel] Ne cui ultrà terrori esset, ut suprà 7.

10. *Mater tua*] Altera comparatio, ad eandem gentem Judæam pertinens.

In sanguine tuo] In quiete tua: id est, cùm tu Ezechiel & alii tecum quietè domi viveretis.

Super aquam plantata es] Ut suprà XVII. 8.

Fructus ejus] Crevit populus.

Et frondes ejus] Auctæ opes.

11. *Factæ sunt ei virgæ solidæ in sceptra dominantium*] Ex familia Davidis modò hic, modò ille ad regnum pervenêre.

Et exaltata est statura ejus inter frondes] Stirps ipsa inter suas frondes crevit.

12. *Et evulsa est*] *Sed evulsa est:* gens deportata.

In terramque projecta] Contemtui habita.

Ventus urens] Ventus Orientalis, ut suprà XVII. 10.

Siccavit fructum ejus] Multos de populo occidit.

Marcuerunt, & arefactæ sunt virgæ roboris ejus] Reges capti.

Ignis comedit eam] Ira Divina Reges ad exitium usque persecuta est.

13. *Et nunc transplantata est in desertum in terra invia & sitiente*] Pessima terræ Chaldaicæ illis data sunt excolenda.

14. *Et egressus est ignis de virga ramorum ejus, qui fructum ejus comedit*] Ira Divina ob crimen Sedeciæ populum occidioni dedidit.

Et non fuit in ea virga fortis, sceptrum dominantium] Nulli ultrà ex ea sunt Reges.

Planctus est, & erit in planctum] Hæc est Prophetia planctûs verè eventuri.

CAP. XX.

MUNSTERUS.

4. **N***Umquid judicabis eos*] Si vis *judicare eos* propter impietatem eorum, redargue eos propter mala opera eorum, & *ostende eis abominationes patrum suorum.*

11. *Vivet in eis*] Sic Christus dicebat, *Hæc fac, & vives.* Sed quomodo vivitur in Lege, cùm illa occidat? Quòd Lex occidit, id accidit ei nostrâ malitiâ, cùm Lex sit bona & ad subsidium vitæ data. Adjuvat enim Lex vitam, dum peccata ostendit ei qui timet Deum. Porrò *levare manum* est signum Jurandi: item est signum Potentiæ & autoritatis: est etiam signum Imminentis plagæ.

12. *Sabbata mea dedi eis ut essent signum*, &c.] Igitur Sabbatum est signum, ut quieto animo & à peccatorum tumultu alieno, cognoscas te redemptum à Domino sanctificatum & libertate Spiritus donatum. Externa vacatio ab opere hujus quietis in Domino te admonere debet.

14. *Ut non profanaretur*] Est hic החל infinitivus passivus Kal in duplicatorum ordine, habétque Heth Zere loco Pathah.

25. *Dedi eis statuta non bona*] Erit igitur Lex mala? Absit. Sed per *statuta mala* Kimhi hîc intelligit tributa quæ Gentes victores imponebant, & quæ Jehudæi quotannis pendere cogebantur, & alia onera atque leges sub quibus serviebant Gentibus. Nolebant parere legibus ad salutem datis, ideo cogebantur ferre leges malas quas Dominus per Gentes imposuit; qualis est, quòd juxta morem Gentilium filios suos, etiam primogenitos, qui Dei erant, *per ignem traducebant* in honorem idoli Molech: unde Deus provocatus *eos devastare* constituit, sicut mox in textu sequitur.

29. *Quid est excelsum*] Kimhi sic exponit, *Ego constitui vobis locum ubi sacrificaretis nomini meo: & quis igitur præcepit vobis facere excelsa, & sacrificare ibi, nisi quòd à gentibus hoc didicistis?* Est autem במה propriè מזבח גבוה *altare valde excelsum*, ad quod per gradus ascendebatur, aut quòd talia altaria in montibus excelsis exstruebantur.

37. *In vinculis*] Scribitur hîc מסרת pro מאסרת deficiente Aleph.

39. *Singuli post idola sua ite*] Est Ironia, quam Hebræi מהתל vocant: & est sensus, Agite quod vultis, & vestram sequimini cupiditatem, *postquam mihi auscultare renuitis. Idolis vestris servite*, ut cœpistis, & sentietis tandem quam cladem vobis impietate vestrâ conciliaritis. *Nolite posthac donis vestris nomen meum profanare.* Malo ut manifesti sitis idololatræ quàm ut istâ simulatione vestrâ mihi ignominiam inuratis.

40. *Universa domus Israel*] Quæ scilicet excidio impiorum hominum superstes fuerit, quæque in deserto non interiit. Hæc, inquam, mihi grata erit.

46. *Stilla versùs Meridiem*] Capitur hîc *stillare* pro *loqui:* unde Jonathan vertit אתנבי *vaticinare.* Et jubetur *faciem vertere versùs Meridiem*, quòd terra Jehuda ferè ad Meridiem sit respectu Chaldææ, in qua erat Propheta. Per *silvam*, in qua sunt arbores bonæ & malæ, Hebræi intelligunt Jerusalem, in qua erant boni & mali viri; qui & paulò pòst vocantur *lignum viride & lignum aridum.* Per להבת שלהבת, quæ idem significant, intellige ingentem flammam calamitatis, quæ superstites Jehudæos secuta est à Meridie usque in Septentrionem.

VATABLUS.

1. **A***D interrogandum* לדרוש] i. Ad consulendum. Sic ver. 3.

2. *Ut dicerem* לאמור] Sub. *Israelitis.* Sic cap. 18. 1.

4. *Num judicabis*, &c. התשפט ונו'] q. d. Præstat eos invitare ad resipiscentiam quàm eos condemnare. Notanda autem geminatio, quæ ad majorem expressionem ponitur.

5. *Quâ elegi* בחרי] Infinit. pro præt. sub. *in populum mihi*, ut Deut. 7. 6. ¶ *Et levavi manum meam* ואשא ידי] More scilicet jurantis: i. juramento interposito confirmavi promissiones meas, ut etiam Chaldæus P. exponit. Potest item esse gestus ejus qui potentiam & robur suum exserit. Adhæc, levat manum cùm percutit & punit; retrahit autem cùm punire cessat. Hæc tria significata in hoc capite reperiuntur. ¶ *Pro semine* לזרע] *Semini.* ¶ *Et cognitus sum illis* ואודע להם] *Et innotui illis*, i. effeci ut cognoscerent me, cùm misi ad eos Mosen & Aharon.

6. *Desi-*

6. *Desiderabilis* צבי] *Decus*; *decor*; *desiderium*. Chald. *gloria*, i. laudatur ab incolis omnium aliarum regionum.

7. *Abominationes oculorum suorum* שקוצי עיניו] Sic vocat idola ad quæ oculos convertebant, h. e. quæ diligebant & colebant: quòd oculi adducant & alliciant homines. Suprà 6. 9. dicit, *Et propter oculos eorum fornicantes post idola sua.* Et cap. 18. 6. *Et oculos suos non levaverit ad idola domûs Israel.*

8. *Dixi igitur* ואמר] Hebraismus, Statui ergò effundere: refertur enim istud *dixi* ad Animum sive Cogitationem, non ad Sermonem. ¶ *Ut implerem* לכלות] *Ut absumerem*, vel *insumerem*, aut *explerem*. Vide supra 5. 13. & 6. 12. & 7. 8.

9. *At feci* ואעש] *At egi*, sub. *cum illis*, *clementer ac misericorditer*, *ne gloria nominis mei malè audiret apud Gentes.* ¶ *In quarum oculis innotui ut educerem*, &c. אשר נודעתי אליהם וגו'] Ad verb. *quibus cognitus sum illis in oculis earum ad faciendum*, &c. i. quibus Israelitis manifestavi me per Prophetas meos in oculis earum Gentium: q. d. Prophetæ mei annunciaverunt salutem Israeli palàm & spectantibus Gentibus. Nè ergò viderer meos liberare non potuisse, sustinui eos, usúsque sum misericordiâ erga eos. Quidam utrumque pronomen *Gentes* referre volunt, & primum redundare, hoc sensu, *Quibus Gentibus audientibus & spectantibus annunciaveram libertatem ipsi populo meo rebelli.* Eandem sententiam vide v. 14.

11. *Indicavi eis* והודעתי אותם] *Manifestavi eis.* Ad verb. *scire* [vel *cognoscere*] *feci eos.* ¶ *Propter ea* בהם] *Per ea*; *in eis.*

12. *Sabbata mea* שבתותי] Annotat in hunc locum quidam Hebræorum, ideo plurali numero usum Ezechielem ut comprehenderet Sabbatum Septimi diei, Remissionis anno septimo, & Jubilei: præterea, sive sit Sabbatum dierum, sive annorum, signum fuisse innovationis seculi & vitæ æternæ, in qua quies futura est perpetua. ¶ *In signum* לאות] Sub. *tanti mei amoris & reconciliationis.* Sabbatum igitur signum est, ut quieto animo, & à peccatorum tumultu alieno, cognoscamus nos redemptos esse à Domino, sanctificatos, & libertate Spiritûs donatos. Externa vacatio ab opere hujus quietis in Domino nos debet admonere.

13. *Rebellaverunt autem contra me* וימרו בי] *Exacerbaverunt autem contra me.* ¶ *In præceptis meis* בחוקותי] *In statutis meis.* Heb. Statuta mea non observarunt. ¶ *Quæ si fecerit*, &c. אשר יעשה וגו'] Ut v. 11. ¶ *Violaverunt* חללו] *Profanarunt*; *polluerunt*; *contaminarunt.* ¶ *Et dixi* ואומר] Vide eadem verba v. 8.

14. *At feci* ואעשה] Idem dicit quod & v. 9.

15. *Et etiam* וגם] *Quinetiam.* Alii, *Ego itaque.* Vide hæc v. 6. paucis mutatis.

16. *Judicia mea*, &c. במשפטי וגו'] Ut v. 13. ¶ *Post idola sua*, &c. אחר גלוליהם] Hebraismus, qui ex animo colebant idola: vel, coluerunt idola quorum studio & amore tenebantur.

17. *Pepercit tamen* ותחס] Ad verb. *Et pepercit.* ¶ *Nec feci cum eis consummationem* ולא עשיתי אותם כלה] *Nec feci cum eis consumptionem*, vel *finem.* Hebraismus, non delevi eos prorsus. Significat integram, absolutam ac perfectam deletionem ac perditionem.

18. *In præceptis* בחוקי] *In statutis*, i. vestigiis Majorum vestrorum nolite insistere. ¶ *Et judicia eorum* ואת משפטיהם] i. Mores & instituta eorum nolite sequi.

20. *Et erunt* והיו] *Et sint.*

21. *Rebellaverunt autem* וימרו] Vide eadem v. 8, & 13. paucis mutatis.

22. *Et feci propter*, &c. ואעש וגו'] Vide suprà v. 9, & 14.

23. *Etiam ego levavi*, &c. גם אני נשאתי וגו'] Hebraismus, *Interminatus* [sive *comminatus*] *sum me*, &c. Vide v. 5.

24. *Oculi eorum* עיניהם] i. Magno studio tenebantur idolorum quæ coluerant Patres eorum. Vide v. 7.

25. *Et etiam dedi eis præcepta non bona* וגם אני נתתי להם חוקים לא טובים] *Idcirco dedi eis leges non bonas.* Hoc genus loquendi simile est illi Pauli Rom. 1. 21. *Propterea quòd cùm Deum cognoverint, non ut Deum glorificaverunt*, &c. *tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua*, &c. Dicit igitur, Quia noluerunt legibus meis parère, abjeci eos, permisíque ut legibus iniquissimis inservirent, quarum observatio mortem eis afferret æternam; tradidi eos ut Gentium statuta non bona custodirent, cujusmodi cultus idolorum, traductio filiorum per ignem in honorem Moloch, & alia nefanda. Versu 39 dicit, *Singuli post idola sua ambulate, & servite*, &c.

26. *Et pollui eos in muneribus suis* ואטמא אותם במתנותם] i. Permisi ut laberentur in scelus inhumanitatis, propter quod polluerentur ac contaminarentur, *ità ut traduxerint*, &c. ¶ *Ità ut transire fecerint*, &c. בהעביר כל פטר רחם] Ad verb. *in transire faciendo omne adaperiens vulvam*, vel *omnem apertionem vulvæ*, i. omnia primogenita.

28. *Introduxi enim eos* ואביאם] Ad verb. *Et introduxi eos.* Quidam scribunt hoc loco ו redundare. Alii, *Cùm enim introduxissem eos.* ¶ *Super quam*, &c. אשר נשאתי וגו'] *De qua* [vel, *pro qua*] *levavi manum meam*, i. juravi, sive juraveram, ut v. 5. ¶ *Densam* עבות] *Intricatam*, i. habentem multos ramos inter se implicatos. ¶ *Iram oblationis suæ* כעס קרבנם] Hebraismus, oblationem suam quà Deum ad iram provocabant. ¶ *Suavitatis suæ* ניחוחיהם] *Suaveolentiæ suæ.* Plurale Heb. *suavitatum suarum*, i. suavissimum.

29. *Quid est*, &c. מה הבמה וגו'] Ad verb. *Quid excelsum ad quod estis illi qui veniunt illuc?* Redundat adverbium loci. *Quid est excelsum*, i. Quid sibi vult excelsum: vel, Quare exstruxistis excelsum istud, cùm ego vobis locum ubi sacrificaretis nomini meo constituerim, ubi altare terreum mihi fieri præcepi? במה significat *excelsum.* Est autem altare valde excelsum, ad quod per gradus ascendebatur. Aut sic dicebatur quòd talia altaria in montibus excelsis exstruerentur contra præceptum Domini.

32. *Et quod ascendit per spiritum vestrum* והעלה על רוחכם] *Et quod ascendit in animum* [vel *cor*] *vestrum.* Hebraismus, Quod autem cogitatis, vel animo concipitis. ¶ *Penitus non erit* היו לא תהיה] Ad verb. *essendo non erit.* ¶ *Erimus* נהיה] *Simus*, i. vivamus ritu Gentium, ut bene sit nobis. ¶ *Sicut cognationes terrarum* כמשפחות הארצות] *Sicut familiæ nationum*, vel *provinciarum*, i. sicut aliæ nationes. ¶ *Ministrando* לשרת] *Famulando*, i. colendo deos ligneos & lapideos.

33. *Et furore effuso* ובחמה שפוכה] i. Indignatione maximâ. Metaphora à vasis plenis, quæ ubertim & semel exinaniuntur: q. d. Tamen non permittam ut deficiatis à me, sed vi, & vobis volentibus nolentibus, ero Rex vester.

35. *Ad desertum populorum* אל מדבר העמים] Desertum istud non procul distabat à Babylone, in qua Imperator sibi sedem delegerat. ¶ *Et judicio contendam* ונשפטתי] *Et disceptabo*; *expostulabo*; *litem intendam.* Chald. *ulciscar de vobis.*

37. *Sub virgam* תחת השבט] i. Sub sceptrum. Hebraismus, reddam vos mihi subjectos ac subditos. Metaphora à Pastore, qui cum virga numerare solet oves. ¶ *Et adducam*, &c. והבאתי וגו'] Hebraismus, feriam vobiscum fedus, quemadmodum feci cum Patribus vestris.

38. *Et prævaricantes* והפושעים] *Et sceleratos*: vel, *qui prævaricati fuerint in me.* ¶ *Incolatûs eorum* מגוריהם] *Habitationis eorum*, i. ubi nunc sunt captivi.

39. *Ne polluatis ultrà* לא תחללו עוד] Ironia est: q. d. Malo ut manifesti sitis idololatræ quàm istâ simulatione vestrâ mihi injuriam inuratis, dona mihi offerendo, & simul idola colendo: nolo ut me colatis unà cum idolis.

40. *Quia* כי] Subaudiendum aliquid, *Tandem certè fiet ut me purè ac sincerè colatis: nam in monte*, &c. ¶ *Volam eos* ארצם] *Beneplacitum erit mihi in illis.* Sic suprà 18. 23. i. favore ac benevolentiâ prosequar: benigniter eos complectar. ¶ *Oblationes vestras* את תרומותיכם] Mutatio personæ: i. oblationes vestræ tam gratæ mihi erunt ut videar requirere illas. ¶ *Sanctificationibus vestris* קדשיכם] *Sanctificatis vestris*, i. in omnibus rebus quas sanctificaveritis sive consecraveritis mihi.

41. *Volam vos* ארצה אתכם] *Complacebo mihi in vobis*: aut, complectar vos favore ac benevolentiâ prosequar. Eadem dictio quæ & v. 40. Propter odorem suavissimum oblatum mihi voluptatem capiam in vobis. De *odore quietis* dixit etiam suprà 16. 19. ¶ *Cùm eduxero* בהוציאי] Ut v. 34. ¶ *Et sanctificabor*, &c. ונקדשתי בכם] Hebraismus, Gentes censebunt me justum, efferéntque laudibus propter liberationem vestram.

42. *Pro qua levavi*, &c. אשר נשאתי את ידי] Vide eadem vers. 28.

43. *Operum vestrorum* עלילותיכם] *Studiorum vestrorum*; *adinventionum*; *cogitationum.* ¶ *Et succisione dignos reputabitis vos* ונקטתם] Ad verb. *& succidemini*, vel, *eritis succisi*, aut, ut alii, *excidetis vos*: i. ut doctus inter Hebræos exponit, *cùm malorum vestrorum recordabimini*, *in oculis vestris dignos vos reputabitis ut è mundo excidamini.*

44. *Cùm fecero vobiscum* בעשותי אתכם] Vide v. 9, & 14.

46. *Et stilla* והטף] *Stillare* pro *loqui.* Unde Chaldæus P. vertit *vaticinare*: nam Sermo similis est Pluviæ. Verba enim se invicem subsequuntur: unde Moses ait Deut. 32. 2. *Stillabis ut pluvia doctrina mea.* Jubetur autem *faciem suam vertere*

versùs Meridiem, quòd terra Juda ferè ad Meridiem sit respectu Chaldææ, in qua erat Propheta. ¶ *Ad silvam* אל יער] *Contra saltum*, vel *de silva*. Jerusalem significat, quæ sita erat ad Meridiem respectu Babylonis: Q iam vocat *silvam*; quòd ut in silva sunt arbores fructiferæ & infructiferæ, ità boni & mali permisti in ipsa Jerusalem. *Silvam* autem *agri* vocat, quòd sita esset in regione celeberrima, feracissima & optima, nempe in terra Juda.

47. *Succendo* מצית] Præs. Heb. pro fut. i. paratus sum immittere afflictionem maximam. ¶ *Flamma flamma* להבת שלהבת] Hebraismus, pro *flamma continua & perpetua*, cùm succedit uni flammæ alia flamma. Igne isto *continuo* significat afflictionem diuturnam. Doctus inter Hebræos vertit *flamma flamma:* dicitque geminari dictionem ad rem corroborandam, acsi dicat ignem non exstinguendum, sed omni tempore ascensuram flammam, veluti si altera alteram excipiat, donec consumantur omnes aut captivitate, aut gladio. ¶ *Comburentùrque in ea* נצרבו בה] i. Videbuntur comburi pudore & ignominiâ.

48. *Non exstinguetur* לא תכבה] Subaudi *&*, vel *qui*; *Et non exstinguetur*, sive *qui non exstinguetur*, donec prorsus perdiderim eam.

49. *Mihi* לי] *De me. Dicere solent me.* ¶ *Annon parabolicè*, &c. הלא וגו'] Sub. *& non Prophetias:* q. d. Obscurè loquitur: nihil enim aliud habet in ore quàm parabolas. Propheta his verbis velut conqueritur Domino, Quare, ô Domine, proponis parabolam? eos enim malè habet cùm loquor ipsis parabolicè. Quæso igitur explica parabolam.

CASTALIO.

4. *Scilicet patrocineris eis? scilicet patrocineris, homo?*] Hoc enim fecerat Vates cap. 9.

5. *Promisissémque stirpi Jacobeæ domûs*] Heb. *manum sustulissem:* quoniam is in affirmando & promittendo mos erat. Quæ figura à verbo *promittere* non abhorret: est enim PROMITTERE porrò aut altè *mittere*. Et quia promissis, ut videtur, manibus pollicebantur homines, invaluit usus ut *promittere manus*, deinde detracto vocabulo *promittere*, dicerent pro *polliceri*; sicut videmus & in aliis solere detrahi voces quasdam; ut dicimus *decies* pro eo quod est *decies centena millia sestertiûm*; quomodo in S. literis dicitur aliquando *Nomen* pro *Jovæ nomen*, & *trajicere* pro *per ignem trajicere*. Hæc eò dico ut animadvertantur linguarum naturæ, neu quis offendatur si Latinè loquens multa peregrina ad Latinorum consuetudinem traduco.

7. *Eos monui ut eas quisque obscœnitates abjiceret*] Obscœnos deos.

24. *Secutique oculis essent majorum suorum stercoreos Divos*] Coluissent, & in pretio habuissent.

26. *Qui fœtus omnes qui vulvam aperuissent trajicerent*] sc. Per ignem.

28. *Ibi sua libationis irritamentum collocarunt*] Suas libationes, quibus ego irritarer.

29. *Quódnam esset sacellum ad quod irent*] Reddit nominis rationem. Quoniam enim eos interrogavit *quódnam esset illud* במה *ad quod ibant*, postea nomen obtinuit ut quæ ibi fiebant sacella eo vocabulo dicerentur. Est autem BAMAH, q. tu dicas *excelsum*, aut *editum* (quod Latinè *templum* dici potest) quoniam in editioribus locis fieri cœpta sunt sacella. Sed postea fiebant & in aliis locis. Ità cap. 16. dicuntur fieri *in omnibus vicis:* ubi alio quidem sed ejusdem notionis vocabulo nuncupantur.

39. *Meum sanctum nomen nè profanate ampliùs vestris donariis stercoreisque Divis*] Dum à me denominati, alios colitis, meum nomen profanatis, miscentes sacra profanis.

41. *In vobis sanctus habebor apud Gentes*] Meum in vos beneficium in causa erit ut me Gentes sanctè laudent.

CLARIUS.

4. *Judicabisne eos*] Si vis, inquit, *judicare eos* propter impietatem eorum, redargue eos propter mala opera eorum, & *ostende eis abominationes patrum suorum*.

5. *Levavi manum*] *Levare manum* pro *jurare* ponitur.

11. *Quæ faciens homo vivet in eis*] Sic Dominus dicebat, *Hoc fac, & vives.* Sed quomodo vivitur in Lege, cùm illa occidat? Quòd Lex occidit, id accidit ei nostrâ malitiâ, cùm Lex sit bona & ab subsidium vitæ data. Adjuvat enim Lex vitam, dum peccata ostendit ei qui timet Deum.

12. *Sabbata mea dedi eis*] Dicit *se dedisse eis Sabbata ut essent in signum inter se & illos.* Sabbatum ergò in signum est, ut quieto animo & à peccatorum tumultu alieno, agnoscas te redemptum à Domino, sanctificatum & libertate Spiritûs donatum. Externa vacatio ab opere hujus quietis in Domino te admonere debet.

25. *Dedi eis præcepta non bona*] Erit igitur Lex mala? Absit. Sed per *præcepta* vel *statuta mala* hic intelligunt tributa quæ victores imponebant, & quæ Judæi quotannis pendere cogebantur, & alia onera atque leges sub quibus serviebant Gentibus. Nolebant parere legibus ad salutem datis: ideo cogebantur ferre leges malas quas Dominus per Gentes imposuit; qualis est, quòd juxta morem Gentilium filios suos, etiam primogenitos, qui Dei erant, *per ignem traducebant* in honorem idoli Moloch: unde Deus provocatus *eos devastare* constituit. Alii intelligunt *præcepta non bona data* Israelitis, quia antequam offenderent Dominum Decalogum tantùm acceperint; post idololatriam verò & blasphemias, ceremonias legales multas dedit, ad nihil aliud utiles quàm ut revocarentur à Dæmonum cultu & sacrilega superstitione Gentium.

29. *Quid est excelsum*] Ego, inquit, constitui vobis locum ubi sacrificaretis nomini meo: quis igitur præcepit vobis facere excelsa, & sacrificare ibi, nisi quòd à Gentibus hoc didicistis? ¶ *Et vocatum est*] i. Adeò placuerunt illis excelsa ut etiam siquid mihi offerendum conferent, illud causâ brevitatis vocaverint *excelsum*. In libris Regum est frequentissima horum mentio.

35. *Educam vos in desertum populorum*] Vide ubi desinant minæ Divinæ, nempe ut tandem ad salutem nos perducat. Redemptionem ergò Babylonicam descripturus, in Christi tempora Prophetico more assurgit. Vos, inquit, ubi plenitudo Gentium intraverit, de populis educam, & undique terrarum colligam in unum spiritum. Neque sanè rectà in possessionem promissam perducemini. Regnum cœlorum inquinati non introibitis: iccirco *inducam vos in desertum populorum*, sicut in exitu ex Ægypto feci. *Desertum* autem *populorum* erit per quod ex omnibus populis ad promissionem deducemini, sicut per Ægypti desertum deducebamini ad promissam terram Chanaan. Sin literam spectes, videtur minari, si redire noluerint à terris in quas ejecti fuerint, detenti amore liberorum & rerum, se eos gravi servitutis conditione oppressurum, ut ob fugiendas calamitates tandem discedant. ¶ *Facie ad faciem*] Arbitris remotis, liberrimè ulciscar hanc meam contumeliam.

37. *In vinculis federis*] Quæ Oseas *vincula dilectionis* nominat, ut posthac excidere non possitis.

32. *Post idola vestra ambulate*] Est Ironia. Agite, inquit, quod vultis, & vestram sequimini cupiditatem, *postquam mihi auscultare renuitis. Nolite posthac donis vestris nomen meum profanare.* Malo ut manifesti sitis idololatræ quàm ut istâ simulatione vestrâ mihi ignominiam inuratis. ¶ *Et in idolis vestris*] Mentientes vos ea offerre mihi quæ offertis idolis.

40. *Omnis domus Israel*] Quæ scilicet excidio impiorum hominum superstes fuerit.

46. *Stilla ad Africum*] Capitur hîc *stillare* pro *loqui*. Et videtur *faciem vertere versus Meridiem*, quòd terra Juda ferè ad Meridiem sit respectu Chaldææ, in qua erat Propheta. Prophetia ergò est contra Jerusalem, quam illi qui in Babylone erant non credebant subvertendam, & tantùm non publicè dolebant se obtemperasse Jeremiæ, cujus consilio se dediderant Regi Babyloniorum. Igitur sicut ii qui Jerosolymis erant contendebant cum Jeremia, ità illi in Ezechielem insurgunt. Per *saltum* vel *silvam*, in qua sunt arbores bonæ & malæ, Hebræi intelligunt Jerusalem, in qua erant boni & mali viri: Qui & paulò pòst vocantur *lignum viride* & *lignum aridum*. Meridiem tribus nominibus appellat, & copiosè rem proponit, attentionem conciliaturus.

47. *Omnes facies ab Austro usque ad Aquilonem*] Videtur significare, & vicinas gentes eodem bello implicitas dolituras, maximè ad Septentrionem vergentes.

49. *Ab Domine Deus*] Hactenus, inquit, tot parabolas protuli, quas increduli existimabunt non esse tuum verbum, sed ostentatione humani ingenii me ejusmodi comminisci, aut certè parùm intelligent quæ dicuntur, & in partem accipient diversam: Quare, obsecro, in aliam formam gravioris orationis hanc Prophetiam commuta. Adjicitur ergò explicatio, nequid lucis desideretur.

DRUSIUS.

1. בַּחֲמִשִׁי בֶּעָשׂוֹר לַחֹדֶשׁ. ἐν τῷ πέμπτῳ μηνὶ, δεκάτῃ τοῦ μηνὸς, *in quinto mense, decimâ mensis.*

3. אִם אִדָּרֵשׁ לָכֶם. Sym. *non respondebo vobis*] Hier. *Quod autem dixere Lxx*, Si respondero vobis, *Sym. manifestiùs transtulit*, non respondebo vobis, *i.* οὐκ ἀποκριθήσομαι ὑμῖν.

6.

6. צְבִי. Aquilæ 1 ed. *firmamentum*, 2 *Inclytum*. Sym. *regionem*. Th. *fortitudinem*] Hier. *Pro eo quod dixere Lxx*, favus est ultra omnes terras, *pro quo nos interpretati sumus*, egregia est inter omnes terras, *Aq. 1 ed. posuit* firmamentum, 2 inclytum, *Sym.* regionem, *Th.* fortitudinem; *quod videlicet omnium terrarum ista sit fundamentum, quod in ea religio sit & Templum & ceremonia & notitia Dei.* Scholion ex ed. Rom. Κηρίον' ὁ Ἑβραῖος καλλίστην εἶπεν. Σύμμαχος, στάσις ἐστίν, ἔφη, στάσιν καλέσας τὸ αὐτόθι τῆς ἱερατείας ἀνακείμενον Θεῷ, *Ebræus dixit*, optimam, *Sym.* status est, statum *vocans esse ibi Sacerdotium dicatum Deo.*

7. שִׁקּוּצֵי. Sym. *nauseas*. Aquilæ 2 ed. *abscissiones*] Hier. *Pro* offensionibus, *quæ Ebraice dicuntur* שקוצי, *Sym. interpretatus est* nauseas, *Aquila 2 ed.* abscissiones, *ut significarent abjiciendas ab oculis lippitudines & quasi nauseas, quæ non solum aspectum impediunt, sed & contra cernentibus vomitum creant.* ¶ גִּלּוּלֵי. Aquilæ 1 ed. *inquinamenta*. 2, item Sym. & Th. *idola*] Hier. גלולי *quoque verbum Ebraicum est, quod LXX* adinventiones, *Aquila 1 ed.* inquinamenta, 2, *Symmachusque & Th.* idola *interpretati sunt, quos & nos in præsentiarum secuti sumus.*

8. וְלֹא אָבוּ לִשְׁמֹעַ אֵלַי. Sym. *Non acquieverunt mihi*. Hier. Noluerunt audire me, *sive, ut Sym. interpretatus est*, non acquieverunt mihi.

10. וָאוֹצִיאֵם מֵאֶרֶץ מִצְרָיִם. Καὶ ἐξήγαγον αὐτοὺς ἐκ γῆς Αἰγύπτου, *& eduxi eos è terra Ægypti.*

13. וַיַּמְרוּ־בִי בֵית־יִשְׂרָאֵל בַּמִּדְבָּר. Καὶ παρεπίκρανάν με οἶκος Ἰσραὴλ ἐν τῇ ἐρήμῳ, *& irritaverunt me domus Israel in deserto.*

25. וְגַם־אֲנִי נָתַתִּי. Sym. *Igitur & ego dabo eis præcepta non bona, & judicia propter quæ non vivent.*

26. וָאֲטַמֵּא אוֹתָם בְּמַתְּנוֹתָם. Idem, *Et polluam eos propter munera sua, quia consecrant & transducunt omne quod aperit vulvam, ut deleam eos, & scient quia ego* DOMINUS] Hier. *Hunc locum manifestius interpretatus est Symmachus, pro præterito ponens futurum*, Igitur & ego dabo, &c. *Et est sensus, Quia vidi filios patrum sceleribus adæquari, & eadem facere propter quæ illi offenderant Deum, volui illos dividere in nationes & in toto orbe dispergere, & dare illis præcepta non bona, & judicia in quibus non viverent, ut pollueram illos in muneribus suis (quia omnia primogenita idolis consecrabant) & delerem eos in perpetuum, & scirent quòd ego essem* DOMINUS. Lege etiam sequentia. Rursum Hier. *Illudque quod sequitur*, & scient quia ego sum DOMINUS, *in LXX non habetur.* בכתנות. Ἐν δόμασιν αὐτῶν, *in donis*, sive *muneribus suis*] Id corruptum τοῖς ὁ, ἢ δόγμασιν.

29. בָּמָה. Sym. Βαμά, *Bama*] Prius erat in Lxx ἀβαμά, & in nonnullis libris ἀβανά vel ἀββανά: ex quo Scholion illud, Ἀββανά, λίθος ἑρμηνεύεται. Hoc verum esset si legeretur ἀβανά cum Nun, i. אבנא, formâ nominis Chaldaicâ. Nam Ebræi dicunt האבן. Quod ipsos Græcos non latuit. Aliud Scholion, Κατὰ μὲν Σύρους, λίθος, ὁ δὲ Ἑβραῖος, Τί ἐστι βαμμά; ἐχρῆ. ὅπερ καλεῖται θυσιαστήριον εἰδώλων. τὰ δὲ Θεῷ θυσιαστήρια Βεσμὰ καλεῖται. Videtur in mente habuisse מזבח, quod ἀρχαϊκῶς legeretur μεσβὶ sive μεσβά, inversis syllabis. Theodoretus, Καὶ εἶπον πρὸς αὐτοὺς, Τί ἐστιν ἀβαμά; ἤ, ὡς ὁ Σύμμαχος ἔφη, Τί ἐστι βαμά, ὅτι ὑμεῖς εἰσπορεύεσθε ἐκεῖ; καὶ ἐπεκάλεσαν τὸ ὄνομα αὐτοῦ Βαμὰ ἕως τῆς σήμερον ἡμέρας. Ἀβαμά, i. הבמה. Scribendum ergò ἀββαμά, cum duplici ββ & cum aspiratione. Hier. *Quid est* Bama? (*hoc enim interpretatur* excelsum) *aut cur ingredimini istiusmodi, locúmque vobis in cunctis collibus elegistis, ità ut usque hodie istiusmodi loca appellentur* Bamoth, *& antiquus error nomen pristinum teneat? Pro* BAMA, *quod nos* excelsum *vertimus, in LXX editione error obtinuit ut scribatur* ἀββανά, *quod Ebraico sermone nil resonat. Potest* Bama, *si utramque syllabam in duo dividas verba, significare* in quo: *sed præsenti loco sensus iste non congruit. Ubicunque autem in Regum & Paralipomenon libris scribitur*, Adhuc populus adolebat incensum, & immolabat in excelso, BAMA *singulariter &* BAMOTH *pluraliter excelsa significat.*

39. אִישׁ גִּלּוּלָיו לְכוּ. Sym. *Unusquisque idolis suis euntes servite, quia noluistis audire me: nomen autem meum sanctum nolite ultrà polluere per munera vestra atque simulacra.* A. *Ite post idola vestra, & servite eis*, &c.

40. כִּי בְהַר־קָדְשִׁי. Sym. *In monte verò sancto meo, in monte excelso Israel, ait Dominus* DEUS; *ibi serviet mihi omnis domus Israel*] Hier. *Hunc locum manifestius interpretatus est Symmachus*, Unusquisque idolis suis euntes, &c. Et mox, *Symmachi translatio hunc habet sensum, Quia mihi servire non vultis, ite, servite idolis, & simulacrorum vestrorum calcate vestigia. Me enim audire non vultis, ut nequaquam mihi hostias immoletis, nec adoleatis incensum, nec meus populus appellemini. Mihi enim nequaquam in lucis & fanis & idolorum locis servient cultores mei; quod vos facitis; sed in monte sancto meo, in monte excelso Israel.* Et non multò pòst, *Aquila verò Symmacho ex parte consentiens, in parte discordat*, Ite, *inquit*, post idola vestra, & servite eis: *quia indigni estis meo imperio, nec me vestra cultura delectat. Quòd si & in hoc nequaquam audietis me, sed nomen sanctum meum polluetis, dum mihi offerre simulatis quæ offertis idolis, & nomini meo tantam blasphemiam facitis, ut qui idolorum cultores estis, meos vos esse dicatis; hoc scitote, quòd in monte sancto meo, in monte excelso Israel, ibi servitura sit mihi omnis domus Israel, quæ postea creditura est.* Hinc elicias Aquilæ hujusmodi, si non fallor, interpretamentum, *Post idola ite, & servite eis. Quòd si nequaquam audieritis me, sed nomen meum sanctum pollueritis muneribus vestris & idolis vestris, certè in monte sancto meo, in monte excelso Israel, dicit Dominus* DEUS, *ibi serviet mihi omnis domus Israel.*

43. וּנְקֹטֹתֶם בִּפְנֵיכֶם בְּכָל־רָעוֹתֵיכֶם אֲשֶׁר עֲשִׂיתֶם. Sym. *& parvuli vobis videbimini propter omnes malitias quas fecistis*] Μικροὶ φανήσεσθε. Pro eo Aq. δυσαρεστήσετε *displicebitis vobis*; Th. autem προσοχθιεῖτε *infensi eritis*. Hier. *Et displicebitis, ait, vobis in conspectu vestro, in omnibus malitiis vestris quas fecistis; sive, ut interpretatus est Sym. & parvuli vobis videmini* (leg. *videbimini*) *propter omnes malitias vestras quas estis operati.* Psal. 95. אקוט Hier. *displicuit mihi.* Significationem habet *tadii molestiæve*, ut προσοχθίζειν apud Græcos: q. d. *pertuli populum rebellantem, idque non sine tædio.*

46. בֶּן־אָדָם שִׂים פָּנֶיךָ. Sym. υἱὲ ἀνθρώπου, στήριξον τὸ πρόσωπόν σου ἐπὶ τὸν νότον ὁδὸν Λιβός, καὶ προφήτευσον περὶ τοῦ δρυμοῦ τῆς χώρας τῆς μεσημβρινῆς, *Fili hominis, firma faciem tuam ad Austrum, viam Libis, & propheta de silva in regione Meridiana*] *Darom* Δαρὸμ in ed. R. Eusebius De locis, *Hujus meminit Ezeciel, quod Symmachus vertit in* Africum. Theodoretus, THEMAN *Græcâ linguâ Meridies est, &* DAROM (al. Δαρὼμ) Liba *significat*, NAGEB *verò* Austrum. *Et ità Sym. est interpretatus*, Fili hominis, &c. VIAM LIBIS] Desideratur interpretatio verbi הטף, quod Hieronymus reddit *stilla*, & est idem cum illo הנבא *propheta*. Versio Hieronymi, *Fili hominis, obsfirma faciem tuam contra viam Austri, & stilla ad Africum, & propheta ad saltum agri Meridiani.*

GROTIUS.

1. **V***Enerunt viri de Senioribus Israël*] Legati illi à Sedecia missi, de quibus suprà XIV. factum hoc in reditu Legatorum.

Ut interrogarent Dominum] Ut consilium exposcerent de rebus suis.

4. *Si judicas eos, si judicas, fili hominis*] *An pro eis litigares, an pro eis litigares, fili hominis?* Id est, vellésne tam improborum causam defendere? Nam שפט sæpe est *litigare*, & את non raro *pro* significat.

Abominationes patrum eorum] Quas & ipsi secuti sunt.

5. *Levavi manum meam*] Juravi eis, Exodi III. 6. sic locutio hæc & infrà ponitur 15.

Apparui eis in terra Ægypti] *Cognitus eis sum* per miracula.

7. *Offensiones oculorum suorum*] In Hebræo, *Abominationes oculorum:* id est, idola ad quæ attolluntur oculi, ut suprà habuimus XVIII. 6.

8. *Et dixi ut effunderem indignationem meam super eos*] *Dixeram & me effusurum.* sic & infrà 13. Minatus illis eram pestem aut gladium cùm in Ægypto adhuc essent, Exodi v. 3.

9. *Et feci*] *Attamen feci.* Bene illis scilicet.

Propter nomen meum] Quia Abrahamus, Isaacus, Jacobus, mei vocati fuerant.

10. *Ejeci ergò eos de terra Ægypti*] Egredi feci.

11. *Præcepta mea*] חקות [*præcepta*] sunt quæ ideo obligant quia ità constituta sunt.

Et judicia mea] משפט [*judicia*] sunt ea quæ naturalem in se æquitatem continent.

Quæ faciens homo vivet in eis] Vitam longam ac felicem, quæ promissa Legem implentibus. Chaldæus hæc & alia ad vitam æternam refert: nimirum quia eam sperabant, non tamen ex Legis pacto.

12. *Insuper & Sabbata mea dedi eis*] Id est, legem de quiete observanda in Sabbatis.

Ut essent signum inter me & eos] Ut hac etiam re à populis aliis discriminarentur, ad quos aliqua quidem Sabbati traditio pervenerat, sed non cum illa quietis lege, ut diximus ad librum v. de Veritate Religionis Christianæ.

Et scirent quia ego Dominus sanctificans eos] Ut die Sabbati convenirent, & mea in se beneficia prædicarent.

13. *Irritaverunt me domus Israël in deserto*] Non in Ægypto tantùm, sed etiam cùm jam educti essent, & sæpius & multis modis me irritarunt.

15. *Levavi manum meam super eos in deserto*] Contra eos juravi. Vide Psalm xcv. 11.

16. *Post idola enim cor eorum gradiebatur*] Maximè in terra Madian, Numer. xxv.

17. *Nec consumpsi eos in deserto*] Id est, gentem totam non exstinxi.

21. *Et exacerbaverunt me filii*] Etiam filii. Referendum hoc ad Judicum tempora.

22. *Averti autem manum meam*] Continui me nè eos perderem.

23. *Iterum levavi manum meam in eos in solitudine*] *Atqui adhuc in deserto illis juraveram*: nempe minas graves illis denuntiaveram, si Legem spernerent, Deuteronomii xi. xxviii.

25. *Et ego dedi eis præcepta non bona, & judicia in quibus non vivent*] Mentem ipsis ademi: ità ut, meis legibus contemptis, ipsi sibi leges facerent duras atque mortiferas. Ità Chaldæus hîc.

26. *Et pollui eos in muneribus suis*] Permisi ut sacrilega sacra facerent.

Cùm offerrent omne quod aperit vulvam] Ego primogenitos redimi volueram: illi sibi imposuerunt ut Molocho eos ad mortem offerrent.

Propter delicta sua] Hoc ità direxi, ut appareret quàm bono Deo deserto quàm malos sibi ipsi adsciscerent.

Adhuc & in hoc blasphemaverunt me patres] *Adhuc amplius probris me affecere.* Etiam qui diis Gentium sacra non fecere, mihi sacra fecerunt in locis vetitis.

28. *Viderunt omnem collem excelsum*] Placuerunt eis colles isti, Esaiæ lvii. 7.

Et posuerunt ibi odorem suavitatis suæ] Suffitus ex aromatis fecere.

29. *Et dixi ad eos: Quid est excelsum ad quod vos ingredimini?*] In Hebræo, בכרה [*eminentia*]. Sic autem gentes vicinæ vocabant suas aras: unde & Græcum βωμοί. Cur illuc potiùs itis quàm in Templum meum? quid in eo videtis eximii? Hæc per Prophetas eos sæpe monui.

Et vocatum est nomen ejus Excelsum usque ad hanc diem] *Attamen adhuc hodie* במה *dicitur*: Id est, manet & mos, & ipsum vocabulum à profanis gentibus desumtum, cùm ego altare mihi sacratum מזבח [*locum ad sacrificia*] appellaverim.

31. *Cùm traducitis filios vestros per ignem*] Lustratis eos: qui mos in locum combustionis successerat.

Et ego respondebo vobis] Consilium dabo.

32. *Erimus sicut gentes, & sicut cognationes terræ*] Similitudine cultûs commendati tranquilliùs & amiciùs cum ipsis vivemus.

34. *Educam vos de populis, & congregabo vos de terris, in quibus dispersi estis*] Educam vos longè ab illis quibus nunc permixti vivitis, & quorum exempla imitamini; à Phœnicibus, Ammonitis, Moabitis, quorum fines attingitis.

35. *Et adducam vos in desertum populorum*] Ducam vos in loca à populis deserta, ut suprà xix. 13.

Et judicabor vobiscum ibi facie ad faciem] Efficiam ut appareat me hæc justè fecisse.

36. *In deserto terræ Ægypti*] Attingente Ægyptum.

37. *Et subjiciam vos sceptro meo, & inducam vos in vinculis fœderis*] Nempe auferendo malos, paucos sanabiles relinquendo.

38. *De terra incolatûs eorum*] Ubi ad tempus habitant: de Judæa scilicet, quam ipsi in perpetuum sibi mansuram fuisse gloriabantur.

Et in terram Israël non ingredientur] Illi impii domum non redibunt.

39. *Singuli post idola vestra ambulate, & servite eis*] Apertè potiùs estote idololatræ quàm ut cultum meum, qui purus esse debet, cum profanarum gentium ritibus misceatis.

Quòd si & in hoc non audieritis me, & nomen meum sanctum pollueritis ultrà in muneribus vestris, & in idolis vestris] Ex Hebræo vertas optimè: *Tunc enim planè me non audietis, neque polluetis ultrà nomen meum sanctum per munera & marmora vestra.* Id est, si id faciatis, ostendetis planè vos ad me non pertinere, neque nomen meum injustè usurpabitis, offerendo oblationes non legitimas in aris istis marmoreis exemplo Gentium fabricatis.

40. *In monte sancto meo, in monte excelso Israel, ait Dominus Deus, ibi serviet mihi domus Israel*] Id est, servire debet. Si quis mihi offerre quid velit, in Templo ad id à me electo id facere debet.

Omnes, inquam, in terra in qua placebunt mihi] Verte: *Omnes*, inquam, *qui sunt in ipsa terra, ibi illa* (quæ offerent) *grata habebo*, non alibi.

Et ibi quæram primitias vestras] *Approbabo oblationes vestras.* Est enim תרומה [*exaltatio*] vox generalis ad omnia quæ offeruntur pertinens: eximiè de Decimis dicitur.

Et initium decimarum vestrarum] In Hebræo: *Initium elevationum vestrarum.* Id est, initium fructuum quos de terra tollitis, primitias, Exod. xxii. 29. xxiii. 19. Deuteronomii xxvi. 2.

In omnibus sanctificationibus vestris in odorem suavitatis suscipiam vos] Id est, omnia sacrificia vestra mihi erunt grata. Loquendi genus quale Geneseos viii. 21.

41. *Cùm eduxero vos de populis*] Novus sensus incipit, *Ubi vos reduxero ab exsilio.*

Et sanctificabor in vobis in oculis nationum] *Et* pro *tunc.* Tunc fiet ut populi omnes meas vires, quas in vobis reducendis ostenderim, agnoscant.

44. *Scietis quia ego Dominus*] יהוה memor promissorum quæ feci Abrahamo, Isaaco, & Jacobo.

Propter nomen meum] Vide suprà 9.

Et non secundùm vias vestras malas, neque secundùm scelera vestra pessima] Quæ nunc in illa terra viventes admittitis, suprà xvi. 61.

46. *Pone faciem tuam contra viam Austri*] Hic debuerat initium poni sequentis capitis: nam illa quæ nos habemus xxi. 1. nudam expositionem horum verborum continent. Prophetæ agenti ad Chaboram Judæa partim erat ad Meridiem. Prophetæ de quibus vaticinaturi erant ad eos se vertebant.

Stilla ad Africum] Id est, *vaticinare*, ut hic habet Chaldæus. Sic & Amos vii. 16. Michææ ii. 6. Prophetia de cœlo venit, ut imber.

47. *Saltui Meridiano*] Nemorosa enim Judæa.

Ecce ego succendam in te ignem] Hierosolymis, & in oppidis aliis, villisque. *Ignis* hîc non incendium tantùm significat, sed omne quod absumit, ut suprà xix. 12.

Et comburam in te omne lignum viride, & omne lignum aridum] In Hebræo: *Devorabit in te*: id est, efficiet nè compareant aut boni aut mali. Vide xxi. 3. 4.

Non exstinguetur flamma succensionis] Non cessabunt immissa mala nisi peractis quæ volo. Vide xxi. 5.

Et comburetur in ea omnis facies ab Austro usque ad Aquilonem] *Omnis homo*: id est, multi ubique locorum, ab uno fine ad alterum.

49. *Ipsi dicunt de me*] *Dicent de me*, si hæc ipsis eo modo enuntiaverim.

Numquid non per parabolas loquitur iste?] Id est, Nonne iste homo semper est perplexiloquus?

CAP. XXI.

MUNSTERUS.

3. E*Ducam gladium meum*] Explanatur hîc quid per præcedentem significetur parabolam. Sed quomodo referuntur hîc etiam *justi* perdendi? Dicendum quòd loquitur de justis illis qui sibi justi videbantur.

7. *Genua fluent aquis*] Hebraismus est pro *mejere ex supervenientе terrore.* Alii accipiunt pro *leniter incedere more aquarum.*

10. *Lætabimur igitur*] Sensus est, Nequaquam gaudendum quasi gladius stringendus sit in hostes, cùm magis *in tribum* Jehuda *filii mei* sæviturus sit. Potest etiam שבט verti pro *sceptro & virga regia*, refertúrque מואסת ad *gladium.*

16. *Secede*] Vel, *ad unum latus te constitute*, *ad dexteram vel ad sinistram.* Et dirigitur sermo ad Gladium.

21. *Divinationem quærens*] *Stabat* Nebuchadnezzar dubius *in bivio* quam ex duabus viis eligeret, & ob id sortem mittit, & ex *micantibus telis* oraculum quærit, *imagines* Theraphim consulit, atque exsta *inspicit*; & deprehendit omnes *divinationes* declinare *ad dexteram*, versùs partem scilicet urbis *Jerosolymitanæ*, monentes eum *ut ponat arietes*, h. e. machinas per quas quassantur muri & portæ, *aperiat os* & exhortetur milites

milites *ad cædem* nè ulli parcerent, *elevarent vocem*, & clamore ſuo obſeſſos terrerent, &c.

23, 24, 25. *Quaſi qui in vanum divinet*] Jehudæi per falſos Prophetas ſeducti contempſerunt conatum Babyloniorum, dicentes auguria iſta *vana* eſſe, quódque Chaldæi eis *juramento* eſſent aſtricti, quibus tamen ipſi fidem non ſervaverant. Quapropter Nebuchadnæzar *in memoriam revocans* violatam fidem, extimulatus eſt in perniciem eorum; præſertim cùm Deus jam diſpoſuiſſet eos punire quòd omnem pudorem peccandi abjeciſſent. ¶ Per *impium ducem* & *interfectione dignum* intelligitur Zidkija Rex Jehuda.

26. *Tolle cidarim*] Kimhi hîc notat הסר legendum pro הסיר, h. e. futurum pro infinitivo. Idem ſentiendem de aliis verbis mox ſequentibus. Intelligitur autem per *ablationem cidaris & coronæ* deſtructio Regni. ¶ *Hæc non ſit hæc*] i. Hæc corona intercidet, ut ampliùs non ſit quæ fuit; ſed *ſuperbam humiliabo*, & *humile* Chriſti Regnum *ſublimabo*. Superbam, inquit, coronam *ponam perverſam*, ut nemo poſthac eam rectè & legitimè imponat. Habuit enim Jehuda poſt captivitatem Babylonicam multos & diverſos dominos; Perſas, Græcos, Machabæos & Romanos, qui omnes illegitimè ſibi coronam Regni uſurparunt. Nullius igitur erat hæc corona niſi illius cui debebatur, & cui *Pater dedit poteſtatem faciendi judicium.*

29. *Cùm proſpiciunt tibi vana*] i. Interim quò te decipiunt divinatores tui, paratur & evaginatur gladius contra te, *ut ponaris cum interfectis*, *& finem accipiat iniquitas tua.*

V A T A B L U S.

1. D*Icendo* לאמר] i. In hunc modum, vel in hanc ſententiam.

2. *Et ſtilla* והטף] Vide c. 20. 46. Explicat parabolam præcedentem quâ calamitatem Jeruſalem prædicebat. ¶ *Sanctuaria* מקדשים] Quare plurali numero dicat *Sanctuaria* vide Pſal. 68. 36.

4. *Succiderim*, &c. 'והכרתי וגו] Sub. vicini lætati ſunt, idcirco & illos quoque affligam.

5. *Non revertetur* לא תשוב] Sub. *in vaginam ſuam donec fecerit voluntatem meam.*

6. *Ingemiſce* האנח] *Suſpira.* ¶ *Ingemiſce* תאנח] Fut. Heb. pro imp. *ſuſpira.*

7. *Rumorem* שמועה] Ad verb. *auditum*, ſub. *adventûs maximi exercitûs contra hanc urbem.* ¶ *Et liqueſiet*, &c. 'ונמס כל לב וגו] *Et diſſolvetur animus omnium*, *& remiſſa erunt*, vel *debiles erunt.* ¶ *Anguſtiiſque afficietur* וכהתה] *Concidetque*, vel *debilitabitur*, aut *langueſcet.* Ad verb. *rugabitur.* ¶ *Ibunt* tanquam *aqua* תלכנה מים] i. Trement inſtar aquæ exagitatæ vento. Alii, *fluent aquis*, i. perfundentur ſudore vel lotio præ metu & trepidatione. Alii, *vertentur in aquam*, præ ſudore ſcilicet ex trepidatione proveniente.

9. *Gladius* חרב] Sub. *hoſtilis.* ¶ *Limâ terſus* מרוטה] *Deterſus: expolitus.*

10. *Ut juguletvictimas* למען טבח טבח] Ad verb. *Ut victimet victimam*, vel *ut cædat cædem*, i. ad cædem faciendam. Verbo adjunxit ſuum verbale, ad rem vehementiùs exprimendam; ut *jejunare jejunium*, *prævaricari prævaricationem*, *avarè ſectari avaritiam.* ¶ *Ut ſit ei ſplendor* למען היה לה ברק] i. Ut ſplendore ſuo ac fulgore perſtringat. Solet enim ſplendor enſis politi terrere hoſtes. ¶ *Quomodo*, &c. 'או וגו] Locus conciſus, ideo obſcurus; quem nonnulli ſic vertunt, *Quomodo gaudebimus?* quandoquidem gladius iſte exacutus paratus eſt ut cædat & exterminet *tribum filii mei* [i. Iſraelis,] *& ſpernat* [*aſpernetur*] *omnem* aliam *arborem*, i. omnes alias arbores: h. e. parcat aliis gentibus. Verba ſunt hominis animo perturbati: ideo oratio eſt conciſa ac imperfecta. Vocat autem Propheta Iſraelem *filium ſuum* quòd ageret Doctorem apud eos. Diſcipuli enim dicuntur *filii* Doctoris ſui. Alii, *lætabimur igitur?* contra *tribum filii mei* egreſſus eſt, *reprobans omne lignum.* Senſus eſt, Nequaquam gaudendum, quaſi gladius ſtringendus ſit in hoſtes, cùm magis in tribum Juda filii mei ſæviturus ſit. Poteſt etiam שבט verti pro *ſceptro* & *virga regia*: refertùrque מואסת ad חרב etiam femininum. Alii, *an gaudebimus? contra virgam filii mei eſt*, *quæ ſpernit omne lignum.* Hoc modo אם pro *Si* poſitum, & שבט maſculeum erit femineum, quòd pro מלכות femineo ponatur, h. e. *regno*: ut *virgam* vocet Regnum Judæ. Hinc alii vertunt interrogativè, *Virga filii mei ſpernet omne lignum?* i. tribus Juda ſpernet alios?

11. *Et tradidit* ויתן] Sub. *Deus.* ¶ *Ad tergendum* למרטה] *Ad poliendum.* ¶ *Ad tenendum manu* לתפש בכף] *Ut manu teneatur*, ſub. *ab hoſte*, ut paratus ſit ad feriendum.

12. *Iſte* הוא] Sub. *ſtringetur.*

13. *Probatio* בחן] In *probationem*, ſub. *erit iſte gladius*: i. Deus mittet gladium iſtum ad probandum ſuum populum an malis iſtis reſipiſcat: q. d. Immittet gladium populo ſuo, ut hâc ratione eum probet. ¶ *Quid ſi etiam*, &c. 'ומה אם גם שבט וגו] Doctus inter Hebræos exponit, *Et quid erit hæc probatio*, *ſi etiam tribum filiorum meorum reprobaveris*, *excidendo illam*, *quemadmodum reprobatur omne lignum?* Alii, *Et quid* accidet, *ſi etiam tribum* Iſrael *ſpernat* gladius? [i. non feriat] *non erit* ulla tunc probatio? *dicit Dominus Jehovah.* Quid ſi, inquit, Dominus nolet affligere populum ſuum gladio, ut nec alias gentes? hoc pacto nullâ re probaret populum ſuum, nec invitaret ad reſipiſcentiam. Omnino autem accidet ut percutiatur populus iſte, ut hoc pacto probetur an velit reſipiſcere, ſimúlque invitetur ad reſipiſcentiam? Alii, *& quid ſi virga reprobans non eſſet*, *dicit*, &c. Alii, *& qualis eſſet* populus *ſi virga reprobantis* gladii *non eſſet*, *dicit Dominus?* Alii, *& quid ſi rejiciens virgam* ſit? *non erit* ultrà, *dicit Dominus Jehova.*

14. *Tertiò* שלישתה] Ad verb. *tertiâ*, ſub. *vice*, i. tribus vicibus. ¶ *Interfectorum* חללים] i. quo multi interficientur. ¶ *Occiſorum magnorum* חלל הגדול] Ad verb. *occiſi magni.* Singul. pro plur. *occiſorum magnorum*, i. quo interficientur magnates & viri Principes: *quia*, inquit doctus inter Hebræos, *per eum Nabuchodonoſorem ceciderunt Reges & Principes.* Alii, *occiſorum multorum.* ¶ *Qui percutiet eos in penetralibus* החודרת להם] Ad verb. *penetrans eos*, ſi Latinè dici poſſet: ab חדר, quod *cubiculum*, *adytum*, & *penetrale domûs* ſignificat: q. d. qui cædet ſive interficiet eos etiam deliteſcentes in penetralibus & cubiculis domorum ſuarum. Alii vertunt, *qui delituit illis*, i. fuit illis hactenus incognitus.

15. *Ut liqueſiat* למען למוג] *Diſſolvatur*, i. ut tabeſcat animus. ¶ *Offendicula* והמכשלים] *Ruina.* ¶ *Factus eſt* עשויה] i. Aptatus & præparatus gladius iſte. ¶ *Ad fulgorem* לברק] i. Ut ſplendore ſuo terreat. ¶ *Amictus eſt ad jugulationem* מעטה לטבח] i. Inſertus & conditus capulo aut manubrio, ut teneri poſſit. Vel *amictus*, i. occultatus hactenus: retectus autem & prolatus, *ad jugulationem.* Doctus inter Hebræos exponens *Exacutus*, dicit hoc tantùm loco in Bibliis reperiri in hac ſignificatione.

16. *Seorſum eſto*, &c. 'התאחדי הימיני וגו] Ad verb. *Uni te* (ſi dici poſſet) *dextrate*, *pone*, *ſiniſtrate*, *quò facies tua conſtituta eſt*: i. *Verte te ad locum unum ſeorſum* [ſive *uno in latere conſiſte*] *ad dexteram concede*, *pone* faciem tuam ad Aquilonem, aut *ad ſiniſtram concede*, *quò facies tua conſtituta*, ſive *præparata*, *eſt.* Propheta videtur videre enſem ſeſe modò ad dexteram, modò ad ſiniſtram partem moventem: propterea dicit, *Conſiſte uno in latere*, *ſive dextro*, *ſive ſiniſtro*: *quare facies tua modò ad ſiniſtram*, *modò ad dexteram convertitur?*

17. *Percutiam*, &c. 'אכה כפי אל כפי] i. Complodam manus meas, ut te antea juſſeram complodere in ſignum triſtitiæ & planctûs: video enim faciem gladii converſam eſſe ad Jeruſalem.

19. *Pone* שים] i. Deſigna, deſcribe, conſtitue, ſub. *in una tabella*, *lapide*, aut *terra.* ¶ *Ut veniat* לבוא] i. Per quas veniat exercitus armatus. Explicat parabolam præcedentem de excidio Jeruſalem ſub Sedecia. ¶ *In capite*, &c. בראש דרך עיר ברא] Sing. Heb. pro plur. *initio viarum urbium*, i. quæ ducunt ad urbes, *Rabbath* ſcilicet metropolin *Ammonitarum*, & *Jeruſalem.* Scipſum ſeq. verſu declarat.

20. *Ut veniat* לבוא] *Quâ veniat gladius*, i. exercitus Regis Babylonis. ¶ *Et ad Jehudah*, &c. 'ואת יהודה וגו] *Et ad Jehudah*, i. Judæos qui habitant *in Jeruſalaim urbe munita.*

21. *Ut divinet divinationem* לקסם קסם] i. Ut divinando exquirat, vel ut ſortiatur, quanam viâ ſit ſibi veniendum. ¶ *Terſit ſagittas* קלקל בחצים] *Polivit* [*expolivit*] *tela*, i. ferrum telorum ut ſplendeant, in eóque ſplendore tanquam in ſpeculo cernant divinatores; ut aſpicere ſolent in ungue pollicis manûs ſplendente. Alii vertunt *jecit ſagittas*, ac volare fecit in aere, ut videret in quam partem caderent, ut verſûs eam dirigeret exercitum. Ità & Chald. P. tranſtulit. ¶ *Interrogavit imagines* שאל בתרפים] *Conſuluit Therapim*, i. Idola. Erant imagines quarum operâ videbant futura.

22. *In dextera*, &c. בימינו היה הקסם] i. Sors cecidit ad dextram partem ejus, quâ quidem parte ſita erat Jeruſalem: h. e. divinationibus ſuis deprehendit ſibi veniendum eſſe in Jeruſalem, ità diſponente Domino & convertente animum ejus. ¶ *Duces* כרים] Quidam vertunt *arietes*: quod minùs loco congruit: nam mox ſequitur, *ut ponant arietes.* ¶ *Ut aperiant os*, &c. 'לפתח פה וגו] Hebraiſmus, ut hortentur ſuos ad cædendum hoſtes. ¶ *Ut elevent*, &c. להרים קול בתרועה] Hebraiſmus, ut excitent clamorem ac tumultum magnum, ut terreant

terreant hostes suos. ¶ *Ut fundant aggerem*, &c. לשפך כוללה וגו'] Vide suprà 4. 2. & 17. 17.

23. *Quasi qui falsa*, &c. כקסם שוא] Ad verb. *secundùm divinare mendacium* [vel *falsum*,] &c. *jurantes juramenta eis*. Quidam vertunt, *quasi qui in vanum divinet*, *coram oculis eorum*, ut quibus *juramenta multa* fecerint. Alii, *Et istis fuit velut vana quadam divinatio: nam juramenta juramentorum eis:* i. ut exponit doctus inter Hebræos, *In oculis Israel erit divinatio Nabuchodonosor tanquam divinatio frustratoria; quia sperant in verbis Prophetarum mendacium, spem eis facientium, in spémque eos erigentium, civitatem non tradendam in manus Regis Babel: q. d. Jerosolymitani non credent Chaldæos venturos ut se oppugnent, cum quibus adhibito juramento jam inierint fœdus: vel, Chaldæi non putabunt neque credent se debere oppugnare Jerosolymitanos, cum quibus inierint fœdus cum confirmatione juramenti. Judæi per falsos Prophetas seducti contempserunt conatum Babyloniorum, dicentes auguria ista esse vana, quódque Chaldæi eis essent juramento astricti, quibus tamen ipsi fidem non servaverant. Quapropter Nabuchodonosor in memoriam revocans violatam fidem, exstimulatus est in perniciem eorum; præsertim cùm Deus jam constituisset eos punire quòd omnem pudorem peccandi abjecissent.* ¶ *Iniquitatem* עון] Significat perfidiam Sedeciæ, qui fidem datam Nabuchodonosori, nomine Domini interposito, violarat: quod perjurium causa fuit expugnationis urbis Jerusalem.

24. Et *conspecta sunt* להראות] *Innotuerunt*; *conspicua facta sunt:* infinitivi pro præteritis. ¶ *In memoriam venistis* הזכרכם] Sub. *mihi Deo vestro:* q. d. Quia non fecistis finem peccandi, efficiam ut veniatis in potestatem hostium vestrorum. ¶ *Manu capiemini* בכף תתפשו] Sub. *Regis Nabuchodonosor*, ut præcedenti versu.

25. *Profane* חלל] *Interficiende*, i. dignus qui interficiaris. Hanc dictionem habes v. 14. Docet quæ mala acciderint Sedeciæ quòd violasset nomen Domini per quod juraverat. ¶ *Tempore*, &c. בעת עון קץ] Ad verb. *tempore iniquitatis finis*. Hebraismus, tempore quo iniquitas tua erit causa finis [sive interitus] Regni tui & vitæ.

26. *Auferam* הסיר] Infinit. Heb. pro fut. sub. *tibi & populo tuo*. Quidam per imperativum vertunt, *Aufer*, *Tolle:* obscuriùs tamen. ¶ *Cidarim* המצנפת] Significat dignitatem Sacerdotalem ac Pontificalem. Josedec enim abiit in captivitatem cum Sedecia. Malè Chaldæus P. intelligit de Saraia. ¶ *Et tollam coronam* והרים העטרה] Infinit. similiter Heb. pro fut. i. privabo te dignitate Regiâ. ¶ *Hac* quæ modò est, &c. זאת לא זאת] Ad verb. *Hac*, *non ista:* i. hæc dignitas Regia quæ nunc est, non erit semper eadem: h. e. Regnum transferetur à te & tuis ad alios. ¶ *Humilem sublevabo* השפלה הגבה] *Depressum exaltabo*, vel *abjectum extollam*. Ad verb. *exaltare*. Infinit. pro fut. Quidam *exaltabit*. *Humilem*, Jechoniam intelligit qui tunc depressus est. ¶ *Et superbum humiliabo* והגבה השפיל] *Et altum deprimam:* vel, *& sublimem dejiciam*. Sedeciam intelligit.

27. *Subversionem*, &c. עוה עוה וגו'] Hebraismus, efficiam ut hæc dignitas Regia longo tempore imminuatur, nempe per tres generationes, usque ad quartam generationem; in qua reversa est ad priorem dignitatem. Alii vertunt, *Perversionem, perversionem, perversionem ponam eam*; vel, ut alii, *Obliquam, obliquam, obliquam ponam eam*, quasi non sit in sua rectitudine, h. e. in suo ac debito statu ac pristino splendore. ¶ *Non fuit* לא היה] i. Non accidit; non evenit: q. d. Hæc dignitas Regia non fuit usque adeo imminuta donec venit is cui competebat justo Dei judicio exercere judicium in Israelem, & illum affligere, h. e. donec venit Nabuchodonosor. Alii meliùs de Christo intelligunt, usque ad cujus adventum sceptrum Judæorum, quantumvis sæpius confractum penitus videretur, conservatum fuit ut illi traderetur. Vide Gen. 49. 10.

28. *Ad filios* אל בני] *De filiis*, vel *super filios*, i. super Ammonitas. ¶ *Et opprobrium eorum* ואל חרפתם] *Et de ignominia eorum*, quâ scilicet affecerunt Israelem, cùm affligeretur à Nabuchodonosor. ¶ *Gladius, gladius* חרב חרב] i. Multiplex gladius, quo scilicet percussi Israelem. ¶ *Ut consumat*, &c. להכיל למען ברק] *Ut devoret propterea quòd* sit ei *fulgor*, ad terrendos scilicet hostes. In hac significatione est à radice אכל. Alii à radice כול vertunt *ad sustinendum*, vel *ut ferre possit*, i. ut sufficiat multis interficiendis.

29. *Interim dum vident*, &c. בחזות לך שוא] Ad verb. *In videndo tibi vanum*. Quidam vertunt, *Cùm viderint tibi vanum, cùm divinarint tibi mendacium*, &c. i. cùm vaticinati fuerint in gratiam tuam prophetias vanas & falsas: q. d. Cùm vixeritis in maximo otio & summa securitate animi, tunc puniemini vos quoque propter peccata vestra, ut Israel punitus est propter sua. ¶ *Quorum venit*, &c. אשר בא וגו'] Eadem verba quæ v. 25.

30. *Reducam* השב] Infinit. Heb. pro fut. ut annotat doctus inter Hebræos, & cum interrogatione, sive admiratione legendum. ¶ *In loco in quo*, &c. במקום וגו'] i. In loco in quo videmini creati, & in regione in qua semper habitastis, justo judicio sumam pœnas de vobis.

31. *Ignem furoris mei*, &c. באש עברתי וגו'] *Ignem indignationis meæ sufflabo in te*, i. succendam, ut sufflant ignem ad succendendum eum. *Ignem furoris* vocat furorem similem igni. ¶ *Insipientium* בערים] *Stultorum*. Alii, *temerariorum*. Alii, *urentium*, i. perdentium omnia. ¶ *Artificum destructionis* חרשי משחית] *Fabricatorum interitûs*, vel *perditionis*, i. peritorum perdendi. Alii, *fabricantium perditionem*.

32. *Igni eris*, &c. לאש תהיה לאכלה] i. Absumêris incendio, peribis & gladio, nec ulli ultrà venies in mentem: peribit enim tui memoria.

CASTALIO.

2. PErfunde Notum, *ac in Meridiani agri silvam vaticinare, & Meridiana silvæ dicito*] Vaticinare in Israelitarum terram, hominum alumnam, ut est silva arborum, quæ Babyloniæ (in qua hæc dicuntur) est à Meridie.

14. *Scilicet latemur*] Obscurissimus est totus hic locus usque ad finem capitis. Jussus erat paulò antè Vates *ingemiscere*, & gemendi rationem reddere. Mirum ni lætemur. Quæritis, ô Israelitæ, cur ingemiscam? Quasi verò *gaudendi* causam habeamus, ac non dolendi, cùm *mei nati sceptrum omne lignum repudiet*, h. e. nullum inveniat lignum ex quo fieri possit, h. e. cùm meo nato sceptrum & Imperium auferatur, ut postea declarabitur. Vocat autem *suum natum* Israelitam, non quia sit ipse Vates pater Israelitarum, sed est imitatio loquentis Dei, qui vocat Israelitas *suos natos*. Qualis loquendi modus est & in Cantico, cap. 7. & in Gallico sermone, & in Italico, cùm *Monsieur* & *Monseigneur*, *Misser* & *Mon signor* dicunt, h. e. *Meus dominus*, quamvis de alienis dominis loquantur: quemadmodum magistros vulgò *Magistros nostros* appellamus, quamvis nihil minùs quam nostros. Auferetur autem sceptrum Israelitis *acuto* Dei *gladio*, *quem tradet interfectori*; h. e. Deus id auferet per Babyloniæ Regem, cui ejus rei potestatem tradet: Quæ res est digna propter quam *ejuletur & femora pulsentur*: quod fieri solebat etiam apud Græcos in rebus tristibus, ut apud Homerum Achilles, viso navis incendio,

Cum femorum planctu Patroclo talia fatur.

Quæritur ex quo ligno sceptrum fieri possit: est enim exploratio, quis possit esse Rex Israelitarum. Nemo invenitur: aufertur Israelitis Regnum. Quanquam etiamsi *sceptrum* non *repudiaret*, scilicet *omne lignum*, h. e. si maneret Rex aliquis, nihil tamen proficeret, neque malum impendens vitare posset.

16. *Alterutrum facito, aut ad dexteram te aut ad sinistram compone*] Regis Babyloniæ gladium alloquitur.

17. *Ego quoque manus meas complodam*] Increpantis est. ¶ *Meámque bilem sedabo*] Totam supplicio consumam.

23. *Sed iis videtur vanum auspicium, quibus juratum jusjurandum est*] Judæis, qui Nabuchodonosori jurarunt. ¶ *Ipse crimen recolit, ut capiatur*] Sedecias de perjurio sese jactat; quæ res in causa erit ut capiatur.

25, &c. *Tu verò, ô rei capitalis damnate*] Tu, Sedecia, qui *capitale crimen* commisisti, *cujus* supplicii *dies venit*, *postquam crimen peregisti* (nam ante perfectum crimen non soleo punire) *detrahe cidarim*, h. e. Regno privaberis. *Et quod est non erit, & quod non est erit:* fiet tanta rerum mutatio ut *humilia extollantur*, & contrà. Qui nunc regnant, privabuntur Regno; qui verò erit *humilis*, is regnabit, videlicet Christus. Nam quod ad istam *coronam* attinet, *eam ego ad nihilum redigam prorsus*, (hoc enim significat tertiatum verbum: eadémque est sententia quæ suprà declarata est, *sceptrum omne lignum repudiat*) sed id nondum fiet. Licèt enim Babylonis Rex vos servitute premat, redibit tamen Regnum post captivitatem, ut non sublatum sed interpellatum esse videatur: nè me putetis idem verbum ter ponentem de hac interpellatione loqui. *Sed id fiet cùm venerit is cujus erit judicium*, videlicet Christus, de quo moriens Jacobus vaticinatur, *Judæis sceptrum non defore donec veniat Sospitator.*

29. *Dum tibi vana prædicuntur, dum tibi falsa divinantur*] Alloquitur Ammonitidem regionem. ¶ *Ut ponare cum cervicibus damnatorum rei capitalis*] Puniaris ut Sedecias.

CLARIUS.

2. STilla ad sanctuaria] *Sanctuaria* dicit plurali numero, ut videtur, ut Templum utrumque, illud prius, & hoc poste.

posterius, vastandum significet. Nam dictio Hebræa quæ *sanctuarium* significat, pro toto *Templo* ferè accipitur & pro partibus ejus omnibus.

3. *Justum & impium*] *Justum* accipe eum qui sibimet justus videtur.

7. *Et cuncta genua*] Potest etiam verti *& cuncta genua fluent aquis*, ut sit Hebraismus pro *mejere ex supervenienti terrore*.

10. *Quomodo gaudere poterimus*] Ut sint verba Prophetæ, & respondeat illi quod dixit paulò antè, *& tu, fili hominis, ingemisce*: q. d. Prorsus ingemiscendum est, non gaudendum quasi gladius stringendus sit in hostes; cùm magis *in tribum* Juda *filii mei* sæviturus sit.

13. *Et quid erit si etiam tribum non abjecerit?*] Gladius, inquit, hic explorat omnia: & quid non futurum credetur reliquis nationibus, postquam *tribus* sive *cognationis filii sui omnem arborem*, sive *lignum perdidit*? hoc est quod principio dixit, *se perditurum justum & impium*.

15. *Heu limatus est*] Prophetæ vox: Hei mihi quàm vibrante acie micat gladius!

16. *Secede & vade*] Gladium alloquitur. Vis belli tota in unum coeat locum, aut excurrat *ad dextram* partem, *aut ad sinistram*, *quocunque* scilicet Dominus eum miserit.

20. *Rabath*] Est, ait Hieronymus, *civitas metropolis, & hodie Philadelphia nominatur*.

21. *Divinationem quærens*] Tria genera divinationum ponit quibus oraculum Regem cepisse Propheta facit super bello ordiendo. Primum est βελομαντία vel ῥαβδομαντία. Tela inscripta nominibus in quæstionem positis reponebantur & permiscebantur in pharetra. Quæ prior extrahebatur, pro ejus inscripto nomine omen esse credebatur. Verùm quia hìc dicitur *levigavit* & *expolivit*, putatur potiùs hoc fuisse vaticinandi genus, Ut in micantibus ferramentis telorum viderint quæ rogabantur divini, ut in unguibus hominum nostrâ ætate sibi videntur videre. Alii rursus putant quòd sursum sagittas rectà jecerit, observaritque in utram partem descensu inclinarent. Alterum genus per *Imagunculas* superstitiosas, quæ de eventu rogatæ responderent. Quorum mentio crebra fit in Scripturis. Tertium per inspectionem *Exstorum* & *Jecinoris*; ut aruspices apud Ethnicos solent.

22. *Ut aperiat os*] h. e. Jubeat occidi.

23. *Eritque quasi consulens*] Hoc faciens, inquit, videbitur habitatoribus Jerusalem frustrà oraculum consulere. Nam Judæi seducti per falsos Prophetas contempserunt conatum Babyloniorum, dicentes auguria ista *vana* esse, quódque Chaldæi eis *juramento* essent astricti; quibus tamen ipsi fidem non servaverant. Quapropter Nabuchodonosor *in memoriam revocans violatam fidem* exstimulatus est in perniciem eorum.

24. *Pro eo quòd recordati estis*] Vel *palàm jactatis*.

25. *Tu autem profane*] Intelligit Sedechiam Regem Juda.

26. *Hæc non est hæc*] i. *Hæc* corona quam portas nunc *non est hæc*, h. e. hujus ampliùs Regni, sed alterius, Joachin videlicet, cujus filius fuit Zorobabel successor in Regno. *Humilem* ergò Joachin captum *sublevavit*, *& sublimem* Sedechiam *humiliavit*. Sed hoc propriè ad Christum pertinet. Nam si ad Judæos referas, quale illud erat Regnum cùm in captivitate esset populus, & post Babylonicam captivitatem nunquam fuerint ad plenum liberi? Hæc igitur corona Christi erat propria: nam ab illo tempore habuit Juda multos & diversos dominos, Persas, Græcos, Machabæos & Romanos, qui omnes illegitimè sibi coronam Regni usurparunt. Nullius igitur hæc erat corona nisi illius cui debebatur, & *cui Pater dedit potestatem faciendi judicii*.

27. *Iniquitatem*] i. Vastationem pœnam iniquitatis. ¶ *Et hoc non factum est*] Vel *non fiet*. Intelligit autem non funditus evertendam esse Jerusalem ante adventum Christi, *cujus est judicium*, vel *cujus est jure*, scilicet Regnum.

28. *Ad filios Ammon*] Nabuchodonosor Ammonitas non exstinxit: nam, vastatâ Jerusalem, exercitum Babylonem reduxit; & Ammon tributum ultro pependit, quo rebellionis culpa commitigata est. Tandem à Medis & Persis exstinguuntur. ¶ *Et ad opprobrium eorum*] h. e. Probra quæ jecerunt in Israelitas depopulatos ultus est Dominus. Sophonias, *Audivi opprobrium Moab & blasphemias Ammonitarum*.

29. *Cùm tibi viderentur vana*] Dum Prophetæ tui falsis te visionibus decipiunt, paratur & evaginatur gladius contra te, *ut ponaris cum interfectis*, & *finem accipiat iniquitas tua*.

30. *Revertetúrne*] Tanquam dicat, *Non*: si enim de meis supplicium sumpsi, túne à malo liberaberis? Ergò *in loco in quo creatus es*, *& in terra nativitatis tuæ judicabo te*, &c.

LUCAS BRUG.

19. ET *tu, fili hominis, pone tibi duas vias, ut veniat gladius regis Babylonis: de terra una egredientur ambo*] Sic codices plerique scribunt: nonnulli autem feminino genere legunt *ambæ*, quatuor manuscripti E, H, L, Pl. m. duo impressi, Compluti unus, Coloniæ alter anno 1529. utrumque Hugo Carensis exponit. Hebraicè est masculino genere שניהם: verùm id plerique Latinè feminino genere reddunt *ambæ*: omnino enim ad *vias*, quæ Hebraicè genere masculino vocantur דרכים, videtur respicere: siquidem nihil illud antecessit ad quod referri commodè possit. Certà D. Hieronymi enarratio, si consideratè legatur, ad *vias* refert; eodem Richelii, qui Hieronymum est secutus. Verba hujus sunt, *De terra una egredientur ambæ*; *i. Duæ hæ viæ à capite uno incipient, seu, uno itinere Chaldææ*. Lyranus & Carensis *ambo* subaudiunt, Rex Babylonius & ejus gladius vel exercitus.

30. *Revertere ad* [in 4. MS.] *vaginam tuam*, *in loco in* [O.] *quo creatus es, in terra* [*terram* O.] *nativitatis tuæ judicabo te*] Ex emendatioribus nostris manuscriptis, Brugense, Lobiense, E, L, *in loco* scribunt; O. & Q. *in* [*ad* Q.] *locum*. Vulgaria & his & illis non pauca concinunt. *In loco* si legatur, rectè sequentibus jungatur; *in locum* præcedentibus. Hebræa utrumque admittunt, præsertim ut Interpres ea legisse videtur. Hebræorum Magistri primam versûs partem hunc ad modum punctaverunt, הָשֵׁב אֶל תַּעְרָהּ, quod ad verbum Antverpienses interpretati sunt, *Reducendum ad vaginam suam*: Pagninus explicuit, *Nunquid reducam gladium in vaginam suam?* cui cùm id quod sequitur, *in locum in quo creatus es* commodè copulari nequeat, distinguente accentu Athnah ab eo separatum, atque ad alteram versûs partem relatum est. Porrò Interpres videtur, השב אל תערה legisse, verbum השב pro imperativo accepisse, literam ה dictionis תערה, non pronominis, sed femininæ terminationis loco habuisse, denique pronomen *tuam* subaudivisse, itáque vertisse, *Revertere ad vaginam tuam*: quo planè modò & LXXII senes transtulerunt, ἀπόστρεφε * εἰς [* μὴ O.] τὸν κολεὸν [κολεόν Gq.] σου *[καὶ μὴ καταλύσῃς Gq.] Hoc igitur Hebræa accepta modo ambigua sunt, ità ut במקום vel *in locum* verti possit, & præcedentibus copulari, vel *in loco*, & sequentibus necti. LXX *in loco* reddiderunt, & sequentibus conjunxerunt, ἐν τῷ τόπῳ τούτῳ ᾧ γεγέννησαι, ἐν τῇ γῇ τῇ ἰδίᾳ σου, κρινῶ σε. atque idem nostri Interpretis versioni Castigatores, Hentenius & Parisienses, attribuerunt. Atqui Glossematici, Carensis & Richelius, *in locum* præcedentibus junctum legunt atque exponunt; quibus D. Hieronymi enarratio adstipulatur, quæ hujusmodi est, *Revertere ad vaginam tuam, i. in Babylonem, ad locum in quo factus es & creatus: ut in terra nativitatis tuæ judicem te*. Video & in multis exemplaribus, atque adeò emendatioribus, quæ *in loco* scribunt, præcedentibus id interpungendi modo connexum.

DRUSIUS.

7. נְאֻם אֲדֹנָי יְהוִה. λέγει Κύριος ὁ Θεός, *dicit Dominus* DEUS] Priùs erat, καὶ ἔσαι, λέγει Ἀδωναὶ Κύριος, *& erit, dicit Adonai Dominus*. Καὶ ἔσαι ונהיתה. Hic notabis, nomen tetragrammaton ab omnibus non eodem modo lectum fuisse: nam est ubi reperiatur Κύριος, Κύριος. Qua de re dicam alias, si Deus volet.

12. מְגוּרֵי. *Hospites mei*, sive *habitatores*] Hier. *Rursum ubi nos diximus*, qui fugerant, gladio traditi sunt, *& illi* (Lxx) *& alii transtulerunt*, Hospites mei, *sive* habitatores. In aliquot cod. & apud Theodoretum, οἱ παροικοῦντές μοι, *qui habitant juxta me*. Santes ex Ebræo vertit *timores*.

13. כִּי בֹחַן. A. ὅτι ἠρεύνησεν, *quia scrutatus est*] Vel, *quia examinavit*.

19. בָּרֵא. In nonnullis libris ἑτοίμασαι κεντῆσαι] Quæ videntur duæ interpretationes esse. Sunt qui legant καὶ χεῖρα ἑτοίμασαι ἐν ἀρχῇ ὁδοῦ πόλεως. Ebræa sunt ויד ברא בראש דרך עיר, quæ Santes interpretatur, *& locum elige in caput viæ civitatis*. Vide Rom. ed.

21. קִלְקַל. Lxx τοῦ ἀναβράσαι, *ad faciendum ebullire*. Polychronius, ἀντὶ τοῦ ῥῖψαι βέλη· ταύτῃ γὰρ τῇ λέξει ἐχρήσατο καὶ ὁ Ἑβραῖος] Legerim ῥῖψαι· ut sensus sit, *ad jaciendum sagittas*.

23. שְׁבֻעֵי שְׁבֻעוֹת לָהֶם. Th. ἑβδομάζοντες ἑβδομάδας αὐτοῖς, *celebrantes hebdomadas eis*] Alibi est ἑβδομάζοντος, & in C. ἑβδομάζων. Cæterùm in Scholio quodam hæc tributa invenies Theodotioni, cujus autoritatem nunc secuti sumus.

25. וְאַתָּה חָלָל וגו׳. Sym. *Tu autem, profane, inique dux Israel, cujus venit dies in tempore iniquitatis constitutus*.

26. כֹּה אָמַר אֲדֹנָי וגו׳. *Hæc dicit Dominus* DEUS, *Abstulit cidarim, & tulit coronam: neque hoc, neque illud: humilem sublevabit, & sublimem humiliabit*.

27. עַוָּה עַוָּה עַוָּה וגו׳. *Iniquitatem, iniquitatem, iniquitatem, faciam*

faciam illud: & hoc non fuit iste, cujus judicium est, quem daturus sum] Hæc Hieronymus ex Symmacho, ad quem te adire cupio. ABSTULIT] הסיר. In Lxx ἀφεῖλες *abstulisti.* Sed in aliquo codice & apud Theodoretum ἀφελοῦ *aufer*, & ἀπῶθε *repelle.* TULIT] הרים. Nunc est הָרִים in Bibliis punctatis, quod reddes *tolle*, *leva*, *sustolle.* Lxx hîc habent ἐπῆθε. Sed in Theodoreto, ut diximus ἀπόθου. INIQUITATEM] Ἀδικίαν, quod in ed. Rom. ter legitur, cùm Hieronymus dicat à Lxx bis tantùm positum esse. Verba quibus hoc dicit hæc sunt; *Propterea non semel, nec juxta Lxx bis, sed tertiò iniquitatem ponam tibi in perpetuum.* Scire licet pleraque exemplaria hanc Hieronymi annotationem firmare, in quibus bis tantùm, ἀδικίαν, ἀδικίαν. NEQUE HOC, NEQUE ILLUD] Hier. *In eo loco ubi nos interpretati sumus*, nónne hæc est, *pulcrè transtulit Sym.* neque hoc, neque illud. *Quia enim dixerat*, Aufer cidarim, tolle coronam, *subjunxit*, neque hoc, neque illud; *i. Regnum cessabit & Sacerdotium. Unde qui postea, usque ad adventum Christi, Reges fuerunt pariter & Sacerdotes: quorum unus Hyrcanus Pontifex diadema capiti suo imposuit*, &c.

30. אֶל־תַּעְרָהּ. εἰς τὸν κολεὸν αὐτῆς *in vaginam suam.*

GROTIUS.

2. *Fili hominis pone faciem tuam ad Jerusalem*] Quæ sub allegoria proposuerat Deus, ea jam apertiùs & enucleatiùs explicat in Prophetæ gratiam, qui fore dicebat ut pro perplexiloquo haberetur.

Stilla ad sanctuaria] Ad tres partes Templi.

3. *Ejiciam gladium meum de vagina*] *Gladius* hîc idem quod modò *ignis*, omne quod absumit.

Et occidam in te justum & impium] In Hebræo est, *exscindam:* id est, *auferam* à terra, nempe bonos in exsilium mittendo, malos malè perdendo. Ità & hîc Chaldæus; quæ congruunt cum iis quæ ad initium capitis XVIII diximus. Confer & quæ suprà IX. 4. 6.

4. *Pro eo autem quod occidi in te justum & impium*] *Ut exscindam ex te justum & impium.*

6. *Ingemisce in contritione lumborum*] *Altum ingeme*, ut illi qui pleuritide laborant.

7. *Pro auditu*] Ob id quod futurum intelligo.

Tabescet omne cor] Linquet.

Et per cuncta genua fluent aquæ] Interpretare ut suprà VII. 17.

9. *Gladius, gladius, exacutus est & limatus*] *Exacutus est & tersus.* Gladius Chaldæorum & Ammonitarum. Ità hîc Chaldæus.

10. *Ut cadat victimas exacutus est*] In Hebræo, *Ut mactet mactandos.* Miles apud Plautum:

Ego hanc macharam mihi consolari volo,
Ne lamentetur, néve animum despondeat,
Quia se jampridem feriatam gestitem,
Quæ miserè gestit fartum facere ex hostibus.

Ut splendeat limatus est] Tersus est:

Ut ubi usus veniat contrà consertâ manu
Oculorum præstringat aciem in acie hostibus.

Qui moves sceptrum filii mei, succidisti omne lignum] Mira verba, in quibus mirè se torquent Interpretes. Lxx aliter legisse apparet, nimirum, nî fallor, אל כשיל זכה בם מאסת כל עץ: vertunt enim ἑτοίμη εἰς παράλυσιν· σφάζε, ἐξουθένει, ἀπόθου πᾶν ξύλον. [*parata* (machæra) *ad dissolutionem; occide, contemne, dejice omne lignum*]. Priora illa ad sensum præcedentem pertinent: *Tersus est ad dissolutionem*, ut facilè disrumpat omnia. Sequitur deinde Dei imperium ad gladium. *Interfice, contemne, nulléque loco habe omne lignum:* id est, nulli homini parce. Vide suprà XX. 47.

11. *Et dedit eum ad lævigandum*] *Dedit eum ad tergendum:* nempe Rex Chaldæus.

Ut teneatur manu] Ut jamjam usum suis præbeat.

Ut sit in manu interficientis] Chaldæi.

12. *Quia hic factus est in populo meo*] Id est, paratus est adversùs populum meum.

Hic in cunctis Ducibus Israël] Contra Regem ac Principes.

Qui fugerant gladio traditi sunt cum populo meo] In Hebræo: *Timores ob gladium erunt populo meo.*

Idcirco plaude super femur] Dolentis signum, Jeremiæ XXXI. 19.

13. *Quia probatus est: & hoc, cùm sceptrum subverterit, & non erit*] Sensus videtur esse: *Gladius ille tunc mihi suam operam approbaverit, ubi tribum Juda* (id enim שבט) *ità everterit, ut ejus nihil restet.*

14. *Percute manu ad manum*] Noli ampliùs dolere, sed excita potiùs Chaldæos ut judicia mea adeò justa exsequantur. Sic eadem locutio infrà sumitur 17.

Et duplicetur gladius, & triplicetur] *Ut duplicetur & triplicetur:* id est, optes judiciis meis satisfiat. Prima calamitate capti Sedeciæ: secundâ captæ Urbis: tertiâ omnium reliquiarum deportatarum quæ cum Godolia fuerant.

Interfectorum] Intellige *& vastatorum*, ex eo quod infrà 15.

Qui obstupescere eos facit] Sic & Græci & Chaldæus. Legerunt ergò החרדת [*in stuporem dans*], non, ut nos החדרת [*in cubiculis*].

15. *Et multiplicat ruinas*] Facit ut multi cadant.

Conturbationem gladii acuti] Metum à gladio.

Et limati ad fulgendum] *Extersi.*

Amicti ad cædem] Meliùs, *mucronati.* Nam עט *stylum* significat, Jobi IX. 24. Jeremiæ XVII. 1.

16. *Exacuere, vade ad dexteram, sive ad sinistram*] Apostrophe ad Gladium, qualis suprà 10. In voce התאחדי [*unito*] omnes Interpretes א sumunt pro ἐπενθετικῷ [*abundanti in voce media*]. non malè.

Quocunque faciei tuæ appetitus est] In Hebræo: *Quocunque facies tua parata*, id est, quocunque stringêris, perge, occide.

17. *Quin & ego plaudam manu ad manum*] Id est, favebo interfectoribus, ut suprà 14.

19. *Pone tibi duas vias*] In tabula pinge bivium. Vide suprà IV. 1.

Ut veniat gladius Regis Babylonis] Per quas ire possit exercitus Babylonicus.

De terra una egredientur ambæ] Ex una via, quæ ex Arabia venit, duæ istæ viæ dividuntur, altera ad Hierosolyma, altera ad Rabbatham principem urbem Ammonitarum. Prævidet autem Propheta futurum ut Nabuchodonosor, Dei haud dubiè instinctu, in isto bivio dubitet quò potissimum sit iturus.

21. *Divinationem quærens, commiscens sagittas*] Hieronymus ad hunc locum: *Ritu gentis suæ oraculum consulet, ut mittat sagittas suas in pharetram, & commisceat eas inscriptas sive signatas nominibus singulorum, ut videat cujus sagitta exeat, & quam priùs civitatem debeat oppugnare. Hanc autem Græci* βελομαντείαν [divinationem telis] *sive* ῥαβδομαντείαν [divinationem ex virgis] *vocant.* Idem ad Oseæ IV. *Unde & Propheta quasi stupens & mirabundus eloquitur, populus meus, qui quondam meo vocabatur nomine, lignum interrogavit & virgam, quod genus divinationis Græci* ῥαβδομαντείαν [divinationem per virgas] *vocant. Unde in Ezechiele legimus quòd virgas suas miscuerit Nabuchodonosor contra Ammon & Jerusalem, & exierit virga contra Jerusalem.* Scholiastes Nicandri ex Dione: Μάγοι καὶ Σκύθαι μυρικίνῳ μαντεύονται ξύλῳ. καὶ γὰρ ἐν πολλοῖς τόποις μαντεύονται [*Magi & Scythæ divinant ex ligno myricæ: nam & aliis in locis multis per virgas exercetur divinatio*]. *Magos* hîc intellige Chaldæos, ut apud Claudianum:

——— *ritúque juvencos*
Chaldæo stravere Magi.

Scythæ autem Medicum tangebant Imperium. Eorum pars Alani, de quibus Ammianus lib. XXXI. *Futura miro præsagiunt modo: nam rectiores virgas feminæ colligentes, easque cum incantamentis quibusdam secretis præstituto tempore discernentes, apertè quid portendatur norunt.* Ad Slavos Scytharum vicinos hunc manâsse morem duos habemus testes, Mosem de Kotti in historia Jubilæi LII, & Adamum Bremensem Narrationis Ecclesiasticæ cap. VI. A Slavis hausere Germani, de quibus Tacitus: *Sortium consuetudo simplex. Virgam frugiferæ arbori decisam in surculos amputant, eósque notis quibusdam discretos super candidam vestem temere ac fortuitò spargunt. Mox, si publicè consulatur, sacerdos, sin privatim, ipse pater familiæ precatur deos, cœlúmque suspiciens ter singulos tollit; sublatos secundùm impressam antè notam interpretatur.* Alium morem ῥαβδομαντείας [*divinationis per virgas*] apud Persas habes apud Strabonem XV. & Athenæum XII. ex Phœnice Colophonio: alium βελομαντείας [*divinationis per tela*] apud Paulum Venetum in Tartarorum rebus lib. I. 43. Legimus eo usos & Afros qui sunt Cæsareæ in Mauritania, id est, Algerii.

Interrogavit idola] *Teraphim*, id est, *imagines* loquentes, quales non paucas Thammuz fecerat.

Exta consuluit] In Hebræo, *Jecur.* Nempe quam in partem micaret pars illa jecoris quæ *hostilis* dicitur. Meminere Cicero de Divinatione, Lucanus. I. Seneca Oedipode. Nec dubitandum puto quin artes illæ à Chaldæis ad Lydos, à Lydis ad Hetruscos venerint.

22. *Ad*

22. *Ad dexteram ejus facta est divinatio*] Omnia divinationum genera, Deo providè regente, suadebunt ut dextrum iter insistat, & Hierosolyma petat, ac ea paret quæ sequuntur.

Ut ponat arietes] *Duces* Chaldæus, ut suprà IV. 2. ubi dicta vide. *ut ponat*, nempe in acie.

Ut aperiat os in cade] *Os* vocatur Hebræis acumen gladii, Josuæ VI. 21. & alibi.

Ut elevet vocem in ululatu] Barritum edat militarem, ut solet fieri ubi oppugnantur urbes.

Ut ponat arietes contra portas] *Contra portas ponat duces*, ut positi οἱ ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας [*septem ad Thebas*]. Vide Æschylum ejus nominis tragœdiâ, & Phœnissas Euripidis.

Ut comportet aggerem] Vallum obsidionale, χώματα περὶ τὸν κύκλον [*aggeres in ambitu*] Josepho in implemento Prophetiæ.

Et ædificet munitiones] In Hebræo, *Turres ligneas:* πύργους [*turres*] Josephus. Vide suprà XVII. 17. LXX utrobique dixere βελοστάσεις [*contignationes unde tela mittuntur*]. quâ voce utitur & primi Maccabæorum scriptor VI. 21. 51.

23. *Eritque quasi frustra consulens in oraculum in oculis eorum, & sabbatorum otium imitans*] Legati à Sedecia missi cogitabunt eum otiari, ut in Sabbatis fieri solet. Alii שבעי שבעות להם exponunt, *eorum qui illis* (Chaldæis) *juramenta juraverant:* id est, Judæorum, qui se pridem in Chaldæorum fidem dederant, ut hoc ipsum sit illa iniquitas de qua sunt verba sequentia. At Interpres Chaldæus illud שבעי שבעות interpretatur *septies septenis vicibus:* toties enim putat de itinere consultasse Nabuchodonosorem.

Ipse autem recordabitur iniquitatis ad capiendum] Ipse interim Nabuchodonosor, dum idola sua consulit, reminiscetur per eadem idola se jurasse Sedeciæ, ipsum autem rupisse fœdus: quâ causâ excitatus Nabuchodonosor ardebit in ejus exitium. Nabuchodonosor per idola fidem datam servaverat, Sedecias per verum Deum datam non servaverat. Id verò ad Dei veri contumeliam plurimùm pertinebat, ideóque Deum decebat id ulcisci.

24. *Pro eo quòd recordati estis iniquitatis vestræ*] Meliùs: *Ut vos quoque recordemini iniquitatis vestræ:* sicut scilicet Nabuchodonosor ejus non sine majestatis Divinæ diminutione recordatus est.

Et revelastis prævaricationes vestras, & apparuerunt peccata vestra in omnibus cogitationibus vestris] *Nam publicè notas fecistis malitias vestras, ità ut in omnibus actionibus vestris apparerent.* Hæc est parenthesis.

Pro eo, inquam, quòd recordati estis] *Ut, inquam, recordemini.*

Manu capiemini] Nempe per justam iram Nabuchodonosoris.

25. *Tu autem profane impie dux Israel*] Sedeciam alloquitur, cum quo submissiùs agit Jeremias; hic liberiùs, quia non erat sub imperio Sedeciæ.

Cujus venit dies in tempore iniquitatis præfinita] Melius per transpositionem, quam hîc observat Chaldæus: *Cujus ultimus dies advenit in tempore opportuno ad pœnam*, quasi dicat Deus, Jamdudum occasionem exspecto ut te puniam per eos quibus tu occasionem mei nominis contemnendi dedisti.

26. *Aufer cidarim*] *Cidaris*, quod hîc ex Græcis Latinus posuit, est πῖλος βασιλικὸς [*regium capitis tegmen*], ut nos docent Curtius, Plutarchus, Artaxerxe & Antonio, & Hesychius. Videtur esse vox Chaldaïca, *rotundatam*, id est, semisphæricam *formam* significans.

Tolle coronam] Ornamentum circumpositum cidari in coronæ modum.

Nónne hæc est quæ humilem sublevavit] Cùm tibi homini invalido à Nabuchodonosore imponeretur, XXIV. 17.

Et sublimem humiliavit] *Humiliabit:* causa erit cur deprimaris.

——— *tolluntur in altum,*
Ut lapsu graviore ruant.

27. *Iniquitatem, iniquitatem, iniquitatem ponam eam*] *Obliquam, obliquam, obliquam ponam eam.* Id est, cidarim vertam in tiaram, nempe in capite Jechoniæ in Babylonia, ut sit inter Regulos regni Chaldaïci: IV Regum XXV. 27. 28. Persarum (qui multa à Chaldæis hausêre) Reges habebant pileum rectum, Satrapæ inflexum; testis Herodotus: illud *cidaris*, hoc *tiara* vocabatur. Vide Hesychium, & Etymologicum magnum.

Et hoc non factum est] *Non erit talis*; nempe *tiara* in domo Davidica.

Donec veniret cujus est judicium, & tradam ei] *Donec ille veniat ad quem jure pertinet, & ei tradam*, nempe *tiaram.* Is autem est Zorobabel. Chaldæus hæc trahit ad Godoliam & Ismaëlem; minùs rectè, ut arbitror.

28. *Et tu, fili hominis, propheta*] Novum hîc caput inchoari debuit ad Ammonitas pertinens.

Et ad opprobrium eorum] *Et de exprobrationibus eorum.* Nam Ammonitæ Chaldæorum socii irrisere Judæos cùm malè haberentur. Vide Jeremiam XLIX. 1. infrà XXV. 6. Sophon. II. 8.

Mucro, mucro evagina te ad occidendum, lima te ut interficias, & fulgeas] In Hebræo, *Mucro, mucro evaginatus est; tersus ad consumendum ipso fulgore.* Verba repetita ex superioribus 9. 15. Hæc clades Ammonitis evenit quinquennio post eversa Hierosolyma, ut diximus ad Jerem. XLVIII. 1. nempe quia Ammonitarum ope suffultus Ismaël contra voluntatem Babylonii principatum Judææ invaserat, II Regum XXV. 25. Jeremiæ XLI. 15.

29. *Cùm tibi viderentur vana, & divinarentur mendacia*] Dum tibi, ô Ammon, vanæ prophetiæ afferuntur, & mendacia prædicuntur, interim scilicet paratur gladius.

Ut dareris super colla vulneratorum impiorum] *Ut ponat te cum collis profanorum impiorum.* Id est, ut te tractet sicut Judæi, qui priores perfidi fuerant, tractati sunt. Verba repetit ex superioribus 25.

Quorum venit dies in tempore iniquitatis præfinita] *Cùm dies ultimus adveniet in tempore opportuno ad pœnam:* ut suprà 25. unde hoc transsumtum est. In re pari paria verba.

30. *Revertere ad vaginam tuam*] Tu, ô gladie, id est, Chaldæe, postquam hoc exsequutus fueris, volo domum redeas: ibi te inveniam.

In loco in quo creatus es, in terra nativitatis tuæ judicabo te] Domi tuæ te puniam.

31. *Dabóque te in manus hominum insipientium*] *Manus insanientium*, ut de Capaneo dicit Papinius. LXX βαρβάρων [*barbarorum*]. Medos & Persas intelligit.

32. *Igni eris cibus*] Urbs tua incendetur.

Sanguis tuus erit in medio terræ] Id est, ubique per terram fusus apparebit.

Oblivioni traderis] Diu scilicet. Vide de hac re Esaiam XLVII. Jerem. L. 21. suprà XVII. 24.

CAP. XXII.

MUNSTERUS.

2. NOnne judicabis civitatem sanguinum] i. Hoc est munus Propheticum, ut eos arguas & reprehendas, nec conniveas ad crimina quæ vides. Unde Jonathan pro *judicare* utitur hîc verbo התוכח, i. *numquid corripies?* Vocatur autem hîc Jerusalem *civitas sanguinum*, sicut & apud alios Prophetas appellatur *spelunca latronum*, *Sedoma* & *Ægyptus*; Jesaiæ scilicet I, & II.

4. *Adduxisti dies tuos*] h. e. Sceleribus tuis fecisti accelerare annos tuos & visitationem tuam, tempus captivitatis & destructionis.

13. *Ego percussi manum meam super avaritiam tuam*] Kimhi sic exponit, *Ego mærore repletus propter mala tua, in signum doloris manum innexui manui.* Jonathan verò Chaldæus sic vertit, *Ecce adducam vindictam meam super te propter culpam mammona.*

16. *Eris tui ipsius hereditas*] i. Antehac fuisti *Dei hereditas*, jam verò *in oculis omnium gentium* tibi relinquêris misera & calamitosa, vel hereditate destitueris. Sunt tamen qui putant verbum נחלת derivari à חלל, ut sit sensus, *profanaberis in te*, &c.

18. *In scoriam*] Deus Judex, qui est *ignis consumens*, tempore afflictionis probat quid quisque sit, aurum vel argentum: sed plerumque nihil invenit nisi *scoriam*, i. fæces & purgamenta, quæ ut inutilia abjiciuntur.

19. *Ego congrego vos in medio Jerusalem*] Quòd Jerusalem erit fornax probationis & afflictionis in qua scilicet Jehudæi conclusi & pressi ab hostibus probabantur fame, siti, peste, fœtore, proditionibus & latrociniis.

25. *Conjuratio Prophetarum ejus*] Falsi, inquit, Prophetæ, nè sibi ipsis dissentiant in erroribus prædicandis, conjurationes faciunt. Et deinde clamant quasi *leo rugiens*, ut quod Scripturis probare non possunt, clamoribus id efficiant. Tertiò *animas comedunt*, *insidiantes sanguini* innocentum. Quartò *inhiant* rebus exterioribus, & *quæstui student*, &c.

28. *Linierunt eis cementum*] De litera pseudoprophetarum diximus suprà cap. 13.

29. *Populus verò terræ*] A Sacerdotibus, Principibus & Prophetis deſcendit ad populum, qui mutuis injuriis, calumniis, impoſturis & rapinis ſe affecerunt, quod nullum jus eſſet in urbe, ſed maduit civitas malis, impleta iniquitatibus ab ore ad os: nec quiſquam erat inter potentiores qui *interruptionem* illam *inſtauraret*, *ſepem faceret*, quâ cohiberet ingreſſum malorum, & ſuâ fide atque oratione averteret iram Dei à civitate. Nam & ſi Jirmejahu eſſet intra mœnia ejus, tamen ille non audiebatur, ſed captus in carcerem conjiciebatur, nè verbum Domini illis denunciaret: ſed & à Domino prohibetur nè preces fundat pro populo incredulo.

VATABLUS.

2. J*Udicabiſne? judicabiſne?* התשפט התשפט] *Judicare* pro *corripere* hoc loco poſitum, ut etiam vertit Chaldæus P. q. d. Auderéſne carpere & condemnare homicidam iſtam civitatem? ex te non auderes, niſi mittereris à me & à me adjuvareris. Hâc autem geminatione, ut annotat doctus inter Hebræos, indicat Dominus crudelitatem Jeroſolymitanorum in effundendo ſanguine innoxio Prophetarum & juſtorum. Alii vertunt, *Annon judicabis? annon judicabis*, &c.

3. *Tempus ejus* עתה] i. Tempus deſolationis ejus. Confuſio perſonarum, pro, *O urbs quæ effundis*, &c. ¶ *Contra ſeipſam* עליה] i. In perniciem ſuam. Doctus inter Hebræos exponit *juxta ſe*, vel *ſupra ſe*, i. in montibus & collibus adjacentibus illi.

4. *Et appropinquare feciſti* ותקריבי] *Et adduxiſti*, vel *acceleraſti dies tuos*, i. tempus captivitatis & deſolationis tuæ. ¶ *Uſque ad annos tuos* עד שנותיך] In quibus ſcilicet ducaris in captivitatem. ¶ *Dedi te* נתתיך] Præt. Heb. pro fut. *dabo*: efficiam ut omnes gentes afficiant te probris, & omnes nationes derideant te.

5. *Sordidam nomine* טמאת השם] *Pollutam famâ*, i. cujus fama polluta eſt & contaminata. Legi poteſt per vocativum, *ô polluta*. ¶ *Multa contritionis* רבת המהומה] Hebraiſmus, quæ multa mala perpeſſa es.

6. *Singuli ſecundum*, &c. איש לזרעו היו בך] Ad verb. *vir in robore ſuo* [vel *in brachio ſuo*, ſive *pro brachio ſuo*] *fuerunt in te*. Hebraiſmus, quiſque pro virili ſua egit, ſive nixus eſt, deditque operam, *ut effunderet ſanguinem*.

7. *In te* בך] Sub. *qui habitant*, i. cives tui. Sic infrà. ¶ *Peregrino*, &c. לגר עשו בעשק] *Cum advena egerunt cum calumnia*, i. advenas calumniati ſunt. ¶ *Oppreſſerunt* הונו] *Spoliaverunt*, ſub. *opibus*. Alii, *afflixerunt*. Alii, *calumniati ſunt*.

8. *Sancta mea ſpreviſti* קדשי בזית] *Sanctificata mea violaſti*, vel *profanaſti*. q. d. Sancta, hoſtias ac victimas mihi ſacratas, aut claudas, aut vitioſas, aut furto ablatas, contra Legis præceptum, mihi offers.

9. *Fraudulenti* רכיל] Ad verb. *fraudis*, aut *delationis*, i. Fraudulenti & delatores. ¶ *Et ſuper montes*, &c. אל ההרים וגו'] In quibus ſcilicet ſacrificaverunt idolis, comederunt idolothyta cives tui qui habitant in te. ¶ *Fœda fecerunt* זמה עשו] *Scelus admiſerunt*, vel *abominanda perpetrarunt*.

10. *Turpitudinem patris revelaverunt* ערות אב גלה] *Nuditatem patris diſcooperuit*. Singulari numero dixit, quòd pauciores fuerint. q. d. Invenitur etiam qui concubuerit cum uxore patris ſui. ¶ *Afflixerunt* ענו] *Compreſſerunt: oppreſſerunt*. Significat vim afferre virgini aut mulieri nolenti.

11. *Turpiter* בזמה] *Sceleſtè*, vel *cum abominatione*, aut *abominando ſcelere*. ¶ *Filiam patris ſui* בת אביו] i. Eodem patre genitam, & germanam. ¶ *Afflixit* ענה] Idem verbum quod verſu præcedenti.

12. *Et ſuperabundantiam* ותרבית] Eadem dictio quæ ſuprà 18. 8, 13. ¶ *Accepiſti* לקחת] Sub. *ô civitas*: nam eſt verbum femineum: i. acceperunt cives tui. Continens pro contento. ¶ *Fraudaſtique*, &c. ותבצעי וגו'] *Ditaſti amicos tuos per calumniam*, i. tibi federatos, opibus ac divitiis cumulaſti, oppreſſione & calumniâ extortis: eorum amicitiam ingenti pecuniâ comparaſti tibi. Alii, *oppreſſiſti amicos tuos oppreſſione*, vel *vi*, ſive *violentiâ*. Alii, *commodum* [vel *emolumentum*] *tuum auxiſti cum injuria proximi tui*.

13. *Percuſſi manum meam* הכיתי כפי] More ſcilicet dolentis, ut exponerem dolorem meum. ¶ *Propter avaritiam tuam* אל בצעך] *Propter calumniam tuam, injuriam, fraudem, violentiam*, i. propter pecuniam quam calumniâ, vi & oppreſſione extorſiſti. ¶ *Et propter ſanguinem*, &c. ועל דמך וגו'] i. Propter ſanguinem civium tuorum *qui effuſus eſt in medio tui*.

14. *Numquid conſiſtet* היעמד] *Conſiſtétne*, i. ſuſtinerêne poteris tot ac tantas afflictiones quas immiſſurus ſum in te ut puniam te? ¶ *Num fortificabuntur* אם תחזקנה] *Numquid corroborabuntur*. q. d. Concidéntne manus tuæ *in diebus* afflictionis, i. deſolationis ac deſtructionis tuæ *quos facturus ſum tecum*, h. e. adducturus ſuper te? Præſ. Heb. pro fut.

15. *Et diſpergam*, &c. והפיצותי וגו'] *Et diſſipabo te per Gentes, & diſpergam te*. ¶ *Et deficere faciam*, &c. והתמותי וגו'] *Et finem imponam pollutioni tuæ à te*, i. efficiam ut cives tui poſthac non polluant ſe in te: q. d. Privabo te civibus tuis.

16. *Et capies hereditatem in te* ונחלת בך] Sub. *& non in meipſo*. q. d. Olim fuiſti hereditas mea; at ubi peccaſti, non es ampliùs hereditas mea, ſed tibi ipſi eris hereditas: videberis igitur Gentibus deſerta & derelicta à me, nec ampliùs hereditatem meam eſſe, cùm ſis captiva: à נחל. Quidam ab חלל deducentes, vertunt *polluta es in te*.

18. *Fuerunt* היו] *Facti ſunt*, vel *facta eſt*, aut *verſa eſt*. Comparat eos vilioribus metallis, qui priùs erant ut pretioſa metalla. ¶ Ut *ſcoria argenti fuerunt* סגים כסף היו] In *ſcoriam argenti verſi ſunt*.

19. *Ut ſcoriæ* לסגים] *In ſcorias*, i. verſi eſtis omnes in ſcoriam. ¶ *Ecce ego congrego* הנני קבץ] Præſ. Heb. pro fut. *ego quidem congregabo*.

20. *Congregatione argenti* קבצת כסף] i. *Sicut coacervatur* [vel *coacervari ſolet*] *argentum*. ¶ *Ut ſufflent in ea ignem* לפחת עליו אש] i. *Ut ſufflent*, & accendant *in ea* fornace *ignem*. Quidam, *ut flatu excitent ſuper eam ignem*: quòd metalla in fornace operiantur lignis. ¶ *Ad conflandum* להנתיך] *Ad liquefaciendum*. ¶ *Et requieſcere faciam* והנחתי] Sub. *vos in medio fornacis*. Alii, *& deſeram*, vel *derelinquam*, ſub. *vos in manu gladii, & famis, & peſtis*. ¶ *Et fundam* והתכתי] *Et conflabo*.

21. *Et funde* ונתכתם] *Et liqueſiemini: colliqueſcetis: conflabimini*. Duplicat eandem ſententiam ad rei corroborationem, ut ait doctus inter Hebræos.

22. *Ut funditur* כהתוך] *Ut conflatur. Ut liquatur*. ¶ *Iram meam* חמתי] *Æſtum meum*, vel *furorem*.

24. *Non munda* לא מטהרה] *Non mundata: non purgata*, i. contaminata. ¶ *Nec compluta* לא גשמה] i. Super quam non decidit pluvia, claudente cœlum Domino irato. Hoc pacto ה cum Mappic ad ornatum poſitum eſt. Quidam volunt eſſe nomen, vertentes *non pluvia ejus*, vel *cujus pluvia non* decidit, à quo tempore ſcilicet Dominus iratus clauſit cœlum nè plueret, i. quæ non recipit pluviam tempore ſuo.

25. *Animam comederunt* נפש אכלו] Singul. nomen Heb. pro plur. *animas devoraverunt*, i. perdiderunt veros Prophetas, vel alios homines. Pſeudoprophetæ conſpirationem fecerant de prædicendo omnia proſpera: quâ ratione populum ad cædem vera denunciantium incitabant. ¶ *Opes & gloriam* חסן ויקר] *Theſaurum & pretioſum*. ¶ *Multiplicaverunt in medio ejus* הרבו בתוכה] Nempe urbis. Hebraiſmus, fuerunt cauſa necis multorum virorum, ut paulò antè dicit, *Animas devorarunt*. His verſiculis arguit omnes ordines virorum ejus urbis.

26. *Surripuerunt* חמסו] *Furati ſunt*, ſub. *plebi*. Quia tenebantur docere Legem, & id prætermittebant, dicuntur *furtum feciſſe Legi*. ¶ *Sancta mea* קדשי] Vide v. 8. ¶ *Non indicaverunt* לא הודיעו] Sub. *plebi quid intereſſet*, i. non docuerunt plebem quæ eſſet differentia puri & immundi. ¶ *Abſconderunt* העלימו] i. A violatione Sabbatorum meorum averterunt oculos ſuos, nè viderentur eam videre & intelligere. Videbant enim filios Iſrael *portantes onera in die Sabbati*, ut ſcriptum eſt in Jeremia, 17. 27. & tacuerunt: q. d. neglexerunt obſervationem Sabbati mei.

27. *Rapientes rapinam* טרפי טרף] Vide c. 18. 7, 12, & 18. ¶ *Ad perdendum animas* לאבד נפשות] i. Ad perdendos quamplurimos homines pios & juſtos. ¶ *Ut avare*, &c. למען בצע בצע] Hebraiſmus, ut inhient lucro, ſive ut quæſtum & lucrum magnum faciant. Vide Jer. 6. 13. & 8. 10.

28. *Complanabant eos*, &c. טחו להם תפל] *Incruſtabant eos luto ſolubili*, vel *friabili*, i. imponebant plebi ſuas falſas Prophetias. Vide ſuprà 13. 10, & 11. ¶ *Vanum* שוא] *Vanitatem*, i. viſiones vanas.

29. *Populus terræ* עם הארץ] i. Plebs, ſive Vulgus. Qui potentiores erant in plebe, opprimebant infirmiores. ¶ *Abſque judicio* בלא משפט] Ad verb. *in non judicio*, i. injuſtè.

30. *Qui ſepiret ſepem* גדר גדר] De hoc genere dicendi habes ſuprà 13. 5. i. tunc exſpectavi num aliquis opponeret ſe mihi, h. e. rogaret pro populo iſto nè iraſcerer illi nec perderem eum. ¶ *In fractura coram me* בפרץ לפני] *In ruptura coram me*. Simile habes ſuprà 13. 5. & Pſal. 106. 25.

31. *Viam eorum*, &c. דרכם בראשם נתתי] Vide ſuprà 9. 10. & 11. 21. i. affeci eos pœnis condignis ipſorum peccatis.

CA-

CASTALIO.

3. UT *tuum tempus veniat*] Tui supplicii.

6. *Equidem in te principes Israelitarum*, &c.] Hierosolymæ scelera.

10. *In te verenda patrum retecta sunt*] Filii cum novercis rem habuerunt.

26. *Meis Sabbatis subtrahunt oculos suos*] Mea Sabbata non spectant, h. e. non curant aut agunt.

CLARIUS.

2. NOnne *judicas*] i. Hoc est munus Propheticum, ut eos arguas & reprehendas, nec conniveas ad crimina quæ vides.

4. *Adduxisti tempus*] i. Sceleribus tuis fecisti accelerare annos tuos & visitationem tuam, tempus captivitatis & destructionis.

16. *Possidebis te*] Alius vertit, *Eris tui ipsius hereditas*: ut sit sensus, Antehac fuisti Dei hereditas, jam verò in oculis omnium gentium tibi derelinquêris misera & calamitosa.

18. *In scoriam*] Deus Judex, qui est *ignis consumens*, tempore afflictionis probat quid quisque sit, aurum vel argentum; sed plerumque nihil invenit nisi *scoriam*, i. fæces & purgamenta, quæ ut inutilia abjiciuntur. ¶ *Æs & stannum*] Hæc speciem habent auri & argenti, materiâ autem sunt viliore, more hypocritarum.

19. *Congregabo vos in medio Jerusalem*] i. Jerusalem erit fornax probationis & afflictionis, in qua scilicet Judæi conclusi & pressi ab hostibus probabuntur fame, siti, peste, fœtore, proditionibus & latrociniis.

30. *Qui interponeret sepem*] Non erat quispiam qui interruptionem illam instauraret, sepem faceret, qui cohiberet ingressum malorum, & suâ fide atque oratione averteret iram Dei à civitate.

LUCAS BRUG.

29. POpuli *terræ* [o.] *calumniabantur* [*calumniabatur* o.] *calumniam* [*calumniâ* 5 MS.] Sic nostri codices plerique omnes legunt. Quatuor autem Hentenii & duo nostri (Lob. H.) cum textu D. Hieronymi commentariis juncto, habent, *Populum terræ calumniabantur calumniâ.* Fons Hebraïcus ambiguus est, ità ut intelligi utroque modo possit; עם הארץ עשקו עשק. Quidam transtulit, *Populus terræ opprimebant oppressione*; alter, *Populum terræ opprimebant oppressione.* Utro igitur illorum modorum legendum sit, ex Hebræo colligi non potest: sed ex Latinis codicibus, prior, *Populi terræ calumniabantur calumniam*, in quo singulare nomen *populus*, propter Latinam oratorum phrasim, in plurale mutatum est, mihi fit verisimilior: cui etiam Glossematici, Autor Glossæ interlinearis, Lyranus, Carensis, Richelius ac Serranus probabilitatem addunt: & suffragatur ipse Hieronymi commentarius, qui hunc habet in modum, *Populus autem terræ, nequaquam Dei, sed terrenorum operum, principum ac sacerdotum æmulator existens, per calumniam & potentiam cuncta faciebat.* Cæterùm an sexto casu *calumniâ* legendum sit, ut in quinque legitur codicibus, adstipulantibus disertè Lyrano & Richelio; an quarto *calumniam*, ut in pluribus est libris, minùs liquet. Est autem & in Græcis antigraphis similis ex varia versione varietas. Regium & Complutense habent, τὸν λαὸν τῆς γῆς ἐκπιέζοντες ἀδικίαν, *Populum terræ opprimentes injustitiâ*, quo modo & apud Theodoritum legitur. Aldinum, Argentoratense, & Basileense anni 1550, scribunt, λαὸς τῆς γῆς ἐκπιέζοντες [ἐκπιεζῦντες o.] ἀδικίαν, *Populus terræ opprimentes injustitiâ.* In uno Latino scripto, B. literâ notato, legimus, *populo terræ calumniabantur calumniam*: eráque τὸ *populo terræ* præcedentibus junctum, *Cùm Dominus non sit locutus populo terræ*: cujusmodi quidem etiam versionem Hebræa pati possint; sed nullius est ponderis. Chaldæa, ut Hebræa, dubia sunt.

DRUSIUS.

9. אנשי רכיל. Sym. Th. *viri dolosi*] Hieron. Viri detractores, *sive juxta Sym. & Th.* dolosi, *quod in Ebræo dicatur* רכיל, & homicidæ erant in te, &c.

16. וְנִחַלְתְּ בָּךְ לְעֵינֵי גוֹיִם. Sym. *Et vulnerabo te* (sive *confodiam*) *in conspectu gentium.* Aquilæ 1 ed. & Th. *& contaminabo te in conspectu gentium*] Hieron. in Comment. *Sin autem interpretationem Symmachi & Theodotionis sequimur, quorum alter ait*, & vulnerabo te, *sive* confodiam, *alter*, contaminabo te in conspectu gentium, *ad malam partem cuncta referenda sunt*, &c. Idem in textu, Et possidebo te in conspectu gentium, *sive juxta Aquilæ 1 editionem, & Theodotionem*, & contaminabo te, *vel juxta Sym.* & vulnerabo te, in conspectu gentium.

18. סִיג. Sym. *scoriam.* Aquilæ 1 ed. σέμφυλον & γίγαρτον, 2 *commixtionem*] Hieron. *Verbum Ebraicum* SIG *Sym.* scoriam, *Aquila 1 ed.* σέμφυλον & γίγαρτον, *quod utrumque* acinum vinaciū *significat, interpretati sunt. Secunda autem ejus translatio & Lxx vertêre* commixtionem. *Porrò* scoria *sordes & purgamenta metallorum sonat.* Psal. 119. 119. סיגים Hieron. *quasi scoriam*, Aq. σέμφυλα, Sym. σκωρίαν, aliàs σκωρίαν. Prov. 25. 4. סיגים Sym. γίγαρτα. Jes. 1. 25. idem σκωρίαν, Th. γιγαρτώδες. Lex. Græco-Lat. vet. Στέμφυλον, *vinacium, vinacia, brisa.* COMMIXTIONEM] Vel *commistionem.* Hic Lxx vertunt לסיג ἀναμεμιγμένοι sive ἀναμεμιγμένον & mox v. 19. לסיגים εἰς σύγκρασιν μίαν *in commistionem unam.*

28. טָחוּ לָהֶם תָּפֵל. Scholion, ὁ Ἑβραῖος, ἤλειφον αὐτοὺς πηλῷ ἄνευ ἀχύρου, *liniebant eos luto absque palea*] Vide quæ notavimus Ezech. 13. 14. ubi תפל A. ἀνάλῳ *absque sale*, Sym. *absque temperamento.* Hieron. in Comment. ad h. l. *liniebant eos absque temperamento, (de quo & suprà diximus)* (sic etiam est in ed. Vulgata) *vaticinantium prophetarum: qui absque commixtione palearum linierunt parietem, qui imbribus dissipatur.*

GROTIUS.

2. NOnne *judicas, nónne judicas civitátem sanguinum?*] *An causam ageres, an causam ageres civitatis sanguinariæ?* ut suprà xx. 4.

3. *Et ostendes ei omnes abominationes suas*] *Quin ostende ei omnia scelera ipsius.*

Effundens sanguinem in medio sui] Id est, passim.

Ut veniat tempus ejus] Ut sibi pœnam accersat celerem. Hic *ut* est ἐκβατικὸν [*eventuale*]. Confer quod sequitur 4.

Et quæ fecit idola contra semetipsam, ut pollueretur] Transpositio pro, *quæ fecit idola, quorum cultu se pollueret, idque suo malo maximo.*

4. *In sanguine tuo, qui à te effusus est, deliquisti*] Id est, rea peregeris.

5. *Triumphabunt de te: sordida, nobilis, grandis interitu*] *Clamabunt adversum te: ô infamis, quæ multos occidisti.* מהומה sæpe ab hoc ipso interprete vertitur *occidere.*

6. *Ecce Principes Israël singuli in brachio suo fuerunt in te*] Lxx, mutatâ vocali in זרעו [*semen suum*], πρὸς τοὺς συγγενεῖς αὐτοῦ, id est, *consanguineis suis contrarii fuere*, quos Hebræi זרע [*semen*] vocant, ut & בשר [*carnem*] Esaiæ XLVIII. 7. idque firmant sequentia.

8. *Sanctuaria mea sprevisti*] Id est, profanasti cultu idolorum.

9. *Viri detractores fuerunt in te ad effundendum sanguinem*] *In sanguinem calumniantes*, ut loquuntur Latini.

Scelus operati sunt in medio tui] Prostituerunt filias in Venerem, in honorem deorum, more Babylonio, Levitici XIX. 29.

10. *Verecundiora patris discooperuerunt in te*] Filiæ cum patribus concubuere, more Arabum.

Immunditiam menstruatæ humiliaverunt in te] Id est, oppresserunt virgines ipso tempore quo purgabantur. ità ענה [*humiliare*] sumi diximus ad Deuteronomii XXI. 14.

11. *Uxorem proximi sui*] Israëlitæ.

Fecit abominationem] Id est, fœdissimè illis abusi sunt. Id enim propriè תועבה. Vide Levit. XVIII. 22.

Nefariè] In honorem deorum, ut suprà 9.

Sororem suam filiam patris sui] Ejusdem familiæ ac nominis. Vide Genes. XX. 12.

12. *Munera acceperunt apud te ad effundendum sanguinem*] Quod lege Corneliâ de Sicariis punitum apud Romanos, L. 1. § *præterea*, D. ad L. Corneliam.

Usuram & superabundantiam accepisti] Vide quæ dicta ad caput XVIII. 8.

Et avarè proximos tuos calumniabaris] *Appetivisti* (rem) *proximi tui per concupiscentiam.* בצע [*appetere*] à Lxx alibi vertitur πλεονεκτεῖν [*plus suo cupere*], ad sensum optimè.

13. *Ecce complosi manus meas super avaritiam tuam*] Id est, ob pœnam avaritiæ vestræ, cùm bona auferentur; & cædium, cùm cædibus vastaberis. *Complodam manus*, id est, applaudam, ut suprà XXI. 17. *Faveho vapulanti*, ait Plautus.

14. *Numquid sustinebit cor tuum*] An non linquet tibi cor ubi in ista mala incideris?

15. *Ventilabo te in terras*] Ut paleam, suprà XX. 23.

Et deficere faciam immunditiam tuam à te] Desines esse fœcun-

fœcunda retentis menſibus. in ſimilitudine enim feminæ perſtat. Vide Levitici XV. 25. ubi vox מכאוב [*immundities*] eodem ſenſu. Reſpondet pœna peccato, de quo ſuprà 10.

16. *Et poſſidebo te in conſpectu gentium*] In Hebræo eſt verbum ſecundæ perſonæ, & puto rectiùs verti, *Polluta eris in te:* à חלל [*polluere*], non à נחל [*poſſidere*], ut perſtet in eo quod dixit: *Immunditias tuas intra te retinebis, idque ex facie apparebit.* Senſus eſt allegoricus, Non infœcunda tantùm eris, ſed & fœda aſpectu.

18. *Verſa eſt mihi domus Iſrael in ſcoriam*] Videtur mihi סג ſive סיג non eſſe *ſcoria* tantùm, id eſt, retrimentum aut ſtercus argenti, ſed omne id quod admixtum argento ſeparari indè debet. Eò me trahunt ſequentia hoc in loco, & origo vocis à סג, quod eſt *abſcedere*, & auctoritas LXX Interpretum, qui verterunt ἀναμεμιγμένοι [*permixti*].

Omnes iſti æs, & ſtannum, & ferrum, & plumbum in medio fornacis: ſcoria argenti facti ſunt] Mixtura ſcilicet viliorum metallorum, ut jam diximus. Videtur כור potiùs eſſe *catinus* quàm *fornax:* vide 1 Regum VIII. 51. idque ſeries hujus loci poſtulat. Mixtura enim eſt antequam in ignem mittatur.

19. *Congregabo vos in medio Jeruſalem*] Sicut illa maſſa ex argento, & viliori materiâ congregata in catinum conjicitur.

20. *Ut ſuccendam in ea ignem ad conflandum*] *Ad fundendum:* id eſt, ad ſeparandum à cæteris. Argentum ſunt pauci pii, quos Deus ſervaturus eſt.

Et requieſcam, & conflabo vos] *Et collocatos* (ibi) *vos fundam.*

24. *Tu es terra immunda, & non compluta in die furoris*] *Terram immundam* vocat rupes & alia quæ nulli ſunt uſui, non magis quàm animalium immunda. Huic comparantur homines nullius frugis. *Non es compluta*, id eſt, pluviam non admiſiſti: per quam ſignificatur Prophetia, ut diximus XXI. 2. *In die indignationis*, id eſt, nè tum quidem cùm graviſſima tibi minaret.

25. *Conjuratio prophetarum*] Falſorum. *Scribas*, id eſt, Legis interpretes intelligit hìc & alibi Chaldæus.

Animas devoraverunt] Id eſt, ſævierunt etiam in ſanguinem.

Opes & pretium acceperunt] Pro bonis prædictionibus. Vide ſuprà XIII.

26. *Sacerdotes ejus contemſerunt legem meam*] Violaverunt illi quorum erat præcipuum munus Legem docere, Malachiæ II. 7.

Et polluerunt ſanctuaria mea] Idololatricis ritibus, ſuprà 8.

Inter ſanctum & profanum non habuerunt diſtantiam, & inter pollutum & mundum non intellexerunt] *Non intelligere fecerunt*, nempe *diſtantiam* ἀπὸ κοινοῦ [*à re profana*]. Verba ipſa ſunt ex Levitico X. 10. ubi facere jubentur quod hìc dicuntur neglexiſſe. *Sanctum* quod Deo dicatum eſt; *profanum* quod in uſu communi. *Pollutum* quod veſci vetitum; *mundum* quod veſci licet.

Et à ſabbatis meis averterunt oculos] Non curant ſi populus Sabbata violet, Jerem. XVII. 27.

Et coinquinabar in medio eorum] Nomine meo ad res falſas aut iniquas abutuntur.

27. *Principes ejus in medio illius quaſi lupi rapientes prædam*] Per omnes ordines ambulat, vitia ſingula notans. Confer Jerem. VIII. & XXIII.

28. *Liniebant eos abſque temperamento*] *Inepto tectorio*, ut ſuprà XIII. 11.

Videntes vana] Hoc quoque & quæ ſequuntur ſunt repetita ex capite XIII.

29. *Populi terræ*] Plebs.

Opprimebant calumniâ abſque judicio] *Abſque cauſa:* id enim hic משפט [*judicium*].

30. *Qui interponeret ſepem*] Qui interiora muniret: ut fieri ſolet ubi pars muri disjecta eſt ab hoſte.

Et ſtaret oppoſitus contra me pro terra] In Hebræo: *Et ſtaret in rupta parte muri:* hiantia defenderet. Utraque ſimilitudo etiam ſuprà poſita eſt capite XIII. 5. Deo murum oppugnante, *interiora munit* qui hortatur populum ad viam meliorem. *Stat in ruina* qui precatur pro populo, ut Moſes Exodi XXXII. 11. Aaron Numeror. XVI. 48.

31. *Viam eorum in caput eorum reddidi*] Reddam, ut ſuprà VII. 4. 27. IX. 10. XVI. 43. infrà XXIV. 14.

CAP. XXIII.

MUNSTERUS.

2. **D**Uæ *mulieres*] Hæ *duæ mulieres* ſorores ſunt Regnum Jehuda & Regnum Iſrael ſeu Samariæ, quæ natæ fuerunt ex *una matre*, nempe populo Iſraelitico, qui unus fuit in Ægy pto, & aliquamdiu in Terra promiſſionis.

4. *Ahola major*] Finxit Deus hæc nomina ab eventu. Samariam vocat AHOLAM, i. *Tabernaculum ejus*, non meum: quia cùm in ea colerentur Vituli, non habuit Deus Tabernaculum in ea. Jeruſalem autem vocat AHOLIBAM, i. *Tabernaculum meum in ea*, propter Sanctuarium ſuum quod habuit in ea cultui ſuo dedicatum. Hæc Kimhi. Deſcribit itaque Propheta ſub parabola *duarum mulierum* adulterium populi Iſraelitici plurimis verbis, qui Deo deſponſati ab eo receſſerunt, & amicitiam inierunt cum Gentibus, quæ cauſam præbuerunt imitandi idololatriam. Nominantur verò hìc potiſſimùm *Aſſyrii* & *Ægyptii*; quos cùm viderent magno rerum apparatu florere, ſericis indutos, magnificos,glorioſos, illecebroſos juvenes, & contrà ſe deſpectos & pannoſos, ambierunt amicitiam illorum, cœperúntque fornicari poſt illos.

10. *Factum eſt nomen mulieribus*] Ut ſcilicet mulieres impudicæ exemplo ejus commoverentur, h. e. aliæ nationes ultro ſeſe jugo Babylonico ſubjicerent.

17. *Avulſáque eſt anima ejus*] Quos priùs tantopere adamavit ut etiam ſeſe oblectaret in depicto veſtitu eorum & lineamentis penicillo expreſſis, & moribus eorum aſſueſcere ſatageret, legatos anxiè mitteret in Chaldæam, & nihil non ageret quò illos in ſui amorem pelliceret, *polluta ab eis*, quærit alios amatores, nempe *Ægyptios*, in quos relictis prioribus amatoribus amore depereat. Et nota quòd יקע eſt à radice יקע, exponitúrque ab Hebræis per סר.

20. *Quorum caro ſuit caro aſinorum*] Uſurpatur *caro* pro *virilibus.* Vult autem Propheta oſtendere quàm horrenda res ſit confidere in homine, & falsâ teneri religione, ideo exprimit illam teterrimâ imagine meretricis, cujus impudicitiâ nihil fœdius deformiúſque ob oculos poni poteſt.

25. *Naſum tuum & aures tuas auferent*] h. e. Agent tecum ſicut agi ſolet cum meretrice, cui ab amore deficienti abſcinduntur aures & naſus, ut deturpata ab aliis amatoribus non facilè appetatur. Dicit autem Kimhi, per *naſum*, qui cæteris partibus in facie ſupereminet, intelligendam Regalem dignitatem, & per *aures*, quæ doctrinæ conſecratæ ſunt, Sacerdotalem.

32. *Calicem ſororis tuæ*] Intelliguntur nomine *calicis* tribulationes magnæ, quæ venturæ ſuper Jehudam prædicuntur. Ebibendus, inquit, tibi erit calix uſque ad fundum, & nè fortè guttula aliqua remaneat, frangendus etiam eſt calix in teſtas, ut vel fragmenta ipſa exſugantur: ſignificans ſcilicet per hæc, populum Jehudæorum extrema ſubiturum mala.

43. *Exſpirabunt*] In Hebræo propriè eſt *exfornicabuntur*, ſive *finem accipient fornicationes ejus.* Cùm enim *inveterata* ſit, deferveſcere neceſſe eſt libidinem ejus; h. e. in captivitatem ducta, peribit ipſa cum idolis ſuis. Eſt autem juxta dictionem יזנה ſubintelligendum זנותיה. Textus Hebraicus eſt hic valde obſcurus, qui ſic habet, *Et dixi, cum vetula ſcortationes habuerunt, nunc exſequentur ſcortationes ſuas cum ea.*

46. *Adducam contra eas*] Kimhi reddit infinitivum העלה per futurum אעלה, ſicut nos vertimus. Per *viros juſtos* intellige Babylonios Divini judicii exſecutores.

VATABLUS.

3. **C**Ontuderunt עשו] *Compreſſerunt: ſuppreſſerunt*, ſub. *Ægyptii*, cùm adhuc eſſent virgines, cùm pertraxerunt illas ad cultum deorum ſuorum.

4 *Aholah* אהלה] Ità dicitur quòd *habitaculum* eſſet *in ipſa*, & non in Deo: is enim non dicitur habitaſſe in Samaria, ut in Jeruſalem: ideo hæc dicitur AHOLIBA, i. *habitaculum meum in ea*, propter Templum. Continuò ſeipſum declarat. ¶ *Mea* לי] Sub. *uxores*, i. initio coluerunt me.

5. *Sub me* תחתי] i. Cùm me ſponſum haberet. ¶ *Et adamavit* ותעגב] *Et deperiit.* Significat *inſano amore deperire.* ¶ *Propinquos* קרובים] i. Quos dilexit acſi fuiſſent ejus propinqui: non enim vicini fuerunt Aſſyrii Samaritis loco, ſed ingenio & moribus.

6. *Et Principes* סגנים] *Et ſatrapas.* Quidam, *præſides.* Significat *Principes magnos.* Vide hæc eadem v. 12. ¶ *Deſiderabiles* חמד] Ad verb. *concupiſcentiæ*, vel *deſiderii*, i. nobiles, & egregiâ formâ, delectiſſimi & expetibiles, qui alios in amorem ſui pertrahunt.

7. *De-*

7. *Dedit itaque*, &c. ותתן וגו'] *Dare* pro *ponere*. *Posuit fornicationes suas super ipsos*. Hebraismus, fornicata est cum ipsis, h. e. posuit spem ac fiduciam suam in viribus eorum, & in diis ipsorum, non in Deo. Seipsum mox declarat. ¶ *Cum electis filiorum*, &c. מבחר בני וגו'] Qui omnes *electissimi filii erant Assyriæ*, vel, ut alii, nempe cum *delectissimis omnibus Assyriis*. ¶ *Adamavit* עגבה] Idem verbum quod v. 5.

8. *Dormierunt* שכבו] i. Concubuerunt, sub. *Ægyptii*, vel *dii eorum*, ut v. 2. ¶ *Et effuderunt*, &c. וישפכו וגו'] i. Nimiâ pollutione contaminaverunt eam.

10. *Discooperuerunt ignominiam ejus* גלו ערותה] i. Summo dedecore eam affecerunt. ¶ *Et fuit nomen* ותהי שם] Sub. *malum*: vel, *& facta est nomen*: i. inussit notam aliis mulieribus similibus, amori illicito pariter deditis. ¶ *Et judicia*, &c. ושפוטים עשו בה] *Et judicia exercuerunt in ea*: vel, ut alii, *ediderunt judicia in eam*, sub. *Samariam*; occidendo scelestos qui in ea erant: q. d. Pœnas luit propter peccata sua.

11. *Et corrupit amorem suum* ותשחת עגבתה] i. Insaniore amore capta est quàm soror sua major, multóque magis dedita fuit idololatriæ.

12. *Adamavit*, &c. עגבה פחות וגו'] Vide hæc eadem v. 5, & 6. ¶ *Omni genere*. &c. מכלול] Ad verb. *perfectione*, vel *universitate*, sub. *vestium*. Significat apparatum completum & perfectum. Eadem vox quæ & Psal. 50. 2. Quidam vertunt in nominativo, *induti omni genere pretiosarum vestium, equites*, &c. *universi erant*: ut is sit ordo, *omnes autem erant induti*, &c. V. 6. dixit, *Induti hyacintho*.

13. *Quod polluta esset*, &c. כי נטמאה וגו'] *Quòd polluisset, sese*, *unus* enim *modus ambabus illis*, i. idem modus sive eadem ratio pollutionis fuit ambabus, sive eodem modo polluerant se.

14 *Addidit verò* ותוסף] Ad verb. *Et addidit*. Taxat pronitatem & proclivitatem ipsius Jerusalem ad idololatriam, & confidentiam in hominibus, rejecto Deo; *Adjecit verò ultra fornicationes suas*. ¶ *Nam ut vidit* ותרא] Ad verb. *& vidit*, i. nam cùm primùm ipsa vidisset homines quosdam, &c. ¶ *In pariete* על הקיר] Sub. *quodam insigni*, regio fortasse. ¶ *Sinopide* בששר] *Minio*.

15. *Balteo lumbos suos* אזור במתניהם] *Cinctorio ad renes suos*. Quidam, *Accincti enim* [vel *accincta*] *erant balteis militaribus ad lumbos suos*. ¶ Et *tiaras tinctas in capitibus suis* סרוחי טבולים בראשיהם] Et *tiara prolixè à tergo dependentes*, *tincta* coloribus pretiosis, erant *in capitibus eorum*. Doctus inter Hebræos sic ait, *Filii Babel ponebant in capitibus suis* צבעים *tiaras tinctas diversis colorum speciebus. Et ipsa tiara redundabant, & pendebant illis à tergo: quod non erat secundùm morem filiorum terra Israel*. Vel סרוחי ad homines Chaldæos refertur, ut vertas *nimios* vel *superabundantes* & *superfluos* ex parte tiararum tinctarum, quæ erant סרוחים *excedentes & superflua*. ¶ *Aspectus*, &c. מראה וגו'] *Aspectus magnatum* erat *omnibus illis*, i. videbantur similes Principibus, aut præseferebant Principes. ¶ *Similitudo*, &c. דמות בני בבל וגו'] *Similitudo filiorum Babel*, quorum locus *nativitatis est terra Chaldæorum*. Alii, *similitudo Babyloniorum*, id est *Chaldæorum*, in *terra nativitatis suæ*, i. omnes ita erant ornati ut ornantur in Chaldæa.

16. *Adamavit eos* ותעגבה עליהם] Idem verbum quod v. 5. Est autem Hebraismus, *Adamavit eos ad aspectum oculorum suorum*, pro, *Insano amore deamavit cùm primùm vidit imagines eorum*.

17. *Ad cubile amorum*, &c. למשכב דודים וגו'] i. Ut concumberent cum ea, h. e. inierunt societatem cum ea, & docuerunt eam cultum idolorum suorum. ¶ *Polluit*, &c. ותטמא בם וגו'] *Polluit quoque sese in eis*, &c. i. posuit fiduciam suam in viribus eorum, & cœpit colere deos ipsorum, & tamen postea recessit animus ejus ab eis, desiitque eos amare. Rebellaverunt enim in eos Joacim & Sedecias.

18. *Discooperuitque ignominiam*, &c. ותגל את ערותה וגו'] *Et revelavit turpitudinem* [vel *nuditatem*] *suam*, *& amovit sese animus meus ab ea*, i. prostituit se omnibus [vel ignominia ejus innotuit omnibus] propterea desii eam amare, abominatúsque sum eam.

19. *Ità ut in memoriam reduxerit* לזכר] Sub. *Deus*. Ad verb. *ad commemorandum*, sive *ad reducendum in memoriam*. Deus videtur oblivisci scelerum nostrorum quando non percutit nos; cùm autem punit, recordari videtur.

20. *Servos eorum* על פלגשיהם] *Concubinas eorum*. Intelligit alias nationes quas illi in suam illexerant superstitionem. Quidam exponunt על pro עם *cum*, vertentes, *Adamavitque* Ægyptios *cum concubinis eorum*. Alii exponunt, *Adeò eos adamasti ut facta sis illis ut pellices eorum*. ¶ *Caro* בשר] Ità dicitur membrum virile & turpitudo mulieris, ut annotat doctus inter Hebræos. Obscurè dicit Chaldæos fuisse valde idololatras, sub persona libidinosorum. ¶ *Et ut fluxus* וזרמת] Sub. *seminis*.

21. *Et recordata es fœditatis*, &c. ותפקדי את] *Et revocasti in memoriam scelus*, &c. quo scilicet oblectata es, & rediisti quasi ad vomitum. ¶ *Quando compresserunt* בעשות] *Cùm subigerent: confringerent*. ¶ *Propter* compressionem *uberum*, &c. למען שדי נעוריך] *Propter ubera*, inquam, *adolescentiæ tuæ*. Alii, *ut* contunderent *ubera adolescentiæ tuæ*, i. quæ habebas dum adhuc esses virgo. Alii, *ut* fractionis *mammarum adolescentiæ tuæ*.

22. *Eos à quibus*, &c. את אשר נקעה וגו'] Hebraismus, eos quos amare desiisti.

23. *Præfectos*, &c. פקוד ושוע וקוע] Singul. Heb. pro plur. *duces*, *principes magnos* [aut *viros honorabiles & prædivites*] *& munificos*. Chaldæus P. vertit tanquam gentilia nomina, *Pecudaitas*, *Soitas*, *& Coitas*. ¶ *Desiderabiles* חמר] Vide v. 6. ¶ *Heroes* שלישים] Hæc vox significat viros heroicos robore corporis, fortitudine animi & prudentiâ in rebus agendis præstantes. ¶ *Et majores* וקרואים] *Primores*, *senatores*. Significat eos qui ad res arduas Reip. advocantur à Rege: quales sunt periti literarum & docti homines sive consiliarii. ¶ *Ascensores equorum* רוכבי סוסים] *Qui vehuntur equis*.

24. Cum *rhedis* הצן] Deficit ב *in*, vel *cum*. Est autem species quadrigarum, sive currûs. Alii dicunt fuisse genus quoddam bellici instrumenti, aut universale nomen armorum bellicorum, & ità Chaldæus P. *venient contra te cum instrumentis armaturæ*. ¶ *Ponent contra te undique* ישימו עליך סביב] Hebraismus, circumdabunt te scuto, clypeo & galeâ, i. armabuntur contra te. ¶ *Dabóque coram eis*, &c. ונתתי לפניהם וגו'] Hebraismus, permittam te potestati ac libidini eorum ut sumant de te pœnas juxta leges suas: vel, dabo illis potestatem puniendi te.

25. *Et dabo zelum*, &c. ונתתי קנאתי וגו'] Hebraismus, Puniam te operà eorum, non aliter quàm qui deprehenderunt uxores suas in adulterio, irati facere solent. Tale supplicium decebat eos qui defecerant à suo Principe. ¶ *Et facient tecum in furore* ועשו אותך בחמה] Hebraismus, tractabunt te tanquam irati tibi. ¶ *Nasum tuum*, &c. אפך ואזניך יסירו] Per *nasum* intelligunt dignitatem Regiam, & per *aures* dignitatem Sacerdotalem. Sacerdotum enim est intendere verbo Dei & docere illud. Per *novissimum* intelligunt ultimum ordinem in populo, i. plebem, cujus initium & caput est Rex.

26. *Gloria tua* תפארתך] i. De quibus gloriabaris. Quidam intelligunt de vestibus ac vasis Templi.

27. *Fœditatem tuam* זמתך] *Scelus tuum*. Sic vocat idololatriam eorum. ¶ *De terra Misraim* מארץ מצרים] *Terra Ægypti*, i. idololatriam quam commisisti in Ægypto. ¶ *Ad eos* אליהם] Sub. *concupiscendos more scortorum*. ¶ *Non recordaberis* לא תזכרי] Ut scilicet colas deos ejus.

28. *Ecce ego trado te* הנני נותנך] *Equidem traditurus sum te*: præsens pro fut. ¶ *Recessit anima tua* נקעה נפשך] Ut v. 17, & 18. i. quos tandem desiisti amare, & ab illis defecisti.

29. *Cum odio* בשנאה] i. Tanquam tibi infensi. ¶ *Omnem laborem tuum* כל יגיעך] i. Omnes opes tuas tuo labore partas, & spoliabunt te bonis omnibus. ¶ *Et revelabitur*, &c. ונגלה וגו'] i. Manifestum erit omnibus, te per idololatriam defecisse à Deo tuo.

30. *Faciam* עשה] Infinit. Heb. propterea quidam vertunt *facient*. ¶ *Cum quibus* על אשר] *Propterea quòd*.

31. *Et dabo* ונתתי] *Propterea ponam*, i. eodem supplicio afficiam te quo affeci sororem tuam.

32. *Profundum & latum* העמוקה והרחבה] i. Amplissimum. Innuit gravitatem supplicii. ¶ *Erit* תהיה] Sub. *calix*. ¶ *Magnus*, &c. מרבה להכיל] Ad verb. *magnus ad capiendum*, vel *facere capere*. Quidam, quòd *magnus* sit *ad capiendum*, i. quòd capacissimus sit.

33. *Calice solitudinis*, &c. כוס שמה וגו'] *Calix* enim *desolationis & solitudinis* erit, nempe *calix*, &c. Alii, *calicem stuporis & desolationis* bibes, *calicem*, &c.

34. *Bibes, inquam, illum* ושתית אותה] *Quem bibes*. ¶ *Et testas*, &c. ואת חרשיה תגרמי] Hebraismus, pro *franges illum in testas & fragmenta multa testacea*: q. d. adeò ebibes illum scyphum terreum [sive testaceum] ut præ aviditate fractura sis eum in multas partes. ¶ *Evelles* תנתקי] Quasi scilicet aliò transferas: h. e. præ summa macie contabescet corpus tuum, præsertim ubera tua.

35. *Corpus tuum* גוך] i. Tergum. ¶ *Et etiam*, &c. וגם את וגו'] *Tu quoque portabis scelus*, &c. i. pœnam sceleri tuo debitam.

36.

36. *Nónne judicabis* התשפוט] Vide c. 22. 2. ¶ *Et annuncia* והגד] Subaudi *judica*, ex ipso versu, sic, *judica & annuncia.* Alii vertunt, *Numquid judicabis, ut annuncies eis*, &c.

37. *Illis* להן] Sub. *idolis suis*, i. in gratiam idolorum suorum. Quidam vertunt *sibi.* Alii, *ut illis essent in cibum.*

38. *Amplius* עוד] *Adhuc: Insuper.* Alii, *Quin & hoc.* ¶ *Polluerunt*, &c. טמאו וגו'] Pollutio illa fiebat aut per ingressum in Templum, etiam in Sabbato, cùm illi polluti essent; aut per oblationem earum hostiarum ac sacrificiorum quæ illi immolassent idolis.

40. *Quòd miserunt* כי תשלחנה] *Cùm misistis.* ¶ *Missus fuerat* שלוח] Sub. *à vobis.* ¶ *Stibio fucasti* כחלת] *Fuco ornasti: stibio pinxisti.* Describit mores & habitum scortorum, quæ humanissimè & lautissimè excipere solent suos amasios & cum magno apparatu.

41. *Super lectum honorabilem* על מטה כבודה] *In thoro egregio*, vel *pulcro*, bene ornato & inclyto. ¶ *Ante ipsum* לפניה] *Juxta ipsum*, sub. *lectum.* ¶ *Et unguentum meum* ושמני] *Et oleum meum:* q. d. perfudisti [sive reddidisti bene olentem] lectum tuum aromatibus. Vócat autem Dominus *sua* odores illos & unguenta, quòd illis uti debeamus in gloriam ejus cum gratiarum actione.

42. *Pacifica* שלו] *Quieta, tranquilla, opulenta, & fortunata.* Quidam, *jucunda*; q. d. Qui invitati fuerant, excepti sunt cum magno applausu civium: venerant enim illi pacis causâ, non belli. ¶ *In ea* בה] Sub. *audita est.* ¶ *Ut multiplicarent*, &c. ברוב אדם מובאים] Ad verb. *propter multiplicare homines, introducti sunt*, i. ut hominum invitatorum cresceret numerus. Quidam vertunt, *propter multitudinem hominum.* Alii, *præ multitudine hominum.* ¶ *Sabæi* סבאים] i. Doctorum Sabæorum, qui docerent eas religionem ac cultum deorum externorum. ¶ *Gloriæ* תפארת] *Decoris*, i. coronas egregias & elegantissimas: q. d. illexerunt eas ad fornicationem: h. e. docuerunt eas colere deos suos.

43. *Et dixi inveterata* ואמר לבלה] *Tunc cœpi* ego Deus *dicere de inveterata illa.* ¶ *Nunc egredientur* עתה יזנו] *Jamjam migrabunt aliò: discedent:* i. peribunt idola eorum cùm abducti fuerint in captivitatem.

44. *Fœdas* הזמה] *Sceleris*, i. scelestas, vel fœdatas, i. docuerunt eas idololatriam, quæ jam maximè deditæ erant sceleri idololatriæ.

45. *Judicabunt eas*; &c. ושפטו וגו'] Vide eadem c. 16. 38. ¶ *Et sanguis*, &c. ודם בידיהן] Hebraismus, habent manus conspurcatas & contaminatas sanguine innocentum, quòd plurimos innocentes occiderint.

46. *Ascendere*, &c. ונתן וגו'] Infinitivi Heb. pro fut. *& tradam eas in divexationem.* Exsilium significat: q. d. Mittam adversùm illas exercitum magnum, qui expugnabit illas, & cives earum abducet captivos, spoliabítque eos facultatibus sive opibus.

47. *Lapidibus multitudo* אבן קהל] Sing. Heb. pro plur. *lapide cœtus:* vel *congregatio*, i. magnus ille exercitus.

48. *Fœditatem* זמה] *Scelus: crimen:* i. efficiam ut posthac in ea regione non admittant talia scelera. ¶ *Et non facient*, &c. ולא תעשינה כזמתכנה] *Ut non faciant* [vel *ne faciant*] *juxta scelus vestrum.*

49. *Fœditatem vestram* זמתכנה] *Scelus vestrum.* Hebraismus, Sument pœnas de vobis propter flagitia ac scelera quæ admisistis.

CASTALIO.

5. TAbernaculana sub me est meretricata] *Sub me*, i. cùm mea esset.

31. *Cujus ego calicem tibi in manum tradam*] Eodem te supplicio quo illam afficiam.

43. *Ac me cogitante mœchatos cum vetula*] sc. Samaria. ¶ *Nunc cum hujus quoque salacitate scortaturos*] i. Hierosolymæ.

45. *Atque iidem homines justi eas adulterarum ac sanguinariarum supplicio afficient*] *Justi*, i. justè facientes in eo quòd eas punient.

48. *Castigatæque mulieres omnes non imitabuntur vestra flagitia*] *Mulieres*, i. Civitates.

CLARIUS.

2. DUæ mulieres] Hæ *duæ mulieres* sorores sunt Regnum Juda & Regnum Israel seu Samariæ, quæ *natæ* fuerunt *ex una matre*, nempe populo Israelitico, qui unus fuit in Ægypto, & aliquandiu in terra Promissionis.

4. *Ahola major*] Finxit Deus hæc nomina ab eventu. Samariam vocat AHOLAM, i. *Tabernaculum ejus*, non meum; quia cùm in ea colerentur Vituli, non habuit Deus tabernaculum in ea. Jerusalem autem vocat AHOLIBAM, i. *Tabernaculum meum in ea*, propter Sanctuarium suum quod habuit in ea cultui suo dedicatum. Describit itaque Propheta sub parabola *duarum mulierum* adulterium populi Israelitici pluribus verbis, qui Deo desponsati ab eo recesserunt, & amicitiam inierunt cum Gentibus, quæ causam præbuerunt imitandi idololatriam. Nominantur verò hîc potissimum *Assyrii* & *Ægyptii*, quos cùm viderent magno rerum apparatu florere, sericis indutos, magnificos, gloriosos, illecebrosos juvenes, & è contrà se despectos & pannosos, ambierunt amicitiam illorum, cœperúntque fornicari post illos.

10. *Et facta sunt famosæ mulieres*] Alius vertit, *Et factum est nomen mulieribus.* Ut scilicet mulieres impudicæ exemplo ejus commoverentur, h. e. aliæ nationes ultro se jugo Babylonico subjicerent.

17. *Et recessit anima ejus ab illis*] Quos priùs tantopere adamavit ut etiam sese oblectaret in depicto vestitu eorum & lineamentis penicillo expressis, & moribus eorum assuescere satageret, legatos anxiè mitteret in Chaldæam, & nihil non ageret quo illos in sui amorem pelliceret, polluta ab eis, quærit alios amatores, nempe Ægyptios, in quos, relictis prioribus amatoribus, amore depereat.

20. *Quorum carnes*] *Caro* pro *pudendis virilibus* etiam in Lege usurpatur. Vult autem ostendere Propheta quàm horrenda res sit confidere in homine & falsâ teneri religione: ideo exprimit illam teterrimâ imagine Meretricis, cujus impudicitiâ nihil fœdius deformiúsque ante oculos poni potest.

24. *Et dabo eis judicium*] i. Potestatem judicandi.

25. *Nasum tuum*] h. e. Agent tecum sicut agi solet cum meretrice, cui ab amore deficienti abscinduntur aures & nasus, ut deturpata, ab aliis amatoribus non facilè appetatur. Dicunt autem, per *nasum*, qui cæteris partibus in facie supereminet, intelligendam Regalem dignitatem; & per *aures*, quæ doctrinæ consecratæ sunt, Sacerdotalem.

32. *Calicem sororis tuæ bibes*] Intelliguntur nomine *calicis* tribulationes magnæ, quæ venturæ super Judam prædicuntur. Ebibendus, inquit, tibi erit calix usque ad fundum, &, nè fortè guttula aliqua remaneat, frangendus est etiam calix in testas, ut vel fragmenta ipsa exsugantur, sicut ossibus contritis medulla exsugitur. Significat autem per hæc, populum Judæorum extrema subiturum mala.

41. *Sedisti in lecto*] Prisca cœnandi ratio liberorum hominum erat Accumbere, ut servorum Sedere, Thalmudicis attestantibus. Quare comesto agno Paschali, in more fuit cœnantibus ut accumberent omnes de populo habiti, in signum libertatis adeptæ.

42. *Et veniebant Sabæi de deserto*] Ut copiosior, inquit, turba fieret, etiam *adduxerunt Sabæos de deserto*, qui Æthiopes sunt & Petræam desertam inhabitant.

43. *Nunc fornicabitur*] Alius vertit, *Nunc exspirabunt fornicationes ejus cum ea*, h. e. finem facient fornicationes ejus. Cùm enim inveterata sit, defervere necesse est libidinem ejus, h. e. in captivitatem ducta peribit ipsa cum idolis suis.

45. *Viri ergò justi sunt*] Per *viros justos* intellige Babylonios Divini judicii exsecutores.

LUCAS BRUG.

24. ET *venient super te instructi curru & rotâ, multitudo populorum, loricâ & clypeo & galeâ armabuntur contra te undique.*] Moguntina, Nurenburgensis & Coloniensis, primæ typographorum, ante annum Domini 1480, editiones, ac Parisiensis anni 1557. ex Moguntina mutata, addunt *&* conjunctionem ante *multitudo, Et multitudo populorum:* quibus ex MSS. nostris unum, Societatis Jesu rubrum, consonat. Cætera omnia quæ habemus scripta atque impressa exemplaria, cum Hugone Cardinali, qui hanc partem solus exponit, conjunctionem illam haud agnoscunt. Hebræa κτ̀ πόδα transferas, *Et venient super te rhedâ, curru & rotâ, & in congregatione populorum scutum & clypeum & galeam ponent contra te undique.* τὸ *& in congregatione populorum*, si iis quæ præcedunt Interpres junxerit, meritò cum conjunctione transtulerit, *Et multitudo populorum*, scilicet cum eis: si verò ad sequentia retulit, rectè potuit omisisse. Hebræi, suo interpungendi modo, præcedentibus junxerunt. Paraph. Chaldæus sequentibus copulavit, hoc pacto, *Et venient super te cum instrumentis armaturæ, cum curribus & rotis, & turmam populorum, qui armati sunt scutis & galeis, constituent contra te in circuitu.*

33. *Ebrie-*

33. *Ebrietate & dolore repleberis* [*repleveris* o.] *calice mæroris & tristitiæ*, * *calice* [* & o. * *in* o.] *sororis tuæ Samariæ*. 34. & [o.] *bibes illum*, & *epotabis* [*potabis* MS. plurima] *usque ad faces*.] Librorum quidam auferendi casu legunt, *calice mæroris*, *calice sororis*; quidam accusandi, *calicem mæroris*, *calicem sororis*; quidam prius auferendi, posterius accusandi casu, *calice mæroris*, *calicem sororis*. Germana Interpretis scriptura ex Hebræo statui non potest: est enim ambiguum, & in varios potest casus verti, versúmque est, ut videre in Scholiis Hebraicis licet. Porrò ex ipsis Latinis exemplaribus id facilè mihi colligere videor, spurium esse tertium scribendi modum, germanum verò aut secundum aut primum. Nam ut pauciora sunt exemplaria quæ priùs *calice*, posteriùs *calicem* scribunt, ità & minùs emendata: longè autem & plura & correctiora sunt quæ utrobique vel *calicem* vel *calice* habent. Hoc si legendum sit, *calice* inquam utrobique, subaudiendum est præcedens verbum *repleberis*; si verò, quod verisimilius apparet, illud, subaudi *bibes*, vel eò refer.

DRUSIUS.

11. עַגְבָתָהּ. A. ἐπιπόθησιν] Theodoretus, *Aquila* τὴν ἐπίθεσιν (ita Lxx) *interpretatus est* ἐπιπόθησιν, *i. libidinem*. Sic etiam Hier.

14. בַּשָּׁשַׁר. Ἐν χρώμασιν *coloribus*. Adi sis ad ed. Rom.

15. סְרוּחֵי טְבוּלִים. Καὶ τιάραι βαπταὶ & *tiaræ tinctæ*. ¶ מַרְאֵה שָׁלִשִׁים כֻּלָּם. Sym. ὄψις σκυλευτῶν πάντων *aspectus prædonum omnium*] Exstat apud Theodoretum. Σκυλεύω, *spolio*, *deprædor*. Indè σκυλευτὴς & σκύλευμα. Sed fortè corruptum ex σαλισσεὶμ, quos alii τελσάτας appellant. Hier. *duces & magistratus sive tristatas*, *quos nos* principes principum *interpretati sumus: de quibus & in Exodo legimus*, electos ascensores tristatas, *pro quibus Latina simplicitas* ternos statores *transtulit*. Tristatæ *autem nomen est apud Græcos secundi gradûs post Regiam dignitatem*. Vide sequentia.

20. זִרְמַת סוּסִים זִרְמָתָם. Polychronius, ὁ Ἑβραῖος, καὶ αἱ διεγέρσεις αὐτῶν ὡς ἵππων, & *excitationes eorum quasi equorum*.

23. פְּקוֹד וְשׁוֹעַ וְקוֹעַ. Sym Th. Φακὼδ καὶ Σουὲ καὶ Κουὲ, *Phacud & Sue & Cue*. A. ἐπισκέπτην, καὶ τύραννον, καὶ κορυφαῖον, *inspectorem*, & *tyrannum*, & *ducem*] Hier. *Omnésque Chaldæos, nobiles, tyrannos & principes*] *pro quibus in Ebraico habetur* Phacud & Sue & Kue: *quas multi gentes Orientales intelligunt; cùm hujusmodi nomina nec in Regum voluminibus, nec in Paralipomenon, neque in Jeremia quidem, qui describunt captivitatem Jerusalem, aut in aliquo loco Scripturæ S. inveniamus. Nec mirum si LXX ipsa Ebraica posuerunt nomina, cùm Sym. quoque & Th. in eadem verba consentiant*. Φακὼδ]. Ità scripsi ex ed. τῶν ό, in qua perperàm Φακὼκ legitur. Santes *præfectum* interpretatur. פקד Φακὼδ, ut שמואל *Samuel*. Possumus etiam scribere *Phacod*, i. Φακώδ. Ἐπισκέπτην] Verti *inspectorem*: alii *visitatorem*. Nam ἐπισκέπτομαι etiam *visito*. Hic alio nomine ἐπίσκοπος dicitur: sed & ἐπόπτης & ἔφορος. Ebraicè autem צפה, & apud Interpretes σκοπός unde φωνὴ τῶν σκοπῶν σου, *speculatorum tuorum*. Cæterùm cùm in Ebræo sit פקד, videtur ἐπισκέπτης potiùs denotare *visitatorum*. Nam פקד *visito*. Unde פקד *præfectus*, *cui cura rei alicujus tanquam depositi commendata est*. Idem פקד aliâ formâ. SUE] Σουέ. Critici Ebræorum legunt Σωε Job. 34. 19. שוע Lxx τύραννος. Hier. *tyrannus*, i. potens, hoc quidem in loco. Psal. 72. 12. משוע Lxx & Hier. *à potente*, מִשּׁוֹעַ, quod nunc legunt מְשַׁוֵּעַ *clamans*. Sign. etiam *liberalem* vel *prodigum*. Jes. 32. 5. שוע Hier. *magnificus*, alius *liberalis*. Kimchi exponit וותרן בממונו, i. *prodigus*. Ei opponitur כילי *parcus*, *tenax*, *avarus*. Cæterùm pro Σουὲ reperio in quibusdam libris Σουέ quod minùs se probat mihi. Nam affinitas magna inter has literas. Sanè ex לודים factum à Græcis Λύδιοι. Sic *Syria* dicebant & *Suria*, i. סוריא. Καὶ Κουὲ] In ed. Rom. καὶ Ὑχουέ. Novum non est ut κ & χ invicem permutentur: ὑ autem videtur superesse ex Vau copulante וקוע ὑχουέ. Sed in antiquis Hieronymi Κουθ scriptum, manifesto errore pro Κουέ. Santes interpretatur *ducem*, Hier. *principes*. Κορυφαῖον] q. *Verticalem*, i. principem, sive qui supremum locum obtinet. *Coryphæum* vocant. Unde τῶν φίλων κορυφαῖος, *qui principem locum inter amicos obtinet*. Lex. V. Κορυφαῖος, *auctor*, *princeps*. Κορυφὴ ἀνθρώπου, *apex*, *vertex*. Κορυφὴ ὄρους, *cacumen*. Puto Hieronymum, cùm *principes* redderet, ad hanc Aquilæ interpretationem respexisse. ¶ שָׁלִשִׁים] Græci τελοσὰς sive τελσάτας reddunt, variantibus libris. Est etiam ubi legatur τελοσὰς τελσάτας, ubi duæ, nisi fallor, interpretationes in unam coaluerunt. Τελοσὸς, *tertius à Rege*, nomen dignitatis. Idem τελσάτης. Sunt qui dicant fuisse Regios satellites tria hastilia manu tenentes. Sed aliter Hier. *Tristata*, inquit, *nomen est apud Græcos secundi gradûs post Regiam dignitatem: de quibus scriptum est*, veruntamen ad tres primos non pervenit: *qui principes equitum peditúmque erant & tributorum. Quos nos* magistratus utriusque militiæ & Præfectos annonarii tituli *nominamus*. Idem exponens hæc verba Dan. 5. τρίτος ἐν τῇ βασιλείᾳ μου ἄρξει, *Tertius*, inquit, *in Regno meo erit*, *vel tertius post me*, *vel unus è tribus Principibus*, *quos alibi* τελσάτας *legimus*. 4 Reg. 7. τελσάτης ἐφ' ὃν ὁ βασιλεὺς ἐπανεπαύετο ἐπὶ τῆς χειρὸς αὐτοῦ, *dux* (sive *princeps*) *in cujus manum Rex recumbebat*. De hac voce diximus & suprà v. 15. ubi Sym. σκυλευτῶν *prædonum*, ac si esset à שלל derivata.

24. הֹצֶן רֶכֶב וְגַלְגַּל וּבִקְהַל. μεθ' ὅπλων καὶ ἁρμάτων καὶ τροχῶν καὶ πλήθους λαῶν, καὶ θώρακας καὶ ἀσπίδας καὶ περικεφαλαίδας περιθήσονται ἐπὶ σέ, *cum armis & currubus & rotis & multitudine populorum*, & *thoraces & clypeos & galeas circumponent tibi*] Legitur in quibusdam libris edit. Lxx, & apud Theodoretum.

29. כָּל־יְגִיעֵךְ. πάντας τοὺς πόνους σου καὶ τοὺς μόχθους σου, *omnes labores tuos & ærumnas tuas*] Videntur esse duæ interpretationes. Alibi יגיע. Aquila reddit κόπον ut Psal. 128. 2. יגיע כפיך κόπον ταρσῶν σου, Sym. κόπον χειρῶν σου. Hinc lucem accipit quod in Lxx, πόνους τῶν καρπῶν σου nam malè reddunt *labores fructuum tuorum*. Est enim καρπὸς in manu, quem Latini etiam *carpum* vocant. Cæterùm μόχθος potiùs עמל dicitur. Sed confundi scias. Nam Psal. 10. 14. עמל A. πόνος, Sym. μόχθος, i. *molestia* vel *ærumna*. Est enim *ærumna* Festo *labor onerosus*. Job. 16. 2. A. πόνων, Th. κόπων. Cohel. 1. 3. Lxx μόχθος, A. κόπος. Psal. 7. 16. Lxx πόνος, Interpres *dolor*. Malim *labor*.

32. תִּהְיֶה לִצְחֹק וּלְלַעַג. *eris in risum & subsannationem*] Εἰς γέλωτα καὶ εἰς μυκτηρισμόν.

34. וּמָצִית וְאֶת־חֲרָשֶׂיהָ תְּגָרֵמִי וְשָׁדַיִךְ תְּנַתֵּקִי. καὶ ἐκστραγγιεῖς, καὶ τὰ ὄστρακα αὐτοῦ καταφαγῇ, καὶ τοὺς μαστούς σου κατακλάσεις, & *exhauries*, & *testas ejus devorabis*, & *ubera tua lacerabis*] Αὐτῆς est in Ebræo. Καταφαγῇ] Compl. κατατρώξῃ. Hier. & *fragmenta ejus devorabis*, & *ubera tua lacerabis*] *Sive*, *ut Lxx transtulerunt*, festivitates & neomenias ejus auferam. An legerunt חדשיה per Daleth? Certè חדש *neomenia*, *calenda*.

42. סוֹבָאִים. οἰνωμένους *vino ebrios*.

45. שֹׁפְכוֹת דָּם. ἐκχεουσῶν αἷμα *effundentium sanguinem*] Exstat in uno pervetusto codice.

47. וְרָגְמוּ. καὶ λιθοβολησάτωσαν, & *lapidentur*. ¶ וּבָרֵא. καὶ κατακεντείτωσαν & *confodiant*] Alibi, καὶ κατακεντήσουσιν & *confodient*. Sic legi posset λιθοβοληθήσονται *lapidabuntur*, vel potiùs λιθοβολήσουσιν αὐτὰς *lapidabunt eas*.

GROTIUS.

2. *Duæ mulieres filiæ matris unius fuerunt*] Duæ gentes ortæ ex Sara.

3. *Et fornicatæ sunt in Ægypto*] Jam tum hauserunt semina idololatriæ, à qua Abrahamus, Isaacus, Jacobus fuerant alienissimi. Vide suprà xx. 8.

In adolescentia sua fornicatæ sunt] Quod hìc transfert *adolescentiam*, in Hebræo est נער, quod in feminis significat ætatem quæ est ante annum duodecimum; quasi dicat, *non meminerunt se virgines fuisse: pares cum paribus inquinatæ sunt*, ut loquitur Petronius. Mira δείνωσις [*vehementia*].

Ibi subactæ sunt ubera earum, & *fractæ sunt mammæ pubertatis earum*] In Hebræo, *Ibi contrectata sunt ubera earum*, *ibi compressæ mammæ*. *Mammas* ex similitudine quadam σεμνῶς [*verecundè*] Hebræi illorum temporum vocarunt τὰ πτερυγώματα, τοὺς κρουνούς [*crepidinem fontis muliebris*]. ideo discriminis causâ hìc additur בתוליהן [*virginitatis*]: & Lxx vertunt ἐκεῖ διεπαρθενεύθησαν [*ibi devirginatæ sunt*]. Hoc pro certo habebis, si legeris Thalmudicos, ubi causas reddunt cur Thamar Davidis filia primo congressu facta sit gravida.

4. *Oolla major*] *Major* numero Tribuum, quæ penes Samariam decem fuère. אהלה [*Obola*], ut Hieronymus & alii bene sunt interpretati, vocatur ille populus, ideo quòd sibi fecisset loca Divini cultûs, quæ אהל, id est, *tentorii* nomine vocantur, quia primus Dei cultus apud Israëlitas fuit in tentorio. אהלה, id est, *Tentorium suum sibi*.

Et Ooliba soror ejus minor] אהליבה, *tentorium meum ibi*: Deus enim ibi collocaverat Templum suum, quod *tentorii* nomine appellat, non tantùm ob eam quam diximus causam, verùm etiam quia tam facilè Deus illud Templum auferre poterat (de quo præter rem gloriabantur) quàm homines tentorium.

Et habui eas] Meæ factæ sunt. Ego eas mihi conjugio copulavi.

Earum nomina, Samaria, Oolla, & Jerusalem, Ooliba] Explicat quod obscuriùs dixerat.

5. *Fornicata est igitur super me Oolla*] In Hebræo, *sub me*: id est, cùm sub mea esset manu ac potestate, id est, mœchata est. Solomon quidem privatim cœperat permittere quæ non debebat; ac Decem tribus publicè contra Legem cultum instituère, vitulis excitatis.

Et insanivit in amatores suos in Assyrios propinquantes] Vicinos sibi factos per Syriam, cujus bonam partem occupaverant. Vide II Regum xv. 19. Esaiæ VII. 8. Dicitur Judæa *mœchata* cum illis quorum ritus imitata est. Sæpe jam id notavimus, Hebræorum multos immemores Legis & beneficiorum Dei, quorum amicitiam valde ambiebant, eis blanditos rituum imitatione. Tangitur hîc historia rerum quæ incipit I Regum XVI. 31. continuatur II Regum xv. 20.

6. *Vestitos hyacintho Principes & magistratus, juvenes cupidinis, universos equites ascensores equorum*] Sicut feminæ incendi solent luxu vestium, honorum nominibus, juvenili ætate, corpore vegeto: sic Israëlitas pellexerat Assyriorum potentia. Vide II Regum XVIII. 24. Esaiæ x. 8.

7. *Et dedit fornicationes suas super eos*] *Cum illis*, id est, prostituit se illis.

Electos] *Juvenes.*

Et in omnibus in quos insanivit in immunditiis eorum polluta est] Latinè diceremus: *in libidinibus eorum omnium in quos insanivit polluta est.* Sensus est: nihil unquam amatoribus negavit. & vis est in voce גלולים, quæ & *sordes & idola* significat.

8. *Insuper & fornicationes suas quas habuerat in Ægypto non reliquit*] Ad eos ritus rediit, ut Ægyptios incitaret contra Duas tribus, II Paralipomenon XII. 2. 3. 4.

Nam & illi dormierunt cum illa in adolescentia ejus, & illi confregerunt ubera pubertatis ejus, & effuderunt fornicationem suam super eam] Meliùs: *Dormiverant, contrectaverant, effuderant suam fornicationem*, id est, *voluptatem*, ut Hyginus loquitur in fabula Erichthonii.

9. *In manus filiorum Assur*] Phulis, Tiglathphilassari, Salmanasari.

10. *Ipsi discooperuerunt ignominiam ejus*] Nudam destituerunt.

Et facta sunt famosæ mulieres, & judicia perpetraverunt in ea] *Fuit nomen* (ejus, infame scilicet) *inter mulieres, postquam* (Assyrii) *judicia* (Dei) *exercuerunt adversùs eam.*

12. *Præbuit impudenter*] *Dedit*, diceret Martialis.

Indutis veste variâ] *Redimitis coronâ.* Nam מכלילא Chaldæis, fortè & Assyriis, *corona.* Nec aliter accepit Syrus Psalm. LII. Mos erat amantibus amicas adire cum *corona.*

14. *Cùmque vidisset viros depictos in pariete*] Claudianus:

Læna per innumeros iret pictura penates.

Sic Paris Helenam concupivit:

Et nunquam visæ flagravit amore puellæ.

Expressas coloribus] Sinopide. Vide Jeremiæ XXII. 14.

15. *Et accinctos balteis renes*] Militari habitu.

--*Ferrum est quod amant: facit hoc illos Hyacinthos.*

Et tiaras tinctas in capitibus eorum] *Galeas*, Chaldæus. *tinctas* intellige ornatas variis plumis. Græci παραβαπτὰ ἐπὶ τῶ κεφαλῶν αὐτῶν [*tincta in capitibus eorum*].

Formam ducum omnium] In Hebræo, *Omnis forma protectorum.* Vide quæ diximus ad Exodi xv. 4.

16. *Et misit nuntios ad eos in Chaldaam*] Ultro ambivit.

17. *Ad cubile mammarum*] Quid *cubile mammarum* vocet intelligi potest ex iis quæ diximus suprà 2. *Cubile*, id est, אתר מקום, ut loquuntur Thalmudici.

Et satiata est anima ejus ab illis] Illorum concubitu satiata ad Ægyptios iterum se vertit, II Regum XIV. 7. *Neque enim perinde à parentibus liberi quàm ab impudica adulteri mutantur*, ait apud Tacitum Agrippina. *Unius adulterium matrimonium vocant*, ait Seneca.

18. *Denudavit quoque fornicationes suas, & discooperuit ignominiam suam*] Cohæret cum superioribus, hoc sensu: *Satiata est, postquam libidinem suam ità cognitam ipsis fecerat ut ultro aspectui ingereret quæ tegi debent.*

Recessit anima mea ab ea] Ultrà ferre non potuit mœcham, & impudentem, & desultoriam.

19. *Multiplicavit enim fornicationes suas*] Ut illa apud Ausonium:

Ne quid inexpertum frustra moritura relinquat.

20. *Quorum carnes sunt ut carnes asinorum*] Ægyptios dicit *bene vasatos*, id est, in idolorum cultu eximios. Simile habuimus suprà XVI. 26. Ὄνος Priapo consecratus. & Græci masculinam partem ὄνον vocant, teste Phavorino.

Et sicut fluxus equorum fluxus eorum] *Virus*, ut Virgilius loquitur.

21. *Et confracta sunt mamma pubertatis*] *Attrita.*

22. *Ecce ego suscitabo omnes amatores tuos*] *Omnes* non est in Hebræo.

De quibus satiata est anima tua] Quos fastidisti.

23. *Nobiles, tyrannósque ac principes*] LXX, Symmachus, Theodotio, Hebræas voces velut proprias gentium retinent, Φακούδ, Σουέ, Κούε, nec aliter Chaldæus. Horum primos פקד dictos habemus & apud Jeremiam XXX. 21. diximúsque esse *Bactrianos.* שוע Σουὲ LXX, ut dixi, Interpretibus; Σίαι in Armenia apud Ptolemæum. קוע *Choana* Mediæ apud eundem Ptolemæum.

Omnes filios Assyriorum] Populi quos nominat, aut subditi tunc erant Assyriorum, aut fœderati.

24. *Et venient super te instructi curru & rotâ*] LXX, μετ' ὅπλων καὶ ἁρμάτων καὶ τροχῶν [*cum armis & curribus & rotis*]. nec aliter Chaldæus. Nimirùm hi omnes ה in הצן sumsere pro articulo, aut certè nota derivativi, & צן à צון, quod sæpe vertitur ὅπλον [*instrumentum bellicum*]. ex qua origine est & צנה [*lorica vel scutum*], quod jam sequetur. Ut hæc duo distinguantur, quidam per הצן intelligunt *currus ferratos*, id est, falcatos.

Et dabo coram eis judicium] Id est, dabo eis de te decernendi facultatem.

25. *Et ponam zelum meum in te*] Zelotypum animum meum in te impingam.

Quem exercent tecum in furore] *Quem* (illi Chaldæi) *iracundè exsequantur*: nempe ut ministri mei.

Nasum tuum & aures tuas præcidem] Ut mariti zelotypi uxoribus impudicis, aut earum mœchis facere solent. Martialis:

Quis tibi persuasit nares abscindere mœcho?

Significat autem hac similitudine Principes & Judices.

Et quæ remanserint gladio concident] Nempe partes illas inferiores, per quas hîc plebs significatur.

Et novissimum tuum devorabitur igni] Quidquid captivi cùm avehentur in urbe relinquent.

26. *Et denudabunt te vestimentis tuis*] Ut captis fieri solet.

Et tollent vasa gloriæ tuæ] Circumlocutio Hebræa, quæ significat ornamenta.

27. *Et requiescere faciam scelus tuum de te*] Faciam nè tibi unquam libeat Chaldæos imitari.

Et fornicationem tuam de terra Ægypti] Deductam scilicet.

Nec levabis oculos tuos ad eos] Metues aspicere Chaldæos.

Et Ægypti non recordaberis ampliùs] Sicut Ægyptus tui memor non fuit in tuis periculis.

28. *In manus de quibus satiata est anima tua*] *Quos fastidisti*: ut suprà 22.

29. *Et revelabitur ignominia fornicationum tuarum*] Ut solet fieri feminis captivis. Sensus allegoricus: *Omnes fœditates tuæ apparebunt.*

30. *Fecerunt hæc tibi*] *Facient*, id est, ego permittam ut faciant ob tua crimina.

32. *Eris in derisum & subsannationem, quæ est capacissima*] Est transpositio: *Capacissimum* (*calicem* ex superioribus) *ut sis irrisui ac ludibrio*: sicut solent esse qui magnos calices exhauserе.

34. *Et epotabis usque ad faces*] In Hebræo, *Exsuges*: nihil erit pœnarum quod non gustes.

Et fragmenta ejus devorabis] Ut sæpe faciunt ebrii.

Et ubera tua lacerabis] Præ rabie.

35. *Projecisti me post corpus tuum*] Locutio eadem I Regum XIV. 9. & alibi.

Porta scelus tuum] Sceleris pœnas.

36. *Numquid judicas Oollam & Oolibam*] *An tu causam ageres Oolla & Ooliba?* ut suprà XX. 4. XXII. 2.

Et annuncias eis scelera eorum] *Quin ostende eis sua scelera*, ut dicto loco XXII. 2.

37. *Filios suos quos genuerunt mihi*] Qui mei esse debuerant.

38. *Polluerunt sanctuarium meum in die illo*] *Eodem die.* Ab illis sacrilegis sacris venientes Templum meum accedunt. Hunc sensum indicant quæ sequuntur.

40. *Miserunt ad viros venientes de longè*] Repetit sæpe eadem verba paucis mutatis, quò magis animo hæreant.

Quibus te lavisti] In quorum gratiam balneis usa es.

Et circumlinisti stibio oculos tuos] Bene vertit: nam כחל Chaldæis est quod פוך Hebræis, *stibium.* De stibio vide quæ dicta II Regum IX. 30. Jeremiæ IV. 30.

Ornata

Ornata es mundo muliebri] *Ornatu.* Nam purè si loqui velimus, *mundus* est per quem munda est femina: *ornatus* per quem ornata. Sic Varro lib. IV. de Lingua Latina, & Ulpianus in L. *argumento* § *ornamento*, D. de Auro, argento & mundo.

41. *Sedisti in lecto pulcherrimo, & mensa ornata est ante te*] Mos enim in lectis epulandi ab Assyriis aut Chaldæis ad Judæos devenerat, cujus moris testimonium habes in Chaldaica paraphrasi Amos II. 8.

Thymiama meum, & unguentum meum posuisti super eum] Id est, idolis dedisti mihi debita. Vide suprà XVI. 18.

42. *Vox multitudinis exsultantis erat in ea*] Omnia hymnis deorum perstrepebant.

Et in viris qui de multitudine hominum adducebantur, & veniebant de deserto, posuerunt armillas in manibus earum, & coronas speciosas in capitibus earum] In Hebræo: *Adducebantur Sabæi de deserto.* Non contentæ viris principibus & speciosis istæ feminæ, etiam de plebe Arabiæ fœdos homines, armillis coronisque datis, ad concubitum emercatæ sunt.

43. *Et dixi ei*] *Quamvis dicerem.*

Quæ attrita est in adulteriis] *Quæ mœchando vetula facta est:* de Judæa loquitur.

Nunc fornicabitur in fornicatione sua etiam hæc] *Jam tandem desinent libidines ejus. At ipsa*, perseverabat scilicet. Martialis:

Cùm tibi trecenti consules, Vetustilla,
Et tres capilli, quatuórque sint dentes.

Et postea:

Audes ducentas nupturire post mortes,
Virúmque demens cineribus tuis quæris
Prurire? quid sirire si velit saxum?

Sunt apud eundem Poëtam & alia epigrammata in anus libidinosas. Characterem talis feminæ vide in Pluto Aristophanis.

44. *Et ingressi sunt ad eam*] *Attamen ingressi sunt ad eam*; jam anum scilicet.

45. *Viri ergò justi sunt, hi judicabunt eas judicio adulterarum*] In Hebræo: *At viri justi punient eas pœnâ adulterarum. Justos* vocat Chaldæos, ut Divinæ ultionis ministros.

Et judicio effundentium sanguinem] Pœnâ homicidarum. Vide suprà XVI. 38.

46. *Adhuc ad eas multitudinem*] *Convoca de illis cœtum.* קהל solet intelligi consessus Judicum qui de reorum capite pronunciant; hîc verò per ἀλληγορίαν [*latentem significationem*] intelligendus exercitus Chaldæorum.

Et trade eas in tumultum] *Trade eas turbæ.*

Et in rapinam] *Et abripiantur*, ad pœnæ locum scilicet. Omnis enim hæc translatio à judiciis sumta.

47. *Et lapidentur lapidibus populorum*] Vide dictum locum.

48. *Et auferam scelus de terra*] *Res fœdas.*

Et discent omnes mulieres] Id est, gentes, quæ sub *mulierum* nomine designantur.

Secundùm scelus earum] *Res fœdas:* ut suprà.

49. *Et peccata idolorum vestrorum portabitis*] Duplex μετωνυμία [*transnominatio*], pro *pœnas idololatriæ.*

CAP. XXIV.

MUNSTERUS.

3. PONE *ollam*] Significat *olla* urbem Jerusalem. Appparitio ejus est obsidio civitatis; *infusio aquæ*, oppugnatio: Calamitas, h. e. fames, pestis & multiplex tribulatio, est *ignis*: *Caro ollæ injecta* sunt qui ex reliquis civitatibus & locis Judææ confugerunt intra mœnia urbis: *Pecus electum* & *electiora ossa* sunt optimates Regni. Loco lignorum sub olla sunt *ossa*: nam occisi innocentes hujus incendii & supplicii vim auxerunt. Ossa non leviter ab igne comburuntur; sic hoc incendium per biennium duravit, propter bonos quosque viros, quos in urbe impii homines occiderunt... Horum sanguis clamavit pro תרעומת, i. *vindicta*, ut Kimhico utar verbo, qui hanc pulcre edisserit parabolam. Et quando subditur, ollam tamdiu calefactam, ut deficientibus aquis etiam ossa intra ollam elixarentur, Kimhi per hæc *ossa* intelligit גבורים *robustiores* quosque qui erant intra civitatem, quibus & vires corporis & commeatus suppetebant per biennium illud. Porrò *spumam* exponit peccata obstinationis quæ remanserunt cum obsessis. *Frustulatim* quoque *extracta* referuntur carnes, quòd crebris excursionibus multi passim interierunt, vel quòd partim fuerunt occisi & partim in captivitatem abducti, nullâ projectâ sorte qui abducendi fuerint aut relinquendi in terra. Et quòd *sanguinem fudisse* refertur *super siccam petram*, ubi sanguis non absorbetur *nec tegi potest pulvere*, significat illos publicè & posito omni timore grassatos in pios homines, qui eorum noluerunt acquiescere impietati.

10. *Multiplicando ligna*] Omnes istos infinitivos qui hîc ponuntur, Kimhi exponit in prima persona futuri.

11. *Ponendo ollam ipsam vacuam*] Sensus est, Ego ponam in hanc urbem incendium, ut nedum qui in ea sunt in nihilum redigantur diutinâ concoctione, sed & ut urbs ipsa in cinerem redigatur.

12. *Molestiis te fatigasti*] Non, inquit, sine sudore & labore tuo hoc malum tibi cacasti, à quo non mundari poteris nisi per ignem. Ego quidem docui te per Prophetas ut mundareris, sed mansisti pervicax.

16. *Desiderium oculorum tuorum*] Intelligitur hîc per *desiderium oculorum* uxor Prophetæ, quod illi amabilis & pergratiosa esset. Alioquin si exosam habuisset, facile sibi fuisset illius subitam mortem non deplorare. Prohibetur autem illam lugere, & jubetur singultus ipsos absorbere, atque ne speciem quidem præ se ferre lugentis in habitu; ut hoc signo ostenderet tantam futuram molem miseriarum in Jerusalem ut illi qui erant in Babylone eam deplorare nequirent.

17. *Mitram tuam ligabis*, &c.] i. A consueto vestitu non abstinebis.

21. *Miserationem animæ vestræ*] Vocatur Templum *miseratio animæ*, quòd vehementer miserebat Judæos destructionis tam sumptuosi ædificii. Jonathan vertit חביבת *dilectionem.*

25. *Onus animæ eorum*] i. Id quod potissimùm animum eorum urgebat, ut relicti liberi, aut Templum ipsum. Alii simpliciter vertunt *elevationem animæ eorum*, i. rem quam quis desiderat.

27. *Aperietur os tuum*] Cùm scilicet advenerit nuncius, mirabilem Urbis annuncians cladem, tunc tu, fili hominis, loquere confidenter ad populum rebellem, Ecce prædixi vobis hæc omnia, & noluistis credere verbis meis.

VATABLUS.

2. HUnc *ipsum diem* את עצם היום הזה] Ad verb. *substantiam* [sive *corpus*] *diei hujus*: ut & mox, *in substantia* [sive *corpore*] *diei hujus*, pro *hoc ipso die.* ¶ *Appropinquavit* סמך] Sub. *unà cum exercitu suo*, i. admovit exercitum suum urbi Jerusalem ut eam oppugnet. Describit & prædicit diem quâ obsessa fuit Jerusalem. Prophetæ absentes præsentia prædicunt & futura. Nam cùm esset in Chaldæa, quæ gerebantur tunc in Judæa suis denunciabat Ezechiel, ut verus vates crederetur.

3. *Et parabolicè loquere* ומשל] Ut suprà 17. 2. ¶ *Pone* שפת] Sub. *super ignem. Dispone. Colloca.*

4. *Frusta ejus* נתחיה] i. Frusta quæ conjicienda sunt in eam, nempe femora & armos. ¶ *Ossibus* עצמים] i. Membris: quia secundùm ossa secantur membra & partes animalium.

5. *Incende*, &c. דור העצמים תחתיה] i. Accende ignem ex ossibus illis jam exsiccatis hominum innocentium, quorum sanguinem effudisti. ¶ *Bullire fac*, &c. רתח רתחיה] i. Fac ut olla illa bulliat. ¶ *Ossa ejus* עצמיה] i. Ossa conjecta in eam, & non tantùm carnes.

6. *Cujus spuma est in ea* אשר חלאתה בה] i. Quæ non est despumata. Alii vertunt Hebraismum, *in qua est spuma*, sub. *multa.* Per *spumam* intelligit crimina ac scelera manifesta & omnibus conspicua: q. d. Non resipuit, sed fuit indurata in sceleribus suis. ¶ *Frustatim, frustatim* לנתחיה לנתחיה] *Per partes ejus, per partes ejus:* vel *per frusta ejus:* q. d. Perdam cives ejus, non simul, sed sensim, h. e. alterum post alterum. ¶ *Cadat* נפל] Præt. Heb. pro fut. vel imperat. i. idque sine delectu, quod fieri solet missis sortibus: q. d. Nemini parcam, nulli ordini, nulli sexui aut ætati.

7. *Sanguis*, &c. כי דמה וגו׳] Hebraismus, In loco eminentiore urbis effusus fuit sanguis. Seipsum declarat postea. ¶ *Super eminentem petram* על צחיח סלע] *Super locum eminentem petræ*, i. quasi in eminentissimo loco petræ. צחיח significat *locum altum & elevatum in petra*, sic dictum quòd sit aridus & siccus. Sanguis effusus super petram non tam cito ebibitur, quam qui fusus est super terram. ¶ *Ad operiendum illum pulvere* לכסות עליו עפר] *Ut tegeret eum pulvis*: q. d. Peccavit impudenter, apertè & manifestè.

8. *Ut ascendere faceret iram* להעלות חמה] *Ad suscitandam iram*, sub. *meam*: i. ad provocandum me ad iram. ¶ *Sanguinem ejus* את דמה] i. Sanguinem quem ipsa effudit ponam in conspectu meo ut veniat mihi in memoriam.

9. *Grandem faciam pyram* אגדיל המדורה] Ad verb. *magnificabo incendium illud*, i. congeram magnam struem ligno-

rum & ossium sub olla illa: q. d. atteram illos magnis afflictionibus & calamitatibus. Acerbam oppugnationem significat.

10. *Multiplicabo*, &c. 'וגו הרבה] Infinit. Heb. pro imperat. vel potiùs futuris. Quidam per gerundium vertunt, conjungentes hæc fini præcedentis versûs hoc pacto, *Grandem faciam pyram, multiplicando ligna, succendendo ignem*, &c. ¶ *Et condiam condimentum aromatibus* והרקח המרקחה] Ut scilicet suaviores sint & aptiores ad edendum: q. d. addam illis animos ad oppugnandos Jerosolymitanos, quos conficiam peste & gladio. ¶ *Et ossa adurentur* יחרו והעצמות] i. Ut etiam ossa ipsa adurantur in ea olla.

11. *Et statuam* והעמדה] Infinit. Heb. ut præcedenti versu pro imperat. vel futuris. ¶ *Vacuam* רקה] *Inanem*, i. carnibus evacuatam. ¶ *Fundum ejus* נחשתה] *Æs ejus*. Quidam, *ardore æs ejus solvatur*. Doctus inter Hebræos exponit חרה *partem inferiorem*. ¶ *Inquinamentum ejus* טמאתה] *Inquinatio ejus: sordes ejus*: i. ità ut testæ ejus præ calore absumant sordes ipsius. Solent enim sordes præ calore descendere in imas partes.

12. *Mendaciis* תאנים] Deest ב, i. inferendo aliis injuriam: q. d. Magno studio intulit aliis injuriam, nec pœnituit eam; ideo dabit pœnas condignas sceleribus.

13. *In immunditia*, &c. זמה בטמאתך] Ad verb. *In immunditia, scelus*: vel *fœditas*, aut *abominatio*: q. d. Tu adhuc polluta es sceleribus ac criminibus tuis. ¶ *Mundavi te* טהרתיך] i. Conatus sum mundare te missis Prophetis meis, qui te ad resipiscentiam invitarent.

14. *Venit* באה] *Evenit*, sub. *sententia mea & decretum*: *& faciam quod prædixi*. Est præteritum. ¶ *Non retrocedam* לא אפרע] Doctus inter Hebræos exponit, *Non revertar retrorsum ab eo quod constitui*, i. non retractabo sententiam meam. ¶ *Judicabunt te* שפטוך] Præt. Heb. pro fut. sub. *judices*, Deus per Angelos suos.

16. *Desiderium oculorum tuorum* את מחמד עיניך] i. Uxorem tuam charissimam. Seipsum declarat v. 18. ¶ *Percussione* במגפה] *Plagâ*, i. morte repentinâ, quam nullus præcedet morbus. ¶ *Veniat* תבוא] Sub. *super genas tuas*. Prohibet Dominus Prophetæ lugere uxorem suam in signum quòd illi præ nimia animæ consternatione ac perturbatione non essent lucturi excidium Jerusalem, Templi, & liberorum suorum.

17. *Ab ejulando tace* האנק דם] Deest præpositio מ, pro מהאנק *à vociferando tempera*, more lugentium mortuos. ¶ *Ne facias* לא תעשה] Sub. *illi*. *Luctum mortuorum* vocat qui fieri solet pro mortuis. ¶ *Tiaram tuam* פארך] *Pileum tuum: galerum*. Sic dictum existimat doctus inter Hebræos quòd gloriæ & decori sit homini quando est super caput ejus. ¶ *Super te* עליך] i. Capiti tuo, ut exponit v. 23. q. d. Noli incedere capite aperto & nudis pedibus, ut facere solent in luctu. ¶ *Labrum superius* על שפם] i. Barbam labri superioris. Quidam mentum dici putant: q. d. Noli amictu velare os tuum. ¶ *Hominum* אנשים] Sub. *aliorum*. Solebant enim lugentes vesci cibo misso ab aliis, nempe à vicinis suis.

19. Illa propter nos] Vel subaudi *illa in portentum nobis*, sive *ut portendant nobis aliquid*.

21. *Polluo* מחלל] Præs. Heb. pro fut. *contaminaturus*, aut *violaturus sum*, i. adducturus Chaldæos, qui illud ingredientur & pollucnt, ut suprà 7. 22. exponit. *Sanctuarium suum* vocat Templum sibi dicatum, in quo præsentiam suam exhibere solebat. ¶ *Superbiam* גאון] *Gloriationem*, i. de quo superbitis, sive in quo vobis nimiùm placetis, & in quo fiduciam vestram sive robur vestrum ponitis. ¶ *Desiderabile*, &c. מחמד עיניכם] Hebraismus, quod libentissimè aspicitis tanquam rem vobis gratissimam. ¶ *Et indulgentiam animæ vestræ* ומחמל נפשכם] Hebraismus, i. rem quam tantum amatis quantum indulgentes patres liberos suos: sive, rem quam miro affectu prosequitur animus vester. Alii vertunt, *misericordiam* [vel *miserationem*] *animæ vestræ*, i. cujus misereri ex animo soletis: q. d. vobis charissimam. Quidam dicunt Templum *miserationem animæ* vocari quòd vehementer miserebat Judæos destructionis tam sumptuosi ædificii.

22. *Labrum superius*, &c. 'על שפם וגו] Vide hæc ver. 16, & 17.

23. *Et gemetis* ונהמתם] *Et rugietis*: vel *frémetis*, ut qui ducuntur pœnitentiâ anteactæ vitæ.

24. *Cum venerit*, &c. 'בבאה וגו] Ad verb. *in veniendo istud, & scietis*, &c. *Istud*, i. ista Prophetia, vel hæc calamitas, vel hæc fama sive rumor excidii Templi. Alii jungunt præcedentibus hæc verba *cùm venerit istud*, hoc modo, *Juxta omnia quæ fecit, facietis, cùm venerit istud; & scietis*, &c.

25. *Fortitudinem eorum* את מעזם] i. Id in quo fiduciam & spem suam ponunt ac collocant. Hoc versu multis verbis circumloquitur Templum ipsum. ¶ *Gaudium gloriæ eorum* משוש תפארתם] *Gaudium decoris eorum*: i. de quo maximè gloriantur ac superbiunt. ¶ *Desiderium oculorum ipsorum* מחמד עיניהם] Vide v. 21. ¶ *Et elevationem*, &c. ואת משא נפשם] Hebraismus, id in quod elevatur animus eorum. Alii vertunt *onus animæ ipsorum*, h. e. quod potissimùm animum ipsorum urgebat, ut relicti liberi, aut Templum ipsum. Alii, *curam*, vel *solicitudinem*, quòd cura & solicitudo sit vice oneris; i. id de quo ex animo sunt soliciti & curam habent, ut liberi, sive Templum.

26. *Evasor* הפליט] *Effugiens*; *qui effugerit*, i. salvus fuerit expugnatâ Urbe. ¶ *Ad auditum aurium* להשמעות אזנים] *Ad auditionem aurium*. Alii, *in auditu aurium*, i. qui narret tibi quæ audierit, sive ut audierit, non quæ viderit. Alii, *ut audire facias aures*, i. qui narret te audiente [sive in auribus tuis] rem omnem. Hebraismus.

27. *Aperietur*, &c. 'יפתח וגו] Hebraismus, Tempore illo licebit tibi liberè loqui cum eo qui evaserit: tum demum cognoscent te verum esse Prophetam, téque vera illis prædixisse. Suprà 3. 26. dixerat, *Et linguam tuam adhærere faciam palato tuo, & eris mutus, nec eris eis*, &c. Infrà 29. 21. idem promittitur. Capite verò 33. 22. fit quod hîc pollicetur, *Et manus Jehovæ fuit ad me vesperi antequam veniret evasor, aperuitque os meum*. ¶ *In portentum* למופת] *In signum*.

CASTALIO.

3. *Para ollam, para, & aquam in eam infunde*] Alludit ad eos qui Urbem *ollam*, & se *carnem* dicebant c. 11.

7. *Nam ejus sanguis est in ea*] Heb. *in ejus medio*: sed id ponitur pro *in*, ut alibi sæpe, & cap. 26. ubi ad verbum legitur, *Tyrum fore expandendis retibus in medio mari*, cùm Tyrus à medio mari abesset longissimè.

13. *Non antè purganda quàm ego in te meam bilem sedavero*] i. Consumpsero.

16. *Oculorum tuorum jucunditatem*] Uxorem.

17. *Nec vescere consueto victu*] Scilicet in tali re. Vide Jer. 16.

21. *Vestrique filii & filiæ, quos reliquistis*] Scilicet Hierosolymæ.

23. *Alius alium consolabimini*] Vide in cap. 31. 16.

26. *Quo die venerit ad te elapsus*] Id factum est cap. 31. ¶ *Qui sit autor famæ*] Hierosolymam captam nunciet.

27. *Tu, inquam, illo die* (*aperto apud elapsum illum ore tuo*) *loquêris, nec ampliùs tacebis*] Nam antè minùs liberè loqui poterat, ejus oraculis nondum eventu confirmatis.

CLARIUS.

1. *In anno nono, in mense decimo*] *Anno nono* Sedechiæ, *decimâ die mensis decimi*, i. Decembris, obsedit Nabuchodonosor Jerusalem, Jer. 39. & 4 Reg. 25. Hunc igitur diem Propheta absens populo in captivitate prædixit.

3. *Pone ollam, pone, inquam*] Significat *olla* urbem Jerusalem: *infusio aquæ* est oppugnatio; calamitas, h. e. fames, pestis & multiplex tribulatio, est *ignis*; *caro ollæ injecta* sunt qui ex reliquis civitatibus & locis Judææ confugerunt intra mœnia urbis; *pecus electum & electiora ossa* sunt optimates Regni. Loco lignorum sub olla sunt *ossa*: nam occisi innocentes hujus incendii & supplicii vim auxerunt. Ossa non leviter ab igne comburuntur: sic hoc incendium per biennium duravit, propter optimos quosque viros, quos in Urbe impii homines occiderunt. Et quando subditur, ollam tamdiu calefactam ut deficientibus aquis etiam ossa intra ollam elixarentur, intelligunt robustiores quosque qui erant intra civitatem, quibus & vires corporis & commeatus suppetebant per biennium illud. Porrò *spumam* exponunt peccata obstinationis quæ remanserunt cum obsessis. *Frustulatim* quoque *extracta* referuntur carnes, quòd crebris excursionibus multi passim interierint, vel quòd partim fuerint occisi & partim in captivitatem abducti, nullâ projectâ sorte qui abducendi fuerint aut relinquendi in terra. Et quòd *sanguinem fudisse* referuntur *super siccam petram*, ubi sanguis non absorbetur *nec tegi potest pulvere*, significat illos publicè & posito omni timore grassatos in pios homines, qui eorum noluerunt acquiescere impietati.

6, 7. *Non cecidit super eam sors. Sanguis enim ejus*] Qui scilicet (ut dictum est) abducendi, vel servandi sint. Vel, nihil continget fortuitò, sed quisquis ex eis destinatus est gladio, peribit gladio; qui fami, fame, &c.

11. *Et liquefiat æs ejus, & consumetur in medio*] Non solùm, inquit, ii qui in ea sunt, in nihilum redigentur diutinâ coctione, sed

sed & urbs ipsa in cinerem redigetur. ¶ *Et consumatur spuma ejus*] *Multo*, inquit, *labore sudatum est*, *& non exivit de ea nimia spuma ejus*, i. multis sceleribus coinquinavit seipsam, quare *non exivit spuma ejus*, &c. Ergò, inquit, *in ignem* tota conjiciatur, & *consumatur*.

16. *Desiderabile oculorum tuorum*] Intelligitur uxor Prophetæ, quòd illi amabilis & pergratiosa esset. Alioqui si exosam habuisset, facile sibi fuisset illius subitam mortem non deplorare. Prohibetur autem illam lugere, aut speciem præ se ferre lugentis, ut hoc signo ostenderet, tantam futuram molem miseriarum in Jerusalem ut illi qui erant in Babylone eam deplorare nequirent.

17. *Corona tua*] Vel *pileus*. Et est sensus, A consueto vestitu atque habitu non abstinebis. ¶ *Nec cibos lugentium comedes*] Ad primum prandium, quod extra domum suam agebant luctuosi, vicini cibum missitabant: nec fas erat ut de suo vescerentur. Hic cibus *panis lugentium* dictus est. At Propheta de suo victitat hoc primo die funeris.

21. *Consolationem animæ vestræ*] Alius vertit *miserationem*, quòd scilicet vehementer miserebat Judæos destructionis tam sumptuosi ædificii.

25. *Super quo requiescunt animæ eorum*] Heb. *Onus animæ eorum*, h. e. id quod potissimùm animum eorum urgebat, ut relicti liberi, aut Templum ipsum.

27. *Aperietur os tuum*] Cùm scilicet advenerit nuncius, mirabilem Urbis annuncians cladem, tunc tu, fili hominis, loquere confidenter ad populum rebellem, Ecce prædixi vobis hæc omnia, & noluistis credere verbis meis.

D R U S I U S.

2. אֶת־שֵׁם הַיּוֹם. τὸ ὄνομα τῆς ἡμέρας *nomen diei.*

9. אוֹי עִיר הַדָּמִים. οὐαὶ πόλις αἱμάτων, *væ civitas sanguinum*] Aliàs ὦ.

10. וְהָעֲצָמוֹת יֵחָרוּ. καὶ τὰ ὀστᾶ συντελεσθήσονται *& ossa contererentur*] Aliàs συμφρυγῇ. Legitur & συμφρυγήσονται, ut apud Hier. *concrementur*. Psal. 102. 3. נחרו Lxx συνεφρύγησαν. Sym. αὖα γέγονεν, A. ἐψαθυρώθη *ità exaruerunt ut facilè friari possint.* Nam ψαθυρὸς *friabilis*. Suidas hunc locum adducens exponit *aridus*.

11. עַל־גֶּחָלֶיהָ רֵקָה. ἐπὶ τοὺς ἄνθρακας αὐτῆς κενὴ *super carbones suos inanis.* ¶ לְמַעַן תֵּחַם וְחָרָה נְחֻשְׁתָּהּ, ὅπως θερμανθῇ καὶ ἐκφρυγῇ ὁ χαλκὸς αὐτῆς, *ut incalescat & frigatur æs ejus.*

13. זִמָּה. Ζεμὰ *Zema*] Vel Ζεμμά· & est vox Ebraica. Malè ergò *fervorem* interpretantur. Ezec. 16. 17. זמה, Th. Ζεμμά. Hier. Ezech. 22. in textu, scelus, *sive, ut significantiùs in Ebræo habet*, Zemma, *h. e.* incestum. Scribitur & Ζεμὰ unicâ μ. Jud. 20. 6. ἐποίησαν Ζεμὰ, nisi legendum Ζεμμά. Alibi est ἀφροσύνην *insipientiam*. Hier. *nefas*.

16. אֶת־מַחְמַד עֵינֶיךָ. *desiderium oculorum tuorum*] Theodoretus, ὁ Ἑβραῖος, ἐπιθύμημα. Hier. ad verba illa, *Secundùm vias tuas & secundùm adinventiones tuas judicabo te, dicit Adonai DOMINUS*, in Commentariis hæc annotat, *Quorum pleraque de Theodotione addita sunt, & verbum Ebraicum* Z E M A, *pro quo nos* exsecrabilem immunditiem *interpretati sumus.* Et aliquantò pòst, *Sed permanet in ea immunditia scelesta & exsecrabilis. Hoc enim* Z E M A *significat.* ¶ וְלֹא תָבוֹא דִּמְעָתֶךָ. οὐδὲ μὴ ἔλθῃ σοι δάκρυα, *nec venient tibi lacrymæ.*

17. הֵאָנֵק דֹּם. στέναζε σιγῶν, *Geme tacens.* Alibi est στέναξαι. ¶ מֵתִים אֵבֶל לֹא־תַעֲשֶׂה. ἀνθρώπινον πένθος οὐ ποιήσῃ, *humanum luctum non facies.*

18. וַתָּמָת אִשְׁתִּי בָּעֶרֶב. καὶ ἀπέθανεν ἡ γυνή μου ἑσπέρας, *& mortua est uxor mea vesperi.*

24. עָשָׂה. ἐποίησε *fecit.*

G R O T I U S.

2. IN *qua confirmatus est Rex Babylonis adversùs Jerusalem*] *Circumdedit Jerusalem*: hoc sensu סמך sumitur Psalm. LXXXVIII. 8. Lxx hìc ἀπηρείσατο, id est, *castrafixit*: cúmque sensum postulat historia quæ est II Regum XXV. Jeremiæ LII. 4. Facile Deo fuit res quæ tam longè gerebantur sub ipsum tempus Prophetæ ostendere, cùm id etiam dæmones Deo sinente fecerint, sicut Cornelio Sacerdoti in Venetis agenti ostensa fuit tota series Pharsalici prælii, teste Lucano & Gellio; Apollonio verò Tyanæo cædes Domitiani.

3. *Et dices per proverbium*] Id est, per Allegoriam: non verbis tantùm sed & rebus significa. Lebes, Hierosolyma; carnes & membra ei indita, cives ejus; ignis & aqua fervens, mala quæ patientur.

4. *Omnem partem bonam, femur & armum*] Civium primores.

Electa & ossibus plena] *Imple ossibus lectissimis.* Hi sunt de plebe robustissimi.

5. *Pinguissimum pecus assume*] *Sumta de pinguissimo pecore*, nempe ossa illa.

Compone quoque strues ossium sub ea] *Incende ossa sub eo:* id est, lebeti ignem subjice qui ossa decoquat.

Efferbuit coctio ejus] *Ebulliit bullitio ejus*, nempe lebetis.

Et discocta sunt ossa illius in medio ejus] Ut coquantur *ossa quæ sunt intra lebetem.*

6. *Propterea hæc dicit Dominus Deus*] *De hac re* (id est, de hoc symbolo) *sic loquitur Dominus Deus.* Sic ipse explicat ambages illas.

Cujus rubigo in ea est] חלאה Chaldæis, & خلّ Arabibus *acetum* significat. Translatè significat omne corruptum, quale est in lebete *ærugo*, quam ἰὸν [*virus*] hìc dixere Lxx. per eam verò malitia innuitur.

Per partes & per partes suas ejice eam] *Particulatim eam exinani.*

Non cecidit super eam sors] *Ne cadat super eam sors.* In prioribus deportationibus sors ducta, qui exirent aut manerent; nunc omnes ejiciendi.

7. *Super limpidissimam petram effudit illum*] *In sublimem petram*, ut omnes aspicerent.

Non effudit illum super terram, ut possit operiri pulvere] Ut illi facere solent quos pudet facti.

8. *Dedi sanguinem ejus super petram limpidissimam*] *In sublimem petram*: par pari referam. Palàm peccaverat, palàm punietur.

9. *Cujus ego grandem faciam pyram*] Ostendit apertiùs quid ille sub lebete ignis significet. Deinde post ἀπόδοσιν [*redditionem in comparatione*] ad ἀλληγορίαν [*Allegoriam*] jam magis patescentem redit.

10. *Congere ossa*] In Hebræo עצים [*ligna*]: nec aliter Chaldæus & Græci. at Latinus legit עצמים [*ossa*].

Quæ igne succendam] *Succende ignem.* Jubet repeti typum.

Consumentur carnes] *Consume carnem:* ὅπως τακῇ τὰ κρέα [*ut carnes percoquantur*], Lxx.

Et coquetur universa compositio] *Mixtum*, id est, jusculum, *attenuetur*: ἐλαττωθῇ ὁ ζωμὸς [*minuatur jusculum*]. Quò ferventior est ignis, hoc magis liquor in summam redigitur. Virgilius:

——— *Volcano decoquit humorem*,
Et foliis undam tepidi despumat aheni.

Et ossa tabescent] *Ut & ossa liquefiant*, id est, dissolvantur etiam robustissimi. Vide suprà 4.

11. *Pone quoque eam super prunas vacuam*] Id est, ipsi lebeti, post ejectas carnes & ossa, subde prunas ardentissimas.

Ut incalescat & liquefiat æs ejus] Id est, ut ejectis civibus urbs ardeat.

Et confletur in medio ejus inquinamentum ejus, & consumatur rubigo ejus] Sensus est, Ut vel sic corrigantur.

12. *Multo labore sudatum est*] *Frustra laboratur.*

Et non exivit de ea nimia rubigo ejus, neque per ignem] In Hebræo: *Non exiit de ea multa ærugo ejus, per ignem* (inquam) *ærugo ejus non exiit.* Tanta fuit malitia ut ne incendio quidem urbis expurgata sit.

13. *Donec quiescere faciam indignationem meam in te*] Donec gravissimis exsilii malis iram satiavero.

14. *Juxta vias & juxta adinventiones tuas te judicabo*] Græci, quos hìc Interpres sequitur, legerunt שפטיך [*judices tui*]. At noster textus & Chaldæus שפטוך [*punient te*], nempe Chaldæi meo jussu.

16. *Ego tollo a te desiderabile oculorum tuorum in plaga*] Subità peste auferam tibi uxorem tuam, & eam nolo lugeas; ut significes in maximis malis non vacaturum ipsis ut lugeant.

Non planges] Non temet percuties. Seneca in Troadibus:
Vacat ad crebri verbera planctûs
Furibunda manus.

Neque plorabis] *Plorare* est clamare. Vide Festum. Vetus Poëta:
Heu virginalem me ore ploratum edere.

Neque fluent lacrymæ tuæ] Ennius:
Ne me condecores lacrymis, neque funere fletum
Faxis.

17. *Ingemisce tacens*] אנק vertitur στενάζειν [*gemere*], אנקה στεναγμὸς [*gemitus*]. Ità geme ut alienus nemo audiat.

Mortuorum luctum non facies] Generaliter dicit quod deinde per species explicat.

rum & ossium sub olla illa: q. d. atteram illos magnis afflictionibus & calamitatibus. Acerbam oppugnationem significat.

10. *Multiplicabo*, &c. 'נו הרבה] Infinit. Heb. pro imperat. vel potiùs futuris. Quidam per gerundium vertunt, conjungentes hæc fini præcedentis versûs hoc pacto, *Grandem faciam pyram, multiplicando ligna, succendendo ignem*, &c. ¶ *Et condiam condimentum aromatibus* והרקח המרקחה] Ut scilicet suaviores sint & aptiores ad edendum: q. d. addam illis animos ad oppugnandos Jerosolymitanos, quos conficiam peste & gladio. ¶ *Et ossa adurentur* יחרו והעצמות] i. Ut etiam ossa ipsa adurantur in ea olla.

11. *Et statuam* והעמידה] Infinit. Heb. ut præcedenti versu pro imperat. vel futuris. ¶ *Vacuam* רקה] *Inanem*, i. carnibus evacuatam. ¶ *Fundum ejus* נחשתה] *Æs ejus*. Quidam, *ardore æs ejus solvatur*. Doctus inter Hebræos exponit תחתית *partem inferiorem*. ¶ *Inquinamentum ejus* טמאתה] *Inquinatio ejus: sordes ejus*: i. ità ut testæ ejus præ calore absumant sordes ipsius. Solent enim sordes præ calore descendere in imas partes.

12. *Mendaciis* תאנים] Deest ב, i. inferendo aliis injuriam: q. d. Magno studio intulit aliis injuriam, nec pœnituit eam; ideo dabit pœnas condignas sceleribus.

13. *In immunditia*, &c. זמה בטמאתך] Ad verb. *In immunditia*, *scelus*: vel *fœditas*, aut *abominatio*: q. d. Tu adhuc polluta es sceleribus ac criminibus tuis. ¶ *Mundavi te* טהרתיך] i. Conatus sum mundare te missis Prophetis meis, qui te ad resipiscentiam invitarent.

14. *Venit* באה] *Evenit*, sub. *sententia mea & decretum: & faciam quod prædixi*. Est præteritum. ¶ *Non retrocedam* לא אפרע] Doctus inter Hebræos exponit, *Non revertar retrorsum ab eo quod constitui*, i. non retractabo sententiam meam. ¶ *Judicabunt te* שפטוך] Præt. Heb. pro fut. sub. *judices*, Deus per Angelos suos.

16. *Desiderium oculorum tuorum* את מחמד עיניך] i. Uxorem tuam charissimam. Seipsum declarat v. 18. ¶ *Percussione* במגפה] *Plagâ*, i. morte repentinâ, quam nullus præcedet morbus. ¶ *Veniat* תבוא] Sub. *super genas tuas*. Prohibet Dominus Prophetæ lugere uxorem suam in signum quòd illi præ nimia animæ consternatione ac perturbatione non essent luctum exhibituri excidium Jerusalem, Templi, & liberorum suorum.

17. *Ab ejulando tace* האנק דם] Deest præpositio מ, pro מהאנק *à vociferando tempera*, more lugentium mortuos. ¶ *Ne facias* לא תעשה] Sub. *illi*. *Luctum mortuorum* vocat qui fieri solet pro mortuis. ¶ *Tiaram tuam* פארך] *Pileum tuum: galerum*. Sic dictum existimat doctus inter Hebræos quòd gloriæ & decori sit homini quando est super caput ejus. ¶ *Super te* עליך] i. Capiti tuo, ut exponit v. 23. q. d. Noli incedere capite aperto & nudis pedibus, ut facere solent in luctu. ¶ *Labrum superius* על שפם] i. Barbam labri superioris. Quidam mentum dici putant: q. d. Noli amictu velare os tuum. ¶ *Hominum* אנשים] Sub. *aliorum*. Solebant enim lugentes vesci cibo misso ab aliis, nempe à vicinis suis.

19. Illa propter nos] Vel subaudi *illa in portentum nobis*, sive *ut portendant nobis aliquid*.

21. *Polluo* מחלל] Præs. Heb. pro fut. *contaminaturus*, aut *violaturus sum*, i. adducturus Chaldæos, qui illud ingredientur & polluent, ut suprà 7.22. exponit. *Sanctuarium suum* vocat Templum sibi dicatum, in quo præsentiam suam exhibere solebat. ¶ *Superbiam* גאון] *Gloriationem*, i. de quo superbitis, sive in quo vobis nimiùm placetis, & in quo fiduciam vestram sive robur vestrum ponitis. ¶ *Desiderabile*, &c. מחמד עיניכם] Hebraismus, quod libentissimè aspicitis tanquam rem vobis gratissimam. ¶ *Et indulgentiam animæ vestræ* ומחמל נפשכם] Hebraismus, i. rem quam tantum amatis quantum indulgentes patres liberos suos: sive, rem quam miro affectu prosequitur animus vester. Alii vertunt, *misericordiam* [vel *miserationem*] *animæ vestræ*, i. cujus misereri ex animo soletis: q. d. vobis charissimam. Quidam dicunt Templum *miserationem animæ* vocari quòd vehementer miserebat Judæos destructionis tam sumptuosi ædificii.

22. *Labrum superius*, &c. 'על שפם וגו] Vide hæc ver. 16, & 17.

23. *Et gemetis* ונהמתם] *Et rugietis*: vel *fremetis*, ut qui ducuntur pœnitentiâ anteactæ vitæ.

24. *Cum venerit*, &c. 'בבאה וגו] Ad verb. *in veniendo istud, & scietis*, &c. *Istud*, i. ista Prophetia, vel hæc calamitas, vel hæc fama sive rumor excidii Templi. Alii jungunt præcedentibus hæc verba *cùm venerit istud*, hoc modo, *Juxta omnia quæ fecit, facietis, cùm venerit istud; & scietis*, &c.

25. *Fortitudinem eorum* את מעזם] i. Id in quo fiduciam & spem suam ponunt ac collocant. Hoc versu multis verbis circumloquitur Templum ipsum. ¶ *Gaudium gloriæ eorum* משוש תפארתם] *Gaudium decoris eorum*: i. de quo maximè gloriantur ac superbiunt. ¶ *Desiderium oculorum ipsorum* מחמד עיניהם] Vide v. 21. ¶ *Et elevationem*, &c. ואת משא נפשם] Hebraismus, id in quod elevatur animus eorum. Alii vertunt *onus animæ ipsorum*, h. e. quod potissimùm animum ipsorum urgebat, ut relicti liberi, aut Templum ipsum. Alii, *curam*, vel *solicitudinem*, quòd cura & solicitudo sit vice oneris; i. id de quo ex animo sunt soliciti & curam habent, ut liberi, sive Templum.

26. *Evasor* הפליט] *Effugiens*; *qui effugerit*, i. salvus fuerit expugnatâ Urbe. ¶ *Ad auditum aurium* להשמעות אזנים] *Ad auditionem aurium*. Alii, *in auditu aurium*, i. qui narret tibi quæ audierit, sive ut audierit, non quæ viderit. Alii, *ut audire facias aures*, i. qui narret te audiente [sive in auribus tuis] rem omnem. Hebraismus.

27. *Aperietur*, &c. 'יפתח וגו] Hebraismus, Tempore illo licebit tibi liberè loqui cum eo qui evaserit: tum demum cognoscent te verum esse Prophetam, téque vera illis prædixisse. Suprà 3.26. dixerat, *Et linguam tuam adhærere faciam palato tuo, & eris mutus, nec eris eis*, &c. Infrà 29. 21. idem promittitur. Capite verò 33. 22. fit quod hîc pollicetur, *Et manus Jehovæ fuit ad me vesperi antequam veniret evasor, aperuitque os meum*. ¶ *In portentum* למופת] *In signum*.

CASTALIO.

3. *Para ollam, para, & aquam in eam infunde*] Alludit ad eos qui Urbem *ollam*, & se *carnem* dicebant c. 11.

7. *Nam ejus sanguis est in ea*] Heb. *in ejus medio*: sed id ponitur pro *in*, ut alibi sæpe, & cap. 26. ubi ad verbum legitur, *Tyrum fore expandendis retibus in medio mari*, cùm Tyrus à medio mari abesset longissimè.

13. *Non antè purganda quàm ego in te meam bilem sedavero*] i. Consumpsero.

16. *Oculorum tuorum jucunditatem*] Uxorem.

17. *Nec vescere consueto victu*] Scilicet in tali re. Vide Jer. 16.

21. *Vestrique filii & filiæ, quos reliquistis*] Scilicet Hierosolymæ.

23. *Alius alium consolabimini*] Vide in cap. 31. 16.

26. *Quo die venerit ad te elapsus*] Id factum est cap. 31. ¶ *Qui sit autor famæ*] Hierosolymam captam nunciet.

27. *Tu, inquam, illo die (aperto apud elapsum illum ore tuo) loquêris, nec ampliùs tacebis*] Nam antè minùs liberè loqui poterat, ejus oraculis nondum eventu confirmatis.

CLARIUS.

1. *In anno nono, in mense decimo*] *Anno nono* Sedechiæ, *decimâ die mensis decimi*, i. Decembris, obsedit Nabuchodonosor Jerusalem, Jer. 39. & 4 Reg. 25. Hunc igitur diem Propheta absens populo in captivitate prædixit.

3. *Pone ollam, pone, inquam*] Significat *olla* urbem Jerusalem: *infusio aquæ* est oppugnatio; calamitas, h. e. fames, pestis & multiplex tribulatio, est *ignis*; *caro ollæ injecta* sunt qui ex reliquis civitatibus & locis Judææ confugerunt intra mœnia urbis; *pecus electum* & *electiora ossa* sunt optimates Regni. Loco lignorum sub olla sunt *ossa*: nam occisi innocentes hujus incendii & supplicii vim auxerunt. Ossa non leviter ab igne comburuntur: sic hoc incendium per biennium duravit, propter optimos quosque viros, quos in Urbe impii homines occiderunt. Et quando subditur, ollam tamdiu calefactam ut deficientibus aquis etiam ossa intra ollam elixarentur, intelligunt robustiores quosque qui erant intra civitatem, quibus & vires corporis & commeatus suppetebant per biennium illud. Porrò *spumam* exponunt peccata obstinationis quæ remanserunt cum obsessis. *Frustulatim* quoque *extractæ* referuntur carnes, quòd crebris excursionibus multi passim interierint, vel quòd partim fuerint occisi & partim in captivitatem abducti, nullâ projectâ sorte qui abducendi fuerint aut relinquendi in terra. Et quòd *sanguinem fudisse* referuntur *super siccam petram*, ubi sanguis non absorbetur *nec tegi potest pulvere*, significat illos publicè & posito omni timore grassatos in pios homines, qui eorum noluerunt acquiescere impietati.

6, 7. *Non cecidit super eam sors. Sanguis enim ejus*] Qui scilicet (ut dictum est) abducendi, vel servandi sint. Vel, nihil continget fortuitò, sed quisquis ex eis destinatus est gladio, peribit gladio; qui fami, fame, &c.

11. *Et liquefiat æs ejus, & confletur in medio*] Non solùm, inquit, ii qui in ea sunt, in nihilum redigentur diutinâ coctione,

sed

sed & urbs ipsa in cinerem redigetur. ¶ *Et consumatur spuma ejus*] *Multo*, inquit, *labore sudatum est*, *& non exivit de ea nimia spuma ejus*, i. multis sceleribus coinquinavit seipsam, quare *non exivit spuma ejus*, &c. Ergò, inquit, *in ignem* tota conjiciatur, & *consumatur*.

16. *Desiderabile oculorum tuorum*] Intelligitur uxor Prophetæ, quòd illi amabilis & pergratiosa esset. Alioqui si exosam habuisset, facile sibi fuisset illius subitam mortem non deplorare. Prohibetur autem illam lugere, aut speciem præ se ferre lugentis, ut hoc signo ostenderet, tantam futuram molem miseriarum in Jerusalem ut illi qui erant in Babylone eam deplorare nequirent.

17. *Corona tua*] Vel *pileus*. Et est sensus, A consueto vestitu atque habitu non abstinebis. ¶ *Nec cibos lugentium comedes*] Ad primum prandium, quod extra domum suam agebant luctuosi, vicini cibum missitabant: nec fas erat ut de suo vescerentur. Hic cibus *panis lugentium* dictus est. At Propheta de suo victitat hoc primo die funeris.

21. *Consolationem animæ vestræ*] Alius vertit *miserationem*, quòd scilicet vehementer miserebat Judæos destructionis tam sumptuosi ædificii.

25. *Super quo requiescunt animæ eorum*] Heb. *Onus animæ eorum*, h. e. id quod potissimùm animum eorum urgebat, ut relicti liberi, aut Templum ipsum.

27. *Aperietur os tuum*] Cùm scilicet advenerit nuncius, mirabilem Urbis annuncians cladem, tunc tu, fili hominis, loquere confidenter ad populum rebellem, Ecce prædixi vobis hæc omnia, & noluistis credere verbis meis.

DRUSIUS.

2. אֶת־שֵׁם הַיּוֹם. τὸ ὄνομα τῆς ἡμέρας *nomen diei*.

9. אוֹי עִיר הַדָּמִים. καὶ πόλις αἱμάτων, *væ civitas sanguinum*] Aliàs ὦ.

10. וְהָעֲצָמוֹת יֵחָרוּ. καὶ τὰ ὀστᾶ συντελεσθήσονται *& ossa contenentur*] Aliàs συμφρυγῇ. Legitur & συμφρυγήσονται, ut apud Hier. *concrementur*. Psal. 102. 3. נחרו Lxx συνεφρύγησαν. Sym. αὖα γέγονεν, A. ἐψαθυρώθη *ità exaruerunt ut facilè friari possint*. Nam ψαθυρὸς *friabilis*. Suidas hunc locum adducens exponit *aridus*.

11. עַל־גֶּחָלֶיהָ רֵקָה. ἐπὶ τὰς ἄνθρακας αὐτῆς κενὴ *super carbones suos inanis*. ¶ לְמַעַן תֵּחַם וְחָרָה נְחֻשְׁתָּהּ, ὅπως θερμανθῇ καὶ ἐκφρυγῇ ὁ χαλκὸς αὐτῆς, *ut incalescat & frigatur æs ejus*.

13. זִמָּה. Ζεμὰ *Zema*] Vel Ζεμμά· & est vox Ebraica. Malè ergò *fervorem* interpretantur. Ezec. 16. 17. זמה, Th. Ζεμμά. Hier. Ezech. 22. in textu, scelus, *sive*, *ut significantius in Ebræo habet*, Zemma, *h. e.* incestum. Scribitur & Ζεμὰ unicâ μ. Jud. 20. 6. ἐποίησαν Ζεμὰ, nisi legendum Ζεμμά. Alibi est ἀφροσύνην *insipientiam*. Hier. *nefas*.

16. אֶת־מַחְמַד עֵינֶיךָ. *desiderium oculorum tuorum*] Theodoretus, ὁ Ἑβραῖος, ἐπιθύμημα. Hier. ad verba illa, *Secundùm vias tuas & secundùm adinventiones tuas judicabo te*, *dicit Adonai DOMINUS*, in Commentariis hæc annotat, *Quorum pleraque de Theodotione addita sunt*, *& verbum Ebraicum* ZEMA, *pro quo nos* exsecrabilem immunditiem *interpretati sumus*. Et aliquantò pòst, *Sed permanet in ea immunditia scelesta & exsecrabilis*. *Hoc enim* ZEMA *significat*. ¶ וְלוֹא תָבוֹא דִּמְעָתֶךָ. οὐδὲ μὴ ἔλθῃ σοι δάκρυα, *nec venient tibi lacrymæ*.

17. הֵאָנֵק דֹּם. στέναζε σιγῶν, *Geme tacens*. Alibi est στενάζειν. ¶ מֵתִים אֵבֶל לֹא־תַעֲשֶׂה. ἀνθρώπινον πένθος οὐ ποιήσῃ, *humanum luctum non facies*.

18. וַתָּמָת אִשְׁתִּי בָּעָרֶב. καὶ ἀπέθανεν ἡ γυνή μου ἑσπέρας, *& mortua est uxor mea vesperi*.

24. עָשָׂה. ἐποίησε *fecit*.

GROTIUS.

2. IN *qua confirmatus est Rex Babylonis adversùs Jerusalem*] *Circumdedit Jerusalem*: hoc sensu סמך sumitur Psalm. LXXXVIII. 8. Lxx hic ἀπηρείσατο, idest, *castrafixit*: eûmque sensum postulat historia quæ est II Regum XXV. Jeremiæ LII. 4. Facile Deo fuit res quæ tam longè gerebantur sub ipsum tempus Prophetæ ostendere, cùm id etiam dæmones Deo sinente fecerint, sicut Cornelio Sacerdoti in Venetis agenti ostensa fuit tota series Pharsalici prælii, teste Lucano & Gellio; Apollonio verò Tyanæo cædes Domitiani.

3. *Et dices per proverbium*] Id est, per Allegoriam: non verbis tantùm sed & rebus significa. Lebes, Hierosolyma; carnes & membra ei indita, cives ejus; ignis & aqua fervens, mala quæ patientur.

4. *Omnem partem bonam*, *femur & armum*] Civium primores.

Electa & ossibus plena] *Imple ossibus lectissimis*. Hi sunt de plebe robustissimi.

5. *Pinguissimum pecus assume*] *Sumta de pinguissimo pecore*, nempe ossa illa.

Compone quoque strues ossium sub ea] *Incende ossa sub eo*: id est, lebeti ignem subjice qui ossa decoquat.

Efferbuit coctio ejus] *Ebulliit bullitio ejus*, nempe lebetis.

Et discocta sunt ossa illius in medio ejus] *Ut coquantur ossa quæ sunt intra lebetem*.

6. *Propterea hæc dicit Dominus Deus*] *De hac re* (id est, de hoc symbolo) *sic loquitur Dominus Deus*. Sic ipse explicat ambages illas.

Cujus rubigo in ea est] חלאה Chaldæis, & خل Arabibus *acetum* significat. Translatè significat omne corruptum, quale est in lebete *ærugo*, quam ἰὸν [*virus*] hîc dixere Lxx. per eam verò malitia innuitur.

Per partes & per partes suas ejice eam] *Particulatim eam exinani*.

Non cecidit super eam sors] *Nè cadat super eam sors*. In prioribus deportationibus sors ducta, qui exirent aut manerent; nunc omnes ejiciendi.

7. *Super limpidissimam petram effudit illum*] *In sublimem petram*, ut omnes aspicerent.

Non effudit illum super terram, *ut possit operiri pulvere*] Ut illi facere solent quos pudet facti.

8. *Dedi sanguinem ejus super petram limpidissimam*] *In sublimem petram*: par pari referam. Palàm peccaverat, palàm punietur.

9. *Cujus ego grandem faciam pyram*] Ostendit apertiùs quid ille sub lebete ignis significet. Deinde post ἀπόδοσιν [*redditionem in comparatione*] ad ἀλληγορίαν [*Allegoriam*] jam magis patescentem redit.

10. *Congere ossa*] In Hebræo עצים [*ligna*]: nec aliter Chaldæus & Græci. at Latinus legit עצמים [*ossa*].

Quæ igne succendam] *Succende ignem*. Jubet repeti typum.

Consumentur carnes] *Consume carnem*: ὅπως τακῇ τὰ κρέα [*ut carnes percoquantur*], Lxx.

Et coquetur universa compositio] *Mixtum*, id est, jusculum, *attenuetur*: ἐλαττωθῇ ὁ ζωμός [*minuatur jusculum*]. Quò ferventior est ignis, hoc magis liquor in summam redigitur. Virgilius:

> ——— *Volcano decoquit humorem*,
> *Et foliis undam tepidi despumat aheni*.

Et ossa tabescent] *Ut & ossa liquefiant*, id est, dissolvantur etiam robustissimi. Vide suprà 4.

11. *Pone quoque eam super prunas vacuam*] Id est, ipsi lebeti, post ejectas carnes & ossa, subde prunas ardentissimas.

Ut incalescat & liquefiat æs ejus] Id est, ut ejectis civibus urbs ardeat.

Et confletur in medio ejus inquinamentum ejus, *& consumatur rubigo ejus*] Sensus est, Ut vel sic corrigantur.

12. *Multo labore sudatum est*] *Frustra laboratur*.

Et non exivit de ea nimia rubigo ejus, *neque per ignem*] In Hebræo: *Non exiit de ea multa ærugo ejus*, *per ignem* (inquam) *ærugo ejus non exiit*. Tanta fuit malitia ut nè incendio quidem urbis expurgata sit.

13. *Donec quiescere faciam indignationem meam in te*] Donec gravissimis exsilii malis iram satiavero.

14. *Juxta vias & juxta adinventiones tuas te judicabo*] Græci, quos hic Interpres sequitur, legerunt שפטוך [*judices tui*]. At noster textus & Chaldæus שפטוך [*punient te*], nempe Chaldæi meo jussu.

16. *Ego tollo a te desiderabile oculorum tuorum in plaga*] Subitâ peste auferam tibi uxorem tuam, & eam nolo lugeas; ut significes in maximis malis non vacaturum ipsis ut lugeant.

Non planges] Non temet percuties. Seneca in Troadibus:

> *Vacat ad crebri verbera planctûs*
> *Furibunda manus*.

Neque plorabis] *Plorare* est clamare. Vide Festum. Vetus Poëta:

> *Heu virginalem me ore ploratum edere*.

Neque fluent lacrymæ tuæ] Ennius:

> *Nè me condecores lacrymis*, *neque funere fletum*
> *Faxis*.

17. *Ingemisce tacens*] אנק vertitur στενάζειν [*gemere*], אנקה στεναγμός [*gemitus*]. Ità geme ut alienus nemo audiat.

Mortuorum luctum non facies] Generaliter dicit quod deinde per species explicat.

Corona tua circumligata sit tibi] Græci hîc פאר [*coronam*] *cincinnos* interpretantur, ut Esaiæ LXI. 10. μίτραν [*mitram*], ut & hîc Chaldæus מצנפתך. Lugentes nudo capite ire solebant, Levit. XIII. 45.

Et calceamenta tua erunt in pedibus tuis] Nam mœrentes nudis incedebant pedibus, II Samuelis XV. 30.

Nec amictu ora velabis] Lugentes (in quibus & leprosi) obvelabant sibi mystacem, Levit. XIII. 45. Michæ III. 7. שפם vel ספם propriè est *mystax*, ut apparet II Samuel. XIX. 24. pro eo *labium superius* hîc dixit Chaldæus, sensu eodem.

Nec cibos lugentium comedes] Περίδειπνα sunt *parentalia* quæ amici mittebant lugentibus, Jeremiæ XVI. 7. Hieronymus ibi & hîc.

18. *Locutus sum ego ad populum manè, & mortua est uxor mea vesperè*] *Cum manè allocutus essem populum* (deportatos), *ipso vespere uxor mea mortua est*: id est, subitò admodum.

21. *Loquere domui Israël*] Significa per literas illis qui sunt Hierosolymis.

Ecce ego polluam sanctuarium meum] Expositurus sum libidini profanarum gentium.

Superbiam imperii vestri] Id est, regnorum.

Et desiderabile oculorum vestrorum] Uxores, ut suprà 16.

Et super quo pavet anima vestra] Id quod placet vobis. خمل *placere* Arabibus, & indè *Camajeul*, id est, *res pretiosa*.

Filii vestri & filiæ vestræ, quas reliquistis] Intelligit illos qui cum Godolia manserant.

22. *Ora amictu non velabitis*] Ut meliùs introspiciatis quò eundum sit.

Cibos lugentium non comedetis] Nemo erit cui copia sit mittendi vobis περίδειπνα in ista migratione.

23. *Coronas habebitis in capitibus vestris*] *Mitellas*, ut solent qui iter faciunt contra Solem aut pluviam.

Et calceamenta in pedibus] Contra lapidum offensiones.

Non plangetis, neque flebitis] Ne irritetis victorem.

Sed tabescetis in iniquitatibus vestris] In pœnis. Sumtum ex Levit. XXVI. 39.

Et unusquisque gemet ad fratrem suum] Ità ut nemo alienus exaudiat. Lucanus,

> —— *nunc flere potestas,*
> *Dum pendet fortuna ducum: cùm vicerit alter,*
> *Gaudendum est.*

Femina ob lacrymas accusata: habes id apud Tacitum Annalium VI. qui & *filios Mithridatis trucidatos* narrat *quod cædibus parentum illacrymassent*. Idem in Agricola: *Cùm suspiria nostra subscriberentur, cùm denotandis tot hominum palloribus sufficeret sævus ille vultus.*

24. *Eritque Ezechiel vobis in portentum*] Suis factis præmonstrat quid vobis sit eventurum, ut Esaiæ VIII. 18. & suprà XII. 6.

25. *In die quâ tollam ab eis fortitudinem eorum*] Regnum, ut suprà 21.

Et gaudium dignitatis] *Gaudium gloriæ*: id est, Templum.

Et desiderium oculorum eorum] Uxores.

Super quo requiescunt animæ eorum] *Deliciæ oculorum eorum*: id est, res pretiosissimæ, suprà 21.

26. *In die illa*] Id est, peracto obsidio, exustâ Urbe ac Templo.

Cùm venerit fugiens ad te, ut annunciet tibi] Implementum vide infrà XXXIII. 22.

27. *Aperietur os tuum cum eo qui fugit*] Illius testimonium tuis prædictionibus congruens auctoritatem tibi dabit loquendi, & fidem conciliabit novis Prophetiis.

Erisque eis in portentum] Tunc dicent te rebus ipsis præmonstrasse ipsorum sortem: dicto cap. XXXIII. 33.

CAP. XXV.

MUNSTERUS.

3. *HA ha*] Sic insultabant gentes voce ridiculâ & contemptibili Judæis, faventes illis cladem illam, & simul voce blasphemâ deridentes, q. d. Frustrà coluisti unum Deum, & separasti te ab aliis populis: nihil profuit tibi Templum, &c. quod magnum in Gentibus fuit peccatum, cùm & ipsæ plenæ essent omnibus sceleribus & obnoxii inauditis flagitiis.

5. *Rabbath*] Hæc putatur fuisse Philadelphia, metropolis in provincia Ammon.

9. *Latus Moab*] Jonathan hunc locum sic vertit, *Ecce ego confringo robur Moab, à civitatibus eorum & à castris eorum usque ad villas eorum.* Kimhi sic exponit, *Ex latere ubi sunt civitates munitæ, in quibus Moab habet fiduciam, ibi aperturam faciam per quam hostes ingrediantur.* Quam sententiam textus mox repetit, *De civitatibus ejus ab extremitate ejus*, q. d. A civitatibus ejus quæ sunt in extremitate termini ejus incipiam patefacere introitum.

13. *Ab Austro*] Heb. מתימן, quod Jonathan exponit *ab Austro*. Kimhi verò accipit pro civitate *Theman*, & dicit præpositionem Mem idem valere quod מצד *à parte* vel *ex latere*. Vel est sensus, *à Theman usque in Dedan sæviet gladius*.

VATABLUS.

1. *DIcendo* לאמר] i. Dicentis.

2. *Pone faciem tuam*, &c. שים פניך וגו'] Hebraismus, converte te ad Ammonitas, relictis Judæis.

3. *Propterea*, &c. יען אמרך האח] i. Quia affecta es magnâ & incomparabili lætitiâ, propterea quòd Templum meum destructum sit. Alloquitur congregationem Ammonitarum.

4. *Trado te filiis Orientis* נתנך לבני קדם] Præsens pro futuro, *traditurus sum te Orientalibus*, i. Persis & Medis, vel, ut alii, Chaldæis. ¶ *Palatia sua* טירותיהם] *Ædes sumptuosas* significat: i. te depulsâ, incolent regionem tuam. ¶ *Habitacula sua* משכניהם] *Tentoria sua*, vel *tabernacula*. Habitationem vulgi significat.

5. *Daboque* ונתתי] i. Ponam: q. d. ità desolabitur metropolis Rabbah ut cameli in ea habitent. ¶ *Et filios* ואת בני] i. Urbem.

6. *Et percussisti* ורקעך] *Et calcasti*, sub. *terram*. Signum hîc est lætitiæ; suprà verò 6. 11. mœroris. ¶ *In omni*, &c. בכל שאטך בנפש] i. Quando risisti calamitatem & afflictionem Israelitarum, vehementer contemnens eos in corde tuo: vel, & id ex animo.

7. *Delebo te* אשמידך] i. Prorsus exterminabo te.

9. *Aperio* פתח] Præs. Heb. pro fut. i. faciam viam per regionem Moab. Chald. *Ecce ego confringo robur Moab à civitatibus eorum*, &c. ¶ *Ab urbibus*, &c. מהערים מעריו] i. Ex parte urbium ejus munitissimarum: q. d. non quidem latus debile aut infirmum, sed fortissimum ac firmissimum aperiam, nempe in quo sitæ sunt urbes munitissimæ. ¶ Quæ sunt *in extremo ejus* מקצהו] Ad verb. *Ab extremo ejus*. Solent enim tales urbes esse munitiores aliis. ¶ *Desiderabiles terræ* צבי ארץ] *Inclytam terræ*: vel *gloriam*. Quidam subauditâ præpositione מ vertunt, *à desiderio* [vel *gloria*, aut *decore*] *terræ*, i. ab urbibus desiderabilibus ejus, quæ sunt *Beth-jesimoth*, &c.

10. *Filios Orientis* לבני קדם] *Orientalibus* qui venturi sunt *contra*, &c. sub. *aperio*. ¶ *Ità ut non memorentur* למען לא תזכר] *Ità ut nulla sit memoria filiorum*, &c. Ad verb. *ut non memoretur*, sub. *congregatio filiorum*, &c.

11. *In Moab quoque faciam judicia* ובמואב אעשה שפטים] Hebraismus, in Moabitas animadvertam: vel sumam pœnas de Moabitis, puniam eos, idque justo judicio.

12. *Fecit* עשות] Infinit. pro præt. sub *malum*, sive *multa mala*. ¶ *Ulta est ultionem* בנקם נקם] *Ulti sunt sese ultione*, i. quando summâ injuriâ affecerunt Judæos. ¶ *Et deliquerunt delinquendo* ויאשמו אשום] i. Gravissimè deliquerunt.

13. *Extendam* ונטיתי] Ad verb. *Et extendam*. Redundat *&*.

14. *Et scient* וידעו] i. Agnoscent me sumpsisse pœnas de ipsis.

15. *Fecerunt* עשות] Infinit. pro præt. sub. *indigna familia Israel*, ut v. 12. ¶ *Propter vindictam* בנקמה] i. Animo ulciscendi se. Alii, *cum vindicta*, vel *per vindictam*. ¶ *Et ulti sunt ultionem* וינקמו נקם] Ut v. 12. ¶ *Cum contemptu in animo* בשאט בנפש] Sub. *suo*, i. cùm contemnerent eos in corde suo, vel ex animo. ¶ *Ad vastationem*, &c. למשחית איבת עולם] *Ad interitum* [vel *internecionem*] *odio sempiterno*: vel *perpetuo*: i. quæ futura est, vel erat causa odii sempiterni inter eos. Verti potest, & *odio sempiterno*.

16. *Et succîdam* והכרתי] *Et exterminabo*.

17. *Faciámque in eis*, &c. ועשיתי בם וגו'] Hebraismus, Sumam de illis pœnas gravissimas, tanquam vehementer iratus in eos. ¶ *Cùm dedero*, &c. בתתי את נקמתי בם] i. Cùm sumpsero vindictam de eis. Hebraismus.

CASTALIO.

4. *PRopterea ego te Orientalibus occupandam dabo*] i. Chaldæis.

6. *Omni animi petulantiâ de Israelitica regione gaudens*] Scilicet vastatâ.

8. *Quo-*

8. *Quoniam dixitant Moabitæ & Seirii, cujusvis gentium simile esse genus Israelitarum*] Non minùs malis affici quàm alios, nec Deo esse chariores.

9, 10. *Moabitarum latus patefaciam Orientalibus in Ammonitas*] Per quod latus invadant Ammonitas.

CLARIUS.

3. *Euge euge*] Vel, *Ha ha*. Sic insultabant Gentes voce ridiculâ & contemptibili Judæis, & voce blasphemâ deridentes, q. d. Frustrà coluisti unum Deum, & separasti te ab aliis populis: nihil profuit tibi Templum, &c.

6. *Ex toto affectu*] Heb. *Cum omni despectione animæ tuæ.*

9. *Latus Moab*] Ex latere, ubi sunt civitates munitæ, in quibus Moab habet fiduciam, ibi *aperturam faciam* per quam hostes ingrediantur. Quam sententiam textus mox repetit.

14. *Per manum*] Per Israelitas victum Idumæum tempore secundi Templi, opinio est quam historiæ, quia nullæ exstant, nusquam affirmare possunt. Hoc alii ad tempus Messiæ constanter exponunt: quod & recipiendum est: sed spiritualis victoria est intelligenda.

LUCAS BRUG.

10. *Filiis Orientis cum* [*super* 1 MS.] *filiis Ammon.*] Sic librorum pars major scribit; unus Hentenii, tres Parisiensium, (Vet. Ge. o. p. B.) & quatuor nostri (Leod. B. C. Pl. p.) *Filios Orientis* habent: alii octo ex nostris *filiorum Orientis* legunt: est & unus in quo *Filii Orientis* conspiciatur. Primam *Filiis Orientis* genuinam esse existimo lectionem: illam enim non tantùm plures, verumetiam emendatiores plerique codices, exhibent; inter nostros Brug. Lob. E. L. O. P. Q. Pl. m. Pl. ang. Accedunt glossematici Serranus, Richelius, Carensis, Lyranus, Autor Glossæ; qui concorditer dativum *filiis* exponunt. Suffragatur D. Hieronymi commentarius, cujus hæc in hanc partem verba sunt, *Traditúrque & ipsa, cum filiis Ammon, filiis Orientis, Babyloniis videlicet*, &c. Hebræum לבני קדם commodissimè *filiis Orientis* transfertur; & jungitur superioris versus verbo *aperiam*, aut subauditur *tradam* vel *tradetur Moab*, quod editioni nostræ meliùs convenit, ipséque Hieronymus velle videtur. Quidam transferunt *filios Orientis* (supplent, *vocabo ut veniant*) *contra filios Ammon.* In Græca editione similiter legitur τοὺς υἱοὺς Κέδεμ ἐπὶ τοὺς υἱοὺς Ἀμμών, *filios Kedem super filios Ammon*: ex qua fortasse illorum Latinorum codicum lectio, qui *filios* habent, originem traxit. Qui patrio casu *filiorum* substituerunt, videntur ad civitates id, quarum præcedunt nomina, retulisse; haud rectè, cùm Moabitarum, non Babyloniorum, urbes fuerint quæ Babyloniis tradendæ prædicantur.

DRUSIUS.

4. לבני־קדם. τοῖς υἱοῖς ἀνατολῶν *filiis Orientis*] Theodoretus, FILIOS CEDEM *alii Interpretes dixerunt* υἱὸς ἀνατολῶν Filios Orientis. Scholion, τοὺς μὲν ἡρμήνευσαν Σαρακηνῶν. ἡ δὲ τὴν τρίτην ἔκδοσιν, ἀνατολῶν, ἡρμήνευσαν. Quæ hæc *tertia editio*? Eusebius de locis, CEDEM, *in Ezeciel, quod Aq. & Sym. interpretantur* Orientem. Hieron. in Comment. ad h. l. Propterea & ego tradam te filiis Kedem, *quos* Orientales *interpretati sumus. Nullique dubium est Madianitas, & totam Eremi vastitatem adjacere Arabiæ, qui habent camelorum greges*, &c. Et mox, *Per* Madianæos *Ismaelitas & Agarenos, qui nunc* Saraceni *appellantur, assumentes sibi falso nomen* Saræ, *quòd scilicet de ingenua & domina videantur esse generati, Scriptura significat.*

8. ושעיר. Th. καὶ Σηεὶρ *& Seir*] Hieron. *Hoc quod nos interpretati sumus* & Seir *in Lxx non habetur, sed de Theodotionis ed. additum est.*

9. בית הישימת. Οἴκου Βεθασιμοὺθ *domum Bethjasimuth*] Aliàs Βαιθασιμοὺθ. Schol. Ἀσιμοὺθ *est nomen idoli*; Βαιθ *sive* βηθ, *i.* οἶκος. Possunt ergò duæ interpretationes esse. Et tamen Hieronymus annotat Lxx ità vertisse, *Nescio*, inquit, *quid volentes Lxx interpretati sint* domum Bethjasimoth, *cùm hoc vocabulum* Villam desertam *significet*. Idem aliquantò pòst, BETH-JESIMOTH *interpretatur* Domus solitudinis *atque* deserta. Fortè οἶκος superat ex nota marginali, quæ in contextum, ut fit, irrepserit. ¶ בעל מעון. τὴν Βααλμὼν *Baelmon*] Prætulerim Βααλμεὼν vel, si mavis, Βεελμών. Id Hieronymus olim scripsit, & legit *Beelmeon*. *Et est usque hodie*, inquit, *in Moab vicus maximus, quem illi* (Lxx) *verterunt* super fontem. ¶ וקריתימה. καὶ τὴν Καριαθιὶμ] Malim Καριαθὶμ. Sed & Ἐφρὴμ legitur pro Ἐφρέμ. Id Ebræi nunc enunciant Καριαθαὶμ *Cariathaim*. Talia sunt Μεσρὴμ pro Μεσραὶμ *Ægyptus*, Ἱερουσαλὴμ pro Ἱερουσαλαὶμ *Jerusalem*, μοζνὴμ pro μοζναὶμ *bilances*. Hieron. CARIATHAIM *LXX verterunt* civitatem maritimam.

10. נתתיה. δέδωκα αὐτὴν *dedi eam*. ¶ בגוים. ἐν τοῖς ἔθνεσιν *in gentibus*.

13. דדנה. καὶ ἐκ Δαιδὰν *& de Daidan*.

15. בחמה. ἐν μηνίδι *in ira*] Alibi est ἐν μήνει eodem sensu, quod malè quidam legunt ἐν μηνί. Schol. εὗρον ἔν τινι ἀντιγράφῳ κείμενον, ἐκδίκησιν ἐν μηνί· καὶ τὴν ἑρμηνείαν ταύτην τινὲς τῷ μηνὶ ὀξυτόνως ἀνέγνωσαν· τῇ δὲ ἀληθείᾳ ἐπὶ τῆς μηνίδος κεῖται. ¶ איבת עולם. καὶ ἔχθραν αἰώνιον *secundum inimicitiam sempiternam*.

16. את־כרתים. Lxx Κρῆτας *Cretenses*. A. Sym. Th. *interfectores*, vel *interfectionem*, aut *perditionem*] Hieron. *Pro quo Lxx, nescio quid volentes*, Cretenses *interpretati sunt, cùm & Aq. & Sym. & Th. vel* interfectores *vel* interfectionem *verterint non solùm in præsenti loco sed etiam in Sophonia.* Et mox, *Erit Creta in pabulum pastorum & cubile ovium* (locus est Soph. 2.) *Et hic enim cùm LXX* Cretam *verterint, cæteri Translatores* ὄλεθρον, *i.* interfectionem *vel* perditionem, *interpretati sunt.* Hieron. *interfectores.*

GROTIUS.

1. *Et factus est sermo Domini ad me*] Post prædictiones de rebus Judaïcis sequuntur illæ quæ ad alias gentes pertinent, ut apud Jeremiam.

2. *Pone faciem tuam contra filios Ammon*] Loquendi genus quale suprà VI. 2.

3. *Super sanctuarium meum quia pollutum est*] *Cum pollutum esset.* Sic etiam sume sequentia.

4. *Tradam te filiis Orientalibus in hereditatem*] In possessionem Chaldæis. Evenisse hæc Ammonitis & Arabibus quinto anno post eversa Hierosolyma, diximus ad Jerem. XLVIII. 1. & suprà XXI. 28.

Et collocabunt caulas suas in te] In Hebræo: *ædes*.

Et ponent in te tentoria sua] In Hebræo: *Habitacula*. Sic & Chaldæus, quod eò magis notandum quòd ex *tentoriorum* mentione quidam *Orientales* voluere intelligi Arabas, quod cum Jeremia non convenit.

5. *Daboque Rabbath*] Urbem principem Ammonitarum, quæ *Philadelphia* dicta postea. Vide Jeremiæ XLIX. 2. hic suprà XXI. 20.

In habitaculum camelorum] Nimirum Chaldæi multos habebant camelos, & Bactriani. Vide Plinium.

Et filios Ammon in cubile pecorum] Meliùs: *filiorum Ammon*, supple *terram*, deductis scilicet eò coloniis è Chaldæorum terris.

6. *Pro eo quòd plausisti manu*] Signum gaudentis, suprà XXI. 17.

Et percussisti pede] *Terram* scilicet, saltando, ac tripudiando.

8. *Pro eo quòd dixerunt Moab & Seir*] Conjungit cum *Moabitis* vicinos *Idumæos*. De Moabitarum malis vide Jeremiam dicto capite. De malis Idumæorum eundem XLIX. 7.

Ecce sicut omnes gentes domus Juda] Nihil prodest illis verum Deum coluisse.

9. *Aperiam humerum Moab*] *Latus*. Nam כתף sæpe sic sumitur, ut apparet Exodi XXVIII. 7. Numer. XXXIV. 11. infrà XLVII. 1. 2. Latus *apertum* dicitur quod ictibus obnoxium est.

De civitatibus, de civitatibus inquam ejus] ער [*Har*] *civitatem* quidem significat: sed hic ideo vocem repetiit, addito pronomine *ejus*, ut indicaret nomina propria esse urbium quæ dicebantur *Har & Harober*, Num. XXI. 28. Esai. XV. 1. Deuteron. II. 36.

Et de finibus ejus inclytas terræ] *Et à finibus ad terras lectissimas*. In finibus erant loca munita: in mediis locis terræ fertilissimæ.

Bethjesimoth] Josuæ XIII. 20. Ζίζα [*Ziza*] Ptolemæo, in ζ verso.

Et Beelmeon] Vide quæ dicta Esaiæ XVI. 2. & Jeremiæ XLVIII. 23.

Et Cariathaim] Jeremiæ XLVIII. 1. 23.

10. *Filiis Orientis*] Chaldæis. Pendet hoc ab eo quod dixit, *Aperiam latus*.

Cum filiis Ammon, & dabo eam in hereditatem, ut non sit ultrà memoria filiorum Ammon in gentibus] *Post filios Ammon*, id est, *ubi dedero eam* (terram) *in proprietatem Chaldæis, ità ut filiorum Ammon in gentibus memoria non supersit.*

Ità

Ità sensus sit optimus: nam prior à Chaldæis vastata est Ammonitis, posterior Moabitis, ut notavimus ad Jeremiæ XLIX.

11. *Et in Moab faciam judicia*] *Etiam de Moabitis sumam ultionem.*

12. *Pro eo quòd fecit Idumæa ultionem, ut se vindicaret de filiis Juda*] Quia vetus odium datâ occasione exsecuta est, Psalmo CXXXVII. 7. Simile vide Abdiæ 10.

13. *Faciam eam desertam ab Austro*] תימן quidem etiam *Austrum* significat; sed hîc nomen est regionis dictæ *Theman* à nepote Esavi, Geneseos XXXVI. 15. Jeremiæ XLIX. 7. Obadiæ 9. Vide quæ ad illum Geneseos locum diximus.

Et qui sunt in Dedan] *Et Dedanem usque gladio cadent.* Duos terminos nominat, *Themanem* ad Austrum, & *Dedanem* ad Septentrionem: de qua vide quæ ad Jeremiæ XLIX. 9.

14. *Et dabo ultionem meam super Idumæam per manum populi mei Israël*] Primùm per Chaldæos eam puniam, deinde & per Judæos temporibus Judæ Maccabæi. Vide quæ ad Esaiæ LXIII.

15. *Palæstini*] Qui iidem alibi *Philistini*. Nam פ Hebræum Græci in π transferunt, ut hîc notavit Hieronymus.

Et implentes inimicitias veteres] Vide 1 Samuelis XIII. & XIV.

16. *Interficiam interfectores*] כרתים [*Cerethim*] nomen est proprium partis Philistinorum, ut apparet 1 Samuel. XXX. 14. Ex his legionem sibi conscripsit David, & ab iisdem orti *Cretes* videntur; unde LXX hîc & Sophoniæ II. 5. Κρῆτας posuere.

Et perdam reliquias maritimæ regionis] *Reliquias* dicit, quia maritima illa regio apud Azotum multùm vastata fuerat à Psammeticho, ut diximus ad Jeremiam XXV. 20.

CAP. XXVI.

MUNSTERUS.

2. *Porta populorum*] Arguitur in hoc capite Tyrus ut impia, quòd gavisa fuit de eversione Jerusalem, dicens, *Confracta est porta populorum*, per quam scilicet ingrediuntur & egrediuntur frequentes populi; *& conversa sunt ad me merces, atque desolatio ejus est mea impletio.*

8. *Eriget contra te clypeum*] i. Ordinabit propiùs scutatum exercitum.

9. *Jaculabitur*] Dictio מחי idem est quod מכה *cædes*, *plaga*; vel secundùm alios est idem quod קשת *arcus* vel *balista*.

11. *Statuas fortitudinis*] Hæ sunt fortissimæ turres & propugnacula.

14. *Nec ædificaberis iterum*] Subaudiendum est *in corde maris, & in magnificentia atque fortitudine illa quam antea habuisti.* Reædificata enim est, ut patet ex Euangelio. Sed quæ priùs quatuor stadiis freto à continenti dividebatur, & adeò muniebatur ut nulla moles fieri putaretur à littore pro accessu, Africo procellas tam fortiter illidente ad littus, & præaltum mare turres & murum sic ambiret ut nullæ scalæ applicari possent, deinde humili ædificio exstructa est in continenti. Destruxit autem eam Alexander Macedo septimo mense postquam eam oppugnare cœpit, duos faciens aggeres ex arboribus ramatis, injectis lapidibus & terrâ, sed quos sævum mare dirupit. Deinde sæpe naves copulavit, quæ similiter diruptæ sunt submersis in eis militibus; donec tandem multiplicatis navibus mœnia obtinuit. Interfecisse refertur intra mœnia sex millia, & duo millia crucibus suspendisse. Porrò quod Propheta dicit Tyrum destructam per Nebuchadrezar, & historiæ profanæ asserant Alexandrum illam evertisse, fieri potest ut nomine *Nebuchadrazar* illo tempore intelligerentur omnes insignes tyranni & orbis devastatores; aut quòd Alexander devicto Imperio Chaldæorum atque Medorum vocatus fuerit *Nebuchadnazar.*

20. *Ad populum perpetuum*] Sic vocantur jacentes in sepulcris, quòd perpetuò, h. e. multo tempore usque ad novissimum diem, sic dormituri sint, vel quòd ab hoc seculo sequestrati sint. Habet enim Hebraismus *ad populum seculi.* Alii exponunt pro his qui jam olim mortui sunt. ¶ *Rursus ponam inclytum*] Quidam repetunt negationem *non*, hoc sensu, *non reddam te inclytum in terra.*

VATABLUS.

1. *Et fuit* ויהי] Hebraismus, pro, *Accidit autem ut undecimo anno, primâ mensis factum sit verbum*, &c. ¶ *Primâ mensis* באחד לחדש] Ad verb. *unâ mensis*, pro *primâ*. Mensem intelligit illum à quo desolata fuit urbs Jerusalem. Prædicit expugnationem Tyri urbis maritimæ.

2. *Euge* האח] Particula est quæ significat gaudium ac lætitiam: i. quòd mirum in modum læta sit ob excidium Jerusalem, & riserit calamitatem ejus. Vide cap. 25. 3. ¶ *Confracta est porta* נשברה דלתות] Ad verb. *fracta est porta*, pluraliter. Unde quidam vertunt, *fracta est urbs portarum.* Alii, *fracta est urbs quæ erat porta populorum.* Alii, *confracta sunt portæ*, i. urbs ad quam tanquam ad portas omni ex parte conveniebant populi insignes, præsertim mercatores. ¶ *Convertit sese* נסבה] *Conversa est*, sub. *negotiatio quæ fiebat in ea.* ¶ *Replebo me*, &c. אמלאה החרבה] *Replebor*, *desolata est*: vel, *destructa*: q. d. replebor mercibus; jam enim actum est de ea. Ità reputabant apud se cives Tyri ob diuturnitatem obsidionis Jerusalem.

3. *Sicut ascendit*, &c. כהעלות וגו'] *Sicut ascendere facit mare procellosum fluctus suos.*

4. *Et dissipabunt* ושחתו] *Et perdent. Et demolientur.* ¶ *Pulverem ejus* עפרה] *Terram* [vel *humum*] *ejus*: quam scilicet comportaverunt in eam, ut solent in urbibus ac locis in rupe sitis, ut illic inhabitent, serant & plantent. ¶ *In summitatem petræ* לצחיח סלע] i. Reddam similem summitati & cacumini petræ. Vide c. 24. 7. q. d. Remanebit in ea sola petra nuda & sine terra.

5. *Expansio sagenarum* משטח חרמים] q. d. In ea nautæ sive piscatores extendent, sive exponent Soli retia sua ut siccentur.

6. *Et filiæ*, &c. ובנותיה אשר בשדה] Hebraismus, Incolæ villarum ejus quæ sunt in agro illo Tyrio, in regione maritima scilicet, h. e. inter Tyrum & continentem: q. d. vastabit agrum tuum, postea oppugnabit te, & expugnabit.

8. *Filias tuas* בנותיך] i. Incolas villarum tuarum, ut ver. 6. ¶ *Munitionem ligneam*, &c. דיק ושפך וגו'] Vide suprà 4. 2. ¶ *Et consurgere faciet* והקים] *Et statuet*: i. instruet aciem militum scutatorum ad te oppugnandam.

9. *Et balistas contra eam* ומחי קבלו] Doctus inter Hebræos dicit מחי esse *tormentum bellicum quo saxorum moles projicitur in muros ut concutiantur & dejiciantur*, à מחה *delevit.* קבלו autem exponit נגדו *contra eam.* Alii vertunt, *Et ictum catapultæ tuæ* [vel *balistæ*] *ponet*, &c. i. ictibus catapultarum suarum quatiet muros tuos. קבל videtur nomen esse generale machinarum bellicarum, quòd *ex adverso* sive *e regione* ponantur. ¶ *Malleis suis* בחרבותיו] Sunt instrumenta ferrea quibus dejicere solent muros ædificiorum.

11. *Et statuæ fortitudinis tuæ* ומצבות עזך] i. Tropæa quæ erexisti partâ victoriâ: vel statuæ quas erexisti in honorem civium tuorum fortium. Doctus inter Hebræos *turres prææltas & munitissimas* interpretatur. ¶ *Descendent* תרד] Verbum singulare Heb. pro, *unaquæque descendet.*

12. *Negotiationem tuam* רכלתך] *Merces tuas.* Gallicè, *ta marchandise.* ¶ *Desiderabiles tuas* חמדתך] *Amæniores tuas.* Ad verb. *desiderii tui.*

13. *Multitudinem* המון] *Strepitum.*

14. *Ut summitatem petræ* לצחיח סלע] Ut v. 4. ¶ *Expansio sagenarum* משטח חרמים] Vide v. 5.

15. *A sonitu* מקול] *Ad sonitum*, vel *ob strepitum.* ¶ *Commovebuntur* ירעשו] *Contremiscent*: *trement.*

16. *Ad* singula *momenta* לרגעים] i. Jugiter & assiduè.

17. *Et assument*, &c. ונשאו וגו'] *Et levabunt super te planctum.* Hebraismus, lamentabuntur te. ¶ *Quæ habitata*, &c. נושבת מימים] i. Quæ habitata eras à populis maritimis, h. e. à mercatoribus qui veniebant ad te è regionibus maritimis, nempe à Mari rubro, Persico, & aliis. Alii vertunt, *quæ habitabas* [i. sita eras] *in mari.* ¶ *Quæ eras laudata* ההללה] *Inclyta*, *celeberrima*: commendata ab omnibus. ¶ *Et habitatores ejus* וישביה] *Et cives ejus*: vel *incolæ*, sub. *fortes erant.* ¶ *Habitatoribus ejus* יושביה] Sub. *maris.* Hic nomine ים, quod *mare* significat, utitur fem. genere. *Dare terrorem* vel *metum suum alicui* more Hebraico dictum pro *incutere illi timorem.*

18 *Insulæ* האין] *Insulares.* ¶ *Ab exitu tuo* מצאתך] i. Ob captivitatem tuam, quòd scilicet cives tui ducantur captivi.

19. *Cùm ascendere*, &c. בהעלות וגו'] *Cùm induxero super te*, &c. i. cùm misero adversùm te ingentem ac copiosissimum exercitum qui te perdat. ¶ *Aqua multa* המים הרבים] *Aquæ illæ fortes*, i. voragines.

20. *Et descendere fecero te* והורדתיך] *Tunc descendere faciam te*, &c. i. tollam te prorsus de medio. ¶ *Ad populum seculi* אל עם עולם] *Populum seculi* vocat eos qui olim & ante multa secula mortui sunt. ¶ *In terra inferiore* בארץ תחתיות] *Terram inferiorem* vocat viscera terræ, intelligens sepulcrum.

Et

Et est Repetitio. ¶ In *sepulcrum* בור] In *lacum*: in *foveam*, vel *scrobem*, i. sepulcrum. ¶ *Et dedero*, &c. ונתתי צבי] *Et posuero decus in terra viventium.* Alii, *& posuero beneplacitum*, i. favorem: h. e. cùm affecero gloriâ & honore, vel singulari favore prosecutus fuero *terram viventium*, Judæam scilicet, cùm eam restituero in pristinum statum, splendorem & honorem: tunc enim videbuntur incolæ ejus quasi reviviscere. Judæa dicebatur *terra viventium* quòd illic Deus verus & vivens coleretur, aut quòd Deus suis illic habitantibus daturus esset vitam æternam.

21. *Consummationem* בלהות] *Consumptiones*, i. prorsus consumptam reddam te. Alii, *perturbationes*, vel *terrores*: i. reddam te maximè turbatam & attonitam. ¶ *Et non eris* ואינך] i. Nunquam posthac erunt, neque usquam invenientur ulla vestigia tui. ¶ *Requirerisque*, &c. ותבוקשי ולא תמצאי] *Et si requiraris, non invenieris.*

C A S T A L I O.

2. *Effracta est quæ erat populorum porta*] Celeberrima, & populis frequentata.

18. *Nunc pavent naves diem tuæ ruinæ*] אין volunt quidam esse pro איים *insulæ*: Sed mihi placet Vetus translatio, in qua est *naves*: nam sententia magis quadrat, & tam ex אני quàm איים potuit fieri אין.

20. *Demittam tecum iis qui descendunt in barathrum ad æternum populum*] Ad manes. ¶ *Viventium terram*] Israelitarum.

21. *Te ità in nihilum redigam*] Et hîc idem dico, meliùs vertisse Veterem, qui *in nihilum redigam te*, & Græcum, qui ἀπώλειάν σε δώσω, reddit, quàm nostros, qui *terrores*: dictum est enim בלהות à בלה, quod *obsolescere* & *antiquari* est; cujus significatio huic loco est aptissima.

C L A R I U S.

2. *Porta populorum*] Portæ per quas egrediuntur & ingrediuntur frequentes populi. ¶ *Conversa est ad me*] h. e. Negotiatio & merces ad me venient: & desolatio ejus mea est impletio.

4. *Et radam pulverem*] h. e. Auferam omnem terram ab ea, & tantùm relinquetur prærupta rupes.

14. *Nec ædificaberis ultrà*] Sub. *in corde maris, & magnificentiâ atque fortitudine illâ quam antè habuisti.* Reædificata est enim, ut patet ex Euangelio. Sed quæ priùs quatuor stadiis freto à continenti dividebatur, & adeò muniebatur ut nulla moles fieri putaretur posse à littore pro accessu, Africo procellas ità vehementer illidente ad littus, ut præaltum mare turres ac murum sic ambiret ut nullæ scalæ applicari possent, deinde humili ædificio exstructa est in continenti. Prædixerat enim Esaias eam esse reædificandam post LXX annos. Et quod ait hic Propheta *in sempiternum*, vel *in seculum*, αἰῶνα, quidam exponunt pro tempore LXX annorum, alii pro humanæ vitæ spatio. Dictio autem Hebræa pro qua vertitur *æternum* significat tempus longum & continuum usque ad naturalem rei præscriptæ terminum. Exod. 21. *Et serviet ei in æternum*, h. e. absque intervallo, & citra spem libertatis usque ad jubilæum: nam ultrà proferri servitus nullo pacto potuit. Ps. 89. *Quia dixi, In æternum beneficentia tua præparabitur*, h. e. Apud me sic reputavi, quòd beneficentia tua cum David parata stabilisque futura sit in æternum, & quòd fides tua cum illo, ut cœli, sit in æternum constatura. Ibi *absque fine* significat, nemine refragante; & ad alterum omnino seculum refertur. Nam stante cœlo ex hac vita emigravit. Fides igitur beneficentiæ in aliud seculum translata defuncto superest: ergò bene definitur, *Æternum est, omnibus diebus continui temporis ejus rei qua de agitur.* Ut ex adverso intelligas quousque proferatur ævum illud, an ad terminum finitum, an ad infinitum. Sunt etiam qui præsentem locum, quòd *in æternum non sit ædificanda Tyrus*, ità solvant, ut intelligant populum illum esse exterminandum totum, qui nunquam ad eandem redierit civitatem, quam alii postea ædificaverint; ut non potuerit vocari eadem civitas. Porrò quòd Propheta dicit Tyrum destructam per Nabuchodonosor, & historiæ profanæ asserant Alexandrum Macedonem illam evertisse, fieri potest ut nomine *Nabuchodonosor* illo tempore intelligerentur omnes insignes Tyranni & orbis devastatores, aut quòd Alexander devicto Imperio Chaldæorum atque Medorum vocatus fuerit *Nabuchodonosor*.

20. *Ad populum sempiternum, & collocavero te in terra infima*] Sic vocantur jacentes in sepulcris, quòd *perpetuo*, h. e. multo tempore usque ad novissimum diem, sic dormituri sint; vel quòd ab hoc seculo sequestrati sint. Habet enim Hebraismus *ad populum seculi.* ¶ *Cum dedero gloriam in terra viventium*] *Dat gloriam in terra viventium* Deus, cùm fideles suos demum illustres reddit, & impii *ad nihilum rediguntur*, non quòd esse desinant, sed quòd pro nihilo putentur.

D R U S I U S.

2. צר. Σὼρ Τύρος] In ed. Rom. minùs rectè Σόρ. Hieron. *Sor sive Tyrus*: & in Comment. *Post Palæstinos succedit Phœnices regio; cujus metropolis est civitas Tyrus, quæ appellatur Ebræo Syróque sermone* SOR. Vide Quæst. meas.

4. לצחיח סלע. LXX εἰς λεωπετρίαν, sive, ut alia scriptura habet, εἰς λεωπετρίαν. Hîc est ω, ibi ο, i. ο parvum. Usus est hâc voce Aquila Psal. 68, 6. ubi Sym. καύσωνος ξηρότητα. Hier. *in limpidissimam* (sive *nitidissimam*) *petram.* Theodoretus interpretatur *læves lapides, in quibus piscatores explicare sagènas solent.* Scholion verò γῆν πεπατημένην καὶ συμπεπιλημένην *terram calcatam & constipatam.*

13. והשבתי. καὶ καταλύσω *cessare faciam*] In ed. Rom. καταλύσει & alibi καταδύσει *deprimet.* Hieron. *requiescere faciam*, sive *destruam.*

16. כל נשיאי הים. πάντες οἱ ἄρχοντες τῆς θαλάσσης *omnes principes maris*] In ed. Rom. insertum ἐκ τῶν ἐθνῶν *ex gentibus*: quod non habetur in Ebræo fonte.

17. אשר היתה חזקה בים היא וישביה. ἥτις ἐγενήθη ἰσχυρὰ ἐν θαλάσσῃ, αὐτὴ, καὶ οἱ κατοικοῦντες αὐτὴν, *quæ fuit potens in mari, ipsa, & habitantes eam.*

18. ונבהלו האיים אשר בים מצאתך. καὶ ταραχθήσονται νῆσοι ἐν τῇ θαλάσσῃ ἀπὸ τῆς ἐξόδου σου, *& turbabuntur insulæ in mari ab exitu tuo.*

21. ותבקשי ולא תמצאי. καὶ ζητηθήσῃ καὶ οὐχ εὑρεθήσῃ, *& quæreris, & non invenieris.*

G R O T I U S.

1. *Et factum est in undecimo anno*] A deportatione Jechoniæ, unde tempora putare solet Ezechiel.

Primâ mensis] Nempe ejus qui secutus est capta Hierosolyma: quod sequentia innuunt.

2. *Confracta sunt portæ populorum*] In Hebræo verbum singulare cum nomine plurali, quod sic explices: *Fracta est urbs illa quæ populis externis latum præbebat aditum.*

Conversa est ad me] *Ad me se vertit*: forum scilicet illud frugum, vini, olei, balsami.

Implebor; deserta est] *Ego ex illius ruinis crescam.* At Græci & Chaldæus legerunt המלאה, aut א sumserunt pro ה: vertunt enim, *quæ plena fuerat, deserta est.*

3. *Ecce ego super te, Tyre*] *Contra te* venio.

Et ascendere faciam ad te gentes multas] Contra te.

4. *Et dissipabunt muros Tyri, & destruent turres ejus*]. Producit Acta Phœnicum Josephus, quæ & nos citavimus ad tertium de Veritate Religionis Christianæ: unde apparet à Nabuchodonosore Tyrum obsessam per annos XIII. tanto tempore seclusam à commerciis urbem ad magnam inopiam redactam esse necesse est; multa etiam urbis disjecta. Exitus quis fuerit obsidionis illa Acta non dicunt. Ego non dubito quin tot malis domita urbs in fidem se Babyloniorum dederit. Fuit tamen modò sub Regibus, modò sub Judicibus, id est, Interregibus, sed qui majestatem Babylonicam observarent, adeò ut & à Babylone, ex iis qui ibi obsides habebantur, Reges interdum peteret. Quod ex illis Actis discimus. Quo autem jure sub Babyloniis Tyrus fuerat, eodem postea mansit sub Persis Babylonis victoribus, donec ab Alexandro urbs capta est. Quæ autem hîc dicuntur ad Nabuchodonosoris, non autem ad Alexandri tempora pertinere discimus infrà 7. & XXIX. 19. Nec aliter sensit Hieronymus in commentariis ad hunc locum.

Et radam pulverem ejus de ea] Latini dicerent, *Abradam omnia cum pulvisculo.*

Et dabo eam in limpidissimam terram] *Tanquam sublimem petram*: sunt enim voces eædem quæ suprà XXIV. 7. Sensus est: *faciam te nudam ut scopulum.* Seneca in Corsicam relegatus:

Ille tuus quondam magnus, tua gloria, civis
Infigar scopulo.

5. *Siccatio sagenarum erit in medio maris*] Erit sicut littora deserta, nec alium præbentia usum quàm retibus siccandis. Institutionibus de Rerum divisione §. 5. *Littorum quoque usus publicus est juris gentium, sicut & ipsius maris, & ob id cuilibet liberum est casam ibi ponere in quam se recipiat, sicut retia siccare & ex mari deducere.*

6. *Filiæ quoque ejus quæ sunt in agro*] Minora oppida & vici. Per eos autem intelligendi habitatores, ut hic notat Chaldæus.

7. *Regem Regum*] Meritò sic se appellarunt Babylonii Reges, qui & Regibus quibusdam imperabant. Vide II Regum XVIII, 28. Jeremiæ LII. 32. Secuti id Persæ Reges. Æschylus de Regibus sub Xerxe:

Βασιλῆς βασιλέως ὕποχοι μεγάλου.

[*Reges Regis magni subjices.*]

Sic Armenius Rex sub Cyro fuit & Euagoras Cypri Rex sub Cyri successoribus, multique alii, ut diximus ad Jeremiam L. 41.

8. *Filias tuas quæ sunt in agro*] Repetit quod suprà dixerat, quò meliùs retineatur.

Et circumdabit te munitionibus] *Turrem*, id est, turres, *tibi opponet*. Vide II Regum XXV. 1.

Et comportabit aggerem in gyro] Vallo castrensi te cinget.

Et elevabit contra te clypeum] Testudine ex scalis factâ te oppugnabit. LXX bene testudinem circumscribunt dicendo, σύστασιν ὅπλων [*armorum compagem*].

9. *Et vineas & arietes temperabit in muros tuos*] *Et ictum ex directo dabit contra murum tuum.* Nam מחי Chaldæis est *verberare*, unde מחי *verbera* : קבל autem iisdem Chaldæis, ut & Arabibus, est *ex adverso*. Sensum bene expressit Chaldæus, cùm dixit, *percussionem tormentorum*.

Et turres tuas destruet in armatura tua] חרב est quidquid ex ferro fit. Itaque modò *gladii*, modò *lanceæ*, modò *mallei* voce vertitur. Interdum LXX simpliciter pro eo ponunt σίδηρον [*ferrum*]. At hîc Chaldæus bene interpretatur *lapides* (id est, globos) *ferreos*, nempe qui è balistis jaciebantur.

10. *Inundatione equorum ejus operiet te pulvis eorum*] *Inundationem* dixi pro *multitudine*: quæ vox hîc est in Hebræo, Chaldæo, & Græco. Tantus erit pulvis ab equorum cursu ut nubis modo urbem operiat.

A sonitu equitum, & rotarum, & curruum movebuntur muri tui] Solent enim ædes tremere ubi in propinquo multi cursitant currus & equi, propter soli cohærentiam.

Cùm ingressus fuerit portas tuas quasi per introitum urbis dissipatæ] *Qualis est introitus urbis dissipatæ*. Tantâ securitate intrabit portas tuas (deditione factâ), quantâ intrari solet urbs à civibus deserta. Adeò neminem metuet.

11. *Populum tuum gladio cadet*] Multos de populo.

Et statuæ tuæ nobiles in terram corruent] Et מצבות & קמא quod hic habet Chaldæus, ubique *statuam* significat. Quare putem hoc dici, deditâ urbe fore ut dejiciantur statuæ erectæ Ægypti Regibus, aliisque fœderatis Tyri, & Chaldæorum hostibus. Solent enim imagines dejici eorum quibus res infeliciter cedunt. Multa exempla habes in historia Romana.

12. *Vastabunt opes tuas*] In agris.

Diripient negotiationes tuas] Aditum commerciis præstruent.

Et pulverem tuum in medio aquarum ponent] *Rudera in mare projicient.* Sic & Græci & Chaldæus.

13. *Et quiescere faciam multitudinem canticorum tuorum, & sonitus cithararum tuarum non audietur ampliùs*] Signa lætitiæ cessabunt. Vide Jeremiæ VII. 34.

14. *Et dabo te in limpidissimam petram*] *In altam rupem.* Scopuli instar eris; ut suprà 4.

Siccatio sagenarum eris] Vide suprà 4.

Nec ædificaberis ultrà] Non redibis ad veterem fortunam. *Ædificare* enim est Hebræis & Syris tum sobolescere, tum ditescere. Intellige autem hoc *intra longum tempus*, collatis historiis temporum Alexandri.

15. *Ruinæ tuæ*] Id est, partium urbis tuæ.

Commovebuntur insulæ] Id est, omnis ora maritima.

16. *Descendent de sedibus suis omnes Principes maris*] Carthaginenses, Gaditani, aliique Tyro orti & potentes mari. *Descendere de sede* mos lugentium Jonæ III. 6.

Auferent exuvias suas] Vestes extimas: Exodi XXVIII. 4. 31. I Samuelis XVIII. 4. II Samuelis XIII. 18.

Et vestimenta sua varia abjicient] Acu picta: nam & hic mos lugentium, mutare vestes. Vide dictum Jonæ locum. Cicero non uno loco propter se à Senatu mutatam vestem narrat.

Et induentur stupore] Loquendi genera similia habes suprà VII. 27. Psalm. CXXXII. 18. & alibi. Sensus est: *circumdabuntur metu.*

In terra sedebunt] Mos & hic mœrentium, Job. II. 13.

17. *Quæ habitas in mari*] In Hebræo, *Habitata à maribus*: id est, ad quam ab omni mari advenæ veniebant.

Quæ fuisti fortis in mari] Vide quæ dicta ad Esaiam XXIII.

18. *Nunc stupebunt naves in die pavoris tui*] In Hebræo & Græco *insulæ*. Est idem nomen quod in altero membro sequitur, nisi quòd hîc terminatio est Chaldaïca, ibi Hebraïca. *Insula* autem Hebræis est omnis ora maritima. At Hieronymus in Commentario affirmat in Hebræo fuisse *naves*: legit ergò אני.

Et turbabuntur insulæ in mari] *Insulæ, inquam, in mari turbabuntur.* ו [&] hîc nota repetitæ vocis.

Eò quòd nullus egrediatur ex te] In Hebræo, *In die exitûs tui*: id est, ubi obsides ex te auferentur Babylonem. Vide quæ diximus initio capitis.

19. *Cùm dedero te urbem desolatam, sicut civitates quæ non habitantur*] Tam destitutam à commerciis quàm sunt urbes hominum vacuæ.

Et adduxero super te abyssum, & operuerint te aquæ multæ] Partem tui: quod fieri solet disjectis munimentis.

20. *Et detraxero te cum his qui descendunt in lacum ad populum sempiternum*] *In sepulchrum.* Id enim sæpe בור [*fovea*] dicitur: Græcè βόθρον, & hîc & infrà XXXI. 14. XXXII. 18. 23. 24. 29. 30. τὰ θεμέλια τῆς γῆς [*fundamenta terræ*], Esaiæ XIV. 15. Idem dicitur hîc de Tyro quod in Euangelio de Capharnaumo, ἕως ᾅδου καταβιβασθήσῃ [*ad infernum demitteris*].] Vita urbium est libertas, commercia, opes. Nam

Ἀργύρεόν ἐστι αἷμα καὶ ψυχὴ βροτοῖς.

[*Pecunia anima & sanguis est mortalibus.*]

Populus sempiternus sunt mortui, quibus *nox una perpetua dormitur.*

Et collocavero te in terra novissima] In Hebræo, *In terra inferorum.* Eris quasi sepulta.

Sicut solitudines veteres] Hîc & Græci, & Chaldæus pro ב [*in*] legerunt כ [*sicut*], aut certè ב tanquam כ sunt interpretati. *Eris par locis ab omni ævo desertis.*

Cùm his qui deducuntur in lacum] Repetit quod dixerat, ut sæpe.

Ut non habiteris] Id est, ut non ut antè habiteris.

Cùm dedero gloriam in terra viventium] Nè tum quidem cùm Judæa iterum florebit. Judæa dicitur *terra viventium*, id est, hominum felicium: nam vivere sæpe Hebræis est beatè vitam agere.

21. *In nihilum redigam te*] *Terrores dabo in te.*

Et non eris] Nempe quod fuisti. Tyrus aliquantò pòst destructa Hierosolyma hanc cladem accepit, ut suprà didicimus 2. Itaque septuaginta anni exsilii Judæorum priùs exière quàm septuaginta anni post quos in veterem fortunam, ex Jeremiæ prædictione, reditura erat Tyrus.

Et requisita non invenieris ultrà] Quærent homines, Ubi nunc illa est urbs quæ tam multas misit colonias, quæ tam latè mari imperavit?

In sempiternum] *In longum tempus*, ut jam sæpe diximus. Septuaginta anni mensura communis vitæ humanæ.

C A P. XXVII.

M U N S T E R U S.

3. Ego *perfecti sum decoris*] h. e. Tu laudas te, & dicis, Ego sum perfecta in omni pulcritudine & bono: nimiúmque secura es quòd undique circumdaris mari, quòd muros habes altos, fundamentum solidum & turres eminentes, &c.

5, &c. *Tabulata duplicia*] Sic vocat Propheta naves, quòd duo habeant latera, aut duas extremitates, puppim & proram. Alii vertunt *transtra*. *Malus* erat *cedrinus*, & *remi quercini*. Turris quoque in navi constabat ex *eburneis asseribus*. Artifices autem harum sumptuosarum navium fuerunt בת אשורים, i. ערת אשור, ut Kimhi interpretatur, h. e. *congregatio hominum Assyriorum.* Sunt tamen qui אשורים aliter exponunt, nempe pro *foris*, cùm Sin hîc non habeat Dages. Porrò KITTIIM Jonathan exponit pro אפוליא, ego puto *Apuliam*; & ELISAM pro *Italia*.

9. *Gebal*] Sunt Gebalitæ ingeniosi architecti, qui & in extructione templi Salomonici celebrantur: & præerant in Tyro publicis ædificiis erigendis & reficiendis. ¶ *Ad negotiandum*] Capitur מערב pro *mercimonia*, propter mixturam ipsam quæ fit in commerciis. Significat enim ערב propriè *miscere*.

10, 11. *Ipsi dederunt tibi gloriam*] Jonathan clariùs sic vertit, *ipsi auxerunt splendorem tuum.* Erant enim hi populi eâ tempestate clari militiâ: Et cùm intromitterentur in urbem, suspenderunt pro gloria civitatis galeas & scuta in turribus. Sunt qui *Phutæos* putant esse gentes Africas. Porrò pro *Pygmæis* Jonathan vertit קפוטקאי *Cappadoces*. Hebræi tamen communiter accipiunt pro hominibus qui cubitali sunt mensurâ, & turribus impositi arte sagittandi valent; quos Rabini alio nomine ננסים vocant.

12, 13. *In argento*] h. e. Civitas maritima *Tharsis*, quam quidam

quidam putant fuisse Chartaginem, urbem illam olim fortissimam (quod quàm verum sit non video, cùm Tyrii illam exstruxerint, & Chartaginenses Tyrios loco parentum habuerint) Tharsis, inquam, importabat Tyrum merces istas, nempe *argentum*, *ferrum*, *stannum*, &c. *Græcia* verò *Thubal & Mesech mancipia* vendiderunt in urbem. Et nota quòd in hoc capite עזבון capitur pro מחורה *mercibus*.

15, &c. *Negotiatio manûs tuæ*] i. *Insulæ multæ* habuerunt commercia tecum, inter quas aliquæ inferebant *dentes eburneos* magnitudine cornuum, aliæ הבנים *lignum hebenum*, vel, ut Jonathan vertit, *pavones*. *Syria* verò mittit lapides pretiosos, & *Jehuda triticum optimum*, optimo natum loco. Et in summa, omnes urbes maritimæ, omnes insulæ, peninsulæ & regiones mari Mediterraneo adjacentes, sed & Regna quædam mediterranea, ut sunt *Assyria*, *Thogarma* & *Seba*, miserunt ad Tyrum veluti ad commune emporium merces suas & munera, quæ totius maris principatum & imperium tenebat.

26. *In aquas multas*] Intelliguntur hic per *aquas* vehementes angustiæ & tribulationes, in quas hostes adegerunt Tyrios. Significat enim hic שטים non *remiges* sed בוזים *depradatores*.

28. *Commovebuntur suburbana*] Non quòd Tyrus in mari habuerit suburbana, sed intelliguntur hìc per *suburbana* ædificia quæ habebat in continente.

32. *In fletu suo*] Non est hic *filii eorum*, sicut quidam ex recentioribus verterunt (id quod vel ex Jonathane discere potuissent) sed est נהי בניהם à נהי, quod *planctum* & *fletum* significat.

VATABLUS.

2. **A**ssume, &c. שא על צר קינה] *Eleva super Tyrum lamentationem*: vel *attolle*, &c. i. lamentare: luge, deplora sortem ac calamitatem, h. e. excidium & deformationem Tyri.

3. *Negotiatrici populo*, &c. 'רכלת העמים וגו] i. Quæ suppeditat populis merces multas, quæ deferuntur ad varias insulas. Quidam vertunt, *unà cum insulis multis*, i. tam iis qui habitant in continenti quam qui in insulis. ¶ *Perfecti decoris* כלילת יפי] i. Elegantissima, & omnium aliarum pulcerrima.

4. *In corde marium* בלב ימים] i. In medio: nam Cor sedem habet in medio: *tu habitas in medio marium*. Plurali utitur quòd omni ex parte allueretur mari, & ex omnibus maribus venirent ad eam. ¶ *Perfecerunt decorem tuum* כללו יפיך] *Absolverunt pulcritudinem tuam*, i. fecerunt te pulcerrimam & elegantissimam: fuerunt tibi maximo ornamento, & absolutam reddiderunt.

5. *Omnes naves* כל לוחותים] Ad verb. *omnes tabulas*: multas quidem & eas duplici ordine dispositas, in duobus lateribus. Constant enim naves duobus lateribus, in quibus dispositæ sunt multæ tabulæ: vel quòd tabulæ illæ essent geminæ pro majori parte. לוח est *tabula*, cujus plurale לוחות: at לוחתים duale est, significans *duas tabulas*; quo hic usus est propter prædictas rationes. Quidam Hebræorum dicunt naves Tyriorum factas fuisse duabus tabulis. ¶ *Tibi* עליך] i. Propter te, aut navibus tuis.

6. *E pinis* אלונים] *E castaneis arboribus*. Est enim lignum istud rigidum & leve, nec facilè putrescit. Sic & Chaldæus P. ¶ *Tabulatum tuum* קרשך] i. Transtra. Doctus inter Hebræos exponit *castrum* sive *castellum navis*. ¶ *Congregatio Assurim* בת אשרים] Ad verb. *filia Assurim*, i. fabri optimi ac peritissimi quos vocasti ad te ex Assyria, ut, &c. ¶ *De insulis Chithim* מאיי כתים] Sub. *allato*. Chithim insulares erant maris Jonici sive Græcanici.

7. *Expansio tua* מפרשך] Ità dicitur velum quòd *explicetur* vento. Seipsum mox declarat. ¶ Ex *hyacintho*, &c. תכלת וארגמן] *Hyacinthus & purpura* allatæ *ex insulis Elisah*, i. ex Italia. ¶ *Operimentum tuum* מכסך] i. Operimentum tabernaculi quod fieri solet in puppi: aut vestes intelligit.

8. *Sapientes tui* חכמיך] q. d. Non fuit tibi opus accersere neque conducere peritos artis nauticæ externos. ¶ *Nautæ tui* חובליך] *Gubernatores tui*. Ità dicuntur Hebraicè rectores sive gubernatores navium, à contrahendis aut laxandis *funibus* veli ad suscipiendum ventum: nam חבל *funem* significat. Solent etiam regere temonem navis. Gallicè *pilotes*.

9. *Et sapientes ejus* וחכמיה] Sub. *regionis*: i. peritissimi architecti. Gebalii in exstruendo Templo Salomonis erant fabri peritissimi. ¶ *Instauraverunt in te rimas tuas* היו בך מחזיקי בדקך] Rimas murorum & ædificiorum intelligit. ¶ *Ad negotiandum negotiationem tuam* לערב מערבך] *Ad distrahendas merces tuas*, vel *mercimonia tua*. Ab ערב *fidejubere*: fit enim in venditione fidejussio; nam qui vendunt fidejubent: ut dicere solemus Gallicè, *Je la vous pleuvi loyale & marchande*. Alii, *ad mercandum in mercatu tuo*, sive *foro & emporio*: significat enim מערב *merces*, sive *mercaturam*, & *locum in quo exponuntur merces venales*.

10. *Fuerunt in exercitu tuo* היו בחילך] q. d. Habuisti quidem & conduxisti externum militem, sed generosum: tu enim fecisti tibi exercitum ex Persis, Lydiis sive Græcis, & Libyis sive Afris. ¶ *Suspenderunt* תלו] Sub. *tempore pacis*. ¶ *Dederunt decorem tuum* נתנו הדרך] Hebraismus, Fuerunt tibi ornamento.

11. *Perfecerunt pulcritudinem tuam* כללו יפיך] Vide v. 4.

12. *Tharsis negotiatrix tua* תרשיש סחרתך] q. d. Carthagine veniebant ad emporium tuum negotiationis gratiâ. Sic v. 16, & 18. ¶ *Dederunt in nundinis tuis* נתנו עזבוניך] i. Exposuerunt venalia in mercatu tuo. Alii, *dederunt in mercibus tuis*, i. inter merces tuas.

13. *Cum animabus hominum* בנפש אדם] *Cum personis hominum*, i. mancipia & vasa ærea exposuerunt venalia in mercatu tuo, vel inter merces tuas, ut v. 12.

14. *Et equites* ופרשים] Quidam exponunt *equos militares*, h. e. aptos bello gerendo. Gallicè, *Chevaulx d'armes*. Alii, *mancipia generosa & apta bello gerendo*, non vilia, ut erant alia.

15. *Negotiatio manûs tuæ* סחרת ידך] *Merces manûs tuæ*, i. multæ insulæ quarum merces importantur in te, operâ & ministerio tuo divendendas. Gallicè, *lesquelles passent par tes mains*. Alii exponunt, *& merces quas manibus tuis paras, in multis insulis distrahuntur*. Alii, *multæ insulæ merces exercent in medio tui*, sive *in loco tuo*: ut יד *locum* significet. Quidam liberiùs vertunt, *multæ insulæ negotiantur tecum*. Alii, *habuerunt commercia tecum*. ¶ *Cornua eburnea* קרנות שן] i. Dentes eburneos similes cornibus. Alii, *cornua* ibicum, *& ebur*. Chald. *cornua unicornium*, *& dentem elephanti*. ¶ *Reddiderunt in munus tuum* השיבו אשכרך] i. Attulerunt tibi quotannis vice muneris (sive dono) *pavones*, vel, ut alii, *hebenum*.

16. *Negotiatrix tua* סחרתך] Vide v. 12, & 18. ¶ *Operum tuorum* מעשיך] *Opificiorum tuorum*, h. e. rerum pretiosarum quæ miro artificio fiebant in te. ¶ *Cum carbunculo* בנופך] *In carbunculo*. Sing. Heb. pro plural. ¶ Quæ *dederunt* נתנו] Ut v. 12.

17. *Minnith & Pannag* מנית ופנג] Loca sive regiones terræ Israel in quibus optimum triticum nascitur. Quidam postremum vertunt *balsamo*. ¶ *Et theriaca* וצרי] *Et opobalsamo*. ¶ In *mercatu tuo* מערבך] *In foro tuo*: vel *nundinis tuis*. Eadem dictio quæ v. 9.

18. *Operum tuorum* מעשיך] Ut v. 16. ¶ *Propter multitudinem*, &c. מרב כל הון] *Præ abundantia omnium opum*, sub. *suarum*. Alii, *ex multitudine universarum opum*, i. inter omnimodas opes tuas, h. e. inter cæteras res tuas pretiosas & eximias quas comparare solebas.

19. *Et Javan Meuzal* ויון מאוזל] *Græcus vagabundus inter merces tuas dederunt*, i. exposuerunt merces venales: vel, *Græcia vaga*, &c. Dicit frequentiam migrationis, innuitque consuetudinem Græcorum qui solebant huc illuc lucri causâ discursare. ¶ *Purum* עשות] *Nitidum*: *purgatum*: *chalybeum* dicimus, ut quidam volunt. ¶ *In mercatu tuo* במערבך] Ut v. 17.

20. *Institrix tua* רכלתך] *Negotiatrix tua*: q. d. Dedanitæ veniebant ad emporium tuum. ¶ *Pretiosis* בבגדי חפש] Ad verb. *ingenuitatis*: *libertatis*: i. dignis hominibus ingenuis ac liberis, vel quibus uti solent liberi ac filii nobilium, sive qui decent ingenuos, ad ornandos currus.

21. *Negotiatores manûs tua* סחרי ידך] Vide v. 15. ¶ *Cum agnis* בכרים] *In agnis*. ¶ *In his* בם] *His*, *inquam*, (*fuerunt*, vel *erant*) *negotiatores tui*, i. negotiabantur. Alii, *fuerunt*, *inquam*, &c.

22. *Præcipua inter*, &c. 'בראש כל בשם וגו] Ad verb. *in capite universi aromatis*, *& omni lapide pretioso*, *& auro dederunt in nundinis tuis*. Quidam vertunt, *in omni præcipuo aromate*, *atque in omni lapide pretioso*, *& auro negotiando egerunt tecum*. Alii, *in præstantissimis omnis generis odoribus*, *& in omni lapide pretioso*, *deinde & aurum reposuerunt in emporio tuo*. Alii, *cum specimine omnium aromatum* (i. cum omnibus præcipuis ac pretiosis aromatibus) *& omnium lapidum pretiosorum*, *& auro*, quæ exposuerunt venalia *in nundinis tuis*, i. tempore nundinarum: vel *inter merces tuas*, ut v. 12.

23. *Haran*, *& Channeh*, &c. 'חרן וכנה וגו] Hic versus jungitur sequenti.

24. *Institores tui* רכליך] *Institrices tuæ*. ¶ *In omnibus generibus* במכללים] *In omnibus speciebus*, sub. *mercium*, *rerum*

rum pretiosarum ac eximiarum. Alii, *in omnis generis mercibus.* Alii, *in omnigenis.* ¶ *In palliis hyacinthinis & polymitis* [בגלומי תכלת ורקמה] *In vestibus hyacinthinis & discoloribus*: vel, *in involucris hyacinthinis*, *& opere plumario factis*, sive *textis*. ¶ *Et in capsis* [ובגנזי] Et in arcis, sive *arculis*. ¶ *Et torquibus in negotiatione tua* [ברכלתך ארזים] *Et torques* fuerunt *in nundinis tuis*. Alii, *& cedro munitarum* [vel *tabulis cedrinis inclusarum*] *in negotiatione tua*. Alii, *ligno myrtino*. Ad arcendam scilicet putredinem, & conciliandum bonum odorem. Ità Chaldæus Paraph. Dicunt Hebræi Myrtum esse speciem quandam cedri.

25. *Tharsis pariter euntes ad te* [תרשיש שרותך] *Carthaginenses turma tua*, i. turmatim ibant ad te negotiandi gratiâ. Quidam vertunt, *Naves Tharsis excellentiores*, vel *præcipua*. ¶ *Et multiplicata es* [ותכבדי] Ad verb. *& gravis* [sive *gravida*] *facta es*, h. e. onusta, aut potiùs plena ac referta mercibus. ¶ *In medio marium* [בלב ימים] Sic v. 4.

26. *Remiges tui* [השטים אתך] Sic vertunt qui à שוט deducunt. Alii à שאט, ut deficiat א, exponunt, *diripientes te*: *qui te prædati sunt*: *diripuerunt*: *spoliaverunt*, i. magnis afflictionibus affecerunt. ¶ *Orientalis* [הקדים] i. Vehemens, nempe Nabuchodonosor: nam Chaldæa respectat ad Orientem Tyri.

27. *Et nundinæ tuæ* [ועזבוניך] *Et merces tuæ*. ¶ *Remiges tui* [מלחיך] Ità dicuntur à *commiscenda & turbanda aqua*. ¶ *Et nautæ tui* [וחובליך] Vide v. 8. ¶ *Instauratores fissurarum tuarum* [מחזיקי בדקך] Architectos intelligit, de quibus vers. 9. ¶ *Et negotiatores negotiationum tuarum* [וערבי מערבך] i. Distractores mercium tuarum.

28. *Ad sonitum* [לקול] *Propter strepitum*, vel *tumultum*, quem edent nautæ tui ob ruinam tuam.

29. *Tenentes remum* [תופשי משוט] *Apprehendentes remum*, i. remiges. ¶ *Remiges, omnes nautæ* [מלחים כל חובלי] Vide v. 27. ¶ *Maris* [הים] *Maris illius*, in quo scilicet sita es.

30. *Et audire facient*, &c. [והשמיעו עליך בקולם] *Et edent propter te vocem suam*. Alii, *Et clamabunt propter te voce suâ*. Alii, *Et resonabunt super te voce suâ*. ¶ *Et ascendere facient*, &c. [ויעלו עפר וגו׳] Hebraismus, spargent pulvere capita sua, more lugentium.

31. *Et decalvabunt*, &c. [והקריחו אליך קרחה] Hebraismus, propter te pilos radent more lugentium.

32. *In lamentationibus suis* [בניהם] *In lamentatione sua*: à נהה *lamentari*, *plangere*. ¶ *Quæ fuit sicut Sor*, &c. [מי כצור וגו׳] i. Quæ unquam fuit urbs similis Tyro, & similis urbi quæ periit etiam sita in loco naturâ inexpugnabili?

33. *Quando egrediebantur*, &c. [בצאת עזבוניך מימים] *Cùm egressæ essent merces tuæ e mari*, i. Cùm merces tuæ eductæ è navibus, expositæ essent in littore, satiabas illis continentem ipsam.

34 *Tempore*, &c. [עת נשברת] *Tempus* [sub. *advenit*] *quo eris fracta*, sive *confracta*, i. quo fluctibus maris confracta evertèris & submergèris in profundum ejus. ¶ *Negotiatio tua* [מערבך] i. Homines negotiationis tuæ, sive mercatores tui. ¶ *In medio tui cadent* [בתוכך נפלו] Præt. Heb. pro fut. i. tecum submergentur & peribunt.

35. *Obstupuerunt* [שמו] Præterita Heb. pro fut. in hoc & seq. versu, ut quidam vertunt, *obstupescent*, &c. ¶ *Formidaverunt formidine* [שערו שער] *Horrescent horrore*. ¶ *Indignati sunt vultu* [רעמו פנים] *Et turbabuntur vultu*, sive *vultu turbato & iracundo erunt*.

36. *Negotiatores in populis* [סוחרים בעמים] Hebraismus, institores aliarum gentium sive populorum. ¶ *Sibilaverunt* [שרקו] *Sibilabunt*, ut solent qui ducuntur admiratione. ¶ *Usque in seculum* [עד עולם] Hebraismus, manebis longo tempore desolata ac destructa, nempe Lxx annis, ut ait Esaias 23. 15.

CASTALIO.

14. QUi *sunt ex genere Thogorma*] Phryges.

15. *Rhodii mercatores tui*] Secutus sum Græcum: alioquin *Dedan* bis poneretur. ¶ *Eburneorum cornuum*] Dentium elephantinorum.

CLARIUS.

3. ET *dices Tyro, quæ habitat in introitu maris*] Comparat destructionem Tyri naufragio navis optimè instructæ; pulcre & eleganter alludens ad mercaturam ejus: nam & navali pompâ excelluit.

7. *De Insulis Elisa*] *Ionii maris*, ait Hieronymus, *sic appellat Insulas*. Jonathas interpretatur *Italiam*.

9. *Senes Gebal*] Sunt Gebalitæ ingeniosi architecti, qui & in exstructione templi Salomonici celebrantur. Et præerant in Tyro publicis ædificiis erigendis & reficiendis.

10. *Pro ornatu tuo*] Ipsi auxerunt splendorem tuum. Erant enim hi populi eâ tempestate clari militiâ: & cùm intromitterentur in urbem, suspenderunt pro gloria civitatis galeas & scuta in turribus.

11. *Filii Aradii*] Aradum Hieronymus insulam dicit quæ tota sit civitas, & contra se positum oppidum Antaradum habeat; & admodum vicinam esse Tyro. Hebræi *Arvad* nominant. ¶ *Pygmæi, qui erant*] Jonathan vocat *Cappadoces*. Ajunt urinatores esse, qui submersi quàm altum sit mare cubitis replicatis metiantur. Alii volunt esse homines staturâ cubitales. Pygmæos illos minutulos putant belligerari solitos cum gruibus. Ii quod viribus corporis nequeunt, illocati turribus sagittandi arte consequuntur, qui *turribus pharetras appendentes*, *absolvebant* urbis *venustatem*. Hieronymus putat *Pygmæos* ἀπὸ τῆς πυγμῆς, i. *à lucta & certamine*, dictos.

13. *Tubal & Mosoch*] Nomina terrarum à primis occupatoribus post Diluvium obvenere, ut legitur Gen. 10. Noe tres filios genuit, CHAM, JAPHET, SEM. Japhet filios habuit septem, Principes gentium, de quibus hîc nominantur JAVAN, TUBAL, MOSOCH, THOGORMA nepos ex Gomer, ELISA & THARSIS, CETHIM & DEDAN, nepotes ex Javan. Hi Septentrionalem partem magna ex parte occuparunt. *Gomer* enim Galatas, *Thogorma* Phryges instituit, *Javan* Ioniam & Græciam, *Tubal* Iberiam & Hispaniam, *Mosoch* Cappadociam, *Tharsis* Ciliciam, *Elisa* Ælios vel Italiam juxta Targum Jonathæ, *Cethim* Cyprios: & omnes insulæ sic dictæ sunt. *Dedan* aliqui Rhodios arbitrantur. Cham habuit filios, qui hîc nominantur, MEZRAIM, PHUT: *Mezraim* instituit Ægyptios, *Phut* Libes & Mauritanos & Africam, *Cus* Æthiopas, cujus filii *Saba*, unde Sabæi, & *Reama*, unde Ramæi, qui ad Arabiam Felicem pertinent; & filius Saba alius *Dedan*, qui dedit Idumæos illos veteres: CHANAAN, cujus primogenitus *Sidon*, cujus est Phœnicia; & *Arvad*, cujus est Aradus. Sem habuit filios ELAM, unde Elamitæ & Persæ, ASSUR, unde Assyrii; LUDI, unde Lydii; ARAM, unde Syrii; & filius ejus, HUZ, unde Damasceni & Trachonitidis inhabitatores. Ab eodem Aram & aliæ Orientales gentes profectæ sunt. HELMODAD, qui Jectan, qui Heber, qui Sale, qui Arphaxat, qui Sem, Mesopotamiam occupavit. Jectan vel Jecatan fuit frater Phaleg & filius Heber, unde Hebræi & Judæi. Et ab Ismaele Abrahæ filio CEDAR, ac NABOTH, unde Nabathæi. *Haran* verò ad Euphraten civitas Nachor.

16. *Chodchod proposuerunt in mercatu tuo*] h. e. Carbunculum.

26. *In aquis multis*] Alius vertit, *In aquas multas adduxerunt te qui tibi adversantur*. Et intelliguntur hic per *aquas multas* angustiæ & afflictiones in quas hostes adegerunt Tyrios.

28. *Conturbabuntur suburbana*] Non quòd Tyrus in mari habuerit suburbana: sed intelliguntur hîc per *suburbana* ædificia quæ habebat in continente.

DRUSIUS.

4. גְּבוּלַיִךְ. Τὰ ὅριά σε *termini tui*.

6. קַרְשֵׁךְ. Cæteri, κέρας σε *cornu tuum*] Theodoretus, *Templa tua, cæteri Interpretes* κέρας σε, *i. antennam*. TEMPLA TUA] Τὰ ἱερά σε. Videntur legisse קדשך per Daleth. Id significat *templum*. Vulgò *sanctuarium* sive *sacrarium* reddunt. CORNU TUUM] קרנך. Santes ex Ebræo *tabulatum tuum*. Arias *asserem tuum*. Hier. *transtra tua*. ¶ בַּת־אֲשֻׁרִים. A. *σανίσι κεκαλυμμένας tabulis contectas*] Hoc Theodoretus ex Aquila citat. Hier. *pratoriola*. Lxx οἴκους ἀλσώδεις. Nam אשרים τὰ ἄλση vocantur. Hieronymus *lucos* reddit Mich. 1. 14. Santes *congregatio Assurim*. Verbum è verbo *filia Assurim*. Quòd ità dicitur ut *filia Sion*, *filia Edom*, *filia Sor*, &c. Hier. in Comment. ad h. l. *Pratoriola*, *sive cellaria*, *in quibus merces pretiosissimæ reponuntur*.

11. סָבִיב. κύκλῳ *in circuitu*. ¶ גַּמָּדִים. Th. Γαμμαδὶμ. Aquilæ 1. ed. *Pygmæi*. Sym. *Medi*] Hier. *Verbum* גמדים *Aquila 1 editio* Pygmæos, *Sym.* Medos, *Lxx* custodes, *Th.* Γαμμαδὶμ, *ipsum verbum Ebraicum*, *interpretati sunt*. PYGMÆI] Πυγμαῖοι. Sic etiam Hier. Optima interpretatio. Nam גמד *cubitus*: unde שני גמדים exponitur ab Ebræis אמות, i. *duo cubiti*. Santes etiam *cubitum* reddit Jud. 3. 16. ubi Hier. *palmæ manûs*, & Lxx σπιθαμή, i. *palmus*. Πυγμὴ aliud est: nam sig. mensuram sex digitis breviorem quàm sit Cubitum. Tamen πυγμαῖος, in veteri Lexico πηχυαῖος, i. *cubitalis*. MEDI] מדים, cujus sing. מדי *Medus*, & המדי ὁ Μῆδος Dan. 11. 1. Locus

cus plenior exstat apud Theodoretum, ἀλλὰ καὶ Μῆδοι ἐν τοῖς πύργοις σου ἦσαν. Vocem גמדים ità interpretatur ac si esset ex duabus conflata, גם מדים *etiam Medi.*

12. תרשיש. A. Sym. Th. Θαρσεὶς] Hier. *Non solum in præsenti loco, sed & in Esaia, ubi scriptum est*, Ululate, naves Carthaginis, *cæteri Interpretes verbum Ebraicum transtulerunt* Tharsis; *quam coloniam esse Tyriorum nulli dubium est.*

14. ופרדים. καὶ ἡμιόνους & *mulos.*

15. בני דדן. A. Sym. Th. υἱοὶ Δαδὰν *filii Dadan*] Hier. *Pro quo nescio quid volentes Lxx* filios Rhodiorum *interpretati sunt; nisi forte primæ literæ falsi similitudine, ut pro Dadan legerent* Radan. *Et ipsa Cycladum maxima est, & in Ionio mari quondam urbs potentissima, navalique certamine gloriosa, & propter tutissimum portum mercatorum omnium receptaculum.* Et mox, *Sed melius est* Dadan *alterius loci nomen accipere, ut & in Ebraico & apud cæteros Interpretes habetur.* Alibi est *Daidan*, sed minùs bene. Quod hinc emendari velim. Hodie *Dedan.* ¶ קרנות שן. κέρατα ——] Lxx habent ὀδόντας ἐλεφαντίνους. Sed in plerisque cod. κέρατα καὶ ὀδόντας. Mihi non est dubium quin sint duæ interpretationes. Nam dentes Elephanti etiam κέρατα *cornua* dicuntur. Qua de re dicam aliàs. Sciendum autem קרנות propriè *cornua* significare, & שן *dentem.* Theodoretus, τὰ κέρατα *Sym. interpretatus est* ἐβένους *ebenos, ex quibus ea fiunt quæ vocantur* Ebenia. Si divinare licet, non κέρατα vertit ἐβένους, sed vocem הבנים proximè sequentem, quam Santes *pavones*, Arias *ebena*, Hier. *ebeninos* interpretantur.

16. ארם. Σύρος] Ὁ Σύρος ἔμπορός σου, *Syrus negotiator tuus.* Priùs erat ἄνθρωπος, i. אדם. Error in Res & Daleth. Quod notavit ante me Hieronymus, SYRUS QUOQUE FUIT NEGOTIATOR TUUS, *pro quo in Ebræo positum est* Aram; *in cujus loco Lxx* homines *interpretati sunt, pro* ARAM *legentes* ADAM, *Res & Daleth, sicut suprà, decepti similitudine. Usque hodie autem permanet in Syris ingenitus negotiationis ardor, qui per totum mundum lucri cupiditate discurrunt, & tantam mercandi habent vesaniam, ut, occupato nunc orbe Romano, inter gladios & miserorum neces quærant divitias, & paupertatem periculis fugiant.* ¶ בנפך. Th. ἐν Νάφεκ *in Naphec.* Sym. *polymita*] Hier. Ità ut haberent homines in Naphec; *quod de Theodotionis editione in Lxx additum est: pro quo Sym. vertit* polymita. Est cur malim Νάφεχ cum χ in ultima, cui respondet Chaph apud Ebræos. Vulgata scriptura ἐν Ἀφὲκ mendum continet quale in τῷ Ὠνιὼδ pro Νωνιώδ. Utrobique ultima similis exclusit sequentem. Qua de re diximus in Observationibus, nisi me fallit augurium. POLYMITA] Hier. *gemmam.* Santes *Carbunculum.* R. D. *è genere gemmarum nigri coloris.* ¶ ארגמן. Cæteri πορφύραν *purpuram*] Priùs erat στακτήν. Utraque interpretatio exstat in nonnullis cod. στακτὴν ἢ πορφύραν *stacten & purpuram.* Hier. Stacten *quoque, pro quo omnes alii* purpuram *interpretati sunt, quæ Ebraicè dicitur* ARGAMAN. ¶ ובוץ. Omnes ἢ βύσσον & *byssum*] Hier. Et varietates ex Tharsis; *pro quo in Ebræo* בוץ *dicitur, quæ ab omnibus in* byssum *translata est.* Et pòst, purpuram & byssum; *pro qua Lxx* Tharsis *interpretati sunt.* Idem paulò antè, *Pro* purpura, *quam omnes interpretati sint*, STACTEN, *i. guttam Lxx transtulerunt.* ¶ וראמת. A. *serica*, vel *subtilia*] Hier. *Pro* Ramoth *Aquila* serica *vel* subtilia *interpretatus est.* Editio Latina vetus & *sericum*, Santes *corallia*, Theodoretus *aromata.* ¶ וכדכד. Omnes ἢ χοδχὸδ & *Chodchod*] Hier. CHODCHOD *verò omnes interpretes, ità ut in Ebræo positum est, transtulerunt.* Idem paulò pòst, CHODCHOD *autem quid significet usque in præsentiarum invenire non potui. Ajunt Ebræi omnes pretiosissimas merces hoc nomine significari; vel speciem esse preciosarum mercium, quam Romanus sermo non resonet; vel communi vocabulo scruta vendemium.* Santes hîc habet *uniones*, Arias *rubinum.* Lxx verò, qui ediderunt Ῥαμὼθ καὶ Χορχὸρ perspicuè legerunt Res pro Daleth. Jes. 54. 12. כדכד, Hier. *jaspis*, Santes *margarita.* Sic etiam Jonathan. Arias *crystallum*, Tremell. *pyropus.* Exod. 28. Hier. *carbunculus.* Cæterùm Theodoretus interpretatur dicens *esse gemmam quæ Onyx appellatur.*

17. פנג. A. Sym. Th. Φανὰγ] Hier. *Verbum Ebraicum* PHANNAG *Aq. Sym. & Th. ità ut apud Ebræos positum est transtulerunt: pro quo LXX* unguenta, *nos* balsamum *vertimus.* Hanc Hieronymi interpretationem firmat historia Ebraica, in qua disertè אפרסמון הוא שמן פנג, *Opobalsamum est unguentum quod Phannag vocatur.*

18. ביין חלבון. Sym. *vinum pingue.* A. & Th. *vinum de Chelbon*] Hier. *Pro* vino pingui, *quod interpretatus est Symmachus, & apud Aquilam & Theodotionem & in ipso Ebraico habetur* vinum de Chelbon. VINUM PINGUE] Οἶνος λιπαρὸς. Polychronius, *Symmachus* χαλβάνῳ *interpretatus est*, i. חלבנה. Dicitur & *Galbanum.* In Theodoreto pro eo est χάλυψ. quod mihi suspectum. VINUM DE CHELBON] Οἶνος ἐκ Χελβὼν. Apud Theodoretum utrumque conjungitur, οἶνος λιπαρὸς ἐκ Χελβὼν *vinum pingue ex Chelbon.* ¶ וצמר צחר. A. Th. & *lanis Soor*] Hier. *Rursum ubi nos posuimus* lanis coloris optimi, *sive* splendentibus, *Aq. & Th. transtulerunt* & lanis Soor. Et pòst, *LXX pro* lanis coloris optimi, lanæ de Mileto, *sive* Soor, *senserunt.* Miletum *in Ebraico non habetur, sed quia inde lana præcipua deferuntur, pro* SOOR Miletum *interpretati sunt. Lanæ splendentes* צמר צחר. Error in He & Heth. In Ebræis quibusdam ἢ ἔρια σιλβὴ, aut ἢ ἔριον σιλβὼν. Pro *Soor* legerim *Sohor*: quod nunc est *Sahar* vel, si mavis, *Sachar* in textu Ebraico. *Sahar*, *Sachar*, ut *Rahab*, *Rachab*, quod & *Raab* in cod. antiquis. Hier. *Significat autem quod inter cæteras negotiationes Tyri ad nundinas ejus de Damasco deferebatur vinum pinguissimum & lanæ præcipua: quod usque hodie cernimus.*

19. ודן ויון מאוזל בעזבוניך. *Dan & Javan & Meozel in nundinis tuis*] Hier. *Quæ in editione eorum* (τῶν ὁ videlicet) *de Theodotione addita sunt.* Græca sunt Δὰν ἢ Ἰαυὰν καὶ Μεόζηλ εἰς τὴν ἀγοράν σου, quæ hodiéque leguntur in Compl. Ἰαυὰν] *Javan* ut Οὐαλέριος *Valerius.* Alibi est Ἰωυάν. Corrigo Ἰωυάν, i. *Jovan*, ut Δαυὶδ *David.* Hier. JAVAN Græciam *sonat; quæ interpretatur* EST ET NON EST. מאוזל. A. *de Uzal.* Sym. *deferens.* Hier. MEOZEL *quoque Sym. transtulit* deferens; *ut sit sensus*; Dan & Græcia detulerunt in nundinis tuis ferrum fabrefactum, &c. *Aquila verò pro* MEOZEL *posuit* de Uzal. *De quibus credendum est regionibus ferrum & stacten & calamum ad Tyri nundinas deportata.* Apud Theodoretum, καὶ Μεωζὴλ εἰς τὴν ἀγοράν σου ἔδωκαν, ἐξ Ἀσὴλ σίδηρος. Sunt autem duæ interpretationes Μεωζὴλ & ἐξ Ἀσὴλ. Idem ait quosdam putare ASEL esse *Asiam*: multáque de his nominibus disputat. Sunt etiam exemplaria quæ pro Δὰν habent Δαιδὰν quod nomen obvium in versu proximè sequenti, & rectiùs scribitur Δαδὰν, aut Δεδὰν. Sanè in textu Hieronymi est *Dedan.* Quin etiam v. 23. In multis καὶ Δεδὰν legitur pro eo quod in Ebræo עדן & in Hier. *Eden.*

23. שבא אשור. Σαβὰ καὶ Ἀσσοὺρ *Saba & Assur*] Aliàs Σαββὰ cum duplici ββ. שבא *Sabba*, ut צדוק Σαδδουκαῖος. Sic דבורה *Debbora*, משיח *Messias*, & si quæ alia occurrunt inter legendum.

24. במכללים בגלומי תכלת. Th. ἐν Μαχαλὶμ καὶ Γαλιμὰ ὑακίνθου. A. ἐγκαλασκευοῖς εἰλήμμασιν ὑακίνθου *constructis involucris hyacinthi.* Sym. *pretiosis involucris*] Hier. *Quod autem de Theodotione in Lxx additum est*, in Machalim & Galima, *Sym.* pretiosis involucris. ¶ ורקמה ובגנזי ברומים. A. Καὶ ποικιλίας, καὶ ἐν μαγώζοις συνεσφιγμένοις, & *varietatis*, & *in Magozis compositis*] Theodoretus, *Illud* in Machalim & Galima, &c. *Aq. ita est interpretatus*, ἐγκατασκευοῖς, &c. *Illud autem* in Magozis *ex Ebraica voce Græcam inflexione facit. Significat autem* ἐν ἀποκρύφοις σκεύεσιν in vasis reconditis. *Ita enim & Syrus est interpretatus.* ורקמה. A. Sym. & *polymita.* Hier. POLYMITA *quoque, quæ Theodotio varia interpretatus est, de Aquila & Symmacho addidimus.* In versione τῶν ὁ quæ in operibus Hieronymi, *in Machalim & Galima, hyacinthum & polymita, thesauros electos funibus colligatos.* Pro ἐγκατασκευοῖς εἰλήμμασιν reperitur & ἐν κατασκευοῖς εἰλήμμασι. Et, τὸ ʒ, ἐν μαγωζεὶς ἀπὸ τῆ Ἑβραϊκῆς ἐξ ἐκλήθη. σημαίνει ʒ, ἐν ἀποκρύφοις σκεύεσιν. Verba sunt Theodoreti, quæ Latina suprà produximus.

31, 32. והקריחו אליך. Th. Καὶ ξυρήσονται ἐπὶ σε φαλάκρωμα, καὶ περιζώσονται σάκκον, καὶ κλαύσονται περὶ σε ἐν πικρασμῷ ψυχῆς, καὶ κοπετὸν πικρὸν λήψονται ἐπὶ σε, *Et radent super te calvitium, & accingentur sacco, & plorabunt pro te in amaritudine animæ, & planctum amarum assument super te*] In Hier. tantùm est, *ploratu amarissimo*: pro quo malim *planctu amarissimo.* *Assument super te* ישאו אליך: quod non est in Ebræo; sumptum autem videtur ex initio versus sequentis, ubi legimus ונשאו אליך & *assument super te*: quæ etiam addita ex Theodotione ad Lxx, ¶ ונשאו אליך בניהם קינה וקוננו עליך. *Et assument super te carmen lugubre, & plangent te*] Hier. *Quod autem sequitur*, Et radent super te calvitium, & accingentur ciliciis, & plorabunt te in amaritudine animæ ploratu amarissimo, & assument super te carmen lugubre, & plangent te, *in Lxx non habetur, sed de Theodotionis editione additum est.* Alibi est, *Et assument filii eorum super te lamentum, lamentationem Sor*, i. בניהם. Minùs hoc se probat mihi. ¶ מי כצור כדמה בתוך הים. Τίς ὥσπερ Τύρος κατασιγηθεῖσα ἐν μέσῳ θαλάσσης; *Quæ est sicut Tyrus, quæ conticuit in medio maris?*

36. סֹחֲרִים בָּעַמִּים שָׁרְקוּ עָלַיִךְ. ἔμποροι ἐθνῶν συρίουσιν ἐπὶ σοί, *negotiatores gentium sibilabunt super te*] Aliàs ἀπὸ ἐθνῶν. In fonte est ἐν τοῖς λαοῖς *in populis*. Nam *gens* propriè גוי dicitur.

GROTIUS.

3. QUæ *habitat in introitu maris*] *Ad portum maris*, supple *egregium*.

Negotiationi populorum ad insulas multas] *Negotiami cum populis ad oras usque multas.*

4. *Et in corde maris sita*] In Hebræo, *In corde maris termini tui.* Nam quod Latinus *finitimi tui* ad sequentem sensum refert, id Chaldæus & Græci nostri codices rectiùs ad hoc membrum trahunt, eo quo dixi sensu. Hoc vult, Imperium tuum non terrâ continetur, sed latè per mare se spargit, ità ut *Tyria maria* in proverbium abierint. Libri LXX pro τὰ ὅρια [*termini*] habuerunt τῷ Βεελείμ [*Beelim*]. fortè scripserant Γεϐηλίμ [*Gebulim*].

Qui te ædificaverunt] Sidonii.

Impleverunt decorem tuum] *Perfectè te ornarunt.*

5. *Abietibus de Sanir exstruxerunt te cum omnibus tabulatis maris*] *Abietibus de Sanir* (id est, de Hermone, Deuteron. III. 9.) *ædificaverunt tibi omnia tabulata maris*: id est, *pontes*, ut optimè interpretatur Chaldæus, qui non minùs quàm Latinus in Hebræo legit לחתים [*tabulas*]. Contrà, LXX pro את כל [*cum omnibus*] legerunt unâ voce אתכל; vertunt enim ταινίας [*tanias*], id est, *aplustria*. Est autem הכל *carbasus*.

Cedrum de Libano tulerunt, ut facerent tibi malum] *Silvæ filia nobilis*, ut ait Horatius.

6. *Quercus de Basan dolaverunt in remos tuos*] אלונים alii *quercus* vertunt, alii *ulmos*, aut *pinus*. Sed Chaldæus habet בלוטין, quæ vox & Chaldæis & Arabibus significat *quercus*.

Et transtra tua tibi fecerunt ex ebore Indico] *Ex dente* in Hebræo: sed eà voce *ebur* notant, ut videre est I Regum X. 18. XXII. 39. II Paralip. IX. 17. Amos III. 15. & alibi. Chaldæus intelligit *buxum intextam ebore*. Pro קרשך [*transtra tua*] Græci legerunt קדשך, τὰ ἱερά σου [*sanctuaria tua*].

Et prætoriola de insulis Italiæ] Variè hic locus vertitur. Ego pro certo habeo אשורים hìc arboris esse nomen, quæ תאשור Esaiæ XLI. 19. ubi *buxum* vertit Chaldæus. *Prætorium*, quod hic dixit Hieronymus, Hebræi בית, est conclave in navis prora. Pro *Italiæ insulis* in Hebræo & Græco est ἀπὸ νήσων τῶν Χεττιείμ [*ab insulis Chettiim*]. Propriè sic vocatur *Cyprus*; deinde translatè alia loca transmarina, præsertim *Macedonia*, ut I Maccab. I. 1. Indè autem petitam buxum docet nos Plinius.

7. *Byssus varia de Ægypto texta est tibi in velum, ut poneretur in malo*] *Ex bysso versicolore Ægyptia facta tibi expansio quæ pro velo serviret.*

Hyacinthus & purpura de insulis Elisa factum est operimentum tuum] *Hyacinthum* intellige, quæ *hyacinthina* Persius vocat, lanam violæ concolorem. *Insula Elisa* sunt maritima loca Æolum, qui optimi lanarum tinctores.

8. *Habitatores Sidonis & Aradii fuerunt remiges tui*] Tanta erat Tyriorum opulentia ut viliora ministeria externis delegarent. De Arado vide Genes. X. 18. Sidonii πολύτεχνοι [*multarum artium*] Straboni. Aradiorum φιλοπονίαν πρὸς τὴν θαλαττουργίαν [*studium in re navali*] laudat idem Strabo.

Sapientes tui, Tyre, facti sunt gubernatores tui] *Sapientes tui fuerunt in te: ipsi gubernatores tui*: id est, peritos rei navalis, quos classibus navibúsque præficeres, de te habebas, non petebas aliunde.

9. *Senes Giblii & prudentes ejus habuerunt nautas ad ministerium variæ supellectilis tuæ*] *Senes Giblii, & quidem eorum peritissimi, tibi aderant ad scissuras sarciendas*, id est, ad faciendas navium commissuras: quod Græci posteriores, & indè nos καλαφατεῖν [*calafatare*] dicimus. Erant Giblii fabri optimi. Vide I Regum V. 18. Horum regio *Gabala* Plinio ac Ptolemæo. In libris LXX Βιϐλίων [*Bibliorum*] legitur pro Γιϐλίων [*Gibliorum*], errore scribarum.

Omnes naves maris, & nautæ earum fuerunt in populo negotiationis tuæ] Id est, ab omnibus terris ad te veniebant naves & nautæ mercaturæ causâ.

10. *Persæ & Lydii & Libyes erant in exercitu tuo*] *In præsidiis tuis.* *Lydos* ante Crœsi tempora laude militari floruisse dicit Xenophon. *Libyes* quoque sive Afri in auxiliis erant, Jerem. XLVI. 9. *Persæ* sagittis noti ab omni ævo.

Viri bellatores tui] Milites mercenarii, qualibus multùm utuntur civitates mercatui deditæ, ut & filia Tyri Carthago.

Clypeum & galeam suspenderunt in te] Nempe qui eorum ab excubiis vacabant.

Pro ornatu tuo] In Hebræo, *Ipsi tibi erant decori.* Magnificum erat tibi tot gentes habere conductas.

11. *Filii Aradii cum exercitu tuo erant super muros tuos in circuitu*] Id est, permixti erant urbano militi.

Et Pygmæi qui erant in turribus tuis pharetras suas suspenderunt in muris tuis per gyrum] Bene, si cum gruibus bellandum fuit. Alioqui quorsum ad militiam deligere eos,

Quorum tota cohors pede non est altior uno?

Probabilis est eorum sententia qui intelligi putant habitatores Anconis Phœnices: nam *Ancon* est גמד [*cubitus*]. At LXX a omisso legêre, כרים, Μῆδοι [*Medi*]. Chaldæus verò, secundâ literâ mutatâ, videtur legisse גפדים [*Gaphdim*]: interpretatur enim Cappadoces.

12. *Carthaginenses negotiatores tui*] תרשיש; quomodo vocari illos qui *Tartessii* dicuntur Græcis notavimus alibi: illis autem vicina Carthago. Unde LXX Καρχηδόνιοι [*Carchedonii*, id est, *Carthaginenses*] hic posuere, pro quo malè scribitur in quibusdam codicibus Χαλκηδόνιοι [*Chalcedonii*].

Argento] *Argentum in Hispania pulcherrimum.* Plinius XXXIII. 6.

Ferro] Martialis:

Pugio quem curva signat brevis orbita venâ,
Stridentem gelidis hunc Salo tinxit aquis.

Bilbilis gloriâ ferri nobilitata, Plin. XXXIV. 14.

Stanno] *Nascitur cum argento*, Plin. XXXIV. 16.

Plumbóque] *Ex adverso Celtiberia complures sunt insulæ, Cassiterides dictæ à Græcis à fertilitate plumbi*, Plinius IV. 22. Idem habet Mela libro III. 6.

Repleverunt nundinas tuas] *Posuerunt in apothecis tuis*, Chaldæus; quod laudo: nam עזב est *claudere*.

13. *Græcia*] *Ionia* יון.

Thubal] Iberi Asiatici, & Albani, quorum urbs *Thabilaca* apud Ptolemæum. Diximus ad librum primum de Veritate Religionis Christianæ.

Et Mosoch] Cappadoces, quorum urbs *Mazaca*, cum *Moschis* sive *Moschenis*. Diximus ibidem.

Ipsi institores tui] *Tecum negotiabuntur.*

Mancipia] *In animabus hominum.* Sed noris ità dici servulos vernas: neque verò aliter accipe ψυχαὶ ἀνθρώπων [*animæ hominum*] Apoc. XVIII. 13. sic & Græcis posterioribus ψυχάρια [*animulæ*] sunt *servi*, ut notavit bene de illis literis meritus Meursius. Nam vox σωμάτων [*corporum*] quæ in Apocalypsi præcedit referenda ad ingenuos qui pretio se aut prostituebant, aut addicebant arenæ; quippe σώματα [*corpora*] sine additamento de servis non dici ait Pollux. Cappadociam plurima mancipia suppeditasse docent nos Horatius, Persius, Martialis.

Et vasa ærea adduxerunt populo tuo] *Mercatui tuo*, מערבך: sic Græci & Chaldæus. Videtur Latinus legisse מערך [*multitudini tuæ*]. *Celebritas æris in Asia*, Plinius XXXIV. 2.

14. *De domo Thogorma*] Fuisse regionem Galatiæ propinquam intelliges ex his quæ infrà XXXVIII. 6. Josephus *Phrygas* interpretatur, quibus vicina urbs Mysiæ *Germa* Ptolemæo; ut & in Galatia *Germanopolis*. Nec aliud voluisse Chaldæum patet, qui hîc posuit גרממיא [*Germania*]. Judæi Rabbini Turcas vocant תורגמים [*Thorgomim*], nempe quòd Turcæ primùm circa illas partes apparere Romani Imperii hominibus cœperint, quod verissimum. Vide Chalcocondylam ac Leunclavium. Sunt & in Galatia *Trogmi*, aliis *Trocmi*, nomine vicino ad *Thogarma*.

Equos & equites] Claudianus de equo Arcadii:

Sive illum Armeniis aluerunt gramina campis,
Turbidus Argæâ seu nive lavit Halys.

Et mulos] Optimi sunt ex *onagro & asina*. *Onagri in Phrygia & Lycaonia præcipui*: utrumque tradit Plinius VIII. 44.

15. *Filii Dedan negotiatores tui*] LXX, υἱοὶ Ῥοδίων [*filii Rhodiorum*]. legerunt enim רדן [*Rhodan*], ut & Genes. X. 4. sed ex mercibus quæ statim nominantur credibile est non illos Gen. X. 4. dictos intelligi, sed alios in Arabia positos, & ortos ex Cethura Gen. XXV. 3. Horum urbs Θοάνα [*Thoana*] Ptolemæo.

Insulæ multæ] Multi accolæ maris Rubri.

Negotiatio manûs tuæ] Id est, veniebant emtum manûs tuæ opera.

Dentes eburneos] In Hebræo, *Cornua dentis.* Et sanè quos *dentes elephanti* dicimus, eos Rex Juba dicebat *cornua*, teste Plinio. At Chaldæus distinguit, & per cornua intelligit *cornua caprearum*, ex quibus buccinas factas narrant Thalmudici; per *dentes*, ebur. Vivebant istæ capreæ in rupibus, unde multæ tales in Arabia. Elephantes quoque multi apud Troglodytas: meminit Plinius non uno loco.

Et hebeninos] Sonum secutus est vocis Hebrææ הובנים. At Chal-

Chaldæus *pavos* interpretatur, quos in Rubrum mare advectos constat ex II Paralipomenon IX. 21.

Commutaverunt in pretio tuo] *Reddiderunt tibi pro pretio*: nempe ad repensanda illa opera Tyriorum. In permutatione utrumque & merx est, & pretium: sed merx dicitur cujus usus est frequentior.

16. *Syrus negotiator tuus propter multitudinem operum tuorum*] Ut opera abs te facta sibi compararet, merces suas, quæ jam dicentur, tibi attulit. *Syri magni negotiatores*, ut hic notat Hieronymus. Horatius, —— *Syrâ reparare merce.* LXX pro ארם [*Aram*, Syria] malè legêre אדם [*Adam*], quod & idem observat Hieronymus.

Gemmam] *Carbunculum*, ut Exodi XXVIII. 18.

Et scutulata] *Acu picta*, quomodo hic Chaldæus. Sic & Exodi XXXV. 23. XXXVIII. 23. Vide & Exodi XXVI. 36. XXVIII. 39. XXXVI. 35. XXXVIII. 18. XXXIX. 29. Judicum V. 30.

Et byssum] Respondet Hebræo בוץ, quod *byssum* vertunt Græci & hîc & alibi: *discoloris* ἐπίθετον [*epithetum*] addit Chaldæus, quòd ea pretiosior.

Et sericum] ראמות sunt *coralia*, ut dictum Job. XXVIII. 18.

Et Chodchod proposuerunt in mercatu suo] Retinuit vocem quæ est in textu Hebræo, ut & Græci. Lapidis esse genus plerique volunt. Videamus an idem sit lapis qui in Apocalypsi dicitur Χαλκηδὼν, & vulgò nunc quoque *Chalcedonius*.

17. *In frumento primo*] Id est, *optimo*, ut habet Chaldæus, ità dicto à regione *Minnith* nominata Judicum XI. 33. Est ad finem Ammonitarum.

Balsamum] In Hebræo est פנג [*Phanag* vel *Panag*], quod *balsamum* etiam Chaldæis: μύρον [*unguentum*] Græci. David Kimchi, qui *herbam dulcem* esse dixit, non dubito quin in animo habuerit *panici*, quæ an jam Ezechielis tempore cognita fuerit dubitari potest. Alii putant non mercem significari, sed regionem, ut *Minnith*, unde frumentum venerit. Si regio est, alia non erit quàm Phœnice, quomodo Græcis vocabatur jam eo tempore ea quæ terra כנען [*Canaan*] Hebræis & ipsis Phœnicibus. Multa autem Græca vocabula in Orientem hoc tempore penetrasse ex Daniele apparebit. Triticum Syrium laudat Plinius.

Et resinam] Ad vulnerum medicamenta. Vide Jeremiæ VIII. 22.

18. *In multitudine operum tuorum*] Ad comparanda operâ quæ Tyri fiunt.

In multitudine diversarum opum] Et ad pecunias comparandas.

In vino pingui] Græci vocem propriam censentes posuere οἶνον ἐκ Χελμὼν [*vinum de Chelmon*], id est, *ex Chalyboniti. de*, ut Ptolemæus illam Syriæ partem nominat, ב mutato in β vicini soni ductûsque literam.

In lanis coloris optimi] Hieronymus in Commentariis nomen censet esse proprium *Soor*, unde lana afferebatur similis Milesiæ, quod nomen posuere hîc LXX, & Chaldæus. Addit: *Significat autem quod inter cæteras negotiationes Cyri, ad nundinas ejus de Damasco deferebatur vinum pinguissimum, & lana præcipua, quod usque hodie cernimus.* Soor apud Ptolemæum est Σύρα [*Sura*].

19. *Dan & Græcia & Mosel in nundinis tuis proposuerunt ferrum fabrefactum*] In Græcis, quibus nos utimur, est Δὰν καὶ Ἰαυὰν καὶ Μωζὴλ [*Dan & Javan & Moozel*]. At ista in LXX defuisse, adjecta verò ex Theodotione narrat Hieronymus. Certè *Dan* Israëlis locum habere hîc vix potest, deductis pridem Decem tribubus: & *Græciæ* mentio jam præcessit, quam hic non intellexisse Theodotionem hinc apparet, quòd suprà pro יון posuit Ἑλλὰς [*Græcia*], hîc verò Ἰαυὰν [*Javan*], ut diximus. Tum verò multùm fallatur qui *stacten*, sive *calamum aromaticum*, aut in Israëlis terra aut in Græcia quærat. *Moozel* pro nomine proprio sumit Theodotio; pro communi Chaldæus, qui vertit *turmatim*, id est, *per caravanas*, ab אזל, quod est *iter facere*. Credam ego Taprobanem hîc indicari, id est, Zeilanam insulam, feracem calami odoriferi, & odorum aliorum, & metallorum non inopem, in qua fuere urbes *Dana & Joganna & Modutu*, ut habet Ptolemæus, ubi fortè scribendum Μοδουλα [*Modulu*].

20. *Dedan institores tui in tapetibus ad sedendum*] *Ad equitandum* vertit Chaldæus, id est, ad strata equorum. Est hic alius *Dedan* ab illo qui suprà 16. Ille ex Cethura, hic ex Chusi filiis, Genes. X. 7. Ostendunt id nomina quæ hîc sequuntur, quæ & in Genesi nomini *Dedanis* cohærent. Sunt in Arabia utrique populi, sed longo intervallo. Horum videtur esse Ἀδηδὺ [*Adedu*] vicus apud Ptolemæum.

21. *Principes Cedar*] *Cedareni*. Vide Psalm. CXX. 5. Jeremiæ XLIX. 28.

Cum agnis, & arietibus, & hædis venerunt ad te] Abundat enim pecore regio illa, quæ *Saracenorum* Hieronymi tempore dicebatur. Vide & Jeremiæ XLIX. 29.

22. *Venditores Saba & Reema*] Et hi populi Arabiæ felicis, ubi *Regma* Ptolemæo, ע in γ mutato, & *Saba* oppidum.

Cum universis primis aromatibus] Thure maximè.

Et lapide pretioso] Ut Lygdino, Plinius XXXVI 8.

Et auro] Cujus magna penes Arabes copia, II Paralipomen. IX. 14.

23. *Haran*] *Carræ*, ut diximus ad librum primum de Veritate Religionis Christianæ.

Et Chene] In Hebræa voce כנה [*Chene*] aut litera ל per scribæ incuriam omissa est, aut cum tempore mutata pronuntiatio. Ostendunt enim vicina loca idem esse quòd כלנה [*Chelne*] Genes. X. 10. & Amos VI. 2. quod esse *Callinisium* Ammiano perquam credibile est.

Et Eden] Pars est Babyloniæ. Vide quæ ad II Geneseos.

Saba] Hic quoque שבא [*Saba*] diversus ab illo qui suprà 22. ille nominatus Genes. X. 7. hic verò Genes. XXV. 3. Plinio *Saba* portus Arabiæ ad mare, V. 23. cujus & Strabo meminit; alibi *Sabæi* thure nobiles, VI. 28. Distinguit & Ptolemæus.

Assur] *Assyrii*.

Et Chelmad] *Mediam* interpretatur Chaldæus. Est vox composita, nec alium locum designari puto quàm *Gaala Media* Ptolemæo nominata. Græci quidam codices Χαρμὰν [*Charman*] habent, id est, *Carmani*.

24. *Ipsi negotiatores tui multifariam involucris hyacinthi*] LXX hîc voces duas Hebræas retinuere, ἐν Μοχαλὴμ καὶ Γαλίμε [*in Mochalem & Galime*]. Probo Chaldæi versionem, *In rebus perfectissimis, nempe in palliis hyacinthinis*, &c. à qua non abiere Aquila & Symmachus, ut ex Hieronymo & Theodoreto cognoscimus.

Et polymitorum] *Et acupictis*.

Gazarumque pretiosarum] *Et synthesibus vestium pretiosarum*. גנז à גנז, quod est *reponere*. ברומים etiam Arabibus esse *vestes pretiosas* ait Joseph Kimchi.

Quæ obvoluta & astricta erant funibus] In Hebræo: *ligatarum funibus*, nempe itidem pretiosis, id est, *byssinis*, ut vult Chaldæus.

Cedros quoque habebant] *Et cedris*, id est, in capsis cedrinis, quò magis durarent. *Myrtinas capsas* posuit Chaldæus.

In negotiationibus tuis] *Ad mercatum tuum*.

25. *Naves maris*] In Hebræo: תרשיש [*Tharsisch*], id est, *Oceani*.

Principes tui in negotiatione tua] *Præcipua tibi in negotiatione tua*: est enim in Hebræo vox feminina.

26. *In aquis multis adduxerunt te remiges tui*] Urbem navi comparans, ut Romam Horatius, ait eam perductam in mare valde fluctuosum. *Remiges* sunt homines de plebe. *Mare*, bellum cum Chaldæis.

Ventus Auster] In Hebræo: *Orientalis*. Is ventus Chaldæos significat ab Oriente venientes.

Contrivet te in corde maris] *Mersit te*.

27. *Qui tenebant supellectilem tuam*] In Hebræo: *Qui scissuras tuas farciunt*, ut suprà 9.

Et populo tuo præerant] In Hebræo, *Tractatores negotiorum tuorum*: id est, institores & magistri.

Cadent in corde maris] Bellicâ clade concident.

28. *A sonitu clamoris gubernatorum tuorum conturbabuntur classes*] *Contremiscent suburbana*. Tantus erit clamor eorum qui in mari à Chaldæis eorumque sociis Phœnicibus vulnerabuntur, ut non insula tantùm Tyros, sed & proxima continens eo audito contremiscat.

29. *Et descendent de navibus suis omnes qui tenebant remum*] Id est, omnes in scaphas se dabunt, ut terram quamprimum arripiant, & sic malum evadant.

In terra stabunt] Velut ejecti.

30. *Et superjacient pulverem capitibus suis, & cinere conspergentur*] Mos dolentium, Josuæ VII. 6. Job. II. 12. Jeremiæ VI. 26.

31. *Et radent super te calvitium*] More Phœnicum, Deuteronomii XIV. 1.

Et accingentur ciliciis] Vestitu vilissimo. Et hic mos Orientis, Jonæ III. 6. שקים Latinus modò *saccos* vocat, modò *cilicia*, parum refert. Vide quæ dicta Matthæi XI. 21.

32. *Et assument super te carmen lugubre*] *Tollent super te querimonias suas lamentum*. At LXX aliis punctis בניהם interpretantur οἱ υἱοὶ αὐτῶν [*filii eorum*].

Quæ est ut Tyrus, quæ obmutuit in medio maris?] Meliùs: *Quæ*

Quæ fuit urbs qualis Tyrus? Quæ urbs maritima ei comparari potuit? ut sit דמה à דמה [*comparare*], non à דמם [*obmutescere*]. Apparet Chaldæum sumsisse ut dicimus, & oratio meliùs cohæret; nam in adversa fortuna commemorant illam priorem.

33. *Quæ in exitu negotiationum tuarum*] Longinquis navigationibus in Indiam, Hispaniam, Africam, Pontum.

Implesti populos multos] Mercibus.

Multitudine divitiarum tuarum] *Pecuniarum.*

Et populorum tuorum] *Mercimoniorum tuorum.*

Ditasti Reges terræ] Ex vectigalibus.

34. *Nunc contrita es à mari*] Vide suprà 26.

In profundis aquarum opes tuæ] Magna vis opum tuarum in mari demersa est.

Et omnis multitudo tua quæ erat in medio tui] Chaldæus: *Exercitus tuus*, id est, milites epibatæ.

35. *Omnes habitatores insularum*] Regionum maritimarum.

Et Reges earum tempestate perculsi] *Horrentibus pilis:* ità Hebræum.

36. *Sibilaverunt super te*] Præ stupore, ut 1 Regum IX. 8.

Ad nihilum deducta es] Nempe si comparetur hic status cum priore.

Non eris usque in perpetuum] עד עולם est *ad longum tempus*, ut & nos annotavimus alibi, & hic Hieronymus.

CAP. XXVIII.

MUNSTERUS.

2. *Deus ego sum*] i. Tam fortis sum & tam securus *sedeo in medio maris* ut neminem mortalium timeam. Ago Deum quendam in mari, cui omnes negotiatores afferunt dona.

3. *Sapientior es Daniele*] Usurpatur nomen *Danielis* ferè loco proverbii, ob incomparabilem sapientiam quâ Propheta sanctus pollebat apud Chaldæos. Et Rex Tyri ob superbiam suam videbatur sibi superare Danielem ipsum in sapientia. Capitur autem hic *sapientia* pro *prudentia*, quâ opus habent hi qui administrandis hujus seculi negotiis deputati sunt.

10. *Mortibus incircumcisorum*] *Morieris*, inquit, multis vulneribus & mortibus, idque *per manum incircumcisorum*, h. e. impiorum, ut Jonathan vertit, & quibus nullum inerit cor misericors. Et nota quòd hîc ממות est nomen ejusdem formæ cum מבוא.

12. *Tu paratum signaculum*] Est hic תכנית idem quod תכן, *pondus* scilicet sapientiæ & gloriæ & opum. Et חותם exponunt pro משלים *perficiens*: ut sit sensus, Tu acquisivisti tibi tantam molem divitiarum, sapientiæ & gloriæ ut nihil illis accedere possit: tam perfectè & absolutè omnia possides. Translator noster legit הכנית pro תכנית. Comparat proinde Propheta delicias & opes Tyri *deliciis paradisi Dei*, ubi nullius rei invenitur defectus. Quin & tantum luxum asserit fuisse apud Tyrios ut Rex & magnates sederint in palatiis omnigenis coruscantibus gemmis, aut quòd lapides illos pretiosos auro inclusos in vestibus gestaverint. Et Rex in tantis sedens divitiis nihil cogitabat nisi quod ad voluptatem faceret carnis; quemadmodum subditur, *Opus tympanorum*, &c. q. d. Propheta, His ludicris te oblectas, omissis seriis quæ in tanta republica erant prosequenda.

14. *Tu Cherub es*] Comparatur Rex Tyri *Cherub inuncto* & ad summum fastigium sublimato, qui *alis suis populum subjectum protegit*, sicut Cherubim Arcam Domini obtegebant. Jonathan tamen vertit *Tu Rex inunctus super Regnum*, &c. Dicitur etiam fuisse *in monte sancto*, quando olim Rex Tyri Hiram ligna misit ad structuram Templi. ¶ *Deambulasti in medio lapidum ignitorum*] Kimhi putat per hos lapides intelligendos Israelitas, quòd tunc fuerint populus sanctus, & alios Dei amore inflammaverint.

18. *Violasti sanctuaria tua*] Hebræi intelligunt ארמון *regium palatium*. Tu, inquit, in causa fuisti ut devastaretur aula tua regia.

24. *Sentis pungens*] Exterminabo, inquit Dominus, gentes illas maledictas quæ infestæ sunt populo meo, ut etiam eis nulla supersit spes. Filii autem *Israel* redibunt & *habitabunt in securitate, ædificabunt domos, & plantabunt vineas.* Et cùm id post captivitatem Babylonicam factum non fuerit, cùm Judæi multas passi fuerint tribulationes, constat id per Christum perfectè impletum, non in corpore, cùm sui usque adhuc ingemiscant, sed in spiritu, qui clamat, *Abba Pater.*

VATABLUS.

2. *Dixistique* ותאמר] *Dicere* pro *cogitare:* nam nemo hoc manifestè dicit, *Ego sum Deus*, sed cogitationibus sibi tribuit. ¶ *Deus ego sum* אל אני] Quidam Hebræorum subaudiunt *sicut* vel *tanquam*, *Sum* tanquam *Deus*, q. d. Sum similis Deo: nam quemadmodum Deus habitat in loco inaccesso, nempe in cœlo, quò nemo mortalium pervenire sive attingere potest, neque nocere illi; ità neque mihi qui sedeo & habito in loco inaccessibili, nempe omnino cincto & munito mari. ¶ [*Et posuisti*, &c. ותתן לבך וגו'] Ad verb. *& dedisti*, &c. Hebraismus, existimasti tamen in corde tuo te esse Deum aut Deo parem.

3. *Sapientior es*, &c. חכם אתה וגו'] Sub. *opinione tuâ.* Daniel sapientiæ suæ specimen exhibuit in Chaldæa, ubi hæc prædixit Propheta. Per Ironiam autem hæc dicit.

Et intelligentiâ tuâ ובתבונתך] *Et prudentiâ tuâ.* ¶ *Congregasti* עשית] Ad verb. *fecisti*, i. peperisti.

6. *Posuisti*, &c. תתך את לבבך וגו'] Ut vers. 2. Infinit. pro præt.

7. *Robustos Gentium* עריצי גוים] i. Optimos & fortissimos bellatores qui sunt in Gentibus, nempe Babylonios. ¶ *Contra pulcritudinem*, &c. על יפי חכמתך] i. Perdent quæcunque videris tibi propriâ sapientiâ peperisse ac comparasse, præsertim ingentem illum ac illustrem & elegantem exercitum tuum. ¶ *Et pollüent pulcritudinem tuam* וחללו יפעתך] Ad verb. *& contaminabunt splendorem tuum*, i. polluendo obscurabunt splendorem tuum: q. d. privabunt te dignitate Regiâ.

8. *Descendere facient te* יורידוך] i. Deducent te, vel deficient, postquam scilicet fueris mortuus. ¶ *Occisorum* חלל] Sing. Heb. pro plur. *interfectorum*, gladio scilicet, i. morte vulneribus confectorum & confossorum: q. d. Postquam multis vulneribus fueris confossus, projicieris in mare.

9. *Interfectore tuo* הורגך] Sing. Heb. pro plur. *coram illis qui interfecturi sunt te?* Sic mox. ¶ *Tu autem homo es* ואתה אדם] *Cùm sis homo.*

10. *Morte incircumcisorum* מותי ערלים] *Mortibus incircumcisorum*, sub. *corde*, i. quorum cor non est repurgatum, sed scatet sceleribus: q. d. impiorum.

12. *Leva planctum* שא קינה] Hebraismus, *Lamentare*, [*plange*, aut *luge*] *Regem Tyri.* Solemus lamentari ac magno luctu prosequi calamitatem magnorum. ¶ *Tu sigillas summam* אתה חותם תכנית] *Tu perficis summam*, vel *numerum.* Alii, *Tu sigillas dispositionem:* vel, *Tu es sigillum* [i. perfectio] *dispositionis*, h. e. tu es omnibus numeris absolutus. Solemus enim sigillo munire quæ absoluta ac perfecta sunt: q. d. Tu nunc es clarissimus, illustrissimus ac felicissimus; sed brevi eris infelicissimus.

13. *In Eden horti Dei fuisti* בעדן גן אלהים היית] *Eden*, locus sive regio in qua est paradisus terrestris. q. d. Tu abundasti omnibus rebus ac bonis, & videbaris quasi versari in paradiso Dei. Quidam legunt, *In Eden* in *horto Dei fuisti.* ¶ *Operimentum tuum* מסוכתך] A סכך deducitur in hac significatione. q. d. Tu ornasti vestes tuas lapidibus pretiosis. Quidam deducentes à שוך, ut ס sit loco ש, vertunt, *sepes tua*, q. d. Ex omnibus lapidibus pretiosis tu exstruxisti & ornasti ædificia tua. Hyperbole. Tantum luxum asserit fuisse apud Tyrios ut Rex & magnates sederint in palatiis omnigenis coruscantibus gemmis; aut quòd lapides illos pretiosos auro inclusos in vestibus gestaverint. ¶ *Et jaspis, chrysolithus* וישפה תרשיש] *Et adamas, hyacinthus.* ¶ *Et aurum* וזהב] Annumerat Aurum lapillis pretiosis quòd lapilli soleant ornari sive includi auro. ¶ *In die quâ creatus*, &c. ביום וגו'] Hic ב pro מ, ut v. 15. *à die quâ creatus fuisti concinnata fuerunt*, vel *disposita:* i. tempore quo cœpisti florere & esse in felicitate ac prosperitate usus es tympanis in domibus tuis. Solent enim in prosperitate uti tympanis & aliis instrumentis musicis.

14. *Magnus* ממשח] *Unctus.* Pro *claro*, *nobili* & *viro magno* ponitur, quia magni, ut Rex & Pontifex magnus, ungebantur. Regem vocat *Cherub* propter multitudinem excellentiæ ejus. ¶ *Tegens* הסוכך] Protegens quasi alis suis populum multum subditum. Alludit ad Cherubim qui alis suis tegebant Arcam fœderis. Intelligit autem Regem, non eum qui mortuus est urbe expugnatâ, sed eos qui præcesserunt eum. Misit enim Hiram Salomoni quædam necessaria ædificio Templi. ¶ *In medio lapidum ignitorum ambulasti* בתוך אבני אש התהלכת] i. In medio lapillorum pretiosorum præ se ferentium fulgorem igneum; i. versatus es inter Israelitas qui splendori igneo comparantur.

15. Per-

15. *Perfectus fuisti*, &c. [תמים אתה וגו'] *Perfectus eras in omnibus viis tuis*, i. in omni ratione vitæ tuæ à die nativitatis tuæ.

16. *Repleverunt medium tui* [מלו תוכך] *Repleverunt* [sub. *cives tui*] *medium tui*, i. urbis tuæ. q. d. Urbs tua propter frequentiam mercatorum qui veniebant ad emporium tuum repleta est iniquitate. ¶ *Et peccasti* [ותחטא] i. Non reddidisti jus mercatoribus externis, neque sublevasti eos injuriâ ipsis illatâ à tuis. ¶ *Et profanabo te* [ואחללך] *Itaque profanavi te*. Præt. Heb. pro fut. i. tanquam profanum ejiciam & expellam de templo meo. ¶ *Cherub*, &c. [כרוב] Vide v. 14.

17. *Elevatum est* [גבה] *Exaltatum est. Elevavit sese*. ¶ *Perdidisti* [שחת] *Corrupisti*. *Decorem* ac *splendorem* vocat dignitatem Regiam, ut v. 7. ¶ *Ut videant te* [לראוה בך] Ad verb. *Ut videant in te*, sub. *subversionem quæ erit in te*, propter multitudinem superbiæ cordis tui. Alii vertunt *ut despiciant te*: propterea quòd verbum ראה construatur hîc cum ב: i. tradam te captivum, & efficiam ut venias in manus ac potestatem hostium tuorum.

18. Et *ob iniquitatem* [בעול] Ad verb. *in iniquitate*. Quidam vertunt, & maximè *præ iniquitate*. ¶ *Sanctificationem tuam* [מקדשיך] *Sanctuarium tuum*, i. palatium tuum, ideo sic dictum, ut ait doctus inter Hebræos, quòd sit sicut sanctuarium, eò quòd non congregentur ibi nisi noti. ¶ *Qui consumet te* [היא אכלתך] Ad verb. *ipse comedit te*, i. excitabo aliquot ex civibus tuis qui deficiant à te ad Nabuchodonosorem.

19. *Eris* [היית] Præt. Heb. pro fut. ut suprà 27. 36. ubi hæc pars versûs legitur.

22. *Et dic* [אמרת] Fut. Heb. pro imperat. ¶ *Ecce ego* [הנני] Sub. *venio*, aut *venturus sum*, i. missurus sum iram meam contra te. ¶ *Et glorificabor* [ונכבדתי] *Glorificabo me*, i. gloriâ dignum me ostendam; vel dabis mihi gloriam cùm egregiè te afflixero: nam gloria Dei relucet in eis quos affligit. ¶ *Cum fecero*, &c. [בעשותי וגו'] i. Cùm justè afflixero eam. Hebraismus. ¶ *Et sanctificavero me* [ונקדשתי] i. Cùm sanctum ac justum Judicem ostendero me.

23. *Et mittam* [ושלחתי] Aut redundat ו, aut convertendum in *namque*, vel *enim*. *Mittam enim*. ¶ *Et sanguinem* [ודם] i. Cædem, vel gladium, quòd gladio fundatur sanguis. ¶ *Et corruent interfecti* [ונפלל חלל] Singul. Hebr. pro plur.

24. *Circuitibus eorum* [סביבותם] *Qui in circuitu eorum sunt*, i. vicinis.

25. *Et sanctificavero me* [ונקדשתי] *Et sanctificatus fuero*, ut v. 22.

26. *Confidenter* [לבטח] i. In magna fiducia ac confidentia, & sine metu. ¶ *Qui spernunt eos* [השאטים אותם] *Qui diripiunt eos*, vel *spoliant*. Hebraismus, cùm sumpsero pœnas de omnibus qui affligunt eos undique.

CASTALIO.

7. *Strictis in istius sapientia elegantiam gladiis*] In te, qui tibi tam præclarâ sapientiâ præditus videris.

CLARIUS.

2. *Deus ego sum*] i. Tam fortis sum & tam securus *sedeo in medio maris* ut neminem mortalium timeam. Ago Deum quendam in mari, cui omnes negotiatores afferunt dona.

3. *Sapienter es tu Daniele*] Usurpatur nomen *Danielis* ferè loco proverbii, ob incomparabilem sapientiam quâ Propheta sanctus pollebat apud Chaldæos. Et Rex Tyri ob superbiam suam videbatur sibi superare Danielem ipsum in sapientia. Capitur autem hîc *sapientia* pro *prudentia*, quâ opus habent ii qui administrandis hujus seculi negotiis deputati sunt.

10. *Morte incircumcisorum*] h. e. Peccatorum: vel, *Morieris* multis vulneribus ac mortibus, idque *per manum incircumcisorum*, h. e. impiorum, & quibus nullum inerit cor misericors.

12. *Tu obsignans summam*] Tu, inquit, acquisivisti tibi tantam molem divitiarum, sapientiæ & gloriæ ut nihil illis accedere possit: tam perfectè & absolutè omnia possides. Comparat proinde Propheta delicias & opes Tyri *deliciis paradisi Dei*, ubi nullius rei invenitur defectus. Quin & tantum luxum asserit fuisse apud Tyrios ut Rex & magnates sederint in palatiis omnigenis coruscantibus gemmis, aut quòd lapides illos pretiosos auro inclusos in vestibus gestaverint. Et Rex in tantis sedens divitiis nihil cogitabat nisi quod ad voluptatem faceret carnis; quemadmodum subditur, *opus tympanorum*, &c. q. d. Propheta, His ludicris te oblectas, omissis seriis quæ in tanta republica erant prosequenda.

14. *Tu Cherub extentus*] Vel *inunctus*. Comparatur Rex Tyri *Cherub inuncto* & ad summum fastigium sublimato, *qui alis suis populum subjectum protegit*, sicut Cherubim Arcam Domini obtegebant. Jonathas tamen vertit, *Tu Rex inunctus super Regnum*, &c. Dicitur etiam fuisse *in monte sancto*, quando olim Rex Tyri Hiram ligna misit ad structuram Templi. ¶ *In medio lapidum ignitorum* (h. e. pretiosissimorum, instar ignis lucentium) *ambulasti*] Per hos *lapides* intelligunt Israelitas, quòd tunc fuerint populus sanctus, & alios Dei amore inflammaverint.

18. *Polluisti sanctificationem tuam*] Hebræi intelligunt Regium palatium. Tu, inquit, in causa fuisti cur devastaretur aula tua regia.

24. *Et spina*] Exterminabo, inquit Dominus, gentes illas exsecrandas quæ infestæ sunt populo meo, ut etiam eis nulla supersit spes. Filii autem *Israel* redibunt, *& habitabunt in securitate, ædificabunt domos, & plantabunt vineas*. Et cùm id post captivitatem Babylonicam factum non fuerit, cùm Judæi multas passi fuerint afflictiones, constat id per Christum perfectè impletum, non in corpore, cùm sui usque adhuc ingemiscant, sed in spiritu, qui clamat, *Abba Pater*.

DRUSIUS.

4. עשית. ἐκτήσω *acquisivisti*] Verbum è verbo καὶ ἐποίησας *& fecisti*. Nota ergò phrasin, *facere aurum* pro *acquirere*. Alibi, *aurum quod fecerunt in Baal*, i. insumpserunt. Cæterùm in multis cod. hoc loco habetur καὶ ἐποίησας χρυσίον *& fecisti aurum*.

9. בְּיַד מְחַלְלֶיךָ. ἐν χειρὶ τιτρωσκόντων σε *manu vulnerantium te*.

10. מוֹתֵי עֲרֵלִים תָּמוּת. θανάτοις ἀπεριτμήτων ἀποθανῇ, *mortibus incircumcisorum morieris*.

12. מְלֵא חָכְמָה. πλήρης σοφίας *plenus sapientiâ*.

13. כָּל־אֶבֶן יְקָרָה מְסֻכָתֶךָ. Sym. *omni lapide pretioso vinctus atque constrictus fuisti*] Hieron. *Hoc observandum est, non omni lapide pretioso Regem Tyri fuisse circumdatum sive opertum, &, ut Symmachus transtulit, vinctum atque constrictum; sed omnem lapidem quem habuit Princeps Tyri fuisse pretiosum*. Idem aliquantò pòst; *Sed & Aq. & Sym. ac Th. in præsenti loco multùm inter se & Lxx Interpretes non solùm ordine sed & numero discrepant atque nominibus*. Et post aliquam multa, *Porrò Symmachi interpretatio istum Principem Tyri, quasi pretiosissimum monile, lapidibus scribit esse distinctum*. ¶ מְלֶאכֶת תֻּפֶּיךָ. *Opus tympanorum tuorum*] i. Palarum tuarum. Hieron. *Denique auri tympanum vocat in quo infixi sunt lapides*. Videtur esse Symmachi: quod colligo ex verbis Hieronymi suprà citatis. Sed tamen arbitrarium esse volo hoc, nolo ut sit certum. ¶ כּוֹנָנוּ. Th. ἡτοιμάσθησαν *preparata sunt*] Sumptum ex Scholio quodam Græcô.

14. מִמְשַׁח הַסּוֹכֵךְ. Th. κεχρισμένος τοῦ κατασκηνοῦντος] Scholiastes notavit hoc additum esse similiter de Theodotione. כרוב ממשח, Sym. τὸ χερὺβ καταμεμετρημένον. Hieron. *Juxta Ebraicum*, tu Cherub extentus & protegens: ex eodem Scholiaste. ¶ הִתְהַלָּכְתָּ. A. ἐμπεριεπάτησας] Notavit idem qui suprà.

15. תָּמִים. A. τέλειος *perfectus*.

16. וָאַבֶּדְךָ כְּרוּב הַסֹּכֵךְ. A. ἀπολέσω σε, χερὺβ ὁ συσκιάζων, *perdam te, ô Cherub obumbrans*.

18. חִלַּלְתָּ. ἐβεβήλωσας *contaminasti*. ¶ מִקְדָּשֶׁיךָ. τὸν ἁγιασμόν σου *sanctificationem tuam*] i. Templum tuum. ¶ לְאֵפֶר. εἰς σποδὸν *in cinerem*.

23. וְשִׁלַּחְתִּי־בָהּ דֶּבֶר וָדָם. Καὶ ἐξαποστελῶ ἐπ' αὐτὴν θάνατον καὶ αἷμα, *Et immittam in eam mortem & sanguinem*] Ἐπ' αὐτὴν reposui ex conjectura; nam in libris est ἐπί σε *in te*. MORTEM] i. Pestilentiam.

GROTIUS.

2. *Dic Principi Tyri*] Ithobalo. Ità enim vocatur in Actis Tyriis. Stolidi Rabbini Hiramum fingebant per mille annos vixisse, ut hic notat Hieronymus.

Et dixisti: Deus ego sum] Id est, *quasi Deus quidam*, ut Esaiæ XIV. 14.

Et in cathedra Dei sedi in corde maris] Rursum subintellige *quasi*. Sicut Deus ab omni injuria tutus est in arce cœlesti, sic me defendit mare.

Cùm sis homo] Omni humanæ sorti obnoxius.

Et non Deus] Minimè inexpugnabilis.

Dedisti cor tuum quasi cor Dei] Ità de te cogitas quasi omnia tibi parêre debeant.

3. *Ecce sapientior es tu Daniele*] Ità tibi videris. Celebris erat tunc per Chaldæam fama Danielis: suprà XIV. 20. Danielis I. 17. & II. 48. VI. 26.

4. *Fecisti tibi fortitudinem*] Opes parasti.

7. *Robustissimos gentium*] Quales tunc erant Chaldæi, suprà XXVI. 7.

Nudabunt gladios suos super pulchritudinem sapientiæ tuæ] Super pulcherrima ædificia quæ magnâ arte struxisti.

Et polluent decorem tuum] *Splendorem tuum*: Id est, regnum tuum.

8. *Interficient & detrahent te*] *Ad ima descendere te facient*: id est, ad fundum maris, in navali prælio.

9. *Numquid dicens loquêris*] An tunc dices?

Cùm sis homo] ——— *mors sola fatetur*
Quantula sint hominum corpuscula.

10. *Morte incircumcisorum morieris*] Risisti circumcisos: ideo volo ut incircumcisi tibi mortem inferant. *Mors incircumcisorum*, ut apud Virgilium:

——— *Vulnere tardus Ulyssei*,

ab Ulysse dato.

12. *Tu signaculum similitudinis*] *Annulus signatorius* (optimè) *figuratus*. חותם alibi vertunt δακτύλιος [*annulus*], alibi σφραγὶς [*sigillum*], alibi ἀποσφράγισμα [*signaculum*], sensu eodem. תכנית *figura*. Et sic accipit hîc Chaldæus. Sensus est, Diligentissimè custodiebaris, ut annulus splendidus multæ artis. Confer Jeremiæ XXII. 24.

Plenus sapientiâ] Id est, arte factus, ut jam diximus.

Ut perfectus decore] Pulchrùm fulgens.

13. *In deliciis paradisi Dei fuisti*] Omnia tibi affluebant, ut olim Adamo in horto Hedenis, quem ei Deus concesserat.

Omnis lapis pretiosus operimentum tuum] Vestis tua gemmis erat intexta.

Sardius] אדם [*Odem*] *rubrum* significat. Talis autem est *Sarda Indica* Plinio XXXVII. 7. σάρδιον [*sardium*] habent hîc & Græci. Chaldæus סמקן [*Samecan*] à סמק, quod est *rubere*.

Topazius] פטדה τοπάζιον vertunt Græci, tum in Exodo, tum Jobo XXVIII. 19. Chaldæus vertit ירקן [*Jarcan*]: est illis ירק *virere*. Est ergò Topazius Arabica, cui virorem attribuit Plinius XXXVII. 8.

Et jaspis] יהלם est ab הלם, quod est *frangere*: ideo non minùs convenit *adamanti* hoc nomen quàm *jaspidi*. Et *adamantem* tum hîc tum in Exodo interpretatur Chaldæus. *Adamantes Arabici* Plinio teste XXXVII. 4. *ità respuunt ictum ut ferrum utrinque dissultet, incudésque etiam ipsæ dissiliant.*

Chrysolithus] תרשיש est *Oceanus & Oceani color*. Beryllo id nomen optimè convenit, *qui viriditatem puri maris imitatur*, Plinius XXXVII. 5. Græci Interpretes variant: interpretantur enim χρυσόλιθον, ἄνθρακα, ὑάκινθον [*chrysolithum*, *carbunculum*, *hyacinthum*].

Et Onyx] שהם Rabbini ferè omnes consentiunt lapidem esse formâ unguis humani, id est, *onychem*, & sic à Græcis vertitur Job. XXVIII. 16. Atque id malo quàm quòd alibi vertitur πράσινος [*prasinus*], alibi σμάραγδος [*smaragdus*], alibi σάπφειρος [*sapphirus*], alibi σάρδιος [*sardius*], alibi, ut & à Chaldæis, βηρύλλιον [*beryllium*].

Et beryllus] ישפה ipso sono accedit ad *jaspidem*. Et ità hîc Græci. At alibi ὀνύχιον [*onychium*]. Chaldæus פנתרין, id est, *pantherinum*. Ità vocari credo id jaspidum genus quod *è multis veluti gemmis compositum* dicit Plinius, à *panthera* varii coloris animante.

Sapphirus] ספיר non est dubium quin sit σάπφειρος [*sapphirus*], nihil mutato nomine. Et sic constanter vertunt Græci in Exodo, Jobo, & alibi. Retinet nomen Arabia, Nun interposito سنفير.

Et carbunculus] נפך *carbunculum* etiam Exodi XXVIII. 18. vertit Hieronymus, ubi & Græcis est ἄνθραξ [*carbunculus*]. Ajunt Hebræi נפך esse *nigrum*. sed & Plinius *carbunculos Carchedonios nigrioris esse aspectûs* dicit.

Et smaragdus] ברקת est à ברק, quod est *fulgurare*, *coruscare*. Optimè id nomen conveniret chrysolitho, cui color aureus: vertunt tamen Græci σμάραγδον [*smaragdum*], & hîc ὀνύχιον [*onychium*]. Chaldæus vicinam vocem posuit ברקן [*Barcan*], quod pro *carbunculo* accipi video.

Aurum opus decoris tui, & foramina tua in die quâ conditus es præparata sunt] Meliùs illa, *Et aurum*, ad priorem sensum referas; deinde vertas cum Symmacho: *Tympana tua, & foramina tua in die quâ formatus es præparata fuerant.* Cùm adhuc in utero formareris, jam tum tibi parabantur *tympana* (sic vocantur margaritæ *quibus una tantùm est facies, & ab ea rotunditas, inversis planities*, teste Plinio IX. 35.) *& forata*, id est, margaritarum lineæ, ut eas vocat Scævola & Martialis. Simile illud Claudiani de Honorio:

Acclinis genitrix auro, circumflua gemmis
In Tyrios enixa thoros.

14. *Tu Cherub extentus & protegens*] Comparat eum Cherubinorum alteri qui super Arcam extendebantur eámque obtegebant: Sic & ille populum suum. Videtur Hieronymus legisse ממשח [*extentus*], non ממשח [*unctus*]. Sensus sic est melior.

Et posui te in monte sancto Dei] Subaudi. *quasi*. Sicut illi in Templi adyto erant (quod vocatur *mons sanctus*), ità tu in loco qui videbatur ad vim omnem inaccessus.

In medio lapidum ignitorum ambulasti] Sicut Pontifex cum duodecim lapidibus micantibus accedebat Cherubinum, ità & qui circum te erant intrabant pari ornatu.

15. *Perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ*] *Felix fuisti in omnibus actionibus tuis, ex quo formatus es.*

Donec inventa est iniquitas in te] Donec cœpisti exercere piraticam, ut sequentia explicant.

16. *In multitudine negotiationis tuæ*] Cùm ex justis commerciis rem facilè posses facere.

Repleta sunt interiora tua] Id est *thesauri tui*, ut hîc Chaldæus.

Iniquitate] Rebus raptis.

Ejeci te de monte Dei] De Tyro, quæ velut adytum erat, ut diximus.

17. *Et elevatum est cor tuum*] *Nam superbierat tibi animus.*

In terram projeci te] Id est, prostravi te.

Ante faciem Regum dedi te, ut cernerent te] *Te proposui Regibus in exemplum.* Ità Chaldæus & LXX.

18. *In multitudine iniquitatum tuarum*] Rebus multis per vim partis.

Et iniquitate negotiationis tuæ] Et per contractus extortos advenis.

Polluisti sanctificationem tuam] *Sanctuaria tua.* Templa Belli, quem *Jovem* Græci vocant, Melcarti, quem illi *Herculem*, Astartes, implesti rebus malè partis.

Producam ego ignem de medio tui] *Culpam pœna premet comes.*

Et dabo te in cinerem super terram] *Quasi cinerem*, bene hîc Chaldæus. Hostes non pluris te facient quàm cinerem sparsum humi.

19. *Omnes qui viderint te*] *Antehac te noverant*, ut Chaldæus hîc.

Nihili factus es] בלהות ἀνυπαρξίαν [*non-exsistentiam*] solet vertere Symmachus. Chaldæus hoc loco eundem sensum expressit: *Ponam te quasi nunquam fuisses*, id est, nè sepultura quidem tibi continget. LXX: ἀπώλεια ἐγένου [*perditio factus es*].

Et non eris in perpetuum] Id est, corpus tuum nunquam reperietur. Hîc עד עולם [*in perpetuum*] *sine fine* accipi tempus postulat. Alibi aliter sumi sæpe apparuit.

22. *Ecce ego ad te Sidon*] Perierunt nobis historiæ ex quibus hæc possemus interpretari. Sed credibile est Sidonios, unde orta erat Tyrus, Tyriis auxilium præbuisse, & postea Chaldæis dedisse pœnas: nam domum veterem Sidoniorum Regum ad plebejam sortem depressam jam olim fuisse discimus ex Scriptoribus rerum Alexandri. Facti ergò & hi non minùs quàm Tyrii sub potestate Chaldæorum primùm, deinde Persarum. Simile vaticinium, sed ad tempora vetustiora pertinens, de Tyro & Sidone vide apud Esaiam XXIII. 4.

Et sanctificatus fuero in ea] Id est, occasione pœnarum ejus ab omnibus laudatus fuero.

23. *Et immittam ei pestilentiam*] Quæ obsidiones comitari solet ex corruptis alimentis, infectóque aëre.

Gladio] Chaldaïco.

24. *Et non erit ultrà domui Israël offendiculum amaritudinis*] *Sentis noxia.*

Undique per circuitum eorum] Repressis Tyriis, Sidoniis, Ammonitis, Moabitis, Idumæis. Referendum hoc ad tempus, quod jam describet, ubi Judæi in patriam reversi fuerint. Diu enim illacessiti vixêre.

CAP. XXIX.

MUNSTERUS.

3. D*Raco magne*] Intelligitur in Hebraiſmo per *draconem aquatilem* Cetus ſeu piſcis magnus. Et ſignificatur hic per hunc *cetum ſquamatum* Rex Ægypti; ſicut per alios *piſces* ſignantur reliqui Ægypti Principes & potentes. Aſſimilat autem eos Propheta *piſcibus*, quòd ea regio plena ſit aquis & ſtagnis, Nilo multis rivis ab Æthiopia per eam in mare Mediterraneum labente.

5. *Derelinquam te in deſerto*] In deſerto loco & extra aquam piſcis vivere non poteſt: Sic Dominus prædicit Ægyptios extra Regnum ſuum in captivitatem abducendos.

6. *Suſtentaculum arundineum*] i. Vanam fiduciam promiſerunt Judæis, cùm nihil firmi unquam præſtiterint. Sed & cùm Judæi obſeſſi à Chaldæis Ægyptios veluti manu tenerent, nihil profuit eis, quia convertit ſe Rex Babylonis contra exercitum Pharaonis, & ſtravit eum: ideo dicitur hic, *confringeris*.

7. *Diſſecabis in eis omnem humerum*] Hoc dicitur quòd Judæi confiſi de Pharaonis auxilio violaverunt fœdus cum Nebuchadræzar initum, in propriam perniciem. ¶ *Firmabis omnem lumbum eorum*] Quidam exponunt מעמדת pro והעמדת, tranſpoſitis ſcilicet literis radicalibus, & tunc hic erit ſenſus, *nutare facies omnem lumbum eorum*. Kimhi tamen putat inſiſtendum literæ ut illa habet, nempe quòd ablata omni ſpe alieni auxilii, tunc roborati fuerint lumbi eorum, ut jam propriis viribus ſtuduerint obviam ire hoſti. Alii legunt hunc locum interrogativè, & alii per Ironiam.

9. *Ego feci me*] Non erat tam ſtupidus & inſipiens ut putaret ſe à ſeipſo factum; ſed hunc habet ſenſum, Ego feci mihi tantam fluviorum commoditatem ut citrà pluviam poſſim humectare terram meam. Vel hic erit ſenſus, Ego ſic geſſi me per vitam meam in ſapientia & prudentia ut aſcenderim ad Regiam dignitatem.

10. *A turre Sevene*] Putant eſſe Syenem, quam Jeſaias vocat *Sinis*, in extrema Ægypti parte Meridionali ſitam.

14. *In Regnum humile*] Crevit quidem poſtea in Regnum magnum; ſed non fuit ſui juris, cùm & Græcis & Romanis paruerit.

17. *Viceſimoſeptimo anno*] Hi anni ſecundùm Hebræos non computantur à captivitate Jehoiachin, ſed à principio Regni Nebuchadræzar, quando jam deſtructa fuit Tyrus cum magno militum labore. Et quoniam Deo in hac re inſervierunt, promittit eis temporariam mercedem, nempe opima ſpolia Ægypti. Sed numquid in Tyro non invenerunt magnas divitias? dicendum quòd nihil in ea invenerint, cùm mare omnia avexerit, aut cùm obſidio diutiùs protraheretur, Tyrii divitias ſuas aliò tranſportare ſategerunt.

21. *Faciam germinare cornu Iſrael*] Promittitur hìc vera redemptio, quæ futura tunc erat per ſemen David. Judæi referunt ad redemptionem captivitatis Babylonicæ.

VATABLUS.

3. C*Ete* התנים] *Draco.* Significat piſcem ingentis magnitudinis. Comparat Cete Regem Ægypti. ¶ *Fluminum ſuorum* יאריו] Pronomen tertiæ perſonæ pro ſecundæ *tuorum*. יאר propriè ſignificat *rivum*, ſive *rivulum*, *qui derivatur ab alio magno*. Per יאורי autem intelligit Nilum, quòd aquæ ejus per foſſas huc illuc deductæ diſtribuerentur in multas partes. Et per Nilum hic intelligit Ægyptum, quòd tota allueretur ac irrigaretur Nilo. ¶ *Feci mihi* עשיתני] Sub. *illum fluvium*. Pronomen junctum pro ſeparato, עשיתי לי pro עשיתני. Feci ſcilicet ut allueret ac irrigaret totam regionem meam, idque meâ induſtriâ, prudentiâ ac ſapientiâ. Alii vertunt, *feci me*, ſub. *Regem magnum meâ induſtriâ*.

4. *Et agglutinabo* והדבקתי] *Et adhærere faciam.* Per *hamos* intelligit potentiam ingentis exercitûs quem immiſſurus erat Dominus contra Ægyptum. ¶ *Fluminum tuorum* יאריך] Ut v. 3. ¶ *Et aſcendere faciam te* והעליתיך] *Et extraham te.*

5. *Et derelinquam te* ונטשתיך] *Et deſeram te.* ¶ *Cades, non recolligeris, neque congregaberis* תפול לא תאסף ולא תקבץ] i. Concides mortuus in terram, neque ſepelieris.

6. *Baculus arundineus* משענת קנה] *Fulcrum arundineum: ſcipio arundineus*, ſub. *fractus*, i. qui non potuerunt juvare Iſraelitas, cùm tamen ipſi toti penderent ab eis. Eſt enim calamus fractus infirmior quàm ut poſſit quempiam ſuſtinere ac ſuſtentare.

7. *Totum humerum* כל כתף] Fragmenta ſive partes fractæ calami, quæ ut plurimùm ſunt acutæ, dum ſeſe inſinuant in humerum vel ulnas, vulnerant. Iſraelitæ autem præ nimia confidentia in Ægyptiis defecerunt à Rege Babyloniorum, & ob id perierunt. Nam Ægyptii, qui polliciti fuerant ferre illis opem & auxilium, fefellerunt eos: id enim non potuerunt præſtare. ¶ *Contereris* תשבר] *Confringeris.* ¶ *Et ſtare facies*, &c. והעמדת להם כל מתנים] Hebraiſmus, coges eos ſeſe erigere in pedes. Qui enim innituntur, ſolent habere renes incurvos, q. d. Recti & ſine ſcipione incedent.

8. *Et excidam* והכרתי] *Et exterminabo.*

9. *In deſertum* לשממה] *In deſolationem.* ¶ *Fluvius meus* יאור לי] Ut v. 3.

10. *In ſolitudines ſolitudinis deſerti* לחרבות חרב שממה] *In deſolationes ſolitudinis deſerti.* Hebraiſmus, reddam prorſus deſolatam ac deſertam.

11. *Nec habitabitur* ולא תשב] *Nec habitabilis erit.*

12. *Daboque* ונתתי] *Ponámque*, i. reddam deſolatam ut ſunt aliæ regiones deſolatæ. ¶ *Et ventilabo eos* וזריתים] Ut c. 5. 10.

14. *Captivitatem* את שבות] Significat multitudinem captivorum: i. reducam Ægyptios qui captivi fuerint. ¶ *Humile* שפלה] i. Parvum.

16. *In confidentiam* למבטח] *In ſpem: in fiduciam:* i. non ponent poſthac Iſraelitæ fiduciam ſuam in Ægyptiis. ¶ *Quæ recordari facit iniquitatis* מזכיר עון] *Reducentem iniquitatem in memoriam, ut*, &c. i. quæ cauſa eſt ut aliorum ſcelerum Iſraelitarum ſit memor Deus, qui deficientes ab ipſo poſuerunt omnem ſpem ac fiduciam ſuam in virtute, potentia ac viribus Ægyptiorum.

18. *Servire fecit*, &c. העביד וגו'] i. Fatigavit exercitum ſuum valde in oppugnanda Tyro, ità ut præ nimio labore defluvium capillorum paſſi ſint, & humeri eorum depilati geſtatione onerum crebrâ: (deferebant enim lapides & ligna in obſidione Tyri quæ duravit multo tempore) nec mercedem reportavit ſufficientem de opibus Tyri pro labore quem meâ causâ impendit in expugnatione illius.

19. *Multitudinem ejus* המונה] i. Promiſcuam plebem, ſub. *in ſervos*. ¶ *Et ſpoliabit*, &c. ושלל וגו'] Hebraiſmus, ſpoliabit eam ac prædabitur pro mercede quâ ſervivit mihi.

20. *In ea* בה] Sub. *Tyro demolienda.*

21. *Germinare faciam cornu* אצמיח קרן] i. Circa illa tempora reſtituam Iſraelem in priſtinum ſtatum, h. e. reſtituam illi robur; felicitatem, libertatem, Regnum, &c. ¶ *Apertionem oris* פתחון פה] Hebraiſmus, libertatem loquendi, ut c. 24. 27.

CASTALIO.

3. C*Ete ingens, in medio tuo flumine recubans, qui te de flumine quod habes jactas, teque à temetipſo factum eſſe dicis*] Tibi de Niliaca opulentia places, & ità ſuperbis quaſi Deus ſis, & per te ipſum conſtes, non factus à Deo.

7. *Eorum tota latera perforaveris*] Latinus vertit *diſſolviſti*, Græcus συνέθλασας, unde conjicio eos non העמדת legiſſe; quæ lectio non quadrat; sed המעדת, quod *cavare* & *perforare* eſt, atque huic loco aptiſſimè convenit.

16. *Dum ad eos ſe convertunt*] Ab eis pendent.

20. *Pro officio quod in illa præſtiterunt*] Scil. Tyro.

21. *Et tibi faciam inter eos fandi copiam*] Alloquitur Vatem.

CLARIUS.

2. C*Ontra Pharaonem Regem Ægypti*] Apud Romanos à C. CÆSARE *Cæſares* appellantur Reges, apud Syros *Antiochi*, apud Perſas *Arſacidæ*, apud Philiſthæos *Abimelech*, in Ægypto *Pharaones*, & poſt Alexandrum *Ptolemai*, uſque ad Cleopatram, quâ victâ apud Actium Ægyptus Romana facta eſt provincia.

3. *Draco magne*] Intelligitur in Hebraiſmo per *Draconem aquatilem* Cetus ſeu piſcis magnus: & ſignificatur hic per hunc *cetum ſquamatum* Rex Ægypti, ſicut per alios *piſces* ſignantur reliqui Ægypti Principes & potentes. Aſſimilat autem eos Propheta Piſcibus, quòd ea regio plena ſit aquis & ſtagnis, Nilo multis rivis ab Æthiopia per eam in mare Mediterraneum labente.

5. *Projiciam te in deſertum*] In deſerto loco & extra aquam piſcis vivere non poteſt; ſic Dominus prædicit Ægyptios extra Regnum ſuum in captivitatem abducendos.

6. *Baculus arundineus domui Iſrael*] h.e. Vanam fiduciam promiſerunt Judæis, cùm nihil firmi unquam præſtiterint. Sed & cùm Judæi obſeſſi à Chaldæis Ægyptios veluti manu tenerent,

nihil profuit eis; quia convertit se Rex Babylonis contra exercitum Pharaonis, & stravit eum, ideo dicitur hic, *confractus es.*

7. *Lacerasti omnem humerum eorum*] Hoc dicitur quòd Judæi confisi de Pharaonis auxilio violaverunt fedus cum Nabuchodonosor initum, in propriam perniciem. ¶ *Dissolvisti omnes renes eorum*] Alius vertit, *Et firmabis omnem lumbum eorum.* Et sic intelligunt, Effecisti ut necesse fuerit unumquemque suis viribus, non alienis, rem gerere.

9. *Ego feci eum*] Alius vertit, *ego feci me:* non quòd tam stupidus esset ac insipiens ut putaret se à seipso factum; sed hunc habet sensum, Ego feci mihi tantam fluviorum commoditatem ut citra pluviam possim humectare terram meam: vel sic, Ego sic gessi me per vitam meam in sapientia & prudentia ut ascenderim ad Regiam dignitatem.

10. *A turre Syenes*] Quæ in extrema Ægypti parte Meridionali sita est.

12. *Quadraginta annis*] *Quadraginta* illi *anni* rectè supputabuntur à tempore destructionis, nempe posteaquam Judæi duce Caree illuc confugerant, fortasse decimo anno. Captivi ergò fuerunt usque ad tempus Cyri quinquagesimo anno post destructam Jerusalem. In ea captivitate ductos ajunt Jeremiam & Baruch in Babel.

14. *In Regnum humile*] Crevit quidem postea in Regnum magnum, sed non fuit sui juris, cùm & Græcis & Romanis paruerit.

17. *Vicesimo & septimo anno*] Hi anni secundùm Hebræos non computantur à captivitate Joacin, sed à principio Regni Nabuchodonosor, quando jam destructa fuit Tyrus cum magno militum labore. Et quoniam Deo in hac re inservierunt, promittit eis temporariam mercedem, opima spolia Ægypti. Sed numquid in Tyro non invenerunt magnas divitias? Credibile est, cùm obsidio diutiùs protraheretur, Tyrios divitias suas aliò transtulisse.

21. *Succrescere faciam cornu domûs Israel*] Promittitur hîc vera redemptio, quæ futura erat per semen David. Quoad figuram & historiam *Ægyptus* priùs interibit, & ea figura est hujus mundi; postea *cornu domûs Israel florebit*, quo tempore Balthasare occiso Cyrus Regnum adeptus est. Alii ad id tempus referunt quo caput Jechoniæ Rex extulit, & indè Saaltiel natus est: nam præludere Dominus tunc cœpit veræ redemptioni. ¶ *Tibi dabo apertum os in medio eorum*] i. Tunc confidenter loquêris de iis quæ antè prophetaveras.

LUCAS BRUG.

1. IN *anno decimo*, * *decimo* [* *in* MS. pleraque omnia H. C. G.] *mense*, *undecimâ-die* [7 MS. H. C. G.] *mensis.*] Multa manuscriptorum nostrorum legunt *in* [*&* o.] *duodecimo* [*undecimo* 1 MS.] *mense:* sed antiquiora atque integriora pleraque *in decimo mense* scribunt; Brug. Leod. O. E. Pl. m. Q. A. & alia aliquot, adstipulantibus Hebraicis & Chaldaicis libris. Græci, quos quidem viderim, similiter ἐν τῷ δεκάτῳ μηνὶ habent. Porrò notatum nobis est, Vaticano antigrapho, ἐν τῷ δωδεκάτῳ μηνὶ, pro δεκάτῳ, legi, quo modo apud Theodoritum lego. Similis, imò major, proximi numeri est varietas. Manuscripta quæ *in duodecimo mense* legunt, ferè, suffragantibus Lyrano, Carensi & Riehelio, *unâ* aut *in una die mensis* subjungunt; pro quo unum habet *primâ die mensis*, aliud *unâ primâ die mensis:* verùm his iterum antiquiora atque integriora occurrentia scribunt *undecimâ die mensis*, id quod, *undecimâ* inquam, expulso *unâ*, in textum Hentenius retulit. Cæterùm ut non illa, ita neque ista prototypo Hebræo consonant: est enim Hebraicè בשנים עשר לחדש *in duodecima mensis*; similiter Chaldaicè. Porrò illa Græcæ editioni conveniunt, quæ habet μιᾷ τοῦ μηνὸς *unâ mensis.* Epanorthotes annotat hunc in modum, *Hebræus*, In anno decimo, in decimo mense, in duodecima mensis: *antiqui similiter*, *nisi quod pro* duodecima *ponunt* undecima: *sed potuit esse error*, *quia unum* i. *in punctum scriptores breviaverunt.* *Novi malè sic*, In anno decimo, in duodecimo mense, in una mensis. Hujus ego sententiæ lubens subscripserim, *in decimo mense* legendum esse, & errore in vetustis codicibus, qui præ aliis nobis sequendi sint, *undecima mensis* pro *duodecima mensis* scriptum, verisimile esse. Sunt enim affines numeri *undecima* & *duodecima* nominum scripturâ, & arithmeticis, quibus designari solent, notis, [XI. XII. xi. xij.] nec ità Hebræis ut Latinis. Biblia Compluti anno decimoseptimo & Parisiis annis 57, & 73 excusa, *duodecima* legunt. In uno scripto XIIII invenimus.

Atqui sententiæ illi videtur D. Hieronymi commentarius refragari, qui, *Post Sidonem*, inquit, *quæ & ipsa in Phœnicis litore constituta est, sermo fit ad Prophetam, decimo anno captivitatis regis Joachim, in duodecimo mense, & una die mensis.* Ac nè putes corruptum esse locum, postea de *duodecimo mense*, deque *una die mensis*, disertè philosophatur. Quinetiam commentario adjunctus textus habet, *In anno decimo* (*sive*, *juxta Lxx*, *duodecimo*) *in decimo mense* (*sive*, *juxta Hebraicum*, *duodecimo*) *in prima* (*sive*, *una*) *mensis die.* Dixissem depravatum esse textum, quòd nec Græci codices, quos vidimus, *in anno duodecimo*, nec Hebræi *in duodecimo mense* scribant; restituendum verò hoc pacto, *In anno decimo*, *in decimo mense*, *sive*, *juxta Lxx*, *duodecimo*, *in prima*, *sive una*, *sive*, *juxta Hebraicum*, *duodecima*, *mensis die.* Nam & Hebraici libri *in duodecima die mensis*; & quidam Græci *in duodecimo mense*, habent. Verùm commentarius Hieronymi non id patitur facilè; minimè verò in mensis numero. Postquam enim de duodecimo mense egisset, subtexuit, *Porrò juxta Lxx*, *decimus mensis*, *qui Hebraice appellatur* טבת, &c. Adhæc, apud Theodoritum *In anno duodecimo* invenio. Quid ergò dicendum? An Græcos & Hebraicos hodie libros corruptos esse? Græcos, quòd decimum annum, qui Hebraicè est; Hebraicos, quòd decimum mensem & duodecimam mensis diem, dicant? Atqui antiquiores & fide digniores Latinorum codices Hebraicis istis consentiunt, in *decimo* quidem *mense* disertè, in *duodecima* autem *mensis*, quòd *undecima* scribant, non omnino obscuré: ex quibus non leve argumentum sumitur, Hieronymum ità primùm vertisse, *In anno decimo*, *in decimo mense*, *duodecimâ mensis*; posteriores autem libros (quod alibi non uno loco observavimus) esse ex ejus commentario mutatos. Quid ergò? Hieronymus dum commentaria scriberet, memoriâ lapsus est, aut numerorum varietate atque affinitate turbatus? certè non temere dicendum id est.

DRUSIUS.

1. בַּשָּׁנָה הָעֲשִׂירִית. Ἐν τῷ ἔτει τῷ δεκάτῳ, *In anno decimo.* ¶ בִּשְׁנַיִם עָשָׂר. Ἐν τῷ δωδεκάτῳ *duodecimo.*

3. הַתַּנִּים הַגָּדוֹל. Schol. ὁ Ἑβραῖος τὸ κῆτος τὸ μέγα λέγει, i. *cetum magnum*] Jes. 27. 1. התנין, Sym. τὸ δράκοντα. A. Th. τὸ κῆτος, Hieron. *cetum.* Gen. 1. 21. התנינם הגדלים, Lxx τὰ κήτη τὰ μεγάλα, Hieron. *cete grandia.* ¶ Jes. 13. 21. תנים, Aq. Sym. Th. σειρῆνας. Jer. 10. 22. Sym. *Syrenes.* ¶ בְּתוֹךְ יְאֹרָיו. Lxx ἐν μέσῳ ποταμῶν αὐτοῦ. Ad hunc locum notatum invenio, Τινὲς τῶν ἑρμηνευτῶν ἑνικῶς εἶπαν τὸν ποταμόν· οἱ δὲ ό. πληθυντικῶς. Dubito an pertineat ad sequens, לי יארי, ἐμοὶ ὁ ποταμός μου. Expende.

4. חַחִים. χαλινὸν *frenum*] Job. 40. 21. בחוח, Th. χαλινῷ *frano.* Lxx hic habent παγίδας *laqueos*, Santes *hamum*, alius *hamos.* ¶ דְּגַת יְאֹרֶיךָ וְכָל. Καὶ πάντες οἱ ἰχθύες τοῦ ποταμοῦ σου ταῖς λεπίσι σου προσκολληθήσονται, *& omnes pisces fluminis squamis tuis adhærebunt.*

5. וּנְטַשְׁתִּיךָ הַמִּדְבָּרָה אוֹתְךָ וְאֵת כָּל־דְּגַת יְאֹרֶיךָ. Καὶ καταῤῥίψω σε εἰς ἔρημον, σὲ, καὶ πάντας τοὺς ἰχθύας τοῦ ποταμοῦ σου, *Et projiciam te in desertum, te, & omnes pisces fluminis tui.*

10. לְחָרְבוֹת חֹרֶב שְׁמָמָה. εἰς ἔρημον καινὴν καὶ ἀφανισμένην, *in solitudinem inanem & disperditam*] Fortè ξηρὰν· nam חֹרֶב *siccitas*, ξηρότης. Lxx & Hieron. legerunt חֶרֶב: nam vertunt ῥομφαίαν *gladium.* Sic variant codices Psal. 9. Nam in aliis est חֲרָבוֹת *gladii*, quod legerunt Græci; in aliis verò חֳרָבוֹת *destructiones*, *vastitates.* Porro חרבו Psal. 7. 12. Symmachus interpretatur τὴν μάχαιραν αὐτοῦ. ¶ מִמִּגְדֹּל. Schol. ὁ Ἑβραῖος, ἀπὸ Μαγδάλ] Sic videtur etiam legisse Hieronymus: nam ait, *Pro turre, quæ Ebraicè* MAGDAL *dicitur, Lxx loci nomen posuerunt, ut Μαγδωλὸν scriberent. Turris autem Syene usque hodie permanet castrum ditioni Romanæ subditum, ubi sunt Nili cataracta, & usque ad quem locum de nostro mari Nilus navigabilis est.* Sed forte Hieronymus scripsit MAGDOL: nam & hæc vox appellativè sumitur pro *turri.* Aliquando est proprium loci.

19. וְנָשָׂא הֲמֹנָהּ. καὶ λήψεται τὸ πλῆθος αὐτῆς, *& auferet multitudinem ejus.*

GROTIUS.

1. IN *anno decimo*] A deportatione Jechoniæ. Vaticinia hæc non per tempora, sed per gentes sunt ordinata; & à propinquioribus terræ Judææ incipiunt.

2. *Contra Pharaonem Regem Ægypti*] חפרע in Hebræo, Οὐαφρῆς [*Vaphres*] in Græco, *Ephree* in Latino, Jeremiæ XLIV. 30. Ἀπρίης [*Apries*] Herodoto: Ubi à nobis dicta vide, res enim est eadem quæ hîc tangitur.

3. *Draco magne*] Vox תנין *piscem ingentem* sæpe significat, & hîc

& hîc forte *crocodilum.* Nam & nomen *Pharaonis* Arabum linguâ, quæ cum Ægyptia multa habet communia, *Crocodilum* significat.

Qui cubas in medio fluminum tuorum] In tot Nili ostiis.

Et dicis, Meus est fluvius] Id est, Meum est hoc regnum Ægyptium.

Ego feci memetipsum] *Regem* scilicet. Felicissimus Regum fuit per annos XXV, ut testatur Herodotus, & fortunâ elatus dicebat, μηδ᾽ ἂν θεὸν μιν μηδένα δύνασθαι παῦσαι τῆς βασιληίης [*ne Deum quidem ullum efficere posse ne ipse regnaret*].

4. *Ponam frænum in maxillis tuis*] *Hamum.* Vide Job. XL. 19. Is *hamus* est Amasis.

Agglutinabo pisces fluminum tuorum squamis tuis] Multos habebis qui tibi adsint contra Amasim.

Extraham te de medio fluminum tuorum] Omnem dignitatem tibi detraham.

Et universi pisces tui squamis tuis adhærebunt] *Et cunctis piscibus qui squamis tuis adhæsuri sunt.* Quicunque tuæ erunt sectæ etiam calamitatis erunt participes.

5. *Et projiciam te in desertum*] In siccum, ubi pisces vivere nequeunt: quod modò dicet *super faciem terræ.* Hac figurâ carcer innuitur.

Non colligeris, neque congregaberis] Id est, non redibis in flumen. Perstat enim in piscis similitudine.

Bestiis terræ & volatilibus cœli dedi te ad devorandum] Sensus Allegoriæ est, Hominibus feris ac rapacibus potestatem dedi exuendi te regno, libertate, bonis, postremùm & vitâ.

6. *Quòd fuisti baculus arundineus domui Israël*] Locutio proverbialis in eos conveniens qui nocent eis quibus prodesse deberent, Esaiæ XXXVI. 6.

7. *Lacerasti omnem humerum eorum*] *Humerum* dixit pro *brachio* συνεκδοχικῶς [*per comprehensionem*].

Et dissolvisti omnes renes eorum] Meliùs, *lumbos eorum.* Græci, συνέκλασας αὐτῶν πᾶσαν ὀσφύν [*confregisti eis lumbum omnem*]. Legerunt ergò & hi & Latinus, imò & Chaldæus, שברת [*confregisti*], non עמדת [*stare fecisti*], meliùs haud dubiè. Sensus Allegoriæ est; Israëlitis abs te auxilium exspectantibus exitio fuisti. Rem vide Jeremiæ XXXVII. 6. XLI. 17. XLIII. 10. II Regum XXIV. 7.

8. *Adducam super te gladium*] Primùm bella civilia; deinde & arma Nabuchodonosori, ut mox dicet 19. Vide Jeremiam XLII. 16. & ibi dicta.

Interficiam in te hominem & jumentum] Multos homines, & animantia multa.

9. *Et erit terra Ægypti in desertum*] Hæc συνεκδοχικῶς [*per comprehensionem*] de parte Ægypti vastata bellis sunt intelligenda.

10. *A turre Syenes*]. Meliùs, *à Magdalo & Syene. Magdalum* est urbs Ægypti ad mare Rubrum, Jeremiæ XLIV. 1. XLVI. 14. *Syene supra Alexandriam est quinque millibus stadiorum*, Plinius II. 75. Est ad cataractas Nili, in Orientali Nili latere, quod Arabiæ obvertitur, ut apparet ex Plinio V. 9. & aliis.

Usque ad terminum Æthiopiæ] Si rectè animum advertas ex his terminis videbis partem Ægypti indicari, non totam Ægyptum: quod & sequentia confirmabunt.

11. *Non habitabitur quadraginta annis*] Amasis longo regno paulatim restituit res Ægypti.

12. *Et dispergam Ægyptios in nationes*] Multos Ægyptiorum, qui belli metu in Arabiam se aut Æthiopiam recipient, ac deinde redituri sunt, ut sequitur.

14. *Et collocabo eos in terra Phatures*] Diximus ad librum I. de Veritate Religionis Christianæ פתרסים, qui dicuntur Genes. X. 14. videri nobis esse illos Æthiopas, qui *Pharusi* Plinio, *Phaurusi* Ptolemæo. At pars etiam Ægypti sic dicta Esaiæ XI. 11. & hîc infrà XXX. 14. ab Æthiopibus illis nimirum ortum habens, ut jam dicet Ezechiel. Eos esse Pelusios sentit interpres Geneseos Hierosolymitanus.

14. 15. *Et erunt ibi in regnum humile: inter cætera regna erit humillima, & non elevabitur ultrà supra nationes: & imminuam eos ne imperent gentibus*] Præpollente Chaldæorum, ac deinde Persarum Imperio, nihil movere audebunt ad tempora usque Lagidarum. Confer Jeremiæ XLVI. 26.

16. *Neque erunt ultrà domui Israël in confidentia*] Non ultrà Israëlitæ in illis habebunt fiduciam, ut antehac.

Docentes iniquitatem] Id est, non ultrà spe auxilii allicient Israëlitas ad idololatriam suorum deorum, ut antehac fecerunt.

Ut fugiant, & sequantur eos] In Hebræo, *ut* scilicet *hi* Israëlitæ *ad illos* Ægyptios *respiciant*: ut pendeant ab ipsorum militibus, nihilque non parati sint facere ipsorum causâ.

17. *Et factum est in vigesimo & septimo anno, in primo, in una mensis factum est verbum Domini ad me dicens*] Hoc cum superioribus nectitur, non revelationis tempore (est enim longum intervallum), sed per rerum cohærentiam. Nam quo tempore Hierosolyma obsessa, capta, exusta sunt, & post Godoliam interfectum deportatæ quæ in patria tenues resederant Judæorum reliquiæ; deinde, quinto post capta Hierosolyma anno, à Chaldæis vastata Ammonitis & Moabitis, vicinæque regiones; post id Tyrus obsessa per annos XIII: mox Sidon aliæque urbes; omni hoc, inquam, tempore Ægyptus seditionibus bellisque civilibus fuit agitata. Eo verò elapso tempore, cùm jam appropinquaret tempus venturi in Ægyptum Nabuchodonosoris, Deus quæ generaliter dixerat, ea jam pressiùs signatiùsque Prophetæ aperuit. Confer Jeremiam XLVI. 26.

18. *Nabuchodonosor Rex Babylonis servire fecit exercitum suum servitute magnâ adversus Tyrum*] Hoc dicit Deus: Nabuchodonosor totos annos XIII impendit in puniendis Tyriis, eàque in re gratam mihi operam præstitit. Nolo id sit sine magna mercede: Itaque pro ista opera bonam partem Ægypti ipsi dabo. Nam Tyrum non diripuerat, sed conditionibus sibi adjunxerat. Vide Hieronymum ad hunc locum: & quæ ex Philostrato Josephus X. 11.

Omnis humerus depilatus est] *Attritus est*, nempe portando cophinos ad aggeres faciendos; ut rectè hîc explicat Hieronymus.

19. *Accipiet multitudinem ejus*] Multos adducet captivos ex Ægypto.

Et deprædabitur manubias ejus] *Spoliabit spolia ejus*: ἄξει λάφυρα ἀπὸ λαφύρων [*sumet prædam de præda*], ut dicebant Ætoli. Sicut Ægyptii alios sunt populati, ità ipsos populabuntur Chaldæi.

Et erit merces exercitui illius] Rectè. nam *dedita urbis præda ad duces, expugnata ad militem pertinet*, ut ajunt Flaviani apud Tacitum Historiæ III.

21. *In die illo pullulabit cornu domui Israël*] Id est, ad maximam dignitatem provehetur Daniel, instar Josephi, cui ob id *cornu* tribuitur Deut. XXXIII. 17. Vide Daniel. VI. 2.

Et tibi dabo apertum os in medio eorum] Ubi tam multa abs te Judæis, à Daniele Chaldæis, prædicta evenerint, auctoritatem jam majorem dicta tua apud populum habebunt. Vide suprà XXIV. 27. & ibi dicta.

CAP. XXX.

MUNSTERUS.

3. TEmpus Gentium] Quando scilicet gentes congregabuntur contra Ægyptum ut illam depopulentur, tunc magnus undique invadet *pavor* illos populos qui finitimi sunt Ægyptiis & sunt in eorum *confederatione*, quoniam accidet eis *secundùm diem Ægypti*, h. e. passuri sunt diem illum calamitosum quem Ægyptii in sui eliminatione sustinuerunt.

13. *Noph* [Hanc urbem Chaldæus Interpres vocat מפיס *Memphim*, quæ hodie *Alkaira* vocatur, regia Ægypti. ZOAN verò appellat טאניס *Tanes*, & No vocat אלכסנדריא *Alexandriam.* Porrò SIN putant nostri esse *Syenen*, & AVEN *Heliopolim*, quæ in Genesi vocatur און *On*; atque PHIBÆSETH *Pelusium.* Scribitur quoque hic *Thebaphnebes* pro *Thahpanhes*, quæ est *Thaphnis.*

18. *Vitavit lux diem*] Scribitur hic חשך cum Smol & non cum Jamin, licèt utrinque eadem maneat sententia. Nam idem est *obtenebrescere diem* & *lucem vitare diem.* Legit tamen Jonathan cum Jamin. ¶ *Vectes Ægypti*] Jonathan vertit תקף *robur Ægypti.* Kimhi verò exponit *juga quæ Ægyptus imposuit cervicibus gentium.* ¶ *Nubes operiet eam*] Sicut per *tenebras* significatur tribulatio magna, sic per *nubem*, quæ Solem abscondit, significatur hîc afflictio & calamitas. Chaldæus exponit משריין *exercitum terram operientem.*

22. *Quod forte est, sed confractum*] Kimhi sic exponit, *confringam forte, & confractum manebit confractum.*

VATABLUS.

2. VÆ diei הה ליום] *Ah diei*, sub. *afflictionis & calamitatis.* Quidam, *O diem infelicem!*

3. *Dies nubis* יום ענן] i. Tempus nebulosum ac turbulentum, quo Gentes superaturæ & afflicturæ sunt Ægyptios. ¶ *Erit* היה] Fut. Heb. pro præs. *instat.*

4. *Et erit dolor* והיתה חלחלה] *Et erit formido*, vel *pavor*: ut

ut v. 9. Est enim Chus sive Æthiopia subjecta Ægypto: i. Æthiopes, auditâ vastatione Ægypti, formidabunt ac timebunt sibi. ¶ *Et tollent multitudinem ejus* ולקחו המונה] Ut suprà 29. 19.

5. *Et filii terræ federis* ובני ארץ הברית] Hebraismus, qui cum hac terra fedus inierunt.

6. *Fulcientes Misraim* סמכי מצרים] i. Faventes Ægyptiis. ¶ *Et descendet superbia* וירד גאון] *Et corruet fastus.* Postea v. 18. dicit, *Et cessabit in ea superbia fortitudinis ejus.* ¶ *A turre Seveneh* ממגדל סונה] Subaudi ex c. 29. 10. *usque ad terminum Æthiopiæ.*

7. *In medio* בתוך] i. Erunt de numero: q. d. Regiones Ægypti erunt desolatæ perinde atque aliæ regiones quas jam devastavit exercitus ille Regis Babyloniorum. Eadem habet cap. 29. 12.

8. *Cùm dedero* בתתי] *Cùm posuero*, Per *ignem* intelligit afflictionem, vel hostem.

9. *A facie mea* מלפני] Hebraismus, à me missi. ¶ *Confidenter* בטח] i. Degentem in otio. ¶ *Dolor* וחלחלה] *Formido: pavor*, qu id sit conjunctus dolori: i. timebunt sibiipsis, quemadmodum t nebant cùm vastaretur Ægyptus.

10. *Multitudinem* המון] *Strepitum:* q. d. Antea Ægyptus populis & urbibus multis frequens erat; verùm Nabuchodonosor omnia perdet, Ægyptiósque ità affliget ut postea deserta videri possit Ægyptus. V. 15. dicit, *Et succidam multitudinem.*

11. *Adducentur* מובאים] Sub. *à me.* Præs. Hebr. pro futur.

12. *Et ponam* ונתתי] Ad verb. *Et dabo*, i. reddam flumina parva, acsi essent omnino sicca. Alii referunt ad siccitatem Nili, qui alluit & irrigat totam Ægyptum. ¶ *Et vendam* ומכרתי] *Et tradam*, more scilicet vendentis. ¶ *Et plenitudinem ejus* ומלואה] i. Quicquid ea continet, aut est in ea.

14. *Dabóque ignem* ונתתי אש] *Et injiciam ignem: Ignis* pro *afflictione*: i. gravissi nè affligam. ¶ *Et faciam judicia* ועשיתי שפטים] Hebraismus, justo judicio puniam, & castigabo. Idem quod *dabo* vel *ponam ignem.*

15. *Et succidam multitudinem* והכרתי את המון] V. 10. dixit, *& cessare faciam.*

16. *Ut scindatur* להבקע] *Ad rumpendum:* i. perrumpentur muri Alexandriæ. ¶ *Interdiu* יומם] Ad verb. *diei:* q. d. In die venient inimici ejus, non in nocte. Alii exponunt *diurna*, vel *quotidiana.*

17. *Et illa* והנה] *Et ipsæ*, sub. *urbes*, vel *mulieres.*

18. *Prohibebit* חשך] Præt. Heb. pro fut. *arcebit*, i. retinebit apud se: q. d. Dies vertetur in noctem, vel obscurabitur præ nimio luctu. ¶ *Vectes* מוטות] *Catenas.* Alii, *vincula*, sub. *jugorum*, i. juga Ægypti: h. e. cùm asseruero in libertatem quos Ægyptii tenent in servitute. Donantur enim libertate captivi urbe expugnatâ. Infrà 34. 27. plena locutio legitur מטות עלם *vincula jugi eorum.* ¶ *Et cessabit* ונשבת] V. 6. dixit, *Et descendet superbia*, &c. ¶ *Ipsam nubes operiet* היא ענן יכסנה] *Eam nubes teget*, vel *obruet:* i. reddetur obscura.

20. *Anno* שנה] Regni scilicet Sedeciæ, vel captivitatis Joachin.

21. *Confregi* שברתי] Præt. Heb. pro fut. Est enim alia Prophetia in Ægyptios. Quidam malunt per præteritum omnia vertere, quòd alludere videatur ad insignem illam victoriam quam reportaverat Rex Babylonis de Pharaone Necho apud Carchamis: i. *Jam fregi.* ¶ *Ut ponantur medicamina* לתת רפאות] i. Sic affligam Ægyptios ut resurgere ad pristinas vires recuperare non possint. Metaphora à Chirurgia: q. d. Nullâ medicinâ aut curatione ultrà sanari poterit.

22. *Fortitudinem*, &c. את החזקה ואת הנשברת] *Forte illud* [vel *robustum*, sub. *Regnum*] *&* illud quod jam *fractum est*, i. regionem illam quam detraxit illi Rex Babylonis.

23. *Et dispergam* והפיצותי] Vide suprà 5. 10. & 29. 12.

24. *Vociferatione interfecti* נאקות חלל] i. Edet gemitus hominis agentis animam dum interficitur: h. e. interficietur ab eo.

CASTALIO.

3. DIes nubilus, *Gentium tempus*] Fatale supplicium.

5. *Federatæ regionis homines*] Israelitæ.

9. *Eritque pavor in eis quantum esse consentaneum est Ægyptiâ die*] Magnus, ut accidere necesse est in tanti Regni interitu. *Diem* enim fatum vocat & supplicium.

18. *Thaphnis caligabit dies*] Luctus erit. ¶ *Hæc nubes eam operiet*] Alludit ad illud quod est v. 3. *Dies nubilus:* nam in Hebræo est, *dies nubis*, h. e. calamitosus.

22. *Ejúsque brachia, tum validum, tum fractum*] Nescio an dextrum sinistrúmve innuat.

CLARIUS.

3. TEmpus Gentium erit] Tempus in quo gentes congregabuntur contra Ægyptum ut illam depopulentur: tunc magnus undique invadet *pavor* illos populos qui finitimi sunt Ægyptiis & sunt in eorum *confederatione*, quoniam accidet eis *secundum diem Ægypti*, h. e. passuri sunt diem illum calamitosum quem Ægyptii in sui eliminatione sustinuerunt.

5. *Filii terræ federis*] h. e. Federati cum Ægyptiis.

6. *A turre Syenes*] Quæ est juxta Cataractas versùs Orientem, & Troglodytis, usque ad Æthiopiam, quæ est ultra Catabathman ad Occidentem. Triquetram autem terræ figuram tribuunt Ægypto in forma literæ Δ, unde & nomen apud quosdam habet autores. In inferiori sua parte scinditur Nilus apud Memphim urbem Ægypti præstantissimam, & maximè notam superstitione Apis. Hodie *Alcaira* dicitur; & Sultani regia illic pridem fuit: positáque est quasi in claustro Nili, ut prohibeat ad superiora navigantibus aditum. In hac erant multi idololatræ. In ostiis autem Nilus dexterâ sinistrâque divisus Canopico vel Alexandrino dividitur à Cyrenaica & Africa, Pelusiaco, quod Hebræi *Sin* vocant, ab Asia & Judæa. Tanis, quæ *Zoan* dicitur, unum ex ostiis est.

7. *In medio civitatum desertarum*] i. Erunt tanquam civitates penitus desertæ.

18. *Ipsam nubes operiet*] Sicut per *tenebras* significatur tribulatio magna, sic per *nubem*, quæ Solem abscondit, significatur hîc afflictio & calamitas.

21. *Confregi*] Quid dicam, inquit, me perditurum Ægyptum? Pridem bona pars periit: nam anno quarto Joachin Regis Pharao Necho prope Carcamis cæsus est à Chaldæis: ubi Regum historia subdit, *Pharaonem posthac non egressum esse terram suam: ademerat enim ei terram Rex Babel ab Euphrate usque ad fluvium Ægypti.* Hanc plagam *non esse obligatam*, crudum relictum vulnus & non curatum hîc affirmatur.

DRUSIUS.

2. הֵילִילוּ. Ὀλολύξατε *Ululate.*

3. עֵת גּוֹיִם יִהְיֶה. Καιρὸς ἐθνῶν ἔσαι, *tempus Gentium erit*] Priùs erat πέρας, i. קץ.

4. וְלָקְחוּ הֲמוֹנָהּ. Καὶ λήψονται τὸ πλῆθος αὐτῆς, *& auferent multitudinem ejus.*

5. וְכָל־הָעֶרֶב. Sym. Καὶ πᾶσα ἡ Ἀραβία *& universa Arabia*] Legit absque dubio הָעֲרָב. Hieronymus hic in mendo cubat. Nam libri vulgati, ET IN COMMUNE DE VARIIS POPULIS, ET CHUB, *quod Symmachus vertit* IN ARABIAM. Putarim enim scripsisse, ET IN COMMUNE DE VARIIS POPULIS, *quod Symmachus vertit* IN ARABIAM, ET CHUB. Quanquam fieri potest ut ipse Hieronymus hic lapsus sit. Nam homo fuit, cujus proprium errare. Cui firmando quod in sequentibus, ET CHUB, *i. Arabes*, ET OMNE RELIQUUM VULGUS, *quos Hybridas atque mixtitios LXX transtulerunt.*

9. מִלְּפָנַי. Th. ἀπὸ προσώπου μου *à facie mea*] Habetur in plerisque ed. ὁ ὁ sed Scholiastes annotat additum fuisse de Theodotione. ¶ בַּצִּים. A. Th. ἐν σιίμ. Sym. *festinantes*] Hier. *& pervenerunt nuncii juxta Aquilam & Theodotionem in Sim, quos Sym. transtulit* festinantes. *Nos in trieres vertimus: ita enim ab Ebræis accepimus.* Scholiastes hoc loco ex Theodotione videtur referre ἐγκαθισμὸς *insessio.* Theodoretus verò ἐν σιίμ, quod in multis libris ait Græcâ linguâ significare ἐν ἰσχύϊ *in robore.* FESTINANTES] i. צים. ¶ בֶּטַח. Th. τὴν ἐλπίδα. A. τὴν πεποιθυῖαν *confidentem*] Apud Hier. *Æthiopiæ spem.* Scholiastes annotat hoc etiam de Theodotione additum esse, pro quo Aquila dixerat τὴν πεποιθυῖαν.

12. וּמָכַרְתִּי אֶת־הָאָרֶץ בְּיַד־רָעִים. Καὶ ἀποδώσομαι τὴν γῆν ἐν χειρὶ πονηρῶν, *& tradam terram in manu pessimorum*] Alibi est ἐις χεῖρας *in manus.*

14. בְּנֹא. A. Sym. Th. ἐν Νὼ *in No*] Hier. *Faciamque, ait, judicia in Alexandria, quæ hodie sic vocatur. Cæterum pristinum nomen habet* No: *quod Aq. Sym. & Theodotio, sicut in Ebræo positum est, transtulerunt. Pro quo nescio quid volentes LXX dixere* Diospolin, *quæ Ægypti parva civitas est. Nos autem pro* No *Alexandriam posuimus per Anticipationem, quæ Græcè* πρόληψις *appellatur; juxta illud Virgilianum,*

lianum, Lavinaque venit littora: *non quòd eo tempore quando venit Æneas in Latium* Lavinia *dicerentur; sed quæ postea* Lavinia *nuncupata sunt: ut manifestior locus fieret lectoris intelligentiæ.* Paulò pòst, *Pro* No *Lxx Memphim transtulerunt*, *i.* כף sive נף.

16. וְנֹף צָרֵי יוֹמָם. Καὶ ἐν Μέμφει πολέμιοι διαχυθήσονται, *&* *in Memphi hostes eodem ipso die*] Legitur & πόλεμοι *bella*, sive *prælia*.

21. לֹא־חֻבָּשָׁה. A. οὐκ ἐμοτώθη. Sym. οὐκ ἐπεδέθη. Alius οὐ κατεδέθη] Μοτόω *indo turundam vulneri.* Hos. 6. 1. וְיַחְבְּשֵׁנוּ, omnes καὶ μοτώσει. *Propriè autem* μότα *vocantur*, inquit Hieronymus, *linteola quæ inseruntur vulneribus, ut putridas carnes comedant, & extrahant purulentas.* Μοτή, *penicillus vulnerarius.* Job. 5. 18. וְיֶחְבָּשׁ, A. καὶ μοτώσει. Sym. ἐπιδήσει, Hier. *medetur.* Interpres Rom. hoc loco habet, *non est curatum per linamenta.* Ἐπεδέθη] *Alligatum est.* In ed. Rom. *non est superligatum.* ¶ לְחָבְשָׁה לְחָזְקָהּ. τοῦ δεθῆναι καὶ κατισχῦσαι *ad ligandum & roborandum.*

22. אֶת־הַחֲזָקָה וְאֶת־הַנִּשְׁבָּרֶת. A. τὸν ἰσχυρὸν καὶ ὑψηλὸν *robustum & excelsum.* Th. τὸ ἰσχυρὸν καὶ μέγαν *robustum & magnum*] Hier. *Illud autem quod in Lxx dicitur*, & conteram brachia ejus fortia & disposita, *quod Græcè dicitur* τεταγμένα, *scriptorum vitio depravatum est. Illi enim interpretati sunt non* τεταγμένα *sed* τεταμένα, *h. e. non* disposita *sed* extenta. *Pro quo juxta consuetudinem suam alii Interpretes* excelsa *posuerunt.*

GROTIUS.

1. *ET factum est verbum Domini ad te*] Tria quæ sequuntur capita eodem pertinent quò finis capitis præcedentis: nempe ad bellum Nabuchodonosoris in Ægypto, & parte quæ Æthiopiam attingebat.

3. *Dies nubis*] *Atra dies*, ut dicunt Latini.

Tempus gentium] Nempe ad pœnam.

4. *Et erit pavor in Æthiopia*] In illis partibus quæ fœderatæ erant Ægypto.

Et destructa fundamenta ejus] Urbes dirutæ.

5. *Et Libya*] Nam & Afri inter socios Ægypti, Jerem. XLVI. 9. & hinc belli in Africam prætextum sumsit Nabuchodonosor, ut alibi diximus.

Et Lydi] Socii & hi Ægyptiorum, Jeremiæ XLVI. 9.

Et omne reliquum vulgus] Miles mercenarius ex multis gentibus allectus. Lxx. οἱ ἐπίμικτοι [*convenæ*].

Et Chub] *Cubii* in Mareotide apud Ptolemæum.

Et filii terræ fœderis] Judæi multi eâdem calamitate involventur Jeremiæ XLII. 22. XLIV. 14. Lxx, ἐκ τῶν υἱῶν τῆς διαθήκης μου [*ex filiis fœderis mei*]. Nec aliter accipit in Commentario Hieronymus.

6. *Corruent fulcientes Ægyptum*] Socii & auxilia.

A turre Syenes] *A Magdalo & Syene*, ut suprà XXIX. 10.

7. *Et dissipabuntur in medio terrarum desolatarum*] *Dissolabuntur ut qui maximè.* Simile loquendi genus suprà XXIX. 12.

8. *Cùm dedero ignem in Ægypto*] Incendio bellico.

9. *In trieribus*] Per Nilum. De trieribus vide Esaiæ XXXIII. 21.

10. *Cessare faciam multitudinem Ægypti*] Turbam ejus multum imminuam.

12. *Et faciam alveos fluminum aridos*] Nili διώρυχας [*fossas*], ut hîc in Commentario Hieronymus. *Fossas* dixit Sextus Aurelius, *fluenta* lex unica C. de Nili aggeribus.

Terram & plenitudinem ejus] Fruges.

13. *Idola de Memphis*] *De Memphide.* Tibullus:

Te canit atque suum proles miratur Osirim
Barbara, Memphiten plangere docta bovem.

Ovidius:

Nec fuge Niligeræ Memphitica sacra juvencæ.

Noph esse *Memphidem* dictum Esaiæ XIX. 13.

Dux de terra Ægypti non erit ampliùs] Id est, Rex toti Ægypto imperans.

14. *Et disperdam terram Phatures*] Vide quæ dicta suprà ad XXIX. 14.

Dabo ignem in Taphnis] Dicendum erat *Tanis*, ut hîc habent Lxx & Chaldæus. Ea enim est צען, Num. XIII. 22. Vide quæ diximus ad Matth. I. 21.

Et faciam judicia in Alexandria] Dicit in Commentario Hieronymus hoc nomen se posuisse per anticipationem, quæ πρόληψις dicitur, quia Alexandria condita est ubi No vetus fuerat. Diximus ad Jeremiam XLVI. 25.

15. *Et effundam indignationem meam super Pelusium*] סין [*Sin*] in Hebræo. Ità urbs illa dicta creditur quòd objecta esset à deserto Sin venientibus. Sed quid si uno puncto mutato *Sain* interpretemur cum Lxx?

17. *Juvenes Heliopoleos*] און in Hebræo textu, quod rectè legi potest *On*, & sic scribitur Genes. XLI. 45. Hi sunt *Onii* in Heliopolitano Nomo apud Ptolemæum.

Et Bubasti] *Bubastus* urbs, unde *Bubastites* Nomos. idem est nomen quod Hebraicè scribitur פי בסת.

18. *Et in Taphnis*] In *Daphnis* Pelusiis. Vide quæ ad Esaiam XXX. 4. & Jerem. XLIII. 7. 8.

Nigrescet dies] Vide quæ ad Matthæum XXIV. 29.

Ipsam nubes operiet] Suprà 3.

20. *Et factum est in undecimo anno*] Non multò pòst illam revelationem quæ perscripta est capite XXIX.

21. *Brachium Pharaonis Regis Ægypti confregi*] Incepi jam exsequi decreta mea contra Aprien, Cyrenæis in eum concitatis.

Non est obvolutum, ut restitueretur ei sanitas] Malum ejus non modò non levabitur, sed & magis ingravescet in dies.

22. *Brachium ejus forte*] Lxx, τοὺς βραχίονας αὐτοῦ τοὺς ἰσχυροὺς καὶ τεταμένους [*brachia ejus valida & extenta*], ubi τεταγμένους [*ordinata*] malè fuisse in codicibus nonnullis scriptum notat hîc Hieronymus.

24. *Et confortabo brachia Regis Babylonis*] Civile bellum excipietur ab externo.

Gement gemitibus interfecti] Ut gemere solet is qui ad mortem vulneratus est.

CAP. XXXI.

MUNSTERUS.

UTitur Propheta perpetuâ Allegoriâ in hoc capite, arguens contra Ægyptium à comparatione, Si Rex Assur non potuit ferre impetum Babylonii, cùm esset potentissimus, quantò minùs tu, &c.

3. *Cacumen ejus*] Est צמרת ramus arboris procerior qui ex trunco rectus in altum ultra omnes frondes assurgit. Comparatur igitur hîc Rex Assyriorum ramo cedri sublimiori, quem stiparunt *frondes condensæ*, h. e. multi Principes & Reges minores. Cedrus ista irrigari perhibetur *abysso* & *fluminibus* quæ illa evomit per cavernas terræ. Per quod significatur quòd Rex Assyriorum accepit benevolentiâ Divinâ inexhaustam felicitatem & omnium rerum miram affluentiam, ut & *plantæ ejus* & *arbores campi*, h. e. Principes ejus, irrigarentur illius ubertate; & qui minor erat in aula ejus major censeretur Rege Hiskija 2 Reg. 18.

6. *In ramis ejus nidos fecerunt omnes aves cæli*] h. e. Benefecit plurimis, & fuit sub eo pax magna; & omnes populi ejus sub protectione ejus confisi sunt.

8. *Cedri non obscuraverunt*] i. Tanta fuit ista Cedrus ut nulli cedro, etiam *in paradiso Dei* crescenti, inferior esset, h. e. Non fuit in toto orbe terrarum natio aliqua præstantior Assyriis.

9. *Æmulata sunt eam omnia ligna Eden*] Jonathan vertit, *stupefacti sunt à præsentia ejus omnes Reges Orientis, propter robur & potentiam quam habuit à Deo.*

10. *Exaltatus es*] Memineris morem esse Scripturæ, & præsertim Prophetarum, ut in loquendo sæpe mutent personam, tempus & numerum. Unde Kimhi, דרך המקרא לדבר לנכח דרך המקרא לדבר בעתיד במקום עבר ושלא לנכח מאחר: Item, להפך.

11. *Tradam eum in manum*] Quia, inquit, abusus est ad superbiam amplissimis donis meis, *tradam eum in manum* Nebuchadnezzar, h. e. tradidi eum jampridem in manus hostium, &c.

13. *Super ramos ejus*] Intelliguntur hîc per *ramos* cadavera exercitûs ejus, quæ lacerarunt *bestiæ agri*.

14. *Quapropter non exaltent se*] i. Dedi exemplum in Rege Assyriorum, quò cæteri Regis feliciores, arridente fortunâ, minùs animo eleventur. Nam *traditus est* Rex Assur cum exercitu suo *in mortem*; nec liberare eum valuit tanta opulentia & potentia ejus: & qui priùs summam tenebat dignitatis arcem, jam jacet *cum cæteris filiis hominum* in sepulcro & in pulvere terræ.

15. *Operuit propter ipsum abyssum*] Dicitur abyssus lugere & veluti saccum induere propter interfectionem Regis Assyriorum, quòd ampliùs illi aquas præbere prohibetur, unde ille in tantum sublimatus fuit fastigium.

16. *Com-*

16. *Consolatione affecta sunt*] i. Mortui lætitiâ perfusi sunt quòd tantus Rex illis fuerit adæquatus. Pro quo Jonathan sic vertit, *consolatione perfusi sunt in terra inferiori omnes Reges Orientis, potentes & opulenti*, &c. Descripsit & Jesaias c. 14. pulcrè Regis Assyriorum interitum, *Infernus*, inquiens, *desubtus commotus est propter te, in occursum adventûs tui; excitavit propter te mortuos*, &c.

18. *Cui igitur assimilatus es*] Comparat Propheta à principio hujus capitis Pharaonem Regem Ægypti Regi Assyriorum, & docet illum periturum cum omni potentia & viribus suis haud secùs quàm periit potentissimus Rex Assyriæ: unde dicit sic, O Pharao, *cui assimilatus es in potentia*, assimilaberis quoque illi in ruina. Nam *deponêris in terram, & dormies cum interfectis gladio*, sicut ille jampridem cum Regibus terræ in lacum demersus est. Porrò per *incircumcisos* intelliguntur gentes immundæ, quæ incircumcisum habuerant cor, affectibus omnibus satisfacientes, & neque Deum neque homines timentes.

VATABLUS.

1. UNdecimo anno באחרת עשרה שנה] Sub. *Regni Sedeciæ*.

2. *Et ad multitudinem ejus* ואל המנו] i. Ad populum degentem in Ægypto: erat enim populosa admodum. ¶ *In magnitudine tua* בגדלך] Argumentatur à majore ad minus: q. d. Cuinam venis comparandus, si spectetur magnitudo, magnificentia, excellentia tua, i. vires & opes tuæ? An Regi Assyriorum? acsi dicat, Non: fuit enim ille multò major te, & tamen me autore cecidit dignitate suâ, nec potuit resistere potentiæ meæ: quantò minùs tu?

3. *Et inter condensa*, &c. ובין עבתים וגו'] *Inter cujus condensa summus ramus*, i. inter cujus ramos condensos, implicatos ac perplexos. De hoc *ramo excelsiore* vide suprà 17. 3. *Cedrus*, Rex Assyriorum: *Rami* & *condensa*, populi Ægyptiaci & exteræ gentes illi subditæ.

4. *Crescere fecerunt eum* גדלוהו] Ad verb. *magnificaverunt eum*, i. educaverunt & nutriverunt. Pronomen affixum הו refertur ad Regem Assur, quem significat ארז *cedrus*, quæ est f. gen. ¶ *Vorago* תהום] *Abyssus, abundantia aquarum*. ¶ *Flumina ejus* נהרתיה] Sub. *abyssi*. ¶ *Plantationis ejus* מטעה] *Planta ejus*, sub. *cedri*.

5. *Altitudo ejus* קמתו] *Statura ejus*. ¶ *Agri* השדה] *Campi*, i. regionis illius cui imperabat. ¶ *Cùm illa*, &c. בשלחו] *Quas ipsa* [sub. *abyssus*] *misit*.

6. *Habitaverunt*, &c. ישבו וגו'] *Sederunt omnes gentes fortes*.

8. *Non absconderunt eam* לא עממהו] *Non operuerunt eam*, i. non obumbraverunt: q. d. Nullæ cedri eam superaverunt, nè eæ quidem quæ fuerunt in paradiso terrestri. ¶ *Et castanea* וערמנים] Arborem intelligit.

9. *Multitudine ramorum ejus* ברב דליותיו] Ut vers. 7. ¶ *Et æmulata sunt eam* ויקנאהו] *Ità ut inviderent ei*. Hebraismus.

10. *Staturâ* בקומה] *Proceritate*. ¶ *Et dedit summitatem suam inter condensa* ויתן צמרתו אל בין עבותים] Partim hæc oratio ad Cedrum refertur, partim ad rem significatam per cedrum: unde mutatio est personarum, cùm præcedens verbum sit secundæ personæ, *posuit summum ramum suum inter condensa*, ut v. 3. q. d. Nimiùm tibi placuisti quòd stipatus esses magno ac frequenti satellitio.

11. *Tradidi eum* ואתנהו] Fut. Heb. pro præt. & ו verti non debet. ¶ *Fortissimi* איל] Cùm nomina Hebræa non inflectantur ad notandam comparationem, more Latinorum, propterea Interpretes pro ratione loci nunc per comparativum vertunt nomina ipsa, nunc per superlativum, ut hoc loco *fortissimi Gentium*, i. Nabuchodonosoris. Chaldæus vocat *fortissimos Gentium*, quia imperaverunt postea Orienti. ¶ *Faciet ei* עשו לו] Sub. *quicquid volet*: tractabit eum pro voto.

12. *Et succident eum* ויכרתהו] Quidam per præteritum vertunt hæc verba, *Et succiderunt*, &c. ut præcedenti versui respondeant, *Tradidi*. ¶ *Fortes Gentium* עריצי גוים] *Robusti* [vel *timendi*] *in Gentibus*, i. latronibus & prædonibus. ¶ *Et dimittent eum* ויטשהו] Posteaquam scilicet amputaverint. ¶ *Descendéntque* וירדו] i. Recedent vel deficient ab eo populi quibus imperabat.

13. *Super ruinam ejus* על מפלתו] Intelligit truncum humi jacentem, vel cadavera. ¶ *Erunt* יהיו] Præt. Heb. *fuerunt*, i. insederunt: q. d. conculcatus fuit pedibus bestiarum.

14. *Non elevabuntur* לא יגבהו] *Nè efferant se: nè exaltent se*. Sic mox *nec ponant, neque stent*, &c. *Staturam* vocat dignitatem & excellentiam: *arbores* item *aquarum*, eas quæ irrigantur aquis. ¶ *Sublimitatem suam* צמרתם] *Summitatem suam*, ut v. 10. ¶ *Neque stabunt* ולא יעמדו] *Neque consistent*, vel *neque stent*, aut *consistant*: i. nè putent se permansuros in tanta excellentia & dignitate. ¶ *Ulmi eorum* אליהם] Generale nomen est arborum: aut significat *ulmum*. ¶ *Omnes potatores aquarum* כל שתי מים] *Omnes potatrices aquarum*, i. arbores quæ gaudent magno humore. Divitiis affluentes intelligit. Per Appositionem autem positum, *ulmi potatrices aquarum*. ¶ *Terra inferiori*, &c. אל ארץ וגו'] i. Sepulcro inter alios homines, sive inter plebejos.

15. *Operire feci*, &c. כסתי עליו וגו'] *Feci ut operiret se abyssus*, sub. *sacco*, more lugentium. Alludit ad illud quod v. 4. dixit, *Vorago* [sive *abyssus*] *exaltavit eam*: q. d. Abyssus illa quæ cedrum illam eduxerat, mœsta fuit ejus causâ: h. e. opes illæ destitutæ eo Rege videbantur lugere. ¶ *Flumina ejus* נהרותיה] Sub. *abyssi, nè postea irrigarent eam cedrum*. ¶ *Et tenebrescere feci* ואקדר] *Et tenebris offudi*, i. nigris sive pullis vestibus indui. ¶ *Fatigata sunt* עלפה] *Deliquium animi passa sunt*, ut accidit fessis ac fatigatis ex itinere aut alio labore. Significat autem, emortuas penè fuisse arbores: per quas intelligit alios viros principes ac nobiles, vel incolas Assyriæ.

16. *A fragore* מקול] Ad verb. *A voce*, i. ob strepitum. Meminit *fragoris ruinæ*, quòd comparaverit eum cedro altissimæ. Cadunt enim Reges è sublimi & alto. ¶ *Commovi* הרעשתי] *Tremere feci*, vel *intremiscere*, i. reddidi attonitas. ¶ *Dum descendere feci*, &c. בהורידי אתו וגו'] i. Dum dejeci eum in sepulcrum cum sepultis. ¶ *Electa, & bonum* מבחר וטוב] *Electio & bonum Libani*, i. omnes arbores pulcræ, quales proveniunt in Libano. ¶ *Omnes bibentes aquas* כל שתי מים] Appositivè dictum, *potatrices aquarum arbores*, ut v. 14.

17. *Ipsi* הם] Sub. *principes ac nobiles Assyriæ*. ¶ *Ad interfectos gladio* אל חללי חרב] *Cum interfectis gladio*, i. cum aliis militibus ejus. ¶ *Et brachium ejus* וזרעו] i. Qui erant illi vice brachii, nempe socii & adjutores, qui securi inter alias gentes habitabant, quòd illis faveret Assyrius. ¶ *Sedebant* ישבו] Præt. perf. pro imperf.

18. *Sic* ככה] *Adeò*: q. d. Nulli. Alloquitur Pharaonem: q. d. Tu nunquam assecutus es dignitatem & excellentiam Regis Assyriorum, qui tamen cecidit: tu quoque casurus es. ¶ *Et magnitudine* ובגדל] *Et magnificentiâ: excellentiâ*. ¶ *Et dejicieris* והורדת] Ad verb. *& descendere factus es*. Quidam, *sed deprimêris: detrudêris*. ¶ *Incircumcisorum* ערלים] Vide cap. 28. 10.

CASTALIO.

3. UT *habeat inter nubila cacumen*] Hunc locum bene vertit Græcus. Est enim eadem sententia quæ est Dan. 4. ubi hæc arbor dicitur *capite cœlum tangere*, ut sit hîc idem עבים quod עבתים.

8. *Divini pomarii*] Edenis.

11. *Ego eum deo Gentium in manum tradam*] *Deum Gentium* vocat Cyrum Regem Persarum, Assyrii Regni eversorem: quomodo Psal. 45. Solomo vocatur *Deus* sive *Divus*; & Ciceronem dicunt *Oratorum Deum*; & Latini suos Imperatores vocavere *Divos*, ut *Divum Julium, Divum Trajanum*. ¶ *Ut postulat ejus impietas*] Loquitur de Homine. Deinde *ramos* nominans loquitur de Arbore, miscendo rem comparatam cum ea cum qua comparatur; quoniam principio Allegoriæ utrumque posuit, scilicet *Assyrium* & *Cedrum*. Sed in Hebræo sermone utrumque est masc. generis: quod cùm Latina lingua non ferat, mutavi genus, & ubi de arbore sermo est, usus sum feminino; ubi autem de homine, masculino.

14. *Humoribiba*] Arbores.

16. *Afficientúrque consolatione in ima terra omnes Edenenses arbores*] Hoc se solabuntur alii mortui, quòd Assyrium habebunt socium.

18. *Tu qui ei gloriâ & magnitudine tam similis es*, &c.] Te, Pharao, Assyrii similem similis manet exitus. ¶ *Jacebis inter præputiatos*] Impuros & inhonestâ morte defunctos.

CLARIUS.

2. CUi *similis factus es*] i. Quid optare posses majus eo quod assecutus fuerat Rex Assyriorum, qui superatus tamen est à Chaldæis? Comparatur autem Rex Assyriorum *Cedro* felicissimæ, quam stiparunt *frondes condensæ*, h. e. multi Principes & Reges minores. Cedrus ista irrigari perhibetur *abysso* & *fluminibus* quæ illa vomit per cavernas terræ: per quod significatur quòd Rex Assyriorum accepit benevolentiâ Divinâ inexhaustam felicitatem & omnium rerum miram affluentiam, ut & *planta ejus* & *arbores campi*, h. e. Principes ejus, irrigarentur

rentur illius ubertate, & qui minor erat in aula ejus major censeretur Rege Ezechia. 4 Reg. 18.

6. *In ramis*, inquit, *ejus nidos fecerunt omnes aves cæli*] h. e. Benefecit plurimis, & fuit sub eo pax magna: & omnes populi ejus sub protectione ejus confisi sunt.

8. *Cedri non fuerunt altiores*] Hyperbole est: vel per *paradisum Dei* intelligere licet hortum amœnissimum. Accipitur namque vocabulum *Dei* sæpissime pro *magno* sive *excellenti*; ut *montes Dei*, h. e. altissimi. Sensus ergò est, Tanta fuit ista Cedrus ut quavis cedro etiam *in paradiso Dei* crescente inferior non esset: h. e. Non fuit in toto orbe terrarum natio præstantior Assyriis.

9. *Et æmulata sunt*] Inviderunt pulcritudini ejus.

13. *In ruina ejus*] Ad devoranda cadavera illorum & volucres & bestiæ convenient.

14. *Quamobrem non elevabuntur*] Sensus est, Dedi exemplum in Rege Assyriorum, quò cæteri Reges feliciores, arridente fortunâ, minùs animo eleventur. Nam *traditus est* Rex Assur cum exercitu suo *in mortem*: nec liberare eum valuit tanta opulentia & potentia ejus: & qui priùs summam tenebat dignitatis arcem, jam jacet cum cæteris filiis hominum in sepulcro & in pulvere terræ, & hoc est quod ait *in medio filiorum hominum*, &c.

15. *Operui propter ipsum abyssum*] Lugere, inquit, feci, & velavi propter eum, in signum luctûs, abyssum. Hoc dicit propterea quòd paulò antè meminit *abyssi*, quòd crescere fecisset illam propter magnam aquæ copiam quam suppeditabat radicibus illius. Dicitur ergò *abyssus lugere* & veluti saccum induere propter interfectionem Regis Assyriorum, quòd ampliùs illi aquas præbere prohibetur, unde ille in tantum sublimatus fuit fastigium. ¶ *Prohibui flumina ejus*] Nè suo more læta fluerent.

16. *Et consolata sunt*] Mortui, inquit, lætitiâ perfusi sunt quòd tantus Rex illis fuerit adæquatus. Descripsit & Esaias cap. 14 pulcre Regis Assyriorum interitum, *Infernus*, inquiens, *propter te commotus est, in occursum adventûs tui, excitavit propter te mortuos*, &c.

18. *Cui assimilatus es*] Redit ad Pharaonem, quem à principio hujus capitis Regi Assyriorum comparat, & ait, O Pharao, cui comparatus es in potentia, similis quoque illi eris in ruina.

DRUSIUS.

3. אֶרֶז. κέδρος *cedrus.* ¶ וְחֹרֶשׁ מֵצַל. καὶ πυκνὸς ἐν τῇ σκέπῃ, *& densus in tegmine*, sive *protectione.*

5. וַתֶּאֱרַכְנָה פֹארֹתָיו. καὶ ὑψώθησαν αἱ παραφυάδες αὐτοῦ, *& exaltatæ sunt propagines ejus.* ¶ בְּשַׁלְּחוֹ. ἐν τῷ ἐκτεῖναι αὐτὸν, *cùm extenderet se.*

8. לֹא־עֲמָמֻהוּ. οὐχ ὑπερῆραν αὐτὸν *non superaverunt eum.*

9. יָפֶה עֲשִׂיתִיו בְּרֹב דָּלִיּוֹתָיו. Καλὸν ἐποίησα αὐτὸν ἐν τῷ πλήθει τῶν κλάδων αὐτοῦ, *Pulcrum feci eum in multitudine ramorum ejus.*

10. וַיִּתֵּן. καὶ ἔδωκεν *& dedit.* ¶ וְרָם לְבָבוֹ בְּגָבְהוֹ. καὶ ἐπήρθη ἡ καρδία αὐτοῦ ἐπὶ τῷ ὕψει αὐτοῦ, *& elevatum est cor ejus in altitudine sua.*

11. יַעֲשֶׂה לוֹ כְּרִשְׁעוֹ גֵּרַשְׁתִּהוּ. ἐποίησεν αὐτῷ κατὰ τὴν ἀσέβειαν αὐτοῦ· καὶ ἐξέβαλον αὐτὸν ἐγὼ, *fecit ei secundùm impietatem ejus: & ejeci eum ego.*

12. וַיִּכְרְתֻהוּ. καὶ ἐξωλόθρευσαν αὐτὸν *& exterminaverunt eum.*

16. בְּאֶרֶץ תַּחְתִּית. ἐν γῇ κατωτάτῃ *in terra infima.*

18. בְּכָבוֹד וּבְגֹדֶל בַּעֲצֵי־עֵדֶן. ἐν δόξῃ καὶ ἐν μεγέθει, ἐν τοῖς ξύλοις τῆς τρυφῆς; *in gloria & in magnitudine inter ligna deliciarum*] Τρυφῆς, i. *Eden*, sive *paradisi.* ¶ וְהוּרַדְתָּ. In ed. Rom. κατάβηθι καὶ καταβιβάσθητι, *descende & deducere*] Videntur esse duæ versiones. Sanè à C. abest καὶ καταβιβάσθητι.

GROTIUS.

1. *Tertio mense*] Duobus mensibus posteriùs hæc revelatio facta est quàm ea quæ proximè præcessit.

2. *Cui similis factus es in magnitudine tua*] Nempe Regi Assyrio perinde fastuoso, qui sicut à Chaldæis pessimè tractatus est, ità & ab eisdem tractabitur Rex Ægypti. Ipsam deinde Assyrii superbiam ac cladem aliis comparationibus illustrat; quò magis intelligat Ægyptius quid sibi sit exspectandum.

3. *Quasi Cedrus in Libano*] Solent Reges excelsis arboribus comparari, Daniel. IV. 17. 18. 19. suprà XVII. 3.

Inter condensas frondes elevatum est cacumen ejus] *Ad nubes pervenit cacumen ejus.* Nam עב etiam *nubem* significat. LXX, εἰς μέσον νεφελῶν [*in medium nubium*].

4. *Aquæ nutrierunt illum*] Ingens aquarum abundantia, qualis in Trigide & Nilo.

Et rivulos suos emisit ad universa ligna regionis] Est Metaphora: nam per *rivulos* intelligit arborum *traduces*, per *traduces* verò ἀλληγορικῶς [*allegoricè*] colonias.

5. *Propterea elevata est altitudo ejus*] Superbiit. Vide infrà 10. nam sæpe hîc & alibi in Prophetis res eadem repetitur.

6. *In ramis ejus fecerunt nidos omnia volatilia cæli*] Multæ gentes ad ejus tutelam confugerunt, suprà XVII. 23. Daniel. IV. 9. 18.

Et sub frondibus ejus genuerunt omnes bestiæ saltuum] Crevere populi faustâ sobole.

8. *In paradiso Dei*] Loquendi genus idem quod suprà XXVIII. 13.

Omne lignum paradisi Dei] Id est, Babyloniæ, ubi quondam paradisus fuerat Adamo datus.

Et platani] ערמנים sive ערמון Chaldæis sunt *castanea.*

9. *Et æmulata sunt eum omnia ligna voluptatis*] *Inviderunt ei arbores delicatissimæ.*

11. *In manus fortissimi gentium*] Chaldæi.

Faciens faciet ei] Tractabit eum pro libitu.

Ejeci eum] De Imperio.

12. *Et succident eum alieni*] *Succident eum extranei*, id est; Chaldæi.

Et crudelissimi nationum] *Terribiles in gentibus.* עריצים; Græci modò vertunt δυναςαὶ [*potentes*], modò λοιμοὶ [*exitiosi*], interdum aliter.

Et projicient eum super montes] Ut solet fieri arboribus quæ in summis jugis positæ exscinduntur.

Et in cunctis convallibus] Monti subjectis.

Et confringentur arbusta ejus in universis rupibus terræ] אפיקים modò *torrentes* significat, modò per μετωνυμίαν [*transnominationem*] *locos depressos.* LXX hic: ἐν παντὶ πεδίῳ [*in omni campo*].

Et recedent de umbraculo ejus omnes populi terræ] Permiscet comparationis ἀπόδοσιν [*redditionem*], ut sæpe & hic & alii scriptores. Vide quæ diximus ad Matthæi XXIII. 27.

13. *In ruina ejus habitaverunt omnia volatilia cæli*] Redit ad comparationem. Hoc vult dicere, *Trunco ejus insultarunt volucres & feræ.* Allegoria est, Contemptus fuit ab omnibus.

14. *Quamobrem non elevabuntur*] *Nè elevamor.*

Nec ponent sublimitatem suam inter nemorosa atque frondosa] *Nè in sublime se efferant intra nubes.* Vide suprà 4.

Nec stabunt in sublimitate sua] *Nè proceritati suæ fidant.*

Omnes traditi sunt in mortem] Redit ad ἀπόδοσιν [*redditionem*] de Assyriis illis viris summatibus qui cum Sennacheribo fuerant: unde colligere possit Ægyptius quid sibi exspectandum sit.

Ad terram ultimam] *Ad infera terræ*, ubi sunt sepulchra: εἰς τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς [*ad inferiora terræ*], Ephesior. IV. 9.

In medio filiorum hominum, ad eos qui descendunt in lacum] *Instar plebejorum qui dejiciuntur in foveam.* בני אדם [*filii hominis*] Hebræis *homines de plebe.* Locutionem illam *in medio* habuimus suprà XXIX. & alibi.

15. *In die quando descendit ad inferos*] Sennacheribus ipse à filiis occisus, II Reg. XIX. 37.

Induxi luctum] in omni Assyria.

Operui eum abysso, & prohibui flumina ejus; & coërcui aquas multas] *Feci ut de eo abyssus* (ingens fluminum abundantia) *se operiat.* *Operire se* est lugentium. Per *aquas* autem populos intellige, Apocalypseos XVII. 15.

Contristatus est super eum Libanus] Id est, Syria, quæ fœderata Assyriis fuerat. Vide II Regum XVIII. 34. In Hebræo est, *Atris indui feci Libanum ejus causâ.*

Et omnia ligna agri concussa sunt] Id est, omnes circum Principes. Vide suprà 3.

16. *Et consolata sunt in terra infima omnia ligna*] Id est, eguerunt consolatione, ut solent lugentes. *In terra*, supple; *sedentes*; qui mos lugentium, Job. II. 13. Permiscet iterum comparationem & ἀπόδοσιν [*redditionem*].

17. *Nam & ipsi cum eo descendent in infernum ad interfectos gladio; & brachium uniuscujusque sedebit sub umbraculo ejus in medio nationum*] Copula hic posita pro relativo pronomine; quod Hebræis non infrequens sensum obscurat. Rectè autem vertas: *Nam & illi cum eo ad sepulcrum descendent* (*ubi sunt qui gladio sunt interfecti*) *quicunque in ullis gentibus suam vim illius tutelæ submiserunt.* Fractis Assyriorum rebus, facile fuit Chaldæis Syros eorúmque vicinos cladibus maximis afficere, Esaiæ XVII. 4.

18. *Cui assimilatus es, ô inclyte*] Intelligisne Rex Ægypti, cui futurus sis similis? exhibui tibi vivam fortunæ tuæ imaginem.

Ecce deductus es] Deducêris.

In medio incircumcisorum dormies] Quia circumcisio tibi ludibrio fuit, incircumcisi te undique claudent, mortémque tibi inferent. Vide simile suprà XXVIII. 10.

Ipse est Pharao, & omnis multitudo ejus] LXX: οὗτος ὁ Φαραὼν καὶ πᾶν τὸ πλῆθος τῆς ἰσχύος αὐτοῦ [*sic Pharao & omnis multitudo potentiæ ejus*]. *Sic Pharao*, supple *erit*. Talem cum suis inveniet exitum qualem sub Assyrii exemplo depinxi.

CAP. XXXII.

MUNSTERUS.

1. IN *duodecimo anno*] Sub. *Regni Zidkijahu*, h. e. mox post destructionem Jerusalem.

2. *Leoni gentium*] i. Quod Leo est inter reliqua animalia, hoc est Pharao inter gentes. Comparatur & Ceto, qui aquas & magnos fluctus excitat & impellit in aridam, vicina quæque loca inundans: sic Pharao inquietabat omnia insanis bellis, & turbabat quasque terras propinquas.

5. *Usque ad montes*] h. e. Tantum ex te effundetur sanguinis ut is impleturus sit valles, & ascensurus usque ad sublimitatem montium. Et est Hyperbole.

9. *Commovebo cor populorum*] Multi, inquit, populi terrebuntur & obstupescent ubi audierint tibi inter reliquas gentes tam horribilem accidisse contritionem.

10. *Cùm volare fecero*] Capitur hic *volare* pro הנריץ *vibrare gladium & minari interfectionem*.

13. *Ab aquis multis*] i. Ab Ægypto, quæ est terra multarum aquarum propter inundantiam Nili. Hæ aquæ, inquit, ampliùs *non turbabunt homines*, qui extra Nili inundantiam hortos cum illis irrigabant & arva, sed & stabunt immobiles & profundæ, cùm nemo eas exhauriat in lacunis. Sed & flumina fluent limpida *quasi oleum*, &c.

16. *Planctus erit*] Jonathan hunc locum sic vertit, *Dixit Propheta, Luctus est Prophetia, eritque in luctum. Villæ populorum deplorabunt eam, super Ægyptum & super cunctam conturbationem ejus deplorabunt eam, dicit Dominus.* Sic quando Propheta jubetur plangere multitudinem Ægypti, Hebræi dicunt quòd jubeatur vaticinari eis tristia & lamentationes, & quòd deponendi sint in inferiores partes terræ cum reliquis interfectis.

19. *Quòniam pulcrior es tu?*] i. Putásne te cæteris esse pulcriorem & fortiorem, qui omnes descenderunt in inferiora terræ? Nihil tibi proderit tua pulcritudo, nec juvabit ulla potentia, quin in morte cum reliquis infimæ sortis hominibus sis dormiturus illisque æquandus.

20. *Detrahite igitur eam*] Sub. *potentiam* seu *dignitatem Pharaonis*. Et nota quòd hic in משכו scribitur Camez loco Hatephcamez. Est enim imperativi modi.

22. *Sepulcra hujus*] Scilicet Pharaonis & exercitûs ejus. Et si quæris, Ubi est autem sepultura Assyriorum? respondet, *In lateribus laci & in inferioribus partibus terræ*: per quod significat Propheta damnationem corporis & animæ. Hi, inquit, qui priùs omnibus in mundo viventibus erant terrori, jam jacent in profunditate terræ, & sunt viventibus atque mortuis ludibrio.

27. *Non autem jacebunt*] Hebræi hunc locum sic exponunt, *non jacebunt cum his qui naturali exspiraverunt morte, aut qui veluti strenui milites cum armis suis sunt sepulti, sed jacebunt cum his quibus ignominiosa contigit sepultura, nempe qui gladio perempti, & corpore à bestiis lacerati sunt, atque in quorum ossa sævitum est.* Quamvis illud quod de *ossibus* diximus, textus adscribat fortibus militibus.

32. *Formidinem meam*] Sic legunt Hebræi, non *formidinem ejus*. Fuit enim Pharao formido Dei, sicut Rex Assur flagellum Dei.

VATABLUS.

1. DUodecimo *anno* בשתי עשרה] Sub. *Regni Sedeciæ Regis Judæ*, qui fuit primus annus captivitatis post destructionem Jerusalem & Templi. Infrà 33. 21. dicit, *Duodecimo anno*, mense *decimo*, die *quintâ mensis transmigrationis nostræ*.

2. *Leva lamentum* שא קינה] *Attolle lamentationem*. Vide suprà 26. 17. & 27. 2. ¶ *Gentium* גוים] i. Versanti inter Gentes: q. d. Quod est Leo inter animantia, hoc fuisti inter Gentes, nempe Rex maximus ac tyrannus. ¶ *Et educebas flumina tua* ותגח בנהרותיך] *Et reducebas* [sub. *aquas*] *per flumina tua*. Per *aquas* & *flumina* intelligit copias militares & ingentem exercitum, & per *turbationem aquarum* motus bellicos quos ille suo exercitu excitabat contra alias Gentes. Alii vertunt, *& exibas cum fluminibus tuis*. Alii, *insolens fuisti in fluminibus tuis*.

3. *Expandam*, &c. ופרשתי וגו'] Sic suprà 12. 13. & 17. 20. i. Incitabo contra te Regem maximum, qui adducet contra te ingentem exercitum, quo superaberis ac vincêris. ¶ *Et extrahent te* והעלוך] Ad verb. *& ascendere facient te*.

4. *Et relinquam te* ונטשתיך] Similia dixit suprà 29. 5. ¶ *Et habitare faciam* והשכנתי] Vide c. 31. 13.

5. *Carnem tuam* בשרך] Sing. pro plur. *carnes tuas*, i. tuorum militum: q. d. Etiam qui confugerint ad montes, illic cadent & interficientur. ¶ *Celsitudine tuâ* רמותך] *Altitudine tuâ*, i. magno acervo cadaverum exercitûs tui, vel cadaveribus copiarum tuarum, de quibus superbiebas, sive in quibus nimiùm tibi placebas. Potest enim hic *celsitudo* sive *altitudo* referri ad externa, vel ad animum.

6. *Natationis tuæ* צפתך] i. Terram tuam quæ alluitur & irrigatur Nilo in qua videris quasi natare. Alii, *natantem tibi*, ut sit pronomen affixum pro separato, i. in utilitatem tuam. Tota enim utilitas Ægypti pendet ex irrigatione Nili. Intelligit de terra plana: q. d. Loca super quibus natabant aquæ irrigabo sanguine tuo, natabitque sanguis super illis, usque adeo ut ascendat montes. Per Hyperbolen dictum. Quidam vertunt, *inundantem tuam*, sive *inundationis tuæ*, i. super quam inundant aquæ. ¶ *Ex te* ממך] i. Sanguine ipsorum militum tuorum.

7. *Et operiam*, &c. וכסיתי וגו'] *Et tegam, quando exstinguam te, cælos.* Describit luctum maximum qui excitandus erat ob interitum & exitium Regis Ægyptiorum, quem comparat lucernæ maximæ & lucidissimæ, quæ cùm exstinguitur, mox suboritur fumus ingens qui offuscat totum aërem. Qui autem sunt in mœrore, videntur quasi versari in mediis tenebris. ¶ *Nube* ענן] Sub. *illâ atrâ*.

8. *Lucis* אור] *Luminis*, i. lucida & luminosa, h. e. reliquos Planetas. ¶ *Obtenebrescere faciam* אקדירם] Ad verb. *obtenebrescere faciam ea*. Redundat pronomen; *obscurabo*; *tenebris perfundam*.

9. *Et irasci faciam* והכעסתי] *Et ad indignationem provocabo*, i. efficiam ut indignentur. ¶ *Contritionem tuam in Gentes* שברך בגוים] i. Milites tuos fractos, superatos, & fugientes in Gentes tibi notas.

12. *Fortium*, &c. גבורים וגו'] i. Gladiis hominum bellicosorum, sive animosorum ac strenuorum militum prosternam exercitum tuum numerosum. ¶ *Superbiam* גאון] *Fastum*, i. Elegantiam, pulcritudinem ac dignitatem.

13. *Ut desinant esse*, &c. מעל מים רבים] i. Nè posthac pascantur in pratis irriguis. ¶ *Turbabit eas* תדלחם] Conculcando scilicet: q. d. Nulli homines neque ulla jumenta transibunt per rivulos Nili.

14. *Immergi faciam* אשקיע] Ad verb. *profundabo*, i. altissimas ac profundissimas faciam aquas; h. e. tranquillas, quietas ac limpidas reddam. Sunt enim aquæ profundæ, limpidæ. ¶ *Et flumina eorum* ונהרותם] *Et rivulos eorum*. ¶ *Deducam* אוליך] Ad verb. *ire faciam*.

15. *A plenitudine sua* ממלואה] i. Omnibus incolis suis privata fuerit.

16. *Planctus est* קינה היא] i. Hæc est lamentatio & planctus cujus memini. ¶ *Filiæ* בנות] i. Incolæ urbium subditarum Gentibus; vel mulieres: aut congregationes urbium. ¶ *Super Misraim* על מצרים] *Propter Ægyptum, & propter omnem*, &c.

18. *Et dejice ipsam* והורדהו] *Et præcipita illam*, sub. *per Prophetiam tuam*: i. prædicito fore ut pereant gladio Ægyptii, præcipita, inquam, eam è dignitate & excellentia maxima. ¶ *Robustarum* אדירים] *Magnificarum: illustrium: honorabilium.* ¶ *Inferiorum* תחתיות] Sub. *Fovearum*. ¶ In *sepulcrum* בור] *Lacum*; *cisternam*. Sunt enim sepulcra magna similia lacubus ac speluncis.

19. *Quònam jucundior es* ממי נעמת] *Quonam suavior es? pulcrior, elegantior*: i. Quanam dignitate, excellentiâ ac majestate excellis? q. d. Multi fuerunt ante te pulcriores ac elegantiores qui tamen perierunt. ¶ *Descende, & dormi* רדה והשכבה] Possunt esse imperat. pro fut. *descendes & dormies*. *Descendes*, sub. *de dignitate ad sepulcrum*.

20. *Cadent* יפלו] Sub. *Ægyptii*: i. Interibunt ut & alii interfecti gladio. ¶ *Data est* נתנה] Sub. *Ægyptiis*. ¶ *Trahite* משכו] Sub. *ad mortem*, vel *in sepulcrum*.

21. *Fortes potentium* אלי גבורים] *Potentissimi fortium*, i. qui inter fortes sunt potentissimi. Alii, *Reges & Principes*.

22. *Sepulcra ejus* קברותיו] Sub. *Ægypti*: q. d. Ut Assyrii mortui sunt, ità Ægyptii morientur. *Sic loquitur*, ut ait quidam Hebræo-

Hebræorum, *non quòd eodem loco essent sepeliendi, sed quòd simili morte perdendi.*

23. *Cujus sepulcra*, &c. 'אשר וגו] Ad verb. *Cujus data sunt sepulcra ejus.* Pronomen femineum redundans, quod refert *congregationem Assyriam:* acsi dicat, Jam enim Assyrii mortui sunt ac sepulti in infima parte sepulcri sive foveæ sepulcralis. ¶ *Cœtus ejus* קהלה] *Congregatio ejus*, sub. *Ægypti.* Declaratio est præcedentis partis versûs. ¶ *Sepulcri ejus* קברותה] Sub. *congregationis Assyriæ.* ¶ *Omnes ipsi* כלם] *Omnes sunt*, vel *erunt.* Relativum pro verbo substantivo. ¶ *Qui dederunt formidinem* אשר נתנו חתית] *Quia posuerunt terrorem*, i. qui terruerunt mortales dum adhuc viverent. Vel, ut Chaldæus P. vertit, *qui incusserunt metum in terra Israel. Terram viventium* vocat terram Israel quòd Israelitæ Deum viventem colerent, victurique essent cum Deo vitâ æternâ.

24. *Sepulcri illius* קברתה] Nempe Ægypti, vel Assyriæ. ¶ *Incircumcisi* ערלים] i. Qui mortui sunt in impietate sua. Alii subaudiunt præpositionem, *cum incircumcisis.* ¶ *Inferiorum* תחתית] Ut v. 18. sub. *sepulcrorum*, i. in sepulcra subterranea, in regionem subterraneam. ¶ *Qui dederunt terrorem suum* אשר נתנו חתיתם] Ut v. 23. ¶ *Et portaverunt*, &c. 'וישאו וגו] Hebraismus, morientur cum ignominia & pudore, vel pleni pudore & ignominiâ.

25. *Cum universo populo ejus*, בכל המונה] *Pro universa multitudine ejus.* ¶ *Per circuitus ejus*, &c. 'סביבותיו וגו] Vide v. 22. ¶ *Omnes ii incircumcisi* כלם ערלים] Vide v. 23, & 24.

27. *Dormient* ישכבו] Sub. *in sepulcro.* ¶ *De incircumcisis* מערלים] i. Qui ex incircumcisis ceciderunt, sive mortui sunt morte propriâ naturali, & non violentâ. Vel, *ex incircumcisis ceciderunt gladio*, vel, *Qui ceciderunt ab incircumcisis*, pro *inferiores gradu aut dignitate incircumcisis:* q. d. Non morientur ut viri illi strenui ac nobiles qui moriuntur morte suâ, & efferuntur ad sepulcrum unà cum instrumentis suis bellicis, sive armis. ¶ *Et posuerunt* ויתנו] Ad verb. *& dederunt.* Varius est usus verbi נתן. *Posuerunt* pro *mandaverunt supponenda.* Sic v. 29. ¶ *Sed erunt*, &c. 'ותהי וגו] Ad verb. *& erit iniquitates eorum.* Verbum singulare nomini plurali junctum, frequens Hebræis: i. ossa eorum ferent ac portabunt pœnam ac mulctam debitam iniquitatibus quas ipsi admiserunt: nam ossa eorum perfodientur ac contererentur: h. e. ipsi occidentur & peribunt propter scelera sua. ¶ *Quia terror*, &c. 'כי חתית וגו] Ut v. 23.

28. *Tu verò* ואתה] Sub. *ô Pharao*; periturus es gladio; morierisque in impietate tua.

29. *Duces ejus* נשיאיה] *Principes ejus.* ¶ *Positi sunt cum fortitudine sua* נתנו בגבורתם] *Traditi sunt in fortitudine sua:* i. cum pollerent viribus, vel cum copiis suis militaribus.

30. *Principes Aquilonis* נסיכי צפון] *Reges Aquilonis*, i. Reges Babel. Multis inculcat Propheta sortem ac conditionem mortalium, nempe omnes eandem sortem manere, & ad eandem sedem properare, h. e. morti obnoxios esse. ¶ *Descenderunt* ירדו] Verti potest per futurum, *descendent.* ¶ *In terrore suo*, &c. 'בחתיתם וגו] i. Dum terrerent mortales, interim puduit eos virium suarum ac roboris: nam in medio conatu prorsus destituti sunt viribus. ¶ *Et dormierunt* וישכבו] Vide eadem v. 21, & 24.

31. *Illos videbit* אותם יראה] i. Tandem morietur Pharao, ut & illi mortui sunt.

32. *Dedi terrorem meum* נתתי את חתיתי] Præt. Heb. pro fut. & חתיתו scribitur, *terrorem ejus*, i. faciam ut terrori sit; & legitur cum Jod חתיתי *terrorem meum:* q. d. Postea quam illi terruerint alios, ego tandem terrebo eos.

C A S T A L I O.

16. PUellæ Gentium] Ipsæ Gentes.

18. *Deprime cum descendentibus in tartara*] Facere dicitur Vates more Poetico quod factum aut futurum nunciat: ut in Gen. 48. declaravimus. Est autem in hac oratione ad finem capitis crebra generis & numeri mutatio: qualem in Jer. 11. & Esa. 15. explicavi.

20. *Ipsam*] Ægyptum.

23. *In vivorum terra*] Inter homines.

27. *Eorum culpam ipsorum ossa luent*] Insepulti jacebunt.

C L A R I U S.

1. ET *factum est*] Hos annos supputat ad Regnum Sedechiæ: evenit enim hæc Prophetia anno proximo post Jerusalem devastatam.

2. *Leoni gentium*] Quod Leo est inter reliqua animalia, hoc Pharao est inter gentes. Comparatur & Ceto, qui aquas & magnos fluctus excitat & impellit in aridam, vicina quæque loca inundans: sic Pharao inquietabat omnia insanis bellis, & turbabat omnes terras propinquas.

5. *Super montes*] Tantum ex te effundetur sanguinis ut & impleturus sit valles & ascensurus usque ad sublimitatem montium. Et est Hyperbole.

9. *Et irritabo*] Vel *commovebo.* Multi, inquit, populi terrebuntur & obstupescent ubi audierint tibi inter reliquas gentes tam horribilem accidisse contritionem. ¶ *Super terras quas nescis*] Intelligit gentes ad quas perducet famam hujus contritionis.

13. *Quæ erant super aquas*] h. e. Juxtà aquas. Et hæ *aquæ*, inquit, *ampliùs non turbabuntur per homines*, qui extra Nili inundantiam hortos cum illis irrigabant & arva, sed stabunt immobiles & profundæ, cùm nemo eas exhauriat in lacunis, sed & flumina ob eandem causam fluent limpida *sicut oleum*, quia nemo transiens illa perturbabit.

17. *Quintadecimâ mensis*] Nimirum duodecimi: quem putatur ob id nominatim non explicasse ut occasionem daret lectori connectendi hanc Prophetiam superiori. In principio enim capitis *mensem duodecimum* explicatum invenies. Jubet autem suscipere querelas, ut antehac adversùs Principem ac proceres, ità jam contra plebem eodem vitæ discrimine impeditam.

19. *Quo pulcrior es tu*] h. e. Gratiosioremne putas te reliquis omnibus qui ante te perierunt.

22. *Sepulcra illius*] Scilicet *multitudinis.* Cùm verò ait *in lateribus laci, & in inferioribus partibus terræ*, significat Propheta damnationem corporis & animæ. Hi, inquit, qui priùs erant omnibus terrori; jacent nunc in profundis terræ, & sunt viventibus atque mortuis ludibrio.

27. *Et non dormient cum fortibus*] Hebræi hunc locum sic exponunt, *non jacebunt cum iis potentibus & incircumcisis qui naturali exspiraverunt morte, aut qui veluti strenui milites cum armis sunt sepulti, sed jacebunt cum iis quibus ignominiosa contigit sepultura, nempe qui gladio perempti & corpore à bestiis lacerati sunt; atque in quorum ossa sævitum est ob iniquitates eorum.*

30. *Venatores*] Alius vertit *Sidonios.*

32. *Dedi terrorem meum*] h. e. Me timebunt post casum Pharaonis.

L U C A S B R U G.

8. HAnc pericopen, *Cùm ceciderint vulnerati tui in medio terræ, ait Dominus Deus*, quam, cum Richelio expositore, multi codices legunt post illud octavi versûs; *Dabo tenebras super terram tuam, dicit Dominus Deus*, tria Parisiensium scripta Di. o. Ge. l. p. quatuor nostra Lob. anno 1084 scriptum, O. L. Pl. la. prætermittunt: quibus consonant Typographorum editiones, Moguntina, Coloniensis, Veneta anni 1497. & Complutensis. Hebraici, Græci & Chaldaici libri non agnoscunt. Hieronymi commentarius non attingit, ut neque textus habet. Castigatores, Hentenius & Parisienses, textu pepulere. Cæterùm Epanorthotes, *Malè*, inquit, *hunc versum*, Cùm ceciderint vulnerati tui in medio terræ, ait Dominus Deus (*quidam*) *resecavit, cùm & antiqui & novi habeant, & libri glossati, quia Hebræus eorum non habet.* Certè in antiquis libris, Brugensi, E, & Plantini medio, lego, qui, cum aliis octo nostris, eo planè modo habent quo produximus. Porrò duodecim omittunt *tui*, cum textu Glossæ Ordinariæ tam scriptæ quàm impressæ, *Cum ceciderint vulnerati in:* novem legunt *in terram, Cùm ceciderint vulnerati * in* [* *tui* 1 MS.] *terram, ait:* unus (Pl. ang.) duntaxat, *Cùm ceciderint vulnerati*, habet, immiscetque præcedentibus verbis, *Et dabo tenebras super terram tuam, cùm ceciderint vulnerati, dicit Dominus Deus:* duo (Q. Buslid.) decimo versui adjiciunt, ad eum modum quo primùm pericope est adducta, post illud, *Horrore nimio formidabunt super te:* quæ varietates possint eam suspectam reddere. Leodiensis Abbatiæ manuscripto conspicitur addita. Videri fortasse possit commentarius esse ejus quod in fine decimi versûs legitur, *In die ruinæ tuæ* (*tuæ* enim, non *suæ*, habent Hebræi, Græci, D. Hieronymus, Lobiense manuscriptum, Atrebatensis collegii alterum, & Complutensis editio) nam & Chaldæus Paraph. id ità exposuit, *In die ruinæ occisorum tuorum.*

10. Quæ superiori notatione de hac pericope; *Cùm ceciderint vulnerati*, &c. dicta sunt; eadem penè nunc circa verba ista, *Propter iniquitates universas quas operatus es*; sunt repetenda. Ea enim, cum Richelio expositore, multi codices legunt post illud decimi versûs, *Horrore nimio formidabunt su-*

per te. Parisiensium autem manuscripta Di. o. l. Ge. p. & nostra Lob. O. prætermittunt: quibus concinunt eædem editiones, Moguntina, Coloniensis, Veneta & Complutensis; duæque aliæ, Nurenburgensis ac Basileensis. Hebraici, Græci & Chaldaici libri non agnoscunt. Hieronymi commentarius non attingit, ut neque textus habet. Castigatores, Hentenius & Parisienses, textu pepulerunt. Epanorthotæ verò idem est de his quod de superioribus verbis judicium: quòd similiter & antiquis & novis libris legantur. In antiquis, Brugensi, E, Plantini medio & plerisque aliis exemplaribus nostris, exstant; sed variè in quibusdam. Unum addit *tuas*; *Propter universas iniquitates* [*iniquitates universas* 2 MS.] *tuas quas operatus es.* Atrebatensis Collegii sericatum tollit *universas*; *Propter iniquitates quas operatus es.* Alterum Atrebatensis Collegii, *Propter universas iniquitates tuas*, habet, idque solum: quomodo & apud Richelium legitur, atque in textu Glossæ Ordinariæ quam scriptam habemus. Christophori Plantini longum his verbis subjungit illa, *Cum ceciderint*, &c. Q. & Busslidianum, ut illa, *Cum ceciderint*, horum loco, decimo versu ponunt post, *Horrore nimio formidabunt super te*; ità hæc, *Propter universas*, illorum loco, octavo versu post, *Et dabo tenebras super terram tuam dicit Dominus Deus.* Leodiensi antigrapho hæc, sicut illa, conspiciuntur addita. Hugo Cardinalis, inter recentiores Enarratores, neque illa neque hæc legisse videtur.

32. Manuscriptorum nostrorum viginti, inter quæ numerantur Brugense, Lobiense, L, O, Q, & plerique impressi codices, inter quos sunt Moguntinus, Nurenburgensis, Coloniensis, legunt, *Quia* [*Qui* 1 MS. Q notatum] *dedit terrorem suum in terra viventium.* Duo nostra MSS. Bessarionis ac longum Plantini, & Quenteliana Biblia scribunt, *Quia dedi terrorem suum in terra viventium.* Tria nobis à D. Hunnæo commodata scripta, A, E, V. habent, *Quia dedi terrorem ejus in terra viventium.* Quinque alia, Leodiense, Plantini medium, Busslidianum, I, C, & Regia editio, ac D. Hieronymi commentariis adjunctus textus, *Quia dedi terrorem meum in terra viventium:* huic quarto legendi modo Hebræorum lectio adstipulatur, כי־נתתי את חתיתי, i. *Quia dedi terrorem meum.* Tertio & secundo Hebræorum scriptio suffragatur (את חתיתו, i. *terrorem ejus*: hoc enim hoc loco est Cetib, illud Keri) & Græcorum interpretatio, ὅτι δέδωκα τὸν φόβον αὐτοῦ, *Quia dedi formidinem ejus.* Verumenimvero apud Græcum Theodoritum lego, quod primo modo velit, *Quia dedit terrorem suum:* cui non contradicit enarratio, *Dabit tamen impietatis pœnas, quia, multo sibi subjectis incusso metu, ipse legem meam non admisit, sed animam reliquit incircumcisam.* Primo modo vult & B. Hieronymi commentarius, *Hi enim dederant terrorem suum in terra viventium: quod quintò dicitur, ut omnes istiusmodi nationes cavere & fugere debeamus, quæ cunctis nos sensibus deceperunt; & scire esse horribiles, nec facilè posse vitari, nisi omni custodiâ servaverimus cor nostrum.* Quintò ait hoc *dici*, quòd *terrorem suum dederint in terra viventium:* legit igitur, ut superioribus locis (v. 23, 24, 25, 26.) legitur, tertiâ personâ, *Dedit terrorem suum* (scilicet Pharao & omnis exercitus ejus) quanquam superioribus locis plurali numero sit *dederunt* seu *posuerunt*. Chaldæus etiam Paraph. ad eum modum hoc loco transtulit quo superioribus, *Quia traditi sunt in exitium fortes, eò quòd dominati sint in terram Israel.*

DRUSIUS.

1. בִּשְׁתֵּי עֶשְׂרֵה שָׁנָה בִּשְׁנֵי־עָשָׂר. Cæteri, ἐν τῷ δεκάτῳ ἔτει, ἐν τῷ δωδεκάτῳ μηνὶ, *decimo anno, duodecimo mense*] Hier. *In multis exemplaribus juxta* LXX duodecimus annus & mensis decimus *ponitur*; *juxta cæteros autem Interpretes* decimus annus & duodecimus mensis. Quid causæ habuerunt Interpretes illi cur ità veterent? Vix adducor ut credam eos aliter vertisse quàm δωδεκάτῳ. Sed credendum Hieronymo contrarium affirmanti. In nonnullis exempl δωδεκάτῳ & δωδεκάτῳ.

2. תַּנִּים. A. *Leviathan*] Hier. DRACONEM *autem dici Diabolum, pro quo Aquila interpretatus est* Leviathan, *nomen* draconis *exponens juxta superiorem explanationem, multis testimoniis docui:* LEVIATHAN, i. לויתן, Job. 40. 24. ubi LXX *draco* ediderunt.

18. עַל־הֲמוֹן מִצְרַיִם. ἐπὶ τὸ πλῆθος Αἰγύπτου *super multitudinem Ægypti.*

19. מִמִּי נָעָמְתָּ רְדָה וְהָשְׁכְּבָה אֶת־עֲרֵלִים. Th. ἐξ ὑδάτων εὐπρεπῶν κατάβηθι, καὶ κοιμήθητι μετὰ ἀπεριτμήτων] Hier. *Porrò sub asteriscis additum est*, DE AQUA PULCERRIMA DESCENDE, ET DORMI CUM INCIRCUMCISIS. Idem paulò antè in Comment. *Multùm in hoc loco* LXX *Interpretum editio & ordine & translatione discordat, & quædam in ea de Theodotione addita sunt.* DE AQUA PULCERRIMA] ממי נעמות.

23. אֲשֶׁר נִתְּנוּ קִבְרֹתֶיהָ וגו׳. Th. οἱ ἔδωκαν τοὺς τάφους αὐτῆς ἐν μηροῖς λάκκου, καὶ ἐγενήθη ἐκκλησία περικύκλῳ τοῦ τάφου αὐτῆς πάντες αὐτοὶ τραυματίαι οἱ πίπτοντες μαχαίρᾳ] Hieron *Et iterum de Theodotionis editione sub asteriscis additum est* [*qui dederunt sepulcra ejus in lateribus lacûs, & facta est congregatio in circuitu sepulcri ejus, omnes isti vulnerati cadentésque gladio*]. Origenes, *Pro* ἐν μηροῖς *Ebræus habet* ἐν μήκει, *in longitudine.* Falsum: sed confundit ירך per Joth cum ארך per Aleph: nam ארך *longitudo.* Pro *laci* malim *lacci*. Sed Hieronymus agnoscit *laci*, quod interpretatur *cisternam*: *Quòd autem* lacus, inquit, *vocetur Infernus, perspicuè Psalmus ille demonstrat in quo pœnitens loquitur*, Assimilatus sum cum his qui descendunt in lacum. *Quem nequaquam debemus juxta Latini sermonis proprietatem eum intelligere qui Græcè* λίμνη *dicitur, ut est lacus Tiberiadis, & lacus Larius, & Benacus, multique alii, sed quas nos solemus appellare* cisternas.

26. מֶשֶׁךְ תֻּבַל. Sym. Th. *cubile eorum*] Suspectum. Hieron. *Pro* Mosech & Thubal *Sym. & Th. interpretati sunt* cubile eorum, *ut ostenderent cubilia hæreticorum, imo foveas sempiternas.*

27. כִּי־חִתִּית גִּבּוֹרִים בְּאֶרֶץ חַיִּים. καὶ φόβος δυναστευόντων ἐγένετο ἐν τῇ γῇ τῶν ζώντων, *& metus dominantium fuit in terra viventium.*

28. תִּשָּׁבֵר וְתִשְׁכַּב. Συντριβήσῃ καὶ κοιμηθήσῃ, *contereris & dormies.*

29. שָׁמָּה אֱדוֹם מְלָכֶיהָ וְכָל־נְשִׂיאֶיהָ. Ἐκεῖ Ἐδὼμ καὶ οἱ βασιλεῖς αὐτῆς, καὶ πάντες οἱ ἄρχοντες αὐτῆς, *Ibi Edom & Reges ejus, & omnes Principes ejus.*

30. אֲשֶׁר־יָרְדוּ אֶת־חֲלָלִים וגו׳. Οἵτινες κατήχθησαν μετὰ τραυματιῶν σὺν τῷ φόβῳ αὐτῶν, αἰσχυνόμενοι ἐκοιμήθησαν, *qui deducti sunt cum vulneratis cum terrore suo, dejecti à fortitudine sua, confusi dormierunt.*

32. אֶת־חַלְלֵי־חֶרֶב פַּרְעֹה וְכָל־הֲמוֹנֹה. τραυματίαι μαχαίρας Φαραὼ, καὶ πᾶσα ἡ δύναμις αὐτοῦ, *Vulnerati gladio Pharaonis, & omnis potentia ejus*] Emenda τὸ πλῆθος.

GROTIUS.

1. DUodecimo *anno in mense duodecimo*] A deportatione Jechoniæ, ut numerat Ezechiel. Id verò est, excisis jam Hierosolymis, circa quod tempus Rex Amasis (ad quem hæc prædictio pertinet) contra Aprien se cœpit erigere.

2. *Draconi qui est in mari*] *Balæna:* nam & hæc תנין dicitur.

Ventilabas cornu in fluminibus tuis, & conturbabas aquas pedibus tuis, & conculcabas flumina earum] *Prodiens è mari in flumina turbabas aquas pedibus, quin & tota flumina conculcabas.* Videtur similitudo ab Hippopotamo sumta, cui ungulæ quales bovi. Sensus est, Ex Imperio tuo egrediens vicinas civitates gentésque totas proterebas. Derivavimus תגח à גיח [*educere*]; at LXX à נגח [*cornu petere*]: vertunt enim ἐκεράτιζες, id est, *arietabas*, nempe minores pisces.

3. *Expandam super te rete meum*] Alios adducam qui te premant undique, suprà XII. 13. XVII. 20.

Extraham te in sagena mea] Educam te è locis tutis.

4. *Et projiciam te in terram*] Vigorem tibi auferam, velut pisci in terram tracto, suprà XXIX. 5.

Habitare faciam super te omnia volatilia cœli, & saturabo de te bestias universæ terræ] Homines feri ac rapaces Ægyptum invadent, ac deprædabuntur. Vide suprà XXV. 5.

5. *Et dabo carnes tuas super montes*] Carnes hominum tuorum, quos interficient Chaldæi.

Sanie tuâ] Id est, tuorum.

6. *Valles implebuntur ex te*] Tuis. nam Rex & populus idem censentur.

7. *Et operiam, cum exstinctus fueris, cælum*] Cùm exstinctus fueris, id est, cùm splendor tibi ademtus fuerit, Job. XVIII. 5. Quod autem dicitur *cælum opertum iri, stellas atras fore, Solem obductum nube, Lunam obscuram*, solet quidem mœstitiæ habere significationem, ut diximus ad Matth. XXIV. 29. sed addendum insuper hîc videtur, tantam stragem fore (nam huc illud pertinet quod sequitur, *cùm ceciderint vulnerati tui*) ut vapores quos emittent cadavera ademturi sint cœli siderúmque conspectus. Lucanus ad Cæsarem:

Sed tibi tabentes populi Pharsalica rura
Eripiunt, camposque tenent, victore fugato.

Seneca Oedipode:

Obscura cælo labitur Phœbi soror;
Tristisque mundus nubilo pallet novo.

Nullum

Nullum serenis noctibus sidus micat;
Sed gravis & ater incubat terris vapor.
Obtexit arces cælitum ac summas domos
Inferna facies.

Vide similem locum Esaiæ XXXIV. 4. & ibi dicta.

9. *Et irritabo cor populorum multorum*] *Commovebo*, ut hic Chaldæus; mœrore concutiam: nam כעס per ἀθυμεῖν [*animo consternari*], & הכעסים per ἀθυμίαν [*animi consternationem*] etiam verti solet. per κατάχρησιν [*abusionem*] quandam.

Cùm induxero contritionem tuam in gentibus super terras quas nescis] Ubi captivi Ægyptii in terras longinquas adducti certum attulerint nuntium cladis. Ità hîc LXX rectè.

10. *Et stupescere faciam super te populos multos, & Reges eorum horrore nimio formidabunt super te, cùm volare cœperit gladius meus super facies eorum*] *Populos & Reges* Afros intellige, ad quos per Ægyptum venere Chaldæi.

13. *Et perdam omnia jumenta ejus quæ erant super aquas plurimas; & non conturbabit eas pes hominis ultrà, neque ungula jumentorum turbabit eas*] Sicut homines per vada transeuntes, & equi ubi aquatum ducuntur, turbidas faciunt aquas: ità Ægyptiorum pedites & equites populos vicinos, qui sub *aquarum* significantur nomine (ut suprà 2.), solebant conturbare.

14. *Tunc purissimas reddam aquas eorum, & flumina eorum quasi oleum adducam*] Id est, quiescent illi populi à vi Ægyptia, ut bene hîc explicat Chaldæus. Vide suprà XXIX. 9.

16. *Planctus est, & plangent eum*] Sensus idem qui suprà XIX in fine. Lamentabilis est hæc Prophetia; tamen sic eveniet.

Filiæ gentium plangent eum] Verbis similibus utentur, cognitis Ægypti malis.

17. *In quintadecima mensis*] Dicti antè: id est, non multis diebus post revelationem quæ præcessit.

18. *Et detrahe eam ipsam, & filias gentium robustarum ad terram ultimam*] *Infimam:* id est, cane Ægypto velut mortuæ carmen, quale cani solet iis qui in sepulchrum demittuntur. Est autem totum hoc carmen προσωποποιΐα [*personæ fictio*] planè similis alteri quæ est de Assyrio apud Esaiam XIV. 10. Sicut Poëtæ ità & Prophetæ facere dicuntur quæ canunt.

19. *Quo pulchrior es*] *In quo melior es*, aliis scilicet gentibus quæ pares clades accepere, amisso etiam imperio, quæ vita est gentibus.

Descende & dormi cum incircumcisis] Quandoquidem circumcisos sprevisti. Vide suprà XXXI. 18.

20. *In medio interfectorum gladio cadent*] *Cecidere Ægyptii.* Loquitur enim jam quasi in re præsente. Simile illud Lucani:

——— *sed illos*
Magna premit strages, peraguntque cadavera partem
Cædis: viva graves elidunt corpora trunci.

Gladius datus est] Gladio data est Ægyptus. Ità Chaldæus.

Attraxerunt eam, & omnes populos ejus] *Detrahite eam*, nempe in sepulchrum. Loquitur quasi ad libitinarios.

21. *Loquentur ei*] Gratulabuntur adventum. Vide locum jam dictum Esaiæ.

22. *In circuitu illius sepulchra ejus*] Id est, *jacent in turba mortuorum.* Sic & eadem verba repetita sume.

23. *Quorum data sunt sepulchra in novissimis laci*] *Quorum sepulchra sunt in parte aliqua foveæ*, communis scilicet multis.

24. *Ibi Elam*] *Elymæi.* Gentes illas nominat quæ in auxiliis Assyrio fuerant.

Et portaverunt ignominiam suam] Pœnam superbiæ, partim à Deo prostrati ad mœnia Hierosolymorum, partim victi à Babyloniis.

25. *In medio interfectorum posuerunt cubile ejus*] Arcam sepulchralem.

In universis populis ejus, in circuitu ejus sepulchrum illius] *Ut turba tota illa esset circa sepulchrum ejus.* Sic & infrà sume 26.

26. *Ibi Mosoch*] Cappadoces eorúmque vicini. Vide suprà XXVII. 13.

Thubal] Iberi Asiatici. Vide ibidem.

27. *Et non dormient cum fortibus*] Hi omnes ignaviæ suæ pœnas dant; non seorsim jacent, sed in unam aliquam fossam congesti, ut victis fieri solet. Lucanus post prælium Pharsalicum:

——— *petimus non singula busta,*
Discretósque rogos: unum da gentibus ignem.

Cadentibúsque & incircumcisis] Qui incircumcisi quidem erant & impii, attamen fortes & magnanimi.

Qui descenderunt ad infernum cum armis suis, & posuerunt gladios suos sub capitibus suis] Id est, *positos habuerunt.* Victores non singula tantùm habebant sepulchra, sed & in virtutis honorem cum armis suis sepeliebantur, I Maccab. XIII. 29.

Et fuerunt iniquitates eorum in ossibus eorum] Meliùs, *Et habitacula pro ossibus eorum*, data sunt, scilicet egregia, aut *solatia.* nam عون Arabibus est *solatium.*

Stat. *Dat solatia grandibus sepulchris.*
Illustribus monumentis testata est eorum virtus.

28. *Et tu ergò in medio incircumcisorum*] *At tu* (Ægypte) *in turba impiorum jacebis*, ut victi solent.

Dormies cum interfectis gladio] Non cum victoribus.

29. *Ibi Idumæa*] *Idumæi*, socii itidem Assyriorum.

Qui dati sunt cum exercitu suo cum interfectis gladio] Qui & ipsi inter victos fuere.

Et cum his qui descendunt in lacum] Inter eos qui promiscuè in communem foveam dejiciuntur.

30. *Ibi Principes Aquilonis omnes*] Tyrii, qui Judæis ad Aquilonem, victi multis præliis à Chaldæo, & ad deditionem redacti, suprà XXVI. XXVII. XXVIII.

Et universi venatores] Meliùs sumes pro nomine proprio, & vertes *Sidonii:* nam & hi victi à Chaldæis, suprà XXVIII. 21. nec aliter hîc Chaldæus.

Qui deducti sunt cum interfectis] Rectè. At LXX pro אשר [*qui*], legere אשור Ἀσσὴρ [*Assur*].

31. *Vidit eos Pharao, & consolatus est*] In Hebræo: *Videbit eos* (aliquando) *Pharao.* Ubi morietur Amasis, videbit tot alios ab Assyriis malè tractatos. Est iterum προσωποποιΐα [*personæ fictio*], quâ mortuis sensus affingitur.

32. *Quia dedi terrorem meum in terra viventium*] Ità legitur in margine: at textus habet חתיתו [*terrorem ejus*], τὸν φόβον αὐτοῦ, LXX: quia permisi ut Ægyptus tempore Necaonis terrori esset Judæis. *Terra viventium* Judæa, suprà XXVI. 20. Sic accipit & Chaldæus.

Dormivit] *Morietur.* LXX. κοιμηθήσεται [*dormiet*]: id est, jacebit cum mortuis.

In medio incircumcisorum cum interfectis gladio] Nam corpus Amasis post mortem exemtum monumento & igne crematum est, quod turpe censent Ægyptii: Herodotus Thaliâ.

CAP. XXXIII.

MUNSTERUS.

2. D*E extremis suis*] Jonathan vertit מביניהון *ex seipsis & de medio eorum.* Ponit autem Propheta hîc parabolam Speculatoris, per quam significatur officium Episcopi. Si, inquit, tempore belli vir aliquis in speculam ponatur ut advenientem hostem annunciet, & is viderit irruentem, si moneat, excusatur à culpa; sin tacuerit, in culpa erit. Sic omnes qui viam Dei docent populum, ob eminentem cognitionem quâ præditi esse debent, *quasi in specula consistere* dicuntur, unde adversarii insidias dignoscant, & impendens periculum populo annuncient.

11. *Si complacitum mihi sit in morte impii*] i. Non delector morte peccatoris, sed ut per pœnitentiam revertatur. Et est locus insignis pro pœnitentia astruenda, ut nemo desperet, quantumlibet gravibus prematur peccatis, modò apprehendat per fidem promissionem Dei liberalem. Cupit igitur Dominus ut impius relictâ impietate suâ vivat, h. e. bene agat.

22. *Aperuit os meum*] Non quòd antea omnino tacuerit, sed quòd minore gravitate docuerit, domo Israel rebellante.

24. *Qui inhabitant devastata illa loca*] Hi erant pauperes quidem quos Nebuzardan in terra reliquit, contra quos Propheta hîc clamare jubetur, & eorum redarguere scelera, quæ erant, quòd *sanguine vescerentur*, aut inter comedendum de *sanguine* innocenti *fundendo* tractarent, *idola* cum animo prono ad idololatriam *inspiciebant*, *super gladio suo stabant*, h. e. *fiduciam ponebant in fortitudinem suam magis quam in Deum*, ut Chaldæus Interpres habet.

30. *Juxta parietes*] i. In angulis & locis secretis detrahunt tibi, quòd diem reditûs in longum distuleris tempus, ipsi autem celerem moliuntur reditum. Et cùm id agant, tamen *veniunt ad te quasi populus essent Dei*, & seriò cupiant *audire verbum ejus.* *Sedent* ad pedes tuos more veterum, qui ad pedes præceptorum in subselliis sedere solebant, sicut & Paulus *ad pedes Gamalielis* asserit se didicisse Legem: audientes autem illi te, rident & contemnunt sermones tuos, & *faciunt in ore suo* עגבים, quod nos pro *ludibriis* post Jonathan vertimus, cùm tamen sit musicum instrumentum suavem edens melodiam. Sic illi ore testimonium ferebant Prophetæ, cùm corde verba ejus deriderent.

Quæ fuit urbs qualis Tyrus? Quæ urbs maritima ei comparari potuit? ut sit כדמה à דמה [*comparare*], non à דמם [*obmutescere*]. Apparet Chaldæum sumsisse ut dicimus, & oratio meliùs cohæret; nam in adversa fortuna commemorant illam priorem.

33. *Quæ in exitu negotiationum tuarum*] Longinquis navigationibus in Indiam, Hispaniam, Africam, Pontum.

Implesti populos multos] Mercibus.

Multitudine divitiarum tuarum] *Pecuniarum.*

Et populorum tuorum] *Mercimoniorum tuorum.*

Ditasti Reges terræ] Ex vectigalibus.

34. *Nunc contrita es à mari*] Vide suprà 26.

In profundis aquarum opes tuæ] Magna vis opum tuarum in mari demersa est.

Et omnis multitudo tua quæ erat in medio tui] Chaldæus: *Exercitus tuus*, id est, milites epibatæ.

35. *Omnes habitatores insularum*] Regionum maritimarum.

Et Reges earum tempestate perculsi] *Horrentibus pilis:* ità Hebræum.

36. *Sibilaverunt super te*] Præ stupore, ut 1 Regum IX. 8.

Ad nihilum deducta es] Nempe si comparetur hic status cum priore.

Non eris usque in perpetuum] עד עולם est *ad longum tempus*, ut & nos annotavimus alibi, & hîc Hieronymus.

CAP. XXVIII.

MUNSTERUS.

2. *Deus ego sum*] i. Tam fortis sum & tam securus *sedeo in medio maris* ut neminem mortalium timeam. Ago Deum quendam in mari, cui omnes negotiatores afferunt dona.

3. *Sapientior es Daniele*] Usurpatur nomen *Danielis* ferè loco proverbii, ob incomparabilem sapientiam quâ Propheta sanctus pollebat apud Chaldæos. Et Rex Tyri ob superbiam suam videbatur sibi superare Danielem ipsum in sapientia. Capitur autem hic *sapientia* pro *prudentia*, quâ opus habent hi qui administrandis hujus seculi negotiis deputati sunt.

10. *Mortibus incircumcisorum*] *Morieris*, inquit, multis vulneribus & mortibus, idque *per manum incircumcisorum*, h. e. impiorum, ut Jonathan vertit, & quibus nullum inerit cor misericors. Et nota quòd hîc ממתי est nomen ejusdem formæ cum מבוא.

12. *Tu paratum signaculum*] Est hîc תכנית idem quod תוכן, *pondus* scilicet sapientiæ & gloriæ & opum. Et תמם exponunt pro משלים *perficiens:* ut sit sensus, Tu acquisivisti tibi tantam molem divitiarum, sapientiæ & gloriæ ut nihil illis accedere possit: tam perfectè & absolutè omnia possides. Translator noster legit תבנית pro תכנית. Comparat proinde Propheta delicias & opes Tyri *deliciis paradisi Dei*, ubi nullius rei invenitur defectus. Quin & tantum luxum asserit fuisse apud Tyrios ut Rex & magnates sederint in palatiis omnigenis coruscantibus gemmis, aut quòd lapides illos pretiosos auro inclusos in vestibus gestaverint. Et Rex in tantis sedens divitiis nihil cogitabat nisi quod ad voluptatem faceret carnis; quemadmodum subditur, *Opus tympanorum*, &c. q. d. Propheta, His ludicris te oblectas, omissis seriis quæ in tanta republica erant prosequenda.

14. *Tu Cherub es*] Comparatur Rex Tyri *Cherub inuncto* & ad summum fastigium sublimato, qui *alis suis populum subjectum protegit*, sicut Cherubim Arcam Domini obtegebant. Jonathan tamen vertit *Tu Rex inunctus super Regnum*, &c. Dicitur etiam fuisse *in monte sancto*, quando olim Rex Tyri Hiram ligna misit ad structuram Templi. ¶ *Deambulasti in medio lapidum ignitorum*] Kimhi putat per hos lapides intelligendos Israelitas, quòd tunc fuerint populus sanctus, & alios Dei amore inflammaverint.

18. *Violasti sanctuaria tua*] Hebræi intelligunt ארמון *regium palatium.* Tu, inquit, in causa fuisti ut devastaretur aula tua regia.

24. *Sentis pungens*] Exterminabo, inquit Dominus, gentes illas maledictas quæ infestæ sunt populo meo, ut etiam eis nulla supersit spes. Filii autem *Israel* redibunt & *habitabunt in securitate, ædificabunt domos, & plantabunt vineas.* Et cùm id post captivitatem Babylonicam factum non fuerit, cùm Judæi multas passi fuerint tribulationes, constat id per Christum perfectè impletum, non in corpore, cùm sui usque adhuc ingemiscant, sed in spiritu, qui clamat, *Abba Pater.*

VATABLUS.

2. *Dixistique* ותאמר] *Dicere* pro *cogitare:* nam nemo hoc manifestè dicit, *Ego sum Deus*, sed cogitationibus sibi tribuit. ¶ *Deus ego sum* אל אני] Quidam Hebræorum subaudiunt *sicut* vel *tanquam*, *Sum* tanquam *Deus*, q. d. Sum similis Deo: nam quemadmodum Deus habitat in loco inaccesso, nempe in cœlo, quò nemo mortalium pervenire sive attingere potest, neque nocere illi; ità neque mihi qui sedeo & habito in loco inaccessibili, nempe omnino cincto & munito mari. ¶ *Et posuisti*, &c. ותתן לבך וגו'] Ad verb. *& dedisti*, &c. Hebraismus, existimasti tamen in corde tuo te esse Deum aut Deo parem.

3. *Sapientior es*, &c. חכם אתה וגו'] Sub. *opinione tuâ.* Daniel sapientiæ suæ specimen exhibuit in Chaldæa, ubi hæc prædixit Propheta. Per Ironiam autem hæc dicit.

Et intelligentiâ tuâ ובתבונתך] *Et prudentiâ tuâ.* ¶ *Congregasti* עשית] Ad verb. *fecisti*, i. peperisti.

6. *Posuisti*, &c. תתך את לבבך וגו'] Ut vers. 2. Infinit. pro præt.

7. *Robustos Gentium* עריצי גוים] i. Optimos & fortissimos bellatores qui sunt in Gentibus, nempe Babylonios. ¶ *Contra pulcritudinem*, &c. על יפי חכמתך] i. Perdent quæcunque videris tibi propriâ sapientiâ peperisse ac comparasse, præsertim ingentem illum ac illustrem & elegantem exercitum tuum. ¶ *Et polluent pulcritudinem tuam* וחללו יפעתך] Ad verb. *& contaminabunt splendorem tuum*, i. polluendo obscurabunt splendorem tuum: q. d. privabunt te dignitate Regiâ.

8. *Descendere facient te* יורדוך] i. Deducent te, vel dejicient, postquam scilicet fueris mortuus. ¶ *Occisorum* חלל] Sing. Heb. pro plur. *interfectorum*, gladio scilicet, i. morte vulneribus confectorum & confossorum: q. d. Postquam multis vulneribus fueris confossus, projicieris in mare.

9. *Interfectore tuo* הורגך] Sing. Heb. pro plur. *coram illis qui interfecturi sunt te?* Sic mox. ¶ *Tu autem homo es* ואתה אדם] *Cùm sis homo.*

10. *Morte incircumcisorum* מותי ערלים] *Mortibus incircumcisorum*, sub. *corde*, i. quorum cor non est repurgatum, sed scatet sceleribus: q. d. impiorum.

12. *Leva planctum* שא קינה] Hebraismus, *Lamentare*, [*plange*, aut *luge*] *Regem Tyri.* Solemus lamentari ac magno luctu prosequi calamitatem magnorum. ¶ *Tu sigillas summam* אתה חותם תכנית] *Tu perficis summam*, vel *numerum.* Alii, *Tu sigillas dispositionem:* vel, *Tu es sigillum* [i. perfectio] *dispositionis*, h. e. tu es omnibus numeris absolutus. Solemus enim sigillo munire quæ absoluta ac perfecta sunt: q. d. Tu nunc es clarissimus, illustrissimus ac felicissimus; sed brevi eris infelicissimus.

13. *In Eden horti Dei fuisti* בעדן גן אלהים היית] *Eden*, locus sive regio in qua est paradisus terrestris. q. d. Tu abundasti omnibus rebus ac bonis, & videbaris quasi versari in paradiso Dei. Quidam legunt, *In Eden in horto Dei fuisti.* ¶ *Operimentum tuum* מסכתך] A סכך deducitur in hac significatione. q. d. Tu ornasti vestes tuas lapidibus pretiosis. Quidam deducentes à שוך, ut ס sit loco ש, vertunt, *sepes tua*, q. d. Ex omnibus lapidibus pretiosis tu exstruxisti & ornasti ædificia tua. Hyperbole. Tantum luxum asserit fuisse apud Tyrios ut Rex & magnates sederint in palatiis omnigenis coruscantibus gemmis; aut quòd lapides illos pretiosos auro inclusos in vestibus gestaverint. ¶ *Et jaspis, chrysolithus* וישפה תרשיש] *Et adamas, hyacinthus.* ¶ *Et aurum* וזהב] Annumerat Aurum lapillis pretiosis quòd lapilli soleant ornari sive includi auro. ¶ *In die quâ creatus*, &c. ביום וגו'] Hic ב pro מ, ut v. 15. *à die quâ creatus fuisti concinnata fuerunt*, vel *disposita:* i. tempore quo cœpisti florere & esse in felicitate ac prosperitate usus es tympanis in domibus tuis. Solent enim in prosperitate uti tympanis & aliis instrumentis musicis.

14. *Magnus* ממשח] *Unctus.* Pro *claro*, *nobili* & *viro magno* ponitur, quia magni, ut Rex & Pontifex magnus, ungebantur. Regem vocat *Cherub* propter multitudinem excellentiæ ejus. ¶ *Tegens* הסוכך] Protegens quasi alis suis populum multum subditum. Alludit ad Cherubim qui alis suis tegebant Arcam federis. Intelligit autem Regem, non eum qui mortuus est urbe expugnatâ, sed eos qui præcesserunt eum. Misit enim Hiram Salomoni quædam necessaria ædificio Templi. ¶ *In medio lapidum ignitorum ambulasti* בתוך אבני אש התהלכת] i. In medio lapillorum pretiosorum præ se ferentium fulgorem igneum; i. versatus es inter Israelitas qui splendori igneo comparantur.

15. *Per-*

15. *Perfectus fuisti*, &c. [תמים אתה וגו'] *Perfectus eras in omnibus viis tuis*, i. in omni ratione vitæ tuæ à die nativitatis tuæ.

16. *Repleverunt medium tui* [מלו תוכך] *Repleverunt* [sub. *cives tui*] *medium tui*, i. urbis tuæ. q. d. Urbs tua propter frequentiam mercatorum qui veniebant ad emporium tuum repleta est iniquitate. ¶ *Et peccasti* [ותחטא] i. Non reddidisti jus mercatoribus externis, neque sublevasti eos injuriâ ipsis illatâ à tuis. ¶ *Et profanabo te* [ואחללך] *Itaque profanavi te.* Præt. Heb. pro fut. i. tanquam profanum ejiciam & expellam de templo meo. ¶ *Cherub*, &c. [כרוב] Vide v. 14.

17. *Elevatum est* [גבה] *Exaltatum est. Elevavit sese.* ¶ *Perdidisti* [שחת] *Corrupisti. Decorem* ac *splendorem* vocat dignitatem Regiam, ut v. 7. ¶ *Ut videant te* [לראוה בך] Ad verb. *Ut videant in te*, sub. *subversionem quæ erit in te*, propter multitudinem superbiæ cordis tui. Alii vertunt *ut despiciant te:* propterea quòd verbum ראה construatur hic cum ב: i. tradam te captivum, & efficiam ut venias in manus ac potestatem hostium tuorum.

18. Et *ob iniquitatem* [בעול] Ad verb. *in iniquitate.* Quidam vertunt, & maximè *præ iniquitate.* ¶ *Sanctificationem tuam* [מקדשיך] *Sanctuarium tuum*, i. palatium tuum, ideo sic dictum, ut ait doctus inter Hebræos, quòd sit sicut sanctuarium, eò quòd non congregentur ibi nisi noti. ¶ *Qui consumet te* [היא אכלתך] Ad verb. *ipse comedit te*, i. excitabo aliquot ex civibus tuis qui deficiant à te ad Nabuchodonosorem.

19. *Eris* [היית] Præt. Heb. pro fut. ut suprà 27. 36. ubi hæc pars versûs legitur.

22. *Et dic* [ואמרת] Fut. Heb. pro imperat. ¶ *Ecce ego* [הנני] Sub. *venio*, aut *venturus sum*, i. missurus sum iram meam contra te. ¶ *Et glorificabor* [ונכבדתי] *Glorificabo me*, i. gloriâ dignum me ostendam; vel dabis mihi gloriam cùm egregiè te afflixero: nam gloria Dei relucet in eis quos affligit. ¶ *Cum fecero*, &c. [בעשותי וגו'] i. Cùm justè afflixero eam. Hebraismus. ¶ *Et sanctificavero me* [ונקדשתי] i. Cùm sanctum ac justum Judicem ostendero me.

23. *Et mittam* [ושלחתי] Aut redundat ו, aut convertendum in *namque*, vel *enim. Mittam enim.* ¶ *Et sanguinem* [ודם] i. Cædem, vel gladium, quòd gladio fundatur sanguis. ¶ *Et corruent interfecti* [ונפלל חלל] Singul. Hebr. pro plur.

24. *Circuitibus eorum* [סביבותם] *Qui in circuitu eorum sunt*, i. vicinis.

25. *Et sanctificavero me* [ונקדשתי] *Et sanctificatus fuero*, ut v. 22.

26. *Confidenter* [לבטח] i. In magna fiducia ac confidentia, & sine metu. ¶ *Qui spernunt eos* [השאטים אתם] *Qui diripiunt eos*, vel *spoliant.* Hebraismus, cùm sumpsero pœnas de omnibus qui affligunt eos undique.

CASTALIO.

7. S*Trictis in istius sapientiæ elegantiam gladiis*] In te, qui tibi tam præclarâ sapientiâ præditus videris.

CLARIUS.

2. D*Eus ego sum*] i. Tam fortis sum & tam securus *sedeo in medio maris* ut neminem mortalium timeam. Ago Deum quendam in mari, cui omnes negotiatores afferunt dona.

3. *Sapienter es tu Daniele*] Usurpatur nomen *Danielis* ferè loco proverbii, ob incomparabilem sapientiam quâ Propheta sanctus pollebat apud Chaldæos. Et Rex Tyri ob superbiam suam videbatur sibi superare Danielem ipsum in sapientia. Capitur autem hìc *sapientia* pro *prudentia*, quâ opus habent ii qui administrandis hujus seculi negotiis deputati sunt.

10. *Morte incircumcisorum*] h. e. Peccatorum: vel, *Morieris* multis vulneribus ac mortibus, idque *per manum incircumcisorum*, h. e. impiorum, & quibus nullum inerit cor misericors.

12. *Tu obsignans summam*] Tu, inquit, acquisivisti tibi tantam molem divitiarum, sapientiæ & gloriæ ut nihil illis accedere possit: tam perfectè & absolutè omnia possides. Comparat proinde Propheta delicias & opes Tyri *deliciis paradisi Dei*, ubi nullius rei invenitur defectus. Quin & tantum luxum asserit fuisse apud Tyrios ut Rex & magnates sederint in palatiis omnigenis coruscantibus gemmis, aut quòd lapides illos pretiosos auro inclusos in vestibus gestaverint. Et Rex in tantis sedens divitiis nihil cogitabat nisi quod ad voluptatem faceret carnis; quemadmodum subditur, *opus tympanorum*, &c. q. d. Propheta, His ludicris te oblectas, omissis seriis quæ in tanta republica erant prosequenda.

14. *Tu Cherub extentus*] Vel *inunctus.* Comparatur Rex Tyri *Cherub inuncto* & ad summum fastigium sublimato, *qui alis suis populum subjectum protegit*, sicut Cherubim Arcam Domini obtegebant. Jonathas tamen vertit, *Tu Rex inunctus super Regnum*, &c. Dicitur etiam fuisse *in monte sancto*, quando olim Rex Tyri Hiram ligna misit ad structuram Templi. ¶ *In medio lapidum ignitorum* (h. e. pretiosissimorum, instar ignis lucentium) *ambulasti*] Per hos *lapides* intelligunt Israelitas, quòd tunc fuerint populus sanctus, & alios Dei amore inflammaverint.

18. *Polluisti sanctificationem tuam*] Hebræi intelligunt Regium palatium. Tu, inquit, in causa fuisti cur devastaretur aula tua regia.

24. *Et spina*] Exterminabo, inquit Dominus, gentes illas exsecrandas quæ infestæ sunt populo meo, ut etiam eis nulla supersit spes. Filii autem *Israel* redibunt, *& habitabunt in securitate, ædificabunt domos, & plantabunt vineas.* Et cùm id post captivitatem Babylonicam factum non fuerit, cùm Judæi multas passi fuerint afflictiones, constat id per Christum perfectè impletum, non in corpore, cùm sui usque adhuc ingemiscant, sed in spiritu, qui clamat, *Abba Pater.*

DRUSIUS.

4. ותעש. *περιεποιήσω acquisivisti*] Verbum è verbo καὶ ἐποίησας *& fecisti.* Nota ergò phrasin, *facere aurum* pro *acquirere.* Alibi, *aurum quod fecerunt in Baal*, i. insumpserunt. Cæterùm in multis cod. hoc loco habetur καὶ ἐποίησας χρυσίον *& fecisti aurum.*

9. בְּיַד מְחַלְלֶךָ. *ἐν χειρὶ τιτρωσκόντων σε manu vulnerantium te.*

10. מוֹתֵי עֲרֵלִים תָּמוּת. *θανάτοις ἀπεριτμήτων ἀποθανῇ, mortibus incircumcisorum morieris.*

12. מְלֵא חָכְמָה. *πλήρης σοφίας plenus sapientiâ.*

13. כָּל־אֶבֶן יְקָרָה מְסֻכָתֶךָ. Sym. *omni lapide pretioso vinctus atque constrictus fuisti*] Hieron. *Hoc observandum est, non omni lapide pretioso Regem Tyri fuisse circumdatum sive opertum, &, ut Symmachus transtulit, vinctum atque constrictum; sed omnem lapidem quem habuit Princeps Tyri fuisse pretiosum.* Idem aliquantò pòst, *Sed & Aq. & Sym. ac Th. in præsenti loco multùm inter se & Lxx Interpretes non solùm ordine sed & numero discrepant atque nominibus.* Et post aliquam multa, *Porrò Symmachi interpretatio istum Principem Tyri, quasi pretiosissimum monile, lapidibus scribit esse distinctum.* ¶ מְלֶאכֶת תֻּפֶּיךָ. *Opus tympanorum tuorum*] i. Palarum tuarum. Hieron. *Denique auri* tympanum *vocat in quo infixi sunt lapides.* Videtur esse Symmachi: quod colligo ex verbis Hieronymi suprà citatis. Sed tamen arbitrarium esse volo hoc, nolo ut sit certum. ¶ כּוֹנָנוּ. Th. *ἡτοιμάσθησαν præparata sunt*] Sumptum ex Scholio quodam Græco.

14. מִמְשַׁח הַסּוֹכֵךְ. Th. *κεχρισμένος τοῦ κατασκηνοῦντος*] Scholiastes notavit hoc additum esse similiter de Theodotione. כרוב כמשח, Sym. *τοῦ χερὶβ καταμεμετρημένου.* Hieron. *Juxta Ebraicum*, tu Cherub extentus & protegens: ex eodem Scholiaste. ¶ הִתְהַלָּכְתָּ. A. *ἐμπεριπατήσας*] Notavit idem qui suprà.

15. תָּמִים. A. *τέλειος perfectus.*

16. וָאַבֶּדְךָ כְּרוּב הַסֹּכֵךְ. A. *ἀπολέσω σε, χερὶβ ὁ συσκιάζων, perdam te, ô Cherub obumbrans.*

18. חִלַּלְתָּ. *ἐβεβήλωσας contaminasti.* ¶ מִקְדָּשֶׁיךָ. *τὸν ἁγιασμόν σου sanctificationem tuam*] i. Templum tuum. ¶ לְאֵפֶר. *εἰς σποδὸν in cinerem.*

23. וְשִׁלַּחְתִּי־בָהּ דֶּבֶר וָדָם. *Καὶ ἐξαποστελῶ ἐπ' αὐτὴν θάνατον καὶ αἷμα, Et immittam in eam mortem & sanguinem*] Ἐπ' αὐτὴν reposui ex conjectura; nam in libris est ἐπί σε *in te.* MORTEM] i. Pestilentiam.

GROTIUS.

2. D*Ic Principi Tyri*] Ithobalo. Ità enim vocatur in Actis Tyriis. Stolidi Rabbini Hiramum fingebant per mille annos vixisse, ut hìc notat Hieronymus.

Et dixisti: Deus ego sum] Id est, *quasi Deus quidam*, ut Esaiæ XIV. 14.

Et in cathedra Dei sedi in corde maris] Rursum subintellige *quasi.* Sicut Deus ab omni injuria tutus est in arce cœlesti, sic me defendit mare.

Cùm sis homo] Omni humanæ sorti obnoxius.

Et non Deus] Minimè inexpugnabilis.

Dedisti cor tuum quasi cor Dei] Ità de te cogitas quasi omnia tibi parère debeant.

3. *Ecce sapientior es tu Daniele*] Ità tibi vidèris. Celebris erat tunc per Chaldæam fama Danielis: suprà XIV. 20. Danielis I. 17. & II. 48. VI. 26.

4. *Fecisti tibi fortitudinem*] Opes parasti.

7. *Robustissimos gentium*] Quales tunc erant Chaldæi, suprà XXVI. 7.

Nudabunt gladios suos super pulchritudinem sapientiæ tuæ] Super pulcherrima ædificia quæ magnâ arte struxisti.

Et polluent decorem tuum] *Splendorem tuum*: Id est, regnum tuum.

8. *Interficient & detrahent te*] *Ad ima descendere te facient*: id est, ad fundum maris, in navali prælio.

9. *Numquid dicens loquèris*] An tunc dices?

Cùm sis homo] —— *mors sola fatetur*
Quantula sint hominum corpuscula.

10. *Morte incircumcisorum morieris*] Risisti circumcisos: ideo volo ut incircumcisi tibi mortem inferant. *Mors incircumcisorum*, ut apud Virgilium:

—— *Vulnere tardus Ulyssei,*

ab Ulysse dato.

12. *Tu signaculum similitudinis*] *Annulus signatorius* (optimè) *figuratus*. חותם alibi vertunt δακτύλιος [*annulus*], alibi σφραγὶς [*sigillum*], alibi ἀποσφράγισμα [*signaculum*], sensu eodem. תכנית *figura*. Et sic accipit hìc Chaldæus. Sensus est, Diligentissimè custodiebaris, ut annulus splendidus multæ artis. Confer Jeremiæ XXII. 24.

Plenus sapientiâ] Id est, arte factus, ut jam diximus.

Ut perfectus decore] Pulchrùm fulgens.

13. *In deliciis paradisi Dei fuisti*] Omnia tibi affluebant, ut olim Adamo in horto Hedenis, quem ei Deus concesserat.

Omnis lapis pretiosus operimentum tuum] Vestis tua gemmis erat intexta.

Sardius] אדם [*Odem*] *rubrum* significat. Talis autem est *Sarda Indica* Plinio XXXVII. 7. σάρδιον [*sardium*] habent hìc & Græci. Chaldæus סמקן [*Samecan*] à סמק, quod est *rubere*.

Topazius] פטדה τοπάζιον vertunt Græci, tum in Exodo, tum Jobo XXVIII. 19. Chaldæus vertit ירקן [*Jarcan*]: est illis ירק *virere*. Est ergò Topazius Arabica, cui virorem attribuit Plinius XXXVII. 8.

Et jaspis] יהלם est ab הלם, quod est *frangere*: ideo non minùs convenit *adamanti* hoc nomen quàm *jaspidi*. Et *adamantem* tum hic tum in Exodo interpretatur Chaldæus. *Adamantes Arabici* Plinio teste XXXVII. 4. *ità respuunt ictum ut ferrum utrinque dissultet, incudesque etiam ipsæ dissiliant.*

Chrysolithus] תרשיש est *Oceanus & Oceani color*. Beryllo id nomen optimè convenit, *qui viriditatem puri maris imitatur*, Plinius XXXVII. 5. Græci Interpretes variant: interpretantur enim χρυσόλιθον, ἄνθρακα, ὑάκινθον [*chrysolithum, carbunculum, hyacinthum*].

Et Onyx] שהם Rabbini ferè omnes consentiunt lapidem esse formâ unguis humani, id est, *onychem*, & sic à Græcis vertitur Job. XXVIII. 16. Atque id malo quàm quòd alibi vertitur πράσινος [*prasinus*], alibi σμάραγδος [*smaragdus*], alibi σάπφειρος [*sapphirus*], alibi σάρδιος [*sardius*], alibi, ut & à Chaldæis, βηρύλλιον [*beryllium*].

Et beryllus] ישפה ipso sono accedit ad *jaspidem*. Et ità hìc Græci. At alibi ὀνύχιον [*onychium*]. Chaldæus פנתרין, id est, *pantherinum*. Ità vocari credo id jaspidum genus quod *è multis veluti gemmis compositum* dicit Plinius, à *panthera* varii coloris animante.

Sapphirus] ספיר non est dubium quin sit σάπφειρος [*sapphirus*], nihil mutato nomine. Et sic constanter vertunt Græci in Exodo, Jobo, & alibi. Retinet nomen Arabia, Nun interposito سنفير.

Et carbunculus] נפך *carbunculum* etiam Exodi XXVIII. 18. vertit Hieronymus, ubi & Græcis est ἄνθραξ [*carbunculus*]. Ajunt Hebræi נפך esse *nigrum*. sed & Plinius *carbunculos Carchedonios nigrioris esse aspectûs* dicit.

Et smaragdus] ברקת est à ברק, quod est *fulgurare, coruscare*. Optimè id nomen conveniret chrysolitho, cui color aureus: vertunt tamen Græci σμάραγδον [*smaragdum*], & hìc ὀνύχιον [*onychium*]. Chaldæus vicinam vocem posuit ברקן [*Barcan*], quod pro *carbunculo* accipi video.

Aurum opus decoris tui, & foramina tua in die quâ conditus es præparata sunt] Meliùs illa, *Et aurum*, ad priorem sensum referas; deinde vertas cum Symmacho: *Tympana tua, & foramina tua in dic quâ formatus es præparata fuerant.* Cùm adhuc in utero formareris, jam tum tibi parabantur *tympana* (sic vocantur margaritæ *quibus una tantùm est facies, & ab ea rotunditas, inversis planities*, teste Plinio IX. 35.) *& forata*, id est, margaritarum lineæ, ut eas vocat Scævola & Martialis. Simile illud Claudiani de Honorio:

Acclinis genitrix auro, circumflua gemmis
In Tyrios enixa thoros.

14. *Tu Cherub extentus & protegens*] Comparat eum Cherubinorum alteri qui super Arcam extendebantur eámque obtegebant: Sic & ille populum suum. Videtur Hieronymus legisse ממשח [*extentus*], non ממשח [*unctus*]. Sensus sic est melior.

Et posui te in monte sancto Dei] Subaudi. *quasi*. Sicut illi in Templi adyto erant (quod vocatur *mons sanctus*), ità tu in loco qui videbatur ad vim omnem inaccessus.

In medio lapidum ignitorum ambulasti] Sicut Pontifex cum duodecim lapidibus micantibus accedebat Cherubinum, ità & qui circum te erant intrabant pari ornatu.

15. *Perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ*] *Felix fuisti in omnibus actionibus tuis, ex quo formatus es.*

Donec inventa est iniquitas in te] Donec cœpisti exercere piraticam, ut sequentia explicant.

16. *In multitudine negotiationis tuæ*] Cùm ex justis commerciis rem facilè posses facere.

Repleta sunt interiora tua] Id est *thesauri tui*, ut hìc Chaldæus.

Iniquitate] Rebus raptis.

Ejeci te de monte Dei] De Tyro, quæ velut adytum erat, ut diximus.

17. *Et elevatum est cor tuum*] *Nam superbierat tibi animus.*

In terram projeci te] Id est, prostravi te.

Ante faciem Regum dedi te, ut cernerent te] *Te proposui Regibus in exemplum.* Ità Chaldæus & LXX.

18. *In multitudine iniquitatum tuarum*] Rebus multis per vim partis.

Et iniquitate negotiationis tuæ] Et per contractus extortos advenis.

Polluisti sanctificationem tuam] *Sanctuaria tua.* Templa Belli, quem *Jovem* Græci vocant, Melcarti, quem illi *Herculem*, Astartes, implesti rebus malè partis.

Producam ego ignem de medio tui] *Culpam pœna premet comes.*

Et dabo te in cinerem super terram] Quasi *cinerem*, bene hìc Chaldæus. Hostes non pluris te facient quàm cinerem sparsum humi.

19. *Omnes qui viderint te*] *Antehac te noverant*, ut Chaldæus hìc.

Nihili factus es] בלהות ἀνυπαρξίαν [*non-exsistentiam*] solet vertere Symmachus. Chaldæus hoc loco eundem sensum expressit: *Ponam te quasi nunquam fuisses*, id est, nè sepultura quidem tibi continget. LXX: ἀπώλεια ἐγένου [*perditio factus es*].

Et non eris in perpetuum] Id est, corpus tuum nunquam reperietur. Hic עד עולם [*in perpetuum*] *sine fine* accipi tempus postulat. Alibi aliter sumi sæpe apparuit.

22. *Ecce ego ad te Sidon*] Perierunt nobis historiæ ex quibus hæc possemus interpretari. Sed credibile est Sidonios, unde orta erat Tyrus, Tyriis auxilium præbuisse, & postea Chaldæis dedisse poenas: nam domum veterem Sidoniorum Regum ad plebejam sortem depressam jam olim fuisse discimus ex Scriptoribus rerum Alexandri. Facti ergò & hi non minùs quàm Tyrii sub potestate Chaldæorum primùm, deinde Persarum. Simile vaticinium, sed ad tempora vetustiora pertinens, de Tyro & Sidone vide apud Esaiam XXIII. 4.

Et sanctificatus fuero in ea] Id est, occasione pœnarum ejus ab omnibus laudatus fuero.

23. *Et immittam ei pestilentiam*] Quæ obsidiones comitari solet ex corruptis alimentis, infectóque aëre.

Gladio] Chaldaïco.

24. *Et non erit ultrà domui Israël offendiculum amaritudinis*] *Sentis noxia.*

Undique per circuitum eorum] Repressis Tyriis, Sidoniis, Ammonitis, Moabitis, Idumæis. Referendum hoc ad tempus, quod jam describet, ubi Judæi in patriam reversi fuerint. Diu enim illacessiti vixère.

CAP. XXIX.

MUNSTERUS.

3. D*Raco magne*] Intelligitur in Hebraismo per *draconem aquatilem* Cetus seu piscis magnus. Et significatur hic per hunc *cetum squamatum* Rex Ægypti; sicut per alios *pisces* signantur reliqui Ægypti Principes & potentes. Assimilat autem eos Propheta *piscibus*, quòd ea regio plena sit aquis & stagnis, Nilo multis rivis ab Æthiopia per eam in mare Mediterraneum labente.

5. *Derelinquam te in deserto*] In deserto loco & extra aquam piscis vivere non potest: Sic Dominus prædicit Ægyptios extra Regnum suum in captivitatem abducendos.

6. *Sustentaculum arundineum*] i. Vanam fiduciam promiserunt Judæis, cùm nihil firmi unquam præstiterint. Sed & cùm Judæi obsessi à Chaldæis Ægyptios veluti manu tenerent, nihil profuit eis, quia convertit se Rex Babylonis contra exercitum Pharaonis, & stravit eum: ideo dicitur hìc, *confringeris.*

7. *Dissecabis in eis omnem humerum*] Hoc dicitur quòd Judæi confisi de Pharaonis auxilio violaverunt fedus cum Nebuchadræzar initum, in propriam perniciem. ¶ *Firmabis omnem lumbum eorum*] Quidam exponunt והמעדת pro והעמדת, transpositis scilicet literis radicalibus, & tunc hic erit sensus, *nutare facies omnem lumbum eorum.* Kimhi tamen putat insistendum literæ ut illa habet, nempe quòd ablata omni spe alieni auxilii, tunc roborati fuerint lumbi eorum, ut jam propriis viribus studuerint obviam ire hosti. Alii legunt hunc locum interrogativè, & alii per Ironiam.

9. *Ego feci me*] Non erat tam stupidus & insipiens ut putaret se à seipso factum; sed hunc habet sensum, Ego feci mihi tantam fluviorum commoditatem ut citrà pluviam possim humectare terram meam. Vel hic erit sensus, Ego sic gessi me per vitam meam in sapientia & prudentia ut ascenderim ad Regiam dignitatem.

10. *A turre Sevene*] Putant esse Syenem, quam Jesaias vocat *Sinis*, in extrema Ægypti parte Meridionali sitam.

14. *In Regnum humile*] Crevit quidem postea in Regnum magnum; sed non fuit sui juris, cùm & Græcis & Romanis paruerit.

17. *Vicesimoseptimo anno*] Hi anni secundùm Hebræos non computantur à captivitate Jehoiachin, sed à principio Regni Nebuchadræzar, quando jam destructa fuit Tyrus cum magno militum labore. Et quoniam Deo in hac re inservierunt, promittit eis temporariam mercedem, nempe opima spolia Ægypti. Sed numquid in Tyro non invenerunt magnas divitias? dicendum quòd nihil in ea invenerint, cùm mare omnia avexerit, aut cùm obsidio diutiùs protraheretur, Tyrii divitias suas aliò transportare satageruut.

21. *Faciam germinare cornu Israel*] Promittitur hìc vera redemptio, quæ futura tunc erat per semen David. Judæi referunt ad redemptionem captivitatis Babylonicæ.

VATABLUS.

3. C*Ete* התנים] *Draco.* Significat piscem ingentis magnitudinis. Comparat Cete Regem Ægypti. ¶ *Fluminum suorum* יאריו] Pronomen tertiæ personæ pro secundæ *tuorum.* יאר propriè significat *rivum*, sive *rivulum*, *qui derivatur ab alio magno.* Per יאריו autem intelligit Nilum, quòd aquæ ejus per fossas huc illuc deductæ distribuerentur in multas partes. Et per Nilum hìc intelligit Ægyptum, quòd tota allueretur ac irrigaretur Nilo. ¶ *Feci mihi* עשיתני] Sub. *illum fluvium.* Pronomen junctum pro separato, עשיתני pro עשיתי לי. Feci scilicet ut allueret ac irrigaret totam regionem meam, idque meâ industriâ, prudentiâ ac sapientiâ. Alii vertunt, *feci me*, sub. *Regem magnum meâ industriâ.*

4. *Et agglutinabo* והדבקתי] *Et adhærere faciam.* Per *hamos* intelligit potentiam ingentis exercitûs quem immissurus erat Dominus contra Ægyptum. ¶ *Fluminum tuorum* יאריך] Ut v. 3. ¶ *Et ascendere faciam te* והעליתך] *Et extraham te.*

5. *Et derelinquam te* ונטשתיך] *Et deseram te.* ¶ *Cades, non recolligêris, neque congregaberis* תפול לא תאסף ולא תקבץ] i. Concides mortuus in terram, neque sepelieris.

6. *Baculus arundineus* משענת קנה] *Fulcrum arundineum: scipio arundineus*, sub. *fractus*, i. qui non potuerunt juvare Israelitas, cùm tamen ipsi toti penderent ab eis. Est enim calamus fractus infirmior quàm ut possit quempiam sustinere ac sustentare.

7. *Totum humerum* כל כתף] Fragmenta sive partes fractæ calami, quæ ut plurimùm sunt acutæ, dum sese insinuant in humerum vel ulnas, vulnerant. Israelitæ autem præ nimia confidentia in Ægyptiis defecerunt à Rege Babyloniorum, & ob id perierunt. Nam Ægyptii, qui polliciti fuerant ferre illis opem & auxilium, fefellerunt eos: id enim non potuerunt præstare. ¶ *Contereris* תשבר] *Confringêris.* ¶ *Et stare facies*, &c. והעמדת להם כל מתנים] Hebraismus, coges eos sese erigere in pedes. Qui enim innituntur, solent habere renes incurvos, q. d. Recti & sine scipione incedent.

8. *Et excidam* והכרתי] *Et exterminabo.*

9. *In desertum* לשממה] *In desolationem.* ¶ *Fluvius meus* יאור לי] Ut v. 3.

10. *In solitudines solitudinis deserti* לחרבות חרב שממה] *In desolationes solitudinis deserti.* Hebraismus, reddam prorsus desolatam ac desertam.

11. *Nec habitabitur* ולא תשב] *Nec habitabilis erit.*

12. *Dabóque* ונתתי] *Ponámque*, i. reddam desolatam ut sunt aliæ regiones desolatæ. ¶ *Et ventilabo eos* וזריתים] Ut c. 5. 10.

14. *Captivitatem* את שבות] Significat multitudinem captivorum; i. reducam Ægyptios qui captivi fuerint. ¶ *Humile* שפלה] i. Parvum.

16. *In confidentiam* למבטח] *In spem: in fiduciam:* i. non ponent posthac Israelitæ fiduciam suam in Ægyptiis. ¶ *Quæ recordari facit iniquitatis* מזכיר עון] *Reducentem iniquitatem in memoriam, ut*, &c. i. quæ causa est ut aliorum scelerum Israelitarum sit memor Deus, qui deficientes ab ipso posuerunt omnem spem ac fiduciam suam in virtute, potentia ac viribus Ægyptiorum.

18. *Servire fecit*, &c. העביד וגו'] i. Fatigavit exercitum suum valde in oppugnanda Tyro, ità ut præ nimio labore defluvium capillorum passi sint, & humeri eorum depilati gestatione onerum crebrâ: (deferebant enim lapides & ligna in obsidione Tyri quæ duravit multo tempore) nec mercedem reportavit sufficientem de opibus Tyri pro labore quem meâ causâ impendit in expugnatione illius.

19. *Multitudinem ejus* המונה] i. Promiscuam plebem, sub. *in servos.* ¶ *Et spoliabit*, &c. ושלל וגו'] Hebraismus, spoliabit eam ac prædabitur pro mercede quâ servivit mihi.

20. *In ea* בה] Sub. *Tyro demolienda.*

21. *Germinare faciam cornu* אצמיח קרן] i. Circa illa tempora restituam Israelem in pristinum statum, h. e. restituam illi robur; felicitatem, libertatem, Regnum, &c. ¶ *Apertionem oris* פתחון פה] Hebraismus, libertatem loquendi, ut c. 24. 27.

CASTALIO.

3. C*Ete ingens, in medio tuo flumine recubans, qui te de flumine quod habes jactas, téque à temetipso factum esse dicis*] Tibi de Niliaca opulentia places, & ità superbis quasi Deus sis, & per te ipsum constes, non factus à Deo.

7. *Eorum tota latera perforaveris*] Latinus vertit *dissolvisti*, Græcus συνέθλασας, unde conjicio eos non העמדת legisse; quæ lectio non quadrat; sed העמקת, quod *cavare* & *perforare* est, atque huic loco aptissimè convenit.

16. *Dum ad eos se convertunt*] Ab eis pendent.

20. *Pro officio quod in illa præstiterunt*] Scil. Tyro.

21. *Et tibi faciam inter eos fandi copiam*] Alloquitur Vatem.

CLARIUS.

3. C*Ontra Pharaonem Regem Ægypti*] Apud Romanos à C. CÆSARE *Cæsares* appellantur Reges, apud Syros *Antiochi*, apud Persas *Arsacidæ*, apud Philisthæos *Abimelech*, in Ægypto *Pharaones*, & post Alexandrum *Ptolemai*, usque ad Cleopatram, quâ victâ apud Actium Ægyptus Romana facta est provincia.

3. *Draco magne*] Intelligitur in Hebraismo per *Draconem aquatilem* Cetus seu piscis magnus: & significatur hic per hunc *cetum squamatum* Rex Ægypti, sicut per alios *pisces* signantur reliqui Ægypti Principes & potentes. Assimilat autem eos Propheta Piscibus, quòd ea regio plena sit aquis & stagnis, Nilo multis rivis ab Æthiopia per eam in mare Mediterraneum labente.

5. *Projiciam te in desertum*] In deserto loco & extra aquam piscis vivere non potest; sic Dominus prædicit Ægyptios extra Regnum suum in captivitatem abducendos.

6. *Baculus arundineus domui Israel*] h. e. Vanam fiduciam promiserunt Judæis, cùm nihil firmi unquam præstiterint. Sed & cùm Judæi obsessi à Chaldæis Ægyptios veluti manu tenerent, nihil

nihil profuit eis; quia convertit se Rex Babylonis contra exercitum Pharaonis, & stravit eum, ideo dicitur hic, *confractus es.*

7. *Lacerasti omnem humerum eorum*] Hoc dicitur quòd Judæi confisi de Pharaonis auxilio violaverunt fœdus cum Nabuchodonosor initum, in propriam perniciem. ¶ *Dissolvisti omnes renes eorum*] Alius vertit, *Et firmabis omnem lumbum eorum.* Et sic intelligunt, Effecisti ut necesse fuerit unumquemque suis viribus, non alienis, rem gerere.

9. *Ego feci eum*] Alius vertit, *ego feci me:* non quòd tam stupidus esset ac insipiens ut putaret se à seipso factum; sed hunc habet sensum, Ego feci mihi tantam fluviorum commoditatem ut citra pluviam possim humectare terram meam: vel sic, Ego sic gessi me per vitam meam in sapientia & prudentia ut ascenderim ad Regiam dignitatem.

10. *A turre Syenes*] Quæ in extrema Ægypti parte Meridionali sita est.

12. *Quadraginta annis*] *Quadraginta* illi *anni* rectè supputabuntur à tempore destructionis, nempe posteaquam Judæi duce Caree illuc confugerant, fortasse decimo anno. Captivi ergò fuerunt usque ad tempus Cyri quinquagesimo anno post destructam Jerusalem. In ea captivitate ductos ajunt Jeremiam & Baruch in Babel.

14. *In Regnum humile*] Crevit quidem postea in Regnum magnum, sed non fuit sui juris, cùm & Græcis & Romanis paruerit.

17. *Vicesimo & septimo anno*] Hi anni secundùm Hebræos non computantur à captivitate Joacin, sed à principio Regni Nabuchodonosor, quando jam destructa fuit Tyrus cum magno militum labore. Et quoniam Deo in hac re inservierunt, promittit eis temporariam mercedem, opima spolia Ægypti. Sed numquid in Tyro non invenerunt magnas divitias? Credibile est, cùm obsidio diutiùs protraheretur, Tyrios divitias suas aliò transtulisse.

21. *Succrescere faciam cornu domûs Israel*] Promittitur hic vera redemptio, quæ futura erat per semen David. Quoad figuram & historiam *Ægyptus* priùs interibit, & ea figura est hujus mundi; postea *cornu domûs Israel florebit*, quo tempore Balthasare occiso Cyrus Regnum adeptus est. Alii ad id tempus referunt quo caput Jechoniæ Rex extulit, & indè Saaltiel natus est: nam præludere Dominus tunc cœpit veræ redemptioni. ¶ *Tibi dabo apertum os in medio eorum*] i. Tunc confidenter loqueris de iis quæ antè prophetaveras.

LUCAS BRUG.

1. IN *anno decimo*, * *decimo* [* *in* MS. pleraque omnia H. C. G.] *mense*, *undecimâ-die* [7 MS. H. C. G.] *mensis.*] Multa manuscriptorum nostrorum legunt *in* [& o.] *duodecimo* [*undecimo* 1 MS.] *mense:* sed antiquiora atque integriora pleraque *in decimo mense* scribunt; Brug. Leod. O. E. Pl. m. Q. A. & alia aliquot, adstipulantibus Hebraicis & Chaldaicis libris. Græci, quos quidem viderim, similiter ἐν τῷ δεκάτῳ μηνὶ habent. Porrò notatum nobis est, Vaticano antigrapho, ἐν τῷ δωδεκάτῳ μηνὶ, pro δεκάτῳ, legi, quo modo apud Theodoritum lego. Similis, imò major, proximi numeri est varietas. Manuscripta quæ *in duodecimo mense* legunt, ferè, suffragantibus Lyrano, Carensi & Richelio, *unâ* aut *in una die mensis* subjungunt; pro quo unum habet *primâ die mensis*, aliud *unâ primâ die mensis:* verùm his iterum antiquiora atque integriora occurrentia scribunt *undecimâ die mensis*, id quod, *undecimâ* inquam, expulso *unâ*, in textum Hentenius retulit. Cæterùm ut non illa, ità neque ista prototypo Hebræo consonant: est enim Hebraicè בשנים עשר לחדש *in duodecima mensis*; similiter Chaldaicè. Porrò illa Græcæ editioni conveniunt, quæ habet μιᾷ τοῦ μηνὸς *unâ mensis.* Epanorthotes annotat hunc in modum, *Hebræus*, In anno decimo, in decimo mense, in duodecima mensis: *antiqui similiter*, *nisi quod pro* duodecima *ponunt* undecima: *sed potuit esse error*, *quia unum* i. *in punctum scriptores breviaverunt.* *Novi malè sic*, In anno decimo, in duodecimo mense, in una mensis. Hujus ego sententiæ lubens subscripserim, *in decimo mense* legendum esse, & errore in vetustis codicibus, qui præ aliis nobis sequendi sint, *undecima mensis* pro *duodecima mensis* scriptum, verisimile esse. Sunt enim affines numeri *undecima* & *duodecima* nominum scripturâ, & arithmeticis, quibus designari solent, notis, [11. 12. xi. xij.] nec ità Hebræis ut Latinis. Biblia Compluti anno decimoseptimo & Parisiis annis 57, & 73 excusa, *duodecima* legunt. In uno scripto XIIII invenimus.

Atqui sententiæ illi videtur D. Hieronymi commentarius refragari, qui, *Post Sidonem*, inquit, *quæ & ipsa in Phœnicis litore constituta est*, *sermo fit ad Prophetam*, *decimo anno captivitatis regis Joachim*, *in duodecimo mense*, *& una die mensis.* Ac ne putes corruptum esse locum, postea de *duodecimo mense*, deque *una die mensis*, disertè philosophatur. Quinetiam commentario adjunctus textus habet, *In anno decimo* (*sive*, *juxta* Lxx, *duodecimo*) *in decimo mense* (*sive*, *juxta Hebraicum*, *duodecimo*) *in prima* (*sive*, *una*) *mensis die.* Dixissem depravatum esse textum, quòd nec Græci codices, quos vidimus, *in anno duodecimo*, nec Hebræi *in duodecimo mense* scribant; restituendum verò hoc pacto, *In anno decimo*, *in decimo mense*, *sive*, *juxta* Lxx, *duodecimo*, *in prima*, *sive una*, *sive*, *juxta Hebraicum*, *duodecima*, *mensis die.* Nam & Hebraici libri *in duodecima die mensis*; & quidam Græci *in duodecimo mense*, habent. Verùm commentarius Hieronymi non id patitur facilè; minimè verò in mensis numero. Postquam enim de duodecimo mense egisset, subtexuit, *Porrò juxta* Lxx, *decimus mensis*, *qui Hebraicè appellatur* טבת, &c. Adhæc, apud Theodoritum *In anno duodecimo* invenio. Quid ergò dicendum? An Græcos & Hebraicos hodie libros corruptos esse? Græcos, quòd decimum annum, qui Hebraicè est; Hebraicos, quòd decimum mensem & duodecimam mensis diem, dicant? Atqui antiquiores & fide digniores Latinorum codices Hebraicis istis consentiunt, in *decimo* quidem *mense* disertè, in *duodecima* autem *mensis*, quòd *undecima* scribant, non omnino obscurè: ex quibus non leve argumentum sumitur, Hieronymum ità primùm vertisse, *In anno decimo*, *in decimo mense*, *duodecimâ mensis*; posteriores autem libros (quod alibi non uno loco observavimus) esse ex ejus commentario mutatos. Quid ergò? Hieronymus dum commentaria scriberet, memoriâ lapsus est, aut numerorum varietate atque affinitate turbatus? certè non temere dicendum id est.

DRUSIUS.

1. בַּשָּׁנָה הָעֲשִׂרִית. Ἐν τῷ ἔτει τῷ δεκάτῳ, *In anno decimo.* ¶ בִּשְׁנֵים עָשָׂר. Ἐν τῷ δωδεκάτῳ *duodecimo.*

3. הַתַּנִּים הַגָּדוֹל. Schol. ὁ Ἑβραῖος τὸ κῆτος τὸ μέγα λέγει, i. *cetum magnum*] Jes. 27. 1. התנין, Sym. τὸν δράκοντα. A. Th. τὸ κῆτος, Hieron. *cetum.* Gen. 1. 21. התנינם הגדלים, Lxx τὰ κήτη τὰ μεγάλα, Hieron. *cete grandia.* ¶ Jes. 13. 21. תנים, Aq Sym. Th. σειρῆνας. Jer. 10. 22. Sym. *Syrenes.* ¶ בְּתוֹךְ יְאֹרָיו. Lxx ἐν μέσῳ ποταμῶν αὐτοῦ. Ad hunc locum notatum invenio, Τινὲς τῶν ἑρμηνευτῶν ἑνικῶς εἶπαν τὸν ποταμόν· οἱ δὲ ό. πληθυντικῶς. Dubito an pertineat ad sequens, לי יארי, ἐμοὶ ὁ ποταμός μου. Expende.

4. חחים. χαλινὸν *frænum*] Job. 40. 21. בחוח, Th. χαλινῷ *fræno.* Lxx hic habent παγίδας *laqueos*, Santes *hamum*, alius *hamos.* ¶ וְאֵת כָּל־דְּגַת יְאֹרֶיךָ. Καὶ πάντες οἱ ἰχθύες τοῦ ποταμοῦ τῇ λεπίσι σου προσκολληθήσονται, *& omnes pisces fluminis squamis tuis adhærebunt.*

5. וּנְטַשְׁתִּיךָ הַמִּדְבָּרָה אוֹתְךָ וְאֵת כָּל־דְּגַת יְאֹרֶיךָ. Καὶ καταῤῥίψω σε εἰς ἔρημον, σὲ, καὶ πάντας τοὺς ἰχθύας τοῦ ποταμοῦ σου, *Et projiciam te in desertum*, *te*, *& omnes pisces fluminis tui.*

10. לְחָרְבוֹת חֹרֶב שְׁמָמָה. εἰς ἔρημον κενὴν καὶ ἀφανισμένην, *in solitudinem inanem & disperditam*] Fortè ξηρὰν· nam חֹרֶב *siccitas*, ξηρότης. Lxx & Hieron. legerunt חֶרֶב: nam vertunt ῥομφαίαν *gladium.* Sic variant codices Psal. 9. Nam in aliis est חֲרָבוֹת *gladii*, quod legerunt Græci; in aliis verò חֳרָבוֹת *destructiones*, *vastitates.* Porro חרבו חרבו Psal. 7. 12. Symmachus interpretatur τὴν μάχαιραν αὐτοῦ. ¶ מִמִּגְדֹּל. Schol. ὁ Ἑβραῖος, ἀπὸ Μαγδάλ] Sic videtur etiam legisse Hieronymus: nam ait, *Pro* turre, *quæ Ebraicè* MAGDAL *dicitur*, *Lxx loci nomen posuerunt*, *ut* Μαγδωλὸν *scriberent.* *Turris autem Syene usque hodie permanet castrum ditioni Romanæ subditum*, *ubi sunt Nili cataractæ*, *& usque ad quem locum de nostro mari Nilus navigabilis est.* Sed fortè Hieronymus scripsit MAGDOL: nam & hæc vox appellativè sumitur pro *turri.* Aliquando est proprium loci.

19. וְנָשָׂא הֲמֹנָהּ. καὶ λήψεται τὸ πλῆθος αὐτῆς, *& auferet multitudinem ejus.*

GROTIUS.

1. IN *anno decimo*] A deportatione Jechoniæ. Vaticinia hæc non per tempora, sed per gentes sunt ordinata; & à propinquioribus terræ Judææ incipiunt.

2. *Contra Pharaonem Regem Ægypti*] פרעה מצרים in Hebræo, Οὐαφρῆς [*Vaphres*] in Græco, *Ephree* in Latino, Jeremiæ XLIV. 30. Ἀπρίης [*Apries*] Herodoto: Ubi à nobis dicta vide, res enim est eadem quæ hîc tangitur.

3. *Draco magne*] Vox תנין *piscem ingentem* sæpe significat, & hîc

& hîc forte *crocodilum*. Nam & nomen *Pharaonis* Arabum linguâ, quæ cum Ægyptia multa habet communia, *Crocodilum* significat.

Qui cubas in medio fluminum tuorum] In tot Nili ostiis.

Et dicis, Meus est fluvius] Id est, Meum est hoc regnum Ægyptium.

Ego feci memetipsum] *Regem* scilicet. Felicissimus Regum fuit per annos xxv, ut testatur Herodotus, & fortunâ elatus dicebat, μηδ' ἂν θεὸν μιν μηδένα δύνασθαι παῦσαι τῆς βασιληΐης [*ne Deum quidem ullum efficere posse ne ipse regnaret*].

4. *Ponam frænum in maxillis tuis*] *Hamum.* Vide Job. xl. 19. Is *hamus* est Amasis.

Agglutinabo pisces fluminum tuorum squamis tuis] Multos habebis qui tibi adsint contra Amasim.

Extraham te de medio fluminum tuorum] Omnem dignitatem tibi detraham.

Et universi pisces tui squamis tuis adhærebunt] *Et cunctis piscibus qui squamis tuis adhæsuri sunt.* Quicunque tuæ erunt sectæ etiam calamitatis erunt participes.

5. *Et projiciam te in desertum*] In siccum, ubi pisces vivere nequeunt: quod modò dicet *super faciem terræ*. Hac figurâ carcer innuitur.

Non colligeris, neque congregaberis] Id est, non redibis in flumen. Perstat enim in piscis similitudine.

Bestiis terræ & volatilibus cæli dedi te ad devorandum] Sensus Allegoriæ est, Hominibus feris ac rapacibus potestatem dedi exuendi te regno, libertate, bonis, postremùm & vitâ.

6. *Quòd fuisti baculus arundineus domui Israël*] Locutio proverbialis in eos conveniens qui nocent eis quibus prodesse deberent, Esaiæ xxxvi. 6.

7. *Lacerasti omnem humerum eorum*] *Humerum* dixit pro *brachio* συνεκδοχικῶς [*per comprehensionem*].

Et dissolvisti omnes renes eorum] Meliùs, *lumbos eorum.* Græci, συνέκλασας αὐτῶν πᾶσαν ὀσφύν [*confregisti eis lumbum omnem*]. Legerunt ergò & hi & Latinus, imò & Chaldæus, רצצת [*confregisti*], non עמדת [*stare fecisti*], meliùs haud dubiè. Sensus Allegoriæ est; Israëlitis abs te auxilium exspectantibus exitio fuisti. Rem vide Jeremiæ xxxvii. 6. xli. 17. xliii. 10. II Regum xxiv. 7.

8. *Adducam super te gladium*] Primùm bella civilia; deinde & arma Nabuchodonosori, ut mox dicet 19. Vide Jeremiam xlii. 16. & ibi dicta.

Interficiam in te hominem & jumentum] Multos homines, & animantia multa.

9. *Et erit terra Ægypti in desertum*] Hæc συνεκδοχικῶς [*per comprehensionem*] de parte Ægypti vastata bellis sunt intelligenda.

10. *A turre Syenes*] Meliùs, *à Magdalo & Syene. Magdalum* est urbs Ægypti ad mare Rubrum, Jeremiæ xliv. 1. xlvi. 14. *Syene supra Alexandriam est quinque millibus stadiorum*, Plinius II. 75. Est ad cataractas Nili, in Orientali Nili latere, quod Arabiæ obvertitur, ut apparet ex Plinio v. 9. & aliis.

Usque ad terminum Æthiopiæ] Si rectè animum advertas ex his terminis videbis partem Ægypti indicari, non totam Ægyptum: quod & sequentia confirmabunt.

11. *Non habitabitur quadraginta annis*] Amasis longo regno paulatim restituit res Ægypti.

12. *Et dispergam Ægyptios in nationes*] Multos Ægyptiorum, qui belli metu in Arabiam se aut Æthiopiam recipient, ac deinde redituri sunt, ut sequitur.

14. *Et collocabo eos in terra Phatures*] Diximus ad librum I. de Veritate Religionis Christianæ פתרוס, qui dicuntur Genes. x. 14. videri nobis esse illos Æthiopas, qui *Pharusi* Plinio, *Phaurusi* Ptolemæo. At pars etiam Ægypti sic dicta Esaiæ xi. 11. & hic infrà xxx. 14. ab Æthiopibus illis nimirum ortum habens, ut jam dicet Ezechiel. Eos esse Pelusios sentit interpres Geneseos Hierosolymitanus.

14. 15. *Et erunt ibi in regnum humile: inter cætera regna erit humillima, & non elevabitur ultrà supra nationes: & imminuam eos ne imperent gentibus*] Præpollente Chaldæorum, ac deinde Persarum Imperio, nihil movere audebunt ad tempora usque Lagidarum. Confer Jeremiæ xlvi. 26.

16. *Neque erunt ultrà domui Israël in confidentia*] Non ultrà Israëlitæ in illis habebunt fiduciam, ut antehac.

Docentes iniquitatem] Id est, non ultrà spe auxilii allicient Israëlitas ad idololatriam suorum deorum, ut antehac fecerunt.

Ut fugiant, & sequantur eos] In Hebræo, *ut* scilicet *hi* Israëlitæ *ad illos* Ægyptios *respiciant*: ut pendeant ab ipsorum militibus, nihilque non parati sint facere ipsorum causâ.

17. *Et factum est in vigesimo & septimo anno, in primo, in una mensis factum est verbum Domini ad me dicens*] Hoc cum superioribus nectitur, non revelationis tempore (est enim longum intervallum), sed per rerum cohærentiam. Nam quo tempore Hierosolyma obsessa, capta, exusta sunt, & post Godoliam interfectum deportatæ quæ in patria tenues resederant Judæorum reliquiæ; deinde, quinto post capta Hierosolyma anno, à Chaldæis vastata Ammonitis & Moabitis, vicinæque regiones; post id Tyrus obsessa per annos xiii: mox Sidon aliæque urbes; omni hoc, inquam, tempore Ægyptus seditionibus bellisque civilibus fuit agitata. Eo verò elapso tempore, cùm jam appropinquaret tempus venturi in Ægyptum Nabuchodonosoris, Deus quæ generaliter dixerat, ea jam pressiùs signatiùsque Prophetæ aperuit. Confer Jeremiam xlvi. 26.

18. *Nabuchodonosor Rex Babylonis servire fecit exercitum suum servitute magnâ adversùs Tyrum*] Hoc dicit Deus: Nabuchodonosor totos annos xiii impendit in puniendis Tyriis, eâque in re gratam mihi operam præstitit. Nolo id sit sine magna mercede: Itaque pro ista opera bonam partem Ægypti ipsi dabo. Nam Tyrum non diripuerat, sed conditionibus sibi adjunxerat. Vide Hieronymum ad hunc locum: & quæ ex Philostrato Josephus x. II.

Omnis humerus depilatus est] *Attritus est*, nempe portando cophinos ad aggeres faciendos; ut rectè hîc explicat Hieronymus.

19. *Accipiet multitudinem ejus*] Multos adducet captivos ex Ægypto.

Et deprædabitur manubias ejus] *Spoliabit spolia ejus*: ἄξει λάφυρα ἀπὸ λαφύρων [*sumet prædam de præda*], ut dicebant Ætoli. Sicut Ægyptii alios sunt populati, ità ipsos populabuntur Chaldæi.

Et erit merces exercitui illius] Rectè. nam *dedita urbis præda ad duces, expugnata ad militem pertinet*, ut ajunt Flaviani apud Tacitum Historiæ III.

21. *In die illo pullulabit cornu domui Israël*] Id est, ad maximam dignitatem provehetur Daniel, instar Josephi, cui ob id *cornu* tribuitur Deut. xxxiii. 17. Vide Daniel. vi. 2.

Et tibi dabo apertum os in medio eorum] Ubi tam multa abs te Judæis, à Daniele Chaldæis, prædicta evenerint, auctoritatem jam majorem dicta tua apud populum habebunt. Vide suprà xxiv. 27. & ibi dicta.

CAP. XXX.

MUNSTERUS.

3. TEmpus Gentium] Quando scilicet gentes congregabuntur contra Ægyptum ut illam depopulentur, tunc magnus undique invadet *pavor* illos populos qui finitimi sunt Ægyptiis & sunt in eorum *confederatione*, quoniam accidet eis *secundùm diem Ægypti*, h. e. passuri sunt diem illum calamitosum quem Ægyptii in sui eliminatione sustinuerunt.

13. *Noph*] Hanc urbem Chaldæus Interpres vocat מנפס *Memphim*, quæ hodie *Alkaira* vocatur, regia Ægypti. ZOAN verò appellat טאנים *Tanes*, & No vocat אלכסנדריא *Alexandriam.* Porrò SIN putant nostri esse *Syenen*, & AVEN *Heliopolim*, quæ in Genesi vocatur און *On*; atque PHIBÆSETH *Pelusium.* Scribitur quoque hic *Thebaphnehes* pro *Thahpanhes*, quæ est *Thaphnis.*

18. *Vitavit lux diem*] Scribitur hic חשך cum Smol & non cum Jamin, licèt utrinque eadem maneat sententia. Nam idem est *obtenebrescere diem & lucem vitare diem.* Legit tamen Jonathan cum Jamin. ¶ *Vectes Ægypti*] Jonathan vertit תקף *robur Ægypti.* Kimhi verò exponit *juga quæ Ægyptus imposuit cervicibus gentium.* ¶ *Nubes operiet eam*] Sicut per *tenebras* significatur tribulatio magna, sic per *nubem*, quæ Solem abscondit, significatur hic afflictio & calamitas. Chaldæus exponit משריין *exercitum terram operientem.*

22. *Quod forte est, sed confractum*] Kimhi sic exponit, *confringam forte, & confractum manebit confractum.*

VATABLUS.

2. VÆ *diei* הה ליום] *Ah diei*, sub. *afflictionis & calamitatis.* Quidam, *O diem infelicem!*

3. *Dies nubis* יום ענן] i. Tempus nebulosum ac turbulentum, quo Gentes superaturæ & afflicturæ sunt Ægyptios. ¶ *Erit* יהיה] Fut. Heb. pro præs. *instat.*

4. *Et erit dolor* והיתה חלחלה] *Et erit formido*, vel *pavor*:

ut

ut v. 9. Est enim Chus sive Æthiopia subjecta Ægypto: i. Æthiopes, auditâ vastatione Ægypti, formidabunt ac timebunt sibi. ¶ *Et tollent multitudinem ejus* ולקחו המונה] Ut suprà 29. 19.

5. *Et filii terræ federis* ובני ארץ הברית] Hebraismus, qui cum hac terra fedus inierunt.

6. *Fulcientes Misraim* סמכי מצרים] i. Faventes Ægyptiis. ¶ *Et descendet superbia* וירד גאון] *Et corruet fastus.* Postea v. 18. dicit, *Et cessabit in ea superbia fortitudinis ejus.* ¶ *A turre Seveneh* ממגדל סונה] Subaudi ex c. 29. 10. *usque ad terminum Æthiopiæ.*

7. *In medio* בתוך] i. Erunt de numero: q. d. Regiones Ægypti erunt desolatæ perinde atque aliæ regiones quas jam devastavit exercitus ille Regis Babyloniorum. Eadem habet cap. 29. 12.

8. *Cùm dedero* בתתי] *Cùm posuero*, Per *ignem* intelligit afflictionem, vel hostem.

9. *A facie mea* מלפני] Hebraismus, à me missi. ¶ *Confidenter* בטח] i. Degentem in otio. ¶ *Dolor* חלחלה] *Formido: pavor*, quod sit conjunctus dolori: i. timebunt sibiipsis, quemadmodum timebant cùm vastaretur Ægyptus.

10. *Multitudinem* המון] *Strepitum*: q. d. Antea Ægyptus populis & urbibus multis frequens erat; verùm Nabuchodonosor omnia perdet, Ægyptiósque ità affliget ut postea deserta videri possit Ægyptus. V. 15. dicit, *Et succidam multitudinem.*

11. *Adducentur* מובאים] Sub. *à me.* Præs. Hebr. pro futur.

12. *Et ponam* ונתתי] Ad verb. *Et dabo*, i. reddam flumina parva, acsi essent omnino sicca. Alii referunt ad siccitatem Nili, qui alluit & irrigat totam Ægyptum. ¶ *Et vendam* ומכרתי] *Et tradam*, more scilicet vendentis. ¶ *Et plenitudinem ejus* ומלואה] i. Quicquid ea continet, aut est in ea.

14. *Dabóque ignem* ונתתי אש] *Et injiciam ignem: Ignis* pro *afflictione*: i. gravissimè affligam. ¶ *Et faciam judicia* ועשיתי שפטים] Hebraismus, justo judicio puniam, & castigabo. Idem quod *dabo* vel *ponam ignem.*

15. *Et succidam multitudinem* והכרתי את המון] V. 10. dixit, *& cessare faciam.*

16. *Ut scindatur* להבקע] *Ad rumpendum*: i. perrumpentur muri Alexandriæ. ¶ *Interdiu* יומם] Ad verb. *diei*: q. d. In die venient inimici ejus, non in nocte. Alii exponunt *diurna*, vel *quotidiana.*

17. *Et illa* והנה] *Et ipsa*, sub. *urbes*, vel *mulieres.*

18. *Prohibebit* חשך] Præt. Heb. pro fut. *arcebit*, i. retinebit apud se: q. d. Dies vertetur in noctem, vel obscurabitur præ nimio luctu. ¶ *Vectes* מוטות] *Catenas.* Alii, *vincula*, sub. *jugorum*, i. juga Ægypti: h. e. cùm asseruero in libertatem quos Ægyptii tenent in servitute. Donantur enim libertate captivi urbe expugnatâ. Infrà 34. 27. plena locutio legitur מוטות עלם *vincula jugi eorum.* ¶ *Et cessabit* ונשבת] V. 6. dixit, *Et descendet superbia*, &c. ¶ *Ipsam nubes operiet* היא ענן יכסנה] *Eam nubes teget*, vel *obruet*: i. reddetur obscura.

20. *Anno* בשנה] Regni scilicet Sedeciæ, vel captivitatis Joachin.

21. *Confregi* שברתי] Præt. Heb. pro fut. Est enim alia Prophetia in Ægyptios. Quidam malunt per præteritum omnia vertere, quòd alludere videatur ad insignem illam victoriam quam reportaverat Rex Babylonis de Pharaone Necho apud Carchamis: i. *Jam fregi.* ¶ *Ut ponantur medicamina* לתת רפאות] i. Sic affligam Ægyptios ut resurgere aut pristinas vires recuperare non possint. Metaphora à Chirurgia: q. d. Nullâ medicinâ aut curatione ultrà sanari poterit.

22. *Fortitudinem*, &c. את החזקה ואת הנשברת] *Forte illud* [vel *robustum*, sub. *Regnum*] *&* illud quod jam *fractum est*, i. regionem illam quam detraxit illi Rex Babylonis.

23. *Et dispergam* והפצותי] Vide suprà 5. 10. & 29. 12.

24. *Vociferatione interfecti* נאקות חלל] i. Edet gemitus hominis agentis animam dum interficitur: h. e. interficietur ab eo.

CASTALIO.

3. Dies nubilus, *Gentium tempus*] Fatale supplicium.

5. *Federatæ regionis homines*] Israelitæ.

9. *Eritque pavor in eis quantum esse consentaneum est Ægyptiâ die*] Magnus, ut accidere necesse est in tanti Regni interitu. *Diem* enim fatum vocat & supplicium.

18. *Thaphnis caligabit dies*] Luctus erit. ¶ *Hæc nubes eam operiet*] Alludit ad illud quod est v. 3. *Dies nubilus*: nam in Hebræo est, *dies nubis*, h. e. calamitosus.

22. *Ejusque brachia, tum validum, tum fractum*] Nescio an dextrum sinistrúmve innuat.

CLARIUS.

3. Tempus Gentium erit] Tempus in quo gentes congregabuntur contra Ægyptum ut illam depopulentur: tunc magnus undique invadet *pavor* illos populos qui finitimi sunt Ægyptiis & sunt in eorum *confederatione*, quoniam accidet eis *secundum diem Ægypti*, h. e. passuri sunt diem illum calamitosum quem Ægyptii in sui eliminatione sustinuerunt.

5. *Filii terræ federis*] h. e. Federati cum Ægyptiis.

6. *A turre Syenes*] Quæ est juxta Cataractas versùs Orientem, & Troglodytis, usque ad Æthiopiam, quæ est ultra Catabathman ad Occidentem. Triquetram autem terræ figuram tribuunt Ægypto in forma literæ Δ, unde & nomen apud quosdam habet autores. In inferiori sua parte scinditur Nilus apud Memphim urbem Ægypti præstantissimam, & maximè notam superstitione Apis. Hodie *Alcaira* dicitur; & Sultani regia illic pridem fuit: positáque est quasi in claustro Nili, ut prohibeat ad superiora navigantibus aditum. In hac erant multi idololatræ. In ostiis autem Nilus dexterâ sinistrâque divisus Canopico vel Alexandrino dividitur à Cyrenaica & Africa, Pelusiaco, quod Hebræi *Sin* vocant, ab Asia & Judæa. Tanis, quæ *Zoan* dicitur, unum ex ostiis est.

7. *In medio civitatum desertarum*] i. Erunt tanquam civitates penitus desertæ.

18. *Ipsam nubes operiet*] Sicut per *tenebras* significatur tribulatio magna, sic per *nubem*, quæ Solem abscondit, significatur hîc afflictio & calamitas.

21. *Confregi*] Quid dicam, inquit, me perditurum Ægyptum? Pridem bona pars periit: nam anno quarto Joachin Regis Pharao Necho prope Carcamis cæsus est à Chaldæis: ubi Regum historia subdit, *Pharaonem posthac non egressum esse terram suam: ademerat enim ei terram Rex Babel ab Euphrate usque ad fluvium Ægypti.* Hanc plagam *non esse obligatam*, crudum relictum vulnus & non curatum hîc affirmatur.

DRUSIUS.

2. הֵילִילוּ. Ὀλολύξατε *Ululate.*

3. עֵת גּוֹיִם יִהְיֶה. Καιρὸς ἐθνῶν ἔσαι, *tempus Gentium erit*] Priùs erat πέρας, i. קֵץ.

4. וְלָקְחוּ הֲמוֹנָהּ. Καὶ λήψονται τὸ πλῆθος αὐτῆς, *& auferent multitudinem ejus.*

5. וְכָל־הָעֶרֶב. Sym. Καὶ πᾶσα ἡ Ἀραβία *& universa Arabia*] Legit absque dubio וְהָעֲרָב. Hieronymus hic in mendo cubat. Nam libri vulgati, ET IN COMMUNE DE VARIIS POPULIS, ET CHUB, *quod Symmachus vertit* IN ARABIAM. Putarim enim scripsisse, ET IN COMMUNE DE VARIIS POPULIS, *quod Symmachus vertit* IN ARABIAM, ET CHUB. Quanquam fieri potest ut ipse Hieronymus hic lapsus sit. Nam homo fuit, cujus proprium errare. Cui firmando quod in sequentibus, ET CHUB, *i. Arabes*, ET OMNE RELIQUUM VULGUS, *quos Hybridas atque mixtitios LXX transtulerunt.*

9. מִלְּפָנַי. Th. ἀπὸ προσώπου μου *à facie mea*] Habetur in plerisque ed. ※ ὁ· sed Scholiastes annotat additum fuisse de Theodotione. ¶ בַּצִּים. A. Th. ἐν σείμ. Sym. *festinantes*] Hier. *& pervenerunt nuncii juxta Aquilam & Theodotionem in Sim, quos Sym. transtulit* festinantes. *Nos in trieres vertimus: ita enim ab Ebrais accepimus.* Scholiastes hoc loco ex Theodotione videtur referre ἐγκαθιερμὸς *insessio.* Theodoretus verò ἐν σείμ, quod in multis libris ait Græcâ linguâ significare ἐν ἰσχύι *in robore.* FESTINANTES] i. צִים. ¶ בֶּטַח. Th. τὴν ἐλπίδα. A. τὴν πεποιθυῖαν *confidentem*] Apud Hier. *Æthiopia spem.* Scholiastes annotat hoc etiam de Theodotione additum esse, pro quo Aquila dixerat τὴν πεποιθυῖαν.

12. וּמָכַרְתִּי אֶת־הָאָרֶץ בְּיַד־רָעִים. Καὶ ἀποδώσομαι τὴν γῆν ἐν χειρὶ πονηρῶν, *& tradam terram in manu pessimorum*] Alibi est εἰς χεῖρας *in manus.*

14. בְּנֹא. A. Sym. Th. ἐν Νὼ *in No*] Hier. Faciamque, ait, judicia in Alexandria, *quæ hodie sic vocatur. Ceterum pristinum nomen habet* No: *quod Aq. Sym. & Theodotio, sicut in Ebræo positum est, transtulerunt. Pro quo nescio quid volentes LXX dixere* Diospolin, *quæ Ægypti parva civitas est. Nos autem pro* No Alexandriam *posuimus per Anticipationem, quæ Græcè* πρόληψις *appellatur; juxta illud Virgilianum,*

lianum, Laviniaque venit littora: *non quòd eo tempore quando venit Æneas in Latium* Lavinia *dicerentur; sed quæ postea* Lavinia *nuncupata sunt: ut manifestior locus fieret lectoris intelligentia.* Paulò pòst, *Pro No Lxx Memphim transtulerunt, i.* נף sive נֹף.

16. יוֹמָם צָרֵי וְנֹף. Καὶ ἐν Μέμφει πολεμιοὶ διυθησομένοι, *& in Memphi hostes eodem ipso die*] Legitur & πόλεμοι *bella*, sive *prælia*.

21. לֹא־חֻבָּשָׁה. A. οὐκ ἰματώθη. Sym. οὐκ ἐπεδέθη. Alius οὐ κατεδέθη] Μοτόω *indo turundam vulneri.* Hos. 6. 1. ויחבשנו, omnes καὶ μοτώσει. *Propriè autem μότα vocantur*, inquit Hieronymus, *linteola quæ inseruntur vulneribus, ut putridas carnes comedant, & extrahant purulentas.* Μοτή, *penicillus vulnerarius.* Job. 5. 18. יחבש, A. καὶ μοτώσει. Sym. ἐπιδήσει, Hier. *medetur.* Interpres Rom. hoc loco habet, *non est curatum per linamenta.* Ἐπεδέθη] *Alligatum est.* In ed. Rom. *non est superligatum.* ¶ לְחָבְשָׁהּ לְחָזְקָהּ. τοῦ δεθῆναι καὶ κατισχύσαι *ad ligandum & roborandum.*

22. אֶת־הַחֲזָקָה וְאֶת־הַנִּשְׁבָּרֶת. A. τὸν ἰσχυρὸν καὶ ὑψηλὸν *robustum & excelsum.* Th. τὸ ἰσχυρὸν καὶ μέγαν *robustum & magnum*] Hier. *Illud autem quod in Lxx dicitur*, & conteram brachia ejus fortia & disposita, *quod Græcè dicitur τεταγμένα, scriptorum vitio depravatum est. Illi enim interpretati sunt non τεταγμένα sed τεταμένα, h. e. non* disposita *sed* extenta. *Pro quo juxta consuetudinem suam alii Interpretes* excelsa *posuerunt.*

GROTIUS.

1. ET *factum est verbum Domini ad te*] Tria quæ sequuntur capita eodem pertinent quò finis capitis præcedentis: nempe ad bellum Nabuchodonosoris in Ægypto, & parte quæ Æthiopiam attingebat.

3. *Dies nubis*] *Atra dies*, ut dicunt Latini.

Tempus gentium] Nempe ad pœnam.

4. *Et erit paver in Æthiopia*] In illis partibus quæ fœderatæ erant Ægypto.

Et destructa fundamenta ejus] Urbes dirutæ.

5. *Et Libya*] Nam & Afri inter socios Ægypti, Jerem. XLVI. 9. & hinc belli in Africam prætextum sumsit Nabuchodonosor, ut alibi diximus.

Et Lydi] Socii & hi Ægyptiorum, Jeremiæ XLVI. 9.

Et omne reliquum vulgus] Miles mercenarius ex multis gentibus allectus. Lxx. οἱ ἐπίμικτοι [*convenæ*].

Et Chub] *Cubii* in Mareotide apud Ptolemæum.

Et filii terræ fœderis] Judæi multi eàdem calamitate involventur Jeremiæ XLII. 22. XLIV. 14. Lxx, ἐκ τῶν υἱῶν τῆς διαθήκης μου [*ex filiis fœderis mei*]. Nec aliter accipit in Commentario Hieronymus.

6. *Corruent fulcientes Ægyptum*] Socii & auxilia.

A turre Syenes] *A Magdalo & Syene*, ut suprà XXIX. 10.

7. *Et dissipabuntur in medio terrarum desolatarum*] *Dissolabuntur ut qui maximè.* Simile loquendi genus suprà XXIX. 12.

8. *Cùm dedero ignem in Ægypto*] Incendio bellico.

9. *In trieribus*] Per Nilum. De trieribus vide Esaiæ XXIII. 21.

10. *Cessare faciam multitudinem Ægypti*] Turbam ejus multum imminuam.

12. *Et faciam alveos fluminum aridos*] Nili διώρυχας [*fossas*], ut hic in Commentario Hieronymus. *Fossas* dixit Sextus Aurelius, *fluenta* lex unica C. de Nili aggeribus.

Terram & plenitudinem ejus] Fruges.

13. *Idola de Memphis*] *De Memphide.* Tibullus:

Te canit atque suum proles miratur Osirim
Barbara, Memphiten plangere docta bovem.

Ovidius:

Nec fuge Niligera Memphitica sacra juvenca.

Noph esse *Memphidem* dictum Esaiæ XIX. 13.

Dux de terra Ægypti non erit ampliùs] Id est, Rex toti Ægypto imperans.

14. *Et disperdam terram Phatures*] Vide quæ dicta suprà ad XXIX. 14.

Dabo ignem in Taphnis] Dicendum ferat *Tanis*, ut hic habent Lxx & Chaldæus. Ea enim est צען, Num. XIII. 22. Vide quæ diximus ad Matth. I. 21.

Et faciam judicia in Alexandria] Dicit in Commentario Hieronymus hoc nomen se posuisse per anticipationem, quæ πρόληψις dicitur, quia Alexandria condita est ubi No vetus fuerat. Diximus ad Jeremiam XLVI. 25.

15. *Et effundam indignationem meam super Pelusium*] סין [*Sin*] in Hebræo. Ità urbs illa dicta creditur quòd objecta esset à deserto Sin venientibus. Sed quid si uno puncto mutato *Sain* interpretemur cum Lxx?

17. *Juvenes Heliopoleos*] און in Hebræo textu, quod rectè legi potest *On*, & sic scribitur Genes. XLI. 45. Hi sunt *Onii* in Heliopolitano Nomo apud Ptolemæum.

Et Bubasti] *Bubastus* urbs, unde *Bubastites* Nomos. idem est nomen quod Hebraïcè scribitur פי בסת.

18. *Et in Taphnis*] In *Daphnis* Pelusiis. Vide quæ ad Esaiam XXX. 4. & Jerem. XLIII. 7. 8.

Nigrescet dies] Vide quæ ad Matthæum XXIV. 29.

Ipsam nubes operiet] Suprà 3.

20. *Et factum est in undecimo anno*] Non multò post illam revelationem quæ perscripta est capite XXIX.

21. *Brachium Pharaonis Regis Ægypti confregi*] Incepi jam exsequi decreta mea contra Aprien, Cyrenæis in eum concitatis.

Non est obvolutum, ut restitueretur ei sanitas] Malum ejus non modò non levabitur, sed & magis ingravescet in dies.

22. *Brachium ejus forte*] Lxx, τοὺς βραχίονας αὐτοῦ τοὺς ἰσχυροὺς καὶ τεταμένους [*brachia ejus valida & extenta*], ubi τεταγμένους [*ordinata*] malè fuisse in codicibus nonnullis scriptum notat hîc Hieronymus.

24. *Et confortabo brachia Regis Babylonis*] Civile bellum excipietur ab externo.

Gement gemitibus interfecti] Ut gemere solet is qui ad mortem vulneratus est.

CAP. XXXI.

MUNSTERUS.

UTitur Propheta perpetuâ Allegoriâ in hoc capite, arguens contra Ægyptium à comparatione, Si Rex Assur non potuit ferre impetum Babylonii, cùm esset potentissimus, quantò minùs tu, &c.

3. *Cacumen ejus*] Est צמרת ramus arboris procerior qui ex trunco rectus in altum ultra omnes frondes assurgit. Comparatur igitur hîc Rex Assyriorum ramo cedri sublimiori, quem stiparunt *frondes condensæ*, h. e. multi Principes & Reges minores. Cedrus ista irrigari perhibetur *abysso* & *fluminibus* quæ illa evomit per cavernas terræ. Per quod significatur quòd Rex Assyriorum accepit benevolentiâ Divinâ inexhaustam felicitatem & omnium rerum miram affluentiam, ut & *planta ejus* & *arbores campi*, h. e. Principes ejus, irrigarentur illius ubertate; & qui minor erat in aula ejus major censeretur Rege Hiskija 2 Reg. 18.

6. *In ramis ejus nidos fecerunt omnes aves cœli*] h. e. Benefecit plurimis, & fuit sub eo pax magna; & omnes populi ejus sub protectione ejus confisi sunt.

8. *Cedri non obscuraverunt*] i. Tanta fuit ista Cedrus ut nulli cedro, etiam *in paradiso Dei* crescenti, inferior esset, h. e. Non fuit in toto orbe terrarum natio aliqua præstantior Assyriis.

9. *Æmulata sunt eam omnia ligna Eden*] Jonathan vertit, *stupefacti sunt à præsentia ejus omnes Reges Orientis, propter robur & potentiam quam habuit à Deo.*

10. *Exaltatus es*] Memineris morem esse Scripturæ, & præsertim Prophetarum, ut in loquendo sæpe mutent personam, tempus & numerum. Unde Kimhi, דרך המקרא לדבר לנכח ושלא לנכח כאחד: Item, דרך המקרא לדבר בעתיד במקום עבר וכו׳.

11. *Tradam eum in manum*] Quia, inquit, abusus est ad superbiam amplissimis donis meis, *tradam eum in manum* Nebuchadnezar, h. e. tradidi eum jampridem in manus hostium, &c.

13. *Super ramos ejus*] Intelliguntur hîc per *ramos* cadavera exercitûs ejus, quæ lacerarunt *bestia agri.*

14. *Quapropter non exaltent se*] i. Dedi exemplum in Rege Assyriorum, quò cæteri Regis feliciores, arridente fortunâ, minùs animo efferantur. Nam *traditus est* Rex Assur cum exercitu suo *in mortem*; nec liberare eum valuit tanta opulentia & potentia ejus: & qui priùs summam tenebat dignitatis arcem, jam jacet *cum cæteris filiis hominum* in sepulcro & in pulvere terræ.

15. *Operuit propter ipsum abyssum*] Dicitur abyssus lugere & veluti saccum induere propter interfectionem Regis Assyriorum, quòd ampliùs illi aquas præbere prohibetur, unde ille in tantum sublimatus fuit fastigium.

16. *Con-*

16. *Consolatione affecta sunt*] i. Mortui lætitiâ perfusi sunt quòd tantus Rex illis fuerit adæquatus. Pro quo Jonathan sic vertit, *consolatione perfusi sunt in terra inferiori omnes Reges Orientis, potentes & opulenti*, &c. Descripsit & Jesaias c. 14. pulcrè Regis Assyriorum interitum, *Infernus*, inquiens, *desubtus commotus est propter te, in occursum adventûs tui; excitavit propter te mortuos*, &c.

18. *Cui igitur assimilatus es*] Comparat Propheta à principio hujus capitis Pharaonem Regem Ægypti Regi Assyriorum, & docet illum periturum cum omni potentia & viribus suis haud secùs quàm periit potentissimus Rex Assyriæ: unde dicit sic, O Pharao, *cui assimilatus es in potentia*, assimilaberis quoque illi in ruina. Nam *deponêris in terram, & dormies cum interfectis gladio*, sicut ille jampridem cum Regibus terræ in lacum demersus est. Porrò per *incircumcisos* intelliguntur gentes immundæ, quæ incircumcisum habuerant cor, affectibus omnibus satisfacientes, & neque Deum neque homines timentes.

VATABLUS.

1. UNdecimo *anno* באחת עשרה שנה] Sub. *Regni Sedeciæ*.

2. *Et ad multitudinem ejus* ואל המונו] i. Ad populum degentem in Ægypto: erat enim populosa admodum. ¶ *In magnitudine tua* בגדלך] Argumentatur à majore ad minus: q. d. Cuinam venis comparandus, si spectetur magnitudo, magnificentia, excellentia tua, i. vires & opes tuæ? An Regi Assyriorum? acsi dicat, Non: fuit enim ille multò major te, & tamen me autore cecidit dignitate suâ, nec potuit resistere potentiæ meæ: quantò minùs tu?

3. *Et inter condensa*, &c. ובין עבתים וגו'] *Inter cujus condensa summus ramus*, i. inter cujus ramos condensos, implicatos ac perplexos. De hoc *ramo excelsiore* vide suprà 17. 3. *Cedrus*, Rex Assyriorum: *Rami* & *condensa*, populi Ægyptiaci & exteræ gentes illi subditæ.

4. *Crescere fecerunt eum* גדלוהו] Ad verb. *magnificaverunt eum*, i. educaverunt & nutriverunt. Pronomen affixum הו refertur ad Regem Assur, quem significat ארז *cedrus*, quæ est f. gen. ¶ *Vorago* תהום] *Abyssus, abundantia aquarum*. ¶ *Flumina ejus* נהרתיה] Sub. *abyssi*. ¶ *Plantationis ejus* מטעה] *Planta ejus*, sub. *cedri*.

5. *Altitudo ejus* קמתו] *Statura ejus*. ¶ *Agri* השדה] *Campi*, i. regionis illius cui imperabat. ¶ *Cum illa*, &c. בשלחו] *Quas ipsa* [sub. *abyssus*] *misit*.

6. *Habitaverunt*, &c. ישבו וגו'] *Sederunt omnes gentes fortes*.

8. *Non absconderunt eam* לא עממהו] *Non operuerunt eam*, i. non obumbraverunt: q. d. Nullæ cedri eam superaverunt, nè eæ quidem quæ fuerunt in paradiso terrestri. ¶ *Et castanea* וערמנים] Arborem intelligit.

9. *Multitudine ramorum ejus* ברב דליותיו] Ut vers. 7. ¶ *Et æmulata sunt eam* ויקנאהו] *Ità ut inviderent ei*. Hebraismus.

10. *Staturâ* בקומה] *Proceritate*. ¶ *Et dedit summitatem suam inter condensa* ויתן צמרתו אל בין עבותים] Partim hæc oratio ad Cedrum refertur, partim ad rem significatam per cedrum: unde mutatio est personarum, cùm præcedens verbum sit secundæ personæ, *posuit summum ramum suum inter condensa*, ut v. 3. q. d. Nimiùm tibi placuisti quòd stipatus esses magno ac frequenti satellitio.

11. *Tradidi eum* ואתנהו] Fut. Heb. pro præt. & ו verti non debet. ¶ *Fortissimi* איל] Cùm nomina Hebræa non inflectantur ad notandam comparationem, more Latinorum, propterea Interpretes pro ratione loci nunc per comparativum vertunt nomina ipsa, nunc per superlativum, ut hoc loco *fortissimi Gentium*, i. Nabuchodonosoris. Chaldæus vocat *fortissimos Gentium*, quia imperaverunt postea Orienti. ¶ *Faciet ei* יעשה לו] Sub. *quicquid volet*: tractabit eum pro voto.

12. *Et succident eum* ויכרתהו] Quidam per præteritum vertunt hæc verba, *Et succiderunt*, &c. ut præcedenti versui respondeant, *Tradidi*. ¶ *Fortes Gentium* עריצי גוים] *Robusti* [vel *timendi*] *in Gentibus*, i. latronibus & prædonibus. ¶ *Et dimittent eum* ויטשהו] Posteaquam scilicet amputaverint. ¶ *Descendéntque* וירדו] i. Recedent vel deficient ab eo populi quibus imperabat.

13. *Super ruinam ejus* על מפלתו] Intelligit truncum humi jacentem, vel cadavera. ¶ *Erunt* יהיו] Præt. Heb. *fuerunt*, i. insederunt: q. d. conculcatus fuit pedibus bestiarum.

14. *Non elevabuntur* לא יגבהו] *Nè efferant se: nè exaltent se*. Sic mox *nec ponant, neque stent*, &c. *Staturam* vocat dignitatem & excellentiam: *arbores* item *aquarum*, eas quæ irrigantur aquis. ¶ *Sublimitatem suam* צמרתם] *Summitatem suam*, ut v. 10. ¶ *Neque stabunt* ולא יעמדו] *Neque consistent*, vel *neque stent*, aut *consistant*: i. nè putent se permansuros in tanta excellentia & dignitate. ¶ *Ulmi eorum* אליהם] Generale nomen est arborum: aut significat *ulmum*. ¶ *Omnes potatores aquarum* כל שתי מים] *Omnes potatrices aquarum*, i. arbores quæ gaudent magno humore. Divitiis affluentes intelligit. Per Appositionem autem positum, *ulmi potatrices aquarum*. ¶ *Terra inferiori*, &c. אל ארץ וגו'] i. Sepulcro inter alios homines, sive inter plebejos.

15. *Operire feci*, &c. כסתי עליו וגו'] *Feci ut operiret se abyssus*, sub. *sacco*, more lugentium. Alludit ad illud quod v. 4. dixit, *Vorago* [sive *abyssus*] *exaltavit eam*: q. d. Abyssus illa quæ cedrum illam eduxerat, mœsta fuit ejus causâ: h. e. opes illæ destitutæ eo Rege videbantur lugere. ¶ *Flumina ejus* נהרותיה] Sub. *abyssi, nè postea irrigarent eam cedrum*. ¶ *Et tenebrescere feci* ואקדר] *Et tenebris offudi*, i. nigris sive pullis vestibus indui. ¶ *Fatigata sunt* עלפה] *Deliquium animi passa sunt*, ut accidit fessis ac fatigatis ex itinere aut alio labore. Significat autem, emortuas penè fuisse arbores: per quas intelligit alios viros principes ac nobiles, vel incolas Assyriæ.

16. *A fragore* מקול] Ad verb. *A voce*, i. ob strepitum. Meminit *fragoris ruinæ*, quòd comparaverit eum cedro altissimæ. Cadunt enim Reges è sublimi & alto. ¶ *Commovi* הרעשתי] *Tremere feci*, vel *intremiscere*, i. reddidi attonitas. ¶ *Dum descendere feci*, &c. בהורדי אתו וגו'] i. Dum dejeci eum in sepulcrum cum sepultis. ¶ *Electa*, & *bonum* מבחר וטוב] *Electio & bonum Libani*, i. omnes arbores pulcræ, quales proveniunt in Libano. ¶ *Omnes bibentes aquas* כל שתי מים] Appositivè dictum, *potatrices aquarum arbores*, ut v. 14.

17. *Ipsi* הם] Sub. *principes ac nobiles Assyriæ*. ¶ *Ad interfectos gladio* אל חללי חרב] *Cum interfectis gladio*, i. cum aliis militibus ejus. ¶ *Et brachium ejus* וזרעו] i. Qui erant illi vice brachii, nempe socii & adjutores, qui securi inter alias gentes habitabant, quòd illis faveret Assyrius. ¶ *Sedebant* ישבו] Præt. perf. pro imperf.

18. *Sic* ככה] *Adeò*: q. d. Nulli. Alloquitur Pharaonem: q. d. Tu nunquam assecutus es dignitatem & excellentiam Regis Assyriorum, qui tamen cecidit: tu quoque casurus es. ¶ *Et magnitudine* ובגדל] *Et magnificentiâ: excellentiâ*. ¶ *Et dejicieris* והורדת] Ad verb. *& descendere factus es*. Quidam, *sed depriméris: detrudéris*. ¶ *Incircumcisorum* ערלים] Vide cap. 28. 10.

CASTALIO.

3. UT *habeat inter nubila cacumen*] Hunc locum bene vertit Græcus. Est enim eadem sententia quæ est Dan. 4. ubi hæc arbor dicitur *capite cælum tangere*, ut sit hîc idem עבים quod עבתים.

8. *Divini pomarii*] Edenis.

11. *Ego eum deo Gentium in manum tradam*] *Deum Gentium* vocat Cyrum Regem Persarum, Assyrii Regni eversorem: quomodo Psal. 45. Solomo vocatur *Deus* sive *Divus*; & Ciceronem dicunt *Oratorum Deum*; & Latini suos Imperatores vocavere *Divos*, ut *Divum Julium*, *Divum Trajanum*. ¶ *Ut postulat ejus impietas*] Loquitur de Homine. Deinde *ramos* nominans loquitur de Arbore, miscendo rem comparatam cum ea cum qua comparatur; quoniam principio Allegoriæ utrumque posuit, scilicet *Assyrium* & *Cedrum*. Sed in Hebræo sermone utrumque est masc. generis: quod cùm Latina lingua non ferat, mutavi genus, & ubi de arbore sermo est, usus sum feminino; ubi autem de homine, masculino.

14. *Humoribiba*] Arbores.

16. *Afficienturque consolatione in ima terra omnes Edenenses arbores*] Hoc se solabuntur alii mortui, quòd Assyrium habebunt socium.

18. *Tu qui ei gloriâ & magnitudine tam similis es*, &c.] Te, Pharao, Assyrii similem similis manet exitus. ¶ *Jacebis inter præputiatos*] Impuros & inhonestâ morte defunctos.

CLARIUS.

2. CUi *similis factus es*] i. Quid optare posses majus eo quod assecutus fuerat Rex Assyriorum, qui superatus tamen est à Chaldæis? Comparatur autem Rex Assyriorum *Cedro* felicissimæ, quam stipabant *frondes condensæ*, h. e. multi Principes & Reges minores. Cedrus ista irrigari perhibetur *abysso* & *fluminibus* quæ illa vomit per cavernas terræ: per quod significatur quòd Rex Assyriorum accepit benevolentiâ Divinâ inexhaustam felicitatem & omnium rerum miram affluentiam, ut & *planta ejus* & *arbores campi*, h. e. Principes ejus, irrigarentur

rentur illius ubertate, & qui minor erat in aula ejus major censeretur Rege Ezechia. 4 Reg. 18.

6. *In ramis*, inquit, *ejus nidos fecerunt omnes aves cœli*] h. e. Benefecit plurimis, & fuit sub eo pax magna: & omnes populi ejus sub protectione ejus consisi sunt.

8. *Cedri non fuerunt altiores*] Hyperbole est: vel per *paradisum Dei* intelligere licet hortum amœnissimum. Accipitur namque vocabulum *Dei* sæpissime pro *magno* sive *excellenti*; ut *montes Dei*, h. e. altissimi. Sensus ergò est, Tanta fuit ista Cedrus ut quavis cedro etiam *in paradiso Dei* erescente inferior non esset: h. e. Non fuit in toto orbe terrarum natio præstantior Assyriis.

9. *Et æmulata sunt*] Inviderunt pulcritudini ejus.

13. *In ruina ejus*] Ad devoranda cadavera illorum & volucres & bestiæ convenient.

14. *Quamobrem non elevabuntur*] Sensus est, Dedi exemplum in Rege Assyriorum, quò cæteri Reges feliciores, arridente fortunâ, minùs animo eleventur. Nam *traditus est* Rex Assur cum exercitu suo *in mortem*: nec liberare eum valuit tanta opulentia & potentia ejus: & qui priùs summam tenebat dignitatis arcem, jam jacet cum cæteris filiis hominum in sepulcro & in pulvere terræ, & hoc est quod ait *in medio filiorum hominum*, &c.

15. *Operui propter ipsum abyssum*] Lugere, inquit, feci, & velavi propter eum, in signum luctûs, abyssum. Hoc dicit propterea quòd paulò antè meminit *abyssi*, quòd crescere fecisset illam propter magnam aquæ copiam quam suppeditabat radicibus illius. Dicitur ergò *abyssus lugere* & veluti saccum induere propter interfectionem Regis Assyriorum, quòd ampliùs illi aquas præbere prohibetur, unde ille in tantum sublimatus fuit fastigium. ¶ *Prohibui flumina ejus*] Nè suo more læta fluerent.

16. *Et consolata sunt*] Mortui, inquit, lætitiâ perfusi sunt quòd tantus Rex illis fuerit adæquatus. Descripsit & Esaias cap. 14 pulcre Regis Assyriorum interitum, *Infernus*, inquiens, *propter te commotus est, in occursum adventûs tui, excitavit propter te mortuos*, &c.

18. *Cui assimilatus es*] Redit ad Pharaonem, quem à principio hujus capitis Regi Assyriorum comparat, & ait, O Pharao, cui comparatus es in potentia, similis quoque illi eris in ruina.

DRUSIUS.

3. אֶרֶז. κέδρος *cedrus*. ¶ וְחֹרֶשׁ מֵצַל. καὶ πυκνὸς ἐν τῇ σκέπῃ, *& densus in tegmine*, sive *protectione*.

5. וַתֶּאֱרַכְנָה פֹּארֹתָיו. καὶ ὑψώθησαν αἱ παραφυάδες αὐτοῦ, *& exaltata sunt propagines ejus*. ¶ בְּשַׁלְּחוֹ. ἐν τῷ ἐκτεῖναι αὐτὸν, *cùm extenderet se*.

8. לֹא־עֲמָמֻהוּ. οὐχ ὑπερῇρεν αὐτὸν *non superaverunt eum*.

9. יָפֶה עֲשִׂיתִיו בְּרֹב דָּלִיּוֹתָיו. Καλὸν ἐποίησα αὐτὸν ἐν τῷ πλήθει τῶν κλάδων αὐτοῦ, *Pulcrum feci eum in multitudine ramorum ejus*.

10. וַיִּתֵּן. καὶ ἔδωκεν *& dedit*. ¶ וְרָם לְבָבוֹ בְּגָבְהוֹ. καὶ ἐπήρθη ἡ καρδία αὐτοῦ ἐπὶ τῷ ὕψει αὐτοῦ, *& elevatum est cor ejus in altitudine sua*.

11. עָשׂוֹ יַעֲשֶׂה לוֹ כְּרִשְׁעוֹ גֵּרַשְׁתִּהוּ. ἐποίησεν αὐτῷ κατὰ τὴν ἀσέβειαν αὐτοῦ καὶ ἐξέβαλον αὐτὸν ἐγὼ, *fecit ei secundùm impietatem ejus: & ejeci eum ego*.

12. וַיִּכְרְתֻהוּ. καὶ ἐξωλόθρευσαν αὐτὸν *& exterminaverunt eum*.

16. בְּאֶרֶץ תַּחְתִּית. ἐν γῇ κατωτάτῃ *in terra infima*.

18. בְּכָבוֹד וּבְגֹדֶל בַּעֲצֵי־עֵדֶן. ἐν δόξῃ καὶ ἐν μεγέθει, ἐν τοῖς ξύλοις τῆς τρυφῆς; *in gloria & in magnitudine inter ligna deliciarum*] Τρυφῆς, i. *Eden*, sive *paradisi*. ¶ וְהוּרַדְתָּ. In ed. Rom. κατάβηθι καὶ καταβιβάσθητι, *descende & deducere*] Videntur esse duæ versiones. Sanè à C. abest καὶ καταβιβάσθητι.

GROTIUS.

1. *Tertio mense*] Duobus mensibus posteriùs hæc revelatio facta est quàm ea quæ proximè præcessit.

2. *Cui similis factus es in magnitudine tua*] Nempe Regi Assyrio perinde fastuoso, qui sicut à Chaldæis pessimè tractatus est, ità & ab eisdem tractabitur Rex Ægypti. Ipsam deinde Assyrii superbiam ac cladem aliis comparationibus illustrat; quò magis intelligat Ægyptius quid sibi sit exspectandum.

3. *Quasi Cedrus in Libano*] Solent Reges excelsis arboribus comparari, Daniel. IV. 17. 18. 19. suprà XVII. 3.

Inter condensas frondes elevatum est cacumen ejus] *Ad nubes pervenit cacumen ejus*. Nam עב etiam *nubem* significat. LXX, εἰς μέσον νεφελῶν [*in medium nubium*].

4. *Aquæ nutrierunt illum*] Ingens aquarum abundantia, qualis in Trigide & Nilo.

Et rivulos suos emisit ad universa ligna regionis] Est Metaphora: nam per *rivulos* intelligit arborum *traduces*, per *traduces* verò ἀλληγορικῶς [*allegoricè*] colonias.

5. *Propterea elevata est altitudo ejus*] Superbiit. Vide infrà 10. nam sæpe hic & alibi in Prophetis res eadem repetitur.

6. *In ramis ejus fecerunt nidos omnia volatilia cœli*] Multæ gentes ad ejus tutelam confugerunt, suprà XVII. 23. Daniel. IV. 9. 18.

Et sub frondibus ejus genuerunt omnes bestiæ saltuum] Crevere populi faustâ sobole.

8. *In paradiso Dei*] Loquendi genus idem quod suprà XXVIII. 13.

Omne lignum paradisi Dei] Id est, Babyloniæ, ubi quondam paradisus fuerat Adamo datus.

Et platani] ערמונים sive ערמנין Chaldæis sunt *castaneæ*.

9. *Et æmulata sunt eum omnia ligna voluptatis*] *Inviderunt ei arbores delicatissimæ*.

11. *In manus fortissimi gentium*] Chaldæi.

Faciens faciet ei] Tractabit eum pro libitu.

Ejeci eum] De Imperio.

12. *Et succident eum alieni*] *Succident eum extranei*, id est; Chaldæi.

Et crudelissimi nationum] *Terribiles in gentibus*. עריצים, Græci modò vertunt δυνασαὶ [*potentes*], modò λοιμοὶ [*exitiosi*], interdum aliter.

Et projicient eum super montes] Ut solet fieri arboribus quæ in summis jugis positæ exscinduntur.

Et in cunctis convallibus] Monti subjectis.

Et confringentur arbusta ejus in universis rupibus terræ] אפיקים modò *torrentes* significat, modò per μετωνυμίαν [*transnominationem*] *locos depressos*. LXX hic: ἐν παντὶ πεδίῳ [*in omni campo*].

Et recedent de umbraculo ejus omnes populi terræ] Permiscet comparationis ἀπόδοσιν [*redditionem*], ut sæpe & hic & alii scriptores. Vide quæ diximus ad Matthæi XXIII. 27.

13. *In ruina ejus habitaverunt omnia volatilia cœli*] Redit ad comparationem. Hoc vult dicere, *Trunco ejus insultarunt volucres & feræ*. Allegoria est, Contemptus fuit ab omnibus.

14. *Quamobrem non elevabuntur*] *Nè elevantor*.

Nec ponent sublimitatem suam inter nemorosa atque frondosa] *Nè in sublime se efferant intra nubes*. Vide suprà 4.

Nec stabunt in sublimitate sua] *Nè proceritati suæ fidant*.

Omnes traditi sunt in mortem] Redit ad ἀπόδοσιν [*redditionem*] de Assyriis illis viris summatibus qui cum Sennacheribo fuerant: unde colligere possit Ægyptius quid sibi exspectandum sit.

Ad terram ultimam] *Ad infera terræ*, ubi sunt sepulchra: εἰς τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς [*ad inferiora terræ*], Ephesior. IV. 9.

In medio filiorum hominum, ad eos qui descendunt in lacum] *Instar plebejorum qui dejiciuntur in foveam*. בני אדם [*filii hominis*] Hebræis *homines de plebe*. Locutionem illam *in medio* habuimus suprà XXIX. & alibi.

15. *In die quando descendit ad inferos*] Sennacheribus ipse à filiis occisus, II Reg. XIX. 37.

Induxi luctum] in omni Assyria.

Operui eum abysso, & prohibui flumina ejus; & coërcui aquas multas] *Feci ut de eo abyssus* (ingens fluminum abundantia) *se operiat*. *Operire se* est lugentium. Per *aquas* autem populos intellige, Apocalypseos XVII. 15.

Contristatus est super eum Libanus] Id est, Syria, quæ fœderata Assyriis fuerat. Vide II Regum XVIII. 34. In Hebræo est, *Atris indui feci Libanum ejus causâ*.

Et omnia ligna agri concussa sunt] Id est, omnes circum Principes. Vide suprà 3.

16. *Et consolata sunt in terra infima omnia ligna*] Id est, eguerunt consolatione, ut solent lugentes. *In terra*, supple, *sedentes*; qui mos lugentium, Job. II. 13. Permiscet iterum comparationem & ἀπόδοσιν [*redditionem*].

17. *Nam & ipsi cum eo descendent in infernum ad interfectos gladio; & brachium uniuscujusque sedebit sub umbraculo ejus in medio nationum*] Copula hîc posita pro relativo pronomine; quod Hebræis non infrequens sensum obscurat. Rectè autem vertas: *Nam & illi cum eo ad sepulchrum descendent (ubi sunt qui gladio sunt interfecti) quicunque in ullis gentibus suam vim illius tutelæ submiserunt*. Fractis Assyriorum rebus, facile fuit Chaldæis Syros eorúmque vicinos cladibus maximis afficere, Esaiæ XVII. 4.

18. *Cui assimilatus es, ô inclyte*] Intelligisne Rex Ægypti, cui futurus sis similis? exhibui tibi vivam fortunæ tuæ imaginem.

Ecce deductus es] Deducêris.

In medio incircumcisorum dormies] Quia circumcisio tibi ludibrio fuit, incircumcisi te undique claudent, mortémque tibi inferent. Vide simile suprà XXVIII. 10.

Ipse est Pharao, & omnis multitudo ejus] LXX: οὗτος ὁ Φαραὼν καὶ πᾶν τὸ πλῆθος τῆς ἰσχύος αὐτοῦ [*sic Pharao & omnis multitudo potentiæ ejus*]. *Sic Pharao*, supple *erit*. Talem cum suis inveniet exitum qualem sub Assyrii exemplo depinxi.

CAP. XXXII.

MUNSTERUS.

1. IN *duodecimo anno*] Sub. *Regni Zidkijahu*, h. e. mox post destructionem Jerusalem.

2. *Leoni gentium*] i. Quod Leo est inter reliqua animalia, hoc est Pharao inter gentes. Comparatur & Ceto, qui aquas & magnos fluctus excitat & impellit in aridam, vicina quæque loca inundans: sic Pharao inquietabat omnia insanis bellis, & turbabat quasque terras propinquas.

5. *Usque ad montes*] h. e. Tantum ex te effundetur sanguinis ut is impleturus sit valles, & ascensurus usque ad sublimitatem montium. Et est Hyperbole.

9. *Commovebo cor populorum*] Multi, inquit, populi terrebuntur & obstupescent ubi audierint tibi inter reliquas gentes tam horribilem accidisse contritionem.

10. *Cùm volare fecero*] Capitur hìc *volare* pro הבריח *vibrare gladium & minari interfectionem*.

13. *Ab aquis multis*] i. Ab Ægypto, quæ est terra multarum aquarum propter inundantiam Nili. Hæ aquæ, inquit, ampliùs *non turbabunt homines*, qui extra Nili inundantiam hortos cum illis irrigabant & arva, sed & stabunt immobiles & profundæ, cùm nemo eas exhauriat in lacunis. Sed & flumina fluent limpida *quasi oleum*, &c.

16. *Planctus erit*] Jonathan hunc locum sic vertit, *Dixit Propheta, Luctus est Prophetia, eritque in luctum. Villæ populorum deplorabunt eam, super Ægyptum & super cunctam conturbationem ejus deplorabunt eam, dicit Dominus.* Sic quando Propheta jubetur plangere multitudinem Ægypti, Hebræi dicunt quòd jubeatur vaticinari eis tristia & lamentationes, & quòd deponendi sint in inferiores partes terræ cum reliquis interfectis.

19. *Quoniam pulcrior es tu?*] i. Putâsne te cæteris esse pulcriorem & fortiorem, qui omnes descenderunt in inferiora terræ? Nihil tibi proderit tua pulcritudo, nec juvabit ulla potentia, quin in morte cum reliquis infimæ sortis hominibus sis dormiturus illisque æquandus.

20. *Detrahite igitur eam*] Sub. *potentiam* seu *dignitatem Pharaonis*. Et nota quòd hic in משכו scribitur Camez loco Hatephcamez. Est enim imperativi modi.

22. *Sepulcra hujus*] Scilicet Pharaonis & exercitûs ejus. Et si quæris, Ubi est autem sepultura Assyriorum? respondet, *In lateribus laci & in inferioribus partibus terræ:* per quod significat Propheta damnationem corporis & animæ. Hi, inquit, qui priùs omnibus in mundo viventibus erant terrori, jam jacent in profunditate terræ, & sunt viventibus atque mortuis ludibrio.

27. *Non autem jacebunt*] Hebræi hunc locum sic exponunt, *non jacebunt cum his qui naturali exspiraverunt morte, aut qui veluti strenui milites cum armis suis sunt sepulti, sed jacebunt cum his quibus ignominiosa contigit sepultura, nempe qui gladio perempti, & corpore à bestiis lacerati sunt, atque in quorum ossa sævitum est.* Quamvis illud quod de *ossibus* diximus, textus adscribat fortibus militibus.

32. *Formidinem meam*] Sic legunt Hebræi, non *formidinem ejus.* Fuit enim Pharao formido Dei, sicut Rex Assur flagellum Dei.

VATABLUS.

1. DUodecimo anno בשתי עשרה שנה] Sub. *Regni Sedeciæ Regis Judæ*, qui fuit primus annus captivitatis post destructionem Jerusalem & Templi. Infrà 33. 21. dicit, *Duodecimo anno*, mense *decimo*, die *quintâ mensis transmigrationis nostræ*.

2. *Leva lamentum* שא קינה] *Attolle lamentationem*. Vide suprà 26. 17. & 27. 2. ¶ *Gentium* גוים] i. Versanti inter Gentes: q. d. Quod est Leo inter animantia, hoc fuisti inter Gentes, nempe Rex maximus ac tyrannus. ¶ *Et educebas flumina tua* ותגח בנהרותיך] *Et reducebas* [sub. *aquas*] *per flumina tua.* Per *aquas* & *flumina* intelligit copias militares & ingentem exercitum, & per *turbationem aquarum* motus bellicos quos ille suo exercitu excitabat contra alias Gentes. Alii vertunt, *& exibas cum fluminibus tuis*. Alii, *insolens fuisti in fluminibus tuis.*

3. *Expandam*, &c. ופרשתי וגו'] Sic suprà 12. 13. & 17. 20. i. Incitabo contra te Regem maximum, qui adducet contra te ingentem exercitum, quo superaberis ac vincêris. ¶ *Et extrahent te* והעלוך] Ad verb. *& ascendere facient te.*

4. *Et relinquam te* ונטשתיך] Similia dixit suprà 29. 5. ¶ *Et habitare faciam* והשכנתי] Vide c. 31. 13.

5. *Carnem tuam* בשרך] Sing. pro plur. *carnes tuas*, i. tuorum militum: q. d. Etiam qui confugerint ad montes, illic cadent & interficientur. ¶ *Celsitudine tuâ* רמותך] *Altitudine tuâ*, i. magno acervo cadaverum exercitûs tui, vel cadaveribus copiarum tuarum, de quibus superbiebas, sive in quibus nimiùm tibi placebas. Potest enim hic *celsitudo* sive *altitudo* referri ad externa, vel ad animum.

6. *Natationis tuæ* צפתך] i. Terram tuam quæ alluitur & irrigatur Nilo in qua videris quasi natare. Alii, *natantem tibi*, ut sit pronomen affixum pro separato, i. in utilitatem tuam. Tota enim utilitas Ægypti pendet ex irrigatione Nili. Intelligit de terra plana: q. d. Loca super quibus natabant aquæ irrigabo sanguine tuo, natabítque sanguis super illis, usque adeo ut ascendat montes. Per Hyperbolen dictum. Quidam vertunt, *inundantem tuam*, sive *inundationis tuæ*, i. super quam inundant aquæ. ¶ *Ex te* ממך] i. Sanguine ipsorum militum tuorum.

7. *Et operiam*, &c. וכסיתי וגו'] *Et tegam, quando exstinguam te, cœlos.* Describit luctum maximum qui excitandus erat ob interitum & exitium Regis Ægyptiorum, quem comparat lucernæ maximæ & lucidissimæ, quæ cùm exstinguitur, mox suboritur fumus ingens qui offuscat totum aërem. Qui autem sunt in mœrore, videntur quasi versari in mediis tenebris. ¶ *Nube* בענן] Sub. *illâ atrâ.*

8. *Lucis* אור] *Luminis*, i. lucida & luminosa, h. e. reliquos Planetas. ¶ *Obtenebrescere faciam* אקדירם] Ad verb. *obtenebrescere faciam ea.* Redundat pronomen; *obscurabo*; *tenebris perfundam.*

9. *Et irasci faciam* והכעסתי] *Et ad indignationem provocabo*, i. efficiam ut indignentur. ¶ *Contritionem tuam in Gentes* שברך בגוים] i. Milites tuos fractos, superatos, & fugientes in Gentes tibi notas.

12. *Fortium*, &c. גבורים וגו'] i. Gladiis hominum bellicosorum, sive animosorum ac strenuorum militum prosternam exercitum tuum numerosum. ¶ *Superbiam* גאון] *Fastum*, i. Elegantiam, pulcritudinem ac dignitatem.

13. *Ut desinant esse*, &c. מעל מים רבים] i. Nè posthac pascantur in pratis irriguis. ¶ *Turbabit eas* תדלחם] Conculcando scilicet: q. d. Nulli homines neque ulla jumenta transibunt per rivulos Nili.

14. *Immergi faciam* אשקיע] Ad verb. *profundabo*, i. altissimas ac profundissimas faciam aquas; h. e. tranquillas, quietas ac limpidas reddam. Sunt enim aquæ profundæ, limpidæ. ¶ *Et flumina eorum* ונהרותם] *Et rivulos eorum.* ¶ *Deducam* אוליך] Ad verb. *ire faciam.*

15. *A plenitudine sua* ממלואה] i. Omnibus incolis suis privata fuerit.

16. *Planctus est* קינה היא] i. Hæc est lamentatio & planctus cujus memini. ¶ *Filiæ* בנות] i. Incolæ urbium subditarum Gentibus; vel mulieres: aut congregationes urbium. ¶ *Super Misraim* על מצרים] *Propter Ægyptum, & propter omnem*, &c.

18. *Et dejice ipsam* והורדהו] *Et præcipita illam*, sub. *per Prophetiam tuam:* i. prædicito fore ut pereant gladio Ægyptii, præcipita, inquam, eam è dignitate & excellentia maxima. ¶ *Robustarum* אדירים] *Magnificarum: illustrium: honorabilium.* ¶ *Inferiorum* תחתיות] Sub. *Fovearum.* ¶ In *sepulcrum* בור] *Lacum; cisternam.* Sunt enim sepulcra magna similia lacubus ac speluncis.

19. *Quònam jucundior es* ממי נעמת] *Quonam suavior es? pulcrior, elegantior:* i. Quanam dignitate, excellentiâ ac majestate excellis? q. d. Multi fuerunt ante te pulcriores ac elegantiores qui tamen perierunt. ¶ *Descende, & dormi* רדה והשכבה] Possunt esse imperat. pro fut. *descendes & dormies. Descendes*, sub. *de dignitate ad sepulcrum.*

20. *Cadent* יפלו] Sub. *Ægyptii:* i. Interibunt ut & alii interfecti gladio. ¶ *Data est* נתנה] Sub. *Ægyptiis.* ¶ *Trahite* משכו] Sub. *ad mortem*, vel *in sepulcrum.*

21. *Fortes potentium* אלי גבורים] *Potentissimi fortium*, i. qui inter fortes sunt potentissimi. Alii, *Reges & Principes.*

22. *Sepulcra ejus* קברתיו] Sub. *Ægypti:* q. d. Ut Assyrii mortui sunt, ità Ægyptii morientur. *Sic loquitur*, ut ait quidam

Hebræo-

Hebræorum, *non quòd eodem loco essent sepeliendi, sed quòd simili morte perdendi.*

23. *Cujus sepulcra,* &c. 'אשר וגו] Ad verb. *Cujus data sunt sepulcra ejus.* Pronomen femineum redundans, quod refert *congregationem Assyriam:* acsi dicat, Jam enim Assyrii mortui sunt ac sepulti in infima parte sepulcri sive foveæ sepulcralis. ¶ *Cœtus ejus* קהלה] *Congregatio ejus,* sub. *Ægypti.* Declaratio est præcedentis partis versûs. ¶ *Sepulcri ejus* קברתה] Sub. *congregationis Assyriæ.* ¶ *Omnes ipsi* כלם] *Omnes sunt,* vel *erunt.* Relativum pro verbo substantivo. ¶ *Qui dederunt formidinem* אשר נתנו חתית] *Quia posuerunt terrorem,* i. qui terruerunt mortales dum adhuc viverent. Vel, ut Chaldæus P. vertit, *qui incusserunt metum in terra Israel. Terram viventium* vocat terram Israel quòd Israelitæ Deum viventem colerent, victurique essent cum Deo vitâ æternâ.

24. *Sepulcri illius* קברתה] Nempe Ægypti, vel Assyriæ. ¶ *Incircumcisi* ערלים] i. Qui mortui sunt in impietate sua. Alii subaudiunt præpositionem, *cum incircumcisis.* ¶ *Inferiorum* תחתית] Ut v. 18. sub. *sepulcrorum,* i. in sepulcra subterranea, in regionem subterraneam. ¶ *Qui dederunt terrorem suum* אשר נתנו חתיתם] Ut v. 23. ¶ *Et portaverunt,* &c. 'וישאו וגו] Hebraismus, morientur cum ignominia & pudore, vel pleni pudore & ignominiâ.

25. *Cum universo populo ejus,* בכל המונה] *Pro universa multitudine ejus.* ¶ *Per circuitus ejus,* &c. 'סביבותיו וגו] Vide v. 22. ¶ *Omnes ii incircumcisi* כלם ערלים] Vide v. 23, & 24.

27. *Dormient* ישכבו] Sub. *in sepulcro.* ¶ *De incircumcisis* מערלים] i. Qui ex incircumcisis ceciderunt, sive mortui sunt morte propriâ naturali, & non violentâ. Vel, *ex incircumcisis ceciderunt gladio,* vel, *Qui ceciderunt ab incircumcisis,* pro *inferiores gradu aut dignitate incircumcisis:* q. d. Non morientur ut viri illi strenui ac nobiles qui moriuntur morte suâ, & efferuntur ad sepulcrum unà cum instrumentis suis bellicis, sive armis. ¶ *Et posuerunt* ויתנו] Ad verb. *& dederunt.* Varius est usus verbi נתן. *Posuerunt* pro *mandaverunt supponenda.* Sic v. 29. ¶ *Sed erunt,* &c. 'ותהי וגו] Ad verb. *& erit iniquitates eorum.* Verbum singulare nomini plurali junctum, frequens Hebræis: i. ossa eorum ferent ac portabunt pœnam ac mulctam debitam iniquitatibus quas ipsi admiserunt: nam ossa eorum perfodientur ac contererentur: h. e. ipsi occidentur & peribunt propter scelera sua. ¶ *Quia terror,* &c. 'כי חתית וגו] Ut v. 23.

28. *Tu verò* ואתה] Sub. *ô Pharao;* periturus es gladio; morierisque in impietate tua.

29. *Duces ejus* נשיאיה] *Principes ejus.* ¶ *Positi sunt cum fortitudine sua* נתנו בגבורתם] *Traditi sunt in fortitudine sua:* i. cum pollerent viribus, vel cum copiis suis militaribus.

30. *Principes Aquilonis* נסיכי צפון] *Reges Aquilonis,* i. Reges Babel. Multis inculcat Propheta sortem ac conditionem mortalium, nempe omnes eandem sortem manere, & ad eandem sedem properare, h. e. morti obnoxios esse. ¶ *Descenderunt* ירדו] Verti potest per futurum, *descendent.* ¶ *In terrore suo,* &c. 'בחתיתם וגו] i. Dum terrerent mortales, interim puduit eos virium suarum ac roboris: nam in medio conatu prorsus destituti sunt viribus. ¶ *Et dormierunt* וישכבו] Vide eadem v. 21, & 24.

31. *Illos videbit* אותם יראה] i. Tandem morietur Pharao, ut & illi mortui sunt.

32. *Dedi terrorem meum* נתתי את חתיתי] Præt. Heb. pro fut. & חתיתו scribitur, *terrorem ejus,* i. faciam ut terrori sit; & legitur cum Jod חתיתי *terrorem meum:* q. d. Posteaquam illi terruerint alios, ego tandem terrebo eos.

CASTALIO.

16. PUella Gentium] Ipsæ Gentes.

18. *Deprime cum descendentibus in tartara*] Facere dicitur Vates more Poetico quod factum aut futurum nunciat: ut in Gen. 48. declaravimus. Est autem in hac oratione ad finem capitis crebra generis & numeri mutatio: qualem in Jer. 11. & Esa. 15. explicavi.

20. *Ipsam*] Ægyptum.

23. *In vivorum terra*] Inter homines.

27. *Eorum culpam ipsorum ossa luent*] Insepulti jacebunt.

CLARIUS.

1. ET *factum est*] Hos annos supputat ad Regnum Sedechiæ: evenit enim hæc Prophetia anno proximo post Jerusalem devastatam.

2. *Leoni gentium*] Quod Leo est inter reliqua animalia, hoc Pharao est inter gentes. Comparatur & Ceto, qui aquas & magnos fluctus excitat & impellit in aridam, vicina quæque loca inundans: sic Pharao inquietabat omnia insanis bellis, & turbabat omnes terras propinquas.

5. *Super montes*] Tantùm ex te effundetur sanguinis ut & impleturus sit valles & ascensurus usque ad sublimitatem montium. Et est Hyperbole.

9. *Et irritabo*] Vel *commovebo.* Multi, inquit, populi terrebuntur & obstupescent ubi audierint tibi inter reliquas gentes tam horribilem accidisse contritionem. ¶ *Super terras quas nescis*] Intelligit gentes ad quas perducet famam hujus contritionis.

13. *Quæ erant super aquas*] h. e. Juxtà aquas. Et hæ *aquæ,* inquit, *ampliùs non turbabuntur per homines,* qui extra Nili inundantiam hortos cum illis irrigabant & arva, sed stabunt immobiles & profundæ, cùm nemo eas exhauriat in lacunis, sed & flumina ob eandem causam fluent limpida *sicut oleum,* quia nemo transiens illa perturbabit.

17. *Quintadecimâ mensis*] Nimirum duodecimi: quem putatur ob id nominatim non explicasse ut occasionem daret lectori connectendi hanc Prophetiam superiori. In principio enim capitis *mensem duodecimum* explicatum invenies. Jubet autem suscipere querelas, ut antehac adversùs Principem ac proceres; ità jam contra plebem eodem vitæ discrimine impeditam.

19. *Quo pulcrior es tu*] h. e. Gratiosiorémne putas te reliquis omnibus qui ante te perierunt.

22. *Sepulcra illius*] Scilicet *multitudinis.* Cùm verò ait *in lateribus laci, & in inferioribus partibus terræ,* significat Propheta damnationem corporis & animæ. Hi, inquit, qui priùs erant omnibus terrori; jacent nunc in profundis terræ, & sunt viventibus atque mortuis ludibrio.

27. *Et non dormient cum fortibus*] Hebræi hunc locum sic exponunt, *non jacebunt cum iis potentibus & incircumcisis qui naturali exspiraverunt morte, aut qui veluti strenui milites cum armis sunt sepulti, sed jacebunt cum iis quibus ignominiosa contigit sepultura, nempe qui gladio perempti & corpore à bestiis lacerati sunt; atque in quorum ossa sævitum est ob iniquitates eorum.*

30. *Venatores*] Alius vertit *Sidonios.*

32. *Dedi terrorem meum*] h. e. Me timebunt post casum Pharaonis.

LUCAS BRUG.

8. HAnc pericopen, *Cùm ceciderint vulnerati tui in medio terræ, ait Dominus Deus,* quam, cum Richelio expositore, multi codices legunt post illud octavi versûs, *Dabo tenebras super terram tuam, dicit Dominus Deus,* tria Parisiensium scripta Di. o. Ge. l. p. quatuor nostra Lob. anno 1084 scriptum, O. L. Pl. la. prætermittunt: quibus consonant Typographorum editiones, Moguntina, Coloniensis, Veneta anni 1497. & Complutensis. Hebraici, Græci & Chaldaici libri non agnoscunt. Hieronymi commentarius non attingit, ut neque textus habet. Castigatores, Henrenius & Parisienses, textu pepulere. Cæterùm Epanorthotes, *Malè,* inquit, *hunc versum,* Cùm ceciderint vulnerati tui in medio terræ, ait Dominus Deus *(quidam) resecavit, cùm & antiqui & novi habeant, & libri glossati, quia Hebræus eorum non habet.* Certè in antiquis libris, Brugensi, E, & Plantini medio, lego, qui, cum aliis octo nostris, eo planè modo habent quo produximus. Porrò duodecim omittunt *tui,* cum textu Glossæ Ordinariæ tam scriptæ quàm impressæ, *Cum ceciderint vulnerati in:* novem legunt *in terram, Cùm ceciderint vulnerati* * *in* [* *tui* 1 MS.] *terram, ait:* unus (Pl. ang.) duntaxat, *Cùm ceciderint vulnerati,* habet, immiscétque præcedentibus verbis, *Et dabo tenebras super terram tuam, cùm ceciderint vulnerati, dicit Dominus Deus:* duo (Q. Buslid.) decimo versui adjiciunt, ad eum modum quo primùm pericope est adducta, post illud, *Horrore nimio formidabunt super te:* quæ varietates possint eam suspectam reddere. Leodiensis Abbatiæ manuscripto conspicitur addita. Videri fortasse possit commentarius esse ejus quod in fine decimi versûs legitur, *In die ruinæ tuæ* (*tuæ* enim, non *suæ,* habent Hebræi, Græci, D. Hieronymus, Lobiense manuscriptum, Atrebatensis collegii alterum, & Complutensis editio) nam & Chaldæus Paraph. id ità exposuit, *In die ruinæ occisorum tuorum.*

10. Quæ superiori notatione de hac pericope, *Cùm ceciderint vulnerati,* &c. dicta sunt; eadem penè nunc circa verba ista, *Propter iniquitates universas quas operatus es,* sunt repetenda. Ea enim, cum Richelio expositore, multi codices legunt post illud decimi versûs, *Horrore nimio formidabunt su-*

Nullum serenis noctibus sidus micat;
Sed gravis & ater incubat terris vapor.
Obtexit arces cælitum ac summas domos
Inferna facies.

Vide similem locum Esaiæ XXXIV. 4. & ibi dicta.

9. *Et irritabo cor populorum multorum*] *Commovebo*, ut hic Chaldæus; mœrore concutiam: nam הכעיס per ἀθυμεῖν [*animo consternari*], & כעס per ἀθυμίαν [*animi consternationem*] etiam verti solet. per καταχρησιν [*abusionem*] quandam.

Cum induxero contritionem tuam in gentibus super terras quas nescis] Ubi captivi Ægyptii in terras longinquas adducti certum attulerint nuntium cladis. Ità hic LXX rectè.

10. *Et stupescere faciam super te populos multos, & Reges eorum horrore nimio formidabunt super te, cùm volare cœperit gladius meus super facies eorum*] *Populos & Reges* Afros intellige, ad quos per Ægyptum venere Chaldæi.

13. *Et perdam omnia jumenta ejus quæ erant super aquas plurimas; & non conturbabit eas pes hominis ultrà, neque ungula jumentorum turbabit eas*] Sicut homines per vada transeuntes, & equi ubi aquatum ducuntur, turbidas faciunt aquas: ità Ægyptiorum pedites & equites populos vicinos, qui sub *aquarum* significantur nomine (ut suprà 2.), solebant conturbare.

14. *Tunc purissimas reddam aquas eorum, & flumina eorum quasi oleum adducam*] Id est, quiescent illi populi à vi Ægyptia, ut bene hic explicat Chaldæus. Vide suprà XXIX. 9.

16. *Planctus est, & plangent eum*] Sensus idem qui suprà XIX in fine. Lamentabilis est hæc Prophetia; tamen sic eveniet.

Filiæ gentium plangent eum] Verbis similibus utentur, cognitis Ægypti malis.

17. *In quintadecima mensis*] Dicti antè: id est, non multis diebus post revelationem quæ præcessit.

18. *Et detrahe eam ipsam, & filias gentium robustarum ad terram ultimam*] *Infimam*: id est, cane Ægypto velut mortuæ carmen, quale cani solet iis qui in sepulchrum demittuntur. Est autem totum hoc carmen προσωποποιΐα [*persona fictio*] planè similis alteri quæ est de Assyrio apud Esaiam XIV. 10. Sicut Poëtæ ità & Prophetæ facere dicuntur quæ canunt.

19. *Quo pulchrior es*] *In quo melior es*, aliis scilicet gentibus quæ pares clades accepere, amisso etiam imperio, quæ vita est gentibus.

Descende & dormi cum incircumcisis] Quandoquidem circumcisos sprevisti. Vide suprà XXXI. 18.

20. *In medio interfectorum gladio cadent*] *Cecidere* Ægyptii. Loquitur enim jam quasi in re præsente. Simile illud Lucani:

——— *sed illos*
Magna premit strages, peraguntque cadavera partem
Cædis: viva graves elidunt corpora trunci.

Gladius datus est] *Gladio data est* Ægyptus. Ità Chaldæus.

Attraxerunt eam, & omnes populos ejus] *Detrahite eam*, nempe in sepulchrum. Loquitur quasi ad libitinarios.

21. *Loquentur ei*] Gratulabuntur adventum. Vide locum jam dictum Esaiæ.

22. *In circuitu illius sepulchra ejus*] Id est, *jacent in turba mortuorum*. Sic & eadem verba repetita sume.

23. *Quorum data sunt sepulchra in novissimis laci*] *Quorum sepulchra sunt in parte aliqua fovea*, communis scilicet multis.

24. *Ibi Elam*] *Elymæi*. Gentes illas nominat quæ in auxiliis Assyrio fuerant.

Et portaverunt ignominiam suam] Pœnam superbiæ, partim à Deo prostrati ad mœnia Hierosolymorum, partim victi à Babyloniis.

25. *In medio interfectorum posuerunt cubile ejus*] Arcam sepulchralem.

In universis populis ejus, in circuitu ejus sepulchrum illius] *Ut turba tota illa esset circa sepulchrum ejus*. Sic & infrà sume 26.

26. *Ibi Mosoch*] Cappadoces eorúmque vicini. Vide suprà XXVII. 13.

Thubal] Iberi Asiatici. Vide ibidem.

27. *Et non dormient cum fortibus*] Hi omnes ignaviæ suæ pœnas dant; non seorsim jacent, sed in unam aliquam fossam congesti, ut victis fieri solet. Lucanus post prælium Pharsali cum:

——— *petimus non singula busta,*
Discretósque rogos: unum da gentibus ignem.

Cadentibúsque & incircumcisis] Qui incircumcisi quidem erant & impii, attamen fortes & magnanimi.

Qui descenderunt ad infernum cum armis suis, & posuerunt gladios suos sub capitibus suis] Id est, *positos habuerunt*. Victores non singula tantùm habebant sepulchra, sed & in virtutis honorem cum armis suis sepeliebantur, I Maccab. XIII. 29.

Et fuerunt iniquitates eorum in ossibus eorum] Meliùs, *Et habitacula pro ossibus eorum*, data sunt, scilicet egregia, aut *solatia*. nam عون Arabibus est *solatium*.

Stat. *Dat solatia grandibus sepulchris*.
Illustribus monumentis testata est eorum virtus.

28. *Et tu ergò in medio incircumcisorum*] *At tu* (Ægypte) *in turba impiorum jacebis*, ut victi solent.

Dormies cum interfectis gladio] Non cum victoribus.

29. *Ibi Idumæa*] *Idumæi*, socii itidem Assyriorum.

Qui dati sunt cum exercitu suo cum interfectis gladio] Qui & ipsi inter victos fuere.

Et cum his qui descendunt in lacum] Inter eos qui promiscuè in communem foveam dejiciuntur.

30. *Ibi Principes Aquilonis omnes*] Tyrii, qui Judæis ad Aquilonem, victi multis præliis à Chaldæo, & ad deditionem redacti, suprà XXVI. XXVII. XXVIII.

Et universi venatores] Meliùs sumes pro nomine proprio, & vertes *Sidonii*: nam & hi victi à Chaldæis, suprà XXVIII. 21. nec aliter hic Chaldæus.

Qui deducti sunt cum interfectis] Rectè. At LXX pro אשר [*qui*], legere אשור Ἀσσούρ [*Assur*].

31. *Vidit eos Pharao, & consolatus est*] In Hebræo: *Videbit eos* (aliquando) *Pharao*. Ubi morietur Amasis, videbit tot alios ab Assyriis malè tractatos. Est iterum προσωποποιΐα [*persona fictio*], quâ mortuis sensus affingitur.

32. *Quia dedi terrorem meum in terra viventium*] Ità legitur in margine: at textus habet חתיתו [*terrorem ejus*], τὸν φόβον αὐτοῦ, LXX: quia permisi ut Ægyptus tempore Necaonis terrori esset Judæis. *Terra viventium* Judæa, suprà XXVI. 20. Sic accipit & Chaldæus.

Dormivit] *Morietur*. LXX. κοιμηθήσεται [*dormiet*]: id est, jacebit cum mortuis.

In medio incircumcisorum cum interfectis gladio] Nam corpus Amasis post mortem exemtum monumento & igne crematum est, quod turpe censent Ægyptii: Herodotus Thaliâ.

CAP. XXXIII.

MUNSTERUS.

2. **D***E extremis suis*] Jonathan vertit מבינהון *ex seipsis & de medio eorum*. Ponit autem Propheta hic parabolam Speculatoris, per quam significatur officium Episcopi. Si, inquit, tempore belli vir aliquis in speculam ponatur ut advenientem hostem annunciet, & is viderit irruentem, si moneat, excusatur à culpa; sin tacuerit, in culpa erit. Sic omnes qui viam Dei docent populum, ob eminentem cognitionem quâ præditi esse debent, *quasi in specula consistere* dicuntur, unde adversarii insidias dignoscant, & impendens periculum populo annuncient.

11. *Si complacitum mihi sit in morte impii*] i. Non delector morte peccatoris, sed ut per pœnitentiam revertatur. Et est locus insignis pro pœnitentia astruenda, ut nemo desperet, quantumlibèt gravibus prematur peccatis, modò apprehendat per fidem promissionem Dei liberalem. Cupit igitur Dominus ut impius relictâ impietate suâ vivat, h. e. bene agat.

22. *Aperuit os meum*] Non quòd antea omnino tacuerit, sed quòd minore gravitate docuerit, domo Israel rebellante.

24. *Qui inhabitant devastata illa loca*] Hi erant pauperes quidem quos Nebuzardan in terra reliquit, contra quos Propheta hic clamare jubetur, & eorum redarguere scelera, quæ erant, quòd *sanguine vescerentur*, aut inter comedendum de *sanguine* innocenti *fundendo* tractarent, *idola* cum animo prono ad idololatriam *inspiciebant*, *super gladio suo stabant*, h. e. *fiduciam ponebant in fortitudinem suam magis quàm in Deum*, ut Chaldæus Interpres habet.

30. *Juxta parietes*] i. In angulis & locis secretis detrahunt tibi, quòd diem reditûs in longum distuleris tempus, ipsi autem celerem moliuntur reditum. Et cùm id agant, tamen *veniunt ad te quasi populus essent Dei*, & seriò cupiant *audire verbum* ejus. *Sedent* ad pedes tuos more veterum, qui ad pedes præceptorum in subselliis sedere solebant, sicut & Paulus *ad pedes Gamalielis* asserit se didicisse Legem: audientes autem illi te, rident & contemnunt sermones tuos, & *faciunt in ore suo* עגבים, quod nos pro *ludibriis* post Jonathan vertimus, cùm tamen sit musicum instrumentum suavem edens melodiam. Sic illi ore testimonium ferebant Prophetæ, cùm corde verba ejus deriderent.

V A T A B L U S.

2. *A D filios populi tui* אל בני עמך] i. Ad populares tuos. ¶ *Cùm induxero*, &c. ארץ כי אביא וגו'] Ad verb. *Terra cùm induxero super eam gladium.* Antecedens cum suo relativo redundante: h. e. cùm inducere decrevero, sive cùm interminatus fuerò excidium alicui regioni. ¶ *Populus terræ* עם הארץ] i. Populus ejus regionis. ¶ *Unum* אחד] *Quendam.* ¶ *De novissimis suis* מקציהם] *De extremis* finibus *suis*, i. de regione sua: quòd certis quibusdam terminis ac finibus disterminetur.

3. *Super terram* על הארץ] *Contra regionem illam.* ¶ *Buccinâ* בשופר] *Cornu: tubâ.*

4. *Quicunque audierit* שמע השומע] Ad verb. *Et audiens audierit.* Quidam, *Quicunque audire potuerit.* ¶ *Et non observaverit* ולא נזהר] *Et non caverit sibi*, admonitus scilicet. ¶ *Sanguis*, &c. דמו וגו'] Hebraismus, causa erit suæ mortis, sive mors ejus imputabitur illi, non episcopo & speculatori.

5. *Et non se observavit* ולא נזהר] *Et non cavit sibi*, ut v. 4. i. noluit acquiescere. ¶ *Sanguis*, &c. דמו וגו'] Ut v. 4. ¶ *Qui autem*, &c. והוא וגו'] *Quòd si caverit sibi.*

6. *Animam* נפש] i. Quempiam. ¶ *Captus est* נלקח] Præt. pro fut. *capietur*, i. peribit.

7. *Dedi te* נתתיך] *Posui te*, i. constitui te. ¶ *Et audiès* ושמעת] *Ut audiat.*

8. *Ut se custodiat* להזהיר] *Ut sibi caveat.*

10. *Sic dixistis*, &c. כן אמרתם וגו'] Præt. Heb. pro præs. ut quidam vertunt, *Sic dicitis*, vel *dicere soletis.* Alii, *Bene* [vel *Rectè*] *dicitis*, vel *cogitastis.* ¶ *Scelera nostra* כי פשעינו] Ad verb. *Quia transgressionès nostræ.* Redundat *quia*: i. Multitudine ac mole suâ opprimunt nos peccata nostra, & ipsis obruimur. ¶ *Et quomodo vivemus?* ואיך נחיה] *Quomodo ergò viveremus?*

11. *Volo* אחפוץ] *Cupio: desidèro.* Quidam, *Non delector morte impii.* Vide c. 18. 20. ¶ *Et ut quid* ולמה] *Cur enim.*

12. *Ad filios populi tui* על בני עמך] Sic v. 2. ¶ *Non eruet eum in die*, &c. לא תצילנו וגו'] *Non eripies* [*servabit*] *eum tempore quo scelera admiserit.* ¶ *In eam* בה] *Propter eam*, ut mox. ¶ *Propter eam* בה] Sub. *justitiam.* Relativum sine antecedente.

13. *Non memorabuntur* לא תזכרן] *Non venient in recordationem.* Alii, *omnium justitiarum ipsius nulla erit memoria.* ¶ *Sed propter iniquitatem suam* ובעולו] *Sed in perversitate sua.*

15. *In mandatis* בחקות] *In statutis.*

16. *Non commemorabuntur ei* לא תזכרנה לו] i. Non imputabuntur ei.

17. *Et dixerunt* ואמרו] *Dicerène ergò poterunt. Ergòne dicunt.* ¶ *Non est æqua* לא יתכן] Ut c. 18. 25. ¶ *Cùm potiùs via eorum* והמה דרכם] Ad verb. *Et ipsi via eorum.* Alterum relativum redundat, pro & *ipsorum via.*

18. *Cùm averterit se* בשוב] Vide hæc eadem usque ad 21 versum, suprà 18. 26.

21. *Transmigrationis nostræ* לגלותנו] *A transmigratione nostra*, vel *à captivitate nostra*: à die quo demigravimus Babylonem unà cum Joachim. ¶ *Evasor* הפליט] *Qui effugerat*, expugnatâ scilicet urbe Jerusalem.

22. *Et manus Jehovæ* ויד יהוה] Vide c. 8. 2. i. Fui afflatus Spiritu Prophetico initio ejus diei. Nam Hebræi diem à noctis crepusculo incipiunt. ¶ *Aperuitque os meum* ויפתח את פי] Hebraismus, dedítque ut liberè absque ullo metu loquerer. Similis locutio legitur & c. 24. 27. *In die illo aperietur os tuum cum evasore, & loqueris.* Et c. 29. 21. *In die illa germinare faciam cornu domus Israel, & tibi dabo apertionem oris in medio eorum.* Isto genere dicendi utitur & Paulus Ephes. 6. 19. *Orantes pro me, ut mihi detur sermo in apertione oris mei cum libertate, ut notum faciam mysterium Euangelii.* Hic *apertioni oris* junxit *cum libertate*, quò tropus magis explicatur.

24. *Solitudinum* החרבות] *Desertorum.* Significat loca sive ædificia ruinosa. His invehitur Propheta in superbiam & arrogantiam eorum qui superstites remanserunt in Judæa, prædicens illis certissimum interitum & exitium eorum propter impœnitentiam ipsorum. ¶ *Dicendo* לאמר] i. In hunc modum. ¶ *Unus* אחד] *Unicus*, qui scilicet Deum coleret. ¶ *Nobis tradita est*, &c. לנו נתנה הארץ למורשה] Quapropter *nobis tradetur terra ista in hereditatem*, i. jure perpetuo sumus habitaturi in ea.

25. *Cum sanguine comedetis* על הדם תאכלו] Futura Heb. pro præs. Quidam vertunt, *Juxta sanguinem comeditis*: q. d. Posteaquam vos sacrificastis idolis, vos comeditis carnes sacrificiorum vestrorum juxta sanguinem victimarum illis immolatarum. *Cum sanguine comedere*, i. priusquam affusus sit sanguis altari: quod est contra præceptum Domini Levit. 19. 14.

26. *Stetistis in gladiis vestris* עמדתם על חרבכם] i. Incubuistis in enses vestros: vel, innixi estis ensibus vestris more eorum qui parati sunt effundere sanguinem.

27. *Vivo ego, nisi* חי אני אם לא] Duæ formulæ Jurandi; acsi dicat, *Quàm verum est me vivere, tam verum erit eos perituros: non habeàrque posthac pro Deo si non ità futurum est.* ¶ *In solitudinibus* בחרבות] *In desertis.* Vide v. 24. ¶ *Et eum qui in*, &c. ואשר על פני השדה וגו'] i. Eos qui in agro, sive ruri degunt, non in urbibus. Sing. pro plur. ¶ *In præsidiis* במצדות] *In munitionibus: in arcibus.*

28. *Cessabitque*, &c. ונשבת וגו'] Simile genus dicendi habes suprà 7. 24. & 24. 21. & 30. 6, 18. ¶ *Ità ut non sit*, &c. מאין עובר] Ad verb. *à non transeunte*, i. eò quòd non sit transiens.

30. *Loquitùrque* ודבר] Fut. Heb. pro præs. ¶ *Quodnam* sit *verbum* מה הדבר] *Quidnam* sibi velit *verbum quod prodit à Jehovah*, sub. *per Prophetam.*

31. *Et veniunt* ויבואו] Futura Heb. pro præs. *veniunt.* ¶ *Secundùm ingressum populi* כמבוא עם] i. Ut ingredi & irrumpere solet populus, confertim nempe, & multi simul. ¶ *Quæ tamen non faciunt* ואותם לא יעשו] Ad verb. & *ea non facient.* ¶ *Subsannationes*, &c. עגבים וגו'] i. Rident ac subsannant prophetiam tuam. ¶ *Post avaritiam*, &c. אחרי וגו'] i. Avaritiam cordis sui sectantur: aut, avaritiæ student.

32. *Et ecce tu*, &c. והנך וגו'] Ad verb. *Et ecce tu es illis sicut canticum amorum* [vel *verborum lusûs*, aut *jocularium*] *pulcer voce, & bene faciens cantum*, vel *canere*, i. tu es instar ejus qui novit canere carmina amatoria, i. delectabilia & amœna, aut ridicula, quíque, quòd peritus sit artis musices, novit scitè, bene ac rectè pulsare instrumentum aliquod musicum. Tales enim libenter audiuntur. Chald. *canticum organorum.* Alii, *carmen ludibriorum.* ¶ *Nam audiunt* ושמעו] Ad verb. & *audient.* Noster vertit per præsens *audiunt*, *inquam*, & *non faciunt.*

33. *Cùm autem evenerit illud* ובבאה] Sub. *quod prædictum est*: vel, *Cùm venerit illa*, sub. *Prophetia tua*: q. d. Cùm quod prophetas evenerit (venturum est enim, & quidem propediem) tunc cognoscent te fuisse verum Prophetam.

C A S T A L I O.

6. *I S quidem suâ culpâ fuerit oppressus*] Ob aliquod suum peccatum.

10. *Si nobis delicta peccatáque nostra luenda sunt, & in eis tabescendum, qui fiet ut vivamus?*] Si nos pro nostris meritis Deus punit, actum est de nobis.

15. *Vitalibus institutis obediens*] Legi, in qua obeunda posita est vita.

17. *Et negant populares tui constare Domini rationem?*] Æquum & justum esse quod facit Dominus.

24. *Qui ruinas illas incolunt in Israelitica terra*] Dirutas urbes Judææ.

26. *Instatis vestris gladiis*] Crudeles estis & homicidæ.

30. *Sermocinantur populares tui apud parietes & in domorum vestibulis*] Vulgò in circulis, & ubi apricantur.

31. *Faciunt ore suo cantica*] Ore bene loquuntur & (ut est in Esaia) *me labiis honorant*; sed eorum dicta sunt *cantica*: h. e. non sentiunt idem quod loquuntur; sicut qui cantica canunt, aliud sæpe dicunt, aliud cogitant. Ità isti ore bene loquentes, *animo sectantur avaritiam, & te tuáque dicta perinde habent acsi carmen* aliquod *elegans & modulatum* cantes, quod eos delectet, non moveat.

C L A R I U S.

2. *F Ili hominis, loquere*] Jam destructâ Jerusalem & castigato populo, reparatio cœlestis Jerusalem, & Ecclesiæ Dei usque in finem libri suscipitur tractanda; quamvis nonnulla præmittantur quæ non omnino superioribus extraria sint. Hæc cùm Judæi postremis temporibus complenda dicant, nos postrema illa tempora adesse, & sub Christo in dies compleri verissimè asserimus. Sicut igitur suprà c. 3. ab officio Speculatoris, ità nunc aliquanto fidentiùs post priores Prophetias adversùs populum Dei ab eodem disserit. ¶ *Constituerit eum super se speculatorem*] Terra promissa, quia in longitudinem à Meridie versùs Septentrionem protensa est, in latum autem arctissima incursioni hostili valde exposita fuit, ideo dispositos speculatores passim collocabant, qui signo fugæ tubâ dato sub irruptionem hostis, in agro palantes cives intra oppida revocarent. Non aliter Ecclesiastico speculatori terra hostili grassationi valde obnoxia obvenit. Iccirco qui viam Dei docent populum, ob emi-

eminentem cognitionem quâ prædîti esse debent, *quasi in specula consistere* dicuntur, unde insidias adversarii dignoscant, & impendens periculum populo annuncient.

11. *Quare moriemini*] i. Nequaquam moriemini.

21. *In duodecimo anno*] Nono anno Sedechiæ, quo die admotus est urbi Jerusalem exercitus, Propheta cœptam obsidionem inter Babylonicos Judæos dixit; deinde, quòd ad ejus calamitatis primum nuncium, qui superstes cladi Babylonem venturus erat, reddenda sibi esset libertas à Domino quæ acceperat loquendi constanter. Hæc ad finem capituli 24. De hac historia agitur 2 Reg. 25. & Jer. 52. Hoc enim est tempus ac dies excidii, annus undecimus Sedechiæ, dies nonus mensis nimirum quarti, referente Jeremia c. 52. qui hoc loco non exprimitur. Hic autem nuncius cladi superstes *duodecimo anno, decimo mense, quinto die mensis* adest, h. e. post excisam ac perditam Urbem anno peracto in XXVI die sexti mensis.

22. *Aperuitque os meum*] Non quòd antea omnino tacuerit, sed quòd minore gravitate docuerit, domo Israel rebellante.

24. *In ruinosis his*] Hi erant pauperes quidam quos Nabuzardan in terra reliquit; contra quos Propheta hîc clamare jubetur & eorum redarguere scelera, quæ erant, quòd *sanguine vescerentur*, aut inter comedendum de *sanguine* innocente *fundendo* tractarent, *idola* cum animo prono ad idololatriam *inspiciebant*, *in gladiis suis stabant*, h. e. fiduciam ponebant in fortitudinem suam magis quàm in Deum, vel tanquam gladiis accincti & ad fundendum sanguinem parati stabant. ¶ *Nobis data est*] i. Datur meritò.

30. *Juxta muros*] h. e. In angulis & locis secretis detrahunt tibi, quòd diem reditûs in longum distuleris tempus, ipsi autem celerem moliuntur reditum. Et cùm id agant, tamen *veniunt ad te quasi populus* essent Dei, & serio cupiant *audire verbum ejus*, &c.

31. *Sedent coram te*] Audituri in conspectu disserentis considere antiquitus soliti erant: unde postea mos obtinuit ut minoribus subselliis discipuli assiderent, velut ad pedes præceptorum. Legem hoc modo Paulus didicit *ad pedes Gamalielis*.

DRUSIUS.

7. וְהִזְהַרְתָּ אֹתָם מִמֶּנִּי. *καὶ προφυλάξεις αὐτοὺς παρ' ἐμοῦ, & cautos eos reddideris à me*] In edit. C. *καὶ ἀναγγελεῖς αὐτοῖς ἀπ' ἐμοῦ, & annunciabis eis à me*. Exod. 18. 20. והזהרתה, A. *διαστελεῖ mandes*.

8. רָשָׁע. *Ἁμαρτωλέ, Peccator*] i. *Improbe*. Nam *peccator*, cùm angustè id nomen accipitur, & *improbus* se invicem explicant. Ità sumitur Psal. 1. 1. *in via peccatorum non stetit*: & alibi passim. Hoc significatu Chaldæi usurpant vocabulum חיב, i. *debitoris* sive *peccatoris*. Alioqui רשע propriè *ἀσεβής*.

12. לֹא יוּכַל לִחְיוֹת בָּהּ בְּיוֹם חֲטֹאתוֹ. *οὐ μὴ δύνηται ζῆσαι διὰ τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ, ἐν ᾗ ἂν ἡμέρᾳ ἁμάρτῃ, non poterit vivere per justitiam suam in quacunque die peccaverit.*

25. לָכֵן אֱמֹר אֲלֵיהֶם וגו'. *Διὰ τοῦτο εἰπὲ πρὸς αὐτούς, Τάδε λέγει Ἀδωναῒ Κύριος, Ἐπειδὴ τοῦ αἵματος ἐσθίετε, καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς ὑμῶν αἴρετε πρὸς τὰ εἴδωλα ὑμῶν, καὶ αἷμα ἐκχέετε, καὶ τὴν γῆν κατακληρονομήσετε; Idcirco dic eis, Hæc dicit Adonai DOMINUS, Quia de sanguine comeditis, & oculos vestros levatis ad idola vestra, & sanguinem funditis, & terram hereditate possidebitis?*

26. עֲמַדְתֶּם עַל־חַרְבְּכֶם וגו'. *Ἔστητε ἐπὶ τῆς ῥομφαίας ὑμῶν, ἐποιήσατε βδελύγματα, καὶ ἕκαστος τὴν γυναῖκα τοῦ πλησίον αὐτοῦ ἐμιάνατε, καὶ τὴν γῆν κατακληρονομήσετε; Stetistis cum gladiis vestris, fecistis abominationes, & unusquisque uxorem proximi sui polluistis, & terram hereditate possidebitis.*] Hieron. *Primum sciendum quòd octo plus minus versus, ab eo loco quem posuimus*, Qui in sanguine comeditis, & oculos vestros levatis ad immunditias vestras, *usque ad eum locum ubi scriptum est*, Hæc dices ad eos, Sic dicit Dominus Deus, *in LXX non habentur: qui cum multis aliis & hæc prætermiserunt: sive interpretata ab eis scriptorum paulatim sublata sunt vitio.* Vide sequentia. *Octo*] Imò duo tantùm.

31. עַמִּי. *ὁ λαός μου populus meus.*

GROTIUS.

2. *Loquere ad filios populi tui, & dices*] Illis scilicet qui jam cum Sedecia erant deportati. Est idem sensus qui suprà III. 17. sed pro necessitate temporum repetitur.

Terra cùm induxero super eam gladium] Locutio transposita more Hebræo, pro, *Ubi gladium* (hostilem) *super regionem aliquam introduxero*: id est, ubi hostes regioni appropinquant, quod sine meo decreto aut permissu non fit.

Et tulerit populus terræ virum unum de novissimis suis] Si tantam diligentiam debet aliquis à populo constitutus, quantam is qui à Deo?

4. *Et non se observaverit*] *Non sibi caverit.*

Sanguis ipsius super caput ejus erit] Ipsi, & quidem soli, imputabitur malum quod ei evênit.

6. *Et tulerit de eis animam*] Aliquem.

Ille quidem in iniquitate sua] *Culpâ suâ*: quia perpetuò sibi cavere debent qui in bello sunt.

Sanguinem autem ejus de manu speculatoris requiram] Punietur & ille, qui quamvis negligentes excitare debuit. *Etiam segnitia crimen in militiæ delictum est.* L. *Omne*. D. de re Militari.

7. *Et tu, fili hominis*] *O fili hominis.* ואתה [*tu*] vice vocativi.

8. *Impie, morte morieris*] Subest enim tacita conditio, *si maneas talis*, suprà XVIII. & mox 10. *Morte morieris*: id est: malâ morte peribis, ante diem.

9. *Animam tuam liberasti*] Quod suprà dixit, *salvabit: vitam tuam servasti.*

10. *Iniquitates nostræ & peccata nostra super nos sunt*] Vult Deus ut criminum pœnas luamus. Factum, infectum fieri nequit.

Et in ipsis nos tabescimus] Nempe ex Legis edicto, Levitici XXVI. 39.

11. *Nolo mortem impii*] Comparatè dictum. Sensus idem qui suprà XVIII. 23, 32.

Ut convertatur] *Aliam ineat viam.*

Quare moriemini] Suprà XVIII. 31.

12. *Justitia justi*] Hæc quoque omnia transumpta ex capite XVIII.

In quacunque die peccaverit] פשע [*prævaricari*] est *Deum*, aut *Dei vias deserere.*

17. *Non est æqui ponderis via Domini*] In Hebræo: *non est æqua*, ut & suprà XVIII. 25. & hîc infrà 20. *Via*, id est, agendi ratio.

21. *Et factum est in duodecimo anno, in decimo mense, in quinta mensis*] Anno & quatuor mensibus diebúsque aliquot post captam Urbem, ità ut commodè nuntius Babylonem pervenire potuerit. Accidit hoc ante postremam revelationem de Ægypto. Res ad Ægyptum pertinentes interrumpere Propheta noluit, sed seriem rerum secutus est, quod & Historici sæpe faciunt.

Venit ad me qui fugerat de Jerusalem] Ità ut Deus ei prædixerat suprà XXIV. 26.

22. *Aperuitque os meum*] Præceperat mihi Deus ut liberè, & cum auctoritate loquerer, suprà XXIV. 27.

24. *Qui habitant in ruinosis his super humum Israël*] In ruinis Urbis & oppidorum cum Godolia.

Unus erat Abraham, & hereditate possedit terram] Id est, jus in ea habitandi ac pecora pascendi.

Nos autem multi sumus, nobis data est in terra possessionem] Sic ille cum vernis trecentis se inter tot infestos homines tutari potuit, multò magis nos tantò plures jus nostrum retinebimus.

25. *Qui in sanguine comeditis*] Contra legem Levit. VII. 26. & multò antiquiorem omnibus hominibus datam Geneseos IX. 4.

Oculos vestros levatis] Ut solent precantes, suprà XVIII. 6.

Ad immunditias vestras] Ad idola.

Et sanguinem funditis] Homicidia perpetratis.

Numquid terram hereditate possidebitis?] Promissa fuerat vobis sub conditione, quam non impletis. Non talis fuit Abraham. Vide Johan. VIII. 39.

26. *Stetistis in gladiis vestris*] Confisi viribus vestris nihil non audetis. Ità hîc Chaldæus. Hæc ad homicidia pertinent.

Fecistis abominationes] Hoc ad idololatriam.

Et unusquisque uxorem proximi sui polluit] Vox quisquam est qui ab adulteris se temperet.

27. *Qui in ruinosis habitant*] In ruinis illis aut Urbis, aut oppidorum.

Gladio cadent] Partim Ismaëlis filii Nathaniæ, partim Chaldæorum Godoliæ necem ulciscentium, II Regum XXV. 23, & sequentibus.

Et qui in agro est, bestiis tradetur ad devorandum] Suprà V. 17. XIV. 15. 21.

Qui autem in præsidiis & speluncis sunt] *Præsidia* intelligit loca munita, ad quæ, ut & ad *speluncas*, neque hostes, neque bestiæ facilè penetrant.

Peste morientur] Convenit hoc cum illis locis modò citatis ex superioribus.

28. *Et dabo terram in solitudinem*] Nempe absumtis per tot mortes ac captivitates hominibus. Jeremiæ IV. 27. XII. 11. XVIII. 16.

Eò quòd nullus sit qui per eos transeat] *Ità ut nullus sit qui*

qui per eos (montes) *transeat.* Non modò nullus ibi habitabit, sed nec viator quisquam iter isthac capere audebit, metu ferarum & cœli pestilentis.

30. *Loquuntur de te juxta muros*] *Intra parietes.* De deportatis loquitur.

Et in ostiis domorum] Id est, vestibulis.

31. *Et veniunt ad te quasi si ingrediatur populus*] *Sicut discipulorum caterva* ad doctores venire solent. Ità hic Chaldæus.

Et sedent coram te populus meus] Id est, *quasi essent populus meus:* quasi essent mei, cùm non sint.

Et audiunt sermones tuos, & non faciunt eos] Non eo magis se corrigunt.

In canticum oris sui vertunt illos] Non magis tua verba curant quam si ad tibiam aliquis caneret: id enim עגב. Vide Geneseos IV. 21.

Et avaritiam suam sequitur cor eorum] Dum tu loqueris, illi de quæstu per artes iniquas faciendo cogitant.

32. *Et es eis quasi carmen musicum quod suavi dulcique sono canitur*] *Es eis quasi cantus tibiæ dulce sonantis, aut periti psallere.* Eloquentiam tuam laudant, res non curant. *Tales sunt usque hodie multi in Ecclesiis,* ait ad hunc locum Hieronymus, *qui ajunt, Venite audiamus illum, & illum mirâ eloquentiâ prædicationis sua verba volventem, plurimique commovent & vociferantur, & jactant manus.*

33. *Et cùm venerit quod prædictum est*] *At nunc cùm quod prædixerat* (de Urbis excidio) *venerit.*

Ecce enim venit] *Certò enim evenit.*

Tunc scient quòd Prophetes fuerit inter eos] Negare non poterunt te ad ipsos à me fuisse missum: ignorantiæ velum culpis suis nullum poterunt obtendere.

CAP. XXXIV.

MUNSTERUS.

3. **P***inguedinem comeditis*] Nostri verterunt hîc חלב pro *lacte*, cùm tamen non eum Cametz sed cum Zere & Segol scribatur. Loquitur tamen de pinguedine quæ ex lacte trahitur. Jonathan vertit טובא *bonitatem.* Intelliguntur proinde hîc per *pastores* Reges, Judices, Sacerdotes, Prophetæ, Doctores & Scribæ, qui omnes Rempub. sibi commendatam habent, non ut perdant & corrumpant, sed ut prosint, & subditorum quærant utilitatem, non propriis studeant ampliandis commodis. Non quidem prohibentur accipere bona populi, cùm *operarius dignus sit mercede suâ*, modò ea non potissimùm spectent, & negligant oves. Accipiant ad necessitatem, undè vivant, & non undè luxurientur.

4. *Dolore correptam*] Cùm scilicet in ove membrum aliquod dolet quod auxilio eget. Per *agrotam* verò intelligitur ovis quæ est morbida & invalida per totum corpus.

16. *Pinguem verò*] Loquitur de pecore vegetiori, quod imbecilliores oves corrumpit atque illis est nocumento. Unde Jonathan vertit חיביא אשיצי, i. *nocentes perdam.*

23. *Servum meum David*] Etiam secundùm Hebræos per hunc *Pastorem* intelligitur Meschias, dictus *David* quòd ex semine David futurus erat. Quare autem vocetur *servus* in Jesaia diximus.

26. *Per circuitum collis mei*] Pro quo Jonathan sic vertit, *Ponam eos per circuitum domûs sanctuarii mei, & erunt benedicti.* Alludit autem ad illud Jesaiæ, *Venite ad montem Domini, & docebit nos de viis suis,* &c. Christus enim est hîc *mons* & *collis*, qui nobis benedicit benedictione spirituali & impartitur pluviam salutaris doctrinæ.

29. *Nomen plantatum*] i. Nomen bonum derivatum in omnes gentes. Heb. *Suscitabo eis plantationem in nomen*; pro quo Chaldæus vertit, *Suscitabo eis plantationem firmam.* Alii, *Suscitabo eis plantulam celebri nomine.*

VATABLUS.

2. **P***Averunt* היו רעים] Ad verb. *fuerunt pascentes.* Quidam per præsens vertunt, *pascunt.* Deest altera pars, nempe *& non gregem meum:* i. sui tantùm curam & rationem habent, neglecto populo sibi concredito. Vide v. 8. plenam sententiam. ¶ *Pascunt* ירעו] Fut. Heb. pro præs. *pascere solent.*

3. *Adipem comedistis* את החלב תאכלו] Fut. Heb. pro præs. i. opes ac divitias comeditis. ¶ *Crassum* הבריאה] *Quod pingue est:* vel *pinguem*, sub. *ovem.*

4. *Infirmas*, &c. את הנחלות וגו'] *Infirmas non confortastis* [vel *roborastis*] *& ægrotam*, &c. *Infirmas* vocat quarum membrum aliquod dolet; *ægrotas* verò, quarum totum corpus morbo comprehensum est. ¶ *Et abjectam* ואת הנדחת] *Et dejectam*, vel *propulsam* sive *impulsam*, nempe in speluncam, scrobem aut cavitatem quandam. Alii, *& vagam*, vel *vagabundam*, aut *errantem.* ¶ *Sed durè* ובחזקה] Ad verb. *& in duritia.* Quidam, *sed cum austeritate quadam imperastis illis, & cum rigore:* vel *rigidè.*

5. *Et dispersæ sunt* ותפוצינה] Quidam per præsens vertunt ut præcedentia, *Et disperguntur.* ¶ *In devorationem* לאכלה] *Ad devorandum:* vel *in cibum:* nam potest esse nomen, ut v. 10.

10. *In escam* לאכלה] Vide v. 5.

11. *Ecce ego ipse* הנני אני] *Ecce ego, ego*, inquam. ¶ *Et quæram eas* ובקרתים] Ad verb. *& scrutabor eas.* Sunt qui vertunt, *& visitabo eas:* vel *contemplabor, & considerabo eas.*

12. *Quemadmodum inquirit* כבקרת] Ab verb. *Sicut disquisitio*, i. quemadmodum scrutatur, visitat, contemplatur diligenter & exactè. ¶ *In die nubis & caliginis* ביום ענן וערפל] Hebraismus, tempore extremæ calamitatis & infortunii.

13. *In rivis* באפיקים] *Rivos*, sive *locum per quem decurrit aqua*, significat hæc dictio: quia verò aqua per declivem locum labitur, accipitur pro *valle.*

16. *Et abjectam* ואת הנדחת] Ut v. 4. ¶ *Et ægrotam consolidabo* ואת החולה אחזק] *Et ægrotam confirmabo*, i. medicamine curabo donec revaleat, vel ad valetudinem firmam perduxero. ¶ *Disperdam* אשמיד] *Dissipabo: exterminabo.* Alii, *compescam.* *Pingues & fortes*, quæ quòd sint pinguiores, lædunt alias, debiles & infirmiores; intelligit opulentos qui propter divitias alios injuriâ afficiunt. ¶ *In judicio* במשפט] Hebraismus, ut par est & decet: aut justè.

17. *Judico* שופט] Nè scilicet una lædat vel opprimat aliam: i. puniam, nè posthac lædant alias. Præs. Heb. pro fut. *judicabo inter pecudem pinguem & pecudem macilentam*, ut v. 20.

18. *Pascimini* תרעו] Fut. Heb. pro præs. vel præt. *paveritis.* ¶ *Nisi etiam residuum* ויתר] Ad verb. *& residuum.* Quidam vertunt, *quòd residuum*, &c. *conculcatis.* ¶ *Et profundas aquas* ומשקע מים] Ad verb. *& profunditatem aquarum*, i. aquas profundas, h. e. limpidas ac puriores: quòd aquæ profundæ sint limpidæ ac puræ. Vide c. 32. 14. ¶ *Conculcetis* תרפשון] i. Conculcando turbetis?

19. *Conculcationem pedum vestrorum* מרמס רגליכם] i. Pascua quæ pedibus vestris conculcata sunt, & aquas quæ pedibus vestris conculcando turbatæ sunt, i. impuras & turbidas.

21. *Cornupetistis* תנגחו] Fut. Heb. pro præt. vel præs. *percussistis.* ¶ *Dispergeretis eas* הפיצותם] *Dispersistis eas*, i. dispergendo ejecistis, sive expulistis è caula vel grege.

22. *Servabo* והושעתי] Ad verb. *Et servabo:* ו tantùm convertit præt. in fut. ¶ *Et non erunt* ולא תהיינה] *Nè sint.*

23. *David* דוד] Subaudiunt quidam *filium*, sic, *filium Davidis*, i. mittam illis Messiam filium meum qui futurus est de semine David.

25. *Confidenter* לבטח] *Tutò.*

26. *Eas, & quæ sunt in circuitu collis mei*, 'ואותם וגו] *Eos, & qui habitabunt in circuitu collis mei*, i. Templi. Omnes enim optabunt habitare in planis: q. d. Reddam eos felicissimos ac beatissimos: vel, Omnes reputabunt & habebunt eos pro beatis ac felicibus. ¶ *Pluvia benedictionis* גשמי ברכה יהיו] *Imbres benedictionis erunt*, i. quæ maximè prosunt frugibus, & nulli rei nocent. Quidam vertunt, *pluviæ benedictæ erunt.*

27. *Confidenter* לבטח] *Securè*, i. nihil sibi timentes à quoquam. Infrà 36. 26. velut exponens addit, *& non esset qui exterreret.* ¶ *Operantium in eis* העבדים בהם] i. De manu eorum qui utuntur operâ ipsorum tanquam operâ servorum. Gallicè, *qui se servent d'eux.* Alii vertunt, *de manu eorum quibus servierunt.* Alii, *abutentium ipsis.* Alii, *eorum qui eos premunt servitute.*

29. *Plantam in nomen* מטע לשם] i. Virgam quæ egredietur de radice Jesse, quæ pariet illis nomen celebre, famam & gloriam. ¶ *Ignominiam Gentium* כלמת הגוים] *Ignominiam à Gentibus*, i. non dicent ultrà illis Gentes Deum eos deseruisse.

30. *Et ipsi sunt populus meus*, &c. והמה עמי בית ישראל] Ordo inversus, pro, *& ipsi, domus Israel*, sunt *populus meus.*

31. *Pascua mea* מרעיתי] i. Quas alo. ¶ *Homines estis* אדם אתם] *Homines vos*, sub. *estis, & non jumenta.* Pronomen pro verbo substantivo. Alii, *homines eritis*; q. d. Tandem

dem ſapietis, & intelligetis vos eſſe homines; tunc digni eritis appellatione *hominis*, non *bruti animalis*: deſinetis enim voluptates ſectari, totíque mihi adhærebitis.

CASTALIO.

2. N*Onne oves paſcere paſtorum eſt?*] Hebræa vox *ovium* & *caprarum* communis eſt.

25. *Fedus pacis*] Felicitatis.

29. *Eiſque plantarum nomen erigam*] Firmum duraturúmque nomen conciliabo.

CLARIUS.

6. E*Rraverunt greges mei in cunctis montibus*] Alludit ad cultum idololatriæ, quem in excelſis exercebant.

12. *In die nubis*] i. Calamitatis.

16. *Pingue & forte cuſtodiam*] Heb. *pingue & forte exterminabo*: ut intelligatur de pecore vegetiori, quod imbecilliores oves corrumpit atque illis eſt nocumento: & Chaldæus Interpres dixit, *nocentes perdam*. Noſter verò Interpres pro *Samad* legit *Samar*. Et literæ iſtæ Daleth & Res fallere poſſunt ſimilitudine figuræ.

18. *Inſuper & reliquias*] Non contenti ſcilicet eo quod ſibi ſatis eſſe poſſet, peccandi libidine nè iis quidem parcebant quæ ovium eſſe debuerant, ut eis quietè ac purè fruerentur.

23. *Servum meum David*] Etiam ſecundùm Hebræos per hunc *Paſtorem* intelligitur Meſſias, dictus *David* quòd ex ſemine David futurus erat. Quare autem vocetur *ſervus* in Eſaiam diximus.

26. *In circuitu collis mei*] Pro quo Jonathas, *Ponam eos per circuitum domûs ſanctuarii mei, & erunt benedicti.* Alludit autem ad illud Eſaiæ, *Venite, aſcendamus ad montem Domini, & docebit nos vias ſuas*, &c. Chriſtus enim eſt hic *Mons* & *Collis*, qui nobis benedicit benedictione ſpirituali & impertitur pluviam ſalutaris doctrinæ.

29. *Germen nominatum*] Maximi nominis, quod derivabitur in omnes gentes.

DRUSIUS.

4. וְאֶת־הַחוֹלָה לֹא־רִפֵּאתֶם. *καὶ τὸ ἄῤῥωστον ὐκ ἰάσασθε*, *& ægrotum non ſanaſtis*] Alibi τὸ κακῶς ἔχον. ¶ וּבְחָזְקָה רְדִיתֶם אֹתָם וּבְפָרֶךְ. *καὶ ἐν κράτει ἐπαιδεύσατε αὐτὰ καὶ ἐν παιγνίῳ*, *& vi caſtigaſtis ea & luſu*] Hieron. *ſed cum auſteritate imperabatis eis & cum potentia.*

17. בֵּין־שֶׂה לָשֶׂה לָאֵילִים וְלָעַתּוּדִים. *ἀναμέσον προβάτου καὶ προβάτου, κριῶν καὶ τράγων*, *inter ovem & ovem, arietes & hircos.*

27. אֶת־מֹטוֹת עֻלָּם. τοὺς κλοιοὺς τοῦ ζυγοῦ αὐτῶν *catenas jugi eorum*] Hieron. *catenas, ſive, torquem*, & in C. τὴν σειρὰν. Idem Hieron. in Comment. Jer. 27. 2. ubi LXX κλοιοὺς, ait מוטות ſignificare *catenas* ſive *furcas ligneas, quas Græci appellant*, inquit, κλοιοὺς, *& ſermone vulgari* boias *vocant.* Videtur σειρὰν, pro quo libentiùs legerim σειρὰς, ſupereſſe ex alia quapiam editione.

29. לְשֵׁם. εἰς ὄνομα *in nomen.* ¶ וְלֹא־יִהְיוּ עוֹד אֲסֻפֵי רָעָב בָּאָרֶץ. καὶ οὐκέτι ἔσονται ὀλίγοι ἀριθμῷ ἐν τῇ γῇ, *& non erunt ultrà pauci numero in terra*] Hieron. *imminuti* (*ſive, pereuntes*) *fame.* Unde colligunt alteram interpretationem eſſe illius; *& non erunt ultrà pereuntes fame in terra.* Inquiramus diligentiùs.

31. וְאַתֵּן צֹאנִי צֹאן מַרְעִיתִי אָדָם אַתֶּם. καὶ ὑμεῖς πρόβατά μου καὶ πρόβατα νομῆς μου ἄνθρωποί ἐστε, *& vos oves meæ & oves paſcuæ meæ homines eſtis.*

GROTIUS.

2. D*E paſtoribus Iſraël*] Exciſâ jam Urbe, cauſas Prophetæ excidii commemorat, Principum (qui *paſtores* dicuntur Jeremiæ II. 8. III. 15. X. 21. XXII. 22. XXIII. 1. XXV. 34. 35. 36. & Platoni de Repub. IV.) crimina, deinde & populi.

Qui paſcebant ſemetipſos] Hoc unum agebant ut ipſi diteſcerent.

Nónne greges à paſtoribus paſcuntur?] Id eſt, Nonne id officium eſt paſtorum gregem paſcere?

3. *Lac comedebatis, & lanis operiebamini*] Magna tributa exigebatis à populo. *Bis mulget in hora*, ait Virgilius.

Et quod craſſum erat occidebatis] Divites occidebatis per calumniam, ut bonis eorum potiremini.

Gregem autem meum non paſcebatis] Nullam ejus habebatis curam. Vide quæ dicta ad Joan. X. 12.

4. *Quod infirmum fuit non conſolidaſtis*] *Pecudem languidam non roboraſtis*: bonis alimentis ſcilicet.

Quod ægrotum non ſanaſtis] Sunt enim & ſua pecudibus mala & medicamina.

Quod confractum eſt non alligaſtis] Non obligaſtis vulnera à lupis fortè facta.

Quod abjectum eſt non reduxiſtis] Si quæ in foveam lapſa erat, non eduxiſtis. Vide Matth. XII. 11.

Quod perierat non quæſiſtis] Si quæ à grege aberraverat; Matth. XV. 24. Lucæ XV. 6.

5. *Et diſperſæ ſunt oves meæ*] Huc illuc, aliæ aliò: Matth. XXVI. 31. Marci XIV. 27. Bene dixit *oves meæ*: neque enim erat in Principum patrimonio populus.

Eò quòd non eſſet paſtor] Bonus ſcilicet & gregis amans.

Et factæ ſunt in devorationem omnium beſtiarum agri] Prædæ fuere Syris, Ammonitis, Moabitis, Aſſyriis, Ægyptiis, Chaldæis.

Et diſperſæ ſunt] Abducti in terras varias Iſraëlitæ.

6. *Erraverunt greges mei in cunctis montibus, & in univerſo colle excelſo*] In cultibus idololatricis, qui in locis eminentibus exerceri ſolebant.

10. *Ecce ego ipſe ſuper paſtores, requiram gregem meum*] *Requiſivi*; id eſt, propterea Sedeciam liberóſque ejus, & Principes alios, graviſſimè punivi.

Ceſſare faciam eos] *Ceſſare feci eos.*

11. *Ecce ego ipſe requiram oves meas*] Ipſe eorum curam geram peculiarem, per Prophetas eos invitando ad vitam meliorem. דרש ſæpe eſt *curam gerere.*

12. *Sicut viſitat paſtor gregem ſuum*] Ubique *inquirit.*

Liberabo eas de omnibus locis] Reducam Judæos ex omnibus locis Imperii Babylonici, imò & ex Ægypto, & aliunde.

In quibus diſperſæ fuerant in diebus nubis & caliginis] *Tempore atro ac tenebroſo*, id eſt, pleno miſeriis. Sic ſuprà XXX. verſ. 3.

13. *In rivis*] *Ad rivos*, Pſalmo XXIII. 2.

Et in cunctis ſedibus terræ] In caulis.

14. *In paſcuis uberrimis paſcam eas*] Pſal. XXIII. 1. 2.

15. *Ego eas accubare faciam*] Virgilius:

Ille latus niveum molli fultus hyacintho,
Ilice ſub nigra pallentes ruminat herbas.

16. *Et quod pingue & forte cuſtodiam*] Servabo in bona valetudine.

Et paſcam illas in judicio] Id eſt, ut oportet.

17. *Vos autem greges mei*] Venit Deus ad peccata populi.

Ecce ego judico inter pecus & pecus arietum & hircorum] De omnibus quod jus eſt ſtatuam, etiam de iis qui in plebe maximè eminent, qui ſub *hircorum & arietum* nomine comprehenduntur.

18. *Nonne ſatis vobis erat paſcua bona depaſci*] Hoc ad *arietes* & *hircos* maximè pertinet, id eſt, ad opulentos in plebe. Vide Jacobi II. 16.

Inſuper & reliquias paſcuarum veſtrarum conculcaſtis pedibus veſtris] Gravi fenore exſugitis pauperum facultates. Vide ſuprà XVIII. & XXII. 12. Eſaiæ XXIV. 2.

Pedibus veſtris turbabatis] Aliâ ſimilitudine idem dicit.

19. *Et oves meæ his quæ conculcata pedibus veſtris fuerant paſcebantur*] Tenuiter ſcilicet.

Et quæ pedes veſtri turbaverant hæc bibebant] Mœrore pleni.

20. *Inter pecus pingue & macilentum*] Inter divites & pauperes: hos vindicabo, illos puniam.

21. *Pro eo quòd lateribus & humeris impingebatis, & cornibus veſtris ventilabatis omnia infirma pecora*] *Arietabatis*: id enim eſt κερατίζειν.

Occurſare capro (cornu ferit ille) caveto.

Humeris poſuit pro *armis*. Solent pecudes minores à majoribus trudi atque incurſari.

Donec diſpergerentur foràs] Ad tempus uſque deportationis.

22. *Salvabo gregem meum*] Idem ſenſus qui ſuprà 13.

23. *Et ſuſcitabo ſuper eas paſtorem unum qui paſcat eas, ſervum meum David*] Zorobabelem, qui *Davidis* progenitoris ſui nomine appellatur. Vide Jeremiæ XXIII. 5. XXXIII. verſ. 15.

25. *Et faciam cum eis pactum pacis*] Fœdus meum per Prophetas eum illis innovabo. Vide Nehem. X.

Et ceſſare faciam beſtias peſſimas de terra] Quod fieri ſolet ubi terra multùm & habitatur & colitur.

Et qui habitant in deſerto ſecuri dormient in ſaltibus] In Hebræo: *Et habitabunt in deſerto confidenter, & in ſilvis dormient.* Ità omnia plena erunt hominibus.

26. *Et ponam eos in circuitu collis mei benedictionem*] In Hebræo: *Et dabo illis* (ſilvis) *& omnibus* (locis) *quæ ſunt*

circa collem meum (in circuitu Hierosolymorum) *res prosperrimas.*

Et deducam imbrem in tempore] Demittam.

Pluviæ benedictionis erunt] *Is imber erit prosperans res ipsorum.*

27. *Et dabit lignum agri fructum suum*] Arbores erunt fertiles: quod plerumque evenit in solo pridem exhausto.

Et terra dabit germen suum] Fruges.

Cùm contrivero catenas jugi eorum] Numellas. Vide Esaiam LVIII. 6. & 9.

28. *Habitabunt confidenter*] Quod certè verissimum fuit non exiguo post reditum tempore.

29. *Et suscitabo eis germen nominatum*] Posteritatem celeberrimam: quod maximè contigit Maccabæorum tempore. Vide Esaiæ LX. 21.

Et non erunt ultrà imminuti fame in terra] *Non ultrà tabescent fame*, nempe ut olim, suprà v. 12. 16. VI. 11. 12. VII. 15. XII. 16. & alibi.

Neque portabunt ultrà opprobrium gentium] Non erunt ludibrio.

30. *Cum eis*] Ipsis fautor & adjutor.

31. *Vos autem greges mei, greges pascuæ meæ homines estis*] Id est, quæ in pecudibus figuravi, hæc non ad pecudes, sed ad *homines*, & quidem Judæos, pertinent. Istæ pecudes sunt *homines*, sicut boves sunt *anni* Genes. XLI. 26.

CAP. XXXV.

MUNSTERUS.

5. *TRaxeris filios Israel*] Venit ותגר à radice נגר, & significat propriè *fluere*. Hic verò in Hiphil significat *stringere gladium in hominem*, etiamsi Hebraismus sententiam hanc contrario modo hic explicet. Est autem hic sensus, *Eò quòd traduxeris filios Israel per manus gladii*, vel, ut Kimhi exponit, *eò quòd feceris fluere sanguinem de plagis gladio illatis.* Nostri per *Ædomæos* intelligunt impios, qui cùm multa flagella intulerint piis, veniet tandem tempus ut & ipsi Dei judicium sentiant & commeritam suscipiant iram, pii verò Dei experiantur benignitatem, commutentúrque rerum vices inter bonos & malos.

6. *Sanguis persequetur te*] i. Ultio sanguinis, vel, ut Kimhi habet, *sanguinarii te persequentur, quos tamen odisti.* Alii hunc locum, *Cùm oderis sanguinem*, sic exponunt, *Odisti sanguinem & propinquitatem fratris tui Jacob, quem amare debueras ut propinquum, ideo cruenti hostes tibi à tergo instabunt.* Et nota quòd אם לא *Si non* apud Hebræos est vocabulum Jurantis.

10. *Duæ gentes*] Hæ *duæ gentes*, quarum terram Ædom occupare putabat, sunt Regnum Jehuda & Regnum Israel. Dicit autem, *Possidebimus eam*, quòd una sit terra Promissionis, sed quæ post mortem Salomonis in duas scissa fuit partes.

VATABLUS.

3. *EN ego ad te* הנני אליך] Sub. *venio*, vel *venturus sum.* Chald. *mittam iram meam contra te.*

5. *Fuerint tibi* היות לך] Sub. *cum filiis Israel.* ¶ *Et effuderis*, &c. ותגר וגו'] Ad verb. *& effuderis filios Israel in manu gladii*, i. gladio, vel per gladium, aut operâ gladii. Alii, *& fluere feceris filios*, &c. quosdam enim occiderunt, alios riserunt, & contumeliis affecerunt. Alii, *& dispersisti filios Israel gladio.* Alii, *& terrueris eos gladio.* ¶ *Tempore quo*, &c. בעת עון קץ] Ad verb. *in tempore iniquitatis finis.* Quidam exponunt ut vertimus. Alii, *tempore quo finem accepit iniquitas.* Alii vertunt *tempore iniquitatis extremæ*, vel *finalis*, i. quam ultrà tolerare non poteram. Chald. *tempore consummationis peccatorum suorum.*

6. *Sanguini præparabo te* לדם אעשך] Ad verb. *sanguini faciam te*, i. viro sanguinis, h. e. sanguinario tradam te: q. d. *gladio tradam te.* Quidam vertunt, *ad sanguinem faciam te.* Alii, *in sanguinem redigam te.* ¶ *Et sanguis* ודם] *Et vir sanguinis*, i. sanguinarii, effusores sanguinis. ¶ *Nisi sanguinem odio habueris* אם לא דם שנאת] Hebraismus, nisi caveris sive abstinueris ab effundendo sanguine, sanguis quoque tuus effundetur.

9. *Revertentur* תשובנה] Sub. *in pristinum statum*, i. non restituentur sive instaurabuntur ultrà.

11. *Faciam* ועשיתי] Hic ו tantùm convertit præt. in fut. Sub. *tecum*, vel *tibi*: i. tractabo te ut tu irâ ac furore percitus tractasti filios Israel: q. d. Gravissimè animadvertam in te ac severè. ¶ *Cùm judicavero* כאשר אשפטך] i. Cùm execuero justitiam meam in te, sive pœnas de te sumpsero.

12. *Desolati sunt* שממו] *Devastati sunt.* ¶ *Ad devorandum* לאכלה] *In cibum: in escam.*

13. *Et magnificastis* ותגדילו] Sub. *vosipsos*, i. arroganter jactastis vos, jactantes vires & opes vestras. Quidam, *magnifica jactastis.* ¶ *Et multiplicastis* והעתרתם] i. Effutivistis.

14. *Sic lætabitur* כשמח] Quidam legentes ב pro כ verterunt, *Cum exsultatione universæ terræ ego redigam te in desolationem.*

15. *Erit* תהיה] Sub. עדת *cœtus*; aut, *desolatus eris, ô mons.*

CASTALIO.

5. *TEmpore peracti criminis*] Supplicii, quod peracto crimine irrogatur.

6. *Qui cædem odisti*] Non vis cædibus affici.

10. *Eámque vos esse possessuros*] Hierosolymam.

CLARIUS.

2. *ADversùm montem Seir*] Regno veri Israelis è vestigio subnectit excidium impiorum, sub typo Edom. Volunt autem Maccabæorum temporibus Idumæos devastatos.

5. *In tempore iniquitatis extremæ*] i. Quo propter iniquitatem diutiùs pœna illorum differenda non fuit.

6. *Sanguini tradam te*] Ut scilicet tuus sanguis fundatur. ¶ *Sanguis persequetur te*] h. e. Vir sanguinarius, vel ultio sanguinis. ¶ *Et cùm sanguinem oderis*] Sic exponunt, *Odisti sanguinem & propinquitatem fratris tui Jacob, ideo cruenti hostes tibi à tergo instabunt.*

10. *Duæ gentes*] Hæ *duæ gentes*, quarum terram Edom occupare putabat, sunt Regnum Juda & Regnum Israel, quæ cùm una sit terra Promissionis, post mortem Salomonis in duas scissa fuit partes. ¶ *Cùm Dominus esset ibi*] i. Adesset, & vos talia jactantes audiret.

DRUSIUS.

4. עָרֶיךָ. Ἐν τ͂ πόλεσί σου *in urbibus tuis.*

5. לָךְ אֵיבַת עוֹלָם. ἐν σοὶ ἔχθραν αἰώνιον *in te inimicitia sempiterna*] ¶ עַל־יְדֵי־חָרֶב. Ἐν χειρὶ μαχαίρας *in manu gladii*] Quod autem in ed. Rom. ἐν χειρὶ ἐχθρῶν μαχαίρᾳ, non est diversa interpretatio, ut mihi quidem videtur, sed illud ἐχθρῶν additum per glossema.

6. דָּם שָׂנֵאתָ וְדָם יִרְדְּפֶךָּ. Sym. *sanguinem tuum odisti, & sanguis persequetur te*] Hier. *Unde manifestiùs interpretatus est Symmachus*, sanguinem tuum, *&c.* Id Græcè legitur in quibusdam libris, τὸ αἷμά σου ἐμίσησας, καὶ τὸ αἷμα ἐνδιώξεταί σε.

7. עֹבֵר וָשָׁב. Παραπορευόμενον καὶ ἀναστρέφοντα *prætereuntem & redeuntem*] Hier. in Versione sua quæ Commentariis inserta, *ut auferat de eo euntem & redeuntem, sive homines & jumenta.* Παραπορευόμενον propriè sig. *ad latus euntem, comitantem, unà iter facientem:* exponitur etiam *prætereo*, sive *transeo.*

11. וּכְקִנְאָתְךָ אֲשֶׁר עָשִׂיתָה מִשִּׂנְאָתֶיךָ בָּם. Καὶ κτ͂ τ͂ ζῆλόν σου ὃν ἐποίησας ἐκ τ͂ μεμισηκέναι σε ἐν αὐτοῖς, *& secundùm zelum tuum quem fecisti ex quo*, &c.

15. כְּשִׂמְחָתְךָ לְנַחֲלַת וגו'. Καθὼς ηὐφράνθης εἰς κληρονομίαν οἴκου Ἰσραήλ, ὅτι ἠφανίσθη, οὕτω ποιήσω σε] Hier. *Quódque infertur*, Sicuti gavisus es super hereditate domûs Israel, eò quòd fuerit dissipata, sic faciam tibi, *in LXX non habetur, sed sub asteriscis de Theodotionis editione additum est.* ¶ וְכָל־אֱדוֹם כֻּלָּהּ. Καὶ πᾶσα ἡ Ἰδουμαία ἐξαναλωθήσεται, *& omnis Idumæa consumetur*] Aliàs ἐξολοθρευθήσεται *internecione delebitur*, sive *exterminabitur.* Non habetur in versione Hieronymi. Putarim additum ex alia versione. Nam videtur Interpretum aliquis legisse כָּלָה *consumetur* pro כֻּלָּהּ *tota ipsa.*

GROTIUS.

2. *ADversùm montem Seir*] Quæ est Idumæa, Geneseos XXXVI. 9.

3. *Ecce ego ad te mons Seir*] *Venio* nempe, ut jam sæpe suprà.

Dabo te desolatum atque desertum] Idem est quod prædicitur Jeremiæ XLIX. 7. ubi vide.

5. *Eò quòd fueris inimicus sempiternus*] Heres odii quod Esau in Jacobum gessit.

Et concluseris filios Israël in manus gladii] Id est, perfugium ipsis negaveris, cùm ab Assyriis, ac deindè à Chaldæis premerentur.

In tempore iniquitatis extremæ] Locutio eadem quæ suprà XXI. 25. 29. cùm pœnæ Judæorum tempus venisset.

6. *Sanguini tradam te*] In Hebræo, *in sanguinem faciam te:* cædi te exponam.

Et sanguis te persequetur] Cædes.

Et cum sanguinem oderis] In Hebræo: *Quia odisti non sanguinem*, id est, vitam amasti sanguinariam.

7. *Auferam de eo euntem & redeuntem*] Simile suprà XXXIII. 28.

8. *Et implebo montes ejus occisorum suorum*] *Cadaveribus ipsorum.*

9. *In solitudines sempiternas tradam te*] Id est, longas.

10. *Eò quòd dixeris, Duæ gentes & duæ terræ meæ erunt*] Sperasti te primùm Salmanasaris dono posse consequi terram & captivos Samariæ, deinde à Chaldæis terram Judæam, & captivos indè factos: qualem spem etiam Ammonitæ acceperant, Jeremiæ XLIX. 1.

Cùm Dominus esset ibi] Sperasti hæc cùm adhuc Templum meum staret.

11. *Faciam juxta iram tuam, & secundùm zelum tuum*] Quomodo tu ex ira & ambitione Judæis nocuisti, sic & ego tibi nocebo.

12. *Nobis ad devorandum dati sunt*] Id est, in prædam.

13. *Insurrexistis super me ore vestro*] Nempe dicentes me non satis potentem ad Judæos tuendos.

Et derogastis adversùm me verba vestra] *Multiplicastis:* multa contra me dixistis.

15. *Sicuti gavisus es super hereditatem domûs Israël, eò quòd fuerit dissipata*] Quæ ἐπιχαιρεκακία [*lætitia de alienis malis*] describitur Psalmo CXXXVII. 7.

CAP. XXXVI.

MUNSTERUS.

1. HAah] Vox est Gaudentis de alterius malo. Interpres noster vertit semper *euge*. ¶ Per *excelsa mundi* intelliguntur montana Judææ.

3. *Assumpti estis in labium linguæ*] Est hîc תעלו passivæ vocis, scribitúrque sub Ain Hatephpathah loco Kamez: & est sensus, Gentes quæ post grassationem Regis Babylonis residuæ manserunt per circuitum terræ vestræ, sæpe cum ignominia recordantur vestri, diffamant vos & irrident, & gloriantur perinde ac si devorassent vos. *Ascendere* ergò vel *assumi super labium linguæ* est Diffamari.

5. *Quod exposita sit prædæ*] Heb. *propter abjectionem ejus in direptionem:* h. e. gaudent vicinæ gentes, non sine contemptu animi & irrisione populi mei, quòd terra ista venerit ipsis in direptionem & conculcationem.

7. *Ego levavi manum meam*] Modus est jurandi.

8. *Proferetis fructum vestrum*] Promittit Deus, reducto populo, terram feliciorem futuram quàm fuerit cùm populus sub Mose & Jehosua illam ingrederetur. Et cùm hæc post captivitatem Babel non contigerint, siquidem Templum in angustia & labore ædificatum est, constat hæc in spiritu accipienda esse, & populum spiritualibus affluiturum benedictionibus.

12. *Ducam ad vos homines*] i. Adducam populum meum ex captivitate, ô montes Israel, ut habitet in vobis. Et mox mutans numerum subjicit, Tu, mons, non addes ut iterum populum meum orbum facias & exstirpes, sed stabilis & æterna erit mansio eorum: sed nec tu, terra, deglutiès populum meum, & non abiges cives tuos, sicut antè facere consuevisti.

18. *Propter sanguinem*] Duo improperantur mala populo Judaico propter quæ Deus iratus effudit furorem suum in eos, Homicidium scilicet & Idololatria. Primum ex defectu Charitatis, & alterum ex defectu Fidei natum est.

23. *In vobis coram oculis illarum*] Cùm Hebræi codices hîc diversam habeant lectionem, nos secuti sumus Chaldaicam versionem.

25. *Aquas mundas*] Kimhi accipit has *aquas* pro כפרה *propitiatione Divina.*

26. *Cor novum*] Intellige cor quod Domini verbo obedit & in novitate vitæ ambulat, & jam aliter sentit atque secùs afficitur quàm antea.

35. *Sicut hortus Eden*] Hæc omnia veriùs referri possunt ad Ecclesiam Christi quàm ad populum Judaicum è captivitate sua in terram Israel revertentem.

37. *Quærar*] i. Quæsitus inveniar & rogatus propitiabor.

38. *Sicut oves sanctæ*] Heb. *Sicut oves sanctitatum*, h. e. Sicut oves in magnis festivitatibus ad immolandum multiplicantur, vel sicut urbs Jerusalem Paschalibus hostiis replebatur; sic homines in magna multitudine inhabitabunt terram, &c.

VATABLUS.

1. SUper montes אל הרי] *Contra montes*, vel *de montibus.* Intelligit terram Juda quæ abundabat montibus. Estque Metonymia: accipitur enim continens pro contento, i. *incolas.*

2. *Inimicus ille* האויב] q. d. *Inimicus ille capitalis Idumæus.* ¶ *Etiam excelsa*, &c. ובמות וגו׳] *Et excelsa sempiterna in possessionem facta sunt nobis*, i. cesserunt, sive nostra sunt. De montibus Judææ loquitur, qui in perpetuum duraturi erant. Doctus inter Hebræos vertit *altitudines mundi*; quòd terra Israel sublimior sit omnibus aliis regionibus.

3. *Undique* מסביב] *Per circuitum*, i. qui sunt in circuitu vestro, gentes vobis vicinæ per circuitum. ¶ *Hereditas* מורשה] In *possessionem*, i. ut jure hereditario possiderent vos reliquæ gentes. ¶ *Et ascendistis*, &c. ותעלו וגו׳] Hebraismus, pro fabula facti estis Gentibus quæ post grassationem Regis Babylonis residuæ remanserunt per circuitum terræ vestræ. דבה (quod à דבב deducitur, quod *loqui* & *detrahere* significat) semper in malam partem accipitur, pro *oblocutione*, *detractione*, & *irrisione.*

4. Et *desertis desolatis* לחרבות השממות] Et *ruinis desertis*, vel *ruinosis desertis.*

5. *Nisi* אם לא] Juramus est, *Nolite posthac credere mihi, nisi zelo meo ardente* [sive *ira percitus & vehementer iratus*] *interminatus sim interitum reliquis Gentibus & ipsi Edom*; &c. q. d. Severè & gravissimè animadvertam in gentes illas quæ vos injuriâ affecerunt. ¶ *Quæ posuerunt*, &c. אשר נתנו וגו׳] Hebraismus, vendicaverunt sibi terram meam tanquam sua esset. *Suam* dicit, quòd in ea habitaret ejus majestas ac gloria. ¶ *Cum contemptu animi* בשאט נפש] Suprà 25. 6. & 15. dixit בשאט בנפש *cum contemptu in animo:* ubi plena est locutio. Chal. *cum contemptu*, *cum gaudio animi.* ¶ *Ut ejicerent*; &c. למען וגו׳] *Ut expellerent*, &c. Hebraismus, ut eam prædæ exponerent.

6. *Super humum* על אדמת] *De terra.* ¶ *In zelo meo & furore meo* בקנאתי ובחמתי] V. 5. dixit, *In igne zeli mei.* ¶ *Portastis* נשאתם] *Sustinuistis*, i. à Gentibus injuriâ ac contumeliâ affecti estis.

7. *Levavi manum meam* נשאתי את ידי] Vide c. 20. 5. ¶ *Nisi* אם לא] Ut v. 5. ¶ *Quæ vobis*, &c. אשר לכם וגו׳] Hebraismus, *vobis vicinas per circuitum eâ ignominiâ afficiam quâ vos affecerunt:* vel, *quæ vobis molesta sunt undique* [aut; *quæ vos undique spoliaverunt & affixerunt*] *probris afficiam.*

8. *Dabitis* תתנו] i. Producetis.

9. *Et convertar ad vos* ופניתי אליכם] *Et convertam me ad vos.* Alii, *& respiciam vos*, ut scilicet solent qui aliorum miserentur.

10. *Super vos* עליכם] i. *In vobis.* ¶ *Et deserta* והחרבות] *Et ruinæ*, vel *desolationes.*

11. *Secundùm antiquitates vestras* כקדמותיכם] i. Sicut fuistis à principio, vel juxta pristinum statum vestrum. ¶ *Et benefaciam*, &c. והטבתי וגו׳] Ad verb. *& bonificabo à prioribus vestris*, i. plus beneficiorum vobis conferam quàm ab initio.

12. *Et ambulare faciam*, &c. והולכתי וגו׳] i. Adducam populum meum ex captivitate, ô montes Israel, ut habitet in vobis. ¶ *Et possidebunt te, & eris* וירשוך והיית] Sub. *ô mons.* Mutatio numeri est, pro *tanquam jure hereditario incolent vos, ô montes.* ¶ *Nec addes* ולא תוסיף] Sub. *terra.* Mutatio generis: i. non reddes eos ultrà orbos & absque filiis: q. d. Non peribunt ultrà in te homines incolæ tui.

13. *Dicunt vobis* אמרים לכם] i. Inimici de vobis dicunt.

14. *Orbabis*] תכשלי scribitur; i. *impingere facies*; & legitur תשכלי *orbabis.*

15. *Nec audire faciam in te*, &c. ולא אשמיע אליך וגו׳] Hebraismus, Efficiam ut posthac non afficiant te ignominiâ ac probris Gentes & populi. ¶ *Cadere facies* תכשלי] *Facies impingere*, vel *corruere*, sub. *ô terra.*

17. *Polluerunt*, &c. ויטמאו וגו׳] Ad verb. *& polluerunt eam viâ suâ.* Redundat ו *&.* Quidam vertunt participium præcedens ישבים in verbum præteritum, *habitaverunt super terram, & polluerunt:* hoc pacto non redundat *&.*

19. *In Gentes* בגוים] Sub. *illas quas immisi in eos.* ¶ *Et ventilati sunt* ויזרו] *Et dispersi fuerunt*, vel *dissipatique sunt.* ¶ *Juxta mores eorum* כדרכם] *Juxta vias eorum*; i. pro ratione scelerum ac flagitiorum suorum animadverti in eos.

20. *Et ingressi* ויבוא] Sing. Heb. pro plur. *Et ingressus est.* ¶ *Ad quas venerunt* אשר באו שם] Ad verb. ad *quas venerunt*

illuc,

illuc, pro *quò venerunt*: sic v. 21. ¶ *Eis* לחם] *De illis.* ¶ *Populus*, &c. עם וגו'] His verbis taxabant Dominum, acsi dicerent, *Si is fuisset Deus eorum qualem prædicant, omnipotens, non permisisset eos expelli terrâ suâ.* Hinc apparet quid sit *polluere nomen Dei*, nempe occasionem dare malè sentiendi de omnipotentia Dei.

21. *Et peperci*, &c. ואחמול וגו'] q. d. Misertus sum autem nominis mei sanctissimi; vindicavi enim eum à pollutione & injuria quâ afficiebatur: consului honori ac gloriæ nominis mei.

22. *Facio* עשה] Præsens Heb. pro fut. *faciam*, sub. *qua facturus sum.* ¶ *Ad quas venistis* אשר באתם שם] *Ad quas ingressi estis.* Ad verb. *quas ingressi estis illuc.*

23. *Cùm sanctificatus fuero*, &c. בהקדשי וגו'] Hebraismus, cùm vindicavero ac purgavero nomen meum ab omni pollutione ac contaminatione, reddideróque illud celeberrimum, ostendendo scilicet omnipotentiam meam & clementiam.

24. *Et venire faciam* והבאתי] *Et adducam.*

26. *Dabo in medio vestrî* אתן בקרבכם] *Ponam intra vos.* Sic v. 26. ¶ *Cor lapideum*, &c. לב האבן וגו'] i. Durum instar lapidis, h. e. durissimum (nullam enim impressionem admittit lapis) mentem sive animum obstinatum, qui nullam quantumcunque piam admittit admonitionem. Chald. *cor impium, durum ut lapis.* Huic contrarium est *cor carneum* (i. molle) h. e. Animus aptus ad suscipiendas pias ac sanctas admonitiones.

27. *Dabo in medio vestrî* אתן בקרבכם] *Ponam in visceribus vestris.* Alii, *inseram in interiora vestra.*

29. *Et vocabo* וקראתי] Hebraismus: i. vel verbo efficiam ut veniat: q. d. Efficiam ut abundetis magnâ copiâ frumenti. Alludit ad jussa herorum, ad quorum nutum concurrere solent servi. ¶ *Multiplicabóque* והרביתי] Hic ו & pro *id est* ponitur: nam exponit quod dixit *advocabo frumentum.*

30. *Nè accipiatis ultrà*, &c. למען אשר וגו'] Hebraismus, nè sustineatis ultrà probrum, i. ut posthac non malè audiatis apud Gentes ob penuriam panis.

31. *Et excidemini vos* ונקטתם] *Et succidemini vos*, i. succisione (sive excidio aut exterminatione) dignos reputabitis vosipsos. Describit mentem & habitum verè pœnitentis.

33. *Habitare faciam* והושבתי] Ad verb. *Et habitare faciam.* Aut redundat ו &: aut verte, *simul habitare faciam*, sive *etiam faciam*, i. reddam habitabiles.

34. *Vice ejus*, &c. תחת וגו'] *Pro eo quòd fuit desolatio:* vel, *ubi antea erat desolata:* aut, *cùm antea fuisset desolata ac deserta, videntibus omnibus transeuntibus.*

35. *Et dixerunt* ואמרו] Quidam præterita hujus versûs convertunt per futurum & per præsens, vertentes, *Et dicent, Terra ista desolata fuit*, & nunc est *sicut hortus Eden: & civitates desolatas, devastatas & eversas*, ipsi *inhabitant munitas.* ¶ *Habitabantur* ישבו] Ad verb. *Sederunt*, i. erant munitæ & habitatæ.

36. *Et scient* וידעו] Juxta præcedentium versionem versus iste respicit initium 34. ¶ *Diruta* הנהרסות] Urbes *destructas.* ¶ *Plantavi* נטעתי] i. Plantis replevi. ¶ *Et feci* ועשיתי] Præt. Heb. pro fut. *faciam*, ut alii vertunt.

37. In *hoc ero requisitus*, &c. זאת אדרש לבית] In *hac re requirar à domo*, i. quærent me, & quærendo invenient; impetrabunt hoc à me, sive gratiam hanc eis impertiar. ¶ *Ut faciam* לעשות] Sub. *quod pollicitus sum eis*, nempe *quod multiplicabo eos*, &c. ¶ *Hominibus*, &c. כצאן וגו'] Ad verb. *sicut gregibus hominibus.* Quidam vertunt, *hominibus tanquam gregibus.* Sic v. 38.

38. *Sancta* קדשים] Ad verb. *sanctorum*, vel *sanctificationum*, i. consecratæ Deo, quæ adducuntur *in Jerusalem* tempore *solennitatum*, nempe ter in anno: vel, quæ inveniuntur *in Jerusalem*, ut ex illis fiant *sacrificia.* ¶ *Gregibus hominum* צאן אדם] i. Gregibus humanis, h. e. hominibus.

CASTALIO.

2. Æ*Ternorum fastigiorum*] Israeliticorum montium.

8. *Vos autem, ô montes Israelitici, vestros & ramos edetis & fructus feretis Israelitis meis propediem venturis*] Scilicet isthuc.

20, 21. *Illi verò, ut ventum est in nationes in quas venerunt, meum sacrum profanavêre nomen*, &c.] Ibi quoque peccarunt; quò fit ut ego malè audiam, cùm mei dicantur esse. Atque ob id crimen ego eos delerem. Sed malè audirem apud Gentes, ni eos revocarem, ut promisi.

37. *Videlicet ut eos augeam quasi humanas oves*] Ut pastor oves habet, sic ego eos Hierosolymitanos homines habebo.

CLARIUS.

2. A*Ltitudines sempiternæ*] i. Longissimi temporis, quæ longissimo tempore fuistis vestræ.

3. *Ascendistis super labium linguæ*] i. Estis fabula omnibus.

11. *Majoribus quàm habuistis*] Notabis hìc quòd terra felicior in hac populi reductione futura est quàm tum erat ubi primùm populus Israel per Mosen & Josue induceretur: quod cùm factum non fuerit, sequitur hæc in spiritu accipienda esse, & populum spiritualibus abundaturum benedictionibus.

12. *Possidebunt te*] Quemlibet scilicet tuorum. Mutat autem numerum.

13. *Devoratrix hominum es*] Alloquitur montes, quibus objiciebant quòd omnes perirent qui terram Judææ incolerent: nam peste & fame peribant, abducebantúrque in captivitatem: & ità perdere suos populos videbatur.

21. *Et peperci nomini sancto meo*] Nè dicerent gentes, *Si Deus est, cur de terra sua ejecti sunt?*

25. *Aquam mundam*] Alludit ad baptismos & purificationes Legales, maximè verò ad aquas russæ vaccæ cineribus temperatas, quæ in præcipuis purificandi ritibus erant, Num. 19. At sub Christo vera erit plenáque purificatio: nam hæc veriùs ad Ecclesiam Christi referri possunt quàm ad populum Judaicum è captivitate sua in terram Israel revertentem.

31. *Et displicebunt vobis*] Potest & verti, *Digni excidio reputabimini in oculis vestris propter iniquitates vestras*, &c.

38. *Ut gregem sanctum*] Sicut oves in magnis festivitatibus ad immolandum multiplicantur in Jerusalem, &c.

DRUSIUS.

2. במות. τὰ ὑψηλὰ *excelsa*] Hier. *altitudines*, sive *solitudines.* Idem alibi, BAMA *singulariter* excelsum, & BAMOTH *pluraliter* excelsa *significat.* Eusebius De locis, BAMA *Aquila semper* ὑψηλὸν *reddit.*

5. בְּכָל־לֵב. ἐξ ὅλης καρδίας *ex toto corde.*

11. וְרָבוּ וּפָרוּ. καὶ πληθυνθήσονται καὶ αὐξηθήσονται, & *multiplicabuntur & crescent*] Mutavi ordinem verborum. Nam in Theodoreto καὶ αὐξηθήσονται καὶ πληθυνθήσονται, & *crescent & multiplicabuntur.*

13. אֹכֶלֶת אָדָם. γῆ κατέσθουσα ἀνθρώπους *terra devorans homines.*

15. וְגוֹיֵךְ לֹא־תְכַשְּׁלִי עוֹד. καὶ τὸ ἔθνος σου οὐκ ἀτεκνωθήσεται ἔτι, & *gens tua absque liberis ultrà non erit.*

18. עַל־הַדָּם אֲשֶׁר וגו'. περὶ τοῦ αἵματος οὗ ἐξέχεαν ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ ἐν τοῖς εἰδώλοις αὐτῶν ἐμίαναν αὐτήν, *pro sanguine quem fuderunt super terram, & idolis suis polluerunt eam.*

19. כַּעֲלִילוֹתָם. κατὰ τὰ ἐπιτηδεύματα αὐτῶν *secundùm adinventiones suas.*

20. בֶּאֱמֹר לָהֶם. ἐν τῷ λέγεσθαι αὐτούς *cùm diceretur eis.*

38. צֹאן אָדָם. LXX πρόβατα ἀνθρώπων] i. *Ovibus hominibus*, vel *ovibus hominum.* Hieronymus explicat *ovibus*, i. *gregibus.* Probarem si esset עדרי in Ebræo fonte. *Oves homines*, ut *vulpes homines*, &c. Hier. Ezec. 14. pag. 365. col. 2. *Multi enim habentes Hominis faciem corporalem, diversarum bestiarum assumunt imagines: quas dissipari Propheta cupiens, deprecatur Psal. 72.* Domine, in civitate tua imaginem eorum dissipabis. *Illi de quibus scriptum est*, Homo cùm in honore esset non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est eis, *non sunt homines homines, sed homines jumenta. Rursum qui in Evangelio audiunt*, Serpentes, genimina viperarum, &c. *non sunt homines homines, sed homines serpentes. Et de quibus scriptum est*, Vulpes foveas habent, &c. *non sunt homines homines, sed homines vulpes.* Cæterùm Theodoretus habet καὶ ἀνθρώπων, ut sit ἀσύνδετον. & alibi est καὶ ἀγρῶν. Sed suspicor initio fuisse ἀνδρῶν, & indè factum ἀγρῶν, levi mutatione.

GROTIUS.

1. P*Ropheta super montes Israel*] Ut suprà vi. 2. est consolatio Judæorum.

2. *Eò quòd dixerit inimicus*] *Iste inimicus*, nempe Idumæus, de quo actum modo.

Altitudines sempiternæ] Montes isti immobiles.

3. *Conculcati per circuitum*] In Hebræo, *absorpti.*

Ascendistis super labium linguæ] Facti estis fabula, Jeremiæ xxiv. 9.

4. *Subsannatæ à reliquis gentibus per circuitum*] Idumæis, Ammonitis, Moabitis.

5. *Quo-*

5. *Quoniam in igne zeli mei locutus sum*] In Hebræo: *Nisi locutus sum*, supple, *nè Deus habear.*

Dederunt terram meam sibi in hereditatem] Sperarunt se ejus dominos fore, ut suprà xxxv. 10.

Et ejecerunt eam ut vastarent] In Hebræo: *Ut expulsio ejus* (populi Judaïci) *in prædam*, supple *Idumæis cederet.*

6. *Confusionem gentium*] Contumelias.

7. *Ego levavi manum meam*] Juravi, ut Geneseos xiv. 22.

8. *Vos autem, montes Israël, ramos vestros germinetis*] *Frondes vestras proferatis.* Ità enim ענף sumitur.

9. *Ego ad vos*] Bono sensu: id est, *favebo vobis.* alibi contrà.

11. *Habitare vos faciam sicut à principio*] Id est, ut olim.

12. *Non addes ultrà ut absque eis sis*] Hebraïsmus, pro *non ultrà sine eis eris.*

13. *Devoratrix hominum es*] Propter sanguinem Judæorum in Judæa fusum.

Et suffocans gentem tuam] Propter famem quæ ibi fuerat.

15. *Non amittes ampliùs*] In Hebræo, *Cadere facies.*

17. *Juxta immunditiam menstruatæ facta est via eorum coram me*] Vide Esaiæ lxiv. 6.

18. *Pro sanguine quem fuderunt super terram*] Propter cædes injustas.

Et in idolis suis polluerunt eam] Hebraïsmus, quem sic resolvas; *& pro idolis quibus eam polluerunt.*

20. *Ingressi sunt ad gentes*] Abducti.

Et polluerunt nomen sanctum meum] Occasionem dederunt gentibus mihi obloquendi.

21. *Et peperci nomini sancto meo*] *Peperci* (Judæis, id est, servavi reliquias) *propter nomen meum*; nè impotens putarer.

22. *Non propter vos ego faciam*] Id est, non quòd vos steteritis fœderi, suprà xx. 61.

23. *Sanctificabo nomen meum magnum*] Efficiam ut appareat potentia mea.

Coram eis] Sic & Chaldæus & Græci, qui omnes legêre לעיניהם [*in oculis eorum*], non ut nos habemus לעיניכם [*in oculis vestris*].

24. *Congregabo vos de universis gentibus*] Babylonici Imperii, & aliunde, suprà xxxiv. 12.

25. *Effundam super vos aquam mundam*] Pia Prophetarum monita, quæ non corpus purgabunt, ut aqua illa aspersionis memorata Numer. xix. sed animum. Præparamenta hæc sunt ad Euangelium & ad Baptismum. Malè Judæi hæc referunt ad tempus post Resurrectionem.

26. *Et dabo vobis cor novum, & spiritum novum*] Vide suprà xi. 19.

27. *Et spiritum meum ponam in medio vestri*] Id est, Prophetas egregios, quales Aggæus, Zacharias, Malachias.

Et faciam ut in præceptis meis ambuletis] Nihil ex mea parte omittam.

28. *Eritis mihi in populum*] Mihi parebitis.

Et ego ero vobis in Deum] Vobis bene faciam.

29. *Et salvabo vos ex universis inquinamentis vestris*] Cultibus idololatricis; ad quos postea Judæi universim relapsi non sunt.

Et vocabo frumentum, & multiplicabo illud] Arva erunt frugifera. At sublimiùs verba hæc in Christo impleta: Matthæi xiv. & xv.

30. *Fructum ligni*] Poma, amygdala, balsamum.

Et genimina agri] Uvas.

31. *Recordabimini*] Id est, pudeat vos; ut sequentia explicant.

33. *In die qua mundavero vos ab omnibus iniquitatibus vestris*] Pœnas abstulero.

35. *Destituta atque suffossa*] In Hebræo: *Desolata & diruta.*

36. *Et scient gentes quæcunque derelictæ fuerint in circuitu vestro*] Nam quædam abductæ sunt, ut Ammonitæ, Moabitæ, Idumæi.

Plantavique inculta] *Consevi.*

37. *Adhuc in hoc invenient me domus Israël*] In Hebræo, *quærar*; sed est μετάληψις [*transsumtio*]. vult enim dicere, *Hoc quoque ipsorum precibus concedam.*

38. *Multiplicabo eos sicut gregem hominum*] *Multiplicabo eos homine* (id est, hominibus) *sicut grex multiplicari solet.*

Ut gregem sanctum, ut gregem Jerusalem in solemnitatibus ejus] Sicut grex, inquam, non quilibet, sed optimarum pecudum, unde victimæ solent sumi & deduci Hierosolyma die Paschatis, Pentecostes & Tabernaculorum.

Gregibus hominum] Ex similitudine sumit μεταφορὰν [*translationem*].

CAP. XXXVII.

MUNSTERUS.

9. Sufla in istos interfectos] Est verbum פחי imperativus à radice נפח. Et nota quòd hæc visio Prophetica imago quodammodo fuit futuræ Resurrectionis, licèt Restitutio Israëlis in terram suam per eam præcipuè significetur. Plerique Judæi sunt in hac opinione ut putent tempore Meschiæ multos Israelitas resuscitandos, ut videant salutem Domini. Et hi quidem non absurdè loquerentur si in spiritu hæc fieri dixissent, juxta illud, *Abraham pater vester exsultavit ut videret diem meum: vidit, & gavisus est.* Porrò R. Eliezer F. Josi Galilæi fabulatur mortuos illos quos suscitavit Jehezkel ascendisse in terram Israel, duxisse uxores, & genuisse filios. Alii aliud sentiunt: de qua re vide D. K. hoc loco.

11. *A nobis ipsis*] Capitur hic לנו pro לעצמנו. Jonathan vertit *perditi sumus nobis.*

16. *Et filiorum Israel*] Intelligit Binjamitas, qui semper Tribui Jehuda individuè cohæserunt, aliis Decem tribubus in unum Regnum coeuntibus, & à Regno Jehuda sub Rehabeam deficientibus; quæ hîc per *lignum Joseph & Ephrajim* signantur. Prædicit itaque Propheta populos horum duorum Regnorum iterum conjungendos in unum Regnum sub Rege Meschia, h. e. coalescent in Christo in unum populum, non per legem Mosi, sed per donum fidei. Et quoniam Decem tribus degeneraverunt in Gentes, & pauci ex eis redierunt in terram Israel post captivitatem Babylonicam, videntur hîc per *Ephrajim* significari Gentes, quæ per fidem Christi unus factus sunt cum veris Jehudæis populus: quicquid moderni Jehudæi nugentur de Decem tribubus detentis in Regno Gog & Magog.

23. *Salvabo eos de cunctis habitationibus suis*] i. Eripiam eos de cunctis habitaculis in quibus coluerunt idola & addicti fuerunt rebus abominandis. Indicatúrque ordo salutis. Primò enim Deus suos mundat ut sint populus Dei: mundantur Spiritu Christi, & non imputabuntur eis peccata propter justitiam Christi. Deinde serviunt Christo, qui docet judicia sua, ut illa faciant hilari spiritu: & sic tandem veniunt ad terram promissionis, h. e. ad veram Dei cognitionem, in qua est omnis thesaurus scientiæ & sapientiæ Dei. Alioquin si hæc ad literam intelligenda contendis, qualem, quæso, habuerunt Patres, Abraham, Izahac & Jacob, mansionem in terra Promissionis? Numquid non dicebat Jacob, *Peregrinus fui sicut omnes patres mei?*

26. *Fedus pacis*] Per unum Christum pacem habemus cum Patre. Ergò fedus hoc constabit per Christum, qui Templum est Divinitatis, in medio habitans populi sui.

VATABLUS.

1. Manus יד] i. Prophetia. ¶ *Et eduxit*, &c. ויוציאני וגו'] i. Ductus fui a Spiritu Domini. ¶ *Campi qui erat* הבקעה והיא] Ad verb. *vallis, & ipsa:* pro, *vallis illius quæ erat.* Vallem insignem intelligit cujus meminit suprà 3. 22. Hâc imaginariâ visione prædicit futuram liberationem populi Israelitici, quem mortuorum Ossibus comparat. Ut enim nulla reliqua spes esse solet futuræ vitæ in ossibus aridis, sic nec Israelitæ sperabant futurum ut in terram suam Chanaan reverterentur: ut dicunt v. 11. *Periit spes nostra, succisi sumus.*

2. *Circumcirca* סביב סביב] *Per circuitum.*

5. *Introire facio* מביא] *Inducam*, vel *adducam.* Sic per præsens quidam vertunt.

6. *Et ponam* ונתתי] Ad verb. *Et dabo*, i. tegam vos nervis, tegam etiam carne, vestiámque cute.

7. *Sonitus* קול] *Vox*, vel *strepitus:* i. auditum est tonitruum. ¶ *Commotio* רעש] *Tremor.* Terræmotum significat.

8. *Et vidi*, &c. וראיתי וגו'] Latinè Hebræa sic verteris, *Cúmque aspexissem, vidi statim illa inducta nervis, carne & cute.*

9. *Et vivent* ויחיו] i. Ut vivant, sive reviviscant.

10. *Valde, valde* מאד מאד] Hebraismus, supra modum, vel quàm maximus.

11. *Succisi sumus nobis* נגזרנו לנו] *Exterminati sumus nobis*, i. malo sive damno nostro: q. d. Jam actum est de nobis. Periimus.

12. *Et educam vos è tumulis vestris* והעליתי אתכם מקברותיכם] Ad verb. *& ascendere faciam vos è sepulcris vestris.* Per *sepulcra* sive *tumulos* intelligit urbes & carceres in quibus ipsi detinebantur captivi.

14. *Locutus sum, & feci* דברתי ועשיתי] i. Promisi, & steti promissis.

16. *Lignum unum* עץ אחד] i. Tabellam unam ligneam. ¶ *Et filiis Israel* ולבני ישראל] Per *filios Israel* intelligit eos qui erant de tribu Benjamin, & viros pios ac religiosos qui à Decem tribubus confugerant ad tribum Juda, quando divisum fuit Regnum. ¶ *Arbori Ephraim* עץ אפרים] *Joseph* significat Decem tribus, quæ *lignum Ephraim* dicuntur, quia diviso Imperio Jeroboam, qui ex tribu Ephraim erat, imperavit Israeli. ¶ *Sociorum ejus* חבריו] *Sociis ejus*, i. sociæ ejus, nempe ipsius Ephraim.

17. *Et adjunge ea* וקרב אתם] Ad verb. *Et appropinquare fac ea*, i. admove sive adjunge illas duas tabellas simul ut sint una tabella. ¶ *Ut sint lignum unum* והיו לאחדים] Ad verb. *& erunt in una.* Plurali numero *una*, i. coalescent in unum lignum; efficiéntque unicam tabellam.

18. *Quid ista tibi?* מה אלה לך] i. Quid his significare velis?

19. *Ecce ego assumo* הנה אני לוקח] Præs. Heb. pro fut. *Equidem assumpturus sum.* ¶ *Cum eo* עליו] Sub. *ligno Ephraim.* Quidam *cum ea*, nempe *tribu Ephraim.* Alii, *ad illud*, nempe *ad lignum Ephraim.*

20. *Sint autem ligna*, &c. 'והיו העצים וג] i. Ostendes illis duas illas tabellas in quibus scriptutus es.

21. *Ecce ego assumo* הנה אני לוקח] Ut v. 19. ¶ *E Gentibus* מבין הגוים] Ad verb. *de inter Gentes.* ¶ *Veniréque faciam eos* והבאתי אתם] *Adducámque eos*, vel *introducam.*

22. *Amplius* עוד] Geminatur ad majorem expressionem.

23. *Salvósque faciam* והושעתי] *Eruámque eos*, vel *eripiámque.*

24. *Et servus meus David*, &c. 'ועבדי דוד וג] Luc. 1. 32. *Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ipsius, regnabitque super domum Jacob in æternum*, &c. ¶ *Et mandata mea* וחקותי] *Et statuta mea*, vel *& Leges meas.*

26. *Et ponam eos* ונתתים] Ad verb. *& dabo eos.* ¶ *Ponámque Sanctuarium meum* ונתתי את מקדשי] Ad verb. *dabóque Sanctificationem meam*, i. perpetuò habitabo cum eis sicut habitare solebam cum Israelitis in Templo mihi sanctificato, sive in honorem meum exstructo.

27. *Et ero eis in Deum*, &c. 'והייתי להם לאלהים וג] Ut v. 23.

28. *Sanctifico* מקדש] i. Tueor & protego defendóque ut rem sanctam. ¶ *Sanctuarium meum* מקדשי] *Sanctificatio mea*, i. quando videbunt me perpetuò manere cum illis, i. quòd illi nunquam destituantur favore & auxilio meo.

CASTALIO.

5. EGO *in vos immittam spiritum, quo revivisc atis*] Et aliàs declaravi, simplicia verba sæpe esse per composita Latinè vertenda, quòd composita non habeant Hebræi. Ità hic חיה est *reviviscere*, ut interpretatus est Antiquus Interpres. Atque ità positum est verbum ζῆν Matth. 9. & Joann. 5. & 11. pro ἀναζῆν, Hebræo more; sicut נפש pro *reficere* & *instaurare* ponitur. Atque hujusmodi verborum significatio ex sententiæ tenore perspicitur.

14. *Scietisque me Jovam eum esse qui & dicam & faciam*] Ea facere quæ dixerim.

CLARIUS.

9. A *Quatuor ventis*] De spiritu vitali agit, quem alloquitur, *A quatuor plagis, ô spiritus, veni*, ubicunque fueris. Phantasiæ hominis se attemperat Propheticus Spiritus, cui videtur in aerem dissolvi vita mortalium exspirantium; ut ille ait,

—— *tenuésque recessit in auras.*

Revera autem *ad Dominum spiritus redit, qui dedit illum* qui est sinus Abrahæ & credentium conceptaculum. Anima corporea non inspiratur aliunde, sed, ut ex historia Genesis in opere Quintæ diei patet, interiùs adnascitur animantibus cum corporibus: solius Hominis vita foris & à Deo uno afflatur. Cæterùm *à ventis undique venire* est Occultè & inobservanter venire, nam *spiritus ubi vult spirat*, &c. Sic sunt veri Israelitæ ex quatuor orbis partibus undique aggregandi in unitatem fidei, Spiritu eodem. Hæc autem visio Prophetica imago quodammodo fuit futuræ Resurrectionis, licèt ad literam Restitutio Israelis in terram suam per eam significetur. Quare ut animum ad Resurrectionem referas, non dixit, *aperiam carcerem captivitatis vestræ*, sed *aperiam tumulos vestros*, &c.

16. *Lignum unum*] Per *lignum* sceptrum intellige: ex ligno enim sceptrum Regni symbolum fiebat *Conjunctio* autem *lignorum* significat futurum unum ovile ex Judæis & Gentibus, quas Decem tribus figurant, quæ in gentes profanas degenerarunt. Quod autem ait *Juda & filiorum Israel*, per *filios Israel* intelligit Benjaminitas, qui semper Tribui Juda individuè cohæserunt, aliis decem tribubus in unum Regnum coeuntibus, & à Regno Juda sub Roboam deficientibus; quæ hic per *lignum Joseph & Ephraim* signantur.

23. *In quibus peccaverunt*] Eripiam, inquit, eos de cunctis habitaculis in quibus coluerunt idola & addicti fuerunt rebus abominandis, ut mundati Spiritu Christi serviant ei, & sic veniant ad terram promissionis, nempe ad veram Dei cognitionem. Alioqui si hæc ad literam intelligenda contendas, qualem, quæso, habuerunt mansionem etiam ipsi eorum patres, cùm Jacob dicat, *Peregrinus fui sicut omnes patres mei?*

26. *Fedus pacis*] Per unum Christum pacem habemus cum Patre: Ergò fedus hoc constabit per Christum, qui Templum est Divinitatis, in medio habitans populi sui.

DRUSIUS.

1. וַיּוֹצִאֵנִי בְרוּחַ יְהוָה] Verba hæc ambigua sunt: nam verti possunt, *& eduxit me in spiritu* DOMINUS: &, *eduxit me* (nempe *manus* DOMINI) *in spiritu* DOMINI. Utraque interpretatio exstat in codd. Græcis. Hieronymus autem hanc postremam in versione sua secutus est. Cui infirmandæ verbum masc. ויוציא *eduxit*, cùm nomen יד, quo *manum* significant, in communi usu femininum sit. Verba Hieronymi in Comment. *Et eduxit me, inquit, in spiritu* DOMINI, *subauditur, manus* DOMINI. Cui favet locus Soph. 3. 16. ubi יד masculinè construitur. Similis per omnia locus Ezec. 40. 1. ויבא *& introduxit* sub. *manus* DOMINI, ait Hieronymus. R. David annotat alium reperiri in quinque Megellis.

7. וַיְהִי־קוֹל ... καὶ ἐγένετο φωνή, *& fuit vox.* ¶ כְּהִנָּבְאִי *dum propheto*] Hoc postremum exstat in Tertulliano De resurr. carnis. Hodie reddunt *prophetante me.* ¶ עֶצֶם אֶל־עַצְמוֹ. ὀστέον πρὸς ὀστέον *os ad os.*

9. מֵאַרְבַּע רוּחוֹת בֹּאִי הָרוּחַ. Ἐκ τῶν τεσσάρων ἀνέμων ἐλθὲ, πνεῦμα, *A quatuor ventis veni, spiritus*] Partim librorum ἐλθέτω.

10. חַיִל גָּדוֹל. A. Th. δύναμις μεγάλη *exercitus magnus*] In ed. Rom. *virtus magna*: & apud Tertullianum *valentia magna.* Sed *valentia* propriè כח dicitur. *Virtus* autem apud Interpretes pro *exercitu* sumitur; ut ubi legimus, DOMINUS *virtutum*, quod in Ebræo est *Sabaoth.* ¶ מְאֹד מְאֹד. σφόδρα σφόδρα *valde valde*] In ed. Hier. *nimis valde*: & alibi, *vehementer nimis.* Hier. *Unde & resurrectio dicitur mortuorum* συναγωγὴ πολλὴ, *i. congregatio, sive ecclesia, multa, &, ut in Ebræo habetur,* grandis exercitus.

12. אֶתְכֶם מִקִּבְרוֹתֵיכֶם עַמִּי. ὑμᾶς ἐκ τῶν τάφων ὑμῶν λαός μου, *vos de sepulcris vestris populus meus.*

22. לְגוֹי אֶחָד. εἰς ἔθνος ἓν *in gentem unam.* ¶ לְכֻלָּם לְמֶלֶךְ. πάντων αὐτῶν εἰς βασιλέα *omnium eorum in Regem.*

23. וּבְשִׁקּוּצֵיהֶם וּבְכֹל פִּשְׁעֵיהֶם. καὶ ἐν τοῖς προσοχθίσμασιν αὐτῶν, καὶ ἐν πάσαις ταῖς ἀσεβείαις αὐτῶν, *& in offendiculis suis, & in omnibus impietatibus suis.*

25. וּבְנֵיהֶם וּבְנֵי בְנֵיהֶם עַד־עוֹלָם. καὶ οἱ υἱοὶ αὐτῶν, καὶ οἱ υἱοὶ τῶν υἱῶν αὐτῶν ἕως τοῦ αἰῶνος, *& filii eorum, & filii filiorum eorum usque in sempiternum.* ¶ נָשִׂיא לָהֶם. ἄρχων αὐτῶν ἔσται, *Princeps eorum erit.*

26. וּנְתַתִּים וְהִרְבֵּיתִי אוֹתָם. καὶ τάξω αὐτοὺς, καὶ πληθυνῶ αὐτοὺς, *& constituam eos, & multiplicabo eos*] Pro τάξω Hier. *dabo*, i. δώσω.

GROTIUS.

1. ET *eduxit me in Spiritu Domini*] Meliùs, *Dominus*: significat non corpore se translatum, sed hæc vidisse ἐν ὀπτασίᾳ [*in visione*], ut suprà VIII. 3. Vide II Corinthior. XII. 2.

In medio campi qui erat plenus ossibus] Populus in captivitatem deductus desinit esse populus; ideóque optimè comparatur ossibus aut corpori mortuo. Vide nostra de Jure Belli ac Pacis lib. II. cap. IX. Sic *oppidorum cadavera* dixit Sulpitius in epistola ad Ciceronem. *Campus* hic Mesopotamiam refert, & loca vicina.

2. *Siccáque vehementer*] Ævo consumta.

3. *Putásne vivent ossa ista?*] Putásne id fieri posse?

Domine Deus, tu nosti] Potes omnino; quid velis tuum est nosse. Magna fides Prophetæ, & imago fidei Christianæ, quæ Resurrectionem ex mortuis credit.

4. *Ossa arida audite verbum Domini*] Προσωποποιΐα [*persona*

sona fictio], eò excusatior quòd per *ossa* homines captivi intelligantur.

5. *Intromittam in vos spiritum*] Vitalem: per quem intelligitur libertatis & statûs restitutio.

6. *Dabo super vos nervos, & succrescere faciam super vos carnes, & superextendam in vobis cutem, & dabo vobis spiritum*] Hieronymus: *Primùm ossa cum aliis ossibus nervorum vinculis colligantur; deinde implentur carnibus, & desuper ob pulchritudinem extenditur cutis, quæ nudarum carnium operiat fœditatem: & tunc accipiunt spiritum, qui vivere ea faciat.*

7. *Factus est autem sonitus*] Significans Cyri edictum.

Accesserunt ossa ad ossa] Ut nervis ligarentur.

9. *A quatuor ventis veni spiritus*] Collectionem significans populi ex cunctis regionibus. Simile loquendi genus Jeremiæ XLIX. 36. suprà v. 10. XII. 14. XVII. 21. Vide quæ ad Matthæi XXIV. 31. Apocalypseos VII. 1.

11. *Ipsi dicunt, Aruerunt ossa nostra*] Id est, res nostræ sunt deploratæ, spes nulla superest.

Abscissi sumus] Chaldæus, *periimus*: nempe ut membrum à corpore avulsum. In Hebræo, *abscissi sumus nobis*: alii ab aliis longè divulsi.

12. *Aperiam tumulos vestros*] Faciam vobis quasi tumulos aperiri: vitam civilem vobis reddam.

16. *Sume tibi lignum unum*] *Tabellam*, ut hic Chaldæus.

Juda & filiorum Israël sociorum ejus] Id est, & Benjaminis.

Super illud Joseph] Id est, super tabellam Josephi posteris dicatam.

Ephraim] Quia in ea tribu regnum fuit.

Et cuncta domus Israël] Tribubus aliis.

Sociorúmque ejus] Scribe *sociorum ejus*, per ἐξήγησιν [*explicationem*] præcedentis: nam reliqua domus Israël ità socii erant Ephraïmo quomodo Benjamin Judæ erat socius.

19. *Ecce ego assumam lignum Joseph quod est in manu Ephraim, & tribus Israël quæ sunt ei adjunctæ, & dabo eas pariter cum ligno Juda, & faciam eas in lignum unum*] *Quod fuit in manu Ephraim*, id est, quæ pars regnata fuit ab Ephraimi posteris. Hæc Prophetia plenum in illis tribubus effectum habuisset, si illæ ad Deum seriò se convertissent; nunc quia pauci id fecere, paucis profuit. Vide quæ dicemus ad caput XLVII. v. 13. In omnibus promissis & minis Dei tacitam subesse conditionem ipse dixit Ezechiel XXXIII. v. 13. & Jeremias XVIII. 9.

Et erunt unum in manu ejus] In Hebræo: *in manu mea*: sub mea tutela. Sic Chaldæus.

22. *Et Rex unus erit omnibus imperans*] Zorobabel, de quo suprà XXXIV. 23. Is enim, quanquam Regium nomen ob reverentiam Persici imperii non assumsit, à suis tamen pro Rege habitus fuit.

23. *Neque polluentur ultrà in idolis suis*] Suprà XXXVI. 29.

Et emundabo eos] Pœnas auferam, ut sup. XXXVI. 33.

24. *Et servus meus David Rex super eos*] Ità dicitur Zorobabel, quia ex Davidis erat sanguine, & virtutum ejus imitator. Vide suprà XXXIV. 24.

In judiciis meis ambulabunt, & mandata mea custodient, & facient ea] Vide Esaiæ LXV. 20.

25. *Usque in sempiternum*] עד עולם, id est, longissimo tempore.

26. *Fœdus pacis*] Suprà XXXIV. 25.

Et dabo sanctificationem meam in medio eorum] Sacra ceremoniásque. Sic & mox 28.

27. *Et erit tabernaculum meum in eis*] In Hebræo, *Habitaculum meum*; sic & Chaldæus: LXX, κατασκήνωσις. Ità vocatur Templum Psal. CXXXII. 5.

CAP. XXXVIII.

MUNSTERUS.

2. Contra Gog & Magog] Hic unus est locus, & quidem non infimus, qui Jehudæos in errore maximo retinet; qui ex eo colligunt, tempore Meschiæ ex Scythiæ partibus maximum erupturum exercitum sub Rege Gog. *Magog* verò cognationem gentis esse asserunt quæ à Japheth filio Noah descendit. Et hic exercitus veniet ad terram Israel, conflictaturus cum Rege Meschia. Futurúmque tunc asserunt tantum bellum ut septem annis Israelitæ ligna sufficientia habituri sint in terra sua, quæ illis suppeditabunt lanceæ & arma exercitus Gog, quem Meschias prope Jerusalem cum maximo applausu totius orbis delebit. Et quia id nondum contigit, Jehudæi credere in Christum nostrum nefas esse ducunt. Hæc summa est erroris Jehudæorum in hoc & sequenti capite. At nostri hæc juxta historiam asserunt facta. Reduces enim Jehudæi hostes immanissimos habuerunt. Haud minorem errorem habent Jehudæi de Templo tertio reædificando tempore Meschiæ, cujus structuram iste Propheta describit cap. 40. & deinceps. Nostri verò Prophetiam istam argumentum esse docent de impiis excidendis sub tyrannide Antichristi piorum otium odiosè conturbantibus, qui in securè atque fidenter habitantes incursus violentos faciunt, donec spiritu oris Dei vincantur. Dutissimum quidem meditantur & inferunt bellum, qui plurimi sunt numero & viribus: sed pusillum suum gregem Imperator Christus tuebitur; ut non sæviant usque in finem. Porrò per auxiliares copias *Persarum*, *Æthiopum* & reliquarum gentium intellige malos undique contra pios Christianos insurgentes.

20. *Cadéntque gradus*] Chaldæus nomine *graduum* intelligit turres.

VATABLUS.

2. ET super *terram Magog* ארץ המגוג] Et super Regem *terræ Magog*, vel qui habitat *in regione Magog*. Hebræi per *Gog* intelligunt Regem quendam qui regnaturus esset in regione Magog, quam Josephus Scythiam esse putat; cujus incolas *Scythas* vocamus, quibus nunc imperat Turca, qui & *Magogi* dicti sunt. Fuerunt autem *Magog*, *Mesech* & *Thubal* filii Japheth filii Noe, Gen. 10. 2. Hic verò *Magog* est nomen gentis, propter ה denotativum sive significativum & notificativum. ¶ *Principem capitis*, &c. 'נשיא ראש וגו] Hebraismus, i. *Principem capitalem*, i. præcipuum & primarium sive summum. Alii vertunt *Principem & caput Cappadociæ & Iberiæ*. Alii, *Italiæ*. ¶ *Super eum* עליו] *Contra eum*. Alii, *de eo*.

3. *Ecce ego ad te* הנני אליך] *En ego* venturus sum *ad te*, ut scilicet te perdam. Vide c. 35. 3.

4. *Et conteram te* ושבבתיך] *Et frangam te*, i. cor tuum: q. d. Efficiam ut inclines animum ad ea ad quæ ego pertraham te. Chald. *& seducam te*. ¶ *Et exire faciam te* והוצאתי אותך] *Et educam te*. ¶ *Omni armorum genere* מכלול] Ad verb. *universitate*. Græcè πανοπλία, i. omnino armati erunt. Gallicè *de pied en cap*.

5. *Paras, Chus, & Put* פרס כוש ופוט] i. *Persa*, *Æthiopes & Afri*.

6. *Et universa agmina ejus* וכל אגפיו] *Et omnes copiæ ejus militares & auxiliares*. Alii, *omnes exercitus ejus*. Ad verb. *omnes alæ ejus*. Vide c. 12. 14.

7. *Et præpara tibi omnem*, &c. 'והכן לך אתה וגו] Ad verb. *& appara tibi, tu, & universa multitudo tua*. Appara, inquit, tibi quæcunque necessaria sunt ad bellum gerendum, tu, inquam, & omnes copiæ quas collegisti.

8. *Visitaberis* תפקד] *Memoraberis*, *venies in memoriam*. ¶ *In desolationem semper* לחרבה תמיד] i. Semper desolati, vel qui longo tempore vastati fuerunt.

9. *Tanquam multitudo* כשואה] *Tanquam tempestas*, sub. *maxima*. Alii de inundatione & tumultu aquarum multarum venientium cum impetu & vehementia intelligunt.

10. *Ascendent verba super cor tuum* יעלו דברים על לבבך] Hebraismus, pro *consilium inibis*. Seipsum mox declarat: q. d. Eveniet autem eo tempore ut ascendant consilia in animum tuum de affligenda Ecclesia; cui quidem Ecclesiam oppugnare & affligere permissum est, non autem expugnare. ¶ *Cogitabísque cogitationem malam* וחשבת מחשבת רעה] Hebraismus, Multùm ac frequenter cogitabis apud te quâ ratione nocere, invadere & perdere possis pios.

11. *Contra terram villatum* אל ארץ פרזות] i. Invadam regionem in qua urbes carent muris. Seipsum declarat mox. ¶ *Ad quiescentes*, &c. 'השוקטים וגו] His summam securitatem, confidentiam & tranquillitatem indicat: quibus innuit candorem ac simplicitatem piorum. ¶ *Et portæ* ודלתים] Hæc vox significat *fores geminas*, i. quæ constant duabus partibus, soléntque vectibus occludi & obserari.

12. *Ut spolies spolia* לשלל שלל] Verti potest, *ut spoliem spolia*: est enim infinitivus. Et sic erit mutatio modi loquendi. *Spoliare spolia, & prædam prædari*, Hebræorum phrasis, verbo suum nomen unde formatur adjungentium. Sic Esa. 10. 6. & suprà 29. 19. i. diripere spolia, & manubias invadere. ¶ *Ut reducas manum tuam* להשיב ידך] i. Ut frequenter ac crebris vicibus injicias manum in ruinosa reædificata & restituta post reductos ex Babylonia captivos: q. d. ut iterum eos perdas. ¶ *Facientem pecudes & opes* עשה מקנה וקנין] Hebraismus, qui

parat

parat sibi peculium & facultates; sive, ut quidam vertunt, qui rei pecuariæ & possessionibus colendis operam dant. מקנה significat *opes ac divitias in re pecuaria*, קנין autem *in omni alia re quæ possideri solet.* ¶ *In umbilico terræ* על טבור הארץ] i. In loco excelsiore & eminentiore orbis. Ut enim Umbilicus est in medio corporis, sic Jerusalaim est in medio mundi, ut annotat doctus inter Hebræos.

13. *Tharsis* תרשיש] Chald. *maris.* ¶ *Leunculi ejus* כפיריה] i. Reges ac Principes, sic à *vi* & *violentia* dicti, vel à *dominio.* ¶ *Pecudes & opes* מקנה וקנין] Ut v. 12.

15. *E lateribus* מירכתי] i. Ab extremitatibus, sive ab extremis regionibus quæ sitæ sunt ad Septentrionem. ¶ *Equitabunt equos universi* רוכבי סוסים כלם] Ad verb. *ascensores equorum universi ipsi.*

16. *Et adducam te* והביאותיך] Ad verb. *& venire faciam te*, i. accersam te, vocatus à me venies: introducam te. ¶ *Cum sanctificatus fuero in te* בהקדשי בך] Vide c. 36. 23.

17. *In diebus antiquis* בימים קדמונים] i. Temporibus priscis, aut superioribus diebus. ¶ *In diebus illorum annorum* בימים ההם שנים] *In diebus illis* ante multos *annos*, i. olim. Alii, per *annos*. Alii, *in diebus illis*, *annis* aliquot.

11. *Ascendet ira*, &c. תעלה חמתי באפי] Hebraismus, Irascar vehementissimè.

19. *Si non* אם לא] Jurantis particula, ut c. 26. 5. ¶ *Commotio magna* רעש גדול] *Tremor magnus.*

20. *Et contremiscent* ורעשו] *Et commovebuntur.* Hyperbole est. ¶ *Gradus* המדרגות] Per quos scilicet ascendi solet in arces & ædificia sumptuosa. Docti inter Hebræos hac voce *munitiones*, *turres* & *arces* significari annotant: atque ita Chaldæus quoque Paraphrastes.

21. *Et advocabo*, &c. וקראתי וגו'] Hebraismus, Commovebo adversùs illum viros armatos qui eum occidant: q. d. Conficiam ac perdam eum, partim copiis meis, partim militibus ipsius, qui scilicet mutuò sese trucidabunt.

22. *Et judicio contendam cum eo* ונשפטתי אתו] *Et judicium subibo cum eo.* Vide idem genus dicendi c. 17. 19. & 20. 35. Ad verb. *Et judicabor.* ¶ *Et lapides grandinis* ואבני אלגביש] Vide c. 13. 11. ¶ *Et super exercitus ejus* ועל אגפיו] Vel *turmas*, aut *copias militares.* Ad verb. *& super alas ejus.*

23. *Et magnificabor*, *& sanctificabor* והתגדלתי והתקדשתי] Hebraismus, magnum & sanctum me ostendam ac reddam: q. d. Reddam nomen meum celeberrimum. Vide v. 16. & c. 36. 23.

CASTALIO.

2. COmpone faciem tuam ad Gog, *terram Magog*] Josephus Antiq. l. 1. c. 7. tradit, à MAGOGE conditos esse Magogas, quos Græci *Scythas* appellent; à MESCHO Meschinios, qui *Cappadoces* appellentur; à THOBELO Thobelos, qui *Iberi*; à PHUTE Phutos, qui *Libyes*; à GOMARO Gomarenses, qui *Galatæ*; à THYGRAMMA Thygrammanos, qui *Phryges* a Græcis nominentur. Addit alios; sed ego eos tantùm pono qui ad hunc locum faciant, & de quibus dubitari possit. Jam quæ nomina ponit, ea sunt ad Græcam deflexa linguam. Sic enim in Hebræo leguntur, *Magog*, *Mesech*, *Thubal*, *Phut*, *Gomer*, *Thogorma.* Et in cæteris quidem eum sequor, nisi quòd nomine *Magog*, propter hujus oraculi nobilitatem, Hebræo utor: tantùm *Meschum* aliter interpretor. Nam cùm Cappadoces Gen. 10. *Caphthorim* appellentur, & quod hic legitur *Mesech* Græcus & Latinus Interpretes *Mosoch* dixerint, probabilius est Moschos significari, cùm & nomen conveniat, & id cum *Iberis* tum hîc tum cap. 27. conjungatur, quæ utraque gens est in regione Themiscyra. Nam hos Iberos, non Hispanos, hoc loco intelligi volo: sunt enim alii Iberi in Hispania. Sed quale sit hoc de de Gog & Magog oraculum ego nescio: hæc quidem nondum evenisse suspicor. Qua de re lege diligenter Esa. 17, 26, 56, & 57. & Ezech. 37, &c. & Apoc. 20. Adde, si placet, Sibyllæ librum tertium, in quo hæc omnia abunde tractantur.

8. *Quâ ex populis eductâ degent*] Scilicet terrâ, h. e. hominibus, loco pro incolis posito. ¶ *Illi omnes in tuto*] Regionis homines.

11. *Statuésque regionem aggredi paganam*] Nullis mœnibus munitam.

16. *Cùm in te præstitero me sanctum*] Cùm te punivero, in quo sanctitas severitásque mea apparebit.

20. *Marini pisces*] Aquatiles.

CLARIUS.

2. POne faciem tuam contra Gog] Hæc est ultima Prophetia, quam nulla sequitur alia nisi quæ de æterni Templi instaurandi imagine loquitur. In hac autem post Christi Regnum diligenter explicatum, velut illi opponens, subjicit Antichristi tyrannidem. Hic autem unus locus est qui Judæos in errore maximo retinet; qui ex eo colligunt, tempore Messiæ ex Scythiæ (nam Scythiam *Magogam* olim appellatam opinio est) partibus maximum erupturum exercitum sub Rege Gog. *Magog* verò cognationem gentis esse asserunt quæ à Japhet filio Noe descendit: & hunc exercitum venturum ad terram Israel, & superandum à Messia. Et quia id nondum contigit, Judæi credere in Christum nostrum nefas esse ducunt. Nec minori errore tenentur de Templo tertio reædificando tempore Messiæ, cujus structuram iste Propheta describit. Quanquam tertium fuit Templum, quod dirutum postremò fuit. Nam siquis diligenter historias observet, præsertim Josephum, inveniet Herodem Templum illud secundum diruisse, & tertium construxisse: de quo in Euangelio legitur, *quadraginta & sex annis ædificatum fuisse.*

5. *Persa*, *Æthiopes*] Per has & reliquas gentes intelliguntur mali undique contra pios Christianos insurgentes.

12. *Umbilici terræ*] Terra Israel in meditullio terræ sita est, sicut in medio corpore Umbilicus: de quo alibi scriptum est, *Operatus est salutem in medio terræ.*

13. *Saba & Dedan*] Adjungunt se Antichristo omnes amici hujus seculi, qui per hos populos hic enumeratos memorantur.

21. *Gladius uniuscujusque*] Conficient se hostes mutuis vulneribus; ut in Madian, & in castris Assyriorum.

DRUSIUS.

2. נְשִׂיא רֹאשׁ מֶשֶׁךְ וְתֻבָל. A. *Principem capitis Mosoch & Thubal.* Sym. Th. *Principem Ros*, *Mosoch & Thubal*] Hier. *Porrò quod in exercitu Gog sive Magog, qui juxta Lxx, Symmachum & Theodotionem* Princeps *est* Ros, Mosoch & Thubal, *primam gentem* Ros *Aquila interpretatur* caput: *quem & nos secuti sumus, ut sit sensus*, Principem capitis Mosoch & Thubal. Κεφαλῆς Μοσόχ. Theodoretus, τὸ ἢ Ῥώς, κεφαλὴν, ὁ Σύρος ἡρμήνευσεν, ἢ ὁ Ἀκύλας ἢ, κεφαλὴν Μοσὸχ, τὸ, Ῥὼς Μοσὸχ, ἡρμήνευσεν. Hier. *Et revera nec in Genesi, nec in alio Scripturæ loco, nec in Josepho quidem, qui omnia Ebraicarum gentium in primo Antiquitatum libro exponit nomina, hanc gentem potuimus invenire. Ex quo manifestum est* Ros *non gentem significare, sed* caput. PRINCIPEM ROS, &c.] Ἄρχοντα Ῥὼς, Μοσὸχ ἢ Θοβέλ.

4. וְשׁוֹבַבְתִּיךָ וְנָתַתִּי חַחִים בִּלְחָיֶיךָ. Καὶ περιστρέψω σε κυκλόθεν, ἢ δώσω χαλινὸν εἰς τὰς σιαγόνας σε, quod in Vulg. nostra, *Et circumagam te, & ponam frænum in maxillis tuis.* ¶ קָהָל רָב צִנָּה. Συναγωγὴ πολλὴ, πέλτας καὶ ἀσπίδας καὶ μαχαίρας πάντες αὐτοὶ ἔχοντες, *congregatio magna*, *peltas & clypeos & gladios omnes hi habentes*] In libris Græcis πέλτας καὶ περικεφαλαίας καὶ μαχαίρας καὶ ἀσπίδας, & apud Hier. *peltas & galeas & gladios & clypeos.* HABENTES] Ὁ Ἑβραῖος *tenentes.*

5. פָּרַס כּוּשׁ וּפוּט. Πέρσαι, καὶ Αἰθίοπες, καὶ Λίβυες μετ' αὐτῶν πάντες ὅτοι ἀσπίδας καὶ περικεφαλαίας ἔχοντες, *Persæ*, *& Æthiopes*, *& Libyes: omnes isti clypeos & galeas habentes*] Καὶ Λίβυες] Theodoretus, καὶ Φούτ. In aliis est, καὶ Λυδοὶ καὶ Λίβυες καὶ Φρύγες, *& Lydi & Libyes & Phryges. Lydi*, i. לודים. Hoc non habet Hieronymus, ut nec illud quod sequitur, καὶ Φρύγες *& Phryges.* ET GALEAS] Sequitur in quibusdam & apud Theodoretum καὶ πέλτας· quod etiam abest in Hieronymo, qui hîc habet, *omnes scutati & galeati.*

6. וְאֵת כָּל־אֲגַפָּיו. Καὶ πάντα τὰ ὑποστηρίγματα αὐτοῦ, *& omnia sustentacula ejus.*

8. תִּפָּקֵד בְּאַחֲרִית הַשָּׁנִים. Ἑτοιμασθήσῃ, καὶ ἐπ' ἐσχάτου τῶν ἐτῶν ἥξεις (καὶ ἥξεις εἰς γῆν) εἰς τὴν γῆν ἀπεστραμμένην ἀπὸ μαχαίρας, ἠθροισμένην ἀπὸ λαῶν πολλῶν, *præparaberis*, *& in novissimo annorum venies (& venies in terram) in terram aversam à gladio*, *congregatam ex populis multis*] Καὶ ἥξεις εἰς γῆν non est in Ebræo.

9. כַּשֹּׁאָה. Ὡς καταιγὶς *sicut procella*] Hier. *quasi tempestas.* ¶ תִּהְיֶה. Ἔσῃ *eris.*

13. סֹחֲרֵי תַרְשִׁישׁ. Ἔμποροι Θαρσὶς *negotiatores Tharsis.* ¶ וְכָל־כְּפִירֶיהָ. Th. καὶ πᾶσαι αἱ κῶμαι αὐτῆς *& omnes villæ ejus*] Hier. in versione, *& omnes leones* (sive *villæ*) *ejus*: & in Comment. *Ut autem pro catulis leonum, qui Ebraicè dicuntur* כפירים, *Lxx & Th. ponerent villas, error perspicuus est. Si enim* כפיר *per Chaph literam in prima & Joth in ultima syllaba scribas, appellatur* catulus leonis; *sin autem fine Joth* כפר, ager *appellatur & villa. Unde & Capharnaum* ager

ager pulcerrimus *dicitur*. Suspicor in aliis editionibus fuisse καὶ πάντες λέοντες, *& omnes leones*. Quod tamen pono, non decerno. ¶ וְקִנְיָן. Καὶ ὕπαρξιν *& substantiam*. ¶ שָׁלָל גָּדוֹל. Σκῦλα μεγάλα *spolia magna*.

14. תֵּדָע Γνώσῃ *cognosces*.

17. הַנִּבְּאִים Τῶν προφητευσάντων *qui prophetarunt*.

21. וְקָרָאתִי עָלָיו לְכָל־הָרַי חֶרֶב. Καὶ καλέσω ἐπ' αὐτὸν εἰς πάντα τὰ ὄρη μου μάχαιραν, *Et vocabo super eum in cunctis montibus meis gladium*] Lectio varians, συγκαλέσω *convocabo*.

GROTIUS.

2. P*One faciem tuam contra Gog*] Nè Judæi, qui longam illam post reditum felicitatem sibi promitti intellexerant, mirarentur si quid postea incommodi eveniret, voluit Deus eos monere non defore tempora quibus bonorum fides exploraretur: quod nunquam factum est magis quàm sub Antiocho Illustri, de quo & Daniel tam multa prædixit; ut ipsâ prædictione piæ mentes armarentur. Vult ergò Deus per Ezechielem hoc quoque prædici; Si qui Reges populum Judæum ob religionem vexaverint, non impunè id eis futurum. Designat autem Antiochum ex populis quos possidebat. Itaque versio optima est ad *Gog & Magog terræ Principem*. Polychronius ad hunc locum: Ἐπάγει γοῦν ἄρχοντα Ῥὼς καὶ Θοβὰλ, ἵνα εἴπῃ τοὺς ἐκ διαφόρων συλλεγέντας ἐθνῶν· ὥστε καὶ πρὸς ἕνα, ὡς οἶμαι, Ἀντίοχον οὐ διαλέγεται, ἀλλὰ πρὸς αὐτὸ τὸ σύστημα [*Inducit ergo Principem Ros & Thobal, ut significet illos ex multis gentibus collectos; neque enim, ut arbitror, sermo est ad Antiochum solum, sed ad corpus ipsi subditorum*]. Ante Ezechielis tempora Lydiam & vicina Asiæ loca Gyges possederat, à quo nomen habet *Gygeus lacus*, unde antiquitus tota regio nominata. Homerus antiquior Ezechiele.

Υἱς Πυλαιμένεος, τοὺς Γυγαίη τίκτε λίμνη.
[*Atque Pylamenida, quos Gygæa edidit unda.*]

Holem Hebræum solet pro υ poni; ut in *Cyri* nomine videre est. Sic מר *Æolibus* μύῤῥα [*myrrha*]. Lydia cum locis vicinis in parte fuit Lagidarum, quorum ex genere Antiochus. Vide Appianum Syriacis, ubi in his quæ ab Antiocho Magno possessa ponit Sardes, Pergamum, Phrygiam, Æoliam, & Joniam Asiæ. Nominatur autem *Gygæa* primo loco ob ingentes divitias, quæ eam regionem celeberrimam fecerant. Archilochus:

Οὔ μοι τὰ Γύγεω τοῦ πολυχρύσου μέλει.
[*Non curo Gygis divitis pecunias.*]

Anacreon:

Οὔ μοι μέλει Γύγαο τοῦ Σαρδίων ἄνακτος.
[*Nil Lydiorum curo Regem Gygen potentem.*]

Alpheus Mitylenæus:

Οὐκ ὄλβον πολύχρυσον οἷα
Γύγης. ——— ———
[*Non auri cumulos anhelo*
Gyga. ——— ———

Et proverbium apud Græcos Γύγεω τάλαντα [*Gygis talenta*]. Vide & Herodotum libro primo, & Pausaniam in Laconicis.

Terram Magog] Syriam, in qua Hierapolis, dicta *Magog*, Plinius v. 23. Syriam fuisse Antiochi majorúmque ejus omnes norunt. Vide Livium, Polybium, Appianum.

Principem capitis Mosoch] Meliùs vertas, ut dicere cœpimus, *Gog & terræ Magog Principem, caput Mazacæ*, id est, Cappadociæ. Græci [*Ros*] putarunt esse proprium nomen, verteruntque Ῥὼς, quod posteriores Græci ad Russiam traxere ineptè.

Et Thubal] *Caput Mazacæ & Iberiæ Asiaticæ*. Cappadoces fuisse in auxiliis Antiochi Magni posterorúmque ejus docet nos Appianus. His propinqua Iberia Asiatica. Vide Ptolemæum in Colchide. *Caput* hic est princeps fœderis: Cappadoces, Phryges, Galatas, Iberos, Persas, Æthiopas in exercitu Antiochi ex historiis Græcis ponit & Polychronius.

3. *Ad te Gog Principem*] *Ad te Principem Gygæ*.

Capitis Mosoch & Thubal] *Qui caput es Cappadociæ & Iberiæ*: id est, in fide tua habes illas gentes.

4. *Circumagam te, & ponam frænum in maxillis tuis*] Ducam te quò mihi visum fuerit, ut equum insessor.

Vestitos loricis universos] In Hebræo, *Vestitos* (id est, armatos) *undique*; πανοπλίαν describit, quam Hieronymus Lucæ xi. 22. vertit *universa arma*; Ephesiorum vi. 11. & 13. *armaturam: universitatem armorum* Ambrosius.

5. *Persæ*] Vide 1 Maccab. iii. 31. *Elymæi juncti Persidi*, Plinius vi. 27. Itaque Ἐλυμαὶς ἐν Περσίδι [*Elymais in Perside*] dixit scriptor 1 Maccab. vi. 1. Hos in militia Antiochi Magni ponit Appianus, & Livius lib. xxxvii. Idem Livius: *Medi erant lecti viri, & ejusdem regionis mixti multarum gentium equites*. Polybius in eodem Antiochi Magni exercitu ponit Medos & Carmanos.

Æthiopes] Vicini Arabum & Arabibus permixti, quos in eodem Antiochi exercitu ponunt iidem scriptores. Vide 1 Maccab. xi. 16. Ἄραβας ἅμα τοῖς προσχώροις [*Arabas cum finitimis*], ait Polybius.

Et Libyes] Libyas disertè in eadem militia ponit Appianus.

6. *Gomer*] *Gomer* esse Galatas, quorum oppidum *Comara*, diximus ad librum primum de Veritate Religionis Christianæ. Galatas in eadem quam diximus militia ponit Appianus, quos *Gallogræcos* appellat in eadem historia Livius.

Domus Thogorma] Phryges, ut diximus suprà xxvii. 14. Hos quoque in eadem militia nominat Appianus. Livius autem, *Syri Medique erant Phrygibus & Lydis immixti*. Polybius Cardacas & Lydos nominat.

Latera Aquilonis] Id est, populi ad Aquilonem siti respectu Judææ.

Populique multi tecum] Pamphylii, Pisidæ, Cretes, Cilices, Mysi, Tralles. Vide jam dictos scriptores, & Polybium in rebus ipsius Antiochi.

7. *Et esto eis in præceptum*] *Esto eis custos*, id est, Imperator summus.

8. *Post dies multos visitaberis*] *Diu istis imperabis*: nam פקד [*visitare*] etiam hoc significat: neque ab hoc sensu abit Chaldæus.

In novissimo annorum] Hæc locutio Hebræis nihil aliud significat quàm *tandem*.

Venies ad terram quæ reversa est à gladio] Id est, venies ad eos quos Chaldæus ensis reliquos fecit.

——— *Relliquias Danaûm atque immitis Achilli.*

Apertè satis Judæos describit. *Terra* pro *gente*, συνεκδοχικῶς [*per comprehensionem*].

Et congregata est de populis multis] Mixti enim fuerant omnibus populis Imperii Babylonici.

Ad montes Israël] *Montes* enim Judæa, ut sæpe vidimus.

Qui fuerunt deserti jugiter] תמיד est hic *diu*, per annos nempe septuaginta.

Hæc de populis educta est] Repetit quod dixerat, ut certior sit notitia.

Et habitabunt in ea confidenter universi] *Et omnes* (ejus gentes) *habitabunt secure*, nullum bellum timebunt.

9. *Ascendens autem quasi tempestas venies; & quasi nubes*] Subitò & magnâ vi, ἐν ὄχλῳ βαρεῖ [*cum gravi agmine*] 1 Maccabæor. i. 22.

Ut operias terram] Multitudine copiarum; ut sequitur.

11. *Ascendam ad terram absque muro*] In Hebræo, *Terram villarum*: ubi vix quicquam est munitum.

Veniam ad quiescentes] Ad homines nihil timentes tale. Cepit enim ipse Hierosolyma ἀμαχεὶ [*sine pugna*], ut ait Josephus.

Habitant sine muro] Id est, nulla munimenta habent quæ tot copiis & machinis possint resistere. Sic & sequentia accipe comparate.

12. *Ut diripias spolia*] Ideo scilicet tale inibis consilium; putabis te ad prædam, non bellum venire.

Qui possidere cœpit, & esse habitator umbilici terræ] In Hebræo: *Qui studet pecori & opibus, & habitant in umbilico terræ*. Græci Delphos vocant ὀμφαλὸν γῆς [*umbilicum terræ*], nempe Græciæ; Hierosolyma Hebræi; nempe quòd locus sit sublimis (quo modo umbilicus sumitur Judicum ix 37.) & commodo situ inter gentes plurimas, ut didicimus suprà v. 5.

13. *Saba*] Arabes tui, magni institores. Vide suprà xxvi. 13. xxvii. 15, 22.

Negotiatores Tharsis] Tyrii & Sidonii, qui per mare Rubrum adibant Oceanum.

Et omnes leones ejus] Nempe Oceani Piratas intelligit.

Numquid ad sumenda spolia tu venis?] ה [*numquid*] hic est affirmantis; ut sumunt Græci. *Omnino ad paratam prædam venisti*. Hoc autem dicebant, quòd & ipsi ex præda vellent ditescere, 1 Maccab. iii. 41. Καὶ ἤκουσαν οἱ ἔμποροι τῆς γῆς τὸ ὄνομα αὐτῶν, καὶ ἔλαβον ἀργύριον καὶ χρυσίον πολὺ σφόδρα καὶ παῖδας· καὶ ἦλθον εἰς τὴν παρεμβολὴν τοῦ λαβεῖν τοὺς υἱοὺς Ἰσραὴλ εἰς παῖδας [*Et audierunt mercatores regionis nomen eorum, & acceperunt argentum & aurum multum valde & pueros, & venerunt in castra ut acciperent filios Israël in servos*]:

14. *Numquid non*] Et hoc est affirmantis.

Scies] Græci ἐγερθήσῃ [*surges*]. Sumsit nimirum נודע in Niphal, id est, *apparebis*, *cognosceris*.

15. *De loco tuo à lateribus Aquilonis*] Vide suprà 6.

16. *In novissimis diebus eris*] *Tandem fiet.* Meliùs enim illud תהיה [*erit*, *fiet*] in tertia persona quàm in secunda sumes. Subauditur זאת [*istud*].

Cùm sanctificatus fuero in te in oculis eorum] Cùm ex tuis factis ità designatè à me prædictis præscius omnium probabor. Vide Isaiam XLVIII.

17. *Tu ergò ille es*] *Tu profectò ille es.*

In manu servorum meorum Prophetarum] Ezechielis & Danielis.

In diebus illorum temporum] Multò antè.

19. *Erit commotio magna super terram Israël*] Ingens rerum mutatio.

20. *Commovebuntur à facie mea pisces maris*] Adventu classium quas ego adducam diffugient.

Et volucres cæli] Quæ scilicet præ clamore militum de cœlo delabentur.

Et bestia agri] Quæ & ipsæ territæ fugient.

Et omne reptile quod movetur super humum] Latitabunt à tot hominum conspectu, nè obterantur.

Et subvertentur montes] Id est, arces in montibus; ut Jeremiæ LI. 25. & alibi.

Et cadent sepes] דרגא tam in Chaldaïco quàm in Arabico *gradus* significat. Per *gradus* autem συνεκδοχικῶς [*modo loquendi comprehensivo*] intelligendæ turres cum Chaldæo hic Interprete.

Et omnis murus corruet in terram] Oppidorum scilicet.

21. *Et convocabo*] *Sed convocabo*: id est, ubi cuncta pro lubitu fecerit, reperiet qui se sistant.

Adversus eum in cunctis montibus meis gladium] Gladium Matathiæ & filiorum ejus, sociorúmque ejus per omnem Judæam; quæ quòd montosa esset, *montium* nomine appellatur etiam suprà VI. 2. XXXVI. 1.

Gladius uniuscujusque in fratrem suum dirigetur] Judæi Judæos, qui à Deo & Lege defecerant, trucidabunt. Vide Josephum XII. 8. I Maccab. III. 8.

22. *Et judicabo eum peste*] Hæc est illa ἀνήκεστος τῶν σπλάγχνων ἀλγηδὼν [*sæva viscerum torsio*], quâ interiisse Antiochum ait scriptor II Maccabæorum IX. 5.

Et sanguine & imbre vehementi] *Inundatione vehementi.* Est autem ἓν διὰ δυοῖν [*Unum per duo*] *sanguine & inundatione vehemente*, id est, *vehementi inundatione sanguinis.* Notantur cædes quas Maccabæus edidit in Duces Antiochi, Apollonium, Seronem, Gorgiam, Lysiam.

Et lapidibus immensis] In Hebræo, אלגביש, id est, *lapidibus ignitis similibus pyropo*, ejectis ex balistis & aliis πετροβόλοις [*instrumentis per quæ lapides jaci solent*]. Vide quæ suprà XIII. 11.

Ignem & sulfur pluam super eum] Immittam incendia castris ipsorum, quasi sulfur de cœlo plueret. *Ignem & sulfur*, id est, *ignem quasi sulfuris*, vehementissimum scilicet.

Super eum & super exercitum ejus] ו [*&*] hîc est ἐξηγητικὸν [*explicativum*]: *super eum*, id est, *super exercitum ejus*, sub illis nimirum Ducibus quos diximus.

CAP. XXXIX.

MUNSTERUS.

2. *SEX plagis afficiam te*] Ut præcedenti capite obiter diximus, nostri per hoc bellum intelligunt exterminium Antichristi & membrorum ejus, qui pios non desinunt lacessere & interturbare. Et his Dominus comminatur hic sextuplicem pœnam, *Pestem*, *Sanguinem*, *Sulfur*, *Ignem*, *Grandinem* & *Diluvium*. Vel capitur verbum ששא pro החריב & הכרית, i. pro *exterminare* & *devastare*. Porrò Dominus efficit per Antichristum ut pios affligat dolis & armis, hæresibus & tyrannide, perfidiâ & sævitiâ, &c. Tandem verò hi hostes cadunt & fiunt esca *volucribus cæli* & *bestiis terræ*, h. e. Dæmonibus.

8. *Ecce venit & factum est*] i. Certissimè veniet & fiet excidium tyrannorum & persecutorum Ecclesiæ. Arma verò exurentur verbo Dei: & hinc succenditur ignis charitatis, dum recogitantur misericordia Dei & beneficia ejus populo suo in exstinctione impiorum exhibita. Sepelientur tandem impiorum corpora ab animantibus corrosa, non honoris causâ, sed ut auferatur abominabilis eorum fœtor à naribus transeuntium. De quo & Jesaias cap. 66. 24. loquitur, *Egredientur, & videbunt cadavera virorum qui in me prævaricati sunt. Vermis eorum non morietur, nec ignis exstinguetur.*

VATABLUS.

1. *PRinceps capitis* נשיא ראש] Vide c. 38. 2.

2. *Et conteram te* ושבבתיך] Vide c. 38. 3. ¶ *Et sextam partem relinquam ex te* וששאתיך] Ad verb. *& sextabo te*, i. ad sextam partem redigam te: h. e. sextam partem tui perdam, reliquis sex intactis. Quidam Hebræorum exponunt, *judicabo te sex judiciis*, *Peste*, *Sanguine*, *Imbre inundante*, *Lapidibus grandinis*, *Igne*, & *Sulfure*: quæ sunt sex, de quibus c. 38. 22. Alii, *succidam te*, vel *desolabo te.* Chald. *consumam*, *perdámque te.*

3. *Et excutiam* והכיתי] Ad verb. *& percutiam*, donec scilicet cadere fecero: q. d. Percutiendo cadere faciam.

4. *Volucribus*, &c. לעיט צפור כל כנף] Ad verb. *Volucri volatilis omnis alæ*, i. præditi alis, sive alato. Sing. pro plur. *volucribus volatilium omnis alæ*, i. alatis. His innuit quid evenire soleat interfectis, nempe ut cadavera eorum maneant insepulta. ¶ *Ad devorandum* לאכלה] *In escam*, vel *cibum.*

6. *Confidenter* לבטח] *In confidentia*, vel *securitate.*

7. *Et non sinam polluere* ולא אחל] Ad verb. *& non polluam*, i. non patiar ut ultrà profanetur & violetur nomen meum, h. e. ut existiment me homines non esse omnipotentem. Vide c. 36. 20, 21.

8. *Venit*, *& factum est* באה ונהיתה] Præt. Heb. pro præs. & fut. *adest & fiet*, sub. *tempus illud salutis*, vel *hæc Prophetia*; i. id quod prædicitur per Prophetiam istam instat & propè est ut fiat.

9. *Et egredientur* ויצאו] Sub. *domibus suis in plateas*: q. d. Tanta erit pax ac tranquillitas ut postea non sit opus instrumentis bellicis, sed ea omnia in ignem conjicient. ¶ *Et baculos manûs* ובמקל יד] i. Scipiones qui manu gestantur. Sing. pro plur. ¶ *Et succendent ea igni* ובערו בהם אש] *Accendent*, *inquam*, *illis ignem.*

10. *Et non portabunt* ולא ישאו] *Neque ferent*: *comportabunt*, sub. *in urbem.* ¶ *Quoniam arma succendent igni* כי בנשק יבערו אש] *Sed armis succendent ignem.* Nomine *armorum* intelligit & omnia alia instrumenta bellica priùs enumerata.

11. *Vallem transeuntium* גי העוברים] In *valle quâ transitur.* ¶ *Maris* הים] Nempe Cinereth. ¶ *Hacque obthurare faciet* וחוסמת היא] Ad verb. *& obthurabit ipsa*: q. d. Illic è cadaveribus excitabitur graveolentia & odor fœtidus, qui coget transeuntes obthurare nares. ¶ *Vallem Hamon* גיא המון] i. Vallem in qua ingens multitudo bellatorum Gog cecidit, atque ibi sepulta fuit.

12. *Septem mensibus* שבעה חדשים] Ordo, *sepelient septem mensibus*: q. d. Maximus erit numerus interficiendorum, ità ut septem menses consumant sepeliendis illis.

13. *Eritque eis*, &c. והיה להם וגו׳] i. Cedet illis in gloriam & honorem, pariet illis nomen celebre & inclytum. Vocabuntur enim misericordes. *Nam populi*, inquit doctus inter Hebræos, *recordabuntur eorum in bonum*, *ac dicent*, *Videte quàm bonus est populus iste*, *qui sepelivit inimicos suos qui contra eos venerant.* Quidam vertunt, *Eaque dies quâ ego glorificatus fuero*, *celebris erit eis.*

14. *Quotidianos* תמיד] Ad verb. *perpetuitatis*, i. assiduos. ¶ *Segregabunt* יבדילו] i. Constituent, nempe Israelitæ. ¶ *Inquirent* יחקרוה] *Finem inquirendi facient exactis septem mensibus.*

15. *Transeuntes* העוברים] i. Viatores illi constituti ut inquirant cadavera per regionem, ut sepeliant ea. ¶ *Et cùm quis viderit ossa* וראה עצם וגו׳] Ad verb. *& videbit os hominis*, *& ædificabit.* Sing. Heb. pro plur. *ossa.* ¶ *Signum* ציון] *Titulum*, ex uno scilicet lapide, vel pluribus pariter congregatis, ut cognoscatur locus in quo jacebunt ossa humana.

17. *Ad sacrificium*, &c. על זבחי וגו׳] *Propter victimam meam*: *quandoquidem ego mactaturus sum*: ut sit præs. Heb. pro fut.

18. *Arietum*, &c. אילים כרים וגו׳] Sicut *arietes*, *agni*, *& hirci*, *tauri*, *bubali*, qui nutriuntur in *Basan*, *omnes erunt.*

19. *Quod sacrificavi vobis* אשר זבחתי לכם] *Quod sacrificaverim vobis*, vel *sacrificabo.* Præt. Heb. pro fut.

20. *Super mensam meam* על שלחני] *In mensâ meâ*, i. in convivio meo apparato super montes Israel. ¶ *Et curribus* רכב] i. Equis trahentibus currus, ut sunt muli & asini. Vox Hebræa sign. *currum*, & omnia animalia, præter Equum, quibus homo vehitur.

21. *Et dabo* ונתתי] *Et ponam*, i. Apparebo gloriosus & illustris inter Gentes, inter quas malè audiebam ut impotens, infirmus & invalidus. ¶ *Et manum meam* ואת ידי] i. Vires ac potentiam.

23. *Et abscondi*, &c. ואסתר פני וגו׳] *Et quòd absconderim faciem meam ab eis*, *& tradiderim eos in manum hostium suorum*, *& ceciderint gladio omnes.*

25. *Et zelabo*, &c. וקנאתי לשם קדשי] *Et assumam zelum*

prop.

propter nomen sanctum meum, i. Efficiam ut nomen meum, quod sanctissimum esse debet, posthac non malè audiat, sed reddatur celebre & illustre.

26. *Posteaquam portaverint* ונשו] Ad verb. *Et portabunt*, i. postquam sustinuerint *ignominiam* quâ affecti sunt à Gentibus apud quas exsularunt, & pœnas propter *prævaricationem*, &c.

27. *Et sanctificatus fuero* ונקדשתי] Vide c. 36. 23.

28. *Relinquam* אותיר] *Remanere sinam*. ¶ *Ibi* שם] Nempe in captivitate.

29. *Effudi* שפכתי] Præt. Heb. pro fut. Promittit enim Spiritum S. Prophetæ ferè semper præteritis pro futuris utuntur cùm volunt ostendere rem tam certam esse atque si jam peracta esset.

CASTALIO.

2. *Sextabo*] Sex pœnis afficiam, quas paulò antè posui, videlicet Peste, Cæde, Pluviâ, Grandine, Igne & Sulfure.

11. *Quæ efficiat ut prætereuntes sibi nares obthurent*] Scilicet præ fœtore.

14. *Tum assiduos homines destinabunt*] Certos & navos. ¶ *Quos quidem peractis septem mensibus conquirent*] Per septem menses sepelient omnes incolæ: iis peractis constituentur certi qui conquirant si qui sepeliendi restent.

16. *Eritque etiam urbi nomen Hamona*] i. *Turba*.

18. *Basanicè saginati*] i. Pinguissimi.

25. *Meo sacro nomini studebo*] Operam dabo ut mihi nomen sanctum famámque comparem.

27. *Méque in eis sanctum præstabo in multarum gentium conspectu*] Ità cùm eis agam ut sanctus esse videar.

CLARIUS.

1. *Vaticinare adversum Gog*] De tota hac Prophetia & adventu Christi Judæi, qui ferè carnaliter omnia accipiunt, sic sentiunt. Principem præmittet Messias Eliam Thesbiten, qui viam præparabit, scientiam Dei & concordiam mutuam redintegrando in populo: nam *corda patrum convertet in filios*. Quo pacto autem unus id consequatur, incertum esse tum apud Prophetas tum apud sapientissimos Legis Interpretes, non dissimulant: neque sanè constaturum ajunt hominibus donec rebus ipsis mortales didicerint, utpote admissi in arcana Regni. Quod unum verissimè affirmant: *Carnalis* enim *homo non sentit ea quæ sunt Spiritûs Dei*. Stabilito autem Regno dicunt quòd universus Israel undique ad Messiam confluet, ubi confusos in suam quemque tribum distribuet, ídque operâ Spiritûs S. Statim admovebunt exercitum Gog & Magog, rebus nondum satis stabilitis. Et consequenter ad hunc gnomonem reliqua enarrant.

2. *Exterminabo te*] Heb. *sextabo te*: quod alii interpretantur, *sextam partem relinquam ex te*: alii, *sex pœnis afficiam te*.

11. *Vallem Viatorum*] Ponet locum in valle iis qui sibi montes vendicare moliebantur.

16. *Nomen autem civitatis Amona*] i. *Tumultuosa turba*, ob illam hostilem hominum molem devictam in oppugnanda illa. Est autem urbs illa Jerusalem, quæ nomen ab hoste interfecto tenebit, quemadmodum Scipiones, alter *Africanus*, alter *Asiaticus*, à devictis nationibus dicti sunt.

18. *Arietum*] Intelligit per *tauros*, *hircos*, *arietes*, equites, gigantes, milites, & quicquid in exercitu eminet.

26. *Et portabunt confusionem suam*] Quidam interpretantur, impias reliquias Judæorum portare confusionem suam in toto orbe, quamdiu increduli perseverant. Quòd si ad illud tempus referas de quo Propheta loqui videtur, *cùm* scilicet *habitaverint in terra sua*, intelligere possumus, eos agnituros se justè antea confusos fuisse ob suas prævaricationes, &c.

LUCAS BRUG.

2. *Et circumagam te, & seducam te* [O.] Tria Parisiensium (Vet. V. Di. l Ge. p.) & 14 nostra MSS. (E. L. Pl. m. &c.) legunt *seducam*. Octo Hentenii, & 14 nostra (Brug. Lob. Q. &c.) cum textu Hieronymi commentariis juncto, habent *reducam*. Duo nostra (O. & Pl. ang.) multíque impressi (Mog. Nuren. Col. Compl. &c.) cum Carensi expositore, scribunt *educam*. Hebraicè est ושׁשׁאתיך quod à שׁשׁ, quod est *sex*, deductum, simili verbo, *& sextabo te*, reddunt; exponúntque quidam, *& sextam partem relinquam ex te*, sive, *ad sextam partem redigam te*; quidam, *& sex plagis afficiam te*, iis quæ superioris capitis 22 versu enumerantur. Lxx interpretati sunt, καὶ καθοδηγήσω σε, *& ducam*, vel *deducam*, *te*; aut, ut in Regia editione est, καὶ κατάξω σε, *& deducam*, vel *reducam*, *te*. Chaldæus transtulit, ואטעינך *& seducam te*, sive, *errare faciam te*: quod primo legendi modo suffragetur, qui apud Epanorthoten est, & Heutenii ac Parisiensium dono textu gaudet. Richelius eo modo legit: & Interlinearis glossæ Autor D. Hieronymi ferè verbis eum explanavit; ET SEDUCAM TE, *Spe inani scilicet lactabo te, quâ seductus ad prælium festines occidendus, victoria spe frustratus*. Hieronymi commentarius ad hunc modum, ut à Chevallonio excusus est, habet, *Iste educetur, sive circumagetur, & palpabitur, sivè lactabitur: ut sperans victoriam occidendus ducatur ad prælium*.

DRUSIUS.

3. וְהִכֵּיתִי קַשְׁתְּךָ. Καὶ ἀποσκεδάζω τὸ τόξον σου, *Et excutiam arcum tuum*.

6. וְשִׁלַּחְתִּי־אֵשׁ בְּמָגוֹג. *& immittam ignem in Magog*] Antea erat *in Gog*. Sic enim certè Lxx, καὶ ἀποστελῶ πῦρ ἐπὶ Γώγ. Sunt qui *Gog* confundant cum *Magog*: sunt qui distinguunt; quorum sententia potior mihi videtur.

8. הוּא הַיּוֹם אֲשֶׁר דִּבַּרְתִּי. αὕτη ἐστὶν ἡ ἡμέρα ἣν ἐλάλησα, *hæc est dies quam locutus sum*] i. De qua locutus sum.

9. וּבִעֲרוּ וְהִשִּׂיקוּ בְּנֶשֶׁק וּמָגֵן וגו׳. καὶ ἐκκαύσουσι καὶ ἀνάψουσιν ἐν τοῖς ὅπλοις, καὶ θυρεοῖς, καὶ πέλταις, καὶ τόξοις, καὶ βέλεσι, καὶ βακτηρίαις χειρῶν, καὶ λόγχαις, *& accendent & comburent arma, & scuta, & peltas, & arcus, & jacula, & baculos manuum, & lanceas*] ARMA] Ebraicè *in armis*, & sic deinceps. Πέλταις] Πέλταις καὶ δόρασιν legitur in libris unde hæc descripsi, i. *peltis & hastis*.

11. קִדְמַת הַיָּם. ἐξ ἀνατολῆς τῆς θαλάσσης, *ab Oriente maris*] Hier. *juxta Ebraicum*, *vallem viatorum ad Orientem maris*. Gen. 2. 8. מקדם Lxx κατ᾽ ἀνατολὰς *ad Orientem*. ¶ וְקָבְרוּ שָׁם. καὶ θάψουσιν ἐκεῖ *& sepelient ibi*. ¶ גֵּיא. τὸ Γαὶ] Sive Γαὶ Id sign. *vallem*. Hier. *& vocabitur Vallis* (sive *Ge*) *multitudinis Gog*. Paulò pòst in ed. Rom. *in Gai polyandrio*, εἰς Γαὶ πολυάνδριον.

12. וּקְבָרוּם. Καὶ θάψουσιν αὐτοὺς *Et sepelient eos*.

13. וְהָיָה לָהֶם לְשֵׁם יוֹם הִכָּבְדִי. καὶ ἔσται αὐτοῖς εἰς ὄνομα, ἡ ἡμέρα ἐν ᾗ ἐνδοξασθήσομαι, *& erit in nomen dies in qua glorificabor*.

14. אֶת־הָעֹבְרִים. μετὰ τῶν παρεξερχομένων *cum circumeuntibus*. ¶ מִקְצֵה שִׁבְעָה חֳדָשִׁים יַחְקֹרוּ. μετὰ τὴν ἑπτάμηνον ἐκζητήσουσιν, *post septem menses quærent*.

15. אֶל־גֵּיא. ἐν Γαὶ *in Gai*] גיא Γαὶ, ut עין Αἰν, quod scribunt Αἰν, ut in Αἰν-γαδδὶ & Αἰν-ῥώγηλ.

16. הֲמוֹנָה. *Hamona*] Hier. *Amona*. Sed scribendum cum aspiratione, *Hamona*. Id sign. *multitudinem*, i. πλῆθος. Græci vertunt πολυάνδριον. Hier. *Nomen autem civitatis appellari* Amona, *quæ Græcè dicitur* πολυάνδριον, *h. e. multitudo hominum sepultorum*. Suprà, εἰς Γαὶ τὸ πολυάνδριον τοῦ Γώγ. Rursum Hier. *Sepulcrum Gog non erit in montibus*, *sed in depressis vallibus & in confragosis locis*, *quæ Ebraicè appellantur* GAI *sive* GE. Et mox, *Nomen autem civitatis ubi sermonum* DOMINI *victoria est*, *& jacent adversarii*, *& omnis inimicorum ejus multitudo prostrata est*, *appellabitur* AMONA *sive* polyandrion. Aliquot libri edit. Lxx τοῦ τόπου Διάπλωσις. i. *loci Ruina*. ὄνομα τοῦ τόπου idem cum illo ὄνομα τῆς πόλεως: nam *locus* & *urbs* se mutuò explicant. Porrò Jer. 19. τὸ גיא redditum πολυάνδριον, & תופת ἡ διάπτωσις. Vide notata ad illum locum.

18. אֵילִים כָּרִים וגו׳. κριῶν, καὶ μόσχων, καὶ τράγων, καὶ ἀρνῶν, καὶ ταύρων, ἐστεατωμένων πάντων, *arietum, & vitulorum, & hircorum, & agnorum, & taurorum, adipatorum omnium*] VITULORUM] i. עגלים. CAR potiùs *agnum* significat. Hesychius & Varinus, Κάρ, πρόβατον. Amos 6. 4. כרים מצאן, Hier. *agnum de grege*, Lxx ἐρίφους, i. *hædos*. Iidem Psal. 66. 15. κριοὺς habent; ut Hieronymus hoc loco *agnorum*. פר etiam non sign. *agnum*, sed *juvencum*: & פרה est *vacca*, *bucula*, *juvenca*. Job. 21. 10. פרתו, Aq. δάμαλις αὐτοῦ. Sed *juvencum* & *vitulum* confundi scias. Legerim ergò κριῶν, καὶ ἀρνῶν, καὶ τράγων, καὶ μόσχων. Et fortasse verba hæc transposita fuerunt olim à scribis librariísve.

25. אֶת־שְׁבִית יַעֲקֹב. αἰχμαλωσίαν Ἰακώβ *captivitatem Jacob*.

27. מֵאַרְצוֹת אֹיְבֵיהֶם. ἐκ τῶν χωρῶν τῶν ἐχθρῶν αὐτῶν *ex regionibus hostium eorum*] Pro χωρῶν legitur & χειρῶν, sed minùs rectè. Vide sis ed. Rom.

28. וְכִנַּסְתִּים אֶל־אַדְמָתָם וגו׳. καὶ συνάξω αὐτοὺς ἐπὶ τὴν γῆν αὐτῶν, καὶ οὐ καταλείψω ἀπ᾽ αὐτῶν οὐκέτι ἐκεῖ, *& congregabo eos in terram suam, & non derelinquam amplius eorum quempiam ibi*] Hier. *Hoc quod transtulimus juxta Ebræos*, & congregabo

gregabo eos super terram suam, & non derelinquam quenquam ex eis ibi, *in Lxx non habetur.* Idem non ità multò post, *sanguinem arietum & agnorum & hircorum*, *sive juxta Lxx, arietum, vitulorum & hircorum.* Quæ pertinent ad v. 18. & confirmant lectionem vulgatam, quam hinc disces esse non aliorum interpretum, sed τῶν ό. Sunt hæc diligentiùs examinanda.

29. את־רוחי. τὸ πνεῦμά μου *Spiritum meum*] Lxx τ̀ θυμόν μου. Hier. *Rursùmque quod juxta Ebraos pro benedictione in ultimo ponitur*, eò quòd effuderim Spiritum meum, *Lxx transtulerunt* furorem, *qui ad Iram pertinet*, *præsertim cùm in Ebrao* רוחי *positum sit*, *quod propriè sonat* Spiritum meum, *& nequaquam* furorem meum. Et pòst, *Sin autem pro* spiritu *juxta Lxx* furorem *legerimus*, *qui in Ebraico non habetur*, *sic sentiendum est*, *quòd ultrà non abscondat faciem suam ab eis*, *in quos furorem suum antè effuderat.* Videtur ignorasse רוח aliquando *iram* denotare. Sanè hoc sensu sumitur in Proverbiis Salomonis, קצר רוח *brevis spiritu*: nam sign. eum qui ad iram pronus ac proclivis est. Sic *animus* accipitur in illo Horatii,

Ira furor brevis est: animum rege; qui nisi paret,
Imperat: hunc frenis, hunc tu compesce catenâ.

GROTIUS.

1. V*Aticinare adversùm Gog*] Perge eadem sæpius inculcare, quò certiùs hæc omnia imprimantur animis.

Ecce ego super te Gog Principem] *Ad te* (loquor) *ô Princeps Gygaa.*

Capitis Mosoch & Thubal] Qui imperas Cappadocibus & Iberis.

2. *Circumagam te, & educam te*] Ducam te quo mihi lubebit, ut suprà XXXVIII. 4.

Et ascendere te faciam de lateribus Aquilonis] Suprà XXXVIII. 6.

3. *Et percutiam arcum tuum in manu sinistra tua, & sagittas tuas de manu dextera tua dejiciam*] In fugam conjiciam tuos; nam quæ de Rege dicit, ad exercitum ejus pertinent: quale illud,

——— *jam proximus ardet Ucalegon.*

4. *Feris, avibus, omnique volatili & bestiis terræ dedi te ad devorandum*] Id est, exercitum tuum, ut jam diximus.

6. *Et immittam ignem in Magog, & in his qui habitant in insulis confidenter*] In Syros tuos maris accolas. Idem sensus qui suprà XXXVIII. 22.

7. *Et nomen meum sanctum notum faciam*] Idem quod XXXVIII. 23.

Et non polluam nomen sanctum meum ampliùs] Id est, pollui sinam.

9. *Et egredientur habitatores de civitatibus Israël*] Illi qui cum Maccabæis.

Et succendent ea igni septem annis] Id est, per septem annos satis habebunt de præda quò se calefaciant. Amant Hebræi in magnis multisve rebus exprimendis numerum heptados, ut infrà 12. 14.

11. *Dabo Gog locum nominatum sepulchrum in Israël, vallem Viatorum ad Orientem maris*] *Ad Orientem lacûs Genesareth*, ut bene interpretatur Chaldæus. Hæc est illa clades illata Antiochi militibus, in Galilæa, 1 Maccabæor. v. 21.

12. *Et sepelient eam domus Israël, ut mundent terram septem mensibus*] Longo post prælium tempore reperientur hic illic sparsa ossa, & ea auferent Judæi, nè humus contra Legem impuretur.

13. *Erit eis nominata dies in qua glorificatus sum*] Quâ repurgatum est Templum, dies φώτων [*Luminum*], sive ἐγκαινίων [*Instaurationis*]. Vide Joannis x. 22.

14. *Post menses autem septem quærere incipient*] קצה tam *initium* quàm *finem* significat, & voce ἀρχῆς [*principii*] vertitur Exod. XXXVIII. 23. II Samuel. XIV. 26. infrà XLVIII. 1. Sensus ergò est, *Ab initio septem mensium incipient quærere.*

15. *Statuent juxta illud titulum*] Signum per quod conspiciatur, σημεῖον Lxx, paxillum putà.

Donec sepeliant illud pollinctores] *Vespillones* potius, θάπτοντες Lxx: nec aliter Chaldæus.

16. *Nomen autem civitatis Amona, & mundabunt terram*] *Ista multitudo* (excisorum) *nomen* (dabit) *civitati* (Hierosolymorum) *postquam mundata erit terra.* Cùm non ampliùs ossa aspicientur testantia victoriam, civitas tamen Hierosolymorum famam indè obtinebit tanquam Gentium victrix.

17. *Ad victimam meam*] Impiorum strages non minùs gratas habebit quàm victimas. Deinde, jugulatio illa & fusus cruor victimarum habent similitudinem. Vide quæ ad Marcum IX. 49.

Quam ego immolo vobis] Id est, præparo.

18. *Arietum, & agnorum, & hircorum, taurorùmque, & altilium, & pinguium omnium*] In Hebræo: *Hircorum, vitulorum, taurorum Basan, omnium* (inquam) *istorum.* Per hæc animantium, quæ in sacrificiis usurpari solebant, nomina varii hominum ordines intelliguntur, Principum, Ducum, militum: quod & Chaldæus observat. Vide quæ diximus ad Esaiam XXXIV. 6. *Tauri Basanis* pro *hominibus* potentibus ponuntur etiam in Psalmo XXII. 13.

20. *Super mensam meam*] Ità vocat locum prælii.

21. *Judicium meum quod fecerim*] Pœnas quas sumserim de nominis mei contemtoribus.

23. *Et scient gentes quoniam in iniquitate sua capta sit domus Israël*] Quia multi, spretâ Lege, ut Regibus placerent, ad Græcos ritus se transtulerant.

25. *Nunc reducam captivitatem Jacob*] Illos oppressos ab Antiocho in Urbis Templique possessionem restituam.

26. *Portabunt confusionem suam, & omnem prævaricationem quâ prævaricati sunt in me*] Perpetuò pudebit eos qui Legem deseruerint, Daniel. XII. 2.

Cùm habitaverint in terra sua confidenter neminem formidantes] Exaggerat culpam ex beneficiis. Meritò eos pudebit quòd me deseruerint, cùm ego illos undique collectos reposuissem in statum longè felicissimum.

27. *Et reduxero eos*] *Reduxissem eos.*

Et sanctificatus fuero in eis in oculis gentium plurimarum] *Fuissem.* Gentes plurimæ extraneæ potentiam meam agnoverunt in restitutione Judæorum; & ipsorum tamen multi mei obliti sunt.

28. *Et scient*] Reminiscentur repurgato Templo.

29. *Et non abscondam ultrà faciem meam ab eis*] Ab eis qui pœnitentiam seriò egerint.

Eò quòd effuderim spiritum meum super omnem domum Israël] *Quoniam effundam spiritum meum super omnem domum Israël.* Cohæret enim cum superioribus. *Effundere spiritum suum super aliquem* Hebræis significat amore prosequi, ut Esaiæ XXXII. 15. Simile loquendi genus 1 Sam. XVIII. 1. Exod. XXXV. 21. Non dissimile Esaiæ LVIII. 10.

CAP. XL.

MUNSTERUS.

2. Æ*Dificium civitatis à Meridie*] Objiciunt nobis perpetuò Jehudæi hunc locum quoties cum illis descendimus in arenam, asserentes Templum illud & Civitatem de quibus hic Propheta loquitur, non exstruenda usquedum venerit Meschia. Ponúntque triplex Templum; primum, Salomonicum; secundum, quod post captivitatem Babylonicam exstructum fuit, & duravit usque ad Christum; & tertium, quod sub Meschia exstruendum fingunt, contra apertam Scripturam Haggæi secundo. Et hoc tertium Templum vocant *templum Jacob*, quod asserunt Jacob in somnis vidisse quando vidit Angelos Dei descendisse in scala, Gen. 28. Et ad hoc quoque citant Jesaiam dicentem, *Venite & ascendemus ad montem Domini, ad domum Dei Jacob.* R. Abraham in Fasciculo myrrhæ super Genesin de hoc tertio Templo sic scribit, בית השלישי לא יהיה חרב כמו שנים ראשונים אלא יהיה קים לעולם ושם יתגלו כל הטובות הצפונות לישראל וכל הנבואות העתידות בין יעודי הנפש בין יעודי הגוף והרבה ההודה ולומדיה כאמרו וכל בניך למודי ה׳: Si ista Jehudæi in spiritu intelligerent de æterni Templi instaurandi imagine, optimè nobiscum sentirent. Nunc autem cùm exspectent externum Templum eâ formâ & magnitudine exstruendum ut hic à Jehezkel describitur, toto errant cœlo; cùm Haggæus Propheta secundum Templum *ultimum* esse dixerit, & cui nullum aliud sit successurum. Describit itaque Propheta primò Templum cum his quæ ad ipsum attinent, usque ad 45 caput; deinde describit Terram, & tandem structuram Civitatis. Primò itaque describit Templum, postea Altare, & deinde leges offerentium. Ante Templum erant atria, & muri, atque portæ, cum suis thalamis, exporrectis frontibus, fornicibus, fenestris, cælaturis, & id genus ornamentis. Erant autem tres muri, extremus, medius & intimus, & intra unumquemque erat atrium. Mons Zion, super quo Templum exstructum fuit, patebat per circuitum cubitis quingentis; erátque cinctus muro, qui dicebatur *murus domûs Domini*: & interjacens spatium usque ad murum præjacentem atrio Templi (quem

הר vocant) dicebatur *mons Templi :* hinc enim duodecim gradibus aſcendendum erat. Aditus erat per ambitum montis quinque portis, ab Oriente, Occidente, Septentrione, & à Meridie, ubi duæ erant portæ. Domus autem Sanctuarii uſque ad murum atrio extremo præjectum proferebatur. Prope montem erat quaſi ſtructura urbis, à Meridie, quòd Jeruſalem ad Auſtrum eſſet reſpectu montis. In acclivitate montis erant thalami quidam, alii aliis ſuperiores, quos Hebræi כיפין nominant, quòd formam haberent fornicum ſeu teſtudinum.

5. *Calamus menſorius*] Hic calamus continebat ſex cubitos. Cubitus autem vulgaris habet quinque palmos, & cubito ſacro adhuc unus ſuperadditur palmus. Eſt autem טפח *palmus* propriè ſpatium quatuor tranſverſorum digitorum. Et tres palmi faciunt זרת unum, h. e. *palmum magnum*, qui eſt diſtenſio digitorum maxima. ¶ *Latitudinem ædificii*] Per hoc *ædificium* intellige murum exteriorem, qui tantùm ſex palmos habuit in lato, & ſex in alto.

7. *Thalamum*] Manſiunculæ quædam ſeu domunculæ erant in Templo & juxta portas: & hæ triplicia obtinent nomina. Aliqua vocantur תאים, aliqua לשכות, & aliqua יציעות: quæ tamen nomina paſſim confunduntur. Erántque ternæ domunculæ à porta Meridionali atque Septentrionali, quarum vacuum intus ſecundùm longum & latum obtinebat calami menſuram, h. e. erant quadratæ æquilateræ, diſtabátque una ab alia quinque cubitis. Erant & quinque diſtincta loca in hoc Templo. Ab exteriori peribolo numerantur duo uſque ad עזרת נשים *atrium Mulierum*, quod erat tertium, deinde atrium Iſraelitarum, & tandem atrium Sacerdotum. Porrò אילים, quod cum Interprete noſtro pro *frontibus* vertimus, Kimhi exponit מזוזות *prominentes poſtes.*

14. *Ad frontem atrii portæ per circuitum*] i. In hunc modum fecit ut poſtes reliquarum portarum in porticibus *ſexaginta* haberent *cubitos*, h. e. decem calamos. Porrò de Feneſtris & earum diſpoſitione diximus 1 Reg. 6. Nam conſimiles memorantur fuiſſe in templo Salomonico.

16. *Et ſic in fornicibus*] Sub. *fuerunt tales obturatæ*, vel *in arctum contractæ*, *feneſtræ.* Sunt autem hîc *fornices* arcus quidam rotundi ſupra limina, quales & noſtro ævo ſupra majores portas fieri ſolent, nè muri pondus ſuperliminare gravet.

17, 18. *Atrium exterius*] Per hoc intellige atrium Mulierum. ¶ Quod ſequitur de *pavimento*, certa ratio ejus haberi non poteſt. Fieri enim poteſt quòd propter montis acclivitatem juxta veſtibula & portas poſita fuerit contignatio, quæ hic *pavimentum inferius* vocatur, & ſupra illam aliud fuerit factum tabulatum, in quo ſteterint mulieres contemplaturæ miniſterium Sacerdotum quod circa altare exſequebantur. Nam infrà dicitur, *ſeptem gradibus aſcendebant* de atrio Mulierum ad atrium Virorum, & deinde *octo gradus* erant ſuperandi ad atrium Sacerdotum.

43. *Tripodes*] Quidam exponunt כירים, ſicut nos vertimus, quibus ſuperponebantur caldaria. Alii Jonathan ſequentes exponunt וי הגרול *uncinos ferreos*, ſive *clavos recurvos*, fixos in lanienæ parietibus, in quibus pecudes immolandæ ſuſpendebantur, donec cute nudarentur & interiora eximerentur. Porrò omnium ſignificationem quære apud alios. Nos in tanta rerum obſcuritate nihil præſtare poſſumus: neque pudet hujus inſcitiæ, cùm Sanctuarium illud imago ſit, ſecundùm noſtros, futuri & conſummati Regni Chriſti, cujus principia juxta primitias Spiritûs modò experimur.

VATABLUS.

1. IN *exordio anni* בראש השנה] Non quidem primâ die anni, ſed primâ parte, ſive primo menſe anni, nempe Septembri, *decimâ* die ipſius primi *menſis.* ¶ *In hac ipſa die* בעצם היום הזה] Vide c. 24. 2.

2. *In viſionibus Dei* במראות אלהים] Vide c. 1. 1. & 8. 3. Declarat quod dixerat, *Fuit ſuper me manus Domini.* ¶ *Et dimiſit me* ויניחני] Ad verb. *requieſcere fecit me*, pro *ſtatuit & collocavit me.*

3. *Et ecce vir* והנה איש] Sub. *apparuit mihi :* q. d. Viſus ſum mihi videre virum quendam, nempe Angelum Domini in ſpecie humana, & in forma architecti mox capturi menſuram novi ædificii conſtruendi ac inſtaurandi. ¶ *Æris* נחשת] Sub. *terſi ac politi :* q. d. facie fulgidâ ac ſplendidâ. ¶ *Et filum lineum* ופתיל פשתים] *Et funiculus lineus*, ſub. *ad metiendum.* Nos *cordellum* vocamus. ¶ *Calamúſque menſuræ* וקנה המדה] *Canna menſuræ*, vel *menſoria.* Hebraiſmus, pro *menſura cannea.* Nos *teſam* vocamus. ¶ *In porta* בשער] Sub. *illius ambitûs qui cingebat totum montem illum.*

4. *Vide oculis tuis*, &c. ראה בעינך וג'] Phraſi hâc Hebraicâ ut diligentiſſimè aſpiceret & attenderet exhortabatur, quòd dicturus eſſet illi rem animadverſione digniſſimam. ¶ *Vides* ראה] Præſ. Heb. pro fut. *viſurus es.*

5. *Et ecce murus* והנה חומה] Hebraiſmus, Tunc apparuit mihi murus, vel, Viſus ſum mihi videre murum, imperfectum quidem. ¶ *Extra domum* מחוץ לבית] i. Citra: q. d. qui ambiebat totum montem illum Sion, in cujus cacumine ædificatum erat Templum. ¶ *In cubito & palmo* באמה וטפח] *In cubito, & palmus* erat: i. Cubitus de quo loquor continebat palmum ultra vulgarem cubitum. Unde quidam verterunt; *adjecto palmo ſingulis cubitis vulgaribus :* q. d. Quæ menſura continebat ſex cubitos, loquendo de cubitis ſacris, quorum quilibet continet cubitum vulgarem ſive profanum; præterea & palmum unum, i. ſex palmos. Palmus autem continet quatuor digitos. Excedit ergò cubitus ſacer cubitum profanum palmo uno. Profanus enim continet tantùm quinque palmos. Vide c. 43. 13. ¶ *Calamo uno* קנה אחד] i. Aſſignavit muro illi (quod vocat *ædificium*) ſex cubitos, ſive 24 palmos.

6. *Ad portam* אל שער] i. Ad unam ex portis illius ambitûs montis. ¶ *Cujus facies* אשר פניו] Ad verb. *cujus facies ejus.* Redundat *ejus.* Per *faciem* intelligunt Hebræi partem anteriorem quæ aperiebatur: q. d. quæ reſpiciebat aut vergebat ad Orientem. ¶ *Et aſcendit*, &c. ויעל במעלותיו] Locus erat acclivis, à quo per gradus quoſdam aſcendebatur ad portam illam ſeptem gradibus, ut dicit v. 22. ¶ *Poſtem* את סף] Intellige eum qui erat in facie illius portæ, quem quidam Hebræorum rotundum fuiſſe dicunt: q. d. Aſſignavit utrique poſti externo illius portæ ſex cubitos in latitudine.

7. *Et thalamum* והתא] Sing. Heb. pro plur. *thalamos.* Erant cubicula ſive manſiunculæ & cellulæ ædificatæ juxta portam ex utroque latere, ternæ & ternæ. ¶ *Veſtibulum* אלם] *Porticum.* Vide 1 Reg. 6. 3. ¶ *Internè* מהבית] *Parte internâ.* Porta illa adjuncta erat veſtibulo, & veſtibulum admotum portæ, *parte internâ* ſcilicet, *i.* erat internum veſtibulum, adyto Templi vicinius; præter morem ac conſuetudinem aliorum veſtibulorum quæ ſita erant à parte externa; ut extra Templum, porticus Templi; & porticus Virorum, extra portam atrii Virorum.

8. *Veſtibulum* אלם] i. Craſſitiem parietis ſive muri ipſius veſtibuli: q. d. Veſtibulum illud cujus meminerat v. 7. erat craſſum cubitos ſenos.

9. *Veſtibulum* אלם] *i.* Longitudinem veſtibuli ſive porticûs. ¶ *Duobus cubitis* שתים אמות] Vel quòd ſinguli poſtes habeant duos cubitos, vel quòd ſinguli ſingulos cubitos haberent. ¶ *Intrinſecùs* מהבית] *Internè. A parte interna*; ut v. 9.

10. *Hinc & indè* מפה ומפו] i. Ex utroque latere. Poſtes veſtibuli quidam intelligunt, alii thalamorum.

11. *Oſtii* פתח] Hic *oſtium* vocat ſpatium illud muri portæ interjacens apertum. ¶ *Longitudinem* אורך] *Longitudinem portæ* vocat à poſtibus interioribus ad exteriores, h. e. ab Oriente ad Occidentem.

12. *Et terminum* וגבול] i. Spatium & intervallum. Rejecit enim intrò thalamos ex utraque parte cubito uno. Retrocedebant thalami à recta linea in qua ſita & collocata erant veſtibulum & porta ipſa cubito uno. Erat ergò ſpatium quod erat inter duos ordines thalamorum laxum duobus cubitis. ¶ *Thalami autem illi* והתא] Ad verb. *& thalamus.* Sing. Heb. pro plur. *Thalami hinc*, i. in latitudinem, *erant ſex cubitorum : & indè*, i. in longitudinem, *erant ſimiliter ſex cubitorum :* q. d. Latitudo æquabat longitudinem, erántque quadrati.

13. *A tecto thalami*; &c. מגג התא לגגו] i. A fine ſive extremitate thalamorum uſque ad finem tectorum eorundem, h. e. alterius ordinis thalamorum, ſive aliorum ternorum thalamorum. Deſcribit dimenſionem totius portæ Orientalis à latitudine thalamorum ſumpta à tecto in tectum. Nam inter duos ordines thalamorum intercedebant duodecim cubiti, decem ſecundùm latitudinem veſtibuli & introitûs portæ; & duo quibus retrocedebant à recta linea illius latitudinis. Duo autem illi ordines thalamorum erant lati alios duodecim cubitos. Tectum autem utriuſque ordinis, hinc & indè, per dimidium cubitum. Et itâ habes 25 illos cubitos. ¶ *Contra oſtium* נגד פתח] *E regione* [vel *ex oppoſito*] *oſtii*, ſub. *portæ atrii exterioris.* Omnia enim oſtia portarum ſibi invicem reſpondebant, & ſe mutuò reſpiciebant.

14. *Poſtes* אילים] *Superliminaria.* Alii, *columnas*, ſub. *anteriores illius portæ.* ¶ *Sexaginta* ששים] Intellige ſecundùm altitudinem. ¶ *Et unicuique*, &c. ואל איל החצר וג'] Ad verb. *& ad poſtem atrii portæ circumcirca.* Quidam vertunt, *& poſtes* poſteriores *atrii* & *portæ per circuitum*, i. qui ſerviebant tam atrio quàm portæ: vel, *atrii*, atrii, inquam, *portæ*,

porta, i. quod adjacebat portæ : q. d. Idem ſentiendum eſt de aliis portis quæ erant in primo illo muro qui ambiebat ac cingebat totum montem Sion.

15. *Illius porta introitûs* השער האיתון] *Porta ingreſſus*, i. à parte anteriore illius portæ quà intrare ſolebat Iſrael adoraturus Deum, *uſque ad frontem*, ſive *conſpectum*, *veſtibuli porta interioris* atrii exterioris, h. e. uſque ad finem exedrarum. Quidam vertunt *media* : & ſic Chaldæus P. ¶ *Quinquaginta cubiti* חמשים אמה] Porta erat longa 13 cubitis; Veſtibulum cum poſtibus ſuis, 10 cubitis; & ſinguli ordines thalamorum unà cum parietibus ſuis, 28 cubitis : Totus autem ille numerus aſcendit ad quinquaginta & unum : ſed non propterea falſus eſt numerus Ezechielis; nam eſt numerus impar, qui in duo æqualia dividi non poteſt.

16. *Anguſta* אטומות] *Arcta* : *ſtricta*, ſub. *erant externè*, ut mox dicit. Ad verb. *occulta*, vel *clauſa*. Vide 1 Reg. 6. 4. & c. 41. 16. ¶ *Et in poſtibus* ואל אליהמה] *Et in frontibus*. Alii, *columnis*, vel *pylis* : ut v. 14. & ה finale redundat, additum ad ם plurale. ¶ *Intra portam* לפנימה לשער] Sub. *erant feneſtræ*. Indè conjiciunt portam illam fuiſſe altam 50 cubitos; & columnas illas ſuperaſſe altitudinem ipſius portæ decem cubitis, ut fieri ſolet in ædificiis turrium. ¶ *Per circuitum* סביב סביב] i. Idque in ſingulis portis illius ambitûs muri montis. ¶ *In veſtibulis* לאלמות] *In teſtudinibus*. Ad verb. *in fornicibus* : habebant enim veſtibula ſpeciem teſtudinis ſive fornicis. Gallicè *une voulte*. ¶ *Feneſtræ autem*, &c. וחלונות 'וגו] Quidam exponunt, *Et feneſtræ erant in omnibus aliis thalamis illius ambitûs cingentis montem*, *erántque intrinſecùs*.

17. *In atrium exterius* אל החצר החיצונה] i. In atrium Mulierum, ſic dictum quòd eſſet extra atrium Virorum.

18. *Ad latus* אל כתף] Sing. pro plur. *latera*. ¶ *Portarum illarum* השערים] Plurali utitur reſpiciendo ad portam, & veſtibulum quod erat adjunctum illi parte externâ. ¶ *Infernum* התחתונה] i. Humi ſitum ac impoſitum.

19. *A limine* מלפני] *A fronte*, vel *facie*. ¶ *Inferioris* התחתונה] i. Atrii Mulierum, quòd eſſet inferius atrio Virorum. ¶ *Interioris* הפנימי] i. Atrii Virorum, quod interius erat reſpectu atrii Mulierum, intra quod erat atrium Virorum. ¶ *Extrinſecùs* מחוץ] i. Citrà, vel extrà, ſecùs à porta; h. e. ſemotâ portâ atrii Virorum & veſtibulo illi adjuncto & gradibus.

20. *Atrio illi exteriori* לחצר החיצונה] *In atrio illo exteriori*, vel *atrii illius exterioris*, i. atrii Mulierum. ¶ *Longitudinem & latitudinem*, ארכו ורחבו] Ad verb. *longitudinem ejus*, *& latitudinem ejus*. Redundant pronomina.

21. *Et veſtibula ejus* ואילמו] *Et frontes ejus* : aut *columna*, ſive *pyla*, *ejus*. ¶ *Prima* הראשון] i. Primo loco deſcriptæ, h. e. portæ Orientalis, ut v. ſeq. declarat. ¶ *Cubitorum* באמה] Ad verb. *in cubito*, i. in menſura & ratione cubitali.

22. *Et veſtibula ejus* ואילמו] Ut v. 16. & 21. ¶ *Facies* ופניו] Ut v. 6. Ad verb. *facies ejus*. Redundat pronomen. ¶ *Aſcendebant* יעלו] Fut. Heb. pro præt. imperf. Alii, *aſcendebant ad eam*, i. priùs aſcendebant quàm pervenirent ad teſtudines illas ſive veſtibula. Vide v. 6.

23. *Portáque*, &c. 'ושער לחצר וגו] Sing. pro plur. & conciſa valde oratio. *Porta erant atrio* [vel *in atrio*] *interiori* Virorum *è regione portarum* atrii Mulierum *ad Aquilonem & Orientem* : q. d. Porta Orientalis atrii Virorum reſpondebat portæ Orientali atrii Mulierum; ſimiliter porta Septentrionalis, portæ Septentrionali. ¶ *Et menſus eſt*, &c. 'וימד משער וגו] i. Spatium & intervallum quod erat ab una porta uſque ad alteram centenis cubitis : q. d. Porta una atrii Mulierum diſtabat ab altera porta atrii Virorum ſibi reſpondente centum cubitis.

25. *Ei*, *& veſtibulis ejus* לו ולאלמו] *In ea* porta, *& in veſtibulo*. ¶ *Sicut feneſtræ illa* כהחלנות האלה] i. Juxta magnitudinem feneſtrarum prædictarum in portis & veſtibulis prædictis. ¶ *Longitudo* ארך] Sub. *porta iſtius*, *ut & aliarum portarum*.

26. *Gradus*, &c. 'ומעלות וגו] Ad verb. *Et gradus*, *ſeptem gradus ejus*, i. per ſeptem gradus aſcendebatur ad eam portam, ut v. 22. ¶ *Ei* erant לו] *In ea*, ſub. *porta*, h. e. in poſtibus portæ erant inſculptæ, ut mox dicit, ubi ſing. eſt pro plur.

27. *Et menſus eſt*, &c. 'וימד משער וגו] i. Spatium quod erat à porta Meridionali atrii exterioris, uſque ad portam Meridionalem atrii interioris, centum cubitis, ut v. 23.

28. *Porta Meridiana* בשער הדרום] *Per portam Meridionalem*, ſive *Auſtralem*. ¶ *Juxta menſuras iſtas* כמדות האלה] Vide v. 24.

29. *Per circuitum* סביב סביב] Sub. *ſicut feneſtra illa*, ut v. 25. ¶ *Longitudo* ארך] Sub. *porta illius*, ut v. 21.

30. *Per circuitum* סביב סביב] Sub. *illius porta*. ¶ *Longitudo* ארך] q. d. Occupabant omnia ſimul ſpatium 25 cubitorum in longitudine vel ſecundùm longitudinem, aut cavo vel cavitate parietis ſive muri ejus portæ; ſingula autem eorum veſtibulorum habebant in latitudine quinque cubitos. Quòd ſi veſtibula illa aut teſtudines illæ ſive fornices illi (de quibus v. 16.) fuerint quadrati, erant quinque numero. Subticuit tamen Propheta numerum eorum.

31. *Atrio exteriori* אל חצר החיצונה] *In atrium interius*, ſub. *exſtabant*, vel *prominebant* : vel ſimpliciter, *erant in atrio exteriori*. ¶ *Gradus*, &c. 'ומעלות וגו] Ad verb. *& gradus*, *octo gradus ejus*, ut v. 26.

32. *A parte Orientali* דרך הקדים] *Versùs Orientem*. Alii, *ad portam Orientalem*.

33. *Feneſtra autem* erant *ei* וחלונות לו] Ut v. 25. ¶ *Longitudo*, &c. 'ארך וגו] Ut v. 21, & 29.

34. *Atrio exteriori* לחצר החיצונה] Vide v. 31. ¶ *Et octo gradus*, &c. 'ושמנה וגו] V. 31. Hebraicè legitur, *& gradus octo* erant *gradus ejus*, mutato dictionum ordine.

35. *Deduxit me etiam* ויביאני] Ut v. 28, & 32.

36. *Thalamos ejus* תאיו] Similis verſus ſuperiori 29.

37. *Poſtéſque ejus* ואיליו] Sing. Hebr. pro plur. Similis verſui 31.

38. *Cubiculum autem* ולשכה] *Et exedra* una : vel, *Et triclinium*. ¶ *Et oſtium ejus* ופתחה] *Et apertura ejus*. ¶ *Portarum* השערים] Sub. *partis Aquilonaris*, in qua erat porta muri, porticûs, & veſtibuli. ¶ *Lavabant* ידיחו] Fut. Heb. pro imperf. ¶ *Holocauſtum* את העלה] i. Partes intimas victimæ quæ offeretur in holocauſtum.

39. *Holocauſtum* העולה] i. Victimam pro holocauſto.

40. *Extra gradum* מחוצה לעולה] i. Citra gradus illos. ¶ *Ad oſtium* לפתח] *Ad introitum* : *ad ingreſſum*.

41. *Immolabant* ישחטו] Fut. Heb. pro præt. imperf.

42. *Lævigatis* גזית] *Politis* : *tonſis*. Gallicè *pierres de taille*. ¶ *Ponebant* ויניחו] Fut. Heb. pro præt. imperf. Alii, *dimittebant*. Alii, *reponebant*.

43. *Et tripodes* והשפתים] Significat inſtrumenta illa ferrea quibus ſuperponuntur ollæ ſive lebetes. Chald. *uncos* ſive *uncinos*, qui infigi ſolent parietibus, exſtántque ac prominent extra parietem palmo uno, ad quos ſuſpendunt carnes aut aliud quidpiam.

44. *Et extra* ומחוצה] Ad verb. *Et ab extra*, i. citrà. ¶ *Quorum facies* erat ופניהם] Ad verb. *& facies eorum*, i. quæ reſpiciebant aut vergebant *ad Auſtrum* ſive *Meridiem* : h. e. quæ erant aperta versùs Meridiem. Et ſic mox.

45. *Cuſtodientium*, &c. שומרי משמרת הבית] Hebraiſmus, Sacerdotum qui curam habebunt Templi.

46. *Filii* בני] i. Nepotes. ¶ *Qui accedunt*, &c. הקרבים 'וגו] Hebraiſmus, acſi dicat *cùm ſint de genere Levitico*.

48. *Et adduxit me in veſtibulum domûs* ויביאני אל אלם הבית] *Adduxit me tandem in veſtibulum ipſius domûs*, i. Templi. ¶ *Poſtem* אל] Sub. *utrumque*. Aut eſt ſing. pro plur. Intelligit illos duos poſtes qui adjacebant oſtio portæ ipſius veſtibuli hinc & indè. ¶ *Porta* השער] Sub. *veſtibuli*.

49. *Longitudo* ארך] Quæ ſcilicet ſumebatur ſecundùm latitudinem portæ ipſius Templi, putà à Septentrione ad Meridiem. Non enim ſemper ſumitur longitudo juxta eundem ſitum, ſive in eodem ſitu : nam quod longius eſt in qualibet re cenſetur longitudo ejus. Quòd ſi demas ab ea longitudine veſtibuli ſenos cubitos prædictos, remanebunt tantùm quatuordecim cubiti. ¶ *Et per gradus* ובמעלות] Subaudiendum verbum præcedens, *Adduxit*, *inquam*, *me per gradus illos per quos aſcendebant ad illud veſtibulum*, vel *ad eam portam*. Doctus inter Hebræos ſubaudit, *& vidi illum vagantem*, ſive *moventem ſeſe*, *per gradus illos quibus*, &c. Alii, *& in gradibus illis erat via per quam*, &c. ¶ *Aſcendebant* יעלו] Fut. Heb. pro præt. imperf.


CASTALIO.

5. CIrcumdabat autem murus templum] Sequitur Templi deſcriptio: Quæ quia perobſcura eſt, eam non ſolùm verbis, ſed etiam figuris declarabimus, ſine quibus hæc vix poſſunt intelligi. Igitur hoc Templum muro cingebatur quadrato, qui patebat quaquaverſus quingentos cubitos : quod totum ſpatium erat ſacrum. Erat autem Templum in monte collocatum,

locatum, ità ut quacunque parte adiretur ascendendum esset. Ejus partes sunt novem, eæque omnes quadratæ, centenos cubitos longæ, & totidem latæ; videlicet ædes ipsa, & circum eam octo atria, à singulis cœli regionibus bina; quorum ea quæ sunt ædi conjuncta vocantur *interiora*, reliqua quatuor sunt *exteriora*. Per exteriora aditus est ad interiora, & porrò ad ædem. Atque hæc novem membra in alia item membra dividuntur, ut in descriptione videre licet. Hæc autem particulatim describuntur ab Ezechiele quo ordine ei ab Angelo ostensa sunt: quò fit ut sit obscurior. Nos, quò res sit dilucidior, singula membra delineabimus. Utar autem ichnographiâ, h. e. areæ & soli & quasi fundamenti picturâ, quò possint omnia spatia perspici: id quod in orthographia, i. in erecti & stantis ædificii pictura, fieri non posset. ¶ *Vir ille habens in manu decempedam*] Heb. *mensoriam cannam*, h. e. perticam. Cujus longitudinem describit, videlicet *sex cubitorum*, scilicet sacrorum: hoc enim declarat dum dicit eos cubitos aliis esse majores uno palmo. Ego *cannam mensoriam* propterea non appellavi quòd *decempeda* nomen est hujus rei proprium. Est & Carcassonæ in Aquitania quædam mensura octo palmorum, quam Gallicè *cannam* appellant, ut Hebraismi affinitatem agnoscas. ¶ *Mensus est ædificii crassitudinem*] *Ædificium* dicit pro *muro*, quod ædificium sepit. Hic murus sex cubitorum crassitudinem habet, pari altitudine.


6. *Ad portam obversam ad Orientem*] *Portam* vocat totum ædificium quod erat in ingressu, quod habebat circumdantem murum, & duas januas, & sex cellas, cum appendicibus, hoc pacto;

ATRII AREA.



a Murus sex cubitos crassus, qui totam portam circumdat. *b* Ostia lata denos cubitos, *c d*, quorum liminum crassitudo est sex cubitorum, videlicet quanta est muri crassitudo ab *e* ad *f*. Altitudo januæ (quæ hîc *longitudo* vocatur, propterea quòd altior est quàm latior) est XIII cubitorum. *g* Cellæ utrinque trinæ, longitudine & latitudine senorum in fundamento cubitorum, quadratæ. *h* Cellarum appendices, singulos cubitos patentes: scilicet in superiore parte cellarum, ubi erant cœnacula, sub quibus appendicibus ad perpendiculum est ejusdem latitudinis spacium ante cellas, quod ipsis cellis, non vestibulo, tribuitur. *i* Spatia quinorum cubitorum inter cellas, quæ spatia intelligenda sunt in solo. Nam superiore parte detrahunt appendices de iis spatiis utrinque singulos cubitos. Ità fit ut cùm cellarum fundamenta distent inter sese quinos cubitos, à *k* ad *l*, appendices distent trinos, ab *m* ad *n*.

Sint enim cellæ *A B*, appendices *C D*. Cùm ab *A* ad *B* sint quinque cubiti, à *C* ad *D* sunt tres.



Sed intelligenda sunt eadem quinorum cubitorum spatia etiam inter cellas & portæ murum, ab *o* ad *p*, ut patebit in portæ longitudine. *q* Vestibulum est latum octo cubitos, ab *r* ad *s*: quod vestibulum abest à portæ limine, hoc est, ab exteriore liminis linea, sex cubitis, *e f*: nam liminis crassitudo non tribuitur vestibulo. Id vestibulum appendices habebat duorum cubitorum, hoc est, quorum projectura patebat in utraque janua unum cubitum, intrò procurrens ab *f* ad *t*: nam si interpretaremur ità ut utrique binos cubitos attribueremus, efficeretur ut vestibuli appendices projecturas haberent duplas quàm sint cellarum appendices; deinde ut eæ vestibuli appendices propiùs distarent à cellarum appendicibus quàm ipsæ cellarum appendices inter sese: quæ utraque inæqualitas deformem haberet aspectum. Erant autem appendices cubitorum LX: quod intelligi debet de toto appendicum spatio: nam singulæ patebant octo cubitos, ab *u* ad *x* (hoc enim ponimus in una appendice; quod tamen idem de omnibus dictum volumus) qui sexies ducti efficiunt XLVIII. Ostiorum autem appendices sunt longæ senos cubitos, ab *y* ad *z*: ità fiunt cubiti numerò LX. Cur autem hæ reliquis sint breviores; in causa est, quòd non augetur earum longitudo processu earum quæ sunt à lateribus, sicut in cellis. Nam si in cellis nullæ essent à lateribus appendices, ea appendix quæ est in fronte esset quanta est ostii, videlicet senûm cubitorum, ab *A* ad *B*. Igitur hujus portæ ædificii latitudo intus sine muro est XXV. cubitorum, à *C*, quà definit cellarum tectum, ad *D*, quà est tectum portæ, hoc est, muri portam ambientis. Nam vestibulum patet octo cubitos; cellæ hinc atque hinc octonos; qui numerus est XXIV. Deest unus cubitus, utrinque dimidius, quem occupant cœnaculorum tecta ad tergum procedentia, tectúmque muri scandentia utrinque in dimidium cubitum, & ibi se cum muri tecto conjungentia; ubi sunt literæ *C D*, à quibus tectorum conjunctionibus numeratur

latitudo

latitudo portæ. Longitudo autem ab initio liminis exterioris januæ, ad extremam lineam liminis interioris januæ, hoc est ab *e* ad alterum *e*, est cubitorum L, videlicet dupla latitudinis. Nam cellarum longitudo est cubitorum XVIII à fundamentis, singularum sex, inter cellas & cellas, & inter cellas & murum latitudinis portæ sunt spatia quater quinûm cubitorum: qui numerus cum illo conjunctus efficit XXXVIII: cui si addas bis sex cubita liminum, fiunt L. Atque ipsa ostia respondent inter sese: nam à *b* ad alterum *b* est recta regio. Ad hanc Orientalem portam ascendebatur septem gradibus: atque ea circumdabatur atrio. Vocatur autem *atrium*, reliquum hujus totius quadrati loci centenos in longitudinem & latitudinem cubitos porrecti spatium. Et *exterius* dicitur, quoniam inter id & Templum erat aliud atrium interius. Igitur in hoc exteriore atrio erat pavimentum à latere portarum. *Portas* autem vocat plurali numero, quoniam vult idem & in Septentrionali porta intelligi quod hic de Orientali tradit, ut paulò pòst apparet. Id pavimentum erat depressiore solo quàm porta, idque secundùm portæ longitudinem, ab *E* ad *F*: ad quod pavimentum erant cœnacula XXX. Quæ quomodo collocata essent, ex hoc intelligi non potest, sed petendum est ex capite 42, ubi hujus collocationis rationem ex hac eadem figura docebimus.

9. *Vestibulum ità mensus est ut intrinsecùs abesset una decempeda*] Scilicet à liminis ingressu.


11. *Janua longa tredecim cubitos*] In altitudinem.

19. *Latitudinem mensus est à fronte inferioris januæ, ante interius atrium foris centum cubitis*] *Inferiorem januam* vocat priorem januam interioris atrii: nam ab ea per gradus in atrium interius erat ascensus, quò fit ut dicatur *inferior*. Hinc apparet quod postea docetur de gradibus, eos non esse extra sui muri crassitudinem; alioqui non posset *inferior* dici *janua* si esset supra gradus collocata. Deinde ipsi interiorum atriorum gradus partem occuparent longitudinis exteriorum atriorum. Neque non animadvertendum est, eundem murum duobus atriis interjectum, non servire utrique atrio, sed duos ibi esse muros, alterum alterius atrii. Si enim unus esset, non constaret neque atriis centenorum, neque universo sacri spatio quingentorum cubitorum longitudo ac latitudo. Igitur *latitudinem mensus est à fronte inferioris januæ, quæ est ante interius atrium*, ubi est litera *G*, *centum cubitis, foris*, ab *H* ad *I*. Nam intus à *K* ad *L* essent tantum *octo* & *octoginta*, muri crassitudine senos utrinque occupante. Idque fecit *tum ad Orientem, tum ad Septentrionem*; h. e. & in Orientali & in Septentrionali atrio: ut intelligamus hic atria duo describi, quæ sint ejusdem generis.

20, &c. *Item porta quæ erat Septentrioni ad atrium exterius obversa*, &c.] Hoc est, portam interioris atrii Septentrionalis, quæ foras ad exterius Atrium Septentrionale spectabat, eâdem ratione metatus est quâ portam exterioris atrii Orientalis, quam modò descripsit: & porrò Septentrionalis, cujus simul mentionem fecit. *Atque ad eam* interiorem portam Septentrionalis atrii *septem gradibus ascendebatur, ante quos erant appendices portæ*. Cùm pateant enim gradus in limine decem cubitos, quæ portæ est latitudo *c d*, (ut superiùs posita figura serviat utrique, quoniam portarum est eadem ratio) & appendicum frontes inter se octo cubitos distent, quæ vestibuli latitudo est, *r s*, fit ut appendicum projecturæ, quæ sunt singulorum cubitorum hinc atque hinc, respondeant utrinque ultimo graduum cubito, cùm à *c* ad *M*, & à *d* ad *N* rectæ sunt regiones, quæ appendices interiùs exponant ante graduum extremitates. ¶ *Erat autem porta interioris atrii e regione portæ alterius*] h. e. Exterioris atrii: distabántque altera ab altera, hoc est, initium portæ interioris atrii ab initio portæ exterioris atrii, *centum cubitos*, ab *e* primi liminis ad *G*. Quòd sequitur de *meridiana porta*, ea est cæterarum similis. Quòd autem dicuntur ei *circumjectæ accessiones*, ea sunt cœnacula; quæ *portæ accessiones* appellantur, quòd ei adduntur extrinsecùs, quæ erant etiam in aliis atriis exterioribus, ut capite 42 declarabimus, ubi hunc locum exponemus. Quæ sequuntur partim ex superioribus conspicua sunt, partim in totius Templi figura apparebunt. De Sacerdotum cœnaculis quod dicit, id declarabimus in cap. 42. Jam veniamus ad Templi descriptionem, cujus hanc aream subjiciemus.

TEMPLI AREA.

Oriens.

Septentrio.  Meridies.

Occidens.

a Cella. *b* Sacrarium. *c* Tabulata. *d* Vacans locus. *e* Ædis paries. *f* Vestibulum. *g* Conseptum. *h* Murus Templi.

Igitur

Igitur hoc Templum ità collocatum erat ut ejus universum spatium esset quadratum, patens centenos in longum & in latum cubitos. Ipsius Templi longitudo erat ab Oriente ad Occidentem. Cella, h. e. ea pars Templi quæ est ante penetrale, erat longa XL cubitos, lata XX. Ei ad Occidentem adjacebat sacrarium, longum XX cubitos, pari latitudine. Cellam & sacrarium ambibant dexterâ sinistrâque singuli ordines tabulatorum, latitudine quaternûm cubitorum: quæ porrò tabulata ambibantur utrinque vacuo loco quinos cubitos lato: quem vacuum locum cingebat murus senos cubitos crassus. Ità fiebat hæc latitudo cubitorum quinquaginta. Ad latus autem Septentrionale erat ædis vestibulum XX cubitorum longitudine, quæ vestibuli longitudo erat secundùm ædis latitudinem. Ità ædis latitudo, aucta vestibuli longitudine, fiebat cubitorum LXX: quod non esset nisi vestibulum esset à Septentrione. A Meridie pro vestibulo erat locus vacuus, tantâ latitudine quanta erat vestibuli longitudo, videlicet cubitorum XX: quibus si addas muri crassitudinem, quæ est utrinque, superiore ipsius muri parte, quinque cubitorum, fiet totius Templi latitudo centum cubitorum. Longitudo ità erat, ut cella esset longa XL cubitos, sacrarium XX. Ab Occidente & ab Oriente erat spatium quatuor cubitorum, in quo in Oriente erat porta: Post id spatium erat vacuus locus cubitorum quinque. Adde utrinque ædis murum sex cubitos crassum; deinde Templi murum, quinque, scilicet in fastigio, propter contracturam: nam quod muro detrahitur, id Templo attribuitur. Ità fit longitudo centum cubitorum. Jam veniamus ad Vatis interpretationem.

31. *Ad atrii partem exteriorem pertinentibus*] Quæ erat extra portam.

35. *Ad Septentrionalem portam*] Scilicet interioris atrii.

48, 49. *Vestibulum quinis utrinque cubitis demensus est*] h. e. Vestibuli limen utrinque erat crassum quinque cubitos, ab *i* ad *k*, & ab *l* ad *m*. Cùm autem murus Templi & murus ædis sint à fundamento crassi senos cubitos, detrahuntur liminibus singuli cubiti, qui tribuantur appendicibus transversis, quarum appendicum spatium non tribuatur vestibulo: alioquin vestibulum esset longitudinis XXII cubitorum. ¶ *Janua utrâque parte*, h. e. & interior & exterior, *lata trinos cubitos*, *n o*, & *p q*. *Vestibuli longitudine viginti cubitorum*, *k l*: *latitudine decem*, *r s*: quanquam in Hebræo legitur *undecim*. Sed non esset latitudo dimidia longitudinis; quod tamen fit in omnibus vestibulis. Adde quòd hic impar numerus non admodum cæteris dimensionibus responderet. Has ob causas hoc loco secutus sum Græcum exemplar, ubi est δέκα. ¶ *Ad quod decem gradibus ascendebatur*] Hi sunt in liminis exterioris crassitudine. Lego autem hîc non אשר, sed עשר: nam & ità legit Græcus, & sententia aliter non constat: quanquam Latinus vertit *octo*. ¶ *Ad appendices*] Appendices enim dextra ac sinistra erant in tecto muri projecturæ singulorum cubitorum: id quod ex eo intelligitur quod de limine dictum est, ut sint longitudinis appendices paris projecturæ cum latitudinis, h. e. cum transversis liminum appendicibus: id quod in atrii figura ostendimus fieri. ¶ *Hinc una, & indè altera erat columna*] Utrùm eæ columnæ essent in initio an in fine vestibuli, non addit: itaque nos earum locum non signavimus. Nam & 4 Reg. 7. ubi sunt hujusmodi columnæ, eæ dicuntur esse in pronao, sive Templi vestibulo; sed quo loco non exprimitur. Quanquam à Josepho dicuntur ad antas collocatæ: id quod videtur ità esse; quemadmodum in Mosis tabernaculo duæ in ingressu angulares columnæ respondent asseribus; unde & antarum nata videtur ratio. Quod attinet ad crassitudinem muri vestibuli, non facit ejus mentionem Ezechiel: sed cùm omnes alii hujus exstructionis muri sint crassitudine sex cubitorum, eandem huic tribuimus.

CLARIUS.

1. IN *vigesimo quinto anno*] Dicturus de exstructione Templi & Civitatis, ac felicitate & divisione Terræ, præmisso annorum numero Prophetiam commendat: quæ omnia rectè sequuntur postquam didicimus percussum Antichristum & victum mundum per Spiritum Christi. Nam in Templo Ecclesiæ status omnis nobis describitur. Patet ex capite primo huic collato quòd *anno trigesimo* Jubilæi vidit auferri gloriam Domini ab Israele. Anno enim à Jubilæo XXV migravit Joachin: postea *quinto anno* primam *visionem vidit* Propheta, quæ erat de auferenda gloria Dei. Usque ad hanc visionem viginti anni intercedunt, quorum sex sub Sedechia adhuc exacti; & restant quatuordecim, de quibus in textu. Igitur hæc Prophetia dicta est *in principio* Jubilæi. Jubilæum significaturus dicit *in principio anni*, *in decimo mensis*: quibus verbis putatur facere decimum diem mensis *anni principium*; quod proprium Jubilæi esse autumant. Aliàs primus dies mensis Septembris principium anni est; decimo autem die Jubilæi initium; qui est dies Propitiationis. Servi manumittebantur; quo figuratur futura liberatio typici populi. Hanc ædificationem etiam Hebræi agnoscunt pertinere ad futurum seculum, h. e. Regnum Christi. Nam Zorobabel Ezechielis exempla exprimere magnopere non est conatus, qui illud Salomonis non solùm non excesserit, sed nè æquarit quidem. Ezechiel ergò viderat antehac destruendam Urbem & Templum: jam videt reædificandum Templum, cui Urbis felicitas adnexa est, & in multò ampliorem dignitatem provehendum. Quid enim æternis conferatur?

3. *Et ecce vir*] *Vir* ille Christus, quem suprà tanto apparatu descripsit, variè diversis locis significatur, sed ubique idem ille est crucifixus Christus & excitatus à mortuis. Superior species judicio quadrat, quia ardent omnia; hic remuneratori sanctumque & æternum Templum immobiliter danti convenit. ¶ *Funiculus*] *Calamo* minores res metiebantur, ut crassitudinem muri, & quàm longè latèque portæ pateant, cæteraque in ædificiis exploranda; sed *funiculo* spatia terræ ampliora. Divisionem autem primùm nota. Describitur Templum cum iis quæ ad ipsum attinent usque ad 45 cap. tum Terra describitur usque ad 48. tunc Civitas ædificatur. Itaque principio de Templo videndum. Describit autem ipsum; postea Altare in 43. & deinde Leges offerentium. Ante Templum erant Atria & Muri & Portæ cum suis ornamentis, quæ ante omnia elegantissimè describuntur, quæ omnia pertinent ad ædificium Templi. Tres muri erant, qui describuntur, extremus, medius, & intimus: intra unumquemque erat atrium. *Mons* Sion, quem antiquitus *Moria* dictum historia Sacra affirmat, in quo Isaac filium Patriarcha Abraham ligavit ad victimam, patebat undique versùm cubitis quingentis. Is muro cinctus erat, qui dicebatur *murus domûs Domini*. Et interjacens spatium usque ad murum præjacentem atrio Templi exterius, quem Græci Interpretes περίβολον vocant, dicebatur *mons Templi*: hinc enim duodecim gradus ascensum præbent, quibus murus atrii superest, latus cubitos decem. Aditus erat per ambitum montis quinque portis. Ab Oriente, ab Occidente & Septentrione singulæ, & à Meridie duæ erant, quòd indè ab Urbe via esset compendiosior: quas Hulda Prophetissa inhabitavit. Domus autem Sanctuarii usque ad murum atrio extremo præjectum proferebatur: indè usque ad ambitum montis *montis* nomen obtinuit. Astipulatur Propheta, *Et posuit me in montem excelsum valde*, *super quem* (vel *prope quem*) *erat quasi ædificium civitatis vergentis ad Austrum*. Nam urbs Jerusalem Meridiei, & mons Aquilonis latus obtinebat. In acclivitate montis thalami seu ergastula, velutique custodiæ, & aliæ aliis superiores circumquaque dispositæ erant, ut ibi immundi mansitarent.

5. *Et ecce murus forinsecus*] Intelligit murum quo mons circumdabatur, qui erat extra domum, nimirum Sanctuarii, quia extra murum atrii extremum, juxta quem *Sanctuarii* appellatio concludebatur. Ordo noscendæ structuræ sanctæ à remotissimis inchoatur. Metitur principio muros montis. Cognitio enim incipit à sensibus, præter illam quæ Divinitus instillatur. ¶ *Calamus mensura sex cubitorum*] Calamum describit. Nam Cubitus vulgaris quinque Palmos habuit; & Cubito sacro adhuc unus superadditur Palmus. Pondera enim & mensuræ Templi vulgaribus præstant. Sic in Siclo sacro & profano fit distinctio. Ut doceamur largiùs Domino esse admetiendum quàm ad privatos usus. Pugnum latitudo quatuor Digitorum constituit: παλαιστὴ Græcis dicitur. Palmus est mensura quantum spatii in longum distenti digiti cum pollice capiunt; vel, mensura à pollice ad minimum digitum manu extensâ. Constat pugnis tribus, h. e. duodecim Digitis. Græci σπιθαμὴν vocant. ¶ *Et mensus est latitudinem ædificii*] Metitur *ædificium*, h. e. extimum hunc murum, qui extra domum est Sanctuarii. In *latitudine* invenit *calamum unum*, tantundem *in altitudine*. Omnium est humillimus. Numerus Senarius est conditionis rerum, necdum enim ad atrium primum perventum est.

6. *Et venit ad portam*] Hactenus extra ambitum fuit, & in muro quo mons cingitur constitit. Jam ab Oriente montis pergit rectà Occidentem versùs, introgressus ambitum qui in monte extremus est, videlicet per *portam* montis quam *Orientalem* nominant, & est portarum una quarum fores Orientem versùs aperiebantur, h. e. foris affixa erant ostia, & extrorsùm recludebantur. Ab ea porta versùs Occidentem pergenti atrium & statio Mulierum introitur.

7. *Et thalamum uno calamo*] Jam introgressus est ambitum montis post dimensam portam: nam cubicula omnia interiora fuerunt muris iis à quibus nomen obtinebant. Sunt autem domunculæ vel mansiunculæ in usum Templi factæ. Hæc sex cubicula quadrata erant. Mensuram calami vacuam intus

spatium in longum & latum obtinebat: utrinque autem à porta, h. e. à Meridionali ac Septentrionali latere portæ, terna erant, *quinque cubitorum*, pariete unumquodque cubiculum à proximo separante. Hic murus interjacens thalamis, & eos dirimens, crassitudinem habuit duorum cubitorum & semissis; ut duo parietes interstinguentes habuerint *quinque cubitos*. Videntur autem tales ad portam protinus mansiunculæ typus esse pro auditoribus adhuc rudibus & intra sex dierum opera conclusis. Utroqueversum dispositæ sunt: nam tempus utrumque tam benedictionum quàm maledictionum, inchoatam pietatem expolit atque apparat ad sensum pietatis ampliorem. Sunt autem thalami portæ propinqui; quòd uni sit illi acquiescendum qui est Via, Veritas & Vita. Aut Orientis porta est illa angusta & stricta porta pœnitentiæ. Vel sex hi thalami significant vasa gratiæ, & homines Ecclesiasticos, qui excipiunt accedentes ad Dominum, &c.

8. *Et mensus est vestibulum portæ*] Quod alii *porticum* appellant. Et erat genus ædificii ad usus Templi, veluti vestibulum justæ portæ. Per *frontem* autem intelligunt postes qui more arborum rotundantur: quæ figura operi decorem reddit. Quod autem ait *vestibulum* seu *porticum portæ fuisse intrinsecus*, volunt duas porticus è regione oppositas fuisse, & illam Mulierum introrsum, Virorum verò extrorsum spectasse.

11. *Et mensus est latitudinem liminis*] Vel *ostii portæ*. Intelligit spatium muris portarum interjacens. Porta complectitur Limina, Postes & Ostium, harúmque rerum partes; sed Ostium tantùm id est quod patulum vacuúmque est in porta. *Ostii latitudo* est *decem cubitorum:* altitudinem non exprimit. A poste posteriore usque ad interiorem per *cubitos tredecim* extenditur *longitudo portæ*. Erat autem longitudo à postibus exterioribus usque ad interiores, h. e. ab Oriente Occidentem versùs per omne ædificium illud: quia longior nunc mensura est, & inter se duo illi postes distant, quæ videtur crassitudo muri. Portæ itaque longitudo ab Oriente Occidentem versùs desumitur, porticûs autem à Septentrione Meridiem versus. Redundantior enim pars *longitudo* dicitur. Ergò latitudinem fœderis habet ostium portæ, & longitudo *tredecim cubitorum* adhuc deficit à quindecim, numero redintegratæ Lunæ. Ecclesia enim Lunæ confertur, & perficienda etiamnum est: *nondum*, inquit, *arbitror me apprehendisse*.

12. *Et marginem ante thalamos*] Ante thalamum quemque spatium liberum fuit *cubiti unius:* nam versùs Occidentem ostia habuerunt. Tantum igitur spatii à poste rectà introrsum ad cubiculum referebatur. ¶ *Cubitus unus finis utrinque*, &c.] Alius vertit, *& cubito uno marginem ex alia parte, & thalamum sex cubitis ex hac parte, & sex cubitis ex alia parte*. Quod autem ait, *sex cubitos hinc, & sex cubitos illinc*, ad crassitudinem muri utrinque quidam referunt: nam superius dixit de vacuo interiore cubiculorum.

13. *Et mensus est portam tecti*] Apparet cubicula in altum fastigiata fuisse, ut indè latitudinem portæ supernæ, h. e. tecti, metiretur Angelus: nominat autem *latitudinem*, etsi major sit, à Septentrione ad Meridiem, longitudinem ab Oriente contra Templum, quia sic cœperat nominare juxta hunc situm latitudinem postium. Duodecim facit crassitudo duorum postium, decem ostii latitudo, & utrinque videbitur cubitus cum dimidio pensilis fuisse. Tecta enim illis seculis plana superjacebant ædificiis, & areæ vicem obtinebant. *Vigintiquinque* dimidium Jubilæi est, ubi nihil apparet salutis: adhuc profundè hærent in carne sub hoc statu rerum. Catechumeni videntur designari, qui in tecto portæ montis latitudinem metiuntur, & conscientiam explorant: nondum enim sunt in atrio, quorum laus est ignominiæ suæ esse conscios, ut humilientur.

14. *Et fecit frontes*] Frontes postium porticûs sunt altæ *cubitos sexaginta*. Sic de omnibus frontibus postium totius atrii censendum, h. e. omnes portas ad modum hujus Orientalis porticus postibus tantæ altitudinis insignitas habuisse. Erant autem monti portæ quinque, singulæ autem suas porticus habuerunt. In porticibus publica gerebantur. Columnæ & postes Episcopi sunt, quorum perfectio super libertatem quinquagesimi obligationem Legis denariæ habet, nè cui dent offensionem.

15. *Et ante faciem portæ*] Alius vertit, *Et à facie portæ introeundi super facie porticûs portæ intimæ cubiti quinquaginta*. Volunt hanc portam nomen ab *introeundo* habuisse, quòd per eam introirent & exirent perrecturi in Templum. Et conjecturam faciunt, hinc & hinc portam Orientis parvas porticulas habuisse, ut hæc justa porta media diceretur. Habet & Templi porta consimiliter duas porticulas, lateribus velut ad hærentes.

16. *Et fenestras obliquas*] Quod alius vertit *obstructas:* non quòd penitus essent obstructæ, sed quòd foris latius apertæ, intus quasi obstructæ viderentur. ¶ *Quæ erant intra portam*] Alius vertit, *adversùs anteriora portæ per circuitum in anteriora:* quòd scilicet hujusmodi fenestellas in muris cubicula habuerint, quæ interiùs hâc portâ constructa visebantur, ut prospectarent introrsum. Sic in reliquarum portarum frontibus vel postibus, qui quidem fenestras similes habuerunt. Omnes autem fenestellæ erant introrsum atrio, & non retrorsum, vel extra murum. ¶ *Pictura palmarum cælata*] Coronæ ad modum arborum palmarum caput frontium vel postium supernè cinxerunt. Si horum & fenestrarum obliquarum Allegoriam requiras, dicere possumus, Circumspicere Episcopum undique per totum atrium, ut morbidum gregem animadversum curet. Neque pudore afficit peccantem, sed multa corrigit dissimulanter, occulto prospectu corrigenda denotat. Hujusmodi speculæ sunt prope portas, dum exitum & introitum populi, h. e. vitæ consuetudinem, observat. *Palma* victoriæ est symbolum. Superior sit speculator insultibus affectuum, nec frangatur malis.

17. *Et induxit me ad atrium exterius*] Hactenus in spatio montis hæsit. Ingreditur jam atrium Mulierum, quod *extimum* vocatur, quia est extra atrium Israelis, & extremum domûs Sanctuarii. Quod porrò est, id monti & non Sanctuario attribuitur. In eo est *pavimentum*, super quo *triginta cubicula*, quæ Interpres vertit *gazophylacia*.

18. *Et pavimentum in fronte portarum*] Alius vertit, *ad humerum portarum*. Et fit conjectura, superum aliquod tabulatum intelligi per *pavimentum:* ut ex textu liquere videatur quòd hujusmodi structuram de pariete atrii sublimem produxerint tam altam, ut veluti humeri corpori ad turres æquales continuaretur, cujus structuræ aut pavimenti inferna pars portarum fastigia æquabat: tecta in æquor & planitiem habebant, & *cubicula* inædificarunt *triginta* idonea usui mulierum, quæ portis eminebant, ut videtur. Ea cubicula longitudinem quoque portarum adæquarunt, tam longè à muro locata in atrium ac porrecta erant; h. e. portæ non ampliùs in commune atrium porrigebantur quàm cubicula illa locata essent.

19. *Et mensus est latitudinem à facie portæ*] Animo distingue aream Sanctuarii. Est ambitus montis; mox atrium Mulierum, interjacentibus cancellis & muro; deinde atrium Israelis, i. Virorum; quod sequitur etiam atrium Sacerdotum; pòst verò porticus Templi, & Templum, & Sancta sanctorum. *Portam* igitur *inferiorem* vel *infimam* nominat, cui nomen *porta Mulierum*. *Inferius* autem dictum, quòd ad illud de atrio Israelis gradibus quindecim descendatur. Ab ejus portæ parte quæ in atrium spectat productiore usque ad proximam partem portæ Israelitici atrii sunt *cubiti centum*, idque ad duas plagas: ut atrium quadratum intelligas. *Conspectum* vel *faciem* nominat exteriorem parietem cujusque: nam se mutuò velut respiciunt. Quòd superius consistunt mulieres, & inferiùs viri, typus est, Ignobiliori membro plus haberi honoris. Centenarius perfectionem quandam numeri habet, ad quam perfectionem centenarii primo atrio pervenitur. Hic numerus tamen explicatior in superioribus erit, etsi idem erit. Eundem enim Spiritum hausimus, sed alius alio perfectiùs.

20. *Portam quoque quæ respiciebat viam Aquilonis*] Putant quidam describi hîc portam Aquilonarem, non atrii Mulierum, sed montis: ut redeat ad montem ab atrio Mulierum retrorsum.

22. *Septem graduum erat ascensus*] *Septem gradus* portam à porticu dirimunt. Nam est porta; deinde septem gradibus ascenditur; mox adhæret porticus. Admonemur, Portam ingressis nondum esse requiem nisi septem gradus exsuperaverimus: porticus enim spatiosior & quieti magis idonea quàm porta.

23. *Et porta atrii interioris contra portam Aquilonis*] Situm portarum exponit. Sic erant dispositæ ut *ostium portæ interioris atrii* cujusvis plagæ exterioribus portis plagæ ejusdem è regione objiceretur, ità ut in extremæ portæ ostio constitutus fores Templi per ostia interjacentium portarum quisque pervideret. Discimus autem, unum tantùm esse ostium; sed quia ex variis locis ingrediuntur homines, licet hinc intelligas accedentium diversitatem. Alii valde tepidi & *Orientales*, alii frigidi *Aquilonares*, alii fervidi *à Meridie*; & habent quisque suum aditum, adducuntúrque per eundem Christum. Ab Occidente non erat ingressus, nam ex ea parte erant Sancta sanctorum, ad quæ per alias portas accedebatur, ut significetur, ad interitum carnis properandum, ut introitus ad sancta pateat. Fugitur Oriens, hujus vitæ prosperitas: in Meridie fit excoctio adversitatum; in remoto Septentrione, fuga hujus seculi.

24. *Et eduxit me ad viam Australem*] Redit rursus ad ambitum montis: nam hâc portâ *via Meridiei* in monte est, non in atrio Mulierum, quia addit *secundùm mensuras superiores*, intelligens mensuras quæ in monte sunt portæ Orientalis, quam quidem primo expositam pro exemplo habet. Neque absur-

absurdum est ut ad montem toties mensor reducatur: nam is in hoc est, ut undique formam Sanctuarii Prophetæ oculis subjiciat. Sequitur autem index mystici Templi ductum Spiritûs, qui in atrium perrumpere cupit, non vagatur per universam naturam, sed quantum ei prosit ad ædificationem sui apprehendit. Rursus cùm alia regio atrii pervestiganda, naturam non aversatur superciliosus, sed per illam duce Spiritu nunc ad abditum Septentrionis ac sepulturam, nunc ad Meridiem, ubi Sponsus in æstu cubat, penetrat, ut usus ac ratio Spiritûs postulat. Quare hactenus audisti quæ sit porta Orientalis, quantæ molis, & quàm elegans; deinde eam quæ ad Septentrionem, ad illius mensuram compositam. Jam de porta Meridiei accipies, quòd mensuras Orientalis portæ similiter contineat. Eadem enim ratio incipientium.

28. *Et introduxit me in atrium interius ad portam Australem*] Expeditus ab ambitu montis & mulierum atrio, jam pergit ad interiora, ad atrium Israelis. Propius enim Templo, quàm Mulierum locus est. *Portam* vocat *Meridiei*, quà atrium & Templum à Meridie aditur. Hanc eandem mensus est; & Orientali portæ montis in mensura convenit. Eadem enim, sed explicatiora mysteria recoluntur talibus typis. Fides enim processu augescit, idcirco Paulus ait, *Justitia Dei in eo revelatur ex fide in fidem.* Quod ad mensuram pertinet, *latitudo* Afflictionis est, quia *vigintiquinque*, & *longitudo* vel *altitudo quinquaginta*, h. e. Remissionis: utraque in eadem statione, afflictio carnis, solatium spiritûs.

31. *Et vestibulum ejus ad atrium exterius*] Alius vocat *porticulos.* In atrio Mulierum introrsum frontes sunt, hic autem extrorsum, h. e. versùs Orientem, & ad atrium Mulierum vergunt extra murum. Commetitur autem extrinsecùs inhærentia; quia intus Spiritus libertatis moderator est & autor omnium. *Octo gradus* habet; qui numerus est Beatitudinis. Putant aliqui quòd prioribus septem hi *octo gradus* conjungi debeant, ut quindecim gradus constituantur, quibus ad atrium Israelis à Mulierum atrio ascendatur. Verùm illud haud quadrat: nam septem gradibus portæ montis præjacentes atrio Mulierum ascendebantur; his *octo gradibus* ab Israelis ad Sacerdotum atrium. Non enim Templum Ezechielis Zorobabel nisi in paucis imitatus est, sed priùs illud Salomonicum in plerisque expressit; in quo quindecim gradibus de atrio mulierum ad atrium Israelitarum ascenditur. Hæc *vestibula* vel, ut alius vertit, *porticulos* ut minimùm duos juxta quamque portam fuisse, qui in Lege scripserunt, collegerunt.

32. *Et introduxit me in atrium interius per viam Orientalem*] Idem est aditus à tribus plagis, Oriente, Septentrione & Meridie. Ubique idem Christus aditum ad se ac Patrem præbet, qui & Via & porta est quæ ducit ad salutem. Alius ab Orientis tepore, alius ab effervescentia Meridiei, alius abdito ab angulo & sepulcro Septentrionis proficiscitur; sed idem Christus, quacunque ratione illuxerit, ostendit Sancta sanctorum æterna. Ergò & hoc loco easdem mensuras habet cum porta montis Orientalis, paucis additis quæ in porta Meridiei suprà notantur. Fit enim processu accessio cognitionis, quæ augescit in majus in dies. Quòd autem ait *vestibulum* sive *porticulos*, alius *fornices* vertit, *ad atrium exterius*, videtur significare, *Virum caput esse mulieris*, suàque illam providentia moderari; sic & Sacerdotes populum. Porticuli autem firmamentum muri atriensis creduntur: Sic qui alium moderatur & corrigit, caveat nè & ipse tentetur; sit firmus animo, nè quam luem ab inferioribus contrahat. Ideo Apostolus ait, *Castigo corpus meum & in servitutem redigo, nè, cùm aliis prædicavero, ipse reprobus inveniar.* Hactenus habes tria atria. Atrium Mulierum cum monte velut permiscetur propter portas, quamvis latissimo muro undique cingatur: Atrium Israelis distinguitur ab illo portis, vestibulis, frontibus, & gradibus septem altius est: Atrium sacerdotum octo gradibus exstat. Sunt mensuris paribus; & tamen alterum altero interius, & Sancto sanctorum propius est. Quid autem aliud est Sanctuarium spirituale quàm fedus Dei cum electis? qui cùm omnes peccatores sint, remissionem à servitute peccati habent, numero quinquagenario significatam, idque in omni atrio, & ad Sancta sanctorum semper prospectatur. Intenditur in unum Christum remotiùs & propiùs constitutis: eadem ratio est per gratiam Jesu Christi. Sunt atria discriminata; & aliud fedus Abrahæ, aliud Mosis, aliud Christi est: at posteriora quid aliud quàm esse stabilitas promissiones Abrahæ factas testantur?

31. *Et per singula gazophylacia ostium*] Alii verterunt, *& cubiculum, & ostium ejus in frontibus portarum:* vel, *camera, & introitus ejus erat in frontibus portarum.* Putant quidam hoc *cubiculum* in atrio Israelis fuisse, sed proximè frontibus portæ Sacerdotum, imò velut continuum ædificium cum porta, tam eximium ut portarum instar videretur. Alii interpretantur *in frontibus* pro *ad frontes*; & *frontes* pro *latere* accipiunt: ut ad latus portæ situm hoc cubiculum intelligas. Cæterùm versùs Aquilonem aperitur, quia in parte Aquilonari altaris victimarum sanctarum mactatio & sectio in frusta fiebat.

39. *Et in vestibulo portæ*] *Vestibulum* hoc sive *porticus portæ* Sacerdotum fuit, sed ea locata erat in atrio Israelis; nihilo tamen minùs pertinebat ad atrium Sacerdotum, i. sancta per omnem modum habebatur. Nam alienus locus victimarum sanctarum est Israelitarum atrium.

40. *Et ad latus exterius*] Ad latus ostii vestibuli seu porticûs, h. e. extra ipsam in aditu atrii Israelis.

43. *Et labia earum palma unius*] Ferunt uncinos esse ferreos per omnes lanienæ parietes & columnas ordine dispositas, recurvos aut reflexos, ut immolatitiæ pecudes illis appensæ cute nudarentur, exstáque omnia eximerentur adolenda in altari.

44. *Gazophylacia cantorum*] Ubi scilicet laudes canebant Domino inter mactandum & offerendum.

45. *Et dixit ad me, Hoc est gazophylacium*] Sunt qui putent demonstrari cubiculum Orientis, quod proximè ad finem præcedentis versûs descripsit, ut intelligas è regione opponi *cantores* Levitas & *custodes* Sacerdotes, sed utrique suis domiciliis. Alioqui & Levitæ suas custodias habent; sed in externo ambitu montis, ut in hoc intimo atrio Sacerdotes; quemadmodum est in descriptione Templi secundi videre. Custodias agunt in extremis inferiores Levitæ, Sacerdotes in intimis: nam pro modo revelationis quisque Ecclesiæ deserviat.

48. *Et introduxit me in vestibulum Templi*] Descripsit consequenter Templum cum iis quæ ei adjuncta sunt. Primus itaque prospectus offert bis *quinque*, h. e. utramque tabulam Legis Dei: nàm oblatis & receptis conditionibus talibus præbetur accessus ad Sancta, ad Templum illud æternum. In latitudine est *ternarius.* Pater *Verbo suo cælos firmavit, & spiritu oris ejus constat omnis virtus eorum.* Ternarius autem in creatione; idem numerus in recreatione est. Per *latitudinem portæ* intelligit quod post portam ceu scapula adhæret, h. e. ædificium non aliter affixum portæ atque scapulæ corpori velut apponuntur. *Tres cubitos* igitur ab Aquilone, & *tres* à Meridie fuisse, pulcrè sequitur, quia latitudo portæ vestibuli longitudinem habet; & utrinque sex cubiti per latera illa exposita detrahuntur, quòd portæ latitudo non ampliùs pateat cubitis quatuordecim. Sex enim à viginti sunt removendi, ut putatur.

49. *Longitudinem autem vestibuli viginti cubitorum*] *Vestibuli* seu *porticûs longitudo* ad latitudinem portæ opponitur: nam ità foris adhæret ut ei sit longior pars à Septentrione versùs Meridiem. *Undecim* autem *cubitis* ab Oriente versùs Occidentem ejus *latitudo* dicitur. Quando verò latitudo in aditu Templi est, habet *undecim*, numerum imperfectum, ut admonearis, Pergendum esse ad intima. D. Hieron. ait *nos in porticu agere donec in corpore degimus, & clamamus, Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Possumus & sic dicere, In porticu catechumenos esse, qui intra naturalem cognitionem sentire incipiunt motum Spiritûs, & initium vitæ quasi delibant: qualis erat Cornelius. At intus sunt in Sancto, qui cognitionem Christi adepti in eam promoverint: rursus in Sancto sanctorum, qui depositâ mortalitate jam vitam æternam ingressi sunt.

LUCAS BRUG.

16. ET *ante frontes* [*fores* o.] *pictura palmarum*] Aureus D. Donatiani Brugensis codex, E, Q, Plantini medius & alii nostri, scripti 19, impressi 6, cum expositore Lyrano, addunt *calata*, *Et ante frontes pictura palmarum calata.* Parisiensium verò exemplaria quinque Di. o. l. Ge. p. v. Mog. & nostra 8. Leod. Lob. O. L. H. Ge. Pl. la. Col. cum D. Gregorio & Hugone Carensi, tollunr: quod neque Hebraicè, Chaldaicè aut Græcè legitur. Hebraicè est, ואל־איל תמרים, *& ad postem palma*; Chaldaicè, ועל אלא כותרתא, *& super postem palma*, aut *capitella*; Græcè, καὶ ἐπὶ τῷ [τὸ Gq.] αἰλαμ φοίνικες ἔνθεν καὶ ἔνθεν, *Et super ailam palma hinc & inde.* Parisienses itaque & Hentenius textu illud indignum censuerunt, expuleruntque. Cæterùm noster Epanorthotes, *Antiqui*, inquit, *Et ante frontes pictura palmarum calata: quod quidam delent, quia Hebræus non habet quod dicitur* CÆLATA. *Sed nec habet Hebræus quod dicitur* PICTURA: *sic tantùm habet, Et ad frontem palma.* Hæc Epanorthotes. D. Hieronymi textus non legit *calata:* Commentarius habet, *Et ante frontes*, inquit, *porticuum, pictura, sive calatura, palmarum*; & pòst, *Denique post 60 & 50 cubitos, & thalamos, & porticus, & frontes porticuum, & fenestras plurimas per circuitum, palmarum nobis calatura vel pictura monstratur.*

Hinc Glossa, ut in S. Jacobi Abbatia Leodii ea olim scripta fuit, non addit *calata*: sed supra *pictura* ponit, *vel calatura*. Inferiùs, versibus 26, 34, & 37. absque controversia addidit Interpres, sine *pictura*, *calata*; *Et calata palma erant, una hinc & altera inde, in fronte ejus: Et palma calata in fronte*, &c. *Et calatura palmarum in fronte*, &c.

49. *Et octo gradibus ascendebatur ad eam*] Manuscripta quotquot habemus (nam quod in Bibliorum margine signatum est, D. Hentenii est exemplar) legunt feminino genere *eam*. Similiter Enarratores legunt, Richelius, Carensis, Autor Glossæ, ipséque Hieronymus, cujus hæc verba sunt, *Et octo gradibus ascendebatur ad eam*] i. *ad portam interiorem*; & ista, *Octo sive decem gradibus, qui perfectus est numerus, aut undecim, de quo jam diximus, ascenditur ad portam sanctorum*. Porrò Regius textus ex Complutensi, & quidam alii impressi libri, masculino genere scribunt *eum*. Atqui quò referri id possit non video. Hebraicè est אליו eodem genere: sed id vel ad אלם refertur, vel ad שער: hoc autem Latini feminino genere dicunt *portam*; illud neutro, *vestibulum*. Græcis codicibus αὐτὸν quod legitur, ad οἶκον referri potest (καὶ εἰσήγαγέ με εἰς τὸ αἰλὰμ τοῦ οἴκου, pro quo nos habemus, *Et introduxit me in vestibulum templi*) quod & Hebræa permittunt. Quod hic Lyranus notat, *li* octo *non esse de textu, quia non sit in Hebræo*, suis D. Hieronymus commentariis refellit: Symmachum enim, qui *octo gradus* posuit, hoc loco secutum se ait.

DRUSIUS.

1. בְּרֹאשׁ הַשָּׁנָה. Th. *in novo anno*] Hieron. *Theodotio in eo loco ubi nos posuimus* in exordio anni, *interpretatus est* in novo anno. Novus *autem* annus *apud Ebræos vocatur mensis septimus, qui apud eos habet vocabulum* THESRI.

2. מִנֶּגֶב. A. *ex adverso Aquilonis*. Sym. Th. *vergentis ad Austrum*] Hieron. *Super hunc montem ostenditur ædificium civitatis juxta Lxx & Aquilam è* regione & ex adverso Aquilonis, *unde ad terram Israel Propheta veniebat, juxta Theodotionem verò & Symmachum* vergentis ad Austrum, *ubi plenum lumen est, & Sol justitia in summo cœli vertice positus*. E REGIONE] Ἀπέναντι, ità Lxx. EX ADVERSO AQUILONIS] Videtur innuere Austrum, qui Aquilonem ex adverso habet. Sanè נגב est *Auster*. Appellatio à *siccitate*. Jes. 30. 6. נגב, A. Sym. Th. νότε. Gen. 12. 9. הנגבה, Sym. εἰς νότον, A. νότονδε. Hieron. *ad Meridiem*. Jes. 21. 1. בנגב, Hieron. *ab Africo*. VERGENTIS AD AUSTRUM] Sic etiam Hieron.

5. חוֹמָה. A. Th. *murus*. Sym. περίβολος] Hieron. *Pro* muro, *quem Aq. & Th. interpretati sunt, Sym. & Lxx posuere* περίβολον. *Murus ergò sive* περίβολος *ex omni parte domum, h. e. Templum DOMINI, circumdabat*. Περίβολος in ed. Rom. exponitur *murus*. Lex V. Περίβολος, *territorium*. Περίβολοι, *mœnia: singulare non habet*: quod intelligi debet de voce Latina; nam ea singulari caret. ¶ רֹחַב הַבִּנְיָן. A. Sym. τὸ πλάτος τῆς οἰκοδομῆς *latitudinem ædificii*] Æmulatus est Hieronymus. Priùs erat in Lxx τὸ προτείχισμα *antemurale*. Forsan & Theodotio ità verterat: nam tantùm memorantur Aquila & Symmachus qui aliter verterint. ¶ וְקוֹמָה. A. Sym. καὶ ἀνάστημα, i. *erectio, statura, proceritas*] Idem cum illo καὶ τὸ ὕψος *& altitudinem*. Sed quia קומה à *stando* deducitur, vel potiùs à *surgendo*, ideo maluerunt vertere ἀνάστημα, q. *assurgimentum*, si sic loqui liceret. Amat enim Aquila verborum etymologias exprimere: quocirca Hieronymus eum appellat *contentiosum Interpretem*. Gen. 7. 4. ἀνάστημα legitur in edit. τῶν ὁ. pro eo quod in Ebræo est יקום, quod Hieronymus *substantiam* interpretatur.

6. וַיַּעַל בְּמַעֲלוֹתָו. Sym. καὶ ἀνέβη δὲ ἀναβαθμῶν, *& ascendit per gradus*] Hieron. *Propterea per gradus ingreditur, imò conscendit, quos soli Lxx septem nominant, cum & in Ebræo & in cæteris Translationibus* gradus *tantùm absque numero legimus*. ¶ סף. Sym. οὐδὸν. A. Th. πρόθυρον] Hieron. *Limen igitur porta, sive* θεὶ, *imò* Saph, *quod Sym.* οὐδὸν, *Aq. & Th.* πρόθυρον *interpretati sunt, habebat calamum unum, h. e. sex cubitos & palmum, in latitudine*. Priùs erat ὕδον quod mutavi, quia dicimus τὸ ὕδος gen. neutro, & τὸν οὐδὸν genere masc. Hic gravis est in ultima, ibi circumflexus in prima. Lex. V. Οὐδὸς, *limes, hoc limen*. Πρόθυρον, *vestibulum*.

7. תָּאִים. Lxx παραστάδες *postes*] Hujus singularis תא, ex quo factum putarim Θεὶ, quod in edit. τῶν ὁ. Id cum סף confundunt, & *limen* interpretantur. In ed. Rom. τὸ Θεὶ. A. Sym. Th. πρόθυρον *vestibulum*, οὐδὸν *limen*. Theodoretus annotat apud Syrum se reperisse Θεὶ, & *limen & superliminare* significare; THEIM verò eadem numero multitudinis. Hieron. *Limen porta, sive* Θεὶ, *imò* SAPH. Et mox, *Post limen autem porta juxta Ebraicum mensus est thalamum sive cubiculum, ut Symmachus transtulit* παραστάδας, *i. postes*. Et pòst aliquantò, *extrema thalamorum, vel, ut Sym. transtulit*, παραστάδων. *Thalami autem sive* παραστάδες, *&, ut Lxx de suo posuere*, Θεηλάθ. & deinde, *mensúsque est portam à tecto thalami sive* παραστάδος, *& cubicula autem*, *i. thalami*, *&* παραστάδες. Hìc vides Θεεὶμ corruptum esse in Θεηλάθ. *Nam*, ut ait Hieron. *omnia propè verba Ebraica & nomina qua in Græca & Latina translatione sunt posita, nimiâ vetustate corrupta scriptorumque vitio depravata, & dum de inemendatis scribuntur inemendatiora, de verbis Ebraicis facta esse Sarmatica, imò nullius gentis, dum & Ebræa esse desierint, & aliena esse non cœperint*. ¶ וְסַף. Lxx καὶ τὸ Θεὶ. *Sym.* τὸν δὲ οὐδὸν *limen verò*. Pro Θεηλάθ in quibusdam libris est Θεὶ Αἰλάμ. Schol. καὶ τὴν παραστάδα ἑκατέρων, *& postem*, sive *thalamum utrumque*. Sed omnia hìc insigniter perturbata, ut nescias quò singula referri debeant. ¶ אֵלָם. Αἰλάμ. Sym. *anteliminare*] Hieron. *Post limen porta*, &c. *quod Lxx* AILAM *transtulerunt, quod in sequentibus Sym.* anteliminare *interpretatus est*. Vulgò *Ælam*; quod non probo. Videntur autem legisse אֵלָם, h. e. Tseri pro Kibbuts. אילם *Ailam*, ut גיא Γαὶ, עין *Ain* Αἰν. Aut est mendum perpetuum pro Αὐλάμ. Nam proclivis sanè lapsus de υ in ι. אולם *Aulam*, ut עוץ *Aus*, רעו Ῥαγαῦ, חושי *Hause*, & alia sexcenta. Ezech. 9. אלם, Lxx & Th. Αἰλάμ, Sym. προπύλαιον, Hieron. *vestibulum*. Aquilæ 1 ed. προστάδα, 2 Αἰλάμ *Templi*, i. *atrium Templi*, sive *intectum atrium*, ait Hieronymus, *quod inter Templum & altare erat*. Joel. 2. 17. Hieron. *vestibulum*, Sym. προπύλαιον, A. πρόδομον, Lxx Αἰλάμ. Infrà in hoc eodem capite in Comment. Hieron. ULAM πρόπυλον, *i. ante fores*. Et mox, *Illud autem quod juxta Ebraicum posuimus*, & vestibulum, *sive* πρόπυλον. Et paulò antè, ELAMOTH, *propyla sive vestibula*. Cæterùm *anteliminare* ità dicitur ut *superliminare*. Suspicor autem eâ voce vestibulum ante januam innui. Theodoretus ait apud Syrum se reperiisse AILAM significare numero singulari *postem*, AILAMOTH, numero multitudinis, *postes*.

9. אֵלָו. Lxx τὰ Αἰλεῦ. Schol. πρόθυρον. Theodoretus autor sic vocari *pisomata* sive *cymatia*. Santes ex Ebræo *postes ejus*. Hieron. infrà, ELAU, *circa eum, sive sustentacula*. Idem alibi, *Thalami quoque & cubicula, qua erant ad viam porta Orientalis, pro quibus Lxx* Ἐλεῦ *scribunt*. ¶ וְאֻלָם הַשַּׁעַר מִהַבָּיִת. Schol. τὸ δὲ πρόπυλον τῆς πύλης ἐσώτερον *vestibulum autem porta interius*.

10. וְתָאֵי הַשַּׁעַר דֶּרֶךְ הַקָּדִים. Sym. αἱ δὲ παραστάδες τῆς θύρας κατὰ τὴν ὁδὸν τὴν ἀνατολικὴν, *postes autem janua ad viam Orientalem*.

11. אֶת־רֹחַב פֶּתַח־הַשַּׁעַר. Lxx τὸ πλάτος τῆς θύρας τοῦ πυλῶνος. Schol. τοῦ προπυλαίου, i. *vestibuli*. את רחב השער, τὸ μῆκος τῆς πύλης *longitudinem porta*] Hoc Scholiastes tribuit τοῖς ὁ. Sed in ed. Rom. τὸ εὖρος τοῦ πυλῶνος, & Hieron. in Comment. annotat rursùm à Lxx dictum esse *latitudinem*. Verba quibus hoc dicit hæc sunt, *Cujus longitudo habebat tredecim cubitos: pro qua in Lxx rursum ponitur* latitudo; *quod mihi videtur scriptorum vitio depravatum*. *Neque enim in uno loco* latitudinem *& rursum* latitudinem decem *vel* tredecim cubitorum *Scriptura dixisset*.

12. וּגְבוּל לִפְנֵי הַתָּאוֹת אַמָּה אֶחָת. Schol. καὶ ὅριον ἔμπροσθεν τῶν παραστάδων πήχεως ἑνὸς, *& terminum ante postes* (vel *thalamos*) *cubiti unius*] Conjicio esse desciptum ex ed. Symmachi. Nam solet ille תאים vertere παραστάδας. ¶ וְהַתָּא. Schol. καὶ παραστάδες.

13. מִגַּג הַתָּא. Hieron. in Comment. *à tecto thalami*, sive παραστάδος.

14. וַיַּעַשׂ אֶת־אֵילִים. Sym. *Et fecit* παραστάσεις. A. κρίωμα. Hieron. *frontes*] Idem in Comment. *Et fecit* παραστάσεις, *quas nos* circumstantias *possumus dicere: pro quibus in Ebraico habet* אילים, *qua Aquila interpretatus est* κρίωμα, *& nos in* frontes *vertimus*. Παραστάσεις videtur hoc loco *postes* denotare, i. παραστάδες. Lex. V. Παράστασις, *præsentatio, exhibicio*. Παραστὰς θύρας, *postis*. אילים sanè sunt *postes*; & ità Santes interpretatur eam vocem. Κρίωμα] Appellatio ab *ariete*, qui κριὸς Græcè. Hieron. *frontem atrii* interpretatur, & κριώματα *frontes*. *Rursum*, inquit, *ubi Lxx posuere* THEIM atrii, *in Ebraico habet numero singulari, quod Sym.* Prope atrium, *Aquila* κρίωμα. i. frontem atrii, *transtulerunt*. Et mox, *Et ubi dixere*, super Theim & super Ailam, *idem Sym.* postes *posuit* & circumstantias, *Aq.* thalamos & frontes eorum. *Porrò* אלמות,

אלכזרת, *quod Lxx & Th. similiter* Ἐιλαμὼθ *transtulerunt*, *Sym.* circumstantias, *Aq.* frontes *interpretati sunt*, i. κρώματα. ¶ אל־איל. Sym. *prope atrium.* A. κρώμα, i. *frontem atrii*] Nè erres, *frontem atrii* vertit quod in Ebræo אל החצר. Nam חצר *atrium.*

15. על־לפני אלם השער. A. *ante faciem postium portæ.* Sym. *contra faciem vestibuli portæ*] Hieron. SUB DIVO QUOQUE AILAM PORTÆ, *Aq.* ante faciem postium portæ, *Sym.* contra faciem vestibuli portæ *interpretati sunt.* Hæc non vacant suspicione mendi. Nam certè Aquila non transtulit אלם *postes.* Deinde verbis illis, *Sub divo quoque Ailam porta*, non respondent ea quæ habentur hoc versu, sed potiùs quæ adduximus ex v. 14. Quibus plus otii est quàm mihi, hæc diligentiùs examinabunt, expendent.

16. וחלונות אטמות. Lxx ϰ̀ θυρίδες κρυπταί. Sym.—τοξικαί] Hier. FENESTRAS ABSCONDITAS, *quæ Ebraicè appellantur* Atumoth, *Sym.* τοξικὰς *transtulit.* Et pòst, *In quibus fenestræ erant obliquæ, quas Lxx* absconditas, *Sym.* τοξικὰς *vocat. Et hæ fenestræ erant in thalamis, h. e. in cubiculis singulis & porticibus, quæ ante cubicula tendebantur, obtinentes cubitos quinquaginta. Quæ fenestræ obliquæ sive* τοξικαὶ idcirco à sagittis *vocabulum perceperunt quòd instar sagittarum angustum in ædes lumen immittant, & intrinsecus dilatentur.* Apud Scholiastem πεφραγμέναι ἐπὶ τοῖς θαλάμοις, τοξικαὶ *obstructa in thalamis, arcuatæ.* Sic redditum invenio in ed. Rom. τοξικαί. ¶ התאים. Sym. *postes.* A. *thalamos.* ¶ אליהמה. A. *frontes eorum.* Sym. *circumstantias*] *i. Stantia quadam, & terræ solo erecta in sublime.* Hieron. *Puto autem inter murum Templi extrinsecus & ipsam ædem in atrio, h. e. in medio, quædam fuisse propter ornatum posita, quæ Sym. interpretatur* circumstantias, *i. stantia quædam*, &c. ¶ אלמות. Th. Ἐιλαμώθ. Sym. *circumstantias.* A. *frontes.* Malim Ἠλαμώθ. Ebræi μ geminant, scribentes *Elammoth.* Nomen hoc etiam Lxx retinuerunt, si non fallit nos Hieronymus. Vide notata ad v. 14. CIRCUMSTANTIAS] Παραςάσεις. FRONTES] In Scholio κρώματα. Hieron. infrà, THEE *interpretatur* limen *sive* frons. ELAMOTH propyla *sive* vestibula. Idem hoc loco, AILAM *autem, pro quo in Ebræo scriptum est* AIL, ostium *vel* posticus *appellatur.*

17. לשכות. A. *gazophylacia & cellaria*, Sym. ἐξέδρας *exedras*] Hieron. *Pro thalamis triginta, quos vertêre Lxx, sive* gazophylaciis *atque* cellariis, *ut interpretatus est Aquila, Symmachus posuit* ἐξέδρας. GAZOPHYLACIA] Schol. γαζοφυλάκια. Sic etiam Hieronymus non solùm hoc loco sed etiam cap. 45. ubi idem adducit ex Aquila, ἐξέδρας, ex Sym. *thalamos* (i. παςοφόρια) ex Theodotione verò *Gazeras.* Santes hîc habet *cubicula*, & 2 Par. 31. 11. *gazophylacia*, ubi Lxx παςοφόρια, Hieron. *horrea.* Sed Jer. 35. 2. Lxx αὐλὰς, Hieron. *exedras.* Lex. V. Ἐξέδρα, *triclinus.* In Thesauro scriptum ἐξέδρα, penultimâ acutâ. Cicero *sessionem* interpretatur. Idem usus est voce Græcâ; ut & Vitruvius & alii. Hieron. pag. 458. edit. Plantinianæ, *statim interpretatus est* triginta thalamos, *vel* gazophylacia, *sive, ut Sym. interpretatus est*, exedras, *quæ habitationi Levitarum atque Sacerdotum fuerant præparatæ.* Mox ubi in editione Græca ϰ̀ περίςυλα, Scholiastes annotat ἐξέδραι. Suspicor errorem esse: nam pertinet potiùs ad παςοφόρια, pro quo Hieron. *thalamos* interpretatus est. Res clara ex iis quæ suprà produximus.

21. ואילו. Schol. τὰ ὑπέρθυρα ϰ̀ ἀποχωρήσεις αὐτῆς, *superliminaria & secessus ejus.*

24. דרך הדרום. Schol. ϰ̀ τὴν ὁδὸν τὴν πρὸς νότον, *secundum viam quæ ad Austrum*] Alius, *per viam.*

32. אל־החצר הפנימי דרך הקדים. εἰς τὴν αὐλὴν ἐσωτέραν ὁδῷ καὶ ἀνατολὰς, *in atrium interius per viam Orientalem*] Habetur in ed. Complut.

34. לחצר החיצונה. *Atrii exterioris.* Sym. *interioris*] Hieronymus in translatione sua quæ Comment. inserta, *Et vestibulum ejus, i. atrii exterioris, pro quo Lxx & Sym.* interiorem *posuerunt.* Græca sunt τῆς αὐλῆς τῆς ἐσωτέρας.

38. שם ידיחו את־העולה. Th. ἐκεῖ πλυνοῦσι τὴν ὁλοκαύτωσιν, *ibi lavant holocautosin.*

39. ובאלם השער וגו׳. Ἐν δὲ τῷ Ἀιλὰμ τῆς πύλης δύο τραπέζαι ἔνθεν, ϰ̀ δύο τραπέζαι ἔνθεν, *In vestibulo autem portæ duæ mensæ hinc & duæ mensæ illinc*] Hieron. *Pro* ÆLAM (malim *ailam*) *in Ebræo positum est* ULAM. ¶ לשחוט אליהם העולה והחטאת Th. *ut immolentur super eas holocaustum & pro peccato*] Hieron. *Hoc enim quod diximus*, ibi lavabunt holocaustum, & in vestibulo portæ duæ mensæ hinc; *& rursum*, ut immoletur super eas holocaustum & pro peccato, *in Lxx non habetur, sed in plerisque cod. de Theodotione additum est.*

40. ואל־הכתף מחוצה לעולה לפתח השער. A. Sym. ϰ̀ πρὸς τῇ ὠμίᾳ τῇ ἔξωθεν τῇ ἀναβαινούσῃ πρὸς τὴν θύραν τῆς πύλης] Hieron. *& ad latus exterius, quod ascendit ad ostium portæ.*

43. השפתים. Sym. Th. χείλη. Aq. 1 ed. ἐπιςάσεις, 2 *labia*] Hieron. *Rursum ubi nos diximus*, & labia earum palmi unius, reflexa intrinsecùs per circuitum, *Lxx transtulerunt*, *&* γεῖσος palmi habentes dolatum intrinsecùs per circuitum. *Quod verbum utrùm Ebræum an Græcum sit scire non possumus: nisi hoc tantùm quod pro* γεῖσω *Sym. & Theodotio* χείλη, *i.* labia (alias χεῖλος, quod etiam in ed. Rom.) *Aquila 1 editio* ἐπιςάσεις, *numero plurali*, 2 labia *transtulerunt, pro quo in Ebræo habetur* שפתים χείλη שפתים. Moschopulus περὶ σχεδῶν, Γεισσός, τὸ κοντάριον. Γεῖσον καὶ γείσωμα, τὸ πρῶχον τῶ ὑπερθύρε, ἤγουν τὸ κοινῶς ςηθᾶιον. Vide quæ sequuntur pag. 205.

45. זה הלשכה.] *Hoc est* gazophylacium *sive* exedra, *ut & Theodotio posuit* thalamus, *qui habitationi Sacerdotum separatus est, observantium in excubiis templi*, ait Hieronymus in Comment. Idem paulò antè, vid. v. 44. לשכות שרים, *gazophylacia cantorum: Pro* gazophylaciis *Lxx* ἐξέδρας *transtulerunt.* THALAMUS παςοφόριον. Hieron. Ezec. 42. *Eductus autem est in gazophylacium, sive, ut Sym. & Lxx transtulerunt*, exedram, *vel ut Theodotio* παςοφόριον, *quod in* thalamum *vertitur.*

49. ובמעלות אשר יעלו אליו. Aq. 1 ed. *& gradibus in quibus ascendebatur ad eam*, 2. & Th. *gradibus undecim.* Sym. *octo.* Lxx. *decem*] Hieron. *Denique Symmachus, quem in hoc loco secuti sumus*, octo gradus *posuit*, *Lxx* decem, *Th. & Aquilæ secunda editio* undecim; *prima autem nullum numerum posuit, sed absolutè ait*, & gradibus in quibus ascendebatur ad eam: *ut vel juxta consuetudinem priorum portarum, octo intelligamus gradus, sicut intellexit & Symmachus, vel certè quos habebat porta interior, quorum numerum Scriptura non dixit.*

GROTIUS.

1. IN *vigesimo quinto anno transmigrationis nostræ, in exordio anni, decimâ mensis, quarto decimo anno postquam percussa est civitas*] *Principio anni*, id est, mensis Tisri, qui initium anni antiquissimum. Ità hîc vult Hieronymus.

Facta est super me manus Domini] Vis Divina me arripuit.

Et adduxit me illuc] Ἐν ὁπτασίᾳ [*in visione*], ut omnia præterita viderem quasi præsentia, ut suprà VIII. *Illuc* refertur ad Civitatem, id est, Hierosolyma.

2. *In visionibus Dei*] Non corpore.

Dimisit me super montem excelsum] *Ad montem* nempè Moriæ.

Super quem erat quasi ædificium civitatis] *Cui monti inædificata erat velut urbs altera.* Templum significat, quòd urbis habuerat speciem. Tacitus: *Templum in modum arcis propriique muri.* Vide Josephum Belli Judaïci v. 14. Variæ semper de hoc Templo quod vidit Ezechiel fuere sententiæ tum Judæorum, tum Christianorum, ut notat Hieronymus, habitúsque est totus hic locus Prophetæ perdifficilis. Egò verò iis accedo qui putant Ezechielis oculis oblatum conspectum Templi; quale fuerat cùm id destruxit Nabuchodonosor, idque duabus de causis. Primùm, ut intelligerent Judæi quantum gentis suæ decus criminibus suis amisissent; deinde, ut olim reversi specimen haberent quod imitarentur quantùm possent; quantùm possent, inquam; nam perfectè ut imitarentur neque summa festinatio permisit, neque opes multò opibus Solomonis impares. Ità nos docet Esdras III. 12. & Josephus his verbis: Οἱ δ' ἱερεῖς ϰ̀ Λευῖται ϰ̀ τῶν πατριῶν οἱ πρεσβύτεροι, τὸν πρότερον ναὸν ταῖς μνήμαις ἀναπολοῦντες μέγιςόν τε ϰ̀ πολυτελέςατον, ϰ̀ τὸν γεγενημένον ὁρῶντες ὑπὸ πτωχείας ἐνδεέςερον τῶ πάλαι κατασκευαζόμενον, ὅσον εἶεν τῆς ἀρχαίας εὐδαιμονίας ἀποβεβηκὸς, ϰ̀ τῆς ἀξίας τῶ ναοῦ λογιζόμενοι, κατήφουν, ϰ̀ τῆς ἐπὶ τούτῳ λύπης κρατεῖν ὁ δυνάμενοι μέχρι θρήνων καὶ δακρύων προήγοντο [*At Sacerdotes & Levitæ & de Tribubus ii qui provectissimi erant ætate, Templum illud quod fuerat animo recolentes maximum & sumtuosissimum, hoc verò Templum videntes ob rerum penuriam multùm illo inferius, reputantes secum quantùm ex veteri felicitate & dignitate Templi decidissent, tristes erant, & non valentes intra se comprimere dolorem ad ploratum & lacrymas ferebantur*]. Si quis objiciat, Non convenire planè hanc descriptionem cum illa quam habuimus in Imperio Solomonis; respondebo, Tot à Solomone Reges tanto tempore ex ingentibus quæ in Templum inferebantur tributis ac donis, multum adjecisse Templo, ejúsque ornamentis; mutasse etiam quædam ex usu: quod & in Herodis Templo contigisse docet nos Josephus. Non omnes mutationes tales perscriptæ sunt, sed in

in exemplum vide II Regum XII. 3, 5. Cæterùm cùm totum hunc Ezechielis de Templo locum accuratè nobis expoſuerit vir admirabilis diligentiæ, præterea Architecturæ, linguarúmque Latinæ, Græcæ, Hebraïcæ & Chaldaïcæ peritiſſimus Villalpandus, omnes diſcendi cupidos hortor eum ut adeant: ſimúlque opto ut edantur etiam quæ vir raræ eruditionis Capellus poſt eum obſervata premit hactenus. Ea cauſa erit cur hæc nonniſi in tranſcurſu attacturi ſimus.

Vergentis ad Auſtrum] Nempe reſpectu montis Moriæ: nam Urbi Templum ad Septentrionem erat.

3. *Ecce vir*] Angelus, ut Apocal. XI. 1. Angeli viri vocantur ubi eâ ſpecie apparent, Daniel. X. 5.

Cujus erat ſpecies quaſi ſpecies æris] *Fulgentis* ſcilicet, quod hîc Græci adjiciunt. Significatur & fortitudo & ſplendor Angelorum.

Et funiculus lineus in manu ejus] LXX: σπαρτίον οἰκοδόμων [*funiculus fabrorum*]. Eo utebantur fabri ad majora ſpatia, Zachar. II. 1.

Et calamus menſuræ in manu ejus] Sic κάλαμος [*calamus*] ſumitur etiam Apocal. XI. 1. & vocatur per appoſitionem κάλαμος μέτρον [*calamus menſura*] Apocal. XXI. 15. quomodo & hîc à LXX. Intelligenda pertica quæ in illis locis fieri ſolebat ex calamo: Uſus ejus in exactis dimenſionibus. Utroque autem hoc inſtrumento ſignificatur, illum Angelum menſoris functurum officio, & omnes altitudines, longitudines, & latitudines exactè demonſtraturum.

43. *Et labia earum palmi unius*] *Cremathra* ſive *uncini unde pendebant carnes*, quomodo hîc accipit Chaldæus, & nos diximus ad Pſalmum LXVIII. 14.

46. *Iſti ſunt filii Sadoc*] Vertes: *Hi ſunt filiorum Sadoc*, præcipuorum Sacerdotum, quorum infrà mentio XLIII. v. 19. XLIV. 15. XLVIII. 11. adjutores ſcilicet.

[*Cùm Vir Cl.* H. GROTIUS *ad verſum ſecundum hujus capitis non tantùm* VILLALPANDI *Commentarios ſummis laudibus extulerit, omnéſque diſcendi cupidos, eum ut adeant hortatus ſit, ſed etiam optaverit ut quæ Vir raræ eruditionis* LUDOVICUS CAPPELLUS *poſt eum obſervata tunc temporis preſſerat ederentur, Sciat Lector totum illud Opus* CAPPELLI *tantopere laudatum à nobis edi; ſed ità ut quæ Ezechielis Textui illuſtrando primò ac præcipuè inſerviunt, his* ANNOTATIS *adjunxerimus, reliqua autem omnia ejuſdem Operis in* TRACTATUS *ad V. T. ſpectantes conjecerimus.*]

PARAPHRASTICA
EXPLANATIO
VILLALPANDI.

1. IN *viceſimo quinto anno tranſmigrationis noſtræ*] Anno viceſimo quinto tranſmigrationis Regis Joachim, quæ propterea *populi* dicitur *tranſmigratio*, quòd tunc primùm cum Rege populi principes, ac vulgus in captivitatem fuit abductum. *Noſtram* vocat eam Propheta quòd ipſe quoque adhuc puer tunc Babylonem fuerit abductus anno à prima Viſione Ezechielis 20. regni Aſſyriorum 50. Nabuchodonoſoris 32. ¶ *In exordio anni decimâ menſis*] In primo anni menſe qui Niſan dicitur. ¶ *Decimoquarto anno poſtquam percuſſa eſt civitas, in hac ipſa die*] Decimoquarto anno ſubverſæ Urbis atque incenſi Templi, qui fuit Sedechiæ undecimus, primi menſis decimâ die, quâ agni Paſchate immolandi inferebantur in Urbem, & quâ Chriſtus verus agnus die Paſchatis immolandus urbem ingreſſurus erat, à turbis palmis excipiendus. ¶ *Facta eſt ſuper me manus Domini*] Vis quædam Divina irruit ſuper me. ¶ *Et adduxit me illuc*] Adductus fui in Urbem jam antè à Deo percuſſam.

2. *In viſionibus Dei adduxit me in terram Iſrael*] Tam illuſtris ac perſpicua viſio mentis meæ oculis objecta fuit ut corporeis oculis cernere viderer proprium ſolum, terram, inquam, Iſrael. ¶ *Et dimiſit me ſuper montem excelſum nimis*] Dimiſit me ſuper montem Moria, cujus nomen ipſa celſitudinis commemoratio indicat. ¶ *Super quem erat quaſi ædificium civitatis vergentis ad Auſtrum*] Super quem montem ædificium erat Templi, mihi è Babylone venienti à meridie objectum, quod civitati erat quàm ſimillimum.

3. *Et introduxit me illuc*] Et adduxit me ad Templi januam quæ in Aquilonari peribolo aperiebatur, ut cominus ſingulas totius ædificii partes poſſem contemplari. ¶ *Et ecce vir*] Ibíque virum Angelum humanâ ſpecie vidi, fortaſſe Michaelem, vel Gabrielem, aut alium è 7 qui aſtant Domino, qui Chriſtum Dominum præſignaret Eccleſiæ verum ædificatorem. ¶ *Cujus erat ſpecies quaſi ſpecies æris*] Quem dum aſpicerem videbar videre ſplendidiſſimum æs candens lucidiſſimis micans ſcintillis. ¶ *Et funiculus lineus in manu ejus, & calamus menſuræ in manu ejus*] Et manu alterâ funiculum cæmentariorum gerebat, alterâ calamum menſuræ, ad quam perfectiſſimum illud ædificium olim fuit exactum, eâdem nunc dimetiendum. ¶ *Stabat autem in porta*] Stabat autem in porta Aquilonaris periboli, Orientali angulo proxima, quaſi Templi cuſtos & Prophetæ ductor.

4. *Et locutus eſt ad me idem vir*] Et allocutus eſt me his verbis, Fili hominis, &c.

5. *Et ecce murus forinſecùs in circuitu domûs undique*] Et ecce peribolus quidam univerſam domum, porticus omnes atque atria, undique cingebat extrinſecùs. ¶ *Et in manu viri calamus menſuræ ſex cubitorum & palmo*] Habebat autem in manibus vir ille calamum ſex conſtantem veris perfectíſque cubitis, ac præterea quartâ parte cubiti, quæ palmus dicitur. ¶ *Et menſus eſt latitudinem ædificii calamo uno, altitudinem quoque calamo uno*] Quo quidem calamo prædicti periboli altitudinem menſus eſt, ac latitudinem, & utramque ex æquo parem reperit calamo.

6. *Et venit ad portam quæ reſpiciebat viam Orientalem*] Prætermiſſo deinde Gentium atrio, quod pro multitudine ad fidem ex Gentibus confluentium menſura cariturum erat, primùm venit ad portam Orientalem Atrii Iſraelis, tum quòd ea digniſſima eſſet, quippe Regi deputata, tum verò maximè quòd per eam unam gratiſſima Sanctuarii facies conſpiceretur. ¶ *Et aſcendit per gradus ejus, & menſus eſt limen portæ calamo uno latitudinem, h. e. limen unum calamo uno in latitudine*] Et ſeptenis portæ gradibus conſcenſis qui in Atrio Gentium ante januam erigebantur, menſus eſt poſtem alterum portæ calamo uno, & poſtem alterum calamo uno, quanta nimirum eſt muri craſſitudo & utriuſque liminis ſuperioris & inferioris latitudo.

7. *Et thalamum uno calamo in longum, & uno calamo in latum, & inter thalamos quinque cubiti*] Menſus eſt quoque Janitorum conclave ſeu thalamum, æquè longum ac latum, calamum unum, & poſtem quâ parte inter thalamos erigitur cubitorum quinque, quanta videlicet eſt ſtylobatæ frons demptis projecturis.

8. *Et limen portæ juxta veſtibulum portæ intrinſecùs calamo uno*] Et menſus quoque eſt utrumque poſtem portæ interioris cui fornix innititur, deprehendítque eſſe æqualem calamo, ſicut & ipſa fornix & murus latus erat calamum unum.

9. *Et menſus eſt veſtibulum portæ octo cubitorum*] Veſtibuli quoque longitudinem octo cubitis dimenſus eſt: h. e. limen portæ, quantum videlicet Meridianus portæ poſtis diſtat ab Aquilonari. ¶ *Et frontem ejus duobus cubitis; veſtibulum autem portæ erat intrinſecùs*] Et ſemicolumnas ejus duobus cubitis. Veſtibulum autem hoc portæ non erat in fronte ædis ante januam, ſed intra januam in ipſa Porticûs latitudine.

10. *Porrò thalami portæ ad viam Orientalem tres hinc & tres inde: menſura una trium, & menſura una frontium ex utraque parte*] Thalami verò in veſtibulis conſtituti intra Orientalem portam, tres erant ejuſdem menſuræ ab Auſtro, tres ab Aquilone, paribus diſtincti poſtibus, paribúſque ſemicolumnis exornati.

11. *Et menſus eſt latitudinem liminis portæ 10 cubitorum, & longitudinem portæ 13 cubitorum*] Et ſpatium in media porta inter thalamorum frontes relictum latum fuiſſe compertum eſt 10 cubitos, altitudo verò luminis portæ ſuper ſtylobatis fuit 13 cubitorum.

12. *Et marginem ante thalamos cubiti unius, & cubitus unus finis utrinque; thalami autem ſex cubitorum erant hinc & indè*] Et thalami peribolo utrinque cubiti unius claudebantur, & poſtes cubitum unum utrinque extra perpendiculum projiciebantur, cùm tamen thalami æquales omnes eſſent cubitorum ſex, h. e. calami unius, qui totidem conſtat cubitis & præterea quartâ cubiti parte.

13. *Et menſus eſt portam à tecto thalami uſque ad tectum ejus, latitudinem 25 cubitorum, oſtium contra oſtium*] Et menſus eſt portæ latitudinem ab extimo peribolo thalami uſque ad peribolum qui ſimul portam claudit & thalamum, & comperit eam eſſe 25 cubitorum, diſcurrente menſurâ per oſtia thalamorum, è quibus unum erat è regione alterius.

14. *Et fecit frontes per 60 cubitos, & ad frontem Atrium portæ*

porta undique per circuitum] Et dimetiendo declaravit columnationes, sive ordines columnarum, omnes simul altos esse cubitos 60, & par erat mensura columnarum ordinibus qui cingebant Atrium portæ proximum undique per circuitum.

15. *Et ante faciem porta qua pertingebat usque ad faciem vestibuli porta interioris 50 cubitos*] Et à facie anteriore, vel à primo limine portæ hujus Orientalis usque ad faciem vestibuli interioris ejusdem portæ 50 cubitos longitudinis, portæ includentis muros, vestibula, postes & thalamos.

16. *Et fenestras obliquas in thalamis & in frontibus eorum qua erant intra portam undique per circuitum: similiter autem erant & in vestibulis fenestra per gyrum intrinsecùs*] Et cancellis visui perviis, reticulatis, obliquis foraminibus thalami claudebantur, qui quidem cancelli è regione semicolumnarum, quæ totam intrinsecùs portam cingebant, protendebantur, atque adeò vestibula omnia portæ interiora ejusmodi cancellis claudebantur; nam thalami in ipsis portæ vestibulis inter stylobatas erant constituti. ¶ *Et ante frontes pictura palmarum*] Et columnarum capitella palmarum spatulis exornabantur.

17. *Et eduxit me ad Atrium exterius, & ecce gazophylacia & pavimentum stratum lapide in atrio per circuitum, 30 gazophylacia in circuitu pavimenti*] Et portam quidem egressum induxit me in Atrii exterioris Orientalem aream subdialem, quam ingressus animadverti eam porticibus undique cinctam fuisse, tessellatis pavimentis affabre elaboratis, quibus gazophylacia imminebant in singulis intercolumniis singula, eràntque omnia circumcirca 30.

18. *Et pavimentum in fronte portarum secundùm longitudinem portarum erat inferius*] Porticuum verò inferiora pavimenta, à lateribus portarum discurrentia, latitudine erant portarum longitudini paria.

19. *Et mensus est latitudinem à facie porta inferioris usque ad frontem Atrii interioris extrinsecùs 100 cubitos, ad Orientem & ad Aquilonem*] Et mensus est latitudinem Orientalis areæ Atrii exterioris à facie portæ exterioris nuper dimensæ, usque ad frontem exteriorem Atrii interioris 100 cubitis ab Oriente ad Occidentem, ac longitudinem totidem à Meridie ad Aquilonem; Vel, mensus est aream subdialem inter exteriorem & interiorem portam jacentem, exclusis portis, latitudinis & longitudinis 100 cubitis.

20. *Portam quoque, qua respiciebat viam Aquilonis Atrii exterioris mensus est tam in longitudine quàm in latitudine*] Et Orientalem portam egressum deduxit me ad portam Aquilonarem ejusdem Atrii exterioris, & mensus est singularum partium ejus longitudinem & latitudinem.

21. *Et thalamos ejus tres hinc & tres indè*, &c.] h. e. Thalamos ejus positu ac numero pares, & frontes ejus & vestibula ejus eisdem planè mensuris mensus est quibus prioris portæ similes partes, necnon longitudinem & latitudinem portæ eandem, eodémque modo mensus est, illam 50, hanc verò 25 cubitis.

22. *Fenestra autem ejus & vestibulum*, &c.] Porrò cancelli quibus thalami concludebantur, vestibula & postes cum suis semicolumnis & capitellis sculptis ad modum palmarum, omnia dimensa fuerunt, & ejusdem mensuræ ac formæ reperta quà erant in Orientali porta, similes partes & ornamenta. ¶ *Et septem graduum erat ascensus ejus, & vestibulum ante eam*] Et septenis conscensis gradibus ad portam patebat accessus, & per eam ad vestibulum; vestibulum erat ultra januam.

23. *Et porta Atrii interioris contra portam Aquilonis & Orientalem*] Et porta Atrii interioris Aquilonaris erat è regione prædictæ portæ, haud secùs quam portæ Orientali contraria erat Orientalis porta Atrii interioris. ¶ *Et mensus est à porta usque ad portam 100 cubitos*] Et mensus est Aquilonarem aream Atrii exterioris à porta usque ad portam 100 cubitis longitudinem, ac totidem latitudinem.

24. *Et eduxit me ad viam Australem*, &c.] Et me Aquilonari portâ eductum deduxit ad Austrum, & ecce porta exterioris Atrii prospiciens ad Austrum quam mensus est; omnia eisdem mensuris constare comperta sunt quibus & ea quæ sunt supradicta.

28. *Et introduxit me in Atrium interius ad portam Australem, & mensus est eam juxta mensuras superiores*, &c.] Et deduxit me ad portam Australem Atrii interioris, & mensus est eam, ac omnes mensuras comperit pares iis quas in supradictis portis recensuerat.

30. *Et vestibulum per gyrum longitudine 25 cubitorum & latitudine 5 cubitorum*] Et postes in circuitu, quorum stylobatæ inter thalamos lati sunt cubitos 5, ipsi verò cum trabeatione postes alti cub. 25.

31. *Et vestibulum ejus ad Atrium exterius, & palmas ejus in fronte: & 8 gradus erant quibus ascendebatur ad eam*] Et vestibulum universum ad exterius Atrium vergebat, & semicolumnarum capitella palmis exornabantur in vestibulo; ad quod gradibus ascendebatur octonis.

32. *Et introduxit me in Atrium interius per viam Orientalem, & mensus est portam secundùm mensuras superiores*] Et portâ Meridianâ eductum deduxit me ad portam Orientalem Atrii interioris, cámque mensus est, & comperit easdem esse in hac porta mensuras atque in supradictis.

35. *Et introduxit me ad portam qua respiciebat ad Aquilonem, & mensus est secundùm mensuras superiores*] Absolutis mensuris Orientalis portæ deduxit me ad portam Aquilonarem ejusdem Atrii interioris, & mensus est membra omnia & ornamenta eisdem mensuris quibus supradictas portas, &c.

38. *Et per singula gazophylacia ostium in frontibus portarum: ibi lavabant holocausta*] Et ad sena thalamorum ostia, quæ erant inter frontes interiores portarum, lavabantur holocausta.

39. *Et in vestibulo porta dua mensa hinc & dua mensa indè, ut immoletur super eas holocaustum, & pro peccato, & pro delicto*] Et in ipso vestibulo portæ duæ mensæ hinc ad binos postes qui sunt inter thalamos, & duæ mensæ illinc ad totidem similes postes, super quibus expansæ pecudes vel armenta jugulabantur in holocaustum, &c.

40. *Et ad latus exterioris quod ascendit ad ostium porta qua pergit ad Aquilonem dua mensa, & ad latus alterum ante vestibulum porta dua mensa*] Et à lateribus portæ Aquilonaris, cùm primùm quis ascensis gradibus ostium ingreditur, duæ mensæ; & à lateribus vestibuli interioris duæ mensæ: h. e. in quatuor angulis vestibuli portæ Aquilonaris quatuor mensæ erant, binæ ad utrumque parietem.

41. *Quatuor mensa hinc, & quatuor mensa indè, per latera porta, octo mensa erant super quas immolabant*] Quòd si binas utrinque angulares binis mediis, quas dixerat, annumeres, quaternæ mensæ erunt in unoquoque portæ latere, & in utroque octonæ, super quibus victimas jugulabant.

42. *Quatuor autem mensa ad holocaustum de lapidibus quadris exstructa longitudine cubiti unius & dimidii, & latitudine cubiti unius & dimidii, & altitudine cubiti unius, super quas ponant vasa in quibus immolatur holocaustum ac victima*] Quaternæ autem mensæ holocaustorum, ex singulis saxis singulæ affabrè ad normam & regulam elaboratæ, quadratâ formâ, cubiti unius & dimidi erant, altitudine verò cubiti unius, cujus formæ ac mensuræ erant reliquæ, super quas ponebant instrumenta quibus immolabatur holocaustum & victima.

43. *Et labia earum palmi unius reflexa intrinsecus per circuitum*] Mensarum autem cymatia, vel superiora ornamenta, fuerunt palmi unius intrinsecùs reflexa, ità ut summa mensa longa ac lata fuerit palmos novem, hoc est, cubitum unum ac dimidium, inferior ara longa fuerit palmos 7, alta 5, cum mensa una cum cymatio alta palmos 6, hoc est, cubitum unum. ¶ *Super mensas autem carnes oblationum*] Super mensas autem ponebatur quælibet oblata caro ut ibi in frustra concideretur.

44. *Et extra portam inferiorem Gazophylacia Cantorum in Atrio interiori quod erat in latere porta respicientis ad Aquilonem, & facies eorum ad viam Australem, una ex latere porta Orientalis qua respiciebat ad viam Aquilonis*] Et Atrium interius ingressus animadverti Gazophylacia Cantorum in Orientali porticu Atrii interioris super vestibulis suspensa quæ inter Aquilonem & Austrum tendebantur. Fuit verò Gazophylacium unum in eadem Orientali porticu, & in ejus angulo Aquilonari; & alterum in ejusdem porticûs angulo Meridiano.

45. *Et dixit ad me, Gazophylacium hoc quod respicit viam Meridianam, Sacerdotum erit qui excubant in custodiis Templi*] Et dixit mihi, Gazophylacium hoc quod est à latere Meridiano Orientalis porticûs, Sacerdotum erit custodientium custodias domûs.

46. *Porrò Gazophylacium quod respicit ad viam Aquilonis Sacerdotum erit qui excubant ad ministerium Altaris*, &c.] Et Gazophylacium alterum quod est à latere Aquilonari Orientalis porticûs Sacerdotum erit custodientium custodiam Altaris.

47. *Et mensus est Atrium longitudine 100 cubitorum, & latitudine 100 cubitorum per quadrum, & Altare ante faciem Templi*] Et mensus est Atrii interioris quadratam aream quæ inter tres jacet prædictas portas, & eam esse comperit æquè longam ac latam cubitos centum, in cujus medio fuit Altare æneum, faciem Templi nullo interjecto ædificio prospiciens.

48. *Et introduxit me in vestibulum Templi, & mensus est*

vesti-

vestibulum 5 cubitis hinc, & 5 cubitis indè, & latitudinem portæ trium cubitorum hinc, & trium cubitorum indè] Et introduxit me in vestibulum Templi, & mensus est postem ejus Meridianum quinque cubitis hinc, & postem Aquilonarem quinque cubitis illinc; & latera portæ sive postes, qui ab ostio extenduntur usque ad interiores angulos vestibuli mensus est, Meridianum trium cubitorum hinc, & Aquilonarem trium cubitorum indè, ex quo fit ut latitudo portæ sit in medio relicta quatuordecim cubitorum.

49. *Longitudinem autem Vestibuli 20 cubitorum, & latitudinem 11 cubitorum, & octo gradibus ascendebatur ad eam. Et columna erant in frontibus, una hinc, & altera indè*] Quoniam mensus est longitudinem Vestibuli cubitorum 20 & latitudinem ejus cubitorum 11, & gradibus 8 ascendebatur ad porticûs ostium. Et columnæ erant ad parastades vestibuli ex utraque parte portæ Sanctuarii, illis persimiles quas Solomon æneas posuit in eodem vestibuli loco, quarum alteram vocavit JACHIN alteram BOOZ.

Excerpta ex eodem.

1. IN *25 transmigrationis nostræ anno*] Prima Ezechielis visio facta fuit anno quinto Jechoniæ (uti constat ex Ezech. 1. 2.) hæc verò postrema anno ejusdem vigesimo quinto. Itaque altera ab altera distat annis viginti. Annum trigesimum, de quo Ezech. 1. 1. accipit Villalpandus de annis regni Assyriorum, cui initium dedit Nabopolassar (sive Nabuchodonosor senior magni Nabuchodonosoris pater) qui secundùm Josephum regnavit annos 19. Ei successit Nabuchodonosor magnus ejus filius, cujus annus 11 convenit cum quinto transmigrationis Jechoniæ, sive primo primæ visionis Ezechielis anno. Cui numero si addatur senarius, quo distat desolatio urbis à prima visione Ezechielis, continget utique desolatio anno Nabuchodonosoris 18. Quod confirmatur ex Jer. 52. 29. *In anno 18 Nabuchodonosor transtulit de Jerusalem animas 832.* Hæc autem de superato Sedechia & incensa urbe intelligenda esse probat numerus annorum qui ex aliis ejusdem Prophetæ locis colligitur: nam ibidem v. 12, 13. dixerat, *In mense quinto decimâ mensis (ipse est annus 19 Nabuchodonosoris Regis Babylonis) venit Nabuzardan princeps militia, &c. & incendit domum Dei.* Et constat hunc esse annum 11 Sedechiæ. Nec quenquam movere debet quòd ibi 18 dicatur, hic 19: Ibi enim de completo loquitur decimooctavo, hic de incipiente decimonono. Ità hic annus extremæ visionis Ezechielis incidet in 32 Nabuchodonosoris, nam (ut jam ostendi) anno duodecimo Nabuchodonosoris fuit prima Visio, additis 20 interjacentibus fient omnes 32. Regni Assyriorum verò annus est quinquagesimus, quandoquidem prima visio facta est anno regni illius trigesimo. Hieronymus annum illum trigesimum de quo Ezech. 1. 1. ait esse trigesimum ab invento libro Legis sub Josia Rege, quam sententiam non simpliciter rejicit Villalpandus. Rabbini addunt annum illum fuisse Jubilæum, proptereáque & istum extremæ Visionis Ezechielis annum (qui est quinquagesimus ab illo) fuisse itidem Jubilæum, probantque ex eo quòd hic dicitur anni exordium esse decima dies mensis. ¶ *In exordio anni decimâ mensis.* Utramque particulam (inquit Villalpandus) connectunt Rabbini, ut ex hoc loco probent annum hujus visionis fuisse Jubilæum. Sic enim Kimhi, *Quis est annus cujus exordium est in decima die mensis? Dic quòd est annus Jubilæi. Et quoniam servi exibant de servitute in libertatem in anno Jubilæi & in die Expiationum, propterea ostendit illi Deus O. M. exitum de captivitate & ædificationem Templi in anno Jubilæi & in die Expiationum, quoniam in ea die parcet Deus iniquitati Israel, & peccatum eorum non memorabitur ultrà.* Et Jarhi eadem confirmat, & probat hunc Jubilæi annum quinquagesimum esse à decimooctavo Josiæ, qua in re sententiam B. Hieronymi non minùs quàm suam roborat; quia anno decimooctavo Josiæ inventus est liber Legis, &, sive hâc sive illâ ratione computari cœpti sint anni, computatio certa esse videtur. At illud non est usquequaque certum, prædictum decimumoctavum Josiæ annum fuisse Jubilæum. Imò verò Theodoretus in hunc locum (uti observat Villalpandus) notat in Hebræorum annalibus diligenter conquisitis nullum reperiri Jubilæi annum cum quinto Sedechiæ, aut translati Jechoniæ, convenire. Itaque hanc Judæorum loci hujus interpretationem rejicit Villalpandus, & exordium anni accipit de primo mense Nisan, qui Exod. 12. 1. jubetur à Deo Israelitis, ut deinceps sit ipsis anni exordium. Porrò notat duplex fuisse Judæis anni exordium, alterum mense Septembri in æquinoctio Autumnali, quòd tum naturalis sit quidam anni finis, quia fruges omnes maturæ tum reconduntur: Cujus exordii ratio habebatur in Jubilæorum & annorum hebdomadicorum observatione. Alterum fuit in æquinoctio Verno, cujus ratio habebatur in solennitatibus & Festis. Et hoc constitutum vult à Deo anni exordium non modò quia Israelitas eo mense eduxit ex Ægypto, verùm etiam quia Mundus eâ anni tempestate creatus fuerat, quod tum ratione, tum testimonio Anatolii apud Euseb. lib. 7. Hist. Eccles. cap. 26. tum Cyrilli Hierosol. Leonis I. Isidori, Bedæ, & aliorum probat. ¶ *Facta est super me manus Domini*] *Manus* vim, robur, potestatem significat, vel in vindictam, vel in opem & auxilium. Hic S. Spiritum significat, seu Spiritum Prophetiæ, qui ut manus à brachio & digitus à manu promanat, sic ipse à Patre & Filio procedit; qui dicitur *digitus Dei* Exod. 8. 9. à Magis Ægypti, & Luc. 11. 10. à Christo, *Si in digito Dei ejicio dæmonia*, quod explicatur à Matth. 12. 28. *Si in Spiritu Dei ejicio dæmonia.* ¶ *Illuc*] h. e. In Jerusalem, de qua paulò antè dixerat, *Decimoquarto anno postquam percussa est civitas.*

2. *Super montem excelsum*] Quis hic mons fuerit in lib. Paralip. habetur expressum, *Et cœpit Solomon ædificare domum Domini in Jerusalem in monte Moria, qui demonstratus fuerat Davidi patri ejus in loco quem paraverat David in area Ornam Jebusæi.* Pretium illius areæ exprimitur 1 Paral. 21. 25. *Dedit Ornan pro loco siclos auri justissimi ponderis sexcentos.* Quod ita accipit Villalpandus ut fuerint argentei sicli 600, aurei verò 50, qui faciunt monetæ Rom. scuta 280 *di oro in oro.* ¶ *Ædificium civitatis vergentis ad Austrum*] Lyranus disputat quòd civitas Jerusalem unà cum Templo ostensa fuit pariter Ezechieli, atque adeò Ædificii nomine significari putat ab eo Templum, nomine Civitatis ipsam urbem Jerusalem, & Templum quidem ad Aquilonem statuendum putat, civitatem econtra ad Austrum. Sed falsum omnino est (inquit Villalpandus) Templum urbi à Septentrione opponi; nam (ut ait Josephus) urbs sita erat è regione Templi theatrali specie, h. e. triplex ejus latus cingens, ut in urbis topographia potest esse perspectum.

3. *Introduxit me illuc*] *Illuc*, h. e. in Templum. Quod non denotat ad interiora Templi jam fuisse deductum Prophetam, cùm adhuc exterior Peribolus conspiciendus infrà sit, sed tantùm cominus allatum ut posset singulas ordine partes percensere. Atque hic ob oculos ponenda est universalis nostra Ichnographia, ubi conspiciet Lector in extimo Aquilonari Peribolo apertam portam ab Orientali angulo non longè dissitam, in eâque Angelum stantem videri in fine hujus versiculi, cùm Propheta vel intra portam in via, vel juxtà portam in monte domûs stetisse credendus sit, cùm ad Templum adductus fuisse dicitur. ¶ *Et calamus, &c.*] Calamus קנה longitudinum mensura sic dicitur, quia longitudine & cylindricâ formâ cannam sive calamum refert; & quia cubitis ac palmis distincta erat, calami nodos eo imitabatur. Hujusmodi calami formam & pretiosam materiam disertis verbis exprimit Johannes Apoc. 21. 16. *qui loquebatur mecum habebat μέτρον κάλαμον χρυσοῦν.* ¶ *Stabat autem in porta*] In ipsa Porta Periboli Aquilonari quasi Templi ipsius custos & janitor, Christum repræsentans, qui in eadem porta stans janitoris & custodis templi functus est quasi ministerio, quippe qui *non sinebat ut quisquam transferret vas per Templum*, Marc. 11. 16. Nam quibus ex Bezetha vel Cænopoli, vel ex ipso foro pecuario transeundum erat in superiorem urbem, vel in regiam Salomonis, primùm ingredienda erat hæc porta Periboli in qua Angelus hic stabat: Ingressis verò viam duplex sese offerebat iter, compendiarium alterum portam ingredientibus huic adversam in Atrio Gentium, & per ipsum atrium, & per porticum Salomonis transeuntibus ad portam Occiduam porticûs Gentium quæ priori est contraria: Alterum verò iter longius aliquantò erat circa murum Atrii Gentium per ipsam viam exteriorem. Quapropter onusti servi aut alii mirum non est si compendiariam ingressi viam longiorem fugere. At Christus Dominus qui id in dedecus Templi cedere censebat, stans in porta hac, vel saltem in illa quæ est ei adversa in Atrio Gentium, prohibebat hujusmodi nè transirent per Templum. Idem etiam Christus ementes & vendentes dicitur ejecisse de Templo, h. e. è prima parte Templi, quæ Atrium & porticus Salomonis appellabatur, ubi docere & ambulare solebat Christus Dominus apud Johannem 10. 25. is enim locus parebat, ut videre est Act. Apost. 3. 11. & 5. 12.

5. *Calamus mensuræ sex cubitorum & palmo*] Quia Hebræa phrasis hic aliquantò obscurior & ambigua esse videtur, quanquam ità accipi possit ut eà videatur significari Calamum constitisse senis præcisè cubitis, quorum singuli constabant cubito uno & palmo, quia voces Hebraicæ באמה וטפח connecti simul possunt & distingui à præced. שש אמות, Villalpandus quorumdam refert sententiam qui calamum istum existimant longum fuisse 6 cubitos præcisè, sed quorum singuli constabant cubito com-

communi & palmo, h. e. fuisse Babylonicos cubitos, qui Hebræis majores erant palmo uno, h. e. sextâ minoris parte, sive senis digitis, quod confirmari putant ex illo Ezechielis testimonio c. 43. 13. *Ista mensura Altaris in cubito verissimo qui habebat cubitum & palmum.* Sed negat Villalpandus eandem esse utriusque loci phrasin, eadem verba. Porrò illorum Sententiam refellit primùm ex Lxx Interp. κάλαμος τὸ μέτρον πηχῶν ἓξ ἐν πήχει καὶ παλαίστης. Non habent παλαίστη, ut conjungi possit cum ἐν πήχει· sed habent παλαίστης, quod conjungendum cum πηχῶν ἓξ, ut sensus sit, calamum fuisse sex cubitorum & palmi unius. Dein autoritate Hieronymi, Gregorii, &c. denique ipsius Ezechielis, qui capitis hujus v. 7, 9, 11. cavædium portarum metitur cubitis 10, & frontes sive semicolumnas cubitis 2, & thalamos singulis cubitis: cùm verò has omnes partes simul uno numero computat, portarum latitudinem sæpius 2 cubitis definit. Quòd si calamus senos tantùm haberet cubitos, bis seni duodenis additi 24 redderent, non 25. Statuendum igitur illos 25 cubitos quaternis calamis fuisse dimensos, quorum singuli præter senos cubitos quartam contineant cubiti partem, h. e. 6 digitos: eam verò *palmi* nomine indicatam fuisse à Propheta, quòd nulla mensura fuisset Hebræis huic magis proxima. Porrò Hebraica phrasis ista *in cubito* באמה sæpius est usurpata à Propheta, præsertim cap. 42. *Mensus est contra ventum Orientalem calamo mensuræ 500 calamos in calamo mensura per circuitum.* Quod Vulg. reddidit, *In cubito verissimo*, in quo videtur secutus Lxx Int. qui apud eundem Hieronymum reddunt, *In cubito perfecto*, cujus mox ipse sacer textus in qualibet lingua longitudinem explicat continere cubitum unum vulgarem & insuper palmum. Itaque quoties *in cubito* vel *in calamo* dicit aliquid dimensum esse, de cubito vel calamo Justo legali ac certo sermo est. Itaque *in manu viri calamus mensuræ cubitorum sex in cubito*, intellige perfectorum, *& palmi.* ¶ *Mensus est latitudinem ædificii calamo uno*] *Ædificii*, h. e. Periboli qui hic exstructus fuit juxta Legem à Deo latam, Deut. 22. 8. nè ambulantes præcipites deciderent in subjectas valles profundissimas. Lxx Int. in Compl. & Reg. codice, *Mensus est antemurale* (inquit) *latitudinem æqualem calamo, & æqualem calamo longitudinem, & æqualem calamo altitudinem.* Quæ longitudinis in muro dimensio (inquit Villalpandus) ab altitudine distincta supervacanea videri poterit ei qui hujus Periboli formam in nostris descriptionibus non perpenderit. Iis vero perspectis universus hic Peribolus quadratis aris constare cognoscitur, quarum longitudo, latitudo & altitudo æqualis est calamo. Atque de his quadratis Periboli aris accipit locum 1 Macc. cap. 14. 26. *Posuerunt ἐν στήλαις in titulis in monte Sion.*

6. *Ascendit per gradus ejus*] Gradus in porta ascendendi excelsiorem fuisse demonstrant aream Atrii Israelis areâ Atrii Gentium, quod montis acclivitas postulare videbatur, sed & multò magis locorum dignitas, quæ ipsâ soli celsitudine indicabatur. Atque adeò universum Israelis Atrium excelsius erat Atrio Gentium, Atrio Israelis Atrium Sacerdotum, super quo ascendebatur solum domûs Dei. Non enim parùm dignitati Templi vel Basilicæ conducit si à reliquo urbis pavimento emineat: Quod animadvertentes antiqui Architecti ante Idolorum Templa gradus perpetuò excitabant, ut videre est apud Vitruvium. Porro dum Angelus ascendisse dicitur portæ gradus priusquam portæ limen accederet, planè indicat gradus ante portam excitatos fuisse, ut in Ichnographia universali Templi sunt descripti. ¶ *Et mensus est limen portæ*] Lxx apud Hieronymum hic habent, *Et mensus est* θεὲ *sex hinc & sex indè.* In Complut. & Regio, *Et mensus est* θεὲ *sex.* In Sixtiano, *Ælam portæ æqualem calamo, &* θεὶ *æqualem calamo longitudine & æqualem calamo latitudine.* Hanc omnem lectionum diversitatem (inquit Villalpandus) duplici ex capite originem ducere existimo, & quòd multa hoc versu calamo uno finiantur, & quòd eorum quæ dimetirentur nomina propriam plerumque commutent notionem ut alienam sortiantur; ex quo factum est ut vocem Hebraicam תא (quam in *thalamum* mox convertit Vulg.) hic accipiat Hieronymus ut si à Lxx Interp. usurparetur pro סף. Quòd si conjecturis uti liceat, potiùs arbitrarer liminis mensuram ab ipsis fuisse prætermissam, & eos ad Thalami mensuras mox accessisse, vel, quod verisimilius est, à Librariis fuisse ejusmodi mensuram prætermissam. ¶ *Id est limen unum*, &c.] Lyranus putat *id est* positum pro *&*, in quo rem ipsam assecutus videtur: sed in eo erravit quòd literam corruptam esse indè astruit, cùm Hebraica conjunctio ו *Vau* (ut aliàs ostendimus) significet idem quod *&* & *id est*, ut mirandum non sit ab Interp. Latino alteram notionem pro altera substitui. ¶ *Limen unum*] h. e. *Aliud*, sive *alterum*; & sensus est, Mensus est limen unum portæ calamo uno latitudinem, & limen alterum calamo uno in latitudine. Porrò סף modò pro inferiore limine, ut Jud. 19. 27. & 1 Reg. 14. 17. modò pro superliminari sive superiore limine; denique pro poste portæ utroque accipitur uti hoc loco.

7. *Thalamum uno calamo*] Symmachus παραστάδας non quòd pro eodem usurpari putaverit, cùm longè diversi sint postes ab interjacente cubiculo, sed quod ejusdem mensuræ fuisse existimaverit, ut verè sunt, postes ac thalamos, si crepidines metiaris, vel si quantum distent thalami ab invicem metiaris. Lxx aliquid addidisse Paraphrasticè videntur, & θεὶ primum, secundum, tertium calamo metiuntur, &c. dein subjungunt *& alam in medio* θεελὰθ *cubitorum sex.* Quòd si *alam postem* significare credamus, Symmachi sententia confirmabitur, postem nimirum indicari æqualem calamo inter thalamos fuisse statutum. Quibus non obstant quæ sequuntur, ¶ *Et inter thalamos cubiti quinque*] Idem namque postis & quatuor cubitorum est in summo, cujus stylobata quinque cubitorum est, adjectâ vero stylobatæ imâ spiræ projecturâ calamus completur cubitorum sex, & quartæ cubiti partis. Porro ex Hebraica lectione non videtur colligi fueritne paries an postis, an spatium inane inter cubicula jacens. Lxx dubium videntur tollere voluisse, qui in Sixt. codd. habent, τὸ αἰλὰμ πηχέων πέντε. In aliis codd. legitur αἰλ, quæ vox Hebraica est, & *postem* prætereàque nihil significat. Malè Complut. αἰς pro αἰλ. Quocirca postem quendam intercessisse statuendum hic est inter binos thalamos. Sic Chald. *Inter thalamos paries quinque cubitorum*, Parietem oblongum postem vocans. Et Kimhi; *Murus qui erat inter duos thalamos medius latus erat quinque cubitis.* Sic & R. Jonathas, qui præterea addit, *Thalami erant intra murum*, quod patet ex universali Ichnographia; ubi in ipsa latitudine parietum portæ Aquilonaris & Meridionalis aperti sunt thalami.

8. *Et limen portæ*, &c.] Hunc versum cum præcedenti conjungit Hebraicus textus, quoniam alium octavo loco posuit quem non habet Latina lectio, estque hujusmodi, ¶ *Et mensus est vestibulum portæ intrinsecùs calamo uno*] Duo (inquit Villalpandus) hic metiuntur quæ oportuit esse æqualia; Primùm postis portæ, h. e. סף, cui sine dubio æqualis fuit postis alter, atque adeò ipsius muri crassitudo æqualis fuit calamo. Alterum quod metitur est vestibulum, nimirum spatium illud inane quod in medio muro aperitur ut fiat porta, quod spatium desuper fornice operitur; & hujus quidem spatii latitudo quæ ab Oriente tendit in Occidentem uno calamo dimensa est in textu Heb. (v. 8.) eam verò nemo non videt esse non potuisse vel majorem vel minorem postium latitudinem aut crassitudine. Ex quo liquet nihil in textu Latino desiderari quod ad mensuratum completam rationem posset conducere. Sic ille excusat Vulg. Interp. sui omissionem. Porrò (inquit) אלם ab אלם deducitur, quod *colligare* propriè significat; quam vocis originem si expendas, & cum locis S. Scripturæ conferas in quibus hujus vocis fit mentio, facilè invenies *vinculum, colligationem, nexum* postium eâ voce significari; viz. id omne quo postes desuper vinciuntur, sive fornix sit, sive rectæ trabes, sive tectum, transfertúrque non rarò ad ipsam postium & fornicum seriem significandam, quæ *Porticus* dicitur. Ex quo factum ut ipsam quoque apertionem spatiúmque sub fornice relictum nonnunquam significet, atque alias postes ipsos: quarum omnium acceptionum exempla è Scriptura produci possunt. Hoc versu locum illum sub fornice relictum in porta significat, quem Græci πρόθυρον, Latini vocant *vestibulum.* Constat ergò ab Angelo hoc loco dimensum fuisse postem in muro qui Portæ longitudinem cingit ab Occidente. Describit autem his verbis & Portæ formam & dispositionem: nam dum limen hoc vel hunc postem esse dicit *intrinsecùs*, planè indicat limen aut postes, quos paulò superiùs dimensus erat, exteriores fuisse huic Portæ, nimirum versùs Atrium Gentium ad partem Orientalem: dum *juxta vestibulum*, vel *ad vestibulum interius* hunc fuisse postem dicit, discrimen assignare videtur inter Portæ limen interioris & exterioris, hæc enim quadrato epistylio (Hisp. *Dintel*, Gall. *Linteau*) ut patet in Orientali Orthographia, interior verò vestibulo operiebatur, h. e. fornice seu arcu, reliquis Portæ atque Atriorum vestibulis quam simillimo.

9. *Mensus est vestibulum portæ octo cubitorum*] Idem ipsum Vestibulum, cujus paulò antè latitudinem mensus erat, nunc metitur juxta longitudinem, & comperit longum esse cubitos octo, nimirum ab Aquilone in Meridiem, ut in ipsa videre est Ichnographia, in qua limen Portæ latum est cubitos octo. Maximè autem animadvertenda est hæc mensura, quippe quæ universa Templi vestibula, tum quæ in Portis, tum quæ in Porticibus aperiuntur, atque in Atriis, necnon exteriorum Portarum latitudinem definiat. In ædificio enim tam concordi tam

consonâ structurâ unius portæ, columnæ, postis aut muri dispositio, modus & mensura non conjecturam modò inducit, verùm efficax argumentum ad reliquas Portarum vel similium partium rationes mensurásque omnes exigendas. Id quod duplici ratione confirmari posse videtur; Alterâ quidem, quia fieri non potest ut membra omnia cum toto corpore aut inter sese non conveniant. Altera est Scripturæ testimonium Ezech. 40. 22, 24, 28, 32, 35. *Fenestra ejus, Vestibulum & sculptura secundùm mensuram Portæ quæ respiciebat ad Orientem*: item, *Mensus est frontem ejus & vestibulum ejus juxta mensuras superiores*. Quòd si tam accuratè Propheta hanc partium similitudinem paritatémque definit, quis audeat deinceps negare Vestibula omnia æqualia fuisse, similique ratione disposita atque exornata? Quæ quidem una ratio in eam nos induxit linearum, quas *radices* vocant, cognitionem, earúmque dispositionis universæ, quæ hujus ædificii percipiendi potissima ratio est, ac veluti fundamentum. Atque hujus similitudinis causâ multa ab Angelo in hoc ædificio dimensa non fuisse putamus, multa alia ab Angelo dimensa prætermissa fuisse à Propheta, quòd satis fore existimaverit uterque quarundam partium dimensiones ostendisse, ut reliquæ ex symmetriæ rationibus colligerentur. Hic expendendum est num hæc mensura aliquid videatur continere prædictis mensuris adversum. Suprà enim diximus thalamos in vestibulis portæ relictos esse, quorum longitudinem latitudinémque calamo parem mensus est. At quomodo, inquies, Vestibulum longum sit cubitis octo, cùm thalamus in ejus medio constitutus longus sit calamum? Quibus respondemus, Id maximè fieri potuisse, & verò debuisse, cùm postes Vestibulum vel fornicem sustinentes à sese mutuò distent cubitis octo, thalami verò inter stylobatas & spirarum projecturas relicti calamum tantùm habeant longitudinis. Quanta autem sit stylobatarum cum suis ornamentis projectura à perpendiculo constat si calamum ab octonario subducas, & reliquum cubitum cum tribus quartis cubiti partibus bifariam dividas. Sic enim invenies ⅞ cubiti partes pro singulis projecturis, quas oportet memoriæ mandari ut cum reliqua ipsius ædificii symmetria congruere ostendantur. Verùm cur potiùs huic vestibulo portæ interioris mensura tribuatur, accipe. Sed memineris in primis Vitruvii l. 3. c. 2. rationem reddentis Eustyli, ad usum, speciem, firmitatem maximè probabilis. *Quæ facienda sunt*, inquit, *in intervallis spatia* (sic vocat quæ *intercolumnia* dicuntur) *duarum columnarum & quartæ partis crassitudinis columnæ, mediúmque intercolumnium unum quod erit in fronte, alterum quod erit in postico, trium columnarum crassitudine. Sic enim habebis & figurationis aspectum venustum, & aditûs usum sine impeditionibus.* Medium utique intercolumnium propter ingredientium frequentem multitudinem magis patens fieri oportuit. At Vitruvio columnas laxare liberum fuit; non enim Craticulæ cancellis arctabatur, ut noster Architectus, qui cùm suam cuperet servari in hoc ædificio partium similitudinem & proportionem, radices illas, lineas æquè distantes per totam aream ædificii duxit, extra quarum decussionem nullum licuit columnæ centrum statuere, atque adeò intercolumnia omnia omniaque vestibula oportuit esse paria. Sed invenit consilium admirabile quo medium laxaret ingredientium Vestibulum. Abstulit namque huic tantum bases & stylobatas à perpendiculo eminentes, quas venustatis & firmitatis causâ extare fecerat in omnibus aliis vestibulis, qua ratione factum est ut hoc unum Vestibulum in summo atque in imo æquè latum sit cubitos 8, reliqui verò in summo, h. e. super stylobatis & spiris, totidem, at in imo sex tantùm cubitos cum quarta insuper cubiti parte, ut videre est in dissecti Templi Orthographia. ¶ *Et frontem ejus duobus cubitis*] Vocem Hebraicam אילם alii ab איל *aries* & איל *fortis*, alii ab אלה *ilex, robur, quercus* deducunt, quâ significantur semicolumnæ muro vel postibus adpactæ, prominentésque extra perpendiculum muri, quo similes sunt arieti cui cornua in fronte prominent; unde Aquila & post eum Vulg. reddit *frontes*. Jarhi, אילים *hic sunt quasi arbores rotundæ factæ in lapidibus dolatis, & stabant in porta, una à dextris altera à sinistris*. R. Jonathas ad Esa. 6. 4. *Dicuntur* אילים *propter earum rotunditatem similem arbori quercûs*. Hâc autem mensurâ describit Vates omnium columnarum ac semicolumnarum Templi diametros duorum cubitorum. Súntque hujus ædificii columnæ tanto collocatæ artificio, ut illæ priùs videantur suis locis dispositæ, ac mox ducti muri columnarum centra contingentes. Ex quo fit ut in mediis muris aut in postibus semicolumnæ exstent, in angulis autem columnarum quadrantes, ut in ipsa vides Ichnographia, &c.

V. 11. *Mensus est latitudinem liminis portæ 10 cubitorum*] His verbis retulit Propheta mensuram ejus loci qui à Græcis vocatur θυρωρεῖον, quódque in eorum domibus pro Romanorum Vestibulo relinquebatur. Id quod Lxx significare voluisse videntur, τὸ πυλῶνος reddentes. Schol. προπυλαίου. Chald. *Introitûs portæ*: in Hebræo פתח השער. Ubi Kimhi, *Postes, liminaria & porta, omnia appellantur nomine* שער: *quod verò in ea apertum est tantùm appellatur* פתח, quæ vox à פתח deducitur; itaque *ostium, apertionem*, (quod *lumen portæ* nos dicimus) ea vox propriè significat, ut Gen. 18. 1. aliquando totam *domum*, ut Prov. 17. 19. At hîc non tam propriè usurpatur ut in priori exemplo, nec tam largè ut in posteriori. Mensus nempe hîc est Angelus latitudinem spatii quod reliquum est inter semicolumnas quæ è postibus thalamorum exstant, ac reperit ibi decem cubitos. Et quoniam columnæ variis partibus constant, quarum plures suprà & subtus columnam à perpendiculo projiciuntur exteriùs, aliæ retrahuntur interiùs, certam quandam mensuram respexisse videtur Vulg. quam solemus in vestigiis potissimùm describere, nimirum quantum à sese invicem distant semicolumnæ, aut, quod idem est, epistylia, ipsis columnarum summis hypotracheliis ad perpendiculum respondentia. Quæ quidem epistylia transversis asseribus [trabibus *potiùs dixerim*] desuper impositis contignationem sustinent, ad quam contignationem respexisse videtur Vulg. cùm *latitudinem* dixit *liminis* [L. C. *fortè legendum* luminis] *portæ*: trabes enim quasi quædam limina illud spatium inter portas ac vestibula operiunt. Hujus spatii longitudinem Propheta non retulit, tum quòd facilè deduci posset ex portæ longitudine, quam paulò inferiùs 50 cubitis definiet, tum quòd numerus cubitorum irrationalis est, quippe 37 ½, h. e. sex calamorum. ¶ *Et longitudinem portæ 13 cubitorum*] Lyranus, *longitudinem portæ*] h. e. *Altitudinem ostii portæ, quam vocat hîc longitudo, eò quòd est major dimensio ejus 13 cubitorum, & tanta est altitudo postium ostii*. Vatablus item *altitudinem portæ* convertit pro *longitudine*. Quòd autem Lxx *latitudinem* scribunt, librariorum negligentiâ depravatum fuisse putat Hieronymus. Ac cùm certum sit Portæ altitudinem hîc esse dimensam, videndum & quis hîc sit numerus, & unde initium mensuræ sumatur. Duo autem hîc supponimus infrà explicanda. Primum, Mensuram hanc fuisse duorum calamorum, h. e. cubitorum 12 ½, quos vocat 13, sicut posset vocare 12. Alterum est, altitudini huic portæ addendam esse stylobatæ altitudinem, ut tota liminis celsitudo comprehendatur: non enim mensus est Angelus stylobatas, quippe quos repperit minimè æquales; nam propter gradus qui in portis ascenduntur, quò interiores sunt stylobatæ eò sunt humiliores: quapropter æqualem assumpsit ac perpetuam mensuram à summis stylobatis & imis spiris columnarum, quas omnes spiras pavimento domûs Domini æquè libratas esse diximus alibi.

12. *Et marginem ante thalamos*, &c.] Hebraicam vocem גבול Vulg. hîc *marginem*, alibi *definitionem* vertit; & meritò: quia ea vox significat *quicquid definit & terminat*, unde & pro *coronâ* seu *projecturâ* usurpatur. Hîc idem eâ voce significatur quod sequenti versu voce גו. Thalami enim portæ inter stylobatas postium relinquebantur: esset autem spatium illud utique pervium, nisi margine seu peribolo hoc concluderetur; marginem propterea metitur cubito uno. Quoniam verò thalami quadrati erant undequaque conclusi, propterea addidit verba illa, *& cubitus unus, margo* vel *finis utrinque*, significans utrumque thalami terminum, Aquilonarem viz. & Australem, ejusdem fuisse mensuræ. De forma hujus marginis nihil hîc habemus, conjicimus tantùm fuisse non parietem solidum, neque perpetuæ crassitudinis, sed cancellum quoddam marmoreum, quod superiore & inferiore stylobatæ ornamentis dum cingitur, computatis hinc atque illinc projecturis ornamentorum, cubitum unum complebat; quod fortè significare voluerunt Lxx, καὶ πῆχυς εἷς ἐπισυναγόμενος, quasi retractionem à projectura coronæ stylobatæ significantes.

13. *A tecto thalami*, &c.] Hebraicam vocem גג quidam deducunt à גנן, quòd *circumcludere, circummunire* significat, vel *circumcingere septo* vel *scuto*, muniendi causâ; quâ ratione voce גג tecta Palæstinæ plana septo circummunita significari putant. Sed hæc vocis notio huic loco non potest convenire, quòd thalami nullo desuper tecto operiuntur, sed fornicibus tantùm vestibulorum. Quapropter vocem istam sic dictam esse crediderim, quòd muniat & circumdet domum, desuper ut tectum, vel à lateribus, ut ea quæ paulò antè præcessit vox גבול. Lxx ἀπὸ τοῦ τοίχου τοῦ θεὶ ἐπὶ τὸ τοῖχον τοῦ θεέ. ¶ *Ostium contra ostium*] Kimhi, *spatium portæ hujus erat contra spatium portæ inferioris*, & sic videntur Lxx accepisse, αὕτη πύλη ἐπὶ πύλην. Sed hanc expositionem rejicit Villalpandus, magísque probat expositionem Jarhi, *Ostium thalami qui erat apud portam in Austro hinc, est è regione ostii thalami qui erat apud portam in Aquilone*.

14. *Fecit frontes 60 cubitorum*] *Fecit*, h. e. ipsa mensurâ ostendit frontes fuisse 60 cubitorum. Vatablus, *Exsecutus est mensuram frontium*. Jarhi columnarum altitudinem hîc dimensam

ſam affirmat; & Kimhi idem de Chald. Paraph. dicit; Clarius quoque Brixienſis Rabbinorum ſententiam ſecutus. Illud aſſumendum hîc eſt, quod infrà probabitur, triplicem columnarum ordinem hîc referri, triplicémque trabeationem, quæ omnia hâc unâ menſurâ comprehenduntur. Porticus autem has omnes altitudine triplices eſſe, triplicéſque latitudine, perſpectum eſt in ipſis Ichnographiis & Orthographiis. ¶ *Et ad frontem atrium porta*, &c.] Pagninus, *Unicuique poſti Atrii portæ per circuitum eadem erat menſura.* Kimhi, *Sic erant excelſa omnes frontes Atrii, quæ ſunt frontes porta in circuitu.* Vatablus, *Qui modus fuit unicuique frontium Atrii & portæ circumquaque.* Animadvertendum hoc loco eſt portæ frontes Atriorum frontibus pares 60 cubitis comprehendi; nam propugnacula portis ſuperſtructa ſupra celſitudinem 60 cubitorum eriguntur.

15. *Et ante faciem porta*, &c.] Non phraſis modò obſcura eſt, ſed voces etiam difficiles ſunt. Kimhi miratur quòd Chald. reddidit, האיתון *mediam*, & cur *media* porta hæc dici poſſit falſam reddit, quam Villalpandus rejicit, rationem, aptiorémque ipſe affert, nempe quòd media fuerit inter portam porticûs Gentium & portam atrii Sacerdotum. *Fieri autem poteſt* (inquit Kimhi) *ut* איתון *fiat ab* אתה venit, *quoniam per hanc portam ingrediebantur venientes in atrium ad orationem.* Rurſus, *ante faciem porta*, q. d. à facie portæ exterioris uſque ad faciem veſtibuli portæ interioris erant 50 cubiti longitudinis, ſicuti recenſet in reliquis portis longitudinem 60 cubitorum, latitudinem verò 25. ¶ *Uſque ad faciem veſtibuli*] על idem hîc quod עד *uſque ad.* Itaque hîc videtur eſſe proprius Lat. Vulg. ſenſus, *Ante faciem*, i. à facie anteriori vel exteriori, *qua pertingebat*, per quam ingrediebantur ab Atrio Gentilium venientes in Templum, *uſque ad faciem veſtibuli porta interioris*, h. e. uſque ad faciem veſtibuli portæ quæ aperiebatur in muro Occidentali hujus primæ porticûs.

16. *Et feneſtras*, &c.] *Feneſtras*, Heb. חלונות, à radice חלל *perforari*, *perforatum eſſe*, ut חלון ſit *feneſtra* vel *foramen* quod in domo ſit ad proſpiciendum. Quæ vox ſynonyma eſt cum חרכים *cancelli* Cant. 2. 8, 9. *reſpiciens per* חלונות, *proſpiciens per* חרכים *cancellos*, h. e. per cancellorum foramina ſeu aperturas. Quâ ratione exponenda videntur hîc Prophetæ verba ut *feneſtras* hoc loco accipiamus non in muris apertas, ſed in ipſis thalamorum cancellis reticulato opere perforatis. ¶ *Obliquas*] Formam foraminum hujus cancelli indicare videtur vox אטומות ab אטם *claudere*, *obſtruere*. Sic 1 Reg. 6. 4. חלוני שקופים אטומים *feneſtræ ad perſpiciendum clauſa*, Lxx θυρίδες διαλυόμεναι ὑπὸ φαῦσιν, *feneſtræ reticulata ad lucendum.* At hîc θυρίδες κρυπταὶ, Sym. τοξικαὶ, quas Hiſpani SAETERAS vocant à voce SAETAS *ſagitta*, quòd ſagittarii in muris ejuſmodi delectarentur feneſtris, quò hoſtem ex obliquo peterent. Galli vocant *Cannonieres.* Quæ variæ interpretationes omnes eò confluunt ut cancellos vel cancellorum foramina, ſive mavis feneſtras, ad modum retis factas fuiſſe intelligas: rete enim explicatum plagas efficit non quadratas ſed oblongas, figuræ Rhombi ſimiles. Fuit itaque peribolus hic marmoreus, cujus ſuperior pars & inferior ſtylobatarum ornamentis cingebatur; peribolus verò foraminibus oblongis aperiebatur: quæ quidem, quoniam ſuis utrinque ornabantur modulis, fiebat ut in media craſſitudine periboli anguſta eſſent foramina, indè verò in utramque partem dilatarentur, ut in externo proſpectu latiores exteriùs feneſtellæ viderentur, interiùs anguſtiores, in interno contrà ità laxari intrinſecùs viderentur, ut exteriùs arctarentur. Atque ità quæ contrariæ videbantur ſententiæ, contrariæ non ſunt, ſed altera alteri lucem affert. Vulg. *obliquas* reddidit, quòd illorum foraminum anguli obliqui eſſent, non recti, ut ſunt quadratorum anguli. Atque huc etiam ſpectat quòd τοξικαὶ à Sym. dicuntur, quòd in modum cuſpidis ſagittæ foramina hæc acuminentur. ¶ *Et in frontibus eorum*] His verbis cancellos ejuſmodi deſcribit diſcurrentes per totum illud ſpatium quod eſt intra portam è regione poſtium ſive ſemicolumnarum quæ interius illud portæ ſpatium exornabant. Et quoniam thalamos calamo uno definierat Propheta, & nos tantundem [L. C. *imò verò duobus calamis non uno diſtabant invicem columnarum centra*] diximus inter ſe diſtare ſemicolumnarum centra, hæc duo quomodo conveniant jam hinc conſtat. Vides enim cancellos thalamum utrinque cingentes ex æquo reſpondere ſemicolumnis poſtium, quarum ſemidiametri cubiti unius pares ſunt craſſitudini hujus periboli, quam uno cubito paulò antè vidimus definiri. Hoc enim ſignificant præſentia verba cancellos affirmantia *ad frontes*, vel *è regione frontium*, conſtitui: quæ erant intra portam undique per circuitum. [L. C. *Addendum hoc eſt, craſſitudinem periboli hujus cancellati fuiſſe partem ſemidiametro columnarum.*] ¶ *Ante frontes pictura palmarum*] Heb. אל אל תמרים *ad poſtem palma*, h. e. unicuique fronti vel poſti erant palmæ. Sic Kimhi & Pagninus. Lxx, *ſuper alam* (fortè *elim* ſcripſerunt illi) *palmæ hinc & inde.* Chald. על אלא כותרתה *ſuper frontes corona* ſeu *capitella.* Kimhi, *fieri poteſt ut fuerint facta in figura palmarum capitella ſuper capite earum*, viz. columnarum. Sic & Jarhi & Clarius Rabbinos ſecutus. Ex quibus liquet ſermonem eſſe de columnarum capitellis quorum ornamenta hîc indicantur. Erant nempe univerſa hujus ædificii capitella ſpatulis palmarum ornata.

17. *Eduxit me ad atrium exterius*] Heb. חצר: quidam à חציר *fœnum* dici volunt, quòd eâ voce indicetur locus ſub dio, in quo creſcit fœnum, ſive intra civitatem ſit, ſive extra; quare & *villas* ſignificat. Hanc vocis originem reſpexiſſe videtur autor libri Maccab. lib. 1. cap. 4. 38. Quidam reddunt αὐλὴν, quæ Athenæo *locum perflabilem* ſignificat; & ferè ſemper apud Homerum *ſubdialia* eâ voce intelliguntur. Hinc fit ut palatia *aulas regias* vocemus, quòd ſubdialia ampláque loca ante ſe habeant. Feſtus, *Atrium eſt genus ædificii ante ædem, continens mediam aream, in quam collecta ex omni tecto pluvia deſcendit.* Fortè à Græca voce αἴθριον dicitur *atrium.* ¶ *Et ecce gazophylacia*, &c.] Heb. לשכות Kimhi putat eſſe *cubicula.* Vulg. reddit *exhedras* 1 Paralip. 28. 11, 12. at hîc *gazophylacium*, Lxx παςοφόρια. Exhedrarum uſum in Græcorum palæſtris deſcribit Vitruv. lib. 5. c. 11. *Conſtituuntur in tribus Porticibus Exhedræ ſpatioſa, habentes ſedes* (unde ἐξέδραι dictæ ſunt) *in quibus Philoſophi, Rhetores aliique qui ſtudiis delectantur ſedentes diſputare poſſint.* Sic exhedræ in hoc Templo porticibus atriorum imminebant. In iis לשכת סנהדרין *exhedra ſynedrii*, in qua magnum concilium LXXII virorum ſedens judicabat populum. *Paſtophorium* dicitur à παςὸς ſive παςὰς, quod idem eſt ſecundùm Pollucem quod ἐξέδρα. Aliis *porticum* ſignificat, ut *Paſtophorium* dictum videatur quòd à porticibus ferretur; imminebant enim porticibus illiſque erant ſuperſtructa. Significat etiam παςὰς *cœnaculum*, à πάσασθαι *cœnare*, & παςὸς Suidæ idem eſt quod *velum lecto Geniali circumpoſitum*; unde παςὰς etiam idem eſt quod νυμφὼν *thalamus.* Denique & domus ad aliquem excipiendum apta dicitur παςάς. *Gazophylacia* autem à Gazis aſſervandis dicuntur: non quòd ſola ſacra pecunia iſtic aſſervaretur, verum etiam quia res multæ ſacræ & votivæ iſtic aſſervabantur. ¶ *Et pavimentum ſtratum lapide*] *Pavimentum* hoc loco per Synecdochen pro univerſa porticu lapidibus ſtrata accipitur, & apud noſtrum Prophetam porticum ſignificat quæ pavimento ſuperſtat, haud ſecùs quàm de *Veſtibuli* voce dictum eſt, quæ pro cavædio ſumitur, necnon pro porticu vel fornice quæ illi ſuperſtat. Id diſertis verbis ſignificavere Lxx; nam רצפה hîc reddunt modò περίςυλα vel περίςυλον, modò ςοὰς *porticus.* *Periſtylia* autem vocantur à Vitruvio *loca ſive atria columnis cincta* lib. 6. cap. 4. Ejuſmodi ergò porticus *pavimenti* nomine hîc cenſentur, quòd omnino ſint perviæ, quarum undique pavimentum poſſit vel ex ipſo atrio eſſe conſpicuum, quo diverſam eſſe oſtendat porticuum fabricam ab aliis ædificiis quæ perpetuis muris concludi ſolent. Porrò porticus illas ſtratas fuiſſe vario lapidis pretioſiſſimi genere probat Villalpandus tum ex Joſepho, tum analogicè ex pavimento de quo mentio fit in libro Eſtheræ, tum ex eo quod David ait 1 Paral. 29. 2. *ſe præparaſſe pro domo Domini lapides onychinos, ſtibinos, & diverſorum colorum, omnémque pretioſum lapidem, & marmor Parium abundantiſſimè.* Ubi Villalpandus vult Templi parietes exſtructos eſſe ex marmore Pario. Lapides verò illorum diverſorum colorum adhibitos fuiſſe in pavimenti ornamento. Denique ex voce Hebraica רצפה, quæ & λιθόςρωτον & *prunas ardentes* ſignificat Eſa. 6. 6. colligit Villalpandus pavimentum hoc maxima ex parte conſtitiſſe ex lapide porphyretico, quem Itali & Hiſpani vocant *porfido*, quique colorem illum prunarum ardentium refert. Ex voce autem עשוי colligit pavimentum fuiſſe teſſellatum, magnâ arte factum, ſiquidem ברכה העשויה Nehem. 3. 16. redditur à Vulg. *piſcina quæ grandi opere conſtructa erat.* ¶ *Triginta gazophylacia in circuitu pavimenti*] *In circuitu pavimenti* Heb. אל רצפה Kimhi ait אל poſitum pro על. Sic Chald. *Triginta Gazophylacia ſuper pavimentum.* Lxx ἐν τοῖς περιςύλοις. Quæ omnes verſiones eundem & proprium innuunt Gazophylaciorum ſitum, indicant nempe ſuper pavimentum, h. e. ſuper prima contignatione, conſtituenda eſſe. Quódque Lxx pro *pavimento* περίςυλα poſuere, videntur voluiſſe ſignificare ſingula Gazophylacia ſingulis ſuppoſita fuiſſe intercolumniis. Atque hîc thalamorum numerus non temere aut caſu poſitus eſſe credendus eſt, neque parùm cum reliquis numeris conveniens, ſed qui ex maxima cum reliquis conſenſione & proportione deducatur.

18. *Pavimentum in fronte portarum*] Sermonem hîc fieri de eodem pavimento ſuper quo erant 30 illa Gazophylacia perſpicuum

spicuum est, & à Kimhi affirmatur. *In fonte* Heb. אל כתף, quod Kimhi exponit לעברי h. e. *juxta*, *secundùm*. תכף *humerum* significat, sed transfertur non raro ad significandum *latus* cujuscunque rei, ut Jos. 15. 10. Unde Chald. *pavimentum in latere portarum*. Lxx κτ̄ νῶτον, q. d. *ad dorsum*, h. e. post januas, uti ex illis reddit Hieronymus. His ergò verbis definitur, latitudinem porticuum, quæ à lateribus portarum procurrebant, utrinque fuisse 50 cubitorum, quantum nimirum erat portarum longitudo.

19. *Mensus est latitudinem*, &c.] *Latitudinem* Heb. רחב, spatium hic significat latum amplúmque, quomodo illud acceperunt Kimhi & Jarhi; quorum iste atrium Mulierum intelligit, ille spatium quod erat intra portam Orientalem atrii exterioris & portam atrii interioris. Lxx τὸ πλάτος τῆς αὐλῆς· αὐλὴ autem est *area subdialis*. Atque *latitudinis* propria significatio potest hic retineri, cùm duplici allâ areâ centum cubitorum dilatetur hoc atrium versùs Austrum & Aquilonem, versùs Occidentem verò hæc una area atrium contingat interius. ¶ *A facie portæ*] פנים transfertur sæpius ad significandum *aspectum* vel partem anteriorem cujuscunque rei, externam rerum speciem: hic exteriorem ædificii prospectum indicat, quem *ædificii faciem* Vitruvius lib. 3. cap. 1. & lib. 4. cap. 3. nunc *prospectum* nunc *frontem* vocat. Lxx ἀπὸ τῆς αἰθρίας ἐπὶ τὸ αἴθριον· rem expresserunt, non propriam vocis significationem: q. d. ab ea portæ exterioris parte quæ subdialem hujus areæ terminum contingit usque ad portam atrii interioris, & eam ejus partem exteriorem quæ extremum subdialem ejusdem areæ terminum ab Occidente contingit. ¶ *Inferioris*] Kimhi, *Inferior* dicitur quòd gradibus ascenderetur ab exteriore atrio in atrium interius. ¶ *Usque ad frontem*] Hebraicè לפני, quam vocem modò indicavimus significare externum ædificii prospectum, quem Vitruvius *frontem* vocat. Porrò multis ostendit hic Villalpandus quantum sudarit in invenienda ratione quo pacto tricenarius Gazophylaciorum numerus suprà notatus possit in atrii istius & similium intercolumniis constitui; cùm vel 28 vel 32 intercolumnia statui debere videantur circa aream illius, prout vel 7 vel 8 in singulis lateribus intercolumnia statueris. Tum quia in singulis atriorum hujus Templi lateribus septem sunt postes, totidémque illis adpactæ semicolumnæ, totidémque eis respondentes in porticibus columnæ; eò refert & accommodat illud quod habetur Prov. 9. 1. *Sapientia ædificavit sibi domum*, *excidit columnas septem*, &c. ¶ *Et ad Aquilonem*] Vulg. & Heb. cum Chald. hunc versum sic legunt, *centum cubitos ad Orientem & ad Aquilonem*, indicantes utrâque dimensione centum cubitos repertos fuisse; at Lxx *centum cubitos ad Orientem* legunt, & absolutâ periodo aliam incipiunt ibi, *& ad Aquilonem* (subaudiúntque *deduxit me*) *& ecce porta*, &c.

21. *Secundùm mensuram portæ prioris*] Hieronymus, *Orientalem portam intelligit*, *quæ prior non ordine sed merito nuncupatur*. Porrò quamvis omnino verum sit Orientalem portam omnium fuisse dignissimam, tamen hoc loco *priorem* eam arbitramur dici, quòd priùs dimensa & explicata fuerit ab Angelo.

22. *Septem graduum erat ascensus ejus*] Hujus loci testimonio permoti Lxx, quem graduum numerum ante portam Aquilonarem hic legerunt, quémque paulò inferiùs legerunt, de Meridiana ad Orientalem transtulerunt, ubi graduum numerus subticetur. Id autem jure optimo factum est ab illis. Namque hic notandum hoc uno textûs testimonio & Lxx Int. exemplo firmari regulam similitudinis à qua nunquam discedimus; quâ nimirum una pars ædificii semel dimensa norma est atque mensura omnium universi Templi similium partium, nisi fortè alibi aliter notaretur in textu, quod rarissimè fit. ¶ *Vestibulum ante eam*] Hebr. אלמיו לפניהם. Phrasim continent hæc verba Hispano potiùs quam Latino sermone reddendam; diceremus enim *su zaguan estava de la puerta adelante*, h. e. vestibulum erat ultra januam vel ultra gradus prædictos: utrumque enim ex æquo referri potest ex voce Hebraica לפניהם. Lxx rem aptè significarunt, *& alammon* (h. e, *vestibulum*) *erat intrinsecus*, h. e. intra portam. Hâc autem tam expressâ rei significatione usi sunt Lxx nè quis deciperetur, quòd paulò antè dixissent gradibus illis septem ascendi in vestibulum quasi non transcensâ portâ, ideo notant ultra eam fuisse vestibulum, eadem huc referentes verba quæ de vestibulo portæ Orientalis suprà retulerat Propheta, eundem esse indicantes horum & illorum verborum sensum. Vulg. cum Hebr. consentit, si res potiùs attendatur quàm verba. Nam quod in Hebræo dictum erat obscuriùs, vestibulum fuisse ante gradus, explicat Vulg. cùm dicit fuisse *ante* vel *intra* portam, quod idem est.

23. *Porta atrii interioris contra portam*, &c.] Difficilis oratio propter Hebraicam phrasim, in qua ו copulativum vim habet hic comparativi. Lxx rectè acceperunt & explicarunt, similitérque post eos Hieronymus. Sensus ergò est, *Porta atrii interioris* erat *contra* (h. e. è regione) *portam* (portæ) *Aquilonis*, *&* (h. e. sicut ad) *Orientalem*, h. e. Sicut è regione portæ Orientalis atrii exterioris erat porta alia Orientalis atrii interioris. Vel *Et*, sicut ad, *Orientalem*, subaudi *dictum est*; h. e. Non aliter hic intelligendum est portas Aquilonares constitutas fuisse, quàm de Orientalibus dictum est. ¶ *Et mensus est à porta usque ad portam centum cubitos*] Rectè & magis explicatè Lxx, διεμέτρησε τὴν αὐλὴν ἀπὸ πύλης ἐπὶ πύλην.

25. *Et fenestras ejus & vestibula*] Hebr. וחלונים לו ולאלמו, *Fenestræ erant ei & vestibulis ejus in circuitu*, i. cancellis undique conclusa erat porta ejúsque postes inter thalamos. Sic Chald. & Vatablus.

26. *Cælatæ palmæ*, *una hinc*, &c.] Una hinc, altera indè in fronte ejus. His verbis & similibus quæ suprà explicata sunt describuntur ornamenta capitellorum columnarum, uti exponunt Chald. & Jarhi. Redolet autem illud phrasim Hebraicam, ut Ezech. 33. 30. *unus ad unum*, hoc est, singuli ad proximum suum, & 1 Reg. 10. 14. *in anno uno*, h. e. singulis annis. Sic hic, *una hinc*, *altera indè*, h. e. singulis utrinque frontibus; constat nempe plures fuisse ex utraque portæ parte frontes, & singulas eodem ornamenti genere sculptas, quod bene exposuit Vatablus, *Habuit etiam singulas palmas utrinque in suis frontibus*.

30. *Et vestibulum per gyrum*, &c.] Hebr. אלמות, quam vocem suprà diximus significare *fornices*, hic verò *postes* significat quibus fornices innituntur; id quod ex eo videtur confici, quòd hæc vox affinis sit radici אַיִל & אֵיל quæ *postem* significant vel *frontem postis*, & Hieronymi testimonio in Trad. Hebr. in Gen. 28. *Antiquæ*, inquit, *Scripturæ voce* אלים *vel* אלים *plena sunt*, *quod nihil aliud signat nisi* Ante *aut* Prius, *vel* Vestibulum *sive* Superliminare *vel* Postes. Idem ergò ipsum metitur hic Angelus quod suprà v. 7. inter thalamos cubitis quinque mensus fuerat. Postes nimirum qui intra portam fornices sustinent, quorum stylobatas quinque cubitis fuisse latos diximus. Hos postes nunc dicit longos fuisse, h. e. altos, cubitis 25. tanta enim est primæ contignationis celsitudo, sive primi ordinis columnarum cum sua trabeatione altitudo. Hanc verò mensuram hic primùm haberi expressam certum est, quæ priùs sub illa 60 cubitorum universali frontium altitudine comprehendebatur. Chald. hoc loco columnas 20 tantùm cubitis metitur, quarum scilicet trabeationes altæ debuerunt esse quinque cubitos, ut infrà confirmandum est.

31. *Et vestibulum ejus ad atrium exterius*] Quid hæc verba innuant attentiùs perpendendum: cujus rei gratiâ scire oportet Atrium interius, sive Sacerdotum, duplici ratione ab exteriore Israelis diversum fuisse; tum quòd illius solum super hujus solo octo elevaretur gradibus, tum quòd peribolo proprio supra istam altitudinem soli erecto circumdaretur, ita ut ad illud aditus undiquaque intercluderetur, & inaccessum esset Atrium præterquam per portas. His assumptis hoc vestibulum portæ interioris ad Atrium exterius fuisse dicitur, vel respexisse, quoniam peribolus ille Atrio interiori aream subdivalem tantummodo relinquebat, & porticus omnes tum Atrii interioris tum exterioris Atrio exteriori, ut vides in Ichnographia universali. Neque hoc tantùm sed & ipsum pavimentum interiorum porticuum æquè libratum est cum pavimento Atrii exterioris, quo Sacerdotes in Atrio interiori ministrantes à reliquo populo in Atrio inferiori constituto quasi celsiores dignis afficerentur honoribus ac reverentiâ.

38. *Et per singula Gazophylacia ostium*, &c.] In Hebr. est ולשכה ופתחה. Vox פתח *apertionem*, *ostium*, *januam*, *fenestram* significat, id nempe quod apertum est, vel luci excipiendæ, vel quâ ingrediantur & egrediantur homines. Atque si vim vocis penitus inspiciamus, facilè nobis indicabit quid hoc loco in nostro ædificio repræsentet, cujus interiores muri postibus distincti sunt, qui fornicibus desuper clauduntur. Igitur spatium illud inane quod in muro aperitur sub fornice inter postes, meritò ac propriâ vocis פתח notione indicabitur. Numerum autem singularem ibi distributivè sumi aptissimè intellexit Vulg. *per singula Gazophylacia ostium*, i. e. ostia singula, *in frontibus*, h. e. inter frontes vel semicolumnas, *portarum*, quæ postes portæ & universi Atrii exornabant. Jarhi, *Sunt*, inquit, *versus nonnulli appellantes latera portarum* Frontes. Aptè (inquit Villalpandus) Rabbi ille *frontes portarum* tradit dici eas quæ ad latera portarum sunt. Sunt enim in tribus lateribus Atrii interioris ternæ portæ, frontibus utrinque munitæ, juxta quas erant Luteres, quorum dispositio in vestigio Atrii interioris videri potest. ¶ *Ibi lavabant holocausta*] Deus Levit. 1. 11, 13. præceperat ut holocaustum immolaretur ad latus Altaris quod respicit

spicit ad Aquilonem, atque ut intestina ejus & pedes lavarentur aquâ. In hunc lavandarum victimarum usum fecit Solomon decem Luteres æneos, sive Conchas; quos posuit partim circa portam Aquilonarem, ac quinos illis ordine ex adverso respondentes ad portam Australem, ut liquet ex 1 Reg. 7. 39. & 2 Paral. 4. 6. Porrò cùm Gazophylacia in superiore contignatione atque in singulis intercolumniis singula super fornicibus vestibulorum Atrii exstructa essent, id modò, concisâ quamvis oratione, testatum habemus, in singulis intercolumniis Atrii interioris conchas singulas exstitisse, in quibus holocausta lavabantur. Non est prætermittenda (inquit Villalpandus) interpretatio alia, quæ planiorem multò ac faciliorem loci sensum reddat, ut sermo sit de thalamis senis portarum, quæ & ipsa *Gazophylacia* dicantur, haud repugnantibus Hebræis, Græcis & Latinis vocibus. Per singula ergò Gazophylacia ostium erat in frontibus portarum, h. e. singulis ex iis thalamis ostia aperiebantur inter frontes, quorum ostiorum initio meminit Propheta, affirmans singula ostia singulis ex adverso ostiis respondisse, v. 13. Atque ad ostia thalamorum ejusmodi intra portam holocaustorum interiora lavabantur, allatâ ex Conchis aquâ, manentibúsque Conchis in Atrio interiore. Sed & lavabantur super mensas, de quibus mox.

40. *Et ad latus exterius*, &c.] Introitum portæ, vel ostium portæ primùm retulit, quòd ab Atrio exteriore venientibus primùm occurrit; atque in eo conscensos fuisse gradus indicat vox *exteriùs*. Heb. *extra gradum*, h. e. ultra gradus in ipso portæ pavimento: conscensis gradibus, ingredientibus hoc primum ostium portæ Aquilonaris, ad humerum utrumque ostii duæ mensæ occurrunt, nempe in ipsis angulis interioribus portæ ad Aquilonem pertinentibus. ¶ *Et ad latus alterum*] h. e. Et ex altera parte portæ in binis aliis angulis ad latus portæ Meridianum pertinentibus, qui ex utraque parte vestibuli portæ interioris constituuntur, *duæ mensæ*. Exteriorem introitum portæ Propheta hic appellat *ostium portæ*, interiorem verò *vestibulum interius*, uti suprà fecit in descriptione portæ Orientalis.

43. *Et labia earum palmi unius*, &c.] Hebr. שפתים, quæ vox deduci potest à שפה *elevare*, unde נשפה *elevatus*, *excelsus*, Esa. 13. 1. atque ità *eminentias* significabit, sive *quod eminet*, vel *quod sursum aut extra perpendiculum prominet*. Vel si deducatur à שפה, significabit *labium*, *oram*, *littus*, *marginem*, *circumferentiam*; atque hoc respectu affinis est significationis voci שפה, quæ κλῆρον, h. e. *terminum* significat, Psal. 68. 14. Vulg. hoc loco oppugnat Pagninus, sed frustrà; ejus enim argumentis hâc unâ ratione jam allatâ responderi potest, quòd scilicet שפה *labium* voce שפה *terminum* seu *circumstantiam* significanti est quàm simillima. Deinde Hieronymus, Sym. Theod. & Aquilæ 2. edit. reddunt χεῖλος *labium*, Lxx γεῖσος in Sixt. cod. in Compl. autem & Regio κυμάτιον, quod est ornamenti genus quoddam portarum antepagmentis apponi solitum, à κῦμα *unda*, quam ejusmodi ornamentum quodammodo refert. ¶ *Super mensas carnes oblationis*] Hieronymus, *ubi nos diximus*, *Super mensas*, &c. *Lxx de suo posuere*, *Et in mensis desuper tecta*, *ut operiantur à pluvia & siccitate*. Theodoretus hanc etiam Lxx sententiam refert. Quo testimonio Lxx Interpretum confirmari videtur sententia quæ suprà est explicata, juxta quam mensas in ipsis Atriis sub dio ex utraque parte portæ in descriptione notabimus. Et quamvìs hæc non sint Prophetæ verba, si tamen verè sunt Lxx Interpretum, & nullo librariorum vitio vel adjecta vel interpolata, magnæ profectò sunt autoritatis. Quòd si intra vestibulum constituantur mensæ, operirentur quidem aureis aut fortasse argenteis operculis, quò sacratiores haberentur & mundiores, dum in eis sacra non haberentur. Id verò ad solis vel pluviæ arcendas injurias omnino esset impertinens, cùm tecto & muris solidis undique tegerentur. Chald. locum istum sic reddit, אונקין *uncini exibant palmi unius fixi in columnis domûs laniena intra vestibula circumcirca*. Illum sequuntur Jarhi & Misna Tract. מדות, *Domus laniorum erat in Aquilone Altaris*, *& in illa erant octo columnæ breves*, *& quadrata cedrina erant super illis*, *& uncini ferrei erant fixi in eis*, *& tres ordines erant in unoquoque*, *in quibus suspendebant & excoriabant super mensis marmoreis quæ erant inter columnas*. Quæ sententia non est omnino rejicienda; nam præterquam quòd sine ejusmodi uncinis vix ac nè vix quidem excoriari poterant tot victimæ, fuisse etiam illos olim in Tabernaculo Mosaico probat locus Exod. 38. 28. *De 1770 siclis fecit* ווים *capita columnarum*, h. e. uncinos capitellorum, metonymiâ usitatâ totius pro parte. Kimhi dicit fuisse uncinos sive clavos præ se ferentes figuram literæ ו *Vau* infixos columnis atque ex iis prominentes, erántque in hoc facti ut in ipsis excoriarentur pecudes. Hujusmodi uncini voce שפתים aptissimè denotantur. Omnes enim dispositi fuisse videntur bini & bini undecunque prominentes, ut unam hostiam sustinerent. Quod verò ad trabes cedrinas spectat & columnas breviores, quas fingunt illi ad uncinos figendos & sustinenda pondera, puto illos loqui de Zorobabelis vel Herodis Templo; nam in isto de quo nunc est sermo ligneis columnis nihil erat opus, cùm singulæ mensæ ad singulos aptarentur frontium stylobatas, super quorum ornamentis aptè figerentur clavi qui quodlibet pondus possent sustinere; atque in longa secula perdurare. Et quod ad debitam usuíque accommodatam uncinorum altitudinem spectat, eam præstaret pro pecudibus stylobatæ altitudo, quæ ostensa est esse cubitorum duorum cum dimidio; quod verò ad armenta, in ipsis columnis aut postibus facilè figerentur clavi. Vocem שפתים Kimhi exponit כירים, h. e. χυτρόποδας, *loca aut vasa in quibus ponuntur ollæ aut caldaria*, ex loco qui est Psal. 68. 14. Quamvis autem, quod ad culinarum vasa spectat, nihil habeat cum his mensis commune, tamen, quod ad phialas excipiendo victimarum sanguine mensis appositas pertinet, non video cur etiam pedibus non insisterent, ut minori sui parte terram contingerent. Quod si verum sit, eæ quoque Hebræis dicerentur כירים à radice כיר quæ *concham*, aut כור quæ *fossam* significat, quòd vas sit profundum & capax ut concha vel fossa. Eædem χυτρόποδες dicuntur, *ollæ quæ pedibus insistunt*. Χύτρα autem ἀπὸ τὸ χύειν *fundere* aptissimè significabit *conchas* vel *phialas* illas in quas jugulatæ victimæ sanguis infundebatur, qui collectus deinde in crepidine Altaris effunderetur. Quòd si pedibus ejusmodi conchæ insistebant, meritò χυτρόποδες dicerentur, ac binæ singulis insisterent mensis, minores aliæ, quibus pecudum sanguis exciperetur, aliæ majores quibus armentorum plurimus.

44. *Extra portam interiorem*, &c.] h. e. Egressus portam interiorem, subaudi, vidi ibi fuisse, *Gazopylacia Cantorum*, *in atrio*, inquam, *interiori*. Lxx proprium horum verborum sensum reddidere, *Introduxit me*, inquiunt, *in atrium interius*. Unde colligitur quæ hactenus dixerat Propheta omnia ad Portæ pertinuisse interiora, intra cujus vestibulum constitutas fuisse dixerat sacrificiorum mensas. Sic Kimhi, *q. d. in spatio atrii interioris erant Gazophylacia Levitarum canentium*; sic & Jonathas & Jarhi. ¶ *Facies eorum contra viam Australem*] Lxx, *ferentia* vel *tendentia ad Austrum*. Hæc verba aliis quasi per parenthesim immixta videntur, & superioribus illis *Gazophylacia cantorum* connectenda. Sensus est, Gazophylacia Cantorum erant in porticu quæ tendit ab Aquilone (portam namque egreditur Aquilonarem Propheta) ad Austrum. Reliqua sunt perspicua. ¶ *Quod* Gazophylacium *erat in latere portæ*, vel *à latere portæ*, aut *ad humerum portæ* (quod idem est) *respicientis ad Aquilonem*, h. e. Aquilonaris, *& facies eorum contra viam Australem*] h. e. Ex iis Gazophylaciis quæ tendunt in Austrum. Sensus fuisset perspicuus si dixisset, Et Gazophylacium quod est in angulo duarum porticuum, Aquilonaris & Orientalis, hæc enim est quæ ab Aquilone tendit ad Austrum. Idem confirmant sequentia. ¶ *Una*, vel *unum*, vel *id quod est ex latere portæ Orientalis*, *quæ*, quod, *respiciebat ad viam Aquilonis*, h. e. ad Aquilonem] His omnibus verbis describit Gazophylacium illud porticûs Orientalis, quòd est in ejus angulo Aquilonari. Sed dum unum fuisse commemorat Gazophylacium in latere portæ Orientalis versùs Aquilonem, & aliud quoque simile subintelligendum fuisse indicavit à latere Meridiano ejusdem portæ; quòd à Kimhi fuit quoque adnotatum, & à Richardo. Atque hujus quidem Gazophylacii, quod nondum expresserat, priùs usum retulit, subdens

45. *Et dixit ad me*, *Hoc est Gazophylacium*, &c.] Illud quod nos conjecturâ ducti affirmamus de duobus illis Gazophylaciis, testatum habemus apud Lxx, quorum hæc sunt in Sixtiano cod. verba ad præcedentem versum, *Et introduxit me in Atrium interius*, *& ecce duæ exedræ in atrio interiori*; *una ad dorsum*, h. e. ad latus, *portæ respicientis ad Aquilonem*, h. e. ex phrasi Hebraica, Aquilonaris, *quæ fert ad Austrum*, h. e. porta quæ aperta in latere Templi Aquilonari ducit ad Austrum, *& una*, h. e. altera exedra, *ad dorsum portæ quæ ad Austrum*, h. e. à latere portæ Australis, *respicientis autem ad Aquilonem*. ¶ *Sacerdotum erit qui excubant in custodiis Templi*] Quod ad Meridianum situm spectat custodientium custodias domûs, & eorum ministerium, id describitur Num. 3. 27. 28. *Hæ sunt familiæ Caathitarum*, &c. *Habebunt excubias sanctuarii*, *& castrametabuntur ad Meridianam plagam*. Quibus postquam cunctam Tabernaculi supellectilem demandatam fuisse testatur, principes assignat v. 32. *Princeps autem principum Levitarum Eleazar filius Aharon erit super*

excu-

excubitores custodia Sanctuarii. Hanc autem Caathitarum familiam ad angulum Meridianum & Orientalem pertinuisse perspectum est, & alibi à nobis confirmatur, ubi ostendemus castrorum Israel formam totius Templi ideam retulisse. Qui in distributione Moysi & Aharon angulus alter Orientalis & Aquilonaris attribuitur, v. 38. *Castrametabuntur ante tabernaculum federis ad Orientalem plagam Moysis & Aharon cum filiis suis, habentes custodiam Sanctuarii.* Hæ sunt excubiæ domûs quæ nunc dicuntur custodiri in Gazophylacio Orientali Meridiano.

46. *Porrò Gazophylacium quod respicit*, &c.] Illud est (inquit Kimhi) supra dictum cujus v. 44. mentionem fecerat. ¶ *Sacerdotum erit qui excubant ad ministerium Altaris*] Heb. *custodientium custodiam Altaris.* Quæ autem hæc fuerit custodia, liquet ex Lev. 6. 12, 13. *Ignis in Altari semper ardebit*, &c. Quibus verbis perspicuum est cur Hieronymus pro *custodia*, *ministerium* convertit, quippe quòd ejusmodi custodia fuerit ministerii, solicitudinis, curæ plenissima.

47. *Et mensus est atrium longitudine centum cubitorum*] Atrium quod jacet inter has portas interiores nunc metitur Angelus longitudine centum cubitorum, & latitudine centum cubitorum per quadrum. ¶ *Quadratum*] Heb. מרבע. Lxx *ad quatuor ejus partes*, h. e. cujus quaterna latera paria erant cubitorum centum. Hieronymus reperit longitudinis & latitudinis centum cubitos per quadrum. Hic Villalpandus rejicit eorum sententiam qui Atrio interiori Templi Salomonis negant porticus, exedras, gazophylacia, voluntque illud clausum fuisse humili duntaxat maceriâ trium ordinum lapidum cæsorum, & unius ordinis lignorum cedri dolatorum, huc accommodantes locum 1 Reg. 6. 36. quem confirmant testimonio Josephi Antiq. lib. 8. 2. Sed illis opponit I. locum 1 Paral. 28. 12. ubi dicitur data fuisse à Davide Salomoni descriptio *omnium Atriorum* (scilicet interioris & exterioris) *& exedrarum per circuitum in thesauros sanctorum* (in Atrio scilicet exteriori) *divisionumque sacerdotalium & Levitarum.* Quæ nemo non videat eadem esse cum his quæ hîc recensentur, *Gazophylacia Cantorum in Atrio interiori*, & Gazophylacium Sacerdotum excubantium in custodiam Templi & ministerium Altaris. II. Opponit locum 1 Reg. 7. 12. *Ædificavit Salomon Atrium majus rotundum*, h. e. circumquaque, *trium ordinum de lapidibus sectis, & unius ordinis de dolata cedro:* quæ de Atrio exteriore dicuntur: nam sequitur, *Et in atrio domûs interiore* (quod est Atrium Sacerdotum, quòdque 1 Reg. 6. 36. dicitur similiter exstructum fuisse *tribus ordinibus lapidum politorum, & uno ordine lignorum cedri*) *& in vestibulo domûs.* Jam verò vestibulum domûs altum fuit cubitis 120: tantum abest ut clausum fuerit humili duntaxat maceriâ. Unde concludit, locum illum 1 Reg. 6. 36. de tribus ordinibus lapidum cæsorum intelligendum de columnationibus sive de tribus columnarum ordinibus in altum sibi invicem superpositis. Locum autem Josephi antiq. lib. 8. cap. 2. accipiendum de γεῖσῳ, sive humili maceriâ quâ Sacerdotes in Atrio interiore operantes sacris distinguebantur à populo in Atrio exteriore versante, qui γεῖσος nihil habet commune cum tribus illis ordinibus lapidum politorum. Hunc γεῖσον ait denotari his Ezechielis verbis cap. 42. 10. *In latitudine periboli Atrii*, qui dicitur *Atrii peribolus*, quòd totum interius Atrium (de quo est isthic sermo) undequaque cingeret. Id verò quod sequitur (inquit Villalpandus) Josephus non enarravit, *quod erat contra viam Orientalem in faciem ædificii separati. Ædificium separatum* vocat hîc ipsam Dei domum; itaque ante faciem Orientalem domûs Dei peribolus hic sive γεῖσος tendebatur à porticu Aquilonari ad Meridianam.

48. *Et mensus est vestibulum quinque cubitorum hinc*, &c.] Heb. אל אלם, quam utramque vocem Lxx Interpr. in Sixt. cod. retinuerunt, τὸ αἰλ' τοῦ αἰλαμ, quamvis prior ex aliis codd. excidisse videatur: quapropter *vestibulum* legunt, sed *postem vestibuli* licet convertere, vel ut Chald. habet, *frontem vestibuli.* Jarhi, אל quasi אף *frontem vestibuli.* h. e. Grossitiem laterum portæ mensuravit ab Oriente vel Occidentem. Hieronymus notione proximas voces indicavit fuisse אל & אלם, atque adeò *postem* vertit *vestibulum.* Metitur enim hoc loco Angelus crassitudinem muri anterioris vestibuli, quæ ingredientibus erat perspecta in utroque poste & imminente fornice; quæ quidem partes ædificii meritò *vestibuli* nomine censentur ab Hieronymo, cùm eas omnes & singulas juxta varias notiones indicet prædicta vox אלם, quæ inter alia *fornicem* etiam diximus suprà significare: erat autem hæc porta supernè fornicata. ¶ *Et latitudinem portæ trium cubitorum hinc*, &c.] Hebraica ad verbum convertit Hieronymus, ut & Chald. sensum verò reddunt Lxx, *Et latitudinem portæ cubitorum* 14. *& latera* (ἐπωμίδες) *portæ alam cubitorum trium hinc & indè.* Quamvis latitudinem portæ Hebraica non tradant, eam tamen fuisse 14 cubitorum manifestè colligitur ex ipso textu. Consultò verò *latera portæ* intelligunt dicta fuisse portæ latitudinem, nimirum quantum ipsa latera seu humeri aut postes distenduntur ab ostio usque ad angulos interioris ædis, quod unum dimensum fuisse repetita ipsa dimensio planum facit. Accedit consuetudo deinceps ab Angelo observata in singulis portis Sanctuarii, in quibus post dimensam murorum crassitudinem, spatia metitur quibus domus ipsa ab ostio, sive à postibus portæ, ad angulos usque interiores utrinque laxatur; quam quidem dimensam retractionem & *latera* vocat *portæ*, & *humeros*, & *latitudinem.* Kimhi, *Dicit quòd latitudo portæ vestibuli erat ejusmodi ut remaneret illi latus post portam trium cubitorum ab Aquilone, & trium cubitorum ab Austro: habetur ergò latitudinem portæ fuisse* 14 *cubitorum, nam longitudo vestibuli erat* 20 *cubitorum, ex quibus tolle sex pro lateribus portæ, tres hinc & tres indè, remanet latitudo portæ* 14 *cubitorum; & ad hoc meliùs explicandum subdit*, longitudinem autem Vestibuli 20 cubitorum. Eandem planè habet Theodoretus expositionem cum Kimhiana.

49. *Octo gradibus ascendebatur ad eam*] Hieronymus, *Symmachus* (inquit) *quem nos secuti sumus*, 8 gradus *posuit*, *Lxx* decem, *Theod. & Aquila* 2 *edit.* undecim; *prima autem nullum numerum posuit, sed absolutè ait*, Et gradibus in quibus ascendebatur ad eam, *ut juxta consuetudinem priorum portarum octo intelligamus gradus, sicut intellexit Symmachus.* Jarhi, Kimhi & Josephus monent in secundo Templo, h. e. Herodiano, fuisse 12 gradus. Quoniam autem Villalpando sacrosancta est Vulg. ob decretum Synodi Tridentini, illi mordicus adhæret. Igitur (inquit) nos secundùm Vulg. edit. graduum octonarium numerum ante vestibulum excitavimus, quibus ad portam ascenditur, vel ad ipsum vestibuli introitum. Et quoniam rejicienda minimè videtur Lxx Interp. translatio, quæ B. Augustino magnæ autoritatis est, binos alios gradus excitavimus in ipso introitu vestibuli, in anteriorum parastadum cubitali projectura, ut vides in vestigio Sanctuarii, ità ut omnes gradus ad vestibulum usque ascendendi deni sint, quot videlicet numerantur à Lxx Interp. octoni usque ad portam vestibuli, quot numerantur à Vulg. editionis Interp. ¶ *Et columnæ erant in frontibus*] Heb. ועמודים אל האלים. Usus est hoc loco Propheta voce propriâ עמוד, columnas has distinguens à reliquis quas hactenus enumeraverat, vel potiùs columnas distinguens à postibus. Deducitur autem hæc vox à עמד *stetit*, q. d. statuam, quòd in altum stet erecta, vel quòd subsistat fulciátque domum cui substat. Differt à voce אל quæ *postem* significat, aut columnam muro adpactam, עמוד autem *stantem columnam*, quæ muro non adjacet, sive ea rotunda sit, sive quadrata, aut aliâ quacunque formâ. Unde colligimus à muro exstantes conspectas fuisse à Propheta post dimensam vestibuli longitudinem & latitudinem, h. e. cùm oculos atque iter dirigeret in Templi portam mox dimetiendam. Has igitur duas columnas in frontibus sive ad frontes appositas fuisse affirmat, nimirum è regione parastadum angularium quæ erant circa portam Templi, una in angulo Meridiano, altera in Aquilonari, ut vides in vestigio Sanctuarii.

CAP. XLI.

MUNSTERUS.

1. *Latitudinem tabernaculi*] Kimhi per *tabernaculum* intelligit fornicem exporrectum & in modum tabernaculi recurvatum.

6. *Erant cameræ*] De his *cameris* seu *ædiculis* & earum dispositione diximus 1 Reg. 6. vide ibi. Notandum tamen hic quod tres sibi suppositæ cameræ spatium XXXIII pedum obtinuerint, h. e. LXVI palmorum. Alii accipiunt פעמים pro *vicibus*, ut scilicet fuerint XXXIII ædiculæ, XI in pavimento, XI intermediæ, & XI supremæ. Et per cochleas ab inferiori ad superiorem descendebatur.

10. *Porrò inter cameras latitudo erat*] Hoc intervallum fuisse putant inter ædiculas atrii exterioris usque ad cameras Templo circumjacentes. Et per *intercisionem* putant intelligenda ædificia Templo non incorporata, sed tamen ad Sanctuarium pertinentia. Est autem in his rebus tanta obscuritas in Hebræo ut nec inter Hebræos expositores conveniat. Nec minor est obscuritas infrà in eodem capite, ubi agitur de *aspectu Templi* & Sancti sanctorum. De Janiis non est tanta difficultas, si adverteris à postibus

postibus oppositis tam externis quàm internis januas seu valvas pependisse. Porrò *costas domûs* Kimhi exponit *prominentias cedrinas quibus imponebantur trabes crassiores.*

VATABLUS.

1. IN *templum* אל ההיכל] i. In partem illam secundam quæ alio nomine dicitur קדש *Sanctuarium.* Describit secundam & tertiam partem Templi cum appendicibus, nempe היכל & דביר. ¶ *Hinc* מפו] i. Unius lateris portæ, h. e. unius postis. ¶ *Indè* ומפה] i. Alterius postis. ¶ *Latitudo vestibuli* רוחב האוהל] Subaudiendum est aliquid, cujusmodi, *talis erat latitudo vestibuli*, i. fornicis: vel, *latitudo, inquam, fornicis*, h. e. latitudo utriusque illorum erat sex cubitorum, quanta scilicet erat latitudo vestibuli portæ. *Latitudinem vestibuli* vocat crassitiem muri vestibuli: atque ità quidam vertunt. Gallicè dicimus *largeur*, vel *espesseur*.

2. *Latitudo verò portæ* ורוחב הפתח] *Latitudinem portæ* seu *ingressûs* vocat distantiam unius postis ab altero. Id quod patet inter utrumque postem, medium est & interhiat, dicitur פתח. ¶ *Et latera portæ* וכתפות הפתח] Per *latera ostii* intelligit quod est inter portam seu ingressum & postremum angulum faciei, à duobus lateribus recedens *quinque cubitis hinc & indè.* Hinc colligitur *totam faciem* fuisse *latitudinis viginti cubitorum.*

3. *Intrinsecùs* לפנימה] *Intrò*, i. in partem magis internam, in intimum Templi, quod est Sanctum sanctorum. ¶ *Postem* איל] Sing. pro plur. *postes.* ¶ *Et portam* והפתח] i. Crassitudinem ingressûs. Crassities intelligitur totum id quod occurrit ingredientibus à principio ad finem secundùm longitudinem: unde eadem est crassitudo & longitudo portæ. ¶ *Et latitudinem* ורוחב] A poste scilicet ad postem.

4. *Longitudinem ejus* את ארכו] Sub. *adyti*, sive *Sancti sanctorum.* Latitudo adyti erat eadem cum latitudine Templi, nempe 20 *cubitorum*: quare latitudo laterum, quæ hîc omissa est, erat tredecim cubitorum: nam ingressus erat 7 cubitorum; & utrumque latus sex cubitorum cum dimidio; quæ pro duobus lateribus simul efficiunt 13, quæ conjuncta illis septem efficiunt 20. ¶ *Sanctitas sanctitatum* קדש הקדשים] *Sanctum sanctorum.*

5. *Domûs* הבית] i. Secundæ partis Templi. ¶ *Thalami* הצלע] Sing. pro plur. *thalamorum.* Transit ad descriptionem appendicum & thalamorum adjectorum Templo parte exteriore, circumpositorum & adjectitiorum ad tria latera Templi, Occidentale, Septentrionale & Meridionale: nam primus ingressus erat ad Orientalem, quâ parte nulla erant cubicula. Latitudo thalamorum sive cubiculorum Templi Salomonis erat sex cubitorum.

6. *Thalami autem*, &c. והצלעות וגו'] Hebraismus, Erant autem thalami tribus ordinibus dispositi, & alii aliis superpositi. Vide 1 Reg. 6. 5. ¶ *Parietem* בקיר] Paries enim eorum erat geminus; internus, qui communis erat eis cum Templo; & externus, qui proprius thalamis erat. Significat prominentias in pariete Templi, quas vulgari sermone *retractiones* vocamus, quibus incumbebant capita trabium: & tres erant pro tribus tabulatis trium ordinum. ¶ *Ut inniterentur* להיות אחוזים] Ad verb. *ut essent tenentia*, sub. *locum positum in pariete*: vel *ut se tenerent*, aut *tenerentur*, sub. *in loco posito pro ipsis.* Ità doctus inter Hebræos.

7. *Sursum, sursum versùs* למעלה למעלה] Hebraismus, magis magisque in altum tendendo ad thalamos. ¶ *Domûs* הבית] i. Ædificii, sive structuræ & appendicis. ¶ *Per circuitum domûs* סביב סביב לבית] i. Circumeundo parte internâ domûs ad omnia cubicula. ¶ *Latitudo domûs* ורוחב לבית] q. d. Ordo superior erat inferiore latior: nam trabium capita erant collocata in partibus muri exstantibus; sursum autem murus erat contractior, ob id latitudo erat sursum. ¶ *Inferior*, &c. התחתונה וגו'] Sub. *thalamus.* Alii, *ab inferiore* thalamo *ascendebat* qui volebat ascendere, *ad superiorem*, vel *supremum*, sub. *thalamum.*

8. *Plenitudinis*, &c. מלו הקנה וגו'] Hebraismus, Latitudo fundamentorum parietis externi thalamorum erat unius calami mensorii integri, qui continebat sex magnos cubitos.

9. *Thalamo* לצליע] Sing. pro plur. *thalamis*, i. parietis thalamorum qui erat supra fundamenta, parietis, inquam, externi, ut differat à pariete Templi. ¶ *Et interstitium derelictum* ואשר מנח] *Et id quod relictum erat: spatium derelictum*, sub. *erat etiam quinque cubitorum*; sive *tanta quantitatis erat quanta erant reliquæ partes.*

10. *Inter cubicula verò* ובין הלשכות] Sub. *& domum*, sive *Templum.*

11. *Ad locum relictum* למנח] i. Intervallum relictum ante thalamos ipsos.

12. *Coram solario* אל פני הגזרה] *Ante tabulatum*, sub. *Templi.* Redit enim ad dimensiones Templi, incipiens à superiore ipsius Templi parte. q. d. *Templum quâ parte Occidentem spectabat, erat latum Lxx cubitos.* ¶ *Ædificii* הבנין] i. Partis superioris Templi. Suprà v. 5. dixit *murum* fuisse *latum senos cubitos*, quòd de parte inferiore intelligeret & fundamentis proxima; hic verò *quinos*, quòd de parte superiore loquatur. ¶ *Nonaginta* תשעים] Sub. *parte supernâ*, usque ad domum mutatoriarum vestium: quæ duæ erant in vestibulo latæ denos cubitos. Tota verò domus erat *centum cubitorum*: revera tamen centenorum quinorum cubitorum erat: sed omisit *quinos*, ut esset præcisus numerus. Præterea verum est centum fuisse, quia erant centeni quini.

13. *Solarium item & ædificium* והגזרה והבניה] *Tabulatum item, & ædificium*, quod scilicet erat coram tabulato.

15. *Post ipsum* אחריה] Sub. *solarium*, sive *tabulatum*, *ad Occidentem.* ¶ *Hinc & indè* מפו ומפו] i. Ad Septentrionem & Meridiem. ¶ *Templum item interius* ההיכל הפנימי] i. Sanctum sanctorum. ¶ *Atrii* החצר] Nempe Sacerdotum.

16. *Angustas* והאטומות] Vide c. 40. 16. & 1 Reg. 6. 4. ubi plena est locutio. ¶ *Ad tres plagas* לשלשתם] Sub. *mundi spectantes, Septentrionem, Meridiem, & Occidentem.* ¶ *Contra postem*, &c. נגד הסף וגו'] *Eregione postis operti ligno.* Sing. pro plur. q. d. *Qui thalami erant eregione postium opertorum lignis*, i. *tabulis cedrinis*, ut vertit Chaldæus. ¶ *Et fenestra* והחלונות] Conjunctio & vice relativi, *quæ fenestræ.*

17. *Usque* ad id, &c. על מעל הפתח] Ad verb. *Super desuper ostium.* Quidam totum versum sic convertunt, *A superiori parte ostii usque ad domum interiorem, & foris, & ad omnem parietem per circuitum ab intra & ab extra mensuras* accepit. Alii, *Ab eo super ostio, & usque ad domum interiorem, & foris, & ad omnem parietem circumquaque in interna & in externa* sunt *mensuræ.* Alii, *Supra ostium & usque ad domum interiorem, & foris, postremo in omnibus ubique parietibus, interiùs & exteriùs mensuræ* monstratæ sunt.

18. *Et* paries *erat*, &c. ועשוי וגו'] *Et efformatus erat* paries in *Cherubim & palmas*, i. Cherubim & palmæ erant cælata & insculpta in ipso pariete.

20. *Templi* ההיכל] Intellige de parte Templi secunda.

21. *Templi*, &c. ההיכל וגו'] *Templi postis quadratus, & facies Sanctuarii, aspectus sicut aspectus*, i. Postes ostii Sanctuarii erant similes postibus ostii Templi, i. היכל, h. e. erant quadrati ut Templi postes: eadem facies utrique.

22. *Et anguli*, &c. ומקצועותיו לו וארכו] i. Habebat angulos suos & longitudinem suam quæ computabantur cum illa mensura.

23. *Duo autem ostia* ושתים דלתות] Quidam sic vertunt istum versum & sequentem, *Fuerunt autem aulæ & Sanctuario gemina fores: iterùmque gemina fores ipsis foribus, nempe valvata fores in utraque ala forium.*

24. *Duo versatilia ostia* שתים מוסבות דלתות] *Duo ostia complicatilia*, vel *duæ valvæ plicatiles.*

25. *Facta item erant* ועשויה] *Calata item*, vel *sculpta erant.*

26. *Angusta* אטומות] Ut c. 40. 16. ¶ *Et latera* וצלעות] *Et costa*, vel *& laquearia.* Intelligit ordinem quendam lignorum quibus superponuntur capita trabium nè immittantur parietibus. Gallicè *sablieres.* ¶ *Et tigna* והעבים] *Et trabes.* Intelligit capita trabium excurrentia & exstantia extra murum, *lacunaria*: vel *prominentia.* Gallicè *corbeaux.*

CASTALIO.

1. APpendices dimensus est utrâque parte in latitudinem *senûm cubitorum*] Cellæ appendices vocat *tabulata*: de quibus paulò pòst disputabimus. Earum infima erant latitudinis quaternûm cubitorum, summa senûm. Quatenus autem summa sunt, vocantur *appendices.* Volo autem hoc loco *appendices* intelligi non solùm eam structuræ partem quæ extra fundamenti spatium projicitur, quomodo aliàs poni solet; nam hâc ratione essent appendices hæ tantùm singulorum utrinque cubitorum; sed totum ipsum cœnaculum quod habet appendicem. Hoc est quòd dicit *appendices latas* esse *senos cubitos*, quasi hoc dicat intelligendum esse de suprema parte. Itaque addit, *qua latitudo erat operimenti*, h. e. summæ partis quæ cætera operiebat: אהל enim non solùm *tabernaculum* significat, sed etiam *operimentum*, Exod. 26. & Psal. 132.

2. *Ostii*


2. *Ostii latitudo decem cubitorum*] A vestibulo per vacuum locum venitur ad ostium cellæ ad Orientem, ab *m* ad *t u*. Nam quò minùs cellæ ostium sit e regione vestibuli, facit tabulatorum ratio; quæ postea declarabitur. Erat igitur ostii latitudo 10 cubitorum, *x y*. *Humeri* autem, i. portæ latera, quæ de cellæ latitudine dextrà sinistràque supererant, *ea erant quinûm cubitorum*, *y z*, *& x A*. *Cellæ longitudo quadraginta cubitorum*, *B C*, *latitudo viginti*, *D E*.

3. *Tum ingressus in penetrale*] h.c. In sacrarium. ¶ *Mensus est ostii appendicem*] h. e. Appendicis projecturam. ¶ *Duobus cubitis*] *C F*. ¶ *Ostium sex*] Scilicet in latitudinem, *G H*. ¶ *Humerorum latitudinem septenis*] *H I & G K*.

4, 5. *Penetralis longitudinem viginti cubitis*, *latitudinem totidem terminavit*] Quàm spissum esset septum quod à cella penetrale dividit, non addit: sed hoc intelligendum est, id septum in penetralis longitudine numerari, sicut fit apud Mosem in Tabernaculo. Alioqui esset cellæ & penetralis longitudo plusquam 60 cubitorum: cui repugnat & tota hæc Templi descriptio, & Solomonii, cujus eadem & longitudo traditur & latitudo 3 Reg. 6. ¶ *Ædis parietem sex cubitis mensus est*] Sc. in crassitudinem. ¶ *Tabulata autem*] *Tabulata* vocat cœnacula trinûm contabulationum, quæ in Solomonis Templo vocantur *ædicula*. ¶ *Undique per ædis ambitum*] h.e. Hinc atque hinc: non enim poterant undique esse: alioqui nullus esset portæ locus.


6. *Et ea trina*, *alia aliis imposita*, *idque tricies*] h.e. Triginta mansiones (ut ità dicam) trinarum contignationum: quæ cùm singula quatuor occupent cubitos, & sit cellæ & penetralis longitudo LX cubitorum, fit ut sint utrinque quindena, atque ità hanc longitudinem expleant: nam quindecies quatuor efficiunt LX. ¶ *Quæ prodibant ad ædis parietem ipsis tabulatis undique circumjectum*] h. e. Habebant projecturas quibus porrigebantur ad ædis parietem, videlicet media dimidio cubito, suprema tantundem. ¶ *Ità ut essent ipsa inter sese continua*] Ut apparet ex numero: explent enim totam longitudinem. ¶ *Nec ædis parietem attingerent*] Intercedebat enim vacuus locus.

7. *Quantò autem tabulata erant altiora*, *tantò erant & latiora*] Sc. in Meridiem & in Septentrionem: nam in Ortum & Occasum appendicibus crescere non poterant, cum infimâ parte inter se contingerent. ¶ *Et majoris circuitûs*] Nam quò latius quidque est, eò latiorem habet ambitum. ¶ *Quòd ædis ambitus quantò altior erat*, *tantò patebat latiùs*] h. e. Ædis murus ità contrahebatur intrinsecùs, ut, cùm in fundamento esset cubitorum sex, in fastigio esset quinque: quæ retractio faciebat ut ædes summâ parte esset tantò latior quantus erat tabulatorum processus. Esto enim *a* tabulatum, *b* murus, *c* locus vacuus, *d e* tabulati projecturæ, *f g* muri retractiones contra projecturas. Quantum est inter *b* & *i*, quæ fundamenta sunt, tantum est inter *d* & *f*, itémque inter *e* & *g*, quòd tantum foràs recedit *g* ab *i* (quæ res facit latiorem ædem) quantum procedit *e* ultra *h* ad perpendiculum: qui processus facit majorem ambitum tabulati. ¶ *Atque ità infima ascensum ad summa habebant per media*] Hoc ex 3 Reg.



6. patet, ubi dicuntur esse ab imis cochleæ quæ ad media tabulata ferant, à quibus fit ascensus ad summa.

8. *Cùmque domûs altitudinem*, &c.] h. e. Ab imo quidem tabulata erant quaternos lata cubitos; sed cùm eorum fastigium contemplarer, animadvertebam, si ab extimis appendicibus demitteretur perpendiculum, & quod spatium esset inter infimum perpendiculum & infima tabulata tribueretur tabulatorum fundamento, id spatium esse utrinque unius cubiti: ità esse tabulatorum fundamenta senûm cubitorum. Esto enim *a b* tabulati fundamentum quatuor patens cubitos, *c d* fastigium sex cubitorum: si à *c* ad *e* lineam demittas, & à *d* ad *f*, & quod est inter *e* & *f* fundamento tribuas (quippe quod ædificio subjaceat) quantum est à *c* ad *d*, tantum erit ab *e* ad *f*: quoniam ab *e* ad *a* est unus cubitus, & à *b* ad *f* item unus; qui illis quatuor adjuncti efficiunt sex.



9, 10. *Parietis autem qui erat extra tabulata*] h. e. Parietis ædis. ¶ *Crassitudo erat quinque cubitorum*] Sc. in fastigio: nam à solo erat sex cubitorum. Hinc apparet tabulatorum projecturam esse partim intrinsecùs, nam si tota esset extrinsecùs, cùm sit duorum cubitorum, plùs procederent projecturæ quàm recederet ædis paries. ¶ *Quod ædis spatium vacabat inter tabulata*] Hic legitur מנח pro בין, ut & res & Græcus Interpres ostendit; sicut & Prov. 8. & Job 8. ut illic ibi etiam vertit Vetus. *Inter tabulata spatium* est Cella & Sacrarium. Id spatium est *viginti cubitorum*, quo spatio distant tabulata, scilicet Meridiana à Septentrionalibus. Intelligenda est autem hæc intercapedo ab imis tabulatis: nam summa minùs distant propter appendicum procursum.

11. *Ostia tabulatorum erant in vacante loco*] Qui erat inter tabulata & ædis parietem. ¶ *Spectantia altera Septentrionem*] Sc. Septentrionalia, in litera L. ¶ *Altera Meridiem*] In litera M. ¶ *Locus per circuitum vacans erat latitudinis quinque cubitorum*] An is locus etiam penetrale ambiret ab Occidente, non addit: sed hoc ex tota descriptione intelligendum est. An autem eâ quoque parte essent tabulata non docet. Quòd si tabulatorum numerum spectes, cùm essent tantùm triginta, nullum eorum à laterum longitudine supererat. Sed quia hæc tabulata ad rationem fiunt asserum Tabernaculi quod Moses construxit, (circumdant enim ædem, ut & illi) & erant illic etiam ab Occidente asseres, videntur & in hoc Templo fuisse ab Occidente tabulata, quamvis inter triginta non numerentur: quanquam hoc affirmare non ausim.

12. *Ità ædificium ipsum*] *Ædificium* vocat Templum, cujus constructionem ostendit. ¶ *In fronte consepti collocatum*] A Meridie locus erat latus 20 cubitos; longus 90, nullo ædificio occupatus: quem Vates Hebraicè à *separando* nominat, quòd esset à toto ædificii corpore separatus. Nos *consæptum* interpretamur. Secundùm id consæptum erat ædificium, h. e. Templum, *patens in latitudinem Occidentali parte septuaginta cubitos*] Ab N ad O: nam vestibuli longitudo in ædificii latitudine ponitur. ¶ *In longitudinem nonaginta*] à P ad Q. Cui numero si addas *muri crassitudinem quinûm utrinque cubitorum*, scilic. in fastigio, fit *longitudo cubitorum centum*, R S.

13, 14, 15. *Item consæpti & ædificii*, *unà cum ejus parietibus*, *longitudinem centum cubitis* T V. *Itémque latitudinem frontis templi*, *unà cum consæpti parte Orientali*, *centum cubitis*, X Y. *Mensus est & ædificii longitudinem in fronte consæpti post ædificium collocati*] Intrabatur enim à Septentrione. Hinc fit ut *consæptum* quòd est à meridie dicatur esse *post templum*. ¶ *Unà cum ejus utrobique accessionibus*] h. e. Muri crassitudine, quæ ad 90 cubitos accedebat. ¶ *Centum cubitis*] Z *a*.

16, 17. *Additamenta quæ circùm trinis illis inerant*] h. e. Appendices cellarum, quas suprà ostendit in atriorum vestibulis: quæ additamenta erant *e regione liminum*, h. e. spectabant limina exteriorum ostiorum, ut suprà demonstravimus. ¶ *Erant undique ligno obducta*] Interiora erant lapidea, tectorium ligneum. ¶ *Solo fenestris adæquato*] Fenestræ inferiorum cellarum, quæ erant in atriis, erant ità depressæ ut earum infima pars æquè librata esset solo, h. e. non esset altior quàm solum. ¶ *Fenestrisque tectis*] Sc. appendicum projecturâ: quæ cùm uno cubito inferiores cellas excederent, *tegebant* infra se positas *fenestras*, h. e. ultra eas procedebant. ¶ *Idque mensuris*, &c.] Hæc tota, quam commemoro, exstructio Templi facta ad mensuram est, ut docui.

26. *Extrinsecùs coassatio*] h. e. Erat vestibuli frons obducta ligno, ut suprà dictum est.

CLARIUS.

1. **E**T *introduxit me in templum*] Porticus est; deinde *Templum*, vel Sanctum; postea Sanctum sanctorum, Adytum, Oraculum: nam his tribus nominibus Interpretes appellant. In longitudine porticus viginti, Templum quadraginta, Sanctum sanctorum viginti cubitos; & rursum in latitudine illud primum undecim, alterum triginta, postremum viginti habet. Quia verò Porticûs rationem satis explicuit, proximum est ut de Templo agatur. Mensus est igitur *sex cubitos latitudinem*: & hæc est crassitudo muri Templi versùs porticum; cæterùm frontes portæ Templi fornicatæ erant supernè, & decurvæ instar tabernaculi.

2. *Et latitudo ostii*] De *latitudine ostii* Templi loquitur: itaque latera utrinque *quinque cubitorum* sunt. Lata enim est porta *cubitos viginti*: decem autem ostio, & reliqui decem duobus lateribus deputantur.

3. *Et*

3. *Et introgressus intrinsecus*] Parietem qui Templum à Sancto sanctorum dividit *introgressus est*. Nam pariete Templum Salomonis à Sancto sanctorum distinguebatur, in secundo Templo fuit velum. Mox est mensus portam illam intimam, primùm autem *frontes ostii*, quorum utravis *duos* habet *cubitos*; *sex cubitos ostium*, quos ad altitudinem quidam censent referendos. Cæterùm duorum cubitorum aliud spatium interjacet, inter Templum & Sanctum sanctorum, quod velut separat hoc ab illo: sed illud hic non mensuratur.

4. *Et mensus est longitudinem ejus*] Quadratum jam est. Hactenus nihil ad perfectum deductum est. Hæc primùm figura absolutissima occurrit, & conduplicatus est federis numerus; ut utramque ejus rationem, & hanc literæ & illam spiritûs, eò loci perfectam esse intelligas. Sunt enim decem verba & in lapideis & in cordis tabulis inscripta.

5. *Et mensus est parietem domûs*] *Paries* est quem mensorem *introgressum* suprà diximus: & *thalamus* hîc *latus* intus est *cubitos quatuor*. Colligitur hinc structuram Ezechielis spectare ad futurum, quia in secundo Templo cubiculum hujusmodi latum fuit intus cubitos sex, neque muro à Templo Adyta intima separata fuerunt, sed velo; juxta illud, *Et velum templi scissum est*. Nos enim imaginem ac umbram nullam posthac morabimur, qui veritatem & corpus lucis semel apprehendimus. *Thalamum* sive *cubiculum* de more collectum usurpat pro *pluribus cubiculis*, quæ circumcirca per Sancta sanctorum erant, h. e. in tribus parietibus, post vel extra domum, ab Occidente, Septentrione & Meridie: nam ab Oriente erat adytus, & porta cum porticu domûs.

6. *Thalamus super thalamum*] Multa, inquit, erant cubicula. Putantur tria fuisse interstitia, unum super aliud, ut essent *triginta tria* cubicula in universum, undecim per singulos ordines. In secundo Templo triginta octo fuerunt, quindecim in Septentrione, totidem in Meridie, illáque hoc ordine, ut in terra quinque, in medio quinque, alia quinque his decem suprà essent; octo in Occidente, his tribus duo suprà erant. ¶ *Et erant eminentia*] Hic locus ex 3 Reg. 6. 6. intelligitur, *Cubiculi infimi latitudo erat quinque cubitorum, & medii sex cubitorum latitudo, & tertii septem cubitorum latitudo; quia prominentias dedit ad domum* (vel *Templum*) *extrà, ne apprehenderentur capita trabium in parietibus domûs, neque per foramen in murum Templi reciperentur*. Cubicula illa à fronte, h. e. versùs atrium, murum proprium habuerunt; sed murus Templi introrsum post altitudinem cubiculi cujuslibet cubito uno retrocessit, & in crassitudine imminutus est: unde in vacuum cubiculi intus murus Templi ceu prominere videbatur. Igitur quia murus cubito uno graciliot fit, ut trabium termini super exstantiam illam muri sive prominentiam locarentur, necesse est cubiculum superius uno cubito patere latiùs quàm quod infrà est: nam ad latitudinem cubiculi accedit cubitus detractus crassitudini muri.

7. *Et platea erat in rotundum*] Alius vertit, *Et dilatatio & gyratio facta est sursum, sursum ad cubicula, quia circumgyratum est sursum, sursum per circuitum ad intra*. Alius sic, *Sed spatium fiebat majus, sensim ascendendo ad cameras, & circumdabatur templum ipsum passim ascendendo sursum cochleis circumcirca templum ipsum in altum*, &c. Quomodo dilatata supernè sint cubicula diximus, nimirum propter decurtatam & imminutam crassitudinem parietis Templi cubito uno post finem inferioris, causà sustinendi trabes superioris cubiculi. *Circumgyratio* autem, h. e. cochlea, facta est ut minimùm una, quæ deserviret omnibus undecim cubiculis unius ordinis, ut novo ordini nova esset cochlea, donec in tertium usque ascenderetur.

8. *Et vidi in domo altitudinem*] Contemplatur altitudinem admirabilem, verùm non exprimit eam. In Templo secundo altitudo centum cubitorum fuit. Habuit autem quodlibet cubiculum duos muros; interiorem, qui Templum ambit: hujus *fundamenta plenum calamum*, h. e. *sex cubitos*, complectuntur. Exterior autem, qui in atrium spectat, *quinque cubitorum* est.

9. *Et erat interior domus in lateribus domûs*] Videtur Interpres voluisse id dicere quod alius vertit, *Et qualem habuit situm domuncula lateralis, talis erat juxta templum*. Alius verò vertit, *Et relictum intervallum domûs cubiculorum, quod erat intrinsecus*: ut sit sensus, Eandem mensuram habet relictum intervallum in muro interiore quod capita trabium primi tabulati vel cubiculi excipit. Quòd autem muri Templi qui adhærentia cubicula firmant supernè attenuantur, solidiore innixa fundamento, significat plus rei quàm ostentationis habere viva Dei templa, quia videlicet Deum spectent. Debilis videtur hic murus, sed in se firmatur structurà Spiritûs. Præterea quò sublimiùs viri sancti attolluntur, eò minùs à carnalibus eorum virtus agnoscitur; ut interdum insanire existimentur: quod olim Paulo accidit, ut habes in Actis. Contendunt hoc loco quidam quòd Templo non sint continuata cubicula, sed inter Templum & cubicula spatium liberum intercesserit in quòd januæ sint dispositæ. Alii tamen communiter liberum hunc locum in angulos ponunt Meridiei & Septentrionis Orientales, & indè aditus in proximum patuisse cubiculum, deinde ex eo in alterum; & sic consequenter. Nam velut ex publico tantùm extremum adibatur, quòd aditus ad ea non pateat neque à Templo neque ab atrio, quia utrinque muri integri objecti erant, sicut ex contextu Prophetici sermonis videtur.

10. *Et inter gazophylacia*] Sive *thalamos* vel *cubicula*. Alius etiam *cameras* vocavit. Sic ubique intellige cùm legis *gazophylacia*. Hoc autem intervallum fuisse putant inter ædiculas atrii exterioris usque ad cameras Templo circumjacentes. Est autem in his rebus tanta obscuritas in Hebræo ut nec inter Hebræos expositores conveniat.

11. *Et ostium thalami*] Ut scilicet utrinque ab angulo tam Meridiei quàm Aquilonis patuerit extremo cubiculo ostium, quod hic appellat *ad viam Aquilonis* & *ad viam Australem*, juxta tractum videlicet ac plagam mundi totiúsque ædificii: nam neque ad Templum neque ad atrium ostia cubiculis data sunt. Et hujus sententiæ ferè veteres sunt. Ex quo facilè colligitur unumquodque cubiculum tria ut minimùm habuisse ostia, duo ad cubicula hinc atque hinc adjecta proximè, & tertium sursum versùs ad superius cubiculum per cochleam: nam ab infimo in medium, & à medio in supremum ascensus per cochleam patuit.

12. *Et ædificium quod erat separatum*] Nomen hoc Templo ex eo putant obvenisse quòd à reliquis partibus Sanctuarii, si dignitatem consideres, longè separetur & emineat. Ait ergò, *viâ respiciente ad mare*, h. e. juxta Occidentalem plagam Templi ab Aquilone ad Meridiem, *cubitos septuaginta esse*. ¶ *Paries autem ædificii*] Volunt quemlibet parietem *latum* esse *cubitos quinque*. *Et longitudo*, inquit, *ejus nonaginta cubitorum*, intelligens spatium ab Occidente Orientem versùs per omnia cubicula, & interjacens spatium usque ad domum quam vocat *mutatoriam*. Habet enim ab Oriente Occidentem versùs 10 cubitos, & initium capit à principio porticûs Templi. Hujusmodi decem non refert in numerum, quòd velut redundent, utrinque ad caput porticûs adjecti.

13. *Et mensus est domûs longitudinem*] *Domum*, h. e. Templum, *metitur*, & invenit *cubitos centum*. Hoc loco decem illos cubitos domûs mutatoriæ adjungit. Et quid intelligat per *domum* subjectione hàc exponit, *Et quod separatum erat ædificium*, &c. q. d. *Appellatione* DOMÛS *intelligo Templum omne cum adhærentibus ædificiis*. Est autem domus mutatoria appendix utrinque, h. e. ab Aquilone & Meridie, velut ad caput porticûs adjecta. Quindecim autem cubitos hinc, & totidem illinc, h. e. ab Aquilone & Meridie, habet. Et quia posterior pars, h. e. Occidentalis plaga, LXX habet, sequitur compleri centenarium, si cubiti bis quindecim, ex quibus utrinque domus hæc mutatoria constat, adjiciantur. Hinc intelligitur quid sibi velit quod legitur apud autores, Porticum habuisse redundantiam ultra Templum, cùm tamen longitudine suâ Templi latitudinem tantùm adæquet. Nam accessio domûs mutatoriæ, quia ad porticum continua fuit, ceu illius redundantia videtur. In hac domo habuerunt cultros mactatorios, ut semper ad manum instrumenta justa haberent.

14. *Latitudo autem ante faciem domûs*] Hoc satis patet, quia 70 cubitis in Occidente repertis, 30 accedunt propter mutatoriam domum, quæ capiti porticûs adhærens utrinque gradus 15 adjungit. Sentit enim ad Orientem illam latitudinem, quæ in parte Orientis ab Aquilone versùs Meridiem desumitur.

15. *Et mensus est longitudinem ædificii*] Memorat in extremis hærentia cubicula & muros. Exploravit hactenus justa Templi ædificia. Jam in mensuram cogit etiam extrema illa in utroque latere, & *centum pariter cubitos* reperit. Interim Templum summæ venerationis, porticuli atrii sunt ab adytis remotissimi. Summa & infima juxtà curat: nihil aspernatur, neque indignum suâ curâ ducit quod ad gloriam Dei ullo modo faciat. At particula hæc, *templum interius, & vestibula atrii*, ad sequentia pertinet.

16. *Postes & fenestras*] Pericopen superioris versûs cum his connecte. Sunt, inquit, mensuræ certæ ac notæ *interioris Templi, & vestibulorum atrii, postium, fenestrarum, quæ intus parvo foramine patent*. ¶ *Per tres partes*] h. e. Tres plagas, quæ quidem cubicula circa Templum habuerunt. Nullum enim ab Oriente fuit. Alii interpretantur hunc versum sic, *Templum, Sanctum sanctorum, & porticus atriorum: horum trium quodlibet habuit postes, fenestras obliquas*, subl-

cubicula circa se; quodlibet habuit limina & ostia, quodlibet cellaria. ¶ *Stratùmque ligno*] Uterque cujusque ostii postis intus erat *obductus tabulis ligneis*, & infernè quoque murus cedrinis lignis obductus. Sursum assurgebant ea lignorum velut incrustamenta *usque ad fenestras, atque adeò fenestra* ipsæ *tabulis vestita* erant intrinsecùs. Tabularum usus hic fuit, ut laminæ aureæ, aut certè colores aurei, tam ligno quàm lapidibus commodiùs inhæréscerent. Nam parietes fuisse velut auro illitos scribitur. Tota sanè domus intus deaurata erat, exceptâ eâ parte quæ post valvas januarum apertas latuit.

18. *Et fabrefacta Cherubim & palmæ: Palma erat inter Cherub & Cherub*] h.e. Duo Cherubim palmâ unâ dividebantur, & è diverso duæ palmæ uno Cherub. Cuique *Cherub duæ facies erant, Hominis* infantuli, & catuli *Leonis*, ut *facies Hominis* ad dexteram, *Leonis* ad sinistram, utraque ad suam *palmam* spectarit. *Palma* semper virens Justum designat, *facies Hominis* & *Leonis* providam Fortitudinem & fortem Providentiam. Attollitur Cherubica mens alis suis, ac pendet è supernis. Prior Homo, deinde Leo est: nam sensus fidei constantiam animi excitat. *Per circuitum Templi* & Adyti *parietes* picturis talibus insigniuntur. Nihil enim intra sancta versanti occurrit quod non luceat fide, ac tolerantiâ Leonem æquet.

20. *Et in pariete Templi*] q.d. Non solùm interioris Adyti sed etiam ipsius Templi parietes adornati erant picturis hujusmodi.

21. *Postis Templi quadratus*] De Templi postibus jam agit exquisitiùs, quòd scilicet *Templi postis quadratus* esset, nempe figurâ solidiori. Deinde dicit, ostium Sancti sanctorum, quod est ceu *facies adyti*, quia primum introeunti objicitur, esse formâ simillimâ in postibus ostio Templi.

22. *Altaris lignei*] In Sancto sanctorum aureum altare Moses posuit: quod Salomon, & deinde qui à captivitate redieunt, aliquousque imitati sunt. Quod quidem *altare thymiamatum* Scriptura nominat, in quo sacer suffitus fiebat. Jam *ligneum* est *altare:* & idem est *mensa coram Domino*, ubi non ampliùs est tantùm suffitus ascendens, sed epulatio de donis cœlestibus pariter est. *Alta* sanè mensa; *trium* enim *cubitorum:* quia Pater Verbo suo in Spiritu sancto mactatos cibat. Unâ illâ Triade sanctâ pascimur. *Longa* est *duos cubitos*; utroque homine, & externo & interno, illi consecrato per fidei obsequium; vel quia *in duobus mandatis universa Lex pendet & Prophetæ.* Non est quòd de latitudine exspectes mensurarum; quia in latitudine infinita viam mandatorum Dei talis currit, & nescit mensurarum angustias.

23. *Et duo ostia erant in Templo*] Alius sic vertit hunc locum, *Et duæ valvæ Templo & Sancto, & duæ valvæ ad valvas duas, plicabiles valvas duas ad unam, & duas valvas ad alteram.* Agit hic de foribus & valvis quæ objectæ negant introitum. Quod valvas duas habeat Templi similiter & Adyti porta, quod hic *Sanctuarium* vocat, in dubium venire nemini potest: nam ità cuique januæ ac portæ ut minimùm duæ erant antiquitus, ex utrovis poste una. Verùm hoc loco vult ampliùs dicere, quòd duplices & non unas fores Templum & Sanctum sanctorum habuerint. Janua enim Templi alta erat cubitos 20, & lata 10. Quatuor valvas habuit, in prioribus postibus binas, & binas in posterioribus. Itaque valvas intus & foris habuit, sicut utrobique postes erant. A postibus oppositis, tam externis quàm internis, valvæ pendebant, quæ in medio coeuntes, dum claudebantur, januæ spatium, quod est 10 cubitorum, compleverunt. Priores introrsum aperiebantur, totúmque murum, qui erat latus cubitos sex, utrinque obtegebant. Nam in cardine cubitum unum retro volvebantur, ut quinque cubiti obtegendi tantùm superessent. Interiores autem versùs domum reclusæ, parietem retro valvas, qui deauratus non erat, obtegebant. Incrustatæ enim auro valvæ erant elegantissimè: itaque venustatem adauxit apertio januarum. Diligenter autem Sancta & Sancta sanctorum sunt claudenda nobis, non unis foribus. Thesaurus est hic noster incomparabilis; multâ vigilantiâ & fortibus munimentis asservandus.

25. *Et trabes lignea*] Redit ad ornamentum porticûs. A Templo autem cedrinæ trabes ingentes fores in murum usque porticûs immissæ sunt super latera januæ, quæ ejus murum continerent, nè propter molem collaberetur.

26. *Sed & fenestra obliqua*] Et vidi, inquit, fenestras porticûs. Usqueadeo omnia munita & ornata fuerunt ut etiam in ipsa porticu nihil desiderare posses, quæ quidem crassis lignis & trabibus aptata erat. Similiter autem & fenestræ secretiores ad illustrationem, quæ intus [*f.* foris] strictæ, & foris [*f.* intus] latæ patebant; & palmæ ad decorem, tametsi Cherubim volantia non nisi intra Templum visa sint, sed palmæ illæ etiam ultra Templum. ¶ *Humerulos* nominat partes januæ supernè exstantes. ¶ *Latera domûs*, vel, ut alius vertit, *costas*, vocat prominentias de lignis cedrinis quibus imponebant trabes. Trabes autem sunt crassiores.

DRUSIUS.

1. אֶל־הַֽאֵילִים. Th. Ἀιλίμ. Sym. *in circuitu*] Hier. *& mensus est frontem Templi: pro quo* AILAM *LXX*, *&* AILIM *Theodotio*, *&* in circuitu *Symmachus transtulerunt.* אֵילִים Ἀιλίμ, ut עֵילָם *Ailam*, unde *Ailamitæ*, qui & *Elamitæ*. Sic non malè scribes *Elim*. Nam *Ælim*, quod in libris, vitium continet quale in *Ælam*, & similibus. αι in talibus non est diphthongus, ac proinde rectiùs scribitur *Ailam*. Sic *Michaias* scribendum, & non *Michæas*. Nec obstat consuetudo, quam non sequimur errantem. Scitum illud, *Consuetudo sine veritate vetustas erroris est.* IN CIRCUITU] Suspectum.

3. אֵיל־הַפֶּתַח. Sym. περὶ τ̃ θύραν. A. *ostium.* Th. Ἀιλ] Hier. *in cujus fronte, sive* AIL (*pro quo Sym.* περὶ τ̃ θύραν, *i.* circa portam; *Theodotio ipsum Ebraicum* αἰλ, *Aq.* ostium, *nos* frontem *interpretati sumus*) *duo erant cubiti.* Legimus hodiéque in LXX, τὸ αἰλ τ̃ θυρώματος *ail* (sive *el*) *porta.* Vide sodes ed. Rom. Cæterùm est cur malim αἴλ, ut sit dissyllabum: nam Ebraicè esset אַיִל, quod in regimine facit אֵיל, αἰ in η versâ. Sic in affixis אֵילָיו. Sed Syri etiam dicunt אֵילוֹ, ut עֵינִי & עַיְנִי *oculus meus*, עֵינָיו & עַיְנוֹי *oculi ejus.*

4. עֶשְׂרִים אַמָּה. πηχῶν εἴκοσι *cubitorum viginti*] Sic est hodiéque in edit. C. Theodoretus quoque ait ita haberi in Ebræo & Syro.

8. וְרָאִיתִי לַבַּיִת גֹּבַהּ סָבִיב סָבִיב מוּסְדוֹת הַצְּלָעוֹת. Καὶ εἶδον τ̃ οἴκου ἐν ὕψει περικύκλῳ πλευρῶν, *Et vidi secundum domum in altitudine in circuitu laterum*] Citatur in ed. Rom. ex aliquo codice. Hier. *Pro* THRAEL (θραήλ) *quoque, quod nescio quid significet apud illos, in Ebræo legitur* וראיתי, *quod & nos & cæteri transtulerunt*, & vidi. Idem aliquantò post, *Quódque addidit*, & de mediis ad tristega (τριώροφα) *i. tertia cœnacula*, & thrael, *videtur mihi obelo prænotandum. Quid enim necesse est dubia & non scripta disserere, cùm in ea quæ Ebræorum tenentur libris debeamus incumbere?* Schol. καὶ τὸ, Θραήλ, ὐ κεῖται παρ' Ἑβραίοις.

10. בֵּין הַלְּשָׁכוֹת. *Inter gazophylacia.* Sym. *inter exedras*] Græcè ἀναμέσον τ̃ ἐξεδρῶν, quod nunc legitur in LXX. Hier. *& inter gazophylacia, quæ Sym.* ἐξέδρας *vocat, latitudinem cubitorum viginti per circuitum domûs.*

11. רֹחַב מְקוֹם. Τὸ εὖρος τ̃ τόπου *latitudo loci*] Ante legebatur in LXX τ̃ φωτὸς, i. *luminis.* Theodoretus ait lumen porticûs esse, quod solitum sit vocari φωλεὸν, i. *luminare.*

12. הַגִּזְרָה. Th. & 2 Aquilæ ed. *Gazera.* Sym. & Aquilæ 1 ed. *separatum*] Vide notata ad caput sequens.

16. אַתִּיקִים, Hier. *ethecas*] Idem in Comment. ETHECAS *Romæ appellant* solaria, *de cœnaculorum parietibus eminentia, sive* mœniana, *ab eo qui ea primus invenit, quæ nonnulli Græcorum* ἐξώστρας [ἐξώστας] *vocant.* ¶ וְהַהֵיכָל הַפְּנִימִי. Schol. καὶ ὁ ναὸς ὁ ἐσώτερος *& templum interius.*

20. מֵעַל הַפֶּתַח. Schol. ὑπεράνω τ̃ θύρας *supra ostium.*

25. אֶל־פְּנֵי. Schol. ἔμπροσθεν *ante*] Hier. *in vestibuli fronte*, cui *vestibulum* aut *superliminare*, vel etiam πρόπυλα.

26. וְהָעֻבִּים. Schol. καὶ τὰ πάχη *& crassitudines.*

GROTIUS.

18. DUasque facies habebat Cherub] Duas formas, quæ maximè eminebant. Erant enim alioqui in quoque Cherub formæ quatuor.

22. *Et locutus est ad me*] Translatum scilicet in eam partem ubi erat mensa, in qua panes προθέσεως [*propositionis*].

Villalpandi Paraphrasis per LUD. CAPPELLUM.

1. ET *introduxit me in Templum*] Introduxit me in priorem Templi partem, quæ dicitur *Basilica, aula*, atque *Templi* nomine plerumque censetur. ¶ *Et mensus est frontes sex cubitos latitudinis hinc, & sex cubitos latitudinis inde*] Et mensus est utrumque portæ postem, dextrum atque sinistrum, & uniuscujusque latitudinem ab Oriente in Occidentem 6 cubitorum. ¶ *Latitudinem Tabernaculi*] Quanta nimirum erat superliminaris latitudo, & parietis Sanctum à Vestibulo dividentis crassitudo.

2. *Latitudo portæ 10 cubitorum erat*] Limen portæ latum erat cubitos 10, quam latum fuerat olim Mosaicum Tabernaculum

culum. ¶ *Et latera porta quinque cubitis hinc & quinque cubitis inde*] Et reliqua muri pars, ab ostio usque ad angulos interiores domûs, quinque fuit cubitorum ex alterutra parte, aperiebatur quippe porta in media domo Sancti. ¶ *Et mensus est longitudinem ejus 40 cubitorum, & latitudinem 20 cubitorum*] Et aulæ sanctæ longitudinem 40 cubitorum mensus est, & latitudinem 20, duplâ nimirum latitudinis longitudine, quæ maximè ab antiquis probatur.

3. *Et ingressus intrinsecus mensus est in fronte porta duos cubitos*] Et deducens me ad Adyta, mensus est postem utrumque Portæ, h. e. crassitudinem muri concludentis oraculum duorum cubitorum, vel parastades latus utrumque Portæ exornantes. ¶ *Et portam 6 cubitorum, & latitudinem porta 7 cubitorum*] Ostium quoque portæ mensus est 6 cubitos latum, & *humeros*, sive *latera*, *porta*, h. e. muri partes quæ ab ostio extenduntur ad angulos interioris domûs, 7 cubitorum.

4. *Et mensus est latitudinem ejus 20 cubitorum, & longitudinem 20 cubitorum; & dixit ad me, Hoc est Sanctum sanctorum*] Et mensus est Oraculi latitudinem 20 cubitorum, & longitudinem 20 cubitorum, cujus altitudo quoque 20 cubitorum fuit; & dixit mihi, &c.

5. *Et mensus est parietem domûs 6 cubitorum*] Et mensus est crassitiem parietis Templi 6 cubitis. ¶ *Et latitudinem lateris 4 cubitorum*] Latera, anterides, sive antas, vel pilas, mensus quoque est, & uniuscujusque latitudinem comperit esse 4 cubitorum.

6. *Latera autem latus ad latus bis triginta tria*] Latera verò bina sibi invicem respondentia à pariete domûs projiciuntur pedes 33, h. e. cubitos 22, singula projiciuntur cubitos 11. ¶ *Et erant eminentia qua ingrederentur per parietem domûs; in lateribus per circuitum, ut continerent, & non attingerent parietem Templi*] Et retractiones quasdam fecit in ipsis lateribus domûs in quibus trabes & tabulata cubiculorum domum circumdantium ponerentur, nè opus esset ipsos Templi parietes fodere ut continere possent trabes, quas non decuit Templi parietem contingere, nedum illi insistere.

7. *Et platea erat in rotundum ascendens sursum per cochleam, & in cœnaculum Templi deferebat per gyrum*] Et aditus vel ostium inferiorum cubiculorum patebat ad cochleam, quò ad media & superiora cubicula ascendebatur, quæ quidem cubicula universa propemodum domum circuibant. ¶ *Idcirco latius erat Templum in superioribus*] Et spatium fiebat majus sursum ascendendo ad cameras, atque adeò cubicula inter costas sive parastades latiora erant quò superiora. ¶ *Et sic de inferioribus ascendebatur ad superiora in medium*] Ascendebatur enim ad superiora cubicula per media, & ad hæc per inferiora.

8. *Et vidi in domo altitudinem per circuitum, fundata latera ad mensuram calami 6 cubitorum spatio*] Et vidi interiores costarum retractiones quibus trabes & tabulata fulciuntur, ipsæque parastades muniuntur; erántque in universum singulæ retractiones altæ calamum unum 6 cubitorum & palmi, omnes simul cubitos viginti.

9. *Et latitudinem per parietem lateris forinsecus 5 cubitorum*] Et lapideus paries qui costas & cubicula claudebat extrinsecùs, latus erat cubitos quinque. ¶ *Et erat interior domus in lateribus domûs*] Totidémque latus erat locus ille inter costas relictus, qui in cubicula deinde tributus secundùm longitudinem fuit, qui quidem locus & pro æstuariis fuit, & ut in eo sacra vasa asservanda reponerentur.

10. *Et inter Gazophylacia latitudinem 20 cubitorum in circuitu domûs undique*] Et platea quædam viginti cubitos lata erat inter Gazophylacia Atriorum & prædicta cubicula: quæ quidem platea æquè undique lata totam domum cingebat ab Oriente, Mer. Occ. & Aquilone.

11. *Et ostium lateris ad orationem: ostium unum ad viam Aquilonis, & ostium unum ad viam Australem*] Et prædictus locus qui derelictus dicebatur, & in varios usus deputatus erat, potissimùm ad orationem, animi requiem & Dei munera suscipienda deputabatur, ad quem & ab Austro & ab Aquilone patebat aditus, apertis ostiis à lateribus vestibuli, & in pariete Aquilonari & in Australi exterioribus. Et à propriis ostiis in ipsis costis, vel Antis, apertis, alia ab Austro, alia ab Aquilone aperiebatur: quarum facies ad Orientem respiciebant in binis illis cubiculis quæ *Mutatoria* sæpius appellantur. ¶ *Et latitudinem loci ad orationem 5 cubitorum in circuitu*] Et prædicti loci, sive cubiculorum, latitudo fuit 5 cubitorum; tot enim distat ab interiori domûs pariete exterior costarum.

12. *Et ædificium quod erat separatum versúmque ad viam respiciensem ad mare latitudinis 70 cubitorum*] Et hujusmodi orationis locus, qui à latere Meridiano & Aquilonari Templi exstructus, latus erat, h. e. extendebatur ab Oriente in Occidentem, 70 cubitos. ¶ *Paries autem ædificii quinque cubitorum latitudinis per circuitum: & longitudo 90 cubitorum*] Hujus verò loci exterior paries, qui domum undique cingebat, latus erat vel crassus cubitos 5, altus verò cubitos 90.

13. *Et mensus est domûs longitudinem 100 cubitorum; & quod separatum erat ædificium, & parietes ejus longitudinis 100 cubitorum*] Quam domum singillatim & per partes metitus fuerat, nunc in unam summam colligit, ejúsque longitudinem ab Oriente in Occidentem centenario, h. e. perfecto cubitorum numero definit. Nam ipsâ domûs longitudo, & orationis locus, & parietes, omnia simul sumpta, longitudinem complent centum cubitorum.

14. *Latitudo autem ante faciem domûs, & ejus quod erat separatum contra Orientem 100 cubitorum*] Et platea quædam quæ jacebat ante faciem domûs, h. e. ejus celeberrimi atque eximii ædificii, quod *Separatum* propterea dicitur, & Orientem respicit, longa erat cubitos 100, hujus verò plateæ latitudinem paulò superiùs 20 cubitis definierat.

15. *Et mensus est longitudinem ædificii contra faciem ejus, quod erat separatum ad dorsum, ethecas ex utraque parte 100 cubitorum*] Et mensus est interioris Atrii quadratam illam aream; quæ domum Domini cingebat, vel potiùs postes, vestibula & porticus, quæ triplici ex latere, Occidentali, Meridiano & Aquilonari, domui opponebantur. Mensus est, inquam, longitudinem porticûs occiduæ quæ respiciebat Occidentale posticum domûs, nec non porticus Meridianas & Aquilonares, quæ erant ex utraque parte domûs, 100 cubitis: erat enim areæ hujusmodi æqua longitudini latitudo 100 cubitorum. ¶ *Et Templum interius & vestibula Atrii*] Atque adeò Templum interius mensus est, & Atrii vestibula.

16. *Limina & fenestras obliquas, & ethecas in circuitu per tres partes*] Atrii porticus cedrinis contectæ desuper laquearibus, quæ laquearia *Limina* dicuntur, inferiùs cancellis claudebantur in rhomborum morem obliquis non quadratis angulis perforatis, & Atrii postes sive ethecæ triplici ex latere cingentes Templum. ¶ *Contra uniuscujusque limen*] Postibus domûs respondebant ex adverso non quidem temere, sed singuli singulis postibus, singula limina, vel tabulata singulis tabulatis. ¶ *Stratúmque ligno per gyrum in circuitu*] Postes verò domûs, vel parastades, operiebantur tabulatis cubiculorum in circuitu trium laterum, Meridiani, Occidentalis & Aquilonaris. ¶ *Terra autem usque ad fenestras*] Hujusmodi autem tabulata parastadas operiebant à terra usque ad fenestras domûs, h. e. usque ad altitudinem 25 cubitorum. Vel, & solidus paries erigebatur usque fenestras domûs, quæ super altitudine 25 cubitorum aperiebantur in pariete Meridiano & Aquilonari. ¶ *Et fenestra clausa* ——— *super ostia.*

17, 18, 19. *Et usque ad domum interiorem, & forinsecus per omnem parietem in circuitu intrinsecus & forinsecus ad mensuram. Et fabrefacta Cherubim & palma, & palma erat inter Cherub & Cherub, duásque facies habebat Cherub. Faciem hominis juxta palmam ex hac parte, & faciem leonis juxta palmam ex alia parte, expressam per omnem domum in circuitu*] Fenestræ verò Templi quæ super hujusmodi pariete aperiebantur, ab eodem itâ abscondebantur ut ex Atriorum pavimento inferiori videri non possent. Et fenestræ clausæ triplici operimento, cancellis, valvis atque aulæis, aperiebantur super altitudine ostii Orientalis domûs, per parietes exterioris domûs usque ad parietem interioris; nam in interiori domo fenestræ non erant, atque in eadem altitudine procurrebant tum in parte domûs Meridiana & Aquilonari, tum in exteriori costarum & cubiculorum. Vel, *intrinsecus*, h. e. in interiori domo Sancti Sanctorum, & *forinsecus* in exteriori Sancti ad mensuram operiebantur omnia tabulis ejusdem mensuræ, in quibus insculpebantur imagines Cherubinorum atque Palmarum itâ ordine dispositorum, ut inter binos quosque Cherubinos palma una statueretur, inter binas quasque palmas unus Cherub. Cherubini autem uniuscujusque dispositio itâ erat ut è quaternis quibus constabat animalium formis humanam ad palmam converteret ex parte una, leoninam ad palmam alteram ex parte altera. Nam alis, quæ *tertia* dicitur *facies*, utramque palmam ex æquo tangebant; vitulinis pedibus, quæ *quarta* dicitur *facies*, neutram palmam sed ipsum pavimentum contingebant. Atque hac eâdem quam dixi dispositione expressa erat domus circumquaque universa, itâ ut in Sanctuario octoni computarentur Cherubini in quaternis parietibus, & duodeni si eisdem annumerentur quaterni qui Arcam circumstant, ac duodeni item in exteriori domo; ut omnes Cherubini Templi 24 fuisse credantur.

20. *De terra usque ad superiora porta Cherubim, & palma cælata erant in pariete Templi*] Quantum erigebatur Orientalis portæ lumen, vel ostium, tantundem à terra parietes Templi & oraculi insculptis Cherubinis ac palmis, ut dixi, exornabantur, h. e. in altitudine cubitorum 20.

21. *Limen quadrangulum*] Aulæ verò sanctæ portæ (quæ quadrata erat non fornicata) postis uterque latus erat quartâ parte latitudinis portæ, unusquisque octavâ; latus enim erat cubitum cum quarta cubiti parte. Superliminare verò ejusdem mensuræ, quod primi ordinis Atriorum epistyliis æquè libratum erat, Epistyliorum mensuram & ornamenta definit. ¶ *Et facies Sanctuarii, aspectus contra aspectum*] Et Sancti Sanctorum, & Sancti facies, quippe quæ ad eandem spectabant cœli regionem, & eodem aspectu videri poterant, erant omnino similes dispositione, ornamentis, incrustaturis, unâ symmetriâ dispares, cùm hujus antepagmentum utrumque ex quarta, illius ex quinta latitudinis portæ factum fuisse dicatur.

22. *Altaris lignei trium cubitorum altitudo, & longitudo ejus duorum cubitorum*] Altare verò, quod ex erectis quaternis quadratis tignis, aliisque in summo & in imo connexis, quasi ex ossibus contexuit Solomon, ac cedrinis tabulis undique convestivit, aureisque demum laminis contexit, altum erat cubitos tres, longum æquè ac latum cubitos 2. ¶ *Et locutus est ad me, Hac est mensa coram Domino*] Et dixit mihi qui me ducebat Angelus, Hoc altare, quod in conspectu Dei semper manet, *mensa* dicitur, quippe cui sacer ignis & suave spirans suffitus imponitur. Vel sensus est, absolutâ Altaris enarratione ad dexteram Altaris conversus ductor meus dixit mihi, Hæc est mensa panum propositionis, &c.

23. *Et duo ostia erant in Templo, & in Sanctuario*] Sancti & Oraculi ostium unumquodque binis claudebatur foribus.

24. *Et in duobus ostiis ex utraque parte bina erant ostiola, qua in se invicem plicabantur; bina enim ostia erant ex utraque parte ostiorum*] In quorum singulis ex utraque parte ostii singula ostiola aperiebantur, in utrisque bina, quæ ostiola suis quoque foribus claudebantur; apertis enim majoribus valvis minores quoque aperiebantur, atque unà cum illis claudebantur, quamvis clausis majoribus facilè minores aperirentur: bina enim ostia erant ex utraque parte ostiorum, ex alterutra singula.

25. *Et calata erant in ipsis ostiis Templi Cherubim, & sculptura palmarum, sicut in parietibus quoque expressa erant*] Et in tympanis valvarum opere sculptoris eminebant figuræ Cherubim & palmarum, illis omnino similes, quas in parietibus Templi expressas fuisse retulimus. *Quamobrem & grossiora erant ligna in Vestibuli fronte forinsecus*] Et pulcrum quidem ornamenti genus Orientali Templi fronti præstabant capita trabium quæ in zophoris conspiciebantur exterioribus.

26. *Super qua fenestræ obliqua*] Et fenestræ cancellis occlusæ, quibus lumen cœnaculis Templi inducebatur, super hujusmodi zophoris conspiciebantur. ¶ *Et similitudo palmarum, &c.*] Et capitella sculpta ad modum palmarum erant in parastadis angularibus ex utraque parte vestibuli, capitella, inquam, illis capitellis similia, paria & æquè librata, quæ domum universam cingebant, & omnes ejus undique parietes.

Excerpta ex Villal. per L. CAPPELLUM.

1. LAtitudinem *Tabernaculi*] Heb. אהל: videtur vox esse primitiva, & significare *extensionem* vel *expansionem rei alicujus supra nos*, & propriè id omne significare videtur *quod superne expanditur*, ut aulæum, cortina, velamen desuper extensum ut protegat. Hinc fit ut vox ferè semper usurpetur ad significandum *Tentorium*, aut *Tabernaculum*; & verbum אהל *extendit* vel *expandit tentorium* Esai. 13. 20. Quæ omnia in eam nos inducunt sententiam ut arbitremur hoc loco vocem אהל transferri ad significandum superliminare portæ Templi, quod cùm planum esset, atque cortinæ extensæ perquam simile, obumbrabat ac protegebat portam desuper. Kimhi exponit *semicirculum*. Qui in eo primùm peccasse videtur, quòd *semicirculum* scribit pro *fornice*, in eo verò rursus quòd portam Templi credidit fuisse fornicatam, quod repugnat ipsi voci Hebraicæ, rationibus Architecturæ, & S. Scripturæ testimoniis infrà afferendis, cùm de portarum ornamentis dicemus. Aliam explicationem Villalpandus adfert. Si Massoretharum punctationem minimè sequimur, inquit, hæc verba cum præcedentibus conjungemus haud aliter quàm Lxx in Reg. & Compl. codice fecerunt, *Latitudo Tabernaculi, & latitudo porta 10 cubitorum erat.* Quam lectionem haud renuent Vulg. si eisdem subintellecta præponatur collationis vox *juxta*, *secundùm*, sic, *juxta latitudinem Tabernaculi*, Mosaici nempe, *latitudo porta 10 cubitorum erat.* Hæc autem portæ & Mosaici Tabernaculi collatio fortè alicui mysteriorum plena videatur, quæ in eo forsan sita esse putanda videtur, quòd quanta illius latitudo fuit, tanta esse ostendatur ostii Templi expansio duplâ latitudine; ut Templi porta, quo Ecclesia Christi signatur, multò major esse indicetur Synagogâ, quæ mobili atque exiguo repræsentabatur Tabernaculo. [L. C. *Non incommoda est hac posterior Villalpandi explicatio: attamen aliquantò longiùs petita videtur, atque hac Tabernaculi Mosaici cum Templo hoc collatio, hoc duntaxat in loco notata, aliena videtur. Itaque malim priorem sequi explicationem, cui velim hoc additum, nimirum* Lxx *in Sixt. ed. sic reddidisse*, πηχῶν ἓξ τὸ εὖρος τοῦ αἰλὰμ ἔνθεν, *unde liquet eos legisse* אילם *pro hodierno* אהל, *quæ lectio* τῶν Lxx *optima videtur: voce enim illa* אילם *seu* אולם *significatur* vestibulum *seu* fornix *quâ superne duo porta postes junguntur.*]

2. *Latitudo porta*] Heb. פתח. Cùm hanc portam & interiorem Sanctuarii sæpius nominet, eis nunquam indidit nomen שער, cùm contra factum fuisse videamus in reliquis Atriorum portis. Nempe vox פתח *ostium, quod in muro ingredientium commodis aperitur ac lumini excipiendo*, significat: שער verò ea omnia *ædificia* indicat *qua ad porta dignitatem, munitionem, ornamentum solent circa portam exstrui.* Ex quo fit ut cùm portæ Atriorum ad pompam & munitionem Templi fuissent exstructæ, urbis alicujus formam potiùs imitantes quàm peculiaris ædificii, eæ שער appellentur, quarum ostia פתח השער dicuntur. At in portis his Sanctuarii, quæ ad usum tantummodo aperiuntur, quæque, quamvis propriis sint exornatæ membris, nulla habent desuper ad portæ pompam ædificia, ideo פתח non שער dicuntur. Hujus porrò ostii latitudo dimensa est, altitudo non item. Id quod non casu aut temere factum esse arbitror, neque quòd minùs necessaria ad ædificii rationem plenè percipiendam, sed quòd facili conjecturâ ea ex dictis posset colligi fuisse cubitorum 20. duplâ proportione, quam in aliis portis observatam fuisse suprà ostendimus. ¶ *Longitudinem 40 cubitorum, latitudinem 20 cubitorum*] Hanc duplam longitudinis ad latitudinem proportionem maximè probat Vitruvius in tricliniis atque aliis ejusmodi ædificiis l. 6. c. 5. De modo dimetiendæ longitudinis, an videlicet murum includat qui Sanctum sanctorum dividit à Sancto, an verò à longitudine excludat, quoniam ex universis domûs mensuris pendet hoc dubium, de eo illis enumeratis agemus.

3. *Introgressus intrinsecus*] Heb. לפנימה. A voce פנה, quod *aspicere* significat, additis antè & retro literis, componitur nomen לפנימה quo ferè semper adverbialiter utuntur Hebræi, *intus*, *interiùs* significantes, quasi dicant *ante*, interiora enim quasi anteriora vocant, quòd introrsum ingredientibus interiora sint antè, exteriora maneant retro. Phrasim ac verba Prophetæ aptissimè exprimeret Hispanus sermo *passando a delante.* ¶ *Mensus est in fronte porta duos cubitos*] Heb. איל הפתח, h. e. *postem ostii.* Sic Chald. Symm. κύκλῳ τῆς θύρας *circa portam*, h. e. ex utraque parte portæ. *Theod. Heb.* איל, *Aquila* ostium, *nos* (inquit Hieronymus) frontem *interpretati sumus.* Kimhi, *quasi dicat duas frontes porta hinc & indè, quarum unaquaque erat latitudinis 2 cubitorum.* Jarhi, *Grossities muri erat 2 cubitorum.* Lyranus, *Hac est spissitudo parietis, sive frontis.* Paries enim iste non est multùm altus, nec sustinet super se aliud pondus, quia solùm dividit inter Sanctum Sanctorum & Sanctum in inferiore mansione Templi, & ideo non describitur tantæ spissitudinis sicut alii parietes Templi. [L. C. *At c. 11. accipit illos duos cubitos de duabus Antis, quas collocat utrinque à latere porta Oraculi.*] ¶ *Portam sex cubitorum.*] Jarhi hoc accepit de altitudine, Kimhi de crassitudine, uterque falsus & deceptus ex sequentibus verbis, *latitudinem porta 7 cubitorum.* Sed malè. ¶ *Latitudinem porta 7 cubitorum*] Heb. רחב, quæ vox *latitudinem* vel *dilatationem* significat, non eam quæ in ipsa porta est, lata sex cubitos, sed eam quæ portam ingressis mox occurrit, quámque disertis verbis definierunt Lxx in Sixt. codd. qui sic appositissimè locum istum explicant, καὶ διεμέτρησε τὸ αἰλ τοῦ θυρώματος πηχῶν δύο, καὶ τὸ θύρωμα πηχῶν ἕξ, καὶ τὰς ἐπωμίδας τοῦ θυρώματος πηχῶν ἑπτὰ ἔνθεν, καὶ πηχῶν ἑπτὰ ἔνθεν, quam lectionem appositè exponit Theodoretus. *Vidi quoque alteram portam, illam interiorem, cujus latitudo erat cubiti, & ab utraque parte ancones cubiti 7. Sex igitur cubiti 14 additi, 20 perficiunt.*

4. *Mensus est latitudinem ejus 20 cubitorum*] Nihil præcessisse videtur ad quod pronomen *ejus* referendum sit; quare Lxx paraphrasticè addidisse videntur μῆκος τῶν πυλῶν, quâ lectione ad prædictum ostium cum suis humeris mensuram hanc

referre

referre videntur. At in Hebræo pronomen *ejus* referri posse videtur ad id quod superiori versu dixerat *introgressus* לפנימי, h. e. in Adytum. Hanc porrò mensuram mendosè legunt Lxx Interp. 40 scribentes pro 20, cujus rei testis est Hieronymus, *Pro quo*, inquit, *in plerisque codd. Lxx Interp.* 40 *continentur.* Hos secuti sunt Sixtiani; nos Regio & Complutensi libentiùs subscribimus, inquit Villalpandus.

5. *Et latitudinem lateris*] Heb. צלעות, quæ vox propriè significat *costas animalis*, Gen. 2. 21. deinde pro *latere* cujuslibet rei, Exod. 26. 26. Tertiò *trabes* in tectis, 1 Reg. 7. 3. Quartò *asseres* quibus interiores Templi parietes vestiuntur, 1 Reg. 6. 15. Hic quadam similitudine ducti ejusmodi partes in hoc ædificio hâc voce intelligimus, quæ animalis & navis costis, aut contignationis trabibus similes esse deprehenduntur. Atque hæc sunt quæ *erismæ*, *pilæ* vel *antæ* aut *anterides* in architectura dicuntur, quæ à muro exstant illique adhærent, & singulæ singulis Atriorum postibus latitudine respondent ac situ: quibus erismis *costarum* nomen aptè convenit. Quemadmodum enim navis latera costis ligneis, aut animalis pectus costis osseis continetur, ità planè domus hæc tota parietibus his transversis continetur, & veluti fulcris quibusdam sustinetur, nè trabium pondere pressi subtiliores parietes abinvicem separentur atque pandantur. Nam quoniam Vestibuli altitudo 120 cubitorum est, reliqua domus ad 90 cubitos surgit, postulabat tanta domûs celsitudo parietem in imo vastissimum, cujus augmentum fabricæ symmetria vetabat. Nam si crassiores muri constituerentur quàm reliqui totius ædificii, solida ossa turris inanibus responderent Atriorum spatiis inter postes relictis, quod vitiosum esset atque ab hoc ædificio alienum. Itaque firmitas & symmetria ædificii cùm pugnare viderentur, ità ut alteri tantum esset detrahendum quantum alteri consuleretur, summa Architecti sapientia parietem reliquis Atriorum parem constituit, & quantum latitudini deerat, quæ maximam molem atque celsissimam posset sustinere, tantum addidit firmitatis appositas his ordine transversis muris. Kimhi, Jonath. & Jarhi intelligunt hîc per *latera* thalamos inter utrumque parietem, interiorem & exteriorem, conclusos; sed malè: nam 1 Reg. 6. 5. hæc duo distinguuntur: vocantur enim thalami illi יציע, costæ verò istæ sive antæ צלעות. Lyranus has anteridas observavit, quas ipse vocat barbarè *pilarios*. Jonathan exponit אטרזיא, quâ voce videntur posse significari *pilæ* illæ quæ mediæ erant & separabant inter singulos thalamos sive cubicula.

6. *Latera autem latus ad latus*] Præpositio Hebraica אל, quæ *ad* propriè significat, non raro idem est quod עם *cum*, ut Jos. 11. 19. & Gen. 49. 29. quâ ratione si locum istum exponamus, legemus *costa cum costa*, h. e. si binæ singulæ computentur, una viz. Australis & altera Aquilonaris, erunt simul junctæ 33 pedum. ¶. *Bis triginta tria*] Notat Villalpandus vocem Hebraicam in singulari פעם significare *vicem unam* Gen. 18. 32. in duali פעמים *bis*, *duas vices* Num. 20. 11. in plurali autem פעמים *plures vices* Jos. 6. 4. & Gen. 33. 3. ubi habetur שבע פעמים *septies*, *septem vicibus*. Deinde usurpari etiam pro *gressu* sive *pedibus*, ut Esa. 6. 26. Cant. 7. 1. 2 Reg. 19. 24. quâ significatione hìc ait accipi à Kimhi, nempe pro mensura pedis; quam significationem ipse Villalpandus sequitur & amplectitur hoc loco. Itaque sic legit in Vulg. *latera autem latus ad latus bis*, *triginta tria*, atque sic τα παρα φράζει. *Latera* quæ sibi invicem respondent bina, *latus ad latus bis*, h. e. si bina sumantur, supple, *longa sunt*, sive potius à pariete domûs invicem projiciuntur, *triginta tria*, h. e. pedes tres & triginta. Quæ est coacta admodum expositio. Cæterùm c. 17. operosè probat per lineas radices Ichnographiæ anteridas illas projectas esse à muro domûs 11 cubitos utrinque, si autem binæ simul jungantur, 22 cubitos, qui efficiunt 33 pedes. Quòd ab ipso breviùs potuit demonstrari sic, Murus exterior crassus erat 5 cubitos, cubicula interjecta inter exteriorem & interiorem murum lata erant totidem, antæ autem projiciebantur extra murum exteriorem cubitum unum; sic fiunt 11 cubiti ab uno latere, totidem erant ab altero latere. Capite autem octavo refellit eorum sententiam qui numerum illum 33 intelligunt vel de cubiculorum vel de ipsarum antarum numero, & ostendit quomodocunque numerentur vel ipsæ costæ sive antæ, vel cubicula, eorum numerum vel excedere, vel minorem esse numero 33, aut verò eo duplicato, nimirum 66, proindéque intelligendum esse numerum illum 33 de pedibus quibus antæ à muro domûs projiciebantur. Rationem item reddit eodem capite cur Propheta hoc numero pedum usus sit potiùs quàm 22 cubitorum, sed petitam ex Allegoria. Notat ex Augustino & Gregorio numerum 11 designare Peccatum, quia sicuti 11 est transgressio denarii, sic peccatum est transgressio Decalogi, proptereaque abstinuisse Prophetam à numero illo 11 & 22. qui ex illo duplicato exsurgit. Objicit autem quòd suprà Angelus Vestibulum Templi mensus est 11 cubitis, cùm potuerit decem metiri. Respondet, Sanctuarium figurasse humanam Christi naturam quæ fuit sine peccato, vestibulum Sanctuario adjunctum figurasse similitudinem peccati quæ fuit in carne Christi: *Deus enim misit filium suum Christum in similitudine carnis peccati* Rom. 8. 3. Alias item reddit hujus numeri 33 rationes sub finem capitis; has nempe; Primùm, inquit, hujusmodi pilæ sive costæ ædificio firmitatem præstant non secùs quàm homini pedum projecturæ; pedibus igitur aptissimè dimetiuntur. Deinde ipsæ pilæ ædificii corpus fulcientes ipsum Christi corpus annis 33 quibus nobiscum in terris versatus est indicant. Denique hic idem numerus ab undenario non longè distat, cùm illum ter contineat, quòd adhuc mysterio non vacat, imò illud maximum redemptionis nostræ continet, nempe quòd in illa carnis Christi similitudine peccati *habitat* tamen *omnis Divinitas* (quæ ternario numero designatur) *corporaliter*. ¶ *Et erant eminentia*, &c.] Locus cum isto componendus habetur 1 Reg. 6. 5. *Ædificavit super parietem Templi tabulata per gyrum*, &c. Ubi est vox יצע, quæ *stratum* propriè significat, à יצע *sterno*, quam vocem solent eo loco interpretari *deambulatorium* factum inter parietes Templi instar cœnaculi. Sed vox significat *stratum*, quod, quia asseribus sternebatur, *tabulatum* solet verti à Vulg. Lxx μέλαθρον, quod *trabem in medio tecti* propriè significat, unde & pro *tecto* ipso sumitur, deinde per metonymiam partis pro toto; pro ipsa *domo*; indè Theodoretus affirmat eâ voce significari *domiculas* in circuitu Templi. Cubicula ergò hæc in parietibus domûs fuisse dicuntur. Sensus est, ipsos parietes domûs, alterum interiorem 6 cubitorum, alterum exteriorem 5 cubitorum, cubicula conclusisse: & hi parietes duo latera cujuscunque cubiculi cingebant, duo verò reliqui costis, quas vocant *latera*, concludebantur; atque hic est sensus eorum verborum quæ sequuntur, *fecit* הצלעות *latera in circuitu*. His de cubiculorum muris ac situ statutis, eorum tecta, sive tabulata, obscurè hic à Propheta designantur. ¶ *Et erant eminentia*] Heb. ובאות, à בוא, quod est *ingredi*. Quâ ratione eâ voce hoc loco *ingressum* significari putant nonnulli, nimirum à perpendiculo parietis inferioris versùs interiorem partem, Hisp. *hizo unas entradas*. Hæ retractiones 1 Reg. 6. 6. dicuntur מגרעות à גרע; quod est *minuere*, *subtrahere*, *adimere*. Qua voce *retractiones* significantur quibus paries introrsus retrahebatur ità ut pars inferior magis promineret, superior introrsum retraheretur, quodam veluti gradu relicto, cui capita trabium, imò & tota tabulati contignatio imponeretur.

7. *Et platea erat in rotundum*, &c.] Heb. ורחבה, à verbo רחב, quod *dilatari* significat, unde רחב *latitudo*, quam vocem Vulg. reddidit *plateam*. Sensus est, Latitudo cubiculorum major in superioribus circuibat domum. Kimhi; *Dilatabat se & circuibat sursum ad latera*, h. e. Latera eo toto quo sursum ascendebant, dilatabant se in loco illis reposito in pariete, sicut dicitur in lib. Regum. Tabulatum inferius 5 cubitorum erat latitudinis, medium verò 6 cubitorum. Quod autem dicitur ונסבה *& circuibat*, significatur quòd per Cochleam ascendebatur ad superiora, sicut dicitur in lib. Regum, & per Cochleam בלול ascendebant ad medium cœnaculum & à medio in tertium. Jarhi, *Dilatabat se*, h. e. latera ibant dilatando se sursum; medium enim latius erat inferiore uno cubito, & sic superius latius erat medio uno cubito. ¶ *Ascendens sursum*] Heb. ונסבה *circuibat*, h. e. Cochlea; & hoc est quod dictum est in ædificio Solomonis, *Et per cochleam ascendebant in medium cœnaculum.* ¶ *Idcirco latius erat Templum in superioribus*] *i. e. Propterea quòd diximus quòd dilatabant se in superioribus, ideo latitudo domûs sursum major erat inter latera, & latus superius erat omnium latissimum.* Hæc Jarhi. ¶ *Ascendens sursum per cochleam*] Nulla hic in Hebræo mentio fit cochleæ, eam autem huc retulisse videtur Vulg. Interp. ex 1 Reg. 6. 8. *Ostium lateris medii in pariete* erat domûs dextræ, *& per cochleam ascendebant*, &c. Quem locum Villalpandus explicat quia facit ad Ezechielis intelligentiam. Loci sensus (inquit) est, Ostium quod in latere aperiebatur medio, vel in medio lateris, *costas*, sive *parastadas*, *medias* appellat; quòd ipse inter bina quæque cubicula intersint, atque inter utrumque Templi parietem (quæ ratio movit Interpretes ferè omnes ut ipsa cubicula pro antis usurparent, quòd non videtur esse à ratione alienum ut cubicula costis clausa *Costæ* dicantur, unde & Ezech. 41. 9. dicitur, *Erat interior domus inter latera domûs*: interiorem domum vocat hæc interiora cubicula quæ sunt inter latera domus; quâ ratione hìc quoque cubiculum interius, sive medium; facilè dicat hoc idem, non quòd sit inter summum & imum; sed quòd sit inter Antas & parietes Templi.) In ipsis ergò postibus,

sive

sive costis, quæ utrumque Templi parietem contingebant, ostia aperiebantur; non enim aliunde aditus patebat in interiora hæc cubicula quàm per ejusmodi ostia fornicibus suffulta, quorum vestigia contemplari licet in vestigio primo Sanctuarii. Sequitur in loco illo 1 Reg. 6. 8. *In parte domûs dextra*, Lxx *ad humerum domus dextrum*, Chald. *in latere domûs dextro*; rectè. Malè in quibusdam Godd. vulg. legitur *pariete* pro *parte*, quod correxit Sixtus V. Sermo nempe hîc fit de ostio quodam minori, quo non ad ipsum Templum ingressus patebat, sed ad cubicula de quibus nunc loquitur, quod ostium *in latere* erat *dextro*; sic vocat Meridianum. Nam qui sedentem desuper Cherubinis spectat majestatem, Occidentem versùs, ille ad sinistrum latus Meridiem, ad dextrum Aquilonem habet. Contrà evenit si domum ingredientes aspicias facie ad Orientem conversâ, tum enim ad dextrum latus Meridiem, ad sinistrum Aquilonem habes: quâ ratione locum hunc exponit Kimhi. Ex qua utraque expositione liquet idem ostium à Meridie fuisse & ab Aquilone. Cur autem Meridiani potiùs ostii meminerit quàm Aquilonaris non aliam licet assignare rationem quàm quòd mysterium fortasse voluit innuere lateris dextri Christi militis lanceâ in Cruce perfossi, cujus meminit Beda, Eucherius & Angelomus. ¶ *Et per cochleam*] Heb. בגלולים. Vocis notionem & formam scalæ explicant Kimhi & Jarhi. Hispanicè dicitur *Caracol*, Italicè *Lumaca*. Scribitur autem hîc לולים numero multitudinis; quare Chald. *per cochleas* vertit, indicans duplicem fuisse cochleam, à Meridie alteram, alteram ab Aquilone, id quod suadet ipsa ædificii ratio & responsus. Has scalas in vestigio Sanctuarii notavimus iis in locis in quibus ædificii usibus esse possent maximè accommodatæ, & ostiis proximæ, & ædificii firmitati minimè obesse possent. Illis nullas licuit aperire fenestras quæ lumen è cœlo directum reciperent, obstabant enim parastades & muri crassitudo; sed lumen recipiunt à fenestris turris Meridianis & Aquilonaribus. Harum Cochlearum meminit Josephus Antiq. lib. 8. cap. 2. *Porrò ascensum in superiorem Templi partem commentus est Rex in crassitudine muri. Hac enim pars non habebat ab Oriente magnam januam* (per quam ab exteriori aliquo ædificio ingrederetur) *ut inferior, sed à lateribus inerant parvula ostiola.* ¶ *In cœnaculum Templi*] Quod nimirum super universa Sanctuarii longitudine & latitudine exstructum erat, ut vides in secundo Sanctuarii vestigio, idémque super prima contignatione Templi attollebatur, ut vides in dissecti Templi Orthographia. Verùm quia nulla in Hebræo fit mentio cœnaculi Templi, satis aliquibus esse videtur ut suprema inter costas cubicula *cœnaculum* dicantur *Templi*, quòd ea Templum circumdent. ¶ *Idcirco latius erat Templum in superioribus*] *Templum*, h. e. cubicula inter costas laterales Templi, *latius erat in superioribus*: h. e. spatium fiebat majus sensim ascendendo ad cameras. Hoc ex eo colligit quod hujus versûs initio dixerat, *Et platea erat*, vel, ut vertit Clarius, *Et dilatatio & gyratio facta est sursum & sursum ad cubicula*. Heb. *Idcirco latitudo domus*, sub. costarum, *superius*, vel *in superioribus*. Hanc latitudinem quâ inferiora cubicula à superioribus distabant testatam habemus 1 Reg. 6. 6.

8. *Et vidi in domo altitudinem*, &c.] Refert hîc & rejicit ac refellit Villalpandus sententiam, I. Rabbinorum (quos secuti sunt Isidorus & Vatablus) qui hunc locum sic acceperunt quasi sermo sit de altitudine Templi, quam contemplatus fuisset Propheta Angelo indicante, vel fortè dimetiente, quamvis ejusdem altitudinem subticuerit Propheta: II. Bedæ, qui summum Templi tabulatum putat hîc describi, quod planum fuisse vult; ut sunt domorum tecta in Ægypto & Palæstina: III. Eucherii, Angelomi, Lyrani & Richardi, qui hunc versum accipiunt de lorica in ora summi tabulati Templi collata, nè quis indè præceps incautè decideret. Suam autem sic explicat. Expositâ, inquit, cubiculorum formâ, longitudine, latitudine ac tectis, reliquum erat ut de eorum altitudine loqueretur, quam hoc versu definiri arbitramur. Altitudinem quidem ait se quandam vidisse *in domo*, h. e. in interiori quodam ex illis cubiculis, sive quendam cubiculorum ordinem ingressus vidit *altitudinem*. Neque quisquam arbitretur nostrum esse commentum cubicula hæc *domûs* nomine censere; sic enim mox v. 9. *interiorem domum in lateribus domûs* ea vocat Propheta. Quæ cubicula meminisse oportet fuisse pervia, ut in vestigio ostenduntur, sic enim fit ut uno conspectu plura quoque alia facilè conspicerentur; atque adeò *per circuitum* dixit, vel *circumcirca*, quasi dicat altitudinem hanc universam domum circumdedisse, quæ & à cubiculis circumdabatur. ¶ *Fundata latera*] Heb. מוסדות, à voce יסד *fundamentum*, q. d. fundamenta laterum. Sunt autem *fundamenta costarum*, vel inferiorum costarum partes, retractiones illæ, quarum suprà meminimus, quæ parastadas fulciunt ac muniunt, quippe quæ earum inferiorem partem veluti bases quædam latiorem reddunt atque adeò firmiorem. ¶ *Ad mensuram calami*] Hebraice, מלו הקנה, h. e. *justa calami longitudine*; sic Gen. 23. 8. בכסף מלא, h. e. *justo pretio*. Ita *plenitudo calami*, vel *plenum calamum* Ezéchiel vocat justum; quem apte reddit Vulgatus, *Ad mensuram calami*; quia *mensura* idem est quod æquitatis norma. Justa autem calami longitudo suprà definita est sex cubitis cum palmo sive quadrante cubiti. Nec obstat quòd cubiti sex hîc pro calamo referuntur à Propheta, id enim aliàs quoque fecit, nihil propterea subtrahens de calami longitudine, sed Historicorum morem secutus est, qui numerorum partes præsertim minimas subticent. ¶ *Sex cubitorum spatio*]. In Hebræo est אצילה, quod ab Hebræo אצל, *seponere*, *separare*, Gen. 27. 36. unde אציל *magnus*, *honorabilis*, *nobilis*, Exod. 24. 11. Ergò *cubitus* אצילה *sepositus*, *reservatus*, is dicitur qui justus sit ac lege olim statutus, quomodo *siclus Sanctuarii* dicitur qui justus est, & *amphora Capitolina*, non quæ alia est à communi, sed quam, nè violare liceret, Jovi Tarpeio in monte sacravere Quirites. Quare ut *plenum* dixerat *calamum*, h. e. justum, sic *cubitum* vocat אצילה *sepositum*, *reservatum*, quo is dimensus est, h. e. justum. Hieronymus, *sex cubitorum spatio*, primævam vocis notionem secutus, ac si diceret sepositum vel relictum fuisse spatium sex cubitorum vel calami longitudinis. Atque hîc rejicit Villalpandus sententiam Kimhi, qui putat cubiculum vocari hîc אצילה *axilla*, quòd major sit communi, haud secùs quàm brachium alteram sui partem excedit.

9. *Et erat interior domus in lateribus domûs*] In Hebræo est מנח, quod à radice נוח, *reliquit*, *dimisit*, *deposuit*, *sivit in loco aliquo*. Indè מנח *locum* significat *repositum*, *derelictum*, vel *sepositum*. Conjungendus autem simul integer versiculus; *Latitudo parietis qui costa ad extra 5 cubitorum*, & מנח *quod derelictum domûs appendicium* (seu *costarum*) *quod interius*, sub. *ejusdem erat latitudinis*. Disertis verbis cubicula ipsa definit, & cui usui inservirent ipsâ voce indicans; vocat enim ea *derelicta* vel *dimissa*, quòd ipsam videntur occupare parietis crassitudinem: prudenter enim fuisse dimissa indicat æstuaria, & ad pondera sublevanda, & nè concretus in imis fundamentis vapor aliquis æstuariis carens terræ motus efficere aut ædificia vitiare posset. Hujus autem relicti loci latitudo tanta esse perhibetur quanta exterioris muri latitudo, nempe quinque cubitorum, id quod infrà iterum disertis verbis testatum habetur. Atque hunc quidem locum non minùs inter latera domûs quàm inter ejusdem parietes fuisse compertum est. Illud præterea hoc loco notatum est quod vox מנח & *locum relictum*, seu *sepositum*, & *locum in quo aliquid reponitur & asservatur* potest significare; quâ quidem ratione locum istum fuisse existimare licet in quo vasa sacra asservanda reponerentur.

10. *Et inter Gazophylacia latitudinem viginti cubitorum*] Parietis memor cùm fuisset qui thalamos claudebat exteriùs, meminisse etiam oportebat spatii quod reliquum erat sub dio inter parietem hunc exteriorem domûs & vestibula seu postes porticuum quibus superstructa erant Gazophylacia habitationi atque aliis ministeriis accommodata. De hoc ergò spatio verba ista accipit Villalpandus, & hoc firmat autoritate Kimhi, Jarhi & Lyrani.

11. *Et ostium lateris ad orationem*] Eandem, inquit Villalpandus, Hebraicam vocem מנח, quam *interiorem domum* converterat suprà Vulg. bis hoc eodem versu vertit *ad orationem*. Atque hic multis prolixè nugatur Villalpandus, ut rationem hujus interpretationis reddat aliquam, sed frigidam omnino & insulsam atque allegoricam, cùm simpliciùs dicere potuerit Hieronymum legisse מנחה pro מנח, quæ vox Rabbinis passim significat *orationem vespertinam*, sive preces illas quotidianas quas Judæi solent in synagogis suis Deo fundere manè & vespere loco jugis sacrificii antiqui Lege constituti. ¶ *Ostium unum ad Aquilonem*, &c.] Duplicem viam ingredi (inquit Villalpandus) possumus in assignanda hac duplici porta. Altera, ut sermo sit de portis quæ ab Atrio ingrediuntur in cubicula illa quæ sunt à lateribus vestibuli, è quibus deinde cubiculis mox patet aditus ad orationis locum, quâ ratione verba *ad Aquilonem*, *ad Austrum*, acciperentur ut sonant, quia nimirum earum altera non modò est in parte Templi Aquilonari, sed & Aquilonem respicit; id quod de Australi pariter sentiendum est. Harum portarum vestigium videre est in vestigio Sanctuarii, faciem verò in aspectu lateris Sanctuarii; non enim aut levis aut contemnenda visa est hæc ratio ut essent ejusmodi portæ prætermittendæ. Verùm firmiori ratione probari potest Prophetam hoc loco non loqui de ejusmodi portis exterioribus, sed de interioribus aliis quæ in costis aperiebantur, per quæ quidem ostia à mutatoriis cubiculis ingrediebantur ad interiora

riora cubicula, quæ & *locus* dicuntur *orationis*, & Hebraicè גזרה.

12. *Ædificium quod erat separatum*] Hebr. גזרה quidem est à גזר *abscindere*, *succidere*, *scindere*, *dividere*; hinc גזרה *abscissum*, *separatum*, *sejunctum*, quod cùm de ædificio dicitur, illud ædificium significabit quod ab omni alio sepositum est, nec alteri conjunctum aut aliquâ sui parte connexum: quare meritò Scriptores in hanc unam confluunt omnes sententiam, ut putent Templum eâ voce indicari. *Ædificium* Exedras intellige quæ circa Templum sunt; sive locum orationis intellige, quod erat separatum, h. e. quod est in facie Templi vel coram Templo (h. e. juxta Templum) à latere Meridiano & Aquilonari, *versumque ad viam respicientem ad mare*, h. e. & tendit in Occidentem. Sic Lxx, ὡς πρὸς θάλασσαν. ¶ *Latitudinis*, extensionis, *septuaginta cubitorum*] Longitudinem metitur loci ad orationem, qui 60 cubitos occupat longitudinis Templi, & senos muri Occidentalis, & quinos exedræ item Occidentalis, vel si ad postem usque parastadis metiaris, quaternos, qui omnes complent 70. ¶ *Et longitudo ejus nonaginta cubitorum*] Rejicit hic Villalpandus Rabbinorum sententiam qui mensuram hanc de longitudine exedrarum circa Templum exponunt exclusâ cellâ mutatoriâ, cui tribuunt 10 cubitos, qui cubiti decem si tollantur de centum cubitis longitudinis totius domûs, reliqui sunt 90 pro cellis. Sed rectè observat Villalpandus murum vestibuli Templi ab illis non numerari quinque cubitorum, qui si detrahantur longitudini illi 90 cubitorum, reliqui erunt tantùm 85, non verò 90 cubiti.

13. *Et quod erat separatum ædificium*] Lyra, *&* pro *id est*, h. e. Templum quod dicitur separatum cum ædificio appendiciorum. Hic aliquot exemplis probat Villalpandus *&* sumi non rarò pro *id est*, & interpretativè usurpari, dein subjicit quâ ratione aptè intelligemus idem ipsum quod *domûs* nomine mensus fuerat centum cubitis, quoniam eâ voce quæ communis est & plura significat, non satis perspecta esse poterat ejusmodi mensura; eam magis explicare volens, atque indicare quas partes domûs ejusmodi mensura comprehenderet, subjungit *&*, h. e. *quod erat separatum ædificium*, Hebr. הגזרה והבנין, *& sepositum & ædificium*. Vocem utramque paulò antè exposuimus, & ostendimus priore Templum indicari, posteriore ædificia Templo adjacentia. Jarhi hanc sententiam confirmat, *Finis versiculi*, inquit, *principium ejus explicat*, q. d. omnia simul conficiunt 100 cubitos. ¶ *Et parietes ejus*] h. e. Omnia simul computata longitudinem complent 100 cubitorum ab Oriente in Occidentem, vel ab Occidente in Orientem.

14. *Latitudo autem ante faciem domûs centum cubitorum*] Refert & probat Lyrani expositionem, qui hunc versum accipit de plateæ quæ erat ante faciem Templi longitudine ab Austro ad Aquilonem; longa enim erat 100 cubitos secundùm longitudinem Atrii interioris; in eo verò ejus sententiam rejicit quòd Lyranus plateam illam latam faciat decem duntaxat cubitos, cùm suprà à Propheta definita sit lata viginti cubitos v. 10. Rejicit etiam expositionem Jarhi, qui hunc versum exponit de latitudine Orientali ipsius Templi.

15. *Et mensus est longitudinem ædificii*, &c.] Metitur hoc loco Angelus atrium illud quod Templum circumdat, vel potiùs postes atque vestibula quibus atrium illud triplici ex parte cingitur. Magis propriè asserimus Occidentales atrii pilas hoc loco esse dimensas, quas vocat בנין, haud secùs quàm paulò ante cubicula & parastades eâ voce indicaverat, & initio stylobatas & cancellos periboli exterioris. Sensum ergò hunc esse censemus; mensum hic esse porticuum ædificium dorso domûs objectum; h. e. Occidentale, quod longum erat cubitos centum, omnium porticuum instar. In hac fuisse sententia Kimhium ostendit Villalpandus prolatis ejus verbis. ¶ *Ethecas*] Vocem Hebraicam אתיקים retinuit hîc Hieronymus; eam non valens vel nolens exprimere; quam tamen postmodum ad cap. 42. 5. reddit post Lxx *porticum*. Non nisi quater invenitur hæc vox in tota Scriptura, adeóque hoc tantùm & sequenti capite, à radice נתק *avellere*, *abrumpere*; *divellere*, &c. Targ. & Kimhi exponunt *angulos*: Jarhi, *Ignoro*, inquit, *quid sint*, *existimo tamen esse quasi columnas quadratas eminentes in muro ad munitionem*, quæ vulgari sermone vocantur *Pilastres*. Alii *exedras* seu *cubicula* volunt eâ voce significari. Villalpandus omnia ista conjungit simul, vúltque eâ voce innui porticum sustinentem exedras sive cubicula postibus (quos Hebræi *Angulos* vocant) fultam, postibus, inquam, quibus adpactæ semicolumnæ à muri exstant perpendiculo quasi avulsæ, ut quibusdam placuit. Nobis verò, inquit ille, *avulsæ* porticus dicentur *ethecæ* quòd à domûs Domini ædificio undique avellantur; quâ ratione Templum גזרה dicitur, h. e. *separatum*, eâdem ratione dicentur *ethecæ*, quia separatæ sunt atque avulsæ. Quæ vocis expositio perspicuum reddit loci sensum, Mensus est, inquit, longitudinem porticûs dorsum prospicientis domûs, & porticûs ex utraque parte Meridiana & Aquilonari domûs, singulas centum cubitorum; hoc est enim quod mox resumit, *ethecas*, inquiens, *per tres partes in circuitu*, h. e. ternas Atrii porticus, quæ Templum circumdabant.

16. *Limina & fenestras obliquas*, &c.] *Limina*, Hebr. הספים, quâ voce non *limen* duntaxat superius & inferius, sed & *postes* ipsi ab utraque parte ostii significantur; neque in ostiis tantùm limina dimensa sunt ab Angelo, sed & in Atriorum vestibulis, ubi hâc voce *postes* fornicem ex utraque parte sustinentes significantur. Quare dum hic *liminum* meminit sive *postium*, quos dicit ab Angelo dimensos fuisse, quâ mensurâ dimensi fuerint planè indicat, nempe eâdem quâ reliqui postes cum suis omnibus partibus, symmetriis & ornamentis. Hâc autem voce postem semper mensus est, qua parietis respondet crassitudini, quem vidimus latum fuisse calamum unum, h. e. cubitos 6½. ¶ *Fenestras obliquas*] Rejicit Villalpandus eorum sententiam qui istud intellexerunt de Templi fenestris, I. quia mox hoc eodem versu aget de Templi fenestris, *Terra autem usque ad fenestras*; II. quia inter limina & ethecas, quæ non ad domum sed ad porticus Atriorum pertinent, incongruum videtur domûs fenestras commemorare. Accipit ergò istud de cancellis loricæ quâ totum interius Atrium undique claudebatur, de qua loricâ Joseph. Antiq. lib. 8. cap. 2. *Circumdedit Templo septum trium cubitorum altitudine, quod γεῖσον vocamus.* Hujus periboli formam indicat Propheta, quem obliquis fenestris perterebratum fuisse significat: à quo non dissentit Josephus, qui eam vocat *loricam*, quòd instar hamatæ loricæ obliquis illis fenestris distingueretur. ¶ *Ethecas*] *Ethecas*, inquit Villalpandus, postes Atrii esse arbitramur, & fulciunt nos Lxx, qui vocem αἰλάμ (quâ Atriorum *vestibula* sæpe significarunt) pro Hebr. אתיקים substituunt, haud dissimili sensu. Et postes & vestibula atrii & porticûs cedrinis contecta laquearibus, quæ *strata ligno* vocant Lxx, & cancellis seu obliquis fenestris inferiùs claudebantur in circuitu Templi, h. e. à tribus lateribus, ab Oriente namque nullo ædificio cingebatur. ¶ *Contra uniuscujusque limen*] Hebr. נגד, quod *ex adverso*, *ex opposito*. Unde liquet ethecas, quæ contra Templi postes statuuntur (sive *postes* significent, sive *exedras*, sive quid aliud) non esse Templo adjacentes, sed abeo dissitas ex adverso trium Templi laterum. Aptè Vulg. id ipsum indicans quod res est, nempe ethecas sive postes Atriorum postibus domûs ex adverso respondisse, non quidem temere, sed singulos singulis positu & latitudine pares: id enim significat additum verbum istud *uniuscujusque limen*. ¶ *Stratumque ligno*, &c.] Hebr. שחיף, quod alibi non reperitur; & ab omnibus exponitur *opertum*. Rabbinis id verbum significat *avellere*, *decorticare*, unde Kimhi putat vocem esse desumptam, q. d. lignum decorticatum & compositum seu aptatum seu limen ligno stratum, unde ipse *tabulatum Cedrinum* exponit. Jonath. in Reg. cod. *ex adverso liminis quod opertum erat tabulis cedrinis*. Lxx quæ sint hæc limina quævè operimenta lignea videntur indicare, qui sic habent, *Et domus & ea quæ proxima strata ligno per circuitum*, Domum expressè indicantes, & adjacentes domui postes, quos terna operiebant tabulata sive cubicula tecta. Vulg. aptè, *stratumque ligno limen*, *limen* pro *poste* verbum verbo convertit. Hi verò postes domûs operiebantur quidem tabulatis quæ retractionibus supradictis sustinebantur, idque *per gyrum in circuitu* trium laterum Templi, in quibus cubicula suis quæque tabulatis distinguebantur atque ligneis tectis operiebantur. ¶ *Terra autem usque ad fenestras*] i. Inquit Kimhi, *à terra usque ad fenestras*. Sic & Chald. Lxx in Compl. & Reg. *strata ligno per circuitum & à pavimento usque ad fenestras*. Sensûs est, Postes sive antæ domui adjacentes tabulatis operiebantur à terra usque ad fenestras domûs. Quæ verba omnium tabulatorum simul indicant altitudinem. Quòd si Vulg. lectionem Hebraicæ adhærentem sequimur, *terra autem*; h. e. solidus paries, erigitur *usque ad fenestras*, i. usque ad coronam 25 cubitis altam, quæ exteriori Templi parieti terminus erat; æquè librata & similis omnino coronis primi ordinis atriorum, super qua corona non ampliùs surgente exteriori pariete, aperiebantur lumina domûs; quod indicant etiam sequentia; & in Templi Orthographiis perspectum esse poterit. ¶ *Et fenestræ clausæ*] Alibi dicuntur אטמות h. e. *clausæ*, *obturatæ*, non omnino, ut notat Kimhi, sed quibusdam cancellis, qui aditum intercluderent, luci paterent ac visui. Hic verò dicuntur מכסות, à כסה *tegere*, *operire*; quare vox hæc indicare potest fenestras hasce absconditas fuisse tectis exedrarum, ità ut è solo Atrii vix ac nè vix quidem prospici potuerint, quod in dissecti Templi Orthographia facilè dignoscet Lector. כסה significat

ficat etiam *contegere & quasi pannis obvolvere*, unde מכסה *operimentum, velum, aulaum*, Exod. 26. 14. Ex quo conjicere licet fenestras dici מכסות, quòd haud secùs quàm portæ Sanctuarii ejusdem fenestræ aulæis contegerentur: quò fortasse respexisse videntur LXX, fenestras tripliciter aperiri significantes, ut prospiceretur per eas, quia fortasse triplici claudebantur operimento nè aspectui paterent Templi interiora, h. e. cancellis, valvis & velis. Sed mox melius Villalpandus, Puto (inquit) eos de thalamorum locutos esse fenestris, quæ triplici ordine aperiebantur, ut per eas lumen in cubicula induceretur, & prospicere possent exteriora qui in eis essent. ¶ *Super ostia*] Hæc verba juxta Hebr. Græc. & Chald. pertinent ad sequentem versum; sed haud dissimili sensu Latina versio cum superioribus conjungit. Ex quo licet conjicere orationem non esse absolutam atque perfectam, sed cum sequentibus conjungendam, ut sensus sit, fenestras super ostii altitudine apertas fuisse in domo exteriori, omnes quidem in eadem mensura & in eadem altitudine.

17. *Usque ad domum interiorem*] Sensus Prophetæ hic est, ut quoniam fenestrarum meminerat (dum à terra usque ad fenestras tabulatis opertas fuisse dixit parastades) earum situm ac dispositionem hic indicaret. Fenestræ ergò (inquit) erigebantur super altitudine ostii Orientalis domûs, per parietes domûs exterioris usque ad murum interioris: Quæ quidem fenestræ in eadem altitudinis mensura aperiebantur à parte interiori domûs, & ab exteriori murorum. Sequenti capite probat Villalpandus has fenestras fuisse tantùm in loco Sancto, nullas verò in Sancto sanctorum, & quidem ex hoc ipso loco ex vi præpositionis עד, quæ cùm de loco usurpatur semper terminum rei designat ultra quem ulteriùs non progreditur. Quâ ratione (inquit) si Ezechielis verba interpretemur, hic erit sensus, Fenestræ cancellis occlusæ desuper ostium per totam exteriorem domum extendebantur *usque ad domum interiorem* exclusivè. Quod verò subjungit, *Per omnem parietem in circuitu*, &c. sic intelliges, per omnem parietem Meridianum & Aquilonarem; nam de Occidentali certum est non habuisse fenestras per quas aliqua pars domûs interioris posset videri; eæ enim cum domo exteriore confunderent interiorem, quam oportet esse sepositam. De pariete autem Orientali idem planè crediderim, caruisse nimirum fenestris, tum quòd Vestibulo obumbrarentur, tum verò maximè quòd nullam viderentur habere posse cum reliquis Vestibuli partibus symmetriam. [L. C. Observatio. *Quòd Villalpandus hic negat Occidentalem Templi parietem ullas habuisse fenestras, contradicit ipsi Ezechielis textui, qui dicit* fenestras fuisse per omnem parietem סביב סביב circumquaque, *& ipse secum pugnat, qui & in Templi vestigio, & in posticæ partis illius Orthographia fenestras aperuit; & facit id contra aptissimam & pulcerrimam admirabilis hujus ædificii symmetriam, quæ postulat ut ab omnibus sui partibus fenestræ æque libratæ aperiantur. Neque verò minùs debent aperiri fenestræ ab Occidua Templi parte quàm à Meridionali & Septentrionali ejus latere, e regione Adyti sive Sacrarii. Si ergò concedit Villalpandus per omnem parietem Meridionalem & Aquilonarem apertas fuisse fenestras, uti reapse ipse eas aperit, tam in Vestigio domûs quàm in ejus Orthographia, causa nulla est cur neget eas fuisse etiam ab Occidentali parte apertas. Aut siqua est cur secundùm eum negandum sit fuisse ab ea parte apertas fenestras, (nempe quia putat Sacrarium non fuisse ullâ extrinsecùs adveniente Solis luce illustratum, quod ego non invitus concesserim) eadem suadet & cogit ut negemus etiam fuisse eas per Meridionalem & Aquilonarem partem, è regione Sanctuarii apertas. Sed ratio illa non obstat quò minùs tribus ex partibus aperiri debuerint fenestræ lucem admittentes solarem: neque enim propterea lux illa penetraverit in ipsum Sacrarium (quod studiosè cavet Villalpandus) fuit enim Sacrarium cubicum, 20 cubitos longum, latum & altum, itaque ad illam viginti cubitorum altitudinem supernè fuit tectum, vel tabulato plano vel lacunari fornicato, quo prohibebatur lumen per fenestras ingrediens ne in Sacrarium subjectum penetraret (fenestræ enim in Templi pariete non aperiebantur nisi ad 25 cubitorum altitudinem supra Atrii Templi pavimentum) at non impediebat quò minùs sese diffunderet per locum Sanctum; & per locum illum qui fuit inter Sacrarii tabulatum & supremum totius Aulæ sanctæ lacunar interjectus, qui locus par fuit altitudine & amplitudine cum ipso Sacrario, viginti nempe cubitos longus, latus & altus. Nam à Templi pavimento ad supremum ejus lacunar altitudo fuit quadraginta cubitorum, cujus altitudinis dimidiam tantum partem occupavit Sacrarium; reliqua altitudo à Tabulato Sacrarii ad supremum Aulæ lacunar fuit à lumine per fenestras ingrediente illustranda, alioqui mansisset locus ille, qui ex Aula sancta conspiciebatur, cæcus & obscurus ac totus fermè tenebrosus, quæ fuisset maxima in loco tam ad miraculum usque specioso atque decoro deformitas. Sensus ergò versiculi hujus hic videtur esse, fenestras domûs Dei fuisse in eadem altitudine (seu æquè libratas) per omnem Domûs parietem circumquaque, quibus lumen immittebatur in Domum tum interiorem (h. e. locum Sanctum, eámque partem quam supra Sacrarium diximus modò fuisse) tum exteriorem, h. e. Templi vestibulum, quod & ipsum fenestris illustrari debuit, uti videre est in ipsa Villalpandi Orthographia Templi.* ¶ *In circuitu*] Ex utraque parte, Meridionali & Aquilonari; sicut paulò superiùs dixerat *in circuitu per tres partes.* ¶ *Ad mensuram*] Eandem scilicet, sitæ erant fenestræ & apertæ *intrinsecùs & extrinsecùs.* Ubi istud maximè animadvertendum puto, quòd interiora domûs, quamvis magnitudine, formâ, ornamentis essent ab exterioribus longè diversa, tamen iisdem ità consonabant ut corona atriorum Templi totam undique cingeret domum exteriorem intrinsecùs atque extrinsecùs, quò non modò summa habita fuisse in ædificio architectando symmetriæ ratio ostenderetur, sed & significationis & mysterii, quo nimirum indicaretur Atria, Porticus & Postes, quæ Israeliticum populum indicabant, coronâ donari minimè potuisse, nisi ea à domo Dei originem duceret.

18. *Et fabrefacta Cherubim*, &c.] Totus in explicando interiori ornatu Templi versatur Propheta, id quod tribus hisce versiculis quamvis compendio aptè tamen expressisse videtur. Ornamenta verò Templi triplici ratione possunt expendi: aut enim materia dignoscitur aurea, lignea, lapidea, circa quam fulgor nitidúsque color auri gemmarúmque posset explicari; vel ornamentorum modus exquiritur, fuerintne pictoris arte coloribus expressa, an verò sculptoriâ arte cælata, an aurificis malleo diducta, an fusorio igne decocta. Denique, si figuris, floribus, aut id genus formis exornabatur domus, quænam fuerint formæ, tum quod ad hominum vel viventium alterius generis imagines, tum quod ad flores, fructus, frutices & poma. Et primum quidem non est hujus loci. Quod autem spectat ad artem, certum est laminas aureas quibus ornamenta omnia obducebantur, ductiles fuisse, qua in re aurificum ingenium & industria maximè commendatur, atque in includendis variis lapillis & gemmis, quibus interiora domûs haud secùs splendore complebantur quàm micantibus stellis serenâ nocte cœlum. Ea uno verbo exponuntur à Propheta dum Cherubim & palmas cælatas fuisse super omnem domum affirmat. Utitur voce communi עשה: sed auctor libri Regum propriâ est usus קלע, *sculpsit Cherubim & palmas & cælaturas valdè eminentes.* Cælaturæ hæ non lapidibus fuerant insculptæ, sed asseribus parietibus adpactis, 1 Reg. 6. 18. *cedro omnis domus intrinsecus vestiebatur*, &c. Reliquum est ut de forma ornamentorum agamus, quæ duplex est; altera quæ ad Cherubinos pertinet, eorúmque formam & positum, altera quæ ad reliqua monumenta, de quibus sequenti Prophetæ capite agetur. Postquam hoc & sequentibus cap. ad 44 usque Villalpandus multis conatus est tueri contra Adversarium quendam collegæ sui Hieronymi Pradi de Cherubinorum figura sententiam, qui in explicatione cap. hujus Prophetæ affirmat, I. Visionem hanc Ezechieli objectam eandem esse cum ea quam habuit Moses in monte Sinai, quæque fuit objecta Isaiæ cap. 6. & Danieli cap. 7. & Joanni in Apoc. 4. quódque species hujus visionis eadem omnino fuerit cum facie solii Dei quod erat in oraculo Templi. II. Figuram Cherubinorum Arcæ Testamenti & Tabernaculi Mosaici eandem esse cum Cherubinis Templi Salomonici, atque adeò cum illis quos vidit Ezechiel. III. Figuram illam Cherubinorum non esse, uti nonnulli arbitrantur, quadricipitem, sed humanâ facie & staturâ erectâ, virili non femineâ, & juvenili figurâ, sed quorum pedes vitulinis ungulis armarentur, pectus & dorsum leoninis jubis vestiretur atque tegeretur, humeri autem quaternis alis ornarentur, quorum binis volarent, binis verò pudenda contegerent atque obvelarent; atque ità intelligi debere Scripturæ loca quæ de quadruplici Cherubinorum facie loquuntur, humanâ scilicet, leoninâ, vitulinâ & aquilinâ: vox enim פנים non significat semper *vultum*, sed etiam in genere *habitum, aspectum, dispositionem, figuram.* His præstructis cap. 45. accedit ad textûs hujus explanationem. Sunt (inquit) omnes Cherubini Templi virili formâ, quaterni præditi aquilinis alis, quorum dorsa leoninis vestiuntur jubis, pedes vitulinis calceantur ungulis, quorum humani vultus & capita non monstrosis multiplicantur vel deturpantur bestiarum aspectibus, sed omni sunt decore ac pulcritudine insignes: & hoc est quod primum insinuat Vates.

19. *Facies hominis juxta palmam ex hac parte*] LXX in Reg. cod. *Faciem hominis ad palmam hinc, & faciem hominis ad palmam inde.* In Sixt. verò cod. *Faciem hominis ad*

palmam

palmam hinc & hinc, *& faciem leonis ad palmam inde & inde.* Quæ utraque Vulgatæ ſenſum explicat ac ſi apertè dicat, Humani utriuſque Cherubini vultus mediam palmam reſpiciunt, leonina eorum dorſa angulares proſpectant palmas, alis verò (quas vocari diximus *aquilinas facies*) uterque Cherubinus utramque palmam contingit quæ illi proxima eſt; plantis verò pedum (quas *bovis faciem* appellat) pavimentum potiùs inferius quàm laterales palmas proſpectant, ut propterea binas tantummodo facies commemoraverit, hominis & leonis, quòd eæ ad diſpoſitionem Cherubinorum explicandam conducerent, alias duas ſilentio prætermiſerit, quas latè initio ſuæ Prophetiæ diſcuſſerat. Id autem quod dixi leoninâ facie potiùs conrectum fuiſſe Cherubinum quàm præditum, indicari videtur ipsâ notione vocis quâ hoc loco uſus eſt Propheta, כפיר, quæ à כפר, quod eſt *tegere*, *abſcondere*, (unde כפרת *propitiatorium* ſive Arcæ tegumentum.) Hanc vocis originem ſi ſpectemus, ſic dictum leonem fortaſſe opinari licebit, quòd excreſcentibus jubis contectus ſit armos & terga, quare *faciem* כפיר vel *aſpectum* leonini *operimenti* indicare poterit præſens phraſis, cùm terga Cherubinorum ad alterutram angularem palmam converſa jubis contegerentur, haud ſecùs quam leonina.

20. *De terra uſque ad ſuperiora portæ*, &c.] i. Figuræ iſtæ erant in parietibus à terra uſque ad ſuperiora; quod verò dicit *uſque ad ſuperiora portæ*, h. e. in Orientali pariete in quo erat porta, in porta enim non erant Sculpturæ, in poſtibus & in liminari. Senſus eſt, quantum lumen portæ erigitur, tantundem in muris Templi & Oraculi aſcendit ſculptura Cherubinorum & palmarum. Sermonem autem fieri arbitramur de prima præcipuâque porta, quâ introitus patebat in Templum, quam latam fuiſſe oſtendimus cubitos 10, altam 20, ac tanta dicitur eſſe parietum altitudo Cherubinis ornata & palmis. Lxx, *à pavimento uſque ad laqueare*, intellige Sancti ſanctorum, quod à terra tantum ſuſpendebatur quantum erigitur Orientalis porta Aulæ. Atque ut de parietibus Adyti ſermonem hactenus factum fuiſſe intelligeretur, ſubjungit *in pariete Templi*, Heb. וקיר, *& paries*, h. e. ſic etiam erant parietes ſancti [*Vulg. legit* בקיר in pariete, *quæ lectio commodior eſt.*]

21. *Limen quadrangulum*] His verbis menſura traditur ornamentorum portæ & Epiſtyliorum univerſi ædificii, quamvis dicendi modus difficilis eſſe videatur. Jarhi, *In ædificio Salomonis limen erat quadrangulum*, *quia poſtes ipſi erant quadrati.* Kimhi, *Templi limen quadrangulum*, *h. e. limen portæ Templi quadratum erat*, *ad differentiam eorum qui limina rotunda faciunt.* Heb. vox מזוזה utrumque portæ *poſtem* ſignificat. Exod. 12. 7, 22. & Prov. 8. 34. Porta autem hic intelligitur ההיכל aulæ Sanctæ. 1 Reg. 6. 33. *ſic fecit oſtio* ההיכל *Templi poſtes ex lignis oleagineis*: מאת רביעית *ex quarta*, quâ voce explicatur iſtud *quadrangulum* quo utitur hic Vulg. Et ſenſus eſt, Poſtem utrumque portæ latum fuiſſe quartâ parte latitudinis portæ, unumquemque octavâ, quæ cùm lata ſit cubitos decem, poſtis uterque latus erit $2\frac{1}{2}$, alter verò cubit. $1\frac{1}{4}$. Quæ proportio ſervata eſt in porta Templi, quod Romæ *Pantheon* dicitur, quæ quoniam (inquit Villalpandus) tota eſſe ſimilis videtur Hieroſolymitani Templi portæ, hujus aliquot proportiones libuit percenſere. Eſt ea altitudine latitudinis duplâ, antepagmenta ſingula latitudinis parte octavâ, utraque ex quarta; cujuſmodi ſunt hæc noſtra. Longè alia aſſignatur à Vitruvio & portæ proportio & antepagmentorum, ſed hanc eſſe omnium pulcerrimam & perfectiſſimam indicat Sacri textûs Divina autoritas & quotidianus ſermo. Non eſt autem prætermittenda Vulg. lectio, quæ totius oſtii, h. e. luminis portæ formam definit fuiſſe quadrangularem, h. e. rectis angulis. Et ſic 1 Reg. 7. 5. cùm de januis domûs ſaltûs Libani, *omnia oſtia & poſtes* רבעים *quadrati*: id quod (inquit Villalpandus) omnibus ubique ſeculis ab Architectis obſervatum eſt; quod meritò Philander notat ad Vitruv. l. 4. cap. 6. *Oſtia antiqui nuſquam niſi quadrangula fecere*, *ſicuti nec feneſtras*; *poſteri verò etiam arcuatis uſi ſunt*, *poſtquam peſſum ivit Architectonice*, *& neglectis probatiſſimorum operum exemplis Germanorum arbitratu cœptum eſt ædificari.* Illud etiam ſilentio prætermittendum non eſt quòd cùm totius ædificii ſymmetriam ſpectat hæc una menſura antepagmentorum Templi, omnium primi ordinis Epiſtyliorum menſuram definiri in atriis Templi. Nam cùm portæ hujus altitudo viginti cubitorum ſit, quanta eſt altitudo columnarum primi ordinis atriorum, neceſſarium utique fuit portæ ſuperliminare epiſtyliis prædictarum columnarum æquè libratum. Atque cùm ſimilibus omnino partibus & ornamentis antepagmenta & Epiſtylia diſtinguantur, hæc atque illa æqualia fuiſſe neceſſarium eſt. ¶ *Facies Sanctuarii aſpectus contra aſpectum*] Heb. *Aſpectus ſicut aſpectus*, h. e. Sanctuarii facies & Aulæ ad eandem ſpectabant regionem, eâdem planè diſpoſitione, eiſdem ornamentis, quippe quæ ſimul & unico intuitu videri poſſent, atque adeò rationi maximè conſentaneum viſum fuit Architecto ut omnino eſſent ſimiles. Sic Kimhi, *Aſpectus quaſi aſpectus*, *h. e. portæ Sancti ſanctorum* (quæ eſt facies Sanctuarii) *aſpectus quem vidi in liminaribus ſuis*, *erat ſimilis illi aſpectui quem vidi in limine Templi.* Liminarium tamen juſta ratio diverſa habetur 1 Reg. 6. 31. האיל מזוזות חמישית. Vulg *poſtes angulorum quinque.* Vatablus, *omnia illa fecit ex quinta parte*, vel, *latitudo eorum omnium erat æqualis quintæ parti valvarum.* Itaque cùm portæ hujus latitudo ſenis cubitis ſit definita, utrique antepagmento cubitus $1\frac{1}{5}$ obveniet, h. e. ſex quintæ cubiti partes, unicuique tres quintæ. Neque verò ex quarta hæc antepagmenta fecit, ut exteriora, quòd ea fieri oportere judicaverit graciliora, quippe quæ ſubtiliori eingerentur ornamentorum genere. Porrò Vulg. lectio ipſa antepagmentorum ornamenta videtur indicare. Nam Epiſtylium (cui ſimile eſt antepagmentum) triplici faſciâ vel corsâ exornatur & cymatio (ut in figura capitelli videre eſt.) Sed & cymatium regulâ conſtat & ſymâ; quæ quidem ſyma cùm variis ſoleat ſculpturis exornari, nullo propterea videtur conſtare angulo; ex quo fit ut tres anguli corſarum binis ſupremæ regulæ adnumerati angulos compleant quinque, quos habet Vulg. lectio.

22. *Altaris lignei trium cubitorum altitudo*, &c.] Probat Villalpandus (adverſùs quoſdam contentioſos) ex 1 Reg. 7. 49. Salomonem novum altare aureum incenſi feciſſe majus Moſaico. Nam de Moſaico dictum Exod. 30. 1. *Facies altare incenſi habens cubitum unum longitudinis & alterum latitudinis*, *quadrangulum & 2 cubitos in altitudine.* De iſto verò Propheta reſpiciens ad illud Salomonis, *Altaris lignei 3 cubitorum altitudo*, *& longitudo ejus 2 cubitorum.* Ubi Hieronymus ſubintelligendum cenſet quod addiderunt Lxx, *& latitudo ejus 2 cubitorum*, & meritò, cùm diſcedere minimè debuerit à quadrata prioris forma. Proportio autem fuit laterum dupla, arearum quadrupla, corporum ſextupla. ¶ *Et anguli ejus*] Heb. מקצעותיו לו *anguli ejus ei.* Phraſin concinnè redderet Hiſpanicus ſermo, *y tenia ſus angulos*, Lxx, καὶ κέρατα εἶχεν. Nobile quoddam ornamenti genus hujus Altaris aurei, tum etiam ærei, indicatur cùm cornuum ſit mentio. Eorum formam reddimus in imagine quam Scriptorum probavit autoritas. Nam Cajetanus verbis hujus textûs indicari arbitratus eſt cornua hæc minimè addititia fuiſſe ſed ex tigillis 4 angularibus, officio pedum fungentibus, ſurgentia cornua 4 in obeliſci modum affabre elaborata. Quod & voce מקצע ſignificari videtur. *Angulum* enim ſignificat, non eum qui proſtat (is enim פאה dicitur) ſed eum *qui ſit in receſſu.* Hiſpani hunc vocant *rincon*, illum *canton* vel *eſquina.* Ex quo fit ut è receſſibus ſurrexiſſe cornua indicentur, atque adeò tota ferè Altaris ſtructura indicatur. ¶ *Longitudo ejus*, &c.] Vide quæ huc pertinent in figura Altaris aurei. ¶ *Hæc eſt menſa coram Domino*] Refert Villalpandus geminam de his verbis ſententiam; Unam eorum qui putant Altare aureum appellari hic ab Angelo *menſam.* Cujus ſententiæ autor eſt Hieronymus, quem potiſſimùm ſequitur Villalpandus, & cur dicatur *menſa* oſtendit, atque nominum *Altaris* & *menſæ* permutationem probat ex Malach. 1. 7, 12. ¶ *Coram Domino*] His verbis Altaris locus, tum quem habuit in Tabernaculo, tum quem habuit in Templo, indicatur. Atque hîc ſolidè & fusè probat Villalpandus tum Scriptura (ex Exod. 40. 2, 3, 4, 5, 19.) tum ex Joſepho Antiq. 3. c. 7. Altare aureum fuiſſe non in Adyto ſive in Oraculo ſed in loco Sancto collocatum. Rejicitque ac refutat anonymi cujuſdam ſententiam, qui aſſerebat Altare aureum fuiſſe intra velum in Adyto locatum, atque eò ſummum Sacerdotem ſingulis diebus bis, manè & veſpere ad ſuffitum faciendum ingreſſum eſſe, ſemel autem duntaxat in anno eodem ingredi ſolitum cum ſanguine ad expiandum tabernaculum. Capite autem 52 reſpondet Villalpandus objectioni ex loco Pauli Hebr. 9. 3, 4. & locum illum accipit non de Altari aureo incenſi, ſed de thuribulo quodam aureo quod intra velum à ſummo Sacerdote relinquebatur cùm eò ingrediebatur. Thuribulum, inquit, Oraculi illud eſſe arbitrantur nonnulli quod ſingulis annis in Oraculum inferebat Aaron. Sed illud vix capere poſſunt, quòd cùm (ut ex Divino præcepto conſtat) ſine Thuribulo ingredi Oraculum minimè licuiſſet, ſiquidem fumi nebula operitura erat Oraculum, nè moreretur ingrediens, qui fieri poterat, ut in ipſo oraculo maneret Thuribulum, quod priùs educendum eſſet quàm inducendum. Reſp. Vill. ſicque hunc ſolvit nodum. Dicamus, inquit, quòd nullum videtur admittere inconveniens, Pontificem aureum quoddam Thuribulum ex illis, quorum infinitus propemodum numerus aſſervabatur in ſacris theſauris, in Oraculum deferre ſolitum prunis ex Altari deſumptis plenum, & hoc Thuribulum thymiamate impoſito humi depoſitum fuiſſe, dum aſſumpto altero Thuribulo ibidem

invento & sanguinis phialâ, digito aspergeret atque mundaret Sanctuarium, Tabernaculum atque Altare, quibus extra Oraculum absolutis, Thuribulum ab eo ibi relictum fuisse usque ad sequentis anni similem diem, quâ allato altero Thuribulo illud priùs foràs educeretur, non idem. A cap. 54 ad 63. describit mensam & Candelabrum, quæ nos hîc omittimus.

23, 24. *Et duo ostia erant in Templo*, &c.] Imprimis perspectum esse debet de valvis aut ligneis foribus sermonem hic fieri (non verò de januis) quas ipsum nomen Hebræum דלת indicat, quod *valvas* significat, quæ quoniam binæ solent esse duali numero plerumque proferuntur, Isa. 45. 1. Malach. 1. 10. Harum ligneam materiam indicat Historia Regum. Numerum percenset hic Propheta, quem non minùs explicat Historia Regum, utramque januam indicans fuisse quadriformem. Atque hic rejicit Rabbinorum sententiam Villalpandus, qui (ut in Misna habetur) volunt unicuique portæ quaternas fuisse valvas, duas interiores, totidem exteriores, quarum exteriores intra crassitudinem muri aperirentur, interiores contra latera portæ intrinsecùs. Alii quaternas in se plicatiles faciunt, quæ omnes inter muri crassitudinem plicatæ aperiantur. Sequitur autem Chald. Paraph. *Geminæ fores erant velut matres, bis ostiis bina erant ostiola versatilia, duo ostiola, inquam, in ostio uno, & duo ostiola in altero.* Quæ, inquit, Chaldæi interpretatio & textui & veritati magis videtur esse consentanea, quippe quæ rem indicat pulcritudini, firmitati atque usui maximè deservientem. Ingens enim erat ostium Templi, decem cubitis latum, viginti altum, cujus fores singulæ (ut minimum dicam) latæ sunt cubitos quinque, altæ viginti; quæ tam immensâ moles propter materiæ crassitudinem & longitudinem difficilè quotidie manè & vesperi aperiretur, & frustrà omnino, cùm ut unus Sacerdos ingrederetur aperienda esset. Id quod quamvis nullo alio exemplo confirmaretur, vel uno Zachariæ satis esset confirmatum Luc. 1. His igitur incommodis omnibus satis esse provisum videbitur, si in valva alterutra parvum quoddam ostium aperiretur, quod intra ipsam januam proprio ostiolo clauderetur, quæ & pessulis & seris contineretur; ac propter symmetriæ observatam in toto ædificio rationem, hoc ipsum in utraque valva factum est, atque eisdem suadentibus rationibus, eâdem pari ratione in ostio Oraculi facta fuerunt. Quæ confirmat Villalpandus ex Historia Regum 1 Reg. 6. 31, 33. Addit Chaldæus, *Duo cardines portæ unius erant rotundi, & duo cardines portæ alterius erant rotundi*, quod non est in Ezech. textu, sed videtur desumptum ex 1 Reg. 7. 50. *Cardines ostiorum ex auro erant*, ubi dicuntur פתות, quod diversum est à צירים, nam hoc vocant Itali *gangani*, suntque nodi ferrei quibus postibus infixis fores volvuntur suspensæ, Gallicè *gonds*: פתות verò sunt crassiores valvarum cardines quibus (apertis in imo & summo liminaribus, rotundis foraminibus) fores volvuntur.

25. *Quamobrem & grossiora erant ligna*, &c.] Cùm in sermonem incidisset Propheta ornamentorum Templi, quod maximum est atque hujus ædificii proprium, & nulli alii, quod sciam, commune, quippe cum summa omnium ædificii partium symmetria conjunctum, id his prædictis verbis expressit. Quorum sensus qui primus occurrit certissimus & verissimus hic est; Quoniam vestibuli longitudo juxta latitudinem domûs à Meridie protenditur in Aquilonem, latitudo ejusdem ab Oriente in Occidentem extenditur: contignationes verò domorum & tabulata ità facienda esse suaserit usus atque firmitas, ut crassiora ligna (seu trabes) quæ totum debent sustinere tabulatum secundùm latitudinem extendantur, quibus deinde subtiliora alia secundùm ædificii longitudinem imponantur, atque his demum tabulæ & asseres, quibus superinducatur cœnaculorum pavimentum. Hujusmodi crassiora ligna quò firmiùs muris adhæreant ità fuerunt disponenda ut totum Orientalem vestibuli parietem trajicerent, & capita trabium in facie vestibuli apparerent. Et hæc sunt *grossiora ligna in vestibuli fronte forinsecus*. Et quoniam hujusmodi trabium capita debitam habere debuerunt rationis proportionem, non modò altitudinis ad latitudinem, sed & distantiæ inter binas quasque, quam semper oportuit esse quadratam, fit ut aliquid hujus symmetriæ imitati Dorici populi, ceratis tabulis atque trisulcis capita operirent trabium, qui *triglyphi* propterea vocabantur; media autem inter trabes spatia *metopa*. Illud hujus loci videtur esse proprium quòd inter trabes, h. e. in metopis, quaterna Cherubinorum capita effinximus, ut in ipsa vides Vestibuli facie. In quam nos induxerunt sententiam LXX, qui *Et calatura in eis, & super ostia Templi Cherubim & palmæ secundùm sculpturam sanctorum, & secundùm ligna ante faciem alam forinsecus* (uti habetur in Reg. ubi legitur καὶ ξύ, non verò καὶ σανιδώσεις, uti legit Hieronymus.) Quibus verbis Cherubim & palmas in januis Templi sculptas fuisse testantur, haud dissimiles iis quæ in Sanctuario erant sculptæ, & similes iis quæ inter ligna quæ in facie Vestibuli apparebant; id enim significare videtur vox *secundùm*.

26. *Super quæ fenestra obliquæ*, &c.] Duo inter sese longè diversa eodem hoc orationis contextu comprehenduntur, quæ nisi cognitione separentur, facilè confusionem parient legenti. Primum est de fenestris, de quibus suprà dictum est. *Super quæ* ad ligna frontis vestibuli referendum videtur; in Heb. non habetur, sed sapienter additum est paraphrasticè à Vulg. cùm sermonem fieri meritò existimaverit de fenestris cœnaculorum quæ super prima contignatione plures eæque pulcerrimæ & ornatissimæ aperirentur, ut videre est in omnibus Domûs orthographiis. Quod verò ad secundum spectat, *Et similitudo palmarum*, palmæ insculptæ dicuntur, vel ut Chaldæus habet (à quo non dissentimus) *capitella*, quòd ea palmarum spatulis exornarentur, *in humerulis vestibuli secundùm latera domûs*, h. e. in costis & lateribus ejus, *& in latitudine parietum*. Horum trium singula difficultatem aliquam involvunt, quam brevì libet explicare. ¶ *Humeruli*] Heb. כתפות. *Humeros portæ* suprà exposuimus esse eam muri partem quæ ab ostio ad angulum domûs extenditur. At in Vestibulo Templi interiori, quod maximè decebat exornari, parastades quasdam medias infleximus (ut vides in Iehnographia) quas hic textus confirmat, quippe qui earum capitella recenset insculptis palmis fuisse exornata, nec tantùm, sed & formâ, magnitudine atque altitudine fuisse similia capitellis costarum domûs (sic enim sæpe appellaverat parastades quæ domum ipsam extrinsecùs fulciunt atque exornant.) Ac nè earum tantùm parastadum meminisse videretur quæ domum fulciunt, cùm (ut vides in Ichnographia) plurimæ sint ipsis parietum crassitudinibus respondentes, harum quoque meminit subjungens, *Latitudinèmque parietum*. Hæc autem quæ dixi de pari harum partium mensura ab Hieronymo confirmantur, dum LXX Interp. variam exponit versionem, *Pro quo*, inquit, *LXX transtulerunt* In laquearibus ælam (*h. e.* propyii) & latera domûs æqualis ponderis atque mensuræ. *Per quæ latenter ostenditur & postes vestibuli* (*hoc enim* humeruli *significare videntur*) *& latera domûs & latitudinem parietum cuncta rationis plena esse & mensura, & nihil in Templo Domini reperiri quod absque mensura & sapientia constitutum sit.* Hæc Hieronymus. Ego verò, inquit Villalpandus, pondus ad libramentum capitellorum refero, quorum eadem erat mensura. ¶ *Latitudinèmque parietum*] Heb. העבים, quod est Plur. vocis עב, pro qua Lat. Int. convertit modò *grossiora ligna*, h. e. trabes, quæ sic dicuntur 1 Reg. 7. 6. *columnas* ועב על פניהם, h. e. *trabes super eas*, Vulg. *Epistylia*, quæ vox ea significat quæ super columnis imponuntur, quamvìs ab Architectis hæc universalis notio ad illam trabem propriè referatur quæ ipsis columnarum capitibus imminet. Sed hæc una solet esse trabs, densitas verò trabium ad trabes zophori potiùs referenda est. His in universum de vocis עב notione prælibatis, mox liquet quâ ratione densitatem hanc vel crassitudinem ad parietes transtulerit Vulg. quippe qui ipso veritatis instinctu ductus id magis expressit quod res est, parastades Vestibuli interiores illis fuisse similes quæ parietum domûs longitudinem extrinsecùs exornabant & crassitudinem. Quamvìs non negem sensum quem Hebræi, LXX, & Chald. tenuerunt nihil continere aut huic quem diximus sensui aut veritati contrarium. *Et latera domûs & tigna*, aut *superliminaria* convertunt, ut sensus ad palmarum & Cherubinorum sculpturam referatur, & palmas significent, tum in parietibus tum in laquearibus atque intertignis, sculptas fuisse cum Cherubinis, idque non in interioribus modò, sed & in exterioribus per trabeationem totam quæ cavædio domûs & crassitudinibus parietum extrinsecùs respondebat, quem sensum habere videtur Vulg.

CAP. XLII.

MUNSTERUS.

3. M*Ansiuncula*] Exponit Kimhi vocem אתיק pro לשכה *camera*. Jonathan verò accipit pro זוית *angulo* & *pinnaculo*. Nostri accipiunt pro ædificio contractorum parietum & quasi mutilato, quod Templo adhærebat ad Septentrionem & Meridiem, interpositis deambulationibus decem cubitis latis.

7. *Peribolus*] i. Paries. Cætera in hoc capite ingeniosiori lectori expendenda relinquimus. Nam habet difficultates quasdam insuperabiles, ut & Kimhi hîc scribit, איני יכול להבין בנין הלשכות האלה. Sed & R. Salomo, qui commentatus est in totum

totum Thalmud, non putat exstare quod hujus adjuvet intelligentiam: unde confitetur se neque suopte studio neque operâ alterius quicquam consecutum quo ædificium istud perspicaciùs intelligeret. Dicit etiam se nescire quid propriè fuerit אתיק.

VATABLUS.

1. AD *cubiculum* אל הלשכה] Sing. Heb. pro plur. *ad cubicula*, vel *cellas*, sive *exedras*. ¶ *Solarii* הגזרה] *Tabulati*, de quo c. 41. 15.

2. *Ante longitudinem* אל פני אורך] *Ante faciem longitudinis*: q. d. Porta illa Aquilonaris respiciebat longitudinem, sive respondebat lateri longitudinis. ¶ *Et latitudinis* והרחב] Latitudinem intervalli intelligit quod erat à porta ista usque ad ædificium.

3. *Cubiculum contra faciem cubiculi* אתיק אל פני אתיק] Sing. Heb. pro plur. *cubicula* erant *eregione cubiculorum*, i. utrinque erant cubicula, sive cellulæ. Meminit duorum ordinum cellularum qui erant inter atrium Mulierum & Virorum, mutuò sese respicientium. ¶ *In triplici* ordine בשלשים] Ad verb. *in triplicibus*, i. juxta triplicem ordinem: q. d. triplicem ordinem cellularum habentes in altum ascendentem.

4. *Cubicula* הלשכות] Sic vocat cubicula, quæ priùs אתיקים: nam אתיקים generale est ad לשכות *exedras* & שלשים *thalamos*. ¶ *Deambulatorium* מהלך] *Iter*, i. intervallum. ¶ *Ad interiora* אל הפנימית] *Versùs interiora*, sub. *cubicula*, *pergendo*. *Interiora cubicula* vocat quæ proxima erant atrio Virorum, quod dicebatur *atrium interius*. ¶ *Via* דרך] Per *viam*, i. via recta quæ fieri ac designari solet lineâ perpendiculari, h. e. via brevissima, non excedendo scilicet *unum cubitum*, quæ utrinque facit angulos rectos. ¶ *Et apertura eorum* ופתחיהם] *Et ostia eorum*.

5. *Quia absumebant cubicula magis*, &c. כי יוכלו אתיקים וגו'] *Nam mansiuncula detrahebant nonnihil ab istis*, nempe *ab inferioribus*, & *à mediis* habitaculis *ædificii*. Clarius ut nos vertimus, propter verbum *absumebant*. Et *ædificium* vocat murum ædificii. Istud autem intelligi debet secundùm partem exteriorem ædificii: nam parte internâ erat ædificatum ipsum ædificium ad perpendiculum. Erant ergò parte interiore æqualis capacitatis. Solet autem murus ædificiorum parte exteriore densior esse ac crassior parte infimâ quàm superiore, aut supremâ.

6. *Angustiora erant* נאצל] Ad verb. *retractus erat*, vel *arctatus* & *constrictus*, sub. *locus supremorum cubiculorum*, i. arctior erat loco imorum & mediorum, vergendo ad terram, sive respectu terræ. Nos vocamus *Retraictes*.

9. *Subter*, &c. ומתחת] *Et sub*, i. in parte humiliore & depressiore: q. d. Ab ima parte exedrarum erat introitus Templi: nam ingressus erat ab Oriente in pede ipsius montis in quo ædificatum erat Templum: & mons ascendebat ab Oriente in Occidentem. ¶ *Cum quis ingrediebatur* בבאו] Ad verb. *in ingrediendo ipsum*: quod doctus inter Hebræos exponit בבאו מי שיבוא *dum ingreditur quisquis ingreditur*.

10. *Versùs Orientem* דרך הקדים] Ad verb. *via Orientis*. ¶ *Et coram ædificio* אל פני הבנין] Latinè dixeris, *quod quidem erat ante ædificium ipsum*, sive *Templum*, ut c. 41. 15. Inter atrium exterius & solarium Templi posita erant cubicula Septentrionalia.

11. *Secundùm longitudinem illorum*, &c. כארכן כן רחבן וגו'] Ad verb. *sicut longitudo eorum sicut latitudo eorum*, &c. Hebraismus, acsi dicat, *Secundùm longitudinem illorum cubiculorum Septentrionalium, sic erat longitudo istorum Orientalium*; *talis erat & latitudo utrorumque: omnésque egressus istorum cubiculorum similes erant introitibus cubiculorum Orientalium: eadem istorum omnium ratio, ac etiam ostia similia erant ostiis Orientalium cubiculorum*. ¶ *Et secundùm ostia illorum* וכפתחיהן] *Et secundùm ingressus* [vel *introitus*] *illorum*.

12. *Et secundùm ostia* וכפתחי] *Et sicut ingressus*, vel *introitus*. ¶ *Elegantis* הגינה] *Politi*: ex lapidibus politis facti. ¶ *Ingredientibus* בבואן] Ad verb. *in ingrediendo illos*, i. cùm aliqui ingrediuntur.

13. *Et dixit* ויאמר] Sub. *vir ille qui antè apparuit mihi*. ¶ *Sanctitatis* הקדש] i. Sancta, quia attribuentur Sacerdotibus qui per vices fungentur officio Sacerdotali. ¶ *Qui appropinquant Jehova* אשר קרובים ליהוה] *Qui accedunt ad Jehovam*, i. qui funguntur munere Sacerdotali. Hebraismus. Plena est locutio c. 43. 19. ¶ *Sanctificationes sanctificationum* קדש הקדשים] *Sanctitates sanctitatum*, i. carnes victimarum consecratarum & immolatarum in honorem Domini, quas illic reservabunt, nec exportabunt aliò. ¶ *Et oblationem* והמנחה] Hîc ו & pro *id est* accipitur: nam declarat speciatim quid vocarit *sanctificationes*.

14. *Cùm ingressi fuerint* ipsa בבאם] Sub. *cubicula*. ¶ *Non egredientur de sanctitate* ולא יצאו מהקדש] Ad verb. & *non egredientur*. Redundat conjunctio. *Sanctitatem* autem vocat locum illum sanctum, sive cubicula illa sancta. *Non egredientur*, sub. *cum vestibus Sacerdotalibus*, ut apertè declarat c. 44. 19. ¶ Cum *quibus ministraverint* אשר ישרתו בהן] Ad verb. cum *quibus ministrabunt in eis*. Redundat *in eis*. ¶ *Et accedent*, &c. וקרבו וגו'] i. Accedent ad vestes vulgares quibus utitur vulgus: h. e. contingent vestes non sacras.

15. *Domûs interioris* הבית הפנימי] i. Templi, nempe היכל. ¶ *Mensúsque est eam* ומדדו] i. Domum illam. Relativum pro antecedente: q. d. Totum Templum cum appendicibus mensus est.

16. *Mensus*, &c. מדד רוח הקדים] Declarat posteriora verba præcedentis versûs. *Angulum Orientalem* vocat partem sive latus Templi Orientale. ¶ *Calamo mensuræ* בקנה המדה] Vide c. 40. 3. ¶ *Calamo mensuræ* בקנה המדה] *Ad calamum mensuræ*, i. ad mensuram calami sacri. ¶ *Per circuitum* סביב] Sub. *ejus lateris*.

20. *Mensus est illam* מדדו] Sub. *domum*, i. Templum illud. ¶ *Ad dividendum*, &c. להבדיל וגו'] *Ad separandum inter*, &c. h. e. ad distinguendum inter Templum & Urbem, quæ collata ipsi Templo, quod erat *sanctissimum*, censebatur velut *profana*.

CASTALIO.

SEquitur locus valde confusus & multò impeditissimus, in quo quæ cap. 40. breviter de Cœnaculis atriorum dixerat, ea repetit, & cœnaculorum situm & rationem pluribus explicat. Memineris autem eandem esse omnium atriorum descriptionem: sed hîc interiora describi, quoniam exteriorum in cap. 40. facta mentio est. Itaque Atrii, quam posuimus illic, figura est huc adhibenda, & *Orienti* & *Septentrioni* & *Occidenti* & *Austro* accommodanda.


1. *Eduxit me in atrium exterius*, *quâ via erat septentrionalis: & ad cœnacula duxit quæ erant contra conseptum contráque ædificium*] *Conseptum* hoc intelligo duas loci partes, quæ ad Septentrionem intra Templi murum ad dexteram sinistrámque vestibuli vacabant, ubi est litera β in Templi area: ædificium autem, ipsum Templum est. Contra eum locum *patebat* atrium interius *in longitudinem centum cubitos*, *O P*; *in latitudinem quinquaginta*, *Q* interius, & *G*, quoniam reliqua quinquaginta erant occupata constructione portæ.

3. *Contra viginti interioris atrii*, *contráque pavimentum exterioris atrii*] Cœnacula erant in interiore atrio, inter spatium *viginti cubitorum* ipsius *interioris atrii*, *RS*, (fingamus enim hanc figuram esse interioris atrii quæ antè fuit exterioris, ut omnia in eadem figura appareant; quoniam est eadem omnium atriorum ratio) & *pavimentum exterioris atrii*, in quo pavimento erant cœnacula, scilicet triginta, ut capite 40 dictum est, quæ signantur literis *T* & *γ*. ¶ *Quæ quidem cœnacula processus habebant altera alterorum processibus opposi-tos*] *Processus* vocat eas cœnaculorum partes quæ alias excedebant; quæ partes *altera alteris*, h. e. dextræ sinistris, in utroque portæ latere respondent.

4. *Ante cœnacula erat ambulatio decem cubitorum latitudine*] *V X*. ¶ *Tendens ad interius atrium*] Ab *E* ad *F*. ¶ *Et via unius cubiti*] sc. Latitudinis, *Z*. ¶ *Habebántque ostia ad Septentrionem*] sc. Quibus adirentur ab exteriore atrio, ab *Γ* ad *E*: quæ quàm lata forent non addit. Videntur fuisse trium cubitorum, quoniàm tanta sunt ostia vestibuli ædis.

5. *Erant autem suprema cœnacula contractiora*] Hoc quid sit continuò declarat. ¶ *Quippe quæ excederentur*, &c.] Infima cœnacula erant latiora, media angustiora, & suprema item mediis angustiora.

6. *Erant enim trium contignationum*, *non columnata*] Nam ubi in atriis super columnas exstruuntur cœnacula, ea ad lineam exstruuntur, ut suo fundamento, h. e. columnis, innitantur. At hæc *columnas non habebant*, *itaque suprema à solo recedebant infrà quàm media atque infima*] h. e. Erant contractiora & remotiora à terra quæ erant ante cœnacula quàm inferiora, ad perpendiculum, hoc pacto; Esto solum *a b*, cœnaculorum frontes *c d e*, si ab *e* lineam demittas ad *f*, fiet ut linea *e f*, (quæ recta regio est supremi cœnaculi) sit remotior ab *a b* quàm linea *d g*, aut *c h*. Hæc est cœnaculorum ratio,



tio, contraria & veſtibulorum cellis & ædis cellæ tabulatis.

7. *Quod ſeptum*] Hujus ſepti craſſitudinem non tradit; ſed ea colligenda eſt ex tota deſcriptione, ſicut & cœnaculorum latitudo. Igitur cap. 40. 17. tradit in *exteriore atrio* Orientali, & item Septentrionali, *eſſe cœnacula & pavimentum factum per atrii circuitum, quæ cœnacula ad pavimentum eſſent triginta, idque pavimentum eſſe à latere portarum, ſecundùm ipſarum longitudinem.* Et paulò pòſt de Meridiana porta loquens, dicit *ei circumjectas acceſſiones in longitudinem quinquaginta cubitorum, in latitudinem quinque*]; *acceſſiones* vocans cœnacula: quod idem in omnibus atriis intelligi debet. Si ſunt, igitur cœnacula triginta, eáque ſecundùm portæ longitudinem longa quinquaginta cubitos, neceſſe eſt ea in quatuor verſus eſſe digeſta, utrinque binos: nam duobus verſibus longius occuparent ſpatium: deinde ſupereſſet in atrio locus qui Vatis deſcriptione non occuparetur. Sed cùm in binos ordines digerantur, fit ut ſit impar numerus. Itaque cùm quindecim ad latus unum ponantur, neceſſe eſt in uno ordine eſſe octo, in altero ſeptem: nec enim unum in duos ordines dividi poteſt. Ut autem unus ordo ſit longus L cubitos (nam hæc longitudo tribuitur eis) tribuenda erunt in longitudinem ſingulis cubita ſex (ſicut portarum cellis) quæ in eo ordine qui habet octo cœnacula, efficiunt XLVIII. Cui numero addentur duo cubiti, unus itineris, alter ſepti ante procurrens cœnaculum reflexi ad α, ut ſeptum quoque ad longitudinem acceſſionis portæ pertineat. Latitudo autem quanta ſit, quærendum eſt: atque in faſtigio quidem eſſe quinque cubitorum, patet ex ſecundo loco quem paulò antè ex cap. 40 citavi. Sed imorum cœnaculorum quanta ſit latitudo (nam latiora eſſe ſupremis oſtendit Vates) ſic inveniemus. Veſtibuli latitudo unà cum cellis eſt cubitorum XXIV (nam quod ei XXV tribuuntur, hoc fit propter cellarum tectum, quod murum ſcandit) muri utrinque ſenûm, ambulationum item utrinque denûm cubitorum; viæ, quæ quatuor ſunt, habent ſingulos cubitos, muri atrii ſenos: quorum omnium ſumma eſt LXXII. Supereſt ad complendum centum cubitos ut ſinguli cœnaculorum ordines habeant in latitudine ſex cubitos: ità efficientur XCVI. Deſunt quatuor, qui totidem viarum ſeptis tribuentur: quæ ſepta literâ β notantur. Sed cur potiùs longiores ordines portis appoſuerim quàm breviores, cauſæ ſunt duæ: Una, quòd in illo ſecundo loco quem ſuprà ex cap. 40. adduxi, dicuntur *acceſſiones portæ circumjectæ longitudinis cubitorum quinquaginta*: quod non fieret ſi hîc eſſet brevior ordo. Altera, quòd in eodem capite dicuntur eſſe *duo cœnacula extra januam interiorem γ, quorum Septentrionale ſpectet Auſtrum, Auſtrale Septentrionem δ.* Quòd ſi hæc cœnacula ſunt *extra portam interiorem*, oportet hîc majorem eſſe ordinem. Sunt autem hæc de cœnaculis Orientalis atrii intelligenda: alioqui non conveniret deſcriptio. Itaque locum hunc in cap. 40. v. 44. in Hebræo depravatum, nonnihil ex Græco emendavi. Quod enim eſt שרים, hoc eſt *cantorum*, legit Græcus שנים, hoc eſt *duo*, rectiùs, ut puto; ut patet ex cœnaculorum uſu, quæ mox non cantoribus ſed *Sacerdotibus* tribuuntur. Et pro אשר legit אחר: & pro פניהם legit פניה, relativo ſingulari generis feminini, cùm illud maſculinum ſit, & diſcrepet in genere à nomine לשכה. Et pro הקדים legit הדרום, ut opponatur *Septentrioni*, ut mox Angeli declarat oratio. Quòd ſi hæc cœnacula vis in Septentrionali atrio intelligi, neceſſe erit, quæ hîc de Meridiana & Septentrionali parte dicuntur ea de Orientali & Occidentali dici. ¶ *Quod ſeptum autem foris erat*] h. e. Extra cœnacula. ¶ *Secundùm cœnacula*] ſcilicet in longitudinem. ¶ *Verſus exterius atrium*] Verſùs *Y*. ¶ *Id erat longitudine cubitorum quinquaginta*] *R.* utrobique: tantùm enim procedebat extra portam quanta erat muri ad exterius atrium craſſitudo.

8, 9, 10. *Nam cœnaculorum exterioris atrii longitudo erat cubitorum quinquaginta*] Hinc perſpicuum eſt, eum loqui de interiore atrio, & id comparare cum exteriore, cujus ſit eadem ratio. ¶ *Cùm ſecundùm cellæ faciem eſſent centum cubiti*] *H I.* Vocat autem hîc *cellam* ipſum Templum. ¶ *Infra illa verò cœnacula erat aditus ab Oriente*] Jam loquitur de cœnaculis Orientalis atrii interioris, ad quæ erat aditus, per quem adirentur ab exteriore atrio, in litera *Y*, ut ſit hæc figura nunc Orientalis. Dicit autem *infra cœnacula*, quoniam is aditus erat in exterioris atrii muro: quod declarat dum dicit, ¶ *In latitudine ſepti atrii*] *Septum* vocans murum, *Y E.* Aditus erat inferiori ſolo quam ipſa cœnacula, utpote per quem adirentur ab exteriori atrio, quod erat inferius interiore; ut patet in portis, ubi docet *ab exteriore atrio aſcendi ad interius per gradus.* ¶ *Quæ cœnacula ad conſepti ædificiique frontem*] Nam eorum longitudo ſiniſtrorum tendebat ad conſeptum, dextrorum autem ad ædificium, h. e. versùs Templi veſtibulum, quod eſt pars ædificii.

11, 12. *Et ante ea iter eâdem formâ quâ erant cœnacula verſus Septentrionem*] Hinc apparet, eum jam de Orientalibus loqui, quæ cum Septentrionalibus comparet. Vocat autem hîc *iter* quod antè vocaverat *ambulationem.* ¶ *Et oſtiis quæ tum illis ſimilia erant*] Scilicet Septentrionalibus. ¶ *Cum oſtiis cœnaculorum quæ erant Meridiem verſus*] Hinc apparet eadem fuiſſe & in atrio Meridiano. ¶ *Ita ut oſtium eſſet in itineris capite*] In *Y E*: nam ibi *caput* eſt *itineris.* ¶ *Et iter eſſet ante accommodatum ſeptum*] *E F.* ¶ *Verſùs Orientem*] In atrio Orientali vergit hoc iter ab Occidente in Orientem, ab *F* ad *E.*

14. *Atque ita tractent vulgaria*] Profana.

16. *Menſus eſt regionem Orientalem decempedâ, quingentis decempedalibus cubitis*] Ad verbum legitur *quingentis decempedarum*, ſcilicet *cubitis.* Non enim vertendum eſt *quingentis decempedis*: nam totum Templi ſpatium repugnat: & Græcus Interpres alioqui non bonus tamen hoc loco bene reddidit πήχεις πεντακοσίας. Eſt enim ratio in qua taceatur *cubiti* nomen, quoniam ſumma fit totius ſuperioris dimenſionis, in qua cùm omnia ſint metata cubitis, hîc tacentur. Et additur, *decempedales* eſſe *cubitos*, hoc eſt, ejus menſuræ quæ ſuperiùs eſt polita. Atque ità taceri menſuræ nomen apparet etiam ex fine hujus capitis, ubi dicitur *longitudo* & *latitudo* eſſe *quingentorum*, nec additur *cubitorum*: quod tamen ibi Latinus rectè addidit Vetus Interpres. Quod autem dicitur eam *regionem menſus in ambitum*, non ità capiendum eſt quaſi ea una regio ambiat: ſed quòd eſt pars ambitûs fani, quod hîc per circuitum metitur.


20. *Ad disjungendum ſacrum à profano*] Atque paulò antè dixit *interiora atria*, in quibus verſaturi eſſent Sacerdotes, *eſſe ſacra*, quaſi reliqua ſacra non eſſent. Sed hoc ſciendum eſt, totum quidem locum quingentorum cubitorum muro circumſeptum eſſe *ſacrum*; ſed ità ut intima quæque ſint maximè ſacra: quo fit ut cum eis collata exteriora vocentur *profana*, cùm interiora non niſi conſecratis Sacerdotibus ſint pervia. Igitur hic locus quingentos in longitudinem & totidem in latitudinem cubitos porrectus erat, Templo ità collocato ut à quatuor cœli regionibus haberet bina ordine atria: quæ cùm eſſent paris cum ipſo menſuræ, videlicet centenûm cubitorum, fit ut, ſi ab Oriente duo, ab Occidente totidem ponas, ipſo inter ea collocato, ſint quingenta cubita, ut in ſequenti figura vides.

FIGU-

FIGURA, QUÆ TOTUM SUPRA descriptum ædificium continet.

Oriens.

Septentrio.



Meridies.

Occidens.

a Murus quingentos cubitos in longum & in latum patens, qui totum Templum cingit. *b* Exteriorum atriorum portæ. *c* Exteriorum atriorum vestibula, trinis utrinque domunculis circundata. *d* Exteriora atria. *e* Ambulationes denos cubitos latæ in exterioribus atriis, utrinque cœnaculis hinc septenis hinc octonis circundatæ, intercedentibus angustiis itineribus & septis, quæ itinera ab ambulationibus & cœnaculis dirimant. *f* Aditus per quos gradibus ascenditur in interiora atria. *g* Interiorum atriorum vestibula exterioribus similia. *h* Interiora atria, quæ unà cum cœnaculis & cæteris sunt exteriorum similia. *i* Ostia per quæ ab exterioribus atriis ascenditur ad cœnacula quæ sunt extra portas interiorum atriorum. *k* Aditus ad Templi vestibulum. *l* Templi vestibulum. *m* Loca vacua comprehensa muro, quorum nulla fit in Templi descriptione mentio: sed in eorum angulis erant culinarum atriola longa quadragenos cubitos, lata tricenos, quæ signantur literâ *n*. Ea describit Vates in fine capitis 46. Cætera nota sunt. Habes, Lector, explicatam Templi descriptionem, sed terrestrem, & qualis intelligi ex nuda Vatis oratione potest. Verùm quæ sit hujus Templi veritas & spiritus, & quid sub hoc verborum tegumento lateat, cupio ab alio cognoscere: nam hanc totam rem planè ignoro.

CLARIUS.

1. ET *duxit me*] In hoc capite summam difficultatem etiam Hebræi confitentur; qui nihil exstare putant quod hujus adjuvet intelligentiam, cùm nihil hujusmodi in secundo Templo fuerit. Aliqua tamen dicenda sunt. *Per portam* interioris atrii *Aquilonarem educi* videtur: quasi illàc iturus esset *ad atrium* Mulierum, quod *exterius* dicitur. Videtur autem ex sequentibus constare, ab exteriore atrio viâ Aquilonis inductum sursum in illa cubicula. ¶ *Introduxit me*] Putant illud esse cubiculum de quo capite superiore, versu 10 dictum est, aut etiam per Enallagem locum per *cubiculi* vocem accipiendum in quo illud exstructum erat. In regionem enim cubiculi hactenus, nondum in cubiculum promovit. Sunt autem cubicula extra atrium juxta Aquilonem à cubiculis Templi cingentibus viginti cubitis sejuncta. Sic enim suprà legitur, *Inter cubiculum latitudo viginti cubitorum per circuitum domûs.* Hoc spatium interjacens per interius spatium aditur. Ob oculos igitur pone situm Templi & Atrii. Templum omne, ut dictum est, centum cubitos longum est, & ab Oriente latum totidem: mox Orientem versùs Atrium undique centum cubitis per quadratum patens. Hoc domicilium de quo hic agitur à Septentrione partim Templo, partim atrio ex adverso viginti cubitos per Prophetam collocatur. Sequitur, aliunde accedendum non esse quam per Aquilonarem atrii.

2. *In facie longitudinis*] Juxta longitudinem atrii, atque ab Oriente Occidentem versùs; *centum* quoque *cubitis* domicilium illud continuatur. Hæc Aquilonaris janua in publicum ac profanum spectabat. Perfectio spiritualis in omnibus Deum intuetur & profectum aliorum, sui negligens. Ad profanum egrediens non refugit contrectare quæ mundi sunt, modò sincerè & puro corde.

3. *Contra viginti*] Notat locum qui ad domicilium hoc attinet. Spatium enim quod usque ad interius atrium adjacet *viginti cubitorum* est. ¶ De *pavimento* suprà dictum est, quòd fuerat contabulatum editiore loco pro statione mulierum in illarum atrio, quò minùs viri se inter eas admiscerent.

5. *In superioribus*] Quòd superiora angustiora fuerint inferioribus, ex natura ædificiorum liquet, nè prominentia suâ mole corruerent. In angustum enim fastigia ædificiorum contrahunt architecti, nè structura pondere dissiliat. ¶ *Quia supportabant*] Alius vertit *deficiebant.* Alius, *quia fulcra sua habuerunt ab illis inferioribus, & medius ædificii.* Alius sic, *Alioqui non sustentata fuissent mansiuncula ab istis, nempe ab inferioribus, & à mediis habitaculis ædificii.*

6. *Tristega enim erant*] Vel, *triplicata enim erant.*

7. *Et peribolus exterior, secundum*] Sive *sepimentum.* In viam, inquit, atrii Mulierum te constituas foris, prope introitum domûs hujus, unde primùm digressus es: conversâque ad Occidentem facie, oculis metiare spatium domicilii usque ad finem atrii interioris, & invenies *longitudinem cubitorum quinquaginta.* Tanto enim spatio ex adverso atrio interiori illud opponitur: ideo subjicit, *Quia longitudo cubiculorum,*

ad *atrium exterius* considerandi principio facto, *cubitorum est quinquaginta*, supple *usque ad Occidentem atrii interioris*. Ulterius aciem oculorum per longitudinem Templi usque ad hujus domicilii terminum dirige, & deprehendes, adjuncto spatio quod per longitudinem Templi occupat totum domicilium, *longum* esse *centum cubitos*. Ergò dicit *ante faciem*, vel *adversus faciem*, h. e. contra principium, *templi* (incipit enim à porticu, eodem nimirum loco constitutus, h. e. juxta caput & initium illius domicilii extrarii quod recognoscit) reperiendos esse *in longitudine cubitos centum:* nam *atrio exteriori* per *quinquaginta*, & Templo atque interjacenti spatiolo per reliqua *quinquaginta* respondet. Posterior pars Templi nihil hujus ædificii habet.

9. *Et erat subter gazophylacia*] *Ab Oriente erat aditus.* Hæc pars montis humilior. Nam *ab Oriente* versùs Occidentem *ingrediebantur.* Ideo *subter cubicula accessus*, h. e. ab inferiori parte patet. Semper autem *ab exteriore atrio* principium adeundi ad hoc domicilium sumitur: quia cùm portæ Aquilonares prope angulum ejus lateris Occidentis sint, & in atrium interius quinquaginta cubitis proferantur, non occurrebat janua nisi ex atrio exteriore. Id autem in re præsenti (quod ajunt) facilè cernes, si imaginem Templi ex prædictis animo probè conceperis. Ab Oriente atrii exterioris angulum Orientis Aquilonarem prætererat, donec venisset ad principium cubiculorum quæ latitudinem atrii interioris respiciunt, h. e. murum ejus Orientalem quo secernitur ab atrio Mulierum, cujus hactenus subindè commeminit.

10. *In latitudine periboli*] *Peribolus*, sive *sepes*, aut *maceries*, *atrii* murus est: sic inter Hebræos convenit. *Latitudinem* putant aream atrii omnem. Vidit itaque cubicula, à Templo Orientem versùs proficiscens, intra murum atrii interioris Orientalem: hujusmodi ceu Templo præjecta erant: nam, *ad faciem*, inquit, *ædificii separati & ædificii domiciliorum adjacentium:* pro quo Interpres vertit, *Et erant ante ædificium gazophylacia.* Qualia autem fuerint hæc Orientis cubicula sequenti versu definit. Habuerunt *ante se viam:* nam ab Oriente illa adeunda, Aquilonaribus in cæteris paria, quæ *via Aquilonis* propterea dicitur quòd ab Oriente exterioris atrii, circumacto angulo Orientis Aquilonari, in eodem latere Aquilonis procedebatur donec ventum esset ad principium cubiculorum. *Sicut*, inquit, *longitudo illius erat quæ in Aquilone, sic & horum quoque longitudo: Sic erat latitudo, ut & illorum antehac descripta est:* & sic de cæteris collatio fiat.

12. *Ostium in capite viæ*] Et nè in dubium venias quænam via illa fuerit, addit, *quæ via erat ante vestibulum separatum*, vel, ut alius vertit, *quæ erat in conspectu sepimenti condecentis.* Alius, *in prospectu periboli decenter facta.* Et videtur, hunc locum Cantorum fuisse, quem *decentem ac jucundam maceriam* vel *sepem* vocat, ante quem locum *via Orientis* erat, unde principio interius atrium, & exinde Orientalia illa cubicula petebantur.

13. *Et dixit ad me*, *Gazophylacia Aquilonis*] Quis usus sit cubiculorum quæ hactenus descripsit jam explicat. Dicit enim quòd *ab Aquilone & Meridie sunt locus sanctus*, *in quorum tectis* victimæ sacerrimæ, quæ Hebræis *sancta sanctorum* dicuntur, *à Sacerdotibus comedi debeant.*

14. *Ibi reponent vestimenta sua*] Lex erat, nè ad Israelem privatum, atque ad alienum à sanctitate locum concederent, nisi deposito in loco sancto vestitu illo sacrosancto.

15. *Cùmque complesset mensuras domûs interioris*] *Domum interiorem* nominat atrium & adhærentia cubicula, quòd ad cultum qui *interiori domui*, h. e. Templo, debetur obeundum pertineant. Sic omnia quæ Dei *Deus*, & quæ Christi *Christus* dicuntur, ut è regione *adversarius* & *Antichristus* qui sunt Antichristi & Satanæ. Metitur jam extremum murum qui montem cingit. Illud autem *per circuitum* intelligitur pro utroque latere. Muros autem quatuor montem cingentes per quatuor *ventos* intelligit. A ventis enim plagas mundi Scriptura libenter nominat. Et quod ait *calamo mensura*, intellige, mensurâ illius calami qui magna mensura erat, nimirum quam à principio descripsit cap. 40. putà qui habet cubitos sex, quorum singuli sex pugnos complectuntur; cùm cæteri cubiti tantùm sint quinque pugnorum, atque calami cubitorum quinque. Proinde calami hujus loci non vulgares sunt, sed calami mensuræ illius expositæ. Hunc murum post principium quadragesimi capitis metitur, & invenit calamum altitudine, & in latitudine tantundem. Verùm hoc postremo loco, cùm interiora solidè constiterint, Amplitudinem quoque extremam rimari pergit. Nam vanum est quod in creaturis noscitandis operæ insumis, si non jeceris primùm pietatis fundamenta. Circa portam murus quàm latus & altus sit licèt pervestiges, verùm antè quàm omnia complectare, percipienda sunt interiora Spiritûs, ut necessariis cognitis adjuncta tandem rimeris. Alioqui nimius in contemplandis rebus eas idoli instar habet, ut offendiculo sint sibi atque aliis imperitioribus, atque in laqueum pedibus insipientium.

20. *Dividentem inter Sanctuarium & vulgi locum*] Nam quod est extra murum montis, *profanum*; quòd verò intra, *sanctum* est, quia murus hæc ab illis dividit.

DRUSIUS.

1. וַיּוֹצִאֵנִי אֶל־הֶחָצֵר הַחִיצוֹנָה. Καὶ ἐξήγαγέ με εἰς τὴν αὐλὴν τὴν ἐξωτέραν, *Et eduxit me in atrium exterius.* ¶ לַשְּׁכָּה. Sym. ἐξέδραν. Th. παστοφόριον *thalamum*] Hier. *Eductus autem est in gazophylacium, sive, ut Sym. & LXX transtulerunt,* exedram, *vel, ut Theodotio*, παστοφόριον, *quod in* thalamum *vertitur*] Vide nota c. 40. 45. ¶ גִּזְרָה. A. Sym. *separatum.* Th. *Gazera.* Sic etiam Aquilæ 2 editio] Hier. *Pro* separato, *quod Aq.* (in prima editione) *& Sym. transtulerunt, secunda Aquilæ editio & Theodotio ipsum verbum posuere* GAZERA, *in omnibus locis similiter exprimentes. Multàque alia quæ in præsenti loco posita sunt inter Ebraicum & LXX non solùm ordine sed numero & verborum interpretatione discordant: ut si voluerimus hærere in singulis, & diversitates eorum quærere, & explanare rationem, multùm aberremus à proposito.*

2. אֶל־פְּנֵי. Κατὰ πρόσωπον.

3. אַתִּיק אֶל־פְּנֵי אַתִּיק בַּשְּׁלִשִׁים. Schol. ἔκθετον πρὸς πρόσωπον ἐκθέτε ἐν τελεστεῖς quod redditum in ed. Rom. *solarium ad faciem solarii*] Hier, ἔκθετα *Romæ appellant solaria de cœnaculorum parietibus eminentia, sive mœniana*, &c. Hæc verba ità leguntur in ed. Rom. Cæterùm in ea editione Hieronymi quam Plantinus vulgavit, non ἔκθετα scriptum, sed *ethecas:* quæ scriptura mihi melior videtur. Nam eò labor ut credam esse ipsum vocabulum Ebraicum formâ Syrâ expressum אתיקא *Etheca.* Ἔκθετον quid sit aliis quærendum relinquo. Hunc locum & suprà citavimus.

4. אֶל־הַפְּנִימִית דֶּרֶךְ אַמָּה אֶחָת. πρὸς τὴν ἐσωτέραν ὁδὸν πήχεως ἑνὸς, *in interiorem viam cubiti unius*] Libri quidam εἰς τὸ ἐσώτερον ὁδόν. Est etiam ubi pro ὁδὸν scriptum sit οὐδὸν, quod *limen* significat. Quanquam in usu sit τὸ οὖδος, non τὸ οὐδὸν, quod sciam: nam dicimus ὁ οὐδὸς, unde casus obliquus quem *accusativum* vocant, τὸν οὐδόν.

6. כִּי מְשֻׁלָּשׁוֹת הֵנָּה. Sym. Τρίστεγα γὰρ ἦν, *Tristega enim erant.* ¶ נֶאֱצַל מֵהַתַּחְתּוֹנוֹת. Th. ἐπισυνήχθησαν ὑπὲρ κατώτερα, *colligebantur supra inferiora.*

7. וְגָדֵר. Lxx φῶς. Hier. *peribolus*, sive *murus*. Ed. C. φλιὰ, i. *limen*] Hier. *Pro* peribolo *sive* muro, *quod Ebraicè dicitur* GADER, *Lxx* lumen *interpretati sunt.* Et, Peribolus *murum sign. qui erat exterior, & cingebat gazophylacia in via atrii exterioris, habens in longitudine 50 cubitos.*

14. וְשָׁם יַנִּיחוּ בִגְדֵיהֶם. καὶ ἐκεῖ ἀποθήσονται τὰ ἱμάτια αὐτῶν, *ibi deponent vestimenta sua.*

GROTIUS.

5. UBi *erant gazophylacia in superioribus humiliora*] Hæc commata & duo sequentia difficilis esse interpretationis ajunt Rabbini Salomo & David Kimchi. Potest aliquid corruptum esse in lectione. Sed vide Villalpandum.

Excerpta ex Villal. per L. CAPPELLUM.

1. EDuxit *me in Atrium exterius*, &c.] Versabatur Propheta cum ductore Angelo in Atrio interiori ipsius domus mensuras, ornamenta & instrumenta contemplaturus, quibus ritè peractis egreditur per portam Aquilonarem ad Atrium exterius, gradibúsque descensis declinavit ad lævam, h. e. ad Occidentem, ingreditúrque porticum ipsam Aquilonarem interiorem, quæ percurrebat à latere portæ Occidentem versùs, ostenditque atriolum quadratum sub castello, quod connectebatur cum prædicta porticu Aquilonari in qua aperiebatur porta, & cum ea porticu quæ in directum tendebat ad Occidentem, & cum tertia quæ à prædicto atriolo extendebatur ad Aquilonem. Atriolum verò hoc respiciebat ambulationem seu plateam quæ ante faciem Templi jacebat, longam centum cubitos, latam viginti. In hoc atriolo videt gradus & scalas, quibus conscensis post revolutam scalam invenit ambulacrum quoddam ad Occidentem extensum hinc atque illinc cinctum exedris. Has exedras describit Propheta. ¶ *Et introduxit me in Gazophylacium*]

cium] Jarhi, *Id est, Ad unum ex Gazophylaciis, aut ad locum Gazophylaciorum, h. e. ad Gazophylacia quæ sunt sita in Aquilone domûs, erántque separata viginti cubitis à thalamis domûs.* Hactenus rectè. Sed mox rationem reddere conatus, ob quam necesse fuerit Prophetæ in exterius Atrium egredi ut Gazophylacia ista ingrederetur, deceptus est. Ratio ejus rei hæc est longè diversa. Cùm totum Atrium interius octo gradus erigeretur super exterius, & peribolo esset undique cinctum, non aliâ ratione poterat ad scalas venire, quæ in Atrio exteriore sitæ erant, nisi per portam ad Atrium egrederetur exterius. ¶ *Contra ædificium separatum*, &c.] Quid גזרה, quid בנין, supra jam est explicatum c. 41. 12. Ait ergò hujus porticùs exedras Aquilonares spectasse domum ipsam, & thalamos qui domui adhærebant ex latere Aquilonari.

2. *In facie longitudinis centum cubitorum*, &c.] i. Habebat hæc porticus (in qua erant Gazophylacia) frontem Orientalem versùs alteram porticum longam cubitos centum, latam 50. in qua aperta erat porta Aquilonaris. Maluissem ego sic exponere, Erat hæc porticus longa centum cubitos, lata quinquaginta, & frontem habuit Orientalem obversam porticui illi in qua erat aperta porta Aquilonaris.

3. *Contra viginti cubitos Atrii interioris*] i. Castellum seu quadrata porticus, ex quo aditus patebat & in ambulacrum & in exedras prædictas, respiciebat ex altero latere plateam viginti cubitos latam, quæ extendebatur ante faciem domûs inter vestibulum & atrium sacerdotum. ¶ *Et contra pavimentum*, &c.] i. Respiciebat ex altero latere porticum quæ in Atrio Aquilonari Occidentalis est: vocat nempe *pavimentum stratum lapide* porticus inferiores, utì supra dictum est cap. 40. 17. ¶ *Ubi erat porticus juncta porticui triplici*] Jarhi, *q. d. Gazophylacium supra Gazophylacium trinum, unum supra aliud.* Quæ sententia si de Atriorum ordinibus accipitur, ut debet, vera est. At cùm inferior columnarum ordo Gazophylaciis careat, quippe totus in postes & columnas tributus, duplex tantùm ascendit in altum Gazophylaciorum ordo. Heb. אתיק, quâ voce (utì diximus suprà c. 41.) significatur porticus ipsa nitens postibus. Potéstque versus iste vel de castello quadrato, vel de porticu oblonga Occidentali exponi, aut verò etiam de utraque. Si de castello accipias, patet ex vestigio illud esse in medio trium porticuum, Occidentalis, Aquilonaris & Meridianæ (*legendum* Orientalis). Si verò malis accipere de Occidentali porticu, explicatur locus ex Hebræo, *Cubiculum contra cubiculum in trinis*, vel *per tria*, sc. tabulata vel ordines cubiculorum. Nam verum est in singulis porticibus triplicem in altum contignationem fuisse, porticúsve ternas per latum in singulis contignationibus, quarum media pervia erat ambulatio, binæ laterales parietibus clausæ exedris tribuebantur.

4. *Et ante Gazophylacia*] Gazophylaciorum meminit superioris contignationis, idque perspectum est ex eo quod subdit mox, *Et erat subter Gazophylacia deambulatio decem cubitorum*] Lxx, *Contra exedras deambulatio decem latitudo, per cubitos centum longitudo.* Hieronymus putat eos addidisse verba illa *per cubitos centum longitudo*, quæ superflua putat. Verùm perspectum esse potest ex vestigio secundo atriorum deambulationem hanc quæ ante Gazophylaciorum fores obtenditur cubitos decem latam, longam fuisse centum, quanta est porticuum imò & atriorum longitudo. Atriola enim quadrata inter porticus pervia omnino fuerunt, neque ullis impedita cubiculis, ut usui, lumini & pulcritudini ædificii inservirent. ¶ *Ad interiora respiciens*, &c.] Sensus est, tametsi hæc ambulatio media lata erat inter columnas superiores cubitos decem, tamen extendebatur aliis duobus cubitis ad facies exedrarum, itàut à pariete paries duodecim cubitos distaret; nam paries earum trahebatur à columnarum perpendiculis cubitis singulis in singulis lateribus, ut videre est in Vestigio superiori universali.

5. *Ostia eorum ad Aquilonem*] Intellige cubiculorum quæ erant in altero latere prædictæ porticûs proximæ Atrio interiori; nam alia cubicula his opposita versùs Atrium exterius habebant ostium ad Meridiem, quorum omnium cubiculorum ostia interiùs respiciebant ad ambulationem mediam. ¶ *Ubi erant Gazophylacia in superioribus humiliora*] Heb. קצרות: quam vocem quamvis Hebræorum interpretes aliqui *brevia* vel *angusta* convertant, tamen cùm ejus radix קצר *decurtare*, *demetere* significet, aptè reddit Vulg. *humiliora*, quippe quæ de inferiorum celsitudine deficerent. Erant quippe superiora inferioribus humiliora porticibus, ut in omni bene constituto ædificio observatum est, & ab antiquis ædificatoribus perpetuò observatum, qui superiores columnationes contractiores & humiliores effecerunt, nè columnæ inferiores nimiùm gravarentur. ¶ *Quia supportabant porticus*, &c.] Heb. *Quia capiebant angulos* (vel postes) *ex ipsis* (vel *præ ipsis*) *inferioribus & mediis ædificii.* Lxx, *Quoniam eminebant columnæ citra columnas inferiores & spatium sic.* Sensus est, superiora cubicula humiliora erant quàm mediana, & hæc rursus humiliora inferioribus porticibus, quia columnæ superiores contrahebantur à latitudine inferiorum quæ erant in porticibus, & similiter supremæ columnæ medianis erant arctiores. Hoc significat verbum illud *eminebant*; quo & Lxx & Vulg. utuntur, h. e. surgebant in altum citra inferiorum crassitudinem; quare illis aliquantulùm contractis necesse erat spatium in circuitu relinqui usque ad crassitudinem columnæ inferioris. Eandem habet sententiam Vulg. his verbis; *quia supportabant porticus*, h. e. quia columnæ medianæ, quas supportabant & fulciebant ipsæ porticus infimæ, eminebant ex ipsis, vel præ ipsis, porticuum postibus, i. contractiores surgebant quàm postes inferiores, & supremæ columnæ adhuc exiliores attollebantur quàm medianæ. Quæ omnia de semicolumnis parietibus adpactis intelligenda sunt, non de ipsis muris, ut perperàm Rabbini exposuerunt.

6. *Tristega enim erant*] Triplicem columnarum ordinem in Atriis fuisse infrà ostendemus. ¶ *Et non habebant columnas*, &c.] Si vim vocis עמוד expendas, invenies rationem ob quam superioribus exedris columnæ negentur; significat enim *stantem*, quasi *statuam* dicas, quòd stet in medio domûs erecta superiora sustinens, ac ferè semper *rotundas* significat ea vox *columnas*. Duo nobis indicat hic textus; Primùm, Columnas illas quas statuimus in mediis porticibus inferioribus, quásque ex frontium symmetria & responsione hactenus confirmavimus, his Prophetæ verbis confirmari. Secundùm, Hujusmodi columnas in superioribus cœnaculis minimè fuisse, quippe cùm totum superius pavimentum in cœnacula & ambulationes distribuatur: pilæ & quadratæ sunt & interjectis cubiculorum parietibus connectuntur, ut *columnæ* minimè dici posse videantur. Heb. *Propterea decisum est* (supremis) *præ inferioribus & mediis à terra*, q. d. Necesse fuit cubicula superiora esse humiliora inferioribus, quia columnæ eorum vel pilæ erant contractiores quam inferiores columnæ; atque ideo sicut detractum est aliquid de crassitie columnarum inferiorum superioribus, sic necesse fuit detrahi aliquid de altitudine in secundo ordine & in tertio. Itaque superiori versu de contractione crassitudinis monuit nos Vates, hoc verò de imminuta altitudine, ut eadem proportionis ratio servaretur. ¶ *Cubitis quinquaginta*] Hæc verba addit Vulg. neque frustrà, quia & vera sunt & certam ædificii rationem indicant, viz. licèt detractum aliquid sit supremis columnis de crassitudine inferiorum, & inferioribus à crassitie infimarum, servata tamen est illibata latitudo 50 cubitorum tam in infimis quàm mediis & supremis columnis, quia omnia earum centra erant in perpendiculo parietis, qui ab altero distabat cubitos 50. calamos nimirum 8.

7, 8. *Et peribolus exterior*, &c.] i. Murus Orientalis hujus porticûs Aquilonaris (in qua adhuc erat Propheta.) Peribolum autem hunc mensus est dum descenderet per gradus; qui peribolus sive paries tam longus erat quantum frontes reliquarum porticuum Atrii exterioris: & nè ignotum per ignotius explicet, subdit v. 8. *Quia longitudo erat*, &c. q. d. Notum est ex prædictis mensuris alias omnes Atrii exterioris porticus fuisse latas cubitos 50. *includendo* (ut notat Lyranus) *non solùm spatium inter parietes sed ipsos parietes & pilarios.* ¶ *Et longitudo centum cubitorum ante faciem Templi*] Descenderat ab illis exedris Aquilonaribus Propheta ut ad similes Meridianas transiret, & pertransiens ante vestibulum Templi mensus est Angelus iterum latitudinem Atrii interioris ab ædificio Aquilonari usque ad Australe illi è regione oppositum, invenítque esse cubitorum centum.

9. *Et erat subter gazophylacia hæc*, Meridiana sc. *introitus*, &c.] Supponit jam offendisse gradus Meridionalis porticûs Sanctuario proximæ, quam quasi digito demonstrat dicens, *subter gazophylacia hæc*, sc. Australia, erat ingressus ab Orientali plaga, quemadmodum in Aquilonari patebat aditus à fronte Orientali illius ædificii.

10. *In latitudine periboli Atrii*, &c.] His verbis declarat hanc porticum Meridianam spectasse latus Templi Meridianum, atque cubicula illa quæ circumdabant Templum; imò ipsum parietem lateralem hujus porticùs fuisse Atrii interioris septum, quo Laici à Sacerdotibus secernerentur: q. d. Longitudo hujus porticùs, cujus frontem & adytum dixi spectasse Orientem, procedebat versùs Occidentem coram latere Templi dextro, vel (quod magis habere videtur textus Hebraicus) gradus ipsos & scalas denotat fuisse adjacentes peribolo Atrii Meridiano, quo interius Atrium claudebatur, ex adverso Meridiani lateris Templi. Hactenus periboli illius non meminerat quòd Templum cingebat, de quo Josephus lib. 6. Bell. Jud. c. 6.

Templum

Templum arámque cingebat ex pulcerrimo saxo lorica gratissima.

11. *Et via ante faciem eorum*, &c.] h. e. Media ambulatio & exedræ laterales eâdem erant constructæ ratione, eâdem mensurâ quâ Aquilonares. ¶ *Secundùm longitudinem eorum, sic & latitudo eorum*] Hebraismus; *sic &* pro *sicut*, כ pro כן ponitur. Sensus enim non est, latitudinem ædificii æqualem fuisse longitudini ipsius, sed longitudinem hujus ædificii Meridiani longitudini alterius Aquilonaris, & latitudinem similiter latitudini ipsius fuisse per omnia æqualem. ¶ *Et omnis introitus*] Lxx addunt *exitus*, quâ utrâque voce significatur *forma*, *ordinatio*, *dispositio*, *mensura*. ¶ *Et similitudines eorum*] Heb. *judicia*. Vocat autem *judicia* commensurationes.

12. *Et ostia eorum secundùm ostia*, &c.] Hic rursus confunduntur particulæ כ & כן, uti suprà præcedenti versu. Sic enim debet connecti hic versus, Sicut similitudines eorum, & sicut ostia eorum, sic & ostia gazophylaciorum, quæ erant in via respiciente ad Austrum. ¶ *Ostium in capite viæ*, &c.] Pro *vestibulo* in Hebræo est גז, cujus loco suprà redditur *peribolus*, scil. lorica illa quæ Laicos à Sacerdotibus segregabat. Eadémque est hujus quæ superioris versiculi sententia, sc. Hoc ædificium Australe habuisse ascensum à fronte Orientali, gradúsque ejus duxisse in ambulationem mediam superiorem, quæ procurrebat Occidentem versùs secundùm longitudinem elegantis illius periboli separantis populum à Clero.

13. *Et dixit ad me, Gazophylacia Aquilonis*, &c.] Hîc Gazophylaciorum tam Australium quàm Aquilonarium usus apertis verbis describitur.

14. *Non ingredientur de Sanctis in atrium exterius*] Lyranus, *Atrium exterius hîc non potest accipi generaliter; nam sic accipiendo, Gazophylacia ista sunt in Atrio exteriori: sed accipitur particulariter pro illis locis ad quæ admittebatur populus.* Huc spectat quod de atrio Mulierum dicunt Rabbini, quódque Lyranus vocat *Atrium peculiare*. Nam quamvis nullum fuerit atrium Mulierum in Templo Salomonis, tamen negandum non est fuisse vel Lege, vel laudabili consuetudine in more positum, ut mulieres in porticum illam Sacerdotum Atrio proximam minimè venirent. Sed & Israeliticus populus sine gravi causa, & sine peculiari purificatione præcedente, ad illam porticum minimè admittebatur. Quam in rem citat Villalpandus Josephum contra Appionem lib. 2. *Quatuor porticus circum se habuit Templum, & earum suam quaque secundùm legem custodiam. In primam ingredi licuit omnibus; in secundam Judæi omnes eorúmque conjuges ab omni pollutione mundæ; in tertiam* (h. e. in eam de qua jam est sermo) *mares Judæi mundi atque puri; in quartam sacerdotes vestitu Sacerdotali induti.* Sed & mares adhuc puri & mundi ab illa interiori tertia porticu (inquit Villalpandus) tunc maximè arcebantur cùm Sacerdotes vestibus induti sacris sacratissimas carnes afferebant. Kimhi, *Populus non ingrediebatur atrium Sacerdotum nisi ad impositionem manuum, ad mactationem, & ad elevationem, seu oblationem.* Hoc (inquit Villalpandus) intelligendum est de portis Meridiana & Aquilonari atrii Sacerdotum, quòd in his tria illa perficiebantur; imponebantur enim offerentium manus victimarum capitibus, quarum iidem mactationi astabant, ac tandem cùm Deo offerebantur; propterea nunquam neque ad portas licebat populo propiùs ad Sacerdotes accedere.

15. *Cúmque complesset mensuras domûs interioris*] i. (inquit Kimhi) Atriorum & Gazophylaciorum: nam hæc omnia sunt ad usum domûs interioris quod est Templum. ¶ *Eduxit me*] Extra murum montis domûs. ¶ *Per viam portæ Orientalis*] Hæc est porta montis domûs Orientalis cujus priùs fecerat mentionèm in principio. ¶ *Et mensus est eam undique per circuitum*] h. e. Mensus est domum in qua erat porta, in circuitu ad quatuor ventos.

16. *Mensus est contra ventum Orientalem*, &c. ad finem capitis] Difficilis planè textus tum propter lectiones varias, tum propter multiplices Interpretum sententias secum invicem pugnantes. Non facilè autem constare poterit de re quæ hâc mensurâ definitur, quin priùs constet an calamis dimensa sit an verò cubitis. Secundùm Heb. textum v. 16, 17, 18, 19. diserta fit mentio *calamorum*, atque sic Vulg. juxta Heb. Versu autem 20 subticetur in Heb. nomen mensuræ, neque dicitur an calami fuerint an verò cubiti. Vulg. hîc supplet vocem *cubitorum*, idque ex Lxx, qui ubique omnibus hisce versiculis nomen habent *cubitorum*. Sed Hieron. in Com. agnoscit se per incogitantiam infulsisse vocem *cubitorum*, monétque *calamorum* vocem esse potiùs supplendam. *Illud*, inquit, *quod per simplicitatem interpretationis, dum parùm attendimus celeritate dictandi, & LXX habent & nostra Translatio,* Murum ejus undique per circuitum longitudine 500 cubitorum & latitudine 500 cubitorum, *Heb. sermo non continet, sed simpliciter* longitudinem 500 & latitudinem 500. *ut subaudiatur* Calamorum. Villalpandus mordicus Vulg. adhærens utrámque mensuram hîc admittit, & Calamorum & Cubitorum; & quod modestè fatetur Hieronymus per *simplicitatem* incurrisse, Deo Interpretis calamum bene disponente factum fuisse arbitrabimur (inquit Villalpandus) atque eò magis quò minùs in eo addendo appareat Interpretis studium vel industria. Rem autem sic expedit Villalpandus, ut sc. duplicis muri, vel rei cujuspiam mensura hîc notetur. Prima, à v. 15 ad 19, quæ 500 calamorum fuisse deprehenditur; Altera, v. 20, quæ cubitis 500 definitur. Atque his 500 cubitis dicit definiri atrium Israelis, quod totidem latum & longum erat cubitis, uti videre est in primo Vestigio universali, sícque breviter mensura ista colligitur. In media Templi area mensus est Angelus Atrii interioris quadratam aream 100 cubitorum, & huic areæ pares duas alias, alteram à Meridie, ab Aquilone alteram. Hujusmodi areæ quaternis clauduntur portis quinque cubitos longis, quanta est latitudo porticuum in quibus aperiuntur, qui omnes numeri in unum collecti 500 complent. Totidem pares areæ & pares totidem porticus ab Oriente in Occidentem computantur, ut ex omnibus certa constare possit mensura muri 500 cubitorum. Ad 500 autem calamos quod attinet, alii, inquit, describi putant mensuram muri exterioris totum ædificium claudentis, inter quos sunt Lyra & Jarhi: Sed quomodo murus ejus mensuræ sit non sunt ausi statuere. Alii urbis mœnia hîc describi censuerunt; sed alibi, inquit Villalp. ostendi urbis murum 20 M. cubitorum cingi non duodenis. Nullam urbis partem reperiri quæ hujusmodi cubitorum numero ambiatur, exceptâ superiore civitate monti Sion insidente, quæ huic mensuræ proxima est, quámque stadiis 33 definit Josephus. Stadium porrò cubitis 400 constat: quòd si hos numeros invicem multiplices, invenies 13200 cubitos, non verò 12500, quos efficiunt bis mille calami quaterquingenti. Itaque his rejectis sententiis statuit ex Clarii & Rabbinorum sententia definiri hâc mensurâ peribolum exteriorem, cujus altitudinem & latitudinem mensuravit Angelus unius calami, initio c. 40, cujus jam non latera singula sed universum ambitum per 4 latera Angelus definit esse 500 calamorum. Atque hunc quidem murum (inquit Villalpandus) mensus est Angelus circumcirca quater, à variis incipiens ventis, ac semper reperit calamos 500, quod indicare videtur illud verbum quod semper additur, *Mensus est autem*, &c. *per circuitum*, quod in omnibus mensuris repetitur. Atque hic admirabile quoddam hac ipsâ dicendi formâ indicatur Ecclesiæ Christi Sacramentum; tantò enim majus est ac latius hoc Templum antiquo illo, quantò longior est uno illius latere totus ambitus. Neque mirandum quòd quæ de novo hoc Templo Propheticè hîc dicuntur, ab aliquibus interpretibus quasi de urbe dicta exponantur, ab aliis quasi de Templo, cùm qui hanc novam vidit in visione civitatem Johannes Apoc. 21 & 22, *Templum*, inquit, *non vidi in ea*, tota enim civitas Templum quoddam est. Periboli ergò hujus singulis lateribus assignat Villalpandus 125 calamos, quos sic colligit; Murus Israel longus est 500 cubitos, sive 80 calamos; his adde 8 calamos utrinque Atrii Gentium, septenos porticûs Gentium, & utrinque senos viæ, & singulos utrinque latitudinis periboli, & unum demum cubitum utrinque dimidium, quantum à perpendiculo muri projicitur substructionis murus, fient omnes simul calami 125, qui quater sumpti efficiunt calamos in universum 500.

Ad Villalpandi explicationem hujus 16 versus L. C. Observatio.

Locus in quo explicando hîc sudat & laborat Villalpandus lubricus est, ac propterea quæ illius falsæ interpretationi superstruit ultro ruunt, nullo (uti mox ostendetur) subnixa fundamento. Totum, inquam, Atrium Gentium, ejúsque Porticus, unà cum via Porticibus illis circumposita, & peribolo viam illam cingente, quia falsâ hujus loci intelligentiâ atque interpunctione nituntur, sponte ruunt, demonstratâ loci hujus, quem Villalpandus affert, interpretatione falsâ. Vult ergò Villalpandus duo hic ab Angelo diversa ædificia mensurari, nimirum I. Atrium Israelis v. 20. quod longum & latum fuit 500 cubitos, uti habet eo loco autor Vulg. vers. secutus Lxx Interp. II. Peribolum extimum in summa crepidine murorum substructionis exstructum, quo via, quæ Porticus & Atrium Gentium ambiebat, claudebatur, nequis indè in subjectas profundas valles decideret: quem peribolum Villalpandus vult fuisse per

singula

singula latera longum 125 calamos, qui quater multiplicati conficiunt 500 calamos, qui in Heb. textu habentur v. 16, 17, 18, 19. Vult enim Angelum quater commensurasse totum illum peribolum. Atque sic putat se pulcre invenisse rationem conciliandi diversam lectionem quæ in hoc Ezechielis loco occurrit. Hebraicus enim textus, eumque secutus Hieronymus, in quatuor prioribus versiculis habet calamos, in ultimo autem versu tum Lxx tum Vulg. habent cubitos, non verò calamos. Et quamvis Hieronymus in Comment. agnoscat se per incogitantiam ex nimia dictandi festinatione ortam scripsisse v. ult. cubitos pro calamis, mavult hic Villalpandus Divinam agnoscere providentiam, quæ vel incogitantem impulit Hieronymum ut sic dictaret, quàm ullum Hier. tribuere errorem, ut sic tacitè persuadeat profectam esse versionem illam à cæco quodam & sui nescio Hieronymi ἐνθουσιασμῷ potiùs quàm ab humano & ratione suâ utente spiritu. Sed primò, planum est ex ipso textûs hujus Ezech. intuitu, de una eadémque re, cujus mensura hic traduntur, agi; unum, inquam, idémque ædificium mensurari, cui per singula latera tribuuntur quingenti, sive cubiti sive calami; nam de utra mensura sint intelligenda Ezechielis verba mox dicetur. Etenim postquam v. 16, 17, 18, 19. sigillatim singula latera ædificii illius (de quo v. 15. dixerat מדדו סביב סביב metitus est illud circumquaque) dimetiendo dixit fuisse quingentos sive cubitos sive calamos longa, v. 20 de eodem ædificio collectim dicit, Metitus est illius murum per quatuor latera circumquaque longitudine quingentorum & latitudine quingentorum. Ubi in Heb. est ἐν δ' ὁ δυοῖν nam quod verbum verbo est, Metitus est illud per quatuor latera, murus illi circumquaque, &c. Latinè est, Metitus est illius murum, per quatuor latera circumquaque. Unde planum est toto eo textu agi de uno eodémque ædificio non de duobus, atque unam indicari ejus mensuram; utrùm autem Cubiti an Calami sint illa mensura hoc est quod jam quæritur. Deinde planum est ex eodem textu Angelum quatuor ædificii illius latera mensurasse, & singula invenisse longa quingentos, sive cubitos sive calamos: at non liquet eum quater totum ædificium ambiendo quater commensurasse; merum istud est Villalpandi commentum, cujus nullum neque vola neque vestigium est in verbis Ezechielis. Nam quid opus fuit Angelum quater totum ædificium circuire, & circumeundo quater mensurare? Annon satis fuit singula latera semel mensurare, quæ quoniam erant omnia æqualis ejusdémque mensuræ, totum ædificii ambitum ex quatuor laterum mensura licuit colligere? Denique certum est ex Josepho (ex quo ipse Villalpandus id assumit) Salomonem ut atrium Templi in supremo montis Moria jugo positum laxaret, extructo ab ipsis montis radicibus ad supremum usque collem muro crassissimo 300 cubitos alto, totum montem quatuor ex partibus cinxisse, cui muro quatuor porticus paris cum eo longitudinis sunt imposita, quæ duabus saltem ex partibus profundis vallibus montem cingentibus imminebant, nisi quòd ab una parte collis versùs urbem leniter erat declivis, ita ut ab ea parte ascensus ex urbe in Templum & descensus ex Templo in urbem facilis esset. Ex eodem Josepho constat porticus illas singulas fuisse stadium unum longas, uti videre est in descriptione Templi Jerosolymitani, quam in Historia nostra Apostolica ex Josepho exhibuimus. Stadium autem est 125 passus Geometricos longum, nam octo stadia faciunt milliare, h. e. mille passus Geometricos. Passus autem Geometrici 125 pedes conficiunt 625, qui cubitos æquant 416. Ab uno ergo muri illius excelsi angulo ad alium angulum secundùm Josephum non sunt ferè nisi 416 cubiti. Sed simus liberaliores. Demus fuisse 500 cubitos, quot nimirum Ezechiel hic dat Atrio exteriori, quod Villalpandus vocat atrium Israelis, quot itidem post Ezechielem Judæi in Tract. Middoth dant toti monti domûs. Demus, inquam, Josephum vocabulum stadium paulò laxiùs usurpasse, & 500 cubitorum longitudinem Stadium dixisse, certum est secundùm eum non longiùs sese extendisse murum illum excelsissimum, quo undique cingebatur mons Domûs, seu collis Moria, cui Templum fuit impositum. Cùm itaque Villalpandi atrium Gentium unà cum via & peribolo quæ illud ambiunt sint atrio Israelis circumposita, & extra mensuram illam 500 cubitorum muri ambientis collem, necesse est illa corruere, utpote nullo subnixo fundamento, nisi velimus fingere ea fuisse in aere suspensa. Dicamus ergò totum collis Moria summo jugo impositum ædificium fuisse duntaxat 500 cubitos longum & latum, ejusdem nimirum magnitudinis cujus Villalpandus vult fuisse atrium Israelis, ac proinde in Templo Salomonico vel nullum fuisse atrium Gentium (cujus etiam in Scriptura V. Testamenti nulla est neque vola neque vestigium) vel si quod fuit distinctum ab atrio Israelis, necesse est Atrium illud Gentium fuisse quatuor illas porticus longissimas, quæ in Ichnographia universali Villalpandi protenduntur ab uno atrii Israelis angulo ad alium angulum, in quarum tribus, Orientali nimirum, Meridionali & Aquilonari, aperiuntur tres portæ exteriores. Atrium autem Israelis fuerit in reliquis porticibus & areis usque ad atrium Sacerdotum, septo, seu humili loricâ, ab ipso distinctum. Et sanè dispositio Templi Herodiani (uti à Josepho describitur) id omnino postulare videtur. Sed sic necesse fuit Porticus illas longiores septò alio seu loricâ (simili illi quâ Atrium Sacerdotum ab Atrio populi distinguebatur) esse separatas undequaque in circuitu à reliquis populi Porticibus & Areis (uti nos loricam illam in Vestigio universali Villalpandi signavimus, ab eo non signatam) ne Gentiles cum Israelitis mundis miscerentur. Sic enim Gentiles per portas exteriores ingressi in aream illis proximam, levi ad dexteram vel sinistram flexu, Porticus illas suas subire potuerunt per spatia sub fornicibus postium aperta utrique portarum lateri proxima. Israelitæ autem per easdem portas ingressi in reliquas Porticus & Areas sese effundere potuerunt usque ad Atrium Sacerdotum. Sed si ità se res habet (uti necesse videtur illam se habere) quid fiet isti Ezechielis loco; in quo secundùm Hebraicum textum, & veterem Vulg. Interp. singula quatuor ædificii, quod ab angelo mensuratur, latera dicuntur esse 500 calamos, non vero cubitos, longa? Sanè tam adversantur illa Ezechielis verba (si sincera sunt) Villalpandi sententiæ quàm nostræ. Villalpandus enim peribolum (quem putat hic ab angelo mensurari) facit per singula latera 125 duntaxat, non verò 500 calamos longum. Nam lepidum ejus commentum, quo fingit non singula latera, sed totum ædificii illius ambitum quingentis illis calamis definiri ab Angelo, non moramur, cùm repugnet certissima (quámque Villalpandus ipse agnoscit) à Josepho tradita mensura muri quo totum Templum quatuor ex partibus ambiebatur. Alia ergò conciliandi & explicandi hunc Ezechielis locum ratio ineunda est. Nempe in hodierno textu Hebr. vitium omnino hic esse videtur, & pro קנים legendum אמות, quomodo planum est legisse olim Lxx Interp. (quorum lectio hoc in loco hodiernâ Hebr. videtur melior) nam non vocem καλάμους sed πήχεις duntaxat habent, quam adhibent in dimensione lateris Septentrionalis, in reliquis tribus omittunt, quòd ea facilè ex præcedenti suppleri ac subaudiri posset. Versu autem 20, ubi textus Hebr. nomen Mensuræ bis omittit, Lxx semel tantùm omittunt, in altero nomen cubiti adhibent; sic enim illi, πεντακοσίων πρὸς ἀνατολὰς, καὶ πεντακοσίων πηχῶν εὖρος quos (uti modò à nobis notatum est) secutus est hac in parte Hieronymus, longitudinem 500 cubitorum, & latitudinem 500 cubitorum. Nam quòd in Comment. seipsum corrigit, & per incogitantiam ac præcipitationem se errasse agnoscit, id facit non (uti vult Villalpandus) ex ἐνθουσιασμῷ, sed quia v. 16, 17, 18, 19. singula latera juxta Heb. lectionem fecerat longa 500 calamos. Nè ergò videretur ipse sibi contradicere, monet in Commentario se per incogitantiam errasse, & Calamos non Cubitos esse intelligendos; interim reverà Lxx Interpretum lectionem in sua translatione eo loco secutus erat. Quin & lectionis veteris, atque adeò melioris, quâ אמות pro קנים olim lectum est, vestigium aliquod non obscurum superest etiam in hodierno textu Hebræo. Nam v. 16. sic legitur, Mensus est latus Orientale calamo mensuræ חמש אמות קנים, quæ lectio est nihili & planè absurda: quid enim illud est quinque cubitos calamorum? Massorethæ per Keri marginale legi volunt מאות pro אמות per literarum metathesin, quæ alibi non est infrequens. Sed videtur potiùs omissum esse per Librarii incuriam מאות, & ejusdem temeritate additum esse קנים, quòd satis videret mensuram quinque cubitorum isti loco non congruere; putavit ergò, sed falsò, calamos potiùs hic esse intelligendos quàm cubitos. Omninò ergò vera & antiqua ac maximè germana versiculi hujus 16 lectio hæc videtur esse, חמש מאות אמות, h. e. quingenti cubiti. In reliquis tribus sequentibus versiculis quia deerat vox אמות, ac simpliciter legebatur חמש מאות, subaudito nomine mensuræ ex v. præcedenti (quomodo c. 46. 2. bis omittitur ac subintelligitur vox אמות) temeritate Librarii addita illis est vox קנים. Et quia v. 16. deerat in cod. suo vox מאות, putavit אמות positum illic esse pro מאות, idque notavit in margine per Keri; & ab eodem addita est vox קנים, quòd existimaret de Calamis non de Cubitis istic agi, quod & ab eo factum in 3 reliquis sequentibus versiculis. In ultimo autem versu capitis non addidit, quia existimavit eam vocem satis ex præcedentibus subintelligi. Lxx verò ubique existimarunt (& nostro quidem judicio verè) agi de Cubitis, non verò de Calamis, ideo nunquam καλάμους adhibent, bis voce πήχεις utuntur; in reliquis versiculis eam subintelligi volentes. Et sanè Judæi non aliunde quàm

ex hoc Ezechielis loco Montis Domûs (h.e. totius collis & Templi ipsi inædificati ambitûs) longitudinem & latitudinem statuunt esse 500 cubitorum. Unde planum est eos existimare Ezechielem mensurâ istâ 500 cubitorum desinire singula latera totius ædificii summo collis jugo inædificati, ac proinde nihil esse potuisse ædificio illi circumpositum, nisi velimus illud fuisse in aere suspensum: quod & ipsum modò ostendimus ex Josephi mensuris atque descriptione. Quòd si quis nolit hodiernam solicitare lectionem Hebraicam, tum erunt ista Ezechielis verba non propriè accipienda de Salomonico ædificio, quasi in materiali Salomonis Templo fuerit vel murus vel aliquid aliud ædificium 500 calamos per singula latera in quadrum longum & latum (nihil enim tale in eo fuit aut esse potuit, fatente etiam ipso Villalpando) sed erunt ista ad τὸ τυπικὸν, Christi nimirum Ecclesiam (cujus typus quidam fuit illa Templi descriptio) referenda, ut eo significetur Ecclesiam Christianam, quæ ex Gentibus erat exstruenda, futuram tantò majorem & ampliorem Judaicâ (quæ per Atrium Israelis repræsentabatur) quantò quadratum (aut verò cubus) cujus latera singula sunt 500 calamos longa, majus & amplius est eo cujus latera singula sunt 500 cubitos duntaxat longa, h.e. tricesies sexies, si quadratum, aut si cubus sit, quadringenties bis & tricesies. Et sanè Apoc. 21. 16. nova Jerusalem proponitur nobis tanquam cubica, cujus longitudo, latitudo & altitudo sit æqualis; amplitudo autem ejus significatur, cùm ea isthic dicitur esse 12 M. stadiorum; nam vetus mons Sion habuit in circuitu 12 tantùm stadia. Ità nihil opus fuerit lepido Villalpandi commento de Peribolo quater dimenso, neque cum eo fingendum erit in Templo Salomonico fuisse Atrium Gentium Atrio Israelis circumpositum, quod in aere fuerit suspensum, aut Democritico inani & vacuo inædificatum.]

(*Vide Continuat. ad Cap.* XLVI.)

CAP. XLIII.

MUNSTERUS.

3. AD *demoliendum civitatem*] h. e. Cùm ingrederer ut prædicerem Civitatis eversionem. Aut fortè referenda sunt hæc verba ad ea quæ suprà scribuntur à principio quarti capitis.

6. *Loquentem ad me*] Scribitur hic מדבר pro מתדבר, devoratúrque Tau per Dages quod scribitur in Daleth.

8. *Juxta limen meum*] i. Licèt domos regias & palatia sua juxta Templum meum construxerint, non tamen eò puriores fuerunt, sed omnibus abominationibus studuerunt, me & Templum meum contemnentes.

13, &c. *Mensura altaris*] De altari isto non satis quoque convenit inter Judæos. Quidam námque accipiunt חיק *gremium altaris* pro יסוד *fundamento*; alii pro capacitate, quâ sursum uno cubito assurgebat. *Terminum* dicunt esse labium ipsum altaris, quod in circuitu unum habebat palmum: vel, ut Jonathan habet, est *clausura* quæ altare supernè constringit. *Crepido superior & inferior* statio est & locus Sacerdotum offerentium sacrificia. HAREL, i. *mons Dei*, est altare habens supernè lapides prominentes: propter quos etiam vocatum fuit אריאל, i. *Leo Dei*. Alii aliud sentiunt.

VATABLUS.

2. GLoria כבוד] *Majestas.* Describit reditum *gloriæ* [sive *majestatis*] *Divinæ* in Templum, à quo priùs abscesserat propter peccata populi, ut scribitur c. 9. 3. q. d. Tunc apparuit mihi quidpiam insigne ac magnificum quod præ se ferebat præsentiam Domini Dei. ¶ *De via Orientali* מדרך הקדים] *Per viam Orientalem*, per quam scilicet priùs abscesserat. ¶ *Vóxque ejus tanquam vox* וקולו כקול] *Ejúsque sonus velut sonus*; vel *strepitus*, *velut strepitus*, i. similis strepitui, *aquarum multarum*, vel *magnarum*, quæ scilicet magno impetu defluunt, & ingentem edunt strepitum.

3. *Dum veni ad perdendum civitatem* בבואי לשחת את העיר] i. Quando vaticinatus sum futuram eversionem urbis Jerosolymorum à Chaldæis.

5. *Spiritus* רוח] Sub. *Dei*, Spiritus propheticus. ¶ *Interius* הפנימי] i. Sacerdotum. ¶ *Et ecce repleverat* והנה מלא] i. Et mox repletum fuit Templum ipsum *gloriâ* & majestate *Dei*.

7. Vide *locum* את מקום] Verbum omisit Propheta quòd esset turbatus. Quidam particulam את redundare dicunt, aut nominativo servire, sicut etiam nonnunquam servit, & subauditur *est*, ut vertas, *Locus filii mei est*, &c. ¶ *In quo habitabo* אשר אשכן שם] Ad verb. *in quo habitabo ibi.* Redundat *ibi*. Expositio autem est illius quod dixerat, *Et locum plantarum pedum meorum.* ¶ *Et cadaveribus*, &c. ובפגרי מלכיהם במותם] Loca sacra contactu cadaverum polluebantur. Alludit autem ad Amon & Manassen, qui sepulti fuerunt in hortis suis prope Templum. *Excelsa* vocat quæ exstruxerant in honorem deorum, vel ad sepulcra Regum suorum.

8. *Cum posuerint*, &c. בתתם ספם את ספי] i. Licèt domos Regias & palatia sua juxta Templum meum construxerint, non tamen eò puriores fuerunt, sed omnibus abominationibus studuerunt, me & Templum meum contemnentes. ¶ *Polluerunt tamen* וטמאו] Ad verb. *& polluerunt.* ¶ *Ideo consumpsi* ואכל] Ad verb. *& consumpsi.* Est conjug. Piel à כלה.

9. *Longè faciant* ירחקו] *Repellant procul*, sub. *à se.*

10. *Domum istam* את הבית] i. Futurum Templum exstruendum & nunquam destruendum, quòd in ea perpetuò habitaturus sit. ¶ *Et erubescant propter*, &c. ויכלמו מעונותיהם] *Et pudeat eos iniquitatum suarum.* ¶ *Et metiantur exemplar* ומדדו את תכנית] i. Nitantur intelligere & discant figuram ac structuram illius ædis. Quidam vertunt, *& metiantur summam.* Alii *numerum.* Alii, *dispositionem*, sub. *domûs:* ut v. seq.

11. *Quòd si erubuerint*, &c. ואם נכלמו וגו'] i. Si videris eos resipiscere. Si pudeat eos malorum quæ admiserunt. ¶ *Figuras ejus* צורתו] *Sculpturas ejus:* vel *cælaturas ejus:* eadem vox quæ antè. Pronomen refert *Templum* simpliciter. ¶ *Descriptiones ejus* חוקתו] Hoc pertinet ad thalamos, cellulas, mensas, & cætera necessaria. ¶ *Picturas ejus* צורתו] Cherubinorum scilicet & palmarum. ¶ *Et omnes leges ejus* וכל תורתו] *Et totam rationem ejus.* Alii, *& omnem ritum ejus.* Istud pertinet ad divisionem atriorum. ¶ *Indica eis* הודע אותם] Ad verb. *scire fac eos.* Alii, *ostende eis.* ¶ *Custodiántque omnem formam ejus* וישמרו את כל צורתו] Sub. *in corde suo*, i. teneant memoriâ universam figuram ejus. Alii vertunt per futurum, *& custodient*, *& facient.*

12. *Lex domûs* תורת הבית] i. Oratio ipsius Templi. ¶ *Omnis terminus*, &c. כל גבולו וגו'] i. Totus ille mons per circuitum erit sacrosanctus.

13. *In cubitis* באמות] i. Ad rationem cubitorum illorum sacrorum. Vide similia c. 40. 5. ¶ In *medio* וחיק] Ad verb. *& sinus.* Quia verò Sinus est corporis medium, pro *medio* accipitur. Hebræi pro *fundamento* accipiunt. *In medio*, inquit, *altaris erat eminentia*, sive *altitudo quadam*, *cubiti unius:* h. e. pars quædam exstabat ac eminebat, longa cubitum unum, & lata itidem cubitum unum. Dicitur autem pars illa מקום המערכה *locus dispositionis*, quòd illic disponerentur ligna ad cremandas hostias quæ offerebantur Domino.

14. *Terra* הארץ] i. Spatii illius ac intervalli interjecti inter atrium inferius & atrium superius. Atrium Sacerdotum erat divisum in duo atria, nempe in atrium Inferius, i. spatium illud quod vergebat ab altari versùs atrium Virorum Orientem versùs; & in atrium Superius, quod vergebat ab eo altari versùs vestibulum; ità dictum quòd esset loco eminentiore propter acclivitatem montis. Fortè atrium istud superius dicebatur *atrium majus*, dignitate scilicet. Utrum autem eorum fuerit majus aut minus quantitate ignoratur. Porrò inter duo illa atria erat locus sive situs illius altaris. Doctiores existimant atrium inferius fuisse atrium parvum. ¶ *Inferiorem* התחתונה] i. Usque ad atrium inferius. ¶ *Latitudo autem* ורחב] i. Spatium illud sive pars illa quæ erat ex utraque parte altaris, & supererat ac remanebat ex quatuordecim cubitis ipsius atrii inferioris in quorum spatio situm erat altare illud duodecim cubitorum, *erat latum* ex utraque parte ipsius altaris *cubitum unum.*

15. *Altare autem* וההראל] *Basis autem altaris.* Dicta est basis altaris הראל, i. *mons Dei*, quòd solerent exstruere aras suas, & colere idola in montibus. Ajunt & altare dictum fuisse אריאל *leo Dei*, quòd ignis de cœlo demissus videretur illis ut Leo recumbere; vel quòd, instar Leonis, pars ejus anterior esset latior sive laxior posteriore. ¶ *Quatuor* erat *cubitorum* ארבע אמות] Sub. *in longitudine*, *latitudine & altitudine.*

16. *Porrò altare ipsum* והאריאל] i. Anterior ac superior pars altaris quæ imposita erat ipsi basi. ¶ *Quadrangulis suis* רבעיו] Significat latera quadranguli, unde quidam vertunt *in quatuor lateribus suis.*

17. *Atrium autem illud* והעזרה] De inferiore atrio parvo loquitur. ¶ *Clausura verò* והגבול] Ad verb. *Terminus verò*, vel *limes*, i. corona ambiens atrium ipsum erat dimidii cubiti

cubiti in altitudine. ¶ *Medium quoque* וחיק] *Meditullium quoque.* In medio illius atrii erat aliquid altum *cubitum unum per circuitum.* Ignorant Hebræi quidnam fuerit. ¶ *Erant versùs Orientem* פנות קדים] Ad verb. *aspiciebant Orientem.*

18. *Hæc sunt statuta* אלה חקות] *Hi sunt ritus. Hæ sunt leges*, sub. *observandæ circa altare illud.* ¶ *Et ad spargendum* ולזרק] *Et ad effundendum.*

19. *Et dabis* ונתתה] q. d. *Primò trades*, &c. ¶ *Levitis* הלוים] i. Levitici generis, de tribu Levi. ¶ *Sadoc* צדוק] Hic primus functus est munere ac officio summi Sacerdotis in Templo Salomonico. ¶ *Qui accedunt ad me* הקרובים אלי] Vide c. 42. 13.

20. *Cornibus illius* קרנותיו] Sub *altaris.* ¶ *Ejus atrii* העזרה] Sub. *inferioris*, de quo v. 17. ¶ *Et in clausura* ואל הגבול] Vide v. 17.

21. *Et combures eum* ושרפו] Sub. *ille cui munus illud demandatum fuerit.* ¶. *Secundùm præceptum domûs* במפקד הבית] *In præcepto ædis*, i. in parte sive loco ædis ad id jussu ac præcepto Domini destinato cremandis carnibus hostiarum oblatarum in honorem Domini. ¶ *Extra sanctuarium* מחוץ למקדש] *Citra sanctuarium*, i. atrium illud inferius quod sanctificatum erat sanguine vituli.

22. *Die verò secundâ* וביום השני] *Postero autem die*, vel *Postridie autem.* ¶ *Perfectum* תמים] *Immaculatum*, vel *integrum*: i. in quo nullum sit vitium. ¶ *Et expiabunt* וחטאו] Sub. *Sacerdotes.* Alii, *& mundabunt.*

23. *Filium vaccæ perfectum* בן בקר תמים] *Filium bovis* [sive *vitulum*] *integrum*, i. qui careat omni vitio.

24. *Et offeres eos* והקרבתם] *Et offeres illa.*

25. *Facies* תעשה] i. Sacrificabis: sic Exod. 10. 25. ¶ *Per diem* ליום] *Per dies singulos.*


26. *Et consecrabunt manus suas* ומלאו ידיו] Ad verb. *& replebunt manus ejus*, i. Sacerdotes replebunt carnibus victimarum manus Sacerdotis offerentis ac fungentis officio Sacerdotali: vel *replebunt manus suas*, sub. *munere offerentis.* Chald. *& offerent oblationes suas.* Doctus inter Hebræos vertit, *& replebunt loca ejus*, i. superficiem ejus altaris. q. d. Offerent oblationes ejus quæ in illo offerri debent.

27. *Completis illis*, &c. ויכלו את הימים וגו'] *Exactis autem illis diebus, die octavo atque in posterum.* Ad verb. *Et complebunt dies illos* septem, *& erit in die octavo, & ultrà facient*, &c. ¶ *Et placatus ero* ורצאתי] *Et delectabor in vobis*, i. Singulari vos prosequar amore; deamabo vos.

CASTALIO.

11. Q*Uòd si suorum tot factorum pudet eos, formam templi*, &c.] Res Divinæ redeuntibus ad frugem patefiunt.

13. *Ara autem dimensiones*] Aram describit cujus, hæc erit figura.



A *sinus cubitalis*; h. e. altitudine cubitali: Qualis loquendi modus positus est suprà in altitudine lavacrorum, & paulò post ponetur in Arielis altitudine. Est autem sinus eâdem latitudine quâ altitudine. B *spatium dodrantale*, quod *sinum ad labrum*, h. e. ad crepidinem ipsius sinûs, *circumdat.* ¶ *Atque hic quidem est dejectus Aræ*] h. e. Sinus ad imam areæ partem. *Ab hoc sinu ad inferiorem aream*, h. e. ab *A* ad *C*, *sunt duo cubiti.* Vocat autem *aream*, aræ retractionem, *latitudine unius cubiti C D.* Ab hac area ad superiorem, sunt *quatuor cubiti* D E. Vocat autem inferiorem aream *minorem*, non longitudine (est enim superiore longior duobus cubitis) sed toto ejus spatio, quippe quæ sit *latitudine unius cubiti*: cùm superior area, h. e. aræ tectum, ut ità loquar, pateat *in longitudinem & latitudinem duodenos cubitos.* Nominat autem superiorem aræ partem, h. e. quicquid est supra inferiorem aream, *Arielem*: quod verbum in 2 Reg. 23. & 1 Paral. 11. *immanem leonem* significat. Sonat autem *leonem Dei*, sive *Divinum*: Quo nomine dicta est ea pars areæ, quòd in ea victimæ comburantur & tanquam à leone consumantur. Itaque nos *Leodeum* sumus interpretati. Patet *Leodeus in altitudinem quatuor cubitos D E, in latitudinem duodecim* E F, *in longitudinem totidem* G H, *quadratus quatuor sua quadratura partibus*, h. e. lateribus & costis, ut ità loquar, habénsque in fastigio *cornua quatuor. Area* est Leodeo duobus cubitis longior, videlicet quanta est retractio, quæ est ejus latitudo; ut sit *longa & lata quatuordenos cubitos I K & I L, circumdata spatio dimidii cubiti*, h. e. dodrantali, ut suprà nominavit. Circumdat enim spatium hoc quod literâ *A* signatum est, totum inferioris areæ corpus, quod ad terram usque pertinet. Atque hæc ara scanditur *gradibus ad Orientem spectantibus*, signatis literâ *M*, quoniam Templum quoque ad Orientem conversum est.

CLARIUS.

1. E*T duxit me ad portam*] Dimenso ambitu montis, iterum ad illam portam perducitur quâ primùm aditur precaturis ad Templum, quâque primum ingressus, & juxta quam dudum metiri cœperat amplitudinem montis: est enim extra montem, sed introducendus. Jam igitur ad portam *Orientalem* revocatur, quà rectà aditur ad Templum. Non erat fas in atrio ex transverso præterire januam Templi, nec obvertere tergum sanctis: cujus gratiâ in lateribus muri portæ erant, quibus egrediebantur, nè tergum sanctis obverterent. Non aliter & nobis legitimè ingressuris ab Oriente rectà Occidentem versùs iter instituendum, ut sit in oculis Templum Domini, & non affectus carnis obliquus. Quòd si tractandæ res perituræ pro carnis necessitate, id ex Deo adoriamur, nè aversi Deo tergum demus. Ab exortu itaque Solis justitiæ inchoantes procedimus versùs occasum & interitum carnis: quod nihil est aliud quàm intrare in sancta & arcana illa cœlestia.

2. *Et ecce gloria Dei Israel*] Hic mensor ab Occidente perfunctus munere & hujus vitæ dispensatione, ad Orientem redit, & mox apparet gloria Domini. Occiderat enim Vita nostra in cruce, extra castra positus Christus Jesus, deletus de terra viventium. Discipuli, quorum imaginem Propheta gerit, sustinentur quadam spe resurrecturi ac regnaturi in gloria, qui erat reparaturus Regnum Israel: quod quidem est deducere ab Occidente & à morte ad Orientem ac vitam æternæ lucis. Verùm cùm Deus unigenitum suum iterum induxit in mundum, qui splendor? quæ gloria? nam; *Vox ejus*, inquit; *sicut vox aquarum multarum*, & alibi, *Vox ejus sicut vox Omnipotentis.* Intelligit concentum laudantium nomen illius; quòd sit grandisonus sicut aquæ multæ ruentes cum fragore ac sonitu: qui illius dicitur, quia nos Christi, Christus autem Dei. Sic Jonathas interpretatur. Et in Apocalypsi huc alluditur. Illud expendendum, Templo destructo cùm discessisset antea gloria Dei, *abolita esse vetera, novàque jam omnia facta.*

3. *Ut disperderem civitatem*] Cùm ingrederer ut prædicerem Civitatis eversionem.

8. *Juxta limen meum*] Licèt, inquit, regias & palatia sua juxta Templum meum construxerint, non tamen iccírco puriores fuerunt, sed omnibus abominationibus studuerunt, me ac Templum meum contemnentes.

10. *Confundantur ab iniquitatibus suis*] Per hæc verba declarat vim & ingenium illius domûs quam Ezechiel vidit aliud esse à domo Salomonis & Zorobabel. Nam domus à Salomone constructa permisit in pertinacia & idololatria populum, ut quæ terrena erat: Nec melior gens sub Templo secundo, etsi externam caverit idololatriam: Hæc autem Prophetæ domus alterius ordinis ac mensuræ est, & in singulis magnam habens diversitatem.

11. *Et si erubescant*] Nam *in malevolam animam non introibit spiritus sapientiæ*; neque digni sunt qui audiant spiritualis Templi exemplar quos peccatorum nondum pœnitet.

12. *Ista est lex domûs*] *Legem* nominat ritus Sacerdotum, Israelis & Mulierum hactenus expositos. *Hæc igitur lex domûs* Domini *in fastigio montis*, q. d. Jerusalem cœlestis, quæ sursum est. *Terminus* montis, ut urbs Jerusalem, *erit sanctum sanctorum*, non profana ampliùs comparata ad Templum, sicut pridem. *Mundis* jam *sunt omnia munda*, sancta sanctorum sunt omnia.

13. *Ista autem mensura altaris*] De altari isto non satis quoque convenit inter Judæos. Quidam accipiunt *sinum* vel *gremium* altaris pro *fundamento*; alii pro *capacitate*, quâ sursum *uno cubito* assurgebat. *Terminum* dicunt esse *labium* ipsum altaris, quod *in circuitu unum* habebat *palmum*: vel, ut Jonathas habet, est *clausura*, quæ altare supernè constringit. *Crepido superior* & *inferior* statio est & locus Sacerdotum offerentium sacrificia. HAREL, i. *Mons Dei*, est altare habens supernè lapides prominentes; propter quos etiam vocatum fuit ARIEL, i. *Leo Dei*. Alii aliud sentiunt. ¶ *Hæc quoque erat fossa altaris*] Alii verterunt, *Hoc est tergum altaris*, & dicunt esse altare aureum sacris suffitibus consecratum: quod quidam sic dictum accipiunt ut simili cubito mensi sint altare aureum.

14. *Et de sinu terræ*] i. *Ex media terra*, quæ locus est altaris; vel, *A fundamento terræ usque ad crepidinem inferiorem sunt duo cubiti*: ut unum latitudini, alterum longitudini tribuas: *à minore crepidine usque ad majorem quatuor cubiti*, *& latitudo unius est*.

15. *Ipse autem Harel*] Hic locus qui HAREL, i. *Mons Dei*, dicitur, altus fuit non ampliùs *cubitos quatuor*. Ad finem autem altitudinis quatuor cubitorum dilatatum fuit altare, & extrà prominebant lapides altaris: cui loco nomen est *Ariel*, & hic locus *Ariel* dictus *longus & latus est cubitos duodecim per quadraturam*.

17. *Et crepido*] Hoc loco *crepido* ipsa altaris structura est, tectum ejus cum loco cornuum, & loco Sacerdotibus trito, cui sunt cubiti viginti octo: sed tales à medio undique versùm metiendi sunt: quod Propheta expositurus dicit *in quatuor angulis ejus*, vel *ad quatuor quadraturas ejus*.

19. *Sacerdotibus Levitis*] i. Levitici generis.

DRUSIUS.

2. כְּקוֹל מַיִם רַבִּים. ὡς φωνὴ ὑδάτων πολλῶν, *ut vox aquarum multarum*] Theodoretus, παρὰ δὲ τῷ Ἑβραίῳ καὶ Σύρῳ εὗρον, ὡς φωνὴ, &c. Hieron. *Deinde ubi dicitur*, Vox erat ei, *haud dubium quin Deo*, quasi vox aquarum multarum, *Lxx posuerunt*, & vox castrorum, quasi vox geminantium multorum, καὶ φωνὴ τῆς παρεμβολῆς, ὡς φωνὴ διπλασιαζόντων πολλῶν. Cæterum in Ebræo est קוֹלוֹ φωνὴ αὐτοῦ *vox ejus*, nempe *Dei*.

3. בְּבֹאִי לְשַׁחֵת אֶת־הָעִיר. ὅτε εἰσήλθον ἐξαλεῖψαι τὴν πόλιν, *quando ingressus sum ad perdendam urbem*] Theodoretus, Παρὰ τῷ Σύρῳ καὶ παρὰ τῷ Ἑβραίῳ εὗρον, ὅτε εἰσήλθον, &c. δηλοῖ δὲ τὴν δευτέραν ἐπίδειξιν, &c. Vide notas ad ed. Rom. Ἀπολεῖσαι] Antea erat χρῖσαι *ad ungendum*, sive *ut ungerem*. Sed notatum in aliis libris esse χρῖσαι, quod idem ferme cùm ἐξαλεῖψαι. Sunt qui ex eo factum putant χρῖσαι errore describentium. Aliis τὸ χρῖσαι germanum est τοῦ ὁ. quod etiam Hieronymus agnoscit. *Venit autem ille*, inquit, *qui in principio hujus Prophetiæ vestitus erat lineis*, *& atramentarium habebat ad lumbos*, *cum aliis sex*, *ut disperderet civitatem*, *non ut* ungeret, *quod Lxx transtulerunt*.

8. בֵּינִי וּבֵינֵיהֶם. ἀναμέσον ἐμοῦ καὶ αὐτῶν *inter me & ipsos*] Idem ferè valet quod in Lxx συνεχόμενον ἐμοῦ καὶ αὐτῶν, quod reddunt *connexum inter se & me*. Simul utrumque legitur in quibusdam libris, συνεχόμενον ἀναμέσον ἐμοῦ καὶ αὐτῶν.

9. וּפִגְרֵי מַלְכֵיהֶם. καὶ πτώματα ... *& cadavera*] Libri quidam παραπτώματα· ut suprà pro φόνοις, παραπτώμασι. Cæterùm πτώματα quidam *ruinas* interpretantur, i. πτώσεις. Lex. Græco-Lat. vetus, Πτῶμα ἐπὶ νεκροῦ, *cadaver*. Πτῶσις, ἐπὶ οἰκοδομῆς, *ruina*, *rues*. Παράπτωμα aliud est. Idem Lexicon, Παράπτωμα, *delictum*. Alibi est, *lapsus*, *offensa*, *erratum*, *peccatum*. Sed hic pro *cadavere* sumi putarim. Πτῶσις videtur etiam poni pro Πτῶμα Nah. 3. 3. βαρείας πτώσεως· nam in Ebræo est פגר. Sunt autem verba edit. τῶν ἑβδομήκοντα, qui Gen. 15. 11. פגרים reddunt σώματα, quæ vox etiam *cadavera* sign. i. πτώματα. Sanè in Euangelio quod unus dicit ὅπου τὸ πτῶμα, alius extulit ὅπου τὸ σῶμα, *Ubi cadaver*, *ibi aquilæ*.

10. וְיִכָּלְמוּ. ἵνα ὡς ἐντραπῶσιν, *siquo modo confundantur*] i. Pudore afficiantur. Pro ἵνα ὡς vide num sit legendum ὅπως. nam in Ebræo ו *&*, quod sæpe & τελικὸν & pro ἵνα usurpatur.

11. וּתְכוּנָתוֹ וּמוֹצָאָיו וּמוֹבָאָיו. καὶ τὴν ἑτοιμασίαν αὐτοῦ, καὶ τὰς ἐξόδους αὐτοῦ, καὶ τὰς εἰσόδους αὐτοῦ, *& præparationem ejus*, *& exitus ejus*, *& introitus ejus*. ¶ וְכָל־תּוֹרֹתָו. καὶ πάντας τοὺς νόμους αὐτοῦ, *& omnes leges ejus*.

12. זֹאת תּוֹרַת הַבָּיִת. οὗτος ὁ νόμος τοῦ οἴκου, *Ista est lex domûs*.

13. אַמָּה וָטֹפַח. πῆχυς καὶ παλαιστὴς, *cubitus & palmus*] Sunt qui utantur voce Græcâ *palastes*. In antiqua versione apud Hieronymum *cubitus & palastes*. Hieron. in sua, *cubitum* sive *palmum* sive παλαιστὴν. Dicitur & παλαιστή. Idem in Comment. *cui jungitur palmus*, i. παλαιστὴ, *sextam habens partem cubiti*. Lex. V. Παλαιστὴς χειρὸς, *palmus*, *palma*. Hieronymus distinguit, *Palmus*, inquit, *Græcè dicitur* παλαιστὴ, *& est sexta pars cubiti*. *Alioquin Palmus* σπιθαμὴ *sonat*, *quam nonnulli pro distinctione* palmam, *porrò* παλαιστὴν palmum *nominare consueverunt*. ¶ וּגְבוּלָהּ Lxx καὶ γεῖσος. A. Sym. Th. *terminus*] Hieron. *Et definitio ejus usque ad labium ejus*: *pro quo Aq. Sym. & Th. posuerunt* terminum, *Lxx rursum* γεῖσον *interpretati sunt*. In ed. Rom. notatum, pro γεῖσον Hieronymum posuisse *labium*, i. χεῖλος. Falsum. Nam γεῖσον respondet *definitio*. Sequitur autem ἐπὶ τὸ χεῖλος, quod ipse transfert *usque ad labium*. Cave hic fallaris. Γεῖσος] Hieron. *Hujus verbi*, *ut jam antè dixi*, *non possum scire rationem*, *nec cujus linguæ sit dicere confidenter*; *nisi hoc admonere lectorem*, *quòd ubi nunc* definitionem *interpretatus sum*, *infrà* coronam *transtulerim*. Antè notavi γεῖσον sive γεῖσσον ex Moschopulo τὸ προῦχον τὸ ὑπερθύρου. Lexica interpretantur *suggrundam* sive *suggrundium*, i. partem tecti prominentem quâ stillicidia à parietibus arcentur.

14. מֵחֵיק הָאָרֶץ עַד־הָעֲזָרָה הַתַּחְתּוֹנָה. Aq. ἀπὸ τοῦ κόλπου τῆς γῆς ἕως τοῦ κρηπιδώματος τοῦ κατωτάτου, *de sinu terræ usque ad crepidinem infimam*. עזרה. Sym. περίδρομον. Th. *Azara*] Hieron. *Crepidinem sive propitiatorium Theodotio ipso Ebraico nomine appellavit* AZARA. Et haud ità multò pòst, *Porrò* crepido (*pro qua Lxx* propitiatorium, *Theodotio*, *ut suprà*, AZARA, *Sym.* περίδρομον, *h. e.* circuitum, *interpretati sunt*) *quatuordecim cubitorum erat longitudinis* ¶ מֵהָעֲזָרָה הַקְּטַנָּה. A. ἀπὸ κρηπιδώματος τοῦ κατωτάτου *à crepidine infima*: התחתונה. Suspicor legendum τοῦ μικροῦ, aut aliquid tale. Hæc scripseram cùm ecce in editione altera invenirem, מֵהָעֲזָרָה הַקְּטַנָּה עַד־הָעֲזָרָה הַגְּדוֹלָה. Aq. κρηπιδώματος τοῦ μικροῦ ἕως τοῦ κρηπιδώματος τοῦ μεγάλου, *à crepidine minore usque ad crepidinem majorem*.

15. הַהַרְאֵל. Lxx τὸ Ἀριὴλ] Elegerim τὸ Ἀρεήλ, *Hariel*, vel certè *Harel*. Id sonat *mons Dei*, ὄρος Θεοῦ. Sic interpretantur Polychronius & alii. Theodoretus, τὸ Ἀριὴλ, σημαίνει τῇ Ἑβραίων φωνῇ ὄρος Θεοῦ, ἢ κατ' ἄλλην ἑρμηνείαν, φῶς Θεοῦ. Hieron. ARIEL, *ut plerique æstimant*, *interpretatur*, lux mea Deus; *ut autem ego arbitror*, leo, *vel* fortis, Dei. Paulò pòst, וְהָאֲרִיאֵל *& ab Ariel*. Id valet, *Leo Dei*. Nam φῶς Θεοῦ esset אוריאל ORIEL, i. *lux mea Deus*. Eusebius, ἑρμηνεύεσθαί φασι τὸ Ἀριὴλ, λέων Θεοῦ. In libro Locorum, ARIEL, *Aq. Sym. Leo Dei*. Vide Fragmenta in Jesaiam. Theodoretus putat nomine *Ariel* hoc loco significari basin altaris. Interpretes Jesaiæ de ipso altari enarrant. Sed de hac re aliàs.

16. רֹחַב. πλάτος *latitudo*.

17. וְהָעֲזָרָה. Th. *& Azara*. Sym. καὶ ἡ περίδρομος *& circuitus*] Hieron. *& crepido*. ¶ וְהַחֵיק־לָהּ. Sym. *consummatio ejus*] Hieron. *& corona in circuitu ejus dimidii cubiti* (*pro qua rursum Lxx* γεῖσον *interpretati sunt*) *& sinus* (*sive juxta Sym.* consummatio ejus atque perfectio) *cubiti unius per circuitum*. Paulò pòst, *& sinus ipsius propitiatorii*, *sive* consummatio atque perfectio (*quam Symmachus interpretatus est* περίδρομον) *habebat unum cubitum*. Fortè Hieronymus initio scripserat, *consummatio* sive *perfectio crepidinis*, *quam*, &c. aliàs non concilio hæc cum superioribus.

19. פַּר. Th. *vitulus*. Sym. *taurus*] Hieron. SADOC *autem interpretatur* justus. *Offerturque juxta Lxx & Th.* vitulus, *juxta Sym.* taurus. *Vitulum autem qui pro nobis immolatus est*, *& multa Scripturarum loca*, *& præcipuè Barnabæ Epistola*, *quæ habetur inter Scripturas apocryphas*, *nominat*. TAURUS] Potiùs *juvencum* denotat, qui est mediæ ætatis inter שור *bovem* sive *taurum* & עגל *vitulum*.

26. וּמִלְאוּ יָדָיו. A. Sym. Th. *implebunt manus ejus*] Hieron. *& implebunt manum ejus*, *& Ebraicum*, *& cæteri Interpretes transtulerunt*.

GROTIUS.

2. Et ecce gloria Dei Israël ingrediebatur per viam Orientalem] Sicut exierat olim ex Templo, Templum deserens

cap.

cap. x. ità futurum erat ut in Templum rediret, id est, rursus acceptam haberet eam sedem ac sacra, iisque suam tutelam exhiberet.

15. *Ipse autem Ariel*] Vide dicta Esaiæ XXIX. 1.

19. *Et dabis Sacerdotibus & Levitis, qui sunt de semine Sadoc, qui accedunt ad me, ait Dominus Deus, ut offerant mihi vitulum de armento pro peccato*] In Hebræo est, *Sacerdotibus Levitis*: id est, qui ex Levitico sunt genere, legitimis Sacerdotibus. Nec aliter LXX & Chaldæus. Unde credi potest hìc vitium esse scribæ in Latino. Omnia hæc facta sunt ἐν ὁράσει [*in visione*], quò magis animis retinerentur ritus præcepti Exodi XXIX. Levit VIII. 14.

15. Nam Ezechiel hic refert personam ἰδιώτου [*privati hominis*]. Rabbini ineptè Ezechielem hoc facturum ajunt post Resurrectionem primam in Templo tertio.

CAP. XLIV.

MUNSTERUS.

2. P*Orta ista clausa erit*] Torserunt quidam Christianorum hæc verba, pio quidem animo, ad matrem Christi quòd pòst partum manserit virgo, sicut ante partum. Quod cùm Jehudæos irrisores Christianæ pietatis non lateret, occasionem indè sumpserunt blaterandi in Christianos. Nam maledictus ille Rabi, autor libri Nizahon, sic scribit hoc loco, כאן פיקר מין אחד ואומר שהוא רמז לישו שנולד מבתולה שלא נזקקה לאיש ידתבה כנור ולא נפתח בית הרחם שלא כלו׳ שלא נבעלה אכו של ישו מעולם לא לפני לידתו ולא לאחר לידתו. והשיב לו ההורי׳ קרי לקמך הפסוק הסמוך אחריו׳ את הנשיא נשיא הוא ישב בו לאכול לחם לפני ה׳ משמע שבאותו שער ישב הנשיא לאכול לחם: Et hæc quidem tam absurda non sunt: sed pudet referre ea quæ sequuntur, quomodo ludat eum *porta*, & ex ea faciat בית הרחם של אשה &, quod absurdissimum est, שער הנדרון. Qui legit, intelligat.

3. *Ad principem pertinebit*] Hebræi exponunt את pro אל, sicut & Jonathan vertit, לרבא יהי רבא הוא יתיב ביה, i. *Principis erit, & Princeps sedebit in ea; ut scilicet ibi comedat sacrificia sua pacifica coram Domino: sed non transibit portam, eò quòd gloria Domini introierit per portam illam.* Nostri per hunc *Principem* intelligunt Christum: Et huic pervia est porta gloriæ Dei, quòd *nemo noverit Patrem nisi Filius, & cui Filius voluerit revelare.* Et, *Nemo ascendit in cœlum, nisi Filius hominis, qui est in cælo.*

11. *Mactabunt holocaustum*] Hoc, inquit, erit officium Levitarum qui idolis ministraverunt; exsequentur officia minora, erunt janitores & detractores pellium pecuinarum: officia autem majora illis sint interdicta, ut sunt Accessus ad altare, Oblatio hostiarum.

20. *Neque cæsariem dimittent crescere*] Vetat *radere caput*, & rursum prohibet promissum capillum, sed jubet לכסום, h. e. להשוות, ut Hebræi exponunt; i. *pilum æquare capiti*, ut non nimis promissus sit in morem mulierum, nec in cranio resectus.

25. *Ad mortuum hominem non ingredietur*] Tangere corpus mortuum non est malum, cùm inter opera Misericordiæ numeretur Sepultura defuncti hominis; sed ceremonia est in Lege designans pios cum mortuis in peccatis non debere consuetudinem habere.

26. *Anathema*] i. Quicquid abdicatum fuerit, & ab usu profano Deo consecratum.

VATABLUS.

1. S*Anctuarii exterioris* המקדש החיצון] Per *atrium exterius* Hebræi intelligunt היכל, i. *Templum*, quòd sit exterius respectu דביר, h. e. *adyti*. Latini verò intelligunt atrium Sacerdotum, sanctificatum quidem propter altare quod in eo erat & sacrificia quæ illic fiebant, sed minùs sanctum Templo ipso, & exterius respectu illius.

2. *Clausa erit* סגור יהיה] Sub. *populo* sive *plebi*, non autem Sacerdotibus, aut Principi.

3. *Ut comedat panem coram Jehova* לאכול לחם לפני יהוה] i. Ut vescatur parte suâ victimarum pacificarum ad portam Templi, vel juxta Templum in quo Dominus exhibiturus est suam præsentiam.

4. *Et adduxit me* ויביאני] *Et introduxit me.* ¶ *Coram domo* אל פני הבית] i. Ante Templum.

5. *Et dixit* ויאמר] Sub. *de Templo.* ¶ *Pone cor tuum* שים לבך] *Appone cor tuum.* Hebraismus, Adverte; adverte animum, sive attende diligenter. ¶ *Statutis domûs* לחוקת בית] *Ritibus domûs*, vel *circa domum.* ¶ *Ponas item cor tuum*, &c. ושמת לבך וגו׳] Hebraismus, consideres & attendas diligenter omnes ingressus & egressus ædis sive Templi.

6. *Sufficiat vobis* רב לכם] *Satis sit vobis*: q. d. Sat vobis sit omnes istas abominationes perpetrasse. Satis superque peccastis in me. Vide c. 45. 9.

7. *Ut essent in sanctuario meo* להיות במקדשי] i. Ut fungerentur officio Sacerdotali in Templo meo. ¶ *Panem meum* את לחמי] i. Escam meam. ¶ *Et dissolverunt* ויפרו] *Et dissipaverunt: irritum fecerunt.*

8. *Sanctitatum mearum* קדשי] *Sanctificationum mearum.* Alii, *sacrorum meorum. Sanctificationes* vocat sacrificia in honorem Dei facta: q. d. Non observastis quæ præceperam servari circa sacrificia mea sancta, constituentes Sacerdotes in Templo meo pro arbitrio vestro, non ex Legibus à me latis. ¶ *Sed posuistis* ותשימון] Ad Verb. *& posuistis*; pro *sed constituistis.* ¶ *Custodes custodia*, &c. לשומרי משמרתי וגו׳] Hebraismus, pro, *qui observarent quæ observanda jusseram in templo meo, pro arbitrio & nutu vestro, non juxta præceptum meum.* Id significat *vobis*.

10. *Qui erraverunt à me* אשר תעו מעלי] *Qui* Israelitæ *errando defecerunt* [vel *errando recesserunt*] *à me.* ¶ Euntes *post* אחרי] *Sectando.* ¶ *Iniquitatem suam* עונם] i. Pœnam iniquitati eorum debitam. Hebraismus, dabunt pœnas propter iniquitatem suam.

11. *Stabunt in conspectu eorum* יעמדו לפניהם] More scilicet ministrorum. Ista videtur esse plena locutio quæ concisa legitur Gen. 2. 18. *Adjutorium quod sit coram eo*; de Muliere.

12. *In offendiculum iniquitatis* למכשול עון] Hebraismus, fuerunt causa ut Israelitæ admiserint iniquitatem gravissimam. ¶ *Levavi manum meam* נשאתי ידי] Vide c. 20. 5.

13. *Et accedent*, &c. ולנשת וגו׳] i. Ut ministrent mihi in sacrificiis quæ sacrosancta sunt. ¶ *Sed portabunt ignominiam suam* ונשאו כלמתם] *Sed ferent confusionem suam*: ut v. 12. *portabunt iniquitatem suam.*

14. *Custodiæ domus* משמרת הבית] *Custodiam* vocat ea quæ Deus præcepit observari in suo Templo.

15. *Filii Sadoc* בני צדוק] i. Nepotes Sadoc, qui functus est officio ac munere Sacerdotali primus in Templo Salomonis, ut dictum est c. 43. 19.

16. *Custodiam meam* משמרתי] i. Quæ custodienda & observanda jussi.

17. *Et intrinsecùs* וביתה] *Et parte internâ*, vel *parte penitiore*, sub. *Templi.*

18. *In locis sudoris* ביזע] i. In partibus corporis in quibus excitatur sudor: q. d. Non accingent sese in parte corporis inferiore, i. subter lumbos, neque in parte superiore, putà sub axillis, sed in parte media corporis.

19. *Cùm autem egredientur* ובצאתם] Vide eadem c. 42. 14. ¶ *Et non sanctificabunt* ולא יקדשו] *Ne sanctificent populum*, i. vestes plebejorum contactu vestium suarum; h. e. ne videantur vestes populi reddi sanctiores contactu vestium sacrarum. Videntur enim profana reddi sacra contactu sacrorum.

20. *Non demittent* לא ישלחו] i. Non gestabunt comam demissam: non nutrient comam.

21. *Atrium illud interius* אל החצר הפנימית] Per *atrium interius* partem posteriorem atrii Sacerdotum intelligit, quam priùs vocavit *atrium superius*, nempe spatium illud quod erat ab altari versùs vestibulum. Nam atrium inferius erat pars anterior ipsius atrii Sacerdotum, ideo quòd primùm se offerebat introeuntibus.

22. *Aut repudiatam* וגרושה] Hìc ו pro *aut* positum, ut etiam mox, *aut viduam quæ*, &c. ubi ו Hebraicè legitur.

24. *Et in controversia* ועל ריב] *Et super litem*, vel *controversiam.* Alii, *Et obortâ lite ipsi stabunt*, &c. ¶ *Juxta judicia mea* במשפטי] *Per leges meas. Legibus meis.* ¶ *Sanctificabunt* יקדשו] i. Observabunt diligenter, & observanda curabunt.

25. *Et matrem* ולאם] Hìc & sequentibus ו pro *aut* positum. ¶ *Contaminabit se* יטמא] i. Accedet & ingredietur, & sepeliet eum officii gratiâ; & ità polluet se.

26. *Postquam*, &c. ואחרי וגו׳] *Et post purificationem suam septem* alii *dies numerabuntur ei*, vel *numerabunt illi*: i. Posteaquam expiaverit sese spatio septem dierum à pollutione illâ quam contraxerat propter contactum vel præsentiam cadaveris, alii Sacerdotes numerabunt ei septem alios dies, nè scilicet ille obliviscatur numeri dierum quatuordecim quibus expiabit sese antequam admittant eum in atrium. Vel juxta aliorum opinionem, *Et post purificationem suam septem dies numerabunt illi*; i. posteaquam recesserit ac separaverit sese à cadavere illo (nam ut præsentiâ illius polluerat sese, ità

absentiâ ejus videtur sese purificare) septem dies numerabunt illi quibus expiet sese.

27. *Sanctitatem* אל הקדש] *Sanctuarium.*

28. *In hereditatem* לנחלה] *Vice hereditatis.* Seipsum mox declarat.

29. *Et quicquid dedicatum erit* וכל חרם] Ad verb. *& omnis dedicatio:* vel *consecratio*, i. quicquid consecratum fuerit Domino ab Israelitis.

30. *Et omnis oblatio* וכל תרומת] à רום, quod *elevare* sive *exaltare* significat, derivatur: unde *levationem* quidam vertunt, quòd sursum ac deorsum levaretur aut moveretur. Alii vertunt *separationem*, i. oblationem separatam. ¶ *Pastarum vestrarum* ערסותיכם] *Conspersionum vestrarum*, i. panum vestrorum. ¶ *Ut ponat* להניח] Ad verb. *ut requiescere faciat*, i. ut benedicatur à Domino *domus tua.*

31. *Nullum morticinum* כל נבלה] Ad verb. *Omne morticinum*, &c. *non comedent.*

CASTALIO.

8. NEque *sacrorum meorum curam geritis, sed vobis ipsis in sacrario meo posuistis qui disciplinæ meæ custodes sint*] Quos disciplinæ meæ custodes statuistis, vobis statuistis, non mihi; ut vobis, non mihi inserviant.

CLARIUS.

1. ET *convertit me*] Vidit suprà gloriam Domini viâ portæ Orientalis in domum ingredi: ipse autem citra domum restitit, in interiore videlicet atrio, Domini gloriâ intus replente domum. Igitur portam apertam vidit; quia, cùm foris staret, non dubiè per portam viderat gloriam Domini: neque enim aliunde ex atrio in Templum ullus prospectus. Jam reducitur illâ *viâ* quæ ducit *ad Sanctuarium exterius*, ad eandem domum Domini, h. e. ab atrio versùs Templum, tanquam introducendus deducebatur. Nam in atrio erat, neque Sanctuarium, pergenti viâ Orientali Occidentem versùs, aliud objectum habet quàm Templum & Sancta sanctorum, hæc interius, illud *exterius*, ut in hoc loco constituto *Sanctuarium* dicitur. Itaque fores Templi dudum apertas, jam *clausas* reperit.

2. *Clausa erit principi*] Hæc porta, quâ pervidetur gloria Dei, nulli pervia est nisi Principi. *Nemo enim novit Patrem nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* In atrio Sacerdotes reliqui, hic *Princeps in porta hac* gloriæ Dei, apertâ sibi uni, *sedet, & comedit coram Deo:* quia *nemo ascendit in cælum nisi filius hominis, qui est in cælo. Comedit* autem *in conspectu Dei:* quia, *Meus*, inquit, *cibus est ut faciam voluntatem ejus qui misit me, & opus ejus perficiam.* Neque verò spernendi sunt qui *clausam* hanc *portam* etiam ad beatissimæ Mariæ matris Dei perpetuam virginitatem referunt. Atque hoc loco tertiò repeti *clausam* ajunt, quòd & ante partum & in partu & post partum virgo semper fuerit.

4. *Et adduxit me per viam portæ Aquilonis*] Viâ Orientali clausa manet porta; jam reducto in *viam Aquilonis* iterum repanditur: ut sepulto & Sabbatum Christi magnum agenti, cum eodem aperiri portam, & monstrari per eam *gloriam Domini* significaret. Sed iterum *cadit* in terram *pronus*, quia adhuc quod mortificetur superest, & scientia vera humiliat.

5. *Pones cor tuum in viis Templi*] Quòd attentionem tantopere efflagitat, nos Christi Sacerdotii admoneat. Non enim parvi momenti esse oportet quod notandum tantopere suadetur. Quòd si Episcopus es, omnium portarum curam habebis & *omnes exitus* observabis, nequi indigni in sancta perrumpant, contagioneque gregem inficiant.

9. *Omnis alienigena incircumcisus corde*] Nè inter filios Israel sub Christo Rege, Ecclesiæ *alieni* sese admisceant, hîc habes distinctionem duplicis *Israelis*. Alius *alienus* ac degener, alius germanè *Israel* dicitur: hic Templo frequentando idoneus, ille abarcendus est.

11. *Erunt in Sanctuario meo aeditui*] *In Sanctuario meo*, quod sanctificat, habitabunt, h. e. in gratia Mediatoris. Custodias agent, ut sciant quid fieri velim, & ut caveant illecebras peccatorum: hoc enim est *portas & aditus omnes observare. Holocaustum* perfecti obsequii, & pacificas hostias reconciliationis, per pœnitentiam mactantes carnem suam, *immolabunt, servient populo:* Charitas enim liberos ob justitiam, sed omnium servos facit. Tribuit Sacerdotalia munera Levitis, fortasse ut alludat ad historiam montis, ubi toti populo pollicitus est quòd omnes sint futuri *Regnum sacerdotale*, Exod. 19. Tractat enim hoc capite Sacerdotium Christi in electis, cujus nomine & ipsi habentur Sacerdotes.

12. *Pro eo quòd ministraverunt illis*] Quia peccaverunt, & aliis causa ruinæ fuerunt, ideo juro ego quòd tum eos admissorum pœnitebit. Prima enim janua ad salutem est Se agnoscere peccatorem. Nec usurpabunt partes spiritualis Sacerdotii reliquas, nimirum, quæ ad *Sancta* & *Sancta Sanctorum* pertinent, sibi conscii: sed potiùs *jacient fundamentum pœnitentiæ à mortuis operibus, & fidei in Deum.*

15. *Sacerdotes autem Levitæ filii Sadoch*] Leviticum genus novum distinguit. Sunt enim qui ante illuminationem Spiritûs probè vixerint in casto timore Domini; quorum imago est posteritas Sadoch. In veteri enim Sacerdotio fideliter ille permansit, primo Templo nato, liber ab erroribus Israelitici vulgi. Sunt rursus qui corrupti contagio improborum cum mundo in exitium ruerunt, & tamen semen aliquod timoris Domini habent, corde & corpore aliquid præ se ferentes circumcisionis. Hi mox admoventur Sacerdotio, cui tamen inserta est victimarum jugulatio, h. e. ulterior carnis mortificatio. *Adipis* & *sanguinis* commeminit de peccato, delicto, & de pacifico sacrificio, quorum proprium erat ut illorum adeps combureretur, & sanguinis aspersio ex eis fieret: quia per Christum tutum habent aditum ad Patrem, illius sanguine aspersi, & visceribus dilectionis reparati, condonatis peccatis & delictis omnibus. Hujus rei fides penes Deum tota est: quia sequitur, *Sic ait Dominus Deus.* Ille non fallit, nec mutat promissa.

17. *Vestibus lineis induentur*] *Lineâ vestiuntur* omnes *inter ministrandum per atrium* universum. *Seniores* 24 *candidis palliis vestiuntur*, Apoc. 4. & *innumerabilis illa multitudo ex omnibus gentibus & linguis illorum qui steterunt ante thronum & in conspectu agni, induti erant stolis albis*, Apoc. 7. Maria reflectens oculos in sepulcrum cùm Dominus surrexisset, vidit *Angelos albis vestimentis ornatos.* Cùm ascendisset Dominus in cœlum, *astitere Discipulis duo viri in albo vestitu.* Quid igitur aliud quàm Novi Testamenti Sacerdotium, novitatem vitæ, candorem innocentiæ, cœlestem conversationem renatorum Spiritu Christi, *Sacerdotum Leviticorum linea*, i. alba, *vestimenta* indicant? Quò factum est ut Veteres nuper baptizatos, & illos qui lavacro mystico brevi initiandi essent, albis vestibus adornarent. Unde & novam Dominicam *Dominicam in albis* appellaverunt.

18. *Non accingentur in sudore*] Vel *in loco sudoris. Locum sudoris* latera media sub costis & axillis esse volunt: nam sudor iis locis primùm erumpere creditur. Ergò supra femora, infra tamen axillas, subligaculum illud alligabatur. Ex corde profecta charitas porrigitur, quæ *obtegit multitudinem peccatorum:* & citra sudoris molestiam & æstimationem laboris servitus est piorum. *Hilarem enim datorem diligit Deus.*

19. *Vestient se vestimentis aliis*] Quando prodeunt in cœtum alius convenit habitus: tunc enim vultus, gestus, sermo auditoribus est accommodandus. Sunt enim quædam vulgaris perquisitionis; quædam spectant duntaxat ad perfectiores, ut Paulus ait, *Sapientiam loquimur inter perfectos.* Non est autem coram simplicioribus, qui *adhuc lacte indigent*, de sublimioribus subtiliter disputandum, nè indignis, aut certè parùm idoneis, mysteria eloquiorum Dei projiciantur. Et hoc appellare videtur *sanctificare populum.*

25. *Ad mortuum hominem non ingredientur*] Tangere corpus mortuum non est malum, cùm inter opera Misericordiæ numeretur Sepultura defuncti hominis; sed ceremonia est in Lege, designans, Pios cum mortuis in peccatis non debere habere consuetudinem.

DRUSIUS.

3. אולם השער. Πρόθυρον πύλης *vestibulum portæ*] Schol. Ἀιλὰμ ἑρμηνεύεται πρόθυρον πύλης. Hier. *vestibulum, i. Ailam.* Sym. alibi προπύλαιον. Aq. πρόδομον. Vitruvius dixit, *ante januam vestibulum.* Unde colligas aliud vestibulum esse quod non sit ante januam.

6. אל מרי. A. Sym. Th. πρὸς ἐριστὴν καὶ φιλόνικον *ad contentiosam & pervicacem*] Schol. οἱ λοιποὶ, προσεριστὴν καὶ φιλόνικον, *cæteri, contentiosam & pervicacem.* Ità scriptum reperi cùm alibi, tum in utraque ed. Rom. Cæterùm non dubito quin legendum sit πρὸς ἐριστὴν divisim & duabus vocibus. Ἐριστὴς exponitur in Lexicis veteribus *litigator:* sed hîc poni videtur pro ἐριστικὸς, *contentiosus, pervicax.* Sanè Scholiastes Sophoclis interpretatur φιλόνεικος, i. *rixosus*, item *pervicax.* Quomodo & hic scribendum. Nam φιλόνικος, *victoria amans.* Sed confundi scias. Sanè in veteribus Lexicis φιλόνεικος exponitur etiam *victoria amans*, & hîc perspicuè, si non est mendum, φιλόνικος valet *rixa amans*, *contentionis studiosus.* Ideo verti *pervicacem.* Lex. Vet. Ἐριστικὸς, *pervicax, contentiosus.* Sed elegerim *rixarum amantem.* Nam *pervicax* aliquid amplius significare videtur.

7. חֵלֶב. Στέαρ *adipem.*

8. וְלֹא שְׁמַרְתֶּם מִשְׁמֶרֶת קָדְשִׁי. Καὶ οὐκ ἐπεφυλάξατε τὴν φυλακὴν τῶν ἁγίων μου, *& non custodiistis custodiam sanctorum meorum.*

10. אֲשֶׁר רָחֲקוּ מֵעָלַי. Οἱ μακρυνθέντες ἀπ' ἐμοῦ *qui longè recesserunt à me.* ¶ בִּתְעוֹת יִשְׂרָאֵל. Ἐν τῇ πλάνῃ τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ τῶν πλανηθέντων ὀπίσω τῶν εἰδώλων αὐτῶν, *in errore filiorum Israel, qui erraverunt post idola sua.*

11. וְהָיוּ בְמִקְדָּשִׁי וגו'. Καὶ ἦσαν ἐν τῷ ἁγιάσματί μου λειτουργοῦντες τὰς ἐπισκοπὰς ἐπὶ τὰς πύλας τοῦ οἴκου ——— αὐτοὶ ἔσφαζον τὴν ὁλοκαύτωσιν καὶ τὴν θυσίαν τῷ λαῷ, καὶ αὐτοὶ εἱστήκεισαν ἐνώπιον αὐτῶν λειτουργεῖν αὐτοῖς, *Et erant in sanctuario meo ministrantes & præfecturas obeuntes circa portas ædis ——— ipsi mactarunt holocaustum & victimam populo; & ipsi steterunt coram eis ut ministrarent illis.*

12. יַעַן אֲשֶׁר יְשָׁרְתוּ אוֹתָם וגו'. Ἀνθ' ὧν οὖν ἐλειτούργησαν αὐτοῖς ἐνώπιον τῶν εἰδώλων αὐτῶν, καὶ ἐγενήθησαν εἰς κόλασιν ἀνομίας, ἕνεκα τούτου, *Pro eo quòd ministraverunt illis in conspectu idolorum suorum, & facti sunt pœna iniquitatis, ideo*] Sunt qui hæc omnia sumpta suspicantur ex editione Symmachi. Vide notas ad edit. Rom. Latinam.

14. וְנָתַתִּי אוֹתָם שֹׁמְרֵי וגו'. Δέδωκα γὰρ αὐτοὺς τοῦ φυλάσσειν τὴν φυλακὴν τοῦ οἴκου εἰς πᾶσαν λατρείαν αὐτοῦ, καὶ εἰς πάντα τὰ γινόμενα ἐν αὐτῷ. Sym. *Posueram enim eos custodes januarum domûs universi ministerii ejus, & cunctorum quæ fiunt in ea.*] Hier. *Pro eo quod nos posuimus*, Et dabo eos janitores domûs in omni ministerio ejus, & universis quæ fiunt in ea, *Symmachus ordinem, lectionem sensúmque considerans, rectiùs interpretatus est, dicens*, Posueram enim eos, *&c. ut non ad eos pertineat qui futuri sunt in Templo, sed ad eos qui fuerunt.*

15. וְהַכֹּהֲנִים הַלְוִיִּם. Οἱ δὲ ἱερεῖς οἱ Λευῖται, *Sacerdotes Levitæ.*

18. בַּיָּזַע. A. Sym. *in sudore.* Th. *in Jaze.* Aquilæ 2 ed. *Buza*] Hier. *Quódque sequitur juxta LXX*, & non accingentur violenter, *pro eo Aq. & Sym. transtulerunt* in sudore, *Th. ipsum verbum Ebraicum exprimens posuit* in Jaze; *Aquilæ 2 editio*, Buza. AQUILA] Aquilæ prima editio. *In sudore*] Sic etiam Hier. יזע *Jaze*, ut ברע *Bare.* Extra pausam esset יֶזַע. BUZA] An legit בזוע, h. e. Vau pro Joth? Sunt qui emendant *Bajaze.* Sed *Buza* reperitur in antiqua Hier. Recentior habet *Bajezach*; quod nullo modo se probat mihi.

20. לֹא יְשַׁלֵּחוּ. Lxx Οὐ ψιλώσουσι *non tondebunt ad pressum*] Theodoretus, ὁ Σύρος καὶ ὁ Ἑβραῖος, οὐ θρέψουσιν, ἔφασαν, i. *non nutrient.*

25. אֶל־מֵת] Idem, ὁ Ἑβραῖος καὶ ὁ Σύρος, ἐπὶ νεκρῷ *super mortuum.*

29. הַמִּנְחָה. A. Sym. *donum*] Hier. *Pro* victima *&* sacrificio, *quod Ebraicè dicitur* MANAHA, *Aq. & Sym. interpretati sunt* donum. δῶρον. Jer. 41. 5. A. δῶρα, Sym. θυσίαν. Ezec. 45. A. Sym. *donum.* Hier. ad h. l. *Pro* sacrificio, *h. e.* θυσία, *Aq. & Sym.* donum *interpretati sunt, quod in Ebraico dicitur* MANHA, *& propriè non pertinet ad hostiam, sed ad ea quæ ex simila & polenta & oleo offeruntur in sacrificio.* MANAHA] vel *Manha.* Olim *Manaa*, i. μαναά. Ezec. 46. τὸ μαναά. Hier. *Theodotio*, inquit, sacrificium, *Aq. & Sym.* donum. Theodoretus, MANAA *est sacrificium similaginis.* ¶ חֵרֶם. A. Sym. Th. ἀνάθημα. Hier. *Rursum pro* voto, *quod LXX* ἀφόρισμα, *h. e.* separationem, *transtulerunt, Aq. & Sym. & Th.* ἀνάθημα *interpretati sunt, quod Ebraicè dicitur* HEREM.

GROTIUS.

2. P*Orta hæc clausa erit, non aperietur*] Hic sequuntur præcepta quæ Deus dat observanda post Templi restitutionem.

Quoniam Dominus Deus Israël ingressus est per eam] Id est, imago illa judicia Dei repræsentans, suprà XLIII. 2. *Per eam*, id est, eo loco in visione.

Eritque clausa Principi] Etiam Principi sive Ethnarchæ Judæorum.

11. *Erunt in sanctuario meo æditui*] Ad inferiora ministeria detrudentur.

22. *Et viduam & repudiatam non accipient uxores*] Vide quæ diximus ad Levitici, XXI. 14.

CAP. XLV.

MUNSTERUS.

1. P*Rojeceritis*] Docet principium hujus capitis quomodò Jerusalem dividenda sit in Sanctuarium & in partes quæ cedant Sacerdotibus, Levitis & Israelitis. *Longitudini*, quæ consideratur ab Oriente in Occidentem, assignantur *viginti quinque millia calamorum*; & *latitudini*, quæ est ab Aquilone in Meridiem, *decem millia.* Et hinc cedunt *Sanctuario* tam secundùm latum quàm secundùm longum *quingenti* calami: sicut suprà scribitur quòd mons Templi continebat *quingentos calamos.* Et hoc est quod textus habet, *Sanctum est in omni termino ejus per circuitum.* Præter illud autem spatium Templi, residuum spatium occupabitur domibus pro omnibus tribubus Israel. Sed & spatium quinquaginta calamorum cingebat montem Templi, quod vocatur מגרש *suburbanum*, & non habuit domos neque agros.

3. *In eo erit Sanctuarium*] i. Numerus quingentorum calamorum erit inter numerum vigintiquinque millium, &c.

5. *Viginti cameras*] Habebunt, inquit, Sacerdotes locum de illis vigintiquinque millibus calamorum: habebunt & Levitæ de eis spatium pro viginti cameris, in quibus maneant janitores & alii ministri Templi pro tempore ministerii sui.

6. *Contra separationem Sanctuarii*] Heb. *contra separationem sanctitatis.* Et intelligitur per *sanctitatem* locus quem sacerdotes, Levitæ & situs Sanctuarii occupabant. Alii accipiunt pro *collatione & contributione sacra.*

7. *Sed & Principi*] Principi, inquit, obveniet possessio 25 millium, totius scilicet civitatis, & hinc ad finem terræ Israel, ad Orientem & Occidentem: de cujus meditullio separatio illa urbis delecta est. Est caput istud supra modum obscurum: sudántque in ejus expositione tam Jehudæi quàm Christiani, & omnes profitentur ignorantiam suam in tam retrusis sententiis. Et Jehudæi quidem putant ea omnia clara futura in adventu Meschiæ sui: nos autem Christiani speramus hæc adimpleri cùm venerit Regnum Christi & Dei.

11. *Epha & Batus*] Levit. 14. 10. diximus de mensuris *Homer* seu *Coro*, *Ephi*, *Sato* & *Log.* De *Siclo* vide Lev. 27. & Exod. 28. Item de *Bato* habes 3 Reg. 7. Commensurantur autem Epha & Batus, cùm utraque mensura in decuplo accepta Homer constituat, nisi quòd Epha est in aridis, & Batus in liquidis.

12. *Viginti sicli, & vigintiquinque sicli & quindecim sicli*] i. Omnes Sicli isti simul accepti, qui sunt 60. faciunt unam *Mnam* sive Libram vulgarem: bis autem accepti constituebant olim Mnam Sanctuarii. Distinguit autem Propheta sexaginta illos siclos trifariam, quòd quilibet numerus per se tunc propriam haberet denominationem.

13. *Hæc est levatio*] De vocabulo תרומה, quæ *voluntariam* significat *segregationem & contributionem*, diximus multa Exod. 25.

14. *Bato olei*] i. Qui habet Homer olei, dabit de eo pro oblatione Minha decimam partem Bati, sicut ille qui habet *Corum tritici* jubetur pro Minha dare *sextam partem Epha.*

16. *Pro Principe Israel*] Sic Kimhi legendum putat. Alii verò *Principi* legendum contendunt, cui hæc separatio fieri debeat. Et intelligunt Christiani per hunc *Principem* Christum, de quo subditur, *Super Principem erunt holocausta*, &c. Omnia enim sacrificia hunc unum repræsentarunt Christum, qui suo unico sacrificio nobis reconciliavit Patrem.

VATABLUS.

1. Q*Uando autem divideis* ובהפילכם] Ad verb. *Et in facere cadere vos*, i. cùm sortito divideris terram universo Israeli, sive duodecim tribubus. ¶ *Offeretis oblationem* תרימו תרומה] Vide c. 44. 30. Quidam vertunt *separabitis separationem.* Alii, *levabitis levationem.* ¶ *Sanctitatem* קדש] i. Portionem quandam ejus terræ, eámque sanctissimam, dedicabitis ac consecrabitis Domino. Longitudo illa sumetur ab Oriente in Occidentem, & latitudo à Septentrione ad Meridiem; & in medio situs erit mons Sion, in cujus fastigio collocabitur Templum ipsum. Porrò in distributione portionum aliarum tribuum non expressit longitudinem, ut in ista, sed latitudinem tantummodo. Sumebatur autem etiam longitudo illarum ab Oriente in Occidentem. Fuítque portio Regis decimatertia portio, media inter septimam & octavam, i. sita inter portionem Juda & portionem Benjamin, in qua, sive intra quam,

quam, ſita erat hæc oblatio ſancta. ¶ *Millium* אלף] Sub. *calamorum menſoriorum.* ¶ *Sanctitas*, &c. הקדש וגו'] i. Ea portio terræ erit ſacroſancta, toto ſuo ambitu.

2. *Erant ex hoc* יהיה מזה] Seipſum declarat v. 3. i. Ex hac prima portione terræ, ſive ex hac prima parte illius oblationis ſanctæ, ſumetur locus in quo ſitus erit mons ille ædis ſive Templi, qui continebit tam in longitudine quàm in latitudine *quingentos calamos*, ut dictum eſt c. 42. 16. ¶ *Pro Sanctitate* אל הקדש] *Pro Sanctuario.* ¶ *Cubitorum* אמה] Sub. *latitudinis.* ¶ *Suburbanum ei* מגרש לו] *Area illi*, ſub. *quadrato, circùm illud quadratum.* Area illa erat ſpatium quoddam circùm montem illum quod vacuum erat, h. e. non conſitum arboribus, neque occupatum domibus.

3. *Ex menſura, inquam, iſta* ומן המדה הזאת] Præcedentia repetit. ¶ *Menſurabis* תמוד] *Metieris*, ſub. *quingentos illos cubitos ejus montis tam in longitudine quàm in latitudine.* ¶ *Et in ipſo* ובו] Sub. *monte.* ¶ *Sanctuarium* המקדש] i. Templum illic collocabitur, quod erit ſanctiſſimum.

4. *Sanctitas de terra ipſa* קדש מן הארץ] i. Pars illa prima ejus oblationis ſanctæ attribuetur ipſis Sacerdotibus, partim pro domibus ſuis, partim pro monte illo qui cedet in uſum ipſius Templi, & in quo Sacerdotes ipſi miniſtrabunt Domino. ¶ *Et ſanctuarium pro ſanctuario* ומקדש למקדש] i. Etiam ille locus ſacer erit pro exſtruendo ſacro Templo. Quidam exponunt, *locus in quo templum erit, ſanctus erit.*

5. *Viginti cubiculorum* עשרים לשכת] i. In qua exſtruent viginti cubicula.

6. *Illius ſanctitatis* הקדש] i. Illius ſanctæ. Sic v. 7.

7. *Juxta oblationem ſanctitatis, & juxta*, &c. לתרומת הקדש ולאחזת] *Ante oblationem ſanctam illam, & ante poſſeſſionem*, i. ante portiones Sacerdotum, Levitarum, & Urbis: q. d. In portione Regis erit portio Sacerdotum, & Levitarum, & Templum cum Urbe. ¶ *Ab angulo* מפאת] i. A termino *Occidentali oblationis ſanctitatis*, ſive *ſacra*, *uſque ad Occaſum* Terræ ſanctæ; & *à termino Orientali* oblationis ſacræ *uſque ad* terminum *Orientalem* Terræ ſanctæ, id totum erit Principis. ¶ *Longitudo autem* וארך] Sub. *illius partis*, ſive *portionis Regiæ.* ¶ *Contra unam è partibus* לעמות אחד החלקים] *E regione aliarum partium*, i. reſpondebit longitudini portionum harum, h. e. incipiet à primo terræ limite, uſque ad finem ejus terræ.

8. *In terra illa* לארץ] Mox declarat quam *terram* intelligat, cùm dicit *in Iſrael.*

9. *Sufficiat vobis* רב לכם] Ad verb. *Multum vobis:* vel *Magnum.* Hortatur Principes ad reſipiſcentiam: q. d. Satis ſupérque hactenus à vobis peccatum eſt; deſinite poſthac peccare, & reſipiſcite. Sic cap. 43. 6. ¶ *Iniquitatem & vaſtationem declinate* חמס ושד הסירו] *Rapinam & oppreſſionem auferte:* vel, *injuriam & contritionem removete*, ſub. *à vobis:* i. reddite jus omnibus ex æquo, bono & juſto. Seipſum mox ſequentibus declarat. ¶ *Angarias veſtras* גרשתיכם] Ad verb. *projectiones veſtras*, i. tributa quæ vos projiciebatis ſuper eum. *Exactiones* alii vertunt.

10. *Et ephah* ואיפת] Alii *ephi.* Eſt autem Epha menſura aridorum. ¶ *Erit* יהי] *Sit.*

11. *Ephah & bathus* האיפה והבת] Hæ menſuræ differunt in rerum menſuratione: eadem tamen eſt utriuſque amplitudo. *Epha* menſura aridorum, ut dictum eſt; *Bathus*, liquidorum. ¶ *Menſura ejuſdem erunt* תכן אחד יהיה] Ad verb. *diſpoſitio una erit*, ſub. *illis in menſura earum:* i. erunt unius ac ejuſdem & æqualis menſuræ ac capacitatis. ¶ *Ut capiat* לשאת] *Ut ſumat* [ſub. *qui capere volet*] *decimam Cori Bathum*, i. Bathum pro decima Cori. q. d. Qui habebit Corum unum, dabit pro decima ejus Bathum; & ità de Epha. חמר *Homer*, menſura indifferens ad liquida & arida. ¶ *In Homer erit æqualitas ejus* אל החמר יהיה מתכנתו] *Ad Homer* [ſive *Corum*] *erit diſpoſitio ejus*, i. ad rationem Homer ſumetur ratio menſuræ ejus, i. utriuſque: nam uterque eſt decima pars Homer.

12. *Viginti Secalim*, &c. עשרים שקלים וגו'] i. Mna, ſive Mina, continebit ſexaginta Siclos. Fortè Mnam diſtribuit in tria, quòd eſſent tres ſpecies numiſmatum: acſi diceret, *Omnes hi numeri faciunt Mnam.* De profana Mna loquitur, ut ſcribunt Doctores Hebræorum: ſacra continebat duplum.

13. *Oblatio* התרומה] Vide cap. 44. 30. ſub. *in dedicatione Templi.* ¶ *Ephah de Homer frumenti* האיפה מחמר החטים] Epha eſt decima pars Homer ſive Cori: & ex Epha dant ſextam partem: ergò ſexies decem faciunt ſexaginta.

14. *Statutum verò olei* וחק השמן] *Præceptum verò olei*, ſub. *capiendi.* Vel, *de oleo capiendo*, i. & quod decet ſumere de oleo, eſt. ¶ *De Coro* מן הכר] *Corus & Homer* idem ſignificant Hebræis. Similem locutionem vide v. 13. ¶ *Erunt Homer* חמר] Sub. *tunc*, nempe in Templo novo: i. efficient Corum. ¶ Sunt] Sub. *nunc:* q. d. Tanta vel ſimilis tunc erit menſura Bathòrum quanta nunc eſt.

15. *Et agnam unam* ושה אחת] *Et agnum unum.* ¶ *E pinguibus* ממשקה] Ad verb. *de irriguo*, vel *irrigatione:* i. de pinguibus & ſucculentis, & non macilentis. Præcipit Deus ut *è ducentis una* tantùm *ovis* offeratur, quòd majori labore parentur oves quàm oleum & reliqua. ¶ *Eos* עליהם] Ad verb. *ſuper eis:* vel *pro eis*, i. vos.

16. *Erit ad oblationem iſtam* יהיו אל התרומה הזאת] i. Tenebitur auferre oblationem ſuprà dictam. ¶ *Propter Principem in Iſrael* לנשיא בישראל] *Propter Principem Iſraelis.* De Principe Sacerdotum loquitur: q. d. *offerent Pontifici.* Doctus inter Hebræos pro *Principe* & *Rege* accipit.

17. *Et ſacrificium, & libamen* והמנחה והנסך] Sing. Heb. pro plur. ¶ *Faciet* יעשה] i. Mactabit, immolabit victimam pro peccato. ¶ *Et ſacrificium & holocauſtum* ואת המנחה ואת העולה] Sing. Heb. pro plur. Sacrificium veſpertinum intelligit.

18. *Bovis* בקר] Vel *vacca.* ¶ *Immaculatum* תמים] *Inculpatum: integrum.* ¶ *Sanctuarium* את המקדש] Significat Templum.

19. *Super poſtem* אל מזוזת] Sing. Heb. pro plur. ¶ *Atrii* העזרה] Atrium erat in quo congregabatur Iſrael in domo Domini ad orandum: quod ideo ſic vocabatur quoniam quicunque illuc ad orandum ingrediebantur corde perfecto, à Deo ſuo juvabantur. Quidam vertunt *crepidinis altaris.* ¶ *Interioris* הפנימית] i. Virorum Iſraelitarum, vel Sacerdotum.

20. *Pro unoquoque* מאיש] Ad verb. *pro viro.*

21. *Peſah* הפסח] *Paſcha*, i. mactatio agni Paſchalis: nam debebat mactari agnus ſub veſperam decimaquartâ Lunâ, comedi autem decimaquintâ die. ¶ *Infermentata comedentur* מצות יאכל] Nomini plurali jungitur hìc verbum ſing. unde quidam vertunt, in qua panis *infermentatorum comedetur*, i. panis infermentatus.

22. *Faciétque* ועשה] i. Et immolabit. ¶ *Vitulum pro peccato* פר חטאת] Ad verb. *vitulum peccati*, i. vitulum in ſacrificium pro peccato, ſive expiatione peccati.

23. *In dies, ſeptem diebus* ליום שבעת הימים] *Quotidie per ſeptem dies.* Per ſingulos dies ſpatio ſeptem dierum.

24. *Et oblationem* ומנחה] *Oblatio autem, epham*, &c. acſi dicat, Oblatio autem ejus Principis talis erit, *Epham*, i. menſuram Ephæ, ſimilæ ſcilicet. Alii, *Et in oblationem:* vel, *pro oblatione.* ¶ *In vitulum* לפר] i. Per ſingulos vitulos: q. d. Dabit toties Epham quot erunt vituli, aut arietes. ¶ *Et olei*, &c. ושמן הין לאיפה] *Et de oleo, Hin in Ephah*, i. menſuram Hin per ſingulas Ephas.

25. *Septimo* בשביעי] i. Menſe Septembri. ¶ *In ſolennitate* בחג] Quæ ſcilicet celebrari ſolet eo menſe; i. in feſto Tabernaculorum, talia ſacrificia quæ ſuprà dicta ſunt, & tales oblationes faciet: q. d. Eadem de feſto Tabernaculorum ſunt intelligenda quæ de feſto Paſchæ. ¶ *Tam pro peccato*, &c. כחטאת וגו'] Ad verb. *ſecundùm ſacrificium illud pro peccato, & ſecundùm holocauſtum, & ſecundùm oblationem, & oleum*, i. olei menſuram: quæ ſuprà dicta ſunt. Alii, *ſive fuerit ſacrificium pro peccato, ſive holocauſtum*, &c. Alii, *tum hoſtiam pro peccato, tum holocauſtum, tum oblationem, tum oleum.*

CASTALIO.

1. L*Ongitudinem videlicet vigintiquinque millium cubitorum, latitudinem decem millium*] Habebis hujus totius diſtributionis declarationem cap. 48.

2. *Cedet ſacro*] Fano.

10. *Ephi juſtum, batum juſtum habete*] Aridorum & liquidorum menſuras.

20. *Itidémque facies die menſis ſeptimo de homine qui inſciens imprudénſque commiſerit*] h. e. Ob hominis cauſam.

25. *Septimo menſis die decimoquinto in feſto*] Scilicet Umbraculorum.

CLARIUS.

1. C*Umque cæperitis terram dividere*] Docet principium hujus capitis quomodo Jeruſalem dividenda ſit in Sanctuarium & in partes quæ cedant Sacerdotibus, Levitis & Iſraelitis. *Longitudini*, quæ conſideratur ab Oriente in Occidentem, aſſignantur *vigintiquinque millia calamorum*; & *latitudini*, quæ eſt ab Aquilone in Meridiem, *decem millia.* Et hinc cedunt *Sanctuario* tam ſecundùm latum quàm ſecundùm longum *quingenti calami.* Præter illud autem ſpatium Templi, reſiduum ſpatium occupabitur domibus pro omnibus tribubus

Iſrael

Israel. Sed & spatium *quinquaginta cubitorum* cingebat montem Templi, quod vocatur *suburbanum*, & non habuit domos neque agros. Hujus autem loci mysteria venerari potiùs quàm nosse possumus. *Non enim ascendit in cor hominis, quæ Deus præparavit iis qui diligunt illum.* Illud satis perspicitur, quòd de possessione terræ viventium loquatur; sicut & Apocalypsis Joannis ex hoc loco non pauca mutuata est.

3. *Et in ipso erit Sanctuarium*] i. Numerus quingentorum calamorum erit inter numerum *vigintiquinque millium*, &c.

4. *Et erit eis locus in domos*] Pars erit pro *Sanctuario*, & residuum pro *domibus* Sacerdotum.

5. *Vigintiquinque autem millia*] Levitarum portio ultimo capite ex adverso Sacerdotali possessioni continuatur, quia Templo simpliciter inserviebant, custodiis agendis & cantionibus inter sacrificia. Hæc illis itaque vicina pars tanquam servientibus Templo tribuitur. Hactenus autem in Lege & Prophetis genus Leviticum ἄκληρον fuit. Cum fratribus enim nullam possessionem habuerunt: quasi non obscurè diceret hanc terram Dominum ipsum esse, eóque eundem hereditatem Levitarum. *Viginti adiculas* habent juxta fines Sacerdotales, ut præstò essent ad munia sua in Templo obeunda.

6. *Et possessionem civitatis dabitis*] Et hæc separatio est quæ ad quadraturam Templi pertinet; antehac urbis monti valde vicina. Hic latitudo interponitur *decem millium*. Nam juxta Templum sunt Sacerdotes, deinde Levitæ, & postremo loco vulgaris Israel in urbe, cultores urbis. Est enim vulgus Christianorum intra pomoeria urbis sanctæ, remota valde ab interiore cognitione. Sunt Levitæ viciniores quàm illi Sanctuario; & Sacerdotes omnibus superiores, qui in Templi portionem inserti sunt. ¶ *Secundum separationem Sanctuarii*] Vel *contra separationem Sanctuarii*. Heb. *contra separationem sanctitatis*. Et intelligitur per *sanctitatem* locus quem Sacerdotes, Levitæ & situs Sanctuarii occupabant. Intelligit ergò, juxta Sacerdotalis & Leviticæ terræ longitudinem esse debere longitudinem portionis urbicæ.

7. *Principi quoque hinc & indè*] Principi, inquit, obveniet possessio vigintiquinque millium, totius scilicet civitatis, & hinc ad finem terræ Israel, ad Orientem & Occidentem; de cujus meditullio separatio illa urbis delecta est. Est caput hoc supra modum obscurum: sudántque in ejus expositione tam Judæi quàm Christiani, & omnes profitentur ignorantiam suam in tam retrusis sententiis: ut minùs mirandum sit si nos nè nobis quidem ipsis, nedum aliis, satisfaciamus. Et Judæi quidem putant ea omnia clara futura in adventu Messiæ sui. Nos autem Christiani speramus hæc adimplenda cùm venerit Regnum Christi & Dei. ¶ *A latere maris*] Vel, *ab angulo maris versus Occidentem, & à plaga Orientis ad Orientem.* ¶ *Longitudinem autem*] Longitudo Principis ad longitudinem unius partium sumitur, quæ ab Oriente usque ad Occidentem pertingit. Nam Ecclesia est *corpus ejus*, & *plenitudo ejus*.

12. *Porrò viginti sicli*] Observandum quòd tribus numeris singularibus Mnam confecit, qui in unam summam redacti LX constituunt; significans, opinor, fuisse monetam aliam XX, aliam XV, aliam XXV Siclorum, quam censet moderandam ad modum integri Sicli, nè dolo simplicitas circumveniatur.

17. *Et super Principem erunt holocausta*] Non mirum quòd hic hæreant Judæi ignorantes mysterium. Statuere illi nesciunt utrùm de Rege an Sacerdote summo hæc sint accipienda. Nos de Rege Messia, qui est summus Sacerdos, scimus intelligendum, qui *seipsum obtulit hostiam pro nobis* Patri.

DRUSIUS.

1. עשרה. *Decem.*

2. מגרש. ἁγίασμα· aliàs, τὸ ἅγιον. ¶ מגרש. Hier. *suburbana ejus.* Sym. Th. Lxx *terminus, separatio, spatium*] Hier. *Præcipit ut quinquaginta cubitis per circuitum terra sit vacua in suburbana, vel, ut Sym. & Th. & Lxx transtulerunt*, in terminum, & separationem & spatium. SEPARATIO] Ἀφόρισμα. SPATIUM] Διάστημα.

3. המקדש קדש קדשים. τὸ ἁγίασμα τὸ ἅγιον τῶν ἁγίων, *sanctificatio* (i. Templum sive Sanctuarium aut sacrarium,) *sanctum sanctorum.*

4. קדש מן הארץ הוא. ἅγιον ἀπὸ τῆς γῆς τοῦτο] Comp. ed. ἡγιασμένον.

5. לשכת. A. *exedras.* Sym. *thalamos.* Th. *Gazeras*] Hier. *viginti gazophylacia: juxta Aq.* exedras, *juxta Sym.* thalamos, *juxta Th.* Gazeras, *sive, ut Lxx transtulerunt*, civitatem. *Per quod intelligimus separatum quendam locum ad habitationem Levitarum* urbis *vocabulo nuncupari.* Ezech. 40. 17. A. γαζοφυλάκια; i. *thesauros gazarum Templi*, Sym. ἐξέδρας *exedras*, Lxx *thalamos*, παστοφόρια. GAZERAS] Ezech. 41. גזרה, Aquilæ 2 ed. & Th. *Gazara.* Vide quæ notavimus ad illum locum.

11. האיפה. οἰφι sive οἰφὶ] In translatione antiqua quæ apud Hieronymum *Ephi*. Aut ex margine in contextum irrepsit; aut ex aliqua sumptum editione. Suspicari libet de Theodotionis. Nam autor Hieronymus Lxx posuisse τὸ μέτρον. Verba quibus hoc dicit hæc sunt, *Qui supra pro* EPHI mensuram, *& pro* BATO choenica *dixerant, & pro* CORO gomor, *pro* SICLO appendiculum, *& hic pro* EPHI *posuere* mensuram; *pro* CORO *nunc* gomor, *nunc ipsum* corum, *& in mensura olei pro* BATO κοτύλην, *i.* cyathum. Et in principio capitis, *Pro* EPHI *Lxx interpretati sunt* mensuram, *generale nomen pro speciali.*

15. במשקה ישראל. A. Sym. ἀπὸ τῶν ὑδάτων Ἰσραήλ. Th. ἀπὸ τῶν ποτιστηρίων *de canalibus*] Hier. *Quod nos interpretati sumus* de his quæ nutriunt Israel, *in Ebraico scriptum est* ממשקה, *quod Aq. & Sym. interpretantur* ἀπὸ τῶν ὑδάτων, *Lxx & Th.* ἀπὸ τῶν ποτιστηρίων, *quorum alterum* de irriguis, *alterum* de canalibus *sive* piscinis *sonat.* Verbum è verbo *de aquis Israel.* Nam ὕδατα *aqua.* Sed etiam apud Ebræos מים valet *irrigua*; ut in illo Salomonis, *Jace panem tuum super aquas.* Ποτιστηρίων] Suspicor legendum ποτιστηρίων. Nam ποτήριον *poculum.* Quanquam vetera Lexica ex hoc loco, *canalis, sive piscina.* Ποτιστήριον est *lacus ex quo aquantur pecudes. Canalis* generalior est; nam ad omnes alveos extenditur per quos aqua decurrit.

17. מנחה. A. Sym. δῶρον] Hier. *Pro* sacrificio, *i.* θυσία, *Aq. & Sym.* donum *interpretantur, quod in Ebraico dicitur* MANAHA, &c. Vide notata 44. 29.

18. פר. Sym. *taurus*] Hier. *Assumitur* vitulus *de armento; sive* taurus, *ut interpretatus est Symmachus, liber & nullo pressus jugo.*

19. העזרה. Lxx τοῦ ἱεροῦ *templi. Th. Azara.* Hier. *crepidinis altaris*] Hier. *Sanguis quo tanguntur quatuor anguli crepidinis altaris* (*quod Theodotio ipsum verbum Ebraicum posuit* AZARA, *sive* ἱερόν, *i.* templi, *ut Lxx transtulerunt*) *ut sanctificetur domus & altare.*

24. מנחה. Schol. σεμιδάλιν *similam*] Theodoretus, Μαναὰ *est sacrificium* σεμιδάλεως similaginis. Malè in ed. Rom. hæc notata sunt ad nomen איפה *Epha*, quod Lxx hic πέμμα, i. *coctionem*, interpretantur, ut & mox cap. 46. ubi Hier. *Pro* EPHI, *qua est decima pars Cori, Lxx transtulerunt* πέμμα, *quod in nostra lingua* coctionem *sonat.* [הין. ἴν *Hin*] Theodoretus, τὸ, ἴν, παρὰ τῷ Σύρῳ, ἡμίναν, ἦγουν. Quæ verba significant *pro* HIN *Syrum* Heminam *transtulisse*, aut *exposuisse.* Idem Ezech. 4. τὸ ἴν, ἴν, μέτρον ἦν παρ᾽ αὐτοῖς, ὃ τὸ ἕκτον κατὰ τὸν Σύρον ἡμισυ ξέστου ἐχώρει. Polychronius, τὸ, ἴν, Ἑβραϊκόν, ὃ σημαίνει τοῦ ξέστου τὸ ὄγδοον. Apollinarius, τὸ, ἴν, ποιεῖ χοεῖς δύο.

GROTIUS.

18. IN *primo mense unâ mensis, sumes vitulum de armento*] Principi hoc præcipitur, ut præcedentia ostendunt. Rabbini & hoc ad Ezechielem referunt, qui id facturus sit post primam resurrectionem.

CAP. XLVI.

MUNSTERUS.

5. MUnus manus suæ] i. Faciet oblationem Minha pro voto & arbitrio suo, accipiétque quantum voluerit de simila. Et quando jubetur assumi Epha una, tunc & Hin olei accipi debet.

17. *Usque ad annum remissionis*] i. Ut Jonathan vertit, עד שתא דיובילא *usque ad annum jubilai*, qui scilicet in Lege est quinquagesimus annus.

20. *Ad sanctificandum populum*] Jubentur carnes sanctæ comedi à Sacerdotibus in loco sancto: nec permittuntur eas *foras portare* nè *populus sanctificetur*, h. e. nè populus existimet eas carnes quoque sibi licitas. Sic enim Kimhi exponit.

22. *Atria conjuncta*] Exponunt hic Hebræi קטר pro קשור; quòd atriola illa fuerint domicilia, quæ tamen supernè contignata non erant, sed erant sic associata angulis atrii, ut duo atrii muri in angulo concurrentes illis duo præstarent latera. Carebant tecto, quo fumus & nidor carnium liberiùs exhalarent. Et in illis coquinis elixabantur carnes sacrificiorum pacificorum,

paticificorum, in atrio ſcilicet exteriori, quod erat Mulierum: nam illa ſacrificia erant ſacrificia minoris ſanctitatis: unde קדשים קלים vocabantur, ſicut Lev. 26. diximus. At carnes ſanctiſſimorum ſacrificiorum, quæ fiebant pro delicto & pro peccato, quas ſoli Sacerdotes comedebant, coquebantur in loco interiori & propinquiori templo, &c.

23. *Culinæ*] Erant מבשלות loca intra murum perforatum, ubi ſupra ignem ponebantur ollæ & caldaria.

VATABLUS.

1. O*Peris* המעשה] Sub. *licitis*: i. ſex diebus hebdomadæ in quibus licet operari, h. e. ſex diebus profanis. Deſcribit loca quæ adeunda erant pro ratione feſtorum dierum. ¶ *Et die calendarum* וביום החדש] Ad verb. *& in die menſis*, i. die primâ menſis, h. e. calendis.

2. *Incurvabitque ſe* והשתחוה] *Inclinabitque ſe*, adorando ſcilicet. Alii, *adorabitque*.

3. *Et incurvabit ſe* והשתחוו] Ut v. 2. ¶ *Ad introitum* פתח] *Ad portam*; *ad ingreſſum*.

5. *Et in oblationem ephah*, &c. ומנחה איפה לאיל] *Et pro oblatione ſingulas Ephas pro ſingulis arietibus.* ¶ *Et in agnos oblationem*, &c. ולכבשים מנחה מתת ידו] *Et per ſingulos agnos offeret oblationem donum manûs ſuæ*: vel, *& pro ſingulis agnis dabit in oblationem munus manûs ſuæ*, i. quantum dare poterit, ſive pro ratione facultatum ſuarum. ¶ *Et olei* ושמן] *Et ex oleo* menſuram *Hin*.

6. *Filius bovis* בן בקר] *Filius vaccæ*.

7. *Et Epham* ואיפה] Ut v. 5. ¶ *In agnos verò*, &c. ולכבשים וגו'] *Per ſingulos verò agnos* [vel *pro ſingulis agnis*] *ſicut aſſequetur manus ejus*, i. quantum poterit, ſive pro facultatum ſuarum ratione dabit, ut v. 5. mutato Hebraiſmo. ¶ *Et olei Hin per Ephah* ושמן הין לאיפה] Ut v. 5.

8. *Et per viam ejus* ובדרכו] i. Per eandem viam.

9. *In conſpectum Jehova* לפני יהוה] *Coram Jehova*, i. ut adoret Dominum: q. d. Licebit Principi per eandem viam egredi per quam ingreſſus fuerit ipſe; populo verò non licebit per eandem portam egredi per quam ingreſſus fuerit, ſed tenebitur egredi per aliam portam illi oppoſitam. ¶ *In ſolennitatibus* במועדים] Ut in feſto Paſchæ & Tabernaculorum.

11. *Erit oblatio*, &c. תהיה וגו'] Vide v. 5, & 7. eadem.

12. *Liberaliter* נדבה] Ad verb. cum *liberalitate*, i. diebus liberis, ſive non feſtis, non autem Sabbatis aut calendis. Alii exponunt, *ſuâ ſponte & liberaliter, non coactus, in honorem Domini.* ¶ *Aperiet* ופתח] Ad verb. *& aperiet*, ſub. *janitor*. Hic ו tantum convertit præt. in fut. ¶ *Poſtquam egreſſus fuerit* אחרי צאתו] Ad verb. *poſt egredi illum*, i. *dum egreſſus fuerit*, ſub. *Princeps*.

13. *Anniculum* בן שנתו] Ad verb. *filium anni ſui*. ¶ *Singulis matutinis* בבוקר בבוקר] Ad verb. *in manè, in manè*.

14. *Ad miſcendam ſimilam* לרום את הסלת] Ex oleo ſcilicet unde fiat oblatio in honorem Jehovæ.

15. *Facient* itaque, &c. יעשו את הכבש] Hebraiſmum quidam ſic reddunt, *Itaque agnum ſacrificabunt quotidie tempore matutino unà cum oblatione ex oleo in juge ſacrificium.* Alii, *Itaque ex illo agno, ex illa oblatione, & oleo facient ſingulis diebus holocauſtum ſtatuto perpetuo.* ¶ *Juge* תמיד] Ad verb. *perpetuitatis*, i. ſacrificii perpetui.

16. *Si dederit* כי יתן] *Cùm dederit.* ¶ De *hereditate ſua* נחלתו] Deeſt præpoſitio quæ v. 17. ponitur מנחלתו. ¶ *Ipſum* היא] Sub. *donum*, vel *ipſa hereditas*. ¶ Nam *poſſeſſio eorum* אחזתם] i. Jus poſſidendi eorum: q. d. Habent enim liberi jus quoddam in hereditate paterna.

17. *Libertatis* הדרור] *Remiſſionis*: i. uſque ad annum jubilæum. ¶ *Eorum erit* להם תהיה] q. d. Non revertetur donatio ad donantem.

18. *Opprimendo*, &c. להונותם וגו'] i. Ut per oppreſſionem ac calumniam privet ac ſpoliet eos poſſeſſione ſuâ.

19. *Sancta* הקדש] Ad verb. *ſanctitatis*. ¶ *In lateribus* בירכתם] i. In extremitate ſive extremo, ſub. *illorum*.

20. *In atrium*, &c. אל החצר וגו'] i. Ad atrium virorum Iſrael, nè videatur populus ſanctificari præſentiâ aut contactu illarum carnium ſacrarum. Quidam Hebraiſmum ſic convertunt, *nè ad atrium exterius efferendo ſanctificent populum.* Doctus inter Hebræos in hunc locum, *Jubentur*, inquit, *carnes ſancta à Sacerdotibus comedi in loco ſancto: nec permittuntur eas portare foràs, nè populus ſanctificetur: h. e. nè populus exiſtimet eas carnes ſibi quoque eſſe licitas.*

21. *In ſingulis*, &c. חצר במקצע וגו'] Ad verb. *atrium in angulo atrii, atrium in angulo atrii*: i. ſingula atria parva erant in ſingulis angulis illius atrii magni. Seipſum declarat v. 22.

22. *Alligata* קטרות] i. Adjuncta. ¶ *Angulatis* מהקצעות] i. Conſtitutis in angulis.

23. *Paries autem* וטור] Doctus inter Hebræos exponit *murum*, ſive *ſtructuram quandam lapideam*. ¶ *Et culina* ומבשלות] Chald. *& locus præparatus ad coquendum*. ¶ *Subter* מתחת] i. In ima parte illorum parietum ſive murorum.

24. *Domus coquentium* בית המבשלים] Sing. Heb. בית pro plur. בתי *domus culinarum*, vel *ollarum*. Poteſt enim eſſe participium activum plur. num. maſc. gen. i. האנשים המבשלים *virorum coquentium*, ſive *qui ſunt coqui*. Aut eſt nomen locorum in quibus coquunt. Aut eſt nomen ollarum ſive lebetum. ¶ *In quibus coquent* אשר יבשלו שם] Ad verb. *in quibus coquent ibi*. Redundat alterutrum, אשר vel שם: vertere potes *ubi coquent*.

CASTALIO.

22, 23. E*Rant in ſingulis atriorum angulis ſingula atriola*] Quòd verto *atriola* in Hebræo eſt numeri ſingularis, ſed pro plurali ponitur; quomodo cap. 1. *rota* dicitur pro *quatuor compoſitis rotis*, & Exod. 27. *lucerna* pro *lucernis*. Ponuntur enim apud Hebræos ſæpe derivata pro primitivis; ut ſit *atriolum* hîc poſitum pro *atriatura*, ut ità loquar; quod quia Latinè dici non poteſt, utendum eſt plurali. Loquitur autem de quatuor angularibus atriolis quæ in Templi figura ſignata literâ *n* reperies, quorum quidem longitudinem feci ab Ortu in Occaſum, cujuſmodi eſt Templi longitudo. Erant autem קטרות, quod verbum à *ſuffiendo* ductum, *fumoſa*, h. e. fumo denigrata, ſignificat, quoniam in eis erant culinæ. Quod autem verto *manſiones* in Hebræo eſt טור, quod aliàs *ordinem* aut *verbum* ſignificat: ſed paulò pòſt eadem dicuntur טירות, quod verbum videtur *manſiones* ſignificare aut *cubicula ſuper culinas poſita*. Græci verterunt *exedras*.

CLARIUS.

1. P*Orta atrii interioris*] Addit aliam portam *clauſam*, ſed *Sabbatis & Neomeniis aperiendam ad Principis ingreſſum.* *Aperta eſt* itaque *porta atrii interioris*, h. e. atrii Sacerdotum, *quâ parte reſpicit* Iſraelem *Orientem versùs*, *die Sabbati*, aut *Novilunii*. *Princeps viâ illâ porticûs portæ*, ut advenit, per illam *ingreſſus eſt*, *& ad poſtem portæ* Templi, quæ in æternum clauſa manet, accedit, aſtat, precatur, ſacrificat.

8. *Et per eandem viam exeat*] Hoc privilegium Principi, *quòd eâdem portâ ingreditur & exit. Exivi*, inquit, *à Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Verùm nos ex maledictione & morte in vitam, ille autem ſemper benedictus ex vita ad mactationem, & indè in eandem vitam redit quà advenit: Indè exiit per carnem in mundum, & rurſum ex corruptibili carne ad Patrem.

11. *Sicut invenerit manus ejus*] Accipiet quantum voluerit.

16. *Si dederit Princeps donum*] Quod datur *filiis* firmum ac ſtabile eſt. Nam *filius manet in domo in æternum*. At *ſervis* atque obnoxiis peccato plerumque *dantur dona* ad tempus: verùm cùm venerit *annus libertatis* & juſti judicii Dei, dicetur eis, *Neſcio vos*, *& revertentur* illa dona *ad Principem* ac *filios*, quorum gratiâ permiſſa illa ſervis fuerunt.

18. *Et non accipiet Princeps de hereditate populi*] Spirituales res in ordine ſpirituali, in carnali carnales relinquantur: alioqui confuſio rerum orietur.

20. *Et ſanctificetur populus*] Jubentur carnes ſanctæ comedi à Sacerdotibus in loco ſancto: nec permittuntur eas foràs portare, nè *populus ſanctificetur*, h. e. nè populus exiſtimet eas carnes ſibi quoque licitas.

22. *Atriola diſpoſita*] *Atriola* illa fuerunt domicilia, quæ tamen supernè contignata non erant, ſed erant ſic aſſociata *angulis atrii* ut duo atrii muri in angulo concurrentes illis duo præſtarent latera. Carebant tecto, quò fumus & nidor carnium liberiùs exhalarent: Et in illis coquinis elixabantur carnes ſacrificiorum pacificorum, in *atrio* ſcilicet *exteriori*, quod erat Mulierum: nam illa ſacrificia erant minoris ſanctitatis ſacrificia; unde & *ſancta levia* vocabantur ab Hebræis. At carnes ſanctiſſimorum ſacrificiorum, quæ fiebant *pro delicto*, & *pro peccato*, quas ſoli Sacerdotes comedebant, coquebantur in loco interiori, & propinquiori Templo.

23. *Et culina*] Erant loca intra murum perforatum, ubi ſupra ignem ponebantur ollæ & caldaria.

LUCAS BRUG.

16. S*I dederis princeps donum alicui* [*alieni* o.] *de filiis* [*principibus* o.] *ſuis.*] Unum Pariſienſium manuſcriptum Ge. p. ſex noſtra Brug. Leod. Q. L. Pl. ang. F, ac typographorum

rum editiones Mogunt. Nuren. Colon. Compl. & Quent. scribunt *donum*. Permulti verò libri illius loco *domum* habent. Hugo Cardinalis veram literam secundùm Hieronymum *donum* esse docet: sic enim Hieronymi commentarius habet, *Hucusque sermo de principe: nunc de heredibus ejus præcepta tribuuntur, imò de donis, hereditate, atque legatis, quibus dare debent, & quorum sit vel ad tempus vel æterna possessio. Si*, inquit, *filiis suis dederit, vel donum, vel hereditatem, ipsi possidebunt eam.* Græca vox δόμα ad *donum* & *domum* ambigua est: sed Hebraica מתנה, ex qua illa translata est, *donum* significat, non *domum*, derivata à נתן, quod est *dare* sive *donare*. Eadem vox Chaldaicè est: quam versu proximo Interpres *legatum* transtulit. Quare Hentenius & Parisienses rectè *donum* in textum transtulere.

DRUSIUS.

2. מחוץ. ἔξωθεν *de foris.*

5. איפה. οἰφί, Lxx πέμμα] i. *Coctionem.* ¶ מנחה. Aq. *donum.* Th. *sacrificium*] Hier. *Ubi nos diximus* sacrificium, *Lxx ipsum Ebraicum verbum posuere* μαναὰ, *quod Aq.* donum *vel* sacrificium, *Th.* sacrificium *transtulit.* Theodoretus, Μαναὰ, ὁ Σύρος ἡρμήνευσε τὴν τοῦ σεμιδάλεως θυσίαν. VEL SACRIFICIUM] Fortè altera editio Aquilæ habebat θυσίαν.

12. נדבה. ἑκούσιον *spontaneum*] Hier. *Pro eo quod nos diximus* spontaneum *Lxx* ὁμολογίαν, *i.* confessionem, *verterunt.* ¶ או שלמים. ἢ εἰρηνικὰς] Hier. *Pro* pacificis, *quæ Ebraicè dicuntur*, *Lxx* salutaria *interpretantur.*

13. תמים. A. τέλειον] Hier. *Ubi nos legimus* immaculatum, *& in Ebraico scriptum est* תמים, Aq. perfectum *interpretatur.*

14. מנחה. A. Sym. δῶρον. Th. *sacrificium*] Hier. *Et ubi Lxx* Manaa, *Th.* sacrificium, *Aq. & Sym.* donum *transferunt.* ¶ לרס. Sym. *ut aspergatur*] Hier. *& de oleo tertiam partem Hin ut misceatur, sive juxta Sym.* aspergatur, *simila.*

17. דרור. Th. *Deror*] Hier. *usque ad annum remissionis*, *pro quo Theodotio ipsum verbum Ebraicum posuit.*

18. להונתם. A. Sym. *ut affligat eos atque contristet*] Hier. *Non accipiet Princeps de hereditate populi per violentiam, sive, ut Lxx transtulerunt*, ut opprimat eos, *vel*, *ut Aq. & Sym.* ut affligat eos atque contristet.

23. טירות. Th. τειρώθ. A. στιβάδας. Sym. περιφερόγυματα] Hier. in versione antiqua, *subter porticus per gyrum, sive propè accubita, quæ Aquila* στιβάδας *interpretatus est, Sym.* περιφερόγυματα, *Th. ipsum verbum Ebraicum posuit* Tiroth.

GROTIUS.

17. *SI autem dederit legatum*] *Donum* in Hebræo: & sic Chaldæus, & Lxx. Discimus hinc prædia etiam dono data Jubilæi tempore rediisse ad possessores veteres, eorumve heredes.

Excerpta ex Villal. per L. CAPPELLUM.

19. *INtroduxit me per ingressum*, &c.] Portæ meminit ad quam iterum ductus supra fuerat Propheta noster Atrii interioris. ¶ *Et erat ibi locus vergens ad Aquilonem*] Chald. *erat ibi locus in fine eorum ad Occidentem.* Porticus Aquilonaris Templo adversa planè describitur, ut cap. præcedenti ostenditur, quæ in duplicia cubicula distributa est, interjacente medià ambulatione. Et ex hoc duplici cœnaculorum ordine, alter in Atrium prospicit exterius ad Aquilonem, alter in interius ad Austrum: & de hoc quidem sermo est Prophetæ, illius fit nulla mentio. Rursus cùm inferior porticus septenis interjacentibus postibus in 8 fornices distributa sit, superior certè porticus in totidem cubicula partita esse necessariò est intelligenda. Et ex illis octo cubiculis primum quod ad Orientem situm est scalis totum impeditur, sex media ad vescendas sacras carnes deputabantur, extremum quod ad Occidentem tam accuratè à Propheta describitur, ut non solùm de ipso constet, sed & alia multa propter ipsum perspecta esse videantur.

21. *Atriolum erat in angulo atrii*] *Atrio* & *atriolo* eadem vox datur in Hebr. tamen ipsa ratio & mensura movit Lxx ut *atria parva* converterent, quos imitatus Vulg. *atriola* scripsit. Atriolum autem narrat primum quod Angelo duce ingressus est, de reliquis mox subdens, *Atriola singula per angulos Atrii* singulos.

22. *In quatuor angulis atrii atriola disposita*] Hebr. קטרות. Vox est Syriaca quæ *colligata*, *conjuncta* significat, ab Hebr. קשר: sic dicta atriola illa quia porticus inter ea ordine dispositæ angulares istas culinas sive atriola colligabant: atque hoc ipsum infrà perpetuò pariete factum esse non indicabit modò sed expressè testabitur Propheta. Alii ad קטר revocant; quæ *suffumigare* significat, q. d. atriola fumosa, quòd ex his culinis fumus efflaret perpetuò. Observátque ex Vitruvio & Philandro Villalpandus antiquorum ædificia in quibus nulla sunt vestigia, argumento esse cubicula & conclavia non habuisse spiracula quà fumus exiret, quæ *camini* vulgò dicuntur, Gall. *cheminees.* Quod in eam inducit me (inquit Villalpandus) sententiam ut existimem easdem culinarum fenestras & lumini suscipiendo deservire consuevisse, & fumo emittendo. Atque in hac nostra sententia nos confirmat, quòd in ipsa fabrica vix invenire possimus spatium aliquod in quo possent fumi spiramenta aperiri, quin aut fenestris obessent aut postium firmitati.

23. *Paries per circuitum*, &c.] Hebr. טור, Lxx *exedra.* Aquila στιβάδας. Symm. περιφερόγυματα. Hieronymus, *Quæ quatuor atriola vel unus paries ambiebat, & fabricata erant culinæ subter porticus per gyrum, vel propinqua habebant accubita* (στιβάδας) *ut ubi cibi ibi & mensarum præparatio.* Illud verò à Lxx Int. indicatur, quòd facilè posset quivis conjicere prope culinas fuisse exedras sive cubicula ad comedendas carnes coctas disposita; sic enim consummari videbatur sacrificium absumptis carnibus. Refert deinde Villalpandus Jonathæ & Rabbinorum sententiam, qui locum istum accipiunt de foculis culinarum, quibus cacabi, lebetes & caldariæ ad coquendas carnes imponebantur & disponebantur; quos foculos unà cum lebetibus & caldariis voce Hebraicà significari posse putat à בשל, בכשלות, & utroque modo à Kimhi exponitur.

(*Reliqua hujus Tractatus vide in Tract. ad V. T. spectantibus.*)

CAP. XLVII.

MUNSTERUS.

3. *AQuæ talares*] Aquæ ex Templo per atrium interius erumpentes & late diffluentes mensurantur à viro, sequitúrque Propheta virum metientem. Et primò quidem aquæ tangunt talos pedum, deinde genua, &c.

6. *Numquid vidisti*] Vidisti, inquit, quòd ex parva venula rivus, torrens, & tandem fluvius impermeabilis effectus sit, ut nisi ego te transferrem, tu ad ripam ejus pervenire non posses?

8. *Aquæ istæ egrediuntur*] i. Fluvius hic dividitur in duo capita: unum fluit in mare Orientale, & alterum in mare Occidentale, unde *aqua* eorum *sanantur*, ut *omne quod vivit*, in ipsis *vivere possit*, condulcoratis scilicet aquis marinis admixtione hujus fluvii. Per *mare Orientale* intellige mare Mortuum sive Sodomiticum, & per *Occidentale* mare Mediterraneum. Porrò per has *salubres aquas* intelligunt Euangelicam doctrinam, quæ à Jerosolyma fluxit in omnem terram, ut *piscatores* magnam ceperint vim hominum, quos lucrifecerunt Christo.

10, 11. *Species ejus erit*] Kimhi hunc locum sic exponit, *juxta omnes species piscium, erit ibi piscatio eorum*; ut scilicet intelligas Deum sine respectu personarum homines vocare ad fidem. Sed hæ salubres aquæ illapsæ in lacunas & cœnosa loca (id enim בצה hic significat) non sanant fæculentas illas aquas. Id quod obstinatis animis accidere scimus, quorum animus cœlestibus aquis non dulcescit, sed magis insolescit & irritatur. Boni verò hâc potati aquâ, veluti arbor plantata secùs decursus aquarum, proferunt fructum in domo Domini.

13. *Hic est terminus*] Redit hîc ad divisionem terræ ulterioris. Descripto enim Templo, altari & ministrorum locis, pergit jam ad reliquam terræ divisionem, definiens in primis quatuor latera terræ, & deinde propter filios Joseph, Menassen & Ephrajim in tredecim illam dividens portiones.

22. *Sunt vobis sicut indigenæ*] Advenæ, inquit, qui jam pedem fixerunt inter Judæos, pro inquilinis habendi sunt, & non pro vagis novitiis, præsertim qui circumcisi legi Mosaicæ dederunt nomen. Tales enim olim pro Judæis erant habendi.

VATABLUS.

1. *ET reverti fecit me* וישבני] *Et reduxit me.* ¶ *Aqua verò descendebant* והמים ירדים] *Et aqua illa descendebant,*

bant, i. Postea vidi aquas illas descendere [sive decurrere] è Templo per atrium Sacerdotum à parte Meridionali ipsius altaris. Quidam enim Hebræorum dicunt, Prophetam primò vidisse aquam exorientem è limine, postea ex loco qui suberat lateri domùs: quod doctioribus probatur. Alii (quod minùs probatur) scribunt vidisse scaturientes aquas ab eodem loco, nempe à parte liminis proxima muro illi qui erat ad latus ipsius ostii.

2. *Extra portam extrinsecus* חוץ אל שער] i. Quæ foràs tendebat, h. e. externam, ad portam exteriorem montis ipsius ædis, Septentrionalem scilicet. ¶ *Dextro* הימנית] i. Meridionali.

3. *Cubitos* באמה] Ad verb. *in cubito*, i. in ratione cubitali. q. d. Mensus est longitudinem mille cubitorum. ¶ *Et traduxit me* ויעברני] i. Jussit ut transirem aquam. ¶ *Aquas*, inquam, &c. מי אפסים] Ad verb. *aquas talorum*, i. talares, h. e. quæ non superabant talos. q. d. Fluvius ille adhuc erat parvus.

4. *Aquas* usque ad *genua* pertingentes מים ברכים] Ad verb. *aquas genuum*, i. genua contingentes. q. d. Tunc creverant aquæ illæ. ¶ *Aquas* usque ad *renes* מי מתנים] Ad verb. *aquas lumborum*, i. lumbos attingentes.

5. *Mille* אלף] Sub. *cubitos*, ut v. 3. ubi integra est locutio. ¶ *Torrens* נחל] *Amnis*, sub. *erat*: i. fluvius ille evaserat maximus ac profundus. ¶ *Aquæ natationis* מי שחו] i. *Quæ ità intumuerant ut non nisi natando transvadari possent.* Ità doctus inter Hebræos.

6. *Vidistine* הראית] Sub. *torrentem illum*. q. d. Contemplare omnia diligenter.

8. *Et descendunt* וירדו] Quidam volunt hoc loco ו non copulare, sed tantum mutare præteritum in futurum, vertentes, *Aquæ istæ quæ egrediuntur ad Gelilah Orientalem, descendent*, &c. *In planitiem* על הערבה] i. In mare Tiberiadis, ut Hebræi interpretantur, quòd esset in loco plano & campestri. ¶ *Ingredienturque mare* ובאו הימה] Sub. *parte alterâ*. Mare Mortuum intelligit. ¶ *In mare*, inquam, *eductarum* אל הימה המוצאים] i. Sejunctarum à toto orbe, h. e. ab ipso continente. Mare Oceanum intelligit. Dicunt Hebræi fluvium illum fuisse divisum in duas partes, alteram quæ procedebat ad Orientem, & alteram quæ contendebat ad Occidentem. Zach. 14. 8. *Exibunt aquæ vivæ de Jerusalem, medium earum ad mare Orientale, & medium earum ad mare novissimum.* ¶ *Et sanabuntur* ונרפאו] i. Dulcescent quæ priùs erant salsæ, ex amaris fient dulces.

9. *Ingressi fuerint*, &c. יבוא שם'] *Ingredietur* alter horum *torrentium*: i. quicquid præditum est animâ vivente, in omni loco in quem ingredietur alter horum rivulorum. ¶ *Eruntque pisces* והיה הדגה] Significat multitudinem sive congregationem piscium. ¶ *E sanabuntur* וירפאו] Sub. *aquæ illorum marium*, ut v. 8. Quidam vertunt, *eò quòd venerint illuc aquæ istæ, & sanatæ fuerint, unde vivat omne ad quod pervenerit torrens iste.*

10. *In specie sua* למינה] *Secundùm speciem suam*, i. secundùm omnem speciem piscium, erit piscatio eorum in illis torrentibus. Ità doctus inter Hebræos. ¶ *Pisces eorum* דגתם] Sub. *torrentium*. Tanta erit, inquit, in illis duobus amnibus piscium copia quanta est in *Mari Magno*, h. e. Mediterraneo: est enim maximum mare respectu Terræ sanctæ.

12. *Omnis arbor* כל עץ] Sing. Heb. pro plur. *Omnes arbores pomiferæ, quarum folia non defluent.* ¶ *Mensibus suis afferet primitiva* לחדשיו יבכר] Ad verb. *mensibus suis primitiabit*, sub. *arbor*: q. d. Singulis mensibus proferent primitiva, sive edent novos fructus. ¶ *Ad fractionem* לתרופה] *Ad contritionem*, vel *ad* sanitatem *contritionis*. Chaldæus P. & docti Hebræorum, *ad medicinam*: q. d. Non solùm delectabit aspicientes, sed etiam sanabit.

13. *Joseph*, &c. יוסף חב'] Ad verb. *Joseph funes*. Alii, *Joseph funiculi*, sub. *duo*: i. Joseph accipiet duas portiones. Chald. *Joseph accipiet duas partes. Funiculi* pro *partibus*: nam mensores agrorum vel perticâ vel extento fune per agros modum definiebant. Vult autem ut Ephraim & Manasse accipiant singulas portiones.

14. *Quisque sicut frater suus* איש כאחיו] i. Æquis portionibus sive partibus dividetis eam. ¶ Super *quam* אשר] Propter *quam*. Levatio manûs signum est jurisjurandi. Solent enim qui jurant attollere manum. ¶ *Cadetque* ונפלה] i. Quasi missis sortibus jure hereditario possidebitis eam.

15. *A Mari magno* מן הים הגדול] Mare Mediterraneum vocatur *mare Magnum*, quòd sit maximum ejus regionis: sunt enim alia velut stagna. Erat autem mare illud in parte Occidentali terræ, sed proxima lateri Septentrionali. Vide v. 10. ¶ *Veniendo* לבוא] *Ad ingressum* sive *introitum*: i. pergentibus *in Sedad*.

16. *Hamath* חמת] Sub. *Et in tractu illo erant urbes istæ*, sive *regiones, Hamath*, &c.

17. *Terminus* גבול] Sub. *Septentrionalis qui incipit à Mari*. ¶ *Et plaga Aquilonaris* ואת פאת צפון] i. Residuum sive pars reliqua plagæ sive lateris Septentrionalis.

18. *Et plagam* ואת פאת] *Et angulum*, vel *latus*. Sic ver. 19.

19. *Plagam autem* ופאת] *Angulum autem*, sub. *metiemini*. ¶ *A Thamar* מתמר] i. Ab Jericho quæ dicta est עיר התמרים *Urbs Palmarum*. ¶ *Meriboth* מריבות] i. *Contentionum*, vel *Contradictionum*, de quibus Num. 20. 13, 24. & Psal. 95. 8. ¶ *Torrentem* נחלה] Sub. *Ægypti*. ¶ *Et hæc est*, &c. ואת פאת תימנה נגבה] *Et plagam Meridionalem ad Austrum*, i. reliquam partem plagæ sive lateris Meridionalis.

22. *Sortiemini eam in hereditatem vobis* תפלו אותה בנחלה לכם] Ad verb. *cadere facietis eam in hereditatem vobis*, i. missis sortibus dividetis eam inter vos ut ipsam possideatis. ¶ *Vobiscum cadent in hereditatem* אתכם יפלו בנחלה] i. Quasi missis sortibus partem suam terræ possidebunt vobiscum *inter tribus Israel*.

CASTALIO.

8. VEniet in lacum] Scilicet Asphaltitem.

10. *Ità fiet ut eum accolant piscatores*] *Eum*, sc. lacum.

CLARIUS.

1. ET *convertit me ad portam domûs*] Post descriptionem Templi, & ejus ἰσογραφίαν, describit flumen è Templo egrediens. In quo servatur pulcer ordo & dispensationis Divinæ series, ut constitutâ Ecclesiâ salutares aquæ indè deriventur atque vivificæ. De his aquis Joel 3. Zach. 13. & Apoc. 21, & 22. quæ omnia de civitate Jerusalem autor ille videtur ab Ezechiele sumpsisse. Oriuntur è Templo aquæ, ubi Deus & Princeps noster sedem habet: ut sciamus Euangelium exire à Deo: quòd subindè Servator testatur se non sua sed Patris verba referre. Devergit *in dexteram*, quæ pars felicioris est hominis: ut intelligamus dexteram Dei non deesse fluvio per quam alveus prosperrimè derivetur.

4. *Rursumque mensus est mille*] Ejusmodi incrementis progressum est Euangelium; ut primo traderetur in Jerusalem, deinde in Judæa, mox in circumjacentibus regionibus, tandem permeans in omnes fines terrarum. Discimus etiam, quò longiùs in Euangelii doctrina fuerimus progressi, eò majora semper sese mysteria Divinitatis aperire.

6. *Certè vidisti*] Quo nimirum pacto ex parva venula rivulus, & flumen, & fluvius tandem impermeabilis effectus sit.

7. *Ecce in ripa torrentis ligna multa*] Vel *arbores multæ*. Fructus hîc est & vis Euangelii, ut pulcerrimas virtutum & pietatis arbores omnisque honestatis exempla proferat. *Ingrediuntur hæ aquæ* etiam *mare*, amara dulcia reddentes, mortua vivifica, & omnibus quamlibet labem adimentes. Sanat enim Euangelium publicanos, meretrices & peccatores quantoscunque.

10. *Et stabunt super illa piscatores*] Nempe Apostoli, quibus dicitur, *Faciam vos piscatores hominum*. Et juxta omnes *species piscium* erit ibi piscatio, ut intelligas Deum sine respectu personarum homines vocare ad fidem. Sed hæ salubres aquæ illapsæ in *lacunas* & *cœnosa loca*, *non sanant* fæculentas illas aquas. Id quod obstinatis animis accidere scimus, quorum mens cœlestibus aquis non dulcescit, sed magis insolescit & irritatur. Boni verò hâc poti aquâ, veluti arbor plantata secus decursus aquarum, proferunt fructum in domo Domini.

13. *Hic est terminus*] Redit hîc ad intermissam Terræ divisionem. Descripto enim Templo, Altari & ministrorum locis, pergit jam ad reliquam Terræ divisionem, definiens inprimis quatuor latera terræ, & deinde propter filios Joseph, Manassen & Ephraim, in XIII illam dividens portiones. Verùm quia in hac Terræ descriptione fines ponuntur qui ad Israelitarum fines nunquam pertinuerunt, coguntur, velint nolint, fateri, terram Israel in futuro seculo ampliorem fore quàm hactenus; juxta illud, *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.*

22. *Et advenis qui accesserint ad vos*] Opinor, illis quibus postea dictum est, *Jam non estis hospites & advenæ*, quasi qui olim fuerint, sed non jam ampliùs, *sed cives sanctorum & domestici Dei*.

DRUSIUS.

1. יצאים מתחת מפתן הבית. ἐξεπορεύετο ὑπὸ τὸ αἴθριον τοῦ οἴκου,

egr, egrediebatur è limine porta] Invenitur apud Polychronium.

3. בְּצֵאת־הָאִישׁ. καὶ ἰδὲ, ἐν τῷ ἐξιέναι τινὰ ἄνθρωπον, *& ecce cùm exiret quidam homo*] Etiam hoc citat Polychronius ex Ebræo. ¶ אָפְסָיִם. A. Sym. Th. ἀσεραγάλυς *talos*] Hieron. *& traduxit me per aquam usque ad talos: quos Aq. & Sym. & Th. ἀσεραγάλυς interpretati sunt, pro quibus Lxx transtulerunt* aquam remissionis. *Aqua talorum*, i. pertingens ad talos. Libri quidam, ἐν τῷ ὕδατι ὕδωρ ἕως ἀσεραγάλων. Ebraicè מי אפסים. Sic ὕδωρ ἕως τῶ γονάτων מי ברכים *aqua genuum*, i. usque ad genua pertingens: ὕδωρ ἕως ὀσφύ☉ מי מתנים *aqua ad lumbos pertingens.* AQUA REMISSIONIS] Ὕδωρ ἀφέσεως. Legitur & ἀφαιρέσεως.

5. נַחַל. χείμαῤῥ☉ *torrens*] Hieron. *Pro torrente, qui in Ebraico dicitur* נחל, *& Græco sermone χείμαῤῥ☉ appellatur, Lxx* flumen *transtulerunt.*

8. הַגְּלִילָה. A. Θινάς. Sym. μεθόριον] Hieron. *Deinde pro Galilæa, quæ Ebraicè dicitur* גלילה, *Aq. Θινὰς interpretatus est, quod* tumulos *significat* arenarum, *Sym. μεθόριον, quod possumus transferre* confinium. Θινὰς] Sive Θῖνας· nam libri variant. Sed elegerim Θῖνας, à Θὶν *acervus*: item *cumulus arena*, Θὶν ψάμμυ aut ἄμμυ. Hieron. Joel. 3. 4 גלילת, Aq. Θῖνας, i. *arenarum tumulos in littoribus seu ripis.* Sym. *terminos.* Similiter Jes. 9. 12. גליל, A. Θῖνας, Sym. *terminos.* Moschopulus, Θὶν, ὁ αἰγιαλὸς, ὁ ϗ Θὶς λέγεται, ϗ ὁ σωρός. Nè quid celem, in Hesychio invenitur Θιὼ per η, unde posset esse θῆνας, quod interpretatur θημὼν sive θημωνιά. Fortè & hîc mendum est: nam facilis sanè lapsus de Ἰῶτα in Ἦτα. ¶ הָעֲרָבָה. A. *humilia*, vel *plana*. Sym. *inhabitabilem.* Th. *Araba*] Hieron. *Pro* Arabia *quoque Sym.* inhabitabilem. *Aq.* humilia, *vel* plana, *Th.* Arabas *transtulerunt.* Job. 39. 6. A. ὁμαλιὼ *planam.* Sym. ἀοίκητον. Th. Ἀραβὰ, i. *Araba*. ARABA] Ità emendavi: nam in editis est *Arabas*. Vide Rom. ed. In quibusdam libris ἐπὶ τλὼ ἀοίκητον quod sumptum ex Symmacho. Polychronius, ὁ Ἐβραῖ☉, ἐπὶ δυσμὰς *ad Occidentem.*

10. מֵעֵין גֶּדִי. ἀπὸ Ἠνγαδδὶ] Aliàs Ἐνγαδδεὶ, vel Ἀνγαδδί. Reperitur & Ἐγγαδδεὶν, in quo mendum quale in Σαβεὶν & similibus. ¶ עַד־עֵין עֶגְלַיִם Ἕως Ἐναγαλλείμ] Aliàs Ἠναγλίμ· sed scribendum ex Ebræo Ἠνάγλαιμ *En-aglaim.* Theodoretus, τὸ, Ἐγγαδδὶν, ὀφθαλμὸν πειρατηρίυ, σημαίνει· τὸ ϗ Ἐναγαλλείμ, ὀφθαλμὸν μόσχυ εἰς θυσίαν προσφερομένυ, ϗ τλὼ ἁμαρτίαν λύοντ☉. ער πειρατήριον. Vide Annot. nostras in Genesin.

11. לֹא יֵרָפְאוּ לְמֶלַח נִתָּנוּ. Οὐ μὴ ἰαθῆ, εἰς ἅλας δεδώσονται] Hieron. *non sanabuntur, sed in salinas dabuntur.*

12. כָּל־עֵץ־מַאֲכָל. Πᾶν ξύλον βρώσιμον *omne lignum esculentum*] Hieron. *Orietur in ripis ejus ex utraque parte omne lignum pomiferum, sive, ut omnes voce consonâ transtulerunt, βρώσιμον, quod cibum & escam tribuit, & quod mandi potest, appellatúrque linguâ Ebraicâ* Maachal. Lex. V. βρώσιμον, *edulium.* Alibi est, βρώσιμ☉, *edulis, qui comedi potest*: τὰ βρώσιμα, *edulia, esculenta.* מאכל propriè βρῶσις, i. *cibus*: ξύλον βρώσεως, i. *arbor edulis*, purus putus Ebraismus. ¶ לֹא־יִבּוֹל עָלֵהוּ Οὐκ ἀποῤῥυήσεται τὸ φύλλον αὐτῦ] Hieron. *Non defluet folium ex eo, sive, non veterascet ex eo.* Idem in Comment. *Et nihil juxta Lxx, veterascet in eo.* ¶ לָחֳדָשָׁיו יְבַכֵּר Εἰς τὸ μῆνας αὐτῦ πρωτογενής] Hieron. *Per singulos menses afferet primitiva, sive, ut in Lxx scriptum est, fructus ejus in renovatione sui primitiva dabit.*

13. יוֹסֵף חֲבָלִים. Ἰωσὴφ διπλῦν σχοίνισμα] Hieron. *Pro eo quod nos diximus*, quia Joseph duplicem funiculum habet *Lxx transtulerunt* augmentum funiculi (*etenim* JOSEPH *interpretatur* Augmentum) *rem intelligentes pro nomine, & lectoris animum confundentes.*

16. חָצֵר הַתִּיכוֹן. Sym. *atrium medium*] Hieron. DOMUM *autem sive* ATRIUM THICON. *Sym. interpretatur* atrium medium. *Igitur* THICON (malim THICHON) medium *sonat.* In ed. Compl. αὐλαὶ τῦ Θίχων *atria Thichon*: ubi totus hic locus ità legitur, ὁδὸν Αἰθαλὼν τῆ εἰσόδυ Σηδάδα, Ἀμαθ, Βηρωθὰ, Σαβαρὶμ, τὰ ἀναμέσον ὁρίων Δαμασκῦ, ϗ ἀναμέσον ὁρίων Ἡμαθ, αὐλαὶ τῦ Θίχων, αἵ εἰσιν, &c. Ebræa sunt, הדרך חתלן לבוא צדדה חמת ברותה סברים אשר בין גבול דמשק ובין גבול חמת חצר התיכון אשר וגו

18. חַוְרָן. Αὐρὰν *Hauran*] Hieron. *quod pergit ad terminos Hauran.* HAURAN, *quam Lxx in Græcum vertêre sermonem* Auranitidis, *iracundiam sonat.* Idem aliquantò pòst, *Hauran est oppidum Damasci in solitudine.*

19. תָּמָר. Cæteri ἀπὸ Θαμὰρ *à Thamar*. In libro Locorum, *Palmetis, quem cæteri Interpretes ediderunt Thamar.* In ed. Romana hoc loco pro *Palmetis* est φοινικῶν, i. *palmetum.* Vide Ezech. 48. 28.

GROTIUS.

1. *A Quæ egrediebantur subter limen domûs*] Per canales subterraneos ductæ erumpebant in subdiale Sacerdotum, ad lavandas victimas, purgandum à sanguine solum, & sordes ejiciendas.

7. *Ecce in ripa torrentis ligna multa nimis*] Ubi ille torrens, sive fons potiùs, extra Templum egreditur humore suo educabit arbores optimas omnis generis, ità ut semper aliqui ibi fructus sint futuri aut præcoces, aut serotini. Vide infrà 12.

8. *Intrabunt mare*] Mortuum.

Et exibunt, & sanabuntur aquæ] Tanta erit rapiditas illius torrentis ut mare Mortuum pertransiens nihil ab eo corrumpatur; quomodo transeunt, quidam *amnis Fucinum lacum, Larium Abdua, Verbanum Ticinus, Benacum Mincius, Sevinum Ollius, Lemanum Rhodanus*, teste Plinio 11. 106. *Sanabuntur*, id est, manebunt salubres, neque retinebunt quicquam de aquis illis pestilentibus.

9. *Et omnis anima vivens quæ serpit*] Id est, *natat*; nam de piscibus agitur. שרץ de quovis motu animalis dicitur, ut Levit. XI. 29. quare & per κινεῖν [*movere*] vertitur, Genes. VII. 21.

Vivet] Non interibit, ut illi pisces qui in mare Mortuum immittuntur. Tacitus de eo: *Neque pisces aut suetas aquis volucres patitur.*

Sanabuntur] Id est, sanæ erunt.

10. *Et stabunt super illas piscatores*] Illâ parte quà ille torrens fluet.

Ab Engaddi usque ad Engalim] Hieronymus: *Engalim in principio est maris Mortui ubi Jordanis ingreditur; Engaddi verò ubi finitur atque consumitur.*

Siccatio sagenarum erit] Vide suprà XXVI, 5.

11. *In littoribus autem ejus & in palustribus non sanabuntur*] *Littoralia autem & palustria* (maris) *non erunt salubria.* Manebunt cætera maris mortui qualia antè fuerant.

Quia in salinas dabuntur] In Hebræo non est *quia*, sed *sali dabuntur*, id est, relinquentur. Vide quæ diximus Genes. XIV. 3. Tacitus de Asphaltite, qui idem *mare Mortuum*: *Lacus immenso ambitu specie maris, sapore corruptior.*

12. *Folia ejus ad medicinam*] Mirum ni hæc aqua ea sit quam *Callirrhoën* Plinius vocat in capite de Asphaltite (in quem labi *Callirrhoën* etiam Josephus nos docet Antiquitatum XVII. 8. & Belli Jud. I. 21.), *fontémque* appellat; nimirum quia tectus aliquamdiu rursus erumpit, *medica salubritatis.* Ab Hierosolymis eum venire Solinus nos docet: *Callirrhoë Hierosolymis proxima, fons calore medico probatissimus, & ex ipso aquarum præconio sic vocatus est.* Martianus Capella: *Secunda elatio Judææ ab Hierosolymis, in quo latere est fons Callirrhoë.*

13. *Hic est terminus in quo possidebitis terram in duodecim tribubus Israël*] Hæc assignatio & quæ sequitur capite postremo locum habitura fuisset si Decem tribus, non minùs quàm Judas & Benjaminis, se ad Deum convertissent: sic enim pariter impetrassent reditum. Nunc pauci tantùm permixti Judæ & Benjamini rediere, iique sedes cum illis habuere communes. Procedente tamen tempore, dono Regum etiam illa terra quæ Decem tribuum fuerat, Judæis concessa est, ut ex Josepho alibi ostendimus.

15. *A mari magno*] Vide ad hunc locum maximæ eruditionis virum Joannem Seldenum in Appendice Maris clausi.

Via Hethalon] Est in Syria Damascena, infrà XLVIII. 1.

Venientibus Sedada] In eodem tractu, Num. XXXIV. 8.

16. *Emath*] Num XIII. 22. XXXIV. 8. 1 Reg. VIII. 65. II Regum XVIII. 34.

Berotha] II Sam. VIII. 8. *Barathema* Ptolemæo.

Sabarim] *Sora*, ut videtur, Ptolemæo.

Domus Tichon] Quidam תיכון [*Tichon*] sumunt communiter, ut intelligatur *tractus medianus.* At Chaldæus pro nomine sumsit proprio, redditque *piscinam Agbaam.*

Juxta terminum Auran] Lxx: ἐπάνω τῆ ὁρίων Αὐρανίτιδ☉ [*ultra terminos Auranitidos*], quomodo hæc terra vocatur à Ptolemæo.

17. *Usque ad atrium Enon*] Rectiùs vertas, *villam Enan*, ut hic interpres Num XXIV. 9. est enim idem *Enon* & *Enan*, ut apparet collato loco infrà XLVIII. 1. Posset etiam retentâ voce priore Hebræâ dici *Adrenan*; quomodo חצר מות est Ἀδραμυτ☉ [*Adramytus*].

19. *Thamar*] *Thamaro* Ptolemæo.

Ad aquas contradictionis Cades] Sic vocatur is locus etiam Num. XXVII. 14. ex historia quæ est Numeror. XX.

22. *Vobis & advenis qui accesserint ad vos*] Ad exemplum ejus quod ibi olim Cinæis concessum fuerat, Judic. 1. 16.

CAP. XLVIII.

MUNSTERUS.

1. PLaga *Orientalis usque ad mare*] Tribus, inquit, Dan in extremitate sua attingit partes & loca Septentrionalia, ut in textu enumerantur: & secundùm longum incipit in Oriente, & terminatur ad mare Occidentale. Haud aliter aliæ tribus similem & eandem habent longitudinem ab Oriente in Occidentem. Latitudo autem earum non definitur, sicut mensura latitudinis separationis sanctæ atque possessionis Principis expresè describitur. In libro Jehosua longè aliâ ratione secernuntur hæ sortes tribuum Israel. Et Thalmudici quidem asserunt, possessionem Israelis fore usque ad extremos fines terræ: id quod colligunt ex eo quod hîc dicitur, *Ab Orientali plaga usque ad plagam Occidentalem.* Et nos libenter illis assentiremus si in spiritu id factum intelligerent, juxta illud *Venient ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Abraham*, &c. Porrò ex sortibus septem præcedunt separationem sanctam, quæ subjungitur tribui Jehuda, ut quæ olim fuit in tribu Jehuda & Benjamin, Propheticâ visione fit portio peculiaris Deo dedicata, octava scilicet in numero.

15. *Quinque millia quæ residua sunt*] Habet latitudo separationis cubitos XXV millia: à quibus si detrahantur decem millia pro Sacerdotibus & totidem pro Levitis, relinquuntur quinque millia pro possessione civitatis quæ hîc *portio profana* appellatur.

30. *Quingenti & quatuor millia*] Latus, inquit, urbis Septentrionale habet *quingentos cubitos & quatuor millia*; constituunturque in hoc latere tres portæ. Et similiter alia latera tot memorantur habuisse cubitos; ut tota amplitudo urbis complexa sit decem & octo millia cubitorum.

35. *Nomen civitatis*, DOMINUS IBI] i. Dominus in æternum erit ibi; nec unquam illinc est discessurus, ut hactenus discessit.

VATABLUS.

1. NOmina *tribuum* שמות השבטים] i. Hæc sunt nomina partium sive portionum quæ sumuntur à tribubus ipsis. ¶ *A fine Aquilonis ad latus* מקצה צפונה אל יד] *In fine* [vel *extremo*] *Septentrionis juxta locum.* ¶ *Plaga* פאת] *Limite: angulo: termino: parte.* ¶ *Una* אחד] Sub. *erit tribus*: vel *portio.*

8. *Oblatio spontanea quam offeretis* התרומה אשר תרימו] *Separatio quam separabitis*, i. consecrabitis. Intelligit de tota illa oblatione, i. portione illa terræ quæ dicanda erat Domino, quæ scilicet continebat tres partes, nempe portionem Sacerdotum, portionem Levitarum, & portionem sive possessionem urbis: quas postea particulariter declarat.

11. *Custodierunt custodiam meam* שמרו משמרתי] Vide similia c. 44. 15.

13. *Terminum* גבול] i. Portionem.

14. *Ex eo* ממנו] i. Ex sua portione. ¶ *Primitias* ראשית] Vocat hîc *primitias* quòd v. 12. vocaverat *oblationem*, quòd solerent separare primitias, & eas offerre Domino. ¶ *Sanctitas* est, &c. קדש ליהוה] Hebraismus, Deo sunt dicatæ & consecratæ.

15. *Erunt profana* חול הוא] Nam Urbs collata portionibus Sacerdotum & Levitarum, erat velut *profana.* ¶ *Et in suburbanum* ולמגרש] Vide c. 45. 2. ¶ *In medio ejus* בתוכה] Sub. *partis*, sive *portionis.*

16. *Hæ* sunt *autem*, &c. ואלה מדותיה וגו'] i. Urbis ipsa sive locus urbis habebit in quatuor suis lateribus tam in longitudine quàm in latitudine *quatuor millia cum quingentis calamis.* Erit ergò latitudo æqualis longitudini, & contrà. Latitudo autem sumitur à Septentrione ad Meridiem, & longitudo ab Oriente ad Occidentem, idque per latera opposita.

17. *Quinquaginta & ducentorum* חמשים ומאתים] Sub. *calamorum in latitudine*: nam longitudo ejus sumebatur secundùm longitudinem urbis. Erat ergò urbs tota, nempe cum suo suburbano, lata quinque millia calamorum, & longa totidem: nam suburbanum illud habebat ad Septentrionem & Meridiem simul quingentos cubitos pro latitudine totius urbis, & ad Orientem & Occidentem totidem pro longitudine illius urbis.

18. *Oblationis sanctæ* תרומת הקדש] i. Portiones Levitarum & Sacerdotum, sic dictæ quòd portionem urbis vocasset *profanam.* ¶ *Eritque e regione*, &c. והיה לעמת וגו'] i. Id quod reliquum fuerit ad Occidentem, *erit etiam e regione*, &c. ¶ *Servientibus urbi* לעבדי העיר] i. Agricolis, vinitoribus, patribusfamilias, & his qui curabant ac parabant cibum & necessaria urbi: colent enim agros illos utrinque.

19. *Hi autem*, &c. והעבד וגו'] *Isti enim erunt qui servient urbi*, & *servient*, &c.

20. *Cum quinque & viginti millibus* בחמשה ועשרים אלף] *Super vigintiquinque millia.* ¶ *Quadratam* רביעית] q. d. Tota illa oblatio complectens portionem Sacerdotum & Levitarum & possessionem Urbis, erit quadrata.

21. *Ad oblationem* לתרומת] *Juxta oblationem*, i. ex utroque latere oblationis sanctæ, & possessionis urbis. Epilogus est. Vide eadem c. 45. 6. ¶ *Oblatio sancta* תרומת הקדש] i. Portio Sacerdotum & Levitarum, ut v. 18. ¶ *In medio ejus* בתוכה] Portionis scilicet Principis.

22. *A possessione*, &c. ומאחזת וגו'] Eadem dicere videtur quæ v. 21. nam limites describit. Aut dicit quòd *portio* illa *Principis in cujus medio erit possessio Sacerdotum, Levitarum & Urbis, erit inter portionem Juda & inter portionem Benjamin*: habebit enim Judam à Septentrione, & Benjamin à Meridie.

23. *Una* אחד] Ut v. 2.

28. *A Thamar*, &c. מתמר וגו'] Cap. 47. 19. plena est locutio, *A Thamar usque ad Aquas Meriboth*, &c. i. *Portio Gad* erit *in limitie Meridionali* Terræ sanctæ, qui incipiet à Jericho, & contendet *ad Aquas Contentionis Cades, & ad torrentem* Ægypti *qui influit in mare Mediterraneum.* Vide c. 47. 19. ¶ *Torrentem*, &c. נחלה על הים] *Hereditatem quæ est juxta mare.*

29. *Sortiemini in hereditatem* תפילו מנחלה] Ad verb. *cadere facietis de hereditate*, i. eam missis sortibus dividetis jure hereditario possidendam. Vide c. 47. 22. ¶ *Portiones earum* מחלקותם] Ad verb. *divisiones earum.*

32. *Porta Joseph* ושער יוסף] Ad verb. *& porta Joseph.* Redundat ו.


35. *Per circuitum* סביב] Sub. *urbis*: q. d. Totus ambitus urbis erit, &c.

CASTALIO.

IN hoc capite est totius regionis distributio, quam hâc figurâ subjectâ declarabimus;

Oriens.

Dan Aser Nephthalis Manasses Ephraimus Ruben Judas Benjamin Simeon Issachar Zabulon Gadus



Occidens.

Tota regio divisa est in partes tredecim, quæ omnes pari sunt longitudine & latitudine, videlicet, *vicenûm quinûm millium cubitorum*, quadratæ. Est autem singularum longitudo *ab Ortu ad Occasum.* Sed totius regionis longitudo est à Septentrionibus ad Meridiem trecentorum vigintiquinque millium, cùm latitudo sit tantùm vigintiquinque millium, quanta est singularum partium longitudo. Media pars tota vocatur *exceptitium*, quòd ab aliis excepta est. Ea porrò dividitur in partes tres, quarum una secundùm Judæam tribum posita, patet in longitudinem vigintiquinque millia *AB*, in latitudinem decem *AC*, & *BD*. In ejus medio est Templum *E*. Atque hæc tota pars *Sadocianis Sacerdotibus* est tributa. *F* altera pars est ejusdem magnitudinis, tributa Levitis ædis administris, *ad viginti cœnaculorum possessionem*, ut scribitur cap. 45. hoc est, quæ sit pos-

possessio *Levitarum* qui degant in viginti cœnaculis. Superest spatium latum quinque millia *GH*, longum vigintiquinque, *HI:* is *locus est profanus urbis. Cujus in medio est urbs* quadrata *K*, *patens cubitorum quatuor millia quingentos*, cui *supersunt* de quinque millium latitudine quingenti, qui pomœriis tribuuntur, utrinque *ducenteni quinquageni*, & totidem ad Ortum & Occasum. Restant de longitudine ad Ortum decem millia *LM*, ad Occasum totidem *NQ*, quæ tribuuntur *colonis urbis*. Atque hoc totum vocatur *exceptitium*; cujus pars urbi tributa est *profana*, reliquæ *sacra*. In utraque *Princeps* habet possessionem, in sacra secundùm *Judaa* latus, in *Levitarum* Sadocianorum parte longam *vigintiquinque millia AB*. In profana autem *in urbis possessione*, secundùm *Benjamitidis* latus *HI*, quæ *principalis possessio est inter Judaos & Benjamiticos fines*. Sed quanta sit ejus principalis possessionis latitudo non addit autor. Est autem animadvertendum, Jovæ exceptitium non esse in totius regionis medio: nam à Septentrione sunt septem tribus, cùm à Meridie sint tantùm quinque.

C L A R I U S.

1. E*T erit ei plaga Orientalis*] Tribus, inquit, *Dan* in extremitate sua attingit partes & loca Septentrionalia, ut in textu enumerantur, & secundùm longum incipit in *Oriente*, & terminatur ad *mare* Occidentale. Haud aliter aliæ tribus eandem habent longitudinem ab Oriente in Occidentem. Latitudo autem earum non definitur, sicut mensura latitudinis *separationis sancta* atque *possessionis Principis* expressè describitur. In libro Josuæ longè aliâ ratione secernuntur hæ sortes tribuum Israel. Et Thalmudici quidem asserunt possessionem Israelis fore usque ad extremos fines terræ: id quod colligunt ex eo quòd hic dicitur, *ab Orientali plaga usque ad plagam Occidentalem*. Et nos libenter illis assentiremus si in Spiritu id factum intelligerent, juxta illud, *Venient ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Abraham*, &c. Porrò ex fortibus septem præcedunt separationem sanctam & Templum hoc ordine, *Dan*, *Aser*, *Nephthalim*, *Manasse*, *Ephraim*, *Ruben*, & *Juda:* mox *separatio*, proximè ad tribum Juda: quæ olim in tribu Juda & Benjamin fuit, jam est *separatio*, portio peculiaris Deóque dicata, sed Judæ vicina, quòd illi esset promissus Messias.

15. *Quinque millia autem*] Habet *latitudo* separationis *cubitos* 25 *millia:* à quibus si detrahantur decem millia pro Sacerdotibus, & totidem pro Levitis, relinquuntur quinque millia pro possessione civitatis, quæ hic *portio profana* appellatur.

19. *Servientes autem civitati*] Hi de singulis tribubus seliguntur, quia Gabaonitæ & impii cæteri non erunt, nec sanctam urbem communes homines inhabitabunt. Nihil enim coinquinatum introibit in regnum cœlorum.

20. *Omnis separatio vigintiquinque millium*] Epilogus est; Quadrifariam separarunt, nimirum pro Separatione sancta, pro Sacerdotum domibus, pro Levitis, & possessione Urbis.

30. *Et hi egressus civitatis*] *Latus*, inquit, Urbis *Septentrionale* habet *quingentos cubitos & quatuor millia*; constituunturque in hoc latere *tres porta:* Et similiter alia latera tot memorantur habuisse cubitos: ut tota amplitudo Urbis complexa sit *decem & octo millia cubitorum*.

35. *Nomen civitatis*, DOMINUS IBI] i. Dominus in æternum erit ibi; nec unquam illinc est discessurus, ut hactenus discessit.

D R U S I U S.

1. חֲצַר עֵינָן. *atrii Ainan*] Ἀυλῆς Ἀινάν pro quo in C. Αἰνὰν, & in aliis Ἀυνάν. Hîc perspicuè peccatum in Joth & Vau. Potest etiam mendum esse librariorum. Contra factum in Ἀιλὰμ, quod scribunt אילם, ubi Joth pro Vau lecta. Hujusmodi errata crebra sunt in Antiquitate.

2. גְּבוּל דָּן. A. Sym. τὸ ὅριον τοῦ Δὰν *terminus Dan*.

9. הַתְּרוּמָה. ἀπαρχὴ *primitia*. ¶ עֲשֶׂרֶת אֲלָפִים. δέκα χιλιάδες *decem millia*.

10. וּלְאֵלֶּה תִּהְיֶה תְרוּמַת־הַקֹּדֶשׁ לַכֹּהֲנִים. καὶ αὗται αἱ ἀπαρχαὶ τοῦ ἁγιάσματος τοῖς ἱερεῦσιν, *& ha primitia sanctificationes Sacerdotibus*. ¶ רֹחַב עֲשֶׂרֶת וגו. εὖρος δέκα χιλιάδες, καὶ πρὸς ἀνατολὰς πλάτος δέκα χιλιάδες, καὶ πρὸς νότον μῆκος εἴκοσι καὶ πέντε χιλιάδες, *latitudo decem millia, & ad Orientem latitudo decem millia; & ad Austrum longitudo quinque & viginti millia*.

15. חֹל. A. βέβηλον. Sym. Th. λαϊκὸν] Hieron. *Quod nos vertimus* in profanum, *pro quo Aq.* βέβηλον, *Sym. & Th.* λαϊκὸν *transtulerunt*, *Lxx dixere* προτείχισμα, *quod* antemurale *possumus dicere*. Profanum *autem est &* laicum, *i.* vulgare, *quod omni populo habitare passim licet*. ANTEMURALE] i. חל. ¶ לְמִגְרָשׁ. εἰς προάστεια *in suburbia*] Hieron. *Pro* suburbanis *Lxx interpretati sunt* διάστημα i. spatium. Et mox, *pro* suburbanis, *qua Ebraici dicuntur* מגרש, *rursum Lxx* διάστημα, *i.* spatium, *transtulerunt*. Jos. 21. 2. Hieron. *suburbana*, Sym. προάστεια. Vide Masium. Suprà 45. 2. Sym. Th. *terminus & separatio*, i. ἀφόρισμα. Hinc liquet, εἰς προάστεια, quod in nonnullis cod. non Senum esse, sed Symmachi vel alterius Interpretis.

21. לַנָּשִׂיא. τοῦ ἀφηγουμένου *ducis*.

22. לַנָּשִׂיא יִהְיֶה. τῷ ἀφηγουμένῳ ἔσαι *ducis erit*.

24. גְּבוּל. A. Sym. τὸ ὅριον] Hieron. *Quod in quinque & septem tribubus semper in fine ponitur* una, *subintelligitur vel* pars *vel* possessio *vel* hereditas; *licet Aq. & Sym. interpretentur genere neutrali* τὸ ὅριον, *quod significat* terminum. Hîc hæret mihi aqua. Nam adduci non possum ut credam Interpretes illos אחד vertisse τὸ ὅριον, cui potiùs respondet in Ebræo dictio גבול, quæ *terminum* significat. Forsan ediderant τὸ ἓν ὅριον *unus terminus*. Nihil temere statuendum.

30. תוֹצְאוֹת. A. Sym. Th. διεξόδους] Hieron. *Nunc scribitur per singula latera, h. e. per undecim millia passuum & octoginta quinque passus, ternas fuisse portas, quas Aq. Sym. Th.* διεξόδους, *Lxx* διεκβολὰς *vocant, nos interpretati sumus* egressus *&* exitus civitatis.

G R O T I U S.

35. P*Er circuitum decem & octo millia*] Quam summam faciunt quater sumpta latera: nam latus unumquodque jussum erat esse quater mille & quingentorum cubitorum.

Nomen civitatis ex illa die Dominus ibidem] *Dominus ibi*, supple *habitat*; non quòd hoc nomine appelletur, sed quòd hoc ἐπίθετον [*agnomen*] jure optimo ipsi sit competiturum. Similia habes Jeremiæ XXIII. 6. & XXXIII. 16. ubi vide.

ANNO-

ANNOTATA AD DANIELEM.

CAP. I.

MUNSTERUS.

Daniel Propheta totus in hoc incumbit ut Christi gloriosum & æternum Regnum magnificè efferat ac prædicet, & præ illo omnia Regna mundi vana & caduca ostendat. Habet & hanc inter Prophetas palmam; ut prædicat quasi momentum ipsum quo Jehudæorum ceremoniæ cessaturæ erant & regnum Christi inchoaturum. Hic juvenis abductus est anno tertio Jehojakim Regis Jehudæ in Babylonem; mansisséque putatur ibi per LXX annos, h. e. usque ad exstructionem Jerusalem: id quod ex fine hujus capitis discitur. Putatur autem Jehojakim bis captus eò quòd ex 2 Reg. 25. colligitur illum *undecim regnasse annis*, & cùm hic scribatur *tertio anno*, scilicet completo, migrasse in Babylonem, qui secundùm Jirmeiam *primus fuit annus Nebuchadnazar*, iterum rediit in Regnum, *serviens Regi Babel tribus annis*: & postea *rebellis* effectus, denuò est captus, & in itinere mortuus.

5. *Rem diei in die suo*] h. e. Dimensum, & quantum illis commodè sufficiebat ad quotidianum victum.

10. *Æquales*] Exponitur hîc גיל ab Hebræis pro רחכו *similis*; invenitúrque tantùm in hoc loco.

VATABLUS.

1. *Anno tertio* בשנת שלוש] i. Sub finem anni tertii. Jeremias c. 25. 1. *Anno*, inquit, *quarto Jehojacim filii Josijahu Regis Jehudah, ipse est annus primus Nebuchadnesar Regis Babel.* Annus primus Nabuchodonosor incurrit in annum tertium Joacim & quartum: fuítque Rex creatus sub finem tertii anni Joacim. Dicitur autem *annus quartus Joacim* fuisse *primus Nabuchodonosor* à majori parte.

2. *Et deduxit eos* ויביאם] Relativum sine antecedente: i. Joacim & socios Judæos concaptivos. ¶ *In domum thesauri Dei sui* בית אשר אלהיו] Hæc domus continebatur in palatio ipsius Nabuchodonosor. Sic intelligendum ut concordet cum eo quod dicitur 2 Par. 36. 7. *Posuit ea in palatio suo in Babel.*

3. *Dixitque* ויאמר] *Dixerat autem*, vel, *Præceperat autem.* ¶ *Eunuchorum suorum* סריסיו] *Nobilium suorum. Princeps eunuchorum*, vel *aulicorum*, sive *nobilium* is videtur fuisse qui seculis posterioribus fuit *Magister palatii* vel *aulæ* apud Romanos Principes. ¶ *Ut adduceret* להביא] Sub. *è Jerusalem.* ¶ *Regni* המלוכה] *Regio*, i. de stirpe regia. ¶ *Principibus* הפרתמים] *Ducibus nobilibus.* Hæc vox significat *magnos Principes.*

4. *In quibus esset* אשר אין בהם] Ad verb. *in quibus non esset in eis.* Redundat *in eis*, more Hebræorum. ¶ *Macula* מאום] i. Defectus: q. d. *non mutilos neque deformes.* Seipsum mox declarat cùm dicit, *decoros aspectu.* ¶ *Et decoros aspectu* וטובי מראה] Ad verb. *& bonos aspectu*, i. decoros formâ. ¶ *Et eruditos in omni sapientia* ומשכלים בכל חכמה] *Industriósque in omni sapientia.* Alii, *& qui ingeniosi essent in*, &c. ¶ *Et scientes scientiam* וידעי דעת] *Et peritos scientiarum.* Alii, *cautos scientiâ.* Alii, *præditos scientiâ*, i facundos & elegantes, ut alios docere possent. ¶ *Et intelligentes cogitationem* ומביני מדע] *Et intelligentes eruditionem.* Alii, *pollentes intellectu.* Alii, *intelligentes cognitionem*, i. sagaci ingenio & perspicaci. ¶ *Ut starent*, &c. לעמד וגו'] i. Qui per ætatem apti essent ministerio Regis.

5. *Demensum per singulos dies* דבר יום ביומו] Ad verb. *rem diei in die suo*, i. quotidianum victum. ¶ *Potûs sui* משתיו] Ad verb. *potuum suorum*, i. variis vini generibus quibus uti solebat. ¶ *Ut exactis illis* ומקצתם] Ad verb. *& à fine illorum*, sub. *trium annorum.* ¶ *Starent coram Rege* יעמדו לפני המלך] Hebraismus, pro, *apti essent ministerio Regis.* Integram locutionem habes Ezech. 44. 11.

7. *Beltesasar*] Nomina sunt Chaldæa, quòd essent ipsis Chaldæis magis familiaria.

8. *Potus ejus* משתיו] Ut v. 5.

9. *Dederat autem Deus*, &c. ויתן האלהים וגו'] Hebraismus, Effecerat Deus ut esset gratiosus & charus illi Principi, ut id peteret ab ipso.

10. *Et potum vestrum* ואת משתיכם], Ut v. 5. ¶ *Qui si*, &c. אשר למה וגו'] Ad verb. *Qui quamobrem videbit vultus vestros pallidos præ adolescentibus qui sunt juxta similitudinem vestram, & condemnabitis caput meum Regi?* q. d. Cur committam ut si videat vos pallidos, tristes & mœstos, macilentósque vultus vestros, plectar capite? ¶ *Macilentiores pueris* זעפים וגו'] *Tristiores pueris*, sub. *vultibus: turbulentiores: magis tetricos.* ¶ *Similes vobis* כגילכם] Ad verb. *secundùm similitudinem vestram*, i. vobis similes conditione & ætate. Quidam legunt cum ב, בגולכם *in captivitate vestra.* ¶ *Condemnabitis*, &c. וחיבתם וגו'] i. Efficietis ut Rex curet caput meum tollendum: q. d. accusabor læsæ majestatis.

11. *Ad Melsar* אל המלצר] Quidam scribunt, ה in hoc proprio nomine esse essentiale, & legendum *Hamelsar.*

12. *Tenta* נס] *Proba.* Alii, *Periculum fac de servis tuis.* ¶ *Démque nobis* ויתנו לנו] Sub. *ministri tui.* ¶ *Ut comedamus* ונאכלה] Ad verb. *Et comedemus*: ו pro *ut*, & sic mox.

13. *Et videantur* ויראו] *Et videbuntur*: vel, *apparebunt.* i. Cùm præbebunt se visendos vultus nostri; q. d. Cúmque spectatæ fuerint abs te formæ nostræ.

16. *Quare Melsar tollebat*, &c. ויהי וגו'] Ad verb. *Et fuit, Melsar auferebat*, i. curabat asportandum domum suam.

17. *Quatuor dedit* ארבעתם נתן להם] Ad verb. *Quatuor ipsis dedit ipsis.* Redundant duo relativa, more Hebræorum. ¶ *In omnibus literis* בכל ספר] *In omni literatura*, i. in omnibus scientiis quibus utebantur homines cum quibus versabantur. Intelligit omne genus doctrinæ ac eruditionis. ¶ *Ad Daniel*, &c. ודניאל וגו'] *At Daniel intelligentiam habuit in omni visione.* Alii, *Danielem autem intelligere fecit omnem visionem & somnia*, immissa scilicet à se, non vana somnia.

19. *Et non est inventus de universis illis* ולא נמצא מכלם] *Et non sunt inventi ex omnibus illis*, sub. *adolescentibus, qui alebantur cibo Regio.* ¶ *Et steterunt coram Rege* ויעמדו לפני המלך] Hebraismus ut v. 5. facti sunt ministri Regis.

20. *Et in omni*, &c. וכל וגו'] *Et in omni re sapientiæ, intelligentiæ*, i. in omni scientia ardua ac profunda, in qua scilicet opus est acuto ac subtili ingenio. ¶ *Decem partibus* עשר ידות] i. Decuplo doctiores. ¶ *Genethliacos & astrologos* החרטמים האשפים] *Physiologos, & astrologos*: vel, doctiores *omnibus ariolis & magis.* Vide c. 2. 2.

21. *Fuitque* ויהי] Sub. *stans*, i. stetit coram Regibus, &c. h. e. Ministravítque Daniel Regibus Babylonis usque, &c. ¶ *Usque ad annum primum* עד שנת אחת] Ad verb. *Usque ad annum primi*, i. qui numerabatur primus.

CASTALIO.

2. *In terram Sennaram*] In ea est Babylonia.

CLARIUS.

1. *Anno tertio regni Joacim*] Non est turbata in Daniele series temporum propterea quòd pleraque Visa sub iisdem Regibus non simul legantur. Nam siquis Scriptoris consilium attendat, non solùm ordo illæsus est sed & probè custoditus.

ditus. Duplices enim Visiones complectitur. Sunt quas Reges barbari viderunt, easque interpretatus est Daniel. De iis & aliis quæ Deus ad extollendos ministros suos & provehendam gloriam suam mirificè operatus est, tractatur usque ad caput 7. Sunt aliæ quas Daniel ipse sub variis Regibus habuit, & quid significent Archangelo interprete didicit. De iis usque ad finem agitur. Totus autem in hoc incumbit, ut Christi gloriosum & æternum Regnum magnificè efferat ac prædicet, & præ illo omnia Regna mundi vana & caduca ostendat. Habet & hanc inter Prophetas palmam, ut prædicat quasi momentum ipsum quo Judæorum ceremoniæ cessaturæ erant, & Regnum Christi inchoaturum. Hic juvenis abductus est anno tertio Joacim Regis Judæ in Babylonem; mansisseque putatur ibi per LXX annos, h. e. usque ad exstructionem Jerusalem: id quod ex fine hujus capitis discitur. Putatur autem Joacim bis captus ex eo quòd 4 Reg. 23. colligitur illum *undecim regnasse annis*, & cùm hic scribatur *tertio anno*, scilicet completo, migrasse in Babylonem, qui secundùm Jeremiam *primus* fuit *annus Nabuchodonosor*, iterum videtur rediisse in Regnum, *serviens Regi Babel tribus annis* 4 Reg. 24. 1. & postea *rebellis* effectus, denuo est captus, & in itinere mortuus. Hic Joacim erat filius Josiæ Regis, pater Joachin, quem & *Jechoniam* appellant, frater autem Sedechiæ, qui & *Sellum* dicitur, sub quo Jerusalem destructa est, & frater Joachaz, quem Pharao Necao in Ægyptum abduxit vinctum. Et admonet Hieronymus, *non putandum esse eundem in Danielis principio esse* JOACIM *qui in Ezechielis exordio* JOACHIN *scribitur: iste enim extremam syllabam* CIM *habet*, *ille* CHIN. Hic ergò fuit à Pharaone Necao pro fratre suo Joachaz constitutus Rex Juda.

2. *In terram Sennaar*] *Terra Sennaar* terra Chaldæorum est, in qua Babylon, dicta quòd illic viri Diluvii moveri cœperint atque increscere.

3. *Præposito eunuchorum*] *Eunuchi* propriè & secundùm etymon suum dicuntur *lectorum custodes & cubicularii*, non spadones: quamvis barbari Reges id muneris hisce molliculis ferè injungere soliti sint: unde & spadones *eunuchi* dici cœpere.

4. *Ut doceret eos*] *Ut Rex eos doceri curaret literas Chaldæorum.*

7. *Et imposuit eis præpositus eunuchorum nomina*] Potestatis ac dominii indicium est quando servis nova nomina inducuntur. Atque hoc licet aliquoties in Scripturis cernere. Adam enim appellans suis nominibus animalia, dominum se illorum à Deo conditum declaravit. Insignivit etiam Servator Christus novis nominibus quos præcipuos suo ministerio asscripsit: Ità ex Simone factus est *Petrus*, ex filiis Zebedæi *Filii tonitrui*, ex Saulo *Paulus*, & olim ex Jacob *Israel*, & ex Abram *Abraham*. Babyloniis sanè invisa erant Danielis sociorumque illius nomina, quandoquidem singula in Divina vocabula desinunt: nam eorum desinentiæ sunt nomina veri Dei, & Deum ex nominibus suis suum agnoscebant, DANIEL *judicem*, ANANIAS *miseratorem*, MISAEL *interpellatum*, & AZARIAS *adjutorem*. Nunc mutatis nominibus Daniel salutatur BALTHASAR, quasi *Bel custos thesauri*. ANANIAS fatebatur *gratiam Dei*, nunc audit se *exaltatum* & *in deliciis esse*. Sic MISAEL sonans *petentem sua à Deo*, audit se *in pretio esse*. Et AZARIAS vocabulo suo testabatur *adjutorem Deum*, nunc gloriosè appellatur *Illustrator*: quanquam aliqui interpretantur ABEDNAGO *Servum Veneris*. NAGO enim *stella* est *Veneris*.

20. *Super omnes ariolos & magos*] Hebræam dictionem quam nostri verterunt *magos*, quidam exponunt de iis qui naturalibus rebus utentes mira faciunt, aut putantur mira facere dum subtilitas ipsorum minus advertitur. Hâc arte multùm valent magi. Et arbitrantur nomen compositum à *foramine* & *occulto*, eò quòd præstigiatores illi nonnunquam homines includebant in locis occultis, & nonnunquam etiam in sepulcris, & sic innumeris modis dementabant homines. De hac Danielis & sociorum eruditione sic ait Hieronymus, *Daniel*, *qui de mensa Regis & de vino potûs ejus non vult comedere*, *ne polluatur*, *utique si sciret ipsam sapientiam atque doctrinam Babyloniorum esse peccatum*, *nunquam acquiesceret discere quod non licebat. Discunt autem*, *non ut sequantur*, *sed ut judicent atque convincant.* Idem, *Pro* HARIOLIS, *inquit*, *&* MAGIS *Vulgata editio* SOPHISTAS *&* PHILOSOPHOS *transtulit*, *non juxta hanc philosophiam & sophisticam disciplinam quam Græcorum eruditio pollicetur*, *sed juxta doctrinam gentis barbaræ quâ usque hodie Chaldæi philosophantur.*

21. *Fuit autem Daniel*] Quod dicitur *ad annum primum* quidam vir eruditus ajebat legendum esse, etiam secundùm Hebraicam veritatem, *ad annum ipsum*, h. e. usque ad tempus, *Cyri*. Neque dicitur quòd *mortuus fuerit* eo anno, sed quod *fuerit*. Quidam enim offenduntur quòd, cùm hic dicatur *usque ad annum primum Cyri*; in posterioribus Visionibus legatur, *Anno tertio Cyri*.

DRUSIUS.

Hier. Procem. in Danielem, *Illud quoque Lectorem admoneo*, *Danielem non juxta LXX Interpretes*, *sed juxta Theodotionem Ecclesias legere.*

2. אֶרֶץ שִׁנְעָר. Th. εἰς γῆν Σενναάρ. Schol. — Βαβυλῶνος. Zach. 5. 10. בארץ שנער. LXX ἐν γῇ Βαβυλῶνος. Gen. 14. 1. מֶלֶךְ שִׁנְעָר. Oncelos *Rex Babyloniæ*, vel *Babylonis*, i. מלכא דבבל. Jes. 11. 11. משנער. Jonathan *è Babylonia* מבבל. Ergò SENNAAR, *Babylonia*. Paulò aliter Hier. *Terra Sennaar locus est Babylonis*, *in quo fuit campus Dura*, *& turris quam usque ad cœlum hi qui ab Oriente moverant pedes suos*, *ædificare conati sunt.* Sed idem subjungit, *Unde & à Confusione linguarum locus nomen accepit* BABYLON, *quæ in linguam nostram transfertur* Confusio. Fortè *locus Babylonis*, ut *fluvius Euphratis*, *urbs Roma*, *herba lapathi*, &c.

3. פַּרְתְּמִים. Sym. Πάρθων. Th. Φορθομμίν. Aq. 1 ed. & LXX *electos*: 2 *tyrannos*] Hier. *Pro* Φορθομμίν, *quod Th. posuit*, *LXX & Aquila* electos *transtulerunt*, *Sym.* Parthos, *pro verbo nomen gentis intelligens*: *quod nos juxta editionem Ebræorum quæ κατ' ἀκρίβειαν legitur in* tyrannos *vertimus.* Theodoretus ἐπιλέκτους attribuit Symmacho, & φορθμὶν Ebræorum linguâ vocari ait *virgines*. Φορθομμὶν pro Φορθομμίμ. Sic χερουβὶν pro χερουβὶμ, ex dialecto Syriaca sive Chaldaica, quæ mutat μ Ebræorum in ν. ELECTOS] Ἐπιλέκτους. JUXTA EDITIONEM EBRÆORUM, &c.] Intelligit editionem Aquilæ secundam, quam Ebræi κατ' ἀκρίβειαν appellant. Vide sis Quæsita mea.

8. יִתְגָּאַל. Th. ἀλισγηθῇ. Schol. μιανθῇ *pollueretur*, *contaminaretur*] Job. 3. 5. יגאלהו, A. μολύναι *polluat*, vel *polluant*. Ἀλισγέω, *contamino*, *polluo*. Cohel. 2. ἀλισγήσει τὴν ψυχὴν αὐτοῦ. In Malach. ἠλισγήσαμεν, & ἠλισγημένος *pollutus*. In ed. Rom. scriptum hoc verbum cum spiritu aspero.

10. שַׂר הַסָּרִיסִים. ὁ ἀρχιευνοῦχος *archieunuchus*, sive *princeps eunuchorum*] Hier. *Non solum Præpositus eunuchorum sive Magister*, *&*, *ut alii transtulerunt*, ὁ ἀρχιευνοῦχος *sanctis immutat nomina*, *sed & Pharao Joseph in Ægypto* Saphanath Phaaneh *appellavit*, *nolentes eos in terra captivitatis vocabula habere Judæorum.* ¶ וְחִיַּבְתֶּם. Schol. καταδικασθῆναι ποιήσετε *condemnari faciatis.* ¶ לַמֶּלֶךְ. Παρὰ τοῦ βασιλέως *apud Regem.*

12. נַס. Th. πείρασον *tenta.* Schol. δοκίμασον *proba*] Conjicio sumptum esse ex ed. Symmachi, quæ cæteris dilucidior est. Cæterùm *tentare* hoc *sensu* sumitur in illo, *Tenta me*, *Domine*, *& proba me.* Sic, *Tentavit Deus Abrahamum*, i. probavit.

14. וַיְנַסֵּם. Schol. καὶ ἐδοκίμασεν τὴν ἰδέαν αὐτῶν, *& probavit vultum eorum*] *Eos*, i. vultum eorum: non sperno.

16. זֵרְעֹנִים. Schol. ὄσπρια *legumina.*

17. בְּכָל־סֵפֶר. Schol. ἐν παντὶ τῷ βιβλίῳ· & Hier. *in omni libro.* Sym. *in omni arte Grammatica*] Hier. *Nota quòd Deus dederit sanctis pueris scientiam & disciplinam secularium literarum in omni libro & sapientia. Pro quo Symmachus interpretatus est* artem Grammaticam, *ut cuncta quæ legebant intelligerent*, *& spiritu Dei de Chaldæorum scientia judicarent.* ἐν πάσῃ γραμματικῇ hodie habetur in ed. Theodotionis.

GROTIUS.

Metrodorum Scepsium ajunt Græci virum fuisse raræ eruditionis & eloquentiæ, pervenisse autem ad eum amicitiæ gradum apud Regem Mithridatem ut Rex ejus maximè consiliis uteretur; sed æmulorum artibus incidisse in iram Regis, prænuntiam mortis, ut loquitur Solomon; itaque eum malo fato periisse. Daniel ingenio valens, omnibus institutus quæ apud Chaldæos valebant artibus, præterea magnis à Deo donis egregius; in flagrante fuit gratia apud Reges Chaldæos: sed is quoque offensam incurrit, quæ ei certam attulisset mortem, nisi Dei potentia intervenisset. ταῦτα ἐστι τὰ ἐπίχειρα τῆς τυραννικῆς φιλίας [*Hæc sunt præmia regalis amicitiæ*], ajebat Aratus Sicyonius. Cur Danielem Prophetis non accenseant Hebræi, causam alibi diximus; nempe quòd vitam egerit non Propheticam, sed Satrapicam, ut David Regalem: quare eos ajunt scripsisse quidem per Spiritum sanctum, sed Prophetas non fuisse. Attamen & Chri-

ſtus & Joſephus Danielem vocant *Prophetam*, & ſic eum dici poſſe ſignificatu generaliore affirmat Maimonides parte ſecundâ Ductoris dubitantium. Utitur autem Eccleſia, ut Hieronymus nos monet, in Daniele non LXX Interpretum verſione, ſed Theodotionis, quòd ea ſenſum rectiùs expreſſiſſe videatur, quod & Origenes lector verſionum diligens judicaverat. Ait idem Hieronymus, *ad intelligendas extremas partes Danielis multiplicem Græcorum hiſtoriam eſſe neceſſariam: Sutorii videlicet Callinici, Diodori, Hieronymi* (nempe Ægyptii, qui res Phœnicum ſcripſit), *Polybii, Poſidonii, Claudii, Theonis, & Andronici cognomento Alypii, quos*, addit, *& Porphyrius ſecutum ſe dicit*, nempe in explicando Daniele; cujus ille auctoritatem ut eluderet, ſcriptos dixit libros poſt eventum: quod quàm ſit impudens alibi diximus. Pergit Hieronymus, & inter eos quos dicit neceſſarios etiam *Joſephi* ponit *libros, & eorum quos ponit Joſephus: præcipueque*, ait, *Livii, & Pompeji Trogi, atque Juſtini, qui omnes extremæ viſionis narrant hiſtoriam, & poſt Alexandrum uſque ad Cæſarem Auguſtum, Syriæ & Ægypti*, id eſt, *Seleuci & Antiochi & Ptolemæorum bella deſcribunt.* Horum omnium quos nominat Hieronymus, cùm ad nos nihil pervenerit, præter Joſephum & Juſtinum, his nobis utendum eſt: addendúſque his Strabo & Appianus, qui haud dubiè etiam illorum qui perierunt uſi ſunt libris. Tum verò pro Porphyrio, & tot illis libris Porphyrio lectis, utendum nobis iis quæ ex Porphyrio nos docet Hieronymus. Inter Græcos autem ad ſenſum horum vaticiniorum proximè acceſſit Polychronius Porphyrii lector diligens, & Chryſoſtomus. Bene autem intelligi hæc vaticinia refert plurimùm; primùm ut eò lucidiùs appareat Dei providentia & præſcientia; deinde nè prava interpretatio tempora confundens impediat Judæos Meſſiæ tempora agnoſcere: quod vel maximè illi faciunt qui quæ de Antiocho Illuſtri dicta ſenſum habent manifeſtum, ad Antichriſtum trahunt, ut Hippolytus, multique alii.

1. *Anno tertio regni Joacim Regis Judæ*] Exeunte; quia hoc iter Nabuchodonoſori maximâ ſui parte in annum quartum Joachimi incidit: ideo *quartum annum* nominat Jeremias XXV. 1. At undecimus hic annus eſt regnantis Joachimi in Regum hiſtoria, nempe quia ab eo tempore regnum à Chaldæis acceperat. At Hebræi eum pro Rege non habuerunt, niſi poſt fratris Joachazi, qui in Ægyptum avectus fuerat, & rediturus ſperabatur, mortem.

2. *Tradidit Dominus in manu ejus Joacim Regem Judæ, & partem vaſorum domûs Dei*] Convenit cum II Paralipom. XXXVI. 6. 7.

Et aſportavit ea in terram Sennaar] Quæ etiam in Græco Σεννααρ, Plinio & Ptolemæo *Singara*, ut diximus Annotatis ad primum librum de Religione Chriſtiana.

In domum dei ſui] Præcipui dei, id eſt, Beli. Vide Hecatæi locum priore Joſephi libro contra Appionem, & Jeremiæ LI. 44.

3. *Præpoſito Eunuchorum*] Talium operâ in domo ſua utebantur Reges Orientis ad ſervandam mulierum pudicitiam.

Et de ſemine regio] Ut prædixerat Eſaias XXXIX. 7.

Et tyrannorum] פרתמים. *Parthos* vertit Symmachus, non appoſitè: *inclytos* vertit hic idem interpres Eſtheræ I. 3. *tyrannos*, ut hic, Eſtheræ VI. 9. In quibus Eſtheræ locis Chaldæus Interpres habet אמרכלא. An hoc ex Græca voce πρώτων [*primorum*];

4. *Pueros*] Νεανίσκους Græci, id eſt, *juvenes*, quod bene convenit cum ſequentibus.

In quibus nulla eſſet macula] מום omne *vitium* ſignificat, ut membri defectum, aut luxatum, diſtortúmve aliquid. Vide Levitici XXI. 17. Solent Græci Interpretes vertere μῶμον: nam & hæc Græca vox ex illa eſt Orientali.

Decoros formâ] Nam,

Formoſa facies muta commendatio.

Et ſolet indè etiam de ingenio judicari.

Et eruditos omni ſapientiâ, cautos ſcientiâ, & doctos diſciplinâ] Nempe iis quæ in Judæa diſci potuerant. Per *ſapientiam* videtur intelligenda Lex Moſis; per *prudentiam* (ità enim Hebræi vertunt מדע) monita illa de Moribus, re Familiari, ac Civili, qualia multa apud Solomonem; per *diſciplinam* verò, id eſt, מדע, artes Metiendi, Numerandi, & Hiſtoriæ cognitio.

Et qui poſſent ſtare] In Hebræo, *quibus robur ad ſtandum.* ἰσχὺς [*robur*] Græcè; nam certè etiam firma corporis conſtitutio requiritur ad longas illas in aula ſtationes.

Ut doceret eos literas] *Literaturam.* Ità Saadia & Aben-Eſdra.

Et linguam Chaldæorum] Quæ ab Hebræa non parum differebat. Vide II Reg. XVIII. 26. Jerem. V. 15. Hoc autem eò pertinebat, ut ea quæ ipſi domi didicerant Regi poſſent exponere, & addiſcere artes Chaldaïcas, Aſtrologiam, Architecturam, ac Rem militarem.

5. *Conſtituit eis Rex annonam*] Dimenſum.

De cibis ſuis & de vino unde bibebat ipſe] Nempe ut ex alimentis optimis & formæ & ingenio aliquid accederet.

6. *Daniel, Ananias, Miſaël & Azarias*] In quibus nominibus omnibus ineſt Dei nomen, additis vocibus *judicium, gratiam, contactum* & *auxilium* ſignificantibus.

7. *Et impoſuit eis præpoſitus eunuchorum nomina*] Nempe de diis ſumta Chaldaïcis, ut hîc notat Jacchiades.

Baltaſſar] Scribitur hîc בלטשאצר, infrà verò X. 1. בלטשאצר, unâ literâ differens à Regis nomine, infrà V. 1. & VII. 1. Significat autem ità ut hic ſcribitur בלטשאצר, *Belus ſervat opes.*

Ananiæ Sidrach] *Sad lenis* ſupple *ſit.* *Sad* nomen dæmonis nocentis. Uſurpant Rabbini in ſingulari, Interpretes Chaldæi & Thalmudici in plurali שדין [*Saddin*]. Eſt ergò hoc nomen ἀποτρόπαιον [*ad mala depellenda pertinens*].

Miſach] Retentâ parte nominis Hebraïci, pro אל [*El*] poſitum שך [*Sach*], quæ dea Babyloniorum, unde Σακχαῖα [*Sacchaa*]. Jeremiæ pleniùs ששך [*Seſach*] Jerem. XXV. 26. & LI. 41. ubi dicta vide.

Et Azariæ Abdenago] *Servus Luciferi.* נגו [*ſplendor*] Chaldæis, quod נגהא in Chaldaïco Eſtheræ X. 3. נגהא in verſione Chaldaïca Eſaiæ XIV. 11. עבד נגו [*ſervus Luciferi*] pari formâ dicitur quâ עבד עלינים [*ſervus deorum*] *Abdolonymus* apud Curtium lib. IV.

8. *Ne pollueretur de menſa Regis, neque de vino potûs ejus*] Pro *de menſa Regis* rectiùs dices *de pane ejus.* Eſt enim פתבג [*Potbag*] non aliud quàm ποτίβαζις, panis genus in Oriente, ut ex Dinonis III Perſicorum nos docet Athenæus lib. II. Cauſa verò cur Daniel pane vinóque regio abſtinuerit, non alia eſt quàm quòd moris erat illis gentibus partem de pane & de vino injicere in aram, aut ſi ara non adeſſet, in focum, vice aræ, atque eo modo diis ſuis conſecrare totum illud quod erant comeſturi. Id verò, ſicut ſtultâ illorum opinione erat ſanctitas: ità Hebræis, meliùs inſtitutis, & certis talia dedicata eſſe falſis numinibus, erat pollutio. Sic Jacchiades & Theodoretus.

9. *Dedit autem Deus Danieli gratiam & miſericordiam in conſpectu principis eunuchorum*] Secundùm preces Solomonis I Reg. VIII. 50.

10. *Si viderit vultus veſtros macilentiores*] Triſtiores, σκυθρωποτέρους, quales ſolent eſſe facies eorum qui modicè paſti ſunt. Vide Matth. VI. 16. id & in Hebræo & in Chaldæo ſonat vox זעף.

11. *Ad Malaſar*] Theodotion legit ד pro ר. Ejus enim verſio habet Ἀμελσάδ [*Amelſad*]. alii codices habent Μελσάδ [*Molſad*]. Dubitatur nomen ſit hominis, an muneris, ſub primo illo eunuchorum inſpectore. Ego potiùs hominis nomen eſſe credam, ut ſuprà *Aſphenez*; ità ut ה hic ſit pars nominis. Ità accepit & Jacchiades.

12. *Tenta nos, obſecro, ſervos tuos*] Id eſt, *periculum fac de nobis.* Theodotio, πείρασον [*experire*]. Symmachus, δοκίμασον [*explora*].

Dentur nobis legumina] מן הזרעים, ἀπὸ τ̃ σπερμάτων [*ex ſeminibus*]. Sic vocantur herbæ & legumina, quæ vili pretio parantur, & vix digna ſunt quæ ferantur ad menſam regiam. Eſt quidem verum illud,

Παχεῖα γαστὴρ λεπτὸν οὐ τίκτει νόον.
[*Tenuia ſenſa non dat abdomen grave.*]

Sed hîc, ubi & de forma agitur, Dei opus apparet.

15. *Vultus eorum meliores & corpulentiores*] Ἰδέαι αὐτῶν ἀγαθαὶ καὶ ἰσχυραὶ ταῖς σαρξίν [*ſpecies eorum bonæ & carnibus validæ*], id eſt, & colore erant vivido, & ſucecoſi.

16. *Tollebat cibaria, & vinum potus eorum*] Abſtinebat illis dare de pane aut vino regio, ipſorum precibus morem gerens.

17. *Pueris autem his dedit Deus ſcientiam & diſciplinam*] *Scientiam & intellectum*, id eſt, non cognitionem tantùm, ſed & ſagacitatem ad alia ex aliis reperienda.

In omni libro] *Literatura*, ut ſuprà 4. ἐν πάσῃ γραμματικῇ [*in omni grammatica*] habet textus Græcus, quod eſſe ex Symmacho docet nos hic Hieronymus. Ità ſæpe miſceri verſiones videmus.

Et ſapientia] In cognitione rerum naturalium, quæ præcipua ſapientia apud Chaldæos.

Danieli verò] Inſuper ſcilicet.

Intelli-

Intelligentiam omnium visionum & somniorum] Id est, interpretandi visa & somnia θεήλατα [*Divinitus immissa*], quæ non apertè, sed per imagines futura significant. Vide quæ dicta Num. XII. 8. hoc est donum ἑρμηνείας [*interpretationis*] 1 Corinth. XII. 10. XIV. 26.

19. *Et steterunt in conspectu Regis*] Tanquam quotidiani ministri.

20. *Omne verbum sapientiæ & intellectûs*] In Hebræo est constructivè חכמת בינה, *sapientia intellectûs*, id est, earum partium Philosophiæ quæ maximè perspicacem intellectum requirunt.

Super cunctos ariolos] Pro החרטמים τοὺς ἐπαοιδοὺς [*incantatores*] Græca habet versio; nec aliter Exodi VII. 11. 22. VIII. 7. 18. alibi φαρμακοὺς. Erant Physici, sed qui sæpe etiam dæmonum uterentur operâ.

Et magos] אשפים [*Assaphim*], quod hic legitur, crediderim vocem esse Græcam. Nam ante Nabuchodonosori tempora celebris erat Thaletis & aliorum, qui σοφοὶ [*Sophi*, id est *Sapientes*] dicti sunt, fama. erat autem Thales ex Jonia Asiatica. Syrorum est א vocibus præponere.

21. *Fuit autem Daniel*] Id est, vixit Babylone: nam postea in Judæam ivisse ab Hebræis dicitur.

Ad annum primum Cyri Regis] Ad finem usque septuaginta annorum, quos præstitutos exsilio dixerat Jeremias.

CAP. II.

MUNSTERUS.

1. *Anno secundo*] Hic à multis putatur fuisse annus secundus post destructam Jerusalem & occupatam Ægyptum domitáque Regna omnia, cùm jam Rex esset in quiete & totam Monarchiam esset consecutus.

4. *Syriacè*] Hoc additur à Propheta quòd visionem ipsam intendebat describere non in Hebraica lingua sed in Syriaca, quæ multis nationibus familiaris erat, sicut & Germanica nostra lingua communis est & Helvetiis & extremis Saxonibus. Nos vocabula illa Syriaca fideliter reddidimus juxta expositionem R. Levi & Aben Ezræ, ut non putemus hic opus esse aliâ interpretatione, præter pauca. Utitur autem hâc Syriacâ linguâ usque ad nonum caput.

5. *Ad Chaldæos*] Quando כשדים usurpatur pro *divinis*, R. Saadias putat idem esse quod כמו שדים *quasi Dæmones*, quòd Dæmoniacâ virtute quædam stupenda facerent.

8. *Tempus emitis*] i. Quæritis hoc unum ut res ipsa procrastinetur, impetratáque dilatione, ego aliis impeditus negotiis hujus causæ obliviscar.

21. *Mutat tempora*] h. e. Omnia sunt in potestate ejus, & mira est dispensatio operum ejus quæ fiunt in hoc corruptibili mundo. Nunc boni nunc mali rerum potiuntur; nunc in Oriente nunc in Occidente est Monarchia. Nihil prosunt congesti thesauri maximis Imperatoribus, nihil innumeræ militum copiæ, nihil versuta consilia, ad stabilienda aut amplianda Regna. Deus hæc omnia moderatur. Abjicit plerumque potentes Reges, & in locum eorum surrogat inermes atque nudos pastores. Exstant apud Historicos innumera exempla.

27. *Arioli*] Sunt גזרין *fatidici*, sicut & frequens est apud Magistros גזרה pro *fato* & *decreto fortunæ*.

31. *Effigies ejus*] Hebræi exponunt זיו *splendorem*. Significat autem hæc imago Mundum. Sicut enim Caput ejus est *aureum*, Pectus *argenteum*, & inferiora deteriora, putà *ferrea* & tandem *lutea* & *fictilia*, sic se habet ratio Mundi. Prima fuerunt pulcerrima, & posteriora sua deteriora. Verè imago quædam est Mundus & figura, cùm nihil stabile sit sub Sole, sed omnia fluxa & caduca. Describuntur autem tantùm quatuor Monarchiæ, à quibus scilicet Jehudæi erant affligendi. Monarchia Babyloniæ exprimitur per *Caput aureum*. Per *Imperium* verò *secundum* putant significari Regnum Persarum; & per *tertium*, Regnum Macedonicum seu Græcorum; atque per *quartum*, Regnum Romanorum, quod diligentiùs cæteris describitur, quia sub illo Christus in carnem erat venturus. De hoc dicitur quòd *tanquam ferrum omnia sit domiturum*, futurúmque sit ut in se *dividatur*, sanguinis & affinitatis vincula non curet, quódque gravissimis cladibus sit afficiendum, & nihilominus in sua fragilitate diu perseveraturum. Quomodo veluti ferrum totum mundum domuerit, nemo ignorat. Constat quoque quomodo fuerit scissum à Constantini ac deinde Caroli magni temporibus usque ad tempora nostra: ut etiam sæpe jura propinquitatis non obstiterint, præsertim Julii & Augusti temporibus.

44. *Suscitabit Deus Regnum*] Hic loquitur Propheta de Regno Christi spirituali. Illud autem est duplex; unum in humilitate, alterum in gloria. Primum dicitur *suscitatum à Deo* sub Regno quarto, quando Principes mundi orbem concutiebant; sæviebant & inter se belligerabant; contemptis etiam cognationis & affinitatis legibus: tunc, inquiam, suscitatum fuit Regnum Christi, non armis aut vi bellicâ, non thesauris neque insidiis, sed virtute Divinâ. Interibat tunc gloria mundi & desinebat in lutum, ubi Regnum aderat quod in seculum non corrumpetur neque habebit finem, quantumlibet portæ inferi conentur illud evertere.

45. *Lapidem absque manibus sectum*] Ostenditur in his verbis secundus Christi adventus, qui erit in gloria. Hic veluti *lapis angularis sectus est de monte*, h. e. natus de populo Dei. Vel secundùm alios, *lapis iste sine manibus sectus est*, h. e. repentè in judicio apparebit de monte cœlesti, & comminuet atque rediget omnia in nihilum, ut ipse solus sit omnia in omnibus.

VATABLUS.

1. *Et contritus est* ותתפעם] *Et fractus est*, i. Cœpit animo esse turbato ac perterrito, & interruptus est somnus ejus, ità ut non posset ultrà dormire.

2. *Jussit ergò* ויאמר] Ad verb. *Et dixit.* ¶ *Genethliacos* לחרטמים] *Physicos*, i. peritos rerum & causarum naturalium. ¶ *Et maleficos* ולאשפים] *Et incantatores: divinos.* ¶ *Et Chasdim* ולכשדים] *Et Chaldæos.* Intelligit homines superstitioni deditos, qui solebant se totos dedere vanis artibus ac scientiis.

3. *Et contritus est*, &c. ותפעם רוחי וגו'] Ut v. 1. *conturbatus est spiritus meus ut scirem*, &c. q. d. Cœpi esse animo conturbato dum conabar reminisci, sive recordari somnii mei.

4. *Syriacè* ארמית] i. Linguâ Aramæâ sive Chaldæâ. ¶ *Rex* מלכא] Hinc usque ad initium octavi capitis Daniel Chaldaico utitur sermone.

5. *Res à me recessit* מלתא מני אזדא] i. Jam non memini ejus quod somniavi. ¶ *Efficiemini* תתעבדון] i. Concidemini: sive discerpemini.

6. *A conspectu me* מן קדמי] i. A me.

8. *Res* מלתא] i. Somnium.

9. *Sententia* דתכון] *Lex de vobis*, i. quæ fertur contra vos: q. d. Omnes moriemini. ¶ *Mendacem* כדבה] *Fallacem*, i. vanum. ¶ *Et corruptum* ושחיתה] i. Inutilem. ¶ *Donec tempus mutetur* עד די עדנא ישתנא] i. Donec negotia aliò me pertrahant. *Indicare possitis mihi* תהחונני] Ad verb. *indicabitis mihi.*

10. *Rex, princeps* מלך רב] *Rex quantumvis magnus.* ¶ *Ullum genethliacum*, &c. לכל חרטם וגו'] *Ullum physicum*, *aut astrologum*, *aut Chaldæum.*

11. *Grave est* יקירה] *Rarum est*, i. difficile: nam quæ pretiosa sunt, rara & inventu difficilia sunt. ¶ *Deos* אלהין] *Angelos.* Alii, *spiritus ipsos.* ¶ *Cum carne* עם בשרא] i. Cum hominibus.

12. *Et jussit* ואמר] Ad verb. *& dixit.*

13. *Itaque lex egressa est* ודתא נפקת] *Et decretum egressum est*, sub. *ab ore Regis*, sive *à Rege*: i. Rex tulit sententiam.

14. *Respondit sapientiam & prudentiam* התיב עטא וטעם] *Respondit consilium & prudentiam*, i. sapientiam & prudentiam; h. e. sapienter ac prudenter respondit. Ità doctus ex Hebræis. Quidam, *respondit* super *consilio & edicto.* Alii, *intercessit consilio atque decreto apud Arioch*: fortasse quia התיב *redire fecit* significat.

15. *Festinavit* מהחצפה] i. Quâ de causa decretum hoc adeò festinanter ac præcipitanter edictum est & latum à Rege? Alii, *publicatum est.*

16. *Ingressus est*, &c. על ובעה וגו'] i. Ingressus est ad Regem, & petiit ab eo.

17. *Perrexit* אזל] Nempe impetratâ licentiâ.

18. *Petiverunt* למבעא] Ad verb. *ut peterent*, vel *quærerent*: q. d. Dederunt operam ut quærerent: h. e. interim oraverunt Deum ut revelaret eis illud somnium. Quidam omisso ו in ורחמין, & converso ordine vertunt, *Ut quærerent misericordias à facie*, &c. Alii, *Misericordiam quoque à Deo cæli petendam esse*, &c. ¶ *Perirent Daniel & socii ejus* יהובדון דניאל וחברוהי] *Perderent Danielem & socios ejus.*

19. *Benedixit* ברך] i. Gratias Deo egit: q. d. Fassus est hanc visionem ab eo accepisse: propterea in laudes ejus erupit.

20. *Sit* להוא וגו'] Ad verb. *Ut sit nomen ejus Dei*, &c. q. d. *Par est* [vel *opto*, sive *precor*] *ut sit nomen ejus*, nempe *Dei*, *benedictum.* Est enim relativum cum antecedente. ¶ *Quia*

sapien-

ſapientia, &c. 'די חכמתא וגו] *Cujus ſapientia & potentia eſt*, i. qui eſt autor & largitor ſapientiæ & prudentiæ.

21. *Et ætates* וזמניא] *Et occaſiones.* Quidam vertunt, *Qui temporum viciſſitudini moderatur.* ¶ *Scientibus intelligentiam* לידעי בינה] *Pollentibus intelligentiâ*, h. e. doctis.

22. *Profunda & abſcondita* עמיקתא ומסתרתא] i. Res difficiles, arduas & abſtruſas. ¶ *Et lux cum eo manet* ונהירא עמה שרא] i. Autor eſt lucis.

24. *Perrexit* אזל] q. d. Ingreſſus eſt, inquam.

25. *Captivitatis Jehudah* גלותא די יהוד] *Tranſmigrationis Jehudah*, i. ex Judæis captivis.

26. *Numquid*, &c. 'וגו האיתיך] *Poteſne indicare mihi. Tune potes.*

27. *Interrogat* שאל] *Petit : requirit.* ¶ *Genethliaci* גזרין] *Phyſici*, ut v. 2.

28. *Et notum fecit* והודע] *Qui indicavit :* vel, *& ille qui* dem *indicavit.* ¶ *In cubili tuo* על משכבך] *Super lectum tuum.*

29. *Tu*, &c. 'אנתה וגו] Ad verb. *Tu, Rex, cogitationes tuæ ſuper lectum tuum aſcenderunt*, ſub. *in mentem tuam :* i. *Tu*, ô *Rex*, dum jaceres *in cubili tuo*, *cœpiſti cogitare quidnam futurum eſſet poſtea.*

30. *Notam faciant* יהודעון] *Indicent*, nempe *Angeli*, aut *homines :* vel *Deus per Angelos*, aut *homines.* Alii, *indicarent :* i. ut interpretatio Regi indicetur, ſive manifeſtetur, aut indicaretur.

31. *Videbas* חזה הוית] Ad verb. *videns eras*, i. videbaris videre ſtatuam. ¶ *Et cujus gloria erat ſublimis* וזיוה יתיר] *Et cujus ſplendor erat eximius.* Verti poteſt per Parentheſin ſic, *Et ecce ſtatua quadam grandis* (*ſtatua hæc magna erat, & ſplendor ejus eximius*) *ſtabat eregione tui.* ¶ *Et forma ejus terribilis* ורוה דחיל] *Et aſpectus ejus formidabilis*, i. aſpectu plena erat terrorum.

32. *Hujus ſtatuæ caput* הוא צלמא ראשה] *Hæc* eſt *ſtatua*, cujus *caput erat*, &c. vel, *ejus ſtatuæ caput erat*, &c.

34. *Aſpiciebas* חזה הוית] Ad verb. *Aſpiciens eras.* ¶ *Lapis* אבן] Sub. *de monte*, ut vides infrà, v. 45.

35. *De areis æſtatis* כן אדרי קיט] i. In quibus repurgari ſolet triticum tempore æſtatis. ¶ *Quas elevat*, &c. 'ונשא המון וגו] *Et abſtulit illas ventus, neque ullus locus inventus eſt illis*, i. nullibi poſtea inventæ ſunt : q. d. diſparuerunt & evanuerunt.

36. *Somnium* חלמא] Sub. *quod vidiſti.*

37. *Rex Regum* מלך מלכיא] i. Imperator & dominus totius orbis. Seipſum poſtea declarat. ¶ *Potentiam, & fortitudinem* חסנא ותקפא] *Opes & robur.*

38. *Et dominium*, &c. 'והשלטך וגו] i. Dominum omnium illorum conſtituit te.

39. *Minus te* ארעא מנך] *Inferius te*, aut *demiſſius te*, i. Regno tuo. Inferius, qualis ſcilicet eſt proportio argenti ad aurum.

40. *Forte ſicut ferrum* תקיפא כפרזלא] *Robuſtum tanquam ferrum.* ¶ *Conterit* מרעע] *Confringit.*

41. *Figuli* די פחר] i. Ex terra fictili. ¶ *Regnum*, &c. 'מלכו וגו] i. Id ſignificat Regnum fore dividendum, quódque radix ejus erit ferrea, h. e. erit potens armis. Per hæc autem innuit fore in ea Repub. ſive Imperio Romano duo hominum genera, nempe homines fortes ac bellicoſos, qui quidem deſignantur per *ferrum* ; & homines factioſos ac ſeditioſos, qui per *teſtam* ſignificantur.

42. *Contritum* תבירה] *Fractum*, i. fragile.

43. *Miſcebuntur ſemine hominis* מתערבין להון בזרע אנשא] *Commiſti erunt ſemine humano.* Per *ſemen humanum* intelligit multas ac varias nationes hominum : acſi dicat, Imperium illud Romanum admittet ſecum homines multarum ac variarum nationum, ſed nulla erit firma inter eos amicitia. Alii, *commiſcebuntur ſemine humano*, per connubia ſcilicet & affinitates. ¶ *Non miſcetur* לא מתערב] i. Non cohæret ; ut ſtet ſcilicet.

44. *Regum iſtorum* די מלכיא אנון] i. Imperii Romani. ¶ *Et conſummabit* ותסף] *Et ad finem perducet.*

45. *Et verum eſt ſomnium* ויציב חלמא ומהימן פשרה] Subaudiendum aliquid, quale, *hoc eſt ſomnium, & verum eſt.*

46. *Suffitúsque* וניחחין] Ad verb. *ſuavitates*, vel *fragrantias.* ¶ *Ei* לה] i. In honorem ejus.

48. *Præfectorum* סגנין] *Magiſtratuum : tyrannorum.*

49. *Operi* על עבידתא] i. Negotiis. Quidam vertunt *adminiſtrationi.* ¶ *In porta* בתרע] Ubi ſcilicet ſeniores ſolebant reddere jus populo.

CASTALIO.

9. D*Onec mutetur tempus*] Ut ità tempus extrahatis dum ego rem omittam.

CLARIUS.

1. A*Nno ſecundo*] Intellige *annum ſecundum* non ſimpliciter Regni ejus, ſed Monarchiæ, cùm omnium gentium imperium eſt aſſecutus quas Dominus ſecundùm vaticinium Jeremiæ ſubjecturus erat ei. ¶ *Et conterritus ejus ſpiritus ejus*] Naturæ exquiſitores dicunt ſpiritum hominis corporalem vectorem eſſe formarum quæ in ſomno ſpectantur, & delentur ; & ille ſicubi terrore confundatur, venire illas in oblivionem : confuſo enim illo, etiam formas deleri.

2. *Et Chaldæi*] *Chaldæi* viliores erant *Magis* & *Gymnoſophiſtis* ac *Aſtrologis*, quos inter viros ſapientes recenſebant. Erant autem *Genethliaci* ac conjectores, impoſturas ſuas minimo ære venditantes.

4 *Responderúntque Chaldæi Regi Syriacè*] Chaldæi erant & dicebantur, & Syriacè loquebantur : nativam aſpernabantur linguam, & externa rhetoricabantur, quò in majori admiratione apud Regem eſſent. Hodie *Chaldaicum* ſermonem vocant qui hic *Syriacus* dicitur, quo etiam Chriſtus Servator noſter juxta conſuetudinem regionis in Euangeliis, ut barbaræ voces teſtantur, non rarò, ſi non & frequenter ac magis quàm Hebraico, uſus eſt. Apparet autem quòd Syriaca lingua valde nobilis fuerit ; Chaldaica verò ſolis Babyloniis & Chaldæis peculiaris, ſicut Hebræa Judæis, quamvìs ambæ non multùm diſtent à Syriaca, veluti hodie Latinus ſermo vicinus eſt Italo & Hiſpano.

14. *Arioch principe militiæ Regis, qui egreſſus*] Quem Græcus ἀρχιμάγειρον vertit, quòd ſicut princeps coquorum omnia altilia & pecora mactat & còquit, ità illi ac Principes mundi occidunt homines.

21. *Mutat tempora & ætates, transfert Regna*] i. Omnia ſunt in poteſtate ejus, & mira eſt diſpenſatio operum ejus quæ ſunt in hoc corruptibili mundo. Nunc boni nunc mali rerum potiuntur ; nunc in Oriente nunc in Occidente eſt Monarchia. Nihil proſunt congeſti theſauri maximis Imperatoribus, nihil innumeræ militum copiæ, nihil verſuta conſilia, ad ſtabilienda aut amplianda Regna. Deus hæc omnia moderatur : abjicit plerumque potentes Reges, & in locum eorum ſurrogat inermes ac nudos paſtores. ¶ *Dat ſapientiam*] Scientia & diſciplina donum eſt Dei in illis qui habent illam. Nulla autem ſecula fuerunt quæ non ſuos habuerint ſapientes. Ante Diluvium erant multiſecles ſenes, primordiorum mundi bene conſcii, ad erudiendam poſteritatem ſervati. Noe eorum doctor qui circa Diluvii tempus fuere. Abraham & alii Patriarchæ ſeminaria ſapientiæ Chaldæis, Palæſtinis & Ægyptiis dedere, &c.

22. *Profunda & abſcondita*] Sic Græcus, βαθέα καὶ ἀπόκρυφα· quæ Polychronius ſic diſcriminat ut dicat *abſcondita* vocari à Daniele ea quæ omnibus ignota ſint, *profunda* verò, quæ aperta quidem ſint, ſed nondum diſcerni valeant : ut & ſomnium dicat, & ſomnii declarationem.

31. *Statua illa magna*] Significat hæc imago Mundum. Sicut enim Caput ejus eſt *aureum*, Pectus *argenteum*, & Inferiora deteriora, putà *ferrea* & tandem ex *luto* atque *fictilia* ; ſic ſe habet ratio Mundi ; ut prima quæque pulcerrima ſint, poſteriora deteriora. Deſcribuntur autem tantùm quatuor Monarchiæ, à quibus ſcilicet Judæi erant affligendi. Iiſdem autem temporibus florere cœperunt Regna illa quatuor. Regnante enim apud Hebræos Ezechiâ, regnabat in Babylone Merodach-Baladam, ut eſt Eſa. 38. apud Macedonas verò Perdiccas, Rex quartus ; apud Romanos Romulus, Rex primus ; apud Medos Medidus, Rex tertius. Cur autem Regnum Babylonicum *aureo capiti* comparetur, non videtur tantùm eſſe cauſa quòd longior fuerit Monarchia, aut ditior, aut latior, ſed fortaſſe ob hoc, quòd ipſi victori, domitis vicinis & rebellibus, majori pace regnare contigerit quàm Cyro, Alexandro vel Julio, primis *cæterarum* Monarchiarum aſſertoribus. Nam Nabuchodonoſor invictiſſimus ultra quadrageſimum annum regnavit, & ſenex quietum Regnum filio Evilmerodach reliquit. Promiſſionem habuit per Jeremiam, ut habetur cap. 27. Apud Ezechielem cap. 17. eſt *aquila grandis*, apud Eſaiam *lucifer filius auroræ.* Joſephus Antiq. lib. 10. ait *Dioclem*, *Philoſtratum*, *Beroſum & alios exteros ſcriptores honeſtam illius facere mentionem.* Euſebius quoque Megaſthenem citat, qui *illum Hercule robuſtiorem fuiſſe, univerſámque Libyam & cæteram Aſiam uſque ad Armenios domuiſſe* dicit. Oroſius verò teſtatur *Hiſpanos ſuos Iberos ad illum pro pace legatos miſiſſe.* Hinc patet quantæ poten-

potentiæ Rex fuerit. Præterea unus erat Nabuchodonosor; Cyrus socium habuit Darium, & infrà *tres ordines dentium.* Alexandro *quatuor capita* assignantur; Romanis verò *decem cornua.* Pretiosiora igitur illa quæ magis unita.

38. *In quibus inhabitant filii hominum*] Nulla unquam Monarchia sic universo orbi præfuit ut nullam provinciam relinqueret indomitam. Testantur hoc Aræ Alexandri, Columnæ Herculis, Ctesiphon Romani Imperii ad Orientem limes. Hic ergò est hyperbolicus sermo, ut plerique alii. Sunt qui Nabuchodonosori concedant ea quæ Poetæ Herculi, qui aprum Erimanthæum, leonem Nemeæum, aves Stymphalides, equos Diomedeos & alia monstra occidens terram purgarit. Fabulantur Hebræi equitasse Nabuchodonosorem & frænis domuisse leones.

39. *Et post te*] Per *Regnum secundum* juxta omnes Regnum Persarum intelligit, & per *tertium* Regnum Macedonicum vel Græcorum.

40. *Regnum quartum*] *Quartum* hoc *Regnum* per *tibias ferreas* significatum, Romanum Regnum est: Et signantiùs cæteris describitur, quia sub illo Christus in carnem venturus erat. Omnia autem quæ hîc dicuntur Romano Regno aptissimè quadrant. Nam verè *ferreum* Romanorum Regnum. Pauca enim quædam Regna Regum liberalitate obtinuerunt; ut ab Attalo Pergameno quædam in Asia, à Ptolemæo Cyrenaicam & Pentapolitanam, à Boccho Numidiam, à Juba Mauritaniam: reliquas terras gladio vendicarunt.

41. *Porro quia vidisti*] *Divisum* hoc Regnum fore dicit, & in seipso dissidium habiturum. A fratricidio cœpit: deinde semper mirum in modum seditionibus laboravit; & tamen, quod pro miraculo fuit, *plantâ ferreâ* in maximis calamitatibus constitit. ¶ *Quod tamen de plantario ferri orietur*] Alius sic vertit, *Eritque in eo aliquid de robore ferri, juxta quod vidisti ferrum mixtum testâ luteâ.*

43. *Quòd autem vidisti ferrum*] Hoc variè exponunt Interpretes: sed videtur intelligendum, Romanos tam atroci ambitione inflammatos ad belligerandum ut nec sanguinem nec affinitatem revererentur. Vide enim ut Romulus interfecto Numitore avo & Remo fratre civitatem consecrarit, ut Sabinas rapuerint, ut cum patribus bellum gesserint. Vide Horatium sororicidam, severitatem Bruti Consulum primi, qui duos fratres uxoris & duos filios reos virgis cæsos securi percussit, quasi in Urbe Reges vocari voluerint. Vide Monarchas, Julium & Augustum. Pompejus Juliam Cæsaris filiam, Antonius Octaviam Cæsaris sororem uxorem habuit, & quo pacto uterque perditus est?

44. *In diebus autem Regnorum illorum*] Quoniam duplex est Regnum Christi, unum in spiritu, alterum in gloria, illud in humilitate, hoc in majestate, utriusque meminit. In diebus illis ergò, cùm regnabunt ferrei seculi Reges. Secundo enim & quadragesimo Augusti imperantis anno natus est Christus. Interiit autem gloria mundi & desiit in lutum, ubi Regnum aderat quod in seculum non corrumpetur & adversùs quem portæ inferi non prævalebunt.

45. *De monte abscissus est lapis*] *Mons* Sion est & Judæorum populus, è quo *Lapis* Christus. Potest & ad nativitatem referri, ut multi Ecclesiasticorum intellexerunt, quòd scilicet ex virgine absque viri congressu natus sit. Hic autem versus ad secundum adventum pertinet, de quo sic scribit Hippolytus, *Lapis percutiens imaginem & conterens, ille est qui implevit terram, Christus, venturus è cœlis, & judicaturus mundum. Intelligitur autem illud sine manibus, repente & inopinatò descendentem, & in ictu oculi, quòd non paulatim per manus deportetur. Et nunc in spiritu fit, ut cujus in corde effulserit, huic imminuatur totius mundi gloria, ut nolit configurari huic seculo.*

LUCAS BRUG.

41. PORrò *quia vidisti pedum & digitorum partem testeam figuli & partem ferream*] Tria Parisiensium (Di. o. I. Ge. o.) decem Hentenii, & duodecim nostra manuscripta, *testa* habent pro *testeam.* Sunt autem in illis duodecim nostris pleraque integriora, Brugense, Leodiense, Plantini medium, O, E, Q. Beati Hieronymi commentariis junctus textus *testam* scribit, ex Chevallonii editione: Carensis verò *testa* habere Hieronymum notat, Chaldaico fonti (est enim Danielis liber, ab hujus capitis 4 versu usque ad octavi capitis initium, Chaldaico sermone conscriptus) est non, quod substantivè *testam* denotat. Quare germana esse videtur Interpretis scriptura, quam Parisienses receperunt, *testa.* Manifestus est autem sensus, ex 33 versu, quo clarè legitur, *Pedum quædam pars erat ferrea, quædam fictilis.*

DRUSIUS.

2. חַרְטֻמִּים. Hier. *ariolos.* Cæteri, ἐπαοιδὺς *incantatores*] Hier. *Quos nos* ariolos; *cæteri* ἐπαοιδὺς *interpretati sunt, i.* incantatores. *Ergò videntur mihi* incantatores *esse qui verbis rem peragunt;* Magi, *qui de signis philosophantur;* malefici, *qui sanguine utuntur & victimis, & sæpe contingunt corpora mortuorum. Porrò in* Chaldæis γενεθλιαλόγυς *significari puto; quos vulgus* Mathematicos *vocat.* Polychronius, ὁ Σύρ☉ συντόμως λέγ῾ τὺς σοφὺς τ῀ Βαβυλῶν☉, *Syrus breviter dicit* Sapientes Babylonis. Gen. 41. 8. חרטמים, A. ἐπαοιδοὺς; Sym. μάγυς, Lxx ἐξηγητὰς, Hier. *conjectores.*

3. וַתִּפָּעֶם. Sym. ϰ̀ ἠπόρει, *& hæsitabat.*

8. עִדָּנָא אַנְתּוּן זָבְנִין. *tempus vos redimitis*, τυτέσιν, ὑπέρθεσιν θηρᾶσθε, διασκεδάσαι τῇ ἀναβολῇ τ῀ καιρῦ σπεύδοντες τὸ παρ᾽ ὑμῶν ζητύμϑον, *prorogationem venamini, studentes dilatione temporis dissolvere quod quæritur à vobis*] Ex ed. Rom. ¶ אֶזְדָּא מִנִּי. Syrus, ἀπατᾷ με *decipit me*] Notavit hoc Apollinarius. Mihi suspectum est. Hinc argumentum petes contra eos qui Syrum Interpretem eundem esse putant cum Paraphraste Chaldæo.

27. גָּזְרִין. Sym. * θυὰς] Hier. *Pro* aruspicibus, *quod nos vertimus, in Ebræo* גזרין *habetur, quod solus Sym.* θυὰς *interpretatus est, quos Græci solent* ἡπατοσκόπυς *appellare, qui exta inspiciunt ut ex his futura prædicant.*

28. בְּאַחֲרִית יוֹמַיָּא. Lxx *in novissimis diebus*] Hier. *Pro eo quod est* post hæc, *soli Lxx* dies novissimos *transtulerunt. Quod si ita legitur, solicitiùs requiramus ubi* dies novissimi *scripti sunt, & redarguamus eos qui mundum non putant esse periturum.*

31. צְלֵם. Sym. ἀνδριάς *statua.* Cæteri, εἰκὼν *imago*] Hier. *Pro* statua, *i.* ἀνδριάντα, *quod solus interpretatus est Symmachus, cæteri* imaginem *transtulerunt, volentes hoc nomine similitudinem ostendere futurorum.*

46. מִנְחָה. Th. μαναά. Schol. δῶρον *donum*] Ezech. 44. 28. במנחה, A. Sym. δῶρον. Vide quæ scripsimus ad illum locum.

GROTIUS.

1. IN *anno secundo regni Nabuchodonosor*] *Regni* intellige constituti in partibus circum Judæam, Syriâ, Ammonitide, Moabitide, & Ægypti magna parte. Ità hîc Josephus. Sed & aliis Hebræis hanc placuisse interpretationem notat hîc Hieronymus.

Vidit Nabuchodonosor somnium] In Hebræo, *somnia:* nempe ob res multas quæ uno somnio continebantur.

Et conterritus est spiritus ejus] *Vicibus jactatus*, modò huc modò illuc ferente se ejus cogitatione. Confer Geneseos VI.

Et somnium ejus fugit ab eo] *Quia somnium ejus fugerat ab eo.* Exactè non meminerat, sed manserant in animo velut lineamenta quædam, per quæ redire res in memoriam posset.

2. *Et malefici*] מכשפים Hieronymus interpretatus τὺς νεκρομάντεις [*divinatione ex mortuis utentes*], ut & Jacchiades. Est eadem vox in feminino Exodi XXII. 18.

4. *Responderuntque Chaldæi Regi Syriacè*] Id est, Chaldaïcè: nam & Chaldæa pars Aramæorum. Abhinc usque ad caput VIII omnia scripta sunt Chaldaïcè, quòd Chaldæos maximè tangant; indè verò rursum Hebraïcè, quòd quæ ibi dicuntur maximè Hebræos respiciant. Cùm hic *Chaldæi* dicuntur, simul intellige cæteros illos suprà nominatos.

5. *Peribitis vos, & domus vestra publicabuntur*] In Chaldæo: *Membratim laniabimini, & domus vestra in latrinas mutabitur. Membratim laniari* grave supplicium, at non inusitatum Orienti. Vide I Sam. XV. 33. Hac pœnâ affectus Orpheus à Thraciæ feminis, Bessus ab Alexandro Magno. *Domos* quoque *in latrinas vertere* erat quædam in Oriente memoriæ damnatio, II Regum X. 27. Esdræ VI. 11. secundùm Chaldæum Interpretem. Utramque habes & infrà III. 29. Rex iracundus videri volebat eos esse impostores, qui cùm abditissima quæque nota sibi dicerent, id tamen non ostenderent in hoc facto.

6. *Et dona*] נבזבה est *annua erogatio*, ut apparet collatis locis Paraphrastarum Deuter. XXXIII. 24. & Jeremiæ XL. 5.

8. *Certè novi quòd tempus redimitis*] *Moras quæritis:* nàm antequam eveniant quæ vos in somnio interpretando diceretis, multum intercedet temporis, quod vos à pœna liberet. Hunc sensum postulant sequentia. Græca hic versio, καιρὸν ὑμεῖς ἐξαγοράζετε [*tempus vos redimitis*]: quæ locutio & apud Paulum Ephesior. V. 16.

10. *Non est homo super terram qui sermonem tuum, Rex,*

possit implere] Agnoscunt ipsi vanas esse suas antehac pollicitationes.

Neque Regum quisquam magnus & potens] Sunt in Chaldaïco tres gradus, מלך *Rex*; רב, id est, *Princeps*; שליט, id est, *Rector urbis & regionis urbicæ*.

11. *Exceptis diis, quorum non est cum hominibus conversatio*] Quasi dicant, illorum dæmonum, sive deorum aëreorum, qui cum hominibus commercium habent, notitia eousque non pertingit. Hæc res Diis majoribus reservata est.

13. *Et egressâ sententiâ*] Publicato Regis decreto. Sic ἐξῆλθε δόγμα [*exiit decretum*] Lucæ II. 2.

Sapientes interficiebantur] Cœperant interfici.

Quærebanturque Daniel & socii ejus ut perirent] Iniquissimè, ut in pœnæ partem venirent qui in præmiorum partem non venissent, contemti à cæteris ob juventutem.

14. *Requisivit de lege atque sententia*] In Chaldæo: *retulit consilium & causam*, scilicet consilii sui. Theodotio: ἀπεκρίθη βουλὴν καὶ γνώμην [*respondit consilium & sententiam*].

Ab Arioch] Rectiùs Græci, τῷ Ἀριώχ [*ad Ariochum*].

Principe militiæ] In Chaldaïco, *præsidem carnificum Regis*, id est, præfectum rebus capitalibus. טבח Syris & Arabibus est *mactare*; unde deducitur nomen modò de *coquis*, modò de *satellitibus* aut *carnificibus* sumtum: quas tamen significationes Arabes punctulis distinguunt, ut Abenesdræ notatum.

15. *Tam crudelis sententia*] *Tam festina*; nam מהחצפה etiam hoc in Chaldaïco significat: idque credibilius dixisse Danielem, ob ea quæ sequuntur.

Cum ergò rem indicasset Arioch Danieli] Significasset ei quantâ irâ Rex accensus esset.

16. *Ad solutionem indicandam Regi*] Quod esset somnium, & quò tenderet.

18. *Ut quærerent misericordiam à facie Dei*] Ut in communi periculo communi etiam prece Dei consilium implorarent.

Super sacramento isto] *Super arcano isto*. Est enim רזא Chaldæis, & μυστήριον [*mysterium*] Græcis (quâ voce hic utitur Theodotion) *omne id quod ignoratur*, τὸ ἀγνοούμενον, ut interpretatur Chrysostomus.

20. *Locutus ait*] Simile loquendi genus Deuteronomii XVI. 5.

Sapientia & fortitudo ejus sunt] *Sapientia* in cognoscendis rebus absconditis, *potentia* summa in Reges & regna, de quibus agebat hoc somnium. Hanc explicationem firmant sequentia.

21. *Et ipse mutat tempora & ætates*] Virgilius,

Tempora mutantur, & nos mutamur in illis.

Dat sapientiam sapientibus] Etiam sapientissimos multa habet quæ doceat.

Et scientiam intelligentibus disciplinam] In Chaldæo, *Et scientiam scientibus intelligentiæ*: id est, dat multarum artium cognitionem iis qui sciunt quanti sit intelligere, ac propterea ad Deum se vertunt.

22. *Et novit in tenebris constituta, & lux cum eo est*] Quanquam ipse in luce summa est, I Tim. VI. 16. tamen cuncta quæ tenebris involuta sunt videt, I Corinthior. IV. 5.

23. *Et fortitudinem dedisti mihi*] Facultatem & me & alios eripiendi periculo gravissimo.

Sermonem Regis] Rem illam quam Rex quærit.

27. *Et aruspices*] גזרין. Chaldaïcam hanc vocem retinuit Theodotio, γαζαρηνῶν [*Gazarenorum*], ut sæpe faciunt Græci in obscuris. גזר Chaldæis, ut & Arabibus, inter alia est *prosecare*. Erant autem apud Chaldæos etiam qui extis ad vaticinia uterentur, Ezech. XXI. 21. Symmachus θυτὰς [*mactatores*] verterat: ità enim apud Hieronymum legendum videtur pro θυΐας [*arbores odoratas*]. Eosdem ait Hieronymus Græcis vocari ἡπατοσκόπους [*aruspices*]. Alii fortè rectiùs à גזר, quod est *decernere*, accipiunt hîc *decretorum custodes*, qui infrà cum additamento אדרגזריא.

28. *Est Deus in cœlo revelans mysteria*] Vide modestiam Vatis, gloriam Deo tribuentis. Vide & infrà 30.

In novissimis temporibus] Hæc locutio multos ejus ignaros ad parvas sequentium interpretationes egit, cùm nihil aliud significet quàm *posthac*. Vide Genes. XLIX. I. Deuteron. IV. 30. Proverb. XXXI. 25. Esaiæ II. 2. XLI. 22. XLVI. 10. Jerem. XXIII. 20. Ezech. XXXVIII. 8. 16. nam אחרית non utique *postremum* est, sed omne *quod est posterius*.

Visiones capitis tui] Hebræi affectus dant cordi, vim imaginatricem capiti.

29. *Cogitare cœpisti in stratu tuo*] Ante somnum.

Quid esset futurum posthac] De Chaldæis & aliis gentibus Imperii tui, in quibus sunt & Syria & Ægypti magna pars.

30. *Sed ut interpretatio Regi manifesta fieret*] *Sed ut essent qui interpretationem Regi notam facerent.* Enallage numeri, quæ sæpe modestiæ causâ adhibetur; ut,

——— *& nos aliquod noménque decúsque*
Gessimus.

Imposuimus populo, & oratores visi sumus. Sic & infrà 36. *dicemus*, id est, dicam.

31. *Ecce quasi statua una grandis*] Nabuchodonosoro futura Imperia ostenduntur sub facie humana, augusta, grandi, splendida; quia ille Imperia magni faciebat & habebat quasi pro diis suis, qui per statuas coli solebant. At Danieli infrà eadem apparent sub ferarum imagine: noverat enim Propheta esse omnia ista Imperia idololatriæ, ac proinde diaboli, instrumenta, per quæ tamen, ut & per ipsos diabolos, Deus sua decreta exsequeretur.

Intuitus ejus erat terribilis] Quia Reges plerique timeri quàm amari magis curant. *Oderint*, ajunt, *dum metuant*.

32. *Hujus statuæ caput*] Pars statuæ quò superior, eò priora, quò inferior, eò seriora tempora significat.

Ex auro optimo] Id est, maxima cum gloria, infrà 37.

Brachia de argento] Minore cum gloria, infrà 39.

Venter & femora ex ære] Animo invicto. Tale illud:

Illi robur & æs triplex
Circa pectus erat.

Et *frons ænea* Esaiæ XLVIII. 4. id est, firma, immobilis.

33. *Tibiæ autem ferreæ*] Violentia quævis obvia frangens, infrà 40.

Quædam autem fictilis] Potentia fragilis, infrà 42.

34. *Donec abscissus est lapis de monte sine manibus*] Exercitus populi qui suæ esset spontis, nullique Regi parêret: cujus populi origo *à monte*, nempe Palatino. Vide Virgilium libro VIII. Æneidos, Livium libro I. Idem *lapis* & *filius hominis*. Gessit autem in hac re Imperium Romanum non obscurum typum Euangelii, quod ortum de cœlo ab exiguis initiis in immensum crevit.

35. *Quasi in favillam æstivæ areæ, quæ rapta sunt vento*] In Chaldæo: *Sicut palea de area æstiva, quas rapit ventus*.

Factus est mons magnus, & implevit universam terram] Latissimum Imperium significatur, infrà 44.

37. *Deus cœli regnum & fortitudinem & imperium & gloriam dedit tibi*] Splendorem maximum, ità ut res Nabuchodonosori dicantur rebus Herculis illius antiqui, id est, Melcarti, fuisse majores. Vide Berosi & Megasthenis & Strabonis loca in Annotatis nostris ad libros de Veritate Religionis Christianæ.

38. *Et omnia in quibus habitant filii hominum*] Loca culta plurima.

Et bestiæ agri] Deserta loca Arabiæ & Africæ.

Volucres quoque] Rupes invias, ubi solæ volucres se tenent.

Et sub ditione tua universa constituit] Ingentem tractum ad Herculis usque columnas. Vide Strabonis locum. Neque id mirum adeò videri debet, cùm eousque postea Reges Sarraceni processerint.

Tu es ergò caput aureum] Tu & successores tui ii estis qui per *caput aureum* significamini.

39. *Consurget regnum aliud*] Ex Medis & Persis coalitum, quæ duo brachia. Cyrus ipse Medopersa, Medus è matre, Persa à patre, unde dictus ἡμίονος [*mulus*]. Duo hæc brachia nominantur Esaiæ XXI. 2.

Minus te] Minus regno tuo: quia Cyrus & successores ejus Africam non tenuerunt.

Et regnum tertium aliud æreum] Quod infrà dicitur *regnum* יון, id est, *Græcorum*, Alexandri scilicet, qui viribus Græciæ totius subnixus Persas ac Medos subegit.

Quod imperabit universæ terræ] Nempe ei quam Medopersæ tenuerant, partim etiam ultrà.

40. *Et regnum quartum erit velut ferrum*] Seleucidarum & Lagidarum *unum* dicitur *regnum*, sed divisum tamen, ut sequitur; unum, quia utraque domus è Macedonia, & fines incerti, bellisque sæpe turbati.

Comminuet & conteret omnia hæc] Durè tractabit subditos, maximè verò Judæos.

41. *De plantario ferri*] Ortus illis erit ex validis Regibus.

42. *Ex parte regnum erit solidum, & ex parte contritum*] Modò hæc pars, modò illa prævalebit. Hæc fusiùs explicabuntur infrà cap. XI.

43. *Commiscebuntur quidem humano semine*] Id est, per nuptias conglutinabuntur. Antiochus, *Deus* à suis dictus, Laodicen & Berenicen uxores duxit Ptolemæi Philadelphi filias: testis Livius. Et Magas Philadelphi pater Apamen duxit filiam Antiochi, qui Seleuci fuerat filius: quod nos docet Pausanias in Atticis. Et Antiochus Magnus Cleopatram filiam suam collocavit in matrimonium Ptolemæo Epiphani, ut infrà dicemus. Omnia hæc optimè explicavit Polychronius.

Sed

Sed non adhærebunt sibi] Nempe quia, ut ait Tacitus, *dominandi cupido cunctis affectibus flagrantior est*. Plutarchus Demetrio: οὗτοι τὸν πᾶσι τοῖς Ἀλεξάνδρου διαδόχοις ὄντα συνεχῆ πόλεμον αἱ τῶν πραγμάτων καὶ τῶν τρόπων συνάφειαι περὶ ἐνίους ἐποίουν ἐπιφανέστερον καὶ μᾶλλον ἐξέκαιον] *ita bellum illud quod perpetuum fuit inter Alexandri successores, rerum & morum confinia in quibusdam fecere apertius magisque inflammarunt*].

Sicuti ferrum misceri non potest testæ] Sunt enim ista ἀσύγκλωστα [*inconglutinabilia*].

44. *In diebus autem regnorum illorum*] Stantibus adhuc Syriæ & Ægypti regnis.

Suscitabit Deus cæli] Cujus est excitare, servare, ac diruere Imperia, ut suprà 37. & infrà IV. 29.

Regnum quod in æternum non dissipabitur, & regnum ejus alteri populo non tradetur: & ipsum stabit in æternum] Imperium Romanum perpetuò mansurum, quod sedes erit Ecclesiæ. *Ecclesia in Imperio Romano*, ait Optatus, nempe maxima ex parte.

45. *Et comminuit testam & ferrum*] Syriam & Ægyptum Romani sibi subjecere.

Et æs] Etiam Macedoniam & Græciam.

Et argentum] Etiam Attali, & Nicomedis, & Mithridatis regna, quæ Cyri fuerant.

Et aurum] Armeniam, Cappadociam, Iberas, Colchos, Albanos, Tyrum, Judæam, possessa Nabuchodonosori. Sensus sublimior, Christum finem impositurum omnibus Imperiis terrestribus, 1 Corinthior. XV. 24.

46. *Cecidit super faciem suam*] Προσέπεσε, προσέπιπτεν, ἔπεσεν ἐπὶ πρόσωπον [*accidit, prostratus est, cecidit in faciem*]. quæ idem valere diximus in ampliori explicatione Decalogi.

Et Danielem adoravit] *Veneratus est*, quomodo loquitur Livius; pari modo quo Eliam aulæ magister, II Regum 1. 13. Signa enim illa honoris etiam inter homines usurpabantur: nec indignus eo honore tantus Propheta.

Et hostias & incensum præcepit ut sacrificarent ei] In Hebræo, *Jussit ei offerri* μαναά (id est, *libamen similæ*), *& odores*. Jussit quidem, sed non sivit id Daniel: eos enim honores Deo, aut iis qui pro diis habentur, mos gentium sacravit. Ita hic Jacchiades, & Hebræorum alii.

47. *Loquens ergò Rex*] Institutus scilicet à Daniele Deo honorem hujus revelationis deberi.

Deus deorum est] Major diis cæteris.

Et Dominus Regum] *Dominus* hic in Chaldaïco est מרא: unde in Ethruria Reges *Murani*, docente id Servio XII. Æneid. Hinc & *Maranatha*, & Syri *Maranitæ*, quòd Christum vocent מרנא *Dominum nostrum*. Et *Marnas* idolum Gazæ, teste Hieronymo, qui Euripidi in Bacchis & Nonno in Dionysiacis Μάρων. Philo in Flaccum, Μάριν ἀποκαλούντων· οὕτως δέ φασι τὸν κύριον ὀνομάζεσθαι παρὰ Σύροις [Marin *appellabant: sic enim ajunt* dominum *vocari apud Syros*].

48. *Constituit eum principem super omnes provincias Babylonis*] In Chaldæo: *supra omnem provinciam Babylonis*: erant enim in illo Imperio multæ provinciæ. Chaldaïca vox est מדינה [*Medina*, provincia], quam & Arabes usurpant; unde & multis locis in Hispania nomen *Medina*.

Et Præfectum magistratuum] *Primum præfectum*: quia haud dubiè prima præfectura erat Babylonica.

Super cunctos sapientes Babylonis] Deest *& Fecit eum* etiam Principem consilii sui.

49. *Et constituit super opera provinciæ Babylonis Sidrach, Misach, & Abdenago*] Id est, eos sibi substituit, Rege volente.

Ipse autem Daniel erat in foribus Regis] In Chaldaïco, *in porta Regis*: id est, in aula, quomodo & Turcæ nunc loquuntur. Quia principem locum tenebat in Consilio regio, ob id à Rege non discedebat, sed ad res præfecturæ suæ peragendas amicorum utebatur operâ.

CAP. III.

MUNSTERUS.

1. REX *fecit imaginem auream*] Quamvis Rex ex prædicatione Danielis Deum cœli agnovisset, oblitus tamen post modicum temporis eorum quæ à Propheta didicerat, & Gentilibus irretitus vitiis, adulatoribus aures præbens atque Diaboli tentationibus acquiescens, placere sibi cœpit ob magnificum Imperium, & volens posteritati commendare memoriam rerum à se gestarum, præsumpsit per erectam imaginem se referre in numerum deorum: qualis tunc fuit mos gentium, qui magnos & præcipuos viros deificabant. Regnaverat in Babylone XXXVI annis, & Monarchiâ potitus erat XVIII annis; & incipiens grandævus fieri, dabat locum huic tentationi.

2. *Magnates*] R. Saadias exponit singula hæc vocabula sicut nomina instrumentorum musicalium; sed nescio an acu tetigerit singularum vocum genuina significata, præsertim cùm sint Chaldaïca & non Hebraica. R. Levi dicit nomina esse dignitatum accommodata variis officiis Regni illius; sicuti & nomina instrumentorum asserit illis nota fuisse qui eo tempore in Babylonia fuerunt.

12. *Sadrach, Mesach & Abdenego*] Hi sunt tres socii Danielis, Hanania, Misael & Azaria. Sed quare non accusatur & Daniel, qui æquè respuebat cultum idololatriæ? Respondet Aben Ezra, *quòd illum non ausi fuerunt traducere propter singularem ejus dignitatem, quâ Rex olim jussit ei offerri oblationes velut Deo*.

23. *Ceciderunt in medium fornacis*] Adjiciuntur hic à Græcis & Latinis preces, gratiarum actiones, & adventus Angeli: sed unde illa desumpserint non constat; apud Hebræos non sunt. Rex quidem ipse satis enarrat paulò pòst omnem rem & miraculum ipsum.

25. *Forma quarti similis est Filio Dei*] Apparuit Deus in fornace specie aliquâ visibili, qui antea etiam apparuit Abrahæ, Jacob & Mosi. Nec mirandum quòd Nebuchadnæzar illum vidit; cùm Paulus Christi discipulos persequens illum viderit, licèt ex utroque Deus confessorem fecerit. Vocat autem eum Rex paulò pòst *Angelum*, sicut & Prophetæ eum appellaverunt *Angelum magni consilii* & *Angelum testamenti*.

VATABLUS.

2. S*Atrapas* לאחשדרפניא] *Magnates*. Principes magnos, qui semper vident faciem Principis. ¶ *Præfectos* סגניא] *Magistratus*: c. 2. 48. ¶ *Adargazeraos*, &c. אדרגזריא גדבריא דתבריא תפתיא] Quidam hæc quatuor nomina sic vertunt, *nomophylacas*, *quæstores*, *jurisconsultos*, *justitiæ exsecutores*. Alii, *magistratus*, *exactores*, *optimates*, *præfectos*. Alii, *judices*, [vel *præsides*] *tyrannos*, *optimates*, *præfectos*. Vox pro qua *Judices* vertunt quidam, significat *primarios judices*, *& quasi custodes legum*, quorum officium erat prospicere ut decreta servarentur à cæteris magistratibus.

4. *Valenter* בחיל] Ad verb. *in fortitudine: cum robore*. ¶ *Dicitur* אמרין] i. Præcipitur. Ad verb. *dicunt*, sub. *judices*, sive *magistratus*, *ô populi diversarum nationum*.

5. *Quo tempore* בעדנא די] *Cùm primùm*. ¶ *Cornu* קרנא] *Tuba*. ¶ *Instrumenti musici* זני זמרא] *Musices*, i. instrumentorum musicorum.

7. *Cùm primùm* בה זמנא כדי] Ad verb. *eodem tempore quando*.

8. *Et detulerunt Jehudæos* ואכלו קרציהון די יהודיא] Ad verb. *Et accusaverunt accusationes eorum Judæorum*. Quoties enim verbum אכל apud Chaldæos jungitur nomini קרץ, significat *accusare*; quòd qui falsò accusat aliquem, videtur quasi eum absumere ac vorare: optat enim illum perire. *Accusarunt* igitur *accusationem Judæorum*, i. detulerunt sive criminati sunt Judæos apud Regem. Quidam, *Et accusantes prodiderunt Judæos*. Vide similem locutionem, c. 6. 24.

10. *Posuisti decretum* שמת טעם] i. Tulisti legem, vel fecisti edictum, quòd *quicunque* [sub. *convocatus ad dedicationem statuæ*] *audito*, &c.

12. *Super opera* על עבידת] Ut c. 2. 49. ¶ *Non posuerunt*, &c. לא שמו עליך מלכא טעם] Phrasis Chaldæa, pro *non habuerunt rationem tui*, sive *edicti tui*: q. d. neglexerunt edictum tuum.

13. *Cum furore & ira* ברגז וחמא] *Cùm ira & indignatione*, i. vehementer iratus ac indignatus jussit, &c.

16. *Non oportet nos*, &c. לא חשחין נו׳] *Non curamus nos*: vel, *Non est nobis curæ*: q. d. Interrogatio tua non postulat neque requirit responsionem: est enim incivilis.

17. *Ecce* הן] *Certe*.

21. *Cum femoralibus suis* בסרבליהון] *Cum sarabalis suis*, i. *palliis*, sive *chlamydibus*; h. e. ut erant induti palliis suis. Alii *femoralia* sive *subligacula* interpretantur.

22. *Extulerant* הסיק] Sub. *usque ad orificium fornacis*, *ut illinc dejicerent eos extra ipsam*. Describit gestum hominis dejicientis aliquid ex alto.

24. *Optimatibus suis* להדברוהי] *Consiliariis suis*. ¶ *Verè* יציבא] *Veritas*, sub. *est*: i. res sic se habet.

25. *Et nulla corruptio est in eis* וחבל לא איתי בהון] i. Nulla læsio, aut noxa: h. e. nullum detrimentum acceperunt ab igne.

¶ *Et*

¶ *Et aspectus* וריה] *Et forma.* ¶ *Filio Dei* [לבר אלהין] i. Angelo: non enim intelligitur de Christo, sed Angelo, ut statim exponitur cùm dicitur v. 28. *Qui misit Angelum suum*, &c. Conspectus est Angelus Domini homini impio, ut is agnosceret id non fieri arte magicâ, sed Divinâ virtute.

27. *Satrapa, præfecti* [אחשדרפניא סגניא] Vide v. 2. ¶ *Et optimates* [והדברי] *Et consiliarii*, ut v. 24. ¶ *Per illa* [בגשמהון] Sub. *corpora & vestes*, i. non imbiberant odorem ignis. Solent enim malè olere vestes adustæ.

28. *Et verbum Regis mutaverunt* [ומלת מלכא שנו] i. Præcepto Regis non paruerunt: maluerunt enim obedire Deo quàm hominibus. ¶ *Ne servirent, nive adorarent* [די לא יפלחון ולא יסגדון] *Potiùs quàm servirent aut adorarent.*

29. *Tribus* [ואמה] *Natio.* ¶ *Et lingua* [ולשן] Pro *natione* ponitur, quòd diversæ nationes variis ac variis idiomatibus utantur. Est autem Lingua instrumentum sermonis. ¶ *In frusta fiat* [הדמין יתעבד] i. Frustulatim, sive in varia frusta concidatur, h. e. discerpatur. ¶ *In latrinam* [נולי] *In sterquilinium.* ¶ *Eruere sicut hic* [להצלה כדנה] *Ità eruere*, i. tali liberatione: & tunc דנה erit femininum.

31. *Tribubus* [אמיא] *Nationibus.*

32. *Et mirabilia quæ fecit mecum* [ותמהיא די עבד עמי] *Et miracula* [*prodigia*] *quæ fecit apud me*, i. me præsente & vidente. Initium est literarum quas scripsit Nabuchodonosor. ¶ *Decorum est* [שפר] *Pulcrum est*, i. congruum.

33. *Quàm magna sunt* [כמה רברבין] Admirativè legendum: q. d. *sunt maxima.*

CASTALIO.

15. QUòd *si tamen adhuc protinus*] Imperfecta sententia est qualis est Luc. 13. *Et siquidem fructum ediderit: sin minus, postea exscindes eam.* Plena foret sententia hoc pacto, *Si adhuc colossum veneramini, bene est: sin minus*, &c.

25. *Quorum quartus formam habet Deo nati similem*] *Deo natus* ponitur pro *Deo* aut *Divino*, sicut *homine natus* pro *homine*, de qua nos alibi: ut sit *forma similis Deo nati* forma augustior humanâ formâ, Divini generis, aut Divinæ similis. Quomodo 2 Reg. 28. dicebat illa saga Saulo, *videre se ascendentes ex terra Deos*, h. e. augustam quandam & Divinæ similem personam.

CLARIUS.

1. NAbuchodonosor *Rex*] Lxx addunt, *anno decimo octavo.* Tempus enim assignant, ut Ammonius ait, anno scilicet sextodecimo post explanatum à Daniele somnium. Quamvis enim Rex ex prædicatione Danielis Deum coeli agnovisset, oblitus tamen post modicum temporis eorum quæ à Propheta didicerat, & Gentilibus irretitus vitiis, adulatoribus aures præbens atque Diaboli tentationibus acquiescens, placere sibi cœpit ob magnificum Imperium, & volens posteritati commendare memoriam rerum à se gestarum, ausus fuit per erectam imaginem se referre in numerum Deorum: qualis tunc fuit mos Gentium, quæ magnos & præcipuos viros deificabant. Regnaverat in Babylone XXXVI annis, & Monarchiâ potitus erat XVIII annis; & incipiens grandævus fieri, dabat locum huic tentationi.

12. *Sidrach, Misach & Abdenago*] Cur autem Danielem magis religiosum & ab idolis abhorrentem non accusarunt? Respondetur, Id factum ob singularem illius dignitatem. Quia olim Rex jusserat ei oblationes ut Deo offerri, & nomen Dei sui indiderat, idcirco nullam ejus mentionem fecerunt; nè scilicet lex posterior priori præjudicare videretur, & sic vel abrogaretur vel in controversiam veniret: unde non decebat ut Rex illum invaderet.

20. *Viris fortissimis*] *Ligantur à fortissimis in exercitu*, nè elapsi æstimentur: *Septuplum* augetur incendium, nè putes parvam flammam: & nè suspiceris minùs efficacem & phantasticam, circumstantes perdit: In suo habitu immittuntur, ut agnosci possint ipsissimi illi esse. Itaque insuspecta sunt omnia, ut miraculum fiat augustius & gloria Dei commendatior.

21. *Cùm braccis*] De verbi significatione variant Interpretes. Quidam exponunt *calceos*, quidam *tibialia*, quidam *femoralia* ad nuda corporis tegenda.

25. *Species quarti*] Israelitæ Filium Dei cum carne in mundo visum credere noluerunt: Hic Scriptura præmonstravit, Gentes illum incarnatum agnituras; quandoquidem cùm adhuc sine carne esset, visum in camino Nabuchodonosor indicavit, & *Filium Dei* esse illum confessus est.

DRUSIUS.

1. דורא. Th. *Deira.* Sym. *Doraum.* LXX. περίβολον] Hieron. *Ero* Dura *Th.* Deira, *Sym.* Doraum, *Lxx* περίβολον *transtulerunt, quod nos vivarium & conclusum locum dicere possumus.* In ed. Rom. Δεειρᾶ, quod legi debet *Deira* τειρσυλλάβως. Alibi est Δεειρᾶ per η, videlicet in codice Basileæ cuso qui in octavo folium complicat. DORAUM] Cum *m* in fine. Legitur & *Doraun* cum *n.* Utrumque corruptum videtur ex *Dora. Dura, Dora*; ut *Uphaz, Ophaz*, i. Ὠφάζ, *Uzia* & *Ozia.* Nam hæ vocales alternant. Sic in Latio *servus* & *servos.* Περίβολον] Sirach. 50. 2. περίβολον ἱεροῦ *septum Templi*, *ambitus Templi.* Sign. etiam *murum*, i. חומה. Vide Frag. in Ezecielem. Lex. V. Περίβολος *territorium.* Περίβολοι, *mœnia.* DURA] Fortè à lapide pretioso ibidem reperto qui דרא dicitur, & Ebraicè דר in historia Estheræ.

3. דִּי הֲקֵים נְבוּכַדְנֶצַּר. *Quam statuerat Nabuchodonosor Rex.*

4. עַמְמַיָּא אֻמַּיָּא וְלִשָּׁנַיָּא. λαοὶ, φυλαὶ, λαοὶ, καὶ γλῶσσαι, *gentes, populi & lingua.*

5. סוּמְפֹּנְיָה. συμφωνίας *symphonia*] Elias in libro ubi vocum Chaldaicarum sensa explicat, *Nomen est instrumenti Musici, quod Italicè vocatur* Symphonia, *& Germanicè* Leir / *i. Lyra.* Isidorus, SYMPHONIA *vulgò appellatur lignum cavum, ex utraque parte pelle extensâ, quam virgulis hinc inde musici feriunt.* Hoc est plenum Tympanum nostrate. Idem dimidiatum nostrate vocat *Tympanum*, quod ait esse *corium, vel pellem, ex una parte extentum.* Obvia hæc vox Luc. 15. in historia Prodigi, ἤκουσε συμφωνίας καὶ χορῶν. Hieron. Epist. ad Damasum, *Malè quidam de Latinis* symphoniam *putant esse genus organi, cùm concors in Dei laudibus concentus hoc vocabulo significetur.* συμφωνία *quippe* consonantia *exprimitur in Latino.*

18. צֶלֶם דַּהֲבָא. Sym. *statua aurea.* Cæteri, *imago aurea*] Hieron. *Sive* statuam, *ut Symmachus, sive* imaginem auream, *ut cæteri transtulerunt, voluerimus legere, cultores Dei eam adorare non debent.*

21. בְּסַרְבָּלֵיהוֹן. A. Th. σὺν τοῖς σαραβάροις αὐτῶν *cum sarabaris suis*] Hieron. *Pro* braccis, *quas Sym.* ἀναξυρίδας *interpretatus est, Aq. & Th.* saraballa *dixerunt, & non, ut corruptè legitur*, sarabara. *Linguâ autem Chaldæorum* saraballa *crura hominum vocantur & tibia, & ὁμωνύμως, etiam braccæ eorum, quibus crura teguntur & tibia, quasi* crurales *& tibiales appellata sunt.* Quid de hoc loco Hieronymi sentiendum sit diximus alibi. In vulgata scriptura codices plerique consentiunt. Quocirca satius ut dicamus λ in ρ mutasse: nam hæ literæ de facili alternant. Sic אלה & ארה, quod Græcè est ἀρά, *maledictio, dira*: sic κλίβανος & κρίβανος: sic *Sarabala, Sarabara.* Chald. סרבלא. An Aquila scripserit σὺν τοῖς σαραβάλοις αὐτῶν, nescio. Hoc scio, vocem *Sarabara* etiam profanis autoribus usitatam esse: quod aliàs à me probatum. Nunc moneo, minùs rectè scriptum esse in Hieronymo *saraballa*, cum *l* duplici, cùm unicum duntaxat sit in scriptura Chaldaica. Qui habent, adeant ad Quæst. meas, ubi plura de hac voce. Scholion, Τοὺς Σαράβαρα εἰρήκασι, τὰ μὲν παρὰ τῶν πολλῶν λεγόμενα Μῆνια, παρὰ δὲ τοῖς Ἕλλησιν Ἀναξυρίδες προσαγορευόμενα. Dictio μῆνια sonat *ridicula.* Sed fortasse legendum βράκια. Theodoretus *Sarabara* scribit esse *vestimenti Persici genus*, à quibus distinguit ἀναξυρίδας, quas putat esse ipsas περικνημίδας. In C. est σαραβάλοις. Tertullianus autem De Orat. *sarabaris* habet. Idem in De carne Domini, *cum bracis suis.* ¶ Sequitur, καὶ τιάραις καὶ περικνημῖσιν] Quæ legi malim ordine inverso, ut פטשיהון sint περικνημῖδες, & כרבלתהון τιάραι. Est autem τιάρα, teste Hieronymo, *genus pileoli quo Persarum Chaldæorumque gens utitur.* Locus iste valde debilitat opinionem Hieronymi de *Sarabaris.* Nam si περικνημῖδες, ut rectè censet Theodoretus, sunt ipsæ ἀναξυρίδες, aut aliud dicunt *sarabara*, aut minùs absurdè ταυτολογεῖ ὁ Θεοδοτίων. ¶ וּלְבוּשֵׁיהוֹן. καὶ ἐνδύμασιν αὐτῶν *& vestibus suis.* Quod & in Tertulliano.

22. גֻּבְרַיָּא אִלֵּךְ וגו'. Καὶ τοὺς ἄνδρας ἐκείνους τοὺς ἐμβαλόντας Σεδράχ, Μισάχ, καὶ Ἀβδεναγὼ, ἀπέκτεινεν αὐτοὺς φλὸξ τοῦ πυρός, *Porrò viros illos qui miserant Sedrach, Misach & Abdenago, interfecit flamma ignis.*

23. וְגֻבְרַיָּא אִלֵּךְ תְּלָתֵּהוֹן. Καὶ οἱ ἄνδρες ἐκεῖνοι οἱ τρεῖς οὗτοι, *Viri autem isti tres.*

25. וְרֵוֵהּ דִּי רְבִיעָאָה דָּמֵה לְבַר־אֱלָהִין. Sym. *species autem quarti similitudo filiorum Deorum.* A. —— *similis filio Dei.* Lxx *Angelo Dei*] Hieron. *Speciem autem quarti, quem similem dicit Filio Dei, vel Angelum debemus accipere, ut Lxx transtulerunt, vel certè, ut plerique arbitrantur, Dominum Salvatorem. Sed nescio quomodo Rex impius Dei Filium videre mereatur. Ergò juxta Symmachum, qui interpretatus est,* species autem quarti similitudo filiorum, *non* Dei, *sed* Deorum, *Angeli*

Angeli sentiendi sunt, qui & Dii & Deorum *vel* Dei filii *sæpissime nuncupantur*. Scholion, Οἱ ἄλλοι ἑρμηνευταὶ, υἱῷ θεῶν, εἰρήκασιν· Ἀκύλας δὲ, υἱῷ Θεῶ. ἡ δὲ τῶν ό ἑρμηνεία, ἀγγέλῳ Θεοῦ, λέγει. SIMILITUDO FILIORUM DEORUM] Ex Scholio legendum, *similis filio Deorum*, i. ὅμοια υἱῷ Θεῶν quod mihi germanum videtur. Sic ergò emendabis hoc loco Hieronymum, *species autem quarti similis filio, non Dei, sed Deorum.* Id pono, non statuo: volo esse arbitrarium, nolo ut sit certum.

GROTIUS.

1. **F***Ecit statuam*] Regis, ut credibile est, Naboponassari. Mos enim erat Regum parentes suos donare divinis honoribus, cui usui inserviebant statuæ.

Auream] Plinius XXXIII. 4. *Aurea statua prima omnium nullâ inanitate, & antequam ex ære aliqua illo modo fieret, quam vocant Holosphyron, in templo Anaitidis posita dicitur.*

Et statuit eam in campo Dura provinciæ Babylonis] Theodotion habet Δεῖρα [*Deira*], aut Δεηρᾶ [*Deêra*] variant enim codices: unde multis creditur designari πεδίον Δεηρᾶ [*campestre Deêra*], quod in Susiana ponit Ptolemæus. At alia est provincia Susianes, alia Babyloniæ, & מדינה [q. d. *jurisdictio; provincia*] pro toto Imperio sumere exemplo caret: quare rectiùs arbitror accipere hoc nomen pro eo quod est Δέραβα [*Duraba*] Ptolemæo in Babyloniæ descriptione, eóque id probabilius quòd *Doraum* hîc posuerat Symmachus, ut nos docet Hieronymus.

2. *Satrapas*] אחשדרפניא; in singulari ἐξατράπην [*Exsatrapen*] dixit Theopompus, ut notavimus ad Matth. XVIII. 10. Alii Σατράπην [*Satrapen*], quam persicam esse vocem putat Herodotus, & plerique Græci. Ego potiùs ab Assyriis eam vocem (ut & eas quæ sequuntur nihil Chaldaïcum præ se ferentes) putem venisse primùm ad Chaldæos, deinde ad Persas. In Persica aula id nomen habes, nec apud Græcos tantùm, sed & Esther IX. 3. Theodotion ὑπάτους [*Consules*], *Bassas* interpretatur Iacchiades, sumtâ voce ex Imperio Turcico; sicut & sequentibus nominibus comparat Turcica.

Magistratus] סגניא: est idem nomen quod suprà II. 48. quos *Præfectos* esse *provinciarum* ibi diximus: στρατηγὸς [*Prætores*] Theodotion, *Beglerbeios* dicit Jacchiades.

Et Judices] פחותא sunt Theodotioni τοπάρχαι [*Toparchæ*], ut & II Regum XVIII. 24. Esaiæ XXXVI. 9. Jacchiadæ *Aga.* Apparet fuisse Præfectos minores sub illis majoribus, Esdræ V. 3. 14. VI. 6. 13. VIII. 36. Nehem. II. 7. 9. infrà VI. 7.

Duces] אדרגזריא, id est, *Scribas decretorum custodes.* Vide quæ suprà II. 27. Hi sunt ἡγούμενοι [*Antecessores*] in Græco.

Et tyrannos] גדבריא [*Gedabria*] sunt *pecuniarum dispensatores*, ut apparet ex Chaldaica versione Ecclesiast. II. 7. Idem munus dicitur גזבר [*Gazbar*] Esdræ I. 8. & in Chaldaico fine Estheris, & in titulo Thalmudis de Siclis. Nimirum facilè inter se mutantur ד & ז: fortè Græca vox est γαζοφόροι [*gazophori*, gazarum comportatores]. Theodotion dixit τοὺς ἐπὶ ἐξουσιῶν [*facultatibus impositos*] Jacchiades Turcico more *Dephtardaros.*

Et præfectos] דתבריא sunt *Jurisconsulti*, quibus Jacchiades confert *Alphakios* Turcarum. His addit textus hîc Chaldaïcus תפתיא, quos *janitores* interpretatur Saadia, Jacchiades *Doctores legum.*

Omnésque principes regionum] שלטני sunt qui non præfecturis aut provinciis sed urbibus & regionibus suburbicariis singulis præsunt. Vide suprà II. 10. Vox מדינה *regionem* significat, estque modò amplior, modò restrictior. His *Zangiahos* comparat Jacchiades.

Ad dedicationem statuæ] Voce usus est valde propriâ, pro qua τὰ ἐγκαίνια [*encænia*] hîc habet Theodotion. Vide quæ dicta Johan. X. 22.

3. *Stabant autem in conspectu statuæ*] In loco unde conspici statua poterat.

4. *Populis, tribubus, & linguis*] *Gentibus, nationibus, & linguis.*

5. *Sonitum tubæ*] In Chaldæo, *Cornu*, id est, buccinæ.

Et fistulæ] משרוקיתא à שרק, quod in Chaldæo & Hebræo idem est & sono & re cum Græco συρίζω vel συρίσδω [*fistulâ cano*].

Et cithara] קיתרס, Græca haud dubiè vox κιθάρα [*cithara*]. Jam ante Danielem magnæ & Æolum & Jonum coloniæ in Asiam deductæ Græcas voces illis in locis sparserant.

Sambuca] Hæc vox est Orientis: nam Sambuca Syrorum repertum, teste Athenæo lib. IV. סבכא, vel שבכא, Dagesch Syrorum more in נ resoluto, est סנבכא: *N* verò ante β Græci in μ mutant. Est instrumentum mulierum Syrarum, ut nos docent Porphyrio & Suidas. Addit Athenæus τετράχορδον [*quadrichordum*] fuisse acuti soni.

Et psalterii] Etiam hæc vox פסנתרין, vel, ut alibi scribitur, פסנטרין, planè Græca est, λ mutato in נ. Docent nos & Hieronymus & Augustinus psalterium fuisse instrumentum citharæ non absimile, nisi quòd illum locum unde sonum accipiunt, quod *cavamen* dicitur, cithara in parte inferiore, psalterium in parte superiore habet; percutiturque psalterium quidem sursum, cithara verò deorsum. Chrysostomus: ψαλτήριον τῶν ἐντατῶν μὲν ἐστι, πλὴν ὄρθιον καὶ ἄνωθεν ἔχει τῶν φθόγγων τὰς ἀφορμάς [*psalterium inter instrumenta erat quæ fidibus tenentur, sed rectum & ex superno habens sonorum origines*].

Et symphoniæ] Etiam hæc vox סומפניה, vel, ut infrà סופניא, merè Græca, συμφωνία. Est autem *Symphonia* tibia obliqua, πλαγίαυλος, interprete Servio ad XI. Æneidos. At Isidorus, *Symphoniam vulgò appellant lignum cavum ex utraque parte pelle extensâ, quod virgulis hinc & inde musici feriunt; fitque in ea ex concordia gravis & acuti gratissimus cantus.* Ubi & causam habes hujus nominis.

Cadentes adorate statuam] In Chaldæo, *Procumbite.* Respondet Hebræo שחה, ut Geneseos XXXVII. 9. 10.

6. *Mittetur in fornacem ignis ardentis*] Pœna non infrequens apud Chaldæos. Vide Jerem. XXIX. 22.

7. *Omnes populi, tribus, & linguæ*] Aliqui ex omnibus Imperii Babylonici populis.

8. *Viri Chaldæi accusaverunt Judæos*] Invidentes Judæis, & ad eos opprimendos aut suasores hujus edicti, aut natæ occasionis seduli aucupes.

12. *Viri isti contempserunt, Rex, decretum tuum*] In Chaldæo, *Non posuerunt, ô Rex, rationem tui* id est, rationem tui non habuerunt.

Deos tuos non colunt] Nullum deorum quos colit Babylon, nè hunc quidem parentem tuum.

Et statuam auream quam erexisti non adorant] Ostendunt hoc, quòd procumbere coram statua nolunt; quod signum est deum illum tuum invocantis.

13. *In furore & ira*] Præ longa felicitate animi impotens.

14. *Verè nè*] Sic illud הצדא interpretantur, & Theodotio & Abenesdra, & Saadia: meliùs fortè, *an consulto?* ut צדיה sit pro Hebræo צדיה. Alii admirantis esse putant, quasi diceret, *Quid hoc portenti?*

15. *Nunc ergo si estis parati*] *An estis parati?*

Et quis est Deus qui eripiat vos de manu mea?] Quasi diceret: Vester ille Deus, cui frustra confiditis, id præstare non poterit. Confer verba Assyrii II Regum XVIII. 30. 33. 34. 35. Erat Nabuchodonosor ingenio, quasi Saul, vario ac mutabili in bonum malúmque.

16. *Non oportet nos de hac re respondere tibi*] In Chaldæo: *Non solliciti sumus in hac re ad respondendum tibi.* Sic Cyprianus ad Proconsulem: *in re tam justa nulla consultatio est.* Per hæc constantiæ exempla homines paulatim ad Euangelicam obedientiam parabantur.

17. 18. *Ecce enim Deus noster quem colimus potest eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ô Rex, liberare. Quòd si noluerit, notum tibi sit, ô Rex, quia Deos tuos non colimus*] Meliùs: *Sive Deus noster, qui potens est ad nos de fornace ignita eruendos, è manu tua nos liberet, sive non, illud, Rex, pro certo habe, nos cultores deorum tuorum non futuros.* הן sæpe est *si* aut *sive.* Spectabant hîc præceptum Decalogi.

18. *Et statuam auream quam erexisti non adoramus*] Non exhibebimus ullum gestum honorificum coram statua, obstante Decalogi præcepto secundo.

19. *Et aspectus faciei illius immutatus est*] Excanduit.

20. *Viris fortissimis de exercitu suo*] Id est, de prætorianis cohortibus.

21. *Cum braccis suis*] In Chaldæo, *Saraballis.* Erant autem *Saraballa* (quæ corruptè *Sarabara*, aut *Saraba*) non *tibialia*, ut Hieronymus existimat, sed *mantella*, ut hic explicat Jacchiades & Abenesdra. Apparet id titulis Thalmudicis de Synedrio & de Septimanis. Verbum סרבל Chaldæis & Arabibus est *obtegere.*

Et tiaris] פטש videtur esse idem sono ac re quod πέτασος [*petasus*] Græcis, quod non longè abit à tiara. At Abenesdras & Jacchiades hîc intelligi volunt subligaria.

Et calceamentis] כרבלתא est *crista galli*, & ab ejus similitudine omne *id quod capiti imponitur.* Ità Saadia, David Kimchi, & Jacchiades. Alioqui כרבל Hebræis est *amicire*, ut apparet I Paralipemon XV. 27.

Et vestibus] *Interioribus, quæ sub mantello:* Ità hîc Jacchiades. לבש ut Hebræis est *induere*, ità & Chaldæis, ut patet infrà v. 7.

22. *Nam jussio Regis urgebat*] Moram non ferebat.

Interfecit flamma ignis] Scintilla exsiliens è fornace. Ea causa fuit cur Nabuchodonosor rem omnem cognoscendi animo ad fornacem accederet. Hymnus trium juvenum non est in Hebræo: est poëma factum à posteriorum temporum Hebræo aliquo, quasi rei conveniens.

91. *Compeditos*] Bene ligatos, ut suprà 23.

92. *Species quarti similis filio Dei*] Angelica: quomodo LXX hic verterunt ὁμοία ἀγγέλῳ Θεοῦ [*similis Angelo Dei*]. Vide Jobum I. 6. Sic Hebræi interpretes.

93. *Tunc accessit Nabuchodonosor ad ostium fornacis*] Propiùs nempe quàm antè, ut & alloqui illos posset.

Servi Dei excelsi] Cultores illius Dei quem antea quoque admiratus fuerat Nabuchodonosor II. 47. אלהא עליא [*Deus summus*], ut illic אלה אלהין [*Deus deorum*].

94. *Et magistratus*] *Præfecti provinciarum*, ut suprà II. 48. III. 2.

Et judices] Præfecti minores: ut suprà 2.

Et potentes] הדברי [*Ductores, Gubernatores*]. legitur & infrà IV. 33. & VI. 7. Videtur idem esse quòd מדברא in Chaldæo Proverbior. XI. 14. & מדברנא in Thalmude titulo de Contractibus. Est nomen commune *Magistratibus*, quo significantur illi qui pluribus nominibus suprà 2.

Contemplabantur viros illos] Nempe cum admiratione.

Et capillus capitis eorum non esset adustus] Id est, nè minimum quidem de corpore. Vide Lucæ XII. 7. & XXI. 18.

Et saraballa eorum non fuissent immutata] Nè eorum quidem vestimenta.

Et odor ignis non transisset per eos] Nihil de fumo olebant.

95. *Et erumpens Nabuchodonosor ait*] In Hebræo, *Locutus est Nabuchodonosor, & ait:* ut suprà II. 16. & 47.

Qui crediderunt in eum] Qui confisi ei sunt. Gradus quidam ad Euangelicam fiduciam.

Et verbum Regis immutaverunt] *Mutare*, ut & *solvere legem* dicitur qui contra legem facit, Matthæi V. 17. VII. 23. X. 35. Jam tandem æquum judicat Dei legem suæ anteferri; juxta illud,

> Οὐ γάρ τί μοι Ζεὺς ἦν ὁ κηρύξας τάδε.
> [*Nec enim mihi ista Jupiter præceperat*].

Tradiderunt corpora sua] Exposuerunt morti.

Nè servirent] Id est, sacrificium facerent: id enim est עבד.

Et ne adorarent] Corporis gestu honorem exhiberent apud imaginem.

Omnem deum] Ullum deum.

Excepto Deo suo] Opifice cœli & terræ.

96. *Quæcunque locuta fuerit blasphemiam*] In Chaldæo, *Qui dixerit errorem:* id est, qui loquendo peccaverit. Nondum ausus deos Imperii sui exauctorare, interim, quod non parum est, vetat maledici Hebræorum Deo, quem tam potentem cognoverat.

Neque enim est alius Deus qui possit ità salvare] Belus suos cultores extra fornacem positos ab igne servare non potuit; Deus autem Hebræorum suos in medio igne incolumes præstitit.

Dispereat] *Membratim lanietur.*

Et domus ejus vastetur] *In latrinas vertatur.* Eadem pœna & eadem verba quæ suprà II. 5.

97. *Tunc Rex promovit Sidrach, Misach, & Abdenago in provincia Babylonis*] הצלח, id est, *opibus & honoribus auxit.*

98. *Nabuchodonosor Rex*] Rectiùs faciunt qui hæc tria commata connectunt cum sequentibus, quæ sunt in capite quarto. Est enim hoc edicti sequentis præfatio. Daniel cùm historiam Trium juvenum absolvisset, aliam historiam sanè mirabilem subjicit, non suis sed ipsius edicti publicati verbis, ut de fide nemo dubitaret.

Pax vobis multiplicetur] Id est, omnia vobis prosperrima contingant.

99. *Signa & mirabilia fecit apud me*] *Mihi.* Nempe res futuras adeò incredibiles præsignificando.

Deus excelsus] *Summus Deus*, ut suprà 93. Ità appellat Deum quem colebat Daniel, & Hebræi.

100. *Regnum ejus regnum sempiternum*] Nempe expertus istud didicerat:

> *Regum timendorum in proprios greges,*
> *Reges in ipsos imperium est Jovis.*

CAP. IV.

MUNSTERUS.

6. *Superat te*] Sunt qui hîc exponunt אנס pro מצער, ut sit sensus, Nullum arcanum te molestat & inquietum facit, cùm omnia secreta sint tibi clara & manifesta, & nihil sit cujus interpretatio te lateat.

13. *Excitator*] Hebræi communiter intelligunt hîc per *excitatorem* seu *vigilem*, Angelum Domini, שהוא ער לעולם *quòd semper vigilet.*

15. *In vinculis ferreis*] i. Moretur inter herbas victus catenis ferreis; comedat fœnum more ferarum: humana ratio illi eripiatur, & sensus detur belluinus, donec septem temporum cursus evolvatur.

16. *Septem tempora*] R. Saadias intelligit per *septem tempora* septem annos. Quidam ex nostris hunc locum sic legunt, *septem temporibus transeant super ipsum*, scilicet pluvia, ros & alia aeris incommoda.

17. *Juxta decretum vigilum*] i. Res hæc fiebat *ut vigiles*, i. Angeli, *decreverant*. *Postulant* tamen & interrogant cur id ità fuit; & respondetur, *ut cognoscant viventes quòd potens sit Altissimus.*

20. *Arbor*] Significat *arbor* Regem, *rami* Principes, & *fructus* annuos proventus. Per *aves* quoque intelliguntur summi Principes, & per *bestias sub umbra cubantes* subditæ gentes. Et quia pecuinam Rex egit vitam, cum bestiis connumeratur, & cum illis portionem suam accepit, ut *vesceretur herbis ut bos*, putrefactisque vestibus complueretur caro ejus & obrigesceret, idque *ad septem tempora*, h. e. usque ad tempus perfectum, donec resipisceret & ad pœnitentiam moveretur. Unde noluit eum penitus eradicare, sed *stirpem ejus in terra dimittere:* propter quod & Propheta monet eum ad opera pietatis.

27. *Sanitas*] Quidam hîc exponunt רפואה לשגגתך, sicut nos vertimus. Alii verò sic vertunt, ארכות לשלותך *prolongatio pro pace tua.*

31. *Cùm verbum esset in ore Regis*] Cùm, inquit, Rex salubrem Prophetæ monitionem non acceptasset, & pœnitentiam agere contemneret, sed pergeret in impietate sua, & gloriam sibi & non Deo tribueret, subitò incidit in judicium Dei, sed pro bono suo. Factus enim maniacus ex læsa imaginativa potentia seipsum pro bestia gessit; vel agitatus à Domino inter feras silvestres veluti bestia habitavit, ferens calores æstatis & frigora hiemis, inhorrescente pilo corporis, quo tegebatur veluti aquila, qui uberiori contegitur plumâ.

34. *Sub finem dierum*] i. Post septem illa tempora, sive anni fuerint, sive menses, sive partes anni, putà æstas & hiems, liberatus est à mania, & videns mores suos & formam agrestem, atque simul animadvertens præteritam suam vitam, quâ sic puniri demeruerat, humiliatus *levat oculos in cœlum*, & dat gloriam Deo.

35. *Quasi nihil*] Exponunt hîc Hebræi כלה pro כלא, He pro Aleph.

VATABLUS.

2. *Et cogitationes* [והרהרין] Sub. *ascenderunt super cor meum cùm essem in cubili meo.*

4. *Genethliaci, astrologi* [חרטמיא אשפיא] Vide c. I. 20. & 2. 2.

5. *Secundùm nomen* [כשום] *Quod est nomen.* ¶ *Et in quo* &c. ¶ [ודי רוח אלהין קדישין] i. Qui plenus est Spiritu S.

6. *Genethliacorum* [חרטמיא] *Physicorum*, ut c. 2. 2. ¶ *Sit absconditum tibi* [אנס לך] *Faciat* [vel *facessat*] *tibi negotium*, i. nullum est secretum quod revelare non possis.

7. *Visiones* &c. [וחזוי ראשי וגו'] Sub. *hæ sunt*, i. Somnium autem quod somniavi cùm adhuc essem in lecto, istud est: Illud enim vocat *visiones*, quòd fuerit multiplex, h. e. longum & prolixum. *Capitis*, quòd in capite sive cerebro sit sedes imaginationum. ¶ *Videbam*, &c. [חזה הוית ואלו אילן] Phrasis eadem quæ c. 2. 31. *Videbar mihi videre arborem altissimam.* Similia v. 10. ¶ *In medio terræ* [בגוא ארעא] *Intra terram.* ¶ *Et altitudo ejus* [ורומה] Phrasis Hebræa & Chaldæa, pro *cujus altitudo.*

8. *Magna* erat *arbor & fortis* [רבה אילנא ותקף] *Procera erat arbor & robusta.* Alii per verbum vertunt, *Crevit arbor & fortificata est*, i. vires acquisivit. Vide v. 17. ¶ *Aspectus verò ejus* [וחזותה] *Et visio ejus*, i. quæ conspicua erat in extremis partibus totius terræ.

9. *Ramus ejus* [עפיה] Ad verb. *Perplexitas ejus*, i. rami ejus, sive ramositas, aut ramificatio, i. densitas ramorum ejus: quòd rami sint inter se complexi. ¶ *Et esca*, &c.

ומזון לכלא בה] *Et cibus omnium* erat *in ea*, i. omnia animantia alebantur fructu ejus. ¶ *Sub se* תחותהי] i. In imo. ¶ *Umbram faciebat bestiis agri* תטלל חית ברא] *Obumbrabat bestias agri*. Alii, *Sub ea umbram captabant bestia*, &c. i. habitabant sub ea. ¶ *Vescebatur omnis caro* יתזין כל בשרא] i. Alebantur omnia animantia.

10. *Vigil* עיר] i. Angelus quidam. Angeli enim sic dicuntur, quòd non obruantur somno, more Hominum, cùm careant naturâ nostra corporali.

11. *Fortiter* בחיל] Ad verb. *in fortitudine*, i. altâ voce ac validâ.

12. *Et vinculo*, &c. 'ובאסור די פרזל וגו] i. Maneat sub dio longo tempore. ¶ *Tingatur* יצטבע] *Aspergatur*.

13. *Mutent* ישנון] *Commutent*, sub. *Angeli*, i. privetur mente ac intellectu humano. Transit à re significante ad rem significatam. ¶ *Tempora mutentur* עדנין יחלפון] *Tempora transeant*, i. ità maneat *septem annis*, vel, ut alii, *hebdomadibus*: alii, *longo tempore*.

14. *Decreto*, &c. 'בגזרת וגו] i. Angeli hoc decernunt, ità jubente Deo. ¶ *Et in sermone*, &c. 'ומאמר וגו] *Et edictum sanctorum est interrogatio*: i. Angeli inferiores quærunt quare id acciderit illi. Respondetur, *Ut cognoscant*, &c. Vel secundùm aliam lectionem, *In edicto sanctorum est petitio*: q. d. *Posset quis interrogare, Curnam id accidet illi? Respondebitur, Ut cognoscant*, &c. ¶ *Dabit illud* יתננה] *Daturus est illud*. Vel est fut. pro præs. *dat illud*. ¶ *Et humilem* ושפל] *Et humillimum*, i. abjectissimum & contemptissimum.

16. *Siluit* אשתומם] *Conticuit*, vel *obstupefactus est*, i. mansit attonitus. ¶ *Terrebant eum* יבהלנה] *Turbabant eum*.

17. *Erat magna & fortis* רבה ותקף] *Creverat*, *& fortificata erat*, i. vires acquisierat: aucta erat. Vide v. 8.

18. *Et rami ejus* ענפוהי] Vide v. 9.

19. *Magnificatus es*, רבת] *Crevisti*. ¶ *Et magnitudo tua* ורבותך] *Et magnificentia tua*. ¶ *Et potentia tua* ושלטנך] *Et dominium tuum*.

20. *Et dissipate illam* וחבלוהי] Ad verb. *& corrumpite illam, perdite*: suprà v. 11. *& dispergite fructum ejus*: ubi quidam legunt *disperdite*.

21. *Et decretum* וגזרת] Redundat ו *&*. ¶ *Quod pervenit* די מטת] i. Quod Deus tulit in dominum meum Regem.

22. *Te enim* ולך] Ad verb. *Et te*. ¶ *Te pascent* לך יטעמון] *Te cibabunt*.

23. *Dixerunt* אמרו] Sub. *Angeli*. ¶ *Tibi manebit* לך קימא] *Erit tibi firmum*, vel *permanens*. ¶ *Donec cognoveris*, &c. 'מן די תנדע די וגו] *Ut intelligas quod dominatus* [plur. num.] *sunt cæli*, i. cœlestes, q. d. Deum dominari in cœlo & in terra.

24. *Miseratione pauperum* במחן ענין] *Miserando pauperum*, i. subveniendo pauperibus. ¶ *Medela delicti tui* ארכה לשלותך] *Curatio delictorum tuorum*: ut sit sing. pro plur. q. d. hàc enim ratione condonabuntur tibi peccata tua. Docti inter Hebræos exponunt, *productio* [vel *prolongatio*] *pacis tua*, i. prosperitatis & felicitatis tuæ.

26. *In palatio Regni* על היכל מלכותא] Ad verb. *super palatium Regni*: q. d. In tecto palatii unde poterat contemplari totam urbem Babel.

27. *In domum Regni*, &c. 'לבית מלכו וגו] i. Ut esset Regia urbs, quam exstruxi meis opibus, ut compararem mihi gloriam sempiternam. Quidam paraphrasticè sic vertunt, *quam ædificavi excellenti meâ potentiâ, ut exsistat regia & decus magnificentia mea*.

28. *Dicunt* אמרין] Sub. *qui habitant in cœlis*, i. *Tibi dicitur*. ¶ *Transivit* עדת] *Recessit*, sub. *ad tempus*. q. d. Jamjam administratione Regni privaberis: jamjam Dominus statuit Regnum tuum ad alios transferendum.

29. *Et ab hominibus* ומן אנשא] i. A commercio hominum. ¶ *Transibunt* יחלפון] i. Eris mente captus septem annis. Vide v. 20, & 22.

30. *Sermo completus est* מלתא ספת] i. Hæc acciderunt ipsi Nabuchodonosor.

31. *In fine autem dierum* ולקצת יומיא] i. Post aliquot dies. Tandem autem. Exacto certo tempore. q. d. Quando Deus voluit, quando oculis misericordiæ suæ illum respexit. ¶ *Et intellectus*, &c. ומנדעי עלי יתוב] *Et sensus meus restitutus est mihi*: vel *mens mea*, aut *cognitio mea*. ¶ *Benedixi* ברכת] i. Laudavi, sive gratias egi. ¶ *Atque glorificavi* והדרת] *Et honore prosecutus sum*. ¶ *Quia potestas*, &c. 'די שלטנה וגו] *Cujus dominium, dominium æternum est*. ¶ *Cum generatione & generatione* עם דר ודר] i. Durat per omnes ætates: q. d. æternum est.

32. *Reputati sunt* חשיבין] *Reputantur: existimantur*. ¶ *Percutiat manu suâ* ימחא בידה] i. Cessare faciat eum, ut solemus cùm manuum contactu & complausu vetamus sive prohibemus aliquid fieri. Ità quidam Hebræorum exponunt. Alii vertunt, *nec est qui prohibeat manum ejus*. Alii, *nec est qui resistere possit manui* [i. viribus] *ejus*, non est qui cohibere manum ejus possit quin feriat cùm ferire decreverit.

33. *Intellectus meus* מנדעי] Ut v. 31. ¶ *Et splendor meus*, &c. וזיוי יתוב עלי] i. Dignitas vultûs mei *reversa est ad me*, i. restituta est mihi. ¶ *Optimates mei*, &c. והדברי ורברבני] *Consiliarii* [vel *præfecti*] *mei, & magnates mei*. ¶ *Et in Regno meo confirmatus sum* ועל מלכותי התקנת] *Et in Regnum meum restitutus sum*. ¶ *Et magnificentia* ורבו] *& magnitudo: majestas*, i. in majori honore habitus sum quam antea.

34. *Quia omnia*, &c. די כל מעבדוהי קשוט] *Cujus omnia opera sunt veritas*, i. vera. ¶ *Judicium* דין] *Justitia*, i. justæ.

CASTALIO.

11. Dixit, *Excidite arborem, ejus ramos detruncate; frondes excutite, dispergite fructum*] h. e. *Excidatur*, &c.

13. *Atque ità septem tempora transigat*] i. Annos.

14. *Hac res decreto vigilum, hac rogatio pronunciatione sanctorum perlata est*] Ad verbum sic, *Ex decreto vigilum res, ex pronunciatione sanctorum rogatio*. Quæ sententia est gemina: nam idem est *vigil* & *sanctus*, ut suprà dictum est, *Quidam vigil & sanctus*, de eodem. Item *decretum* & *pronunciatio* idem est, item *res* & *rogatio* idem. Vocat enim *rogationem* legem perferendam; quomodo & Latini loquuntur: quoniam priusquam perferretur lex, rogabantur quorum erat sancire legem utrùm eam vellent admittere: cujus rogationis formula erat hujuscemodi, *Velitis, jubeatis ut Marco Tullio Ciceroni aquâ & igni interdictum sit?* Hujusmodi rogatio perlata est inter deliberantes de Nabuchodonosore Angelos, *Velitis, jubeatis ut Nabuchodonosor*, &c. Non quòd velim hanc formulam ad Divina transferre, sed ut intelligatur, cùm hic fiat *decreti* & *rogationis* Angelorum mentio, significari, inter eos fuisse de Nabuchodonosore deliberatum. Cujusmodi deliberationem videbis 3 Reg. 22. ubi inter Jovam & Angelos consultatur de Achabo in fraudem pelliciendo. Sed hæc humano more dicuntur.

30. *Adeò ut ei & pili ut aquilis, & ungues ut alitibus increverint*] *Ut aquilis*, scil. *crescunt plumæ*.

CLARIUS.

4. Ego *Nabuchodonosor*] Quæ in superioris capitis fine dicta sunt, videntur huic continuanda, ut sit justa forma epistolæ, quæ inter præfandum salutat, & summatim caput dicendorum præmittit. Scribit *omnibus populis*, non solùm Persarum, Assyriorum, Ægyptiorum, & Regnorum suorum, sed universæ terræ. Non enim præcipit, ut suprà, sed adhortatur, suum narrans exemplum.

13. *Et ecce vigil*] Rectè Angelus *vigil* dicitur, quia incorporeus est, semper vigil, & nunquam dormiens. Quamvis autem in singulari loquatur, quia tamen postea in plurali loquitur, collectivè per unum multos intelligamus.

16. *Septem tempora mutentur*] Quidam intelligunt septem annos. Alii sic legunt, *Pluvia & ros & alia aëris incommoda transeant super ipsum septem temporibus*, h. e. vicissitudinibus temporum, ut æstates & hiemis: ut dictum sit juxta Persarum morem, qui annum in duas partes secarunt, Æstatem & Hiemem; quæ partes anni variatæ sint super illum.

17. *In sententia vigilum*] i. Res hæc fiebat *ut vigiles*, i. Angeli, *decreverant*. ¶ *Sermo sanctorum, & petitio*] Significat, postulatum esse atque interrogatum cur id ità fiat; & respondetur, *ut agnoscant viventes quòd potens sit Altissimus*.

19. *Somnium iis qui te oderunt*] His verbis declarat se Regis fortunæ misereri, & nihil minùs quàm ultionem orare, atque adeò ut, si ipse malè velit Regi, in se tanquam hostem veniant dira quæ nunciat.

20. *Arborem quàm vidisti*] Significat *arbor* Regem, *rami* Principes, & *fructus* annuos proventus. Per *aves* quoque intelliguntur summi Principes, & per *bestias sub umbra cubantes* subditæ gentes.

27. *Peccata tua eleemosynis redime*] Siquis hîc dicat, *Si Deus ità decrevit, quomodo sententia illius mutabitur?* de hoc sic disserit Chrysostomus, *Quid dicis, ô Daniel? sententia prolata est à Deo, & calculus confirmatus est, & tu precibus illam mutabis? Etiam*, inquit, *non enim ut res ethnicorum habent, ità & nostra. Propter hoc enim prolata est sententia ut non fiat; non ut Rex discat solùm futura, sed etiam ut caveat: Alioqui quænam esset ex præcognitione utilitas, si nulla indè seque-*

sequeretur consolatio? Quidam hic per *peccata* intelligunt pœnam peccatis debitam.

28. *Omnia hac venerunt super Nabuchodonosor*] De se tanquam de alio loquitur.

33. *Ex hominibus abjectus est*] Non dicit tamen Scriptura factum bestiam, sed socium bestiarum, mentémque mutatam. Maniacus enim factus seipsum pro bestia habebat. Nam læsa imaginativâ hominis facultate fit ut persuadeat sibi homo apparere alia quàm apparent. Et inventi sunt melancholici qui plodebant pedibus jurantes sibi equinos pedes esse. ¶ *In similitudinem aquilarum*] Inhorruit pilus & totam cutem operuit densis velaminibus, sicut aquila uberiore plumâ contegitur. Non enim pennatum intelligimus, sed insolito modo tectum; & non avium unguibus armatum, sed sicut avium unguibus; ut humanæ formæ propterea nihil ademptum sit.

34. *Post finem dierum*] Post septem illa tempora, sive anni fuerint, sive menses, sive partes anni, puta æstas & hiems, liberatus est à mania, & videns mores suos efferos & formam agrestem, atque simul animadvertens præteritam suam vitam, quâ sic puniri meruerat, humiliatus *attollit oculos in cælum*, & dat gloriam Deo.

35. *In nihilum reputati sunt*] h. e. Finitæ & parvæ potentiæ sunt omnes homines.

LUCAS BRUG.

29. Tria nostra manuscripta, Brug. Lob. O. & Hentenii emendatio, ad hunc scribunt modum, *Et cum bestiis feris erit habitatio tua:* qui Chaldaico fonti & Græcæ editioni consonant. Ille habet, עִם חֵיוַת בָּרָא מְדוֹרָךְ, *Et cum bestia agri habitatio tua*, hæc, καὶ μετὰ θηρίων ἀγρίων ἡ κατοικία σε, *Et cum bestiis agrestibus habitatio tua.* Complures verò codices, cum Interlinearis Glossæ Autore, inter *bestiis* & *feris* conjunctionem legunt; sed variè. Undecim nostri habent, *Et cum bestiis* & * *feris* [* *cum* 1 MS.] Alii undecim nostri, *Et cum bestiis atque feris*; novem, *Et cum bestiis ferisque*; unus, C notatus, *Et cum feris atque bestiis.* Suprà, 22 versu, ubi eadem leguntur verba, O. & Lobiense similiter absque conjunctione scribunt, *Et cum bestiis feris erit habitatio tua.* Chaldæo & Græco pari modo consentientibus. Verùm ibi plerique omnes codices, & quidem uniformiter, *Et cum bestiis ferisque*, habent, *erit* [*fiet* 1 MS.] *habitatio tua:* quam & Epanorthotes antiquorum librorum esse lectionem docet. Ergò, quantum deprehendere nos possimus, vicesimosecundo versu *cum bestiis ferisque*, vicesimonono *cum bestiis feris*, Interpres transtulit. Parisiensis typographus versu 29. simul cum conjunctione *feris* sustulit; non rectè. Errore id factum crediderim, quòd in priori editione erroneè signarit *& feris*, pro *&* [. Vet. Di. l. Ge. o.] *feris.*

DRUSIUS.

1. Ναβουχοδονόσορ ὁ βασιλεὺς, &c.] Tota hæc Epistola olim legebatur sub asteriscis, quòd ex Theodotione addita esset τοῖς ό. Vide Scholion quod in Rom. ed. ad h. l.

וְרַעְנַן בְּהֵיכְלִי. καὶ εὐθαλῶν ἐπὶ τοῦ θρόνου μου *florens in throno meo*] Hier. *Quietus eram in domo mea, & florens in palatio meo, sive* in throno meo, *ut interpretatus est Theodotio.* Verba illa ἐπὶ τοῦ θρόνου μου absunt in ed. Rom.

4. חַרְטֻמַּיָּא. οἱ ἐπαοιδοὶ *incantatores*] Suprà 2. 2. Hieron. *ariolos, cæteri* ἐπαοιδοὺς *incantatores.* Vide notata ad illum locum. Schol. Ἐπαοιδοὺς ἐκάλεν τοὺς ἐξαιρέτως περὶ τὰς ἐπαοιδὰς καὶ ἐπικλήσεις τῶν δαιμόνων σχολάζοντας, Incantatores *vocabant eos qui potissimum incantationibus & invocationibus Dæmonum vacabant.* ¶ אָשְׁפַיָּא μάγοι *magi*] Schol. μάγους δὲ (sub. ἐκάλεν) τοὺς τοῦ πυρὸς μέχρι καὶ νῦν θεραπευτὰς παρ' αὐτοῖς, καὶ τοὺς ἁγνισμοὺς ἐπιτελῶντας, καὶ περὶ τὴν τῶν ἄστρων κατανόησιν, ὡς δοκῶσιν, ἐπιτηδείως ἔχοντας, Magos *autem eos* (sub. *vocabant*) *qui apud ipsos usque in hodiernum diem cultores ignis sunt, & purificationes perficiunt, & in siderum contemplatione scienter, ut videtur ipsis, versantur.* ¶ כַּשְׂדָּאֵי. χαλδαῖοι *Chaldai*] Idem Schol. Χαλδαίους δὲ, τοὺς ἐν τῇ Χαλδαϊκῇ χώρᾳ, ἀφ' ἧς Ἀβραὰμ ὥρμητο (μέρος γὰρ αὕτη τῆς Ἀσσυρίων) ἀστρονομίᾳ καὶ οἰωνοσκοπίᾳ προσέχοντας, Chaldæos *autem, qui in regione Chaldaica, ex qua Abraham profectus est (pars autem est hæc Assyriorum) siderum inspectioni & auspicio operam dant.* ¶ גָּזְרַיָּא. Γαζαρηνοὶ *Gazareni*] In eodem Scholio, Γαζαρηνοὺς δὲ, τοὺς τὰς θυσίας λειτεργοῦντας, θύτας γὰρ ἀντὶ Γαζαρηνῶν Θεοδοτίων ἐξέδωκεν, Gazarenos *autem eos qui sacrificia celebrant. Theodotio enim pro* Gazarenis *edidit* θύτας sacrificulos. Sic Interpres Romanus. Cæterùm θύτης etiam *aruspex:* unde θυτικὴ τέχνη, *aruspicina.* Pro Θεοδοτίων repone Σύμμαχος. Videtur esse memoriæ lapsus. Hieron. Dan. 2. 2. *Pro aruspicibus, quod nos vertimus, in Ebræo* גזרין *habetur, quod solus Symmachus* θυάς (lego θύτας) *interpretatus est, quos Græci solent* ἡπατοσκόπους *appellare, qui exsta inspiciunt ut ex his futura prædicant.* גזריא Γαζαρηνοὶ, ut נצריא Ναζαρηνοὶ, i. *Nazareni*, qui & *Nazaræi.* Lex. V. Θύτης, *immolator, popa.* Θυοσκόος, *aruspex.* In Thesauro Stephani, Θύτης, *Sacrificus; item Aruspex.* Origo nominis à θύω, *sacrifico, macto:* unde & θῦμα, *victima, hostia.*

5. עַד אָחֳרֵין עַל קָדָמַי דָּנִיֵּאל. Ἕως οὗ ἕτερος εἰσῆλθε ἐνώπιόν μου, Δανιήλ, *Donec alius ingressus est coram me, Daniel*] Hieronymus videtur habuisse ἑταῖρος, (nisi deceptus est corruptâ pronunciatione quæ hæc duo nomina confundit) nam sic utique scribit, *Exceptis Lxx Translatoribus, qui hæc omnia nescio quâ ratione præterierunt, tres reliqui* collegam *interpretati sunt. Unde judicio Magistrorum Ecclesia editio eorum in hoc volumine repudiata est, & Theodotionis vulgò legitur, qua & Ebræo & cæteris Translatoribus congruit.* Cæterùm אחרין non sig. *collegam*, i. ἑταῖρον, sed *alium*, i. ἕτερον: ut frustrà hic sit Hieronymus, vir alioqui doctissimus & linguarum callentissimus. Nec enim verisimile est reliquos tres Interpretes ità vertisse, aut, si sic verterunt, Ebræo convenit hæc eorum translatio. Memineris ergò Hieronymum hominem fuisse, nè plus ei tribuas quàm par est: cui etiam nihil derogatum cupio propterea. Nam ut humanum est errare, ità quoque humanum est erranti ignoscere. ¶ אֱלָהִין קַדִּישִׁין. Th. Θεοῦ ἁγίου *Dei sancti*] Vulgò πνεῦμα Θεοῦ ἅγιον quod ex Hieronymo legendum ἁγίου. Verba Hieronymi unde id eruo hæc sunt, *Pro eo quod hic dicitur* Deorum sanctorum, *linguâ Chaldaicâ, quâ scriptus est Daniel, legimus* אלהין קדישין, *quod* Deos sanctos, *& non* Deum sanctum, *significat, ut Th. interpretatus est.* Cum pace cùmque venia Hieronymi dictum hoc sit, אלהין tam sig. *Deum* quàm *Deos.* Est enim ex illis nominibus quæ terminatione plurali quandoque sensum habent singularem. Sanè Gen. 1. 1. ubi nos legimus, *In principio creavit Deus*, Ebraicè est אלהים, quod malè ibi redderetur *Dii.* Sic אדנים Mal. 1. *Dominus*, & בעליו Jes. 1. *domini sui.* Locus Malachiæ plenior, *Si Dominus ego.* Jesaiæ, *Novit bos præsepe domini sui, domini*, inquam, non *dominorum.*

6. לָא אָנֵס לָךְ. Οὐκ ἀδυνατεῖ σοι *non est impossibile tibi*] Alibi est σε: quod reddunt, *non facit te impotentem.* In utroque vis eadem atque in illo οὐκ ἔστι ἀδύνατόν σοι, *non est impossibile tibi.* Ἀδυνατέω, *non possum, impotens sum:* Δυνατέω, *potens sum*, δυνατός εἰμι.

7. חֶזְוֵי רֵאשִׁי. Καὶ αἱ ὁράσεις τῆς κεφαλῆς μου, *Et visiones capitis mei.*

8. רוּמֵהּ. καὶ τὸ κύτος αὐτοῦ, *& moles ejus*] Hier. *Quod autem ait juxta Theodotionem*, τὸ κύτος, *i.* altitudo, *ejus, sive* κυρεία, *ut postea ipse interpretatus est, i.* dominatio, *pro quo nos vertimus* aspectus ejus, *iidem contemptores historiæ calumniantur*, &c. ALTITUDO EJUS] *Fortasse*, inquit quidam, *legendum* LATITUDO EJUS. Dissentio. Nam κύτος omne *id quod cavum est.* Unde exponitur βάθος, i. *profunditas.* Origenes Hom. 2. in Gen. PROFUNDUM & ALTITUDO *idem significant, tantùm non quòd Altitudo spatium de inferioribus videtur ad superiora metiri. Profundum verò de superioribus incipere & ad inferiora descendere.* Sanè dicimus *profundus* & *altus somnus* eodem sensu. Sic Jes. 33. 19. עִמְקֵי שָׂפָה, quod propriè sonat *profundi labii*, Hieronymus vertit *alti sermonis.* Cæterùm pro κύτος reperio & κῦτος cum accentu circumflexo. Lex. V. Κῦτος τῆς νεώς, *alveum.* Talis accentus in ed. Rom. & in Comment. Hier. libris Antverpiæ cusis. Κυρεία, quæ & κυρία, Suidæ est ἡ ἐξουσία *potestas.* Cui otium est, quærat ubi Theodotio ita verterit. Nam infrà v. 21. in ed. Rom. habetur τὸ κύτος, ut hîc. MOLES EJUS] Vel *profunditas ejus.* Prior interpretatio exstat in ed. Rom. Posses legere *& altitudo ejus*, si non præcederet רומה, quod propriè sig. τὸ ὕψος αὐτοῦ. *Profundum* autem & *altitudinem* etiam Apostolus conjunxit; & est discrimen aliquod, ut ex Origene docuimus. ¶ לְסוֹף. εἰς τὸ πέρας *ad terminum:* cæteri, τὰ πέρατα *terminos*] Vel potiùs *fines.* Nam סף dicitur, & Chaldaicè סופא. Lex. V. Πέρας, *terminus, finis.*

10. עִיר. Th. Ἶρ A. Sym. ἐγρήγορος *vigil.* Lxx ἄγγελος *Angelus*] Hier. *Pro vigili Th. ipsum Chaldaicum verbum posuit I R, quod per tres literas, Ain, Joth & Res, scribitur: sig. autem* Angelos, *quòd semper vigilent & ad Dei imperium sint parati.* Schol. τὸ δὲ Ἶρ, οὐδὲν ἕτερον ἢ ἐγρηγοροὺς καὶ ἀγρύπνους ἑρμηνεύεται. Aliud Scholion, ἀντὶ τοῦ, Ἶρ, οἱ ό, ἄγγελοι, ἡρμήνευσαν· οἱ δὲ λοιποὶ, ἐγρήγορον. Ἶρ] vel ἴρ. Quod in mente habuit Hieronymus cùm ad hunc locum hæc annotaret, *Consuetudo autem Græci Latinique sermonis* Ἶριν *vocat, qua per multicolorem arcum ad terras descendere dicitur.* Ἶρ, ἴρ,

ut

ut ἐὼν, & ἦν, i. *Hin*, mensuræ genus apud Ebræos. Ἐγρήγορος] Usi sunt hoc nomine LXX Threnorum 4. unde à Lexicographis citatur. Quod autem in Scholio, ἐγρηγορὼς participium est, *vigilans*.

15. כָּל־קֳבֵל דִּי. Κατέναντι *è regione*] Id ex Ebræo hodie vertunt *eò quòd*.

16. אֶשְׁתּוֹמַם. Ἀπηνεώθη *obstupuit*] Polychronius, τουτέστιν, ἐξεπλάγη ἐπὶ τῷ παραδόξῳ τῶν δειχθέντων, καὶ σύννους ἐγένετο, *consternatus est super mira novitate rerum ostensarum, & cogitabundus fuit.* Ἀπηνεώθη] Sic ed. Rom. Græca. In Latina est ἀπηνεώθη. Sæpe ità αι cum ε permutatur vel culpâ librariorum, vel certe errore scribentium. Suprà vidimus ex Hieronymo ἑταῖρος pro ἕτερος. Item in Theodoreto ἄναιμος cum ἄνεμος, i. *sine sanguine*. Et in Psalmis confunduntur ἐλαίῳ & ἐλέῳ, quorum unum denotat *oleum*, alterum *misericordiam*. Porrò Suidas ἀπηνεώθη exponit ὠμὸς ἐγεγόνει, i. *immitis & crudelis factus est*. Sed tunc est à themate ἀπηνεόω, quod exponunt *reddo inhumanum* aut *immitem*, *crudelem*. Prius est a verbo ἀπηνεόομαι significante *obstupesco*. Qua de re consulendi Grammatici. ¶ עָנֵה מַלְכָּא וְאָמַר בֵּלְטְשַׁאצַּר חֶלְמָא וּפִשְׁרֵא אַל־יְבַהֲלָךְ. καὶ ἀπεκρίθη βασιλεὺς, καὶ εἶπε, Βαλτάσαρ, τὸ ἐνύπνιον καὶ ἡ σύγκρισις μὴ κατασπευσάτω σε, *Et respondit Rex, & dixit, Baltasar, somnium & interpretatio ne præcipitem te agat*] Vel, *ne perturbet te*. Nam Psal. 2. 5. יְבַהֲלֵמוֹ, ubi LXX ταράξει αὐτοὺς, & Hier. *conturbabit eos*, Aq. edidit κατασπουδάσει, Santes *terrebit*, alius *attonitos reddet*.

22. יְצַבְּעוּן. לָךְ. Τὸ σῶμά σου βαφήσεται, *corpus tuum tingetur*, aut *inficietur*] Suprà ἐν τῇ δρόσῳ τοῦ οὐρανοῦ κοιτασθήσεται. Alias, αὐλισθήσεται *commorabitur*.

GROTIUS.

1. QUietus eram in domo mea] Devictis gentibus.

Et florens in palatio meo] Magnificentissimo, cujus descriptionem ex Beroso habemus.

2. *Visiones capitis mei conturbaverunt me*] Tale illud:

Anna soror, quæ me suspensam insomnia terrent?

Et in Octavia:

Confusa tristi proxima noctis metu
Visuque, nutrix, mente turbatâ feror.

4. *Arioli, Magi, Chaldæi, & Aruspices*] Vide suprà II. 2. & 27.

5. *Donec collega ingressus est*] Ex Chaldaïco verti solet *donec tandem ingressus est*. At אָחֳרֵין non est dubium quin alium ejusdem ordinis, id est, *collegam* significaverit: nam ità verterunt Theodotion, Aquila, Symmachus, teste Hieronymo, quanquam nunc in Græco ea vox abest.

Secundùm nomen dei mei] Beli. Vide quæ dicta I. 7.

Qui habet spiritum Deorum sanctorum] Loquitur ut idololatra. Theodotion tamen vertit πνεῦμα Θεοῦ ἁγίου [*spiritum Dei sancti*], pro quo ἅγιον [*sanctus*] nunc malè scribitur.

6. *Et omne sacramentum*] Id est, *arcanum*, ut suprà II. 18.

Non est impossibile tibi] *Non latet sibi*.

Visiones somniorum meorum, quas vidi, & solutionem earum narra] *Et*, positum pro *id est*: nam somnii meminerat, sed quò id tenderet non intelligebat.

7. *Ecce arbor in medio terræ*] *Arbor* secundùm Indos, Persas, & Ægyptios virum excellentem significat, Achmetes capite CC. Sic apud Ezechielem XXXI, *arbor* est Rex Assyrius, sub cujus similitudine ibi intelligitur & Rex Ægyptius.

8. *Proceritas ejus contingens cælum*] — Οὐρανομήκης [— *proxima cælo*], quomodo & Græci de celsis arboribus loquuntur.

Aspectus illius erat usque ad terminos universæ terræ] Herodotus Polymniâ simile quid habet, Μετὰ ταῦτα τρίτη ὄψις ἐν τῷ ὕπνῳ ἐγένετο, τὴν οἱ μάγοι ἔκριναν ἀκούσαντες φέρειν τε ἐπὶ πᾶσαν γῆν, δουλεύειν τέ οἱ πάντας ἀνθρώπους· ἡ δὲ ὄψις ἦν ἥδε. Ἐδόκεε ὁ Ξέρξης ἐστεφανῶσθαι ἐλαίης θαλλῷ. ἀπὸ δὲ τῆς ἐλαίης τοὺς κλάδους γῆν πᾶσαν ἐπισχεῖν [*Tertium deinde visum ei secundùm quietem obtigit, quo Magi intellecto dixere id ad omnem terram pertinere, ità ut omnes homines ipsi servituri essent. Erat autem visum tale: Videbatur Xerxes coronari fronde laurûs; ejus autem laurûs ramos per omnem terram porrigi*].

9. *Esca universorum in ea*] Id est, *pro universis*.

Subter eam habitabant animalia] Vide suprà II. 38.

Volucres cæli] Vide ibidem.

10. *Et ecce vigil & sanctus de cælo descendit*] Etiam hîc *&* positum pro *id est*. Vox Chaldæa עִיר [*Ir*], ut scribit Theodotion; LXX ἄγγελον [*Angelum*] vertunt: cæteri sensu eodem, sed propiùs ad vocem ἐγρήγορον [*vigilem*]. Quæ vox eodem significatu est in libro Enochi nomen præferente, cujus partem Scaliger notis ad Eusebium inseruit: est autem ejus libri mentio & in Hebræo libro Zoar, & in Pædagogo secundo Clementis. Hieronymus hinc nomen habere putat *Irin* deorum nuntiam.

11. *Succidite arborem*] *Arboris excisio* exsilium significat, Achmetes capite CLI.

12. *Germen radicum ejus in terra sinite*] Regnum ipsi maneat.

Alligetur vinculo ferreo & æneo] Sit regnum firmum & inconcussum, ut quæ ære & ferro tenentur.

In herbis quæ foris sunt] *Herbis agrestibus*, supple *pascatur*. Hîc miscetur res significata cum signo, ut sæpe. Vide infrà 22.

13. *Cor ejus ab humano immutetur*] Brutescat.

Et septem tempora mutentur super eum] *Transeant*. *Tempora*, id est, anni, ut semper in hac Prophetia. Est loquendi genus Chaldaïcum.

14. *In sententia vigilum decretum est*] Id est, majores Angeli hoc consciverunt. Fingitur enim Deus tanquam Rex agere ex Senatûs consilio. Confer quod infrà 21.

Et sermo sanctorum, & petitio] In Chaldæo, *& in sermone sanctorum petitio*: id est, minores Angeli jampridem id postulant ut rem æquissimam. Sequitur in Chaldæo עַד דִּבְרַת, *donec adducatur*, id est, donec res ipsa eveniat.

Donec cognoscant viventes quoniam dominatur Excelsus in regno hominum] *Ut cognoscant*. Vide infrà 22.

Et cuicunque voluerit dabit illud] Esseni: οὐ δίχα Θεοῦ περιγίνεται τὸ ἄρχειν [*non sine Deo Imperia hominibus obtingunt*]. Homerus,

——— Τιμὴ δ' ἐκ Διός ἐστι.
[——— *Ab Jove summus honos.*]

Potestates fato dari est in Sexto Aurelio. Adde Augustinum libro V de Civit. Dei, cap. 2.

Et humillimum hominum constituet super eum] Ut in Judæa Davidem. Vide I Samuel. II. 8.

15. *Narra festinus*] In Chaldæo non est *festinus*: nam totum illud כָּל קֳבֵל דִּי nihil aliud est quàm *quia*.

16. *Tacitus cogitare*] Obstupescere, præ rerum quas videbat magnitudine ac diritate. In Græco, ἀπηνεώθη, id est, ἐξεπλάγη [*exterritus fuit*], ait Polychronius.

Quasi unâ horâ] In Chaldæo, כְּשָׁעָה חֲדָה, id est, *modico tempore*: nam שָׁעָה Chaldæis qualemcunque partem temporis significat.

Somnium & interpretatio ejus non conturbent te] Id est, Qualecunque sit quod intelligis id liberè eloquere.

Somnium his qui te oderunt, & interpretatio ejus hostibus tuis sit] *Hostibus eveniat quod portendit somnium*. Frequens aversantibus loquendi genus, *Hostibus eveniat*. Tale & illud Horatii:

Hostium uxores puerique cæcos
Sentiant motus orientis hædi.

In Octavia:

Ut expientur noctis & somni minæ;
Terrorque in hostes redeat attonitus meos.

19. *Tu es Rex*] Tu is es quem arbor ista significat.

Magnitudo tua crevit & pervênit usque ad cælum] Ad summa montium juga.

Et potestas tua in terminos universæ terræ] Ad mare Caspium, ad pontum Euxinum, ad Oceanum Atlanticum.

21. *Quæ pervênit super dominum meum Regem*] Tristitiam rerum lenitate verborum quantum potest temperat.

22. *Ejicient te ab hominibus*] Id est, *ejicieris*. Sic mox ubi Latinus *infundêris*, in Chaldæo est *tingent*, in Græcis quibusdam βαφήσεται [*tingetur*]. Hoc est illud ipsum quod de Nabuchodonosoro dixit Megasthenes, παραχρῆμα ἠφάνιστο [*subitò inconspicuus factus est*].

Cum bestiis ferisque erit habitatio tua] Etiam aliis ex atra bile id contigit ut cum feris vellent vivere.

Fœnum ut bos comedes] *Herbam*: id enim עִשְׂבָּא.

Et rore cæli infundêris] Nudus sine lare ac tecto.

23. *Regnum tuum tibi manebit*] Non eligetur Rex alius te vivente, & regiam potestatem recuperabis.

24. *Peccata tua eleemosynis redime*] פְּרֻק Chaldæum respondet Hebræo פְּדֵה, quod hîc in interpretatione posuit Jacchiades. Apparet id II Samuel. IV. 9. Esaiæ XXXV. 9. Num. III. 49. XVIII. 15. & alibi sæpe. Quare optimè vertit Theodotion λύτρωσαι [*redime*]. Neque offendere quenquam debet quòd operibus pœnitentiæ, in quibus excellunt ἐλεημοσύναι [*eleemosynæ, id est misericordiæ opera*], tribuatur id quod pœnitentiæ

propriè

propriè convenit: est enim talis μετωνυμία [*transnominatio*] aut συνεκδοχὴ [*comprehensio*] perfrequens, de qua diximus ad Lucæ XI. 41. Chrysostomus secundâ ad Theodorum pro λύτρωσαι [*redime*] citat καθαρσοῖ [*purga*], sensu eodem. Objicit hic Hieronymus: *Si prædixit sententiam Dei, quomodo hortatur ad eleemosynas & misericordias pauperum, ut Dei sententia commutetur?* Reponit autem exemplum Ezechiæ & Ninivitarum, & dictum illud Jeremiæ XVIII. additque, *Neque enim Deus hominibus, sed vitiis irascitur, quæ cùm in homine non fuerint, nequaquam punit quod mutatum est.*

Forsitan ignoscet Deus delictis tuis] הן [*ecce*] pro אם [*si, utrum*] in Hebræo ponitur, & rectè hîc vertitur per *forsitan.* Theodotion, ἴσως ἔσαι μακρόθυμος [*fortè erit patiens*]. & sic citat Chrysostomus. Non erat certus Daniel de venia, sed nec desperabat omnino; quomodo & Petrus se gessit in negotio Simonis Magi, Actorum VIII. 22.

26. *Post finem mensium duodecim*] Censent Hebræi, quos sequitur Hieronymus, Nabuchodonosorem, secutum consilium Danielis, per opera misericordiæ id consecutum ut pœna per duodecim menses suspenderetur; verùm tunc iterum insolescente ipsius animo, nihil ultrà moræ ipsi datum, sed præstò fuisse pœnam.

In aula Babylonis deambulabat] Abydenus: ἀναβὰς ἐπὶ τὰ βασιλήϊα [*cùm in regiam ascendisset*].

27. *Respondítque Rex, & ait*] *Locutus est, & dixit.* πλεονασμὸς [*abundantia sermonis*], qualis suprà aliquoties. Nam ענה non de *responsione* utique, sed de quavis *locutione* dicitur.

Nonne hæc est Babylon magna quam ego ædificavi?] Veteri addidi urbem novam; singulis terna circumjeci mœnia, portas magnificas. Vide Berosi locum.

In robore fortitudinis meæ] *Vi opum mearum.* Id enim חסן.

Et in gloria decoris mei] Ad gloriam nominis mei.

28. *Cùmque sermo adhuc esset in ore Regis*] Παραχρῆμα [*illicò*], ait Abydenus.

Vox de cælo ruit] Κατασχέθη θεῷ ὅτεῳ δή [*à deorum aliquo occupatus fuit*], Abydenus.

Regnum tuum transibit à te] *Abibit abs te. Regnum*, id est, regni functio.

30. *Eâdem horâ*] Id est, illo ipso tempore.

Capilli ejus in similitudinem aquilarum crescerent, & ungues ejus quasi avium] Sensus est, Plurimùm excrevisse ei capillos, barbam & ungues; quia nemo aderat qui resecaret, nec ipse de iis resecandis cogitabat, amans ob atram bilem ferarum similitudinem.

31. *Oculos meos ad cælum levavi*] Deum cœli precatus sum. Vide de hac locutione Ezech. XVIII. 6. Adde quæ ad Lucæ XVI. 23.

Et sensus meus redditus est mihi] Plenus mentis usus.

Et Altissimo benedixi] Illi summo Deo cœli terræque opifici, quem Hebræi colunt, supplex egi gratias.

Quia potestas ejus, potestas sempiterna] Non temporaria ac mutabilis, ut Regum.

Regnum ejus in generationem & generationem] Idem sensus qui præcessit, verbis aliis.

32. *Et omnes habitatores terræ apud eum*] Si ipsi comparentur.

In nihilum reputati sunt] *Pro nihilo habendi sunt.* Nam & participia talia per præteritum, quod & præsentis vim habet, exprimunt Hebræi & Chaldæi.

Juxta voluntatem enim suam facit] Id est, Quidquid efficere vult id efficit, Psal. CXV. 3.

Tam in virtutibus cæli] Per illos vigiles, ἐγρηγόρους: nam ב hîc, ut sæpe, est *per*.

Quàm in habitatoribus terræ] Per homines etiam domesticos.

Et non est qui resistat manui ejus] Potentiæ ejus immensæ.

Et dicat ei, Quare fecisti?] Qui jus habeat ipsum ad rationes vocandi, Romanor. IX. 20.

33. *In ipso tempore sensus meus reversus est ad me*] Sensus ille *communis* qui dicitur, mentis usus. In Chaldæo, מנדע, id est, *vis cognitrix*: αἱ φρένες μου [*prudentia mea*], Theodotioni.

Et ad honorem regni mei decorémque perveni] Id est, ad functionem regni. Bene הדרי Hieronymus accepit pro הדרית, aut הדרת, Chaldaïco verbo primæ personæ per apocopen usitatam. Theodotion non minùs benè, ἐπὶ τὴν βασιλείαν μου ἐκραταιώθην [*in regnum meum stabilitus sum*].

Et figura mea reversa est ad me] Ità & in Græcis, ἡ μορφή μου ἐπέστρεψεν ἐπ' ἐμέ [*forma mea mihi rediit*], nec aliter sumitur זיו [*forma* infrà v. 10. Jacchiades exponit זיו אנפי [*lux faciei*]. Solent enim quibus atrâ bile mens est percita etiam oculis & vultu toto præferre morbum. Pacuvius:

Sed quid oculis rabere visa est derepente ardentibus?

Plautus, Captivis:

Viden' tu illi maculari corpus totum maculis luridis?
Ità bilis agitat hominem.

Et Optimates mei] הדברי [*Ductores mei*], est nomen commune *Magistratibus*, ut diximus suprà III. 27.

Et Magistratus mei] In Chaldaïco רברבני [*magni magnorum*]: Theodotioni μεγιςᾶνες [*Megistanes*], ut hîc, ità V. 1. 2. 9. 23. VI. 17. Fuere hi Ordinum delegati, quos in talibus rebus adhibere mos est.

Requisierunt me] Pertæsi πολυκοιρανίας [*multitudinis Dominorum*], & indè sequentis ἀναρχίας [*dissolutionis Imperii*].

Et in regno meo restitutus sum] Simile quid evênit in Francia Ludovico Pio.

Et magnificentia amplior addita est mihi] Μεγαλωσύνη [*majestas*]. Major fuit mea quàm antè apud meos auctoritas ex hoc tanto Dei in me beneficio.

34. *Regem cæli*] Illum quem alibi dixit *Deum deorum & Deum summum.*

Quia omnia ejus opera vera] Id est, *recta*: ità enim sæpe קשט [*verum*] sumitur apud Chaldæos, & אמת apud Hebræos.

Et viæ ejus judicia] Omnes actiones ejus justissimæ.

Et gradientes in superbia] Qualis ob fortunam diu blandientem fuerat Nabuchodonosor. Vide ejus χαρακτηρισμὸν [*notationem*] suprà II. 5. 12. & III. 6. 19. IV. 7.

Potest humiliare] *Deprimere*: Ostendit id scilicet admirando specimine.

Ῥεῖα δ' ἀρίζηλον μινύθει.
[*Perfacile elatum minuit.*]

Chæremon:

Ὅλως τὸ κρεῖσσον οὐκ ἐᾷ μέγα φρονεῖν
[*Vis major esse nos superbos non finit.*]

Sophocles Ajace:

Τὰ γὰρ περισσὰ κἀνόνητα σώματα
Πίπτειν βαρείαις πρὸς θεῶν δυσπραξίαις
Ἔφασχ' ὁ μάντις, ὅστις ἀνθρώπου φύσιν
Βλαστὼν, ἔπειτα μὴ κατ' ἄνθρωπον φρονεῖ.
[*Immensa molis otiosa corpora*
Cælestis ira facilè prosterni ictibus
Vates canebat, siquis humano satu
Creatus animos homine majores gerat.]

CAP. V.

MUNSTERUS.

1. **B***Elsazar Rex*] Hic fuit nepos Nebuchadnæzar Regis magni, ex parte Evilmerodach natus. Regnavit autem Nebuchadnæzar annis 45, Evilmerodach annis 23, & Belsazar annis tribus, & tot annis vixit Daniel inter profanos illos idololatras. Porrò Belsazar instituit convivium, & dat operam oblectationibus, vacat luxui ac crapulæ, etiam interim quò à Cyro obsidebatur, profanat vasa sacra, irridet Deum Jehudæorum, laudat deos suos, prolabitúrque à peccato in peccatum, non timet oppugnantem hostem, sed fidit muris urbis, quos putabat toti orbi inexpugnabiles. Scribit enim Strabo ambitum muri habuisse 385 stadia, & crassitudinem 32 pedum, & altitudinem 50. Sed Deus vidit superbum cor Regis, quod Deum atque omnia contemnebat, & noluit ampliùs inultam relinquere tantam superbiam, sed sententiam scripsit in pariete. Non misit Prophetam, ad cujus vocem resipisceret, sed judicium scribit indelebile, quod Rex solus vidit, & fortè nemo alius in convivio. Et qui priùs Deum blasphemabat & neminem verebatur, jam ad solam scripturam horrescit & totus tremit corpore, angustiæ apprehenderunt eum quasi puerperam, *solvuntur junctura lumborum ejus*, vacillant crura, & totus concutitur. Si ad manum illam tantum horruit, quantus, putas, terror invasit eum ubi Judici irato & inexorabili præsentatus est, excepturus sententiam perpetuæ damnationis?

26. *Numeravit*] Sensus est, *Numeravit Deus* dies *Regni tui*, & adest jam finis ejus. *Impleti sunt dies*, & advenit tempus judicii. *Appensa sunt* opera tua bona & mala veluti *in statera*, & *deprehensus es* malè collocasse dies vitæ tuæ; *inventus es indignus* cui ultrà parcatur & qui diutiùs præsis *Regno.*

29. *Induerunt Danielem*] Rex quamvis acerbè &, ut dignus erat, duris à Propheta redargutus esset verbis omniáque contra

contra se esse audiret, servavit tamen promissionem, & Danielem tertio constituit loco. Erant enim quæcunque Reges olim promittebant sanctissima, & non patiebantur leges & constitutiones suas violari.

30. *Interfectus est*] Sed à quo interfectus est? Respondit R. Saadias quòd *custos quidam interfecit eum. Is enim cùm audisset Prophetiam Danielis, dixit in corde suo, Verba hujus viri Danielis absque dubio sunt vera: & abiens amputavit caput ejus, egressusque urbem obtulit illud Cyro & Dario*: quos Hebraissimus vocat *Coresch* & *Dariaves*.

31. *Dariaves*] Fuit iste Dariaves filius Astyagis, avunculus Cyri Persæ. Natus enim est ex sorore ejus Cyrus, seu Cores, ut Hebræi legunt. Et ut iidem sentiunt, Dariaves non integro regnavit anno, sed eodem anno quo regnare cœpit successit illi Cores.

VATABLUS.

1. **F***Ecit* עבד] *Apparavit*. ¶ *Bibebat* שתה] q. d. Aderat convivio, & invitabat illos Principes ad bibendum.

2. *Is* autem *præcepit* בלשאצר אמר] Ad verb. *Belsazar dixit*. ¶ *In gustu* בטעם] i. Cùm gustasset vinum, h. e. Cùm incaluisset mero: postquam exhilaratum est cor ejus vino, ut vertunt Hebræi. ¶ *Asportaverat* הנפק] *Extulerat*. ¶ *Pater ejus* אבוהי] i. Avus ejus.

3. *Tunc* באדין] i. Mox.

5. *Egressi sunt* נפקו] i. Visi sunt quasi egredi è muro, & apparuerunt. ¶ *In superficie* על גירא] *In calce*, i. in tectorio: h. e. in opere albario parietis palatii Regii, ubi hoc convivium celebrabatur. Rex autem videbat particulam manûs scribentis.

6. *Tunc Regis*, &c. אדין מלכא וגו'] Ad verb. *Tunc Rex splendores ejus mutati sunt*, i. gratiæ vultûs Regis mutatæ sunt: h. e. vultus Regis immutatus fuit. Vide v. 9. ¶ *Soluta sunt* משתרין] *Dissolvebantur*, i. vires ejus fuerunt dissolutæ.

7. *Fortiter* בחיל] Ad verb. *cum virtute*, i. fortiter, & altâ voce. ¶ *Genethliacos* לאשפיא] Vide cap. 2. 2. ¶ *Purpurâ vestietur* ארגונא ילבש] i. Donabitur à me veste purpureâ.

9. *Et vultus ejus* וזיוהי] Ad verb. *Et splendores ejus mutaverunt sese*, i. gratiæ & charites vultûs ejus commutatæ sunt: q. d. Præ metu & conturbatione vultus ejus fuit immutatus, dignitate illâ ac majestate oris omissâ. Vide v. 6.

10. *Propter verba Regis* לקבל מלי מלכא] i. Propter ea quæ acciderant Regi. Hæc *regina* uxor fuit Nabuchodonosor, & avia hujus Balsasar. ¶ *Locutáque*, &c. ענת מלכתא ואמרת] Ad verb. *Locuta est Regina, & dixit*.

11. *Illuminatio* נהירו] i. Lumen cognitionis, h. e. ingenium, solertia & scientia. ¶ *Sicut sapientia Deo* כחכמת אלהין] i. Similis sapientiæ deorum. ¶ *Genethliacorum* חרטמין] Vide c. 2. 2.

12. *Amplior* יתירא] *Magna: excellens*. ¶ *Et solutio ligatorum* ומשרא קטרין] *Et solvebat vincula*: q. d. nodos: ænigmata atque problemata intelligit.

13. *Quem* די] *Quam*, nempe *captivitatem*.

14. *Et audivi* ושמעת] *Audivi equidem*. ¶ *Et illuminatio* ונהירו] Ut v. 11. ¶ *Amplior* יתירה] Ut v. 12.

15. *Sermonis* מלתא] *Rei*.

16. *Interpretationes* פשרין] i. Obscura quæque. ¶ *Et ligata* וקטרין] Ut v. 11.

17. *Tibi sint* לך להוין] q. d. Munera tua serva tibi: nolo ea accipere abs te: nam gratis interpretari volo.

19. *Percutiebat* מחא הוה] Quidam dicunt הוה מחא idem significare quod הוה מחיה, i. *servabat vivos*. Verti possunt hæc per singulare.

20. *Induratus est* תקפת] Ad verb. *fortificavit sese*. ¶ *Abstulerunt* העדיו] *Transtulerunt*, sub. *Angeli volente Deo*.

21. *Et cor ejus*, &c. ולבבה וגו'] *Et cor ejus cum bestiis posuit*, sub. *Deus*: i. Fecit Deus ut ille cuperet versari cum bestiis: h. e. privatus est mente & intellectu, & fecit eum similem jumentis. ¶ *Herbâ tanquam bovem cibavit eum* עשבא כתורין יטעמונה] Ad verb. *herbam more boum fecerunt illum gustare*, i. porrexerunt illi herbam tanquam bovi.

22. *Filius ejus* ברה] i. Nepos. ¶ *Cùm totum hoc*, &c. כל קבל וגו'] *Quamvis hæc omnia noveris*.

24. *Palma manus* פסא די ידא] *Particula manûs*, i. manus abscissa & separata à reliquo corpore. ¶ *Et scriptura*, &c. וכתבא וגו'] *Et scripturam hanc exaravit*, vel *scripsit*.

25. *Quæ exarata est* די רשים] *Quam exaravit*. ¶ MENE, &c. מנא מנא וגו'] i. *Numeravit, numeravit, appendit*, [vel *ponderavit*] & *dividentes* sunt, i. scindunt. Allusio est ad *Persas* qui dicuntur פרסין: nam hæc dictio est æquivoca. Geminatio autem ista מנא מנא facta est ad majorem exaggerationem: vel, ut alii volunt, priùs significat finem Regni, secundùm mortem Regis & finem vitæ ejus.

26. *Regnum*, &c. מלכותך והשלמה] i. Annos Regni tui, & deprehendit illos esse completos.

27. *Deficiens* חסיר] *Imminutus*, i. levior justo: q. d. indignus Regno.

28. *Divisum est* פריסת] *Scissum est. Fractum est*.

29. *Jubente*, &c. אמר בלשאצר והלבשו] Ad verb. *dixit Belsasar, & induerunt*. ¶ *De eo* עלוהי] *Ante eum*, i. *præconis voce pronunciaverunt ante eum*: vel, *proclamaverunt quòd futurus esset dominus tertius à Rege in Regno*.

CASTALIO.

6. **M***Utavit colorem*] Expalluit.

CLARIUS.

1. **B***Althasar Rex*] Implentur LXX anni quibus regnare datum fuit Nabuchodonosori & posteritati ejus, & urget devastatio Imperii ejus, juxta vaticinia Esai. 21. Abac. 2. Jer. 51. Vide autem quales Principes regnent, sub quibus Regna exscindantur, nempe ebrii, mancipia ventris, mulierosi, &c. LXX autem illi anni durationis Regni Babyloniorum sic supputantur. Nabuchodonosor regnavit annis XLV, Evilmerodach annis XXIII, Balthasar tribus: unde & Daniel tot annis vixit inter profanos idololatras. Josephus & Eusebius, ethnicos secuti, usque in quintam generationem prosapiam Nabuchodonosor deducunt ¶ *Unusquisque secundum suam bibebat ætatem*] Alius vertit, *Et in præsentia mille bibit vinum*.

4. *Bibebant vinum*] Obsidebatur à Cyro, & convivium instruit. Fidit muris urbis, quos putabat toti orbi inexpugnabiles. Scribit enim Strabo ambitum muri habuisse 385 stadia, & crassitudinem 32 pedum, & altitudinem 50. Hujus autem convivii etiam Herodotus meminit, & Xenophon.

9. *Et vultus illius immutatus est*] Si ad manum illam tantum inhorruit, quantus, putas, terror invasit eum ubi ante Judicem iratum & inexorabilem stetit, excepturus sententiam perpetuæ damnationis?

10. *Regina autem*] Dicitur hæc fuisse uxor Nabuchodonosor, prudentior aliis, non temulenta: sed ubi audivit ità omnes consternatos, accurrit Divino instinctu.

11. *Nabuchodonosor pater tuus*] Quòd *Balthasaris patrem* Scriptura Nabuchodonosor vocat, non facit errorem scientibus S. Scripturæ consuetudinem, quâ *patres* omnes proavi & majores vocantur.

26. *Numeravit*] Sensus est, *Numeravit Deus dies Regni tui, & adest jam finis ejus. Impleti sunt dies, & advenit tempus judicii. Appensa sunt opera tua bona & mala, veluti in statera, & deprehensus es malè collocasse dies vitæ tuæ. Inventus es indignus cui ultrà parcatur & qui diutiùs præsis Regno*.

28. *Datum est Medis & Persis*] Persæ licèt fuerint auxiliatores Medorum, suâ tamen virtute Regnum obtinuere. Darius enim, ut est apud Xenophontem, obsidioni Babylonis non interfuit. Ablatum est ergò Regnum à Blasphemo Balthasare, & datum Cyro, qui populum liberum dimissurus erat in Judæam ad exstruendum Templum Deo.

31. *Et Darius Medus*] Darius iste *Medus* cognominatur, à Xenophonte *Cyaxares* filius Astyagis, avunculus Cyri Persæ. Errant ergò qui in Astyage Regnum Medorum per Cyrum tradunt esse deletum, cùm filius ejus Darius, aliàs *Cyaxares* dictus, illi successerit, & prole masculâ carens filiam Cyro in uxorem dederit, Regno Medorum in dotem dato. Is igitur Darius à Rege Assyriorum & Chaldæorum post mortem patris in bellum lacessitus, Cyrum ex sorore nepotem ut suppetias ferret vocavit: Qui & expeditissimo cum exercitu ei succurrit, & factus Imperator exercitûs Chaldæorum Regna occupavit. Fertur autem quòd Darius iste non toto anno regnarit, eodémque anno successerit Cyrus: quod est verisimile. Nisi enim Cyrus primo illo anno regnasset captâ Babylone, manumissio Judæorum aliquot annis post LXX annos impleta fuisset.

DRUSIUS.

1. וְלָקֳבֵל אַלְפָּא חַמְרָא שָׁתֵה. Cæteri, & *coram mille vinum bibebat*] Hier. *Unusquisque autem Principum vocatorum juxta suam bibebat ætatem: sive, ut cæteri transtulerunt, bibebat ipse Rex vinum coram cunctis Principibus quos vocaverat*. In ed. Theodotionis, ϰ̀ κατέναντι τ̃ χιλίων ὁ οἶνος. Scholion,

lion, τυτέςιν, ἱκάςῳ τῶ χιλίων ὢν κρατὴρ ὃ οἶνε ἦ οἰνοχόος ἴδιος. τῦτο γὸ ἔθος τοῖς Πέρσαις νενόμισαι.

7. תַּלְתִּי. *tertius*] *Vel* tertius post me, *vel* unus è tribus Principibus, *quos alibi* τρισάτας *legimus*, ait Hier. in Comment. ad hunc locum. De hac voce vide quæ scripsimus in Fragmentis ad Ezechielem. Ebraicè שליש τρισάτης· שליש autem *tertius*; unde תליתי, Sin utrobique in Thau versâ: quod in Chaldaica lingua crebrum. Vide Grammaticam nostram.

11. רוח אלהין קדישין. Sym. πνεῦμα Θεῶν ἁγίων, *spiritum Deorum sanctorum.* Cæteri, πνεῦμα Θεῦ ἁγίε, *spiritum Dei sancti*] Hier. *Præter Symmachum, qui Chaldaicam veritatem secutus, cæteri* spiritum Dei *interpretati sunt.* De hac re diximus antea. Nam non adversatur Chaldaicæ veritati *spiritus Dei sancti:* nomen enim אלהין sub terminatione plurali communis numeri est: quod ex ipso Hieronymo facilè probare possem, si opus esset. Res manifesta non eget probationis. Dico *manifesta*, quod nomen אלהים attinet: Id nomen Ebraicum est. De Chaldaico אלהין nescio an idem dici posset: nam illius linguæ alia ratio est. Relinquamus hoc in medio dum certiora nos docuerit dies.

12. אַחִידָן. Th. κρατήματα] Παρὰ τὸ אחז κρατέω, quod factum ex Ebræo אחז, Zain, ut fit, in Daleth mutatâ. In ed. Compl. κεκρυμμένα, *latentia*, *abscondita.* Id fortè sumptum ex alia editione. Hier. *secreta.* Recentior interpretatio *ænigmata.* Nam Ebraicè חידה αἴνιγμα, & חידות αἰνίγματα.

GROTIUS.

1. BAltasar Rex] בלשאצר, id est, *Belus est cujus opes.* Id est, in Beli potestate sunt opes & Imperia. Græci ש in τ mutant, ut & ipsi Chaldæi sæpe: itaque scribunt Βαλτάσαρ. Talia nomina assumebant ad Imperium evecti, cùm in minore fortuna aliis appellarentur. Hic autem *Baltasar*, qui in ipsa urbe Babylone à conjuratis interfectus est, non potest alius esse quàm *Laborosoarchodus*, ut scribit Berosus, sive *Laborossoarascus*, ut scribit Abydenus, qui ambo eum vi interfectum memorant. Breve oportet regnum habuerit, quia omittit ejus nomen Ptolemæus. Daniel Evilmeraduchi & Neriglassaris tempora transilit, quòd per ea nihil contigisset ad Judæos in pietate confirmandos pertinens. Fuit autem Laborosoarchodus Nabuchodonosoris nepos, sed ex filia, ut ex Beroso & Abydeno discimus. Vide Jeremiam XXVII. 6. 7. & ibi dicta.

Fecit grande convivium] Solebant id interdum facere Reges Orientis, ut apparet ex Herodoto libro I. & Xenophonte libro VII.

Optimatibus suis mille] Qui eâdem quidem in aula, sed seorsum à Rege discumbebant. Statius de Domitiani epulo:

Hic cùm Romuleos proceres, trabeatàque Cæsar
Agmina mille simul jussit discumbere mensis.

Vide carmen totum, ut hujus rei imaginem capias.

1. 2. *Et unusquisque secundùm suam bibebat ætatem. Præcepit ergò jam temulentus*] Longè hæc abeunt à Chaldaïco. Theodotion verba sensúmque bene sequitur: ἢ κατέναντι τῶ χιλίων ὁ οἶνος· ἢ πίνων Βαλτάσαρ εἶπεν ἐν τῇ γεύσει τοῦ οἴνε [& *vinum coram illis mille. Et bibens Baltasar dixit cùm vinum gustasset*]. Sensus est, Cuique mille convivarum antepositum fuisse poculum & hominem qui petenti vinum infunderet: ità poscente more regionis. Deinde inter potandum Regi magis magísque allubuisse vinum.

2. *Ut adferrentur vasa aurea & argentea*] In usus profanos, cùm antehac in Beli templo aliquam adhuc sanctimoniam retinuissent, ut notat Hieronymus. Quod tunc piaculum fuit, sacra profanare, nunc & Principum & profanorum lusus est. Et adhuc quærimus cur bellis tam atrocibus vastitas passim fiat.

Quæ asportaverat Nabuchodonosor pater ejus] Id est, avus, ut hic rectè notat Jacchiades. Sæpe ità loquuntur Chaldæi & Hebræi, quomodo & nepotes & pronepotes *filios* vocant.

4. *Et laudabant deos suos aureos & argenteos, æreos, ferreos, ligneósque & lapideos*] Ità vocantur dii illi, quia ipsi revera non exsistebant, sed tantùm eorum imagines. Tamen his diis gratias laudésque canebat Rex & Proceres, de Deo vero quasi triumphantes.

5. *In eadem hora*] Id est, in eo ipso tempore.

Apparuerunt digiti quasi manûs hominis] *Movente eos digitos Angelo Gabriele:* ità Rabbinus Solomo.

Scribentis contra candelabrum] *E regione lychnuchi*, pensilis scilicet, qui proximè Regem erat; quò rectiùs scriptio conspiceretur.

In superficie parietis] In Chaldæo, *in calce:* id est, in tectorio, ἐπὶ τὸ κονίαμα, ut Theodotion.

Et Rex aspiciebat articulos manûs scribentis] In Chaldæo, *palmam.* Vide 1 Regum XVIII. 44. intellige autem partem palmæ aversam.

6. *Tunc facies Regis commutata est*] *Vultus*, ut suprà IV. 33.

Et compages renum ejus solvebantur] Id est, urina defluebat.

Et genua ejus ad se invicem collidebantur] Præ tremore.

7. *Ut introducerent Magos*] Sophos.

Et auspices] Potiùs, *decretorum scriptores.* Vide suprà II. 27.

Quicunque legerit scripturam hanc] Credunt Hebræi, quamvis verba sint Chaldaïca, scripturam fuisse Hebræam veterem, id est, Cananæam, Phœniciam, Samaritanam.

Purpurâ vestietur] Quâ utebantur soli Reges, & pauci quibus id Rex pro singulari honore concesserat.

Et torquem auream habebit in collo] Magnus & hic honor. Vide Geneseos XLI. 42. *Qui somniavit torquem se gerere, maximam dignitatem consequetur*, ait Achmetes. Dicitur hic *torques* in Chaldæo המניכא, quod μανιάκην scribunt Polybius & Plutarchus.

Et tertius in regno meo erit] Tertiam dignitatem obtinebit, ut infrà 16. 29. Primus locus Regis, alter filii Regis, tertius primi Satraparum.

10. *Regina autem*] *Avia Regis*, ut rectè Josephus; Nitocris scilicet, prudens femina. Vide nostra ad tertium Annotatorum de Veritate Religionis Christianæ.

Domum convivii ingressa est] Neque enim convivio interfuerat ob viduitatem.

11. *Qui spiritum Deorum sanctorum habet in se*] Usurpat ipsa verba, quæ ex marito quondam suo Nabuchodonosoro intellexerat, IV. 5.

In diebus patris tui] Avi, ut suprà.

Et in diebus patris tui scientia & sapientia inventa sunt in eo] In Chaldæo, *Lux & intelligentia & sapientia par deorum sapientiæ inventa est in eo. Lux*, spiritus lucidus, ἀγχίνοια [*perspicacia*]. *Intelligentia*, rerum naturalium; *sapientia*, ad res agendas.

14. *Ampliores*] Quàm in ullo sapientum Orientis, Ezech. XXVIII. 3.

16. *Et ligata dissolvere*] *Nodos*, in Chaldæo. Sic Oedipus apud Senecam:

Nodosa sortis verba, & implexos dolos
Ac triste carmen alitis solvi feræ.

17. *Munera tua sint tibi, & dona domûs tuæ alteri da*] Quæ hîc *dona* vertit, propriè sunt *honoraria*, *erogationes annuæ*, ut dictum suprà II. 6. Sapientis & hoc est, nosse quando acceptanda sint quæ dantur, quando non. Vide Genes. XIV. 23. II Reg. V. 16. 26. Non erat cur Daniel tam tristis nuntii præmium acciperet.

18. *Regnum*] Imperium latissimè patens.

Magnificentiam] Majestatem apud subditos.

Gloriam] Ex victoriis.

Honorem] Ex urbe aucta, structis mœnibus, templo, palatio.

19. *Universi populi, tribus, & linguæ tremebant, & metuebant eum*] Etiam qui sub Imperio ejus non erant eum metuebant.

Quos volebat percutiebat] מחא quidem Hebræis est *percutere*, sed rectiùs sentire videntur qui מ hîc putant esse participii notam, & deesse י post ח, ut sæpe. Est enim oppositio, *Quos volebat interficiebat, & quos volebat vivificabat:* id est, vivos conservabat etiam mortem meritos. Nemo erat qui voluntati ejus auderet obsistere.

20. *Quando autem elevatum est cor ejus*] Suprà II. 27.

22. *Non humiliasti cor tuum*] Sub Deo vero.

23. *Vasa domûs ejus*] Ex Templo Hierosolymitano deportata.

Vinum bibistis in eis] Tanquam in profanis. Meliùs cavit sibi Justinianus, qui vasa Templi secundi à Vespasiano Romam portata, à Genserico Romæ expilatore Carthaginem, cùm per victoriam nactus esset, non in suos vertit usus, sed in sacram basilicam misit quæ erat Hierosolymis, narrante Procopio.

Deos quoque argenteos & aureos, & æreos, ferreos, ligneos, & lapideos, qui non vident, neque audiunt, neque sentiunt, laudasti] Ea quæ nihil sunt, nisi quantum hominibus lubet.

Porrò Deum, qui habet flatum tuum in manu sua, & omnes vias tuas] Deum illum qui non modò omnes actus tuos prosperare potest, aut evertere, verùm etiam spiritum ipsum vitalem tibi auferre ubi voluerit.

Non glorificasti] Λιτότης [*Extenuatio*]. Nam & contempserat eum Baltasar.

24. *Idcirco ab eo missus est articulus manûs*] *Palma manûs*, ut suprà 5.

25. *Hæc autem est scriptura quæ digesta est*] *Exarata est.* Idem verbum infrà VI. 10. 12. Usurpant eam & Arabes.

Mane, Tecel, Phares] Est in Chaldæo: *Mene, mene, Thekel,*

Thekel, *Upharsin*. Mox tamen pro *Upharsin* est *Phares*, id est, singulare pro plurali, sensu eodem. In Græco utrobique Φαρὲς.

26. *Numeravit Deus regnum tuum*, *& complevit illud*] Id est, perfectissimè numeravit, quod bis repetitum *Mene* significat. Dies regni tui definivit.

27. *Appensus es in statera*, *& inventus es minus habens*] Causa cur tam breve futurum sit tibi regnum, est, quòd in lance Divinæ æquitatis repertus sis improbus, ut nummi adulterati.

28. *Divisum est regnum tuum*] Id est, avulsum à domo tua: *fractum*, ut Saadia & Jacchiades vertunt, id est, abruptum. Est autem in illo *Pharsin* duplex significatio: nam & *abruptum* significat, & ipsos *Persas* qui abruperunt. Persæ enim Chaldæis *Phars*, vel *Pharas*; *Pharusi* olim, teste Plinio.

Et datum est Medis & Persis] *Dabitur*, sub Cyro. Vide Jeremiæ XXV. 25. ubi Persæ dicuntur עילם ab Elymaide, quæ Persidi annexa quà Mediam versùs porrigitur, teste eodem Plinio VI. 26. Impletum hoc annis pòst septendecim. Adeò autem coaluerunt duo isti populi in gentem unam ut passim apud Græcos reperias *Medos* pro *Persis* dici, & μηδίζοντας [*Medizantes*] eos qui Persis studebant.

29. *Tum jubente Rege indutus est Daniel purpurâ*, *& circumdata est torques aurea collo ejus*: *& prædicatum est de eo quòd haberet potestatem tertius in regno suo*] Recuperavit dignitatem quam olim sub Nabuchodonosoro habuerat. Ità Rex Baltasar homini gratiam habuit, non & Deo; ut hîc notat Hieronymus.

30. *Eâdem nocte interfectus est*] Ὑπὸ τῶν φίλων ἀπετυμπανίσθη [*ab amicis trucidatus est*], ait Berosus. Abydenus: τούτῳ δὲ ἀποθανόντος βιαίῳ μόρῳ [*ubi is mortuus morte violentâ*].

31. *Et Darius Medus successit in regnum*] *Suscepit regnum*; παρέλαβε τὴν βασιλείαν, id est, *regnum adeptus est*: quod & infrà IX. 1. הָמְלַךְ, id est, *Rex fuit constitutus*, electione populi, noménque sibi sumsit *Darii*, cùm *Nabonnedus* antè vocaretur. Ità enim eum appellat Berosus. Ptolemæo scribitur *Nabonadius*, Abydeno *Nabannidachus*, Herodoto *Labynitus*, *n* mutato in *l*, quod & in aliis nominibus reperitur. Habitabat quidem is Nabonnedus Babylone, sed Medus fuit origine, infrà IX. 1. Namque is est Medus qui prodidisse cives, id est, Babylonios, dicitur in oraculis: non falsò. Nam ad Cyri adventum fugit Borsippa, ibíque cum Cyro pepigit ut præfecturam haberet Carmaniam. *Darius* ergò nomen fuit Regis Medorum clari ac felicis, cujus nomen sibi boni ominis causâ imposuit, ortus & ipse ex Medis Nabonnedus. Josepho magna fides haberi debet in rebus Herodis magni, ac deinceps. Item ubi externos auctores, non ubi Judæos, multa in historiis contra verum somniantes, sequitur.

CAP. VI.

MUNSTERUS.

2. TRes Principes] Hebræi exponunt סרכין pro שוטרים *exactoribus*. Illi enim exigebant rationem à Satrapis de expensis & receptis, *ut Rex illo levaretur gravamine*, vel, ut alii sentiunt, *ne Rex damnum aliquod sentiret*.

3. *Sublimatus*] Textus Chaldæus habet מתנצח *prævalens* vel *superans*, quod R. Levi exponit pro מתגבר *potentior factus*.

6. *Convenerunt*] Exponunt hîc Hebræi הרגישו pro התקבצו *conglobaverunt se*.

14. *Multùm turbatus est*] Aben Ezra exponit רע בעיניו *displicuit oculis ejus*. ¶ *Super Danielem cor*] Habet textus בל pro לב, transpositis literis.

17. *Nè voluntas immutaretur*] i. Nè æmuli Danielis aliud molirentur, ut si viderent nutu Dei Danielem liberari à morsibus leonum, insaniâ agitati gladio trucidarent innocentem.

VATABLUS.

1. PLacuit, &c. שפר קדם וגו'] Ad verb. *Placuit coram Dariavеs*, *& constituit*. ¶ *Satrapas* לאחשדרפניא] i. Principes provinciarum, qui dispersi per omnes provincias Imperii, continerent illas in officio, nequis scilicet deficeret ab Imperatore.

2. *Nè Rex*, &c. ומלכא וגו'] *Et Rex non esset damno affectus*, i. nè ullum damnum acciperet in ulla regione.

3. *Superabat ipsos Præfectos* והוה מתנצח על סרכיא] Ad verb. *fortificabat se supra Præfectos*: vel, *robustior erat*, aut *potentior*, Principibus, i. antecellebat ipsos.

4. *Quærebant occasionem* הוו בעין וגו'] Ad verb. *erant quærentes occasionem ut invenirent*, i. dabant operam ut invenirent occasionem. ¶ *Ex parte Regni* מצד מלכותא] i. Administrationis reipub. quòd scilicet malè administrasset Regnum, h. e. ut accusarent eum læsæ majestatis. ¶ *Aut corruptelam* ושחיתה] *Aut pravitatem*. Alii, *culpam*.

5. *Nunquam* די לא] Ad verb. *Quia non*. ¶ *Nisi inveniamus* להן השכחנא] *Sed inveniemus*.

6. *Congregaverunt sese apud Regem* הרגישו על מלכא] *Collecti sunt simul apud Regem*. Alii, *persuaserunt Regi*.

7. *Statuere statutum regium*, &c. לקימה קים וגו'] *Statuere statutum*, *ô Rex*, *& confirmare edictum*: i. edere edictum inviolabile. Alii, *vovere votum* in honorem *Regis*, *& confirmare edicto*.

8. *Et scribe scripturam* ותרשם כתבא] i. Cura scribendum diploma. Sic mox. ¶ *Quæ non transit* די לא תעדא] i. Quæ manet inviolabilis: ut dicitur v. 15. his verbis, *Scito*, *Rex*, *quòd lex Medorum & Persarum est*, *quòd nullum decretum aut statutum quod Rex statuerit*, *est immutandum*.

10. *Temporibus tribus* זמנין תלתה] i. Tribus vicibus, sive ter interdiu. ¶ *Et confitebatur coram Deo suo* ומודא קדם אלהה] i. Laudabat Deum suum.

12. *Scripsisti* רשמת] i. Diplomate tuo approbasti. ¶ *Verus est sermo* יציבא מלתא] Ad verb. *Veritas est sermo*; i. Verum est quod dicitis, verum erit quod cautum est edicto meo, servabitur ut lex quæ abrogari non potest, neque solet. ¶ *Quæ non transit* די לא תעדא] Ut v. 8.

13. *De filiis captivitatis Judæorum* מן בני גלותא די יהוד] i. De captivis abductis ex Judæa in Babylonem. ¶ *Non posuit*, &c. לא שם עליך וגו'] Chaldaica phrasis, ut c. 3. 12. i. non curat te neque edictum tuum; vel, nullam tui rationem habuit neque edicti tui. ¶ *Petit petitionem suam* בעא בעותה] i. Orat Deum suum, ut antea.

14. *Vehementer displicuit ei* שגיא באש עלוהי] *Vehementer indoluit*: vel, *contristatus est*; aut, *admodum gravatè tulit*. Alii, *multùm turbatus est intra se*. ¶ *Posuit*, &c. שם בל וגו'] Phrasis Chaldæa ut & Hebræa, pro *in hoc incubuit*, *& pro virili conabatur ut eum erueret*. Perversæ literæ in בל pro לב. ¶ *Satagebat* משתדר] *Dedit operam*; *fatigit*; *solicitus fuit*.

15. *Verum* באדין] Ad verb. *tunc*.

16. *Jussit* אמר] Ad verb. *dixit*, sub. *ut adducerent Danielem*. ¶ *Eripiet te* ישיזבנך] *Eripiat te*; *liberet te*.

17. *Nè mutaretur*, &c. די לא תשנא] i. Mutatâ sententiâ, Rex eum extraheret.

18. *Incœnatus* ובת טות] *In jejunio*, i. jejunus, h. e. incœnatus. Quidam vertunt *in cœnaculo*. ¶ *Neque mensa*, &c. ודחון וגו'] *Et mensam non attulit in conspectum ejus*, sub. *aliquis ministrorum*. *Mensam* vocat cibaria. ¶ *Et somnus*, &c. ושנתה נדת וגו'] *Et somnus ejus recessit*: i. non potuit dormire totâ eâ nocte. Prov. 4. 16. legitur, *Et rapitur somnus eorum nisi ruere fecerint*, i. non dormiunt.

19. *Dum splendesceret* בנגהא] i. Ad lucem matutinam.

20. *Tristi* עציב] *Amarâ*: *lugubri*, i. quæ dolorem animi testabatur. ¶ *Cui tu servis jugiter* די אנת וגו'] *Quem tu colis assiduè*.

22. *Et non perdiderunt me* ולא חבלוני] *Ut non læserint me*: vel, *non nocuerint mihi*. ¶ *Et etiam* ואף] *Insuper*. ¶ *Corruptelam* חבולה] Ut v. 4. Quidam vertunt *pravitatem*. Alii, *scelus*.

23. *Credidit*, &c. הימן באלהה] *Speravit in Deo suo*. Ità Hebræi exponunt.

24. *Qui accusaverant Danielem* די אכלו קרצוהי די דניאל] Ad verb. *qui accusaverant accusationes ejus*, nempe *Danielis*. Similem locutionem vide c. 3. 8. ubi pro ea versum est, *detulerunt Jehudæos*. ¶ *Et nondum*, &c. ולא כטו וגו'] *Et non pervenerant ad fundum* [*imum*, i. solum] *speluncæ adhuc*, *cùm dominati sunt*, &c.

25. *Tribubus* אמיא] *Nationibus*.

26. *A conspectu meo* מן קדמי] i. A facie mea: q. d. Hanc fero legem. ¶ *Imperio* שלטן] *Ditione*; *dominio*. ¶ *Ipse enim est* די הוא] *Cùm sit*.

28. *Prosperè egit* הצלח] i. Floruit, aut fuit in pretio, *imperantibus Dario Medo & Cyro Persâ*.

CASTALIO.

5. SI nulla alia in re, *saltem in ejus Dei religione criminarentur*] Animadverte eorum naturam qui pios persequuntur. Cùm mores reprehendere nequeunt, religionem reprehendunt; & eos bonis quidem moribus esse confitentur, sed

errare in doctrina: quasi verò non proficiscantur à doctrina mores, aut quasi fieri possit ut impia sit doctrina quæ pios mores pariat.

C L A R I U S.

11. V*Iri ergò illi curiosiùs inquirentes*] Scientes cenodoxiæ morbo Regem laborare, & ægerrimè ferre sui contemptum: id quod & Xenophon in Pædia Cyri indicat. Apud illum enim palam fatetur lacrymísque testatur Cyaxares (is est Darius) Cyrum se haberi gloriosiorem; eóque nomine deficit à Cyro.

17. *Allatúsque est lapis unus*] Ut miraculum celebrius fieret, providit & hoc Deus, ut fovea annulo Regis & optimatum obsignaretur, nè quis suspicaretur humano præsidio liberatum, & leonibus alios cibos objectos. Sic & Christi sepulcrum obsignatur & custoditur, ut resurrectionis miraculum evidentiùs elucescat. ¶ *Nequid fieret contra Danielem*] Nè æmuli Danielis aliud molirentur, ut, si viderent nutu Dei Danielem liberari à morsibus leonum, insaniâ agitati gladio trucidarent innocentem.

28. *Porrò Daniel perseveravit usque ad Regnum*] Vel *prosperè egit*. Creditur Darius cum illo in Medianam profectus esse, relicto Cyro & filio ejus Cambyse in Babylone.

L U C A S B R U G.

4. Q*uærebant occasionem ut invenirent Danieli ex latere regni.*] Malè in codicibus quibusdam scriptum est, *Quærebant ut invenirent occasionem Danieli:* rectus enim est ordo qui in emendatioribus est, *Quærebant occasionem ut invenirent Danieli.*

Pro *ut invenirent Danieli* tria Hentenii exemplaria legunt, *ut auferrent Danielem*; unum ex nostris, *ut evellerent Danielem:* quæ substituta sunt, quòd ei quod sequitur, *ex latere regis*, aptiùs congruere viderentur; illud verò, *ut invenirent Danieli*, obscurius esset, minúsque intelligeretur. Nam & hinc quidam id omiserunt, quidam aliter immutarent. Scriptum C notatum duntaxat, *Quærebant occasionem ex latere regis*, habet; H notatum, *Quærebant occasionem ut invenirent Danielem ex latere regis*; Buslidianum, *Quærebant occasionem ut veniret Danieli ex latere regis.* Atqui Chaldaicè להשכחה לדניאל est, *ad inveniendum Danieli*, vel, *contra Danielem*; & Græcè, εὑρεῖν κτ̀ Δανιὴλ, *invenire contra Danielem*; quemàdmodum in plerísque integrísque Latinis libris, *ut invenirent Danieli.*

Ex latere regni. Sic Complutensis editio, atque ex hac Regia, legit: sic ex Parisiensi Lovaniensis Hentenii habet: sic denique Parisiensis Nivellii, anno 73 impressa, scribit. Cui scribendi modo prototypum Chaldaicum suffragatur, מצד מלכותא, i. *ex latere*, sive *ex parte regni.* Græcis libris qui exstant pars ista non legitur: sed Vaticanis est, ἐκ τ͂ βασιλείας, & ἐκ πλαγίων τ͂ βασιλείας· illud *ex regno* significat; hoc, *ex lateribus regni.* Utriusque Theodoritus meminit: *EX REGNO, vel, ut quædam exemplaria habent, EX LATERIBUS REGNI: h. e. omnia moliebantur, cupientes eum invenire aliquid in regni leges deliquisse.* Porrò universa nostra Latina manuscripta pro *regni*, *regis* habent, (præter duo aut tria quæ *regum* scribunt, quod potiùs est *regnum* quàm *regis*) quibus consonant priores typographorum excusiones, Moguntina, Nurenb. Colon. Veneta, & aliæ. Notavit quoque Hentenius 17 exemplaria quæ pro *regni*, *regis* legant. His Latini enarratores adstipulantur, Richelius, Carensis, Lyranus, Rupertus, Glossæ Ordinariæ Autor; atque adeò Hieronymus, cujus Commentatius habet, *Quærebant occasionem ut invenirent Danieli ex latere regis. Et in hoc loco Hebræi tale nescio quid suspicantur.* Latus regis, *regina est, vel concubina ejus, cæteræque uxores quæ ex latere dormiunt. Quærebant ergò occasionem in rebus hujuscemodi*, &c. Nos interpretemur simpliciter, quòd nullam occasionem adversùs eum repererint in qua regi noxius fuerit, &c.

D R U S I U S.

1. דריוש. Lxx Ἀρταξέρξης *Artaxerxes*] Hieron. *Pro Dario Lxx* Artaxerxen *interpretati sunt*. Sic etiam interpretantur nomen אחשורש in historia Esther. Vide Annot. nostras.

2. סרכין. Sym. ἄρχοντες *Principes*. A. συνεκτικούς. Th. τακτικοὺς *ordinatores*] Hieron. *Pro* Principibus, *quod Sym. transtulit, Th.* τακτικοὺς, *Aq.* συνεκτικοὺς *interpretatus est. Cùmque quærerem qui essent isti Principes* τακτικοὶ *vel* συνεκτικοὶ, *in Lxx editione legi manifestiùs, qui dixerunt*, Et duos viros, quos constituit cum eo, & satrapæ centum viginti. *Quia igitur inter duos Principes, inter quos erat tertius, hunc primum facere Rex cogitabat, invidiæ & insidiarum nata occasio est.* Συνεκτικὸς, *continendi* aut *colligandi vim habens*. Nam סרך *teneo, contineo*; item *vincio, colligo*, i. קשר. Idem συνέχω apud Græcos.

4. עשית להקמותה. προσεδόκατο καταστῆσαι αὐτὸν, *in animo habebat constituere illum.*

5. מצד מלכותא. Ἐκ πλαγίων βασιλείας, *ex lateribus Regni*] Ebr. ἐκ πλαγίου *ex latere*. Vult dicere *ex parte Regni.* Apud Theodoretum est ἐκ τῆς βασιλείας *ex Regno.* ¶ ושחיתה. A. ἢ ἀμβλάκημα. Th. ἢ ἀμπλάκημα *peccatum*] Hieron. *Pro* suspicione *Th. & Aq.* ἀμβλάκημα *interpretati sunt, quæ Chaldaicè dicitur* ESSATHA. *Cùmque ab Ebræo quærerem quid significaret, respondit vim verbi sonare* δέλεαρ, *quod nos* illecebram, *sive* σφάλμα, *h. e.* errorem, *dicere possumus. Porrò Euripides in Medea* ἀμπλακίας *per* π *& non per* β, ἁμαρτίας, *i.* peccata, *appellat.* Ἀμπλάκημα, i. ἁμάρτημα. Olim Hieronymus legit ἀμβλάκημα per β, nunc in libris est ἀμπλάκημα per π. In Hesychio quoque est ἀμβλάκημα, quod interpretatur *delictum*, *peccatum.* Eidem ἀμβλακεῖν est *peccare*, *derelinquere*, quod & ἀμπλακεῖν dicitur. Malè autem ex hoc loco quidam, *Lxx Interpretes ibi per* π *habent* ἀμπλάκημα. Nam non est hæc versio τ͂ ἑβδομήκοντα, sed Theodotionis. ESSATHA] Fortè Hieronymus scripserat *Usitha*, elisâ Heth, ut fieri solet. Sic alibi אשר legitur pro משרא: qui mos Syrorum est proprius. Qua de re diximus alibi. Vide Observationes meas.

28. מן יד אריותא. Ἐκ χειρὸς τ͂ λεόντων *è manu leonum*] Vis in hoc sermone eadem ac in illo *à leonibus*, & est purus putus Ebraismus, quem temere nimis immutarunt scribentes ἐκ σώματος τ͂ λεόντων *ex ore leonum.* Est etiam ubi scriptum sit *è lacu leonum. Lacum* intellige depressam in altum foveam, vel arentem cisternam, in qua leones nutriebantur.

G R O T I U S.

1. P*Lacuit Dario, & constituit*] Id est, *constituere.*

Super regnum Satrapas centum viginti] Solent sæpe Reges, ut & Romani Imperatores, pro suo arbitratu mutare numerum provinciarum.

2. *Et super eos Principes tres*] Quales fuere in posteriore Imperio Romano Præfecti prætorio. In Chaldæo hi dicuntur & hîc & infrà סרכין, id est, ἔξαρχοι [*Exarchi*]. Est eadem vox de Josepho Geneseos XLV. 41. In Jonathanis versione.

Ex quibus Daniel unus erat] Loco principe, ut ostendunt sequentia.

Et Rex non sustineret molestiam] Ex Græco, ὅπως ὁ βασιλεὺς μὴ ἐνοχλῆται [*ne Regi molestia exhiberetur*]. At Chaldæa vox magis significat, *nè Rex damnum pateretur:* id est, nè quid detrimenti acciperet Imperium per Præsidum dolum aut culpam.

4. *Porrò Rex cogitabat constituere eum super omne regnum*] Ut etiam ei subessent alii illi prætorio Præfecti, essétque Regi τὰ πάντα [*omnia*], quales multos esse & nostra & superiora secula viderunt apud Reges aut parum fidentes ingenio suo, aut fugientes negotiorum.

Unde Principes & Satrapæ quærebant occasionem] Livor enim in aulis regnat.

Ex latere Regis] Id est, quærebant crimen majestatis, quod *sæpe esse singulare & unicum eorum qui crimine vacarent*, ait in Panegyrico Plinius. Hoc est quod Romanogræci dicunt ἔγκλημα βασιλείας [*crimen Regni*].

Nullámque causam & suspicionem invenire potuerunt] Nè in speciem quidem reperiri quicquam poterat: tanta erat ejus & fides & existimatio.

5. *Nisi fortè in lege Dei*] Quærendum est crimen læsæ religionis, ubi majestatis deficit. Hieronymus ad hunc locum: *Felix conversatio in qua inimici nullam reperiunt occasionem, nisi fortè in legitimis Dei.*

6. *Tunc Principes & Satrapæ surripuerunt Regi*] Scriptum puto fuisse ab Interprete *subrepserunt*. Ea enim vox huic loco propria. At Chaldæa vox non tam hoc significat quàm *concursum facere.*

7. *Ut decretum imperatorium exeat*] In Chaldæo, *Edictum regium.* Theodotio, στῆσαι στάσει βασιλικῇ [*constituere constitutione regiâ*]. In quo videtur respexisse vocem Romani Imperii, quæ est *Constitutio.*

Et edictum] In Chaldæo, *& confirmare obligationem.* Græcè ἐνισχῦσαι ὁρισμὸν [*firmare definitionem*], id est, *facere legem sacratam*, ut Romani loquebantur, *perpetuam, immutabilem*; quam ad rem certa forma requirebatur. Non erat autem is mos apud omnes gentes.

Ut

Ut omnis qui petierit aliquam petitionem à quocunque Deo & homine usque ad triginta dies, nisi à te, Rex] Speciem habebat hoc consilium quasi post id majestas Regi conciliaretur amplior, si vivus jam diis æquaretur. De Augusto Horatius:

Præsenti tibi maturos largimur honores,
Jurandásque tuum per nomen ponimus aras.

Virgilius:

Namque erit ille mihi semper Deus, illius aram
Sæpe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.

Et in Georgicis:

In medio mihi Cæsar erit, templúmque tenebit.

Mittatur in lacum leonum] גב Chaldæis, Hebræis, & Arabibus est omne *depressum & cavum*, ut *puteus*, *cisterna*, *fovea*. Fuit autem cavum hoc tam profundum ac præceps ut indè ascendere leones nequirent. Feris homines objicere vetus est. Ostendunt id fabulis mixtæ historiæ de Andromeda, de Diomede Thraciæ.

8. *Nunc itaque Rex confirma sententiam*] *Obligationem*, ut modò 7.

Et scribe decretum] *Et obsigna scripturam:* nempe non tuo tantùm sigillo, sed & Procerum, quibus id jus à Regno tributum est.

Ut non immutetur quod statutum est] In Chaldæo est tantùm *ut non sit mutabile.*

A Medis ac Persis, nec prævaricari cuiquam liceat] In Chaldæo: *Secundùm morem Medorum & Persarum* (in facienda lege) *quæ non pereat.* Babylonii morem talem faciendi leges nè à Rege quidem mutabiles non habebant, sed habebant eum antiquitus Medi & Persæ, & diu retinuere, ut ostendimus ad Estherem I. 19. ubi verba sunt his paria. Inde ergò adulatores isti exemplum petunt, satis callidè apud Regem è Medis ortum. Videtur hunc sensum bene percepisse Jacchiades.

9. *Porrò*] *Propterea:* est in Chaldæo כל קבל דנה.

Proposuit edictum, & statuit] In Chaldæo, *Exaravit scripturam & obligationem:* id est, sanctionem illam additam, juxta dictum morem. רשם [*exaravit*] hic & in commate sequenti est idem verbum quod suprà v. 24.

10. *Id est, consignatam legem*] Exaratam scripturam.

Ingressus est domum suam, & fenestris apertis in cœnaculo suo] Ἐν τοῖς ὑπερῴοις [*in locis domûs supernis*]. id enim עליה Hebræis, & עלית Chaldæis. Fecit omnia ut erat solitus, quasi edictum ad se, utpote Judæum, ut Rex ipse nôrat, non pertineret.

Contra Jerusalem] Obversâ ad Templum facię, qui mos videtur natus ex verbis Solomonis I Regum VIII. 48.

Tribus temporibus in die] Id est, tertiâ, sextâ, & nonâ, quem morem secuti & Christiani. Diximus ea de re ad Matth. XXVII. 45. Hieronymus in Commentario ad hunc locum, *Tria autem sunt tempora quibus Deo flectenda sunt genua. Tertiam horam, sextam, & nonam Ecclesiastica traditio intelligit. Denique tertiâ horâ descendit Spiritus Sanctus super Apostolos. Sextâ volens Petrus comedere, ad orationem ascendit in cœnaculum. Nonâ Petrus & Johannes pergebant ad Templum.*

Flectebat genua sua] Qui mos orantium in luctu aut periculo. Vide quæ dicta ad Matth. VI. 5.

Et adorabat] *Orabat*, id enim מצלא [*Metzalla*]: Unde hæretici *Massaliani* à continuis *precibus.*

Confitebaturque coram Deo suo] Id est, *Deo laudes dicebat*; id enim est מודא.

11. *Curiosiùs inquirentes*] In Chaldæo: *Concursantes*, ut suprà 6.

12. *Verus est sermo*] *Firmus*, in Chaldæo: id est, manebit quod dixi.

Juxta decretum Medorum atque Persarum quod prævaricari non licet] *Non minùs quàm illæ leges Persarum & Medorum quæ dicuntur immutabiles.* Ità hìc Jacchiades optimè.

13. *Daniel de filiis captivitatis Juda*] Quasi diceret, *Et externus & bello captus*, quales maximè decet modestia.

14. *Contristatus est*] Pressus hinc legis necessitate, indè viri reverentia.

Posuit cor ut liberaret eum] In Chaldæo, שם בל, *posuit curam:* nam sic بال Arabes usurpant.

Laborabat ut erueret eum] Specie aliquâ juris.

15. *Intelligentes Regem*] In Chaldæo, *Concursu ad Regem facto.*

Scito, Rex, quia lex Medorum & Persarum est, ut omne decretum quod constituerit Rex, non liceat immutari] Verte: *Scito, Rex, tale esse jus Medis ac Persis, ut omnis obligatio, si eam Rex constituerit, mutari nequeat.* *Obligatio* hic est, ut suprà, consensus Procerum à Regno in id delectorum, cui si accederet Regis auctoritas, jam jus illud secundùm Persas & Medos (quorum exemplum in hac re secuti fuerant) erat immutabile.

16. *Deus tuus quem colis semper*] Etiam contra humanas leges. Hìc laudat quod vetuerat, ut suprà Nabuchodonosor III. 95.

Ipse liberabit te] *Liberet te.* Est optatum. Spem hanc conceperat Rex ex Trium juvenum liberatione.

17. *Allatúsque est lapis unus, & positus est super os laci*] Hæc omnia res Christi obumbrant, ut diximus ad Matth. XXVII. 60. & 66.

Obsignavit Rex annulo suo, & annulo Optimatum suorum] Nempe quomodo & decretum ipsum signatum fuerat.

Ne quid fieret contra Danielem] Imò, *nè immutaretur quod decretum erat de Daniele.* Sic enim textus Chaldaïcus.

18. *Dormivit incœnatus*] Ut in gravi luctu fieri solet.

Cibique non sunt allati coram eo] *Cantus musici adducti ad eum non fuere.* Ità Rabbi Saadia, quem sequitur Jacchiades. Putant enim דחון literâ transpositâ dictum pro חדון [*lætitia*].

Insuper & somnus recessit ab eo] *Fugit ab eo:* ut valdè anxiis aut mœstis solet evenire.

19. *Tunc Rex primo diluculo consurgens*] In Chaldæo: *Tunc Rex manè surgens simulátque illuxerat.*

20. *Serve Dei viventis*] Non imaginariorum deorum, quales nos quotidie facimus. Sic ab idololatris veri confessionem sæpe Deus exprimit.

21. *Rex, in æternum vive*] *Vivas diu.* Ità enim לעלמין [*in ævum*] apud Chaldæos, & similes voces apud Hebræos sæpe sumuntur.

22. *Deus meus misit Angelum suum*] Unum ex illis vigilibus; suprà IV. 14.

Et conclusit ora leonum, & non nocuerunt mihi] Vide I Maccab. II. 60. Hebr. XI. 33. Simile quid evênit Malcho, narrante Hieronymo, & Afris Christianis in persecutione Hunerici, teste Victore.

Quia coram eo justitia inventa est in me] Quia Deum colui, sicut justum & æquum est.

Et coram te, Rex, delictum non feci] Nulla in re tua læsi commoda. Exhibui tibi omnem fidem intra limites sacræ disciplinæ.

23. *Quia credidit Deo suo*] *Confisus est Deo*, quomodo hìc Jacchiades. Ingens fidei præmium, & ad Euangelium quædam præparatio.

24. *Et filii, & uxores eorum*] Ut participes sævi consilii.

Et non pervenerunt ad pavimentum laci] *Ad fundum.*

Donec arriperent eos leones] *Cùm arripuere eos leones.* Tanta eorum erat fames.

25. *Tunc Darius Rex scripsit universis populis*] Ut olim Nabuchodonosor III. 98.

26. *Tremiscant & paveścant Deum Danielis*] Id est, nè ei maledicant, ut suprà III. 96.

Et regnum ejus non dissipabitur, & potestas ejus usque in æternum] Ut suprà III. 100.

27. *Ipse liberator atque salvator*] *Ipse eruit ac liberat*, nempe quoscunque vult, ut olim tres juvenes, nunc Danielem.

Faciens signa & mirabilia] Suprà III. 99. 100.

28. *Porro Daniel perseveravit usque ad regnum Darii regnúmque Cyri Persæ*] In Chaldæo: *Daniel autem prosperè egit tum sub Darii* (id est, Nabonnedi) *regno, tum sub regno Cyri.* Cyrus enim fuit qui Babylona cepit, ibique regnavit post Nabonnedum, ipsius etiam Nabonnedi concessu. Sic & Theodotion: Καὶ Δανιὴλ κατηύθυνεν ἐν τῇ βασιλείᾳ Δαρείου καὶ ἐν τῇ βασιλείᾳ Κύρου τοῦ Πέρσου [*Et prosperè egit Daniel regnante Dario & regnante Cyro Persâ*].

CAP. VII.

MUNSTERUS.

2. QUatuor venti] Summa hujus visionis est, quòd in hoc mundo plurimæ futuræ sunt afflictiones: ut per *mare magnum* intelligas mundum, per *ventos* persecutiones, quæ ex omni parte oriuntur. Hebræi exponunt hic מגיחן pro נגחין *egredientes.*

3. *Quatuor bestiæ*] Hæ *quatuor bestiæ*, sicut infrà exponitur, sunt quatuor Monarchiæ prodeuntes è mundo ad affligendum humanum genus, Monarchia scilicet Babylonica, Persica, Macedonica & Romana, quas Propheta *potestates* vocat. Babylonica per *Leonem* exprimitur, qui *alas aquilinas habere* memoratur, ob pernicem scilicet cursum. Sed brevi tempore *deplumatus* est *Leo* ille, & omnis potestas adempta Babyloniis. Humilia-

miliatus est & *constitutus super pedes suos*, ut agnosceret se mortalem *hominem* qui priùs inter Deos agere putabatur.

5. *Bestia alia*] Hæc symbolum fuit Persici Regni, à quo Jehudæi multa quoque perpessi sunt mala; licèt *in latere uno stetisse* Reges illi commemorentur, quòd non omni impetu irruerunt in Jehudæos, sed primùm suaviter tractavit Cores, (qui & *Cyrus*) Jehudæos, & deinde impeditum est ædificium Jerusalem cunctis diebus ejus. Gessit & ingentia bella, & multum effudit sanguinis; sicut & illi improperatur Regina, caput ejus resecans & in utrem sanguine plenum mittens, atque dicens, *Sanguinem sitisti, sanguinem bibe*.

6. *Pardo*] Significat *Pardus* Regnum Macedonicum, quod per dolos fraudes initia sumpsit. *Quatuor alæ* videntur significare Alexandrum, quia intra paucos annos plurima adiit Regna & sibi subjecit. *Quatuor capita* sunt quatuor Principes qui post Alexandrum inter se diviserunt Regnum.

7 — 12. *Bestia quarta*] Per hanc significatur Regnum Romanum, quod cæteris Regnis magis sævit, præsertim sub Julio, Tiberio, Nerone & similibus Tyrannis. Nec legitur in Scriptura quòd illi aliud sit successurum Regnum præter Regnum Christi. *Cornua decem* hujus Bestiæ sunt *decem Reges* juxta interpretationem; in quot divisum quidam ajunt Romanum Regnum. Alii per Denarium intelligunt magnum & incertum numerum, juxta illud Num. 14. *tentaverunt me jam per decem vices*. Dividebatur olim Monarchia Romana bifariam, nunc verò multifariam; & omnia illa cornua impetunt populum Dei. Reges autem qui Christianos non divexant, ad Christum pertinent & non ad Bestiam. Per *cornu parvum* accipiendum putant Regnum Antichristi & Satanicum, quod inter Christianos à domestico hoste exile initium sumpsit, sed paulatim in magnam crevit potentiam: id quod in Mahumete & perversis Christianæ religionis antistitibus videre licet. Et dum illud *succresceret*, Bestia ipsa amisit *tria cornua*, h. e. aliquot Regna humiliata sunt à cornu parvo, quæ illi obtemperant. Quòd autem cornu parvum *oculos* habere memoratur, significat Antichristianos præ se ferre speciem religiosæ vitæ, simulatéque sanctitatem; id quod nemo non videt; at *os* habent blasphemum & *quod loquitur grandia*. Quæ cùm Deus diu ferre non possit, apparat judicium, ut cuique tribuat pro suis meritis; sed quod non fiet *donec sublati fuerint throni* & subversæ sedes omnium Regnorum, quibus Regnum Christi succedet. Alii legunt *donec constituerunt thronos*: & tunc hæc verba referentur ad Apostolos, qui *sessuri sunt super sedes duodecim*, &c. ¶ *Fluvius igneus qui à conspectu judicis egreditur*] Est sententia ejus quam feret super impios, tradens eos igni perpetuo. ¶ *Judicium sedit*] h. e. Judex cum assessoribus cognoscet causas singulorum, & veluti ex *aperto libro* proferet hominum malefacta. *Interibit* tunc *Bestia* quarta, *& conjicietur in ignem*. *Aliis* autem *Bestiis data est longitudo vitæ*, h. e. non interierunt sicut ista quarta, cùm per aliquot *tempora* secutæ sint aliæ: hæc autem sic peribit ut nulla sequatur.

13. *Cum nubibus cæli*] Signatur hic adventus Christi ad judicium. Hic *veniet cum nubibus*, h. e. cum Angelis eum stipantibus. Et cùm *similis sit filiis hominum*, tamen dignitate & Divinitate idem est cum *Antiquo dierum*, Deo scilicet Patre. Hunc locum citavit Christus in Euangelio cùm ad Cajapham diceret, *Amodo videbitis Filium hominis sedentem à dexteris virtutis Dei*, &c.

15. *Intra corpus*] Textus propriè habet *intra vaginam*. Id enim est corpus spiritui quod vagina gladio, ut Kimhi docet.

18. *Regnum sanctorum sublimiorum*] Sic vocatur Ecclesia electorum Dei, tyrannorum subjecta tribulationibus per aliquot secula, hoc est, usque ad finem mundi, *donec venerit Antiquus dierum, & dederit judicium pro sanctis*. Potest textus & sic legi, *Sancti Excelsi accipient Regnum*, &c.

25. *Ex parte Altissimi*] *Ostendet se tanquam si sit Deus* 2 Thes. 2. ¶ *Usque ad tempus*] Tribulationem, inquit, Antichristi & membrorum ejus Deus non finet supra modum grassari in electos suos; sed durabit illa *per tempus*, i. annum, *& tempora*, i. duos annos, *& dimidium temporis*, i. dimidium anni; h. e. non durabit per septenarium & integrum tempus, sed per dimidium hebdomadis. *Abbreviabuntur* enim *dies illi propter electos*, nè perpetuò impiorum subjaceant tyrannidi.

VATABLUS.

1. **V***isiones autem capitis*, &c. 'וגו חזוי ראשה] Ut cap. 4. 7. i. Vidit autem hoc somnium noctu dum adhuc jaceret in lecto. ¶ *Tunc* באדין] i. Statim. Protinus. ¶ *Initio*, &c. ראש מלין אמר] i. Cujus initium fuit tale. Alii, *Summam verborum scripsit*, i. rem ipsam paucis perstrinxit.

2. *Cæli* שמיא] i. Aeris; h. e. venti primarii flantes à quatuor mundi partibus. ¶ *Pugnabant*, &c. מגיחן לימא רבא] *Agitabant mare magnum*. Alii, *irruebant in mare magnum*, & quasi loco pellebant mare. *Venti cæli*, Dei voluntas: *Mare magnum*, mundus, ut & David appellat. Nam Dei permissu variis tumultibus agitatur mundus, ut mare motibus. Significat autem motus magnos qui exorti sunt initio quatuor Monarchiarum.

3. *Ab invicem* דא מן דא] *Inter se*. Ab verb. *hæc ab illa*.

4 *Prima* erat *sicut leo* קדמיתא כאריה] *Prima erat similis leoni*. *Bestiæ* sive *animalia* sunt aut Reges, aut Imperia, aut Monarchiæ. Primum Regnum de Babylonia est intelligendum. Nam fuit *Leo* Nabuchodonosor, i. bellicosus, qui celeriter totas vicinas gentes vicit: quod per *alas* significatur. Fuit autem ea celeritas illi ablata, & privatus est Regno. Postea rediit ad mentem, i. *cor Hominis*, non Leonis, *redditum est illi*. Dicitur & *leoni fuisse similis*, i. excellentissimus: ut antea comparatus est Auro, quod ut cæteris præstat metallis, ità Leo cæteris animantibus. ¶ *Spectabam* חזה הוית] Ad verb. *aspiciens eram*: q. d. Consideravi bestiam illam. ¶ *More hominum* כאנש] Ad verb. *sicut homo*, i. more hominum rexit sese. ¶ *Corque hominis* ולבב אנש] i. Humanum, & non ferinum, h. e. mite.

5. *Similis erat urso* דמיה לדב] Sub. *ascendebat è mari magno*: Secunda Monarchia, quæ fuit Persarum. ¶ *Et ad latus*, &c. ולשטר חד הקמת] *Quod ad latus unum sese erexit*, i. irruit tantùm in Babylonios, quibus superatis potiti sunt Imperio Persæ. ¶ *Tres quoque costæ* ותלת עלעין] Imperia tria significat, Babylonicum, Persicum, Medicum; quæ simul confusa sunt. ¶ *Vora*, &c. 'אכלי וגו] i. Agè, interfice multos. Per hæc enim innuit crudelitatem Persarum & effusionem sanguinis.

6. *Et potestas data est* ושלטן יהיב] *Et dominium* [sub. *totius orbis*] *traditum est*.

7. *In visionibus noctis* בחזוי ליליא] i. In somnio multiplici quod videbam noctu, h. e. inter somniandum. Vide cap. 4. 7. ¶ *Quarta formidolosa & terribilis* רביעאה דחילה ואימתני] *Quarta terribilis & horrida*. Quartum Imperium, Romanorum, quod terrori fuit toti orbi: fortissimum præterea, quod per *dentes ferreos* significatur. *Decem capita*, plurima Regna in quæ divisum est. Sub hoc Imperio exoritur *parvum cornu*, i. gens ignobilis & obscura Turcarum, quæ jam vicit duo cornua, nempe Imperium Constantinopolitanum & Sultanum Ægypti. Superest tertium cornu superandum; quod, quia factum nondum est, ignoramus.

8. *Considerabam* משתכל הוית] *Contemplabar*: i. Dum attentiùs considerarem cornua illa, vidi aliud, &c. ¶ *Ascendebat inter ea* סלקת ביניהן] *Exortum est in medio illorum* ¶ *Oculi velut*, &c עינין כעיני אנשא] Per *oculos* prudentia Turcæ significatur in rebus agendis. *Os loquens grandia*, sive *ingentia*, significat os jactabundum & blasphemum contra Deum & homines.

9. *Et Antiquus dierum sedit* ועתיק יומין יתב] *Et Provectus ætate sedit*, sub. *in solio illarum quatuor Monarchiarum*. Dicitur autem sic Deus Pater quòd sit æternus. Licèt autem persona Filii sit apparitura, non deerit tamen Pater & Spiritus sanctus: sicuti dicitur, *Sedentem à dexteris Virtutis*, i. Dei Patris omnipotentis, Matth. 26. 64. ¶ *Rotæ illius* גלגלוהי] Solia Regum olim erant versatilia, & uti currus triumphales exstruebantur translatiles: unde hic dicitur solium *rotas* habuisse.

10. *Et decies millies centena millia* ורבו רבבן] Dictio רבו sign. *decies mille*, sive *decem millia*: רבבן verò plurale est à רבו, & sign. *decem millia multiplicata*, i. centum millia. ¶ *Judicium* דינא] i. Judex.

11. *Spectabam* חזה הוית] Ad verb. *Videns eram*. ¶ *Propter vocem* מן קל] *A voce*, i. ab eo tempore quo quarta bestia cœpit loqui blasphemias in Deum,

12. *Abstulerant* העדיו] Sub. *Angeli*. ¶ *Et tempus* ועדן] *Et definitam periodum*, i. usque ad certum tempus. Tres primæ Monarchiæ certo tempore, ac parvo quidem, durarunt: quarta autem longo durabit: vel, Deus *abbreviavit tempus* quartæ bestiæ *propter electos*, ut Matth. 24. 22. dicitur.

13. *Pervenit* מטה] Sub. *ad judicium*. ¶ *Appropinquare fecerunt illum* הקרבוהי] *Adduxerunt eum*, sub. *Angeli*.

14. *Deditque ei* ולה יהיב] Sub. *Pater*. Quidam, *Datumque est ei dominium & honor*, &c. ¶ *Tribus* אמיא] *Nationes*. ¶ *Ei servient* לה יפלחון] *Ei servierunt*. ¶ *Auferetur* יעדה] *Transibit*, i. non finietur: q. d. Dominium ejus est æternum.

15. *Contritus fui*, &c. 'אתכרית וגו] *Tertius fuit spiritus meus ego Daniel in medio corporis*, vel, ut ad verb. habetur,

intra vaginam. Corpus vocat vaginam spiritûs. Alii, Succisus est spiritus meus, mei Danielis intra corpus. Ità נדנה aliquando vertitur, ut c. 8. 1. Alii, abbreviatus est spiritus meus, i. penè defecit in me spiritus: q. d. Passus sum deliquium animi. ¶ Turbaverunt me יבהלנני] Terruerunt me, i. reddiderunt me attonitum.

16. Et dixit mihi ויאמר לי] Sub. veritatem, vel quod quærebam.

17. Consurgent יקומון] i. Orientur.

19. Formidolosa דחילה] Vide v. 7.

20. Ascenderat סלקת] i. Successerat. ¶ Et ceciderant ונפלו] Vide v. 8. ¶ Et aspectus, &c. וחזוה רב מן חברתה] Et dignitas ejus excellentior suis consortibus, i. majus erat aliis cornibus.

22. Et judicium ודינא] i. Dedit Sanctis potestatem judicandi unà cum Christo. Alii, & judicavit impios in gratiam Sanctorum, vel, & judicium datum est Sanctis. Judicium enim potest significare aut Judices aut Sententiam.

23. Majus erit תשנא מן כל] Excellentius erit, i. dignitate excellet aut superabit omnia alia Regna. Alii, diversum erit ab, &c. ¶ Eámque conculcabit ותדושנה] Eámque triturabit, vel conteret.

24. Major ישנא מן] Excellentior. Alii, diversus erit à præcedentibus. ¶ Humiliabit יהשפל] Deprimet: dejiciet.

25. Conteret יבלא] Consumet, i. perdet. ¶ Et existimabit se posse, &c. ויסבר להשניה] Et cogitabit mutare, &c. dabit operam ut inveniat rationem quâ mutare possit, &c. Per tempora quidam intelligunt ceremonias sive statuta; alii, solennitates. Per Legem autem, Legem Euangelicam, aut ipsum Decalogum; ut intelligamus omnem externum & internum Dei cultum. ¶ Tradentúrque ויתיהבון] Sub. Sancti. ¶ Usque ad tempus, עד עדן '] i. Annum, duos annos, & dimidium anni. Id probatur ex Apocalypsi, ubi c. 12. 14. scribitur, Data sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, ut volaret in desertum in locum suum, ubi alitur per tempus & tempora & dimidium temporis. Item c. 13. 5. Et data est ei potestas faciendi menses quadraginta duos. Quòd planè idem est quod tempus, tempora, & dimidium temporis: nam tres annos cum dimidio efficiunt quadraginta duo menses. Rursum c. 12. 6. Ut ibi pascant eam diebus mille ducentis sexaginta. Qui dies eandem summam temporis efficiunt. Quo tempore plenè ajunt Antichristum regnaturum. Alii volunt esse tempus definitum pro incerto, dicúntque Danielem allusisse ad numerum Septenarium, qui quidem est numerus perfectus, & cujus dimidium constat tribus cum semisse: intelligúntque per hoc, tempus abbreviatum Regni Antichristi, quod quidem Dominus Deus abbreviaturus est propter salutem electorum, Matth. 24. 22.

26. Et judicium sedebit ודינא יתב] Ut v. 10. ¶ Ut dissipent ולהובדה] Ut deleant. ¶ Usque in finem עד סופא] i. Usque ad extremum, prorsus & omnino.

27. Et potestas, &c. ושלטנא '] Et dominium & majestas regnorum: ut sit sing. pro plur. ¶ Regnum ejus מלכותה] Sub. populi sancti.

28. Verbi די מלתא] Sermonis, sub. Angeli: q. d. Hîc finem dicendi fecit Angelus. ¶ Terruerunt me, &c. יבהלנני וזיוי ישתנון] Turbaverunt me: & splendores mei mutati sunt, i. gratiæ vultûs mei.

CASTALIO.

13. HOminis filius] h. e. Homo.

18. Supremi sancti] Israelitæ, h. e. Christiani.

CLARIUS.

1. SOmnium] In sequentibus quatuor Visiones recensentur; duæ cum Angelorum apparitionibus, quod genus visionum Græci ὄπταρ vocant; duæ verò per insomnia & ὀνείρατα contigerunt.

2. Quatuor venti] In mari magno quatuor ventos cæli pugnare, est In hoc mundo plurimas afflictiones fore.

4. Prima quasi leæna] Per quatuor bestias quatuor Monarchiæ designantur, è quibus hæc Babylonium Regnum significat, sicut & Jer. 4. 7. Ascendit leo de cubili suo. Et Jer. 48. & Ezech. 17. dicitur aquila grandis, &c. Sunt qui putant idem Regnum apud Ezechielem quadriformis vultûs animal dici, Leoni simile ob animositatem, Aquilæ ob celeritatem in agendis rebus, Bovi ob constantiam in ferendis laboribus, Homini ob prudentiam in singulis prospiciendis, quibus conditionibus Reges & Magistratus præditos esse decet. ¶ Sublevata est de terra] i. Erecta in pedes. Alii intelligunt, vel elevatum esse ob potentiam; vel erectum ut mente & ratione uteretur: nam humiliatus fuit etiam, ut se tandem hominem esse agnosceret. Potest & intelligi, ipsum detractis plumis erectum esse super pedes suos, h. e. humiliatum, nè posthac insolesceret ac supra hominem se erigeret. ¶ Et cor hominis datum est ei] h. e. Restitutus est ad pristinum usum rationis.

5. Et ecce bestia alia similis urso] Persici Regni symbolum, minùs generosum animal Leone, tardiúsque & ineptius; carnivorum tamen, & in senecta perquam immite ac infidum. Unde in Scriptura propter insidias & crudelitatem Leoni sæpe jungitur. Persas igitur Judæi etiam infestos sensere. Cyrus enim primò tractabilior, postea non idem præstitit: nam, ut est apud Esram, omnibus diebus Cyri Regis impeditum est consilium ædificantium Jerusalem. Jam filius ejus Cambyses etiam palàm persecutus est Judæos. ¶ In parte stetit] Vel, ad latus unum stetit. Ad partem stare est Non tanto impetu ferri in Judæos. Nam alioqui multum sanguinem effuderunt Persæ; etiam Cyrus: quod satis bellum Scythicum contra Thomyrin testatur; in quo tandem & Cyri à Regina, cæde in filii ulciscente, abscissum caput in utrem sanguine plenum immissum est, adjectis hisce verbis, Sanguinem sitisti, sanguinem bibito, sanguine impletor, cujus per annos triginta insatiabilis perseverasti. Ubi & desideratis ducentis Persarum millibus exercitum omnem amisit, ut est apud Justinum lib. 1. & Orosium lib. 2. Potest etiam illud ad latus unum stetit sic intelligi, Habuerunt & Persæ locum ut inter crudeles connumerari bestias possint. Imaginare enim Lupum, qui carnibus devoratis arrodat ossa, & non unum os sed tria simul, ut insatiabilem scias. Nam Græci legunt, tria latera, vel, costas, in ore ejus: quod alii intelligunt tres populos, Assyrios, Medos, Babylonios; alii Triumviros. Alii exponunt tres magnos dentes, i. tres Reges, qui securi sunt Cyrum. Huic autem bestiæ adhuc potestas datur ampliùs sæviendi: dicunt enim ei, Surge, comede carnem plurimam.

6. Ecce alia quasi pardus] Pardus vel Panthera Regnum Macedonicum significat, quod per dolos & fraudes initia sumpsit. Et iterum magis degenerat mundus. Nam & Pardalis non est generositate Leoni conferenda, maculis distinctum animal, odore feris gratum, quod aspectu videatur innocuum, sed amaritudine sit plenum, & humani sanguinis avidum, natum ad insidias, & in eæ in cursu levitatis. ¶ Et alas habebat] Hoc Alexandro M. aptè congruit. Nam in annis 12 plura Regna & Provincias sibi subjecit. Per quatuor autem capita quatuor Principes, qui loco ejus Regnum obtinuerunt, significantur; Ptolemæus Lagi Ægyptum, Seleucus Syriam, Antigonus Asiam, Philippus Aridæus Macedoniam.

7. Et ecce bestia quarta] Regnum Romanorum indicat. Erat Bestia, sed sine nomine; fortasse quià non habuit par cui conferretur: Cui Regno non est aliud in Scriptura cognitum quod succedat quàm Regnum Christi. ¶ Habebat cornua decem] Denarius, sicut & Septenarius, plenitudinis est numerus: & solet Scriptura per eum multitudinem enunciare. Num. 14. Tentaverunt me jam per decem vices. Job. 19. En decies me confunditis. Et decem Virgines in Euangelio. Et Esa. 5. Decem jugera vinearum facient laguncula unam. Unde etiamsi in sexcentos Principatus, qui per cornua rectè significantur, dividatur Romanorum Monarchia, quia non potest ab aliquo externo populo supprimi, semper manebit multicornis bestia. Joannes in Apocalypsi videtur quædam hinc in suum librum transtulisse, cap. 17. dicens, & decem cornua, &c.

8. Et ecce cornu aliud] Ecclesiastici omnes per hoc cornu Antichristum accipiunt. Et quidam intelligunt parvum hoc cornu esse Regnum Israelitarum, respiciens Arabiam. Mahumetem enim seductorem colit. Parva initia fuere Pseudoprophetarum. Heraclio enim imperante in Oriente, deficientibus nunc his nunc aliis provinciis, & Phoca in Occidente infeliciùs gubernante, & nec Italiam integram possidente, Mahumetes Arabs Nestorianus factus, dein novæ sectæ ac legis autor, humillimi exordii, glorians se æterni Dei Prophetam, multos Asiæ & Africæ populos sibi jungit, Saracenos illos cognominans; & non multò pòst etiam Persas occupat. ¶ Tria de cornibus primis evulsa] Quod Angelus exponit tres Reges humiliatos, nè penitus sublatos suspiceris. Quidam per tres multos intelligunt; & Mahumeti convenire dicunt, qui pleraque Regna occupavit. ¶ Quasi oculi hominis] Speciem honestatis præ se fert, sed os blasphemum & loquens grandia.

9, 10. Donec throni positi sunt] Sic & Joannes vidit sedem positam, & 24 sedilia. Hebræi legunt, donec throni ablati sunt, i. donec omnium Regnorum sedes subversæ. Regnum enim Christi illis succedet. Antiquus dierum sedit] Senes multa experti meliùs dijudicant: ideo & Christus Antiquus dierum introducitur, qui & Agnus dicitur ab origine mundi occisus; atque adeò in principio erat apud Deum: ut agnoscas etiam Prophetas Christum ut Deum ac hominem agnovisse.

Quod

Quod autem postea dicitur *eum usque ad Antiquum dierum pervenisse*, pulcre subindicat coæternum Patri Filium. ¶ *Vestimentum ejus candidum*] Hæc ostendunt purum ejus sincerúmque judicium, & nullam personam in judicando recipiens. ¶ *Fluvius igneus qui à conspectu Judicis egreditur* est sententia ejus quam feret super impios, tradens eos igni perpetuo. ¶ *Judicium sedit*] i. Judex cum assessoribus cognoscet causas singulorum, & veluti ex *aperto libro* proferet hominum malefacta.

12. *Et tempora vitæ constituta essent eis*] *Aliis bestiis data est longitudo vitæ*, h. e. non interierunt, sicut ista Quarta; cùm per aliquot tempora secutæ sint aliæ: hæc autem sic peribit ut nulla sequatur. Et in aliis Regnis quamvis perirent Reges & dominationes auferrentur, subditi tamen à victoribus gratiam assecuti sæpe in multa tempora adhuc vivebant. At ubi *judicium sederit* Reges cum subditis in stagnum ignis projicientur.

13. *Cum nubibus cœli*] Signatur hîc adventus Christi ad judicium, hic *venit cum nubibus*, h. e. cum Angelis eum stipantibus: & cùm *similis* sit *filiis hominum*, tamen dignitate & Divinitate idem est cum *Antiquo dierum*, Deo scilicet Patre. Hoc est quod dicit in Euangelio Dominus, *A modò videbitis Filium hominis sedentem à dexteris virtutis Dei.*

22. *Et tempus advenit, & Regnum obtinuerunt sancti*] h. e. Abbreviatio dierum illorum pessimorum quam Servator apud Matthæum promisit.

25. *Et putabit quòd possit mutare tempora & leges, & tradentur in manu ejus*] i. *Efferet se supra omne quod est Deus*, ut Paulus ait. ¶ *Usque ad tempus & tempora & dimidium temporis*] i. Annos tres cum dimidio justi gravissimam afflictionem ferent. Sic etiam Metaphrastes Joannes, *Et data est ei potestas ut faceret bellum menses quadraginta duos.* Ecce totidem menses faciunt annos tres cum dimidio. Et tanto quidem tempore profanatum erat sub Antiocho Templum; qui & ipse Antichristi figura fuit. Alius sic exponit, *Tria cum dimidio dimidium sunt hebdomadis. Dimidiat igitur Deus hebdomadem, dum non in æternum irascitur, sed in medio cursu adversarii gradum sistit.*

DRUSIUS.

1. רֵאשׁ מִלִּין אֲמַר. καὶ τὸ κεφάλαιον τῶν λόγων εἶπεν, & *summam sermonum dixit.* Alibi est ἀρχὴ λόγων αὐτοῦ. Et apud Theodoretum additur, καὶ ἀποκριθεὶς εἶπεν, *principium sermonum ejus, & respondens dixit.* In textu ענה ואמר *respondit & dixit*, usque initium versûs secundi.

2. בְּחֶזְוִי עִם־לֵילְיָא. ἐν ὁράματί μου τῆς νυκτὸς, *in visione mea noctis.*

7. רַבְרְבָן. μεγάλοι *magni.*

9. עַתִּיק יוֹמִין. Theodoretus, *Quidam ex interpretibus posuerunt*, ὁ παλαιῶν τὰς ἡμέρας, antiquans dies.

10. נְגֵד וְנָפֵק מִן־קֳדָמוֹהִי. εἷλκεν ἐκπορευόμενος ἔμπροσθεν αὐτοῦ, *trahebat egrediens ante eum.*

13. וּקְדָמוֹהִי הַקְרְבוּהִי. καὶ ἐνώπιον αὐτοῦ προσηνέχθη, & *coram eo oblatus est*] Aliàs προσήχθη, eodem sensu. Reperitur etiam προσήγαγον αὐτὸν *adduxerunt eum*, sive *obtulerunt eum.*

17. חֵיוָתָא רַבְרְבָתָא. τὰ θηρία τὰ μεγάλα, *bestiæ magnæ.*

25. וּמִלִּין לְצַד עִלָּאָה יְמַלִּל. Sym. & *sermones quasi Deus loquetur*] Hieron. *Et Sermones contra Excelsum loquetur, sive, ut interpretatus est Sym.* sermones quasi Deus loquetur: *ut qui Dei assumit potentiam, verba quoque Divina sibi vendicet majestatis.* ¶ יְבַלֵּא. παλαιώσει, *quasi vetustate consumet.* Aliàs καταστρέψει *evertet.* Sic etiam Hieron. & Santes. Sed Arias correxit *abolebit.* In quibusdam libris est ταπεινώσει, & in aliis πλανήσει. Et Scholion in margine, τουτέστι, σκυλμὸν αὐτοῖς ποιήσει, *vexationem eis faciet.* ¶ וְיִסְבַּר. Th. καὶ ὑπονοήσει. Schol. προσδοκήσει. Justinus προσδέξεται. Sunt diversæ interpretationes; & hæc omnia verbum סבר significat, videl. *cogitare, putare, sperare & suscipere.* Adito sis ad Lexicon Chaldaicum. Gen. 32. 20. יסבר לי אפין in Jonatha, i. *suscipiet mihi faciem:* quod Oncelos dixit יְקַבֵּל אַפַּי, & Ebræus ישא פני.

28. וְדִי שַׁנְיָן עֲלַי. καὶ ἡ λέξις διήνεγκεν ἐμοὶ, & *sermo diversus fuit mihi.* Ità Justinus hunc locum citat.

GROTIUS.

1. A*Nno primo Baltasar Regis Babylonis*] Hactenus Historia. Sequuntur nunc visa Danieli oblata Divinitus, quæ quia variis temporibus contigere, cogitur retrorsum ire & repetere tempora, quæ in historia jam erat prætervectus: quod & aliis Prophetis evenit. Pro בלשאצר [*Belsatzar*], quod suprà habuimus, codices Hebræi emendatiores habent בלאשצר, literâ transpositâ, sensûque mutato; id enim significat, *Belum esse ignis hostici*, id est, utendum flammâ hostili, quod & Jeremias prædixerat L. 2. LI. 44. Ità Prophetæ nomina in honorem idolorum reperta levi flexu in eorundem contumeliam detorquebant. In historia Daniel ejus nomen sumsit ità ut vulgò pronuntiabatur, in Visis verò ità ut Prophetam decebat. De hoc more Judæorum, nomina falsorum deorum in contumeliam vertendi, literis mutatis aut transpositis, vide Mosem de Kotzi, Præcepto vetante XXXII.

Somnium vidit] Ut olim Josephus. Nam etiam eo modo non minùs quàm per afflatum, aut visa Divina, aut vocem, Deus futura dilectis sibi aperit.

Brevi sermone comprehendit] In Chaldæo, *Caput verborum dixit:* id est, summam rerum scripto comprehendit.

Summatimque perstringens ait] In Chaldæo: *Effatus autem Daniel dixit.*

2. *Et ecce quatuor venti cœli*] Ingentis tempestatis descriptio, qualis illa:

Unà Eurúsque Notúsque ruunt, creberque procellis
Africus.

Ovidius I Tristium II.

Nam modò purpureo vires capit Eurus ab ortu,
Nunc Zephyrus sero vespere missus adest;
Nunc gelidus siccâ Boreas bacchatur ab Arcto;
Nunc Notus adversâ prælia fronte gerit.

Lucanus:

Primus ab Oceano caput exseris Atlanteo
Core, movens æstus: jam te tollente furebat
Pontus, & in scopulos totas erexerat undas:
Occurrit gelidus Boreas, pelagúsque retundit:
Et dubium pendet, vento cui concidat, æquor.
Sed Scythici vicit rabies Aquilonis, & undas
Torsit, & abstrusas penitus vada fecit arenas.
Nec perfert pontum Boreas ad saxa, suúmque
In fluctus Cori frangit mare: motáque possunt
Æquora subductis etiam concurrere ventis.
Non Euri cessasse minas, non imbribus atrum
Æolii jacuisse Notum sub carcere saxi
Crediderim.

Valerius Flaccus:

——— ——— *fundunt se carcere læti*
Thraces equi, Zephyrúsque & noctis concolor alis
Nimborum cum prole Notus, crinémque procellis
Hispidus & multâ flavus caput Eurus arenâ.

Per tempestatem autem bella intellige.

In mari magno] Id est, non in lacu aliquo, qualis Asphaltites, & Genezerethanus, quæ *maria* vocant accolæ, sed in mari illo quod Syriam, Ægyptum, Judæam alluit. Sic & Poëtæ:

Suave mari magno, turbantibus æquora ventis.

Item:

——— ——— *sicut minuta magno*
Deprensa navis in mari vesaniente vento.

Per *mare* populos intellige, ut Apoc. XVII. 15.

3. *Et quatuor bestiæ grandes*] Ideo *bestiæ*, quia idololatrica erant Imperia, ut notat hîc Jacchiades. Adspicit hoc Propheta, quod non videbat Nabuchodonosor. Vide dicta suprà II. 31.

Ascendebant de mari] A populis quisque suis magnam vim nacti in alios ferebantur.

Diversæ inter se] Quæ diversitas in sequentibus explicatur.

4. *Prima quasi leæna*] *Quasi leo.* Regnum Babylonicum sub Nabuchodonosoro forte & sævum. Unde Nabuchodonosor *leo* dicitur etiam Jeremiæ IV. 7.

Et alas habebat aquilæ] Celerrimè sub illo movebatur, *velocius aquilis*, Jerem. IV. 13. Unde & aquilæ comparatur Jerem. XLVIII. 40.

Aspiciebam donec evulsæ sunt alæ ejus] Tardati cursus ejus Imperii sub Evilmeraducho, Negriglassoroso, Laborosoarchodo.

Et sublata est de terra] Verte: *per quas efferebatur supra terram.* Sæpe enim Chaldæis, ut & Hebræis, copula vim habet relativi.

Et super pedes quasi homo stetit] Quietè se continuit.

Et cor hominis datum est ei] Cognitio veri Dei data Nabonnedo, suprà VI. 20. Ideo Deus cùm vellet destruere Babylonem, ipsi tamen pepercit.

5. *Et ecce bestia alia similis urso*] Ursus ζῷον παμφάγον [*animal omnia vorans*], ait Aristoteles VIII. 5. Sic Medopersæ raptores magni, prædones, Jeremiæ LI. 48. 56. *Ursus*

secun-

secundùm Persas hostem significat opulentum, ait Achmetes.

In parte stetit] In Chaldæo, *Stetit ad latus unum*: id est, seorsum, nempe à Judæa. Sensus est, *Judæa nihil nocuit*: quomodo Hieronymus hîc optimè interpretatur secutus Hebræos, ut ipse dicit.

Et tres ordines erant in ore ejus & in dentibus ejus] In Chaldaïco: *Et tres costa erant in ore ejus inter dentes.* Hæ *tres costæ* sunt Imperium Persicum, Medicum & Chaldaïcum. *Costæ vires hominis significant*, Achmetes XII.

Et sic dicebant ei] *Sic dicebatur.*

Surge, comede carnes plurimas] Nam ursus libenter σαρκοφαγεῖ [*carnes edit*], Aristoteles dicto loco.

6. *Et ecce alia quasi pardus*] Pardus varium animal. Sic Alexander moribus variis; modò clemens, modò crudelis; modò victus temperati, modò ebriosus; modò abstinens, modò indulgens amoribus. *Pardus apud Persas & Ægyptios hostem significat irreconciliabilem*, ait Achmetes.

Et alas habebat quasi avis quatuor super se] Id est, celerior erit hæc vis vi Chaldaïca, quæ duas tantùm habebat alas. Vide infrà VIII. 5. Lucanus de Alexandro:

——— *fulménque quod omnes*
Percuteret pariter populos.

Et mater ejus somniaverat ex utero suo enasci fulmen.

Et quatuor capita erant in bestia] Quatuor capita succreverant loco unius. Hi sunt quatuor summi post Alexandrum duces, Perdicca, Seleucus, Ptolemæus, Meleager; quorum Perdicca equitatui Macedonico, externo Seleucus, Meleager satellitio regio, Ptolemæus peditatui præerant. Vide infrà VIII. 22. & adde 1 Maccab. I. 7. & quæ ibi dicentur.

Et potestas data est ei] Ingens scilicet, à Deo regnorum arbitro.

7. *Bestia quarta terribilis atque mirabilis*] Crura imaginis: quæ hîc sub unius feræ nomine describuntur, quòd tam Syriæ quàm Ægypti Reges Macedones essent, & incertis finibus, modò hi modò illi latiùs regnaverint: præterea Judæam (quod hîc maximè respicitur) nunc hi nunc illi tenuerint, aut vexaverint. Etiam nunc Hebræi ista Imperia uno nomine appellant מלכות יון [*Regnum Græcorum*].

Dentes ferreos habebat magnos, comedens atque comminuens] Idem quod ferrum in imagine II. 40. Sævitia denotatur in Judæos maxima, ut dixi.

Et reliqua pedibus suis conculcans] Siquos vivos reliquerat, eos fœdè tractabat.

Dissimilis autem erat cæteris bestiis quas videram ante eam] Id est, multò sævior.

Et habebat cornua decem] Id est, *decem erunt Reges*, ut infrà 24. nempe qui sæviturì sunt in Judæos, tum ex Syria, tum ex Ægypto; quos omnes ex historia numeravit Porphyrius. Cornua eminent in animantibus: sic in populo Reges. Videmus autem *decem* ista *cornua* reperire posse in capite infrà undecimo, hos scilicet, Ptolemæum Lagi, Seleucum Nicatora, Ptolemæum Eupatora, Ptolemæum Evergeten, Seleucum Callinicum, Antiochum Magnum, Ptolemæum Philopatora, Ptolemæum Epiphanem, Seleucum Philopatora, Antiochum Epiphanem.

8. *Et ecce cornu aliud parvulum ortum est de medio eorum*] *Parvulum cornu* dicitur, quia etsi genere erat regio, nullum tamen jus habebat ad regnum, Antiochus scilicet Epiphanes. Vide XI. 21.

Et tria de cornibus primis evulsa sunt à facie ejus] Id est, per ipsum, aut ex ipsius jussu, Seleucus frater ipsius major occisus; spoliatus verò Demetrius ejusdem Seleuci filius, Antiochi autem patruelis; spoliatus item Ptolemæus Philopator Rex Ægypti. Demetrius fuit filius Seleuci, qui frater Antiochi. Ac proinde apud Justinum, ubi filio hujus Antiochi Demetrius dicitur *patruus*, legendum *patruelis*: quod nos docent Appianus, & Livii breviator libro XLVI. Vide quæ dicentur infrà ad cap. XI.

Et ecce oculi quasi oculi hominis erant in cornu isto] Id est, perspicax erit ad res agendas. Vide VIII. 23.

Et os loquens ingentia] Erat enim arrogans admodum, unde & Ἐπιφανὴς [*Illustris* sive *Nobilis*] dictus. Vide infrà 20.

9. *Aspiciebam donec throni positi sunt*] Sedilia Judicum, Dei scilicet, ut Regis, & Angelorum ut Satraparum Regni. Vide quæ suprà IV. 14. 21. Matth. XIX. 28. Apocalypseos IV. 2. 4. V. I. XX. 4.

Et Antiquus dierum sedit] Formam vidit Viri provectæ ætatis, quo significabatur bene cocta fore Dei judicia, qualia esse senum solent.

Vestimentum ejus candidum quasi nix] Non ipse tantùm incorruptus, sed & omnia quæ circum eum sunt.

Et capilli capitis ejus quasi lana munda] Nullo colore tincta. Sic Dei judicia pura à turbidis affectibus.

Thronus ejus flamma ignis] Id est, tanquam flamma. Ignis, res efficacissima: sic & Deus ad judicia sua exsequenda potentissimus.

Rota ejus ignis accensus] *Quasi ignis ardens.* Sedilia in Oriente transportari solebant; ideo rotas habebant, ut sellæ curules Romanorum. Significatur potentia Deum comitari quocunque voluerit.

10. *Fluvius igneus rapidúsque egrediebatur à facie ejus*] In Chaldæo, *Flumen igneum manabat, ab ore ejus egrediens.* Omnibus decretis ejus vis aderat perpetua.

Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei] Non decem illæ quas Aristoteles comminiscitur Intelligentiæ, sed immensus Angelorum ministrantium numerus.

Judicium sedit] Id est, Angeli illi majores assederunt in sellis minoribus. דינא [*Judicium*] pro בית דין, id est, τὸ συνέδριον [*Consessus*].

Et libri aperti sunt] Libri vocantur scripturæ litis omnes, accusatio, defensio, testimonia, instrumenta. Confer Apocalyps. XX. 12.

11. *Aspiciebam*] *Spectabam attentus.*

Propter vocem sermonum grandium quos cornu illud loquebatur] Etiam in Deum ipsum, infrà 25. Avebam cernere quem exitum hæc res habitura esset.

Et vidi quoniam interfecta esset bestia] In Chaldæo: *Spectavi donec interfecta est bestia.* Tamdiu substiti speculabundus donec exitum cernerem Imperii illius Syriaci & Ægyptiaci.

Et periisset corpus ejus, & traditum esset comburendum igni] Id est, ità deletum est ut ejus non magis quicquam appareret quàm rerum quas ignis absumit. Pompejus Antiocho Asiatico Syriam ademit, Augustus Cleopatræ Ægyptum: ità regna desierunt esse, factæque sunt provinciæ populi Romani.

12. *Aliarum quoque bestiarum ablata esset potestas*] Macedonia à Paulo victa, Græcia à Mummio & Flaminio, Mithridates à Dario Hystaspis filio ortus, fractus à Sulla & Lucullo, à Pompejo devictus. Sic regna Asiæ Pergamenæ, Ponti, Cappadociæ, Bithyniæ extincta, quæ olim Chaldæorum, deinde Persarum fuerant.

Et tempora vitæ constituta essent eis] *Quia spatium vitæ ipsis constitutum fuerat*, nempe à Deo. Simile vide Apocalyps. XVII. 17.

Usque ad tempus & tempus] In Chaldæo: *Usque ad tempus, & quidem præfinitum.* Ultra terminum à Deo fixum non potuerat subsistere.

13. *Aspiciebam ergò*] Jam modum describit per quem contigit ista mutatio. Eadem res significatur quæ per lapidem, cujus incussu fracti Statuæ pedes, II. 34. 45.

Et ecce cum nubibus cæli] Id est, summa cum celeritate, ac motu rapido in partes omnes, ut Jeremiæ IV. 13.

Quasi filius hominis veniebat] Populus Romanus nullum habens intra se Regem, ut dicitur 1 Maccab. VIII. 14. *Filii hominum* dicuntur privati, ut Psalm. LXXXII. 7. *Privatum* autem hîc sume quatenus ea vox *Regibus* opponitur, ut apud Lucanum:

Nesciat hoc quisquam nisi tu, quæ sola meorum
Conscia votorum es, me, quamvis plenus honorum,
Et Dictator eam Stygias, & Consul ad umbras
Privatum, Fortuna, mori.

Et usque ad Antiquum dierum pervenit, & in conspectu ejus obtulerunt eum] Id est, jussus est se sistere coram Deo Regum & regnorum judice, velut ad accipienda mandata. Sic Cyrus *servus Dei* dicitur, quia Dei decreta exsequebatur. Est autem Populus Romanus non obscurè Christi imago, cujus Imperium ab initiis minimis in totum orbem pervenit, sed Divino modo. Ità sensit & scriptor de Regimine Principum.

14. *Et dedit ei potestatem, honorem & regnum*] Deus ei dedit Imperium maximum.

Et omnes populi, tribus & linguæ ipsi servient] Confer Apocalyps. XIII. 7.

Potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum ejus quod non corrumpetur] Manet etiam nunc Imperii Romani, accisi alicubi, sed aucti in aliis partibus, & nomen & majestas.

15. *Horruit spiritus meus: Ego Daniel territus sum in his, & visiones capitis mei conturbaverunt me*] Ob tantas mutationes, quas generaliter & confusè concipiebat animo, mox intellexit distinctiùs.

16. *Accessi ad unum de assistentibus*] Ad Angelum unum, non ex assidentibus, sed ex adstantibus & ministrantibus Deo. Vide Zach. III. 4. 7. & quæ dicta à nobis ad Matth. XVIII. 10.

Et

Et veritatem quærebam] Id est, claram intelligentiam, τὴν ἀκρίβειαν [*exactam cognitionem*], Theodotio.

Dixit mihi interpretationem sermonum] *Rerum*, quas videram in quiete.

17. *Hæ quatuor bestiæ magnæ quatuor sunt regna*] Sic & Theodotion τέσσαρες βασιλεῖαι [*quatuor regna*]. In Chaldæo est מלכין [*Reges*], id est, Regum genera, sive Reges quadruplices.

Quæ consurgent de terra] Nihil nisi terrenum cogitabunt, agéntque, utpote idololatræ.

18. *Suscipient autem regnum sancti Dei altissimi*] Imperium tandem maximum (id est, Romanum) perveniet ad unius Dei cultores. In hoc honore primas habuissent partes Judæi οἱ κατὰ σάρκα [*secundùm carnem*], si Messiam humilem recepissent; nunc cùm ipsi eum repudiarint, translatus est is honor ad Judæos mysticos, id est, ad Christianos, qui, quod præcipuum & perpetuum Judaïsmi erat, retinent, unius Dei cultum, eo modo in arborem Judaïcam insiti: manente interim penes Judæos hoc honore, quòd is cui Reges ipsi Christiani famulari se testantur, Jesus, Judæus fuit ex Judæis. *Sancti* autem revera Christiani si Christi præcepta sequantur, multùm vincentia omnem Judæorum, etiam optimorum, sanctitatem.

Et obtinebunt regnum usque in seculum & seculum seculorum] Christiani perpetuò compotes erunt magnorum regnorum, & si quid de vetere Imperio Romano eis decedet, id compensabitur abjectione terrarum quæ Romanis nunquam paruere, quales sunt Scanzia, Russia, Scotia, Hybernia, Polonia, Æthiopia.

19. *Post hoc volui diligenter discere*] *Exactiùs discere.*

De bestia quarta] Quia ea res maximè ad Judæos pertinebat, ideo specialiùs explicatur.

Quæ erat dissimilis valde ab omnibus] Vide suprà 7.

20. *Et de cornu illo*] *Id est, de cornu illo.* Nam ו [*&*] hic, ut alibi sæpe, est ἐξηγητικόν [*explicativum*].

21. *Et ecce cornu illud faciebat bellum adversùs sanctos*] Id est, unius Dei cultores, quales eo tempore inter omnes populos soli erant Judæi. Confer Apocalypsin XI. 7.

Et prævalebit eis] Etiam Urbe & Templo capto.

22. *Donec venit Antiquus dierum*] Bene cocta Dei judicia.

Et judicium dedit sanctis Excelsi] Vindictam suam mandabit Judæis. Vide Ezechiel. XXXVIII. 18. & sequentibus, & XXXIX.

Et tempus advênit, & regnum obtinuerunt sancti] *Et tempus veniet cùm sancti obtinebunt regnum:* id est, ejectis Antiochi militibus ipsi semet gubernabunt αὐτόνομοι, αὐτόδικοι, αὐτοτελεῖς [*utentes suis legibus, suis judiciis, suis reditibus*], ac prætereà subigent Idumæam, Samariam, Ammonitidis & Moabitidis multa. Testantur hoc Maccabæorum libri & Josephus. Prædixerant verò Esaias LXII. LXIII. Jerem. XXXI. Ezech. XXXVI. In hoc figura fuit Imperii multò majoris, quod obtenturi erant Christiani.

23. *Quod majus erit omnibus regnis*] In Chaldaïco: *Differet ab omnibus regnis*, nempe ob majorem sævitiam & impietatem.

Devorabit universam terram] *Terra* κατ' ἐξοχὴν [*per excellentiam*], est terra Israël, terra promissa Patribus, terra optima.

24. *Porrò cornua decem ejus regni decem Reges erunt*] Modò Syriæ, modò Ægypti, qui Judæam vexabunt.

Et alius consurget post eos, & ipse potentior erit prioribus] Non ità in Chaldæo; sed *diversus erit à prioribus*: multa enim peraget non vi sed astu: quod significant *oculi hominis* suprà 8. Vide infrà VIII. 23. XI. 21. 25.

Et tres Reges humiliabit] Ptolemæum Philometorem, Seleucum fratrem suum majorem, & filium ejus Demetrium, ut dictum suprà 8.

25. *Et sermones contra Excelsum loquetur*] Spernet Deum verum, infrà XI. 36. Imitati dominum ministri ὑπερφάγαν ἐβλασφήμουν, καὶ λόγους ἀθεμίτους προΐεντο [*vehementer blasphemabant & verba impia loquebantur*], II Maccab. X. 34. & XII. 14.

Et putabit quòd possit mutare tempora] Sperabit se in perpetuum abolere posse Sabbata, Paschata, Pentecostas, σκηνοπηγίας [*fixionem Tabernaculorum*], dies Propitiationis, Novilunia. Hoc est quod dicitur I Maccab. I. 48. καὶ βεβηλῶσαι σάββατα καὶ ἑορτάς [*& profanare Sabbata & dies festos*].

Et leges] *Et Legem* in Chaldæo, id est, Circumcisionem, lectionem Legis, ritúsque alios, τοῦ ἆραι τὰ νόμιμα [*tollere legitima*] I Maccab. III. 29. qui eum sectati sunt ἀπέστησαν ἀπὸ διαθήκης ἁγίας [*defecerunt à testamento sancto*], I. 14. 15. 16. 17. 45. & sequentibus. Vide Josephum XII. 7.

Et tradentur in manu ejus] Lex & dierum observationes proculcatæ jacebunt sub ipsius potestate, Deo id sinente.

Ad tempus & tempora, & dimidium temporis] Quod hic habemus Chaldaïce, idem habemus Hebraïcè infrà XII. 7. *Tempora*, χρόνοι, per Excellentiam Anni, ut suprà IV. 29. & apud Græcos sæpe. Josephus de Bello Judaico libro I. capite I. de Antiocho agens: τὸν ναὸν ἐσύλησε, καὶ τὸν ἐνδελεχισμὸν τῶν καθ' ἡμέραν ἐναγισμῶν ἔπαυσεν ἐπ' ἔτη τρία καὶ μῆνας ἕξ [*Templum spoliavit & juge sacrificium cessare fecit per tres annos & menses sex*]. Paulò plus fuit, id est, *dies mille ducenti nonaginta*, ut habebimus infrà XII. 11. mille ducentos nonaginta sex dixit Josephus IX. 12. ἔτη τρία καὶ ἥμισυ καὶ μικρόν τι πρὸς [*annos tres & dimidium & paullò amplius*], ait Chrysostomus: sed illud supercrescens insuper habetur ad rotundandum numerum. Apocalypsis in historia huic typo respondente dixit *dies mille ducentos & sexaginta*, XI. 3. & alibi *menses quadraginta duos*, XI. 2. & XIII. 5. Modicum nec Prætor curat, nec Propheta. Putatur autem hoc tempus ab Urbe capta, & interdictis ritibus: nam ex quo Idolum fuerat collocatum erant tres tantùm anni. Ità Josephus, & II Maccab. X. 5. Item I Maccab. I. 62. collato loco ejusdem libri IV. 52. Unde apparet dicto loco II Mac. cap. X. commate 3. pro διετῆ [*biennale*] legendum τριετῆ [*triennale*].

26. *Et judicium sedebit*] Id est, Deus cum Angelis velut assessoribus (nam Deus Hebræis semper ob oculos ponitur ad instar maximorum Regum) de Antiocho judicium feret. Vide suprà IV. 13. & hîc 9.

Ut auferatur potentia] Nempe Antiocho, copiis fusis, & morte ipsius. Vide Ezechielis XXXVIII. XXXIX.

Et conteratur, & dispereat usque in finem] Toto regno deleto, de quo antè commate 11.

27. *Regnum autem & potestas, & magnitudo regni, quæ est subter omne cœlum, detur populo sanctorum Altissimi*] Imperium Romanorum latissimè patens (est enim hic συνεκδοχὴ [*Comprehensio*], aut ὑπερβολὴ [*Superjectio*] frequens Prophetis) tandem perveniat ad Christianos Judaïsmi perfectores. Judaïsmi enim substantia est ἡ μονοθεΐα [*unius Dei agnitio*]. cætera accessoria. Vide quæ suprà dicta ad 18.

Cujus regnum regnum sempiternum est] Nam & nunc durat.

Et omnes Reges servient ei, & obedient] Ecclesiæ Christianæ disciplinæ se subjicient, ut fecit Theodosius ille Magnus. Quæ disciplina omnia habet quæ habebat Judaïca (exceptis ritibus ad tempus datis), & multa meliora.

28. *Hucusque finis verbi*] Illius sermonis quem ad me habuit unus ex Angelis ministrantibus.

Et facies mea mutata est in me] Ità turbatus fui ut facies expallesceret. Vide suprà IV. 33. V. 6. 10.

Verbum autem in corde meo conservavi] Nempe ut ea accuratè perscriberem, & relinquerem posteris ingens documentum Divinæ providentiæ, præscientiæque.

CAP. VIII.

MUNSTERUS.

2. Juxta fluvium] Kimhi hunc locum sic legit, *eram juxta fluvium Ubal, qui est in loco Ulai.* Nostri putant esse Eulæum amnem, qui disterminat Susianen ab Elymaide.

3. *Aries unus*] Per hunc *arietem* significatur Monarchia secunda, Medorum scilicet & Persarum, qui per *duo cornua* exprimuntur. Junxerant enim simul Medi & Persæ exercitus suos, cum Babyloniam expugnarunt, licet Persæ clariores evaderent, qui hîc per *cornu retro ascendens* significantur, quòd posteriori tempore Medos in dignitate superarint.

5. *Hircus caprarum*] Per hunc *hircum* docet Angelus intelligendum *Regem Græciæ*, qui Regnum Persarum delevit. Hic tanta velocitate pervenit in Orientem ut magis volasse quàm per terram ambulasse hîc scribatur. Porrò cornu perplexum & ramosum significat Alexandrum M. qui cùm in summa esset fortitudine, *fractum est cornu* ejus, sublatúsque est veneno, & Regnum divisum in quatuor partes.

9, 10, 11. *Cornu unum parvulum*] Hæc de Antiocho intelligenda sunt, qui *Meridiem*, h. e. Ægyptum, *& Orientem atque locum amænum*, i. e. Jehudæos & Jerusalem, afflixit. ¶ Per *exercitum cœli* intelligendus est populus Dei, sicut & per *Principem exercitûs* accipiendus est Deus, quem Antiochus blasphemavit, & cultum ejus atque Templum profanavit.

13, 14. *Ad quempiam*] Est hic פלמוני dictio composita à אלמוני & פלוני: significatúrque per eam secundùm Hebræos Angelus quidam magnus, cujus nomen erat *mirabile & absconditum*. Ex nostris quidam per ipsum intelligunt Deum admirabilem. ¶ *De jugi sacrificio*] Sub. *ablato*. Et est sensus, Quamdiu erit sublatum sacrificium à Templo Domini? & respondetur, *Usque ad vesperum & manè, per duo millia trecenta*, h. e. per 2300 dies naturales, qui ex vespero & manè constant: h. e. brevi tempore durabit tribulatio sub Antiocho, & desolatio Templi.

17. *Ad tempus erit finis visionis*] i. Post aliquot dies evenient terribilia ista, non tuo tempore, neque in consummatione seculi. Et idem repetit quando dicit, *Ostendo tibi quid futurum est in ultima ira*, vel *in fine ira*, quam scilicet Deus tandem post longanimitatem suam ostendet.

23. *Cùm consummati fuerint iniqui*] Causam reddit quare Deus Israelitis immiserit tam crudele flagellum, nempe quòd in summa prolapsi fuerunt flagitia, etiam paulò post captivitatem Babylonicam, prævaricantes & nauseantes legem Dei. De qua re mira leguntur 2 Mach. 4. ¶ *Rex facie severus*] i. Impudens, & qui à nullo abhorrebat facinore. Talis enim erat Antiochus Epiphanes: de quo & hoc subditur, quòd *intelligebat ænigmata*, h. e. adinvenit fraudes & dolos quibus etiam astutos circumvenit.

24. *Non per virtutem suam*] Quia Deus voluit per ipsum punire populum suum; alioquin per virtutem suam tanta mala irrogare non potuisset.

25. *Absque manu*] i. Ultione Divinâ interibit, sicut habetur 2 Mach. 9. Multi ex nostris putant per hæc delineari Antichristi malignitatem, quódque Antiochus typus fuerit ejus.

26, 27. *Veritas est*] Sensus est, Non fallet visio: abbreviabitur enim tempus tribulationis, durans solùm per 2300 dies, qui faciunt sex annos & dimidium. *Et tu*, Daniel, *obsigna visionem*, & nemini explica donec impleta fuerit. Multi quidem legent eam, sed non intelligent quousque impleta fuerit. ¶ Et quod subditur de *ægrotatione Danielis*, ostenditur illam Prophetæ immissam, nè extolleretur sublimitate visionum, quas solus intelligebat.

VATABLUS.

1. *Ipsi Danieli* אני דניאל] i. Mihi ipsi qui sum Daniel. Ità vertitur aliquando אני, ut c. 7. 15. אנה Chaldaicum.

2. *Eram* ואני] Ad verb. *& ego*, i. videbar mihi esse in Susis. ¶ *Cùm essem* ואני הייתי] Ad verb. *& ego eram*, i. cùm viderer mihi esse ad rivum sive flumen Ulai. Quidam dicunt Danielem tunc fuisse Susis. Alii verò asserunt eum ipso anno petiisse eam urbem, postea eodem fuisse reversum in Babylonem, ante mortem ipsius Balsasar.

3. *Cùmque*, &c. ואשא עיני וגו'] Ad verb. *Et levavi oculos meos, & vidi*. ¶ *In novissimo* באחרונה] *Postremo*, i. secundo loco, sive posteriore tempore. Primum cornu Regnum Medorum significat; secundum altero celsius, Regnum Persarum. Sic ipse exponit v. 20.

4. *Et nulla bestia*, &c. וכל חיות וגו'] Ad verb. *& omnes bestiæ non stabunt coram eo*. Fut. Heb. pro præs. imperf. *nulla bestia stabant coram illo*, pro *non resistebant illi*. ¶ *Et magnus evasit* והגדיל] Ad verb. *& magnificatus est*.

5. *Cùm autem ego hæc considerarem* ואני הייתי מבין] Ad verb. *Et ego eram intelligens, & ecce*, &c. i. cùm attentè considerarem & contemplarer. ¶ *Super faciem totius terræ* על פני כל הארץ] Quidam liberiùs vertunt, *qui omnes regiones pervagabatur*. ¶ *Insigne* חזות] Ad verb. *visibile, visendum*, sive *visenda magnitudinis*. Hebræi exponunt *magnum visu*. Doctus inter eos exponit *ramosum*, sive *multos habens ramos*, h. e. *magnum*.

6. *In ira fortitudinis suæ* בחמת כחו] i. Magno impetu cum ira cucurrit.

7. *Et elevatus contra eum* ויתמרמר אליו] *Et insurrexit in eum*. Alii, *& irritatus est adversus illum*, i. irâ percitus invasit illum. Alii, *efferatus est*. ¶ *Et comminuit* וישבר] *Et fregit*. ¶ *Ad resistendum ei* לעמוד לפניו] Ad verb. *ad standum coram eo*.

8. *Cùm verò*, &c. וכעצמו] Ad verb. *Et cùm roboratus esset*, vel *magnificatus fuisset*. ¶ *Cornu illud magnum* הקרן הגדולה] Significat potentiam Alexandri, cujus morte fracta est. ¶ *Insignia* חזות] Eadem dictio quæ v. 5.

9. *Cornu unum*, &c. קרן אחת וגו'] Antiochum Epiphanem significat, quia fuit Romæ obses. ¶ *Et ad terram desiderabilem* ואל הצבי] *Et ad inclytam*, sub. *terram Israel*. Alii, *decoram & gloriosam*. Alii, *& ad locum amœnum*. Ad verb. *& ad gloriam*, vel *decus*.

10. *Crevitque* ותגדל] *Magnificatum est etiam*: q. d. Adeò crevit Antiochus ut ausus sit etiam invadere pios. ¶ *Usque ad exercitum cæli* עד צבא השמים] *Usque ad militiam cæli stem*. Sic vocat pios qui colunt Deum cœli. Comparavit, inquit, copias quas duxit contra pios Israelitas. ¶ *Et de stellis* ומן הכוכבים] Intelligit sanctiores, aut duces, aut Sacerdotes.

11. *Denique*, &c. ועד שר הצבא] *Et usque ad Imperatorem militia*, i. Deum qui est Dux Israelis: q. d. Ausus est Deum provocare ad bellum: nam polluit Templum Dei sanctum. ¶ *Juge* התמיד] *Perenne*. Intelligit omnes ceremonias & sacrificia quæ fiebant manè & vesperi: q. d. Adeò afflixit Judæos ut coacti fuerint intermittere sacrificia. ¶ *Sanctificationis ejus* מקדשו] *Sanctuarii ejus*, i. Templi, quod pollutum fuit imagine Jovis Olympici.

12. *Tradetur* ותנתן] *Traditus est*, i. populus Judaicus venit in potestatem hostium propter transgressionem quam admiserant circa illud juge sacrificium. ¶ *Et projiciet veritatem* ותשלך וגו'] *Et projecit veritatem*, i. pios ac fideles Judæos. Aut per *veritatem* intelligit Legem Dei. ¶ *Et faciet* ועשתה] Sub. *pro arbitrio suo*.

13. *Cuidam* לפלמוני] *Tali*, cujus scilicet nomen ignoro. ¶ *Desolans* שומם] Erit *deleta*: i. *Quanto tempore intermittetur hoc sacrificium juge? quando iniquitas propter quam tolletur sacrificium & Templum, exercitusque Dei conculcatur, delebitur?* Aut expone postremam particulam, *Quamdiu dabit cornu illud exercitum & Templum in conculcationem?* Alii, *transgressio stupenda*, aut *admiranda*. Quidam totum sic vertunt, *Usquequo durabit hac visio de jugi sacrificio, & permittetur grassari iniquitas, & sanctuarium atque exercitus erit in conculcationem?* Alii, *Quamdiu durabit visum perennis sacri, & sceleris vastationis, ut permittantur proculcationi & sanctum & exercitus?*

14. *Usque ad vesperam* & *manè* עד ערב בקר] Sic vocat dies naturales qui nocte & die constant. *Bis mille trecenti dies* efficiunt annos sex, menses tres, dies octodecim & decem horas cum aliquot minutis. Intellige de annis solaribus: nam iste numerus efficit lunares annos circiter sex cum dimidio. ¶ *Et expiabitur* ונצדק] Ad verb. *& justificabitur*, i. mundabitur. Quidam vertunt, *reducetur sanctum ad justum atque legitimum usum*.

16. *Inter Ulai* בין אולי] i. Inter ripas Ulai fluminis, de quo v. 3. h. e. in medio amnis.

17. *Stationem meam* עמדי] Ad verb. *stare meum*, i. locum in quo stabam. ¶ *Ad tempus finis* לעת קץ] *Post tempus finis*. Substantivum more Hebræorum pro adjectivo, *finitum*: q. d. Tempore tandem finito quod Deus præstituit, adimplebitur ista visio. Simile dicendi genus cum eo quo & Paulus utitur Gal. 4. 4. *At ubi venit plenitudo temporis*. Doctus inter Hebræos subaudit nonnihil; sic, *post tempus finis multorum dierum*, i. post longum tempus: nam circiter finem dicitur, *Tu autem claude visionem, quia erit ad dies multos*.

19. *In novissimo ira* באחרית הזעם] *In fine ira*, i. Cùm diu continuerit Deus iram suam. ¶ *Quia ad tempus finis* כי למועד קץ] *Quòd post tempus finis*, i. postquam finitum erit tempus à Deo constitutum, ut v. 18. *adimplebitur visio*.

21. *Hircus verò*, *hircus* והצפיר השעיר] Duæ dictiones idem significantes, quarum prior Chaldæa est, sequens est Hebræa quæ Chaldæam præcedentem exponit. ¶ *Est Rex primus* הוא המלך הראשון] Significat primum Regem, nempe Alexandrum.

22. *Et steterunt* ותעמודנה] *Et exstiterunt*, vel *substiterunt*, sive *enata sunt*. ¶ *Sed non*, &c. ולא בכחו] Ad verb. *& non in fortitudine ejus*, i. quæ nunquam assequentur fortitudinem [aut vires] illius, Alexandri scilicet. Alii, *non in fortitudine ejus*, i. non ex ejus semine: nec enim suscepit filios Regni heredes.

23. *Regni eorum* מלכותם] *Imperii eorum*, nempe Græcorum; h. e. circa finem Imperii. ¶ *Cùm consumpti fuerint*, &c. כהתם הפושעים] *Cùm consumet* Deus *prævaricatores*. Alii, *cùm consummatæ fuerint prævaricationes*. ¶ *Stabit* יעמד] i. Consurget. ¶ *Fortis facie*, &c. עז פנים וגו'] Hebraismus, pro *impudente ore*, *& perfrictæ frontis homine*; *astuto item & callido*.

24. *Sed non fortitudine ipsius* ולא בכחו] i. Non propriâ industriâ, sed Deo dante. ¶ *Et faciet* ועשה] Sub. *pro voluntate sua*. ¶ *Sanctorum* קדושים] i. Sanctum.

25. *Et per intellectum suum*, &c. ועל שכלו וגו'] i. Per solertiam suam prosperari faciet dolum quem paraverit: h. e. multos decipiet. ¶ *Et in pace vastabit* ובשלוה ישחית] *Et in tranquillitate perdet*, i. homines degentes in pace, & nihil tale cogitantes:

h. e. opprimet incautos. Quidam vertunt, *& propter felicitatem* suam *vastabit plurimos.* ¶ *Fortitudine* ‎] *Manu* [sub. *hostis*] *frangetur.* De Antiocho etiam hæc dicit.

26. *Et visio*, &c. ‎'וּמַרְאֵה וגו] i. Visio illa in qua fiebat mentio de vespera & tempore matutino, h.e. numerus ille dierum qui definitus est ab Angelo in visione. ¶ *Claude* סְתֹם] *Absconde*, sub. *in corde tuo*, *& ne exponas & explices*: quia post longum tempus eveniet. ¶ *Ad dies* לְיָמִים] *Post dies.*

27. *Postquam* verò *convalui*, *feci* וָאָקוּם וָאֶעֱשֶׂה] Ad verb. *& surrexi*, *& feci*, i. ubi convalui, functus sum officio meo apud Regem. ¶ *Et non erat*, &c. וְאֵין מֵבִין] *Quam nemo intelligeret.* Alii, *cùm nemo esset qui intelligeret*: tamdiu duratura erat afflictio populi.

CASTALIO.

3. A*Rietem unum flamem ante fluvium*, *habentem duo cornua sublimia*, *quorum alterum altero sublimius erat*] Medorum & Persarum Imperium, in quo Persarum est potentius.

Cornu habens inter oculos conspicuum] Alexander Magnus.

6. *Is illum cornutum arietem adortus*] Darium.

8. *Cujus loco successerunt quatuor eminentia cornua*, *quatuor cœli plagas spectantia*] Regna Syriæ, Ægypti, Asiæ, Græciæ.

9. *Ex quorum uno ortum est unum exiguum*] Antiochus Epiphanes. 1 Mac. 1. Joseph. Ant. 12. 7. ¶ *In nobilitatem mirum in modum increvit*] in Sionem.

10. *Auxitque in cœlestes copias*] Israelitas.

11. *Et in copiarum Ducem eousque insolevit*] Deum. ¶ *Ut ab eo sublatum sit perenne*] Scilicet *sacrificium.*

23. *Primus Rex*] Alexander Magnus.

23. *Sontibus consummatis*] Cùm erunt peccata perfecta, ideóque punienda.

26. *Tu oraculum conclude*, *quippe quod sit diuturnitatis*] i. Olim eventurum.

CLARIUS.

1. A*Nno tertio*] Etiam in hac & sequenti Visione describuntur plurimæ afflictiones super Judæos eventuræ. Prædixerat aliqua post multa secula futura; quæ ut majorem fidem habeant, vaticinatur clariùs ea quæ proximis diebus, & deinde quæ post aliquot annos futura essent, ut videntes illa evenisse, nec de iis quæ tardiùs fient dubitemus.

2. *Cùm essem in Susis*] Incertum est an in visione visum fuerit Danieli quòd esset Susis, an reipsa illuc negotii cujusdam gratiâ profectus sit, & deinde iterum reversus Babylonem. Susa Elamitarum, h. e. Persarum, metropolis est, 120 stadiorum ambitu, Cyri regia. Sed videtur ostensum ei *quòd esset apud flumen Ulai*, sicut Ezechieli Cobar. Hic fluvius ab Historicis vocatur *Pulæus.*

3. *Et ecce aries*] Per hunc *arietem* significatur Monarchia Medorum & Persarum, qui per *duo cornua* exprimuntur. Junxerant enim simul Medi & Persæ exercitus suos cùm Babyloniam expugnarent, licèt Persæ clariores evaderent; qui hic per *cornu succrescens* significantur, quòd posteriori tempore Medos dignitate superarint: tametsi Cyrus Dario pro sua modestia ubique cesserit.

4. *Postea vidi arietem*] Orientem à tergo reliquit Persa, & contra quosque proximos pugnavit, ad *Meridiem* Arabas & Ægyptios, ad *Occidentem* Assyrios & Palæstinos, ad *Septentrionem* Lydos, Cappadoces, Armenios, & tandem etiam Scythas. Quamvis autem Cyrus à Tomyri occisus apud Scythas magnam cladem suorum fecerit, nihilo tamen minùs Regnum Persarum salvum stetit & pro nihilo eam stragem habuit. Regnavit enim pro Cyro patre Cambyses, & ipse Regum omnium potentissimus. Cyrus autem adeò magnificatus est ut regnasse super centum & viginti provincias legatur.

5. *Ecce autem hircus*] Per hunc docet Angelus intelligendum *Regem Græciæ.* A Græcis enim primùm Persia maximas clades accepit in campo Marathonio & Thermopylis: sed adhuc tamen florentissimum Imperium mansit usque ad Darium ultimum, Arsami filium, quem Alexander Philippi Macedo vicit. ¶ Ille *ab Occasu*, i. Græcia, *progrediens* grassatus est versus Orientem, Meridiem & Septentrionem. Tantâ autem velocitate militavit ut volare & *terram non tangere* Hyperbolicè dictus sit. Erátque Alexander ille *cornu* istud *prominens.*

8. *Orta sunt quatuor cornua*] Regnum divisum in quatuor, Macedonicum, Syriacum, Asiæ, & Ægypti.

9. *Egressum est cornu unum*] Antiochus, qui obses fuit Romæ nec à patre designatus Rex, sed invasit Regnum, & *potens factus est in Meridie*, h. e. deprædatus est Ægyptum; deinde & contra Persas pugnavit, sed minùs feliciter: verùm nullos magis afflixit quàm Judæos & Jerusalem, quos hîc vocat *fortitudinem* vel *exercitum cœli*, & *stellas*, eò quòd populus Dei essent. Nec contentus erat affligere populum, nisi & *Principem* populi, Deum ipsum, blasphemaret, præciperétque *tolli sacrificium* & profanari Templum, veritatem impugnaret, & iniquitati patrocinaretur.

13. *Unum de sanctis*] Nempe Angelis. Is est Gabriel. Non quærit autem propter se, sed propter Danielem: non enim Angelo respondetur, sed Danieli. Quod autem ait, *alteri nescio cui*, significatur secundùm Hebræos Angelus quidam magnus, cujus nomen erat *mirabile* & *absconditum.* Is est Christus etiam Angelorum Magister.

14. *Usque ad vesperam & manè*] Intellige diem naturalem, qui ex vespero & manè constat, ἡμερονύκτιον. Nam non de annis sed de diebus intelligendum, Angelus satis cavit, dicens, *vespere & manè.* ¶ *Dies duo millia trecenti*] Intelligit brevi tempore duraturam afflictionem sub Antiocho, & desolationem Templi, sex circiter annis ac paucis mensibus: ut tribus primis annis devastaverit Civitatem, tribus autem sequentibus polluerit Templum, Jovis Olympii statuâ in Templo positâ.

15. *Quasi species viri*] Jam præludebat Christus, sese aliquando humanam naturam verè assumpturum. Quod autem præcipit *Gabrieli*, *ut doceat Danielem*, monstrat nobis quo ordine homines instituere decreverit: nam & Angelis & Hominibus ministris utitur.

17. *In tempore finito*] h. e. Post certum tempus.

23. *Intelligens propositiones*] Vel *ænigmata.* Adagium erat de iis qui ingenii acrimoniâ alios circumvenirent.

24. *Sed non in viribus suis*] Quia Deus voluit per ipsum punire populum suum: alioqui per virtutem suam tanta mala irrogare non potuisset. Alii referunt ad Alexandrum, quòd nullum sit hujus robur si cum Alexandro conferatur.

25. *Et sine manu conteretur*] Deus illum sine labore perdet. Vel, quia percussus fuit insanabili & invisibili plagâ, ut habetur 2 Macc. 9.

26. *Et visio vespere & manè*] *Visio vesperi & matutini* duorum millium & trecentorum dierum minimè fallet.

27. *Et non erat qui interpretaretur*] Non hoc opinandum est de Daniele, sed de aliis. Et quod de *ægrotatione* sua dicit, ostenditur, illam Prophetæ immissam nè extolleretur sublimitate visionum, quas solus intelligebat.

LUCAS BRUG.

2. C*ùm essem in Susan castro*, *quod est in Ælam regione*] Manuscripti codices, prioresque typographorum editiones, non *Susan*, ut Hebraicè est, scribunt, sed *Susis*, voce ad Latinam normam flexâ: quo modo & Græci ἐν Σούσοις dixere. Pro *regione* aliàs legitur *civitate. Civitate* antiquis libris, *regione* novis, Epanorthotes tribuit: *Antiqui*, ait, Quod est in Elam civitate, *pro quo ponunt novi*, regione, *quia Hebraicè* Medina *est. Sed tale Hebræum pro civitate ponitur*, *infrà* XI. *d. ibi*; Et uberes urbes ingredietur, &c. Id planè & in nostris nos codicibus invenimus, antiquiores legere *civitate*, posteriores aliquot *regione.* D. Hieronymi commentarius habet, *In Elam regione*, *sive*, *ut Symmachus interpretatus est*, *civitate*, *à qua etiam regio nomen accepit*; *ut à Babylone Babylonii*, *& ab Elam Elamitæ.* Quare existimarim ex Hieronymi commentario sumptum quod habent libri posteriores, *regione*; reservatum autem ab antiquis, quod Hieronymus Symmachum secutus primùm verterit, *civitate.* Lxx transtulerunt *regione* (ἥ ἐστιν" ἐν χώρᾳ [" χώρᾳ O]. αἰλὰμ Græcis codicibus legitur) quod & Hebræa vox מְדִינָה frequentiùs significat (*interdum enim*, Pagninus ait, *capitur particulatim pro aliqua urbe*) & huic aptiùs loco congruere videtur. Nam Susi, Ælamitarum metropolis, *castrum* dicta, D. Hieronymo expositore, quòd tantâ firmitate sit ædificata ut castrum esse videatur (quanquam pro *castro* malint Neotericorum quidam *regia* vel *metropoli* vertere) quo modo *in Ælam civitate* esse dicatur, nisi vel in altera civitate potentissima Metropolis, vel in seipsa ipsa? quamobrem hîc mirum in modum Carensis se torquet. Parisienses, ex Basileensi ac Complutensi Bibliorum editionibus, & Hentenius, *regione* pro *civitate* substituerunt.

14. *Usque ad vesperam & manè duo millia trecenti*] Complures Latini libri addunt cum Græcis vocem *dies*, *Usque ad vesperam & manè dies duo millia trecenti*, adstipulante Glossematico Carensi. Verùm quinque Parisiensium exemplaria (Di. o. l. Ge. o. Mog. Bas.) novem nostra (Brug. Leod. Lob. O. Col. &c.) & quædam Carensis magine significata, tollunt, Hebraico fonti similiter. Hentenius & Parisienses textu expu-

expulerunt. Epanorthotes non esse hîc *dies* notat. Existimarim *dies* hâc parte significari *usque ad vesperam & manè*. Est enim hæc, *usque ad vesperam & manè*, diei naturalis periphrasis, qui constat vespere & manè, nocte & die, sibi succedentibus.

DRUSIUS.

2. וָאֶרְאֶה בֶּחָזוֹן וַיְהִי בִּרְאֹתִי. Καὶ ἴδον ἐν τῇ ὁράσει, καὶ ἐγένετο ἐν τῷ ἰδεῖν με, *Et vidi in visione, & factum est cùm viderem.* ¶ אֲשֶׁר בְּעֵילָם הַמְּדִינָה. Sym. *quæ est in Elam civitate.* Lxx *quæ est in Elymaide regione*] Hier. *Quod est in Elam regione, sive, ut Sym. interpretatus est*, civitate; *à qua etiam regio nomen accepit, ut à* BABYLONE Babylonii, *& ab* ELAM Elamitæ: *pro qua Lxx* Elymaidem regionem *interpretati sunt.* Th. ἥ ἐστιν ἐν χώρᾳ Ἀιλάμ. עילם *Ailam*, ut ע *Ain*, איל *Ail*. Porrò מדינה ambiguum est ad *regionem* & *civitatem*: unde MEDINATH ALNABI, *Urbs Prophetæ*. IN ELAM CIVITATE] Ἐν Ἐλάμ, sive Ἀιλάμ, τῇ πόλει. Hanc *Elymaida* vocat autor primi Machabæorum. ¶ עַל־אוּבַל אוּלָי. A. *super Ubal Ulai*. Sym. *super paludem Ulai*. Lxx *super portam Ulai*. Th. *super Ubal*] Hier. *Sciendum est autem* ULAI *nomen esse loci sive porta, ut in Troja* σκαιὰ *porta, & apud Romanos Carmentalis dicitur, habentes singula ex propriis causis origines nominum.* Scholion, Ὄνομα ὄρους Περσικοῦ ἀφ' οὗ τὰ τῆς ὁράσεως κατασκοπεῖν ὁ προφήτης ἐδόκει, οὕτως αὐτῷ τοῦ πνεύματος ὑποδείξαντος. UBAL] Οὐβάλ. Santes *flumen*, alius *rivum* interpretatur, i. ῥεῖθρον. In ed. Rom. legendum Οὐβὰλ Οὐλαί, quod ex Ebraico ibi citatur. Eudoxius addit alios Interpretes dixisse Οὐλβίδ, τουτέστι, inquit, πύλην ἐπὶ γέφυραν τοῦ ποταμοῦ κειμένην, i. *portam ad pontem fluminis sitam.* SUPER PORTAM ULAI] Ἐπὶ τῆς πύλης Οὐλαΐ. Id hodie habetur in ed. Compl. quod Hieronymus secutus videtur. SUPER UBAL] Ἐπὶ τοῦ Οὐβάλ. Mox sequitur πρὸ τοῦ Οὐβάλ, quòd magis sonat *ante Ubal*. Verba Hieronymi, *Pro* super portam Ulai *Aq. transtulit* super Ubal Ulai, *Th.* super Ubal, *Sym.* super paludem Ulai, *Lxx* super portam Ulai. Eudoxius, τὸ, Οὐλβίδ, τὸ αὐτό ἐστι, τῷ, Οὐβάλ Οὐλά, μετὰ προσθήκης τοῦ σημαίνειν κατ' ἀνατολάς. Emenda, Οὐλαί, vel certè Οὐλᾳ, subscripto iota.

3. הַגְּבֹהָה. ὑψηλότερον *excelsus.*

5. קֶרֶן חָזוּת בֵּין עֵינָיו. κέρας θεωρητὸν ἀναμέσον τῶν ὀφθαλμῶν αὐτοῦ, *cornu illustre inter oculos ejus.*

6. עֹמֵד. ἑστῶτα *stantem.*

9. מִצְּעִירָה. Vulg. *modicum*] i. μικρὸν *parvum*. Libri Græci omnes ἰσχυρὸν *forte*, *validum*. Sed hoc dictio Ebræa propriè non significat. ¶ וְאֶל־הַמִּזְרָח. καὶ πρὸς τὴν ἀνατολὴν *& ad Orientem.* ¶ וְאֶל־הַצֶּבִי. Th. καὶ πρὸς τὴν δύναμιν *& ad fortitudinem*] Editio Ximenii, καὶ πρὸς τὴν δύσιν. Dan. 11. 16. ארץ צבי, A. & Hier. *terra inclyta*, Sym. *fortitudinis*, Th. Σαβί, quod in editis Σαβίν. Perspicuè sign. terram Israel, quæ Jes. 13. 19. appellatur צבי ממלכות *decus Regnorum.* Alii interpretantur *ad terram cupitam* sive *desiderabilem.* 2 Sam. 1. 19. הצבי, Aq. ἀκρίβασον.

10. מִן־הַצָּבָא. ἀπὸ τῆς δυνάμεως *de virtute*] Subintelligitur autem *cæli*, i. τοῦ οὐρανοῦ, quod additum in vulgatis exemplaribus. Sententia est, *de exercitu cæli*: nam δύναμις *exercitus.* Idem *virtutis* vocabulo significant, ut cùm legimus *Dominus virtutum* pro eo quod in aliis *exercituum.* Polychronius, ὁ Σύρος τὸ, ἀπὸ τῆς δυνάμεως, οὐκ ἔχει. Potest ità esse: tamen suspicor rescribendum, τὸ, ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ, οὐκ ἔχει. Fortè Syrus omiserat ἀπὸ τῆς δυνάμεως, & pro eo posuerat ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ. Si nunc exstaret editio illa, non dubitaremus. ¶ וַתַּפֵּל. Th. καὶ ἔπεσεν *& ceciderunt*] An legit ויפל? Sunt qui exponant transitivè, *& dejecit* sive *cadere fecit*, aut *deturbavit.* ¶ וַתִּרְמְסֵם. συνεπάτησεν αὐτὰ *conculcavit ea.* Alias αὐτοὺς *eos.*

11. וְעַד שַׂר־הַצָּבָא הִגְדִּיל. καὶ ἕως ἄρχοντος τῆς δυνάμεως ἡδρύνθη, *& usque ad Principem exercitus grandis evasit*] Ἁδρύνομαι, propriè *crassesco*, *crassus fio*, *ad justam magnitudinem pervenio*, *grandesco*. In ed. Rom. exponitur *magnificatum est.*

12. בְּפָשַׁע. παραπτώματι *delicto*] Hoc alieno loco citatum ex Theodoreto in ed. Rom. nos, ut opinamur, in suum locum restituimus; rectè an secùs, judicium esto eorum qui hæc intelligunt.

13. לַפַּלְמוֹנִי. A. Th. Lxx τῷ Φελμουνὶ *Phelmoni*. Sym. τινὶ ποτὲ] Hier. *Pro* altero nescio quo, *quod Sym. interpretatus est* τινὶ ποτὲ (*quem & nos secuti sumus*) *Aq. & Th. & Lxx* Φελμουνὶ *ipsum verbum Ebraicum posuerunt. Nomen ergò Angeli tacens, generaliter unum quemlibet de Angelis indicavit.* Nunc Φαλμουνί. Videtur autem factum per contractionem ex פלני אלמני, de quo in historia Ruth. פלמוני, Φελμουνί, ut מלכי Μελχί, unde *Melchisedec*. Eudoxius enarrat, τῷ Φελμουνί, τῷ προσφιλεστάτῳ, ἐφεστῶτι κατ' ἐξοχὴν, τῷ ταῦτα δεικνύντι, i. *amicissimo*, *Præsidi præcipuo*, *hæc ipsa ostendenti.* Non placent. Theodoretus, PHELMONI *Græca voce significat* QUENDAM. Matth. 26. πρὸς τὸν δεῖνα, אל פלני. Hieronymus hic habet *alteri nescio cui.*

14. שְׁלֹשׁ מֵאוֹת. τριακόσιαι *trecenti*] Hier. *Quidam pro* DUOBUS MILLIBUS TRECENTIS duo millia ducentos *legunt, ne sex anni & tres menses superesse videantur.*

19. בְּאַחֲרִית הַזָּעַם. ἐπ' ἐσχάτῳ τῆς ὀργῆς *in novissimo ira.*

24. וְלֹא בְכֹחוֹ. καὶ οὐκ ἐν τῇ ἰσχύϊ αὐτοῦ, *sed non in viribus suis.*

25. וְעַל שַׂר־שָׂרִים יַעֲמֹד. καὶ ἐπὶ ἄρχοντα ἀρχόντων στήσεται, *& contra Principem principum consurget.*

27. יָמִים. ἡμέρας *per dies.*

GROTIUS.

HInc rursus incipit sermo Hebræus, quia quæ sequuntur, ad Hebræos directè pertinent, cùm ea quæ præcesserunt sufficerent ad Chaldæos instruendos. Itaque prætcritis jam rebus Chaldæorum, tantùm de Imperiis & rebus agit post ruinam Chaldaici Imperii exstituris. Sæpius autem res easdem Deus ostendit Danieli; primùm, quò eæ res hærerent animo firmiùs, quam ob causam & magistri apud discipulos ea sæpe repetunt quæ maximi usûs esse existimant; deinde, quòd paulatim res eas cognoscit, velut distinctiùs cum suis circumstantiis: quod Deum & in aliis Prophetis fecisse apparet.

1. *Anno tertio regni Baltasar*] Laborosoarchodi, ut suprà diximus.

Visio apparuit mihi] Non jam secundùm quietem, sed ἐν ὀπτασίᾳ [*in visione*] qui gradus revelationis habetur perfectior.

Post id quod videram in principio] Nempe regni ejusdem Regis, suprà VII. 1.

2. *Cùm essem in Susis castro*] Videtur enim Daniel ante summum illum honorem quem consecutus fuit fine Laborosoarchodi, munus aliquod habuisse in Susiane, atque eò rediisse post Regis Laborosoarchodi mortem; creditur enim Susis sepultus: quâ de re vide narrationem Benjamini Tudelensis. Josephus autem in Ecbatanis Mediæ urbe structam ab eo ait Barin (id verò est *turrim*, ut ad octavum Oseæ interpretatur Hieronymus), cujus structura ad suam ætatem recens visa fuerit; eique, in Danielis honorem, præfuisse Judæum è Sacerdotum genere, eóque in loco sepultos Medorum ac Persarum, & pòst Parthorum Reges. Hieronymus verò ad hunc locum turrim eandem ponit non Ecbatanis sed Susis, errore fortè memoriæ.

Quod est in Elam regione] Susiane, quanquam Satrapia per se fuit (ut ostendunt & alii & Curtius libro V.), Persidi tamen accenseri solet. Persidem autem עילם [*Elam*] Hebræi vocant, ut Esaiæ XXI. 2. & alibi. Quâ de causâ etiam Benjamin Tudelensis Susa ponit in terra Elam. Plinius VI. 27. *Infrà Eulaum Elymaïs est in ora juncta Persidi.* Josephus I. 7. Ἐλυμαίους [*Elymaos*] vocat Περσῶν ἀρχηγέτας [*progenitores Persarum*].

Super portam Ulai] Græci quidam οὐβὰλ retinuere, & sic citat Chrysostomus II adversùs Judæos. Symmachus *rivum* vertit ex Hebræo יבל [*deduxit*] Esaiæ XXX. 25. & XLIV. 4. At Chaldæis אבולא est *porta*, ut apparet in Jonathane Deuteron. XXVIII. 52. & in Thalmudicis non semel. Daniel autem, quanquam Hebraïcè loquens, nomina locorum servat Chaldæis usitata. Solent portæ à fluminibus nomen accipere. *Ulai* est Straboni, Plinio, & Ptolemæo *Eulæus*. De eo Plinius VI. 27. *Susianen ab Elymaide disterminat amnis Eulæus, ortus in Medis, medióque spatio cuniculis conditus, ac rursus exortus per Mesobatenen lapsus circuit arcem Susarum.* Aquæ ejus tanta credita salubritas, ut non aliam Reges Persarum biberent, & eam ad longinqua loca apportari sibi facerent. Josephus hoc visum Danieli ait obtigisse in campo, nempe extra portam flumentanam.

3. *Et ecce aries unus stabat ante paludem*] *Ante portam*; est enim & hîc אובל: quod & Hieronymus notavit. *Aries secundùm Persas divitias significat*, teste Achmete CCXLII. 2. nempe ob lanam. Idem ergò quod antè Ursus, regnum Medorum & Persarum, ut infra explicatur.

Habens cornua excelsa] In Hebræo, quo nos utimur, est forma dualis. At Josephus pluraliter legit: ait enim κέρατα ἐκπεφυκότα πολλὰ [*cornua enata multa*], & id rectiùs. Multi enim Reges fuere, qui hic per *cornua* indicantur.

Et unum excelsius altero, atque succrescens] Verte, *Primum celsius erat secundo, & excelsius illo id quod attollebatur.* Nam primùm Cyrus maximas sibi opes pepererat, plùs quàm successores. *Cyrus devictâ Asiâ* (ait Plinius) *pondo XXXIV. millia invenerat, præter vasa aurea, aurúmque factum, & in eo folia ac platanum, vitémque. Quâ victoriâ argenti* ID

millia

millia talentorum reportavit, & craterem Semiramidis, cujus pondus xv *talentorum colligebat. Talentum autem Ægyptium pondo* LXXX *capere Varro tradit.* Postremus Regum Persarum fuit Darius Codomannus. Is, præter quod in urbibus aliis fuit, in sola Persepoli habuit CXX *millia talentorum, Persagadis sex millia*, Curtio teste. At Strabo libro xv Persepoli & Susis reperta ait XL, aut, ut alii volunt, L millia talentorum: ab aliis tradi, Ecbatanis fuisse comportata ex variis Imperii Persici locis LXXX millia talentorum, VIII millia direpta ab iis qui Darium occiderunt: opes sanè mirandas!

4. *Vidi arietem cornibus ventilantem contra Occidentem*] Nam Persæ sub Dario Hystaspis filio & Xerxe bellum Græciæ intulerunt.

Et contra Aquilonem] Darius idem Scythis bellum intulit. Meminere Herodotus, Justinus, & alii.

Et contra Meridiem] Cambyses Ægyptum & Æthiopiam invasit.

Et omnes bestiæ non potuerunt resistere ei, neque liberari de manu ejus: fecitque secundùm voluntatem suam, & magnificatus est] Nempe capta à Persis Babylon cum omni suo Imperio, Lydia, Jonia, Asia minor, Ægyptus.

5. *Et ego intelligebam*] *Dum ego hæc considero*, & opulentiam scilicet miror.

Hircus caprarum] Hircus de caprugno genere. Hircus rapaces significat Achmeti CCXLII. *Hircus* hic omnes Græcos significat, quorum portio Macedones. Respondet ergò *hircus* hic & ventri & cruribus Statuæ: item Pardo & Feræ quartæ.

Veniebat ab Occidente] Respectu Persidis.

Super faciem totius terræ] Nempe Asiæ.

Et non tangebat terram] Volatus celeritatem indicat. Vide suprà de *alis* VII. 6.

Habebat cornu insigne inter oculos suos] Regem non minùs ingeniosum quàm fortem, Alexandrum Magnum, qui non tantùm Macedoniæ, quæ bona pars Græciæ, Rex erat, sed & ab omni Græcia (exceptis Lacedæmoniis) belli in Persas lectus Imperator. Vide Justinum libro XI. Plutarchum Alexandro, & alios. Adde quod infrà 21.

6. *Cucurrit ad eum in impetu fortitudinis suæ*] Expeditiones Græcorum in Asiam id significavit: de toto enim Hirco, non de uno tantùm ejus cornu agitur.

7. *Et comminuit duo cornua ejus*] Priùs Artaxerxem Mnemonem, missis ad Cyrum ejus fratrem auxiliis; in quibus fuit Xenophon; deinde Darium Codomannum. *Cornua* ubique hic sunt Reges.

Et non poterat aries resistere ei] Imperium Persicum resistere Græcis non potuit ad Granicum, ad Issum, & alibi.

Cùmque eum misisset in terram] Planè debellasset ad Arbela.

Conculcavit, & nemo quibat librare arietem de manu ejus] Totum Imperium Medorum Persarúmque ad Græcos pervênit.

8. *Hircus autem caprarum magnus factus est nimis*] Adjectis ad Imperium illud Hyrcanis, Paropamisadis, Indorum parte.

Fractum est cornu magnum] Mortuus est Magnus Alexander.

Et orta sunt quatuor cornua super illud per quatuor ventos cœli] Etiam hic primos illos quatuor Duces intelligit qui sub nomine filiorum & fratrum Alexandri rerum summam ad se traxere: unde postea orta sunt regna tum alia, tum præcipuè Syriæ & Ægypti. Illi Duces ad Æs, hi Reges ad Ferrum ac Testam pertinent: illi sunt cornua Pardi, hi Bestia quarta.

9. *De uno autem ex eis*] De Antiocho Magno.

Egressum est cornu unum modicum] Antiochus modicæ primùm fortunæ, privatus, & Romæ obses. Ex pòst facto dictus *Epiphanes*.

Et factum est grande contra Meridiem] Contra Ægyptum: oppugnavit enim Ptolemæum Philometora.

Et contra Orientem] Nam & Armeniam devicit.

Et contra fortitudinem] In Hebræo, צבי [*Decus*]: Sic vocatur Judæa II Samuel. I. 19. & Ezechiel. XX. 6. 15. nempe quòd amœnissima esset terrarum, Psalmo XLVIII. 3.

10. *Et magnificatus est usque ad fortitudinem cœli*] *Adversus exercitum cœli.* Sic dicuntur Levitæ, qui in Templo excubias agebant, militantes suo modo Regi cœlorum. Sic vox צבא [*exercitus*] usurpatur Numerorum VIII. 24. 25.

Et dejecit de fortitudine] *De illo exercitu quosdam dejecit*, id est, abduxit à Legis observatione. Patet id I Maccab. IV. 42. II Maccab. IV. 14

Et de stellis] De iis qui eruditionis nomine erant celebres. Vide quæ dicta ad Matth. XXIV. 29. Vide & infrà XII. 3.

Et conculcavit eas] Profanavit ritibus paganicis.

11. *Et usque ad Principem fortitudinis magnificatum est*] *Extulit se etiam contra exercitûs ejus Principem*, Oniam scilicet Sacerdotem maximum, quem primùm dignitate exuit, Sacerdotium autem summum pretio vendidit, II Maccabæor IV.

Et ab eo tulit juge sacrificium] Vetuit Oniam Sacra peragere.

Et dejecit locum sanctificationis ejus] *Locum sanctitatis ejus*: id est, summum Sacerdotium dejecit, id est, contemtui exposuit, dans illud contra Legem hominibus improbis, Jasoni primùm, deinde Menelao.

12. *Robur autem datum est ei contra juge sacrificium propter peccata*] Meliùs sic: *Et exercitus* (id est, præsidium Antiochi) *dabitur* (imponetur Urbi) *contra juge* (*sacrificium*) *per scelus.* Per summum Dei contemtum milites Urbi imponet Antiochus ut juge sacrificium inhibeant, I Maccab. I. 47. Josephus XII. 7. καὶ γὰρ τὰς καθημερινὰς θυσίας, ἃς προσέφερον τῷ Θεῷ κατὰ τὸν νόμον, ἐκώλυσεν αὐτοὺς προσφέρειν [*nam etiam prohibuit eis nè quotidiana sacrificia, quæ Deo soliti erant offerre, ultrà offerent*].

Et prosternetur veritas in terra] *Veritas* hic est liber Legis, ut Malach. II. 6. is passim proculcabitur. Josephus: ἠφανίζετο δὲ εἴπου βίβλος εὑρεθείη ἱερὰ καὶ νόμος [*sicubi Lex aut sacer aliquis liber inventus, corrumpebatur*]. *Libros Legis conscissos ustósque* dicit scriptor I Maccabæor. I. 59.

Et faciet, & prosperabitur] *Quidquid aget ei succedet*, ad tempus scilicet.

13. *Et audivi unum de sanctis*] De Angelis. *Angelum Danielis* ajunt Hebræi.

Alteri nescio cui] Τινίποτε [*cuidam*], Symmachus. LXX, Aquila, Theodotio, Clemens Constitutionum VII. 36. retinuere Hebræum Φελμονὶ vel Φελμουνί [*Phelmoni*]. Compositum id putatur ex duobus nominibus פלני [*Pheloni*] & אלמני [*Almoni*], quæ habes Ruth. IV. I. & II Regum VI. 8. Videtur autem significari non quivis sed eximius aliquis. Et hic Angelus necesse est præstiterit cæteris, cùm alios doceat.

Usquequo visio] In quantum tempus durabunt mala ista quæ inferet populo Dei cornu illud exiguum, ostensa Danieli à commate 9.

Et juge sacrificium] Interruptum scilicet, quæ pars magna erat istorum malorum.

Et peccatum desolationis quæ facta est; & Sanctuarium, & fortitudo conculcabitur] Sic verte: *& scelus illud vastationis* (id est, oppressio Urbis per præsidia Antiochi) *quod exposuit, & Sanctuarium* (Templum) *& exercitum* (Dei scilicet, id est, Levitas) *conculcationi.* Per quod & Templum profanatum est, & multi Levitarum corrupti.

14. *Et dixit ei, Usque ad vesperam & manè*] Id est, usque ad νυχθήμερον [*dienoctia*]. Nam Hebræi cùm compositas voces vix ullas habeant, coguntur uti circumlocutione. Vide Genes. I. 5. & sequentibus, & quæ dicta ad Matth. XII. 40.

Dies duo mille trecenti] *Bis mille & trecenti.* Hoc tempus sex circiter annorum incipit à priori adventu Antiochi in Judæam, cùm Sacerdotium profanatum est, comprehenditque secundum ejus adventum, interdictos ritus, deinde Idoli collocationem in Templo, & totum tempus interrupti jugis sacrificii.

Et mundabitur Sanctuarium] Id est, illo spatio temporis exacto à primo Antiochi adventu repurgabitur Templum, fiet ἐγκαινισμὸς [*Instauratio*], de quo vide I Maccab. IV. Joseph. XII. 10. & quæ diximus Johan. X. 22. Nota צדק [*justificare*] sæpe poni pro *mundare*.

15. *Cùm viderem*] *Vidissem.*

Et quærerem intelligentiam] Explicationem pleniorem.

Quasi species viri] Angeli enim hominum specie solent apparere, quia inter ea quæ nobis conspicua sunt nihil est quod ad illos propiùs accedat. Hunc Angelum fuisse Michaëlem Principem Angelorum credunt Hebræi: & certè credibile id est, quando & Gabrieli rerum semper maximarum nuntio imperat.

16. *Audivi vocem viri inter Ulaï*] Inter me & flumen Eulæum.

Gabriel fac intelligere istum visionem] Sicut Princeps aliquis consilii Regii dat Legatis mandata. *Fac intelligere:* id est, explica apertiùs, si quid sit quod non pervideat.

17. *Stetit juxtà ubi ego stabam*] Ut de proximo meliùs exaudiretur.

Pavens corrui in faciem meam] Tanto fulgore exterritus. Vide quæ dicta ad Matth. XVII. 6.

Intellige fili hominis] Ità Angeli appellant homines, ut se meminerint esse carnem & sanguinem, neque cœlestibus visis supra modum efferantur. Sic Ezechiel. II. I. 3. 6. 8. III. I. & alibi.

Quoniam in tempore finis complebitur visio] *Ad tempus* (differtur) *implementum hujus visi.* Josephus de hoc vaticinio,

cinio, πολλοῖς ἔτεσιν ἔμπροσθεν ἀνέγραψε τὰ γενησόμενα [*ea quæ futura erant multis annis antè perscripsit*]. Implebitur annis ferme pôst quadringentis. Huc pertinet & quod infrà est 26.

18. *Cumque loqueretur ad me, collapsus sum pronus in terram*] Ut antè conspectu, ità nunc vocis auditu territus.

Et tetigit me & statuit me in gradu meo] Solo tactu vires mihi restituit.

19. *Quæ futura sunt in novissimo maledictionis*] *Quæ eventura sunt ad finem usque iræ Divinæ*: id est, usque ad ἐγκαινισμὸν [*instaurationem* hoc est *repurgationem Templi*].

Quoniam habet tempus finem suum] Certè enim *ad conditum tempus* aderit *ille finis*, nempe *iræ Divinæ*.

20. *Aries quem vidisti habere cornua*] *Aries ille cornifer*. Etiam hîc in Hebræo est duale, ut suprà; sed melius, ut antè diximus, videtur esse ut legamus pluraliter. Consonantes omnes sunt eædem utrovis modo legas: vocales pridem variant.

Rex Medorum est atque Persarum] In Hebræo meliùs, *Reges sunt Mediæ & Persidis*: In Hebræo meliùs, *Reges sunt Mediæ & Persidis*: id est, regnum, ut suprà VII. 17. in Latino.

21. *Porrò hircus caprarum*] In Hebræo, *Hirsutus ille hircus*: id est, intrepidus. Vide Genes. XXV. 25.

Rex Græcorum est] Hîc quoque *Rex* pro *regno* ponitur Hebraïcâ locutione, quæ talia permiscet. Ità suprà VII. 17. in Hebræo. Ostendunt id sequentia.

Ipse est Rex primus] Primus Græcorum Rex in Asia; neque aliò spectant omnia hæc vaticinia Hebræo sermone à Daniele scripta, quæ ad Judæam diriguntur omnia.

22. *Quatuor Reges*] In Hebræo, *regna*, id est, *Ducum potentiæ*: nam sæpe vox מלך [*Regis*] sic sumitur apud Hebræos, ut Deuteronomii XXXIII. 5. Judic. XVIII. 31. XXI. 24. II Regum III. 9. & alibi.

De gente ejus consurgent] Ex Græcis, sub quorum nomine & Macedones vel inprimis comprehensi ab omni ævo.

Sed non in fortitudine ejus] Non pari cum majestate. Ille enim Rex, hi Duces: quorum duo Regium nomen in minore Imperio annis ferme pôst XII assumsêre.

23. *Et post regnum eorum*] In Hebræo, *Et in progressu potentiæ eorum*: cùm jam Seleucus ejúsque posteritas per CXX annos, aut ampliùs, suas opes auxerit, sumto & diademate.

Cùm creverint iniquitates] Causa cur Deus tanta mala permiserit hîc indicatur. Expositionem habes I Maccab. I. 12. II Maccab. IV. Joseph. XII. 6.

Consurget Rex impudens facie] *Obfirmato vultu*: id autem est, *impudens*. Deuter. XXVIII. 50. Prov. VII. 13. Eccles. VIII. 1. Antiocho nulla pietatis, nulla Dei veri aut ficti, nulla honesti cura: cuncta suo ex usu metiebatur.

Et intelligens propositiones] *Versutiarum intelligens*. Sciebat quibus modis Judæorum multi, homines leves & improbi, à religione abduci possent. Talis fuit postea Julianus. ἔγνω τὰ βάθη τοῦ Σατανᾶ [*noverat profunditates Satanæ*] ut est Apocal. II. 24.

24. *Et roborabitur fortitudo ejus*] Vires ejus increscent, nempe in Judæa. nam Judææ causâ omnia hæc dicuntur.

Sed non in viribus suis]. Non tam ex ipso causa erit tanti incrementi quàm ex factionibus Judæorum. Vide Josephum dicto loco XII. 6.

Et suprà quàm credi potest universa vastabit] Miram vastitatem inferet Judææ.

Et prosperabitur & faciet] *Quidquid aget ei succedet*, ut suprà 12.

Et interficiet robustos] Id est, *proceres*.

Et populum sanctorum] Multos de plebe Dei veri reverentes; I Maccab. I. 52. 60. 61. Joseph. XII. 7. οἱ δὲ δοκιμώτατοι καὶ τὰς ψυχὰς εὐγενεῖς οὐκ ἐφρόντισαν αὐτοῦ· καὶ διὰ τοῦτο καθ᾽ ἑκάστην ἡμέραν αἰκιζόμενοι καὶ πικρὰς βασάνους ὑποφέροντες ἀπέθνησκον [*eminentissimi autem & qui generoso erant animo ipsum non curabant: & propterea quotidie vexati durisque cruciatibus affecti moriebantur*].

25. *Et dirigetur dolus in manu ejus*] Astus ejus successum habebunt.

Et cor suum magnificabit] Successibus elatus plura semper audebit.

Et in copia rerum omnium] In Hebræo, *& in pace multos perdet*: nullo bello, nullis in ipsum injuriis præcedentibus plures in dies perdet miserè. Vide historiam matris & puerorum apud Josephum & alios.

Et contra Principem principum consurget] In Hebræo, *stabit super Principem principum*, שרים dicuntur omnes principes familiarum Sacerdotalium, ut Esdræ VIII. 24. 29. X. 5. Horum princeps summus Sacerdos. Hunc sibi subjiciet Antiochus, dimovebit pro libitu, spretâ Divinâ lege.

Et sine manu conteretur] Morbo Divinitus immisso, Joseph. XII. 13. I Maccab. VI. 8. II Maccabæorum IX. 5.

26. *Et visio vespere & manè, quæ dicta est*] Id est, explicatio visi exponens numerum dierum bis mille trecentorum suprà 14. Est μετωνυμία [*transnominatio*].

Vera est] Id est, nihil habet obscuri, modò initium sumatur unde debet, id est, ex dictis commate 9. *Verùm* hîc est clarum, apertum, ut suprà 11. 45.

Tu ergo visionem signa] Id est, visum hoc exactè perscriptum ità include ut archetypum ipsum servari possit usque ad eventum, & tunc cum eventu conferri. Sic Esaiæ VIII. 16. Jeremiæ XXXII. 14.

Quia post multos dies erit] Inter visum & eventum anni intercedent plùs trecenti.

27. *Et ego Daniel langui & ægrotavi per dies aliquot*] Mœstus ob illam profanationem Sacerdotii & Templi.

Cùmque surrexissem] Simulatque per valetudinem surgere mihi licuit.

Et stupebam ad visionem, & non erat qui interpretaretur] Optimè vertes: *Quanquam obstupescebam ob hoc visum, nemo tamen erat qui id sciret*. Græcè, οὐκ ἦν ὁ συνιών [*non erat qui id cognosceret*], id est, quàm poteram diligentissimè dissimulabam dolorem meum.

CAP. IX.

MUNSTERUS.

1. *Anno uno*] i. Mox post subversum Regnum Babyloniorum, cùm *Dariaves filius* Astyagis (qui hîc *Ahasueros*, & secundùm nostros *Assuerus*, appellatur) socer & collega Cyri, Monarchiæ præesset, ostensa est Danieli visio quæ futura erat in quarta Monarchia, Romanorum scilicet, in qua & Christus tunc exspectabatur.

4. *His qui diligunt eum*] Dicit *eum* pro *te*, mutatâ personâ; ut sæpe solet fieri apud Prophetas.

11. *Stillavit super nos*] i. Impletæ sunt in nobis maledictiones illæ quas jurasti nobis inferre, Deut. 27.

21. *Promptus advolans*] Sic Kimhi hunc locum exponit. Alii verò putant verbi radicem esse יעף, ut sit sensus, *laborantem in fatigatione tetigit*, &c.

23. *Egressum est verbum*] i. Decretum est atque sic constitutum ac si jam impletum esset, vel ratæ fuerunt preces tuæ. ¶ *Vir reputatus*] Omnes Hebræi subintelligunt hîc איש *vir*, cùm textus solùm habeat חמודות *reputationes* seu *existimationes*. Et est sensus, *Cùm tu sis homo magnæ reputationis in oculis Dei, tibi datum est nosse mysteria Regni Dei, & plura tibi revelantur quàm petiisti*. Alii sic interpretantur, *Tu es vir rerum expetendarum*, seu *expetibilium*, h. e. teneris justo desiderio. Ego itaque Angelus Dei docebo te quòd populus rediturus sit ad sua; ostendámque quid illi sit eventurum, & quamdiu res Jehudaicæ sint permansuræ, & quomodo nova destructio sit superventura, post quam Jerusalem manebit in perpetua desolatione, abolito cultu Legis Mosaicæ, & loco ejus introducto Novo Testamento. Tu, Daniel, mones in tua oratione, *transisse 70 annos* Captivitatis, & adesse tempus liberationis, juxta Vaticinium *Jirmeiæ Prophetæ*: at ego indico tibi, instare post 70 *hebdomadas* majorem libertatem, quæ toti mundo concedetur, quâ per Meschiam toti generi humano *condonabitur remissio peccatorum, & adducetur justitia seculorum, atque ungetur Sanctum sanctorum*, quod est Christus, *in quo habitat plenitudo Divinitatis*. Ipse enim impetravit nobis abolitionem peccatorum, gratiæ & justitiæ donum, *qui factus est justitia nostra*. Ad eum spectarunt omnes Prophetæ, quorum *Visiones & Prophetiæ* in eo *signantur & finem accipiunt*. Porrò *septuaginta hebdomadæ* capiuntur hîc non pro hebdomadis dierum aut Jubilæorum, sed annorum, constituúntque 490 annos. Sic & Levit. 25. numerantur *hebdomadæ annorum*. Numerantur autem illi anni ab eo tempore quo completi fuerunt 70 anni Captivitatis & cœptum ædificium Templi secundi.

25. *Ab egressu verbi*] Docet unde sumendum sit initium numerandi, scilicet *ab exitu verbi*, i. à completione dicti Jirmejæ Prophetæ, & non à tempore quo Jirmeia ea verba sub Zidkijahu Rege protulit, ut quidam perversi Jehudæi hunc locum corrumpunt. Dividit autem Propheta Hebdomadas in tres partes: Initio dat *septem*, medio tempori *sexaginta duas*, & fini *unam*. Septem primæ tribuuntur reparationi Templi, Civitatis & Regni Jehudææ. Deinde 62 pertingunt usque ad plenitudinem temporum, quando Romani Monarchiam usurpabant, sub qua Christus nasci debuerat. Docet proinde quomodo *exstructuri*

sint

sint civitatem, *muros & fossam*, *in angustia* scilicet & tribulatione: id quod ex Ezra & Nehemia patet.

26. *Post hebdomadas sexaginta duas*] Hic docet quid futurum sit in ultima hebdomada, h. e. in tempore quo 70 hebdomades impleri cœperint: quod scilicet juxta temporum veriorem supputationem fuit circa initium Regni Herodis, qui *à Jehudæis sustulit sceptrum & מחוקק*, de quo Jacob Patriarcha dixerat Gen. 49. *Non recedet sceptrum de Jehuda*, &c. Ad hoc alludit hîc Daniel quando dicit, *Excitetur Unctus, & nihil supererit de eo:* quia tota Regia potestas fuit à Jehudæis per Herodem alienigenam sublata. Sunt qui hîc per *Unctum* intelligunt Sacerdotium, quod fuit per Christum sublatum. Sunt etiam multi ex priscis qui hunc locum de *Christo occiso* intelligunt: sed cui opinioni obstare videtur id quod additur, *nihil supererit de eo*, vel, ut Hebraismus habet, *& nihil ei.* Christus autem multum habuit post mortem suam; sicut dixit, *Omnis potestas est mihi data*, &c. ¶ *Civitatem perdet*] Hæc sub Romanis sunt impleta, sub quibus miseri Jehudæi veluti inundationes malorum sunt perpessi.

27. *Roborabit fedus*] i. *Adimplebit* Christus *in* ultima *hac hebdomada fedus* quod iniit cum Patribus, *& in medio illius hebdomadæ*, h. e. in processu temporis illius hebdomadæ & plenitudinis temporum, *cessare faciet sacrificia.* ¶ *Propter expansionem abominationum*] Sunt hîc variæ expositiones de כנף, i. *ala.* Mihi arridet Kimhica interpretatio, quæ כנף vertit pro פרישה, & משומם exponit pro תמה *admirante* seu *attonito*; ut sit sensus, Tanta erit ubique *abominatio* ut nemo non vehementer miraturus sit miseræ plebis Jehudaicæ *desolationem & exterminium*, quod continuò *stillabit super eam:* itaque sensus totius hujus Prophetiæ hic est, Res Jehudaicæ durabunt *Lxx hebdomadibus* annorum; quibus expletis aderit MESCHIAS, qui *tollet peccata mundi*, *& afferet justitiam sempiternam. Ad hunc* autem *Principem unctum* numerari jubetur *à tempore quo exiit edictum* ab ore Regis Persarum, concedentis reditum Jehudæis *ad exstruendum Urbem* & Templum: Insumptæque sunt *septem septena*, i. 49 anni, in illo opere. Expletis autem illis septem & præterea 62 *septenis*, h. e. 483 annis, tunc interiit Regnum & externum Sacerdotium, cœpítque *Urbs devastari* à Romanis, ut calamitatum nullus esset finis. Illo tempore advenit Christus, & *adimplevit pactum* cum Patribus initum, & suo sacrificio *sacrificiis* Legalibus *finem imposuit.* Et *increbrescentibus abominationibus* tandem populus infidelis & Civitas penitus interierunt. *Stillavit* tunc ira Dei *super populum* Judaicum *usque ad omnimodam desolationem.*

VATABLUS.

1. PRimo באחת] Ad verb. *uno.*

2. *Intellexi* בינותי] *Attentissimè consideravi.* ¶ *In libris* בספרים] Sub. *sacris.* Cùm Daniel legeret Jeremiam, incidit in locum in quo Deus pollicebatur reditum Judæis: veritus autem nè eam promissionem retardarent peccata populi, convertit se ad orationem. Locus Jeremiæ legitur cap. 29. 10. *Cùm cœperint impleri septuaginta anni*, &c. ¶ *Quod impleret*, &c. למלאות לחרבות ירושלם] i. Se permissurum urbem Jerosolymitanam fore desolatam Lxx annis, quibus tamen elapsis Dominus ipse pollicitus fuerat se reducturum populum Judaicum à captivitate Babylonica.

3. *Et posui faciem meam* ואתנה את פני] Ad verb. *Et dedi faciem meam*, &c. i. Verti faciem meam versùs Jerusalem ubi colitur Deus, ut compararem sive disponerem me ad orandum. Quidam vertunt, *ut supplicatione & precibus uterer.*

4. *Deus magne*, &c. האל הגדול והנורא שומר] Qui es *Deus ille maximus & tremendus*, *qui custodit:* vel, *reverendus*, i. quem omnes timere debent, qui custodit, &c.

5. *Et rebellavimus* ומרדנו] *Et rebelles fuimus*, sub. *tibi: descivimus à te: defecimus.*

6. *Et toti populo terræ* ואל כל עם וגו'] i. Universæ plebi. Nam per *populum terræ* intelligit plebeios.

7. *Tibi*, *Domine*, *justitia* לך אדני הצדקה] Sub. *tribui debet:* vel, *Tua est*, *O Domine*, *justitia:* q. d. Tu es justissimus, nos verò erubescere debemus coram te, propter scelera nostra.

8. *Nobis*, inquam, *pudor* לנו בושת] i. Nos decet pudor, & Reges nostros.

9. *Et propitiationes* והסליחות] *Et remissiones*, sub. *tribui debent.* ¶ *Quia recessimus* כי מרדנו] *Quia defecimus*, sub. *& tamen miseretur nostri*, *& parcit nobis.* Alii, *Opus est ut sint illi misericordiæ ut misereatur nostri*, *qui peccavimus.* Alii exponunt כי per *quanquam*, sic, *quamvis defecerimus ab eo.*

10. *Posuit coram nobis* נתן לפנינו] Ad verb. *dedit coram nobis*, i. proposuit nobis. ¶ *Per servos suos* ביד עבדיו] Ad verb. *in manu servorum*, &c.

11. *Et declinaverunt* וסור] Infinitivus pro præterito, *& recesserunt*, sub. *à præceptis tuis & justitiis tuis*, ut v. 5. ¶ *Propterea stillavit* ותתך] *Propterea effusa est*, vel *pervenit*, ut quidam Hebræorum exponunt. ¶ *Et jusjurandum* והשבועה] Vide Jer. 42. 18. & 44. 12. quorum locorum ista est explicatio.

12. *Statuitque verbum suum* ויקם את דברו] *Et suscitavit* [vel *stabilivit*, i. adimplevit] *verbum suum.* Legitur enim דברו, & scribitur דבריו *verba sua.* ¶ *Quod locutus*, &c. אשר דבר עלינו] i. Quæ interminatus fuerat. ¶ *Judicaverunt nos* שפטונו] i. Judiciis inter nos præfuerunt, sive qui rexerunt nos. ¶ *Quod non fuit*, &c. אשר לא נעשתה וגו'] *Tale non fuit factum sub universo cœlo quale factum est*, &c. Alii, *non enim factum est sub universo cœlo sicut factum est*, &c.

13. *Veritatem tuam* באמתך] i. Promissiones tuas verissimas.

14. *Et festinavit*, &c. וישקד וגו'] Hebraismus, Acceleravit adducere hoc malum super nos: vel, Dedit operam ut affligeremur.

16. *Pro omnibus justitiis tuis* ככל צדקתך] *Secundùm omnes justitias tuas.* Concisa est hæc sententia, quæ sic impletur, *Domine*, *ut justè punis scelera*, *quòd sis justus; sic etiam averte iram tuam à nobis secundum multitudinem misericordiarum tuarum: ut justus es*, *sic etiam clemens.* Relinquit alteram partem comparationis, quam suprà posuerat.

17. *Et illustra faciem tuam* והאר פניך] *Et lucere fac faciem tuam*, &c. *Illustrare faciem* est Vultu benigno & hilari intueri: nam quos odimus, obscuro & infesto vultu intuemur. *Illustra* igitur *faciem tuam super Sanctuarium tuum*, sive *Templum*, i. favore prosequere. ¶ *Propter Dominum* למען אדני] Mutatio personæ, *propter te.*

18. *Desolationes nostras* שוממתינו] *Ruinas nostras*, i. respice ædes nostras desolatas. ¶ *Super quam*, &c. אשר נקרא וגו'] Hebraismus, *quæ appellatur de nomine tuo*, h. e. quæ dicitur tua. *Hæc est urbs Domini.* ¶ *In justitiis nostris* על צדקתינו] *Propter justitias nostras*, i. freti justitiis nostris. ¶ *In miserationibus tuis* על רחמיך] *Propter misericordias tuas.*

19. *Et fac* ועשה] Sub. *quod opto.* ¶ *Nè moreris* אל תאחר] *Nè differas*, sub. *quin illustres faciem tuam super urbem.* ¶ *Quia nomen tuum*, &c. כי שמך וגו'] Hebraismus, quia Jerusalem dicitur *urbs tua*, & Israel *populus tuus.* Sic v. 18.

20. *Pro monte*, &c. על הר וגו'] h. e. Pro monte dicato & consecrato Deo meo, i. pro urbe Jerosolyma vel Templo.

21. *Volantem volatu* מועף ביעף] Ab עוף *volare:* & י in ביעף redundat. Alii, à יעף *deficere*, *lassari*, *defatigari* deducentes, vertunt *volantem cum lassitudine*, vel *fatigatione*, i. citò volantem. ¶ *Tempore* כעת] *Circiter tempus.*

22. *Et intelligere fecit* me ויבן] i. Docuit & instruxit. ¶ *Egressus sum* יצאתי] Sub. *à conspectu Domini.* ¶ *Ut intelligere faciam te intelligentiam* להשכילך בינה] i. Ut doceam te mysteria & secreta.

23. *Egressum est* יצא] Sub. *à Deo:* q. d. Deus præcepit mihi ut indicarem tibi mysteria magna. ¶ *Ut indicarem* להגיד] Sub. *tibi illud.* ¶ *Desideriorum* חמודות] Hebraismus, tu es Deo gratissimus & charissimus. ¶ *Intellige ergò*, &c. בין בדבר וגו'] i. Intellige quæ à me audies de hac visione.

24. *Decisa sunt* נחתך] *Definita*, i. præfixæ: i. Intra 70 *hebdomadas* mittet Deus Filium suum in mundum, qui *delebit & expiabit* omnia *peccata*, & donabit suos *justitiâ sempiternâ:* q. d. Populus tuus non tantummodo liberabitur à captivitate illa Babylonica, sed etiam à captivitate Diaboli, Peccati & Mortis, per ipsum. Intelligit autem de *hebdomadibus*, i. septenariis, annorum, non dierum. 70 autem *hebdomades* efficiunt quadringentos & nonaginta annos. Quidam incipiunt ab anno quarto Regni Sedeciæ, qui erat annus duodecimus Regni Nabuchodonosor. ¶ *Ad finiendam* לכלא] *Ad cessare faciendum.* ¶ *Et ad consumendum* ולהתם] *Et ad consummandum*, sub. *à Deo.* ¶ *Seculorum* עלמים] i. Sempiternam. ¶ *Et finiendum visionem* ולחתום חזון] *Et ad obsignandam visionem*, sub. *de Christo.* Res quæ non sunt usui, solemus recludere & obsignare: q. d. Non erit ultrà opus Prophetiâ de adventu Christi; veniet enim: nam *usque ad Johannem Lex & Propheta duraverunt.*

25. *Sermonis* דבר] Sub. *ad Jeremiam*, nempe c. 29. 10. cujus meminit Daniel initio hujus capitis: q. d. Scito quòd ab eo tempore quo Jeremias prædixit fore ut liberaretur populus Judaicus à captivitate Babylonica, & instauraretur Jerusalem. Hoc versu declarat 70 illas hebdomadas, dividítque eas in tres

partes,

partes, propter res diversis temporibus factas: Primò in *7 hebdomadas:* nam per id tempus manserunt adhuc Judæi in captivitate sua Babylonica. Deinde in 62 *hebdomadibus* sequentibus instaurata fuit Jerusalem, mansitque populus illic. Postremò *hebdomadâ ultimâ* Christus baptizatus fuit, prædicavit, miracula edidit, & tandem passus est pro nobis. ¶ *Redibit* תשוב] Sub. *ad statum & honorem pristinum.* Quidam volunt esse Hebraismum, *redibit & ædificabitur* pro *rursus ædificabitur.* ¶ *Platea* רחוב] i. Jerusalem: nam *latè* erit, ut dicit Nehemias. Verti potest, *instaurabitur enim & ædificabitur*, sub. *Jerusalem cum platea.* ¶ *Et murus* וחרוץ] Sing. Heb. pro plur. *& muri ejus.* Alii vertunt, *& fossa:* sub. *circum muros.* ¶ Idque *in angustia temporum* ובצוק העתים] Ad verb. *& in angustia temporum*, i. brevi; vel, non sine angustiis, sive tempore calamitoso: quòd tum multa passi sint Judæi.

26. *Hebdomadas*, &c. השבעים וגו'] Quæ scilicet septem hebdomadas sequebantur, i. hebdomadæ LXX: nam septem illas hebdomadas omisisse videtur brevitatis causâ. ¶ *Excidetur* יכרת] *Interficietur:* vel, *tolletur de medio.* ¶ *Et non* erit *ei* ואין לו] *Et nullus* erit *pro eo*, i. nullus stabit à parte ejus. Nemo feret auxilium, sed destituetur omni ope. ¶ *Dissipabit* ישחית] *Vastabit: perdet.* ¶ *Ducis* נגיד] *Principis*, nempe Titi. ¶ *Et finis ejus*, &c. וקצו בשטף] Relativum refert *Titum:* q. d. ac tandem postremo certamine summâ vi summóque impetu expugnabit illam. Acerrimam oppugnationem comparat *inundationi*, quòd inundatio secum trahat omnia. ¶ *Excidetur desolationibus* נחרצת שממות] *Destruetur desolationibus*, sive *seditionibus & cædibus:* q. d. Toto tamen obsidionis tempore vires ejus erunt labefactatæ propter civilia bella: nam Johannes & Simon duces seditionis quamplurimos in Urbe confecerunt.

27. *Et roborabit* והגביר] *Et confirmabit.* ¶ *Unâ* אחד] i. Ultimâ. Christus antè quàm tollatur de medio, dabit Legem [Euangelium, i. fedus novum] quam confirmabit prædicatione & signis: vel, confirmabit per se & Johannem præconem. Lex dicitur *fedus.* ¶ *Sacrificium* זבח] Sing. Heb. pro plur. ¶ *Et propter extensionem abominationum desolabit* ועל כנף שקוצים משמם] *Propterque alam abominationum destruet*, vel *perdet:* h. e. propter Judæorum magnas abominationes, quas erant admissuri crucifigendo Christum. *Alam* sive *extensionem abominationum* vocat longam seriem abominationum, sive multiplices abominationes. Quidam pro *perdet* vel *destruet* vertunt *admirari faciet*, vel *stupere*, sub. *videntes desolationem.* ¶ *Donec* ועד] Ad verb. *& donec.* Redundat *&*, aut subaudiendum erit verbum præcedens, *destruet*, *inquam*, *donec*, &c. Quidam vertunt, *donec consummatio*, *&* quidem *certa* [vel *definita*] *deciderit super stupentem*, sub. *populum:* vel, *super attonitum*, i. donec populus ille reddatur attonitus propter tantam desolationem.

CASTALIO.

17. PRopter Dominum] Christum.

CLARIUS.

1. IN *anno primo*] Mox post subversum Regnum Babyloniorum, cùm Darius filius Astyagis (qui hìc *Assuerus* appellatur) socer & collega Cyri, Monarchiæ præesset, ostensa est Danieli visio quæ futura erat in quarta Monarchia, Romanorum scilicet, in qua & Christus tunc exspectabatur.

2. *Ad Jeremiam Prophetam*] Duæ Prophetiæ sunt apud Jeremiam: Una dicit 70 annis duraturum Regnum Babylonis: & hæc impleta erat. Altera habet, 70 annis futuram desolationem Templi: hæc post 19 destructi Babylonici Regni annos implenda erat.

12. *Et statuit sermones suos*] h. e. Reipsa ostendit, seriò se nobis minatum fuisse, & efficere potuisse quod facturum se prædixerat.

18. *Super quam invocatum est nomen tuum*] Modus loquendi Hebræorum; q. d. Nomine tuo appellamur, ut vocemur *populus & civitas Dei.*

23. *Egressus est sermo*] i. Decretum est atque sic constitutum ac si jam exivisset atque impletum esset.

24. *Septuaginta hebdomades*] Tu, Daniel, inquit, mones in tua oratione, *transisse septuaginta annos* Captivitatis, & adesse tempus liberationis, juxta *Vaticinium Jeremiæ Prophetæ:* At ego indico tibi, instare post 70 *hebdomadas* majorem liberationem, quæ toti mundo concedetur, quâ per Messiam toti generi humano *condonabitur remissio peccatorum, & adducetur justitia seculorum, atque ungetur Sanctum sanctorum*, quod est Christus, *in quo habitat plenitudo Divinitatis.* Ipse enim impetravit nobis abolitionem peccatorum, gratiæ & justitiæ donum, *qui factus est justitia nostra.* Ad eum spectarunt omnes Prophetæ, quorum *visiones & Prophetiæ* in eo *signantur & finem faciunt:* hoc enim est quod ait, *& impleatur visio & Prophetia*, &c. Porrò 70 *hebdomadæ* capiuntur hîc non pro hebdomadis Dierum aut Jubilæorum, sed Annorum, constituúntque 490 annos. Sic & Levit. 25. numerantur *hebdomadæ annorum.*

25. *Ab exitu sermonis*] Quod alius vertit *à principio exsecutionis*, hoc est, à tempore quo incipiunt ædificare Jerusalem. Hic autem locus varias habet sententias, ubi scilicet faciendum initium sit supputandorum annorum harúmque Hebdomadarum 70, ut perveniatur *ad Christum Ducem*, h. est, Dominum Jesum Christum. Verùm ubicunque incipias, videbis hos annos circa Christi tempora impleri: ut omnis excusatio adimatur Judæis, contra quos hæc Prophetia ità pugnat ut minimè evadere queant. Sed cùm hîc necessaria sit temporum certissima supputatio, illud primum sciendum est, Scriptores Hebræos quatenus Scripturæ autoritatem sequuntur, h. e. usque ad Neemiæ reditum, jure fidem mereri; exteros verò minimè. Nulli enim vel Græci vel Barbari certum aliquid ac fide dignum scripserunt ante reparatum Templum. At post reparatam Jerusalem, jam deficientibus Prophetis cum Malachia & Esra, Hebræis in supputatione temporum fides nulla haberi potest. Sicut enim Ethnici scriptores multùm errant in superioribus, ità Judæi in posterioribus seculis: in quibus quoniam Scripturæ Divinæ non subveniunt, alia certissima ratio quærenda est. Indubitatam itaque fidem habent apud Græcos Olympiades, apud Romanos verò anni ab Urbe condita. Annos ergò, quando hîc incidit occasio, ab exordio Mundi numeremus. Ab exordio Mundi usque ad Diluvium constat summa annorum 1656. quæ certè colligitur à cap. 4. Geneseos usque ab caput 7. A Diluvio usque ad Egressum filiorum Israel ex Ægypto certâ supputatione sunt anni 813. qui colliguntur ab octavo capite Geneseos usque ad 47. adjectis 230 annis quibus in Ægypto manserunt filii Israel. Exodi 12. ponuntur anni 430 habitationis eorum; sed, ut Eusebius in Chronicis, & post eum, Augustinus in libro Quæstionum super Exodum, & omnes Hebræi colligunt, necesse est dimidium annorum illorum in superiora tempora referre, quando videlicet vel Abraham peregrinus factus in Charan, vel quando dictum est ei, *Affliget semen tuum quadringentis annis.* Clarè legitur apud Græcos loco prædicto. Ab Egressu filiorum Israel ex Ægypto usque ad Destructionem primam Templi numerantur anni 910. cum dimidio. Israelitæ enim versati sunt in deserto annis 40 & 11 mensibus, Deut. 1. Tempus Judicum & Saulis ac David usque in annum quartum Salomonis anni 439. Sic complentur anni 480 de quibus 3 Reg. 6. Extructo Templo regnavit Salomon annis 36. Abjiciuntur enim à 40 annis quatuor, qui Templi structuram præcedunt. Reliqui anni colliguntur ex sequentibus Regibus, quorum ultimus fuit Sedechias. Horum anni partim ex Paralipomenis partim ex libris Regum colliguntur. A Destructa Jerusalem usque ad Reparatam anni 94. nam à Destructo Templo usque ad Reparationem illius anni 70, Zach. 1. Consummatum est Templum annis 4, Esræ 6. A Consummatione Templi usque ad Perfectionem murorum Civitatis anni 26, Neh. 5. quod sic ostenditur; Anno Darii 2 reædificabatur Templum; 6 perficiebatur Templum; 7 missus est Esras; 20 missus est Neemias; 32 perfecti sunt muri: nam si adjeceris 26 annos ad sex annos Darii, in quibus Templum est consummatum, pervenies ad 32 annum Darii. Hucusque Scripturarum autoritate satisfactum est. Nunc ubi Scriptura desinit, ab olympiadum & annorum post Urbem conditam numero certitudo petenda est. Incipiendum igitur nunc nobis ab Olympiade 73, quæ erit 34 Darii Hystaspis, qui successit Cambysæ. A Reparata Jerusalem sub Regno Persarum usque ad Alexandrum M. anni 160, hoc modo; Regnavit Darius post reparatam Jerusalem annis 4 sub Olympiade 73; Xerxes Darii annis 20; Artabanus menses 7; Artaxerxes μακρόχειρ annis 40; Xerxes secundus menses duos; Sogdianus menses 8; Darius Nothus annis 19; Artaxerxes Mnemon annis 40; Artaxerxes Ochus annis 26, Arses annis 4; Darius Arsami annis 6; occisus Olympiade 112. Ab occiso Dario, Regni Græcorum usque ad Maccabæos in Judæa anni 165, hoc modo; Regnavit Alexander M. annis 5; Seleucus Nicanor annis 44; Antiochus Soter annis 19; Antiochus Theos annis 15; Seleucus Callinicus annis 20; Seleucus Ceraunius annis tribus; Antiochus Megas annis 36; Seleucus Philopater annis 12; Antiochus Epiphanes annis 11: Periit Olympiade 153. A Maccabæis usque ad Regnum Herodis anni 127, hoc modo; Judas Maccabæus præfuit annis tribus; Jonathas annis 19; Simon annis 8; Joannes Hircanus annis 26; Aristobulus anno

uno

uno; Janneus Alexander annis 27; Alexandra 9 annis; Aristobulus & Hircanus annis 34, Olympiade 186. Regum Herodianorum sub Romanis anni 103, hoc modo; Sub Octaviano Herodes Antipatri alienigena annis 37; Sub Octaviano Herodes Archelaus annis 9; Sub Tiberio Herodes Tetrarcha annis 24; Sub Caligula Herodes Agrippa annis 7; Sub Nerone & Vespasiano Agrippa Agrippæ F. annis 26, usque ad Olympiadem 212. Veniamus ergò ad has 70 hebdomadas, quas diximus esse non Dierum, neque Jubilæorum, nec Seculorum, ut quidam nugari sunt ausi, sed Annorum. Bifariàm enim duntaxat hebdomadæ apud Hebræos dicuntur, aut dierum spatio, ut à Pascha ad Pentecosten *septem hebdomada*, Levit. 23, aut annorum, pro *septem annorum tempore*, ut est Levit. 25. *Numerabitis septem hebdomadas annorum*. Et quia non possunt esse septenarii dierum, quia non additur *dierum*, consequens est ut sint hebdomadæ annorum: quod confirmat, quia Propheta de 70 annis Jeremiæ meditans facilè videbat annorum mentionem fieri. Faciunt autem supputatæ hebdomadæ illæ annos 490: sed quomodo computati anni illi debeant summa est dissensio. Multis autem videtur verisimilius ut incipiatur vel à primo anno Cyri, vel à secundo potiùs anno Darii. Nam licèt Judæi ad sua antea sub Cyro essent missi, tunc tamen sola Templi fundamenta jecerunt, impediti à vicinis, quia nondum *exierat verbum*, nec aderat tempus. Si incipias igitur à Cyro, & computes usque ad mortem Aristobuli, qui fuit Alexandri, vel tollas 19 annos, & incipias à secundo anno Darii, usque ad Regnum Herodis, nihil deerit huic numero. Habebis enim in Regno Persico annos 190 cum dimidio; & à Dario incipiens & tollens 19 annos, in Regno Macedonico usque ad Epiphanem Antiochum annos 165; dominantibus Maccabæis annos 127; quos si conjunxeris, complebis 482 cum dimidio, sumens reliquum dimidium à primo Herodis anno. Non enim primo die sic grassatus est. At si cum *exitu verbi* intelligere malles reparationem civitatis Jerusalem, quæ reparata est 22 anno Darii, subducendi erunt 30 anni à Regno Persarum, & addendi totidem ad Regnum Judæorum ex annis Herodis Regis: sic proximè attinges annum Incarnati Christi, qui 31 anno Herodis incarnatus est. Hoc igitur primò animadvertendum, unde sumendum initium: nam multos seduxit hujus ignorantia. Quando enim implevit Deus hoc quod per Prophetam Jeremiam prædixit se facturum, nempe 70 annis Babylonios regnaturos, tantóque tempore Templum fore vastatum, tunc *exitus verbi* censendus: de hoc enim erat solicitus Propheta: nam præmiserat, *Intellexi in libris numerum annorum, ut complerentur desolationis Jerusalem septuaginta anni*. Et infrà in hoc eodem capite dicitur, *Ab exordio precum tuarum egressus est sermo:* ubi videtur aptiùs inchoanda hæc annorum supputatio, ut hic *exitus verbi* censeatur. Si ergò spectes ad annum Cyri primum, quò data est facultas redeundi, pervenies usque ad Pompejum M. qui 179 Olympiade victoriam obtinuit, quâ captâ Jerusalem, multisque etiámnum sacrificantibus occisis, Templo aperto, usque ad Sancta sanctorum accessit, & Aristobulum toties fallentem victum in triumphum reservavit, & habes hebdomadas 69, principium 69 hebdomadæ pro integra supputans, h. e. annos 476 plenos Cessarat enim Macedonicus Principatus in Syria, & manebat adhuc in Ægypto. Secundò, si respexeris ad instaurationem Templi sub Dario, quæ incidit in Olympiadem 65, & tunc 70 anni desolati Templi impleti sint, pervenies in 69 hebdomadis, i. annis 483, ad tempus Herodis, qui & ipse Urbem cepit, & Regem ac optimos quosque occidit. Præterea si *exitum verbi* dicas exstructam civitatem Jerusalem, quæ ante cladem Marathoniam contigit, & Olympiadem 73 apprehendit, per annos 483 pervenies usque in Olympiadem 94, in qua natus est Christus: ut ubique impletionem temporum videas ab *exitu verbi*, qui cum Prophetico sensu satis quadrat: *Scias igitur*, inquit, *& intelligas*, impletis 70 annis à Jeremia prædictis, adesse tempus ut Rex Cyrus primùm quidem reverti faciat, & deinde Darius exstrui curet *Jerusalem:* vel sic; Ab hoc tempore numerare poteris quo *exibit verbum* Regis, *qui respondebit* (ut legunt Græci ἀποκριθήσεται,) *& ædificare jubebit*, *usque ad Christum illum principalem*, esse scilicet tantum temporis: & ubi evolutum hoc tempus fuerit, scias esse *plenitudinem temporum* & *novissimos dies*, in quibus oportet apparere Christum. Et hic loquendi modus Scripturæ magis familiaris est. Suprà cap. 2. *Et lex egressa est*, &c. Jer. 44. *Faciemus omne verbum quod egredietur de ore nostro*. In eandem tamen sententiam utraque conspirat expositio. De his Hebdomadis sic scribit Galatinus, sive quisquis autor illius operis fuit. Nam audio à quodam Judæo primùm illa fuisse observata: quæ res majorem etiam fidem facit. *Notandum est*, inquit, *valde quàm vigilanter Gabriel Danielem hortetur scire atque animadvertere tempus Egressionis verbi de reditu populi Dei ex Babylonica captivitate, ab eoque tempore earundem Hebdomadarum numerum incipere. Nusquam autem hujus verbi egressus invenitur expressius, imò nusquam tam evidenter reperiri poterit, quàm apud Jeremiam cap. 29. sic dicentem*, SIC DICIT DEUS, CÙM FUERINT COMPLETI IN BABYLONIA SEPTUAGINTA ANNI VISITABO VOS, ET STATUAM (*vel* ERIGAM) SUPER VOS VERBUM MEUM BONUM, ET REVERTI FACIAM VOS AD LOCUM ISTUM. Et post pauca, ac sequenti capite, in eandem sententiam; *Qua siquis adverterit, atque Gabrielis verba, istaque cum illis contulerit, negare minimè poterit Egressum verbi ex ore Jeremia de populi reversione déque Jerusalem & Templi readificatione ibi fuisse. A quo quidem verbi egressu 70 harum hebdomadarum numerum inchoandum fuisse ostendit. Qui verò scire voluerit quonam tempore hoc verbum fuerit ex ore Jeremia egressum*, 28 *libri ejusdem Propheta caput legat:* ET FACTUM EST, inquit, IN ANNO ILLO, IN PRINCIPIO REGNI SEDECHIÆ REGIS JUDÆ, IN ANNO QUARTO, IN MENSE QUINTO. *Cùmque alium nullum annorum numerum propinquiorem quàm istum supradictis invenire possit, perspicuè sibi patebit, in quarto Regis Sedechia anno verbum hoc de populi reditu déque Jerusalem & Templi readificatione ex ore Jeremia fuisse egressum. Quartus autem Sedechia annus fuit duodecimus Nabuchodonosor. Sedechias quippe* 11 *regnavit annis, cùm capta fuit atque combusta urbs Jerosolyma & Templum, anno scilicet Nabuchodonosor* 19. *Si ergò Talmudisticam traditionem sequamur, Nabuchodonosor annis regnavit* 45, *cujus anno* 19 *ac mense quinto, ut dictum est, Templum dirutum fuit; & habebimus Nabuchodonosor ipsum ab eo tempore quo verbum de populi regressu & Jerusalem ac Templi readificatione ab ore Jeremia egressum est*, 34 *regnasse annis: quorum etsi unus imperfectus sit, cùm tamen majorem anni partem habuerit, pro integro computatur. Deinde verò prædictam traditionem diligentiùs persequentes, his* 34 *annis ipsius Nabuchodonosor* 23 *addamus quibus Evilmerodach filius ejus regnavit, &* 57 *habebimus annos; quibus si tres ipsius Balthasar filii Evilmerodach jungantur*, 60 *habentur anni. His quoque si duo anni Darii &* 30 *quibus Cyrus nepos ejus regnavit accedant, anni erunt* 92. *Porrò si istis & anni* 14 *Assueri &* 6 *Darii, sub quo Templi structura consummata est, adjungantur, clarum est quòd ab Egressu verbi sæpius dicti usque ad Templi secundi completionem secundùm Judaorum scripturas* 112 *fluxerunt anni. Quibus si addantur anni* 420, *quibus Templum secundum constitisse indubitanter ab eis asseritur, habebuntur ab Egressu verbi ex ore Jeremia de populi reditu & de Jerusalem Templique readificatione usque ad ejusdem Urbis Templique Excidium anni* 532, *de quibus si* 42, *qui post Christum passum prateriérunt, subtraxeris, anni* 490 *remanebunt, qui* 70 *Danielis hebdomadas perficiunt. Qui verò per nostras quoque historias veritatem hanc nancisci cupiunt, ab alio eos tempore computationem hanc incipere oportet, ut illa Egressio verbi sæpius dicta, fuerit anno vigesimo Regni Artaxerxis Longimani Persarum Regis, qui facultatem & libertatem readificanda Jerusalem Judais dedit, ut habetur cap.* 2. *Nehemia. Nam etsi priùs à Cyro & redeundi à captivitate & construendi Templi libertatem accepissent, adhuc tamen neque facultatem condenda denuò Urbis prædicta acceperant, neque Templum, quod Zorobabele Principe erigere cœperant, perficere potuerunt. Ex quo manifestè patet quòd juxta Angeli instructionem à vigesimo anno Artaxerxis Longimani, à quo primum exiit verbum in Jerusalem iterum ædificaretur, harum hebdomadarum connumeratio inchoare debuit. Quòd autem hebdomada ista usque ad Christum passum pervenerint, ex Gracarum Latinarúmque historiarum concordantia atque connexione facilè videri potest, hoc modo; Artaxerxes iste postquam ad readificandam Jerusalem misit Nehemiam, regnavit adhuc annis* 20. *Post quem Xerxes secundus mensibus duobus. Deinde Sogdianus mensibus* 7. *Deinde Darius secundus, qui dictus est Nothus, annis* 29. *Deinde Artaxerxes Mnemon, qui & Assuerus & Arphaxat appellatus est, annis* 40. *Postea Artaxerxes Ochus, ejus ex Ester Hebraa filius, annis* 27. *Post quem Arsanus ejus filius annis* 4. *Darius demum tertius Arsani filius, in quo defecit Persarum Regnum, annis sex. Et sic ab Egressu verbi ut iterum ædificaretur Jerusalem, hucusque Persarum Regum tempora connumerando, habentur anni* 136, *minus tribus mensibus. Post Darii verò mortem Alexander Macedo cognomento Magnus in Regno Gracorum sex regnavit annis. Post quem Ptolemaus Lagi filius annis* 40. *Deinde Ptolemaus Philadelphus annis* 38. *Deinde Ptolemaus Euergetes primus annis* 25. *Deinde Ptolemaus Philopater*

pater annis 16. *Deinde Ptolemaus Epiphanes annis* 24. *Deinde Ptolemaus Philometor annis* 35. *Deinde Ptolemaus Evergetes secundus annis* 29. *Deinde Ptolemaus Physcon annis* 17. *Deinde Ptolemaus Alexander annis* 10. *Deinde Ptolemaus Soter annis* 8. *Deinde Ptolemaus Dionysius annis* 30. *Deinde Cleopatra, in qua Græcorum Regum finem accepit, annis* 22. *A morte igitur Darii tertii hactenus colliguntur* 300 *anni minus uno, quibus Græcorum Regnum perdurasse constat. Octavianus verò Augustus post mortem Cleopatræ in Romanorum Regno annis imperavit* 43. *Cui Tiberius successit, cujus anno* 18 *passus est Christus. Ab obitu ergò Cleopatræ usque ad Christum passum habemur anni* 61, *quibus si addantur anni quos Persarum Græcorúmque Regum tempora supputando collegimus, habebuntur ab Egressu verbi ut iterum ædificaretur Jerusalem, i. à vigesimo Artaxerxis Longimani anno, usque ad Christum passum, anni* 487, *minus tribus mensibus, qui* 70 *complent hebdomadas minus tribus annis tribúsque mensibus. Siquidem in dimidio ultimæ hebdomadis Messias occidendus erat. Ex quibus palàm ostensum est, determinatum Messiæ tempus ab Angelo Danieli revelatum in Domino nostro Jesu Christo præcisè impletum fuisse.* Hæc ille. ¶ *Hebdomades septem*] Dividit nunc Hebdomadas in tres partes. Initio dat hebdomades *septem*, medio tempori *sexaginta duas*, fini *unam*. Septem primæ tribuuntur reparationi Templi, Civitatis & Regni Judæ. Deinde 62 pertingunt usque ad plenitudinem temporum, quando Romani Monarchiam usurpabant, sub qua Christus nasci debuerat. ¶ *In angustia temporum*] h. e. In summis angustiis erunt temporibus illis.

16. *Et post hebdomadas sexaginta duas*] Ultra septem alias. Hic docet quid futurum sit in ultima hebdomada, h. e. in tempore quo 70 hebdomadæ impleri cœperint, quod scilicet juxta temporum veriorem supputationem fuit circa initium Regni Herodis, qui *à Judæis sustulit sceptrum*, de quo Jacob Patriarcha prædixerat, *Non auferetur sceptrum de Juda*, &c. Ad hoc alludit hic Daniel quando dicit, *occidetur Christus* (vel *exidetur Unctus*) *& non erit populo quicquam reliquum*; quia tota Regia potestas fuit à Judæis per Herodem alienigenam sublata. Sunt qui hic per *unctum* intelligant Sacerdotium; quod fuit per Christum sublatum. Sunt etiam qui de *Christo occiso* intelligant: sed cui opinioni obstare videtur id quod additur, *Non erit populo quicquam reliquum*, vel, ut Hebraismus habet, *& nihil ei.* Christus autem multum habuit post mortem suam, sicut dixit, *Data est mihi omnis potestas*, &c. Sed quod superiùs dixit, *Christum ducem*, hoc proculdubio de Christo dictum est. Quod verò ad ultimam hebdomadam pertinet, sunt qui dicant, Quoniam hæc ultima est, neque illam alia sequitur, non esse quòd illam quis anxiè in paucos septenarii annos cogat; & stultum esse post finem & novissimum tempus adhuc numerationi vacare. Dicunt enim LXX ἐκκενωθήσονται οἱ καιροὶ *evacuata erunt tempora*, q. d. Non restabit quod numeres: exspecta nunc Christum. ¶ *Et Sanctuarium dissipabit populus*] Hæc sub Romanis sunt impleta, sub quibus miseri Judæi veluti inundationes malorum sunt perpessi. Et putatur additum *cum diluvio*, quòd per mare venerit Titus.

27. *Confirmabit autem pactum*] Adimplebit Christus in ultima hac hebdomada fœdus quod iniit cum Patribus. Ideo non dixit *faciet*, sed *confirmabit*, quod jam antea & Patribus promiserat: de quo Jer. 31. ¶ *Et in dimidio hebdomadis*] Interpretantur nonnulli *hebdomadam* illam *unam* septem annos, quibus Christus & Apostoli prædicarunt in Judæa; ità ut Christus per tres cum dimidio, & Apostoli post mortem ejus per totidem annos prædicarint; & in morte Christi *oblatum sacrificium* sit. Quæ sententia etiam veteribus placuit, Eusebio & Polychronio. Sunt tamen qui dicant *hebdomadam* illam plenitudinem esse temporum in qua *confirmatur pactum*. Etenim in processu temporum, non statim ab initio, finis fuit sacrificiorum, sed in medio scilicet belli. Finis autem belli Judæorum sub Hadriano fuit. In medio illorum temporum, quando *Christus hebdomadâ illâ pactum firmabat* cum suis, tunc & *auferebatur sacrificium*. A captivitate enim quà Pompejus Jerusalem cepit usque ad tempus morientis Christi habebis annos non pauciores 98. à morte autem Christi & Apostolorum prædicatione usque ad Hadrianum paulò plures: per quæ ferè tempora cum Joanne Euangelista sincerior doctrina permansit. ¶ *Et propter expansionem abominationum*] Intelligunt *expansionem* (sive *alam*) *abominationum*, de extensione vexillorum Romanorum. De qua videtur Dominus prædixisse Matth. 24. *Cum videritis abominationem desolationis quæ dicta est à Daniele, stantem in loco sancto (qui legit intelligat) tunc qui in Judæa*, &c. Hanc fuisse putant cùm à Pilato Cæsarea signa in Templum illata sunt: unde seditionis & calamitatum initium. Aliqui tamen interpretantur hunc locum, quòd tanta erit ubique abominatio ut nemo non vehementer admiraturus sit miseræ plebis Judaicæ desolationem & exterminium, quod continuè stillabit super eam, & apprehendet calamitatem calamitas. Itaque sensus totius Prophetiæ hujus hic est; Res Judaicæ durabunt 70 *hebdomadis* annorum, quibus expletis aderit MESSIAS, qui *tollet peccata mundi, & afferet justitiam sempiternam. Ad hunc* autem *Principem unctum* numerari jubetur *à tempore quo exiit edictum* ab ore Regis Persarum concedentis reditum Judæis *ad exstruendam Urbem* & Templum. Insumptæque sunt *septem septenæ*, i. 49 anni, in illo opere. Expletis autem illis septem & præterea 62 *septenis*, h. e. 483 annis, tunc interiit Regnum & externum Sacerdotium, cœpitque *Urbs devastari* à Romanis: ut calamitatum esset finis. Ille tempore advenit *Christus*, & *adimplevit pactum* cum Patribus initum, & suo sacrificio *sacrificiis* Legalibus *finem imposuit*. Et *increbrescentibus abominationibus*, tandem populus infidelis & Civitas penitus interierunt.

DRUSIUS.

2. בִּשְׁנַת אַחַת לְמָלְכוֹ. ἐν ἔτει ἑνὶ τῆς βασιλείας αὐτοῦ *in anno uno Regni ipsius*] i. *Primo.*

5. עָוִינוּ וְהִרְשַׁעְנוּ. ἠδικήσαμεν, ἠσεβήσαμεν, *iniquè egimus, impiè egimus.*

23. חֲמוּדוֹת. Sym. ἀνὴρ ἐπιθυμητὸς *vir desiderabilis.* Th. ἀνὴρ ἐπιθυμιῶν *vir desideriorum*] Malim ἐπιθυμητός. Locus integer, ὅτι ἀνὴρ ἐπιθυμητὸς σὺ εἶ, *quia vir desiderabilis tu es.* Interpres Romanus retulit *vir amabilis.* Nota hic ellipsin nominis איש. Sic alibi מרמה ponitur pro איש מרמה *vir doli*, i. dolosus יין pro איש יין *vir vini*, i. vinosus, κατοινώμενος.

24. נֶחְתַּךְ. Th. συνετμήθησαν *breviata sunt*] Theodoretus, *pro* ἐδοκιμάσθησαν καὶ ἐκρίθησαν, *probata & decreta sunt. Ità enim quidam ex Interpretibus ediderunt.* ¶ עַל־עַמְּךָ וְעַל־עִיר קָדְשֶׁךָ. A. ἐπὶ τὸν λαόν σου, καὶ ἐπὶ πόλιν ἡγιασμένην σου, *super populum tuum, & super civitatem sanctificatam tuam.* Sym. Κατὰ τοῦ λαοῦ σου, Καὶ τῆς πόλεως τῆς ἁγίας σου *Contra populum tuum, & civitatem sanctam tuam.* Eusebius addit, ὅθεν καὶ πρὸς τοῖς ἀκριβέσιν ἀντιγράφοις τῆς ἑβδομήκοντα τὸ, σοῦ, καὶ ἀστερίσκοις παρατέθειται. Hæc ille Demonstrat. Evang. lib. 8. pag. 238. ¶ לְכַלֵּא הַפֶּשַׁע וּלְהָתֵם חַטָּאוֹת. A. τοῦ συντελέσαι τὴν ἀθεσίαν, καὶ τοῦ τελειῶσαι ἁμαρτίαν] Idem pag. 239. edit. Roberti Stephani. In ed. Rom. τελέσαι legitur. Ibidem hic locus ità redditus est, *ad consummandam prævaricationem, & ad finem dandum peccato.* Ubi & alia interpretatio, τοῦ παλαιωθῆναι τὸ παράπτωμα, καὶ quæ legit לבלא, h. e. Beth loco Caph. Latinè hoc diceretur, *ut antiquetur delictum, &c.* Apud Tertullianum, *quoadusque inveteretur delictum, & signentur peccata.* Scilicet in scriptura Ebraica esse לחתם per Heth, quam secutus fuit Interpres ille ex quo descripsit Tertullianus. Sic dico, Scribitur לחתם, & legitur להתם. Hoc significat *perficere, absolvere, consummare*; illud *significare, obsignare, consignare.* ¶ וּלְכַפֵּר עָוֹן. A. καὶ τοῦ ἐξιλάσασθαι ἀνομίαν *& ad expiandam iniquitatem.* ¶ וְלַחְתֹּם חָזוֹן וְנָבִיא וְלִמְשֹׁחַ קֹדֶשׁ קָדָשִׁים. LXX καὶ τοῦ σφραγίσαι ὅρασιν καὶ προφήτην, καὶ χρῖσαι ἅγιον ἁγίων, *& ad obsignandam visionem & Prophetam, & ad ungendum Sanctum sanctorum.* Aq. καὶ τοῦ τελέσαι ὁραματισμὸν καὶ προφήτην, καὶ ἀλεῖψαι ἡγιασμένον ἡγιασμένων, *& ad consummandam visionem & Prophetam, & ad ungendum sanctificatum sanctificatorum*] Τελέσαι, לחתם. Vide quæ modò notavimus ad præcedens testimonium, ubi varietas in Ebræo, quæ hic nulla est. VISIONEM ET PROPHETAM] i. *Visionem Prophetarum.* Locutio est ut,

Arma virúmque cano.

pro *armatum virum.* Videndus Eusebius libro citato, pag. 240. & 241.

26. וְאַחֲרֵי הַשָּׁבֻעִים שִׁשִּׁים וּשְׁנַיִם יִכָּרֵת מָשִׁיחַ וְאֵין לוֹ. A. καὶ μετὰ τὰς ἑπτὰ ἑβδομάδας καὶ ἑξήκοντα δύο, ἐξολοθρευθήσεται ἠλειμμένος, καὶ οὐκ ἔστιν αὐτῷ. *& post septem hebdomadas & sexaginta duas, exterminabitur unctus, & non erit ei.* Sym. καὶ μετὰ τὰς ἑβδομάδας ἑπτὰ καὶ ἑξήκοντα δύο ἐκκοπήσεται Χριστὸς, καὶ οὐχ ὑπάρξει αὐτῷ, *& post hebdomadas septem & sexaginta duas exscindetur Christus, & non exsistet ei.* ¶ וְהָעִיר וְהַקֹּדֶשׁ יַשְׁחִית עַם נָגִיד הַבָּא. Aq. καὶ τὴν πόλιν καὶ τὸ ἅγιον διαφθερεῖ λαὸς ἡγουμένου ἐρχομένου, *& civitatem & sanctum dissipabit populus duce adveniente.* Eusebius pag. 247, & pag. 248. Prosper Aquitanicus Prædict. part. 2. cap. 35. laudat Ebræum interpretem, qui hoc loco ità verterit, *Occidetur Christus, & non erit ejus populus qui eum negaturus est. Et civitatem & sanctuarium dissipavit populus cum duce veniente, & fine ejus vasti-*

fine ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Vide sequentia. *Duce adveniente*] Vel, *ducis venturi.*

GROTIUS.

1. IN *anno primo Darii*] Id est, Nabonnedi, ut suprà dictum. Improbè Porphyrius, ut Danielem seriùs vixisse imperitis persuadeat, hunc Darium eum vult esse ab quo Templum est restitutum.

Filii Assueri] Nomen illud multis commune fuit in Media.

De semine Medorum] Ο' Μήδης [*Medus*] ex ortu dictus in oraculo, & suprà v. 31.

2. *Anno uno*] Id est, *primo*, more Hebræo.

Ego Daniel intellexi in libris] Jeremiæ XXV. 11. 12. XXIX. 10. Erant enim tunc in manibus exempla librorum Propheticorum, ut & Pentateuchi, ut patet infrà 11.

Desolationes] *Vastitas*, חרבות est ipsa vox quâ Jeremias in hac re usus fuerat VII. 34. XXII. 5. XXV. 18.

3. *Et posui faciem meam ad Dominum Deum meum, rogare & deprecari*] *Ad Dominum*, id est, versùs Templum, ut suprà VI. 10. Promissus quidem erat reditus post annos LXX; sed ità si se exsules Judæi ad Deum converterent: quare Daniel quod suarum est partium facit, & idem faciendi aliis auctor est.

In jejuniis, sacco & cinere] Ut in gravi luctu, ob durantem tamdiu captivitatem.

4. *Et confessus sum*] *Laudes ei dixi* quæ sequuntur. Id enim est ידה [*confiteri*]. Multùm convenit hæc oratio cum ea quæ est Nehemiæ IX. Hieronymus hoc loco: *Non ergò quod pollicetur Deus statim futurum est, sed in eos sua promissa implet qui custodiunt mandata illius.*

Magne & terribilis] Adversùs contumaces.

Custodiens pactum] Promissa implens.

Et misericordiam] Supple, *ostendens etiam supra promissa.*

Diligentibus te] Verè piis.

5. *Peccavimus, iniquitatem fecimus, impiè egimus; & recessimus & declinavimus à mandatis tuis & judiciis*] Hieronymus hîc: *Peccata populi (quia unus è populo est) enumerat ex persona sua, quod & Apostolum in Epistola ad Romanos fecisse legimus:* nempe capite septimo.

7. *Tibi Domine justitia*] Id est, laus justitiæ debetur. Sic infrà *misericordia*, id est, laus misericordiæ.

Nobis autem confusio faciei, qualis est hodie] Nobis debebatur hæc ignominia quam patimur.

9. *Quia rebelles fuimus in eum*] Occurrit tacitæ objectioni, Quomodo misericors qui tantis malis populum tradidit? responsio est, Extortum hoc ipsi per nimiam populi contumaciam.

11. *Omnis Israël*] Plurimi: sicut Psalmo XIV. 3. Romanor. III. 12.

Et stillavit super nos maledictio] Effusa est super nos exsecratio Legis: id est, copiosè in nos cecidit. Vide Nahum. I. 6. Jeremiæ VII. 17. ubi in Græco χεῖται [*funditur*], hîc ἐπῆλθεν [*supervenit*].

Quæ scripta est in libro Moysi] Levitici XXVI. Deuteronomii XXVIII.

12. *Et statuit sermones*] Ratos fecit.

Qui judicaverunt nos] *Qui rexerunt nos.* שפט est *regere.*

Ut superinduceret in nos magnum malum, quale nunquam fuit sub omni cœlo, secundùm quod factum est in Jerusalem] *Quomodo evênit Hierosolymis.* Excidia & alibi evenerant, sed nusquam atrociùs quàm Hierosolymis.

14. *Et vigilavit Dominus super malitiam, & adduxit eam super nos*] *Et sedulus fuit Dominus in malo hoc in nos adducendo.*

15. *Et fecisti tibi nomen secundùm diem hanc*] *Quale est hodie.*

15. 16. *Iniquitatem fecimus, Domine, in omnem justitiam tuam*] Adversùs totam Legem tuam, quæ hîc *justitia*, ut suprà *veritas* VIII. 12.

16. *In opprobrium sunt omnibus*] En, ajunt victores isti, populum qui se *populum Dei peculiarem* prædicat.

17. *Ostende faciem tuam super sanctuarium tuum*] Benignus aspice solum illud ubi stetit Templum.

Propter temetipsum] Fac hoc ut veritatem tuam ostendas. In Hebræo est, *propter Dominum.* Sed bene sensum expressere Græcus & Latinus. Mos enim Hebræorum nomina ponere vice pronominum, ut Geneseos I. 27. I Samuel. III. 21. II Thess. I. 7. 8. II Timoth. I. 81.

18. *Et civitatem super quam invocatum est nomen tuum*] Id est, quæ de tuo nomine vocata est. sic & Jeremiæ XXV. 29. Vocabatur Hierosolyma *urbs Dei*, Psalmo XLVIII. 2. 9. CI. 8.

Neque enim in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam] Id est, Non dicimus nos fuisse innocentes; non negamus nos pœnam hanc promeritos; non defensione utimur, sed deprecatione, ut apud patrem: ignosce, si unquam posthac.

19. *Propter temetipsum*] Sæpe eadem repetit, ut fieri solet in affectu vehementi.

20. *Cùmque confiterer peccata mea*] Piorum est culpas suas, quamvis ex ignorantia aut per subreptionem admissas, apud Deum non dissimulare. In exsilio talis confessio erat vice victimarum expiantium.

21. *Ecce vir Gabriel*] Angelus ille rerum magnarum nuntius, virili specie.

Quem videram in visione à principio] Jam antè VIII. 16.

Citò volans] Celeritas ministerii significatur, ut in Alis Chérubinorum & Seraphinorum. Sic etiam indi jam olim Angelos pingunt.

Tetigit me] Ad robur addendum. Vide suprà VIII. 18.

In tempore sacrificii vespertini] Id est, horâ nonâ, quæ, ut olim, stante Templo, sacrificiis, ità tunc orationibus erat dicata.

22. *Nunc egressus sum ut docerem te, & intelligeres*] *Ut me docente intelligas*, nempe quid futurum sit de urbe illa quam tantum diligis.

23. *Ab exordio precum tuarum egressus est sermo*] Id est, *simul atque precari cœpisti statim mandatum accepi.*

Ego autem veni ut indicarem tibi] *Ut veniens tibi indicarem:* nempe ea quæ ad Urbem pertinent.

Quia vir desideriorum es] Sic & infrà X. 11. Est autem loquendi genus Hebræum, quod modò activè modò passivè exponitur. Symmachus hîc bene vertit ἀνὴρ ἐπιθυμητὸς [*vir desiderate*]. Ità vocatur Daniel pari sensu quo Maria κεχαριτωμένη [*gratiam consecuta*] Lucæ. I. 28.

Tu ergò animadverte sermonem] *Attende iis quæ dicam.*

Et intellige visionem] *Ut intelligas Prophetiam.* Nam ut Prophetæ *Videntes*, ità omne Prophetiæ genus, quocunque modo homini innotescat, *Visio* dicitur.

24. *Septuaginta hebdomades*] Annorum. Ità enim mos erat loquendi, & manet apud Thalmudicos. Ideo ubi de dierum hebdomade agitur solet adjici *dierum* nomen; Ezech. XLV. 21. infrà X. 2. & 3. in Hebræo.

Abbreviatæ sunt super populum tuum] *Definitæ sunt.* Iis exactis non ultrà erit populus, id est, πολιτεία [*respublica*] Judaica, quam tu fortè hactenus sperasti fore sempiternam.

Et super urbem sanctam tuam] Id est, tibi adeò amatam.

Ut consummetur prævaricatio] *Ut finem suum accipiat*, pœna scilicet: nam *pœnas* פשע [*prævaricationem*] & similibus vocabulis appellare frequens Hebræis.

Et finem accipiat peccatum] In Hebræo, *ad obsignandum peccatum*; id est, pœnam peccatorum. *Quæ completa sunt obsignari solent:* ità Cicero secundo de Divinatione.

Et deleatur iniquitas] In Hebræo est כפר, quod etiam sic poni solet quomodo *piare* apud Latinos:

Et culpam miserorum morte piabunt,

id est, lui facient. Sic dicunt Hebræi, תהי מיתתי כפרה עלי [*Sit mors mea peccatorum meorum luitio*]. Ergò congruenter iis quæ præcedunt rectè vertas, *& luatur iniquitas*, plenissimè scilicet.

Et adducatur justitia sempiterna] Intra id tempus publicabitur Euangelium, quæ est *justitia*, non illa ad tempus duratura, ut Legis, quam tu Daniel suprà 16. *justitiam* non malè appellasti, sed sine fine.

Et impleatur Visio & Prophetia] Intra id tempus implebuntur Prophetiæ veteres Jacobi, Davidis, Esaiæ, & aliorum, Matth. XI. 13. Soli Danieli revelata quæ post id tempus erant exstitura, Matthæi XXIV. 15. *Visio & Prophetia*, id est, *visa Prophetica.*

Et ungatur Sanctus sanctorum] Dominus ejus fiat Χριστὸς [*Unctus*] per resurrectionem & ascensum in cœlestem regiam, Actor. II. 36. Rectè autem ille *Sanctus sanctorum*, id est, omnium sanctissimus, dicitur, quemadmodum κατ' ἐξοχὴν ὁ ἅγιος [*per Excellentiam, Sanctus ille*] Actor. III. 14. IV. 30. Apocalyps. III. 7. I. Johan. II. 20. sic explicat hæc de Messia Moses Gerundensis.

25. *Scito ergò & animadverte*] Disce & retine.

Ab exitu sermonis] *A promulgatione edicti.* Id enim est *egredi*, ut suprà VI. 7. Lucæ II. 1.

Ut iterum ædificetur Jerusalem] Edictum intellige Darii illius cujus mentio Esdræ VI. post id enim nullum aliud erat exstiturum ea de re edictum. Qui plura hujus interpretationis argumenta volet cognoscere, legat quæ Scaliger habet libro

bro VI. Emendationis Temporum, & quæ Junius ad hunc locum.

Usque ad Christum ducem] עד [*usque*] Hebræum hîc & alibi non ultimum terminum significat, sed aliquid intra terminos contentum; quasi dicat, inclusâ etiam Christi vitâ aspectabili, qui constitutus à Deo populi sui Princeps in perpetuum impendentibus malis eam liberasset, si ei paritum fuisset.

Hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt] Duo hîc notanda: Hebræos numerum perfectum in particulas scindere, ut Ezechiel. XLV. 12. deinde verò, numerum minorem præponere majori, ut Geneseos v. sæpissime, Genes. VIII. 3. & alibi sæpe.

Et rursum ædificabitur platea & muri] Vette: *Postquam jam rursus ædificata fuerit platea & fossa.*

In angustia temporum] Id est, in illud spatium temporis multa incident mala; Regum cædes, bella civilia mixta externis, Sacerdotium venale, & alia ejusmodi.

26. *Et post hebdomadas sexaginta duas*] Illas scilicet quæ primas septem satis prosperas subsequentur.

Occidetur Christus] Huc respicit Christus ipse Lucæ XXIV. 46.

Et non erit ejus populus qui eum negaturus est] In Hebræo est tantùm ואין לו, id est, *non illi*, supple erit *obediens ille populus quem redemturus venerat.* Hæc causa est excidii, quòd Judæi non paruerint Christo, imò & interfici eum curaverint.

Et civitatem & Sanctuarium] Et Urbem & Templum.

Dissipabit] Evertet.

Populus] Exercitus.

Cum Duce venturo] In Hebræo: *Ducis venturi*, nempe Titi Vespasiani. Sic Hebræorum complures.

Et finis ejus vastitas] In Hebræo: *Finis ejus cum inundatione.* Id est, post Urbem eversam Titi exercitus totam Judæam inundabit: quod vides in Josepho.

Et post finem belli statuta desolatio] *Pro fine belli erit definita desolatio.* עד sæpe *pro* significat, ut Joël. II. 8. Jeremiæ XI. 14. II Paralipomen XXX. 18. Deus hunc eixtum bello isti præfinivit, terræ vastitatem.

27. *Confirmabit autem pactum multis hebdomadâ unâ*] Id est, initium ultimæ annorum hebdomadis (hunc enim sensum exigit expositio sequens) multos in Judæorum fœdus attrahet, spémque dabunt belli felicis XX Idumæorum millia in auxilium ipsis adventura. Vide Josephum Belli Judaïci IV. 16. Sed frustra hæc omnia.

Et in dimidio hebdomadis] In parte altera ultimæ annorum hebdomadis.

Deficiet hostia & sacrificium] Templo incenso ante Urbem captam, Josephus Belli Judaïci VI. 26.

Et erit in templo abominatio desolationis] כנף ab Hebræis omne *id quod expanditur*, Malach. IV. 2. שקוצים Hebræis sunt *idola.* Hoc ergò dicit, *per expansa idola veniet desolatio*, sive *excidium* Urbis. *Idola illa expansa* sunt signa Romanorum militaria omnium exposita conspectui, ut diximus ad Matthæi XXIV. 15.

Et usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio] *Et usque ad consummationem, & quidem definitam* (à Deo, ut suprà 24. 26.) *vastitas continget.* Tanta erit vastitas & occidio, ut πολιτείας [*Republica*] illius adeò nobilis nihil supersit futurum, ità Deo constituente, cujus decretis obstrependum non est. *Consummatio* idem quod συντέλεια 1 Macc. III. 42. Præ plurimis expositionibus hujus loci de hebdomadibus, quas ex Africano, Eusebio, Hippolyto, Apollinari, Clemente, Origene, Tertulliano, Hebræis, Hieronymus recitat, hæc quam posui mihi videtur planissima. Veterum proximè ad verum semper accessit Chrysostomus II adversùs Judæos.

HELVICUS.

24. TEXTUS Hebræus, שבעים שבעים נחתך על עמך ועל עיר קדשך לכלא הפשע ולחתם חטאות ולכפר עון ולהביא צדק עלמים ולחתם חזון ונביא ולמשח קדש קדשים:

Lxx Interpretes, Ἑβδομήκοντα ἑβδομάδες συνετμήθησαν ἐπὶ τὸν λαόν σου, καὶ ἐπὶ τὴν πόλιν ἁγίαν σου, τοῦ συντελεσθῆναι τὴν ἁμαρτίαν, καὶ τοῦ σφραγίσαι ἁμαρτίας [καὶ ἀπαλεῖψαι τὰς ἀνομίας, καὶ τοῦ ἐξιλάσασθαι ἀδικίας] καὶ τοῦ ἀγαγεῖν δικαιοσύνην αἰώνιον, καὶ τοῦ σφραγίσαι ὅρασιν καὶ προφήτην, καὶ τοῦ χρῖσαι ἅγιον ἁγίων.

Vulgata Versio, Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, & super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia, & ungatur Sanctus sanctorum.

Versio Lutheri, Siebentzig Wochen sind bestimbt über dein Volck / und über dein heilige Stadt / So wird dem Ubertretten gewehret / und die Sünde zugesigelt / und die Missethat versühnet / und die ewige Gerechtigkeit gebracht / und die Gesicht und Weissagung zugesigelt / und der Allerheyligst gesalbet werden.

EXEGESIS.

1. Quanti sit facienda autoritas Danielis, inde manifestum est, quòd & Gabriel Angelus & Ezechiel Propheta ipsi singulare perhibent testimonium pietatis. Et Angelus quidem valde amabili nomine ipsum compellat, vocans איש חמודות *virum desiderabilem*, quem Deus summo amore & paternâ benevolentiâ intimè complectatur, & veluti rem pretiosam aut sigillum custodiat, ut de Zorobabele loquitur Dominus apud Haggæum, c. 2. 23.

2. Quinimo ipse Filius DEI hunc tamen Prophetam nominetenus allegat in re gravissima, & Ecclesiæ suæ ipsius vaticinia magnâ reverentiâ & animorum attentione legenda commendat, Matth. 24. 15.

3. Etsi autem Hebræi discrimen faciunt inter נביאים & כתובים, i. inter veros Prophetas & inter ἁγιογραφῆς, atque in posteriorum catalogo Danielem quoque recensent, hoc tamen nequaquam ità intelligendum est quasi minor sit horum quàm illorum dignitas.

4. Rabbini quidem sentiunt נביאים propriè vocandos esse illos qui singulari quodam modo Divinitus afflati & per ἐκςάσειν velut extra se rapti oracula ediderunt; כתובים autem talia esse scripta quorum autores quidem fuerint viri pii & sancti, sed qui diligenti Scripturæ lectione ac meditatione, integris tamen manentibus sensibus, per Spiritum S. fuerint illuminati. Qua de re videri potest R. Kimchius Præfat. in Comment. Psalterii.

5. Nos ex testimonio D. Petri scimus quòd *Sancti Dei homines locuti sint* φερόμενοι *impulsi*, seu *incitati*, *à Spiritu Sancto*, & quòd *πᾶσα προφητεία γραφῆς non sit privata interpretationis*, 2 Pet. 1. 20, 21. Quæ verba, cùm generalia sint & indefinita, non minùs de Daniele accipienda sunt quàm de cæteris, Mose, Esaia, Jeremia, Ezechiele, &c.

6. Et certè si vocem φερόμενοι, quâ significanter utitur Apostolus, propiùs intueamur, causa nulla est quò minùs hunc quoque proprie & exquisitè loquendo *Prophetam* appellemus. Passim enim in libro Danielis apparent ἐκςάσεις & visiones quæ de immediato Spiritûs S. afflatu palàm testantur. Accedit testimonium ipsius Christi hoc nomine apertè nominantis, βδέλυγμα τὸ ῥηθὲν διὰ Δανιὴλ τοῦ προφήτου, Mat. 24. 15.

7. Unde minùm videri queat quæ vera sit ratio veteris instituti, hunc tam insignem Prophetam à cæteris separandi, & compingendi cum Hagiographis. Sanè pervetustam esse divisionem Canonis Sacri in *Legem*, *Prophetas* ac *Psalmos* manifestum ex enumeratione Christi Luc. 24. 44. τὰ γεγραμμένα ἐν τῷ νόμῳ Μωσέως καὶ προφήταις καὶ ψαλμοῖς περὶ ἐμοῦ. An verò *Psalmorum* titulo omnia ea fuerint comprehensa quæ hodie in Bibliis Hebraicis כתובים seu *Hagiographa* appellantur, non immeritò dubitatur, cùm & ipsi Hebræi hodie varient in numero.

8. Præterquam autem quod Danielis Prophetia egregia nobis suppeditat exempla Divinæ providentiæ in conservanda & protegenda Ecclesia, ut apparet ex admiranda liberatione trium virorum ex candente fornace, Danielis è fovea, &c. & contrà in puniendis tyrannis, ut docet stupenda μεταμόρφωσις Nabuchodonosoris, & horribile ostentum manûs prodeuntis è pariete, eámque mox insecuta cædes Belsazaris Regis; totius insuper Chronologiæ & Historiæ veluti breve corpus nobis σωματοποιεῖ in Colosso Nebuchadnezaris & quatuor Bestiis quatuor summa mundi Imperia significantibus. Et porrò status Ecclesiæ, quo usura foret sub hoc vel illo Monarcha, in specie quoque describitur usque ad finem mundi.

9. Et pleraque equidem proponit בקצר ובחדות, i. *summâ brevitate & veluti ænigmatibus obvoluta*, ut Abben-Ezra loquitur, idque more prophetico, quo Spiritus S. suis oraculis conciliare voluit reverentiam, & nostram excitare attentionem.

10. Est autem in hoc Propheta consideratione longè dignissima Epocha LXX hebdomadum, sive CDXC annorum intervallum, quo res omnium maximè memorabiles Angelus est complexus, ut instaurationem politiæ Judaicæ, ejúsque post memoratos annos denuò secuturam deletionem & universalem πανωλεθρίαν, præcipuè verò felicissimum seculum nasrituri Messiæ, quod velut indice digito hîc signavit Gabriel.

11. Unde simul apparet quantopere sit necessaria accurata & diligens studii Chronologici tractatio in intelligendis plerisque Danielis vaticiniis. Nam quia plurimorum annorum seriem, & variarum nationum, Hebræorum, Babyloniorum, Medorum, Persarum, Græcorum, Ægyptiorum, Romanorum, &c. historiam ὡς ἐν συνόψει proponit, frustrà sudabit qui sine

 lectio-

lectione historiarum velit hæc omnia intelligere: Id quod absque Chronologia, quæ verè est anima Historiæ, sine qua ea non spirat, ut dicere solebat Scaliger, fieri nequit. Docet enim hæc inter se diversarum gentium æras componere, & ad eas varios rerum eventus connectere, unde pulcherrima lux historiis infunditur.

12. Est igitur Chronologia velut alter hujus Prophetæ intelligendi oculus. Cui accedit Grammatica, quæ linguæ idiotismos ostendit, & singularum vocum, quæ sunt ὄργανα διδασκαλικὰ, καὶ διακριτικὰ δηλώματα καὶ μιμήματα τῶν πραγμάτων, *instrumenta didactica, & distinctivæ expositiones atque imitationes rerum*, ut elegantissimè definit Plato, naturam aperit.

13. Hæc duo adminicula, si intra analogiam fidei se contineant, tutissimam viam munire possunt interpreti Danielis, & in specie ad has Lxx hebdomadas.

14. Neque enim probamus, sed potiùs ex animo detestamur tanquam τὰ βάθη τοῦ Σατανᾶ, quo titulo profana ejusmodi dogmata insigniuntur, Apoc. 2. 24. quæ ὁ τετρέπηχυς fanaticus Valentinus Weigelius, unà cum suo Petro Loriotto, Platonico & Cabalistico more nugatur de diversis gradibus infusi luminis, cujus beneficio & Lxx hebdomadæ, & numerus Bestiæ, & nescio quæ alia exquisitè possint intelligi; Parte 3. Γνῶθι σεαυτὸν p. 9.

15. Porrò cùm, singulari Dei Providentiâ ità moderante, à Professione Academica Linguarum ad officium Ecclesiastæ in Illustrissima Aula Hassiaca Butisbacensi clementer sim vocatus, visum priùs fuit inclytæ Academiæ Gissensi publicâ disputatione valedicere. Quam quidem ad rem seligere placuit insigne vaticinium Lxx hebdomadum Danielis, quod propterea aliquot thesibus sumus complexi, & nunc placidæ sermonum collationi subjicimus.

I. שבעים שבעים { LXX Ἑβδομάδες } L. Wochen
{ H. hebdomadæ } &c.

16. Angelus orditur hoc modo, שבעים שבעים נחתך &c. שבעים significat *Septimana*. Et licet in hac voce videre elegantem harmoniam quatuor linguarum cardinalium. Hebræa, reliquarum mater, habet vocem שבע *Schabahh*. Ex hac oritur 1 Græca vox ἑπτὰ per metallagen seu permutationem literarum. Sunt autem literæ ejusdem instrumenti πρὸς ἀλλήλας εὐμετάβολοι, i. *facillimè inter se commutantur*. Ità hic pro ב est π, est enim utraque litera labialis. Litera ש exprimitur per spiritum asperum, ut videre est in ὑπὲρ *super*, ὗς *sus*, ἥμερον ex ἡμέρα, estque Hebræum היום. Hæc observatio in harmonia linguarum habet elegantem usum. Gutturales nimirum, ה ח & ע, & ' spiritus asper Græcorum mutantur in *s*, unde ex ישוע *Jeschuahh* fit Ἰησοῦς *Jesus*, &c. Porrò ex ἑπτὰ fit ἑβδομὰς, restituto ב ex Hebræo. 2. Latinè est *septem*, proximè ex Græco, ex quo etiam habet literam *t*, quæ in Hebræo non est, & in fine terminationem propriam, quæ etiam est in *novem decem*. 3. Germanica vox omnium proximè accedit ad Hebræam, שבע, sieben. Sed in eo tamen superatur à reliquis quòd non habeat derivatum substantivum, sicut Hebræa שבועה, Græca ἑβδομὰς, Latina *septimana*; sed utitur diversæ originis vocabulo, Woch.

17. Sed è diverticulo in viam redeamus. Hæc enim propter summam harmoniæ linguarum suavitatem libuit attingere: Quarum maximam utilitatem cupio, quantum in me est, reddere commendabilem studiosæ juventuti. Inprimis quia res ipsa loquitur à plurimis hæc studia alto supercilio contemni, cùm tamen ad assequendum S. literarum sensum nihil magis sit necessarium. Verùm pii linguarum studiosi meminerint longè aliud esse judicium Spiritûs S., qui admodùm augusto titulo dignatur hæc studia, referens inter dona spiritualia quibus ornat Ecclesiam, 1 Cor. 12. 1. Hoc titulo se consolentur adversus profanos vulgi sermones, & in timore Domini ea discant conferre ad ædificationem Ecclesiæ & ad genuinam explicationem honestarum artium, quarum in vita communi necessarius est usus.

18. Cæterùm Hebdomades quibus Scriptura utitur non sunt unius generis. Nam 1. sunt *hebdomades Dierum*, quæ temporis communissima est divisio ab ipso Deo instituta Gen. 2. 2. & à Patriarchis ad posteros propagata, quâ pleræque nationes hodiéque utuntur, nisi quòd ratione capitis discrimen est, Judæis ex veteri instituto à die Solis, Christianis à die Lunæ, Turcis à die Sabbati initium ducentibus. 2. Deinde habet etiam Scriptura *hebdomadas Annuas*, ut septem anni in singulas hebdomadas computentur. Hoc hebdomadarum genus Scriptura appellat tribus nominibus, שבתות שנים, שבת שבתון & שמטה. Inter quæ usitatius est postremum שמטה *semita*, ut quando Judæi in Computo dicunt, הפל כלו מנין עולם והנשאר היא שנת שמטה שאתה נכנס בה *Abjice omnia septenaria ab æra mundi, residuum est annus semita, in quo es.* Cujus Canonis explicatio pendet ab hypothesi Judæorum, quòd æra mundi sit contexta à Sabbatariis & Jubilæis. Significat autem radix שמט propriè σείειν vel ἀποσείειν, ut שמטה sit velut σεισάχθεια *excussio oneris*, explicante Scaligero l. 6. Emend. Temp. p. 314. Cujus nominis ratio manifesta est ex cap. 25. Numerorum. 3. Præterea meminit Scriptura tertii cujusdam generis hebdomadum, quæ appellari possunt *hebdomades Semitarum*, ductis in se septies semitis, ex quibus prodeunt anni XLIX. Hæc hebdomas vocatur à Spiritu S. דרור & יובל.

19. Vox דרור significat *libertatem*. R. Abben Ezra explicat per חפשי *manumissus*. Avis etiam hoc nomine appellatur, quæ quamdiu in sua est potestate securè cantillat, capta autem cibo ac potu abstinet, mœroréque tandem confecta moritur, ut idem scribit. Chaldæus vertit חירותא R. Salomo ex R. Juda ait convenire cum דור *habitare*, quòd tum servis liceret exire dominio herili, & suo jure vivere. De יובל annotat Abben Esra respondere voci שלוח, quæ significat *missum*, quòd tum servi manumitterentur. Sed affert insuper ex veteribus RR. quòd יובל significet כבש, quoniam cornu arietis publicè annus iste fuerit proclamatus. Cum quo R. Salomo consentit, שנת יובל על תקיעת שופר.

20. Etsi autem Scriptura ait, Levit. 25. 10. *Sanctificabis annum quinquagesimum*, tamen annum hunc quinquagesimum intelligendum esse inclusivè, connumerato anno postremo præcedentis jubilæi, cujus respectu revera quadragesimus nonus, in quem incurrit jubilæus, est quinquagesimus, Scaliger evidenter demonstrat. Est igitur ista phrasis petita ex communi loquendi usu. Sic solemus vulgò loqui in vernacula lingua, über acht Tag, intelligentes septimanam, quæ constat duntaxat septem diebus. Ita Ovidius ait,

——— *quinquennis Olympias acta est*,

cùm Olympias fuerit annorum tantùm quatuor. Imò Scriptura in hoc eodem argumento ità loquitur, Deut. 31. 10. מקץ שבע שנים *à fine septem annorum*, cùm est annus semita. Quod nisi intelligas inclusivè, semita cadet in annum octavum, cùm tamen ex contextu Levit. 25. & reliquis locis ubi mentio fit *Semitarum* sive *Sabbatariorum*, luculenter appareat *annum semitæ* esse annum septimum. Hoc etiam præter calculum Chronologicum evincitur ex accuratissima proportione inter has hebdomades. Nam perpetuâ proportione sibi respondent hebdomas Dierum, hebdomas Annorum & hebdomas Semitarum. Sicut ergò dies septimus est ipsum Sabbatum, non octavus, ità etiam annus septimus est Semita, & annus quadragesimus nonus est Jubilæus. Secùs hæc pulcherrima catena dissolveretur. Confer Scaligerum l. 5. Emend. Temp. p. 204. de hoc argumento nervosè disserentem.

21. Harum hebdomadarum serie veluti annulis quibusdam cohæret artificiosissima methodus temporum, Periodus Judaica, à R. Hillel Hannasi constructa, & Periodus Juliana non minore artificio, majore etiam certitudine & ad ampliorem usum, à Scaligero excogitata. Sentiunt enim Judæi æram mundi constare ex perpetuis Sabbatariis & Jubilæis, ut R. Abben Esra innuit, hæc annotans ad c. 25. Levitici, וסוד ימי עולם רבה במקום הזה, i. *Mysterium dierum mundi hoc loco subindicatum est.* Hanc hypothesin Scaliger pulcherrimis & firmissimis argumentis passim confirmat in scriptis suis.

22. Atque hæc de diversis Hebdomadum generibus paulò altiùs repetere & aliquantò uberiùs explicare visum est, quia magnum conferre possunt momentum ad dextram interpretationem Lxx hebdomadum Danielis. Cùm numerus iste, præter allusionem ad Lxx annos Captivitatis, non sine mysterio intra se occultet & Semitas, & annos Jubilæos præcisè exhauriat. Lxx enim hæ Hebdomadæ sunt totidem Semitæ, & denos continent Jubilæos. Jam quia annus Sabbatarius & Jubilæus infallibiles sunt Characteres Chronologiæ sacræ, ex iis certa potest peti ratio connectendi Lxx hebdomadas cum annis mundi. Fuit enim annus secundus Darii Sabbatarius & Jubilæus: Rursus annus præcedens excidium Hierosolymorum & ipse Sabbatarius fuit & Jubilæus postremus; inter quos velut terminos Lxx hebdomadæ decurrunt.

23. Ex quibus jam intelligi potest quales & quantæ sint intelligendæ Hebdomades Danielis, nimirum anni Sabbatici seu שמטה *Semita*. Quod etsi ex dictis clarum est, placet tamen propter φιλογλώσσους adjicere rationes R. Abben Esræ, qui ad cap. 9. Danielis hæc commentatur, כי הגאון רב סעדיה כי אלה שבועים הם שנים והנה שאמר אחר כן עד מלאת שלשת שבועים ימים ושנה הם כשבוע שבתות שנים והנכון פירוש כי חצי השבוע שהזכר הוא אלף ימים ומאתים ותשעים ושמר. Sensus est, *Hebdomades hæ intelliguntur de annis, acsi dixisset Angelus, Lxx Sabbatici sunt decisi.* Hoc probatur 1. quia paulò post inquit Daniel 10. 2. הייתי מתאבל שלשה שבועים ימים *Eram lugens tres hebdomades*

domades DIERUM, quæ limitatio hoc loco abest. 2. Idem colligitur ex resolutione *dimidiæ septimanæ*, ex qua prodeunt dies 1290, cap. 12. 11. Sed hæc posterior ratio meritò rejicitur, cùm diversum sit vaticinium, quod Abben Esra cum hoc textu confundit. Opinatur enim *dimidiam septimanam*, cujus in hoc nono capite v. 27. fit mentio esse 1290 dies quos, c. 12. Angelus definit profanationi Templi sub Antiocho Epiphane.

II. נחתך	R. נז	H. *abbreviata*	L. bestimt.
		M. *determinata*	P. bestimt.
		V. *decisæ*	D. gekurtzet
	Gr. συνετμήθησαν	I. *decisa*	T. bestimt.

24. Sed satis de voce שבעים: progredimur ad cæteras. Ità ait Gabriel, Lxx *hebdomades* נחתך. Hoc verbum paulò obscurius est, cùm semel duntaxat in Bibliis occurrat, unde non suppetunt adminicula ex collatione reliquorum locorum significationem veram eruendi. Conferamus igitur varias versiones unà cum Rabbinis. Nam etsi RR. in mysteriis Scripturæ bardi, blenni & planè fungi sunt, tamen eorum scripta ad Grammaticum & Historicum sensum illustrandum multùm conducere posse non negabit qui summam horum hominum & verè superstitiosam diligentiam habet perspectam.

25. R. Mardochæus in Concordantiis ait esse לשון גזרה. Cui & Kimchius adstipulatur in Lexico, consentiente R. Salomone & Abben Esra. Et Kimchius quidem profert usum Rabbinicum, apud quos frequens est חתיכה של בשר *segmentum*, seu *frustum*, *carnis*, & מקום חתך *locus incisionis*. Est autem vox גזר *æquivoca*, quippe quæ & *secare* significat & *decernere*. Utrumque igitur significat vox חתך, nempe *secare*, *findere*, in usu Rabbinico, & ψηφίζειν, seu *decernere*, *determinare*, in Bibliis.

26. Cum Rabbinica expositione colludit versio Græca, quæ utitur voce συνετμήθησαν, quæ propriè significat *concido*, & *præcido*, i. contraho. Et frequenter usurpatur de sermone, ut εἰς ἐν συντεμεῖν, *breviter aliquid complecti*, συντέμνοντα εἰπεῖν, quod Græci aliter efferunt, συνελόντι ᾗ εἰπεῖν, i. *strictim & summatim dicere*, pro quo Athenæus dicit l. 13. συντομώτατόν γ' εἰπεῖν. Unde talis fuerit explicatio, *Septuaginta hebdomades sunt in brevem velut summam contractæ*, &c. Quæ interpretatio non est incommoda, præcipuè si respiciatur ad res gestas hujus intervalli, quæ, cùm multæ sint & juxtà maximè memorabiles, in brevem istam summam sunt contractæ. Non secùs atque oratione concisâ, quam λόγον σύντομον appellant Græci, qualem à Philosophis requirit Aristoteles, res numero multæ & pondere graves quasi coangustantur, quæ si ex dignitate sint tractandæ, pugno Logico minimè forent contentæ, manum explicatam Rhetoricam Zenonis requirentes.

27. Ex Græca nata est versio Hieronymi, *abbreviatæ sunt* Quanquam hæc vox videtur insinuare decurtationem temporis, quasi non præcisè Lxx septimanæ fuerint completæ. Quæ versio imposuit Patrum doctissimo Augustino, ut mirè se torserit in investigando vero sensu. Barradius, ut medelam afferat Vulgatæ versioni, comminiscitur comparationem. Ait enim hanc abbreviationem esse intelligendam respectu illius magni spatii 3000 annorum, quod effluxerat à commisso peccato, Tom. 1. l. 3. c. 5. Verùm præterquam quòd hæc glossa impingit in supputationem Chronologicam, & plusquam quingentorum annorum παραχρονισμῷ laborat, nititur etiam falsâ hypothesi, quasi Vulgata versio sit authentica, à qua recedere sit religio, & quicquid commiscendum potiùs esse ut excuses quàm ut reprobes, etiam ubi manifestè à veritate Hebræa discedit.

28. Paulò subtilius est commentum Africani, qui ex voce συνετμήθησαν colligit esse intelligendos annos Lunares, qui respectu Solarium verè dici queunt *contracti*, seu, ut Latinus habet, *abbreviati*, cùm ad quantitatem anni quem Sol motu suo super ecliptica describit, Lunæ propè desint 11 dies, ex quibus nascuntur Epactæ Computatorum. Sed neque eventus congruit, neque unquam Judæi tali anno Lunari fuerunt usi. Quamvis enim menses ad motum Lunæ descripserint, tamen annum mensis sunt ad cursum Solis, quod ut obtinere possent, certo tempore integrum mensem intercalarunt: quod & ex computo eorum hodierno manifestum est, & disertè ab Abben Esra affirmatur his verbis, חדשינו הם ללבנה ושנותינו שנים כנגד לשנות החמה, i. *Menses nostri congruunt ad Lunam, & anni nostri in fine revertuntur ad annos Solis.* Dicit etiam perpetuò à consistorio Ecclesiastico, indè à Mose usque, septem menses embolimæos in cyclo Lunæ fuisse intercalatos. Vide Comm. in c. 25. Levit.

29. Ridicula est versio Dietenbergeri, qui, ut mordicus inhæreret Vulgatæ versioni, reddidit, Siebentzig gekürtzte Wochen sind bestimt. Atqui palàm affirmat Angelus has Hebdomadas *certò esse determinatas*. Illud consideratione dignius est, quòd expressè ait Salvator, loquens de casu Hierosolymorum, Matth. 24. 22. *Nisi decurtati fuissent dies:* & statim, διὰ δὲ τοὺς ἐκλεκτοὺς κολοβωθήσονται αἱ ἡμέραι. Ergóne truncatæ sunt Lxx hebdomades? Id verò minimè videtur convenire verbis Angeli. sunt enim Hebdomades istæ נחתך *certò præcisæ & determinatæ*. Quid igitur sibi volunt verba Christi? Hic sanè locus videtur Patribus occasionem præbuisse ut Versioni Lxx interpretum, & post Latinæ Vulgatæ, pertinaciùs insisterent: id quod ex Augustini exemplo est perspicuum, cujus legitur prolixus discursus de hoc argumento.

30. Sed responderi potest, 1. quòd de distinctis conjunctim ibi vaticinetur Christus, de casu nimirum Hierosolymorum, & de novissimo die. 2. quòd istud tempus summæ afflictionis sit decurtatum in decreto DEI, etiam ante patefactas ab Angelo Hebdomades, ità ut ad Hebdomadas non tam sit respiciendum quàm ad impios hostium conatus, quibus Deus propter electos hisce Hebdomadibus certas metas constituit, ut earum elapso curriculo hostium furori adversùs pios statueretur optatus finis.

31. Interpretes recentiores Latinè reddunt *determinatæ sunt*, ut Munsterus, aut *decisæ*, ut Junius & Vatablus, Lutherus adhibuit vocem bestimt, quem reliqui, Piscator & Tigurini sequuntur. Quod vocabulum ortum trahit à colligendis sententiis, quæ vulgò *vota* appellant. Sicut apud Græcos est ψηφισμὸς à ψῆφοις, i. *lapillis*, seu *calculis*. Est igitur senatorium, & denotat *Senatusconsultum*, seu *decretum quod fit è collectis sententiis*. Etsi autem vox *consilii* in Divinis impia est, ut piè philosophatur Scaliger, cùm Deus non ratiocinetur, non deliberet, & unum ex altero concludat: sunt enim Deo omnia præsentissima, & ut Epistola ad Hebr. loquitur 4. 13. γυμνὰ καὶ τετραχηλισμένα *nuda & resupinata oculis ejus:* tamen Scriptura ut aliàs ità hîc quoque nobis συγκαταβαίνει, ut pii veteres loquuntur, i. se dimittit ad captum nostrum, ut fidelis præceptor se accommodat intellectui discipulorum. Sicut Gen. 2. Personæ SS. Trinitatis introducuntur deliberantes de creatione hominis. Confer Gen. 11. & Esa. 6. Ità hîc quoque est factum veluti quoddam decretum à tota SS. Trinitate, fore ut intra Lxx hebdomadarum spatium perficeretur instauratio politiæ Judaicæ, in qua Christus tanto desiderio exspectatus sit nasciturus, & humanum genus cum Deo reconciliaturus. Est igitur piis valde jucundum & consolatione plenum audire quòd tam solicitè tota SS. Trinitas promoverit nostram salutem ut etiam decretum fecerit velut inito consilio ubi & quando Messias certò esset nasciturus. Hoc nimirum est de quo Christus concionatur Joh. 3. *Sic Deus dilexit mundum*, &c.

33. Verus igitur sensus hujus vocabuli hic est, Lxx hebdomadas in consilio SS. Trinitatis esse decretas, determinatas & præcisè constitutas, ità ut nec ullo casu sint mutandæ, (nam quod DEUS decernit, certò evenit) nec aliquid eis defuturum sit nec superfuturum; quemadmodum ex collatione eventuum hoc evidenter conspicitur. De quo postea.

34. Unum adhuc observandum est de constructione. Est enim in Hebræo Syntaxis irregularis, שבעים שבעים נחתך: Lxx *hebdomadæ decisum est.* Qui peculiaris est linguæ S. idiotismus, in sensu distributivo voces plurales cum singulari verbo, & contrà, conjungentis. Exemplum est Gen. 49. 22. בנות צעדה עלי שור, *filiæ incessit super muros*, i. ut R. S. explicat, *multæ filiæ incesserunt, una qualibet in loco suo*, כל אחת ואחת בנקבה. Sic Eccl. 10. 1. זבובי מות יבאיש יביע שמן רוקח יקר, ubi dictus Rabbi hanc observationem annotavit, quam propter φιλεβραίους Hebraicè asscribam, cùm hi libri in paucorum sint manibus, נמצא בכל המקרא לשון יחיד במקום רבים ורבים במקומות רבים והנכון בעיני שדרכם דרך קצרה: Sensus est, *Passim in Scriptura invenitur constructus numerus singularis cum plurali, quod compendii causâ fieri est verisimile.* Postea subjicit exempla, ut Eccl. 10. 1. Gen. 49. 22, &c.

34. Igitur hic erit sensus, *Unaqualibet septimana est præcisa*, quod quidem non caret emphasi. Nam illa præcisio non pertinet in genere duntaxat ad totam summam, sed etiam particulariter ad singulas septimanas, præcipuè ad eas quæ ob singulares eventus cæteris sunt celebriores. Ut hæc sit explicatio, Non solùm in genere definiti sunt 490 anni novæ politiæ Judaicæ, sed etiam in specie est decretum quid intra hoc intervallum hâc vel illâ hebdomade sit eventurum; ut, quòd Templum restaurabitur, Urbs mœnibus circumcludetur, cultus Divinus instaurabitur, Messias nascetur, patietur, Euangelium prædicabitur, abrogato cultu Levitico, hostes & contemptores Euangelii punientur, & politia Judæorum, exciso Templo & Urbe,

 por-

prorsus destruetur. Hæc interpretatio erui potest ex irregulari constructione numeri pluralis cum singulari.

III. על עמך	Lxx, ἐπὶ τ̀ λαόν σε Sym. κατὰ τȣ̃ λαȣ̃ σε	Latini, *super*. Germani, uber.

35. Cæterùm Lxx has hebdomadas Angelus affirmat *esse definitas*, seu *decisas*, *super populum* & urbem Judæorum. Particula על variè significat: 1 *super*, *suprà*, idque propriè, est enim à radice עלה *ascendit*. 2. *erga*, *juxta*, *è regione*. Gen. 1. *avis volitet* על פני *erga*, seu *versùs*, *expansum*; non *suprà*. Sic Gen. 11. 28. 3. *Contrà*, κατὰ. Psal. 3. *multi insurgunt* עלי *adversùm me*. 4. objectum denotat, & Græco περὶ vel Latinorum *de* responder.

36. Abben Esra hîc movet quæstionem, An hæ hebdomades tantùm promissionem contineant, an simul etiam pœnam. Causam dubitandi affert hanc, quòd Angelus dicit לכלא הפשע ולהתם חטאות *ad cohibendum prævaricationem*, &c. quæ verba putat esse ambigua, & ità intelligi posse, Lxx *hebdomades decisæ sunt*, *ut Judæi peccatorum mensurâ completâ maturi fiant ad pœnam*. Sicut dicitur Gen. 15. 16. *non consummata esse iniquitas Æmoræi:* quod Rabbi iste ità explicat, *Nondum venit tempus interitûs ejus*, *& terminus pœnæ peccati ejus*. Præterea adjicit Angelus, *& ut obsignetur visio & propheta:* quod & ipsum videtur pœnam potiùs quàm promissionem significare. Tandem ità sibi ipse respondet, Verba semper esse intelligenda juxta subjectam materiam, הכל יתפרש לפי ענין המקום & quia hîc sequatur, *ut expietur iniquitas*, *& adducatur æterna justitia*, esse omnia in bonum sensum accipienda. Ideóque quod sequitur, *ut obsignetur visio*, &c. ità exponit, *quòd omnes Prophetæ vaticinati sint de Templo secundo*.

37. Hanc interpretationem producere volui ut ostenderem Græcum Interpretem non sine causâ adhibuisse præpositionem ἐπὶ, *adversùs populum tuum*. Consideravit enim proculdubio finem hebdomadum, qui futurus erat in tristissima Judæorum pœna ob contumaciam & contemptum Euangelii, ut paulò pòst ipse Angelus proliχiùs horribilem desolationem politiæ Judaicæ describit. Quare hæc vocula ἐπὶ velut indicem digitum intendit in finem hebdomadum, qui in excidio Urbis & dispersione populi erat statutus, ut suo loco ex Tertulliano & præstantissimis seculi nostri Chronologis, Scaligero, Behmio, Calvisio, Christophoro Helvico, Ubbone Emmio, &c. perspicuè אוה *summus ostensuri*.

38. Nos tamen malumus על explicare in sensu objectivo, secuti reliquos Interpretes Græcos, Latinos & Germanos ad unum omnes, hoc modo, *Decisæ sunt* Lxx *hebdomades*. Harum mensura erit Respublica Judaïca, sub qua decurrent, & unà cum fine ejus ipsæ quoque finientur; durantéque hoc temporis intervallo res omnium maximæ contingent, præcipuè admiranda nativitas Regi Messiæ, & ejus sanctissima passio, prædicato passim Euangelio per universum terrarum orbem.

III. עיר קדשך	Lxx, πόλιν ἁγίαν Aq. ἡγιασμένlω.	Lat. *Sanctam*. Germ. heylig.

39. Appellat autem Angelus urbem Judæorum *urbem sanctitatis*, non subjectivè, putà ab inhærente quadam sanctitate, ob quam locus Deo magis placuerit, quo in errore quondam Judæi versabantur, graviter ob id reprehensi à Prophetis, & in N. T. à Christo, Stephano, & Apostolis. Nam *Altissimus non habitat in templis manufactis*, Actor. 7. 48. & 17. 24. Neque ob sanctitatem incolarum Judæorum: quâ superbiâ hodierni Judæi adhuc turgent: quos ablegamus ad Mosen, quo tantopere gloriantur, qui gravi & copiosâ oratione σκληροτράχηλον gentem redarguit Deut. 9. Sed dicitur *urbs sancta* adjunctivè, propter singularem Dei præsentiam, quâ hunc locum præcipuè sibi elegit, ubi nominis sui memoriam posuerat, & totum religionis cultum in V. T. alligaverat. Unde ex hac urbe propter gratiosam inhabitantis Dei præsentiam, velut ex uberrimo quodam fonte, omnis generis beneficia spiritualia redundarunt. Nam hinc egressa est & in universum orbem sparsa exoptatissima vox Euangelii de gratuita remissione peccatorum. Esa. 2. 3.

40. Hebræus textus habet *urbem Sanctitatis* ex indole Hebrææ linguæ, quæ, cùm pauca habeat nomina adjectiva, substantivis utitur; ut pro *poculo argenteo* dicit *poculum argenti*. Sic Gen. 2. 24. להט החרב *flammam gladii* pro *flammante gladio*. Ità hodiè Judæi linguam Hebræam vocant לשן הקדש *linguam sanctitatis*. Sed exstat tamen ab hac radice adjectivum, unde videtur alia subesse causa quare Spiritus S. maluerit adhibere substantivum. De quo loquendi genere postea dicetur.

41. Latini omnes conveniunt, pro substantivo exprimentes adjectivum, cùm linguæ Latinæ consuetudo hoc postulet. Symmachus vertit ἡγιασμένlω *sanctificatam*, quæ translatio sanctitatem adimit loco, & ad superiorem causam transfert. In N. T. tamen etiam utrumque invenitur de membris Ecclesiæ, ἅγιοι ἐν Χριστῷ Ἰησȣ̃ Phil. 1. 2. Col. 1. 2. & ἡγιασμένοι ἐν Χριστῷ Ἰησȣ̃ 1 Cor. 1. 2. Lutherus reddit heilig / quem reliqui sequuntur; nisi quòd Piscator in orthographia agit Criticum, pro heilig scribens hailig.

IV. הפשע	Lxx, ἁμαρτίαν. Aq. ἀθεσίαν. Al. παράπτωμα.	H. *prævaricatio.* M. *scelera.* I. *defectionem.*	L. ubertrettung sic cæteri. T. Schalckheit.

42. Nunc porrò Angelus incipit sigillatim declarare quid intra hujus decisi temporis intervallum fieri debeat. Primo autem loco commemorat generis humani ἀπολύτρωσιν seu *reconciliationem cum Deo* præstandam per Messiam. Lxx *hebdomadæ*, ait, *decisæ sunt*, &c. לכלא הפשע *ad cohibendam defectionem*. Hîc latissimus campus se offert disputandi de diversis vocibus quibus Peccatum nominatur, earúmque discrimine, idque & occasione ipsius textûs, & ob variationem in versionibus.

43. In singulis linguis plurimæ sunt voces quibus Peccatum significatur. Cujus causa minimè est obscura. Est enim radix peccati originalis admodùm fœcunda, ex qua pessimi iique infiniti fructus quotidie pullulant, ut meritò David exclamet, *Delicta quis intelligit?* Psal. 19. 5. Et quia peccatum aliud alio gravius est, ad graduum differentiam significandam Scriptura diversis utitur vocabulis. Neque enim consentimus in παράδοξον Stoicum à Cicerone repetitum, ὅτι ἴσα ἐστὶ τὰ ἁμαρτήματα, *Quòd peccata sint æqualia*. Etsi ex verbo Dei scimus nullum peccatum tam esse exiguum quod non æternam mereatur damnationem, nisi fiat remissio per Christum.

44 Exstant autem in hoc uno capite octo vocabula, 1. חטא, 2. עוה, 3. הרשיע, 4. כרר, 5. כרר, 6. מעל, 7. עבר, 8. פשע: ex quibus tertium, quartum, quintum & octavum de graviore peccato intelliguntur, tali nimirum quod cum contumacia & rebellione ac studio quodam nocendi est conjunctum. De רשע enim scribit Kimchi, Comm. in 1. Ps. quod *significet hominem inquietum*, *qui omni conatu ac studio hoc unice agat ut aliis possit inferre damnum*. Cum quo congruit Græca vox πονηρὸς, quæ à πόνῳ *labor* rectè deducitur. Quod nomen propterea Satanæ quàm maximè propriè competit, Eph. 6. 16. 1 Pet. 5. 8. Unde quidam in oratione Dominica malunt πονηρὸς accipere pro ipso *Diabolo* autore omnis mali. Nam syllabæ ηρος sunt serviles, ut μοχθηρὸς à μόχθος, αὐχμηρὸς ab αὐχμός. Est equidem ampla seges eorum quæ hîc ad illustrandas singulas afferri possunt ex fontibus singularum linguarum. Sed quia parciùs hæc tractanda sunt, nè nimium disputatio excrescat, eas tantùm appellationes quæ in versiculo nostro exstant paulò pressiùs enucleabimus.

45. פשע plus est quàm חטא & עון. R. Mardochæus in Concordantiis ait significare זדון ומרי *contumaciam & rebellionem:* id quod exemplis Scripturæ fit manifestum. Nam in historia Regum frequens ejus est usus; Ubi rebellio Regum exterorum qui Regibus Hebræis fuerant subjecti passim hâc voce nominatur, 2 Reg. 1. 1. *Et rebellavit rex Moab*, ויפשע. Eodem vocabulo utitur Scriptura in narratione historiæ defectionis X tribuum 2 Reg. 11. 19. Unde Kimchius ait hanc vocem denotare אשר מרשות האלה *excussionem potestatis herilis*, *& contemptum mandati superiorum*.

46. Lxx reddunt in genere per ἁμαρτίαν. Alii per παράπτωμα. Utrique non satis plenè. Aquila propiùs accedit, vertens ἀθεσίαν, à ἀθέω, quod verbum de pactis & conventis usurparur, & parem propemodum vim habet cum Hebræo. Sic loquitur Polybius l. 3. οἱ δ̓ Ῥωμαῖοι συλλογιζόμενοι τὴν τῶν Γαλατῶν ἀθεσίαν, *Romani perpendentes Gallorum inconstantiam in servandis conventis*, metuentes scilicet nè rebellionem facerent.

47. Latini discrepant. Vulgata & Vatablus utuntur voce *prævaricationis*. Munsterus, linguæ Hebrææ peritissimus, vertit *scelera:* quod vocabulum de graviore peccato usurpari Latinè doctis est notum. Junius & ipse expendens hujus vocis naturam & usum in S. lingua, à cæteris interpretibus discessit, probè vertens *defectionem*. Sed explicat de defectione à vera religione, prout fiebat tempore Antiochi Epiphanis, ubi multi paternam religionem abjurabant.

48. Versiones Germanicæ habent Ubertrettung. Tigurini Schalckheit / quanquam hoc frigidius est. Germani enim hoc vocabulo denotare plerumque solent *industriam*, *calliditatem* & *vafritiem*. Sic veteratorem in Euangelio Lutherus reddidit Schalckknecht Matth. 18. 33. Gravior autem hoc loco est

versio

versio Lutheri, & congruit cum Græca voce παράβασις, quâ primum peccatum nominatur 1 Tim. 2. 14. Rom. 5. 14.

49. Et non incongruè hoc vocabulum exponi potest de peccato primorum parentum, qui à serpente persuasi à Deo infideliter ac superbè defecerunt, posthabito mandato ejus. Unde Paulus primum peccatum appellat παρακοὴν Rom. 5. 19. Nam protoplastos, cùm priùs facti essent increduli, peccasse per superbiam ac contumaciam, factâ quasi rebellione adversùs Deum Creatorem Opt. Max. non obscurè colligi potest ex profundissima Filii Dei humiliatione, qui ut pro hoc peccato satisfaceret οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ, Phil. 2. 6. Confer Gen. 3. 5, 22.

50. Hujus contumaciæ vis totam postea massam ex qua propagatum est genus humanum horribiliter corrupit, ità ut hoc veneno omnes vires corporis & animi sint infectæ & miserè depravatæ. Unde in hominibus renatis oritur ista inter Spiritum & Carnem contumax rebellio, quia vetus homo ægre se patitur subjici & gubernari à spiritu. Quam gravissimam luctam carnis contra spiritum Paulus graphicè describit Rom. 7. atque ut explicet & quodammodo ob oculos ponat ingens hoc malum, appellat graviter *legem peccati*. Quemadmodum enim lex præcipit, cogit & urget, ità etiam peccatum originis impellit, incitat & urget omnes vires hominis ad contumaciam ac rebellionem adversùs spiritum, nisi juvante Spiritûs S. gratiâ perpetuò resistatur. Atque hæc causa est quare malimus hanc vocem potiùs hoc loco interpretari de ipso peccato originis quàm duas sequentes.

V. לכלא	Lxx, τοῦ συντελεσθῆναι.	H. *ut consummentur.*	L. so gewehret werden
	Aq. τοῦ τελέσαι.	M. *ad consummandum.*	P. daß er verschliesse.
	Al. τοῦ παλαιωθῆναι.	V. *ad finienda.*	D. w. ein End nehmen
		I. *ad cohibendum.*	T. zu wehren.

51. Hunc tam rebellem & refractarium hostem Angelus ait *iri cohibitum*. Utitur autem voce emphaticâ, לכלא, quæ significat *coercere*, *cohibere*. Sicut de ruente imbri tempore diluvii dicitur Gen. 8. 2. ויכלא הגשם *& cohibitus fuit imber atque in thesauris suis reclusus*, ut Aben Esra loquitur. Hanc esse primam ac propriam hujus verbi significationem apparet ex derivatis indè nominibus. Hinc enim est מכלאה, *caula*, quâ oves cohibentur nè in avia errent & lupis fiant præda. Item כלא, quod *carcerem* significat, & in frequenti usu est in Bibliis. Unde in concordantiis exponitur radix hæc per עצר & אסר, quorum hoc *vincire*, *ligare*, illud *coercere* significat.

52. Estque valde jucunda hæc etymologia, quæ nos docet peccatum originis esse veluti carcere cohibitum, ne renatis qui se gubernari sinunt à Spiritu S. possit ampliùs nocere; adeò ut *nihil nunc damnationis sit his qui in Christo Jesu sunt, qui non juxta carnem ambulant*, Rom. 8. 1. Quanquam etiam hâc voce monemur nè securi simus. Hostis enim hic nondum penitus est prostratus, sed est carcere vinctus; in quo manet tantisper dum Spiritûs S. ductum sequimur. Vigilemus igitur, & in timore Domini vivamus, qui à peccatis nos custodit, ut David docet in Psal. 119. Aliàs quando securitati carnis indulgemus, spiritus in pugna fit languidior, & tandem succumbit, ubi peccatum incipit βασιλεύειν & tyrannico dominio spiritui imperare, ut Paulus loquitur Rom. 6. 12.

53. Præfixum ל variè exponi potest, ut videre est ex collatione versionum. Utplurimùm denotat Terminum ad quem, ut loquuntur, & Causam finalem; cujus significationis exempla passim sunt obvia. Sed diligenter observanti etiam occurrunt exempla in quibus notat Terminum à quo. Afferam unum atque alterum ex Hypomnematis nostris; Num. 31. 13. למחנה Esa. 7. 17. למים Gen. 6. 18. ממלעלה Hos. 2. 21. וארשתיך לי לעולם. Loquitur Propheta de desponsatione Christi cum Ecclesia, quæ includit nostram υἱοθεσίαν & electionem factam in Christo ante constitutionem seculi, i. ab omni æternitate, ut Paulus explicat, Eph. 1. Ità sæpe in voce לעולם præfixum ל explicandum est; ut quando Deus dicitur esse לעולם ועד, ubi ל & in antecedentia & in consequentia prospicit. Sed tria priora exempla maximè sunt illustria.

54. Præter duas has significationes non absurdum est addere etiam hanc, ut connotet illud quod intra determinatum aliquod intervallum accidit. Ut ità ל tria in omni suo ambitu complectatur, Terminum à quo, Terminum ad quem, καὶ τὸ μεταξὺ & id quod intrà est, etsi pro diversa materia aliter atque aliter significat. Atque in tertia significatione videtur esse accipiendum in hoc loco. Nam si ità interpretari velis ut notet Terminum ad quem, apertè refragantur historiæ & ipse quoque contextus. Angelus enim hæc conjungit, *Ut cohibeatur prævaricatio*, &c. *& ut ungatur Sanctus sanctorum*, quæ de eodem tempore explicari minimè possunt. Unctus enim est Christus jam in utero matris in ipso conceptionis momento. Nisi quis per *unctionem* velit intelligere passionem Christi cum Piscatore. Quod tamen nè sic quidem congruit, cùm Angelus paulò pòst passioni Christi non Lxx hebdomadas designet, sed *sexaginta duas*. Ut taceam *unctionem* Christi à *passione* ejusdem in S. Scripturis distingui.

55. Plerique interpretes reddunt causaliter per *ut*, quod Græci quoque faciunt per articulum τοῦ, quem conjunctioni causali respondere norunt Græcè docti. Hæc interpretatio cum iis quæ jam dixi pulchrè consentit. Ut hæc sit analysis; Lxx *hebdomades sunt determinatæ*. Cui bono? Nimirum ut intra illas politia Judæorum restauretur, nascatur Messias & satisfaciat pro genere humano, atque tum, prædicato Euangelio & abrogato cultu Levitico, Resp. Judæorum prorsus deleatur.

56. Cæterùm vocem כלא; quam antè exposuimus, aliter atque aliter Interpretes acceperunt. Unde prodierunt diversæ, nonnullæ etiam à fonte planè aberrantes, versiones, quales omnes sunt Græcorum. Lxx enim συντελεσθῆναι vertunt, Aquila τελέσαι. Utrisque imposuit affinitas literarum. Nam כלה per ה significat *perficere*, cui illud Græcum respondet. Sed hoc loco est alia vox, & postremâ sui literâ differens, quæ א est, & significatione planè diversâ, ut jam ostendimus. Alii habent παλαιωθῆναι. Hos suspicor pro כלא arripuisse בלה, deceptos conformitate literarum ב & כ, & non satis expensâ Grammaticâ, quæ statim prodit discrimen, cùm sit ex diverso verborum ordine, atque idcirco in Infinitivo habeat aliam flexionem. בלה autem significat *veterare*, *senescere*, sive id quod isti Græci usurpant, παλαιωθῆναι. Quod ex Hebræo etiam quoad literas originem trahit, ut apparet conferenti inter se בלה & πάλαι, à quo est παλαιὸς, παλαιόω, &c.

57. Quanquam consultò Græci videntur usi voce suâ τελέσαι; quibus notus erat Atheniensium & aliorum ejus gentis ritus purgandi se & expiandi à vitiorum inquinamentis. Unde factum est hoc vocabulum usu sacrum. Τέλος enim pro *mysterio* accipitur, unde τελεῖν *initiare mysteriis*, quod sine variis ceremoniis, jejuniis, lotionibus, abstinentiâ à certis ciborum generibus & commercio uxorum fieri non poterat. Hinc apud Platonem legitur, l. 7. De Rep. ἐκκενώσαντες καὶ καθήραντες τὴν ψυχὴν μεγάλοις τέλεσιν. Et apud Demosthenem, ὀμόσαι καθ' ἱερῶν τελείων, *jurare per sacrificia* τέλεια, i. ut exponitur, ὁλόκληρα κατὰ τὴν ἡλικίαν καὶ μὴ λελωβημένα *quæ integrâ essent ætate ac corpore, non decurtatis membris*. Ubi manifestum apparet furtum Diaboli, qui doctrinam sacrificiorum à populo Dei acceptam ad Gentes attulit, & sub hac larva summæ religionis cæcis hominibus miserè illusit. Nihil enim in descriptione sacrificiorum apud Mosen magis tritum est quàm quali debeant esse ætate mactandæ pecudes & juvencæ: ut & illud, quòd esse debeant sine vitio corporis, ὁλόκληρα, ut disertè Moses Levit. 22. Hinc fit προτέλεια, i. προμύησις seu *initiatio*: quo nomine eleganter usus est Lucianus De amicitia, προτέλεια τῆς μείζονος συνουσίας.

58. His purgandi seu, ut proprio ipsorum verbo utar, τοῦ τελέσαι ritibus in schola Platonica nihil est decantatius. Unde nata est divisio Virtutis in *civilem*, *purgatoriam*, & *purgati animi*. De qua magnificè declamitat Marsilius Ficinus, homo his somniis penitus immersus, scribens, *Hos esse illos gradus per quos transformemur à claritate in claritatem, tanquam à Domini Spiritu*, ex 2 Cor. 3. 18. Hoc dogma in Ecclesiam quoque sæpius irrepsit, ut ex Historia Ecclesiastica notum est. Idque ante centum annos incrustavit Munzerus. Quem nuper imitatus est Valentinus Weigelius, cujus opiniones cum Cabalistarum & veterum Pythagoricorum somniis magnam partem colludere, haud obscurum est utraque inter se comparanti. Multa hìc dici possent, nisi ab instituto nostro paulò essent alieniora. Fieri id potest, si DEUS vitam & otium benignè concesserit, occasione magis opportunâ.

59. Græci igitur vocem כלא non assequuntur. Latinus reddit *consummare*, in eundem in quem Græci errorem impingens: quem tamen Munsterus sequitur, quod mireris. Vatablus, *ad finiendum*. Sed hæc non est vis neque usus vocis Hebrææ, ut latiùs disputavimus. כלה enim habet significationem *perficiendi*, *consummandi*, *finiendi*, &c. non כלא, quod diversum significat. Rectiùs igitur Junius, *ad cohibendum*. Et Lutherus noster, wird gewehret werden/ q. d. *reprimetur*, *coercebitur*. Cui Tigurini quoque subscribunt.

60. Dietenbergerus, cui à Vulgata recedere magna est religio, vertit wird geendet werden. Et sic præterea parùm videtur fuisse instructus à cognitione Hebrææ linguæ, qui ne Germanam

manam quidem perfectè calluit. Piscator, daß er verschliesse. Respexit ad significationem *carceris*. In eo tamen etiam singularis, ut aliàs plerumque, quòd refugit Germanismum, qui pro personali mavult verbum impersonale. Atqui hoc notum erat antequam Theognis nasceretur, ut est in proverbio. Sed boni Interpretis officium est se accommodare ad proprietatem suæ linguæ, ut intelligi possit, nè opus habeat varias notas cudere ac nè tempus perdat, quo interea moratur lectorem, & chartæ faciat jacturam.

VI. חטאת. Græc. ἁμαρτίαν. Lat. *peccatum*. Germ. Sünd.

61. Sequitur חטאת ולחתם *ad obsignandum peccatum*. Angelus non contentus uno Peccati nomine, alia duo adjicit unà cum suis prædicatis, quæ & ipsa diversa sunt. Est autem hæc copia Spiritûs S. nequaquam otiosa ταυτολογία. Sed hâc plurium appellationum repetitione & magnitudo miseriæ nostræ describitur (nam infinita sunt peccata nostra, cùm *omne figmentum cordis humani sit* רע רק *duntaxat malum* Gen. 6. 5. & 8. 21.) & simul commendatur officium Mediatorium Messiæ, qui tot peccati generibus opposuit totidem remedia. Imò *ubi exuberavit peccatum, ibi longè magis exuberavit gratia*, ὑπερεπερίσσευσε. Quam Peccati & Gratiæ comparationem magnificè extollit Paulus Rom. 5. 20. quod ad nostram consolationem vehementer pertinet.

62. חטא autem omnium vocum est generalissima, & promiscuè de quibuslibet delictis usurpatur, & de levioribus ferè intelligitur. Etsi nullum peccatum leve est si in judicio Dei consideretur. Kimchi annotat significare השגגות *errores, peccata ignorantiæ* ac *venialia*. Quanquam, ut diligenter monet Chemnitius, peccatum veniale in renatis tantùm locum habeat. Quæ generalitas in omnibus versionibus est retenta. Græci enim vertunt ἁμαρτίαν, Latini *peccatum*, Germani Sünde. Sanè ἁμαρτάνειν apud Græcos significat *aberrare*, ut ἁμαρτάνειν τῆς θύρας *aberrare à janua*. Et ἁμάρτημα μνημονικὸν est *lapsus memoriæ*. Ejus significatio investigari potest ex diversitate causarum. Refertur enim 1. ad Pedes, ut ἁμαρτάνειν τῆς ὁδοῦ *aberrare à via*. 2. ad Manus, ut de regina, petente globo Amphipolum, apud Homerum Odyss. ζ.

Σφαῖραν ἔπειτ' ἔρριψε μετ' Ἀμφίπολον βασίλεια.
Ἀμφιπόλου μὲν ἅμαρτε, βαθείῃ δ' ἔμβαλε δίνῃ.

3. ad animum, ut ἁμαρτὼν τῆς ἐλπίδος *frustratus spe*, quod aliàs dicitur ἀποτυχὼν ἐλπίδος. Denotat igitur hæc vox omnis generis delicta, quæ fructus sunt pessimæ radicis, peccati inquam, originalis. Apostolus omnium optimè definit, inquiens esse ἀνομίαν, h. e. quicquid quoquo modo aberrat à norma Divinæ voluntatis, quæ in Decalogo nobis patefacta unica regula & veluti scopus esse debet omnium nostrarum actionum.

VII. לחתם	Lxx, τοῦ σφραγίσαι	H. *finem accipiat.*	L. w. zugesiegelt w.
		M. *ad signandum.*	P. daß er zu sigle.
		I. *ad obsignandum.*	D. wird auffhören.
	Aq. τοῦ τελειῶσαι.	V. *ad consummandum.*	T. zu versiglen.

63. Sed τούτου τοῦ σκοποῦ πολλαχῶς ἁμαρτάνομεν, *ab hoc scopo multifariàm aberramus*. Igitur Angelus promittit *fore ut peccata obsignentur*. חתם significat *obsignare, obstruere, obturare*. Esa. 29. usurpatur de *clauso libro* ספר חתום. De *obsignatione* literarum est frequens ejus usus, ut videre licet apud Nehemiam & in libro Esther. Apud Prophetam nostrum cap. 12. conjunguntur, & se mutuò explicant סתם & חתם, ubi sic loquitur Angelus, *Tu verò, Daniel, abi: sunt enim verba occulta & obsignata*. ס enim & gutturales frequenter permutantur, ut suprà est à nobis annotatum.

64. Neque tamen eo sensu hæc phrasis hîc accipienda est quo legitur apud Jobum 14. 17. בצרור חתום כל עוני *in fasciculo obsignat omnem meam iniquitatem:* quod apud Hoseam 13. 12. simpliciter dicitur *ligare iniquitatem*. Loquitur enim hæc Jobus in summa tentatione & lucta cum desperatione. Nam sentit iram Dei adversùs peccata: unde etiam Deum appellat *hostem* & *tyrannum*. In tali terrore & sensu justi Dei judicii homo aliter cogitare nequit. Quod & in summo Propheta Mose apparet, qui Psal. 90. 8. Deum describit pro tribunali sedentem, & *in conspectu suo constituentem omnia peccata nostra, etiam occultissima:* quibus Paulus addit *chirographum* conscientiæ nostræ, Col. 2. Hoc, inquam, modo *peccatorum obsignationem* Angelus non intelligit, sed eo sensu quo in illis Scripturæ locis usurpatur ubi per *occludere, obturare*, &c. exponitur.

65. Quò eleganter congruit versio τῶν Lxx, qui habent τοῦ σφραγίσαι. Est autem σφραγὶς à φράττω *obsepio & velut circumducto vallo communio*. Sic nimirum Angelus inquit *peccatum iri obsignatum & undique conclusum*, nè insultare nobis possit ampliùs & adigere ad desperationem. Potest etiam hoc modo intelligi, quòd sicut literas obsignatas violare nefas est, & earum argumentum, durante sigillo, manet occultum, ità quoque peccata sint futura velut obsignata Satanæ & Legi, quæ *peccati vis* est 1 Cor. 15. 56. nè ampliùs accusare nos possint, cùm peccata nostra sint per imputationem meriti Christi velut obsignata, obstructa & occultata, ut ità *nihil nunc sit damnationis his qui sunt in Christo Jesu*, Rom. 8. 1.

66. Aquila vertit τελειῶσαι. Videtur legisse ולהתם in conjugatione Hiphil à תמם *consummatus fuit*. Habet enim להתם punctationem irregularem, pro לְהָתֵם. Sed ה in quibusdam exemplis imitatur naturam literarum gutturalium & ר, i. respuit Dagges in Piel. Sic dicitur הֵתֵל pro הֵתֵּל *decepit*. Hanc Versionem Vulgata quoque retinuit & Vatablus. Dietenbergerus, wird auffhören, *finem accipiet*, ex Vulgata. Munsterus, *ad signandum*, paulò obscuriùs: Cùm ferè contrarius sit futurus sensus ab iis quæ attulimus. Deus enim non signat fidelium peccata ut subinde recordetur, sed obsignat atque è conspectu suo submovet. Lutherus & reliqui rectè exprimunt zusigeln / versigeln. Hæc enim est propria significatio verbi Hebræi, quod ex derivatis conspicitur. חתם enim & חותמת significat *obsignatorium, sigillum*.

VIII. עון	Lxx, ἀδικίας	Latini, *iniquitas*	L. D. T.	Missethat.
	Aq. ἀνομίας		P.	Ungerechtigkeit.

67. Tertium vocabulum quo peccatum nominat Angelus est עון: cujus usus generalior est, & pariter cum חטא in Scriptura frequentatus. Sed quia in proprietates singulorum inquirimus, ut sit aliquod discrimen, etiam hîc videndum est quid præcipuè Spiritus S. hâc voce in sua lingua velit denotare. Kimchius ex veterum traditione, affirmat עונות significare זדונות, i. *delicta superba*. Sed זדון in Scriptura accipitur de atrociore peccato, & hoc nomine sæpe apud Prophetas nominatur idololatria & fiducia operum, Jer. 49. 16. *Decepit te* זדון *fastus*, seu *præsumptio cordis tui*. Et in Lege peccatum hoc diligenter distinguitur à communibus delictis, Deut. 17. 12. Exod. 21. 14.

68. Vera autem significatio erui potest ex verbo à quo nomen hoc descendit, quod *curvandi* & *pervertendi* sensu usurpatur. Sunt enim Synonyma in Psal. 38. 6. שחתי & נעויתי *incurvatus sum*. Et apud Jobum 33. 27. *pervertere jus* ישר העויתי quæ significatio fit dilucidior si conferatur altera vox עות, quæ ex hac est deducta, commutatis inter se ה & ת. Sunt enim hæ literæ מתחלפות, ut loquuntur Hebræi, i. *inter se commutabiles*, quod ex plurimis exemplis manifestum est. Hinc Autor Concordantiarum redigit sub idem caput עוה & עות propter literarum & significandi communitatem, ut in illustri sententia Eccles. 7. 13. *Quod Dominus curvat, homo non potest rectificare*. Et Saul objurgans filium Jonathanem vocat בן נעות המרדות *filium matris perversæ & rebellis* 1 Sam. 20. 30. Cui respondet locutio Christi Matth. 17. 17. γενεὰ ἄπιστος καὶ διεστραμμένη, *generatio mala & perversa*.

69 Hieronymus censet hæc tria vocabula ità distingui, ut פשע propriè de peccatis non renatorum accipiatur, חטאת de peccatis renatorum levioribus, quæ *venialia* & *omissionis* nominantur; עון de peccatis in renatis quæ contra conscientiam committuntur. Quæ explicatio concinna est; sed nequaquam ità accipienda quasi perpetuò illa differentia observetur. In Scriptura enim hæc sæpe promiscuè usurpantur, præcipuè duo posteriora. Qualis permutatio manifestè conspicitur apud Paulum Rom. 5. qui primum peccatum quatuor diversis nominibus appellat: vocat enim ἁμαρτίαν, παράπτωμα, παράβασιν & παρακοήν.

70. Quid igitur עון propriè significat? Ejus origo jam fuit ostensa. Indicat enim *curvitatem*. Deducit igitur nos rursus ad definitionem Johannis, ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἀνομία. Decalogus est exactissima regula, ad quam quicquid congruit, rectum est & justum; quicquid abnuit, obliquum & injustum. Talis obliquitas & curvitas in omni peccato deprehenditur. Et pulchrè huc quadrat Græca vox κατόρθωμα, de qua multa est apud veteres Philosophos disputatio, in qua inter τὸ καθῆκον & τὸ κατόρθωμα subtiliter distinguunt. Cicero in vestibulo Officiorum meminit hujus discriminis, & κατόρθωμα definit *officium perfectum*, putà quod mente potiùs cogitari quàm facto potest exprimi. Vertit autem *rectum*, ab ὀρθὸς, ut apud Geometras ὀρθὴ γραμμὴ *recta linea*. Talis nimirum est rectitudo etiam in definitione virtutis Philosophicæ, sed longè alia quàm ea quam Spiritus S. in

Lege sua à nobis requirit. Nam mensura κατορθώματος Philosophici est Ratio, quæ & ipsa misere est corrupta. Cùm igitur id quod recti debebat esse regula obliquum sit & distortum, quid de regulato dicendum est? Nam *si lux quæ in nobis est tenebra est*, τὸ σκότος πόσον; *quanta erunt ipsa tenebra?* Mat. 6. 23.

71. Requirit igitur lex Divina à nobis perfectissimam & omnibus numeris absolutam obedientiam & actionum exquisitam rectitudinem, quam corrupta natura præstare nequit. Quare ad miseriam illam indicandam Scriptura utitur voce quæ *curvitatem* significat. Nam omnia opera nostra sunt meræ curvitates, si in se spectentur. Nobis enim *volentibus facere bonum παράκειται adjacet malum*, Rom. 7. 21.

72. Unde non improbamus eorum sententiam qui in Ps. 51. 5. exponunt de ipso *peccato originis* hoc vocabulum. Etsi in hoc loco generaliùs significare existimamus, adeò ut præcipuè etiam pœnam complectatur, quam in multis exemplis disertè notat, ut Levit. 26. 41. ubi Lutherus expressè vertit die Straffe der Missethat. Nam Christus satisfecit non tantùm pro culpa sed etiam pro pœna peccatis nostris debita. Neque enim absurdum est eandem vocem in diversis locis diversimodè etiam significare, quod in duabus his vocibus חטאת & עון est manifestum.

73. Græci interpretes vertunt ἀνομίαν, quo facit D. Johannis definitio. Et Piscator quoque eò respexisse videtur, reddens Ungerechtigkeit. Latini ad unum omnes usurpant vocem *iniquitas*, quæ ad Hebræam exactè congruit. Est enim *iniquum* quod æquo ac recto est oppositum. Sicut Jobus opponit ישר & עוה *curvare rectum*, seu *jus pervertere*. Germani reliqui vertunt Missethat. Miß autem particula sensum habet privativum, & respondet Græco δυς, ut mißfällig / δυσαρεστός, mißhellig / δύσφωνος. Et congruit Latinum *dis*, ut *displicet*, *discrepat*. Neque tamen semper. In *distinguo* enim, *discerno*, *dispono* aliam habet vim, & est à Græco δίς. Ergo Mißthat respectum indicat ad illud cum quo debeat congruere, cujus notat privationem, seu potiùs negationem.

IX. לכפר	Lxx, ἀπαλεῖψαι Aq. ἐξιλάσασθαι	H. *deleatur.* Cæteri, *ad expiandum.*	D. außgetilget. Cæteri, versühnet.

74. Atque ità tria vocabula quibus Peccatum hîc notatur confido mediocriter à nobis esse exposita. Habet autem Spiritus S. postremo loco valde elegans ac jucundum verbum, לכפר, quod nos reducit ad propitiatorium in V. T. Nam operculum illud quod Arcæ foederis erat impositum appellatur Hebraicè כפרת, quod Apostolus Rom. 3. ἱλαστήριον vertit, & autor Epistolæ ad Hebræos significantiùs τὸ θρόνον τῆς χάριτος *thronum gratia*. Præcipuè verò subinnuitur Christus, cujus Propitiatorium V. T. gerebat typum. Nam *hunc Deus nobis proposuit propitiatorium per fidem in ipsius sanguine* Rom. 3. 25. Is est verus *gratiæ thronus* de quo Epistola ad Hebræos concionatur, *ad quem accedere debemus cum fiducia, ut consequamur misericordiam*, &c. 4. 16.

75. Significat autem כפר *obtexit*, *oppicavit*, *obbituminavit*, ut Gen. 6. de Arca, *oppicabis* כפרת *eam bitumine*. In Piel notat *expiationem*, q. d. obtectionem peccatorum intercedente lytro quod Christus nostro loco exsolvit. Hinc festum *Kippurim*, quo nihil apud Judæos decantatius est, i. *festum Expiationum*. Et notatur hâc voce forma justificationis nostræ quæ non consistit neque in inhærente aliqua qualitate, neque in infusis virtutibus, ut Pontificii somniant, sed in eo quòd Deus ex summa sua misericordia propter sanctissimum Filii sui meritum nobis miseris peccatoribus peccata nostra non imputat, sed ea obtegit & quasi obbituminat. Quem sensum esse hujus vocis David testatur Psal. 32. 1. *Beatus, cujus tectum est peccatum*, כסוי חטאה. Ubi simul observatu dignum est iisdem tribus nominibus quæ in nostro sunt vaticinio à Propheta Peccatum esse descriptum.

76. Sed operæ pretium est etiam expendere ἐμφάσεις in reliquis linguis. Lxx habent duo vocabula, ἀπαλεῖψαι καὶ ἐξιλάσασθαι· alterum tamen redundat; bis enim eadem sententia est expressa. Quæ synonymia videtur irrepsisse ex varietate Versionum Græcarum. Id quod tamen effugit summam ejus qui adornavit editionem Wechelianam diligentiam, cæteroquin omni laude dignissimam. Significat autem ἀλείφω *ungo*, & *ungendo doleo*: ut in egregia sententia quæ legitur apud Herodotum, l. 2. τὸ λυπῆσαν δυσεξάλειπτον, quo id significatur quod Virgilius habet de Junone,

—— *manet altâ mente repostum*, &c.

77. Henricus Stephanus, vir citra controversiam Græcè doctissimus, ἐξαλείφω & ἀπαλείφω vult propriè significare *abstergere id quod fuerat inunctum seu illitum*: hanc enim putat vim esse compositionis. Quæ observatio subtilior est quàm verior. Nam præpositiones istæ non ubivis admittunt istum rigorem, quæ sæpe nullo peculiari significandi modo afficiunt verbum cum quo componuntur, sed tantùm simplicem ejus significatum augent, quod confirmat in hac ipsa voce exemplum Thucydidis, apud quem est ἐξαληλιμμένον τεῖχος, quod certè istam criticam non admittit.

78. Cæteroquin ad varia objecta se extendit hujus vocabuli usus, cùm non solùm de Oleo & Unguento, sed etiam de Minio atque Calce usurpetur. Nam & qui calce murum illinit; seu potiùs incrustat, dicitur ἀλείφειν, unde est ἀλειφὲν τεῖχος quod Eustathius exponit χρίειν κονίᾳ. Significat igitur ἀπαλείφειν ἀνομίας *iniquitates tegere*, non secùs ac scriptura aliqua expungitur illito oleo, aut superfuso atramento, aut inducto alio quodam liquore. Sed quo interprete hæc discamus meliore quàm Paulo? Is enim de hoc argumento ità loquitur Col. 2. 14. ἐξαλείψας τὸ καθ' ἡμῶν χειρόγραφον, *deleto quod contra nos erat chirographo*. Quod verbum à Lxx proculdubio fuit mutuatus, qui nostrum כפר quod explicamus, istâ voce solent transferre.

79. Aquila vertit ἐξιλάσασθαι, quod in translatione Græca Legis Mosaicæ ubivis occurrit. Ejus verbi vis est *placare*, *expiare*. Homerus Iliad. α.

—— Φοίβῳ θ' ἱερὴν ἑκατόμβην
Ῥέξαι ὑπὲρ Δαναῶν, ὄφρ' ἱλασόμεσθα ἄνακτα.

Loquitur de expiandis Græcis & placando Apolline ob raptum filiæ Chrysæ sacerdotis. Hoc utitur Epistola ad Hebræos, *ut misericors esset & fidelis Pontifex*, &c. εἰς τὸ ἱλάσκεσθαι τὰς ἁμαρτίας τοῦ λαοῦ *ut expiaret peccata populi*, 2. 17.

80. Vulgatus interpres vertit *delere*, satis aptè: inprimis si referas ad phrasin Paulinam Col. 2. 14. Est enim Græcum ἐξαλείφειν, cùm *deleo* sit ab *oleo* dictum, quod arguit flexio præteriti *delevi*, sicut ab *inoleo*, *inolevi*; *exoleo*, *exolevi*, &c. quasi *deolere* dicas, i. inuncto oleo expungere. Cæteri reddunt per *expiare*.

81. Dietenbergerus insistit vestigiis Vulgatæ versionis, außgetilget / quod & significationem verbi *deleo* assequitur & manifestam prodit originem. Est enim sine dubio tilgen à *deleo*. Germani reliqui utuntur voce versöhnen / quæ, si divinare licet, est à Sohn / *filius*; & innuere videtur reconciliationem qualis fit per intercessionem filiorum, quorum major est apud Patres gratia, & preces pondere graviores.

82. Ità deprehendere licet in singulis linguis aliquid quod ad explicandam hanc materiam aliquod possit conferre momentum. Græca enim τῶν Lxx, & Hieronymi translatio habet pulcherrimam ἔμφασιν, quam Paulus allegato loco explicat, affirmans Filium Dei expunxisse chirographum quod mentibus nostris, Divinæ legis literis inscriptum, contra nos testabatur, & nos coram Deo reos agebat æternæ damnationis. Aquilæ versio nos monet de variis ritibus expiandi populum in V. T. quibus præfigurabatur vera expiatio per Christum præstanda. Germanus autem, si modo probanda est etymologia quam attulimus, nobis pulcherrimè ob oculos pingit modum nostræ cum Deo reconciliationis, quæ unicè facta est per spontaneam obedientiam, deprecationem ac satisfactionem filii Dei, qui pro nobis factus est piaculum &, ut Paulus loquitur 2 Cor. 5. 21. *peccatum, ut nos fieremus justitia, quæ valet coram Deo.*

X. צדק עלמים	*Græci*, δικαιοσύνην αἰώνιον.	H. *Justitiam sempiternam.* V. M. *justitiam seculorum.* I. *justitiam perpetuam.*	L. P. Ewige G. D. T. Ewigwährende.

83. *Cohibitis* jam & *obsignatis expiatisque peccatis* Angelus opponit *æternam justitiam*, quam ait adventu Messiæ iri allatum. Hæc justitia non est infusa qualitas, cujus intuitu Deus moveatur ut nobis sit propitius: Sed est justitia Messiæ nobis imputata per fidem. Hic enim *propter peccata nostra mortuus est, & propter justitiam nostram resurrexit* Rom. 4. 25. Et dicitur *æterna justitia*, propter rigorem & efficaciam, idque comparativè respectu Sacerdotii Levitici. Nam in V. T. opus erat perpetuâ repetitione victimarum & cæterorum rituum Leviticorum: *Christus autem semel per proprium sanguinem ingressus Sanctum sanctorum, αἰωνίαν λύτρωσιν æternam redemptionem invenit*, Heb. 9. 12.

84. Quod contra Pontificios diligenter observandum est. Nam quia Christus per sanctissimam suam passionem nobis æter-

nam justitiam est meritus cujus valor in æternum est efficax, non opus est repetitâ oblatione corporis Christi in sacrificio Missæ Pontificiæ; quin potiùs hæc vergit in summam contumeliam unici sacrificii quod Christus pro nobis obtulit in ara crucis. Qua de re eleganter differit Epistola ad Hebræos c. 9. 10.

85. Est autem hæc *æterna justitia* non essentialis Filii Dei justitia, per cujus inhabitationem, ex essentiali nostri cum Christo capite unione, in conspectu Dei reddamur justi, (ut impii Weigeliani affirmare non erubescunt. Sub qua larva sine dubio Satanas hoc quærit, ut rursus invectâ justitiâ operum justitiam Christi imputatam è cordibus credentium prorsus exterminare possit, ut in Papatu accidit,) sed est justitia quam Filius Dei nobis acquisivit perfectâ suâ & omnibus numeris absolutâ obedientia, tam activâ quàm passivâ, *factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*, Phil. 2. 8.

86. Hæc justitia nobis annunciatur voce Euangelii, & applicatur per fidem, quæ meritum Christi apprehendit. Nam *non operanti, sed credenti imputatur fides sua ad justitiam*, Rom. 4. 5. Unde etiam definitur justificatio nostra per non imputationem peccati, & contrà imputationem justitiæ Christi per fidem apprehensæ, Psal. 32. 2. Rom. 4. 3. Gen. 15. 6. Gal. 3. 6. 2 Cor. 5. 19.

87. Nam quemadmodum Christo verè imputata sunt peccata nostra, acsi ipse in propria persona commisisset, unde etiam SUA appellat, Ps. 40. 12. cùm tamen ipse semper fuerit, sit, & futurus sit *segregatus à peccatoribus*, Heb. 7. qui *peccatum nullum fecit*, & *in cujus ore non inventus est dolus*, Esa. 53. 9. 1 Pet. 2. 22. 1 Joh. 3. 5. Ità etiam justitia Christi nobis verè imputatur per fidem, & Deus eam sic reputat, acsi à nobis ipsis sit præstita. Quod argumentum ad refutandos insanos Weigelianorum cavillos firmissimum est ac planè invictum.

88. Insuper hoc epitheton nos deducit ad summum mysterium Unionis personalis ac Communicationis idiomatum. Nam quia Persona quæ justitiam illam nobis est merita infinita est ac æterna, verissimè illa justitia est ac dicitur *æterna*. Unde germen Davidis dicitur יהוה צדקנו *Jehova qui est justitia nostra* Jer. 33. 26.

89. Ex hac Personæ magnitudine oritur magnitudo ac dignitas meriti: Idque 1. Adjunctivè, respectu temporis. Fuit enim efficax statim in paradiso, & porrò in toto V. ac N. T. Nam *Agnus Dei est occisus ab origine mundi*, Apoc. 13. 8. *Et nos speramus per gratiam Domini nostri Jesu Christi salvari, sicut & Patres nostri*, Act. 15. 11. 2 Subjectivè, respectu hominum quibus acquisitum est. Est enim *Jesus Christus propitiatio pro peccatis totius mundi*, 1 Joh. 2. 2. 3 Oppositivè, respectu ipsorum peccatorum, cùm nullum sit peccatum cui æterna illa justitia in omnibus conscientiæ luctis non tutissimè possit opponi. Nam *sanguis Jesu Christi Filii Dei emundat nos ἀπὸ πάσης ἁμαρτίας*, 1 Joh. 1. 7. Id quod & fideli corde credimus, & libero ore adversùs blasphemias Photinianorum, Calvinianorum, Weigelianorum, Judæorum, &c. confitemur.

90. Etsi autem vox עלם ferè in Scriptura accipitur de finita temporum periodo, tamen nec perpetuum id est, & pro ratione subjectorum de quibus prædicatur aliter atque aliter est interpretanda. Quod etiam cæcus Rabbi Saadia hactenus agnovit, quòd in præsenti loco per *justitiam æternam* intelligit tertium Templum, quod somniat fore perpetuum. Quod commentum etsi admodum insulsum est ac ridiculum, tamen hactenus congruit, quòd justitiam intelligit omni carentem termino. Sed ut omni modo demerear benevolentiam eorum qui hæc studia seriò amant, propter eos ipsa verba asscribam, ולהביא צדק עולמים זה בית המקדש ככתוב מכון לשבתך עולמים ונקרא בית המקדש עולמים כעולם בנין ראשון ובעולם בנין שני ובעולם בנין שלישי שיעמוד לעולמי עולמים. *Et ut adducatur æterna justitia*) *Hæc est domus sanctuarii, sicut scriptum est, Habitatio mansionis tuæ in secula*, 3 Reg. 8. 13. *Appellatur autem domus sanctuarii nomine Seculorum, seculo Templi primi, & seculo Templi secundi, & seculo Templi tertii; quod stabit in secula seculorum.*

91. Sanè Templum tertium futurum est perpetuum, spirituale nimirum, quod describit Ezechiel, in quo *Jesus Christus est summus angularis lapis, in quo omnis structura* fidelium per Spiritum S. *crescit in Templum sanctum in Domino*; ut Paulus Templum illud mysticum explicat Eph. 2. 20, 21. & Petrus, 1 Pet. 2. 4. &c. Sed tale templum plumbei homines, Judæi, qui carnalia tantùm somniant, non intelligunt.

XI. להביא Græci, ἀγαγεῖν. Latini, *adducere*. German. herzubringen.

92. Hanc *perpetuam*, seu *seculorum*, *justitiam*, ut ex Hebræo vertit Munsterus, & Vatablus, Angelus dicit *allatum iri* per adventum Principis Messiæ. Vocabulum להביא, quod ἀγαγεῖν reddunt Græci, tria notat: 1 Causam promerentem hujus æternæ justitiæ, qui est Filius Dei *in plenitudine temporis factus*, γενόμενος, *ex muliere*, & *legi subditus, ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem in filios acciperemus* Gal. 4. 4, 5. Hanc vocem Epistola ad Hebræos 9. 12. exponit per εὑράμενος *invenit*, respiciens ad stupendum illud & nulli creaturæ pervestigabile decretum totius SS. Trinitatis initum de salute nostra, ut ipse æternus ac naturalis Dei Filius sibi individuo nexu copularet humanam naturam, & in, per, & cum ea opus redemptionis nostræ perficeret. 2 Complectitur etiam medium offerens, quod est Prædicatio Euangelii, in quo omnibus hominibus annunciatur gratuita remissio peccatorum, & sic verè *adducitur* atque *affertur æterna* illa *justitia* de qua Danieli ex ore Dei loquitur Gabriel. 3 Præterea etiam in hac voce latet causa instrumentalis, Fides, quæ est spiritualis illa manus quâ æternam hanc justitiam à Rege nostro Messia acquisitam apprehendimus, ipsúmque adeò Christum, cum omni suo merito, filiali fiduciâ nobis applicamus. Sunt enim hæc duo, *offerre* atque *accipere*, relata.

93. Adventui Messiæ Angelus porrò connectit *obsignationem visionis ac Prophetarum.* Omnium enim Prophetarum scopus est Christus cum suo Euangelio. Nam *huic* Jesu *perhibent testimonium omnes Prophetæ*, Act. 10. 43. Quod etiam stupidi Rabbini non diffitentur, qui apertè in Talmud scribunt *omnes Prophetas esse vaticinatos de diebus Messiæ*, Sanhedr. cap. Chelek. Cui convenit regula quam ad c. 9. Danielis annotat R. Abben Esra, כל נביאים התנבאו על דבר בית שני *Omnes Prophetæ vaticinati sunt de Templo secundo.*

XII. חזון { LXX ὅρασις / Aq. ὁραματισμός } Latini, *Visio.* Germani, Gesicht.

94. Modi varii sunt quibus in V. T. Deus se patefecit Patribus, quam varietatem breviter innuit Epistola ad Hebræos 1. 1. Πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως ὁ Θεὸς λαλήσας τοῖς πατράσιν, &c. Observantur autem in Scriptura potissimùm quinque modi. 1 Visiones, quando Deus assumptâ figurâ humanâ se manifestè Patribus ostendit, & coràm cum illis est collocutus. Sic legitur Deus apparuisse במחזה *per visionem* Abrahamo, Gen. 15. Ità apparuit postea eidem, & Lotho, Gen. 18, & 19. & Jacobo Patriarchæ, assumptâ formâ luctatoris, Gen. 32. Quibus apparitionibus & testimonium perhibitum fuit doctrinæ quæ in Ecclesia Patriarcharum sonuit, & præfigurata est incarnatio Filii Dei in plenitudine temporis exhibenda.

95. 2. Deinde Deus voluntatem suam manifestavit per Urim & Thummim, in Tabernaculo priùs, & pòst etiam in Templo. Cæterùm quid propriè hoc fuerit Scriptura disertè non exprimit. Rabbini sentiunt fuisse Scripturam nominis tetragrammati pectorali summi Sacerdotis insertam. Et hoc pectorali indutum Pontificem incitatum fuisse à Spiritu S. & dedisse responsa interrogantibus ait Kimchius ad 1 Sam. 25. Qua de re nunc non licet nobis esse prolixioribus.

96. 3 Postea Deus excitavit singulares personas, quibus aut per ἐκστάσιν extra se raptis aut per somnia patefecit res futuras. Unde etiam *Prophetæ* sunt appellati non solùm in Græca lingua à *prædictione* futurorum eventuum, à προφημι, Sed, ut præstantissimi Hebræi conjiciunt, etiam in ipsa Hebræa lingua, à בוא *venire*, ut נביא sit *qui ventura pronunciat*. Quamvis latiùs patuit officium Prophetarum: Eorum enim ministerio Deus usus est in gubernatione Ecclesiæ & Scholarum. Unde נביאים Jer. 29. à Chaldæo vertuntur מלפין *Doctores*, quod præter prædictionem futurorum, eorum officium esset docere, monere, corrigere, &c. In hoc genere postremus fuit in V. T. Malachias.

97. 4. Posthæc successit בת קול ut Hebræi appellant, i. e. *vox cœlitus delata*, quâ subinde Deus est usus in revelanda voluntate sua. Hujus frequens est in scriptis Hebræorum mentio. Et Targum quoque cap. 1. Cantic. expressè meminit, נפקת בת קלא כן שמיא וכן אמרת *Exiit vox è cœlo, & sic dixit*, &c. Huc referunt aliqui singulares patefactiones N. T. ut quando in Baptismo Christi, Matth. 3. & ejus transfiguratione, Matth. 17. vox è cœlo clamat, *Hic est Filius meus dilectus*, &c. Confer etiam Joh. 12. 28. & Act. 9. 4.

98. 5. Præterea est unus adhuc modus, sed generalior & omnium temporum, per Spiritum S. qui meditantibus verbum adest, eos illuminat, & ipsis voluntatem Dei revelat. Hoc modo adfuisse Spiritum S. scriptoribus Hagiographorum affirmant Rabbini, quos ajunt ex illuminatione Spiritûs S. scripsisse, sine

fine ecstasi, integris manentibus sensibus. In quo discrimen statuunt inter Prophetas propriè & καθ' ἐξοχὴν dictos & inter cæterorum librorum autores, Jobum, Danielem, Salomonem, &c. De qua differentia quid sit statuendum initiò dictum est.

99. Tres species disertè exprimuntur 1 Sam. 28. 6. Ità enim Saul Dominum consulens nullum accipit responsum, *neque per somnia, neque per Urim, neque per Prophetas.* Et meminit ipse Dominus hujus discriminis Num. 12. 6. *Si inter vos est Propheta, ego Deus per visionem me ipsi manifesto, & in somnio loquor cum ipso. Non ità servus meus Moses,* &c. פה אל פה *Oretenus loquor cum ipso*, i.e. בלי אמצעי *absque mediatore*, ut Hebræi interpretantur. R. Solomo d. l. *somnia & visiones* in Prophetis opponit revelationi quæ fit באספקלריא המאירה *per manifestam speculationem*, remotis involucris & ænigmatibus. Moses igitur longè aliâ ratione vidit Dominum quàm vel Esaias vel Ezechiel. Quanquam omnis illa visio, qualiscunque etiam fuit, non est ipsius essentiæ respectu intelligenda. Nam sic *Deum nemo vidit unquam, sed unigenitus qui est in sinu Patris nobis revelavit*, Joh. 1. 18. Nam Deus *habitat lucem inaccessam*, 1 Tim. 6. 16. Et ipse etiam Moses, cui tamen multò quàm reliquis Deus se manifestiùs revelavit, nihilominus non vidit faciem Dei, sed אחורי *à postica parte*, Exod. 33. 23.

XIII. נביא Græci; προφήτην	H. Prophetiam. Cæteri, Prophetam	L. P. Weissagung. D. T. Propheten

100. Angelus in textu nostro ponit duo vocabula, cùm quibus cætera genera subintelligit, חזון ונביא *visionem & Prophetam.* Græcus vertit ὅρασιν *visionem.* Propriè enim hæc verbalia significant actionem, sed consuetudo latiùs usurpat. Et חזון non tam actum videndi denotat quàm objectum sive id quod ad videndum offertur. Unde malunt quidam reddere per *visum* seu τὸ ὡραμένον. Aquila vertit ὁραματισμὸν, voce à consuetudine Græci sermonis paulò alieniore, sed quæ rem tamen quàm simplex ὅρασις meliùs exprimat.

101. Germani omnes habent Gesicht, nisi quòd eorum quidam vertunt die Gesichte, numero multitudinis, ut Lutherus & Piscator. Cæteri das Gesicht, propiùs accedentes ad textum Hebræum (qui utrumque vocabulum ponit in singulari numero, sensu nimirum collectivo, pro consuetudine Sanctæ linguæ, *obsignabitur visio & Propheta*) sed minùs tamen perspicuè.

102. Pro eo quod Hebræus dicit נביא *Propheta*, Lutherus vertit die Weissagung, posito effecto pro causa, idque ut sensum magis clarum exprimeret. Germanica enim lingua non admittit hanc locutionem, der Prophet wird versigelt werden, sensu videlicet collectivo. Quam asperitatem ut emollirent Tigurini & Dietenbergerus, expresserunt numerum pluralem, die Propheten.

XIV. חתום	Lxx. τῦ σφραγίσαι. Aq. τῦ τελέσαι.	H. & impleatur. M. ad signandum. V. ad finiendum. I. idque obsignando.	L. P. zusiglen. D. erfüllet. T. zubesiglen.

103. Porrò de his affirmat Angelus *futurum esse ut obsignentur*, acceptâ voce in eo sensu quo paulò antè, quanquam in punctis & in conjugatione est quædam discrepantia. In eo tamen conveniunt quòd utrobique sunt puncta irregularia. Sic hoc loco est לַחְתֹּם pro לַחְתֹּם. Quæ subita mutatio unde sit, & quid significet, obscurius est. Quæ enim afferri possunt, conjecturis sunt quàm rationibus similiora.

104. Lxx vertunt, ut antea, σφραγίσαι *sigillare, obsignare.* Sed *Aquila* τελέσαι, ut priùs. Legit enim לחתם à תמם Nam Græcos interpretes non habuisse punctatos codices ex infinitis locis argui potest. Nisi quis eos summæ inscitiæ & supinæ negligentiæ velit accusare. Unde enim tam frequens tàmque crassa hallucinatio nisi ex defectu punctorum?

105. Hujus vestigiis insistens Vatablus reddidit *ad finiendum.* Sed ea non est vocis Hebrææ significatio. Est igitur Versio sensum potiùs quàm verba exprimens. Vulgatus interpres habet *impleatur*, relictâ itidem literâ, & sensu retento. In eo tamen præstat Vatablo, quòd phrasin N. T. expressit, quod *implendi* verbo utitur, ἵνα πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν· ἵνα πληρωθῶσιν αἱ γραφαὶ, &c. Quamvis hæc non sit plena textûs sententia. Munsterus *ad signandum*, rursus ut antea; cùm tamen *signare* apud Latinos non sit *obsignare* seu *occludere*, sed potiùs *velut notam alicui rei imprimere ex qua agnosci possit.* Dietenbergerus sequitur Vulgatam versionem, wird erfüllet werden. Cæteri ex Hebræo, zusiglen.

106. Nunc examinatis Versionibus, de verâ sententia videamus. Quam nemo nobis meliùs interpretari potest quàm ipse Christus, Matth. 11. 13. πάντες γὰρ οἱ προφῆται καὶ ὁ νόμος ἕως Ἰωάννου προεφήτευσαν. Confer Heb. 1. 1, 2.

107. Judæi hanc *obsignationem* referunt ad tempus profanati Templi ab Antiocho, anno æræ Macedoniæ 145 ante obitum Herodis 166. Josephus in id tempus collocat quo lapilli pretiosi summi Pontificis desierunt edere fulgorem, ante sua tempora 200 annis. In Spicilegio Computi Judaici quod est apud Scaligerum in septimo De Emendatione Temp. ponitur hæc regula, כבריאת עולם עד מנין שטרות נחתם חזון נאלפים תמה Ubi refertur ad annum primum Seleuci, à quo initium ducit *minjan Staros*, seu *æra contractuum*, quæ cum obsignatione Visionis in hoc canone conjungitur.

108. Sed falsa est sententia, & in id à Judæis conficta ut vaticinium Danielis de alio quàm de Jesu Nazareno exponere possint. Nos ex verbis Angeli discimus cohærere obsignationem Prophetarum cum adventu Messiæ, quem verissimum esse sensum ipse Christus nos docet allegato capite Matthæi, *Omnes Prophetæ & ipsa Lex USQUE ad Johannem*, qui prodromus fuit Christi, & portas N. T. reclusit. Scopus enim Prophetiæ fuit Christus, Joh. 1. *Invenimus de quo Moses in Lege & Prophetæ scripserunt, Jesum*, &c. Confer Joh. 5. 39.

109. Obsignati autem sunt Prophetæ ac visiones à Christo, 1. ratione officii Prophetici. Christus enim tanquam verus *Sol justitiæ* Mal. 4. 2. qui *omnem hominem illuminat venientem in hunc mundum*, Joh. 1. 9. in N. T. exortus, umbras V. T. radiis suis discussit, & nos de benigna voluntate Patris sui cœlestis erga miseros peccatores palam docuit, remotis typis & involucris quibus sub V. T. doctrina de gratuita remissione peccatorum & adoptione nostrûm in filios Dei fuerat involuta. 2 ratione officii Sacerdotalis, dum pro peccatis nostris se obtulit in ara crucis Patri cœlesti victimam; de quo argumento egregiè disserit Epistola ad Hebræos. 3 ratione officii Regii, quando nos in libertatem vendicavit ereptos è regno Diaboli & Mortis, atque ità Regnum illud de quo plena sunt scripta Prophetarum, inprimis Psalmi Davidis, inchoavit; quod adhuc potenter gubernat *in medio hostium* Psal. 110. 2. *evectus ad dextram Dei, & subjectis ipsi Angelis*, &c. 1 Pet. 3. 22.

110. Porrò sicut *ad dextram Dei sedens* adhuc *pro nobis interpellat*, Rom. 8 34. & contra Diabolum & portas infernales tanquam Rex ac Caput membra Ecclesiæ suæ potentissimè defendit Psal. 110. 2. ità adhuc hodie Ecclesiæ suæ mittit *Apostolos, Prophetas, Euangelistas*, Eph. 4. 11. i. fideles doctores & ministros verbi, quos necessariis donis instruit, ut divinas Scripturas, in quibus Deus voluntatem suam revelavit, explicent, & in iis Christum auditoribus commonstrent, qui est unica illa via quæ ad cœlos nos ducit, ut ipse testatur Joh. 14. 6. Id quod facere debent planis ac perspicuis verbis, cogitantes *obsignatas esse visiones & Prophetas* in N. T. Umbræ enim ad V. T. pertinent.

111. Undè apparet quid judicandum sit de hodiernis Rosæ crucianis, quia ex V. T. in clarissimam lucem Euangelii revocare conantur Urim & Thummim, & loco sermonis Euangelici delectantur orationis genere intricato & planè obscuro, sub quo ipsi, ut simplicioribus glaucoma objiciant, magnifica quædam mysteria latere pleno ore jactant, imitantes scilicet τὴν λοξότητα καὶ ἀσάφειαν *ambiguitatem & obscuritatem* veterum oraculorum. Hoc hominum genus festivè ridet Plutarchus, homo cæteroquin Gentilis, affirmans esse similes pueris Irides, Halones, Cometas, & id genus alia Phænomena, quippe rariora, magis admirantibus & majori cum oblectatione intuentibus quàm Solem ac Lunam.

112. Sed quid prohibet ipsa verba Plutarchi adscribere, cùm omnino sint egregia, & non sine voluptate legantur ab iis qui has literas callent: Καὶ γὰρ οἱ παῖδες, inquit, ἴριδας μᾶλλον καὶ ἅλως καὶ κομήτας ἢ σελήνην καὶ ἥλιον ὁρῶντες γεγήθασι καὶ ἀγαπῶσι· καὶ οὗτοι (factio Rosæcruciana) τὰ αἰνίγματα καὶ τὰς ἀλληγορίας καὶ τὰς μεταφορὰς, τῆς μαντικῆς ἀνακλάσεις οὔσας, πρὸς τὸ θνητὸν καὶ φανταστικὸν ἐπιποθοῦσι. De Pythiæ orac. p. 409. edit. Wechel.

113. Hi nimirum præpostero ordine Scripturas aggrediuntur, facto initio ab Apocalypsi & libris Esdræ. Cujus temeritatis hic fructus est, ut paulatim magis magísque intricentur, & à veritate Euangelii longiùs aberrent, donec justo Dei judicio planè dementati pro veritate mendaciis assentiri coguntur, 2 Thess. 2. 10, 11. Exempla hisce annis vidimus multa in isto

novorum Prophetarum grege. Et nuper quidam Astrologus in fanatico suo Prognostico non erubuit conferre Apocalypsin cum Magia ac Cabala: *Magi Orientales*, inquit, *soli intelligebant quid per novam stellam significaretur. Artem per quam talia cognoscebant appellabant Cabalam, quæ idem ipsis erat quod nobis Apocalypsis*. Ihre Kunst / dadurch sie solch Ding erkanten / die nenneten sie Cabalam / war eben so viel als bey uns *Apocalypsis*. Postea conjungit Patriarchas & veteres Magos in inveniendis asterismis, & narrat sanè somnium bene longum. Quo enim alio titulo dignæ sunt istæ nugæ?

114. Nos discamus observare methodum Christi & Apostolorum, qui planissimis verbis sine involucris de iis quæ ad salutem nostram pertinent nos erudiunt. Hanc simplicitatem nos decet amare, & Deo agere gratias qui, ut tarditati nostræ consuleret, propriis & manifestis verbis mysterium salutis in Euangelio nobis patefecit & per Ministros suos nobis adhuc explicat. Postea etiam utilis est collatio eventuum cum vaticiniis quæ in Apocalypsi & alibi in Prophetis Spiritus S. annotavit.

115. Monemur etiam hinc nè nimiùm indulgeamus allegoriis, cùm & hæ speciem quandam habeant umbrarum V. T. Et quantum damnum acceperit Ecclesia intempestivo & immodico usu allegoriarum, satis dici non potest. Qua de re passim conqueritur in scriptis suis D. Lutherus.

116. Quod ideo diligenter observandum est, nè nimium tribuentes allegoricis S. Scripturæ interpretationibus ἀπὸ τοῦ ῥητοῦ paulatim abducamur, & tandem veritatem planè amittamus, quod magnis Ecclesiæ Patribus quoque accidit, donec sol ille Euangelicus magis magisque obtenebratus tandem sub Papatu planè fuit exstinctus, maximo animarum damno. Horum exemplo discamus sapere. Habet enim hoc studium suas Sirenes, quarum blanditiis qui se capi sinit haud facit citra periculum.

117. Nobis semper debet in memoria hærere gravissima sententia reverendi Patris nostri Beati Lutheri: *Sensus literalis*, inquit, *solus & unicus est substantia Theologiæ & fidei Christianæ, qui in tentationibus solus subsistit, & adversus Diabolum, & omnes inferorum portas triumphat.*

XV. קדש קדשים	Lxx, τὸ ἅγιον Aq. τὸ ἡγιασμένον ἡγιασμένων.	H. M. *Sanctus sanctorum.*	L. D. T. der allerheiligste.
		V. *Sanctitas sanctitatum.*	P. das Allerheiligste.
		I. *Sanctum sanctorum.*	

118. Sed satis de his. Redeo ad textum, in quo sequitur ולמשח קדש קדשים, *& ut ungatur Sanctus sanctorum.* In Hebræo est substantivum, *Sanctum sanctorum*, in neutro genere, quod imitati sunt, præter Græcos, Junius, Piscator & Vatablus. Et hic quidem, ut omnem ambiguitatem vertendo tolleret, reddidit *Sanctitas sanctitatum.* Hæc diversitas generis causam præbuit diversis interpretationibus. Junius enim & Piscator accipiunt de unctione Sanctuarii typici. Id quod factum esse ajunt tum quando Christus per passionem suam cœlum est ingressus, & illud nobis præparavit, Joh. 14. 2, 3. Heb. 10. 19. sicut quondam Moses dedicavit Sanctuarium Leviticum ad cultum externum, Exod. 40. 9.

119. Hieronymus vertit *Sanctus sanctorum*; quem Lutherus, Tigurini & Dietenbergerus sequuntur. Est autem hic *Sanctus sanctorum* ipse Filius Dei secundùm humanam naturam in utero matris ἀιπαρθένου unctus & sanctificatus. Unde à prima statim conceptione *à peccatoribus segregatus sanctus fuit, innocens & impollutus*, Heb. 7. 26. Hinc dicit Angelus ad Mariam, τὸ γεννώμενον ἅγιον, vel, ut alii legunt, τὸ γεννώμενον ἐκ σοῦ ἅγιον, *Sanctum quod ex te nascetur appellabitur Filius Dei.*

120. Quare nos sequimur versionem Lutheri, & *Sanctum sanctorum* intelligimus non de Cœlo sed de Christo. Appellatur autem Christus *Sanctum sanctorum* seu *Sanctitas sanctitatum* non sine emphasi. Apud Paulum diligens lector notare potest peculiarem hanc loquendi consuetudinem substantiva adhibendi pro adjectivis, quorum longè major est quàm horum efficacia. Producam ex infinitis unum atque alterum exemplum; Eph. 1. 7. κατὰ τὸν πλοῦτον τῆς χάριτος· ubi πλοῦτος positum est pro πλούσιος, è qua phrasi tantum pondus dependet ut quicquid peccatorum causà nobis molestum est in infimum usque infernum deprimatur, supereminente gratià Dei & peccatis longissimè prævalente. Vocat enim ipsas *divitias gratiæ*, quâ locutione plus contineri quàm si dixisset *juxta opulentam Dei gratiam*, non negabit qui intelligit Latinum atrociùs conviciari hominem appellando *scelus*, quam *scelerosum*. Sic Ephes. 2.

19. dicit, Καὶ τί τὸ ὑπερβάλλον μέγεθος τῆς δυνάμεως, item, κατὰ τὴν ἐνέργειαν τοῦ κράτους τῆς ἰσχύος αὐτοῦ, ubi tria substantiva conjungit. Sic Rom. 11. 33. ὦ βάθος πλούτου. Sic 2 Cor. 4. 17. αἰώνιον βάρος δόξης, &c.

121. Hæc temere excidisse tanto Apostolo nequaquam putandum est. Sed fecit hoc singulari studio propter magnitudinem rerum quibus cogitationes tam profundè habuit immersas. Et quia voluit eas etiam aliis imprimere, quæsivit talia vocabula quæ ipsis rerum momentis quodammodo responderent. Hæc observanda sunt, ut ἐμφάσεις ac pondera sermonis Prophetici & Apostoli diligenter expendamus. Nam hæc cura nos perducit ad meliorem ipsarum rerum intellectum. Et debet hæc tam insignis utilitas studium linguarum nobis reddere quàm commendatissimum, nè sequamur judicium vulgi de hac eruditionis parte abjectiùs sentientis.

122. Cùm igitur in abstractis major sit quàm in concretis ἔμφασις (Abstracta enim ipsas rerum formas significant, cùm concreta connotato subjecto unà sæpe involvant multas imperfectiones quæ in subjecto sunt) Scriptura frequenter usurpat in rebus magni momenti abstracta nomina. Quare cùm Angelus Messiam nostrum appellat *Sanctitatem sanctitatum* abstractivè, simul innuit summam ejus perfectionem, puritatem & sanctitatem. Est enim ipsamet Sanctitas. Quo genere sermonis propriè non possum dicere de homine quòd sit *Sanctitas*, *Veritas*, *Vita*, &c. sicut de Christo rectissimè & quàm maximè propriè affirmo.

123. Phrasis igitur Angelica nobis commendat inexhaustam illam plenitudinem sanctitatis Messiæ nostri, ex qua velut uberrimo fonte nos omnes haurimus *gratiam pro gratia*, Joh. 1. 16. & veram illam sanctitatem quæ coram Deo valet verà fide nobis applicamus. Quo perterrefactis mentibus nihil auditu potest esse jucundius, quæ ob peccatorum immunditiem expavescentes iram Dei in abyssum illam sanctitatis Salvatoris nostri se tutò abscondere possunt. Nam sanctitatem hanc non pro se solùm habet Pontifex noster, sed cùm per passionem suam sanctissimam *perfectus est redditus, omnibus qui ipsi obediunt factus est causa salutis æternæ*, Heb. 5. 9.

XVI. ולמשח	Lxx, τοῦ χρῖσαι. Aq. τοῦ ἀλεῖψαι.	Latini, *ungere.* Germani, salben.

124. Cæterùm quod Angelus dicit de *unctione* hujus *Sancti sanctorum*, eo allusisse videtur ad nomen ejus. Vocatur enim משיח & Χριστὸς seu *Unctus*, quod quidem in Hebræo textu meliùs observari potest: משח enim est idipsum verbum à quo *Messias* est derivatum. Quod perinde animadverti potest in versione τῶν Lxx, apud quos est χρῖσαι, à quo dicitur Χριστός. Unctus autem est Christus non tum demum cùm baptizatus & voce cœlestis Patris ad officium suum solenniter fuit, inauguratus, etsi hoc quidem respectu Christus verè unctus dici potest, Matth. 3. sed præcipue in primo conceptionis momento, quod ut planius fiat, operæ pretium est quædam repetere ex V. T. de inunctionis ritu.

125. Ritus ungendi in V. T. fuit admodum usitatus. Adhibebatur autem 1. Sacerdotibus, quomodo ad officium Sacerdotii unctus & inauguratus fuit Aaron & filii, Levit. 7. 2. Prophetis, Sic Elisæus ungitur ab Elia 3 Reg. 19. 16. 3. Regibus, ut ex historia Davidis notum est. Unctio igitur Christi ad officium Regium non facta demum est tempore vel resurrectionis vel ascensionis: nam Christus natus est Rex Matth. 2. 2. Joh. 12. 15. Et Regiæ ipsius majestatis etiam in profundissimas exinanitione subinde resplenduerunt radii. Neque ad officium Sacerdotale unctus est demum passionis tempore: est enim *Sacerdos æternus juxta ordinem Melchisedeci* τοῦ ἀγενεαλογήτου Psal. 110. 4. Heb. 5. 6. Neque unctus in Prophetam tum temporis fuit cùm nobis *audiendus* cœlitus est commendatus Matth. 17. 5. nam est *ad hoc natus & in mundum missus ut testaretur de veritate*; hinc specimen hujus officii jam edidit cùm esset adhuc puer duodecennis.

126. Quare nos *unctionem* intelligimus de primo momento conceptionis. Unctio enim in aliis Regibus, Prophetis & Sacerdotibus fuit solennis testificatio collati Spiritûs S. qui eos necessariis donis instruxit ut ad munus gerendum essent idonei: Quæ quidem dona in omnibus piis certam habent mensuram & sua recipiunt incrementa. Spiritus autem S. Christo non demum datus est in adulta ætate, *neque ad mensuram*, Joh. 3. 34. *Unctus* enim *est ultra suos consortes* מחבריך Psal. 45. 8. Id quod existimamus non de donis habitualibus accipiendum esse, quæ utique longè excellentiora habuit Filius hominis *supra consortes suos*, seu alios fideles, sed de illis donis quæ Filius Mariæ habet per & propter unionem hypostaticam. Hoc sensu ɔ negativè potiùs quàm comparativè intelligendum fuerit,

fuerit, ficut Pfal. 118. 9. טוב לחסות ביהוה מבטח בנדיבים: *Melius est confidere in Domino quàm in Principibus.* Epiſtola ad Hebræos habet παρὰ τοὺς μετόχους σε. Notum autem eſt Græcè doctis παρὰ ſignificare ſæpe Negationem & Exceptionem. Chriſtus enim hîc non habet conſortes quatenus *unctio* denotat ſummum illud & imperveſtigabile myſterium Unionis perſonalis & indè dependentis Communicationis idiomatum.

127. Quare ut concludamus, *Unctio* illa facta eſt quando in utero Mariæ Filius Dei ſibi univit humanam naturam *obumbratione Spiritûs S. & ſuperventu Altiſſimi* Luc. 1. 35. ſanctificatam & conceptam. Igitur quando Angelus apud Danielem vaticinatur de *unctione Sancti ſanctorum*, non denotat dona ſumma habitualia in Chriſto, ſed præcipuè ſignificat τὸ πλήρωμα τῆς Θεότητος, Col. 2. 9. cujus inhabitatione Chriſto communicata eſt majeſtas Omniſcientiæ, Omnipotentiæ, Omnipræſentiæ, Vivificationis, &c. ut paſſim teſtatur Scriptura.

128. Unctus autem eſt Chriſtus ſecundùm carnem. Nam juxta Divinam naturam non opus habet unguento Spiritûs S. cùm juxta Divinam naturam ejuſdem ſit eſſentiæ cum Patre. Et Spiritus ſanctus æquè à Filio atque à Patre procedit Joh. 15. 26. Eſtque unctus ab omnibus SS. Trinitatis; cùm opera Trinitatis ad extra ſint communia & indiviſa. Et quidem ad hoc ut eſſet noſter Propheta, Rex & Sacerdos. Etſi ordo hic obſervandus eſt. Nam officium Propheticum non inchoavit in pueritia. Sacerdotis autem munere tum imprimis functus eſt cùm in ara crucis ſe pro nobis obtulit victimam. Et Regium officium tum plenè cœpit exequi poſtquam ad dextram Dei exaltatus potenter gubernat omnia quæ ſunt in Cœlo & in terra.

130. Atque ità, Deo nos clementer juvante, verſum 24. c. 9. Danielis explicavimus, idque aliquantò prolixius, poſtulante ità materiæ dignitate. Erat equidem animus argumenta Judæorum unà cum controverſiis Chronologicis ſubjicere; ſed quia hæc tractatio unius diſputationis modum excedit, duobus illis membris peculiarem diſſertationem deſtinavi, quæ brevi ſubſequetur.

CAP. X.

MUNSTERUS.

1. V*Eritas verbi*] Scilicet eſt mihi Danieli revelata, quæ poſt multum tempus prædicitur adimplenda. Capitur autem hîc צבא pro מועד *tempore certo & conſtituto.* Alii intelligunt de *vi magna rei & revelati verbi.* Hebraiſmus habet *exercitum magnum.* Sumpſit verò Daniel luctum quòd audiſſet ſtructuram Templi impediri, quæ priùs fuerat conceſſa.

5. *Vir unus*] Sunt qui per hunc *virum* intelligunt Angelum Gabrielem. Ex noſtris quidam putant deſignatum Chriſtum. *Linum* ſignificat puritatem Angeli vel Chriſti; *cinctura lumborum*, miniſterium ejus. ¶ *Tharſis*, quem *chryſolithum* eſſe putant, propter cœleſtem quem habet colorem, deſignat immortalem gloriam & incorruptibilem eſſentiam Angelorum & Chriſti, &c.

13. *Stetit contra me*] Quòd non mox tibi oranti opem tuli, nihil aliud obſtitit quàm cauſa Perſarum quæ ante me acta eſt hiſce tribus hebdomadis, etiamſi magis afficiar populo Iſraelitico, ſicut, & *Michael*, qui & ipſe hunc meum favorem erga vos declaravit. Præterea decretum eſt ut *ego relinquar apud Regem Perſarum*, eò quòd populus meus adhuc aliquanto tempore illic aget. Nihilominus *tamen veni* pro tua conſolatione, & *ut futura tibi revelem quæ* multis poſthac *evenient* temporibus. Extenditur enim *hæc viſio* per multa tempora.

15. *Obmutui*] Doluit Propheta quòd propter ſedulas preces ſuas non fuerat exauditus pro populo ſuo, ut etiam declaraverit ſe invitum fungi munere Prophetico in re tam adverſa.

17. *Servus hujus domini*] i. *Ego ſervus tuus quomodo potero loqui* tecum *cum domino meo, cùm nulla virtus in me manſerit* poſtquam tu mecum loqui cœpiſti?

20. *Ut pugnem*] i. Revertar ut ſim auxilio Regi Perſarum, ob id quòd populum meum adhuc habet ſub ſe. At poſtquam populus meus migraverit ad ſua, tunc *Princeps Græcorum* magnâ clade peſſundabit Perſas. *Et ego aperio tibi rem arcanam, & quæ* jam diu judicio Divino *ſuit conſcripta*, nempe quòd neque Græcorum neque Perſarum Regnum diu conſiſtet, ſed aliud conſurget quod omnia domabit.

VATABLUS.

1. T*Empuſque magnum* וצבא גדול] i. Longo pòſt tempore implendum. Quidam ex doctis Hebræorum vertunt, *& exercitus magnus*, ſub. *Angelorum*, *apparuit Danieli.* ¶ *Et intellexit*, &c. 'ובין וגו] Bis idem dicit, pro, *Intellexit quid vellet ea viſio.*

2. *Lugebam* הייתי מתאבל] Ad verb. *fui lugens*, ſub. *propter peccata populi.*

3. *Deſideriorum* חמודות] i. Deſiderabilem & delicatum, ex adorea farina factum, panem candidum & regium. Opponitur atro pani: nam candidus gratior nobis eſt atro: unde vocatur *panis deſideriorum* ſive *deſiderabilis.*

4. *Eram* הייתי] *Videbar mihi eſſe.* Vide c. 8. 2.

5. *Cùmque*, &c. 'ואשא וגו] Ad verb. *Et levavi oculos meos, & vidi.* ¶ *Quidam* אחד] Ad verb. *unus.* ¶ *Auro obrizo* בכתם אופז] i. Zonâ ex auro puriſſimo factâ.

6. *Sicut Tarſis* כתרשיש] *Similis Chryſolitho.* Alii, *hyacintho.* Alii accipiunt pro *mari*, q. d. Cœruleis aquis, h. e. colori cœleſti, erat ſimilis cutis ejus. Talis eſt coloris Chryſolithus; habet tamen ſparſas maculas. ¶ *Et pedes ejus* ומרגלותיו] Quidam dicunt ſignificare partes inferiores, quæ ſcilicet vergunt uſque ad pedes. ¶ *Æris candentis* נחשת קלל] *Chalybis politi*, vel *terſi.*

7. *Ità ut fugerent*, &c. ויברחו בהחבא] Ad verb. *& fugerunt in abſcondi ſe*, i. & abdiderunt ſeſe.

8. *Et vis mea* והודי] *Et robur meum.* Vel, ut alii, *& decus meum*, ſive *pulcritudo mea*, aut *gloria mea.*

9. *Soporatus* נרדם] *Sopitus.* Alii, *velut gravi ſomno dejectus ſum in faciem meam, ità ut attingeret terram facies mea.*

10. *Et movere fecit me* ותניעני] i. Reptare.

11. *Vir deſideriorum* איש חמודות] Ut cap. 9. 23. Quidam vertunt, *rerum expetibilium cupide.* ¶ *Et ſta in gradu tuo* ועמוד על עמדך] i. Sta erectus ut antea ſtabas ¶ *Cùmque loqueretur* ובדברו] *Cùmque loqui vellet.* ¶ *Steti tremens* עמדתי מרעיד] *Conſtiti pavidus.* Alii, *erexi me tremebundus.*

12. *Ad intelligendum & affligendum* להבין ולהתענות] *Ut intelligeres & affligeres. Intelligeres*, ſub. *viſionem.* Hoc videtur referre ad viſionem capitis octavi. ¶ *Propter verba tua* בדבריך] Sub. *exaudita à Deo.*

13. *Princeps autem*, &c. 'ושר וגו] i. Angelus qui præſidet regioni Perſidi. Occurrit objectioni: q. d. Si oratio mea fuit exaudita, quomodo illico non adveniſti? Fui, inquit, præpeditus: quia reſtiti Angelo præſidi Perſarum. Singulæ regiones habent præſides Angelos, & noſtrûm ſinguli; ut eſt in Euangelio, *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris qui in cœlis eſt*, Matth. 18. 10. ¶ *Stetit contra me* עומד לנגדי] i. Reſtitit mihi.

14. *Populo tuo in noviſſimo dierum* 'לעמך וגו] i. Popularibus tuis noviſſimis temporibus ¶ *Adhuc viſio*, &c. 'עוד חזון וגו] i. Adhuc ſuperſunt viſiones de his quæ eventura ſunt illis noviſſimis diebus: nondum finitæ ſunt viſiones. Quidam vertunt, *nam viſum* extenditur *per multa tempora.* Alii, *adhuc eſt viſio ad dies.*

15. *Ejuſmodi verba* כדברים האלה] Ad verb. *ſecundum verba hæc.*

16. *Tanquam ſimilitudo*, &c. 'כדמות וגו] i. Quidam Angelus in ſpecie ſive forma humana. ¶ *Converſi ſunt*, &c. 'נהפכו וגו] i. Doloribus perfuſus ſum, ſive obrutus. Videtur eſſe Metaphora à vaſe aquam continente, quo ſubverſo, aquâ perfundimur.

17. *Iſto* וזה] i. Tali ac tanto. ¶ *Nam ex tempore* ואני מעתה] q. d. Actum eſt de me, vidi Angelum. Ad verb. *Et ego, ex tempore* [vel *extunc*, i. mox enim] *non remanebit in me virtus ulla:* vel, *Et ego quomodo potero? illico enim me deficient*, &c.

18. *Tanquam ſimilitudo hominis* כמראה אדם] i. Rurſum tetigit me Angelus ille qui apparuit mihi in ſpecie humana.

19. *Pax tibi* שלום לך] q. d. Salvus es, non peribis ſive morieris.

20. *Jam autem* ועתה] *Mox autem.* ¶ *Cùmque egreſſus fuero*, &c. 'ואני וגו] Ad verb. *& ego egredior, & ecce Princeps Græciæ venit.* Præt. Heb. pro fut.

21. *Quod expreſſum*, &c. 'את הרשום וגו] *Quod exaratum eſt* [i. deſcriptum eſt] *in Scriptura veritatis. Scripturam veritatis* vocat providentiam Divinam, librum in quo ſunt decreta Divina, qui nonniſi certa & vera continet. Tametſi, inquit, negotium mihi eſt alibi, priùs quàm tamen diſcedam indicabo tibi quæ Deus ſtatuit ac decrevit ſe facturum. ¶ *Qui confirmet ſe mecum* מתחזק עמי] i. Qui ferat mihi opem.

CLARIUS.

1. *Et verbum*] Scilicet est mihi Danieli revelatum, quod post multum tempus prædicitur adimplendum.

2. *In diebus illis*] Quando scilicet nunciatum est Judæos à Templi structura impediri. Dies illos in mense Nisan, qui est Paschalis, fuisse, & præ mœrore etiam tunc Danielem à carnibus abstinuisse ferunt: addúntque quòd etiam Pascha intermiserit. ¶ *Lugebam*] h. e. Jejunabam. Jejunium sic appellare solent Judæi, ut annotat Polychronius. ¶ *Panem desiderabilem*] Intellige cibum suavem.

4. *Juxta fluvium magnum*] Observa quàm sint familiaria Prophetis flumina: nam secessus contemplationis gratiâ quærebatur.

5. *Et ecce vir unus*] Sunt qui per hunc *virum* intelligant Angelum Gabrielem. Ex nostris quidam putant designatum Christum ¶ *Linum* significat puritatem Angeli, vel Christi; *cinctura lumborum*, ministerium ejus. ¶ *Tharsis*, quem *Chrysolithum* esse putant, propter cœlestem quem habet colorem, designat immortalem gloriam & incorruptibilem essentiam Angelorum & Christi.

10. *Et ecce manus tetigit me*] h. e. Cùm jam casurus essem, subitò manu suâ is qui apparebat me corroborabat.

11. *Vir desideriorum*] Alius vertit, *vir magna existimationis*, alius *delicia*.

13. *Princeps autem Regni Persarum*] Mira familiaritas. Etiam excusat se apud Prophetam, Dominus scilicet apud servum, quare tanto tempore moram fecerit. Quòd non mox, inquit, tibi oranti opem tuli, nihil aliud obstitit quàm quòd non solùm tui populi sed etiam *Persarum* causa acta est ante me hisce *diebus uno & viginti*. Tu quidem petebas populum omnino dimitti: Persarum autem res postulat ut cohabitantem populum tuum longiore tempore secum retineat, tametsi Israeli, uti peculiariter meo, magis afficiar: atque adeò *Michael*, qui tuo populo semper adest, *adjuvit me*, i. hunc meum erga vos favorem magis declaravit. Et decretum est ut *ego relinquar apud Regem Persarum*, eò quòd & populus meus adhuc illic aliquanto tempore aget: nihilo *tamen* minùs *adsum* ut te consoler, & *futura tibi revelem*. Est igitur Christus is qui mittitur in consolationem Prophetæ. *Princeps Regni Persarum* Angelus est ejus Regni; sicut *Michael* Israelitarum.

20. *Ut prælier adversus Principem Persarum*] Revertar ut sim nunc auxilio Regi Persarum, ob id quòd populum meum adhuc habet sub se. ¶ *Cum enim egrederer*] Vel, *& cùm egredior*. Signanter hic Christus se non adjuturum illis semper indicat, addens, *& ego exeo*: i. Ubi populus meus remigraverit, & ego cum populo meo, tunc *Princeps Græcorum* magnâ clade Persas pessundabit. Etenim quamdiu bene usi sunt Judæis, felices erant: ubi persuasum fuit Cyro & consiliariis ejus prohibere reædificationem Templi, periit cum exercitu in Scythia. ¶ *Apparuit Princeps Græcorum*] Angelus Præses Græciæ, qui ultionem à Judice Christo petit, propter infestatos præter omnem justitiam Græcos.

21. *Annunciabo tibi*] Nempe quòd neque Persarum neque Græcorum Regnum subsistet: vos autem, Judæi, non exscindemini; nam plus mecum valebit vestra causa. Vester enim Archangelus est qui *me apprehendit* (ut quidam vertit) quem & *ego* vicissim *corroboro*. Angelus Deum sic *corroborare* dicitur, quomodo alii vincere ac victoriâ aliquâ potiri.

DRUSIUS.

4. חִדָּקֶל. Ἐδδεκὲλ, Τίγρις] Vel sunt duæ interpretationes, vel nomen Τίγρις ex margine in contextum irrepsit. In ed. Rom. Τίγρις Ἐδδεκέλ. Scite licet Tigrim Ebræis dici *Heddecel*, Chaldæis autem *Diglath*; unde *Diglitto*, quod apud Plinium. Notatum etiam, à multis cod. abesse *Tigris*, in aliis autem desiderari *Heddekel*: ut dubitare nemo debeat de hac nostra conjectura.

5. הִנֵּה אִישׁ. Sym. *quasi vir*] Hier. *Pro eo autem quod nos juxta Ebraicum vertimus* ecce vir, *Sym. posuit* quasi vir. *Non enim vir erat, sed viri habebat similitudinem.* ¶ בַּדִּים. A. *lineis*. Sym. ἐξαίρετα. Th. Βαδδίν. Lxx *byssina*] Hier. *Pro* lineis, *quod interpretatus est Aquila, Th.* Βαδδὶν *posuit, Lxx* byssina, *Sym.* ἐξαίρετα, *i.* præcipua. Ἐξαίρετα Polychronius Aquilæ tribuit; τὸ, Βαδδὶν, inquit, οἱ ὁ βύσσινα, Ἀκύλας δὲ, ἐξαίρετα, λέγει. Ammonius, τὸ, Βαδδὶν, ποικίλον σημαίνει χιτῶνα. Esset autem Βαδδὶμ cum μ in ultima, quam Chaldæi in ν mutare solent. Qua de re diximus aliàs, quæ piget repetere. ¶ וּמָתְנָיו חֲגֻרִים בְּכֶתֶם אוּפָז. A. *& lumbi ejus accincti erant colore* ὠφὰζ] Psal. 45. 9. בְּכֶתֶם אוֹפִיר, A. ἐν βάμματι Ὠφείρ. Jes. 13. 12. σπίλωμα Ὠφείρ. Thren. 4. 1. הַכֶּתֶם, Hier. *color.* Job. 28. 16. Idem *tinctis Indiæ coloribus*. Βάμμα, i. *tinctura*. Pro σπίλωμα legendum σπίλωμα, i. *macula*, σπίλος *labes aspersa vesti*. Hoc significatu כתם usurpatur à D. Camio Malach. 3. & כתמא à Jonatha Jes. 9. אופז *Ophaz*, ut דורא *Dora*. Contrà factum in אופיר Οὐφείρ, quod scribunt Σωφείρ. Hippolytus, τὸ δὲ, Ὠφὰζ, χρυσίον καθαρὸν σημαίνει. Idem Theodoretus. In libro nominum, OPHAZ, *Obryzum: estque genus auri quod Græci κιῤῥὸν vocant.* Jes. 13. vers. 12. פז, A. κιῤῥόν. Vide Fragmenta. Prov. 8. 19. מפז, A. ἀπὸ κιῤῥὸν, Sym. Ὠφάζ. In Isidoro *cairon* pro *cirron* legitur.

6. וּגְוִיָּתוֹ כְתַרְשִׁישׁ. A. *corpus ejus quasi chrysolithus*. Sym. Th. τὸ σῶμα αὐτῦ ὡσεὶ θαρσὶς, *corpus ejus quasi Tharsis*. Lxx *quasi mare*. Hier. *Pro* chrysolitho, *qui unus est de* 12 *lapidibus qui ponuntur in logio Pontificis, in Ebræo habetur* THARSIS; *quod Th. & Sym. eodem verbo interpretati sunt*, THARSIS: *Lxx verò* mare *appellaverunt, juxta illud quod in Psalmo legimus*, In spiritu violento confringes naves Tharsis, *i. maris*, &c. De Symmacho dubitari posset. Nam idem Hieronymus Epist. 133. THARSIS, *Aq.* chrysolithum, *Sym. verò* hyacinthum. Eudoxius, τὸ, Θαρσὶς, χρυσόλιθον ἔφη· ὁ δὲ Ἑβραῖος κυανὸν τὸ χρῶμα λέγει, i. *cæruleum colorem*. Theodoretus, THARSIS *interpretatur aurum probatissimum è Tharsis illatum.* Addam ex alio Scholio quod referendum ad *Ophaz*, Ὠφὰζ, λαμπρῷ καὶ φωτεινῷ, *splendido ac lucido*.

9. אֶת־קוֹל דְּבָרָיו, φωνὴν ῥημάτων αὐτῦ *vocem verborum ejus*.

10. וְכַפּוֹת יָדָי. καὶ ταρσοὺς χειρῶν μου *& articulos manuum mearum*] Aliàs ἴχνη *vestigia*.

11. אִישׁ־חֲמֻדוֹת. Sym. *vir desiderabilis*] Hier. *Pro* vir desideriorum *Sym. interpretatus est* virum desiderabilem. ἀνὴρ ἐπιθυμητός.

13. אַחַד הַשָּׂרִים הָרִאשֹׁנִים. εἷς τῶν ἀρχόντων τῶν πρώτων *unus ex Principibus primis*.

16. אֲדֹנִי. Th. *Domine mi*] Hier. Κύριέ μου. Hier. *Domine mi, in visione tua conversa sunt anteriora mea in me. Sic Th. interpretatus est.* Hoc nota, quia in libris vulgatis, Κύριε, ἐν τῇ ὀπτασίᾳ σου ἐστράφη τὰ ἐντός μου ἐν ἐμοί. Κύριε, inquam, & non Κύριέ μου.

GROTIUS.

1. *Anno tertio Cyri Regis Persarum*] Causa luctûs Danieli fuit, quia Judæi, quanquam promisso reditu in patriam, manebant sub Imperio Persarum.

Verbum revelatum est Danieli] Res futuræ ei revelatæ sunt quæ sequuntur capite XI. ad quod caput hoc caput est antcloquii vice.

Cognomento Baltasar] Etiam hic transpositio literæ significationem commutat. Rex Nabuchodonosor Belum dixerat esse *custodem opum*; at Daniel semet vocat בלט אשצר, id est, *Latenter* (advenit) *ignis hosticus*: significans subitò atque inexspectatò evenisse Babyloni quæ prædixerat.

Et verbum verum] Id est, *apertum*, quomodo אמת [*veritas*, *verum*] etiam suprà sumitur XI. 45. VIII. 26. Sensus est, Non jam per Statuæ aut Ferarum ænigmata, sed quasi in historia didici ea quæ ventura sunt cum multò propioribus quàm antè circumstantiis. Nam quæ antè sub generali Regnorum nomine indicata fuerant, hic in suos Reges actúsque singulos distribuuntur.

Et fortitudo magna] Rabbi Abraham exponit *tempus magnum*, quomodo צבא [*militia*, *tempus militia*] sumi existimat etiam Jobi VII. 1. X. 17. Sensus ergò erit, in longum tempus spectare ea quæ ipsi revelata sunt, nempe in annos circiter trecentos, ut diximus ad VIII. 26.

Intellexitque sermonem, intelligentiâ enim est opus in visione] *Intellexitque rem: nam intelligentia ei* (data est) *in ipsa visione*. Meliùs quàm antè intellexit omnia, quia explanatè admodum dicta sunt ipsi.

2. *Ego Daniel lugebam*] Ob causam modò dictam.

Trium hebdomadarum diebus] Ternarius numerus Deo sacer; septenarius verò humanarum virtutum consummationem designat.

3. *Panem desiderabilem non comedi*] In Hebræo, *Panem desideriorum*: id est, panem delicatum.

Et caro] Nihil de animante. Vixi herbis & pomis.

Et vinum non introierunt in os meum] Mos vetus Judæorum & Christianorum jejunii temporibus etiam vino abstinere.

Sed neque unguento unctus sum] Nam etiam talibus deliciis

ciis & ornatu per jejunii tempora abstinebatur. Vide ad Matth. VI. 17.

4. *Eram juxta fluvium magnum qui est Tigris*] Nam Susiane, quæ præfectura erat Danielis (vide suprà VIII. 2.) Tigrim attingit. Plinius VI. 27. Ptolemæus in descriptione Susianes.

5. *Et ecce vir unus vestitus lineis*] Vide quæ dicta Ezech. IX. Videtur hîc describi Michaël nominatus infrà, inter Angelos majestate præcipuus.

Et renes ejus] *Lumbi ejus.*

Accincti auro obrizo] Zona ejus erat ex auro אופז [*Ophaz*], ut est Jerem. X. 9. quo habitu hîc exhibetur Michaël, & Christus in Apocalypsi factus post ascensionem caput Angelorum. Vide de hoc loco Chrysostomum περὶ ἀκαταλήπτου [*de Incomprehensibili*]. Erat talis zona ornatus Regum, quomodo amictus lineus Sacerdotum. Angeli & *Reges* dicuntur & *Principes* hoc capite, ob curam populorum: & *Sacerdotes* rectè dicuntur, ideo quòd preces sanctorum offerant.

6. *Et corpus ejus quasi chrysolithus*] *Quasi beryllus*, qui mari concolor Ezech. XXVIII. 13. eo variæ vices significantur ministeriorum Angelicorum nunc huc nunc illuc se ferentium, more Oceani. Vide Ezechielis I. 16. X. 9.

Et facies ejus velut species fulguris, & oculi ejus ut lampades ignis] Vide Matth. XXVIII. 3. Significatur in rebus omnibus cognoscendis celeritas ac perspicacia.

Et brachia ejus, & quæ deorsum sunt usque ad pedes, quasi species æris candentis] Per *brachia* ac *pedes* actiones intellige: per *æs candens*, earum actionum puritatem, ut Ezechiel. I. 7.

Et vox sermonum ejus ut vox multitudinis] Id est, quasi barritus magni agminis, ut Ezech. I. 24. Significantur horrenda judicia in Reges & regna.

7. *Vidi autem ego Daniel solus visionem: porrò viri qui erant mecum non viderunt*] Confer Actor. IX. 7. Deus eorum quos vult oculos obnubit: Luc. XXIV. 16.

Sed terror nimius irruit super eos] Nempe ex sono audito, ut dicto Actorum loco.

Et fugerunt in absconditum] Latebras quæsiere.

8. *Vidi visionem grandem hanc*] Admirabilem.

Et non remansit in me fortitudo] Vires meæ conciderunt, ut suprà VIII. 17. 18.

Sed & species mea immutata est in me] Vultus expalluit. Sic suprà V. 6.

Et emarcui] In Hebræo, *ad corruptionem*, Græci εἰς διαφθοράν. Ità mutatus est vultus, ut omnem pristinum vigorem amitteret.

9. *Jacebam consternatus super faciem meam*] Ut suprà VIII. 17.

10. *Et ecce manus tetigit me*] Nempe Angeli Gabrielis specie humanâ apparentis (quod infrà apparebit), ut nuntii solent. Hic, quia fulgore illo præditus non erat, aspici poterat. Confer quæ suprà VIII. 16. 17.

11. *Steti tremens*] *Stabam, sed tremens*; minùs jam commotus, sed commotus tamen, ob Angeli, quanquam humanâ specie apparentis, præsentiam.

12. *Quo posuisti cor tuum ad intelligendum*] Animum intendisti in impedimenta illa objecta structuræ Templi.

Ut affligeres te in conspectu Dei tui] Ità ut ob id luctum jejunio testareris.

Exaudita sunt verba tua] Constituit Deus ille populum Judaïcum aliquando ad libertatem perducere.

Et ego veni propter sermones tuos] Propter preces tuas ego missus sum.

13. *Princeps autem regni Persici restitit mihi viginti & uno diebus*] Toto illo tempore quo tu jejunâsti & precatus es, Angelus Persas curans omnia molitus est, ut perpetuò sub Persis manerent Judæi.

Et ecce Michaël unus de principibus primis] Angelorum primus, Judæum populum sub Deo curans, ut apparet infrà 21. Hic est cujus majestatem modò viderat Daniel, ut sciret sub quàm magno tutore esset populus Judaïcus.

Venit in adjutorium meum] Omnia hæc ad modum aulæ Regalis exprimuntur. Gabriel preces perfert: favet ei consilii Regii Princeps.

Et ego remansi ibi juxta Regem Persarum] In Hebræo, *apud Reges Persarum*: id est, apud Angelos Persidis negotia curantes, quorum primus ille שר [*Princeps*] modò dictus. Hebræis שרים dicuntur etiam Duces. *Mansi ibi*, ait, ut eorum rationes refellerem.

14. *Veni autem ut docerem te quæ ventura sunt*] Istâ lite peractâ tandem veni.

In novissimis diebus] באחרית, id est, *posthac*.

Quoniam adhuc visio in dies] Id est, Longum enim tempus erit antequam omnia quæ tibi dicturus sum impleantur; ut suprà initio hujus capitis.

15. *Dejeci vultum meum ad terram, & tacui*] Durante adhuc aliquantùm metu, de quo suprà 9.

16. *Et ecce quasi similitudo filii hominis*] Propiùs contemplans Gabrielem, videt non esse illi splendorem Angelicum sed formam Humanam. In Hebræo est, *filiorum hominis*, pro *alicujus filiorum hominis*: nam sæpe id pronomen subintelligitur.

Tetigit labia mea] Et sic vires mihi dedit loquendi, ut antea standi.

Domine mi] Alloquitur ut se majorem.

In visione tua] Dum te aspicio, quanquam formâ humanâ præditum.

Dissolutæ sunt compages meæ] Contremui, ut suprà 11.

17. *Et quomodo poterit*] *Potuisset.*

Servus domini mei] Ità semet appellat per modestiam: ut Geneseos XVIII. 3. XXXIII. 5. 8. 13. 14. 15. XLIV. 23. 24. 27. XLVII. 3. 4. & alibi.

Loqui cum domino meo] In Hebræo; *Cum domino meo illo*: id est, cum altero Angelo tantam præferente majestatem.

Nihil enim in me remansit virium] *Remanserat*, cùm eum viderem, suprà 8.

Intercluditur] *Interclusus erat.*

18. *Rursum ergò tetigit me quasi visio hominis*] Ille Angelus specie humanâ apparens alterùm me attigit.

19. *Vir desideriorum*] Ut suprà IX. 23.

Pax tibi] Omnia tibi salva. Solebant veteres malum aliquod metuere ex viso cœlesti, tanquam eo indigni, Judicum XIII. 21. 22.

Confortare] *Sume bonum animum.*

Loquere, domine mi, quia confortasti me] Et verbis, & additis viribus.

20. *Numquid scis quare venerim ad te*] Ex precibus tuis id colligere potes.

Et nunc revertar] Nempe postquam futura (quæ ad finem usque libri decurrunt) tibi explicavero.

Ut prælier] *Ut disputem*: nam & hoc genus quoddam pugnæ est, sicut Eloquentia dicitur *arma Demosthenis*.

Adversùm principem Persarum] Laborantem ut maneat Imperium Persarum, & sub eo sint Judæi.

Cùm ego egrederer] Id est, priusquam ego è Dei regia discederem.

Apparuit] Causam suam egit.

Princeps Græcorum] Laborans ut Græcis daretur imperium in Judæos, & id perpetuum maneret.

Veniens] Accedens ad Dei thronum.

21. *Verumtamen*] *Sed enim*, nempe priusquàm mihi redeundum sit.

Annuntiabo tibi quod expressum est in scriptura veritatis] Perstat in figura à more Regum desumta. *Scripturam veritatis* vocat decretum certissimum à Deo factum, expensis omnibus quæ pro Persis aut Græcis adferri poterant. Eo autem constituerat Deus ut Judæi à Persis per Græcos, à Græcis per Maccabæos liberarentur.

Et nemo est adjutor meus] In promovendis precibus tuis: quod mihi munus mandatum est.

In omnibus his] Quæ ad libertate donandos Judæos pertinent.

Nisi Michaël Princeps vester] Angelorum primus, primæ gentis, id est, Judaïcæ, custos tunc, ut nunc Christus (quem ad Michaëlis modum & ultrà depingit Apocalypsis) Christianæ. Omnes aliarum nationum præsides Angeli aut Persis favebant aut Græcis. Talia inter Angelos studia exstinxit Christus.

CAP. XI.

MUNSTERUS.

1. STabam veluti confortator] Hæc sunt verba Angeli loquentis ad Danielem.

2. *Tres Reges*] Hi sunt Cyrus, Cambyses filius ejus, (qui & *Artaxerxes* & *Assuerus* appellatur) & Smerdes. *Quartus* verò fuit Darius Hystaspis, qui *omnium locupletissimus* fuit; tributáque gravia terris imposuit. Nec iste ultimus fuit, sed *fretus divitiis Græcos ad bellum provocavit*. Numerantur autem hic quatuor Reges Persarum, cùm adhuc & alii novem illis suc-

ſucceſſerint in Regno; ut oſtendatur Jehudæos aliquos manſuros in Regno illo uſque ad tempora quarti Regis.

3. *Stabit Rex fortis*] Tranſit hîc Angelus ad aliud Regnum, ſub quo Jehudæi multa perpeſſi ſunt mala. Significatúrque per hunc *fortem Regem* Alexander Macedo Rex Græcorum, qui Darium Arſani Regem Perſarum vicit, & Imperium ſibi ſubjugavit. Sed cùm paucis annis Monarchiæ præfuiſſet, veneno in Babylonia exſtinctus eſt, *laceratúmque Imperium ejus*, & ſtirps ejus paulò pòſt penitus eradicata. Diviſum Imperium ejus in quatuor Regna, etiamſi Propheta hîc ſolum de duobus faciat mentionem, nempe de *Regno Auſtri*, quod eſt Ægyptus, & de *Regno Aquilonis*, quod eſt Syria, quæ plùs quàm alia Regna Jehudæos afflixerunt. Nomina Regum Ægypti ſibi ſuccedentium hæc ſunt; *Ptolemæus Magnus*, qui & *Soter*, Lagi filius, *Ptolemæus Philadelphus*, *Ptolemæus Evergetes*, *Ptolemæus Philopator*, *Ptolemæus Epiphanes*, *Ptolemæus Philometor*. Nomina autem Regum Syriæ hæc ſunt; *Seleucus*, *Antiochus Soter Antiochus Theos*, *Seleucus Callinicus* & *Antiochus Hierax*, *Seleucus Ceraunius* & *Antiochus Magnus*, *Seleucus Philopator* & *Antiochus Epiphanes*.

6. *Conſociabuntur*] Philadelphus dedit filiam ſuam Antiocho Theo animo fraudulento, ſperans hâc occaſione ſeſe adepturum Regnum Syriæ: cujus rei textus hîc meminit. Sed fefellit eum opinio ſua, cùm paulò pòſt ipſe interfectus fuerit, & Antiochus mortuus, atque filia ejus uxor Antiochi neci tradita, & *ſemen ejus* in Regno non ſucceſſerit, quæ omnia hîc deſcribuntur. Per *facere æquitatem* intellige ſanctionem federis.

7. *De ſurculo radicum ejus*] Hic fuit Ptolemæus tertius, ſcilicet Evergetes, qui ulciſci ſtatuit necem ſororis, h.e. uxoris Antiochi, occupavítque *munitiſſimas urbes* Syriæ.

10. *Et filii ejus provocabuntur*] Hæc acciderunt ſub Ptolemæo Philopatore, contra quem *filii* Ceraunii, & præſertim Antiochus, *magnum congregavit exercitum* & Ægyptum ipſam aggreditur. De hoc bello habetur 1 Mac. 3.

14. *Filii nebulonum*] Loquitur de apoſtatis Jehudæis, qui altare exſtruxerunt in Heliopoli Ægypti, quaſi *impleturi viſionem* Jeſaiæ.

16. *In terra amœna*] Hæc eſt Jehudæa, quæ in his Regnorum præliis multa fuit perpeſſa, cùm intermedia eſſet, & nunc illius nunc verò iſtius pateretur tyrannidem.

17. *Filiam mulierum*] i. Rex Auſtri ſubornabit mulierem formoſiſſimam, quæ advenientis hoſtis propoſitum impediat: ſed nihil proficiet. Et nota quòd affixum fem. in להשחיתה refertur ad עצה *conſilium* ſeu *propoſitum hoſtis*.

18, 19, 20. *Faciet Princeps ceſſare*] Cùm Antiochus multa opprobria objeciſſet Romanis, quorum *inſulas* invaſerat, à Romanis victus, omnia opprobria in ſuum reciderunt caput: & reverſus cum ignominia *in terram ſuam*, à ſubditis interfectus eſt. Cui ſucceſſit Seleucus cognomento *Philopator*, qui faciebat tranſire exactiones duras ſuper populum, ut quidam hîc exponunt dictionem מעביר. Præſumpſit quoque ſpoliare Templum Jeroſolymitanum; ſed flagello Dei prohibitus fuit.

21. *Stabit in loco ejus deſpectus*] Sunt qui hæc omnia quæ ſequuntur intelligunt de Antiocho Epiphane, cujus initium fuit humile & contemptum; quippe qui Romæ obſes fuerat, ſed à Romanis dimiſſus Regnum Syriæ uſurpavit, quod tamen Seleuci fratris filio debebatur. Multi ex noſtris volunt Antiochum typum fuiſſe Antichriſti.

22. *Brachia*] Senſus eſt, Multi duces & potentes opponent ſe illi, ſed nihil proficient: *conterentur* enim. Per *ducem federis* intellige Ptolemæum Philometorem.

24. *Intrabit eam*] Deſcribitur hîc quomodo Antiochus ingreſſus eſt Regnum Syriæ, & diripuit ipſum, *pradámque diſperſit in populos*, amicos ſibi conciliando & milites conducendo. Et cùm *præſumpſiſſit munitiores* quoque invadere urbes, non ſuccedit ei *per illud tempus*. Deinde *validiſſimum exercitum* parat contra Ægyptum, & illam vi ſibi ſubjugavit, etiamſi plenum dominium non aſſecutus ſit in ea, ob id quòd amiciſſimi convivæ ejus prodiderunt dolum: unde non parùm exercitus ejus contritus fuit. Bellum itaque & negotium illud (quod *finis* hîc vocatur) *in* aliud *præfinitum tempus* ſervatum eſt. Et cùm *rediret in terram ſuam*, ſpoliavit *fedus ſanctuarii*, h.e. Templum Jeroſolymitanum. Cúmque tertiò bellum noviſſet contra Ægyptum, infeliciter illi ſucceſſit. Nam Romani qui erant in inſulis maris opem ferentes Ægyptiis, cum ignominia expulerunt eum. Et tunc *fremens* ſæviit in Jehudæos.

31. *Brachia*] Hi putantur fuiſſe Romani, Jehudæis præfecti, qui omnes miſerè tractarunt populum Jehudaicum, uſque ad Titum Cæſarem.

32. *Qui impiè agent in fedus*] Putant Prophetam hîc reſpicere ad Chriſtianos, quos *impii* idololatræ conati fuerunt ab initio naſcentis Eccleſiæ *ſeducere blanditiis*. *At illi agnoſcentes Deum ſuum*, *viriliter* perſtiterunt in fide. Potiſſimùm autem ſæviit tyrannorum perſecutio in Apoſtolos & ſanctos Doctores.

34. *Applicabuntur eis*] Hi ſunt pſeudochriſtiani & hæretici, qui ut lupi ingreſſi ſunt Eccleſiam.

36. *Faciet Rex*] Hæc de Antichriſto exponunt, qui ſubintravit quando Eccleſia hæreſibus variis olim ſcindebatur, ſed felicitati ejus *deciſio* & *certum tempus præſcriptum eſt*. Hic in tantum animo ſublevatus eſt ut *nullum curaverit Deum*, *neque concupiſcentiam mulierum* & quaſlibet alias illecebras magnifecerit, modò arrogantiæ ſuæ aſſequeretur optatum finem. Alii ſic exponunt, *diſſimulabit ſe non curare amorem mulierum*. Alii ſic, *non curabit ullum Deum & concupiſcentiam mulierum*, h. e. Deum ſummè deſiderabilem, puta Reginam cœli, Venerem aut Lunam, ſed ſuum duntaxat ſuperbum ſenſum ſequitur. Et id nedum in Antiocho, verùm & in Antichriſto, cujus typus Antiochus fuit, impletum eſt.

38, &c. *Deum robuſtum*] i. Idolum ſuum in quo fiduciam poſuit, *ſummè honorabit*, unà *cum munitionibus fortiſſimis*, h. e. Principibus ſibi cooperantibus, quos glorificabit cum Deo ſuo, eò quod per illos efficiat quæ voluerit. *Dividet* illis *terram pro voto ſuo*, &c. ¶ Et quando ſequitur, *Regem Aquilonis inſtar turbinis ruere in terras*, ut acquirat *aurum & argentum*, ſignat Antichriſtum per tyrannidem ſuam varios populos ſibi ſubjecturum & illorum ſitire aurum & argentum, &c. Et cùm diu ſævierit & multos deprædatus fuerit, obruetur tandem undique *terroribus*, & *erectis* à ſe *tentoriis inter duo maria*, *interficiet illum Chriſtus ſpiritu oris ſui*. *Duo* illa *maria* putantur eſſe mare Mediterraneum & lacus Sodomiticus, inter quæ Jeruſalem eſt ſita. Et cùm civitas ſit ſubverſa & mons profanatus, accipiendum videtur hîc imperium Antichriſti in eos qui fuerunt Chriſti.

VATABLUS.

1. AD *confirmandum*, &c. למחזיק ולמעוז לו] Ad verb. *in confirmantem, & in auxilium illi*, i. tuli illi opem & auxilium. Hic verſus pertinet ad præcedentia, Ut juvit me, ità eum Michaelem juvi in transferendo Imperio à Chaldæis ad Medos: quia mitiùs egerunt Perſæ cum Judæis quàm Babylonii.

2. *Et quartus* והרביעי] Nempe Xerxes. ¶ *Cúmque prævaluerit opibus ſuis* וכחזקתו בעשרו] Ad verb. *& in fortitudine ſua propter opes ſuas*. ¶ *Excitabit omnes* יעיר הכל] *Excitabit omnia*, i. omnes copias ſuas, vel omnes vires ſuas: q. d. Totis viribus & copiis invadet Regnum Græcorum. Id autem fuit in cauſa quòd tranſlatum fuit Imperium Perſarum ad Græcos.

3. *Stabit autem* ועמד] i. Surget. De Alexandro M. loquitur, quem ſignificat fore Monarcham, & neminem fore qui ei reſiſtat. ¶ *Qui dominabitur*, &c. ומשל ממשל רב] *Et dominabitur dominatione multâ*, i. obtinebit maximum Imperium.

4. *Cúmque ſteterit* וכעמדו] Sub. *in fortitudine ſua*, i. cùm ſubjugaverit totum orbem, evaſeritque Monarcha. ¶ *Neque juxta*, &c. ולא כמשלו וגו׳] i. Qui Alexandro ſuccedent, non imperabunt tam latè, neque eo modo: nam & ab illis auferentur Regna accepta: q. d. Tandem iſtud Imperium omnino delebitur. ¶ *Evelletur regnum ejus* תנתש מלכותו] *Exſtirpabitur* [*eradicabitur*] *Imperium ejus*, i. Alii ab iſtis quatuor accipient multa Regna ejus Imperii, & tandem omnino peribit. ¶ *Et aliis præter iſtos* ולאחרים מלבד אלה] Sub. *diſtribuetur ejus imperium*.

5. *Roborabitur autem* ויחזק] *Evadet autem fortis.* Incipit declarare bella gerenda inter Reges Syriæ & Ægypti, quòd terra Sancta ſita ſit inter eas duas provincias; & Judæi modò ab his, modò ab illis opprimerentur. *Auſtrum* vocat Ægyptum. ¶ *Principibus illius* שריו] Sub. *egredietur*. *Illius*, videlicet Alexandri, nempe Antiochus. ¶ *Et prævalebit illi* ויחזק עליו] Nempe *Regi Auſtri*. Ad verb. *& roborabitur ſuper illum*: q. d. Rex Antiochus, qui erit ex Principibus Alexandri, evadet fortior Ptolemæo Philadelphi, potietúrque magno imperio. ¶ *Dominatio multa* ממשל רב] *Poteſtas magna*.

6. *In fine autem annorum* ולקץ שנים] Hebraiſmus, pro, *Exactis autem aliquot annis*. ¶ *Conjungentur* יתחברו] *Sociabuntur*, i. federabuntur. ¶ *Nam filia* ובת] Ad verb. *& filia*, nempe Berenice, quæ tunc nupſit Antiocho Theo cùm Ptolemæus ſe inferiorem videret ipſo Antiocho. ¶ *Rectitudines* מישרים] *Æquitatem*, i. ut inter illos duos Reges componat pacem æquis conditionibus. ¶ *Sed non retinebit*, &c. ולא תעצור וגו׳] i. Non manebit diu in ea autoritate. ¶ *Neque ſtabit*, &c. ולא יעמד וגו׳] Sub. *in vita*: i. pater ejus morietur, & filia ejus, quam hîc vocat *brachium ipſius*. Dederat enim am in uxorem Antiocho, hâc ratione ſperans ſe tandem potitu-

rum Regno Syriæ: sed falsus est spe suâ: nam Laodice prior uxor Antiochi postea rediit in gratiam cum ipso, quæ curavit illam interficiendam. ¶ *Tradetur enim* [ותנתן] Sub. *in mortem unà cum iis qui adduxerint eam in Syriam.*

7. *Stabit autem*, &c. [ועמד וגו'] i. Surget autem de stirpe ejus, sive de cognatione, nempe frater germanus Ptolemæus Euergetes. ¶ *Et corroborabit sese* [והחזיק] *Et invalescet*, i. evadet victor: q. d. interficiet Seleucum Callinicum cum matre.

8. *Concupiscibilibus eorum* [חמדתם] *Desiderii eorum*, i. pretiosis, & quæ illis erant in magno pretio. ¶ *Stabit* [יעמד] Sub. *in pace.*

9. *Venietque* [ובא] Sub. *cum spoliis.*

10. *Filii autem ejus* [ובניו] Nempe *Regis Aquilonis* Seleuci Callinici, i. Antiochus Magnus & Seleucus Ceraunius. ¶ *Venietque* [ובא] Sub. *Rex Aquilonis in Ægyptum.* ¶ *Usque ad munitionem ejus* [עד מעזו] q. d. Initio transibit per regionem Ægypti, vastando omnia: postea revertetur, & irâ percitus deveniet usque ad urbem omnium munitissimam illius, i. usque ad Regiam.

11. *Cum Rege* [עמו עם מלך] Ad verb. *cum eo, cum Rege Aquilonis.* ¶ *Et stare faciet multitudinem magnam* [והעמיד המון רב] i. Collocabit in acie multitudinem magnam, vel ex multitudine maxima instruet aciem. ¶ *Multitudo illa* [ההמון] i. Ingens ille exercitus Antiochi Regis Aquilonis.

12. *Multitudo* [ההמון] Sub. *Regis Aquilonis*, i. Syriæ. ¶ *Viginti millia* [רבואות] Plurale est nominis רבו, quod sign. *decem millia. Viginti millia* pro *multis*, vel *aliquot*, *millibus positum.* ¶ *Non praevalebit* [ולא יעוז] Ad verb. *& non roborabitur*: nam Antiochus ille aufugiet, & non capietur, sed evadet.

13. *Stareque faciet* [והעמיד] Vide v. 11. ¶ *Quàm priùs* [מן הראשון] *Priore*, i. ex multitudine majore instruet aciem. ¶ *Et post aliquot annos* [ולקץ העתים שנים] Ad verb. *& in fine temporum annorum.* ¶ *Et substantia multa* [וברכוש רב] *Et opibus multis.*

14. *Filii quoque dissipatorum*, &c. [ובני פריצי וגו'] i. Quidam etiam nebulones, prævaricatores & *dissipatores è popularibus tuis* (alloquitur Danielem) *exsurgent*, *& extollent sese*, ut impleant Prophetiam Esaiæ, c. 19. ubi prædicitur onus Ægypti: vel, ut alii, *dicentes se adimpleturos visionem*, &c.

15. *Effunditque* [וישפך] Vide Ezech. 4. 2. ¶ *Urbem munitam* [עיר מבצרות] Ad verb. *urbem munitionum*, pro *urbibus munitis.* ¶ *Et brachia*, &c. [וזרעות וגו'] i. Fortissimi & robustissimi quique non poterunt resistere, neque milites electi ab eo, nullàque erit illis virtus resistendi.

16. *Qui veniet* [הבא] i. Rex Syriæ vel exercitus ejus veniet & faciet pro arbitrio & libidine. ¶ *Qui consistat* [עומד] i. Qui resistere illi possit. ¶ *Desiderabili* [הצבי] Ad verb. *desiderii.* Quidam, *inclyta.* Vide cap. 8. 9. ¶ *Et deficiet* [וכלה] Sub. *terra*, vel *regio.* Alii, *& consumptio* erit *in manu ejus*, i. mirum in modum affliget Judæos.

17. *Cum fortitudine totum regnum ejus* [בתוקף כל מלכותו] *Cum robore totius Regni sui.* ¶ *Et recti* [וישרים] i. Judæi quidam colentes Deum. ¶ *Et faciet* [ועשה] i. Revera veniet. ¶ *Filiámque feminarum* [ובת הנשים] Sub. *formosarum*, i. filiam suam formosissimam vel nobilissimam. Sic vocat Cleopatram filiam Antiochi, quam ipse Antiochus dedit in uxorem Ptolemæo Epiphani. ¶ *Ut evertat illam* [להשחיתה] Nempe filiam suam unà cum viro: vel, *ut perdat illud*, sub. *Regnum*; ut sit relativum sine antecedente. Putabat enim Antiochus hâc ratione invadere Regnum Ægypti; sed falsus est spe suâ ac opinione. ¶ *Sed non stabit*, &c. [ולא תעמד וגו'] i. Non stabit à partibus patris sui, neque illi favebit. Cleopatra enim favebat partibus mariti, non patris affectantis Regnum Ægypti.

18. *Ad insulas* [לאיים] Nempe subditas Romanis, vel habitatas à sociis Romanorum. ¶ *Princeps* [קצין] *Dux*, nempe Scipio Africanus. ¶ *Opprobrium ejus illi* [חרפתו לו] Activè sumitur: i. ignominiam ab eo Romanis illatam, idque in dedecus ipsius: aut vacat לו. ¶ *Præterquam*, &c. [בלתי חרפתו ישיב לו] i. Ultrà quòd ignominiam quam conabitur inferre, reddet in caput ejus: q. d. Non tantùm coget illum incepto desistere, sed convertet eum in fugam cum magno ipsius dedecore. Quidam posteriores hujus versûs partes sic vertunt, *Et faciet Princeps cessare apud illum opprobrium suum, ut non vertat ad se opprobrium suum.* Cùm enim Antiochus multa opprobria objecisset Romanis quorum insulas invaserat, ab ipsis victus, omnia opprobria in suum reciderunt caput: & reversus cum ignominia in terram suam, à subditis interfectus est. Alii vertunt, *Et cessare faciet* [sub. *Deus*] *Principem opprobrii sui*, i. Antiochum, qui illi ingerebat probra multa, & etiam in populum suum Israelem inferebat; nè quispiam probrum suum inferat ei.

19. *Nec invenietur* [ולא ימצא] i. Morietur.

20. *Stabit autem* [ועמד] i. Sufficietur in locum ejus Seleucus Philopatoris filius, qui hoc præclari geret, quòd tributa è Regno suo tollet. ¶ *Qui transferet exactorem* [מעביר נוגש] i. Auferet exactores, h. e. exactiones, à populo suo: q. d. Alienus erit à bello, cujus nervi sunt pecunia. ¶ *Gloria regni* [הדר מלכות] Appositivè dictum, vel subaudi *& erit*, i. ad quem jure hereditario pertinebit Regnum. ¶ *Conteretur* [ישבר] *Frangetur*; *rumpetur.*

21. *Despectus* [נבזה] *Contemptus*; *vilis.* ¶ *Dabunt* [נתנו] Sub. *homines ejus regionis*: ad eum enim non pertinebit jus Regni, sed ad nepotem ipsius ex fratre. Præt. Heb. pro præs. ¶ *Cum dolo* [בשלוה] q. d. Invadet Regnum fraude & dolo. Vertendum potiùs *in pace*: vel, *otio & tranquillitate*, i. nihil tale cogitantibus ejus regionis hominibus: tempore pacis.

22. *Et brachia* [וזרעות] Sub. *illius*, i. Magni exercitûs. Duces Ægypti. Vide v. 15. q. d. Multi duces & potentes opponent se illi; sed nihil proficient; *conterentur* enim. ¶ *Dux federis* [נגיד ברית] Intelligit Ptolemæum Philometorem.

23. *Posteaquam*, &c. [ומן התחברות אליו] *Propterea quòd societatem inibit cum eo.* ¶ *Et ascendet* [ועלה] Sub. *in Ægyptum.*

24. *In otio*, &c. [בשלוה וגו'] i. Tempore pacis invadet optimam Ægypti partem, ut prædâ ditet militem. Quidam vertunt, *Quietam & pinguem provinciam ingredietur.* Alii, *Cùm fuerit provincia in felicitate & deliciis, intrabit in eam.* ¶ *Illis disperget* [להם יבזור] Relativum sine antecedente, *illis*, nempe *militibus suis*, *dividet*, sive *partietur.* ¶ *Cogitabit cogitationibus suis* [יחשב מחשבותיו] i. Statuet brevi se invasurum loca munita, reputans se milites eâ prædâ paratiores habiturum. Quidam, *& machinabitur etiam technas, ut tempore idoneo munitissima loca invadat.*

25. *Fortitudinem suam* [כחו] *Robur suum: vires suas.* Quidam, *Etenim vires suas intendet, ac animum suum.* ¶ *Cogitabunt* [יחשבו] Sub. *proceres ejus*, i. deficient ab eo.

26. *Inundabit* [ישטף] Sub. *Antiochus*, i. obruet & vincet: q. d. Sumentes eundem cibum in eadem mensa cum eo, erunt in causa quòd superabitur: vincétque Antiochus Syriæ Rex in eo conflictu.

27. *Mendacium loquentur* [כזב ידברו] i. Alter alteri imponet. ¶ *Sed non prospere cedet*, &c. [ולא תצלח וגו'] *Sed non succedet* [sub. *consilium eorum*] *quia adhuc* erit *finis temporis*, sub. *constituti*, i. quia necdum advenit tempus quo alter alteri nocere possit. Quidam vertunt posteriorem partem, *quia negotium in aliud tempus extendetur.*

28. *Contra* homines *federis sancti* [על ברית קודש] i. Ut noceat Judæis, qui colunt Deum verum & vivum juxta Legem ipsius. Sensus hujus versûs est, Accinget sese itineri ut revertatur in patriam suam onustus spoliis amplissimis: transiénsque per Judæam, affliget Judæos ipsos: postea revertetur in patriam suam. ¶ *Et faciet* [ועשה] i. Nocebit illis: affliget eos. Sic v. 17.

29. *Ad tempus* [למועד] *Post tempus constitutum*, i. Post aliquot annos iterum veniet in Ægyptum. ¶ *Sed non erit*, &c. [ולא תהיה וגו'] Ad verb. *Et non erit sicut prior & sicut posterior*, i. prior sicut posterior, & posterior sicut prior. Hebraicum dicendi genus: q. d. Adventus ejus posterior non erit similis priori: nam in secundo adventu discedet re infectâ. Misit enim populus Romanus legatum qui juberet eum omittere Ægyptum, & reverti in suum Regnum, ut seq. versu dicit.

30. *Nam venient ad eum naves Chithim* [ובאו בו ציים כתים] i. Venient in eum locum ad quem ille appellet naves Romanorum, h. e. legatio Romana. De *Chithim* vide Num. 24. 24. ¶ *Unde dolebit* [ונכאה] Ad verb. *& dolebit*, vel *dolore afficietur*, nempe se revocari à Romano populo per legatum. ¶ *Contra*, &c. [על ברית וגו'] Ut v. 28. ¶ *Et faciet* [ועשה] Ut v. 17, & 28. ¶ *Postea revertetur* [ושב] Ad verb. *Et revertetur*, sub. *in Judæam.* ¶ *Et animum adjiciet* [ויבן] *Et cogitabit*: q. d. Post afflictos pios Judæos animadvertet in transfugas Judæorum.

31. *Et brachia* illic *ab eo stabunt* [וזרעים ממנו יעמדו] i. Collocabit illic, in Jerusalem, præsidium fortissimum militum. ¶ *Fortitudinis* [המעוז] i. Templum in quo Deus fortissimus habitat & ostendit virtutem suam. Alii referunt ad stabilitatem ædificii. ¶ *Abominationem stupere facientem* [השקוץ משומם] i. Erigent simulacrum sive idolum Jovis, quod reddet populum illum stupentem, stupidum & attonitum.

32. *Et impie agentes*, &c. [ומרשיעי וגו'] Ad verb. *Et improbè agentes in fedus*, *peccare faciet sermonibus blandis*, i. multos trahet

trahet ad idololatriam, relictâ Lege Dei. Quidam liberiùs vertunt, *Et impii deserentes fedus, inducet ut subdolè agant per hypocrisin.* Alii, *Et impiè agentes in pactum, simulare faciet blanditiis.* ¶ *Fortificabit*, &c. 'יחזיקו וגו] Plur. pro sing. i. erit forti animo, & viriliter aget: q. d. ad ultimum retinebit religionem.

33. *Docebunt* יבינו] Ad verb. *intelligere facient.* i. Doctiores in populo dabunt intelligentiam Legis & præceptorum Dei multitudini. ¶ *Et ex illis corruent* ונכשלו] Sub. *in illa persecutione*, tempore scilicet Machabæorum, à quibus adjuti fuerunt. ¶ *Et præda* ובבזה] i. Direptione bonorum.

34. *Fraudulenter* בחלקלקות] Ad verb. *in blanditiis*, i. fictè.

35. *Ad repurgandum per eos* לצרוף בהם] i. Ut repurgent mentes vulgi per ignem examinandas, quas confirmabunt suo exemplo: q. d. *ad repurgandum* Israelem scoriis, h. e. falsis opinionibus. Metaphora à metallis. ¶ *Usque ad tempus finis* עד עת קץ] Vide cap. 8. 17. & v. 40. i. usque ad certum tempus & præfinitum: quia tunc finis afflictionis nondum venerit. Ignorantia nigrore & tenebris significatur; Scientia autem *albore* & luce. ¶ *Quia adhuc*, &c. 'כי עוד וגו] Plena locutio v. 27. legitur כי עוד קץ למועד *quia adhuc erit finis temporis constituti*, i. nam adhuc exspectabitur tempus quo Deus finem faciat persecutioni illi.

36. *Super omnem Deum* על כל אל] *Præ omnibus diis.* De Romanorum Regno loquitur. ¶ *Donec*, &c. 'עד כלה וגו] *Usque ad consummationem iræ*, sub. *Dei contra populum suum.* ¶ *Decisio facta est* נחרצה נעשתה] i. Sententia certa ac decisa lata est.

37. *Et ad Deum patrum*, &c. 'ועל אלהי וגו] i. *Non curabit Deum majorum suorum, nec delicias muliebres, neque Deum ullum: nam præ se omnia contemnet.*

38. *Fortitudinum* מעזים] i. Cui tribuet acceptam omnem virtutem suam, dignitatem, potentiam ac vires. Quidam existimant *Mauzim* esse nomen idoli. ¶ *Et desiderabilibus* ובחמדות] i. Aliis rebus pretiosis.

39. *In munitionibus fortitudinum* למבצרי מעזים] i. In locis munitissimis ac fortissimis: q. d. Colet novum istum Deum in munitissimis locis. ¶ *Dominarique*, &c. 'והמשילם וגו] *Et dominari faciet illos super multos, & terram partietur pretio*, i. dominos constituet illos ministros ac sacerdotes (relativum sine antecedente) *super multos*, sive *multis*, h. e. multitudini ipsi, sive vulgo, & agros regionis illis *pro pretio* [h. e. mercede] ministerii illorum. Alii, *& terram partietur in tributum*, i. ut hâc ratione pendant illi tributum.

40. *In tempore autem finis* ובעת קץ] i. Præfinito. Vide v. 35. ¶ *Cornu petet illum* יתנגח עמו] *Cornu feriet illum*, i. congredietur cum eo. ¶ *Et instar turbinis veniet contra eum* וישתער עליו] Ad verb. *& turbinabit contra illum.* ש est loco ס, i. tanquam tempestas irruet in eum. ¶ *Et inundabit, & transibit* ושטף ועבר] i. Transeundo per Ægyptum vastabit ac perdet omnia. Vide v. 26.

41. *Desiderabilem* הצבי] Vide v. 16. & cap. 8. 9. ¶ *Et primitiæ* וראשית] i. Præcipui Ammonitæ, vel melior & optima pars Ammonitarum.

42. *Mittet quoque*, &c. וישלח] i. *Injiciet manus in regiones* [vel *invadet regiones aliquot*] *nec Ægypti regio liberabitur.*

43. *Concupiscibilibus* חמדות] *Desideriis*, i. omnibus rebus ingentis pretii. ¶ *In gressibus ejus* במצעדיו] i. Sibi subjiciet, & tanquam victor & dominus liberè gradietur in illis locis. q. d. Per Libyam, i. Africam, & per Æthiopiam transibit liberè, & illas sibi subjiciet.

44. *Rumores autem terrebunt eum* ושמעות יבהלהו] *Rumores autem bellorum conturbabunt eum.* ¶ *Multos* רבים] Sub. *ex illis regionibus, quas sciet sibi fuisse rebelles.*

45. *Et plantabit tabernacula palatii sui* ויטע אהלי אפדנו] *Et figet tentoria prætorii sui.* ¶ *Inter maria* בין ימים] i. Inter duo maria, nempe mare Mortuum & mare Mediterraneum. ¶ *Inclyto sanctitatis* צבי קדש] *Desiderii sanctitatis*, i. in monte inclyto & sancto. Alii, *eximiæ sanctitatis.* Vide cap. 8. 9. ¶ *Usque ad summitatem ejus* עד קצו] *Usque ad fastigium ejus*, sub. *montis Moria.* Alii, *usque ad finem suum, nec erit ei adjutor*; i. illic morietur.

CASTALIO.

2. QUartus] Xerxes.

3. *Sed exsistet Rex potens, qui amplissimum adeptus imperium, rerum potietur*] Alexander.

4. *Distrahetur ejus Regnum etiam in alios quàm in illos*] Sc. quatuor successores.

5. *Invalescet autem Rex Australis*] Ptolemæus Ceraunus Ptolemæi Philadelphi frater. ¶ *Et de illius principibus*] Alexandri successoribus. ¶ *Unus superabit*] Seleucus.

6. *Venietque Australis Regis*] Ptolemæi Philadelphi. ¶ *Filia*] Berenice. ¶ *Ad Septentrionalem Regem*] Antiochum Hieracem. ¶ *Ad æquum faciendum*] Fedus. ¶ *Nec stabit ipse*] Ptolemæus. ¶ *Aut ejus proles*] Berenice.

7. *Verùm succedet illi*] Ptolemæo Philadelpho. ¶ *Qui expeditionem faciet*] Ptolemæus Euergetes Berenicæ frater. ¶ *Arcem invadet Regis Septentrionalis*] Seleuci Callinici.

10. *Sed incitati illius filii*] Antiochus Magnus & Seleucus Ceraunus. ¶ *Ille grassans invadet ac pervadet*] Antiochus Magnus. ¶ *Usque ad illius arcem incitabitur*] Ptolemæi Philopatoris.

11. *Ergò exacerbatus Rex Australis exibit*] Ptolemæus Philopator. ¶ *Et cum Septentrionali Rege pugnabit*] Antiocho Magno.

13. *Nam Septentrionalis Rex*] Antiochus Magnus.

14. *Quibus sanè temporibus frequentes Australi Regi obsistent*] Antiocho Epiphani.

15. *Veniet igitur Rex Septentrionalis*] Antiochus Magnus.

16. *Ità nullo resistente in nobili terra consistet*] Judæa.

17. *Comitantibus eum probis*] Israelitis. ¶ *Facietque ut mulierem*, &c.] Antiochus Magnus filiam suam Cleopatram Ptolemæo Epiphani nuptum locabit, ut *ea corrupta* patri Regnum Ægypti conciliet. *Sed ea id non præstabit*; nec patri sed viro studebit. Deinde ille Antiochus, multis debellatis, Ptolemæum Alexandriæ obsidebit. Verùm *rector*, h. e. populus Romanus, Antiochum ab obsidione cohibebit, & ità *Antiochi in Romanos contumeliam* (erat enim turpe Romanis, Ptolemæum; qui ab eis opem petierat, obsideri) *coercebit*, *ut Antiochus deinceps idem non faciat.* Antiocho succedet Seleucus Philopator, Seleuco Antiochus Epiphanes. Quæ sequuntur ego non intelligo. Videtur enim fieri transitus ab Antiocho ad nescio quem spiritualem Antiochum: Cujusmodi transitiones solere fieri scripsimus in Esa. 9. Itaque & hæc & septimum Danielis caput & alia in Vatibus innumera omittimus, nè cæci cæcos.

CLARIUS.

1. EGO *autem à primo anni Darii*] Verba sunt Angeli, h. e. Christi, & superioribus cohærent sic; *Propterea & ego Michaelem adjuvi in primo anno Darii, & destruxi Regnum Babylonium, victores feci Persas, & illis suggessi ut liberarentur Judæi, & sic corroborarentur.*

2. *Adhuc tres Reges*] h. e. Sub *tribus Regibus* Regnum *Persarum* non imminuetur, sed *stabit.* Hi sunt Cyrus, Cambyses filius ejus (qui & ipse *Artaxerxes* appellatur in Esra, & *Assuerus* in libro Esther, accepit is uxorem Esther) tertius Smerdes, qui unus è duobus Magis Regno per tyrannidem parvo tempore potitus fuit: Et *quartus* hic est Darius Hystaspis. Fœdissimus autem Hebræorum lapsus est, qui eundem Darium putant Hystaspis & Darium quem Alexander Macedo occidit: unde fit quòd in supputationibus Hebdomadarum tam ridicula scribunt. Neque enim Daniel hic dicit in illis Regibus defecisse omnino Regnum Persarum, sed *quartum* illum Regem facem belli fuisse, qui *fretus divitiis omnes contra Græcos incitavit*, sexcentorum millium exercitum ab Atheniensibus mactandum in campo Marathonio in Græciam misit, posterisque Regibus, ut Xerxi ac aliis, maximarum cladium autor fuit. Intercesserunt autem inter hunc Darium & Darium Arsani Reges novem, qui repugnaverunt Olympiades 36, i. annis 144. Numerantur autem hic quatuor Reges Persarum, ut ostendatur Judæos aliquos mansuros in Regno illo usque ad tempora quarti Regis. Quod verò ad Smerdem pertinet, is fuit qui se filium Cyri finxerat, & paucis mensibus regnavit; quo occiso Darius Rex ad hinnitum equi declaratus est. Illius anno secundo cœperunt iterum ædificare in Templo, 7 anno venit Esras, anno 20 misit Nehemiam. Post id temporis bellum illud infaustum gessit cum Græcis, & 36 anno Regni mortuus est.

3. *Surget verò Rex fortis*] Ex Regno Græcorum, Alexander videlicet. Qui primùm minabatur civitati Jerusalem excidium, sed viso summo Sacerdote cum Levitis & populo obviàm veniente etiam beneficiis persecutus est. Et mirantibus suis cur se ad illum Pontificem dejecisset, dixit visum sibi antè quàm proficisceretur ad eam provinciam Deum eâ specie quâ erat indutus summus Sacerdos ille, & victoriam pollicitum.

4. *Et dividetur in quatuor ventos cœli*] In quatuor præcipua Regna: quamvis pluribus etiam aliis distributæ sint provinciæ primùm. Et vivo quidem adhuc Aridæo fratre Alexandri & Hercule filio cæteri Regio nomine abstinuerunt, mansitque Aridæo per septem annos; potestas tamen omnis apud alios erat. ¶ *Sed non in posteros ejus*] Vel, *& non erit ex posteritate ejus*:

ejus : cessit enim illud Regnum aliis. ¶ *In externos aliquos ab* his] Significat exstirpandum Regnum ejus, & aliis quàm istis dandum. Nam stirps ejus paulò pòst eradicata est penitus.

5. *Et confortabitur Rex Austri*] Daniel duo duntaxat ex quatuor Regnis describit, Ægyptiorum videlicet & Syrorum, eò quòd Judæa inter illa duo sita continuis illorum motibus afflicta sit. De Regno Asiæ & Macedoniæ parum meminit, quia Judæis, utpote semotiora, minimè infesta erant. Ad hæc ex quatuor ills duo superstites manserunt, miseræ Judææ nimiùm vicini; ad *Austrum* Judææ, i. in Ægypto, Ptolemæi; ad *Aquilonem*, i. in Syria, Seleuci & Antiochi. Nomina autem Regum Ægypti sibi succedentium hæc sunt, *Ptolemæus Magnus*, vel *Soter*, Lagi F. *Ptolemæus Philadelphus*, *Ptolemaus*, *Euergetes*, *Ptolemæus Philopator*, *Ptolemaus Epiphanes*, *Ptolemæus Philometor.* Reges Syriæ, *Seleucus*, *Antiochus Soter*, *Antiochus Theos*, *Seleucus Callinicus* & *Antiochus Hierax*, *Seleucus Ceraunius* & *Antiochus Magnus*, *Seleucus Philopator* & *Antiochus Epiphanes.*

6. *Et post finem annorum federabuntur*] Sub Ptolemæo Philadelpho hæc impleta sunt; cujus curà Legem Mosis LXX interpretati sunt: de quo scribit Aristæus & Josephus. Is Berenicem filiam Antiocho Theo dat uxorem, & Judæam ac Syriam in dotem, sperans aliquâ occasione sic Regnum Syriæ sibi subjiciendum. Sed fefellit eum opino sua, cùm paulò pòst ipse interfectus fuerit, & Antiochus mortuus, atque filia ejus uxor Antiochi neci tradita, & *semen ejus* in Regno non successerit. ¶ *Adolescentes ejus*, & *qui confortabant eam in temporibus*] Alius vertit, *Et qui genuit eam*, *quique per tempora roboravit eam*, videlicet Antiochus.

7. *De germine radicum ejus*] Filiæ scilicet Regis Austri Berenices. Hæc in Ptolemæo tertio, qui frater Bernices fuit, & *Euergetes* vocatus est, implentur. Nam prætexens ultionem sororis, contra Seleucum Callinicum Laodices filium expeditionem parat, ut scribit Justinus, & occupat *munitissimas urbes* Syriæ.

10. *Filii autem ejus provocabuntur*] Hæc in diebus Ptolemæi quarti, qui *Philopator* dictus est, acciderunt. Hoc autem nomen sortitus est ex contrario, ut Justinus lib. 29. dicit, eò quòd *patre & matre interfectis Ægyptum occupaverit.* Quanta autem mala Judæis fecerit ex tertio Maccabæorum cognosci potest. Itaque *filii* Callinici Ceraunius & Antiochus, ulciscendi se occasionem justam nactos rati, *magnum congregaverunt exercitum.* Sed Ceraunius proditus perit in Asia, & Regnum accipit impubes Antiochus cognomine *Magnus.* Hoc est quod Daniel, cùm dixisset *filios*, subdit de uno quòd *properans veniet*, &c.

11. *Et provocatus Rex Austri*] *Spoliasset*, ait Justinus, l. 30. *Regno Antiochum*, *si fortunam virtute juvisset.*

13. *Convertetur enim Rex Aquilonis*] Hæc sub Ptolemæo quinto, qui dictus est *Epiphanes*, h. e. *Illustris*, acciderunt, de quo sic scribit Justinus lib. 31. *Mortuo Ptolemæo Philopatore Rege Ægypti*, *contemptáque parvuli filii ejus ætate*, *qui in spem Regni relictus*, *præda etiam domesticis erat*, *Antiochus Rex Syriæ occupare Ægyptum statuit.*

14. *Consurgent adversùs Regem Austri*] Junxit enim Antiochus sibi Philippum Regem Macedoniæ. Futurum autem etiam dicit ut non pauci è populo Judæorum apostatæ sint. Nam Onias cum quibusdam, quasi *impleturi Prophetiam* Esaiæ, postea Templum exstruxerunt in Heliopoli. Quanquam illud *ut impleant visionem* quidam sic interpretatur, *Prophetiam Mosis*, *contra cujus legem faciebant.*

16. *In terra inclyta*] i. Judæa.

17. *Et rectà erunt cum eo*] h. e. Quasi planâ viâ incedet: ità omnia juxta ejus voluntatem evenient. ¶ *Filiam feminarum*] Cleopatram, quam Ptolemæo Epiphani in uxorem dat. *Filia*, inquit, *quæ in mulieribus formosissima erit*, *dabitur*, *ut perdat Regem*; *sed hoc non succedet* : *plus enim illa amabit sponsum.* Et hoc est quod ait, & *non stabit*, &c. neque enim obtinere potuit Ægyptum.

18. *Ad Insulas*] Bellum indicat quod cum Romanis gessit. ¶ *Et cessare faciet Princeps*]. Cùm Antiochus multa probra objecisset Romanis, quorum Insulas invaserat, à Romanis, quos *Principis* nomine intelligit, victus est, & omnia opprobria in suum reciderunt caput.

19. *Impinget*, & *corruet*] Nam dum Antiochus Templum Dindymæi Jovis aggreditur, concursu incolarum cum omni militia interficitur.

20. *Et stabit in loco ejus seductor*] Successit Antiocho Magno Seleucus filius, cognomento *Philopator*, frater Antiochi Epiphanis. Is est qui misit Heliodorum ut Templum expilaret, ut legitur libro 2 Maccabæorum. ¶ *Et in paucis diebus conteretur*] Assignantur quidem anni 12 ejus Regno: sed dicit, ad opprimendum illum non opus fuisse magno exercitu neque torvis aspectibus. Creditur enim Antiochi Epiphanis, qui Romæ obses erat, fraudibus exstinctus, ut ipse dimissus Regno succederet. De quo jam copiosiùs Propheta vaticinatur.

21. *Et stabit in loco ejus despectus*] Erat, ut dictum est, obses Romæ, neque à Syris postulatus, & ad Regnum legitimè vocatus. ¶ *Obtinebit Regnum*] Quod debebatur filio Seleuci.

22. *Et brachia*] i. Quamvis multi potentes sese illi opponant; tamen *conterentur*, & ipse *dux federis* Ptolemæus Philometor. Hæc in genere Propheta dicit, deinceps gesta Antiochi ordine narraturus.

23. *Et post amicitias cum eo*] Hæc prima Antiochi in Ægyptum profectio est. Fedus enim cum Philometore iniit. Et quoniam adolescens erat Philometor, simulat Epiphanes quòd ingressus Ægyptum velit nepotis rebus tanquam avunculus consulere, quò cuncta in Regno illius prudenter gerantur & per consiliarios perfidos non dilapidentur. Propterea & parvâ militum manu stipatus, ut minor esset suspicio, Ægyptum ingressus est: sed erat illa expedita & fortis acies: unde inquit, *superabit*, vel *roborabitur in modico populo.*

25. *Et concitabitur*] Hæc est secunda profectio Antiochi.

26. *Et comedentes panem*] Amicissimi illius prodiderunt ipsum. Nam versutus Antiochus donis & artibus consiliarios & mensæ regiæ convivas corruperat, ut proderent Regem adolescentem & rei militaris ignarum.

27. *Duorum quoque Regum*] Quamvis capitales essent inimici, evenit tamen ut *in eadem mensa comederint*, pacifica verba *loquentes.* Ille enim omnia se agere in commodum nepotis, hic verò non nisi à suis impulsum se descendisse in prælium excusabat. Neutri tamen *cessit pro animi sententia.* Nam nec Philometor Antiochum perdere poterat, utpote victorem; nec Antiochus Philometorem nepotem, populum seditiosum metuens. Ideo dicit bellum *alio præfinito tempore finiendum.*

28. *Et revertetur in terram suam*] Ubi Antiochus domum rediit, fugit Philometor ad fratrem suum Discon [Physconem] in Alexandriam, & Romanis in quanto periculo esset significavit. Id postquam Antiochus rescivit, indignatus iterum properat in Ægyptum; at non eodem successu sicut in duabus primis profectionibus: nam non solùm sine præda domum rediit, sed totâ Ægypto cedere coactus est, jubentibus id Romanis.

30. *Et indignabitur*] Exspoliavit enim Templum omnibus ornamentis, Lucernâ aureâ, Arcâ aureâ, Mensâ & Sacrario & Cortinis: & collocato Jove Olympio in Templo, jussit immolari porcos, & *probibuit juge sacrificium* & Circumcisionem. ¶ *Cogitabit de iis*, &c.] Dicit eum fuisse invitatum ab *iis qui dereliquerant* legem Dei.

31. *Et brachia ex eo*] Hæc alii ad destructionis Templi tempora referunt, alii ad Antiochum; sunt & qui ad Romanos, fisi autoritate quorundam Hebræorum, atque ità exponunt, *Ex illo populo qui in navibus veniet*, h. e. ex Romanis, *stabunt tunc brachia*, *polluent Templum*, &c. ¶ *Et dabunt abominationem*] *Dabunt abominandam desolationem.*

32. *Et impii in testamentum*] Exponunt hoc de Alcimo & Menelao ac similibus, qui tempore Maccabæorum multos *blandis sermonibus* à Lege abduxerunt; quibus *tamen populus sciens Deum*, nempe Maccabæi cum suis, non obtemperarunt, sed magis *corroborati* etiam *alios erudierunt* in Lege: iccirco multos pro fide mortuos, & *auxilio parvo adjutos.* Quærebant enim Principes multi illos perdere. Sunt qui putent hìc Prophetam aspicere ad Christianos, quos impii idololatræ conari fuerunt ab initio nascentis Ecclesiæ seducere blanditiis. Potissimè autem sæviit Tyrannorum persecutio in Apostolos & sanctos Doctores.

34. *Applicabuntur eis*] Hi sunt pseudochristiani & hæretici, qui ut lupi ingressi sunt Ecclesiam.

36. *Et faciet*] Chrysostomus Serm. 2. contra Judæos etiam hæc contra Antiochum dicta putat. Sed multa hìc dicuntur quæ illis temporibus minùs convenire videntur. Non est enim ingressus in Ægyptum Antiochus postquam à P. Popilio ab Ægyptiorum terra jussus est abscedere, sed neque aliquis ex posteris illius. Est autem & Hieronymi & Catholicorum ferè omnium sententia, de Antichristo nunc mentionem fieri, cujus figuram gessit Antiochus. Videntur & Mahumeti quadrare. ¶ *Donec compleatur*] Quamdiu scilicet *irascetur Deus* populo. Sed *facta*, inquit, *decisio est ira* ac temporis illius: de quo in capite ultimo. Huic congruit quod Apoc. 13. legitur de *septem phialis.*

37. *Et erit in concupiscentiis*] Alii sic verterunt, *Et de amore mulierum*, *atque de omni Deo nihil intelligit* : quòd videlicet non curaturus sit mulieres, fortasse ad confirmandam hypocrisim. Alii putant postulare seriem sermonis ut de idolo intelligatur quod quidam *Reginam cæli* dixerunt; q. d. *Neque Deum*

 Patrum,

Patrum, neque deam pulcerrimam, Lunam vel Venerem, & in summa nullum Deum colet.

39. *Ut muniat Maozim*] Alius vertit, *Et faciet ista munitionibus fortissimis cum deo alieno:* & intelligit *Principes sibi cooperantes, quos glorificabit cum deo suo, eo quòd per illos efficiat qua voluerit.* Alius sic, *Super hac omnia muniet arcem Jerusalem, & in cateris urbibus ponet prasidia, ut Judaos astringat & cogat adorare deum alienum, videlicet Jovem.*

40. *Veniet contra illum*] Signat, Antichristum per tyrannidem suam varios populos sibi subjecturum.

41. *Ha autem*] Qui ad montana fugiunt, ut sunt deserta *Moab* & *Esau* & *Ammon*, i. qui illecebras mundi relinquunt, ab Antichristo securi erunt. Huic videtur convenire, quod Johannes Apoc. 12. de *muliere* scribit *à facie draconis fugiente:* & illud, *Misit draco de ore suo.*

44. *Et fama turbabit eum*] Nunc de interitu Antichristi agit, qui ubi multos deprædatus fuerit, tunc adversùs illum concrepabit tuba Euangelicæ prædicationis: quare sic *terrebitur* ut quicquid furoris habet in sanctos Dei effundat. Qui de Antiocho intelligunt, sic dicunt, *Cognoscens in Judaa turbas & tumultus excitatos ob mutuas Jasonis & Menelai contentiones, auditis illis, velociter reversus est.*

45. *Inter duo maria*] Quantum ad literam, Jerusalem *inter duo maria* sita est, nempe Mediterraneum & lacum Asphaltiten, qui est Sodomiticus.

DRUSIUS.

10. חֲיָלִים רַבִּים. Δυνάμεων πολλῶν *exercituum multorum.*

16. בְּאֶרֶץ הַצְּבִי. A. *in terra inclyta.* Sym. *in terra fortitudinis*, δυνάμεως. Th. ἐν τῇ γῇ τῆ Σαβεί. Lxx *voluntatis*] Hieron. *Terram inclytam, sive, ut Lxx interpretati sunt, voluntatis, h. e. qua complaceat Deo. Judaam significat, & propriè Jerusalem, in qua honorificè susceptus, eos qui partium Scopa erant persecutus est. Pro* terra inclyta, *quod interpretatus est Aquila, quem nos in hoc loco secuti sumus, Th. ipsum Ebraicum verbum posuit* Σαβίν· *pro quo Sym. vertit* terram fortitudinis. INCLYTA] ἔνδοξος. Jes. 13. 19. צבי, Lxx ἔνδοξος, Hieron. *gloriosa.* 23. 9. כל צבי, Hieron. *omnis gloria*, Lxx τῶ ἐνδόξων. 24. 16. Hieron. *gloria.* Σαβεί] Sic ed. Rom. Alibi est Σαβίν. Nec aliter in Hieronymo. Σαβεί, & Σαβί, ut Ἠλεί & Ἠλί *Deus mi.* VOLUNTATIS] Θελήσεως. Schol. *Judaa propter Legem erat* χώρα θελήσεως, δόξης καὶ δυνάμεως, *terra voluntatis, gloria & fortitudinis:* τούτων γὰρ ἕκαστον τὸ Σαβεὶ, ἑρμηνεύεται, *horum enim unumquodque interpretatur* SABI. Ebræi exponunt חפץ & פאר & הדר, quorum ultimum *decus* interpretantur. Unde in nonnullis ed. *terra decoris.*

29. וְלֹא־תִהְיֶה כָרִאשֹׁנָה וְכָאַחֲרֹנָה. Syrus, καὶ οὐ ποιήσει ὡς τὰ πρῶτα καὶ ἔσχατα, *& non faciet ut prima etiam novissima.*

30. וְנִכְאָה. Alius, *& comminabuntur ei.* Hieron. *& indignabitur*] Idem in Comment. *Et cor ejus adversus testamentum sanctum, &c. sive, ut alius interpretatus est,* ET COMMINABUNTUR EI. Nescio an huc pertineat, an alio. Quærimus per otium. Psal. 7. 11. זעם, A. ἀπειλούμενος *comminans*, Sym. ἐμβριμώμενος *infrendens.* Planè hic mihi non satisfacio. Quocirca scripta nolim quæ scripsi. Præstat ignorantiam fateri, quàm imponere aliis. Nemo est qui omnia sciat: Multum est si non multa nesciamus.

31. וּזְרֹעִים. καὶ βραχίονες *& brachia.* Libri alii καὶ σπέρματα *& semina*] Hæc interpretatio eorum est qui legerunt זרעים. Hieron. *Pro brachiis alius interpretatus est semina, ut significaret stirpem atque progeniem.*

36. וְעַל אֵל אֵלִים. καὶ ἐπὶ τὸν Θεὸν τῶν θεῶν *& adversùs Deum deorum.* ¶ כִּי נֶחֱרָצָה נֶעֱשָׂתָה] Hieron. *perpetrata quippe definitio est, sive, ut alius interpretatus est, in ipso enim erit consummatio.* In ed. Rom. ad εἰς τὴν συντέλειαν additum καὶ σπουδήν, quæ altera videtur interpretatio.

37. וְעַל־אֱלֹהֵי וגו׳. Aq. καὶ ἐπὶ τὸν θεὸν τῶν πατέρων αὐτοῦ οὐ συνήσει, καὶ ἐπιθυμίαν γυναικῶν, καὶ ἐπὶ πάντα θεὸν οὐ συνήσει, *Et super Deum patrum suorum non intelliget, & super concupiscentiam feminarum, & super omnem Deum non intelliget*] Hieron. *Quia verò in Ebraico pro eo quod nos diximus,* & erit in concupiscentiis feminarum, *ambiguè positum est, dicente Aquilâ, qui verbum expressit è verbo,* Καὶ ἐπὶ, *&c. Quibus verbis intelligitur & habere eum concupiscentiam feminarum, & non habere.* Vide sequentia. Lxx *& concupiscentiis mulierum non subjacebit.*

38. לֶאֱלֹהַּ מָעֻזִּים. A. *Deo fortitudinum*, Lxx *Deum fortissimum.* T . θεὸν Μαωζεὶμ *Deum Maozim*] Hieron. *Rursum pro* Deo Maozim, *quod habetur in Ebraico, Aq. transtulit* Deum fortitudinum, *Lxx* Deum fortissimum. Nunc *Mauzim*, quod etiam legitur in Hieronymo. מעוזים *Maozim*, ut עזיה *Ozias.* Sic dicimus עֻזִּי & עֻזִּי *robur meum.*

39. וְעָשָׂה לְמִבְצְרֵי וגו׳. Th. *Et aget hac ut muniat prasidia cum deo alieno, & cùm eis ostenderit, multiplicabit honorem, & dominari eos multis faciet, & terram dividet gratis*] Hieron. *Pro* præsidiis, confugia *interpretatus est Sym.* Apud Theodoretum, μετὰ θεοῦ ἀλλοτρίου ὃ ἐὰν ἐπιγνῷ *cum Deo alieno quem cognosci fecerit.* Cæterùm in scriptura est הכיר, quod legunt יכיר *cognoscet.*

40. יִשְׁטֹף. ἐν ταῖς κατακλύσεσι *in inundationibus*] Vide sis ed. Rom.

41. בְּאֶרֶץ הַצְּבִי וגו׳. εἰς τὴν γῆν τῆ Σαβαεὶμ *in terram Sabaim.* Hæc scriptura errandi occasionem præbuit Græcis. Sanè in Scholio, τὴν τῶν Αἰθιόπων· ἀπόγονοι γὰρ τῆ Σαβὰ Αἰθίοπες. Nam non est סבאים in Ebræo, sed צבי, quod suprà Σαβεὶ legitur. Scivit hoc Theodoretus, qui his duobus nominibus unum idémque significari scribit. Vulg. *in terram gloriosam.* Vide quæ suprà notavimus. Hieron. ad h. l. *veniet que ad terram inclytam, i. Judaam, quam Sym.* terram fortitudinis *interpretatus est. Pro qua Th. ipsum verbum Ebraicum posuerit* Σαβεὶ *sive* Σαβίν. Hinc apparet Hieronymum legisse non Σαβαεὶμ sed Σαβεί. ¶ וְרַבּוֹת יִכָּשֵׁלוּ. A. *& multa corruent.* Sym. *& multa millia corruent.* Th. *& multi infirmabuntur*] Πολλοὶ ἀσθενήσουσιν, Hieron. *Et multi corruent: pro quo interpretatus est Sym.* & multa millia corruent, *Th.* & multi infirmabuntur. Multas *autem* corruere, *juxta Aquilam, vel* urbes *vel* regiones *vel* provincias *intellige.*

45. וְיִטַּע אָהֳלֵי וגו׳. Sym. Καὶ ἐκτενεῖ τὰς σκηνὰς τῆ ἱπποστασίας αὐτοῦ μεταξὺ τῶν θαλασσῶν, εἰς τὸ ὄρος τῆ δυνάμεως τὸ ἅγιον, καὶ ἥξει ἕως ἄκρου αὐτοῦ] i. Interprete Hieronymo, *Et extendet papiliones equitatûs sui inter maria, super montem fortitudinis sanctum: & veniet usque ad verticem montis.* Aq. *Et plantabit tabernaculum pratorii sui in* Ἀφαδανῷ *inter maria, in monte Sabin glorioso & sancto, & veniet usque ad finem ejus.* Th. Καὶ πήξει τὴν σκηνὴν αὐτοῦ ἐν Ἀφαδανῷ ἀνὰ μέσον τῶν θαλασσῶν, ἐπ᾽ ὄρος Σαβὶν ἅγιον, καὶ ἥξει ἕως μέρους αὐτοῦ, *Et figet tabernaculum suum in Aphadano, inter maria, in monte Sabin sancto, & veniet usque ad partem ejus.* Lxx, *Et statuet tabernaculum suum tunc inter maria & montem voluntatis sanctum, & veniet hora consummationis ejus*] ET EXTENDET פתו. τῆ ἱπποστασίας. Schol. τὴν σκηνὴν αὐτοῦ Ἐφαδανῶ, τουτέστι τῆ ἱπποστασίας, ὅπερ ἐστὶ τὸ ἱππικὸν στρατόπεδον, i. *equester exercitus.* Ἀφαδανῷ] Ed. Rom. Ἐφαδανῷ. Vulg. Latina, *Apadno.* Hieron. *Notandum autem quòd cùm* p *literam Ebraus sermo non habeat, sed pro ipsa utamur Phe, cujus vim Gracum* φ *sonat, in isto tamen loco apud Ebraos scribitur quidem phe sed legitur* p. Glossæ nominum propriorum, APEDNO, *Ornamentum ejus.* In Lex. Chald. אפדנא, *atrium, tentorium*, Jer. 43. Σαβίν] Eadem editio Σαβαείν· qui error & suprà notatus fuit. Lege Σαβεὶ vel Σαβί. Schol. εἰς τὴν νέαν Ἱερουσαλήμ· τοῦτο γὰρ ὄρος κυρίως δόξης Θεοῦ δυνάμεώς τε αὐτοῦ καὶ θελήσεως.

GROTIUS.

1. **E**Go autem ab anno primo Darii Medi stabam ut confortaretur & roboraretur] Cohærent hæc cum superioribus. Angelus enim precum interpres pergit loqui, & ait, se jam ab illo tempore, cùm illas ardentissimas preces effudit Daniel, quæ sunt capite IX. omni modo adjuvisse ea consilia quæ dabat Michaël. Solent in aulis Regum qui plurimum habent auctoritatis habere alios qui secundas agunt.

2. *Et nunc veritatem annuntiabo tibi*] Res apertas sine ænigmate, ut suprà x. 1. Hic debuerat poni capitis initium.

Ecce adhuc] Post Cyrum, cujus tempore hoc visum obtigit, suprà x. 1.

Tres Reges stabunt in Perside] Cambyses; Smerdis aut Pseudosmerdis, *Mardus* Æschylo; Darius Hystaspis. Hos omnes, sed additis post Mardum Interregibus, habes apud Æschylum Persis. Vide Scaligerum libro VI Emendationis, ubi de Hebdomadibus.

Et quartus ditabitur opibus] Xerxes Darii illius filius per Græcorum historias notissimus. Magnas autem opes ei Darius reliquerat. Æschylus:

Μὴ μέγας πλοῦτος κονίσας οὖδας ἀντρέψῃ ποδὶ
Ὄλβον ὃν Δαρεῖος ἦρεν οὐκ ἄνευ θεῶν τινός.
[*Arma ne prostrata secum proruant opulentiam*
Quanta Dario deorum munere eximio obtigit.]

Ibidem: ἀπρόσοιστος ὁ Περσῶν στρατός [*Persarum agmen insuperabile*]. Mardonius apud Herodotum ait Xerxis tempore sub Persis fuisse Sacas, Indos, Æthiopes & Assyrios. In exercitu ejus

ejus fuisse ait Herodotus quinquagies bis centena octoginta tria millia: Naves Cornelius Nepos & Justinus CIↃ CC.

Concitabit omnes] Subditos, sociósque. Vide initium dictæ Tragœdiæ Persarum Æschyli.

Adversum regnum Græciæ] Omnes populos Græci nominis; & Lacedæmonios cecidit ad Thermopylas; Athenas incendit: mox terrâ marique victus domum rediit. Hoc autem non sine causâ hîc narratur, ut appareat Alexandrum non sine causa probabili postea ivisse in Persas. Vide Polybium, Curtium, & alios. Meminerit verò qui hæc & sequentia leget ejus quod nos monet Hieronymus: *Scripturæ sanctæ propositum est non externam absque Judæis historiam texere, sed eam quæ Israëlitico populo copulata est.*

3. *Surget verò Rex fortis*] Ex Græcis scilicet, Alexander.

Et dominabitur potestate multâ] Mirè victoriis Imperium suum propagabit.

Et faciet quod placuerit ei] Vide Plutarchum de fortuna & virtute Alexandri. Curtius: *Fatendum est tamen, qui plurimum virtuti debuerit, plus debuisse fortunæ, quam solus omnium mortalium in potestate habuit.* Menander:

Ὡς Ἀλεξανδρῶδες ἤδη τοῦτο· κἂν ζητῶ τινα
Αὐτόματος οὗτος παρέσται· κἂν διελθεῖν δηλαδὴ
Διὰ θαλάσσης δεῖ τόπον τιν', οὗτος ἔσται μοι βατός.

[*Quàm verò hoc Alexandreum: si quem fortè quærite*
Idem præstò erit continuò; transeundus si locus
Aliquis per marina spatia, pervius fiet statim.]

Hic locus est Danielis, cum aliis fortè præcedentium, quem Alexandro Hierosolyma intranti ostendit summus Sacerdos Jaddus. Vide Josephum XI. 8.

4. *Et cum steterit*] Tanquam victor Asiæ.

Conteretur regnum ejus] *Quod Imperium sub uno stare potuisset, dum à pluribus sustinetur ruit*, ait Curtius.

Et dividetur in quatuor partes cœli] Id est, in Duces quatuor, de quibus suprà VII. 6. VIII. 8.

Sed non in posteros ejus] Nam liberûm Alexandri nomen tantùm Ducibus illis pro prætextu fuit, ut suprà diximus.

Neque secundùm potentiam illius quâ dominatus est] *Ducum* nomen sibi sument initio, non *Regum*, suprà VIII. 22.

Lacerabitur enim regnum ejus etiam in externos, exceptis his] In Hebræo: *etiam aliis præter istos.* Etiam alii minores Duces Imperii illius partes sibi vindicabunt, ut Eumenes, Philotas, Antigonus, Cassander, Menander, Leonnatus, Acropatos, Scynus, Lysimachus, & alii. Vide Arrianum, Curtium, Justinum, & alios.

5. *Et confortabitur Rex Austri*] Sicut modò multos post Xerxem Persarum Reges, ità nunc multas res τῶν Διαδόχων [*Successorum Alexandri*] transilit, res Judaicas respiciens, ut modò diximus. Ad Aquilonem Judæis est Syria, ad Austrum Ægyptus. *Rex Austri*, de quo hîc agitur, est primus post Alexandrum Ægypti Rex Ptolemæus Lagi filius, ideo speciatim nominandus, quòd is Hierosolyma dolo cepit: quod narrat Josephus XII. 1. Hic Ptolemæus magnas sibi opes paravit, ut testatur Justinus libro XIII. Hic est ὁ Λαγίδας Πτολεμαῖος [*ille Lagi Ptolemæus*] in Idyllio Theocriti, qui de filii ejus Ptolemæi Philadelphi opibus loquens ait,

——— πολὺς δέ οἱ ὄλβος ὀπηδεῖ,
Πολλᾶς δὲ κρατέει γαίης, πολλᾶς δὲ θαλάσσης.
Μυρίαι ἄπειροί τε καὶ ἔθνεα μυρία φωτῶν
Λήιον ἀλδήσκουσιν ὀφελλόμενον Διὸς ὄμβρῳ.
Ἀλλ' οὔτις τόσα φύει ὅσα χθαμαλὸς Αἴγυπτος,
Νεῖλος ἀναβλύζων διερὰν ὅτε βώλακα θρύπτει.
Οὐδέ τις ἄστεα τόσσα βροτῶν ἔχει ἔργα δαέντων·
Τρεῖς μέν οἱ πολίων ἑκατοντάδες ἐνδέδμηνται,
Τρεῖς δ' ἄρα χιλιάδες τρισσαῖς ἐπὶ μυριάδεσσι,
Δοιαὶ δὲ τριάδες, μετὰ δὲ σφίσιν ἐννεάδες τρεῖς·
Τῶν πάντων Πτολεμαῖος ἀγάνωρ ἐμβασιλεύει.
Καὶ μὴν Φοινίκας ἀποτέμνεται, Ἀρραβίας τε,
Καὶ Συρίης, Λιβύης τε, κελαινῶν τ' Αἰθιοπήων·
Παμφυλίοισί τε πᾶσι καὶ αἰχμηταῖς Κιλίκεσσι
Σημαίνει, Λυκίοις τε, φιλοπτολέμοισί τε Καρσί,
Καὶ νάσοις Κυκλάδεσσιν· ἐπεί οἱ νᾶες ἄρισται
Πόντον ἐπιπλώοντι· θάλασσα δὲ πᾶσα καὶ αἶα
Καὶ ποταμοὶ κελάδοντες ἀνάσσονται Πτολεμαίῳ.
Πολλοὶ δ' ἱππῆες, πολλοὶ δέ οἱ ἀσπιδιῶται
Χαλκῷ μαρμαίροντι σεσαγμένοι ἀμφαγέρονται.
Ὄλβῳ μὲν πάντας κατ αβρίθοι βασιλῆας·
Τόσσον ἐπ' ἆμαρ ἕκαστον ἐς ἀφνειὸν ἔρχεται οἶκον
Πάντοθε. λαοὶ δ' ἔργα περιστέλλουσιν ἕκηλοι,

[——— *est olli dives opum vis:*
Multas ille regit terras, maria undique multa.
Sunt alibi innumeræ gentes, felicia que arva,
In queis læta seges cœlesti pascitur imbre:
Sed non est humus Ægypto fœcundior ulla,
Cum madidat glebas exundans flumine Nilus.
Non alius tot habet florentes artibus urbes:
Oppida namque illi ad decies ter millia parent;
Atque alia ter mille urbes, iterumque trecenta,
Et terna undecies, geminatoque ordine terna:
Magnanimus regnat Ptolemæus in omnibus istis.
Ille Arabum fruges metit & Phœnicia rura,
Æthiopasque regit nigros, Arabasque Syrosque;
Pamphylosque omnes Ciliciumque ferocia corda,
Ballacesque domat Caras, Lyciúmque phalanges,
Et sparsas pelago tot Cycladas: optima namque
Navigia illius complent mare. Pontus, humusque
Imperio parent Ptolemæi, amnesque sonantes.
Ingens vis equitum, clypeatique agminis ingens
Personat acre, quibus fulgenti tegmen ab ære est.
Illius exsuperat cunctos opulentia reges.
Tantum quaque dies magnis penetralibus infert
Undique. tum gentes in pace laboribus instant.]

Hæc ille à patre acceperat. Pater autem ipse, de quo hîc sermo, ad Ægyptum adjecerat Cyprum, Phœnicen, Cariam; aliásque insulas & regiones, ut hîc ex antiquis commemorat Hieronymus. Addendus hîc Appiani locus ad eundem Ptolemæum Philadelphum pertinens: Καὶ τοῖς ἐμοῖς βασιλεῦσι μόνοις ἦν στρατιά τε πεζῶν μυριάδες εἴκοσι, καὶ μυριάδες ἱππέων τέσσαρες, καὶ ἐλέφαντες πολεμισταὶ τριακόσιοι, καὶ ἅρματα ἐς μάχας δισχίλια, καὶ ὅπλα εἰς διαδοχὴν μυριάσι τριάκοντα· καὶ τάδε μὲν αὐτοῖς ἐς πεζομαχίαν· ἐς δὲ ναυμαχίας κοντωτὰ καὶ ὅσα σμικρότερα ἄλλα δισχίλια, τριήρεις δὲ ἀπὸ ἡμιολίας μέχρι πεντήρους πεντακόσιαι καὶ χίλιαι· καὶ σκεύη τριηρετικὰ διπλότερα τούτων, θαλάμηγά τε χρυσόπρυμνα καὶ χρυσέμβολα ἐς πολέμου πομπὴν, οἷς αὐτοὶ διαπλέοντες ἐπέβαινον οἱ βασιλεῖς ὀκτακόσια. χρημάτων δὲ ἐν τοῖς θησαυροῖς τέσσαρες καὶ ἑβδομήκοντα μυριάδες ταλάντων Αἰγυπτίων· ἐς γὰρ δὴ τοσοῦτο παρασκευῆς τε καὶ στρατιᾶς ἐκ τῶν βασιλικῶν ἀναγραφῶν φαίνεται συναγαγών τε καὶ καταλιπὼν ὁ δεύτερος Αἰγύπτου βασιλεὺς μετ' Ἀλέξανδρον. [*Quippe meis Regibus solis exercitus fuit peditum ducenties mille, equitum quadragies mille, & elephantes bellis utiles trecenti, currus ad prælia bis mille, arma quæ perpetuò sufficerent trecentis millibus. Et hæc quidem ad bellum terrestre. Ad bellum verò navale, naves contis propulsæ & minores aliæ bis mille, naves verò longæ, à biremibus ad usque eas quæ quinque ordinibus agebantur, mille & quingentæ; armamenta autem ad duplicem harum numerum sufficientia: tum verò naves quæ thalamegi dicebantur, aureis cum proris aureisque puppibus ad belli ornatum, in quibus Reges ipsi vectabantur, octingenta: pecuniæ in thesauris septingenta & quadraginta millia talentorum Ægyptiorum. Nam has opes & hos belli paratus coëgerat reliqueratque secundus post Alexandrum Rex, ut ex regiis commentariis apparet*]. Hieronymus eundem Ptolemæum Philadelphum ait de Ægypto per singulos annos accepisse XIV millia & octingenta talenta.

Et de principibus ejus] Supple, *Alexandri*, antè indicati.

Prævalebit super eum] Res magnas geret Seleucus Nicator, qui, capto Demetrio, Syriæ adjecit Asiam: Justinus XVI. Vicit prælio & Lysimachum Thraciæ Regem, & Antigonum in Phrygia, & Androcotum in India, ob tot insignes victorias dictus *Nicator*, teste Appiano.

Et dominabitur ditione: multa enim dominatio ejus] In Hebræo: *Et imperabit, ità ut Imperium ejus magnum sit Imperium.* Hoc dicit propter adjectionem Gog ad Magog. Vide Ezechielem. Appianus ea quæ Seleucus tenuit commemorans, in iis ponit Syriam, Phrygiam, Mesopotamiam, Bactrianam, Arabiam, Pyros, Sogdianen, Arachosiam, Hyrcaniam, & Indiæ multa, etiam ultra flumen Indum: additque multò potentiorem fuisse aliis qui Alexandro successerunt: conditas ab eo urbes Antiochias sexdecim, Laodiceas quinque, Stratoniceam, Berrhœam, Edessam, Perinthum, Maroneam, Callipolin, Achaiam, Pellam, Oropum, Amphipolin, Arethusam, Astacum, Tegeam, Chalcida, Larissam, Heræam, Apolloniam; in Parthia Soteram, Calliopen, Charita, Hecatompolin, Achaiam alteram, apud Indos Alexandropolin; apud Scythas Alexandreschata; Nicephorium præterea in Macedonia, in Armenia Nicopolin, dictas has urbes ex suis victoriis.

6. *Et post finem annorum fœderabuntur*] Venient ad fœdera hinc Ægypti, indè Syriæ Asiæque Reges.

Filiaque Regis Austri] Berenice Ptolemæi Philadelphi filia.

Veniet

Veniet ad Regem Aquilonis] Ad Syriæ & Asiæ Regem Antiochum cognomine *Deum*, nepotem Seleuci Lagidæ, veniet, deducente eam patre Pelusium usque cum infinitis millibus auri & argenti: unde ipsa dicta Φερνοφόρος [*Dotata*], teste hîc Hieronymo. Vide & Appianum.

Facere amicitiam] In Hebræo, *ad faciendas rectitudines*: quod συνθήκας [*pacta*] vertit Theodotio. Per fœdera corriguntur curva.

Et non obtinebit fortitudinem brachii] Ist est, non diu erit in auctoritate. Id enim זרוע [*brachium*] Hebræis, quòd ἀντίληψιν [*vim adjuvandi*] vertunt LXX.

Nec stabit semen ejus] In Hebræo, *& non stabit* (ipsa scilicet) *& semen ejus*: id est, neque ipsa neque stirps ejus in Imperio manebit.

Et tradetur ipsa, & qui adduxerunt eam, adolescentes ejus, & qui confortabant eam in temporibus] Illud הילדה, quod hic vertitur *adolescentes*, ab aliis *genitor*, optimè scribes cum Patach sub Jod, ut sensus sit, *Tradetur* (in manus hostium) *& ipsa, & qui eam comitati fuerant* (nempe ex Ægypto), *& filius ejus, & quisquis illo tempore ejus partes secutus fuit*. Berenice cùm in Daphneo se clausisset cum filio suo, dolo circumventa & trucidata est à privigno Seleuco Callinico. Narrant Justinus & Appianus.

7. *Et stabit de germine radicum ejus plantatio*] In Hebræo, *Et surget de surculo radicum ejus* (Berenices) *qui sit loco ipsius germinis*. Ex Ptolemæo Philadelpho, unde nata Berenice, existet Ptolemæus Euergetes, qui regnum paternum obtinebit.

Et veniet cum exercitu] Ad vindicandam sororis injuriam; Appianus Syriacis, Justinus libro XXVII.

Et ingredietur provinciam Regis Aquilonis] Appianus, ἐς Συρίαν ἐσέβαλε, καὶ ἐς Βαβυλῶνα ἤλασε [*Expeditionem fecit in Syriam, & Babylonem intravit*]. In Hebræo est: *Ingredietur munitionem*, id est, fines.

Et abutetur eis, & obtinebit] In Hebræo, *& faciet in eis, & obtinebit*. Nec aliter Theodotion. Sensus est, *ità aget intra illos fines ut potiatur*, bonâ scilicet parte Syriæ. Multæ urbes se ei tradidere, ut narrat Justinus.

8. *Insuper & deos eorum & sculptilia*] *Et* pro *id est*.

Vasa quoque pretiosa auri & argenti captiva ducet in Ægyptum] Nempe vasa simul & simulacra duo millia quingenta. In iis etiam simulacra quæ Cambyses olim ex Ægypto in Persida asportaverat, ob quæ reducta *Euergetes* dictus Ægyptiis: ità ex historiis Hieronymus.

Ipse prævalebit adversùs Regem Aquilonis] Nisi in Ægyptum domesticâ fortunâ revocatus esset, totum regnum Seleuci occupasset, ait Justinus.

9. *Et intrabit in regnum*] *Postquam ingressus fuerit in regnum*, supple *Syriæ*.

Rex Austri] Ptolemæus ille Euergetes.

Et revertetur in terram suam] *Mox revertetur in terram suam*, in Ægyptum; non impunè tantùm, sed cum maxima præda ad XL *millia talentorum argenti*, Hieronymus.

10. *Filii autem ejus provocabuntur, & congregabunt multitudinem exercituum*] *Filii autem ejus* (Seleuci scilicet Callinici, quibus nomina *Seleucus Ceraunus*, & *Antiochus Magnus*) *irritati* (facto scilicet isto Ptolemæi Euergetæ) *maximos exercitus cogent*. Meminere Polybius libro II. & V. item Appianus.

Et veniet properans & inundans] Nempe alter eorum Antiochus Magnus. Is jam solus designatur quia Seleucus Ceraunus in ipso molimine intercidit. Antiochus ergò *venit subitò, & inundavit*, nempe Judæam cum Cœle Syria, prodente eam Theodoto Ptolemæi Philopatoris Toparchâ. Auctor Polybius libro IV.

E. revertetur, & concitabitur, & congredietur cum robore ejus] In Hebræo, *Et transibit iterum irritatus usque ad fines ejus. Iterum irritatus*, frustrà tentatâ pace, *transibit* per eum locum cui nomen *Phanuel* (quod Θεοῦ πρόσωπον [*Dei faciem*] vertit Polybius) ad ulteriora, captísque Botry, Triere, Calamo, Philoteriâ, Atabyrio, Pellâ, Camaone, Gephrone, Abyla, Galatide, Gadoris, & in Arabia Rabbatamano, perveniet usque ad Raphiam locum munitissimum in finibus Ægypti. Hæc omnia habet dicto libro quinto Polybius.

11. *Et provocatus Rex Austri*] Tantis damnis excitus Rex Ægypti Ptolemæus Philopator.

Egredietur] Ex Ægypto.

Et pugnavit adversùs Regem Aquilonis] Prælium committet cum Antiocho Magno ad Raphiam, cujus meminit præter Polybium Strabo libro VI. & scriptor tertii Maccabaici.

Et præparabit multitudinem nimiam] *Maximo exercitu contracto*, nempe peditum septuaginta, equitum quinque millibus, elephantis septuaginta tribus, navibus tectis triginta, onerariis quadringentis.

Et dabitur multitudo in manu ejus] Plurimos de exercitu Antiochi Magni capiet, *quatuor millia* ait Polybius, scriptor tertii Maccabaici πολλοὺς δὲ καὶ δοριαλώτους [*multos etiam captivos*].

12. *Et capiet multitudinem, & exaltabitur cor ejus*] *Et ob captam multitudinem efferet se ejus animus*. Omni enim metu abjecto luxui se dedit, & amoribus Psaltriæ ac concubinarum. Syriâ ac Judæâ intratis Templum Dei contemnit, in adytum intrans contra Legem: quâ de causâ ipsi νοῦν ἀγέρωχον [*animum superbum*] tribuit scriptor Maccabaici tertii. Adde Josephum XII. 3.

Et dejiciet multa millia, & non prævalebit] Id est, *quanquam dejectis multis millibus, non tamen prævalebit*, id est, ipsum Antiochum neque interficere, neque capere poterit. Ita hic Hieronymus.

13. *Convertetur enim Rex Aquilonis, & præparabit multitudinem multò majorem quàm priùs*] Locutio Hebraica, pro qua dicas Latinè, *Iterum colliget exercitum multò quàm antè majorem*, nempe Magnus Antiochus, ex Babylonia maximè, ut hic notat Hieronymus. Adde Appianum initio rerum Syriacarum, qui & ex Media collectum ait exercitum.

Et in fine temporum annorúmque] Mortuo Philopatore, regnum autem Ægypti adepto filio Ptolemæi Philopatoris Ptolemæo Epiphane.

Veniet properans cum exercitu magno, & opibus nimiis] Sperans se Ægyptum eripere posse puero Ptolemæo Epiphani; Appianus dicto loco, Polybius libro XVI. citante Josepho XII. 3. & libro XVI. & XVII. in Fragmentis.

14. *Et in temporibus illis multi consurgent contra Regem Austri*] Philippus Rex Macedonum societatem iniit cum Antiocho Magno ad invadendam Ægyptum, ut hic memorat Hieronymus.

Filii quoque prævaricatorum populi tui] In Hebræo, *perfractorum, Legis* scilicet. Illi nimirum qui in gratiam Ptolemæi Euergetæ, cùm is Scopam misisset, & per eum pleraque Judææ sui juris fecisset, à religione defecerunt.

Extollentur ut impleant visionem, & corruent] Superbient freti armis, sed mox cadent, Antiocho Scopam & ipsos vincente, ut eo modo impleantur veteres Prophetiæ, quæ Legem spernentibus omnia mala denuntiant. De hâc victoria Antiochi contra Epiphanem Ptolemæum vide Josephum XII. 3. Ptolemæum autem Epiphanem id omni modo egisse ut Judæos multos ab Judaismo adduceret, discas ex Maccabaico tertio.

15. *Et veniet Rex Aquilonis*] *Nam veniet*. Causam narrat ruinæ illorum Judæorum qui Legem contempserant.

Et comportabit aggerem] Vallum castrense jaciet contra Sidonem; Hieronymus hic.

Et capiet urbes munitissimas] In Cœle Syria & Samaria: Josephus dicto loco: adde & in Ægypti finibus, teste Appiano. Livius lib. XXXIII.

Antiochus cùm priore æstate omnibus quæ in Cœle Syria sunt civitatibus Ptolemæi in suam potestatem redactis, in hyberna Antiochiam concessisset.

Et brachia Austri non sustinebunt] Non poterunt illa loca tueri Ægyptii. De hoc loquendi genere vide suprà 6.

Et consurgent electi ejus ad resistendum, & non erit fortitudo] In Hebræo: *Et quanquam populosa erit juventus ejus, non tamen vires habebit ad obsistendum*, Antiocho Magno scilicet.

16. *Et faciet veniens super eum juxta placitum suum, & non erit qui stet contra faciem ejus, & stabit in terra inclyta*] *Postquam contra illum veniens fecerit quæ voluerit, nemine se ipsi opponente, firmabit se in terra amœnissima*: id est, in Judæa, ut suprà VIII. 9. Antiochus Magnus multis victoriis potitus, Judæam omnem, Judæis non nolentibus, tenuit, & ex eorum commeatu aluit exercitum, & urbe Hierosolymorum intratâ, Scopæ milites qui in arce erant obsedit; Josephus XII. 3. qui & Polybium allegat.

Et consumetur in manu ejus] Melius, *& perficietur per eum*: Id est, Judæa sub ipso florebit. Nam Antiochus Magnus dispersos Judæos Hierosolyma revocavit, ibi habitantes in triennium immunes fecit tributorum, tertiâ parte eorundem tributorum levavit in perpetuum; Senatores, Sacerdotes, Levitas immunes fecit à capitatione & auro coronario; vivere Judæos ex legibus Judaicis voluit; ad sacrificia pecudes & pecunias dedit, ligna verò ad Templi opus perficiendum, jubens τὸ περὶ τὸ ἱερὸν ἀπαρτισθῆναι ἔργον [*opus Templi perfici*]. Hæc sunt omnia in epistola Antiochi, quam dicto capite tertio libri XII

inseruit

inseruit Josephus, ubi ἀπαρτισθῆναι est quod hic כלות, quod alibi per συντελεῖν [*consummare*], alibi per τελειοῦν [*finire*], aut πληροῦν [*implere*] vertunt Lxx.

17. *Et ponet faciem suam ut veniat ad tenendum universum regnum ejus*] Omnia fecit ὡς Αἴγυπτον ἔρημον ἄρχοντος (ob pueritiam nempe Ptolemæi Epiphanis) ἁρπασόμενος [*tanquam rapturus Ægyptum Principe vacuam*], ait Appianus. Justinus: *Contemtâ parvuli filii ejus* (Philopatoris) *ætate, qui in spem regni relictus præda etiam domesticis erat, Antiochus Rex Syriæ occupare Ægyptum statuit.*

Et recta faciet cum eo] *Fœdera*; ut suprà 6. Diffisus scilicet Ægyptum vi capi posse ob metum à Romanis, ut notat Appianus, leoninâ non satis proficiente, vulpinam induet.

Et filiam feminarum dabit ei] Est & hic ἔλλειψις [*Omissio verbi*] בת הנשים [*filiam feminarum*] pro בתו שהיא בת הנשים, *filiam suam, quæ erat femina feminarum:* id est, pulcherrima. Ea fuit Cleopatra, *Syra* cognomine, quam Ptolemæo Epiphani despondit Antiochus, dotem dans Syriam Cœlen, sed animo subdolo.

Ut evertat illud] *Ut corrumpat eam.* Hoc animo fecit eas nuptias ut Cleopatræ operâ ac consiliis contra Ptolemæum Euergeten uteretur.

Et non stabit] *At non succedet hoc.*

Nec illius erit] Cleopatra magis erit in potestate mariti quàm patris.

18. *Et convertet faciem suam ad insulas*] Consilia sua vertet ad capienda maritima Thraciæ & Græciæ loca; nam omnia maritima *insulæ* Hebræis: quanquam & insulas Rhodum, Samum, Eubœam, Delum Antiochus sibi vi aut societate adjunxit. Habes hoc apud Appianum, Florum, & Hieronymum hoc loco. Adde Livium XXXIV.

Et capiet multas] Πολλὰ τῆς Θρᾴκης ὑπήγετό τε καὶ κατεστρέφετο [*multa Tracia loca subegit & evertit*], Appianus.

Et cessare faciet Principem opprobrii sui, & opprobrium ejus convertetur in eum] Optimè vertas, *Et cessare faciet Dux ipsius in se contumelias, quin etiam contumelias illius in ipsum vertet.* קצין [*Dux*] est Lucius Scipio Africani pater, non Rex, sed Dux Romani exercitûs. Is non tantùm efficiet nè Antiochus ullos socios populi Romani bello lacessat, verùm etiam ipsum victum prælio ad Sipylum montem coget accipere pacem probrosam, per quam Antiochus omni Europâ abstitit, & Asiâ omni intra Taurum montem, elephantos & naves quot vellent Romani promisit tradere, dans obsides, persolvere belli impensas. Habes hoc apud Plinium libro XXXVIII. Florum II. 8. Justinum XXXI. Appianum Syriacis, Polybium in Excerptis de legationibus.

19. *Et convertet faciem suam ad imperium terræ suæ*] In Hebræo, *ad fines regni sui.*

Et impinget, & corruet, & non invenietur] Justinus: *Interea in Syria Rex Antiochus, cùm gravi tributo pacis à Romanis victus oneratusque esset, seu inopiâ pecuniæ compulsus, seu avaritiâ sollicitatus, quâ sperabat se sub specie tributariæ necessitatis excusatiùs sacrilegia commissurum, adhibito exercitu, nocte templum Didymæi Jovis aggreditur: quâ re proditâ, concursu incolarum cum omni militia interficitur.* Ubi pro *Didymæi* legendum videtur *Elymæi*, ex Hieronymo ad hunc locum. Favet huic conjecturæ quòd Strabo libro XVI. *interfectum à Barbaris* ait hunc Antiochum *cùm Beli templum spoliare conaretur.* Ergò נכשל [*impinget*] valet hic *imprudenter se geret.*

20. *Et stabit in loco ejus vilissimus & indignus decore Regio*] In Hebræo est: *& stabit in loco ejus* (id est, succedet Antiocho Magno, eo loquendi genere quòd & suprà habuimus 7.) *is qui mittet exactorem gloriæ regni. Gloria regni* sive *Regis est populus*, Proverb. XIV. 27. Hunc gravibus exactionibus pressit Seleucus Philopator, *Soter* dictus; nec mirum, cùm nec Templo pepercerit: misit enim Heliodorum ut exigeret pecunias de Templo, II Maccabæorum III. 7. Illud *stabit in loco ejus* & Porphyrium refutat, qui hæc ad Ptolemæum Epiphanem Ægypti Regem trahebat, & Hebræos, qui ad Tryphonem Antiochi Sedetæ tutorem.

Et in paucis diebus] In Hebræo, *in diebus anni.* Sensum bene expressit Latinus. Simile loquendi genus suprà habuimus IV. 16.

Conteretur] *Interibit.*

Non in furore, nec in prælio] Neque per seditionem populi, neque vi hosticâ, sed ἐξ ἐπιβουλῆς Ἡλιοδώρου [*ex insidiis Heliodori*], ut loquitur Appianus, & veneno, ut credibile est.

21. *Et stabit in loco ejus despectus*] Hic jam designatur Antiochus dictus suis Ἐπιφανής [*Illustris* vel *Nobilis*], aliis Ἐπιμανής [*Furiosus*], *cornu parvum ac decimum*, in quo definit hoc capite Daniel, populum Judæum post id liberum prospiciens, talémque mansurum, si bonis suis rebus bene uti didicisset. Dicitur autem hic Antiochus *despectus*, ob mores ab omni non tantùm Principis dignitate sed & viri honesti gravitate alienos, quos ex Polybio nobis latè descriptos dedit Athenæus libro V. & X. Magno velim ad explicanda quæ sequuntur Sutorium mihi dari quo usus olim Porphyrius. Eum multósque alios cùm non habeamus, utendum nobis iis scriptoribus qui restant, & iis quæ ex Porphyrio nobis dedit Hieronymus.

Et non tribuetur ei honos Regius] Id est, populus, ut suprà diximus 20. Nullum habebit populum cui imperet; quia lege successio regni pertinebat ad fratrem ejus majorem Seleucum Philopatora, ac deinde ad ejus Seleuci filium Demetrium.

Et veniet clàm, & obtinebit regnum in fraudulentia] In Hebræo; *Veniet tranquillè, & obtinebit regnum blanditiis:* id est; simulatione clementiæ populum Syriæ alliciet.

22. *Et brachia pugnantis expugnabuntur à facie ejus*] In Hebræo: *Et brachia inundatione inundabuntur à facie ejus. Brachia* sunt vires, ut suprà 6. 15. *Inundatio*, copiæ magnæ, ut suprà 10. Intellige copias Attali & Eumenis Antiocho faventium, per has oppressit Antiochus hic Heliodorum, qui cùm Seleucum Philopatora, ab Antiocho fortè in id concitatus, occidisset, mox ipse sceleris sui fructu potiri voluerat, Syriæque regnum affectabat. Appianus testis.

Et conterentur] Heliodori sectatores.

Insuper & Dux fœderis] In Hebræo: *Etiam Princeps fœderis*, id est, Princeps cum ipso fœderatus; Demetrius scilicet filius Seleuci Philopatoris.

23. *Et post amicitias cum eo faciet dolum*] In Hebræo; *Et postquam societatem cum eo fecerit utetur dolo:* efficiendo per amicos quos Romæ habebat, ut Demetrius Romæ retineretur; ipse interim eo absente res suas promovens.

Et ascendet, & superabit in modico populo] *Roborabit se modicâ gente.* Initia ejus in Syria erunt exigua; sed paulatim crescet, ut sequitur.

24. *Et abundantes & uberes urbes ingredietur*] *Paulatim optima regionis* (Syriæ) *invadet.*

Et faciet quæ non fecerunt patres ejus] Tum exactionibus, tum largitionibus majores suos superabit.

Rapinas & prædam, & divitias eorum] Gazas quas majores sibi bello pepererant, aut ex tributis contraxerant.

Dissipabit] Elargiendo in milites suos, & in Attalum & Eumenem. Vide I Maccab. III. 30. Fuit enim Antiochus μεγαλόψυχος καὶ φιλόδωρος [*magni animi & largitor*], Josephus XII. 11.

Et contra firmissimas cogitationes inibit] Scripserat Interpres *contra firmissima*, על מבצרים, id est, ad occupanda loca in finibus, ut suprà 15. Græci legêre על מצרים, ἐπ' Αἴγυπτον [*adversùs Ægyptum*], ut idem dicatur quod in sequentibus; & I Macc. I. 17. ὑπέλαβε βασιλεῦσαι τῆς Αἰγύπτου [*speravit regnare in Ægypto*]. Sed melior est recepta lectio.

Et hoc usque ad tempus] Id est, per annos aliquot hæc aget.

25. *Et concitabitur fortitudo ejus, & cor ejus adversùs Regem Austri*] Et vires & animum vertet in Regem Ægypti Ptolemæum Philometora.

In exercitu magno] Id est, *cum magno exercitu.* Hæc est prima expeditio apertè suscepta in Philometorem, quod is sibi jus in Syriam vindicaret. Ejus meminit ex Sutorio Hieronymus. De eo scriptor I Maccab. I. 18. εἰσῆλθεν εἰς Αἴγυπτον ἐν ὄχλῳ βαρεῖ ἐν ἅρμασι, καὶ ἐλέφασι, καὶ ἐν ἱππεῦσι, καὶ ἐν στόλῳ μεγάλῳ [*intravit in Ægyptum cum magno exercitu, curribus, elephantis, equis, & classe valida*].

Et Rex Austri provocabitur ad bellum multis auxiliis] In Hebræo; *Et Rex Austri contendet bello cum magno exercitu:* Græcè, συνάψει πόλεμον ἐν δυνάμει μεγάλῃ. Eodem modo vertunt Lxx יתגר [*confligere*] Hebræum Deuteronomii II. 5. 9. 24 Jeremiæ autem L. 24. per ἀνθίστασθαι [*obsistere*].

Et fortibus nimis] *Et eo* (exercitu) *valde forti*, ità ut spes esset vincendi Antiochum, si res ejus bene administratæ fuissent ab Eulaio & Leneo.

Quia inibunt adversùs eum consilia] Ii quibus utetur Philometor ipsi nocebunt.

26. *Et comedentes panem cum eo conterent eum*] Ἐξήγησις [*Explicatio*] ejus quod præcessit. Prodetur à maximè familiaribus; familiaritas enim denotari solet per mensæ communionem, Johan. XIII. 18. Psalmo XLI. 10.

Exercitusque ejus opprimetur] Nempe *inter Casium montem & Pelusium.* Ità ex Sutorio Hieronymus. Scriptor I Maccab. I. 19. Καὶ ἐνετράπη Πτολεμαῖος ἀπὸ προσώπου αὐτοῦ καὶ ἔφυγε [*veritus est Ptolemæus à facie ejus & fugit*]. Josephus XII. 6.

γενόμενος οὖν μετὰ πολλῆς δυνάμεως κατὰ τὸ Πηλούσιον, καὶ δόλῳ τὸν Φιλομήτορα Πτολεμαῖον περιελθὼν καταλαμβάνει τὴν Αἴγυπτον [*progressus igitur magno cum exercitu ad Pelusium Ptolemaeum Philometora dolo circumvenit, & Ægyptum capit*].

Et cadent interfecti plurimi] Ingens erit clades: ἔπεσον τραυματίαι πολλοί [*multi vulnerati cecidere*], dicto loco Maccabaïci.

27. *Duorum quoque Regum cor erit ut malefaciant, & ad mensam unam mendacium loquentur*] Memphide inter se convenient, specie amici, animo infidi suspectique mutuo, Antiochus Epiphanes & Ptolemaeus Philometor. Vide Hieronymum.

Et non proficient] Non succedent doli.

Quia adhuc finis in alind tempus] *Quia eventus* (illorum dolorum) *adhuc in aliud tempus* à Deo dilatus est scilicet. Hoc est tempus de quo mox infrà 29.

28. *Et revertetur in terram suam cum opibus multis*] Scriptor I Maccab. I. καὶ ἔλαβε τὰ σκῦλα τῆς Αἰγύπτου. Καὶ ἐπέστρεψεν Ἀντίοχος μετὰ τὸ πατάξαι Αἴγυπτον [*Et accepit spolia Ægypti: & reversus est Antiochus postquam percussit Ægyptum*].

Et cor ejus adversùs testamentum sanctum] Cogitationes instituet contra legem Dei, quam διαθήκην ἁγίαν [*Testamentum sanctum*] in hujus rei historia vocat scriptor I Maccab. I. 66. Hoc est quod contumeliosè narrat Tacitus: *Antiochus demere superstitionem, & mores Graecorum dare adnixus*. Hic est primus adventus Antiochi in Judaeam praeteritus à scriptore primi Maccabaici, quòd secundi adventûs res multò atrociores fuerint.

Et faciet] De Sacerdotio egit ut voluit.

Et revertetur in terram suam] Ex Judaea in Syriam dicto loco Maccabaïci: καὶ λαβὼν πάντα ἀπῆλθεν εἰς τὴν γῆν αὐτοῦ [*& accipiens omnia abiit in terram suam*].

29. *Statuto tempore*] A Deo, ut suprà 27.

Revertetur, & veniet ad Austrum] Id est, iterum in Ægyptum veniet, specie adjuvandi Ptolemaeum Philometora contra seditiosos Alexandrinos suffultos praesentiâ Ptolemaei minoris, qui frater Philometori, caeterùm eo animo ut utrumque everteret, quemadmodum narrat Livius libro XLV. 5. & Appianus XXXIV. Hoc est secundum iter Antiochi in Ægyptum, cujus mentio II Maccabaeorum V. I. & Josephi XII. 6.

Et non erit priori simile novissimum] Non erit ei secunda haec expeditio tam felix quàm prima.

30. *Et venient super eum trieres & Romani*] In Hebraeo: *Et venient super eum naves Chittim*. Graecè: καὶ εἰσελεύσονται ἐν αὐτῷ οἱ ἐκπορευόμενοι Κίτιοι [*& venient ad eum profecti Cittis*]. Optimè vertas: *Venient contra eum naves è Macedonia*. כתים [*Chetim*] primùm dicti *Citiaei*, qui in Cypro, ut diximus ad Num. XXIV. 24. Coepit deinde ea vox ab Hebraeis, ut fit, latiùs extendi ad significanda omnia quae Hebraeis transmarina, praecipuè Macedoniam, ut apparet I Maccab. I. I. Romani autem eo tempore quod hîc praedicitur jam Macedoniam devicerant, partimque ibi partim in locis proximis classem habebant validam. Livius libro XLV, post finem belli Macedonici: *Victoria Romana fama cum pervasisset in Asiam, Antenor* (Dux alter Romanae classis) *qui cum classe lemborum ad Phanas stabat* (id est Chiorum promontorium), *Cassandriam inde trajecit* (ea est urbs Macedoniae, ut docet nos Plinius IV. 10.). *C. Popilius qui ad Delum praesidio navibus Macedoniam petentibus erat, postquam debellatum in Macedonia, & statione summotos hostium lembos audivit, dimissis & ipse Atticis navibus, ad susceptam legationem peragendam navigare Ægyptum pergit, ut priùs occurrere Antiocho posset quàm ad Alexandria moenia accederet.*

Et percutietur] In Hebraeo, *Dolore afficietur*. Graecè, ταπεινωθήσεται [*humiliabitur*]. Maximo suo cum dolore ad mandata Popilii, qui eum virgâ circumscribet ut sine mora respondeat, cogetur Ægypto exire, praesidiaque & classem abducere. Livius dicto libro XLV.

Et revertetur] Ægypto rejectâ in Syriam.

Et indignabitur contra testamentum Sanctuarii] Iram contra Romanos collectam effundet in legem Dei, quae *pactum sanctitatis*, id est, sanctissimum dicitur, ut modò 28. Aquila hoc loco verterat: *Et cogitabit ut deseratur pactum Sanctuarii.*

Et faciet] Multa mala Judaeis per homines illos quos in Judaea nuper reliquerat.

Reverteturque & cogitabit adversum eos qui dereliquerunt testamentum Sanctuarii] In Hebraeo est, *& revertetur*, intellige *super derelinquentes pactum sanctitatis*. Id verò locutione Hebraica significat, *Iterum favebit Legis desertoribus*, Jasoni, Menelao, & his similibus.

31. *Et brachia ex eo stabunt*] Venit enim ἐν ὄχλῳ βαρεῖ [*cum magno exercitu*], I Maccab. I. 18. Locum hunc & sequentia quaedam videbis bene versa & commodè explicata apud Chrysostomum II adversùs Judaeos.

Et polluent sanctuarium fortitudinis] Intrabunt in Templum & vasa auferent, I Maccab. I. 23. & sequentibus, II Maccab. II. 15. *Sanctuarium fortitudinis*, quia Templum erat munitum arcis in modum. Vide Ezechiel. XL. 2.

Et auferent juge sacrificium]. Hic alter profanationis gradus, tempore aliquo interposito; jussit enim Rex κωλῦσαι ὁλοκαυτώματα καὶ θυσίαν καὶ σπονδὴν [*prohibere holocausta & sacrificium & libationem*], I Maccab. I. 47. Josephus: καὶ γὰρ τὰς καθημερινὰς θυσίας ἃς προσέφερον τῷ Θεῷ κατὰ τὸν νόμον ἐκώλυσεν αὐτοὺς προσφέρειν [*nam & sacrificia quotidiana, quae ex Lege offerre Judaei solebant, offerre eos vetuit*]. Porphyrius in libro περὶ ἀποχῆς [*de Abstinentia*], ait Judaeos ἀνήκεστα παθόντας ὑπ' Ἀντιόχου εἰς τὰ νόμιμα [*saevissima ab Antiocho passos legum suarum causâ*].

Et dabunt abominationem in desolationem] In Hebraeo, *Et ponent* (ibi) *idolum vastitatis*: id est, unde omnes boni longè fugere deberent. Hic est tertius gradus ac tempore postremus, cum Jovis Olympii, id est, בעל שמן [*Baal Semen*] simulacrum in ipso Templo collocatum est, II Maccab. VI. 2. βδέλυγμα ἠφανισμένων [*abominationem eorum qui delentur*] vertit Theodotion. At scriptor I Macc. in historia hîc praedicta, βδέλυγμα ἐρημώσεως [*abominationem desolationis*], I. 57. Josephus XII. 7. ἠνάγκασε δ' αὐτοὺς ἀφεμένους τὸν περὶ τῆς αὐτῶν Θεὸν θρησκείας τοὺς ὑπ' αὐτοῦ νομιζομένους σέβεσθαι [*coëgit eos Dei ipsorum cultu omisso eos colere quos ipse introducebat*].

32. *Et impii in testamentum simulabunt fraudulenter*] In Hebraeo, *Et impiè agentes contra foedus* (contra Legem) *inducet per blanditias ut simulent*. Id est, eos qui Sacerdotium contra Legem nundinati sunt, blandimentis eò perducet ut ad idololatriam conniveant. *Connivere*, id est ὑποκρίνεσθαι [*simulare*] II Maccab. VI. 21. ἐδόκουν τῇ λατρείᾳ [*consentire cultui*] I Maccab. I. 45. de Menelao. Vide II Maccabaeorum V. 15. 23.

Populus autem sciens Deum suum obtinebit] In Hebraeo, *tenebunt*: id est, adhaerebit Legi.

Et faciet] Quae Deus praecepit. I Maccab. I. 65. Καὶ πολλοὶ ἐν Ἰσραὴλ ἐκραταιώθησαν καὶ ὠχυρώθησαν ἐν αὐτοῖς τοῦ μὴ φαγεῖν κοινά, καὶ ἐπελέξαντο ἀποθανεῖν ἵνα μὴ μιανθῶσι τοῖς βρώμασι, καὶ μὴ βεβηλώσωσι διαθήκην ἁγίαν, καὶ ἀπέθανον [*Et multi in Israel fortificati sunt & offirmati in se se ut non comederent communia. Et elegerunt mori ut non polluerentur cibis, & nè inquinarent testamentum sanctum; & mortui sunt*]. Josephus XII. 7. Καὶ πολλοὶ μὲν τῶν Ἰουδαίων, οἱ μὲν ἑκόντες, οἱ δὲ δι' εὐλάβειαν τῆς ἐπηγγελμένης τιμωρίας κατηκολούθουν οἷς ὁ βασιλεὺς διετέτακτο· οἱ δὲ δοκιμώτατοι καὶ τὰς ψυχὰς εὐγενεῖς οὐκ ἐφρόντισαν αὐτοῦ, τῶν δὲ πατρίων ἐθῶν πλείονα λόγον ἔσχον ἢ τῆς τιμωρίας ἣν τοῖς ἀπειθοῦσιν ἠπείλησεν αὐτοῖς [*Et multi quidem Judaeorum, alii sponte, alii metu indictae poenae obsequebantur praeceptis Regis. At eminentissimi & animo generosi eum non curabant, sed potiore loco habebant patrios ritus quàm metum poenae ejus quam ille non obedientibus minabatur*].

33. *Et docti in populo docebunt plurimos*] Qualis Eleazarus II Maccab. VI. 18.

Et ruent in gladio, & in flamma, & in captivitate, & in rapina dierum] Id est, direptione longi temporis. I Maccab. I. 52. καὶ ὃς ἂν μὴ ποιήσῃ κατὰ τὸ ῥῆμα τοῦ βασιλέως ἀποθανεῖται [*& qui non faceret juxta verbum Regis moreretur*]. Vide & 66. ibidem. II Maccabaeor. VI. τοὺς δὲ μὴ προαιρουμένους μεταβαίνειν ἐπὶ τὰ Ἑλληνικὰ κατασφάζειν [*eos autem qui non vellent transire ad Graecos ritus jugulare*]. Vide & caput VII. eodem libro, & Josephum περὶ αὐτοκράτορος λογισμοῦ [*de Rationis imperio*]. Idem Josephus XII. 7. Καὶ διὰ τοῦτο καθ' πᾶσαν ἡμέραν αἰκιζόμενοι καὶ πικρὰς βασάνους ὑποφέροντες ἀπέθνησκον· καὶ γὰρ μαστιγούμενοι καὶ τὰ σώματα λυμαινόμενοι ζῶντες ἔτι καὶ ἐμπνέοντες ἀνεσταυροῦντο [*Et ob hoc quotidie pessimè tractati & gravissimis cruciatibus toleratis moriebantur: nam & flagellis caesi & corpore mutilati vivi adhuc & spirantes crucibus affigebantur*]. Huc & illa spectant ad Hebraeos XI. 35. 36. Ἄλλοι δὲ ἐτυμπανίσθησαν, οὐ προσδεξάμενοι τὴν ἀπολύτρωσιν, ἵνα κρείττονος ἀναστάσεως τύχωσιν. ἕτεροι δὲ ἐμπαιγμῶν καὶ μαστίγων πεῖραν ἔλαβον, ἔτι δὲ δεσμῶν καὶ φυλακῆς [*alii autem decollati sunt non suscipientes redemtionem, ut meliorem invenirent resurrectionem. Alii verò ludibria & verbera experti, insuper & vincula ac carceres*].

34. *Cùmque corruerint*] Cùm in summis miseriis oppressi jacebunt. Graecè, ἐν τῷ ἀσθενῆσαι αὐτοὺς [*ubi infirmati fuerint.*]

Sublevabuntur auxilio parvulo] Mattathias cum quinque filiis ad libertatem initium faciet, I Maccab. II. II Maccab. V. 27. Josephus XII. 8. & sequentibus. Bene hunc locum accepit Porphyrius. Confer Ezechielis XXXVIII. XXXIX. & ibi dicta.

Et

Et applicabuntur eis plurimi fraudulenter] Ut I Maccab. v. 56. & seqq. II Maccab. XII. 40.

35. *Et de eruditis ruent*] Etiam de illis piè eruditis quidam in summas miserias decident. Græci hîc iterum ἀσθενήσουσι [*infirmabuntur*], bene, ut Romanorum VIII. 26. I Corinth. XI. 3. II Corinth. XI. 30. XII, 9. 10.

Ut conflentur] Causam addit cur Deus id permiserit, nempe ut illis malis excocti magis qui sint appareant.

Et eligantur] In Hebræo, *Et mundentur*: id est, conspiciantur mundi, non sordido lucro dediti.

Et dealbentur] Id est, appareant sinceræ ac bonæ fidei homines.

Usque ad tempus præfinitum] Constitutum à Deo, ut suprà 27. 29. intellige tempus liberationis.

Quia adhuc aliud tempus erit] In Hebræo: *Quia adhuc* (restat nonnihil) *ad constitutum tempus* liberationis. Spatium autem hoc quò erit longius, eò magis inclarescet eorum pietas & constantia.

36. *Et faciet juxta voluntatem suam Rex*] Id est, omnia illi diu succedent pro voto, ut suprà VIII. 4. XI. 3.

Et elevabitur & magnificabitur adversùs omnem Deum] Nam, ut ait Polybius apud Athenæum, πάντων γὰρ τῶν παρ' ἀνθρώποις λεγομένων ἢ νομιζομένων θεῶν ἢ δαιμόνων, περσέτι δ' ἡρώων, εἴδωλα ἀνήγετο [*omnium qui ab hominibus dicuntur aut creduntur dii aut dæmones; aut etiam heroes, simulacra secum ferebat*]. Interim verò ἱεροσυλήκει τὰ πλεῖστα τῶν ἱερῶν [*diripiebat templa pleraque*].

Et adversùs Deum deorum loquetur magnifica] Adversùs verum quoque Deum erit contumeliosus. I Maccab. II. 6. Καὶ εἶδε τὰς βλασφημίας τὰς γινομένας ἐν Ἰούδα καὶ Ἱερουσαλήμ [*Vidit blasphemias quæ fiebant in Juda & Jerusalem*]. II Maccab. VIII. 4. καὶ περὶ γινομένων εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ βλασφημιῶν [*& blasphemias nomini suo illatas*]. Ideo Antiochus II Maccab. IX. 28. vocatur ἀνδροφόνος καὶ βλάσφημος [*homicida & blasphemus*]. Vide & II Maccab. X. 4. 34. 35. 36.

Et dirigetur] *Prosperè aget.*

Donec compleatur iracundia] *Donec Dei ira finem accipiat*: nempe ea quam Deus concepit ob gravia ac diuturna populi peccata.

Perpetrata quippe est definitio] *Quia facta est definitio.* Tempus quamdiu hæc mala duratura sunt à Deo est definitum, ut suprà IX. 27. XII. 9. II. 12.

37. *Et Deum patrum suorum non reputabit*] In Hebræo; *Super deos patrum suorum non intelliget*: id est, non curabit deos Macedonicos.

Et erit in concupiscentiis feminarum] Apud Hebræos ו negativam sequens negat, & valet *nec*, ut sensus sit, *neque desiderium mulierum*, id est, neque feminas, quanquam amabiles, curabit quicquam, nullâ sexûs illius tangetur misericordiâ. I Maccab. I. 27. Τὸ κάλλος τῶν γυναικῶν ἠλλοιώθη [*Speciositas mulierum immutata est*]. & 63. 64. καὶ τὰς γυναῖκας τὰς περιτετμηκυίας τὰ τέκνα αὐτῶν ἐθανάτωσαν κατὰ πρόσταγμα· καὶ ἐκρέμασαν τὰ βρέφη ἐκ τῶν τραχήλων αὐτῶν [*& mulieres, quæ circumcidebant filios suos, trucidabantur secundùm jussum, & suspendebant pueros à cervicibus eorum*]. II Maccab. V. 13. Ἐγίνοντο δὲ νέων καὶ πρεσβυτέρων ἀναιρέσεις, ἀνδρῶν τε καὶ γυναικῶν καὶ τέκνων ἀφανισμὸς, παρθένων τε καὶ νηπίων σφαγαί [*Fiebant ergò cædes juvenum ac seniorum, & virorum & mulierum & natorum exterminia, quin & virginum infantumque cædes*]. Josephus XII. 7. τὰς δὲ γυναῖκας καὶ τοὺς παῖδας αὐτῶν οὓς περιέτεμνον κατὰ τὴν τοῦ βασιλέως προαίρεσιν ἀπῆγχον [*mulieres verò simul & pueros quos illa circumcidebant ex jussu Regis strangulabant*].

Nec quenquam deorum curabit] Cujuscunque gentis dii sint, omnes spoliabit quos poterit.

38. *Deum autem Maozim in loco suo venerabitur*] *In loco suo*, id est, *in sua ditione colet deum Maëzim*. עזז [*Azaz*] est *fortis*, *validus*; unde nomen apud Phœnices habuit belli deus, Ἄζιζος [*Azizus*] dictus Juliano in hymno Solis. hîc verò voce ejusdem originis, præpositâ Heemanticâ & additâ formâ plurali, מעזים [*Maazim*]; unde & *armamentariis* factum nomen *Magasin*. Rursus ע pronuntiato ut o, & ז, more Chaldæorum & Arabum, mutato in ד, nomen hinc habuit vicus Μωδεὶμ [*Modiim*], ut scribit Josephus, aut ut scriptor Maccabaïcorum formâ plurali Chaldaïcâ Μωδεὶν [*Modin*], ubi templum ei deo structum, quò respicit locus I Macc. II. 15. Etiam hodie Judæi, ע in א verso, Martis sidus ab eadem hac origine vocant מאדים [*Modim*]. Hunc ergò deum Phœnicum exemplo coli voluit Antiochus. Vide quæ dicentur ad I Maccab. II. I.

Et deum quem ignoraverunt patres ejus colet] Is deus est summus Phœnicum deus בעל שמן [*Baal Semen*], quem Græci appellant Δία Ὀλύμπιον [*Jovem Olympium*], quasi translato nomine. Id verum esse apparet ex Dii historia Phœnicica, ubi τοῦ Ὀλυμπίου Διὸς τὸ ἱερὸν [*Jovis Olympii templum*] Tyri dicitur. Item ex Philone Byblio in versione Sanchuniathonis, τοῦτον γὰρ θεὸν ἐνόμιζον μόνον οὐρανοῦ κύριον, Βεελσάμην καλοῦντες, ὅ ἐστι παρὰ Φοίνιξι Κρόνος, Ζεὺς δὲ παρ' Ἕλλησι [*hunc enim solum deum existimabant cœli dominum, Beelsemen eum appellantes, qui est Phœnicibus Saturnus, Jupiter verò Græcis*]. Simili modo בעל שמן [*Baal Semen*] vertit scriptor II Maccab. Rectè autem Daniel hunc deum dicit *Antiochi majoribus*, id est Macedonibus, *ignotum*, quia neque nomine isto *Beelsamen*, neque eo habitu ac potestate quisquam erat in Græcis deus.

Auro & argento & lapide pretioso, rebusque pretiosis] Polybius de simulacris quæ secum vehebat Antiochus: τὰ μὲν κεχρυσωμένα, τὰ δὲ ἠμφιεσμένα στολαῖς διαχρύσοις. καὶ πᾶσι τούτοις οἱ προσήκοντες μῦθοι κατὰ τὰς παραδεδομένας ἱστορίας ἐν διασκευαῖς πολυτελέσι παρέκειντο [*quædam aurata, quædam vestita amictu ex auro solido. Et his aderant sua cuique fabula, ità ut in libris prodita sunt, magnifico opere*].

39. *Et faciet ut muniat Maozim cum deo alieno*] In Hebræo: *Et vertet in munitiones Maozim cum deo alieno.* Est autem συνεκδοχή [*Comprehensio*]· *Deos* enim nominans, templa intelligit, in quibus templis sive dei Maozim sive Beelsameni præsidia posuit contra Judæos. Vide I Maccab. I. 35. II Maccab. V. 22. 23. VI. 4. Josephus XII. 17. ubi describit arcem Templo superpositam, & in ea præsidium Macedonum.

Quem cognovit, & multiplicabit gloriam] Locutio Hebraïca, pro, *quem* (deum) *quisquis agnoverit* (id est coluerit), *eum* (Antiochus) *gloriâ augebit.*

Et dabit eis potestatem in multos] Præfecturas illis dabit, I Maccab. I. 53. καὶ ἐποίησεν ἐπισκόπους ἐπὶ πάντα τὸν λαόν [*& præposuit principes populo qui hæc fieri cogerent*]. Josephus: κατέστησε δὲ καὶ ἐπισκόπους οἳ προσαναγκάσουσιν αὐτοὺς τὰ ἐπεσταλμένα ποιεῖν [*constituit etiam Curatores qui Judæos cogerent imperata facere*].

Et terram dividet gratuitò] Elargietur illis terras quas aliis abstulerit, I Maccab. II. 10. In Hebræo non est *gratuitò*, sed *in pretio*, id est, loco præmii. Regii ministri ad Mattathiam I Maccab. II. 18, Νῦν πρόσελθε πρῶτος καὶ ποίησον τὸ πρόσταγμα τοῦ βασιλέως, ὡς ἐποίησαν πάντα τὰ ἔθνη καὶ οἱ ἄνδρες Ἰούδα καὶ οἱ καταλειφθέντες ἐν Ἱερουσαλήμ. καὶ ἔσῃ σὺ καὶ ὁ οἶκός σου τῶν φίλων τοῦ βασιλέως· καὶ σὺ καὶ οἱ υἱοί σου δοξασθήσεσθε ἀργυρίῳ καὶ χρυσίῳ καὶ ἀποστολαῖς πολλαῖς [*Ergò accede prior, & fac jussum Regis, sicut fecerunt omnes Gentes & viri Juda & qui remanserunt in Jerusalem: & eris tu & filii tui inter amicos Regis, & amplificatus auro & argento & muneribus multis*]. II Maccab. VII. 24. de Antiocho: δι' ὅρκων ἐπίστευ, ἅμα πλουτιεῖν καὶ μακαριστὸν ποιήσειν μεταθέμενον ἀπὸ τῶν πατρίων, καὶ φίλον ἕξειν καὶ χρείας ἐμπιστεύσειν [*cum juramento affirmabat, se divitem & beatum facturum, & translatum à patriis legibus amicum habiturum, & res necessarias ei præbiturum*].

40. *Et in tempore præfinito*] In Hebræo, *In tempore finis*: id est, cùm propè aderit tempus quo Deus finem volet imponere Judæorum miseriis.

Præliabitur adversùs eum Rex Austri] In Epitome libri Liviani XLVI legimus, *Ptolemæus Ægyptiorum Rex à minore fratre è regno pulsus.* Is minor frater *Physcon* dicebatur. Antiochus autem etiam post pacem factam infensus Ptolemæo Philometori, ut didicimus suprà 27. haud dubiè tam bonam occasionem arripiens Physconi se adjunxit. Et hæc est expeditio in Ægyptum, quam undecimo Antiochi anno evenisse narrat apud Hieronymum Porphyrius.

Et quasi tempestas veniet contra illum Rex Aquilonis] Antiochus ille Epiphanes.

In curribus & in equitibus, & in classe magna] Id est, *cum curribus*, & sic deinceps. Confer quæ suprà 25.

Et ingredietur terras, & conteret & pertransiet] In Hebræo, *Ingredietur in terras, inundabit, & transibit*: id est, ingenti copiarum vi cuncta sibi faciet pervia.

41. *Et introibit in terram gloriosam*] Iterum hîc est צבי [*decorem*], quo nomine Judæa designatur, ut diximus VIII. 9. & hoc capite 16. *Introibit* per Duces suos, Apollonium, Lysiam, Gorgiam. Vide Maccabaïca, Josephum.

Et multi corruent] Gentes vicinæ exscindentur.

Hæ autem solæ salvabuntur de manu ejus] Non exscindentur.

Edom & Moab] Idumæa & Moabitis.

Et Principes filiorum Ammon] Græcè: ἀρχὴ υἱῶν Ἀμμών [*Principatus filiorum Ammon*]. Metropolin Ammonitarum intelligit dictam *Rabath* vel *Rabathamon*. His pepercit Antiochus

quòd omnia imperata facerent. Vide 1 Maccab. v. Ideo Maccabæi his populis, ut Antiochi amicis, bellum intulere.

42. *Et mittet manum suam in terras*] Vicinas Ægypto.

Et terra Ægypti non effugiet] Nam Antiochus Physconem adjuvans, Philometorem, ut diximus, regno expulit.

43. *Et dominabitur thesaurorum auri & argenti, & in omnibus pretiosis Ægypti*] Id est, ille plurimum auri, argenti, rerúmque pretiosarum in Ægypto sibi bello acquiret. Polybius apud Athenæum cùm descripsisset opulentiam Antiochi in auro, argento, gemmis, addit: τὰ μὲν ἐκ τῆς Αἰγύπτου ἐνοσφίσατο παρασπονδήσας τὸν Φιλομήτορα βασιλέα [*partem ex Ægypto abstulit, violatis quæ cum Rege Philometore fecerat fœderibus*]. Planè idem dicit quod hîc prædicit Daniel.

Per Libyam quoque & Æthiopiam transibit] In Hebræo: *Libyes & Æthiopes in gressibus ejus.* Id est, ipsum comitabuntur, bello capti scilicet. Libyes enim & Æthiopes ab antiquo fœderati erant Ægyptiis, Ezechielis xxx. 5.

44. *Et fama turbabit eum ab Oriente & ab Aquilone*] Nuntius belli à Partho & Armenio. Parthi *ad Orientem* Antiocho, Armenii *ad Septentrionem.* De Partho testimonium habemus Taciti, ubi de Judæis agit, *Rex Antiochus demere superstitionem & mores Græcorum dare adnixus, quominus teterrimam gentem in melius mutaret, Parthico bello prohibitus est:* De Armenio Artaxia, Appiani & Hieronymi ex Porphyrio desumtum. Transivit ad posteros id bellum. Vide Epitomen Livii LIX.

Et veniet in multitudine magna, ut conterat & interficiat plurimos] Eâ spe properabit.

45. *Et figet tabernaculum suum Apadno inter duo maria super montem inclytum & sanctum*] אפדנו [*Aphadno*] vox est Syriaca, quæ sæpe in Thalmude occurrit. Appositè autem usurpatur ubi sermo de Rege Syriæ. *Tentorium palatii sui*, id est, prætorium *figet* in Judæa, quæ *mons* vocatur ob multa loca montana, ut apparet Ezechiel. VI. 3. Quod hîc est *montem inclytum* in Hebræo est צבי [*decoris*], quæ in Daniele certa denotatio Judææ. Et additur קדש [*sanctum*], quia tota Judæa Deo sacrata, Jeremiæ XXXI. 23. In ea Judæa Antiochus prætorium posuit, relictis ibi Ducibus qui majestatem Regiam, quasi Rege præsente, ipsius jussu ostentarent. *Maria* autem duo sunt ea inter quæ sita est Judæa, mare Syriacum & Asphaltites, quod *mare Mortuum* aliis dicitur, qui duo sunt Judææ termini. Porphyrius qui *Aphadno* & *Sabi* putavit esse nomina loci propria, partim ignoratione sermonis Hebraïci & Syriaci, partim nimio quodam studio in Paganismum fœdè hic lapsus est. Erat Porphyrius, ut ex scriptis ejus quæ exstant, & ex fragmentis quæ apud scriptores restant alios, cognoscimus, neque impius, neque Historiarum ignarus; sed dum consilia sequens humanæ prudentiæ incrustare vult Paganismum, quem Deus volebat destruere, magnas dat contumaciæ pœnas.

Et veniet usque ad summitatem ejus] *Usque ad fines suos ultimos*] Scilicet Imperii sui Persidem versùs, Josephus XII. 13. I Maccab. VI. ubi quæ dicemus vide; II Maccab. IX.

Et nemo auxiliabitur ei] Tanto corripietur mœrore, ob infelices in Judæa eventus, ut læsam indè valetudinem nemo restituere potuerit, Deo eum malè perdere volente. Vide Maccabaïca, & Josephum dictis jam locis.

CAP. XII.

MUNSTERUS.

1. E*Ritque tempus tribulationis*] Sancti Dei tempore Antichristi erunt in magna tribulatione. Antichristus autem cum suis gaudebit & deliciis vacabit, *comedet & bibet sicut in diebus Noah*, Matth. 24. At *omnes electi* & *qui scripti sunt in libro Vitæ*, *liberabuntur* ministerio Angelico, nè damnentur cum hoc mundo. Sed & mortui & *qui dormiunt in pulvere evigilabunt*, non omnes, sed quàm plurimi. Quidam enim quos inveniet ultima dies *immutabuntur* tantùm, & *non resurgent*, ut habet D. Paulus.

3. *Qui alios erudiunt*] Sic quoque Christus dixit, *Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in Regno cælorum.*

4. *Tene in secreto verba*] Non quòd omnino non sint legenda (*omnia* enim *scripta sunt propter nostram doctrinam*) sed ut ignavis & socordibus mysteria Dei abscondita sint. *Non* enim sunt *margaritæ projiciendæ ante porcos.* Et *multi* quidem *discurrent* per hæc verba, *& multiplicabuntur opiniones*, quòd non spiritu discendi sed curiosâ quadam vanitate & illotis pedibus audebunt ingredi in Sanctuaria Dei. Christus habet clavem scientiæ; & cui ille aperuerit librum, is intelliget quid Spiritus hic significavit.

6, 7. *Horum mirabilium*] i. Quamdiu durabit afflictio filiorum Dei in hoc mundo, & fruentur impii bonis diebus? *Mirari* id vocat rem, ut impii potestatem habeant in sanctos Dei, & illos pro voluntate sua vexent. Respondetur verò [illegible] *per tempus & tempora atque dimidium* sancti Dei passuri sint tyrannidem malorum, h. e. modico tempore, non integrâ annorum hebdomadâ. Faciunt alioqui *tempus & tempora atque dimidium* tres dies & dimidium. Durabit, inquit, hæc afflictio donec impii conterantur, qui manum admovent sanctis Dei in hac terra. Cæterùm articulus temporis non fuit revelatus Prophetæ; sicut & Christus dixit Apostolis, *Non est vestrum nosse tempora & momenta:* &, *De die illo & hora nemo scit*, &c.

11. *A tempore*] Sensus horum verborum videtur esse talis, Etiamsi tempus sub Antichristi persecutione prolongatum fuerit, beatus ille erit qui perseveraverit usque in finem. Spectat præceptum istud ad omnes pios ut perseverent ad finem: ità enim salutem consequentur æternam.

VATABLUS.

1. S*Tabit* יעמד] *Consurget.* ¶ *Qui stat pro filiis populi tui* העמד על בני עמך] i. Favet popularibus tuis.

2. In *terra pulveris* ארמת עפר] i. In terra pulverulenta, h. e. in pulvere, & sepulcris. ¶ *Ad contemptum sempiternum* לדראון עולם] *Ad abominationem sempiternam.*

3. *Intelligentes autem* והמשכילים] *Porrò docti*, sub. *in Lege Dei.* ¶ *Et justificantes multos* ומצדיקי הרבים] Hebraismus, pro *ad justitiam erudientes multitudinem*, sive *vulgus.*

4. *Claude* סתם] i. Tege, & absconde, h. e. efferas hæc ænigmaticè, ut audientes non intelligant: q. d. Hæc non planè cognoscentur antequam advenerint. ¶ *Finis* קץ] i. Præfinitum sive definitum à Deo. Vide v. 35. ¶ *Et multiplicabitur scientia* ותרבה הדעת] *Et multiplicabitur cognitio*, sub. *fidei & rerum sacrarum:* q. d. Sub. adventum Christi erunt homines doctiores quàm antea fuerint, & res diligentiùs rimabuntur.

5. *Duo alii* שנים אחרים] Sub. *Angeli*, Persidis & Græciæ. ¶ *Fluminis* היאר] Tigrim intelligit.

6. *Qui* erat, &c. 'אשר ממעל וגו] i. Qui videbatur stare inter ripas amnis.

7. *Et audivi* ואשמע] i. Qui respondit me audiente. ¶ *Et elevavit* וירם] Tanquam scilicet Deum testem invocans. ¶ *Ad tempus, tempora & dimidium* למועד מועדים וחצי] *In tempus & tempora & dimidium*, sub. *temporis:* i. tribulatio ista duratura est per tres annos cum dimidio. Quod ità intelligi debere, probatur per id quod in fine sequitur, *dies mille trecentos.* *Dimidium* ergò non intelligit certum aut præfixum. Potest intelligi de tempore certo aut indefinito. ¶ *Cúmque compleveris*, &c. 'וככלות וגו] *Cùm autem consummata fuerit dispersio roboris populi sancti*, i. cùm planè infirmata fuerit virtus populi mei.

8. *Quid in novissimo horum?* מה אחרית אלה] *Quid* erit in *fine horum?* vel, *quis erit finis?*

9. *Abi* לך] q. d. Nihil dicturus sum aliud, nè cures. ¶ *Clausa*, &c. 'סתמים וגו] q. d. Hæc non planè neque plenè intelligentur donec compleantur.

10. *Intelligent* יבינו] Sub. *has Prophetias.* ¶ *Sed intelligentes* והמשכילים] *Sed periti*, sub. *rerum sacrarum*, *dabunt operam ut intelligant hoc tempus.*

11. *Ad ponendam abominationem stupendam* ולתת שקוץ שמם] *Ad sufficiendam* in locum ejus *abominationem desolantem*, sub. *cultum Dei.*

12. *Trecentos*, &c. 'שלש מאות וגו] Addit superiori summæ 45 dies, in quibus erit refrigerium electis, ut & Matth. 24. 30. *Statim post tribulationem illorum temporum apparebit signum Filii hominis.* Igitur post persecutionem istam erit pauxilla requies sanctis ab illa calamitate.

13. *Vade* לך] Imper. Heb. pro fut. *vades:* q. d. Interim morieris, neque hæc videbis. ¶ *Et requiesces* ותנוח] Sub. *in sinu Abrahæ.* ¶ *In sorte tua*, &c. 'לגורלך וגו] i. In hereditate tua cœlesti & æterna usque ad finem illius temporis de quo jam dictum est v. 2.

CLARIUS.

1. C*Onsurget Michael*] Dominus ipse est *Michael* magnus Princeps, de quo Joannes in Apocalypsi scribit, quòd insidens equo albo prælietur pro populo suo. ¶ *Et veniet tempus*] Iisdem ferè verbis & Dominus usus fuit cùm afflictionem futuram nunciaret.

2. *Qui dormiunt in terra pulvere*] Hic apertissimus locus est de Resurrectione, etiam Judæis sapientioribus consentientibus, tametsi

tametsi cum Chiliastis videantur sentire. Joannes quoque Apoc. 20. postquam ostendit Antichristi exercitum cœlitus expugnatum, subdit de Judicio, *Et vidit thronum magnum*, &c. Et quod ait, *Multi evigilabunt*, videtur concordare cum verbis Pauli cùm ait, *Non omnes quidem dormiemus, omnes autem immutabimur*.

3. *Qui autem alios docuerint*] Etiam hanc sententiam pro asserenda Resurrectione Dominus protulit Matth. 13. *Tunc justi fulgebunt sicut Sol*. Ponit autem inter beatos discrimen, ad consolationem eorum qui plura perferunt.

4. *Claude sermones*] Ut ignavis & socordibus mysteria Dei abscondita sint. ¶ *Plurimi pertransibunt*] h. e. Legent & *percurrent* hæc verba, & *multiplicabuntur opiniones*: sed Christus unus habet clavem Scientiæ, & cui aperuerit librum is intelliget quid hîc significetur.

5. *Quasi duo alii*] Ideo *alii*, quia alio modo Divinam voluntatem patefaciebant. Priùs unus locutus erat Danieli, nunc accedit alter. Idem qui priùs *indutus lineu* loquebatur, & nunc loquitur.

6. *Usquequo finis horum mirabilium?*] *Miram rem* vocat hanc justorum afflictionem, eò quòd potestatem habeant impii in sanctos Dei. Sic & Prophetarum Paraphrastes Joannes *vidit sub altari animas interfectorum*: qui locus cum hoc collatus multam accipit lucem.

7. *Et audivi virum*] Est & hic versus Apoc. 10. ¶ *In tempus & tempora*] De hoc etiam suprà dictum est. Nam quia Hebdomas plenus numerus est, dimidiata abbreviati temporis symbolum est. Sic Joannes Apoc. 11. dicit *corpora Prophetarum per tres dies & dimidium non poni in monumentis*. Idem cap. 13. describit per menses 42, qui & ipsi tres annos cum dimidio reddunt. Et infrà *dies mille ducenti nonaginta*, & iterum *mille trecenti triginta quinque* circiter tres annos cum dimidio constituunt.

9. *Et ait, Vade*] Etiam hæc verba ostendunt articulum temporum nobis non manifestandum.

11. *A tempore cùm ablatum fuerit*] Videtur hic sensus, Etiamsi tempus sub Antichristi persecutione prolongatum fuerit, beatus ille erit qui perseveraverit usque in finem. Numerus enim 1335 excedit mediam annorum hebdomadam 45 diebus, qui numerus facit sex septenarios cum dimidio ferè: qui rectè accommodatur ad *finem*: q. d. Beatus eris, cujus tanta longanimitas invenietur, ut etiamsi longissimum spatium afflictionibus illis addetur, ità ut apparere jam septimus septenarius videatur, non tamen excidas.

13. *Vade ad præfinitum*] Vel *ad finem*. Danieli, sicut olim Mosi, dictum est, moriendum sibi extra terram Promissionis. Demum omnium Catholicorum & peritorum Hebræorum consensu in hoc ultimo versu Resurrectio promittitur.

LUCAS BRUG.

6. ET *dixi viro qui erat indutus lineis*, &c. *Usquequo finis horum mirabilium?*] Duo manuscripta, Plantini unum (medium) Collegii Trilinguis alterum, & Complutensis editio (quam Parisienses sunt secuti) legunt tertiâ personâ *dixit*, Hebræo conformiter, ויאמר, i. *& dixit*, scilicet alter eorum qui stabant super ripam fluminis. Cæterùm plerique omnes Latini libri, tum scripti tum impressi, primâ personâ scribunt *dixi*; quibus D. Hieronymi commentarius adstipulatur: sæpius enim repetit, Danielem interrogasse. Nisi dicas intellexisse Hieronymum, Danielem, mutatâ hîc personâ, de se in tertia persona locutum; id quod ego transferenti Hieronymo lubentiùs tribuerim, si non omisso Jod, ואמר legerit. Græcè est, καὶ εἶπεν, quod verti potest, &, *& dixi*, &, *& dixerunt*, scilicet duo illi qui stabant super ripas fluminis. Posteriori modo Theodoritus Græcus autor intellexit.

DRUSIUS.

3. והמשכלים וגו׳. Hier. *Hunc locum Th. & Vulgata editio ità expressit*, Et intelligentes fulgebunt quasi splendor firmamenti, & de justis plurimi quasi stellæ in æternum & ultrà] Alias *plurimis*: quod in ed. Rom. ἀπὸ τῶν δικαίων τῶν πολλῶν. Videtur autem legisse Theodotio מִצַּדִּיקִים *de justis*, quod nunc legunt מַצְדִּיקֵי *justificantes*: quæ lectio in omnes partes melior est. Hier. Cohel. 7. *Intelligentes sermones meos fulgebunt ut luminaria cœli, sive, ut Th. interpretatus est, quasi splendor firmamenti*. Idem in Comment. ad hunc locum, *Solent nonnulli quærere utrùm doctus sanctus & simplex sanctus eandem mercedem habeant & unam in cœlestibus mansionem. Unde nunc juxta Theodotionem dicitur quòd docti similitudinem cœli habeant, & absque doctrina justi stellarum fulgori comparentur; tantùmque sit inter eruditam sanctitatem & sanctam rusticitatem quantum Cœlum distant & Stella*.

7. למועד מועדים. εἰς καιρὸν καὶ καιροὺς *in tempus & tempora*] Verbum è verbo, *in tempus, tempora & dimidium*. Alii; *in tempus temporum*, εἰς καιρὸν καιρῶν.

13. ואתה לך לקץ ותנוח וגו׳. Hier. *Quæ Th. ità interpretatus est*, Tu autem vade, & requiesce, & resurges in ordine tuo in consummatione dierum. *Quo verbo ostenditur omnem Prophetiam vicinam esse resurrectioni mortuorum omnium, quando & Propheta surrecturus sit*.

GROTIUS.

1. IN *tempore autem illo*] Cùm adhuc exercitus Regis Antiochi erunt in Judæa.

Consurget Michaël Princeps magnus] Primus Angelorum, cui data cura τῶν μονοθέων [*eorum qui unum Deum colunt*], ut nunc Christo.

Qui stat pro filiis populi tui] Qui Judæorum, unius eo tempore populi unum & verum Deum colentis, curam habent.

Et veniet tempus] *Postquam venerit tempus*.

Quale non fuit ab eo ex quo gentes esse cœperunt usque ad tempus illud] Non malè hæc Porphyrius retulit ad ea tempora cùm Lysias Antiochi personam gerens omnia crudelissima in Judæos exercuit: Sed addenda simul & tempora priora. Nunquam sanè ante ista tempora graviùs ob religionem vexata fuit Judæorum universitas. Christus in re simili idem loquendi genus usurpat Matthæi XXIV. 21.

Et in tempore illo salvabitur populus tuus omnis qui inventus fuerit scriptus in libro] Illi remanebunt qui Legem coluerunt, inscripti in fronte, ut loquitur Ezechiel. Pii *scripti in libro* dicuntur, id est, destinati ad præmia. Solent enim Reges sapientes habere matriculas virorum optimè meritorum, quos deinde ad honores provehunt.

2. *Et multi de his qui dormiunt in terra pulvere evigilabunt*] Bene vertas: *Et multi qui cubarunt in pulverulenta humo exsurgent*. Id est, qui ob religionem ejecti Urbe, oppidis, vicis & villis, non habuerunt ubi caput reponerent (ut Christus de se loquitur Lucæ IX. 58.) redibunt in Urbem & alia loca habitata. Reddendum est Porphyrio quod ei debetur testimonium; est enim hunc locum optimè interpretatus de iis qui ob Legis cultum diu extorres ad sua redierе: sic tamen ut voces mirâ arte ità sint temperatæ ut Resurrectionis mysterium, quod apertè ante Euangelium revelari non debuit, innuant magis quàm explicent. Nihil potuit dici verius.

Alii in vitam æternam] Sensus primus hic est. *Illi quidem* (consurgent scilicet) *ad vitam longam*, quâ Deus eos donabit ob constantiam & mala tolerata. Confer locum Esaiæ LXV. 20. & ibi dicta. Sensus autem mysticus is est quem Christiani certâ fide tenemus: quò & hæc refert Apostolus Hebr. XI. 35.

Et alii in opprobrium, ut videant semper] Legit hîc Interpres לראון [*ad videndum*], ubi nos habemus melius לדראון, [*ad opprobrium*], quomodo & Græci legêre: vertunt enim εἰς ὀνειδισμὸν καὶ αἰσχύνην αἰώνιον [*in opprobrium & pudorem sempiternum*], supple *erunt*. Et αἰώνιον in primo illo quem diximus sensu interpretare *diuturnum*: diu spernentur ab omnibus bonis ii qui aut spe præmiorum aut pœnarum metu à Lege defecerint. Erunt alii in נדוי [*Separatione*], alii in חרם [*anathemate*]. Lex quidem interfici tales jubebat, sed necessaria erat venia ubi tanta pars populi peccaverat.

3. *Qui autem docti fuerunt*] Imò *doctores*. Est enim participium in Hiphil: *Qui alios instituerint* in illis periculis.

Fulgebunt quasi splendor firmamenti] זהר [*splendor*], quod hîc est, de *Planetis* dicitur; de *Sole* in Chaldæo Psalmo XIX. 5. de *Luna* in Chaldæo Deuteronomii IV. 19. de *Planetis* aliis itidem in Chaldæo Ezechielis XXXII. 8.

Et qui ad justitiam erudiunt multos] In Hebræo, *Qui instituunt multos*: id est, qui non eruditi quidem sunt, sed bono exemplo alios reddunt bonos.

Quasi stella] Minores Planetis.

In perpetuas æternitates] לעולם ועד, Græcè, εἰς αἰῶνας καὶ ἔτι [*in secula & amplius*], id est, fama eorum durabit in seculum & ultrà.

4. *Tu autem Daniel claude sermones, & signa librum*] *Fac bene servetur*, ut suprà VIII. 26. ubi dicta vide.

Usque ad tempus statutum] In Hebræo, *Usque ad tempus finis*; Græcè, ἕως καιροῦ συντελείας [*ad tempus usque impletionis*], id est, donec hæc eveniant, ut tunc tua scripta cum rebus ipsis comparentur.

Plurimi pertransibunt] *Percurrent*, Nempe vaticinium hoc

hoc abs te perscriptum, eo nempe tempore cùm res evenerint.

Et multiplex erit scientia] *Et multiplicabitur scientia*: id est, per id magis quàm antè innotescet Divina providentia & præscientia.

5. *Et vidi ego Daniel*] Novum visum priora confirmans & explicans.

Et ecce quasi duo alii stabant] *Duo alii* Angeli, alter Persarum tutor, alter Græcorum: quorum mentio capite x. 20. Ità hîc Hieronymus rectè.

Unus hinc super ripam fluminis, & alius indè ex alia ripa fluminis] *Fluminis* Tigridis, cujus mentio suprà x. 4. *Stabant* autem velut certantes de possessione Tigridis & terrarum quæ erant cis & ultra id flumen.

6. *Et dixit viro qui erat indutus lineis*] Michaëli descripto suprà x. 5. Is jam illi apparuit cum minore quàm antea fulgore, tantùm ut dicta Gabrielis majore auctoritate comprobaret.

Usquequo finis horum mirabilium?] Id est, Quamdiu durabunt ista populi Judaïci mala?

7. *Cùm elevasset dextram & sinistram suam in cœlum*] Juitantium mos erat manum ad cœlum attollere. Hic verò utramque attollit, quò certior dictis sit fides.

Et jurasset per Viventem in æternum] Deus ergò hic non erat, sed Archangelus.

Quia in tempus & tempora & dimidium temporis] Confirmat id quod minor Angelus dixerat suprà VII. 25.

Et cùm completa fuerit dispersio manus populi sancti] Id est, cùm maximè extra urbes & vicos per agros sparsi erunt pii Judæi. Vide I Maccab. II. 29. II Maccab. VIII. 1.

Complebuntur universa hæc] Tunc brevi implebuntur quæ dixi.

8. *Et ego audivi, & non intellexi*] Nempe quid futurum esset post illud triennii & temporis circiter semestris spatium.

Et dixi, Domine mi, quid erit post hæc?] Quid tum fiet?

9. *Vade, Daniel*] Nempe ut ascribas libro tuo quæ jam dicam.

Quia clausi sunt signatique sermones usque ad præfinitum tempus] Rectiùs, *Ut clausi signatique* maneant *hi sermones ad tempus eventûs usque*. Ut tamdiu bene asserventur donec eventus ea comprobet, ut suprà VIII. 26. & hîc 4.

10. *Eligentur & dealbabuntur, & quasi ignis probabuntur multi*] *Mundabuntur & dealbabuntur multi, ubi conflati fuerint*. Sunt eadem verba quæ suprà XI. 35. nisi quòd modus per quem apparebit piorum puritas atque sinceritas ibi præponitur, hîc postponitur. Sensum, qui idem suprà, exposuimus.

Et impii agent impii] Occasione datâ, qui mali sunt malitiam suam detegent. Tempore opus est ut patefiat utrumque hominum genus.

Neque intelligent omnes impii] Improbi nulli intelligent quorsum Deus mala ista tamdiu durare patiatur.

Porrò docti intelligent] *Doctores verò facient ut ista intelligantur*: id est, Qui tua legerint, & versati erunt in aliorum Prophetarum libris, instituent plebem de consilio Dei tantas calamitates tam diu durare sinentis.

11. *Et à tempore cùm ablatum fuerit juge sacrificium & posita fuerit abominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta*] Jam designatiùs ostendit dies aliquot excursuros ultra triennium & semestre tempus, post quod totum tempus, & non diutius, cessabit ὁ ἐνδελεχισμός [*sacrificium juge*]. In eo tempore comprehenditur etiam collocatio Idoli vastantis in Templo. Vide quæ diximus VII. 25. Vide σύλληψιν [*Complexionem*] similem IX. 25.

12. *Beatus qui exspectat*] *Qui provivet*.

Et pervenit] *Perveniet*.

Ad dies mille trecentos triginta quinque] Ad mortem usque Antiochi indicatam suprà XI. 45. quo tempore Judæi non malis tantùm sed & omni malorum metu levabuntur.

13. *Tu autem vade ad præfinitum*] Vade ad negotia tibi injuncta, ut suprà VIII. 27.

Et requiesces] Tranquillè vives posthac, immunis ab illis periculis quæ sub Chaldæis subiisti.

Et stabis in sorte tua] Præfecturam quam nunc habes retinebis.

In finem dierum] Ad plenissimam usque senectutem. Hic simplicissimus est sensus. Videntur tamen studio ità concepta verba ut illud *quiesces* de morte sumi possit, & *stabis* significare ἀναστήσῃ [*resurges*] (quomodo vertit Theodotion), & *finis dierum* finem Universi. Quem sensum & Hebræorum quidam amplectuntur.

ANNOTATA
AD
OSEEN.

CAP. I.

MUNSTERUS.

VOcant Hebræi Prophetas minores Chaldaico vocabulo à numero ipso תרי עשר TRE ÆSER, i. *Duodecim:* complectunturque eos uno volumine; non quòd uno & eodem tempore prophetaverint, sed חברום יחד שלא יאבד ספר מהם מפני קטנותו אם היה כל אחד כיחד בפני עצמו, h. e. *ideo conjunxerunt eos simul nè aliquis ex eis perderetur, cùm libri sint perbreves, si quilibet eorum per se seorsum haberetur.* Et in omnibus eis unum illud præcipuum invenitur argumentum, quòd cupiant Christi Regnum propagare & ampliare, etiamsi alii aliis id agant rationibus. Hosea, Joel, Amos & Micha prophetarunt contra Decem tribus, h. e. contra Regnum Israel: Sophonias vaticinatus est contra Jerusalem; & quatuor contra Gentes, nempe Jona & Nahum contra Ninivitas, Habacuk contra Babylonem, & Obadia contra Ædom. Tres postremi urgere fategerunt populum ad reædificandum Civitatem, nempe Haggæus, Zecharia & Maleacha.

2. *Sume tibi uxorem fornicationum*] Hebræi putant hæc per visionem acta, quòd verè non duxerit scortum, sicut nec Jesaias reipsa per triennium nudus & discalceatus incessit, & Jehezkel per tot dies in utroque cubavit latere; sed sic videbatur Prophetis in visione, quasi hæc sic evenirent. Unde & Chaldæus Interpres hunc locum sic vertit, *Dixit Dominus ad Hoseam, Vade, & annuncia Prophetiam habitatoribus civitatum post idola errantium, qui addunt ut peccent, quoniam errando errant incolæ terræ à cultu Domini recedentes. Abiens igitur prophetavi contra eos, quòd si pœnitentiam facerent dimitteretur eis peccatum; si non, marcescerent, quasi folia ficulnearum, adjiciendo & faciendo mala. Dixitque Dominus ad me, Voca nomen eorum Dispersos, quoniam adhuc parùm est & exiguum, & visitabo sanguinem idololatrarum quem effudit Jehu in Jizreel, qui occidit idololatras, & reversus est ipse cum suis, & erraverunt post Vitulum qui fuit in Bethel.* Hæc Jonathan Chaldæus. Hinc vides, Lector, כי זה משל לישראל הזונים מאחרי השם, *Prophetiam istam figuram esse*, ut Kimchico utar verbo, *Israelis fornicantis post idola, & recedentis à Domino.* Etiamsi Propheta non peccasset si ità gestum fuisset, & scortum duxisset, cùm Deo præcipienti paruisset; sicut nec Israel de furto in Ægypto accusatur, neque Abraham de homicidio filii, quia aberat illis mens sanguinaria, avara & impura.

3. *Diblaiim*] Interpretatur DIBLAIIM *Massæ ficuum:* quod annotavimus ut scias quare Jonathan mentionem faciat *ficulnearum.*

4. *Visitabo sanguines Jizreelis*] Nomine *Jizreelis* intelligitur Samaria. Nam fuit metropolis Samariæ; & in ea fuit occisus justus Naboth; fuerunt & multi idololatræ in ea per Jehu bono zelo interfecti: sed quia nec Jehu ab idololatria sibi temperavit, & opere ostendit quasi injustè fecisset occidendo impios idololatras, prædicit Dominus ultionem sumendam ex domo ejus propter sanguinem etiam justè in idololatris fusum.

5. *Frangam arcum*] Per *arcum* intellige robur.

7. *Domui Jehuda miserebor*] Illa enim flagellis castigata sæpe resipuit à malo suo: Id quod domus Israel non fecit; ideò indigna fuit Dei misericordiâ, &, ut sequitur, nomen datum est ei, *Non populus meus:* q. diceret Deus, Eritis mihi perinde atque aliæ gentes.

10. *Erit numerus filiorum Israel*] Vides quomodo ex *populo non Dei* per misericordiam Dei in Christo Jesu fiant *filii Israel*, & Deus servet promissiones Abrahamo factas, quando promisit *illius semen multiplicandum quasi arenam maris:* ¶ *Filii Dei viventis*] Ecce *non populus Dei* fiunt *filii Dei*, idque per gratiam Euangelii. Magnum est esse *populum Dei*, sed majus est esse *filios Dei*, qui dispersi per orbem hîc prædicuntur *congregandi sub unum caput* Christum *in magno illo die Jezreel.* Pro quo Jonathan clariùs vertit, *quoniam magnus est dies* בנישתהון *congregationis eorum.* Sonat autem JIZREEL *disseminatio*-*nem*, significatque utrumque hîc, populum ex disseminatione iterùm congregandum in unum sub capite Christo.

VATABLUS.

1. VErbum, &c. דבר וגו׳] *Sermo Jehovæ qui factus est ad Hoseam*, i. Sermo quem habuit Jehova cum Osea, h. e. Prophetia Oseæ. Hebraismus. Annotant Hebræi, Quia dicitur hic, *Verbum Domini*, &c. significari Oseam fuisse Prophetam Dei, ac verum Prophetam, non pseudoprophetam. ¶ *Beeri* בארי] Asserunt Hebræi (tametsi pluribus non probetur) hunc Beeri cum fuisse qui alio nomine dictus est *Beera*, princeps Rubenitarum, quem captivum abduxit in Assyriam Thilgath-phalnasar, 1 Par. 5. 6. Dicunt præterea, Quoties Scriptura meminit patris alicujus Prophetæ, innui etiam ipsum patrem fuisse verum Prophetam. ¶ *In diebus* בימי] Quia tempora constant diebus, idcirco *dies* accipiuntur pro *tempore.*

2. *Principium sermonis*, &c. תחלת דבר וגו׳] *Initium locutionis Jehovæ per Hoseam: dixit enim Jehova*, &c. i. Prima Prophetia quam inspiravit Dominus Deus in animum Hoseæ, est hæc quæ sequitur. Potest דבר verbum esse præteritum, & subauditur אשר, propterea quidam vertunt, *Initio* quo *locutus est Jehovah per Hoseam, dixit ad ipsum Hoseam.* Hoc modo redundabit ו in ויאמר. Alii, *Quando primùm locutus est Jehovah per Hoseam, tunc*, &c. ¶ *Fornicationum*, &c. זנונים וגו׳] i. Fornicariam, *& suscipe ex ea filios fornicarios*, h. e. natos ex illa matre fornicaria, non quòd fornicata sit post matrimonium. Chaldæus P. dicit hoc dictum fuisse ipsi Oseæ in visione Prophetica tantùm, nempe in somnio, non reipsa: Quem sequuntur doctissimi Hebræorum. Solent autem Prophetæ carpere populum aliquando verbis, aliquando symbolis & signis: id quod fit initio hujus Prophetiæ. Propheta refert Deum; *uxor fornicaria*, Synagogam: *filii fornicariæ*, eos quos docuit Synagoga. Hoc ergò signo & symbolo voluit ostendere Synagogam Israeliticam defecisse à Sponso suo Deo per idololatriam quam Scriptura *fornicationem* vocat. Summopere enim detestatur idololatriam. Notandum postremò, Prophetas circa duo potissimùm versari; circa terrorem, dum ponunt nobis ob oculos peccata nostra; & circa consolationem, proposito nobis Christo: ut in hac Prophetia perspicitur, in qua invehitur Propheta in idololatriam Israelitarum, ob quam prædicit illis ac interminatur futuram captivitatem. Simul tamen consolatur eos adventu Christi. ¶ *Fornicabitur* תזנה] Fut. Heb. pro præt. ut quidam vertunt, *fornicata est hæc regio nè sequeretur Dominum.* ¶ *Nè eat post Jehovah* מאחרי יהוה] Ad verb. *de post Jehovah*, i. destitit sequi & colere Jehovam: dereliquit eum, & coluit deos alienos.

3. *Abiit itaque* וילך] q. d. In ostensione illa Prophetica visus est sibi ivisse & accepisse. ¶ *Gomer filiam Diblaim* את גומר בת דבלים] Dicunt Hebræi hæc nomina esse fictitia, & GOMER significare *Consumptionem*, & DIBLAIM *palathas duas*, quibus animi & corporis voluptates intelliguntur, quæ pariunt consumptionem & interitum.

4. *Adhuc paululum, & visitabo* עוד מעט ופקדתי] Hebraismus, *brevi visitaturus sum*, h. e. ulturus, *sanguinem* fusum, sive cædem factam *in Jezrahel*, *& cessare faciam*, &c. Hâc re Propheta ostendebat futurum ut Decem tribus irent in captivitatem, & destrueretur Regnum Israel propter idololatriam. ¶ *Sanguinem Jezreel* את דמי יזרעאל] Ad verb. *sanguines*, i. cædem, h. e. sanguinem, Naboth in illo loco effusum, quem ultus est Jehu, qui jussu Domini occîdit filios Achab 2 Reg. 10. 7. *Jezrahelis* ideo meminit quòd Samaria & Jezrahel erant sedes Regia Regni Israelis.

5. *Conteram* ושברתי] Ad verb. *& conteram:* vel *confringam:* ו tantùm convertit Præt. in Fut. ¶ *Arcum* את קשת] Hoc uno instrumento reliqua omnia bellica instrumenta intelligit: q. d. *robur Regni Israel.* ¶ *In valle Jezreel* בעמק יזרעאל] Quidam Samariam intelligunt.

6. *Obliviscendo*, &c. נשא אשא להם] A נשה *oblivisci*, & est loco

loco ה. Alii à נשא deducunt, ut Chaldæus P. *sed si conversi fuerint* [aut *resipuerint*] *remittendo remittam eis:* sive, *parcendo parcam eis.* Doctus inter Hebræos exponit, *sed elevando elevabo super eos*, nempe את האויב *inimicum qui illos ducat captivos*, & *illorum destruat terram.* Alii להם pro אתכם positum esse volunt, vertentes, *sed tollendo tollam eos*, sub. *à conspectu meo:* ut significet Regnum Israelis nunquam instaurandum: nam Israelitæ qui abierant in captivitatem Assyriorum nunquam reversi sunt, aut certè paucissimi: vel, *portando portabo eos*, sub. *ad terram inimicorum suorum.* Alii, *quia parcendo peperci eis:* ut sit fut. pro præt. q. d. Hucusque peperci eis, quia illorum misertus sum; sed non addam ut ampliùs miserear.

7. *In Jehovah Deo suo*, ביהוה אלהיהם] *Per Jehovam Deum suum*, i. me autore: ope meâ, non ope humanâ. Loquitur de se in tertia persona. q. d. Mitiùs tamen agam cum Regno Juda. Per hoc significat instaurationem Regni Juda sub Cyro. ¶ *At non servabo eos* ולא אושיעם] Istud intelligitur de illa liberatione quâ liberati sunt ab obsidione Sennacherib. Hic non servatur ordo historiæ: aut vertendum *postquam servavero.* ¶ *Et bello*, ובמלחמה] i. Instrumentis bellicis.

9. *Et dixit* ויאמר] Nempe *Deus ad eum.* ¶ *Lo-ammi* לא עמי] Vaticinatur hic dura contra Regnum Decem tribuum: prædicit enim fore ut destituantur Israelitæ verbo Dei, Prophetiis & gratiis. Id *ablactatio* significat. Nam Lac verbum Dei significat, promissiones & Prophetias.

10. *Erit autem* והיה] Solent Prophetæ posteaquam interminati fuerint mox subjungere consolationem. Istud igitur intelligi debet de Israele fideli & vero Abrahæ filio. q. d. Hoc quod dixi intelligi debet de iis qui permansuri sunt in incredulitate: nam alioqui *numerus*, &c. acsi dicat, Non sunt autem omnes perituri, imò numerus filiorum Ecclesiæ erit maximus. ¶ *Dicebatur* יאמר] Fut. Heb. pro præt. imp. & sub. *à Domino*, vel *ab omnibus.* Gentium vocationem prædicit. ¶ *Dicetur* יאמר] Sub. *à Deo.*

11. *Et terra* מן הארץ] Sub. *captivitatis*, i. liberabuntur à captivitate. Qui enim redibant è captivitate dicebantur *ascendere è terra captivitatis suæ.* ¶ *Magnus* גדול] i. Celeberrimus & maximus.

CASTALIO.

10. E*Runtque Israelitæ numero pares arenæ maris immensæ ac innumerabilis*] Christiani, Rom. 9. 27.

11. *Congregatique eodem Judæi ac Israelitæ caput unum sibi constituent*] Messiam. ¶ *Ex terra proficiscentur*] Sc. Captivitatis. ¶ *Tanta est Jesraelitica dies*] Christianitatis. Nam JESRAEL *Divinum semen* significat.

CLARIUS.

VOcant Hebræi Prophetas minores Chaldaico vocabulo à numero ipso TREÆSAR, i. *Duodecim:* Complectuntúrque eos uno volumine; non quòd uno eodémque tempore prophetaverint, sed nè aliquis ex eis perderetur, cùm libri sint perbreves, si quilibet eorum per se seorsum haberetur. Et in omnibus eis unum illud præcipuum invenitur argumentum, quòd cupiant Christi Regnum propagare & amplificare, etiamsi alii aliis id agant rationibus. Osee, Joel, Amos & Micheas prophetaverunt contra Decem tribus, h. e. contra Regnum Israel. Sophonias vaticinatus est contra Jerusalem: & quatuor contra Gentes, nempe Jonas & Nahum contra Ninivitas, Habacuc contra Babylonem, & Abdias contra Ædom. Tres postremi urgere fategerunt populum ad reædificandum Civitatem, nempe Aggæus, Zacharias & Malachias.

2. *Sume tibi uxorem fornicationum*] Hebræi putant hæc per visionem acta, & quòd verè non duxerit scortum; sicut nec Esaias re ipsa per triennium nudus & discalceatus incesserit, & Ezechiel per tot dies in utroque cubaverit latere. Prophetia ergò hæc figura est Israelis fornicantis post idola, & recedentis à Domino: Etiam si Propheta non peccasset si ità gestum fuisset, ac scortum duxisset, cùm Deo præcipienti paruisset: sicut nec Israel de furto in Ægypto accusatur, neque Abraham de homicidio filii, quia aberat illis mens sanguinaria, avara & impura. Non desunt tamen qui rem ità gestam asserant quemadmodum hîc Propheta narrat.

4. *Visitabo sanguinem Jesrael*] Nomine *Jesraelis* intelligitur Samaria. Nam fuit metropolis Samariæ, & in ea fuit occisus justus Naboth: Fuerunt & multi idololatræ in ea per Jehu bono zelo interfecti; sed quia nec Jehu ab idololatria sibi temperavit, & opere ostendit quasi injustè fecisset occidendo impios idololatras, prædicit Dominus ultionem sumendam ex domo ejus propter sanguinem etiam justè fusum. Alii addunt eum ultum fuisse sanguinem Naboth, non animo obsequendi Deo, sed Regni appetitione.

5. *Conteram arcum Israel*] Per *arcum* intellige robur & fortitudinem.

6. *Et concepit adhuc*] Tres partus successum rerum significant. Primò sub Jeroboam factæ sunt minæ, brevi Dominum dissipaturum Regnum: In filio ejus Zacharia diminutum est. Alii secuti sunt Reges inferiores, & femellæ Regnum assimilatum est: Sellum enim unum mensem solùm regnavit. Tandem Deus omnino exstirpavit Regnum Israel. ¶ *Oblivione obliviscar*] Sic & alius vertit: Sed verbum quod hic ponitur, cùm habet literam Sin cum puncto in dextro cornu, significat *oblivisci*, sed cùm hic in sinistro habeat, verti potest *adducendo adducam contra eos*, hostem scilicet.

7. *Domui Juda miserebor*] Illa enim flagellis castigata sæpe resipuit à malo suo: Id quod domus Israel non fecit; ideo indigna fuit Dei misericordiâ, &, ut sequitur, nomen datum est ei, *Non populus meus*, q. d. Deus, Eritis mihi perinde atque aliæ gentes. ¶ *Salvabo eos in Domino Deo eorum*] Intellige in Christo Domino Deo: quæ salus non *per arcum & gladium* facta est, sed per mortem Filii Dei. Ad literam verò intelligunt de cæde exercitûs Assyriorum, qui ad preces Esaiæ & Ezechiæ Regis ac fidem populi percussus est ab Angelo unâ nocte.

10. *Numerus filiorum Israel*] Israel Dei videlicet, secundùm Paulum Gal. 6. 16. & Esa. 44, & 48. Alioqui si de Israel secundùm carnem intelligas, *reliquiæ* tantùm ubique *servandæ* prædicantur. Vide ergò quomodo ex *populo non Dei* per misericordiam Dei in Christo Jesu fiant *filii Israel*, & Deus servet promissiones ad Abraham factas, quando promisit *illius semen multiplicandum quasi arenam maris:* & adverte id ipso hoc loco promitti, ubi rejicit Israel secundùm carnem. Observa etiam ordinem rejiciendi sub nominibus eorum qui ex scorto hoc nascuntur: Primus vocatur JEZRAEL, i. *Disseminatio*, quòd dispergendus esset. Quæ verò postea nata est vocata est *Absque misericordia*; quod est gravius. Tertius vocatur, *Non populus meus*, ut jam non differat ab aliis gentibus, & nomen *Israel* secundùm carnem nihil ei prosit, neque speret salutem nisi eo pacto quo Gentes, scilicet per Christum. ¶ *Filii Dei*] Ecce *non populus Dei* fiunt *filii Dei*, idque per gratiam Euangelii. Magnum est esse *populum Dei*, sed majus multò est esse *filios Dei*, qui dispersi per orbem hic prædicuntur *congregandi sub unum caput* Christum *in magno illo die Jezrael* Pro quo Jonathas clariùs vertit, *quoniam magna est dies congregationis eorum.* Sonat autem JEZRAEL *Disseminationem:* significatúrque hîc, populum ex disseminatione iterum *congregandum in unum sub capite* Christo.

11. *Magnus dies Jezrael*] h. e. Quo semen suum jaciet Deus, & ulciscetur se de inimicis qui sanguinem fuderunt insontem.

L. BRUGENSIS.

9. QUia *vos non populus meus*, & *ego non ero vester*] Multi codices, cum Richelio expositore, addunt *Deus*; quidam hoc ordine, *Et ego non ero Deus vester*; plures isto, *Et ego non ero vester Deus.* Sex autem Parisiensium, Di. o. l. Ge. o. p V. Comp. & septem nostri, Leod. Lob. O. L. H. G. C. cum Carensi, omittunt *Et ego non ero vester.* Quibus adstipulantur textus adjuncti Hieronymi commentariis & Glossæ Ordinariæ quam in 12 Prophetas ex Societatis Jesu Collegio scriptam habemus. Carensis notavit Glossam subaudire *Deus* (rectè) sed Lombardum in textu habere *Dominus.* Hebraicè tantùm est, ואנכי לא אהיה לכם *Et ego non ero vobis:* Id quod Chaldæus exponit, *Verbum meum non erit in auxilium vestrum.* Itaque castigatores, Hentenius, Parisienses & Epanorthotes, sine *Deus* & *Dominus*, *Et ego non ero vester*, legendum esse judicarunt. Græca Germanorum exemplaria Basil. & Argent. habent Θεός, καὶ ἐγὼ οὐκ εἰμὶ Θεὸς ὑμῶν sed emendatiora, Venetum, Complutense & Vaticanum, tollunt καὶ ἐγὼ οὐκ εἰμὶ ὑμῶν.

JOH. DRUSIUS
ANTONIO THYSIO SUO.

SEmper amavi te, *Antoni Thysi*, *cùm propter singularem eruditionem summùmque ingenium & exactum judicium*, tum

tum propter eam quam semper in te perspexi erga Divinas literas propensionem: Quæ tanta fuit ut cum me omnem diligentiam, studium & cogitationem ad explanationem illarum literarum contulisse annis abhinc aliquot animadverteres, me quoque hac de causa singulari quodam amore sis prosecutus. Quin nunc adhuc eo animo esse diceris ut si tibi vita in hoc studio ponenda foret, præclarè tecum actum esse putares. Quocirca planè mihi persuadeo gratissimum tibi fore libellum quem nunc juris publici in tuo nomine facio. Sunt autem Variæ lectiones in editionem Græcam Prophetæ Hoseæ, itémque Conjectanea: necnon Fragmenta Veterum Interpretum, Aquilæ videlicet, Symmachi, Theodotionis & aliorum cum Scholiis sive Notis non pœnitendis. Conjectanea scripsi olim adolescens, cùm in Batavis diversa exemplaria Græca, quæ tum ad manus erant, inter se conferrem. Pòst nactus sum exemplar editionis Romanæ, quod etiam diligenter cum cæteris contendi. Notas in Fragmenta composui his diebus, cùm audirem Lectiones meas sub prælo esse. Hæc omnia ideo potissimum ad te mitto, partim ut opinioni quam de me concepisti responderem, partim ut publicè testatum omnibus facerem quanti apud me sit eruditio tua. Et quia te rectè de veterum editionibus & sentire & judicare scio, nolo in iis tibi commendandis operam & oleum, quod dicitur, perdere. Accipe igitur munusculum hoc, charissime Thysi, ab eo qui tibi tuisque studiis ità favet ut qui maximè, quique omnem suam operam & industriam ad tuum nomen celebrandum publicè privatimque sit collaturus. Hoc si tibi persuaseris non fallam opinionem tuam. Bene vale.

DRUSIUS.

HOSEAS in ordine Prophetarum duodecim omnium consensu codicum primus est. Cùm *duodecim* nomino, intelligo Prophetas Minores quos vocant. Hi duorum generum sunt, Priores, Posteriores. *Priores* appello qui ante deportationem Babylonicam prophetarunt; *Posteriores*, qui pòst vaticinati sunt. Hujus generis sunt Zacharias, Haggæus, Malachias. Reliqui ad prius illud pertinent. Horum volumen Ebræi à numero Prophetarum תרי עשר, Græci δωδεκαπρόφητον appellant. Nam licèt duodecim essent, tamen in unum librum omnes simul compegerunt, nè quis ex iis interiret. *Minores* nuncupantur ad alios comparati, quos *majores* dicunt. Sunt autem Jesaias, Jeremias, Ezeciel, Daniel. Quanquam Ebræi tres tantùm recensent: Danielem enim ex hoc numero eximunt, quem Prophetam fuisse negant; & habent rationes quas commemorare longum esset. Aliàs id faciam. Inter majores primus Jesaias prophetasse creditur cum Hosea. Sunt qui sermonem DOMINI priùs factum fuisse tradunt ad Hoseam: Quò accommodant verba illa Hos. 1. 2. *Principio sermonis* DOMINI *in Hosea*: ut sensus sit, Initio DOMINUS locutus est in Hosea, nempe priùs quam in aliis qui eo tractu temporis prophetarunt loqueretur: Hi sunt Jesaias, Amos & Micha. Præcessit ergò de horum sententia Jesaiam: Cui in editione Romana etiam præponitur; & cum illo cæteri ejusdem voluminis. Præcedunt enim Minores, deinde sequuntur Majores. In quo habita ratio temporis. Nam licèt alii Jesaiam secuti sint, tamen Hoseas antecessit: Quem præceptor meus piæ memoriæ Antonius Rodolphus Cevallerius dicebat omnium Prophetarum difficillimum esse. Quod ipsis judicium non omnino vanum aut absurdum esse nos testari possumus, nos, inquam, qui nunc eum notis illustratum vulgamus. Dictio certè obscurissima est, licèt Zacharias propter crebras visiones plus habere videatur obscuritatis, ideóque Hieronymus eum appellet *ut longissimum, ità obscurissimum.* Sic dico; Dictio hunc obscurat maximè, ut visiones Zachariam. Uterque continet capita quatuordecim. In Hosea hoc præstitimus: Primùm convertimus eum ex Ebræo in sermonem Latinum: Deinde Notas adjecimus, quas LECTIONES vocamus, quia inter legendum maxima ex parte meditatæ ac scriptæ sunt. In Notis potissimùm historiam enarramus & sensum Grammaticum, quem vulgò *literalem* nuncupant. Usi sumus ad hoc Commentariis Patrum utriusque linguæ, tum etiam Scholiis Ebræorum trium, & Paraphrasi Chaldaicâ Jonathæ Uzielis F. neque negleximus editiones veteres Græcam & Latinam. In Græcam peculiariter scripsimus CONJECTANEA, quòd priscos Theologos religionis nostræ antistites, ipsósque adeò Euangelistas & Apostolos, eà usos esse sciremus. Notavimus etiam diversas Lectiones, quæ plurimæ occurrunt conferenti maximè Aldinam editionem cum ea quam Ximenius Compluti edidit, quam vulgò *Complutensem* vocant. Ad Aldinam quam proximè accedunt Romana, Basileensis & Argentoratensis. Cæteræ Complutensem expresserunt, in queis & Antverpiensis quam Plantinus excudit, *Biblia Regia* vulgò dicta. Fragmenta veterum Interpretum olim à nobis collecta, nè quid pius lector desideraret, etiam notis illustravimus. Claudam nunc verbis Hieronymi, *Si quis autem*, inquit Mich. 2. *in lege Domini die ac nocte meditatus, majus habuit studium, majus ingenium, otium gratiásque, & potest de præsenti Propheta probabilius aliquid dicere, non invideo, non aspernor. Quin potiùs cupio abs eo discere quod ignoro, & libenter me discipulum profitebor, dummodo doceat & non detrahat. Nihil enim tam facile quàm otiosum & dormientem de aliorum labore ac vigiliis disputare.*

1. *Verbum DOMINI*] Docemur hoc versu sequentia continere verbum DOMINI habitum cum Hosea: Cujus etiam parentem memorat, & simul Regum nomina sub quibus prophetavit. ¶ *Quod fuit ad Hoseam*] In visione Divina sive Propheticâ. Sic Zach. 1. 1. *Verbum DOMINI quod fuit ad Zachariam*; & aliquantò pòst, *Vidi noctu*: item, *Sustuli oculos meos, & vidi.* Sed quæri potest utrùm hæc visio dormienti oblata fuerit an vigilanti: Et potius est ut credam dormienti; primùm quia ità fiebat communiter καὶ ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον; deinde quia legimus Num. 12. 6. *Si fuerit propheta vester*, [i. vobis] *ego DOMINUS in visione apparebo ei, in somnio loquar ad eum.* Quod quidam disjunctivè accipiunt, *in visione; vel per somnium.* Sed nulla hujusmodi conjunctio in fonte. Adhæc, rara erat visio citra somnium, vel ecstasin. Sed erit fortasse qui hæc gesta esse negabit in visione. Cum eo nolim pertinater contendere, dummodo illud mihi concedat, non esse hæc accipienda ità ut verba sonant, quasi revera & historicè duxerit mulierem meretricem, & (quod impium credere) spurios ex ea genuerit. Nam tales non gignuntur ex legitima uxore. Scortum aliquis ducere potest sine peccato; scortari non item. Scortatur autem qui ex scorto liberos procreat illegitimos. Porrò Deus nemini unquam auctor fuit ut peccaret. Potiùs crediderim typum vel parabolam esse (משל Ebræi vocant) quâ Prophetes exprimere voluit populi statum; Qui tunc erat similis uxori adulteræ, quæ, spreto marito, aliis amatoribus se fœdè ac turpiter prostituit. Juvat nos ità sentientes Hieronymus, cùm ait, Epist. ad Pammachium, *Non mirum si in signum DOMINI Salvatoris & Ecclesiæ de peccatoribus congregatæ hæc facta memoremus, cùm ipse in hoc eodem dicat Propheta*, EGO VISIONES MULTIPLICAVI, ET PER PROPHETAS SIMILITUDINES PROPONAM. Et paulò pòst, *Alioquin si omnia quæ præcipiuntur ob causas ut in similitudinem fiant verè facta contendimus, ergò & Jeremias accinctus lumbari vestimento muliebri, inter innumerabiles nationes & Assyrios atque Chaldæos, gentes inimicissimas Judæorum, ivit ad Euphratem ut ibi absconderet lumbare suum, & post multa tempora reversus invenit illud computruisse, quod nulli esset usui. Quomodo exire poterat & ire, tam longè obsessâ Jerusalem, extructis per circuitum munitionibus, fossâ, vallo atque castellis? Qui cùm semel ad Anathoth viculum suum, in tertio miliario ab urbe situm, voluisset exire in portam, capitur, & reductus ad Principes, quasi proditor verberatus in carcerem mittitur. Si illud in typo, quia fieri non potuit, ergò & hoc in typo, quia si fiat, turpissimum est. Sed respondebis, Deo jubente nihil turpe est. Et nos dicimus, Nihil Deus præcipit nisi quod honestum est; nec jubendo turpia, facit honesta quæ turpia sunt. Sed quia scimus nihil Deum velle nisi quod honestum est, hoc præcipit quod honestum est.* Hactenus ille. Quæ verba produxi cùm propter viri auctoritatem, tum ut dissolverem in principio quæstionem difficillimam, quæ multos viros illustres olim torsit & etiamnum torquet, cùm hodiéque sint qui hæc verè gesta esse audeant asserere. ¶ *Ad Hoseam*] Incertum quanto tempore prophetaverit. Quidam ei tribuunt annos 43, alii 57. Sed plures esse paret ex iis quæ scripsimus in Quæsitis nostris Epist. 9. ubi computavimus annos 66, Funccium secuti, qui annos interregni annumerat annis Oziæ. Alioquin addendi essent anni 13 aut 14, quæ simul faciunt annos 80. Ac sunt qui eum quatuor supra 80 annos & eo ampliùs esse vaticinatum scribant: Ad quos si addamus reliquos annos quos vixit antequam res futuras prædicere inciperet, longævam illum vitam egisse fatebimur. Hic Propheta oriundus fuit *ex Belemoth*, ut Dorotheus in Synopsi testatur, *de tribu Issachar*. Quem locum mendosum esse credo, legendúmque puto pro BELEMOTH *Beth-semes*, quæ recensetur inter urbes illius tribûs Jos. 19. 22. Ac tollit omnem dubitationem Hieronymus, cùm ità scribit, *Osee de tribu Issachar fuit, ortus in Beth-semes.* Verba hæc habentur Hos. 1. 1. in Glossa Ordinaria. ¶ *Filium Beeri*] An hic ille princeps Rubenita-

rum cujus mentio 1 Par. 5. 6? Sunt qui censent; non ego. Nam ille ibi *Beera* vocatur, hic *Beéri* dicitur: terminatio igitur discrepat. Sed nec Interpretes qui hoc affirmant probabilem ullam rationem adferunt. Quod temere dicitur, temere negari potest. Quidam scribunt Beéri quoque Prophetam fuisse, inter quos Nicolaus à Lyra & auctor Glossæ Ordinariæ; Quibus favet regula Ebræorum à Nicolao laudata, *Quando in principio alicujus Prophetæ patris nomen exprimitur, Propheta fuisse intelligitur.* Auctor glossæ hanc regulam extendit ad eorum avos & propinquos; dubito an rectè. R. D. Præfat. in 12 Prophetas, *Dixerunt doctores nostri b. m. omnem eum cujus nomen cum nomine patris ponitur in principio Prophetiæ, Prophetam esse filium Prophetæ: idque certum apud eos haberi.* Notatum hoc in Comment. Jahid, quem Abenezra laudat Jes. 1. 1. ubi & judicium suum de hac regula ponit. Vide, si vacas. Paulus Episcopus Burgensis, cùm negasset regulam esse hujusmodi apud Ebræos, ait dictum esse cujusdam in Thalmud. Quem refellens non nemo, *Si Thalmud*, inquit, *hoc habet, ergò regula est. Nam* THALMUD *est* lex. Lex *&* regula *coincidunt.* Acumen hominis! *Thalmud* non est *lex*, sed liber ejus nominis, qui continet δευτερώσεις Ebræorum. Adhæc, *lex* & *regula* non planè coincidunt. Saniùs hac de re & sensit & scripsit ætas posterior: Quorum sententiæ accedens inclino ut credam virum clarum fuisse in illo ævo, qui nominatus sit vel differentiæ causâ. Certè alius fuit ejus nominis, qui propterea *filius Ela* vocatur. ¶ *Ozia*] i. עזיה. Nunc legunt *Uzia* per *u* brevem. Sic עזי & עזי *robur meum.* Consule Grammaticos. De hoc 2 Par. 26. & 2 Reg. 15. Sed in isto postremo loco *Azarias* vocatur. Fuit ergò διώνυμος. Sonat ut si dicas, *Robur meum* DOMINUS, si modò יה in hoc nomine idem cum יה quod est unum ex nominibus Divinis. *Jotham*] Olim *Joatham.* Fumus in oculis meis hæc scriptura. Quid si *Joatham?* i. יהותם, ex quo contractum יותם *Jotham*, sicut Jonathan dicimus pro *Jehonathan.* Non placet hoc quidem, & tamen probabilius nihil occurrit. ¶ *Achaz*] De quo 2 Reg. 16. & 2 Paral. 28. ¶ *Ezecia*] In veteribus Hieronymi, *Post Achaz regnavit Ezecias filius ejus annis* 28. Nè crede hoc ità scripsisse Hieronymum. Verior scriptura, *annis* 29. Ità citat verba hæc Hieronymi auctor Glossæ quam *Ordinariam* vocant. Vide 2 Reg. 18. 2. ¶ *In diebus Jeroboam*] Quo tempore Regnum Decem tribuum florentissimum erat. Itaque rebus secundis prædixit adversa, & quæ illis eventuræ essent calamitates. Post Jeroboamum regnarunt Zacharias, Sellum, Manahem, Phecahja, Pheca, & Hoseas filius Ela: Quorum ideo nullam mentionem facit vel quòd brevi spatio imperarunt, vel quòd, quæ de Israelitis vaticinatus est, ea omnia prædixit sub Jeroboamo, licèt multis pòst annis prophetaverit de iis quæ tribui Judæ acciderunt. Antiqua hæc lectio diversam habet à se eam quæ in cod. Ebræorum, ubi ירבעם legitur, i. *Jarobam.* ¶ *Filii Joas*] Nam alius fuit filius Nabat, quem *seniorem Jeroboamum* vocant.

2. *Principium sermonis*] Priùs erat in Hieronymo, *Principium loquendi.* Utrùm legit דַּבֵּר? Græci meliùs, Ἀρχὴ λόγυ. Nam certè דְּבַר hoc in loco nomen est, non verbum. Quâ formâ dicitur עִלֵּג balbus. Nam esset דִּבֵּר nisi Maccaph sequeretur. Exstat eodem significatu Jer. 5. 13. וְהַדִּבֵּר אֵין בָּהֶם *& sermo non erat in eis.* Recentiores plerique, *Cùm primùm loqueretur.* Quod referunt ad sequentes Prophetias, ut significet hanc primam earum fuisse. Alii referunt ad Prophetas Hoseæ coævos. Qua de re locus insignis est apud interpretem D. Camium, *Dixerunt*, inquit, *nostri Doctores Prophetiam Hoseæ præcedere Prophetiam Jesaiæ; & hoc innui per illa verba*, Principium sermonis in Hosea. *Sed quomodo in Hosea locutus est initio? Nónne à Mose Doctore nostro quamplurimi Prophetæ? R. Johanan ait* INITIUM *illud pertinere ad quatuor Prophetas qui illo tractu temporis prophetarunt: Sunt autem Hoseas, Jesaias, Amos & Michas.* Cæterùm Prophetarum omnium quorum scripta ad nostram ætatem pervenerunt primi fuerunt Hoseas & Esaias. Quod significat Athanasius in Synopsi, cùm ait, *Inter eos qui Prophetias conscripserunt, quorum scripta circumferuntur, primi fuerunt Osee & Esaias.* Ambo simul vaticinari cœperunt sub Ozia: Uter autem præcesserit non planè constat; Siquidem ex ordine Prophetarum qui apud Ebræos videtur priùs cœpisse Jesaias. Sed alius ordo in Græcis veteribus: Nam ibi Minores præcedunt: quorum princeps Hoseas. Unde colligi potest ipsum cœpisse ante Jesaiam: In qua sententia fuerunt Ebræi veteres, ut vidimus. Fieri potest ut fallar, tamen eò labor ut credam auctorem ordinis qui in textu Ebraico magis ad ultimum respexisse quàm ad primum. Ultimus autem Prophetarum omnium fuit Malachias, qui unus est ex Minoribus, in quo desiit ordinarium prophetandi munus in Ecclesia. Sed hæc otiosis discutienda relinquamus.

Nos aliò mentes, aliò divisimus aures.

Pro clausula, sunt qui referant, *Initio locutus est* בתחלה. Vidi etiam editiones in quibus esset, *Initium quod locutus est.* תחלה אשר דבר. ¶ *In Hosea*] Hunc Ebraismum alii aliter explicant. Quidam sic, *Initium sermonis* DOMINI *ad Hoseam.* Quod improbavit olim Hieronymus. *Nam aliud est*, inquit, LOQUI DOMINUM IN HOSEE, *aliud* AD HOSEE. IN HOSEE, *non ipsi loquitur Hosee, sed per Hosee ad alios:* AD HOSEE *verò loquens, ad ipsum significatur conferre sermonem.* Secundùm hujus opinionem *in Hosee* valet *per Hosee.* Hoc modo *in* sumitur infrà 12. 13. *in Propheta custoditus est*: sensus enim est, *per Prophetam.* Alioqui usitatius est in hoc quidem sensu ביד *in manu.* Alii igitur prætulerunt *cum Hosea:* quod idem ferè cum illo *ad Hoseam.* Qui sic vertunt, se tueri possunt his locis, Num. 12. 8. *Ore ad os loquar in eo*; Zach. 2. 3. *Angelus qui loquebatur in me:* Siquidem his duobus locis *in* valet *cum*; ut 1 Sam. 25. 39. *Locutus est in Abigail.* Vide quæ scripsimus Animadv. lib. 2. c. 49. Interdum hæc præpositio aliter usurpatur, ut ibi, *Audiam quid loquatur in me* DOMINUS: & in illo 2 Sam. 23. 2. *Spiritus* DOMINI *locutus est in me:* & illo Hab. 2. 1. *Ut videam quid loquatur in me.* In his locis, si eos rectè capio, designat Divinum alloquium, quod ferè noctu fiebat in somnio, aut extra somnium, Deo mentes Prophetarum rebus agendis & dicendis informante. Quò pertinet illud Num. 12. 6. *in somnio loquar in eo.* Hieron. Comment. super Habacuc, *sed & hoc notandum ex eo quòd dixerat*, Ut videam quod loquatur in me, *Prophetiam, visionem & eloquium Dei non extrinsecùs ad Prophetas fieri, sed intrinsecùs & interiori homini respondere. Unde & illud in Psalmis*, Audiam quod loquatur in me Dominus. Eucherius De Quæst. V. & N. T. *Loqui in aliquo dicitur Deus, cùm ea quæ agi vult, ejus cordi, ut agantur, inspirat; secundùm illud*, Audiam quid loquatur in me Dominus. Adi sis ad Quæsita nostra, Epist. 39. Vide etiam Animadversiones, loco quem modò allegavimus. ¶ *Dixit*] ויאמר. Hîc Vau convertit, non copulat: quare eam omisimus. ¶ *Vade, accipe tibi*] *Accipit uxorem*, qui ducit; *suscipit liberos*, qui procreat. Posses ergò hunc locum ità supplere, *Accipe tibi uxorem scortationum, & suscipe ex ea filios scortationum.* Nam ut rectè dicimus *accipere uxorem* non *suscipere*, ità è contrario dicimus *suscipere natos ex aliqua uxore*, non *accipere.* Utrumque uno verbo enunciant Ebræi, quod nunc jam in duo resolvi debet, ità exigente idiotismo linguæ Latinæ. ¶ *Uxorem scortationum*] Quæ sit dedita scortationi etiam in matrimonio; quam ideo *adulteram* vocat infrà 3. 1. Talem qui jubet ducere, jubet peccare. Debent igitur hæc ità intelligi ut diximus. Nam Deus non est auctor peccati. Sed quare usus est numero Multitudinis? an quia זנונים non reperitur in singulari? an potiùs hoc numero significare voluit scortum omnibus modis infame, sive omnium libidinibus expositum? Quidam vertunt *mulierem meretricem.* Sed ex meretrice quæ maritum non habeat, si quis eam uxorem ducat, non possunt gigni filii nothi. Jam verò Synagoga Israelitica, cum qua contendit hanc uxorem, maritum habebat Deum, cui fidem datam violabat, cùm eo deserto deos falsos coleret. Adhæc *mulier meretrix* אשה זנה dicitur: sive ea nupta sit sive non, nihil refert. ¶ *Et natos scortationum*] Intelligit filios dubios, non ex illo incertóve patre natos, sed ex ipso Propheta generandos de uxore scorto. Modò admonui, in verbis illis, *Accipe natos scortationum*, hanc sententiam contineri ut si diceret, *Suscipe ex ea filios tales.* Id V. Interpres dixit, *fac tibi filios fornicationum*, si modò verbum *fac* ab ipso & non ab alio additum fuit: nam in quibusdam exemplaribus abest. Neque rectè Nicolaus *accipe* interpretatur *adopta:* idque sequentia satis convincunt. *Nati scortationum possunt* etiam intelligi, qui scortationi addicti sint. Quales erant Israelitæ cùm aversi à Deo idolis sacrificarent. Nam Idololatria nihil aliud est quàm spiritualis quædam scortatio. Porrò in hac similitudine *Propheta* Deum repræsentat; *uxor scortationum*, Synagogam; *nati scortationum*, sub quo nomine etiam filia comprehenditur, ipsos Israelitas, diverso sexu diversa tempora portendentes, ut quidam volunt. *Scortando scortatur*] Explicant, *omnino scortatur:* malim *continuè scortatur. Scortari* autem hic & alibi est, Deos falsos colere. Quod respectu Israelitarum ità dicitur: Alioqui non omnis qui deos falsos colit, spiritualiter scortatur: tantùm ille qui Deum maritum habet; habuit autem Synagoga vetus: Quæ propterea *scortum* dicitur, deserto Deo. Nam ut qui scortatur fedus conjugii violat, sic qui

qui colit idola fidem Deo datam irritam facit. ¶ *Terra*] Habitatores terræ Israel. ¶ *Aversa à* DOMINO] Vel *deserto* DOMINO. Nam *adversata* DOMINUM, quod in nonnullis ed. minùs placet. In Ebræo est ad verb. *à post* DOMINUM, q. d. *ne sequaris Dominum.* Quod intelliges cùm scies quid sit *ire post* DOMINUM. Eandem sententiam continet, *scortati sunt post deos suos*, quod offendes Exod. 34. 15.

3. *Et abiit, & accepit*] Cùm præcedat, *Vade, & accipe*, non videtur mera parabola esse. Nam si mera parabola esset, dixisset, meo iudicio, *Propone hanc parabolam populo*, aut hujusmodi quid. Potiùs hæc facta crediderim (typicè, quis neget?) in visione per noctem: à dormiente an à vigilante? Ut cùm Jesaias *nudus & calceatus incessisse* legitur Jes. 20. 2. Sic Ezechiel *in campum inter cœlum & terram situm delatus fuisse* dicitur: Qui etiam *murum Templi* Jerosolymitani, cùm in Babylonia esset, legitur *perforasse.* Et consimiliter Jeremiæ præcipitur ut *cingulum abdat in Euphrate* fluvio Babyloniæ, & post dies aliquot cingulum dicitur *computruisse:* cùm tamen Jeremias nunquam fuerit in Babylonia. Nam loca quandoque & tempora & personas & alia singularia Prophetæ designarunt, quæ tamen non aliò quàm ad visiones referri possunt aut debent. Videndus Abraham cognomento Sophus in Comment. ad h. l. ¶ *Gomeram*] Scortum illius ævi nobile, ut apparet. Nomen ipsum sonat τετελεσμένην, i. *consummatam* ac *perfectam.* Fortè sic appellata fuit à pulcritudine suis numeris absoluta, aut quòd omnibus lenocinii artibus instructa esset. ¶ *Filiam Debelaim*] Malo ut sit nomen viri quàm mulieris. Eâ formâ est *Ephraim.* Quidam explicant *filiam Diblaimorum*, i. *Diblaimanam*, sive, ut est in Notis ad Gallicam editionem, *natifve de Diblaim.* Quam explicationem stabilit Nicolaus, ità scribens, DEBLAIM *nomen proprium patris hujus mulieris, vel loci unde fuit nata; sicut frequenter in Scripturis dicuntur filiæ Jerusalem mulieres indè natæ.* Dubito an bene, aut potiùs non dubito quin malè. Nam *filia Jerusalem* non quæ nata in ea urbe, sed Ecclesia vel Respublica Jerosolymitana: sic *filia Sion*, *filia Edom.* Consule meas Epistolas. *Debelaim* veteres editiones. Malim *Deblaim*; hodie *Diblaim.*

4. *Ei*] Prophetæ, qui ut patens id facere debebat. Vide Luc. 1. 62. ¶ *Jezrael*] Interpretatur à patre Hieronymo, *Semen Dei.* Sed meliùs alii, *Disperget Deus*, vel, si mavis, *Dispersio Dei.* Nam innuit dispersum iri populum in exteras gentes. Et simul allusio est nomen *Israel.* ¶ *Adhuc paululum*] Quartâ demum ætate post Jehu. Vide 2 Reg. 15. 12. ¶ *Visitabo*, &c.] Pœnas sumam sanguinis effusi in Jesrael de posteris Jehu. Vide 2 Reg. 9. & 10. 6, 7, 11, 17. Cæterùm *Jesrael* non est nomen vallis, ut quidam putant; sed urbs ità dicta: quæ olim sedes fuit Regum Israel; (Hieronymus *metropolin* nominat) juxta quam vallis erat quæ infrà *vallis Jezrael* vocatur. Hic quæri solet quare Deus vindicaverit sanguinem quem effundi jusserat. Et respondemus, factum Jehu æstimari ab animo ipsius, qui erga Deum minimè sincerus erat. Quod satis patuit cùm idololatriam, quam penitus tollere debuerat, ampliùs confirmaret. Intelligo de cultu Vitulorum qui in Dan & Bethel. Causa peccati sæpe in nobis hæret, non in re quæ committitur. Audiamus nunc ipsum Hieronymum, cujus verba libenter usurpo propter viri nomen & eruditionem; *Jezrael*, inquit, *civitas est, metropolis 10 tribuum, in qua interfectus est Naboth: ob cujus sanguinem suscitatur Jehu, qui delevit domum Achab & Jezabel. Verùm quia & ipse Jehu ultor sanguinis justi ingressus est per vias Jeroboam filii Nabat, qui fornicari fecerat Israel, & conflavit Vitulos aureos in Dan & in Bethel, Regnum quoque ejus dicitur subvertendum. Sub cujus pronepote Jeroboam prophetare cœpit Hosee. Quo mortuo, filius ejus Zacharias successit in Regnum, quem sexto mense imperii sui occidit Sellum de alia stirpe generatus.* ¶ *Sanguinem Jezrael*] Priùs erat *sanguines Jezrael.* Sed hoc Latinum non est: itaque amicus meus Liveleus substituit *cruorem.* Significat autem cædes ibi patratas. ¶ *Contra domum Jehu*] Contra Zachariam, qui erat de domo Jehu. Porrò à Jehu usque ad Zachariam anni sunt circiter 74. quod sic doceo; Joachaz Jehu F. regnavit annis 17. 2 Reg. 13. 1. Joas filius ejus 16. 2 Reg. 13. 10. Jeroboam filius 41. 2 Reg. 14. 23. Subduc calculum & invenies annos quos dixi. ¶ *Cessare faciam Regnum*, &c.] Delebo Regnum 10 tribuum. Quod suo tempore eventus comprobavit. Siquidem post occisum Zachariam paulatim imminui cœpit Regnum illud, donec tandem penitus exstinctum & deletum fuit anno nono Hoseæ filii Ela. Nam *occiso Zachariâ*, (utor verbis Hieronymi) *qui fuit ultimus de stirpe Jehu, statim Reges Assyrii ceperunt Ruben & Gad & dimidiam tribum Manasse, quæ erant trans Jordanem; & deinde multas civitates Samariæ, & deinde totam Nephthali, ad extremum omnes reliquas tribus.* ¶ *Domûs Israel*] Israelitarum. Cæterùm *à Zacharia filio Jeroboami, cujus atavus fuit Jehu, usque ad nonum annum Hosee, sub quo Decem tribus ductæ sunt in captivitatem, supputantur anni* 49. Auctor Hieronymus in Comment. ad h. l.

5. *Et in illa die frangam*] Secutus sum Antiquum Interpretem, qui vertit, *Et in illa die conteram.* Alioqui textus Ebræus habet ad verb. *Et erit in illa die & frangam:* quod alii referunt, *Eritque die illâ ut frangam.* ¶ *Arcum*] Robur & vires. ¶ *In valle Jezrael*] Quidam *propter vallem*, i. propter cædes, ibi factas. Prius verius, meo animo. Ad hunc locum notatum comperior, *Jezrael* esse nomen vallis. Vir doctus hoc notavit. Sed, cum venia ejus mihi liceat, ego imbibi potiùs nomen urbis esse, prope quam vallis illa erat, dicta ob id *vallis Jezrael*; sicut *desertum Thecoe* vocatur quod prope vicum Thecoe. In hac valle commissum fuit prælium in quo Assyrii superiores evaserunt cum Israele pugnantes. Hieronymus meminit per hæc verba, *Suprà diximus Jezraelem, quæ nunc juxta Maximianopolin est, fuisse metropolin Regni Samariæ. Prope quam sunt campi latissimi, & vallis miræ vastitatis, quæ plus quàm* 10 *millium tenditur passibus. In hac commisso certamine, ab Assyriis cæsus est Israel, i. Decem tribus.*

6. *Peperit filiam*] Ut per *filios* populum, ità per *filiam* innuit Synagogam. Alii scribunt per *filiam* accisas Regni vires denotari, quales describuntur 1 Reg 17. Nam sexus iste naturâ debilior est. ¶ LO RUCHAMA] *Non dilectam*, vel magis *Eam quæ non sit consecuta misericordiam.* Priùs apud Apostolum legitur Οὐκ ἠγαπημένην Rom. 9. 25. posterius est in Græca ed. Οὐκ ἐλεημένη, quod diversa lectio dicit Ἀνελεημοσύνη ex quo Antiquus Interpres noster, *Absque misericordia.* Cur hæc posterior interpretatio potior sit dixi in Quæsitis meis, Epist. 30. Quære ibi. ¶ *Non addam ampliùs misereri*] Longo tempore non miserebor. Ut ità exponamus in causa est versus 10 hujus capitis, & qui eum sequitur, *Attamen erit numerus filiorum Israel sicut arena maris*, &c. Vide quæ scripsimus Observat. lib. 16. 6. *Misereri*, ארחם plenum esset שארחם *ut miserear.* Latinè, *denuò*, *ampliùs non miserebor.* ¶ *Tollendo tollam eos*] Sic Arias. Probarunt Genevenses. Nam referunt *je les enleverai du tout*, i. *penitus tollam eos*, nempe per Assyrios, qui eos abducent in captivitatem. Locum hunc difficilem reddit particula להם, quæ magis sonat *eis* quàm *eos.* Sed est Enallage pro אותם si credendum Grammaticis. Tremellius elegit *ut ullo pacto condonem eis.* Quod mihi quoque non displicet. Ità נשא sumitur Jud. 8. 6. Verbum autem נשא cum Lamed constructum eodem sensu legitur Gen. 18. 24. Posses etiam legere *importando importabo eis*, videlicet hostem Assyrium. Pro *eis* alii reposuerunt *in eos*, עליהם. Sunt qui retulerunt, *quamvis hactenus condonando condonaverim eis:* vult dicere *sæpius condonaverim.* Jonathan, *sed si resipuerint, omnino remittam eis.* Santes, *sed obliviscendo obliviscar eorum:* priùs Hieronymus ità verterat. Sed hoc displicet. Ratio est, quia verbum Ebraicum quod *oblivisci* significat in fine habet literam He, hic autem est Aleph in ultima.

7. *Et domûs Juda miserebor*] Quæ substitit post deletum Israelis Regnum annis 132 plus minus. Vel significat reversuros postliminiò in solum patrium. Quod si admittes, tum sequentia enarrabis *postquam servavero eos:* nam hoc præcedebat. ¶ *Servabo eos*] Vel *salvabo eos*, quod magis implet aures meas. ¶ *In* DOMINO *Deo ipsorum*] Per Angelum, qui occidit unâ nocte Assyrorum 185 millia. Historia exstat 2 Reg. 19. 35. Quod autem ait *servabo eos in* DOMINO *Deo ipsorum*, genus loquendi est quale illud, *Dixit* DOMINUS, *Ascende ad* DOMINUM, pro *ad me.* Et alibi, *Dixit Moses socero Mosis:* nos diceremus *socero suo.* Non latuit hoc Hieronymum, qui enarrat, *in* DOMINO *Deo suo*, *h. e. in seipso qui loquitur.* Idem adjecit, *vel Pater in filio.* Quod hodie nonnulli sequuntur, per *domum Judæ* Ecclesiam intelligentes, quam Christus pretioso sanguine suo redemit. Quapropter nomen ei fuit *Jesus.* Res cum nomine convenit. Matth. 1. 21. *Vocabis nomen ejus* JESUM: *ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.* ¶ *Arcu aut gladio*] Obsessorum. ¶ *Bello, equis aut equitibus*] Sociorum. פרשים in instar ובי, alioqui, (·) in (:) transiret.

8. *Ablactavit, & concepit*] Prius *à lacte removit filiam*, postea *concepit filium.* Vel *ablactavit* eam cùm se sentiret denuò *concepisse.* Solent enim matres, cùm gravidæ sunt, infantes, quibus lac præbent, à mamma disjungere sive, quod idem, à lacte depellere. Cùm hæc scriberem, incidi fortè in

Vitam hujus Prophetæ, in qua hæc verba continebantur, *Hic Osee jussu Dei Gomer scortum in matrimonium accepit, ex qua tres suscepit liberos: Quibus imposuit etiam illius jussu nomina; primogenito*, Jezraelis; *filiæ*, Vacantis, *sive* Destitutæ, misericordiâ; *tertio*, Non populi mei. *Hieronymus, qui revera hoc gestum esse existimat, negat id vitio vertendum esse Osee, quòd ex mala bonam fecerit, nec libidinis causâ eum illa matrimonium inierit, sed jussu Dei.* Vir doctus patrum memoriâ hæc scripsit; quàm verè, viderit. Unus locus est ubi hoc Hieronymus affirmare videtur; sed addit, *interim ut sequamur historiam.* Quæ verba sic intelligo ut si dixisset, *interim ut concedamus hæc secundùm historiam verè gesta esse.* Ad hanc interpretationem adigit me primùm ipsa res, deinde loca Hieronymi duo, ex quibus claret ipsum aliter de hac re sensisse. Unus est in Epistola ad Pammachium, quem suprà descripsimus. Alter est in Commentariis ad h. l. *Siquis autem contentiosus interpres*, inquit, *noluerit recipere ista quæ diximus, sed meretricem nomine Gomer filiam Deblaim primum & tertium masculos, secundam, quæ media est, feminam intellexerit procreasse, hoc volens Scripturam sonare quod legitur, respondeat quomodo in Ezeciele illud exponat ubi jubetur à* DOMINO portare iniquitates domûs Israel, *i. Decem tribuum, & 390 diebus in uno latere sinistro dormire perpetuò (licèt in Lxx 190 scripti sunt) & dormire ità ut nunquam evigilet, nec mutet latus, nisi fortè sopore satiatus paululùm aperuerit oculos ad sumendum sordidissimum cibum subcinericii panis, qui de frumento & hordeo & faba & lente & milio coctus sit in humano stercore. Hoc enim rerum natura non patitur ut quisquam hominum per 390 dies in uno semper latere dormiat. Et rursus, inquit*, suscipies iniquitates domûs Juda, *& diebus 40 dormies in latere dextro. Hi autem dies pro annis supputantur, quibus Israel & Judas obsidione, & captivitate longissimâ detinentur, ità ut vincti & immobiles de altero in alterum latus se versare non possint. Si illa & cætera his similia, quæ in Scripturis S. legimus facta, non poterit approbare, sed aliud quid significare contenderit; ergò & meretrix ista mulier, & illa adultera mulier, quæ aut Prophetæ jungebantur aut servantur à Propheta, non turpem stupri conjunctionem, sed sacramenta indicant futurorum.*

9. *Et dixit*] Verba sunt Dei ad Prophetam. ¶ LO-AMMI] *Non populus meus.* ¶ *Vester*] Videtur hoc velle, *Non ero vester Deus*; ut sit לָכֶם pro אֱלֹהֵיכֶם. Infrà v. 10. *dicetur vobis, Filii Dei viventis.* Similis locutio Ezech. 16. 8. ותהי לי & *eris mea*: subintelligitur enim *uxor*. Sed hic locus admittit aliam expositionem. Nam *esse viro* dicunt pro *nubere*. *Eris* ergò *mihi*, i. nubes mihi. Similiter לכם exponi potest *pro vobis*, ut Pf. 118. 6. יהוה לי DOMINUS *pro me*. Quod Apostolus dixit ἐμοὶ βοηθὸς Ebr. 13. 6. Jonathan *ero vobis auxilio.*

10. *Attamen erit numerus*] Moris Prophetarum est ut læta tristibus admisceant. Quem morem secutus Propheta noster, postquam de reprobatione Judæorum egit, vaticinatur de reliquis qui salvandi erunt, quibus se adjunget Gentium multitudo innumerabilis. Sic dico; Describit statum Ecclesiæ longè florentissimum, qualis fuit priscis temporibus quando numerus fidelium auctus est in immensum, imò infinitum. Cæterùm in plerisque cod. Ebræis versus iste principium est capitis secundi, ut & in Latinis veteribus excusis unà cum Glossa Nicolai: In qua notatum hoc per hæc verba, *Hic incipit caput secundum juxta distinctionem Ebræorum.* ¶ *Filiorum Israel*]. Christianorum, qui tam ex Judæis quàm ex Gentibus. Quocirca errant qui hæc ad solas Gentes restringunt, ac si universa gens Judæorum reprobata fuisset. ¶ *Quæ nec mensurari nec numerari potest*] Stellæ numerantur, arena etiam mensuratur. Jer. 33. 22. *Non potest numerari exercitus cœli, nec mensurari arena maris.* Quæ mensurari nequit, nec numerari poterit: facilius enim illud quàm hoc. *Nec numerari potest*, multò minùs numerari potest. Quocirca ἀναρίθμητος vocatur Ebr. 11. 12. Et apud Horatium legimus,

Te maris & terræ numeróque carentis arenæ
Mensorem cohibent.

Hinc illud, *dum numerus arenæ deerit.* Est autem proverbiale pro *semper*, *in æternum*. Vide quoque Gen. 32. 12. ¶ *In loco ubi*] Sic omnes antiqui. Recentiores Judæi maluerunt *pro eo quod*, i. תחת אשר. Probavit hoc Tremellius. Sed ratio quam adfert parùm firma est. Vide Jer. 22. 12. item Ezech. 21. 30. & Annotationes Livelæi ad h. l. ¶ *Dicetur*] יֵאָמֵר. Quædam editiones habent *dictum est*, i. נֶאֱמַר. Sic etiam Apostolus Rom. 9. 26. nisi fallor. ¶ *Dicetur illis, Filii Dei viventis*] Sub. *vos estis.* Latinè non malè reddas *dicentur filii Dei viventis*: quomodo Apostolus, κληθήσονται υἱοὶ Θεοῦ ζῶντος, *viventis*, aut *vivi*, i. æterni. Sic *aqua viva*, perennis. Hoc modo Jonathan enarrat. Aut *viventis*, quia solus Deus revera & per se vivit. Vide Miscel. cent. 1. cap. 35. Quandoque *vita* est Vita beata, & *vivere*, Vitam beatam agere. Beda in Homiliis, *Tu Filius Dei vivi*] *Sensus est, Dei incommutabilis & æterni. Dictum ad differentiam deorum quos Gentilitatis dementia vel de mortuis hominibus vel de opere manuum sibi instituit ad adorandum.* Hæc partim probo, partim improbo. Probo, *vivi*, i. *æterni*: improbo, *ad differentiam deorum.* Nam æternum esse excludit non deos falsos modò, sed omnes res creatas. Quanquam Psal. 106. 28. *sacrificia mortuorum* vulgò exponatur, *id est, idolorum.*

11. *Filii Juda*] Judæi & Benjamitæ. Est autem Synecdoche; non enim omnes intelligit, sed tantùm fideles qui inter eos. Quibus accensendi qui ex Gentibus Christo nomen dederunt. ¶ *Filii Israel*] Reliquæ tribus. ¶ *Ponent*] *Constituent.* ¶ *Caput unum*] Davidem Regem suum, h. e. Christum, à quo *Christiani* denominati. ¶ *Ascendent è terra*] Terram captivitatis intelligit. Et rectè *ascendent*, nempe Jerosolymam versùs, quæ Ecclesiam figurat. Sunt qui referunt *postquam ascenderint.* Nam Christus, inquiunt, non erit caput ipsorum, nisi priùs Jerosolymam pervenerint. Sanè *caput* vocatur respectu corporis, i. Ecclesiæ, cujus membra sunt omnes qui in Christum credunt. ¶ *Quia*, &c] Alii, *quamvis magnus dies Jezrael.* Sic כִּי accipitur Exod. 13. 17. & 34. 9. Hi *diem Jezrael* interpretantur, quâ cladem illam insignem acceperunt Israelitæ in valle Jezrael, quam secutum est longum & diuturnum exsilium: q. d. Licèt clades illa irreparabilis videatur, tamen erunt qui evadent. Hi Christum ducem sibi adsciscent, profecti è terra in qua exsulabant. ¶ *Magnus*] Felicissimus. Sic MAGNUS DIES *Tacito felicissima victoria dies*, ait Turnebus Adversf. lib. 2. c. 20. ¶ *Dies Jezrael*] Quo Jezraelitæ dispersi per Gentes postliminiò redibunt in terram patriam. Nam *dies alicujus* dicitur quo alicui vel bene vel malè est; bene, ut Luc. 19. 42. malè, ut Abd. 12. & Mich. 7. 4. Sic Eccles. 5. 20. *Non multùm recordabitur dies vitæ suæ*: sensus est, *ærumnas vitæ suæ.*

IDEM.

Significationes literarum quibus usi sumus in hisce Conjectaneis in Editionem Græcam Prophetæ Hoseæ.

A. *Aldus* sive *Aldi editio.* Editio Veneta.
B. *Basileensis* ea quæ in octavo folium complicat.
C. *Complutensis editio*, quæ & Ximenii.
E. C. *Exemplar Complutense.*
L. V. *Latina vetus* quæ in operibus Hieronymi. Versio Latinæ editionis Lxx.
R. *Romana editio*, exemplar Romanum. Cephalæi ea est, quam Cephalæus excudit Argentorati, quæ & *Argentoratensis* sive *Argentina.*
P. *Plantini editio*, quam Plantinus Antverpiæ impressit octo voluminibus in folio. Biblia Regia.

1. ΩΣηὲ] Aliàs Αὐσῆ, in quo Ain ultima abjecta, & ω in αυ versa, *Hosee*, *Hose*, *Hause*. Vulgatum *Ause* mendam continet, qualis in *Osee*. Hanc lectionem antiquissimam esse docet nos per hæc verba Hieronymus, *Non enim, ut malè in Græcis cod. legitur & Latinis*, AUSE *dictus est, quod nihil omnino intelligitur; sed* OSEE, *id est, Salvator.* Cum pace tua, Hieronyme, *Hause* idem quod *Hose* sive *Hosee*. Tantùm varietas in pronunciatione τοῦ Vau; quam per ω alii, alii per αυ efferebant. Sic עוץ Uz & *Auz*, unde *Ausitis*. Vide Quæst. meas. ¶ Βεηρεὶ] Aliàs, Βεηρὶ, ut Ἐλωεὶ & Ἐλωΐ. Sic variant semper in *I* magno, quod *Hiric gadol* vocant. ¶ Ὀζίᾳ καὶ Ἰωάθαμ καὶ Ἄχαζ καὶ Ἐζεκίᾳ] Copulantes absunt & in Ebræo & in editione Regia quæ ad exemplar Complutense. Legitur & Ἰοάθαμ. Libet ariolari. Scriptum erat initio Ἰωθὰμ, indè Ἰωαθὰμ, & pòst Ἰωάθαμ, cùm vera scriptura sit Ἰωθάμ.

2. Ἐν Ὡσηὲ] Libri ad exempl. Compl. πρὸς Ὡσηὲ אל הושע. Vide Lectiones meas. ¶ Ἐκπορνεύουσα ἐκπορνεύσει] Lectio varians πορνεύουσα πορνεύσει. Notant Grammatici ἐκπορνεύω idem esse cum πορνεύω *scortor*, *meretricor*. Prius reperitur & in Epistola Judæ Apostoli. ¶ Ἀπὸ ὄπισθεν τοῦ Κυρίου] Alibi, ἀπὸ τοῦ Θεοῦ, quod habent editi ad E. C.

3. Δεβη-

3. Δεβηλαὶμ] In aliis Δεβηλαεὶμ, & in aliis Δεβελεῆ. Lego Δεβηλήμ. Nam αι & η permutantur. Sic legimus Μεσραὶμ & Μεσρὴμ *Ægyptus*. Ἐφραὶμ & Ἐφρὴμ, i. *Ephrem*, nomen civitatis. Conſule Obſerv. meas. Videtur aliquando ſcriptum fuiſſe Δεβηλὲμ cum ε in ſyllaba ultima, μ, ut fit, in η verſâ. Δεβελὲμ ità ſcribitur pro Δεβηλὴμ, ut Ἐφρὲμ pro Ἐφρὴμ.

4. Ἐπὶ τὸν οἶκον Ἰούδα] Hic locus mendum continet manifeſtarium. Non enim Ἰούδα, ſed *Jehu*, i. Ἰηῦ, & legunt Ebræi & poſtulat Hiſtoria. Hier. ad h. l. *Pro* Jehu *in editione vulgatâ legitur* Juda: *ſed hoc mihi videtur non vitio* Lxx *Interpretum ſed ſcriptorum inoleviſſe imperitiâ, qui ignorantes* Jehu, *quod magis tritum eſt ſcripſerunt*, Juda. Adi ſis ad Obſerv. meas.

6. Ουκ ἐλεημένη] Lectio varians ἀνελεημοσύνη minùs ſe probat mihi. Sanè רחמה ἐλεημένη, non ἐλεημοσύνη. Olim legebatur in quibuſdam libris οὐκ ἠγαπημένη *non dilecta*: quam lectionem ſecutus videtur Apoſtolus Rom. 9. 25. Hier. in fine cap. 1. *Pro* οὐκ ἐλεημένη, *i.* abſque miſericordia, *in quibuſdam fertur exempl.* οὐκ ἠγαπημένη, *i.* non dilicta. *Sed veriora ſunt exemplaria quæ habent* abſque miſericordia, *maximè quia ad diſtinctionem Iſraelis, cujus non miſeretur, infert Deus*, DOMUI AUTEM JUDA MISEREBOR. ¶ Προσθήσω] Προσθῶ. ¶ Ἐλεῆσαι] Diverſa lectio ἀγαπῆσαι, quæ in C, & impreſſis ad exemplar ejus, duabus de cauſis mihi diſplicet: Una eſt, quia verbum רחם in conjugatione ſecunda, quam *Piel* vocant, non ſig. *amare*. Altera eſt, quia hæc lectio non convenit cum voce ἀνελεημοσύνη, quæ in iiſdem libris. Eſſet in omnes partes tolerabilior ſi præcederet οὐκ ἠγαπημένην, i. לא רחומה. Nam idem verbum רחם in Kal. ſig. *amare*, *intimè diligere*, unde ארחמך *intimè diligam te* Pſ. 18. 2. Itaque Jonathan interpretatur דלא רחימין *qui non ſint dilecti*.

7. Οὐδὲ ἐν πολέμῳ] Aliquot ed. hîc habent οὐδὲ ἐν ἅρμασι, *neque in curribus*. Apparet autem gloſſema eſſe alicujus. Nam abeſt in R. & in C. tum etiam apud Theodoretum & in verſione Lxx quæ in operibus Hieronymi.

8. Συνέλαβεν ἔτι] Illud ἔτι nec eſt in Ebræo, nec in editis ad E. C.

9. Καὶ εἶπε] Libri quidam, Καὶ εἶπεν Κύριος. ¶ Διότι ὑμεῖς] כי אתם. Sic eſt in fonte. Lectio alia, καὶ ὑμεῖς ואתם, minùs placet. ¶ Οὐκ εἰμὶ ὑμῶν] *Non ero veſter* eſt in Latina Hieronymi. Partim librorum οὐκ εἰμὶ Θεὸς ὑμῶν, i. אלהיכם. Similis defectus Ezec. 16. 8. Hanc figuram Grammatici *Reticentiam* vocant. Nam præ ſtomacho reticetur quod tamen ad plenam ſententiam neceſſarium. Editio Chaldaica, *& ego ero vobis auxilio*. Adito ad Lectiones meas.

10 Καὶ ἦν] *Et fuit*. Verbum ἦν poſitum eſt in Aoriſti ſecundi ſignificatione, ut Matth. 1. 18. & 2. 15. & Marc. 11. 32. Editio Ximenii καὶ ἔςαι, quod magis probo: nam de futuro loquitur. Sic infrà והיה καὶ ἔςαι, conſentientibus libris. ¶ Ἐν τῷ τόπῳ οὗ ἐῤῥέθη] Hanc verſionem tuetur ex neotericis Edvardus Livelæus Anglus. Apoſtolus quoque retinuit Rom. 9. 26. Idem paulò pòſt ἐκεῖ κληθήσονται, addit ἐκεῖ, quod orationi deerat. ¶ Κληθήσονται καὶ αὐτοὶ] Libri ad Complutenſe non habent καὶ αὐτοί. *Dicetur illis* (ità eſt in fonte) i. vocabuntur. Non omnino diſplicet.

11. Ἑαυτοῖς] להם. A. & B. ἐν αὐτοῖς, בהם. Contrà Joel 1. ἑαυτοῖς poſitum pro ἐν αὐτοῖς.

IDEM in VULG.

1. O*See*] Græci librarii non parùm ſæpe adſpirant; ubi non opus adſpiratione; contrà omittunt adſpirationem; ut in hoc nomine. Scribunt enim Ὠσηε: ex quo *Oſee* in libris Latinis, cùm ſit ſcribendum *Hoſee* vel *Hoſea*, & formâ nominis Latinâ *Hoſeas*. In veteribus libris ſcriptum reperitur *Auſe*, videl. αυ pro ω ex dialecto Syriaca. Vide Quæſtiones noſtras. ¶ *Joatham*] Ex Græco Ἰωάθαμ. Sed in quibuſdam locis Ἰώθαμ legitur, quæ ſcriptura perpetua eſt apud Ebræos. Ἰώθαμ, id eſt, *Jothan*. ¶ *Ezechiæ*] Placet Scriptura Græca Ἐζεκίυ, i. *Ezechiæ*. Scribendum ſimiliter *Ezeciel*. Quanquam aliter ſcriptum reperiatur in antiquis libris.

2. *Principium loquendi*] Scio hoc poſſe defendi ex antiquitate, mihi tamen magis placeret *principium ſermonis Domini*: aut, *primùm locutus eſt Dominus*. ¶ *In Oſee*] Per internam revelationem. ¶ *Fac tibi*] Ebraicorum codicum autoritas monet me, ut de manuſcripta lectione non dubitem, in qua hoc totum deſideratur. Et certè gloſſema videtur librarii infeliciſſimè docti, qui ſermonis inſolentiâ offenſus, *Sume tibi uxorem & filios*, inſeruit quod ipſi deeſſe videbatur. Porrò *ſumere filios* hoc in loco aliud nihil eſt, quàm ſuſcipere filios. Poteſt etiam verti, *Cape tibi uxorem & filios*. ¶ *Filios fornicationum*] Natos ex ea, quæ fornicata fuerat. ¶ *A Domino*] Id eſt, deſerto Domino. Ad verbum, *à poſt Dominum*.

3. *Debelaim*] Ex Græco δεβηλαὶμ. Magis placeret *Deblaim*. Deblaim hodie diblaim, e pro i, ut Hellel, Hillel: Hennon, Hinnon.

4. *Jezrael*] Littera penultima hujus nominis eſt Ain, ut, quin *Jezrael* ſcribendum ſit, dubitari non poſſit, quomodo in antiquis nonnullis libris ſcriptum quoque reperitur, atque eadem ratione, qua *Iſmael* ſcribimus, non *Iſmahel*. Quanquam in manuſcriptis *Iſmahel* legitur, ſed quid facias iſtis librariis, qui etiam *Johel* ſcribunt & *Heſter* & ſexcenta alia ſimiliter. ¶ *Viſitabo*] Id eſt, vindicabo. ¶ *Sanguinem*] Cædem. ¶ *Quieſcere faciam*] Abolebo.

6. *Oblivione obliviſcar eorum*] Santes hanc interpretationem retinet. Sed mihi dubium non eſt, quin vertendum ſit, *tollendo tollam eos*. Verbum enim Ebraicum cum habet Aleph in ultima, ut hîc, ſignificat *tollere*: cum He, *obliviſci*. Ea res fefellit interpretes. Jonathan, *Verùm ſi converſi fuerint condonando condonabo ipſis*. Minùs placet.

7. *In arcu*] Per arcum, & ità deinceps. Ebraiſmus.

8. *Eam quæ erat abſque miſericordia*] Verba illa, *eam quæ erat*, abeſſe poſſunt. ¶ *Abſque Miſericordia*] Id eſt, LO RUCHAMA. Nomen proprium, ut Non populus meus LO AMMI. Adeodatus, id eſt, Jonathan vel Theodotio.

9. *Non ero veſter*] Alii legunt, *veſter Deus*, addita voce *Deus*, quæ deſiderari omnino videtur.

10. *Sine menſura eſt*] i. ἀμέτρητος *non menſuratur*, menſurari non poteſt propter multitudinem.

11. *In loco ubi dicetur eis*] Latinè ſic, *pro eo quod dicebatur eis*. Ebraiſmus.

LIVELEUS.

2. P*Rincipium locutionis Jehovæ per Oſeam*] Superiore verſu generalis in univerſam hanc Prophetiam inſcriptio continetur, illius autorem, miniſtrum & tempus exponens: Hic verò alia quædam ἐπιγραφή eſt, ſpecialiùs declarans quid primùm Deus Prophetæ ſui miniſterio locutus ſit. ¶ *Et natos ſcortationum*] i. Spurios & adulterinos, ut cap. 2. v. 3. *Filiorum ejus non miſerebor, quia filii ſcortationum ſunt*, i. ſpurii, *ex ſcortatione geniti*, ut loquitur Johannes 8. 41. Quòd verò jubetur *uxorem & natos ſcortationum accipere*, non ità intelligendum videtur quaſi unà cum matre accipiendi forent: Sed pluribus, ni fallor, tribuitur quod unius proprium erat; *accipique liberi* dicuntur qui ſcortantem matrem acceptam, cui propriè id verbum quadrat, poſtea ſecuti ſunt, ex ea geniti. Quâ ferè ratione Ruth. 1. 22. *Noemi & Rutha ex agro Moabitarum rediiſſe* dicuntur, & c. 2. 6. *Rutha cum Noemi*: Nam ſola Noemi revera rediit, Rutha verò eam redeuntem tantùm comitata fuit. Nec diſſimile videtur quòd Chriſtus Matth. 21. 5. dicitur *inſediſſe aſinæ ac pullo ejus*. Neque enim utrique inſedit, ſed pullo vehebatur, ſequente illius matre. Hujus autem mandati ratio illis verbis explicatur, *Quia ſcortatur terra*. Hoc ergò facere jubetur in ſignum & argumentum ſcortationis Iſraelitarum, i. impiæ eorum defectionis à Deo ad Idola. Deus enim Marito, Eccleſia ejus Uxori comparatur, hîc cap. 2. 2, 15. item Jer. 3. 1, 8, 20. denique Ezech. 16. 8. Hinc *zelotypia* Deo tribuitur Exod. 20. 4. ¶ *Averſata Jehovam*] Ad verbum dicitur *à poſt Jehovam*. Nam ut fidelis uxor maritum ſuum ſolum, ità ſcortum alios amatores ſectari ſolet. Undè illud eſt tam tritum in S. literis, *ſcortari poſt idola*. Vide Exod. 34. 15. & hîc cap. 2. 5, 13.

3. *Accepit*] Quidam hoc ità à Propheta revera factum fuiſſe exiſtimaverunt: Quorum ego ſententiam ut pro certa confirmare nolim, ità eam quaſi abſurdam aut impiam damnare non auſim. Quod enim objicitur, contra legem Divinam & bonos mores hoc fieri ſi Doctor Eccleſiæ meretricem ducat; tum verum eſt ſi libidine ſua id fecerit, injuſſu Dei; quorum neutrum in Oſea fuiſſe omnes intelligebant. Deo autem jubente licita & honeſta fiunt quæ alioqui injuſta & abſurda videri poſſunt: ut gravis percuſſio Prophetam vulnerans 1 Reg. 20. 37. injuſta cenſeri non debet; nec laceratio novæ veſtis Jeroboami 1 Reg. 11. 29. neque Abrahamus, qui Dei juſſu filium ſuum jugulare & immolare conatus eſt; nè ſi id quidem perfeciſſet, juſtam reprehenſionem incurreret. Denique Iſraelitis quòd Deo præcipiente Ægyptios ſpoliarent vitio non vertitur. Omitto Eſaiam nudum & diſcalceatum, cap. 20. Jeremiam cum ligneo jugo, cap. 28. Ezechielem depictam in latere Jeroſolymam obſidentem, cap. 4. pueriliter & ridiculè, niſi Deus juſſiſſet. Verùm ità eſt, hu-

hujusmodi typos & sacramenta, cùm in ipsius populi conspectu exhibentur, majorem vim permovendi habere. Huc accedit doctissimi viri Johannis Merceri autoritas, qui in suis ad hunc locum Commentariis ità scribit, *Hac sententia magis nobis placet ut revera uxorem scortum duxerit, & ex ea liberos dubios procrearit. Nam quod objicitur, Honestas esse oportere Doctorum nuptias; sanè non poterant non honestæ esse jubente Domino, qui id ità volebat ad significandos Israelitarum mores. Denique aliorum interpretationes tam improbabiles videntur ut earum nulla sit cui majorem quàm huic assensum præbere queam. Hebræi enim Scholiastæ hæc omnia visione facta fuisse arbitrantur, cùm nulla omnino visionis mentio fiat. Nonnulli ità accipiunt ea verba*, Assume tibi uxorem scortationum, *&c. quasi hoc dicatur*, Prophetato te similem esse homini qui assumpserit sibi uxorem & liberos hujusmodi. *Alii verò hunc ex illis sensum eliciunt*, Uxorem tuam hoc infami nomine ad populum traducas, ut dicas eam fœdum scortum esse, liberósque quos ex ea gignes, spurios. *Ut verò istas interpretationes simplices aut verisimiles putem, eò longiùs absum quò diligentiùs Prophetæ verba perpendo.*

4. *Jezrahelem*] Hoc nomine vocatus est hic primus Oseæ filius, in monumentum cædis à Jehu ibi factæ 2 Reg. 9. & 10. capitibus, & in signum cladis eodem in loco futuræ, quam versus 5 ostendit.

5. *In valle Jezrahelis*] Præpositio ב etsi aliquando significat *propter*, tamen cùm nomini locum designanti præponitur, ut hîc, propriè valet *in*. Itaque æquum non est ut novæ Tremellii versioni *propter vallem* vetustior, receptior, probatior illa aliorum interpretatio cedat.

6. *Ut condonando condonem illis*] Verbum Hebræum נשא sequente ל *condonare* significat, & כי interdum valet *ut*; Gen. 38. 16. *Quid dabis mihi* כי תבוא *ut venias?* Jud. 8. 6. *Estne manus Zebachi nunc in manu tua*, כי נתן *ut demus exercitui tuo panem?* Valde igitur mihi probatur hic judicium Tremellii & Junii, qui primi & soli (quòd sciam) hæc verba ità acceperunt. Sensus est, *Deum misericordiâ non commotum fore ut Israeli condonet & parcat, quin eum perdat*: Cujusmodi comminatio est Jer. 13. 14. *Non miserebor quin perdam:* & Amos. 7. 8. *Non pergam ampliùs condonare ei.*

9. *Vester*] Sub. *Deus*. Mutua enim inter Deum & populum suum relatio est. Jer. 11. 4. *eritis mihi in populum, & ego vobis in Deum*. Hic in fine capitis sequentis, *dicam, Lo-ammi, Populus meus es, & ipse dicet, Deus mi.* Talis correlativi ellipsis est Ezech. 16. 8. *Veni tecum in fœdus, & fuisti mea*, subauditur *uxor*.

10. *Tamen*] Videtur enim hoc dici ἐναντιωματικῶς, quomodo conjunctio ista ו multis in locis usurpatur. Jer. 30. 7. *Tempus angustiæ erit Jacobo*, וממנה *tamen ab ea liberabitur*. ¶ *Numerari*] Arias Montanus hic existimat utrumque verbum *numerandi* & *mensurandi* non congruere *arenæ*, sed illud ad *stellas* hoc sensu referendum esse, *Ut arena maris immensa est, & stellæ cœli innumeræ, ità Israelitarum infinita multitudo erit.* Quod non est necesse. Nam & utrumque verbum ejusdem rei infinitati notandæ servit. Theocritus εἰδυλλ. 15.

——— ὅσσος ὄχλος ———
——— μύρμακες ἀνήριθμοι καὶ ἄμετροι.

Et *arenæ* ipsi non solùm *mensura* sed etiam *numerus* tribuitur: idque tam in sacris quàm profanis literis. Heb. 11. 12. ἀναρίθμητος vocatur. Gen. 32. 12. *præ multitudine non posse numerari* dicitur. Horat. 1 Carminum, oda 28.

Te maris & terræ numeróque carentis arenæ,
Mensorem cohibent.

Seneca in Medea,

Dum terra cœlum media libratum feret,
Numerúsque arenis deerit.

¶ *In loco ubi*] Hæc veterum interpretatio est, Hieronymi, Chaldæi P. & Græcorum qui *Septuaginta* vocantur, quam etiam Apostolus Rom. 9. 26. retinuit, ἐν τῷ τόπῳ ȣ̃. At à Tremellio tanquam aliena & impropria rejicitur. Sic enim priore sua Oseæ enarratione scribit, *Qui vertunt*, In eo loco ubi, *&c. non expendunt quibus vocalibus Hebræa dictio scribatur. Si enim locum aliquem certum designaret, præfixam haberet notam emphaticam* במקום: *At formam habet hic regiminis, atque diversis notatur punctis: ideo idem valet quod* תחת, *ac vertendum est* PRO EO QUOD DICEBATUR. Hæc ille. Verùm tantum abest ut hæc quam vult Hebræarum vocum necessaria aut sola sententia sit, ut etiam illa altera quam improbat iisdem verbis eâdem formâ regiminis occurrentibus ab eodem autore tribuatur. Lev. 4. 24. *Jugulato illum* במקום אשר *in loco ubi holocaustum*, &c. Jer. 22. 12. במקום אשר *in loco quò eum deportaverunt morietur*. Ezech. 21. 30. במקום אשר *in loco ubi procreata fuisti.* Utraque igitur saltem probabilis versio erit: si tamen exemplo aliquo hæc nova confirmari possit (nam quod ad me attinet, nullum profectò memini) tum verisimilis habebitur. Interea illa quæ tot exemplis firmata est mihi non verisimilis solùm sed vera certáque erit; præsertim cùm veterum, ut antè declaravi, Interpretum autoritate stabilita sit. ¶ *Dicantur filii*] Verbum è verbo, *dicatur illis*, *Filii*. Cujusmodi illud est Esa. 61. 6. *Sacerdotes Jehovæ vocabimini: Ministri Dei nostri, dicetur vobis*, i. *dicemini*. Et 62. 4. ibidem, *Non dicetur tibi*, *Derelicta*, pro *non diceris*. Et apud eundem, cap. 1. 26. *Vocabitur tibi*, *Civitas justitiæ*, h. e. *vocaberis*. Hinc apparet versionem illam, κληθήσονται υἱοὶ, quam Apostolus Rom. 9. 26. secutus est, probam esse.

11. *Caput unum*] h. e. Principem, Dominum, Regem, nempe Christum, qui *Caput Ecclesiæ* constitutus est; Ephes. 1. 22. & 5. 23. Quod hîc dicitur, rectè declarat Ezech. 37. 22, 24. ¶ *Ascendent è terra*] Scilicet captivitatis & servitutis suæ: de qua Jer. 23. 8. *Vivit Jehova qui eduxit semen domûs Israelis è terra Aquilonis*, &c. Spiritualis enim in Christo liberatio hic intelligitur. Verbum autem *ascendendi* Evasionem notat, ut Exod. 1. 9. *ne se jungens inimicis nostris, contra nos pugnet, & ascendat è terra*. Atque in eo loco Jeremiæ ad verbum habetur, *Vivit Jehova qui ascendere fecit*, i. eduxit, liberavit. ¶ *Dies Jezrahelis*] Tribus illis malis antè triplici fœtu figuratis triplex solatium opponit, ut capite 2. 22, 23. *Jezrahelis dies magnus erit, populúsque Dei vocabitur* qui ab eo abdicatus fuerat *Lo-ammi* dictus, & *non consecuta misericordiam misericordiam consequetur*. Itaque *diem Jezrahelis*, contrà quàm multi opinantur, tempus salutis & gratiæ ac liberationis Ecclesiæ vocari puto, ut Luc. 19. 42. *Si nosses, vel hoc saltem tuo die, quæ ad pacem tuam pertinent.* Psal. 81. 15. *Erit tempus eorum æternum*, & Esa. 33. 6. *Firmitas erit temporis tui. Magnus* autem dicitur propter magnam Dei potentiam in suorum salute & hostium Ecclesiæ exitio exserendam. Rectè Mercerus ad hunc locum *diem magnum* dicit referri non solùm ad diem Judicii sed totum tempus Gratiæ.

GROTIUS.

1. IN *diebus Oziæ, Joathan, Achaz, Ezechiæ*] Diu vixit Osee, & Prophetam egit, ut volunt Hebræi, per annos 90. itaque multos habuit Prophetas συγχρόνους [*ejusdem ævi*,] ut Esaiam, Joëlem, Amosum, Abdiam, Jonam, Michæam, ut hîc notat Hieronymus; viditque populum Decem tribuum florentem, vidit ejusdem partem non exiguam translatam per Teglathphalasarum.

2. *Principium loquendi Domino in Osee, & dixit Dominus*] Id est, *Cùm primùm Deus Oseen alloqui cœpit, dixit ei.* Confer Geneseos 1. 1. ¶ *Vade & sume tibi*] In domum tuam deduc. Vide quæ ad Matth. 1. 20. ¶ *Uxorem fornicationum*] Id est, meretricem, quæ multis admodum sui copiam fecerit. Maimonides hæc vult contigisse ἐν ὀπτασίᾳ [*in Visione*] tantùm; sed & series loci, & alia loca similia magis id credi exigunt, signo aliquo in hominum oculos occurrente expressas eas res quæ inter Deum & Hebræum populum agebantur. Uxorem ducere quæ meretrix fuerit non erat illicitum nisi Sacerdotibus, Levitici 21. 7. Videri quidem id poterat subturpe; sed quicquid jubet Deus, idem jubendo honestum facit. ¶ *Et fac tibi filios fornicationum*] In Hebræo non est *fac*, sed *& natos fornicationum*, *sume* scilicet. In domum deduc cum matre spurios illos quos in vita illa meretricia genuit. Alii enim sunt filii quos Osee postea ex ea genuit, & ad alias significationes adhibiti. ¶ *Quia fornicans fornicabitur terra à Domino*] Meliùs, *scortatur*: nam Hebræi, cùm præsens non habeant, modò id per præteritum, modò per futurum exprimunt. Pro *à Domino* est *à post Dominum*, id est, Deum sequi desiit, idolis quasi mœchis adhærens:

——— *tua cura Lycoris*
Pérque nives alium, pérque horrida castra sequuta est.

Terra hîc est populus Decem tribuum.

3. *Et accepit Gomer*] *Deficientem* hæc vox significat. eo nomine indicatur populum Decem tribuum grave deliquium passurum. ¶ *Filiam Debelaim*] *Debelaim* sunt *duæ ficuum massæ.*

sæ. Significatur, sicut ficus aliæ sunt bonæ, aliæ malæ (vide Jerem. 24.) ità etiam alios bonos, sed multos malos fuisse in Decem tribubus.

4. *Voca nomen ejus Jezrahel*] Tria nomina liberûm Oseæ tres pœnas Decem tribuum significant. *Jezrahel* nobilis Vrbs in Decem tribuum solo, 1 Regum 21. 1. 2 Regum 9. 10. & 10. 6. ¶ *Adhuc modicum*] Intra breve tempus. ¶ *Et visitabo sanguinem Jezrahel super domum Jehu*] Meliùs, *per sanguinem Jezrahel:* quo sensu את sæpe sumitur. Sensus est, Qualem stragem edidit Jehu in domum Achabi & in Jezabelem in urbe Jezrahelis, tali strage puniam posteritatem Jehu, cùm scilicet interficietur cum suis Zacharias, Jehu quidem abnepos, filius autem ejus Jeroboami sub quo hoc visum Oseæ contigit, 2 Regum 15. 10. ¶ *Et quiescere faciam regnum domûs Israel*] *Cessare*, nempe in domo Jehu. nam Zachariæ interfector idémque successor Sallumus ex alia stirpe fuit.

5. *Conteram arcum Israël in valle Jezrahel*] Vires populi illius frangam bellis civilibus. *Arcûs* nomine Hebræis vires significantur, ut 1 Sam. 2. 4. Videtur præcipuè indicari strages illa quam daturus erat Manahemus 2 Regum 15. 16. *Prope Jezrahelem campi se ultra decem passuum millia extendunt:* ità hîc Hieronymus.

6. *Voca nomen ejus Absque misericordia*] Græca vox meliùs exprimit sensum Hebræum, Οὐκ ἠλεημένη] *Misericordiam non assecuta.*] *Non addam ultrà misereri domui Israël*] Id est, non ultrà extendam adversùs Decem tribus miserationem meam. *Sed oblivione obliviscar eorum*] Sumsit quasi esset à נשא, & positum esset א pro ה, ut fit sæpe. sed rectiùs interpretari *tollendo tollam eos*, id est, omnino eos auferam ab hac terra: *eos*, id est, Galaaditas, Galilæos, Nephtalitas, Rubenitas, Gaditas, & partem Manassis, 2 Reg. 15. 29. 1 Paralip. 5. 26.

7. *Et domui Juda miserebor*] Dabo hoc pietati Ezechiæ, nè qui sub eo est populus eadem patiatur quæ Decem tribus. *Et salvabo eos in Domino Deo suo*] Per me, meâ vi: mos Hebræorum ponendi nomen pro pronomine. Chaldæus, *per verbum Dei Domini sui:* solet enim Chaldæus in magnis Dei actionibus *verbi Dei* facere mentionem. ¶ *Et non salvabo eos in arcu, & in gladio, & in bello, & in equis, & in equitibus*] Efficiam, ut neque Syri, neque reliqui Decem tribuum nocere illis quicquam valeant, objecto eis metu ab Assyrio, 2 Regum 16. Esaiæ 7. 1.

8. *Et ablactavit eam quæ erat Absque misericordia, & concepit & peperit filium*] Id est, postquam filiolam à lacte depulisset, concepit filium: vix enim concipiunt feminæ dum lactant.

9. *Voca nomen ejus, Non populus meus: quia vos non populus meus, & ego non ero vester*] Id impletum cùm qui de Decem tribubus erant reliqui abacti sunt per Salmanasarem, futuri posthac non Dei populus sed Assyriorum servi.

10. *Et erit numerus filiorum Israël quasi arena maris, quæ sine mensura est, & non numerabitur: & erit in loco ubi dicetur eis, Non populus meus vos: dicetur eis, Filii Dei viventis* [*Postquam numerus filiorum Israël* (in exsilio) *factus fuerit velut arena maris, talis ut neque numero neque mensurâ comprehendi queat, tunc pro eo quòd dicti fuere Non populus meus, dicentur Filii Dei viventis.*] ו bis positum apud Hebræos sæpe tempora connectit, ità ut Latinè per *postquam* reddatur optimé. Illud במקום [*in loco*] valet *pro eo quod:* & sic multi populi etiam nunc loquuntur. *Dicentur filii Dei viventis*, nempe illi qui ad Deum & Legem reversi fuerint, Prophetisque habuerint fidem. tales autem fuere nonnulli ex Decem tribubus, qui cum Judæis domum rediere sub Cyro. Vide Esdram 2.

11. *Et congregabuntur filii Juda & filii Israël pariter*] Συνεκδοχὴ [*Comprehensio*,] id est, aliqui ex Israële. ¶ *Et ponent sibimet caput unum*] Zorobabelem typum Christi. Vide Jerem. 30. 20, 21, 22. & 33. 22, & sequentibus. Ezech. 16. 61. & 34. 23. & 37. 16, & sequentib. ¶ *Et ascendent de terra*] Ibunt ex Galilæa & aliis locis ad Templum. Vide Luc. 2. 44. ¶ *Quia magnus dies Jezrahel*] Id est, *semini Dei*, illis quos modò dixerat *filios Dei viventis:* id enim significat יזרעאל [*Izrehel.*] Allusio autem est ad nobilem quandam in Decem tribubus urbem. *Magnus dies*, tempus reditûs, resuscitati Templi & Urbis.

CAP. II.

MUNSTERUS.

2. **E**Xpostulate cum matre vestra] Vocat scortum illud *matrem* eorum, quæ cùm gloriaretur se esse sponsam Dei, interim omnibus viribus adulterio habenas laxavit. Vocatur autem in Scriptura Idololatria *adulterium*, quando mens absorpta est impiis cogitationibus, & pendet à creaturis, non à Deo, à quo tanta accepit beneficia.

5. *Dant mihi panem*] Sensus est, Adhærebimus Regibus externis, non obstante quòd Deus illud prohibuit, & faciemus cum eis fœdus: Illi enim liberabunt nos, ut commodiùs colamus agros nostros, & habeamus omnia necessaria.

7. *Amatores suos*] Id factum fuit cùm Samaria & postmodum Jerusalem obsiderentur ab hostibus, quærebant apud confœderatos suos auxilium, sed frustrà, donec tandem vexatione dante intellectum, dicerent, *Revertar ad virum meum priorem*, sicut & filius prodigus dixit, *Surgam, & revertar ad patrem meum*, &c.

9. *Accipiam frumentum meum*] Quia enim non agnoscunt hæc à me accepisse, ego auferam ab eis tanquam ab indignis omnia bona. Sic Dominus varias concessit Homini gratias & dona: &, si ille eis abutatur, auferet Deus munera sua, & puniet hominem pro abusu eorum.

12. *Merces mea hæ sunt*] Magna populi Israelitici insania, ut putarent sibi omnium rerum copiam ab Assyriis & idolis obtigisse. Unde & Deus iratus mutavit *vineas eorum in silvas.*

14. *Inducam eam*] i. Meâ inspiratione inducam populum ab ignorantia Dei ad ejus cognitionem, præsertim cùm *pertraxero eum in desertum*, h. e. in captivitatem. Et à loco captivitatis reducam eum ad patrias possessiones; habebítque *vallem Achor* loco *spei:* sicut olim sub Jehosua mœrore affecti ob furtum Achan conceperunt post turbationem illam magnam spem obtinendæ Terræ, sic jam fiet populo meo.

16. *Subactor meus*] Heb. *Baal*, quod quidem *maritum* significat sed *durum & imperiosum*, qualis fuit Deus Baal cultoribus suis, quem populus impius elegerat pro piissimo Deo cœli.

18. *Cum bestiis campi*] Non, inquit, nocebunt eis *bestiæ campi, aves cœli*, &c. alludens ad illud Jesaiæ, *Non nocebunt in universo monte meo*, &c. De quo Jes. 11. nonnihil diximus.

20. *Desponsabo te mihi in fide*] Proprium conjugii est mutuam servare fidem, sic Deus *desponsavit sibi* populum *in fide*, ut sciant se per Christum invenisse peccatorum suorum remissionem, &c.

21. *Exaudiam cœlos*] In illo, inquit, tempore omnia elementa cupient inservire Homini, ut ille agnoscat & diligat Creatorem suum. Et Cœli quidem quodammodo me rogabunt ut illis vim largiar quâ Homini inserviant; & Terra rogabit Cœlum ut desuper illi ministret fœcunditatem; sed & terræ nascentia Terram ipsam precabuntur ut pro utilitate Hominis sinantur crescere in ea: & ea omnia *exaudientur*, h. e. parata erunt ut prosint Homini, in cujus ministerium hæc omnia sunt creata. Porrò per *Jizreelem* intellige hîc, sicut suprà, *populum disseminatum*, sed iterum in fide Christi congregatum. Reliqua ex superioribus patent.

VATABLUS.

2. **E**Xpostulate, &c. ריבו ונו'] *Increpate matrem vestram, increpate.* Alloquitur fideles credentes Christo, qui descenderunt ex Synagoga, ut Apostoli & Judæi alii. Invitat Synagogam ad resipiscentiam: q. d. Arguite eam quòd desierit esse uxor mihi, non servando mihi fidem, quando convertit se ad idola: non gerit se pro uxore erga me; ob id non debeo illi præstare quæ fideli uxori maritus præstare solet. ¶ *Non sum* לא] *Non ero.* ¶ *Fornicationes suas*, &c. זנוניה ונו'] Alludit ad ritum scortorum, quæ nimio ornatu allicere solent amatores suos: q. d. deponat à se mundum muliebrem & ornatum meretricium allicientem & invitantem scortatores ad fornicationem & adulteria, ornatum scilicet *faciei*; i. capitis; & pectoris.

3. *Exspoliem eam nudam* אפשיטנה ערומה] i. Ità spoliem ut remaneat nuda. ¶ *Et statuam*, &c. והצגתיה ונו'] i. Restituam eam in eum statum in quo erat die quo nata fuit, h. e. red-

dam eam nudam. ¶ *Tanquam solitudinem* כמדבר] *Tanquam desertum.* ¶ *Inviam* ציה] Ad verb. *siticulosam*; vel *arentem.*

4. *Fornicationum sunt* זנונים המה] i. Nati matre fornicariâ.

5. *Pudore affecta est* הובישה] *Ignominiosa admisit.* ¶ *Vadam post amatores meos* אלכה אחרי מאהבי] *Sequar amatores meos*, i. adhærebo idolis, & colam ea, quòd largiantur mihi necessaria omnia.

6. *Sepiam* שך] Præs. Heb. pro fut. ¶ *Et semitas suas*, &c. ונתיבותיה וגו'] Mutatio personæ: i. ità ut non possit egredi nec exire quò velit.

7. *Et non apprehendet eos* ולא תשיג אותם] i. Et non assequetur eos: q. d. non fruetur illis, non fruetur ope idolorum quæ sequetur. ¶ *Priorem* הראשון] Nempe Deum.

8. *Fecerunt in Baal* עשו לבעל] *Fecerunt pro Baal*, i. insumpserunt in conflando & ornando Baal.

9. *Convertar* אשוב] *Avertar*; *revertar*: i. quasi pœnitudine sive pœnitentiâ ductus, & mutatâ sententiâ detraham illi quod tempore statuto dare solebam. ¶ *Ignominiam ejus* ערותה] *Nuditatem ejus*, i. pudenda.

10. *Nunc autem revelabo* ועתה אגלה] *Nunc autem manifestabo*: vel *notam faciam. Nunc autem*, i. brevi. ¶ *In oculis amatorum ejus* לעיני מאהביה] i. Spectantibus amatoribus ejus, Ægyptiis & Assyriis, cum quibus fornicabatur, relicto Deo sponso & marito.

12. *Merces* אתנה] i. Sunt merces mea. Significat propriè *mercedem* sive *præmium quod datur scorto.* ¶ *Et ponam eas in silvam* ושמתים ליער] *Ponamque eos* [nempe filios Synagogæ] *in saltum*, i. reddam eos similes saltui, in quo versantur & sævinnt feræ & animalia noxia: vel, *& ponam eos in saltu*, sive *loco saltûs*, i. in regione hostium suorum: ut *bestias* vocet hostes.

13. *Dies Baalim* ימי הבעלים] i. Flagitia quæ admisit tempore quo coluit idola. Seipsum mox declarat.

14. *Seducam eam* מפתיה] Præs. Heb. pro fut. in quo י est loco ה radicalis literæ. Alii, *lactabo eam*: sive *lactaturus sum*, i. suasurus sum illi. ¶ In *desertum* המדבר] *In ipsum desertum*, ubi scilicet aberit ab idolis. ¶ *Ad cor ejus* על לבה] *Juxta cor ejus.* Hebraismus, pro, *illic alloquar eam blandis verbis & plenis consolatione*, ut scilicet ad me revertatur: annunciabo illi Euangelium meum.

15. *Indè* משם] *Illinc*; i. ab eo deserto: q. d. Vineæ ipsius incipient ab ipso deserto. Respicit quod antè dixerat v. 12. *vineas & ficus*: acsi dicat, Si voluerit acquiescere verbis meis, dabo illi copiam bonorum temporalium, per quæ & spiritualia intelliguntur. ¶ *Et vallem Achor* ואת עמק עכור] ACHOR *turbationem* significat. Vallis ità dicta fuit quòd in ingressu Terræ sanctæ populus Israeliticus propter scelus Achan turbatus sit: q. d. Non erit in ista mutatione tale initium quale fuit in ingressu Terræ sanctæ: illic fuit turbatio; hîc, nempe initio Ecclesiæ, læta & prospera omnia. Dixit autem, *in ostium*, sive *ingressum*, & *introitum spei & exspectationis*, ut Latini loquuntur *fores amicitiæ aperire*, h. e. occasionem dare amicitiæ incundæ: sic *spei.* ¶ *Juxta dies juventutis suæ* כימי נעוריה] *Ut tempore juventutis suæ*, in qua ætate præ lætitia canitur & saltatur. ¶ *Et juxta diem*, &c. וכיום עלותה וגו'] i. Et ut tempore quo liberata fuit è servitute Ægyptiaca. Alludit ad canticum Mosis.

16. *Ishi* אישי] i. *Vir* vel *Maritus meus.* ¶ *Baali* בעלי] Hæc vox *Dominum* vel *Maritum meum* significat: q. d. Quando vocabis me posthac, non uteris hoc vocabulo *Baal*; nam hoc nomen malè audit & sonat, quòd eo nomine vocent idolum suum: idcirco in detestationem idololatriæ desines me vocare *Baali.*

17. *Baalim* הבעלים] i. Idolorum quæ *Domini* dicebantur.

18. *Eis* להם] i. In gratiam illorum, fidelium scilicet: q. d. Præcipiam illis nè noceant fidelibus. Hæc dicuntur juxta id quod apud Davidem legitur, *Super aspidem & basiliscum ambulabis*, Psal. 91. 13. Et, *Si mortiferum quid biberint, non eis nocebit*, Marc. 16. 18. Promittit fidelibus tranquillitatem & pacem summam tempore Euangelii, nec aliquid illis nociturum ¶ *Et bellum* ומלחמה] Reliqua instrumenta bellica, ut cap. 1. 7. Summam pacem promittit adumbrantem pacem internam. Luc. 2. 14. *Et in terra pax.* ¶ *Conteram* אשבור] *Confringam*, i. confringendo auferam è regionibus in quibus habitaverint.

21. *Exaudiam*, inquam, *cælos* אענה את השמים] i. Sinam ut Cœlum, quod antea clausum erat, tunc fundat ac demittat rorem suum, imbrem & pluviam super Terram: quasi id petat Cœlum. Cœli præterea respondebunt votis Terræ, quæ humorem desiderat.

22. *Exaudiet triticum* תענה את הדגן] Tanquam Triticum postularet ut Terra produceret ipsum, i. Proferet terra triticum, &c. Desiderant enim hæc humorem terræ. ¶ *Exaudient ipsum Izreel* יענו את יזרעאל] i. Respondebunt votis fidelium, qui IZREEL, i. *semen Dei*, dicuntur.

23. *Et seminabo*, &c. וזרעתיה לי בארץ] Hebraismus, pro, *spargam eam instar sementis super terram.* ¶ *Miserebórque*, &c. ורחמתי וגו'] i. Miserebor ejus quæ antea misericordiam non erat consecuta: q. d. Ego illos qui antea non erant populus meus agnoscam pro filiis, & ipsi vicissim agnoscent me pro Deo suo.

CLARIUS.

1. POpulus meus] Sub. *vos estis.* Videtur autem vocare *fratres* duos illos filios illius scorti quod Propheta jussus erat accipere, & *sororem* femellam illam quæ vocata est *Absque misericordia*: Ut intelligas, postquam & *dispersi* sunt, & *misericordiâ indigni* habiti, & *demum non populus Dei* facti, si convertantur ad Christum, & *colligendi* sunt, & *consecuturi misericordiam*, & evasuri *populus* atque adeò *filii Dei.*

2. *Objurgate matrem vestram*] Vocat scortum illud *matrem* eorum, quæ cùm gloriaretur se esse sponsam Dei, interim totis viribus adulterio habenas laxarit. Vocatur autem in Scriptura Idololatria *adulterium*, quando mens absorpta est impiis cogitationibus, & pendet à creaturis, non à Deo, à quo tanta accepit beneficia: *objurgate* ergò eam quòd illius culpâ factum sit divortium. Et tamen vide ut, quamvis dixerit fore ut *non* jam *sit populus ejus*, invitet tamen ut *abjiciat fornicationes* & scelera sua, nè id quod interminatus est ei accidat: Quod idem inter alios Prophetas, in Jeremia præsertim, invenies.

3. *Secundùm diem nativitatis tuæ*] Ezechiel cap. 16. pulcrè describit qualis gens fuerit à principio.

5. *Dant mihi panes*] Adhærebimus, inquit, Regibus externis quamvis Deus illud prohibuit, & faciemus cum eis fedus. Illi enim liberabunt nos, ut commodiùs colamus agros nostros, & habeamus omnia necessaria.

6. *Et semitas suas*] Quibus scilicet amatores adire poterat.

7. *Et sequetur amatores suos*] Id factum fuit cùm Samaria & postmodùm Jerusalem obsiderentur ab hostibus; quærebant apud confederatos suos auxilium, sed frustrà, donec tandem vexatione dante intellectum, dicerent, *Revertar ad virum meum priorem*, sicut & filius prodigus dixit, *Surgam & revertar ad patrem meum*, &c.

9. *Sumam frumentum meum*] Quia, inquit, non agnoscunt hæc à me accepisse, ego auferam ab eis, tanquam ab indignis, omnia bona. Sic Dominus varia concedit Homini dona, quibus si ille abutatur, auferet Deus munera sua, & puniet hominem ob eorum abusum.

12. *Mercedes hæ mea sunt*] i. Pecunia fornicationis. Magna populi Israelitici insania, ut putarent sibi omnium rerum copiam ab Assyriis & idolis obtigisse. Unde & Deus iratus mutavit vineas eorum in silvas: id enim est quod ait, *ponam eam*, scilicet *vineam*, *in saltum.*

14. *Lactabo eam*] i. Piè fallam, imponem ei, & meâ inspiratione inducam populum ab ignorantia Dei ad ejus cognitionem, præsertim cùm *pertraxero eum in desertum*, h. e. in captivitatem, & à loco captivitatis reducam eum ad patrias possessiones: habebítque *vallem Achor*, loco *spei*: sicut olim sub Josue mœrore affecti ob furtum Achan conceperunt post turbationem illam magnam spem obtinendæ Terræ, sic jam fiet populo meo. Et observa ut semper, cùm flagellat nos Deus, id agat non odii aut indignationis gratiâ, sed ut ab errore revocemur. Potest autem & quod ait, *vallem Achor ad aperiendam spem*, vel *januam spei*, intelligi ut illud Esa. 65. *Vallis Achor in cubile armentorum*; h. e. Loca quæ priùs erant maledicta, ut illa vallis, jam spem concipient meliorem.

16. *Et non vocabit me ultrà Baali*] Quod quidem *maritum* significat, sed *durum & imperiosum*, qualis fuit Baal cultoribus suis, quem populus impius elegerat pro piissimo Deo cœli.

18. *Cum bestia agri*] Præcipiam, inquit, ego *bestiis campi & volucribus cæli*, & omnibus denique, ut non modò non noceant sanctis meis, sed nè arboribus quidem ac frugibus illorum. Tale quid & apud Job habes: ait enim cap. 5. *Bestias terræ non formidabis, sed & cum lapidibus regionum pactum tuum*, h. e. lapides non poterunt tibi nocere. Loquitur & in hunc sensum Esaias 11. *Non nocebunt & non occident* (nempe *bestiæ* & *feræ*, quarum meminerat) *in universo monte sancto meo.*

20. *Sponsabo te mihi in fide*] Proprium enim conjugii est

mutuam

mutuam servare fidem: sic Deus *desponsavit sibi populum in fide* ut sciant se per Christum invenisse peccatorum suorum remissionem.

21. *Exaudiam cælos*] In illo, inquit, tempore omnia elementa cupient servire Homini, ut ille agnoscat & diligat Creatorem suum. Et Cœli quidem quodammodo me rogabunt ut illis vim largiar quâ Homini inserviant; & Terra Cœlum, ut desuper illi ministret fœcunditatem; sed & terræ nascentia Terram ipsam precabuntur ut pro utilitate Hominis sinantur crescere in ea; & ea omnia *exaudientur*, h.e. parata erunt ut prosint Homini, in cujus ministerium hæc omnia sunt creata. Porrò per *Jezraelem* intellige hîc, sicut suprà, *populum disseminatum*, sed iterum in fide Christi congregatum. Hæc autem quæ hic dicuntur non posse intelligi de Israele secundùm carnem, quem paulò antè rejecit, docet locus Esaiæ c. 65.

DRUSIUS.

1. DIcite] Verba Dei, an Prophetæ? Hîc pleráque omnia exemplaria inchoant secundum caput. Hieronymus tamen nos admonet de alio principio, quod incipit à versu proximè sequenti. ¶ *Fratribus vestris*] Alter alteri. Vel sensus est, Vos qui Christiani estis, dicite cæteris qui adhuc sunt in spe veniæ consequendæ, si seriò resipiscant. Porrò *fratres* dicuntur qui ejusdem gentis sunt; item qui religione inter se consentiunt. Tales sunt omnes Christiani, etiam qui ex Judaismo crediderunt. Hi reliquos Judæos *fratres* habent: Sed & qui ex Gentibus crediderunt aliquo modo dici possunt *fratres Judæorum:* nam communem patrem habent Abrahamum. Quanquam hi *filii Abraham* appellentur secundùm carnem, illi secundùm spiritum. ¶ AMMI] *Populus meus.* ¶ *Sororibus vestris*] אחותכם. Græci & Hier. *sorori vestræ*, אחותכם. Esset אחותיהכם si plenè scriberetur. Nunc contraxerunt & scribunt אחותיכם, literâ Joth pluralem indicante. Nam qui singularem esse putant, ex ea convinci possunt. ¶ RUCHAMA] *Misericordiam adepta.*

2. *Litigate*] *Contendite, expostulate.* Hîc incipit concio ejusdem argumenti quo fuit prior. ¶ *Cum matre vestra*] Cum Synagoga Israelitica. ¶ *Quoniam ipsa non est uxor mea*] Quia fidem conjugii non servavit, ideo non habeo eam amplius pro uxore. Quidam legunt, *ipsam non esse uxorem meam, nec me virum ipsius.* Verba Ebræa ambigua sunt in utramlibet sententiam. ¶ *Vir ejus*] *Maritus ejus.* ¶ *Quò removeat*] Hîc *&* valet *sive*, & est τελικὸν, *ut removeat.* Nisi malis *aut removeat.* Si vult esse uxor mea, det operam nè ampliùs scortetur. ¶ *A facie sua*] Mos meretricum ut colore peregrino faciem inficiant ad alliciendos amatores. Sed non tam externo cultu offenditur Deus quàm internâ nequitiâ. ¶ *E medio uberum suorum*] Nam adulteræ ubera comprimunt nè gravidæ appareant. Solet idem fieri à meretricibus. Vide Ezech. 23. 3.

3. *Ne quando exspoliem eam nudam*] Exuam. Nè quando itâ exspoliem eam ut planè nuda sit. Vide Ezech. 16. 4. Quidam, *Ne exspoliem eam & relinquam nudam:* unum verbum pro duobus. Tale est, *capies carbones ignis super caput ipsius*, pro *capies & pones.* ¶ *Et statuam eam ut die quo nata est*] Et redigam in eum statum ut sit qualis fuit cùm in lucem ederetur: Erat autem tum planè nuda. Scitum illud, *Nudus egressus sum ex utero matris meæ.* Idem ergò dicit aliis verbis. Alii, *ut die quo egressa est ex Ægypto:* nam tunc quasi nata primùm videtur. ¶ *Velut desertum*] Ut desertum vastum, quod non solùm rebus ad vitam necessariis destituitur, sed etiam patet omnibus qui illud ingredi volunt. Hoc igitur innuit, Eò redigam fortunas ejus ut desideratura sit ea quæ vivendi necessitas postulat; quinetiam exponetur libidini hostium suorum. ¶ *Velut terram siticulosam*] Non modò cibum sed etiam potum ei subtraham; itáque siti exstinguetur. Hoc significat cùm ait *& enecem eam siti.* Videtur autem innuere sitim illam de qua Amos 8. 11.

4. *Filiorum ejus*] Ità loquendo significat singulos è populo. Nam *mater* est totum populi corpus. Aut nomine *matris* intelligit ipsam terram. Suprà, *Scortando scortata est terra, deserto DOMINO.* Consule proverbium, *Qualis mater, talis filia.* ¶ *Non miserear*] Nè habeam eos duriter immisericorditérque. In aliis editionibus *non miserebor:* quod etiam probo. ¶ *Quia filii scortationum sunt*] Ergò matri similes. Nam ipsa vocatur *uxor scortationum* suprà 1. 2. *Filii* autem *scortationum*, quia matre scorto nati, scortationi quoque dediti erant.

5. *Scortata est*] Post idola. Vide quæ notavimus ad c. 1. 2. ¶ *Pudore affecta est*] Caussam mox reddit cùm ait, *Persequetur amatores suos, & non assequetur eos.* Quanquam vulgò impudicam vitam hoc verbo significari putant. Quia verò meretrices & adulteræ, cujusmodi erat Gomer filia Deblaim, pudorem nullum habent (sunt enim perfrictæ frontis: unde *frons meretricia* pro *impudenti*) ideo Interpretes nuperi retulerunt *scelus pudendum commisit.* Malim *facinus pudendum:* nam *scelus* omne pudendum est. Jam verò designat hoc loco potiùs *flagitium* quàm *scelus.* ¶ *Conceptrix eorum*] Mater quæ concepit eos. Quidam *genetrix eorum.* Sed propriè Vir *gignit*, Mulier autem *parit.* Præterea *gignere* הוליד dicitur, non הרה. ¶ *Post amatores meos*] Post Vitulos qui in Dan & Bethel, quibus attribuebat omnem suam felicitatem. Aut *amatores suos* vocat Assyrios & Ægyptios, quibus hoc unum curæ erat ut ipsam à vero Deo aversam ad se suósque deos amandum pellicerent. *Amatores* propriè אוהבים dicuntur. Sed hîc vocantur מאהבים, fortè quòd alienas uxores in sui amorem pellicerent donis ac muneribus. Nam participium istud sonat ut si dicas *amare facientes me.* Nisi potiùs ut sit מאהבים pro אהבים, quod mihi rectum videtur. ¶ *Qui dant panem meum*, &c.] *Pane & aquâ* vivimus; *lanâ & lino* vestimur; *oleo* utimur ad venustatem; item ad robur conciliandum corpori. *Oleum* sæpe Ebræi usurpant pro *unguento*, quòd bona pars unguenti ex oleo constaret. Horum, inquit, beneficio non solùm victus & amictus, verùm etiam unguenta reliquáque omnia quæ sunt delicatioris & mollioris vitæ instrumenta mihi abunde suppetunt. ¶ *Potus meos*] Vinum & siceram: vel ad corporis lotiones & purgationes necessaria omnia.

6. *Propterea*] Proposuerat *ire ad amatores suos*, quibus acceptam referebat omnem felicitatem suam: Deus impedimentum objicit. Quapropter? Primùm ut eam pudefaceret; deinde ut ostenderet bona illa non ab amatoribus profecta, sed à se; postremò ut pristini statûs desiderio capta præsentem sperneret, atque ità sapere disceret suo malo edocta. ¶ *Obsepiò viam tuam*] Propediem sepem tibi objiciam, nè possis pervenire eò ubi sunt *amatores tui*, h. e. in Dan & Bethel; aut in Ægyptum & Assyriam. Quod accidit belli tempore: Nam tunc viæ omnes infestæ, nec tuto ab uno loco in alium ire licet. Quin ipsum bellum comitantur ferè ex difficultates quæ nos impediunt agere quod volumus. ¶ *Spinis*] *Sepimento spineo.* ¶ *Maceriam*] Paries est è congestis lapidibus absque calce & cæmento. Vox Ebræa etiam *sepem* denotat. Solinus cap. 26: *Erythræam Pœni linguâ suâ* Gadir, *i. sepem, nominarunt. Gadir*, i. גדר. Hîc est גדרה, quod in idem recidit. Porrò sepimenta, sive spinea fuerint sive lapidea vel fabrilia, homines à transitu arcent. *Semitas suas*] Quas solita erat terere cùm ad amatores suos iret. *Meretrix* à Chaldæis vocatur נפקת ברא; quòd raro se domi contineat, sed per plateas vagetur, quærens quem in nassam suam pertrahat. Itaque Salomo ait, *In domo non habitant pedes ejus.* ¶ *Non inveniet*] Propter sepem quam obducam.

7. *Persequetur*] Summo studio. ¶ *Et non assequetur eos*] Labor omnis quem ponet in persequendis amatoribus suis, cassus & irritus erit. Nam in vanum laborat qui quod persequitur assequi non potest. ¶ *Quæret eos*] More impudicarum. Nam castæ non quærunt amatores, sed potiùs quæruntur ab illis. Hinc proverbium, *Quærit quod amisit*, quod usurpant cùm quis uxorem quærit. Nam costam quærit quam amisit: Mulier enim ex costa viri facta. ¶ *Tum dicet*] Quam res secundæ non potuerunt ad meliorem mentem revocare, adversæ revocabunt. Nam *nocumenta documenta*, juxta proverbium. *Ex quo intelligimus*, ait Hieronymus, *quod providentiâ Dei sæpe nobis accidant mala, ne habeamus ea quæ cupimus, ut variis calamitatibus hujus seculi ac miseriis ad Dei servitutem redire cogamur.* ¶ *Ad virum meum priorem*] Ad Deum, sub quo mihi meliùs fuit quàm nunc est. ¶ *Tunc*] Cùm ei soli servirem. ¶ *Meliùs*] טוב מעתה *bonum quàm nunc*, i. meliùs. Sed Græci καλῶς μοι ἦν τότε ἢ νῦν quod ad Deum retulerunt. Minùs probo.

8. *Non agnovit*] Vel, *non novit.* Hoc ignorantis est, illud ingrati. Nam qui beneficium accepit nec agnoscit, *ingratus* vocatur. Plus autem est *ingratum* aliquem dicere quàm *ignorantem.* Quanquam ignorantia ista latam culpam continet, cùm ea nescimus quæ scire imprimis deberemus. ¶ *Frumentum illud*] De quo suprà; nempe quod sibi datum putabat ab amatoribus suis. Hunc versum quidam connectunt cum illo, *Propterea ecce ego sepiam*, &c. videlicet ut experientiâ magistrâ discat tandem sapere, & agnoscere à quo hæc ei beneficia: quæ sanè à me sunt, non ab illis quos arbitratur suos benefactores esse. ¶ *Argentúmque multiplicasse ei*] Auget crimen ex circumstantia facti. Nam per se impium est argentum & aurum in ido-

la conferre; magis, si illud à Deo acceperis. An potest esse major ingratitudo quàm beneficium quod ab aliquo acceperis, in ipsius infamiam expendere? ¶ *Quod fecerunt in Baalem*] Sic Apuleius locutus est in l. 2. De asino aureo, *Lapis Parius in Dianam factus*. Vide infrà 8. 4. & 2 Par. 24. 7. Baal colebatur olim in Samaria: Erat autem cultus diversus à cultu Vitulorum. Illum Jehu sustulit, hunc reliquit. Quis autem postea restituerit, non constat mihi, nec vacat inquirere.

9. *Idcirco*] Ut sciat meo beneficio sibi hæc omnia obtigisse, veniam & recipiam illa, immissâ sterilitate, quam consequetur mestis non ex voto agricolarum. Idem vindemiæ accidet. ¶ *Revertar*] *Veniam*. Aut *revertar & capiam* dixit pro *iterum capiam*, sive *recipiam*. *Recipit* autem qui quod semel dedit iterum sibi vendicat. ¶ *Tempestate suâ*] Tempore vindemiæ. Nota hîc עדן poni pro עת. Sanè Paraph. Chaldæus utrumque de עדן reddit. ¶ *Eripiam*] Vi auferam, tanquam ab indignis possessa. ¶ *Ad tegendum*] *Lana & linum ad tegendum nuditatem*, locutio est ut *canes ad venandum*, quæ ex elegantiis linguæ Ebraicæ. Malè igitur Tremellius, *linum tecturum nuditatem ejus*. Dico *male*, quia hæc pars non solùm ad *linum* pertinet, sed etiam ad *lanam*. ¶ *Nuditatem ejus*] Pudenda ejus. Unde sequitur, iis ereptis fore ut nuditas ejus omnibus pateat. Nihil autem accidere potest mulieri gravius quàm si hoc fiat, præsertim si spectatores sint ejus amasii. Quare sequitur,

10. *Quin nunc retegam turpitudinem ejus*] Verenda ejus. Rectè ità vocantur muliebria meretricis. Nam etsi hæ partes corporis per se honestæ sunt, tamen quia per eas turpia committit meretrix, ideo *turpitudinis* vocabulo afficiuntur. Eandem ob causam à Chaldæis vocantur קלן, i. *ignominia*, *dedecus*. Olim erat *stultitiam ejus*, נבלתה. Id retinuit Santes. Sed Arias emendavit *vilitatem ejus*, נלתה, Tremellius *fœditatem ejus*. Vide Hier. ¶ *Nemo eripiet eam*] Nemo poterit eam è manu mea eripere, non Ægyptii, non Assyrii, non denique dii vestri quibus honorem mihi debitum exhibuistis.

11. *Cessare faciam*] Abolebo, tollam. ¶ *Omne gaudium ejus*] Adimam illis materiam omnem gaudii per calamitates quas importabo. Aut *omne gaudium ejus* dixit pro *omnes dies gaudii ejus*, cujusmodi erant *dies festi*, *Novilunia*, *Sabbata*, &c. Nam eos dies cum gaudio & lætitia traducebant. *Dies gaudii* aliquando vocantur dies festi duntaxat, ut Num. 10. 10. interdum non festi; quos & *dies bonos* nuncupabant: de quibus aliàs. ¶ *Novilunia ejus*] Hic consensu Interpretum חדש redditur νεμηνία, i. *neomenia* sive *novilunium*. Latini *Calendas* vocant. Hoc significatu sumitur eadem vox Amos 8. 5. Quanquam vulgò ibi *mensam* reddunt. Nomen habet ab *innovando*: nam tunc Luna & simul ipse mensis novatur. Menses enim Ebræorum Lunares sunt. Alibi est ראש חדש pro *novilunio*, & ראשי חדשיכם *capita mensium vestrorum*, i. calendæ vestræ. ¶ *Solennitates ejus*] De חג & מועד variæ sententiæ sunt: nam utrumque *festum* denotat; utrumque etiam dicitur de die non festo, חג quidem 1 Reg. 1. 14. מועד verò Gen. 1. 14. Tamen simul leguntur non hîc modò sed etiam Ezech. 46. 11. Saadias ità discriminat; חג ait *vocari tria illa festa anniversaria*, *videlicet Azymorum*, *Hebdomadarum & Tabernaculorum*, מועד *verò initium anni*, *& dies Expiationum*, *& octavam Retentionis*. Hæc ille. Summa est, Deum ademptuirum ipsis non tam externam religionis speciem, quanquam hoc quoque, quàm omnia illa quæ lætitiam hominibus adferre solent. Ideo

12. *Desolabo*] *Destruam*, *vastabo*, nempe per Assyrios & alias gentes. ¶ *Vites ejus*] In nonnullis ed. est *vineam ejus*. Sed *vinea* כרם dicitur, גפן autem *vitis*. Sic differunt ἄμπελος & ἀμπελών. Quanquam hæc differentia non est perpetua. ¶ *Ficus ejus*] תאנתה *ficum ejus*. Sic alibi *muscam* & *ranam* pro *muscas* & *ranas*. Suprà quoque *festum ejus*, i. festa. Vide Miscell. cent. 2. c. 47. ¶ *De quibus dixerat*] Suprà v. 5. ¶ *Merces hæ mihi sunt*] Propriè אתנה quod scorto datur stupri causâ, *pretium scorti*: quod non annotarem nisi meretrix hæc diceret. Quæ munera Dei amatoribus suis attribuit, sed falsò, ut suprà ostensum fuit. ¶ *In silvam*] Ut fit belli tempore, quando agricolæ metu diffugiunt, & cultissima etiam loca neglecta silvescunt. ¶ *Fera agrestis*] vel efferus hostis, vel agrestes feræ, quæ tali tempore non solùm fructus qui in agro vastant, sed, quod gravius est, ipsos homines devorant. Vidit, proh dolor! nostrâ memoriâ Belgium aliquot centena hominum à lupis comesa.

13. *Visitabo super eam*, &c.] Sensus est, Sumam de ea pœnas temporis Baalim, sive pro tempore quo Baales coluit. ¶ *Baalim*] Pluralis à *Baal*. Ità Syri vocabant deos suos, quasi κυρίες καὶ δεσπότας. Nam BAAL *Dominus*. Augustinus in Quæst. lib. 7. qu. 16. BAAL *Punici videntur dicere Dominum: unde* BAAL SAMEN, *quasi Dominum cæli intelliguntur dicere.* SAMEN *quippe apud eos Cœli appellantur.* Contractiùs dicunt *Bal*; unde composita sunt *Hannibal* & *Asdrubal*. Nam Pœni Tyriorum coloni. Baalim Sidonii peculiariter colebant: unde ab Hieronymo vocatur *Dæmon Sidoniorum*. A Babyloniis *Bel* dicebatur. Quidam *Jovem*, alii *Saturnum* interpretantur. Sed Saturno humanas hostias immolabant: Quem Ammonitæ *Moloch* indigitant. Augustinus nescio quo in loco, tamen alibi certè, BAALI ET ASTARTIBUS exponit *Jovi & Junonibus*: de quo dixi aliàs, nec libet exsequi. In Josepho *Baal idolum*; *Baalim*, *Baalis templum*. Puto legendum *Baalium*; ut εἰδωλεῖον dicimus, quod est *templum idolorum*. ¶ *Adolebat illis*, *& ornabat se*] Sic hodiéque qui ad templum eunt orandi vel sacrificandi causâ, vestes cultiores induunt: feminæ quoque comptiores & ornatiores eo tempore prodeunt. Nam sibi persuadent Deum hoc modo magis honorari. ¶ *In aure suâ*] נזמה non tam *inauris* quàm ἐπιῤῥίνιον, quod est *ornamentum narium*. Vide notata Observ. lib. 7. c. 16. ¶ *Mei verò fuit oblita*] Ità est profectò. Novus amor expellit veterem. Nemo potest Deum amare & simul idola. Qui deos falsos veneratur, ei statim ex animo excidit verus. Quid autem turpius quàm oblivisci ejus à quo ipsam habemus memoriam?

14. *Propterea*] Non mitigat pœnam, sed conatur aliâ ratione emendare. Quia, inquit, hâc non successit, aliâ aggrediar viâ: quod severitate non potui, conabor blanditiis efficere. Itaque ¶ *Lactabo eam*] Pelliciam ad me blandis verbis, & conabor persuadere ut, relictis amatoribus cum quibus hactenus scortata fuit, mecum redeat in gratiam. Bonus Deus ità suos castigat ut tamen misericordiam suam ab illis non auferat, sed ostendat etiam in pœnis se nihil magis cupere quàm ut in viam redeant, quo de ipsis meliùs mereri possit. ¶ *Postquam deduxero eam*] Ebr. *& deducam eam*. Nos sensum reddidimus; nisi hoc velit, Pelliciam eam quasi ex Ægypto calamitatum, quò per desertum, ut olim ipsorum majores, eam deducere possim ad locum ubi promissâ felicitate securè frui queat. Et sanè videtur his duobus versibus respexisse ad historiam veterem, cùm ex Ægypto egressi post multas difficultates, quas pertulerant in deserto, tandem pervenerunt in terram patribus ipsorum promissam & ipsis vehementer expetitam. ¶ *In desertum*] *In desertum populorum*: de quo Ezech. 20. 35. *Et adducam vos in desertum populorum*, *& litigabo vobiscum ibi*, &c. ¶ *Loquar ad cor ejus*] Consolabor eam. Latini hoc dicerent, *alloquar eam*. Unde *alloquium* pro *consolatione*. Vide quæ scripsimus Observat. lib. 8. cap. 1. Ovidius.

Visere, *& alloquii parte levare tui.*

15. *Dabo*] *Reddam*, *restituam*. ¶ *Vineas ipsius*] Hic *vineas*, suprà v. 12. *vites ejus*. Plus ergò recipiet quàm promiserat: nam vinea constat ex multis vitibus. Adde quòd ait *vineas ejus*; *vineas*, inquam, & non *vineam*. Jam verò *vinearum* nomine etiam ficus comprehendit per Synecdochen. ¶ *Inde*] *Ex illo loco*, videlicet ex deserto. Aut משם dixit pro *ex illo tempore*. Nam שם interdum valet *tunc*. Sic *ibi* sumitur in illo Terentii; *Ibi homo cœpit me obsecrare*. ¶ *Et vallem Achor*] Mentio hujus vallis Jos. 7. 25, 26. nec est dubium quin eò nunc allusum sit. Sita erat ad Septentrionem urbis Jericho. In hac valle lapidatus fuit Achan ob furtum anathematis. Nomen accepit παρὰ τὸ עכר, i. *turbo*: quod retinuit longo tempore. Eusebius De lòcis Ebraicis, *Vallis Achor ad Septentrionem Jericho erat*, *& usque hodie à regionis accolis sic nominatur*. ¶ *Pro ostio spei*] An potiùs, *ostium-spei*, ut Lamed otium agat? *Ostium spei* dicitur cùm quis eò pervenit ut jam bene sperare incipiat. Quod accidit olim Israelitis exsistentibus in valle Achor, iter longum ac difficile emensis per desertum. ¶ *Alternis canet*] Ut olim Israelitæ ad mare Suph ex Ægypto egressi. ¶ *Illic*] Aut *in valle Achor*, aut *in vineis suis*. Soliti enim veteres, cùm uvas calcarent in vineis, canere. Quod erues ex Judic. 9. 27. & Jes. 16. 10. Fieri autem potest ut ad hunc morem etiam respexerit Prophetes. ¶ *Juventutis suæ*] Sic V. Interpres. Alii *adolescentiæ suæ*, alii *pueritiæ suæ*. Quod postremum præ cæteris arridet. Nam nata fuit in Ægypto. *Pueritia* ergò dicitur cùm jam indè profecta mare Rubrum trajecisset. Hoc tamen pono, non statuo. Mox se explicat cùm ait, *& ut die cùm ascenderes*. Nam *&* hoc loco valet *id est*.

16. *Mi vir*] אישי, quod est nomen Amoris, ut quidam volunt, בעלי autem nomen est Timoris; nam propriè sonat *mi domine*. Sed Prophetes aliò respexit, ut jam dicturus sum. ¶ *Mi Baal*] Quod *maritum* quidem significat: sed quia id nomen com-

communne habet Maritus cum Idolis, ideo non vult ità vocari Deus. Capiant hinc documentum semi-Christiani nostri, quibus perpetuò in ore *Hercule*, *Æcastor*, *Mediusfidius*, & alia nomina deorum falsorum, quæ jurantes proferunt, ut olim Gentiles & Pagani solebant. Non possum etiam excusare eos qui nomina filiis suis imponunt in quibus vestigia manifesta idolorum; cujusmodi sunt *Annibal*, *Balsasar*, *Baltasar*: quanquam hoc postremum cognomentum Danielis.

17. *Non amovebo*] Non solùm cultum eorum obliterabo, sed etiam memoriam nominum quibus appellantur. Sic David ait, *Et nomina eorum non usurpabo labiis meis.* ¶ *Baalim*] Latinè *Baalium*, vel *Baalorum*, videlicet à recto *Baalus*, ut *Belus* dicimus pro *Bel*. Malè autem *Baalimorum*. Nam litera indicans pluralem numerum apud Ebræos in talibus abjici debet. Sic sanè ex LUDIM fit *Lydii*, non *Lydimi*. ¶ *Non memorabuntur*] Cùm mentio fiet eorum, non ampliùs vocabuntur *Baalim*. Quidam, *nulla ipsorum ampliùs memoria usurpabitur*. Exod. 23. 13. *Nomen deorum alienorum nè recordemini, neque audiatur in ore vestro.* Haut dubiè respexit ad hunc locum.

18. *Percutiam fedus*] Reddam eos tutos ab injuriis non modò hominum sed etiam bestiarum. Sic ait Job. 5. 23. *Cum lapidibus agri fedus tuum, & bestia agrestis pacem colit tecum.* Vide, si vacas, Jes. 11. 6. & Ezech. 34. 25. ¶ *Eis*] In gratiam eorum, vel bono eorum. ¶ *Et cum avibus cæli*] In queis Locusta, omnium eorum quæ terra producit certa pernicies, siquando ingruerit. ¶ *Et reptili terræ*] Ut sunt Serpentes & Scorpii. ¶ *Et bellum frangam*] Impropria locutio. Nam *bellum* propriè non *frangitur*. Dicitur tamen *frangi* cùm cessat. Aut *bellum* vocat belligerantes, aut instrumenta belli, præter *arcum* & *gladium*, quorum antè mentionem fecit. ¶ *Ut cubent*] Vel, *ut dormiant.*

19. *Desponsabo te mihi*] Si uxor erat, cur dicit *desponsabo te mihi?* An novum conjugium initurus est cum Ecclesia? Videtur: nam prius propter spirituale adulterium populi dissolutum erat. Magnum argmentum amoris, cum adultera contrahere nova sponsalia, ut si virgo esset, & repetere matrimonium ejus quæ fidem in priori non servaverat. Quis hanc Dei bonitatem dignè collaudet? ¶ *In seculum*] *In perpetuum*; q. d. non ad tempus, ut antea. ¶ *Justitiâ & judicio*] A *justitia justi* appellantur, quos *viros bonos* dicunt Latini. *Judicium* autem est cùm id facimus quod jus æquum est; *benignitas*, cùm plus præstamus quàm leges exigunt. *Misericordia* propriè pauperes respicit & miseros sive afflictos. In novo, inquit, isto conjugio non solùm *justitiam* & *judicium* facies, sed etiam *benignitatem* & *misericordiam*. ¶ *Benignitate*] Alii, *misericordiâ*. Sed prætuli *benignitate*, cùm sequeretur & *miserationibus*. Possunt hæc & ad ipsum Deum referri, à cujus mera benignitate profecta hæc nova desponsatio: Nam nulla populi merita tanta erant quæ talem gratiam promereri possent. Jam verò *misericordiæ* opus est cum inope ac misero in gratiam redire.

20. *Fide*] *Sine qua nemo placere potest Deo.* Aut intelligit fidem quæ inter conjuges: aut amoris constantiam & firmitatem; nam id vox Ebræa etiam significat. ¶ *Cognosces* DOMINUM] Jer. 31. 33. *Omnes ipsi cognoscent me, à minimo eorum usque ad maximum eorum.*

21. *In die illo*] Tempore gratiæ, cùm reconciliatus fuero meis. ¶ *Exaudiam, dicit* DOMINUS, *exaudiam*] Figura sermonis qualis in illo, *Sustulerunt flumina*, DOMINE, *sustulerunt.* Figura Grammaticis nota. Ad verb. *respondebo*. *Respondet* autem *cælo Deus* cùm mediam regionem aëris pluviâ replet. Hine docemur imbres à Deo esse, quos effundit & cohibet cùm vult. Quod usus loquendi nos quoque docet: quippe dicimus *Deum pluere*. Quin quod vulgò aiunt *Naturam pluere*, eundem sensum continet. Quanquam Deus potiùs Auctor Naturæ quàm ipsa Natura. ¶ *Exaudient terram*] Videlicet pluviam effundendo super eam? Quam terra sicca postulare dicitur genere quodam loquendi etiam Poetis usitato. Sic dico, *Terra arida postulat imbres. Cælum exaudit eam*, cùm dat quod postulat, h.e. cum pluit. Postulat, inquam, & appetit humorem quo irrigetur & apta reddatur ad vim suam exserendam. Euripides,

Ἐρᾷ μὲν ὄμβρυ γαῖ', ὅταν ξηρὸν πέδον
Ἄκαρπον αὐχμῷ νοτίδος ἐνδεῶς ἔχει
Ἐρᾷ δ' ὁ σεμνὸς ὐρανὸς πληρέμενος
Ὄμβρυ πεσεῖν ἐις γαῖαν.

22. *Exaudiet frumentum*] Quidam explicant *suppeditabit frumentum*. Sic, *Pecunia exaudit omnia*, i. suppeditat. Vulgò hoc dicitur, *Pecuniæ obediunt omnia.* ¶ *Mustum*] Uvas, ex quibus mustum exprimitur. Simili figurâ Comicus *vinum pendulum* dixit, ut uvas denotaret. Contrà, *lagena uvarum*, i. vini. ¶ *Oleum*] Olivas, è quibus oleum exprimitur. ¶ *Exaudient*] Ad verb. *respondebunt ei*, ut suprà. Sic Columella l. 3. c. 3. *Queruntur non respondere sibi vineta, quæ vel per avaritiam, vel inscitiam, vel per negligentiam perdiderunt.* ¶ *Jezraelem*] Priorem filium Prophetæ, qui typus erat populi per gentes dispersi: Cui nunc reverso in terram patriam omnia abunde suppetent.

23. *Seminabo eam in terra*] Cùm in terra sua erumpet ibi *seminabo* eos, i. multiplicabo instar seminis. Alludit autem ad nomen *Jezrael*, in quo significatio *seminis*. Nam JEZRAEL *Semen Dei*, ut vult Hieronymus. ¶ *Lo-ruchamæ*] Quæ nomen habuit ab eo quòd *non sit consecuta misericordiam*. ¶ *Loammi*] i. *Non populo meo.* ¶ *Deus mi*] Vel, *Deus meus tu es.*

I D E M.

1. Τῷ ἀδελφῷ ὑμῶν] Editiones ad E. C. τοῖς ἀδελφοῖς ὑμῶν. Vox Ebræa אחיכם cùm puncta absunt ambigua est; quippe tam legi potest אָחִיכֶם *frater vester* quàm אַחֵיכֶם *fratres vestri*. Illud autem ἡμῶν quod in A, ex operarum incuria mendum est. ¶ Ἠλεημένη] Antverpiæ impressi ad E. C. ἠγαπημένη, unde conjecturam facio, c. 1. 6. hujus editionis legendum esse ὐκ ἠγαπημένην pro eo quod nunc in vulgatis ἀνελεημοσύνην. Rei firmandæ est ἀγαπῆσαι quod ibidem sequitur.

3. Ὡς ἔρημον] Hæc est veritas lectionis, quæ reperitur in A. & B. quam secutus est Interpres Vetus, cujus translatio exstat etiamnum in operibus Hieronymi. In ed. Rom. abest ὡς, culpâ, ut suspicor, Chalcographorum. Libri ad E. C. ἐν ἐρήμῳ; במדבר Beth pro Caph, propter harum literarum similitudinem.

5. Κατῄσχυνεν] *Pudefecit*, sub. *seipsam*. Alii *pudenda commisit*. Quo modo loquendi innuunt Scortationem. Sanè γυνὴ καταισχύνυσα vocatur mulier meretrix, quæ se & parentes suos pudendis moribus dedecorat. Varians lectio κατῃσχύνθη, ut apud Antiquum Interpretem *confusa est*: quomodo nunc reddunt verbum הובישה ex Ebræo. Mox pro αὐτὰ, quod in cod. nostris in C. habetur αὐτῶν, ἡ τεκῦσα αὐτῶν, i. *genitrix eorum*. ¶ Τὰ ἱμάτιά μυ.] *Vestes meas laneas.* Nam in Ebræo צַמְרִי *lanam meam*, τὸ ἔριόν μυ. Alioqui ἱμάτιον largè accipitur ut *vestis* Latinè. Plinius ex Theophrasto τὰ ἱμάτια interpretatur *vestes lineas.* ¶ Ὀθόνιά μυ.] *Vestes meas lineas*, ὀθόνη *linteum* ità diminuitur ut sit ὀθόνιον *linteolum*, *panniculus lineus*. Affinitatem habet cum אטן, quod *funem* interpretantur. In Ebræo habetur וּפִשְׁתִּי καὶ τὸ λῖνόν μυ. Pòst in A. & B. ὁ ὄινός μυ, ineptum glossema: nam esset τὸν ὄινόν μυ. Quanquam & hoc superfluum: nam præcedit τὸ ὕδωρ μυ. ¶ Ὅσα μοι καθήκει] Ad alimoniam videlicet. Sic Interpres Chaldæus, כָּל פַּרְנוּסִי *omnia alimenta mea.*

6. Ἀνοικοδομήσω] ובניתי, Ebræus habet וגדרתי, quod redditum in C. καὶ Φραγήσομαι, & in operibus Hieron. & *obstruam*. Scriptura in omnes partes melior. ¶ Τὰς ὁδὺς αὐτῆς] Hîc ego si eos legisse suspicer דרכה, quod nonnihil affinitatis habeat cum גדרה, si id non legerunt, atque id tamen mihi libeat suspicarier, quis id prohibere me poterit nè suspicer? Porrò גדרה Φραγμός. In ed. Rom. non habetur αὐτῆς, sed tantùm τὰς ὁδὺς.

7. Καταδιώξεται] Alibi legitur διώξεται. Parùm refert hoc an illo modo legas. Nam καταδιώκω idem cum διώκω. Sic καταδιαιρέω *divido*, quod & διαιρέω. ¶ Τὺς ἐραστὰς αὐτῆς] Sic ed. Rom. A. cæteris abest pronomen αὐτῆς, sed perperám: nam & antiqua Translatio illud agnoscir. Habet enim *amatores suos.* ¶ Ὀυ μὴ εὕρῃ αὐτὺς] Pronomen αὐτὺς rectè abest in C. nam non legitur in textu Ebræo, nec in versione antiqua apud Hieron. Ἡ νῦν] Editio Ximenii, ἡ νῦν ἐςι.

8. Τῇ Βάαλ] Sub. εικόνι aut δαμάλει Sic dicebant ταῖς Βααλὶμ, quamvis ea nomina masculina essent. Hujus generis est τὰ σεραφίμ· nam subintelligitur πνεύματα. Quod non nemo negat, sed adhuc frustrá.

9. Ἀφελῦμαι] Alibi λήψομαι, & mox αἰσχύνην pro ἀισχημοσύνην, *turpitudinem*. Infrà ἐξέληται αὐτὴν, ubi idem verbum in Ebræo. ¶ Τῦ μὴ καλύπτειν] In Ebræo τῦ καλύπτειν *ad tegendum*. Ἱμάτια καὶ ὀθόνια τῦ καλύπτειν, *quæ adhibentur ad tegendum*: eadem si ablata fuerint, non poterunt tegere pudenda. Ergò incolumi sententiâ adjecta fuit negatio à Græcis, quam etiam Interpres Vetus expressit, ut videre licet in Hieronymo.

10. Ἐνώπιον] Ἔναντι habetur in A. & B. ¶ Ὀυδεὶς ὐ μὴ] Alibi μηδεὶς, videlicet in C.

11. Ἀποςρέψω] Si conjectari licet, conjectura esto legisse nunc eos מִשְׁבִּי aliis vocalibus pro הִשְׁבַּתִּי, quod magis significat *καταπαύσω.*

12. Μισθώματα] In quibusdam libris *μισθωτά*. Priorem scripturam expressit Interpres Antiquus, qui vertit, *mercedes meæ istæ sunt.* אתנה propriè *ἑταιρικὸν μίσθωμα*, *quæstus meritorius* vel *meretricius*: *τὰ μισθωτὰ* sonat *mercede conducta*, ac si mercedem ipsa dederit pro iis. Quod verum non est. ¶ Ἐις μαρτύριον] ליער magis denotat *ἐις δρυμόν*. Sed legerunt, ut eredibile est, לעד. Hieron. ad h. l. *Pro* saltu, i. יער, unde CARIATH-JARIM *interpretatur* Villa silvarum, *Lxx transtulerunt* testimonium, *Daleth & Res literarum similitudine decepti. Si enim pro Res legatur Daleth*, testimonium *dicitur*, *ità duntaxat ut Joth litera non præcedat.*

13. Ἐπέθυεν.] B. *ἐπέθυσεν*. ¶ Τὰ *καθόρμια αὐτῆς*] In nonnullis cod. *καθορμεῖα*. Est autem ὅρμος *monile*, *colli ornamentum*, unde *καθόρμιον*.

14. Τάξω *αὐτὴν ὡς ἔρημον*] Interpreres V. apud Hieron. *ponam illud quasi desertum.* Ed. Basileensis ea quæ in octavo folium complicat, *ἄξω αὐτὴν ἐις ἔρημον* quæ lectio quadrat cum veritate Ebraica.

15. Τὰ *κτήματα αὐτῆς*] Cùm in fonte sit כרמיה, posset aliquis suspicari scriptum initio fuisse *τὰ κλήματα αὐτῆς*. Idem error admissus Joel. 1. 11. ¶ *Διανοῖξαι σύνεσιν αὐτῆς*] Legerunt לפתח pro לְפֶתַח *in ostium* sive *ἐις θύραν*, & תקוה pro תִּקְוָה, sententiam non assecuti. ¶ *Ταπεινωθήσεται*] ענתה pro עָנְתָה. Est autem ענה hoc quidem loco, quod Græci dicunt *ἀμείβεσθαι* sive *ἐξ ἀμοιβῆς ᾄδειν*. ¶ Νηπιότητος *αὐτῆς*] Alibi *νεότητος αὐτῆς* Hoc *juventutem*, illud *infantiam* denotat. Utrumque comprehendit Ebræum נעורים.

16. Ἔτι Βααλεὶμ] Scribit debet Βααλεὶ vel Βααλί id valet *Vir mi*, sive *Marite mi.* Mendum quale in Νεφθαλεὶμ, quod scribunt Nephthali, נפתלי.

17, Μνησθῶσιν οὐκ ἔτι] C. *μνησθ. ἔτι.*

18. *Θηρίων τοῦ ἀγροῦ*] *Θηρίων τῆς γῆς*, quod in C. eò minùs placet quod in Latina vetere apud Hieron. *cum bestiis agri: agri* dico, i. שדה, non *terræ*, i. ארץ. ¶ Καὶ *τῶν ἑρπετῶν*] A. & B. *καὶ μετὰ τῶν ἑρπετῶν*. Sic & Lat. V. *& cum reptilibus terræ.* Loquor de illa translatione quæ ex Græco exstat in operibus Hieron. Sciendum tamen *μετὰ* non haberi nec in C. nec in R. nec etiam in Ebræo fonte. ¶ *Κατοικιῶ σε*] A. & B. *κατοικιῶ*. C. *κατοικιῶ αὐτοὺς*. Sic veritas Ebraica. Lat. V. *habitare eos faciam.* An legerunt השכנתים Nun pro Beth?

19. *Καὶ μνηστεύσομαί σε ἐμαυτῷ ἐις τὸν αἰῶνα*] Totus iste versus desideratur in plerisque libris, sed malè. In versione antiqua, *& sponsabo te mihi in sempiternum.*

20. Τὸν Κύριον] Partim exemplarium *ὅτι ἐγὼ Κύριος*. Cave mutes priorem scripturam. Quanquam in L. V. apud Hieron. *& scies quia ego Dominus.*

22. Καὶ *αὐτὰ*] Ed. B. *καὶ ταῦτα.*

23. *Καὶ ἀγαπήσω τὴν οὐκ ἠγαπημένην*] Sic habet E. C. Sed & Romana, quod mirum. In cæteris est *καὶ ἐλεήσω τὴν οὐκ ἠλεημένην*, ut in L. V. apud Hieron. *miserebor ejus quæ fuit absque misericordia.* Cæterùm, ut hoc *ἐν παρόδῳ* notem, Apostolus ad hunc locum allusit, videtur certè 1 Petr. 2. 10. *οἱ οὐκ ἠλεημένοι, νῦν δὲ ἐλεηθέντες.* De altera lectione videnda sunt quæ scripimus cap. 1. 6.

I D E M.

15. לְפֶתַח תִּקְוָה. Sym. Ἐις *θύραν ἐλπίδος in ostium spei.* Th. *ἀνεῷξασθαι τὴν ὑπομονὴν αὐτῆς aperire patientiam* (vel *exspectationem*) *ejus.* ¶ וְעָנְתָה. *ὑπακούσει obediet.* Sym. *κακωθήσεται affligetur.* Th. *ἀποκριθήσεται respondebit.* OBEDIET] Idem verbum in illo, *Pecunia obediunt omnia*, תענה. Hieronymus interpretatur etiam *audiet*, nisi legendum *obaudiet*. Verba sunt, *Interpretatio Aquilæ & Theodotionis, è quibus alter ὑπακούσει posuit, i.* audiet, *alter ἀποκριθήσεται, i.* respondebit, *nobiscum facit, quòd præcinentibus aliis alii respondeant concinentes.* AFFLIGETUR] *Vexabitur*, i. תענה. Idem Hieron. *Humiliabitur & affligetur, quod Lxx & Sym. transtulerunt, non convenit tempori lætitiæ.* Et paulò antè, ענתה, *ut nos ab Ebræo κατὰ λέξιν accepimus, magis est* præcinet. Hodie vertunt *alternis canet.*

16. תִּקְרְאִי אִישִׁי וְלֹא תִקְרְאִי לִי עוֹד בַּעְלִי. Aq. *vocabit me, Vir meus; & non vocabit me ultrà, Habens me*] Ità Hieronymus laudat: puto tamen Aquilam edidisse, *vocabis me, i. καλέσεις.* Hieron. בעל *interpretatur ὁ ἔχων, i.* habens. *Si voluerimus dicere*, Habens me, *dicimus* בעלי, *& apud utramque gentem uxores viros suos vocant* BAALI, *i.* Vir Meus, *quod intelligitur* Habens me; *& est sensus*, Habens me in conjugio.

I D E M in V U L G.

1. P*Opulus meus*] AMMI. ¶ *Misericordiam consecuta.* RUCHAMA, sive RUHAMA per He, Het.

2. *Judicate matrem vestram*] Quid hic *judicate*? Jonathan, *corripite*. Alii *litigate cum matre vestra*, *litigate*. Vehementer placet.

3. *Secundùm diem nativitatis suæ*] Ut cùm nata fuit, ac si diceret, planè nudum. ¶ *Statuam eam quasi solitudinem*, tam vastam reddam, quàm est solitudo.

5. *Confusa*] Pudenda, impudica. ¶ *Qui dant panes mihi.* Libri Ebræi, *qui dant panem meum.* ¶ *Potum meum*] Emendant *potus meos*. Sed cùm vocales abessent, legi poterat SICCUI, id est, *potum meum.*

6. *Sepiam eam maceriâ*] Santes, *sepiam sepem*. Sed puto melius, *obducam maceriam*. Nam verbum Ebraicum à maceria deductum est, quasi tu dicas *maceriare*.

7. *Sequetur*] Ferri potest, præoptem tamen *insequetur*. ¶ *Non apprehendet eos*] Non assequetur eos. ¶ *Bene mihi erat tunc*] Id est, meliùs tunc quàm nunc.

8. *Quæ fecerunt Baal*] Idolo Baal. Novi qui exponeret, *aurum quod insumpserunt in Baal*. Non improbo.

9. *Convertar & sumam*] Iterum sumam, denuo recipiam. ¶ *Liberabo*] *Eripiam* magis placet, ut in nuperis quibusdam editionibus. ¶ *Ignominiam ejus*] Id est, pudenda ejus.

10. *Stultitiam ejus*] Quid si, *fœditatem ejus*? meliùs videtur. ¶ *Vir non eruet eam*] Positum pro illo, *nemo eruet eam.*

11. *Gaudium*] Dies lætos. ¶ *Solennitatem*] Festa solennia, quæ erant in anno, videlicet Pascha, Tabernacula, Pentecoste.

13. *Dies Baalim*] Quibus coluit Baalim, hoc est idola, quæ Baalim vocantur tanquam Domini ac patroni.

14. *Loquar ad cor ejus*] Solabor eam. Vide observationes meas.

15. *Vinitores ejus*] Legit CHOREMIM: vel sanè CHERAMIM, quod hodie lectum, *vinitores* significat, ut CHEMARIM *sacerdotes*. Putarim vertendum *vineas*, ut sit plurale à CHEREM. ¶ *Ex eodem loco*] Libri Ebræi, *indè* vult dicere, ex deserto. ¶ *Ad aperiendam spem*] Vel, in ostium spei. ¶ *Juxta dies juventutis suæ*] Quemadmodum canebat in juventute sua cùm exiret ex Ægypto.

16. *Vocabit me*] In Ebræo, vocatis me. ¶ *Vir meus*] ISI. ¶ *Baalim*] Credo interpretem scripsisse Baali. Id sonat marite mi, idem videlicet quod ISI. Sed hoc differunt, quod nomen Baal commune sit cum idolis.

18. *Percutiam cum eis*] Sententia clamat, percutiam eis, hoc est, in gratiam eorum. Sequitur enim, *cum bestia agri*, &c. ¶ *Fiducialiter*] Cum fiducia, tutò, securé.

20. *Et scies quia ego DOMINUS*] Libri Ebræi, *& scies Dominum.*

21. *Exaudient terram*] Demittendo pluviam.

22. *Triticum*] Alibi vertit, *frumentum* & meliús. Est enim generale ad omnes species frumenti. ¶ *Et vinum*] alii, *& mustum.* Sed latiùs patet.

23. *Ejus quæ fuit absque misericordia*] Malim, LO RUCHAME, vel *absque misericordia.*

24. *Deus meus es tu*] Verba illa, *es tu*, non sunt in textu Ebræo: sine quibus verterim, *mi Deus.*

L I V E L E U S.

1. S*Ororibus vestris*] h. e. *Sororum vestrarum unamquamque Dilectam*, vel *Misericordiam consecutam*, *appellaveritis.*

3. *Nè eam despoliatam denudem*] Heb. *Nè exuam*, vel *spoliem*, *eam nudam*, i. exutam denudem, vel spoliando nudam faciam. ¶ *Ut die quo nata fuit*] i. Nudam, sordidam, miseram. Vide Ezech. 16. 4. ¶ *Reddámque eam velut desertum*] h. e. Eam meis donis & gratiis privem, ut eorum defectu pereat. Allegoria. *Sitis* & *siccitas* bonorum inopiam notat; ut contrariâ ratione Gratiæ Divinæ *Aquis* comparari solent. Vide Esa. 55. 1. Joh. 4. 14 ac 7. 38.

8. *Quod in Baalem fecerunt*] Sic 2 Chron. 24. 7. *res domus Jehovæ consecratas fecerunt in Baales.* Vide hic c. 8. 4.

9. *Recipiam*] Unicum hoc verbum Latinum vim duorum illorum *revertar* & *capiam* rectè declarat, ut Gen. 26. 18. *reversus fuerat & foderat* nihil aliud est quam *refoderat*, vel *rursus foderat*. Hebraismus tritus.

11. *Gaudium ejus*] Dies festos cum lætitia & gaudio cele-

bra-

braverunt, Deut. 16. 14. Qui propterea *dies lætitiæ* vocantur Num. 10. 10. Hinc tubarum clangor, instrumentorum musicorum strepitus & canticorum sonus in templo Dei, Num. 10. vers. 10. Amosi 5. 23. & 8. 10. Sacra hæc gaudia hìc intelligenda sunt. ¶ *Festum ejus*] Tria illa majora anniversaria festa quibus mares coram Jehova comparebant, Azymorum, Hebdomadarum, & Tabernaculorum, חגים Hebræi vocant. ¶ *Novilunium ejus*] Primus dies cujusque mensis sacer & festivus erat, non minùs quàm primus hebdomadæ, qui *Sabbatum* dicitur, ut Num. 10. 10. & ejusdem libri 28. 11. patet. ¶ *Solennitatis* verò nomine alias quascunque statas ferias contineri puto, quales erant *dies Clangoris* & *dies Expiationis*, Levit. 23. 24, 27. Perfectum autem hoc erat tempore captivitatis ipsorum sub Assyriis, ut infrà nos docent versus 4, & 5. capitis 9.

12. *Merces*] Vox Hebræa אתנה peopriè *mercedem meretriciam* notat: Quam huic loco rectè quadrare *amatorum* mentio arguit. Scortis enim ab amatoribus merces reddi solet, Ezech. 16. 34.

13. *Adolevit*] Tremellius cum Junio verterunt *suffitum facit*. Sed verbum קטר *adolere* significat non *suffimentum* solùm sed quodvis *sacrificium*. Levit 1. 9. והקטיר *& adolebit totum holocaustum.* Ibidem cap. 3. 15. *Renes & adipem, & reticulum super jecur cum renibus auferto, & adoleto ea sacerdos*, והקטירם.

14. *Pellecturus sunt eam*] Locus consolationis est, quo post maximam eorum afflictionem Deum eos liberaturum esse ostendit, similitudine sumptâ à liberatione veteris Ecclesiæ à servitute Ægyptiaca. Primùm enim operâ Mosis & Aaronis populo suo persuasit ut Ægyptum relinqueret, & aliò se ad colendum Deum conferret, Exod. 4. 30, 31; & ibid. 14. 15. Postea *duxit in desertum*; Indè tandem *ad vallem Achoris*, in ipsius Terræ promissæ possessionem. Cùm hæc omnia se iterum facturum pollicetur, perinde est ac si dicat, alteram populi liberationem & in optimorum bonorum adductionem fore. Allegoria est; qualis illa in Eclogis Virgilii,

Alter erit tum Tiphys, & altera quæ vehat Argo
Delectos heroas: erunt etiam altera bella;
Atque iterum ad Trojam magnus mittetur Achilles.

Esaias 11. 15. liberationem populi eâdem similitudine declarat, *Siccabit Jehovah linguam maris Ægyptii; & erit agger populo, qualis olim Israeli fuit cùm ascendit ex Ægypto. Pellicere* verò hìc nihil est aliud quàm per prædicationem Euangelii persuadere. Nam spiritualis hìc liberatio figuratur. ¶ *Ad cor illius loquar*] Idem hoc valet ac si dicas, *eam consolabor*, ut Esa. 40. 1, 2. *Consolamini populum meum; loquimini ad cor Jerosolymæ.* Hinc pro παραμυθούμενοι *consolantes* 1 Thes. 2. 11. in Syriaco Testamento dicitur מללין על לב *loquentes ad cor.* Ratio autem hujus locutionis est, quia quos solamur eos grato sermone alloquimur. Unde factum ut Latinè *alloqui* dicatur pro *consolari.* Varro lib. 5. De lingua Latina, *Allocutum mulieres ire aiunt, cùm eunt ad aliquam locutum consolandi causâ.* Ovidius 1 Trist. eleg. 7.

Quid fuit ingenti prostratum mole sodalem
Visere? & alloquii parte levare tui?

Idem igitur Hebræis est *ad* vel *secundùm cor loqui* quod Latinis *alloqui*, cui Græcum παραμυθέομαι consonat, à παρὰ *ad* & μυθέομαι *loquor.* Itaque Castalio non malè hunc Hebraismum his verbis interpretatur, *benignè alloquar.*

15. *Indè*] משם Hebræis tam Temporis quàm Loci adverbium est, ut Latinis hominibus *indè:* Ità vel *ab eo loco* vel *ab eo tempore* significare potest. Ex quo intelligitur Tremellianam versionem, *indè ab eo loco*, probandam non esse. Nam neque de Loco accipi necesse est; & si necesse esset, unica illa dictio *indè* satis plenè eam notionem verbum è verbo redderet. ¶ *Recinétque ibi*] In vineis suis, ni fallor. Vindemiantes enim id primis illis nascentis Ecclesiæ temporibus factitare solitos esse docuerit nos Judic. 9. 27. ubi *vindemiatores in vineis suis uvas calcantes laudativa cecinisse* dicuntur. Illúmque morem diu postea duravisse ex Esaiæ verbis, 16. 10. didicerimus, *In vineis non cantabitur: auferetur ex arvis exsultatio.* Verbum autem ענה *alternùm canere* significat, & *vicissim cantando respondere.* Ad quam notionem *recino* à Castalione hìc usurpatum propiùs accedere videtur quàm *cano.* Nam *re* in compositione quandoque Vicissitudinem notat.

16. *Me voces*] Sensus est, *Cùm me allocuta fueris, istâ appellatione uteris*, MIVIR, *nec me ampliùs* BAAL, i. *maritum, appellaveris.* Non quòd hoc nomen per se illicitum esset: Idem enim notat *mi Baal*, i. *mi marite*, quod *mi vir.* Præterea Deus Ecclesiæ suæ quasi Maritus est, Esa. 54. 5. & 62. 5. & hujus capitis v. 2. Quare igitur deinceps eo uti prohibentur? Certè propter illius communicationem cum idolis, ut Tremellius annotavit. Idola enim בעלים, h. e. *maritos* appellaverunt, ut alia nomina Dei ipsis tribuerunt, *Deos* etiam & Reges illa vocitantes. Simili ratione Jer. 23. 36. usum nominis משא alioqui honesti Prophetis interdixit, cùm in populi contemptum venisset.

17. *Amovebo*] In renovatione Ecclesiæ idololatria abolebitur, Mich. 5. 13. Zach. 13. 2.

18. *Pangam pro ipsis*] Efficiam ut fœdus pacis inter eos & bestias sit. Ezech. 34. 25. Esa. 11. 6. hoc pleniùs declaratur.

19. *Justitia*] *Justitia* & *judicium* sinceritatem & integritatem cordis notant, quâ bonâ fide sine dolo agitur; *benignitas* verò & *misericordia*, amorem ac promptam benevolentiam; denique *fides*, amoris constantiam & firmitatem. Quæ omnia ad perpetuam inviolati fœderis durationem necessaria Deus quidem pro parte sua in priore fœdere præstitit, populus verò perfidè defecit. Hic igitur in novo fœdere deinceps fidem utrinque servatam fore ostendit, nè unquam violetur. Vide Jer. 31. 32.

21. *Exaudiant terram*] Terra enim quasi petere & rogare pluviam cœli videtur, cùm propter siccitatem eâ opus habet. Tibullus lib. 1. eleg. 7. sic Nilum alloquitur,

Te propter nullos tellus tua postulat imbres,
Arida nec pluvio supplicat herba Jovi.

23. *Conseram eam*] Ad Ecclesiæ multiplicationem hoc pertinet, ut Jer. 31. 27. *conseram domum Israelis & domum Judæ semine hominum & semine jumentorum*, h. e. quasi sementem multiplicabo.

GROTIUS.

1. *Dicite fratribus vestris, Populus meus; & sorori vestræ, Misericordiam consecuta*] Hoc comma annectendum superiori capiti. Sensus est, Vos qui estis ex Decem tribubus, dicite tunc Principibus Judæ & Benjaminis, omníque plebi Duarum tribuum, abjectis odiis illis diuturnis, Vos estis consanguinei nostri, magnam à Deo *misericordiam consecuti*, cujus & nos sumus participes; nam Judas & Benjamin eæ erant tribus quibus Deus principaliter hoc beneficium contulit: alii accessionis loco.

2. *Judicate matrem vestram, judicate*] Nova oratio. ריב est *litigare.* Jubentur singuli qui sibi bene esse cupiunt accusare palàm mala facta gentis totius, nempe Decem tribuum, ut communes pœnas evadant. ¶ *Auferat fornicationes suas à facie sua*] Id est, longè à se amoveat; ut ea quæ extra conspectum projiciuntur. Dic, Hoc faciat, si mihi vult reconciliari. ¶ *Et adulteria sua de medio uberum suorum*] Vide quæ diximus ad Ezechiel. 23. 21.

3. *Nè fortè exspoliem eam nudam*] Confer Ezechielis 16. 39. & 23. 26. ¶ *Et statuam eam secundùm diem nativitatis suæ*] Qualis erat cùm nata est, sine vestitu & ornatu. Confer Ezechiel. 16. 4. ¶ *Et ponam eam quasi solitudinem*] Hic nudis verbis explicat id quod in figuræ involucro dixerat. ¶ *Velut terram invium*] In Hebræo, *Velut terram arentem.* Vide Esaiæ 41. 18. ¶ *Et interficiam eam*] *Perdam eam.* ¶ *Siti*] Ἀνομβρίᾳ [*imbris defectu*,] *squalore:* id est, omnia quæ optari solent ei deerunt.

4. *Quoniam filii fornicationum sunt*] Spurii, ut suprà 1. 2. incerti patris. Rectè id convenit iis qui deorum multitudinem colebant.

5. *Confusa est quæ concepit eos*] In Græco: κατῄσχυνεν [*pudefecit*,] nempe ἑαυτήν [*se.*] Græci puriores dicerent ἐνυβρίσθη [*illusa est.*] ¶ *Dixit, Vadam post amatores meos*] Lubet mihi exempla sequi Assyriorum, Syrorum, Ægyptiorum. ¶ *Lanam meam*] *Serica* interpretatur Chaldæus. Ex lanugine arborum depecti sericum etiam Græci & Latini diu crediderunt. ¶ *Linum meum*] *Byssinum* Chaldæus, quod lini genus præstantissimum.

6. *Sepiam viam tuam spinis, & sepiam eam maceriâ*] Abducti in Assyriorum vinculis, loco adstringemini unde exire vobis non liceat.

7. *Et sequetur amatores suos*] Volet sequi. ¶ *Et non apprehendet eos*] Nemo eam curabit. ¶ *Dicit, Vadam & revertar ad virum meum priorem*] Simile consilium vide Lucæ 15. 18.

8. Et

8. *Et hæc nescivit*] *Non cogitaverat.* Ità ידע [*scire*] sæpe sumitur Hebræis. Vide Actor. 23. 5. ¶ *Ego dedi ei frumentum, & vinum, & oleum, & argentum multiplicavi ei, & aurum, quæ fecerunt Baal*] Baalis esse fecerunt. Similis querela Ezech. 16. 17, 18, 19. & 23. 41.

9. *Idcirco convertar*] Mutabo consilium. Longè aliter cum ea agam. ¶ *Sumam frumentum meum*] Tollam ab ipsis, ut maritus qui uxorem impudicam ejicit. ¶ *Et liberabo lanam meam*] *Eripiam*, illorum usibus scilicet. ¶ *Quæ operiebant ignominiam ejus*] Partes quas videri honestas vetat.

10. *Et nunc revelabo stultitiam ejus*] *Libidines ejus:* quas Græci etiam ἀφροσύνας [*stultitias*] vocant. Ità vox hæc sumitur Geneseos 34. 7. expone ex iis quæ diximus ad Jer. 13. 26, 27. ¶ *Et vir non eruet eam de manu mea*] *Nemo eruet.*

11. *Et cessare faciam omne gaudium ejus, solemnitatem ejus, neomeniam ejus, sabbatum ejus, & omnia festa tempora ejus*] Nullum illis otium dabitur à laboribus. Confer Jeremiæ 7. 34. & 16. 9. & 25. 10.

12. *Et ponam eam in saltum*] ליער; at Lxx, ut Hieronymus notat, legerunt לעד, εἰς μαρτύριον [*in testimonium.*] Vides quàm vetus sit scribendi varietas. Lectio quâ nos utimur melior est, ut indicant sequentia. ¶ *Et comedet eam bestia agri*] Abductis aliò hominibus vacante terrâ.

13. *Et visitabo super eam dies Baalim*] [Μετωνυμία *Transnominatio.*] tempus pro actionibus: Puniam ea quæ fecerunt cùm Belos illos colerent. ¶ *Et ornabatur inaure suâ, & monili suo, & ibat post amatores suos*] Miscet παραβολὴν [*Comparationem*] & ἀπόδοσιν [*Redditionem,*] ut sæpe scriptores, figuram & rem figuræ. Vide quæ dicta ad Matth. 23. 25. Adulteræ ornare se solent ut adulteris placeant.

14. *Propter hoc ecce ego lactabo eam*] Omnia hæc verbis ambiguis dicta sunt χλευαστικῶς [*cum acerbo irrisu.*] Verba sumta ab amatoribus: res longè aliæ. Mœchi solent feminas blandis verbis decipere. Deus illos de Decem tribubus egregiè decipiet. ¶ *Et ducam eam in solitudinem*] Mœchi solent feminas abducere in loca sola & invia: Sic Deus illos abducet in loca vasta Assyriæ. ¶ *Et loquar ad cor ejus*] Hoc quoque ambiguum: nam *loqui ad cor* dicitur & qui blanditur, & qui malè in se animatum malè tractat.

15. *Et dabo ei vinitores ejus ex eodem loco*] Legerunt כרמיה per Holem post ר. Est hîc quoque ambiguum. Adulteri dicuntur *vinitores*, sicut & pars muliebris *vinea*, ut Cantic. 8. 12. Assyrii autem miri vinitores erunt, qui multis de Israelitico populo sanguinem educent. ¶ *Et vallem Achor*] *Vallis* in amoribus idem quod *vinea*. At Deus ei minatur vallem funestam ac luctuosam, qualis illa ubi Achan cum multis aliis interiit, quæ à *perturbatione* dicta *vallis Achor*, Josuæ 7. 24, 25, 26. ¶ *Ad aperiendam spem*] Lxx, διανοῖξαι σύνεσιν αὐτοῖς [*ad aperiendum ipsis intellectum,*] non malè, ut sit תקוה *linearum ductio*, ad quam instituuntur pueri. Vide Esaiæ 18. 2. & 28. 10. Hæc mala initium erunt institutionis ipsorum. ¶ *Et canet ibi*] Carmen ἀμοιβαῖον [*alternis cantatum:*] id enim præcipuè ענה [*respondere.*] Intellige autem carmen fletûs & precum. Lxx ad sensum non malè ταπεινωθήσεται [*humiliabitur,*] & Symmachus κακωθήσεται [*malis afficietur.*] ¶ *Juxta dies juventutis suæ*] Cùm servitute premeretur Ægyptiacâ, ut nunc Assyriacâ. ¶ *Et juxta dies ascensionis suæ de terra Ægypti*] Id est, priusquam exiret. Συνεκδοχή [*Comprehensio.*]

16. *Et erit in die illa*] In illis angustiis. ¶ *Vocabit me Vir meus*] אישי. ¶ *Et non vocabit me ultrà, Baali*] Quanquam בעלי [*Baal*] in usu communi *maritum* significat, eâ voce uti non audebit, horrore ejus nominis quod idolo est impositum.

18. *Et percutiam cum eis fœdus in die illa*] Meliùs, *percutiam eis:* id est, *ipsorum bono*, ut hîc interpretatur Chaldæus. *Faciam fœdus*, id est, præcepta dabo feris, avibus, serpentibus, nè ipsis noceant: id est, efficiam nè ipsis noceant Idumæi, Ammonitæ, Moabitæ. Confer Esaiæ 11. ¶ *Et arcum & gladium & bellum conteram de terra*] Faciam nè ulla sint bella civilia, qualia olim fuere.

19. *Et sponsabo te mihi in sempiternum*] *Te*, quæ meretrix fuisti, si posthac fidem serves, *sponsabo:* id est, ut sponsam atque uxorem tractabo. ¶ *In justitia*] id est, benefaciendo. Ità enim hoc nomen sæpissime usurpatur. ¶ *Et in judicio*] משפט dicitur, *quod alicui ex lege debetur*, ut uxori cohabitatio, victus, vestitus. ¶ *Et in misericordia, & in miserationibus*] Condonando peccata.

20. *In fide*] Omnia promissa præstando; id enim est אמונה [*fides.*]

21. *Exaudiam cœlos*] Προσωποποιΐα [*Personæ fictio,*] quales multæ in Prophetis: id est, dabo cœlo constitutionem optimam, qualem optaret si sensum haberet. ¶ *Et illi exaudient terram*] Terram fœcundam faciet cœlum.

Ἐρᾷ μὲν ὄμβρυ γαῖ', ὅταν ξηρὸν πέδον
Ἄκαρπον αὐχμῷ νοτίδος ἐνδεῶς ἔχει,
Ἐρᾷ δ' ὁ σεμνὸς ὐρανὸς πληρύμενος
Ὄμβρυ πεσεῖν εἰς γαῖαν Ἀφροδίτης ὕπο·
Ὅταν δὲ συμμίχθητον εἰς ταυτὸν δύο
Τίκτυσιν ἡμῖν πάντα κἀκτρέφυσ' ἅμα,
Ὅθεν βρότειον ζῇ τε καὶ θάλλει γένος,
[*Cerne, amet ut imbrem terra, cùm sterili solum*
Squalore lugens poscit humectas opes;
Rursum amat & æther ipse, Venerisque impetu
Fœtos madoris explet in terram sinus;
Quæ fœderata mutuis amplexibus
Quod ubique rerum est proferunt ac nutriunt:
Hinc vita visque seculis mortalibus,]

ait Euripides.

22. *Et terra exaudiet triticum, & vinum, & oleum*] Pandet se frugibus erumpere volentibus. ¶ *Et hæc exaudient Jezrahel*] *Semen Dei*, pios scilicet, ut suprà 1. 11.

23. *Et seminabo eam mihi in terra*] Latè spargam, ut quæ jaciuntur semina. ¶ *Et miserebor ejus quæ fuit Absque misericordia*] Quæ fuit Οὐκ ἠλεημένη [*Non assecuta misericordiam,*] ut suprà 1. 6.

24. *Et dicam non populo meo*] Ei populo qui diu meus non fuerat, suprà 1. 9. ¶ *Populus meus es tu*] Idem sensus qui suprà 1. 10. ¶ *Et ipse dicet, Deus meus es tu*] Idem sensus qui suprà 1. 6.

CAP. III.

MUNSTERUS.

1. *AMa mulierem*] Jubetur in visione *diligere mulierem quæ ardenter alium diligit virum*, in signum quòd Deus cupiebat diligere Synagogam, sed illa potiùs *diligebat deos alienos & lagenas uvarum*, h. e. ebrietatem.

2. *Acquisivi eam mihi*] Pretium, inquit, exposui pro ea *quindecim argenteorum*, & pro cibo ejus tribui *Corum & dimidium Corum hordei.* Sunt autem qui putent olim pro abjecta & impura muliercula tale pretium solitum exponi.

4. *Absque statua*] Nostri accipiunt pro *altari*; Kimhi verò exponit pro *statua idolorum.* De *Theraphim* diximus Gen. 31. & Jud. 18. Impleta est itaque hæc Prophetia post captivitatem Babylonicam, quando *filii Israel sederunt multis annis*, i. usque ad Christum, *sine* legitimo *Rege*, sicut & Gen. 49. diximus. Non enim fuerunt Machabæi de tribu Jehuda, sicut nec Herodes. Destituti etiam tandem fuerunt *sacrificio* legitimo, quando sacerdotium passim venale fiebat: Non habuerunt *aras* pro idolis, nec imagines *Theraphim*, quas consultarent de futuris. Sunt tamen ex nostris qui hæc ad modernum Judæorum referunt statum, quando Judæi neque Deum habent neque idola, infelicissimi omnium mortalium.

VATABLUS.

1. *AMico* רע] *Socio*, vel *sodali*, i. mulierem quæ, cùm unicè adamatur à marito suo, adulterium tamen committit. Hæc facta sunt in visione Prophetica. Mulier ista Synagogam Judæ repræsentat, quam favore suo prosecutus est Deus, rejecto Israele. Hîc personam Dei sustinuit Propheta. ¶ *Sicut diligit Jehovah*, &c. כאהבת יהוה וגו'] Ad verb. *secundùm dilectionem Jehovæ ad filios Israel.* ¶ *Lagenas uvarum* אשישי ענבים] i. Lagenas plenas vino expresso ex uvis. His rebus describitur adulterium Synagogæ, quæ non solùm coluit deos alienos, sed & voluptatibus dedita fuit & deliciis, quæ per *cados* & *lagenas* significantur.

2. *Argenteis* כסף] Sub. *numis.* Hæc doctiores referunt ad dotem quam illi dedit cùm eam accepit. Per hanc autem dotem beneficia illa innumera significat quæ Deus contulit in Synagogam à tempore liberationis Ægyptiacæ.

3. *Manebis mihi* תשבי לי] *Sedebis mihi*, sub. *vidua*, i. multo tempore sedebis tanquam vidua derelicta à me ad tempus: non tamen interim coles idola: ego dimittam te sicut vir dimittere solet uxorem suam adulteram. Prædicit abjectionem Synagogæ à Domino Deo. Hæc autem acciderunt Judæis sub ad-

adventum Christi: ab eo enim tempore non coluerunt idola, & tamen Deus destituit illos.

4. *Absque Rege* אין מלך] Sub. *de genere suo*. Fuerunt enim à tempore Christi subditi Regibus & Principibus alienigenis. ¶ *Et sine statua* ואין מצבה] Sing. Heb. pro plur. *sine statuis*, sub. *idolorum*: i. non colent deos alienos: q. d. Neque Deo neque idolis sacrificabunt. ¶ *Et sine ephod & theraphim* ואין אפוד ותרפים] Doctus inter Hebræos exponit, *Sine ephod Dei, quo annunciabantur futura per Sacerdotes; & sine theraphim idolorum, per quæ etiam nunciabantur futura: nam Theraphim simulacra erant quæ responsa dare solebant.*

5. *Et David* ואת דויד] i. Filium Davidis, Christum. Hic nomen avi ponitur vice nepotis: Quod frequens est in Prophetiis de Christo. ¶ *Et pavebunt ad Jehovam* ופחדו אל יהוה] i. Reverebuntur Jehovam audito nomine ejus. ¶ *Et ad bonum ejus* ואל טובו] i. Christum per quem sumus experti bonitatem & & beneficentiam ejus. Alii *bonitatem* interpretantur, gloriam & majestatem Dei. ¶ *In novissimo dierum* באחרית הימים] *Novissimum* sive *finis dierum* in S. literis significat tempus adventûs Messiæ, aliquando etiam finem mundi & tempus illud proximum ultimo Judicio.

CLARIUS.

1. Dilectam amico & adulteram] h. e. *Dilectam marito, & tamen adulteram.* Jubetur in visione *diligere mulierem quæ ardenter alium diligit virum*, significans quòd Deus cupiebat diligere Synagogam, sed illa potiùs *diligebat deos alienos, & lagenas uvarum*, i. ebrietatem.

2. *Quindecim argenteis*] Pretium, inquit, exposui pro ea *quindecim argenteorum*, & pro cibo ejus tribui *Corum & dimidium Corum hordei*. Sunt autem qui putent, olim pro abjecta & impura muliercula tale pretium solitum exponi. Comparavit ergò sibi Deus solâ miseratione hunc populum vilem & abjectum, quanquam is diligere eum noluit.

3. *Sedebis mihi*] Relinquam, inquit, te tanquam viduam sedentem in luctu, & non permittam ut forniceris, ob multas oppressiones inter gentes. ¶ *Neque ego accedam ad te*] i. Neque verè te consolabor. Quid autem hoc in populo significet, exponitur per ea quæ sequuntur.

4. *Dies multos sedebunt*] Impleta est hæc Prophetia post captivitatem Babylonicam, quando *filii Israel sederunt multis annis*, i. usque ad Christum, *sine* legitimo *Rege*. Non enim fuerunt Machabæi de tribu Juda, sicut nec Herodes. Destituti etiam tandem fuerunt *sacrificio* legitimo, quando Sacerdotium passim venale fiebat: non habuerunt imagines *Theraphim*, quas consulerent pro futuris. De *Theraphim* diximus in Genesi & in libro Judicum. Sunt ex nostris qui hanc Prophetiam ad modernum Judæorum statum referant. Quod verò ait *sine altari* in Hebræo est *sine statua*, & intelligunt de statua idolorum.

5. *Ad bonum*] Judæi exponunt de Templo; nos de Christo, *in quo omnis plenitudo Divinitatis inhabitat.*

DRUSIUS.

1. Et dixit Dominus] Sequitur alia concio ἐλεγκτική, in qua sub persona *mulieris adulteræ* quam Propheta jubetur amare, status populi ostenditur, qui licèt deos falsos coleret, tamen à Deo diligeretur. Ubi duo notanda: primùm perfidia populi, qui fidem Deo datam violaverit; deinde patientia & constantia Dei; patientia, qui talia facientem tolerabat, constantia, qui nihilominus in amore perseverabat. ¶ *Dilige*] Non dicit *accipe*, sed *dilige*: antea enim *acceperat*, h. e. duxerat. Atque hinc perspicuum, uxorem illam fuisse scortatam etiam in matrimonio. Unde non est credibile ductam fuisse à Propheta extra visionem. Nimis crassa est aliter sentientium quorundam opinio. ¶ *Dilectam*, &c.] Quæ simul & à te, qui ei *amicus* es, *diligitur*, & *adulterio* se polluat. Adulterium grave peccatum est in femina; quod auget amor mariti: nam quæ exosa est minùs peccat: videtur enim maritus ei occasionem dare ad peccandum, dum odio prosequitur quam amare unicè deberet. ¶ *Amico*] Socio, alteri, marito. ¶ *Adulteram*] Vel *adulterantem*. Est enim participium מנאפת. ¶ *Qualis dilectio* Domini *erga filios Israel*] Non malè quidam reddunt, *quemadmodum diligit* Dominus *Israelitas*: q. d. Similis planè amor est Dei erga Israelem ut cùm maritus amat uxorem impudicam & adulterantem. Hic את poni videtur pro עם *cum, erga*: Sed potiùs ut sit verbale constructum cum casu verbi sui. Nam quia dicimus *amo te*, ideo etiam dicunt *amor te*, pro *erga te*. Quale illud Plauti, *Quid tibi meam tactio est?* Cicero quoque dixit lib. 1. De legibus sub finem, *Quòd si justitia est obtemperatio scriptis legibus institutisque populorum.* Plura exempla invenies in Parallelis meis, & in Quæsitis per epistolam, Epist. 112. ¶ *Et ament*, &c.] Admonet nos Livelæus de more veterum idololatrarum, qui in templis deorum suorum epulabantur, ut colligere est ex Jud. 9. 27. & 1 Cor. 10. 21. Putat autem Prophetam eò respexisse. Quod ut non damno, ità malo simpliciter accipere de Crapula, quæ ferè comes aut pedissequa, ut alia vitia omnia, Idololatriæ. ¶ *Lagenas*] Alii *dolia*, alii *scyphos*, alii *calices*. Olim erat *vinaceà uvarum*. Et in Glossa Nicolai, *In Ebræo habetur* dolia, *vel* scyphos: *ex quo patet quòd per vinacia hic intelligantur vasa vinorum contentiva.* Lexicon Latino-Græcum vetus, *Vinacia*, στέμφυλα. ¶ *Uvarum*] i. Vini. Nam vinum ex uvis exprimitur. Sic Virgilius,

Poculáque inventis Acheloïa miscuit uvis.

2. *Comparavi*] *Emi*. Tales *uxores emptitiæ* vocantur. In ואכרה Dages non aliò facit quàm ad ornatum: nam radix כרה *emit*. ¶ *Quindecim argenteis*] Sub. *numis*. Nec est dubium quin certum genus intelligat. Quale autem ad fuerit aliis divinandam relinquo. Doctores dicunt per *argenteos numos* in Lege *Siclos* denotari, in Prophetis verò לטרין *Libras*. ¶ *Homer hordei*] Olim erat *Coro hordei*, non malè. Nam Homer & Corus in mensura non differunt. Alioqui *Corus* propriè כר dicitur: *Homer* autem ità appellatur, ut quidam volunt, ab eo quòd tantum onus portare possit unus asinus. Sanè *asinus* Hamor dicitur in hac lingua. Sed hæc incerta sunt. Illud extra dubium, Homer continere 30 Sata sive Modios, & decies mensuram Epha, quam *Medimnum Atticum* interpretatur Josephus Orig. l. 15. c. 12. ubi hæc verba habentur, ὁ καὶ κόρος δύναται μεδίμνους Ἀττικοὺς δέκα. In Ebraicis verò apud Gorionis F. החמר עשר איפות *Homer decem Ephas continet.* ¶ *Letech*] i. Dimidio Homer sive semicoro. Corus & semicorus efficiunt *sesquicorum*, quod in nonnullis editionibus. Notabo ἐν παρόδῳ. Græci librarii perperàm *Homer* cum *Gomer* confundunt, cùm sint mensuræ diversæ, etiam literis distinctæ. Nam *Homer* primam habet ח, *Gomer* verò, quam ipsi γόμορ scribunt, ע, quæ expressa per γ, ut in *Gaza*, & similibus: ח nunquam ità exprimi solet. Quocirca puto & imbibi, Senes χόμορ scripsisse hoc quidem loco.

3. *Dies multos*] Longum tempus. ¶ *Sedebis mihi*] Manebis me. Ità *sedere* sumitur Exod. 24. 14. in illo, *Sedete nobis hic*: nam sensus, *Manete*, sive *exspectate, nos*. ¶ *Nec eris viro*] Non habebis rem cum viro, quia ego ad te non ampliùs adibo. Hoc significat cùm ait, *nec ego etiam ad te*. Aut, *non eris viro*, non nubes alteri, sed vidua manebis. Sic exposuerim Ezech. 16. 8. ותהיי לי *& nubes mihi*. Suprà aliter exposui: nunc mihi istud magis placet. ¶ *Nec etiam ego ad te*] Sub. *ingrediar*. Hic repeti debet ἀπὸ κοινοῦ particula Negandi ex præcedentibus: quod crebrum in hac lingua. Posses etiam legere, *& ego te*, sub. *manebo*. Tremellius, *vicissim ego tuâ causâ*, sub. *desiderabo*, *nec me jungam alteri*. Se mox explicat cùm ait,

4. *Nam dies multos*] Usque ad tempus Messiæ. ¶ *Sedebunt*] *Manebunt*, ut suprà. ¶ *Absque Rege & absque Principe*]. Sine politico ullo Magistratu. Nam quamdiu fuere in exsilio, nulla apud ipsos forma fuit aut Reip. aut Ecclesiæ. Loquitur autem de 10 tribubus, non de Judæis, qui restituti fuerunt diu ante illa tempora; etiam Duces habuerunt & Sacerdotes qui eorum Remp. administrarunt & rexerunt. ¶ *Absque sacrificio*] Absque legitimo Dei cultu. ¶ *Absque statua*] Nè idolis quidem servient. Hoc adumbravit suprà cùm ait, *non scortaberis*. Nam *scortari*, ut diximus, sæpe est cultui simulacrorum deditum esse. De *statuis* vide 2 Reg. 17. 10. ¶ *Absque Ephod*] Ex eo futura noscebant. Erat autem inter vestes sacras tam Pontifici quàm reliquis Sacerdotibus communis. Pontificiæ includebantur lapides pretiosi, in queis Urim & Thummim: de quibus aliàs. Ephod etiam serviebat cultui falsorum deorum. Vide Jud. 17. 5. *Amiculum* quidam hodie reddunt. ¶ *Absque Theraphim*] Hieron. in Comment. ad h. l. תרפים *propriè appellantur μορφώματα, i. figuræ ac simulacra.* Et mox, *Aq. & Th.* Φωτισμοὺς *transtulerunt.* Locus iste in mendo cubat. Nam in libro De Quæst. in Gen. disertè legimus Theraphim, *Aquila* μορφώματα, *i. figuras & imagines, interpretatur.*

5. *Posthac*] Post ista tempora de quibus dixi. ¶ *Revertentur*] Vel, *convertentur*. ¶ Dominum *Deum suum*] Cultum ejus verum ac legitimum, quem longo tempore intermiserant, ut dictum est. ¶ *Et David Regem suum*] Hic perspicuè

cuè *Davidem* appellat Christum. Et est genus tropi in quo typus ponitur pro eo qui per typum significatur: Nam typus Messiæ fuit David Rex. Qua ratione etiam *Salomo* vocatur. Cæterùm usitatius est *Filius Davidis* hoc quidem sensu. Vide quæ scripsimus in Epistolicis nostris, epist. 6. *Pavebunt*] *Pavidi accedent* aut *current*, vel *pavidi festinabunt*. Sic infra 11. 11. *trepidabunt ut avis ex Ægypto*, i. trepidi fugient. *Ad bonitatem ejus*] Quæ tunc maximè illustris erit. Nam bonus est semper cùm bene meretur. Nunquam autem tam bene meritus est de genere humano ac cùm Filium suum unigenitum è cœlo mitteret, qui sanguine suo proprio è potestate Peccati ac Diaboli nos redimeret. ¶ *In extremitate dierum*] *Extremis diebus*, quæ incipiunt ab eo tempore quo Christus in carne mundo exhibitus fuit. Quod ità notum ut nihil magis.

IDEM.

1. Ἀγαπῶσαν πονηρὰ] Non est רע in Ebræo, sed רע *socius*, *sodalis*: nec אֹהֶבֶת sed אֲהֻבַת *amatam*: ergò vertendum fuerat ἠγαπημένην τῷ ἑταίρῳ. ¶ Καὶ μοιχαλὶν] Editiones quædam καὶ μοιχαλίδας. Minùs probo. Nam ut omittam versionem antiquam, quæ habet *& adulteram*, plus est μοιχαλὶν εἶναι quàm *amare* μοιχαλίδας, i. מנאפת. Ὁ Θεὸς] i. אלהים aut האל. Meliùs ergò in *C.* Κύριος, i. יהוה, quod legebant *Adonai*, i. *Dominus*. Scias tamen hæc inter se confundi. ¶ Πέμματα] Interpres V. *coctiones*. Dicitur enim πέμμα, quando latè sumitur, πᾶν τὸ πεπτόμενον, אשישי πέμματα, tanquam ab אש *ignis*: nam igne coquimus. Strictiùs accipitur pro *cibo lautiore*: itaque *placentam* exponunt, quæ & ἀμορίτης quà voce usi sunt Lxx 1 Par. 16. 3. Alibi reddunt באשישות ἐν μύροις, i. *unguentis*, Cant. 2. 5. sed puto legendum ἐν ἀμόραις. Nam ἀμόρα *placenta*, *panis mellitus* vel *dulciarius*, qui & ἀμορίτης ἄρτος. ¶ Μετὰ σαφίδος] Alibi μετὰ σαφίδων, & in L. V. *cum vinaciis*. *Vinacea*, sive *vinacia* potiùs, σέμφυλα dicuntur. σαφὶς verò est *uva passa*. Maluissem igitur μετὰ σαφυλῶν *cum uvis*: nam ענב *uva* Differre autem σαφυλὴν & σαφίδα liquet ex Num. 6. ubi sic legimus, σαφυλὴν πρόσφατον καὶ σαφίδα ὐ φάγεται. Vulgò reddunt *uvam recentem siccámque*.

2. Ἐμισθωσάμην] אֶכְּרֶהָ nunc legunt אֶכְּרֶהָ, i. ἐμισθωσάμην αὐτὴν, quo modo habent editi ad *E. C.* Quam lectionem firmat L. V. apud Hieron. in qua *conduxi eam*. ¶ Πεντεκαίδεκα ἀργυρίου] Legitur & ἀργυρίοις, & in Argentorati excusis πέντε καὶ δέκα divisim. Sic etiam Veneta quæ ab Aldo. Ἀργυρίοις reperies in *B.* & *C.* In cæteris verò ἀργυρίου ¶ Γομὸρ κριθῶν] Minùs se probat mihi quod in *E. C.* γομὰρ κριθῆς Ezec. 45. 13. כחמר שעורים ἀπὸ τοῦ κόρου τῶν κριθῶν. Jes. 5. 10. זרע חמר ὁ σπέρμων ἀρτάβας ἓξ. Est autem ἀρτάβη mensuræ Ægyptiæ genus, de qua Hier. in Comment. ¶ Καὶ νέβελ οἴνου] נבל יין i. *uter vini*. In Ebræo habetur ἡμίκορος τῶν κριθῶν. Qui non videt hunc locum corruptum esse, nihil videt.

3. Καὶ εἶπα] Καὶ εἶπον. ¶ Καθήσῃ] *Sedebis*. Malè καθίσῃ in B. & pejùs καθίσει in editis Argentorati. ¶ Καὶ οὐ μὴ πορνεύσῃς] Libri quidam οὐ μὴ πορνεύσῃς, absque copula, quæ tamen legitur in Lat. V. sed abest in Ebræo. ¶ Ἀνδρὶ ἑτέρῳ] Translatio antiqua *alteri viro*, cujus auctor haut dubiè legit ἑτέρῳ, quæ tamen vox abest & in C. & in Ebræo fonte. Dictio ἑτέρῳ rectè abest ab editis ad E. C. Nam præterquam quòd non habetur in Ebræo, sententia penitus eam repudiat, cùm sequatur, *& ego ad te*, sub. *non veniam*. Doctè Hier. ad h. l. *Quódque jungitur in editione vulgata*, neque eris alteri viro; alteri *in Ebraico non habetur*, *sed simpliciter*, non eris viro. *Si enim ponatur* alteri, *subauditur quòd à suo habeatur viro. Quando autem absolutè dicitur*, non eris viro, *intelligimus quòd nulli jungatur omnino*, *& absque coitu maritali sit*.

4. Θυσιαστηρίου] מזבח pro מצבה. Infrà מצבת στῆλαι. Vide quæ produximus ad eum locum ex Hieron. ¶ Ἱερατείας] אפוד ἔνδυμά τι ἱερατικόν. Vertunt ἐπωμίδα apud Mosen. Aquila ἐπένδυμα & ἐπίῤῥαμα, si credendum Hier. ¶ Οὐδὲ δήλων] *Sine manifestationibus*, quæ Græcè dicuntur δῆλοι. Sic est apud Hier. in L. V. Pro δήλων editiones quæ ad E. C. δηλώσεως habent. Sed δήλων genuinum esse testatur per hæc verba Hier. *Pro* Ephod *&* Theraphim Lxx ἱερατείας, *i.* Sacerdotium, *&* δήλους, *i.* manifestationes *interpretati sunt*. Et aliquantò pòst, *Verum quia* Lxx δήλους *interpretati sunt*, *pro quibus Aq.* φωτισμοὺς *transtulit*, *& hæc ipsa sunt* ἐν λογείῳ, *i.* in rationali, *hoc intelligimus quòd in pectore & corde Pontificis* ἀλήθεια καὶ φωτισμοὶ, *i.* veritas *esse debeat* atque doctrina, *ut non solùm sciat rectam fidem*, *sed & quod noverit possit ore proferre*. Hæc ille. Perspicuè nomine δήλων intelligit Urim & Thummim. Qua de re diximus aliquid in Castigationibus in Sirach, ad locum, ἐρώτημα δήλων cui hinc lucem fecimus. Cur autem תרפים ità vertant fateor me ignorare. An quia indicabant futura? Sanè Jonathan interpretatur eandem vocem per מחוי, apprimè rectissimè.

5. Δαυὶδ] Ità scriptum hoc nomen in C. & R. In aliis est Δαβίδ. ¶ Ἐπ' ἐσχάτων] Antverpiæ cusi ἐπ' ἐσχάτου, & L. V. *in novissimo die*.

IDEM.

1. אֲשִׁישֵׁי. Aq. Παλαιὰ *vetera*. Sym. ἀκάρπους, i. *steriles*] Παλαιὰ i. ישישי. Sunt autem ישישים non γέροντες *senes*, sed λίαν γέροντες, *valde senes*, quos Græci propriè παλαιοὺς vocant: unde παλαιοὶ γέροντες, i. *veteres senes*, ut loquitur Tibullus. In ed. Rom. scriptum παλαία cum accentu in penultima: dubito an rectè. Hier. subaudit *vinacea*. *Non solùm*, inquit, *vinacea sunt*, *sed vetera vinacea*, *ut antiqua delicta testentur*. Hic Græci Lxx legunt πέμματα. Post sequitur ענבים, quod reddunt μετὰ σαφίδων, aliàs μετὰ σαφίδος. Ad hunc locum annotant Romanenses; *A.* παλαία, Sym. ἀκάρπους quàm rectè, viderint. Cæterùm πέμματα interpres vertit *coctiones*. Interdum ea vox strictiùs accipitur. Hier. *Pro* pemmatibus, *quæ LXX transtulerunt*, *& comeduntur cum uvis passis sive vinaceis*, placentas *Latinè possumus dicere*, *vel* crustulas, *quæ idolis offeruntur*, *& Græcè appellantur* πόπανα. Exod. 16. 31. צפיחת *placenta* Jonathan אשישין, i. *placentæ* aut *crustulæ*. Ἀκάρπους] Ἀκάρπους τῶν σαφυλῶν, i. *uvas infructuosas & inutiles*. Sed quis tales amare potest? Fortè aliud in mente habuit Interpres iste.

2. חֹמֶר וְלֶתֶךְ. Omnes præter Lxx, Κόρου καὶ ἡμίκορου, *corum & semicorum*] OMNES] Aquila, Symmachus, Theodotio, auctor Quintæ, itémque Sextæ. CORUM] Hier. *Pro* γομὸρ *in Ebraico scriptum est* חמר Homer, *quod omnes Interpretes absque LXX* Corum *interpretati sunt*, *sermone Græco & maximè Palæstino*, *qui habet triginta modios*. SEMICORUM] *Pro* Nebel vini *in Ebraico legitur* לתך שערים, *quod cæteri Interpretes* ἡμίκορον hordei *transtulerunt*, *i.* mediam partem Cori, *quæ facit quindecim modios*.

4. אֵין אֵפוֹד וּתְרָפִים. Sym. & Th. *sine Ephod & sine Theraphim*] Ex Epist. Hier. ad Marcellam. SINE EPHOD] Ἄνευ ἐφοὺδ, pro quo ἐφὼδ scriptum lectum Jud. 8. 27. & *Ephud* apud Augustinum Quæst. lib. 7. quæst. 41. Vestis est ex eo genere quas *Sacerdotales* vocant. Lexicon Hesychii, Ἐφοὺδ, ἱερατικὸν ἔνδυμα. Hier. *Sciendum autem*, *ut crebrò diximus*, *Ephod significare indumentum Sacerdotale*, *quod in Exodo & Levitico à LXX* ἐπωμὶς *dicitur*, *i.* superhumerale; *ab Aquila* ἐπένδυμα, *i.* superindumentum. Rursum Hesychius, Ἐφοὺδ Ἑλληνικῇ ἐπωμίδι προσέοικε. Vide quæ sequuntur. Videndus & Josephus. Lxx, οὐδὲ ἱερατείας, ac si per *Ephod* significaretur universum Sacerdotium. SINE THERAPHIM] Ἄνευ θεραφεὶμ, vel, si placet, θεραφεὶν, ut Gen. 31. 34. התרפים. A. μορφώματα. Sym. θεραφείν. Hier. in libro Quæst. Ebr. תרפים. *Aq.* μορφώματα, *i. figuras & imagines*, *interpretatur*. Idem in Comment. ad h. l. תרפים *propriè appellantur* μορφώματα, *i. figuræ & simulacra*. Si eundem rectè capio, Aquila hoc loco φωτισμοὺς transtulit, i. *illuminationes*; Fortè quòd illuminando docerent ac patefacerent futura. Quâ ratione vocantur à P. Chaldæo Jonatha מחוי, i. *indicantes*, & à Græcis Lxx δῆλοι, i. *manifestationes*. Alibi Chaldæus interpretatur צלמניא, i. *simulacra*, & Græci εἴδωλα *idola*. De his Trismegistus in Asclepio, *Vidésne*, inquit, *statuas animatas sensu*, *& spiritu plenas*, *& talia facientes? statuas futurorum præscias*, &c. Marsilius Ficinus in libello De vita cœlitus producenda, cap. 13. *Trismegistus ait Ægyptios ex certis mundi materiis facere consuevisse imagines*, *& in eas opportunè animas Dæmonum inserere solitos*; *atque animam avi sui Mercurii*, *itémque Phœbi cujusdam*, *& Isidis Osiridisque*, *sic in statuas descendisse*, *profuturas hominibus*, *vel etiam nocituras*, & quæ sequuntur. Vide & cap. 16, & 18. Idem cap. 20. *Arabes & Ægyptii tantum statuis & imaginibus attribuunt arte Astronomicâ & Magicâ fabricatis*, *ut spiritus stellarum in eis includi putent. Spiritus autem stellarum intelligunt alii quidem mirabiles cœlestium vires*, *alii verò Dæmonas etiam stellæ hujus illiúsve pedissequas. Spiritus igitur stellarum*, *qualescunque sint*, *inseri statuis & imaginibus arbitrantur*, *non aliter ac Dæmones soleant humana nonnunquam corpora occupare*, *pérque illa loqui*, *moveri*, *movere*, *mirabilia perpetrare. Similia quædam per imagines facere stellarum spiritus arbitrantur*, &c.

IDEM.

IDEM in VULG.

1. *ET dilige*] Codex emendatior non habet copulam *&*, & sanè non legitur in Ebræo. ¶ *Dilectam amico*] id est, alteri, & intelligitur, *à marito*. ¶ *Vinacia uvarum*] Apud Santem est, *dolia uvarum*: recentior interpretatio, *lagenas uvarum*, quomodo vertendum puto. *Uvarum*, id est, vini. Contrà scriptor Latinus *vinum pendulum* dixit pro uvis.

2. *Fodi eam*] Aptiùs ad sententiam *emi eam*: aut *comparavi eam*. ¶ *Coro*] *Homer* est in Ebræo, & pro *dimidio Coro*, betheeh.

3. *Expectabis me*] Verba Ebræa hoc dicunt *desidebis mihi*, id est, propter me. ¶ *Non eris viro*] Non nubes. ¶ *Sed & ego exspectabo te*] *Et etiam ego ad te*, legitur in Ebræo, & puto sensum esse, quem interpres expressit, ego etiam propter te desidebo. Sed vidi, qui subintelligerent, etiam ego ad te non veniam, acsi diceret, nec me nec alium habebis viri loco.

4. *Sedebunt*] Id est, manebunt. Idem verbum, quod suprà vertimus, *residebunt*. ¶ *Sine altari*] Jonathan, *sine statua*, quomodo vertendum puto.

5. *Pavebunt ad Dominum*] Sententia est, pavidi current aut confugient ad Dominum. ¶ *Ad bonum ejus*] vel, ad bonitatem ejus.

LIVELEUS.

1. *MUlierem*] Non ductam adhuc, sed desponsatam tibi, quæ tibi postea nubat, verùm adulterio suo in longum tempus rejecta sit. Sic Deus amat Israelitas quasi sponsam adulteram, & propterea diu neglectam, sed tandem in uxorem accipiendam. Hoc igitur novo typo confirmat quod cap. 2. 15, 19. dicebatur de Ecclesia Deo desponsanda & tandem maritanda. ¶ *Ab amico*] i. Alio amatore; ut Jer. 3. 1. *Scortata es cum amicis multis.* ¶ *Lagenas uvarum*] h. e. Vini, quod *sanguis uvarum* dicitur Deut. 32. 14. Metonymia est, ut apud Maronem Georg. 1.

Poculáque inventis Acheloïa miscuit uvis.

Horatius 1. Car. Od. 20.

——prælo domitam Caleno
Tu bibes uvam.

Juvenalis Sat. 5.

Calcatámque tenet bellis socialibus uvam.

Idololatræ in sacrificiis suis convivari soliti sunt. Judic. 9. 27. *Ingressi ædem dei sui edebant ac bibebant.* Amosi 2. 8. *Super vestes in pignus acceptas inclinant se juxta omnia altaria, & vinum damnatorum bibunt in domo deorum suorum.* 1 Cor. 10. vers. 21. *Non potestis poculum Domini bibere, & poculum dæmoniorum.* Ad hunc morem existimo referendum quod dicit *lagenas vini ab illis amari* quos proximis verbis idolorum cultui deditos esse ostenderat. Alii aliter interpretantur *racemos uvarum*. Quidam etiam *placentas ex uvis lautiùs coctas* intelligunt. Quarum expositionum neutra ab illis idololatricis quæ dixi conviviis abludit.

2. *Sesquicoro*] Vox Calvini est in Commentariis ipsius, quam aptissimam esse judicavi, quòd & Corus eandem mensuram cum Chomere notet, & dictio Latinis usitatior sit. Hieronymus ita reddit, *Coro & dimidio Cori*, cui æquivalet *sesquicoro*.

3. *Manseris me*] Eousque tu innupta manseris donec commodum mihi tempus fuerit te mihi in uxorem accipiendi. Verbum è verbo est *sederis mihi*. Sed *sedendi* verbum in hac syntaxi *manere* significat Exod. 24. 14. *Sedete nobis hic*, i. manete vel exspectate nos.

4. *Diebus multis*] Ut sponsa Prophetæ manere jubetur non solùm absque marito cui honestè nuberet, verùm etiam sine amatore cum quo turpiter scortaretur, v. 3. Ità Israelitas mansuros, significat sine ulla reip. forma, sive recta, quâ Deum ex Legis præscripto piè colerent, sive prava, quâ impiè contra Legem cum idolis scortarentur. *Statuæ* enim & *imagines*, *amiculum* etiam interdum ad superstitiosum idolorum cultum pertinebant. De *statuis* vide 2 Reg. 17. 10. De *imaginibus* & *amiculo* Jud. 17. 5.

5. *Trepidabunt*] Tantundem hoc valet ac si dicas, *trepidi festinabunt*. Nam verba *pavendi* & *trepidandi* Festinare & Properare quandóque significant. Hic cap. 11. 11. *Trepidabunt quasi avis ex Ægypto.* Aben Ezra quod hîc dicitur ità explicat, ישובו במהרה כבא הקן אל ארצם, *redibunt festinanter, cursim, subitò in terram suam.* Verbum Latinum etiam eandem significationem habere reperitur. Livius Annalium 23. *Móxque dum in sua quisque ministeria discursu trepidat ad prima signa.* Virgilius Æneid. 9.

Ne trepidate meas, Teucri; defendere naves,

h. e. *nè festinate*, ait Nonius Marcellus. ¶ *Davidem*] Christum, ut Ezech. 34. 24.

GROTIUS.

1. *ADhuc vade*] Alterum typum vult adhiberi Deus, quo significetur summa ejus lenitas in populum quem juré perdere omnino potuisset, sed maluit vitam ejus producere & pœnitentiam exspectare, par marito qui uxorem adulteram non ad Judicem defert mortis supplicio adjudicandam, sed fert patienter, à concubitu tamen ejus interim abstinens. ¶ *Dilectam amico*] Marito suo. ¶ *Sicut diligit Dominus filios Israël*] Explicatio typi, quæ est planior infrà 4, 5. ¶ *Et diligunt vinacia uvarum*] Recta versio videtur *lagenas vini*. Sic enim 2 Samuel. 6. 19. Cant. 2. 5. & in Thalmudicis sæpe. Quidam Rabbini dicunt esse sextam partem Ephæ. Libabant vinum diis, deinde ex eo bibebant.

2. *Et fodi eam mihi*] *Emi eam mihi.* Nam כרה & hoc significat. Sicut autem coëmtio matrimonii erat genus apud Romanos: sic & apud Hebræos viri donatione ob nuptias aut operis uxores sibi acquirebant, Genes. 29. 18. 2 Samuel. 3. 14. ¶ *Quindecim argenteis*] Siclis scilicet. ¶ *Et coro hordei*] Lxx Hebraicam vocem servant γομόρ [*Gomor.*] Vide Lev. 27. 16. Ezech. 45. 11. ¶ *Et dimidio coro hordei*] Quod hîc in Hebræo est לתך [*Letheg*,] etiam in Thalmudicis invenitur, & dicitur tenere quindecim Seas, quinque Ephoth. Sed longè aliter habuere codices quibus usi sunt Lxx Senes: vertunt enim καὶ νέβελ οἴνου [*& Nebel vini*,] id verò est *lagenam vini*, Jerem. 13. 12.

3. *Dies multos exspectabis me*] Id est, volo exspectes me in thoro vidua, antequam tibi plenè reconcilier. ¶ *Non fornicaberis, & non eris viro*] Et illegitimo & legitimo concubitu abstinere debebis. ¶ *Sed & ego exspectabo te*] In Hebræo: *Ego etiam propter te*, supple *abstinebo à conjugio.*

4. *Quia*] *Namque.* Hæc est planior explicatio typi: itaque nova hic periodus inchoatur. ¶ *Dies multos sedebunt filii Israël*] In locis Assyriæ ditionis. ¶ *Sine Rege*] Nempe suæ gentis. ¶ *Et sine Principe*] Id est, Non modò Regem suum non habebunt, sed nec ullum è suis jurisdictione præditum. שר [*Principem*] Græci rectè vertunt ἄρχοντα, Chaldæus שלטון. ¶ *Et sine sacrificio*] Sive legitimo, sive idololatrico. ¶ *Et sine altari*] מצבה, στήλην [*columnam*] solent vertere Græci. Significantur hac voce columellæ illæ quæ ante Legem licitæ, Genes. 28. 18, 22. & 31. 13, 45, 51, 52. & 35. 14, 20. Per Legem, quòd frequentes essent in usu idololatrico, vetari Hebræis cœpere, Exod. 23. 24. & 34. 13. Levit. 26. 1. Deut. 7. 5. & 12. 3. & 16. 22. 1 Reg. 14. 23. ¶ *Et sine Ephod* Græci Ὀυδὲ ἱερατείας [*sine sacrificio*,] bene explicatâ figurâ. Nam Pectorale illud, quod *Ephod* dicitur, nota summi Sacerdotis, Exodi 28. ¶ *Et sine Theraphim*] Ὀυδὲ δήλων [*sine illuminationibus*] verterunt Lxx, id est, *sine Urim*. Sed *Theraphim* ubique *simulacra* significat. Est autem nomen per se medium: ideóque significare potest non malè *imagines falsi cultûs*, ut in Labanis historiis & alibi, sed & ipsos *Cherubinos*, ut hîc notavit Hieronymus, & nos notavimus ad Judic. 17. 5.

5. *Post hæc*] Ubi diu vixerint in illo statu, privati Regno, Templo, sacrificiis, & idololatriæ, ob idololatrarum in se sævitiam, pertæsi. ¶ *Et quærent Dominum Deum suum*] id est, & ad Deum se applicabunt. Ità בקש rectè per προσκολλᾶσθαι [*adhærere*] vertitur Levitici 19. 31. ¶ *Et David Regem suum*] Adhærebunt Zorobabeli, qui erit ex familia Davidis, & propterea *David* appellabitur, ut omnes ex Jacobo, *Israël*. Ezechielis 34. 23. ad Messiam eminenter hæc referenda agnoscunt Paraphrastes Chaldæus, & Rabbini multi. *Et pavebunt*] Rectiùs *stupebunt*. Lxx ἐκςήσονται [*extra se erunt.*] *Ad Dominum, & ad bonum ejus*] Ἓν διὰ δυοῖν] *Unum per duo.*] Sensus est, *ob tantam Dei beneficentiam.* *In novissimo dierum*] *In*

post venturis temporibus. Id enim, nec quicquam amplius significant Hebræa באחרית הימים.

CAP. IV.

MUNSTERUS.

3. LUgebit terra] *Lugere* terra dicitur quando destituta cultoribus suis in solitudinem redigitur. Et non solùm Homines eliminabuntur, sed & jumenta quæ inserviunt homini, ut sunt Boves, Oves, Asini, &c. atque aves cœli, quæ cum hominibus morari consueverunt in eorum commodum, his omnibus denudabitur terra.

4. *Non est ut quispiam objurget*] Tam perversus, inquit, est populus ut nulla in eo sit spes salutis: & frustrà mittuntur Prophetæ ad eum, cùm & Sacerdotibus & Legisperitis, quorum officium est docere populum legem, apertè contradicant, & velint liberè peccare. Hæc cùm ità sint, audi, popule perverse: *tu corrues hodie*, h. e. statim, cum *Prophetis* tuis qui te seduxerunt.

7. *Secundùm multitudinem eorum*] Kimhi hunc locum sic exponit, *Cùm Levitæ post Aharon patrem eorum in numero sint aucti, peccaverunt contra me, & obliti sunt legis meæ.* Jonathan verò sic vertit, *Sicut multiplicavi eis proventus, sic ipsi multiplicaverunt contra me peccata.*

8. *Levant animam suam*] Peccantibus, inquit, dicunt, Nolite soliciti esse; quoniam iniquitas vestra erit super anima nostra.

10. *Sed non invalescent*] i. Destituentur filiis.

11. *Auferunt cor.*] i. Qui occupatur & jugiter versatur in *fornicationibus & ebrietatibus*, ille omnem amittet intellectum, ut sine ullo timore Dei ambulet, & facilè ab ejus cultu recedat. Id quod Israelitis contigisse multi scribunt Prophetæ, quippe qui carnalibus illis vitiis immersi gloriam Dei commutarunt in gloriam ligni. Per *lignum* intellige idolum, & per *baculum*, qui gradientem sustentat, falsum Prophetam.

14. *Non visitabo*] Secundùm Hebræos, Non usque adeò imputabo *filiabus vestris & sponsis fornicationem*, cùm vos parentes & mariti earum priores ab illis ad scorta deflexeritis. Vel sic, Durissimè animadvertam in parentes & sponsos, ut filiæ & sponsæ eorum punitæ videantur esse extra pœnam.

15. *Non veniatis in Gilgal*] Fuit in Gilgal aliquandiu tabernaculum Dei, sed postea illic exstructa fuerunt altaria idolorum. Sic Bethaven priùs vocata fuit BETHEL, i. *Domus Dei*, sed postea, cùm illic Vitulus aureus adoraretur, vocata fuit BETHAVEN, i. *Domus iniquitatis.*

16. *Nunc pascet eos Dominus*] Kimhi sic exponit, *Nisi Israel rebellis Domino fuisset, jam pasceret eos ubertate omnium bonorum.* Alii verò sic interpretantur, *pascet eos veluti ovem unicam in latitudine, quæ hinc & indè vadit tristis, & nihil comedit*, &c.

18. *Afferte*] *Principes*, inquit, *ejus in magnam suam ignominiam dicebant*, *Afferte munera*, & justificabimus causas vestras etiam iniquas.

19. *Ligavit ventum*] i. Perinde egit in idololatria sua atque cùm quis ligat ventum in vestimento. Nam cùm vestis complicata iterum explicatur, nihil invenitur in ea.

VATABLUS.

1. DIsceptatio ריב] *Contentio: expostulatio: rixa:* q. d. Audite sermonem quo increpaturus est vos Dominus per me. Justè enim expostulaturus est cum incolis hujus terræ; habet quod expostulet cum Israelitis. In libris Prophetarum non solùm Vaticinia & Prophetiæ continentur, sed etiam increpationes & comminationes. Initio hujus capitis commendat justitiam Dei in puniendis peccatis, arguens simul Israelitas quòd peccarent in proximum suum. ¶ *Veritas* אמת] *Veritatem* intelligit constantiam in dictis factisque: q. d. Nemo est qui servet fidem proximo; nullus pauperum miseretur.

2. *Pejerare*, &c. 'אלה וכחש וגו] Infinitivi Heb. pro præsentibus, ut quidam vertunt, *Maledicunt, & mentiuntur, & cædem faciunt, & furantur, & adulterium committunt, effringunt*, sub. *septa:* vel *claustra mandatorum Dei.* Alii, *Pejerare*, &c. *erumpunt*, instar scilicet diluvii. Alii, *Perjurium & mendacium & homicidium & furtum & adulterium creverunt.* Chald. *Pejerant incolæ hujus terræ, mentiuntur*, &c. *perfringunt*, sub. *sepem mandatorum Dei.* ¶ *Et sanguis*, &c. 'ודמים וגו] *Et cædes cædem contingit*, vel *attingit: cædes cædi continua est.* Hebraismus, multæ ac crebræ cædes fiunt.

3. *Lugebit* תאבל] i. Desolabitur: quòd qui desolatur videatur quasi lugere. ¶ *Et infirmabitur* ואומלל] *Et debilitabitur: imbecillis erit.* Alii, *succidetur.* ¶ *Cum bestiis* בחית] Notandum ב pro עם *cum.* ¶ *Colligentur* יאספו] i. Tollentur de medio, morientur.

4. *Nemo contendat* איש אל רב] *Nemo disceptet:* aut *expostulet*, i. conetur contendere eum populo hujus regionis: nam id frustrà facturus est, cùm nullam correptionem admittant. ¶ *Similis sit contendentibus* כמריבי] Ad verb. *sicut contendentes:* q. d. Frustrà corripiat quis homines hujus regionis, *cùm etiam* [vel *certè:* nam כ interdum Certitudinem rei notat] *in ipsos Sacerdotes* (quorum est officium Legem docere, & carpere vitia) *insurgant.*

5. *Hoc tempore* היום] i. Brevi, sive propediem. Quidam vertunt *interdiu*; & exponunt, *rebus adhuc integris.* ¶ *Succidámque matrem tuam* ודמיתי אמך] i. Perdam generationem istam.

6 *Succidetur* נדמו] *Exscindentur*, i. *Perdentur.* ¶ *Sprevisti, spernam te* מאסת ואמאסך] *Abjecisti, abjiciam te.* ¶ *Filiorum tuorum* בניך] Appellat *filios* subditos Sacerdotum. Hebræi *filios* intelligunt eruditione vel naturâ, i. populares. Summum Sacerdotem alloquitur.

7. *Secundùm multitudinem eorum* כרבם] i. Ut creverunt ampliúsque aucti sunt, magis peccaverunt. Ut multò plures cœperunt esse, ità multò magis cœperunt peccare contra me. ¶ *Gloriam eorum* כבודם] *Honorem eorum.* Subobscurè indicat captivitatem in qua Sacerdotes fuerunt inglorii.

8. *Peccatum* חטאת] i. Sacrificium sive hostiam oblatam pro peccato. ¶ *Comederunt* יאכלו] Fut. Heb. pro præt. vel præsenti. ¶ *Et ad iniquitatem*, &c. ואל עונם וגו] *Et ad iniquitatem eorum* [pro *ejus*, nempe populi] *sublevant animum suum*, i. sunt animo attento: quia ex ea iniquitate sperant lucrum, nempe hostias quæ offeruntur pro illo peccato. Vel potiùs, *ad iniquitatem*, i. ad hostias quas pro iniquitate offerunt, *attollunt animum:* q. d. Illud tantùm curant ut populus hostias offerat. Ità & doctus inter Hebræos exponere videtur.

9. *Eritque*, &c. 'והיה וגו] Ad verb. *Et erit* [*Erit igitur*] *sicut populus sicut Sacerdos.* Hebraismus, Populus erit sicut Sacerdos, & sacerdos sicut populus. Prædicit punitionem populi & Sacerdotum: q. d. Nulla erit differentia inter Sacerdotes & plebeios; nam omnes erunt captivi citra delectum. ¶ *Super eum vias ejus* 'עליו דרכיו וגו] Sing. Heb. pro plur. *super eos vias suas, & opera eorum reddam eis.* Dicitur Deus *visitare vias nostras* quando punit nos propter peccata nostra. Et bis idem dicit, mutato genere dicendi. *Vias* autem intelligit nostram vivendi rationem in hoc seculo.

10. *Fornicabuntur* הזנו] Præt. Heb. pro fut. sub. *toto studio ac diligentiâ:* q. d. Dedent se fornicationi, nec tamen numerus liberorum illorum augebitur. ¶ *Custodire* לשמר] i. Desierunt observare Dominum: vel *quominus custodirent*, sub. *vias ejus:* q. d. Deseruerunt Dominum & vias ejus.

11. *Auferunt cor* יקח לב] Fut. Heb. pro præs. & verb. sing. quod ad singula refertur: reddunt homines amentes, avertúntque eos à vero Dei cultu.

12. *Lignum suum* בעצו] *Baculum suum*, vel *scipionem.* ¶ *Interrogat* שאל] *Consulit.* Fut. Heb. pro præs. ¶ *Indicat ei* יגיד לו] Sub. *quæ scire cupit*, aut *facturus est:* sed falluntur. Describit ignorantiam & cæcitatem populi Judaici qui pendebat à pseudoprophetis, quorum consilio regebatur, non aliter quàm cæcus pendet à scipione suo, & videtur quasi consilio ejus regi cùm illo viam prætentat: sed sæpe fallitur, nam frequenter impingit & corruit in rem duram. ¶ *Spiritus enim fornicationum* כי רוח זנונים] i. Spiritus impellens ad fornicationem, h. e. idololatriam, qualis est spiritus pseudoprophetarum. ¶ *Et fornicati*, &c. ויזנו מתחת אלהיהם] i. Per fornicationem, h. e. idololatriam, defecerunt à Deo suo.

13. *Super capita* על ראשי] *In cacumine.* ¶ *Immolaverunt* יזבחו] Fut. Heb. pro præsentibus: sub. *summo studio & religione.* Alii per præteritum vertunt ista futura. ¶ *Bona* טוב] *Amœna.* ¶ *Ideo* על כן] Occasione scilicet acceptâ propter absentiam vestram à domibus vestris; interim dum conceditis in montes illos. *Et sponsæ vestræ* וכלותיכם] *Et nurus vestræ.*

14. *Non visitabo* לא אפקוד] i. Non adeò severè puniam. Hoc intelligi potest de utraque fornicatione. ¶ *Ipsi* sunt הם] Mutatio personæ, pro *estis.* Quidam vertunt, *nam dum proficiscuntur cum scortis* ut eant ad loca in quibus colere solent idola, *subtrahunt sese* [sub. *ab uxoribus*] *& cum scortis immolant:* ut ità cum eis edant & bibant. ¶ *Non intelligit* לא יבין] *Caret intellectu.* ¶ *Corruet* ילבט] *Concidet*, i. punietur. Alii, *corruere solet.* Alii, *stupore afficietur*, cùm scilicet sentiet Dei flagella: vel, *anceps & dubius eris*, nempe in sua scientia &

cognitione: ut homo ignorans quid agendum sit, perplexus est. Ita doctus inter Hebræos.

15. *Ingrediamini* תבאו] Sub. *O viri Juda.* ¶ *Gilgal* הגלגל] Locus est in quo Tabernaculum Domini fuit positum post ingressum Terræ sanctæ; quo loco postea incolæ ejus loci adoraverunt idola in honorem ipsius Domini. ¶ *Beth-aven* בית און] Quam appellare debuit *Bethel*, propter ignominiam appellavit *Beth-aven*. BETHEL dicta quòd illic Dominus apparuerit ipsi Jaacob, i. *Domus Dei:* BETH-AVEN autem, id est, *Domus iniquitatis*, quòd illic incolæ ejus erectum à Jeroboam Vitulum adoraverint in honorem Domini. Erat autem locus editus: propterea dixit, *Nè ascendatis.* ¶ *Vivit Jehovah* חי יהוה] Formula juramenti quâ colentes verum Deum jurabant: quo juramento eos uti non vult quòd in idololatriam prolapsi essent.

16. *Rebellis* סורירה] i. Similis est juvencæ quæ non admittit jugum, aut admissum citò excutit. ¶ *Nunc* עתה] i. Brevi. ¶ *In latitudine* במרחב] i. In loco sive campo lato ac spatioso, ut scilicet illic citò pinguescat, & mactetur.

17. *Particeps simulacrorum* חבור עצבים] *Socius simulacrorum.* Alii, *Addictus est idolis.* Verba Dei sunt ad Prophetam: q.d. Luseris operam si ad pœnitentiam invitaris Ephraim. Gravissima pœna est relinqui à Deo. Meminit *Ephraim*, quòd Jeroboam, qui Vitulos erexit, de tribu Ephraim fuerit: & per hanc Israelitas intelligit. ¶ *Dimitte eum* הנח לו] *Missum facito eum.*

18. *Putidum est vinum eorum* סר סבאם] *Fœtuit* [*Putruit*] *potus eorum.* ¶ *Amant* אהבו] Præt. Heb. pro præs. ¶ *Ad ignominiam* קלון] Ad verb. *ignominia*, i. quod valde est ignominiosum: q.d. Principes ejus corrumpuntur muneribus, quod est illis ignominiosissimum. ¶ *Principes ejus* מגניה] Ad verb. *clypei ejus*, h. e. protectores. Sic dicuntur Principes, quòd sint populo vice clypei. Nominativus est verbi præcedentis, atque talis debet esse ordo, *Principes ejus amant*, *Date quod est ignominiosum.*

19. *Ligabit* צרר] Præt. Heb. pro fut. i. Ventus constrictam tenebit illam congregationem Israelitarum in alis suis, & ità eos aliò transferet. Hic prædicit captivitatem Decem tribuum. ¶ *Et pudore*, &c. ויבשו מזבחותם] *Et pudefient propter sacrificia sua*, cùm scilicet videbunt ea nihil profuisse illis, imò maximè obfuisse: vel, sacrificia quæ nunc idolis faciunt, non proderunt tunc illis.

CASTALIO.

2. S*Anguinémque contingit sanguis*] Perpetuantur cædes.

4. *Jam verò nemo quenquam objurget aut reprehendat, cùm tua plebes cum sacerdotibus certare videatur*] Non est quòd alii alios reprehendant, cùm omnes sint æquè nocentes.

8. *Meorum piaculo vescuntur*, *eorúmque culpâ vitam suam sustinent*] Noxalibus victimis.

12. *Mei lignum suum consulunt*, *eísque suus dat responsa stipes*] A diis è stipite factis petunt oracula.

16. *Jova pascit ut agnum in planitie*] Ad cædem & supplicium.

18. *Excedit modum perpotatio*, *scortantur ejus propugnatores: adducite propudium*] Ephraimitidis Principes vino calentes jubent meretrices adduci, h. e. simulacra colunt.

19. *Constringit eam ventus suis alis*] sc. Meretricius, ut paulò pòst patebit.

CLARIUS.

2. S*Anguis sanguinem tetigit*] i. Assiduè funditur sanguis post sanguinem.

3. *Lugebit terra*] *Lugere* Terra dicitur quando destituta cultoribus suis in solitudinem redigitur. Et non solùm, inquit, Homines eliminabuntur, sed & jumenta quæ inserviunt homini, & aves cœli, quæ cum Homine morari consueverunt in ejus commodum, his omnibus denudabitur terra.

4. *Utique nullus alium reprehendit*] Tam perversus, inquit, est populus ut nulla in eo sit spes salutis, & frustrà mittantur Prophetæ ad eum; cùm & Sacerdotibus & Legisperitis, quorum officium est docere populum Legem, apertè contradicant, & velint liberè peccare. Hæc cùm ità sint, audi, popule perverse, tu *corrues hodie*, h. e. statim, cum *Prophetis* tuis qui te seduxerunt.

7. *Secundùm multitudinem eorum*] Nullus, inquit, sine peccato erat, sive, quotquot erant, peccabant. Alius sic exponit, *Cùm Levitæ post Aaron patrem eorum in numero sint aucti, peccaverunt contrà me, & obliti sunt legis meæ.* Jonathas Chaldæus sic vertit, *Sicut multiplicavi eis proventus, sic ipsi multiplicaverunt contra me peccata.*

8. *Peccata populi mei*] h. e. Oblationes pro peccatis à populo acceptas. ¶ *Et ad iniquitatem eorum sublevabant* (vel *erigebant*) *animas suas*] h. e. Invitabant ad iniquitatem populum, ut ipsi oblationem acciperent. Peccantibus, inquit, dicunt, Nolite soliciti esse; quoniam iniquitas vestra erit super animà nostra.

9. *Sicut populus, sic Sacerdos*] Hoc proverbialiter dicitur. Non erat discrimen inter Sacerdotes & inter populum: nam pariter iisdem peccatis involuti erant.

11. *Auferunt cor*] i. Qui occupatur & jugiter versatur in *fornicationibus* & *ebrietatibus*, ille omnem amittet intellectum, ut sine ullo timore Dei ambulet, & facilè ab ejus cultu recedat. Id quod Israelitis contigisse multi scribunt Prophetæ, quippe qui carnalibus illis vitiis immersi gloriam Dei commutaverunt in gloriam *ligni*. Per *lignum* intellige idolum; & per *baculum*, qui gradientem sustentat, falsum Prophetam.

13. *Ideo fornicabuntur*] Ob hoc peccatum vestrum fiet ut *sponsæ vestræ adulteræ sint.*

14. *Non visitabo*] i. Secundùm Hebræos, Non usque adeò imputabo *filiabus vestris & sponsis fornicationem*, cùm vos parentes & mariti earum priores ab illis ad scorta deflexeritis. Vel sic, Durissimè animadvertam in parentes & sponsos, ut filiæ & sponsæ eorum punitæ videantur esse extra pœnam.

15. *In Galgala*] Fuit in Gilgal aliquando tabernaculum Dei, sed postea illic exstructa fuerunt altaria idolorum. Sic Bethaven priùs vocata fuit BETHEL, i. *Domus Dei*, sed postea, cùm Vitulus aureus adoraretur, vocata fuit BETHAVEN, i. *Domus iniquitatis.* ¶ *Neque juraveritis*] Sicut illi faciunt, ore videlicet, corde verò sequentes Vitulos aureos positos in Galgal & Bethel, quam hic ignominiæ causà BETHAVEN, i. *Domum iniquitatis*, vocat.

16. *Nunc pasceret*] Si non declinasset & rebellis fuisset. Alii sic interpretantur, *pascet eos veluti ovem unicam in latitudine*, *quæ hinc & indè vadit tristis & nihil comedit.* Vel, quia ferunt oves pasci in locis aridioribus, cùm facilè ovium intestina putrescant si nimium læto pabulo pascantur.

18. *Corruptum est vinum illorum*] Alius vertit, *fœtidus factus est potus eorum in ore eorum.* Et videtur objicere eis crapulam, & quòd usque ad vomitum potarint. ¶ *Afferte*] *Principes*, inquit, *ejus in magnam suam ignominiam dicebant*, *Afferte munera*, & justificabimus causas vestras etiam iniquas.

19. *Ligavit eum spiritus*] Et asportavit scilicet, spiritus nempe malus & concupiscentiæ, quem miser populus sequitur. Alius vertit, *Ligavit illa ventum in alis suis*; ut sit sensus, Perindè egit in idololatria sua atque cùm quis ligat ventum in vestimento; nam cùm vestis complicata iterum explicatur, nihil invenitur in ea.

DRUSIUS.

1. V*Erbum DOMINI*] q.d. Non mea est hæc increpatio, sed DOMINI: ego tantùm ipsius os sum. ¶ *Terra*] Israel. ¶ *Non est veritas*] Nec in dictis nec in factis. Porrò *veritatem facit* qui vivit sincerè cum hominibus; *dicit*, qui non mentitur, non pejerat. ¶ *Nec benignitas*] *Multò minùs est benignitas.* Nam hæc virtus excellentior est; quam qui sectatur, nec præmium spectat nec gratiam, & facit id quod non tenetur facere jure. Aut lege, *nec pietas:* nam חסיד, *qui pietatem ac religionem colit*, ὅσιος. ¶ *Scientia Dei*] Notitia rerum Divinarum. Nam qui res Divinas novit, Deum novit; contrà, qui res Divinas non novit, nec Deum novit. Ubi non est *notitia Dei*, ibi non est *pietas*, ibi non est *veritas*. Aut per *notitiam Dei* significat opera quæ ex ea notitia manant; qualia sunt *facere judicium*, *judicare pauperem*, &c. Vide Jer. 22. 15.

2. *Pejerare*] אלה *pejerare*, i. perjuria. Est autem *pejerare*, quod ex animi tui sententia juraveris non facere. Olim erat *maledictum*, i. אלה. ¶ *Occidere*] Homicidia. Verbum Ebræum propriè sign. *aliquem sicâ occidere*, quæ רצח dicitur, si credendum peritis linguæ. ¶ *Inundant*] Interpretamentum hoc vetus est. Recentior editio *erumpunt*. Utrumque sumptum ab aqua ripas transcendente & obvia quæque prosternente. Infrà vers. 10. idem significat *supra modum excrescere sobole.* Vide Grammaticos. ¶ *Cruores cruores contingunt*] *cædes cædem excipit*; *cædes cædibus contiguæ sunt.* Significat continuas cædes esse & crebra homicidia. Cædes autem *cruores* vocantur, quia cruor in iis effunditur. Maluissem *sanguines*, si ea vox plu-

pluralis uſpiam exſtaret. Jonathan vertit, *peccata peccatis accumulant.* Sed peccata non vocantur *cruores*, quòd ſciam. Quidam ſignificari putant peccata capitalia, ob quæ videlicet ſanguis illius qui ea committit effundendus ſit. Vetus, *ſanguis ſanguinem tetigit.* Sententia eſt quam dixi.

3. *Lugebit*] Vaſtabitur. Nam tum homines in luctu ſunt. Aut *terra*, i. incolæ terræ. ¶ *Et infirmabitur*] Vel *languebit.* Minus dicit, plus ſignificat. Nam hoc ſignificat, *Terrâ vaſtatâ, ejus incolæ in extremas calamitates incident, atque adeò exſcindentur unà cum beſtiis & avibus.* Hic ‏אמלל‏ alii poſitum contenduut pro ‏אבל‏ : aliis eſt verbum quatuor literarum.

Grammatici certant, & adhuc ſub judice lis eſt.

¶ *Cum beſtia agri*] Præcipuè intelligit eas beſtias quæ cum hominibus degunt. Quanquam extendi poteſt etiam ad eas quæ in ſilvis agunt. ¶ *Et cum avibus cœli*] Quod accidit aere corrupto, qui hîc *cœli* nomine afficitur more apud Ebræos protrito. ¶ *Colligentur*] Morientur. Pleniùs id enunciant *colligi ad populum ſuum*, Gen. 25. 8. Dicunt etiam *colligi ad patres.* Hinc intelliges quid ſit Pſal. 26. 9. *Nè colligas cum peccatoribus animam meam.*

4. *Nemo contendat*] *Contendere* hîc eſt Peccantem arguere. Quod ideo fieri non vult quia ſalus eorum deſperata erat. Nam oleum & operam perdit qui cum talibus litigat. *Contendebant* autem cum populo Prophetæ ac Sacerdotes, ad quorum officium pertinebat peccantes admonere & reprehendere. Vide Jer. 18. 19. & 15. 10. Ezech. 3. 26. Amos 2. 12. ¶ *Nec reprehendat quiſquam*]. Quid ſi legeretur *nec reprehendat quenquam*, videlicet ex iſtis quorum vitam ac mores ſuprà taxavit? ¶ *Populus tuus*] *Populares tui.* Verba Dei ad Prophetam. ¶ *Ut contendentes*] Verè contendentes. Populus enim reprehenſionis impatiens contendebat cum iis qui ipſum reprehendebant. Particula *ut* hoc modo ſumitur in illo, *Vidimus gloriam ejus ut unigeniti.* Sic alibi in hoc Propheta, *ut transferentes terminum:* nam ſignificat eos revera terminum tranſtuliſſe.

5. *Corrues*] Vel *impinges.* Utrumque ſignificat in calamitates incidere. ¶ *Hodie*] Αυτῆμαρ, i. brevi. Sic Prov. 12. 16. ‏ביום‏ *in die*, i. ſtatim. Tremellius *interdiu*, ‏יומם‏, minùs placet. ¶ *Propheta*] Omnes falſi Prophetæ. ¶ *Nocte*] Statim póſt. Nam Nox ſtatim Diem ſequitur. ¶ *Exſcindam*] *Redigam in ſilentium.* *Silentio* autem Mors innuitur: unde mortui *ſilentes* vocantur, & *terra ſilentium*, i. ſepulcrum. Hoc eò libentiùs noto quia in Hieronymo *tacere feci* legitur. ¶ *Matrem tuam*] Synagogam Iſraeliticam.

6. *Exciſus eſt*] Vel *exciſi ſunt*; & ſic eſt in fonte: ‏עם‏ enim nomen eſt collectivum. Simile,

Turba ruunt in me luxurioſa proci.

¶ *Abſque ſcientia*] Eò quòd ſcientiâ deſtituatur neceſſariâ ad ſalutem. Hoc autem accidebat culpâ Sacerdotum. Ideo ſubjicit, *Quia tu ſpreviſti ſcientiam.* Sed eſt cur malim, *eò quod non ſit ſcientia*, ut referatur ad Sacerdotes. Quos tamen non excuſat inſcientia. Nam culpam habet & qui neſcit quod ſcire maximè deberet, veluti cùm Paſtores rerum Sacrarum imperiti ſunt. Quales nimiùm multi, proh dolor! hoc tempore. ¶ *Scientiam*] Τὴν γνῶσιν. Ità κατ' ἐξοχὴν vocat ſcientiam Legis & rerum Divinarum. Quid ad hæc ſophiſtæ, qui non ſolùm ſpernunt ſcientiam Divinam, ſed etiam alios, quos poſſunt, ab ea arcent? ¶ *Spreviſti*] In pleriſque editionibus eſt *repuliſti:* quod non ſperno. ¶ *Spernam te nè Sacerdotio fungaris mihi*] Utinam hodie tales à Miniſterio removerentur! non tanta eſſet ubique copia imperitorum & ignorantium. Quin juventus majorem poneret operam in ſtudiis literarum & iis rebus diſcendis quæ neceſſaria ad ſolidam rerum Sacrarum intelligentiam. Sunt autem linguæ Ebraica & Græca, ſed inprimis Ebraica. ¶ *Oblitus es legis Dei tui*] Quam non ſolùm ſcire debuiſti, ſed etiam docere alios. Nam ordinarium munus Sacerdotum erat enarrare Legem, & populum ex ea erudire: Mal. 2. 7. *Labia Sacerdotum cuſtodiunt ſcientiam.* Vide Deut. 31. 9. & 33. 10. Cæterùm in perſona unius Sacerdotis reliquos omnes intelligit, qui in pari culpa erant. ¶ *Obliviſcar filiorum tuorum*] Nè tibi ſuccedant. Nam filius patri ſuccedebat, ut notum lippis ac tonſoribus. *Etiam ego*] In Deum non cadit oblivio: *Non enim eſt ut homo.* *Obliviſci* tamen dicitur eorum quos negligit & quorum nullam curam gerit aut rationem habet.

7. *Secundùm multitudinem eorum*] i. *Quantò magis aucti ſunt, tantò magis peccaverunt:* aucti, inquam, vel numero, vel opibus ac dignitate: nam verbum Ebræum ad utrumque referri poteſt. Sed in numero conſentiunt Ebræi. Nam de Aharone legitur, *Verbum veritatis fuit in ore ejus.* Nunc autem, inquit, cùm multi ſunt, multa peccata committunt. ¶ *Sic*] Pro *tantò magis* ſumitur & in illo, Exod. 1. 11. *Quemadmodum vexabant eum, ſic multiplicabatur.* Similiter in hoc Propheta 11. 2. *Vocabant eos, ſic abierunt ab eis.* *Mihi*] Vel *in me.* ¶ *Gloriam eorum in ignominiam commutabo*] Efficiam ut contemnantur à populo, qui nunc in magna gloria ſunt apud eum; juxta proverbium, *Teſtium fallacium merces vilis.* Aut *gloriam* vocat dignitatem Sacerdotii; eam, inquit, *in ignominiam mutabo*, cùm abducentur in captivitatem.

8. *Peccatum*] Victimas quas populus meus immolant pro peccato. Sic Chriſtus dicitur *factus eſſe prò nobis peccatum.* Græcè eſt ἁμαρτία, i. *hoſtia redimendo peccato.* Eodem ſenſu *peccatum* ponitur Exod. 29. 14. ¶ *Comedunt*] Ex lege quæ Levit. 6. *Iſta eſt lex hoſtia pro peccato. In loco ubi offertur holocauſtum, hircus immolabitur* DOMINO. *Sacerdos qui offert comedet eum in atrio tabernaculi.* Et mox, *Omnis maſculus de genere Sacerdotali veſcetur de carnibus ejus; quia ſanctum ſanctorum eſt.* ¶ *Ad iniquitatem eorum attollunt*, &c.] Avidè deſiderant & expetunt ut peccet populus; quò videlicet ex eo culinæ ipſorum meliùs ſit. *Attollere animam* eo ſenſu accipitur Jer. 22. 27. & Deut. 24. 15. Legitur etiam: *Non attollit animam ſuam ad res vanas.* Sed hîc alia lectio, & fortaſſe melior, *animam ſuam in vanum.* Hoc quid ſit, dixi alio loco. ¶ *Animam ſuam*] i. ‏נפשם‏. Sed dicit ‏נפשו‏: quaſi hoc voluerit, *unuſquiſque eorum id avet & deſiderat.* Vetus editio, *animam eorum.* Quæ interpretatio alium planè ſenſum continet; ſed mihi non probum; ideo non inſumam tempus in eo enarrando: quod ab aliis factum ſatis.

9. *Sicut populus, ità*, &c.] *Sacerdos erit ſimilis populo in quem animadvertam vias ejus*, &c. q. d. Par erit amborum ſupplicium & pœna. Aliter exponas, *Eſtque populus ſicut Sacerdos*, hâc ſententiâ, Si populus eſt improbus, Sacerdotes non ſunt hilo meliores: *ideo animadvertam in eum vias ejus*, &c. Ebræi ſic enarrant, *Ut populus ità Sacerdos, & contrà ut Sacerdos ità populus.* Sic dico, Et paria crimina committunt & parem pœnam ſuſtinebunt. Similia ſunt Gen. 44. 18. *Qualis tu es, talis Pharao eſt.* Jeſ. 24. 2. *Qualis mutuum dans, talis is qui mutuum accipit.* Vis in hoc ſermone ut ſi dicas, *æquales ſunt.* Neſcio tamen an peccata populi ſint comparanda cùm peccatis Sacerdotum: Nam in omnes partes hi graviùs peccabant. ¶ *Sacerdos*] Sacerdotes. Quale eſt Num. 12. 6. *Si Propheta vobis*, i. Prophetæ. ¶ *Contra eum*] *Contra unumquemque eorum.* Si tamen ad *Sacerdotes* non ad *populum* referatur. ¶ *Vias ejus*] Actiones ejus. ¶ *Facta ejus*, &c.] Vult dicere, *pœnas factis ipſius dignas:* puniam eum, inquit, ut meritus eſt.

10. *Et non ſaturabuntur*] Alibi eſt, *comedent, ſed non ad ſatietatem*, eodem ſenſu. In hac pœna cibus non præſtat uſum quem deberet. Quod à Dei maledictione. ¶ *Non erumpent*] Non multam prolem procreabunt, ſive non excreſcent ſobole. Metaphora ab Aquis, quæ aggere perrupto vicinos agros inundant. Suprà ejus mentio facta. ¶ *Dereliquerunt obſervando*] i. Colendo, ut Zach. 11. 11. *pauperes gregis qui me obſervant.* Deſeruerunt, inquit, cultum ejus, qui fons eſt omnium malorum quæ ipſis acciderunt. Quidam, *deſeruerunt obſervare*, i. ‏חרל‏. Licet etiam exponere, *dereliquerunt obſervando præcepta ejus.* Nam qui ea non ſervat, Deum deſerit.

11. *Scortatio, vinum*] Huc pertinent illa Ovidii,

Nox & amor vinúmque nihil moderabile ſuadent:
Illa pudore vacat, Liber amórque metu.

Et Plautinum illud,

Nox, vinum, mulier; nihil pernicioſius adoleſcentulo.

Alius quidam cecinit,

Ut Venus enervat vires, ſic copia Bacchi
Et tentat greſſus, debilitátque pedes.
Denique cùm mentes hominum furiarit uterque,
Et pudor & probitas & metus omnis abeſt.

¶ *Aufert*] Facit homines deſipere, reddit amentes. Nam *cor* ponunt pro *ſapientia* vel *mente.* Sic *corde carere* dicitur qui deſipit. Infrà, *Ephraim ut columba ſimplex, carens corde:* &

apud

apud Plautum, *Cui pectus sapiat. Nam cor non potest, quod nulla habet.* Cæterùm Aben Ezra videtur hunc versum legisse sine Vau, *Scortatio, vinum, mustum.* Vide Scholia ipsius. Hactenus Sacerdotum mores Propheticâ libertate insectatus est: eâdem nunc auctoritate populi & multitudinis idolomaniam taxat & quasi ὑποτυπώσει quadam repræsentat: ac primùm eam describit ex adjunctis & effectis, additâ etiam Dei vindictâ & irâ.

12. *Lignum suum interrogat*] Utuntur divinatione quæ à Græcis ξυλομαντεία dicitur. Ejus meminit auctor libri DCXIII Mandatorum, scribens *è fragmentis ligni fieri in Illyrico.* Aliis *lignum* est lignea statua, & *baculus* simulacrum è baculo seu stipite factum, delubrum. Festus, *Delubrum*, inquit, *dicebant fustem delibratum, id est, decorticatum, quem venerabantur pro deo.* ¶ *Et baculus ipsius*] Utuntur & alio genere divinationis, quam ῥαβδομαντείαν vocant. Aut per *baculum* significat imagunculam quæ in baculo. Solent enim magi Dæmonem etiam in baculo circumgestare. ¶ *Spiritus scortationum*] Motus animi ad scortationem impellens, ita dictus quòd à spiritu malo excitetur. Sic *spiritus immunditiæ* Zach. 13. 2. *mendacii* 1 Reg. 22. 23. *vertiginis* Jes. 19. 14. *erroris* 1 Joh. 4. 6. ¶ *Excusso jugo Dei sui*] Usus sum periphrasi ut exprimerem quod in Ebræo ad verb. *à sub Deo suo.* Nam particula מתחת *subjectionem* notat, quam hi excusserunt cùm ad alios deos deficerent.

13. *Capita*] *Vertices, cacumina, summitates.* ¶ *Sacrificant*] Vide Jes. 57. 7. ¶ *Super colles*] *Celsos* Ezech. 6. 13. ¶ *Sub quercu*] Si modò אלון *quercus.* Nam alii in *pinum* transferunt, alii in *alnum.* Sed puto *quercum* esse, quæ Chaldaicè & Arabicè בלוט dicitur. ¶ *Et ulmo*] אלה non est *terebinthus*, ut veteres existimarunt. Nam Terebinthus, teste Theophrasto, perpetuò viret: אלה decidua habet folia, ut patet ex Jes. 1. 30. Tremellius *& robore.* Idem אלונים exponit *robora* Amos 2. 9. malè. Nam hæc nomina simul leguntur non hîc solùm sed etiam Jes. 6. 13. Quocirca si אלון est *robor*, non potest אלה idem significare. Quidam *ilicem* ex eo facit; nos *ulmum* post Ebræos. Sub ulmis autem sacrificasse veteres, si non esset ex hoc loco, maximè clarum fieret ex Ezech. 6. 13. ¶ *Bona*] Densa, opaca, ac proinde grata. ¶ *Ejus*] *Cujusque eorum.* Nam etiam Quercus & Populus umbram densam faciunt. Tales autem potissimùm deligebant ad sacra facienda. Ezec. 20. 28. *Et viderunt omnem collem celsum & omnem arborem densam, & immolarunt ibi victimas suas.* In his Populum esse indicant illa Horatii,

Quà pinus ingens albàque populus
Umbram hospitalem consociare amant
Ramis.

Cæterùm לבן Ebræis *album* denotat. Propriè ergò לבנה *populus alba.* ¶ *Propterea*] Nam absentia patris-familias occasionem præbet filiabus ut scortentur, custode eorum remoto. Mirum verò cur nullam mentionem fecerit uxorum. ¶ *Scortabuntur*] Par pari. Vos spiritu scortamini; illæ corpore scortabuntur. Amicus quidam meus exponit *per vim stuprabuntur*, ut Amos 7. 17. *Propterea uxor tua in urbe scortabitur:* dubito an rectè. Nam quæ stuprantur vi culpâ carent: Illæ autem in culpa erant, quam tamen Deus non punivit. Hoc ideo quia patres-familias occasionem dederant. Testantur sequentia. Tamen nihil affevero. ¶ *Adultera erunt*] *Adulterio se dedent*, sive *adulterium committent.* Hoc uno verbo diceres *adulterabuntur.* Quidam prætulerunt *adulterabunt:* quod de Viris in usu, nescio an etiam de Feminis. Quanquam V. Interpretes, *super nurus vestras cùm adulteraverint*, infrà v. 14.

14. *Non visitabo*, &c.] Non puniam eas sive non animadvertam in eas. ¶ *Cùm fuerint scortatæ*] Vel *quòd scortentur:* & mox, *quòd adulterentur.* Pœna homines meliores efficit. Qui ergò non punit, non corrigit. Sensus ergò ut si diceret, *Scortationes & adulteria impunè committent*, h. e. non castigabuntur eo nomine. Quæ impunitas & filiabus ad impudicitiam & parentibus ad ignominiam faciet. Nam dedecus patri ex impudica vita filiæ. ¶ *Ipsi separant se*] Mutat personam. *Separat* autem dixit, ut infrà 9. 10. *separant se pudori:* ubi tamen aliud verbum in Ebræo. Et rectè *separant.* Nam qui talia patrant, se *separant* à consortio hominum; item se *separant* ab uxoribus. Sed & à maritis *separant* uxores, cum quibus scortantur. Est tamen cur malim *dividunt.* Nam id verbum inter obscœna. Sic Plautus usus est Aululariâ,

Me tu quidem hercle (dicam palàm) non divides.

Camius pater à *mulo* deducit, qui פרד dicitur, vel quòd tam libidinosi sint, vel quòd non generent. Nam Muli steriles sunt & infœcundi. Vide Quæsita mea, Epist. 114. *Scortis*] הקדשות. Significat *scorta publica & vulgò prostituta*; sic appellata per Antiphrasin, ut *auri sacra fames.* Quanquam Hieronymus in *effeminatos* vertit, qui erant Gallorum gentis homines ex viris feminæ facti, quos propterea Aquila ἐνηλλαγμένας interpretatus est, LXX τετελεσμένας, ut Sacerdotes Priapi ostenderent. Ego imbibi tales potiùs קדשים dici, i. *viros exsectos libidine*, quos *catamitos* & *cinædos* appellant. ¶ *Populus qui non intelligit*] Dum illi meretricibus & idolis operam dant populus negligitur, ità ut nesciat quid sibi sequendum aut faciendum. Proinde ¶ *Corruet*] Vel in tenebras errorum, vel in calamitates incidet. Vel *corruet*, i. peccabit: Nam hoc etiam significat. Quidam, *vapulabit:* alii, *perplexus erit.*

15. *Si scortaris*] Post idola. Nam de spirituali scortatione hîc agi satis indicant consequa verba. ¶ *Ne delinquat*] Nè reatum sibi contrahat colendo tecum Vitulos qui in Dan & Bethel. Hoc vult, Saltem Juda, penès quem est adhuc Templum, abstineat à falso cultu. Vel sensus est, *non deliquisset*, non debuisset delinquere. Simile, *Non spectasses diem fratris tui*, non debuisses spectare. Nec dissimile, *Filius honorat patrem:* quod rectè exponunt *debet honorare.* Nam profectò Judæi tunc deliquerant. Quocirca videtur hæc posterior interpretatio germana esse. ¶ *Juda*] Dux tribus, Juda & Benjamin. Quibus nonnulli addunt tribum Levi. Sed ea reliquis annumerabatur: alioqui tribus erant numero tredecim. ¶ *Nè eatis Galgalam*] Locus in tribu Juda prope Jericho. Quidam suspicantur aliam fuisse Galgalam prope Bethel in parte x tribuum. Sed falli eos puto. Nam etsi nulla mentio cultûs extranei prope urbem Jericho, tamen ex eo non sequitur quod illi volunt. Sic opinamur cultos fuisse Vitulos in Bersabe tribûs Juda, tametsi id nusquam disertè scriptum legatur. Vel, *non ivissetis*, h. e. non debuissetis ire. Sic *non ascendissetis*, *neque jurassetis*, non debuissetis ascendere aut jurare. בא *eo*; ut Jon. 1. *invenit navem euntem*, באה. Nam, quod in quibusdam editionibus *nè veniatis* minùs se probat mihi. Posset etiam verti *nè intretis. Galgalam.* Ubi olim sacrarium fuit usque ad tempora Salomonis. Auctor Philo an alius qui Antiquitates Biblicas nobis cudit? Appellationem habere creditur à *devolvendo.* Nam populo in terram Sanctam ingresso, illuc devolutum est præputii probrum quod adhuc sustinebant qui in deserto non fuerant circumcisi, quemadmodum legitur Jos. 5. Posterior ætas ibi Vitulos coluit. Quod colligimus non solùm ex hoc loco, sed etiam ex aliis multis. Vide Hos. 8. 6. & 9. 15. & Amos 4. 4. Hujus oppidi mentionem facit Eusebius in libro quem De locis Ebraicis conscripsit, per hæc verba, GALGALA, *hæc est quam suprà* GOLGAL *posuimus, ad Orientalem plagam antiquæ Jerichûs, cis Jordanem, ubi Jesus secundò populum circumcidit, & Pascha celebravit; & deficiente mannâ, triticeis panibus usus est Israel. In ipso loco lapides quoque, quos de alveolo Jordanis transtulerunt, statuerunt. Ibi & tabernaculum testimonii fixum multo tempore fuit. Cecidit autem in sortem tribûs Juda, & ostenditur usque hodie locus desertus in secundo Jerichûs milliario ab illius regionis mortalibus in cultu habitus. Sed & juxta Bethel quidam aliam Galgalam suspicantur.* ¶ *Nè ascendatis Beth-aven*] Ità per contemptum vocabant Beth-el, vel à loco vicino qui *Beth-aven* dicebatur, vel sanè à cultu idolorum ibidem instituto. Erat autem locus editior; quapropter usus est verbo *ascendendi*, ut 2 Sam. 10. 4. *ascendentes ad Deum Bethelem.* Sonat autem BETH-EL *Domus Dei*, & BETH-AVEN *Domus iniquitatis*, aut, ut Hieronymo placet, *Domus idoli.* ¶ *Et nè juretis*] Cùm falsos deos colerent, tamen jurabant per Deum verum, vel quòd Vitulum eo loco haberent, vel quòd utramque religionem probarent. Neutrum faciendum esse docent nos S. literæ. Nam *Nulla societas Deo cum idolis.* Itaque nec his attribui debent quæ Deo propria sunt, cujusmodi est jurandi formula, *Vivit DOMINUS:* nec ille admittit in consortium honoris sui alium. Scitum illud, *Nemo potest duobus dominis inservire.* Sic alibi, *Qui jurant DOMINO, & jurant per Melchom*, aliàs *per Regem suum.* Sanè cultûs Divini pars non postrema est jusjurandum. Hæc scripseram cùm in mentem venit, posse hunc locum reddi per disjunctivam hoc modo, *aut nè juretis:* quæ interpretatio mihi se valde probat. Si vultis, inquit, Beth-aven frequentare sacrorum causâ, nolite per Deum verum jurare: Nam ridetis ipsum cùm hoc facitis. Huc facit illud 1 Reg. 18. 21. *Quousque claudicabitis in utramque partem? Aut colite Baal,* &c.

16. *Sicut vacca refractaria*] Vel *indomita*, h. e. quæ nul-

lo

lo jugo se patitur domari aut coerceri. Recentior interpretatio, *sicut juvenca refractaria.* Nam פר *juvencus.* ¶ *Nunc pascit eos DOMINUS*] Auget crimen ex circumstantia temporis. *Refractarius est*, inquit, nunc jam cùm eum Deus tam benignè habeat. Nempe, juxta proverbium, *satietas ferociam parit.* Accipio autem ut si scriptum esset, *nunc cum pascit eos DOMINUS*, vel, *nunc pasceme eos DOMINO.* Vulgò aliter: nam interpretantur, *nunc pascet eos*: q. d. Hactenus illum pavit in loco arcto & angusto, h. e. in terra Israel; nunc cùm recuset ampliùs subesse jugo ipsius, *pascet eum* posthac *in loco lato* & amplo, inter Gentes. Tacitè autem innuit exsilium, quod non multò pòst consecutum est.

17. *Associatus est idolis*] Sunt qui legant *socius idolorum*, i. חבר. Alii maluerunt *conjunctus est*; & Scholia Ebraica דבק *adhæret.* Ordo & sensus, *Ephraim associatus est idolis*, i. vinculo societatis se obstrinxit cùm idolis tam arcto ut ab iis disjungi ac separari non possit: proinde noli operam ponere posthac in eo castigando aut corrigendo: Nam laborem inanem sumes. ¶ *Dimitte illum*] *Missum fac illum*, vel *sine illum.* Deus hoc dicit Prophetæ, & æmulatus est morem eorum qui quos corrigere non possunt, sinunt agere quod ipsis lubet. Sic dico, Jubent eos pergere in nequitia sua, cùm nihil minùs velint: sæpe etiam post horam unam atque alteram redeant correpturi denuò ipsum cujus curam priùs abjecisse videbantur. Exemplum simile legitur Ezech. 20. 39. Hic הנח positum pro הניח: radix autem נוח.

18. *Recessit potus ipsorum*] Quidam vertunt, *Recessit vinum ipsorum.* Porrò *recedere* vinum dicitur quoties acescit & in vappam commutatur. Alii *recessit vinum* exponunt, *fecit ut recederent ac deficerent à Deo*: ut, *Pallida mors.* Sic, *Irrisor vinum*: nam facit hominem irrisorem. *Recessit*, i. In acre acetum versus est. Sic Jes. 1. 22. *Argentum tuum abiit in scorias, potus tuus aquâ mistus est.* סבא latiùs patet quàm *vinum*: nam etiam de *sicera* dicitur. Vidi qui referrent *merum eorum.* Metaphora est à potu corrupto. Pro *recessit* in nonnullis ed. legitur *refractarium est*: quod minùs arridet: nam si hoc voluisset Hoseas, dixisset potiùs סורר, meo judicio. ¶ *Scortando scortati sunt*] Continenter & assiduè scortati sunt. Sanè Vinum ad libidinem impellit; contrà, *sine Cerere & Baccho friget Venus.* Latinè hæc reddas non malè *scortati scortati sunt.* Cui simile, *videndo vidi*, quod reddunt, *Vidi, vidi.* ¶ *Amant*] Frequenter illud in ore habent, & libenter usurpant. ¶ *Date*] Quod bibamus. Atque hoc illis sanè magno dedecori est. Nam Principes imprimis decet sobrietas: Quocirca jubentur abstinere à vino. *Non est Regum*, inquit Sapiens, *bibere vinum.* Sunt enim populi custodes. *Absurdum* autem *est*, ut dicebat Plato, *custodem custode indigere.* ¶ *O dedecus*] Primus ità exposui: an rectè, judicent periti harum rerum, καὶ οὐκ ἄπειροι τῶν κριτικῶν. ¶ *Protectores ejus*] *Principes ejus*, Synagogæ Israel. Ad verb. *scuta ejus.* Principes *scuta* vocat, quia defensores ac protectores publicæ salutis si non sunt, at esse debent. Hinc percipies quid sit apud Davidem, *scuta terræ.* Sic dico, Ut scuta militem, sic Regum est protegere populum.

19. *Ligavit ventus eam alis suis*] Vento nihil velocius. Quapropter ei alæ tribuuntur. Quod ab Avibus mutuò sumptum. Innuit ergò quàm velocissimè abducendos esse, ut si ventus eos portaret alis suis. Et *ligavit* dixit pro *ligabit*, i. ligatam abripiet, nempe in exsilium. Vide Proverb. class. 2. lib. 3. adag. III. Huc pertinet, *& volavit super alas venti.* Alii hæc aliter enarrant & vertunt. Quidam sic, *Ligat ventum ipsa alis suis.* Sensus est, *Natio Ephraimitarum ligat ventum alis suis*: q. d. Frustrà laborat circa Vitulos, nec reportabit fructum quem ex eorum cultu exspectat. Adi sis ad proverbium, *Ventum ligat.* ¶ *Pudefient ob sacrificia sua*] Pudebit eos sacrificiorum quæ Vitulis sacrificârunt. Hîc *sacrificia* זבחות vocantur, cujus singularis esset זבחה, cùm usitatè *sacrificium* זבח dicatur.

IDEM.

1. Ὅτι κρίσις] Aliàs διότι κρίσις. Hîc κρίσις accipitur pro ἔρις sive δίκη, id est, *lis*, ut suprà κρίνητε pro *litigate*, i. ἐρίζετε, δικάζετε. Sic voce דינא utuntur Chaldæi: nam & *judicium* denotat, i. משפט, & *litem*, i. ריב. Κρίνομαι pro *litigare* etiam Apostolus usurpat 1 Cor. 6. 1.

2. Ἀρὰ] אלה, i. *maledictio.* Nam & אלה dicunt, unde מארה, i. κατάρα. ¶ Κέχυται] Legitur & ἐκκέχυται. ¶ Αἵματα] Αἷμα est in iis quæ ad C. excusa, h. e. exemplar Compl. sed minùs rectè. Nam αἵματα potiùs dicuntur.

3. Καὶ σμικρυνθήσεται] *Et minuetur.* Sic Lat. V. in operibus Hier. In Ebræo ואמלל, quod amant reddere καὶ ἀσθενήσει *& infirmabitur.* Cæterùm hoc verbum desideratur in impressis ad E. C. ¶ Καὶ σὺν τοῖς ἑρπετοῖς τῆς γῆς] וברמש הארץ non habetur in Ebræo, nec etiam in editis ad E. C. Vetus tamen Interpres illud legit: nam transfert, *& cum serpentibus terræ.* ¶ Ἐκλείψουσιν] יאספו *deficient*, tanquam à סוף ἐξέλιπε.

4. Μηδεὶς] Μηθείς. ¶ Δικάζηται] Sic ed. Rom. In C. est δικάζῃ. In aliis δικάζητε.

5. Μετά σου] Exceptis E. & R. cæteri habent μετὰ αὐτοῦ. quod adulterinum esse paret ex Hier. Hîc locus arguit legendum in principio versûs ἀσθενήσεις quanquam in Hier. *infirmabitur.*

6. Ὅτι σὺ ἐπίγνωσιν ἀπώσω] Hæc lectio habetur in R. & est germana Interpretum, ut liquet ex versione antiqua quæ in operibus Hier. ¶ Κἀγὼ ἐπιλήσομαι τέκνων σου] In ad E. C. ἐπιλάθομαι. In reliquis est ἐπιλήσομαι τέκνων σου κἀγώ. Sed in vers. Lat. quæ apud Hier. *& ego obliviscar filiorum tuorum.*

8. Λήψονται τὰς ψυχὰς αὐτῶν] In A. & B. λήψονται ἄλλοι ψυχὰς αὐτῶν in quibusdam aliis, λήψονται λαοὶ τὰς ψυχὰς αὐτῶν. In Hier. *accipient alii animas eorum.* נפש etiam Jonathan reddit נפשהון, i. *animas suas*, vel *animas eorum.*

9. Ἐπ' αὐτὸν τὰς ὁδοὺς αὐτοῦ] Sic in Hieron. *& ulciscar super eum vias ejus.* Quædam exempl. ἐπ' αὐτοὺς τὰς ὁδοὺς αὐτῶν.

10. Κατευθύνωσι] Plerique habent κατευθυνθῶσι. ¶ Ἐγκατέλιπον] Κατέλιπον. Τοῦ φυλάξαι] Et hic variant editiones. Nam in iis quæ ad E. C. τοῦ μὴ φυλάξαι quam lectionem stabilit Lat. Vetus quæ habet *ut non custodirent.*

12. Ἐν συμβόλοις] Interpretes V. *in auguriis*: rectè sanè. Nam σύμβολος vel σύμβολον *augurium*: exponitur etiam *omen.* Latinè *interrogat auguria*, i. augures. Cusi ad E. C. ἐν συμβόλοις αὐτῶν, i. *auguria sua.* ¶ Ἐν ῥάβδοις αὐτοῦ] Alii ἐν ῥάβδοις αὐτῶν & in Hier. *in virgis suis.* ¶ Ἐξεπόρνευσαν] Aliàs ἐπόρνευσαν. Vide quæ scripsimus 1. 2. Sic v. 13. hujus capitis variant exemplaria in ἐκπορνεύσουσιν & πορνεύσουσιν.

14. Συνεφύροντο] Συνανεφύροντο C. ¶ Μετὰ τῶν τετελεσμένων] Τετεσμένους, inquit Hier. *appellant initiatos & consecratos*, *ut cultores idolorum ostenderent.* Quid si meretrices à contrario sensu, ut Ebraicè קדשות vocantur? Sed vide sis Comment. Hier. ¶ Ὁ λαὸς ὁ συνιῶν] Libri ad E. C. ὁ λαὸς οὐ συνιῶν, & in Hier. *populus non intelligens.* Sic etiam legitur in Ebræo. ¶ Συνεπλέκετο μετὰ πόρνης] Συνεπλέκετο malè connectunt cum sequentibus: tum μετὰ legunt, i. עם pro אם: postremò זונה ut nomen accipiunt, cùm sit זונה participium. Errata, credo, erratis pertegunt, nè perpluant.

15. Μὴ ἀγνόει] In quibusdam μὴ ἀγνόεις, & apud Hier. *nè ignores*, μὴ ἀγνόει, i. *nè ignora.* ¶ Οἶκον Ὤν] Hier. ad h. l. *Pro Domum* Ὤν *in quibusdam exempl. & maximè in Theodotione legimus* οἶκον τῆς ἀδικίας, *i. Domum iniquitatis.* Quod noto, quia in ed. Rom. ex Theodoreto, Ἀκύλας δὲ καὶ Θεοδοτίων, οἶκον ἀνωφελῆ. Vide Fragmenta in hunc Prophetam. Οἶκον ἀδικίας reperies hodie in A. & B. etiam in Cephalæi, nisi fallor, Theodoretus, Ὤν, ὄνομά ἐστι τοῦ εἰδώλου τοῦ ἐν Βαιθήλ, *nomen est*, inquit, *idoli in Beth-el.* Fallitur. ¶ Ζῶντα Κύριον] Melior lectio in C. ζῇ Κύριος, quam secutus Interpres Vetus vertit, *Vivit Dominus.*

16. Νεμέσει αὐτοὺς] Νεμεῖ αὐτοὺς C. ¶ Ἔθηκεν ἑαυτῷ σκάνδαλα] Quid hîc conjicimus, quid? etiam. Vox σκάνδαλα non legitur in Ebræo: pro ἑαυτῷ in aliis est αὐτῷ. Fortè mendum est ἔθηκε pro ἀφῆκε, ut sit ἀφῆκεν αὐτὸν הניח לו. Contrà in hoc ipso libro 6. 11. ἀφῆκε scriptum, ubi videtur scribendum ἔθηκε, quemadmodum ibi exponetur.

18. Ἡρέτισε Χαναναίους] in Hier. *provocavit Chananæos.* Verba magis sonant *elegit Chananæos.* Nam αἱρετίζω *eligo.* Sed quid hîc conjiciemus? Neque in lingua Græca neque in Ebræa quicquam occurrit quo nisi conjectura possit. Hodie vertunt ex Ebræo ἐξέστηκεν ὁ οἶνος αὐτῶν. Quod intelligentiam habet ex illo, οἶνος ἐξεστηκὼς *vinum recedens*, quod acescit & in vappam transit. Cicero dixit *vinum fugiens.* Sed hæc obiter καὶ ἐν παρόδῳ. ¶ Ἐκ φρυάγματος αὐτῆς] Priscus Interpres *ex fremitu ejus.* Alibi est ἐκ φράγματος αὐτῆς, quod redditum in B. *ex sepimento ejus.*

19. Σὺ εἶ] Libri admodum hîc variant. In quibusdam συνεισῦ, videlicet in Aldi & Cephalæi. In aliis συριεῖ, quod secutus est Interpretes Vetus: nam vertit *sibilabit.* Adi sis ad ed. Rom. In B. σὺ εἶς Placet magis σὺ εἶ, ut sit אתה pro אותה *eam*, i. αὐτήν. De συστροφῇ taceo. Nam ego nunc si rationem quæram, nugas agam. Proverb. 26. 8. כצרור ὡς ἀποδεσμεύει. ¶ Ἐκ τῶν θυσιαστηρίων] *Ex altaribus.* Ità int. V. legit ergò θυσιαστηρίων, & non, ut in aliis cod. ἐκ τῶν θυσιῶν, quæ tamen scriptura

ptura quadrat cum Ebraica veritate. Jonathan hîc retulit מאגורי מעותהון *ab altaribus idolorum suorum.*

I D E M.

14. עם הקדשות. Aq. μετὰ τῶν ἐνηλλαγμένων. Sym. μετὰ τῶν ἑταιρίδων. Th. μετὰ τῶν κεχωρισμένων] Hier. in epist. de 42 mansionibus, mans. 33. קדשה *scortum, cujus habitus à cæteris feminis mutatus est.* Igitur ἐνηλλαγμέναι *meretrices*, à *mutato habitu.* Sed idem alibi hoc nomine significari putat exsectos sive castratos, quales olim erant Sacerdotes Cybeles in Phrygia, de Gallorum gente, quos ipse *effeminatos* vocat. *Hi sunt*, inquit, *quos hodie Romæ Matri non deorum sed Dæmoniorum servientes* Gallos *vocant*, *eò quòd de hac gente Romani truncatos libidine in honorem Atys (quem eunuchum Dea meretrix fecerat) Sacerdotes illius manciparint.* Et mox, *Istiusmodi idololatria erat in Israel, colentibus maximè feminis Beelphegor ob obscœni magnitudinem, quem nos Priapum possumus appellare.* Et aliquantò pòst, *Sciendum autem quòd in præsenti* קדשות *meretrices*, *ἱερείας*, *i. Sacerdotes, Priapo mancipatas vocet. In aliis locis viros exsectos libidine* C A D E S I M *legimus*, *Esaia dicente*, Cadesim dominabuntur eorum, *quos nos in* effeminatos *vertimus. Aquila autem ἐνηλλαγμένυς interpretans*, *i.* mutatos, *hoc ostendere voluit*, *quòd suam naturam mutaverint*, *& de viris facti sint feminæ.* Ἑταιρίδων] Jes. 1. קדשים. Sym. ἑταίρας, i. *meretrices.* Hier. *Symmachus ἑταίρας propriè meretrices appellavit.* Sunt autem ἑταίρα & ἑταιρὶς, unde hîc ἑταιρίδων, synonyma. Κεχωρισμένων] Hier. קדשים *apud Esaiam*, *Theodotio κεχωρισμένυς*, i. à populo separatos, *qui sibi videbantur à vulgo aliquid plus habere. Lxx τετελεσμένυς*, *i.* consecratos *&* initiatos, *ut cultores idolorum ostenderent.*

15. בית און. Aq. & Sym. Οἶκον ἀνωφελῆ. Th. Οἶκον ἀδικίας] Hier. in Comment. ad h. l. *Pro Domo* Ὢν *in quibusdam exempl. & maximè in Theodotione*, *legimus* Οἶκον τῆς ἀδικίας, *i.* Domum iniquitatis: *quod Aq. & Sym. Interpretati sunt* Οἶκον ἀνωφελῆ, i. Domum inutilem, *quæ nihil prosit*, *& alio verbo* idolum *nuncupetur.* Idem in libro Nominum Ebr. O N, *Aq. & Sym. Inutile*; *Th. iniquitatem.* Theodoretus Cyri Episcopus, D O M U M O N, *Aquila & Theodotio* οἶκον ἀνωφελῆ, *Sym. Domum iniquitatis.* Conjicio leg. *Aq. & Sym.* οἶκον ἀνωφελῆ, *Th.* οἶκον ἀδικίας nam id valet *iniquitatis.* Sed nihil affirmo. In ed. Rom. Οἶκον Ὢν. *Theodoretus*, ὁ δὲ Σύμμαχος, οἶκον ἀθείας· καὶ ὁ Σύρος δὲ αὐτὸ τὸ Ἑβραϊκὸν τέθεικεν ὄνομα. Amos 1. 4. בקעת און. A. —— ἀνωφελῆ. Sym. & Quinta —— ἀδικίας. Th. πεδίον Ὢν

19. צרר רוח אותה בכנפיה. Sym. Ἔδησεν ἄνεμον ἐν πτέρυξιν ἀνέμυ] Hier. *Pro eo quod nos interpretati sumus*, ligavit spiritus eum in alis suis, *Sym. hoc modo vertit in Græcum*, ἔδησε (perperàm ἔδενσε in Antverpiæ impressis) τὸν ἄνεμον ἐν πτέρυξιν ἀνέμυ, *velut si quis liget ventum in alis venti.*

I D E M in V U L G.

1. JUdicium] Id est, lis, contentio. ¶ *Misericordia*] Alius edidit, *benignitas*, quod magis placet.

2. *Maledictum*] Jonathan, *perjurium*, ad verbum *pejerare*, & ita deinceps, *mentiri* & *occidere* & *furari* & *adulterare.* ¶ *Sanguis sanguinem tetigit*] In Ebræo, *sanguines sanguines tetigerunt.* Sensus est, cædes cædem excepit: frequentia homicidia fuerunt.

3. *In bestia agri*] Latinè, *cum bestia agri.* Sic, *cum volucre cœli. In* pro *cum* notus Ebraismus. ¶ *Congregabuntur*] Puto melius, *colligentur.* Valet autem, morientur.

4. *Unusquisque non judicet*] Id est, nemo judicet, vel potiùs, contendat, ut est editum ab aliis. ¶ *Non arguatur vir*] In Ebræo est, *nè arguat virum.* Vir nè arguat virum, id est, nemo alterum arguat. Quanquam cùm aberant notæ vocalium, legi etiam potuit, *arguatur.* ¶ *Sicut hi qui contradicunt sacerdoti*] Verbum è verbo, sicut contendentes sacerdotis. Est autem sensus, verè contendentes cum sacerdote. *Sicut* pro *verè* positum & in illo, *sicut transferentes terminum.* Et *quasi*, quod Græcè est ὡς in illo, Vidimus gloriam ejus gloriam quasi unigeniti.

5. *Tecum: noctè tacere feci*] Ex libris Ebræis distinguendum *tecum nocte: tacere feci matrem tuam.* Sententia est, corruet etiam Propheta nocte, acsi diceret, paullò pòst. Nam & in illo, *corrues hodie*, significatio est brevis temporis. Itaque alibi exposuimus, *hodie* αὐτῆμαρ, id est, brevi aut statim. Vide quæstiones meas. ¶ *Tacere feci*] Excidi. Talis vis verbi Ebraici & Metaphora silentii. Unde *silentium* pro *sepulchro*, & *silentes* ipsi mortui, umbræque silentium.

6. *Conticuit*] Excisus fuit. Eadem tralatio quæ suprà. ¶ *Et oblita est*] Quia oblita est. Codex Ebræus, *& oblitus es.* Est enim verbum masculinum. Idque etiam sententia postulat, nam alloquitur sacerdotem, cujus incuriâ populus in tanta inscientia erat.

8. *Peccata populi mei*] Secundùm lectionem quæ nunc obtinet vertendum, *peccatum populi mei. Peccatum*, id est, victimas quæ offeruntur pro peccato. ¶ *Animas eorum*] Jonathan & interpres Græcus, *animas suas.* Codex Ebræus, *Animam suam.*

9. *Visitabo super eum vias ejus*] Puniam eum ob vitam pravè actam. ¶ *Et cogitationes ejus*] Malim, *facta ejus.*

10. *Non cessaverunt*] Inepta tralatio. Suprà vertit, P H A R A S U *inundaverunt.* Nimirum meliùs. alii, *non perruperunt.* Sententia est, non multam sobolem genuerunt. ¶ *In non custodiendo*] Satis erat, *custodiendo.* Et eò labor, ut credam interpretem ità scripsisse.

11. *Et ebrietas*] Sic Jonathan, sic Græcus: tamen verior interpretatio, *& mustum.* Nam ebrietas aliter appellatur Ebræis. ¶ *Cor*] Id est mentem.

12. *Decepit eos*] Libri Ebræi, *seduxit* absque pronomine: quod tamen reperies in Chaldaicis. ¶ *A Deo suo*] Ad verbum, *à sub Deo suo.* Dignum notâ. Non dicit, *à post Deum suum* ut 1, 2. sed, *à sub Deo suo.* Sensus est, excusso jugo Dei sui: spreto imperio & obedientia Dei sui. ¶ *Fornicati sunt*] colendo Deos falsos.

13. *Et terebinthum*] Jonathan B U T M A. Non est *ulmus*, ut Jonas Grammaticus Ebræus autumat: sed *terebinthus*, qui Arabicè *Alboton* sive *Albotin.* Hoc repperi in Glossario vocum Arabicarum. ¶ *Sponsæ vestræ*] Rectiùs, *nurus vestræ.* Certè vox Ebræa utrumque sensum continet.

14. *Non visitabo super filias vestras*] Latinè sic, *Non animadvertam in filias vestras.* ¶ *Sponsas vestras*] *Nurus vestras*, ut suprà.

15. *In Galgala*] Formâ nominis Chaldaicâ scripsit *Galgala* pro *Galgal*, sive, ut nunc sonant, *Gilgal. Galgal* & *Gilgal*, ut *Magdal* & *Migdal. Samson* & *Simson.* ¶ *Beth-aven*] Jonathan *Bethel*: quod quidem idem est cum *Beth-aven*, sed *Beth-el* domus Dei: *Beth-aven* Domus iniquitatis, sic dicta propter cultum idolorum qui ibi fiebat.

16. *Lasciviens*] Alius interpres, *perversa*: alius, *declinans*: alius, *rebellis* vel *refractaria.* ¶ *In latitudine*] In loco lato ac spatioso.

17. *Particeps idolorum*] Emendatum ab aliis, *socius dolorum.* Ego traduxerim, *socius idolorum.* Id Græcè est μέτοχος εἰδώλων. Nec dissentit Jonathan.

18. *Separatum est convivium ipsorum*] Non *separatum est* legitur in Ebræo, sed *recessit*: nec *convivium eorum*, sed *vinum eorum*, vel certè *potus eorum.* Porrò vinum recedere dicitur cùm acescit, & in vappam resolvitur, quod Cicero *vinum fugiens appellat.* ¶ *Dilexerunt offerre*] interpres sic legit, ut vertit, videlicet H A B O pro H E B U, id est, date, afferte. Pro *offerre* legerim, *afferre*, & inclinat animus credere interpretem sic edidisse. ¶ *Protectores ejus*] Principes ejus.

19. *Ligavit eum*] *Eam* repperi in Ebræo, quæ constructio est sensu congrua, non voce. Nam refertur ad Israelem: sed in Israële universa Ecclesia continetur. Ergo *eum*, id est, Israëlem: *eam*, id est, synagogam Israël. ¶ *Spiritus*] id est, ventus. ¶ *In alis suis*] Notat celerem abductionem, ut cùm dicimus, *vectus super alas venti.* Nam vento nihil celerius. ¶ *A sacrificiis suis*] Propter sacrificia sua.

L I V E L E U S.

LIS] Metaphora à foro, quo adversarii inter se litigant. Accusatoris enim & adversarii personam hîc induit Deus, ut populum suum arguat & convincat.

2. *Jurare*] אלה propriè quidem *exsecrari* significat, & per Metonymiam *jurare*, quia jusjurandum cum exsecratione jungi solet. Gen. 26. 28. *Sit exsecratio inter nos*, i. juramentum. Sunt autem hæc infinita *jurare*, *mentiri*, &c. pro nominibus posita, ut apud Latinos sæpe. ¶ *Inundant*] Hieronymi, tempore tantùm mutato, hæc versio est, *inundaverunt:* Quam ego valde probo. פרץ enim propriè *rumpere*, *erumpere* significat; per Translationem verò à fluviis exundantibus & ripas objectas rumpentibus, *inundare*, *abunde crescere*, Gen. 28. 14. Exod. 1. 12. Prov. 3. 10. Innuit igitur hæc vitia passim admitti summâque licentiâ perpetrari, ut tempus vindictæ Divinæ jam maturum sit. Tralatio ab Aquis vel Liquoribus exundantibus, ut

Joel. 3. 13. *Exundant torcularia, quia malitia eorum multiplicata est.*

4. *Similes*] Populus reprehensionis impatiens cum illis jurgabat à quibus arguebatur. Tales erant de quibus queritur Jeremias 18. 19. *Audi, Jehova, vocem eorum qui mecum litigant.* Vide ibi cap. 15. 10. & Ezech. 3. 26. & Amosi 2. 12.

8. *Peccatum*] i. Oblationes pro peccato, ut Exod. 29. 14. *Carnem juvenci comburito extra castra: peccatum est.* Metonymia. ¶ *Attollunt*] Hoc cupiunt ut populus sæpe delinquat, & hâc ratione plurimæ illis victimæ suppetant unde vivant. Nam *attollere animam ad aliquid* est illud cupidè exspectare, magnóque illius desiderio teneri. Jer. 22. 27. *Ad terram illam non revertemur ad quam attollunt animam suam ut eo redeant.*

10. *Observare*] h. e. Colere, ut Zach. 11. 11. *Pauperes gregis qui me observant. Observasse* dicitur qui observat quid, cujúsque causâ facere debeat. Itaque *qui observat coluisse dicitur*, ait Festus Pompeius. Virgilius Georg. 4.

Observant regem non sic Ægyptus, & ingens
Lydia, nec populi Parthorum, aut Medus Hydaspes.

11. *Aufert*] Idem Poeta attestatur,

Ut Venus enervat vires, sic copia Bacchi
Et tentat gressus, debilitátque pedes.
Denique cùm mentes hominum furiarit uterque,
Et pudor & probitas & metus omnis abest.

Verbum autem לקח aliquando *auferre* & *tollere* significat. Ezec. 24. 16. *Ecce ego* לקח *tollam à te*, &c.

12. *Lignum suum*] *Lignum* per Metonymiam hic dicitur lignea imago, Jer. 2. 27. *Dicunt ligno, Pater meus es; & lapidi, Tu peperisti me.* Sic *baculus* vocatur simulacrum ex baculo seu stipite factum, ut Mercero placet: quod mihi probabile videtur. Tibullus lib. 1. eleg. 10.

Sed patrii servate lares, coluistis & iidem,
Cursarem vestros cùm tener ante pedes.
Nec pudeat prisco vos esse è stipite factos;
Sic veteris sedes incoluistis avi.
Tunc meliùs tenuere fidem cùm paupere cultu
Stabat in exigua ligneus æde deus.

¶ *Spiritus scortationum*] Vehemens libidinis fervor & affectus ità nominatur. Hebræi enim *spiritus* vocant animi concitari motus, quos Cicero *affectiones*, *affectus*, *impetus*, *commotiones* & *perturbationes animi* vocare solet. Hinc *spiritus zelotypiæ*, Num. 5. 14. *spiritus mendacii*, 1 Reg. 22. 23. *Vertiginis* vel *perversitatum*, Esa. 19. 14. *soporis*, ibid. 29. 10. *impuritatis*, Zach. 13. 2. *erroris*, 1 Joh. 4. 6. Vocantur verò *spiritus* Metonymicè, quia à malo Spiritu proficiscuntur. ¶ *Eos*] Hujus accusativi ellipsis est in Hebræo textu, ut cap. 2. 7. *quæret eos, & non inveniet*, sub. *eos.* Hieronymus rectè addidit. ¶ *A Deo*] מתחת. *à sub Deo* ad verbum. Idem est quod cap. 1. 2. *à post Deum*, nisi quòd hic subjectio notari videtur à qua recesserant.

13. *Bona umbra ejus*] Est enim arbor densa, & ob eam causam umbrosa & opaca. Ezech. 6. 13. *sub omni quercu densa.* In reliquis etiam quæ hîc nominantur arboribus eadem causa fuisse videtur. Nam Ezech. 20. 28. dicit *sub omnibus densis arboribus sacrificari* solitum esse. Talem esse populum illud arguit Horatii,

Quâ pinus ingens albáque populus
Umbram hospitalem consociare amant
Ramis.

14. *In nurus*] Tremellius *in sponsas.* כלה *sponsam* & *nurum* denotat, sed cum affixis *sponsam* (quòd sciam) nunquam. Quamobrem illa altera hujus vocis notio verisimilior visa est, ut taceam quòd cum ea voce copulatur quæ *filias* notat. *Filiabus* enim *ipsorum* aptiùs cohærent *filiorum uxores* quàm *sponsæ eorum.* Cùm verò dicit *filias & nurus ipsorum scortaturas & adulteraturas esse*, *idque impunè*, mihi videtur non tam voluntaria scortatio quàm stuprum vi illatum intelligendum esse, ut Amosi 7. 17. *Propterea uxor tua in urbe scortabitur, & liberi tui gladio cadent, & terra funiculo dividetur. Scortari* enim posuit pro *per vim ab hostibus stuprari.* Alii, iique sanè doctissimi viri, aliter exponunt. Utra verò sententia verior, eruditi dijudicaverint. Hoc tantùm dixero, meum hoc fuisse judicium antequam Theodoretum legerem; in eo autem confirmatior sum factus postquam eum quoque ità hunc locum intellexisse cognovissem. Sic enim in hunc locum scripsit, *Nullam de vobis curationem suscipiam, neque de filiis vestris, neque de sponsis propalam adulteratis ab invadentibus vos. Quæ obscurè & occultè à vobis intentata sunt, hæc palàm fieri permittam. Hoc enim ostendit cùm dicit, quoniam ipsi cum meretricibus miscebantur.* ¶ *Separent*] Suppleo *se.* Nam ellipsis accusativi reciproci frequens est. 2 Reg. 5. 10. *Lava septies in Jordane*, sub. *te.* Chaldæus Interpres idem sensit, ità reddens, מתחברין *sociantes se.* Denique conferatur illud cap. 9. 10. *se propudio separaverunt.*

17. *Sine illum*] Nè arguito eum quispiam, quin agat quod libeat. More patris loquitur, qui filium nequam, quem corrigere non potest, in sua nequitia progredi jubet, animóque suo obsequi, quasi curam illius omnem ex illo tempore abjecturus sit. Tales enim permissiones sæpe homines magis pungunt quàm quævis aliæ castigationes. Hujusmodi est illud Ezec. 20. 39. *Ite, colite stercoreos deos vestros.*

18. *Recessit merum eorum*] Interpretatio hæc Johannis Drusii viri eruditi & linguarum periti est. *Tum verò vinum recedere dicitur*, ait ille in Observationibus suis, *cùm in vappam resolvitur, & acescit; ut apud Ciceronem vinum ejusmodi fugiens appellatur, & Græcè ἐξεστηκώς.* Hæc ille: Qui mihi rectè judicasse videtur. Nam סר propriè *cedere*, *recedere*, *discedere* significat, ut ἐξίσταμαι Græcè interdum, unde οἶνος ἐξεστηκὼς & ἐξιστάμενος dicitur vinum cùm ætati cedens in vappam abit, vel, ut Ciceronis verbum usurpem, *fugit*, h. e. *deterius fit*, interprete Nonio in FUGERE, ubi locum illum Ciceronis adducit ex Offic. 3. *Si quis vinum fugiens vendat sciens, debeatne dicere*, &c. Tremellius priore suâ Oseæ enarratione ejusdem judicii fuisse videtur; ità enim reddidit, *Vappescit merum eorum.* Arguit igitur depravatos Israelitarum mores, sumptâ Metaphorâ à vino corrupto, ut Esa. 1. 22. *Argentum tuum abiit in scorias, merum tuum aquâ mistum est.* Et Psal. 14. 3. Drusius existimat probabiliter eodem tropo dici, *Unusquisque eorum recessit, unà rancuerunt.* Latini etiam eodem modo hominem ignavum & nequam *vappam* vocant.

19. *Ligabit*] h. e. Ligatam abripiet. Vide Psal. 1. 4. Quod ad *ligationem in alis* attinet, eadem phrasis Ezech. 5. 3. reperitur, *paucos exceptos ligato in alis tuis.*

GROTIUS.

1. JUdicium Domino cum habitatoribus terræ] *Lis.* ¶ *Non est enim veritas*] *Bona fides.* Colligunt hinc Hebræi etiam Idololatris aliquid boni à Deo contingere, si jura humanitatis servent. ¶ *Non est scientia Dei in terra*] *Pietas*, ut hic interpretatur Chaldæus. Sæpe enim Hebræi virtutes *scientias* vocant.

2. *Maledictum*] In Hebræo, *pejerando.* ¶ *Et mendacium*] In Hebræo, *abnegando*, nempe depositum. ¶ *Et homicidium*] In Hebræo, *Et occidendo.* ¶ *Et adulterium*] *Et mœchando.* ¶ *Inundaverunt*] *Frangunt*, nempe leges. ¶ *Et sanguis sanguinem tetigit*] Id est: cædes cædem sequetur. Hoc est, Zacharium Sellumus, Sellumum Manahemus occidet, 2 Regum 15.

3. *Propter hoc lugebit terra*] Bona pars terræ Decem tribuum erit vasta sine colonis, idque per Teglathphalasarum; reliqua pars per Salmanasarum. ¶ *Et infirmabitur omnis qui habitat in ea*] Si quis ibi restiterit, languebit deficientibus alimentis. ¶ *In bestia agri & in volucre cœli*] Etiam pecudes & aves languebunt, non frugibus tantùm sed & herbis omnibus comesis aut corruptis ab exercitu & equis hostium. Idem suo tempore evenisse per Illyricum, Thraciam, Macedoniam, Pannonias, omnémque terram quæ à Propontide & Bosphoro usque ad Alpes Julias tenditur, notat hic Hieronymus. ¶ *Sed & pisces maris congregabuntur*] Lacuum pisces ad ripas ejicientur, aquis sanguine corruptis.

4. *Verumtamen unusquisque non judicet*] *Nemo adversus eos litiget.* ¶ *Et non arguatur vir*] *Nemo increpet:* nempe alterum. ¶ *Populus enim tuus*] Decem tribuum: nam modò cunctos, modò singulos alloquitur. ¶ *Sicut hi qui contradicunt Sacerdoti*] Similes sunt his qui publica decreta contumaciter oppugnant, cui crimini capitis pœna constituta est Deuter. 17. 12. ad quem locum dicta vide.

5. *Et corrues hodie*] Id est, brevi. ¶ *Et corruet etiam Propheta tecum*] *Pseudopropheta*, ut hic habet Chaldæus. ¶ *Nocte*] Hoc cum præcedentibus connectitur in Hebræo; interpretare autem cum Chaldæo, *quasi nocte*, hoc est, improvisò.

¶ *Ta-*

¶ *Tacere feci matrem tuam*] *Exscindam matrem tuam*, id est, gentem. Sic דמה sumitur & infrà 10. 5. Significat & *assimilare*; quod hîc secuti & LXX. Latinus autem derivavit à דמם *tacere*. Sed positio quam dixi est optima.

6. *Conticuit populus meus*] Etiam hîc rectissimè vertas *exscindetur*: est enim verbum idem. ¶ *Eo quòd habuerit scientiam*] Id est, *pietatem*, ut suprà 1. ¶ *Quia tu scientiam repulisti*] Hîc Deus Sacerdotes singulos alloquitur, non quidem secundum leges constitutos, ut apparet 1 Regum 12. 31. sed tamen nomen hoc sibi vindicantes, & propterea obligatos ad docendum populum; sicut *tutelæ obligatur qui pro tutore se gessit*, D. De eo qui pro tutore. ¶ *Repellam te nè Sacerdotio fungaris mihi*] Illam personam tibi detraham. *Et oblita es legis Dei tui*] In Hebræo, *Et* (quia) *oblitus es legis Dei tui*: pergit enim Sacerdotem quemlibet alloqui. ¶ *Obliviscar filiorum tuorum & ego*] Erunt pupilli & egentes.

7. *Secundùm multitudinem eorum sic peccaverunt mihi*] Id est, Quo facti sunt plures eò graviùs me offenderunt. ¶ *Gloriam eorum in ignominiam commutabo*] *Pro honore Sacerdotii dedecore eos obruam*. Aiunt Rabbini olim fuisse כבודי, id est, *gloriam meam*, nempe terram Israëlis, *dedecore afficiam*, sed mutatum hoc à Sapientibus, quia scilicet temporibus serioribus כבוד usurpari cœpit in solo sensu *potentiæ majestatisque Divinæ*. Quidam mutationem pari de causâ aiunt evenisse Psalmo 106. 20. & Jeremiæ 2. 11.

8. *Peccata populi mei comedent*] *Comedunt*. Ideo non reprehendunt seriò peccata ut plures accipiant victimas quibus pascantur. ¶ *Et ad iniquitatem eorum sublevabunt animos eorum*] *Attolunt animam suam*: id est, maximè spectant, & exspectant ut quamplurimum peccet populus. Ità explicanda hæc locutio ex Deuteron. 24. 15.

9. *Et erit sicut populus, Sic Sacerdos*] Pari modo à me tractabuntur.—— μηδὲ πυρφόρος σωθήσεται [—— *nec ignifer evadet.*] *Et visitabo super eum vias ejus, & cogitationes ejus reddam ei*] Pœnæ respondebunt peccatis.

10. *Et comedent, & non saturabuntur*] Malè alentibus utentur cibis. causa sequitur. ¶ *Fornicati sunt, & non cessaverunt*] *Scortati sunt, & non pepererunt*: id est, Venerem in mares exercuere, unde partus nullus sequi posset. Vide infrà 14. פרץ, quod propriè est *rumpere*, sumitur apud Hebræos pro *parere*, Genes. 28. 14. & alibi. ¶ *Quoniam Dominum dereliquerunt in non custodiendo*] *Non servando Legem*.

11. *Fornicatio & vinum & ebrietas auferunt cor*] *Scortatio, & vinum, & mustum abstulerunt* (ipsis) *cor*: id est, sapientiam.

12. *Populus meus in ligno suo interrogavit*] Locutio Hebraïca, pro *lignum consuluit*. ¶ *Et baculus ejus annuntiavit ei*] Sortes captaverunt ex virgulis, usi ῥαβδομαντείᾳ [*divinatione per virgas*] ad exemplum Chaldæorum, de quo vide ad Ezechiel. 21. 21. Hunc sensum bene assecuti hîc sunt LXX: ἐν συμβόλοις αὐτῶν ἐπηρώτων, καὶ ἐν ῥάβδοις αὐτῶν ἀνήγγελλον αὐτῷ [*per omnia eos consuluerunt, & illi annuntiarunt per virgas.*] ¶ *Spiritus enim fornicationum decepit eos*] Hîc *fornicatio* est idololatria, cujus exemplis decepti sunt. ¶ *Et fornicati sunt à Deo suo*] *Ut scortarentur contra Deum*.

13. *Super capita montium*] *In montium verticibus*, contra Legem. ¶ *Sacrificabant*] *Mactarunt victimas*. ¶ *Et super colles accendebant thymiama*] *Adoleverunt*. ¶ *Et terebinthum*] Alii vertunt *quercum*, alii *ulmum*, alii *tiliam*. Vide Genes. 35. 4. ¶ *Quia bona erat umbra ejus*] Εὔσκιον ὕψος — [*umbrosa cacumina* —,] dicerent Poetæ Græci. ¶ *Ideo fornicabuntur filiæ vestræ, & sponsæ vestræ adulteræ erunt*] Hîc quoque peccato pœna respondet. Et solent plerumque idololatriam, id est, Dei contemtum, magnæ sequi morum corruptelæ.

14. *Non visitabo super filias vestras cùm fuerint fornicatæ, & super sponsas vestras cùm adulteraverint*] Dissimulabo ista, quia vos patres & mariti causam dedistis. ¶ *Quoniam ipsi cum meretricibus conversabantur*] In Hebræo, *Cum scortis separant se*: id est, in lucos eunt, 1 Regum 15. 13. ¶ *Et cum effeminatis sacrificabant*] Explicavit קדשות [*meretrices*] quasi esset קדשים [*catamitos*:] quomodo & Aquila hîc vertit ἐνηλλαγμένων [*mutatos*,] eos scilicet qui μετήλλαξαν τὴν φυσικὴν χρῆσιν εἰς τὴν παρὰ φύσιν [*qui mutarunt usum naturalem in eum qui est præter naturam.*] Sed vox quæ hîc legitur feminina est; &, ut Hebræi notant, significat sacerdotem feminam quæ se vulgabat in honorem idoli Beelphegor. ¶ *Et populus non intelligens*, id est, Deum non curans, *corruet*.

15. *Si fornicaris tu Israël*] Si tibi libet sequi idola. ¶ *Non delinquat saltem Juda*] Caveant sibi Duæ tribus nè talia exempla sequantur.. ¶ *Et nolite ingredi in Galgala*] Hîc sermo se convertit ad homines Duarum tribuum. *Galgala* locus erat in ipsis finibus Decem tribuum, ubi idola colebantur, infrà 9. 15. *Et nè ascenderitis in Beth-aven*] LXX, τὸν οἶκον Ὤν [*domum On*] posteriore parte ex Hebræo retentâ: quam alii Interpretes Græcè vertentes dixere, Theodotion, οἶκον τῆς ἀδικίας [*Domum injustitiæ*,] Aquila & Symmachus, οἶκον ἀνωφελῆ [*Domum inutilem.*] Chaldæus ad sensum bene vertit *Bethel* tam hîc quàm infrà 15. id enim antiquum loco nomen. Sed pii in exsecrationem idololatriæ, quæ ibi exercita à Jeroboami temporibus, dixere *Bethon*, vel *Beth-aven*, id est, *Domum vanitatis*; idola enim vanitas: ideóque hic interpres infrà 6. 8. און [*On* vel *Aven*] vertit *idolum*, non malè ad sensum. *Gilgala* & *Bethel*, ut præcipua idololatriæ loca, conjunxit etiam Amos 5. 5. & dicit בית אל [*Bethel*] *futurum* לאון [*in nihilum*,] allusione factâ ad illud nomen alterum בית און [*Beth-ôn* vel *Beth-aven.*] ¶ *Neque juraveritis, Vivit Dominus*] Nempe in illo templo Bethelis sive Beth-aven: nam illi Vitulos istos vocabant יהוה [*Dominum*,] quòd putarent eum in tali imagine rectè coli, ob causas dictas alibi.

16. *Quoniam sicut vacca lasciviens declinavit Israël*] Alludit Propheta ad illas imagines. Deum voluerunt facere talem: At ipsi tales sunt. In Græco hîc ὡς δάμαλις παροιστρῶσα [*ut juvenca æstro percita.*] Et illi Vituli ab Jeroboamo erecti dicuntur itidem δαμάλεις [*juvencæ*] in Græco 1 Regum 12. 28. & sequentibus. Juvencæ solent aberrare à pastore. ¶ *Nunc pascet eos Dominus quasi agnum in latitudine*] Et hîc est χλευασμὸς [*Irrisio acerba*] ex ambiguo. Latè pascere amant agni: Deus Israelem disperget per totum Assyriorum regnum.

17. *Particeps idolorum Ephraim*] Pergit illos de Duabus tribubus alloqui. *Addictus est idolis Ephraim*. Sic vocantur Decem tribus quòd Principes ex ea tribu fuissent. Sensus est, Sunt illi insanabiles ab isto morbo. ¶ *Dimitte eum*] *Missum eum fac*, ô Juda.

18. *Separatum est convivium eorum*] *Acidus factus est potus eorum*, id est, indignus est qui bibatur, qui diis libatus est. Chaldæus סר sumit pro *principe*, & ἔλλειψιν [*Defectum in sermone*] hîc vult esse, *Principes quæsiverunt convivium*. LXX verò Senibus סר est *accessit*. סבאים sunt *Sabæi*, id est, idololatræ, pro quibus ipsi posuere populi non minùs impii nomen: vertunt enim ᾑρέτισε Χαναναίους, *amavit Chananæos*, sed Hieronymus legit ἠρέθισε, id est, *provocavit*. ¶ *Fornicatione fornicati sunt*] *Quia sunt idololatræ*. ¶ *Dilexerunt afferre ignominiam protectores ejus*] *Amarunt dicere proceres eorum, Afferte ignominiam*. Illi dicebant, Afferte idola; sed Propheta dicit non quod ipsi dicebant, sed quod res erat: qualia & alibi notavimus. מגניה *proceres* vertit & Chaldæus.

19. *Ligavit eum spiritus in alii suis*] *Spiritus*, id est, ventus *eum velut alis suis ligatum auferet*: id est, celerrimè auferetur in regionem longè dissitam. Ventis alas tribuunt & Græci & Latini Poetæ. ¶ *Et confundentur à sacrificiis suis*] *Ut confundantur*: id est, ut videant sacrificia illa idolis facta nihil sibi profuisse.

CAP. V.

MUNSTERUS.

1. SED *laqueus facti estis*] Jonathan hunc locum sic vertit, *Quoniam offendiculum fuistis in doctrina vestra, & quasi rete expansum super montem excelsum*: q. d. Sicut laqueis capiuntur aves, & feræ retibus, sic vos, qui debuistis esse populi directores, variis modis avocatis eum doctrinâ falsâ, minis & malo exemplo. Quidam tamen accipiunt hîc מצפה non pro *specula* sed pro *monte*; sicut & *Thabor*, in quibus venatores capiunt feras.

2. *Declinaverunt in profundum*] i. Toto corde & in universum recesserunt à Deo, & sacrificia obtulerunt idolis, etiam cùm ego Propheta Domini acerrimus eorum fuerim objurgator.

5. *Respondebit*] i. Testificabitur magnificentia eorum quâ contra Deum superbierunt, quòd justè vindicta Dei in illos sævitura sit. Sunt tamen qui post Chaldæum Interpretem verbum ענה exponunt pro *humiliare*; ut sit sensus, Humiliabitur superbia Israelis, videbúntque id oculis suis in terra sua: Nec proderit eis si sacrificia ovium & boum attulerint, &c.

7. *Filios alienos genuerunt*] Alienigenas scilicet ducentes uxores; vel filios in idololatria educantes: *& ob id devorabit eos mensis*: h. e. tempus instat ut & ipsi & bona eorum perdantur.

dantur. Vel in singulos menses devorat eos hostis atque agros eorum.

9. *Ostendi rei veritatem*] Accipiendum est futurum loco præteriti, ut sit sensus, Ego perspicuum faciam utrùm in lege mea ambulaverint nécne.

10. *Qui transferunt terminum*] i. Facti sunt Principes eorum violenti prædatores, auferentes & diripientes subditorum bona & possessiones.

11. *Fractus judicio*] i. Durum subiit à Gentibus judicium; secundùm illud, *Locutus est Rex Babylonis judicia cum Zidkija.*

12. *Veluti tinea*] Sicut *tinea*, inquit, corrodit vestimenta, & *teredo* ligna, sic *ego* consumam *Ephrajim & Jehudam*, eò quòd in *infirmitate* sua non quæsierunt me, sed ad Reges externos cucurrerunt; à quibus tamen nihil nisi afflictiones habuerunt. Porrò *Jareb* dicunt esse nomen civitatis in regione Assyriæ: Jonathan verò accipit pro *ulcisci*, *Miserunt*, inquiens, *ad Regem ut ulcisceretur eos*, &c. Sed quomodo illi potuerunt eis esse subsidio, cùm Deum paterentur adversarium, *veluti leonem & catulum leonis?*

VATABLUS.

1. L*Aqueus* פח] q.d. Fuistis scandalo ipsi populo, malo vestro exemplo.

2. *Callidum inierunt consilium* העמיקו] Ad verb. dicere *profundaverunt*, i. profundum fecerunt consilium: q. d. Apostatæ subtili ingenio invenerunt rationem immolandi idolis: interim non destiti increpare & arguere illos. Consilium autem callidum erat, quòd dicerent se idolis immolare in honorem Dei. Gallicè dicimus, *Voyla ung homme profond*, de eo qui callidè aliquid facit & ingeniosè. Hoc idem verbum vide Jer. 49. 8. ¶. Vir *correctionis* מוסר] Ad verb. *correctio*, vel *disciplina*, i. tanquam vir corripiens & admonens docénsque proximum. Ego autem, inquit, non destiti vos revocare ab eo cultu per meos Prophetas.

3. *Ephraim*, & *Israel* אפרים וישראל] *Ephraim* & *Israel* idem sunt. Repetitio est. Non me latet, inquit, quòd Israel sit propensus ad idololatriam.

4. *Non permittent*, &c. לא יתנו וגו׳] *Non* in hoc *studia sua ponunt ut revertantur*, &c. Ad verb. *Non dabunt studia eorum*, &c.

5. *Testificabitur autem superbia* וענה גאון] *Testificabitur igitur fastus*: i. Israel palàm arguetur superbiæ & fastûs. ¶ *Ruent* יכשלו] *Impingent*: q. d. Tandem luent pœnas propter idololatriam suam: *corruet & Juda*, quia similem admisit iniquitatem.

6. *Subtraxit* enim *se* חלץ] Ad verb. *divisit se*: *separavit*, i. recessit. Vide cap. 10. 2.

7. *Filios alienos* בנים זרים] Quidam intelligunt filios carnales. Non enim licebat Judæis accipere uxores Gentiles. Alii spirituales intelligunt, quòd discipulos docuerint colere deos alienos: q. d. Non solùm fuerunt idololatræ, sed & alios idololatriam docuerunt. ¶ *Nunc* עתה] i. Brevi. Prædicit transmigrationem futuram. Declaratur istud *nunc* per id quod mox dicit *mensis*: q.d. Post menstruum tempus, h. e. brevissimum, perituri sunt cum suis facultatibus. Chald. *Nunc venient super eos populi de mense in mensem*, & *prædabuntur fructus terræ eorum.* ¶ *Cum partibus eorum* את חלקיהם] i. Cum facultatibus eorum & hereditatibus.

8. *Buccina* שופר] *Cornu*, ut scilicet fieri solet in adventu hostium. ¶ *Taratantarizate* הריעו] *Clangite tubâ*. ¶ *Post te* אחריך] Sub. *imminet hostis*. Decem tribubus in captivitatem abductis, in te convertent se hostes, *ô Benjamin*.

9. *In die correptionis* ביום תוכחה] *Tempore reprehensionis*. Quidam, *quo tempore redarguentur*, i. quo tempore sumam de illis pœnas pro peccatis. Quando Deus affligit nos propter peccata, dicitur nos *arguere & corripere*. ¶ *Fidem* נאמנה] *Veritatem*. Alii, *verbum fidele*: acsi dicat, Sæpius admonui Decem tribus; ideo se excusare non possunt: notam veram feci & fidelem admonitionem meam.

10. *Fuerunt principes*, &c. היו שרי וגו׳] i. *Principes Juda transferre* solent *terminos* suos in agros vicinos, idcirco gravissimo supplicio illos afficiam. Vetitum istud fuit in Lege, Deut. 19. 18. Vide Ezech. 45. 8. Quidam nolunt כ in כמסיגי esse adverbium Similitudinis, sed significare *verè*.

11. *Oppressus erit* עשוק] Partic. Heb. pro fut. *Opprimetur*. ¶ *Fractus judicio* רצוץ משפט] Sub. *erit*, i. frangetur judiciis apud Gentes inter quas erit captivus. ¶ *Voluit*, &c. הואיל וגו׳] Hebraismus, volens & ultro secutus est præceptum Jeroboam de Vitulis adorandis quos adoravit.

12. *Tanquam tinea* כעש] Quæ scilicet rodit & perdit vestes: q. d. Perdentur Decem tribus, & reliquæ, me autore. ¶ *Et tanquam putredo* וכרקב] *Et tanquam caries*. Alii, *teredo*.

13. *Videbit autem*, &c. וירא אפרים וגו׳] Præt. Heb. pro fut. *Cúmque animadvertet Ephraim infirmitatem suam*: vel *morbum suum*. ¶ *Et ibit* וילך] q. d. Affligam Israelem & Judam, tamen non recurrent ad auxilium meum pœnitendo, sed ad humanum. ¶ *Qui tamen* והוא] Ad verb. *& ipse*. ¶ *Sanabit* ירפא] *Curabit*, i. tollet. q. d. Non poterit vobis ferre opem, & de manibus meis eripere.

14. *Tanquam leo* כשחל] Sub. *adultus*. Quidam *pantheram* transtulerunt.

15. *Donec deficiant* עד אשר יאשמו] *Donec delinquant*, i. agnoscant & fateantur se peccasse.

CASTALIO.

1. V*Estra causa agitur*, *qui laqueus estis ad Maspham*, & *expansum rete in Tabore*] Apud Masphàm & Taborem retinetis homines ad simulacrorum cultum, quare in causa estis ut multi ob crimen istud à me pereant.

5. *Loquitur Israelitæ superbia in ipsius vultu*] Perspicua est.

9. *Ostendente me an sit in Israelitarum tribubus fidelitas*] Ad verbum legitur, *In Israelitarum tribubus ostendente me fidelitatem.* Est enim verbum id reddendum per participium, id quod solet fieri cùm verbum cum antecedente verbo nullâ conjunctione copulatur: Ut paulò ante hunc locum, ubi ità vertimus, *Ibunt quæsitum Jovam*, *nec invenient*, *quippe declinantem eos*, ità legitur, si reddas ad verbum, *nec invenient*, *declinavit eos*, h. e. eo declinante eos. Est autem hujus loci sensus hic, Ostendam non esse in Israelitarum tribubus fidelitatem, dum eos tanquam perfidos ulciscar. Hujusmodi loquendi modus est & Psal. 69. ubi sic ad verbum legitur, *Deus*, *tu nosti meam vesaniam*, sive *vitium*, h. e. Tu nosti an sim in vitio: scis me esse extra vitium: nam in eo Psalmo defendit David suam innocentiam.

11. *Quoniam tam cupidè sequitur præceptum*] sc. Jeroboami de colendo Vitulo.

CLARIUS.

1. Q*Uia vobis judicium*] Vos decebat facere & docere quod justum erat; sed quia nihil facitis minùs, *laqueus facti estis*: & sicut laqueis capiuntur aves, & feræ retibus; sic vos, qui debuistis esse populi directores, variis modis avocatis eum doctrinâ pravísque exemplis.

2. *Victimas declinastis*] Victimis, inquit, mactandis, quibus idolis suis sacrificent, desertores Dei summo studio incumbunt, me, qui ad erudiendos eos missus sum, assiduè reclamante. Alius vertit, *Victimam declinantes profundè egerunt*, h. e. mira & astutissima consilia ceperunt ut declinarent victimas, quas non suis locis offerebant; variis fraudibus egerunt, quomodo populum abducerent à vero Dei cultu.

5. *Et respondebit*] h. e. Testificabitur magnificentia eorum quâ contra Deum superbierunt, quòd justè ultio Divina in eos sævitura sit.

7. *Filios alienos genuerunt*] Alienigenas scilicet docentes uxores; vel filios in idololatria educantes: & *ob id devorabit eos mensis*, h. e. tempus instat ut & ipsi & bona eorum perdantur.

8. *Post tergum tuum*] h. e. Jam imminent tergo tuo, Benjamin, hostes.

9. *Ostendi fidem*] Per futurum intelligendum est, Ostendam, inquit, rei veritatem, & perspicuum faciam utrùm in lege mea ambulaverint, nécne. Alius hunc esse aiebat sensum, Docui quod rectum erat, sed non sunt secuti.

10. *Assumentes terminum*] h. e. Diripientes aliena, & subditorum bona auferentes ac possessiones.

11. *Fractus judicio*] nempe duro, h. e. durum subiit Gentium judicium; secundùm illud, *Locutus est Rex Babylonis judicia cum Sedechia.* ¶ *Post sordes*] Expressit sensum Interpres: nam Hebræa habent *post mandatum*, h. e. secutus est mandatum impium Jeroboam.

12. *Quasi tinea*] Sicut *tinea*, inquit, corrodit vestimenta, & *teredo* ligna, sic *ego* consumam *Ephraim & Judam*, eò quòd in *infirmitate* sua non quæsierunt me, sed ad Reges externos cucurrerunt; à quibus tamen nihil nisi afflictiones habuerunt. Porrò quod ait *Regem ultorem*, alius vertit *Regem Jareb*, & putant *Jareb* nomen esse civitatis in regione Assyriæ.

14 *Tol.*

14. *Tollam*] h. e. Prædam auferam. Perstat enim in Metaphora *Leana* & *Catuli leonis*.

15. *Revertar ad locum meum*] Non afferam eis auxilium, more eorum qui sociis pugnantibus ipsi domi manent.

DRUSIUS.

1. *Audite istud*] Convertit nunc sermonem Prophetes ad omnes in genere status, describens eorum vitia ab effectis, quæ deinceps variis adjunctis auget & amplificat. ¶ *Sacerdotes*] Hos primo loco compellat, non quòd ordine præcederent, sed quòd in culpa essent præ cæteris. Nam ad Sacerdotes maximè pertinet, populum, atque adeò ipsos Magistratus, sui officii admonere. ¶ *Domus Israel*] Sæpe *Israel* pro *Juda* usurpatur, ut hìc etiam ità sumi possit; & verò Scholia Ebraica Duas tribus intelligunt. Sed alii vulgus promiscuum significari putant; alii ipsos Judices, quos *Sanhedrin* vocabant. Cui sententiæ meliùs conveniunt sequentia. Si vulgum intelligit, tum arguit universam Remp. quæ in tres ordines olim divisa erat. ¶ *Domus Regis*] Vos aulici. Vidi qui hoc nomine intelligerent Duas tribus, & per *domum Israel* decem reliquas. ¶ *Vestrum est judicium*] Vestra causa hic agitur, ad vos pertinet judicium hoc. *Nam fuistis laqueus*, &c. Aut, *vestrum est jus*, videlicet tam scientia Juris quàm ejus praxis & exercitatio. Sic dico, Jus non solùm scire debetis sed etiam exercere. Porrò Jus duplex est, Divinum & Humanum: Illud ad *Sacerdotes* pertinet propriè, hoc ad Judices & *domum Regis*: nam ab his quoque legis cognitio requiritur. Est autem argumentum ex repugnantibus. Sed prior expositio germana est, meo judicio. ¶ *Fuistis laqueus*] Tralatio ab Avibus: Nam aves laqueis capiuntur. Idem *scandalum* significat & *rete expansum*. Hoc vult, Quos in officio continere debuistis, eos in fraudem illectos à vera pietate abduxistis & ad peccandum incitastis. *Super Maspha*] Loci nomen in quo Samuel olim jus dixit 1 Sam. 7.6. Ebræi scribunt *fuisse montem celsum & editum in terra Israel*. Eusebius addit *situm fuisse in tribu Gad*. Quod Tremellii enarratio in hunc Prophetam comprobavit. Sed vide num intelligat potiùs Maspham quæ in tribu Juda, cujus meminit idem Eusebius per hæc verba, *Est autem alia nunc Maspha in finibus Eleutheropoleos, contra Septentrionem pergentibus Æliam, pertinens ad tribum Juda*. Hanc auctor libri Hassamonæorum *Massepham* vocat; de qua in hunc modum scribit 1 Mach. 3.46. Καὶ συνήχθησαν καὶ ἦλθοσαν εἰς Μασσηφὰ κατέναντι Ἱερουσαλὴμ, ὅτι τόπος προσευχῆς εἰς Μασσηφὰ τὸ πρότερον τῷ Ἰσραήλ, *Et congregati venerunt Massepham è regione Jerusalem; quoniam locus precationis fuerat Massepha priùs Israelitis*. Fortè culta ibi fuerunt quoque idola. ¶ *Super Thabor*] Mons adeò celebratus ut proverbio locum fecerit, *Sicut Thabor inter montes*. Meminit alibi David Cimchi. Situs erat ad Occidentem terræ Sanctæ; itaque pro ea plaga sumitur à nonnullis Psal. 89. 12. Græci Ἰταβύριον vocant. De hoc monte Eusebius, *THABOR, terminus Zabulon. Est autem mons in medio Galilææ campo, mirâ rotunditate sublimis, distans à Diocæsarea decem millibus contra Orientalem plagam: qui confinium quoque inter tribum Issachar & Nephthalim fuit*. Et Hieronymus, *Thabor mons in Galilæa situs in campestribus, rotundus atque sublimis, & ex omni parte finitur æqualiter*. Et Josephus Gorione natus lib. 6. cap. 74. *Mons Thabor est mons nive oppletus, altitudine xxx stadiorum; in cujus vertice planities est complectens stadia viginti tria*.

2. *Mactationem apostatæ profundam fecerunt*] *Apostatas* vocat quòd à vera religione descivissent. Et est rectus pluralis, non genitivus singularis. Aut lege, *Mactare apostatarum*, i. eorum qui ab ipsorum sacris recesserant; ut שחטה sit infinitum, ut אהבה *amare*. Quale illud Persii,

Scire tuum nihil est ——

Profundam fecerunt, i. magnam: ad verb. *profundarunt*. Sic Statius, *Tædéque profunda cadis*, i. magnæ. Tralatio à Puteis. Nam putei quo profundiores eò majores. Sensus est vel, *Ipsi deficientes magnam cædem patrarunt*, vel, *Multas eorum qui ab ipsis defecerant occiderunt*; ut solent hypocritæ: Cùm non possunt verbis efficere quod volunt, vim adhibent. Ebræi hæc ad sacrificia referunt, q. diceret Propheta, Multas pecudes mactarunt. *Apostatæ*, שטים. Partim librorum olim habebant סטים per Samech, quomodo scriptum hoc nomen Psal. 101. 3. ex notis Massoriticis. ¶ *Et ego eram disciplina*, &c.] Quamvis ego reprehenderem ac castigarem eos de hoc facto. Plenum esset *vir disciplinæ*. Sic alibi, *ego oratio*, pro *vir orationis*, i. orationi deditus. Quidam, *& ego omnibus castigationi sum*, i. omnes me redarguunt & corripiunt. Cæterùm *&* pro *licèt*, *quamvis*, Enallage haud insolens. Legitur Zachar. 12. 3. ונאספו *etsi congregentur*.

3. *Ego novi Ephraim*] Novi quibus studiis addictus sit, & quid rerum agat. Hoc dicit, quia defectionis auctor Jeroboam ex tribu Ephraim erat. Quocirca Decem tribus eo nomine appellantur. ¶ *Israel*] Duas tribus intelligit. ¶ *Nunc enim*] q. d. Etiam nunc scortaris, cùm tamen domus Jeroboam exstincta sit. ¶ *Scortaris*] Colendo idola. ¶ *Pollutus es*] Nam verum Dei cultum, qui apud ipsos erat, polluebant admiscendo cultum falsum. Sanè in quibusdam locis Judææ idola colebant, ut Galgalis & Bersabæ. Possumus etiam totum hunc versum ad Decem tribus restringere, ut synonyma sint *Ephraim* & *Israel*, eadémque repetat aliis verbis. Quod tritum adeò in his literis ut nihil magis.

4. *Non sinunt facta ipsorum*] Eò improbitatis devenerunt ut non possint ad frugem redire. Hoc significat cùm ait *ut redeant ad Deum suum*. Nam *ad Deum redit* qui vitam in melius commutat. לא יתנו *non dant*, h. e. *non sinunt*, *non permittunt*. Verbum נתן cùm ità significat, tum post se habet vel gerundinum, ut hìc, & Esth. 8. 11. vel nudum infinitivum, ut Num. 21. 24. Quidam vertunt, *Non applicant opera sua ut convertantur ad DOMINUM*. ¶ *Spiritus scortationum*] Qui libenter scortatur. Sic *spiritus contradictionis* qui libenter contradicit. Sed potiùs ut *spiritus scortationum* sit motus animi ad scortationem eos impellens. Ideo autem *spiritus* quia proficiscitur à Spiritu malo, i. à Diabolo. ¶ *DOMINUM non noverunt*] Nam si nossent, non talia facinora patrarent. Nam ubi Dei notitia, ibi pietas: ubi pietas, ibi omnia fiunt ex præscripto verbi Divini. *Novit* ergò *Deum* non modò qui scit rectum, sed etiam qui facit illud.

5. *Et testabitur*, &c.] Vel, Ipsa superbia testabitur contra ipsum; vel, Ipse vultus testis erit de superbia ipsius. Locum hunc alii enarrant, *humiliabitur superbia Israelis in facie ipsius*, i. ipso vidente & adhuc in patria terra exsistente. Sic ferè Jonathan. Amicus meus Livelæus legit, *testificabitur gloria Israelis*, &c. hàc sententiâ, Deus ipse, qui *gloria Israelis* vocatur, contra ipsum testis erit, i. puniet eum. Sic Ruth 1. *cùm DOMINUS testificatus sit contra me*; Mich. 1. 2. *Erit DOMINUS testis contra vos*. Ipse testis erit, ipse judex: ut testis accusabit, ut judex animadvertet. Pulcra expositio; nescio tamen an vera. Pro *gloria Israelis* malim *excellentia Israelis*, ut ibi, *Juravit per excellentiam Jacobi*, i. per seipsum. Nam *gloria* גאון dicitur. ¶ *Corruent*] Impingent, offendent, in calamitates incident. ¶ *In iniquitate sua*] Propter cultum idolorum & alia ipsius scelera. ¶ *Juda*] Nam & is se polluerat cultu alieno, non tamen adeò ut Israelitæ: Quapropter mitiorem pœnam sustinuit. Nam quale delictum, talis pœna.

6. *Cum ovibus suis*] V. Interpres, *Cum gregibus suis*. Sed *greges* sunt etiam boum. Posses legere, *Cum pecoribus suis*, ut pecora minora intelligantur, in quibus & Oves & Capræ. Conabuntur, inquit, victimis placare *DOMINUM*, sed frustrà. Non succedet illis hic conatus. Quapropter? Quia qui manus impuras habent (habent autem omnes qui vitam pravè instituunt) nunquam ritè sacris operantur. Quanquam multas Hecatombas immolant, non tamen litant. ¶ *Cum bobus suis*] Vel *cum armentis suis*. Nam בקר *armentum*. Sed strictè sumitur hoc loco pro *bobus*. Nam Equi & Cameli ad sacrificia inepti erant. Hìc ב valet עם, i. *cum*; ut Jes. 7. 24. בחצים *cum sagittis*; בקשת *cum arcu*. Sic Apuleius De Asino Aureo, *Cùm me viderent in ferro, tamen audaciter resistunt*. ¶ *Ad quærendum DOMINUM*] Ad templum Jerosolymitanum, in quo Arca erat symbolum præsentiæ Divinæ in terris. Quocirca *DOMINI* vocabulo sæpe afficitur. ¶ *Subduxit se ab eis*] Vel *subtraxit*. In Scholiis Camii *recessit ab eis*. Estque verbum intransitivum. Sed meliùs fortè *surripuit se ab eis*. ¶ Nam חלץ *eruo*, *eripio*, *extraho*.

7. *Perfidi fuerunt*] Vel *perfide egerunt*, nempe violatâ fide conjugii spiritualis quod cum eo contraxerant. Vide Jer. 3. 20. ¶ *Alienos*] Alienos ab Ecclesia, sive spurios. Sic *mulier aliena*, i. meretrix. Nam ex adulterio spurii gignuntur ¶ *Pepererunt*] i. Genuerunt. *Parere* autem, i. ילד, de Viris dicitur, & Psal. 2. *ego hodie peperi te*. Sic,

——ὃν ἀθάνατος τέκετο Ζεύς.

Hujus loci est, *Oenei partu edita*. Consule libellos meos. ¶ *Mensis*] Breve temporis spatium. Dictum autem *mensis* pro *mensis unus*, ut alibi *humero* pro *humero uno*. Zach. 11. 8.

 Exscin-

Exſcindam tres paſtores menſe uno. ¶ *Partes eorum*] Bona eorum, vel agros eorum. Vide Amos 7. 4. Conſtrui debet hic locus ità, *devorabit eos menſis, videlicet partes eorum*, per Appoſitionem. Niſi mavis *cum partibus eorum:* nam את particula etiam *cum* ſignificat.

8. *Clangite buccinâ*] *Buccina* & *tuba* ſignificabant adventum hoſtis. Unde illud *An clanget buccina, & populus non contremiſcet?* Talis uſus nolarum apud nos (*campanas* vocant) belli tempore. ¶ *Gabaa*] Oppidum tribûs Benjamin, quod & *Gabae*, & *Gabe-Benjamin* 1 Reg. 15. 22. Vicinum erat Ramæ, ut ſcribit Hieronymus, & patria Sauli primi Regis Iſraelitarum 1 Sam. 10. 26. Porrò exſtructum creditur ex ruderibus Ramæ. ¶ *Rama*] Oppidum ejuſdem tribûs Joſ. 18. 25. diſtans ſex milliaribus ab Ælia, h. e. Jeroſolyma Septentrionem verſús. Hieronymus ad h. l. *Rama*, inquit, *eſt juxta Gabaa in ſeptimo lapide à Jeroſolymis ſita: quam rex Iſrael occupare conatus eſt, ut exitum & introitum clauderet tribui Juda.* Fuit & alia Rama in tribu Nephthalim, cujus meminit Euſebius. ¶ *Beth-aven*] Hujus mentio Joſ. 18. 12. & eſt alia à Bethel, quæ priùs *Luza*, poſtea *Beth-aven* dicta eſt. Pertinebat ad tribum Benjamin, ut Euſebius ſcribit: Quem tamen in eo errare credo; & exiſtimo potiùs pertinuiſſe ad tribum Ephraim: quod & R. D. prodidit, & alii annotârunt. Erat tamen in confinio partis Benjamin, ut liquet ex loco Joſue ſuprà citato. ¶ *Poſt te, Benjamin*] Reticet *hoſtis adeſt*, aut aliquid hujuſmodi. Quod eſt ſignum animi commoti vel ex ira vel ex metu. Scitum illud,

Tum tua res agitur, paries cùm proximus ardet.

9. *Ephraim*] Rectè exponunt ערת אפרים, quia *Ephraim* cum תהיה genere non cohæret, cùm iſtud ſit femininum, illud verò maſculinum. Sic Abd. 1. *Hæc dicit DOMINUS ad Edom.* Et pauló pôſt, *conſurgamus adversûs eam.* ¶ *Deſolationi erit*] *Deſolabitur, in vaſtitatem redigetur.* ¶ *In die correptionis*] Malè in quibuſdam ed. *in die correctionis.* Quanquam quoad ſenſum parùm intereſt hoc an illo modo legas. Sed תוכחה certè *correptio*, & ità eſt in antiqua verſione. Cæterùm *diem correptionis* vocat quem Salomo dicit *diem indignationis* Prov. 11. 4. cujus appellationis ratio infrà v. 10. *effundam ſuper eos indignationem meam.* Cùm animadvertam, inquit, in eos, tum Ephraim penitus deſolabitur. ¶ *Rem certam*] נאמנה *id quod certum ac verum eſt.* Quidam, *indicavi certam eſſe*, videlicet illam deſolationem.

10. *Sicut*] *Sicut* poſuit pro *verè, revera*; ut in illo, *Vidimus gloriam ejus ſicut unigeniti.* Vocant Caph ἀληθινὸν, eò quòd non ſimilitudinem ſed rei veritatem denotet. Sic apud Græcos ὡς ponitur pro ὄντως. Quod notatum à Scholiaſte Sophoclis. ¶ *Transferentes terminum*] Lex de Non transferendo termino exſtat Deut. 19. 14. Vide Proverbia mea claſſ. 1. lib. 2. Adag. 22. Numa Pompilius cùm & publicum agrum populi Romani & privatum cujuſque definiſſet, legem tulit ut qui terminos ſtatuto dimoviſſet loco, eum hominem liceret ſine fraude neci dedere. Auctor Plutarchus in Numa. ¶ *Sicut aquam*] Largiter. Proverbiale. ¶ *Indignationem meam*] עברתי. Quæ vox appellationem habet à *tranſeundo*, vel quia citò tranſit, vel quia modum tranſit. Si hoc recipitur, ſceleri convenit pœna. Nam quia limites tranſilierunt agrorum ſuorum, ideo Deus modum quaſi tranſibit in pœna ipſorum. Quanquam hoc ſubtilius quàm verius. Cæterùm *transferre terminum* proverbiali ſermone dicitur qui leges majorum, quibus homines in officio continentur, temere immutat. Id quod iſti quoque faciunt qui ſinceritatem religionis, quam à majoribus acceperunt, humanis commentis adulterant.

11. *Quaſſatus*] Alii, *attritus.* Sed propriam ſignificationem diſcas ex illo, *Calamum quaſſatum non confringet.* ¶ *Judicio*] Pœnis; in Ebræo eſt ad verb. *quaſſatus judicii.* ¶ *Quia*] Ἀιτιολογία. Ideo in has calamitates incidit quia Jeroboamo præcipienti ut Vitulos adoraret tam libenter paruit. ¶ *Lubens ivit*] Verbum è verbo, *voluit ivit.* Simile, *Proſperare equita.* Latinè, *Proſpere equita.* ¶ *Poſt jube*] Vel *poſt mandatum.* In ſingulis verbis pondus eſt. Et *ivit lubens*, & *ivit poſt mandatum*, i. צו, quæ dictio monoſyllaba eſt. Notum illud, Πᾶς δοῦλος δεσπότῃ μονοσύλλαβον. Quidam צו accipiunt pro שוא, *ivit poſt vanitatem*, i. ſecutus eſt idola aut vana ſtudia. Sed צָו pro *mandato* ponitur etiam Jeſ. 28. 10. צָו pro צַו. Camets autem propter accentum. Nam eſſet צַו cum Patach.

12. *Sicut tinea*] *Ut tinea* veſtes conſumit, *ità ego* conſumam *Ephraimum.* ¶ *Ephraimo*] Iſraelitis. ¶ *Sicut teredo*] Vermis eſt oſſa & ligna exedens, qui & *tarmes* & *coſſus* vocatur. Alii, *ſicut putredo*; nam vox Ebræa id etiam ſignificat. ¶ *Domui Juda*] Judæis.

13. *Vidit*] *Senſit.* ¶ *Morbum ſuum*] Mala quæ illum premunt. Vidit ſe prædæ omnibus expoſitum eſſe. ¶ *Vulnus ſuum*] Alii, *plagam ſuam:* & ſic enarrant Scholia Ebraica. De hac voce dictum fusè Abd. 7. ¶ *Abiit*] Legati ab eo miſſi abierunt. Aut innuit Manahemum, qui ad Phul Regem Aſſyriorum profectus ei numeravit mille talenta quò ſibi auxilio eſſet. Hiſtoria exſtat 2 Reg. 15. 19. Sic Achaz Rex Juda miſit ad Regem Aſſyriæ 2 Par. 28. 21. ¶ *Miſit*] Juda. ¶ *Ad Regem Jareb*] Nomen proprium loci, ut Ebræi volunt. Quibus favet conſtructio. Nam ſi Regis nomen eſſet, potiùs dixiſſet *ad Jareb Regem.* Id acutè Livelæus meus animadvertit. ¶ *Vos*] Morbum veſtrum. ¶ *Nec curabit ex vobis vulnus*] *Nullius veſtrûm vulnus curabit.* Vulgò, *nec curabit vos ex vulnere.* Sententia in idem recidit.

14. *Ego ut leo*] Sæviam in eam ut leo in obviam prædam ſævire ſolet, quam unguibus diſcerpit, & in fruſta dilacerat. Suprà, *Ego ſicut tinea*, &c. Quid tinea? Paulatim exedit veſtes, ut tarmes oſſa. Non ſic leo, qui prædam, quam ſemel rapuit, ſtatim diſcerpit. שחל pro *leone* uſurpatur in libro Ebræo qui *Maſal Cadmoni* vocatur. V. Interpres, *quaſi leæna.* Ælianus De varia hiſtoria lib. 12. cap. 39. *Leæna creditur eſſe robuſtiſſimum & bellicoſiſſimum animal: itaque Semiramis gloriabatur non ſi leonem ſed ſi leænam cepiſſet.* ¶ *Ut juvenis leo*] Qui nullâ re terretur. Atque hinc proverbium, *Leunculo fidentior.* Quære ſuo loco, & vide quæ ibi annotavimus. ¶ *Ego ego rapiam*] Deut. 32. 39. *ego ego ſum.* Repetitio non caret emphaſi. ¶ *Et nemo eripiet*] Johannes Leo in Deſcriptione Africæ, *Credat qui volet, quicquid leo prehenderit, roſtro aufert.*

15. *Ad locum meum*] In cœlum: id enim locus ac ſedes Dei. Hoc humanitus dictum. Nam qui aliquem negligunt, ab eo recedunt, domum ſe recipientes. Significat ergò fore ut eos curâ & præſidio ſuo penitus deſtituat, & in luto calamitatum demerſos relinquat. ¶ *Donec reos ſe peragant*] Donec agnoſcant ſe deliquiſſe. Sic interpretantur hunc locum poſt Chaldæum P. Ebræi. Poteſt etiam legi *donec deſolentur.* Nam *caſtigatio*, juxta proverbium, *ſapientiam conciliat.* Recedam, inquit, ab eis, donec malo ſuo edocti & in ſolitudinem redacti *quærant faciem meam*, i. meipſum, aut Arcam fœderis. Tremellius explicat, *& mecum redeant in gratiam.* Bonus Deus imitatur naturam Leonis. Sævit ut leo, parcit ut leo. Sævit in peccatores, parcit ſupplicibus. Sanè Plinius auctor, Hanc Leonis naturam eſſe ut proſtratis parcat, clementiâque utatur erga ſupplices. Deus quoque ſævit in peccatores, ſed ità ſævit ut tamen eos in gratiam recipiat ſi reſipuerint, nec lædat ſupplices. ¶ *In adverſitate ſua*] Textus Ebræus habet בצר להם, i. *in adverſitate illis:* quod pleniùs diceretur *quæ illis eſt.* Nos ſenſum expreſſimus. Cùm rebus adverſis, inquit, prementur, tunc ſedulò ac diligenter quærent me. Hoc ſignificat cùm ait *diluculò quærent me.* Nam quod cum cura fit, *diluculò fieri* dicitur. Vide Proverbia mea.

I D E M.

1. ΠΑγὶς ἐγενήθητε] Editio B. ea quæ in 4 folium complicat ἐγενήθη. Alibi eſt τῇ σκοπιᾷ ὅτι παγὶς ἐγενήθητε. ¶ Τῇ σκοπιᾷ] Locus eſt Μασσηφὰ ſive *Maſpha* dictus. Ea vox ſonat Græcè σκοπιὰ, i. *ſpeculatio.* Nam צפה *ſpeculor.* Sic alibi pro LECHI, quod eſt nomen loci, reddunt Σιαγών. Nam לחי *mala* ſive *maxilla*, quæ σιαγὼν Græcis. ¶ Ἰταβύριον] Interpres priſci ævi *Itabyrium.* Antverpiæ cuſi Ταβώρ. Sic vocatur hic mons in textu Ebræo.

2. Οἱ ἀγρεύοντες] Talis lectio in A. & R. item in editione Argentoratenſi. In cæteris eſt ὅτι οἱ ἀγρεύοντες, etiam in B. Interpres V. *quod qui capiunt venationem:* legit ὃ, non ὅτι. Οἱ ἀγρεύοντες τὴν θήραν eſt ἐκ τῶν αἰνιγμάτων. Neque ſuprà neque infrà eſt qui ἀγρεύοντες concilies σὺν τῷ שוחטים, καὶ τὴν θήραν cum שטים. Tantum eſt. Nam κατέπηξαν rectum erit ſi expones ἀπέκρυψαν, ex Metaphora. ¶ Κατέπηξαν] Legitur & κατέπτηξαν. In Hier. *confixerunt.* ¶ Ὑμῶν] לכם pro לכלכם.

3. Καὶ Ἰσραὴλ] Impreſſi ab Aldo & Cephalæo, καὶ τὸν Ἰσραήλ. ¶ Οὐκ ἀπέστη] Pars codicum οὐκ ἀποστήσει.

4. Ἐν αὐτοῖς] Antverpiæ impreſſi ἐν μέσῳ αὐτῶν. In Latinis Hier. *in eis.*

5. Ταπεινωθήσεται] Sic Chald. ויִמאך. ¶ Ἀσθενήσουσι] וכשל. Sic reddunt idem verbum 4. 5. ¶ Καὶ ἀσθενήσει καὶ] Biblia Regia ἀσθενήσει καὶ, & in Latinis Hier. *infirmabitur etiam.* In aliis καὶ ἀσθενήσει.

6 Καὶ

6. Καὶ μόσχων] Legerunt, ut apparet, בקרים, & μόσχων dixerunt pro βοῶν, qui Chaldaicè תורין vocantur. Sanè בקר de *vitulis* non dicitur, quod sciam. ¶ Τοῦ ἐκζητῆσαι τὸν Κύριον] Ζητῆσαι Κύριον, editi ad C. ¶ Ἀπ' αὐτῶν] Biblia Regia ἐξ αὐτῶν.

7. Ἐγεννήθησαν αὐτοῖς] Ab iisdem abest pronomen αὐτοῖς. In Lat. Hier. *genuerunt sibi*, i. ἐγέννησαν ἑαυτοῖς. ¶ Νῦν καταφάγεται] Biblia Regia νῦν φάγεται. In aliis quibusdam καὶ νῦν καταφάγεται. ¶ Ἡ ἐρυσίβη] Videnda sunt quæ ad hunc locum notavit Hieronymus.

8. Σάλπιγγι] שופר κερατίνῃ, i. *buccinâ*. Σάλπιγξ autem חצוצרה dicitur, ut Num. 10. 2. Ποίησον σεαυτῷ δύο σάλπιγγας ἀργυρᾶς שתי חצוצרות כסף. Hieronymus, *Buccina*, inquit, *ex cornu recurvo fit*, *estque pastoralis*, *Græcè* κερατίνη, *Ebraicè verò* שופר. *Tuba ex ære vel argento*, *cujus usus in bellis & solennitatibus*. ¶ Ἐν τῷ οἴκῳ Ὢν] Interpres Lat. apud Hier. *in domo On*. Ipse Hieronymus in Comment. *Quidam*, inquit, BETHAVEN, *juxta LXX*, *qui dixerunt* DOMUS ON, Civitatem Solis *interpretati sunt: quod mihi displicet*. Meritò. Nam ut demus Heliopolim *On* dici sive *Onium*, aliud est οἶκος Ὢν, de quo hîc sermo. Illa Ægypti civitas erat, hæc Judææ. In B. legitur ἀδικίας ἧς, quod emendandum videtur ἀδικίας Ὢν. Perspicuè coaluerunt, ut fit, duæ interpretationes. Nam בית און ab his redditur οἶκος Ὢν, ab illis οἶκος ἀδικίας. Adi sis ad Fragmenta Interpretum veterum. ¶ Ἐξέστη] *Mente excidit*. Interpres Vetus Hier. *post tergum tuum:* & Lxx, inquit, ἐξέστησαν *reddiderunt*, *quam semper tribuunt Benjamin*.

11. Ἤρξατο] הואיל pro החל: quod tamen in hoc sensu inusitatum. Nam dicimus החל *cœpit*, *incepit*. Sic apud Mosem את החל. Interpres qui à *vulgo* nomen accepit, *Iste cœpit*. ¶ Ὀπίσω τῶν ματαίων אחרי שוא. Utrùm corruptos habuerint codices, an de incorruptis verterint corruptè, de hac re mihi satis haud liquet.

12. Ταραχὴ] Aldus & Cephalæus excuderunt τραχή. In Lat. Hier. *conturbatio*. Hodie reddunt כעש ὡς σής & mox pro ὡς κέντρον, quod Ebræi dicunt כרקב, ὡς τερηδών. Vermis est ossa & ligna corrodens.

13. Τὴν ὀδύνην αὐτοῦ] Jonathan similiter ית כאבוהי, i. *dolorem suum*. ¶ Ἰαρείμ] Biblia Regia Ἰερείμ. Interpres V. *ad Regem Jarib:* ità sanè legendum & in textu Græco, ut fit Ἰαρείβ vel Ἰαρήβ· éstque nomen loci. Mendum ex antiquo charactere, quale in Σενναχηρίμ. Vide Castigationes meas in Tobiam. Rei firmandæ est Ἰαρίβ, quod in hoc ipso Propheta 10. 6. libris Antverpiæ impressis. Hier. in Comment. ad h. l. *Pro eo quod nos exposuimus* JARIB, *i.* ultorem, *alii malè legunt* JARIM *per M literam*, *quod transfertur in* silvas: *unde* CARIATH-JARIM *interpretatur* Villa silvarum. ¶ Οὐκ ἠδυνάσθη ἰάσασθαι ὑμᾶς] Sic ed. Rom. in C. est οὐκ ἠδυνάσθη διασῶσαι ὑμᾶς. In aliis verò οὐκ ἠδυνήθη ῥύσασθαι. Interpres V. *& ipse non potuit liberare vos*. ¶ Οὐ μὴ διαπαύσῃ ὀδύνη] Sic pleræque omnes editiones, etiam Romana. Verto, *non cessabit dolor*. Διαπαύω, *cesso:* idem videlicet quod παύω. Aliquando sig. *cessare facio*. Itaque legimus in B. οὐ μὴ διαπαύσῃ ὀδύνην, & in Lat. V. *nec cessare faciet dolorem*. Post hæc verba libri quidam habent ἐγένετο γὰρ Ἐφραῒμ ὡς περιστερὰ ἄνους, &c. quæ sumpta ex cap. 7. hujus Prophetæ.

14. Διότι ἐγώ εἰμι] In C. ὅτι ἐγώ ¶ Τῷ οἴκῳ Ἰούδα] Alibi ἐν τῷ Ἰούδα· quod mihi displicet. Interpres V. *in domo Juda*, ἐν τῷ οἴκῳ Ἰούδα.

15. Ἀφανισθῶσι] Libri quidam ἀφανισθήσονται.

IDEM.

1. על תבור. A. Sym. Th. ἐπὶ Θαβώρ] Ex libro De locis Ebraicis. Priùs erat in Lxx Ἰταβύριον. Hier. *Montem Thabor LXX* Ἰταβύριον *transtulerunt*, *hanc habentes consuetudinem ut Ebræa nomina Græco sermone declinent*, *sicut* EDOM *semper* Idumæam *interpretantur*.

5. גאון. Aquila & Theodotio ἀλαζονεία. Sym. ὕβρις] Hier. *Verbum* גאון *Aq. & Th. interpretantur* ἀλαζονείαν, *i.* superbiam. Propriè *superbia* ὑπερηφανία dicitur: ἀλαζονεία magis denotat *arrogantiam*. Scribitur & ἀλαζονία. Lex. V. Ἀλαζονία, *jactantia*, *insolentia*, *adrogancia*. Ἀλαζών, *jactator*, *gloriator*, *adrogans*. Sed Hesychius, Ἀλαζών, ὑπερήφανος, i. *superbus*: &, Ἀλαζονεύεται, ὑπερηφανεύεται, i. *superbit*. Nam conjuncta hæc sunt. Qui superbus est, idem ferè arrogans est; & contrà. Ὕβρις] *Injuria* & *contumelia*, sive *injuria contumeliosa*, *insolentia*, vel etiam *superbia*: ut, Κόρος τίκτει ὕβριν, *facit ut homines insolescant & superbiant*. Prov. 14. 3. חטר גאוה, Lxx βακτηρία ὕβρεως. Hier. גאון *LXX & Sym. interpretantur* τὴν ὕβριν, *i.* injuriam.

7. חדש. A. νεομηνία. Sym. & Th. *mensis*] In Comment. Hier. חדש, *Aq.* neomenias, *i. Kalendas*, *interpretatur*, *Sym. & Th.* mensem. *Et est sensus*, *per singulos menses hostis adveniet*, *& cuncta vastabit*. *Mensis*, μήν unde νεόμηνι *nova Luna*, & νεομηνία *novus mensis*, aut *prima dies mensis*. *Calendas* Latini vocant; Ebræi חדש, ab *innovando*. Nam tunc innovatur mensis. Eadem vox μῆνα significat, i. *totum mensem*.

8. שופר. Aq. & Sym. κερατίνῃ] Hier. ad h. l. *Buccina pastoralis est*, *& cornu recurvo efficitur: unde & propriè Ebraicè* שופר SOPHAR, *Græcè* κερατίνη *appellatur*. Idem in Comment. Jes. 58. *Juxta Sym. & Aquilam*, guttur suum vertat in buccinam, *quæ Ebraicè dicitur* SOPHAR, *quam* κερατίνην, *i.* corneam, *interpretati sunt*. Puto & hîc eodem modo vertisse.

10. עברתי. Omnes præter Lxx, *iram meam*] Hier. *Pro* ira *LXX* ὅρμημα, *i.* impetum, *transtulerunt*. *Sed rectiùs*, *ut omnes præter LXX transtulerunt*, ira *accipienda est*, *præsertim cùm nomen* effusionis *&* iræ *conveniat*, *dicente Prophetâ ad Dominum*, Effunde super eos iram tuam. Idem in Comment. Amos 5. 17. *Secundum interpretationem Aquilæ*, *quando irascitur Deus*, *furorem suum & iram* ἀνυπερθεσίαν *vocat*. Videtur innuere עברה.

13. ירב. A. Th. *judicem*. Sym. *ultorem*] *Judicem*, *i.* κριτήν. Sic alibi ריב, Lxx κρίσις, & Amos 7. 4. לרב. Hier. *ad judicium*. Idem JEROBAAL interpretatur *Judicet eum Baal*. Vide sequentia. ¶ Ultorem, Ἐκδικαστήν fortè. Hier. *Ubi LXX posuerunt* JARIB (vel hic locus docet leg. in Græca ed. Ἰαρίβ, sive Ἰαρείβ, ubi vulgò Ἰαρείμ) *nos juxta Symmachum* ultorem *vertimus*. *Nam Aq. & Th.* judicem *interpretati sunt*. *Quod autem* JAREB ultorem *significet &* judicem, *nomen Gedionis ostendit*, *quem cùm cultores Baal expeterent ad supplicium eò quòd lucum Baal aràsque evertisset*, *respondit pater*, Ulciscatur se Baal, *aut* Judicet eum Baal. *Et appellatus est*, *inquit* JEROBAAL, *i.* Ulciscatur se Baal. ¶ מזור. Aq. ἐπίδεσιν sive σύνδεσμον] Hier. *Pro* vinculum *in Ebræo scriptum est* מזור, *& Aquila interpretatus est* ἐπίδεσιν *sive* σύνδεσμον, *i.* colligationem *sive* conjurationem. Quæret fortean aliquis harum rerum non indiligens scrutator cur dicat Aquilam vertisse ἐπίδεσιν, *sive* σύνδεσμον. An utrumque edidit? aut in una versione posuit ἐπίδεσιν, & in altera σύνδεσμον; Jam verò σύνδεσμος non est *conjuratio*, sed *colligatio* aut *vinculum:* nisi fortè ut à קשר *ligo* formatur apud Ebræos nomen קשר, quod *conspirationem* sive *conjurationem* denotat, ità σύνδεσμος hoc loco est *conjuratio*, quam similiter *ligam* vocant Galli, nempe à *ligando*. Nam simul *se colligant* qui simul conjurant & conspirant. Ἐπίδεσις, *obligatio* sive *ligamen*, i. ἐπίδεσμος. Σύνδεσμος, *vinculum*, ut σύνδεσμος εἰρήνης *vinculum pacis* Eph. 4. Cæterùm pro *conjurationem* arbitror Hieronymum scripsisse *conjunctionem*; rectè an secùs, vestrum judicium esto, vestra existimatio: vestra, dico, qui harum rerum intelligentes estis. Nam aliorum judicium non moror.

IDEM in VULG.

1. Attendite] Aliàs interpretatur, *auribus percipite*, quam interpretationem confirmat Hieronymus prologo in Prophetam Joelem ità scribens: *Quod autem Ebraicè dicitur* HAAZINU, *Græcè* ἐνωτίσασθε, *Latinè sonat*, *auribus percipite*. ¶ *Speculationi*] Ebræus liber habet *super Maspha*. Estque mons ejus nominis sic appellatus à speculando. Nam SAPHA *speculari*. ¶ *Et rete*] *& sicut rete* est in manuscripto. Sed placet *& rete*. Primùm quia in Ebræo hoc modo scriptum reperitur: deinde quia præcedit, *Quoniam laqueus facti estis*. Laqueus, inquam, non *sicut laqueus*.

2. *In profundum*] Hunc locum ex Ebræo alii reddunt, *Immolare apostatarum profundarunt*. Hoc quid sit, dicam aliàs. ¶ *Eruditor omnium eorum*] Non malè explicat, disciplinæ omnibus illis. Nam subintelligitur *vir* aut aliquid tale. Vir disciplinæ, id est eruditor. Potest etiam verti, & fortasse meliùs, *disciplina omnibus eram*.

3. *Fornicatus est*] Libri Ebræi, *fornicatus es*. Fortè nocuit huic loco membrum sequens, *contaminatus est Israël*.

5. *Et respondebit*] id est, loquetur. Alius retulit, *testificabitur*. ¶ *Ruent*] Pro corruent.

6. *In gregibus*] *In* pro *cum*, ut aliquantò pòst, *in armentis*, id est, cum gregibus, cum armentis. Ebraismus notus.

7. *Filios alienos*] Id est, *spurios*. ¶ *Cum partibus suis*] Hoc dicit, nisi fallor, mensis & eos, & agnos ipsorum consumet.

8. *Ga-*

8. *Gabaa*] olim sic: nunc legunt Giba aut Gibaa. ¶ *Ululate*] Id est, HELILU, Verterim, *jubilate.* ¶ *Post tergum tuum Benjamin*] Ebræi sic, *post te ô Benjamin*, & subaudiunt *hostis est* aut tale quid.

9. *Fidem*] *Fidam* est in Ebræo, aut *firmam.* Epitheton absque re. Jonathan, *legem.*

10. *Quasi assumentes*] *Transferentes*, omnino melius est quam *assumentes.* *Quasi* verò hîc valet *revera.* Sic apud autores Græcos ὡς nonnunquam valet ὄντως. Licet etiam interpretari, *sicut removentes.* ¶ *Quasi aquam*] Id est, copiosè, largiter, proverbiale.

11. *Calumniam patiens est*] *Oppressus est* habetur in nonnullis traditionibus, & puto melius esse; etsi verbum Ebræum priorem significationem non spernat. ¶ *Fractus*] Est cur malim, *quassatus.* ¶ *Post sordes*] Jonathan, *post opes fallaces*, alii, *post mandatum*, & certè SAU est mandatum per S, Sade à SAVAH. Sed puto interpretem respexisse ad SOAH rejectamentum, fecus; quod tamen à יצא JASA deducunt.

12. *Ephraim*] Libri Ebræi sine ulla ambiguitate τῷ *Ephraim* vel, si mavis, *Ephraimo.* ¶ *Quasi putredo*] Alibi repono, *quasi teredo.* Sed hilum non interest, hoc an illo modo interpretemur.

13. *Vinculum suum*] Sanres emendat, *plagam suam.* Ego, *apostema suum.* ¶ *Ultorem*] Id est, JAREB. Pro quo Ἰαρείμ in libris Græcis. Jonathan, *ad regem qui veniet ultum* ¶ *Nec solvere poterit*] Appositè ad vinculum: sed qui pro vinculo plagam reponunt, hic interpretantur, *nec curabit.*

14. *Ephraim*] Tribui Ephraim. ¶ *Ego ego capiam*] Posset aliquis suspicari interpretem scripsisse, *ego ego rapiam.* Sic enim Ebræus codex, & alioqui error lubricus de *rapiam* in *capiam*, qui fit duntaxat unius litteræ immutatione. Sed aliquantò pòst 6. 1. *quia ipse cepit*, ubi verbum idem in Ebræo.

15. *Donec deficiatis & quæratis*] Ebræus liber habet, *donec deficiant & quærant.* Sed pro *deficiant*, alius *delinquant*, alius interpretatur, *reos peragant se.*

LIVELEUS.

1. DOmus *Israelis*] Singulos ordines hîc compellat Propheta, *Sacerdotes* ac *domum Regis*, i. Regem cum Principibus & aulicis; denique his verbis, *domus Israelis*, reliquum populum, qui v. 3. nominibus *Israelis* & *Ephraimi* continetur. Omnes enim ordines in hoc capite arguit.

2. *Profundam fecerunt*] Verbum è verbo *jugulationem profundarunt*, ut ità dicam. Quo hoc vult Propheta, Eos in homicidio longiùs progressos esse, ac magnam sive profundam cædem fecisse. Sic Esa. 31.6. *profundare apostasiam* est summâ apostasiâ Deum provocare. Et hîc cap. 9.9. *profundare corrumpere* est profundâ corruptione depravari, i. maximâ. Rectè enim *profundi* nomine rem immensam intelligi annotatum est in Pagninum ad radicem עמק. Simile illud Statii Thebaidos 10. de Capaneo,

> *Jam sordent terrena viro, tædétque profundæ*
> *Cædis*,

h.e. magnæ: plurimos enim occiderat. Quàm rectè autem profunda eorum in cædibus progressio hic accusetur, ea verba cap. 4. 2. *cruores cruores contingunt*, facilè ostenderint. Hinc versu antecedente *laqueis aucupum* componebantur, quòd ut illi avibus & feris capiendis tenduntur, ità isti sanguini insidiati sunt. ¶ *Omnibus castigationi sum*] Hoc mihi dici videtur, *Omnes me redarguunt & corripiunt.* Vide annotata ad c. 4. 4. Similis est phrasis Lam. 3. 14. *Eram risui omnibus popularibus meis*, i. is quem deridebant. Quo modo etiam illa in Psalmis exponenda sunt, *Probro sum inimicis*; *Ponis nos agitationem capitis gentibus*; *Exponis nos contentioni vicinis nostris.*

3. *Neque me latet*] Versio Castalionis est. Tremellius verò reddit, *non est celatus mihi:* quod propter ambiguitatem minùs placuit. Potest enim is intelligi cui aliquid indicatum non est.

5. *Gloria Israelis*] Deus ipse contra populum suum in faciem testabitur. Metonymicè enim Deus *Israelitarum gloria* dicitur propterea quòd in eo gloriabantur. Amos 8.7. *Juravit Deus per gloriam Jacobi*, h.e. seipsum. Aben Ezra in eum locum scribit, *Deum gloriosum ità appellari.* Tremellius etiam Nah. 2.2. iisdem verbis גאון ישראל Deum dictum esse putat, eundémque *decus Israelis* vocari 2 Sam. 1.19. Eodem tropo gloriosum Dei Templum *gloria Jacobi* nominatur Amosi 6.8. Si cui illa altera interpretatio magis placet, *superbia Israelis*, (utrumque enim גאון notat, vel *gloriam* vel *superbiam*) eadem etiam eo modo constare sententia potest ut Deus *Israelitarum superbia* dicatur quia in eo superbiebant. Similiter Claudianus Proserpinam in libris De raptu illius *gloriam* & *superbiam matris* suæ vocat, quòd tali filiâ gloriaretur & superbiret, Lib. 2.

> *Quas inter Cereris proles, nunc gloria matris,*
> *Mox dolor, æquals tendit per gramina passu.*

Lib. 3.

> *O decus, ô requies, ô grata superbia matris,*
> *Quâ gessi florente Deam, quâ sospite nunquam*
> *Inferior Junone fui*———

Jam verò *testari in eos* Deus dicitur quos punit vel castigat. Ruthæ 1. *Cur vocaretis me Naomin, cùm Jehova sit testificatus contra me, & me malis affecerit?* Jobi 10. 17. *Renovas testes tuos contra me.* Mich. 1. 2. *Erit Jehova testis contra vos.* Pœna igitur hîc denunciatur quam sequentes voces declaraur, *corruent*, &c.

7. *Perfidè egerunt*] *Perfidia*, conjugalis fidei violatio intelligitur. Jer. 3. 20. *Ut perfidè agit uxor ab amico suo desciscens, ita vos in me perfidè agitis, ait Jehova.* Quò pertinet quod sequitur, eos *extraneos filios peperisse*, i. spurios, qui *filii scortationum* dicuntur cap. 2. Hic enim populus Dei Uxori adulteræ comparatur. ¶ *Pepererunt*] Tremellii verbum est: Quod aptiùs huic loco quadrat quàm aliorum *genuerunt.* Nam & ילד propriè Mulierum est, *parere*que significat; & illa præcedens perfidæ Uxoris similitudo hanc notionem comprobat.

9. *Ostendi certum*] Vel *rem certam* & *veram.* Adjectivum enim vel participium femininum absolutè & substantivè usurpatur, quo modo apud Latinos neutrum. Jobi 5.9. עשה גדולות ונפלאות *faciens magnas & admirandas*; i. *magna & admirabilia.*

11. *Quia voluit ivit post vanitatem*] Verbum verbo, h. e. *voluntariè vanitatem secutus est.* Quin veritatem de suo loco deturbaram hîc restiruerim nihil dubito. Verùm cùm nova hæc interpretatio Latina sit, plenior illius ratio reddenda est. Vocem igitur צו, quam alii *præceptum* interpretantur, pro שוא positam esse existimo, quæ *vanitatem* significat, earum literarum permutatione quæ inter se affines sunt & commutabiles. Hæ enim consonæ dentium זסצשׁ, quòd eodem organo proferantur, alternam inter se migrationem habere solent, ut verè Jarchius observavit in Nah. 3. 19. ubi eædem literæ quæ hîc in נפוצו pro נפושו, etsi diversâ ratione, commutantur. Illic enim ש est pro צ: At hîc contrà fit. Hinc etiam רצף idem quod רשף, nimirum *primam* notat. Simili ferè mutatione צחק & שחק ejusdem notionis sunt. Idémque valet עלץ quod עלז, & עלס pro עלץ vel עלז reperitur. Jam verò nè cui causam dubitandi præbeat quòd צו sine litera א hîc scribitur, quæ in שוא exprimitur, primùm, idem sonus est qui esset cum א ascripto. Deinde שו Jobi 15. 31. cum defectu ejusdem literæ occurrit in eadem significatione. Ut verò hunc locum ità acciperem fecit hujus locutionis, *ire post vanitatem*, frequens usus. Jobi 31. 5. *Si iverim cum vanitate.* 2 Reg. 17. 15. *iverunt post vanitatem.* Jer. 2. 8. *iverunt post ea quæ non prosunt*, h. e. vana. 1 Sam. 12. 21. *declinaretis post vanitatem.* Illa autem *ire post præceptum* cui unquam audita est? Huc accedit autoritas Lxx & Chaldæi Interpretum. Quorum illi ità reddunt, ὀπίσω τῶν ματαίων *post vana*; hîc בתר ממון דשקר *post divitias vanitatis.* שקר posuit pro שוא, ut infrà c. 10. 4. Hieronymus ità vertens *post sordes*, aliam rationem secutus est. Sed quod ad sensum attinet, haud longè abest. Illud verò *voluit, ivit*, pro *voluntariè ivit*, vulgatius apud Hebræos loquendi genus est quàm ut de eo dicere sit necesse. Simile illud Psal. 45. 4. *Prosperare, equita*, pro *prospere equita*, & Eccl. 8. 3. *nè festines à facie ejus eas*, pro *nè festinanter.*

13. *Regem Jarebi*] Nomen proprium esse mihi persuasissimum est, & multi fatentur: quidam, viri; Jarchius, Calvinus: alii, loci; Aben Ezra, Quimquius. Horum ego sententiam valde probo. Nam nè viri sit obstare videtur Hebraica syntaxis. Nusquam enim (quod sciam) nomen מלך cum nomine viri proprio cohæret, ut *Rex David*, *Rex Cyrus* dicatur, nisi articulo præfixo vel expresso, ut דוד המלך, vel incluso, ut למלך דוד. Quod autem Jer. 37. 1. invenitur וימלך מלך צדקיהו hoc quod dico non infringit, quia nomen מלך ibi cum verbo præcedente non cum nomine sequente cohærere interposita distinctio arguit. Confer eum locum cum v. 5. cap. 23. ejusdem Prophetæ. An nomen loci in Assyria (ut Quimquius arbitratur) fuerit nescio; sed certè loci fuisse judico.

G R O-

GROTIUS.

1. A*Udite hoc, Sacerdotes*] Qui Sacerdotes vos dicitis, & pro talibus habemini, ut suprà 4. 6. ¶ *Domus Israel*] Decem tribuum. ¶ *Et domus Regis*] Manahemi. ¶ *Vobis judicium est*] Vobis pœna imminet, quæ μετωνυμικῶς [*per Transnominationem*] *judicii* nomine indicatur. ¶ *Laqueus factus est speculationi*] In Græco quoque, τῇ σκοπιᾷ [*speculationi.*] sed est nomen proprium, *in Mispha.* *Mispha* & *Thabor* nemorosi montes, ubi multa aucupia exercebantur. Sic malo exemplo Israelitarum etiam Judæi multi seducebantur, infrà 3. ¶ *Super Thabor*] Ἰταβύριον Græcis & Josepho.

2. *Et victimas declinastis in profundum*] In Hebræo, *Victimas inclinantes in profundum dejecere.* Mos idololatrarum victimas jugulatas dejicere in specum in quo erat ignis. Vide Euripidem Iphigeniâ in Tauris. Transitus de persona secunda in tertiam frequens Hebræis. ¶ *Et ego eruditor omnium eorum*] *Cùm ego quotidie eos instituerem*, nempe per Achiam, Eliam, Elisæum, & Prophetas alios.

3. *Ego scio Ephraïm*] Novi eos. Ephraïm pars præcipua Decem tribuum. ¶ *Et Israël non est absconditus à me*] Novem tribus aliæ. ¶ *Fornicatus est Ephraïm*] In Hebræo, *fornicaris:* pergis in idololatria.

4. *Quia spiritus fornicationum in medio eorum*] Qui *spiritus perversitatum* Esaiæ 19. 14. Idololatriæ œstro planè sunt perciti. ¶ *Et Dominum non cognoverunt*] Eò fit *nè Dominum cognoscant.*

5. *Et respondebit arrogantia Israël in facie ejus*] *Contumacia Israëlis contra ipsum testimonium feret.* Id enim sæpe est ענה [*respondere.*] ¶ *Ephraïm ruent*] Id est, *Ephraïmitæ.* ¶ *In iniquitate sua*] In pœnam sibi debitam. ¶ *Ruet etiam Juda cum eis*] Duæ tribus Judæ & Benjaminis exempla Decem tribuum secutæ corruent sub Ægyptiis & Chaldæis.

6. *In gregibus suis & armentis vadent ad quærendum Dominum, & non invenient*] Pacem Dei per victimas frustrà exposcent. ¶ *Ablatus est ab iis*] *Subduxit se* longè *ab eis.*

7. *Quia filios alienos genuerunt*] Ex feminis earum gentium quibuscum jus connubii ipsis non erat. ¶ *Nunc devorabit eos mensis*] Menstrua pensio, quam Rex populo suo injunxit ut sarciat damnum quod fecit magnas pecunias dando Phuli Regi Assyriæ 2 Regum 15. 19, 20. Vide & infrà 8. 10. Græci non חדש [*mensis*] legerunt, sed חסיל [*bruchus,*] ut hîc notat Hieronymus. ¶ *Cum partibus suis*] *Cum possessionibus ipsorum.* Et ipsi, & terra eorum prementur gravibus tributis.

8. *Clangite buccinâ in Gabaa, tubâ in Rama*] *Buccina* ex cornu, *tuba* ex ære vel argento. Significat hostes superventuros utrique regno: nam hostium adventus per buccinas & tubas significabatur. *Gabaa* & *Rama* sunt de portione Benjaminis, *septimo ferme ab Hierosolymis lapide*, ut hîc notat Hieronymus. Vide 1 Regem 15. 17, 22. ¶ *Ululate in Bethaven*] In Bethel, ut suprà 4. 15. ¶ *Post tergum tuum Benjamin*] Quæ urbs valde tibi propinqua est, ô Benjamin. *Ubi enim tribus finitur Benjamin, haud procul in tribu Ephraïm condita est Bethel*, ut hîc ait Hieronymus.

9. *Ephraïm in desolatione erit*] *Vasta fiet.* ¶ *In die correptionis*] Cùm Deus ipsi immittet Salmanasarum. ¶ *In tribubus Israël ostendi fidem*] *Cùm adversùs tribus Israël ostendam constantiam*, meam scilicet in iis implendis quæ Prophetæ prædixerunt.

10. *Facti sunt Principes Juda quasi assumentes terminum*] Transit sæpe ab hoc Regno in illud, ut utriusque peccata ostendat & pœnas prænunciet. Terminos ab hominibus constitutos movere crimen grave, Deuteron. 19. 14. quantum ergò, constitutos à Deo terminos, id est, Legem? quod fecere Principes Judæ, ut Achazus, 2 Reg. 16. 10. 2 Paralipom. 28. 3. ¶ *Super eos effundam quasi aquam iram meam*] Id est, magno impetu.

11. *Calumniam patiens est Ephraïm: fractus judicio*] *Opprimitur Ephraïm, & judiciis frangitur.* Tum vi potentiorum, tum iniquis judiciis opprimitur populus] in Decem tribubus. ¶ *Quoniam cœpit ire post sordes*] *Quia Judices se dederunt sordibus*, id est, fœdæ avaritiæ. Ità hîc Chaldæus. Itáque sumsere Interpretes צו per ἀποκοπὴν [*Abscissionem in fine vocis*] pro צאי, quod Chaldæis *sordes* significat.

12. *Et ego quasi tinea Ephraïm, & quasi putredo domûs Judæ*] *Tinea* vestem consumit, putredo carnem ipsam. Significatur præstantia Duarum tribuum præ decem aliis, propter domum Davidis & Templum.

13. *Et vidit Ephraim languorem suum*] *Vulnus suum:* nam & verbum מזור hoc sensu sumitur 1 Regum 22. 34. & sequentibus. ¶ *Et Juda vinculum suum*] *Plagam suam.* Ea dicitur מזור, quòd obligari soleat; ideo Aquila ἐπίδεσιν [*ligamentum*] vertit: at Lxx ὀδύνην [*dolorem.*] Viderunt populus uterque quantis in malis versarentur. ¶ *Et abiit Ephraïm ad Assur*] Manahem dona mittet Phuli, 2 Regum 15. 20. ¶ *Et misit ad Regem ultorem*] *Mittet*, supple *Juda, ad Regem Teglathphalasarum, ut ipsi sit adjutor*, sive *ultor:* id enim est ירב, ut rectè putat Hieronymus ex Jud. 6. 32. Videbis impletum hoc 2 Reg. 16. 6. 2 Paralipom. 28. 16. Græci Ἰαρείβ [*Jarib*] nomen putarunt proprium, pro quo jam Hieronymi tempore malè Ἰαρείμ [*Jarim*] scribebatur, vicino ductu literarum β & μ, quod norunt qui in manuscriptis versati sunt. ¶ *Et ipse*] Assyrius. ¶ *Non poterit sanare vos, nec solvere poterit à vobis vinculum*] *Et non curabit plagam vestram.* Duas tribus non poterit indemnes præstare aut à Phacea Romeliæ filio 2 Paralipomen. 28. 6. aut ab Ægyptiis 2 Regum 23. 29. Decem autem tribus tantum abest ut à malis eripere velit Assyrius, multò quàm antè majora illis inferet, nempe Salmanasari tempore.

14. *Quoniam ego quasi leæna Ephraïm*] *Quasi panthera Ephraïm:* nam שחל *pantheram* esse & hic Hieronymus notavit, & nos ad Jobum 10. 16. Nihil proderit hominum favorem quærere, cùm ego (inquit Deus) velim absumere Decem tribus tam velociter quàm venit panthera, Duas autem tribus tam sævè quàm solet leo. ¶ *Capiam & vadam*] Similitudine à feris ductâ, quæ cum præda in lustra redeunt: quod & sequentia exprimunt.

15. *Donec deficiatis*] *Donec se reos peragant.* Ità vox אשם usurpatur Levitici 4. 13. ¶ *Et quæratis faciem meam*] In Hebræo, *Quærant. Faciem meam*, id est, favorem meum.

CAP. VI.

MUNSTERUS.

1. Q*Uia ipse rapit*] Vox hæc est pœnitentium, admonentium sese mutuò ad resipiscentiam: q. d. Nam etsi Deus propter peccata nostra *nos rapuit* & in morem rapacium bestiarum discerpsit, tamen ipse conversos iterum *sanabit*, & propterea percutit ut sanet; ut nemini sit desperandum.

2. *Tertiâ die suscitabit nos*] Jehudæi ad modernam referunt captivitatem, de qua per Meschiam sperant liberari: Verùm cùm in hoc errent, Christiani veriùs hoc intelligunt de tertia die quâ Christus à mortuis surrexit, & suis spem vitæ immortalis & futuræ resurrectionis dedit. *Resurrexit* enim *Christus à mortuis ut primitiæ esset dormientium*, &c. Tunc *quasi* gratissima *aurora* cœpit coruscare orbi gratia resurrectionis, sensim se proferens & illustrans mundum, & *veluti pluvia fœcundissima*, &c.

4. *Quasi nubes matutina*] Hæc *nubes* statim ut apparet devoratur à Sole, sicut & *ros* illico exsiccatur; & talis fuit *pietas* populi Israëlitici. Nam aliquando brevi zelo movebantur ad cultum Dei, excidentes lucos, interimentes falsos Sacerdotes Baal; sed statim redierunt ad priores abominationes. Et tamen Deus nunquam destitit mittere *Prophetas* sanctos, quos veluti lapides ex lapidicina *abscidit*, & misit in periculum vitæ, ut perversum corrigerent populum, nè in horrendum Dei inciderent judicium, sed pii essent in Deum & homines, & non justitiam suam in externis ponerent ceremoniis, sed fidem servarent in Deum, & charitatem erga proximum.

7. *Sicut homines transgressi sunt fedus*] i. Transgressionem fœderis mei non majoris fecerunt quàm ruptum fedus cum homine quolibet initum. Vel, Cùm ego ex pacto postulem pietatem & cognitionem mei, illi omissâ veritate fœderis solùm externis sacrificiis me honoraverunt.

8. *Gilead*] Hæc erat *una ex civitatibus* refugii, ubi sanguinum effusores tuti esse debuerant qui casu aliquem occidissent; verùm hæc magis *sanguinaria* fuit; nec major pietas in ea inventa est quàm in aliis locis. Inhabitabatur à *Sacerdotibus*, sed illi insidiati sunt sanguini haud secùs quàm latrones, qui in viis latitantes transeuntes quosque concutiunt & dispoliant *uno humero*, h. e. pari consilio & subsidio. Alii habent *Sichem* pro proprio nomine, ut sit sensus, *in via quâ itur Sichem trucidant*

11. *Sed & tu, Jehuda*] Locus est obscurus: Hebræi hunc putant continere sensum, *Interim dum ego cogito avertere captivitatem populi mei*, propter bonos viros qui sunt in eo, *ecce tu, Jehuda*, imitaris vestigia Israëlis, & *ponis tibi messem*, h. e.

Lernam malorum, *multiplicans* scilicet, ut Jonathan vertit, *scelera & culpas*. Kimhi accipit קציר pro נטע *plantatione lucorum*.

VATABLUS.

1. R*Apuit* טרף] Præt. Heb. pro fut. ut quidam vertunt, vel præsenti, i. more feræ rapientis vulnus infligere potest. Respicit præcedens. ¶ *Et alligabit nos* ויחבשנו] i. Quasi fasciis vulnera nostra alligabit, & curabit nos.

2. *Vivificabit nos* יחיינו] i. Per Christum restituet vitam nobis qui mortui eramus per peccatum.

3. *Ut sequantur ad cognoscendum* נרדפה לדעת] Doctus inter Hebræos subaudit אשר. Alii subaudiunt ו, *& sequemur ad cognoscendum:* vel, *& pergemus in cognoscendo Jehovam*. Alii, *& sequemur*, i. imitabimur, *eum*, Christum, ut per eum veniamus in cognitionem Dei Patris. ¶ *Præparatus est* נכון] i. Pulcer, elegans & concinnus est. ¶ *Terra* ארץ] Sub. *sitienti*. Ea enim maximè desiderat imbrem ac pluviam. Est autem מלקוש *pluvia serotina* quæ decidit tempore Verno, יורה *temporanea*, quæ in Autumno.

4. *Cùm misericordia vestra* וחסדכם] *Cùm pietas vestra*. Nomine *misericordiæ* intelligit bonitatem, & omnem justitiam. *Nubes matutina* facilè evanescit ad adventum & calorem Solis; propterea pro *re instabili & evanida* accipitur: q. d. Quâ ratione sanabo vos? non enim verè resipuistis, quia non perstitistis in resipiscentia vestra. Est itaque resipiscentia vestra non firma & stabilis, imò evanida est. Sequentibus seipsum declarat.

5. *Succidi Prophetas* חצבתי בנביאים] *Dedolavi in Prophetis*. Solent latomi, qui incidunt lapides, tundere ac contundere illos. Alii, *obtudi Prophetas*, sub. *meos*, ut incitarem vos ad veram resipiscentiam. Seipsum mox declarat. ¶ *Ut judicia tua*, &c. ומשפטיך אור] Ad verb. *& justitia tua lux* quæ *egredietur*, i. exoritur. Quidam vertunt, *& tamen judicia tua* fuerunt ut *lux* quæ *egreditur:* & exponunt, *& tamen interim res tuæ feliciter tibi ac prospere cesserunt:* q. d. Præter missos Prophetas cumulavi te beneficiis. Sed hæc versio parùm sequenti versui convenit. *Judicia* vocat misericordias in proximum præstandas, ut mox dicet, *Misericordiam volo*.

6. *Volo*, *& non sacrificium* חפצתי ולא זבח] i. *Amo* [sive *opto*] *potius quàm sacrificia*. Præt. Heb. pro præs. Est autem Hebraismus qui verbis mox sequentibus explicatur, *Et cognitionem Dei præ holocaustis*. ¶ *Præ holocaustis* מעלות] *Plusquam holocausta*.

7. *Tanquam hominis* כאדם] Sub. *pactum*. i. Non pluris fecerunt pactum quod pepigi cum eis quàm pactum cum quovis homine initum. ¶ *Ibi* שם] Nempe in patria sua, ubi tot ac tanta beneficia à me acceperunt.

8. *Fœdata* עקבה] *Polluta*, *contaminata:* q. d. Galaaditæ sunt facinorosi & sanguinarii homines. Alii vertunt *callida & astuta sanguine*, i. sanguini fundendo.

9. *Et ut exspectant virum* וכחכי איש] Ad verb. *Et secundùm exspectare virum*. Infinitivus: ubi י est loco ה. ¶ *Collegium* חבר] *Congregatio*, *societas*. ¶ *Interficiunt* ירצחו] Fut. Heb. pro præterito, vel præsenti. ¶ *Consensu* uno שכמה] Ad verb. *humero*, sub. *uno*, i. consensu unanimi; quia dixerat *congregatio* sive *turma Sacerdotum:* q. d. Sacerdotes idolorum observant transeuntes, & in viis occidunt. ¶ *Faciunt* עשו] Præt. Heb. pro præs.

10. *Fœditatem* שעריריה] *Contaminationem*, i. idololatriam. ¶ *Ibi* שם] In Israele scilicet, nempe in Bethel & Dan.

11. *Posuit* שת] Sub. *is cujus operâ usus sum:* i. Cùm asserui populum meum in libertatem, qui antea captivus erat in Damasco & Hemath (quas Jeroboam filius Joas Rex Israel restituit Regno Juda) is cujus operâ usus sum in hoc facto, posuit incolas in Damasco & Hemath, h. e. effecit ut Judæi habitarent in Damasco & Hemath, & tamen fuit ingratus.

CASTALIO.

2. R*Evocabit nos in vitam post biduum*, *die tertio suscitabit nos*, *& coram eo vivemus*] Cum Christo, qui tertio die revixit.

4. *Quorum pietas est matutinæ nubi similis*, *aut abeunti maturè rori*] Qui celerrimè pietatem relinquitis.

5. *Ut oriatur æquitatis tuæ lux*] Justus piusque fias.

8. *Galaadus civitas est maleficorum*, *sanguine callida*] In cædibus exercitata.

9. *Qui in via perimunt quà itur Sichemam*, *quippe qui flagitium faciant*] Ad simulacrorum cultum pelliciant, quod perinde est ac si interficerent.

11. *Tu quoque*, *Judæ*, *compara tibi messem*, *quæ erit revocante me mei populi captivos*] h. e. Vos quoque, Judæi, peccaturi estis, & ità pœnam vobis conflaturi, quæ sit vestri peccati *messis* atque fructus; quam pœnam vobis irrogabo tum cùm *meos captivos revocabo*, sc. bonos. Nam vos qui improbi estis meam pacem non consequemini, sed soli *mei*, h. e. boni. De qua re vide quæ in Esa. 57. scripsimus. Quod autem dicit, *compara tibi messem*, imperativo utitur pro futuro; ut Christus cùm dicit, *Implete mensuram majorum vestrorum:* sicut alibi docuimus. ¶ De *messe* autem quæ *pœnam* significet, vide cap. 8, & 10.

CLARIUS.

1. I*Pse cepit*] Vel *rapuit*. Vox est pœnitentium, admonentium sese mutuò ad resipiscentiam, q. d. Nam etsi Deus propter peccata nostra *nos rapuit* & in morem rapacium bestiarum discerpsit, tamen ipse conversos iterum *sanabit*; & ob hanc unam causam percutit ut sanet, ut nemini sit desperandum. Hic autem in omnibus Prophetis mos ferè est, ut post minas subjiciant consolationem & spem.

2. *Vivificabit nos post duos dies*] *Sanabit nos à morbo duorum dierum*, h. e. brevì (nam momentanea est hæc levitas hujus afflictionis) sic, *ut die tertiâ suscitet nos*, *& vivemus in conspectu ejus*, *& sciemus* quomodo nos oporteat *assequi cognitionem Domini*. Ait autem *nos tertiâ die suscitandos*, quia tertiâ die surrexit Dominus à mortuis, & suis spem vitæ immortalis & futuræ resurrectionis dedit. *Resurrexit* enim *Christus à mortuis* tanquam *primitiæ dormentium*.

3. *Quasi diluculum*] Tunc enim quasi gratissima aurora cœpit coruscare Orbi gratia resurrectionis, sensim sese proferens, & illustrans mundum, & *veluti pluvia fœcundissima opportunè demissa*.

4. *Probitas vestra quasi nubes matutina*] Quæ videlicet citò evanescit, quæque tantùm sita erat in externis ceremoniis, ut paulò pòst ostendit. Vel sic, Sicut hæc *nubes* statim ut apparet devoratur à Sole, & *ros* illico exsiccatur, talis fuit *pietas* populi Israelici: nam aliquando brevi zelo movebantur ad cultum Dei, excidentes lucos, & interimentes falsos Sacerdotes Baal, sed statim redierunt ad priores abominationes. Et tamen Deus nunquam destitit mittere Prophetas sanctos, quos veluti lapides ex lapicidina abscidit (nam quidam vertit, *abscidi Prophetas*) & misit in periculum vitæ, ut perversum corrigerent populum, nè in horrendum Dei inciderent judicium, sed pii essent in Deum & homines, & non justitiam suam in externis ponerent ceremoniis, sed fidem servarent in Deum, & charitatem erga proximum. Illud autem *rupi Prophetas* significat quòd quasi ruperit eos assiduis concionibus ad populum per eos habitis, ad hunc finem, *ut judicia tua quasi lux egrederentur*, h. e. ut in inchoata justitia persisteres & progredereris, atque ad consummationem pervenires.

7. *Sicut Adam*] *Sicut Adam* nullâ necessitate nec alicujus rei inopiâ *prævaricatus est*, sic & hi petulantiâ *prævaricati sunt in me*. Alius exponit sic, *Transgressionem fœderis mei non majoris fecerunt quàm ruptum fœdus cum homine quolibet initum*.

8. *Supplantata sanguine*] h. e. Fœdata. *Galaad* erat *una ex civitatibus* refugii, sanguinis effusores tuti esse debuerant qui casu aliquem occidissent: verùm hæc magis *sanguinaria* fuit, nec major pietas in ea inventa est quàm in aliis locis. Inhabitabatur à *Sacerdotibus*, sed illi insidiabantur sanguini, haud secùs quàm *latrones*, qui *in viis* latitantes transeuntes quosque concutiunt & dispoliant *uno consensu* ac pari auxilio: quod Hebraismus ait *uno humero*.

9. *Quia scelus*] Quasi scelesta consilia inierunt.

11. *Et, ô Juda, ponis*] Locus est obscurus. Hebræi hunc putant subesse sensum, *Dum ego cogito avertere captivitatem populi mei*, propter bonos viros qui sunt in eo, *ecce tu*, *Juda*, imitaris vestigia Israelis, & *ponis tibi messem*, h. e. Lernam malorum, multiplicans scilicet scelera & culpas. Alius vertendum putat, *Sed &, ô Juda, posuit plantulam contra te*, *cùm vellem convertere*, &c. h. e. etiam te docuit idololatriam (per *plantulam* enim accipiunt plantationem lucorum) quâ obstitit nè *populum meum converterem*.

D R U S I U S.

1. V*Enite*, *& revertamur*] Sunt verba eorum qui malis edocti resipuerant. Hi se invicem hortantur ad pœnitentiam. Sed Propheta hoc capite docet, hanc eorum pœnitentiam fluxam atque evanidam esse, utpote quæ ad tempus duret duntaxat, nec stabilis sit & firma. Vidi editiones quæ inciperent hoc caput à versu ultimo præcedentis capitis. Nos secuti sumus exemplaria emendatiora. Græci & Hieronymus initium faciunt à verbis illis, *In adversitate sua quærent faciem meam*, dicentes, *Venite.* Agitè, adverbium Hortandi; ut Jer. 18. 18. *Venite, cogitemus contra Jeremiam.* Cohel. 2. 1. *Veni, nunc libabo cum lætitia.* Gen. 11. 4. *Venite, faciamus nobis lateres.* Jes. 1. 18. *Venite, jam disceptemus.* Jon. 1. 7. *Venite, & projiciamus sortes.* ¶ *Rapuit*] Discepsit nos ut leo prædam. Suprà, *Ego sicut leo ipsi Ephraim*, &c. *ego ego rapiam.* Hic טְרֹף syllaba ultima habet (ֹ) extra pausam pro טָרָף. Fit hoc & aliàs, ut docet R. D. in ea parte Michlol ubi de re Grammatica agitur. ¶ *Sanabit nos*] Quod Assyrius non potuit. Suprà 5. 13. *Ipse non poterit sanare nos.* ¶ *Obligabit nos*] Curabit vulnera nostra, quæ Rex Jareb non potuit curare.

2. *Vita restituet nos*] E morte calamitatum revocabit nos in vitam facilem ac tranquillam omniúmque perturbationum expertem. Aut per *vitam* intelligit sanitatem. Nam qui ex morbo aliquo convalescit *iterum vivere* dicitur. Sic suprà mala quæ pertulerant Israelitæ *morbum* appellat. Hoc sensu sumitur חיה Jos. 5. 8. עד חיותם *donec convaluissent*, Jes. 38. 21. ויחי *& sanabitur.* ¶ *Post biduum*] Post breve tempus. Nam *momentum in ira ejus*, ut David ait. ¶ *Eriget nos*] Vel *suscitabit nos.* Sed prætuli *eriget*, quia ægrotus in lecto jacet; idem sanitati restitutus surgit. Deus autem eum erigit. Interpretes huc adferunt quæ mihi parùm solida videntur. ¶ *Die tertio*] Statim póst. ¶ *Et vivemus*] Vitam lætam traducemus. Nam *vivere* interdum est jocundè vivere. ¶ *Coram eo*] Malim *coram facie ejus.* Nam innuit favorem Divinum, qui fons est omnis nostræ felicitatis. Sic alibi, *Satietas lætitiarum cum vultu tuo.*

3. *Sciemus persequemur*] Ità est in Ebræo κατὰ πόδα. Latinè id vertas, *Scientes persequemur*, vel, si mavis, *Scienter persequemur.* Solet enim hoc modo verbum pro adverbio poni. Exempla nusquam non obvia. Sensus est, *Magis ac magis proficiemus in notitia Dei.* Quod comparatione illustrat sanè insigni. Nam profectus piorum similis *auroræ*, quæ in singula momenta crescit & augescit, Prov. 4. 18. & 2 Petr. 1. 19. Sed operæ est animadvertere gradationem. *Sanabit nos, vita restituet, eriget, & vivemus coram eo:* nec hoc tantùm, sed etiam *proficiemus in notitia ipsius*; quod est proprium piorum ac fidelium. Cæterùm qui Deum sectantur debent id facere cum scientia. Nam qui ei student absque scientia, improbandi sunt. Apostolus appellat ζῆλον ȣ̓ κατ' ἐπίγνωσιν, *zelum absque scientia*, Rom. 10. 2. ¶ *Ut cognoscamus DOMINUM*] Quid sit *Deum cognoscere* docetur Jer. 22. 16. Nam qui *exercet justitiam & judicium* is ibi *notitiam habere* dicitur *Dei.* Sanè Theologia vita est, non scientia; res, non verba. Ergò Scholia Ebraicà enarrant UT COGNOSCAMUS IPSUM, *ut colamus ipsum.* Quod is facit, non qui multas victimas immolat, sed qui secundùm præcepta ipsius vitam instituit. ¶ *Tanquam aurora*] Quæ ut primùm orta est, apparet in montibus, deinde longè latéque se explicat, & *augetur magis magisque usque ad perfectum diem.* Talis est profectus fidelium. Aliter vertas, *sicut aurora cujus egressus compositus est*; q. d. Lucere faciet super nos lumen vultûs sui, perinde ut aurora, quæ ortu suo diem facit & noctis tenebras dispellit. ¶ *Sicut imber*] Quid imber? Semina emortua in vitam revocat. Idem Deus facit cùm nos è calamitate aliqua liberat, & quasi vitæ restituit. Hoc proverbiale etiam copiam notat. Item Imbris Metaphora significat Doctrinam, Deut. 32. 2. *Distillabit ut pluvia doctrina mea.* Vel, Ut imber terram humectat, sic ille nos irrigabit cœlesti pluvià. Sed germanum esse puto, *ut imber*, i. copiosé. ¶ *Pluvia serior*] Quâ maturescunt mox metendæ segetes. Hæc pluvia decidere solet initio Martii, vel antè. Nam 16 Martii messis incipiebat. Quidam *cordam*, alii *serotinam* vocant. Græcè ὑετὸς ὄψιμος. ¶ *Et maturior*] Copula aberat in Ebræo: Nos eam supplevimus, sensu ità postulante. Nam quod Jonathan reddit, *ut pluvia serior quæ irrigat terram*, alienum est à scriptura quæ hodie obtinet. Ipse autem videtur legisse יורה inversis literis. Est autem *pluvia maturior* quæ post factam sementem decidit; quam *vernam* nonnulli nuncupant. Varro dixit *imbres primores:* ὑετὸς πρώϊμος vocatur Jac. 5. 7.

4. *Quid faciam tibi*] q. d. Eà es levitate & inconstantià ut labor omnis quem pono in te curando cassus & irritus sit. ¶ *Benignitas vestra*] Olim erat *misericordia vestra.* Id exponunt *justitia vestra.* Sed probent mihi Benignitatem *justitiam* vocari. Alii BENIGNITAS VESTRA *quam erga vos exercui:* quasi eos ingratos velit dicere quòd beneficiorum quæ ab ipso acceperant citò fuerint obliti. Non placet. Quid igitur? Verterim *pietas vestra.* Nam si חסיד est *pius*, ut revera est, cur חסד non potest reddi *pietas?* *Pietatem* autem intelligo sanctimoniam vitæ. Sic infrà, *Pietatem volo, & non sacrificium:* quod vulgò reddunt, *Benignitatem volo*; & antiqui, *misericordiam.* ¶ *Sicut nubes matutina*] Quæ citò evanescit. Nam Sol exoriens & diem faciens dispellit eam. Unde proverbium Gallicum, *Brun matin souhait du pelerin*, i. *Nubilosum manè gratum est viatori.* ¶ *Sicut diluculò abiens*] i. Evanescens. משכים nomen est, ut volunt Ebræi; aut participium pro adverbio, *manè cadens abit*, i. evanescit. Ad hanc formam nomen est Job 36. 31. למכביר *ad copiam*, i. copiosissimé. Cæterùm ros simulac decidit, in aquam resolvitur, quæ deinde Solis exortu exsiccatur.

5. *Dolavi in Prophetis*] Sic V. Interpres; & sic est in Ebræo ad verbum: nisi malis *excîdi in Prophetis.* De sensu non convenit Interpretibus nuperis. Quidam exponunt *excidi Prophetas*; ut mox *occîdi eos.* Quod de iis dicitur quibus vehementer molesti sumus. Sic Comicus, *Occîdunt me nunc, dum nimis sanctas student apparare nuptias.* Ego, ut vos ad frugem perducerem, *enecavi Prophetas* ipsos, dum eos ad vos mittere non cesso. Alii, *cecîdi per Prophetas:* idque ad populum referunt. Videtur mihi hæc interpretatio verior esse. Nam est Beth in Ebræo, quæ litera Instrumentum designat. Ego, inquit, *Per Prophetas* meos vos *excîdi*, h. e. ad mortem usque molestus fui: aut *cecîdi* & interfeci vos verbo meo quasi gladio. Hoc postremum non adeò placet. Vide Kimchi. ¶ *Et judicia tua*] Hoc feci quò *judicia tua* essent *sicut lux*, quæ paulatim incrementum sumit: ac si diceret, nè essent *sicut nubes matutina*, quæ simulac exorta est evanescit. Ad hanc sententiam meliùs vertas, *quò judicia tua essent lux exoriens.* Vult dicere, Ut in judicio faciendo indies progressum faceres. ¶ *Ut lux egredientur*] i. Exorientur. In Ebræo est ad verb. *egredietur:* ut legi possit, *unumquodque judiciorum tuorum ut lux exorietur.* Cæterùm nota Similitudinis nulla est in fonte: ideo legi malim, *judicia tua lux exoriens*, vel *quæ exoritur.* *Et* pro *ita* notum est. *Judicium* autem vocatur interdum norma bene vivendi. Aut *judicia tua*, pœnæ tuæ: ut sensus sit, Castigationes tuæ paulatim auctæ sunt & incrementum sumpserunt, quemadmodum lux in singula momenta crescit & augetur. Quidam pronomen *tua* passivè accipiunt. Ut *oratio mea*, quæ mihi habetur: sic *judicia tua*, quæ in te exercentur à me. Sic Galli exponunt, nec omnino displicet.

6. *Benignitatem*] Alii *misericordiam*, i. opera misericordiæ. Quid si *sanctitatem?* *Sanctitatem* voco quæ Græci ὁσιότης dicitur; vulgò *sanctimonia vitæ.* Nam חסיד *sanctus*, i. ὅσιος. Vide v. 4. ¶ *Volo*] Delector eà. Ad hunc modum explicat Hieronymus. Idem verbum in illo, *Nolo mortem peccatoris:* & ibi, *Non Deus volens iniquitatem tu es.* ¶ *Et non*] *Potiùs quàm.* Vide Animadv. lib. 1. c. 45. Magis, inquit, delector sanctitate morum quàm sacrificiis. Nam sacrificia sine vitæ integritate quanquam à Deo instituta & præcepta, tamen ingrata sunt. Huc facit illud Poetæ,

Non bove mactato cœlestia numina gaudent,
Sed quæ præstanda est vel sine teste fide.

¶ *Scientia Dei*] Quæ conjuncta semper cum vitæ integritate. Nam, ut alius Propheta scribit, *scientia Dei est facere judicium & justitiam.* Hinc *noscentes Dei* vocantur qui notitiam habent rerum Divinarum, & secundùm eam mores conformant. Hoc sensu dixit Seneca Epist. 96. *Deum colit qui novit.* Sanè cultus Dei non consistit in scientia, sed in vita. Dico, in nuda scientia. Alioqui *scientia*, de qua hic sermo, comitem habet vitam sanctam, vitam integram, sine qua Deo placere aut gratus esse nemo potest. ¶ *Quàm holocausta*] Plenum est, *magis quàm holocausta.* Quæ ellipsis tam frequens in sermone Ebræorum ut ferè aliter non loquantur. Sic apud Græcos ἢ poni amat pro μᾶλλον ἤ. Notavi aliàs.

7. *Sicut homines*] Qui naturà leves ac vani, nè dicam fedifragi. Sed אדם interdum denotat *homines vulgares & è plebe promiscua*, ut contrà איש sign. *nobiles & eos qui cum auctoritate sunt.* Quod an hic locum habere possit nescio. Si recipitur, dicit

dicit eos violasse pactum Dei non aliter ac plebeii solent, quibus sæpe ludus ac jocus est hoc facere. Similis locus Job. 31. 33. *Si texi quasi homo defectiones meas.* Sunt præterea duæ interpretationes in hunc locum. Una est Hieronymi, quam Santes retinuit, *Sicut Adam transgressi sunt pactum.* Legitur quoque apud Salomonem ordinarium interpretem Ebræorum. Altera est Tremellii & Junii, *Tanquam hominis transgressi sunt fedus*, Genevensibus probata, non item mihi: Siquidem ordo verborum tum esset potiùs, *Transgressi sunt fedus tanquam hominis:* quanquam & hoc durum in auribus meis. ¶ *Transgressi sunt fedus*] Irritam fecerunt fidem Deo datam, aut violarunt pactum conjugii quod inter Deum & ipsos. Id faciunt maximè qui deos falsos colunt. ¶ *Ibi*] Vel in solo patrio: vel *ibi*, i. tunc; ut apud Davidem, *Ibi timuerunt timorem:* & Terentium, *Ibi homo me cœpit obsecrare ut sibi liceret discere id de me.* Quidam *ibi*, i. in eo fœdere. ¶ *Perfidè egerunt*] Nam fedus frangere, præsertim in religione, extrema perfidia est.

8. *Galaad civitas*] Quid? an *Galaad* nomen civitatis? Arbitrantur interpretes fuisse unam ex asyliis terræ Sanctæ. Id probant ex Jos. 20. 8. Sed ibi offendi *Ramoth in Galaad:* quæ civitas erat refugii à Levitis habitata in Galaad regione. Fuit tempus cùm suspicarer *Galaad* dici compendio quodam sermonis pro *Ramoth-Galaad*, quemadmodum *Aven* dicimus pro *Beth-aven.* Postea cœpit hæc suspicio mea mihi displicere, nec injuriâ: nam non temere hujusmodi ellipsis admittenda est. Igitur alii legunt, *In Galaad urbs erat*, i. בגלעד. Sed sciendum (Eusebius mihi auctor) in tractu montis Galaad urbem fuisse ejus nominis, sic appellatam vel à monte cognomine, vel à Galaad Machir filio. Verba Eusebii sunt, GALAAD, *mons, ad quem septimo die profectionis è Charris Jacob profugus venit. Est autem ad tergum Phœnices & Arabiæ, collibus Libani copulatus: extenditurque per desertum usque ad eum locum ubi trans Jordanem habitavit olim Rex Geon Amorræorum. Cecidit supradictus mons in sortem filiorum Ruben, Gad & dimidiæ tribûs Manasse. Sed & Jeremias loquitur*, Galaad, tu mihi initium Libani. *A quo monte & civitas in eo condita sortita est vocabulum, quam & cepit de Amorræorum manu Galaad filius Machir filii Manasse.* ¶ *Fœdata*] i. מלכלכה. Sic enarrant veteres Ebræi, quos nunc secutus sum: unde & עקבה *feminal*, sive id quo feminæ fumus, videlicet à *turpitudine*, non à *calce*, ut quidam putant. Quanquam feminæ pudendum versùs calcem vergit cùm illa sedet. Cæterùm à עקב fit עקבה, ut ab ארם formatur ארמה. Est autem nomen adjectivum, quod V. Interpres reddit *supplantata.* Maluissem *supplantatrix*, q. d. *insidias struere docta cædis causâ:* quod in editione nupera quæ è Sabaudia prodiit, *rusée à tuer.* ¶ *Sanguine*] i. בדם. Nunc cùm sit מדם, videtur potiùs vertendum *propter sanguinem*, ut alibi מפני *propter cadem.*

9. *Sicut exspectant virum turma*] Verba Ebræa ambigua sunt: Nam reddi etiam possunt, *Sicut exspectat vir turmas*, sub. *viatorum. Ut viri latrones*, inquit, *vias obsidentes exspectant viatores turmatim prætereuntes.* Sic interpretatur Jonathan. Mihi prior interpretatio magis arridet, ut per *turmas* intelligantur catervæ latronum, quibus solitum observare prætereuntes, quos rebus omnibus spoliatos plerumque occidunt. Cæterùm חכי dixit pro חכות. Nam hæ literæ alternant. Esset autem חכות. Siquidem infinitum constructum communiter in *oth* definit. R. Saadia legit, *Quales hami viri riparum*, sive *ad ripas stantis*, i. piscatoris. Sensus est, Ut piscator hamis in flumen conjectis pisces indè extrahit, sic Sacerdotes, &c. Videatur R. D. K. ad h. l. *Virum*, i. viatorem prætereuntem. ¶ *Societas*] *Collegium.* ¶ *Sacerdotum*] Joseph cognomento Camius, pater Davidis, hunc locum enarrat de Principibus, quos ait כהנים dici aliquando, ut 2 Sam. 8. 18. *Et filii David Sacerdotes erant*, i. magnates. Sanè quæ sequuntur magis Principibus conveniunt quàm ipsis Sacerdotibus. *Humero*] Consensu. Proverbiale. Alibi est *humero uno:* quod ità plenè dicitur ut suprà *mensis* pro *mensis unus.* Vide Proverbia mea. Sunt qui referant *viâ quâ itur Sicimam.* Nam שכם *Sicima*, quæ & *Sichem*, & corruptè *Sichar* in N. F. Joan. 4. 5. Metropolis olim Regni Israelitici 1 Reg. 12. 25. Aliis est Adverbium, *Sicemicè*, quo significat eos per insidias homines occidere ut olim Patriarchæ fecerant cùm Sicimitas delerent ob stuprum Dinæ sororis. Gallica editio recentior, *faisans l'espaule l'un à l'autre.* ¶ *Scelus fecerunt*] Vel *faciunt.* q. d. Facta ipsorum omnia scelerata sunt. Vel lege *cogitata fecerunt*, ut sit זמה pro מזמה. Quicquid animo, inquit, cogitarunt, id opere compleverunt. Dubito an זמה eo sensu alibi reperiatur.

10. *In domo Israel*] Inter Israelitas. ¶ *Rem horrendam*] Alii, *fœditatem.* Intelligit autem cultum Vitulorum, quo nihil fœdum magis nec magis abominandum piis animis. ¶ *Ibi*] In Dan, & Beth-el. ¶ *Scortatio*] Quam *spiritualem* vocant, quæ nihil aliud est quàm Idololatria: Quam *Ephraimi* dicit, quia Jeroboam, qui eam instituit, de tribu Ephraim erat. ¶ *Pollutus est Israel*] Quidam construunt, *Ibi scortatione Ephraimi pollutus est Israel.*

11. *Etiam ò Juda*] Interpretatio hæc Tremellii est, quam nunc secutus sum, cùm alia nulla occurreret probabilior. Interpretes è Sabaudia, *Etiam Juda ponet messem tibi, cùm reduxero captivitatem populi mei.* Sensus est, Metet fructus terræ tuæ, quam reversus è Babylonia possidebit. Livelæus, *Cùm reduxero captivam turbam populi mei, Juda tibi messem ponet*] h. e. *Tempus lætitiæ ac gaudii tibi tribuet.* Adverbium Vocandi, quod etiam D. Camius hîc subaudit, desideratur in textu Ebræo, ut Gen. 49. 8. *Juda, te laudabunt fratres tui* ¶ *Posuit*] Ephraim. ¶ *Messem*] Idololatriæ. Alii, *posuit ramum tibi.* Nam קציר etiam *ramum* denotat: aliquando *palmitem.* Videtur esse proverbiale. ¶ *Cùm reducerem*] Historia exstat 2 Par. 28. 8. ¶ *Captivitatem populi mei*] Captivos Judæos.

IDEM.

1. HΡπακε] Hanc lectionem invenies in C. & R. In cæteris est πέπαικε, & apud interpretem antiquum *verberabit.* ¶ Καὶ μοτώσει ἡμᾶς] i. *Curabit nos.* A turundis Metaphora ducta, quarum usus in curandis vulneribus. Nam μοτὸς *turunda.* Interpres recentior cujus versio exstat in Bibliis Regiis, fortè quòd legit μοττώσει, vertit *turbabit nos*, sensum, ut mihi quidem videtur, non assecutus.

2. Ἐξαναστησόμεθα] Aliàs ἀναστησόμεθα. ¶ Ἐνώπιον αὐτοῦ] Ἐναντίον αὐτοῦ.

3. Διώξομεν] Καὶ διώξομεν codex B. A. cæteris abest καὶ, & rectè abest: non enim legitur in Ebræo. ¶ Εὑρήσομεν αὐτὸν] נמצאו non est à מצא, ut putarunt, sed à יצא, & sign. ἡ ἔξοδος αὐτοῦ.

5. Ἀπεθέρισα] חצבתי, verbum merè Chaldaicum. Porrò in Ebræo חצבתי. Errarunt igitur in Beth & Daleth. ¶ Τὸ κρίμά μου] Ed. B. τὸ κρίμά σου, quomodo sanè legit priscus Interpres, qui vertit *judicium tuum.*

6. Ἐπίγνωσιν Θεοῦ ἢ] Aliqui cod. habent καὶ ἐπίγνωσιν Θεοῦ μᾶλλον ἤ. Vetus quoque Interpres *magis quàm holocausta.*

7. Παραβαίνων] Biblia Regia παρεκπικραίνων. Prius germanum: nam & in antiqua Hieron. *præteriens* ¶ Κατεφρόνησε] L. V. *contempsit.* Editi ad E. C. κατεφρόνησαν, *contempserunt.*

8. Ὕδωρ] מים pro מדם ἐξ αἵματος. Est similitudo aliqua inter Joth & Daleth cùm minutè scribitur: ea fortasse fefellerit Interpretes.

9. Ἡ ἰσχύς σου] i. כחך. Nunc legimus כחכי, quod Hier. transfert *quasi fauces*; alii, *quemadmodum exspectant.* ¶ Ἔκρυψαν] Fallor? an rectè conjicio חבו? nam חבר *societas* nomen, non verbum est. ¶ Ὁδὸν] In quibusdam libris ὁδὸν Κυρίου, ut in L. V. *viam Domini.* Sed Κυρίου non legitur in Ebræo, ut nec in C. & R. ¶ Σίκιμα] Aliàs Σίκημα. In Hieron. *Sicima.*

11. Καὶ Ἰούδα] Aliquot editiones, καὶ Ἰούδας ἄφηκε θερισμὸν αὐτῷ· quod tamen nec in antiqua versione legitur, nec in C. & R. & omnino, cùm sequatur ἄρχου τρυγᾶν, &c. alterutrum superare videtur. Sæpe accidit ut una vox corrupta aliam corrumpat: ἄφηκε pro ἔθηκε causam dedit ut σεαυτῷ mutaverint in αὐτῷ. Nam puto initio scriptum fuisse ἔθηκε θερισμὸν σεαυτῷ & hæc opinio meum animum ità insedit nullo ut evelli modo adhuc potuerit. Suprà 2. 3. והצגתיה καὶ τάξω αὐτήν. ¶ Ἄρχου τρυγᾶν σεαυτῷ] Aliqui codices τρυγῶν habent pro τρυγᾶν. Translatio vetus, *incipe vindemiam tuam:* ἄρχου שרי τρυγᾶν קציר ex lingua Chaldaica, & hanc meam conjecturam adjuvat quòd Jonathan vertit, *cœperunt multiplicare debita sua*, ubi pro שת posuit שריו *cœperunt*, quod rite leges שרי. Vide nunc, si vacas, ed. Rom.

IDEM.

1. ויחבשנו. Omnes, καὶ μοτώσει ἡμᾶς] *Omnes*, etiam Lxx. Hier. *Pro eo quod nos diximus* curabit, *omnes similiter transtulerunt* μοτώσει, indito penicillo vulnerario curabit. Hieron. *Propriè* μοτὰ *appellantur linteola quæ inseruntur vulneribus, ut putridas carnes comedant & extrahant purulentias; Artisque medicorum est grandia vulnera longo sanare tempore, & per dolorem reddere sanitatem.* Lexicon Hesychii, Μοττώση, ἰάσεται δι'

δι' ὀθονίων. Lego μοτώσει, & ἰάσεται δι' ὀθονίων expono *curat adhibitis linteolis.* Nihil verius. Sic etiam lego apud Sudam sive Suidam, Μοτώσει, ἰάσεται δι' ὀθονίων, ubi vulgò μοτώσειεν. Uterque hinc desumpsit, ut credibile est.

9. כְּחַכֵּי אִישׁ גְּדוּדִים. Sym. *& fauces tuæ quasi viri insidiatoris*] FAUCES TUÆ חכך. Notum ut חך *palatum* designet. Antiqui quandoque *fauces* reddunt; ut ibi, *Adhæsit lingua mea faucibus meis:* aliàs, *palato meo.* Non memini legere in numero Multitudinis. Quò minùs placet interpretamentum Hieronymi, *& quasi fauces virorum latronum*, ae si esset כחכי. Idem in Comment. *Denique Sym. manifestiùs interpretatus est*, & fauces tuæ quasi viri insidiatoris. איש גדודים *vir turmarum* vel *cuneorum*, i. latro sive latrunculus, insidiator, ἐνεδρεύων. Nam tales amant insidias ponere prætereuntibus. Gen. 49. 19. גדוד. Aq. εὔζωνος, i. *accinctus* sive *expeditus.* Hoc nomen Ebraicum obvium aliquoties in Bibliis Græcis, sed corruptum: γεδδὼρ enim ibi legitur pro γεδδὼδ sive γεδδοὺδ, ad quod exemplum scribebant Μεσσίας pro Μεσίας, i. משיח. ¶ חֶבֶר כֹּהֲנִים דֶּרֶךְ יְרַצְּחוּ שֶׁכְמָה. Aq. *Participatio Sacerdotum in via occidebant humeros.* Sym. *Societas Sacerdotum in via interficiebant Sichem.* Th. *Absconderunt Sacerdotes in via, interficiebant in dorso*] *Participatio*, i. societas. Sanè μέτοχος exponitur *socius*, i. חבר. *Participatio* autem Græcè μετοχὴ dicitur 2 Cor. 6. HUMEROS. Suspicor legendum *humero*, non *humeros.* Dictum autem *humero* pro *humero uno*, & est proverbiale. Hieron. in Comment. ad h. l. SICHEM *interpretatur* ὦμοι, *i.* humeri. SICHEM, i. *Sichemi* sive *Sicimæ*, aut *in urbe Sichem*, quam & *Sicima* vocant; ut possis exponere *Sicimis.* Hujus interpretationis intellectum nobis pandit Hieronymus per hæc verba, *Quorum intelligentiam cùm juxta historiam quæreremus ab Ebræo, ità nobis expositum est; Sacerdotes Bethel, imò fanatici Bethaven temporibus Pascha & Pentecostes & Scenopegiæ, quando per Sichem, quæ hodie Neapolis appellatur, eundum erat Jerosolymam (ubi solùm licebat victimas immolare) ponebant in itinere latrones, qui insidiarentur pergentibus, ut magis Vitulos aureos in Dan & Bethaven quam Jerosolymis & in Templo adorarent Deum.* IN DORSO] שכם νῶτος, i. *dorsum* vel *tergum.* Sic interpretantur Lxx Psal. 21. 12. תשיתמו שכם θήσεις αὐτὺς, quod Sym. explicat τάξεις αὐτὺς ἀποςρόφυς.

IDEM in VULG.

1. M*Ane consurgent ad me*] Vel, *mane quærent me.* Græci uno verbo dicunt ὀρθριεῖσι πρός με. Sic etiam Ebræi. Significat autem sedulò ac cum cura aliquid facere. ¶ *Venite*] Hic Ebræi & Chaldæi incipiunt caput sextum. ¶ *Cepit*] Meliùs editio Græca Complutensis ἥρπακεν, i. rapuit. Dico Complutensis, quia Vulgata editio πέπαικε habet, ut in notis meis ad tralationem Græcam planè ostendam, aut potiùs jam ostendi.

2. *Vivificabit nos*] Vitæ restituet, nos ex morte calamitatum. ¶ *Post duos dies*] Post biduum. ¶ *Vivemus*] Ut in illo, vivat rex.

4. *Quasi nubes matutina*] Citò abit ut nubes. Non est diuturna. ¶ *Misericordia vestra*] Benignitas vestra.

5. *Occidi*] In veteribus, *& occidi.* ¶ *Quasi lux egredientur*] Magis placet, *quasi lux egrediens.* In Ebræo enim, *judicia tua lux egrediens*, planissimè legitur.

6. *Et non sacrificium*] Sensus est, potiùs quàm sacrificium. Indicant sequentia.

7. *Sicut Adam*] Nomen primi parentis, & appellativum hominis, ut verti etiam possit, *sicut homo.* Quidam, *sicut hominis pactum.* Ac si diceret, non religiosiùs servarunt fœdus meum, quàm si cum homine aliquo ipsis res fuisset.

8. *Operantium idolum*] AVEN vetere interpretatione *idolum:* unde *Beth-aven*, domus idoli. Sed rectiùs Santes & alii, *operantium iniquitatem.* ¶ *Supplantata*] Alius interpres *polluta*, ACAB *supplantare*, unde Jacob, quem appellare possis Latinè *supplantatorem.*

9. *Et quasi fauces virorum latronum*] Jonathan, *sicut expectat homo turmas*, sensus est, sicut expectat homo latro turmas viatorum. Possit etiam verti, *sicut expectant virum latrones.* Eadem sententia. *Sicut expectant*, ad verbum, *secundùm expectare.* Sed interpres opinatus est plurale esse ab HECH vocabulo *palatum* significante. Ordo ac sensus, particeps sacerdotum similis est faucibus virorum latronum in via interficientium pergentes de Sichem. ¶ *Particeps sacerdotum*] Legit HABER pro HEBER. Jonathan, *societatem coeunt ipsi & sacerdotes eorum.* Alii, *societates sacerdotum.* Id exponunt, *collegium sacerdotum.* ¶ *In via interficientium pergentes de Sichem.*] Rectiùs alii, *in via interficiunt humero.* Humero, id est, consensu. Proverbiale. ¶ *Pergentes de Sichem*] SECHMAH cum He in ultima. Itaque malim, *pergentes ad urbem Sichem.* Sed magis ut sit nomen appellativum. In libro de nominibus Ebraicis, *Sichem*, *humerus.* Jonathan, *In via una interficiunt animas humero uno.* Ubi notabis *animas* positum pro homines.

11. *Pone messem tibi*] Suspicor legendum *ponet messem tibi.* ¶ *Cùm convertero*] Id est, reduxero, restituero.

LIVELEUS.

2. D*Uos dies*] Deus citò placatur, & deinceps æterno amore prosequitur, Esa. 54. 7.

3. *Sciemus, persequemur*] Magis & magis in Dei scientia proficiemus, ut lux auroræ in horas crescit & invalescit. Vide Prov. 4. 18. Pergit in effectis Divinæ gratiæ & beneficiis Dei erga Ecclesiam suam resipiscentem enumerandis; *Sanabit nos, vivificabit, excitabit, & vivemus coram eo, & indies in ejus scientia pergemus.* Hoc enim fidelium est, in scientia & fide crescere.

5. *Cecidi*] Verbum Dei comparatur Gladio, Virgæ, Baculo, Malleo metaphorikῶς, quia eam vim habet ut lethale vulnus improbis infligat. Esa. 11. 4. *Percutiet terram virgâ oris sui.* Heb. 4. 12. *Sermo Dei quovis gladio penetrantior est.* Apoc. 2. 16. *Pugnabo cum illis gladio oris mei.* Jer. 23. 29. *malleo perfringenti petram* confertur. Hujus igitur verbi Divini prædicatione quasi gladio vel malleo Dei *Prophetæ* improbos *ceciderunt* & *interfecerunt.* Idem verò sermo verbis sequentibus *luci*, & quidem *orienti*, quæ fortior est, componitur; ut ità cùm Dei justitia asseratur, tum inexcusabilis eorum contumacia arguatur, quòd cùm doctrina Prophetarum quasi lux clara illis fuerit ad rectam viam monstrandam, in tenebris & erroribus suis permanerent.

6. *Non sacrificio*] i. Magìs quàm sacrificio. Negatio per comparationem; qualis est in Epistola Acontii apud profanum Poetam,

> *Non bove mactato cœlestia numina gaudent,*
> *Sed quæ præstanda est & sine teste fide.*

Sic Jer. 7. 22. *Non præcepi avis vestris de holocaustis, sed ut voci meæ auscultarent, & in viis meis ambularent.*

7. *Tanquam homines*] Prout homines facere solent qui suâ naturâ vani levésque sunt, & propterea citò resiliunt & deficiunt ab ea fide quam præstare debent. Similis apud Jobum locutio est 31. 33. *Si texi quasi homo defectiones meas.* Tremellius vertit *tanquam hominis:* quod Calvino aliisque doctis alienius minúsque simplex, ut revera est, videtur. ¶ *Ibi*] In eo federe se perfidos in me præbuerunt.

8. *Galaad*] Regio erat ultra Jordanem multarum urbium quæ *terra Galaad* dicitur. Jud. 10. 4. & Deut. 3. 12, 13. *dimidium Galaad* dicitur *datum fuisse Rubenitis, reliquum dimidia tribui Manassis.* Quomodo igitur hìc de ea quasi una urbe loquitur? Mihi videtur per Synecdochen singularis numerus positus pro plurali, & hoc dici, illius provinciæ urbes maleficas & sanguinarias fuisse. Cujusmodi est illud Jer. 17. 8. *folium ejus erit viride*, pro *folia erunt.* ¶ *Fœdata*] Pagnini versio hæc est, veterum Hebræorum autoritate firmata, atque ab ipso Tremellio priore ipsius enarratione probata.

9. *Shechem*] Urbs Levitarum erat celebris in monte Ephraimi, Jos. 21. 21. olim Regni Israelitici metropolis, 1 Reg. 12. 25. Accusat *Sacerdotes homicidii in ea via qua Sechemum* propter celebritatem illius à plurimis *ibatur* perpetrati.

11. *Etiam tibi Juda ponet messem cùm populi mei captivitatem reduxero*] Sensus est, *Ponet tibi messem cùm reduxerit captivitatem populi sui.* Anomalia personæ, ut Esa. 22. 19. *Propulsabo te de loco tuo, & de statione tua destruet te.* Prophetæ enim aliquando Deum ipsum loquentem introducunt, & de eo quasi absente loquuntur etiam in eodem versu. ¶ *Messem ponet*] h. e. Tempus lætitiæ & gaudii tibi tribuet. Est enim messis tempus frugiferum & lætum. Hinc Psal. 126. 5. rediens à captivitate populus *lætis messoribus*, & Joh. 4. 36. Euangelium *messi* confertur. ¶ *Cùm reduxero*] Nam ut de futura potiùs quàm præterita populi liberatione hæc verba cum Lyrano aliisque doctis quibusdam accipiam, faciunt similia loca. Jer. 31. 23. *Cùm reduxero captivitatem populi mei, dicturi sunt, Benedicat tibi*, &c. Soph. 3. ult. *daturus sum vos in laudem, cùm reduxero captivitatem vestram.* Psal. 14 8. *Cùm reduxerit Jehova captivitatem populi sui, lætabitur Jacob.* Eadem enim in his locis phrasis est, בשובי שבות. Hâc ratione discrimen ponitur inter Judæos & Israelitas, ut cap. 1. 6, 7. *Domini*

mûs Israelis non miserebor ampliùs: Domûs verò Juda miserebor.

GROTIUS.

1. IN *tribulatione sua manè consurgant ad me*] *Evigilent.* Cohærent enim hæc planè cum iis quæ præcedunt, & unus est sermo: *evigelent* velut è somno peccatorum, ubi in exsilio erunt. ¶ *Venite, & revertamur ad Dominum*] Sicut illa verba quæ jamjam habuimus malè divulsa sunt à prioribus in Græco & Latino, ità hæc in Hebræo: pendet enim sensus, & subaudiendum est *dicentes* ante verbum *venite*. Chaldæus *dicens* addidit.

2. *Ipse cepit*] *Discerpsit*, corpus nempe Israëliticum. ¶ *Et sanabit nos*] Restituet in patriam eos qui se emendaverint. Ii autem multò plures fuere de Duabus tribubus quàm de Decem, sed tamen & ex his aliqui, ἡ ἐκλογή [*electio.*] ¶ *Percutiet*] Imò *percussit*; introducuntur enim loquentes ii qui in exsilio futuri sunt.

2. 3. *Et curabit nos: Vivificabit nos post duos dies: in tertia die suscitabit nos, & vivemus in conspectu ejus*] *Ut vivamus.* Sensus primùm obvius est, Postquam se emendaverint Hebræi, futurum ut brevì eos Deus ex tantis miseriis, quæ morti comparari solent, restituat. Sed haud dubiè Dei nutu ità directa sunt hæc verba, quomodo & multa alia Prophetarum, ut apertissimè nobis præfigurarent tempus intra quod & Christus vitam & Ecclesia ejus spem erat receptura. Judæi ex hoc loco sibi fingunt intra triduum absolutum iri postremum & universale Judicium. ¶ *Sciemus, sequemurque ut cognoscamus Dominum: quasi diluculum præparatus est egressus ejus*] Optimè sic vertas, supplendo quæ in Hebræo sæpe omitti solent: *Si cognoscamus Dominum, & cognoscendo eum sectemur, tam promptum nobis erit ejus auxilium quàm est aurora.* ¶ *Et veniet quasi imber nobis temporaneus, & serotinus terræ*] *Imber temporaneus* dicitur, qui est sementis tempore, *serotinus* qui adultâ segete, ut diximus Deuteronom. 11. 14. Sensus est, Omni tempore omnia ipsis à Deo prospera ventura.

4. *Quid faciam tibi Ephraïm? quid faciam tibi Juda?*] Id est, Quid boni vobis possem facere dum tales estis? ¶ *Misericordia vestra*] חסד ἔλεος quidem & ἐλεημοσύνη [*misericordia*] verti solet tum apud Græcos interpretes veteris Testamenti, tum apud scriptores Novi: sed revera significatio vocis hanc quidem partem complectitur, sed latiùs patet, extenditque se ad omnia pietatis & probitatis officia: unde חסידים Ἀσιδαῖοι [*Asidæi*] in Maccabaïcis dicuntur qui omnes officiorum partes sollicitè explebant: unde factum postea, extrito ד, nomen Ἐσσαίων [*Essæorum*] vel Ἐσσηνῶν [*Essenorum*] & aliquantò plus in eo esse creditur quàm in voce צדיק [*justi.*] ¶ *Quasi nubes matutina, & quasi ros manè pertransiens*] Brevì defecit vestra probitas, quomodo ros aut nubes manè exorta Sole adventante dispereunt.

5. *Propter hoc dolavi in Prophetis*] *Cecidi eos per Prophetas*, id est, magnas plagas ipsis denuntiavi: nam Prophetæ, & Deus per Prophetas dicuntur ea facere quæ prædicunt. Jer. 1. 10. ¶ *Occidi eos verbis oris mei*] Id est, occidiones ipsis prædixi eventuras. ¶ *Et judicia tua*] Pœnæ quæ in te venient. ¶ *Quasi lux egredientur*] Apparebunt esse justissima: nihil eveniet de quo non præmoniti sitis, & quidem sæpius.

6. *Quia misericordiam volui, & non sacrificium*] Dictum est hoc comparatè, ut explicavimus ad Matthæi locum 9. 13 ubi Christus hoc Prophetæ loco utitur. Putatis multùm vos facere quòd ὁλοκαυτώματα [*holocausta*] mihi offertis aut etiam piaculares victimas: Atqui ista quæ bonis ac malis hominibus sunt communia in minimo censu sunt apud me: multùm præpollent ea quæ semper & ubique honesta sunt. ¶ *Scientiam Dei*] Id est, *pietatem*, ut suprà diximus. Solent sæpe voces eædem modò laxiùs sumi, modò strictiùs; quod sæpe ostendit membri alterius oppositio. Ergò hoc loco דעת אלהים [*cognitio Dei*] verum & internum Dei cultum significat; חסד [*misericordia*] omnia quæ homini alteri aut debentur, aut cum laude præstantur.

7. *Ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum*] Græci pro עברו [*transgressi sunt*] legunt עבר [*transgressor*] participialiter, *similes sunt homini fœdifrago.* Chaldæus per אדם [*homo*] intelligit illos gigantes qui nati ex בנות האדם [*filiabus hominis*] Geneseos 6. 4. *Ipsi sicut generationes priscæ transgressi sunt pactum meum.* Alii אדם sumunt communiter, & exprimunt: *Ità transgressi sunt pactum meum quasi pactum esset hominis.* Mihi Latina hæc interpretatio non displicet; ut sensus hic sit, *Sicut Adam, quia pactum meum violavit, expulsus est ex Hedene: ità & hos æquum est ex sua terra expelli.* ¶ *Ibi prævaricati sunt in me*] *Ibi* est velut digito monstrantis. *Ibi, in terra illa optima, quam ego eis dederam*, ut hîc exponit Chaldæus. Adde, ut connectas cum superioribus, in illa terra quæ Hedeni comparatur, Genes. 13. 10. Isaiæ 51. 3. ut & loca ei proxima, Ezechielis 28. 13.

8. *Galaad civitas operantium idolum*] און *idolum* quidem interdum significat; sed & *injustitiam*, quomodo hîc accipit Chaldæus, & Græci multis in locis vertunt ἀδικίαν [*injustitiam*] & ἀνομίαν [*legum contemtum.*] ¶ *Supplantata sanguine*] Id est, in omni solo impressa habens cædis vestigia; plurimi enim ibi homicidæ: ideòque trans Jordanem plura pro terræ spatio asyla quàm eis Jordanem, Num. 35. 13. Deuter. 4. 41, 42, 43. Josuæ 20. 8.

9. *Et quasi fauces virorum latronum, particeps Sacerdotum, in via interficientium pergentes de Sichem*] Transpositio locum facit obscuriorem, quâ enodatâ hic erit sensus, *Sicut exspectant aliquem latrones in via quæ fert Sicima, ut eum interficiant*: ità se habet *coitio Sacerdotum.* Ità omnes Sacerdotes in malum consentiunt ut manipulus latronum. Simile illud Ovidii:

In facinus jurasse putes.

¶ *Quia scelus operati sunt*] Quia sceleri dant operam: nihil agunt aliud.

10. *In domo Israel*] In Decem tribubus. ¶ *Vidi horrendum*] *Rem stupendam*; ut Jerem. 5. 30. & 18. 13. & 23. 14. scribitur enim ש dextrum habente punctum: Sed videtur venire à שער quod *timere* significat, & sinistrum punctum habet. Ista discrimina in literis olim non addebantur. ¶ *Ibi fornicationes Ephraïm, contaminatus est Israel*] Meliùs, *Fornicatione Ephraïm*) id est, Jeroboami qui ex ea erat tribu) *contaminatus est Israël*, id est, Decem tribus: nam Jeroboam primus exemplum dedit cultûs Vitulorum, qui mirum quàm subitò in tot hominum millia fluxerit.

11. *Sed &, Juda, pone messem tibi, cùm convertero captivitatem populi mei*] Est hoc obscurius. Rectè verti puto: *Sed &, ô Juda, ponet angustias tibi* (id est, *ponentur tibi angustiæ*, activum sine persona pro passivo) *postquam ego rediero ad captivum faciendum populum meum*: id est, postquam iterum fecero captivos abduci Israëlitas. Prior abductio per Teglathphalasarum facta, altera per Salmanasarum: Post hanc Sennacheribus, qui vastavit Judæam, & Hierosolyma arctè obsedit. קציר *messem* aut *plantarium* hîc vertunt Interpretes, sed Chaldæis קציר est *morbus* vel *angustia*, & solet Jod sæpe abjici.

CAP. VII.

MUNSTERUS.

1. REvelata *est iniquitas Ephrajim*] Misi, inquit Deus, Prophetas qui populum revocarent ad pœnitentiam, quæ vera est *medicina* animarum; sed nunc *in publicum venit iniquitas* Regum & Principum *Ephrajim*, qui regnabant in metropoli *Samaria*: nam illi qui doctores esse debuerant populi, præ aliis obsistebant Prophetis meis. Unde & ego immisi eis secretos & manifestos *direptores*: verùm nec sic seipsos agnoscunt, sed adscribunt id fato, arbitrantes etiam me illa nescire. Sed adest tempus ut plagæ operibus eorum debitæ eos instruant, mala eorum mihi fuisse perspecta.

3. *Lætificaverunt Regem*] Impiis scilicet decretis ejus obsequendo, præsertim cùm Rex Jerobeam timeret nè populus prætextu cultûs Divini ab eo deficeret; quare & Vitulorum instituit culturam, & subditos obsequentes invenit.

4. *Quiescitque ab excitando*] Scribitur hîc מעיר pro מהעיר. Et est sensus, Quando *fornax* satis est *succensa*, *quiescit pistor*, & non *excitat* suos ad ulteriorem succensionem, sed interim *subagitat pastam*, & pausat *donec illa fermentetur*; & tunc iterum *excitat* familiam ut panes mittant in fornacem. Sic ardebant illi concupiscentiis pessimis, & nunquam ab illis quiescebant, nisi fortè per exiguum tempus, aliis distenti occupationibus.

5. *Per diem Regis nostri*] Cùm, inquit, instituissent Regem, hoc Principum & procerum fuit studium ut illum epotandis calicibus aptum facerent, & usque adeò ebrietate vexarent ut illum planè viribus enervarent. Et nota quòd החלו hîc est Hiphil à verbo חלה *infirmatus est*; & חמת est idem quod

נאד *lagenula:* in quibus omnes recentiores ſcriptores quos ego vidi hallucinati ſunt, dum החלו ineptè pro *cœperunt* verterunt, & חמת pro *fervore*. Non eſt in חמת ſtatus regiminis, ut ab חמה derivari putes. Prima itaque initiatio Regis erat, ut ebrietate dementatus cum illuſoribus ſtulteſceret.

6. *Inſidiis eorum*] Fervet, inquit, cor eorum perverſis cogitationibus, ut illas opere compleant: & nocte quidem vino ſopiti tuti ſtertunt, ſed manè ad impietatem feſtinant, ut etiam æquis judicibus inter eos non ſit locus.

8. *Ephrajim inter populos miſcetur*] Illi quos Dominus ſibi in populum peculiarem delegit & à reliquis gentibus ſeparavit, illi, inquam *inter Gentes ſe commiſcent*, & pejores fiunt Gentibus. Comparantur etiam inſipido *ſubcinericio pani*, ſemiuſto & *non verſo*; quod omnia præcipitanter & ſine judicio rationis faciebant.

9. *Ipſe non cognovit*] Quòd ſcilicet Deus propter iniquitates ejus hanc direptionem in eos miſit. Etiam grandiores natu, qui citiùs quàm juniores pœnitent, manum Dei agnoſcere nolebant.

12. *Juxta rumorem*] i. Juxta quod inſinuavi patribus eorum in deſerto, quando exſecrationes & objurgationes præſcripſi tranſgreſſoribus Legis.

13. *Ego redimam eos*] Kimhi in hunc modum legit, *Ego quidem cogitabam redimere eos à preſſura eorum, ſed illi loquuntur mendacia*, &c.

14. *Ululant*] In fame *ululant* præ anguſtia, & cùm *frumentum & vinum* venale apportatur, omnes *concurrunt* neceſſitate coacti, & tamen adhuc *non clamant ad me*, ſed *rebelles ſunt mihi*. Et cùm ego aliquando illis opem ferrem contra hoſtes, *ipſi viciſſim malum cogitabant contra me*, nempe quòd *convertebant ſe* ad deos alienos, *non ad Altiſſimum*, à quo iſta habuerunt beneficia. Et nota quòd על hîc capitur pro עליון.

16. *Hæc eſt ſubſannatio eorum*] Speraverunt in Ægypto invenire auxilium; ſed innixi ſunt baculo arundineo, cùm nihil invenerint niſi illuſionem.

VATABLUS.

1. CÙM *ſanarem Iſrael* כרפאי לישראל] Ad verb. *Secundùm ſanare me Iſrael*: i. Cùm invitarem Iſraelem ad reſipiſcentiam, & vellem mederi peccatis ejus. ¶ *Et malitiæ* ורעות] *Et mala*: vel *ſcelera*. ¶ *Operantur mendacium* פעלו שקר] Præterita Heb. pro præſentibus, i. non ſervant ſibi mutuò fidem.

2. *Nunc circumdabunt* עתה סבבום] Præt. Heb. pro Fut. *nunc* [i. brevì] *circumſtabunt*.

3. *Exhilarant* ישמחו] Fut. Heb. pro præt. vel præſenti.

4. *A coquente* מאפה] i. A piſtore. ¶ *Ab excitando*, &c. מעיר מלוש] i. A tempote quo ſubegerunt paſtam, donec ipſa fermentetur: nam tantiſper ſolet calefieri clibanus à ſubactione paſtæ uſque ad fermentationem ejus. Quibus in locis furni ſunt publici, ſolent furnarii noctu vicatim inclamare mulieres & excitare ut paſtam ſubigant: quas poſtquam excitare quieverunt, furnum interim accendunt, tamdiúque vehementer calefaciunt donec fermentatam paſtam & in panes conformatam ipſæ afferant ut coquantur in furno vehementiſſimè calido. Cujus calori comparat hîc Propheta ferventiſſimum idololatrarum ſtudium in adorandis idolis. Sunt, inquit, ut fornax à furnario accenſa, quam accendere ſolet ſtatim poſtquam ceſſavit mulieres excitare ſubigendæ paſtæ causâ, ut dictum eſt.

5. *Die Regis noſtri* יום מלכנו] Invehitur in Principes vino deditos. Dederunt, inquit, operam vino uſque ad ebrietatem & morbum. *Diem Regis* vocant natalem Regis, aut in quo factus eſt Rex. ¶ *Utre vini* חמת מיין] i. Nimiâ potatione. Aliquibus in locis aſſervatur vinum in utribus, & transfertur. Vide Matth. 9. 17. ¶ *Protrahit* משך] Præt. Heb. pro præſ. *extendit*, i. interim vacat nugis, neglectis negotiis publicis. Metaphora ab otioſis qui membra extendunt oſcitantes.

6. *Certè applicant* כי קרבו] Præt. Heb. pro præſ. Carpit eos Vates quòd inſidiis eſſent dediti. *Excogitant*, inquit, *totâ nocte* quomodo nocere poſſint proximo, *corde ferventi inſtar clibani* diligenter accenſi à piſtore. *Dormit cor* eorum *nocte*, quando non perpetrant quod cogitarunt. *Dormiens concoquit illa*, ſive *illas cogitationes*: h. e. totâ nocte nihil aliud cogitat & meditatur cor eorum quàm ut poſtero die noceat proximo. *Ignem flamma* vocat ignem flammam mittentem. ¶ *Coquens illa* אפהם] Relativum pro antecedente, *illas pravas cogitationes*.

7. *Æſtuant* יחמו] *Fervent*. Futurum Heb. pro præſenti. ¶ *Et devorant judices ſuos* ואכלו את שפטיהם] *Et abſumunt judices ſuos*, cùm ſcilicet ſupprimunt autoritatem eorum qui eos judicare deberent; aut quando ſpoliant eos, vel occîdunt.

8. *Erit* ut *panis*, &c. היה עגה בלי הפוכה] Præt. Heb. pro fut. *erit ut placenta non verſa*. Loquitur de placenta quæ coquitur ſubjectis prunis, quæque abſumitur priùs quàm in alteram partem verſa ſit: q. d. Iſrael citò abductus fuit in captivitatem. Sequenti verſu ſeipſum declarat.

9. *Comedunt* אכלו] Præt. Heb. pro præſ. *Devorant*. ¶ *Robur ejus* כחו] i. Opes & facultates magno labore partas. Obſcurè declarat tranſmigrationem Decem tribuum. ¶ *Et ipſe neſcit* והוא לא ידע] i. Non ſentit ſe peccaſſe, nè in ſenio quidem cauſam tanti mali intelligit. Cæcitas idololatrarum deſcribitur.

10. *Et teſtificabitur* וענה] *Et teſtimonium feret*, ſub. *contra eum*. Vide cap. 5. 5. ¶ *In univerſo hoc* בכל זאת] i. In omnibus his calamitatibus: vel quamvìs univerſa hæc illis evenerint.

11. *Stolida* פותה] *Stulta*, quæ ſcilicet facilè ſeſe conjicit in rete. Alii, *declinans*, ſub. *ad eſcam*: non eſt autem ei cor ut intelligat & conſideret quòd ad capiendum illam rete expanſum eſt cùm declinaverit ad cibum. Sic Ephraim declinavit ad illos ad quos trahebat ejus deſiderium, ad Ægyptum, ad Aſſur; ut quæreret auxilium: non erat autem ei cor ad intelligendum ſciendúmque quòd omnium Creator ruere faceret eos, ſi ab alio auxilium quærerent. Ità doctus inter Hebræos. ¶ *Invocabunt*, &c. קראו אשור הלכו] Præt. Heb. pro fut. ut ex ſequenti verſûs futuro apparet.

12. *Caſtigabo eos*, &c. איסירם וגו'] i. Corripiam eos, ut me facturum audierunt in cœtu ipſorum, h. e. juxta admonitionem factam eis in deſerto ſi à me deficerent.

13. *Vaſtitas* erit *eis* שד להם] *Vaſtatio eis*, ſub. *imminet*, i. deſtruetur patria eorum quòd graviter peccaverint in me. ¶ *Et ego*, &c. ואנכי וגו'] *Ego quidem liberaſſem* [vel *liberarem*] *eos* hâc vice, *ſed ipſi locuti ſunt contra me mendacia*: q. d. Siquando liberavi eos, dixerunt ſe ſervatos ope humanâ, ſuâ, aut ſociorum. Ægyptiorum, aut Aſſyriorum.

14. *Quando ingemiuerunt* כי ילילו] i. Cùm afflictione preſſi, ingemuerunt noctu in lectis ſuis. Alii, *ſed ululaverunt*. ¶ *Rebellabunt contra me* יסורו בי] *Deficient à me*: q. d. Tempore inopiæ congregabuntur ad triticum emendum quod allatum fuerit: cùm autem habuerint, non ferent mihi acceptum, ſed tribuent hoc fortunæ potiùs quàm meæ providentiæ, h. e. *deficient tamen à me*.

15. *Erudivi*, *roboravi brachia eorum* יסרתי חזקתי זרועתם] *Caſtigavi*, & *firmavi brachia eorum*. Alii præterita convertunt in futurum, *Ego quoque accingam* eos, & *corroborabo brachia eorum*. *Accingam*, ſub. *balteo & enſe*: q. d. Dabo illis robur abversùs hoſtes. ¶ *Cogitaverunt malum* יחשבו רע] *Cogitaverunt malitiam*, tribuendo ſcilicet hoc aliis.

16. *Revertentur* ישובו] Sub. *ad idola ſua*, vel *ad Ægyptios*, aut *Aſſyrios*: vel, *Revertentur*, ſub. *ad vociferandum*. ¶ *Non ad Altiſſimum* לא על] Doctus inter Hebræos dicit על eſſe adjectivum, propterea quòd ſit cum Kamets, acſi dictum eſſet עליון, i. *altiſſimus*: q. d. cùm venerit illis afflictio, revertentur ut clament ad idola ſua, non ad me, qui ſum excelſus ſuper omnia. Idem tamen alio loco dicit, לא על *non ſuper*, vel *propter*. Oratio eſt defectiva quæ ſic exponi debet, *non propter anguſtiam*, *nec propter verbum*. ¶ *Sunt* היו] Præt. Heb. pro præſ. *Doloſus* רמיה] Qui ſcilicet cùm ſagittam ſuam videatur mittere in unam partem, mittit in alteram; q. d. fallunt homines ſuâ hypocriſi. ¶ *Propter furorem* מזעם] *Propter indignationem*, quâ ſcilicet concitaverunt vel concitare ſolent me. ¶ *Iſta* זו] Sub. *profectio in Ægyptum*: q. d. Propter iſtam eorum profectionem in Ægyptum ridebuntur ab ipſis Ægyptiis.

CASTALIO.

3. S*Celeribus mendaciiſque ſuis Regem & Principes exhilarant*] Obedientes eis in colendo Vitulo.

4. *Univerſi ſunt adulteri, tam ardentes quàm eſt piſtoris furnus*] Ardent libidine colendi deos. ¶ *Qui piſtor excitare ceſſat*] Sc. feminas quæ maſſam afferant.

5. *Regem noſtrum ejus die ità delaſſant principes furore vinolento, ut is cum ſcurris commercium habeat*] Vino onerant & inebriant, ut inſanus ludat cum ſcurris.

6. *Applicant enim furni ritu animum ſuum ſuis inſidiis: totâ nocte dormit eorum piſtor, manè ardet tanquam flamma ignea*] Ardenter inſidiantur: ut piſtor manè poſt nocturnam quietem ſuum opus urget, ſic illi ſua maleficia.

7. *Conficiuntque ſuos gubernatores: labuntur omnes eorum Reges*] Suis peccatis in cauſa ſunt ut ego eis malos dem Principes, quos deinde puniam.

8. E-

8. *Ephraimita panis est depsititius, non inversus*] *Depsititius panis* est qui in foco extempore coqui solet; qui nisi invertatur comburitur eâ parte quâ focum attingit: nec enim coquitur æqualiter, ut in furno. Sic Ephraimitæ uruntur & atteruntur ab hostibus.

9. *Canitie conspergitur*] Præ malis senescit.

14. *Ob frumentum mustúmque frementes*] Frumenti penuriam.

16. *Revertentur*] Sc. in Ægyptum; Jer. 43. Confer autem hunc locum cum cap. 9. ¶ *Ità suâ linguâ pœnas dabunt*] Suorum in me maledictorum.

CLARIUS.

1. **R***Evelata est iniquitas Ephraim*] i. Tunc protulit sese, & obstitit sanationi. Diximus aliàs cur appellatione *Ephraim* intelligantur Decem tribus. Misi, inquit Deus, Prophetas qui populum revocarent ad pœnitentiam, quæ vera est *medicina* animarum, sed tunc *in publicum venit iniquitas* Regum & Principum *Ephraim*, qui regnabant in metropoli *Samariæ*. Nam illi qui doctores esse debuerant populi, præ aliis obsistebant Prophetis meis. Unde & ego immisi eis secretos & manifestos *direptores*. Verùm nec sic seipsos agnoscunt, sed adscribunt id fato, arbitrantes etiam me illa nescire. Sed adest tempus ut plagæ operibus eorum debitæ eos instruant, mala eorum mihi fuisse perspecta. Illud tamen, *ut fur ingressus est*, &c. quidam sic interpretabatur, *Primùm nonnihil dissimulavit, sed tandem deposito pudore palam sceleratus factus est. Et eò stupiditatis pervenerunt ut putent me illorum scelera ignorare.*

3. *Lætificaverunt Regem*] Impiis scilicet decretis ejus obsequendo, præsertim cum Rex Jeroboam timeret nè populus prætextu cultûs Divini ab eo deficeret: quare & Vitulorum instituit culturam, & subditos obsequentes invenit.

4. *Quiescet paululùm*] Alius vertit, *quiescit ab excitando post subagitationem pastæ, quousque illa fermentetur:* & sic exponit, *Quando fornax satis est succensa, quiescit pistor; & non excitat suos ad ulteriorem succensionem; sed interim subagitat pastam, & pausat donec illa fermentetur; & tunc iterum excitat familiam, ut panes mittant in fornacem. Sic ardebant illi concupiscentiis pessimis, & nunquam ab illis quiescebant, nisi fortè per exiguum tempus, aliis distenti occupationibus.*

4. *Die Regis nostri*] i. Natali Regis die, hoc Principum & procerum fuit studium ut illum epotandis calicibus aptum facerent, & usque adeò ebrietate vexarent ut illum ægrotare fecerint. ¶ *Extendit manum suam cum illusoribus*] i. Inter amicos habuit illos.

6 *Dormivit pistor eorum*] i. Concupiscentia mala, quæ *totâ nocte dormire* dicitur, adulteriis remissior facta, ut vim resumat & manè ardeat magis.

7. *Devoraverunt*] Illi videlicet impostores sive adulatores cum quibus paulò antè Regem dixit amicitiam iniisse.

8. *Ephraim in populis*] Illi quos Dominus sibi in populum peculiarem delegit & à reliquis gentibus separavit; illi, inquam, *inter Gentes se commiscent*, & pejores fiunt Gentibus. ¶ *Qui non reversatur*] i. Destituitur bono consilio. Sumpta est Metaphora à *pane subcinericio:* hic enim nisi sæpe vertatur de latere in latus, alterum latus aduritur, alterum manet incoctum.

9. *Et ipse nescivit*] Et nè sic quidem factus est prudentior, pervenit ad canitiem & extremam senectam, æquè & Dei sui & propriæ salutis ignarus atque antea semper.

10. *In facie ejus*] h. e. Spectante ipso. Et illud *humiliabitur* poterat verti *respondebit*.

11. *Columba seducta*] h. e. Laqueo capta ob imprudentiam.

12. *Cadam eos*] *Castigabo illos secundum auditionem* contestationis factæ per Mosen ad illos Deut. 32. ubi transgressoribus Legis exsecrationes & objurgationes præscripsi.

14. *Ululabant*] In fame *ululant* præ angustia, & cùm *frumentum* & *vinum* venale apportatur, omnes *concurrunt* necessitate coacti, & tamen adhuc *non clamant ad me, sed rebelles sunt mihi*. Et cùm ego aliquando illis opem ferrem contra hostes, *ipsi vicissim malum cogitabant contra me*, nempe quòd *convertebant se* ad deos alienos, *& non ad Altissimum*, à quo ista habuerunt beneficia.

16. *Arcus dolosus*] Dum non dirigunt vota sua ad Deum verum, sed per falsos Prophetas quasi ab improbis sagittariis à vero scopo abducuntur. ¶ *A furore linguæ suæ*] *Propter furorem linguæ suæ*, quâ abutuntur in Deum, & quâ Deos appellaverunt Vitulos aureos. ¶ *Ista subsannatio eorum*] h. e. Pro subsidio quod petent ab Ægyptiis continget illis interitus Principum & subsannatio.

L. BRUGENSIS.

5. **D***Ies regis nostri*] Parisiensis typographus, ex manuscripto S. Germani parvo, pro *dies* scripsit *die*; *Die regis nostri cœperunt-principes* [o.] * *furere* [* *nostri* o.] *à vino* [*animo* o.] Id quod rectè quidem ex Hebræo transfertur: sed alterum, *dies* inquam, nostræ versionis esse germanum (sunt enim Hebræa ad utrumque ambigua) codicum & Enarratorum consensus loquitur. Codices nostri omnes, & typis & calamis exarati, *dies* legunt. Enarratores, quotquot vidimus, *dies* exponunt, Montanus, Richelius, Carensis, Lyranus, Autor Glossæ, Rupertus, Haymo, denique Hieronymus, cujus verba sunt, *Paululùm Israel & Samaria civitas conquievit, recepto in se erroris ardore, donec tota massa fermento similis fieret, & cresceret atque erumperet: ac populus intumescens clamaret ad fores Hieroboam regis, & diceret, Hic est dies Hieroboam regis nostri, hic est festus dies quem nobis instituit imperator noster; hunc celebramus, hunc canimus, in hoc exsultamus & ludimus, in hoc vitulos aureos adoramus. Clamante populo, principes non irati sunt, ut quidam putant, sed & ipsi cœperunt furere à vino*, &c. ac postea; *Infelices*, ait, *populi*, &c. *qui ab hæreseos principe & ab ejus ducibus solennitates alias susceperunt, relinquentes ecclesiam, & veritatem conculcantes fidei, solent clamare & dicere, Hæc est dies regis nostri, verbi gratiâ, Valentini, Marcionis, Arii atque Eunomii. Quod audientes qui eis præpositi sunt, non inebriantur vino, nè leve putetur esse peccatum, sed insaniunt ex vino*, &c. Græci Interpretes primo similiter casu transtulerunt, sed mutato singulari numero in pluralem, ἡμέραι τῶν βασιλέων ὑμῶν, vel ut, juxta Hebræum, habent Complutensis & Basileensis editio anni 1550. ἡμῶν. illud Theodoriti est. Theophylactus legit, ἡμέραι τῶν βασιλειῶν ὑμῶν, *dies regnorum vestrorum:* videtur tamen & βασιλέων *regum* agnoscere, id quod singulari numero Hebraicè est.

DRUSIUS.

1. **D***Um sano*] Vel, *Cùm sanarem*. Vult dicere, Cùm vellem sanare & ad frugem revocare. Suprà 6. 1. *Ipse rapuit, & sanabit nos*. Aliàs, *Dum curo*, i. Dum in eo sum ut ipsum pristinæ sanitati restituam. Eodèm recidit. ¶ *Retecta*] *Patefacta*. Sic est profectò. Sæpe morbi occultiores, qui priùs latuerant, in ipsa curatione patefiunt. ¶ *Iniquitas Ephraimi*] Nam quo majorem operam posui in eo sanando, eò pejor evasit: quod est signum pessimæ indolis. ¶ *Vitia Samariæ*] Ad v. *mala Samariæ*. Quod rectè capies de *culpis*, nos *vitia* dicimus. Sed est cur malim *crimina* vel *scelera Samariæ*. ¶ *Quia operantur mendacium*] Potest reddi, *quia faciunt mendacium*. Nam פעל & עשה se mutuò explicant; Quintilianus ità locutus est. Alibi legitur eo sensu *facere fraudem:* Quæ opponitur morum integritati. Nihil, inquit, est in illis sinceri: omnia simulatè agunt, & nectendis fraudibus intenti sunt. Sed fortè aliud significat. Nam *mendacium* appellatur aliquando falsus cultus, ut ibi, *Commutârunt gloriam suam in mendacium*. Item vox Ebræa *falsitatem* denotat. Ea fit cùm scelera patramus, aut cùm ea facimus quæ nullum successum habent. פעל aliquando *fecit*, ut ibi, *Justus quid fecit?* Fortè *iniquitas Ephraimi*, Vituli qui in Dan & Bethel; *scelera Samariæ*, Deus Baal, qui Samariæ colebatur. ¶ *Ingreditur*] Domos noctu. ¶ *Spoliat*] Interdiu. ¶ *Turma*] Latronum. Ità sumitur hæc vox suprà 6. 9. *Sicut exspectant virum turma*. Vide quæ scripsimus ad illum locum. ¶ *Foris*] Extra urbes, an domos? Pro eo quod nos vertimus *& fur ingreditur*, sunt qui legant, *ideo fur ingreditur*, &c. ut sit denunciatio pœnæ ob prædicta crimina infligendæ.

2. *Dicunt in corde suo*] Cogitant apud se. Qui hanc opinionem de Deo habent, eos non pudet quælibet flagitia committere. Nam pœna homines à peccando deterret. Contrà impunitas eis calcar addit ad quidlibet audendum. ¶ *Recordari*] Si *recordatur*, ergò punit suo tempore. Nam quæ impunè abeunt, eorum *non recordari*, h. e. oblivisci, dicitur. ¶ *Nunc circumdant eos*] Ut qui urbem aliquam coronâ cingunt, & obsident undique nè quis elabi possit. Sic ait Prov. 5. 22. *Iniquitates suæ capiunt ipsum improbum, & funibus peccati sui constringitur*. ¶ *Coram facie mea sunt*] Semper mihi ob oculos versantur: nunquam eorum memoriam depono.

3. *Nequitiâ suâ*] Non tantum mali est peccare Regem, quantum illud quod in peccatis aliorum se oblectat. Multi oderunt scelera in aliis quæ ipsi tamen committunt. Signum corruptissimi statûs, quando mali mores oblectamento sunt iis

qui in eos animadvertere deberent. ¶ *Et mendaciis suis*] Calumniis ac falsis delationibus. Huc pertinet illud, *Rex qui calumniis aures patefacit, omnes ministros improbos habet.*

4. *Adulterantur*] Adulterio incalescunt. Alioqui furnus non adulteratur. Sed ardorem qui in libidine comparat cum furni accensi ardore, quò significaret eum valde intensum esse. ¶ *Ardens à coquente*] i. Succensus. Genus loquendi notatum à me Observ. l. 2. c. 12. *Coquentem* autem dicit pro *coquo*; eóque nomine hîc pistorem designat. Siquidem, ut Festus ait, *coquus* & *pistor* apud veteres idem erat. Cæterùm *coquens* pro *pistore* legitur apud Interpretem nostrum Vulgatum. ¶ *Cessat ab excitando*] Turbat hîc dictio ישבות, quam interpretati sumus ac si esset מהעיר *ab excitando*, aliquot doctos secuti, qui Ebræos ipsos hujus sententiæ auctores habent. Subintelligitur autem *mulieres panificas.* Nam post subactam pastam non eget operâ ipsarum: itaque dormire sinit usque dum pasta fermentata fuerit: tum rursum eas excitat ad panem furno immittendum. Huic interpretationi obstat absentia ה, quæ post literam מ hoc modo deficere non solet. Certè exemplo caret talis defectus. Quocirca alii maluerunt *cessat ab urbe*; q.d. Non exit domo donec massa fermentata fuerit. Alii, *desinit esse vigil*; ut significet post subactam massam eum cubitum ire. Sed *vigil* ער dicitur, non עיר, quod sciam. Potest etiam esse participium generis activi conjugationis Hiphil, hâc sententiâ, *cessat excitare*, sive *excitator*, & quiescit paululùm, videlicet natura prava, quæ ipsos ad libidinem excitat. Παύει ἐγείρων, *cessat excitans*, i. ab excitando. Hellenismus. ¶ *Fermentata fuerit*] חמצתו verbum est infinitum ad instar מלחת Ezech. 16. 5. vel certè nomen formæ מגאלת *pollutio.* In hoc eodum versu בצרה penacutum est cum He paragogico, quo fine בצור diceretur. Nam עור nomen masc. est.

5. *Die Regis nostri*] Quo inauguratus fuit Rex, vel die natali ipsius. Quidam, *die Regis nostri*, quamdiu Rex noster cum imperio fuit; q.d. *toto tempore Regni ipsius:* quod se minùs probat mihi. ¶ *Ægrotare fecerunt Principes*] Vel ipsi Principes ægrotare fecerunt Regem, vel alii ægrotos fecerunt Principes. Livelæus mavult *ægrotarunt.* Nam ex crapula nimia ægrotamus. Sic העשיר *ditescere* & *ditare.* ¶ *Utre vini*] Vel *lagenâ vini.* Verbum è verbo, *lanigenâ è vino*, vini plenâ. Cæterùm *uter* sive *lagena* חמת dicitur: hic verò est חֲמַת. Quod referri debet ad formam מעט *parùm*, si modò *utrem* denotat, ut volunt Ebræi. Nam reddi potest *calore vini.* (חמה *calor*, & in regimine חמת: thema est יחם *incaluit.*) Vult dicere, vaporibus calidis è vino manantibus, quæ caput petunt, unde Cephalalgia. Qui morbus ferè crapulam comitatur. ¶ *Extendit*, &c.] Compotor est irrisorum & scurrarum, unáque cum illis familiariter versatur. ¶ *Manum*] Videtur esse gestus propinantium. Nam qui alicui propinat, ei poculum manu porrigit. Aut sententia est ut in illo, *extendit in vino carnem suam.* Nam idem verbum משך utrobique. ¶ *Cum derisoribus*] Proverbium est, *Vinum irrisor*; nam irrisores facit. Aut *vinum*, i. κατοινώμενος *vino addictus. Irrisores* autem hîc לוצצים vocantur; quod est nomen adjectivum, ut נוצצים *scintillantes* Ezech. 1. 7. vel participium ex ordine duplicantium. Alioqui diceretur מלוצצים. Hujus generis est תופפות & מתופפות *tympanistria.*

6. *Certè applicuerunt*] *Applicant cor suum* ad pessima facinora: Sed priùs excogitant ea, deinde opere implent. Kimchi hæc itâ enarrat, *Actiones omnes manant ab animo, & ipse est Coquus per translationem. Quemadmodum igitur coquus accendit furnum noctu, in quo manè ligna ardent, quibus panis coquitur; qui est finis operis, & ecce coquus dormit nocte postquam ligna in furno posuit, nec ante auroram quicquam agit: Sic cor, è quo vis cogitandi, dormit nocturno tempore: nam quæ cogitat, opere non complet ante lucem. Dormire autem dicit eum qui cogitat, quia cogitatio fit sine fatigatione corporis. Manè verò ardent in ea quæ internoctu excogitarunt.* Hue facit quod Mich. 2. 1. *Væ cogitantibus iniqua, & facientibus malum in cubilibus suis: ad lucem matutinam faciunt illud, cùm est in potestate manûs eorum.* ¶ *Dum insidiantur ipsi*] בארבם. Est qui legendum putat בקרבם, contra omnium codicum & Interpretum fidem. ¶ *Coquens*] *Coquus, pistor.* Quo nomine alii Concupiscentiam pravam, alii ipsum Regem intelligunt. Rex ergò *pistor* est, *furnus* ipsi Principes, qui vino calefacti à Rege nihil non audent. ¶ *Totâ nocte dormit*] Post accensum furnum. ¶ *Ipse*] *Furnus* vel, si placet, *clibanus. Ut furnus*, inquit, accensus à coquo sive pistore, licèt ipse *dormiat noctem totam*, tamen *manè* adhuc *ardet*; *sic eorum cor* nunquam cessat, licèt *pistor eorum*, h. e. Rex ipse, qui accendit eum, quiescat. Alii, *coquens eorum*, i. cor eorum; & *ardet*, ut Plautus Mercatore, *Pectus ardet*, dixit pro *Discrucior animi maximo angore.* Nam in summo dolore hanc formulam usitatam docet Cicero his Poetæ veteris verbis,

Nunc demum mî animus ardet.

7. *Omnes*] Tam Principes quàm ipse populus. ¶ *Incalescunt*] Ardent libidine malè faciendi. ¶ *Ut furnus*] Accensus à pistore. ¶ *Comedunt*] Consumunt, occidunt, conficiunt. ¶ *Judices suos*] Magistratus suos, aut Reges suos. Mox se explicat cùm ait, *Omnes reges ipsorum ceciderunt.* Nam continuæ fuerunt seditiones; & ferè qui imperabat, occisus fuit à suo successore. ¶ *Ceciderunt*] In prælio: aut, mortui sunt. Sic, *ante fratres suos cecidit*, i. obiit. Porrò frequens mutatio Principum Rebusp. & Regnis perniciosa est. Ex quo illud, *Væ dominatui qui sepelit Principes suos.* Nam rarò malis boni succedunt. ¶ *In eis*] *Inter eos.* Quod alii ad Reges, alii ad ipsum populum referunt.

8. *In populis miscet se*] Confundit ac *miscet se* Ægyptiis & Assyriis, quorum etiam mores ac religionem didicit. *Miscuit* autem eùm fœdera iniret cum eis, & auxilii causâ legatos mitteret ad Reges ipsorum. Aliter vertas, *Ephraim populis permiscebitur.* Vult dicere *inter eos dispergetur.* ¶ *Ephraim est panis subcinericeus non versus*] Qui nec planè crudus nec planè coctus est. Sic Ephraitæ nec Deum purè colebant, nec idola verè; sed utramque religionem commiscebant, & Vitulos adorantes & per Deum æternum jurantes. Alias præterea interpretationes invenies à me notatas Proverbiorum class. 2. lib. 2. adag. 39. quas brevitatis causâ omitto, & simul quia opus illud in omnium manibus versatur. *Panis subcinericeus*] Itâ vetus omnis interpretatio; quam temere nimis hodie sollicitant: nam vertunt *placenta*; & alii *libum*, qui est panis dulciarius. *Placenta* verò חלה dicitur. Scio parùm interesse hoc an illo modo vertas. Veruntamen עגה quidem certè est *panis subcinericeus*, qui & קליר in Levitico magno. Græcè ἐγκρυφίας. Dicitur & ἀπανθρακὶς, & κολλυρὶς sive κολλύρα. Augustinus De Genesi ad literam, lib. 8. c. 5. *Pro uno pane subcinerico, quem alio nomine κολλύραν vocant.* Chaldaicè חררא, ex quo Doctores fecerunt חררה, verso Aleph in He. Coquitur autem sub cineribus vel carbonibus. Unde ἀπανθρακὶς, de quo suprà, & עגת רצפים 1 Reg. 19. Ambrosius *collyridam* vocat, nescio quàm bene. Nam ex κολλυρὶς non potest dici *collyrida*, *collyrida*: Tamen ea vox legitur aliquoties apud Interpretem nostrum. Exstat etiam in Hieronymo pro pane quem Elias ad caput suum reperit: is autem erat subcinericeus. Nam quod Nebrissensis *collyrida* reponit, in eo me nunquam sibi adstipulantem habebit. Cæterùm עגה scribitur Raphe in libris quos adhuc vidi; & rectè itâ scribitur. Nam est Schurec absque Vau, quod *Kibbuts longum* vocant.

9. *Comederunt*] Consumpserunt. ¶ *Alieni*] Assyrii. Vide 2 Reg. 13. 7. ¶ *Robur ejus*] Vim Regni ejus, aut bona & facultates ejus. Nam præter munera missa ad Assyrios, quæ ipsorum ærarium non parùm imminuerunt, etiam bellis frequentibus attriti & consumpti fuerunt. ¶ *Et ipse non novit*] Adeò stupidus fuit ut ignorarit hæc omnia sibi accidere propter peccata sua. Aut nescivit se exedi ab extraneis. Magnus stupor, mala sua non sentire! ¶ *Etiam canities sparsa est in eo*] Cani sparsi sunt ei per tempora sive per caput. Talis à Græcis σπαρτοπόλιος vocatur. Et est ferme indicium mediæ senectutis: nam in ultima non sparsi sunt cani, sed spissi & crebri. Significat autem Israelitas malis afflictos immaturam quasi canitiem contraxisse. ¶ *Sparsa est*] Elegans verbum, quod etiam profani auctores in hac re usurpant. Dicitur autem de iis qui canescere incipiunt; quod accidit ex defectu nativi caloris. ¶ *In eo*] Israele. Nam etiam Regna senescunt. Senii autem indices sunt cani per caput aut tempora sparsi. Pro *sparsa est* Aben Ezra substituit *sparget*, & ipsam *naturam* subaudit. Nam verbum est femininum זרקה. Quid si *senecta* subintelligatur? nam ea quoque canos spargit. Propertius,

Sparserit & nigras alba senecta comas.

10. *Testificabitur superbia Israelis*] Explicatum est suprà 5. 5. Potest verti *testificatur*: & mox, *nec tamen conversi sunt ad me.* Sunt etiam qui legant *humiliata fuit.* Quamvis fastum eorum, inquit, variis pœnis represserim ac retuderim, non tamen eos ad frugem reducere potui. ¶ *Reversi sunt*] Resipiscendo. Quò minùs seriò resipuerint & in viam redierint in causa fuit superbia, quam ipso vultu testantur. ¶ *In omnibus his*] Sic Interpres V. Alii vertunt *cum toto hoc*, alii *propter hæc omnia:* q.d. Omnem adhibui operam ac diligentiam ut eos in viam

viam reducerem, sed hactenus frustrà. Est autem homo desperatus quem nulla pœna emendare potest.

11. *Ut columba simplex*] Quæ facilè decipitur. Cæterùm simplicitas propria huic avi. Hinc adagium, *Columbâ simplicior.* Nam etiam felle caret, ut notatum à viris doctis. Consule Proverbia mea. Simplicitas hoc habet laudabile, quòd nemini noceat; vituperabile, quòd sibi non caveat. Itaque temperanda est serpentinâ calliditate. ¶ *Simplex*] Stolida, credula, amens. Sym. ἠπατημένη, i. interprete Hieronymo, *decepta.* Sed accipio ut si esset εὐαπατήτη, i. *deceptu facilis, quæ talis est ut facilè decipi possit.* Sic κατεγνωσμένος *condemnabilis.* Aq. θελγομένη, i. eodem interprete, *lactata.* Sanè θελγόμενος, *quem quis facilè lactat ac mulcet.* Lxx, ἄνους, vel *insensata* vel *amens.* ¶ *Carens corde*] *Corde carere* dicitur qui desipit: unde, *Adolescens carens corde*, &, *Mulier carens corde*, i. insipiens. Nam in Corde sedem sapientiæ ponunt Ebræi. Referri autem potest vel ad *Ephraimum* vel ad *columbam.* Hinc intelliges quid sit *cor in dextera* vel *sinistra habere.* Siquidem illud *in sinistra habere* dicitur qui mentem sinistram ac perversam habet; *in dextera* verò, qui dextrè omnia agit, ut sapiens solet. ¶ *Ægyptum vocarunt*] Advocarunt Ægyptios ut sibi auxilio essent adversùs hostes. In quo peccarunt dupliciter; primùm quòd Deum, qui rebus adversis opitulari ipsis solitus erat, prætererint; deinde quòd fiduciam collocaverint in præsidio humano, & quod stultius, in iis qui hostes ipsorum ab antiquo fuerant. ¶ *In Assyriam iverunt*] Suprà 5. 13.

12. *Cùm ibunt*] In Ægyptum vel Assyriam. ¶ *Expandam super eos rete meum*] Ut auceps. Quod factu facillimum ei qui suprà nos habitat. ¶ *Ut aves cœli*] i. Aerias. *Cælum* enim & pro *aere* usurpant. Hoc cœlum terræ proximum est, & *aereum* dicitur. Augustinus, *Cælum vocatur & iste aer, ubi venti & nubes & procella & turbines fiunt; sicut etiam Scriptura dicit in multis locis;* Et intonuit de cœlo DOMINUS; & aves cœli, & volatilia cœli, *cùm manifestum sit aves in aere volare. Et nos in consuetudine hunc aerem* cœlum *appellamus. Nam cùm de sereno vel nubilo quærimus, aliquando dicimus*, Qualis est aer? *aliquando*, Quale est cœlum? ¶ *Deturbabo eos*] Descendere faciam in rete à me expansum. ¶ *Castigabo eos*] Sic Græci παιδεύσω αὐτούς. ¶ *Secundùm auditionem cœtûs ipsorum*] Prout auditum est à cœtu ipsorum, aut olim in deserto, aut pòst, prædicantibus & contestantibus Prophetis servis meis. Alia expositio, *Secundùm famam quæ est de cœtu ipsorum.* Sic ἀκοὴ Ἰησοῦ *fama de Jesu.* Quidam, *secundùm obedientiam cœtûs ipsorum.* Vult dicere, Quemadmodum temere obedierunt Jeroboamo præcipienti ac instituenti cultum Vitulorum.

13. *Væ illis qui*, &c.] Nam quò longiùs à Deo recedimus, eò infeliciores sumus. Summa enim certè felicitas est Deo appropinquare. Unde David ait, *Mihi adhærere Deo bonum est. Væ.* Ebræum est אוי, & Chaldaicum וי. Illo Græci utuntur, hoc Latini. ἢ *væ*, ut ישי *Jessæ.* ¶ *Procul diffugiunt*] Vagi ac palantes. Qui sensus verbi optimè convenit eis qui à Deo recedunt. Nam tales nullam certam viam insistunt, sed vagantur huc illuc per incerta opinionum, cùm in mendacio & falsitate nihil certi reperiant. ¶ *A me*] Ab obedientia mea, sive à cultu meo, aut à fide ac pietate. ¶ *Sceleratè agunt in me*] Deficiendo ab imperio meo, séque addicendo cultui Vitulorum, aut Jovis Syrii quem *Baal* indigitant. ¶ *Et ego redimerem eos*] In animo habebam redimere eos & liberare à malis in quibus hactenus versati sunt. Quidam vertunt, *& ego redemi eos:* q. d. Sæpius id feci: pro quibus beneficiis pessimam gratiam mihi referunt, calumniis ac mendaciis me gravantes, & falsa de me spargentes. ¶ *Loquuntur de me mendacia*] Dicunt me otium agere in cœlo, nec curare res humanas. Vide 2 Reg. 17. 9. Item spernunt Prophetas à me missos; cujus rei exemplum habes Jer. 43. 2. Adhæc dicunt me in eo totum esse ut ipsis malefaciam, me malo in se animo esse.

14. *Ex corde suo*] Si vociferantur, non ex animo id faciunt. Deus autem delectatur internâ pietate, non externâ. ¶ *Ejulant*] Ululant pressi malis sine fide, sine resipiscentiâ. *Ob frumentum & mustum congregantur*] Quando messis & vindemia minimè respondent votis agricolarum, h. e. in caritate annonæ, solent idololatræ processiones, ut vocant, facere, placandi Numinis causâ, sive ad Dei iram averruncandam. ¶ *Rebellant in me*] Alii *recedunt à me*: alii, *divertunt ad me.* Sed verbum סור, quando cum Beth construitur, potiùs sig. *rebellare*; idem videlicet quod מרר, unde מורר *rebellis*, *refractarius.*

15. *Vinxi*] Disciplinâ & legibus. Respexit, ut apparet, ad chirurgos, qui læsa brachia vinciunt. Plerique omnes reddunt *castigavi.* Nempe in communi usu sermonis יסר sig. *castigare:* propriè tamen est *vincire*, & inde translatum *castigare.* Nam quos castigamus, eos disciplinâ vel pœnâ constringimus. Fortè hoc vult, Cùm adstringerem disciplinam, ità confirmavi eos ut ei ferendo pares fuerint. Hoc tamen in pessimam partem interpretati sunt, de me malè & loquentes & sentientes, idque præter ullum meritum meum. *Brachia ipsorum*] Vires ipsorum. ¶ *Cogitarunt malè*] *Malum* habetur in Ebræo. Pro tanto, inquit, beneficio pessimam gratiam retulerunt, malâ opinione de me imbuti. Quænam illa opinio? Fortè quòd pœnas Divinitus immissas fortuitas putarent. Aut quòd nihilominus in errore perseverarent, Divina judicia vilipendentes.

16. *Ad Supremum*] Epitheton Dei, etiam apud Ethnicos. Notum illud, *Prô supreme Jupiter!* Apud Interpretes occurrit eodem sensu *Altissimus.* Dicunt etiam *Excelsus*, i. ὁ ὕψιστος. Cæterùm in fonte legitur hoc loco על cum Camets: quod contractum videtur ex עליון κατ' ἀποκοπὴν, sicuti à יהוה dicimus יה, &, si Eusebio credendum, ab אלהים, אל: de quo tamen longè aliter sentio. Nomen hoc Camets habet & 2 Sam. 23. 1. Semel etiam cum Pataeh legitur videlicet infrà 11. 7. ¶ *Ut arcus dolosus*] Qui subitò vertitur, & aliud ferit quàm volebat sagittarius. Usus est hâc similitudine David Rex Psal. 78. 57. *versi sunt ut arcus dolosus.* Porrò exemplum inconstantiæ Israelitarum petes ex Historia Eliæ 1 Reg. 18. 37. Aut *fallax.* Fefellerunt, inquit, me Deum & benefactorum suum. Nam cùm putarem eos in viam redituros, frustrà fui. Ut sus ad volutabrum, sic illi redierunt ad errores suos. ¶ *Ob indignationem linguæ suæ*] Propter verba quibus Deum ad iram provocarunt. Ea erant cùm dicerent se, si hostis ingrueret Assyrius, in Ægyptum petendi auxilii causâ profecturos. ¶ *Hæc subsannatio ipsorum*] Vel, si mavis, *sanna ipsorum.* Nam ab Ægyptiis sannis excipiebantur, cùm insuper ex iis quidam hostili gladio in itinere perirent, & alii à feris laniarentur.

I D E M.

1. Ἀ'σασθαι] Libri quidam ἰᾶσθαι, & mox ἀποκαλύφθη pro ἀποκαλυφθήσεται. ¶ Ἐιργάσαντο] Interpres V. *operati sunt:* alibi εἰργάσατο, sed minùs rectè. ¶ Ἐισελεύσεται] Biblia Regia, εἰσῆλθεν.

2. Ὅπως συνᾴδωσιν ὡς ᾄδοντες] Quid in mentem venit Interpretibus ut isto modo verterent quod in Ebræo בל יאמרו? Utrùm legerunt זמר, Zai videlicet pro Aleph? an mendum est in Græcis codicibus? Versio V. *ut concinant quasi concinentes in cordibus suis*, ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν. Libri Græci C. & R. habent τῇ καρδίᾳ, cæteri ἐν τῇ καρδίᾳ. ¶ Πάσας τὰς κακίας] Alias, πασῶν τῶν κακιῶν.

3. Βασιλεῖς] Interpres prisci ævi *Reges.* Quod noto quia in plerisque ed. βασιλέα, i. *Regem.*

4. Κατακαύματος ἀπὸ τῆς φλογὸς] Alii cod. ἐπὶ τῆς καυσηρῆς φλογός. Versio quæ in operibus Hier. *in deustionem flammæ.* Καυσηρὸς, sive Καυσειρὸς, *ardens*, *fervens.* Quia מאפה in Ebræo, putavi aliquando scribendum κατεπαύματος sed nullum sensum indè elicio. ¶ Στέατος] Alibi σαῖτος, nempe in ed. Basil. Aldi, & Cephalæi ζύμης, & in versione antiqua *fermenti.* σαῖς & σέαρ synonyma sunt. Scribitur & σαὶς, & in genit, σαιτός. ¶ Αὐτὸ] Antverpiæ impressi ὅλον, & in Lat. V. *totum.* Est ubi reperiatur αὐτὸ ὅλον *ipsum totum*, videlicet in A. & B.

5. Ἡμέραι τῶν βασιλέων ὑμῶν] Sic legit Interpres antiquus. nam vertit, *dies Regum vestrorum.* In aliis est ἡμῶν pro ὑμῶν. Sententia autem poscit ἡμέρας aut ἡμέρᾳ, *die Regum nostrorum.* Solet scribi Iota ad latus literis majusculis: id fortasse corrumpendo loco fuit. ¶ Θυμοῦσθαι] חמה θυμὸς in regimine facit חמת. Radix חם *incaluit.* Itaque Jarius, ubi hæc Prophetæ verba interpretatur, exponit מחום היין *præ calore vini.* Alii aliter exponunt. ¶ Μετὰ λοιμῶν] Intelligit irrisores, genus hominum pestilentissimum. Quibus jure merito annumeraveris sycophantas, ipsis viperis nocentiores. Nam adversùs viperæ morsum remedium adhiberi potest; sycophantæ morsus incurabilis est, tantóque pestilentior quantò honesta fama viro bono potior & charior est quàm vita. Hoc ità esse experientiâ magistrâ didici. Nam vivo ἐν πολίχνῃ ubi

Ὄγχνη ἐπ' ὄγχνῃ γηράσκει, σῦκον δ' ἐπὶ σύκῳ.

Deus me liberet à lingua tali.

6. Ἐν τῷ καταράσσειν] In Plantini ἐν τῷ κατακοντίζεσθαι, & Latina vetere *cùm præcipitarentur.* ¶ Ὕπνου Ἐφραὶμ ἐνεπλήσθη] In Lat. Hier. *Ephraim somno repletus est.* Legitur & ὕπνου,

πυον, sed tunc pertinet ad verbum καταράσσειν. Versio recentior, *cùm præcipitarent ipsi totam noctem somnum.* Si non legerunt אפהם, tum putarem eos scripsisse ἐΦρεὶμ, ex quo factum postea sit Ἐφραὶμ ab ignaris linguæ. Sed quid ἐΦρεὶμ; Ebraicè אפהם Græcè sonat ὁ ἀρτοποιὸς αὐτῶν, ad verb. *coquens eorum.* Πρωῒ ἐνεγενήθη] Libri quidam πρωῒ ἐγεννήθη.. Versio Lat. V. *manè factum est.* Biblia Regia tantùm habent πρωῒ, & mox in iisdem legitur Φλογὸς pro Φέγγος.

7. Ὡς κλίβανος] In quibusdam ὡς κλίβανος καιόμενος, quod etiam Hieronymus legit, si modò is auctor versionis antiquæ quam hic toties laudo & quæ exstat in operibus ipsius. ¶ Καὶ κατέΦαγον] Est ubi reperiatur καὶ πῦρ κατέΦαγον, videlicet in A. B. & Cephalæi. ¶ Ἔπεσαν] Aliàs ἔπεσον.

8. Ἐν τοῖς λαοῖς αὐτοῦ] *Populis suis* Interpres Vetus, & quædam editiones τοῖς λαοῖς αὐτοῦ absque præpositione. Hoc leve; illud gravius. Suspicor initio scriptum fuisse αὐτός. Nam in Ebræo הוא, & proclivis sanè lapsus de αὐτὸς in αὐτοῦ. Sed nihil affirmo: siquidem in αὐτοῦ libri omnes consentiunt. Recepta scriptura temere immutanda non est. Temere autem immutat qui solâ conjecturâ nititur, nullâ exemplarium auctoritate adjutus. ¶ Ἐγκρυφίας] Regia Biblia scribunt ἐκγρυΦίας· sed puto rectum esse ἐγκρυΦίας· id vertunt *subcinericius.* Appellatio ab *occultando*, q. *occultatitium panem* dicas. Nam ἐγκρύπτω *occulto*, *abscondo.* Et quia sub cineribus occultatur, ideo *subcinericium* appellant, vulgò **een asſchkocke.**

9. ΚατέΦαγον] Minùs rectè in quibusdam libris καὶ ἔΦαγον, & in aliis καὶ κατέΦαγον. ¶ Ἰσχὺν αὐτοῦ] Alibi ἰσχὺν αὐτῶν. Interpres V. *fortitudinem ejus.* Ἀυτὸς δὲ οὐκ ἔγνω] Alibi ἐπέγνω· & alibi αὐτὸς pro οὗτος.

11. Ἐπορεύθησαν] Plantini exemplar ἐπορεύετο. Sanè præcedit ἐπεκαλεῖτο, ubi tamen leg. ex Ebræo ἐπεκαλοῦντο. Interpres V. *invocabat* & *abierunt.*

12. Ἐπιβαλῶ] Partim codicum περιβαλῶ. ¶ Ἐν τῇ ἀκοῇ] כשמע. Hodie legunt כשמע κατὰ τὴν ἀκοήν· error ex literarum similitudine natus. ¶ Τῆς θλίψεως αὐτῶν] In Ebræo est לעדתם τῆς συναγωγῆς αὐτῶν· sed Interpretes legerunt ברעתם. Contrà Abd. 13. ברעתו vertunt ἐπὶ τὴν συναγωγὴν αὐτῶν, i. בעדתם.

13. Δείλαιοί εἰσιν] In hac scriptura consentiunt libri omnes quos vidi: tamen Hieronymus nos admonet de alia, quam secutus sit Interpres antiquus, qui vertit *manifesti sunt.* Verba ejus habentur in Comment. ad h. l. *In editione vulgata dupliciter legimus: Quidam enim codices habent* δῆλοί εἰσιν, *i.* manifesti sunt; *alii* δείλαιοί εἰσιν, *i.* meticulosi *seu* miseri sunt. Hucusque Hieronymus.

14. Ἐν ταῖς κοίταις] Ἐπὶ ταῖς κοίταις, A. B. ¶ Ἐπαιδεύθησαν] יסרו יוכרו pro יסרו.

15. Κἀγὼ κατίσχυσα] Veritas Ebraica κἀγὼ ἐπαίδευσα κατίσχυσα. Omnibus libris abest verbum ἐπαίδευσα. cui omittendo fuit, præter oscitantiam librariorum, corrupta translatio membri præcedentis. Cæterùm κἀγὼ abest in C. & editis ad exemplar ejus.

16. Εἰς οὐδὲν] Lectio varians εἰς τὸ κενόν.

I D E M.

2. מַעַלְלֵיהֶם. A. Sym. τὰ ἐπιτηδεύματα] Sumpsi ex ed. Rom. Apud interpretem Latinum Theodoreti, *Aq. & Sym.* excogitationes *&* studia. Ἐπιτηδεύματα, *studia*, *instituta.* Sic aliquando reddunt vocem Ebræam Lxx, ut Hos. 12. 2. כמעלליו κατὰ τὰ ἐπιτηδεύματα αὐτοῦ, & alibi. Hier. exponit, *adinventiones quibus mala studiosissimè sectati sunt.*

6. בְּאָרְבָם. A. Sym. Th. ἐνεδρεύειν] Ex ed. Rom. Plenum est, ἐν τῷ ἐνεδρεύειν αὐτοὺς, *cùm insidiarentur ipsi.* Nihil melius.

11. פוֹתָה. A. Sym. θελγομένη, ἀπατωμένη] Ex eadem ed. Rom. In Comment. Hier. *Factus est Ephraim quasi columba seducta] quod Ebraicè* פותה, *ab Aq. & Sym.* θελγομένη ἢ ἀπατωμένη *dicitur*, *i.* lactata sive decepta, *& à Lxx* insipiens *sive* insensata, ἄνους *enim utrumque exprimere potest.* Θελγομένη, *quam quis facilè demulcet.* Nam θέλγω, *mulceo.* Interpretamentum hoc Aquilæ est. Sic Prov. 1. 4. פתי vertit θελγόμενος, *quem quis demulcendo trahit quò vult*, *persuadens quod vult.* Pro ἀπατωμένη scribo ἀπατημένη, i. *decepta* vel potiùs *deceptu facilis*, i. εὐαπάτητος. Cæterùm ambigo an Sym. ità verterit. Nam Prov. 1. פתי. Th. ἠπατημένος. Videtur ergò potiùs Theodotionis esse. Adi ad Quæsita mea, epist. 45.

13. שֹׁד לָהֶם. Sym. *interitus.* Th. *miseria*] Hier. *Pro eo quod nos diximus* vastabuntur, *& in Ebræo scriptum est* שד להם, *i.* vastatio ejus, *Sym.* interitum, *Th.* miseriam *interpretati sunt.* INTERITUS; fortè ἀπώλεια. Plenum ἀπώλεια αὐτοῖς, *interitus eis.* Psal. 12. 5. שד. Sym. κακοπάθεια, i. *vexatio.* Aq. προνομή, i. *direptio*, ut Prov. 12. ἔσονται εἰς προνομὴν, *erunt in direptionem* sive *direptioni*, quod Latinis dicitur. MISERIA; Ταλαιπωρία. Sic ferè Lxx. Unde mihi nullum dubium quin hoc loco scripserint δείλαιοί εἰσιν. Id valet, interprete Hieronymo, *meticulosi ac miseri sunt.* Idem ergò cum illo ταλαιπωρία αὐτοῖς, i. *ærumna* sive *miseria illis.* Verba Hieronymi, *In editione vulgata dupliciter legimus. Quidam enim codices habent* δῆλοί εἰσιν, *i.* manifesti sunt; *alii* δείλαιοί εἰσιν, *i.* meticulosi *sive* miseri sunt.

14. יְיֵלִילוּ. Victor Antiochenus, *Osee autem Propheta inquit*, ὀλόλυζον ἐπὶ τῆς κοίτης αὐτῶν, ululabant super cubile suum: *quod Aq. quidem & Sym. reddiderunt* ἀσελγῶς ἐλάλησαν molliter locuti sunt] Ex ed. Rom. Jer. 2. 23.

I D E M in V U L G.

1. **M**Alitia Samariæ] Id est RAATH, consentit Jonathan, hodie *mala Samariæ. mala*; id est, RAOTH, hoc plurale: illud singulare. ¶ *Mendacium*] Id est, fallaciam, fraudem. ¶ *Spolians*] Fortè legit PUOSETH. Ex Ebræo Codice distinguendum, *fur ingressus est*, *spoliat latrunculus foris.*

2. *Nè fortè dicant*] Libri Ebræi, *nè dicant.*

3. *In malitia sua*] Id est, malitiâ suâ. IN otium agit ex Ebraismo. Sic *in mendaciis suis*, Latinè, *mendaciis suis.*

4. *A coquente*] Coquentem dixit pro pistore, quia antiquitus idem erat & coquus & pistor. ¶ *Quievit paululùm civitas*] Melior interpretatio, cessat ab excitando.

5. *Dies regis*] *Die regis* placeret: & ità postea vidi in libro manuscripto. ¶ *Cœperunt principes furere à vino*] Hunc locum sic restituunt, *ægrotare fecerunt principes lagenâ vini.* ¶ *Cœperunt*] Legit HEHELLU pro HEHELU. prius est ab HALAR *incœpit:* alterum ab HALAH *ægrotavit.* ¶ *Furere*] Videtur legisse HEMETH ut sit infinit. ab JAMAH, unde & HEMAH furor. ¶ *A vino*] *Lagena è vino*, id est, vini plena. Sic Ebræi enarrant. Rectè an secùs, videro. ¶ *Extendit*] apud Ebræos, *trahit*: quod aliam longè sententiam continet.

6. *Cùm insidiaretur eis*] Verbum è verbo, *In insidiari ipsorum.* Id exponi potest dupliciter: uno modo ut hoc dicat, *Cùm quis eis insidiaretur.* Posterius interpreti, mihi prius magis arrisit. ¶ *Coquens eos*] Caussa est cur malim, *coquens eorum. Coquens*, id est, coquus aut pistor, ut suprà.

7. *In eis*] Inter eos. ¶ *Calefacti sunt*] Succensi sunt.

8. *Qui non reversatur*] Fuit placenta non versa. Vult dicere, abductus fuit celerrimè in captivitatem. Proverbiale.

9. *Cani effusi sunt*] Libri Ebræi, *canities effusa est.* Eodèm recidit, *cani* subintelligitur capilli. Epitheton sine re. ¶ *Robur ejus*] Facultates ejus.

10. *Et humiliabitur*] Suprà reddidit, *& respondebit.* Ubi idem verbum in Ebræo. Vide quæ notavimus ad eum locum. ¶ *In omnibus his*] Si dixisset, *propter hæc omnia*, omnes intelligeremus.

11. *Seducta*] Simplex, stolida.

14. *In corde suo*] Vult dicere, *ex animo.* ¶ *Ruminabant*] Talis sensus verbi Ebraici Levit. 11. 2. hic malim, *coiverunt* aut *congregaverunt.*

15. *Erudivi eos*] Pronomen non legitur in Ebræo. ¶ *Malitiam*] *Malum* alii reddunt & meliùs.

16. *Ut essent absque jugo*] Legit OL prima Ain. Hodie AL, id est, ELION excelsus, ut hoc dicat, *conversi sunt ad excelsum.*

L I V E L E U S.

1. **M**Ederer] i. A malis liberarem, ut Psal. 30. 2. *Clamavi ad te, & sanasti me:* & hic cap. 5. 13. *Assyrius vobis mederi nequit.*

5. *Calore vini*] *A vino* ad verbum: h. e. Cujus causâ vinum erat. Vinum enim calefacit & incendit. Esa. 5. 11. *manè potum inebriantem sectantur, & ad crepusculum prorogant, ut vinum incendat eos.* Juvenalis Sat. 5.

Si stomachus domini fervet vinóque cibóque,
Frigidior Geticis petitur decocta pruinis.

Horatius 3. Carm. Od. 21.

Narratur & prisci Catonis
Sæpe mero caluisse virtus.

 Apud

Apud Gellium lib. 17. cap. 8. *vinum semina quadam caloris in se habere* dicitur, *& naturâ ignitius esse, ubique potum est, calefacere corpora.* Illa autem interpretatio quam plerique sequuntur, *utre à vino*, ab Hebræorum consuetudine alienior est; & minùs rectè huic loco quadrare videtur, quo ardoris à nimio vino effecta declarantur. Itaque Jarchii sententiam potiùs secutus sum, qui voce חמת *calorem* intelligit à יחם *incaluit*. Idem verbum החלו, quod alibi transitivum est, *ægrotare facere* significans, probabilius judicavit absolutum hîc esse, ut sensus sit, *Principes ægrotasse*. Neque enim hoc insolens aut rarum est, verbum idem in eadem conjugatione Hiphil modò transitivum, modò neutrum esse. Hoc in Grammatica sua pluribus exemplis confirmat Elias lib. 1. cap. 11. Unum tantùm afferam. העשיר aliquando *ditescere*, nonnunquam *ditare* significat. ¶ *Extendit manum*] Unà cum illis familiariter versatus est in compotationibus. In quibus manus poscendo, accipiendo, porrigendo pocula extendi solet. Venusinus ille Epist. ad Lollium eum morem ostendit,

Potores bibuli media de nocte Falerni,
Oderunt porrecta negantem pocula.——

Et Athenæus lib. 1. Dipnosophistarum ex Homero, à quo alicubi dici affirmat, Δείδεκτ' ἀντὶ τοῦ, ἐδεξιοῦτο, ὅ ἐστι προέπινεν αὐτῷ τῇ δεξιᾷ διδοὺς τὸ ποτήριον.

6. *Manè*] Hæc vox in versione Tremelliana omissa est: Hebraicè dicitur בקר הוא בער *Manè ardet*.

8. *Cum populis se permiscet*] Eorum mores sequitur, cultum Dei superstitionibus Gentium miscens, ut sequens similitudo *placenta semicocta* declarat. Cùm enim neque solam Dei religionem sinceram tenerent, nec sordes Gentium meras, sed confusam quandam mixturam, neque crudi neque cocti videbantur, &, quod vulgò dicitur, *nec piscis nec caro*. Simili ferè ratione Apoc. 3. Laodicensium Ecclesia *nec frigida nec fervida* fuisse memoratur. Tales tempore Achabi erant Israelitæ: *Claudicabant* enim *in duas partes*, partim Jehovam, partim idola colentes 1 Reg. 18. Item gentes illæ quas Rex Assyriæ in Samaritanis urbibus collocavit 2 Reg. 17. 33. *Jehovam timebant, & idola sua colebant.* Denique Judæi ætate Sophoniæ, qui *per Jehovam juraverunt ac Regem suum*, nempe idolum. Talem participationem nullo modo ferre potest Deus, qui Rex atque Maritus populi sui est, & quidem solus esse vult. Verum enim illud est Senecæ in Agamemnone,

Nec regna socium ferre, nec tedæ sciunt.

9. *Canities in eo sparsa est*] h. e. Canis aspersus est. Hieronymus cùm ità reddit, *cani effusi sunt*, elegantem Metaphoram corrumpit, à guttis aquarum aspersis ad senectutem notandam, quà caput hinc indè canis quasi spargi solet. Eâ idem Hieronymus Epist. ad Pammach. & Ocean. de Apollinario magistro suo utitur, *canis*, inquit, *caput spargebatur*. Propertius lib. 3. eleg. 4.

Atque ubi jam Venerem gravis interceperit ætas,
Sparserit & nigras alba senecta comas.

Ovidius,

Quâsque fuisse tibi canas à virgine juras,
Spargentur subitò per caput omne comæ.

Idem Metamor. 8.

——*Illâ Trœzenius heros*
Parte Lelex, raris jam sparsus tempora canis.

Sensum Calvinus rectissimè exponit, *Israelitas malorum asperitate afflictos indè immaturam quasi canitiem contraxisse, qualis ante tempus ex doloribus & curis provenire solet.* Quod rectè Sulmonensis ille Vates ostendit 1 De Ponto eleg. 5.

Jam mihi deterior canis aspergitur ætas,
Jámque meos vultus ruga senilis arat.
Confiteor facere hoc annos; sed & altera causa est,
Anxietas animi, continuúsque labor.
Nam mea per longos si quis mala digerat annos,
Crede mihi, Pylio Nestore major ero.
Me quoque debilitat series immensa laborum:
Ante meum tempus cogor & esse senex.

Te quoque, quam juvenem discedens urbe reliqui,
Credibile est nostris insenuisse malis.

Roma gravissimis malis, peste ac fame pressa, apud Claudianum,

Non solito vultu est: humeris vix sustinet ægris
Squalentem clypeum; laxatâ casside prodit
Canitiem.

Eadem postea recreata, apud eundem,

——*Afflata est meliore juventâ:*
Continuò redit ille vigor, seniique colorem
Mutavere comæ.

11. *Fatua*] Columba propter suam simplicitatem incauta est & insidiis exposita: nec malum infert alteri, nec sibi cavet à malo. Itaque Matth. 10. 16. Serpenti callido & prudenti opponitur.

12. *Deducam eos quasi aves cæli*] Ad verb. *descendere faciam*. Apta similitudo est, à superiore versu, quo Columbis conferebantur, huc usque continuata. Seneca in Hercule Oetæo,

——*Has enim nunquam irritas* sagittas
Mittes in hostem: sive de media voles
Auferre volucres nube, descendent aves,
Et certa prædam tela de cœlo ferent.

¶ *Secundùm auditionem cœtûs ipsorum*] Hieronymi versio hæc est, Hebræis sanè vocibus apta: Quam ob eam causam retinendam existimo quia ambiguam sententiam verborum primævæ linguæ continet. Nam vel ità intelligas licet, *Prout ab illorum cœtu auditum est ex Prophetarum id denunciantium ore*: vel ità, *Castigabo eos juxta famam & rumorem de cœtûs ipsorum clade perlatam*; quasi hîc aliquam cladem ab Israelitis acceptam denotet de qua eo tempore recens fama spargebatur. שמע enim propriè *auditionem* notat, aliquando *rumorem* & *famam*; ut Latinis etiam simili ratione *auditio* interdum rumor dicitur. Ad hujus sententiæ confirmationem similis Esaiæ 23. 5. locutio est, *Quemadmodum auditione Ægypti, intremant aquè auditione Tyri*, i. rumore calamitatis ipsius audito. Non autem deerant hoc tempore recentium calamitatum exempla ad comparationem. Graviter enim afflicti fuerant ab Assyriis non semel.

15. *Ligavi*] Verbum יסר *ligationem* aliquando ut cognatum אסר designat. Hinc enim מוסרים *vincula* nominantur. Est quidem hæc notio huic loco convenientissima, ad corroborationem denotandam. *Ligamen* enim *rebus confirmationi est*, ut rectè Quimquius in hunc locum observavit. Itaque non solùm brachia ut robustiora sint, sed & aliæ corporis partes ad majorem earum firmitatem sæpe vinculis constringuntur. Mercerus in suis in Pagninum annotationibus ad hanc radicem hunc locum exponens, *Ligavi*, inquit, *id est, constrinxi, nè laxa & soluta essent, & roboravi, ut mox sequitur.* Multorum aliorum judiciis eadem interpretatio firmata est, Quimquii, Calvini, Montani, Molleri, ipsius Tremellii priore enarratione. Eam igitur amplector præcipué: Proximè verò Hieronymi versionem probo, *erudivi*.

G R O T I U S.

1. CUm *sanare vellem Israël*] *Cùm sanassem Israëlem*: id est, cùm totam domum Achabi ob idololatriam evertissem. ¶ *Revelata est iniquitas Ephraïm*] Nova culpa se aperuit, Jehu Vitulos populo relinquente, 2 Regum 10. 31. ¶ *Et malitia Samariæ*] Ἐξεξήγησις [*Amplior explicatio.*] ¶ *Quia operati sunt mendacium, & fur ingressus est spolians, latrunculus foris*] Copula hîc Hebræo more abundat: Sensus enim est, *Quia fecerunt sibi imagines* (quæ *mendacium* dicuntur Hebræis) *ideo præda facti sunt domi Judicibus, foris hostibus*, sub Hazaële scilicet, suprà 5. 11. & 2 Regum 10. 32.

2. *Et nè fortè dicant in cordibus suis, omnem malitiam eorum me recordatum*] Meliùs: *Neque dicunt in cordibus suis* (id est, non cogitant) *me meminisse ipsorum crimina.* ¶ *Nunc circumdederunt eos adinventiones suæ*] *Circumdant*, id est, brevi circumdabunt. commenta ipsorum in ipsos recident. ¶ *Coram facie mea facta sunt*] Deest *quæ*. Sensus, *quæ planissimè apparent.*

3. *In*

3. *In malitia sua lætificaverunt Regem*] Jehum, falsas ei spes dedêre.

4. *Omnes adulterantes*] Facti sunt idololatræ. ¶ *Quasi clibanus succensus à coquente, quievit paululùm civitas à commistione fermenti donec fermentaretur totum*] *Similes furno succenso à pistore qui desiit vigilare, postquam deposuit massam, donec ea fermentescat.* Dormiente pistore, ex furno malè custodito flamma exoriens domum consumit: Ità ista gens incensa est studio idololatriæ, Jehu connivente.

5. *Dies Regis nostri: cœperunt Principes furere à vino*] *Die Regis nostri*, id est, tempore regni Jehu, qui erat Rex à Deo unctus, *cœperunt Principes velut ebrii insanire* circa Vitulos. In Hebræo est, *ab utre vini:* id est, multo vino, non rorantibus poculis. ¶ *Extendit manum suam cum illusoribus*] לצצים, aut, ut scribitur alibi, לצים, sunt *homines profani.* Pro *extendit manum suam*, rectè verteris *protraxit manum suam*, id est, abstinuit eos punire ut debuit.

6. *Quia applicuerunt quasi clibanum cor suum*] Illi Principes planè flagrabant studio cultûs illiciti. ¶ *Cum insidiaretur eis*] Meliùs, *Dum ipsi* Principes *insidias struunt*, Regi scilicet, pessimis consiliis. ¶ *Totâ nocte dormivit*] Diu Rex dissimulavit illorum culpas. ¶ *Coquens eos, manè ipse succensus quasi ignis flammæ*] *Dum illi coquuntur, manè & ipse succensus est velut flammeus ignis.* Dum illi in facinoribus suis pergunt, sensim & ipse in idem studium abreptus est.

7. *Omnes calefacti sunt quasi clibanus*] *Ut furnus.* Tota plebs Principum secuta exemplum. ¶ *Et devoraverunt Judices suos*] *Devorabunt*, id est, occident proceres suos, ut Thapsæ 2 Reg. 15. 16. ¶ *Omnes Reges eorum ceciderunt*] *Cadent:* nempe insidiis popularium, Zacharias, Sellumus, Phadias. Peccarunt proceres, peccarunt Reges: & hi & illi suas pœnas ferent. ¶ *Non est qui clamet in eis ad me*] *In eis*, id est, in populo. Cùm tantis indiciis ira mea appareat, nemo est qui de me placando cogitet.

8. *Ephraïm in populis ipse commiscebatur*] *Commiscebitur:* id est, inter gentes extraneas spargetur. ¶ *Ephraïm factus est*] *Fiet.* ¶ *Subcinericius panis, qui non reservatur*] In Hebræo, *Qui non versatur:* id est, *qui comeditur priusquam versetur*, ut hîc explicat Chaldæus. Significatur hostium celeritas. Firmant hoc sequentia.

9. *Comederunt alieni robor ejus*] *Divitias:* כח enim sæpe id significat. ¶ *Et ipse nescivit*] Causam non intelligit. ¶ *Et cani effusi sunt in eo*] Id est, propè ad interitum venit; ut ii qui multùm canescunt.

10. *Et humiliabitur superbia Israël in facie ejus*] *Testificabitur contra eum fastus suus*, ut suprà 5. 3. ¶ *Et non quæsiverunt eum in omnibus his*] Cùm tanta pericula ipsis tamen sæpe denunciarentur.

11. *Quasi columba seducta non habens cor*] Stolida ac vecors. ¶ *Ægyptum invocabant*] *Invocant*, 2 Reg. 17. 4. ¶ *Ad Assyrios abierunt*] Quærunt nunc has nunc illas amicitias, Dei amicitiam non curantes, 2 Regum 15. 19. suprà 5. 13.

12. *Et cùm profecti fuerint*] *Cùm abierint:* id est, ubi fecerint quicquid voluerint. sic enim הלך [*proficisci*] & πορεύεσθαι sumi solent. ¶ *Expandam super eos rete meum*] Decreta mea exsequar. ¶ *Quasi volucrem cœli detraham eos*] De montibus illis Samariæ. ¶ *Cadam eos*] *Pœnis eos afficiam.* id enim יסר: nec aliter sumsêre Græci, aut Chaldæus. ¶ *Secundùm auditionem cœtûs eorum*] Id est, prout sæpe eos contestatus sum per Prophetas, 2 Regum 17. 13.

14. *Quia prævaricati sunt in me, & ego redemi eos*] Pro, *in me qui redemi eos:* liberavi eos ab Ægyptiis, Cananæis, Madianitis, Philisthinis, Ammonitis, Amalecitis, Syris. ¶ *Et ipsi locuti sunt contra me mendacia*] Assimilantes me vitulis.

14. *Et non clamaverunt ad me in corde suo, sed ululabant in cubilibus suis*] *Cùm ulularent.* In rebus suis malis ad me preces non fuderunt. ¶ *Super triticum & vinum ruminabant, recesserunt à me*] *Cùm ruminarent*; id est, cùm pecudum more se ingurgitarent pane & vino, in rebus suis bonis longè à me abiere. Ità verè illis convenit illud, Ἠυλήσαμεν ὑμῖν, καὶ ὐκ ὠρχήσασθε· ἐθρηνήσαμεν ὑμῖν, καὶ ὐκ ἐκόψασθε [*Cecinimus vobis, & non saltastis; lamentavimus, & non planxistis,*] Matth. 11. 17.

15. *Et ego erudivi eos, & confortavi brachia eorum, & in me cogitaverunt malitiam*] Idem sensus qui in superioribus, *Sive eos punirem, sive vires ipsis adderem, semper me dehonestarunt per imagines.*

16. *Reversi sunt ut essent absque jugo*] Id est, *denuo voluerunt esse absque jugo.* Per *jugum* intelligenda Lex. Tam Chaldæus quàm Latinus על [*suprà*] sumsere pro עול [*iniquè egit:*] & fortè ubi nunc est Cametz, in libris aliis fuit Cholem. ¶ *Facti sunt quasi arcus dolosus*] Qui aliud minatur, aliud ferit, Ps. 78. 57. in Epigrammate Græco,

——— ἀπόσκοποι οἱ δ' ἐγένοντο.
[——— *non quod tetigere, volebant.*]

¶ *Cadent in gladio Principes eorum*] Suprà 7. ¶ *A furore linguæ suæ*] Initia talium conjurationum sunt à virulentis sermonibus, & libellis, quos *tentamenta vulgi* rectè vocat Tacitus. Harum autem querelarum materia maximè ex tributis petebatur. ¶ *Ista subsannatio eorum in terra Ægypti*] Propter crebras illas mutationes ludibrio erunt Ægyptiis, quos valde fuisse Regum observantes etiam Virgilius nos docet Georgicôn quarto.

CAP. VIII.

MUNSTERUS.

1. QUasi aquila] i. Velociter veniet hostis, ut devastet totam terram: quin & *domui Domini* non parcet.

5. *Deseruit te vitulus*] Aliqui exponunt hic זנח pro הזניח, ut sit sensus, *Ejecit te Vitulus de terra tua*; sive, *Propter Vitulum ejectus es de terra tua.* Alii sic legunt, *Repulit Deus vitulum tuum, ô Samaria.* ¶ *Quousque non valent ferre innocentiam?*] Kimhi sic exponit, *quamdiu durabit tempus in quo non poterunt esse innocentes?*

7. *Ventum seminaverunt*] i. Stultissimo detinentur labore, unde nihil percipiunt nisi gravissimum damnum. Nam semen eorum *in culmum non crescit, neque ex germine ejus fieri potest farina.*

10. *Incipient*] Heb. *incipient parùm ab onere Regis & Principum:* & est sensus, Antequam ducantur in captivitatem, paulatim incipient gravare eos Reges & Principes exactionibus & tributis.

13. *Pro hostiis*] Est הבהבי idem quod מתנותי *dona mea*, i. dona mihi oblata, à radice יהב. Est autem sensus, *Offerunt carnes illas in templo meo quas ipsi comedant*, ut sunt sacrificia pacificorum. Vel, *offerunt quidem & comedunt sacrificia in domo mea*, manentes interim in sceleribus suis; atque ideo obsequium eorum mihi gratum esse non potest.

VATABLUS.

1. PAlato tuo אל חכך] i. Ori tuo: q. d. Clange tubâ ad commonefaciendum populum: jamjam enim imminet periculum, éstque in foribus hostis. Omittit aliquot verba in hoc sermone, ut exprimat magnam trepidationem quæ hic significatur. Ostendit præterea non modò Urbem sed etiam ipsum Templum destruendum. ¶ *Pactum meum* בריתי] *Fedus meum*, quod scilicet pepigerunt mecum, vel cum aliis nomine meo interposito.

2. *Clamabunt* יזעקו] *Clament.* Sunt verba Dei ad Prophetam, ut admoneat Israelitas reverti ad eum, imploraréque auxilium ejus.

3. *Bonum* טוב] Pro Deo Opt. Max. posuit.

4. *Regnare fecerunt* המליכו] *Regem* [vel *Reges*] *instituerunt.* ¶ *Et non ex me* ולא ממני] i. Non de sententia mea, vel me inconsulto Regem constituerunt Jeroboam. Seipsum postea declarat cùm dicit, *& non novi.* ¶ *Argento suo*, &c. כספם וגו׳] *Argentum suum & aurum suum insumpserunt sibi in sculptilia.* ¶ *Ut succideretur* למען יכרת] Sub. *nomen eorum:* i. ut ipsi perirent unà cum nomine suo: vel, ut succideretur ipsum argentum & aurum.

5. *Elongare fecit* זנח] Ità exponit doctus inter Hebræos, ut nos vertimus; tanquam dicat, *propter ipsum elongata es à terra tua.* Potest etiam verti, *Elongatus est à te:* vel potiùs (ut quidam vertunt) per futurum, *Deseret* (vel *Relinquet*) *te vitulus tuus:* transferetur enim ab Assyriis, & demigrabit aliò. *Vitulus* sing. est pro plur. ¶ *In eos* בם] Sub. *vitulos*, vel *Israelitas cultores eorum.* ¶ *Quousque* עד מתי] i. Quamdiu erunt impuris & immundis animis propter idololatriam?

6. *Ex Israel* מישראל] i. Ab Israele inventus fuit, ut & ille quem coluerunt Patres eorum in deserto. ¶ In *frusta discerpetur* כי שבבים יהיה] Ad verb. *in contritiones erit.*

7. *Seminaverunt* יזרעו] Fut. Heb. pro præſ. *ſeminare ſolent.* *Arare* ſive *Seminare* ſignificat operari; *Metere* autem, mercedem operum recipere: dicit igitur, Quia opera eorum ſunt vana & inutilia, nulla erit illis merces. ¶ *Deglutient eam* יבלעהו] *Devorabunt eam.*

8. *Devorabitur* נבלע] Præterita Heb. pro futuris, i. devorabuntur opes & facultates eorum. ¶ *In quo non eſt complacentia* אין חפץ בו] Ad verb. *non beneplacitum* [ſub. *hominis*] *in eo*, i. abjectum & contemptum.

9. *Solitarius ſibi* בודד לו] i. Qui ſolus per deſertum vagatur paſcua quærendo. ¶ *Amatores* אהבים] Ad verb. *amores*, i. Iſraelitæ pecuniâ ambierunt amicitiam ac ſocietatem cum Aſſyriis & aliis Gentibus.

10. *Congregabo eas* אקבצם] Sub. *Gentes contra ipſos Iſraelitas.* Quidam totum verſum ſic vertunt, *Et licet conduxerint ex Gentibus, ego tamen modò congregabo illas, & incipient paululùm eos onerare tam Rex quàm Principes. Et dolebunt* ויחלו] A verbo חול. Alii ab חלל deducunt, & vertunt, *& cœperunt paululùm* [ſub. *conqueri*] *propter onus*, &c. i. propter tributum: q.d. Imò jam cœperunt obliqui & conqueri aliquantulùm, quòd ſint tributarii. *Paululùm* dicit quòd tributum parva res eſſet reſpectu captivitatis.

11. *Fuerunt ei*, &c. היו לו מזבחות לחטא] Repetitio, ut intelligamus quòd grave peccatum ſit Idololatria. Doctus inter Hebræos exponit, *Cùm priùs eſſent ei altaria ad peccandum, non erat quod multiplicarent.* Ratio tamen & cauſa tributi impoſiti eſſe videtur.

12. *Honorabilia* רבי] *Excellentia*; vel *excellentiora.* Quidam vertunt, *Dedi eis ſcripto excellentiorem Legis meæ partem*, i. præcepta, *& tamen contempſerunt illa.* ¶ *Tanquam aliena* כמו זר] *Tanquam peregrina.*

13. *Sacrificia* זבחי] In *ſacrificiis munerum meorum*, i. quæ vice donorum offeruntur mihi. ¶ *Sacrificaverunt* יזבחו] Fut. Heb. pro præt. vel præſ. ¶ *Et comederunt* ויאכלו] Sub. *eam carnem.* Siquando, inquit, ſacrificarunt, hoc fecerunt ut veſcerentur ſacrificatis, non ad me placandum. ¶ *Non vult ea* לא רצם] *Non optat ea*, vel *amat*, i. non delectatur illis. ¶ *Revertentur* ישובו] i. Cogentur reverti propter afflictiones.

14. *Et ædificavit delubra* ויבן היכלות] *Et exſtruxit templa*, ſub. *in honorem idolorum.* ¶ *Et conſumet*, &c. ואכלה ארמנותיה] *Qui devorabit palatia ejus.*

CASTALIO.

1. *Buccæ tuæ tubam*] ſc. *Admove, & clama.* ¶ *Aquilæ more*] Perniciter eunt hoſtes.

4. *Argento auróque ſuo ſibi ſimulacra fecerunt, ut excidantur*] *Quæ res in cauſa erit ut*, &c.

5. *Quamdiu nequibunt innocentiam*] Innocentes eſſe.

9. *Onager ſolitarius*] Præ libidine.

10. *Ego per gentes eos jam ità cogam ut parùm doleant præ Regis fato proceres*] Puniam ut Rex multò etiam graviores det pœnas quàm proceres.

12. *Scripſerim ei*] Scripſi equidem de aris in Lege: ſed non magis obediunt quàm ſi non ipſis ſcripſiſſem.

13. *Libandarum mihi*] Eorum ſacrificia Jovæ non placent, quia ei non obediunt.

CLARIUS.

1. *Quaſi aquila*] Sub. *veniet hoſtis*, ut devaſtet totam terram; quin & *domui Domini* non parcet.

2. *Cognovimus te, Iſrael*] i. Iſraelitæ in miſeria extrema conſtituti invocabant me, & dicebant ſe noſſe me. Alius ſic vertit, *Ad me clamare debuerunt Iſraelitæ, Deus meus, te agnoſcimus.*

3. *Projecit Iſrael bonum*] h. e. Deum.

5. *Projectus eſt Vitulus*] h. e. Vitulus tuus tecum peribit. Alius vertit, *Deſeruit Vitulus te, ô Samaria.* Vel, *Ejecit te Vitulus de terra tua*; ſive, *Propter Vitulum ejectus es de terra tua.* ¶ *Uſquequo non poterunt*] Tanquam dicat, Supra modum mirum eſt illos eam amentiam non poſſe relinquere, cùm ſit commentum ipſorum, & videant eſſe opus hominis. Et hoc eſt quod ait, *Quia ex Iſrael & ipſe eſt*, nempe Vitulus.

7. *Ventum*] i. Stultiſſimo detinentur labore, unde nihil percipiunt niſi graviſſimum damnum: nam ſemen eorum *in culmum non creſcit, neque ex germine ejus fieri poteſt farina.* Quòd ſi etiam convehantur in horrea fruges, hoſtes eas conſument.

9. *Onager*] i. Qui ſolus vagatur ſine conſilio temere.

10. *Cum mercede*] Scilicet, quid proderit eis? ¶ *Congregabo eos*] Videlicet *inimicos.* ¶ *Et dolere incipient paulatim propter onus*] i. Ob tributa impoſita illis.

14. *Urbes munitas*] Quaſi ſuo robore eſſent ſe defenſuri.

DRUSIUS.

1. *Ad palatum tuum buccinam*] Deeſt *applica*, vel aliquid tale. Hâc reticentiâ utimur vel in ira vel in dolore: aliquando etiam in metu. Suprà 5. 8. *poſt te, Benjamin:* hîc reticetur *hoſtis adeſt*, aut hujuſmodi quid. Cæterùm buccinâ indicabant adventum hoſtis. Suprà, *Clangite buccinâ Gabaa.* Hinc percipies illud, *Si clanget buccina in civitate; & populus non contremiſcet?* Buccinâ enim admonebatur populus ut ſibi caveret ab hoſte adventante. Adi Ezech. 33. 3. & Jer. 4. 5, & 16. Talis uſus campanarum hodie in urbibus hoſti proximis. ¶ *Ut aquila contra domum DOMINI*] Sub. *advolat hoſtis*, conciſa oratio. Similitudo autem ſignificat hoſtem magnis itineribus adventare. Nam Aquila volatu præſtat. Unde proverbiale, *Volat ut aquila:* volat enim certè perniciſſimè. ¶ *Eò quòd tranſgreſſi ſint*] Hæc videtur aliis dicere, cùm priùs allocutus fuiſſet ipſos Iſraelitas, eóſque admonuiſſet de hoſte adventante. ¶ *Contra domum DOMINI*] Sermo iſte ambiguus eſt. Nam & Templum ſignificat & ipſam Eccleſiam. Ambiguitatem tolles, ſi legas *contra familiam DOMINI.* Hoc ſenſu accipies Zach. 9. 8. *caſtrametabor domui meæ:* & Num. 12. 7. *Non ſic ſervus meus Moſes, qui in tota domo mea fidelis fuit.* Vocatur autem ità Eccleſia Iſraelitica propter electionem gratuitam quâ in Dei familiam fuerat cooptata. *Domus Dei* & *Filii Dei* ſe invicem explicant, ut *domus Iſrael* & *Filii Iſrael.*

2. *Vociferantur*] Rebus dubiis & adverſis. Vide Prov. 1. 27. ¶ *Novimus te*] An hoc verè dicunt? Nam *Deum novit* qui ſecundùm virtutem vivit. Quid iſti? Mox ait, *deſeruit Iſrael bonum.* Quomodo *deſeruit bonum* ſi *novit Deum?* Nam is naturâ ac verè bonus, atque adeò ipſum bonum eſt. Sciendum, eſſe qui Dei notitiam definiunt ex obſervatione quorundam rituum ac ceremoniarum. Hos errare docet nos Jeremias 7. 4. & deinceps; item Jeſaias 29. 13. ¶ *Iſrael*] *Iſraelitæ.* Ordo ac ſenſus, *Iſraelitæ ad me vociferantur, dicentes, Deus mi, novimus te.*

3. *Repulit*] Alii, *Deſeruit.* ¶ *Bonum*] Vel bonitatem Dei, vel Deum qui bonus eſt καὶ αὐτὸ τὸ ἀγαθόν. Poteſt verti, *Deus bonus repulit Iſraelem.* Eſt enim ſermo ambiguus, ut ſi dicas, *Repulit Iſrael Numen.* Quod valet vel, *Iſrael repulit Numen*, i. Deum: vel, *Numen*, i. *Deus, repulit Iſraelem.* Talis ambiguitas in Ebræo. Poſterior interpretatio optimè convenit cum ſequentibus: *Quia Deus repulit Iſraelem, ideo hoſtes perſequuntur eum.* Similis locus Pſal. 71. 11. *Deus deſeruit ipſum; perſequimini & comprehendite ipſum, quia non eſt liberator.* ¶ *Perſequetur*] *Perſequitur.* Magis ſe probat mihi.

4. *Reges*] Jeroboamum & alios. ¶ *Non ex me*] Non me auctore hoc fecerunt, nec ex conſilio meo. Non enim certè conſuluerant Deum ſuper ea re. Quod autem 1 Reg. 12. 24. *A me enim factum eſt verbum hoc*, rectè capies, *ex decreto meo*, cujus tamen ignaræ erant Tribus cum Jeroboamum Regem facerent. ¶ *Principes fecerunt*] Idem aliter. Sunt qui vertendum putent *removerunt*, & *Reges* ſubintelligunt; ut ſit השירו pro הסירו: nam ש pro ס poni amat. Notatum hoc in Scholiis Jarii Ebræi. Meminit & Aben Ezra, qui, niſi fallor, hujus ſententiæ auctorem prodit Japetum Grammaticum Ebræum. ¶ *Et non novi*] Et non approbavi. Vel, me inſcio: quanquam nihil inſcio Deo fit. Fieri tamen dicitur cùm ipſe ſuper aliqua re non conſulitur. Prior expoſitio verior, meo judicio. ¶ *Argento & auro ſuo*] Quo illos beaveram. Plenior oratio eſſet *ex argento & auro ſuo.* Aut lege, *argentum ſuum & aurum ſuum fecerunt ſibi in idola.* Suprà, *aurum quod fecerunt in Baal.* Vide quæ ſcripſimus ad illum locum. ¶ *Ut exſcindatur*] *Populus* ſcilicet. Quò ea res tandem, inquit, populo cauſa excidii ſit.

5. *Repulit*] Cauſam dedit cur Deus repulerit ac reprobaverit, aut cur hoſtis captivum abduxerit in exſilium. Aliàs, *Deſeruit te.* Nam cùm civitas vaſtaretur, videbatur quaſi deſerta à diis ſuis. V. Interpres, *Projectus eſt vitulus tuus, ô Samaria.* Habet enim hoc verbum & immanentem ſignificationem, ut Thren. 3. 17. *Repulſa eſt à pace anima mea.* Quid ſi, *Procul abductus eſt?* ut dicat, Aſſyrium, poſt captam Samariam, aurum unde Vitulus conflatus erat ſecum abſtuliſſe atque abduxiſſe. ¶ *Vitulus tuus*] Vituli tui qui in Dan & Beth-el. Appellat autem *vitulos Samariæ*, quoniam Samaria caput Regni erat. Sunt qui putant cultum fuiſſe Vitulum & in ipſa metro-

poli

poli Samaria: quod mihi adhuc incompertum. ¶ *Quousque non poterunt emundari*] Nempe à crimine falsi cultûs. Nam qui reus erat ejus criminis pro immundo habebatur. Suprà 6. 10. *Illic scortatio Ephraimi, pollutus est Israel.* Aut נקין est nomen pro infinitivo. Sic Græci καθαρισθῆναι, & Hieron. *mundari*, & Chaldæus P. לדכי. Aut subintelligitur נשא, *quousque non poterunt ferre munditiem?* i. purum Dei cultum, aut innocentiam. Talis defectus Psal. 101. 5. & Jes. 1. 13.

6. *Ex Israele ipse quoque est*] Prodiit ex ejus officina, ab ipsorum Regibus excogitatus & adinventus: q. d. Non à Gentibus eum didicit. Hinc refelli possunt qui originem ei dant Ægyptiam. Aut loquitur non de cultu Vituli, sed de ipso Vitulo, *quem artifex* indigena *fabricarit*, h. e. Israelita quispiam. Potuit ergò Vitulus *ex ipso Israele esse*, & cultus Vituli ab Ægyptiis aut aliunde originem habere. ¶ *Neque Deus est*] Quanquam pro Deo colitur, tamen *Deus non est* revera. *Idolum* enim *nihil est*, ut ait Apostolus. Propterea vocantur אלילים, i. *dii nihili*. Quòd autem Scriptura eos *deos* vocet, loquitur ex opinione idololatrarum, non ex rei veritate. ¶ *Fragmenta erit*] In frusta comminuetur, sive in scobem redigetur. שבבים *frusta*, παρὰ τὸ שבב *confregit*, verbum usitatum apud Magistros; ut cùm dicunt דברים שמשבבים לבו של אדם, *Verba quæ frangunt cor ipsius hominis*, i. משברים ut exponit R. D. Sed aliter Hieron. *Nos*, inquit, *ab Ebræo didicimus*, שבבים *propriè nominari aranearum fila per aerem volantia, quæ dum videntur intereunt, & in atomos atque in nihilum dissolvuntur.* Idem hoc loco vertit, *in aranearum telas erit vitulus Samariæ.*

7. *Ventum seminabunt*, &c.] Proverbii formâ dicitur de iis qui circa res vanas occupati nihil præter damnum indè reportant, sive qui ex vano & inutili labore nihil consequuntur aliud quàm damnum. ¶ *Turbinem*] Qui segetibus noxius est, & calamitatem infert. ¶ *Culmus stans*) קמה propriè *fruges Cereales nondum demessæ.* Appellatio à *stando*: nam quia in agro adhuc stant, indè nomen habent. *Segetem* vocant: ea culmum cum spica comprehendit. קמה ergò *frumentum stans adhuc in agro.* *Sementem* dicit A. Gellius Noct. Attic. lib. 2. cap. 29. *in sementes fortè consederat.* Alioqui *sementis* aliam significationem habet. Et posses hinc proverbium facere, *Sementis sine segete*, ubi quis in vanum & sine fructu laborat. Nam *sementis* ipsa satio est. ¶ *Ei*] Vel *in eo.* ¶ *Germen non faciet farinam*] Quòd si contigerit fruges illas germinare, non tamen indè fiet farina, nedum panis. Significat Israelitas, si aliquem fortè successum habebunt rerum suarum, non tamen perseveraturos diu in eo. Videtur esse schema proverbiale, quod usurpabimus quando ex re aliqua non percipimus fructum quem indè speraveramus. ¶ *Alieni*] Assyrii.

8. *Absorptus est Israel*] Nempe ab alienis, qui bona & facultates ejus absumpserunt. Simile apud Comicum, *quem assiduè exedent.* נבלע est quod Græci referunt κατεπόθη, non, quod in Latina V. *devoratus est*: nam id potiùs נאכל diceretur. Quanquam parùm discriminis inter hæc duo verba. Usurpat autem præt. pro fut. more Prophetarum. Ambrosius De fide l. 1. c. 7. *Præteritum posuit quod erat futurum. Hæc enim consuetudo est Prophetiæ, ut quæ futura sunt vel quasi præsentia vel quasi facta dicantur.* Ex mox, *Deo enim, quæ sunt futura, præsentia sunt; & ei, cui præcognita sunt omnia, ventura pro factis sunt.* ¶ *Sicut vas in quo non est delectatio*] Vult dicere, In summo contemptu sunt apud Gentes. Hujusmodi vas Hieronymus vocat *vas immundum.* Estque periphrasis matulæ, ut idem opinatur. Lxx σκεῦος ἄχρηστον, *vas inutile.* Vide Jes. 30. 14. & Proverbia mea.

9. *Ascenderunt*] Profecti sunt, abierunt. Simile ut cùm *respondeo* ponitur pro *dico*, *loquor*. Alioqui non *ascenditur* in Assyriam, sed potiùs *descenditur*. Eucherius l. 3. in Gen. *Si diligentiùs consideremus, inveniemus quòd nunquam ferè in sanctum quis locum descendisse, vel vituperabilem ascendisse memoratur.* Sic est profectò: Qui è terra Israel proficiscuntur *descendere* dicuntur; ut contrà qui ad eam contendunt, *ascendere.* Aut est sermo brevis, *ascenderunt in Assyriam*, pro, *ascenderunt è terra sua, & abierunt in Assyriam.* Prius verius videtur. Nam ut rectè dicimus, *Ascendit ex Ægypto* de eo qui Chananæam versùs movet, ità nescio an dici possit, *Ascendit è Chananæa Assyriam versùs.* Quibus otium est, diligentiùs ista expendant; nos aliò properamus. ¶ *Onager solitarius sibi*] Hoc membrum vel ad *Assyrium* referri potest vel ad *Israelem*. Si ad *Assyrium*, significat eum sua tantùm commoda spectare. Si ad *Israelem*, significat eum desertum ab omnibus omnium injuriis expositum esse. Sanè *Onagri prædæ sunt Leonibus in deserto*, ut Sirach. 13. 19. testatur, Κυνήγια λεόντων ὄναγροι ἐν ἐρήμῳ, præsertim cùm soli sunt: nam quando gregatim incedunt, faciliùs se tueri possunt. Potest etiam accommodari ad eum qui à se solo pendet, nec ullius consilium audit. Vide quæ scripsimus Proverb. class. 2. l. 4. adag. 121. *Sibi* redundat, ut Exod. 18. Jes. 31. 8. Amos 2. 13. Quidam verrunt *tantummodo studentem sibi.* ¶ *Amores*] Amicitias Gentium; vel amatores. Quæ figura loquendi non est insolens. Sic alibi apud Davidem, *amat justitias*, i. viros justos. Plenum esset אנשי אהבים. Vide 2 Reg. 15. 19.

10. *Cùm mercede conduxerint*] Vel, *licèt mercede conduxerint*, & subintelligitur *quosdam amatores*, aut simile quid. תנה propriè *dare mercedem meretriciam*: unde אתנה *id quod stupri causâ datur, captura.* Vide 2 Reg. 15. 19. כי גם *etiamsi*, ut infrà 9. 16. & Jes. 1. 15. ¶ *Congregabo eos*] Eo animo videlicet ut dispergam huc illuc per Assyrios. Quidam, *congregabo eas*, & *gentes* subintelligunt. Scribitur autem אקבצם in Bibliis Regiis, & in editis à R. Stephano cum Dages in Beth: quod tamen abest in ed. Veneta altera, item in Antverpiæ cusis, tam iis quæ in quarto folium complicant, quàm aliis nonnullis. ¶ *Cœperunt paulùlum*] Supple *congregari.* ויחלו scribendum cum Dages in Lamed vel ex editis à R. Stephano; quamvis Veneta editio & duæ Antverpienses à me consultæ eo careant. ¶ *Onus*] Tributum, exactionem, 2 Reg. 17. 3. ¶ *Regis principum*] Regis Assyrii, qui *Rex magnus* dicebatur, & *Rex Regum*, pro quo hîc est *Rex principum.* Nam Reges ità vocantur suprà 7. 16. ut videre est vers. 7. ejusdem capitis. Rei firmandæ est quod habetur Jes. 10. 8. *Nonne Principes mei simul Reges sunt.* Sed melius ut sit ἀσύνδετον, *Regis & principum.* Sunt qui hîc legant, *& dolebunt parùm præ onere Regis principes.* Quod minùs se probat mihi.

11. *Quia multiplicavit*, &c.) Hunc versum variè interpretantur. Quidam sic, Cùm à patribus ei relicta essent tot altaria, cur auxit numerum eorum? quid ità libuit ea multiplicare? Alii posterius membrum enarrant, *fuerunt ei altaria in scandalum*: q. d. Quòd tam multa altaria exstruxerit, hoc ei malo fuit. Nam indè perniciem & exitium sibi conflavit. Interpretes è Gallia, *erunt ei altaria ad peccandum*, nempe cùm inter Gentes exsulabit. Quia tam cupidè multiplicavit altaria, brevi abducetur in captivitatem, ubi copia altarium nunquam ei deerit. ¶ *Fuerunt ei altaria ad peccandum*] Nonnulli accipiunt ut si diceret *in peccatum*, i. in pœnam peccati; q. d. cedent ei ad majorem condemnationem & reatum, ut 1 Reg. 12. 30. *fecit vitulos aureos, quod ei peccato fuit.* Ibidem cap. 13. in extremo, *fuit hoc ei peccatum ad exscindendum & perdendum.* Hieronymus certè reddit, *factæ sunt ei aræ in delictum.* Ad colendum idola: q. d. Meum altare non suffecit eis. *Peccare* κατ' ἐξοχὴν est Deos falsos colere, & *peccatum* Idololatria. Hinc illud, *Peccare fecit Israelem*, quod de Jeroboamo seniore, nisi me fallit memoria, dicitur, qui primus cultum Vitulorum instituit.

12. *Scripseram illi*] Lex semel descripta, sed postea sæpiùs à Prophetis ac Sacerdotibus inculcata. Accedit quòd Prophetæ conciones suas scribere solebant. Ideo fortè usus est verbo futuro, quod apud Ebræos tempus continuum denotat. ¶ *Amplitudines legis meæ*] Vel *eximia legis meæ*, h. e. legem meam eximiam & præstantissimam. Continet autem Lex res magnas & eximias, quæ vocantur τὰ μεγαλεῖα τοῦ Θεοῦ Actor. 2. 11. ¶ *Velut res extranea*] Quæ ipsos nihil attineret. Innuit Legem ab illis planè neglectam, nè dicam contemptam fuisse. Sanè sub principatu Josiæ, quem inter pios Reges fuisse constat, repertus liber Legis erat illis res nova.

13. *Sacrificiis munerum meorum*] *In sacrificiis donorum meorum*, i. quæ mihi donantur, *sacrificant carnem, quam comedunt.* Fiebat hoc contra Legem. Nam totum holocaustum Deo cedebat: nihil ex eo Sacerdos aut alius percipiebat. Licet etiam vertere, *Sacrificia munerum meorum sacrificant carnem, & comedunt.* Ordo & sensus, *Sacrificant carnem hostiam mihi datam, & comedunt eam.* Intelligit autem holocautomata, ut diximus: quæ indè nomen habent, quòd *tota comburantur.* Alioqui sacrificia vocantur *munera* & *dona*; ut Matth. 5. 23. *Cùm obtuleris donum tuum ad altare:* & Ezech. 20. 31. *Nè profanate nomen meum donis vestris.* Sunt qui referant *sacrificia ustulandorum meorum.* Verbum cum הבהב in scriptis Rabbinorum significat *ustulare, urere*: unde dicunt, מהבהבין אותו באור *ustulant eum igne.* Sensus in idem redit. Nam *ustulandum sacrificium* aliud nihil est quàm *holocaustum.* Japhetus homo Ebræus putat Joth tale esse quale est in גובי *locustæ*, & similibus, ubi indicat numerum pluralem. Nam de שרי, quod pro exemplo adducit, aliter opinandum, ut suo loco dicam. ¶ *Et comedunt*]

dunt] *Quam comedunt.* Sic Mal. 3. 1. *Ecce ego mitto nuncium meum, & parabit viam ante me.* Quod Matth. 11. 10. *qui parabit.* Non est ergò dubitandum de hac Enallage. ¶ *Ea*] *Sacrificia:* vel *eos*, ut ad *Israelitas* referatur comedentes carnem immolatam Deo. ¶ *Nunc recordabitur*] Brevi recordabitur, videlicet quando in Ægyptum proficiscentur cum Johanne Care F. *Recordari* autem dicitur *iniquitatem* cùm eam punit. Cæterùm in Ægyptum redierunt non hostiliter eò deportati, sed patriæ suæ vastitatem evitantes. Infrà 9. 6. *Abibunt à vastatione.* Jer. 42. 14. *Ægyptum ingrediemur, nè bellum videamus, & fame pereamus.* Hoc autem faciebant contra expressum Dei mandatum, qui vetuerat nè unquam eò redirent. ¶ *Visitabit peccata eorum*] Puniendo ea fame, peste & gladio, Jer. 44. 13. ¶ *In Ægyptum revertentur*] Accipio ut infrà 9. 3. *Non habitabunt in terra DOMINI: sed Ephraim redibit in Ægyptum, & in Assyria pollutum comedent.* Vide Jer. 44. 12.

14. *Factoris sui*] Dei qui ipsum non modò creavit sed etiam auxit, ornavit, amplificavítque. Ità verbum *facio* sumitur Deut. 32. 6. 1 Sam. 12. 6. *Qui fecit Mosem & Aharonem*, i. ad opes ac dignitates provexit vel promovit. ¶ *Exstruxítque palatia*] Quo fine hoc eum fecisse dicemus? an ad magnificentiam ostentandam? an potiùs quò se tueri posset & in tuto esse belli tempore? Verum videtur, & hanc sententiam roborant consequa verba. V. Interpres *delubra*, & Græca ed. τεμένη. Est autem τέμενος propriè *agri portio Deo dicata*, sed hic sign. *delubrum* sive *fanum* aut *sacellum:* quod evincit verbum ᾠκοδόμηται. Nam agri non *ædificantur*. Accedit quòd vox Ebræa de *agro* accipi non possit. Cæterùm de *fanis idolorum* interpretantur hunc locum Ebræi, atque adeò ipse Jonathan Uzielis F. ¶ *Urbes munitas*] Deo diffidit qui multas urbes munitas exstruit. Sic qui multos equos alit; quod Lege ideo vetitum. Non ergò damnat simpliciter exstructionem talium urbium, sed fiduciam quam in iis locant qui multas exstruunt, Deo diffisi. ¶ *Immittam ignem*] Jes. 1. 7 *urbes vestræ igne conflagratæ.* 2 Reg. 25. 9. *Et combussit* hostis *domum DOMINI, & domum Regis, & omnem domum amplam combussit igne.* ¶ *Palatia ejus*] Hic est pronomen femininum, suprà erat masculinum. Atque hoc quidem *populi* respectu, illud verò *terræ* aut *synagogæ* ratione dicitur. Similis varietas Thren. 2. 5. *Absorpsit palatia ejus* ארמנותיה, *& perdidit munitiones ejus* מבצריו. Quod notatum à Livelæo meo. Potest etiam relativum fem. referri id ipsas *urbes*, hoc sensu, *Palatia ejus*, i. *cujusque earum urbium.*

I D E M.

1. Εἰς κόλπον] Legerunt חק pro חך, h. e. Coph pro Chaph. ¶ Ὡς γῆ, ὡς ἀετός] Interpres V. *quasi terra, sicut aquila.* In plerisque cod. est ὡς γῆ ἄβατος, ὡς ἀλώπηξ, ὡς ἀετός. Locus hujusmodi ut de eo restituendo frustrà cogitet cui subsidium à MSS. nullum est. ¶ Τὴν διαθήκην μου, καὶ κατὰ τοῦ νόμου μου ἠσέβησαν] Hæc in quibusdam desiderantur. In uno ex iis, nempe in B. reperi tantùm διαθήκην μου.

3. Ἀπεστρέψατο] Editio Regia ἀπεῤῥίψατο. Interpres V. *aversatus est.* ¶ Κατεδίωξαν] ירדפו pro ירדפהו.

4. Ὅπως ἐξολοθρευθῶσιν] Jonathan similiter בדיל דישתיצון. In Ebræo למען יכרת *ut exscindatur*, sub. *unusquisque eorum*; aut, ut alii, *argentum & aurum.*

5. Ἀποτρίψαι] Ἀποτρίβω inter alia sign. *rejicio, repello, summoveo.* Id diversâ lectione est ἀποῤῥίψαι, quam reperies in C. & editis ad ejus exemplar. Suprà v. 3. ἀπεῤῥίψατο, ubi verbum idem in Ebræo, ac forsan ibi pro ἀπεστρέψατο, quod in aliis cod. legendum ἀπετρίψατο. Cogita, erudite Lector: nam valde hoc mihi arridet. ¶ Ἐπ' αὐτοὺς] Εἰς αὐτούς.

6. Πλανῶν] i. *Seducens*, atque *decipiens.* Sic etiam Th. exponit. *Seductus*, alii. Ex Ebræis Japheth quidam, *Vitulus Samariæ faciet Israelem ut sit* שובב, i. *refractarius.* Citat Aben Ezra, sed improbat.

7. Καταστροφὴ αὐτῶν] Locus suspectus. καταστροφὴ hic non est *subversio*, sed *exitus, finis*, i. סוף. Hoc commodùm mihi in mentem venit. Quæ sequuntur pariter mihi suspecta sunt; sed non æquè occurrit quod conjectem. Sic habet Veritas, Ὅτι ἄνομον ἔσπειραν, καὶ λαίλαπα θερμῶσιν· ἄροτος οὐκ ἔστιν αὐτῷ· βλαστὸς οὐ ποιήσει ἄλευρον, τάχα ποιήσει, &c. Nihil tamen immutandum censeo. ¶ Οὐκ ἔχον ἰσχὺν] Legitur ἔσχον in quibusdam libris, & in aliis ἔχων· sed legendum puto ἔχον· nam præcedit δράγμα. ¶ Ἄλευρον] In editis à Plantino ἄλευρα. ¶ Ἐὰν δὲ καὶ ποιήσῃ.] In iisdem ἐὰν καὶ ποιήσῃ, & mox αὐτὰ pro αὐτό. Hæc levicula quis negat? sed tamen profectò verùm quod Græci proverbio dicunt,

——— Ἐν ὀλίγῳ ὄλβια πάντα.

In verbo Dei omnia minima etiam maxima sunt.

8. Ἐγένετο] Libri nonnulli ἐγένοντο.

9. Ἀνέθαλε καθ' ἑαυτὸν] Sic est in C. & R. in aliis ἀνέβαλε κατ' αὐτόν. In uno reperi κατ' αὐτό. Interpres V. *germinavit apud semetipsum.* ἀνέθαλεν, i. פרח, ut videantur mihi legisse פרא, non פֶּרֶא, quod ὄναγρον denotat. ¶ Δῶρα ἠγάπησαν] In plerisque exempl. est ἠγάπησεν sed placet ἠγάπησαν, quod in R. ut legerint אהבים aliis punctis vocalibus. δῶρα autem, i. תנות, quod scribebant תנו, nempe à sing תנה *donum.*

10. Παραδοθήσονται] יתנו. ¶ Ἄρχοντας] Alibi ἄρχοντα. In Hieron. *Reges & Principes*, βασιλέας καὶ ἄρχοντας.

11. Ἐγένοντο] Plantini editio καὶ ἐγενήθη. ¶ Ἠγαπημένα] Sic legit & Interpres V. nam interpretatur *dilecta.* Vide quæ scripsimus ad v. 13. Biblia Regia ἐπλημμελημένα, quæ lectio, ut se habent Ebræa, melior ac verior videtur.

12. Καταγράψω αὐτῷ] Alibi γράψω αὐτῷ. In Hieron. *scribam eis*, i. αὐτοῖς. ¶ Καὶ τὰ νόμιμα] In nonnullis exempl. abest καὶ· abest etiam in textu Ebræo & in L. V. ¶ Εἰς ἀλλότρια] Malim ὡς ἀλλότρια.

13. Θυσιαστήρια τὰ ἠγαπημένα] Ἠγαπημένα desideratur in A. B. & in L. V. legitur autem in C. & R. Theodoretus quoque legit, cui respondet in Ebræo הבהבי, quod ab אהב deducunt, cùm potiùs sit à יהב *dedit:* itaque vertunt hodie θυσίας δωμάτων μου. ¶ Τὰς ἀδικίας] In aliis τῶν ἀδικιῶν. ¶ Τὰς ἁμαρτίας] Lectio varians τὰς ἀνομίας. Interpres V. *injustitias*, i. ἀδικίας. ¶ Αὐτοὶ εἰς] Αὐτοὶ δὲ εἰς. ¶ Καὶ ἐν Ἀσσυρίοις ἀκάθαρτα φάγονται] Glossema huc translatum ex 9. 3. quod nec in A. B. habetur nec in Latinis Hieron. Credo etiam abesse in Cephalæi.

14. Τοῦ ποιήσαντος αὐτὸν] Τὸν ποιήσαντα αὐτὸν est in libris ad E. C. ¶ Ὠικοδόμησαν] Interpres V. *ædificaverunt.* Aliqua tamen exempl. ᾠκοδόμησε, & sic est in Ebræo.

I D E M.

1. אל חכך שופר. A. Sym. Th. *In gutture tuo sit tuba*] Id colligo ex his verbis Hieronymi, *Hoc quod nos interpretati sumus*, In gutture tuo sit tuba, *pro quo in Ebræo scriptum*, אל חכך שופר, *Aq. & Sym. & Th. similiter transtulerunt.* IN GUTTURE TUO, Ἐν τῷ λάρυγγί σου, vel, si mavis, ἐν τῷ φάρυγγί σου· siquidem λάρυγξ ab Int. antiquo exponitur *fauces* Psal. 137. 6. Suprà quoque חכי ex Symmacho redditum *fauces tuæ.* TUBA. Tuba cornea, quam propriè κερατίνην appellant. Hieron. *buccinam* alibi reddit. Alioqui *tuba* σάλπιγξ dicitur; & ex argento vel ex ære fiebat.

6. שְׁבָבִים. Sym. ἀκαταστατῶν. Quinta ed. ῥεμβεύων. (ex. ed. Rom.) Th. πλανῶν. Aq. *errantibus* sive *conversis*] Ex Comment. Hieron. Ἀκαταστατῶν part. à verbo ἀκαταστατῶ, quod non facilè uspiam invenies. In Hieron. *Sym.* inconstans *vel* instabile, *i.* ἀκατάστατον. Istud est nomen adjectivum. Ἀκατάστατος; *instabilis, incompositus, confusus.* Ῥεμβεύω veteres Lexicographi explicant *vagor, fluctuo*, & citant sine auctore. Credibile autem quòd hinc descripserint, h. e. ex Hieronymo, qui ῥεμβεύων interpretatur *vagus* ac *fluctuans.* In Deuterosi Ebræorum אלמנה שבבית appellatur vidua quæ discurrit per vicos ac plateas, unde & ῥεμβὰς γυνὴ *mulier vaga* Sirach. 26. 7. Πλανῶν est, interprete Hieron. *seducens* atque *decipiens.* Lex. V. Πλανῶ, *erro.* Malim *errare facio.* Nam *erro* πλανῶμαι dicitur. Huic interpretationi robur addit Interpres qui à *vulgo* nomen accepit. Is Jes. 47. 10. שובבתך interpretatur *decepit te.* Atque hinc שובב *perversus*, vel *qui alios avertit à recto ac decipit.* ERRANTIBUS, לשבבים. Si rectè, rectiùs שובב acceperis pro *errone*, i. homine vago, quem πλάνον Græci nuncupant: unde *Planus* apud auctores Latinos. CONVERSIS. Elgerim *perversis.* Nam שובב *perversus*, ut dixi. *Conversus* magis dicitur שב, & in plur. שבים *convertentes*, nempe à שב *converto* ac *convertor*, unde לשבי פשע *conversis à scelere* Jes. 59. 20. nisi mavis שב & שובים, ex quo Mich. 2. 8. שובי מלחמה *reversi ex bello.*

I D E M in V U L G.

2. *Invocabunt*] Quidam legunt *invocabant*, cujus lectionis dicunt se habere autores manuscriptos libros. ¶ *Israël*] Ordo ac sensus, *Invocant me Israelitæ, dicentes Deus meus cognovimus te.*

3. *Projecit*] *Dissecuit* alii reddunt.

4. *Regnaverunt*] Vertendum, *reges fecerunt*, aut *regem crearunt*. ¶ *Principes extiterunt*] Et hîc vertendum, *principes constituerunt*, *principem fecerunt*. ¶ *Argentum suum & aurum suum*] Magis placeret, *argento suo & auro suo*. ¶ *Ut interirent*] *Ut interiret* est in Ebræo & subintelligitur *Israël*.

5. *Projectus est*] Suprà v. 3. vertit *projecit*, ubi tamen idem verbum in Ebræo. ¶ *Emundari*] Mundi esse.

6. *In aranearum telas*] Jonathan, *in asseres tabularum*. Quid si *in scobem*, aut in asserum fragmenta? Hieron. in Comment. ad hunc locum, *Nos ab Ebræo*, inquit, *didicimus* SEBABIM *propriè nominari aranearum fila per aërem volitantia, quæ dum videntur, intereunt, & in atomos atque in nihilum dissolvuntur*.

8. *Quasi vas immundum*] Ad verbum, *tanquam vas in quo non est oblectatio*, & circumloquitur matulam, ut Hieronymus annotat. Sic Comicus, *ego te nunc pro matula habebo*.

9. *Ephraim*] Id est, Ephraimitæ. ¶ *Munera dederunt amatoribus*] Vertendum, *mercede conduxerunt amatores*, ut mox. Sed & *cum mercede conduxerunt*. Cur nunc ità, ibi aliter vertit? ¶ *Amatores*] Ut hodie lectio, vertendum, *amores*. Figura nota.

10. *Et quiescent*] Santes, *dolebunt*. Id est JAHILU vel JAHELU, quod postremum repperi in quibusdam exemplaribus Ebraicis: in aliis repperi JAHELLU, L geminatâ, id est, *incipient*. Sic Camius enarrat. In Scholiis Jarii exponitur, *deprimentur*.

12. *Scribam*] Pro scripsi, ità postulante sententiâ. ¶ *Velut aliena*] Ebræum exemplar, *velut alienum*.

13. *Hostias offerent*] Emendant *hostias munerum meorum*: alii, *hostias ustionum*. ¶ *Non suscipiet eas*] Non habebit acceptas. ¶ *Convertentur*] Malim, *redibunt*, aut *revertentur*.

14. *Ædes illius*] Significantiùs ac pleniùs legitur in Ebræo, *palatia ejus*.

LIVELEUS.

1. *Adhibitâ*] Verbum è verbo ità legitur, *Ad palatum tuum buccina quasi aquila contra domum Jehovæ*. Ecliptica oratio est, hanc habens sententiam, *Appositâ ori tuo buccinâ populum convocato, eúmque impendentis periculi moneto, his verbis, Quasi aquila hostis contra Hierosolymam involat*. In more positum erat clangore tubæ populum congregatum monere ut sibi ab hoste adventante caveret, Ezech. 33. 3. Jer. 4. 5, 16.

2. *Clamabunt*] In rebus adversis & dubiis; sed frustrà, quia sine vera fide & resipiscentia, ut Prov. 1. 27. *Ridebo cùm advenerit eorum calamitas. Tunc invocabunt me, sed non exaudiam eos*.

5. *Eos*] Scilicet Israelitas, de quibus versu præcedente locutus est, statímque verbis sequentibus loquitur. Hujus accusativi ellipsis est qualis cap. 4. 12. alisque in locis haud paucis. Est verò etiam post hoc verbum accusativi ellipsis familiaris & usitata. Psal. 44. 23. *nè rejicias in æternum*. Psal. 74. 1. *quare abjicis in æternum?* Cùm verò *Vitulum eos abjecisse* dicit, hoc vult, eorum idololatriam abdicationis & exitii ipsorum causam fuisse. Metonymia, ut cap. 10. 15. *Sic vobis fecit Bethel*. ¶ *Ferre*] Illud verbum hîc subintelligo, quod aliis in locis post idem verbum יכל ad odium & detestationem designandam subaudiri solet. Ps. 101. *superbum* לא אוכל *non possum*, sub. *ferre*. Esa. 1. 13. *iniquitatem non possum*, supple *ferre*. Est quidem hoc ad Israelitarum improbitatem aggravandam significantissimum, quòd *innocentiam nè ferre quidem potuisse* dicuntur.

7. *Ventum*] *Seminare ventum* est In vanum laborare, ut Eccl. 5. 16. *laborare vento*: & Prov. 11. 29. *possidere ventum* est Possessionem nihili habere. Hinc Græcis proverbium huic non dissimile de vano labore ἀνέμους γεωργεῖν *ventos colere*. Hic ergò sensus est, Eos frustrà esse in idolorum cultu, & irritum illum laborem damnosum finem allaturum. *Turbinem* enim *ex vento sato metere* nihil est quàm Ex inutili & vana opera malum acquirere.

9. *Onager*] Onager maximâ libidine ferri & velocissimè abripi solet, ità ut ab instituto cursu revocari nequeat, Jer. 2. 23, 24. Xenophon in Cyro minore, lib. 1. tantam ejus pernicitatem esse scribit ut equos cursu longè superet. Est igitur hæc aptissima similitudo ad præcipitem illum fervorem arguendum quo Israelitæ acti huc illuc ad externarum gentium federa, præsidia, superstitiones cursitaverunt. Vide Jer. 2. 23. ¶ *Solitarius*] Jobi 39. 6. *Onagri domum solitudinem posuit, & habitationem ejus salsuginosam terram*. Eccl. 13. 21. *Venatio leonis onager in deserto*. *Solitarius* itaque vocatur quia in locis desertis & solitariis versatur. ¶ *Sibi*] Hic dativus abundat, ut multis in locis. Exod. 18. in fine, *Ivit sibi in regionem suam*. Esa. 31. 8. *Fugiet sibi à gladio*. Amosi 2. 13. *plaustrum plenum sibi*. Genus loquendi solens & crebrum etiam Latinis & Græcis.

10. *Etiamsi*] Ità hîc interpretor גם כי, ut cap. 9. 16. גם כי ילדון *Etiamsi genuerint*, & Esa. 1. 15. גם כי תרבו *Etiamsi multiplicaveritis*, &c.

11. *Ad peccandum*] i. In majorem condemnationem & reatum ei cedent, ut 1 Reg. 12. 30. *fecit vitulos aureos; quod ei in peccatum erat*. Ibidem cap. 13. in fine, *Constituit ex populo Sacerdotes; fuitque hoc ei in peccatum, & ad exscindendum & perdendum*.

12. *Amplitudines*]. Vel *magnitudines legis meæ*: h. e. magnificentissimam legem meam, amplissimáque illius documenta, quæ ob rerum Divinarum præstantiam & majestatem *magna* vel *magnifica* vocantur, ut Act. 2. 11. μεγαλεῖα τοῦ Θεοῦ, *audimus eos loquentes magnificat Dei*. Summa hæc Divinæ legis commendatio est à rerum excellentia, quâ à Davide *auro & argento* Psal. 19. 10. & 119. 72. à Salomone *pretiosissimis unionibus omnibúsque hominum desideriis* Prov. 3. 15. à Mose omnibus aliis reliquarum gentium doctrinis Deut. 4. 6. antefertur. ¶ *Tanquam res aliena*] Arguit his verbis pretiosissimæ illius Legis contemptum & neglectum; quæ non pluris ab illis facta est quàm si *res extranea* aliqua fuisset quæ ad eos minimè pertineret. Ut enim ex hominibus extrarii & alieni minùs quàm domestici & proprii diliguntur; ex quo illa Jobi querela est, cap. 19. *Ancillæ meæ extraneum me reputant, alienigena illis videor*: Ità etiam rebus aliis contingit ut alienæ negligantur multóque à nobis minoris quàm nostræ fiant. Unde illud est in Topicis Ciceronianis axioma, *Sua alienis anteponenda*: atque Aristotelis Oeconom. 1. Οὐδεὶς ἐπιμελεῖται ὁμοίως τῶν ἀλλοτρίων καὶ τῶν οἰκείων. Idem declarat versiculus Q. Ennii à Gellio lib. 2. c. 29. commendatus,

Nè quid exspectes amicos quod tute agere possis.

Quo innuit, non magnæ aliena hominibus curæ esse. Non possum hîc prætermittere quin explicem quæ mihi videatur vis illorum Christi verborum apud Lucam 16. 12. *Si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est quis vobis dabit?* quæ à nonnullis magnis viris ità intelliguntur quasi homines majorem alienarum quàm suarum rerum curam habeant, quia in alienis suæ fidei commissis, de quibus rationem reddituri sint, cautiores esse solent quàm in suis. Mihi verò illum locum expendenti videtur ea *in alieno fides* dici, non quâ aliena cautè custodiuntur suo tempore reddenda, sed contrà quâ pro domini voluntate liberaliter expenduntur & consumuntur, ad quod multò procliviores homines sunt quàm ad rerum suarum jacturam faciendam: Etenim levius nos tangit alienarum quàm nostrarum rerum amissio. Hæc igitur verborum Christi sententia est, *Si aliena quæ minùs curantur, domino id permittente ac jubente, expendere nolueritis, quid de vestris ac propriis exspectandum est, quæ tenaciùs & majore solicitudine asservari solent?* Ità quod de alienis posthabitis dicebamus, Christi dicto stabilitur.

13. *Donariorum meorum*] Videlicet quæ mihi donantur. Ità vocem Hebræam הבהבי cum Quimquio & Tremellio interpretor, à יהב, quod *dare* significat. Oblationes enim & sacrificia *dona* vocantur. 1 Sam. 2. 17. *Spreverunt munus Jehovæ*. Lucretius lib. 4.

Conspergunt aras adolêntque altaria donis.

Matth. 5. 23. *Cùm obtuleris donum tuum ad altare*. Ezech. 20. 39. *nè profanate nomen meum donis vestris*. ¶ *Non accipit eos*] i. Gratos & acceptos non habet. Hoc enim propriè significat רצה *benignè acceptare, acceptum habere*. Vide eandem sententiam Jer. 14. 10. ¶ *In Ægyptum revertentur*] Pœnæ denunciationem cum Lyrano Oecolampadius hîc intellexerunt; Quorum sententiæ meam adjungo. Comminationem enim esse puto, qualis est cap. 9. 3. *Non manebunt in terra Jehovæ: verùm Ephraim redibit in Ægyptum, & in Assyria pollutum comedent*. Non quòd hostiliter ab Ægyptiis eò deportati fuerint, sed permulti, Assyriorum crudelitatem & patriæ suæ calamitates fugientes, in Ægyptum commigraverunt. Cap. 9. 6. *Abibunt à vastatione*, &c. Idem postea Judæi fecisse dicuntur Jer. 42. 14. *Ægyptum ingrediemur, nè bellum videamus & fame premamur*. Miserum hoc erat, præ malorum asperitate solum natale relinquere cogi, & à dulci patria exsulantes vitam acerbam degere: Quod Moses antè Deut. 28. in fine denunciaverat,

ciaverat, *Reduces te Jehova in Ægyptum navibus, ibique vos ipsos in servitutem vendetis.* Hinc cùm Deus Israelitarum liberationem pollicetur, dicit eos non solùm ab Assyria verùm etiam Ægypto reductum iri. Hic cap. 11. 11. *Festinabunt quasi avis ex Ægypto, & quasi columba ex Assyria.* Esa. 11. 11. *Reliquias populi sui ex Assyria & Ægypto,* &c.

14. *Urbes munitas*] In quibus securè fiduciam posuerunt majorem quàm in Deo: ut Jer. 5. 17. *Urbes tuas munitas quibus confidis, destruent.* Mich. 5. 10, 11. cùm in Deo solo præsidium Ecclesiæ positum fore significat, *dicit equos, currus, urbes* & *munitiones excisum iri.* ¶ *In urbes ejus, & consumet palatia ejus*] Quominus ad Judam utrumque affixum referatur nihil impedit, nè generis quidem varietas, quam Tremellius hoc evincere dicit, ut alterum relativum ad *Israelem* referatur. Similis enim relativorum varietas est Lam. 2. 5. quæ tamen ad idem antecedens referuntur; *Absorpsit palatia ejus* ארמנותיה, *perdidit munitiones ejus* מבצריו. Nomina propria populorum indifferenter cum masculino vel feminino genere consentiunt; masculino *populi* respectu, feminino *terræ* vel *congregationis* ratione, suprà 5. 9. *Ephraim* תהיה *erit desolationi.* Nomen masculinum proprium feminino verbo jungitur

GROTIUS.

1. IN *gutture tuo sit tuba*] Prophetam Oseam Deus alloquitur, vultque cum editissimâ voce proclamare & peccata populi & mala eventura. Similis locutio Esaiæ 58. 1. חך propriè *palatum*, sed sumitur συνεκδοχικῶς [*per comprehensionem*] pro *ore* toto. Lxx in suis codicibus minùs rectè habuerunt אל חק כעפר, εἰς κόλπον αὐτῶν ὡς γῆ [*in sinum ipsorum, ut terra.*] ¶ *Quasi aquila super domum Domini*] Quæ tam latè audiatur quàm aquila templum supervolitans & è sublimi crocitans. Confer Apocalyps. 8. 13. ¶ *Pro eo quòd transgressi sunt fœdus meum*] *Transgressos hos esse fœdus meum:* hoc enim ipsum est quod proclamari vult Deus.

2. *Me invocabunt*] Tempus veniet cùm me invocaturi sunt. ¶ *Deus meus*] Singuli dicent, *Deus meus.* Sic Cornelius Severus,

> —— *fusique per herbam,*
> *Hic meus est, dixere, dies.*

Dixerunt, ait Seneca, *non omnes simul, sed singuli cœtus.* ¶ *Cognovimus te Israël*] Nos Israëlitæ te Deum verum esse cognovimus. Simile Matth. 7. 22.

3. *Projecit Israël bonum*] Subintellige, *respondebit Deus.* Fugit Israël à bono. *bonum*, id est, εὐεργέτην [*beneficum.*] ¶ *Inimicus persequetur eum*] Nempe ità ut fugere nequeat.

4. *Ipsi regnaverunt, & non ex me*] *Reges faciunt.* est enim Hiphil: sæpe scilicet. Nam Jeroboamus & Jehu eorúmque posteri Dei jussu regnarunt; non item illi qui medio inter eos tempore fuere, ut nec illi qui post Jehu posteros. ¶ *Principes exstiterunt*] *Principes constituunt.* Est enim forma eadem verbi. Judices Duarum tribuum originem habebant à Deo, Judices Decem tribuum à Regibus. ¶ *Et non cognovi*] Id est, non approbavi eos. ¶ *Argentum suum & aurum suum fecerunt sibi idola*] עצב propriè *dolorem* significat. Hebræi, & his & aliis funestis, aut vilibus vocabulis appellavere idola, ut 1 Samuel. 31. 9. & alibi sæpe. ¶ *Ut interirent*] In Hebræo: *Ideo exscindetur*, supple *populus.*

5. *Projectus est vitulus tuus, Samaria*] *Deseret te Vitulus tuus, ô Samaria* Id est, nihil in periculis tibi proderit. ¶ *Iratus est furor meus in eos*] Vitulorum cultores. ¶ *Usquequo non poterunt emundari?*] In Hebræo: *Usquequo non poterunt innocentiam?* amare scilicet.

6. *Quia ex Israël & ipse est*] Non Ammonitarum, aut Moabitarum, sed ipsius Israëlis hoc est commentum. ¶ *Artifex fecit illum*] *Fusor.* ¶ *Et non est Deus*] Nulla in eo est vis Divina. ¶ *Quoniam in aranearum telas erit vitulus Samariæ*] Nam in minutissimas partes redigetur. Eo argumento satis apparebit omnibus, nihil in eo esse Divini. שבב est minimum quidque in re quavis, ut scintillæ, fragmenta, segmenta: *atomos* dixit in Commentario Hieronymus. Factum hoc per Assyrios. Græci ש putarunt idem valere quod ס. Itaque verterunt alii, πλανῶν [*decipiens,*] alii ἀκατάστατον [*non durabile,*] alii ῥεμβεύων [*fluctuans.*]

7. *Quia ventum seminabunt, & turbinem metent*] Proverbiale, significans inanium operum calamitosam fore mercedem. Simile Job. 4. 8. Proverbior. 22. 8. Pro vento Lxx hîc habent ἀνεμόφθορα [*in ventum euntia,*] quomodo dici semina quæ ἐντεριώνην, id est *medullam*, non habent, notat hic Hieronymus. Iidem Lxx pro *turbine* posuerunt καταστροφὴν [*eversionem.*] Sed sensus in Latino expressus simplicior est. Chaldæus *quæ vento flante seminata sunt, à turbine* ait *dejectum iri.* ¶ *Culmus stans non est in eo, germen non faciet farinam*] Distingue sic: *Culmus stans, non est in eo germen, neque proferet farinam.* Sensus est planus: culmum quidem surrecturum, sed sine germine, ac proinde nullum indè futurum frumenti proventum. ¶ *Quod etsi fecerit*] *Si quid frugis protulerit culmus.* ¶ *Alieni comedent eam*] *Extranei.* Dicent indigenæ,

> —— *En queis consevimus agros!*

8. *Devoratus est Israel*] *Absorbebitur Israël.* ¶ *Nunc*] Intra breve tempus. ¶ *Factus est in nationibus*] *Fuet.* ¶ *Quasi vas immundum*] *Displicens* in Hebræo; ut lasanum, aut matula, quibus utimur, sed cum contemtu.

9. *Quia ipsi ascenderunt ad Assur, onager solitarius sibi*] *Ascendent ad Assyrium, onagrum solitarium sibi.* Prædicitur rursus id quod legimus 2 Regum 15. 20. & 17. 3. Assyrius dicitur *onager sibi pascens*, quòd sui solius negotia gereret, alias gentes non curaret. Lxx hîc pro פרא, quod *onagrum* significat, legerunt פרח, quod est ἀνέθαλε [*floruit.*] ¶ *Ephraim munera dederunt amatoribus*] Nempe conciliandis, ut pacem & fœdus ab Assyrio impetrarent. Vide dictum locum 2 Regum, & adde Ezechielis 16. 33.

10. *Sed & cum mercede conduxerint nationes*] *Qui mercede conduxerunt nationes*, de Deo scilicet sibi adjungendo nihil solliciti. ¶ *Nunc congregabo eos*] Illos ipsos Assyrios contra Israëlitas adducam. ¶ *Et quiescent paulisper ab onere Regum & Principum*] Est χλευασμός [*acerba Irrisio.*] Conquesti vehementer sunt de iis oneribus quæ Reges Israëlis Regúmque Præfecti ipsis imponebant; ideóque Reges & Præfectos occiderunt; 5. 7. & 7. 16. Efficiam ego nè quicquam pendant Regibus illis aut Præfectis, nimirum cùm servili conditione in Assyriorum terris vivent. Est autem & illud *paulisper* dictum per irrisum: diu enim duratura erat quæ hîc prædicitur conditio. Interpres hîc rectè יחלו derivat à יחל, quod est *exspectare, quiescere*, non à חול [*dolere,*] ut alii.

11. *Quia multiplicavit Ephraïm altaria ad peccandum, factæ sunt ei aræ in delictum*] In Hebræo bis est לחטא [*ad peccatum*, vel *ad pœnam*,] sed sensu diverso: *Quia multa sibi altaria fecerunt, in quibus contra Deum peccarent; ideo altaria*, Assyriorum scilicet, *ipsis in pœnam erunt*, cùm ligna, aquam, victimas eò ferre cogentur.

12. *Scribam ei multiplices leges meas*] *Scripseram eis multiplices leges meas*, per Mosem. ¶ *Quæ velut alienæ computatæ sunt*] *Habuerunt eas* Israëlitæ tanquam rem ad se nihil pertinentem.

13. *Hostias offerent, immolabunt carnes, & comedent, & Dominus non suscipiet eas*] *Hostiarum quas mihi offerunt carnes* quod attinet, *mactanto eas, & comedunto*, quantum volent; *Deus* autem eas *gratas non habebit*, quia dantur animo non emendato. ¶ *Nunc recordabitur iniquitatis eorum, & visitabit peccata eorum: ipsi in Ægyptum convertentur*] *Brevì in memoriam revocabit eorum facinora, & crimina eorum puniet, cùm ipsi animum ad Ægyptum adjiciant*, nempe contra fidem Assyrio datam. Impletum hoc vide 2 Regum 17. 4.

14. *Et oblitus est Israël factoris sui*] *Et* pro *nam.* ¶ *Et ædificavit delubra*] Plurimis in locis. ¶ *Et Judas multiplicavit urbes munitas*] Duæ tribus, videntes incursus Assyriorum sub Phule, Theglathphalasaro, & Salmanasaro in terram Decem tribuum, urbes suas diligenter muniverunt, de Dei pace obtinenda securi, Esaiæ 22. 8. ¶ *Mittam ignem in civitates ejus*] Nempe *Judæ*, ut constructio indicat. Hoc factum cùm Senacheribus omnes urbes extra Hierosolyma combussit. ¶ *Et devorabit* (ignis Assyrius) *ædes illius*, nempe gentis Decem tribuum.

CAP. IX.

MUNSTERUS.

1. NE *lateris*] Ob id, inquit, quòd deseruisti Deum tuum, est tibi omni tempore dolendum: nec ulla occasio, etiamsi sint nuptiæ, te resolvere potest in gaudium, ut more aliorum populorum, qui deos suos non deseruerunt, læteris. *Fornica-*

nicatus enim es, etiam cùm Deus impleret *horrea* tua *frumento*, & *torcularia* tua *vino*, Deo ingratus de suis beneficiis.

4. *Panis lugentium*] Heb. *panis dolentium*, scilicet propter mortuum. Kimhi exponit pro אר & אכל. Comparantur autem sacrificia eorum pani immundo, quòd illa non faciebant ex puro corde: Et quemadmodum *mundis omnia sunt munda*, sic immundis omnia immunda. Ipsi magis quærebant in sacrificiis *panem animarum suarum*, quo scilicet sese oblectarent, quàm gloriam Dei: ideo prohibentur *nè* talia sacrificia *inferant in domum Domini*.

5. *Quid facietis in die solenni*] Ejecti scilicet de terra vestra.

7. *Virum spiritûs*] i. Qui agitatur spiritu vertiginis. Jonathan vertit *Prophetas mendaces*.

8. *Speculatorem posuit Ephrajim cum Deo*] Exponit autem textus qualis ille fuerit speculator, nempe *Propheta* falsus, qui *veluti laqueus aucupis in omnem* sese extendebat *viam*, ut populum à cultu Dei avocaret, & ad errorem solicitaret, idque hoc prætextu quasi Dei veri esset nuncius, qui tamen aliud nihil egit quàm quòd *inimicitias* seminavit inter populum & Deum.

9. *Profunda fecerunt peccata*] i. In profundissimam foveam ceciderunt peccatorum, haud secùs quàm olim Benjamitæ in *Gibea* impudenter peccaverunt. De quo Judic. 19.

10. *Quasi uvas*] i. Olim fuit mihi *Israel* gratus *quasi uvæ* quæ *in deserto* squalido inveniuntur. Sic enim tempore Patriarcharum totus mundus fuit squalidus, præter paucos bonos & fideles homines, sed qui & ipsi citò deficientes *initiati sunt Baal-Peor*, sicut in Numeris legimus. *Et cœperunt segregari* à Deo in magnam *ipsorum confusionem*, *tantò abominabiliores effecti* quantò iniquiori fervebant amore ad idola. De idolo Baal-Peor diximus Num. 25.

11. *Ephrajim quasi avis avolavit*] i. Cecidit ab omni potentia, gloria & divitiis, adeòque contra se irritavit Deum ut is constitueret omnem ejus delere posteritatem, *in partu*, *in ventre*, *atque in ipso conceptu*. Accidet proinde ei quod accidit *Tyro*, quæ licèt florentissima esset urbs tamen demersa est in mare, & prædonibus patuit.

15. *In Gilgal*] Loca, inquit, quæ Judæos commonefacere debuerant beneficiorum meorum, hæc dedicaverunt diis suis, & exercent in eis exsecranda quæ ego odivi, & præsertim *in Gilgal*, ubi Tabernaculum meum aliquandiu stetit, &c.

VATABLUS.

1. AD *exsultationem* אל גיל] *Ad lætitiam*, i. tempore lætitiæ, siquid læti sese offerat, aut etiam in gaudio publico: q. d. Deberes lugere perpetuò, & nunquam lætari, etiam in gaudio publico, quia per fornicationem defecisti à Deo tuo, adhærendo idolis, & illa colendo. ¶ *Mercedem* אתנן] Sub. *meretriciam*. *Diligere mercedem meretriciam* est fornicari. Quoties, inquit, dedi tibi abundantiam tritici, tunc, me deserto, coluisti idola: vel, in ipsis areis coluisti ea, acceptum eis ferens triticum, non mihi.

2. *Area* גרן] *Horreum*. ¶ *Mentietur eis* יכחש בה] Hebraismus, non respondebit votis eorum: q. d. Sperabunt se habituros magnam vim tritici & uvarum, sed frustrabuntur suâ spe.

3. *Sed revertetur* ושב] Acsi dicat, Non sunt diu habitaturi in regione quam Dominus dederat eis, nempe in Terra sancta; sed afflictionibus pressi cogentur reverti in Ægyptum; quod factum fuisse cum Johanan, scribitur 2 Reg. 25. & Jer. 20.

4. *Non libabunt* לא יסכו] i. Non poterunt libare, etiam si velint, vinum Domino in Ægypto aut Assyria: quia non licebat libare extra Terram sanctam. ¶ *Neque grata erunt ei* ולא יערבו לו] Ad verb. *neque dulcescent ei*. Hebraismus, non placebunt, neque grata erunt. ¶ *Quem quicunque*, &c. כל אכליו וגו] Ad verb. *omnes comedentes eum*, *polluent sese*, i. reddentur esu illius impuri & immundi. *Cibus lugentium pollutus* dicitur ob contactum aut præsentiam mortui: q. d. Siquid Deo offerent, erit pollutum. ¶ *Quia panis*, &c. כי לחמם וגו] Hebraismus, Sacrificia quæ offerunt, caro sacrificii eorum quam offerunt pro expiatione animæ suæ, non erit grata Deo: hoc significat, *Non venire in domum Dei*.

5 *In die solennitatis*, &c. ליום מועד וגו] i. Tempore quo Dominus sumet pœnas de vobis, & animadvertet in vos? His ostendit Dominum esse justum, & hominem justè affligi pro peccatis.

6. *Abituri sunt* הלכו] Præt. Heb. pro fut. Magna, inquit, pars eorum propter patriam vastatam recipiet sese in Ægyptum, qui morientur in regione Memphitide. ¶ Domos *desiderabiles* מחמד] Ad verb. *desiderabile*, i. ædes sumptuosas & magnificas in quibus reponebant pecuniam suam & conservabant. ¶ *Hereditario jure accipiet* יירשם] Ad verb. *hereditabit eas*, i. perpetuò possidebit. ¶ *Lappa* חוח] *spina*.

7. *Venerunt*, &c. באו ימי וגו] Præterita pro fut. *Venient dies visitationis*, *venient*: q. d. Jamjam venturi sunt. Hoc dicit, quod nonnulli existimabant nunquam futurum ut Deus percuteret populum suum. ¶ *Stultum* fuisse *Prophetam* אויל הנביא] Subaudiendum nonnihil, quale, *Prophetam illum quem putabat esse verum Prophetam & summum*, *fuisse stultum*. ¶ *Virum ventosum* איש הרוח] Ad verb. *virum spiritus*. ¶ *Et multum odium* ורבה משטמה] Doctus inter Hebræos, *proin multum odium*, nempe Dei erit.

8. *Speculatorum*, &c. צופה אפרים וגו] *Speculator* est ipsi *Ephraim cum Deo meo Propheta*: q. d. Vult simul Deum verum & deos alienos colere. ¶ *Odium* משטמה] Sub. *Dei veri*.

9. *Callidum*, &c. העמיקו וגו] Ad verb. *Profundaverunt*, vel *Profundum fecerunt*. Quidam subaudiunt *consilium*, aut *aversionem*: i. Subtiliter & callidè averterunt se à vera religione & cultu Dei. Dicunt enim se id facere in honorem Dei. Alii subaudiunt *peccatum*: q. d. In profundissimam foveam peccatorum ceciderunt, haud secùs quàm olim Benjaminitæ in Gabaa impudenter peccaverunt. Vide cap. 5. 2. ¶ *Corruperunt se* שחתו] i. Corruperunt mores suos: q. d. Non solùm peccaverunt in Deum, sed & in proximum, contra vitæ honestatem. ¶ Brevì] Hebræi subaudiunt עתה *nunc*, i. brevi.

10. *In deserto* במדבר] Sub. *vasto*, *ubi nihil crescit*. Genus loquendi Hebraicum, Tam charus, inquit, fuit mihi Israel quàm sunt uvæ iis qui inveniunt illas in deserto, ubi est penuria rerum omnium: tam libenter vidi Patres Israelitarum, quàm libenter videt homo primos fructus in ficu cùm incipit ferre fructum. ¶ *Initio ejus* בראשיתה] i. Cùm primùm incipit ferre fructum. ¶ *Pudori* לבשת] i. Adhærendo idolo pudendo: quòd idoli nos pudere debeat. Quidam dicunt fuisse idolum Priapi. ¶ *Et fuerunt*, &c. ויהיו שקוצים כאהבם] i. Tot habuerant idola quot habuerunt mulieres atque uxores diversarum nationum.

11. *Gloria eorum* כבודם] Relativum cum antecedente, pro *gloria Ephraim tanquam avis avolabit*. *Gloriam Ephraim* vocat filios: q. d. Filii Ephraim morituri sunt quamprimùm prodierint in lucem, aut abortient uxores, aut non retinebunt semen.

12. *Ut non* sint *homines* מאדם] i. Ut non censeantur inter homines, h. e. ut non perveniant ad ætatem virilem.

13. *Ephraim*, &c. אפרים וגו] *Ephraim* (*ut vidi*, vel *video*) similis est *Tyro plantata in amœnitate*. Alii, *Ephraim* fuit *sicut vidi Tyrum plantatam in habitaculo pulcerrimo*: i. Ut Tyrus fuit urbs florentissima & inexpugnabilis, ità Ephraim, i. Decem tribus. Alii, *Vidi Ephraim sicut vidi Tyrum*: q. d. Ephraim, ut & Tyrus, propter idololatriam affligetur. ¶ *Ad interfectorem* אל הורג] i. Ad bellum, ubi ipsi occidentur.

14. *Quid dabis* מה תתן] *Quod daturus es*, i. quod intermi- natus es te daturum illis. ¶ *Vulvam orbantem* רחם משכיל] i. Perde filios ejus antequam edantur in lucem, aut postquam editi fuerint, præ lactis inopia in mammis.

15. *Omnis malitia eorum* כל רעתם] Per *omnem malitiam* intellige duo illa mala quæ admiserunt in Galgal, ubi Regem petierunt, rejecto Domino, deinde coluerunt idola.

16. *Desiderabilia uteri eorum* מחמדי בטנם] i. Charissima pignora: h. e. natos.

17. *Abjiciet eos* ימאסם] *Repellet eos*: *Rejiciet*, sub. *à se*. ¶ *Inter Gentes* בגוים] Intelligit illas à quibus expugnandi erant.

CASTALIO.

1. O*Misso Deo tuo scorteris*] Deos colas alienos, ut tibi frumenta fœcundent. ¶ *Quæstum amans*] Meretricem agens.

2. *Mustum eis mentietur*] Eos fallet: erit vini penuria.

4. *Eorum daps*] Non erunt in Judæa, ut possint Jovæ dapem facere Hierosolymis suæ salutis gratiâ.

5. *Quid facietis solenni die*] Extorres eritis, nec poteritis Jovæ solennia Hierosolymæ celebrare.

6. *Ob calamitatem digressos Ægyptus colliget*, *Memphis sepeliet*] Ibunt in Ægyptum, & ibi morientur. ¶ *Pecunia elegantiam*] Possessionum elegantissimas.

7. *Cognoscent Israelitæ vesanum vatem*, *lymphatum hominem ventosum*] Vanos fuisse Vates qui eis lætiora promittunt.

8. *Apud Deum meum vates*] Qui se profitetur esse Vatem, & cum Deo meo habere commercium.

9. *Tam penitus depravati sunt quàm Gabaano tempore*] Judic. 19. 16.

10. *Nefarii ut ipsorum amor*] Adamati divi.

11. *Ephraimitarum volucris avolabit gloria à partu, à ventre, & à conceptu*] Gloria, i. fœtuum fertilitas.

12. *Quòd si suos educaverint natos, eos ego ex hominibus tollam: nam væ etiam illis*] Sc. natis.

13. *Educturus est ad interfectorem suos natos*] In Ægyptum, ubi interficiantur.

16. *Quòd si etiam genuerint, perimam eorum ventris delicias*] Filios.

C L A R I U S.

1. **Q***Uia fornicatus es*] Quod illi non fecerunt: Alii enim populi deos suos non deseruerunt. ¶ *Super omnes areas tritici*] h.e. Quamvis haberes horreâ tua omnia per me plena, *fornicata es* tamen, & *dilexisti mercedem* scorti.

3. *Revertetur Ephraim in Ægyptum*] Ejectus scilicet è Terra promissa, ut immundus cum immundis vivat.

4. *Panis lugentium*] Vel *panis dolentium*, scilicet propter mortuum. Comparantur autem sacrificia eorum pani immundo, quòd illa non faciebant ex puro corde: & quemadmodum *mundis omnia sunt munda*, sic immundis omnia immunda. ¶ *Panis eorum*] *Panis oblatus pro expiatione animæ ipsorum non intrabit in domum Domini.*

5. *Quid facietis*] Ejecti scilicet de terra vestra. Vel, Dominus, quando adductis hostibus eorum festum suum celebrabit, eos perdet.

6. *Præ vastitate*] Videlicet famis. ¶ *Desiderabile argentum*] Ædes eorum magnificæ, argento emptæ & exornatæ.

7. *Scient Israel stultum Prophetam*] h.e. Serò sapient, & scient stultos fuisse pseudoprophetas, & lymphatico spiritu correptos, qui pacem eis promittebant. ¶ *Propter multitudinem iniquitatis*] Permisit scilicet Dominus te decipi ab eis.

8. *Speculator Ephraimi*] i. Contemptis Prophetis Domini sive speculatoribus, ipsi sibi constituerunt pseudoprophetas, qui illis fuerunt causa malorum omnium, & odii Dei. *Speculator*, inquit, *fuit ipse Ephraim ultra Deum meum, propheta mendax, laqueus ruinæ*, &c.

9. *Profundè peccaverunt sicut in diebus Gabaa*] Judic. 19. fœdissimè abusi sunt uxore Levitæ, &c.

10. *Quasi uvas in deserto*] Olim, inquit, fuit mihi *Israel* gratus *quasi uva* quæ *in deserto* squalido inveniuntur. Sic enim tempore Patriarcharum totus mundus fuit squalidus, præter paucos bonos & fideles homines, sed qui & ipsi citò deficientes *initiati sunt Beelphegor*, sicut in Numeris legimus. *Et cœperunt segregari* à Deo *in* magnam *ipsorum confusionem*, tantò *abominabiliores effecti*, quantò iniquiori fervebant amore ad idola.

11. *Ephraim quasi avis avolavit*] Gloria ipsius Ephraim cecidit, & excidit ab omnipotentia, gloria & divitiis, adeòque contra se irritavit Deum ut is constituerit omnem ejus delere posteritatem, *in partu, in ventre, atque in ipso conceptu.* Et videtur per *gloriam* intelligere filios.

13. *Tyrus erat*] i. Sicut Tyrus. *Vidi*, inquit, *Ephraim esse sicut Tyrum.* Proinde accidet ei quod accidit Tyro, quæ licèt florentissima esset urbs, tamen demersa est in mare, & prædonibus patuit.

14. *Da eis vulvam*] h.e. Aut non gignant filios, aut statim nati exstinguantur potiùs quàm sic *ad interfectorem educere* cogantur.

15. *In Galgal*] Qui locus fuit idolorum. Loca, inquit, quæ Judæos commonefacere debuerunt beneficiorum meorum, hæc dedicaverunt diis suis, & exercent in eis exsecranda quæ ego odi, & præsertim *in Galgal*, ubi Tabernaculum meum aliquandiu fuit.

L. B R U G E N S I S.

7. **P***Ropter multitudinem iniquitatis tuæ & multitudo amentiæ*] Octodecim nostra MSS. *& multitudo amentiæ* [*avaritiæ*] scribunt; undecim, *& multitudinem amentiæ.* Inter hæc, ex emendatioribus, sunt Brugense, Lobiense, Leodiense, E; inter illa, O. Q. L, quibus adde Parisiensium Di. o. l. Ge. p. o. v, & primas typographorum editiones, Mogun. Nuren. Colon. Hebræum utroque verti potest modo. Priori, *Et multitudo amentiæ*, accedit LXXII interpretatio, ἀπὸ [ὑπὸ Gq.] τοῦ πλήθους τῶν ἀδικιῶν σου ἐπλήθυνεν [ἐπληθύνθη Gq.] μανία* [* σου Gq.] *A multitudine iniquitatum tuarum multiplicata est amentia** [* *tua* Gq.] quem Autores, Haymo, Autor Glossæ, Lyranus, Carensis, Richelius, & Correctores Parisienses atque Hentenius, sequuntur. Eum ipsum B. Hieronymus his verbis exponit, *Quorum vesania multiplex est, quia & iniquitates fuere quàm plurimæ:* nisi ea Græcæ, non suæ, versionis occasione scripserit; quod ex iis quæ præcedunt verisimile omnino fit. Quinetiam alia priora sunt ejus verba, quibus posteriorem modum, *Et multitudinem amentiæ*, quem Rupertus habet, videtur agnoscere; *Igitur propter multitudinem iniquitatum tuarum, quibus in scelere diu debacchatus es, non prophetam meum, sed te insanum esse cognosce.* Nonnulli codices addunt pronomen *tuæ*, *Et multitudinem amentiæ* * *tuæ* [* *viæ* o.] quod Hebraici libri & Græca Regis editio confodiunt.

D R U S I U S.

1. **A***D exsultationem*] i. Exsultanter. Idem sermo obvius Job. 3. 22. *qui lætantur ad exsultationem* אלי גיל. *Noli*, inquit, *exsultante lætitiâ efferri*, aut *nimium gaudere, ut populi faciunt.* Sic dico, Non debes esse lætus, sed tristis. Ratio; Quia fidem datam Deo tuo non servasti, quod reliquæ gentes faciunt; omnes enim perstant in cultu illius Dei quem semel receperunt. Quanquam dubito an hic locum habeat, *Nè lætare, quin dole.* Ut dolorem significet ex privatione contrarii; Qualia sunt, *Non gaudet stulti pater; Non prosunt thesauri iniquè parti: Suscipere personam in judicio non est bonum.* ¶ *Nam scortatus es*] Nam ea commisisti quæ Deus impunita nunquam sinet. Quidam legunt, *Nè læteris de eo quòd scortatus sis*, &c. Nam Gentes in cultu deorum suorum magna lætitiæ signa olim edebant. ¶ *Mercedem*] אתנן, *quod scorto datur stupri causâ. Capturam* vocat Seneca. ¶ *Cum omnibus areis*] על pro *cum*, ut sæpe aliàs. Sunt qui maluerunt *in omnibus areis*, בכל גרן. V. Interpres, *super omnes areas:* quod sensum commodum non habet, nisi *super* accipias pro *supra*, i. *magis quàm omnes areas*, &c. *In areis* hunc sensum continet: Cùm abundantia frugum esset, eam acceptam referebas diis tuis, quibus etiam mercedem indè solvebas, videlicet decimas Deo debitas. Sensus non spernendus. ¶ *Frumenti*] Frumento plenis: quod accidit cùm messis copiosa est.

2. *Area*, &c.] Metonymia. Non intelligit frumentum quod in area, & vinum quod è torculari exprimitur. ¶ *Torcular*] Malim *lacus.* Nam *torcular* גת dicitur. יקב autem est *lacus*, in quem vinum expressum recipitur. Sed hic pro ipso *musto* ponitur. Itaque se explicans ait, *mustum mentietur ei.* Potest etiam sumi in propria significatione, *Lacus non pascet eos*, non suppeditabit tantum vini quantum sufficit ad vitam sustentandam. Rectum puto. Idem de *area* censeo. ¶ *Mustum mentietur*] Fallet exspectationem ejus, sive non præstabit nutrimentum quod sperabat. Hag. 2. 16. *Venient ad lacum ad hauriendum quinquaginta, & tantum viginti erunt.* Similis locutio est Hab. 3. 17. *non mentietur opus olivæ:* & Jes. 58. 11. *cujus aquæ non sunt mentitæ.* Etiam *spes mentiri* dicitur Job 41. 6. Sic apud Horatium 3. Carm. *fundus mendax* vocatur qui domini spem frustratur. Vide Miscell. cent. 1. cap. 78. Contrà *mustum exaudire* dicitur *Israelem* suprà 2. 22. ¶ *Ei*] Synagogæ. Prisci Interpretes videntur legisse בם *eis.* Sic enim certè vertunt non Græci solùm & Hieronymus, sed etiam ipse Chaldæus P. Et notant Massoritæ, duo esse quæ scribuntur quidem בה *ei*, sed putantur legenda esse בם *eis.* Alterum est 2 Reg. 3. 24. ויכו בה.

3. *Sedebunt*] Manebunt aut habitabunt. ¶ *In terra DOMINI*] Malè Camchi ad Jerosolymam restringit: potiùs ipsam Judæam designat. Aut ità vocat latè terram Chanaan, quæ ipsis à Deo data fuerat jure hereditario. Utut sit, *Non sedebunt*, inquit, i. non diu manebunt in ea. Quapropter? Quia eam polluunt falsò cultu idolorum. Nam terra idololatras diu ferre non potest, juxta id quod Deut. 32. 15, & deinceps. Sic Levit. 18. 28. *nè terra evomat vos*, &c. *Sed revertetur in Ægyptum*] Contrà ac scriptum Exod. 14. 13. *non addetis videre eos ampliùs in seculum.* Sed in maledictionibus Deut. 28. 68. *Reducet vos DOMINUS in Ægyptum.* Quod olim prædictum eventus postea comprobavit. Nam ex Ægypto semel egressi sæpius eò redierunt, videlicet cùm ob alias causas, tum propter famem & bellum Assyrium. ¶ *In Assyria pollutum comedent*] Ezech. 4. 13. *comedent filii Israel panem suum pollutum inter Gentes.* Nam ibi non licebat eis vivere secundùm præscriptum legis Divinæ, in qua tales cibi vetiti. *Pollutum*,

i. Ci.

i. Cibos immundos & ideo prohibitos. Posterior ætas usurpavit eo sensu *κοινὸν*, i. *commune*.

4. *Non libabunt DOMINO*] Puto melius esse, *Ne libent DOMINO*. Et pòst, *non enim dulcescent ei sacrificia ipsorum*. Quòd si recepta interpretatio retinebitur, erit subaudiendum aliquid, putà *quod ei placeat*, aut hujusmodi quid. Nam vino ritè libato DOMINUS delectabatur. Itaque legimus, *Vinum delectat Deum & homines*. Quidam interpretantur, *Non libabunt in exsilio*, ut suprà, *sedebunt sine Rege, sine sacrificio*. Sed hanc interpretationem sequentia labefactant. ¶ *Dulcescent*] Grata erunt, placebunt. ¶ *Ut panis lugentium*] Cœnas lugentium intelligit, quas Græci *νεκρόδειπνα* vocant. Nos *parentalia* possumus dicere, ab eo quòd parentibus mortuis fierent. *Epulas funebres* non malè quidam appellat. Quippe *panis* vocabulo interdum epulæ conviviáque veniunt, ut Cohel. 10. 19. *Ob lætitiam faciunt panem*, i. celebrant convivia. Hunc panem LXX nuncupant *ἄρτον πένθους*, quia videlicet in luctu edebatur. Erat autem pollutus, & per consequens polluebat eos qui ipsum edebant. אונים *lugentium*, an *luctuum*? Hoc modo Græci vertunt, illo Hieronymus. און *luctus* Deut. 26 14. Sed hic adjectivum est, si credimus D. Camio. Secùs Aben-Ezra, qui utrobique censet esse nomen verbi, i. substantivum. Atque hinc BENONI, *Filius luctûs mei*. ¶ *Eis*] Sub. *erunt*. Licet vertere *lugentium sibi*, in quo sermone *sibi* redundat; itaque omissum ab Interprete V. Simile suprà 8. 9. *ut onager solitarius sibi*. ¶ *Panis ipsorum pro anima ipsorum*] Sic est in Ebræo ad verb. Interpretes nuperi referunt, *pro mortuo ipsorum*, meo judicio, perperàm. Nam ut demus *animam* pro *corpore mortuo* aliquando sumi, tamen id huic loco minimè convenit. Qui judicio valent, in meam sententiam, scio, pedibus ibunt. Dixerat, *Non libabunt vinum DOMINO*; nunc subjicit, *neque panis ipsorum pro anima ipsorum*, (vult dicere, *quem pro anima sua offerunt*) *veniet in templum DOMINI*. Quapropter? Vel quia *non manebunt in terra DOMINI*, ubi Templum erat; vel quia perditis moribus suis omnia sacrificia Deo invisa reddunt. *Non intrabit* ergò *panis* ille *ædem Dei*, aut, si intrabit, *non placebit ei*, quia manibus impuris offertur. *Panem* autem dicit oblationem, ut Mal. 1. 7. *Admovistis altari meo panem pollutum*. ¶ *Non intrabit in domum DOMINI*] Vult dicere, non offerent eum. Sic ait, *Non libabunt DOMINO vinum*. Legi etiam potest *nè intret*, &c.

5. *Die solennitatis*] Dies festi cum lætitia traducebantur. Læti autem esse non poterant abolitis sacrificiis, & in tanta perturbatione rerum omnium. Infrà, *Cessare faciam omne gaudium ejus, festa ejus, novilunia ejus, solennitates ejus*. Josephus Orig. Jud. l. 3. c. 10. *Nullum festum ducitur absque holocautomate & laborum vacatione; sed in omnibus hæc duo Lex observari jubet; & post sacrificium in epulis degunt*. Adi & Num. 10. 10. ¶ *Die festivitatis DOMINI*] Quando festivitas est DOMINO. Idem aliis verbis. Ebræi ferè hunc versum exponunt de tempore Excidii: nam tunc mactabantur Israelitæ ut in festis animalia solebant. Quò pertinet Thren. 2. 7. *Vocem ediderunt hostes in domo DOMINI die solennitatis*. Vide quoque Jes. 29. 2.

6. *Abierunt*] In Ægyptum. Vel *abierunt* dixit pro *obierunt*. Sic *discedere* usurpant absolutè pro *discedere è vivis*. Sanè Mortem *κατ' εὐφημισμὸν abitionem* vocabant. Ex quo illud, *Abiit, & reversurus est*: quo innuebant resurrectionem mortuorum. Pleniùs dicebant, *Abiit viam totius terræ*, aut, *Abiit viam seculi*. Hæc interpretatio firmari potest ex Comment. Aben-Ezræ. Vide, si vacas. ¶ *Ob vastitatem*] Ab hostibus illatam. Fugient ergò metu hostium, crudelitatem ac sævitiam eorum evitantes. Sed dico, non hostiliter eò deportabuntur, sed fugient vastitatem patriæ suæ. Jer. 42. 14. *Ægyptum intrabimus, nè bellum videamus & fame premamur*. Miserum hoc erat, præ malorum asperitate solum natale relinquere, & à dulci patria exsulantes vitam acerbam ducere. Quidam per *vastitatem* peculiariter famem significari putant, in queis R. David, qui eandem vocem eodem modo interpretatur Jes. 51. 19. *vastitas, & contritio, & fames, & gladius*. Vult dicere, *hoc est, fames, & gladius*. Profectò Santes retulit *sive fames*, &c. Ego utrobique latiùs acceperim. ¶ *Congregabit eos*] Ad sepulturam videlicet. Sic usurpatur hoc verbum Ezec. 29. 5. *non colligéris, neque congregaberis*. Pleniùs dicitur *congregari ad sepulcrum*. ¶ *Memphis*] Hîc *Moph*. Alibi est *Noph*. Nam Mem & Nun alternant. ¶ *Pro argento eorum*] Vide num melius sit *pro pecunia ipsorum*. ¶ *Urtica*] Hieronymus, Santes & R. David. Aliis est genus Cardui. *Chamæleontem* vocant, *Carlinam* vulgò. Sunt etiam qui animantis speciem ex eo faciant. Nam *urtica* חרול dicitur. Hîc autem est קמוש, & alibi קמוש: & diversa forma nominis קמשון: unde pluralis קמשונים *urticæ* Prov. 24. 31. ¶ *In tentoriis eorum*] In domiciliis eorum. Olim in tentoriis habitabatur; pòst exstructæ domus è lapide vel ligno. Mansit tamen prius nomen.

7. *Dies visitationis*] i. Animadversionis: q. d. Jam adest tempus illud quo Deus in peccata vestra animadvertet, eáque puniet. Infrà 9. *visitabit peccata ipsorum*. Cap. 5. 9. *in die correptionis*. Dicitur etiam *dies DOMINI* & *dies iræ*. ¶ *Dies retributionis*] Et tempus illud quo unicuique retribuet secundùm facta sua. Idem aliter. ¶ *Cognoscent Israelitæ*] hoc ità esse reipsa experientur propediem Israelitæ, ac tum dicent, ¶ *Stultus est Propheta*, &c.] Non solùm mendaces, sed *stulti*, imò *insani sunt Prophetæ* quotquot hactenus nos vanâ spe lactarunt & securos esse jusserunt de die DOMINI. Pleræque editiones, *stultum esse Prophetam, insanum virum spiritûs*: quod propter accentem rejeci: alioqui non displicet. ¶ *Vir spiritûs*] i. Spiritu afflatus. Est autem periphrasis Prophetæ, in quo Spiritus loquebatur. *Spiritus*, inquam, vel veritatis, vel mendacii. De hoc Mich. 2. 11. *Vir ambulans in spiritu & mendacio*. Vult dicere *in spiritu mendacii*. Vide 1 Reg. 22. 23. Talis à Græcis vocatur *ἄνθρωπος πνευματοφόρος* quod in bonam partem aliquando sumitur, ut apud Dionysium Areopagitam *πνευματοφόρος Παῦλος*, & in Damasceno *πνευματοφόροι πατέρες*, i. *Numinis afflatu instincti patres*. Budæus interpretatur *spiritu plenus*: ad quod exemplum *θεοφόρος* dicimus pro *Deo plenus*. V. Interpres, *vir spiritualis*, minùs propriè: nam *spiritualis*, i. *πνευματικὸς*, qui sapit ea quæ sunt spiritûs. Sic Apostolus hanc vocem usurpat. Partim Interpretum, *vir ventosus*: nam רוח etiam *ventus*. Sic Mich. 2. 11. *per viam venti & mendacii*. Prius magis placet. ¶ *Ideo multum est odium*] Vel, *multum quoque est odium*, Dei videlicet in te. Nam quò quis sæpius peccat, eò magis invisus redditur Deo. Alii, *multa sunt scelera tua quibus Dei odium in te concitavisti*, sive *quæ Deus odit*. Hoc sensu improbus vocatur *Dei odium*. Sanè quidem Jonathan vertit, *invaluerunt peccata tua*. *Odium*, i. simultas, hostilitas, resistentia.

8. *Speculans Ephraimum cum Deo meo*] Si quis Prophetarum Deo meo conjunctus officio suo ritè fungitur, ei undique insidiæ tenduntur, eum student omnibus modis subvertere ac pessumdare. Est autem ordo ac constructio, *Propheta speculans Ephraimum cum Deo meo*. Ità circumloquitur Prophetam Dei. Sed huic ordini obstat accentus qui in אלהי *Deo meo*: quocirca malim, *Speculator est Ephraimo cum Deo meo*; videlicet *Propheta*, *in cujus viis omnibus laqueus aucupis*: sed tamen nihil definio. Quid si, *Speculatur Ephraim cum Deo meo*? ut *Ephraim* sit rectus casus. Si quis, inquit, ex Israelitis *speculatorem* & *Prophetam* agit *cum Deo meo*, *ei laqueos* tendunt *undique*: quin *odio* ac senio ipsis est. Usque adeò verum est illud, *Quid Deo cum Belial?* Possumus etiam membrum illud, *Speculans Ephraimum cum Deo*, absolutè accipere, hâc sententiâ, Quod attinet *speculatores* & *Episcopos*, qui apud Israelitas *Deo meo* adhærent, *Prophetæ*, de quibus suprà, *in omnibus viis* & actionibus *ipsorum sunt velut laqueus aucupis*; h. e. omnibus modis illis adversantur, eos per insidias perdere student. Vidi etiam qui referrent *contra Deum meum*: sed hoc coactum mihi videtur. Locus iste difficilior est quàm vulgus existimat. Qui facilem esse putat, næ ille nescit quid sit arduum in hoc Propheta. Sic est profectò: Imperiti clarùm vident ubi periti sæpe cæcutiunt. ¶ *Laqueus aucupis*] *Vir laqueus aucupis*: elegans proverbiale. ¶ *In omnibus viis ejus*] Vide Jes. 18. 22. & Jes. 29. 21. ¶ *Odium in æde Dei ipsius*] Est cur malim *in ædem*, ut *in* pro *contra* sumatur. Et *Dei ipsius*, videlicet Prophetæ veri. Quòd, inquit, ei laqueos tendunt, id fit odio Dei quem veneratur & cui servit.

9. *Profundè corruperunt*] Sub. *vias suas*, aut *alii alios*. Nisi malis *corrupti fuerunt*. Ad verb. *Profundarunt, corruperunt*: quod V. Interpres expressit, *Profundè peccarunt*. Nam *corrumpit* vias suas qui peccat, h. e. perditè vivit. *Peccare* enim ità quandoque significat. *Profundè* autem posuit pro *valde* sive *multùm*. Sic dicimus *profunda nequitia*. Sic *profunda avaritia*, i. immensa aut magna. Sic *profunda libido*, & apud Apuleium *profunda ærumna Cupidinis*. Tralatio à Foveis, quæ quò profundiores eò majores sunt. ¶ *Sicut in diebus Gabaa*] Historiæ exstat Jud. 19, & deinceps. Græci *κατὰ τὰς ἡμέρας τοῦ Βουνοῦ*. Nam גבעה Βουνός. Est ergò hic Βουνός nomen loci, ut alibi Σιγών. Cæterùm probo magis eos qui nomina Ebraica retinent. Nam qui talia interpretantur appellativa cum propriis confundunt.

10. *Ut uvas in deserto*] In deserto nullæ uvæ; aut si sunt ullæ, raræ sunt: Quæ repertæ à viatore valdè ipsum oblectant, ut

ut si quis in terra siticulosa & arida aquam inveniret. Nam rara omnia cara sunt. Copia minuit pretium, atque adeò desiderium. *Uva* ergò *in deserto*, proverbiale est de re quam vehementer appetimus, aut quâ inventâ supra modum exhilaramur. ¶ *Ut præcocem fructum*] Qui gratissimi sunt & valde appetuntur. Vide Jes. 28. 4. Lucilius,

Sicuti cum primus ficos propalam recentes
Protulit, & pretio ingenti dat primitus paucos.

Præcoces autem *ficus* dicuntur qui ante alios maturi sunt. ¶ *Principio ejus*] Quando primùm incipiunt maturescere. ¶ *Vidi patres vestros*] Idem aliis verbis, Habui, inquit, *Israelitas patres vestros* charissimos & in summo pretio, sicut haberi solent *uvæ in deserto repertæ, aut ficus præcoces, cùm primùm maturuerunt.* ¶ *Ad Beel-phegor*] Historia refertur Num. 25. Erat autem idolum Moabitarum, alio nomine *Chamos* dictum, ut ait Hieronymus in Commentar. Jesa. 15. Verba ejus sunt, *In Nabo erat Chamos idolum consecratum, quod alio nomine appellatur Beelphegor.* Idem in Comment. ad h. l. *Beelphegor idolum Moabitarum, quem nos Priapum possumus appellare. Interpretatur autem* BEEL-PHEGOR, idolum tentigines habens in ore, *i. in summitate pellem; ut turpitudinem membri virilis ostenderet.* Et in libro qui continet Interpretationes nominum Ebraicorum, BEELPHEGOR *idoli nomen est quod apud Madianitas præcipuè à mulieribus colebatur. Interpretationem nominis ipsius cùm requireremus attentius inter Ebræa nomina, hoc tantùm invenimus scriptum, quia* BEELPHEGOR *species sit turpitudinis.* Isidorus in Etymologiis, BEELPHEGOR *interpretatur* Simulacrum ignominiæ. *Idolum enim fuit Moab cognomento* Baal *super montem Phegor, quem Latini* Priapum *vocant, deum hortorum. Fuit enim de Lampsaco civitate Hellesponti, de qua pulsus est. Et propter virilis membri magnitudinem in numerum deorum suorum eum Græci transtulerunt, & in nomine sacraverunt Hortorum: unde & dicitur præesse hortis propter eorum fœcunditatem.* Fabricius Capito in Hoseam, *Baal-peor, Idolum Moabitarum, quod Hieronymus & Latini expositores hunc sequentes* Priapum *nominant. R. Salomo vocem hanc ejus idoli cultum repræsentare putat. Nam* PHAAR hiare *aut* renudare *signat, quod adversùs os illius podicem stercorisque exitum retegentes eo gestu eu nunc colerent. Racenatensis Judæus super librum Numerorum scribens, constare ait cultum fuisse ejus idoli hujusmodi; Immensum oris hiatum illud referebat, quod cultura tempore Numine afflari putabatur, à quo supplicatores ejus in ipso sacro hausturi, ore latùm hiante ceu dimanantem auram inspirarunt. Citat priscos præterea, Idolum istud immundum spiritum, quem præceperat, in cultores, qui hiante ore adstabant, transfudisse. Idem iisdem auctoribus autumat. Ego, ut conjecturam meam proponam, sic auguror,* בעל פעור magistrum hiatûs *vel* apertionis *Moabitarum idolum dictum, quod stolidus populus novitatem simulacri admiratus attonitusque ore atque oculis ad illud inhians adstaret colentibus.* Hactenus recensui aliorum opiniones. Dicam nunc quid mihi videatur. Puto ergò nomen illius dei *Chamos* fuisse, eundémque *Beelphegor* cognominatum à monte in quo colebatur. Sanè montis nomen esse *Phegor* sive *Phogor* (nam anceps scriptura) liquet ex Num. 23. 28. Sonat autem BAAL, si quis interpretari velit, *Jupiter*. Ergò *Baalphegor, Jupiter Phegorius*, sicut dicimus *Jupiter Olympius, Jupiter Capitolinus.* Plura de hoc Numine ac nomine aliàs. ¶ *Venerunt*] Vel potiùs *ingressi sunt.* Nam eo verbo utuntur in coitu, ut Gen. 16. 2. *Ingredere ad ancillam meam.* Posses etiam legere *adierunt Beelphegor.* Plautus dixit *itare*, alii *frequentare & commeare.* ¶ *Separarunt se pudori*] i. Idolo pudendo ac turpi, videlicet τῷ Beelphegor. Idem ergò dicit aliis verbis. Ususque est voce *pudoris* eodem sensu Jeremias Propheta 3. 24. Suprà, *cum meretricibus separant se*, quanquam ibi פרד, hîc נזר, quod potiùs significat, *Separarunt se à Deo, & ita runt ad propudium illud Beelphegor.* Vide Ezech. 14. 6. Sed & qui scortantur separant se à legitima uxore. Chamos autem ità colebatur ut promiscuis libidinibus se contaminarent ejus cultores. ¶ *Secundum amorem ipsorum*] Ac si diceret, Tam detestabiles fuerunt quàm dii illi quos amarunt. Vel, Tanto odio nunc eos prosequor quanto priùs amore prosequebar.

11. *Ephraim, gloria eorum*] Latinè, *Gloria Ephraimitarum.* Est autem Pleonasmus huic linguæ familiaris. Aut *Ephraim* absolutè ponitur pro *Quod Ephraimitas attinet.* ¶ *Sicut avis*] *Tam citò quàm avis.* Proverbiale. ¶ *Gloria eorum*] Liberos intelligit, qui sunt gloria & decus parentum. Prov. 17. 6. *Corona senum, filii filiorum.* Contrà *gloria est filio ex honore parentum*, Sirach. 3. 11. ¶ *A partu*] Recèns in lucem editi. ¶ *Ab utero*] Antequam in utero gestati justum tempus ad partum compleverint. ¶ *A conceptu*] Vel in ipsa conceptione, vel certè ante conceptionem, quorum videlicet matres steriles erunt. Sequens versus innuit eos morituros in pueritia vel in adolescentia, postquam aliquamdiu enutriti fuerint. Quod uno verbo potuisset dicere, *ab educatione.*

12. *Nè sint homines*] מאדם *ab hominibus.* Vulgò exponunt, *nè perveniant eò ut dicantur homines.* Putant nomen *Adam* duntaxat usurpari de provecta ætate. Falluntur: nam etiam de infantibus dicitur Jon. 4. 11. Malim ergò, *ne deinceps inter homines sint*, ut Prov. 30. 14. Quod V. Interpres expressit, referens, *absque liberis faciam eos in hominibus.* ¶ *Cùm recessero*] Hoc in loco שור occurrit pro סור, h.e. Sin pro Samech. Ad quem sensum quidam torquent השרו *removerunt*, quod meliùs redditur, meo judicio, *principes fecerunt.* *Recedere* autem *Deus* dicitur *à nobis* quando nos destituit præsidio suo malis oppressos. Quod alibi *abscondere faciem*, videlicet Deut. 31. 17.

13. *Ephraim*] Resp. Ephraimitica. ¶ *Quemadmodum vidi*] Propriè loquitur. Nam *videre* Prophetarum est: Unde *Videntes* dicebantur. Olim enim *Videns* & *Propheta* idem erat. *Vidi* ergò in visione Prophetica vel in somnio. ¶ *Ut Tyrus*] Vel *similis Tyro.* Novè autem dixit לצור, usus elemento ל pro כ nota Similitudinis. Sic alibi לקש *ut stipula.* Si hoc durum nimis, dicamus Lamed redundare; quod interdum fit. *Ephraim*, inquit, *Tyrus plantata*, vult dicere *ut Tyrus.* Sæpe enim ità abest nota Similitudinis. Locum hunc alii sic reddunt, *Ephraim erat, quemadmodum vidi Tyrum, plantata in amœno.* Hi Lamed pro את accipiunt, qui est articulus quarti casûs. Non sperno. V. Interpres, *Ephraim, ut vidi, Tyrus erat fundata in pulcritudine.* Favet alteri nostræ interpretationi. Sunt etiam qui legant, *Ephraim vidi, quemadmodum vidi Tyrum, plantatam*, &c. *Plantata*] Sita, vel, si ad *Ephraimum* referatur, collocata. Tralatio à Vineis aut Arboribus. De Vineis probat illud quòd Synagoga Israelitica vocetur aliquando *vinea*; ut ibi, *Vineam transtulisti ex Ægypto.* Jam verò *Ephraim plantata*, ut alibi אפרים ההרים. Intelligentes intelligunt me. ¶ *In pulcro loco*] בנקום נאוה, pro quo nunc posuit נוה, Aleph in Vau verso. Contrà נאוה repertum aliquoties pro נוה, videlicet à sing. נוה, quod usitatè *domicilium* sive *habitaculum* denotat. Porrò in Ebræo legitur ad verb. *in pulcro*, sive *in specioso*; & nomen *loco* subintelligitur. Alii, *in amœno*, בנוים. ¶ *Educturus est*] להוציא *ad educendum.* Est autem imperfecta oratio. Quidam subaudiunt נכון *paratus est.* Ego malui עתיד subaudire; quod sæpe ità deficit ante verbum infinitum. Græcè diceres μέλλει ἐξαγαγεῖν, *futurum est ut educat*, i. educturus est, aut debet educere. ¶ *Ad interfectorem*]. Ad hostem qui eos interficiet: q. d. offeret eos necandos & jugulandos præ desperatione. Ità fieri solet rebus deploratis. Vel ad Deum Moloch, quem *Saturnum* nos vocamus, cui antiqui humanas hostias immolabant. Hoc sensu intellexisse videtur Jonathan Uzielis F. refert enim certè, *Voluerunt Israelitæ immolare in cultum honorémve idolorum filios suos.* ¶ *Filios suos*] Cives suos. *Ephraim* enim nunc ipsam Synagogam designat, ut diximus. Aut *filios* propriè: Nam Saturno in Syria pueros sacrificabant.

14. *Quid dabis?*] Potest legi sine interrogatione, *id quod dabis*, sive *daturus es.* Sic & R. David, itemque Tremellius. ¶ *Vulvam abortientem*] Quæ abortum faciat. Fortè meliùs *vulvam orbam*, ut משכיל sit nomen adjectivum, quale est משכיל *erudita cantio.* V. Interpres, *vulvam sine liberis*, & Græci μήτραν ἀτεκνοῦσαν, i. *sterilem*: quod שכול etiam significat. Sic dico, Non solùm *orbam* sed etiam *sterilem* denotat. Hoc postremum secutus videtur Santes referens *quæ eos orbet*, & Arias, cùm interpretaretur *orbantem.* Gallica editio ea quæ è Sabaudia, *vulvam quæ obnoxia sit abortui*, sive *quæ facilè abortiat.* ¶ *Ubera arentia*] Hoc vult, Vel nullum omnino partum edant, vel, si ediderint, fac ut ubera arescant, nè possint eum alere.

15. *Omnis nequitia eorum in Galgal*] Ubi vigebat maximè cultus idolorum, ut patet ex 12. 11. hujus Prophetæ. In eodem loco novarunt statum Reip. pro Deo, qui antea ipsos rexerat per Judices & Prophetas, Regem, qui ipsis præesset, eligentes & constituentes: A Regibus autem postea idololatria instituta fuit. ¶ *Galgal*] Fuerunt hujus nominis, ut aliqui putant, oppida duo, unum prope Jericho in tribu Juda an Benjamin? & alterum quod ad Decem tribus pertinebat, de quo nunc sermo est. Potest ità esse: Mihi tamen hoc persuaderi nequit: nam imbibi unum idémque oppidum fuisse; in quo posterior ætas cultum peregrinum instituit, fortè ob celebritatem loci. Nam in eo Josue circumcisionis fœdus renovavit, Tabernaculum conquievit, ibidem frugibus vesci populus cœpit, ac postea populi libertas à Deo confirmata est, Jos. 5. ¶ *Odi eos*] Cœpi odisse. ¶ *Propter nequitiam operum*

rum ipsorum] Propter nequam ipsorum facta. Priùs erat *propter malitiam operum ipsorum.* Id mutavi, quia *malitia* certi cujusdam vitii nomen est: quanquam Interpretes latè usurpent: nam ipsis *malitia* est quæ à Græcis κακία dicitur. Idem רע & רשע Ebræis. ¶ *E domo mea*] E familia mea. Vult dicere, nè ampliùs sint filii aut domestici mei: vel *e domo sanctuarii.* Sic Jonathan enarrat. Quod tamen mihi, ut ingenuè dicam quod sentio, minùs places. Quidam E DOMO MEA, *e terra mea*, q. d. Pellam eos in exsilium. ¶ *Rebelles*] *Refractarii*; qui aliis deberent exemplo esse ad virtutem, erraniésque reprehendere & in viam revocare. Quid sperandum de talibus? q. d. Extra omnem spem sunt, ideo non ampliùs diligam eos. Est autem elegans paronomasia inter SARIM *principes* & SORERIM *rebelles.*

16. *Percussus est Ephraim*] Tralatio à Stirpibus, quæ ardore Solis aut cœli asperitate tactæ, aut à vermibus ventóque percussæ, exarescunt. Alibi est apud Davidem, *Interdiu Sol non percutiet te, neque Luna per noctem:* & Jon. 4. 7. *percussit ricinum:* & Ps. 102. 4. *Percussum cor meum quasi herba exaruit.* ¶ *Radix eorum exaruit*] q. d. Non rami modò, sed ipsa radix: ac tunc spes omnis fructus consequendi adempta. Ideo sequitur *fructum non edent*, i. sobolem nullam procreabunt. ¶ *Desideria uteri ipsorum*] Liberos ipsorum desideratissimos. Satis erat *desideria ipsorum*, ut apud Ciceronem, *Valete, desideria mea, valete:* sed adjecit *uteri ipsorum*, quia liberi vocantur *fructus uteri*, non solùm materni, sed etiam paterni. Ex quo illud, *De fructu ventris tui ponam super solium tuum.* Verba Dei ad Davidem, nisi fallor.

17. *Abjiciet*] Vel *Aspernabitur.* ¶ *Deus meus*] Propheta loquitur, & non obscurè innuit appellando *Deum suum*, non esse ampliùs Deum ipsorum, eò quòd audientes dicto ipsi non fuerint. ¶ *Vagi*] *Profugi, errones.*

I D E M.

1. TOῦ Θεȣ̃ σȣ] Κυρίȣ Θεȣ̃ σȣ est in nonnullis exempl. quam lectionem peperit, ut apparet, oscitantia an impetitia librariorum, qui ex τȣ̃ fecerunt κȣ̃ id valet Κυρίȣ. Error legentium κ pro τ. ¶ Ἐπὶ πάντα ἅλωνα] Antverpiæ impressi ad E. C. ἐπὶ πᾶσαν ἅλω.

2. Ἅλων] In iisdem ἅλως. Ut hîc πάντα ἅλωνα, sic legimus Ruth. 3. 2. τὸν ἅλωνα cum articulo masc. Stephanus putat errorem esse ex more in epitoma scribendi τὴν & τόν. Sed quid de hoc loco dicet? ¶ Ἔγνω αὐτȣ̀ς] Agnosco ידעם pro ירעם, h. e. Daleth pro Resch. ירעם, i. *pascet eos*, ποιμανεῖ αὐτȣ́ς. ¶ Ἐψεύσατο αὐτȣ̀ς] Alibi αὐτοῖς. Scriptum בה: sed Ebræorum Critici annotant leg. בם ex conjectura. Hanc lectionem secutus fuit & Jonathan, qui vertit להון. Priscus Interpres, *vinum mentitum est illis.*

3. Κατῴκησεν] ישב pro שב. Error in Vau & Joth. ¶ Αἴγυπτον] Biblia Regia εἰς Αἴγυπτον.

4. Οἱ ἄρτοι αὐτῶν ταῖς ψυχαῖς αὐτῶν] Hæc scriptura convenit cum Ebraica veritate. Codex Antverpiæ impressus ἄρτοι ταῖς ψυχαῖς αὐτῶν. In Hier. *panes animarum eorum.* Cùm autem sequatur in codice nominato εἰσελεύσεται, nos quàm proximè ad Ebræam scripturam accedentes suspicamur leg. esse ὁ ἄρτος αὐτῶν· sed nihil mutamus tamen. Judicia ut libera, ità etiam suspiciones esse debent.

4. Ἐν ἡμέραις πανηγύρεως] Magis placet quod in aliis, ἐν ἡμέρᾳ πανηγύρεως. Interpres prisci ævi, *dies conventus.* Vide Comment. Hier.

6. Μέμφις] *Moph, Memphis*, ut *Nob, Nomba. Nob*, i. נב, civitas nota. ¶ Μαχμὰς] Oppidum Ægypti, ut vult Hier. cui in eo non assentior. Potiùs inclino ut credam corruptum esse ex Μαχμάδ. Talium mendorum in his libris magna copia est. *Machmad*, Μαχμὰς, ut *Annibal*, Ἀννίβας. Sic קרן κέρας. Infrà 16. מחמדי בטנם τὰ ἐπιθυμήματα τῆς κοιλίας αὐτῶν. ¶ Κληρονομήσει αὐτὸ] Αὐτὸ redundat ex Ebraismo: itaque omissum in C. & in Lat. V. ¶ Ἄκανθαι] Καὶ ἄκανθαι C.

7. Κακωθήσεται] Si negabis eos legisse ירע pro ידעו, tum testem citabo ipsum Hier. qui in Comment. disertè id affirmat. Quanquam quid opus teste, cùm res ipsa tam clara sit ut vel cæco appareat? ¶ Ὥσπερ ὁ προφήτης] In Ebræo ἄφρων ὁ προφήτης. Putarem mendum esse in Græcis cod. Id si est ità, mendum vetus est. Nam in Hier. *sicut Propheta insaniens.* ¶ Ἄνθρωπος ὁ πνευματοφόρος] Alibi ἄνθρωπος πνευματοφόρος absque articulo: & alibi ὁ πνευματοφόρος. Interpres V. *homo qui habebat spiritum.* Verbum è verbo ἀνὴρ τȣ̃ πνεύματος, i. ὁ πνευματοφόρος. Alii, *vir venti*, i. ventosus. ¶ Ἐπληθύνθη] Impressi ad C. ἐπλήθυνεν & mox μανία pro μανία σȣ. Interp. V. *impleta est amentia tua.*

8. Σκοπὸς Ἐφραΐμ] i. *Speculator.* In plerisque cod. σκότος Ἐφραΐμ· quod sententiam planè σκοτίζει. Olim emendavimus σκοπὸς ex conjectura: pòst ità scriptum offendimus in A. & R. nec aliter legit interpres prisci ævi. ¶ Μανίαν ἐν οἴκῳ Θεοῦ κατέπηξαν] Sic propiùs accedes ad veritatem Ebraicam si μανία legas cum Ximenio, rejecto verbo κατέπηξαν ad versum proximum sequentem. Cæterùm in duobus libris legitur κατέπτηξαν, videlicet in Aldi & Cephalæi.

9. Τȣ̃ βȣνȣ̃] i. *Gabaa.* Nam ea vox βȣνὸν sign. Ἀδικίας] Ἀδικιῶν A. & B.

10. Ὡς σκοπὸν ἐν συκῇ] Sic ed. Rom. Nah. 3. 12. in libris veteribus, ὡς συκαῖ σκοπȣ̀ς ἔχουσαι, cùm in aliis sit καρπȣ̀ς ἔχουσαι. In aliis exempl. quæ vidi, καὶ ὡς σῦκον ἐν συκῇ. Interpres quoque V. *& sicut ficum in arbore ficûs.* ¶ Πατέρας αὐτῶν εἶδον] Biblia Antverpiæ impressa, ἴδον πατέρας αὐτῶν. Talis ordo verborum in fonte, ut & in Hier. *vidi patres eorum.*

11. Αἱ δόξαι αὐτῶν] Editio Plantini δόξα αὐτῶν, & in Hier. *gloria eorum.* ¶ Συλλήψεων] Συλλήψεως C. *conceptu* Interpres Vetus.

12. Ἐξ ἀνθρώπων] Scriptura varians ἐν ἀνθρώποις, habetur in C. ut apud Hier. *in hominibus.* ¶ Σάρξ μȣ] בשרי. Vide Hier.

13. Εἰς θήραν] Nimiùm sæpe impingunt in hunc lapidem, לציד pro לצור: & notat Hier. ex Interpretibus esse qui legant לצור *silicem.* ¶ Παρέστησαν] In quibusdam παρέστησεν, in aliis πάρεστι. Interpres priscus *præbuit.* ¶ Τὰ τέκνα αὐτῶν] בניהם: primùm Joth loco Vau, deinde ה, quod scribi solet ו, pro הם. Utut sit, ex בנוה factum בניהם *filios suos.* Τέκνα αὐτȣ̃] Alibi τέκνα αὐτῶν. Nam in hujusmodi nominibus, quale est *Ephraim*, promiscuè utuntur modò plurali, modò singulari. Sciendum tamen in Ebræo nunc esse singularem.

15. Οὐ μὴ προσθήσω] Καὶ ȣ̓ μὴ προσθῶ C.

16. Ἐξηράνθη] Lib. alii ἐξήρανεν. Hic necesse est ut in recepta lectione subaudias κατὰ, aut lege cum Eb. ἡ ῥίζα αὐτῶν ἐξηράνθη.

I D E M.

5. מועד. Aq. *tempus*] Hier. *Pro* die solenni *Aq. interpretatus est* tempus. *Ex quo manifestum, non festum diem sonare, sed tempus retributionis. Statim enim sequitur*, Venerunt dies ultionis, venerunt dies retributionis tuæ. Puto in Græco fuisse ἐν ἡμέρᾳ καιρȣ̃. Sic Jer. 8. 7. *Ciconia novit* מועדיה, Lxx τὸν καιρὸν αὐτῆς, & Hier. *tempus suum.*

6. מחמד. Aq. Sym. *concupiscentias*] Ἐπιθυμίας aut ἐπιθυμήματα. Sanè infrà 16. מחמדי בטנם Lxx reddunt τὰ ἐπιθυμήματα τῆς κοιλίας αὐτῶν. In libro Locorum, MACHAAS perperàm pro MACHMAD sive MACHAMAD, *in Osee*, inquit, *pro quo Aq. & Sym.* concupiscentias *interpretantur.* ¶ מף. Aq. ἐκ στόματος] Glossarius Philonis, MEMPHIS, *ab ore. Memphis*, Ebraicè מף, quasi מפה, *ex ore.* Hæc ità notaveram in schedis meis. Sumpta sunt partim ex Comment. Hier. partim ex libro Locorum. Sed מף ἐκ στόματος cùm his diebus quærerem in Commentariis illis, non inveni: tantùm illud, *ubi vos Memphis sepeliet, quod interpretatur Ex ore.* Aquilæ nulla mentio. Fieri potest ut aliunde acceperim.

7. משטמה. Aq. ἐγκότησις] Descripsi ex ed. Rom. Ἐγκότησις *ira vetus & gravis.* Dicitur & ἐγκότημα. Lexicon Hesychii, Ἐγκότημα, ὀργὴ, μανία. Gloss. Stephani, Ἔγκοτος, *infestus.* Hier. ad hunc locum, *Pro* amentia, *i.* μανία, *Aq. vertit* ἐγκότησιν, *quam nos vel* iracundiam *vel* memoriam doloris *in Latino possumus dicere.* In veteribus Lexicis Ἐγκότησις. Puto mendum esse.

12. אוי לָהֶם בְּשׂוּרִי מֵהֶם. Th. *Væ illis, caro mea ex eis*] CARO MEA, בשרי: retinuit errorem τῶν Lxx. Hier. in Comment. *Multùm in hoc loco inter se discordant Interpretes. In eo enim loco nos diximus*, væ eis cùm recessero ab eis, *Lxx & Th. transtulerunt*, væ eis, caro mea ex eis. *Quærénsque causam cur sit tanta varietas, hanc mihi videor repperisse.* Caro mea *linguâ Ebræâ dicitur* בשרי. *Rursum si dicamus* recessio mea, *sive* declinatio mea, *dicitur* בשורי. *Lxx igitur & Th. pro eo quod est* recessio mea *&* declinatio mea *verterunt* caro mea.

13. צר. Aq. Sym. Th. *petra durissima*] Hier. *Lxx interpretati sunt* θήραν, *i.* venationem *sive* capturam, *Aq. & Sym. & Th.* petram durissimam, *i. silicem, quæ linguâ Ebraicâ appellatur* צר. *Quod si legamus* צור, Tyrus *dicitur.* PETRA DU-

RIS-

RISSIMA; Ἀκρότομος. Idem in Comment. Amos 3. צר petra durissima, *quæ Græcè appellatur ἀκρότομος, quam nos Latinè silicem dicere possumus.*

IDEM in VULG.

1. *Noli exultare*] Sic Jonathan, sic Græcus, qui habet μὴ εὐφραίνου, haud dubiè legerunt AL pro EL. Hodie vertunt, *ad exultationem.* Quod referendum ad præcedentia, quasi dicat, cùm est causa & occasio exultandi, noli tamen lætari.

2. *Vinum mentietur eis*] Fallet eos, ut mentietur opus olivæ.

3. *In Assyriis*] Positum videtur pro *in Assyria:* atque eadem ratione qua *in Persis* dicimus pro, *in Persia.* ¶ *Comedit*] Libri Ebræi *comedat:* item *revertetur*, ubi noster *reversus est.* Nam Vau ibi præteritum in futurum mutat.

4. *Panis lugentium*] Alii, *panis dolorum* quod eandem sententiam continet.

6. *A vastitate*] id est, *propter vastitatem.* ¶ *Lappa*] In Libris Græcis ἀκάνθαι, id est, spinæ. Puto verum esse. Jonathan *feles*, minùs arridet.

7. *Scitote Israël*] Libri Ebræi, *sciant Israël*, vel, quod magis probo, *scient Israël.* ¶ *Virum spiritualem*] Ad verbum, *virum Spiritûs*, id est, Prophetam. ¶ *Et multitudo amentiæ*] In quibusdam libris, *& multitudinem amentiæ.* Hodie referunt, *& multum est odium*, hàc sententiâ, quia multa est iniquitas tua, ideo Deus magnum in te odium concepit. Alii aliter exponunt: sed non est propositum omnium sententias huc congerere.

8. *Laqueus animæ*] Aliter est apud nuperos interpretes, laqueus aucupis. ¶ *Insania*] Alii, *odium*, ut suprà.

9. *Peccaverunt*] Ad verbum, *corruperunt*, & subauditur *vias suas*, aut tale quid. ¶ *Gabaa*] Hodie GIBYA, per Ain. ¶ *Visitabit*] Puniet.

10. *In cacumine ejus*] Certa emendatio, *in principio ejus.* BERESITH *in principio.* Nescio quis interpretum apud Mosen quoque transtulit ἐν κεφαλίδι, hoc est *in capite* nimirum BEROS vel BERES, hoc Chaldaicum, illud Ebraicum. ¶ *In principio ejus*] Hoc est, interprete Jonatha, quando primùm maturuit. ¶ *Sicut ea quæ dilexerunt*] Id est, *sicut idola ipsorum.* Libri Ebræi ad verbum, *secundùm amorem eorum.* Quod exponi & aliter potest, quàm eos prius diligebam, tam mihi pòst facti sunt detestabiles.

11. *Gloria eorum*] id est, fœtus ipsorum, & subintelligitur, avolavit, ex præcedentibus.

12. *Absque liberis faciam eos in hominibus*] In Ebræo legimus verbum è verbo, *orbabo eos ab hominibus*, ac si dicat, orbabo eos, nè sint viri, hoc est, nè perveniant ad virilem ætatem. Jonathan Chaldæus ad hanc sententiam edidit, *orbabo eos nè sint viri.* Aliud, nisi fallor, dicit, *absque liberis eos faciam in hominibus.*

13. *Tyrus erat*] Qualis Tyrus. ¶ *In pulchritudine*] In loco amœno ac pulchro.

14. *Vulvam sine liberis*] Vulvam sterilem.

15. *Galgal*] Hodie *Gilgal.* ¶ *Recedentes*] Jonathan, *rebelles.* Quidam, *refractarii.*

16. *Amantissima uteri eorum*] Amantissimos ac desideratissimos liberos eorum.

LIVELEUS.

1. *Ne læteris*] Est enim major tibi lugendi causa quàm lætandi, quia Deum sceleribus tuis ad iram provocasti, unde tibi supplicium imminet. Videtur hîc eà figurâ quæ à Grammaticis *Litotes* dicitur *non lætari* positum pro *lugere & dolore affici.* Cujusmodi illud est Homericum,

—— οὐδ' ἄρα τάγε ἰδὼν γήθησεν Ἀχιλλεύς.

Non est lætatus Achilles dixit pro *indoluit & tristitiâ affectus est*, ut Plutarchus in Vita Homeri interpretatur, βούλεται γὰρ εἰπεῖν τὸ ἐναντίον, ὅτι ἰδὼν αὐτὰς ἐλυπήθη. Hujus generis illud est Prov. 17. 21. *Qui gignit stolidum, in mærorem suum eum gignit, neque lætabitur pater stulti*, i. mœrebit, tristabitur. ¶ *Ad exsultationem*] Sic Jobi 3. 22. *Ad exsultationem lætantur, gaudent cùm sepulcrum inveniunt*, h. e. magnopere lætantur & gaudio gestiunt.

2. *Mentietur*] Fallet eorum spem; ut cap. 10. 13. *fructus mendacis* dicitur qui hominum exspectationi non respondet. Sic Hab. 3. 17. *Opus olivæ mentitur.* Simili ratione ab Horatio 3. Car. Odâ 1. *fundus mendax* dicitur, qui domini spem frustratur;

Desiderantem quod satis est, neque
Tumultuosum sollicitat mare,
Non verberatæ grandine vineæ,
Fundusque mendax.

¶ *Illi*] Duplex hîc lectio fuisse videtur. Græci, Chaldæus, Hieronymus legerunt בם *illis.* Masoritæ hîc annotaverunt à quibusdam eam lectionem fuisse probatam, 2 Reg. 3. 24. Vulgata nunc exemplaria habent בה *illi.* Quod ad sensum attinet, nè pluma quidem interest utramvis sequamur. Singularis enim numeri vox *illi* Israelitarum congregationem notaverit; ità sensus idem fuerit. Generis verò & numeri enallage hîc est, *pascet eos*, *mentietur illi*, qualis cap. 4. 19. *ligabit eam*, *& pudefient.*

3. *In Assyria*] Justum Dei judicium, quia ad istorum populorum auxilium à Deo antè confugerant: cap. 7. 11. *Ægyptios vocant, Assyrios adeunt.* Vide etiam cap. 12. 1. ¶ *Pollutum*] *Cibos immundos & in Lege vetitos*, Lyranus ait. Significat verò eos in captivitatem abituros in Assyriam, ibíque hoc facturos, illarum gentium more viventes. Ab effecto vel adjuncto captivitas arguitur, scilicet rerum impurarum esu. Simile est Ezech. 4. 13. *Israelitæ inter gentes ad quas eos depulero pollutum comedent.*

4. *Non libabunt*] Aliud eorum captivitatis effectum, sacrificiorum cessatio & abolitio; de qua cap. 3. 4. *Diu manebunt sine Rege, sine sacrificio*, &c. Sensus est, Eos deinceps, cùm deportati fuerint, non esse sacrificaturos in terra polluta, ubi nec legitimum altare nec sanctuarium erat: Aut si sacrificent, eorum victimas similes fore *lugentium cibo*, à quo Deus abhorrebat, ut finis versûs ostendit, quo negat *cibum funebrem in domum Dei venire*, h. e. ei gratum & acceptum esse. *Lugentium* enim *cibum* vocat eum quo lugentes in cœnis funebribus vescebantur. Quo de ritu videre licet Jer. 16. 7, 8. *Nec impartientur cibum illis in luctu; nec in domum convivii venies.* Item Ezech. 24. 17. *Mortuorum luctum nè facito, neque cibum lugentium comedito.* Erat autem cibus iste impurus, quia à lugentibus, qui polluti habebantur, edebatur, Levit. 21. 1, 3. *Quicquid enim immundus tetigerat, pollutum erat*, Num. 19. ult. Hinc Aggæus 2. 13. affirmat *quemvis cibum ab eo tactum qui immundus erat à mortuo, pollutum esse.* Itaque non mirum est eum Deo displicuisse; quanquam præter immunditiem alia causa erat quare longè ab ejus domo arceretur; quam Tremellius in hunc locum observavit; nimirum, Quia sacrificantes læti & cum gaudio id munus obire tenebantur, Deut. 12. 7. Hinc illa Israelitarum professio, ibid. cap. 26. 14. *Non comedi ex eo in luctu meo, nec in mortuum ex eo dedi.*

5. *Quid facietis*] Tertium calamitosæ eorum captivitatis argumentum, quòd nè festa quidem solennia celebraturi sint: Quod antè minabatur cap. 2. 11. *Abolebo gaudia, festa, novilunia, sabbata, solennitates.*

6. *A vastatione*] Metu crudelitatis hostilis in Ægyptum, ut ibi commorentur, confugient. Hieronymus, Calvinus, & Tremellius priore suâ explicatione ità exponunt. Vide cap. 8. 13. annotata. ¶ *Congregabit eos*] Verba *colligendi* ad sepulturam significandam adhibentur. Ezech. 29. 5. *Non colligeris, neque congregaberis, sed eris in cibum feris & volucribus.* Jer. 8. 2. *non colligentur, nec sepelientur.* ¶ *Chamæleon*] Desolationis argumentum, ut Esa. 34. *spina & chamæleon in munitionibus ejus.* ¶ *Tentoriis*] i. Habitaculis & domiciliis, ut Jud. 19. 9. plurimisque aliis in locis.

7. *Cognoscent*] Miserâ tandem exprientiâ discent se seductos fuisse à Prophetis stolidis. *Cognoscent stultus Propheta*, h. e. stultum esse Prophetam. Hebraismus qualis Psal. 10. in fine, *Scient gentes mortales sunt.* Zach. 8. in fine, *Audivimus Deus vobiscum*, pro *Deum vobiscum esse.* ¶ *Virum spiritûs* cum Calvino eum dici arbitror qui antè *Propheta* dicebatur, quia Prophetæ Spiritu Dei præditi fuerunt, eóque dictante loquebantur. Zach. 7. 12. *Misit Jehova per Spiritum suum manu Prophetarum.* Quanquam fateor utroque nomine falsos Prophetas notari, qui se Spiritum sanctum habere jactitaverunt. Ut nomine *Dei* idola appellantur, 2 Reg. 1. 2. *Beelzebub deus Ecronitarum*; sic ministrorum illius, nempe *Prophetarum*, nomen pseudoprophetis tribuitur, Soph. 3. 4. *Propheta ejus leves:* & idololatricis, 1 Reg. 18. 19. *Congrega Prophetas Baalis cum Prophetis luci.* ¶ *Odium*] Scelera quibus Dei odium in te concitavisti, & quæ Deus odit. Calvinus ità exponit. Metonymia

tonymia est, ut apud Plautum in Rudente eo modo leno *Deum atque hominum odium* vocatur. Hujus generis illud est Prov. 11. 1. *Bilances dolosæ sunt abominatio Jehovæ.*

8. *Speculator* & *Propheta* hic mihi nominativi absoluti videntur hâc sententiâ; Quod ad eum attinet qui *speculator Ephraimi est cum Deo meo*, h. e. fideliter & piè suo munere ex Dei mandato fungitur; quod, inquam, ad *Prophetam* attinet, verum scilicet & Spiritu Dei præditum, *omnibus viis illius* ad eum irretiendum *laquei* tenduntur ab improbis Divini verbi contemptoribus. Talium nominativorum magnus numerus est. Unum hujus generis habes v. 11. hujus capitis, *Ephraim*, *gloria eorum*, &c. Latina locutio est; Salustius, *Plebs urbana: ea verò præceps erat.* Ut igitur quantum falsis Prophetis tribuebant superior versus ostendit; ità hic quo in pretio veros habebant declarat. Tantum aberat ut eos quo decuit amore prosequerentur, ut etiam mala illis machinati sint, & more *aucupum laqueos* illis tetenderint. Qua de re queritur Jeremias 18. 22. *Foderunt fossam ad capiendum me, & pedibus meis laqueos occultaverunt.* Esa. 29. 21. *Peccati reum peragunt propter verbum, & corripienti in porta tendiculam ponunt.*

9. *Profundarunt, corruperunt*] h. e. *Profundè corrupti sunt.* In tali enim verborum conjunctione sæpe prius adverbii loco ponitur, cap. 5. 11. *voluit ivit*, i. voluntariè ivit. Quid autem sit *profundè corrumpi* disces ex cap. 5. 2. & Esa. 31. 6. atque haud dissimili locutione Salustii ad Cæsarem De rep. ordinanda, *Ut ex alienis malis deterrimi mortales ventri atque profunda libidini sumptus quærerent, atque essent opprobria victoria, quorum flagitiis commacularetur bonorum laus.*

10. *Ut primum fructum in ficu*] Primas & præcoces ficus intelligit; quarum maximum desiderium esse solet. Esa. 28. 4. *Ut fructus præcox ante æstatem, quem visum quispiam dum adhuc est in manu devorat.* Lucilius apud Nonium,

Sicut cùm primus ficos propalam recentes
Protulit, & pretio ingenti dat primitus paucos.

Primæ verò dicuntur quæ primùm maturuerunt. Horatius,

——*Dum ficus prima calórque*
Designatorem decorat lictoribus atris.

Græcè πρόδρομοι appellantur ab Athenæo lib. 3. Dipnos. ¶ *Detestationes*] Vel *abominationes.* Hoc nomine vocat abominanda & detestanda idola. Sic Deut. 29. 17. *Vidistis abominationes & stercora eorum.* 2 Par. 15. 8. *Amovit abominationes.* 2 Reg. 23. 13. *Astaroth abominatio Sidoniorum*, i. detestandum idolum. Metonymia. Cùm dicit *abominationes fuisse prout amaverunt*, sententia est, Eis multa alia abominanda idola fuisse quæ pro arbitrio suo coluerunt, prout amore & quodam libidinis fervore erga ea abducti fuerunt. Amos. 4. 4, 5. *Galgale augete defectionem: sic enim, Israelitæ, amavistis.*

11. *Ephraimitæ*, &c.] Quod ad sensum attinet rectè vertitur à Tremellio. Est enim *Ephraim* nominativus absolutus pro *quod ad Ephraimitas spectat.* Quod genus loquendi Latinis ipsis familiare est. Vide annotationem versûs 8. ¶ *Gloria eorum*] i. Filii in quibus parentes gloriari solent, maximámque ex illis voluptatem capere. Lea in suis filiis gloriatur Gen. 29. & Rachel ibid. cap. 30. & nato Isaaco Sara. Anna etiam in Samuele, ut canticum ejus arguit. Prov. 17. 6. *Corona senum sunt filiorum filii, & decus parentum suorum liberi.* Rectè igitur *parentum gloria* dicuntur per Metonymiam. Quo modo Livia Augusti apud Poetam in Epicedio Drusi filium suum appellat,

Gloria confectæ nate parentis, ubi es?

Sic Claudianus Proserpinam *Cereris gloriam* & *superbiam* vocat illis versibus quos antè ad v. 5 capitis 5 attulimus. Apud Persas, secundùm bellicam fortitudinem, maximo in pretio fuisse numerosam prolem, & multorum liberorum patri Regem munera mittere solitum esse, tanquam strenuum quippiam præstiterit, Herodotus testis est. ¶ *A partu*] Quatuor gradibus filiorum interitus explicatur; *à conceptione*, nè in utero gravidato vivificentur: *ab utero*, antequam in utero gestati justum tempus ad partum compleverint; *à partu*, cùm recèns in lucem editi fuerint; *ab educatione*, cùm scilicet in pueritia ad aliquod tempus enutriti fuerint. Hæc omnia feminæ sæpe experiuntur.

12. *Ab hominibus*] h. e. Nè deinceps inter homines supersint & vivant, ut Prov. 30. 14. *Ad consumendum pauperes è terra, & egenos ab hominibus.* Simili ferè ratione Nabuchodonosor Dan. 4. dicitur *ejectus ab hominibus*, quia inter bestias degens ab hominum commercio exsulavit: Hoc tantùm interest, quòd ille inter vivos relinquebatur. Qui autem ità intelligunt *ab hominibus*, i. nè in viros evadant, eorum tum sententiam probabilem putavero cùm didicero nomen ADAM, quod totius speciei commune est, de *statu virili* usurpari. Quod verò dicit, *orbabo eos ab hominibus*, hunc sensum habet, *tollam eorum filios ab hominibus*; vel *orbabo eos, filiis ipsorum sublatis*; שכל enim propriè significat *parentes suis filiis orbare.* Similis hujus verbi significatio est Deut. 32. 25. *Foris orbabit gladius tam juvenes quàm virgines*, i. juvenibus cum virginibus sublatis.

16. *Percutietur*] Metaphora à Stirpibus sumpta, quæ vermibus, vento, aut vi cœli asperioris tactæ & percussæ exarescunt; ut Jonæ 4. 7. *percussit ricinum*: & Psal. 102. 4. *Percussum cor meum quasi herba exaruit.* ¶ *Fructum non facient*] Liberos non gignent. Lam. 2. 20. *Comederéntne mulieres fructum suum?* In cœpta ab Arboribus Metaphora persistit; quâ liberi etiam *fructus uteri* sæpe dicuntur, Deut. 28. 11, 18. Lucæ 1. 42. *Benedictus fructus ventris tui.* Hinc uxor fœcunda *Viti feraci & fructiferæ* comparatur Psal. 128. ¶ *Desideria*] h. e. Desideratissimos eorum liberos. Metonymia adjuncti; qualis apud Ciceronem in Epistolis uxorem & liberos *desideria* sua appellantem; *Valete*, inquit, *mea desideria, valete.*

GROTIUS.

1. **N**Oli lætari Israel, noli exsultare sicut populi] Noli tibi placere in rebus prosperis, ut aliæ gentes faciunt. ¶ *Quia fornicatus es à Deo tuo*] Pœna tibi imminet ob idololatriam. ¶ *Dilexisti mercedem*] Sperasti te mercedem habiturum ejus cultûs. Propriè אתנה sive אתנן de *mercede meretricis* dicitur, quod huic loco optimè convenit. ¶ *Super omnes areas tritici*] Ἔλλειψις [*Defectus verbi*,] pro eo quod diceremus *prosperitatem per omnes areas frumentarias*, mercedem scilicet cultûs tui, ut præcessit. Confer suprà 2. 12.

2. *Area & torcular non pascet eos*] Cives suos. Dedicasti arva & vineta tua diis falsis: egisti ἀλῶα [*ferias trituræ.*] Deus ostendet, hæc in non alterius quàm in sua esse potestate, & quàm spes ista in diis falsis falsa fuerit. Vide suprà 2. 9. & 8. 7. Hæc sterilitas videtur paulùm præcessisse adventum Teglathphalasari. ¶ *Et vinum mentietur eis*] Simili locutione Horatius,

Spem mentita seges. ——

3. *Non habitabunt in terra Domini*] Et meritò, quam illi idolorum terram esse dixerunt. ¶ *Reversus est Ephraim in Ægyptum*] *Revertetur* unde ego eos eduxi. Nempe quia multi de Decem tribubus ad primum adventum Salmanasari in Ægyptum se recepere. Vide simile Esaiæ 11. 11. ¶ *Et in Assyriis*] *Inter Assyrios*, sub quibus servi vivent. ¶ *Pollutum comedit*] *Comedet.* Cibos Lege meâ vetitos, quos in mea terra comedit, ibi comedet ex imperio & ad tædium.

4. *Non libabunt Domino vinum*] Omiserunt id, cùm possent; tempus veniet ut libare Deo velint, & non possint. ¶ *Et non placebunt ei sacrificia eorum*] Sic distinguendum cum Chaldæo. Si victimas offerre velint, non erunt Deo gratæ; quia contra Legem in solo profano. ¶ *Quasi panis lugentium*] Tanquam νεκρόδειπνα sive περίδειπνα [*parentalia*,] de quibus nihil solet inferri in Templum. De talibus epulis vide Proverbiorum 31. 6. & Jeremiæ 16. 7. ¶ *Omnes qui comedent eum contaminabuntur*] *Qui comedent de eo*, nempe sacrificio, *impuri erunt*, quia in tali loco sacrificia Legi repugnant. ¶ *Quia panis eorum anima ipsorum*] *Cibus eorum ipsis erit*, ipsorum tantùm usibus servire poterit; quasi dicat, ὄναιντο [*fruantur.*] לחם Hebræis est omne quod editur. ¶ *Non intrabit in domum Domini*] Nihil ejus mittere ad Templum poterunt, quod antehac cùm facere possent omiserunt. Nimis longè ab ipsis aberit Templum; postea & auferetur.

5. *Quid facietis in die solenni, in die festivitatis Domini?*] מועד, quod hic vertitur *dies solennis*, eximiè dicitur de Paschate, & illis diebus quibus ex omni terra in Templum conveniri Lex præceperat, Exod. 13. 10. & 23. 15. & 34. 18. Lev. 23. 4. חג verò, quod hîc transtulit *diem festivitatis*, latiùs patet, ut apparet Judic. 21. 19. & Ezech. 46. 11. ubi *interlunia* intellexit Latinus Interpres, quas *nundinas* appellat. *Quid facietis tunc*, ait Propheta, *cùm venient tres illi dies solennes, aut alii dies festi?*

festi? voletis otiari; sed domini vobis id non permittent; urgebunt vos operibus. Vide suprà 2. 11.

6. *Ecce enim profecti sunt à vastitate*] *Ecce abeunt* quidam è terra *vastata*. Sint quidam qui Assyriorum manus effugiant, ut evenisse & suprà notavimus 3. ¶ *Ægyptus congregabit eos*] *Componet illos.* Pollincturam illis faciet, nec redibunt in patriam. ¶ *Memphis sepeliet eos*] Ἐπεξήγησις [*Amplior explicatio*] præcedentis. Vide Esaiæ 19. 13. ¶ *Desiderabile argentum eorum urtica hæreditabit*] In Hebræo, *Desiderium argenti eorum possidebit urtica:* id est, domos magno pretio comparatas. ¶ *Lappa in tabernaculis eorum*] *In prætoriis.* Quod hîc Interpretes *lappas*, *spinas* vertunt Græci, Chaldæus *feles*: tamen חוח pro *spinis* etiam in Chaldæis Interpretibus alibi reperias.

7. *Venerunt dies visitationis, venerunt dies retributionis*] *Venient.* ¶ *Scitote Israël*] *Scient Israël*, me scilicet *verum dixisse*, ut hîc supplet Chaldæus. ¶ *Stultum Prophetam*] Meliùs novo sensu in nominativo *furiosus Propheta:* id est, arreptitius, quales erant quos non Deus, sed dæmon agitabat. ¶ *Virum spiritualem, propter multitudinem iniquitatis tuæ, & multitudinem amentiæ*] *Vir* est *spiritus*, id est, spirans, *ad augendum iniquitatem tuam, & ad vim odii.* Omnia illorum verba nihil aliud quàm culpas vestras odiúmque in bonos accendunt.

8. *Speculator Ephraïm cum Deo meo: Propheta laqueus ruinæ factus est, super omnes vias ejus, insania in domo Dei ejus*] Duræ sunt omnes hujus loci expositiones. Facilior se offert si עם legas non subscripto Hirec sed Patach, ut populum significet, sensúsque sit: *Speculator Ephraïmi, qui populus Dei fuit*, id est, *Propheta* (qui nempe talem se dicit) *laqueus ad ruinam factus est in omnibus viis ejus, odio adversùs domum Dei ejus*, id est, Templum Hierosolymitanum. Pseudoprophetæ isti insidias tendebant per omnes vias viris bonis ire volentibus ad Templum. Confer suprà 6. 9.

9. *Profundè peccaverunt*] Imprudentissimè se corruperunt. Non in superficie natat illis improbitas, sed in imo corde residet. ¶ *Sicut in diebus Gabaa*] Historia est Jud. 19. 16, 22, & sequentibus.

10. *Quasi uvas in deserto invêni Israël*] Si cui per desertam Arabiam peregrinanti uvæ obveniant, valde eis lætatur: sic & Deus lætatus est cùm vidit populi Israëlitici in deserto actiones bonas. ¶ *Quasi prima poma ficulneæ in cacumine ejus vidi patres eorum*] *Vidi in principio ejus* (populi jam liberati) *patres vestros* (nempe eos qui ex Ægypto exierant) *quasi ficus præcoces.* Ficus præmaturæ amantur, sed facilè pereunt; Plinius 17. 27. ¶ *Ipsi autem intraverunt ad Beelphegor*] In templum Moabitarum, Numer. 25. 3. ¶ *Et abalienati sunt in confusionem*] Ἀπηλλοτριώθησαν εἰς αἰσχύνην, id est, *initiati sunt sacris pudendis:* nam talia ferme erant μυστήρια τοῦ [*sacra abdita*] Beelphegor, qualia apud Ægyptios Osiridis, apud Græcos Liberi patris & Cereris. ¶ *Et facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt*] Idola Hebræis dicuntur שקוצים, & solet vox illa Hebræa verti modò εἴδωλον [*idolum*,] modò βδέλυγμα [*abominatio*,] modò μίασμα [*contaminatio.*] Et plerumque idololatræ etiam mores fœdos addiscunt, præsertim cùm eò ducant ipsa mysteria. Vide ad Romanos 1.

11. *Ephraim quasi avis, avolavit gloria eorum*] Cohærentia sunt hæc, & est Hebraïca locutio, pro *Ephraimi gloria ut avis evolabit. Gloriam* intellige hîc fœcunditatem, de qua se jactabant. ¶ *A partu*] Id est, infantes à matre recentes morientur. ¶ *Et ab utero*] Abortient feminæ. ¶ *Et à conceptu*] Concubitus erunt infecundi.

12. *Quòd etsi enutriverint filios suos*] Si quibus contingat liberos ad aliquam ætatem educere. ¶ *Absque liberis eos faciam in hominibus*] Id est, faciam in loca Assyriaci Imperii avehantur. *Sed & væ eis*] *Præterea multa mala eis obvenient*, nempe in isto exsilio. ¶ *Cùm recessero ab eis*] Ubi eos penitus dereliquero. Lxx & Theodotion pro בשורי [*cùm ego recedam*] legerunt בשרי [*carni meæ*] ut notat Hieronymus.

13. *Ephraim, ut vidi, Tyrus erat fundata in pulchritudine*] Gens Ephraïmitica, quasi adspicerem Tyrum, ità stabilita erat in amœnis locis. Vide Ezechiel. 28. 12. Aquila, Symmachus, & Theodotion צור [*ad afflictionem*] legêre per Holem, pro Schurec; at Lxx צור, θήραν [*captionem.*] quod ideo dico ut vetus scripturæ varietas appareat. ¶ *Et Ephraïm ducet ad interfectorem filios suos*] Id est, ab hostibus cogetur producere.

14. *Da eis, Domine; quid dabis eis?*] *Da eis, Domine, quod daturus es*, id est, quomodo daturum te dixeras, nempe sterilitatem, aut infantes ὠκυμόρους [*morte morituros immaturâ.*] Propheta cùm audivit futurum ut parentes hostibus filios suos proderent, oravit Deum ut minore pœnâ contentus esset.

——— ——— ἢ τὸ γένεσθαι
Μηδέποτ', ἢ τὸ θανεῖν αὐτίκα τικτόμενον.
[——— *nunquam cernere lucem,*
Vel modò conspectâ luce repentè mori.]

¶ *Vulvam sine liberis*] Abortientem: id enim est משכל. ¶ *Et ubera arentia*] Non sunt ulli quos lactent infantes.

15. *Omnes nequitiæ eorum in Galgal*] Non nunc primùm incipiunt peccare in Gilgale, de quo suprà 4. 15. jamdudum id fecerunt, cùm Samuelem contemserunt 1 Samuel. 11. 15. itaque meritò eum locum odi. Mysticus sensus est: Judæos per summum scelus effecturos ut Christus crucifigatur in גלגלתא [*Golgotha:*] nam hoc nomen idem est cum גלגל [*Gilgal*,] nisi quod Syriaca est pronuntiatio. ¶ *Ibi exosos habui eos*] Etiam olim. ¶ *De domo mea ejiciam eos*] *Domum* hîc *suam* vocat Deus totam terram promissam Abrahamo, Isaaco, Jacobo. ¶ *Non addam ut diligam eos*] *Non ultrà eos amabo.* ¶ *Omnes Principes eorum recedentes*] *Defecerunt* à me, aut falsa numina colendo, aut me assimilando vitulis.

16. *Percussus est Ephraïm*] *Percutietur*, nempe sterilitate, ut suprà 11. Vide Psalmum 102. 5. ¶ *Radix eorum exsiccata est*] Vis genitrix. ¶ *Quòd etsi genuerint, interficiam amantissima uteri eorum*] Scripserat, puto, Interpres *amatissima*, τὰ ἐπιθυμήματα, id est, liberos diu optatos.

17. *Abjiciet eos Deus meus*] Deus posthac futurus Prophetarum, non & populi. ¶ *Et erunt vagi in nationibus*] *Dispersi inter gentes.* Vide 2 Regum 15. 29. & 16. 6. 1 Paralip. 5. 26.

CAP. X.

MUNSTERUS.

1. **V***itis inanis*] Carens scilicet humore gratiæ. Sed quomodo tunc *profert fructum?* Operatione Divinà. Israel verò abusus est bonitate Dei, & *impinguatus recalcitravit*, & quantò clementiorem sensit Dominum, tantò pejùs egit. Sunt etiam qui verbum ישוה derivari putant à שוא, & tunc sign. *vanum esse*; eritque hic sensus, *Vitis inanis Israel, destituet se fructu.* ¶ *Ipsi bene egerunt*] Ironia est & exprobratio.

4. *Locuti sunt verba*] Multa, inquit, dixerunt & promiserunt, sed nihil præstiterunt. Semper mendaces & fedifragi inventi sunt coram Deo & hominibus, nec est veritas in ore eorum. Atque ideo *in sulcis agrorum ipsorum*, ubi fruges crescere debuerant, *germinabit judicium* amaræ mortis.

5. *Propter vitulas Bethaven*] i. *Propter Vitulum* quem coluerunt in Bethel *nullus audebit habitare in Samaria:* tam crudelis depopulatio accidet in provincia illa: *lugebúntque* omnes quòd Vitulum illum relicto Deo coluerunt, *de quo* priùs tantopere *exsultaverunt.* Porrò Vitulus *ille* aureus *dabitur pro munere Regi Assur, & Israelitæ* cultores ejus *erunt* propter ipsum *in magna confusione.*

7. *Quasi spuma*] Alii exponunt קליפת העץ *corticem ligni*, qui cum aqua defluit. Sic, inquit, *Rex Samariæ* cum Regno suo in captivitatem transiit.

8. *Excelsa Aven*] h. e. *Bethaven*, ubi peccatum seu idolum Israel fuit.

9. *A diebus Gibea peccasti*] Illo tempore quando bellum fuit in Gibea propter uxorem Levitæ constupratam nemo erat qui zelaret pro gloria Dei, cùm tunc haberetur idolum Micha inter Israelitas; sed *steterunt*, h. e. manserunt, impii quidam, in quorum affectibus vigebat cultus idololatriæ usque ad tempora Jarobeam, qui cùm publicè se profiteretur idololatram, totum ferè Regnum Israel invenit sibi consentiens. Alii verbum *steterunt* sic exponunt, Steterunt Israelitæ post devictos Binjamitas, & non studuerunt ab initio nascentem exstirpare idololatriam.

10. *Quòd coadunaverit se*] *Coadunaverunt se*, inquit, vel, ut Hebraismus habet, *colligaverunt se*, Jehuda & Ephrajim quasi duo boves, qui sub unum coguntur jugum, quando sulcandus est ager atque arandus. Sic illi se conjunxerunt in via iniquitatis. Alii de Israelitis tantùm hæc dicta existimant, qui soliti fuerant in utramque claudicare coxam. Et nota quòd עונת hîc capitur pro חרישות השדה *sulcis agri.* Alii vertunt *ad utrumque oculum*, alii *ad duas iniquitates.*

11. *Vitis*

11. *Vitula est edocta*] Kimhi sic exponit, *Tu, Ephraim, semper fuisti vitula delicata, magis gaudens frui partis quàm ut acquireres. Mavis excutere messem quàm agrum arare & ferre æstus atque labores. Ego à juventute docui te facere bona, at tu solùm vis frui deliciis, & abuti donis meis. Et quidem ego imposui tibi jugum, non grave, sed quod esset pro bono tuo, & quod ferre posses, agens tecum pro teneritudine tua: & tu si illud portasses, viveres in pace & securitate, fruererisque vineis tuis & agris tuis. Ego quoque feci te equitare, h. e. sublimavi te in Regnum, & permisi ut & Jehuda juxta te aratoris teneret officium. Comparat autem Propheta Regem Aratori, quòd sicut arator invertit terram, & confringit glebas ejus, atque disponit eam ad fructificandum, ità Rex imposito jugo legis Divinæ disponere debet populum ut fructum Legis ferat.*

12. *Novate novalia*] Docet semper repurgandam terram cordis nostri à pungentibus spinis & carduis: nemo enim in hac mortali vita tam perfectus est in pietate in quo non subindè repullulant noxiæ cupiditates, veluti zizania in agro bene culto.

14. *Juxta devastationem Salman*] Minatur eis secundùm exemplum hujus viri crudelissimum interitum, in quo nullus habeatur respectus sexûs vel ætatis; sicut & Salman crudeliter egit cum *domo Arbel.* Quis autem fuerit iste *Salman* ex Scriptura non constat. Quidam putant eum fuisse Salmanæser, qui primo anno Osee irruit & vastavit Arbel trans Jordanem.

VATABLUS.

1. *Vitis vacua* גפן בוקק] Tanquam *vitis inanis*, i. quæ caret succo sive humido radicali. ¶ *Fructum ponet sibi?* פרי ישוה לו] *Ferétne* ergò *fructum?* q. d. Nequaquam. ¶ *Fructûs sui* לפריו] i. Fructuum terræ suæ. *Juxta*, inquit, *copiam & abundantiam annonæ plura erexit altaria idolis.* ¶ *Secundùm bonitatem*, &c. כטוב לארצו וגו'] Repetitio est aliis verbis: *juxta felicitatem* [*prosperitatem atque ubertatem*] *terræ suæ concinnaverunt statuas:* vel *elegantes, insignes & affabre factas posuerunt statuas simulacris & idolis.*

2. *Divisit se cor eorum* חלק לבם] *Subduxit sese animus eorum*, sub. *à me:* i. ipsi deseruerunt me. Vide suprà 5. 6.

3. *Nunc enim* כי עתה] *Brevi enim.* Cùm scilicet punientur, dicent, Sumus perinde acsi Regem non haberemus: non enim potest nos eripere ab inimicis nostris.

4. *Mendaciter* שוא] *Frustrà*, in *vanum:* more scilicet eorum qui conjurant inter se. ¶ *Feriendo pactum* כרות ברית] De relinquendo scilicet Domino. ¶ *Sicut venenum* כראש] i. Tanquam herba venenata. Quidam vertunt *absinthium.* Prædicit fore ut citò judicentur à Domino. Comparat autem judicium illud herbæ venenatæ quæ citò crescit in terra culta: q. d. Brevì accepturi sunt sententiam suam à Domino: imò jam lata est sententia.

5. *Ad vitulas*] לעגלות] *Propter vitulas.* Fem. genere dixit, & mox relativum masc. posuit, quòd Imagines careant sexu, præterea numero plurali, quòd Vitulus qui colebatur in Beth-el esset præcipuus. Rursum *Beth-aven* pro *Beth-el* ignominiæ causâ dixit. Verti etiam posset, *Vitulis Beth-aven timebunt.* ¶ *Lugebit* אבל] Præt. Heb. pro fut. ¶ *Super eum populus ejus* עליו עמו] *Propter eum populus ejus*, i. qui colit eum. ¶ *Exsultant* יגילו] Fut. Heb. pro præs. *lætantur: lætari solent*, vel *solebant*, quòd scilicet illi victimis oblatis vescerentur. ¶ *Ob gloriam ejus* על כבודו] Per *gloriam* intelligit cultum ejus: vel hoc dicit quòd ille in frusta discerpendus esset, & ità aliò transferendus.

6. *Pudorem Ephraim capiet* בשנה אפרים יקח] *Pudore Ephraim afficietur*, quòd scilicet Deo suo privabitur. ¶ *A consilio suo* מעצתו] Quod sanè erat de constituendis Vitulis, ut hâc ratione impedirent profectionem in Jerusalem: & ità magis confirmarent Regnum suum.

7. *Succisus est* נדמה] Præt. Heb. pro fut. *Excidetur*, i. *Rex Samariæ occidetur in ea.* Describitur pœna illorum idololatrarum: & propterea justitia Dei commendatur.

8. *Aven* און] Pro *Beth-el* (quam v. 5. vocat *Beth-aven*) *Aven* dixit ad majorem ignominiam. ¶ *Peccatum Israel* חטאת ישראל] Appositivè dictum: i. ad quæ peccavit Israel. ¶ *Et tribulus* ודרדר] *Et carduus.* ¶ *Ascendet*] יעלה] Pro *crescet.* Hebraismus.

9. *Peccasti* חטאת] *Peccator es.* ¶ *Steterunt* עמדו] Sub. *Israelitæ pugnaturi contra cives, dicentes, Non*, &c. Transit à secunda persona in tertiam, O Israelitæ, à tempore quo commissum illud nefandum scelus ultus est Dominus in Gabaa (vide Judic. 19, & 20.) fuistis peccatores: similes illis qui tum in bello contra Gabaonitas ceciderunt; præter spem suam tamen, qui dicerent se in eo bello, ab eis justissimè suscepto contra hujusmodi facinorosos & scelestos, non casuros; & tamen ceciderunt plurimi justè: nam Deus est justus. Ostendit justitiam Dei in puniendo Israele, & ejus longanimitatem.

10. *In desiderio meo* est, באותי] *In votis habeo.* *Et corripiam eos* ואסרם] *Et castigabo eos*, i. & evadam voti compos. ¶ *Dum ligaverint*, &c. כאסרם וגו'] i. Cùm contraxerint inter se affinitatem Juda & Israel, & conjunxerint sese: q. d. Cùm Juda & Israel unanimi consensu cœperint colere Vitulos. Metaphora sumpta à juvencis quæ simul arant.

11. *Triturare* לדוש] Sub. *potiùs quàm arare:* est enim admodum pinguis: q. d. Olim Ephraim erat constitutus in magna felicitate, pinguis & opulentus. Hic etiam accusat Israelem idololatriæ. ¶ *Transivi super*, &c. עברתי על טוב צוארה] Ad verb. *transivi super bonitatem colli ejus.* Hebraismus, pro *consideravi pulcritudinem colli ejus*, i. collum ejus pingue & obesum. ¶ *Imponam* ארכיב] Ad verb. *vehere faciam*, aut *ferre.* Hîc obscurè dicit Deus se divisisse Regnum in duo, ut utrumque ei serviret: verùm contrà fecerunt. *Imponam*, inquit, *ipsi Ephraim jugum* Regum, i. Decem tribuum: utrumque Regnum suo fungetur officio in mihi serviendo.

12. *Seminate* זרעו] Sub. *Et dixi illis, Seminate*, &c. *& tamen non paruistis. Seminare in justitia* est Dare operam bonis & justis operibus. ¶ *Metite juxta misericordiam* קצרו לפי חסד] *Metite in misericordia.* Imperat. Heb. pro fut. q. d. & reportabitis mercedem amplissimam quam Deus suâ misericordiâ dabit vobis. ¶ *Arate vobis arationem* נירו לכם ניר] Doctus inter Hebræos dicit hoc loco *arare* pro *cogitare* poni parabolicè; acsi dicat, *Cogitate vobis cogitationem*, ut mox v. 13. *Arastis impietatem.* Exhortatio esse videtur ad præparationem cordis ob adventum Christi.

13. *Metetis* קצרתם] Præt. Heb. pro. fut. ut & mox, i. metetis mercedem iniquitatis. ¶ *Mendacem* כחש] Ad verb. *mendacii.* ¶ *Fisus es* בטחת] Mutatio personæ & numeri.

14. *Salman* שלמן] Sunt qui de *Salmanasare* intelligunt: is enim primo anno Osee irruit; & *Beth-arbeel* trans Jordanem *vastavit* crudelissimé. Citat ergò domesticum & recens exemplum. De *Arbel* 1 Mach. 9. 2. Alii dicunt hanc historiam non exstare: erat tamen tunc omnibus nota. ¶ *Allidetur* רטשה] Præt. Heb. pro fut.

15. *Faciet* עשה] Præt. Heb. pro fut. i. eorundem vobis erit autor Beth-el in qua coluistis unum ex Vitulis. ¶ *In aurora* בשחר] i. Initio Regni Osee filii Ela.

CASTALIO.

1. *Fructum sibimet edit*] Sibimet, non mihi Domino, serviunt.

3. *Jam enim dicent, Caremus Rege*] Rege privabuntur. ¶ *Quoniam Jovam non metuimus, Rex quidem quid faciet nobis?* Nobis opitulari non poterit.

5. *Ad Bethavenses vitulas horrescent Samaritani, suo illum lugente populo*] Illum, sc. Jeroboami Vitulum, qui perierit.

8. *Dicéntque montibus, Obruite nos; & collibus, Decidite in nos*] Extremis malis affligentur.

9. *Ubi steterunt illi non attingendi apud Gabaam*, &c.] h. e. Ubi Israelitæ adfuerunt eo animo ut Benjamitas punirent, nec ipsi bello cladem ullam acciperent, quippe causæ æquitate freti & *bellum contra impios* gerentes. Et Benjamitas quidem *ego punivi*; sed *ità punivi* ut idem passi sint & reliqui Israelitici *populi*, quorum plurimi in eodem bello ceciderunt: id quod feci quoniam ambo erant nocentes, & *suo utrique crimine constricti:* Nam Israelitæ, qui illos tam cupidè puniebant, nè ipsi quidem erant insontes.

11. *Obibo ejus cervicis bonitatem*] Bonam cervicem. ¶ *Equitans in Ephraimita*] Et Israelitas & Judæos perdomabo.

CLARIUS.

1. *Vitis*] Erat *Israel* olim, inquit, *vitis vacua*, sed operante Deo *fructum fecit*, vel potiùs Deus *fructum ei dedit.* Sed abusus est bonitate Dei, & *impinguatus recalcitravit*, & quantò clementiorem sensit Dominum tantò pejùs egit.

2. *Divisum est*] *Separatum est* à me *cor eorum.*

3. *Quia nunc dicent*] *Nunc*, i. paulò pòst. ¶ *Et Rex quid faciet*] Vel, *quid faceret nobis?* Quomodo Rex auxilio esse posset si non confugiamus ad Dominum?

4. *Locuti sunt verba*] Referenda sunt hæc ad juramenta & ad fœdus initum cum Jeroboam. Ob hanc causam, inquit, *germinabit quasi amaritudinem judicium* Domini, h. d. dabunt

h 2 pœnas

poenas ob ista scelera, & tota provincia erit plena amaritudine.

5. *Propter vitulas*] Videlicet ablatas. Vel *Propter Vitulum*, inquit, quem coluerunt in Bethel, *nullus audebit habitare in Samaria:* tam crudelis depopulatio accidet in provincia illa, *lugebúntque* omnes quòd Vitulum illum relicto Deo coluerunt, *de quo* priùs tantopere *exsultaverunt*. Porrò Vitulus *ille* aureus *dabitur pro munere Regi Assur*, & *Israelitæ* cultores ejus *erunt* propter ipsum *in magna confusione*.

8. *Peccatum Israel*] h. e. Causa peccati Israelitarum.

9. *Ex diebus Gabaa*] Illo tempore quando bellum fuit *in Gabaa* propter uxorem Levitæ constupratam nemo erat qui æmularetur pro gloria Dei, cùm tunc haberetur idolum Micha inter Israelitas: sed *steterunt*, h. e. manserunt, impii quidam, in quorum affectibus vigebat cultus idololatriæ, usque ad tempora Jeroboam; qui cùm publicè se profiteretur idololatram, totum ferè Regnum Israel invenit sibi consentiens. Alii verbum *steterunt* sic exponunt, Steterunt Israelitæ post devictos Benjamitas, & non studuerunt ab initio nascentem exstirpare idololatriam. Alius hunc locum sic exponit, *Graviùs quàm in diebus Gabaa peccavit Israel. Ibi steterunt exercitus ubicunque instructi, nunc verò nemo est qui æmuletur pro gloria Domini.* ¶ *Non comprehendet eos*, &c.] i. Non erit bellum hoc hostium horum, quod ego adducam, simile illi. *Filios* autem *iniquitatis* intelligit Benjamitas.

10. *Propter duas iniquitates suas*] i. Illam veterem, & hanc novam.

11. *Ephraim vitula*] *Vitula docta* arare, *maluit triturare*. Tu, Ephraim, semper fuisti vitula delicata, magis gaudens frui partis quàm acquirere; mavis excutere messem quàm agrum arare & ferre æstus atque labores. Ego à juventute docui te facere bona: at tu solùm vis frui deliciis, & abuti donis meis. ¶ *Super pulcritudinem colli ejus*] Imposito illi jugo meo levi. ¶ *Currum trahere docebo*] Sunt qui per præteritum hæc legant, sic; *Ego quidem imposui tibi jugum non grave, sed quod esset pro bono tuo, & quod ferre posses, agens tecum pro teneritudine tua; & tu, si illud portasses, viveres in pace & securitate frueretísque vineis & agris tuis. Ego quoque feci te equitare, h. e. sublimavi te in Regnum, & permisi ut & Juda juxta te aratoris teneret officium.* Comparat autem Propheta Regem Aratori, quòd sicut arator invertit terram & confringit glebas ejus, atque disponit eam ad fructificandum, ità Rex imposito jugo legis Divinæ disponere debet populum ut fructum legis ferret. ¶ *Confringet sibi*] h. e. Maximo suo commodo.

12. *Ob misericordiam*] Quam scilicet assecuti estis. Alius vertit *metite in pietate*. ¶ *Innovate vobis novale*] Docet semper repurgandam terram cordis nostri à pungentibus spinis & carduis: nam subindè repullulant noxiæ cupiditates, veluti zizania in agro bene culto. ¶ *Cum venerit qui docebit*] Heb. *donec veniat, & doceat*, vel *pluat super vos justitiam*. Promittit enim Christum, quem Paulus dicit *factum esse nobis à Deo justitiam*.

14. *Sicut vastatus est Salmana*] Minatur eis, secundùm exemplum hujus viri, crudelissimum interitum, in quo nullus habeatur respectus sexûs vel ætatis. Quis autem fuerit iste *Salmana* ex Scriptura non constat. Alius sic vertit hunc locum, *juxta devastationem Salman Beth Arbel*, h. e. sicut Salman crudeliter egit cum domo Arbel.

15. *Rex Israel*] Regalis fastus deficiet, sicut aurora esse desinit adveniente Sole.

L. BRUGENSIS.

12. SEminate vobis [o.] *in justitia*, * *metit* [* & o.] *in ore* [*more* o. *honore* o. *horreo* o.] *misericordiæ* [*misericordiam* o.] Quatuordecim Hentenii exemplaria & nostra viginti tria legunt, *Seminate vobis in veritate justitiam*; quod miror unde sit sumptum: non enim credo germanam esse lectionem. Illud, *Seminate vobis in justitia*, quod ferè est in impressis libris, & in scriptis, Lobiensi, O, Q, L, alii͡sque quatuor nostris, Græcæ interpretationi, Hebraico fonti & Hieronymianæ enarrationi conforme est. Græcè & Hebraicè est, σπείρατε ἑαυτοῖς εἰς δικαιοσύνην, זרעו לכם לצדקה *Seminate vobis in justitia*, vel *ad justitiam*. Hieronymi enarratio habet, *Nunc præcipit ut seminent sibi per pænitentiam, & seminent in justitia, i. in lege: metántque in misericordia, i. in gratia Euangelii:* & rursum, *Cúmque seminaveritis in justitia, & messueritis in misericordia*, &c. Hanc Hieronymi enarrationem posteriores secuti sunt, Haymo, Autor Glossæ, Carensis. Parisiensis typographus ex uno codice, Germanii oblongo, emendavit, *Seminate vobis justitiam:* quam non veram lectionem, sed veræ lectionis sensum esse existimo, tametsi ex nostris scriptis unum similiter legat. Exemplar Plantini latum scribit, *Seminate vobis in justitiam*.

14. *Sicut vastatus est Salmana* " à [- 1 MS. H. " *de* o.] *domo ejus* * " *qui* [*Jeroboal* 3 MS. sed malè. " *quia* o.] *vindicavit Baal* [*Bala* o.] Quidam librorum *vindicavit*, quidam *judicavit* [*judicabit* o.] legunt. Parisienses ex codicibus V. B. & Hentenius, expulso *judicavit*, *vindicabit* in textum receperunt. Atqui emendatiora nostra manuscripta *judicavit* habent, Brugense, Lobiense, Leodiense, O, E, Plantini medium, Q, quibus concinunt prima Chalcographorum Biblia, Mogun. Nuren. Colon. His adstipulantur Expositores, Haymo, & qui Haymonem sequuntur, Autor Glossæ & Carensis: quanquam enim *vindicavit* sit scriptum, expositio quæ est *damnavit*, satis indicat legendum *judicavit*, quo modo scripta Glossa quam habemus legit. Apud Richelium, cujus explicatio est *reprobavit atque damnavit*, similiter scriptum est *vindicavit:* verùm is postea adfert textus aliquos habere, *Qui vindicavit Baal*, quod sit in Baal vindictam exercuit: cujusmodi Lyrani est lectio atque explicatio, *Qui vindicavit Baal, i. vindictam accepit de eo.* Hebraicè est בית ארבאל, quod *domum Arbeel*, vel *Arbaal*, significat. Interpres subaudivit præpositionem, *à domo*, & proprii nominis interpretationem dedit. Existimavit autem *Arbaal*, seu *Arbeel*, Gedeonem esse, qui ex eo quòd destruxit fanum Baal lucúmque succidit, & ille se vindicare non potuit, cognomentum *Jerobaal* sortitus est, quod refert Judicum historia Jud. 6. 32. idem enim credidit Interprés significatum nomine *Arbaal* quod *Jerobaal*. *Sicut igitur*, in commentariis ait (non enim dubitamus quin Vulgatæ Prophetarum editionis Hieronymus sit autor) *vastatus est Salmana ab Jerobaal (quem malè quidam arbitrantur Jeroboam filium Nabath, qui decem tribubus præfuit) & vastatus est, ut in Hebræo continetur, ab* ארבאל*, idipsum significante quod & Jerobaal, sed breviori disertiorique sermone; sic*, &c. Verùm huic obstat, quòd *Jerobaal* scribatur penultimâ literâ ע, atque omnino nomen Baal ע habeat, non א, sicut id quod hoc loco est, *Arbaal*. Attamen & LXX, Gedeonem hoc loco intelligentes, *Jerobaal* tanquam idem nomen interpretando substituerunt. Perperàm enim, Græcis plerisque in libris, Ἱεροβοὰμ pro Ἱεροβαὰλ legi, cùm superiora Hieronymi verba tum Theophylacti commentaria docent. Theodoritus etiam locum de Gedeone exponit. Quare Hieronymus & LXX ע penultimâ literâ ארבעל legisse videri possint. Id autem unde Hieronymus, qui Latinam ejus interpretationem dedit, quoad priorem partem deduxerit, an ab ארב, quod est *insidiari*, an ab ארר, quod *maledicere*, an à ריב, quæri potest. Verisimilius est, dum vertit, à ריב deduxisse, unde est ירבעל *Jerobaal:* neque enim ab ἱερὸς *Jerobaal* est dictus, quod Theophylactus putat. Significat autem ריב *litigare*, *judicare*. In libro Judicum cap. 6. v. 31, 32. vertitur *vindicare*, *ulcisci*, *Vindicet se de eo*, *Ulciscatur se de eo*, juxta nostram editionem: quò respexisse putarim Castigatores, qui hìc, *Qui vindicavit Baal*, emendarunt. Sed non satis id Interpretis hoc in loco translationi convenire videtur: quandoquidem non Gedeon vindictam sumpserit de Baal (id enim significatur si legas *vindicavit*) sed Baal irrisus sit quòd se vindicare de Gedeone, aræ lucíque demolitore, nequiverit. Ergò rectiùs legatur, *Qui judicavit Baal*, quod est, condemnavit, infirmum atque impotentem ostendit; nec deum esse, qui se de hoste haud potuerit ulcisci.

DRUSIUS.

1. EVacuans] Vacuum & inanem reddens. Priùs erat *vacua:* sed ex aliis locis paret verbum transitivum esse. Ordo & sensus, *Israel est ut vitis quæ fructum, quem Deus ei ponit, penitus evacuat.* Hanc interpretationem firmant non parùm sequentia. Appellat autem Israelem *vitem*, ut alibi, *Veneam transtulisti ex Ægypto.* ¶ *Ponit*] i. Dat, & *Deus* subintelligitur. Sic *ponere* usurpatur in illo, *Quia posuit mihi semen pro Habel.* Quidam legunt per interrogationem, *an fructum ponet sibi?* q. d. *minime:* aut non sibi, sed idolis, in quibus ornandis & colendis totus est. Sunt etiam qui referant, *Vitis evacuans Israelem.* Sed hoc alienum videtur, nisi postea legas *fructu quem posuit ei.* ¶ *Secundùm*, &c.] Quantò plura beneficia à me acceperunt, tantò plures aras erexerunt. ¶ *Multitudinem*] *Abundantiam.* ¶ *Bonitatem*] *Ubertatem*; quæ est cùm frumentem, vinum & oleum copiosa sunt. ¶ *Adornarunt*] Ad verb. *benefecerunt.* Ità sumitur idem verbum 2 Reg. 9. 30. ותיטב ראשה *ornavit caput suum.*

suum. Hieron. *juxta ubertatem terræ suæ exuberavit statuis.*

2. *Divisit cor eorum*] Sub. *Deus.* Quod Hieron. & Jonathan non malè reddunt *divisum est.* Simile, *reputavit ei pro justitia*, quod Apostolus reddit ἐλογίσθη, i. *reputatum fuit.* ¶ *Nunc*] Brevi. ¶ *Desolabuntur* ἀφανισθήσονται. Aliàs, *rei peragentur.* ¶ *Ipse*] *Deus* videlicet; vel *ipsum*, *cor divisum.* ¶ *Destruet*] יערף propriè est *cervicem amputare*, quod à nomine ערף *cervix* originem ducit, *Decollare.* Translatum ab Hominibus. ¶ *Vastabit*] *Demolietur, evertet.*

3. *Nunc*] Tunc cùm in captivitatem abducentur. ¶ *Non est Rex nobis*] Perinde ac si non esset. Nam is quem habemus non potest nos protegere; quod est officium Regis. ¶ *Quia non timuimus DOMINUM*] Fons omnium malorum quæ nobis accidunt est impietas in Deum & contemptus Divini Numinis. ¶ *Rex quid faciet nobis?* Nihil potest nobis prodesse Rex cùm habeamus Deum adversarium. Vel *pro nobis.* Lamed eâ mente sumitur in illo יהוה לי *DOMINUS pro me.* Fortè hoc dicit, Jam caremus Rege: ademptus enim nobis est ob neglectum cultum Divinum. Sed parùm refert: nam si haberemus Regem, non posset hoc rerum statu nos juvare.

4. *Jurando*] אלות *dejerando, exsecrando.* ¶ *In vanum*] *Falsò, mendaciter.* Posuit autem שוא pro לשוא, ut alibi בטח pro לבטח *securè.* ¶ *Feriendo*] *Plangendo.* Innuit ea fœdera quæ facta fuerunt tuendæ idololatriæ causâ contra purum Dei cultum. Quod accidit cùm X tribus auctore Jeroboamo se à reliquis duabus segregarent. Historia notissima est. *Sicut venenum*] ראש alii *toxicum*, alii *cicutam* interpretantur. Ebræi dicunt esse herbam quandam amaram. Alii venenum ità dictum putant quòd in capite serpentum exstet. Certè ראש *caput* significat. Hic tamen potiùs herbam denotat. Nam sequitur *in sulcis agri.* ¶ *Judicium*] Pœna Divina. ¶ *Agri*] Vel *agrorum:* ut sit שדי pro שדים. Quâ formâ legitur גובי pro גובים *locustæ.* Sed meliùs ut sit nomen singulare. Ad quod exemplum occurrit שדי *omnipotens.* Rei firmandæ est Psal. 96. 12. יעלז שדי *Exsultet ager*, & tollit omnem dubitationem pronomen כו quod ibidem sequitur. Quidam *agrorum meorum*, ac si Joth pronomen esset. Non placet.

5. *Propter vitulas Beth-aven*] Hîc *Vitulas* vocat, & alibi *Vitulos.* Cur hoc? an quia duntaxat simulacra essent, nec sexu distinguerentur? Fortè innuere voluit virium infirmitatem, quæ peculiaris huic sexui. Sic alibi, *Feminæ in medio ejus:* quod ad contemptum pertinet. Jam verò cùm unus tantùm Vitulus esset in Beth-aven, cur dicit *Vitulas*, usus numero Multitudinis? An est Enallage numerorum, qualis Gen. 48. 15? Aut sub nomine *Beth-aven* etiam Dan comprehendit, in quo oppido alter Vitulus colebatur? Quod si damus, nulla erit Enallage: duo enim Vituli erant. Juvat hanc opinionem ipsum nomen BETH-AVEN, quod Latinè sonat ut si dicas *Domus iniquitatis.* AVEN enim est *iniquitas.* Est ubi reperiatur τῇ Βάαλ τῇ δαμάλει, i. *buculæ, juvencæ.* Nec adhuc scio Vituli an Vitulæ formâ cultus fuerit. De Baal magis ambigo: nam diversi ab eo Vituli qui in Dan & Beth-el. Lectio varians τῇ Βάαλ τῇ δυνάμει. Sed pro *Vitulo* innumera loca sunt. Græci quoque hic referunt τῷ μόσχῳ. Fortè dubio sexu erat, aut עגלה etiam *vitulum* denotat. Sic גר & גרה confunduntur. *Beth-aven* per contemptum vocabant Beth-el, vel ab urbe vicina, vel propter cultum ibidem institutum. AVEN enim, auctore Hieronymo, *idolum* interpretatur. Dixi, ab urbe vicina: nam prope Beth-el urbs erat quæ *Beth-aven* dicebatur. Puto Prophetas ad utrumque respexisse. ¶ *Pavebunt*] יגורו *pavebunt.* Sic interpretatur R. D. Atque hinc מגור *pavor.* Idem verbum sign. *congregari, convenire.* Ergò alii referunt *congregabuntur*, nempe cultûs causâ. Vulgò *processiones* vocant. Quod V. Interpres dixit *coluerunt*, & Jon. יפלחו. Sed LXX παροικήσουσι. Nam גור etiam *peregrinari, commorari*, quod παροικεῖν Græci dicunt. ¶ *Habitatores Samariæ*] Novè dixit שכן שמרון, quod est nomen constructum ex שכן. Nam *habitatores* usitatè יושבים dicuntur. שכן magis *vicinum* denotat, ut possis reddere *vicini Samariæ.* Sed Interpretes legerunt *habitatores Samariæ.* Nam שכן *habitavit.* Jam verò cur mentionem faciat *Samariæ* quæri potest. Nam Vituli non colebantur ibi, sed in Dan & Bethel. Et existimo, cùm caput Regni esset, habuisse incolas cultui Vitulorum addictissimos, quos pavor ingens tenuit post excisam Bethelem, cùm viderent nihil ampliùs spei superesse in Vitulis quos tantâ religione coluerant. ¶ *Luxit eum*] *Vitulum* scilicet qui in Beth-aven. Hic locus facit pro iis qui putant Enallagen esse in voce עגלות. ¶ *Populus ejus*] Ità loquendo significat Israelitas, qui tum cultui Vitulorum addicti erant. Quale est, *popule Chamos*, de Moabitis Num. 21. 29. & *populus Dei vivi*, de Judæis fidelibus. ¶ *Camari ejus*] *Camaros* quidam censent fuisse idolorum Sacerdotes seorsim degentes, colore fumido amictos (horret enim iste color vel maximè) unde & nomen. Ab eoque diminutivum *camillus*, i. administer sacrorum. Vide Animadv. l. 1. c. 19. *Camar, camillus*, ut *puer, puellus.* Hodie Judæi *Monachos* כומרים vocant: quæ vox idem denotat; forma tantùm diversa est. ¶ *De eo exsultare soliti*] אשר עליו יגילו *qui de eo exsultare solebant.* Sic Interpretes. Sed videndum an sit ex iis verbis quæ contrariam significationem habent; quale est ברך *benedixit* & *maledixit.* ¶ *Ob gloriam ejus*] Pronomen potest referri vel ad *Vitulum* vel ad ipsum *populum*: Si ad *Vitulum*, per *gloriam ejus* intelligo gloriam cultûs ejus. Si ad *populum*, legi malim *ob gloriam suam*, i. Deum suum, in quo gloriari solitus erat: ut Psal. 106. 20. *Mutarunt gloriam suam in similitudinem bovis:* quod rectè interpretantur *Deum suum*: siquidem is vocatur *gloria Israelitarum*, & *gloria* simpliciter, i. הכבוד, unde ברוך הכבוד הוא, i. *Deus benedictus ipse sit.* ¶ *Migravit*] Vel deportatus, vel eâ gloriâ privatus.

6. *Etiam ipse*] Non populus modò, sed *etiam ipse* Vitulus. אותו autem nunc valet הוא. Vide Gen. 4. 18. & Psal. 72. 19. ¶ *Munus Regi Jareb*] Haut dubiè significat Assyrium. Cur autem eum vocet *Regem Jareb* meritò quæritur. An quia ultionem sumebat de Israelitis? Vetus sanè Interpres post Uzielis F. *Regi ultori* refert. An potiùs Jareb locus erat in Assyria, unde Rex ipse ità nuncupatus sit? Porrò Vitulus ex auro conflatus erat. Aurum istud deportabatur in Assyriam vel ab ipsis Israelitis, vel à militibus Assyriis, qui illud diripuerant. ¶ *Pudor*] בשנה. Thema בוש *puduit.* ¶ *Pudefiet à consilio suo*] *Pudebit ipsum consilii sui* quod ceperat eùm religionem Vitulorum primùm instituerat. Vide 1 Reg. 12. 27. יבוש: compositio verbi partim ex יבש, partim ex בוש, quod in futuro faceret יבוש, Schurec in Holeum verso.

7. *Excisus est Rex Samariæ*] נדמה שמרון מלכה accipio ut si dictum esset מלך שמרון. Verbum è verbo sonat, *Samaria Rex ejus.* Quidam legunt, *Excisa est Samaria, & Rex ejus:* malè. Nam נדמה est participium masc. Vidit etiam qui ante nomen שמרון subaudirent ב, hâc sententiâ, *Excisus est in Samaria Rex ejus.* Qui & *Rex Israel. Samariæ* autem *Rex* dicitur à primaria urbe illius regionis, in qua Reges sedem habebant. Itaque hoc nomine significatur & ipsa regio, ut 2 Reg. 17. 24. *collocavit eos in urbibus Samariæ*, i. Regni Israel. ¶ *Sicut spuma*] Ebræi magis probant *sicut cortex. Corticem* autem in sua lingua קליפה vocant. Idem קצף esse opinantur. Sed קצף potiùs *spuma* aut *bulla*, i. tumor ille in aqua momento temporis enascens simul & evanescens. Quò pertinet interpretamentum Chaldaicum רתחא, item Symmachi ἐπίζεμα. Id significat, auctore Hieronymo, *ollæ ferventis superiores aquas, & in spumam bullásque surgentes; quas Græci πομφόλυγας vocant.* A Luciano dicuntur φυσαλλίδες, ἀφ' ὧν, inquit, συναγείρεται ὁ ἀφρός. Ergò spuma ex bullis: primùm bullæ, deinde spuma. Utramque non malè קצף appelles. Nomen hoc à *bulliendo*, quod est קצף. *Fervere* alii dicunt. Propriè igitur קצף *ebullitio*, cujus effectum est bulla, itémque spuma.

8. *Excelsa Aven*] Græci, βωμοὶ Ὢν. Hic duo notanda; primùm *On* pro *Aven*, quod perpetuum in his libris; deinde במות *ara.* Alii *excelsa* interpretantur: Qui sensus est in nomine *altaris:* nam ab *alto* dictum. Ergò במה *altare:* hinc βωμός. Quis jam dubitet de origine vocis Græcæ? ut inepti planè sint qui ἀπὸ τῦ βαίνω derivant. *Aven* pro *Beth-aven.* Quod indicat Jonathan, referens *excelsa Bethel.* Nam idem dicit aliis verbis. Alibi *Aven* est civitas Ægypti, quæ & *On*, unde *Onium*; *Heliopolis* vulgò. ¶ *Peccatum Israel*] Excelsa vocantur *peccatum Israel*, quia in iis peccabat idolis sacrificando. *Peccare* autem strictissimâ significatione est Idololatriæ deditum esse: unde *peccatum* vocatur ipsa Idololatria. Hinc etiam illud, *peccare fecit Israel*, de Jeroboam filio Nabat, qui primus Vitulos fabricavit. ¶ *Spina*, &c.] Argumentum vastitatis & destructionis, ut 9. 6. *spina in tentoriis eorum.* Nam in locis incultis & inhabitatis proveniunt ut plurimùm spinæ, tribuli, cardui, lappæ, & aliæ pestes hujusmodi. Olim erat *lappa.* ¶ *Tribulus*] Alii *carduum* reddunt. In Genesi magno דרדר pro קרדום. Quid קרדום? Nathan Justus interpretatur קרדון, i. *Carduus.* In eodem Genesi קוץ רז עבכירה R. Hai, referente Camio, עבכירה *est foris Spina, & intus continet fructum, qui esui est, vocatúrque* עירער. Vide Jer. 17. 6. Nathan, is quem modò nominavi, יש לומר עבביות בלעו רונ׳. Appellatio à *retinendo.* Gallicè *ronce, rubus, sentis.* Seu ἄλις δρυός. ¶ *Tegite nos*] Vox eorum qui malis oppressi mortem sibi optant. Nam ut felici amara est, ità calamitoso & misero suavis videtur. Repetuntur hæc verba Luc. 23. & Apoc. 6.

9. *A diebus Gabaa*, &c.] Cùm Othoniel Iſraclitas judicaret, accidit ut filii Benjamin fœdè ſtuprarent concubinam cujuſdam Levitæ. Atque ipſa quidem ex ſtupro mortua eſt: Levita autem in partes eam diſcidit: quas miſit ad reliquas tribus. Unde bellum ortum, in quo aliquoties victæ fuerunt tribus, vincentibus Benjamitis. Eodem tempore viguit idolum Michæ: ut credibile ſit propter idololatriam eas clades ipſos accepiſſe. Quod hìc innuere videtur Prophetes. Sunt qui referant, *quàm diebus Gabaa*, hâc mente, *Magis nunc peccaſti quàm illo tempore:* q.d. Peccata veſtra, ſi cum Benjamitarum peccatis comparentur, multò graviora ſunt. Prius verius meo animo. ¶ *Peccaſti*] Idololatriam commiſiſti, idola coluiſti. ¶ *Ibi*] Gabaæ. ¶ *Steterunt*] Pugnarunt. Quod Græci dicunt παρ' ἀσπίδα ςῆναι, & Latini *ſub armis cernere*. Ennius ità locutus eſt. Vide Obſerv. l. 11. c. 7. ¶ *Non aſſecutum eſt eos prælium*] Videtur hoc velle, *Non aſſecuti ſunt filios iniquitatis in prælio* quod Benjamitis fecerunt. Nam initio victi fuerunt aliquoties, ut dictum eſt. ¶ *Contra filios iniquitatis*] Contra iniquos Benjamitas, qui enorme illud flagitium commiſerant. Summa eſt, Quia falſos deos colebant, ideo non potuerunt vincere ſceleratos illos: Quos tamen tandem devicerunt. Iſto modo loquendi uſus eſt Varro noſter cùm *filios inconſtantiæ* diceret pro eo quod eſt *inconſtantes*. Porrò *iniquitas* hìc loci עלוה dicitur, quod literis inverſis eſſet עולה *pravitas, nequitia, perverſitas.*

10. *In deſiderio meo ut caſtigem eos*] *Tenet me deſiderium caſtigandi eos.* Nam improbitas eorum ad ſummum pervenit. Quidam ediderunt, *Pro deſiderio meo corripiam eos.* Cui interpretationi reclamat litera Vau in וְאֶסֳּרֵם, quam nunc per ἵνα reddimus. Malim, *pro libidine mea.* Ipſum autem verbum interpretati ſumus ut ſi eſſet אֶיַסְּרֵם *caſtigabo eos.* Quod in Kal faceret אֶיְסְרֵם vel אֶסְרֵם, unde ἀναμφίλογ fit אֶסֳּרֵם. Primùm (·) mutavit in (ֶ,) quam Dages ſubſequitur ex natura parvarum vocalium; deinde in locum Scheva, ut fit, ſucceſſit Cateph Camets, quod compoſitum ex Scheva & Camets. Poſſes etiam legere, *In deſiderio meo ut vinciam eos:* ac cum Thema eſt אסר *vincio*, quod in futuro facit אֶאֱסֹר, & contractiore formâ אֶסֹר: unde אֶסְּרֵם *vinciam eos.* Contractio fit, nè iteratò ſcribatur eadem litera. Ergò duorum Aleph alterum in Dages commutatum. ¶ *Et*] *Ideo, itaque, proinde. Quia volo punire eos, ideo congregabuntur adverſum eos populi:* q. d. non caſu aut fortuitò hoc fiet. ¶ *Populi*] Aſſyrii & Babylonii. ¶ *Poſtquam caſtigavero eos*] באסרם melius redditur *cùm vincient eos*, vel *poſtquam ligavero eos.* Nam thema eſt אסר *vincio*, non יסר *caſtigo*, niſi dicamus etiam אסר valere *corripio*, *caſtigo*, idem videlicet quod יסר. ¶ *Propter duas iniquitates ipſorum*] i. עֲוֺנֹתָם quomodo legiſſe mihi videntur Græci & Hieronymus. Et certè cùm notæ vocalium abſunt, tam poteſt legi hoc modo quàm alio. In ſcriptura tamen eſt Joth, non Vau: quod leges עֵינֹתָם. Id ſign. *fontes eorum.* Sed hìc reddunt *oculos eorum. Cùm ligavero eos cum duobus oculis ipſorum.* Et innui putant duos Vitulos, quos tanquam oculos ſuos amabant. Cæterùm Oculo nihil charius: Quocirca eo nomine afficimus rem quamlibet chariſſimam. Quin amatores etiam amicas ſuas ità vocant. Unde & *oculitus aliquem amare.* Sed Critici Ebræorum nos admonent de alia lectione, quæ expreſſâ in margine codicum עונתם: Quam etiam Jonathan ſecutus eſt, referens עונתם. Scholia Ebraica explicant *ad duos ſulcos ipſorum.* Horum opinione ענה eſt *ſulcus.* Alibi hâc formâ non reperitur. Eſt tamen ei cognatum מענית pro *ſulco* Pſal. 129. 3. Secundùm hanc lectionem non poteſt ſignificare *iniquitatem*, quæ עון dicitur, παρὰ τὸ עוה, ubi Holem indicat literam He ultimam radicis, ac proinde Vau non poteſt quieſcere. Sanè per unam vocalem duæ literæ abſentes nunquam indicantur. Hoc mecum ſciunt qui Grammaticam ſciunt. Tremellius hanc interpretationem probavit cùm Hoſeam commentario illuſtraret: poſtea videtur in aliam iviſſe: nam in Tranſlatione ſua poſuit *in duabus habitationibus ipſorum.* Id quod Ebræa, hâc quidem formâ, nunquam ſignificat. Nam *habitatio* non ענה dicitur, ſed מענה, unde pluralis מענות Job. 37. *Ad duos ſulcos ipſorum.* Senſus eſt, quemque ad ſulcum ſuum. Sumptum ab Agricultura. Nam vitulis & bobus olim arabant. Melius *inter duos ſulcos.* Quam interpretationem firmant oppidò ſequentia, ubi *Ephraimum* comparat cum *vitula docta arare*, quæ aratro alligata inter duos ſulcos porcam ducit. Dicit autem *duos ſulcos* propter Judam & Iſraelem. Nam tribus eo tempore in duas partes ſciſſæ ac diviſæ erant.

11. *Vitula*] *Bucula, juvenca*, δάμαλις. ¶ *Edocta*] Docta arare. Nam etiam buculis arabant antiqui. Ex quo illud, *Niſi araviſſetis vitulâ meâ.* ¶ *Amans*] אֹהַבְתִּי paragogen habet Joth, quo ſine אֹהַבְתְּ ſcriberetur. Simile גנבתי *furto ablatum* Gen. 31. 39. ¶ *Triturare*] Non arare. Nam illud levius. Quanquam arare docta, tamen non libenter arat: mavult triturare. Suprà 4. 16. *ut juvenca refractaria.* Nunc *vitulam* vocat quia in adoleſcentia Deus illam aſſuefecerat ad arationem, h.e. ad bona opera. Nam per *arationem* & *ſationem* ipſa opera ſignificantur. Sic dico, Fructum operis vult percipere ſine opere. Nam *triturare* & *metere* eſt Fructum reportare factis dignum. ¶ *Tranſivi ſuper præſtantiam colli ejus*] Cùm eſſet collo pingui, non habui eam propterea duriùs aut inclementiùs, ſed *tranſivi ſuper eum*, h.e. indulſi ei licèt arare nollet. *Tranſire* pro *non punire* notatum Obſerv. l. 16. c. 11. ¶ *Equitare faciam Ephraimum*] *Equum* ei tribuit propter Regiam familiam, quæ ex ea tribu. Porrò equis vehebantur ad opera ruſtica. ארכיב *faciam ut equitet.* Quidam, *faciam ut currum trahat.* Nam רֶכֶב *currus, la charre.* Ut ab EQUO *equito*, ſic à *curru* factum putant רכב; rectè an ſecùs, videbo cùm otium erit. ¶ *Arabit Juda*] Quod Ephraim noluit facere. ¶ *Occabit*] *Comminuet glebas:* quod fit poſt arationem. Græci dicunt βωλοκοπεῖν. שדד hoc ſenſu obviam Job. 19. 15. M. Varro, *Arare, & poſtea occare*, i. comminuere, *ne ſit gleba.* ¶ *Sibi*] Videtur abundare.

12. *Seminate vobis*] Hortatur eos ad pœnitentiam, quæ duabus potiſſimùm rebus conſtat, Agnitione culpæ, & Emendatione vitæ in melius. ¶ *Ad juſtitiam*] i. Largiter, copiosè. ¶ *Et metite*] Vel *metetis.* Simile, *Hoc fac, & vive*, i. vives. ¶ *Ad benignitatem*] h. e. Benignè ac pleniore menſurâ quàm ſeminaſtis. Hoc membro fructum operis, vel qui ex opere, innuit: nam *ſerere* eſt Facere. ¶ *Novate vobis novale*] Ità Hieronymus quod Santes nimis temere interpolavit: nam vertit, *arate vobis arationem.* Sed ניר vetuſtâ interpretatione *novalis*, i. νέωμα. ¶ *Et doceat*] *Qui doceat. Et* pro *qui* ſolens Ebraiſmus. Circumloquitur autem Meſſiam, qui *Doctor juſtitiæ* vocatur. Poſſet etiam accipi de Spiritu S. Nam legimus neſcio ubi, *donec veniat Paracletus, qui docebit vos omnem juſtitiam.* Pro *& doceat* quidam legunt *& pluat.* Donec veniat, inquit, qui vobis pluviam copioſam largiatur. Notum ut *pluviæ* nomine ſignificetur Doctrina. Vide etiam qui referrent, *ut ſit vobis pluvia matura juſtitiæ. Pluvia juſtitiæ*, i. larga. Ut alibi *Sol juſtitiæ*, qui benignè impartit lumen ſuum. Sed tum יורה, meo judicio, per (ֶ) ſcriberetur. Alioqui non nego hâc voce *imbrem maturum* ſignificari.

13. *Araſtis improbitatem*] Contrà ac vobis præceperam, inquiens, *Seminate ad juſtitiam.* Ut Latini *ſerere fallaciam*, ità Ebræi dicunt *arare mendacium, malum, improbitatem.* Adi Obſerv. meas l. 1. c. 12. ¶ *Iniquitatem meſſuiſtis*] Dignum factis præmium reportaſtis. Pro ſemente meſſis. *Comediſtis fructum mendacii*] Vult dicere, Dolis ac mendaciis uſi eſtis. Nam *panis mendacii* ponitur pro *mendacio* ipſo. Sic *comedere panem pigritiæ* valet Pigrum eſſe. Aliter exponas, Fefellit vos exſpectatio fructûs quem indè ſperabitis: nullum enim reportaſtis; aut ſi reportaſtis aliquem, fallax ac vanus fuit. Ut *mendax fundus* qui fallit ſpem agricultorum. Ut alibi, *mentietur opus olivæ:* & in hoc ipſo libro, *muſtum mentietur ei*, pro *fruſtrabitur eum ſpe & exſpectatione ſuâ.* Sic *fructum mendacii* appellat qui non alit veſcentem eo. ¶ *Viâ tuâ*] בדרכך *in via tua*, h.e. in actionibus tuis: q. d. Non fuiſti confiſus in Deo. Aut *in via tua*, in religione tua. *Viam* enim uſurpant & pro *cultu.* Unde in Actis *via* vocatur ipſe Chriſtianiſmus; & *via Domini* nihil eſt aliud quàm Religio. ¶ *Fortium*] Militum.

14. *Tumultus*] Bellum. ¶ *Omnes munitiones tuæ vaſtabuntur*] Vel potiùs, *unaquæque munitionum tuarum vaſtabitur.* Nam eſt verbum ſingulare in Ebræo. ¶ *Sicut vaſtavit Salman Beth-arbel*] Ad verb. *ſecundùm vaſtationem Salman Beth-arbel.* Simile, *ſecundùm everſionem Dei Sodomam*, quod explicant & rectè explicant, *ſicut evertit Sodomam.* Non ovum ovo ſimilius. *Salman* nomen viri cujuſdam potentis illo ævo, quem multi eundem faciunt cum *Salmanaſſer:* ſed an rectè? Aben-Ezra dubiè hoc notavit: Kimchi diſſentit. Qui ſecuti ſunt non dubitarunt affirmare. Quod ſine teſte affirmatur, eodem modo negari poteſt. *Beth-arbel* nomen loci. *Arbelam* vulgò innui putant quam Darius clade ſuâ nobilitavit. Sed ſi hoc eſt, cur dicit *Beth-arbel?* Ut *El* & *Beth-el* diverſa ſunt, ſic, meo judicio, differunt *Arbel* & *Beth-arbel.* Tamen ἐπέχω. Fortè *Arbel* proprium viri, ut legas *domum Arbeli.* ¶ *Ad filios*] Vel *cum filiis.* Vide Gen. 32. 11. ¶ *Alliſa fuit*] *Terra* ſive *ſolo:* quæ propria ſignificatio verbi רטש. Uſus eſt eo ſenſu infrà 13. 16. Alibi eſt, *Beatus qui allidet ad petram filios tuos.* Hic eſt נפץ in Ebræo: utrobique autem ἐδαφίζειν in ed. Græca: quod tamen magis priori verbo convenit; nam ἔδαφος *ſolum, pavimentum.*

15. *Sic*

15. *Sic fecit vobis*] In causa fuit cur hæc vobis acciderunt. Vel est præt. pro fut. *Sic faciet vobis*, sub. *Deus.* Hoc postremum se mihi non planè improbat. ¶ *Beth-el*] Vitulus Beth-el, sive, quod idem, idololatria ibidem exercita. Aut, *Sic faciet vobis Deus, ô Beth-el.* ¶ *Propter malitiam malitiæ vestra*] *Malitiam* voco quam Græci κακίαν dicunt, haud nescius aliud significare Latinis. Sed Interpretes ità usurpant. Cicero *vitiositatem* appellare maluit. *Malitia malitiæ* ut *Canticum canticorum*, id valet malitia summa vel pessima. Innuit autem cultum Vitulorum. Siquidem extremum malorum omnium est Idololatria. ¶ *Aurorâ*, &c.] i. Repentè, subitò: nam Aurora repentè oritur. Cognatum est Pf. 30. 5. *Manè adest cantus.* Læta enim tristibus statim succedunt. Quocirca nemo debet nimiùm contristari si in calamitates inciderit. Aliter exponas, *Excisus est aurorâ*, i. post noctem calamitatum: nam Aurora immediatè noctem subsequitur. Aut in principio Regni sui: nam Aurora principium diei. Sanè vinctus fuit anno sexto, & nono capta Samaria. Simul X tribus in exsilium actæ. בשחר per Beth editio Veneta secunda, item Antverpiensis ea quæ in folio complicat. Nec aliter legerunt Græci, qui vertunt ὄρθρε. Sed exemplar quoddam Stephani habebat כשחר per Chaph: quam lectionem secutus Hieronymus vertit *sicut manè.* Potest sensus esse, *sicut aurora*, tam verè quàm aurora est. Sic alibi, *sicut dies.* ¶ *Excisus est, excisus est*] Penitus excisus est. Ad verb. *excidendo excisus est.* Nos sensum expressimus. Sic alibi, *Videndo vidi.* Latinè, *Vidi, vidi.* More denique Prophetico usurpat præt. pro futuro. ¶ *Rex Israel*] Hoseas filius Elæ.

IDEM.

1. Ἐ Τκληματῦσα] Sic editiones Rom. & Compl. In cæteris est ἐγκληματῦσα quod in idem recidit; nam ἐγκληματῦσθαι est *sarmentis silvescere.* Interpres antiquus, *vitis frondosa.* Hieron. *bonas habens propagines & flagella fructifera.* ¶ Εὐθηνῶν αὐτῆς] Editiones ad E. C. αὐτῆς εὐθηνῶν. In hac lectione videtur pronomen αὐτῆς ad præcedentem vocem καρπὸς pertinere, ut dicat *fructus ejus abundans*, nempe *vitis.* Interpres V. *fructus abundans in ea*, ἐν αὐτῇ ¶ Καρπῶν αὐτῆς] Videlicet ἀμπέλε. Alii αὐτῦ, quod ad *Israelem* referendum. E. C. αὐτῶν, & Interpres V. *fructuum suorum.* ¶ Γῆς αὐτῦ] Idem exemplar γῆς αὐτῶν. ¶ Στήλας] Hieron. *Pro simulacris Lxx verterunt* στήλας, *quæ nos* statuas *vel* titulos *appellamus, qui propriè Dæmonum sunt aut hominum mortuorum.* Ebraicè מצבות, παρὰ τὸ נצב, unde & נציב, ut Gen. 19. 26. נציב מלח Lxx στήλη ἁλός. Gloss. Philonis, NASIB, *Titulus, vel Status.* Hinc *Nisibis* dicta, civitas ad Tigrim sita, quæ & *Nasebis* & *Nesebis.* Philo ἐν Φοινικικοῖς, teste Stephano, τὰς στήλας interpretatur. Uranius verò ait significare λίθες συγκειμένες, συμφορητές.

3. Ὁ δὲ βασιλεὺς] Minùs rectè in C. ὅτι βασιλεύς. Nam & in Hieron. *Rex autem.*

4. Ὡς ἄγρωςις] Interpres V. *sicut gramen.* Hieron. *Orietur vobis amaritudo, sive* ἄγρωςις, *quam Latinè in* gramen *vertimus. Est enim genus herbæ calamo simile, quæ per singula genicula fruticem sursum & radicem mittit deorsum; rursusque ipsi frutices & virgulta alterius herbæ seminaria sunt. Atque ità in brevi tempore, si non imis radicibus effodiatur, totos agros veprium similes facit.* Cæterum in Ebræo est ראש, quod alibi aliter exponunt. Amos 6. 13. לראש εἰς θυμόν. Jer. 9. 15. מי ראש ὕδωρ χολῆς, & 23. 15. ὕδωρ πικρόν. ¶ Ἐπὶ χέρσον ἀγρῦ] In Plantini, ἐπὶ ἐρήμε ἀγρῦ. Hîc variant exemplaria: paulò pòst 12. 11. in eadem voce mirè consentiunt.

5. Τῷ μόσχῳ] Alibi παρὰ τῷ μόσχῳ, ut in Hieron. *apud vitulum.* Talis lectio & in C. ¶ Οἴκε Ὢν] In Basileensi ea quæ in 8 folium complicat, itèmque in Aldi & Cephalæi, οἴκε ὢν ἀδικίας. Quis non videt duas interpretationes coaluisse? Suprà cap. 5. pro ἀδικίας ὢν, quod in nonnullis exempl. admonuimus legendum esse ἀδικίας Ὢν cujus sententiæ me nondum pœnitet: quin hic locus planè me in ea confirmat. ON, inquit Hieron. *sonat Laborem.* Alibi *idolum* interpretatur, Aquilam secutus. Consule Fragmenta Interpretum V. ¶ Καθὼς παρεπίκραναν αὐτὸν] כמרו עליו, aut ut חמרו dicimus, sic fortè legerunt ימרו. Sed מרה sign. *rebellare*, non *irritare*, quod potiùs המרה dicitur. Meliùs ergò alii כמריו ἱεροφάνται αὐτῶν. Pro καὶ καθὼς in C. habetur καθότι. ¶ Ἐπιχαρῦντι] Aliàs ἐπιχαιρῦντι. ¶ Μετῳκίσθη] Biblia Regia ἀπῳκίσθη.

6. Δήσαντες] Glossema est minimè necessarium. ¶ Ἰαρείμ] Ex editis ad E. C. legendum Ἰαρίβ sive Ἰαρείβ: qua de re vos antea monui: non repeto. Ostendi etiam fontem hujus erroris. Vide, si placet. ¶ Ἐν δόματι Ἐφραὶμ δέξεται] Quædam exempl. addunt αἰσχύνην quod mihi non displicet: ut sensus sit, ἐν δόματι *propter munus* Ἐφραὶμ δέξεται αἰσχύνην, *Ephraim accipiet pudorem*, i. pudore afficietur, nempe quia munera detulit ad Regem Jareb. Ἐν δόματι *propter munus*, purus putus Ebraismus. Sic legimus in hoc ipso Propheta, *servivit in Rachel* ברחל, i. ob Rachel. Interpres V. refert ἐν δόματι ad præcedentia, quod interpretatur *in domo.* Idem legit αἰσχύνην: nam vertit, *Ephraim suscipiet confusionem.* Sunt qui ἐν δόματι & αἰσχύνην putant esse duas interpretationes diversas. Alii arbitrantur ἐν δόματι delendum, ut germanum glossema. Nam in Ebræo, αἰσχύνην Ἐφραὶμ δέξεται.

7. Ἀπέῤῥιψε] Biblia Regia ἀπέβαλε. In utraque lectione agnosco נרמה pro נדמה, h. e. Resch pro Daleth. Vide Abd. 6. ¶ Ὡς φρύγανον] Sic etiam Theodotio. Interpres V. *sicut cremium.* ¶ Ἐπὶ προσώπε] Legitur & ἐπὶ πρόσωπον.

8. Βωμοὶ Ὢν] Et hîc reperi βωμοὶ Ὢν ἀδικίας in tribus editionibus. Sunt autem A. B. & Cephalæi. Vide quæ scripsimus ad v. 5.

9. Ἀφ' ὗ οἱ βενοὶ] *Ex quo colles fuerunt*, i. semper. Sed hoc non vult Prophetes. Quid igitur? Interpretantur alii ex Ebræo *à diebus Gabaa.* Vide Lectiones meas. GABAA *collem* significat, i. βενόν. unde οἱ βενοί, ac si nomen appellativum esset. Sic suprà 5. 8. vertunt *in Gabaa* ἐπὶ τὲς βενές. Vide quæ notavimus ad illum locum. ¶ Ἐκεῖ ἔςησαν] Lectio diversa quæ in C. ἐκεῖ ἔςη. Interpres V. *ibi steterunt.* ¶ Ἐν τῷ βενῷ] Alii, ἐπὶ τῷ βενῷ, i. *in Gabaa.* Nam בגבעה βενὸς id olim legebant *Gabaa.* Glossarius Philonis, GABAA, *collis.* Josephus Orig. Jud. l. 6. c. 10. GABAA *nomen, si interpreteris, significat Collem*, i. βενόν. Βενὸς igitur hîc est nomen loci, ut alibi Σιαγὼν, i. *Maxilla.* ¶ Πόλεμος] In codice Antverp. ponitur post nomen τελεία ςιγμή: pertinetque ad verbum καταλάβη. Alii codices punctum ponunt ante πόλεμος, in queis & Rom. ed. Libri Basileæ cusi, πόλεμος ἐπὶ τὰ τέκνα ἀδικίας ἦλθε. Fortè ἦλθεν ex corrupta quapiam versione quæ באתי legit pro באתי. Nihil decerno.

10. Παιδεῦσαι αὐτὲς] Alibi τῦ παιδεύσειν αὐτές. Sequitur in plerisque cod. κατὰ τὴν ἐπιθυμίαν με· quod deberet potiùs præcedere. Nam est verum interpretamentum τῦ באותי, nisi quòd videantur legisse Caph loco Beth In Hier. *Venit ut corrumperet eos.* Divino legendum *ut corriperet eos.* ¶ Ἐν τῷ παιδεύεσθαι αὐτὲς] באסרם vertunt ac si esset à יסר παιδεύω, cùm sit ab אסר δεσμεύω, *vincio.* ¶ Ἀδικίας αὐτῶν] Quin legerint עונתם nullus dubito. Nam עינותם magis denotat ἄυλαξιν αὐτῶν, i. *sulcis ipsorum.*

11. Νεῖκος] לדוש alibi reddunt verbo ἀλοῆσαι, ut Deut. 25. 4. לא תחסום שור בדישו ὐ Φιμώσεις βῦν ἀλοῶντα. Jes. 41. 15. תדוש הרים, ἀλοήσεις ὄρη. Cæterùm pro νεῖκος in A. & B. νῖκος legitur. ¶ Ἐπιβιεῦ] Ἐπιβιβάζω. In editis ad C. malè ἐπιθήσω vertunt *prateribo.* Interpres V. *supponam.* Παρασιωπήσομαι] Alibi, videlicet in C. καὶ παρασιωπήσομαι, i. יחריש, figurâ quæ Enallage dicitur: aut lege παρασιωπήσεται. Sed nihil mutandum contra codicum fidem. Interpres V. *reticebo Judam.* ¶ Ἐνισχύσει] ישדד: quod nunc reddunt *occabit, glebas confringet.* Acceperunt in significatione שדי, quo significatur ὁ πάντα ἰσχύων. Sanè huc respexisse Interpretes valde credibile est.

12. Εἰς καρπὸν ζωῆς] Ed. C. καρπὸν ζωῆς, i. פרי חיים. Quis credat eos ità legisse? Interpres V. *Vindemiate fructum vitæ.* ¶ Φωτίσατε ἑαυτοῖς φῶς] ניר potiùs νέωμα, i *ager novalis.* Sed reddunt Jer. 4. 3. נירו לכם ניר νεώσατε ἑαυτοῖς νεώματα. Cur hic aliter reddunt? ניר etiam λύχνος, i. *lucerna*: & in lingua Chaldæorum נור *ignis*: quam significationem nunc sequuntur Interpretes. ¶ Γνώσεως] Hanc vocem, ut cum Sallustio loquar, suspicio ab iis esse qui viderunt דעת pro עת, Daleth videlicet pro ו. In quibusdam exempl. sequitur ὡς ἔτι καιρός. Int. V. videtur legisse ὅτι καιρός nam vertit *quoniam est tempus.* ¶ Γενήματα δικαιοσύνης] Int. V. *fruges justitiæ.* Veritas Ebraica καὶ ὑετὸς δικαιοσύνης. Propriè יורה ὑετὸς πρώϊμος. γέννημα verò, i. תבואה aut יבול, vitibus, stirpibus, vel etiam segetibus magis convenit, ut Hab. 3. 17. & Exod. 23.

13. Ἵνα τί] Alibi est τί duntaxat. ¶ Παρεσιωπήσατε] חרש non tam *silere* sign. quàm *obsurdescere*] idque absolutè. Hic valet *facere*, ex metaphora Arandi: siquidem *arare* dicitur *improbitatem* qui facit. ¶ Ἀσέβειαν] Ed. C. ἀσεβείας. ¶ Ἀδικίας αὐτῆς] Error legentium עולתה pro eo quod nunc legunt עלתה ἀδικίας ¶ Ἐν τοῖς ἁμαρτήμασί σε] Sic ed. Rom. In aliis est ἐν τοῖς ἅρμασί σε, & apud Hier. *in curribus tuis.* Veritas Ebr. *in via tua*, ἐν τῇ ὁδῷ σε. ¶ Δυνάμεώς σε] An legerunt בגבורך? Vox quæ nunc in fonte magis denotat ςρατιωτῶν σε, vel μαχητῶν σε. Hoc modo reddunt Joel. 2. 7. כגבורים

ὡς μαχηταί. Alibi, videlicet Joel. 3. 11. גבור πολεμιςής, i. *bellator*. Aut δυνάμεώς σȣ, i. *exercitus tui*: quod idem cum illo τῶν μαχητῶν σȣ. Satis notum ut δύναμις ponatur pro *exercitu* & *copiis militaribus*.

14. Ὡς ἄρχων] כשד. Hodie legunt כשד, quod redditur Joel. 1. 15. ὡς ταλαιπωρία. ¶ Σαλαμὰν] Sic est in R. minùs rectè in aliis Σαλαμά. Apud Eusebium Ἀποδείξ. lib. 9. pag. 265. legitur quoque Σαλαμάν. Codex verò Compl. Σαλμανὰ habet. ¶ Τȣ̃ Ἱεροβοὰμ] Pro Ἱεροβοὰμ videtur reponendum Ἱεροβάαλ. Est enim *Jerobaal*, teste Hieronymo, idipsum quod *Arbel*.

15. Οἶκος τȣ̃ Ἰσραὴλ] Ex Ebræo leg. οἶκος τȣ̃ Ἤλ. Nam innuit locum qui usitatè *Bethel* vocatur; id nomen sonat Οἶκος Θεȣ̃. Error natus, ut conjicio, ex more in epitoma scribendi Ἰῆλ pro Ἰσραήλ. In Eusebio lectum οἶκος Ἰσραὴλ absque articulo, ut suprà οἶκος Ἱεροβοάμ. Sic alibi variant in Βεελφεγὼρ & τȣ̃ Βεελφεγώρ. Quod ideo noto quia Ebræi nominibus propriis non præponunt articulum. ¶ Ἀπὸ προσώπȣ ἀδικίας κακιῶν ὑμῶν] Mirè hic variant exemplaria. In quibusdam ἀπὸ προσώπȣ κακιῶν ὑμῶν, in aliis ἀπὸ προσώπȣ κακῶν ὑμῶν, apud Eusebium ἀπὸ προσώπȣ τῶν ἀδικιῶν ὑμῶν.

I D E M.

1. בוקק. Aq. ἔνυδρος, Sym. ὑλομανȣ̃σα] Hier. *Pro* vite frondosa *Aq. interpretatus est* ἔνυδρον, *quam nos* aquosam *vel* ἔξοινον *possumus dicere, eò quòd vini perdat saporem. Sym.* ὑλομανȣ̃σαν, *quæ tota in frondibus creverit.* Ὑλομανȣ̃σα, *frondibus ac sarmentis luxurians. Vites*, inquit idem quem modò nominavi Hieronymus, *quæ putatæ à vinitore non fuerint, in flagella frondésque luxuriant, & humorem quem debuerant in vinta mutare, variâ frondium & foliorum ambitione disperdunt. Istiusmodi vitis damnosa est agricolis.*

6. ירב. Sym. ὑπερμάχοντι] In Comment. Hier. *Pro* Jarib *in præsenti loco Sym. interpretatus est* ὑπερμάχοντι, *i.* præsuli & defensori. In ed. Rom. ὑπερμαχȣ̃ντι, quod germanum esse puto. Nam dicimus ὑπερμαχέω *propugno*, unde ὑπερμαχȣ̃ντι *propugnatori, defensori*. Reperitur etiam eâdem significatione ὑπερμάχομαι unde esset ὑπερμαχομένω, non ὑπερμάχοντι.

7. קצף. Sym. ἐπίζεμα. Th. Φρύγανον] Hier. *Pro* spuma *Lxx & Th.* Φρύγανον, *i.* cremium, *transtulerunt, aridas scilicet herbas siccáque virgulta quæ camino & incendio præparantur. Sym. posuit* ἐπίζεμα, *volens ostendere ferventis ollæ superiores aquas & in spumam bullásque assurgentes: quas Græci* πομφόλυγας *vocant.* In vulgatis Lexicis, Ἐπίζεμα, *infervefactio*. Addit Stephanus in Thesauro, *Sed si terminationis ratio habeatur, & alia hujusmodi verbalia in ejus significatione sequamur, de re infervefacta dici potiùs existimabimus.*

I D E M in V U L G.

1. **V**Itis *frondosa*] ex Græco εὐκληματȣ̃σα. Jonathan & alii *vitis vacua*. Nobilissimus vir Ph. M. vertendum censebat *vitis evacuat Israëlem*: quam interpretationem posuimus in observationibus nostris lib. 10. cap. 25. videlicet. ¶ *Fructus adæquatus est ei*] Alii, *fructum ponet ei*. Et est sensus, Deus dat ei ut fructum ferat. *Ponere* pro dare ut in illo, *posuit mihi Deus semen pro Habel*. ¶ *Exuberavit simulacris*, vel adornant statuas.

2. *Depopulabitur*] Diruet, vastabit.

4. *Visionis inutilis*] Quid vidit interpres ut ità verteret? Græcus habet προφάσεις ψευδεῖς. Puto veriùs, *jurando vanè*, ità Jonathan edidit. ¶ *Quasi amaritudo*] Alius interpres, *tanquam venenum*: alius, *tanquam toxicum*. Jonathan, *ut capita serpentium*, idem dicit. Nam capita ea venenum continent.

5. *Vaccas Beth-aven coluerunt*] Verior tralatio, *ob vaccas Beth-aven pavient*: vel, si placet, *coeunt*. ¶ *Æditui ejus*] Vel, sacerdotes ejus.

6. *Regi ultori*] id est, Jareb. Nomen proprium loci an Regis? appellatio à litigando, vel, ut alii, ab ulciscendo. ¶ *In voluntate sua*] repone audacter, *à consilio suo*.

7. *Transire fecit*] Magis probarem si vertisset, *tacere fecit*. Sed melius videtur, *Excisus fuit in Samaria rex ejus*. Sic Ebræi enarrant.

8. *Excelsa idoli*] Interpretatur A V E N *idoli*. Suprà *Beth-aven*, domus idoli. Porrò sciendum *Aven* positum esse hoc in loco pro *Beth-aven*. Rectéque Jonathan *Excelsa Beth-el*. Nam scilicet *Beth el* & *Beth-aven* idem esse.

9. *Peccavit*] Non *peccavit* legitur in Ebræo: sed *peccasti*. ¶ *Super filios*] Contra filios. Et est Ebraicâ Phrasi dictum *filius iniquitatis* pro iniquo.

10. *Juxta desiderium meum corripiam eos*] In Ebræo est, *In desiderio meo & corripiam eos*. Videtur hoc dicere, mihi in votis est ut corripiam eos. *Et* pro *ut* frequens in his litteris. ¶ *Cùm corripientur propter duas iniquitates suas*] Licet etiam aliter vertere, *cùm ligavero eos in duobus sulcis ipsorum*. Et ità necessariò videtur vertendum ex Codice Ebræo. ¶ *Cùm corripientur*] Interpretatur B I O S R A M, quod scriptum B E O S R A M: quæ sic differunt, quòd alterum sit ab A S A R *ligare*: alterum ab J A S A R, *Castigare, corripere*. ¶ *Iniquitates suas*] Legit A V O N O T H A M; sed O N O T H A M, quod nunc legunt, id est, sulcis suis. Sic etiam Jonathan legit. Græcus per omnia consentit nostro interpreti.

11. *Ascendam super Ephraim*] Ebræus habebat, *equitare faciam Ephraim*.

12. *In justitia*] *In justitiam* habent aliquot veteres libri; & interpres recentior *ad justitiam*: & sanè in Ebræo est L T S D A C A; non B I S D A C A. Valet autem *benignè, largiter, copiosè. Ad justitiam*, Græcè est εἰς δικαιοσύνην. ¶ *In ore misericordiæ*] Magis placeret, *in misericordia*. Nam particula, cui respondet *oris* vocabulum in Ebræo, παρέλκει. ¶ *Qui docebit justitiam*] *Pluet* alii reddunt pro *docebit*. *Pluet justitiam*, vult dicere pluviam justitiæ, id est, largam ac copiosam.

13. *In multitudine*] *Et in multitudine* extat in aliquot manuscriptis.

14. *Salmana*] Forma nominis Chaldaica pro Salman per S, Sin. ¶ *A domo ejus qui vindicavit Baal*] Arbel est in Ebræo pro *ejus qui vindicavit Baal*, quod alii legunt autoribus manuscriptis libris, *ejus qui judicavit Baal*. Quid movit interpretem ut id verbi eo modo interpretaretur? an compositum putavit ex *Rab* & *Bel*? verum puto. *Rab*, id est *judicavit* vetere interpretatione aut *vindicavit*, unde J A R E B, ultor, vindex, & *Bel* pro *Beel* quod idem cum *Baal*.

15. *A facie malitiarum*] Latinè, *propter malitiam*. Ebraismus.

L I V E L E U S.

1. **B**Enefecerunt *statuis*] Statuas ornaverunt & pulcriores fecerunt. Sic idem verbum accipitur 2 Reg. 9. 30. ותיטב *& benefecit*, h.c. ornavit, *caput suum*.

2. *Ipse*] Nimirum Deus, sine superioris capitis memoratus.

4. *Cicuta*] h. e. Judicium, quod salutare & gratum est, nunc acerbum & amarum fit, atque in perniciem hominibus injuriâ oppressis vertitur, ut simile cicutæ, herbæ tetræ & venenosæ passim in agris crescenti, videatur. Sic Amos. 6. 12. *Vertistis judicium in cicutam, & fructum justitiæ in absinthium.*

5. *Populus ejus*] Idololatræ à quibus colitur; ut Num. 21. 29. *Peristi, populc Chemoshi.*

7. *Rexque ejus*] Verbum è verbo legitur, *exscindetur Samaria Rex ejus*. Asyndeton copulativæ esse videtur, ut Hab. 3. 11. *Sol, Luna stetit*, pro *& Luna*. Esa. 38. 14. *Ut grus, hirundo, pipiebam*, pro *& hirundo*. Aben Ezra ità exponit, *Exscindetur Samaria, exscindetur Rex ejus*, priore dictione repetitâ. ¶ *Bulla*] קצף *bullam* interpretor, aliorum quorundam autoritatem secutus, quia aptissimè huic loco convenit. Primùm Symmachus Græcus interpres, teste Hieronymo, ità intellexit. Ipséque Hieronymus quanquam *spumam* interpretatur, *bullas* tamen eo nomine capere videtur. Hæc ejus in hunc locum scribentis verba sunt, *Symmachus*, inquit, *ἐπίζεμα posuit, ostendere volens ollæ ferventis superiores aquas, & in spumam bullásque surgentes, quas Græci πομφόλυγας vocant. Ut igitur spuma super aquas citò dissolvitur, ità Regnum Decem tribuum velociter finietur.* Hæc ille. Mercerus etiam in Pagninum ad hanc radicem affirmat pro *bulla* vel *spuma* eam vocem sumi Ose. 10. eóque alludi Esa. 54. dum iræ Divinæ brevitatem *bullæ* seu *spumæ* comparat. Denique Mollerus ad hunc locum, *Comparat*, inquit, *Regem bullæ seu spumæ super aquas natanti, quæ subitò evanescit.* Dicitur autem *bulla* קצף à קצף, quod *fervere* & *bullire* significat, quia fervoris & ebullitionis effectum est. Sic Latini *bullam* à *bullando*, & Græci ἐπίζεμα ab ἐπιζέω *ebullio* vocavere. Aptissima verò hæc similitudo est ad momentaneam brevitatem denotandam: Nam citiùs ferè non assurgit bulla quàm evanescit. Unde apud Varronem de fluxa vitæ humanæ natura proverbium est, *Homo bulla*. Conferenda hæc sunt cum versu ultimo hujus capitis, quo idem dicitur, *In aurora Rex Israelis exscindetur*, h. e. subitò & citò peribit.

8. *Spinæ*, &c.] Desolabuntur. Sic c. 9. 6. *spina in tentoriis eorum erit.*

9. *Filios iniquitatis*] Iniquos & improbos, ut 2 Sam. 3. 34. & 7. 10. *Filii iniquitatis non pergent affligere eum.* Benjaminitæ

minitæ primùm invicti fuerunt & fortiter *steterunt*, *nec assecutum est eos prælium*; cùm tamen mihi placuit, vindicta de illis sumpta fuit, *populisque* iterum *contra eos congregatis*, tandem meritas dederunt pœnas: Ità ego, etiamsi vobis diu pepercerim, tamen cùm illis similes sitis, ab eóque tempore usque adhuc me provocatis, *pro voluntate mea corripiam vos*, ut tandem Gibeonitas castigavi.

10. *Propter duas iniquitates*] h. e. Duos Vitulos Dane & Bethele adoratos, ut Lyranus intelligit. Hæc veterum interpretatio est, Lxx Interpretum & Hieronymi, qui legisse videntur שנותם, & verbum אסר idem valere quod יסר, quod sig. *corripere*, putaverunt, ut contrà propter harum vocum affinitatem contingit יסר idem notari quod אסר. Similique ratione אשר & ישר, item אחר & יחר, nonnunquam idem valent, atque etiam אסף & יסף. Libenter igitur hanc veterum interpretationem retinuerim, præsertim cùm ab aliis quibusdam recentioribus probetur, Pagnino priore versione, Castalione, Mercero, cujus hîc verba ascribam; *Cùm alligabo eos*, inquit, *propter geminum peccatum ipsorum*, &c. *Alii* שנותם sulcos, *alii* oculos *reddunt. Utrumque ineptum est. Pagninus rectè ab* שן, *i.* iniquitas, *ducit.* Hæc ille. Quòd verò dicit *sulcos* & *oculos* ineptè reddi, de priore plenè assentior: Videtur enim mihi non solùm ineptum, sed locutionis monstrum, ut taceam hanc vocem שנות in ea significatione nunquam reperiri. De posteriore verò ità, ut eam tamen multò probabiliorem habeam quàm illam alteram. Coram oculis enim pœna inflicta gravior est. Esa. 13. 16. *Parvuli allidentur in oculis eorum.* Deut. 28. 31. *Oculis tuis videntibus bos tuus mactabitur*; *& alienis liberi tui tradentur.* Jam verò *coram duobus oculis* hic significanter dici videatur. Quemadmodum illud Catulli de Berecynthia & Aty,

Geminas Deorum ad aures nova nuncia referens.

Habet igitur hæc quoque interpretatio verisimilem sententiam. Verùm Græcam illam & Hieronymianam primam & antiquissimam habeo: Neque enim Tremelliana versio hic mihi satisfacit, *in duabus habitationibus*; quia עין in ea notione non reperitur.

11. *Equitare faciam*] Efficiam ut operibus suis summa cum spe futuræ frumenti copiæ & magna cum pace securi ab hostium metu incumbant. Zach. 8. 10. contrarium est, *Exeunti & ingredienti nulla pax ab hoste.* Ad opera verò rustica equis vel curribus vehi solere agricolas notum est.

14. *Shalman*] Vox truncata pro *Shalmanasar*, qui hujus Prophetæ tempore Rex Assyriæ fuit. Similia exempla aliis in locis occurrunt. Esa. 15. 2. *Bamoth* ponitur pro *Bamoth-Baal*, & *Chamath* pro *Chamath-Dor* Jos. 19. 35. & *Bahala* 1 Par. 6. pro *Bahalath-beer* Jos. 19. 8. Sic priore vocis parte amputatâ dicitur *Aven* pro *Bethaven*, & *Meon* pro *Beth-meon*. Apud Latinos & Græcos voces nonnunquam ità truncari declarat Lipsius Epist. 19. lib. 1. *Ennius*, inquit ille, *apud Festum*,

Summus ibi capitur Medix, *occiditur alter.*

Medix *ibi est pro* Medixtuticus; *quo nomine summus Oscorum magistratus vocabatur. Vocem dimidiatam pro tota usurpavit: quod illi familiare est. Hinc Ausonius*,

Ennius ut memorat, *replet te lætificum gau.*

Pro gaudium. *Item*,

Unde Ruinus ait, *Divûm domus altisonum cæl.*

Pro cœlum. *Apud eundem Ennium* Fabric. *pro* Fabricius *legitur. Strabo lib.* 8. *Hesiodus* τὸ βριαρὸν βρὶ λέγει. *Epicharmus verò* τὸ λίαν λί. Συρακὼ δὲ τὰς Συρακούσας. Hæc ille.

15. *In aurora*] i. Statim, citò, ut Psal. 30. 5. *Momentanea est ira ejus: Vespere fletus est, at manè adest cantus.* ¶ *Malitiam*] *Malitiam malitiæ* hîc summam malitiam vocat eâ ratione quâ Deut. 10. 17. *Dominus dominorum* summus dominus dicitur.

GROTIUS.

1. **V***Itis frondosa Israël*] Ex Græco Lxx Senum εὐκληματοῦσα [*bene ornata palmitibus.*] Aquila vertit ἔνυδρον [*aquosam*,] Symmachus ὑλομανοῦσαν [*luxuriantem.*] Chaldæus *vastatam*, quod optimè cum Hebræo convenit. Sensus est, Fore ut terra Israëlis sit cultoribus vacua, Esaiæ 5. 6. ¶ *Fructus adæquatus est ei*] In Hebræo: *Fructum sibi posuit*, id est, antehac frugifera cùm esset. ¶ *Secundùm multitudinem fructûs sui multiplicavit altaria: juxta ubertatem terræ suæ exuberavit simulacris*] Quò res habuit prosperiores eò magis indulsit idololatriæ.

2. *Divisum est cor eorum*] *A Lege recessit*: ità Chaldæus. Hebræi, ut narrat Hieronymus, ajunt populum dissensisse à Rege Osea, qui eos ad pietatem revocabat: erat enim Rex minùs malus quam priores, etiamsi non planè bonus, 2 Reg. 17. 2. id hîc prædici. ¶ *Et confregit simulacra eorum*] Deus, de quo actum paulò antè 9. 17. Faciet autem hoc per Assyrios. Pro *simulacra* in Hebræo est *aras*. ¶ *Depopulabitur aras*] Hîc in Hebræo est *statuas*, מצבות à נצב, de qua voce sic Stephanus: Νάσιβις σημαίνει τὰς στήλας, ὥς φησι Φίλων· ὡς δὲ Οὐράνιος, Νέσαβις, φησι, σημαίνει τῇ Φοινίκων γλώττῃ, λίθος συγκείμενος [Nasibis *significat columnas*, *ut ait* Philo; *at vero Uranius*; Nesabis, *inquit*, *Phœnicum linguâ significat lapidem acervatum.*]

3. *Quia nunc dicent*, *Non est Rex nobis*] Id est, Non curamus imperia Oseæ Regis: hoc illi dicturi sunt. ¶ *Non enim timemus Dominum*] In Hebræo, *non timuimus*: id est, pridem deseruimus Dei cultum. ¶ *Et Rex quid faciet nobis?*] *Quid fecit?* id est; quid nocere nobis potuit? nam

—— *Quicquid multis peccatur inultum est.*

4. *Loquimini verba visionis inutilis*, *& ferietis fœdus*] *Loquentur verba juramenti falsò cùm pangent fœdus.* Cùm Regi fidem juramento pollicebuntur, ut moris erat, nihil minùs cogitabunt quàm de eo observando. ¶ *Et germinabit quasi amaritudo judicium super sulcos agri*] Est & hîc trajectio verborum, qualem sæpe habuimus. Sensus est: *pœna ità abundabit ut solet in agris lolium.* ראש Hebræis & *venenum* & *amaritiem* significat, solétque per similitudinem ea vox & ad alia perniciosa transferri. Lxx hîc posuere ἄγρωστιν, herbæ genus frugibus nocens, de quo vide Hieronymum ad hunc locum.

5. *Vaccas Bethaven coluerunt habitatores Samariæ*] *Ob vitulas Bethaven pavebunt habitatores Samariæ.* Historia, quæ hîc respicitur, est non tantùm apud Hieronymum hoc loco, sed & in Seder Olam majore, parte quartâ. ¶ *Quia luxit super eum populus ejus*] *Lugebit.* Ad Salmanasarem (quem cum Sennacheribo sæpe confundunt Hebræi) missi sunt duo Vituli, quos populus putabat esse illos Vitulos aureos quos fecerat Jeroboam. Hebræi & *vitulos* & *vitulas* dicunt ἐπικοίνως [*promiscuo genere.*] ¶ *Et æditui ejus super eum exsultaverunt*] *Sacerdotes de eo lætabantur*, nempe quia pro aureis supposuerant æneos deauratos.

6. *Siquidem & ipse in Assur delatus est*] *Deferetur*: uterque Vitulus in Assyriam ibit. ¶ *Munus Regi ultori*] Est hîc iterum in Hebræo ירב, ut suprà 5. 13. id est, *adjutori*, *protectori.* Hoc nomine Reges minores appellabant alios majores quorum se in fidem clientelámque dederant. Vide 2 Reg. 17. 3. ¶ *Confusio Ephraim capiet*, *& confundetur Israël in voluntate sua*] Rex, fraude deprehensâ, contumeliis afficiet Israëlitas: *propter consilium suum*, id est, fraudem Sacerdotum.

7. *Transire fecit Samaria Regem suum quasi spumam super faciem aquæ*] In Hebræo, *Periit Samaria*, *Rex ejus*: id est, *& Rex ejus*, ut rectè accepit Chaldæus. Illud *ut spuma* (ἐπίζεμα Symmacho) *in superficie aquæ*, nempe ejus quæ in olla est, celeritatem significat.

8. *Et disperdentur excelsa idoli*] Colles illi in quibus idola colebantur. ¶ *Et dicent montibus*, *Operite nos*; *& collibus*; *Cadite super nos*] Quærent latêre vel in abstrusissimis specubus: Esaiæ 2. 9. Lucæ 23. 30. Apoc. 6. 16.

9. *Ex diebus Gabaa peccavit Israël*] *Peccasti* in Hebræo. Non novum est quòd scelera quamvis magna conspiciantur in posteris Jacobi: apparuit id jampridem in Gabaa. Vide suprà 9. 9. ¶ *Ibi steterunt*] Illo tamen tempore, quia erant qui scelera puniebant, mansit populus in terra sua. *Non comprehendet eos in Gabaa prælium super filios iniquitatis*] *Non comprehendit eos prælium in Gabaa contra filios iniquitatis*, id est, non facti sunt captivi, cùm severi essent scelerum vindices: nam ultimo prælio victores fuere, Judic. 20.

10. *Juxta desiderium meum corripiam eos*] *Nunc in animo mihi est ut vinciam eos*: id est, ut fiant captivi. ¶ *Congregabuntur super eos populi*] Quandoquidem ipsi scelera non punivere, facient id populi externi. ¶ *Cùm corripientur propter duas iniquitates suas*] *Tunc vincientur propter duo peccata sua*, id est, duos Vitulos, in quorum cultu peccavere.

11. *Ephraïm vitula docta diligere trituram*] Quia illi Deum

Vitulo comparaverant, ipse Deus justiùs illos *vitulo* aut *juvenco* comparat. *Ephraim vitula docilis:* id est, visa est mihi bene edoceri posse. Hebræi quia verbalibus ferme carent, participiis eorum vice utuntur. *Diligebam trituram*, Deus scilicet qui loquitur. Amabam, inquit, turis proventum, qui est in tritura. Alii Interpretes hic sumserunt ut παραγωγικὸν [*adjectitium in fine*,] de quo diximus alibi. ¶ *Et ego transivi super pulchritudinem colli ejus, adscendam super Ephraim*] *Transire feci* (supple *jugum*, ut hic Hieronymus) *super pulchras cervices ejus:* & ipse *vectus sum Ephraimo*, nempe ut solent interdum rustici insidere bubus. Sensus est, Leges eis imposui, & ipse rector eorum fui. ¶ *Arabit Judas*] Ἔλλειψις [*Defectus verbi*] pro, *dixi*, *Aret Judas*. Pergit in similitudine agriculturæ, quam diu persequetur. יחרש & hic & infrà 13. Lxx malè sumsisse in tacendi sensu notavit hic Hieronymus. ¶ *Confringet sibi sulcos Jacob*] *Occet Jacob.* Vide Jobi 39. 13.

12. *Seminate vobis in justitia*] Pergit Deus referre quid ipsis imperaverit, & miscet comparationem ab agricultura sumtam cum τῇ ἀποδόσει [*Redditione comparationis.*] *Seminare* est bene agere, *metere* est referre mercedem, ut jam antè vidimus aliquoties. ¶ *Et metite in ore misericordiæ*] *Ut metatis secundùm misericordiam*, nempe Dei. לפי & על פי sæpe idem est Hebræis quod Græcis κατὰ [*secundùm*.] ¶ *Innovate vobis novale*] *Arate vobis arvum.* ¶ *Tempus autem requirendi Dominum*] Meliùs, *Tempus enim:* nam ו utrumque sensum recipit. ¶ *Cùm venerit qui docebit vos justitiam*] *Donec veniat qui depluat super vos justitiam.* Qui vos irriget suis beneficiis.

13. *Arastis impietatem*] Contrà fecistis quàm sperabam; operam dedistis rebus impiis. ¶ *Iniquitatem*] Id est, *pœnam peccatorum*, quomodo sæpe sumitur עולה. ¶ *Messuistis*] *Metetis.* ¶ *Comedistis frugem mendacii*] *Pascemini fruge falsâ*, speciosâ, sed non alente. ¶ *Quia confisus es in viis tuis, in multitudine fortium tuorum*] Transit à plurali ad singularem: nam utroque uti solemus cùm corpus aliquod ex multis constans alloquimur. Fuit autem hic initium novi sensûs, cui cohærent sequentia, *Consurget tumultus.* Sensus est: Deo contemto, tui mores tibi placuere, satísque virium in juventute tua & sociis habere putasti. Pro דרכך [*viis tuis*] Lxx legerunt רכבך, ἐν τοῖς ἅρμασί σου [*in curribus tuis*,] quod & Hieronymus nos docet; pro quo quidam codices malè habent ἁμαρτήμασί σου [*peccatis tuis.*]

14. *Consurget tumultus in populo tuo*] *Ideo consurgit.* Ea enim vis hic est particulæ ו. Vox שאון, quæ hic vertitur *tumultus*, significat *hostilem sonitum.* ¶ *Et omnes munitiones tuæ vastabuntur*] *Omnia loca etiam munitissima.* Est & hic in Hebræo verbum singulare constructum cum nomine plurali. ¶ *Sicut vastatus est Salmana*] Rex Madianitarum, Judic. 8. 5. &c. ¶ *A domo ejus qui judicavit Baal in die prælii*] In Hebræo בית ארבאל, quod Græci verterunt ἐκ τοῦ οἴκου Ἱεροβαὰλ [*ex domo Jerobaal.*] nam sic legendum bene nos docet Hieronymus, pro quo vulgati codices corruptè habent Ἱεροβοάμ [*Jeroboam.*] *Jerobaal* est cognomen Gedeonis. Scribitur Hebraïcè ירבעל Judic. 6. 31. quod hic Latinus periphrasticè explicat *qui judicavit Baal*, originem nominis exprimens. Solet autem & א in initio poni pro י, & ע aut omitti, ut בל [*Bel*] pro בעל [*Baal*,] aut in lenlorem literam mutari, ut hic ארבאל. Græca versio addit hic ἐκ [*ex*,] quasi supplens Hebræum defectum literæ ב. Deinde οἶκον [*domum*] videtur sumere pro *exercitu.* Quæ incommoda vitari possunt, si pro בית scribatur ביד, id est, *per Jerobaalem.* Quidam per *Salmanem* Salmanasarem hic intelligunt, & ei putant victoriam aliquam ad Arbala obtigisse. Verùm hæc scripta sunt ante Salmanasaris tempus, si modò notatio temporis initio scripti libri ad totum librum pertinet. Chaldæus שלמן non pro proprio nomine sumit, sed pro *pacifico*, & ארבאל vertit *per insidias*, ut אל sit παραγωγικόν [*adjectitium in fine.*] nam ארב *insidias* explicat: *sicut vastatur homo in pace vivens, per insidias, in belli tempore.* ¶ *Matre super filios allisâ*] Loquendi genus proverbiale, significans occidionem talem in qua non sexui, non ætati parcitur, Geneseos 32. 11.

15. *Sic fecit vobis Bethel*] Id est, idololatria, cujus sedes Bethel, causa erit ut similis vobis eveniat calamitas. ¶ *A facie malitiæ nequitiarum vestrarum, sicut manè transit, pertransiit Rex Israël*] Hæc ità connectenda sunt ut in Hebræo, quæ in Latino non periodo tantùm sed & capitulis discerpta sunt. In Hebræo: *A facie malitiæ, malitiæ*, inquam, *vestræ, in aurora excidio exscindetur Rex Israël.* Id est, in ipsis regni initiis evelletur è regno & patria Rex Oseæ filius Elæ.

CAP. XI.

MUNSTERUS.

1. Ex *Ægypto vocavi filium meum*] Vocat Deus Israelem *filium* per gratiam, non per naturam. Matthæus 2. 15. citat hunc locum veluti de Christo dictum: Unde discimus ampliorem esse Scripturæ sensum quàm litera offerat. Et hoc est quod Jehudæos in errore retinet quòd nihil nisi literam tenent. Est autem sensus hujus loci, sicut populus Israel vocatus est ex Ægypto ut faceret voluntatem Dei, ità Christus vocatus est ut exsequeretur mandatum Patris, propter quod venit in hunc mundum: Siquidem tota Lex & omnes Prophetæ in Christum desinunt, & illa quæ olim dicta fuerunt aliquo modo spectant ad ipsum, etiam quæ in populo contigerunt, cujus caput est Christus. En Serpens fuit exaltatus in deserto, & populus illum intuens sanatus à morsibus, & nihilominus typus fuit Christi.

2. *Vocaverunt eos*] Sub. *Prophetæ:* at illi inobedientes *discesserunt à facie eorum*, non curantes admonitiones eorum.

3. *Pædagogum dederam*] Hic fuit Moses, qui veluti *pædagogus* fuit populi, accepítque eum in potestatem suam. Jonathan sic vertit, *Ego per Angelum à me missum ducatum præbui Israeli per viam præparatam*, &c. Et nota quòd תרגלתי hic scribitur pro הרגלתי, quod sig. *puerum ad manum ducere, & ad gressum assuefacere.*

4. *In funiculis hominis*] Licèt, inquit, *Ephrajim* esset *vitula*, non tamen *traxi* eum sicut vitulam renitentem, sed beneficiis & promissionibus seu *vinculis amoris* allexi eum. Et nè premeretur sub jugo, leve feci illud, virtutem suppeditando, haud secùs quàm agricola facit dum videt bovem in agricultura gravari jugo, *sublevas* illud manibus suis. Quin & *cibum præparavi eis* in deserto per quadraginta annos, *nolens quòd reverterentur in Ægyptum*, sed ad me converterentur; &, si id nollent, futurum esset ut *Rex Assur* in eos dominium durum consequeretur.

7. *Suspensi erunt*] Derelicti à Deo & oppressi variis afflictionibus perplexi erunt apud se, nescientes quò se vertant, ídque *ob aversionem meam*, h. e. quòd se averterunt à me. Dicit tamen Kimhi literam Jod in vocabulo למשובתי non esse pronomen. R. S. sic exponit, *Quando Propheta eos monebant ad pœnitentiam, vertebant in dubium an converterentur vel non converterentur, & sic nullus fuit in universum inter eos qui exaltaret & magnificaret Deum.*

8. *Quoniam dabo te, Ephrajim?*] Sensus est, *Quid faciam populo meo? Perdámne eum totum? sed oblivisci non possum miserationum mearum. Redimámne eum, & servabo fœdus cum patribus initum? Non perdam eum sicut perdidi Sodomam & reliquas urbes, sed ad minus reliquias illas quas ab æterno præordinavi ad vitam servabo.* Habet autem Scriptura hunc morem, ut Deo affingat affectus nostros, qui tamen alienus est ab eis, sicut in textu sequitur.

9. *In medio tui Sanctus*] h. e. In nulla alia congregatione hominum quàm in Israel pro *sancto* honoratus sum, atque ob id *in nullam aliam urbem ingrediar* quàm ubi nomen meum sanctificatur. Nec per hæc excluduntur Gentes: sed qui scriptus est in libro Vitæ, ab illo sanctificabitur Deus. Potest & hic esse sensus, quòd Christus ad populum suum in persona sua venerit, & *non fuerit missus nisi ad oves quæ perierunt in Israel.*

10. *Quasi leo rugiet*] *Terruit* vox Euangelica universum mundum, ut undique ex captivitate mundi aliqui *advolarent* ad Christum, &c. *Ephrajim* verò & *populus Israel dolosè egerunt cum Deo*, colentes illum *mendaciter* & in hypocrisi, fictam Dei religionem ostentantes, cùm interim corde longè essent separati à Deo. In tribu *Jehuda* plus innocentiæ remansit, præsertim sub Hizkijahu.

12. *Cum sanctis est fidelis*] i. *Jehuda est adhuc fidelis cum Diis sanctis*, h. e. cum Deo vero; qui hic plurali numero in mysterio scribitur.

VATABLUS.

1. Cum *puer Israel* כי נער ישראל] i. *Cùm adhuc ageret in Ægypto.* ¶ *Vocavi* קראתי] Præ aliis populis scilicet, ut esset mihi vice filii. Hunc locum citat Matthæus 2. 15. de Christo:

Christo: illic vide interpretationem in Nova Glossa Ordinaria à nobis impressa Anno M. D. LIII.

2. *Clamaverunt* קראו] Sub. *Prophetæ missi à me, ut subinde ad resipiscentiam invitarent.* ¶ *Sic abierunt* כן הלכו] Hebraismus, ut illi clamabant, ità isti obvertebant illis terga.

3. *Ambulare feci pedibus* תרגלתי] Doctus inter Hebræos exponit, *Quia comparavit ipsum Puero, usus est hoc verbo; ac si dicat: Sicut puerum assuefaciunt & docent ambulare sensim ac pedetentim sine fatigatione, sic quando eduxi eos ex Ægypto per profectiones, sine ulla itineris molestia deduxi eos.* ¶ *Portavit eos* קחם] *Tulit eos*, sub. *Moses*, i. sublevavit eos lassos in itinere quantum potuit. ¶ *Sanaverim eos* רפאתים] i. Eduxerim eos è servitute, laboribus & molestiis.

4. *Funibus hominum* בחבלי אדם] i. Humanis, non quibus trahi solent boves ac deduci. Seipsum exponit mox cùm dicit *funibus charitatis*: q. d. Clementissimè eduxi eos ex Ægypto per desertum in Terram sanctam. ¶ *Traxi eos* אמשכם] Futurum Heb. pro præt. ¶ *Tanquam exaltantes* כמרימי] i. Ut qui detrahunt jugum à collo & pectore in caput ipsum. ¶ *In maxillis eorum* על לחיהם] Nempe *boum*. ¶ *Et declinare*, &c. ואט אליו אוכיל] Hebraismus, refocillavi populum hunc in deserto cùm esset fessus.

7. *Suspensus erit* תלואים] Ad verb. *suspensi erunt* animis *propter rebellionem meam.* Affixum in למשובתי בי משובתי pro למשובה, *rebellionem contra me*: i. semper sibi timebit, neque unquam erit animo securo, quòd rebellarit contra me. *Et quamvis ad*, &c. ואל על יקראהו] Ad verb. *Et ad Altissimum vocabunt eum, pariter non exaltabit.* Futura pro præteritis aut præsentibus: q. d. *Prophetæ increpant eos, & vocant ut convertantur ad Deum Excelsum: at ne unus quidem* ex illis omnibus reperitur, qui *Deum exaltet* laudibus: vel *qui exaltet*, sub. *caput*, sive *aures*, ut scilicet auscultet Prophetis.

8. *Quomodo* איך] Inducit Deum loquentem more eorum qui inviti puniunt; ac si dicat, Non sine animi dolore, neque lubens hoc sum facturus. Invitat autem eos hoc modo ad pœnitentiam. ¶ *Israel* ישראל] Repetitio est: nam *Ephraim* & *Israel* pro *Decem tribubus* ponuntur. ¶ *Inversum est*, &c. נהפך עלי לבי] i. Sum animo conturbato ac perturbato. Alii *conversum est*, &c. i. ducor pœnitentià. ¶ *Incaluerunt pænitudines meæ* נכמרו נחומי] *Commotæ sunt pænitudines meæ*, i. paratus sum mutare sententiam, pœnitet me super malo quod cogitavi facere eis. Ità doctus inter Hebræos. Seipsum declarat versu sequenti, *Non faciam*, &c.

9. *Non faciam*, &c. לא אעשה חרון] i. Non affligam eos pro ratione iræ meæ: q. d. Non puniam eos pro ratione delictorum suorum quibus provocaverunt me ad iram. ¶ *Deus sum.* אל אנכי] Qui scilicet continere possum iram meam. Solent enim homines sævire in alios pro quantitate & qualitate iræ suæ. ¶ *Et non vir* ולא איש] Sub. *ut mentiar*, vel *ut me pæniteat.* ¶ *In medio*, &c. בקרבך קדוש] i. Inter vos ego Deus, qui sum sanctissimus, habito, *non ingrediar civitatem* aliam quàm Jerusalem: vel, *non ingrediar civitatem*, ut eam perdam.

10. *Et pavebunt* ויחרדו] *Et formidabunt.* Alii, *& properabunt.* Prophetia de Christo.

11. *Pavebunt* יחרדו] *Properabunt*, i. celeriter venient, sive recipient sese ad eum *instar volucris* celeriter volantis, *& instar columbæ* citò redeuntis ad pullos suos. *Per Ægyptum* & *Assyriam* intelligit omnes alias regiones.

12. *Circumdederunt*, &c. סבבוני וגו'] Sub. *hactenus.* Ego, inquit, habitabam inter Israelem & Ephraim, & tamen pleni sunt sceleribus. Nam & hoc potest referri ad mores præter idololatriam: q. d. Dicunt se colere Deum, sed mentiuntur: simul enim Vitulos colunt, & eos quidem in honorem mei. ¶ *Dominatur cum Deo* רד עם אל] *Dominium agit cum Deo*, i. adhuc veram Dei religionem retinet, & Deo adhæret. Seipsum mox declarat. ¶ *Et cum Sanctis fidelis est* ועם קדושים נאמן] i. Cum Deo ipso sanctissimo. Doctus inter Hebræos annotat hic repetitionem esse ejusdem sententiæ diversis verbis, & קדושים esse loco אל: & numero plurali dici, ut Jos. 24. 19. אלהים קדשים הוא *Dii sancti ipse*: & dictionem *fidelis est* ad *Jehudam* referri, ac si dicat quòd *Jehuda fidelis est cum Deo & cum sanctis*, i. cum ipso Deo, qui est Sanctus sanctorum, retinendo cultum ejus. Quidam ex illis refert נאמן ad *Deum*, sic, *cum sanctis fideli*, h. e. Deo, qui est fidelis.

C A S T A L I O.

4 E*IS demisi pabulum*] Mannam.

8. *Ut ego te dedam, Ephraimita? ut te addicam, Israelita? ut te dedam sicut Adamam? te afficiam ut Seboim?*] Minatur extremam pœnam. ¶ *Versatur mihi mens, simulque affectu permoveor*] Revocat se.

9. *Quippe cùm Deus sim, non homo; inter vos sanctus, qui in urbem non intrem*] Non sim hominum similis, qui habitant urbes.

12. *Judæo adhuc dominante cum Deo*] Cùm Judæi adhuc Deum colant, ideóque imperium retineant.

C L A R I U S.

1. QUia puer Israel] Pueritiam sive innocentiam illius & simplicitatem *dilexi, & vocavi mihi in filium.* ¶ *Ex Ægypto*] Matthæus 2. 15. citat hunc locum veluti de Christo dictum; Unde discimus ampliorem esse Scripturæ sensum quàm litera offerat, & mysteria profundiùs delitescere. Atque hoc est quod Judæos in errore retinet, quòd nihil nisi literam tenent. Ferè autem sensum hujus loci sic explicant; Sicut populus *Israel vocatus est ex Ægypto* ut faceret voluntatem Dei, ità Christus, cujus figura in illis præcessit, vocatus est ut exsequeretur mandatum Patris, propter quod venit in mundum: Siquidem tota Lex & omnes Prophetæ in Christum desinunt, & illa quæ olim dicta fuerunt aliquo modo spectaur ad ipsum, etiam quæ in populo contigerunt, cujus Caput est Christus. Et Serpens fuit exaltatus in deserto, & populus illum intuens sanatus à morsibus, & nihilo tamen minùs typus fuit Christi. Verùm de hoc loco plura, & fortasse magis propria, diximus in Matthæum.

2. *Vocarunt eos*] Sub. *Prophetæ.* Sed quantò Prophetæ conati sunt magis revocare illos à malo, tantò illi magis sectati sunt vitia.

3. *Et ego quasi nutritius*] Jonathas sic vertit, *Ego per Angelum à me missum ducatum præbui Israeli per viam præparatam*, &c.

4. *In funiculis Adam*] Vel, *in funiculis hominis*: h. e. non tanquam bestias, quales verè erant, tractavi eos, sed more humano. ¶ *Exaltans jugum*] i. Remittens laborem, haud secùs quàm agricola facit dum videt bovem in agricultura gravari jugo, sublevat illud manibus. Quin & *cibum præparavi eis* in deserto per quadraginta annos, *nolens eos reverti in Ægyptum*, sed ut ad me converterentur; &, si id nollent, futurum ut *Rex Assur* in eos dominium durum consequeretur.

7. *Suspensus est*] Derelicti à Deo & oppressi variis afflictionibus perplexi erunt apud se, nescientes quò se vertant; idque ob rebellionem contra me.

8. *Quomodo dabo te, Ephraim?*] Sensus est, *Quid faciam populo meo? Perdámne eum totum? Sed oblivisci non possum miserationum mearum. Redimámne eum, & servabo fedus cum patribus initum? Non perdam eum sicut perdidi Sodomam & reliquas urbes, sed reliquias saltem illas quas ab æterno præordinavi ad vitam servabo.* Habet autem Scriptura hunc morem, ut Deo affingat affectus nostros, qui tamen alienus est ab eis, sicut in textu sequitur.

9. *In medio tui Sanctus*] i. In nulla alia congregatione hominum quàm in Israel pro *sancto* honoratus sum, atque ob id *nullam aliam urbem ingrediar* quàm ubi nomen meum sanctificatur. Neque per hæc excluduntur Gentes: sed qui scriptus est in libro Vitæ, ab illo sanctificabitur Deus. Potest & hic esse sensus, quòd Christus ad populum suum in persona sua venerit, *nec fuerit missus nisi ad oves quæ perierunt in Israel.*

10. *Quasi leo*] *Vicit* enim *Leo de tribu Juda.* Terruit vox Euangelica universum mundum, ut undique ex captivitate mundi aliqui *advolarent* ad Christum. *Ephraim* verò & *populus Israel dolose egerunt cum Deo*, colentes illum *menduciter* & in hypocrysi, fictam Dei religionem ostentantes. Fucata enim fuerunt omnia illorum, cùm interim corde longè essent separati à Deo. In tribu Juda plus innocentiæ remansit, præsertim sub Ezechia.

L. B R U G E N S I S.

12. JUdas autem testis descendit, cum Deo, & cum sanctis fidelis] Complures libri scribunt *fidelibus*, *Et cum sanctis fidelibus.* Verùm optimi, cum Ruperto Tuitiensi, *fidelis* habent; Brugensis, Lobiensis, Leodiensis, O, E, Q, A, ex nostris; Di. o. l. Ge. o. p. ex Parisiensium. His Hebraicus textus vult, ועם קדושים נאמן, i. *Et cum sanctis fidelis*, scilicet *est.* Hebræus quidam interpretatur, *& cum sanctis fideli*: de quo Lyranus & Pagninus. Sed haud multùm id suffragari possit lectioni *fidelibus.* Castigatores, Hentenius & Parisienses, *fidelis*

lis textu donarunt; meritò: nam & Hieronymi commentarius luculentissimè id adstruit; *JUDAS testis sermonum Dei, & adstipulator, & vindex, descendit cum Deo in mare, & inter sanctos fuit fidelissimus, ut verbis jubentis crederet Dei*: & postea juxta eam quam probat explanationem, *JUDAS AUTEM, h.e. duæ tribus, quæ habebant Templum, Legem, Prophetas, & servabant præcepta legalia, erant testes, gradiemesque cum Deo, & cum sanctis fideles. Sanctos dicere possumus, vel Angelos, vel Patriarchas & Prophetas, & cæteros qui Dei imperio serviebant*: & rursus κατ' ἀναγωγὴν, *JUDAS AUTEM, h. e. vir ecclesiasticus, non superbit, non inflatur tumore hæretico; sed humiliatur cum Deo, & cum sanctorum choro fidelis est & robustus.* LXX transtulerunt, καὶ λαὸς ἅγιος κληθήσεται [κεκλήσεται Gq.] - τοῦ [Gq.] Θεοῦ, *& populus sanctus vocabitur Dei.* Pro עִם, quod est *cum*, עַם *populus* legerunt: קדושים plurale singulari collectivo junctum intellexerunt: denique נאמן *fidelis* gignendi casu acceperunt, ac *Dei* exposuerunt.

DRUSIUS.

1. *CUM puer esset*] Cùm adhuc in Ægypto degeret. Nam eo tempore puer erat. Siquidem ut homines ità etiam Respublicæ suas ætates habent. *Pueritia* ergò Israelis erat in ipso exitu ex Ægypto: Quo tempore & *natus* fuisse legitur. Cæterùm probo *Cùm puer esset* quàm illud quod Tremellius habet, *Quia puer*: etsi sic etiam verti possit. ¶ *Dilexi eum*] Fortè respexit ad historiam Jacobi, qui *Israel* cognominabatur. Nam puer prælatus fuit fratri majori non sine Divino consilio. Huc etiam facit, *Jacob dilexi, Esau verò habui odio.* Sed verum est quod dixi. Populus Israel quasi renatus fuit cùm ex Ægypto educeretur: Indè igitur incipit Pueritia ejus. Dicit autem se tunc *eum dilexisse*, rectè sanè: Nam ipsa eductio argumentum erat amoris Divini luculentissimum. Quam excipiebant innumera alia beneficia in populum collata dum in deserto versaretur: Quæ non commemoro, quia ex S. historia omnibus notissima sunt. Sanè qui ex calamitate aliqua emergit rursum vivere videtur. Nam calamitas quasi mors quædam est. ¶ *Ex Ægypto*] Ubi exsulabat, aut duram servitutem serviebat. Hoc populo quadrat, illud Christo. ¶ *Vocavi*] *Evocavi*, *accersivi*. *Vocamus* autem præsentem voce, tum etiam absentem per nuncium. Vide Gen. 31.4. Quidam hunc locum duriusculè exponunt, *Vocavi eum filium meum jam ab illo tempore quo adhuc in Ægypto erat; ut Exod. 4.22. Dimitte filium meum, ut serviat mihi.* Quid est Scripturam torquere, si hoc non est? ¶ *Filium meum*] Olim ipsum populum, postea Caput populi Jesum Christum, in quo completa demum fuit hæc Prophetia.

2. *Vocaverunt eos*] Prophetæ. Inhumanum est, non amare amantem; ingrati signum, pro bono malum reddere.

Invitum qui servat idem facit occidenti.

¶ *Sic abierunt*] Latinè, *Quantò magis vocabant eos, tantò magis recedebant ab eis.* ¶ *Baalibus*] Non diis tutelaribus aut minorum gentium, sed ipsis Baalibus, quos pro vero Deo colebant & venerabantur. Quod innumeris locis doceri potest. Utrùm autem Vitulos intelligat, an Numen Sidoniorum, quod propriè *Baal* dicebatur, & fortè honoris causâ *Baalim*, ut *Elohim* usurpabant de uno Deo, aliis dijudicandum relinquo.

3. *Assuefeci*] תרגלתי dixit pro הרגלתי. Sententia est, Assuefeci ad eundum sive ambulandum. Quod sumptum ab Infantibus, quos nutrices docent pedibus incedere. Quod Latini veteres dicebant *pedare*: unde hodiéque adhuc remanet *repedare*, i. pedibus ire. Hoc verbo usus est Castalio transitivè, *Cùmque ego prehensum brachiis pedaverim.* Miror. In Græca editione reperi συνεπόδισα. Quid συμποδίζω; Lexica exponunt *impedio*, *compedibus implico*; item *illaqueo*, *irretio*. Lexicon Græco-Lat. V. Συμποδίζω, *Cupplanto*; fortè *Supplanto*. Idem Lexicon Lat. Græcum, *Supplantat*, ὑποσκελίζει, περισκελίζει. ¶ *Accepit eos*] קָחָם inf. pro præt. Simile, נתת *dedisti, posuisti*. Thema est לקח. Esset קָחָם *accepi eos*: sed ob gutturalem prima producitur. Quod item fit in הבה *cedo*. Quanquam aliqua diversitas: nam ibi secunda gutturalis, hîc ultima. Porrò *accepi*, i. prehendi. Quod sumtum à Nutricibus, quæ infantes, quos incedere docent, brachiis primùm prehendunt. Potest legi *accipiendo* sive *prehendendo eos*. Quod video principi Grammaticorum placuisse: nam in libro ubi vocum sensa collegit, explicat לקחתם. Sensus eodèm recidit. Vulgò *accepit eos*, sub. *Moses*, i. acceptos portavit. Nam nutricii pueros brachiis gestare solent. Nutritio autem Moses assimilatur Num. 11.12. Tale est ἀνέλαβεν, *assumptum portavit.* Exstat in Matthæo, nisi fallor. Interpretes è Gallia nuperi seorsum ab aliis de hoc loco sentiunt: nam exponunt *portavit eos*, sub. *Vitulos brachiis suis.* Porrò verbum hoc deficit in præt. & Ezech. 17.5. קח *accepit*, ubi (·) differentiæ causâ: nam קח cum (·) aliud est. ¶ *Brachiis suis*] Dicit קחם *accepit eos*: & subjicit זרועתיו *brachiis ejus*, ἐπὶ τοὺς βραχίονας αὐτοῦ. Nam hæc pronomina referuntur ad nomen *Ephraim*, quod, ut collectiva solent, construitur tam pluraliter quàm singulariter. ¶ *Me sanasse eos*] *Me sanos conservasse ipsos* præsertim à morbis Ægyptiorum, Exod. 15.26. *Nullum morbum cujusmodi Ægyptiis imposui vobis inferam: ego enim DOMINUS sanans vos.*

4. *Funiculis humanis*] בחבלי אדם *funiculis hominum*: vult dicere, *Humaniter eos habebam.* ¶ *Funibus amoris*] i. Amatoriis: amicè tractabam eos. Aut *funiculis humanis*, legibus æquis, & *funibus amoris*, jugo suavi. Nam legibus ceu vinculis homines constringuntur: unde & illud, *Dirumpamus vincula eorum*, &c. Psal. 2.3. ¶ *Sustollunt*] *Sublevans*, *in altum levant.* ¶ *Super maxillas eorum*] Impositum maxillis eorum. Quod signum etiam amoris. Verba Ebræa sunt כמרימי על *sicut qui in altum levant jugum.* Sensus, Revera levavi jugum quod maxillis eorum impositum erat. Tralatio à Bubus sumpta. Chaph autem valet *revera*; ut in illo, *Vidimus gloriam ejus tanquam unigeniti.* על לחיהם; plenè scriberetur אשר על לחיהם. ¶ *Et porrexi ei cibum*] אוכיל *cibus.* Nomen est formæ אסיר. Quanquam R. Marinus interpretatur *& sensim ipsum cibavit*, ut sit לאט pro אט: *cibavi* autem, i. אאכיל, pro quo hîc est אוכיל. Sunt alii qui prætulerunt, *declinavi ad eum*, *cibavi*: quod non adeò displicet. Nam qui amico cibum porrigere vult, ad eum declinat. Sic dico, Amicus amico id facit, cùm esuriens potiùs se debeat declinare ad eum qui cibat ipsum. ואט אליו *& declinavi ad eum.* Integrum esset ואטה. Ut Livius dixit *declinare agmen*, sic *declinavi* hoc loco, i. admovi. Nos sensum reddidimus.

5. *Non revertetur in terram Ægypti*] i. In Ægyptum. Suprà, *revertetur Ephraim in Ægyptum.* Hæc pugnare inter se videntur: Sed conciliatio facilis. *Revertetur* petendi auxilii causâ; *non revertetur* ut exsul: vel, *non revertetur*, non debuisset reverti. Quapropter? Quia id olim Deus vetuerat Exod. 14.13. Deut. 17.16. deinde, quia Prophetæ monuerant nullum ab ea gente auxilium exspectandum esse: postremò, quia Deo diffidit qui fiduciam ponit in hominibus. Potest etiam reddi, *Ne revertatur*, ut sit vetantis ire in Ægyptum. Causa expressa, Quia futurum ut Regem habeant Assyrium, qui eos in captivitatem abducet propterea quòd noluerunt seriò ad Deum redire. Simile, *Non occides*; quod valet, *Ne occidas.* ¶ *Assyrius erit Rex ejus*] Qui hactenus suos habuit Reges, nunc habebit Regem externum, sub cujus principatu in exsilio vitam miserè deget. Minus ergò dicit, & plus intelligit. ¶ *Converti*] Redire ad me. Quod pœnitentes faciunt. Siquidem ad Deum redit qui vitam in melius commutat. Vitam autem in melius commutat qui ex ipsius præscripto eam instituit.

6. *Residebit*] Vel *irruet.* ¶ *Ramos ejus*] Pagos ejus. Quidam *divinos ejus.* Hoc sensu sumitur Jer. 50.36. Hier. *electos ejus*, i. בריו Res pro Daleth. Alii, *vectes ejus*, i. Principes, magnates. Ità Jonathan. בדים propriè *rami arborum densiores & crassiores, parandis vectibus idonei*, qui ex se producunt ענפים reliquos *ramos magis teneros & flexibiles.* ¶ *Propter consilia eorum*] Quæ inierunt contra legitimum cultum meum.

7. *Suspensi sunt*] Inter spem metúmque dubii & animi pendentes, rerum adversarum mole oppressi, adeò ut nesciant quò se vertant. Gallica editio, *pendent affixi*, sive *suspensi adhærent aversioni suæ.* ¶ *Aversione à me*] i. Propter aversionem. Sic Curtius, *suspensus explicatione nodi Gordiani*: quod exponunt, *propter explicationem.* Malè quidam explicant *conversione ad me.* Nam משובה non sign. *conversionem*, quæ תשובה dicitur, sed *aversionem à Deo.* Quod innuunt Ebræi cùm scribunt משובה semper in malis poni. ¶ *Ad Altissimum*] Vel *ad Supremum.* Alibi עליון, hîc est על monosyllabum, quod vocali (-) notatur. ¶ *Revocent*] Prophetæ. ¶ *Non extollit*] *Deum* videlicet. Adeò est aversus à Deo ut nolit Prophetas audire, ipsum ad meliorem mentem revocantes.

8. *Quomodo, &c.*] q. d. Ægrè ac difficulter possum hoc facere; *ponere* autem *ut Adama & Seboim*, nullo modo. ¶ *Dabo*] Dedam hosti. *Dare* hoc sensu usurpavit aliquoties in Historia sacra Sulpitius; ut lib. 1. cùm ait, *Verùm Gabaonita gens valida ex urbe opulenta ultro se Ebræis dederunt, jussa facturos pollicentes*: & pòst, *Cùm se Abner David regi dedisset.* Quan-

Quanquam in nonnullis cod. *dedidisset.* ¶ *Tradam te*] אמגנך. Ex veteribus Symmachus vertit ἐκδώσω σε, i *dedam.* Nàm ἐκδοῦναι *extra dare:* unde ἔκδοσις *editio* libri alicujus. Ità sumitur hoc verbum Gen. 14. 20. *qui tradidit hostes in manum tuam,* i. dedidit sive permisit tibi, & redegit in tuam potestatem. Et Prov. 4. 9. *Coronam decoram tradet tibi.* Ebræi exponunt verbo מגר. Cæteri deducunt à מגן *clypeus:* quod fieri neutiquam potest, cùm in hoc nomine Mem sit litera Heemantica. ¶ *Reddam te ut Adama*] i. Similem Adamæ: q. d. Nullo modo id facere possum. *Adama* sive *Adam* una ex illis urbibus quæ igne cœlesti deflagrarunt. ¶ *Ut Seboim*] Alibi צבוים, hîc est צבאים, Aleph literâ quiescente. Vide Deut. 29. 23. ¶ *Versum est cor meum*] Mutatus est animus meus: ut Psal. 105. 25. *Vertit cor eorum ad odio habendum populum suum.* Alibi signum est Perturbationis; ut Thren. 1. 20. *versum est cor meum in medio mei.* Forsan & hîc ità sumendum. Pro *versum est* potest reddi *versat se:* quod est Dubitantis de eo quod quis agere instituit: alterum est Mutantis sententiam, ut diximus. ¶ *Æstuant pœnitudines meæ*] Latinè, *æstuo pœnitudine,* sicut dicimus, *æstuo dubitatione.* Gen. 43. 30. *Æstuaverunt miserationes ejus.* Lat. *æstuavit miseratione.* Eadem locutio exstat 1 Reg. 3. 26. Alii vertunt *incaluerunt:* alii, *contractæ sunt;* ac sumptum putant ab iis rebus quæ adustæ contrahuntur, ut coria. Est autem Dubitantis, & ejus quem pœnitet facti. Quanquam in Deum non cadit Pœnitentia: sed hæc humanitus dicuntur. Æstuamus enim dubitatione cùm angimur incerti rerum nostrarum, & torquemur dubii, versantes in utramque partem quod facere decrevimus.

9. *Non faciam excandescentiam iræ meæ*] Quod irâ excandescentes facere solent. Alia versio, *Non faciam secundùm excandescentiam iræ meæ:* ut subaudiatur nota Similitudinis. Sic Græci, Οὐ μὴ ποιήσω κατὰ τὴν ὀργὴν τοῦ θυμοῦ μου. *Facere* absolutè usurpant pro *facere judicium.* Ergò *non faciam,* i. non puniam, non sumam de te supplicium. Alibi, *Castiga me, DOMINE, sed non in ira tua.* V. Interpres, *furorem iræ meæ.* Non displicet, imò placet magis. Nam *excandescentia* est ira modò nascens & modò desistens. ¶ *Non redibo ad perdendum.*] Vult dicere, Non perdam eum bis. ¶ *Deus ego, & non homo*] Qui magis moderari possum mihi cùm irascor: quod Homo non potest. Aut, *Deus ego sum,* dicit ut Num. 23. 19. *Non homo ego, ut mentiar, aut filius hominis, ut pœnitudine ducar.* Hoc vult, Scio quid majoribus vestris promiserim. Deus sum, non muto. Sic dico, Promissa servabo; non delebo vos penitus. איש pro אדם. Quod non intellexerunt qui vertunt *& non vir.* Vocatur tamen ità propter formam viri quam gerebat Gen. 32. 24. ¶ *In medio tui Sanctus*] Hanc ob causam vocatur *Sanctus Israel.* Hic subaudiunt *duntaxat.* Hujus generis sunt, *Ei servies,* pro, *ei soli; Reddes Deo juramentum tuum,* pro, *Deo tantùm, non aliis.* Nam per solum Deum jurabant: Cæteræ formæ illicitæ erant. ¶ *Non ingrediar urbem*] Est cur malim, *non veniam contra urbem,* nempe hostili modo. Non ampliùs, inquit, obsidebo urbes vestras hostiliter. Deus enim sibi tribuit quod hostes faciunt, qui per illos agit. Sunt enim ipsius ministri.

10. *Post DOMINUM ibunt*] Christum ducem sequentur, qui præibit in restitutione Ecclesiæ, Jes. 52. 12. item Mich. 2. 12. ¶ *Ut leo rugiet*] Quemadmodum Leo rugitu suo advocat animalia sui generis ad prædam, sic Jesus Christus electos vocabit per Euangelii prædicationem. Vel, ut rugitus Leonis terret reliqua animantia, sic Deus omnibus metum incutiet cùm supplicium sumet de hostibus Ecclesiæ suæ. ¶ *Trepidabunt*] *Trepidi accurrent.* Talis significatio verbi 1 Sam. 16. 4. & 2 Reg. 4. 13. ¶ *Filii*] Electi. Deut. 14. 1. *Filii vos DOMINO Deo vestro.* Sed quid si legamus *intelligentes?* nam בנים hoc etiam significat. ¶ *A mari*] Ab Occidente.

11. *Trepidabunt sicut avis*] Qui in Ægypto erunt, *accurrent sicut avis,* h. e. velocissimè. *Sicut avis* כצפור. Quæ vox etiam *passerem* denotat. Alibi est כיונים eodem sensu. ¶ *Sicut columba*] Jes. 60. 8. *ut nubes volabunt, ut columbæ ad columbaria sua.* Psal. 55. 6. *Quis dabit mihi alas columbinas?* ¶ *Collocabo eos*] Faciam ut habitent securè quisque in domo sua.

IDEM.

1. Ἀπεῤῥίφησαν, ἀπεῤῥίφη] In Eusebio ἀπεῤῥίφη, & in iis quæ Plantinus excudit ἀπεῤῥίφθη. Interpres antiquus, *projecti sunt, projectus est.* Hic rursum Resch cum Daleth confundunt: nam רמה *projicio;* in fonte autem est נדמה נדמה *omnino excisus est.* ¶ Μετεκάλεσα] Ed. C. μετεκαλεσάμην.

¶ Τὰ τέκνα αὐτοῦ] Elegans locus, at quàm turpe in eo mendum? Rectè Aquila, ἐξ Αἰγύπτου ἐκάλεσα τὸν υἱόν μου. Jon. קריתי להון בנין *vocavi eos filios.*

2. Μετεκάλεσα αὐτούς] Eadem editio, si rectè Plantinus eam expressit, μετεκαλεσάμην αὐτά. ¶ Ἀπῴχοντο] Ὤιχοντο, ibidem. ¶ Τοῖς Βααλεὶμ] In eadem, τοῖς Βαάλ· sed ex Hieron. leg. Βααλείμ. nam in eo *Baalim.* Aliàs dixissent τῷ Βαάλ. ¶ Γλυπτοῖς] Alibi εἰδώλοις. Priorem scripturam secutus est Int. V. referens *sculptilibus.* Sic etiam Ebræis nomen *idoli* generalius est: nam etiam deos fusiles comprehendit.

3. Συνεπόδισα] תרגיל & συμποδίζω æquè à *pedibus* formata sunt, sed significatione differunt, ut sciunt qui utramque linguam probè callent. ¶ Ἀνέλαβον αὐτὸν ἐπὶ τὸν βραχίονά μου] *Suscepi eum super brachium meum.* Int. V. Editio Regia non habet μου. Jonathan נטלתינון כדעל דרעין, *portavi eos quasi super brachia.* Veritas Ebr. ἀνέλαβεν αὐτοὺς ἐπὶ τοὺς βραχίονας αὐτοῦ quod de Mose capiendum. ¶ Ἴαμαι] Partim librorum ἰάσομαι. In iis quos Plantinus excudit desideratur καὶ ante οὐκ ἔγνωσαν. Vetus, *& non cognoverunt ut sanarem illos.*

4. Ἐν διαφθορᾷ ἀνθρώπων] Legitur & ἀνθρώπου. Int. V. *in corruptione hominum.* Verbum חבל inter alia sign. *corrumpo,* διαφθείρω unde חבלי, quod hîc potiùs denotat *funes.* Planéque ad sensum aptius ut vertamus ἐν σχοινίοις ἀνθρώπων sequitur enim ecce ἐν δεσμοῖς ἀγαπήσεως. ¶ Ἐξέτεινα αὐτοὺς] Αὐτοῖς non αὐτοὺς legitur in impressis à Plantino. ¶ Ὡς ῥαπίζων ἄνθρωπος] *Quasi dans alapas homo,* Int. V. Alii ὡς ῥαπίζων ἄνθρωπον, *ut qui alapâ cedit hominem.* Est autem *alapa,* ut hoc obiter dicam, idipsum quod ῥαπὶς, h. e. *bacillus* aut *virga.* Scholiastes Persii, *Quos manumittebant, eos alapâ percussos circumagebant, & liberos confirmabant.* Sunt qui ῥάπισμα impingi dicunt explicatâ manûs palmâ; quod Galli vocant *un soufflet.* In fonte ὡς ὑψοῦντες ζυγὸν, ut Abd. 3. מרום שבתו ὕψων κατοικίαν αὐτοῦ. ¶ Δυνήσομαι] Libri quidam καὶ δυνήσομαι, alii δυνάμενος. Sequitur αὐτῷ, quod ex proximo versu huc retraxerunt, לו pro לא accipientes: quod insolens non est in his literis. אוכיל βρῶσις, ut nunc quidem interpretantur, ab אכל *comedit.* אוכל δυνήσομαι à יכל *potuit.* Int. V. *prævalens ei,* δυνάμενος αὐτῷ.

5. Κατῴκησεν] Agnosco ישב, & simul errorem qui ex ישוב *revertetur.* Ebræa sonant οὐκ ἐπιστρέψει εἰς Αἴγυπτον. Græca versio multum demit de sermonis elegantia quâ hîc usus est Propheta; illud imprimis, *non revertetur,* &c. *quia renuit reverti.* Tropus παρονομασία qui dicitur.

6. Ἠσθένησεν ἐν ῥομφαίᾳ] Excusi à Plantino ἠσθένησεν ῥομφαία. Hoc modo legit Int. V. nam transfert *infirmatus est gladius.* Huic lectioni favet veritas Ebr. Quanquam ex Ebræo hodie transferant *residebit gladius.* ¶ Κατέπαυσε] Int. V. *requievit.* Malim *cessare fecit:* καταπαύω enim utrumque sign. Hodie reddunt *consumpsit ramos ejus.* ¶ Ἐν ταῖς χερσὶν αὐτοῦ] *Manibus suis.* Non dubitabis quin legerint בידיו pro eo quod in libris בדיו: Id Jonathan declarat *robustos ejus.* ¶ Φάγονται] Scribitur & Φάγωνται. Veritas Φάγεται in unitatis numero, hâc sententiâ, ἡ ῥομφαία φάγεται τοὺς κλάδους αὐτοῦ διὰ τὰ διαβούλια αὐτῶν. ¶ Αὐτῶν] Plantinus excudit αὐτοῦ. Prior lectio cum Ebræo quadrat.

7. Ἐκ τῆς κατοικίας αὐτοῦ] Hoc modo scriptum offendes in R. & in iis quæ Plantinus edidit. In cæteris est ἐκ τῆς παροικίας αὐτοῦ, ut apud Hieron. *ex incolatu suo.* Differunt autem κατοικεῖν & παροικεῖν, ut apud auctores Latinos *habitare* & *commorari.* Cicero, *Natura nobis commorandi, non habitandi locum dedit.* Cæterùm peccarunt hoc loco in Vau & Joth: nam in fonte משובתי, hoc primum. Deinde à ישב deducunt, quod à שוב, ità mihi videtur: fieri autem potest ut fallar. Non sum pertinax: eripi mihi tamen difficulter poterit quin κατοικίας germanum hujus loci verbum sit: nam ישב κατοικεῖν, non παροικεῖν. Nisi fortè respexerunt ad שיבב verbum Chaldaicum. Quid שיבב? Exod. 12. הוא ושכנו *ipse & vicinus ejus.* Thargum Onceli הוא ושיבבה. Ergò שיבב γείτων, πάροικος. Prius verius videtur. ¶ Ὁ Θεὸς] אל pro על. Τὰ τίμια αὐτοῦ] In mente habuerunt יקר, quod in lingua Chaldæorum τίμιον sonat. Vocantur etiam קראי עדה *qui in cœtu aliquo locum honoratiorem obtinent.* Hócne vobis videor bene? an vos quid melius habetis? ¶ Θυμωθήσεται] יחר *excandescet, irascetur.* Erratum in Resch & Daleth, quarum literarum tanta olim similitudo erat ægrè ut discerni potuerint: nam apice duntaxat inter se distinguebantur, ut hodie apud Syros puncto. Auctor Hieron. ¶ Καὶ οὐ μὴ ὑψώσῃ αὐτὸν] Int. V. *& non exaltabit eum.* Legitur tamen in editis à Plantino αὐτοὺς *eos.* Quod eò lubentiùs noto quia in Ebræo ירוממם. Fieri autem potest ut legerint ירימם, videlicet Joth loco Vau. Valde se hoc mihi probat, valde arridet.

8. Τί σε διαθῶμαι] Sic ed. Rom. In aliis quibusdam τί σε διαθῶ; in Compl. verò, τί σοι ποιήσω; Hanc postremam lectionem secutus est Int. V. qui vertit, *Quid faciam tibi Ephraim?* ¶ Ὑπερασπιῶ σε] In excusis à Plantino σε, non σε. Int. V. *protegam te:* propriè *quasi scuto protegam te. Scutum* autem Ebræis מגן dicitur, unde מגן de sententia horum Interpretum. ¶ Τί σε διαθῶ] In A. & B. τί διαθῶ σε; in C. verò, ut antea, τί σοι ποιήσω; & apud Hieron. *Quid faciam tibi?* ¶ Ἀδάμα] A. Ἀδάμ. B. Ἀδαμά. Cephalæi Ἀδάμα. Antverpiæ cusi Ἀδαμάν. Nos expressimus quod in R. ¶ Ἐν τῷ αὐτῷ] C. ἐπὶ τὸ αὐτό. Int. V. *in ipso.* Psal. 2. 2. יחד ἐπιτοαυτὸ conjunctim, i. *pariter*, *simul.* ¶ Συνεταράχθη] Διεταράχθη C.

9. Ἐγκαταλίπω] In iis quæ Plantinus excudit ἐγκαταλείπω. Apud Eusebium pag. 156. legitur ἐγκαταλείψω. Int. V. *derelinquam.* In Ebræo אשוב, quod magis denotat ἐπιστρέψω.

10. Πορεύσομαι] Mirus hîc exemplarium consensus: tamen ex Ebræo legendum πορεύσονται, quod etiam ipsa sententia poscit. ¶ Ὠρύσεται] Plantini ed. ἐρεύξεται. ¶ Τέκνα ὑδάτων] בני מים. Biblia Regia quæ Plantinus excudit, υἱοὶ θαλάσσης. Veritas υἱοὶ ἐκ θαλάσσης. מים *aqua* & מים *à mari* sæpe hoc modo permutantur. Int. V. *filii aquarum.*

11. Ἐκστήσονται] Sic codex Rom. In cæteris est ἐκπτήσονται. Excipio editos ad Ex. C. nam in iis καὶ ἥξουσιν *& venient.* Int. V. *& volabunt.* ἐκπτήσονται propriè *evolabunt.* Thema est ἐξίπτομαι, unde fut. ἐκπτήσομαι. Suspicor in Hieron. quoque leg. *evolabunt* pro *& volabunt.* Proclivis sanè lapsus de uno in alterum. ¶ Ὡς ὄρνεον] In Hieron. *quasi avis.* Plantinus edidit ὡς ὄρνεα, *sicut aves:* & mox ὡς περιστεραὶ, *sicut columba.* ¶ Ἐκ γῆς Ἀσσυρίων] Sic habent editiones C. & R. In cæteris ἐκ τῶν Ἀσσυρίων. Int. V. *ut terra Assyriorum.*

12. Ἐν ἀσεβείαις] Int. V. *in impietate.* Secutus est scripturam quæ nunc in C. ἐν ἀσεβείᾳ. ¶ Νῦν ἔγνω αὐτοὺς] עתה ידעם, quod nunc & legunt & scribunt עד רד עם *adhuc dominatur cum.* ¶ Κεκλήσεται] In Plant. κληθήσεται. Videtur legisse נאמר pro נאמן.

I D E M.

1. ממצרים קראתי לבני. Aq. Ἐξ Αἰγύπτου ἐκάλεσα τὸν υἱόν μου, *Ex Ægypto vocavi filium meum*] Euseb. Ἀποδείξ. lib. 9. pag. 265.

4. בחבלי אדם אמשכם. A. Sym. Th. *In funiculis hominum traham eos*] Ἐν σχοινίοις ἀνθρώπων. Priùs erat in Lxx ἐν διαφθορᾷ ἀνθρώπων, nempe quia verbum חבל etiam *corrumpo* sign. Qua in significatione frequens est apud Chaldæos. ¶ ואהיה להם כמרימי על על לחיהם. Sym. *& putaverunt quòd imponerem jugum super maxillam eorum.* ¶ ואט אליו אוכיל. Idem, *& declinavi ad eum cibos*] Videndus Hieron in Comment. ad h. l.

6. וחלה. A. *irruet.* Sym. *vulnerabit*] Hieron. *Cæpit itaque gladius in civitatibus ejus: sive* irruet, *ut interpretatus est Aquila*, *aut* vulnerabit, *ut Sym. transtulit.* IRRUET חולה etiam R. D. enarrat ויפול *& cadet*, sed addit ויחנו *& requiescet:* unde Santes, *cadet & manebit.* Radix est חול; non חלה. Sic 2 Sam. 3. 29. יחולו על ראש יואב: idem Santes, *cadant super caput Joab:* ejus corrector Arias *maneant.* Gallica editio ad h. l. Hoseæ, *se ruera, ou residera.* VULNERABIT, τρώσει, יחלה. Hujus radix חלל τιτρώσκω, τραυματίζω, unde חלל τραυματίας, *vulneratus*, *saucius:* quod etiam de *cæso* dicitur. Psal. 88. 5. כמו חללים. Sym. ὡς οἱ τετρωμένοι. ¶ בדיו. Sym. *brachia illius*] Hieron. *& consumat electos ejus*, *sive* brachia illius, *ut interpretatus est Sym. quod Ebraicè dicitur* בדיו. BRACHIA ILLIUS, robur illius. Sic alibi, *Frange brachium improbi*, τὸν βραχίονα, i. vires ac potentiam. Jonathan hîc refert גבורתיו *robustus ejus.* Alii, *ramos ejus*, i. oppida minora. Alii, *divinos ejus:* quod probo.

8. אמגנך. Aq. ὅπλῳ κυκλώσω σε. Sym. ἐκδώσω σε. Th. ἀφοπλίσω σε] Ὅπλῳ κυκλώσω σε, i. *scuto circumdabo te.* Sic interpretatur Hieron. & rectè: nam ὅπλον *scutum.* Lex. V. Ὅπλον, *telum*, *scutum.* Psal. 5. 12. כצנה Lxx, ὡς ὅπλῳ, *ut scuto.* Nah. 2. 3. ὅπλα δυναστείας αὐτῶν, i. *scuta.* Posses etiam reddere *arma.* Nam *arma* propriè sunt scuta; ut, *Tarpeia necata armis Sabinorum*, & *ancilia arma.* In Medras Psalmorum, מגן *scutum Persicum*, *ambiens hominem undique*, sive *ab omni parte.* Ἐκδώσω σε] Hieron. *Protegam te*, *Aq. transtulit* ὅπλῳ κυκλώσω σε, *i.* scuto circumdabo te. *Quod cum in bonam partem putaremus intelligi*, *& significare protectionem*, *ex editione Symmachi contrarius nobis sensus subjicitur*, *dicentis*, ἐκδώσω σε, *i.* tradam te. *Ex translatione quoque Theodotionis non prospera sed adversaria demonstrantur.* ἀφοπλίσω σε, *exarmabo te*, sive ut verbis Hieronymi utar, *nudabo te & auferam à te* ὅπλον, *h.e. scutum*, *quo te antè protexeram.*

12. רד. Aq. ἐπικράτεια] Hieron. רד descensionem *&* fortitudinem *sign. pro quo Aq. transtulit* ἐπικράτεια. In ed Rom. ἔγνω αὐτούς. A. ἐπικράτεια, i. *imperium*, *potestas.* Hodie reddunt *dominatur cum Deo.* Nam רדה *dominor.* Psal. 68. 27. רדם. Aq. κρατῶν αὐτῶν, *imperium obtinens in eos.*

I D E M in V U L G.

1. *Sicut manè*] Id est, numerò, celeriter. ¶ *Transit pertransiit*] Recens interpretatio habet, *succidendo succisus fuit.* Certum est *excidium* significari ex metaphora silentii. ¶ *Quia puer Israël*] Hic Ebræi & Chaldæi incipiunt caput undecimum.

2. *Vocaverunt eos*] Prophetæ. ¶ *Simulachris*] Placeret *sculptilibus* pro *simulachris*, si non res eadem utroque vocabulo designaretur.

3. *Quasi nutritius*] *Deduxi* habet Jonathan pro interpretamento quod refert *assuefeci:* sed opinor melius esse *assuefeci.* ¶ *Portabam eos in brachiis meis*] Vertendum ex Ebræo, *portabat eos brachiis suis.* De Mose.

4. *In funiculis Adam*] Hic præpositio redundat ex Ebraismo. Hoc primum: deinde pro illo, *Adam*, verti potest, *hominis* aut *hominum. Funiculis hominum*, id est, humanis. ¶ *In vinculis charitatis*] Recens interpres rectiùs, *in funibus charitatis.* Nam dictio Ebraica propriè denotat *funes densos crassosque.* ¶ *Quasi exaltans*] *Ut qui extollunt* est in Ebræo. Hoc dicit, reapse extollebam & sublevabam jugum ejus. Nam *quasi* hîc valet ut in illo, *quasi transferentes terminum:* & in illo, *quasi contendentes cum sacerdote.* ¶ *Ut vesceretur*] Cibum ediderunt alii, & ità in Ebræo. Quod præcedit, *declinavi*, positum videtur pro illo, *dimisi.*

6. *Cæpit gladius*] Placeret hoc, si verbum Ebraicum esset ab HALAL: quod cùm sit ab HALAH, malim, *residebit.* ¶ *Electos ejus*] Est hoc legentis Res pro Daleth. Græcus, ἐν ταῖς χερσὶν αὐτοῦ, id est, BIADAU. Vera tralatio, *vectes ejus*, id est, interprete Jonathâ, *fortes ejus.* ¶ *Capita eorum*] *Ob consilia sua* perspicuè habet Ebræus, ut mirer interpretem cur verterit, *capita eorum.* Nam dictio Ebræa ità nunquam significat.

7. *Pendebit*] Id est, suspensus est. Jonathas, *divisus est:* aut potiùs, *divisi sunt.* ¶ *Ad reditum meum*] Utrùm hoc vult, *ut redeat ad me*, ità Jonathan: sed puto meliùs, *ad aversionem meam.* Ac si diceret, eò quòd sese averterat à me. ¶ *Jugum autem*] In Codice Ebræo nunc lectum, *ad excelsum vocant eum.* Quæ lectio multò melior quàm ea quæ interpreti placuit. Certè ut YOL hîc legatur omnino sententia repudiat. ¶ *Quod non auferetur*] Videtur legisse JERUMAM *non attolletur*, id est, non auferetur. Hodie legunt JEROMEM *non attollet.* Jonathan παραφράζει, *non incedent statura rectâ.*

8. *Dabo te*] Hosti scilicet. ¶ *Protegam te*] *Tradam te* alii reddunt, sententiâ mirandum in modum comprobante. ¶ *Adama*] Hodie Adma. ¶ *Seboim*] Per S, Sade.

9. *Et non homo*] Bene convertit quod in Ebræo, *& non vir.* Nam *vir* hîc positum pro *homo.* ¶ *Non ingrediar civitatem*] Omnino melius est, *non invadam civitatem.*

10. *Filii maris*] *à mari* est in Ebræo: nisi vertas *ex mari.* Ut sit, *filii ex mari*, id est, maris, Ebraicâ loquendi consuetudine.

11. *Avolabunt*] Pavidi fugient. ¶ *Assyriorum*] Ità legendum, non Assyrorum.

17. *Circumdedit me*] Sic legit, ut vertit. Nunc legunt, *Circundederunt me.* ¶ *In negatione*] Id est, mendacio. Scriptum est in quibusdam exemplaribus, *negotiatione*, sed minus sinceré. ¶ *Testis*] Legit ED, pro OD, id est, *adhuc*, & est adverbium. ¶ *Fidelis*] Perperam est in manuscripto, *fidelibus.* pro *descendit* arbitror vertendum, *dominatur.* Nam *descendit*, id est JAKAD.

L I V E L E U S.

1. *CUM puer esset*, *dilexi eum*] Mercerus ità interpretatur, atque etiam Tremellius priore suâ expositione; rectè, meo animo; Conjunctio enim sæpe abundat. ¶ *Accersivi*] קרא sequente ל *accersere* sæpe significat, i. *vocare quidem*, *sed absentem*, *per nuncium.* Gen. 31. 4 *Mittens accersivit uxores suas in agrum:* multisque aliis in locis. Ea notio hic optimè quadrat. Propheta hoc de vetere populo, Euangelista de Christo intelligit. Utrumque verum, quia ille hujus typus & figura hac in re erat. Deus Israelem per Mosem ex Ægypto accersivit, Christum per Angelum. *Cùm puer esset.* Tempus enim

enim liberationis à servitute Ægyptiaca Pueritiæ comparatur, cap. 2. 15. *ut diebus pueritiæ suæ cum ex Ægypto ascendit.* Sic Christus in pueritia sua indè accersitus erat.

3. *Ad gradiendum assuefeci*] Lxx, συνεπόδισα. Castalio, *pedavi.* Plerique omnes Interpretes ità accipiunt quasi peditentim puerum ad gradiendum assuefacere significet & docere incedere. Similitudo à nutrice, quæ, ut Statius 2 Silvarum probat, amore sæpe ipsos parentes superat;

Quid referam altricum victos pietate parentes, &c.

¶ *Accipiendo eos*] i. Quemque eorum, *brachiis suis*, more eorum qui parvulos in primo incessu dirigunt. Ducentes enim per brachia tollent & sustinent. Ità קחם erit infinitum anomalum: quod ipse Quimquius in Radicibus suis indicavit.

5. *Non revertetur*] Videtur primo aspectu sententia contraria ei quæ præcessit cap. 9. 3. *Redibit Ephraim in Ægyptum, & in Assyria pollutum comedet.* Verùm ibi de voluntaria quorundam in Ægyptum profectione locutus esse videtur, hic de coacta totius populi deportatione, quæ ab Assyriis, non Ægyptiis, facta est.

6. *Devinos ejus*] Ità בדים interpretor, ut Jer. 50. 36. ubi de hominibus consilio & intelligentiâ pollentibus usurpatur, *Gladius irruet in principes ejus, sapientes ejus, divinos ejus, fortes ejus.* Huic interpretationi favet finis versûs, *propter consilia eorum.* ¶ *Devorabit*] Sub. *eos*, ut cap. 2. 7. & 4. 12.

8. *Viscera mea pænitentiâ*] Eò libentiùs hanc interpretationem Tremellii probarim quòd similis locutio repetiatur Gen. 43. 30. & 1 Reg. 3. 26. *æstuaverunt viscera ejus.*

10. *Jehovam sequentur*] h. e. Christum quasi ducem in Spirituali Ecclesiæ liberatione præeuntem sequentur. Esa. 52. 12. *Praiturus est vobis Jehova, collecturusque vos Deus Israelis.* Vide Mich. 2. 12, 13. ¶ *Rugientem*] Leones captâ prædâ rugire solent voce ad mugitum conformatâ, ut eo sono audito alii leones ad ejusdem prædæ participationem confluant, Autore Plutarcho in libro De industria animalium. Sic Christus potenti Euangelii voce gentes omnes ad æternæ vitæ veræque beatitudinis societatem vocat. Vide Joel. 3. 16.

11. *Quasi columba*] Quàm velocissimé. Vide Psal. 55. 6. & Esa. 60. 8. ubi Ecclesia comparatur columbario.

12. *Cum sancto*] h. e. Deo. קדושים enim pluraliter *Deum sanctum* designat, pro more hujus linguæ plurali pro singulari posito. Sic Prov. 9. 10. *Initium sapientiæ est timor Jehovæ, & cognitio* קדשים *Sanctorum*, i. Dei sanctissimi, *est intelligentia.* Cùm enim אלוה & pluraliter אלהים *Deus* dicatur, quid obstat quò minùs simili ratione קדוש & קדושים vocetur, cùm hoc non minùs quàm illud unum ex Dei nominibus sit? Apoc. 3. 7. *Hæc dicit ὁ ἅγιος Sanctus ille & Verax.* Esa. 57. 15. *Cujus nomen est Sanctus.* Hab. 3. 3. *Deus ex Temane veniet, & Sanctus ex monte Paranis.* Utrumque pluraliter conjunctìm de uno Deo usurpatur Jos. 24. 19. אלהים קדשים הוא *Dii sancti ipse*, pro *Deus sanctus.* Hujus generis illud est Deut. 10. 17. *Jehova Deus vester est Domini dominorum:* & Mal. 1. 6. אני אדונים *Si Domini ego, ubi timor meus?* Valet utrobique *Dominus.* Item illud Esa. 54. 5. *Conjuges tui, factores tui Jehova*, pro *conjux, factor.* Hoc igitur extra controversiam pono, hoc nomine plurali Deum intelligendum esse, ut ejusdem sententiæ repetitio sit. Quimquius ex Hebræis ità judicavit, & eandem vocem Aben Ezra Prov. 30. 3. eodem modo exponit. Oecolampadius etiam hic ad Deum refert. Quod autem initio versûs dicit *se circumventum esse*, humanitus dictum est ad fraudulentos hypocritarum mores notandos, qui fictam probitatis speciem præ se ferebant; ut Psal. 78. 38. *Deceperunt eum ore suo, & linguâ suâ mentiti sunt ei.* Deus enim revera falli non potest, quia secretas ipsius cordis cogitationes novit. *Circumvenire* hîc est pro *decipere.* Tralatio à Venatoribus, ut apud Latinos.

GROTIUS.

1. Quia puer Israël, *& dilexi eum*] *Cùm puer esset Israël, dilexi eum.* Prima ætas populi fuit in Ægypto, Ezech. 16. 5. & 23. 3. ¶ *Et ex Ægypto vocavi filium meum*] Israël *Dei filius*, & quidem *primogenitus*, dicitur Exod. 4. 22. figura in hoc Christi. Vide quæ ad Matth. 1. 25. & 2. 15. *Ex Ægypto vocavi:* id est, exire jussi. Notat hic Hieronymus *quæ τυπικῶς* [*in figura*] *præcedunt in aliis, juxta veritatem & adimpletionem referri ad Christum.*

2. *Vocaverunt eos*] Nempe Moses & Prophetæ alii ad pietatem. ¶ *Sic*] Id est, tantò magis. ¶ *Abierunt à facie eorum*] Terga obverterunt Prophetis, Jerem. 2. 27. ¶ *Baalim immolabant*] Ut Beelphegori, Numerorum 25. 3. ¶ *Et simulacris sacrificabant*] *Adolebant. Simulacris*, id est, coram simulacris, ut Vitulo, Exod. 32. 4.

3. *Et ego quasi nutritius Ephraim*] In Hebræo, *Ire feci Ephraimum:* id est, Sicut pueri docentur ire, sic ego illos ab initio formavi duxique. ¶ *Portabam eos in brachiis meis*] In Hebræo: *Portavit eos super brachiis suis.* Nempe Moses fuit illorum quasi gerulus. Quod hîc Mosi tribuitur, ad alibi Deo, ut Deuteronomii 1. 31. & 32. 11. ¶ *Et nescierunt quod curarem eos*] Non satis intellexerunt hoc ideo tam studiosè à me fieri, ut eos ab idolis abducerem.

4. *In funiculis Adam traham eos, in vinculis caritatis*] Græci omnes אדם [*Adam*] hic non ut nomen proprium sed ut commune accipiunt. *Funes hominis*, sive *humani*, sunt beneficia, quibus maximè solent attrahi homines. ¶ *Ero eis*] *Fui eis.* ¶ *Quasi exaltans jugum super maxillas eorum*] *Ut qui jugum à collo trans maxillas amovet.* רום non rarò vertitur per αἴρειν, ἀπαίρειν, ἐξαίρειν, ἀφαιρεῖν [*tollere, auferre, eximere, detrahere.*] Hæc nova est comparatio ab agricola sumta, quâ liberationem ab Ægypto designat. ¶ *Et declinavi ad eum, ut vesceretur*] *Admovi eis vescenda*, Manna scilicet & aves. נטה inter alia significat ἐπάγειν, παραβάλλειν [*adferre, apponere,*] & sic vertitur. Beneficiorum commemoratio culpæ gravitatem ostendit.

5. *Non revertetur in terram Ægypti*] Jam *non* ultrà *recurret ad Ægyptum* opis causâ, ut antehac fecit. Idem loquendi genus in eadem re suprà 8. 13. Vide & 7. 11. 2 Regum 17. 4. ¶ *Et Assur ipse Rex ejus*] *Sed Assyrius erit Rex ejus.* Vivet in Assyriorum ditione. ¶ *Quoniam noluerunt converti*] Tanto scilicet tempore.

6. *Cœpit gladius in civitatibus ejus*] *Cùm maneret gladius in urbibus eorum:* cùm adhuc in bellis civilibus versarentur. ¶ *Et consumet electos ejus*] *Et consumeret fortes ejus.* Sic Chaldæus. בד Chaldaïcè est *vectis*. eo nomine rectè veniunt qui armis rempublicam sustentant. Græci legerunt בידו [*in manu ejus.*] ¶ *Et Comedet capita eorum*] *Et comederet eos qui sunt à consiliis eorum*, procerum præcipuos. Sic Chaldæus.

7. *Et populus meus pendebat ad reditum meum*] *Tamen populus hæsitabat circa conversionem meam:* id est, non poterat penes se constituere ad me esse redeundum. ¶ *Jugum autem imponetur eis simul*] Sumsit על pro *jugo*, ut & Chaldæus sumsisse videtur. Sed sensus videtur optimus, *ad excelsum* (id est, Deum) *vocabunt eum* (Israëlem, de quo sermo) *simul* (Prophetæ omnes.) ¶ *Quod non auferetur*] *Non extulit* quisquam caput suum, ut arrectis auribus auscultaret.

8. *Quomodo dabo te Ephraim?*] Quomodo te tractabo pro istis meritis? ¶ *Protegam te Israël*] *Tradam te*, nempe exitio. Symmachus hîc ἐκδώσω [*dedent.*] Nam מגן, quod variè hîc vertunt Græci, est *tradere*, ut Gen. 14. 19. ubi Græci παρέδωκε [*tradidit.*] Proverb. 4. 8. ¶ *Sicut Adama ponam te, ut Seboim*] *Sicut Seboim.* Quæ urbes cum Sodomis funditus excisæ; sed maluit has nominare ex quibus nemo superstes fuit. Ostendit Deus quid pro meritis Israëlitarum statuere de eis possit. ¶ *Conversum est in me cor meum*] Nolo illas minas implere. ¶ *Pariter conturbata est pænitudo mea*] In Hebræo, *Simul commotæ sunt pænitentiæ meæ*; id est, viscera commota sunt ad pœnitentiam: ἀνθρωποπάθεια [*Attributio humanorum affectuum*] satis frequens.

9. *Non faciam furorem iræ meæ*] Non agam summo jure. ¶ *Non convertar ut disperdam Ephraim*] *Non eò adducar ut Ephraimum internecione deleam.* Græci: οὐ μὴ ἐγκαταλίπω τοῦ ἐξαλειφθῆναι τὸν Ἐφραΐμ [*non permittam deleri Ephraimum.*] ¶ *Quoniam Deus ego, & non homo*] Id est, multò hominibus clementior, Exod. 34. 6. ¶ *In medio tui Sanctus*] Id est, *sanctificatus*; cultu conveniente honoratus à majoribus vestris fui. ¶ *Et non ingrediar civitatem*] Propterea non patiar ut urbs ulla vestrarum vi capiatur, sed efficiam ut deditio fiat, ac sic homines serventur in vita.

10. *Post Dominum ambulabunt, quasi leo rugiet*] *Ambulant*; id est, Ubi iram meam ostendero, nempe per deportationem, vel tunc mihi pareant. ¶ *Quia rugiet ipse*] *Cùm rugiet ipse.* Repetit quod dixerat. ¶ *Et formidabunt filii maris*] Id est, timeant me, qui se adventante Salmanasare ad oram maris Rubri receperint. Confer Esaiæ 11. 11. & ibi dicta.

11. *Et avolabunt quasi avis ex Ægypto*] *Paveant quasi avis Ægyptia*, id est, ciconia. Hoc dicit propter eos Israëlitas qui ad Salmanasaris adventum se in Ægyptum receperunt, suprà 9. 3. ¶ *Et quasi columba de terra Assyriorum*] *Quasi colum-*

columbâ Assyriaca. Assyria plena columbis. Hoc dicit propter eos qui in regiones Assyriorum abducti sunt. ¶ *Et collocabo eos in domibus suis*] Perstat in similitudine: nam & ciconia ad nidum suum redit, & columba ad columbarium. Impletum hoc in Israëlitarum non multis, qui ad Deum conversi cum Judæ tribu rediere: implendúmque fuisset in pluribus, si plures se ad bonam mentem retulissent, ut dictum alibi. Vide suprà 1. 11.

12. *Circumdedit me in negatione Ephraïm*] Meliùs Hebræi hoc ad caput sequens referunt. Vertas rectè: *Circumvênit me mendacio Ephraïm.* Egregia promisit, nihil præstitit. ¶ *Et in dolo domus Israël, Judas autem testis descendit cum Deo, & cum sanctis fidelis*] *Cùm Judas adhuc fortis esset cum Deo* (in Dei cultu,) *& fideliter cum sanctis* (id est, Prophetis) *ageret.* Descriptio temporum Ezechiæ, qui in Juda cultum Dei restituit, Esaïæ, aliisque Prophetis fidem habens. Quo tempore corruptissimi erant Decem tribuum mores, Oseâ Rege frustrà eos nonnihil corrigere conante.

CAP. XII.

MUNSTERUS.

1. P*Ascitur vento*] Inanis est pastio venti, cùm ventrem exsaturare nequeat: sic qui idola colunt, rem vanam & mendacium sectantur. ¶ Per *ventum Orientalem*, qui non est frugifer, intelligitur perniciosus cultus idolorum. Et Israelitæ à Prophetis correpti, tantum abest ut ad Dei redierint cultum ut etiam *inierint fedus cum Assyriis, & Ægyptiis oleum miserint* ad captandum eorum benevolentiam.

3. *In utero supplantavit fratrem suum*] Magnum erat miraculum ut infantulus nondum in lucem expositus potenter fratris teneret plantam: Quo veluti exemplo præfiguratum est, Regnum mansurum apud minorem in domo Jacob; sicut & Christus *regnabit in domo Jacob in æternum*, & fideles ejus dominaturi sunt impiis post hanc vitam. Denominatus est igitur JACOB ab עקב *supplantatione*, & ISRAEL à שרה *dominio quo prævaluit Angelo.* Unde qui veri Israelitæ sunt, illis nulla creatura prævalere poterit: non quòd persecutiones & afflictiones non patiantur, cùm & Jacob in itinere *fleverit*, & usque ad finem vitæ suæ malos habuerit annos; sed quòd eos neque mundus neque potestates tenebrarum avertere possunt à charitate Dei & Christi.

6. *Ad Deum tuum convertaris*] Tu, inquit, qui gloriaris te esse de carne Jacob, cura ut etiam Jacob imiteris in spiritu: hi enim veri Israelitæ sunt, &c. At tu operibus tuis magis *refers Chananæum* infidelem, impium atque iniquum. CHNAAN autem interpretatur *negotiatorem*, Negotiatorum autem ingenium est decipere & quæstu iniquo ditescere. Id cùm *Ephraitæ* strenuè egissent, & feliciter eis successisset, in hoc temerarium lapsi sunt judicium ut putarint se hoc egisse *sine iniquitate.* Sic multi usque in hunc diem judicant suam sanctimoniam ex hujus seculi felicitate.

9, 10. *Adhuc sedere te faciebam*] Licèt, inquit, me irritâris, ego tamen promissionis & *contestationis* meæ quam patribus feci non oblitus, *habitare te feci in domibus tuis.* Potest etiam אושיבך exponi pro futuro tempore, sed tunc locus iste intelligendus est de reversuris in spiritu, & de æternis habitaculis quæ Deus piis inhabitanda promisit. Et nè ullus homo esset inexcusabilis, *locutus est per Prophetas* plurimos, *& multiplicavit visiones*, quales multæ inveniuntur apud Jesaiam, Jirmeiam, Jehezkel & Danielem, qui à longè viderunt quæ eventura erant populo Dei. Proposuit *similitudines* efficaces per quas populum commodiùs instrueret.

11. *Quia in Gilead*] Putant hunc habere sensum, Si loci celebritas nihil profuit illis qui *in Gilead & Gilgal idola coluerunt*; quin debitas luerint pœnas, nec juverit habitasse in terra Promissionis, & Deum perverso cultu irritasse.

12. *Fugit Jacob*] Simplex, inquit, Jacob pater vester non tam avarus fuit ut vos, nec usus est multis dolis, sicut vos in negotiatione vestra, sed simpliciter *pastorem egit gregum*, multis annis patienter *serviens pro uxoribus suis.*

14. *Ad amaritudines*] Alii legendum putant *in amaritudinibus*, i. idolis.

VATABLUS.

1. P*Ascit ventum*, &c. רועה רוח וגו׳] i. Perdit operam suam dum colit simulacra & idola. Doctus inter Hebræos sic ait, *Ephraim colens Vitulos similis est aperienti os suum vento, & pascenti illum, ex quo non vivit, & sequenti Subsolanum*, sive *Eurum, vehementissimum & homines lædentem: nam tantum abest ut indè commodum reportet, ut potius maximum damnum ex eo cultu sibi contrahat.* ¶ *Et vastitatem multiplicat* ושוד ירבה] Fut. Heb. pro præs. i. multiplicat idola, quæ sunt caussa vastationis provinciarum. ¶ *Deportatur* יובל] Sub. *à Terra sancta*, ubi est optimum oleum. Fut. Heb. pro præs.

2. *Disceptatio autem* וריב] Vide cap. 1. 1. ¶ *Et ut visitet Jaacob* ולפקד על יעקב] Hebraismus, pro, *& cum Jaacob ut visitet eum*, i. puniat pro ratione scelerum: q. d. Utrumque Regnum peccavit contra Deum. Hic quodammodo prædicitur transmigratio Duarum tribuum, & Decem.

3. *Supplantavit fratrem suum* עקב את אחיו] *Apprehendit* [*arripuit*] *calcaneum fratris sui.* His Dominus ostendebat fore ut Jaacob vinceret fratrem opibus. Taxat autem ingratitudinem Israelis, commemorando sua in illum beneficia. ¶ *Prævaluit Angelo* שרה את אלהים] *Dominatus est Deo*, i. Angelo. Seipsum seq. versu exponit.

4. *Flevit* בכה] Sub. *Angelus*, i. quasi *flevit* & suppliciter *rogavit* ipsum Jaacobum ut se sineret abire. Alii referunt ad ipsum *Jaacob*, quòd *fleverit & rogaverit Angelum.* Vide Gen. 32. 26, 28. ¶ *Invenit eum* ימצאנו] Sub. *Angelus ipsum Jaacob.* Fut. Heb. pro præt. ¶ *Locutus est* ידבר] Sub. *Angelus.* Fut. Heb. pro præt. ¶ *Nobiscum* עמנו] i. Mecum, & cum Amos, ut scilicet prædicatione nostrâ invitaremus populum Israeliticum ad pœnitentiam. Verba sunt Prophetæ.

5. *Memoriale ejus* זכרו] i. *Jehovah* est nomen ejus perpetuum.

6. *Et judicium* ומשפט] *Et justitiam*, i. esto misericors in proximum, & illi redde quæ sua sunt. ¶ *Et fide*, &c. וקוה וגו׳] *Et spera in Deo tuo jugiter:* vel, *omnem spem & fiduciam colloca in Deo tuo.*

7. Instar *mercatores* כנען] *Mercator* est.

8. *Divitias* און] *Fortitudinem.* ¶ *Laboribus meis* יגיעי] i. Opibus labore meo partis. ¶ *Non invenient* לא ימצאו] Sub. *qui scrutabuntur opera mea.*

9. *Et terra Misraim* מארץ מצרים] Sub. *à tempore quo eduxi te è terra Ægypti.* ¶ *Secundùm dies festivitatis* כימי מועד] *Sicut in tempore solennitatis.* Tempus liberationis ex Ægypto vocat *dies solennitatis:* q. d. Sicut feci tempore quo eduxi te de terra Ægypti. Quidam referunt hæc ad futuram captivitatem: q. d. Oblitus liberationis ex Ægypto, faciam te reminisci non præteritæ liberationis sed venturæ: nam te in captivitatem abducam, ex qua te retraham & liberabo; unde memor eris, & festum Tabernaculorum restitues in memoriam hujus liberationis venturæ. Prædicit & captivitatem & liberationem.

10. *Et locutus sum*, &c. ודברתי וגו׳] Quidam per futurum, *Et loquar cum Prophetis ipsis, visionésque ego multiplicabo, & per manum Prophetarum proponam similitudinis*, sub *tibi*, invitando te scilicet ad pœnitentiam, & multa bona tibi promittendo.

11. *Nónne Gilad*, &c. אם גלעד און] *Annon* in *Galaad iniquitas?* q. d. Propter peccata sua aliò demigrarunt: vel demigrabunt.

12. In *regionem* שדה] Ad verb. in *agrum.* ¶ *Custodivit* שמר] Sub. *greges Laban*, & tamen evexi eum ad tantam dignitatem: q. d. Videte quantum beneficii contulerim in Patrem vestrem Jaacob.

13. *Et per Prophetam* ובנביא] Sub. *Mosen.* ¶ *Custoditus est* נשמר] Sub. *in deserto*, & tamen ingratus fuit.

14. *Amaritudinibus*, תמרורים] i. irâ amarissimâ. Alii, *excelsis*, i. altaribus quæ exstruxerat in honorem deorum. ¶ *Ideo sanguis ejus*, &c. ודמיו עליו וגו׳] *Ideo sanguis ejus super eum requiescet:* vel, *sanguinem ejus super eum requiescere faciet*, i. sumet de illo pœnas propter sanguinem innocentem ab illo effusum ¶ *Et opprobrium ejus* וחרפתו] i. Quo affecit Dominum relinquendo illum, & sequendo idola.

CASTALIO.

1. O*Leum portatur in Ægyptum*] Scilicet ab Ephraimitis Ægyptiorum auxilium petentibus.

4. *Et ibi cum eo collocutus*] עמנו positum est pro עמו, interpositâ Nun, ut fit in כמנו, & in fine Psalmi 5. תעשרנו pro תעשרהו: nam

nam ità postulat hæc historia : & Græci verterunt τοὺς αὐτοὺς, pluràli utentes pro singulari, sed eâdem personâ.

5. *Jova Deus armipotens erat*] Jovam in memoria habebat, colebàtque: vos quoque illius religionem debetis imitari, si vultis eandem cum illo felicitatem consequi.

7. *Chananæus*] Ephraimitæ Chananæam incolentes. ¶ *Fallacem habens in manu trutinam*] Hoc dicit, quoniam C H A N A A N significat etiam *mercatorem*.

8. *Nec ullum inventum iri in omnibus suis laboribus crimen*] i. Actionibus.

9. *At ego Jova tuus ab Ægyptia terra Deus*] Ex quo te eduxi ex Ægypto. ¶ *Te in tabernaculis collocabo*] Ex posterioribus intelligenda sunt antecedentia: Ego te captivum reddam; deinde revocabo & domum reducam lætum, *ut fieri solet diebus festis*.

C L A R I U S.

1. P*Ascitur vento*] Inanis est pastio venti, cùm ventrem exsaturare nequeat: sic qui idola colunt, rem & vanam & mendacium sectantur. Per *Eurum* ventum Orientalem, qui non est frugifer, intelligitur perniciosus cultus idolorum. Et Israelitæ à Prophetis correpti tantum abest ut ad Dei redierint cultum ut etiam *inierint fedus cum Assyriis*, *& Ægyptis unguenta miserint*, ad captandam eorum benevolentiam. ¶ *Vastitatem multiplicat*] i. Causas vastitatis sive devastationis.

2. *Judicium ergò*] i. *Contentio Domini adversus Judam & posteritatem Jacob* propter eorum ingratitudinem.

3. *In utero*] Commemorat beneficia quæ Deus in patres eorum contulit. Magnum erat miraculum ut infantulus nondum in lucem expositus potenter fratris teneret plantam: Quo veluti exemplo præfiguratum est, Regnum mansurum apud minorem in domo Jacob; sicut & Christus *regnabit in domo Jacob in æternum*, & fideles ejus dominaturi sunt impiis post hanc vitam. Denominatus est igitur J A C O B à *supplantatione*, & I S R A E L à *dominio quo prævaluit Angelo*: unde qui verè Israelitæ sunt, illis nulla creatura prævalere poterit. Non quòd persecutiones & afflictiones non patiantur, cùm & Jacob in itinere *fleverit*, & ad finem usque vitæ suæ malos habuerit annos, sed quòd eos neque mundus neque potestates tenebrarum avertere possunt à charitate Dei & Christi.

4. *Locutus est nobiscum*] i. Cum Jacob de iis quæ pertinebant ad nos.

6. *Et tu ad Deum*] Itaque tu memor tantorum beneficiorum, cùm glorieris te esse de carne Jacob, cura ut etiam Jacob imiteris in spiritu: Hi enim veri sunt Israelitæ.

7. *Instar mercatoris*] Nequaquam *misericordiam & justitiam custodisti*, sed factus es *instar Chananæi*, h. e. negotiatoris. Negotiatorum autem ingenium est decipere & quæstu iniquo ditescere. Id cùm *Ephraita* strenuè egissent, & feliciter eis successisset, in hoc temerarium lapsi sunt judicium ut putarint se hoc egisse *fine iniquitate*: vel, Tantâ arte usus sum, inquit, in fallendis aliis ut *nemo possit invenire in laboribus meis iniquitatem*, vel *peccatum*.

9, 10. *Adhuc sedere te faciam*] Vel *faciebam*. Licèt, inquit, me irritâris, ego tamen promissionis & *contestationis* meæ quam Patribus feci non oblitus, *habitare te feci in domibus tuis*. Sin per futurum dicas, tunc locus iste intelligendus est de reversuris in spiritu, & de æternis habitaculis quæ Deus piis inhabitanda promisit. Et nè ullus homo esset excusabilis, *locutus est per Prophetas plurimos*, *& multiplicavit visiones*, quales multæ inveniuntur apud Esaiam, Jeremiam, Ezechielem & Danielem, qui à longè viderunt quæ eventura erant populo Dei. Proposuit *similitudines* efficaces per quas populum commodiùs instrueret. ¶ *Assimilatus sum*] i. Voluntatem meam similitudinibus & variis locutionis generibus elocutus sum.

11. *Si Galaad idolum*] Intelligit, nihil profuisse illis quòd *in Galgal & Galaad idolis immolaverint*. Galaad erat in Regno Decem tribuum, Galgal autem sub imperio Duarum tribuum. Pro *idolo* alius vertit *molestiam*, vel *iniquitatem*: & tunc erit sensus, Si eorum iniquitas non est impunita qui in Galaad idola coluerunt, neque vestra erit. Miseri ubique *acervos* lapidum colligunt, & diis terminalibus immolant, relicto vero Deo.

12. *Fugit Jacob*] Simplex, inquit, Jacob pater vester non tam avarus fuit ut vos, nec usus est multis dolis, sicut vos in negotiatione vestra, sed simpliciter *pastorem egit gregum*, multis annis patienter *serviens pro uxoribus suis*.

14. *In amaritudinibus*] h. e. In irritationibus.

L. B R U G E N S I S.

11. S*I in Galaad idolum*, *tamen frustrà erant in Galgal bobus immolantes*] Duodecim nostra manuscripta, Brugense, O, E, Q, Plantini medium, &c. & antiqua Epanorthotæ, cum Moguntina; Coloniensi, atque aliis quibusdam typographorum editionibus, *in* præpositionem, voci *Galaad* præpositam, Hebræo conformiter tollunt: quam neque Haymo, Autor Glossæ & Carensis legunt. Subaudita est autem à quibusdam, Chaldæo Paraph. D. Hieronymo, & aliis: hinc aliis libris videtur addita. Parisienses ex V. Bibliorum à se correctorum textui adjecerunt. Pro *Galaad* quidam codices etiam insignes, *Galgal* habent; sed perperàm. Lobiense exemplar, E, Plantini medium, multáque alia, cum Epanorthote, *Galaad* scribunt: id quod Hebraicè ac Chaldaicè legitur; & ab Enarratoribus, D. Hieronymo, & posterioribus, exponitur. Græca Hispanorum editio Γαλγάλα scribit: Aldi & Germanorum, cum Theodorito; Γαλαὰδ· εἰ μὴ Γαλαὰδ ἐστιν, *Si non Galaad est*. Videntur Lxx pro און, quod *idolum*, *mendacium*, & *iniquitatem* significat, אין, quod est *non*, legisse, אם גלעד אין *Si Galaad non*. Conjunctionem *tamen* duo Parisiensium antigrapha (Compl. Bas.) sex Hentenii, & 17 nostra (Lob. E. Pl. m. P. Nuren. &c.) cum *ergò* mutant. Porrò *tamen* est in 19 nostris libris, Brug. O, Q, L, A. Mogunt. Colon. &c. Hebraica dictio אך utrumque admittit, & *tamen* & *ergò*. Haymo, Rupertus, Autor Glossæ & Richelius *tamen*, Lyranus & B. Hieronymus *ergò* explicant. B. Hieronymi verba sunt, *Quod ergò dicit*, *hoc est*, Si in Galaad, *de qua scriptum est* Hos. 6. 8. Galaad civitas operantium idolum, supplantata à sanguine, *falsi sunt dii & perversa religio*, &c. ergò & (in) Galgal *de qua in hoc eodem Propheta legimus*, Hos. 9. 15. Omnis malitia eorum in Galgala, &c. *quicunque idola colunt*, *non boves diis immolant*, *sed bobus offerunt sacrificia*, *imitantes errorem Samariæ*. Epanorthotes scribit, *Ergò frustrà erant in Galgal*.

Restat quarta hoc in loco varietas. Magna MSS. nostrorum, & quidem emendatiorum, pars legit, *Frustrà errant in Galgal*, pro eo quod in aliis est *erant*. In quibusdam mutatum conspicitur *erant* in *errant*; errore. Hebraica enim vox היו, & quam Græci transtulerunt ἦσαν, non *errant* significant, sed *erant*, id quod servant Moguntina, multáque alia excusa Biblia.

D R U S I U S.

1. C*Ircumdederunt me*] Peccat graviter qui hominem fallit; graviùs, qui Deum. Quanquam Deus falli non potest. Sed hoc dicit, Passim aras erexerunt diis falsis. Nam Deum fallit qui hoc facit. Cultum enim ipsi debitum alteri defert, cùm solus coli velit, solus adorari. ¶ *Mendacio*] Fallaciis, aut falso cultu. ¶ *Ephraim*] Israelitæ. ¶ *Et dolo*] Sub. *circumdant me*. *Dolo aliquem circumdare* est quod Latini dicunt *circumvenire*. ¶ *Dominaretur*] *Imperaret*. Oratio defecta, quam sic plenam efficies, *cùm Judas adhuc imperaret & ambularet cum Deo*, i. retento imperio persisteret in vera religione. ¶ *Cum sanctis*] Cum sanctis Dei ministris. Significare videtur Sacerdotes & Levitas: Quos ità vocat quia Divino cultui Templique ministerio peculiariter devoti ac consecrati erant. Sed latiùs accipitur. Nam *sancti* vocabantur & illi qui verâ religione imbuti erant. Unde manavit ad nos: Antiquitus enim *sanctos* vocabant ipsos Christianos. Potest legi *cum sancto*. S A N C T U S enim inter Dei epitheta esse, vel pueris notum est. Ebraicè קדוש, pro quo hîc est קדושים, nempe quia subintelligitur אלהים. Sic alibi legimus אלהים קדשים הוא *Deus sanctus ipse est*. Hæc interpretatio valde se probat mihi.

2. *Ephraim*] Initium capitis duodecimi in nonnullis exemplaribus. ¶ *Pascit ventum*] *Comedit ventum*, sive *vescitur vento*. Ad Hominem transtulit quod propriè de animalibus dicitur. Et *vento*, h. e. re nihili. Nam ventus neminem alere potest. Innuit vanam esse fiduciam quam in Ægyptiis & Assyriis ponebant. Aut *pascit ventum*, quia deditus cultui deorum falsorum. ¶ *Persequitur Eurum*] Plus dicit. Nam Eurus nocet corporibus. Hic ventus tam vehemens est in Judæa ut etiam naves confringat. David cognomento Camius, *Eurus ventorum durissimus est*, *& lædit homines*. Job. 15. 2. *Implet Euro ventrem suum*. ¶ *Mendacium*] Mentitum cultum. ¶ *Vastitatem*] Jonathan, *rapinam*. Alii, *calamitatem*. Nam qui mendacium frequentat, sibi perniciem creat. Scitum enim illud, *Os quod mentitur occidit animam*. ¶ *Cum Assyrio*] Cum Rege Assyriæ, vel cum Assyriis. Quale est, *Romanus vicit*, pro

pro *Romani vicerunt.* ¶ *Oleúmque in Ægyptum deportatur*] Pro munere videlicet. Sic Jes. 57. 9. *munera detulisti ad Regem cum oleo.* Judæa oleo abundans illud exportabat ad exteros, ut colligere licet ex Ezec. 27. 17. Sanè quidem Ægyptus, cùm regio plana esset, (nam Oleæ collibus gaudent) videtur aut non habuisse oleum, aut certè non abundasse eo.

3. *Lis quoque DOMINO*] Adhuc litigabit cum Judæis aliquanto tempore, conabitúrque per suos Prophetas eos ad saniorem mentem revocare. ¶ *Cum Juda*] Cum Judæis & Benjamitis. ¶ *Visitabit contra Jacobum*] Pro *qui visitabit* potest legi *cum visitabit*, vel *sed visitabit.* In Ebræo est ad verb. ולפקד. Qui sermo defectus est: Subintelligitur enim עתיד *futurum est ut visitet*, i. visitabit contra Jacobum, sive animadvertet in illum. Per *Jacobum* autem intelligo nunc X tribus. Porrò ellipsis τῦ עתיד & alibi à me observata fuit. Aut est inf. pro fut. ¶ *Vias*] Actiones. Dignum factis supplicium de eo sumet.

4. *In utero*] Occasione superioris versûs narrat historiam Jacobi Patriarchæ, & populum qui ab eo genus duceret tacitè insimulat ingratitudinis, quia turpiter deseruisset Deum cujus tot & tanta merita in parentem eorum exstarent. ¶ *Supplantavit*] Est cur malim *tenuit calcem fratris sui:* quod Moses dixit Gen. 25. 26. *& manus ejus prehendit calcaneum Esau.* *Supplantare* aliud est. Nam *supplantat aliquem* qui eum pede supposito ad casum impellit. Per translationem verò significat Decipere. Ità sumpserim Gen. 27. 36. *Verè nominatur Jacob, quia supplantavit me his duabus vicibus.* Græci hîc reddunt ἐπτέρνισε, & bene, meo animo. Nam πτερνίζω latè patet: significat enim & *calcem contingo*, & *calce ferio*, & *decipio.* Ergò JACOB πτερνιστὴς vel πτερνιστήρ. ¶ *De principatu contendit cum Deo*] Fuit tempus cùm verterem *princeps fuit cum Deo:* quod explicabam, *luctans cum Deo*, sive *in lucta cum Deo.* Sic Gallica editio. Nunc præfero, *de principatu contendit cum Deo.* Nam quod Santes vertit *prævaluit Deo*, ex versu proximè sequenti convelli potest. Eo, inquit, robore præstitit ut ausus fuerit contendere cum Deo de principatu.

5. *Cum Deo*] Vel *cum Angelo.* Nam ELOHIM etiam de *Angelis* dicitur: sed tum sensum habet pluralem: ideo prætuli *cum Deo.* Sanè hic Angelus simul Deus erat, nempe is qui vocatur *Magni consilii Angelus*, & qui Patribus apparuit olim in specie humana. ¶ *Et prævaluit*] Si legas *& princeps fuit cum Deo*, hic *&* accipies pro *id est:* quod Aben-Ezra observavit. ¶ *Flevit*] Angelúsne, an Jocobus? Si Angelus, *flevit* quia victus, *& deprecatus est* Jacobum cùm diceret Gen. 32. 26. *Dimitte me: ascendit enim aurora.* *Flevit* autem ut homo, cujus formam gerebat. Nam in humana specie apparuit Jacobo. Sic Christus in Euangelio *flevisse* legitur Johan. 11. 35. Sed in Christo fuerunt humanæ affectiones, quas πάθη vocant Græci. De Angelis alia ratio. Veruntamen Doctores Ebræi (quos vide) de Angelo enarrant: quod credibilius mihi videtur. Nam victus *flevit*, petiitque ut se dimitteret. Cur fleret victor? Illud quidem certè eripi mihi non potest, quin illi qui edisse & bibisse referuntur, etiam flere potuerint. Sed nolim de eo contendere, præsertim cùm de Jacobo intelligi non incommodè possit. Nam cùm femur ei luxatum esset, potuit dolor ei lacrymas excutere. Idem petiit sibi gratiam fieri discedendi, rogavitque Angelum ut sibi benediceret. Id significat cùm ait, *deprecatus est eum.* Hic emergit alia difficultas. Nam quæritur unde Angelum aut Jacobum *flevisse* Propheta sciverit? siquidem in Mose altum de hac re silentium. Et respondeo, licèt hoc disertè scriptum ibi non sit, factum tamen colligi ex historia. Simile quid reperitur Ebr. 12. 21. Vide parallela mea. Nec dissimile exemplum exstat Gen. 50. Videndus Eucherius ad h. l. Videndus etiam Augustinus Quæst. lib. 3. qu. 31. & R. D. Kimchi ad locum Jeremiæ, *Et vidit prævaricatrix soror ejus Juda.* Idem Augustinus ad locum Gen. 42. 34. *Deinceps quæ vultis emendi habeatis licentiam*, hunc in modum scribit, *Notandum est quod maximè necessarium videtur propter Euangelistarum narrationes, quomodo cùm ea quæ dicta sunt dicta esse narrantur, non omnino eodem modo repetuntur, cùm in diversitate verborum nihil sententiæ depereat veritatis. Nam quod dixerint dictum sibi esse à Joseph*, & in terra mercamini, *non invenitur ab illo dictum. Sine mendacio tamen dixerunt quod ex verbis quæ dixerat in ejus voluntate cognoverant. Neque enim verba sunt necessaria nisi ad exprimendam & in audientium notitiam perferendam, quantum possumus, voluntatem.* ¶ *Et deprecatus est eum*] Quidam vertunt, *flevit & rogavit eum.* Quod uno verbo Latino explicant, *imploravit*, i. plorans petiit ab eo benedici, aut opem supplex rogavit contra fratrem: vel Angelus cum fletu supplicavit ut se dimitteret. Vide Gen. 32. 11, 26, & 29. ¶ *In Bethel offenderat eum*] Idem Angelus apparuerat Jacobo in Bethel, cùm domum ad parentes rediret: nec apparuerat modò, sed etiam ibi benedixerat ei. Hic perspicuè futurum usurpatur pro præterito: loquitur enim certè de re præterita. Veteres Ebræi hunc Angelum *Michaelem* nominatum fuisse dicunt: de quo & illa verba capiunt Gen. 48. 16. *Angelus qui redemit me ab omni malo.* Historia exstat Gen. 35. ¶ *Ibi locutus est nobiscum*] *Ibi*, h. e. in Beth-el, *locutus est* cum Jacobo etiam ea quæ *ad nos* pertinerent. Huc facit proverbium Ebræorum, מה שאירע לאבות סימן לבנים, *Quæ patribus acciderunt, signum sunt filiis.* Sanè filiis tribuuntur sæpe facta patrum.

6. *Exercituum*] Sub hoc nomine comprehenduntur Sol, Luna, Stellæ; Deut. 4. 19. & Angeli, Neh. 9. 6. & Animæ humanæ, Gen. 2. 1. & Dæmones, 1 Reg. 22. 19. Eucherius, *Nec movere debet quòd* exercitus cœli *etiam repulsi Angeli vocantur, quia & ipsi, quamvis ab æthereo cœlo expulsi sint, adhuc tamen in aereo cœlo demorantur.* ¶ *Memoriale ejus*] Vel *mnemosynon ejus*, i. μνημόσυνον, quomodo Græci nunc ediderunt. Homerus μνῆμα dixit. Est autem *id quo aliquid in memoriam revocatur.* Alibi eodem sensu legimus *nomen ejus.* Nam per illud cognoscimus imprimis naturam & essentiam ejus, cujus etiam memoriam subindè renovat. Hinc μνημόσυνον appellatur. Simul utrumque reperies Exod. 3. 15. *Hoc est nomen meum in seculum, & hoc memoriale meum in omnes ætates.*

7. *Ad Deum tuum converteris*] i. Convertere. ב autem in באלהיך pro Lamed ponitur, ut Jes. 10. 22. Quanquam sunt qui referant, *Tu verò in Deo tuo conquiesce.* Quod à Grammatico haustum, cui שוב *quiescere:* unde בשובה *quietè* Jes. 30. 15. Hâc lege, inquit, & conditione quiesces in Deo tuo, si *benignitatem & judicium servaveris.* *Ad Deum tuum*, באלהיך. Fortè per Beth Fiduciam innuere voluit, ac si diceret, *Fretus Deo tuo redi ad illum.* Emphasis quoque est in pronomine *tuum:* nam occultè perstringit eos qui, relicto Deo suo, ad alios colendos animum appulerint. *Ipsorum* autem *Deum* dicit qui è servitute Ægyptiaca ipsos redemisset, ad præ cæteris populis elegisset. ¶ *Benignitatem*] Vel *pietatem*, ut ad primam tabulam referatur; *judicium* verò, quod sequitur, ad secundam. Quidam *benignitatem* & *judicium* ad secundam tabulam referunt, & sequentia ad primam. ¶ *Judicium*] Jus & æquum. Sub hoc nomine comprehenditur Justitia. Nam his delectatur imprimis Deus. Jer. 9. 24. *Ego DOMINUS faciens benignitatem & judicium & justitiam in terra: certè in istis me oblecto, dicit DOMINUS.* Itàque alibi expressit, Jes. 56. 1. *Custodite judicium, & facite justitiam.* ¶ *Spera in Deo tuo*] Vel *spera in Deum tuum*, aut *exspecta Deum tuum.* q. d. Æquum est ut hoc facias: Nam ab eo omnia manant. Deut. 8. 18. *Memento DOMINI Dei tui: nam ipse est qui suppeditat tibi vires ad parandum opes.*

8. *Chanaan*] i. *Mercator.* Ità sumitur idem nomen Jes. 23. 8. Solet enim hoc modo gentile nomen in commune transire, ut cùm *Arabs* pro *latrone* ponitur, & *Chaldæus* pro *Mathematico.* Nam gens Chananæa mercaturæ imprimis dedita erat, ut ferè gentes mare accolentes. Alii *Chanaan*, i. *Chananæi.* Quod ità dicitur ut *Ephraim* pro *Ephraimitis.* Putant autem significari Israelitas, quos *Chananæos* vocat eò quòd moribus referrent eam gentem. Sic alibi, *semen Chanaan, & non Juda.* Vide Ezech. 16. 3. Cæterùm assentior iis qui censent nominativum absolutum esse. Nam quod vulgò explicant, *Ephraim est mercator*, durum mihi videtur. Potiùs subaudiendum putarim notam Similitudinis, ut cum sequentibus cohæreat hæc sententiâ, *Ut mercator in manu habens stateram fraudulentam*, &c. *ità Ephraim dixit, Utique dives evasi*, &c. ¶ *Amans opprimere*] Non solùm fraudibus utitur, sed etiam amat alios opprimere per vim & calumniam.

9. *Inveni*] i. Acquisivi, comparavi. Nam quæ labore comparamus nobis, ea quoque *invenire* dicimur. ¶ *Opes*] און pro הון. Nam hæ literæ communem familiam habent: sunt enim è Quiescentibus, quæ facilè inter se permutantur. ¶ *Mihi*] Aut redundat, ut *Vade tibi*; aut *mihi*, non aliis. ¶ *Omnes labores mei non invenient me*] i. ימצאו. Sic Gallica editio. Sic dicimus, *multa mala invenerunt ipsum.* Sed repugnat constructio. Verbum enim מצא, quando cum ל construitur, potiùs sign. *sufficere.* Ergò malim *omnes labores mei*, i. opes labore partæ, *non sufficiunt mihi.* Hactenus Ephraim. Sequuntur deinceps verba Prophetæ. *Iniquitas*, inquit, *hæc est, quæ sit peccatum*, i. idololatria. Nam tales Plutum pro Deo colunt. Finem certè sibi proponunt divitias; itaque nunquam explentur iis. Præterea tales spem vitæ suæ, quam in Deo ponere debebant, in opibus collocant. Ephes. 5. 5. *avarus, qui est idololatra.*

10. E

10. *E terra Ægypti*] Indè ab eo tempore quo eduxi vos è terra Ægypti. Commemorat beneficia sua in populum collata, cùm eos è servitute durissima quam in Ægypto serviebant redimeret: Quod factum eo fine ut perpetuò sibi devinctos & obstrictos haberet. ¶ *Adhuc collocabo te in tabernaculis*] Opus erit novâ redemptione: nam prioris obliti estis. Ergò denuò vos redemptos, sed ex alia captivitate, *in tabernaculis*, ut antea, *collocabo*, *habitare faciam*, κατοικιῶ. ¶ *Sicut in diebus solennitatis*] Sicut septem illis diebus quibus tabernacula inhabitatis. Quod fit in memoriam eductionis ex Ægypto. מועדים vocantur tria festa anniversaria. Hic verò poni videtur מועד κατ' ἐξοχὴν pro festo Tabernaculorum. *Scenopegian* vocant. Ruffinus *Attegias* dixit. Thren. 2.7. *Vocem ediderunt in templo DOMINI ut die solennitatis*.

11. *Et loquar*] Per somnium scilicet, Num. 12. 6. *Si quis fuerit vobis Propheta DOMINI, per somnium loquar ad eum.* Quod fiebat plurimùm noctu. ¶ *Ad Prophetas*] Πρὸς τοὺς προφήτας. Sic Græci, quos nunc secutus sum. Potest legi *cum Prophetis*: quod Chaldæo magis placuit. Notum על etiam pro עם poni. Tremellius *per Prophetas*, i. ביד. Quo sensu על non facile uspiam invenies. ¶ *Visionem multiplicabo*] Visiones aliæ in somnio, aliæ extra somnium videbantur. *Somnii* vocabulo & ecstasin comprehendo. Hoc modo Petrus vidit linteum illud in quo diversi generis animantia, quibus promiscuè vesci jubetur. Historia nota est. Tradunt autem Ebræi visionem quæ citra somnium videtur in omnes partes perfectiorem esse. Interdum *visio* & *Prophetia* se mutuò explicant, etiam quando *Prophetia* latè sumitur, ut ibi, *Ubi non est visio, dissipatur populus.* Nam sensus, Ubi verbum Dei non docetur ità ut oportet. ¶ *Similitudines*] Parabolas, comparationes, allegorias. Qualis est, ex. c. in principio hujus libri, ubi Ecclesia Israelitica Scorto assimilatur. Item Jes. 5. 1. *Vinea fuit dilecto meo.* Et Ezec. 16 3. Livelæus exponit, *disertè, familiariter ac perspicuè docebo.* Huc facit quod legitur apud Zachariam Chrysopolitanum Episcopum pag. 186. *Familiare est Syris, & maximè Palæstinis, ad omnem sermonem suum parabolas jungere; ut quod per simplex præceptum teneri non potest, per similitudinem teneatur.* Verba sunt Hieronymi, nisi fallor.

12. *Certè Galaad*] i. Galaaditæ. Erat autem civitas ejus nominis: item regio. אם autem accipio pro אכן sive באמת *verè, certè, profectò.* Santes & Tremellius maluerunt esse notam Interrogationis: quo significatu particula illa sæpe occurrit, sed tum ferè habet ante se He Interrogandi. An sine He eo sensu inveniatur fateor me ignorare; quod probandum relinquo iis qui hic vertunt *nonne* vel *an.* ¶ *Iniquitas*] Operarii iniquitatis. Suprà, *Galaad oppidum operantium iniquitatem.* Licet vertere, *Si Galaad iniquitas est, utique vanitas sunt in Galgal:* q.d. Non sunt ibi meliores, sed magis pejores: nam illi iniquitatem faciunt, hi verò deos falsos colunt, i. Vitulos. ¶ *Vanitas*] *Aven:* quod nunc est appellativum, & alibi proprium loci. Ponitur enim pro *Beth-aven*: In quo significatio *idoli*, si Hieronymo credimus. ¶ *Galgalis*] Vel *Galgalæ:* quod oppidum erat in tribu Juda. Etsi quidam de alia Galgala suspicantur. ¶ *Boves immolantes*] In Hieron. *bobus immolantes:* i. שורים. Sed legendum *boves.* Nam eos immolabant diis Galgal. Quod optimè significavit Jonathan cùm interpretaretur, *in domo Galgal boves idolis immolant.* ¶ *Sicut acervi*] Acervos lapidum intelligit: & est proverbiale, pro *plurima sunt.* Simul etiam allusit ad nomen *Galgal.* Nam *acervus lapidum* GAL dicitur: unde geminatum *Galgal.* ¶ *Super porcas*] Santes post Hieronymum, *super sulcos.* Sed profectò תלם est *porca*, non *sulcus*, qui נדוד dicitur & מענית auctoribus Ebræis. ¶ *Agri*] שדי pro שדה. Quòd si Grammaticum sequi libet, vertendum erit *agrorum*: putat enim שדי positum esse pro שדים: in qua sententia & nos aliquando fuimus: nunc aliter sentio. Nam Ps. 96. 12. יעלז שדי arguit singulare esse.

13. *Et fugit Jacob*] Redit ad historiam Jacobi Patriarchæ. Hoc ideo ut ostenderet ex qua origine ad tantam dignitatem pervenissent; quò immemores beneficiorum acceptorum declaret. ¶ *In agrum Syriæ*] In regionem. Ad Labanum Syrum, qui habitabat in Syria Interamni, quæ vulgò *Mesopotamia.* Fugit autem metu fratris Esau, quem primogeniturâ defraudaverat astu matris Gen. 28. 5. ¶ *Servivit*] Labano. ¶ *Pro uxore*] Servivit septem annos propter Rachel, deinde, cùm ei supposita esset Lea, alios septem. *Pro uxore* ab aliis redditur *propter uxorem*, puto meliùs. Nam *pro uxore* intelligi potest & *uxoris loco*, ut cùm dicimus, *fuit illi pro uxore.* Ebræus dicit hoc verbum è verbo *in uxore.* ¶ *Custodivit*] Oves, sive pecus.

14. *Per Prophetam*] בנביא, i. ביד נביא, *per ministerium Prophetæ.* Mosen intelligit, quem ità vocat κατ' ἐξοχήν. Quâ figurâ *Poetam* interdum per excellentiam dicimus pro *Virgilio*, & *Apostolum* pro *Paulo*; διαβόητον τῶν ἀνθρώπων, inquit Galenus, τὰ πρωτεύοντα ἐν τῷ γένει τῷ τοῦ γένους προσαγορεύειν ὀνόματι. Ergò Moses propter excellentiam commune Prophetarum nomen efficit suum, πολλῶν γὰρ ὄντων προφητῶν, ἕνα τὸν κράτιστον ἐξαιρέτως προφήτην καλοῦσι. ¶ *Per Prophetam custoditus est*] Per annos 40, dum in deserto vagus oberraret. Quidam hîc *Propheta* nomine Josuam significari putant. Non assentior. Ambiguè hoc Hieronymus verterat *servatus est.* Nam *servatus* σεσωσμένος. Hîc significat custoditos. Moses enim custodivit eos ut pastor gregem suum. Mirum est Tremellium hoc non observasse. Santes emendavit *custodivit se.* Sed hoc quoque ineptum est, nec huic loco quadrat.

15. *Irritavit*] *Exacerbavit, ad iram provocavit.* ¶ *Deum*] Nomen hoc desideratur etiam Ps. 106. 29. ¶ *In amaritudines*] Sic Amarulentia definitur *animi dolor in invidiam & malevolentiam exacerbatus.* Ut hîc *in malevolentiam exacerbatus* sic intelliges, *irritavit in amaritudines.* Sensus est ut si diceret, *irritavit eum ad iram amarulentam.* Quidam interpretantur תמרורים *altaribus.* Nam verbum à quo hoc nomen interdum sig. *elevare, extollere.* *Altaria* verò loca sunt alta & è terra elevata; unde & nomen habent. ¶ *Sanguines ejus*] i. Cædes quas patravit. ¶ *Relinquet*] Nempe *Dominus ejus.* Quod repetendum ex sequentibus. Verbum נטש in usu est cùm quid humi projectum relinquitur. Alii *expandit* sive *diffundit.* Jonathan *residebit.* Hier. *veniet.* LXX ἐκχυθήσεται, i. *effundetur.* Huc refer, *Sanguis ejus super filios nostros.* Et, *Ne ponas sanguinem innoxium super nos.* Livelæus exponit, *In suo reatu manere patietur, nè ab ultione & pœna immunis sit.* ¶ *Probrum ejus*] Quo Deum affecit cùm in ejus locum Vitulos substitueret. ¶ *Dominus ejus*] אדניו, ad verb. *Domini ejus.* Ut Deus *Elohim* vocatur, ità quoque *Adonim* dicitur. Mal. 1. 6. *Si adonim ego.* Estque adeò hæc Enallage usitata in illustribus personis: quod in Quæsitis meis pridem notavi.

IDEM.

1. Πονηρὸν πνεῦμα] *Pessimus Spiritus* Int. V. Alii, *Persecutus est malum spiritum.* Hic agnosco רעה pro רֹעֶה, i. ποιμαίνει vel ποιμαίνων, רודף καὶ διώκει ¶ Καύσωνα] *Urentem*, & subintelligitur ἄνεμον, ut Jer. 18. 17. ברוח קדים ὡς ἄνεμον καύσωνα. Jon. 4. 8. רוח קדים πνεύματι καύσωνι. Grammatici vulgò קדים *Eurum* interpretantur, i. ἀπηλιώτην tamen Exod. 10. 13. רוח קדים ὁ ἄνεμος ὁ νότος. Puto significare *Euronotum*, qui & *Euroaquilo.* ¶ Μάταια] Est ubi שוא μάταια & שו ταλαιπωρίαν reddunt. ¶ Ἐνεπορεύετο] *Portabat ad mercatum*: vel *portabat & negotiabatur.* Genus sermonis in quo uno posito verbo intelligitur aliud quod ex priore necessariò consequitur, ut Matth. 4. 5. παραλαμβάνει αὐτὸν εἰς τὴν ἁγίαν πόλιν, *accepit & transtulit*, sive *acceptum transtulit.* Sic in libro Proverbiorum, *capies carbones ignis super caput ejus*, pro, *capies & pones.* Suprà 10. 6. יובל ἀπήνεγκαν.

2. Κρίσις] i. *Lis.* Nam ריב in fonte. ¶ Τὸν Ἰακώβ] Plantinus vulgavit Ἰακώβ absque articulo. In cæteris est αὐτὸν Ἰακώβ, *ipsum Jacob.*

3. Ἐν κοιλίᾳ] Perperàm in editis à Plantino ἐν κοιλίαις, i. בבטן. ¶ Ἐν κόποις αὐτοῦ] In iisdem ἐν κόπῳ αὐτοῦ· quod germanum puto. Int. V. *in labore suo.* ¶ Ἐνίσχυσε] Ibidem ἴσχυσε. Sic variant libri versu proximo sequente.

4. Μετὰ ἀγγέλου] Sic Chald. עם מלאכא. Nota enallagen אל pro עם, i. *cum.* ¶ Ἐδεήθησάν μου] *Mei*, non μου, est in iis quæ Plantinus excudit, credo & in aliis omnibus ad Ed. C. editis. ¶ Ἐν τῷ οἴκῳ Ὤν] Ex Ebræo leg. ἐν τῷ οἴκῳ Ἠλ. Aliud *El*, aliud *On.* Historia postulat οἶκος Ἠλ. Scire licet quæ priùs *Bethel* dicebatur, postea vocatam à Prophetis *Bethaven*, i. οἶκον Ὤν, nempe quia ibi Vituli colebantur. Porrò *Bethel*, i. οἶκος Θεοῦ. Nam Ἠλ *Deus*, i. Θεός. Unde Ἠλί, Ἠλί, Θεός μου, Θεός μου. ¶ Εὕρησάν με] Plantini ed. εὗρόν με. In Ebræo εὗρεν αὐτόν. Utrùm legerunt ימצאני, an vulgati cod. mendum continent? Int. V. *invenerunt me.* ¶ Πρὸς αὐτοὺς] עמנו. In Ebræo עמנו μεθ' ἡμῶν, *nobiscum.*

5. Ἔσται] An hoc dicunt, τὸ Ἔσται *est μνημόσυνον αὐτοῦ*? Sanè nomen tetragrammon, quod vocant, ab היה *fuit* deducitur: & legimus apud Mosen, *Sum qui sum*: sed hîc יהוה scribitur, quod legerunt fortasse יהיה *erit*, ut Joel 3. 11.

6. Ἔλεον] Aliis ἔλεος. Ità scriptum lectum in iis quos Plantinus emisit. ¶ Ἔγγιζε] קרב. Non convenit Ebræo קוה. Quid si ἔλπιζε? Prov. 20. 22. קוה אל יהוה ὑπόμεινον τὸν Κύριον.

Rursum 11. 7. חנה ἐλπίς. Sed hoc quæro, non statuo.

8. Πλὴν] אך πλὴν. Infrà 12. & Jon. 2. 5. reddunt ἄρα. ¶ Ἀνάψυχὴν] i. און. Suprà in hoc ipso capite ואנו ἐν κόπῳ αὐτοῦ. ¶ Ἃς ἥμαρτεν] In nonnullis exempl. desideratur ἃς: in aliis legitur ἐν αἷς ἥμαρτεν. Interpretatio V. *in quibus peccavit.*

9. Καθὼς ἡμέραι ἑορτῆς] Sic ed. Rom. In Plantini est καθὼς ἐν ἡμέρᾳ ἑορτῆς in aliis, καθὼς ἐν ἡμέραις ἑορτῆς. Int. V. *sicut in diebus solennitatis.*

10. Ἐν χερσὶ προφητῶν] Sic Int. V. *in manibus Prophetarum.* Melior tamen lectio quæ in C. & editis ad ejus exemplar, ἐν χερσὶ προφητῶν, i. *per Prophetas.*

11. Εἰ μὴ Γαλαὰδ ἐστιν] V. ed. Latina, *si Galaad est*, εἰ Γαλαὰδ ἐστιν. Plantinus vulgavit Γαλγάλα pro Γαλαάδ. Fieri potest ut fallar, tamen inclino ut credam scriptum fuisse aliquando Γαλαὰδ Ὢν, & ex Ὢν, quod minùs aptum videbatur, librarios fecisse ἐστιν. Scilicet ignorasse eos vocem Ebraicam esse, quam ἀδικίαν reddunt, aliquoties obviam in hoc nostro Propheta. Hoc si durum videtur, per me licet ut legas Γαλαὰδ ἀδικία ἐστιν, supplet à voce quæ orationi deest. ¶ Ἐν Γαλαὰδ] Ità scriptum in R. Dubito an sit mendum operarum. Ed. C. ἐν Γαλγάλ. Cæteræ habent ἐν Γαλγάλοις, quod in idem recidit. V. Int. *in Galgala.* ¶ Ἄρχοντες] שרים, aut potiùs שורים in participio pro שֹׁורִים, i. *boves*, cujus sing. שור *bos.* ¶ Χελῶναι] *Testudines*: ad similitudinem, non ad rei veritatem. Nam sig. γυλλόφες, ut mihi quidem nunc videtur. Si cui alirer videtur, idem si melius quid adferet, non ero pertinax. ¶ Ἐπὶ χέρσον ἀγροῦ] Vide suprà 10. 4. Int. V. *super desertum agri.*

12. Ἐν γυναικὶ] *Propter mulierem*; Ebraismus. ¶ Ἐφυλάξατο] Διεφυλάξατο habent quædam exemplaria.

13. Ἐκ γῆς Αἰγύπτου] Plant. ἐξ Αἰγύπτου. Vetus quoque *de Ægypto.* Sic etiam Ebræi. ¶ Ἐν προφήτῃ] *Per Prophetam.*

14. Ἐθύμωσεν Ἐφραὶμ καὶ παρώργισε] Diversa lectio, καὶ παρώργισέ με Ἐφραὶμ ἐν τοῖς παραπικρασμοῖς αὐτοῦ, exstat in impressis Antverpiæ à Plantino. Eam secutus est Int. V. nam vertit, *ad iracundiam me provocavit Ephraim in amaritudinibus.* ¶ Καὶ τὸν ὀνειδισμὸν αὐτοῦ] In Plantini ὀνειδισμὸν αὐτῷ & mox Κύριος pro Κύριος αὐτοῦ. Int. V. *opprobrium illius restituet ei Dominus suus.*

IDEM.

5. בָּכָה וַיִּתְחַנֶּן לוֹ בֵּית אֵל יִמְצָאֶנּוּ. Aq. Sym. Th. ἔκλαυσε καὶ ἐδεήθη αὐτοῦ, καὶ ἐν Βαιθὴλ εὗρεν αὐτόν] Descripsi ex ed. Rom. apud Interpretem Theodoreti, *flevit & deprecatus est me, & in Bethel invenit me*; ἐδεήθη με, i. לי.

11. גלים. Sym. *acervi lapidum.* Th. *colles*] Hier. *Rursum ubi nos posuimus acervos, qui Ebraicè appellantur* גלים, *& propriè* θινὰς *significant, h. e. ex arena tumulos congregatos (qui maximè in deserto & in littoribus flante vento vel augentur vel minuuntur) Lxx transtulerunt* χελώνας, *i.* testudines; *pro quibus Sym.* acervos lapidum *interpretatus est, Th.* colles. *Et revera si* θινὰς *respicias, habent similitudinem magnarum testudinum in deserto agro vel in ripis atque littoribus paululùm humo eminentium.* ACERVI LAPIDUM, גלי אבנים. Chaldaicè vocantur יגר, quo vocabulo hic usus est Jonathan. גל *acervum* dici testimonio est & GALAAD, quod reddunt *Acervus testis*, vel *Acervus testimonii.* COLLES, Βουνοί.

IDEM in VULG.

1. SEquitur æstum] Elegantiùs & meliùs alii: *sectatur eurum.* Nisi magis probatur, *sectatur ventum orientem.* ¶ *Iniit*] *Ineunt* est in Ebræo. & mox *fertur* pro *ferebat.*

2. *Judicium*] Lis, disceptatio. ¶ *Visitatio*] Hoc significat, animadvertet in Jacobum. Ceterùm pro *super Jacob*, placeret si legeretur, contra Jacob. *Visitare contra aliquem* Ebraica phrasi est animadvertere in aliquem.

3. *Supplantavit*] in Ebræo est ACAB prima Ain; unde nomen *Jacob*, quod contractè dicitur pro *Jaacob.* ¶ *Directus est*] Ἐνίσχυσε πρὸς θεὸν Græcus habet: nec video cur interpreti libuerit ità nunc transferre, cùm aliquantò pòst rectiùs transtulerit, *incaluit ad angelum.* ¶ *Cùm angelo*] Ant. Cevallerius vertebat, *princeps fuit cum Deo*, id est, in lucta quàm habuit cum Deo. ¶ *Cum angelo*] ETH ELOHIM vertit *cum angelo.* Minùs propriè. Quanquam in hac historia idem & Deus appelletur & angelus, ut mox, *Invaluit ad angelum.*

6. *Ad Deum tuum*] Ità scriptum in Ebræo. Aliter in veteribus quibusdam Latinis, *ad Dominum Deum tuum.*

7. *Calumniam dilexit*] *Calumniari dilexit* legitur in Ebræo, vel potiùs *opprimere amat. Chanaan*, id est, mercator. Nomen proprium pro appellativo.

8. *Inveni idolum mihi*] Pro *idolum* alii ediderunt *opes*: alii, *robur*; & meliùs ut opinor. Sed interpreti aliter visum. ON *idolum*: ex quo οἶκος ὤν, id est, *domus idoli*: quæ & AVEN dicitur & *Beth-aven.* ¶ *Quam peccavi*] *Quæ sit peccatum*, vertendum, nisi fallor, & non *quam peccavi.*

9. *Ex terra Ægypti*] Ab eo tempore quo te eduxi è terra Ægypti. ¶ *Sedere*] Habitare. ¶ *In diebus festivitatis*] Cùm est festum tabernaculorum.

10. *Super prophetas*] Sententia, clamat per prophetas. Idem valet, *in manu prophetarum.* ¶ *Assimilatus sum*] Ebræus dicit, *similitudines proposui*: nec aliter intelligendus interpres.

11. *In Galaad*] Galaad habent veteres libri deleta præpositione IN. ¶ *Idolum*] AVEN est in Ebræo. Id ab aliis interpretatur *iniquitas.* Opinor rectiùs. ¶ *Tamen frustra*] Est ubi legatur, *ergò frustra.*

12. *In uxorem*] Magìs placeret si vertisset *in uxore*, id valet, *propter uxorem.* Nam *in uxorem* aliam sententiam continet. ¶ *Servivit*] Partim librorum, *servavit*, id est, custodivit. ità legitur in Ebræo.

13. *In propheta*] Id est, *per prophetam.*

LIVELEUS.

1. DEpascere ventum est Vesci, ali, pasci vento. Quibus verbis significat eorum fiduciam quam in externis præsidiis posuerant vanam & inutilem esse, instar venti qui pro cibo frustrà sumitur. Proximorum etiam eadem mens videtur, quibus eos *Eurum sectari* dicit, ut Jobi 15. 2. *An sapiens scientiam venti loquitur, & Euro ventrem suum implet?* i. vana concipit & profert? Idem hic est *sectari Eurum* quod illic *ventrem implere Euro.* ¶ *Oleum in Ægyptum*] Pro munere ad fedus incundum. Verbum enim יבל ità quandoque usurpatur. Esa. 18. ult. *afferetur munus Jehova*, יובל: & hic cap. 10. 6. *In Assyriam* יובל *deferetur munus Regi Jareb.* De istorum populorum præsidio quæsito vide cap. 7. 11. Oleo verò optimo Israelitas abundasse apparet Ezech. 27. 17. *Israelitæ mercatores tui erant melle & oleo.*

4. *Flevit, & oravit eum*] Hebraismus, quem Latini uno implorandi verbo declarant. *Implorare* enim est *cum fletu rogare*, interprete Festo in ENDOPLORATO. Cicero Verrinâ 7. *Si te acerba illius imploratio & vox miserabilis non inhibebat, nè civium quidem Romanorum fletu commovebare?* Suppliciter & vehementer contendentes cum precibus lacrymas & ploratum miscere solent. Est. 8. 3. *Flevit, & peccata est eum.* 1 Sam. 1. 10. *Supplicavit Jehova, & flevit.* Videtur Jacobus lacrymis à Deo benedictionem & opem contra fratrem suum, à quo vehementer timuit, postulasse. Qui enim hic *Angelus* dicitur Deus erat, ut Gen. 32. 28, & 30. versibus apparet. Hic etiam versu antecedente *Deus* dicitur. Opem contra fratrem supplex rogavit Gen. 32. 11. benedictionem verò 26, 29. versibus ejusdem capitis.

5. *Monumentum ejus*] Idem quod Amosi 9. 6. *Jehova nomen ejus.* Sic Psal. 30. 5. *monumentum sanctitatis* nomen sanctum vocatur.

7. כנען, sive *mercatores* notet, ut Esa. 23. 8. sive Israelitas generaliter, qui in terra Cananæorum habitaverunt, ut Esa. 19. 18. nominativus absolutus est, ut cap. 9. 11. pro *quod ad Mercatorem*, vel *Cananæum*, *attinet.*

8. *Ditatus sum*] Talis est jactantia Laodicensium Ecclesiæ Apoc. 3. 17. *Dicis, Dives sum, & nullius egeo.* ¶ *Assecutus sum opes*] Opulentiæ suæ causam sibi, non Deo, tribuit, ut cap. 2. 5, 8. און verò hic est pro הון *opes*, affinibus literis commutatis, ut Jer. 25. 3. אשכים ponitur pro השכים. Similique ratione Æoles ἀμέρα, ἅλιος, ὑμές dicunt pro ἡμέρα, ἥλιος, ὑμεῖς. *Invenire* autem *opes* hic est pro *comparare* vel *assequi*, ut Tremellius transtulit. Sic Terentius in Heautontimorumeno,

Labore inventa mea cui dem bona.

Atque in eadem fabula,

Atque ibi simul rem & gloriam armis belli repperi.

9. *A terra Ægypti*] Et tunc me Deum tuum tui liberatione declaravi. Exod. 20. 2. *Ego Jehova Deus tuus, qui te eduxi*, &c. Et jam indè ab eo usque tempore Deus tuus fui con-

continuis beneficiis. Tale illud est cap. 10. 9. *à diebus Gabaa peccasti.* Et Ezræ 9. 7. *A diebus patrum nostrorum*, &c. ¶ *In tentoriis*] Spiritualem in Christo præstandam redemptionem populi promittit typo veteris Ecclesiæ figuratam, ut cap. 2. 15, 16. *Et canet ibi ut diebus*, &c. ¶ *Ut diebus solennitatis*] h. e. Hilariter & securè magnâ populi frequentiâ, ut tribus illis anniversariis solennitatibus sub Lege fieri solitum est, Deut. 16. 14, 16. Sic Lam. 2. 7. *Vocem edunt in domo Jehovæ ut die solennitatis.*

10. *Loquar*] Per futurum cum Castalione hæc verba interpretor, ut futuræ illius liberationis promissio, de qua versu præcedente, hîc continuetur, eximiis beneficiis in Christo Ecclesiæ tunc conferendis illustrata. ¶ *Visionem multiplicabo*] Quàm rectè hoc Christi Regno & prædicationi Euangelii conveniat ostendit Joel 2. 28. *Effundam spiritum meum super omnem carnem; filii vestri prophetabunt, senes somniabunt somnia, juvenes visiones videbunt.* Nam multò plenior & clarior doctrinæ cœlestis cognitio sub Christo quàm sub Legalibus umbris erat. ¶ *Similitudinibus utar*] Disertè, familiariter & perspicuè docebo.

11. *Tanquam acervi*] i. Quàm plurima. Hebraicè כגלים, allusione factâ ad nomen גלעד.

12. Ad historiam de Jacobo interruptam redit. Vide v. 4. ¶ *Et fugit*] *In Syriam* eum *fugisse* metu fratris Gen. 35. 1. & 27. 44. docemur. Ibi *propter uxores suas servivit* Labani, Gen. 29. 20, 28. ¶ *Custodivit*] Subintelligo *oves* vel *gregem*, ut Gen. 30. 31. *pascam oves tuas, custodiam*; supple *eas.* Hoc modo pastor ovium absolutè שמר, i. *custos*, dicitur 1 Sam. 17. 20.

14. *Deum*] Hanc vocem suppleo, ut Psal. 106. 29. *Irritaverunt factis suis* Deum: & 2 Reg. 23. 19. *Quas fecerant ad irritandum* Deum. Ejusdem ibi nominis post idem verbum ellipsis est. ¶ *Sanguinem ejus super eum relinquet*] In suo reatu manere patietur, nè ab ultione & pœna immunis sit. Qui enim reus cædis est, & propterea pœnæ obnoxius, *super eum sanguis esse* dicitur. Jonæ 1. 14. *nè ponas sanguinem innoxium super nos.* Hinc Exod. 20. 7. *non mundabit*, pro *non relinquet impunem.*

GROTIUS.

1. **E***Phraïm pascit ventum*] *Hiat ad ventum*; inania sequitur. ¶ *Et sequitur æstum*] *Eurum*; qui illis regionibus non modò non prodest sed & plurimùm nocet. ¶ *Totâ die mendacium & vastitatem multiplicat*] *Mendacium*, culpa Israëlis; *vastitas*, pœna. *mendacium* jam exemplo ostendet. ¶ *Et fœdus cum Assyriis iniit*] Quo tempore *fœdere cum Assyriis inito* tenebatur. ¶ *Et oleum in Ægyptum ferebat*] Eodem tempore *oleum*, quod in terra Israëlis præstantissimum, & munera alia *mittit in Ægyptum*, ut ope Ægypti ab Assyrio deficiat, 2 Regum 17. 4.

2. *Judicium ergò Domini cum Juda*] *Etiam lis Domino cum Juda.* Habeo, inquit Deus, & quod de Juda querar. Nam quanquam idololatriam publicitus sustulit Ezechias, multa tamen vitia in populo manent. Vide Esaiæ 22. ¶ *Et visitabo super Jacob*] Sed Decem tribus, quæ pars major posterûm Jacobi, graviùs puniam. ¶ *Juxta vias ejus, & juxta adinventiones ejus reddet ei*] Tractabitur pro ingrato suo in Deum animo.

3. *In utero supplantavit fratrem suum*] Nempe Divinâ virtute, non suopte ingenio, rationis adhuc exsors: ac jam tum omen accepit felicitatis fraternâ majoris. ¶ *Et in fortitudine sua directus est cum Angelo*] Prævaluit Angelo.

4. *Et invaluit ad Angelum*] In Hebræo eadem verba repetuntur, ut ostendatur res esse magna, Geneseos 32. 28. ¶ *Et confortatus est*] *Quia roboratus erat* à Deo, nempe Angelorum Domino. ¶ *Flevit & rogavit eum*] Quod ille Angelo, hoc vos Deo præstate. ¶ *In Bethel invênit eum*] Eundem Angelum. *In Bethel*, ἐμφατικῶς [*Effectè*] dictum, id est, ubi vos contra Dei legem Vitulos colitis. Historia est Geneseos 35. 8, 9. ¶ *Et ibi locutus est nobiscum*] Ità & Chaldæus legit, qui hæc verba & præcedentia tribuit Israëlitis, quasi se defendentibus, quòd locum cultûs sui Bethelem posuissent. At uno puncto mutato Capellus vir eruditissimus sensum optimum fecit; *cum eo*, cum Jacobo nempe. Græci, πρὸς αὐτὸς [*ad eos.*]

5. *Et Dominus Deus exercituum, Dominus memoriale ejus*] Id est, nomen ejus quo agnoscitur. Is Deus qui per Angelum se Jacobo patefecit, est longè potentissimus: nolite igitur potentiæ ejus diffidere. nulla mala tanta sunt, de quibus vos liberare non possit.

6. *Et tu ad Deum tuum convertêris*] Quare *& tu ad Deum tuum convertere*, exemplo Jacobi. ¶ *Misericordiam & judicium custodi*] *Beneficentiam & innocentiam serva.* ¶ *Et spera in Deo tuo semper*] Non est quòd ipsi diffidas dummodo tu officium facias.

7. *Chanaan*] Israël *Chananæo* est similis; de quo Homerus,

Δὴ τότε Φοῖνιξ ἦλθεν ἀνὴρ ἀπατήλια εἰδὼς,
Τρώκτης.
[*Indè venit gnarus fraudum vir origine Phœnix,*
Impostor.]

Et Philostratus ad Phœnicem, Τὰς ἐμπορίας διαβέβλησθε, ὡς φιλοχρήματοί τε καὶ τρῶκται [*Circa commercia malè auditis, ut avari & fraudatores.*] ¶ *In manu ejus statera dolosa*] Qui de re vendita plus pollicetur quàm revera exhibet. ¶ *Calumniam dilexit*] עשק hîc significat omne πλεονέκτημα [*de alieno lucrandi studium*,] ut interpretatur Chaldæus.

8. *Et dixit Ephraïm*] *Attamen dixit Ephraïm.* ¶ *Dives effectus sum*] Quasi diceret,

Unde habeas quæret nemo, sed oportet habere.

¶ *Inveni idolum mihi*] Meliùs, *acquisivi mihi divitias*, id enim און cum ista quam nos in textu habemus vocali significat: nec aliter sumsisse videntur LXX, & Chaldæus. ¶ *Omnes labores mei non invenient mihi iniquitatem quam peccavi*] Chaldæus עון sumsit pro eo quod plerumque עידן dicitur, quod est *tempus constitutum*, & חטא pro *luit*, ut Genes. 31. 37. quomodo & כפר sumsimus Daniel. 9. 24. Præterea tam Græci quàm Chaldæus legerunt יגיעיו [*laboribus ejus*] & לו [*ipsi.*] Sensus secundùm Chaldæum hîc est: *Omnes labore partæ opes non restabunt ei in tempore quo luet peccata sua.* Græci propter subintelligunt, & און à און derivant: πάντες οἱ πόνοι αὐτοῦ οὐχ εὑρεθήσονται αὐτῷ, δι' ἀδικίας ἃς ἥμαρτεν [*omnes labores ipsius non reperientur apud ipsum, ob iniqua quæ patravit.*]

9. *Et ego Dominus Deus tuus ex terra Ægypti*] Qui te eduxi ex terra Ægypti. ¶ *Adhuc sedere te faciam*] *Facerem?* & est interrogantis. Post tot flagitia tua paterêrne te domi tranquillè vivere? ¶ *In tabernaculis*] In ædibus vestris, quæ ob veterem morem *tabernacula* vocantur. ¶ *Sicut in diebus festivitatis*] Lætè & tranquillè, *ut in festis diebus.*

10. *Et locutus sum super Prophetas*] *Et ego loquerer* (Israëli) *per Prophetas.* ¶ *Et ego visionem multiplicavi*] *Multiplicarem:* alia super alia visa ad vos mitterem. ¶ *Et in manu Prophetarum assimilatus sum*] *Et per Prophetas uterer similitudinibus?* Ezechiel. 20. 49. quasi diceret: non ampliùs per figuras Propheticas vobis loquar, sed per res ipsas, quas sentietis.

11. *Si Galaad idolum, ergò frustrà erant*] *Si in Galaade idolum fuit, verumtamen frustrà fuerunt* qui illud idolum coluere, quia non potuere per idolum servari à manu Teglathphalasari, 2 Regum 15. 29. ¶ *In Galgal bobus immolantes*] Est ἔλλειψις [*Defectus*] voculæ *cur.* Sensus, Cur ergò adhuc Duæ tribus cultum illum Vitulorum imitantur in Galgale? Vide suprà 4. 15. & 9. 15. ¶ *Nam & altaria eorum*] Galaaditarum. ¶ *Quasi acervi*] Nempe lapidum. ¶ *Super sulcos agri*] Qui congeruntur ab agricolis super sulcos. Sic & altaria illa jacent disjecta.

12. *Fugit Jacob in regionem Syriæ*] Indignitatem culpæ aggravat ex contrariis factis majorum in eisdem locis. In Hebræo est, *Fugit Jacob agrum Syriæ:* id est, ex agro Syriæ in illam Galaaditidem, Geneseos 31. 21. ¶ *Et servivit Israël in uxorem, & in uxorem servavit*] *Cùm servisset Israël* (id est, Jacob pater vestrûm omnium) *pro uxore, & pro uxore servasset* pecudes. Obiter Deus occasione Galaaditidis aliam adspergit exprobrationem. Jacob pro duabus uxoribus servivit Labani, & greges ejus pavit per annos quatuordecim: Vos autem Dei causâ nihil facere vultis.

13. *In Propheta autem eduxit Dominus Israël de Ægypto*] *Cùm Dominus per Prophetam* (Mosem) *Israëlem eduxisset ex Ægypto.* ¶ *Et in Propheta servatus est*] *Tunc per Prophetam* (alterum, Josuam scilicet) *evasit* Israël ex deserto, ac pervênit scilicet Galgala, ibíque primùm Pascha fecit, Josuæ 5. Ex ipsis locis in quibus peccabatur veteres illis depromit historias, ut ostendat quantum à majoribus degeneraverint.

14. *Ad iracundiam me provocavit Ephraïm in amaritudinibus suis*] Id est, Contrà agit Ephraïm quàm Jacob, aut ille sub Josua populus. *amaritudines* vocat facta impia. Græci, ἐν τοῖς παραπικρασμοῖς [*in amarificationibus.*] bene: subauditur enim ב [*in*] ante תמרורים. Posset etiam verti *in cumulis*, quomodò

 vox

vox hæc Hebræa sumitur Jerem. 31. 21. ut per *tumulos lapidum* altaria intelligamus. ¶ *Sanguis ejus super eum veniet*] In Hebræo, *Sanguinem ejus* (ab eo fusum, id est, pœnam sanguinis) *in ipsum deferet Deus*: nam multos pios occiderant. Vide suprà 4. 2. ¶ *Et opprobrium ejus*] Probra quibus affecerunt Prophetas, suprà 11. 1, 7. ¶ *Restituet ei Dominus suus*] *Reponet ei.*

C A P. XIII.

M U N S T E R U S.

1. CUm *loqueretur Ephrajim*] Crevit tribus Ephrajim in magnum numerum & dignitatem, & dedit magnos quosdam viros, nempe Jehosuam, & Jarobeam primum Israelitarum Regem, à quo & Regnum Israel *Regnum Ephrajim* denominari cœpit: & sub illis Principibus *fuerunt gentibus* per circuitum *terrori*: sed *cùm peccarent mortua est*, h. e. periit dignitas & autoritas eorum. In tantam verò venerunt insaniam ut excogitarent idola aurea, pecuniâ & argento empta, quibus impenderunt honorem Divinum, dicentes, *Isti sunt Dii tui, Israel, qui te eduxerunt de Ægypto*, cùm tamen nihil aliud essent quàm *opus artificum* in formam Vitulorum facti, carentes spiritu & vitâ. Et Sacerdotes eorum *dicebant his qui sacrificaturi erant, Osculamini vitulos*: alioquin non perfectum erit sacrificium. Alii per *osculum* intelligunt oblationem filiorum, quos vivos in honorem idolorum comburebant, persuasi à Sacerdotibus ut exemplum Abraham imitarentur. Et quoniam hæc fecerunt, *erunt*, inquit, *sicut nubes matutina*, quæ orto Sole mox solvitur, ut etiam nullum relinquatur vestigium: Sic illorum periit felicitas.

4. *Ego autem sum Dominus Deus tuus*] Hæc, inquit, tu fecisti, cùm ego tot beneficia tibi exhibuerim ab exitu de Ægypto usque in hunc diem.

7. *Factus sum eis sicut leo*] Quia *obliti sunt mei*, *factus sum eis* ex pio patre crudelis *leo*. Et nota quòd אשור hic est participium præteritum à verbo אשר, significans idem quod נכון *paratus & accinctus ad prædam*. Jonathan vertit כמין *insidians juxta viam.*

10. *Ego ero firmus*] In Hebræo est tantùm אהי *ero*: & est sensus, Me, qui ab æterno fui & in æternum ero, deseruisti, & fiduciam in mortalem hominem collocasti.

12. *Colligata est iniquitas*] Quia, inquit, longanimis sum, & non illico punio hominem propter peccatum suum, nihilominus reservatur *peccatum ejus* & veluti in sacculo *ligatum* tenetur, ut in tempore suo commeritas infligam pœnas. *Venient* autem *ei dolores quasi parturientis* & periclitantis in diutino partu, quos cavere potuisset si *sapiens* fuisset & ad me se convertisset. Ego, inquam, de faucibus *Mortis & à sepulcro* ipso *liberassem eos*: nunc autem cùm non resipuerint, ero illis crudelior quibuscunque *pestibus* absque ulla *pœnitudine* & commiseratione. D. Paulus 1 Cor. 15. longè aliter videtur hanc citare sententiam, nempe in hunc modum, *Absorpta est Mors in victoria: ubi est, Mors, victoria tua? ubi est, Mors, stimulus tuus?* insultans scilicet Morti, quam Christus passione & resurrectione suâ destruxit. Nec admodum abludit ab hoc loco. Si enim populus se convertisset ad Deum, liberatus fuisset per misericordiam Dei. Et quoniam justificamur per justitiam Christi, Christus autem pro nobis mortuus vicit Mortem, & resurgendo de sepulcro devastavit Infernum, rectè Paulus insultat Morti, mentem Prophetæ magis explicans quàm verba. Ex nostris quidam legunt אהי pro *ubi*.

15. *Inter fratres fructum faciet*] Acceperat Ephrajim olim à Jacob benedictionem ut *cresceret & faceret fructum inter fratres suos*: duravitque benedictio illa quamdiu in mandatis Domini ambulavit. Ubi verò à Domino recessit, *adduxit Dominus ventum Orientalem*, h. e. Regem Assyriorum, &c.

V A T A B L U S.

1. TRemor רתת] Sub. *erat audientibus*: i. Quando colebat Dominum, imperabat omnibus & omnes qui audiebant tremebant. ¶ *Extulit* caput suum נשא] Hebraismus, obtinuit Regiam dignitatem. Primus enim Rex Israelis fuit ex tribu Ephraim. Quidam vertunt, *sublimis erat in Israel*, i. inter omnes Israelitas.

2. *Opus artificum totus ipse* מעשה חרשים כלה] *Opus artificum* est *totum hoc*. ¶ *Immolatores hominum* זבחי אדם] *immolantes homines*, i. filios suos, sub. *Vitulis*. Non erat cultus eorum perfectus nisi priùs Vitulos oscularentur. Alii vertunt, *De iis* Vitulis *dicunt sacrificantes homines* [i. sacrificuli] *Vitulos*, &c.

3. *Veluti nubes matutina* כענן בקר] Quæ scilicet citò abit & evanescit, orto Sole. ¶ *Quæ turbine propellitur* יסער] *Quæ exturbatur; ejicitur.* ¶ *De fenestra* מארבה] *De fumario.*

4. *E terra Misraim* מארץ מצרים] Ut c. 12. 9. ¶ *Et Deum*, &c. ואלהים וגו'] *Deum itàque alium à me non agnosces, & servator* alius *nullus* erit tibi *præter me*, i. nullum reputabis servatorem præter me.

5. *Novi te* ידעתיך] *Agnovi te*; i. pavi, ut seq. versu dicit. Vide Amos 3. 2. ¶ *Sitibunda* תלאובות] Ad verb. *siccitatum*, i. siticulosa & arida: acsi dicat, in horrenda solitudine in qua nullus erat cibus, in qua tamen fovi & alui te.

6. *Juxta pascua sua* כמרעיתם] Postquam, inquit, pervenerunt in terram illam fluentem lacte & melle, h. e. in qua erat copia omnium bonorum, nimiâ saturitate cœperunt superbire.

7. *Tritam* אשור] *Conculcatam*: à radice אשר. Alii à radice שור vertunt *insidiatus sum*: ut sit fut. pro præt. Alii, *paratus*, vel *accinctus*, sub. *ad prædam.*

8. *Occurram eis* אפגשם] Futura, quæ alii per præteritum vertunt, *Occurri, discerpsi, consumpsi*, vel *comedi*, & *discidit* vel *discerpsit eos*. ¶ *Clausuram cordis eorum* סגור לבם] *Claustrum cordis eorum*. Solet enim Ursus discerpere usque ad cor ipsum.

9. *Perdidit te* שחתך] i. Vitulus quem coluisti fuit causa *perditionis tuæ: alioqui in me erat auxilium tuum*: h. e. nisi hoc obstitisset, ego tulissem tibi opem. Quidam vertunt, *Perditio tua*, sub. *fuit Vitulus.*

10. *Nunc servet te* אפוא ויושיעך] *Ubinam est, ut ferat tibi opem*, &c. q. d. non exstat. ¶ *In omnibus urbibus tuis* בכל עריך] Sub. *jam obsessis ab hostibus*. ¶ *De quibus dixisti* אשר אמרת] q. d. Quos constituisti de sententia tua, non pro voluntate mea.

12. *Ligata est* צרור] *Colligata est*, i. quasi in crumena & loculis asservata: q. d. *Maximè memor sum iniquitatis Ephraim.* ¶ *Reconditum* צפונה] *Reservatum*: q. d. Futurus sum memor.

13. *Filius non sapiens*, &c. בן לא חכם וגו'] *Fœtus stolidus, alioqui tempore* parvo [i. momento] *stetisset in confractione fœtuum*. *Fœtum stolidum* vocat qui non statim conatur eximere se angustiis maternis, egredi & prodire in lucem, sed diu moratur illic, ubi confringitur ac conteritur. Per *confractionem* intelligit angustiam uteri materni; ab effectu, quòd illic fœtus confringantur: q. d. Gravissimas de eo sumam pœnas; & tamen non resipiscet: nam est tanquam fœtus insipiens, qui non conatur statim egredi ex angustiis uteri materni.

14. *Mors tua* דבריך] *Pestis tua*, i. tibi vice pestis: h. e. interimam te. ¶ *Morsus tuus* קטבך] *Excisio tua*: vel, *pernicies tua*: i. excidam te & perimam. ¶ *Pœnitudo*, &c. נחם יסתר מעיני] *Pœnitentia abscondetur ab oculis meis*, i. non veniet in conspectum: h. e. non mutabo sententiam meam pœnitentiâ ductus: nam hoc fiet citra ullum dubium.

15. *Quia ipse inter fratres crescet* כי הוא בין אחים יפריא] *Certè inter fratres multiplicabitur*. De Christo loquitur qui multos fratres ad se adducturus erat. ¶ *Ventus Jehovæ* רוח יהוה] i. Ventus vehementissimus. ¶ *Et siccabit venam ejus* ויבוש מקורו] *Et arescet vena* [vel *fons*] *ejus*, sub. *deserti*. ¶ *Ipse* הוא] sc. *Ventus*. ¶ *Omnium vasorum expetibilium* כל כלי חמדה] *Omnis supellectilis desiderabilis*, vel *expetibilis*, perdet omnia pretiosa hujus mundi.

C A S T A L I O.

2. QUI *hominem immolaverint*] Tantum tribuunt suis fictis Vitulis ut ad eorum oscula eos demum admittant qui suos filios immolant.

13. *In angustia natorum*] In dolore qualis est parientis, cùm fœtus est in uteri faucibus.

14. *Solatio carebunt oculi mei*] Non dormiam quin hoc fecero.

C L A R I U S.

1. HOrror *invasit audientes*] Crevit tribus Ephraim in magnum numerum & dignitatem, & dedit magnos quosdam viros, nempe Josue, & Jeroboam primum Israelitarum Regem, à quo & Regnum Israel *Regnum Ephraim* denominari cœpit. Et sub illis Principibus *fuerunt gentibus* per circuitum

tum *terrori*; sed *cùm peccarent*, *mortua est* dignitas & autoritas eorum. In tantam verò venerunt insaniam ut excogitarent idola aurea pecuniâ & *argento* empta, quibus impenderunt honorem Divinum. Et Sacerdotes *dicebant iis qui offerebant* filios immolandos, *Adorate Vitulos*. Et quoniam hæc fecerunt, *erunt*, inquit, *sicut nubes matutina*, quæ orto Sole mox solvitur, ut nullum etiam relinquatur vestigium. Quod verò ait *immolantibus homines*, videtur aptius si dicatur *immolantibus hominibus*, ut sit sensus, *Homines sunt qui immolant*; *& jubent Sacerdotes ut immoletur rei longè inferiori*, *eáque adoretur*, *nempe Vituli*.

4. *Ego autem Dominus*] Hæc, inquit, tu fecisti, cùm ego tot beneficia tibi exhibuerim ab exitu de Ægypto usque in hunc diem.

6. *Juxta pascua sua*] i. Cùm venissent ad pascua.

10. *Ego ero*] Heb. *Ero*; & est sensus, Me, qui ab æterno fui & in æternum ero, deseruisti, & fiduciam tuam in mortalem hominem collocasti.

12. *Colligata est*] Quia, inquit, longanimis sum, & non illico punio hominem propter peccatum suum, nihilo tamen minùs reservatur *peccatum ejus* & veluti in sacculo *ligatum* tenetur, ut suo tempore commeritas infligam pœnas.

13. *Non enim ullo tempore*] Si enim fuisset *sapiens*, *non durassent dolores ejus*, & cavere eos potuisset. Ego enim de faucibus *Mortis* & *à Sepulcro* ipso *liberassem eos*, & ipsam *Mortem peremissem*. Illud autem, *Ero mors tua*, &c. alius vertit, *Ero pestes tuæ ad mortem*, *ero excidium tuum ad sepulcrum*: h. e. cùm non resipuerint, ero illis crudelior quibuscunque pestibus absque ulla pœnitudine & commiseratione. D. autem Paulus 1 Cor. 15. aliter hanc citat sententiam, cùm Spiritum eundem Prophetæ haberet, sensum explicare contentus, hoc modo, *Absorpta est Mors in victoria. Ubi est, Mors, victoria tua? ubi est, Mors, stimulus tuus?* insultans scilicet Morti, quam Christus passione & resurrectione suâ destruxit. Nec admodum abludit ab hoc loco. Si enim populus se convertisset ad Deum, liberatus fuisset per misericordiam Dei. Et quoniam justificamur per justitiam Christi, Christus autem pro nobis mortuus vicit Mortem, & resurgendo de sepulcro devastavit Infernum, rectè Paulus insultat Morti, mentem Prophetæ magis explicans quàm verba. Discimus autem & ex hoc & multis aliis locis, altiora in Prophetis delitescere quàm ut ad ea literæ infirmitas attolli possit.

14. *Consolatio abscondita*] Quia scilicet non facit finem peccandi, nè exspectet consolationem.

15. *Inter fratres creverat*] Acceperat Ephraim olim à Jacob benedictionem ut *cresceret ac faceret fructum inter fratres suos*, duravítque benedictio illa quamdiu in mandatis Domini ambulavit. Ubi verò à Domino recessit, *adduxit Dominus ventum Orientalem*, h. e. Regem Assyriorum, qui *siccavit venas*, *& desolavit fontem*, h. e. omnem abundantiam, divitias & felicitatem, &c.

D R U S I U S.

1. CUM *loqueretur*] Quidam hoc referunt ad Jeroboamum filium Nabat: dubito an rectè. Nam cultum Baal instituit primus Achab 1 Reg. 16. 32. Differre autem hunc cultum à cultu Vitulorum quos Jeroboam instituit in Dan & Beth-el, liquet ex 2 Reg. 10. 28, & deinceps. ¶ *Ephraim*] Domus aut tribus Ephraim. ¶ *Terror erat*] Tantâ erat auctoritate apud reliquas tribus, aut vicinas gentes, ut *loquens* iis *terrorem incuteret*. Hæc auctoritas illi à dignitate Regia, quæ in illa tribu. Vel *terror erat*, i. tremendâ majestate præditus. Populus certè illum summè reverebatur propter Regiam dignitatem, ad quam evectus erat. ¶ *Extulit ipse*] Deest aliquid. Quidam *Regnum* subaudiunt, alii *caput*. Sunt etiam qui referant, *cum terrorem excitabat ipse in Israele*. ¶ *Deliquit in Baal*] Non solùm ipse coluit Baalem, sed alios ad eum colendum adegit. Hoc notum ex historia. ¶ *Mortuus est*] *Mori* dicitur populus qui penitus deletur & exstinguitur. Amos. 2. 2. *Et morietur cum strepitu Moab.* Sic in alio Propheta, *Deus ab æterno tu es*, *non moriemur*. Alii explicant, *mortuus est in peccatis*: quod minùs se probat mihi. Malim, *mortuus est*; accepit varias clades, incidit in gravissimas calamitates, quas deinde perpetuum secutum est exsilium. Licèt autem *nocumenta sint documenta*, tamen hæc tot mala cùm perpressus est, nihil apud ipsum profuerunt. Sic dico, Non potuerunt eum in viam reducere.

2. *Addunt peccare*] Pergunt peccare, sive perseverant in peccatis majorum suorum, videlicet Jeroboami senioris & Achabi. ¶ *Conflatile*] מסכה *fusio*, *conflatura*: item *id quod in fusoria fornace conflatum est*, *fusile*. Græci utrumque χώνευμα dicunt. ¶ *De argento suo*] Vel *de pecunia sua*. ¶ *Prudentiâ suâ*] כתבונם, quod ità compendio dicitur pro כתבונתם *intelligentiâ suâ*. Sed exemplaria nonnulla habent כתבונם per Chaph, i. *secundùm prudentiam* sive *intelligentiam suam*: quomodo sanè Jonathan legit, item Hier. nec non Lxx. Camchi tamen legit per Beth. Quod in vulgatis cód. quos vidi, uno tantùm excepto. Is est Stephani qui in quarto folium complicat, quem edidit cum Scholiis trium Rabbinorum. ¶ *Opus artificum universum ipsum est*] Caret spiritu. Nihil in eo præter materiam & formam quam ab artifice accepit. ¶ *His illi dicunt*] Alii, *propter hos illi dicunt*. Quid si, *propter hæc illi dicunt*? ut referatur ad *idola*. ¶ *Sacrificantes hominum*] Hoc ambiguè dicitur. Nam significat & *homines qui sacrificant*, & *eos qui sacrificant homines*, h. e. humanas hostias. Quod usitatum fuisse olim in Judæa notius est quàm ut doceri debeat. Prior expositio Hellenismum continet notum jam in vulgus, *Sacrificantes hominum*, ut *Canum degeneres*, *Nigra lanarum*. Qualis Jes. 29. 19. *egeni hominum*: & alibi, *principes hominum*. Alteram expositionem notatam invenies in tractatu Sanhedrin per hæc verba, *Cumari dicunt Israelitis*, *Qui immolat filium suum idolo*, *par est ut osculetur Vitulum*. *Nam ecce donum carnem obtulit ei*. Laudat R. Salomo. Sed ei adversatur mos veterum, qui homines immolabant idolo Moloch, h. e. Saturno, non Baali, aut Vitulis, de quibus hic sermo est. ¶ *Osculemur*] Vel, *Osculantor*. Mos osculandi usitatus erat & in cultu Divino. Osculabantur autem manum, aut os. Manum, inquam, non idoli, sed suam. De quo ritu fusè disseruimus in nostris Observationibus. Contrà, deosculabantur os ipsius idoli. Quod verbum נשק, quando absolutè ponitur, perpetuò significat, ut Aben-Ezra notavit. 1 Reg. 19. 8. *Reservavi mihi septies mille quorum os Baalem non est osculatum.* ¶ *Vitulos*] Jon. תורין *boves*. Sulpitius Hist. S. lib. 1. *vaccas* appellat. *Bos* Ebraicè שור dicitur. Id Græci μόσχον reddunt Psal. 106. 20. & Num. 7. 3. Ad quem postremum locum Augustinus, *In hac locutione notandum putavi*, *eosdem dictos* vitulos *quos* boves *dixerat*; *sed hoc etiam Græcum idioma esse perhibetur*. Ergò μόσχος non solùm *vitulus* sed etiam *bos*. Hieron. in Comment. Hos. 4. 15. *Videtur mihi idcirco populus Israel in solitudine fecisse sibi caput vituli quod coleret*, *& Jeroboam filius Nabat Vitulos aureos fabricatus*, *ut quod in Ægypto didicerat*, Ἆπιν καὶ Μνεῦιν, *qui sub figura boum coluntur*, *esse deos*, *hoc in sua superstitione servaret*. Hæc obiter καὶ ὡς ἐν παρόδῳ.

3. *Sicut nubes matutina*] Quæ citò evanescit. Unde dicimus vulgò, *Nebulosum manè votum peregrinantium*: nam indicat serenitatem. Hoc fit ità plurimum καὶ ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον, non semper. ¶ *Matutinus abiens*] *Manè abiens*, i. citò: & *abiens*, i. evanescens. In Ebræo est ad verb. *matutinans abiens*, i. matutinò. Participium pro adverbio. Sic nomen posuit Virgilius in illo;

Nec minùs Æneas se matutinus agebat.

Sic dico, Quod temporis est ad rorem transtulit. ¶ *Sicut palea*] מץ est *palea* propriè *tenuissima*, *gluma*, vel *acus*, *aceris*, quæ Gallis *la bale du froment*. Vide Dan. 2. 35. Sic Psal. 1. 5. *sicut gluma quam propellit ventus.* ¶ *Turbine rapta*] יסער, in quo (ֵ) pro (ָ). Verbum à סער *turbine* deductum. ¶ *Tanquam fumus è fumario*] Qui initio magnum quid esse videtur, postea evanescit illico. *Fumarium* autem voco quod Græci καπνοδόχην vel καπνοδοχεῖον, qui *caminus* alio nomine dicitur. Quidam *infumibulum*, alii *spiramentum* vocant. Usus est hâc similitudine Seneca Troade,

—*Ut calidis fumus ab ignibus*
Vanescit spatium per breve sordidus;
Ut nubes gravidas, quas modò vidimus,
Arctoi Boreæ dissipat impetus;
Sic hic quo regimur spiritus effluit:

i. quàm celerrimè.

4. *In terra Ægypti*] Quid? an non priùs fuerat Deus ipsorum? Fuerat sanè; sed nunquam tam clara signa edidit potentiæ suæ & favoris erga populum. ¶ *Non cognoscis*] Non debes nosse. Tale est, *Filius honorat patrem*, debet honorare. Aut, *non cognovisti*, non es expertus. Verbum enim ידע sign. *experientiâ quippiam cognoscere*. Sic enarrat amicus meus. Quale illud, inquir, videtur Deut. 13. 2. *Deos alienos*, *quos nonnoverat*

5. *Ego*

5. *Ego cognovi te*] Vel *novi te*: i. suppeditavi tibi necessaria ad vitam sustentandam. ¶ *In deserto*] Ubi rerum omnium ad victum pertinentium penuria & egestas. Sic alibi, *Justus novit faciem jumenti sui.* ¶ *In terra siccitatum*] Siccissima vel siticulosa. Nam לאב *sitio*: unde in Arabum lingua לאב אלרגל *sitit vir.* Vide Deut. 8. 15. *Sitire* autem terra dicitur quæ planè sicca est. Ergò *siticulosa* & *sicca* in idem recidunt. Sed Tremellius, *in terra inflammationum*] *hoc est, torridissima.* Videtur לאב cum להב confundere. Nam hæ literæ communem familiam habent, & ex facili permutantur inter se.

6. *Secundum pascuum suum*] Pro fertilitate terræ in qua *pascebant*, i. vivebant. Tralatio à Pecoribus. Sic dico, *Prout pascuum ipsorum fuit*: fuit autem lætissimum, nempe *terra fluens lacte & melle.* Alii, *secundùm pascua sua.* Ut inopia sæpe, sic etiam copia nocet: nam satietatem parit: Ex qua deinde oritur superbia, quæ Dei oblivionem inducit, atque adeò omnium malorum radix est. ¶ *Elatum fuit*] Cœpit superbire. Quod accidit rebus secundis & ad votum fluentibus: nam tunc plerisque hominibus superbia & ferocia augescit. Ex quo illud, *Pinguefactus est vitulus, & recalcitravit.* Evenit ergò illis quod proverbio dici solet, *Satietas ferociam parit.* Addo, etiam oblivionem Dei. Vide Deut. 8. 12. & 32. 15. ¶ *Mei obliti fuerunt*] Me deseruerunt idola sectantes.

7. *Pro illis velut leo*] Sæviam in illos ut Leo in obviam prædam sævire solet, quam unguibus discerpit & in frusta dilacerat. Hier. *quasi leæna.* Ælianus De varia hist. l. 12. c. 39. *Leæna creditur esse robustissimum & bellicosissimum animal. Itaque Semiramis gloriabatur non si leonem sed si leænam cepisset.* ¶ *Pardus*] Vel *pardalis.* Vide Proverbia mea. ¶ *In via Assur*] Quà itur in Assyriam. Ordo & sensus, *Ego ero illis in Assyriam proficiscentibus tanquam leo & quasi pardus.* Vide supra 5. 14. & 7. 12. Huc etiam facit quod Jer. 2. *Quid tibi via Assur? castigabit te nequitia tua, & defectio tua corripiet te.* Cæterùm *Assur* in hoc sensu usitatè scribunt אשור cum (-) sequente Dages: Hic scriptum est אשור per Camets. Ergò alii putant esse participium generis passivi, quod reddunt, *sicut pardus juxta viam grassans*, sive *gradiens.* Hujus radix אשר, unde & אשורים *gressus.* Quid si, *ut pardus in via observabo*, ut sit futurum à שור? Jonathan hoc dixit *insidians.* Res convenit. Nam Pardus cursu minùs valet, ideo ex insidiis victum quærit. Etenim, ut ait Scaliger contra Cardanum scribens, *cum saltu in arborem quampiam se dederit, in ea latitat, unde in viatores aut alias feras insiliat.* Mens hujus interpretationis, Aggrediar eos *ut leo*, i. apertâ vi, & *ut pardus*, i. ex insidiis. Sanè Pardum ex insidiis agere, præter Scaligerum, etiam Jeremias attestatur, cùm ità scribit, *pardus vigilans contra civitates vestras*, h. e. latitans in insidiis contra eos qui ex civitatibus vestris egressi peregre proficiscuntur.

8. *Occurram eis velut ursus orbatus*] Ursi occursus periculosissimus est, præsertim si orbatus fuerit catulis suis: nam tunc maximè sævit. Itáque dixit Sophus, *Occurrere urso orbo satius est quam stulto in stultitia sua.* Alia expositio, *ut ursus orbus*, i. iratus, ut 2 Sam. 17. 8. *Amaro animo sunt, ut ursus orbatus in agro.* ¶ *Dilacerabo*] *Diripiam.* ¶ *Clausum cordis eorum*] *Pericardion ipsorum.* Membrana est cor undiquaque claudens & ambiens. Vulgus *capsulam cordis* vocat. Dicitur etiam *involucrum cordis.* ¶ *Comedam*] *Devorabo, consumam.* ¶ *Ibi*] In civitatibus ipsorum. ¶ *Fera*] Qui domi erunt, eos consumet pestis aut gladius hostiiis; qui foris in agro, eos feræ dilacerabunt ac discerpent. ¶ *Agri*] Agrestis.

9. *Corrupit te*] Quis *corrupit*? satietásne de qua suprà v. 6, an cor tuum? Ebræi dicunt, *Vitulus quem colis.* Quid si, *Corruptus es, Israel: sed in me quod in auxilio tuo?* ut sensus sit, Quod tibi auxilio esse potest, id à me tibi petendum & exspectandum est. Non est quòd penitus desperes. ¶ *In me auxilium tuum*] Ad verb. *in me auxilio tuo*: cujus constructionis hæc vis est ut si diceret, *Ego in auxilio tuo sum, & auxilium tuum est in me.* Similis constructio Job. 18. 8. *Immisit* ברשת ברגליו, i. *rete in pedes ejus, & pedes ejus in rete.* Nec dissimile planè cùm Chaph iteratur, ut Jes. 24. 2. & Gen. 44. 18.

10. *Ubi Rex tuus jam?*] Secutus sum priscos Interpretes, qui hoc loco אהי interpretantur ac si esset איה *ubi.* Quam interpretationem dictio אפוא quæ sequitur planè confirmare videtur. Nam quod recentiores substituerunt, *Sum Rex tuus? ubi est?* aut, ut habetur in quibusdam editionibus, *Sum: Rex tuus ubi est?* dictionem illam contra se habet. Non enim unquam interrogat de loco, sed de tempore, aut potiùs cum איה simul significat *ubi nunc?* vel *ubi jam?* Vide Jud. 9. 38. Job. 17. 15. & Esa. 19. 12. Nè quid tamen lector desideret, exponam mentem eorum qui verterunt, *Sum: Rex tuus ubi est? Esse* dicitur propriè Deus, quia æternus & incommutabilis: unde vocatur יהוה, id est, τὸ Ὄν, vel αὐτὸ τὸ Ὄν. Ergò ego, inquit, qui vos rexi olim, idem semper maneo, non mutor: sed *Rex vester*, quem in meum locum substituistis, *ubi nunc est?* q. d. periit, nec vos servare potest. Portò Regem Deum habuerunt cùm à Judicibus & Prophetis eorum resp. gubernaretur. Hoc notum vel ipsis pueris. ¶ *Ut serves*] Ebr. *& servet.* Notabis ergò *&* pro *ut* poni. Nisi magis vertendum *qui servet*: nam *&* etiam pro אשר poni solet. ¶ *Et Judices tui*] *Ubi sunt Judices*, h. e. magistratus tui qui Reges præcesserunt? q. d. Etiam illi in communem omnes locum abierunt. *Judices* autem vocat rectores & præsides. Aut *Judices tui*, i. Reges tui. Nam ea vox aliquando Reges designat, ut Amos 2. 3. *Exscindam Judicem è medio tui*: nam de Rege Moab loquitur. ¶ *Da mihi Regem*] 1 Sam. 8. 6. *Da nobis Regem, ut judicet nos.* ¶ *Et Principes*] Hoc non est expressum, sed in sententia verborum continetur. Nam ubi Rex est, ibi etiam Principes sunt.

11. *Dabo tibi Regem*] Ut verba sonant, loquitur de futuro. Fortè innuit Assyrium, quem *iratus ipsis Regem daturus sit.* Quod accidit anno nono Hoseæ filii Ela. Sed Jonathan reddit, *Dedi Regem*: quod de Saule alii, alii de Jeroboamo Nebat F. capiunt. Et certè hic datus fuit ab irato Deo, cùm domum Davidis punire decrevisset. Notum hoc ex historia. Vide 1 Sam. 8. 5. & 15. 23. & 16. 1. ¶ *Et auferam*] Vel *recipiam*, Hoseam Elæ F. quem Assyrius in captivitatem abduxit. Locus iste ab aliis redditur, *& abstuli*, nempe Saulem, qui occubuit in bello Philisthæorum. Quid si, *Dabo tibi Regem in ira mea, quemadmodum abstuli in indignatione mea?* ¶ *Indignatione*] Immodicâ irâ. Nam quia modum transit, ideo עברה dicitur. Aut vocatur עברה quòd citò *transeat*: nam עבר *transire.*

12. *Colligata*] *Quasi constricta in fasciculum*: nam צרור *fasciculus.* Unde Gallica versio manavit, *enfagotter.* Sed eadem vox denotat *crumenam.* Ergò alii sumptum putant ab iis qui pecuniam numeratam in diem condictum probè conclusam & obsignatam asservant, nè fraudi sit si differatur solutio. Quibus favet illud Job. 14. 17. *Obsignatum est in crumena scelus meum*: vult dicere, Reservatur ad pœnam, nempe in arcano Divinæ providentiæ. ¶ *Iniquitas*] Pœna iniquitatis; ut mox, *peccatum*, pœna peccati. ¶ *Reconditum*] Ut thesauros recondimus in usum honorarium aut necessarium, sic pœna peccati eorum reposita est in secreto consilii Divini, qui suo tempore illam depromet. ¶ *Peccatum ejus*] Idololatria ejus. Quod latè extendes ad omnem cultum peregrinum: nè quis putet hîc agi de cultu Vitulorum duntaxat.

13. *Dolores parturientis*] i. Maximi & gravissimi. ¶ *Ei*] Ephraimo. ¶ *Ipse filius non sapiens*] Insipiens. *Nam*, si sapiens esset, *tamdiu non maneret in enixu filiorum*, sive in angustia vulvæ. Vult dicere, Si resipisceret ac sapienter vitam institueret, citò liberaretur è malis in quibus est. ¶ *Tempore non staret*] *Stare* dixit pro *manere*; & *tempore*, pro *tempore longo.* Sæpe enim hoc modo adjectivum reticetur. Adi sis Observ. meas l. 16. c. 8. Scholia Ebraica enarrant *tempore uno.* Quale est *humero* pro *humero uno.* Et videtur esse Synecdoche pro *momento uno.* *Si saperent*, inquit, *non manerent in iis angustiis ad momentum unum.* Antiqui omnes legerunt עת *nunc*: quod usitatè scribitur עתה cum He in fine. Quidam, *non stat in tempore*, i. cùm tempus est. Portò *in puerperio versari* dicitur qui est in extremo discrimine; *eniti* autem, qui se indè, h. e. ex illo periculo, eximit. ¶ *In nixu filiorum*] Vel potiùs *in matrice.* Verbum è verbo, *in ruptura filiorum.* Ità matrix vocatur, quòd in nixu quasi rumpatur. Jon. *in sella partûs*, aliàs *parturientis.* Scholia Jarii Galli, משבר *est sella in qua mulier sedet cum parit.* Verba Jonathæ, *Nunc enim adducam super eum angustiam qualis est femina sedentis in sella partûs, nec valentis parere.*

14. *E manu*] E potestate. ¶ *Sepulcri*] Vel *inferni.* Utroque vocabulo significantur gravissima pericula, in quæ si quis inciderit, minimùm abest à sepulcro sive à morte. ¶ *Redimam*] *Liberabo.* Sunt qui referant hæc verba per subjunctivum modum, *redimerem, vindicarem, essem, absconderetur.* Subintelligitur autem conditio, *si sapientes fuissent*, aut aliquid tale. Omnino significat, Per eos stare quò minùs è toto circumstantibus periculis & malis pridem liberati sint. Se enim, quâ est clementiâ, paratum semper fuisse vel ex ipsa morte eos redimere. ¶ *E morte*] Idem aliter. Nam *sepulcrum* & *mors* se mutuò explicant. Sic Prov. 10. 2. *justitia liberat à morte*: i. è periculo mortis. Nomine שאול multi hodie negant *sepulcrum* significari: sed an rectè? Non opinor. *Sepulcrum* propriè קבר dici-

dicitur. Idem שאול denotat. Testes Mardochæus Judæus, & David cognomento Camius. Job. 6. 15. שאולה, Græcus Interpres *εἰς τὸν τάφον αὐτῶν*. Accedit ratio. Nam legimus שאול כמות. Ità Salomo circumloquitur *inferos*. Quomodo Inferi *sepulcrum infrà*, si non est aliud sepulcrum? Sed aliàs plura de his. Redeamus nunc ad Hoseam nostrum. ¶ *Ero*] אהי *ero* interpretatur Hieron. & rectè, meo animo. Priùs erat *ubi*, i. איה. De qua metathesi nos admonent & Scholia Ebraica. Vide quæ scripsimus suprà ad locum, *Ubi Rex tuus nunc jam?* ¶ *Pestes tuæ*] Omnimoda pestis. Aut est enallage numeri. *Pestis* Ebraicè דבר dicitur, à *perdendo*, an à *decernendo?* Ad sis Observ. meas. Hæc vox pluralem habet ambiguum דברים. Siquidem tam *verba* signific. quàm *pestes*. Hìc verò *pestes* interpretati sumus, sententiâ ità postulante; tum etiam quia sequitur קטב vox *excidium* sive *exitium* denotans. Hunc locum citat Apostolus 1 Cor. 15. 55. neque penitus ex mente Prophetæ, neque planè contra mentem ipsius. Qua de re consulendi sunt Commentarii Theologorum ad hunc locum. Vide quoque Parallela nostra. ¶ *Pro excidium tuum, ô Sepulcrum*] q. d. Si saperent, neque Mors, neque Sepulcrum quicquam contra eos valerent. Sic dico, Vires suas frustra in eos exercerent. ¶ *Pœnitudo abscondetur ab oculis meis*] Animi *oculos* intelligit: & hoc vult, Non ducar unquam pœnitudine. *Pœnitere* autem Deus dicitur cùm mutat sententiam, nec facit id quod facere decrevit. Est enim decreto Dei quandoque inclusa conditio. Alioqui quod absolutè decernit, id non mutat in æternum.

15. *Cùm ipse inter fratres fructum fecerit*] Alii, *Licèt ipse inter fratres fructificaverit.* Alii, *Nam ipse inter fratres fructum faciet.* IPSE, Ephraim. INTER FRATRES, reliquos Patriarchas. De hoc legimus Gen. 48. 19. *Certè frater ejus minor major illo evadet, & semen ejus erit plenitudo gentium.* FRUCTUM FECERIT, creverit, auctus fuerit. Videtur alludere ad nomem *Ephraim*, quod à sobolis incremento ei inditum, vel magìs à dignitatis prærogativa quam adeptus est fratri Manasse prælatus: quod perspicuè declarat locus ille quem modò produxi. Cæterùm in Ebræo est יפריא, tanquam à פרא, quod esset יפרה. Nam radix פרה, & ab eo הפרה *fæcundo*, *πολυτόκον ποιῶ* unde *fructus ventris*: & *ἄκαρπος*, interprete Hesychio, nisi fallor, *ἄγονος*, i. *improlis* sive *illiberis*. Hieron. & Græci יפריא *dividet*. An legerunt יפריד? aut potiùs est יפריא pro יפליא, Res in Lamed versâ? Nam hæ literæ alternant. Quam sententiam probare videtur Livelæus noster. Mihi prior magis placet. ¶ *Eurus*] Hostis Assyrius ab Ortu veniens. Nam Assyria sita erat ex parte ad Orientem Judææ. Solet autem hostis Euro comparari propter vehementiam. Est enim ventorum omnium validissimus, ut diximus Ezech. 19. 12. *Eurus arefecit fructum ejus.* ¶ *Ventus DOMINI*] A DOMINO excitatus. Innuit Assyrios nutu ac consilio Divino in Judæam venisse. Errant igitur qui putant casu aut fortuitò id accidisse. Aliter, *ventus DOMINI*, vehementissimus; ut *hortus DOMINI*, cultissimus; *flamma DOMINI*, longè maxima. ¶ *Ex deserto ascendens*] Desertum terminus erat terræ Chanaan, Exod. 23. 31. Ubi *desertum* quidam dici putant Libanum & Antilibanum, quòd silvis pleni essent illi montes. Alii tradunt magnam partem Arabiæ Desertæ ab Oriente Judææ inter Babyloniam & Judæam interjectam fuisse. Cæterùm Psal. 75. 6. pro *Septentrione* ponitur. ¶ *Vena ejus*] *Scaturigo ejus*. Quidam *scatebra ejus*. Hieron. *venas ejus*. Jon. *domus thesaurorum ejus*. ¶ *Fons ejus*] Idem aliis verbis. *Fontem* autem intellige quo irrigabatur. Nam arbor, cui nunc Ephraimum similem facit, si aquâ destituatur, arescit. ¶ *Ipse*] Hostis Euro similis. ¶ *Vasorum*] Rerum, aut instrumentorum, vel etiam, si placet, vestium. Nam כלי de *vestibus* quoque dicitur, ut ibi, *Vir induens vas mulieris*, i. vestem. ¶ *Desiderabilium*] Pretiosorum.

16. *Desolabitur*] *Vastabitur, peribit*. Jon. *Rea peragetur*. Hìc est initium capitis decimiquarti in plerisque libris. ¶ *Rebellavit in Deum suum*] Cùm, ipso relicto, idola colere inciperet. Colebat autem non solùm Vitulos qui in Dan & Bethel, sed etiam Baalem deum Sidoniorum, cujus cultum primus in Samariam, ut apparet, Rex Achab introduxit. ¶ *Gladio cadent*] Cives ejus videlicet. ¶ *Parvuli eorum*] *Infantes eorum*, videlicet Samaritarum. ¶ *Allidentur*] *Terra*, sive *solo*, aut *parieti*. Alibi est *allidentur ad petram*. Græci dicunt *ἐδαφίζειν*, & Ebræi רטש. Sed in hoc postremo loco est נפץ apud Ebræos. ¶ *Diffindentur*] יבקע posuit pro תבקענה. Nam Enallage generum frequens in hac lingua. Cæterùm recenset hìc duo genera crudelitatis; quorum unum est, cùm infantes solo alliduntur; alterum, cùm prægnantibus venter aperitur & diffinditur.

I D E M.

1. KAτὰ τὸν λόγον] כדבר. *Δικαιώματα*] Nihil novum faciunt dum legunt pro Resch Daleth, h. e. דרו pro רתו. Alioqui *δικαιώματα* Ebraicè חקים dicuntur. ¶ Ἐν τῷ Ἰσραὴλ] Editi ad C. ἐν Ἰσραήλ. ¶ Καὶ ἔθετο] Agnosco וישם pro eo quod in libris ויאשם καὶ ἠφανίσθη. Sic interpretantur Joel. 1. 18. נאשמו ἠφανίσθησαν.

2. Προσέθεντο] Ità leg. vel ex R. Sequitur enim certè *ἐποίησαν*. Moneo tamen in cæteris esse *προσέθετο*, & apud Hieron. *& nunc apposuit ut peccaret*. ¶ Τῦ ἁμαρτάνειν] In Aldo & aliis quibusdam *τῦ ἁμαρτάνειν ἔτι*. ¶ Χώνευμα] Ximenius *χωνεύματα*. In reliquis ed. *χώνευμα ἐκ τῦ χρυσίυ καὶ τῦ ἀργυρίυ αὐτῶν*. Ed. Lat. V. *conflatile ex auro & argento suo.* ¶ Συντετελεσμένα] כָּלָה mutarunt aut potiùs corruperunt legendo כָּלָה aliis vocalibus: id sign. *συντελεῖσθαι*. Cæterùm in A. legitur *συντελεσμένα*, in C. verò *συνκεχωνευμένα*. ¶ Αὐτοῖς αὐτοὶ λέγυσι] Αὐτοῖς ad sequentia pertinet. Quocircà deleri debet *τελεία ςιγμὴ*, ut sit *αὐτοῖς αὐτοὶ λέγυσι*. Int. V. *His ipsi dicunt.* ¶ Θύσατε] Legerunt זבחו, quod nunc legunt זבחי *sacrificantes*. Int. V. *Immolate homines.* ¶ Μόσχοι γὰρ] E. C. non habet *γάρ*. Int. V. *vituli enim.* ¶ Ἐκλελοίπασιν] Verbum נשק, unde ישקון, quod nunc reddunt *defecerunt*, potiùs sign. *καταφιλεῖν*, i. *osculari*: & sic interpretantur 1 Sam. 20. 41. Valet autem *προσκυνεῖν*, i. *adorare*. Ei rei argumento erit locus 1 Reg. 19. 18. Nam ubi in Ebræo *omne os quod non osculatum est eum*, Lxx retulerunt, *πᾶν ςόμα ὃ ὐ προσεκύνησεν αὐτῷ.*

3. Πορευομένη] Ximenius *διερχομένη*. ¶ Ὡς χνῦς ἀποφυσώμενος ἀφ' ἅλωνος] Quædam exempl. *ὡς χνῦς φυσσώμενος ἀπὸ ἅλωνος*. Regium sive Compluense, *καὶ ὡσεὶ ἄχνη ἀποφυσωμένη ἀπὸ ἅλωνος*. Int. V. *sicut pulvis turbine raptus ex area.* ¶ Καὶ ὡς ἀτμὶς ἀπὸ δακρύων] Hanc lectionem agnoscit Hieron. sed improbat; *In plerisque cod.* inquit, *ἀκρίδων*, *in aliis δακρύων positum reperimus.* Et pòst, *De lacrymis autem quæ sermone Græco habent aliquam similitudinem* locustarum, *δακρύων & ἀκρίδων*, *manifestus error est, quibusdam pro* locustis lacrymas *existimantibus*. Compl. exemplar, *καὶ ὡσεὶ ἀτμὶς ἀπὸ ἀκρίδων*. Germanum interpretamentum *τῶν ἑβδομήκοντα*, si credendum Hieronymo, quod etiam Theodoretus cognoscit & explicat, *καθάπερ ἀτμὸν ἐν ἀέρι γινόμενον νέφος ἀκρίδων ἐπιγινόμενον διαλύει*. Verba Hieronymi sunt, *Quærimus autem quare Lxx pro* fumario, *quod Th. transtulit καπνοδόχον*, locustas *interpretati sunt? Apud Ebræos* locusta & fumarium *iisdem scribuntur literis* ארבה. *Quòd, si legatur* אַרְבֶּה, locusta *dicitur*; *si* אֲרֻבָּה, fumarium. Hinc disces unde domo quod in Versione antiqua, *& sicut fumus de fumario*, & in libris quibusdam *ἀτμὶς ἀπὸ καπνοδόχης*. Vidi exemplaria quæ habebant *ἀπὸ δακρύων καπνώδης*. Sunt autem, si dubitas de fide mea, A. & B. Lectio insanùm mala, & insanit qui non vidit. Jam olim conjeci legendum *ἀπὸ δακρύων καπνοδόχης*, in quo duæ interpretationes coaluerunt. Una est *ἀπὸ δακρύων*, quæ nunc legitur in R. altera *ἀπὸ καπνοδόχης*. Hanc meam conjecturam adjuvant Romanenses, qui ad editionem suam annotarunt, *Nonnulli libri ἀπὸ δακρύων καπνοδόχης.*

4. Ὁ ςερεῶν τὸν ὐρανὸν, &c.] Totus hic locus usque ad *ἀνήγαγόν σε* abest in Ed. C. Theophilus ad Autolycum illum citat ex Mose, nisi corruptum ibi Ὠσῆε in Μωσῆς citat, inquam, hisce verbis, *Καὶ ὁ Θεὸς ὑμῶν ὁ ςερεῶν τὸν ὐρανὸν καὶ κτίζων τὴν γῆν, ὗ αἱ χεῖρες κατέδειξαν πᾶσαν τὴν ςρατιὰν τῦ ὐρανῦ, καὶ ὐ παρέδειξεν ὑμῖν αὐτὰ τῦ ὀπίσω αὐτῶν πορεύεσθαι.* ¶ Ἔκτισαν πᾶσαν τὴν ςρατιὰν τῦ ὐρανῦ] Aldi exemplar, *ἔπλασαν τὴν ςρατιὰν αὐτῦ*. Sic etiam ed. Bas. ea quæ in octavo folium complicat. Int. V. *cujus manus creavit omnem militiam cœli.* ¶ Τῦ πορεύεσθαι] Alibi *τῦ πορεύεσθαί σε*. Int. V. *ut ambulares post ea.* ¶ Ἀνήγαγόν σε] Glossema est, quod reperitur etiam suprà in hoc libro. Jon. דאסקית, *qui ascendere feci te.* ¶ Καὶ Θεὸν πλὴν ἐμῦ ὐ γνώσῃ] Int. V. *& Deum præter me non cognosces.* Sic habent exemplaria duo, videlicet C. & R. In aliis est, *καὶ Θεὸς πλὴν ἐμῦ ὐκ ἔςι.*

5. Ἐγὼ ἐποίμανόν σε] Alibi *ἐγὼ ὁ ποιμαίνων σε*. Prior lectio melior. Int. V. *ego pascebam te*, i. רעיתיך, quod nunc legunt ידעתיך, *novi te*. ¶ Ἐν τῇ ἐρήμῳ] Aldi & Cephalæi etiam articulum habent, qui desideratur in B. & C. sed perperám. Nam indicat desertum aliquod certum, nempe illud in quo Israelitæ annos XL commorati sunt post exitum ex Ægypto. Erat autem desertum Arabiæ, in quo Sinai mons.

6. Εἰς πλησμονὴν] Etiam Jon. כמסב, qui est infinitivus à שבע *saturor*. Ambo culpandi. Nam neque est שבע πλησμονή,

neque Vau *παρέλκει*, ut legas שְׁבָעוּ ad modum יחיו. Quid igitur? Quod nunc legimus שָׂבֵעוּ vertendum erat *ἐνεπλήσθησαν*· quæ repetitio non caret emphasi, *Κατὰ τὰς νομὰς ἀυτῶν ἐνεπλήσθησαν· ἐνεπλήσθησαν, καὶ ὑψώθη ἡ καρδία ἀυτῶν.* ¶ Ἕνεκα τέτε] Ἕνεκα τέτων C.

8. Ἀπαντήσομαι] Antverpiæ impressi *ἀπαντήσω*. ¶ Ἄρκτος ἡ *ἀπορεμένη*] Sic editiones Romana, Veneta & Argentinensis. In C. est *ἄρκτος ἀπορημένη*, in B. verò *ἄρκτος ἡ ἀπορεμένη*. Hic locus me admonet & obiter noto 2 Sam. 17. 8. *ἄρκτος ἡ τεκνωμένη*. Magna menda: res loquitur *ἠτεκνωμένη* Cui correctioni firmandæ erit שכלה *ἀτεκνῦσα* Cant. 4. 2. & 6. 6. *ἀτεκνία* Jes. 47. 9. רחם משכיל *μήτραν ἀτεκνῦσαν* suprà 9. 14. ¶ Σκύμνοι δρυμῦ] Repetitur & *σκύμνοι δρυμῶν*, & apud Hieron. *catuli silvarum*. לביא interpretantur *σκύμνοι*. Similiter Jonathan, in quo בני אריון *filii leonum*. De qua interpretatione, nè idem iteremus, vide quæ scripsimus Joel. 1. 6.

10. Πῦ ὁ βασιλεύς σε] אהי pro איה etiam Ebræi notant, & Jon. אן מלכך *ubi Rex tuus est?* ¶ Ὅυτος] Sic quoque legit Int. V. Ex. C. *ςήτω*. Suspicari libet de *ἤτω*, unde natum sit *ςήτω* Sed illud *ὗτος* nescio unde sit. Neque enim הוא viderunt, neque credibile est. Pro *ἡΦῶ* Jonathan habet כען, i. *νῦν*. ¶ Κρινάτω σε] *Καὶ κρινάτω σε*, editiones ad Ex. C. Agnosco ושפטך: nunc legunt ושפטיך *καὶ οἱ κριταί σε*. ¶ Ἄρχοντα] Int. V. *Principem*. Aldi & Cephalæi *ἄρχοντας*. Sic etiam Plantinus edidit Noli dubitare quin hæc lectio germana sit: nam in fonte שרים, i. *Principes*.

11. *Καὶ ἔσχον*] Partim exemplarium *καὶ ἀνέσχον*. Int. V. *& habui*.

12. Συςροφὴν ἀδικίας] Sic ed. Rom. In aliis est *συςροφὴ ἀδικίας*· at in C. *συναγωγὴ ἀδικίας*. Int. V. *Congregatio iniquitatis*.

13. Υἱός σε ὁ Φρόνιμος] *Filius tuus sapiens*, Int. V. Exemplar quod Basilea dedit in octavo folium complicans, *ὑιὸς ὁ ὁ Φρόνιμος*. Veritas *ὑιὸς ὁ Φρόνιμος*. Ex ὁ, ut credibile est, incuria librariorum fecit *σε*. Nam imperitia quid non depravat? ¶ Διότι νῦν] Puto legisse כִּי עַתָּה, ubi nunc legunt כי עת *ὅτι χρόνον*. Porrò in ed. Rom. *νῦν* desideratur. Int. V. *quia nunc non sustinebit*.

14. Ῥύσομαι] Sic ed. Rom. Reliquæ omnes, quas quidem mihi videre contigit, addunt *ἀυτοὺς*, quod etiam in Ebræo legitur, ut & apud Hieron. *De manu Inferi liberabo eos*. ¶ Καὶ ἐκ θανάτε] *Καὶ* abest in C. & rectè abest: nam nec legitur in Ebræo, nec exstat etiam in versione antiqua quæ in operibus Hieronymi. ¶ Λυτρώσομαι αὐτούς] Pro *αὐτοὺς* in Eusebio scriptum *αὐτῶν τὰς ψυχὰς*, i. *ipsorum animas*, pag. 106. Ἀποδείξ. ¶ Ποῦ ἡ δίκη σε;] Int. V. *ubi est causa tua?* אהי *ubi*, i. איה, *causa tua* דבריך. Nam hæc vox latissimè patet. Pro *δίκη* sumitur in illo, *Ut justificeris in sermone tuo* בדברך, i. *in causa tua*. Hinc intelligentiam habet interpretamentum Aquilæ, *ποῦ εἰσι λόγοι σε*; quod auctor Quintæ immutatum reliquit. Basileensis ed. *ποῦ ἡ νίκη σὲ*; *ubi victoria tua?* Posset legi *νείκη*, vel eò magis quòd hæc lectio à priore sensu non dissidet; & est alioquin *ι* in hac editione pro *ει* minimè insolens. Ità scriptum *νῖκος* suprà 10. 11. quod legendum *νεῖκος* ex C. & impressis ad exemplar ejus. ¶ Τὸ κέντρον σε] קָטָבְךָ. Sym. *ἀπάντημα*. Th. & V. ed. *plaga*, *conclusio*, i. *πληγή*, *συγκλεισμός*. Deut. 32. 20. קטב *ἐπισθότονος*. Psal. 91. 6. מקטב *ἀπὸ συμπτώματος*. Quæret fortasse aliquis quid sentiam de loco qui est 1 Cor. 15. 55. Quid nisi quod alii item sentiunt? Interpretes ejus loci putant membra transposita esse: ego idem puto: & addo, si hoc non placet, דבריך quasi per metathesin דרבנך, i. *τὸ κέντρον σε*· & קטבך tanquam à קטב, non *νῖκος victoria*, sed *νεῖκος contentio*, additione unius literæ. Sed hoc pono, non statuo. ¶ Ἀπὸ ὀφθαλμῶν με] Alibi *ἐξ ὀφθαλμῶν με*.

15. Οὗτος] Lectio varians *αὐτός*. Exstat in C. ¶ Ἀδελφῶν] Perperàm in A. & B. *ἀδελφῶν σε*. Int. V. *inter fratres*. ¶ Διαςελεῖ] יפריד. ¶ Καύσωνα ἄνεμον] Int. V. *urentem ventum*. Alibi *ἄνεμον καύσωνα ventum urentem*. Parùm refert hoc an illo modo legas. Vide suprà 12. 1. nè idem iteretur. ¶ Ἐπ' αὐτὸν] Si rectè conjicio, legerunt עֲלֵה formâ Chaldaicâ pro עליו. In Ebræo nunc עֹלֶה, i. *ἀναβαίνοντα*. Libri ad E. C. *ἐπ' αὐτούς* Int. V. *super eos*. ¶ Καὶ ἀναξηρανεῖ] Copulans abest in C. ¶ Ἐξερημώσει] Libri quidam *καὶ ἐξερημώσει* cum copula, quæ legitur & in Ebræo. V. Int. *desolabit*. ¶ Αὐτός] Aliàs *οὗτος*. Scriptura hæc exstat in editis ad Ex. C. contrà fit in initio hujus versûs. Vide, si placet. ¶ Τὴν γῆν αὐτοῦ] ארצו, quod nunc legunt אוצר, i. *θησαυρόν*. ¶ Τὰ ἐπιθυμητὰ αὐτοῦ] Αὐτοῦ & ab Ebræo exsulat & ab Ed. C.

I D E M.

1. רְתֵת. Sym. Th. *tremor*] Hieron. *Pro* horrore, *qui Ebraicè dicitur* רתת, *Sym. & Th.* tremorem *interpretati sunt. Tremor*, *τρόμος* quod à *τρέμω* verbo Græco juxtà ac Latino. Nec dubium quin à Græcis Latini sumpserint.

2. זֹבְחֵי אָדָם עֲגָלִים יִשָּׁקוּן. Sym. *immolate*, *homines vitulos adorent*] Perspicuè legit זבחו, cùm olim puncta, h. e. vocales, abessent. HOMINES VITULOS ADORENT. Ità constituit ac distinguit Hieron. Verba ejus adscribam fidei meæ causâ, *Pro eo quod nos vertimus*, Immolate homines, vitulos adorantes, *Sym. interpretatus est*, Immolate, homines vitulos adorent, *ut sit sensus*, Immolate, *h. e. Sacrificate idolis*, *& hucusque distinctio. Sequatur*, *Rationale animal* Homines adorent vitulos *muta animantia*. ישקון. Th. *adorantes*, Aq. *καταφιλοῦντες*, i. *osculantes*] ADORANTES, *προσκυνοῦντες*. Hieron. *Pro eo quod juxta Sym. & Th. vertimus* adorantes. *Aq. Interpretatus est καταφιλῦντες*, *i. deosculantes. Qui enim adorant*, *solent deosculari manum suam: quod Job fecisse se negat*, *dicens*, Si osculatus sum manum meam, apponens ori meo, *&c.*

3. מֵאֲרֻבָּה. Th. *ἀπὸ καπνοδόχης*] Ex ed. Rom. Cæterùm in Hieron. *καπνοδόχον* legitur: quod in idem recidit. Verba sunt, *Pro* fumario, *quod Th. transtulit καπνοδόχον*, *Lxx* locustas *interpretati sunt*. Dicitur & *καπνοδοχεῖον*. ארבה. A. *καταράκτης*. Sym. *foramen*] Rursum Hieron. *Pro* fumario *Aq. καταράκτην interpretatus est*. Cararactam *autem propriè vocant foramen in pariete fabricatum per quod fumus egreditur*. Cohel. 12. 3. בארבות, Sym. *διὰ τῶν ὀπῶν*. Hieron. *per foramina*. Innuit autem ibi Oculos per corneas cavitates respicientes.

11. וָאֶקַּח. Omnes, *abstuli*] Hieron. *Pro eo quod Lxx interpretati sunt ἔσχον*, *i.* habui, *omnes* abstuli *transtulerunt*.

14 אֱהִי דְבָרֶיךָ. Aq. & V. ed. *Ubi sunt sermones tui?* Sym. *ero plaga tua*] Hieron. *In eo loco in quo Lxx transtulerunt*, *πῦ ἡ δίκη σε*; *i.* ubi causa tua? *& nos diximus*, ero mors tua, *Sym. interpretatus est*, ero plaga tua. *Quinta editio & Aq.* Ubi sunt sermones tui? *quod Ebraicè scribitur* דבריך, *legentes* דֶּבֶר, i. verbum, *pro* דָּבָר *quod interpretatur* mors: *juxta illud quod in Esaia legimus*, Mortem misit Dominus in Jacob, & venit in Israel, *i. D E B E R*, *pro quo nos interpretati sumus*, Verbum misit in Jacob, & venit in Israel, *i. D A B A R.* ¶ קָטָבְךָ. Sym. *ἀπάντημα*. Th. & Quinta, *plaga* & *conclusio*. Idem Hieron. *Pro* aculeo *quoque*, *quem nos* morsum *transtulimus*, *Sym. ἀπάντημα*, *i.* occursum, *Th. & Quinta editio* plagam *&* conclusionem *interpretati sunt*.

I D E M in V U L G.

2. QUasi similitudinem idolorum] Jonathan *secundùm similitudinem suam simulachra*, ut videatur uterque legisse MEM in loco BETH. Nam similitudo THEMUNA vocatur: non THEBUNA. Vide num melius sit, *secundùm intelligentiam suam idola*, vel *secundùm imaginationem suam*. ¶ *Vitulos adorantes*] Videndus Hieronymus ad hunc locum. Ego verterim, *vitulos osculabuntur*.

3. *Sicut pulvis*] Rectiùs, *sicut gluma*, aut, *sicut palea*. Sed vox Ebræa controversa est.

4. *Deum absque me*] Deum alium præter me. ¶ *Nescies*] Non nosti.

6. *Elevaverunt*] In veteribus libris copula additur *&* in Ebræo, ut sit, *& elevaverunt*. ¶ *Et obliti sunt*] *Propterea obliti sunt* est in Ebræo.

8. *Jecoris eorum*] Videtur legendum, *cordis eorum*, & est vitium, nisi fallor librariorum. Codex Ebræus habet, *clausuram cordis eorum*. Docti expendent.

10. *Da mihi regem*] Est ubi legatur, *da mihi reges*: sed minùs rectè.

12. *Colligata est*] Tanquam in fasciculo aliquo.

13. *In contritione filiorum*] Hoc est, in ore matricis.

14. *Mors tua*] Meliùs, *pestis tua*. ¶ *Morsus tuus*] Alii *excidium tuum*. ¶ *Consolatio*] Alii, *pœnitudo*.

15. *Dividet*] Interpretatur JAPHRIO pro JAPHRI, id est, *fructum feret*. ¶ *Urentem ventum*] Aut, eurum. ¶ *Desolabit*] Malim *desiccabit*.

L I V E L E U S.

1. *TRemor erat*] Populus eum reverebatur: ad summam enim dignitatem evectus erat. Sic Dan. 5. 19. *Ob amplitudinem ejus*, *quam Deus ei dederat*, *omnes populi tremebant ac timebant à conspectu ejus*, Jos. 4. 14. *Josuam in oculis ipsorum*

rum à Jehova magnificatum Israelitæ timuerunt, ut olim Mosem timuerant. Seneca in Thyeste,

> *Ille qui donat diadema fronti,*
> *Quem genu nixæ tremuere gentes,*
> *Anxius sceptrum tenet.*

2. *Sacrificantes hominum*] Sic enim Hebraicè legitur: h. e. *qui ex hominibus sacrificabant*, vel *sacrificantes homines.* Sic Esa. 29. 19. *egeni hominum gaudebunt in Sancto Israelis:* & alia similia leguntur. ¶ *Osculantor*] Idololatræ in honoris signum idola sua osculari solebant. Hinc 1 Reg. 19. 11. *Reservavi mihi septies mille quorum os Baalem non est osculatum.*

3. *Tanquam nubes & fumus*] Iisdem rationibus Seneca in Troade momentaneam brevitatem arguit,

> ——*Ut calidis fumus ab ignibus*
> *Vanescit spatium per breve sordidus;*
> *Ut nubes gravidas, quas modò vidimus,*
> *Arctoi Boreæ dissipat impetus;*
> *Sic hic quo regimur spiritus effluit.*

4. *Novisti*] h. e. Expertus es, ut ea monstrant quæ proxime sequuntur. Quale illud videtur Deut. 13. 2. *Deos alienos quos non noveras.*

5. *Torrida*] Sicca & ardore exusta. Tremellius cùm ità explicat, *terra inflammationum*, i. torridissima, תלאובות refert ad להב *flamma.* Quod probabile est. Nam & æstus loca arida torrefaciens comparatur Flammæ Joel. 1. 19, 20. *Ignis devoravit pascua deserti, & flamma inflammavit arbores agri: arueruntque alvei aquarum.* Et hæ literæ א & ה permutantur, ut in v. 8. capitis 12 annotavimus. Arabicè verò etiam locum torridum & siccum dici לאבה autor est R. Jona. Quimquius etiam hoc nomine intelligit מקומות חררים ויבשים *loca torrida & sicca*, in Radice לאב.

6. *Elatus est animus eorum*] M. Cato apud Gellium, lib. 7. cap. 3. *Scio*, inquit, *plerisque hominibus rebus secundis atque prolixis superbiam & ferocitatem augescere.* Menander,

> Ὑπερήφανον γίνεθ' ἡ λίαν τρυφή,
> Ὅ, τε πλοῦτος ἐξώκειλε τὸν κεκτημένον
> Εἰς ἕτερον ἦθος, οὐκ ἐν ᾧ τὸ πρόσθεν ἦν.

Verum hîc illud erat, *Saginatus Jeshurum recalcitravit, & vilipendit rupem salutis suæ.*

7. *In via Assyriæ*] Nihil dubito quin אשר hîc idem valeat quod אַשּׁוּר, quia brevis vocalis cum Dagesh in longam commutatio Hebræis familiaris est, ut הָקֵל pro הַקַּל, & אָקֵל pro אַקֵּל, præter alia multa. Græci Interpretes & Hieronymus ità intellexerunt atque ex recentioribus Castalio & Mollerus. Calvinus quoque etsi dubitat, in contextu tamen nomen *Assur* posuit, quasi hanc sententiam magis probarit. Sensus est, *Deum illis ira Assyriam opem quæsitum profecturis obstiturum esse*, consentaneus ille quidem capitis 5. versui 13, 14. *Profectus est Ephraim ad Assyrium, qui eum juvare non poterit. Ego enim illi quasi Leo*, &c. Sic cap. 7. 12. *euntibus in Assyriam se rete expansurum* minatur Deus. Jer. 2. 18, 19. *Quid tibi in via Assyriæ? Castigabit te malitia tua, & defectio tua corripiet te.*

8. *Clausum cordis eorum*] Calvinus *pericardion* intelligit, meo judicio, rectè. Est enim *pericardion* membrana sive pellis cor undique tegens, atque indè *clausum cordis* appellatur, quia cor inclusum continet, ut ratione simili à Medicis *capsula* & *involucrum cordis.*

10. *Ubinam Rex tuus jam*] Tremellius vertit, *Sum Rex tuus*, ut אהי sit futurum ab היה *fuit.* Mihi verò persuasissimum est אֱהִי per metathesin literarum positum esse pro אַיֵּה *ubi.* Abraham Balmensis in Grammatica sua id affirmat. Item Mercerus ad h. l. Castalio, idem sensit, & veteres illi, Hieronymus, Chaldæus, Græci. Huc accedit quòd איפוא hîc sequitur, vox quæ huic interrogationi אַיֵּה familiariter adjungi solet. Judic. 9. 38. איה איפוא פיך *Ubi nunc os tuum?* Jobi 17. 15. איה איפוא תקותי *Ubi jam spes mea?* Esa. 19. 12. אים איפוא חכמיך *Ubi jam sapientes tui?* Quod verò ad illam literarum transpositionem attinet, tritiorem eam esse in Hebræis dictionibus notum est quàm ut de ea sit necesse decere.

12. *Illigata est*] Metaphora sumpta à pecunia, quâ Deum memorem fore eorum iniquitatis innuit in vindictam. Ut enim pecunia marsupio inclusa & illigata asservari solet, ità in mente Dei iniquitas servatur, ut suo tempore pœnam tandem meritam rependat. Cap. 9. 9. *Recordabitur iniquitatis eorum, peccata eorum animadvertet.* Psal. 130. 3. *Si iniquitates servaveris, quis consisteret?* Eodem tropo usus est Jobus 14. 17. *Obsignatum in crumena est scelus meum*, &c. Sic Matth. 16. 19. *ligari* peccata dicuntur quæ non remissa in pœnam retinentur. ¶ *Repositum est peccatum eorum*] Idem declarat aliâ metaphorâ sumtâ à thesauro recondito, ut apud eundum Jobum 21. 19. *Reponet ejus iniquitatem filiis ipsius.* Haud dissimile illud Virgilii Æneid. 1.

> ——*Manet altâ mente repostum*
> *Judicium Paridis, spretæque injuria formæ.*

13. *Dolores parturientis*] Similitudine sumptâ à Puerpera declarat angustiam Israelitis futuram, ut Jer. 30. 6. *Quare video uniuscujusque manus ad lumbos suos quasi parturientis?* Et Esa. 13. 8. *Tormina corripient eos, quasi puerpera dolebunt.* Sunt verò puerperii dolores graves, sed in ruptura fœtûs, & post rupturam si in vulvæ angustiis hæserit, longè acerbissimi. Qua de re vide 2 Reg. 19. 3.

14. *Pestis*] Quidam דברין plurale nominis דבר, quod *verbum* significat, esse putant. Verùm quin hîc *perniciem* vel *pestem* notet nemo, opinor, dubitaverit qui hunc locum diligenter expenderit cum Ps. 91. 6. collatum, tibi similiter cum nomine קטב *exitium* vel *luem* notante jungitur דבר *pestis.* Quod ad pluralem numerum spectat, existimo ἀνωμάλως pro singulari positum esse: Cujus generis alia reperiuntur. ¶ *Occultabitur*] Abolitâ Morte ità meos redimam ut me hujus gratiæ nunquam pœnitere possit. *Sunt* enim *ejus dona* ἀμεταμέλητα. Vide annotationem Tremellii, qui mihi rectiùs quàm alii hunc locum intellexisse videtur, & præcedentibus promissionibus convenientiùs exposuisse.

15. *Dividet*] יפריא Hieronymus & Græci ità verterunt, quasi sit pro יפליא *dividet, separabit:* Quàm ego sententiam damnare non audeo. Primùm enim solens ista locutio est, *dividere inter* Exod. 9. 4. *separabit inter pecudes.* Ruth. 1. 17. *Mors tantum inter nos separabit.* Prov. 18. 18. *Inter fortes dividit.* Deinde tanta est inter has literas *l* & *r* vicinitas ut propterea inter se aliis in locis Hebrææ scripturæ simili ratione permutentur. Jobi 37. 15. מפלשי est pro מפרשי, & ibi cap. seq. v. 32. מזרות pro מזלות. Usitatam esse hanc mutationem istarum literarum pluribus exemplis disputat Drusius lib. 1. Quæstionum, quæst. 69. Hæc verò mihi videtur hujus loci sententia, Deum discrimen positurum inter Judæos & Israelitas, illos servando, hos perdendo, ut cap 1. 6, 7. *Israelitarum non miserebor, at Judæorum miserebor, eósque conservabo.* ¶ *Eurus*] Assyrius, ait Tremellius rectè. Solet enim hostis Euro comparari. Ezech. 19. 12. *Eurus arefecit fructum ejus.* ¶ *A deserto*] Magna pars Arabiæ Desertæ ab Oriente Judææ inter Babyloniam & Judæam interjecta fuit. ¶ *Fons ejus*] Ephraimi, de quo v. 12 & 13.

16. *Collidentur parvuli, & gravida diffindentur*] Ducum enim crudelitatem eousque nonnunquam procedere ut *infantes allidant, & prægnantes mulieres diffindant*, quò fœtum ex earum utero extractum perdant, docent nos illæ lacrymæ Elizæ. 2 Reg. 8. 11. Quarum hæc causa redditur, *Quia novi te parvulos allisurum, & gravidas diffissurum.* Etiam illa quæ scribit Horatius Achillem fuisse facturum nisi ante Trojam captam periisset, 4. Car. odâ 6.

> *Ille non latam Priami choreis*
> *Falleret aulam:*
> *Sed palàm captis gravis, heu nefas, heu!*
> *Nescios fari pueros Achivis*
> *Ureret flammis, etiam latentes*
> *Matris in alvo:*

neque infantibus neque materno utero inclusis à sævo victore parci apertè testantur.

GROTIUS.

1. LOquente Ephraïm] Olim cùm in communibus conventibus, sive sub Judicibus sive sub Rege Saüle, Davide, Salomone *loqueretur* tribus *Ephraïm*, viris & opibus pollens; ¶ *Horror invasit Israël*] Cæteræ tribus cum magna reverentia eos audiebant, plurimúmque tribuebant illorum sententiis. Confer Jobum 29. 8, 9. ¶ *Et deliquit in Baal*] Etiam vituli Hebræis vocantur interdum בעלים [*Baalim*,] quia Deus tales imagines, contra Legem suam sibi factas, à se abalienat;

 neque

neque pluris facit quàm eas quæ falsis numinibus excitantur. ¶ *Et mortuus est*] *Ideo mortuus est*, id est, exitio addictus; μετωνυμία [*Transnominatio*] satis frequens.

2. *Et nunc addiderunt ad peccandum*] Procedunt in pejus. ¶ *Feceruntque sibi conflatile de argento suo, quasi similitudinem idolorum*] Certum est עצב poni pro *idolis* 1 Samuel. 31. 9. 1 Paral. 10. 9. 2 Paralip. 24. 18. Esaiæ 10. 11. & 48. 5. & Psalmis aliquoties; quibus in locis Græci posuere εἴδωλον [*idolum*,] alibi γλυπτόν [*sculptile.*] Sensus est: non contenti Vitulis, veteri peccato, *fecere sibi etiam simulacra argentea, ad imitationem* eorum quæ habebant profanæ gentes, *formâ* scilicet *humanâ*, quod hîc addit Chaldæus. ¶ *Factura artificum totum est*] Nihil est in eo Divini: nihil ampliùs quàm materia & manupretium; Esaiæ 40. 18, 20. & 41. 7. & 44. 12, 13. Jeremiæ 10. 13. ¶ *His ipsi dicunt, Immolate homines vitulos adorantes*] Duplex hic fuit lectio. Aquila legit ישקון; vertit enim καταφιλοῦντες: id autem est *venerationis signum exhibentes*, quod Latinè dici solet *adorantes*. Vide Jobi 31. 27. Verùm cùm hic imaginum cultus à cultu Vitulorum apertè distinguatur, melior fortè erit lectio Lxx, ישקו, id est, *quiescant vituli*: Satis diu vitulos sacrificavimus; majoribus victimis opus est, μόσχοι γὰρ ἐκλελοίπασι [*vituli enim defecere*] habent Lxx, sensu paulùm diverso, sed ità ut eos legisse ישקו appareat.

3. *Idcirco erunt quasi nubes matutina, & sicut ros matutinus præteriens*]. Non durabunt, ut suprà. ¶ *Sicut pulvis turbine raptus ex area*] Psalmo 1. 4. ¶ *Et sicut fumus de fumario*] Ἀπὸ καπνοδόχης, quomodo vertit Theodotion: Symmachus, ἀπὸ καταῤῥάκτου esse autem *cataracten*, ait Hieronymus, *foramen in pariete fabricatum per quod fumus egreditur*. Lxx verterunt ἀπὸ ἀκρίδων, decepti vocis ambiguo, quia ארבה, quod *fenestram* aut *fumarium* significat, mutatis vocalibus significat *locustam*. Ex hac versione lectio altera fluxit vicinitate literarum corrupta, ἀπὸ δακρύων [*à lacrymis*,] quæ in multis exstat codicibus. Omnium harum varietatum meminit Hieronymus.

4. *Ego autem Dominus Deus tuus ex terra Ægypti*] Est iterum ἔλλειψις [*vocis Omissio*,] quæ suprà 12. 14. Verba hæc curtata ex Decalogi initio. Ante hæc verba quædam sunt posita in editione Lxx, quæ in antiquissimis exemplaribus non fuisse notat Hieronymus. Adeò veteres quædam in illis libris παραγραφαί [*mendosæ scripturæ.*] ¶ *Et Deum absque me nescies*] *Deum præter me non agnosceres*, id est, agnoscere non debetes: ut,

——— *At tu dictis, Albane, maneres.*

Et salvator non est præter me] *Quia nemo potest vos servare* (ab omnibus scilicet malis) *præter me.*

5. *Ego cognovi te in deserto, in terra solitudinis*] *Cognoscere* sæpe est diligere; sed tam Lxx quàm Chaldæus legerunt רעיתיך, *pavi te.* Ibi scilicet ubi omnia deerant dedi tibi aquam potabilem, Manna, aves.

6. *Juxta pascua sua adimpleti sunt, & saturati sunt*] In Hebræo, *Juxta pascua sua & saturati sunt, saturati sunt*: id est: *ubi plenè saturati erant*, velut oves *in pascuis*. Vide Deuteron. 8. 15, 16. ¶ *Et levaverunt cor suum*] Idem sensus qui Deuteronomii 32. 15. ¶ *Et obliti sunt mei*] Contrà quàm & ratio ferebat & Deus monuerat Deuteron. 6. 11, 12.

7. *Et ego ero eis quasi leæna*] *Tanquam panthera*: id enim שחל tum hîc tum suprà 5. 14. ¶ *Sicut pardus*]. Pardus à panthera differt; Plinius 8. 17. ¶ *In via Assyriorum*] Secutus est Lxx Senes, qui habent κατὰ τὴν ὁδὸν Ἀσσυρίων. At Chaldæus & alii Interpretes non nomen volunt esse proprium אשור [*Assur*; *Aschur*,] sed verbum, ut sensus sit, *propter viam insidiabor*: Qui mos pardo, Jeremiæ 5. 6. Efficiam ut undique in insidias incidant.

8. *Occurram eis quasi ursa raptis catulis*] Bene sensus expressus est in Hebræo, *quasi ursus orbatus.* Hieronymus ad hunc locum: *Ajunt qui de bestiarum scripsere naturis, inter omnes feras nihil esse ursâ sævius cùm perdiderit catulos.* Sic & leænæ & tigridis descriptiones furentium ereptis catulis habes apud Poëtas. ¶ *Et dirumpam interiora jecoris eorum*] In Hebræo, *Claustra cordis eorum*; id est, præcordia. Sensus est, *dispergam populum*: nam populus ut corpus, singuli ut membra. ¶ *Et consumam eos ibi quasi leo*] Faciam ut intereant multi. ¶ *Bestia agri*] Assyrius, fortis & immitis. ¶ *Scindet eos*] Populum distrahet.

9. *Perditio tua, Israël: tantummodo in me auxilium tuum*] *Depressio tua*; id est, à te venit quod externis traderis: *nam si in me sperasses, auxilio tibi fuissem.* Hæc expositio maximè convenit Hebræis vocibus, & אהי [*Ero*,] quod sequitur, cum his verbis connectit; eundem sensum habet Chaldæus.

10. *Ubi est Rex tuus? maximè nunc*] In Hebræo, *Rex tuus ubi?* Reges pluris fecisti quàm me: ubi nunc Regi suæ vires? ¶ *Salvet te in omnibus urbibus tuis*] *Ergò servet te, cum omnibus urbibus tuis*, si potest: nam id de Regibus exspectasti, 1 Samuelis 8. 20. ¶ *Et Judices tui*] Id est, Præfecti à Rege positi. ¶ *De quibus dixisti, Da mihi Regem & Principes*] Cùm Regem petiverunt, simul voluere & Præfectos regios: nam eos constituere inter jura est Regis, 1 Samuelis 8. 12.

11. *Dabo tibi Regem in furore meo*] *Dedi*, jam sæpius: id est, Iratus peccatis vestris sivi vos per seditiones ac cædes mutare Reges pro lubitu. Vide 2 Regum. 15. ¶ *Et auferam in indignatione mea*] Per Assyrios. Ità malè facta pejùs dilabuntur.

12. *Colligata est iniquitas Ephraïm*] Omnia simul mihi obhærent, ut quæ in fasciculum constringuntur, nequid excidat. ¶ *Absconditum peccatum ejus*] *Repositum*: ut id quod suo tempore reddi debet.

13. *Dolores parturientis venient ei*] Gravissimi cruciatus: ὠδῖνες, Matthæi 24. 8. ¶ *Ipse filius non sapiens*] Quasi fœtus sibi non consulens, neque ex utero erumpens. Vide Canticum 8. 14. *Nunc enim non stabit in contritione filiorum*] *Alioqui non tam diu staret in loco unde erumpunt filii.* Id enim משבר: 2 Regum 19. 3. ἀλληγορία [*Tecta locutio*] significat Ephraïmum non sapere quòd tam diu differat pœnitentiam agere, ac sic semet eximere è calamitatibus.

14. *De manu mortis liberabo eos*] *Liberarem*, si pœnitentiam agerent. Hebræi, quia potentialem modum non habent, coguntur abuti futuro indicativi. Pro *mortis*, in Hebræo est שאול, Græcè ᾅδης, *de manu sepulcri*, id est, de periculis ad sepulchrum ducentibus. ¶ *De morte redimam eos*] *Redimerem*: id est, eriperem eos ab exitio. ¶ *Ero mors tua, ô mors*: id est, omnia mortifera exstinguerem, ut in Sennacheribi exercitu factum est postea. ¶ *Morsus tuus ero, Inferne*] *Excidium tibi, ô sepulchrum. Sepulchrum* hîc intelligit fossam in quam toti populi conjiciuntur, ut fit in publicis cladibus. ¶ *Consolatio abscondita est ab oculis meis*] Est oppositum prioribus. Nunc verò, cùm pœnitentiam agere tam diu vocati nolitis, nihil est quod me *consolari* possit, id est, Iram meam sedare. sic vox hæc sumitur Esaiæ 57. 6.

15. *Quia ipse inter fratres dividet*] *Quia ipse pro fratribus multiplicavit*, supple *peccata*. Plus peccavit quàm Judas & Benjamin. Ità Chaldæus. ¶ *Adducet urentem ventum*] *Orientalem*, qui pestifer illis in locis. simul ostenditur situs Assyriæ. ¶ *Domini*] Deo immittente. ¶ *De deserto adscendentem*] Per Syriæ partem desertam, 1 Regum 19. 15. nam hàc iter Assyriis in Samaritidem. ¶ *Et siccabit venas ejus, & desolabit fontem ejus*]. Ventus enim ab Oriente erat adurens (unde καύσων Græcis dicitur) ac proinde & exsiccans, Ezech. 17. 10. & 19. 12. Quid autem per hanc ἀλληγορίαν [*Tectam locutionem*] significetur explicant sequentia. ¶ *Et ipse*] Assyrius, qui per *ventum* illum intelligendus. ¶ *Diripiet thesaurum omnis vasis desiderabilis*] *Rerum pretiosarum.* Ità hæ voces sumuntur 2 Paralipomenon 32. 27. & 36. 10. Danielis 11. 8. Nahumi 2. 9.

C A P. XIV.

M U N S T E R U S.

3. TOllite *vobiscum verba*] Non est ut pecus aliquod in sacrificium vobiscum ducatis ad Dominum, aut aurum & argentum illi offeratis, sed offerte illi *verba* puræ confessionis, & *convertimini ad eum* in toto corde vestro, & non in *labiis* tantùm; *Clamate ad eum, Domine, aufer cunctas iniquitates nostras, & suscipe* læto vultu *bonum* cor nostrum ad te conversum, quod verè magis tibi placet quàm holocausta & quæcunque sacrificia. Agnoscimus te verum esse Salvatorem, & in nullam creaturam ponemus ampliùs fiduciam nostram. Si talis, inquam, confessio præcesserit, *curabit Dominus aversionem vestram*, non meritis vestris motus, sed suâ gratiâ. Ipse enim facit ut sic ad eum convertamini.

6. *Sicut ros ero Israeli*] Assimilat gratiam *rori*, quâ mortui in peccatis revivificantur, & *quasi rosa* odorifera fragrantiam bonæ vitæ diffundunt. Et si *percusseris radices* eorum, immobiles manebunt *quasi Libanus*: adeò consolidat gratia Dei electos suos. Siquidem Ecclesia Dei in mediis tribulationibus optimè habuit & crevit mirum in modum, ut etiam infideles *conversi fuerint & habitaverint sub umbra ejus*, pasti *frumento* vitæ & poti sanguine Christi, qui cibus & potus est animarum.

Kimhi

Kimhi tamen exponit *percutere radicem* pro *jacere*, *mittere &* *firmare radicem*.

9. *Quid mihi ultrà cum idolis?*] Quoties Israel conversus ad Dominum sic dixit, *respondit ei* Dominus, h. e. exaudivit eum & amanter inclinavit se ad illum, atque *quasi abies virens* illi refrigerium dedit, & uberrimos contulit *fructus*. Alii sic legunt, *Ego afflixi, & iterum respexi eum.*

VATABLUS.

1. *Allidentur* ירטשו] Sub. *saxis*, *parieti*, aut *muro*, à *militibus*. ¶ *Et fœta ejus* והריותיו] *Et prægnantes ejus*, pro *eorum*: i. scisso ventre earum, extrahetur fœtus. Hæc pertinent ad crudelitatem hostium.

3. *Tollite vobiscum verba* קחו עמכם דברים] Hebraismus, Precemini Deum. ¶ *Aufer* תשא] Fut. Heb. *auferes* pro *aufer*: i. condona nobis omnia peccata nostra. ¶ *Bonum* טוב] Sub. *verbum*, i. bona verba nostra: h. e. suscipe veram confessionem peccatorum nostrorum: vel, *bonum*, animum, aut cor, i. pœnitentiam nostram, aut precationem quam facimus ex animo. ¶ *Vitulos labiorum nostrorum* פרים שפתינו] Hebraismus, Loco vitulorum sive juvencorum, sacrificabimus sive offeremus tibi precationes & laudes, gratiarúmve actiones,

4. Et *super equum* על סוס] Sing. pro plur. i. posthac non sperabimus in Assyriis, nec in equis. ¶ *Pupillus* יתום] Homines infirmissimæ sortis intelligit.

5. *Sanabo rebellionem eorum* ארפא משובתם] *Curabo defectionem eorum*, i. condonabo eis. Si ità, inquit Propheta, fecerint ut modò monui, ità tibi dicturus est Dominus, *Curabo*, &c. Nè igitur desperet peccator. ¶ *Spontaneè* נדבה] *Ultro*: vel, *liberâ animi voluntate*: non coactus. ¶ *Aversus est* שב] Præt. Heb. pro fut. *avertetur*.

6. *Et pertingent* ילכו] Sub. *huc illuc*, i. sese latè diffundent radices ejus. ¶ *Veluti Lebanon* כלבנון] *Veluti* radices arborum *Libani*.

7. *Ibunt* ילכו] *Promovebunt*. *Propagabunt sese*. *Excurrent*, i. Crescent, ac diffundent sese.

8. *Revertentur* ישבו] Sub. *in terram suam*. Alii, *Conquiescent*, i. otio fruentur. ¶ *Vivificabunt seipsos* ut *triticum* יחיו דגן] Sub. *vivificat hominem*, i. revivifcent.

9. *Ut abies virens* כברוש רענן] q. d. Nunquam illi deero; omnia necessaria illi suppeditabo. Abies semper viret: & quia non fert fructum, ideo addit, *Et fructus tuus*, quo scilicet indigebis, *erit ex me*. Per *fructum* omnia necessaria intelligit.

10. *Et intelliget*, &c. ויבן אלה וגו] *Ut intelligat ista? prudens, ut cognoscat ea?* ¶ *Ambulabunt*, &c. ילכו בם וגו] *Ambulabunt per eas. Impii verò corruent per eas*: i. Justi probant vias & opera Domini, & observant ea: impii verò non observant vias Domini, quia non approbant eas, & ità corruunt in eis & per eas.

CASTALIO.

3. *Accipe bonum*] Bonas gratásque victimas, h. e. gratiarum actionem, quam tibi nos pro tauris libabimus.

5. *Medebor enim aversationi*] Defectioni.

8. *Ejus memoria erit ut Libaneum vinum*] Suavis & honesta.

CLARIUS.

3. *Tollite vobiscum verba*] Non pecus aut aurum, sed verba puræ confessionis. ¶ *Accipe bonum*] Sit gratum obsequium nostrum tibi.

6, &c. *Ero quasi ros*] Assimilat gratiam *rori*, quâ mortui in peccatis vivificantur, ut *quasi rosa* odorifera fragrantiam bonæ vitæ diffundant. Et si *percusseris radices* eorum, (nam illud *erumpet* quidam sic vertunt) immobiles manebunt *quasi Libanus*: adeò consolidat gratia Dei electos suos. Siquidem Ecclesia Dei in mediis afflictionibus optimè habuit & crevit mirandum in modum, ut etiam infideles *conversi fuerint & habitaverint sub umbra ejus*, pasti *frumento* vitæ, & poti sanguine Christi, qui cibus & potus est animarum. ¶ *Memoria ejus*] Tam grata erit *memoria ejus* quàm *vinum Libani*.

9. *Ephraim, quid mihi*] *Ephraim dicet, Quid mihi ultrà cum idolis?* Tunc respondebit Dominus, *Ego exaudiam, & dirigam eum*: & inclinabit se Dominus ad illum, atque *quasi abies virens* illi refrigerium dabit, & uberrimos conferet *fructus*.

10. *Quis sapiens*] Declarat his verbis, obscuritatem inesse Prophetiæ, & librum esse signatum, quem solus Christi Spiritus, qui finis est totius Scripturæ, aperire possit.

DRUSIUS.

Hactenus recensuit cladem populi quam propter idololatriam aliáque ipsorum scelera subierant. Nunc residuos ex illa clade hortatur ad resipiscentiam: Quam præcedit semper dejectio. Hanc autem præcedit calamitas, & utramque comitatur agnitio peccati. Ideo subjicit, *quia corruisti in iniquitate tua*: ac si diceret, Vides hæc omnia tibi evenisse propter iniquitatem tuam: Debes ergò, si velis ut tibi bene sit, seriò ad Deum redire, vitámque in melius commutare.

1. *Redi*] *Convertere*. Conversionis partes præcipuæ sunt Agnitio culpæ & Emendatio morum: Quæ tunc demum Deo accepta est quando seria est. Seria verò est quando ex animo proficiscitur: ac tum non facilè rursum in vitia relabimur. ¶ *Ad DOMINUM Deum tuum*] Aliquot editiones habent *usque ad DOMINUM*: in quo subtilius quàm par est philosophantur. Nos scimus עד pro אל sumi non hîc solùm sed etiam Deut. 4. 30. & Joel. 2. 12. ¶ *Corruisti*] Vel *impegisti*. Vult dicere, Incidisti in multas & graves calamitates. ¶ *In iniquitate tua*] *Propter iniquitatem tuam*. Nam propter peccata plerǽque eveniunt homini calamitates. Scitum illud, *Si non essent delicta, non essent flagella*.

2. *Accipite vobiscum verba*] Nempe quæ dicturi sitis. Hîc formulam precandi eis præscribit, brevem sanè, sed quæ paucis verbis multa contineat. Aut sensus est, Deus non opes, non hostias à vobis exigit, sed tantùm *verba* quibus testimini vos seriò resipuisse. ¶ *Et convertimini ad DOMINUM*] Vel *postquam conversi fueritis ad DOMINUM*. Nam Deum non precatur ex animo nisi qui priùs ex animo resipuerit. Primùm ergò Resipiscentia, deinde Confessio. ¶ *Omnem*, &c.] Quid si, *Omnem tollas iniquitatem*? Omnium nostrûm videlicet. ¶ *Tollas*] *Auferas, condones*. Hoc sensu capies, *Ecce Agnus qui tollit peccata mundi*: ¶ *Et accipe bonum*] Fortè leg. *accipe in bonum*, i. in bonam partem, ut sit טוב pro לטוב, & subaud. *hanc nostram precationem*, aut aliquid tale. *Accipe*, i. acceptum tribue, vel confer. Sic Pf. 68. 18. *accepisti dona in hominibus*, vel *propter homines*, i. accepta dedisti. Sic alibi *capies* pro *capies & pones*. *Bonum*, i. justitiam & integritatem morum. Nam hæc dona Dei sunt. ¶ *Reddemus*] *Solvemus*. Verbum proprium in votis, quæ נדרים dicuntur; ut possis legere, *reddemus ut juvencos labia nostra*, i. vota labiorum nostrorum. Hoc pono, non statuo. ¶ *Juvencos labiis nostris*] Idem cum illo, *juvencos labiorum*. Intelligit autem laudes & gratiarum actiones. פרים alii in *vitulos* transtulerunt, sed malè: nam *vituli* potiùs עגלים dicuntur. *Labiis nostris*, i. בשפתינו. Cæterùm Beth abest in Ebræo. Vide igitur num possit accipi פרים pro פרי. Nam status hoc modo sæpe permutantur. Aut est sermo brevis pro, *reddemus juvencos, juvencos*, inquam, *labiorum nostrorum*. Exemplorum talium copia est in hac lingua, quæ brevitatis causâ omitto.

3. *Assyrius*] Rex assyriorum, vel ipsi Assyrii. Quale est, *Romanus cedendo vicit*. Cæterùm in fonte est *Assur*, quod in *Assyriam* transferri quoque potest. ¶ *Non salvabit nos*] Non ampliùs ità de eo existimabimus ac si ipse nos servare posset, cùm tu solus id possis facere; ipse verò nihil possit sine te. ¶ *Equis non vehemur*] Vel ad proficiscendum in Ægyptum auxilii causâ, vel certè non utemur equis tanquam spem salutis in iis ponentes. Quod damnatur Jes. 31. Dicit etiam David Pf. 33. 17. *Mendax est equus ad salutem*. Vide & Mich. 5. 10. ¶ *Deus noster es*] Vel, *ô Deus noster*: Potest etiam reddi, *Dii nostri estis*. ¶ *Operi manuum nostrarum*] Vitulis aliisque simulacris. Suprà, *artifex fecit illum*, de Vitulo. Item, *opus artificis totum ipsum est*; &, *aurum quod fecerunt in Baalem*. Hinc perspicimus, Baalem & Vitulos cultos fuisse pro vero Deo. Quod viri docti negant, sed temere satis. ¶ *In te*] In te solo, sive per te solum. ¶ *Pupillus*] Omnis qui ope humanâ destituitur.

4. *Sanabo aversionem eorum*] i. Defectionem, rebellionem; & *sanabo* per Christum, qui est Medicus animarum. Contrà est in hoc libro, *percussus est Ephraim*. *Sanat* autem cui eam mentem indit ut bonâ fide resipiscat. Nam hic potissimùm indigemus auxilio Numinis. Quod ampliùs confirmat Propheta ille qui dixit, *Converte nos, DOMINE, & convertemur*. ¶ *Diligam eos*] Qui priùs eos oderam. Suprà 9. 17. *spernet eos Deus meus*: quod odii signum. Amor porrò Dei fons est omnis nostræ felicitatis. Nam quicquid in nos confert, id ex gra-

gratuita ipſius benevolentia manat & proficiſcitur. Ut inepti planè ſint qui Merita noſtra tanto exaggerant opere. ¶ *Voluntariò*] *Sponte*, *ultro*, bonâ fide, promptâ animi voluntate. Hoc ſenſu *voluntariò* eſt adverbium, quod efferunt & per *è* in ultima *voluntariè*. Aliter, *amabo eos voluntario amore*. Scilicet in verbo includitur aliquando verbale. Sic *dormire mortem* dicunt pro *dormitionem mortis*. *Amor voluntarius*, qui ex puro affectu manat, nullâ fictione tectus aut inquinatus. ¶ *Averſa eſt ira mea*] Hujus oppoſitum 8. 5. *excanduit ira mea in eos.* שׁב *averſa eſt*. Ab hoc ſignificatu eſt משׁובה *averſio*, quæ ſemper in malis ponitur. Licet etiam vertere *quievit*, *ſedata eſt*. ¶ *Ab eo*] Populo electorum.

5. *Ero*] Commemorat nunc aliquot effecta dilectionis Dei. Nam ex ea bona omnia promanant, ut diximus. ¶ *Quaſi ros Iſrael*] Rore donorum cœleſtium Iſraelem irrigabo. Tantúmne? Nec beneficentia mea unquam ei deerit. Nam, ut notatum in Scholiis Ebraicis, ros nunquam deficit. Hujus contrarium habetur ſuprà 13. 15: *areſcet vena ejus.* ¶ *Florebit*] Donis ſpiritualibus. ¶ *Ut lilium*] Stirps hæc pulcerrima quidem eſt, ſed non habet firmam radicem: ideo ſequitur, ¶ *Mittet radices ſuas*] Mittet longè latéque, aget altè radices. In Ebræo eſt ad verb. *incutiet radices ſuas.* Pleniùs hoc diceretur *incutiet terra.* Quod alii exponunt, *figet*, *propagabit*, *panget*. ¶ *Libanus*] Arbores Libani. Metonymia. Figura nota Grammaticis.

6. *Procedent*] Serpent longiùs, & diffundent ſe hàc illàc. ¶ *Rami ejus*] ינקתיו propriè *rami teneri*. Alioqui *rami* ענפים dicuntur. ¶ *Quaſi oliva*] Quæ perpetuò viret, etiam cùm aliæ arbores decore ſuo ſpoliantur. Ideo *arbor decoris* dicitur Levit. 23. 40. & εὐπρεπὴς Sirach. 50. 11. ¶ *Decor*] *Gloria*, *magnificentia*. ¶ *Odor ei*] Odor nominis ejus. ¶ *Ut Libani*] In quo arbores & herbæ odoriferæ.

7. *Revertentur*] Vel in patriam redibunt, vel ad Deum convertentur: niſi malis *quieſcent*, quod video nonnullis placuiſſe: mentiar ſi mihi omnino diſplicere dixero. ¶ *Sedentes in umbra ejus*] Tuti ejus ope atque præſidio. De Umbræ metaphora Pſal. 17. 8. Jeſ. 4. 6. ¶ *Vivificabunt ſe*] Vivos liberos procreabunt. ¶ *Ut frumentum*] Tantâ copiâ quantâ frumentum provenit; ſicut ex uno grano multa ſolent provenire. Quidam, *vitam producent frumento*, h. e. rebus neceſſariis ad vitam ſuſtentandam. Vide Pſ. 81: 16. & 147. 14. ¶ *Florebunt ut vitis*] Vitis non floret perpetuò, ſed tamen ſecùs ac Frumentum ſolet, quod poſt factam meſſem ceſſat, nec in agro ampliùs conſpicitur: Ejus ſtirps ſemper manet, quæ poſt annum rurſum vireſcit & fructum de novo edit. ¶ *Memoria ejus*] זכרו alii reddunt *odor ejus*. Nam זכר *odorari*. Sanè Pſ. 20. 4. יזכר Tremellius poſt D. Camium & Vatablum interpretatur *olfaciat*, *odoretur*. Hinc אזכרה *odoramentum*. Si hæc interpretatio obtinebit, vertendum erit, *odor ejus ut vini Libanici*: nam is odor ſuaviſſimus eſt. Vinum enim illud odore & ſapore cæteris omnibus præſtat, vel Aſapho medico teſte. ¶ *Ut vinum Libanium*] Tam grata & ſuavis eſt *quàm vinum Libanium*: quo non eſt præſtantius in ſuo genere. Subauditur autem *fragrabit*. D. Camchi ad h. l. *Vidi librum quendam Aſaphi medici in quo hoc ſcriptum erat*, " *Vinum Libani*, *& vinum Hermonis*, *& vinum Carmeli*, *& vinum montium Iſrael & Jeruſalem*, *& vinum montium Samariæ*, *& vinum Chaphthor Ægypti*, *vina iſta reliquis vini generibus antecellunt odore*, *ſapore & medicinâ.* Hæc Rabbinus ille.

9. *Ephraim*] Diſtinctio accentuum arguit aliquid abeſſe: ergò ſupplent *dicet*. Alii legunt, *O Ephraim*, *quid mihi ampliùs cum idolis?* q. d. Non indigeo ipſis: ſolus ſufficio ad te ornandum. ¶ *Quid mihi cum idolis?*] q. d. Valeant: nihil mihi cum illis rei ampliùs eſt. Lxx, τί αὐτῷ καὶ εἰδώλοις; Legerunt לו pro לי, h. e. Vau pro Joth. Nam magna olim ſimilitudo inter has literas. Sententia emergit ex hac lectione elegans valde. Deus loquitur, *Quid Ephraimo*, inquit, *ultrà cum idolis rei*, aut *commercii*, *eſt?* q. d. non ampliùs eget ope ipſorum. *Ego exaudiam*, &c. Eſt autem hæc locutio Anacreonti familiaris, ut;

Τί μοι καὶ μακροῖς αὐλοῖς;

Quid mihi cum longis tibiis? Reperitur quoque in N. T. ¶ *Ego exaudiam*] Suppeditabo illi omnia neceſſaria ad vivendum. Simile, *Pecunia exaudit omnia*: nam omnia ſubminiſtrat: nihil enim eſt quod pecuniâ comparari non poſſit. ¶ *Obſervabo eum*] Santes, *reſpiciam eum*, i. erò ei propitius: ut apud Terentium, *Dii nos reſpiciunt*. Sed *reſpicio* פנה dicitur: שור magis eſt *obſervo*, i. intentis oculis aſpicio. Itaque explico, ſingularem curam ipſius habebo. Hujus oppoſitum igitur Deut. 31. 17. *Abſcondam faciem meam ab illis.* ¶ *Ego ſicut abies*] Præſtabo ei laboranti quod *abies frondoſa* in æſtu Solis, quæ gratiſſimam umbram facit. Cæterùm Abies arbor eſt infrugifera: ideo ſequitur, *ex me fructus tuus invenitur.* ¶ *Frondoſa*] Vel *virens*: nam perpetuò viret. Lxx, πυκάζουσα, *denſam umbram præbens.* ¶ *Et me fructus tuus*] i. Opera tua: ut Pſ. 1. 4. *qui fructum ſuum dabit in tempore ſuo.* Hinc arguitur, Bona opera à Deo eſſe. Quò facit & illud, *Quid habes quod non accepiſti?* &, *Cùm omnia feceritis*, *dicite*, *Servi inutiles ſumus.* ¶ *Invenitur*] Exſiſtit: ut, *Non eſt inventus in ore ejus dolus*, non fuit. Tremellius tamen elegit *præſtò eſt*; quod neſcio an נמצא unquam ſignificet.

10. *Quis*, &c.] Pſ. 107. 43. *Quis ſapiens ut obſervet hæc*, *& intelligat benignitates DOMINI?* Jer. 9. 12. *Quis ſapiens ut hoc intelligat?* Vult dicere, Nemo eſt, vel, Pauci ſunt. Nam pii tantùm intelligunt, quibus Deo placuit hæc patefacere. ¶ *Sapiens*] Ut ibi, *Capit ſapientes in aſtutia ſua.* Quorum nemo hæc intelligit. Nam tales ſecundùm hominem ſapiunt, non ſecundùm Deum. Quòd ſi latiùs velis extendere, tum ſenſus eris, *Pauci hæc intelligunt.* Nam pauci ſapientum rerum Divinarum intelligentiam habent. ¶ *Iſta*] Judicia Dei videlicet. Vel, has reprehenſiones, iſtas *vias DOMINI.* ¶ *Quia*] Vel, *quod rectæ ſint.* Sirachides 39, 29. Αἱ ὁδοὶ αὐτοῦ εὐθεῖαι τοῖς ὁσίοις, οὕτω τοῖς ἀνόμοις προσκόμματα. Hinc ſumpſit hanc ſententiam. ¶ *Rectæ ſunt*] Tametſi aliter videatur ſapientibus hujus ſeculi, aut improbis. ¶ *Juſti ambulant in eis*] *Ambulant in eis inoffenſi*, q. d. *non impingunt in eis.* Per *vias DOMINI* poſſumus etiam intelligere legem Dei, ſecundùm quam juſti vitam inſtituunt: *improbi verò impingunt in ea*: quippe abutuntur eâ in ſuam perniciem. ¶ *Scelerati*] Sceleratè viventes, nec dicto audientes, *defectores*, *rebelles*. Tales autem ſunt omnes improbi. Nam deficiunt ab imperio Domini ſui, qui eſt *Deus benedictus in ævum.* ¶ *Impingunt in eis*] Nam cùm vident bonis malè eſſe, & contrà malis benè, negant *vias DOMINI rectas eſſe*, aut dicunt ipſum non curare res humanas. Sed videtur hoc potiùs velle, quòd videlicet improbi, conceptâ opinione falsâ de Deo ex actionibus ipſis, confirmentur magìs in improbitate ſua: unde ruina & certum exitium.

I D E M.

1. Π Εσοῦνται αὐτοὶ] Exceptâ Romanâ vulgatæ editiones, quas quidem videre contigit, non habent αὐτοί quod nec in Hieron. quoque legitur, nec in Ebræo. ¶ Τὰ ὑποτίτθια αὐτῶν] Subintelligitur παιδία vel βρέφη. Puer ὑποτίτθιος *qui adhuc ſub mamilla eſt*, *qui à mamilla pendet*, *lactens*. Nam τιτθὴ *mamma ſive mamilla*. Dicitur & ὑπομάζιος. Tales Ebraicè potiùs עוללים dicuntur. ¶ Ἐν γαστρὶ ἔχουσαι] i. *Prægnantes*, ut Matth. 1: 23. Ἰδοὺ ἡ παρθένος ἐν γαστρὶ ἕξει, i. *prægnans erit.*

2. Ἰσραὴλ πρὸς Κύριον] Minùs rectè in aliis exempl. Ἱερουσαλὴμ ἐπὶ Κύριον. Error natus ex compendio ſcribendi, de quo aliàs. ¶ Ἠσθένησεν] Emenda ἠσθένησας. Mendum operarum.

3. Πρὸς Κύριον τὸν Θεὸν ὑμῶν] Illud τὸν Θεὸν ὑμῶν gloſſema eſt, quod nuſquam reperi præterquam in R. ¶ Καρπὸν χειλέων ὑμῶν] פרי שפתינו optima lectio, ſi non hodie פרים præferrent Ebræi codices ad unum omnes. Sunt qui ejus originem referunt ad morem abbreviandi פרי pro פרים. Nam decepit, inquiunt, Interpretes illa brevitas. Idem mihi quoque videtur; rectè an ſecùs, veſtrum judicium eſto, veſtra exiſtimatio.

4. Ὁ ἐν σοὶ] Plantinus excudit ὃς pro ὁ, & Baſileenſes ὅτι. In Hier. *qui in te eſt.* ¶ Ἐλεήσει] Biblia Plantini ἐλεεῖς, i. *miſereris*. Int. V. *miſerebitur*.

5. Κατοικίας αὐτῶν] משובתם perperàm inſciéque à ישב derivant, verbo in ſignificatione *habitandi* uſitatiſſimo. Sic משובה ſuprà 11. 7. κατοικίας αὐτοῦ, quod rectum puto, & repudio ſcripturam variantem παροικίας αὐτοῦ. Siquidem ישב κατοικεῖν, non παροικεῖν. ¶ Ὁμολόγως] Regius codex ὁμολογουμένως. Int. V. *diligam eos manifeſtè*. Maluiſſem ἑκουσίως, ut Pſ. 54. 6. ἑκουσίως θύσω σοι. Eſt enim נדבה propriè ἑκουσιασμός, & Interpretes noſtri ἑκούσιον reddunt Levit. 7. 16. & alibi. ¶ Ὅτι ἀπέστρεψε τὴν ὀργήν μου ἀπ' αὐτοῦ] Ed. Regia, ὅτι ἀπέστρεψεν ὀργήν σου ἀπ' αὐτῶν. Baſileenſis, cum qua Aldi & Cephalæi conſentiunt, διότι ἀπέστρεψεν ἡ ὀργή μου ἀπ' αὐτῶν. Int. V. *quia averſa eſt ira mea ab eis.*

6. Ὡς ὁ Λίβανος] Minùs placet quod in aliis quibuſdam ὡς

Λίβα-

Λίβανος. Nam in fonte לְבָנוֹן cum articulo, qui suâ emphasi non caret. Sic mox v. 7. legerim ὡς τοῦ Λιβάνου.

7. Ὡς ἐλαία κατάκαρπος] Suspicor excidisse vocem quæ respondebat τῷ זית, & illud κατάκαρπος, i. *fructifera*, notatum in margine, ex Ps. 52. 8. librarios per ignorantiam hîc intexuisse. Nihil tamen affirmare ausim, præsertim cùm in hac voce reddenda nusquam sibi constent.

8. Μεθυσθήσονται] Int. V. *inebriabuntur*. In aliis quibusdam ζηmχθήσονται. In Plantini verò ζημιωθήσονται. Vide Rom. ed. ¶ Ἐξανθήσει] Ἐξανθήσουσιν est in C. *efflorebit* verò in versione antiqua. Λιβάνῳ τῷ Ἐφραΐμ] In quibusdam Λιβάνου τοῦ Ἐφραΐμ, i. *Libani Ephraim*. Verior lectio in C. Λιβάνου. Ἐφραΐμ, ut hoc dicat *Ephraim*, *quid ipsi amplius cum idolis?* Ergò ut coire cum insequentibus possit, delendus articulus τοῦ, cum nota distinctionis quæ in A. B. & R.

9. Ἐταπείνωσα] Plant. ταπεινώσω. Int. V. *humiliavi*. ¶ Αὐτῷ] לו pro לי, i. μοί. ¶ Εὕρηται] In eodem εὑρέθη.

10. Ἐπιγνώσεται] Alibi γνώσεται. ¶ Ὅτι εὐθεῖαι αἱ ὁδοί] In editis à Plantino ἐπεὶ εὐθεῖαι ὁδοί.

I D E M.

1. תֶּאְשַׁם. Sym. Μεταμελήσει] Ex ed. Rom. & ex Hier. *Pænitebit eam pœnitudine*, sive *pœnitentiâ ducetur*. Sed hoc Ebræi potiùs dicerent נחם. Hier. ad h. l. *Sym. non dixit*, Pereat, *sed* Μεταμελήσει, *i.* Aget pœnitentiam, suique eam pœnitebit erroris, quòd dulcissimum Deum in amaritudinem verterit.

I D E M in V U L G.

2. *Convertere*] Hîc Ebræi initium faciunt hujus capitis. ¶ *In iniquitate tua*] Propter iniquitatem tuam.

4. *Opera manuum nostrarum*] Arbitror vertendum, *operibus manuum nostrarum*, ut referatur ad verbum *dicemus*, hâc sententiâ, non dicemus ampliùs operibus manuum nostrarum, Dii nostri estis. ¶ *Ejus qui in te est*] Hæc tria verba *ejus qui est* absunt à codice Ebræo. Itaque alii vertunt, *Quia in te misericordiam consequitur pupillus*.

5. *Contritiones eorum*] Alius interpres, *aversionem eorum*.

6. *Israëli*] Alia lectio, *Israël*, quæ eòdem recidit. ¶ *Et Israël* quod hîc in quibusdam libris, opinor scholium esse positum à viro pio in margine, deinde in contextum à librario imperito acceptum. ¶ *Ut Libani*) Subintelligitur *arbores*.

7. *Ibunt*] Id est, spargent se. ¶ *Ut Libani*] Qualis odor arborum Libani.

9. *Idola*] *Idolis* est in Ebræo: quæ eadem Græca loquendi figura Anacreonti familiaris: ut, τί μοι καὶ μακροῖς αὐλοῖς; ¶ *Ego ut abietem urentem*] Alia interpretatio, ego ut abies urens: quam puto meliorem esse.

L I V E L E U S.

2. *Accipite*] *Accipere secum verba* dicuntur qui docentur quæ locuturi sint. Ut simili ratione *poni verba* dicuntur *in eorum ore* qui dicendis instruuntur, 2 Sam. 14. 3. *Posuit verba in ore illius*. Hîc igitur precationis formulam illis dictat.

3. *Equis non vehemur*] Ut antè, spem salutis in eis collocantes. Esa. 31. *Væ descendentibus in Ægyptum ad auxilium, & iis qui equis ac curribus confidunt*, Mich. 5. 10. inter alia terrena præsidia quæ excisum iri declarat, *equos* numerat. De quorum vanitate David Psal. 33. 17. *Mendax est equus ad salutem*.

4. *Spontè*] נדבה enim per ellipsin præpositionis ב adverbii vim habet, idémque valet quod בנדבה Ps. 54. 8. *ultro*, *spontè*, i. promptâ animi voluntate, & gratuitò, sine illorum merito. Nam ut Jobi 41. 2. dicitur; *Quis Deum beneficio provocavit ut ei rependeret?* Vide Rom. 9. 11. & Ephes. 2. 8. A præclara ista sententia Tremellius & Junius contra tot Interpretum consensum sine causa discedunt. Est enim simplex & Hebræi sermonis consuetudini congrua recepta illa interpretatio: Ea verò quam hi illius loco introduxerunt, alienior & coactior.

5. *Mittet radices suas*] Ad verb. *incutiet radices suas*, h. e. defiget, mittet. Metaphora à rebus quæ incutiendo altiùs penetrant longiúsque mittuntur & porriguntur. Nam נכה non solùm *cadere* & *percutere* sed aliquando *incutere* significat. 1 Sam. 2. 14. *incussit in labrum:* & ibidem 19. 10. ויך *incussit hastam in parietem*. Idem igitur hîc dicitur quod Jer. 17. 8. ישלח שרשיו *mittet radices suas*, quo modo Latini loquuntur. Græcísque ῥιζοβολεῖν idem significat. Declaratur felix status, similitudine sumptâ ab arboribus radicatis, patulis, speciosis, odoriferis; quæ omnia arbores commendant. *Radicatio* firmitatem, *ramorum diffusio* propagationem, *decor oleæ* pulcritudinem & gloriam, atque eam quidem constantem & continuam, quia Oliva semper viret, *odor* jucunditatem & amabilitatem notat.

6. *Decor quasi oliva*] Oliva *arbor decoris* dicitur Levit. 23. 40. & εὐπρεπής, i. *speciosa*, *decora*, Eccl. 50. 10.

7. *Memoria ejus*] Fama illius laudatissima erat, & gratissima ac jucundissima recordatio nominis illius, ut *vinum Libani* sapore & odore jucundissimum est. Simili ferè ratione Cant. 1. 3. Ecclesia, cùm Christi dulcem esse memoriam significat, comparat ejus nomen *fragranti oleo*. Erat autem *vinum Libani* præstantissimum, ut probat hîc Quimquius testimonio cujusdam Asaphi Medici, qui scripsit *vinum Libani*, *Hermonis*, *Carmeli*, *montium Israelis*, *& Hierosolymæ*, *& Caphtoris*, *odore*, *sapore*, *medicinâ reliquis omnibus antecellere*. Plinius etiam lib. 14. 7. *vinum Tripoliticum*, *Tyrium*, *Berytium* laudat: quæ loca Libano vicina erant. Denique Athenæus lib. 1. Dipnos. 26, & 27. capitibus de præstantia vini Phœnicum narrat. Libanus verò in Phœnicia erat.

9. *Quis sapiens*] Conclusio est, quâ Propheta hortatur bonos ad intelligentiam doctrinæ suæ, à fructu quem indè percepturi sint, nempe felici & expedito ad veram beatitudinem itinere, contrariâ illo quidem improborum hominum ruinâ illustrato. Eandem Sirachides sententiam habet cap. 39. 27. *Viæ ejus sunt rectæ sanctis*, *similitérque iniquis offendiculo*. Est verò ista hortatio eleganti exclamatione figurata, ut majorem vim habeat, *Quis sapiens*, &c. Ità enim hortantes & optantes aliquid fieri loquuntur. Cyrus apud Xenophontem lib. 3. Eruditionis Cyri, Τίς ἐφίξεται; τίς ἀγαθός; τίς πρῶτος ἄνδρα καταβαλεῖ; Similem huic interrogationem habes in fine Psal. 107. *Quis sapiens ut observet ista?* Item Jer. 9. 12. *Quis sapiens ut hoc intelligat?* &c.

G R O T I U S.

1. *Pereat Samaria*] Chaldæus fortè rectiùs, *Rea est Samaria*, gravium scilicet peccatorum. ¶ *Quoniam ad amaritudinem concitavit Deum suum*] Quasi à מרר [*amaritie afficere*.] Meliùs alii à מרה, *quia rebellavit in verbum Dei*, Chaldæus. LXX, ὅτι ἀνέστη πρὸς τὸν Θεὸν αὐτῆς [*quia surrexit adversus Deum suum*.] ¶ *In gladio pereant*] *In gladio peribunt*, pars scilicet eorum. LXX, ἐν ῥομφαίᾳ πεσοῦνται αὐτοὶ [*per romphæam peribunt ipsi*,] nec aliter Chaldæus. ¶ *Parvuli eorum elidantur*] *Allidentur* solo aut saxis, ut fit in crudeli victoria. Psal. 137. 8, 9. Homerus in re tali:

——— καὶ νήπια τέκνα
Βαλλόμενα ποτὶ γαίῃ ἐν αἰνῇ δηϊοτῆτι.
[——— *illisáque corpora terræ*
Infantum, *sævus dum concutit omnia Mavors*.]

¶ *Et fœta ejus discindantur*] *Pregnantes ejus discindentur*. Hoc etiam interdum à victoribus fieri docent nos historiæ.

2. *Convertere Israël ad Dominum Deum tuum*] Vel nunc post tanta mala, in exsilio. Loquitur velut in re præsenti, ut & alii Prophetæ. ¶ *Quoniam corruisti in iniquitate tua*] Vides enim in quanta mala incideris per idololatriam & alia crimina.

3. *Tollite vobiscum verba*] *Afferte vobiscum* (ad Deum) *verba*, nempe ἐξομολογήσεως [*confessionis culparum*,] ut rectè hic sumit Chaldæus. ¶ *Et convertimini ad Dominum*] Emendate vitam. ¶ *Et dicite ei*, *Omnem aufer iniquitatem*] Id est, pœnas has quas sentimus. ¶ *Accipe bonum*] *Acceptum habe id bonum* quod nunc facimus, planè quasi non peccassemus. ¶ *Et reddemus vitulos labiorum nostrorum*] Sic legit & Chaldæus, non cum alio puncto, ut LXX, qui καρπὸν χειλέων [*fructum labiorum*] dixere. Est locutio μάλα ἐμφατική [*valde Efficax*.] Non possumus in hoc exsilio tibi offerre boves in sacrum εὐχαριστικὸν [*ob gratias agendas*,] sed pro bobus offeremus pia verba gratias suppliciter agentia.

4. *Assur non salvabit nos*] Non ampliùs dicemus Assyrium servatorem nostrum, ut olim, 2 Regum 16. 7. ¶ *Super equum non ascendemus*] Non implorabimus auxilia Ægypti, ut olim, 2 Regum 17. 4. Describitur autem Ægyptus ex equitatu, quo maximè pollebat, Deuteronomii 17. 16. Sic & Esaiæ 30. 16. ¶ *Nec dicemus ultrà*, *Dii nostri opera manuum nostrarum*] Puto scripsisse Interpretem *operi*: ità enim est in Hebræo & Chaldæo: Græci quoque habent τοῖς ἔργοις [*operibus*.] Non ultrà imaginibus dabimus Dei nomen. ¶ *Quia ejus qui in te est misereberis pupilli*] In Hebræo: *Quia penes te est misereri pupillo*.

pillorum. *Pupillos* vocant eos, qui neque per se vires habent, neque patrem habent qui eos tueatur. Talis olim in Ægypto fuerant Hebræi cùm Deus eorum misertus. Pari in statu eadem ab ipsius bonitate exspectant.

5. *Sanabo contritiones eorum*] *Sanabo conversiones eorum*: id est, ipsos conversos. Si irà se converterint ad vias rectas, ubi me deprecati fuerint, *sanabo eos*, id est, reducam eos ab exilio. ¶ *Diligam eos spontaneè*] In Hebræo: *Diligam eos liberaliter*, id est, clementer. Multùm simile habent liberalitas & clementia, ut debita & peccata; ideo ex vicino transeunt vocabula. ¶ *Quia aversus est furor meus ab eis*] *Quia aversus est furor meus ab eo*, supple *populo*: ממנו: at Orientis codices habuerunt ממני, *abiit à me ira*.

6. *Ero quasi ros Israël*] Puto scripsisse Interpretem, *Ero quasi ros Israëli*: nam sic habet textus Hebræus, nec aliter Chaldæus. LXX quoque, ἔσομαι ὡς δρόσος τῷ Ἰσραήλ. Faciam ut omnia eis floreant ut agri irrorati, Geneseos 27. 39. Esaiæ 26. 19. Michææ 5. 7. ¶ *Germinabit sicut lilium*] *Assurget sicut lilium*: nam פרח per ἀνατέλλειν [*sursum ire*] vertitur. Etiam per ἐξανίςασθαι [*assurgere*,] Ezechielis 7. 30. ¶ *Et erumpet radix ejus ut Libani*] *Jaciet radices ut* (arbores) *Libani*. βαλεῖ τὰς ῥίζας, id est, erit in firmo loco positus.

7. *Ibunt rami ejus*] Id est, latè se spargent. Per *ramos* progeniem intelligit. ¶ *Et erit quasi oliva gloria ejus*] Quæ & frondibus abundat & fructibus, Psalmo 52. 10. זית [*Zaith*] *olivam* significat. Ammianus 22. *Profecti exinde Zaitam venimus*, *locum qui Olea arbor interpretatur*. Vocatur sic & fructus & oleum Arabibus; nec aliter hîc cepit Chaldæus: vertit enim, *Splendor eorum velut splendor lychni in Templo*. ¶ *Et odor ejus ut Libani*] Rectiùs vertas, *ut thuris*: nam לבנון [*Lebanon*] utrumque significat, ut hic notavit Hieronymus, & montis mentio jam præcessit, & *odori* meliùs congruit *thus*; & sic accepit Chaldæus. Sensus est: *gratiosus erit apud omnes*. Sic contrà fœtere dicuntur qui in odio sunt, Geneseos 34. 30.

8. *Convertentur sedentes in umbra ejus*] Multi extranei, ut Ammonitæ, Moabitæ, Idumæi, sub eorum præsidio vivent, & ad Deum verum convertentur. ¶ *Vivent tritico*] *Vivificabunt se ut triticum*. Triticum homo obrutum enascitur: ità ipsi ex calamitatibus se attollent. Rabbini hæc & sequentia ad tempus inter duas resurrectiones referunt. Kimchi hæc sequentibus annectens, ait, *eo tempore frumentum semel tantum satum iri*, *pro omni tempore*, *quomodo vites*. ¶ *Germinabunt quasi vinea*] Feminæ erunt fœcundæ; Psalmo 128. 3. ¶ *Memoriale ejus sicut vinum Libani*] Nomen eorum suave erit omnibus; aut, *ità sonabit ut clangor tubæ*, *cùm in Templo libatur vinum novum*: ità hic Chaldæus. Inter nobilia vina *Berytium & Tyrium* ponit Plinius, quòd indè advectarentur. Ad Libanum erat urbs Græcis *Ampeloëssa* dicta ob vini præstantiam; Plinius 5. 18.

9. *Ephraïm*, *quid mihi ultrà idola?*] In Hebræo, *ad idola*, supple, *curris?* Cùm res ità se habeant, cur adhuc Ephraimitæ idola colunt? cur non ab eis discedunt? ¶ *Ego exaudiam*] Idola non audiunt; nedum exaudiant. ¶ *Et dirigam eum ego ut abietem virentem*] *Respiciam eum*, & faciam ut *arborem virentem*. ברוש alii *buxum*, alii *cedri* dicunt genus esse, ut notavimus ad Esaiam 41. 19. Græci hic ἄρκευθον [*juniperum*] posuere. ¶ *Ex me fructus tuus inventus est*] Apud me semper fuit operæ tuæ pretium.

10. *Quis sapiens & intelligit ista? intelligens, & sciet hæc?*] Ostendit paucos fore in Decem tribubus qui ista ità ut oportet sint consideraturi. bis idem dixit more Hebræo. ¶ *Quia rectæ viæ Domini*] Consilia Dei & decreta interim æquissima sunt. ¶ *Et justi ambulabunt in eis*] Per ea justi procedent inoffenso pede. ¶ *Prævaricatores verò corruent in eis*] In omnia jam antè dicta mala incident ex iisdem decretis.

ANNOTATA
AD
JOELEM.

CAP. I.

MUNSTERUS.

Quis fuerit JOEL Propheta, ex qua tribu, quo tempore aut sub quibus vixerit Regibus, etiam Hebræis ipsis incertum est; nisi quòd quidam, propter Prophetiam de fame, putant eum fuisse sub Rege Jehoram filio Ahab, quòd tunc magna fuerit fames in terra. Hic itaque Propheta ferè totus in hoc versatur ut ostendat quanta mala orbi immineant, & præsertim populo Israelitico, propter multiplicia & gravia ejus peccata. Adhortatur propterea ad pœnitentiam: & post multa prænunciat etiam mysteria de Regno Christi. Et præ aliis Prophetis hoc habet, ut missionem Spiritûs S. pulcrè describat; sicut & D. Petrus in Actis ejus citavit testimonium.

4. *Residuum erucæ*] Ponit quatuor genera vermium depascentium frumenta & fructus, quorum posterius quodque gravius fuit priori. Primo, inquit, anno גזם arrosit frumenta: Quam à *tondendo* sic putant dictam. Et quod *residuum* mansit, *abstulit locusta* secundo anno. Et hæc Hebraicè vocatur ארבה, à *multitudine*; sicut ילק à *lingendo* vel *corrodendo*, & חסיל à *devastando*. Nec commodè singulis Latina possumus tribuere nomina. Sunt autem qui putant Prophetam hæc veluti parabolam proposuisse, ut non simpliciter locutus sit de fame quæ subsecuta est corporalem inebriationem & donorum Dei abusum, sed judicium Dei horrendum inculcare contendat his qui amore mundi sunt inebriati.

6. *Gens ascendit super terram*] Jehudæi per *gentem* intelligunt examen vermium & locustarum. At quidam ex nostris putant hîc exponi parabolam à Propheta, nempe quòd gens crudelis & fortis per hæc insecta intelligatur, quæ devastavit quicquid pulcrum fuit in terra Israel, nempe Babylonii, Persæ, Græci, & tandem Romani.

7. *Albi facti sunt*] Capitur hic verbum Hiphil in neutro genere: & est sensus, Postquam vermes corroserint viriditatem arboris & cortices, remanent *rami albi*.

8. *Plange sicut virgo*] Imperativus fem. אלי refertur ad כנסת ישראל, i. ad *synagogam*, quæ amarum jubetur facere luctum. Subditur autem causa hujus luctûs, nempe quòd frumentum & vinum sint sublata.

11. *Erubescite*, *agricolæ*] Invenitur hoc capite verbum הוביש in duplici significato, secundùm quod à duabus formatur radicibus, nempe à בוש & יבש, etiamsi à בוש fuerat regulariter formandum Hiphil הבוש sine Holem.

12. *Ut scilicet arescat*] Hebræi exponunt hîc verbum הוביש pro נפסק *finitum est*.

13. *Gaudium de domo Dei nostri*] Non modò deplorat Propheta famem corporalem, sed etiam spiritualem, quæ est fames verbi Dei, ubi perit omnis animarum consolatio.

17. *Computruerunt semina*] Grana, inquit, demandata terræ non erumpunt in frugem, sed & *granaria atque thecæ* frumenti jam *evacuata sunt*, ut nedum homines, verùm & *jumenta* נבכו, i. *perplexa sint*, nescientia quò se vertant, ubi *pascua* inveniant.

19. *Quòd ignis devoraverit speciosa deserti*] Omnia, inquit, pascua sunt à vermibus corrosa, ac si ignis exussisset ea. Vel, hostes per ignem & gladium omnia devastaverunt. Kimhi exponit nomen נאות pro *tabernaculis pastorum*.

VATABLUS.

1. Verbum *Jehovæ*, &c. דבר יהוה וגו'] Hebraismus, Prophetia quam Dominus revelavit Joeli: aut, Verba quæ fecit Deus cum Joele: quibus admoneri voluit populum. Quidam

dam Hebræorum dicunt Joelem prophetâsse tempore Joram filii Achab. Alii dicunt fuisse tempore Manasse: sed nullam ejus fecisse mentionem, quòd impius fuerit, & prædixisse famem. Initio terret, postea consolatur de adventu Messiæ & Spiritûs sancti missione.

2. *Istud* זאת] Sub. *quod dicturus sum*: q. d. hoc decretum Dei. ¶ *Et an in diebus* ואם בימי] *Aut si temporibus.*

3. *Super hoc* עליה] Sub. *excidio*; i. *de hoc excidio* sive *de-creto verba facite cum filiis vestris.* Alii, *Ea de causa.* ¶ *Generationi alteræ* לדור אחר] *Posteritati sequenti.* Per *generationem* intelligitur ætas in S. literis.

4. *Residuum erucæ comedit* יתר הגזם אכל] *Quod reliquum fecerit locusta, comedet,* &c. Præt. Heb. pro futuris, & sing. pro plur. גזם *eruca* à גז *totondit, excidit*, dicitur Hebræis, quòd herbas soleat abrodere. Prædicit futuram famem in Terra sancta propter peccata incolarum illius regionis: Quæ quidem fames prædicta tantùm fuerat ab Elisæo, sed hic describitur ejus ratio & modus. Septem annis duravit, quam primo anno advexit *Eruca*, secundo *Locusta*, tertio *Bruchus*, quarto *Hasil*; tribus reliquis Penuria pluviæ. ¶ *Locusta* הארבה] Sic Hebræis dicitur quòd omnium specierum locustarum hæc sit copiosissima. ¶ *Bruchus* הילק] Sic dicitur à לקק *lambendo*, quòd herbas lambat. ¶ *Hasil* החסיל] Species est locustæ, à חסל *consumsit* dicta.

5. *Propter mustum* על עסיס] Significat omne id quod vi exprimitur. ¶ *Subtractum est* נכרת] Ad verb. *excisum est.*

6. *Gens* גוי] Hâc voce multitudinem locustarum intelligit. ¶ *Et innumerabilis* ואין מספר] Ad verb. *& non numerus.*

7. *Posuit* שם] Præterita Heb. pro futuris, *ponet in desolationem.* ¶ *In decorticationem* לקצפה] Præ nimia scilicet siccitate & ariditate: vel quòd locusta decorticavit & comedit eam. Alii, *in iram*, vel *indignationem.* Ex doctis Hebræorum quidam *in spumam*, quòd nihil habebat intra se. ¶ *Et projecit* והשליך] *Dejiciet*, sub. *in terram frondes*, vel *ramos ejus.* ¶ *Albi facti sunt rami ejus* הלבינו שריגיה] *Dealbabuntur propagines ejus*, detracto scilicet cortice.

8. *Plange* אלי] *Lamentare.* ¶ *Tanquam virgo* כבתולה] Ex hoc loco intelligimus בתולה significare etiam eam quæ corrupta est. ¶ *Sacco* שק] Significat genus indumenti apud Hebræos quo utebantur in luctu & lamentatione propter alicujus mortem aut aliam calamitatem. Vertunt modò *saccum*, modò *cilicium.* ¶ *Ob maritum* על בעל] Ad verb. *super possessorem.* ¶ *Adolescentiæ suæ* נעוריה] *Juventutis suæ*, vel *pubertatis*, i. ut lamentari solet mulier quæ luget maritum suum cui nupserat juvenis. Solent enim tales mulieres magis ægrè ferre immaturam illam maritorum mortem.

9. *Excisum est sacrificium* הכרת מנחה] Præt. Heb. pro fut. *Excidetur oblatio sacrificii.* Ità doctus inter Hebræos exponit: i. Peribit, sive Revulsum erit: q. d. His quatuor annis nullum in Templo Domini offeretur sacrificium, sive matutinum sive vespertinum, neque ullum libamen. ¶ *Luxerunt* אבלו] *Lugebunt*; duabus sanè de causis, ob cultum Domini intermissum, & quòd careant cibo suo. ¶ *Ministri Jehovæ* משרתי יהוה] Exponit quos intelligat per *Sacerdotes*, nempe eos qui ministrant Domino, offerendo sacrificia & libamina.

10. *Vastatus est ager* שדד שדה] In quo scilicet erant vites: i. Vastabitur fructus agrorum. Præt. Heb. pro futuris. ¶ *Desolata est* אבלה] i. Peribit fructus terræ. Alii, *Luxit.* Videtur enim terra *ridere* quando vestita est herbis, floribus & fructu: cùm verò privata est illis, *lugere* dicitur. ¶ *Excisum est* אמלל] i. Prorsus interiit. Alii, *infirmatum est.*

11. *Periit*, &c. כי אבד קציר שדה] i. His quatuor annis nulla futura est messis.

12. *Desolata est* אמללה] *Excisa est*: vel *præcisa*, i. periit. Gallicè, *elle est affoiblie.* ¶ *Aruit* הוביש] *Exaruit*, i. prorsus periit gaudium hominibus, quòd vini & frumenti copia perierit.

13. *Manete* לינו] *Pernoctate*: q. d. Agite, manete totâ nocte in Templo accincti saccis illis quibus uti soletis in luctu.

14. *Preparate* קדשו] Ad verb. *Sanctificate.* Chald. *Decernite*; i. Indicite, *jejunium.* Alloquitur Sacerdotes.

15. *Ahah diei* אהה ליום] *O diem*, sub. *infelicem!* vel, *Heu diei!* ¶ *Ab Omnipotente* משדי] q. d. A forti cui resisti non potest.

16. *Excisa est* נכרת] Sub. *nisi egerimus pœnitentiam.*

17. *Sub pulveribus suis* תחת מגרפתיהם] Sub. *glebis suis.* ¶ *Desolati sunt thesauri* נשמו אצרות] *Desolatæ sunt apothecæ*, quia nihil reponetur in eis.

18. *Cur ingemuit* מה נאנחה] *Quàm suspirat*; *ingemiscit.* Præt. Heb. pro præs. Prædicit summam rerum omnium penuriam, quam ipsa etiam animalia sentient.

19. *Pascua* נאות] *Caulas*: vel, *habitacula pastorum.* Alii, *loca herbifera.* In locis herbosis fieri solent habitacula pastorum.

CASTALIO.

6. **P**Otens *& innumerabilis gens*] *Gentem* vocat Locustas, ut Prov. 30. Formicarum & Cuniculorum *populi* vocantur. Hoc pacto loquitur & de Apibus Maro Georg. 4.

> *Magnanimósque duces, totiúsque ordine gentis*
> *Mores, & studia, & populos, & prælia dicam.*

13. *Amicite*] sc. Centones.

CLARIUS.

QUis fuerit JOEL Propheta, ex qua tribu, quo tempore aut sub quibus vixerit Regibus, etiam Hebræis ipsis incertum est: nisi quòd quidam, propter Prophetiam de fame, putant eum fuisse sub Rege Joram filio Achab, quòd tunc magna fuerit fames in terra. Hic itaque Propheta ferè totus in hoc versatur, ut ostendat quanta mala orbi immineant, præsertim populo Israelitico, propter multiplicia & gravia ejus peccata. Adhortatur propterea ad pœnitentiam: & post multa prænunciat mysteria de Regno Christi: & præ aliis Prophetis hoc habet, ut missionem Spiritûs S. pulcrè describat; sicut & D. Petrus in Actis ejus citat testimonium.

4. *Residuum erucæ*] Ponit quatuor genera vermium depascentium frumenta & fructus, quorum posterius quodque gravius fuit priore. Nec satis commodè putantur posse Latina aptari nomina. Sunt autem qui putent Prophetam hæc veluti parabolam proposuisse, ut non simpliciter locutus sit de fame quæ subsecuta est corporalem inebriationem & donorum Dei abusum, sed judicium Dei hortendum inculcare contendat iis qui amore mundi sunt inebriati.

6. *Gens enim ascendet*] Judæi per *gentem* intelligunt examen vermium & locustarum. At quidam ex nostris putant hîc exponi parabolam à Propheta, nempe quòd gens crudelis & fortis per hæc insecta intelligatur, quæ devastavit quicquid pulcrum fuit in terra Israel, nempe Babylonii, Persæ, Græci, & tandem Romani.

7. *Albi facti sunt rami ejus*] Postquam vermes corroserint viriditatem arboris & corticis, remanent *rami albi.*

11. *Confusi sunt agricolæ, ululaverunt vinitores*] i. Attonitos & pudore suffusos reddidit agricolas spectaculum hoc.

12. *Quia cessavit gaudium à filiis hominum*] Vel, *ut cesset*, &c.

13. *De domo Dei*] Non solùm deplorat Propheta famem corporalem, sed etiam spiritualem, quæ est fames verbi Dei, ubi perit omnis animarum consolatio.

17. *Computruerunt jumenta in stercore*] Cùm eis scilicet desit cibus & necessaria. Alius vertit, *Computruerunt grana seminum subter glebas suas*, ut sit sensus, Grana demandata terræ non erumpunt in frugem, sed & *granaria atque thecæ* frumenti jam *evacuata sunt*, ut non solùm homines verùm & *jumenta perplexa sint*, nescientia quò se vertant, ubi *pascua* inveniant.

19. *Ignis comedit*] Omnia, inquit, pascua sunt à vermibus corrosa ac si ignis exussisset ea. Vel, hostes per ignem & gladium omnia devastaverunt. Nam consentaneum est, hostilem furorem famem consequi.

20. *Quasi area sitiens imbrem*] Non est in Hebræo.

DRUSIUS.

1. **A** *D Joelem*] Non planè constat quo tempore hic Propheta vixerit: nam autores inter se admodum variant. Sunt ex Ebræis qui vixisse Joramo regnante, ac prædixisse famem illam cujus mentio 2 Reg. 8. 1. memoriæ prodiderunt. Scholia D. Camii, *Quidam affirmant ipsum prophetasse in diebus Joram filii Achab, quo tempore fames fuit in terra*; *quemadmodum dicitur*, VOCAVIT ENIM *DOMINUS* FAMEM, QUÆ ETIAM VENIT IN TERRAM, DURAVITQUE ANNOS SEPTEM. Alii ejus ætatem referunt ad tempora Manasse. In Seder Olam Zuta, quod est Chronicon Ebræorum minus, *Post Ezeciam regnavit Manasses 55 annis. Fuitque Sacerdos magnus Hosaias*; *Joel autem & Nahum &* Ha-

Habacuc, propheta. Hanc sententiam tuetur in Chronologia sua Johannes Funccius per hæc verba, *Joel Propheta, ut Hieronymo placet, Oziæ temporibus floruit. Sed, ut mihi videtur, fuit hic sub Manasse, aut aliquanto tempore pòst; atque hoc ideo quòd prorsus nullam Israelitici Regni mentionem facit, & tantummodo de tribûs Judæ captivitate, quasi jam præ foribus esset, prophetizat.* Hieronymus Prologo in Joelem, coætaneum facit Hoseæ Prophetæ. Sic enim fecit, *Tempora quoque quibus prophetavit eadem debemus accipere quæ in Osee legimus,* IN DIEBUS OZIÆ, JOATHAM ET ACHAZ ET EZECHIÆ REGUM JUDA, ET IN DIEBUS JEROBOAM FILII JOAS REGIS ISRAEL. In Hoseam, *Prophetante Osee, Esaiâ & Joel & Amos & Abdiâ & Jonâ & Michæâ, qui σύγχρονοι ejus fuere, h. e. contemporanei, Regnum* X *tribuum est finitum.* Idem Prologo in librum XII Prophetarum, *Hoc tamen vos, ô Paula & Eustochium, admonitas scire volo, unum librum esse* XII *Prophetarum, & Osee σύγχρονον Esaiæ, Malachiam verò Aggai & Zachariæ fuisse temporibus: In quibus autem tempus non præfertur in titulo, sub illis eos Regibus prophetasse sub quibus & hi qui ante eos habent titulos prophetaverunt.* Quæ si vera, non potest non esse vera hæc opinio. A qua diversus abit paululùm Augustinus De civit. Dei l. 18. c. 17. ità scribens, *His adjungitur Jonas, eodem Ozia regnante, & Joel, cum jam regnaret Joatham, qui successit Oziæ. Sed istorum Prophetarum duorum tempora in Chronicis, non in eorum libris, potuimus invenire, quoniam de suis diebus tacent.* Mihi sanè, licèt arduum sit ex tanta opinionum diversitate aliquid certi colligere, præ cæteris placet sententia Hieronymi. Neque tamen penitus rejicio quod proditum in Chronico minore. Nam cùm X tribuum nullam fecerit mentionem, probabile est eas tunc temporis in captivitatem abductas fuisse. Porrò prædicit hâc concione horribilem quandam famem, an potiùs, ut quidam arbitantur, vastitatem illam quam Chaldæi diversis temporibus Judææ intulerunt? ¶ *Filium Phatuelis*] Cur hoc additum existimabimus? An διακρίσεως ἕνεκα? nam Joeles plures fuerunt. An potiùs quòd vir clarus esset in illo ævo? Aut additum ex more gentis, quæ cognominis loco uti consuevit nomine patris. Antiquè dicitur *Phatuel* pro *Phetuel*, quemadmodum *Samuel* dicebant pro *Semuel*. Nunc sonant *Petuel:* sed an rectè? Non opinor.

2. *Audite hoc*] Nempe quod mox narraturus sum. ¶ *Senes*] Rectè *senes*, quia de præterito quærit. Nam quò longiùs quis ætate processit, eò plus vidisse & audivisse potuit. Deut. 32. 7. *Interroga senes, & tibi dicent.* ¶ *Auribus percipite*] האזינו, *ἐνωτίσασθε.* ¶ *Terræ*] Judææ. Ad Judæos enim peculiariter hæc concio pertinet. Et *terræ* nomen, cùm significat *regionem*, de ea accipi debet regione de qua sermo habetur: Hier. Præfat. in hunc Prophetam, & Jes. 5. ¶ *Et si in diebus*] *Si* pro *an* posuit. Sic Terent. *Visam si domi est?* &, *Estne ea intus? si sit rogas?* Sic Græci autores εἰ usurpant. Matth. 12. 10. Εἰ ἔξεστι, *licetne.* Mal. 1. 8. εἰ λήψεται τὸ πρόσωπόν σου; Aristophanes, Πευσόμενος εἰ χρὴ μεταβαλόντα τοὺς τρόπους Εἶναι πανοῦργον ἄδικον; ¶ *Patrum vestrorum*] Propriè. Vel *patrum*, i. majorum. Neque pugnat hic locus cum eo qui est Exod. 10. 14. *Non enim ut in Ægypto, ità hîc simul & eodem tempore,* ait David Scholiastes, *nec fortasse in tanta copia: sed hoc novum & inauditum, & quale nihil majores ab omni memoria viderunt, quòd horrenda ista depopulantium animalculorum rabies quatuor annos continuos duraverit, quotannis novi locustarum generis agmine immisso, quod antecedentis reliquias, quas de arborum & herbarum viriditate reliquas fecisset, absumeret.*

3. *De hoc filiis vestris narrate*] De memoria factorum Dei prodenda posteris præceptum est Exod. 13. 8. & Jos. 4. 7. Causámque cur id præceptum sit ponit David optimus Divinæ mentis interpres Ps. 78. 7. *Quò Dei operum*, inquit, *memores sint, ejúsque mandata custodiant, neque sint quales ipsorum majores.* ¶ *Ætati alteri*] Alteri seculo. Cicero, *Serit arbores quæ alteri seculo prosint.*

4. *Residuum erucæ*] Quod è terræ fructibus reliqui faciet eruca. Et intellige reliquias erucæ consumptas à locusta anno secundo, & reliquias locustæ consumptas à brucho anno tertio, & ità deinceps; ut semper antecedentis anni residuum proximè insequente consumptum sit; id quod colligi posse videtur ex verbis quæ habentur in hac concione infrà 2. 25. Quidam hostes Assyrios & Chaldæos denotari putant, qui locustarum ritu omnia devastabant. Vide Jud. 6. 5. ¶ *Locusta*] Εἰδικῶς & propriè. Alibi generale est, ut Exod. 10. comprehendens in sua significatione *Bruchum* & *Hasil*, ut patet ex Ps. 105. 34. & 78. 46. ¶ *Bruchum*] הילק ὁ βροῦχος. Nomen habet à *lambendo*, ut Grammatici volunt. Nam quia herbas & olera quasi lambendo absumit, ideo sic vocatur. לקק enim certè est *lambere.* Non solùm hortos, sed etiam vineas, ficus & oleas infestat. Vide Amos 4. 9. Sic Erucam גזם à *tondendo* dictam volunt, nempe à גזז, ut Mem sit litera adventitia. גזם ut ריקם *frustrà.* Cæterùm גזם antiqui *erucam* reddunt, quos nunc secutus sum. Alioqui posset reddi etymi ratione πρασοκουρίς id est insecti genus quod Gaza *porricidam* vocat, nomen habens à *tondendo.* Nam τὸ πράσον est *porrum*, & κείρειν *tondere.* Allobroges *taillepré* indigetant, teste Roberto Constantino. ¶ *Hasil*] חסיל insectum est è genere Locustarum. Nec succurrit quomodo vertendum Latinè. Fortè *Asiracus*, qui & *Asellus*, quem Plinii *Attelabum* esse contendunt. Vide quæ scripsimus Observ. l. 13. c. 15. Dictum volunt ab *exscindendo.* Ideo Jonathan convertit שמשומא, i. *excisor.* Nam חסל *exscindere*, verbum de Locustis usurpatum Deut. 28. 38. In Latina V. *robigo.* Sic Græci ἐρυσίβην quam versionem agnoscit Hier. probátque Hos. 5. cùm ait, *Pro eo quod nos diximus* mensis, *Lxx* rubiginem *transtulerunt, cùm utique* rubigo, *i.* ἐρυσίβη, חסיל *appelletur: ut ipsi quoque dixerunt in Propheta Joel, RELIQUIAS BRUCHI COMEDET RUBIGO.* Hæc cùm ità sint; tamen dicti Interpretes 2 Par. 6. 28. βροῦχον, Ps. 78. 46. & Jes. 33. 4. ἀκρίδας ponunt pro eo quod in Ebræo est חסיל HASIL.

5. *Expergiscimini*] Accommodatè ad ebrios, quia prolixior compotatio somnum conciliat. ¶ *Vini potores*] שתי יין *bibentes vini.* Qui vinum adhibetis in mensis vestris, aut qui vino vos inebriatis. Sic, *Non est Regum bibere vinum.* Vult dicere, *inebriare se vino.* ¶ *Propter mustum*] Non תירוש est in Ebræo, sed עסיס. Id sign. propriè *vinum dulce & recens expressum.* Nam עסס *calcare, exprimere*, Mal. 4. 3. Aliquando עסיס de alio potu dicitur quàm de Vino; ut Cant. 8. 2. עסיס רמונים *succus ex malo granatis expressus.* In Scholiis Ebraicis עסיס est *vinum, & quilibet potus calcando & terendo expressus.* Jonathan interpretatur hoc loco חמר כרמין, i. *vinum meracum.* Gallica editio, *à cause de la liqueur qui sort de la vendange.* ¶ *Excisum ex ore vestro*] Ademptum vobis penitus est, nec ampliùs ore illud sumetis.

6. *Gens*] גוי de Locustis, ut עם *populus* de Formicis & Cunicul is, Prov. 30. 25, 26. Sic Columella, *intestino bello totæ gentes consumuntur*, de Apibus. Item Virgilius de Piscibus. Sic Homerus

—— μυιάων ἔθνεα πολλὰ,

Iliad. β'. ¶ *Contra terram meam*] Deus loquitur, aut Propheta. Vel quilibet è populo dicet, *Profectò terram meam invasit gens potens & innumerabilis*, per *terram suam* patriam significans; quemadmodum Minois apud Ovidium,

Certè ego non patiar Jovis incunabula Creten,
Qui meus est orbis, tantum contingere monstrum.

Sic *vitem meam* & *ficum meam*, vites & ficus terræ meæ. ¶ *Dentes leonis*] Duri, validi, acuti. Sic Apoc. 9. 8. Καὶ οἱ ὀδόντες αὐτῶν ὡς λεόντων ἦσαν ubi similiter de Locustis sermo. ¶ *Molares leonis*] Olim erat *catuli leonis:* malè. Nam לביא est *leo provectior:* itaque ei *filii*, h. e. catuli, tribuuntur Job 4. 11. In Gallica repperi *maschelieres d'un vieil lion*, i. *veteris leonis.* Sed de hac versione meritò dubitari potest: nam vetulus Leo non habet dentes validos. Alia editio recentior, *immanis Leonis.* R. D. ait לביא esse *leonem majorem*, & אריה *leonem minorem.* Utrùm staturâ an ætate? Nam *Leo ætate juvenis* כפיר dicitur.

7. *Vitem meam*] V. editio *vineam meam:* minùs rectè. Nam *vinea* כרם dicitur: hîc autem est גפן in fonte. ¶ *Ficum meam.* i. Ficus meas. Sic *vitem meam*, vites meas. Sic *ranam* dixit Moses pro *ranis.* Sic *miles* pro *militibus* ponitur. ¶ *Decorticavit*] Ad verb. *posuit in decorticationem.* Nam קצפה *decorticatio*, ut quidem Ebraica Scholia enarrant. ¶ *Abjecit*] Detractum corticem, folia, & quidquid in ea viroris, abjecit humi: sic relicti sunt rami nudi & albi. ¶ *Eam*] Tam *vitem* quàm *ficum.* ¶ *Albuerunt*] הלבינו *albi evaserunt*, ut Jes. 1. 18. ילבינו *dealbescent, alba fient.* ¶ *Rami ejus* שריגים propriè *rami perplexi & intricati.* Quidam *palmites ejus*, & Græci τὰ κλήματα αὐτῆς. Hoc ad Vitem duntaxat referri potest.

8. *Lamentare*] אלי valet קונני. Hoc sensu usurpant Interpretes Chaldæi. Debet autem subaudiri *filii Sion*, aut aliquid tale. Nam est imperativi vox feminina. Quidam *ejula* הילילי. Vetus *plange*, ספדי. ¶ *Ut virgo*] Desponsa viro, quæ virgo manet

manet usque ad congressum. Virginem Ebræi desponsam viro intelligunt: alii aliter. Sed cùm Interpretes omnes *virginem* reddant, & alibi pro *muliere* non reperiatur, facilè adducor ut eos errare credam qui בתולה hoc in loco pro corrupta sumunt. Gallica versio, *comme une jeune fille:* Et sanè cùm sequatur *ob maritum adolescentiæ suæ*, videtur potiùs significare *adolescentulam* quàm *virginem*. Nam *virgo* propriè quæ non habuit rem cum viro. Usurpatur eadem vox pro *juvencula* Gen. 24. 16. ubi Rebecca vocatur בתולה, & immediatè subjicitur *incognita viro*. Si *virgo*, utique erat *incognita viro*. Cur ergò hoc adjecit si *Bethula* non est etiam *juvencula*? ¶ *Succincta sacco*] חגרת שק. Dicitur & חגורת שק eodem sensu. Sic dicimus לבוש שק *induus sacco*, & לובש שק *induens saccum*. Nam saccus non solùm accingebatur sed etiam induebatur. Erat enim *Vestis lanea, vilis, crassa & villosa rudisve*. Utebantur autem in luctu quà publico quà privato. Quandoque proverbii specie *sacco accingi* dicitur pro *in squalore & sordibus versari*; & contrà *sacco, solvi* pro *Luctu & mærore levari*. ¶ *Ob maritum adolescentiæ suæ*] Cui adolescens nupta aut desponsata fuit. Quidam legunt *ob amasium adolescentiæ suæ*. Verùm ut *uxor* vocatur ante coitum, sic *maritus* dici potest post contracta sponsalia. Nam בעל *maritum* significare ità notum ut nihil magis.

9. *Excisum est*] *Cessare* ait *libamenta*, ideóque *Sacerdotes in luctu esse*. Nam ex libamentis vivebant aliquam partem. ¶ *Fertum*] מנחה alii *sacrificium* verterunt, alii *munus*: ego *fertum*; quod erat *genus libi in sacris*, ut Festus ait. Hinc FERTORES *ferto libantes* Isidoro. Nec occurrit quod meliùs exprimat vocem Ebraicam. Nam מנחה dicebatur genus sacrificii ex simila, i. farina mundissima, sine fermento, oleo & thure confectum, in clibano aut sartagine aut craticula coctum, aut frumentum igni coctum; quorum pars incendebatur, pars Sacerdotibus tradebatur. Id peculiariter *sacrificium* vocat Interpres V. ut hic, & Levit. 6. 14. *Hæc est lex sacrificii & libamentorum*, &c. Quòd autem nonnulli *munus* convertunt, ejus rei causam esse puto quia מנחה etiam *munus* denotat. ¶ *Libamen*] Ad hoc unum necessarium. Nam vino libabant. Quidam addunt *aut sicera*: de quo mihi non planè constat. ¶ *E domo DOMINI*] Ubi sacrificia fiebant. ¶ *Lugens Sacerdotes*] Partim quia intermissio fit à sacris, partim quia desunt necessaria ad vitam. Nam ex libaminibus vivebant, ut dictum est.

10. *Vastatus est ager*] Reddit causam intermissionis sacrorum. Nam propter inopiam frumenti, vini & olei, sacrificia, de quibus diximus, fieri non poterant, cùm ex illis rebus potissimùm constarent. Inopia autem horum erat ob vastitatem quam locustæ importaverant. ¶ *Luget*] *Horret*, *squalet*. Hujus contrarium, cùm *prata ridere* dicuntur: & apud Salustium Hist. lib. 2. *frugum pabulique latus ager*. Sic Jes. 24. 7. *luget mustum*. ¶ *Tellus*] אדמה. Alii, *luget terra* ארץ. V. tralatio, *luget humus*. ¶ *Puduit mustum*] הוביש: *puduit* dixit pro *defecit*: quod alii reddunt *aruit mustum*, i. יבש. Meo judicio, est tralatio ducta ab hominibus pudore affectis; ac si erubesceret propterea quòd non posset respondere hominum exspectationi. ¶ *Elanguit oleum*] i. Putrefactum est: *fracuit oleum*. Meliùs fortasse, *languet oleum, pudet mustum*. אמלל, verbum à *languore ac debilitate animi* deductum, & est cùm quid vires amisit, nec ampliùs usum sui præbet. Infrà 12. *& ficus languet*.

11. *Pudet agricolas*] Vel, *Erubescunt agricolæ*. Licet etiam vertere ex Ebræo, *Pudeat vos, agricolæ*: ut mox pro *ejulant* potes legere *ejulate*. Verba enim Ebræa ambigua sunt. ¶ *Vinitores*] Non propter frumentum, sed ob vites, quæ *erubuerunt*, h. e. defecerunt aut exaruerunt. Pertinet ergò ad versum qui proximè sequitur. ¶ *Messis*] Tam triticea quàm hordeacea: *periit* autem quia locustæ agros antè ità vastaverant ut nihil reliqui fuerit ad messem de more faciendam.

12. *Vitem pudet*] Succo suo & fructu spoliatæ vites quasi erubescunt, ut Homines solent cùm illis mali aliquid præter opinionem accidit. Suprà, *puduit mustum*, eâdem Metaphorâ. ¶ *Ficus languet*] Succo ficûs omni exsucto *ficus* ipsa *languet*, h. e. debilis ac infirma relicta est, nec ampliùs usum sui præbet. Sic, *languet vitis* Jes. 24. 7. *languet terra* 33. 9. ¶ *Puduit gaudium*] Messe perditâ, defecit ac periit unà gaudium, quod homines percipere solent messis tempore, cùm fructus colliguntur. Psal. 4. *Indidisti lætitiam cordi meo majorem quàm tempore frumenti aut musti eorum*. Atque hinc locutio quà ingens gaudium comparatur cum *gaudio quod in messe*, Jes. 9. 3.

13. *Accingite*] Defecta oratio. Si autem quæras quod integrum est, deest *saccos*; quod expressum Jer. 4. 8. *præcingite saccos, plangite & ejulate*. Nam lugentes saccis lumbos præcincti, 1 Reg. 20. 32. Vel, *accingite vos & plangite* dixit pro; *Parate vos ad planctum*. ¶ *Ministri altaris*] Qui Deo in altari ministratis. ¶ *Venite*] Δεῦτε Hortantis est, *agitedum*. Potest etiam esse, *Venite in ædem Deo meo sacram, & ibi pernoctate in saccis*. Etiam noctem traducite in luctu & mœrore. Nam cùm ob inopiam frumenti, vini & olei sacra consueta fieri non possint, confugiendum ad preces & luctum publicum: quod unicum in his malis remedium superest ad placandum iratum Numen.

14. *Sanctificate jejunium*] Ebraismus est, pro, *Indicite jejunium*, aut, *Præparate jejunium*. Et alloquitur Sacerdotes, ac si diceret, *Curate ut plebs ad jejunium parata sit*. Idem verbum eodem sensu alibi usurpat hic Propheta; ut cùm dicit, *Sanctificate cœtum*, 2. 16. &, *Sanctificate bellum*, 3. 9. ¶ *Convocate cœtum*] Vel, *proclamate ferias*. Utrumque significat עצרה, sed propriè *diem cessationis ab opere*, quando homines vacant orationi & rebus Divinis. ¶ *Senes*] Hîc *senes* accipiunt alio sensu quàm suprà: Nam ibi Ætatis erat, hîc est Officii nomen. Ergò *senes*, I. Magistratus. ¶ *Omnes habitatores terræ*] Omne vulgus promiscuum. Deest copula, ut sit *& omnes habitatores terræ*. Tres enim ordines olim fuerunt in rep. Judaica: Primus erat Sacerdotum, alter Senum, tertius Plebis. Et Senes quidem *principes* vocat Jeremias 34. 19. plebem verò *populum terræ*, qui hoc in loco *habitatores terræ* nuncupantur.

15. *Heu diem illum*] אהה vox efficta naturaliter, quâ Judæi exprimunt animi dolorem ex præsenti miseria: de qua nunc querimoniam habent ad Deum; quæ extenditur usque ad v. 19. ¶ *Propinquus est dies DOMINI*] Is erit dies quo locustæ venient; & *DOMINI* vocatur, quia tunc DOMINUS judicium exercebit, & puniet Judæos ob meritam noxiam. Est enim *dies DOMINI* genus loquendi forense, ut si dicas *judicium DOMINI*: quomodo Apostolus *diem humanam* dixit pro *judicium humanum*; non ad Cilicum idioma, quod Hieronymus opinatus est, sed huc potiùs respiciens. ¶ *Et ut vastitas*] *Et* pro *qui*. Ordo hic est, *Dies iste veniet à Deo omnipotente ut venire solet vastitas*, h. e. repentè, subitò, ex improviso. Vel sic, *veniet ut venire solet vastitas quæ à Deo omnipotente importatur*. Et eleganter SADDAI, quod nomen est à *vastando*; ac si dicas, *uti vastitas à Deo vastatore*. Nam שדד *vastare*. Similis elegantia suprà v. 10. in שדד שדה *Vastatus est ager*. ¶ *Ab Omnipotente*] Priùs erat *à Potente*. Sed SADDAI antiquâ declaratione παντοκράτωρ, i. *Omnipotens*. Aliquid de hoc nomine Quæst. lib. 2. qu. 1.

16. *Coram oculis nostris*] Nobis videntibus. ¶ *Cibus*] *Commeatus*, quem terra fert, & ut mater suppeditat. Hab. 3. 17. *arva non proferent cibum*. Gallicè *des vivres*. ¶ *Succisus est*] A locusta. ¶ *Gaudium & exsultatio*] Sub. *succisa sunt*, & *è domo Dei nostri*, quia fructuum primitias offerre quotannis in Templo cum lætitia & gratiarum actione soliti eramus. Vide Deut. 16.

17. *Putruerunt*] עבשו accipio ac si esset עפשו. Nam ב & פ alternant. Habent enim communem familiam, pronunciantúrque eodem organo labiorum. Sic בצע dicimus & פצע pro eodem. Sic Chaldæi פרזלא putant factum ex Ebræo ברזל *ferrum*. Sic Latini *buxum* & *burrum* fecerunt ex Græcis πύξον & πυῤῥόν, ut Festus annotat. Significat autem עפש *putrescere*: unde מעופש *situ squalidum* & *peminosum*. Varro De re rust. lib. 1. c. 51. *ne situ peminosa in rimis ejus grana oblitescant*. ¶ *Sata sub glebis suis*] Hic locus variè redditur ab antiquis. Græcus Int. ἐσκίρτησαν δαμάλεις ἐπὶ ταῖς φάτναις αὐτῶν. Chald. *dolia vini sub operimentis suis*. Lat. *jumenta in stercore suo*. Nos Ebræos secuti sumus, qui פרדות exponunt *grana sata*, & מגרפות *glebas*, sub quibus grana illa post sationem delitescunt. ¶ *Cellæ*] Conditoria vini & olei. ¶ *Horrea*] Quidam אצרות interpretantur *horrea*, & ממגורות *granaria*. ¶ *Puduit*] *Defecit*. Sic interpretatur Jonathan. ¶ *Frumentum*] Tam Triticum quàm Hordeum.

18. *Quàm*] Hîc מה sumitur pro *quàm*. Itaque Jonathan interpretatur לחדא *valde*. Et errant, meo judicio, qui referunt, *Cur suspirat?* i. למה. ¶ *Suspirat*] Vel *ingemiscit*. ¶ *Bestia*] Vel *jumentum*. Nam בהמה utrumque significat. ¶ *Perplexi sunt*] Siti adeò premuntur ut non sint apud se, ut similes sint iis qui animo ità turbantur ut quid agant nesciant. ¶ *Greges boum*] Vel *armentorum*. Nam בקר *armentum*: quod generale ad omnia majora animalia; ut sunt Equi, Boves, Asini, Cameli. צאן autem minora complectitur animalia, ut sunt Oves & Capræ. עדרי בקר *greges bucerias* appellat Lucretius lib. 2. Sed Jonathan reddit בקרן תורין.

19. *Ad te, DOMINE, clamo*] Propheta hoc dicit. Nonnulli querimoniam populi extendunt ad finem capitis. ¶ *Nam ignis devoravit*] Locusta consumpsit caulas & habitationes pasto-

ftorum, quafi fuiffet incendium. *Multa*, inquit Plinius de Locuftis loquens, *contactu adurunt: omnia morfibus arrodunt.* Infrà 2. 3. *ante eum ignis confumit, poft eum flamma comburit.* ¶ *Habitacula deferti*] In quibus armenta gregéfque ftationes habebant, paftores habitabant. Aut lege *habitationes deferti*, h. e. loca deferti habitata paftoribus, in quibus & pafcua erant & pecora armentáque plurima. Harum duarum expofitionum ea quam poftremo loco pofui melior eft. ¶ *Habitacula*] נאות. Hujus fing. eft נוה. Gloffarius Philonis, Ναυε, *germen.* Vide igitur an poffit legi *germina deferti?* Sed nè recedamus temere à priore fententia.

20. *Clamant*] תערוג *clamat præ fiti.* Nam ערג propriè eft *fitis causâ clamare*; & ità ufurpatur Pfal. 42. 2. Quidam fcribunt proprium effe vocis Cervorum: itaque Galli referunt, *brame apres toy.* Autor carminis Philomelæ,

Cervi glocitant & onagri.

Adi Obfervat. meas l. 7. c. 5. ¶ *Ad te*] Vide Pfal. 104. 27. ¶ *Propterea quòd exaruerunt*] Qui hanc Prophetiam interpretantur de feptenni fame, in ea fententia funt ut putent quatuor primos annos infignes fuiffe populatione locuftarum; quam pòft deinde fecuta fit maxima ficcitas ex cohibitione pluviarum ardoréque Solis, qui omnes aquarum alveos exficcaverit, arboréfque ac deferti ftabula ecu igne flammâve combufferit. ¶ *Habitationes deferti*] Loca deferti habitata hominibus pecora ibi pafcentibus. Quidam, *pafcua deferti.* Satis conftat, in defertis Judææ pafcua fuiffe, item caulas & paftorum cafas.

IDEM.

1. Βαθουὴλ] In hac fcriptura confentiunt omnes codices Græci quos viderim: eandem agnofcit Hieronymus. Eft tamen fine controverfia legendum Φαθουὴλ. Græcos librarios decepit affinitas utriufque nominis; tum etiam quòd nomen Βαθουὴλ ex Mofe ipfis notius effet. Vide Obferv. l. 2. c. 21.

2. Εἰ γέγονε] Ximenii editio, εἰ ἐγένοντο. ¶ Πατέρων] Aldus πατριῶν.

4. Ἐρυσίβη] i. *Rubigo.* Scholia Græca, ἐρυσίβη ἐπὶ κονιορτώδης φθορὰ σίτου.

5. Ἐκνήψατε] Alibi eft καὶ ἐκνήψατε, fed minùs rectè. *Evigilate* autem fignificanter dixit de Ebriis, qui à fomno demum fobrii fiunt. ¶ Εἰς μέθην] Vertunt *in ebrietate:* malim *ad ebrietatem.* Sic dicimus *edere ad fatietatem.* Græci autem idem nomen Ebraicum infrà 3. 18. γλυκασμὸν reddunt, & meliùs. Significat enim *vinum dulce & recèns expreffum*, quod γλεῦκος dicitur Act. 2. 13. Iidem Hof. 4. 11. καὶ μέθυσμα referunt, ubi in Ebræo legitur ותירוש *& muftum.* Obiter annoto εἰς μέθην πίνειν Hag. 1. 6. effe *ità bibere ut fitim reftinguas*, non *ut te inebries.* ¶ Καὶ κλαύσατε, θρηνήσατε] Quædem exempl. κλαύσατε καὶ θρηνήσατε. In Ebræo καὶ κλαύσατε καὶ θρηνήσατε ità tamen ut κλαύσατε pertineat ad membrum antecedens, θρηνήσατε verò ad proximè fequens. ¶ Εὐφροσύνη καὶ χαρὰ] Gloffema quod fumptum videtur ex v. 16. Cæterùm abeft in C. & in verfione Latina apud Hieronymum; rectè quidem: fubintelligitur enim ὁ οἶνος, ut fit, *quia ereptum eft ab ore veftro vinum.*

6. Καὶ αἱ μύλαι αὐτοῦ σκύμνου] Sic ed. Rom. In aliis eft, καὶ αἱ μύλοι αὐτοῦ ὡς σκύμνου & in verfione Lat. quæ in operibus Hier. *& molares ejus ut catuli leonis.* Eft etiam ubi legas καὶ αἱ μύλαι ὡς σκύμνου αὐτοῦ. Quam lectionem reduces ad veritatem Ebraicam fi poft deletam particulam ὡς pronomen αὐτοῦ in αὐτῷ mutaveris, hoc modo, καὶ μύλαι σκύμνου αὐτῷ. Cæterùm לביא putant Græci denotare *catulum Leonis:* putat idem Jonathan Interpres Chaldæus, & Latinæ autor verfionis quam *Vulgatam* dicunt: Quos exempla Sacri codicis refellunt, maximè Jobi locus 4. 11. ubi leoni huic *catulos* affignat, quod non faceret fi *catulum* fignificaret.

7. Εἰς κλασμὸν] Sic editi ad E. C. Romanum habet συγκλασμόν. Priùs notata fuerat eadem lectio à Cantero ex Vaticano. Pro hac fuppofuerunt inepti homines γλυκασμόν. Operas intelligo qui correctioni mei codicis & Aldini præfuerunt. *Meum codicem* appello Bafileenfem editionem, quâ privatim utor. ¶ Ἐρευνῶν ἐξηρεύνησεν αὐτήν] Tranfpofitis literis pro חשף חשפה legerunt חפש חפשה, ut ante me Mercerus obfervavit ¶ Καὶ ἔῤῥιψεν] Scriptura Complutenfis καὶ ἐξερίζωσεν minùs fincera eft. ¶ Ἐλεύκανε τὰ κλήματα αὐτῆς] Quia in Ebræo eft *dealbati funt rami ejus*, vertendum putarim *albuerunt palmites ejus.* Lex. V. Λευκαίνω, *albo, albefco, albeo.*

8. Θρήνησον πρός με] Hic perfpicuè duæ interpretationes coaluerunt. Nam אלי fi legas אֵלַי, fonat πρός με; fi אֱלִי, fonat θρήνησον. Cùm autem vera lectio fit quam nunc Ebræi codices exprimunt, judico illam alteram delendam effe, fententiâ id mirabiliter comprobante: Quanquam in verfione Lat. Hier. *plange ad me.* ¶ Ὑπὲρ παρθένον] Hæc fcriptura eft codicis Hifpani. In aliis eft ὑπὲρ νύμφην quæ lectio non parùm confirmat fententiam meam de *virgine fponfa.* Vide quæ notavimus ad h. l. Quod autem dicit θρήνησον ὑπὲρ νύμφην, hunc fenfum continet, *lamentare fupra fponfam*, h. e. magis quàm fponfa. Sed exiftimo Interpretes edidiffe ὥσπερ παρθένος ἢ νύμφη περιεζωσμένη. Nam proclivis fanè lapfus de ὥσπερ in ὑπὲρ. Tamen nihil ftatuo. ¶ Τὸν παρθενικὸν] Hunc vulgò *virgineum* dici, quòd primus florem virginitatis auferat, admonet ad h. l. Hier.

9. Ἐξῆρται] In quibufdam eft ἐξῆρθη. fed ἐξῆρται legitur etiam v. 5. confentientibus libris. Λειτουργοὶ τοῦ Κυρίου] In plerifque cod. λειτουργοῦντες θυσιαστηρίῳ Κυρίου. Priorem fcripturam ftabilit verfio Lat. quæ apud Hier. *lugite, Sacerdotes miniftri DOMINI.* Quadrat etiam cum veritate Ebraica.

10. Τεταλαιπώρηκε τὰ πεδία] Sic Rom. exemplar. In aliis eft τεταλαιπώρηνται in aliis ἐταλαιπωρήθησαν. ¶ Τεταλαιπώρηκε σῖτος] Codex Hifp. ἐταλαιπωρήθη σῖτος.

11. Θρηνεῖτε κτήματα] Mercerus κλήματα emendat, & Interpretes legiffe כֹּרְמִים non כְּרָמִים putat. Emendatio non mala: Ad quam firmandam facit quod notavimus Hof. 2. 15. Lex. V. Κλῆμα ἀμπέλου, *hæc vitis.* In Hier. tamen *poffeffiones*, i. κτήματα. Quæramus ampliùs.

12. Πάντα τὰ ξύλα τοῦ ἀγροῦ ἐξηράνθησαν] Ità fcriptum invenimus in R. In aliis eft ἐξηράνθη pro ἐξηράνθησαν. Cætera conveniunt.

14. Κηρύξατε θεραπείαν] Intelligo θεραπείαν Θεοῦ, cùm homines *vacant cultui Divino.* Hoc fenfu ufus eft nomine θεραπείας Plato in Euthyphrone. Laertius quoque dixit περὶ θεραπείας Θεῶν διατρίβειν pro *Deorum vacare cultui.* Aliàs *curationem* fignificat: ex quo Int. V. *prædicare curationem.* Eodem modo citat hunc locum Tertullianus in libro De jejuniis; fed, quantum mea opinio fert, ineptè.

15. Ἐκτενῶς, οἴμοι οἴμοι οἴμοι] Ἐκτενῶς, i. *enixè.* Huic nihil eft quod refpondeat in Ebræo, nifi אהה verterint ἐκτενῶς: quod tamen mihi non fit verifimile. Quanquam in nonnullis cod. abeft totum illud οἴμοι οἴμοι οἴμοι. In Hier. *clamate ad Dominum vehementer, Heu mihi heu mihi heu mihi in die.* ¶ Εἰς ἡμέραν] Valet διὰ ἡμέραν, i. *Propter diem.* εἰς pro διὰ ponitur & Mar. 1. in illo, εἰς τοῦτο ἐξελήλυθα. ¶ Ὡς ταλαιπωρία ἐκ ταλαιπωρίας] Particula ὡς in quibufdam libris defideratur, ἐκ ταλαιπωρίας, i. כשד. An ità legerint nefcio. Nunc legunt fine ulla varietate כשוד. In Hier. *& quafi miferia de miferia veniet.*

16. Οὐχὶ κατέναντι, &c.] Hæc eft Complutenfis fcriptura, quam alio modo in aliis ed. legimus. Nam in Aldinis eft ὅτι κατέναντι. In Rom. verò defideratur οὐχὶ, ut etiam in verfione antiqua quæ exftat in operibus Hier. In hoc verfu delendum punctum quod in libris poft βρώματα, primùm ex editione Cephalæi, deinde ex verfione Latina Hieronymi, *Ante oculos veftros alimenta perierunt.* Pofcit idem fententia, & confirmatur autoritate codicum Ebræorum. ¶ Ἐξωλοθρεύθη] Lectio diverfa ἐξῆρθη. Hanc invenies in editis ad lix. C. Cæterùm plus dicit ἐξωλοθρεύθη. Eft enim ἐξηρημένον, quod aliquo modo reftitui poteft; ἐξωλοθρευμένον, quod non poteft. ¶ Θεοῦ ὑμῶν] Non ὑμῶν fed ἡμῶν legitur in Ebræo. Eft autem frequens error librariorum υ pro η, & contrà. Quos errores, quoniam aliunde quàm ab Interpretibus manant, ego ubique emendandos effe putarem.

17. Ἐσκίρτησαν δαμάλεις] Agnofcis, opinor, פרות pro פרדות. Lex. V. Δάμαλις, *bucula, juvenca, vacca.* Hinc emendari poterit verfio Lat. quæ apud Hier. Nam ubi vulgò *fubfultarunt vituli*, puta aliquando *vitulæ* fcriptum fuiffe. Sed eft cur malim *vaccæ* aut *buculæ.* Nam *vitula* עגלה Ebræis dicitur. ¶ Θησαυροὶ] Ità fcribendum ex R. & C. tum etiam ex Latina Hier. Antea hoc monuimus. Indicavimus etiam mendum quod in Aldinis, σαυροί pro quo inepti homines ταυροὶ fuppofuerunt; Operas dico Bafileenfes. Nec Interpres, qui vertit *vaftati funt tauri*, hoc vitium animadvertit. Credo exiftimaffe, quòd *vaccarum* facta effet mentio, hîc agi de *tauris.* Ferendum hoc erat fi faltem typographus è fecunda editione, quæ prodiit anno 72, hanc maculam fuftuliffet.

18. Τί ἀποθήσομεν ἑαυτοῖς;] Sufpicor Interpretes edidiffe ἐν αὐτοῖς. Nam in Ebræo נבהמה fcriptum: quod legerunt, ut credibile eft, בָּהֵמָּה *in illis*, videlicet θησαυροῖς, ἢ ληνοῖς. ¶ Ἐκλαυσαν] i. נָבְכוּ: quod aliis punctis nunc legunt נָבֹכוּ, i. *perplexi fuerunt.* ¶ Οὐχ ὑπῆρχεν νομὴ αὐτοῖς καὶ] Hoc totum libris

bris aliis addendum ex R. & C. Legitur quoque in versione antiqua quæ in operibus Hieronymi.

19. Τὰ ὡραῖα τῆς ἐρήμυ] i. Interprete & expositore Hier. *plana camporum*, aut *pratorum florentia*, aut *virentia herbis loca quæ pascua præbuere jumentis.* Infrà reddunt eandem vocem τὰ πεδία τῆς ἐρήμυ, videlicet 2. 22. ¶ Ἀνῆψε] Alibi est κατέκαυσεν, fortè ex diversa translatione.

IDEM.

5. הקיצו שכורים. ἐκνήψατε οἱ μεθύοντες] *Omnes præter LXX, qui soli addunt ἐξ οἴνυ*, ait Hier.

14. עצרה. Sym. σύνοδον, i. *cœtum*, aut *conventum*; Aq. verò, *diem collectæ*] Sic olim Christiani vocabant diem Dominicum, propterea quòd eo die eleemosynæ colligerentur in pauperes erogandæ. Mentio *collectæ* 1 Cor. 16. 1. ubi in Græco λογία. Id Chrysostomus exponit συλλογή. Ergò *diem collectæ*, i. ἡμέραν συλλογῆς.

20. תערוג Aq. ἐκρασιώθη.] Sic legitur in Comment. Hier. In ed. Rom. perperàm hæc interpretatio citatur ad verbum ἐξηράνθησαν, cùm pertineat ad verbum ἀνέβλεψαν, *suspexerunt*, quod Aquila emendavit referens ἐπρασιώθη, vel, ut est in Rom. ἐπρασιώθησαν de quo consule sis Proverbia mea class. 2. l. 4. adag. 82.

IDEM in VULG.

1. *Phatuel*] Scribendum hoc nomen cum adspirata *Phathuel*; Non *Phatuel*, ut est in plerisque libris. ¶ *Joël*] In veteribus libris est *Johel*, sed perperàm.

2. *Si factum est istud*] An factum est istud? Hic si valet *an.*

4. *Rubigo*] Ἐρυσίβη. Ebræus codex habet HASIL, quod interpretantur dicentes esse genus locustæ sic dictum ab exscindendo. & sanè homo eruditissimus post Aquilam Psal. 78. 46. *bruchum* reddidit. Sic etiam reddidit interpres Jesa. 33. 4. & 2 Paral. 6. 28. Vulgatam tamen interpretationem hujus loci approbare videtur idem Hieronymus in Comment. Hos. 5. 7.

5. *In dulcedine*] Expono, *propter dulcedinem*, ut Mich. 3. 11. *in muneribus judicabant.* & mox, *in mercede docebant*, sensus est, propter munera, pro mercede. Per *dulcedinem* verò intelligo laticem dulcem, ut in hoc ipso Propheta & Amos. 9. 13. *stillabunt montes dulcedinem.* Potest exponi, Qui bibitis in dulcedine, id est, cum voluptate. Nam ex dulcedine voluptas: aut vinum in dulcedine, id est, dulce, ut Latrones per noctem, nocturni; placenta in melle, mellea. Vide nè verius sit legi *in dulcedinem*, ut referat εἰς γλυκασμόν.

6. *Ascendit*] Quædam exemplaria, *ascendet*, minùs rectè. ¶ *Super terram meam*] Est cur malim, *contra terram meam.* ¶ *Ut catuli leonis*] Sic Græcus, & quod mirum, Jonathan interpres Chaldæus. Alii omnes, *molares Leonis ei.* Probo vehementer. Admonui olim in observationibus meis LABI Leonem vetulum significare; & sanè autor libri Job tribuit ei catulos Job. 4. 12. Quin vulgatus interpres simpliciter *leonem* vertit. Hos. 13. 8.

7. *Vineam meam*] *Vitem meam* habet recens interpretatio, & rectè. Nam in Ebræo est GEPHEN, *vitem meam*, id est, vites meas. ¶ *In desertum*] Vult dicere, desertam fecit. Idem cum eo quod alii referunt *posuit in desolationem.* ¶ *Decorticavit*] Doctè explicat, *in decorticationem.* Subauditur enim *posuit:* ut sit posuit in decorticationem, id est, decorticavit. Nihil verius.

8. *Super virum*] Propter virum. ¶ *Pubertatis suæ*] Cui nupsit in pubertate.

10. *Regio*] *Regionis* vocabulum hìc positum intellige pro *agro*, ut Genes. 2. 5. *omnem herbam regionis.* Exod. 9. 25. *omne lignum regionis.* Contrà Ebræi *in agro Moab*, pro in regione dicunt. ¶ *Confusum est vinum*] Puduit vinum. Alii *exaruit vinum.* Elegerim prius, si optio detur.

11. *Confusi sunt agricolæ*] Ut suprà, *puduerunt agricolæ.* Et mox, *Vinea confusa est*, *vitis pudiut.* Ubi tamen alii, *vitis exaruit.* ¶ *Super frumento & hordeo*] Pleraque exemplaria, *super frumento, vino, & hordeo.* Quò auctiora sint hoc adjecit nescio quis de suo, & adjecit ob caussam, quia præcedit, *Ululaverunt vinitores*; sed frustra, cùm sequatur, *vitis pudiut.*

11. *Omnia ligna agri*] Omes arbores agri. *Lignum* pro arbore notius est quàm ut confirmandum sit exemplis. Nec est Ebraismus, quia vox Ebraica tam *arborem* significat quàm *lignum.*

14. *Sanctificate jejunium*] Idem ferè cum illo, *indicite jejunium.* Ebræi explanant, *præparate jejunium.* Jonathan, *decernite jejunium.* ¶ *Terræ*] Judææ. ¶ *In domum Dei vestri*] *In domum Domini Dei vestri*, scriptum est in veteribus, & in Ebræo.

15. *A, a, a diei*] *Aha* est in Ebræo pro *a, a, a:* quod non ità placet. ¶ *A potente*] *A Deo Saddai*, id est, potente. Nam *Saddai* potens.

16. *Coram oculis vestris*] Error ex Græco vertentis ὑμῶν pro ἡμῶν. Emenda, *coram oculis nostris.* Jonathan, *nobis videnbus.*

17. *Jumenta*] Emendant *grana.* Magis placeret, *grana sata.* Sic Ebræi. Veteres omnes variant in hac voce. Græcus δαμάλεις. Jonathan, *dolia vini.* Noster, *jumenta.* Fortean in mente habuit PHERED, quæ vox propriè *mulum* sive *burdum* designat. Quanquam PHERUDOTH scriptum in Ebræo; non PHERADOTH, quod plurale à PHERED. ¶ *In stercore suo*] Ad superiorem emendationem aptius, *sub glebis suis.* Jonathan, *sub operimentis suis.* Sed causa fuit interpreti nostro ut verteret, *in stercore suo.* & certè GARAPH vas stercori recipiendo comparatum. Usus fuit hac voce præter Nathanum Justum Jehielidem Rabbi Jacob in libro παιδείας c. 4. ¶ *Apothecæ*] Cellæ vinariæ & oleariæ, ipsáque adeò horrea *apothecæ* vocantur, ut paret 2 Paral. 32. 28. appellatio à *reponendo*, & vocis Ebraicæ à *cogendo*, quod est GUR, unde Belgis meis garen. ¶ *Demolita sunt*] *Destructa sunt*, meliùs & Latiniùs vertas.

18. *Animal*] Id est, *bestia.* & ità legitur in Ebræo. ¶ *Mugierunt*] Inclinat animus credere interpretem legisse NIBCHU: quomodo haud dubiè Græcus legit: Vertit enim ἔκλαυσαν. Hodie lectum NABOCHU: id Santes interpretatur *confusi sunt:* ego, *perplexi fuerunt* aut *perturbati fuerunt*, videlicet præ fame ac siti. ¶ *Non est pascua eis*] Familiare huic interpreti *pascua* dicere pro *pascuum*, ut Psal. 22. 2. *in loco pascuæ*, & 78. 13. *oves pascuæ tuæ.* Quo fit ut 1 Paralip. 4. 39. ubi vulgò legitur, *ut quærerent pasua pregibus suis*, putem legendum, *ut quærerent pascuas.* Idque sequentia probant: sequitur enim *Et invenerunt pascuas uberes, & valde bonas.*

19. *Speciosa deserti*] Loca deserti amœna & pulchra, τὰ ὡραῖα. Alii, *habitacula deserti.* Infrà 2. 22. *germinaverunt speciosa deserti.* ¶ *Omnia ligna regionis*] Omnes arbores agri.

20. *Quasi area sitiens imbrem*] Olim Aquila ediderat ἐπρασιώθη. Id interprete Hieronymo valet, *quasi area imbrem sitiens suspexerunt.* Horum opinio fuit ut putarint verbum, quo propheta hìc usus est, à nomine ARUCA deductum *arcam* significante, quasi tu dicas ab area *areolare.* ¶ *Fontes aquarum*] Rectiùs, *alvei aquarum.*

LIVELEUS.

Septuaginta Interpretes, reste Hieronymo, hoc ordine minores Prophetas numeraverunt. Primùm Oseam posuerunt, tum Amosum, deinde Micheam, post eum Joelem: Hunc verò Abdia cum reliquis secuti sunt. Idem est eorum ordo 4 Ezræ 1. 39. Joele Michææ postposito. Ob eam fortasse causam ab illis id factum est quòd hunc Prophetam prioribus illis posteriorem judicaverunt cum veteribus Hebræis, qui cum Nahumo & Habacuco eum prophetasse tempore Manassis affirmant. *Dispersionis Israelitarum & divisionis Terræ* mentionem facit capitis ultimi versu secundo: Ex quo verisimile fit eum post abductas Decem tribus vaticinatum esse. Declarat verò calamitates quæ autore Deo Judæis evenerant quasi gravioris miseriæ prænuncias nisi resipiscant. Vide c. 1. 15. & 2. 25.

2. *Senes*] Tales enim, propter longam multorum annorum experientiam, hujus rei novitatis, de qua interrogat *an similis unquam diebus ipsorum aut patrum suorum contigerat*, aptissimi judices erant. Deut. 32. 7. *Recordare dies seculi, interroga senes, ut dicant tibi.* *Avorum*] Vox Hebræa אב propriè *patrem* significat, aliquando & *avum.* Gen. 32. 9. *Dixit Jacob, Deus* אבי אברהם i. *avi mei Abrahami.* Jam verò majores *avi* Latinè dicuntur, ut posteri *nepotes.* Ovid. 5. Fastor.

———Lucémque Remuria dixit
Illam, quâ positis justa feruntur avis.

4. *Melolontha*] Vox Hebræa ילק insecti genus notat, numerosum, Ps. 105. 34. herbis & frugibus noxium, ut ex hoc loco videre licet, *hirsutum*, Jer. 51. 27. alatum, Nah. 3. 17. ubi volatus ei tribuitur. Alii *Bruchum* interpretantur. Verùm cùm Bruchus careat alis, ut Hieronymus in illum locum Nahumi aliique testantur, ילק verò animalculum alatum notet; ut illo-

illorum interpretatio vera sit nescio. Tremellius ubique hoc nomine *melolontham* intelligit. Est autem Melolontha scarabei genus quod alio nomine, teste Hesychio, χρυσοκάνθαρος, h.e. *aureus scarabeus*, nominatur. A quibusdam verò ea animalcula hàc voce designari existimantur quæ Galli *Hanetons* vocant: ea autem ab Anglis appellantur Dorz. Pagninus in Radicibus suis de hoc nomine scribens, *Ego*, inquit, *puto genus esse locustæ quod sæpius vidi in Gallia, instar crabronis, sed minoris quantitatis, alatum, quod arborum folia maximâ multitudine vastat & depopulatur*.

6. *Gens enim*] *Gens* propriè hominum multitudo dicitur, atque indè sumptâ Tralatione numerosum hic insectorum collectorum agmen significat: Quo modo etiam *exercitus* postea nominatur, cap. 2. 11. & *populus* ibidem v. 2. Eâdam Metaphorâ Homerus 2 Iliad. de Avibus & Apibus utitur,

——Ὀρνίθων ἔθνεα πολλά.

Item,

Ἔθνεα μελισσάων.——

¶ *Dentes leonis*] Qui ad prædam discerpendam & comminuendam validi sunt. Anacreon,

Φύσις κέρατα ταύροις,
Ὁπλὰς δ' ἔδωκεν ἵπποις,
Ποδωκίην λαγωοῖς,
Λέουσι χάσμ' ὀδόντων.

Apoc. 9.8. talis locustarum descriptio est *dentes leoninis dentibus similes habentium*. ¶ *Leonis maris*] לָבִיא *leonem masculum grandiorem* significare puto, eò quòd indè vox fem. לְבִיא ad *leænam* denotandam formatur. Cùm enim in Hominibus איש אשה, in Capris שעיר שעירה sexum distinguant, quidni similiter in Leonibus לָבִיא לְבִיא? Hieronymus Græcos Interpretes secutus hîc *catulos leonis* intellexit. Sed seniorem & grandiorem significare quàm ut possit catulis convenire, ex Jobi 4. 11. patet, ubi *catulorum* לביא mentio fit.

8. *Ut virgo*] *Virginem* appellat adolescentulam, jam antè nuptam illam quidem, sed quæ virgo nupserat, atque ante illud tempus nuptiarum suarum à marito intacta fuerat. Κατάχρησις. In illam enim puellam propriè hoc nomen cadit quæ adhuc virum experta non est. Recèns autem nuptæ adolescentulæ maritos suos juvenes summo amore prosequuntur, maximéque illis lætantur & gaudent. Unde fit ut iisdem viduatæ in acerbissimum luctum conjiciantur, adeò ut nonnullæ (quemadmodum historiæ testantur) suis viris mortuis superesse non sustinentes, longiorem sibi hujus lucis usuram denegarint, unámque doloris & vitæ suæ finem fecerint. Ex quo patet hanc similitudinem ad gravissimum luctum arguendum aptam esse.

10. *Luget terra*] Familiari Hebræis Metaphorâ *lugere* dicuntur quæ vastata, desolata, corrupta & in deterius mutata sunt. Lam. 2.8. *Ut murus & præmunitio lugerent effecit: pariter elanguerunt*. Esa. 24.7. *Luget mustum, vitis languet*. Notat verò hæc Translatio terræ suis fructibus spoliatæ vastationem vel sterilitatem: ut contrariâ ratione à Latinis *lætus ager* dicitur qui frugibus abundat, & *læta segetes* pro *uberibus* ponuntur. Virgilius Georg. 1.

Quid faciat lætas segetes.——

Tale ferè est illud Ciceronis 2 De natura Deor. *Recessus solis quasi tristitiâ quandam contrahit terram, & tum vicissim accessu lætificat, ut cum cœlo hilarata videatur*. Eodem tropo *oleum languere* & *mustum erubescere* dicitur, ut versu 12. *vitis*. Ità enim hîc accipio verbum הוביש in usitata ejus significatione cum Hieronymo, à quo his in locis sic vertitur, *Confusum est mustum, confusa est vinea*. Metaphora sumpta est ab hominibus suâ spe frustratis. Ut enim pudore tales afficiuntur, ità *Mustum* speratâ suâ copiâ quasi frustratum, ac *Vitis* exspectati fructûs quasi spe decepta, *erubescere* quodammodo & *pudefieri* videtur. Est quidem verbum הוביש ambiguum; nam aliquando *exarescere* significat: verùm alteram illius hanc sententiam huic loco optime congruere ex Esa. 33. 9. percipiemus, *Luxit, languit terra, erubuit Libanus*. Ibi enim verbum החפיר usurpatur, quod propriè *pudefieri* & *erubescere* significat, nunquam autem *arescere*. Ut verò hîc *pudefieri* dicuntur *vitis* & *mustum*, ità ab Esaia 24.7. *Lugere mustum* & *vitis languere* dicitur eodem sensu.

12. *Pudefactum est*] Hieronymus interpretatur *confusum est*. Metaphora quam proximâ annotatione explicavi. *Gaudium* verò metonymicῶs pro illis rebus ponitur ex quibus gaudium capiebatur.

15. *Dies Jehovæ*] *Diem Jehovæ* vocat diem graviorum malorum à Jehova immittendorum quàm adhuc experti fuerant, nisi resipiscant. Magnis jam antè calamitatibus eos effectos fuisse liquet ex cap. 2. 25. *Rependam vobis annos quos absumpsit locusta*, &c. Sed majores hic non resipiscentibus instare innuit. ¶ *Tanquam vastatio*] i. Validissima & vehementissima, cui nullis viribus humanis resisti potest. Vide eandem sententiam Esa. 13.6. & hujus illustrationem non ineptam Gen. 30.8. Ibi Rachel dicit *se luctationibus Dei cum sorore sua luctatam esse, & prævaluisse*, cùm se potentissimâ luctatione usam esse significat.

18. *Perplexa sunt*] Rectè Tremellius ità interpretatur. Nam verbi Hebræi בוך notio in *animi perplexi perturbatione* ponitur, quâ quis eò redigitur ut quid agat nesciat. Esth. 3. in fine, *Urbs Susan perplexa erat*, נבוכה.

19. *Quia ignis*] *Ignis* & *flamma* per Metaphoram immodicus & torrefaciens æstus dicitur: ut Psal. 83. 14. *ut ignis comburit silvam, & flamma montes incendit*. Hinc loca Solis ardore torrida חררים vocantur Jer. 17.6. h. e. *ardentia* vel *adusta*.

20. *Glocitat*] Præ summo aquarum desiderio clamat. Metaphora à cervis præ nimia siti cupidè quærentibus aquas & summum potiùs desiderium voce testantibus, quæ in illis *glocitatio* dicitur. Psal. 42. 1, 2. *Ut cervus glocitat ad aquarum alveos, ità anima mea ad te glocitat, ô Deus: Sitiens est anima mea Dei*.

GROTIUS.

NOtat Hieronymus, qui in sua versione Hebræum codicem sequitur, aliter hos Prophetas in Græcis codicibus digeri, nempe in hunc modum: OSEE, AMOS, MICHÆAS, JOEL, ABDIAS, JONAS, NAHUM, HABAKUK, SOPHONIAS, AGGÆUS, ZACHARIAS, MALACHIAS. Sentit autem idem Hieronymus, quia Joëlis liber tempus prænotatum non habet, & Oseæ subjungitur, fuisse eos συγχρόνυς [*coævos*,] quod & res in Joële contentæ evincunt. Sed sicut Oseæ dicta præcipuè ad Decem tribus, ità Joëlis ad duas reliquas maximè pertinent.

2. *Audite hoc senes*] Qui multa meministis. ¶ *Si factum est istud in diebus vestris, aut in diebus patrum vestrorum*] Nempe simile quid tot malis quanta jam vobis prædicam.

3. *Super hoc filiis vestris narrate*] Per manus tradite hæc vaticinia, ut cum eventis postea comparentur.

4. *Residuum erucæ comedit locusta*] Comedet. Proverbialis locutio. Sensus est, *Quos reliquerit Phul, eos Teglathphalasar occidet, aut abducet*: nam sub animalium vastantium nominibus denotantur exercitus, Jeremiæ 51. 14, 27. Nahumi 3. 15, 16. ¶ *Et residuum bruchi comedit rubigo*] *Quos reliquerit Salmanasar eos occidet vel avehet Sennacheribus*. חסיל, quod LXX ἐρυσίβην, id est, *rubiginem*, vertunt, Chaldæus rectiùs (ni fallor) censet animalis esse genus, vertitque, סמטא, id est, *attelabum*: Est autem quiddam inter locustam & bruchum, modicis pennis, reptans potiùs quam volans, sempérque subsiliens, & usque ad interitum cuncta consumens. Itaque חסיל vertitur βροῦχος [*bruchus*] 2 Paralip. 6. 28. alibi ἀκρὶς [*locusta*,] Esaiæ 33. 4. & infrà 2. 25.

5. *Expergiscimini ebrii*] *Ebriosi*. ¶ *Et ululate*] *Ejulate*. Respondet vox Hebræo, הילילו. ¶ *Qui bibitis vinum in dulcedine*] *Qui amatis bibere vinum*. ¶ *Quoniam periit ab ore vestro*] Fugit excisis vineis.

6. *Gens enim adscendit super terram meam*] *Adscendet*. Sic & sequentia sume: & refer ad vastitatem illatam terris per Phulem & Salmanasarem. Ante ea tempora in pace vixerant Tribus decem cum duabus, ut apparet 2 Paralipomen. 28. 10, 11, 12, 13, 14, 15. Itaque ex terris Decem tribuum vinum & esculenta perveniebant ad Duas tribus: quod cessavit per illam vastitatem, à qua & ipsa terra Duarum tribuum, ob vicinitatem, immunis planè esse non potuit. ¶ *Dentes ejus ut dentes leonis*] Rapiditas significatur. pari imagine de Medis utitur Daniel 7. 5. ¶ *Et molares ejus ut catuli leonis*] לביא, quod hîc in Hebræo est, *leænam* potiùs significare videtur quàm *catulum leonis*: nam & Arabes sic sumunt لبوة.

7. *Posuit vineam meam in desertum*] In locum vastum & infrugiferum. ¶ *Et ficum meam*] Arborem. ¶ *Decorticavit*] Sic & Chaldæus sumsit. Hebræa vox *spumam* significat, &-

& sic videntur per similitudinem appellari *clavi arborum*, ut eos Plinius appellat. ¶ *Nudans spoliavit eam*] Foliis, surculis, fructibus. ¶ *Et projecit*] *Dejecit*, vigore absumto. ¶ *Albi facti sunt rami ejus*] Detracto cortice.

8. *Accincta sacco*] Habitu lugubri. ¶ *Super virum pubertatis suæ*] *Adolescentiæ suæ.* Solent enim mariti à feminis magis amari quibus adolescentulis adhuc nuptæ sunt.

9. *Periit sacrificium*] Locutio ὑπερβολική [*Superjectiva*,] quæ significat magnam fuisse oblationum penuriam. Est autem מנחה oblatio illa quæ fit ex simila, μανά Interpretibus: de quo vide dicta Levit. 2. & Marci 9. 49. ¶ *Et libatio*] Ob vini inopiam.

10. *Elanguit oleum*] *Dissipatum est.* Quomodo אמל sumitur Threnorum 2. 9. *effluxit*, Chaldæus hoc loco.

11. *Ululaverunt vinitores*] *Ejulate.* Hoc referendum ad id quod pòst sequitur, *vinea confusa est.* Quæ in medio sunt ad agricolæ luctum pertinent.

12. *Malogranatum*] Malum Punicum etiam *granatum* suo ævo dictum testis est Plinius. ¶ *Quia confusum est gaudium à filiis hominum*] *Ideo exaruit gaudium à filiis hominum.* Lætitia enim hominibus ex victu & vino, Psalmo 4. 8.

13. *Accingite vos*] Nempe habitu luctuoso, ut suprà 8. & jam sequitur. ¶ *Sacrificium & libatio*] Ut suprà 8.

14. *Sanctificate jejunium*] Indictitium. ¶ *Congregate Senes*] *Senatores.*

15. *Quia propè est dies Domini*] Id est, excidium Templi, quod secuturum post deportationem Decem tribuum didicerant Sacerdotes ab Esaia.

16. *Coram oculis vestris*] *Nostris* in Hebræo, ut continuetur Sacerdotum planctus. ¶ *Lætitia & exsultatio*] Frumentum & vinum, ut suprà 11.

17. *Computruerunt jumenta in stercore suo*] Legerunt Lxx & Hieronymus פרדות [*jumenta.*] Nos habemus פרודות: id significat *grana* Chaldaicè. פגרניה, quod alii *stercora* verterunt, alii *præsepia*, alii *glebas* vertunt, alii *acervos* à verbo גרף, quod Hebræis, Chaldæis, & Arabibus est *converrere*. Sensus est, *Madore corrumpuntur grana in acervis suis quò congesta sunt*, nimirum ob causam quæ sequitur. ¶ *Demolita sunt horrea*] Incensa igne hostico. ¶ *Dissipata sunt apothecæ*] *Demolita sunt magaria*, id est, non horrea tantùm, sed & villæ; quas Pœnis dici non *magalia* sed *magaria* notat ad primum Æneidos librum Servius: quod verum esse etiam in lingua Hebræa apparet, Psalmo 55. 16. Job. 18. 19. Villæ: nempe etiam in Judæa. Ideo corrupta imbribus frumenta, quia nihil erat in agris quo condi possent. Chaldæus refert hæc ad *corrupta vini dolia*; nec satis apparet quomodo legerit. ¶ *Quoniam confusum est triticum*] *Ideo fœtuit triticum.* nam יבש vicinam habet significationem cum באש, quod redditur προσόζειν [*malè olere*] & ἐκπρίζειν τὴν ὀσμὴν [*fœtere*,] & cum בוש, quod vertitur αἰσχύνεσθαι [*pudefieri.*]

18. *Quid ingemuit animal!*] *Quantopere ingemuerunt jumenta!* Solet enim vox בהמה Hebræis, Chaldæis, & Arabibus plerumque, ubi nihil aliud additur, sumi pro equis, mulis, asinis. ¶ *Mugierunt greges armenti*] Latinè, *armenta bucera.* ¶ *Quia non est pascua eis*] Terra scilicet. Ideo *gemunt & mugiunt quia non inveniunt ubi pascantur*, attritis ab exercitu herbis omnibus. ¶ *Et greges pecorum disperierunt*] In Hebræo: *Desolati sunt*, id est, ad paucitatem redacti. צאן Hebræis, ut *pecus* Latinis, dicitur propriè de ovillo & caprugno genere.

19. *Ad te, Domine, clamabo*] Continuantur verba quæ Sacerdotes dicent, terris circùm vastatis. ¶ *Quia ignis comedit speciosa deserti*] *Habitacula deserti*: quomodo hic Chaldæus. מדבר, id est, *desertum*, Hebræis & Chaldæis dicuntur *loca pascua*. *Habitacula* ergò hic eadem quæ paulò antè *magaria* ¶ *Et flamma succendit omnia ligna regionis*] Omnes arbores de quarum fructibus aut corticibus animalia vivebant.

20. *Sed & bestiæ agri*] Id est, feræ: hanc enim significationem requirit vox שדה [*agri*] adjuncta voce בהמות [*animantia.*] ¶ *Quasi area sitiens imbrem suspexerunt ad me*] *Clamarunt ad me.* ערג, quod hic est, propriè de cervis dicitur, & per κατάχρησιν [*Abusionem*] de feris aliis. Illud, *quasi area sitiens imbrem*, nescio unde irrepserit, neque enim in Hebræo est, neque in Græco, neque in Chaldæo; neque in Commentariis hæc refert Hieronymus. Fortè scriptum fuit, *sicut cerva sitiens imbrem.* Confer Psalmum 42. 1. *Quoniam exsiccati sunt fontes aquarum*] *Rivi aquarum.* Non mirum de rivis, si & flumina quondam defecere, non epotantibus, ut puto, sed fontes obstruentibus immensis illis sub Xerxe copiis. ¶ *Et ignis devoravit speciosa deserti*] *Habitacula*, ut modò diximus, id est, caulas & stabula, unde feræ pasci solebant.

CAP. II.

MUNSTERUS.

1. *Clangite tubâ*] Ut scilicet concurrant & conveniant homines. Olim enim in summis periculis buccinis & tubis populus in unum convocabatur, sicut hodie campanis. Convocantur autem propter *diem Domini tenebrosum*, &c. Per *tenebras* in Scriptura intelligimus plerumque calamitatem, & per *lucem* felicitatem.

2. *Sicut lux matutina*] Subitò, inquit, incidet dies ille horribilis, *sicut lux matutina* subitò *montium* illustrat cacumina. Vel subitò adveniet exercitus ille Babyloniorum, qui hîc per *populum fortem* intelligitur, etiamsi quidam Hebræi referant ad Locustas. Hic itaque crudelis hostis veniet, ut omnia depopuletur igne & gladio, & *terras amœnas* redigat in *solitudines*. Veniet cum horribili & truculenta facie, ut montes ipsi commoveri videantur ad aspectum ejus. Audietur fragor armorum ejus & curruum ejus *per montes saltantium* à longè, tantúmque mortalibus incussurus est pavorem ut *omnium vultus in ollarum nigredinem sint degeneraturi.*

11. *Dominus dedit vocem suam*] Jussu Divino, inquit, hæc omnia fient, exigentibus sic peccatis hominum.

14. *Quis scit si convertatur*] Subintelligitur hic in Hebræo אולי *si fortè.* Sunt tamen quidam qui Jonathan Chaldæum secuti hunc locum sic interpretantur, *Qui scit se culpabilem, convertatur, & pœnitebit Dominum mali quod cogitavit.* ¶ *Et relinquat post se benedictionem*] Intelligendæ sunt per *benedictionem* reliquiæ frumenti & vini, unde fiunt *oblatio similaginea & libamen Domino.*

18. *Zelatus est Dominus*] Quantum attinet ad historiam, notandum quòd postquam humiliatus est populus in captivitate Babylonica, & rediisset post Lxx annos in terram suam, habuit aliquot annos frugiferos: unde & in numero fuit plurimùm multiplicatus: de quo textus hic loquitur. Verùm magis hîc spectandæ sunt spirituales promissiones quàm temporales, ut sunt redundantia justitiæ, veritatis & verbi Dei.

20. *Et Aquilonarem hostem*] Jonathan hunc locum sic vertit, *Et populum qui venit ab Aquilone elongabo à vobis, & transmigrabo eum in terram desertam*, &c.

25. *Reddam vobis*] In Thargum hic locus sic redditur, *Et reddam vobis annos bonos pro annis quibus diripuerunt vos populi, nationes, linguæ, potestates & Regna*, &c.

27. *Scietis quod ego sum in medio Israel*] Describitur hîc pactum quod Deus fecit cum populo suo, quódque confirmatum est per Christum, dato arrabone Spiritûs: unde & D. Petrus asserit Act. 2. in die Pentecostes hanc impletam Scripturam. Tunc enim effusus est Spiritus S. in homines, & vehementer multiplicari cœpit numerus fidelium.

28. *Super omnem carnem*] Non est intelligendum quòd omni homini danda fuerit Prophetia, sed Spiritus omnibus promittitur, ut omnes sciant & habeant cognitionem Dei. Promittitur autem his qui carnea habent corda, sed sequacia atque obtemperantia verbo Divino, & non illis qui lapidea habent corda atque intractabilia. ¶ *Somnia somniabunt*] Hoc dicitur quòd varia sint Prophetiarum genera. In quorundam enim cordibus loquitur Deus, aliorum movet linguam: & quidam rapiuntur in Spiritu, alii sunt qui *somniant somnia*, sicut Daniel & alii quidam.

30, 31. *Dabo prodigia in cœlo*] Sicut hic multa bona promittuntur his qui credunt in Christum, ità incredulis Jehudæis grave hic prædicitur exitium, perditio scilicet civitatis & gentis: De qua in Josepho multa dicuntur. Per *sanguinem* igitur intellige necem Jehudæorum, & per *ignem* incendium civitatis. Ubi autem est incendium, ibi est & *fumus*. Per *versionem* verò *Solis in tenebras* intellige insignem calamitatem, sicut & in multis aliis divinis locis. Frequens enim est in Hebraismo hæc Allegoria & figurata locutio. Jehudæi quoque hæc verba referunt ad tempus Meschiæ; & putant quidam eorum, omnia quæ hic scribuntur ad literam intelligenda, nempe quod Sol & Luna amissura sint lumen suum, quo indicio Dominus demonstraturus sit ingentem cladem adversariorum Meschiæ: non quòd *Luna vertenda sit in sanguinem*, sed quòd ex amissione lucis formam habitura sit sanguinis: Qualis etiam à nobis videtur quando

quando in uno nodorum tempore oppositionis constituta, luce suâ, quàm à Sole recipit, destituitur. Judæi, qui corticem literæ sequuntur, colligunt ex hoc capite unum ex decem signis quæ asserunt antecessura finem mundi: Scribunt autem sic,
הב"ה מוריד טל של דם שלשה ימים ונראה לאומות העולם שהוי טל
של מים ושותי' כמנו וימותו ואף פושעים ישראל שותין ממנו וימותו
ובינוניים נחלים ויהיה העולם בצרה גדולה אותן שלשה ימים שנ' ונתתי
מופתים בשמים ובארץ דם ואש ותמרות עשן ואחר כך יוריד ה' טל
שלשה ימים ושלשה לילות לרפאת את חדם וישתו ממנו כל הבינוניים
ויתרפאו החולים שנ' אהיה כטל לישראל יפרח כשושנה.

VATABLUS.

1. C*Langite* תקעו] Sub. *propterea:* q. d. Ideirco invitandus est populus ad pœnitentiam quòd venturus sit dies Domini, & quidem brevi. Qualis futura esset illa dies postea declarat cùm dicit, *Dies tenebrosa.* ¶ *Et taratantarizate* והריעו] *Et vociferamini.*

2. *Et tenebrositatis* וערפל] *Et obscuritatis*, vel *opacitatis*, i. obscura & opaca. ¶ *Veluti aurora* כשחר] q. d. Quàm citò aurora expanditur manè super montes, tam citò populus locustarum multus & fortis expandetur super terram. ¶ *Generationis & generationis* דור ודור] *Ætatis & ætatis*, i. multorum seculorum: nunquam ultrà.

3. *Ante faciem ejus* לפניו] *Ante eum*, sub. *populum locustarum.* ¶ *Consumet.* אכלה] Præt. Heb. pro fut. *devorabit.* Hoc dicitur comparativè, *Locustæ devorabunt omnia ante se & post se non aliter atque ignis.* ¶ *Solitudinis* שממה] *Desolationis*, i. vastissimum. ¶ *Præterea* וגם] Ad verb. *& etiam* ¶ *Ei* לו] Sub. *populo locustarum:* q. d. Nemo illum effugiet.

4. *Et tanquam equites* וכפרשים] Sub. *parati ad prælium.*

6. *A facie ejus* מפניו] i. Præ metu ejus. ¶ *Dolebunt* יחילו] *Cruciabuntur; timebunt.*

7. *Neque retardabunt*, &c. ולא יעבטון ארחותם] *Neque pervertunt itinera sua:* q. d. Non calcitrabunt in semitis suis. Alii, *neque deflectent de viis suis.* Alii, *& non interrogabunt* iste ab illo *de semitis suis.*

8. *Nemóque*, &c. ואיש אחיו וגו'] Ad verb. *Et vir fratrem suum non urgebunt.* Præt. Heb. pro futuris: q. d. Non confundent ordinem in acie sua instructa; nullus alteri erit impedimento. ¶ *Decident* יפולו] *Sese demittent:* q. d. Non timebunt sibi à gladiis, sed audacter in illos se conjicient. ¶ *Non vulnerabuntur* לא יבצעו] *Non vulnerabunt sese.* Alii, *non studebunt avaritiæ*, i. nemini ratione pecuniæ parcent. Chald. *& non suscipient divitias.*

10. *Ante ipsum* לפניו] Sub. *populum locustarum.* ¶ *Commovebitur terra*, &c. רגזה ארץ רעשו שמים] Præt. Heb. pro futuris, *conturbabitur terra, agitabuntur cœli.*

11. *Dabit vocem suam* נתן קולו] Præt. Heb. pro fut. *edet sonitum*, sive *strepitum:* q. d. Ad adventum ejus populi locustarum audietur magnus strepitus tonitru, tonabítque Dominus. ¶ *Sustinebit eum* יכילנו] *Feret eum?*

12. *Et etiam nunc* וגם עתה] *Vel nunc*, priusquam scilicet venerit populus locustarum.

13. *Et scindite cor vestrum* וקרעו לבבכם] Hebraismus, Tollite & abscindite pravas vestras cogitationes. Est enim Metonymia, continens pro contento. ¶ *Longanimis* ארך אפים] Ad verb. *longus irarum*, i. tardus ad iram. ¶ *Et pœnitens super malum* ונחם על הרעה] i. Qui facilè mutat sententiam & decretum quo immissurus erat afflictionem, siquando ex animo resipiscamus. Exod. 32. 14. *Pœnituitque Dominum super malo quod dixerat se facturum populo suo.*

14. *Post eum* אחריו] Sub. *populum locustarum.* ¶ *Benedictionem*, &c. ברכה וגו'] i. Fructus terræ & arborum, unde fieri possit sacrificium & oblatio.

15. *Sanctificate* קדשו] i. Sanctè indicite. ¶ *Cœtum* עצרה] *Concionem*, vel *ferias.*

16. *Sanctificate* קדשו] *Colligite; præparate.*

18. *Et* tunc *zelabitur* ויקנא] Præt. Heb. pro fut. i. tenebitur zelo & amore pro terra sua.

19. *Mitto* שלח] Præs. Heb. pro fuit. *missurus sum.*

20. *Aquilonarem* ואת הצפוני] Sub. *exercitum locustarum quem immissurus eram vobis.* Quidam Sennacherib intelligunt. ¶ *Elongabo* ארחיק] *Longè faciam; ejiciam; effugabo.* ¶ *Desertam* ציה] Ad verb. *siccitatis*, i. arentem, ut in illa moriatur destitutus cibo. ¶ *Facies ejus*, &c. את פניו וגו'] Per *Mare Orientale* intelligunt Hebræi mare Salsum, vel Cinnereth; per *Mare novissimum*, illud mare quod Num. 34. 5. *mare magnum* dicitur, nos *mare Mediterraneum* vocamus, quod est ad Occidentem Terræ sanctæ. Dicit igitur tam magnum fuisse locustarum exercitum ut occuparet totum locum inter illa duo maria, Orientale & Occidentale; & tamen illum se perditurum. ¶ *Magnificavit facere* הגדיל לעשות] Sub. *mala populo meo:* i. strenuè operabitur, totóque conatu inferet malum. Gallicè *les sauterelles ont faict leur effort.*

21. *Magnificabit* הגדיל] Præt. Heb. pro fut. *magna faciet*, i. magnifica facturus est, & vestra damna maximè resarciet.

22. *Germinaverunt* דשאו] Præt. Heb. pro futuris. ¶ *Arbores attulerunt* עץ נשא] Sing. Heb. pro plur. ¶ *Fructus suos* חילם] Ad verb. *virtutem suam.*

23. *Vos itaque filii* ובני] *Filii quoque.* ¶ *Justitia* לצדקה] *In justitiam*, vel *ad justitiam*, i. qui vos erudiet ad justitiam: aut, per ipsum justificemini. ¶ *Atque descendere faciet* ויורד] *Et demittet.* ¶ *Temporaneam* מורה] *Opportunam*, i. pluviam Octobris. Vide Osc. 6. 3. ¶ *Primo* בראשון] i. Mense Martio.

25. *Reddam præterea vobis annos* ושלמתי לכם את השנים] *Rependam præterea vobis annos*, i. fructus ipsorum annorum. ¶ *Hasil* חסיל] Vide cap. 1. 4. ¶ *Exercitus meus magnus* חילי הגדול] *Fortitudo mea magna.* Per Appositionem dictum.

26. *Et comedetis comedendo*, *& saturando* ואכלתם אכול ושבע] Hebraismus, Comedetis ad saturitatem usque. Quidam vertunt; *Comedendo comedetis, & saturabimini.* ¶ *Mirabilia* להפליא] Ad verb. *ad mirificandum*, i. qui miris beneficiis, etiam usque ad miraculum vos affecit.

27. *Neque* est *ultrà* ואין עוד] i. Et non est alius præter me.

28. *Spiritum meum* את רוחי] Chald. *Spiritum sanctum meum.* Verba Dei Patris. Locum istum exponit Petrus in Actis, 2. 17.

32. *Vocat* קורא] Præs. Heb. pro fut. *vocaverit*, sive *vocabit*; i. traxerit ad se.

CASTALIO.

2. Q*Uam diffunditur supra montes aurora, tam multus poténsque populus est*] Ut aurora montes, sic locustæ omnia occupant.

3. *Ante eum consumit ignis, post eum flamma comburit*] Locustæ terram vastant quasi incendium sit.

11. *Ante suum exercitum*] Locustas.

14. *Relinquátque post illum*] Scilicet locustarum populum.

20. *Septentrionalem*] Locustas à Septentrionibus invectas. ¶ *Qui faciem ad Orientale mare, & extremum ad ultimum mare habet*] Totam terram ab altero mari ad alterum occupat. ¶ *Tam magna ille faciet*] sc. Jova.

CLARIUS.

1. C*Anite tubâ*] Ut scilicet concurrant & conveniant homines. Olim enim in summis periculis buccinis & tubis populus in unum convocabatur, sicut hodie campano ære. Convocantur autem propter *diem Domini tenebrosum.* Per *tenebras* autem in Scriptura intelligimus plerumque calamitatem, & per *lucem* felicitatem.

2. *Quasi manè expansum super montes*] Ex montibus videtur Sol oriens citiùs, sic tamen ut paulò pòst toti hemisphærio fiat conspicuus. Subitò, inquit, incidet dies ille horribilis, *sicut lux matutina* subitò *montium* illustrat cacumina. Vel, subitò adveniet exercitus ille Babyloniorum, qui hic per *populum fortem* intelligitur: etiamsi quidam Hebræi referant ad Locustas. Hic itaque crudelis hostis veniet ut omnia depopuletur igne & gladio, & *terras amœnas* redigat in *solitudines.* Venit cum horribili & truculenta facie, ut montes ipsi commoveri videantur ad aspectum ejus. Audietur fragor armorum ejus & curruum ejus *per montes saltantium* à longè; tantúmque mortalibus incussurus est pavorem ut *omnium vultus in ollarum nigredinem sint degeneraturi.*

3. *Quasi hortus voluptatis terra coram eo*] Vel *ante eum*; h. e. ante adventum illius, *terra erat quasi paradisus, & post eum similis erit deserto squalido.*

8. *Unusquisque fratrem suum non coarctabit*] Hoc repetit quod ante dixerat: Mutuò sibi cedent, magna inter eos concordia erit, quisque suum locum habebit: *etiam si irruant in medios gladios, non tamen vulnerabuntur.* Esa. 5. dicitur, *Ungulæ equorum ejus ut silex*, ità ut neque ungulæ offendantur, sic hoc loco dicit ipsos fortissimos fore.

11. *Dominus dedit vocem*] Jussu Divino, inquit, hæc omnia fient, exigentibus sic peccatis hominum.

14. *Sacrificium & libamen*] Hæc est *benedictio* quam sperat *Dominum post se relicturum*, h. e. reliquiæ frumenti & vini, unde fiunt *oblatio similaginea & libamen Domino.*

18. *Zelatus est Dominus*] Quantum attinet ad historiam, no-

notandum quòd postquam humiliatus est populus in captivitate Babylonica, & rediit post LXX annos in terram suam, habuit aliquot annos frugiferos: unde & numero fuit plurimùm multiplicatus: de quo textus hic loquitur. Verùm magis hîc spectandæ sunt spirituales promissiones quàm temporales, ut sunt redundantia justitiæ, veritatis & verbi Dei.

19. *Non dabo vos ultrà*] h. e. Nisi me iterum irritaveritis.

20. *Et eum qui est ab Aquilone*] Intellige *exercitum*. ¶ *Faciem ejus*, &c.] h. e. *Vertet faciem suam*. ¶ Per *mare novissimum* intelligunt Mediterraneum. ¶ Deinde quod addit, *ascensurum fœtorem ejus*, ejusmodi descriptio est apud Ezechielem de interitu Gog & Magog; & ultimo Esaiæ, ubi plena consumptio hostium fit: sic etiam hoc loco.

23. *Imbrem matutinum & serotinum in principio*] h. e. Utrumque dabo in tempore suo ac tempestivè.

25. *Fortitudo mea*] Vel *exercitus meus*. Et ob hæc fortasse verba quidam totâ hâc narratione hostium intelligunt immensum exercitum Locustarum, quarum tandem mortuarum acervis litora utriusque maris implenda sint. Sed aptius est ut Metaphorâ *locustarum* describat perpetuò hîc Propheta impetum Assyriorum & Chaldæorum, quo Judæa vastata est: Quorum CLXXXV millia sub Rege Ezechia unâ nocte ab Angelo percussa sunt, quæ suo fœtore corrupissent terram nisi Dominus novo miraculo prævenisset ut tanquam exusta igni in pulverem solverentur. Juxta literam quoque magis Auster quàm Aquilo locustas adducit: verùm quoniam de Assyriis venturis prophetabat Locustarum typo, *Aquilonem* dixit, non *Austrum*.

28. *Effundam Spiritum meum*] Pactum quod Deus olim fecerat cum populo suo, ut esset *Deus eorum*, describitur confirmandum per Christum, Dato arrabone Spiritûs. Unde & D. Petrus asserit Act. 2. in die Pentecostes hanc impletam Scripturam: tunc enim effusus est Spiritus S. in homines, & vehementer multiplicari cœpit numerus fidelium. ¶ *Super omnem carnem*] Non est intelligendum quòd omni homini danda fuerit Prophetia: sed Spiritus omnibus promittitur, ut omnes sciant & habeant cognitionem Dei. ¶ *Somnia somniabunt*] Hoc dicitur quòd varia sint Prophetiarum genera: In quorundam enim cordibus loquitur Deus, aliorum movet linguam: & quidam rapiuntur in Spiritu, alii sunt qui *somniant somnia*, sicut & Daniel & alii quidam.

30, 31. *Et dabo prodigia in cœlo & in terra*] Sicut hîc multa bona promittuntur iis qui credunt in Christum, ità incredulis Judæis grave hîc prædicitur exitium, perditio scilicet civitatis & gentis; de qua in Josepho multa dicuntur. ¶ Per *sanguinem* igitur intellige necem Judæorum; & per *ignem* incendium Civitatis. Ubi autem est incendium, ibi est & *fumus*. ¶ Per *versionem* verò *Solis in tenebras* intellige insignem calamitatem; sicut & in multis aliis reperias locis. Frequens enim est in Hebraismo hæc Allegoria & figurata locutio. Judæi quoque verba hæc referunt ad tempus Messiæ, & putant quidam eorum, omnia quæ hîc scribuntur ad literam intelligenda. ¶ *Antequam veniat dies Domini*] Secundum hîc adventum pollicetur, tanquam dicat, Non erit dies ille dies extremus, sed futurus est major & horribilior in novissimo horrendo Judicii die.

32. *In monte Sion & in Jerusalem*] *De Sion* enim *exibit Lex*, ait Propheta, *& verbum Domini de Jerusalem*. ¶ Demum reliquiæ promittuntur servandæ, cùm ait, *& in residuis quos Dominus vocaverit*.

DRUSIUS.

1. *Clangite buccinâ*] Pace dixerim interpretum, non hîc concionem cogit, non jejunium indicit, ut infrà v. 15. Quid igitur? Hoc vult, Date signum adventantis locustæ. Vide quæ scripsimus Observ. l. 15. c. 11. Similem rem classico significat Angelus Apoc. 9. Similem causam cur clangi velit rectè Interpretes ponunt, ut excitetur populus ad pœnitentiam. ¶ *Sonate classicum*] הריעו. Hoc verbum probè intelligit qui novit quid sit תרועה. Est autem genus classici olim noti, quo utebantur ad movenda castra, non ad cogendam concionem, ut liquet ex Num. 10. 6, & 7. Cæterùm variè redditur; ab aliis *vociferamini*, ab aliis *clangite cornu*. Sunt etiam qui reddant *taratantarizate*. Nam תרועה, ut aiunt, est fractus & concisus tubæ sonus, qui *taratantara* Latinè dicitur. ¶ *In monte meo sacrosancto*] In Sione. Idem iterat aliis verbis Psal. 2. 6. *Super Sionem montem meum sacrosanctum*. ¶ *Commoveantur*] Santes, *contremiscant*. Amos 3. 6. *Si clangetur buccinâ in urbe, & populus non contremiscet?* ¶ *Quia venit dies DOMINI*] Vide notata ad c. 1. 15.

2. *Dies tenebrarum & caliginis*] Quis tam hospes in his literis qui nesciat his nominibus denotari res adversas, ut contrà *lucis* nomine denotantur res secundæ? Sed est qui propriè interpretetur hoc loco, quasi locusta, quâ volat multitudine, terram obscuraverit, nubémque fecerit: id quod in Ægypto evenisse clarè Moses Exod. 10. 15. testatur. ¶ *Velut aurora expansa super montes*] Sententia est, Dies ista hæc similis erit auroræ, quæ, cùm oritur puncto temporis, supra montes diffusa apparet, h. e. numerò ac celeriter veniet. Simile quod in sensu non dissimili usurpatur Jes. 58. 8. *erumpet ut aurora lux tua*, i. subitò erumpet. Vel, *expansa dies*, inquit, *densissimarum tenebrarum*, *quæ expansæ sunt super montes velut aurora*. ¶ *Populus multus*] Ingens agmen. Et nota *populum* dici de Locustis. Vide quæ ad c. 1. 6. ¶ *A seculo*] Ab omni memoria. ¶ *Non amplius erit*] לא יוסף, *non addet*. Deest להיות *esse*. *Non addet esse*. Latinè *non ampliùs erit*. ¶ *Generationis & generationis*] Multarum generationum.

3. *Comedet*] *Devorabit*, *consumet*. Vide suprà 1. 19. ¶ *Ignis*] Ut ignis. Nam Locusta non est ignis, sed tanquam ignis omnia consumit: siquidem humorem nativum herbarum plantarúmque penitus exsugit: unde necessariò evenit ut hæ, tanquam si igne adustæ essent, inarescant; atque ità Locusta *ignis* dicatur. ¶ *Tanquam hortus Eden*] Vel *Edenis*. Genus similitudinis hoc est quod de loco amœno & culto Scriptores sacri usurpant. Ezec. 36. 35. *Terra ista vastata similis fuit horto Eden*. Jes. 51. 3. *ponet ejus desertum sicut Eden*. Hic hortus alio nomine vocatur *hortus Dei*, Ezec. 28. 13. & *hortus DOMINI*, Jesa. 51. 3. Vulgo *paradisi* nomine notissimus est. *Eden*, locus ejus nominis Gen. 2. V. Int. *hortus voluptatis*. Nam EDEN *voluptas*, i. ἡδονή. Sed apud Mosen *hortus in Eden*. Id eam interpretationem planè labefactat, nè dicam evertit. ¶ *Desertum vastum*] *Vastum* non est epitheton perpetuum *deserti*, quia *desertum* dicitur etiam locus ubi pascua & caulæ ovium. Suprà 1. 19. *ignis devorabit habitationes deserti*. ¶ *Quod evadat*] Nihil quicquam ejus rabiem evadet. פליטה propriè *evasio*. Quod ità dicitur ut *captivitas* pro *captivis* ipsis, & *deportatio* pro *deportatis*. Sic *in monte Sion erit evasio*: vult dicere, *erit qui evadet*.

4. *Qualis aspectus equorum*] Aspectu terribilis, ut equi in bello; cursu velox, ut equites. Sic Apoc. 9. 7. *Et species locustarum similes erant equis ad bellum paratis*. Nota Equorum, cùm ad pugnam eunt, & in aspectu ferocitas, Job. 39. 20. *Numquid equum sicut locustam commoves, cujus narium decor terror est*: & in cursu celeritas, ibidem v. 24. *Cum fremitu & ira terram vorat*: Hab. 1. 8. *velociores pardis equi ejus*.

5. *Sicut vox quadrigarum*] Apoc. 9. 9. Καὶ ἡ φωνὴ τῶν πτερύγων αὐτῶν ὡς φωνὴ ἁρμάτων, ἵππων πολλῶν τρεχόντων εἰς πόλεμον. Latinè, *& sonitus alarum ipsarum* locustarum *ut sonitus curruum, equis multis currentibus ad bellum*. Ordo & sensus, *Salient per cacumina montium, & edent strepitum ingentem, qualis est quadrigarum, cùm equis citatis in hostem ruunt*. Et *salient* dixit, qui proprius Locustarum saltuatim incedentium gressus est. ¶ *Salient*] *Locustæ*: aut lege *cùm saliunt*, & *currus* subintellige, ut in Ebræo כי subaudiatur. ¶ *Sicut vox flammæ ignis*] Qualem flamma excitat in stipula quam comburit: ac si dicat, *qualis strepitus stipulæ accensæ*. Nam & stipula crepitat accensa, & ignis cùm eam accendit. Sic Cohel. 7. 6. *qualis strepitus spinarum sub olla*. ¶ *Tanquam populus validus*] Sub. *salient*: vel subintelligitur קול *vox*: ut sit, Qualis strepitus fortissimorum militum cùm ordinatè pugnam ineunt. Hoc postremum magis arridet. ¶ *Instructus pugnæ*] *Ad pugnam*, sive *prælium*. Quidam legunt *instructus ad bellum*. Nam מלחמה *bellum* propriè. Sed puto hic sumi pro קרב, i. *prælium*.

6. *Dolebunt*] Græcè significantiùs ὠδινοῦσι. Verbum enim hoc significat *dolorem hujusmodi qualis est feminæ parturientis*, quem ὠδῖνα vocant. Ebræi dicunt חיל כיולדה. ¶ *Contrahent nigrorem*] *Nigrorem ollæ*. Nam vox quæ in Ebræo propriè *olla*: ut si diceret, *Tam atræ erunt quàm est olla*. Eadem locutio reperitur Nah. 2. 10. *& facies omnium eorum contrahent nigrorem*. Pallor faciei metum significat; nigror non simpliciter metum, sed talem metum denotat qualis est quibus mors ob oculos versatur. Morientis enim vultus ex metu nigrescit, & atritate repletur. Hinc capies quod apud antiquum Int. *omnes vultus redigentur in ollam*. Nos quoque in Proverbiis nostris posuimus, *Ollam contrahere*, cùm hunc locum explicaremus. *Ollam* dixit pro *nigrore ollæ*, ut infrà *sanguinem* pro *colore sanguineo*. Sic *coccinum* dixit Jesaias pro *coccineo*, 1. 18. Porrò autem *olla* פרור vocatur Num. 11. 8. παρὰ τὸ פרר, fortè quòd in ea carnes minutatim concisæ coquerentur. Hic autem est פארור insertâ Aleph, ut fit, per Epenthesin. Sunt qui radica-

lem esse volunt, interpretantes פארור *pulcritudinem.* *Contrahere* autem *pulcritudinem* dictum accipiunt eo sensu quo alibi legitur, *& stellæ contraxerunt splendorem suum:* cujus loci sensus ut si diceret *obscuratæ fuerunt.* Sed sciendum non idem utrobique verbum esse in fonte, nam in uno loco est אסף, & in altero קבץ. Differunt autem hæc duo verba, ut Camius senior annotavit, quòd קבץ non usurpetur nisi de re dispersa, אסף verò etiam de re continua dicatur. V. c. rectè dicimus *contrahere manus* aut *pedes* per אסף, sed malè idem diceretur per קבץ. Sic bene dicitur אספו נגהם *contraxerunt splendorem suum*, perperàm קבצו נגהם. Ex quo illud denique consequitur, cùm Propheta usus sit verbo קבץ, quod de re dispersa duntaxat dicitur, non rectè sentire eos qui פארור hìc accipiunt in significatione *pulcritudinis.*

7. *Sicut strenui milites current*] כגבורים propriè sunt *milites robusti & cursu valentes.* Ps. 19. de Sole, *exsultat sicut miles strenuus ad currendum viam.* Vulgò reddunt *tanquam gigas:* & hìc quidam *sicut gigantes.* Nam *gigantes* גברים vocantur. ¶ *Ut viri bellatores*] אנשי מלחמה *viri belli*, i. bellatores. Græci μαχίμους vocant. Sic Deus appellatur à Mose איש מלחמה, i. *bellator.* ¶ *Quisque in itinere suo vadet*] Hier. *Hoc nuper*, inquit, *in hac provincia Palæstinæ vidimus. Cùm enim locustarum agmina venirent, & aerem qui inter cælum & terram est occuparent, tanto ordine ex dispositione jubentis Dei volitant, ut instar tessellarum, quæ in pavimentis artificis finguntur manu, suum locum teneant, & ne puncto quidem, ut ità dicam, unguive transverso declinent ad alteram.* ¶ *Non pervertent semitas suas*] h. e. Non deflectent à via: tenebunt rectum iter. Quidam, *non permutabunt semitas suas:* quæ significatio verbi est Deut. 25. 8. Alii, *non tardabunt:* ac si diceret, Non tardi erunt, non lenti in conficiendis itineribus suis. יעבטון. Verbum עבט hoc significatu usurpant Arabes. Videtur autem factum esse ex Ebræo עות permutatione duarum literarum.

8. *Prement*] *Impellent, urgebunt, artabunt.* ¶ *In calle suo*] Ità V. Int. Alius maluit *in aggere suo.* Sed מסלה propriè *via elevata.* Hìc autem pro quavis *via* sumitur. ¶ *Per missilia ruent*] Vel *in gladios cadent:* quod valet *castra ponent;* ut Gen. 25. 18. *coram omnibus fratribus suis cecidit:* & Jud. 7. 12. *cadentes in valle*, pro *castra locantes.* Est autem sententia, Locustam, quâ est levitate, vel si castra faciat supra gladios, minimè tamen læsum iri: quod in aliis militibus secùs evenit. Hic בעד valet על, ut Gen. 7. 16. שלח autem est *gladius*, vel potiùs *telum*, & *quodcunque* adeò *mittitur:* nam indè nomen habet. Sic Græcè βέλος ἀπὸ τοῦ βάλλειν. Pro *gladio* usurpatur Neh. 4 17. ¶ *Non sauciabuntur*] לא יבצעו Vetus, *non demolientur.* Sed בצע *sauciari*, idem videlicet quod פצע. Nam hæ literæ vicissim permutantur. Vide suprà 1. 17. Est etiam ubi activè legitur בצעם *vulneravit eos*, videlicet Amos 9. 1. Chaldæus hìc habet לא מקבלין ממון *non accipient pecuniam:* quæ est altera hujus verbi significatio. Unde בצע *lucrum*, & בוצע *qui quæstu ducitur, lucri cupidus*, quem *lucrionem* antiqui dicebant, ut est apud Festum. Prius magis placet.

9. *Gradientur*] Usus est verbo à *cruribus* deducto, quo non aliud significantius ad exprimendum continuum gressum locustarum. Eodem usus Jesaias 33. 4. *Qualis gressus locustarum graditur per eum*, h. e. continuis gressibus & saltuatim, ut veteres loquebantur. ¶ *In muro*] *Per murum.* ¶ *Ut fur*] Vide Joh. 10 1.

10. *Ante ipsum*] *Populum locustarum.* Et sententia est, Adveniente locustâ omnes res creatæ contremiscent. Vel, Cum locusta etiam tonitru & terræmotus erit. Sic dico, Deus *commovebit cælum* per tonitru, & *terram* per terræmotum. Cur? an ùt significet exercitum hunc à se esse? an potiùs ut majorem metum faciat impiis, quò à peccando deterreantur, & veniam petant? Hieronymus hæc *dicta* censet *hyperbolicè*, *quòd adversa patientibus præ terroris magnitudine & cælum ruere & terra fluctuare videatur.* ¶ *Commota est*] *Contremuit, concussa est.* Accipio autem ut infrà 3. 16. & Jes. 13. 13. de terræmotu: & *moti cæli*, ex causa quam ponit statim pòst, videlicet tonitru. Vel *terra contremuit*, i. incolæ terræ. Quomodo v. 1. dixit, *contremiscant omnes habitatores terræ.* Prius verius. ¶ *Sol & Luna*] In Jesaiæ loco citato, *tenebrescet Sol in ortu suo, & Luna haut lucebit luce suâ.* Quî hoc? Nam ità videtur metu consternatis. Sic qui senio caligant, iis *Sol, lux, Luna caligant obscuranturque*, Cohel. 12. 2. Hier. ad hunc locum sic annotat, *Præ multitudine locustarum obtegentium cælum Sol & Luna convertentur in tenebras, & stellæ retrahent lumen suum.*

11. *Dedit vocem suam*] Ut vox *DOMINI* tonitru denotet ità notum est iis qui S. literas vel à limine salutarunt ut exempla recitare supervacaneum videatur. Ergò *dedit vocem suam*, h. e. intonuit. Sic Psal. 18. 13. *Dominus è cælo intonuit, Altissimus dedit vocem suam.* Et observare est, Deum tonare significandæ præsentiæ suæ causâ, metúsque faciendi, sive in pœnis sive in benefactis. Prioris exemplum hìc est: est & infrà 3. 16. item Jer. 25. 30. Posterioris Exod. 19. 16. & 20. 18. De hoc loco aliter sentiunt Interpretes Ebræi. Siquidem R. D. *dedit vocem suam* exponit ut si dictum esset, *Deus per Prophetas suos præmonuit vos ab impendentibus malis.* Abenezra verò enarrat de *insano strepitu quem, autore Deo, locusta excitatura erat.* Quibus consentanea scribunt Interpretes Gallici; nam referunt, *aura jetté son cri:* & in margine annotant, *assavoir pour l' encourager à executer sa vengeance.* Quorum verborum hæc sententia est, Deum videlicet immisisse agmini locustarum clamorem, qui eos magis ac magis animaverit ad exsequendum ejus jussum. ¶ *Ante copias suas*] Vel *ante exercitum suum.* *Dei* autem *exercitum* vocat agmen locustarum, quoniam ab eo invectum erat. Idem agmen eandem ob causam dicitur *exsequi* & *obire mandatum ejus.* ¶ *Validus*] Robore, an numero? Si numero, tum idem valet quod *multus*, ut Jer. 15. 8. *validiores fuerunt viduæ ejus arenâ maris.* Sic Psal. 139. 17. Vide D. Camium ad h. l. & Observ. l. 6. c. 5. ¶ *Verbum ejus*] *Jussum ejus.* ¶ *Quis sustineat eum?*] q. d. Nemo eum sustinere poterit. Sic Mal. 3. 2. *Quis sustineat diem adventûs ejus? & eo apparente quis consistat?*

12. *Etiam nunc*] Non, *Redite etiam nunc;* sed *Dominus etiam nunc dicit, Redite ad me.* Sæpius enim antea hoc dixerat per Prophetas suos, neque adhuc ex animo ad ipsum redierant, morésque pravos emendaverant. ¶ *Redite ad me*] Vel potiùs *Convertimini ad me.* Cæterùm pondus esse creditur in particula Ebraica עד, quæ sonat verbum è verbo *usque ad me.* Itaque Mercerus annotat, USQUE AD ME *plenam & absolutam pœnitentiam significat, non dimidiatam vel aliqua ex parte cœptam.* Potest verum esse, tamen existimo Enallagen particularum esse pro אלי *ad me.* ¶ *Toto corde*] Revera, ex animo, non fictè aut simulaté.

13. *Scindite cor vestrum*] Optimè Chaldæus P. & vertit & interpretatur, *Amovete à corde vestro improbitatem.* Quo sensu capiendum, *Circumcidite præputium cordis vestri* Deut. 10. 16. Sed noster hìc respexit ad morem veterum, qui vestimenta lacerabant in dolore, quà publico quà privato. In publico, ut Jos. 7. 6. & 2 Sam. 3. 31. In privato, ut Gen. 37. 34. & 1 Reg. 21. 27. Et erat gestus quasi indignantium ex malo accepto. ¶ *Et non vestes*] Potiùs cor quàm vestes. Genus loquendi quod aliquoties occurrit. Hos. 6. 6. *Benignitatem volo, & non sacrificium.* Vult dicere, *Malo benignitatem exerceri quàm sacrificium fieri.* Prov. 8. 10. *Accipite disciplinam meam, & non argentum*, i. potiùs quàm argentum. ¶ *Gratiosus*] Non *gratiâ valens*, sed *gratiam faciens delicti facilè ac libenter.* Itaque antiquus Int. reddit *benignus*, & alibi *clemens:* & alius nescio quis, *misericors.* Hoc epitheton ei tribuitur duabus potissimùm de causis. Una est, quia nos gratuitò redemit ex servitute Diaboli; altera est, quia quotidie ἀμέτρως, h. e. *sine mensura*, largitur sui Spiritûs dona. ¶ *Misericors*] רחום, ἐλεήμων, vel *miserator.* Hoc vocabulo piunt illum Dei, qui patris personam sustinet, erga nos liberos affectum significant. Sic dico, Vocatur רחום quòd conditionis nostræ misertus, non solùm condoleat, sed etiam doloris illius effectum immensâ erga nos bonitate & incredibili amore declaret. ¶ *Longanimis*] Μακρόθυμος, vel *patiens.* Ad verb. *longas nares habens.* Vide Lectiones in Nahum. ¶ *Pœnitens super malo*] Cui familiare ac proprium ut eum facilè pœniteat supplicii quo homines afficere decrevit, si modò ipsos pœniteat scelerum. Jonathæ Paraphrasis, *qui facilè revocat dictum suum, ut non adducat malum:* rectè. Est enim verbum Ebræum quo hìc usus Propheta, *mutare sententiam de eo quod priùs statueras*, sive bonum sive malum fuerit. Hoc liquet Jer. 18. 8, & 10. Vide quæ scripsimus Jon. 4. 2. item Exod. 32. 14 His adde testimonium Tertulliani Adv. Marc. l. 2. *Pœnitentia in Deo*, inquit, *aliud nihil est quàm mutatio sententiæ prioris: Quæ etiam sine reprehensione possit admitti in homine, nedum in Deo, cujus omnis sententia caret culpâ.* Si Latinitas ferret, mallem *pœnitibilis.* Ad quod exemplum נבזה *contemptibilis* redditur. Sic נתעב *abominabilis.*

14. *Quis scit?*] Vel, *Quis novit?* Genus sermonis quod in re parùm certa usurpant autores Ebræi. 2 Sam. 12. 22. *Quis scit si DOMINUS mei misereatur, & vivat infans?* Jon. 3. 9. *Quis scit si convertatur & sententiam mutet Deus?* Esth. 4. 14. *Quis scit si propter hujusmodi tempus pervenisti ad Regnum?* Quo in loco expressa particula אם *si, an;* quæ in aliis

ferè

ferè locis desideratur. Magistri explanant per adverbium אולי *forsan*, *fortasse*. *Si convertatur*] An ab ira sua se convertat ad lenitatem & clementiam? Vel, an rediturus sit nobiscum in gratiam? Deest autem Ebræo particula *si*, quam supplevi ex aliis locis; nam legitur non solùm in loco Estheræ superiùs citato, sed etiam Cohel. 2. 19. in illo, *Quis scit si sapiens erit an stultus?* ubi tamen omitti potuisset sine damno sententiæ. Solet enim in hoc genere sermonis ferè abesse. Cujus consuetudinis haut meminens Jonathan aliena à sensu Prophetæ videtur interpretatus. ¶ *Et pœniteat*] Vel *sententiam mutet*. Nam *pœnitere* est sententiam mutare, ut diximus. Augustinus lib. 17. c. 7. De C. Dei, *Ubi legitur quòd* pœniteat Dominum, *mutatio rerum significatur, immutabili præscientiâ manente Divinâ. Ubi ergò* non pœnitere *dicitur, non mutare intelligitur.* ¶ *Relinquat*] Vel *post se locusta*, vel *post illam Deus*, *reliquam faciet benedictionem* aliquam & ubertatem in frugibus, quò sit rei Divinæ peragendæ *fertis*que *libandis* farina, oleum & vinum. Videlicet dixerat suprà *excisum esse fertum & libamen.* Potest etiam reddi *relinquat post illum*, videlicet *exercitum locustarum.*

15. *Clangite buccinâ*] Olim populus tubâ convocabatur: Sed & buccinâ. Patet ex hoc loco. Buccinâ etiam jejunium indicebatur. Cæterùm tubâ clangebant Sacerdotes. Ità Lege cautum Num. 10. 8. Reliqua hujus versûs explicata sunt suprà 1. 14. Olim erat *tubâ*. Sed *tuba* HASOFRA dicitur: SOPHAR autem est *buccina*. Vide quæ scripsimus Obser. l. 15. c. 19.

16. *Congregate infantes*] Curate ut matres adducant liberos suos parvulos & subrumes. Hujus moris exemplum exstat Judith. 4. 10. ¶ *Exeat sponsus è conclavi suo*] Nihil eget explanatione, cùm sententia pateat.

17. *Inter vestibulum & altare*] Significat locum ubi Sacerdotes faciebant rem Divinam: qui erat *ad introitum Sancti* sive *Templi Jehovæ*, ut est Ezech. 8. 16. videlicet *inter vestibulum & aram suffimenti*. *Populus* autem *foris orabat in atrio exteriore*, ut patet Luc. 1. 10. Et putat Arias Montanus hunc ipsum locum esse qui Matth. 23. 35. vocatur *inter Templum & altare*. ¶ *Hereditatem tuam*] Populum tuum hereditarium; Quem ità vocat quia curæ Deo erat non secùs ac patrimonium quod hereditate alicui obvenit, vel quia peculiariter ab eo in possessionem libertatis restitutus erat. Esthera apud Josephum Gorionis F. *Memento nostri, Domine Deus noster; quia pars tua sumus inter filios hominum. Nam ab æterno cùm possidendos à te homines partireris, Altissime, nos in sortem tuam venimus, quam fecisti inter filios hominum: tum, inquam, adscendimus in sortem DOMINI.* Deut. 4. 20. *Vos eduxit è ferrea fornace, ut ei essetis populus hereditarius.* Non malè etiam exponas HEREDITATEM TUAM *heredes tuos*: ut *heredes Dei* dicantur ratione terræ Chanaan, quam à Deo quasi hereditario jure donatam possidebant. Hoc modo loquendi *captivitas* ponitur pro *captivis* ipsis. Sic *deportatio* pro *deportatis*, res pro hominibus. ¶ *Ut dominentur Gentes*] Nè fame coacti cogantur sese dedere Gentibus, aut ad eas transfugere annonæ causâ, quemadmodum Elimelechum maritum Noomi fecisse legimus in historia Ruth. Scholia Ebraica ad h. l. annotant, *nè coacti fame ire contendant ad regiones ubi Gentes dominatum tenent.* Gallici Interpretes, *tellement que les nations en facent leurs dictions.* Secuti sunt Salomonem Jarium, qui למשל accipit in significatione *proverbii* & *dicterii*. Sed an rectè? vehementer dubito. Nam in aliis locis ubi cum Beth construitur, ut hic, significat *dominatum*. Sed tamen ampliùs quærendum censeo. ¶ *In eis*] Vel *in eos*. ¶ *Ubi est Deus eorum?*] Usitata precationis formula in calamitatibus, quâ petimus à Deo sic pœnæ moderetur ut habeat rationem honoris sui. Reperitur Ps. 115. 2. & Judith 7. 21.

18. *Zelavit pro terra sua*] Rem futuram narrat ac si præterita esset, more Prophetico; DOMINUS, inquit, quâ est erga terram suam propensione, ulciscetur ejus vastitatem, & misertus calamitatis populi sui, non sinet ut gentes tot ei probra maledictáque ampliùs objiciant. *Zelare* pro *ulcisci*; ex quo *Zelotes Deus* Nah. 1. 2. quia videlicet propensus ad vindicandam injuriam factam populo suo: vel *Zelare* pro eo quod Græci dicunt νεμεσᾷν ut significet indignationem ex malo quo afficitur is cujus studiosi sumus, & quem amamus, ut Num. 25. 13. & 5. 14. ¶ *Pro terra sua*] לארצו *propter terram suam.* Priùs erat *terram suam* את ארצו. Id rejeci, quoniam verbum קנא hoc modo constructum ferè in malam partem usurpatur, putà de Invidia, ut Gen. 26. 14. & Jesa. 11. 13. ut de Zelotypia, ut Num. 11. 29. *An zelas tu pro me?* Vult dicere, An meâ causâ doles & alios prophetare?

19. *Et respondit*] Clamantibus ad ipsum respondit per me Prophetam suum. Vel exaudivit Sacerdotes pro populi salute obsecrantes. *Respondere* pro *exaudire* ità Scripturæ usitatum ut exemplis probare putidum videatur. ¶ *Mitto*] *Missurus sum brevi.* ¶ *Saturabimini eo*] *Unoquoque eorum.* Mittam, inquit, propediem vobis tantum frumenti, musti & olei quantum sat erit, non dico ad necessitatem, sed ad satietatem; ut abunde omnia suppetant. ¶ *Opprobrium*] Ità ut fames vobis non ampliùs probro sit futura.

20. *Septentrionalem*] הצפוני. Notam emphaseos, quæ in Ebræo, exprimunt Græci per articulum τὸν ἀπὸ βοῤῥᾶ, *eum qui ab Aquiloone est*, h. e. agmen locustarum quod venit ab Aquilone. Facit pro iis qui sub figura locustarum Babylonios denotari putant; quorum regio ad terram Sanctam Aquilonaris est. ¶ *In terram aridam*] Ubi fame & siti exstinguatur. Ideo infert *& ascendet fœtor ejus*, videlicet agminis locustrarum. Nam cadavera, nisi sepeliantur, illico fœtent. ¶ *Faciem ejus*] Frontem exercitûs innuit, sive primum agmen, quod Græci similiter πρόσωπον vocant. ¶ *In mare Orientale*] Sub. *depellam*, quod repeti debet ἀπὸ κοινοῦ ex præcedentibus. Aut constructio est, *Hunc exercitum Septentrianalem, cujus facies mare Orientale, extremum mare Occidentale contingit, hunc, inquam, Septentrionalem procul amovebo à vobis, & depellam in terram aridam & desolatam.* Mare Mortuum ità dictum à plaga regionis in qua erat Judæis Jerosolymæ habitantibus. Hoc mare varias appellationes sortitur. Nam præter dictas vocatur etiam *mare Salis* vel *Salinarum*. Hier. Epist. 129. *Et Jordanem, qui mare influit Salinarum, quod Mortuum dicitur.* Idem Zach. 14. *Mare mortuum vocatur ex eo quòd nihil in aquis ejus possit vivere.* Et *lacus Asphaltites*, propter bitumen quod crassum in eo innatat; Eucherius, *Mare Salinarum vocatur & mare Mortuum, & mare Asphaltites, & mare Solitudinis*; Idem in libros Regum, *Mare autem Solitudinis, quod Ebraicè dicitur Araba, mare Mortuum designat, quòd in longitudine per stadia* 580 *usque ad Zoaras Arabia, in latitudine per* 115 *usque ad vicina Sodomorum pertenditur*: & *mare primum*. Hier. in Comment. ad h. l. *Mare Primum, quod juxta solitudinem est, & vergit ad Orientem, illud intellige in quo fuit quondam Sodoma & Gomorra, Adama & Seboim: quod nunc Mortuum nominatur, eò quòd nulla ibi vivant animantia.* Cæterùm Galeno in Simplicium libris dicitur *lacus Sodomenus*. Pausanias autem vocat νεκρὰν θάλασσαν. ¶ *Extremum ejus*] Tergum agminis, vel postremum agmen. ¶ *Ad mare novissimum*] Vel *Occidentale*. Alibi vocatur *mare Magnum*; & est quod nos vocamus *mare Mediterraneum*, quod alluit Judæam à Solis occasu. Hier. ad h. l. *Mare autem novissimum, hoc quod ad Occidentem est, & quod ducit in Ægyptum: in cujus litore Gaza, & Ascalon, Azotúsque, & Joppe, & Cæsarea, & cæteræ urbes maritimæ sitæ sunt.* ¶ *Ascendet fœtor*] Ut solet ex putrefactione cadaverum. Vide Paulum Orosium lib. 5. c. 10. Hier. *Etiam nostris temporibus vidimus agmina locustarum terram texisse Judæam, quæ postea vento surgente in mare primum & novissimum præcipitata sunt.* Et paulò pòst, *Cùmque litora utriusque maris acervis mortuarum locustarum, quas aqua evomuerant, implerentur, putredo earum & fœtor in tantum noxius fuit ut aerem quoque corrumperet, & pestilentia tam jumentorum quàm hominum gigneretur.* ¶ *Magna fecit*] Magnam vastitatem intulit. Subintelligitur autem *locusta*. Quidam de *Deo* hæc dicta accipiunt; quod ideo secutus non sum quia Ebræi omnes in *locusta* consentiunt; Jonathan quoque, apud quem, *Quoniam multa mala patravit.*

21. *Nè metue, tellus*] Suprà, ubi pœnas recenset, *Ante ipsum terra contremuit*: & pòst decimo indè versu, *Dies DOMINI, magnus & terribilis.* ¶ *Exsulta & lætare*] Suprà 1. 10. *luxit tellus.* Ut eleganter contraria contrariis reddit. Sic, *læta segetes*; &, *frugum pabulique lætus ager.* ¶ *Nam magna DOMINUS fecit*] h. e. Interprete Chaldæo, *multa per te bona fecit populo suo.* Seipsum explicat infrà versu ab hoc quarto. Contrà est versu qui hunc antecedit, *quia magna fecit*, de Locusta. Gallici Interpretes, *l'Eternel a faict choses grandes*; *cest à dire, a bravé, ass. contre ses ennemis.*

22. *Nè metuite, bestiæ*] Nè metuite fore ut posthac pabulo aut potu destituamini. Respexit ad illud, *etiam bestiæ agrestes clamant ad te*, quod invenies suprà 1. 20. ¶ *Agrestes*] שדי *agrorum*, an *agrorum meorum*? Prius malo. Nam & גבי *locustæ*, & ידי *manus*, & אדני *Dominus*, quod esset אדונים, sicut אלהים *Deus*. Huc referunt הרי *montes*, חלוני *fenestræ*, & חשופי Jes. 20. 4. ¶ *Herbuerunt habitationes deserti*] Suprà 1. 20. *ignis absumpsit habitationes deserti.* Græcus hic πεδία habet. Sed נאות *loca habitata pastoribus*, ut dictum est. ¶ *Arbor*

tulit

tulit fructum suum] Contrà, *omnes agrestes arbores exaruerunt.* ¶ *Vim suam*] Fructus suos. Sic & Moses locutus est Gen. 4. 12.

23. *Exsultate & lætamini*] Qui hactenus in luctu & mœrore fuistis: suprà v. 12. *cum jejunio & fletu & planctu:* item, *Clangite tubâ in Sion:* & 19. *luxerunt Sacerdotes ministri DOMINI.* ¶ *Dedit*] Pro *dabit* more Prophetico. ¶ *Doctorem ad justitiam*] Sic Chaldæus, Græci, Latina Vulgata. Et consentiunt Interpretes, ut putent Christum significari: De quo Hos. 10. 12. *donec veniat & doceat vos justitiam.* Potest ità esse; tamen consideranti mihi seriem concionis non displicet *pluviam ad justitiam:* ut nec in Hoseæ loco citato, si quis Scholiasten secutus ità vertat, *donec veniat & pluvia justitia vobis.* Sensus autem hic est, *dedit vobis pluviam justitiæ*, i. largam, copiosam; ut *Sol justitiæ* Mal. 4. 2. qui benignè tum lucet tum calefacit. Vel *dedit ad justitiam*, h. e. largiter. Cui simile, *Seminate ad justitiam*, inibi apud Hoseam. Quidam referunt *secundùm justitiam.* Per *justitiam* autem intelligunt jus & æquum; ac si diceret, Dedit vobis tantum pluviæ quantum satis est & æquitas postulat. ¶ *Et demittet vobis*] Respexit ad promissionem quæ est Deut. 11. 14. *Dabo vobis suo tempore primorem & serotinum.* Est autem sententia, *Demittet vobis imbrem primorem* mense octavo, qui *Marhesvan* dicitur; *& serotinum mense primo*, qui est *Nisan*; utrumque videlicet *suo tempore*, ut promissio habet. Neque enim ipsorum judicio acquiescere possum qui putant utrumque imbrem simul decidisse in Nisan, ídque modo inusitato, & miraculosè, ut loquuntur. Certè pro me facit tralatio Chaldæa, quam *Paraphrasin* vocant. ¶ *Primorem & serotinum*] Ex his duobus nominibus prius significat pluviam quæ cadit post sementem in autumno; posterius, eam quâ maturescunt segetes, veris tempore. Pro *primorem* alii *matutinum*, alii *tempestivum:* & *imbrem* subintelligunt. M. Varro De re rust. lib. 2. c. 2. *Et primitus oritur herba imbribus primoribus evocata.* ¶ *In ipso primo*] Qui est *Nisan*, Esth. 3. 7. Mensis iste respondet partim Martio, partim Aprili. Quo tempore anni messis erat in Judæa. Quocirca cum judicio legendus Hieronymus, quo in loco ità scribit, *Pluvia serotina est imber qui cadit sub finem mensis Aprilis, cùm adhuc tres menses usque ad messem supersunt, videlicet Maius, Junius, Julius. Nunquam in fine mensis Junii aut in Julio in his provinciis, maximéque in Judæa, pluvias vidimus.* Scribit hoc in Comment. Amos 4.

24. Versus lumen interpretationis non desiderat, cùm sententia pateat. ¶ *Lacus*] היקבים. Priùs erat *torcularia.* Ma. 斗. Nam *torcular* גת dicitur. יקב autem est *lacus torcularis*, h. e. vas illud in quod oleum aut mustum prælo expressum recipitur. Græcè dicitur λῆνὸς Matth. 21. 33. & ὑπολήνιον Mar. 12. 1. Infrà 3. 13. *quia plenum est torcular, exundant lacus.*

25. *Annos*] *Annos* dicit annonas, & intelligit fructus annorum quatuor. Nam tot fuerunt genera locustarum: Apparet autem quotannis novum genus grassatum fuisse. Hunc versum Jonathan Paraphrastes ità reddit; *Et rependam vobis annos bonos pro annis quibus diripuerunt vos populi, nationes & linguæ, & satrapiæ & Regna*, &c. Satis declarat quid sit quod per *locustas* intelligi velit, nempe in hoc à Patre Hieronymo non dissentiens, qui *sub figura locustarum describi* ait *exercitum Assyriorum & Chaldæorum.*

26. *Et saturabimini*] Vel *saturabitis vos.* ושבוע enim accipio ut si esset ושבעתם. Est autem trita locutio in sermone Ebræo, *Comedetis & satiabitis vos*, pro *Comedetis ad satietatem.* Contrà legitur Hag. 1. 6. *Comedetis, sed non ad satietatem.* Potest etiam accipi ut nulla sit Enallage, *Comedetis comedendo & satiando vos*, sententiâ eodem recidente. V. Interp. *Comedetis vescentes, & saturabimini.* Hi priorem constructionem elegerunt, quæ mihi quoque se magis probat. ¶ *Qui fecit vobiscum mirificè*] Qui uno anno restituit vobis fructus quadriennii, h. e. tantum quantum locusta absumpserat spatio quatuor annorum. להפליא, Infinit. pro adverbio. Sic היטב *bene.* ¶ *Non pudefient populus meus in seculum*] Non enim causa erit cur posthac Gentes quærant, *Ubinam eorum Deus est?* aut cur populo meo objiciant ut probrum quòd famem patiatur. Suprà 1. 10. *puduit agricolas.*

27. *Et scietis in medio Israelis me esse*, &c.] Hoc infrà legitur aliis verbis, *Et scietis me Dominum Deum vestrum habitare in Sion monte sancto meo. Scietis*, edocti experientiâ magistrâ. ¶ *Et nullum præterea*] Reipsa experiemini neminem esse Deum vestrum præter me: vel adhuc non fuisse mei similem, qui fecerit populo suo quod ego vobis feci.

28. *Et erit*] Initium est capitis tertii in quibusdam libris. Continet autem hic locus illustrem Prophetiam de temporibus Messiæ, & de donis quæ in suos tum conferet; ut nè ipsi quidem Judæi diffitentur. ¶ *Post hæc*] Ultimis temporibus. Sic interpretantur Scholia Ebraica: Item Apostolus Act. 2. 17. Ad quem cupio te adire. Consule etiam Parallela mea. ¶ *Effundam*] Effusè dabo. ¶ *Spiritum meum*] Gratias spirituales intelligit, quæ sunt effecta Spiritûs S. inter quæ & Donum prophetandi: ideo subjicit, *& prophetabunt filii vestri*, &c. Sic Jes. 11. 2. *quievit super eum Spiritus DOMINI*, videlicet, ut pòst se explicans ait, *Spiritus sapientiæ & intelligentiæ, Spiritus consilii & fortitudinis, Spiritus scientiæ & timoris DOMINI.* ¶ *Super omnem carnem*] Est cur malim *super quamvis carnem:* nam loquitur indefinitè. Et sensus est ut si diceret, *super omne genus hominum*, cujuscunque demum fuerint ætatis, conditionis aut sexûs, ut sequentia declarant. Porrò autem ut *omnis caro* Hominem tantùm denotet κατὰ συνεκδοχὴν, liquet ex Psal. 145. 21. & Jes. 66. 23. ¶ *Insomnia somniabunt*] Deus futura patefaciebat duobus potissimùm modis: Unus erat per *insomnia*, quæ Græci ἐνύπνια vocant: Alter per *visiones*, quas ὁράσεις iidem appellant. Has significat cùm ait, *visiones videbunt.* Sic Num. 12. 6. *Si erit Propheta vester, ego DOMINUS per visionem ei notus fiam, per somnium loquar cum eo.*

29. *Super servos*] In Actis, *super servos meos:* quod capiendum ex hoc loco ut significet non quosvis Dei cultores, qui propriè appellantur *servi DOMINI*, sed eos duntaxat qui conditione servi erant, & simul Deum piè colebant. Idem dicendum de *ancillis.*

30. *Dabo prodigia*] *Edam prodigia.* Sic Ausonius dixit *dare miraculum.* ¶ *Sanguinem & ignem*] Cædes & fulgetra. *Edam*, inquit, *prodigia in cœlo & in terra, videlicet in terra sanguinem, & ignem in cœlo.* Loci similes laudantur apud Ezræ filium, ex Ps. 74. 16. & Job. 24. 4. ubi res duæ ità narrantur ut in sequenti redditione primo loco ponatur quod ad postremum pertinet, & secundo quod ad primum. ¶ *Et columnas fumi*] ותמרות עשן. Significat *exhalationes* sive *elevationes fumi*, cùm scilicet is rectà sursum fertur & quasi in palmæ similitudinem ascendit. Nam *palma* תמר dicitur: ex quo factum תמרה, quod de *fumo* etiam Magistri usurpant; ut cùm dicunt משולה תמרה *ex quo ascendit columna ejus.* Eodem modo usus est Salomo Cant. 3. 6. inquiens, *Quid est id quod ascendit è deserto quasi quædam fumi columna?* Porrò fumum excitant incensa fulmine corpora: ideo ait, *ignem & columnas fumi*, significans ignem fulmineum, ut diximus.

31. *Convertetur in tenebras*] Penitus obscurabitur & tenebras mundo inducet. ¶ *Et Luna in sanguinem*] Sub. *vertetur.* Et *sanguinem* accipe pro *colore sanguineo*, quem referet. Sic Apoc. 6. 12. *facta est Luna ut sanguis.* Ut multi putant, obscuratio Solis & imago Lunæ sanguinea denotant calamitates & res adversas ἀλληγορικῶς. Ut verò Abenezra censet, *erit eclipsis cùm Solis, tum Lunæ: Sol obscurabitur, Luna apparebit sanguinea. Rubet autem in eclipsi non plena*, ut idem tradit, *quando longiùs abest à capite Draconis, vicina caudæ ejus à sex gradibus. Quæ Lunæ facies semper portendit motus bellorum, & significat fore ut multi mortales moriantur.* Hæc Judæus ille.

32. *Quicunque invocaverit nomen DOMINI*] Omnes pii & veri Dei cultores. Nam tales ipsum *invocant in veritate*, h. e. bonâ fide, ex animo, absque simulatione. Quod addendum videtur ex Ps. 145. 18. ¶ *Liberetur*] Eripiat se periculis & angustiis illius ævi. ¶ *Jerosolyma*] Hic *Jerosolymam* dicit pro *inferiore civitate*, quæ à Græcis ἡ κάτω πόλις vocatur. Aut est genus loquendi contrarium illi, *in Judæa & Jerosolyma.* Nam Jerosolymæ pars mons Sion. ¶ *Erit qui evadat*] Vel, *erunt qui evadant.* Ad verb. *erit evasio:* Ebraismus. ¶ *Quos vocaverit*] Ad vitam æternam scilicet; & *vocaverit* efficaciter καὶ κατὰ πρόθεσιν, h. e. *ex proposito.* Hi sunt qui Deo vocanti parent; de quibus Apostolus Rom. 8. 30. *Quos prædestinavit, eos vocavit; & quos vocavit, hos etiam justificavit.* Porrò vita æterna adumbratur aliquando *convivii* vocabulo, unde verbum *vocandi.* Nam *vocare* est Ad cœnam aliquem vocare; & *vocati*, h. e. קראים, dicuntur, quos *invitatos* vulgò nuncupamus. Græci etiam κλητοὺς vocant. Grammatici annotant hoc verbum usurpari & de iis qui ad honores adsciscuntur, ut Jes. 22. 20. *Vocabo servum meum Eliacim.* Atque hinc *vocati* appellantur Ezech. 23. 23. & Num. 1. 16. viri primarii summæque dignitatis, quasi aliunde accersiti ad Reip. administrationem.

IDEM.

IDEM.

1. Σάλπιγγι] Quædam exempl. ἐν σάλπιγγι. ¶ Συγχυθήτωσαν] Alibi συνταραχθήτωσαν. Ut dixi, hæc sunt diversæ translationis, nè quis putet alterum mendosum esse. Vobis fortasse aliter videbitur; ego de meo sensu judico.

2. Οὐ ϛρατευθήσεται] In quibusdam ὐκ ἔϛαι. Jam pridem admonui legendum videri ὐ προσεθήσεται, errore nato ex non intellecta locutione *non addet*, pro *non denuo erit*. Sed nihil mutemus: subsidium à MSS. libris exspectandum. In Latina Hier. *& post eum non erit*.

3. Ἔμπροσθεν αὐτοῦ] A. & R. τὰ ἔμπροσθεν αὐτοῦ & paulò pòst καὶ τὰ ὀπίσω. Prior lectio convenit cum Ebræo, & cum versione antiqua quæ in operibus Hieron. ¶ Πρὸ προσώπυ αὐτοῦ] C. ἔμπροσθεν τοῦ προσώπυ αὐτοῦ. A. & B. ἀπὸ προσώπυ αὐτοῦ, sed malè: nam hoc Ebraicè diceretur מפניו. ¶ Πεδίον ἀφανισμοῦ] Lectio Compl. ὡσεὶ πεδία ἀφανισμοῦ. Hîc notabis πεδίον exponi, quod ex Ebræo alii reddunt *desertum*.

4. Ἡ ὅρασις αὐτῶν] Ità habent omnes libri quorum mihi copia fuit, exceptis iis qui cusi sunt ad Ex. C. Prior tamen lectio placet, ut eadem sit vox ἐν προτάσει καὶ ἀποδόσει. ¶ Ὡς ἱππεῖς] Sic rectè legitur in R. In aliis est ὡς οἱ ἱππεῖς in C verò οἱ ἱππεῖς, absque particula ὡς.

5. Φωνὴ φλογὸς] Lege φωνὴ φλογὸς πυρὸς ex C. & R.

6. Πρόσκαυμα] In Lexico Constantini citatur πρόκαυμα ex hoc loco. Sic etiam legitur in nonnullis codicibus. Sed πρόσκαυμα scriptum in C. & R. quod magis placet. Lex. V. Προσκαίω, *aduro*.

7. Δραμοῦντες] Alibi est διαδραμοῦνται. Eadem varietas infrà v. 9.

8. Ἀπὸ τοῦ πλησίου] Magis placet Rom. lectio ἀπὸ τοῦ ἀδελφοῦ· nam in fonte אחיו. Hæc lectio confirmatur autoritate codicis Hispani, ἀπὸ τοῦ πλησίου, i. רעהו. V. Int. *singula à proximo suo non recedent.* ¶ Συντελεσθῶσι] In quibusdam ed. legitur συντελέσωσι.

9. Ἐπὶ τὰς οἰκίας] Καὶ ἐπὶ ταῖς οἰκίαις est in R. quod minùs placet.

10. Ὁ ἥλιος καὶ ἡ σελήνη συσκοτάσυσι] Hæc omissa sunt in A. B. & Cephalæi editione. Corvum & furcam, qui omiserunt. Antiqua versio, *Sol & Luna contenebrabuntur*.

11. Ὅτι πολλή ἐϛι σφόδρα ἡ παρεμβολὴ αὐτοῦ] Qui Græca Biblia posthac excudent, non debent hoc membrum omittere: nam legitur in C. & R. & in translatione antiqua, *quoniam multa sunt nimis castra ejus*: ubi *nimis* positum pro *valde*, i. σφόδρα. ¶ Ἔργα λόγων αὐτῦ] עשה דברו. ¶ Ἐπιφανὴς σφόδρα] Lege καὶ ἐπιφανής. In quibusdam libris μεγάλη καὶ ἐπιφανής. Quam scripturam expressit Int. antiquus, *magna & illustris*.

12. Ὁ Θεὸς ὑμῶν] Istud non legitur in C. ut nec illud καὶ ἐν σάκκῳ. Hoc postremum etiam in R. & rectè.

13. Καὶ ἐπιςράφητε πρὸς Κύριον τὸν Θεὸν ὑμῶν] Hæc addenda cæteris ed. ex R. & C. Editi ad Ex. C. ἐπιςρέψατε habent.

14. Καὶ μετανοήσει] In C. καὶ μετανοήσει αὐτόν. Sed nè displiceat μετανοήσει. Lex. V. Μετανοῶ, *pœnitet me*.

19. Ἐξαποςέλλω] Hæc lectio Ἐβραΐζει, & magis placet quàm Aldina, & mei codicis, ἐξαποςελῶ.

20. Ὁ βρόμος αὐτῦ] Sic referunt optimi codices R. & C. Est autem βρόμος *fœtor*. Aldus & Cephalæus βρῶμος ediderunt per ω. Itaque ex Joele laudant οἱ λεξικογράφοι. Basileensis editio quæ in 8 folium complicat (nam alteram non consului) βρόμος habet, & in versione Lat. *sonitus ejus*. ¶ Ἐμεγάλυνε] Quædam exempl. ἐμεγαλύνθη. Quam scripturam expressit Int. antiquus per hæc verba, *quoniam magnificata sunt opera ejus*. Prior tamen se mihi magis probat.

23. Καθὼς ἔμπροσθεν] Haud dubiè legerunt כ pro ב, ut sæpe alias.

25. Ἡ ἀκρὶς καὶ ὁ βρῦχος καὶ ἡ ἐρυσίβη καὶ ἡ κάμπη] Hæc verba alio collocantur ordine in aliis libris. Quid opus pluribus? collocanda sunt ut habentur in fonte, & ut nos collocavimus fide cod. Romani: de quo nos dubitare non sinit v. 4. cap. 1. tum etiam versio antiqua quæ in operibus Hieronymi.

26. Φάγεσθε ἐσθίοντες] E. C. Φάγεσθε βρῶσιν· minùs probo, cùm אכול non sit nomen, sed verbum infinitivi modi; quem modum, cùm ità ponitur in Anadiplosi, Græci aliàs participio reddunt. ¶ Θεῦ ὑμῶν] Perperàm ἡμῶν in quibusdam libris. ¶ Ὃς ἐποίησε θαυμάσια] Ità Compl. Reliqui omnes, ἃ ἐποίησε εἰς θαυμάσια. Confiteor me ignorare utra lectio melior sit. Εἰς θαυμάσια, i. θαυμασίως, ut εἰς δικαιοσύνην dicebant pro δικαίως. Cui non dissimile admodum quod Latini usurpant *ad miraculum* pro eo quod est *mirabiliter*.

27. Totus hic versus desideratur A. & B. Causam cur eum omiserint librarii hanc esse puto, quia præcedens versus in eadem verba finit. Cæteræ editiones aliquantùm inter se variant. Nam in R. καὶ ἐπιγνώσεσθε, in C. verò καὶ γνώσεσθε. Hoc primum. Deinde pro καὶ εἶτε Κύριος, quod in C. mendosè legitur, rectiùs est in R. καὶ ἐγὼ Κύριος. Ipsa sententia clamat hanc lectionem germanam esse. Postremò in R. habetur καὶ ὐκ ἔϛιν ἔτι πλὴν ἐμῦ, meliùs sanè quàm in C. καὶ ὐκ ἔϛι πλὴν ἐμῦ. Sequitur in R. καὶ ὐ καταισχυνθῶσιν ἔτι ὁ λαός μυ εἰς τὸν αἰῶνα, pro quo Ximenius edidit, καὶ ὐ μὴ καταισχυνθήσεται ὐκ ἔτι πᾶς ὁ λαός μυ εἰς τὸν αἰῶνα. Latina Vetus proximè accedit ad veritatem Ebraicam. Sic enim certè habet, *Et scietis quia in medio Israel ego sum: & ego Dominus Deus vester, & non est ampliùs præter me: & non confundetur populus meus in æternum.* Quæ Græcè ità sonant, Καὶ γνώσεσθε ὅτι ἐν μέσῳ τῦ Ἰσραὴλ ἐγώ εἰμι, καὶ ἐγὼ Κύριος ὁ Θεὸς ὑμῶν, καὶ ὐκ ἔϛιν ἔτι πλὴν ἐμῦ· καὶ ὐ μὴ καταισχυνθήσεται ὁ λαός μυ εἰς τὸν αἰῶνα. In Ebræo tamen καταισχυνθῶσιν.

28. Καὶ ἐκχεῶ] Copula abest in C. & rectè abest.

29. Καὶ ἐπὶ] Malim quod in C. καὶ γε ἐπί. ¶ Καὶ προφητεύσυσιν] Abest in R. & C. nec est in versione Lat. quæ in operibus Hier. Nolui tamen delere, quoniam legitur in Actis apud Lucam. Reperitur etiam in A. & B. Cæterùm apparet huc translatum esse ex versu superiore.

30. Καὶ δώσω] Nihil tam certum quàm hæc scriptura. Legitur tamen in R. καὶ δώσυσι & in A. B. καὶ δώσυσι. Quæ sic commodè expones, *dabunt signa*, i. dabuntur. Nam usitatum ut verbum personale pro impersonali ponatur.

32. Εὐαγγελιζόμενοι] Si vera hæc lectio, vocem Ebraicam interpretantur ut deductam à בשר, reclamante Grammaticâ. Porrò libri pleriquè εὐαγγελιζόμενος habent. Ego numerum mutavi ex ed. Rom. partim etiam quia ità scriptum erat in Vaticano exemplari, ut doctissimus Canterus prodidit.

IDEM.

17. אולם. Sym. προπύλαιον. Aq. πρόδομον. Th. ULAM] Alibi est πρόπυλον. Utrumque significat *vestibulum templi*; quam *porticum* vocant. Πρόδομον] Perperam in quibusdam libris legitur πρόδρομον. Nam πρόδρομος *antecursor*, *præcursor*; πρόδομος vel πρόδομον (utrumque enim dicitur) est *vestibulum*, idem videlicet quod προπύλαιον. ULAM, ipsum verbum Ebraicum, *quod nos possimus* ante fores Templi, porticúmque *dicere*, ait Hieron.

28. אשפוך, omnes similiter transtulerunt, *Effundam*] Ἐκχεῶ. Hier. *Verbum* effusionis, *quod Ebraicè ESPHOCH, & omnes similiter transtulerunt, ostendit muneris largitatem; quòd nequaquam in paucos Prophetas (ut olim fiebat in V.T.) sed in omnes credentes in nomine Salvatoris Spiritûs S. dona descenderent; nequaquam in hunc aut in illum, sed in omnem carnem.*

32. פליטה. Sym. *qui fugerit*] Hier. *In eo loco in quo nos posuimus* salvatio *sive* salvatus, *& in Ebraico scriptum est PHELETHA, Sym. transtulit* qui fugerit. Hæc ibi. Cæterùm est cur malim *qui fugiat*: & Græcè hoc Symmachum dixisse existimo, ὁ φεύγων, vel certè ἐκφεύγων, quod tamen magis sonat *effugiat* quàm *fugiat*. Abd. 18. שריד. Sym. ἐκφεύγων. Abd. 14. LXX, τὺς φεύγοντας.

IDEM in VULG.

2. Dies tenebrarum] Talis interpunctio apud Ebræos. Libri omnes Latini, quos viderim, *Quia propè est dies tenebrarum.* ¶ *Usque in annos generationis & generationis*] Id est, ullo unquam tempore. ¶ *A principio*] Planius est in Ebræo codice, qui habet *à seculo*.

3. *Ante faciem ejus*] Vel, *ante eum*. ¶ *Quasi hortus voluptatis*] Id est, amœnissima ac pulcherrima. Proverbiale. ¶ *Hortus voluptatis*] *Hortus Eden* Ebræus liber, id est, paradisus. ¶ *Solitudo deserti*] Rectiùs vertit Jerem. 12. 10. *desertum solitudinis*. Licet etiam vertere, *desertum vastitatis*, id est, vastum, horridum, squalidum.

4. *Aspectus eorum*] Ad verbum, *ejus*: id est, cujusque eorum. Porrò *eorum* referunt & Græcus & Jonathan.

6. *Cruciabuntur*] Verbum Ebraicum ductum à nixu parturientium ὠδίνειν vocant Græci. ¶ *Omnes vultus redigentur in ollam*] Declaratio hujus est apud interpretem Nah. 2. 10. *&*

 facies

facies omnium eorum ficut nigredo ollæ. Vult dicere, tam atro vultu funt, quàm atra eft olla.

7. *Sicut fortes*] Fortes milites vocat. Epitheton fine re. ¶ *Viri in viis fuis*] Latinè, *finguli in viis fuis*, ut mox, *finguli in calle fuo ambulabunt.* ¶ *Non declinabunt*] Similiter Græcus μὴ ἐκκλίνωσι, alii, *non pervertent femitas fuas.* Jonathan, *non tardabunt.*

8. *Per feneftras cadent*] Magis probo tralationem Græcam ἐν τοῖς βέλεσιν. In Ebræo eft SELACH; cujus appellatio à mittendo, & eft teli genus miffile. Interpres *gladium* reddit Neh. 4. 17. & Job 33. 18. & 36. 12. Nathan Mardochæus, SELACH *gladius.* Sic Ebræi alii. Mihi placet *miffile.* Interpretamentum vulgatum huc irrepfit, videtur certè ex verfu, qui proximè fequitur. Aut fanè SELACH *feneftra*, quod per eam lumen intromittatur. ¶ *Non demolientur*] Alii, *non vulnerabuntur:* alii, *non erunt avari.* Jonathan, *non accipient munera.* ¶ *Non demolientur*] Senfus eft, *non morientur.* Tralatio ab ædificiis, & παθητικῶς *demolientur* ut fuprà *demolita funt horrea:* vel, *non demolientur fe ipfi, dum cadent* ἐν μὴ συντελέσωσι, Matth. 6. 19. ubi tinea demolitur, ἀφανίζει.

9. *Urbem ingredientur*] Puto melius effe, quod alii referunt, *per urbem difcurrent.*

10. *Retraxerunt*] Elegerim, *contraxerunt.*

11. *Verbum ejus*] Juffum ejus.

13. *Corda veftra & non veftimenta*] Hoc dicit, *potiùs corda quàm veftimenta.* Tale eft, *mifericordiam volo & non facrificium.* ¶ *Praftabilis fuper malitia*] Hoc vult, qui facilè præftat veniam de malo. Santes emendat, *pœnitens fuper malum*, rectius putarim *fuper malo*, hoc eft, de pœna quam decrevit importare.

14. *Ut ignofcat*] *Et ignofcat Deus* eft in manufcripto, & hoc neceffariò fubintelligendum. ¶ *Deo noftro*] *Deo veftro* quædam olim defcripta habent, & fic eft in Ebræo.

17. *Quare dicunt*] Non eft dubitandum quin verius fit *quare dicent* aut *dicant.*

18. *Zelatus eft*] Accenfus eft zelo erga terram fuam. ¶ *Terram fuam*] Alii referunt *pro terra fua.*

19. *Ecce ego mittam*] *Mitto* legitur in Ebræo; non *mittam.* ¶ *Replebimini eis*] *Eo* pro *eis* habent veteres Libri: quomodo etiam legitur in Ebræo.

20. *Eum qui ab Aquilone*] *Aquilonarem* eft in Ebræo, & fubintelligitur *exercitum.* Epitheton abfque re. ¶ *Noviffimum*] Id eft, occidentale. ¶ *Putredo ejus*] Malim *pudor ejus.* ¶ *Superbè egit*] Non malè exponit *magnificavit facere.* Quanquam altero pòft verfu *magnificavit Dominus facere*, hoc modo exponi non poteft.

22. *Virtutem fuam*] Id eft, fructum fuum. Sic apud Mofen, *terra non dabit robur fuum.* Vide num melius fit verti, *dederunt opes fuas.*

23. *Doctorem juftitiæ*] Jonathan, *doctorem veftrum in puritate.* Quid fi *dedit vobis imbrem vernum ad juftitiam?* MOREH, ut paullò pòft JOREH, pluvia verna five matutina. ¶ *Ad juftitiam*] Id eft, benignè, largiter. Sic Ebræi ferè enarrant. ¶ *Sicut in principio*] Et Græcus καθὼς ἔμπροσθεν dubito an legerint CHARISON, hoc eft, CHAPH pro BETH proclivi errore. Planè vertendum *In primo*, & fubintelligitur *menfe primo.* Itaque Jonathan doctè ut alia omnia, *In menfe Nifan.*

25. *Annos*] Fructus annorum. ¶ *Fortitudo mea magna, quam*] Audacter corrige, *exercitus meus magnus, quem.*

26. *Comedetis vefcentes*] Ad verbum, *comedetis comedendo.*

27. *Et non eft ampliùs*] Vult dicere, *non eft alius præterea.*

28. *Super omnem carnem*] Super *omnem hominem*, vel, fi placet, *fuper omnis generis homines.*

30. *Dabo*] Potius eft verti, *edam prodigia.* ¶ *Vaporem fumi*] Interpolant, *columnas fumi.* Ad verbum, *palmas fumi*, id eft, columnas Palmæ in modum erectas.

LIVELEUS.

2. AUrora expanfa] Eft quidem hæc interpretatio ut recepta ità verbis Hebræis aptiffima: ut mirum fit eam à Tremellio mutatam effe; eóque magis quòd folens locutio etiam in aliis autoribus fit. Homerus Il. 8.

Ἠὼς μὲν κροκόπεπλος ἐκίδνατο πᾶσαν ἐπ' αἶαν.

Hinc illa apud eundem libro præcedente fimilitudo,

Σὺν δή τοι ἠέλιος ἔςαι ὅσον τ' ἐπικίδναται ἠώς.

Lucretius lib. 2.

Primùm aurora novo cùm fpargit lumine terram.

Idem lib. 5.

Tempore item certo rofeam Matuta per oras
Ætheris auroram defert, & lumina pandit.

Senfus ergò eft, Per totam regionem longè latéque illas calamitatum tenebras, vel etiam locuftas, ut quidam volunt, diffufum iri, quemadmodum lumen auroræ per terram univerfam fpargi folet. Quòd autem dicit *fuper montes*, eò fit quia in altis montibus lux primùm apparet. Virgil. Æn. 12.

Poftera vix fummos fpargebat lumine montes
Orta dies. ———

Ovid. Met. 9.

Lux fubit, & primo feriente cacumina Sole,
Difcedunt juvenes. ———

¶ *Populus multus*] Infectorum multitudo eodem modo hîc *populus* dicitur quo *gens* cap. 1. 6. vocatur, & Formicæ *populus* appellantur Prov. 30. 25. ¶ *Cujufque ætatis*] Verbum verbo, *ætatis & ætatis.* Sic Deut. 32. 7. *Recordare dies feculi, annófque ætatis & ætatis*, i. cujufque ætatis: & hîc cap. 3. 20. *Jerofolyma in generationem & generationem*, i. quamque generationem.

3. *Poft eum*] h. e. Ubi jam abierit; ut Zach. 7. in fine, *defolata poft eos terra fuit*, i. pofteaquam illi ex ea migraffent.

5. *Curruum*] Qualem ftrepitum in bellico tumultu edunt currus faltitantes, talem hæ beftiolæ edent fuper cacumina montium falientes. Nahum 3. 2. bellum futurum prænuncians, *Audietur*, inquit, *fonus flagelli, quadrupedantis equi, currûfque falientis.* Comparatur ad terrorem hoc infectorum agmen bellatoribus ad prælium paratis & inftructis, ut Apoc. 9. 7. & 9. *Figura locuftarum fimiles erant equis paratis ad prælium. Habebant loricas ut loricas ferreas: & fonitus alarum ipfarum ut fonitus curruum, equis multis currentibus ad bellum.*

6. *Pallorem*] Caftalio ità interpretatur; veriffimè, ut ego exiftimo collatione fimilium locorum adductus. Nah. 2. 10. *Cor liquefiet, collifio genuum erit, & dolor in lumbis; omnium que facies contrahent* פארור *pallorem.* Jer. 30. 6. *Quifque manus habet ad lumbos appofitas more puerperæ, & vertuntur omnes facies in pallorem.* Efa. 13. 8. *Omne cor liquefiet, & perturbabuntur. Dolores corripient eos: quafi puerpera dolebunt: facies eorum facies flammarum erit*, h. e. pallida, flammæ colorem referens. Quidam hoc nomine propriè *nigrorem* fignificari putant: quod ut ità fit, non obftat quin hîc *palor* intelligatur. Pallor enim plumbeus quidam & negricans color eft, quo facies fubducto fanguine in metu livefcit. *Nigricantem pallorem fignificat*, ait ad hunc locum Mercerus.

7, 8. *In viis fuis procedent, non pervertent femitas fuas, nec unus alterum premet*] Confert Locuftas non folùm bellatoribus, fed fcientibus bellatoribus, quibus ordinis confervandi peritia eft: Quæ quidem res ad hoftium terrorem & victoriæ acquifitionem apprimè neceffaria eft, ut copiosè declarat in Oeconomico fuo Xenophon. *Exercitus incompofitus res eft turbulentiffima*, inquit, *& hoftibus captu facillima, & penitus inutilis. In turba fimul jumentum, peditatus gravis armaturæ, qui vehunt onera, farcinas, impedimenta, miles leviter armatus, eques, currus, quo pacto facient iter, fi ità fibi fint impedimento? fi qui lentiùs graditur currentem, currens ftantem, currus equitem, afinus currum, qui fert impedimenta gravem peditatum moratur ac impedit? Si committendum fit prælium, qui fic confufi dimicabunt? Exercitus verò pulcrè difpofitus & ordine collocatus, & amicis pulcerrimus videtur, & hoftibus propemodum invictus & inexpugnabilis. Quis hoftis non terreatur videns diftinctos & aptè collocatos pedites impeditiores, equites, ferentarios, fagittarios, funditores, cùm fuos quique duces ordine fequuntur?*

9. *Per feneftras*] Furum enim morem effe aliunde quàm per oftium introire, ex Euangelio Johannis 10. 1. difcimus: *Qui non ingreditur per oftium, fed aliunde, fur eft & latro.*

11. *Vocem fuam*] i. E cœlo intonabit. Tonitru enim *vox Dei* dicitur, Pfal. 29. 5. *Vox Jehovæ confringit cedros.* Pfal. 18. 13. *Intonuit Jehova in cœlo, & Excelfus edidit vocem fuam.*

suam. ¶ *Qui efficit verbum ejus*] Periphrasis ministri est, ut Psal. 103. 20, 21.

12. *Atque etiam nunc*] q. d. Etiamsi graves calamitates propter peccata vestra experimini, quibus jam diu Deum provocastis; tamen si vel nunc saltem resipueritis, spes adhuc salutis superest. Tale illud est Lucæ 19. 42. *Si tu nosses, vel hoc saltem tuo die, quæ ad pacem tuam pertinent.*

14. *Quis scit*] Hæc verba sæpe dubitantis sunt. 2 Sam. 12. 22. *Puero adhuc vivo, jejunabam & flebam: dicebam enim, Quis novit an gratiosus mihi Jehova futurus sit, ut vivat puer?* Homericus Nestor Iliad. λ'. hoc argumento Patroclo suadet ut Achillem ad opem Græcis ferendam hortetur: *Præcepit tibi pater tuus ne consilio Achilli deesses: Tu verò oblitus id neglexisti.*

—— ἀλλ' ἔτι καὶ νῦν
Ταῦτ' εἴποις Ἀχιλῆϊ δαΐφρονι, αἴκε πίθηται.
Τίς δ' οἶδ' εἴκέν οἱ σὺν δαίμονι θυμὸν ὀρίνας;

Ovidius in Epistolis,

Forsitan & fulvos tellus alit ista leones:
Quis scit an hac sævas insula tigres habet?

Locutio igitur ista, *Quis scit an revertatur*, &c. Dubitantis esse videtur, & tamen Bene sperantis; ut illa 2 Sam. 12. 22. Sed potéstne de eo dubitari an Deus sit illis condonaturus qui resipuerint, animúmque vindicandi depositurus? Minimé. Clementia enim & facilitas ad ignoscendum resipiscentibus Dei propria est. Sed duo sunt Divini judicii genera, ut docet Calvinus lib. 3. Institut. cap. 4. §. 31, 32, 35. Unum *vindictæ*, quo Deus admissam culpam æternâ pœnâ ulciscitur: De hujus remissione nulla dubitatio est. Alterum *castigationis*, cùm, culpâ remissâ, correctio tamen quædam partim ad humiliandum peccatorem, partim in commune aliorum exemplum adhibetur. De hoc castigationis genere, ni fallor, hîc dubitatur: Incertum enim est an Deus castigationem suam avertere voluerit. David 2 Sam. 12. 22. resipiscensślioli sui salutem non tam exploratam habuit quin de ea ambigeret. Eidem 2 Sam. 24. 10. cùm resipuisset, veniámque peccati supplex petivisset, triplicis tamen castigationis optio proposita fuit, Famis, Belli, Pestis.

17. *Inter porticum & altare*] Hic enim locus Sacerdotum erat, ubi illi sacrificaturi stare soliti sunt: Hîc Zacharia Sacerdos occisus erat Matth. 23. 35. *Altare* hîc illud intelligitur quod à Salomone *exstructum* dicitur *ante porticum*, 2 Chron. 8. 12. in *atrio interiore* Sacerdotum, Ezech. 8. 16.

18. *Zelo affectus est*] Postquam populus à Propheta admonitus resipuisset, eáque omnia fecisset ad quæ eos hortatus fuerat, 12, 13, 15, 16, 17. versibus, tum *Deus zelo affectus est*, *populóque suo pepercit*, & liberationis multorúmque bonorum promissionibus solatus est. Neque enim meo judicio quid facturus aut dicturus sit Deus hîc Joel ostendit, sed quid jam fecerit ac dixerit eorum resipiscentiâ visâ refert. Nec verò quenquam moveat quòd nulla sit hujus eorum resipiscentiæ, congregationis, & jejunii celebrati mentio: Multa enim loca sunt in quibus talis reticentia occurrit. Esaiam cap. 7. jussit Deus *ut se cum filio suo Shearjashubo ad Achazum conferret*, eúmque commotum confirmaret, ipsíque liberationem, & hostibus ipsius exitium fore declararet: Quæ quidem ille perfecisse, prout Deus jusserat, nusquam memoratur; & tamen ab eo fuisse perfecta ex eo loco facilè intelligitur. Sic Mosi Exod. 8. 20. præceptum erat ut *ad Pharaonem iret*, eíque *colluvium animalium immissum iri* denunciaret, *nisi populum Israeliticum dimitteret*. Statímque nullâ factâ mentione ejus quod Moses fecerit, vel responderit Pharao, ibi v. 24. sequitur Deum illam colluviem immisisse. Itaque subintelligendum est, *Hac Dei mandata cùm Moses ad Pharaonem pertulisset, illéque obtemperare renuisset, tum advenit à Jehova colluvies*, &c. Hæc mea de hujus loci intelligentia sententia est; quam à doctioribus expendi cupio.

20. *Aquilonalem*] h. e. Illam partem hujus insectorum agminis quæ versùs Aquilonem spectat, *longè à vobis amovero*, in Aquilonem scilicet. Ità enim intelligendum analogia sequentium arguit: *faciem enim ejus*, i. anteriorem partem, *versus Orientem*; & *finem*, i. posteriorem, *in plagam Occidentalem depulsum ire* declarat. ¶ *Depellam eum*] i. Partem illius, nimirum quæ Australior est. Synecdoche. Eodem sensu Tremellius reddit *depellam ex eo*, i. partem illius. Cui hujus versûs intelligentiam acceptam fero, magnámque à studiosis gratiam, quòd ex tot Interpretibus solus (quod sciam) plenè explicârit hunc locum, deberi puto. ¶ *In terram siticulosam*] i. *Meridianam*, ait idem Tremellius, verissimè, ut mihi videtur; quia desertum illud ad Meridiem Judææ situm *terra siticulosa & sicca* dicitur Psal. 78. 17. & Deut. 8. 15. ¶ *In mare Orientale*] Vel *anterius*, i. Mortuum, quod terminus Judææ fuit ad Orientem. Vide Zach. 14. 8. & Ezech. 47. 18. ubi ejusdem mentio fit. ¶ *Fœtor ejus*] Ex prostratis & mortuis eorum cadaveribus; ut Amos. 4. 10. *feci ut ascenderet castrorum vestrorum fœtor in nares vestras.* ¶ *Magnificè aget*] Nempe *Jehova*, ut v. seq. Castalionis hoc judicium fuit, quod valde probo. Est autem hîc anomalia sive enallage personæ; ut Esa. 22. 19. *Propulsabo te de statione tua, & de loco tuo destruet te.*

23. *Ad justitiam*] i. Justâ mensurâ, quæ frugibus maturandis & abunde proferendis satis sit. Sic Ose. 10 12. *donec veniat, & matura vobis pluvia justitiæ fit*, h. e. æquâ & integrâ mensurâ, ità ut nihil desit quod opus est, vel abundet suprà quàm sat est: Horum enim utrumque frugibus nocet. Hâc ratione pondera integra vocantur *justa*, & mensuræ quibus ab perfectionem nihil deest aut superest *justæ* dicuntur, Levit. 19. 36. ¶ *Primo quoquo tempore*] i. Maturè cùm primùm eâ opus est.

24. *Redundabunt*] Hieronymus, Pagninus & Castalio ità interpretantur. Quinquius etiam in Radicibus hanc ei notionem tribuit. Sic Prov. 3. 10. *Horrea tua saturitate implebuntur, & vino torcularia tua redundabunt.*

28. *Quamvis carnem*] i. Quosvis homines, cujuscunque sexûs, ætatis, conditionis. Ità seipsum explicat verbis sequentibus, *filii*, *filiæ*, *juvenes*, *senes*, *servi*, *ancillæ*.

30. *Prodigia*] In terrorem improborum, & horrendarum calamitatum signa. Quæ enim hic ostenta adventum Christi terribilem præcessura enumerantur, semper tristium malorum prænuncia esse existimata sunt. ¶ *Sanguinem*] Livius lib. 22. de prodigiis quæ ante pugnam ad Thrasymenum contigerunt, *Romæ*, inquit, *in Aventino, & Aricia nunciatum erat sub idem tempus lapidibus pluisse, & multo cruore, signa in Sabinis cædis, aquas è fonte calidas manasse. Initio belli Marsici simulacra deorum sudavisse, & sanguinem fluxisse*, narrat Cicero 1 De divinatione ex Sisenna. Cleanthes apud eundem 2 lib. De natura Deor. ex *terræ motibus*, *lapideis imbribus*, *guttisque imbrium quasi cruentis* argumentum petit quo deos esse doceat. Claudianus lib. 1. in Eutropium.

Semiferos partus, metuendáque pignora matri,
Et lapidum duras hiemes, nimbóque minacem
Sanguineo rubuisse Jovem, puteósque cruore
Mutatos tandem mirari desinat orbis:
Omnia cesserunt eunucho Consule monstra.

Ante bellum inter Pompeium & Cæsarem mare cruentum apparuisse fertur; atque ante mortem Cæsaris non solùm guttas de cœlo cecidisse sanguineas, sed etiam puteis cruorem manavisse. Talis igitur hic prodigiosus & portentosus sanguis significatur, qui miseræ cladis triste præsagium esse solet. ¶ *Ignem*] *Ignis* hic notat terribiles faces in cœlo ardentes, mirabilia fulgura, & insolitas flammas, quæ hominibus luctificas clades portendunt. Lucanus lib. 1. monstra enumerans quæ bellum civile præcesserunt;

—— *Superique minaces*
Prodigiis terras implerunt, æthera, pontum.
Ignota obscuræ viderunt sidera noctes,
Ardentémque polum flammis, cœlóque volantes
Obliquas per inane faces, crinémque timendi
Sideris, & terris mutantem regna cometen.
Fulgura fallaci micuerunt crebra sereno,
Et varias ignis denso dedit aere formas.

31. *Sol in tenebras*] Eclipsi, quæ calamitatum venientium prænuncia esse solet, ejus lumen deficiet, ad metum hominibus incutiendum. Lucanus ibidem,

Ipse caput medio Titan cùm ferret Olympo,
Condidit ardentes atrâ caligine currus:
Involvitque orbem tenebris, gentésque coegit
Desperare diem.

Virgilius 1. Georg. de Solis defectu sub obitum Cæsaris tumultus illorum temporum præmonstrante,

Sol etiam exstincto miseratus Cæsare Romam,
Cùm caput obscurâ nitidum ferrugine texit,
Impiáque æternam timuerunt secula noctem.

¶ *Luna*

¶ *Luna in sanguinem*] h.e. In ruborem, ut in Lunæ obscuratione per eclipsin fieri solet. Ovidius Metam. 15. similiter loquitur:

Signa dabant luctûs superi haud incerta futuri.
Sæpe faces visæ; Solis quoque tristis imago.
Cæruleus & vultum ferrugine Lucifer atrâ
Sparsus erat; sparsi Lunares sanguine currus.

GROTIUS.

1. *Canite tubâ in Sion*] Hîc prædicitur adventus Sennacheribi, & obsidium Hierosolymorum per eum factum. Clangi solet ad hostis adventum, Ezechiel. 33. 3. Oseæ 5. 8. ¶ *Ululate*] *Sonate taratantara.* ¶ *Conturbentur*] *Contremiscant.* ¶ *Omnes habitatores terræ*] Judææ. ¶ *Venit dies Domini*] *Dies* quidem *Domini*, sed nondum ille magnus, de quo infrà 3. 1.

2. *Dies tenebrarum & caliginis, dies nubis & turbinis*] Id est, tempus summarum calamitatum. Confer 8. & 29. Esaiæ. ¶ *Quasi manè expansum super montes populus multus & fortis*] Quàm latè aurora se expandit super montes, tam latè se expandet Assyriorum exercitus. ¶ *Similis ei non fuit à principio*] Ingens exercitus fuit ille Assyrii. Vide 2 Regum 19. 35.

3. *Ante faciem ejus ignis vorans: & post eum exurens flamma*] Id est, quaquà ibit, omnia lucebunt incendiis, Esaiæ 9. 18. & 10. 17. ¶ *Quasi hortus voluptatis terra coram eo, & post eum solitudo deserti*] Quæ terra ante ejus adventum erat ut *hortus Hedenis*, ubi ille venerit, fiet desertissima. ¶ *Neque est qui effugiat eum*] Ità omnia tenebuntur ejus copiis.

4. *Quasi adspectus equorum, adspectus eorum*] Sæpe & Græci & Latini virum fortem equo generoso comparant, qui

Primus inire viam, & fluvios tentare minaces
Audet, & ignoto sese committere ponto,
Nec vanos horret strepitus.

¶ *Et quasi equites sic current*] Pedites ipsi erunt velocissimi.

5. *Sicut sonitus quadrigarum super capita montium exsiliens*] Venient magno cum strepitu. ¶ *Sicut sonitus flammæ ignis devorantis stipulam*] Aliâ similitudine strepitum exercitûs exprimit. ¶ *Veluti populus fortis præparatus ad prælium*] Hic כ [*velut*] est, ut Hebræi loquuntur, כף האמת [*Caph veritatis:*] incedent semper armati paratique prælio.

6. *A facie ejus cruciabuntur populi*] *Dolebunt populi illo veniente.* ¶ *Omnes vultus redigentur in ollam*] *In fuliginem ollæ:* ità Græci, id est, *qualis est olla*, ut Chaldæus bene explicat. Metu nigrescunt vultus, Esaiæ 13. 8.

7. *Sicut fortes current*] Ut qui nihil timeant. ¶ *Adscendent murum*] Muros urbium multarum, 2 Paralipomen. 32. 1. Esaiæ 36. 1. ¶ *Viri in viis suis gradientur*] Pergent quò voluerint. ¶ *Et non declinabunt à semitis suis*] Nemo eos avertere poterit.

8. *Unusquisque fratem suum non coarctabit*] Id est, Alter alterum non impediet in itinere: ità bene structis ordinibus incedent. ¶ *Singuli in calle suo ambulabunt*] In suo ordine. ¶ *Sed & per fenestras cadent, & non demolientur*] Ex Hebræo bene vertunt alii, *in gladios ruent, & non vulnerabuntur:* ità quippe armis muniti erunt. שלח *gladius*, 2 Paralipomen. 23. 10. & 32. 5. Nehem. 4. 23. secundùm Græcos, qui & hîc ἐν τοῖς βέλεσιν [*in tela.*] בצע verò modò πλεονεκτεῖν [*plus suo petere*] vertitur, modò διακόπτειν, ἐκτέμνειν [*transverberare, exscindere.*] Est ergò hîc activum pro passivo, ut sæpe in talibus verbis.

9. *Urbem ingredientur, in muro current*] *In Urbem* (id est, adversùs Urbem) *arma concrepabunt, & in muros current*, ut eos machinis verberent. ¶ *Domos conscendent*] Testudine factà, domos scilicet in extremo urbium positas. ¶ *Per fenestras intrabunt quasi fur*] Ex insidiis. Omni modo oppida capient.

10. *A facie ejus contremuit terra*] Sub pondere armorum. ¶ *Sol & Luna obtenebrati sunt, & stellæ contraxerunt splendorem suum*] Fumus ex ruinis oppidorum, & pulvis à tanto exercitu excitatus, omnium siderum conspectum adiment. Simile, sed ex causâ alia, apud Ezechielem 32. 7.

11. *Dominus dedit vocem suam, ante faciem exercitûs sui*] *Coram exercitu ipsius*, nempe Sennacheribi. Edicta sua per eos tamquam apparitores suos exsecuturus est, ut explicant sequentia. ¶ *Quia multa sunt nimis castra ejus*] *Utcunque ingentia sunt ejus castra.* ¶ *Fortia, & facientia verbum ejus*] *Utcunque validus est* ille exercitus, faciet quæ à Deo jussa. ¶ *Quis sustinebit eum?*] *Quotusquisque evadet?*

12. *Nunc ergò dicit Dominus*] *Attamen ait Dominus.* Ostendit adhuc aliquam esse spem evadendi. ¶ *In toto corde vestro*] Seriò ac bonâ fide. ¶ *In jejunio, & in fletu, & in planctu*] Ad significandum dolorem ex peccatis conceptum.

13. *Et scindite corda vestra*] Vitia indè abrumpite. ¶ *Et non vestimenta vestra*] Id est, non tantùm vestimenta vestra, quod in luctu fieri solebat. Simile loquendi genus Geneseos 32. 28. & alibi. ¶ *Quia benignus & misericors*] Exod. 34. 6. ¶ *Et præstabilis super malitia*] In Hebræo: *pœnitens de malo*, quod comminatus est scilicet, idque si homo vitam in melius mutaverit.

14. *Quis scit*] Propheta loquitur, & spem metu miscet, nè aut securitatem foveat, aut veniæ desperatione illos in luto relinquat. Vide 2 Reg. 19. 4. ¶ *Si convertatur & ignoscat*] *An pœnitentiâ ductus ignoscat.* Locutio similis apud Jer. 18. 8. ¶ *Et relinquat post se benedictionem*] *Post illum*, nempe exercitum hostilem, det nobis ut rursum terra fruges ferat. ¶ *Sacrificium & libamen Domino Deo vestro*] Id est, Unde Deo μαναὰ [*placentas è simila*] & libamen offeramus. Respicit ad ea quæ dicta sunt suprà cap. 1. 9, 13.

15. *Canite tubâ in Sion*] Nam tubâ etiam convocabatur populus, Num. 10. 7. ¶ *Sanctificate jejunium*] Quod hîc monet Propheta, id secutus est Ezechias eo tempore de quo hîc agitur, 2 Reg. 19. 1. & sequentibus. ¶ *Vocate cœtum*] Quàm maximè potestis: quod sequentia latiùs explicant.

16. *Congregate populum*] Plebem. ¶ *Sanctificate Ecclesiam*] Præparent se Levitæ, qui קהל [*Cœtus*] per excellentiam. ¶ *Coadunate Senes*] Tum illum summum Senatum, tum illos qui urbibus singulis præsident. *Congregate parvulos*] Mos is erat illarum gentium. Judith 4. 7. nec id mirum, cùm & pecudes à pabulis tali tempore abstinerentur, Jonæ 3. 7. Judith dicto loco. ¶ *Et sugentes ubera*] *Etiam sugentes ubera.* ¶ *Egrediatur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo*] Secubatio conjugum ab antiquo comes jejunii, Exodi 19. v. 15. 1 Corinth. 7. 5.

17. *Inter vestibulum & altare plorabunt Sacerdotes ministri Domini, & dicent*] *Plorent & dicant.* אולם [*vestibulum*] hîc intellige locum illum quò descendebatur ex Basilica Sacerdotali, unde non longè erat altare holocaustorum. Convenit piis dolorem suum testari super peccatis populi. ¶ *Nè des hereditatem tuam in opprobrium*] Populum tibi peculiarem. ¶ *Ut dominentur eis nationes*] Illi qui sibi deos faciunt. ¶ *Quare dicunt in populis*] *Dicerent.* ¶ *Ubi est Deus eorum?*] Psalmo 115. 2. Ubi ille Deus quem à se unis nosci & coli jactabant?

18. *Zelatus est Dominus terram suam*] Id est, Si hæc facietis, jam non ultrà inultam patietur Dominus injuriam populo suo factam. ¶ *Et pepercit populo suo*] Parcet Hierosolymitanis, & iis qui Hierosolyma refugient, ut per eos rursum terra colatur.

19. *Et respondit Dominus*] *Respondebit* per Esaiam, 2 Reg. 19. 21, & sequentibus; Esaiæ 37. 21.

20. *Et eum qui ab Aquilone est procul faciam à vobis*] Assyrium. Sic & Chaldæi *Aquilonares* Hebræis dicuntur: nam צפן propriè est Ventus inter Septentrionem & Ortum, vertitúrque & ἀπηλιώτης [*Subsolanus*,] ut alibi diximus. Assyria Chaldæâ remotior, sed in eadem cœli regione. ¶ *Et expellam eum in terram inviam & desertam*] *Impellam eum* (ad ruinam scilicet) *in ipsa illa terra vastata atque desolata*, per ipsum. ¶ *Et faciem*] Cadentium illo malo θεηλάτῳ [*Divinitus immisso*,] de quo vide 2 Regum 19. 35. Esaiæ 37. 36. ¶ *Contra mare Orientale*] *Versùs Asphaltiten*, convertam scilicet; ut ostendam illos Sodomorum habitatoribus nihilo fuisse meliores. ¶ *Et extremum ejus ad mare novissimum*] Jacebunt obversi terga mari Syriaco, quod הים האחרון [*posticum*] dicitur Hebræis, Deuteronomii 11. 24. & 34. 2. nempe ut eò effluat eorum cruor, & sic Judæa purgetur. ¶ *Et adscendet fœtor ejus, & adscendet putredo ejus*] Inficiet diu cœlum, Esaiæ 34. 3. ¶ *Quia superbè egit*] Adversùs Deum, 2 Regum 19. 22. Esa. 37. 22. Jobi 1. 21. 1 Macch. 7. 41.

21. *Nolite timere terra*] Popule Judaïce, ut suprá. Loquitur quasi rebus illis post cladem Sennacheribi interesset, ut sæpe Prophetæ. ¶ *Quoniam magnificavit Dominus ut faceret*] Res magnas agendas suscepit.

22. *Nolite timere animalia regionis*] Cervi, capreæ, & feræ similes. Vide suprà 1. 20. ¶ *Germinaverunt*] *Herbescunt.* ¶ *Speciosa*] Pascua. ¶ *Deserti*] Vide suprà 1. 20. ¶ *Quia lignum attulit fructum suum*] Arbores omnis generis sua poma ferunt.

ferunt. ¶ *Ficus & vinea dederunt virtutem ſuam*] Divitias ſuas.

23. *Dedit vobis doctorem juſtitiæ*] Eſaiam. ¶ *Et deſcendere faciet ad vos imbrem matutinum & ſerotinum*] Sementis & meſſis tempore commodas dabit tempeſtates, Deuteron. 11. 14. Proverbior. 16. 15. Jeremiæ 5. 24. Oſeæ 6. 3.

24. *Torcularia vino & oleo*] Vox Hebræa *trapetis* non minùs quàm *torcularibus* convenit.

25. *Et reddam vobis annos*] Compenſabo bonis annis illos annos malos. ¶ *Quos comēdit locuſta, bruchus, & rubigo, & eruca*] *Attelabus & eruca.* His quatuor animalibus vaſtantibus denotari Phulem, Teglathphalaſarum, & Salmanaſarem, & Sennacheribum diximus ſuprà. ¶ *Fortitudo mea magna, quam miſi in vos*] *Exercitus meus magnus.* Ità explicat quod obſcurè dixerat: *meus*, id eſt, quibus ego uſus ſum, ut ſuprà 11.

26. *Comedetis veſcentes*] *Comedetis comedendo*, id eſt, quantum lubet. ¶ *Et laudabitis nomen Domini Dei veſtri*] Gratias agendo. ¶ *Et non confundetur populus meus in ſempiternum*] עלם, id eſt, per longum tempus, quamdiu vivet Ezechias. עלם Hebræis ſæpe unius hominis vita.

27. *Quia in medio Iſraël ego ſum*] Præſentiam auxilii hoc ſignificat; Matth. 18. 20. Lucæ 22. 27. Sic & Pſalmo 47. 6. & alibi paſſim. ¶ *Et non ampliùs*] *Nemo alius.*

28. *Effundam Spiritum meum ſuper omnem carnem*] Id eſt, ſuper multos, non ſuper Eſaiam ſolum, 2 Regum 21. 10. Eſaiæ 29. 10. ¶ *Et prophetabunt filii veſtri*] Ut filii Eſaiæ 8. 18. ¶ *Et filiæ veſtræ*] Etiam feminis id donum dabitur, Eſaiæ 8. 3. 2 Regum 22. 14. ¶ *Senes veſtri ſomnia ſomniabunt*] A Deo immiſſa, ut olim Joſepho.

29. *Sed & ſuper ſervos meos & ancillas in diebus illis effundam Spiritum meum*] In Hebræo non eſt *meos*: & ſenſus eſt, Etiam iis qui viliſſimi videbuntur impartiar, ſi non Prophetiam & ſomnia, certè motus quoſdam extraordinarios atque cœleſtes. Hebræi *Spiritum ſanctum* ſolent uſurpare de dono infra Prophetiam; ſed id diſcrimen neque in Veteris, neque in Novi Teſtamenti libris perpetuum eſt. Hæc omnia multò quàm tunc excellentiùs impleta in Eccleſia Chriſtiana, ad quam hæc optimè aptat Petrus Actorum 2.

30. *Et dabo prodigia in cælo & in terra, ſanguinem, & ignem, & vaporem fumi*] Solent magnas rerum converſiones præcedere cometæ, gladii ardentes, aliáque ſigna ejuſmodi. Agitur autem hic de adventu Nabuchodonoſori, qui Judæam ſanguine inundavit; incenſis autem urbibus, vicis, & villis, cuncta implevit igne & fumo, Eſaiæ 32. 13. Threnorum 2. 5. & paſſim alibi.

31. *Sol convertetur in tenebras*] Nempe propter fumum illum undique ſurgentem. Vide ſuprà 10. & ibi dicta. ¶ *Et Luna in ſanguinem*] Luna ſanguinolenta apparebit, propter multum ſanguinem ex ſolo in aërem attractum, quâ de cauſâ & ſæpe ſanguis pluiſſe viſus. ¶ *Antequam veniat dies Domini magnus & horribilis*] Excidium Templi & Urbis per Chaldæos. Paria verò aut majora præceſſerunt excidium per Romanos factum, de quo Chriſtus & Apoſtoli.

32. *Et erit, Omnis qui invocaverit nomen Domini ſalvus erit*] Id eſt, vitam ſuam ſervabit. Quod egregiâ figurâ denotat Ezechiel 9. ¶ *Quia in monte Sion & in Jeruſalem erit ſalvatio*] Id eſt, Quidam excidio erunt ſuperſtites, & captivi avehentur; ut oſtendunt quæ ſequuntur 3. 1. ea enim verba cum his cohærent. ¶ *Et in reſiduis quos Dominus vocaverit*] Nempe *in illis reſiduis quos Deus ad id deſtinaverit.* Ità Chaldæus. ו [&] ſæpe eſt ἐξηγητικόν [*explicativum præcedentium.*] קרא pro *deſtinare*, Jeremiæ 32. 23.

CAP. III.

MUNSTERUS.

2. FAciam eas deſcendere in vallem Jehoſaphat] Quidam Hebræorum exponunt hunc locum de bello quod contigit ſub Rege Jehoſaphat 2 Par. 20. ubi deſcribitur mirabilis victoria contra Moabitas, Ammonitas & Aſſyrios: unde vallis illa putatur poſtea vocata *Vallis Jehoſaphat.* Alii putant hanc Prophetiam implendam tempore Meſchiæ, quem inani exſpectant ſpe, quando Gog & Magog prope Jeruſalem à Meſchia interficietur. Ex noſtris plurimi intelligunt hunc locum de *Judicio* extremo. Alii intelligunt de probatione & bello Chriſtianorum, de quo Dominus potenter ſuos liberaturus erat. Nam nomine *Jehuda* intelligitur populus qui eſt de Regno Chriſti. Et quidem Jehudæi maximi erant perſecutores naſcentis Eccleſiæ. Quos cùm Dominus per Romanos in miſeram redegit ſervitutem, trucidatis plurimis, aliquo modo *judicium* Dei viſum eſt. ¶ *Quam diſperſerunt inter gentes*] Perſecuti ſunt enim Jehudæi Apoſtolos & alios Chriſtianos de civitate in civitatem, & mirum in modum afflixerunt. Sed & reliqui filii hujus ſeculi contemptibiliter egerunt cum ſanctis Dei, vendentes eos abſque miſericordia, *mittentes pro eis ſortem*, ludentes pro eis, ut etiam pro pretio quoſdam *venderent* quod *ſcorto* erant dandum.

4. *Tyre & Sidon*] Eandem crudelitatem propinquiores civitates ſuggeſtione Judæorum exercuerunt in ſanctos Dei: ideo dicitur hic, *Quid mihi & vobis*, &c. q. d. Putatis poſſe mihi damnum inferre in electis meis, ſed debiliores eſtis. Et ſi vos eos afflixeritis, bene *ulciſcar de vobis.* Et quòd *abſtuliſtis aurum & pretioſa* de terra mea, ego de hoc aliquando *ſumpturus ſum pœnam.* Vocat ſanctos ſuos *theſauros pretioſos.*

6. *Vendidiſtis filiis Græcorum*] i. Quia proſcripſiſtis & in orbem expuliſtis Apoſtolos & ſanctos meos, ecce ego quoque propter eos juſto judicio meo tradam vos Gentibus. Et nota, cùm hic dicatur Eccleſia pugnare & arma capeſſere, non eſt ſic intelligendum quòd Eccleſia ipſa hoc externum gerat bellum; ſed cùm Deus vindictam ſumit de perſecutoribus Eccleſiæ, & excitat hoſtes contra eos, ſicut Titum & Hadrianum excitavit, dicitur Eccleſia id facere, cùm tamen illa hoc per ſe non faciat.

9. *Indicite bellum*] Senſus eſt, Vos perſecutores Eccleſiæ, etſi multa machinaturi ſitis contra electos meos, ut illis varia ſtruatis pericula, inſidias, cædes, perſecutiones & bella, ego tamen vobis omnibus tandem ſuperior ero. Permitto credentes meos aliquandiu periclitari; ſiquidem *omnes qui in Chriſto piè vivere volunt perſecutionem patientur*; ſed in finem non derelinquam. Futurum eſt tandem ut vindictam ſumam de vobis, & traham *in vallem Jehoſaphat*, h. e. in judicium meum. Sonat enim יהושפט JEHOSAPHAT *judicium Dei.* Non igitur oportet intelligere de valle quæ prope Jeruſalem habet ſitum, licèt ob exſertum *Dei judicium* in eo loco in generale evaſerit vocabulum.

13. *Maturuit meſſis*] i. Advenit tempus ut vindictam ſumam de impiis, cùm completa ſit malitia eorum. Idem intellige per *redundantiam torcularium.*

14. *In valle interciſa*] Chald. במישר פלגא *planities diviſionis.* Kimhi verò exponit ענין גזירה, quòd in judicio diſcernantur mali à bonis, juxta illud Matth. 13. *Exibunt Angeli* (qui ſunt *falces*) *& ſeparabunt malos de medio juſtorum.*

17. *Sancta*] Heb. *ſanctitas*, vel *locus Sanctuarii.* Per quod tu intellige Eccleſiam Dei, in qua *alieni*, i. peccatores, locum non habent propter immunditiam ſuam.

18. *Stillabunt montes*] In Regno, inquit, Chriſti omnium bonorum erit ubertas & affluentia.

21. *Et mundabo*] Etiam ea peccata & is ſanguis qui putabatur non poſſe aboleri, jam per Divinam miſericordiam expiabitur. *Mundabo*, inquit, *ſanguinem eorum quos mundavi.* Alii ſic legunt, *Omnino non impunitos relinquam*, &c.

VATABLUS.

1. COnvertam אשוב] i. Sedabo: q. d. quo tempore electos ex Juda & Jeruſalem liberabo à captivitate.

2. *Et deſcendere faciam* והורדתים] *Et deducam eas.* ¶ *In vallem Jehoſaphat* אל עמק יהושפט] Vallis eſt inter Jeruſalem & montem Oliveti, unde Chriſtum aſcendiſſe in cœlum quidam ſcripſerunt. Quare ſic dicta fuerit non ſatis liquet. Quidam arbitrantur quòd illic Jehoſaphat aliquid ædificarit prope montem Oliveti. Alii interpretantur *Jehoſaphat* appellativè, *In valle ubi Dominus judicabit*; vel *Vallis judicii*, ut & Chaldæus P. ¶ *Et judicio contendam* ונשפטתי] *Et diſceptabo: judicium ſubibo.*

3. *Pro ſcorto* בזונה] *In meretricem*, i. prapoſuerunt ſaluti puerorum & puellarum voluptatem.

4. *Et etiam* וגם] *Præterea.* Proſequitur inhumanitatem improborum contra fideles & pios. ¶ *Quid vos mihi* מה אתם לי] i. Quid mihi vobiſcum eſt commune? vel, quídnam eſt quod mihi facitis? ¶ *Numquid retributionem*, &c. הגמול אתם וגו'] q. d. Affecíne vos unquam injuriâ ut reddatis mihi nunc illatam injuriam? vel, An populo meo, veris Judæis & fidelibus, refertis injuriam illatam vobis ab ipſis? acſi dicat, Nunquam populus meus affecit vos injuriâ. Loquitur Deus de membris ſuis tanquam de ſeipſo. Vel, An arbitramini vos ulciſci de me, qui neminem veſtrûm læſi? Ità Gallicè reddi poſſet, *me rendezvous la pareille? ou bien, ſi vous commencez a me faire injure*,

jure, je le vous rendray, & de brief. ¶ *Quòd si*, &c. ואם גומלים אתם עלי] *Quòd si lacessitis me, festinus cum celeritate* [i. quàm citissimè] *rependam injuriam quam facitis in caput vestrum*, i. retorquebo in caput vestrum injuriam quam mihi infertis.

5. *Et desiderabilia illa mea* ומחמדי] i. Eximiam meam supellectilem mihi charam admodum. De vasis Templi ablatis à Palæstinis intelligit. Per *argentum* & *aurum* omnes opes significat quas improbi à probis solent eripere.

6. *Filiis Græcorum* לבני היונים] *Filiis Ionum*, i. Græcorum, h. e. Græcis ipsis. ¶ *Ut elongaretis*, &c. למען הרחיקם מעל גבולם] *Ut eos longè abduceretis à termino suo*, i. à regione sua: quòd terminis ac finibus claudatur & terminetur.

7. *Suscitabo eos* מעירם] Præs. Heb. pro fut. ¶ *Quò vendidistis ipsos* אשר מכרתם אתם שמה] Ad verb. *Quos vendidistis eos illuc*, i. ad quem vendendo misistis ipsos. ¶ *Et convertam retributionem vestram* והשבתי גמלכם] *Et reverti faciam injuriam quam intulistis*, sub. *illis*.

8. *In manu* ביד] *Manu*, i. operâ, *filiorum Juda*, sive *per filios Juda*. ¶ *Longinqua* רחוק] *Remota*.

9. *Præparate* קדשו] Ad verb. *sanctificate*, i. præparate: quòd quæ sanctificata sunt, ea sunt præparata. Verba sunt Prophetæ describentis apparatum belli impiorum contra pios.

10. *Concidite* כתו] *Contundite*. ¶ *Bidentes vestros* אתיכם] *Ligones vestros*. Alii *vomeres*.

11. *Illuc descendere fac* שמה הנחת] Ut scilicet pro tuis dimicent: vel, *descendere facies* [sub. *è cœlis tuis*] *tuos fortes*, h e Angelos. Alii, *illuc descendere fecit potentes tuos*. Alii, *illic sternet Dominus*, &c.

14. *Concisionis* החרוץ] i. Ubi Gentes conciderentur: vel, *Concisionis*, i. judicii definiti, determinati & concisi.

15. *Obtenebrabuntur* קדרו] *Obscurabuntur*. Præt. Heb. pro fut.

16. *Dabit vocem suam* יתן קולו] *Det vocem suam*, i. clamabit. ¶ *Ità ut*, &c. ורעשו וגו] Ad verb. *& concutientur*, &c. ¶ *Spes* מחסה] *Fiducia*.

17. *Sanctitas, ideo alieni* קודש וזרים] Ad verb. *Sanctitas & alieni*, pro, *sancta*, *propterea alieni*.

18. *Sittim* השטים] Nomen loci, de quo Jos. 2. 1.

19. *Et Edom* ואדום] *Et Idumea*. ¶ *Solitudinis* שממה] *Desolationis*, i. vastum, horridum & solitarium.

20. *In generationem & generationem* לדור ודור] *Per omnes ætates*.

21. *Mundabo*, &c. ונקיתי וגו] i. Quamvis ego sim mundaturus, tamen peccatum istud sanguinarium non sum mundaturus. Præt. Heb. pro fut. Alii, *Et mundabo sanguinem eorum quos non mundaveram*. ¶ *Habitat* שכן] Præs. Heb. pro fut. *habitans*: sub. *erit perpetuò*.

CASTALIO.

2. JOsephati] Significat verbum hoc *Jova judicium*: itàque paulò pòst appellat *Vallem severitatis*.

10. *Dicat se fortem imbellis*] Summâ ope pugnandum est, etiam imbellibus; tantum instat bellum.

CLARIUS.

2. IN *vallem*] Quidam Hebræorum exponunt hunc locum de bello quod contigit sub Rege Josaphat 2 Par. 20. ubi describitur mirabilis victoria contra Moabitas, Ammonitas & Assyrios, unde vallis illa putatur postea vocata *vallis Josaphat*. Alii putant hanc Prophetiam implendam tempore Messiæ, quem inani exspectant spe, quando Gog & Magog prope Jerusalem à Messia interficietur. Ex nostris aliqui intelligunt de probatione & bello Christianorum, de quo Dominus potenter suos liberaturus erat. Nam nomine *Juda* intelligitur populus qui est de Regno Christi. Et quidem Judæi maximi erant persecutores nascentis Ecclesiæ, quos cùm Dominus per Romanos in miseram redegit servitutem, trucidatis plurimis, aliquo modo *judicium Dei* visum est. Plurimi tamen intelligunt hunc locum de *Judicio* extremo. Et pulcrè ipsum etiam nomen quadrat: nam JOSAPHAT significat *Judicium Domini*. *Deducere* ergò *omnes gentes in vallem Josaphat* est Congregare ad judicium Domini: Cujus cùm suprà breviter fecisset mentionem, nunc de eo fusiùs loquitur. ¶ *Quos disperserunt in nationibus*] Persequuti sunt enim Judæi Apostolos & alios Christianos de civitate in civitatem, & mirum in modum afflixerunt. Sed & reliqui filii hujus seculi contemptibiliter egerunt cum sanctis Dei, vendentes eos absque misericordia, *mittentes* pro eis *sortem*, ludentes in eis, ut etiam pro pretio quosdam *venderent* quod *scorto* erat dandum.

4. *Tyrus & Sidon*] Horum nomine intelliguntur omnes finitimi Judæorum, qui Judæorum suggestione crudelitatem exercuerunt in sanctos Dei. Ideo dicit, *Quid mihi & vobis?* q. d. Putatis vos posse mihi damnum inferre in electis meis? sed debiliores estis. Quòd si vos eos afflixeritis, *vos ultionem mihi reddetis*, h. e. pœnas dabitis. Et quia *abstulistis aurum & pretiosa* de terra mea, ego de hoc aliquando *sumpturus sum pœnam*. Vocat autem sanctos suos *desiderabilia sua*, h. e. thesauros pretiosos.

6. *Vendidistis filiis Græcorum*] i. Quia proscripsistis & expulistis Apostolos & sanctos meos, ecce ego quoque propter eos justo judicio meo tradam vos gentibus.

9. *Sanctificate bellum*] i. Instruite aciem. Vos, inquit, persecutores Ecclesiæ, etsi multa machinaturi sitis contra electos meos, ut illis varia struatis pericula, insidias, cædes, persecutiones & bella, ego tamen vobis omnibus tandem superior ero. Futurum est tandem ut vindictam sumam de vobis, & *traham in vallem Josaphat*, h. e. in judicium meum.

13. *Mittite falces*] Verba sunt Domini ad Angelos. *Maturuit*, inquit, *messis*, h. e. advenit tempus ultionis; *descendite*, ut calcetis has uvas, cùm *completa sit malitia eorum*, tanquam *redundantia torcularia*.

14. *In valle acris Judicii*] Quidam exponunt, *Divisionis*, quòd in judicio discernantur mali à bonis; juxta illud, *exibunt Angeli, & separabunt malos de medio justorum.* Qui justi erunt illa *Jerusalem sancta*, Ecclesia Dei.

18. *Irrigabit torrentem Spinarum*] Vel *vallem Spinarum*; ut scilicet spinæ nostræ irrigentur ad justitiam, ut flores ac fructus pietatis producant.

21. *Et mundabo*] Etiam ea peccata quæ non putabantur posse aboleri jam per Divinam misericordiam expiabuntur.

DRUSIUS.

1. QUO *reducam*] אשיב legitur, & scribitur אשוב. Utrumque sign. *reducere* sive *convertere*. Usitatum tamen magis hoc significatu est אשיב in Hiphil. Nam אשוב in communi sermonis Ebraici usu est *revertar*. ¶ *Captivitatem*] Captivos. Hoc modo locutionis *circumcisio* ponitur pro *circumcisis*, & *deportatio* pro *deportatis*. Sic *custodia* pro *custodibus* ipsis. ¶ *Juda & Jerusalem*] Tale est, *Dicite discipulis & Petro*.

2. *Omnes gentes*] Sequentia satis declarant hunc locum intelligendum esse de Assyriis & Chaldæis, h. e. de iis gentibus quæ Chaldæis in bello adversùs Judæos militarunt. Sic Abd. 16. *quemadmodum bibistis* vos, Judæi, *in monte meo sacro*, *bibent omnes gentes jugiter: bibent*, *inquam*, *& erunt ac si non fuissent*. Cùm autem *omnes* dicit, nullam excipit. Quocirca errant, meo judicio, qui hæc restringunt ad historiam quæ narratur 2 Par. 20. Nam quæ gentes bellum Josaphato intulerunt memorantur ibi, *Ammonitæ*, *Moabitæ* & *Idumæi*, nec plures. Quid, quòd hîc Propheta vixit sub Oziæ principatu, ut vult Hieron. aut saltem regnante in Judæa Manasse? ut eadem historia significari non possit, cùm in concione dicat, *congregabo*, *deturbabo*, quod sanè non diceret de re jam antè confecta. His adde quod habetur versu qui hunc antecedit, ex quo liquet ista primùm accidisse eo tempore quo Judæi postliminio reversi sunt ad solum patrium. ¶ *Deducam eas*] Καϑάξω. Ad verb. *descendere faciam*. Nam in vallem *descenditur*. ¶ *In vallem Josaphat*] Assentior iis qui nomen JOSAPHAT hoc in loco interpretantur *Jova judicium*; ut vallis designetur in qua Deus gentes omnes reas citabit & puniet; allusione factâ ad id quod historia Sacra accidisse refert in valle Benedictionis; Quam vallem ad hunc usque diem incolæ vocant *vallem Josaphati*, ut Arias Montanus scribit: Estque locus Jerosolymam inter & montem Olivarum. Meminit hujus vallis Josephus Gorionis F. l. 6. c. 74. circa finem, ubi narrat *Zachariam* quendam *ex summa turri quæ ad mœnia urbis erat præcipitatum fuisse in terram*, *cecidisséque è muro in latera vallis Josaphat*, *ibique mortuum esse*. Ex quo discimus vallem hanc Urbi contiguam fuisse. Quod ampliùs confirmat R. D. homo Ebræus, ità scribens, *Ista vallis fuerat Regis Josaphat. Fortè ædificaverat ibi*, *aut opus aliquod fecerat*, *unde appellata sit de nomine ipsius. Cæterùm proxima erat urbi Jerusalem*. ¶ *Et disceptabo cum eis*] Verbum Ebræum שפט in conjug. Niphal sign. κρίνεσϑαι, h. e. *judicio contendere aut experiri cum aliquo*: quo sensu usurpatur

1 Sam.

1 Sam. 12. 7. & Pf. 109. 7. Estque partium litigantium, non Judicis. Quid? non Judicis personam Deus sustinet? Infrà sustinet v. 12. hic loquitur duntaxat ut pars quæ alteram ad judicium vocat. ¶ *Pro populo meo & hereditate mea*] Vult dicere *pro populo meo hereditario*. Alibi est *populus hereditatis meæ*, eodem sensu. Vide quæ scripsimus ad locum 2. 17. *Ne tradas hereditatem tuam.* ¶ *Israel*] Latè accipio, ut omnes tribus comprehendat, etiam eas quas Salmanassar abduxit in Assyriam, collocavítque in Colchis & Iberia. ¶ *Quos disperserunt*] Vel *quem disperserunt*. Alii *quia disperserunt*: & eum subintelligunt. Solet enim אשר poni pro כי, i. *quia*. ¶ *Terram meam*] Judæam significat, ut suprà, *Ascendit gens contra terram meam.*

3. *De populo meo projecerunt sortem*] Sortitione factâ partiti sunt inter se quos à populo meo captivos ceperant. Hic mos per sortem dividendi hostes bello captos antiquis in multo usu fuit. Ideo ejus frequens mentio apud Prophetas. Nah. 3. 10. *& de honoratis ejus projecerunt sortem.* Abd. 11. *& super Jerusalem jecerunt sortem.* Admonent Grammatici אל positum esse hîc pro על, i. *super*. Quæ Enallage occurrit & 1 Sam. 17. 49. ידו pro ידיו. Radix autem ידה. Aut est præteritum in Kal à themate ידד. ¶ *Pro scorto*] Sic quidam accipiunt, q. hoc dicat Propheta, *permutaverunt puerum cum scorto.* Non hoc dicit, sed ait *dedisse puerum Judæum scorto* sive *meretrici pro mercede*. Itaque Jonathan transfert באגר זניתא *pro mercede meretricis*: & Græci, ἔδωκαν τὰ παιδάρια ταῖς πόρναις. Dictum autem *pro scorto* ut mox *pro vino*, quod esset *pro pretio vini*. ¶ *Vendiderunt pro vino quod biberunt*] Puellas Judæas vendiderunt ad conficiendam pecuniam quam pro vino solverent: aut tradiderunt eas cauponis pro vino quod biberant. Siquidem *vendere* interdum est Tradere, ut infrà v. 8.

4. *Quid vos mihi?*] Deest verbum substantivum; ut sit, *quid vos mihi estis?* Sic Terentius, *Quis tu es? quis mihi es?* Jonathan, *Quanti vos estis apud me?* ac si diceret, nihili. Alii, *quid vobis mecum?* Scholia quoque Camii explanant מה לי ולכם h. e. ἐμοὶ καὶ ὑμῖν. Quæ oratio plena erit si dicas, *Quid mihi vobiscum rei est?* aut *Quid vobis mecum negotii est?* ¶ *Tyrus & Sidon*] Urbes sunt in Phœnicia sitæ ad mare Mediterraneum. ¶ *Palæstinæ*] Angustè capiendum pro eo tractu in quo Gaza & Ascalon; Cujus incolæ *Philistæi*, & interdum ἀλλόφυλοι, i. *alienigenæ*, vocantur. Nunc *Palæstina* divisa est in quinque regiones, Idumæam, Samariam, Judæam, Galilæam, & regionem trans Jordanem. ¶ *An retributionem vos rependitis mihi?*] Vultisne injuriam, quâ vos affectos esse putatis, referre, an ultro eam inferre? vel sic, Utrùm cogitatis mihi referre an inferre injuriam? Si referre; quid ego vobis feci, cui nihil sanè rei est cum quoquam vestrûm? Quòd si inferre cogitatis, is sum qui efficere facilè possim ut injuria quam mihi inferetis, evestigio redeat in caput vestrum. Est גמול nomen ἐκ τῶν μέσων. Nam & *beneficium* & *injuriam* significat. Hîc ergò de *injuria* capiemus: sensu ità postulante. ¶ *Aut si retribuitis vos mihi?* Hic *si* sumitur pro *an*. Et *retribuere* dixit pro *injuriam inferre*. Alibi, *quoniam retribuit mihi*, i. benefecit. *Retribuitis*, i. cogitatis retribuere. Tale est, *pugnavit cum Balac*: nam sensus, *cogitavit pugnare*. *Mihi*, i. populo meo. Sed emphasis est in *mihi*, dum sibi fieri dicit injuriam, quæ fit populo suo. ¶ *Citò velociter*] Ἐκ παραλλήλου dictum, ut *repentè evestigio* apud Ciceronem. ¶ *Reddam retributionem vestram*] Abd. 15. *retributio vestra revertetur in caput vestrum.* Vide notata ad illum locum. אשיב magis sonat *redire faciam.*

5. *Qui*] Apparet has gentes Chaldæorum socios fuisse in diripienda Urbe & Templo. Quod si est, non vixit certè Joel sub Josia, sed potiùs sub Manasse, aut aliquantò pòst. Vel *Quia*, ut sit אשר pro כי, Enallage alibi reperta. ¶ *Argentum meum & aurum*] Vasa Templi argentea & aurea. ¶ *Meum*] Quo mihi ministratur. ¶ *Cepistis*] *Capta abstulistis*. Simile, *accepit eum in pinnaculum Templi*, pro *acceptum transtulit.* ¶ *In templa vestra*] In fana deorum vestrorum. Potest etiam esse *in palatia vestra*; & *argentum meum*, argentum populi mei; sic *aurum meum*, aurum populi mei; quod videlicet pro redemptionis pretio solverant, aut muneris loco miserant ad vos. Similiter *desiderabilia mea optima*, quidquid in ædibus eorum admodum desiderabile erat, id *intulistis in palatia vestra.*

6. *Filios Judæ*] Scholia Camii enarrant de *pueris Judæis*, *quos gentes illæ à suis parentibus averterint*, *deinde porrò Græcis vendiderint*; cùm possit etiam exponi de adultioribus Judæis; ut sensus sit, Judæos bello captos à vobis, aut emptos ab aliis qui eos ceperant, vendidistis postea Græcis, qui eos deportarent in terras suas, ubi perpetuò servirent sine spe reditûs aut redemptionis. Cæterùm pro Camio facit quod infrà v. 8. *vendam filios vestros & filias vestras.* ¶ *Filios Jerusalem*] Vult dicere, civium Jerosolymitanorum. Aut ipsos cives intelligit: Qui sermo familiaris Belgis meis. Sed Ebræos ità loqui negat Abraham Hispanus cognomento *Abenezra*. Consule sis Commentarium ipsius Hos. 1. 1. ¶ *Filiis Græcorum*] Græcis. Tale est υἷες Ἀχαιῶν apud Homerum: nam Achivos significat. Sic Herodotus l. 3. dixit Αἰθιόπων παιδὶ pro *Æthiopibus* ipsis. Sic ἰατρῶν παῖδες apud Chrysostomum, *medicorum filii*, ipsi Medici. *Græcos* Ebræi *Jones* vocant, i. יונים JONIM, quod nunc legunt יונים, nempe à *Javan* Japeti filio. Josephus Gorionides Hist. Jud. lib. 1. *Filii Javan sunt Iones sive Græci, qui habitant in terra Macedonia.* Hieron. De Quæst. Ebr. JAVAN *sunt Iones, qui & Græci; unde mare Ionium.* Et in Comment. Soph. 3. JONA *tam Columbam quàm Græciam, h. e.* Ἑλλάδα, *significat: unde & usque hodie Græci* Iones, *& mare appellatur* Ionium; *& apud Ebræos permanet eorum vetus vocabulum.* ¶ *Ut eos longè abducerent*] Vel, *ut eos procul abduceretis*. Verbum è verbo, *ad procul abducendum eos.* ¶ *A termino suo*] A terra vel regione sua. Synecdoche.

7. *Excito*] *Exsuscito*, reduces facio. Et est sensus, *mox*, vel *paulò pòst*, *excitabo eos*; aut *brevi suscitaturus sum.* Quale est, *Ecce ego commoveo cælum & terram.* Quidam, *excitabo eos* מעירם. ¶ *E loco quò* abducendos *vendidistis eos*] Ebr. ad verb. *quò vendidistis eos*. V. Int. *in quo vendidistis eos*: sed, quantum mea opinio fert, ineptè. Similis per omnia locus est Act. 7. 9. Καὶ οἱ πατριάρχαι ζηλώσαντες τὸν Ἰωσὴφ ἀπέδοντο εἰς Αἴγυπτον quæ oratio plena erit si addas *abducendum*, ut sit, *vendiderunt abducendum in Ægyptum.* ¶ *Reddam retributionem vestram*] Par pari vobis referam. Sic dico, Quam meo populo intulistis injuriam, hanc in caput vestrum retorquebo. Vide suprà v. 4.

8. *Et vendam filios vestros*] Non ut qui pretium accipiunt, sed *vendam*, i. tradam. Contrà Cicero dixit, *Libros tuos cave cuiquam tradas*, pro eo quod est, *cave cuiquam vendas.* Psal. 44. 3. *Vendidisti populum tuum absque pretio.* ¶ *In manum filiorum Juda*] Judæorum. Qui exponunt *operâ filiorum Juda*, malè exponunt. Scilicet eos ignorasse genus loquendi quod frequens in libro Judicum, *vendere in manum alicujus*, pro *tradere in potestatem*, ut Jud. 2. 14. & 3. 8. & 4. 2. & 10. 7. ¶ *Qui vendent eos*] Accepto pretio. ¶ *Sabæis*] Populos significat Arabiæ, quorum regio sita erat ad Austrum terræ Judææ, & thus ex ea adferebatur. Jer. 6. 20. Jes. 60. 6. Dicti autem *Sabæi*, non à *Saba*, qui patrem habuit Chus, sed à *Saba* Regmæ filio, de quo Gen. 10. 7. Fortè quæret aliquis unde hæc hauriam? Unde, nisi ex Scripturæ fonte? ad quem si adibis, deprehendes & me verum dicere & in Hieronymo mendum esse, qui Sabæos hos ultra Indiam, non in Arabia, constituit, apertè eum refellente quòd שבאים scriptum sit per literam ש. Alioqui & *Saba* gentem in Æthiopia vel in Arabia Chusæa esse non sum nescius, sed quam Ebræi סבא vocant per Samech, non שבא, Ps. 72. 10. ¶ Abducendos *in gentem longinquam*] Dictio *abducendos* non est in textu Ebræo; subintelligitur tamen ut suprà v. 7. Vide quæ notamus ad illum locum. Hæc interpretatio duobus modis exponi potest. Uno modo sic; *vendent vos Sabæis, qui vos abducent ad gentes remotas & procul dissitas.* Alio modo exponi potest ut *gentem longinquam* appellet gentem Sabæorum, quorum regio sita in extremo Arabiæ Felicis littore. Itaque horum Regina dicitur *venisse ad Salomonem à finibus terræ* Matth. 12. 42. & Luc. 11. 31. Ista expositio genuina videtur, ac propè est ut credam vertendum, *vendent eos Sabæis*, *genti longinquæ*, ut אל hîc sumatur pro ל per Enallagen particularum. Sic dicunt לבני ליצחק *filio meo Isahac*, quod Græcè sonat elegantiùs τῷ υἱῷ μου τῷ Ἰσαάκ. ¶ *Quia* DOMINUS *locutus est*] Jon. *quoniam verbo* DOMINI *sic decretum est*, optimè & rectissimè.

9. Hoc versu novum caput incipit in iis exemplaribus quæ JOELEM tribuunt in quatuor capita. Nos autem in plerisque libris, iisque melioribus, duntaxat tria capita invenimus. ¶ *Proclamate hoc in Gentibus*] Redit ad sermonem de Gentium copiis institutum, copiis, inquam, cogendis in vallem Josaphat. *Proclamate*, i. Prædicate, promulgate, altâ voce pronunciate. Alii forsan aliter; ego quasi ad præcones dictum accipio qui Gentes ad bellum vocent, ut sit Ironia. Porrò quæ sequuntur ad v. 11. verba sunt præconum, & pronomen *hoc* ad complexionem eorum verborum referri debet. ¶ *Sanctificate bellum*] Alii explicant, *Indicite bellum*: alii, *Præparate*. Sic 1 Sam. 16. 5. *sanctificavit Isai & filios ejus*, Scholia Ebraica enarrant *præparavit*. Suprà, *sanctificate jejunium.* Vide quæ scripsimus

 ad

ad illum locum. ¶ *Ascendant*] i. Veniant; vel *ascendant* propriè, & ut sonat, quoniam Judæa, ut apud Scholiasten Ebræum alibi legitur, terris quæ circum eam jacent altior est. Ità suprà vidimus, *Gens ascendit contra terram meam.*

10. *Cudite ligones vestros*] Etiam rustica instrumenta convertite in usum belli: tantum instat bellum. Contrà de futura post hoc bellum pace Mich. 4.3. & Jes. 2.4. *eudent gladios suos in ligones*, & quæ sequuntur. Gallicà voce *coultres* explanat Ebræus Salomo, i. *vomeres*, apertè eum refellente quod ex Ebræo versum exstat 1 Sam. 13.20. *vomerem suum & ligonem suum:* exstat hoc in Latina Vulgata. ¶ *Falces vestras*] Quibus vites putatis, quas *putatorias* vocant. ¶ *Infirmus dicat, Strenuus ego*] q. dicerent, Ad hoc bellum veniant etiam debiles & infirmi: nemo excipiatur. Hucusque præcones. Sequuntur nunc verba Prophetæ, nisi fallor.

11. *Coite*] עושו sign. *coire, conglobari:* unde עש signum cœleste ex septem stellis coactum, quæ, teste Aben-ezra, perpetuò simul apparent. Vulgò *Arcturum* reddunt; sed *Booten* potiùs aut *Plaustrum* significare vir quidam doctus existimat. ¶ *Ibi*] Hîc Dei opem implorat, à quo petit ut fortes suos demittat, qui has Gentium copias penitus deleant. *Ibi* designat vallem Josaphati, de qua suprà, & versu qui sequitur. Vel *ibi* dixit pro *tunc*, ut Psal. 14.5. *ibi timorem timuerunt*, Enallage tam Græcis quàm Latinis familiari. ¶ *Descendere fac*] הנחת imperativus est Hiphil à נחת, quod Chaldæis in usu pro ירד *descendit:* unde & הנחת *deturbatus est*, Dan. 5.20. ¶ *Strenuos tuos*] Milites. Innuit autem Angelos, quibus commendata salus piorum; juxta illud, *Angelis suis praecepit de te, ut custodiant te in viis tuis.* Huc pertinet quod Jud. 5.20. *De cælo dimicatum est contra eos; stellæ permanentes in ordine & cursu suo adversus Sisaram pugnaverunt.* Porrò qui Antiquitatem secuti hîc legunt, *ibi dejiciet* DOMINUS *fortes tuos*, pronomen *tuos* non ad *Deum* sed ad *hostem* referunt.

12. *Excitentur & ascendant*] Vel, *excitabuntur & ascendent.* Deus hîc respondet ad petitionem Prophetæ. ¶ *Ad vallem*] *Versùs vallem.* Nam vallis ista erat prope Jerosolymam; ad quam qui tendunt *ascendere* dicuntur. Alioquin *in vallem descenditur*, non *ascenditur.* Suprà v. 2. *fac ut descendant in vallem Josaphat.* ¶ *Ibi sedebo*] Humano more dixit, non historico. Solent enim homines sedere cùm judicium exercent. ¶ *Ad judicandum*] Ut judicem, ut condemnem, ut puniam. Indè ductum, quia & in judicio damnatio inest, & in damnatione pœna. ¶ *Circà gentes*] Circumvicinas gentes.

13. *Immitte falcem*] A Messe ducta Allegoria significat adesse tempus quo delendæ sunt gentes. Eodèm pertinet, *venite, descendite*, nisi quòd hoc sumptum à Vindemia sit, ut sequentia declarant. ¶ *Quia maturuit messis*] Obscurè innuit Gentium improbitatem ad summum pervenisse. Paulò pòst apertè dicit, *quia multa est malitia eorum.* Ut autem hîc non Propheta, sed Deus loquitur, sic, opinor, extra dubium est, ut id probare nihil necesse sit. Verùm de eo quod loquitur dubitari potest utrùm ad pios an ad Angelos pertineat. Ego quasi ad Angelos dictum accipio, de quibus paulò antè, *Descendere fac*, DOMINE, *fortes tuos.* Hanc sententiam meam ampliùs confirmat locus similis Apoc. 14. ¶ *Descendite*] In vallem videlicet; quam nunc comparat cum Torculari: uvis referto, ex quibus conveniat mustum exprimere. ¶ *Plenum est*] Refertum est uvis; ac si diceret, Completa est vallis Gentibus. Pro *descendite* Græci referunt πατεῖτε, i. *calcate*, sententiâ id mirificè comprobante. ¶ *Redundant lacus*] Lacus torcularium significat, quæ Græci ὑπολήνια vocant. Sunt autem vasa in quæ mustum expressum recipitur. Quidam legunt *redundant torcularia*, ut idem dicat aliis verbis. Cave recedas à priore sententia.

14. *Turbæ turbæ*] Alii *cadent*, alii *adeste*, alii *concidentur* subintelligunt. ¶ *In valle decisionis*] Legitur & *concisionis.* Si *decisionis*, innuit vallem in qua Gentium causa decidetur. Si *concisionis*, significat vallem in qua Gentium copiæ conciden-tur. Cæterùm hoc nomine eam ipsam quam suprà *vallem Josaphat* appellavit intelligit.

15. *Sol & Luna obscurabuntur*] Ista explicata sunt c. 2. 10.

16. *Rugiet*] Tonabit: *è Sion* autem, propter Arcam federis, quæ erat in Sion; de qua Psal. 132.14. *Hæc est mea sempiterna requies, quam mihi habitandam concupivi.* Unde & pro *cælo* ponitur aliquando: & sic accipi posset hoc in loco, confirmante sententiam hanc quod est Jer. 25.30. DOMINUS *ex sublimi rugiet, ex suo sacro domicilio dabit vocem suam: rugiendo rugiet*, &c. ¶ *Dabit vocem suam*] Diversis verbis idem dicit. Nam *vox Domini*, i. tonitru sive tonitruum. ¶ *Commovebuntur cæli*, &c.] Terræmotus erit, & cœlum tonitru concutietur. ¶ *Refugium*] In aliis *spes*, in nonnullis etiam *receptus.* Dicam de hoc nomine aliàs. ¶ *Robur*] Validum præsidium.

17. *Et scietis me habitare in Sion*] Semper Deus *habitat in Sion*, h. e. in Ecclesia: Tum autem illud *cognoscimus* quando illustre aliquod judicii sui exemplum edit. Vel *cognoscetis.* Est etiam qui maluit *agnoscetis*, תדעתם. ¶ *Sanctitas*] i. Sacrosancta & inviolata. Quod cùm diceret Propheta, respexit, meo animo, ad locum ejus nominis qui in Templo erat, à quo profani arcebantur: ideo infert, *& extranei non transibunt per eam ampliùs.* A sancto, atque adeò à sacris, arcebantur profani, sic ab ea extranei. Ergò *sanctitas erit Jerusalem*, non solùm quia pura & impolluta, verùm etiam quia ab hominum injuria, Deo eam defendente, tuta erit. Aliter, ERIT SANCTITAS, *ut sanctitas.* Vult dicere, ut res Deo consecrata, quam non licebat ulli attingere.

18. *Die illâ*] Post deletas Gentes. ¶ *Stillabunt mustum*] Vel *musto*] More Prophetico dixit, ut significaret copiam & abundantiam musti; & simul quòd hæc omnia ἀπονητὶ & *sine labore* provenient. Estque figura quam Grammatici Hyperbolen vocant. Vide Amos 9.13. ¶ *Et colles diffluent lacte*] Dictum quasi per Hypallagen, pro, *lac fluet per colles.* Sic, *omnes alvei Juda fluent aquâ*, pro, *fluet aqua per alveos Juda.* ¶ *Et Fons è domo* DOMINI] De aqua è Templo egrediente videatur Ezec. 47.1. ¶ *Vallem*] Vox Ebraica נחל & *torrentem* sign. & *vallem* vel *planitiem*, quomodo hîc Jonathan reddit, sententiâ id mirabiliter comprobante. Est autem *Settim* sive *Stetim* in terra Moab: prope Jordanem in deserto, ubi olim cum Moabitarum puellis scortati sunt Israelitæ; *sexto milliario à Liviade distans, trans mare Mortuum*, Hieron. Apparet autem locum aridum fuisse, quòd dicat *irrigabit*; & remotum, quoniam in deserto. Ex quo elicitur, quòd etiam loca arida, quæque procul distant, fons iste è Templo manans humectaturus sit. ¶ *Settim*] Antiquitas lectionis, pro *Sittim.* Sic *Emmanuel* dicebant prò *Immanuel.* Vide quæ scripsimus Observ, l. 7. c. 14. Quod autem quidam hîc legunt *cedrorum* pro *Settim*, multis de causis non placet. Primùm enim *cedri* ארזים dicuntur. Deinde *Settim* nomen est proprium loci, non appellativum, ut Mich. 6.5. Postremò, ut demus appellativum esse, potiùs denotat genus *spinæ:* de qua ad hunc modum Hieronymus, *Nulli dubium est, omnia quæ in tabernaculo Dei legimus, de lignis Setim fuisse perfecta, quæ LXX interpretati sunt ligna imputribilia. Est autem genus arboris in eremo Spinæ albæ simile colore & foliis, non magnitudine. Alioqui tam grandes arbores sunt ut latissima ex illis tabulata cædantur. Lignúmque fortissimum est & incredibilis levitatis ac pulcritudinis, ità ut ex his etiam vasa torcularium, quæ ἄρσενας καὶ θηλύας vocant, ditissimi quique & studiosissimi faciant. Quæ ligna in locis cultis & Romano solo absque Arabiæ solitudine non inveniuntur.*

19. *Ægyptus & Idumæa*] His duobus nominibus significat quaslibet regiones hostium populi Dei, h. e. earum gentium quæ olim adversatæ sunt Judæis, variis modis eos vexando & affligendo. ¶ *In desolationem erit*] *Desolationi erit, desolabitur.* Ebraismus. ¶ *In desertum vastum*] Ut desertum vastum: aut *erit desertum vastitatis*, vasta solitudo. Nam est desertum in quo pascua & pastorum stabula, ut diximus. ¶ *Ob violentiam filiorum Juda*] Quam à vobis Judæi passi sunt. Sic in Abdia, *ob violentiam fratris tui Jacobi:* vult dicere, illatam fratri tuo Jacobo. ¶ *Quorum effuderunt sanguinem innoxium*] Quos temere ac sine causa occiderunt. ¶ *In terra ipsorum*] V. Int. *in terra sua.* Intellexit autem de Ægypto & Idumæa, nisi fallor. Potest tamen intelligi de terra filiorum Juda.

20. *Juda*] i. Judæa, ut rectè Int. antiquus exposuit. ¶ *Habitabitur*] ישב magis sonat *sedebit.* Id nonnulli reddunt *permanebit.* Sic *mons Sion in seculum sedet*, i. permanet. Sed Nah. 3. 8. *quæ habitat in fluminibus: habitat* hîc valet *sita est.* ¶ *In generationem & generationem*] In multas generationes.

21. *Mundabo sanguinem*] Expiabo. Referendum ad illud, *quorum effuderunt sanguinem innoxium.* ¶ *Eorum*] Judæorum videlicet. ¶ *Quem non mundaveram*] Sensus est vel, qui adhuc restat expiandus; vel, qui hominibus meritò videtur effusus propterea quòd eum non expiaverim. Nunc ergò *expiabo*, h. e. declarabo quàm præter omne meritum effusus sit. Ebræi, quos adhuc vidi, omnes hunc locum aliter & distinguunt & interpretantur. Ponunt enim notam distinctionis post *mundabo*, & *sanguinem eorum* convertunt cum eo quod sequitur, hoc sensu; *Cætera ipsorum crimina non puniam, unum hoc non sinam impunitum, quòd in sua terra insontem sanguinem fuderint.*

rint. Docti quidam per *sanguinem* intelligunt sordes & peccata; tanquam Metaphora foret à sanguine menstruo, qui immundus est. Sed hoc si significare voluisset Prophetes, dixisset potiùs, *& mundabo eos à sanguine ipsorum.*

IDEM.

2. KAI' συνάξω] Καὶ Græco redundat. Possèt deleri ex C. In Ebræo convertit præt. in fut. ¶ Πάντα τὰ ἔθνη] Τὰ ἔθνη abest à nonnullis cod. sed malè. ¶ Οἱ διεσπάρησαν] Sic habent pleraque exempl. unde versio Lat. *qui dispersi sunt.* Intelligo eam quæ exstat in operib. Hier. Libri editi ad Ex. C. ὃς διέσπειρα· corrige meo periculo ὃς διέσπειραν correctio certa, & cui firmandæ verbum faciendum non est. Corrumpendo loco fuit quod proximè sequatur ἐν τοῖς ἔθνεσιν.

4. Καί γε τί ὑμεῖς ἐμοί;] Ità legendum. Libri hìc mirè variant. R. καὶ τί ὑμεῖς ἐμοί; C. καίγε τί ἐμοὶ καὶ ὑμῖν; B. καὶ τί ὑμῖν καὶ ἐμοί; Aldus & Cephalæus, καὶ τί καὶ ὑμεῖς ἐμοί; In prisca Versione; *quid mihi & vobis?* Latinè hoc diceremus, *Quid mihi vobiscum rei est?* & est purus putus Hellenismus. ¶ Πᾶσα Γαλιλαία ἀλλοφύλων] Ineptè. Nulla enim est *Galilæa Allophylorum.* Quamobrem pro Γαλιλαία Sym. reposuit ὅροι, & Aq. θῖνες. Sunt autem θῖνες, autore Hieronymo, *qui in ripis & littoribus reperiuntur arenarum cumuli.* ¶ Μνησικακεῖτε ὑμεῖς ἐμοί] Rom. exemplar. ἐπ' ἐμοί. Est autem μνησικακεῖν *iram retinere in corde adversùm aliquem*, ut exposuit Hier. ¶ Ὀξέως] Lex. V. Ὀξέως, *citò, raptim, velociter.* Idem קל sig. ¶ Ταχέως ἀνταπόδομα] Lege ex C. & R. ταχέως ἀνταποδώσω τὸ ἀνταπόδομα. Nam & in translatione Hier. ex Græco *citò reddam retributionem vestram* legitur.

5. Τὰ ἐπίλεκτά μου τὰ καλὰ] Hæc lectio quadrat cum cod. Ebræis. In C. tamen καὶ τὰ καλὰ, interpositâ copulâ. Sic etiam versio antiqua ex Græco, *electa mea & optima.* ¶ Τοὺς ναοὺς] Alibi est τοὺς οἴκους. Nè sperne. Nam vox Ebræa tam de templis Deorum intelligi potest quàm de ædibus magnatum. Itaque alii *delubra vestra*, alii referunt *palatia vestra.*

6. Ἀπέδοσθε] Alibi est ἀπέδοτε.

7. Ἐξεγείρω] In quibusdam libris ἐξεγερῶ. Prior lectio sincera est.

8. Εἰς αἰχμαλωσίαν] Si Hieronymo credimus, potiùs vertissent εἰς αἰχμαλώτους· non tamen bene. Est enim hìc nomen proprium gentis Sabæorum, quos Græci Σαβαίους vocant; sed deductum à verbo quod αἰχμαλωτεύειν sig. unde error. ¶ Εἰς ἔθνος μακρὰν ἀπέχον] Ἀπέχον non est in impressis ad Ex. C.

10. Τὰ ἄροτρα] Non tam *aratra* sig. quàm *ferra in aratris quæ liras ducunt*, h. e. *vomeres.* ¶ Σειρομάστας] Hoc vocabulo usi sunt & alibi. Est autem σειρομάστης *genus teli* aut *lanceæ.* Hesychius, Σειρομάστης, εἶδος ἀκοντίου. Σειρομαστῶν, δορυφόρων, καὶ εἶδος λόγχης. Hoc ità defendi poterit. Illud quod in C. ῥομάστρας nondum invenire potui. In Ebræo est רמח *lancea:* unde fortè *rumex.* Lexicon Hesychii, Ῥόμιξα, εἶδος ἀκοντίου. Quæramus adhuc diligentiùs. ¶ Λεγέτω ὅτι ἰσχύω] Λεγέτω, Ἰσχύω, est in Antverpiæ cusis ad Ex. C.

11. Ὁ πραῢς ἔσω μαχητὴς] Alibi πολεμιστὴς, quod in idem recidit. Suspicor legisse יהיה pro יהוה, errore nato ex similitudine literarum Vau & Joth. Hoc primum. Deinde puto eos accepisse הנחת ut à נוח in significatione *quietis:* נוח enim *quiescere* significat.

12. Πάντα τὰ ἔθνη] Dictio πάντα non est in C. nec in Ebræo. Legitur tamen in versione Lat. apud Hier.

13. Παρέστηκεν ὁ τρυγητὸς] In aliis πάρεστιν ὁ τρυγητὸς, & in Hier. *adest messis.* Cæterùm παρέστηκεν legitur in C. & R. ¶ Ὑπερχεῖται] Codex Rom. ὑπερεκχεῖται, & mox idem πεπλήθυνται edidit, ubi in aliis ἐπληθύνθη.

14. Ἦχοι ἐξήχησαν] Lectio Compl. ἦχοι ἠχήθησαν, quod glossam olet. Sanè adducor ut credam Interpretes primùm scripsisse ἦχοι ἦχον & causam cur id mutaverint librarii fuisse defectum verbi: sed nihil affirmo. Quæ sequuntur deinceps ὅτι ἐγγὺς ἡ ἡμέρα Κυρίου ἐν τῇ κοιλάδι τῆς δίκης desiderantur in plerisque cod. addenda ex C. & R.

15. Οἱ ἀστέρες] Alibi est τὰ ἄστρα, videlicet in C.

16. Ἀνακράξεται] R. ἀνακεκράξεται. ¶ Φείσεται] מחסה interpretantur ut si esset à חוס, quod *parcere* sig. meo judicio, satis imperitè. ¶ Ἐνισχύσει τοὺς υἱοὺς] Optimè. Sic Luc. 22. 43. Ὤφθη δὲ αὐτῷ ἄγγελος ἀπ' οὐρανοῦ ἐνισχύων αὐτόν. Hoc noto quoniam in C. ἐνισχύσει τοῖς υἱοῖς.

17. Καὶ γνώσεσθε ὅτι] R. καὶ ἐπιγνώσεσθε διότι. ¶ Κατασκηνῶν ἐν Σιὼν ὄρει ἁγίῳ] Sic est in C. Rom. exemplar participio κατασκηνῶν præponit articulum, quod antea observatum erat ex Vaticano. In cæteris totum hoc membrum desideratur. ¶ Οὐ διελεύσονται] Sic habet Rom. exemplar; in quo & οὐκέτι unicâ dictione scriptum. In C. est διελεύσονται οὐκ ἔτι. In aliis εἰσελεύσονται οὐκ ἔτι.

18. Ῥυήσονται ὕδατα] Lego ῥυήσονται γάλα, καὶ πᾶσαι αἱ ἀφέσεις Ἰούδα ῥυήσονται ὕδατα, ex C. & R. tum etiam ex Lat. V. ¶ Τὸν χειμάῤῥουν τῶν σχοίνων] Alibi est σχοινίων. Prius, autore Hier. *aut Funiculum denotat, aut juxta Ægyptios mensuram certi itineris. In Nilo enim flumine sive in rivis ejus, solent naves funibus trahere, certa habentes spatia, quæ appellant Funiculos, ut labori defessorum recentia trahentium colla succedant.* Hæc Hier.

20. Εἰς γενεὰς καὶ γενεὰς] Ità C. in cæteris est εἰς γενεὰς γενεῶν, eodem sensu.

21. Ἐκζητήσω] C. ἐκδικήσω. Sensum reddunt, non quem vulgò probant, sed quem in sua Paraphrasi posuit Jonathan: alioqui vertissent potiùs ἀθῳώσω. Atque hæc notanda habui in Translationem Græcam: Quæ si doctis probo, bene est: indocti sive probant sive improbant parùm refert.

IDEM.

2. אֶל־עֵמֶק יְהוֹשָׁפָט. Th. εἰς τὴν χώραν τῆς κρίσεως ex ed. Rom.] Vide infrà v. 14.

4. גְּלִילוֹת. Aq. θῖνες. Sym. *termini*] Θῖνες, *termini arenarum:* refertur autem ad littora Palæstinæ. Autor Hier. Moschopulus περὶ σχεδῶν, Θὶν, ὁ αἰγιαλὸς ὁ καὶ θὶς λέγεται, καὶ ὁ σωρός. Cæterùm θῖνες legitur in ed. Rom. Apud Hier. reperi θινὰς, ut Jes. 9. 1. θινὰς ἐθνῶν & Ezech. 47. 8. θινὰς pro גלילה & גליל גוים. Est etiam ubi θινὲς reperiatur; sed mendosè, ut opinor. TERMINI. ὅροι, sive ὅρια. Jes. 9. 1. גליל גוים. Sym. *terminos Gentium*, ὅρια τῶν ἐθνῶν. Ezech. 47. 8. גלילה, idem, μεθόριον, i. *confinium.*

8. לִשְׁבָאִים. Aq. & Sym. τοῖς Σαβαείμ] Hoc colligo ex his verbis Hier. *Verbum Ebraicum* SABAIM *Aq. & Sym. ut scriptum est transtulerunt.*

14. בְּעֵמֶק הֶחָרוּץ. Aq. & Sym. & V. *in valle Concisionis.* Th. ἐν τῇ κοιλάδι τῆς κρίσεως. Videndus Hier.

18. אֶת נַחַל הַשִּׁטִּים. Sym. *vallem Spinarum*, τὴν κοιλάδα τῶν ἀκανθῶν.

IDEM in VULG.

1. CUm *convertero*] Quum reduxero, quum restituero. ¶ *Captivitatem*] Id est, *captivos.* Ebraismus notus.

2. *Deducam*] *Descendere faciam* est in Ebræo ad verbum. ¶ *Josaphat*] Compendio scriptum pro Jehosaphath, ut Josue pro Jehosue. ¶ *Josaphath*] Id est, domini judicium.

3. *In prostibulum*] Partim exemplarium *in prostibulo.* Hodie referunt, *pro cibo:* alii, *pro meretrice:* Jonathan *pro mercede meretricis.* Verum puto.

4. *Quid vobis & mihi*] Purus putus Hellenismus pro, *quid vobis mecum rei est?* In Ebræo legitur, *quid vobis mihi?* ¶ *Citò velociter*] Παράλληλον. ¶ *Reddam vicissitudinem vobis*] *Reddam vicem*, par pari.

5. *Tulistis*] Pro *abstulistis.*

6. *Filios Jerusalem*] Cives Jerosolymitanos. *Filius* pro *cive.* Sic loquuntur vulgo in Batavia. ¶ *Filius Græcorum*] Id est, Græcus. Proba & antiquæ notæ dictio. Sic Herodotus Αἰθιόπων παῖδες dixit cùm *Æthiopes* significaret. ¶ *Longè facientis eos*] Id est, ejectos è finibus suis procul abducentis.

7. *Suscitabo*] Id est, reducam. Ebræus codex habet *suscito.* Sed interpres ad sensum respexit. ¶ *Convertam retributionem vestram*] Suprà dixit, *reddam vicissitudinem vobis.*

8. *Et vendam*] Vendere usurpat καταχρηστικῶς pro *tradere.* Itaque Jonathan, *& tradam* refert: optimè. ¶ *In manibus filiorum Juda*] Tradam filiis Juda: aut vendam eos (ut vendere propriè accipiatur & ut sonat) per filios Juda, qui videlicet eos vendent. Non displicet omnino hic sensus. ¶ *Locutus est*] Jonathan, *decrevit. Loqui* pro *decernere*; unde, *verbum regis*, id est, decretum regis.

9. *Sanctificate bellum*] Indicite aut præparate, ut *sanctificate jejunium.*

10. *Aratra vestra*] Ex Camio vertendum, *ligones:* quod eò magis probo, quia ETH ab aratro manifestè distinguitur 2 Sam. 20. Nam aratrum ibi MAHARESETH dicitur. ¶ *Et ligones vestros*] Interpolant, *falces vestras*; *ego falces vineaticas.* ¶ *Quia fortis* ego *sum*] Quia παρέλκει ex Ebraismo.

11. *Erumpite*] Jonathan, *congregamini:* alius interpres, *coite:* alius, *conglobate vos in unum.* ¶ *Occumbere faciet Dominus*]

minus] Jonathan, *confringet Dominus.* Recens omnis interpretatio, *descendere fac Domine.*

12. *Josaphath*] Id est, *Domini judicium.* Et eò respexit, cùm subjiceret, *sedebo ut judicem*: nam *judicare* id est SAPHAT in lingua Ebræa.

13. *Maturavit*] Familiare huic interpreti *maturavit* dicere pro *maturata est* vel *maturuit.* ¶ *Messis*] Scelerum videlicet.

14. *Populi populi*] Significantius arbitror, *turbæ turbæ.* ¶ *In valle concisionis*] Innuit vallem Josaphat, quam sic vocat à futura clade, quam ibi gentes accipient, acsi dicat, In valle ubi gentes concidentur. Sunt qui magis probant, *in valle decisionis*: quod est verbum juris, *decidere litem*, ut si diceret, In valle ubi caussa gentium decidetur.

18. *Dulcedinem*] Laticem dulcem, mustum. ¶ *Torrentem spinarum*] *Setim* liber Ebræus habet pro *spinarum*, Glossarius Philonis SETIM, *Spinæ.*

19. *In desertum perditionis*] Est cur malim, *in desertum vastitatis*, id est, vastum: quod adjectum differentiæ caussâ, quia erat olim in Judæa desertum non vastum, in quo & urbes erant & loca pascendis pecoribus. ¶ *Pro eo quod iniquè egerint in filios Juda*] Peritè explicat, *propter iniquitatem filiorum Juda.*

21. *Quos non mundaveram*] Aliter, *quem non mundaveram*, ut referatur ad sanguinem, quomodo libri novissimè impressi, etiam manuscriptum quo ego usus sum, éstque omnino hæc scriptura verior. ¶ *Commorabitur*] Hoc Ebræus dicit, *commoratur*, per præsens.

LIVELEUS.

2. *Vallem Josaphati*] Lyranus affirmat fuisse inter Jerosolymam & montem Oliveti. Cujus sententiam sequitur Adrichomius Delphus in Sanctæ urbis descriptione, existimans eam esse quæ *vallis Cedron* nominatur. Arias Montanus etiam in sua ejusdem descriptione eodèm accedit, scribens, hoc nomen toti illi valli inditum esse à sepulcro Josaphati in ea sito. Quod ego ut sit verum non video, quia 2 Par. 21. 1. dicitur Josaphat *sepultus fuisse in civitate Davidis.* Ea enim in monte Sionis fuit intra urbem. Quod ad me attinet, existimo profectò cum Calvino & Tremellio, eam vallem esse in qua Josaphato memorabilis victoria contra hostes Ecclesiæ concessa est, indéque hoc nomen consecutam. Quâ ratione Jud. 7. 25. rupes Orebi cæde nobilitata *rupes Orebi* indè postea nominata est. De hac valle & victoria Josaphati vide 2 Par. 20. 16, 26. Ex quo loco probabiliter colligitur, ad Orientem Meridionalem fuisse inter Jerosolymam & Tecoam in longum extensam, ità ut quanquam ille locus quo hostes Josaphati perierunt remotior fuerit, una tamen illius pars propè ad radices montis Oliveti accesserit. Quimquius enim dicit *Urbi vicinam fuisse*, & Tremellius *in conspectu illius fuisse* confirmat. Quod etiam constat ex historia R. Abrahami Hebraicè De rebus Judaicis conscripta, ubi dicit *Zachariam quendam à sicariis occisum projectum fuisse* לפאת פני עמק יהושפט *in eam partem ubi erat vallis Josaphati.* Is est quem Josephus lib. 5. De bello Judæorum cap. 1. narrat *è Templo projectum fuisse in subjectam vallem.* Rectè ea vallis quadrat loco Judicii Divini in improbos notando, quia illic Deus horrendâ olim strage suos hostes deleverat, 2 Par. 20. Vide hic v. 14.

4. *Quid vos mihi?*] i. *Quid vobis mecum?* Est enim idem quod alibi dici solet, *Quid vobis & mihi?* 2 Sam. 16. 10. *Quid mihi & vobis?* i. mihi vobiscum? Quimquius, Tremellius, Mercerus. Quid vobis mecum rei est, quod ità mihi & populo meo adversamini? ¶ *Num meritum mihi refertis, an etiam infertis?*] Sub. *malum* vel *injuriam?* Mercerus sensum rectè declarat; *Num populum meum affligentes id facitis ut illatam vobis injuriam rependatis? an potiùs mihi infertis injuriam, antè nullo meo merito lacessiti? Certè utrumvis faciatis, ego pro merito vos tractâro, & in caput vestrum, idque celerrimè, meritam pœnam rependero. Desinite ergò, si sapitis, populum meum vexare.* Verbum גמל interdum significat *Beneficio vel maleficio aliquem afficere, In aliquem beneficium vel malum conferre*, h.e. bene vel malè de aliquo mereri. Hinc גמול nomen in utramque partem accipitur, de *beneficio collato*, Jud. 9. 16. vel *malo illato*, Psal. 137. 8. Eam igitur vim habet quam Latinè *meritum*; qua voce hic & v. 7. rectè à Castalione explicatur.

9. *Proclamate hoc in Gentibus*] Dixerat v. 2. hujus capitis *se omnes gentes congregaturum esse in vallem Josaphati*: Hic igitur ministris suis id faciendi mandatum dat. Jubet eos gentes inimicas Ecclesiæ cogere ad bellum, ut ità congregatas Deus profliget & perdat. Similis locus est Zach. 14. 2, 3. *Deum congregaturum omnes gentes ad bellum contra Jerosolymam, & contra illas congregatas pugnaturum esse.* Item Ezech. 38. 4, 16, 17. &c. hostes Ecclesiæ contra eam à Deo adductos & collectos deletum iri. Hic igitur ultimum Dei Judicium ostenditur similitudine sumptâ à Bello, quo potentissimi Imperatores suos hostes proterunt & consumunt. Ex una parte statuuntur gentes universæ suis viribus instructæ 9 & 10 versibus; Ex altera Deus cum bellatoribus suis in fine versûs 11.

10. *Ligones vestros in gladios*] Ferrea instrumenta ad agriculturam pertinentia in arma bellica vertite. Tempore enim belli horum, non illorum, usus est: culturâ terræ relictâ, homines ad pugnandum sua studia conferunt. Virgilius Georg. 1. de incommodis belli querens;

——Non ullus aratro
Dignus honos: squalent abductis arva colonis,
Et curvæ rigidum falces conflantur in ensem.

Ovidius 1. Fastor.

Bella diu tenuere viros; erat aptior ensis
Vomere, cedebat taurus arator equo.
Sarcula cessabant, versique in pila ligones,
Factáque de rastri pondere cassis erat.

11. *Festinate*] Est enim, ait Jarchius, hîc עושו pro חושו. Nec aberrat à vero, ut ego existimo. Sunt enim hæ literæ commutabiles. 2 Reg. 20. 13. hâc permutatione וישמע legitur pro וישמח.

12. *Maturuit messis*] Metaphora ad scelerum maturitatem notandam, plenitudiném que temporis Divini judicii, ut Matth. 13. 30. *Tempore messis dicam*, &c. Vide Apoc. 14. 15, 18, 19. ¶ *Plenum est torcular*] Metaphora à mensuræ plenitudine ad abundantiam scelerum significandam usitata est. Gen. 15. 16. *Iniquitas Amorræi nondum completa est.* Matth. 23. 32. *Vos quoque complete mensuram patrum vestrorum.*

14. *Concisionis*] Hieronymus & Tremellius ità vocem Hebræam חרוץ interpretantur. At Mercerus *decisionis*, i. judicii, probabiliter. Erat enim hîc locus Divini judicii, v. 12. *ibi sedebo ad judicandum*, &c. Et חרץ etsi propriè *incidere* vel *concidere* significat, aliquando per Metaphoram est pro *statuere*, *decernere*, *judicare.* Denique Chaldæus & Græci Interpretes Lxx & Theodotio ità intellexerunt. ¶ *Quia propinquus est*] Nam *apud Dominum mille anni sunt ut dies unus.* Vide 2 Pet. 3. 4, 8, 9.

16. *Commovebuntur* (vel *contremiscent*) *cœli & terra*] Ut Terra terræmotu, ità Cœlum tonitruo *concuti* & *tremere* dicitur. Pacuvius, *Tenebræ conduplicantur, noctisque & nimbûm occæcat nigror, flamma inter nubes coruscat, cælum tonitru contremit.* Sunt autem hæc Dei hominum peccata ulturi terrificæ potentiæ argumenta. Vide Matth. 24. 29. & Luc. 21. vers. 26.

17. *Sancta*] i. Chara erit Deo, & sub ejus cura, favore ac tutela, à profanarum gentium Dominio, direptione & possessione (quâ *profanari* & *pollui* dicitur) libera & immunis. Vide Esa. 35. 8. & Abd. 17. & Lam. 2. 2.

18. *Fluent*] Talis erat illa aurea ætas de qua Ovidius Metam. 1.

Flumina jam lactis, jam flumina nectaris ibant,
Flaváque de viridi stillabant ilice mella.

Rerum ad hanc vitam pertinentium affluentiâ spiritualis in Christo futura beatitudo adumbratur. ¶ *Vallem Shittim*] In campestribus Moabitarum erat haud longè à mari Mortuo, Transjordanicæ Israelitarum regioni vicina, vel potiùs in confinio, ut videtur, Israelis & Moabi. Indè enim ad Jordanem venientes in terram Promissam transiverunt, Jos. 3. Vide etiam Num. 33. 49. Cùm igitur dicit *fontem ex domo Jehovæ manantem rigaturum* hanc *vallem*, quæ in extremis finibus terræ Israelitarum erat ad Orientem Australem inter Moabitas & Israelitas, nihil aliud vult quàm, Dei benedictionem longè latéque diffusum iri, ità ut universam Ecclesiam perfundat. Ut quæ hic dicuntur rectè intelligantur, utile erit consulere Zach. 14. 8. & Ezech. 47. à vers. 1. ad finem octavi, ubi eadem de Ecclesia tota irriganda ad extremos usque fines ejus sententia est.

19. *Violentiam* (vel *injuriam*) *Judæorum*] i. Quæ illis illata est, ut Abd. 10. *propter injuriam fratris tui.*

21. *Et*

21. *Et mundabo*] Innocentem fuisse declarabo, partim illis absolvendis ab æterno exitio in die Judicii, partim eorum inimicos damnando & ulciscendo. Dominus exitio impiorum ostendet piorum sanguinem injustè effusum fuisse. Declaratio Merceri est verisimilis. Sic verbum *justificandi* usurpari videtur in Apocryphis adjectionibus Estheræ 10. 12. *Hereditatem suam justificavit*, i. populum suum justum esse & à culpa vacare, improbos pœnâ afficiendo ostendit.

GROTIUS.

1. **Q***Uia ecce in illis diebus, & in tempore illo*] *Verùm ecce.* Nam כי sæpe est *sed.* Cohærent, hæc, ut dixi, cum superioribus. Reticuit κατ' εὐφημισμὸν [*Mollioris locutionis causâ*] fore ut illi residui aveherentur; satis autem ostendit nunc cùm redituros dicit. ¶ *Cùm convertero captivitatem Juda & Jerusalem*] *Fecero reverti captivos*; locutio eadem Psalmo 85. 1. & 126. 1. Jeremiæ 33. 26. & 48. 46. Ezechiel. 29. 14. & 39. 25. & alibi sæpe.

2. *Congregabo omnes gentes*] Eas scilicet quæ populum meum malè tractarunt, non ob peccata, propter quæ ego id permisi, sed odio mei, ac religionis à me traditæ. ¶ *Et deducam eas in vallem Josaphat*] Sic & LXX, εἰς τὴν κοιλάδα Ἰωσαφάτ. At Theodotio, εἰς τὴν χώραν τῆς κρίσεως [*in locum Judicii.*] nec alio sensu Chaldæus, *in vallem divisionis judicii:* id est, ubi cuique pro meritis pœnæ distribuentur. יהושפט [*Jehoschaphat*] significat *Judicium Divinum*; דין יהוה, ut exponit Salomon Jarchi. Solent autem judicia Divina ad instar humanorum depingi. In humanis Judiciis sedent in loco sublimi Judices; rei stant in loco inferiori, qui *vallis* ob similitudinem dicitur. ¶ *Et disceptabo cum eis*] Causas exigam cur id fecerint. ¶ *Quos dispersèrunt in nationibus, & terram meam diviserunt*] Non Assyrii tantùm & Chaldæi, sed & viciniores quidam populi, illorum freti auxilio, Jeremiæ 49. 1.

3. *Et super populum meum miserunt sortem*] Ut de captivis fieri mos erat. Indè illud apud Virgilium, ——— *Excipiam sorti.* Vide quæ diximus libro tertio de Jure Belli ac Pacis, cap. 6. §. 14. ¶ *Et posuerunt puerum in prostibulo*] In Hebræo: *Dederunt filios pro meretrice.* Ità enim illud ב [*pro*] interpretandum indicat membrum sequens. Sensus est: *pueros Judæos donarunt meretricibus vice pecuniæ*, ut Phædria Eunuchum Thaïdi. ¶ *Et puellam vendiderunt pro vino ut biberent*] Vilissimo pretio.

4. *Verùm quid mihi & vobis, Tyrus & Sidon, & omnis terminus Palæstinorum?*] In Hebræo: *Quid vos mihi?* id est, Cur mihi molesti estis? Vide quæ ad Matthæi 8. 29. ¶ *Numquid ultionem vos reddetis mihi? & si ulciscimini vos contra me?*] Hîc ponenda interrogatio; & *si* pro *an*, ut sæpe apud hunc interpretem. Sed sensus videtur esse: *An hanc vos vicem mihi rependitis? & hoc mihi redditis?* nempe pro tot in vos collatis beneficiis. ¶ *Citò, velociter reddam vicissitudinem vobis super caput vestrum*] Ego verò, cùm, sine ulla accepta injuria, tam malè tractaveritis populum meum, vobis vicem reponam, & quidem brevi. Vide Esai. 23. Ezechiel. 25. & 26. & 27. & 28.

5. *Argentum enim meum & aurum tulistis, & desiderabilia mea & pulcherrima intulistis in delubra vestra*] מחמדים sunt *res pretiosæ*, ut diximus Oseæ 13. 15. Ità hîc appellat Deus non quæ Templi erant, & Babylonem avecta sunt, sed ea quæ erant populi sui, & à Chaldæis, captâ Urbe, vicinis vendita sunt. Sic & modò sibi dixit factam injuriam quæ populo suo facta erat.

6. *Vendidistis filiis Græcorum*] Quibus magnum ab omni ævo cum Phœnicibus commercium, Ezechielis 27. 13. ¶ *Ut longè faceretis eos de finibus suis*] Ἐπ' ἐξαγωγῆς [*sub lege deportandi*,] quò minor esset facultas eos redimendi.

7. *Suscitabo eos de loco in quo vendidistis eos*] Per Alexandrum ejúsque Successores, qui in gratiam Judaicæ gentis multos Judæos in Græcia servientes libertati reddiderunt. Demetrius apud Josephum 13. 5. Καὶ Ἰουδαίων δὲ τοὺς αἰχμαλωτισθέντας καὶ δουλεύοντας ἐν τῇ ἡμετέρᾳ ἀφίημι ἐλευθέρους [*Judæorum eos qui bello capti in terris nostris serviunt, dimitto liberos.*] Similes historias attulimus libro tertio de Jure Belli ac Pacis, cap. 9. §. 2. in textu & annotatis. ¶ *Et convertam retributionem vestram in caput vestrum*] Pœnas vobis reponam, quod explicant sequentia.

8. *Et vendam filios vestros & filias vestras in manibus filiorum Juda*] Nempe cùm Gaza, Sidon & Tyrus captæ ab Alexandro. ¶ *Et vennndabunt eos Sabæis*] Arabibus. Genes. 10. 7.

9. *Clamate hoc in gentibus*] Ut norint quid futurum sit. ¶ *Sanctificate bellum*] *Præparate.* Similitudo à sacrificiis, quæ multæ egent præparationis; Jeremiæ 6. 4. & 51. 28. ¶ *Suscitate robustos*] Quasi dicat, frustra erunt omnia. ¶ *Ascendant*] In prælium.

10. *Concidite aratra vestra in gladios*] Virgilius Georgicôn 1.

Et curva rigidum falces conflantur in ensem.

¶ *Infirmus dicat, Quia fortis ego sum*] Etiam infirmi numerum augeant, quasi aliquid possent.

11. *Omnes gentes de circuitu*] Omnis vis Asiæ.

12. *Ascendant gentes in vallem Josaphat*] *Judicii Divini*, ut suprà diximus. *Ascendant*, nempe ut qui in subterraneis carceribus tenentur.

13. *Mittite falces, quoniam maturavit messis*] Hîc Deus Macedonas, tanquam judiciorum suorum ministros, alloquitur. Sic alibi Deus inducitur Chaldæis & Medis præcepta dans. Sicut falce ager demetitur, ità gentes gladio. Videtur præcipuè respici prælium ad Arbela. ¶ *Plenum est torcular*] Nempe uvis. Sic campi pleni militibus ex omni Asia. ¶ *Exuberant torcularia*] *Exundent*, id est, multus fundatur sanguis; Qui cum vino comparari solet, Esaiæ 63. 3. ¶ *Quia multiplicata est malitia eorum*] Ità meruere illæ gentes.

14. *Populi, populi in valle concisionis*] *Ad vallem concisionis*, supple, *ite*: in planitiem ad Gaugamela. ¶ *Juxtà est dies Domini*] Ultio Divina.

15. *Sol & Luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum*] Fumante Persepoli. Vide quæ suprà 2. 10, 31.

16. *Et Dominus de Sion rugiet, & de Jerusalem dabit vocem suam, & movebuntur cæli & terra, & Dominus spes populi sui, & fortitudo filiorum Israël*] Hæc referenda censeo ad victorias Judæorum de Antiochi Ducibus. Hoc ingens Dei beneficium prædicitur & Esaiæ 63. 6. *Indignationem* Dei id vocat Ezechiel 38. 18. & *commotionem magnam super terram*, 19. qui & *ignem & sulphur* super Antiochi milites *pluisse* dicit. *Commotum cælum*, id Angeli Daniel. 12. Esaiæ 63. 9.

17. *Et scietis quia ego Dominus Deus vester*] Experimento hoc sentietis. ¶ *Et erit Jerusalem sancta, & alieni non transibunt per eam ampliùs*] Hostili exercitu. Simile loquendi genus Esaiæ 62. 1.

18. *Stillabunt montes dulcedinem*]

——— *Sudabunt roscida mella.*

¶ *Et colles fluent lacte*] Præ pecoris abundantia & succulentia. ¶ *Et per omnes rivos Juda ibunt aquæ*] Populus ab hoste liber & in magno otio fossas oblimatas deterget, & novos faciet aquæ ductus; altæ pacis opera. Vide Ezechiel. 47. ¶ *Et fons de domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem spinarum*] *Irrigabit vallem Sittim.* Sic Chaldæus: & addit Hieronymus sic appellari locum non longè à mari Mortuo. Unde apparet describi hîc aquæductum eundem quem Ezechiel è Templo deducit ad mare Mortuum, & ultrà, 47. ab initio ad v. 12.

19. *Ægyptus in desolationem erit*] Diripiente eam Antiocho, Daniel. 11. 40, 42, 43. ¶ *Et Idumæa in desertum perditionis*] Vastantibus eam Maccabæis: Josephus 12. c. 11, 12. Confer Esaiæ 63. ¶ *Pro eo quod iniquè egerint in filios Juda, & effuderint sanguinem innocentem in terra sua*] Nam Judæa modò à Syriæ Asiæque, modò ab Ægypti Regibus fuit vexata: quod significant decem Cornua apud Danielem. Idumæi autem plerumque Judæorum oppressoribus se aggregabant.

20. *Et Judæa in æternum habitabitur*] Per longum tempus in pace erit. ¶ *Et Jerusalem in generationem & generationem*] Per aliquot hominum ætates.

21. *Et mundabo sanguinem eorum, quem non mundaverunt*] נקה hoc loco est *ulcisci*. Græci ἐκζητήσω [*requiram.*] neç aliter Chaldæus & Syrus. Vertitur & ἐκδικεῖν [*ulcisci*] Zachar. 5. 3. Sensus est, quem pulchrè expressit Chaldæus: *Si quis adhuc erit Judæorum sanguis effusus quem ultus nondum fuero, etiam hunc ulciscar*: Ut in Ammonitas & Moabitas. Vide Josephum dicto loco. ¶ *Et Dominus commorabitur in Sion*] Cultus Dei manebit Hierosolymis.

ANNO-

ANNOTATA AD AMOSUM.

CAP. I.

MUNSTERUS.

Amos, cùm esset pastor & homo plebeius, & non filius Prophetæ, subitò & Divino miraculo vocatus est in Prophetarum ordinem, sicut & ex rudibus & illiteratis piscatoribus Spiritus S. fecit Apostolos, qui verbum salutis annunciarent universo mundo, neglectis interim tot magnificis & doctis viris qui erant in Regno Israel. Unde discimus manum Dei potentem esse & absque personarum acceptione. Imò *deligit ea quæ sunt stulta & imbecillia secundùm mundum, ut confundat sapientes*, & ut abjecti & contempti in hoc mundo spem bonam habeant, & confidant se eò magis Deo curæ esse quò contemptiùs à mundo tractantur. Habet autem Amos Propheta argumentum commune cum reliquis Prophetis, nempe quòd taxat peccata, hortatur ad pœnitentiam, & postremò prædicat Regnum Christi cum promissionibus. Servátque hunc ordinem, ut primùm prophetet contra Gentes vicinas terræ Israel, deinde contra Decem tribus, & tertiò contra tribum & Regnum Jehuda, atque contra Templum ipsum. Non tamen sunt hoc ordine pœnæ inflictæ; sed primò sumpta est vindicta de Israelitis & tribu Jehuda, & deinde pessundatæ sunt Gentes.

1. *Ante terræmotum*] Hujus terræmotûs meminit & Zecharia Propheta. Creditúrque contigisse cùm Rex Uzija præsumeret in altari offerre incensum; ob quam præsumptionem leprâ fuit percussus, ut habetur 2 Par. 26.

2. *Rugiet de Zion*] i. Quemadmodum Leo rugit dum discerpit prædam, ità Dominus ad disturbandos iniquos cum *rugitu* quodam valido prodibit *de Zion & Jerusalem.* ¶ *Lugebunt habitacula pastorum*] Chald. *& desolabuntur habitacula Regum, & devastabitur fortitudo munitionum ipsorum.* Kimhi verò docet *Charmel* hîc accipiendum pro שדות וכרמים מקום זרע, i. pro *loco agri seminato & pro vineis*, quæ hic devastanda prædicuntur.

3. *Super tribus sceleribus Damasci , & quatuor*] Hebræi hunc locum sic exponunt, *Dissimulavi, & non punivi Damascum propter tria peccata quæ commisit contra Israel; nempe in diebus Baasæ Regis Israel, & in diebus Ahab atque filii ejus Jehoram, & in diebus Jehoahaz; sed quartum peccatum non remittam ei, quod fecit in diebus Ahaz: tunc enim venit Rex Assyriæ, & expugnavit Damascum, transtulítque habitatores ejus in Kir civitatem Assyriæ.* Quidam verò ex nostris subducunt *Tria* & *Quatuor* in unum Septenarium; per quem multitudinem & completionem intelligunt peccatorum; juxta illud, *Completa est iniquitas Æmoræorum*: ut sit sensus, Ego hactenus longanimiter tuli iniquitates Damasci, sperans quòd resipisceret; at quia ad septenarium & usque ad summum peccatorum perventum est numerum, non est ut ampliùs ei ignoscam, vel, ut Hebraismus habet, *reducam eam:* pro quo tamen Jonathan vertit אשבוק להון *remittam eis.* ¶ *Trituraverint rastris ferreis*] Metaphora est, ut sit sensus, Eò quòd conculcaverunt & devastaverunt Damasceni habitatores Gilead, magnâ crudelitate grassantes in eos.

6. *Quòd ipsi transtulerint captivitatem perfectam*] Sensus est, Azitæ, quos nostri *Gazitas* vocant, tantâ crudelitate usi sunt erga populum meum Israel, ut cùm illi profugi discederent à sedibus suis, me irato contra eos, & latibula quærerent, diverterentque ad Palæstinos, noluerunt eos hospitio suscipere, sed tradiderunt eos *Ædomitis* hostibus eorum, atque hoc peccato aliis peccatis colophonem imposuerunt, meruerúntque exterminari. ¶ Et quia *Tyrii* idem fecerunt, eadem eis prædicitur pœna. ¶ *Fœdus fratrum* Hebræi referunt ad fedus illud quod Tyrii cum Rege Salomone inierunt.

VATABLUS.

1. *Verba Amos* דברי עמוס] Nonnihil subaudiendum, *Sequuntur verba Prophetiæ Amos.* Hic præcipuè contra Israelem prophetavit. ¶ *Inter pastores Thecoa* בנוקדים מתקוע] *Ex pastoribus illis claris Thecuensibus.* נוקד non modò sign. *pastorem pascentem pecudes in agris*, sed etiam *negotiantem in ovibus, & gregibus abundantem*, ut 2 Reg. 3.4. *Et Mesa Rex Moab erat pastor*, sive *mercator, ovium.* Dicit igitur excellentem & clarum fuisse pastorem inter Thecuitas. ¶ *Quæ vidit* אשר חזה] Deo scilicet ostendente : i. prophetavit. ¶ *Terræmotum* הרעש] De hoc terræmotu meminit Zacharias 14.5. quem obiter dixit adventurum Amos biennio antequam adveniret.

2. *Ex Sion rugiet* מציון ישאג] q. d. Dominus per me prædicet desolationem Regni Israelitici. In Sion erat propitiatorium unde Dominus reddebat responsa. ¶ *Dabit vocem suam* יתן קולו] i. Clamabit per me & alios Prophetas. Repetitio mutatis paulùm verbis: q. d. Nè existimetis vos impunè peccaturos; nam tandem Dominus Deus, qui habitat in Sion, terrebit vos per Prophetas interminantes vobis mortem nisi resipueritis. Hic obiter prædicitur captivitas Decem tribuum, h. e. Regni Israelitici. ¶ *Habitacula* נאות] Ad verb. *pascua*, sive *loca herbifera.* Contentum pro continente, quia figunt casas & habitacula pastorum in locis herbosis. ¶ *Summitas Charmel* ראש הכרמל] *Præcipuum* [*præcipua pars*] *Charmel*, i. ipsius loci feracis sive fertilis. Prædicit siccitatem, quæ causa est sterilitatis.

3. *Super tribus prævaricationibus*, &c. על שלשה פשעי וגו] *Super tribus & quatuor*, i. super septem. Septenarius numerus significat infinitam multitudinem apud Hebræos: acsi dicat, *Si tantùm bis atque ter peccasset, pepercissem illi: nunc, quia nullum peccandi finem facit*, &c. *puniam illum pro omnibus delictis.* Quidam dicunt interruptum esse sermonem, vertentes, *Super tribus prævaricationibus Damasci* pepercissem; *at super*, &c. Quod generatim dixerat, nunc dicit particulatim. Incipit enim prophetare contra Syros: nam Damascus fuit caput Syriæ. Ego, inquit, brevì sumam pœnas de Syris quòd non faciant finem peccandi, licèt sim tardus. Hâc ratione invitat ad pœnitentiam. ¶ *Non parcam ei* לא אשיבנו] Ad verb. *non convertam eum*, sub. *furorem:* ut sit relativum sine antecedente. Rectiùs tamen (ut quibusdam placet) pronomen refertur ad *Damascum*, i. non convertam illam ad veniam sive misericordiam meam. Propterea versum est, *non parcam ei.* Chald. *non dimittam eis.*

4. *Ignem* אש] Per *ignem* intelligit inimicum & hostem, ut exponit doctus inter Hebræos: quia ut Ignis omnia vorat, ità Inimicus. Sic Num. 21.28. *Quia ignis exivit de Hesebon.* ¶ *Hazael & Ben adad* Reges fuerunt Syriæ.

5. *Vectem* בריח] Quo scilicet clauditur præcipua porta Damasci. Gallicè *la barre.* Vel est sing. pro plur. q. d. Portæ vi aperientur ab hostibus, qui vi rumpent vectes ut aditum sibi faciant in urbem. ¶ *Et excidam* והכרתי] *Et succîdam, detraham; vi auferam.* ¶ *De Bicath-aven* מבקעת און] Nomen loci. Significat *Vallem vanitatis.* ¶ *Et tenentem sceptrum* ותומך שבט] i. Regem, ut Gen. 49.10. *Non auferetur sceptrum de Juda.* ¶ *Transferenturque* וגלו] *Emigrabúntque.* Alii, *abducetúrque captivus.*

6. *Super tribus prævaricationibus* על שלשה פשעי] Vide eandem locutionem v. 3. ¶ *Eò quòd captivam*, &c. על הגלותם וגו] Ad verb. *propter transmigrationem absolutam*, i. in qua nè unus quidem relictus sit quem non duxerint in captivitatem quæ fuit in destructione Domûs secundæ. Cùm autem captivitas ea duceretur in Chaldæam, quidam ex eis clàm se receperant apud Palæsthinos vicinos Israelitis, rati se illic tutò posse latere. Verùm inimisericordes Palæsthini prodiderunt eos hostibus. Ex omnibus autem Gazæ sceleribus unum tantùm recenset, quòd non fuerint miserti miserorum Israelitarum apud ipsos profugorum.

9. *Super tribus prævaricationibus* על שלשה פשעי] Vide v. 3

¶ *Ca..*

¶ *Captivitatem perfectam* גלות שלמה] Quidam subaudito ל ante גלות vertunt *in captivitatem perfectam.* ¶ *Federis fratrum* ברית אחים] *Federis fraterni*, i. quod esse debuerat inter fratres, Israelitas & Idumæos.

10. *Ignem* אש] i. Impressionem hostilem, ut v. 4. Per *murum* vires intelligit quibus fidunt, per *palatia* omnia quæ excelsa sunt, Honores, Autoritatem, &c.

11. *Super tribus prævaricationibus* על שלשה פשעי] Vide v. 3. ¶ *Et corruperit misericordias suas* ושחת רחמיו] *Et violarit misericordias suas*, i. quòd abjecerit misericordiam quâ debebat eum prosequi.

14. *Cum vociferatione*, &c. בתרועה וגו] *Cum classico tempore belli*, *& cum turbine in die tempestatis.* Repetitio, diversis verbis. Comparat vehementiam belli & captivitatem eorum celerem Vento tempestuoso. Vide Jer. 49. 2. *Audire faciam contra Rabbath filiorum Ammon clamorem prælii.*

15. *Rex eorum* מלכם] *Malchom.* Vide eadem Jer. 49. 3.

CASTALIO.

6. QUI *pleno exsilio relegaverint*] sc. Israelitas.

CLARIUS.

AMos, cùm esset pastor & homo plebeius, & non filius Prophetæ, subitò & divino miraculo vocatus est in Prophetarum ordinem, sicut & ex rudibus & illiteratis piscatoribus Spiritus S. fecit Apostolos, qui verbum salutis annunciarent universo mundo, neglectis interim tot magnificis & doctis viris qui erant in Regno Israel. Unde discimus manum Dei potentem esse & absque personarum acceptione. Imò *deligit ea quæ sunt stulta & imbecillia secundùm mundum ut confundat sapientes*, & ut abjecti ac contempti in hoc mundo spem habeant bonam, & confidant se eò magis Deo curæ esse quò contemptiùs à mundo tractantur. Habet autem Amos Propheta argumentum commune cum reliquis Prophetis, nempe quòd taxat peccata, hortatur ad pœnitentiam, & postremò prædicat Regnum Christi cum promissionibus. Servátque hunc ordinem, ut primùm prophetet contra Gentes vicinas terræ Israel, deinde contra Decem tribus, tertiò contra tribum & Regnum Juda, atque contra Templum ipsum. Non tamen sunt hoc ordine pœnæ inflictæ; sed primò sumpta ultio est de Israelitis & tribu Juda, deinde pessundatæ sunt Gentes.

1. *Ante duos annos terræmotûs*] Hujus terræmotûs meminit & Zacharias Propheta. Creditúrque contigisse cùm Rex Ozias auderet in altari offerre incensum, ob quam temeritatem leprâ fuit percussus, ut habetur 2 Par. 26.

2. *Rugiet*] Vocem terribilem & minacem edet, quemadmodum Leo rugit dum discerpit prædam. ¶ *Vertex Carmeli*] Per *Carmelum* hic intelligitur ager cultus, & vineæ, quæ hic devastanda prædicuntur.

3. *Super tribus sceleribus Damasci*] Sunt qui sigillatim ea enumerent, & dicant, Deum dissimulasse & non punisse Damascum propter tria peccata quæ commisit contra Israel, nempe in diebus Baasæ Regis Israel, & in diebus Achab ac filii ejus Joram, & in diebus Joachaz; sed quartum peccatum non remittendum, quod fecit in diebus Achaz. Tunc enim venit Rex Assyriæ, & expugnavit Damascum, transtulítque habitatores ejus in Cyrenem civitatem Assyriæ. Verùm cùm eodem loquendi modo utatur contra *Gazam*, *Tyrum*, *Edom*, *Ammon*, &c. intelligimus modum esse loquendi, q. d. Quia peccatis peccata accumulat assiduè, hoc enim est *ter* & *quater peccare*, h. e. sæpius. Similis loquendi modus est Prov. 30. & apud nos,

——*O térque quatérque beati.*

¶ *Eò quòd*] Metaphora est, ut sit sensus, Eò quòd conculcaverunt & devastaverunt Damasceni habitatores Galaad, magnâ crudelitate grassantes in eos.

4. *In domum*] In Regum volumine de Elisæo & Azaele legimus, & de filio ejus Benadad.

5. *Vectem Damasci*] h. e. Munitionem omnem.

6. *Eò quòd*] i. Gazitæ tantâ crudelitate usi sunt erga populum meum Israel, ut cùm illi profugi discederent à sedibus suis, me irato contra eos, & latibula quærerent, diverteréntque ad Palæstinos, noluerint eos hospitio accipere, sed tradiderunt eos *Edomitis* hostibus eorum, atque hoc peccato aliis peccatis colophonem imposuerunt, meruerúntque exterminari. Et quia *Tyrii* idem fecerunt, eadem eis prædicitur pœna.

9. *Non sunt recordati federis fratrum*] Hebræi referunt ad fedus illud quod Tyrii cum Rege Salomone inierunt.

11. *Fratrem suum*] Descendebant enim ab Esau fratre Jacob.

L. BRUGENSIS.

1. VErba *Amos qui fuit in pastoralibus Thecue*] Quidam codices *in pastoribus* scribunt, unus Parisiensium (Compl.) 3 Hentenii, quatuor nostri, scripti duo Pl. la. F. impressi totidem Lugd. Quent. manuscriptum A notatum *de pastoribus* habuit. Verùm longè plures libri *in pastoralibus* legunt; & quidem etiam antiquissimi & emendatissimi quique nostri: quibus adstipulantur disertè Carensis & Richelius. *Pastoralibus*, subaudiunt *locis*, aptis nimirum ad pascendos greges. Subaudit id & Glossa quam ex Societatis Jesu Collegio scriptam habemus. Nam quæ Lugduni impressa est non tantùm non id habet, verumetiam *pastoribus* legit. Subaudit idem Remigius Altisiodorensis: perperàm enim legi existimo, *Qui fuit in pastoribus*, scilicet loci *Thecue* illius oppidi, pro, *Qui fuit in pastoralibus*, scilicet locis *Thecue* illius oppidi. D. Hieronymus notat, quod Hebraicè est בנקדים, Aquilam vertisse, ἐν ποιμνοτρόφοις, quod sit, *in pastoralibus*; Symmachum verò & quintam editionem ἐν τοῖς ποιμέσιν *in pastoribus*. Utrum autem ipse, dum vertit, secutus sit non addit. Enarratio quam post paululum subjicit, utrumque attingit; *Sermones Amos*, *qui fuit de oppido Thecue*, *ex numero pastorum*, *quia pastoralis & ipsa est regio*, *hoc volumine continentur.* LXX dixerunt, non, ut in plerisque est libris & Theodorito, ἐν Καριαθιαρείμ, sed, ut in Vaticano, ἐν Ἀκκαρείμ, *in Accarim*; de quo D. Hieronymus; quod malè in Complutensi scriptum est ἐν Ἀννακρεί. Proximæ voci *Thecue* fide digniora exemplaria, Brug. Lob. Leod. O. Q. Atr. f. cum D. Hieronymi textu, *de* præpositionem præponunt, *Verba Amos qui fuit in pastoralibus de Thecue*; Hebræo, Græco & Chaldæo similiter.

6. *Super tribus sceleribus Gazæ*, *& super quatuor non convertam eum*] Duo Parisiensium scripta Ge. o. p. & Hentenii unum, legunt feminino genere, *Non convertam eam*, ità ut respondeat pronomen præcedenti nomini *Gazæ:* quo modo videtur & ex nostris exemplar B notatum, quod M. N. Hunnæus inter cætera dedit, scripsisse. Similiter legunt versu nono proximo eadem Parisiensium scripta, quæ & castigando utrobique secuti sunt, *Super tribus sceleribus Tyri*, *& super quatuor non convertam eam:* quo modo ibi id habet ex nostris quod Collegii Trilinguis Præsidens commodavit. Consonant nono versu Græci libri, Regius & Vaticanus: habent enim οὐκ ἀποστραφήσομαι αὐτήν, pro quo alii scribunt αὐτούς. Sexto versu concorditer omnes αὐτοὺς legunt: ex quibus profluxisse opinor, quod ibi Hieronymi commentariis junctus textus legit, *eos.* Cæterùm Latini codices plerique omnes, & scripti & impressi, ac Rupertus Latinus enarrator, servant masculino genere *eum*, 9 & 6, ut aliis similibus hujus & proximi capitis, versibus. Quòd si Interpres sexto & nono versibus, respectu ad nomina præcedentium civitatum *Gazæ* & *Tyri* habito, dixisset *eam*; eundem ad modum tertio versu dixisse debuisset, *Super tribus sceleribus Damasci*, *& super quatuor*, *non convertam eam.* Atqui eo loco sine codicum varietate legitur *eum* (quanquam Lugdunensis anni 22 editio prætermittat) & Interpres ipse ibi, *Damasci populum*, sive *Syrum*, subaudit: hæc enim sunt Hieronymi eum in locum commentantis verba, *Quódque in principio dicitur*, Super tribus sceleribus Damasci, & super quatuor, non convertam eum, *&*, *secundùm Lxx*, non aversabor eum, *i. Damasci populum*, *sive* ארם, *i.* Syrum, *hunc sensum juxta historiam habere potest*, *Si semel meum esset populum persecutus*, *aut secundò*, *darem veniam: nunc verò*, *cum tertiò & quartò crudelis exstiterit*, &c. *nónne debeo eum plagis corripere*; *nónne clementia mea vultum aversare ab eo?* Videtur igitur & in aliis omnibus versibus, qui hoc capite sequuntur similes, *eum* masculino genere vertisse, atque ad eum modum intellexisse: sicuti Hebraicè semper est masculini generis affixum ו. Græci codices, Regius & Vaticanus, legunt tertio versu, & Hieronymus citat αὐτόν, cùm alii αὐτοὺς habeant.

DRUSIUS.

1. VErba *Amos*] Ut, *verba Jeremiæ.* Sic, *verba Coheleth.* Legimus quoque Luc. 3. 4. *Sicut scriptum est in libro sermonum Jesaiæ:* & Tob. 1. 1. *Liber sermonum Tobiæ*, i. continens dicta & facta Tobiæ. Hag. 1. 12. *Verba Haggæi Prophetæ cùm misisset eum DOMINUS Deus eorum ad ipsos.* Hujus Prophetæ cognomentum Φελλὸς, quod exstat in antiquis monumen-

tis Ebræorum, arguit eum impeditioris linguæ fuisse. Nam ψελλὸς, i. *balbus*. Id ipsi scribunt פסילוס vel פסילוס (malè פילוס in editione Veneta) & interpretantur קטיע לישנא, quod de eo dici solet qui verba sua abrumpit & abscindit: quemadmodum *balbus* is dicitur qui inter loquendum literam vel syllabam omittit. In Dras, *Quem mittam?* (verba sunt Dei) *aut quis ibit nobis? Misi Micham, & ei colaphum impegerunt. Misi quoque Amos, & eum cognominaverunt* ψελλόν. *Dixerunt, Non convenit ut Sanctus benedictus ponat Spiritum suum nisi super istum balbum.* R. Phinees auctor vetus, *Quare nominatur AMOS? Quia linguam oneratam sive impeditam habebat. Amos* ergò quasi עמוס *oneratus linguâ*, i. *Balbus*. Coætaneos habuit Hoseam & Jesaiam. Quidam addunt Micham Morasthiten. Potest ità esse, tamen hic sub Ozia non prophetavit. In Juchasin fol. 12. IV *Prophetæ fuerunt eodem tempore, Jesaias, Amos, Michas & Hoseas: & Amos erat oneratus linguâ suâ. Prophetarunt tantum in diebus Osiæ; & Amos accepit ab Hosea, & Jesaias accepit ab Amos, & ab Jesaia Michas.* Vide sequentia. ¶ *Qui erat*, &c.] Potest sensus esse ut duntaxat *è pastoribus Thecuariis eum fuisse* dicat, vel ut simul etiam dicat *fuisse Thecuâ oriundum*, quod erat oppidum tribûs Juda, ut ait Hieronymus: Qui etiam juxta hunc postremum sensum, quem germanum esse arbitror, scribit Hos. 4. *Amos Propheta, qui de tribu Juda & de viculo Thecue, cogitur redire in patriam suam.* ¶ *E pecuariis*] E numero eorum qui pecuariam exercebant; vel, qui erat magnus inter eos. Sic R. D. *Dicit E PECUARIIS, & non dicit PECUARIUS. Sensus est, Qui magnus erat inter pecuarios Thecoe.* Verbum è verbo, *in pecuariis*: quod Græcè significantiùs dicas ἐν τοῖς ποιμνοτρόφοις, ἤτοι κτηνοτρόφοις. Duo genera pastorum; unum eorum qui pecora ipsi pascunt, quos ποιμένας vocant; alterum eorum qui non pascunt ipsi quidem, utuntur verò operâ servorum, & exercent rem pecuariam. Hos existimant propriè dici נקדים. Cui opinioni firmandæ est interpretamentum Jonathæ מרי גתין, i. *magister pecorum*. Etiam locus qui exstat 2 Reg. 3. 4. *Et Mesa Rex Moab erat* νωκὴδ, i. *pecuariam exercens*. Quod Ebræi dicunt מחזיק בכקנה המרבה. Quò pertinet & Scholion illud בעל מקנה, i. *dominus pecorum*. Hæc cùm ità se habeant, tamen sunt qui inter נקד & רעה nullum discrimen ponant, illud per hoc, si Deo placet, interpretantes. Porrò autem רועה, i. *pastor*, qui ποιμὴν Græcè. Ποιμὴν propriè *opilio*: aliquando *bubulcus*. Quod annoto, quia infrà 7. 14. se *bubulcum* esse dicit sive *armentarium*, i. בוקר. Dicti νωκεδὶμ, ut opinor, à *notandis* sive *signandis* pecoribus, quod est נקד in lingua Ebræorum. Antiqui enim pecora sua signabant, iisque notam inurebant, quò sic ab alienis discerni atque dignosci possent. Nihil dico si non jumenta eàdem ratione notaverint: unde κοππατίας ἵππος apud Aristophanem, *equus inustum habens elementum* κόππα sive κάππα: nam utrumque rectè dicitur. Alii νωκεδὶμ appellatos arbitrantur à *punctis* & *notis* quibus pleræque pecudes, teste D. Camio, aspersæ sunt. Vide Gen. 30. 32. Prius melius verius quin sit, nullus dubito. ¶ *Ex Thecoa*] Antiquitus editi *Thecoe* vel *Thecue*, i. Θεκωὲ ἢ Θεκωέ· quorum hoc edit. LXX, illud habetur in Josepho. Hieronymus quoque scripsit *Thecue*. Ad quod exemplum obvia sunt *Hosee*, *Sue*, *Noe*, aliáque non pauca. R. D. ad hunc locum, *Thecoa*, inquit, *civitas est magna in hereditate filiorum Aser*. Historiæ ac veritatis interest hoc examinari. Certum est *Thecoa* recenseri inter eas urbes quas Roboam munivit 2 Par. 11. 6. Unde sequitur pertinuisse ad alterutram duarum tribuum. Sic dico, Aut fuit in parte tribûs Juda, aut in hereditate tribûs Benjamin. Fallit ergò, fallit nos Ebræus ille, veriúsque hac de re sensit & scripsit Hieronymus, cujus verba suprà produximus. Quò accommodant locum qui habetur in hoc libro 7. 12. *Abi in terram Juda, & propheta ibi:* quem sic interpretantur ac si diceret, Cùm Judæus sis, deberes in tua patria prophetare, non hîc in solo alieno. His adde *desertum Thecoe*, quod non procul ab Urbe abfuit. Auctor Josephus. Mox repetam. Priùs Hieronymi locum insignem adducam ex Proœmio in hunc Prophetam, *Oppidum Thecue sex millibus ad Meridianam plagam abest à sancta Bethlehem, quæ mundi genuit Salvatorem: & ultrà nullus est viculus, nè agrestes quidem casæ & furnorum similes, quas Afri appellant* mapalia. *Tanta est eremi vastitas, quæ usque ad mare Rubrum Persarúmque atque Æthiopum atque Indorum terminos dilatatur. Et quia humi arido atque arenoso nihil omnino frugum gignitur, cuncta sunt plena pastoribus, ut sterilitatem terræ compensent pecorum multitudine. Ex hoc numero pastorum & Amos Propheta fuit, imperitus sermone, sed non scientiâ. Idem enim qui per omnes Prophetas in eo Spiritus S. loquebatur.* Hujus eremi mentio 2 Par. 20. 20. & 1 Mach. 9. 33. Josephus vocat τὴν ἐρημίαν τὴν ἔγγιςα τῆς πόλεως, l. 13. c. 1. Nam Urbem vicinam habebat. Eusebius De locis, *THECUE, usque hodie juxta desertum civitatis Æliæ vicus ostenditur, unde & Amos Propheta fuit.* A *Thecua* gentile est תקעי *Thecuites* 2 Sam. 23. 26. cujus femininum תקעית 2 Sam. 14. 4. ¶ *Quæ vidit*] Pro eo habendum ac si diceret, *quæ Deus illi per visionem patefecit*. Nam talia propriè *vident* Prophetæ: unde *Videntes* appellantur. Et est *visio* genus Prophetiæ, quæ חזון Ebræis dicitur. Ergò *Verba Amos quæ vidit* idem cum illo, *Visio Amos*, ut *Visio Jesaiæ*, pro quo alibi est, *In libro verborum Jesaiæ*. ¶ *Super Israel*] Hoc alii explicant *de Israele*; alii, *contra Israelem*. Per *Israelem* autem intelligunt X tribus: rectè sané. Nam ad has potissimùm hæc Prophetia pertinet, in qua non fit mentio *Juda* nisi obiter καὶ ὡς ἐν παρόδῳ, ut infrà 6. 1. *Decem tribus*, inquit Hier. *pristinum nomen retinuerunt propter multitudinem*, cùm antea, h. e. ante divisionem, omnes duodecim ità vocarentur. ¶ *In diebus Uziæ*] Vel, sequendo veteres, *Oziæ*, quod LXX & Josephus Ὀζίᾳ scribunt. Vide sis Orig. Judaicar. l. 9. c. 11. Hic alio nomine *Azarias* vocabatur. ¶ *Jeroboam filii Joas*] Qui & *Jeroboam secundus*, etiam *junior* vel *posterior*. *Filii Joas* adjectum διακρίσεως ἕνεκα. Nam alius erat qui *filius Nabat* dicebatur, nempe funestum illud Judæis caput qui divisionis populi auctor exstitit, quíque primus instituit cultum Vitulorum in Dan & Bethel. ¶ *Biennio ante terramotum*] Quem prædicit infrà 3. 15. Ejus mentio usurpatur Zach. 14. 5. per hæc verba, *Et fugietis quemadmodum fugiebatis propter terræmotum in diebus Oziæ Regis Judæ.* Meminit & Josephus Orig. l. 9. c. 11. ubi scribit hoc *terræmotu dimidium cujusdam montis ad Occidentem vergentis revulsum, & per quatuor stadia revolutum, objectu demum Orientalis montis constitisse, obstructâ viâ publicâ & oppressis ruinâ hortis regiis.* Idem addit accidisse hunc terræmotum eo anno quo Ozias leprâ percussus fuit: Quod etiam Lyra annotavit: sed & Hieronymus. Verba hujus hæc sunt, *Hic est Ozias Rex Juda, cognomento Azarias, qui indebitum sibi Sacerdotium vindicare conatus leprâ percussus in fronte est: quando iram Domini non solùm pœna ejus, sed & terræmotus ostendit, quem Ebræi tunc accidisse commemorant.* Abenezra de hac re, *Plerique Interpretes dixerunt hunc terræmotum fuisse cùm Ozias Templum ingrederetur ad suffitum faciendum. Sed hoc certum non est ex Scriptura, tantum ex Cabbala.* In Juchasin fol. 12. *Hujusmodi terræmotus non fuit usque ad tempora Herodis, in fine Domûs secundæ, quo mortui sint Jerosolymæ plusquam decem millia virorum & mulierum. Isaias autem prophetavit tempore terræmotûs.* Hucusque.

2. *Et dixit*] Propheta scilicet. ¶ *DOMINUS rugiet*, &c.] Intelligentiam habet ex illo 3. 8. *Leo rugit, quis non timeat? DOMINUS Deus locutus est, quis non prophetet?* Sic Hos. 11. 10. *Quasi leo rugiet: cùm ipse rugiet, trepidè accurrent filii à mari.* Jes. 5. 29. *Rugitus ejus ut leonis, ut catuli leonum*, &c. Jer. 25. 30. *DOMINUS ex sublimi rugiet, ex suo sacro domicilio edet vocem suam: rugiendo rugiet*, &c. Joel. 3. 16. *DOMINUS è Sion rugiet, & è Jerusalem edet vocem suam: commovebuntur cæli & terra.* Cæterùm Leones captâ prædâ rugire solent, voce ad mugitum compositâ, ut eo sono audito alii Leones ad ejusdem prædæ participationem confluant: Auctor Plutarchus in libro De industria animalium. ¶ *E Sion*] E templo suo, qui erat in Sion; aut è cœlo. Nam aliquando pro *cælo* ponitur, ut & *Jerusalem*. Quam posteriorem sententiam valde firmat locus Jeremiæ suprà productus. Et *è Sion*, ubi verus Dei cultus erat; non *è Dan* aut *Bethel*, ubi Vituli colebantur. ¶ *Edet vocem suam*] Idem aliter. Sanè pro *rugiet* Græci ediderunt ἐφθέγξατο. Lex. Græco-Lat. V. Φθέγγομαι, *loquor, exprimo*. In Thesauro additum, *& generaliùs, vocem emitto, sonum edo.* Porrò verbum *rugiendi* transtulit à Leonibus, qui in deserto Thecuæ satis frequentes erant, ut credibile est. Verum autem illud,

Navita de ventis, de tauris narrat arator.

Qua de re insignis locus est apud Hieron. quem non pigebit adscribere, *Naturale est*, inquit, *ut omnes artifices suæ artis loquantur exemplis, & unusquisque in quo studio trivit ætatem, illius similitudinem proferat, v. g. Qui Nauta est & Gubernator tristitiam suam comparat Tempestati, damnum Naufragium vocat, inimicos suos Ventos contrarios appellat. Rursum prosperitatem & lætitiam Auram placidissimam & secundos nominat Ventos, tranquilla maria & æquora Campis similia. E regione Miles quicquid dixerit Scutum, Gladium, Loricam, Galeam, Lanceam, Arcum, Sagittam, Mortem, Vulnus & Victoriam sonat. In ore Philosophorum semper Socrates, Plato, Xenophon*, &c. *Cur hæc dicta sunt? Ut scilicet ostendamus etiam*

Amos Prophetam, qui pastor de pastoribus fuit, & pastor non in locis cultis & arboribus ac vineis consitis, aut certè inter silvas & prata virentia, sed in lata eremi vastitate, in qua versatur leonum feritas & interfectio pecorum, artis suæ usum esse sermonibus; ut vocem DOMINI *terribilem atque metuendam Rugitum Leonum & fremitum nominaret, eversionem Israeliticarum urbium Pastorum solicitudini & Ariditati montium comparans*, DOMINUS, *inquit*, DE SION RUGIET, ET DE JERUSALEM DABIT VOCEM SUAM. ¶ *E Jerusalem*] Non è Samaria. *Docet*, inquit idem Hieron. *Deum in vera religione versari, quæ illo tempore colebatur in Jerusalem.* ¶ *Et*] Antiquæ versiones, καὶ ἐπένθησαν, *& luxerunt.* Sic mox, καὶ ἐξηράνθη, *& exsiccatum fuit.* Quæ si probamus, erit copula *&* exponenda per *nam* aut *quandoquidem*, ut è nuperis Interpretibus fecit Tremellius. ¶ *Lugebunt*] Vastabuntur. *Lugere* autem dicuntur quia tum pastores in luctu sunt. Tralatio ab animatis ad inanimata. Nam *habitacula* propriè non *lugent*, ut nec *terra*, & tamen legimus Hos. 4. 3. *Ideo luget terra*, & Joel. 1. 10. *Luxit tellus*, nempe quia homines in luctu sunt propter ejus vastitatem. Vel *terra luget*, i. horret, squalet. Contrà *ridere* dicitur quæ suâ fertilitate hilaritatem quandam præ se fert. Siquidem homines risu hilaritatem, ut luctu vastitatem indicant. Huc refer, *Luget mustum, Rident prata.* Sallustius, *frugum pabulique latus ager*, i. fertilis. ¶ *Habitacula pastorum*] Vel *casæ pastorum*, vel potiùs *habitationes pastorum*, i. loca habitata pastoribus, ubi ferè pascua erant. Unde LXX αἱ νομαὶ τῶν ποιμένων. Vocantur Joel. 1. 19, & 20. *habitationes deserti.* Quod autem Hieron. vertit *speciosa pastorum*, & Græci τὰ ὡραῖα τῆς ἐρήμου, non est factum temere, cùm נאות, quod à נוה deducunt, possit esse pluralis à נאוה *speciosus, pulcer*, ὡραῖος. ¶ *Et exarescet*] יבש. Quidam *& pudefiet* בוש. Cave sequaris. ¶ *Caput Carmeli*] i. Vertex aut cacumen Carmeli, in quo silvæ ad latendum aptæ. Infrà 9. 3. *Si occultaverint se in capite Carmeli.* Cæterùm duo sunt hoc nomine montes, unus in Galilæa, alter in Phœnicia. Docet hoc Hieron. cùm ait, CARMELUS *Græcè dicitur & Latinè, Ebraice autem* CHERMEL. *Et sunt duo montes qui vocantur hoc nomine; alter in quo fuit Nabal Carmelius maritus Abigail, ad Australem plagam; alter juxta Ptolemaidem, quæ prius vocabatur* Acho, *mari imminens, in quo Elias Propheta flexis genibus pluvias impetravit.* Quidam explicant CAPUT CARMELI *quod optimum in Carmelo*, sicut *caput unguentorum* dicimus unguentum optimum ac præstantissimum. Sunt etiam qui appellativè sumant CHARMEL pro *loco arvis & vineis consito*, in queis David cognomento Camius. Quem secutus Santes ità hunc locum convertit, *& aruit vertex loci fertilis:* & alius referens, *aruit præstantissimum arvorum.*

3. Antequam veniat ad Israelem, in quem potissimùm scripta est hæc Prophetia, commemorat aliquot crimina vicinarum gentium, quæ Deus negat se condonaturum aut remissurum illis, quòd sæpius ea perpetraverint atque iteraverint. Hoc eò facit, nè Israelitæ putarent fortuita esse quæ sibi acciderent, cùm eadem viderent finitimis accidere; vel ut declararet se, quemadmodum animadvertit in scelera suorum, ità etiam vindicare injurias illatas eis ab aliis. Quod proprium est Dei, qui propterea dicitur *iram servare hostibus suis.* Nam non facilè deponit memoriam injuriarum quas faciunt illi qui hostilitatem exercent in populum suum. Tales enim vocat *hostes* suos. ¶ *Sic dicit* DOMINUS] Hinc patet, quæ *Amosi verba* suprà dicuntur, eadem esse verbum DOMINI, qui ministerio Amos usus est, & per eum Israelitas certiores fecit de voluntate sua. ¶ *Propter tria scelera & propter quatuor*] *Tria quatuórque*, i. multa. Numerus certus pro incerto. Sic *Terque quatérque*, i. sæpius. Alii, *tria & quatuor*, i. septem. Qui numerus passim pro multo usurpatur. Alienum est quod nonnulli annotant, Deum connivere ad tres ætates, & in quarta demum punire scelera. Magis se probat mihi commentum Judæorum de tribus sceleribus quæ Deus condonat homini, & de quarto quod punire solet. Quò accommodant illud Job. 33. 29. *En hæc omnia facit Deus ter cum viro:* q. d. ter ei gratiam facit delicti. Nam proprium Dei *condonare iniquitatem & transire super scelus*, ut habetur Mich. 7. 18. Hanc expositionem illustrat R. D. per historiam sacram hoc modo, *Ecce*, inquit, *Damascus ter vexavit Israelem:* 1. *tempore Baasa Regis Israel.* 2. *tempore Achab (tempore Joram filii Achab pugnatum quidem fuit in Israelitas, sed ejus pugnæ ratio nulla habetur, propterea quòd Syri eodem tempore cladem acceperunt in terra Israel, quam invaserant)* 3. *tempore Joachaz filii Jehu, quod relatum* 2 Reg. 13. 7. *his verbis*, Quoniam perdidit eos Rex Syriæ, & posuit eos tanquam pulverem ad triturandum. 4. *Cùm venit contra Judam in diebus Achaz. Tunc pœnas pendit de omnibus. Nam venit adversùs eum Rex Assyriæ, & cepit Damascum, & deportavit Syros Ciram Regémque ipsorum Rasin interfecit. Omnia hæc Amos prædixit per hæc verba*, ET CONFRINGAM VECTEM, &c. ET MIGRABUNT POPULUS SYRIÆ CIRAM. *Et hanc Prophetiam prophetavit Amos annis 65 antequam eveniret. Sic enim Jesaias 7. 8.* ABHINC 65 ANNIS CONTERETUR EPHRAIM, NE SIT POPULUS. Hactenus Rabbi ille. ¶ *Damasci*] Critici Ebræorum scribunt *Dammasci*, *m* duplicatâ. De hac urbe Jes. 7. 8. *Caput Ephraim Samaria, & caput Syriæ Dammascus. Caput*, i. metropolis, sive urbs primaria. Hieron. *Damascus urbs nobilis Phœnices, quæ & quondam in omni Syria tenuit principatum, & nunc Saracenorum metropolis est. Retro Arabia deputabatur*, ut ait Tertullianus, *antequam transcripta esset in Syrophœnicen.* Hoc ait lib. 3. Adv Marc. Scribit eadem Justinus in Dial. cum Tryphone Judæo habito pag. 87. atque huc accommodat testimonium Jesaiæ, *Capiet opes Damasci & spolia Arabiæ. Ebræorum traditio est, Campum in quo interfectus est Abel à parricida Cain fuisse in Damasco: unde & locus hoc insignitus vocabulo fuit*, Hieron. in Comment. Ezech. 27. *Non convertam eum*] Non revocabo eum ab errore in viam, non reducam eum ad gratiam meam: q. d. *Relinquam eum sibi.* Lux huic loco ex illo Jeremiæ, *Converte nos*, DOMINE, *& convertemur. Convertentur* autem qui in viam redeunt, ac tum etiam peccata illis condonantur. Unde Jon. *non condonabo illi:* & Santes, *non parcam ei.* Alii, *non avertam illud*, nempe quod mox dicturus sum. Pœnas, inquit, quas propositum mihi sumere de illo, non avertam, non revocabo. Sic dico, Non sinam eum abire impunè. Alii, *non dabo ei quietem:* quod pro eo habendum ac si diceret, *vexabo eum continuè ac indesinenter.* Qualia sunt, *Non gaudet stulti pater; Non prosunt thesauri parti improbè; Suscipere personam in judicio non est bonum.* Nè recedamus temere à prima sententia. ¶ *Eum*] Populum ejus. Constructio sensu congrua, non voce. Quanquam legi potest *eam*, i. cives ejus. Nam urbium nomina Ebraica etiam masculinè construuntur. ¶ *Plaustris ferreis*] Sic interpretatur Hieron. dicens *esse genus plaustri quod rotis subter ferreis atque dentatis volvitur, ut excussis frumentis stipulam in areis conterat, & in cibum jumentorum propter fœni sterilitatem paleas comminuat.* Alii, *tribulis ferreis*; alii, *trahis ferreis.* Th. *rotis ferreis.* LXX πρίοσι σιδηροῖς, i. *serris ferreis.* Galli, *avec herses de fer.* Est autem *herse* propriè *crates occatoria.* Cæterùm cum Theodotione Symmachus consentit, qui transfert τροχοῖς σιδηροῖς. Hoc supplicii genere usus est David adversùs Ammonitas 1 Par. 20. 3. ¶ *Galaadem*] Vel *terram Galaad*, i. *incolas terræ illius*, ut rectè Jonathan παραφράζει. Quomodo & Symmachus intelligendus, qui vertit τὸν Γαλαὰδ nisi πόλιν subaudias. Nam erat civitas ejus nominis, ut & mons. Civitatis mentio Hos. 6. 8. *Galaad, civitas operantium iniquitatem.* Eusebius, *A monte Galaad, qui est ad tergum Phœnices & Arabiæ, collibus Libani copulatus, & civitas in eo condita sortita est vocabulum, quam cepit de manu Amorræorum Galaad filius Machir filii Manassè.* Galaad, regio Galilææ trans Jordanem, Gen. 32. ubi dimidia tribus Manasse accepit possessionem cum tribubus Ruben & Gad, Num. 32. Deut. 3. Jos. 13. Cæterùm quæ hîc Propheta commemorat, ea Interpretes Ebræi putant accidisse tum cùm Hasael regionem illam totam devastaret. Historia refertur 2 Reg. 10. 32. Vide, si vacas & si placet.

4. *Ignem*] i. Bellum; ut Psal. 78. 63. *Juvenes ejus devoravit ignis:* aut pestem, quæ ferè bellum comitatur: aut hostem. Sic Jer. 48. 45. *Egressus est ignis ex Hesebon.* Contrà *hostis* pro *igne* ponitur. Virgilius in Ætna,

—Hic defessus anhelat,
Atque aperit se hostis,

i. Ignis, ut exponit Scaliger. Scire licet graves calamitates hoc nomine designari, ut ibi, *Transivimus per ignem & per aquam.* ¶ *In domum*] In familiam: in qua & posteri Hazaelis; è quorum numero fuit, ut quidam conjiciunt, Resin, quem interemit Teglath-Phelefer Assyriorum Rex, captâ Damasco 2 Regum 16. Non malè etiam expones de ipsis ædificiis, cùm se quatur, *qui devorabit palatia Ben-hadad.* ¶ *Hazael*] Parùm periti rerum sacrarum qui hunc filium senioris Ben-hadadi fuisse tradunt. Non fuit is filis ejus sed servus. Clarum hoc ex 2 Regum 8. 14. ubi Benhadad vocatur *dominus* Hazaelis. Quomodo *dominus* si pater ejus erat? At suc-

ſucceſſit ei in Regnum. Quid tum poſtea? nónne ex privato potuit Rex fieri? Quanquam privatus omnino non erat, cùm eſſet in aula Regis Ben-hadadi. Hazael iſte non ſemel vexavit Iſraelem: quo nomine hæc pœna ei denunciatur. Vidè ſis 2 Reg. 10. 32. & 13. 3. ¶ *Devorabit*] Vel *comedet*, i. conſumet. Sic apud Ciceronem *adeſa pecunia*, pro eo quod eſt *magna ex parte conſumpta*. ¶ *Ben-hadad*] Plures fuerunt hoc nomine. Non tamen indè ſequitur commune nomen fuiſſe Regum omnium Syriæ. Id probandum eſſet alio argumento. Vide quæ ſcripſimus Obſerv. lib. 11. cap. 24. Hic peccatum ab antiquis; primùm à Græcis, qui legunt υἱὸς Ἀδὲρ, h. e. Res pro Daleth; deinde à Latinis, qui conſtanter in libris veteribus *Ben-hadab* habent, cum *b* in ultima; poſtremò à Chaldæo Jonatha, ſi modò peccatum hoc, qui edidit בר הדד, ac ſi patrem habuiſſet Hadad, cùm integrum nomen ſit *Ben-hadad*. Quod tale omnino eſt ut ſi quis dicat *Filius Oni* pro *Ben-oni*, aut *Filius Jamin* *Ben-jamin*. Quis non culpet ità loquentem?

5. *Vectem*] i. Vectes. Eſt autem *vectis* propriè inſtrumentum quo portas urbium aut januas ædium adversùs vim muniunt, & ingredi volentes arcent. Unde illud ſequitur, eo effracto patere faciliorem introitum in urbem domúmve, ſi quis intrare velit. Innuit ergò ſe patefacturum hoſtibus aditum in Damaſcum, ut in ea agant ferant cives pro libidine. Aut *vectem* dixit ut ſignificaret quamvis munitionem, figurâ Synecdochê uſus, & ſpeciem pro genere uſurpans. ¶ *Exſcindam habitatorem*] i. Habitatores. Urbs eſt in Syria quæ *Bacaath aven* appellatur. Ejus cives, inquit, & incolas omnes exſcindam & diſperdam. ¶ *De campo Aven*] *Aven* urbs eſt Judææ, non Syriæ, quod ſciam. Ut demus tamen in Syria urbem eſſe ejus nominis, quis non videt ambiguè dici *Campus Aven*? quod intelligi poteſt tam de Aven Judææ quàm Syriæ. בקעת אן lego *Bacaath-aven*, quæ eſt antiqua lectio: & ad hoc exemplum occurrit in veteribus libris בלעם *Balaam*, quod Critici Ebræorum nunc legunt *Bileam*. Quam lectionem ſequendo ſcribendum eſſet *Bicath*. Ea vox *convallem* denotat. Unde in nonnullis ed. *de convalle Aven*. Denotat etiam *campum*: Unde apud Hieron. *de campo idoli*. Nam AVEN antiquâ declaratione *nihil*: *Idolum* autem *nihil eſt*. Græci quoque legunt ἐκ πεδίου Ὤν. Nos auctores Ebræos ſecuti putamus eſſe urbem in Syria ejus nominis, quam R. D. *magnam & amplam fuiſſe* ait. An verè, neſcio. *Et tenentem ſceptrum*] i. Regem. Sceptrum inſigne erat poteſtatis, quod Reges manu tenebant: unde σκηπτοῦχοι βασιλεῖς apud Homerum. Et Aſuerus ſceptrum geſtat in Hiſtoria Eſther. Hinc elucidabis locum illum, *Non recedet ſceptrum de Juda*, i. Regnum, aut Judiciaria poteſtas, quæ olim penès Sanhedrim erat. ¶ *E Beth-eden*] Primitus editi *è domo voluptatis*. Nam EDEN *voluptas*, ex quo Græcum ἡδονή. Id exponunt, *è domo regia, ubi voluptatibus indulgebatur*. Rectiùs Ebræi, qui ſcribunt urbem fuiſſe in Syria ejus nominis. Camius annotat *Davidis tempore ſedem Regum fuiſſe*, cùm videlicet Damaſcus à Judæis teneretur. Nihil abſurdi ſi dixerimus Reges Syriæ modò Damaſci, modò Bethedenis habitaſſe. Nam de Beth-eden clarum ex hoc loco; niſi per *tenentem ſceptrum* ipſum Magiſtratum urbis, penès quem erat judiciaria poteſtas, intellexerimus: quod mihi ſanè non admodum ſe probat. Hanc urbem Jeſ. 37. & alibi *Eden* appellari putant. Quod ità breviter & compendio dicitur ut *Aven* pro *Beth-aven*. Appellatio à *deliciis*: Nam ſita erat in loco amœniſſimo. Ac ſunt qui exiſtiment terreſtrem olim Paradiſum ibi fuiſſe. Vide etiam qui referrent *è domo Eden*, exponentes id de Cœle-Syria, ubi oppidum erat Eden. Quod ut non damno, ità valde improbo de Græcis quod ſcribunt. Non enim Eden vocant *paradiſum* Græci, ſed hortum in Eden. ¶ *Populus Syriæ*] i. Syri. ¶ *Ciram*] קירה *in Kir*, i. לקיר. Hic Jonathan edidit לקירני, i. *Cyrenem*. Sic etiam Symmachus. Secutus eſt hunc poſtea Hieronymus. Cui firmando eſt Euſebius in libro Locorum ità ſcribens, CYRENE, *in finibus Ægypti, ad quem locum Rex Aſſyriorum tranſtulit Damaſcenos*. & auctor Gloſſæ Ordinariæ, cujus hæc ſunt, *Theglath-Phalaſar Rex Aſſyriorum ſuperatâ Ægypto rediens deprædatus eſt Decem tribus, & poſtea convertit ſe ad Syriam, & occidit Raſin Regem ejus, de quo in Eſaia legitur. Et populum Syriæ traduxit captivum in Cyrenem, quæ eſt in finibus ultimis Ægypti*. Teglath-Phalaſar Damaſcenos in ſuperiorem Mediam traduxit, ut Joſephus ait Ant. l. 9. c. 13. Auguſtinus Hom. De Paſtoribus, cap. 17. *Cyrene, Libya Pentapolis, contigua Africa, ad Orientem magis pertinet. Nam Imperator Orientalis mittit judicem ad Cyrenem*. Ebræi hanc Cyrenem in Aſſyria collocant, ſi modò קיר eſt *Cyrene*, de quo ambigi video. Sanè Aquila Interpres non malus, itémque auctor editionis quam *Quintam* vocant, nomen Ebræum immutatum retinuerunt. Sed hæc relinquamus in medio. Illud interim non dubitamus aſſerere, Literam He in קירה adventitiam eſſe. Quod liquet ex hoc ipſo libro. Vide ſis infrà 9. 7. Refertur hæc hiſtoria 2 Reg. 16 9. Vide ſodes & Beroaldum Chronolog. lib. 4. cap. 6.

6. *Gazæ*] Ex quinque urbibus Palæſtinorum, in quos nunc invehitur, Gazam ſolam nominat in delicto, cùm tamen plures recenſeat in pœna. Quid cauſæ eſſe ſuſpicabimur? An quia *Metropolis* erat *Palæſtinæ*? ſic eam appellat auctor Gloſſæ Ordinariæ. Nicolaus quoque *urbem regiam* nominat, ut Gorionides *dominam omnium urbium Edom*. Unde apparet civitatem amplam & præpotentem fuiſſe. Cui firmando eſt appellatio nominis quæ à *robore*: q. tu dicas *Valida*. Nam עז *validus*, cujus fem. עזה unde *Gaza*, ut עמרה *Gomorra*. Sic *Valentia* urbis nomen eſt; & eadem vox appellativè *robur* denotat. Stephanus ſcribit & *Aza*, atque ad ſuam ætatem ſic à Syris appellatam fuiſſe. Idem annotat dictam ab *Azone* Herculis puero: quoſdámque opinari quòd Jupiter gazam ſuam ibi reliquiſſet, indè potiùs nomen habere. In quo ſanè valde falluntur. Nam *gazam* Perſæ appellant גנז, non עזה. Conſimilem errorem erravit Mela quem alibi refutamus. Dicebatur & *Ione* & *Minoa*, eodem teſte. *Olim*, inquit, *Phœnices*, *nunc Palæſtinæ civitas*. Dico *Palæſtinæ*, ut anguſtè id nomen ſumitur. Nam latè ſumptum Phœnicen comprehendit. ¶ *Eum*] Populum ejus. ¶ *Eò quòd tranſtulerint captivitatem*] Eſt cur malim, *eò quòd deportaverint deportationem*] Nam *captivitas* שביה dicitur: גלות autem eſt *deportatio* αἰχμαλωσία. Jer. 13. 19. *Deportabitur Judæa tota, deportabitur perfectiſſimè*. Porrò certum omnino non eſt quando hoc acciderit. Neque enim placet ad tempus futurum referre, cùm potiùs de præterito loquatur. *Captivitatem*, i. *captivos*: res pro hominibus. Sic alibi, *abduxit captivitatem*. Sic *deportatio* pro *deportatis* ipſis. ¶ *Perfectam*] Hoc Theodotio dixit τελείαν, & Aq. ἀπηρτισμένην, & Sym. ἀναπεπληρωμένην, i. *completam*. Senſus eſt, in qua nemo evaſerit. ¶ *Ut concluſam traderent Idumæis*] Auget crimen à fine ac propoſito Gazæorum. Ideo, inquit, tranſtuliſtis (Judæos an Iſraelitas? nam utros intelligat incertum) ut eos Idumæis hoſtibus infeſtiſſimis proderetis. Crudele eſt aliquem è ſolo patrio transferre: crudelius, quem tranſtuleris, hoſtibus quos infeſtiſſimos habet tradere. לאדום τῷ Ἐδώμ. Quod Hieron. convertit *in Idumæa*, & LXX εἰς τὴν Ἰδουμαίαν.

7. *Ignem*] Hoſtem qui tanquam ignis omnia conſumat.

8. *Ex Azoto*] Hæc *Aſdod* Ebræis dicitur. Hieron. AZOTUS, *oppidum inſigne Palæſtinæ, quod Ebraicè dicitur* Aſdod; *& eſt una de quinque olim civitatibus Allophylorum*. Euſebius de locis Ebr. ASDOD, *in ſorte tribûs Juda, quæ nunc vocatur* Azotus, *in qua derelicti ſunt gigantes qui appellabantur* Enakim, *& eſt uſque hodie inſigne oppidum Palæſtinæ*. Stephanus De urbibus, Ἄζωτος πόλις Παλαιστίνης. ταύτην ἔκτισεν εἷς τῶν ἐπανελθόντων ἀπ' Ἐρυθρᾶς θαλάσσης φυγάδων· καὶ ἀπὸ τῆς γυναικὸς αὐτοῦ Ἄζας ὠνόμασεν, ὅ ἐστι χίμερα. Puto legendum χίμαιρα, vel certè χίμαρα, i. capella. Id enim eſt עז, unde Ἄζα. Sed éſtne verum quod ſcribit indè appellatum *Azotum*? Mihi non videtur. Potiùs inclino ut credam ex *Aſdod* factum Græcis ἄζωτος, Daleth in ταῦ verſâ. Nam eſſet *Aſdotus*: ex quo *Azotus*: ſiquidem hæ literæ viciſſim permutantur. Pro exemplo eſt *Ezras*, quod ſcribunt *Eſdras*. Sic Dores, niſi fallor, συρίσδω enunciant pro συρίζω. Urbem hanc nobilitavit olim Arca Domini eò deportata cùm à Philiſthæis caperetur. In eadem olim colebatur præcipuè Venus Palæſtina, quæ & *quarta Venus*, & *Aſtarte* ſive *Aſtareta*. ¶ *Tenentem ſceptrum*] i. Regulum. Erant autem quinque Reguli Palæſtinæ, quos *Sarnas* vocabant: nos *ſatrapas* poſſumus dicere. Joſ. 13. 3. *Quinque Reguli Palæſtinæ, Gazæus, Azotius, Aſcalonita, Gethæus, & Accaronita*. In Collectaneis nom. propriorum, *Ab hac* Aſcalone *Reguli Philiſtinorum Aſcalonitæ appellantur*. Eſtne hoc verum? non opinor. *Aſcalonitæ* vocantur qui Aſcalone cum imperio erant; non cæteri, quod ſciam. Fieri tamen poteſt ut ibi olim habitaverint, aut conventus ſuos habuerint. Quis hoc negare auſit? præſertim cùm nunc dicat, *tenentem ſceptrum ex Aſcalone*. Aſcalon, ſi Honorio creditur, etiam *Palaſtim* dicebatur. Notatum hoc in Synonymia Geographica Abrahami Ortelii. Sed & alii annotarunt. Iſidorus Orig. l. 14. c. 3. *Aſcalon dicta fuit antiquitus* Philiſtina: *unde omnis circa eam regio* Palæſtina *eſt nuncupata*. Auctor Gloſſæ Ordinariæ ad h. l. *Aſcalon antiquitus vocabatur* Philiſthiim, *unde & regio poſtea vocata eſt* Philiſtæa, *& habitatores ejus* Philiſthiim. *Unde per* Aſcalonem *totum regnum Philiſtinorum poteſt intelligi*. ¶ *Et convertam manum meam*] Vel *iterabo plagam*, vel è Gaza, Azoto & Aſcalone *reducam manum meam* ad

ad Accaronem. Hîc quærunt Interpretes cur nullam fecerit mentionem urbis Geth: & respondent nonnulli, eam comprehendi sub his verbis, *peribunt reliquiæ Philisthæorum.* Alii censent ideo fuisse omissam quòd esset in potestate Regum Juda. An hoc verum sit nescio. Hoc scio, ex quo Judaicæ ditionis fuit, non legi uspiam ad Philisthæos rediisse. ¶ *In Accaronem*] Sequor consuetudinem Græcorum, qui Ἀκκαρὼν scribunt cum duplici κ. Alioqui non displicet ut scribatur *Acaron* unicâ *c*. Malè *Acharon* in antiquis editionibus. Critici Ebræorum scribunt עקרון, i. *Ecron.* De hac Eusebius, ACCARON, *in tribu Dan, sive, ut ego arbitror, in tribu Juda, ubi est una de quinque olim satrapiis Palæstinæ.* Et mox, *Sed & usque hodie grandis vicus Judæorum Accaron dicitur, inter Azotum & Jamniam, ad Orientem respiciens. Quidam putant Accaron* Turrim Stratonis, *postea* Cæsaream *nuncupatam.* ¶ *Reliquiæ Philisthæorum*] Quicunque reliqui erunt ex Philisthæis. Hos Græci ἀλλοφύλας vocant; quæ vox *alienigenas* notat. Sed restringunt ad hanc gentem: Interdum tamen aliter usurpant. Cæterùm Philisthæorum urbes à Gath ab Gazam usque Rex Judæorum Ezecias expugnavit & ditioni suæ adjecit. Quod relatum in Sacris codicibus, & apud Josephum lib. 9. cap. 13.

9. *Tyri*] Quæ Ebræis *Sor*, unde *Sar.* Et Ennius dixit *Pœnos Sarrâ oriundos*, i. Tyro. Erant enim Tyriorum coloni. Hodie vocatur *Sur.* Quondam insula, nunc terris annexa peninsulam efficit. Dionysius Alexandrinus eam Ὠγυγίην, i. *priscam*, nuncupat: & Plinius scribit vetustissimarum urbium parentem esse. Hujus cives mercatores erant, & rei navalis peritissimi. *Maria*, inquit Mela, *navibus adire, classe confligere, imperitare gentibus, regnum præliumque commenti.* ¶ *Captivitatem*] Malim *deportationem.* ¶ *Perfectam*] Τελείαν. Sensus est, *eò quòd prodiderint Idumæis eos qui plenè deportati erant*, sive *quorum deportatio completa erat.* Completam autem *deportationem* dicit in qua omnes deportantur, nemine relicto. È contrario *incompleta* sive *imperfecta deportatio* est quando aliqui relinquuntur, ut accidit belli Chaldaici tempore, cùm Jerosolyma exscinderetur. ¶ *Idumæis*] Genti infestissimæ Judæis. ¶ *Neque memores fuerint federis fratrum*] Quod inter Salomonem & Hiram Regem Tyri, qui se mutuò *fratres* appellabant. Vide 1 Reg. 9. 13. Sed legi potest, *qui non recordati fuerant fratrum*, sive, *qui immemores fuerant federis fratrum*; ut ad Idumæos referatur, qui fratres Judæorum erant revera, & ità passim appellantur in his literis. Cæterùm quinque modis dicuntur *fratres*; Naturâ, ut Jacob & Esau; Cognatione, ut Abraham & Lot; Gente, ut Judæi omnes inter se; Religione, ut Christiani omnes inter se; Amicitiâ, ut Salomo & Hiramus Rex Tyri. Sic, *frater in calamitate nascitur*, i. amicus certus. Qui supra modum amant, & supra modum oderunt. Tales sunt fratres si quando simultas inciderit. Unde proverbio dicitur, *Fratrum ira acerbissima.* Auget ergò crimen Tyriorum ex circumstantiis: qui profectò minus peccassent si aliis hostibus Judæos prodidissent.

10. *Immittam ignem in murum Tyri*] Hoc factum putarim non ità multò pòst in bello Salmanassaris contra Syrios, de quo Josephus l. 9. c. 14. aut in bello Nabuchodonosori. Tamen non affirmo.

11. *Edom*] i. Idumæorum, qui ab Esau, cujus cognomentum erat *Edom*, originem ducunt. Hic singulare odium exercuit in fratrem suum Jacobum, quod posteri ejus constanter retinuerunt, Israelitis fratribus suis ubicunque potuerunt nocentes, & cladibus ipsorum semper imminentes. Dictus isto cognomine vel à *rufo edulio* cum pro primogenituram permutavit, vel sanè quòd *rufus* ex utero matris prodierit. EDOM enim Ebræis *rufum* significat. ¶ *Gladio*] Bello & armatâ manu. Quando id fecit? Primùm cùm Jacob è Mesopotamia rediret; deinde cùm Israel ex Ægypto egressus per ejus terras transitum sibi concedi postularet. Tum enim armatâ manu obviam ei prodiit, negato eo quod petierat, Num. 20. 20. Vide & 2 Par. 28. 17. ¶ *Fratrem suum*] Jacobum, cujus posteri Israelitæ etiam *fratres* Idumæorum vocantur, utpote ab eodem parente descendentes. ¶ *Et corruperit miserationes suas*] Malim *storgas suas.* Latinè hoc diceretur *& exuerit affectus amoris fraterni.* רחמיו, quod reddunt *miserationes*, ut aliquando *viscera*, i. σπλάγχνα, declarat affectum illum amoris quo parentes prosequuntur suos liberos, & vicissim liberi suos parentes aut fratres aut consanguineos. Græci στοργὴν vocant: unde apud Athenæum lib. 13. φιλοστοργία: & legimus Luc. 1. 78. σπλάγχνα ἐλέους, *viscera misericordiæ*, i. amor quo parentes complecti solent sua viscera, i. suos natos. Nomen hoc singularem habet רחם repertum Hab. 3. 2. Nam falluntur qui à רחם deducunt, voce *uterum* sive *matricem* denotante, quasi significare voluerit Amos hos duos fratres ex eodem utero prodiisse; quod jus Edom violaverit persequendo ità Israelem fratrem suum uterinum. Hinc medicinam facies libris Græcis, si modò huc respexerunt. Quod adeò persuasum mihi, ut credam eos edidisse καὶ ἐλυμήνατο μήτραν αὐτῆς, incuriâ verò librariorum irrepsisse μητέρα ἐπὶ γῆς quod nunc in codicibus quos vidi. Docti expendent: Nam falli possum. ¶ *Rapueritque in perpetuum irâ suâ*] i. באפו. Sed præpositio nulla est in fonte: Itaque alii maluerunt, *rapueritque in perpetuum ira ejus. Ira ejus rapuit* idem cum illo, *ipse rapuit*; vel potiùs, *ipse rapuit iratus*, quod ἐμφατικώτερον est. Nam per iram nihil rectè fit. Minùs placet quod alii exponunt *rapueritque in perpetuum iram suam*, i. arripuerit, tenuerit. Quod postremum legitur in editione Hieronymi, & R. S. hic annotat ותוזיק בה ולא הניחה, *tenuerit eam, & non dimiserit eam.* Mihi coactum hoc videtur. ¶ *Et indignationem suam servaverit*] Versio hæc Hieronymi est, quam puto veram esse præ illa Tremellii, *& excandescentia ejus observet*, i. שמרה. *Servaverit*, שְׁמָרָה dixit pro שְׁמָרָהּ quod verbum è verbo sonat *servaverit eam*: & est Pleonasmus Ebraicus. ¶ *Æternum*] Plenum esset *in æternum.* Sic נצח ponitur pro לנצח. Hieron. hoc dixit *ad finem usque.* In Græcis esset εἰς τέλος, pro quo LXX nunc posuerunt εἰς νῖκος *ad victoriam*: נצח enim & *vincere* significat.

12. *In Theman*] Urbem Idumææ. Hæc urbs nomen accepit à Theman filio Eliphaz filii Esau. Eusebius De locis Ebr. THEMAN, *juxta Ezechielem, civitas Idumææ. Porrò Esaias in visione eam ponit Arabiæ. Meminit hujus & Jeremias. Abdias autem scribit civitatem Esau. Sed & unus filiorum ejus* Theman *appellabatur.* Erat & regio hoc nomine. Idem ibidem, THEMAN, *regio principum Edom in terra Gebalitica, à Theman filio Eliphaz filii Esau sortita vocabulum.* Et mons Hab. 3. 3. *Dominus è Theman veniet*: qui *Seir* appellatur Deut. 32. Interdum latè sumitur pro *Austro*, quem νότον vocant Græci. Eusebius idem, *Sciendum autem quòd omnis Australis regio Ebræis* Theman *dicitur.* Hinc disces cur Jonathan verterit בדרומא, quod *Austrum* significat. Hieron. *Eadem* Darom *&* Nageb. *dicitur, eò quòd Eurum & Austrum Africumque respiciat.* In ed. Rom. pro Θαμὰν puto legendum Θαιμὰν, quod nunc scribunt Θημάν. Nam hæ vocales alternant apud Interpretes. ¶ *Bosræ*] Idumææ civitatem fuisse Bosra non hic tantùm locus arguit, sed alii præterea duo; quorum unus est, Jes. 34. 6. alter Jes. 63. 1. Apparet autem solum habuisse pascuis lætum. Nam commemorantur *oves Bosra* Mich. 2. 12. R. D. ad eum locum, *Bosra oppidum magnum in Idumæa, quod pecoribus abundabat.* Jer. 48. 24. numeratur inter civitates terræ Moab. Fortè sita erat in confinio utriusque regionis. Potest etiam fieri ut duæ civitates fuerint ejus nominis: quod video Nicolaum existimasse: nec dissentit Andreas Masius. R. S. scribit positum esse inter Moab & Edom, & quidem ex terra Moab esse, sed attribui Idumææ. An quia erat sub ditione illius populi?

13. *Filiorum Ammon*] υἱῶν Ἀμμών. Malè quidam, *Ammonitarum*, i. עמונים, qui perspicuè distinguuntur à *filiis Ammon* 2 Par. 20. 1. ubi R. D. *Filii Ammon*, inquit, *nusquam vocantur* Ammonitæ, *sed* בני עמון: *Ammonitæ autem populus erat alius, ità vocatus à loco unde originem habebat. Horum mentio & in historia Oziæ per hæc verba*, ET DEDERUNT AMMONITÆ MUNERA OZIÆ. ¶ *Eò quòd*, &c.] Genus crudelitatis usitatum antiquis, 2 Reg. 8. 12. *& gravidas eorum dissecabis*, Hos. 13. 16. *Et prægnantes ejus dissecabuntur.* Rursum 2 Reg. 15. 16. *omnes gravidas mulieres dissecuit.* ¶ *Dissecuerint*] *Fiderint, disciderint, diruperint.* ¶ *Prægnantes*] *Mulieres gravidas* καὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσας. Quidam, *montes Galaad*: cui firmando est, *ut dilatarent terminum suum.* Sic Hannibal Alpes discidit ut per eas exercitum in Italium traduceret, atque ità fines imperii Carthaginensis propagaret. Sunt etiam qui per *montes* intelligant civitates munitas: Quo sensu ea vox sumi videtur & Jer. 51. 25. ¶ *Galaad*] Terram cui Galaad, finitima erat regio Gaditarum trans Jordanem Orientem versùs. Vide sis Jer. 49. 1. ¶ *Ut dilatarent terminum suum*] Ut ità vacuam terram occuparent, nemini superstite qui eam vindicare atque asserere posset.

14. *Succendam ignem in muro Rabba*] Pro eo habendum ac si diceret, *succendam murum Rabba in igne*, i. igne. Hanc figuram Grammatici *Hypallagen* vocant. Ad quod genus pertinet, *miserunt civitatem in ignem*: nam esset, *miserunt ignem in civitatem.* Potest etiam sensus esse, *Accensum ignem immittam in murum Rabba*: nam sæpe ità unum verbum ponitur pro duobus. Sic, *Capies carbones ignis super caput ejus*, pro *capies & pones.* Rabba, metropolis & regia filiorum Ammon, quam Da-

vid expugnat 2 Sam. 12. 26. ubi רבת בני עמון appellatur. Nam erat alia Rabba Moabitarum, quam רבת מואב vocabant, i. *Rabbath-Moab*. Si Masio credendum, dicitur etiam רבת עמון *Rabbath-Ammon*. Syrorum autem linguâ, teste Theodoreto, *Amman* nuncupatur. Quod firmat Stephanus De urbibus, qui etiam scribit, eandem *Astarten*, & pòst à Ptolemæo Philadelpho Ægypti Rege Φιλαδέλφειαν dictam esse. Verba Stephani, Φιλαδέλφεια, τῆς Συρίας ἐπιφανὴς πόλις ἡ πρότερον Ἀμμανά· εἶτ' Ἀστάρτη· εἶτα Φιλαδέλφεια ἀπὸ Πτολεμαίου τοῦ Φιλαδέλφου. *Syriæ urbem* dicit, ut etiam Ptolemæus. Alii Arabiæ eam deputant, ut Hieronymus, nempe quia Arabiæ vicina erat. Novum non est ut hoc modo regionum limites confundantur. In libro De locis Ebraicis, AMMON, *quæ nunc* Philadelphia, *urbs Arabiæ nobilis*. Apud Josephum Ant. hist. l. 7. c. 3. reperio Ἀραμαθᾶ, & pòst Ῥαβαθᾶ, & in Rufino *Rabbath*; quod ità olim perperàm scribebant pro *Rabba*. Sic Græci LXX, ἐπὶ τείχη Ῥαββὰθ. Euseb. De locis, RABBATH, *civitas Regni Ammon*, *nunc* Philadelphia, *cujus meminit Jeremias*. Veritas scripturæ *Rabba*, sed cùm aliquid additur, tunc more appellativorum ultima He in Thau mutatur, ut vidimus. Sic 2 Sam. 12. 29. וילך רבתה *& ivit Rabbam versus*. ¶ *Cum clangore*, &c.] Hæc verba innunt Rabbam bello capiendam esse. Quod etiam Propheta Jeremias prædixit, 49. 2. Vetus editio habet *cum ululatu*. Utrumque denotat תרועה, videlicet & *clangorem tubarum*, & *ululatum* sive *clamorem illum quem milites edunt in congressu acierum*. Sic acceperim Græcum interpretamentum, μετὰ κραυγῆς ἐν ἡμέρᾳ πολέμου. ¶ *Belli*] i. Prælii, aut pugnæ, quæ propriè קרב dicitur, & Græcè μάχη. ¶ *Cum tempestate in die turbinis*] Vel potiùs, *cum turbine in die tempestatis*. *Capietur cum turbine*, i. celeriter: nam turbine nihil celerius. Vel, capietur subitò & inopinatò, sive ex improviso. Vel, *succendetur cum turbine*, quia ignis, cui turbo adjunctus est, latiùs grassatur.

15. *Rex eorum*] מלכם, quod alii vocalibus Hieron. olim legit *Melchom*. Ità vocabant Numen filiorum Ammon. ¶ *In captivitatem*] In exsilium. Rectiùs alii, *ibit in deportationem*, i. deportabitur. Nam differunt *captivitas* & *deportatio*. Sic μετοικεσία & αἰχμαλωσία. ¶ *Et Principes ejus*] Græci addunt de suo οἱ ἱερεῖς αὐτῶν. Quod lectioni Hieronymianæ, cujus modò mentionem fecimus, non malè convenit.

IDEM.

1. EN Ἀκκαρεὶμ] Sic ed. Rom. Libri plerique ἐν Καριαθιαρείμ. Accidit huic loco quod aliis quibusdam, ut nomen minùs notum in eo permutatum sit cum alio notiore. Sic Joel. 1. 1. Παθουὴλ mutavit in Βαθουήλ· nam id notius erat. Καριαθιαρεὶμ oppidum est notissimum in vulgus, oppidum, inquam, tribùs Juda: Ebraicè קרית יערים: id Latinè sonat ac si dicas *Civitas silvarum*. Hieron. interpretatur *Villa silvarum*. Sunt quibus קריה propriè πολίχνη, i. *civitacula* sive *urbecula*. Editio Plantini, ἐν Ἀκκαρεί· scriptura nihilo melior, imò pejor in omnes partes. Nam Ἀκκαρεὶ verbum non nauci. Ex Hieron. legendum ἐν Ἀκκαρεὶμ. Sed est cur malim ἐν Ἀκαρεὶμ unico κ. Quanquam & hoc corruptum pro Νακκαδεὶμ vel Νωκεδείμ. Sed dico, In hac lectione, quam veram esse puta, dupliciter peccatum fuit; primùm à librariis, qui scripserunt Ἀκκαρεὶμ pro Νακκαρείμ. deinde ab Interpretibus, qui legerunt Νακκαρεὶμ pro Νακκεδεὶμ sive Νωκεδείμ, h. e. Res pro Daleth. Nihil verisimilius. Librariis fortè causam errandi præbuerit dictio ἐν, cujus ultima ν exclusit, ut fit, primam sequentis. Simile mendum 2 Reg. 3. 4 ubi ἦν Ὠνὴδ legitur in vulgatis pro ἦν Νωκὴδ. Ità hunc locum olim correxi, nec adhuc pœnitet. ¶ Οὓς εἶδεν] Plantini, ὡς ἴδεν in cæteris ὡς εἶπε. Occasionem huic scripturæ præbuit λόγοι Ἀμώς. Nam *verba* non *videntur*, sed *audiuntur* aut *dicuntur*. Vide quid non audeat imperitia. Ut hic locus, sic alii multi similiter corrupti fuerunt à scribis; quos in loco indicabimus. Hieron. *Sermones Amos quos vidit super Israel, non carnis oculis, sed mentis intuitu: quia Propheta vocabantur* Videntes. *Alioqui secundùm literam sermones non videntur, sed audiuntur*. Suadeo ut adeas Lectiones meas. ¶ Ὑπὲρ Ἱερουσαλὴμ] Hæc est scriptura codicum C. & R. In aliis habetur περὶ Ἱερουσαλὴμ, ut in Lat. V. *pro Jerusalem*. Cæterùm inclino ut credam ab Interpretibus editum fuisse initio Ἰσραὴλ pro Ἱερουσαλὴμ. Nam nimiùm frequenter hæc nomina permutantur. Ut ut sit, mendum vetus est Ἱερουσαλὴμ quod etiam Hieron. agnovit. ¶ Καὶ ἐν ἡμέραις] Hæc desiderantur in nonnullis ed. ¶ Τοῦ Ἰωὰς] Exemplar quod secutus est Plantinus, υἱοῦ Ἰωὰς, & in Hieron. *filii Joas*. Loquor de versione antiqua quæ in operibus Hieron. ¶ Ἰσρανὴλ] Plantinus excudit τοῦ Ἰσραήλ.

2. Ποιμένων] Idem habet προβάτων, i. הצאן: Aldus autem ποιμαίνων quod ex antiqua pronunciatione. Sic alibi permutantur ἄνεμος & ἄνεμος· Sic ἐλαίῳ & ἐλέῳ. Illud autem προβάτων videtur esse à sensu: nam *pascua* dicuntur *ovium* potiùs quàm *pastorum*. In fonte *habitacula pastorum*.

3. Αὐτὸν] Sic legitur & in Ebræo & in C. R. In reliquis αὐτῆς, & apud Hieron. *eos*. Jonathan quoque habet להון *eis*, i. civibus Damascenis. Novum non est ut ità numeri permutentur in nominibus urbium & populorum gentiliùmque. ¶ Τὰς ἐν γαστρὶ ἐχούσας] Membrum istud librarius nescio quis translatum ex v. 13. temere hìc inseruit. Vetus autem esse glossema liquet ex ed. Latina quâ veteres usi, tum etiam ex consensu exemplarium quæ mihi videre contigit. ¶ Ἐν Γαλαὰδ] Libri quidam τῷ Γαλαάδ. Ed. Lat. V. *in Galaad*. Ebræa & Chald. τὸν Γαλαάδ.

4. Ἀποστελῶ] Varia lectio quæ in editis ad C ἐξανατελῶ, *exoriri faciam*. Vet. Lat. *emittam*, ἐξαποστελῶ. Maluissem *immittam*, itàque postulat sententia. ¶ Τοῦ Ἄδερ] Ebraicè υἱοῦ Ἀδὰδ, sive Ἀδέδ. Erratum in lectione, non in scriptura. Hoc volo; Interpretes peccarunt; non librarii: nam legerunt Res pro Daleth. Meminit Hieron.

5. Ἐκ πεδίου Ὢν] Lectio germana Interpretum, si non fallit Hieron. Tamen in iis quæ Plantinus edidit, ἐκ πεδίου εἰδώλων quod sumptum videtur ex versione Hieron. ex Ebræo, in qua *de campo idoli*: nam quæ ex Græco *de campo* Ὢν habet. Ipse Hieron. in Comment. ità scribit: *campum idoli*, *quod Ebraicè dicitur* און, *& Lxx & Th. interpretati sunt* Ὢν. Quærenti unde hæc interpretatio sit, respondeo, און interdum idem valere quod אין, i. *non*, *nihil*. Porrò *idolum nihil est*: unde אלילים appellantur quasi *dii nihili*. Porrò און *idolum* significare affirmat non uno in loco is quem modò nominavi Hieronymus. ¶ Ἐξ ἀνδρῶν Χαῤῥάν] Locus vitii manifestus. Puto initio scriptum fuisse ἐξ υἱῶν Ἀρὰν, & indè librarios fecisse ἐξ ἀνδρῶν Χαῤῥάν. Opinio mea juvatur primùm editione Compl. in qua Ἀδὰν scriptum; deinde aliis locis, in quibus בית & בני permutantur. Res non eget probationis. Sic reperies in hoc libro υἱοὶ Ἰσραὴλ, i. בני ישראל, pro eo quod in fonte בית ישראל, i. οἶκος Ἰσραήλ· quomodo & hìc בית עדן, i. *Beth-eden*, quod Latinè sonat *domus Eden*, sive, ut Hieron. *domus voluptatis*: nam עדן *voluptas*, i. ἡδονή. Nihil dico si non in Mose Ἀραν legitur pro Χάραν sive Χάῤῥαν, quas *Charras* indigitant. Jam verò pervulgatum, exscriptores quandoque nomen unum quod rarum, atque ideo ignotum, cum alio permutasse notiore. Nec illud omittendum, υἱοὺς Χαῤῥὰν ex Ebraismo dici eos quos Græci ἄνδρας Χαῤῥὰν appellitant. Sua cuique linguæ dictio sive proprietas loquendi. Cæterùm ex Lat. V. *de viris Charran*, discimus lectionem hanc antiquam esse non heri aut nudiustertiùs natam, cùm etiam in ea conspirent libri Græci ad unum omnes, quos quidem ego viderim. ¶ Αἰχμαλωτευθήσεται] Alibi, videlicet in C. αἰχμαλωτισθήσεται. ¶ Ἐπίκλητος קירה, quod ab aliis redditur εἰς Κὶρ, πατέρες εἰς τὴν Κυρήνην, à קיר dicunt, nimis ineptè inscitéque. Suspicor tamen eos legisse קרוא, h. e. Vau loco Joth. Nam He pro Aleph insolens non est.

6. Τοῦ Σαλωμὼν] In quibusdam libris τοῦ Σολομών. Rectiùs & meliùs Σαλωμὼν, cùm ω in penultima: nam prima variat. Tam *Salomo* se tueri potest quàm *Salomo*: utrumque rationem habet ex antiquitate. Mirum autem quid in mente habuerint cùm ità verterent: nam quin legerint שלמה, cùm puncta olim abessent, vix dubito. Qui secuti sunt Interpretes Græci legerunt שלמה, ut & Critici Ebræorum. Lectio in omnes partes melior, verior. Libet suspicari ab *Lxx* viris, qui sæpe hoc modo retinent nomina Ebraica, scriptum initio fuisse Σαλωμὰ sive Σαλωμὼ, unde postea factum sit ab imperitis Σαλωμών. Sed nihil adsevero: sit cuique liberum de his judicium. Felix memoria mihi hæc scribenti aliud exemplum suggerit in quo similiter peccatum ab his Interpretibus Gen. 33. 18. *Et venit Jacob incolumis ad urbem Sichemi*. In fonte habetur שלם, quod reddunt εἰς Σαλὴμ, ac si nomen esset urbis proprium. Aut fortè ut hic ità ibi quoque nomen שלם, cùm ejus significationem ignorarent, immutatum reliquerunt. Quod ità esse mihi planè persuaderem si abesset præpositio: nunc illa me dubium facit & in aliam sententiam magis impellit.

7. Ἐξαποστελῶ] Locus iste confirmat lectionem quam secutus est Int. V. suprà v. 4. qui etiam hic vertit *& emittam*. Jam dixi, est cur malim *immittam*. Fortè sensus, *emittam è cælo*; aut ἐξ otium agit, ut in ἐκπορνεύω & similibus. ¶ Ἐπὶ τὰ τείχη] Aldus, ἐπὶ τρίχης. Quid si ἐπὶ τεῖχος; Probarem nisi reliqui omnes haberent ἐπὶ τὰ τείχη, quod etiam legit Int. Vetus.

8. Φυλὴ]

8. Φυλὴ] i. *Gens, populus:* idem aliter. Hodie vertunt ex Ebræo σκῆπτρον, & meliùs: nam præcedit תומך *tenens*, κρατῶν. Sed Lxx reddunt ἐξαρθήσεται, ut suprà v. 5. κατακόψω Φυλήν. ¶ Λέγει Κύριος] Sic legitur in C. & R. Alii habent Κύριος Κύριος quod præfero: nam in Ebræo אדני יהוה pro quo transferre amant modò Κύριος Κύριος, modò Κύριος ὁ Θεός, & meliùs: quippe יהוה nunc legitur אלהים, i. *Deus:* nihil certius.

9. Ἀυτὴν] Alibi ἀυτῆς. Non repeto quæ dixi suprà v. 3. ¶ Τῷ Σαλωμὼν] Aliàs τῷ Σολομών. Vide quæ scripsimus ad v. 6. ¶ Εἰς τὴν Ἰδουμαίαν] Cephalæi exemplar, εἰς τὴν Ἰουδαίαν nunc reddunt ex Ebræo τοῖς Ἰδουμαίοις. Latina quæ in operibus Hieron. *in Idumæa.* Ἀδελφῶν] i. *Sociorum, amicorum.* Qui enim alicui amicus est, ut Salomo erat Hiramo Tyri Regulo, ejus *frater* dicitur. Notum adagium illud, *Frater in adversis nascitur.* Id Ennius extulit,

Amicus certus in re incerta cernitur.

R. D. cùm explicat sensum vocis אלוף, quæ *intimum amicum* denotat, inter alia ponit אח גדול *frater magnus*, i. amicus summus. Doctè Hieron. ad h. l. *Quærimus quomodo Tyrii fratres sint Judæorum. Fratres hic amicos vocat & necessitudine copulatos, eò quòd Hiram Princeps Tyri cum David & Salomone habuerit amicitiam.*

11. Διῶξαι αὐτοὺς] Ed. Regia καταδιῶξαι. Lat. quæ apud Hier. *eò quòd gladio persecutus sit fratrem suum.* ¶ Τὸν ἀδελφὸν] Partim exemplarium τοὺς ἀδελφούς. Parùm refert hoc an illo modo legas, nisi quòd in Ebræo & apud Hier. *fratrem suum.* Olim tamen cùm puncta adscripta nulla essent, quod legimus אחיו *fratrem suum*, legi etiam poterat אחיו *fratres suos.* ¶ Ἐλυμήνατο] In uno codice reperi ἐλυμήναντο quæ lectio quadrat cum eo quod præcedit, ἕνεκεν τοῦ διῶξαι αὐτοὺς. Quanquam in Ebræo αὐτὸν, non αὐτοὺς, constructio sensu congrua, non voce, ut cùm ait τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ. Scire licet nomen אדום, quod in Ebræo, propriè ipsum *Edom* significare. ¶ Μητέρα ἐπὶ γῆς] Correctione opus est, cogitemus ergò. Quid si sic, μήτραν αὐτοῦ; In Lat. V. *& violaverit vulvam super terram*, μήτρα ἐπὶ γῆς. Qui otio abundant, ampliùs investigabunt. Hinc medicinam facies Hesychio, Μητέρα ἡ τῆς γυναικὸς nam legendum μήτρα quod vel ipse ordo literarum evincit. μήτρα, i. *uterus, matrix, vulva.* Sequitur in Hesychio, καὶ κεφαλῆς διάδημα βαρβαρικόν. Erravit in Μήτρα & Μίτρα. Vide sequentia in notatis ad Φρίκην αὐτοῦ. ¶ Καὶ ἥρπασεν] Perperàm in A. & B. καὶ ἠτόλμασεν nam ipse Int. antiquus legit ἥρπασεν vertit enim certè *& rapuit.* ¶ Εἰς μαρτύριον] Legerunt לעד pro eo quod nunc legunt לעד εἰς τὸν αἰῶνα. Sic etiam legit B. Hieron. ¶ Φρίκην αὐτοῦ] Hieron. ad h. l. *Pro misericordia Lxx* μήτραν, *i. vulvam, transtulerunt, & pro furore* φρίκην, i. horrorem, *& pro indignatione* τὸ ὅρμημα, *i. impetum, ducti ambiguitate verborum, quia* רחם *& vulvam & misericordiam,* אף *& furorem & ejus horrorem suum significat,* עברה *verò & indignatio & impetus dicitur.* ¶ Εἰς νῖκος] Int. V. *in æternum.* Sensum expressit qui in Ebræo. Alioqui νῖκος *victoria*, quæ & νίκη. Eadem significatio in verbo נצח, unde לנצח, quod alibi reddunt εἰς τέλος. Diversa lectio εἰς νεῖκος, quæ in editis à Plantino: minùs se probat mihi: nam εἰς νεῖκος, i. לריב. Talis varietas 1 Cor. 15. 54. *Absorpta est mors ad victoriam*, εἰς νῖκος siquidem Ambrosius & Tertullianus *in contentione*, εἰς νεῖκος. Sed נצח *vincere*, non *contendere.*

12. Εἰς Θαιμὰν] Corrigo εἰς Θαιμάν. Posset etiam legi, εἰς Θημάν. Int. V. *& emittam ignem in Theman.* Editiones quæ ad E. C. ἐπὶ Θαιμάν. Abd. 9. in iisdem Θεμὰν, quod ità scribitur pro Θημὰν, ut alibi Ἐφρὲμ pro Ἐφρὴμ sive Ἐφραΐμ. ¶ Θεμέλια τειχέων αὐτῆς] Impressi à Plantino, τὰ θεμέλια αὐτῆς. Vetus, *fundamenta murorum ejus.* Audiamus nunc ipsum Hieron. *Porrò* ארמנות, *quas nos* ædes, inquit, *interpretati sumus, soli Lxx & hic & suprà* θεμέλια τειχέων αὐτῆς, *i.* fundamenta murorum ejus, *dixerunt. In fonte, palatia Bosra*, sed Interpretes legerunt מבצר cum Mappic in He: hoc primum. Deinde בצר acceperunt pro *muro qui civitatem munit:* nam בצר *munio:* unde Hieron. BOSRA ὠχυρωμένη, i. munitam, *significat.*

13. Ἀυτὸν] Libri plerique αὐτοὺς quomodo legit & Int. V. *aversabor eos.* Sciendum tamen in Ebræo esse αὐτὸν, non αὐτούς. ¶ Τὰς ἐν γαστρὶ ἐχούσας] Libri Antverpiæ cusi, τὰς γαστρὶ ἐχούσας absque præpositione. Dubito an ut dicimus ἐν γαστρὶ ἔχειν ità etiam dicatur γαστρὶ ἔχειν. Paulò pòst in Aldo Γαλααδιτῶν.

14. Ἐπὶ τείχη Ῥαββάθ] Biblia Regia, ἐπὶ τὰ τείχη Ῥαββά. Sic etiam legit Interp. V. nàm transfert *super muros Rabba.* Hieron. in Comment. *Rabba, metropolis Ammonitarum.* ¶ Ἐν ἡμέραις] Pars librorum ἐν ἡμέρᾳ, & sic Int. antiquus, *in die.* Hæc lectio pro se habet textum Ebræum. ¶ Συντελείας αὐτῆς] Plantinus habet συντελέσεως αὐτῶν. Mihi non dubium quin legerint סופה, ideo præfero αὐτῆς alioqui סופה est λαῖλαψ, i. *turbo.* Priscus Int. *consummationis suæ.*

15. Πορεύσονται οἱ βασιλεῖς ἀυτῆς] Biblia Antverpiensia, πορεύσεται βασιλεὺς αὐτῆς. Puto aliquando scriptum fuisse αὐτῶν pro αὐτῆς nam מלכם βασιλεὺς αὐτῶν, i. *Rex eorum.* Lat. V. *ibunt Reges*, οἱ βασιλεῖς, absque pronomine. ¶ Οἱ ἱερεῖς αὐτῶν] Sumptum putatur ex Jeremia. ¶ Ἄρχοντες αὐτῶν] Ἀυτῶν abest in B. Aldus ἄρχοντες αὐτῷ. Sic etiam Cephalæi editio. Correxerim ἄρχοντες αὐτοῦ. Sic veritas Ebræa. V. Int. *Principes eorum.*

IDEM.

1. בנקדים. Aq. ἐν ποιμνοτρόφοις. Sym. & V. ed. ἐν τοῖς ποιμέσιν. Th. ἐν Νωκεδεὶμ] Hieron. *In eo autem loco ubi Lxx transtulerunt* in Accarim, *Th. ipsum verbum Ebraicum posuit* Nocedim, *quod Aq. vertit* ἐν ποιμνοτρόφοις, *i.* in pastoribus. *Sym. & V. ed.* ἐν τοῖς ποιμέσιν, *i.* in pastoribus. † Ἐν ποιμνοτρόφοις, *inter eos qui greges pascebant:* nam ποίμνη propriè *grex ovium.* Differt autem à ποιμὴν, quia ποιμὴν dici potest etiam qui unam tantùm ovem pascit. † Ἐν τοῖς ποιμέσιν. Νωκὴδ etiam ab Ebræis exponitur רועה, i. ποιμήν. Videtur tamen potiùs significare *illum qui pecuariam exercet*, qualis erat Mesa Rex Moabitarum, qui Νωκὴδ vocatur 2 Reg. 3. 4. † Ἐν Νωκεδεὶμ vel, ἐν Νακεδεὶμ. Quod Lxx viri, Res pro Daleth legentes, scripserunt ἐν Νακκαρεὶμ unde postea factum oscitantiâ librariorum ἐν Ἀκκαρείμ. Ità conjicio: puto autem conjecturam meam non omnino vanam esse. ¶ על ישראל. Aq. Sym. Th. *super Israel*] Hieron. *Sciendum hunc Prophetam non* pro Jerusalem, *quod in Ebræo penitus non habetur, sed* super Israel, *i. Decem tribus, quæ appellantur* Israel, *& erant in Samaria, prophetasse. Quod quidem & Aq. & Sym. & Th. similiter transtulerunt.*

3. על דושם בחרצות הברזל את הגלעד. Sym. καθὼς ἠλόησαν τροχοῖς σιδηροῖς τὸν Γαλαάδ] Ità citatum reperi hoc testimonium in ed. Rom. sumptum, ut apparet ex Theodoreto, cujus interpres Latinus, *pro eo quòd trituraverint rotis ferreis Galaad.* Idem addit, in hanc sententiam Aquilam & Theodotionem vertisse. Hieron. *Pro tribulis, quæ Ebraicè appellantur* חרצות, *& à Theodotione translata sunt* rotæ ferreæ, *quæ nos* plaustra ferrea *interpretati sumus, Lxx transtulerunt* πρίοσι σιδηροῖς, *i.* serris ferreis.

5. מבקעת און. Th. ἐκ πεδίου Ὢν. Sym. & V. ἀδικίας. Aq. ἀνωφελοῦς] Hieron. CAMPUM IDOLI, *quod Ebraicè dicitur* און, *Lxx & Th. interpretati sunt* Ὢν, *Sym. & V. ed. transtulerunt* ἀδικίαν, *i.* iniquitatem, *Aq.* ἀνωφελῆ, *i.* inutilem, *ut ostenderet inania idolorum auxilia, cùm populus Damasci Assyrio veniente capiatur.* Ὢν, i. און. Nunc legunt און *Aven:* id sonat ἀδικίαν, *iniquitatem.* Aliquando idem valet quod אין *nihil*; Amos 5. 5. *Bethel redigetur* לאין *in nihilum:* quod Jonathan transtulit ללא. Huc Aquila respexit, ut videtur: nam ἀνωφελὲς, *cujus usus nullus est.* Forte etiam Hieron. *Idolum enim nihil est.* ¶ מבית עדן. Omnes, ἐξ ἀνδρῶν Ἐδέν] Hieron. *In eo quoque loco ubi nos diximus* de domo voluptatis, *quod Ebraicè dicitur* מבית עדן, *& omnes similiter transtulerunt, Lxx interpretati sunt* ἐξ ἀνδρῶν Χαῤῥὰν, *i.* ex viris Charran. OMNES. Aq. Sym. Theodotio: etiámne Quinta & Sexta? † Ἐδέν. Sic, *plantavit paradisum* ἐν Ἐδέν. Nunc scribunt Ἠδὲν, per vocalem extensam in principio. † SIMILITER transtulerunt: nempe ut ego. Aut hoc dicit, *similiter ut est in Ebræo.* Ità leg. ἐκ Βηθ-εδὲν, vel, si placet, ἐκ Βαιθ-εδέν.

6. שלמה. Aq. ἀπηρτισμένην, & ἀναπεπληρωμένην. Sym. & Th. τελείαν] Hieron. *Denique Aq.* ἀπηρτισμένην *transtulit &* ἀναπεπληρωμένην, *Sym. & Th.* τελείαν, *quod* perfectam *sign. atque* completam, *ut nullus remanserit captivorum qui non sit traditus Idumæis.* Hic rursus memorat duas Aquilæ interpretationes: si tamen verba Hieronymi sint bene distincta: nam inclino ut credam ipsum scripsisse: *Aquila* ἀπηρτισμένην *transtulit, &* ἀναπεπληρωμένην *Symmachus, & Theodotio* τελείαν. Sed nihil immuto. In ed. Rom. Τῷ Σαλωμών. *Aq.* ἀπηρτισμένην. *Th.* τελείαν. Αἰχμαλωσία ἀπηρτισμένη est *deportatio* sive *transportatio perfecta omnibúsque numeris absoluta*, in qua nemo remanet qui non tradatur hosti αἰχμαλωτεύοντι. Gen. 34. 21. שלמים, Aq. ἀπηρτισμένοι, i. *consummati* atque *perfecti.* Ἀναπεπληρωμένην, i. מלאה *plenam*, sive *completam*, aut *expletam.*

11. רחמיו. Sym. *viscera propria*] Hier. VIOLAVIT MISERI-

SERICORDIAM, *sive* VULVAM, EJUS, *vel, ut apertius interpretatus est Sym.* VISCERA PROPRIA. Procopius Jes. 21. pag. 282. καὶ ἐλυμήνατο πατέρα ἐπὶ γῆς κατὰ δὲ Σύμμαχον, σπλάγχνα ἴδια, i. *viscera propria.*

12. ארמנות. A. & Sym. βάρεις. Th. *habitatores*] Βάρεις, i. interprete Hier. *domos.* Propriè sic vocantur à Syris domus altæ ac in modum turrium ædificatæ. Psal. 122. 7. בארמנותיך, Lxx, ἐν πυργοβάρεσί σου. Scholion, Βάρεις ἐπιχωρίως λέγονται παρὰ Σύροις αἱ μεγάλαι οἰκίαι. Ps. 45.8. ἀπὸ βαρέων ἐλεφαντίνων, quod interpretantur *à gravibus eburneis*, sed perperám: vertendum, auctore Hier. *à domibus eburneis.* Idem alibi, Βάρις *verbum est* ἐπιχώριον *Palæstinæ, & usque hodie domus ex omni parte conclusæ & in modum ædificatæ turrium ac mœnium publicorum* βάρεις *appellantur.* Usus est & Theodotio Dan. 8. 2. ubi in fonte הבירה ἡ βειρὰ ex quo βάρις. HABITATORES: i. שכני aut שבי.

IDEM in VULG.

1. A*Mos*] Ità perpetuò scribendum; non *Ammos*, ut Græca editio habet. ¶ *In pastoribus*] *In pastoralibus* est in antiquis libris, sed malim *in pastoribus*, qui Ebraicè hoc in loco NOCEDIM vocantur: ex quo factum νακαρείμ, sive ut vulgati codices habent ἀκκαρτί, cùm sit legendum νακαδείμ sive νακεδείμ. Nam α & ω in lectione antiqua alternant. ¶ *Thecue*] Placeret *Thecua* cum diphthongo, & ità scriptum repperi in veteribus, éstque genitivus ex *Thecua.* ¶ *In pastoribus Thecuæ*] Ebræus dicit *In pastoribus ex Thecua*, sed interpres sensum expressit, & bene, meo animo: nisi si verior lectio *de Thecue*, quam notatam comperior ex aliquot manuscriptis. *Thecue* & *Thecua*, ut *Josue* & *Josua.* Hodie legunt *Thecoa.* ¶ *Oziæ*] Hodie scribunt *Uzia* unicâ quidem z, sed quæ tamen vim geminam habet. ¶ *Ante duos annos*] Vult dicere, biennio ante terræmotum.

2. *Speciosa*] Utrùm *pascua* an *habitacula?* epitheton absque re. Alibi est, *speciosa deserti.*

3. *Trituraverint*] Libri alii, *trituraverunt.* ¶ *In plaustris*] Præpositio redundat in Latio. Satis enim dicere, *plaustris ferreis.* Vide 2 Reg. 10. 32. ¶ *Galaad*] Interpretatum à Chaldæo, *habitatores terræ Galaad.*

4. *Azael*] Scribendum *Hazael* cùm adspiratione; éstque adspiratio gemina apud Ebræos, quam *het* vocant. ¶ *Ben-adad*] Veritas scripturæ *Ben-hadad:* id valet, *filii Hadad*, quomodo Jonathan interpretatur. Sic etiam reddit interpres Græcus. *Hazael* & *Ben-hadad* nomina sunt regum Syriæ.

5. *De campo idoli*] Civitas ejus nominis. Cæterum *idoli*, id est, *Aven.* Sic *Beth-aven*, domus idoli. ¶ *Tenentem sceptrum*] Id est, regem. ¶ *De domo voluptatis*] Civitas Syriæ, quæ Ebraicè vocatur *Beth-Eden.* Sic *hortus voluptatis*, id est, Eden. Nam *Eden* voluptas, unde ἡδονή. ¶ *Cyrenem*] Codex Ebræus habet, *in Cir* sive *Cyrum.* Est autem urbs ejus nominis in Assyria, ut Camius notat, de qua mentio usurpatur & 2 Reg. 16. 9. Jonathan interpretatur *Cirne*, fortè *Cirnetis*, id est, *Cyrene.*

6 *Gazæ*] Civitas Palæstinæ, quæ & Aza. ¶ *Non convertam eum*] *Eam* legitur in manuscripto, cùm in Ebræo sit *eum:* pro quo Græcus & Chaldæus referunt *eos*, ad sensum prorsus eleganter. ¶ *Captivitatem perfectam*] E qua nemo evaserit. ¶ *Ut concluderent eam in Idumæa*] Sensus est, ut conclusos traderent Idumæis. ¶ *In Idumæa*] Sic Græcus εἰς τὴν Ἰδουμαίαν.

7. *Ædes ejus*] Significantiùs alii reddunt, *palatia ejus.*

8. *De Azoto*] Ex Ebræo *Asdod:* in quo duo notanda. Primum quòd ex *sd* factum sit *z*, contrà ac fit in Esdras. Deinde quòd *d* posterior mutata sit in *t. Azotus*, q. *Asdodus.* ¶ *Accaron*] Nunc *Ecron* δυσσυλλαβῶς. ¶ *Reliqui*] Elegerim, *reliquiæ.* In Ebræo est ad verbum *residuum*, & est constructio sensu congrua.

9. *Non convertam eum*] *Eam* pro *eum* habent tres veteres. Sed scripturæ veritas *eum* ex codice Ebræo. ¶ *In Idumæa*] Multò melius, ut opinor, est in aliis editionibus *Idumæis:* quod referendum ad verbum *concluserint*, cujus sententia, ut si dicas *conclusam tradiderint.* ¶ *Fratrum*] Nam Jacob & Esau fratres erant. Aut fratrum, id est, sociorum, fœderatorum, ut referatur ad Hiramum regem Tyri, quem Salomo *fratrem* vocat 1 Reg. 9.

11. *Violaverit misericordiam ejus*] *Corruperit miserationes suas*, alii reddunt. Certè vox Ebræa significat affectus illos, quos Græci στόργας vocant, quales sunt fratrum inter se aut parentum erga liberos. ¶ *Et tenuerit*] Alibi reddit verbum, quod hîc in Ebræo *ceperit:* sed melius, ut opinor, *rapuerit*, & est sententia, *eò quòd ipse rapuerit ira sua.* Vel ordo ac constructio, *eò quòd ira ejus rapuerit.* ¶ *Ultrà*] Si me non fallit augurium, legit LEOD pro LEAD, cùm hoc significet, ac si dicas, *in perpetuum:* & sic Jonathan enarrat. Sed Græcus εἰς μαρτύριον, id est, LEED. Prorsus ineptè. ¶ *Usque in finem*] Vult dicere, *in sempiternum.*

12. *In Themam*] In urbes Idumææ.

13. *Prægnantes*] Camius Ebræus pro *prægnantes* reponit *montes.* Sed placet *prægnantes.* Sic etiam Jonathan edidit. Quanquam sequentia hominis Ebræi interpretationem nonnihil confirmare videntur. ¶ *Ad dilatandum*] Quod lege vetitum Deut. 27. 17.

14. *Rabba*] Oppidum filiorum Ammon, ut paret Jerem. 49. 1. ¶ *In ululatu*] *Cum jubilo* alius interpres habet, alius *cum clangore.* IN pro *cum* notus Ebraismus. ¶ *In turbine*] Cum turbine. ¶ *Comminationes*] In quibusdam tralationibus est *procellæ:* in aliis, *turbinis.* Jonathan, *in die venti.*

15. *Melchom*] *Rex eorum* vertendum omnino videtur, cùm sic Chaldæus, cùm sic Græci vertant. *Melchon* antiquitas lectionis pro *Melchan* sive Melcham. *a* in *o* ut *Adam*, *Odom*; & *e* pro *a* ut in *Melchisedec*, quod hodie sonant ac legunt *Malchi-sedec.*

LIVELEUS.

1. P*Ecuarios*] Cap. 7. 14. *Bubulcum se fuisse* dicit *à grege sequendo in Prophetam sumptum.* ¶ *Tecoa*] Mirum est Quimquium doctissimum Hebræum affirmare *Tecoam oppidum magnum in tribu Asher fuisse*, idque non semel; etenim hîc & cap. 7. 10. idem peccat. Certum enim est fuisse oppidum Judææ, 2 Par. 11. 6. *Ædificavit in Juda Bethleemum & Tecoam.* Pastioni pecudum aptum erat propter desertum adjunctum, cujus fit mentio 2 Par. 20. Indè à Deo ad Israelitas missus erat ut contra Regnum X tribuum prophetaret, cap. 7. 15. ¶ *Uzzia & Jeroboami*] Eodem tempore quo Esaias cum Osea prophetaverunt. Illis enim temporibus Deus plures simul Prophetas excitavit, propter impendentes captivitatum calamitates, qui populum admonerent. ¶ *Ante terræ motum*] Eum Uzziâ regnante contigisse ex Zach. 14. 5. discimus: Verùm quo Regni ipsius anno minimè liquet. Quod nos hoc doceat præter conjecturas nihil affertur. His igitur verbis ostendit quo tempore sub illis Regibus prophetare cœperit. Quamdiu autem suam prophetationem continuaverit hinc non constat: verùm ea de re quid ego sentiam postea explicabo ad v. 7. capitis 9.

2. *Caput Carmeli*] i. Vertex ejus. Erat enim mons, & pascuosus quidem, Jer. 50. 19. *Depascet Carmelum & Bashanem.* Australis erat ad Occidentem terminus tribûs Asher; laudatúrque à fertilitate sua plurimúm. Esa. 35. 2. *Desertum lætabitur, quia gloria Libani & decor Carmeli ac Saronis dabitur ei.* Qui igitur Psal. 147. dicitur *efficere ut montes fœnum proferant*, eosdem cùm velit potentiâ suâ arefacit.

3. *Propter tria & propter quatuor*] i. Multa. Synecdoche. Sic Horatius 1 Car. odâ 31.

Diis charus ipsis, quippe ter & quater
Anno revisens æquor Atlanticum,

h. e. Sæpe. Ulysses apud Homerum horrendâ tempestate agitatus in mari, Ὀδ. ε΄.

Τρὶς μάκαρες Δαναοὶ καὶ τετράκις οἳ τότ᾽ ὄλοντο
Τροίῃ ἐν εὐρείῃ.

Quem locum Virgilius imitatus est Æneid. 1.

—— O terque quaterque beati
Queis ante ora patrum, Trojæ sub mœnibus altis,
Contigit oppetere!

¶ *Gileadem*] Illius loci habitatores. Metonymia. Hoc enim à victoribus fieri solitum esse declarat historia Sacra 1 Par. 20. 3. ubi *Ammonitas serris ac tribulis ferreis dissecuisse* dicitur David. Hunc etiam ipsum Syriæ Regem qui hîc versu sequente memoratur, *Israelitas tanquam in pulverem redegisse triturando* legimus 2 Reg. 13. 7. Hoc verò Deo autore factum erat; 2 Reg. 10. 32. *Cœpit Jehova detestari Israelem; eósque percussit Chazael, totam terram Gileadis*, &c. Nec tamen id Regem hunc excusavit quin Deus ei propterea hic vindictam denunciaret: Ut

Sabæi

Sabæi qui Jobum spoliaverunt, eò non excusantur quòd Deus id fecisse narratur.

4. *Chazael* & *Benhadadus* Reges Syriæ fuerunt, ille pater, hic filius. Quod ideirco commemoro, ut Hieronymum à culpa & reprehensione liberem, qui ob eam causam à nonnullis arguitur quòd *Benhadadum Chazaelis successorem* fuisse putaret. Verùm verisimilem eam illius sententiam fuisse, 2 Reg. 13. 3. monstrat illud, *tradidit eos in manum Chazaelis Regis Syriæ, & in manum Benhadadi filii Chazaelis omnibus illis diebus.* Fuit quidem alius Benhadad ante Chazaelem, fateor: Sed tantum abest ut firma aliqua ratio evincat eum fuisse qui hic memoratur potiùs quàm filium Chazaelis, ut minùs verisimile sit eò quòd secundo loco ponitur.

5. *Tenentem sceptrum*] Regis periphrasis est: Qui hinc σκηπτῦχος vocatur, i. *sceptritenens.* Homer. Iliad. ξ'.

—— ὅςις
Σκηπτῦχος τ' εἴη οἱ πειθοίατο λαοί.

6. *Deportatio perfecta* vel *integra* dicitur quâ omnes migrant, nullo ætatis vel sexûs discrimine habito, mulieres, viri, senes, parvuli. Cùm, ut loquitur Jeremia c. 13. 19. de Juda, urbs tota & integrè deportatur: *Deportabitur*, inquit, *Judæa tota, deportabitur integrè.* Hoc eorum crudelitatem arguit.

9. *Federis fraterni*] h. e. In mentes suas non vocarunt quanta inter eos amicitia & concordia vigere debuit qui tam arcto fraternæ conjunctionis vinculo colligati fuerunt. *Sanguinis* enim *conjunctio devincit charitate homines*, ait Cicero Off. 1. Ad hunc igitur amorem eos potiùs revocare debuerunt, quàm hoc vindictæ genere eorum odium pascere, & ex tanto eorum dissidio voluptatem capere. Deus quidem Deut. 23. 6. hoc argumento Israelitas ab Idumæorum detestatione ac odio avocat quòd *fratres* ipsorum essent. *Fedus* igitur *fraternum* hic meo judicio vocatur fraterna necessitudo, ut apud Horatium,

——— *At vos*
Seu calidus sanguis seu rerum inscitia vexat,
Indomitâ cervice feros, ubicunque locorum
Vivitis indigni fraternum rumpere fedus.

11. *Et excandescentia sua servat eam*] Ad verb. nominativus absolutus est, & genus loquendi crebrum. Ut *æterna* hic Idumæorum *ira* dicitur, ità inimicitia eorum in fratres suos Israelitas Ezech. 35. 5. *inimicitia perpetua* vocatur. Eorum odii argumenta habentur Psal. 137. & in Abdia, ut non immeritò tot verbis eorum inhumanitatem declarare videatur

13. *Non convertam* [vel *reducam*] *eum*] Ad me, scilicet per pœnitentiam, ut eorum miserear; ut Lam. 5. 21. *Converte nos ad te, Domine, & convertemur.* Jes. 31. 18. *Converte me, Domine, & convertar.* Erat verò Ammonitarum in Israelitas odium eò minùs ferendum quòd consanguinei fuerunt. Nam Lotus, Ammonis pater, Abrahami nepos erat.

GROTIUS.

1. V*Erba Amos*] Inscriptio hæc & aliarum Prophetiarum facta est non à Prophetis, sed à Senatu magno, qui Prophetarum scripta colligebat, & prænotabat tempora. Ostendit hoc mentio *terræmotus.* Nomen est עמוס planè diversum ab אמוץ, quod nomen patri Esaiæ, quanquam Latinè pari modo scribatur. ¶ *In pastoribus*] Vide infrà 7. 14. Tale illud Hesiodi de se,

Ἄρνας ποιμαίνονθ' Ἑλικῶνος ὑπὸ ζαθέοιο.
[*Quà se Helicon subicit, pascentem molliter agnos.*]

Pro נקדים [*pastoribus*] Lxx legerunt נקרים, & verterunt ἐν Νακκαρεὶμ [*in Naccarim*,] pro quo ἐν Ἀκκαρεὶμ in quibusdam libris scriptum est. ¶ *De Thecue*] Qui tractus sex millibus à Bethleemo absitus, continuus est cum maximo deserto quod Arabiam transit, ut notat hic Hieronymus. ¶ *In diebus Osiæ Regis Juda*] Qui Azarias scribitur in Regum libris. ¶ *Et in diebus Jeroboam, filii Joas Regis Israel*] Illius Jeroboami, cujus tempore & Osees vaticinatus fuit; & cujus historia 2 Regum 14. 23. ¶ *Ante duos annos terræmotûs*] Eum terræmotum & Hebræi scriptores, & ter Hieronymus, id est, hoc loco, ad 6. Esaiæ, & ad 4. Zachariæ, ait evenisse eo ipso tempore quo Rex Osias, ob attentata munera Sacerdotalia, leprâ percussus est. Accedit Josephi auctoritas Antiq. 9. 11. Μεταξὺ δὲ σεισμὸς ἐκλόνησε τὴν γῆν μέγας καὶ διαςάντος τοῦ ναοῦ, Φέγγος ἡλίου λαμπρὸν ἐξέλαμψε, καὶ τῇ τοῦ βασιλέως ὄψει προσέπεσεν, ὡς τῷ μὲν εὐθέως λέπραν ἐπιδραμεῖν· πρὸ δὲ τῆς πόλεως, πρὸς τῇ καλουμένῃ Ἐρωγῇ τοῦ ὄρους ἀπορραγῆναι τὸ ἥμισυ τὸ κατὰ τὴν δυσμὴν, καὶ κυλισθὲν τέσσαρας ςαδίους ἐπὶ τὸ ἀνατολικὸν ὄρος ςῆναι, ὡς τάς τε παρόδους ἐμφραγῆναι, καὶ τοὺς παραδείσους βασιλικούς [*Interea ingens motus terram concussit, & scisso Templo splendida lux Solis emicuit, & in Regis faciem incidit, ità ut statim eum invaderet lepra. Ante urbem verò ad eum locum qui Rima montis dicitur fracta est pars dimidia, quæ ad Occidentem erat, & voluta per stadia quatuor ad Orientalem montis partem constitit, ità ut & viæ obstruerentur & horti Regis.*]

2. *Dominus de Sion rugiet, & de Jerusalem dabit vocem suam*] Locutio eadem quæ Joël. 3. 16. Sic & Jeremiæ 25. 30. Ira Dei his verbis significatur. ¶ *Et luxerunt speciosa pastorum*] Pascua. Joel. 2. 22. ¶ *Et exsiccatus est vertex Carmeli*] כרמל [*Carmel*] generaliter dicuntur *loci consiti* Speciatim duo loca sic dicuntur; aliter ad mare, ubi vixit Elias; alter in quo habitabat Nabal: & hunc hic intelligendum putat Hieronymus, quia propior erat deserto, & pastoribus ob id notior. Sæpe siccitas causam dat cur moveatur terra, ut notatum Aristoteli. eadem agris causa sterilitatis. Plinius ait *nunquam urbem Romam tremuisse, ut non futuri eventûs alicujus id prænuntium esset.*

3. *Super tribus sceleribus Damasci, & super quatuor non convertam eum*] *Non revocabo hoc*, nempe quod decrevi. Chaldæus sensum expressit, *non parcam eis.* Quia toties iniquè agunt, minas meas exsequar. ¶ *Eò quòd trituraverint in plaustris ferreis Galaad*] Hazaële Rege, qui terram Galaad invasit, 2 Regum 10. 33. tam crudelis victor ut & infantes dissecaret, 2 Regum 8. 12. Pro *plaustris ferreis* dixit Theodotion *rotis ferreis.* Lxx, ἐν πρίοσι σιδηροῖς [*ferreis serris.*] Explicat autem hoc Hieronymus, dicens *plaustri fuisse genus quod rotis subter ferreis atque dentatis volvebatur, ut excussis frumentis stipulam in areis contereret, & in cibos jumentorum propter fœni sterilitatem paleas comminueret.* Varro de R. R. *E spicis in aream excuti grana; quod fit apud alios jumentis junctis ac tribulo: id fit e tabula lapidibus aut ferro exasperatâ, quæ imposito aurigâ, aut pondere grandi trahitur jumentis junctis, ut discutiat e spicis grana: aut fit ex assibus dentatis cum orbiculis, quod vocant* plostellum Phœnicum.

4. *Et mittam ignem in domum Azaël*] In palatia structa ab Azaële. Simile Jerem. 49. 27. ¶ *Et devorabit domos Benadad*] Ejus qui successit Hazaëli patri suo, 2 Regum 13. 3. Græci pro ד legerunt ר in hoc nomine, ut & nos alibi notavimus, & hic Hieronymus.

5. *Et conteram vectem Damasci*] Id est, portas quæ vectibus claudi solebant. ¶ *Et disperdam habitatorem de campo Idoli*] בקעת און [*Planities vanitatis*] vocabatur id locus Hebræis; Syris verò בקעת שמש [*Planities Solis*,] quæ Ἡλιούπολις Græcis. Vide Ptolemæum in Syria. ¶ *Et tenentem sceptrum de domo voluptatis*] *De domo Heden*, qui Παράδεισος [*Paradisus*] eidem Ptolemæo. ¶ *Et transferetur populus Syriæ Cyrenen*] קיר esse non Cyrenen, sed partem Albaniæ adsitam Cyrrho amni, diximus ad 2 Regum 16. ex quo loco discimus quæ hic de Damasco vastata, & de Syrorum Damascenorum deportatione dicuntur, impleta per Teglathphalasarum.

6. *Super tribus sceleribus Gazæ*] A Syris Damascenis ad Palæstinos transit. ¶ *Eò quòd transtulerunt captivitatem perfectam, ut concluderent eam in Idumæa*] *Captivitatem pacificam, ut eos traderent Idumæo.* Cùm Sennacheribus Judæam invasit, multi ad primum ejus adventum in vicinas regiones se recepere, ut apparuit Esaiæ 16. 4. Philistini hos Judæos, qui nihil ipsis nocuerant, non ut supplices protexerunt, sed quasi bello captos vendiderunt Idumæis.

7. *Et mittam ignem in murum Gazæ*] Hæc quæ prædicuntur de urbibus Philistinorum, impleta sunt per Ezechiam 2 Regum 18. 8. Prædicitur idem ab Esaia 15.

8. *Peribunt reliqui Philistinorum*] Per Assyrios, Esaiæ 20.

9. *Eò quòd concluserint captivitatem perfectam*] Pro captivis habuerunt quibuscum pacem habebant, ut suprà. ¶ *Et non sint recordati fœderis fratrum*] Solomonis & Hirami. nam fœderati inter se *fratres* vocabantur, 1 Regum 9. 13.

10. *Et mittam ignem in murum Tyri*] Multæ partes urbis incensæ ignitis jaculis Chaldæorum; Jeremiæ 25. 22. Ezech. 26. & 27. & 28. ubi dicta vide.

11. *Eò quòd persecutus sit in gladio fratrem suum*] Jacobi posteros, qui frater Esavi. hinc & posteri *fratres* dicuntur,

Deuteron. 23. 7. Factum hoc eo tempore cùm Syri obsederunt Hierosolyma, 2 Regum 16. 5. ¶ *Et violaverit misericordiam ejus*] Id est, omnem misericordiam erga Judæos exstinxerint. ¶ *Et tenuerit ultrà odium suum, & indignationem suam servaverit usque in finem*] Pertinax in odio, ut Esavus, Gen. 27. 41.

12. *Mittam ignem in Theman, & devorabit ædes Bosra*] Per Sennacheribum. Theman & Bosra urbes nobiles Idumææ, Genes. 25. 15. Jeremiæ 25. 23. Esaiæ 63. 1.

13. *Eò quòd dissecuerit prægnantes Galaad*] Idem est quod dicitur Jerem. 49. ubi dicta vide.

14. *In muro Rabba*] Quæ *Rabbathamman* Polybio. Vide Jerem. 49. 2. Ezech. 25. 5.

15. *Et ibit Melchom in captivitatem*] Idolum ipsorum *Moloch* dictum. Id hîc & Jerem. 49. 1. dicitur *Meloch ipsorum*, ut infrà *Moloch vester*, v. 26. Captis urbibus, capientur & dii, Jeremiæ 49. 3. ¶ *Et principes ejus simul*] *Sacerdotes*. Ità Lxx.

CAP. II.

MUNSTERUS.

1. QUòd *ipse combusserit ossa*] Historia hujus rei scribitur 2 Reg. 3. quomodo Rex Moab combussit filium Regis Ædom: ob quam rem Rex Ædom implacabilem iram concepit adversùs Israelitas. Voluit igitur Deus vindicare injuriam illam quæ ad lacessendum Israelitas à Rege Moab fuit perpetrata. Sic Kimhi hunc explicat locum.

2. *In clangore*] i. In bellica vociferatione.

4. *Super tribus sceleribus Jehuda*] Adjungitur hîc judiciis Gentium supplicium Regni Jehuda, nè ipsi vanâ spe seducti putarent hæc supplicia tantùm infidelibus irroganda.

6. *Super tribus sceleribus Israel*] Attigit hîc Propheta præcipuum argumentum hujus libri, nempe Regnum Israel; In quo & impietas in Deum & flagitia in proximum supra modum invaluerant, ità ut Judices corrumperentur nedum pecuniâ, verùm & aliis quibuslibet minutis rebus, ut erat *par calceamentorum*, justam causam condemnantes, & iniquam justificantes. Capitur enim hic *justus* pro צדיק בדינו, i. pro *eo qui justam habet causam*. Sunt etiam inter Hebræos qui per *calceos* intelligunt calceorum extractionem quam vendens faciebat quando agrum vel prædium omnino à se alienabat.

7, 8. *Vir atque pater ejus*] i. Pater committit adulterium, & filius incestum, eandem scilicet turpiter amantes puellam. Et quod sequitur de *vestimentis pignoratis*, est contra legem Mosi Deut. 24. ubi jubetur *pignus restitui ante Solis occasum*. ¶ *Vinum eorum qui puniebantur*] i. Ab illis quos ipsi impiè in judicio mulctaverunt, accipiebant pecuniam, & instituebant convivia, &c.

13. *Ego angustiam suscito*] i. Ego premam vos sub gravi onere, ut stridatis aut gematis perinde ac plaustrum.

VATABLUS.

1. SUper *tribus prævaricationibus* על שלשה פשעי] Vide eadem c. 1. 3. ¶ *In cinerem* לשיד] *In calcem*, i. adeo ut verteret illa in calcem. Hæc historia non legitur in S. literis. Quidam dicunt Regem aliquem Moabitarum combussisse unum è Regibus Edom, & usum fuisse illis cineribus vice calcis in incrustandis parietibus sui palatii. Doctus inter Hebræos istud refert ad filium primogenitum ipsius Moab, de quo vide 2 Reg. cap. 3. 27.

2. *In tumultu* בשאון] *In strepitu*, expugnationis scilicet. Diversis vocabulis exprimit tumultum belli.

3. *Et exscindam* והכרתי] *Et exterminabo: detraham: auferam: delebo*. Gallicè, *Je destruiray*. ¶ *Judicem* שופט] i. Regem, cujus officium est reddere jus populo suo.

6. *Pari calceorum* בעבור נעלים] i. Pro re vili.

7. *Qui anhelant*, &c. השאפים וגו׳] *Qui exspectant ut sit pulvis terræ*. על pro להיות על *ut sit*. Alii, *Qui desiderant* videre *pulverem*, &c. q. d. Opprimunt pauperes, quos libenter vident dejectos, prosterni in terram, & illorum capita compleri pulvere: qui ità dejiciuntur in terram, habent caput & capillos plenos luto & pulvere. ¶ *Et viam humilium* ודרך ענוים] *Et viam mansuetorum*, vel *pauperum*; i. qui jus & causam pauperum pervertunt. ¶ *Præterea vir* ואיש] i. Filius. ¶ *Iverunt*, &c. ילכו וגו׳] i. Cum eadem puella rem habere solent vel habuerunt filius & pater, sine ullo pudore. ¶ *Ut violarent*, &c. למען חלל וגו׳] Nam vocantur de nomine meo, & sanctificavi mihi illos: cùm igitur corrumpunt mores suos, violant illam sanctitatem, & declarant se non esse sanctos. Levit. 19. 2. & 22. 32.

8. *Pœnis affectorum* ענושים] *Multatorum: condemnatorum*. Multabant enim eos pecuniâ si non dabant quantum cupiebant. ¶ *Bibebant* ישתו] Fut. Heb. pro præt. imp.

9. *Ego autem perdidi* ואנכי השמדתי] *Atqui ego delevi: exterminavi*. ¶ *Sursum* ממעל] *Desuper*, i. à summo.

10. *Ascendere feci* העליתי] *Eduxi*.

11. *Adhuc suscitavi* ואקים] Ad verb. *Et surgere feci*, i. e. evexi aliquos è filiis vestris ad dignitatem prophetiæ.

13. *Angustabo* מעיק] *Coartabo*, vel *angustiis afficiam*, aut *urgebo*. Præs. Heb. pro fut.

14. *Peribitque*, &c. ואבד וגו׳] Hebraismus, *Velox non eripiet se velocitate suâ, nec virtute suâ bellica utetur adversùs hostes vir fortis, nec vitam suam servabit*. Repetitione utitur, quâ gravitatem afflictionum declarat quæ nullâ re devitari potuerunt.

15. *Et qui tenet arcum non consistet* ותפש הקשת לא יעמד] i. Sagittarii qui eminus pugnant non consistent contra adversarios.

16. *Et qui roborat*, &c. ואמיץ וגו׳] *Et fortis corde suo*: i. Qui fuerit forti animo & imperterrito inter robustissimos, inermis, abjectis armis fugiet.

CASTALIO.

3. EXcidámque *eum qui in ea est gubernatorem*] In Moabitide.

7. *Inopúmque viam flectant*] Inopum vitæ officiant. Nam *via* est vitæ cursus.

13. *En ego sub vobis strideo quemadmodum stridet plaustrum quod est manipulis refertum*] Gravatis me; tædet me vestri.

CLARIUS.

1. INcenderint *ossa Regis*] Historia hujus rei scribitur 4 Reg. 3. quomodo Rex Moab combussit filium Regis Edom: ob quam rem Rex Edom implacabilem iram concepit adversùs Israelitas. Voluit igitur Deus ulcisci injuriam illam quæ ad lacessendum Israelitas à Rege Moab fuit perpetrata.

2. *In clangore tubæ*] i. In bellica vociferatione.

4. *Super tribus sceleribus Juda*] Adjunditur his judiciis Gentium supplicium Regni Juda, nè ipsi vanâ spe seducti putarent hæc supplicia tantùm infidelibus irroganda.

4. *Super tribus sceleribus Israel*] Attingit hîc Propheta præcipuum argumentum hujus libri, nempe Regnum Israel, in quo & impietas in Deum & flagitia in proximum supra modum invaluerant, ità ut Judices corrumperentur non solùm pecuniâ verùm & aliis quibuslibet minutis rebus, ut erat *par calceamentorum*, justam causam condemnantes, & iniquam justificantes. Capitur enim hîc *justus* pro *eo qui justam causam habet*. Sunt etiam inter Hebræos qui per *calceos* intelligunt calceorum extractionem quam vendens faciebat quando agrum vel prædium omnino à se alienabat.

7. *Super pulverem terræ*] i. In terram violenter prosternunt. ¶ *Filius ac pater ejus*] i. Pater committit adulterium, & filius incestum, eandem scilicet turpiter amantes puellam.

8. *Super vestimentis pignoratis*] Quod contra legem est Mosis Deut. 24. ubi jubetur *pignus restitui ante Solis occasum*. ¶ *Accubuerunt juxta omne altare*] Relicto unius & veri Dei cultu, transtulerunt se in ministerium falsorum deorum. Solebant totâ nocte dormire in terra, ut acciperent somnia à diis. ¶ *Vinum damnatorum*] Justorum, qui impiè condemnabantur. Ab illis, inquit, quos ipsi impiè in judicio mulctaverant, accipiebant pecuniam, & instituebant convivia, &c.

11. *Nazaræos*] Qui vitæ sanctimoniâ & abstinentiâ aliis monstrabunt, Vivendum esse cum vitæ continentia.

12. *Propinabatis*] Coegistis Nazaræos bibere vinum; tantum abest ut eorum continentiam imitari volueritis.

13. *Stridebo subter vos*] i. Arctum reddam & impeditum iter vestrum, ut non sitis ad quoquàm ambulandum vel fugiendum magis apti quàm est *currus onustus manipulis*. Alius vertit, *Ecce ego angustiam suscito in loco vestro, sicut plaustrum quod maceratur, quando plenum est manipulis*.

14. Per-

14. *Peribit fuga*] Hebraismus est, sicut & illud, *periit fuga à me.* Intelligit nullum fore fugæ locum.

16. *Nudus effugiet*] abjecto nimirum animo.

L. BRUGENSIS.

13. E*Cce ego stridebo subter vos, sicut stridet plaustrum onustrum fœno*] Quædam exemplaria tertiâ conjugatione scribunt, *stridam*, *stridit*: sed antiquiora & præstantiora legunt secundâ, *stridebo*, *stridet*. Sedecim Hentenii, 19 nostra manuscripta, pro *subter* habent *super*: quanquam contractè quædam scribant s̄r. Alia novem nostra MSS. servant *subter*. Nominatim, Brugense, Leodiense, O, disertè *super*; Lobiense, E, L, *subter* habent. His Moguntinus, & alii plerique impressi libri consonant. Hebraicè est תחתיכם, quod est, *sub vobis*, seu, *subter vos*; Græcè ὑποκάτω ὑμῶν, id quod idem est. Videtur igitur genuina esse lectio *subter vos*, cùm & ipsa faveat sententia: hoc est enim quod hoc loco per Prophetam Dominus ait, Sicut stridet plaustrum sub nimio fœni onere, ità stridebo ego sub pondere iniquitatum vestrarum. Cæterùm Epanorthotes antiquis codicibus adscribit *super*, his verbis, *Ecce ego stridebo super vos*] *secundùm antiquos codices, & antiquos originales*; *vel* subter *quoad Hebræum & Expositores: & fortè ponunt* super *ad oppressionem designandam. Require Exod. xxvii.* Exodi 27. v. 5. docet antiquos codices legere *super*, tametsi Hebraicè sit תחת, *Quos pones super arulam altaris*: id quod in Brugensi, Leodiensi & Lobiensi manuscriptis vidimus. *Super* itaque, si hoc Prophetæ loco legendum sit, pro *contra* accipi potest. B. Hieronymi explanatio est, *Idcirco sicut plaustrum stipula vel fœni onere prægravatum, stridore & sonitu longè exululat; sic ego peccata vestra ultrà non sustinens, & quasi stipulam tradens incendio, clamabo, & dicam*, PERIBIT FUGA A VELOCE, & cætera quæ in Propheta sequuntur.

DRUSIUS.

1. M*Oab*] Populi nomen est hoc loco, sic dicti à maximo natu filiorum Lot, quem ex majore filia susceperat. Interpretantur MOAB, *A patre*, i. מאב, & subintelligitur *natus* aut *genitus*. Aut Μωὰβ, i. *Aqua patris*: sicut dicimus, *Aqua furtiva dulcior.* Josephus l. 2. c. 9. *Aquam Ægyptii μῶ vocant.* ¶ *Eò quòd combusserit ipse*, &c. In singulis verbis pondus est. Nam & *ossa combussit*; & ossa *Regis*, non hominis privati; & combussit ità ut præter cinerem & favillam nihil remanserit. Hoc significat cùm ait *in calcem.* Quo sensu capies Jes. 33. 12. *Et erunt populi in combustiones calcis.* Vult dicere, *redigentur in cinerem.* Sunt qui hæc referant ad historiam quæ habetur 2 Reg. 3. 27. Scholia D. Camii, *Hoc est quod dicitur in libro Regum*, Et cepit filium ejus primogenitum qui regnaturus erat pro eo, & obtulit illum holocaustum in muro: propterea fuit indignatio magna contra Israel: *nempe à Rege Edom, cujus filius primus natu in muro exustus fuerat. Erat autem Israelitarum socius in hoc bello; sed post hoc factum discessit ab eis vehementer iratus.* Hæc ferè in Scholiis illis. Sed moneo locum illum ab aliis aliter exponi. Sunt enim certè qui legunt interpretantes, *filium suum primogenitum, & obtulit illum in holocaustum*, videlicet Rex Moabitarum. Puto hanc interpretationem veriorem esse. ¶ *Ossa*] E sepulcro, ut credibile est, effossa. Quod valde inhumanum est, imò extrema inhumanitas. Quò minùs mirandum si Deo tantopere displicuerit. Accedit quòd fuerint *ossa Regis*, qui cum populo suo societate atque adeò cognatione junctus erat. Videndus Hier. ad h. l. ¶ *Regis Edom*] Nota quòd dicit *Regis*, & non *filii Regis.* ¶ *Edom*] Idumææ aut Idumæorum. ¶ *In calcem*] Sic Græci *εἰς κονίαν.* Sed hoc ambiguè dicitur: nam reddi potest *in pulverem.* שיד duntaxat *calcem* notat. Scribitur & כיר per Samech. Editio Hier. *in cinerem* לאפר. Non est de nihilo quòd dixerit *in calcem.* Sunt qui putant eos cinere ossium combustorum fuisse usos calcis vice ad incrustandos parietes, contemptûs & ludibrii causâ. Qua in sententia fuit Interpres antiquissimus Jonathan. Consule, si placet, editionem ejus. לשיד quidam exponunt *ut calcem.* Non planè sperno. Sic, *Et erit domus Esau in stipulam*, valet illud, *ut stipula.*

2. *Ignem*] Hostem ignis more omnia pervadentem & consumentem. ¶ *In Moab*] In Moabitas. Sed præstat de urbe accipere, aut de regione. Sic sanè Hier. *Mittam ignem in Moab*, inquit, *vel in metropolim Moabitarum à qua tota est appellata provincia, vel in universam provinciam.* Porrò urbis nomen esse *Moab* testatur & Eusebius per hæc verba, MOAB, *ab uno filiorum Lot, qui vocabatur* Moab, *urbs Arabiæ, quæ nunc* Areopolis *dicitur, sic vocata est: cujus & suprà meminimus. Appellatur autem* Moab *ex nomine urbis & regio. Porrò ipsa civitas quasi proprium vocabulum possidet.* Hæc eadem, ni fallor, *Rabbath-Moab* nominabatur. Stephanus De urbibus; Ῥαβαθμῶνα, πόλις τρίτη Παλαιστίνης, ἡ νῦν Ἀρεόπολις· puto legendum Ῥαβαθ-μωὰβ, i. *Rabbath-Moab.* Ptolemæus Ῥαβμαθμῶνα, & in Arabia Petræa collocat. ¶ *Carioth*] Duo erant hoc nomine oppida; unum in tribu Juda Jos. 15. 25. alterum in terra Moab. Euseb. De locis, CARIOTH, *in regione Moabitarum, sic Jeremias scribit cap.* 48. In hac Reges habitabant, si non fallit nos R. D. ità scribens, *Carioth erat civitas Regni*, i. regia vel sedes Regum. Fit ejus mentio & Jer. 48. 41. his verbis, *Capta est Carioth.* ¶ *Morietur*] Internecione delebitur, vel incidet in gravissimas calamitates. Prior sensus & in illo, *Deus ab æterno tu es: non moriemur.* Posterior est Hos. 13. 1. *Deliquit in Baal, & mortuus est*, de Ephraim, qui non fuit quidem penitus deletus, sed multa graviáque mala sustinuit. ¶ *In strepitu*] Alii *in sonitu*, alii *in tumultu*, i. tumultuosè. Cæterùm שאון de *bellico strepitu* usus est & Hoseas 10. 14. ¶ *Moab*] Populus Moab. ¶ *In clangore*] In classico & clamore militum pugnantium. ¶ *Tubæ*] Malim *buccinæ.* Nam *tuba* חצוצרה dicitur. שופר autem potiùs est *buccina*, ut alibi observamus; sed confundi scias. Hier. *In clangore tubæ*] *sive buccinæ: hoc enim SOPHAR significat.*

3. *Judicem*] Præsidem sive gubernatorem, an Regem? Nam Reges quoque populum judicabant. Alioquin Judices non habebant jus regium, ut possent pro libitu tributa exigere, aliorum famulitium accersere, bona & possessiones exactione gravare, militem publicis populi impensis conducere, &c. ¶ *E medio ejus*] *Moab*, an *Carioth*? D. Camius ad *Carioth* refert, quam ait *sedem Regum fuisse*, ut diximus. ¶ *Principes ejus*] Civitatis. Nam pronomen in Ebræo fem. est. ¶ *Cum illo*] Judice. Hinc Aben-ezra colligit per *judicem* Regem debere intelligi. Et sanè respubl. Moabitarum, ut ex multis Scripturæ locis claret, per Reges administrabatur, non per Præsides.

4. Post commemorata scelera denunciatámque pœnam vicinarum aliquot gentium, transit nunc ad populum suum, ac primùm in tribum Juda invehitur, sub quo nomine comprehendit & tribum Benjamin: Quæ duæ tribus, licèt in cæteris in religione sinceriores ac puriores essent, tamen Divinum cultum non parùm imminuerant, legem DOMINI spernendo, & statuta ejus negligendo contemnendóque. ¶ *Judæ*] Duarum tribuum. Græci υἱῶν Ἰούδα, i. *filiorum Judæ* sive Judæorum. Nomen hoc accipitur strictè, & latè. Strictè vocantur *Judæi* duæ tribus; latè, omnes duodecim. Ergò strictè hic accipiemus, ità poscente sententiâ. ¶ *Spreverint*] מאס *sperno, aspernor, rejicio, abjicio, repudio, reprobo.* Græci dicunt ἀπωθέω, & interdum ἀποδοκιμάζω. Hujus contrarium, *admitto, accipio, observo, custodio.* ¶ *Legem DOMINI*] Tam quæ ad mores quàm quæ ad judicia spectat. ¶ *Statuta ejus*] Ceremonias ejus. Aut חקיו, i. *præcepta ejus*; ut idem dicat aliis verbis. Sanè Græci referunt τὰ προστάγματα αὐτοῦ, & Hier. *mandata ejus.* ¶ *Non custodierint*] Videtur minus dicere quàm antea. Sed non est ità. Nam Ebræi per negationem contrarii vehementiùs affirmant. Quale illud, *mendax est, & veritas non est in eo.* Huc pertinet, *Non gaudet stulti pater.* Cujus generis sunt, *Non prosunt opes improbæ; Non est bonum suscipere personam in judicio.* ¶ *Deceperunt eos*] Ἐπλάνησαν αὐτοὺς, *in errorem induxerunt eos.* *Mendacia ipsorum*] i. Interprete Hier. *idola ipsorum.* Sed *idola* עצבים vocantur. Priùs Græci τὰ μάταια αὐτῶν, i. הבליהם. D. Camius Ps. 62. 9. ad locum, *Mendacium sunt filii viri*, MENDACIUM interpretatur dicens *esse idem cum* הבל, *& significare rem quæ non durat, non permanet.* Est autem *mendacium* aliud in cultu Divino, & aliud in commerciis. De priore capiendus hic locus, meo judicio. *In errorem*, inquit, *impulerunt eos mendacia ipsorum*, i. commenta falsi cultûs. Sic alibi, *Commutaverunt veritatem Dei in mendacium*, i. in falsum cultum. Quicquid enim contrarium Veritati *mendacium* est. Ideo illud *Legi* opposuit: Nam lex Dei veritas est. *Spreverunt*, inquit, *legem DOMINI, & secuti sunt mendacia sua.* E contrario David Psal. 119. 163. *Mendacium odi, imò detestatus sum: legem tuam dilexi.* ¶ *Quæ secuti sunt patres ipsorum*] Verbum è verbo *post quæ iverunt patres ipsorum*, i. Majores. Quos intelligit? Eósne qui in deserto Vitulum coluerunt? an illos qui Ure Chaldæorum degebant? Quos *Deorum*

Idolorum cultores fuisse testis mihi omni exceptione major auctor libri qui JOSUÆ nomen præfert.

6. *Israel*] Decem tribuum. ¶ *Argento*] Pecuniâ. Sic Mich. 3. 11. *argento divinant*, i. pecuniæ causâ. ¶ *Justum*] Causam *justorum*, i. insontium. Tales *justos* vocant Ebræi. Nam quicunque justam causam habet *justus* dicitur. Perstringit ergò peculiariter Judices illius ævi, qui pecuniæ gratiâ injustè judicabant. Crimen hoc Judæi חמס appellant: Propter quod eluvio terrarum olim accidit, & nunc Israelitæ addicuntur exitio. Nihil impedit quò minùs exponamus, *eò quòd circumvenerint argenti causâ justum.* Nam *vendere* in communi sermone significat Circumvenire. Malim tamen propriè accipere, si modò causa propriè *vendi* dicitur. ¶ *Inopem*] Causam inopum. Infrà 5. 12. *Et inopes in porta pervertunt*, i. causam inopum. ¶ *Pro pari calceorum*] Pro re parvi pretii. Proverbiale, quo usus est & infrà 8. 6. Ei cognatum, *Pro frusto panis.*

7. *Qui anhelant ad pulverem*, &c.] Sensus hic est, Qui properant eò ubi tenues rei sunt: vel hic, *Qui anhelant*, i. avidè appetunt, ut tales rei sistantur, accusati videlicet à divitibus, à quibus munera capiunt ad pervertendum judicium. Hoc intelligentiam habet ex more antiquo, quem notat Josephus Gorione natus Historiæ suæ cap. 44. *Mos*, inquit, *ut reus stet coram Judicibus pullis vestibus indutus, & caput pulvere oppletum habens. Anhelant*, i. properant, ut Cohel. 1. 5. *ad locum suum anhelat.* ¶ *Viam*] Causam, judicium, negotium. Sic accipitur hoc nomen Exod. 18. 20. & Job. 17. 9. Jonathan quoque reddit, *& causam obscurorum pervertunt.* Alius sensus in verbis Hier. *& viam humilium declinant.* Sic Græci καὶ ὁδὸν ταπεινῶν ἐξέκλιναν, i. *recedunt ab ea.* Quod Ebraicè diceretur potiùs יסורו מדרך ענוים. ¶ *Et vir & pater ejus*] *Tum vir tum pater ejus.* Simile, *& currus & equus.* Sæpe hoc modo geminatur *&* in Latio, sed venustiùs in rebus diversis; ut, *Te mirantur & cives & hostes.* ¶ *Eunt ad puellam*] Rem habent cum puella. Honestè itá coitum significant. Sic Prov. 6. 29. *Qui ingreditur ad uxorem socii sui.* Legimus etiam *cognoscere feminam*, & *esse cum illa*, & *tangere illam*, eodem sensu. Cæsar quoque ad hoc exemplum *notitiam habere viri* dixit, pro *rem & consuetudinem habere cum viro.* אל הנערה Græci pressiùs reddunt πρὸς τὴν αὐτὴν παιδίσκην, *ad eandem puellam*: quod ipsa sententia comprobat. Alioquin articuli officium est in utraque lingua rem certam significare, ut possis exponere, *ad unam aliquam puellam certam ac notam.* ¶ *Ut profanent nomen meum sanctum*] An ideo *pater & filius puellam eandem inibant ut nomen Dei profanarent?* an potiùs legendum *profanando nomen meum?* Nam cùm id facerent tum scortatione, vel, ut quidam volunt, incesto concubitu, polluebant nomen Dei, quod sanctum est, ut & ipse *Sanctus* vocatur, & vult ut sui etiam sancti sint. Notum enim illud Levit. 19. 2. *Sancti estote, quoniam sanctus ego DOMINUS Deus vester sum.* Et illud, *Nam populus sanctus tu es DOMINO Deo tuo.* Sed quid? potéstne nomen Dei *profanari* ab hominibus? Quidni possit? cùm idem ab iisdem *sanctificetur.* Propterea precamur quotidie in Oratione legitima, *Sanctificetur nomen tuum.* Tunc autem *sanctificatur nomen Dei* cùm homines propter vitam nostram sanctam illud honorant & sanctum prædicant; & *profanatur*, cùm iidem propter vitam nostram impuram & pollutam illud dehonestant ac blasphemant.

8. *Pignoratitiis*] Pignori acceptis aut in pignus oppositis. ¶ *Accumbunt*] יטו, verbum pro verbo *inclinant se*, vel *extendunt se.* Scholia D. Camii, *Accubatio vocatur Inclinatio, propterea quòd homo se inclinat more cubantis in lecto ad dormiendum.* Cæterùm *accumbendi* verbo usus est hoc loco & Hieronymus: unde discimus morem hunc perantiquum esse. Hoc primum: deinde, non Romanis tantùm sed etiam Ebræis usitatum fuisse. Verbum נטה in isto significatu etiam Deuterotæ usurpant. ¶ *Juxta omne altare*] Videtur *omne* posuisse pro *quodvis. Accumbunt*, inquit, non domi suæ, sed *in fanis Deorum suorum*, & quidem *apud omnes aras*, quasi Diis præsentibus gratularentur sibi de pignoribus nationi pauperum ablatis. Veteres intra ipsum templum solebant solennia sacrificiorum convivia agitare; ut apparet ex historia quam refert Herodotus de Cleobe & Bitone, & ex Aristophane in Pluto. 1 Cor. 8. 10. εἰδωλεῖον quibusdam est *idolorum templum*, aliis *ipsa mensa in qua epulæ celebrantur.* ¶ *Vinum damnatorum*] Alii reposuerunt *mulctatorum.* Nam ענש *mulcto*, i. *pœnam pecuniariam irrogo.* Sed latiùs patet: nam dicitur etiam de *pœna corporis.* Hoc tamen loco si quis ad *multam* restringat, non aberrabit. Sanè ex pœna corporali non potest colligi pecunia: nisi dicamus eum loqui de vino quod damnatis dari solet. ¶ *In domo Deorum suorum*] Vel *in domo Dei sui.* Sed quia plures erant Vituli, ideo prætuli *in domo Deorum suorum*: tum etiam nè quis putaret hîc agi de Templo Jerosolymitano, in quo verus Deus colebatur.

9. *Et ego exterminavi Amorræum*] Est cur malum *exterminaveram.* Nullum odiosius crimen est ingrati animi culpâ. Ingratus autem est & qui gratiam cùm possit non refert, & qui immemor est accepti beneficii. Gratiam referre Deo homines non possunt. Quid igitur ab eis exigit? Gratam recordationem & memoriam acceptorum bonorum; quæ longè erat ab istis qui Deum unicum benefactorem suum tot modis ad iram provocaverant. Quidam sic hunc locum explicant, Delevi Amorræum propter instituta ipsius pessima. Vos autem, dum reliquistis statuta mea bona, recepistis statuta Amorræorum. Qua de re vos antea monui in Lege, Lev. 18. 28. inquiens, *nè evomat vos terra dum polluitis illam, quemadmodum evomuit gentem quæ ante vos.* Porrò meminit *Amorræi*, qui potentissimus erat inter septem populos terræ Chanaan. *Exterminavi*, i. delevi, perdidi, profligavi. האמרי τὸν Ἀμοῤῥαῖον, quod nunc legunt *Emoræum.* Gens hæc trans & cis Jordanem imperitabat, clara imprimis inter septem illas quas Deus expulit in gratiam populi sui. Moses F. Maimonis Hispanus lib. 3. Nebuchim scribit, *Amorræos*, ut alia omittam, *solitos per flammam recentes ex utero fœtus transmittere, quòd crederent eos à calamitatibus plurimis hâc ratione vindicari, eandémque superstitionem nutrices adhuc observantes à se in Ægypto visas.* ¶ *Ipsorum*] Israelitarum. ¶ *Cujus altitudo erat ut altitudo cedrorum*] Proceritate cedros æquabat, cedris procerior erat: & est proverbiale. Vide sodes Proverbia mea, class. 2. lib. 5. adag. 101. Cæterùm, quod huc facit ex Amorræis erat *Og Rex Basan qui* Mosis ævo *supererat ex stirpe gigantum; cujus lectus monstrabatur ferreus in Rabbath filiorum Ammon, longitudine novem cubitorum, latitudine quatuor*, &c. ¶ *Ut robora*] אלון *robur*, sive *robor*, arbor est è duro genere glandiferarum. Vulgò *quercum* interpretantur: quidam *castaneam*, quæ Arabicè שר בלוט vocatur, i. *Rex quercuum.* Hinc proverbiale, *Robore validior*: quod alii enunciant, *Quercu robustior.* A *robore* dicta *robustea materies*, quæ ex robore facta ut esset durior. ¶ *Fructum ejus desuper, & radices subter*] Figurâ proverbii hoc dixit, pro *exterminavi eum totum quantus quantus erat.* Simul innnit gentem illam deletam fuisse virtute suâ: non bello aut arcu, i. viribus Israelitarum. *Fructum ejus & radices ejus*, sumptum ab Arboribus, quarum partes præcipuæ sunt Rami, è quibus fructus dependent, & Radices. Aut *fructum ejus*, i. posteros ejus. Nam liberi vocantur *fructus uteri materni.* Quod autem sequitur, *radices ejus*, valet ac si diceret, *delevi ipsum posterósque ejus radicitus, fructum cum radice.* Prior expositio melior, meo judicio. Pro *desuper, subter*, alii, *supernè, infernè.*

10. *Ascendere feci*] Propriè: nam ex Ægypto *ascenditur* Judæam versùs. Est enim Judæa, ut Ebræi tradunt, altior Ægypto. Quidam *eduxi* העליתי. ¶ *E terra Ægypti*] Ubi duram servitutem serviebatis; quæ propterea *domus servorum* appellatur. Quantum beneficium è servitute hujusmodi aliquem in libertatem asserere? ¶ *Et deduxi vos per desertum*] Multum est per invium desertum, quale hoc erat, aliquem deducere; plus, ipsum ibi alere & suppeditare necessaria ubi omnium rerum penuria est: Quod tamen Deus populo præstitit *per 40 annorum spatium*, & simul *mores eorum* toto illo tempore *pertulit*: quod Apostolus dicit ἐτροποφόρησεν αὐτοὺς ἐν τῇ ἐρήμῳ, Act. 13. 18. Quem locum Hesychius laudans ἐτροποφόρησεν interpretatur ἔτρεψεν an rectè, ipse viderit. ¶ *Ad possidendum*] Vel, *ut possideretis.* Referendum ad illud, *ascendere feci vos.* Nam hic finis præcipuus eductionis ex Ægypto: Quo certè magna accessio facta est ad priora Dei in populum beneficia. Sunt qui ista cum sequenti membro connectant, hâc sententiâ, *Deduxi vos annos 40 per desertum*, ut interea temporis disceretis statuta mea, atque itá *terram Amorræi possideretis* minore cum periculo morum ac pietatis: nisi enim probè in his exercitati fuissetis, verendum erat nè devictarum gentium ritus imitati, earum etiam Deos coleretis, me spreto ac derelicto. ¶ *Terram Amorræi*] Latè accipio pro tota terra Promissionis, quæ *terra Chanaan* vulgò appellatur, & aliquando *terra septem gentium*, in queis Chananæi & Amorræi. Figura igitur est quam Grammatici *Synecdochen* vocant. Vide Observ. l. 14. c. 12.

11. *Excitavi*] *Feci ut surgerent*, i. exsisterent. *Surgere* hoc significatu sumitur Deut. 34. 10. *Non surrexit Propheta in Israel ut Moses*: & in illo, *Inter natos mulierum non surrexit qualis Johannes Baptista.* ¶ *E filiis vestris*] *Aliquos è filiis vestris*, i. è vestro genere; aut *è puerulis vestris*, ut ad ætatem solam restringatur. Ebræi certè enarrant de Samuele & Jeremia,

mia, qui ambo in pueritia prophetarunt. Similis locus Joel. 2.28. *Effundam Spiritum meum super omnem carnem, prophetabunt filii vestri & filiæ vestræ.* ¶ *Prophetas*] לנביאים *in Prophetas*, i. Prophetas. Quomodo locutus est Moses Deut. 18.15. *Prophetam è medio tui è fratribus tuis mei similem suscitabit tibi DOMINUS Deus vester.* In quibus verbis illud, *è fratribus tuis*, videtur esse synonymum hujus *è filiis vestris.* ¶ *Et è juvenibus vestris*] Quæ ætas ferè dedita vino, à quo abstinebant ex voto Naziræi. ¶ *Naziræos*] Ναζιραίους scribunt Græci Jud. 13.5. & 16.17. Quam scripturam amplexus sum vel διακρίσεως ἕνεκα· quippe *Nazaræus* aliud significat. Cur autem hæc nomina antiqui confuderint causam nullam video, nisi fortè legerunt נְזִירִים, quod absque punctis, quibus vocalium loco utuntur Ebræi, nunc scribunt ac legunt נזירים. Hujus sing. est נזיר: id valet, interprete Aquilâ, ἀφωρισμένος. Symmachus autem interpretatur ἄθικτον. De ritu Naziræorum habes Num. 6. Sunt qui in horum locum successisse putant Pharisæos, mutato vitæ instituto: Nam & ii à *separando* dicti. Quanquam sunt qui ab *exponendo* vocatos putant. Quicquid sit, Naziræos circumloquitur Lucas Euangelista Act. 21.23. cùm ait οἱ εὐχὴν ἔχοντες ἐφ' ἑαυτῶν. Vide si Epiphanium lib. 1. Nazianzenum Orat. funebri in patrem, & in Basilium, & εἰρηνικῷ primo; Eusebium in 7 Demonstr. Euangelicæ. Horum ritum in tondenda coma imitati sunt olim Assyrii. De quo more Lucianus in Syria Dea, *Juvenibus*, inquit, *capillos sacros à nativitate usque consecratos demittunt: quos postquam in templo sunt, resecant, & in vasa depositos, alii quidem argentea, multi verò etiam aurea, in æde affigunt, atque abeunt, inscripto uniuscujusque nomine.* Isidorus in 2 Officiorum, *Nazaræi priùs crine servato, deinde ob vitæ continentiam caput radebant, & capillos in ignem sacrificii reponebant.* ¶ *An etiam non est hoc?*] Nónne, ut alia omnia quæ commemoravi, ità hoc etiam verum est?

12. *Dedistis bibere*] Vel *potandum præbuistis.* השקון ποτίζω non reperitur in Kal, ut nec שתה *bibo* in Hiphil. ¶ *Nazireis*] Τοὺς ἡγιασμένους Lxx. ¶ *Vinum*] Quod non licebat eis bibere per ritum Nazireatûs. ¶ *Præcepistis, dicendo, Nè prophetetis*] Vetuistis prophetare. Vide infrà 7.13.

13. *Ecce ego premor subter vos quemadmodum premitur plaustrum quod plenum est manipulis*] Alia interpretatio, *Ecce ego premo locum vestrum quemadmodùm premit plaustrum plenum manipulis.* PREMO, i. brevi pressurus sum. Similia, *Ecce ego commoveo cœlum & terram*, mox commoturus sum. QUEMADMODUM PREMIT. Hic *terram* subaudio. Jonathan, *Ecce ego adduco super vos angustiam, & premo vos in loco vestro, quemadmodùm premitur plaustrum onustum manipulis.* SUBTER VOS. Onere peccatorum vestrorum: q. d. Non possum ampliùs vos ferre. Similis locus Jes. 1.14. Nihil impedit quò minùs exponatur תחתיכם *propter vos*: nam id quoque תחת significat. Ebræi exponunt במקומכם *in loco vestro*, i. ut ego quidem capio, *vestrî causâ*: quod idem cum illo *propter vos.* PLENUM. In Ebræo est ad verb. *plenum sibi*: in quo sermone τὸ *sibi* redundat, ut Jes. 31.8. *fugiet sibi à gladio*; & Exod. 18.27. *ivit sibi in regionem suam*; & Hos. 8.9. *onager solitarius sibi.* MANIPULIS. עמיר *manipulo*, i. manipulis. Sæpe ità singularis numerus pro plurali usurpatur.

14. *Periit fuga*] Nemo poterit effugere, nè quidem is qui cursu valet. Pro *fuga* sunt qui reponant *effugium.* Nam est qui potest fugere, non tamen effugere. ¶ *A levi*] *A veloce.* ¶ *Fortis*] Is in quo vires sunt; vires, inquam, non animi, sed corporis. ¶ *Non roborabit vires suas*] Non evadet fortior; vel potiùs amittet vires quas habet. Locutio ut, *Non gaudet stulti pater. Roborabit*, i. *firmabit, fortificabit.* Quo ultimo verbo usus est Poeta barbarus. ¶ *Robustus*] Qui robore ac virium firmitate præstat. Lxx μαχητής. ¶ *Animam suam*] *Vitam suam*, aut seipsum.

15. *Tenens arcum*] *Arcitenens*, τοξότης, *sagittarius*, ὁ τόξῳ χρώμενος. ¶ *Non consistet*] Non poterit stare præ metu, nedum ut arcu utatur quemadmodum oportet. Aut *non stabit*, i. non pugnabit. ¶ *Levis*] *Celer, velox.* ¶ *Non liberabit*] Repete ex sequentibus ἀπὸ κοινοῦ *animam suam.* *Vector equi*] *Insidens* aut *vehens equo.* ¶ *Vehens*, i. vectus. A. Gellius, *Qui ornarent introire solitos equo vehentes.* Justinus Historicus, *Ille plaustrum, quo vehenti regium delatum fuerat, in templo Jovis positum majestati consecravit regiæ.* Sic *vehens quadrigis* pro *vectus.* Ælianus, *Vectores, qui aliquo utuntur vehiculo, quorum duplex genus. Nam alii equis, alii elephantis vehuntur. Qui equis utuntur, aut curribus vehuntur, aut ipsis equis insident.* Cæterùm ut *equitare* ab *equo*, ità רכב verbum à nomine, quod est רֶכֶב, *currum* denotante. Et est circumlocutio equitis, cùm ità dicimus רוכב הסוס: ideo Græci convertunt ὁ ἱππεύς.

16. *Fortis animo*] Animosus. ¶ *Inter robustos*] Inter strenuos milites. ¶ *Nudus*] Abjectis armis aliísque militaris disciplinæ instrumentis. *Nudus* sæpe dicitur is cui desunt indumenta ad rem præsentem necessaria. Sic *nudus lugere* dicitur qui non habet vestes lugubres. Et Saul 1 Sam. 19. *nudus prophetat*, i. sine pallio Prophetico. Interdum *nudus* vocatur qui non ità bene vestitus est. Vide Jac. 2.15. & 1 Cor. 4.11.

IDEM.

1. ΑΥτῶν] Libri quidam, αὐτοῖς. Vide quæ notavimus ad 1.3.

2. Εἰς Μωὰβ] Alibi ἐπὶ Μωάβ. ¶ Τῶν πόλεων αὐτῆς] *Civitatem ejus*, priscus Int. Pronomen tamen abest & in C. & in Ebræo. הקריות τῶν πόλεων. Hujus singularis קריה *urbs, oppidum, civitatula.* Sed hic est nomen urbis. Itaque Hier. & alii, *palatia Carioth.* Solitum hoc modo his Interpretibus nomen proprium loci reddere appellativum. Fecit idem Jonathan Uzielis: nam transfert ברניה כרכא. Dubium autem utrùm intelligat urbem aliquam certam κατ' ἐξοχήν, putà metropolin regionis Moab, an utatur singulari pro numero qui multitudinem designat. כרכא *urbs*, propriè *firma* ac *munita*: sed de qualibet urbe dicitur; unde כרכא של רומי *urbs Romæ* כרכי הים *civitates maritimæ*, apud S. Jarium Ebræum. Usurpatur etiam de Pentapoli, h. e. de quinque urbibus quæ cœlesti igne conflagrarunt. ¶ Μετὰ κραυγῆς καὶ μετὰ φωνῆς] Int. antiquus, *cum clamore & cum voce.* In nonnullis cod. μετὰ φωνῆς, μετὰ κραυγῆς. Est etiam ubi reperiatur καὶ μετὰ κραυγῆς. Suprà 1.14. בתרועה μετὰ κραυγῆς. Hic est שאון in Ebræo: quod de *bellico strepitu* usurpat Propheta Hoseas 10.14. קול שופר φωνὴ σάλπιγγος. Alius maluisset φωνῆ κερατίνης. Nam שופר propriè κερατίνη, i. *cornea tuba.* Sed hoc leve.

3. Μετ' αὐτοῦ] Hoc desideratur in plerisque ed. Abest etiam in Lat. Vetere. Habetur autem in C. & R. eíque respondet in fonte עמו *cum eo.*

4. Αὐτὸν] Αὐτοὺς, ut suprá. ¶ Ἕνεκα] Aliàs ἕνεκεν. ¶ Ἀπώσασθαι αὐτοὺς] Pronomen αὐτοὺς exsulat à nonnullis cod. sed malé. ¶ Τὸν νόμον Κυρίου] Partim librorum, τὸν νόμον τὸν φυσικὸν Κυρίου, i. *legem naturalem DOMINI*: in quibus verbis τὸν φυσικὸν redundat à glossemate. Et est glossema ineptum alicujus Græculi: nam Ebræi sic non loquuntur. ¶ Τὰ μάταια αὐτῶν ἃ ἐποίησαν] Sic editiones C. & R. in cæteris abest ἃ ἐποίησαν, & rectè abest: non enim legitur in Ebræo. V. Int. *decepti sunt in vanitatibus suis, quas secuti sunt patres eorum.* Videtur legisse ἐπλανήθησαν ἐν τοῖς ματαίοις, &c.

6. Ἰσραὴλ] Talis lectio in C. & R. Alii codices habent Ἱερουσαλὴμ· quæ lectio manavit ex antiquo more scribendi ιηλ, quod imperiti librarii legerunt Ἱερουσαλὴμ, ac si scriptum fuisset ιηλμ: ità conjicio. Conjecturam meam qui hospes in his literis non sit non dubito quin probabit. Simile mendum c. 1.1. Vide, si placet & si vis. ¶ Αὐτὸν] Alibi αὐτοὺς. ¶ Δίκαιον] In margine codicis mei notatum ex ed. Antverpiensi πτωχὸν dubito an rectè: nam cùm sequatur καὶ πένητα, videtur huc potiùs illa lectio pertinere. Sanè אביון Græci πτωχὸς convertunt Psal. 9.18. & alibi. Cæterùm hunc locum antiqui illi Patres & religionis nostræ Antistites de Christo enarrant. Vide Tertull. Adv. Marc. l. 4. c. 40. & Pamelium in eum. Meminit etiam auctor Hodœporici Jerosolymi, quem adire potes si habes. ¶ Ἕνεκεν ὑποδημάτων] Interpres quem toties laudo, *propter calceamenta.* Quædam exemplaria (fidem faciet Antverpiense) ἀνθ' ὑποδημάτων, i. *pro calceamentis.*

7. Τὰ πατοῦντα] Plantinus excudit κατὰ πατοῦντα. Malim καταπατοῦντες idque sequentia probant. Aldinum exemplar καὶ τῶν πατούντων. Sic etiam Cephalæi. Basileense quod in octavo complicat, τῶν πατούντων. Interpres recentior, *eorum qui calcant*; vetus, *quæ calcantur.* Jonathan Paraphrastes Chaldæus, דשין *qui conculcant*, sive *proculcant.* Vulgatus noster, *qui conterunt.* Accipiunt שאפים quasi esset שָׁפִים participium à שוף verbo in hac significatione Chaldæis notissimo. ¶ Εἰς κεφαλὰς πτωχῶν] *Capita pauperum* Interpres qui olim. Lectio varians, εἰς κεφαλὴν πτωχὸν, exstat in iis quæ Plantinus impressit. *Pugno*, inquit, *percutiebant pauperem in capite*, sive *ad caput*: quod idem cum illo, *percutiebant caput pauperis.* Καὶ ἐκονδύλιζον] Scholion ex prava distinctione superioris membri. ¶ Τοῦ Θεοῦ αὐτῶν] Ebræa, τὸ ἅγιόν μου.

8. Δεσμεύοντες σχοινίοις] חבלים non חֲבָלִים legentes signifi-

cationem sumunt à חבל, quod *funem* denotat. Sequitur in Ebræo יטו, quod vertunt παρατετάσματα ἐποίων. Verbum è verbo *extenderunt*, & *aulæa*, aut aliquid tale subaudiri potest. Ergò sensum reddunt, si Deo placet.

9. Ἐξῆρα] Aliàs ἦρα. ¶ Οὐ ἦν] Desideratur in Plantino. ¶ Καὶ ἐξήρανα] Sic legit & Vetus, qui interpretatur *& arefeci.* Putarem tamen Interpretes edidisse καὶ ἐξῆρα, quod hodie legitur in excusis à Plantino. Suprà והשמדתי ἐξῆρα sive ἦρα, valde firmat opinionem meam, cùm idem verbum sit hoc loco in fonte.

10. Τὴν γῆν τῶν Ἀμοῤῥαίων] Τὸν Ἀμοῤῥαῖον est in C. sed minùs bene.

11. Εἰς ἁγιασμὸν] Sic habent pleraque omnia exemplaria, etiam Romanum. Nec aliter legit Int. antiquus. Quippe transfert & *in sanctificationem.* Sensus est, *ad Nazireatum.* Eadem sententia in varia lectione ἡγιασμένους, quæ invenitur in editis ad E. C. Nam sign. *Naziræos*, quos Jonathan מלפין, i. *doctores*, nunc appellat. Infrà vers. 12. exemplaria omnia consensu ἡγιασμένους præferunt. Μὴ οὐκ] Legitur & μήτι οὐκ.

12. Καὶ ἐποτίζετε τοὺς ἡγιασμένους] Alibi ἐποτίζετε τοὺς ἡγιασμένους μου. Int. V. *& propinabatis Nazaræis.* ¶ Οὐ μὴ προφητεύσετε] Quædam exempl. τοῦ μὴ προφητεῦσαι.

13. Καλάμης] Cur non δράγματος; ut Mich. 4. 12. כעמיר גרנה ὡς δράγματα ἅλωνος.

14. Μαχητὴς] i. *Bellator*, *pugnator.* Perperàm in nonnullis exempl. μαχητός· nam hoc aliud significat, videlicet *expugnabilis* sive *oppugnabilis.* גבור ab aliis exponitur μάχιμος, i. *pugnax*, *bellicosus.*

15. Καὶ ὁ ἱππεὺς] C. οὐδὲ ἱππεύς.

16. Καὶ ὁ κραταιὸς οὐ μὴ εὑρήσει] Sic ed. Rom. Hic duæ interpretationes coaluerunt. אמץ κραταιός transpone literas, & emerget מצא εὑρήσει. Sed magis ut legerint מצא, nam מצא εὑρήσει. Libri mirè hic variant. Editi ad E. C. καὶ εὑρήσει τὴν ψυχήν. Veneta, quam secuti sunt Argentoratenses & Basileenses, καὶ εὑρεθῇ ἡ καρδία αὐτῶν. Int. V. *& robustus corde*, καὶ κραταιὸς καρδίᾳ, omnium optimè ac rectissimé. ¶ Ἐν δυναστείαις] Et hîc variant libri: nam in aliis καὶ δυνάστης quam lectionem secutus Int. V. interpretatur *inter fortes.* Prior obvia in C. & R. Cave probes. גבור δυνάστης. Suprà idem nomen reddunt μαχητής. ¶ Διώξεται] Melior lecta in C. Φεύξεται, i. *fugiet.* Ità sanè legit Int. V. ¶ Ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ] Biblia Regia ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις. Vetus, *in die illa*, ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ. Sic etiam Ebræi.

IDEM in VULG.

1. USque ad cinerem] Recentior interpretatio habet *in calcem.* Sed interpres sensum expressit. Jonathan, *obliniierunt eis ut calce domum.*

2. *Carioth*] Hodie *Carioth.* ¶ *In sonitu*] Vel, *cum strepitu.* ¶ *In clangore tubæ*] Deest, *in voce*, quod est in Ebræo, ut sit, *in clangore in voce tubæ.*

4. *Super tribum*] Hic nonnulli incipiunt caput secundum. ¶ *Eò quòd abjecerit*] Veritas habet, *eò quòd abjecerint*, & subintelligitur *Judæi.* Ad verbum, *propter aspernari ipsorum.* ¶ *Mandata ejus*] Est cur malim *statuta ejus.* ¶ *Idola sua*] Elegerim, *idola ipsorum:* quod Ebræus dicit *mendacia ipsorum.* ¶ *Patres eorum*] Id est, majores eorum.

6. *Pro eo quòd vendiderit*] *Eò quòd vendiderint* legitur in Ebræo. ¶ *Pro calceamento*] Vertendum arbitror, *pro pari calceorum.*

7. *Qui conterunt*] In Ebræo hîc locus paullò aliter legitur, *Qui anhelant super pulverem terræ in caput tenuium:* quibus verbis hoc significat, nisi fallor, Qui properant capita tenuium dejicere in pulverem terræ. ¶ *Humilium*] Pro *humilium* in margine codicis Ebræi annotatum comperior, *pauperum* sive *afflictorum*, quod in idem recidit. ¶ *Delineant*] Id est, pervertunt. ¶ *Et filius*] Verbum è verbo *& vir.* Dignum notâ. *Vir* pro *filius.* Vide Quæstiones nostras. ¶ *Ut violarent*] non damno: præoptem tamen, *ut polluerent* vel *profanarent.*

8. *Pignoratis*] Id est, *pignore acceptis.* ¶ *Vinum damnatorum*] Aut *multatorum:* nisi potius est vertere *vinum oppressorum*, quæ interpretatio videtur planè congruere cum eo quod Jonathan habet *vinum violentiæ*, hoc est, per vim partum.

9. *Amorrhæum*] *Amorrhæus* in Latinis exemplaribus modò cum adspirationis nota reperitur, modò sine ulla adspiratione Amorræus. In Ebræo codice legitur *Emoræus* per *e* & unicam *r.* ¶ *Altitudo cedrorum*] Excidit nota similitudinis, *sicut altitudo.* ¶ *Fortis*] Paullò melius, ut arbitror, *robustus.* ¶ *Quasi quercus*] Ritu quercuum ac castanearum.

10. *In deserto*] Per desertum.

11. *Nazaræos*] Libentiùs legerem, *in Nazaræos:* primùm quia præcedit in prophetas; deinde quia ità in Ebræorum libris invenitur.

13. *Stridebo*] Puto rectius esse, *premo:* & ità Jonathan retulit. ¶ *Subter vos*] Ità omnino scribendum; non ut in manuscriptis legitur, *super vos:* quam scripturam eùm ipsa sententia repudiat tum veritas Ebræa. ¶ *Fœno*] *Plenum manipulo* codex Ebræus habet, id est, manipulis.

14. *Virtutem suam*] Id est, robur suum. ¶ *Animam suam*] Id est, *seipsum.*

15. *Tenens arcum*] Qui utitur arcu, sagittarius. ¶ *Non stabit*] Quasi dicat, cadet in acie. ¶ *Non salvabitur*] *Non eripiet* habet exemplar Ebræum, & subintelligitur *se* aut *animam suam.* ¶ *Ascensor equi*] Qui equo vehitur, id est, eques. *Et robustus*] Hæc pars sequens ità distinguitur à superioribus, ut efficiat versum decimum sextum, libris Antverpiæ impressis. Sic etiam distinguitur apud Ebræos. ¶ *Corde*] *Corde suo* habet codex Ebræus. ¶ *Inter fortes*] Vult dicere, inter milites. Epitheton sine re.

LIVELEUS.

1. IN calcem] Prorsus, perfectissimè & absolutissimé. Sic Esa. 32. 12. *Erunt populi combustiones calcis.*

7. *Qui inhiant* [vel *anhelant*] *propter pulverem*] i. *Ut sit pulvis super caput tenuium*, ut rectè Quimquius & Mercerus exponunt; h. e. qui summo cupiditatis ardore contendunt & incumbunt in id ut ità sit; qui vehementer id ità esse cupiunt. Nam שאף propriè sign. *inhiare*, *anhelare aperto ore*, *aerem attrahere belluarum siti anhelantium more*, quæ ad interiorem æstum temperandum auræ frigidioris afflatum hiantes avidè captant. Jer. 14. 6. Tempore siccitatis à defectu pluviæ *Onagri super loca excelsa stantes quasi serpentes auram inhiant* שאפו רוח. Hinc per Metaphoram, *maximopere desiderare.* Job. 5. 5. *Messem eorum famelicus comedet*, *& sitibundus opes eorum inhiabit*, שאף. Ibi c. 7. 2. *ut servus inhiat umbram*, i. *desiderat*, ut Vulgatus interpretatur. Hoc igitur verbum ardentissimum eorum desiderium notat quo tenuium miseriam videre cupiverunt: Quale in Serpentibus & sitientibus Belluis esse solet cùm hiantes aurâ refrigerare quærunt anhela flammis corda. *Ut sit pulvis*, i. ut oppressione suâ vexatos in luctum conjiciant. Pulvis enim super caput in luctu & rebus afflictis olim ponebatur; Job. 2. 12. Ezech. 27. 30. etiam caput ipsum in pulvere; Lam. 2. 10. *Seniores imponunt pulverem capitibus suis: Virgines in terram deponunt caput suum.* ¶ *Viam pauperum*] i. Judicium eorum. Judicium enim *via* comparari solet: Prov. 17. 23. *Munus è sinu profertur ad pervertendum semitas judicii.* ¶ *Eunt ad puellam*] i. Cum ea concumbunt. Propertius ità loquitur lib. 2. eleg. 21. de meretricula,

Nec finit esse moram, si quis adire velit.

Eodem sensu dicitur aliquis *ad mulierem venire*, Gen. 38. 16. *veniam ad te.* Metonymia.

8. *Super vestes*] *Vestes stragulas* intelligo cum Jarchio & Chaldæo P. quæ ad epulas humi vel in lectis accumbentibus olim substernebantur. Judith. 12. 15. *Stravit ancilla ejus ei coram Holopherne pelles humi, quas à Biguaio ad quotidianum usum acceperat, ut in eis accumbens comederet.* Virgilius Æneid. 1.

Jam pater Æneas & jam Trojana juventus
Conveniunt, stratóque super discumbitur ostro.

בגד enim non solùm *vestem quæ induitur* significat, sed etiam *stragula*, *aulæa*, *tapetia*, 1 Sam. 19. 13. *imaginem lecto impositam*, *texit veste*, scilicet stragulâ. Vide Num. 4. 6, 7, 8, 9, 12, 13. VESTIS etiam Latine tam de *stragulis* quàm *indumentis* usurpatur. Hinc enim *vestis stragula* dicitur. ¶ *Inclinant se*] Alludit ad veterem discumbendi morem, quo epulantes ad mensam non, ut nos hodie, sederunt, sed accubuerunt, reclinatâ superâ parte corporis in cubitum sinistrum, inferâ in longum porrectâ ac jacente, capite leviter erecto. Ab ista igitur reclinatione corporis ità accumbentes hîc *reclinare se* dicuntur, ut Græcè similiter κατακλίνειν, ut docet Lambinus ex Plutarcho, Platone & aliis, ad ea verba Horatii, 1. Car. od. 27.

Et

Et cubito remanete presso.

Latinè quoque *reclinari* dicuntur. Horat. od. 3. lib. 2.

Seu te in remoto gramine per dies
Festos reclinatum beâris.

Hinc lectus epulantium discubitorius Hebraicè מסרח, à סרח, quod *inclinare & reclinare se* significat, nomen invenit. Vide Esth. 1. 6. & 7. 8. ex quo loco disces antiquam hanc accumbendi consuetudinem fuisse, ut & Judith. 12. 15. & Joh. 13. 23, 28. ¶ *Juxta omnia altaria in domo deorum suorum*] Idololatræ in idoleis suis coram idolis convivantes accumbebant. 1 Cor. 8. 10. *Si quis te viderit in idoleo accumbere, conscientia infirmi instruetur ad comedendum ea quæ sunt idolis mactata.* Ibid. 10. 21. *Non potestis poculum Domini bibere, & poculum dæmoniorum.* Horat. od. 37. lib. 1.

Nunc est bibendum, nunc pede libero
Pulsanda tellus; nunc Saliaribus
Ornare pulvinar deorum
Tempus erat dapibus, sodales.

9. *Amorrhæos*] Sub *Amorrhæis* reliquæ etiam Cananæorum gentes intelligendæ videntur, quas Deus similiter perdidit. Synecdoche speciei; ut Gen. 15. 16. *Non est completa iniquitas Amorrhæi adhuc.* Ex aliis Cananæorum familiis hi potissimùm nominantur propter ipsorum potentiam, quâ hîc *cedris & roboribus* conferuntur. Reges illos qui Jos. 9. 10. dicuntur *Amorrhæorum* fuisse, *magnos & fortes* vocat David Psal. 136. vers. 17.

13. *Arctaturus sum*] Vox מעיק Chaldaica est pro Hebraica מציק, quæ *arctare* significat, harum literarum ע & צ commutatione. Quà similiter ארעא pro ארץ Chaldaicè dicitur, & עאן pro צאן. Sensus est, *Ut plaustrum segete demessâ onustum in locis arctis ità hærere solet, ut neque progredi nec regredi possit; ità ego vos in eas angustias adducam unde vos ipsos minimè expedire valeatis.* Hoc sequentibus versibus pleniùs declaratur. *Loci angustia* pro Malis & Rebus afflictis & adversis Metaphora frequens est. Psal. 4. 1. *In angustia dilatasti mihi.* Prov. 4. 12. *Cùm ambulaveris, non arctabitur gressus tuus.* 2 Cor. 4. 8. *Premimur, at non coarctamur*, στενοχωρούμενοι. Στενοχωρία verò propriè *loci angustias* significat, at ibi *gravissimas afflictiones.* ¶ *Locum*] Tremellius ità hîc תחת interpretatur, rectè. *Locum* enim quandoque designat. Exod. 10. 23. *Neque surrexit quispiam è loco suo*, מתחתיו. ¶ *Arctatur*] Verbum quod initio versûs transitivum erat, hîc absolutum est, ut Quimquius rectè judicavit in radice עוק. Talia à Grammaticis Hebræis multa enumerantur. *Onustum*] Vulgatus ità interpretatur: Hebraicè verò dicitur *plenum sibi.* In dativo *sibi* Pleonasmus est, qualis Ose. 8. 9. *Onager solitarius sibi.* ¶ עמיר *manipulo*] i. Manipulis. Synecdoche, ut Mich. 4. 12. *congregabit eos tanquam manipulum*, i. manipulos, *in aream.* De *manipulis* usurpatur *excisæ segetis*, & (ut loquitur Varro) *stramenti demessi quod cum spica hæret.* Atque hæc hujus loci sententia est ab Hebræis Expositoribus probata & explicata, quam alii plerique omnes non animadversam suis interpretationibus obscuraverunt. Quod autem ità interpretor, *arctaturus sum locum vestrum*, potest etiam ità non incommodè reddi, *arctaturus sum sub vobis*, sc. *locum vestrum*; ut post *coarctandi* verbum accusativi *locum* vel *spatium* designantis Ellipsis fit, qualis post verbum contrariæ notionis quandoque exprimitur. Psal. 18. 36. *Dilatasti sub me gressum meum*, i. locum vel viam quà incedo. Nonnunquam similiter subauditur, ut Psal. 4. 1. *In angustia dilatasti mihi*, sub. *locum.* Gen. 26. 22. *Jehova dilatavit nobis*, supple *locum.* Hâc ratione de sensu priore nihil decedit. Hoc enim dicitur, Deum viam quà ituri sint ità in arctum compressurum ut pedibus eorum in eo figendis spatium desit.

15 *Tenens arcum*] Sagittarii Periphrasis est; apud Latinos Deus sagittandi peritus *Arcitenens* vocatur.

16. *Nudus*] h. e. Superioribus & militaribus vestibus exutus, quæ fugientem impedire possent. Sic 1 Sam. 19. in fine, *Saul cecidit nudus toto die.* Vel *nudus pedes* aut *crura* tantùm, per Synecdochen intelligi potest. Vide Esa. 20. 3. & Mich. 1. 8.

GROTIUS.

1. S*Uper tribus sceleribus Moab*] Apparet hæc cohærere cum superioribus. ¶ *Eò quòd incenderit ossa Regis Idumææ usque ad cinerem*] Cur quod hîc tangitur non idem censendum sit cùm eo quod habuimus 2 Regum 3. 27. diximus illo loco. שיד, quod & סיד, Esaiæ 33. 12. est *calx* potiùs quàm *cinis.* Et si Chaldæo Interpreti credimus, Moabitæ ossibus Regis Idumæi usi sunt pro calce ad oblinendos parietes. Credibile est Moabitas subactos à Chaldæis, & Chaldæis militantes hoc modo odium suum voluisse ostendere in eos qui adhuc Chaldæis resistebant.

2. *Et devorabit ædes Carioth*] Urbes Moabitarum, Jeremiæ 48. 24.

3. *Et disperdam Judicem de medio ejus*] Suffetem, & quasi Interregem.

4. *Super tribus sceleribus Juda*] Id est, Duarum tribuum.

5. *Mittam ignem in Juda*] Nabuchodonosori.

6. *Super tribus sceleribus Israël*] Decem tribuum. ¶ *Quòd vendiderit pro argento justum*] Id est, pretio corruptus contra eum judicaverit. ¶ *Et pauperem pro calceamentis*] Id est, pro minimo etiam pretio. Sic & infrà 8. 6.

7. *Qui conterunt super pulverem terræ capita pauperum*] Pauperes affligunt solo. ¶ *Et viam humilium declinant*] Id est, res eorum pervertunt, Job. 24. 5. ¶ *Et filius ac pater ejus ierunt ad puellam*] Quale flagitium *nec inter Gentes* (moratiores scilicet) *auditur*, 2 Corinthior. 5. ¶ *Ut violarent nomen sanctum meum*] Ostendit quid indè sit consecutum. Dicebant gentes profanæ, *En populum Dei*; 2 Petr. 2. 2.

8. *Et super vestimentis pignoratis accubuerunt juxta omne altare*] *In lectis*, Chaldæus. Ab iis qui non unà cum ipsis idola colebant sumebant pignora, eisque ornati utebantur in Templis. Ità hîc Hieronymus. ¶ *Et vinum damnatorum bibebant in domo Dei sui*] Vinum comparatum ex bonis damnatorum, ob id quòd idola cum ipsis non colerent. LXX: οἶνον ἐκ συκοφαντιῶν [*vinum ex calumnia.*] Chaldæus, *vinum rapinæ.*

9. *Ego autem exterminavi Amorrhæum à facie eorum*] Post exitum ex Ægypto, ut sequitur. Commemorat sua beneficia Deus, quò gravior appareat culpa tam ingratorum. ¶ *Cujus altitudo, cedrorum altitudo ejus*] Abundat *ejus* more Hebræo. Et casum tantùm explicat אשר [*cujus*] ἄκλιτε [*vocis indeclinabilis.*] Amorrhæi homines erant eximiæ magnitudinis. ¶ *Et fortis ipse quasi quercus*] Erant iidem validiores cæteris circùm populis. ¶ *Et contrivi fructum ejus desuper, & radices ejus subter*] Allegoria ab arbore sumta quæ funditus ejicitur.

11. *Et suscitavi de filiis vestris in Prophetas*] Ut LXX illos Mosis tempore, ut Josuam, Samuelem, deinde tot alios. ¶ *Et de juvenibus vestris Nazaræos*] Quod magnum decus erat populo, Thren. 4. 7. ¶ *Numquid non ità est, filii Israël?*] Tale illud,

Numquid & hoc, fallax Creta, negare potes?

12. *Et propinabitis Nazaræis vinum*] *At vos datis Nazaræis vinum potandum*, contra votum & legem Numerorum 6. 2, 3. ¶ *Et Prophetis mandabitis*] *Præcipitis.* Exemplum vide infrà 7. 15.

13. *Ego stridebo super vos*] *Pressurus sum locum vestrum.* Ità Chaldæus; hostibus scilicet undique adventantibus. ¶ *Sicut stridet plaustrum onustum fœno*] Sicut premitur. Pastor sibi convenientia loquitur, & similitudines sumit à rubus rusticis.

14. *Et peribit fuga à veloce*] Multi in ipsa fuga deprehendentur. ¶ *Fortis non obtinebit virtutem suam*] Cadet animo.

16. *Nudus fugiet*] Si quibus dabitur evadere, evadent rebus omnibus derelictis.

CAP. III.

MUNSTERUS.

3, &c. S*I non coadunati fuerint*] i. Si animo & corpore non convenerint. Hostes concorditer non ambulant, cùm animo diffideant, neque simul gradientur qui in itinere se non conjunxerint: sic nec Prophetæ unà voce contra vos prophetarent si Spiritus meus illis non esset conjunctus. Non igitur est vanum quod Prophetæ tanto consensu contra vos prædicant. Item, ut *Leo non* frustrà *rugit in silva*; nam clamore ejus animalia

malia territa manent in loco suo, & superveniens Leo discerpit ea; sic nec Dominus in vanum vociferatus est per ora Prophetarum. Proinde sicut *nec auceps* frustrà objicit volatilibus *laqueum in terra*, sic nec Dominus frustrà prænunciat futuram afflictionem, &c. Nemo est insuper qui non *terreatur* voce *tubæ*, hostis adventum annunciantis; quis igitur non contremiscet à voce *Domini* futura *mala* denunciante?

6. *Si erit malum in civitate*] Impii dicunt Deum nec mala nec bona facere, sed quòd omnia fato quodam contingant: at Propheta hîc longè aliter sentit: Non, inquit, *incidet malum aliquod in civitatem vestram quod Dominus non facturus est*, præsertim cùm illud venturum per Prophetas prædixerit. *Nihil enim agit quod priùs non revelet amicis suis & Prophetis.* Quòd si hoc Prophetæ dictum etiam ad malum peccati trahere volueris, nihil prohibet quin dicamus Deum facere malum culpæ. Ipse enim *obduravit Pharaonem*, *decepit Ahab* per falsos Prophetas, *tradidit Gentes in immunditiam & reprobam mentem*, ipse subministrat vires furi ut surripiat, &c. Sed Deus ob id non peccat, cùm regula sit summæ rectitudinis; quin magis deordinatio est in homine peccante. Quod alii sic explicant; In Deo duo considerantur; Omnipotens scilicet actio ejus, nobis imperscrutabilis, quâ non permittit tantùm mala, sed etiam potenti manu & efficaci actione agit mala culpæ & pœnæ: deinde Voluntas ejus in Scriptura manifestata, quâ prohibet peccata, & jubet ut vitam nostram conformemus eidem. Et sic dicimus Deum non operari mala, sed permittit ea fieri, dum omnipotentiâ suâ non impedit.

8. *Quis non prophetabit*] Chaldæus hunc locum sic expressit, מן לא יקבל נבואתא *Quis non acceptabit Prophetiam?* Potest & hic esse sensus, *Domino rugiente per Prophetas, quis non contremiscet?*

9. *Videte tumultus plurimos*] Advocate, inquit, ethnicos judices ex Ægypto & Palæstina, ut videant seditiones vestras, cædes, rapinas, calumnias, & oppressiones pauperum, & condemnabunt vos judicio suo: & quantò magis culpabiles eritis coram judicio meo?

12. *Sicut pastor eruit*] Non totum, inquit, devastabitur Regnum, sed reliquiæ aliquæ manebunt, haud secùs quàm *cum pastor ab ore leonis duo crura aut auriculam* ovis devoratæ *recuperat*. Vocat autem *angulum lectuli* Samariam, & *lectum* ipsum Damascum, quòd major pars Israelis habitaret in Regno Damasceno quàm in Samaria: Illic enim tutiores se esse contra hostes sperabant: sed fefellit eos opinio eorum. Porrò 2 Reg. 14. scribitur, quomodo Jarobeam Rex Israel ampliavit terminos imperii Samariæ usque ad Damascum metropolim Syriæ.

14. *Audite & testificamini*] *Audite*, inquit, vos Prophetæ, *& testificamini* apud populum, me sic Israelitarum vindicaturum scelera, ut nec impia *altaria in Bethel* integra mansura sint.

VATABLUS.

1. VErbum hoc quod locutus est הדבר הזה אשר דבר] *Sententiam hanc quam decernit.* ¶ *Cognationem* המשפחה] *Familiam: gentem.* Sic v. seq. ¶ *Ascendere feci* העליתי] Mutatio personæ, pro *eduxit ipse Jehovah.*

2. *Tantum vos agnovi* רק אתכם ידעתי] i. Vos solos delegi, vestri solùm curam habui, eligendo vos ex omnibus aliis Gentibus in populum peculiarem. Subaudiendum autem est aliquid, cujusmodi, *& tamen defecistis à me*; *idcirco*, &c.

3. *Ambulabúntne* הילכו] q. d. *Non.* Quemadmodum, inquit, duo nunquam aliquò simul proficisci solent ob aliquod negotium nisi priùs de eo conveniat inter ipsos; sic Prophetæ, per quos prædicam me visitaturum iniquitates vestras, quemadmodum dixi, non accedent ad vos ut hæc annuncient vobis, nisi maximè illis mecum conveniat ut de hoc vos admoneant. Hâc similitudine voluit ostendere præstantiam Prophetæ, magnúmque esse inter Deum & Prophetas consensum. Paulò pòst sequentibus seipsum declarat, his verbis, *Dominus Deus cùm loquitur, quis non prophetaret?*

4. *An dabit leunculus vocem suam* היתן כפיר קולו] *An emittet catulus leonis vocem suam*, i. an rugiet. כפיר sign. *catulum leonis jam adultum*: accipitur pro *leone valente viribus.* Ac si dicat, Si res ità se habet ut leo nunquam rugiat quin prædam capiat, numquid similiter, si comminetur Deus, non supplicium sumet? Proculdubio sumet, & faciet quod est interminatus.

5. *Et laqueus non erit ipsi?* ומוקש אין לה] *Et offendiculum non est illi?* i. & non capietur? q. d. Non: sic nec vos poteritis eripi ab offendiculo quod decrevi mittere in vos ut in eo capiamini. *Offendiculum* est hostis, cui præcipiam ut veniat contra vos. Nè autem existimetis quòd, postquam advenerit, recedat à vobis donec ulciscatur se de vobis. ¶ *Numquid adscendet*, היעלה פח וגו] Phrasis Hebræa, pro, *numquid auferetur laqueus e terra si nihil ceperit?*

6. *Expavescet* יחרדו] *Formidabit? trepidabit?* ¶ *Malum* רעה] *Afflictio: calamitas.* q. d. Omnium quæ eveniunt vobis autor est Deus, quæ prædicunt vobis Prophetæ ab eo moniti. ¶ *Et Jehovah* ויהוה] *Quod Jehovah:* , sæpius ponitur loco relativi

7. *Facit* יעשה] Fut. Heb. pro præs. *facere solet.*

8. Si *leo rugiat* אריה שאג] Subauditur אם *Si.* Comparat Deum Leoni animanti fortissimo, & cui nullus resistere possit. Quòd si Leoni nullus resistat, multò minùs Deo.

9. *Promulgate* השמיעו] *Clarâ voce significate. Divulgate.* ¶ *Contritiones multas* מהומת רבות] *Oppressiones frequentes.* Alii, *tumultus crebros.*

10. *Rectum* נכוחה] Sub. *opus.* ¶ *Qui recondunt*, &c. האוצרים וגו'] *Qui thesaurizant rapinam & vastitatem.* Intelligit pecuniam injustè partam: q. d. Replent palatia sua rapinis, furtis, & hujusmodi.

11. *Tribulatio, & in circuitu* צר וסביב] *Tribulator, & in circuitu terræ ipsius.* Sermo irati est, & propterea concisus: ideo quædam subaudienda, hoc modo, *Tribulator* venturus est, *& in circuitu terræ ipsius* positurus est castra.

12. *Eruit* יציל] *Eripit*, *eripere solet*: q.d. Pauci evadent ex illa captivitate, & hostis eos tantùm relinquet quos contempserit, quòd ægroti decumbant.

13. *Et testimonio comprobate* והעידו] *Testando prædicate.*

14. *Super eum* עליו] *In se*, i. in corpore ipsius.

15. *Eburneæ* השן] Ad verb. *dentis*, sub. *elephantis*, per excellentiam.

CASTALIO.

3. NUM *faciunt duo simul iter, quin sint conjuncti?*] Ut hæc vera sunt, sic verum est, civium calamitatis autorem esse Jovam.

12. *Ut eripit pastor ex leonis ore duo crura, aut auriculam; sic eripientur Israelitæ*] Rapientur, evadéntque pauci. ¶ *Qui Samariæ in cubilium spondis, & lectis Damascenis habitant*] Molliter & delicatè vivunt, ut declaratur cap. 6.

CLARIUS.

1. VOS *cognovi*] Elegi, dilexi præ cæteris. Hoc Hebraismo utitur interdum Paulus, ut, *Cùm cogniti sitis à Deo.*

3. *Nisi convenerit eis*] *Nisi convenerit inter eos* de loco ad quem tendunt. Hostes concorditer non ambulant, cùm animo dissideant; sic nec ego diutiùs ferre vos potero & vobiscum proficisci, si, ut hactenus fecistis, me irritare & immorigeri esse perseveraveritis. Alius sic, *Non simul gradientur qui in itinere se non conjunxerint, sic nec Prophetæ unâ voce contra vos prophetarent si Spiritus meus illis non esset conjunctus.*

4. *Nisi ob prædam*] Rugitus, inquit, Leonis signum est famis, quòdque prædam quærat. Eadem ratio est sequentis similitudinis de *catulo leonis*, & est utilis ταυτολογία.

5. *Et auceps non capiet eam*] i. Nónne in hoc posuit auceps laqueum super terram ut aves capiat?

6. *Si erit malum*] i. Si hæc minuta suas habent certas causas, quomodo verisimile esse poterit, hæc tam grandia fortuitò, ut putatis, evenisse?

7. *Non faciet Dominus*] i. Facere non solet. Tanquam dicat, Palàm est omnia esse immissa à Domino, quia Prophetæ illius semper prædixerunt ventura. Quæ cùm ità sint, sicut cùm *clangit tuba*, aut *leo rugit*, hoc signo homines admoniti *timent*, sic cùm *Dominus per Prophetas clamat*, metuendum est.

8. *Quis non prophetabit*] Quis renuet munus Propheticum, Deo id jubente?

9. *Videte insanias multas in medio ejus*] Advocate, inquit, Ethnicos judices ex Ægypto & Palæstina, ut videant seditiones vestras, cædes, rapinas, calumnias, & oppressiones pauperum, & condemnabunt vos in judicio suo: & quantò magis culpabiles eritis coram judicio meo?

12. *Quomodo si eruat pastor*] Non totum, inquit, devastabitur Regnum, sed reliquiæ aliquæ manebunt, haud secùs quàm *cùm pastor ab ore leonis duo crura aut auriculam* ovis devoratæ *recuperat.* Vocat autem *plagam* vel *angulum lectuli* Sa-

Samariam, & *lectum* ipsum Damascum (nam alius vertit *in Damasco in grabato*) quòd major pars Israelis habitaret in Regno Damasceno quàm in Samaria: Illic enim tutiores se esse contra hostes sperabant. Sed fefellit eos opinio eorum.

L. BRUGENSIS.

12. *Sic eruentur filii Israel qui habitant in Samaria, in plaga lectuli, & in Damasci grabato.*] Plerique nostrorum codicum legunt, *Et in Damasci grabato* [*grabato Damasci* o.] quibus adstipulantur Glossematici, Richelius, Carensis, Lyranus, Rupertus & Altisiodorensis. Cæterùm antiqui Epanorthotæ codices, quinque Hentenii, 4 Parisiensium (Di. o. I. Ge. o. p.) & 5 nostri (Brug. o. E. Q. Pl. m.) scribunt, *Et in Damasco grabati* [*grabato* 1 MS.] quomodo & Leodiense exemplar, atque alterum I notatum, habuere. Hebraicè est ובדמשק ערש, quod ferè vertunt neoterici, *Et in angulo grabati*, ità ut idem sit, vel penè idem, cum eo quod præcedit, *In plaga*, sive *angulo*, *lectuli*. Non enim legunt דמשק, quod est metropolis Syrorum nomen, *Damascus*; sed, ut ab Hebræis punctatum est, דְּמֶשֶׁק: id quod alibi non reperitur. Sensum autem tradunt hunc, Paucos Israelitarum servandos esse, eósque tantùm quos hostes contempserint, quòd eis dedecori essent si occiderentur, aut oneri si caperentur: quales qui ægroti decumbunt. Qui sensus Prophetæ similitudini optimè convenit. Noster Interpres דמשק pro *Damasco* accipit, ut & Chaldæus ac Lxx, vertitque, vel, *Et in Damasci grabato*, vel, *Et in Damasco grabati*, vel utrumque. Hoc, *Et in Damasco grabati*, quod Parisienses secuti sunt, Hebræo conformius (non enim solet Hebraicè regenti nomini rectum præponi) potsitque & in eum sensum intelligi quem juxta aliorum translationem jam diximus, Hebraico nomine *Damasco* appellativè sumpto. Alterum tamen etiam, *Et in Damasci grabato*, admittere Hebræa possint. Quidam transfert, *Et in Damasco (in) grabato*: id exponi possit, *Et in Damasci grabato*. Porrò hoc, *Et in Damasci grabato*, D. Hieronymi commentarius explanat: id quod & Epanorthotes notavit; *Antiqui*, inquit, *Et in Damasco grabati*; *Hieronymus evidentius*, *In Damasci grabato*. Verba Hieronymi inter cætera hæc sunt, *Filii ergò Samariæ habitant in regione & plaga lectuli*, *requiescentes in Syrorum auxilio*, & in Damasci grabato *sibi victoriam pollicentes*: *ut*, *quomodo qui fessus est refocillatur in lectulo*, *sic illi fractas vires vicinæ gentis auxilio roborarent*. Hujusmodi sensum & Chaldæus Paraph. dedit; *Sic liberabuntur filii Israel qui habitant in Samaria*, *in fortitudine potestatis & in Damasco confidentes*.

Vocem ערש, quam, post Aquilam, Hieronymus *grabatum* traduxit, existimat Hieronymus Lxx Interpretes Hebraicam retinuisse (*καὶ ἐν Δαμασκῷ ἱερεῖς*) aliquos verò, qui eam non intellexerint, legisse *ἱερεῖς*, quod est *sacerdotes*; hinc esse Græcè, *καὶ ἐν Δαμασκῷ ἱερεῖ*. sic enim Hieronymus Græcè legit: itáque Regium exemplar & Vaticanum, cum autore Theodorito, scribunt. Quidam autem Græci libri, Aldi & Germanorum, habent, *καὶ ἐν Δαμασκῷ κλινεῖ*, *ἱερεῖς*, quod est, *Et in Damasco inclinabit*; *Sacerdotes*. Τὸ *κλινεῖ*; aut, fortassis *κλίνῃ*, quod est *lecto* sive *grabato*, additum crediderim ex altera interpretatione; quòd Septuaginta duorum interpretationi deesse putaretur quod Hebraico ערש responderet.

DRUSIUS.

1. QUod loquitur] Jon. *quod decrevit.* Sic interpretantur Jon. 3. 10. אשר דבר לעשות להם *quam decreverat facere illis.* ¶ *Contra vos*] Vel *ad vos*, ut sit על pro אל. ¶ *Filii Israel*] Latè capiendum. Nam hæc concio ad omnes 12 tribus pertinet. Docent consequa verba. ¶ *Familiam*] i. Gentem aut nationem; ut Zach. 14. 18. *familia Ægypti.* Mich. 2. 3. *contra familiam hanc.* Jer. 8. 3. *de familia mala hac.* Nah. 3. 4. *& familias maleficiis suis.* Rursum Jer. 3. 14. *Unus ex urbe, & duo è familia*: quod nunc proverbii loco usurpant. Sic etiam in Latio, *Familia Julia*, *Porcia*, &c. i. gens.

2. *Novi*] i. Elegi, nempe in populum peculiarem: nè quis hîc agi suspicetur de electione ad vitam æternam. Nam in illo populo electo multi reprobi erant. Aut *novi*, i. singularem vestri curam gessi. Sic accipitur Nah. 1. 7. *Bonus DOMINUS novit sperantes in se.* Sign. etiam *eligere ad vitam*: unde illud, *Non novi vos*, quod idem cum illo, *Reprobavi vos.* ¶ *Familiis*] Populis aut nationibus. ¶ *Visitabo contra vos omnes iniquitates vestras*] Latinè, *animadvertam in vos.* Puniam, inquit, etiam levissima vestra crimina. Aut *omnes* dixit pro *omne genus* vel *plerosque*. Nam quædam condonat suis. Est enim clemens ac misericors. Huc facit, *In propinquis meis sanctificabor.* Locus est Lev. 10. 3. Eodèm pertinet, *Judicium à domo Dei incipit.* Sic legimus Ezech. 9. 6. *A sanctuariis meis incipite.* Innuunt idem Doctores cùm dicunt, *Judicium non curare Gentes.* Hujus loci est & illud, *Deus quem amat castigat, nempe ut pater filium quem complectitur.* Sic est profectò: Natos ex nobis, si delinquant, punimus; alienos negligimus.

3. *An ibunt*] Vult dicere, Minimè ire solent aut possunt. ¶ *Simul*] Unà, pariter. ¶ *Nisi convenerint*] In certo loco videlicet. *Simul ire* non possunt nisi simul sint. Ut simul sint, debent priùs *convenire* in unum locum. Sic nisi Prophetis cum Deo conveniret, non possent prædicere quæ certò eventura sunt. Nam futura solus Deus novit.

4. *An rugiet leo*] Leones non solent rugire nisi prædam ceperint capturíve sint. Plutarchus in libro De industria animalium, *Leones captâ predâ rugire solent voce ad mugitum conformatâ, ut eo sono audito alii leones ad ejusdem prædæ participationem confluant.* Consuevit etiam rugitus leonis terrorem cæteris animantibus incutere. Infrà vers. 8. *Leo rugiet; quis non timeat?* ¶ *An edit vocem suam*] Idem cum illo, *An rugiet?* ¶ *Junior leo*] Qui nondum ad eam ætatem pervenit ut possit dici אריה, i. *leo* simpliciter. Quanquam *juvenis leo* etiam Leo sit. Quidam *leunculum* hunc vocant; *Leo*, *Leunculus*, ut *Leno*, *Lenunculus*. Sed hoc in usu est apud auctores classicos, illud non item: Saltem non memini legere uspiam. Malè quidam *catulum* interpretantur. Nam *catulus* גור dicitur. Glossæ veteres. CHEPHIPHARA, *Expians, vel Expiatio, seu Catulus ejus, aut Manus dissipati. Quod autem diximus Catulum, leonem significat, quem Græci σκύμνον vocant.* Ità leg. non, ut est in editis, *quem Græci Dimeon vocant.* Emendatio certa, & cui firmandæ verbum faciendum non est. Catuli leonum vocantur alio nomine λεοντιδεῖς & ὄβρια, & ab Æschylo ὀβρίκαλα. *Leunculus* autem à Græcis *λεοντίσκος* dicitur, i. *parvus leo.* Qui etiam כפיר nuncupatur Jud. 14. 8. Sed tunc nomen hoc latè sumitur ut sit generale ad omnes ætates. ¶ *E cubili suo*] E lustro sive latibulo suo. Verbum pro verbo *ex habitaculo suo.* Quod משן vel מענה dicitur. Amant autem potissimùm leunculi cubilia sua, quæ כפירים vocantur Psal. 17. 12. & מסכו Jer. 25. 38. Quin ex iis insidiantur feris, Job 38. 40.

5. *An cadit*, &c.] Sensus est, Ut avis non cadit in laqueum temere, sic homines non incidunt in mala casu aut fortuito. Sanè Prophetæ non denunciant ea temere: quin jussu Dei id faciunt, unde non est quòd de eventu eorum dubitetis. ¶ *Avis*] Ὄρνεον. Sic editiones antiquæ. Ergò צפור *avis.* Sunt qui ad *aviculas* restringunt. Nam *avis* propriè עוף dicitur. צפור in stricta significatione *passerem* quoque notat. Propè est ut credam צפור & στρουθίον synonyma esse; & omnino sunt, si ut στρουθίον ità צפור quoque generale est ad *parvas aves* duntaxat. ¶ *In laqueum terræ*]. In laqueum qui humi tenditur. Nam si tensus esset in aere, facilè in eum incideret avis, quæ in aere volat. ¶ *Cùm tendicula non est ei*] Pronomen *ei* ad *avem* pertinet, quæ *non cadit*, inquit, *in laqueum humi positum*, *nisi ei tendatur laqueus ille.* Possumus legere *nisi fuerit in scandalum ei*, i. מוקש: quod Jud. 2. 3. Græci reddunt εἰς σκάνδαλον. Sensus est, *nisi fuerit propositus ad eum capiendum.* Quanquam *scandalum* propriè lignum incurvum quo tendicula seu decipula sustinetur, & in quod impingens animal ipsum tendiculam subitâ ruinâ revertit. Aliter σκανδάληθρον dicitur. Editio Hieron. *absque aucupe*, Græca Lxx ἄνευ ἰξευτοῦ. Est autem ἰξευτὴς propriè *qui aves visco capit.* Qui verò *aviculas capit* peculiari vocabulo στρουθοπιαστὴς dicitur. ¶ *An ascendet laqueus è terra*] *Laqueus ascendit* cùm tollitur. Non tollitur autem quin aliquid ceperit. Non tollitur, i. non tolli solet communiter καὶ ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον. Significatur his verbis, Cui Deus calamitatem denunciat per servos suos Prophetas, eum evadere non posse.

5. *Si clangitur buccinâ in urbe*] *Si* pro *an* posuit, & *clangitur*, i. clangi solet. Loquitur autem de clangore buccinæ extraordinario qui fiebat alieno tempore; nam is indicabat adventantem hostem. Unde pavor & metus, præsertim in populo insueto belli. Ideo sequitur, *Et populus non expavescit?* Vide Hos. 8. 1. Jer. 4. 5, & 16. Joel. 2. 1. Ezech. 33. 3. Item Observ. l. 14. c. 18. & l. 15. c. 11. ¶ *Et populus non expavescit?*] Nihil impedit quin legas *& populus non accurrit?* Nam buccinâ etiam advocabant populum. Notum hoc doctis. חרד autem eo significatu sumitur 1 Sam. 16. 4. item Hos. 11. 10. & 2 Reg. 4. 13. Sic dico, Ad sonum buccinæ accurrebat populus cùm ad sacra vocaretur: quod fiebat ordinariè & singulis ferè

ferè diebus, nisi fallor. Talem usum præstant hodie nobis campanæ; Quæ certo quoque sono indicant adventum hostium belli tempore. ¶ *Malum*] *Malum pœnæ*, ut Scholastici loquuntur, sive, ut Græci reddunt, κακία, i. *vexatio*, *ærumna*, *calamitas*. Hoc sensu Deus vocatur *creator mali* Jes. 45. 7. Calamitas non est *malum* per se; sed *malum* dicitur quia ità videtur his qui sustinent; aut quia malum etiam quod alicui adversum. ¶ *Quod DOMINUS non faciat*] Ubi Fortuna dominatur, ibi Providentia Dei non habet locum. E contrario Providentia excludit Casum & Fortunam: Simul hæc esse non possunt.

7. *Quicquam*] דבר *verbum*, i. rem ullam. Quod tamen sanè capiendum: Nam multa facit quæ non *revelat Prophetis*. Sed in puniendo hanc rationem servat: Priùs monet peccantes *per servos suos Prophetas*. Sæpe etiam pœnam denunciat. Si resipuerint, bene est, condonat illis: sin contumaces fuerint & in peccatis obduruerint, tunc demum animadvertit in eos. ¶ *Patefecerit*] *Retexerit*, *revelaverit*, *aperuerit*. ¶ *Arcanum suum*] Quod arcanum erat antequam patefieret. Nulla causa est quamobrem non posset reddi *consilium suum*; nam סוד etiam *consilium*. Sic profectò vertit olim Theodotio Interpres non malus, τὴν βουλὴν αὐτοῦ; ut Prov. 15. 22. באין סוד alii reddunt *absque consilio*, & alii *absque arcano*. ¶ *Servis suis Prophetis*] Quorum operâ & ministerio utitur ad populum, ut Ezræ 9. 11. *per servos suos Prophetas*. Quamobrem Spiritus eosdem vocat *Angelos DOMINI*, quæ vox *nuncios* sive *legatos* designat. Aliquando *servus Dei* vocatur qui Deum ritè colit. Nam *servire* est Colere.

8. *Leo rugit*, &c.] Inter Leonem & Deum aliqua similitudo est. Nam quemadmodum ille rugitu suo animantia terret, ità vox Dei Prophetas, ut non possint non eo loquente prophetare. Frustrà ergò ac nequicquam vetatis fieri quod fieri necessariò debet, cùm *Deo magis obtemperandum sit quàm hominibus*. Vide sodes suprà cap. 2. 12. Act. 4. 20. & 5. 29. ¶ *Quis non timeat?*] Terror Leonis simul in oculis, simul in rugitu consistit. Nam etiamsi ferum nihil moliatur, tamen quos intuetur terret: ea est in oculis ejus vis, ea majestas. Quanta verò trepidatio sit ferarum cùm rugit, docet Ambrosius Hexaem. l. 6. c. 3. ità scribens, *Ejus voci tantus naturaliter inest terror ut multa animantium quæ per celeritatem possent impetum ejus evadere, rugientis ejus sonitu, veluti quadam vi attonita atque victa deficiant*. Hieron. Hos. 11. *Natura Leonum esse dicitur, ut cùm infremuerint & rugierint, omnia animantia contremiscant, & fixo gradu se movere non possint: tantus pavor est & tanta formido*. Videndus & Pierius in Hieroglyphicis, pag. 4. ¶ *Loquitur*] Per visionem, aut per somnium. ¶ *Quis non prophetet?*] Quis ausit detrectare munus prophetandi à Deo sibi impositum, cùm id Jonæ olim malè cesserit?

9. *Promulgate*] Apostrophe ad Regulos Palæstinæ, quibus adjungit Reges Ægyptiorum juratos hostes populi Israel. Hujus contrarium, *Ne indicate in Geth*. *Promulgate*, i. Proclamate. Ad verb. *Auditum facite*: sic Hieron. convertit. Græci hoc uno verbo dicunt ἀκουτίσατε nunc tamen reddunt ἀναγγείλατε; *annunciate*. ¶ *In palatiis Azoti*] Ratio est quamobrem possit legi, *Annunciate palatiis Azoti*, ut *Azoti* sit adverbium loci, pro eo quod est *in urbe Azoto*. Sic mox, *& in palatiis in terra Ægypti*: nam utrobique inserta præpositio ב, quæ per *in* reddi solet. Ex Regum palatiis facilè ad alios fama dimanabit, qui videntes ista testari poterunt de justo Dei judicio, cùm de hac gente pœnas sumet. ¶ *Terra Ægypti*] Vel, *in terra Ægypti*. ¶ *Congregamini*] *Colligite vos*. ¶ *Super montes Samariæ*] Vel, *ad montes Samariæ*: & est sensus, *super montem*, ut doctè Græci explicant, ἐπὶ τὸ ὄρος Σαμαρείας. Sic *montes Sion* in Odis Davidis, & *montes Idæi* apud Lucretium. Dicit etiam *montes Samariæ* ut *flumen Euphratis*, *urbs Roma*, *Herba lapathi*, &c. Nam *Samaria* nunc est montis nomen; ut 1 Reg. 16. 24. qui apud Josephum Orig. l. 8. c. 7. vocatur Μαρεὼν, seu potiùs, ut ego legendum suspicor, Σαμαρὼν, pro quo in ed. Rom. 1 Reg. 16. Σεμερὼν legitur. Aut est nomen totius regionis, ut 2 Reg. 17. 24. *collocavit eos in urbibus Samariæ*. ¶ *Et videte*] Spectate invisi vobis populi nequitiam, quam Divina ultio brevi sequetur: juxta illud,

Noxa caput sequitur;

&,

Raro antecedentem scelestum
Deseruit pede pœna claudo.

Hoc vobis, scio, jocundum spectaculum erit. Nulla res est cur non possit etiam legi *& videbitis*: solitum enim Ebræis hoc modo imperativum pro futuro usurpare. Quod notum adeò ut exemplis supersedendum mihi esse putem. ¶ *Strages multas*] Hoc alius dixit *contritiones multas*, alius *vexationes multas*. Possumus etiam vertere *tumultus* sive *strepitus magnos*, vel, si mavis, *perturbationes magnas*, quod Galli ediderunt *le grand desordre*. ¶ *Oppressos*] Simul per vim, simul per calumniam. Sanè Hieron. habet, *& calumniam patientes in penetralibus ejus*.

10. *Nesciunt facere rectum*] Adeò corruptis moribus sunt ut nesciant facere quod rectum est. ¶ *Thesaurizant*] *Congerunt thesauros violentia vastitatisque*: ac si diceret, *per violentiam vastitatémque*. Nos diceremus *per fas ac nefas*. *Thesauri violentiæ* ut alibi *thesauri improbitatis*, i. improbè parti. *Non prosunt*, inquit Salomo, Prov. 10. 2. *thesauri improbitatis*: *sed justitia liberat à morte*. ¶ *Violentiam*] Aliàs *injuriam*: aliàs *iniquitatem*. ¶ *Vastitatem*] Græci ταλαιπωρίαν, i. *miseriam ærumnámve*. Hieron. *rapinas*. Syrus συνοχὴν, i. *angustiam*, vel *anxietatem*.

11. *Adversarius in circuitu terræ*] Sub. *adest*: q. d. jam imminet & in propinquo est. Ebræa sunt צר וסביב הארץ *adversarius & in circuitu terræ*. Mihi Vau abundare videtur, ut sæpe aliàs: ideo prætermisi; quod ante me fecit & Jonathan. Alii plusculum supplent, *Hostis veniet*, *& in circuitu terræ castra ponet*. Vidi etiam qui verterent, *Hostis*, *& quidem in circuitu terræ*. Nihil obstat quamobrem legi non possit, *Angustia circum terram*: nam צר etiam *angustia*. ¶ *Qui dejiciet à te robur tuum*] Vis in hac oratione ut si diceret, *qui dejiciet te robore tuo*, sive *potentiâ tuâ*. *Dejiciet*, i. deturbabit: *robur tuum*, i. arces tuas validas aut opida munita. Quidam Opes intelligunt. Nam in opibus situm robur hominis. Unde qui opibus valent *potentes* vocantur. Sæpius in hoc significatu חיל occurrit. ¶ *Palatia tua*] In quibus congestos habes quo jure quâve injuriâ partos thesauros.

12. *Ex ore leonis*] Non dicit *ex ore lupi*, sed *ex ore leonis*, quia difficiliùs & majore cum periculo quid eripitur Leoni quàm Lupo. Johannes Leo in Descriptione Africæ, Credat qui volet: *Quicquid leo prehenderit, etiamsi camelus foret, rostro aufert*. Atque hinc proverbiale, *Ex ore leonis*: de quo aliàs. ¶ *Duo crura*] Δύο σκέλη. ¶ *Aut extremum auriculæ*] Sic Interp. V. Priùs erat ἢ λοβὸν ὠτίου. Est autem λοβὸς ima auris pars, quam propriè *auriculam* vocant. Ciceroni dicitur *auricula infima*. Lex. Græco-Lat. Vet. Λοβὸς ὠτίου, *lumna*. Hoc quid sit nescio. *Extremum auriculæ* ab aliis nuncupatur *auricula extrema*, i. ima sive infima. בדל און, Camio interprete, valet *durum quod in aure*. Sic etiam exponit interpretamentum Chaldaicum חסחוס דאדן. Aliis est *tenerum auris*: nam דל *tener*. Quod idem in libro Radicum observavit. Fortè est septum quod mediam aurem quasi dividit: nam הבדיל *divido*. Sunt editiones quæ habeant *aut cartilaginem auris*. *Auricula*, i. auris. Sic Martialis lib. 5.

Garris, Nestor, in auriculam,

i. in aurem. ¶ *Qui habitant*] Verbum *habitant* robur adimit declarationi Ebræorum de Ægrotis, quam tamen Christiani plerique Interpretes sequuntur, cùm ægroti nec *habitent* nec *sedeant in lecto*, sed potiùs *decumbant*. ¶ *Samariæ*] Vel *in Samaria*: ut *Samaria* hìc sit nomen provinciæ. ¶ *In angulo lecti*] *In angulo* loci qui MITTA, i. *Lectus*, vocabatur. Fortè platea erat ejus nominis. Credibile autem est, admodum paucos ibi habitasse. Nam significat quàm paucissimos evasuros. Qui sermo planè proverbii speciem habet. Quod de MITTA dixi, mirum videri nemini debet. Nam & Jerosolymæ locus erat מכתש, i. *Pila*, nuncupatus; cujus mentio in his Prophetis. Similiter ARES loci nomen erat, ut conjicio, in urbe Damasci, quæ vox *lectum* sive *grabbatum* aut *spondam* in nostro sermone designat. ¶ *Et Damasci*] Capio de Israelitis qui Damasci habitabant. Quamvis Syri simul vapularint. Hunc locum quidam interpretantur, *& in Damasci grabbato*. Probarem si ordo verborum esset talis, ובערש דמשק. Quanquam non planè improbo. Mirum ni locus fuerit Samariæ qui *Damasci grabbatus* dicebatur. Nihil adfirmo: hoc tantùm, דמשק aliter nunc legi quàm soleat. Unde nonnulli nomen appellativum esse putarunt, quod *angulum* sive *latus* interpretantur, aut *crus*, i. שק. Nos secuti sumus veteres, sive legerint דַּמֶּשֶׂק aliis vocalibus, sive idem esse putarint quod nunc in libris דְּמֶשֶׁק; nomina enim propria interdum isto modo variant. Ne longè abeam, hoc ipsum nomen de quo nunc sermo est alibi legitur דרמשק,

דרמשק, i. *Darmesec* sive *Darmascus.* ¶ *In grabbato*] i. בערש, repetitâ præpositione ex præcedentibus.

13. *Audite*] Verba Dei ad Prophetas. ¶ *Contestamini*] Testatò hæc dicite, paláinque ac publicè & quasi testibus adhibitis commonet illos hac de re. ¶ *Dominus*] *Adonai.* ¶ *DEUS*] Tetragrammon, quod nunc habet puncta nominis *Elohim.* ¶ *Deus exercituum*] *Elohe Sabaoth.* Lxx ὁ Θεὸς ὁ παντοκράτωρ.

14. *Quo die*] Quódnam tempus intelligit? Utrúmne captivitatis, cùm Salmanassar X tribus in Assyriam deportaret? an terræmotûs qui accidit sub principatu Oziæ? Næ terræmotum hunc prædictum ab Amos biennio antequam accideret, communis opinio Ebræorum est: quam ut non damno, ità in alteram magis propendeo sententiam. ¶ *Visitabo*] Animadvertam, puniam, meritâ pœnâ afficiam. ¶ *Israel*] Populi Israel. ¶ *Simul visitabo in altaria Bethel*] Quæ *altaria?* mox unius tantùm meminit. Utrùm ergò est Enallage numeri, ut *flumina Nili*, *montes Sion?* Vide 1 Reg. 12. 32. An potiùs temporis progressu plura ibi altaria exstructa fuerunt diis aliis, cùm in uno tantùm Vitulus coleretur? Hos. 8. 11. *Multiplicavit Ephraim altaria ad peccandum*, &c. Rursum Hos. 10. 1. *Secundùm multitudinem fructûs sui multiplicavit altaria.* Sic, *Altaria tua destruxerunt*, cùm unum duntaxat altare esset Jerosolymis. Sunt tamen qui scribant, in Templo aras duas fuisse. ¶ *Succidentur cornua altaris*] Sunt Interpretes qui hæc referunt ad historiam quæ habetur 2 Reg. 23. 15. Significat altare Bethel. Et dicit *cornua*, quia iis destructis altare non potest subsistere. Erant autem propriè capitella quædam instar cornuum in altum porrecta in ipsius aræ angulis. Sed hîc latè sumi videtur pro ipsis *angulis.* ¶ *Succidentur*, i. Amputabuntur, exscindentur, truncabuntur.

15. *Percutiam*] *Concutiam, evertam.* ¶ *Domum hibernam cum domo æstiva*] Vel *domum hiemalem cum domo æstiva.* Hic mos olim Regum erat; Habebant duas domos, æstivam unam, & alteram hiemalem. Jer. 36. 22. *Rex autem sedebat in domo hiemali, & posita erat arula cum prunis ante eum.* Aut in una eadémque domo duo cœnacula erant, unum æstivum, & alterum hiemale. Jud. 3. 20. *Sedebat* Eglon Rex Moabitarum *in cœnaculo æstivo solus.* Rursus Jer. 22. 14. *Qui dicit*, (de Rege Judæorum loquitur) *Ædificabo mihi domum latam & cœnacula spatiosa:* aliàs *perflabilia.* Vult dicere æstiva, quæ videlicet ventis pervia expositáve. ¶ *Peribunt*] Diruentur, abolebuntur. ¶ *Domus eburneæ*] *Domûs eburneæ* mentio 1 Reg. 22. 39. Cæterùm ex ebore non solùm domus fiebant, sed etiam *lecti*, infrà 6. 4. & *palatia*, Ps. 45. 8. & *turres*, Cant. 7. 4. Multæ eruditionis vir Liveleus *eburneas domus* interpretatur *eburatas*, i. ebore ornatas & obductas. Sic *aureus*, inquit, pro *aurato* ponitur, & *purpureus* pro *purpurato.* Vide sis Annotationes ejus ad h. l. ¶ *Deficient*] Finem accipient, esse desinent. ¶ *Multæ*] Vel potiùs *amplæ, splendidæ, magnificæ*, i. גדולים בבנין. Sic explicant & Scholia Ebraica.

IDEM.

1. Οἶκος Ἰσραὴλ] In voce οἶκος mendum hærere ut putem facit textus Ebræus, qui habet υἱοὶ Ἰσραήλ· ut dubitem facit Chaldæus P. Jonathan, qui vertit בית ישראל, i. *domus Israel.* ¶ Ἀνήγαγον] Malè in quibusdam ἀνήγαγεν.

2. Φυλῶν] Nota Φυλὴν pro *gente* poni, quam Φῦλον indigitant. Lex. V. Φυλή, *tribus.* Φῦλον, *gens.* Dan. 3. 4. אמיא *nationes, populi.* Th. Φυλαί. Rursum Dan. 4. 1. Th. Φυλαῖς. Hieron. *gentibus.* Sirach. 16. 4. Φυλὴ ἀσεβῶν, *natio improborum.* ¶ Ἁμαρτίας ὑμῶν] Major pars exemplarium κακίας ὑμῶν, & Lat. V. *malitias vestras.* Ἁμαρτίας ὑμῶν חטאתיכם, κακίας ὑμῶν רעתיכם. Scire licet in archetypo esse עונתיכם, id magis sonat ἀνομίας, ἤτοι ἀδικίας ὑμῶν.

3. Καθόλε] Unde hoc? Est cur suspicer additum esse ab ipsis Interpretibus; & est cur suspicer superare à glossemate. Ut ut sit, obvia eadem vox versu proximo sequenti. Int. V. *omnino.* Glossarius H. Stephani, Καθόλε, *haudquaquam, prorsus, omnino, penitus.* Thesaurus ejusdem, Καθόλε, *in universum, in summa.* ¶ Ἑαυτὸς] Impressi ad E. C. ἑαυτοῖς. Int. V. *nisi cognoverint se*, i. נודעו, inversis literis.

4. Θήραν ὐκ ἔχων] Idem Int. *prædam non habens.* Bona hæc lectio præ illa altera quæ in C. ὃν θηρᾷν ὐκ εἴδωσιν, cujus interpretatio In Bibliis Regiis, *quem venari non sciunt.* Est etiam ubi mendosè scriptum sit θύραν pro θήραν, videlicet in Aldi & Cephalæi. Puto etiam in C. legendum ᾧ θήραν ὐκ εἴδωσιν, *cui prædam non provident.* Quod idem cum illo, θήραν ὐκ ἔχων. Lege quæ ad v. 5.

5. Ἐπὶ τῆς γῆς] Repetitur & ἐπὶ τὴν γῆν. ¶ Σχαθήσεται] Ed. Plantini ϛαθήσεται. Lat. V. *deponatur:* recentior, *tolletur.* Item, penè exciderat. V. 4. in δρυμῷ αὐτῷ, pronomen ex eo est, videtur certè, quòd legerint יער ומרף pro יער וטרף. Veritas, εἰ ἐρεύξεται λέων ἐν τῷ δρυμῷ, καὶ θήρα ὐκ ἐπὶ αὐτῷ; Et mox, εἰ πεσεῖται ὄρνεον ἐπὶ παγίδα τῆς γῆς. Credibile est vocem παγίδα omissam esse vitio scribarum potiùs quàm Interpretum.

7. Κύριος ὁ Θεὸς] Alibi est Κύριος tantùm: & fortean olim aliquando fuit Κύριος Κύριος, unde occasio erroris. V. Int. *Dominus Deus.* ¶ Παιδείαν] In quibusdam παιδείαν αὐτῷ, ut apud Hieron. *eruditionem suam.* παιδεία מוסר dicitur: hic est סודו: & fieri potest ut legerint מורו, Res pro Daleth: nisi sanè mendum est in Græcis cod. quod non puto.

8. Κύριος ὁ Θεὸς] Alibi Κύριος, ut suprá. ¶ Τίς ὐ προφητεύσῃ;] Τίς ὐ μὴ προφητεύσῃ;

9. Ἀναγγείλατε] Lectio varians ἀπαγγείλατε. ¶ Ἐν Ἀσσυρίοις] Pro אשדוד videsunt אשור, vel certè אשור, nempe Res pro Daleth, ut solent. ¶ Ἐπὶ τὰς χώρας τῆς Αἰγύπτε] Lege γῆς Αἰγύπτε: nam in Vet. *terra Ægypti.* Intelligo versionem antiquam quæ in operibus Hieron. Ab hac lectione, quæ est codicis Romani, diversi abeunt, primùm Complutensis, in quo ἐπὶ ταῖς χώραις ἐν γῇ Αἰγύπτε, deinde Venetus & Basileensis, in quibus ἐπὶ τὰς χώρας ἐν γῇ Αἰγύπτῳ. Sic etiam habet Cephalæi, ni fallor. ¶ Ἐπὶ τὸ ὄρος] Εἰς τὸ ὄρος habent aliqua exempl. ¶ Θαυμαςὰ] Hic locus non difficilem conjecturam habet. Nam מהומת metathesi literarum תמהות, i. θαυμαςά. Alibi מהומה vertunt ἔκςασιν, ut Zach. 14. 13. ¶ Καταδυναςείαν τὴν ἐν αὐτῇ] Sic exemplar Rom. in C. est καταδυναςεία ἐν αὐτῇ. Cætera præferunt καταδυναςείαν ἐν αὐτῇ, quod etiam Interp. V. legit, referens *oppressionem in ea.* *Cæterùm* עשוקים potiùs denotat καταδυναςευομένες, *potentiâ* vel *tyrannide oppressos.*

10. Ἐαντίον αὐτῆς] i. נכחה: ex quo נכחי ἐναντίος vox in usu apud Magistros. In textu S. נכח ἐναντίον. Plantini ἐν αὐτῇ, i. בה, aut בקרבה, vel, si placet, בתוכה. Verior interpretatio ex Ebræo καὶ ὐκ ἔγνωσαν ποιῆσαι τὸ ὀρθόν. ¶ Ἀδικίαν] In variante ἀδικίας. Eam reperies in editis ad E. C.

11. Τύρος κυκλόθεν, ἡ γῆ σε ἐρημωθήσεται] Sic ed. Rom. à qua nihil discrepat C, nisi quòd auctior est particulâ copulante, καὶ κυκλόθεν, quam Interpres quoque vetus legit, *Tyrus & in circuitu terra tua deserta erit.* In cæteris est, ἐρημωθήσεται Τύρος καὶ κυκλόθεν ἡ γῆ σε ἀφανισθήσεται. Τύρος, i. צֹר. Sic etiam Aquila olim legit. Nunc legunt צר, i. *hostis, adversarius.* Potest etiam reddi *angustia*, i. θλίψις. Lex. Lat. Gr. V. *Tribulatio*, θλίψις. Κυκλόθεν ἡ γῆ, סביב הארץ. ¶ Διαρπαγήσονται] Quidam ἀρπαγήσονται.

12. Τρόπον ὅταν ἐκσπάσῃ] Libri cusi typis à Plantino, ὃν τρόπον ἐκσπάσει. Int. V. *quomodo si avellat.* ¶ Κατέναντι Φυλῆς] Agnosco מַטֶּה pro מִטָּה, quorum hoc *lectum*, illud *virgam* denotat vel *baculum*, i. ῥάβδον, ut Gen. 47. 31. ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς ῥάβδε: nam & ibi eodem modo legunt, ut patet ex interpretatione quam retinuit auctor Epistolæ ad Ebræos 11. 21. ¶ Ἐν Δαμασκῷ ἱερεῖς] *Emendo* ἐν Δαμασκῷ Ἄρες & inducon notam quæ media inter has voces distinguit. Ἄρες nomen est merè Ebraicum, sed imperitia Græcum fecit ἱερεῖς, ut ante nos Hieron. observavit. Hujus interpretamentum κλίνη exstat in nonnullis ed. corruptum in κλινεῖ, *in A. & B. & Cephalæi:* nam ערש κλίνη, i. *lectus:* propriè *sponda.* Sensus est, *In Damasci urbis parte quadam quæ Ares sive* Κλίνη vocatur. Aliam commodiorem sententiam ex his verbis non elicio.

14. Ὅταν ἐκδικῶ] Alibi ὅταν ἐκδικήσω. ¶ Καὶ ἐκδικήσω] Ed. Plantini ἐκδικήσω. Int. V. *ulciscar*, &c.

15. Συγχεῶ καὶ πατάξω] Interpres idem, *confundam & percutiam.* Aliqua quædam exemplaria καὶ συντρίψω, *& conteram.* Veritas, καὶ πατάξω *& percutiam.* Illud συγχεῶ unde sit aliis divinandum relinquo. ¶ Τὸν περίπτερον] i. *Alatam, tanquam quibusdam alis undiquaque circumdantibus muris*, ait Theodoretus. Locus suspectus & ad conjecturam difficilis. Exemplar Antverp. βερίπερον. Vox ista neque Græca est neque Ebraica. Cogitemus ampliùs. ¶ Προςεθήσονται] Fallor si non legerunt יָסְפוּ pro וְסָפוּ, quod reddunt *& finem accipient.* Error in Vau & Joth frequens est in his libris. Cæterùm uno codice reperi προσθήσονται, videlicet in B. ¶ Ἕτεροι πολλοὶ] Exemplar Antverp. ἕτεροι καὶ πολλοὶ, *aliæ & multæ.* Int. V. *aliæ multæ.*

IDEM.

2. רַק אֶתְכֶם. Sym. *solos vos*] Hieron. *Tantummodo, sive, ut Sym. interpretatus est, solos vos cognovi ex omnibus cognationibus terræ.* Μόνυς ὑμᾶς.

3. בִּלְתִּי אִם נוֹעָדוּ. Aq. *ἐὰν μὴ συντάξωνται, nisi constituerint*] Ex ed. Rom.

7. סוֹדוֹ. Th. *τὴν βυλὴν ἀυτῦ*] Ex eadem editione: *consilium suum.* סוד propriè *secretum, arcanum:* sed pro *consilio* ponitur Gen. 49. 6. & Jer. 15. 17. Sic Prov. 15. 22. באין סוד *absque consilio:* ità vulgò reddunt. Malim *absque consilio secreto.* Nam nisi consilia secreta fuerint, raro felicem successum habent, Ps. 64. 2. מסוד, Hieron. *à consilio.* Rursum Ps. 89. 7. בסוד קדושים, Lxx *ἐν βυλῇ ἁγίων.* Santes, *in secreto.* Trem. *in consilio.*

11. צַר. Aq. *Tyrus.* Sym. *obsidio.* Th. *fortitudo*] TYRUS Τύρος, i. צר: quod Syris Pœnisque est צר, unde *Sarra*, ut cùm Ennius ait *Pænos Sarrâ oriundos*, i. Tyro. Hier. צר. *Aquila & LXX similiter transtulerunt* Τύρος. OBSIDIO. Πολιορκία, i. מצור. Rursum Hier. *Pro Tyro Ebræus qui me in Scripturis erudivit* tribulationem *interpretatus est; nec renuimus ejus sententiam, quia & Symmachus, qui non solet verborum κακοζηλίαν sed intelligentiæ ordinem sequi, ait,* obsidio & circumdatio terræ. FORTITUDO, i. צור vel צר. Idem qui suprà, *Pro* obsidione, *quæ à Symmacho dicitur πολιορκία,* fortitudo *à Theodotione posita est, qui putavit non* צר *&* צור, *quod* tribulatio *vel* Tyrus *dicitur, sed* צור *legendum, quod propriè refertur ad* petram durissimam, *quæ Græcè appellatur ἀκρότομος, & quam nos* silicem *dicere possumus.* ¶ סְבִיב הָאָרֶץ. Sym. *& circumdatio terræ.*

12. עֶרֶשׂ. Aq. *grabatus*] Hier. *Quod in principio capituli juxta Lxx positum est,* Sacerdotes, *in Ebraico non habetur; sed pro hoc legitur* ערש, *quod Aquila interpretatus est* grabatum. GRABATUS, κράβατος sive κράββατος quod est lecti genus. Κράββατος *grabatus*, ut λάκκος lacus. Adhæc κ in g mutavit. Contrà fit in גמל κάμηλος, i. *Camelus.* Sic χαλβάνη *galbanum.* Quanquam hîc χ, non κ. Sunt elementa cognata. Usus est hoc vocabulo Virgilius, usi sunt & N. T. Scriptores. Editio Lat. Hier. *in Damasci grabato*, ἐν Δαμασκῶ κραββάτῳ. Martialis,

Sed si nec focus est, nudi nec sponda grabati.

Significat lectos humiliores, *lecticas* etiam vocatos, in quibus meridiari solebant veteres.

15. בֵּית הַחֹרֶף. A. Sym. Th. *Τὸν οἶκον τὸν χειμερινὸν*, i. *domum hiemalem*] Citat in Comment. suis Theodoretus; ex quo, ut credibile est, Romanenses descripserunt. Priùs erat *domum pinnatam.* Hier. *Pro* domo hiemali *τὸν οἶκον τὸν περίπτερον Lxx transtulerunt, quod nos interpretati sumus* pinnatam, *eò quòd ostiola habeat per fenestras & quasi pinnas ad magnitudinem frigoris repellendam.*

IDEM in VULG.

1. SUper vos] Alii referunt *contra vos.* Et meliùs, ut puto. ¶ *Super omnem cognationem*] Contra omnes cognationes, id est, familias sive tribus.

2. *Ex omnibus cognationibus*] Sensus est, ex omnibus gentibus. *Cognatio* pro gente, ut in illo Zach. 14. 17, & 18. *Et erit qui non ascenderit de cognationibus terræ ad Israëlem.* Ubi noster interpres *de familiis:* quomodo & hîc vertendum puto. Verbum enim Ebræis potiùs *familiam* significat quàm *cognationem.* In eodem loco, *Quòd & si familia Ægypti non ascenderit*, id est, gens Ægyptia. ¶ *Visitabo super vos*] Malim, *contra vos.* Valet autem Ebraicâ phrasi, *animadvertam in eos.*

4. *In saltu*] *In silva* quidam vertunt, quod placet. ¶ *Catulus leonis*] Non *catulus leonis*, sed *leoniculus* legitur in Ebræo. Quanquam Jonathan eodem sensu habet *filius leonum.* ¶ *Nisi aliquid apprehenderit*] *Nisi ceperit prædam.* Dictio *aliquid* scholia addita ab interprete. Non enim reperitur apud Ebræos.

5. *In laqueum terræ*] Qui positus in terra. Quidam exponunt, *in laqueum humilem.* ¶ *Absque aucupe*] Ex Græco ἄνευ ἰξευτῦ. Sic etiam Jonathan explanat. Sed recentiores editiones habent, cùm *tendicula non sit ei*, & ità videtur melius. Nam *aucupem* dicunt Ebræi JACUS, non MOCES. ¶ *Auferetur*] Ad verbum, *ascendit.* ¶ *Antequam quid ceperit*] Ebræus dicit, *& capiendo non capiet.*

6. *Si clanget*] Ità legit ut vertit. Ut hodie legunt, vertendum, *si clangitur*, & est sensus, clangine solet tubâ? ¶ *Si erit*] An erit. Hîc *si* valet *an*; ut in illo, *Si factum est istud.*

7. *Verbum*] Id est, rem ullam. Ebraismus. ¶ *Ad servos suos*] Malim, *servis suis.*

8. *Quis non timebit*] Vel, *quis non timeat? quis non prophetet?*

9. *In ædibus Azoti*] Est cur malim, *super palatia Azoti.* Et est constructio, *promulgate Azoti super palatia:* quod Ebræus sine ulla ambiguitate dicit, *in Azoto.* ¶ *Azoti*] In urbe Azoti. ¶ *Terræ Ægypti*] Planè vertendum, *in terra Ægypti.* Quanquam ad sententiam parùm refert hoc an illo modo vertas. ¶ *Insanias*] *Tumultus* habent aliæ editiones: sine dubio meliùs. Nisi magis placet, *vexationes:* quod recentior interpretatio habet. ¶ *Calumniam patientes*] Aut, oppressos. Potest verti, *opprimentes.* Nam participia generis passivi quandoque actionem denotant. Sic Proverb. *Homo qui opprimit in sanguine animam.*

10. *Iniquitatem & rapinas*] Hic locus aliter legitur in aliis editionibus, in quibus ità scriptum est, *qui recondunt violentiam & vastitatem in palatiis suis*, id est, opes per violentiam & vastitatem acquisitas.

11. *Tribulabitur*] Sine dubio rectiùs vertit, qui vertit, *adversarius:* aut, ut editio Chaldaica habet, *adversitas.* ¶ *Et circuietur terra*] Meliùs, *& circuitus terræ*, quasi dicat, hostis est in circuitu terræ tuæ, qui dejiciet robur tuum. ¶ *Detrahetur ex te*] *Detrahet à te* tectum in fonte & subintelligitur *hostis.* ¶ *Fortitudo tua*] Robur tuum, id est, opes tuas: aut robur quo divitias per vim accumulaveras. ¶ *Ædes tua*] In quibus thesauros violentiæ ac vastitatis recondidisti.

12. *Extremum auriculæ*] Aliis placet *particulam auris:* aliis, *cartilaginem auris.* Et ità est in Chaldaica paraphrasi. ¶ *In plaga lectuli*] Quidam *in latere* reponunt pro *in plaga:* alii, *in angulo*, & ità omnino vertendum videtur. ¶ *In Damasci grabato*] Aliquot manuscripta habent *in Damasco grabati.* Vide num melius sit *in latere spondæ.* Sic Camius enarrat. Sunt qui magis probant, *in crure spondæ.* Jonathan, *in Damasco confidunt.* Locus difficilis, si quis alius in hoc propheta.

13. *Dominus Deus exercituum*] Excidit vox *Deus* ut sit *Dominus Deus, Deus exercituum*, & sic est in tralatione Chaldaica.

14. *Super eum visitabo*] Zibil Ebræus hunc locum aliter distinguit. *In die cùm visitare cæpero prævaricationes Israël.* ¶ *Super eum*] Meliùs referunt *contra eum.* Et mox, *contra altaria.* Pro quo Latinè dicas, *animadvertam in eum & in altaria.* Nihil verius. ¶ *Visitabo &*] *Et visitabo* legitur in Ebræo verbum è verbo. Porrò (&) hîc valet (*etiam*) dignum notâ.

15. *Domus eburneæ*] Ad verbum, *domus dentis.* *Dens* pro *ebore* notius est quam ut probandum sit exemplis. ¶ *Ædes multæ*] Quando meliùs edidisset, *ædes splendidæ* aut *amplæ.* RAB enim usitant Ebræi & pro *multo* & pro *amplo.*

LIVELEUS.

3. ANibunt] Securos hujus Prophetæ tempore multos fuisse constat ex cap. 6. 1, 3. Quidam putabant Deum Prophetas non misisse ad mala denuncianda. Quales fuerunt olim Achab & Tsidkia, 1 Reg. 22. 18, 24, 27. & Azaria, Jer. 43. 2. *Falsum loqueris; non misit te Jehova, &c. sed Baruc te incitat contra nos.* Hic ergò contra hoc genus hominum vocationem suam asserit similitudine: Ut enim homines simul ire de eadem re non solent nisi antè inter eos convenerit; ità Prophetæ à se nihil, sed à Deo duntaxat accepta loqui possunt, cùm eum ad omnia quæ loquuntur quasi præsentem habeant comitem. Exod. 4. 12. *Adero ori tuo.* Vide Matth. 10. 20. & Jer. 1. 8. qui res etiam à se verbo prædictas re ipsâ tandem perficiat. Quod inter Deum & Prophetas summum consensum arguit. Vide v. 7, & 8. Alii de certitudine malorum denunciatorum dubitaverunt, ut cap. 6. 3. Contra quos disputat tribus similitudinibus; Leonis, cujus rugitum, & Aucupis, cujus insidias certa præda consequi solet; denique Tubicinis, clangore tubæ populum adventantis periculi non vano metu perterrefacientis. Hinc intelligi vult, Prophetarum prædictionem de malis futuris non temere fieri putandum esse. Postremo in loco, fine versûs 6. Providentiam Dei asserit, contra eos qui malarum rerum eventum fortuitum putaverunt, quòd Deus solus earum autor sit, eásque se facturum antè Prophetis ostendit.

8. *Quis non prophetet?*] Contra eos qui Prophetis interdixerunt

xerunt nè prophetarent, suprà 2. 12. Vide Act. 4. 20. & ibi 3. 29.

9. *Congregamini, & videte*] Ut ex hoc spectaculo voluptatem capiatis. Ampla enim vobis exsultandi materia erit ex tantis invisi populi sceleribus visis, à quibus diu vindicta Divina non abfuerit.

10. *Injuriam & vastationem*] i. Opes injustè quæsitas & ex aliorum oppressione partas. Metonymia, ut Proverb. 10. 2. *Non profuerint thesauri improbitatis.*

11. *Robur tuum*] i. Opes. Metonymia, ut Prov. 22. 25. robur & res pretiosas capiunt. *Robur* autem vocantur, quia vim & potentiam ad res agendas afferunt. Euripides in Phœnissis,

> Τὰ χρήματ' ἀνθρώποισι τιμιώτατα,
> Δύναμίν τε πλείστην τῶν ἐν ἀνθρώποις ἔχει.

Hinc Salomon Prov. 10. 15. dicit *opes divitibus urbi robusta esse.*

12. *In latere*, (vel *extremitate*) *lecti*] Vox Hebræa utroque modo accipitur. Exteriores autem lecti partes sunt ejus latera: quæ Horatius ob eam causam *extremam spondam* dixit,

> *Manum puella suavio opponat tuo,*
> *Extrema & in sponda cubet.*

Otiosos hîc & securos notat, qui ad latera & exteriores partes lecti interdiu dormiturientes securè quiescere solebant, cap. 6. 1, 4. *Væ securis cubantibus super lectos*, &c. ¶ *Et Damasci in latere spondæ*] באפר enim ex priore membro repeto ante ערש: Quod sæpius in Hebræa lingua fieri notum est, ut dictio aliqua præcedens suppleatur in posteriore parte sententiæ. Nomen verò דמשק quin sit hîc urbis *Damasci* proprium nihil dubito. Jungitur verò Damascus in ejusdem pœnæ societate cum Samaria, quia eodem ferè tempore, propter eandem causam & ab eodem hoste utriusque desolatio facta est: Propterea similiter horum populorum vastatio ab Assyriis futura conjunctim declaratur Esa. 8 4. *Asportabitur opulentia Damasci & præda Samariæ ante Regem Assyriæ.* Ibidem 17. 3. *Definet munitio ab Ephraimo, & Regnum à Damasco.* Communis autem causa erat, quòd junctis operis Rex Israelis & Damasci Judæam invaserant. Vide 2 Reg. 16. 7, 9. Et Esa. 7. 4. Eodem tempore quo Damasceni abducti fuerunt, Reubenitæ, Gaditæ & habitatores Galilææ & terræ Naphtali in captivitatem deportabantur à Tiglath-Pilesere, 2 Reg. 15. 29. Optima igitur ratio subest quare unà cum calamitate Samariæ memoretur clades Damasci Accedit autoritas Lxx Interpretum, Chaldæi P. Hieronymi, Jarchii, Calvini etiam, & Castalionis, ac Merceri: qui omnes hîc *Damascum* intellexerunt. Nihil dico de inaudita illa hujus vocis altera notione quæ hîc ei à quibusdam tribuitur, & frivolis ac ridiculis conjecturis quibus eam consectantur. Quæ autem contra hanc interpretationem ratio ab apicibus hujus vocis affertur, à Mercero diluitur. Plenior verò sententia hæc est, *Sic liberabuntur Israelitæ Samariæ in extremitate lecti, & Syri* (vel *Damasceni*) *Damasci, ad spondæ latera desidentes.*

15. *Domum hiemalem cum æstiva*] Divites enim ità solebant ædes exstruere ut loca quædam hiemi propter calorem commodiora haberent, Jer. 36. 22. *Rex sedebat in domo hiberna, mense nono, foco ante eum accenso*: alia verò æstivis mensibus frigore suo aptiora, Jud. 3. 20. *Sedebat in cœnaculo refrigerationis*, i. æstivo. Xenophon in Oeconom. *Cœnacula ei exornata monstravi*, Τὰ μὲν θέρους ψυχεινὰ, τὰ δὲ χειμῶνος ἀλεεινά. Palladius lib. 1 De re rust. c. 9. *Forma ædificii sit ejusmodi ut ad habitationem æstati & hiemi præbeat mansiones. Mansiones hiemales totus propemodum cursus Hiberni Solis hilaret; Æstivæ Orientem solstitialem & partem Septentrionis aspiciant*, &c. ¶ *Eburneæ*] *Eburneæ* vocantur, non quæ totæ ex ebore essent, sed eburatæ, i. ebore ornatæ & obductæ; quales à Principibus & nobilibus ac claris viris ad magnificentiam comparabantur. Cicero in Paradox. *Qui tectis ebore & auro fulgentibus, qui cælato auro & argento abundant.* Seneca in Thyeste,

> *Non fulget altis splendidum tectis ebur.*

Ità etiam quod de *eburnea* Achabi *domo* dicitur 1 Reg. 22. & de *palatiis eburneis* Salomonis Psal. 45. intelligendum est. Simili ratione *purpurei* dicuntur purpurati ab Horatio 1. Car. od. 35.

> *Te Regumque matres barbarorum, &*
> *Purpurei metuunt tyranni.*

Sic *aurea* dicuntur aurata: Virgilius Æn. 1.

> *——Dependent lychni laquearibus aureis.*

Horatius,

> *Non ebur, neque aureum*
> *Mea renidet in domo lacunar.*

GROTIUS.

1. *Super omnem cognationem quam eduxi de terra Ægypti*] Communiter jam alloquitur & Duas & Decem tribus.

2. *Tantummodo vos cognovi*] Pro meis agnoveram, Exod. 19. 5. Deuteron. 4. 20. ¶ *Idcirco visitabo super vos omnes iniquitates vestras*] Graviorem pœnam meretur qui ad cætera facinora ingratum addit animum.

3. *Numquid ambulabunt duo pariter, nisi convenerit eis?*] Non possunt esse σύν τε δύ' ἐρχομένω — [*bini inter sese comites*—] nisi concordes sint. Vestri mores cum meis non congruunt: Ideo non potest durare nostra societas.

4. *Numquid rugiet leo in saltu nisi habuerit prædam?*] *Ut non obveniat ei præda?* sic minæ meæ non frustrà erunt. ¶ *Catulus leonis*] *Leo juvenis.* ¶ *Nisi aliquid apprehenderit*] *Ut non aliquid apprehendat.*

5. *Numquid cadet avis in laqueum terræ absque aucupe?*] *Laqueus* Assyrii & Chaldæi; *auceps*, Deus. ¶ *Numquid auferetur laqueus de terra antequam quid ceperit?*] Sic nec hostes abscedent nisi rebus confectis.

6. *Si clanget tuba in civitate, & populus non expavescet?*] *An clanget tuba?* nempe de specula in hoc constituta. at ego clamo, & tamdiu nemo est qui commoveatur. Hæc non sic abibunt. ¶ *Si erit malum in civitate quod Dominus non fecerit*] *An erit?* quasi dicat, minimé. οὐκ ἀθεεὶ ταῦθ' ὑμῖν ἐπιγίνεται [*non sine Deo hæc vobis eveniunt.*]

7. *Quia non facit Dominus Deus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos Prophetas*] *Atqui non facit*, &c. id est, Causari non potestis vos non præmonitos.

8. *Dominus Deus locutus est*] Ubi Deus loquitur, id est, imperat. ¶ *Quis non prophetabit?*] Quis audeat detrectare imperium? 1 Corinth. 9. 16. Nam si leonis ira timenda est, quantò magis Dei?

9. *Auditum facite in ædibus Azoti*] Vos Prophetæ convocate Philistinos, quorum manibus toties hunc populum eripui: ¶ *Et in ædibus terræ Ægypti*] Convocate & Ægyptios, à quorum terra eos in libertatem vindicatos abduxi. ¶ *Et videte insanias multas in medio ejus*] Videte quomodo quod mihi debent adscribant idolis. ¶ *Et calumniam patientes in penetralibus ejus*] Prophetas ipsos vi oppressos intra ipsam Samariam. hoc enim est בקרבה [*in medio ejus.*]

10. *Et nescierunt facere rectum*] *Non curarunt.* Sic enim ידע [*scire*] sæpe sumitur. ¶ *Thesaurizantes iniquitatem & rapinas*] Μετωνυμία [*Transnominatio*,] id est, opes per vim & injuriam partas.

11. *Tribulabitur & circuietur terra, & detrahetur ex te fortitudo tua*] Vertas commodè, *Hostis circum terram tuam veniet, & dejiciet abs te robur tuum.* Assyrius terram Israëlis, Chaldæus Judæam.

12. *Quomodo si eruat pastor de ore leonis duo crura, aut extremum auriculæ*] Sicut fieri non potest, ut quis audeat *Esuriente leone ex ore exsculpere prædam.* ¶ *Sic eruentur filii Israël qui habitant in Samaria*] Nihilo magìs fiet ut Israëlitæ hostiles manus evadant. ¶ *In plaga lectuli, & in Damasci grabato*] Variant hîc Interpretes, & extremam vocem Lxx referunt ad sequens comma, à quibus retentum putat Hieronymus Hebræum, scriptúmque Ἀρὲς, sed à librariis mutatum in ἱερεῖς [*Sacerdotes.*] at Chaldæum apparet legisse non ערש [*grabatus*,] sed עוז [*roborat*,] sensu bono: *qui* (populus scilicet) *in extremitate virgæ* (id est, in latitudine finium suorum,) *& in Damasco se roborat*, id est, robustum putat. Israëlitæ freti erant & magnitudine Imperii sui, & victoriâ Damascenorum sibi fœderatorum. Vide 2 Regum 16. 5. Hæc nihil profutura ostendit Deus.

14. *In die cùm visitare cœpero, prævaricationes Israël super eum visitabo*] *Quo tempore punire cœpero peccata Israelis adversùs ipsum.* Hic ponenda distinctiuncula. ¶ *Visitabo & super altaria Bethel*] Nè Templis quidem parcam.

15. *Domum hyemalem cum domo æstiva*] Reges & potentes alii ad diversos cœli positus habebant domos, alias in quibus æstatem, alias in quibus hiemem exigerent.

CAP. IV.

MUNSTERUS.

1. Vacca Basan] Sic vocat Propheta rusticus nobiles illos & delicatos Principes Samariæ. Sicut enim *vacca Basan*, i. pingues, ad arandum nihil valent, sed tantùm ad devorandum, sic proceres Regni Israelitici Reip. nihil proderant, sed potentes tantùm erant ad edendum & bibendum atque opprimendum pauperes. Ideo Propheta sanctus aptum dedit illis, & quo nullo alio digni erant, titulum.

2. *Naviculis*] Sic quidam Hebræorum exponunt hunc locum. Chaldaica interpretatio habet, *tollent vos populi in clypeis suis, & filias vestras in navigiis piscatorum.* Alii interpretantur קוצים *spinas*; ut sit sensus, *abducent vos hostes sicut piscatores spinis & hamis pisces extrahunt de aqua.* ¶ Porrò per *novissimum* intellige reliquias filiorum.

3. *Per interruptiones exibitis*] Infringet hostis mœnia murorum vestrorum, ut *per interruptiones* illas etiam *una vacca post aliam egressura sit.* Vel, tot erunt interruptiones ut *quælibet vacca in prospectu suo egredi* possit, & non sit illi opus ut vadat ad portam. Sed & *palatium Regis*, quod est in latere muri, *dejicietis*, ut hinc vobis fugâ consulatis, sicut & Zidkijahu Rex Jehuda fecit.

4. *Ite ad Bethel*] Ironia est; q. d. Quando omnino decrevistis *esse impii*, *ite* ad impietatis vestræ templa, & *offerte* diis vestris juge illud *matutinum sacrificium* quod mihi debebatur, & apparete ibi *tribus vicibus per annum*, sicut mihi fieri præcepi, & videbitis quæ pœna vos sit consecutura *Dedi* enim *vobis munditiem dentium*, h. e. alimoniæ penuriam. Jonathan tamen vertit אקהיות *contusionem*, quòd contusi fiant dentes quando non habent cibum.

7. *Plui super civitatem unam*] Licuisset, inquit, vel hinc advertere magnum miraculum, & proinde exhortationem meam ad pœnitentiam, quòd *pluviam dedi super unam civitatem, & super aliam* illi propinquam *non plui*: unde factum est ut ager unus fructum ferret, & alius *siccitate emoreretur.*

9. *Vento Orientali*] Est שדפון secundùm Hebræos לקות הזרע ברוח קדים *plaga seminum, quæ fit à vento Orientali*, unde fruges ad maturitatem venire nequeunt. Sic ירקון est etiam morbus quidam herbarum, fruticum & arborum, unde amissâ viriditate in pallorem degenerant; qui in vitibus *carbunculus* vocatur, & in cæteris *rubigo.*

11. *Subverti vos*] Cùm scilicet adhuc essetis in terra vestra, redegi nonnulla loca in solitudinem, sicut olim feci terræ Sedomæ, &c.

13. *Quæ sit meditatio ejus*] Hebræi post Jonathan exponunt ענין *negotium*, & מעשה *operationem*; ut sit sensus, Vos putatis me latere quæ vos facitis, cùm tamen ego per Prophetas meos vobis annunciem omnia opera, etiam quæ in penetralibus facitis, & quæ in cordibus vestris iniquè cogitatis.

VATABLUS.

1. Vacca Basan פרות הבשן] Si vocat Propheta rusticus nobiles illos & delicatos principes Samariæ: q. d. *Vos qui estis pingues ut vaccæ quæ in Basan aluntur.* Basan regio Og Regis erat, ut vides Jos. 9. 10. quæ pinguibus pascuis abundabat, ut Jer. 50. 19. & Mich. 7. 14. legitur. In eo loco quæ pascebantur animalia pinguia erant, optima & pulcra.

2. *Per sanctitatem suam* בקדשו] i. Per seipsum. ¶ *Spinis* בצנות] i. Hamis, ut exponunt doctiores Hebræorum. Iidem etiam exponunt *clypeis*, sive *parmis.* ¶ *Hamis piscatoriis* בסירות דוגה] *In ollis piscis*, i. in scaphis piscatoriis, sive cymbis. Erant enim scaphæ factæ ad similitudinem ollæ. Hic adumbrat captivitatem Samaritanorum. Nam ut hamo piscator piscem extrahit ex aqua, ità te abstrahet hostis suis armis in captivitatem, ô Samaria.

3. *Et per rupturas*, &c. ופרצים תצאנה וגו׳] q. d. Multis in locis frangetur murus, ità singulæ viâ suâ, sive rectâ, exibunt per rupturam quæ prima illis occurret. ¶ *Et conjicietis vos* והשלכתנה] Hoc versu prædicit expugnationem urbis Samariæ: simul explicat quod fieri solet in expugnatione urbis. Alii fugiunt per rupturas, alii proripiunt sese in arcem urbis munitissimam metu hostis. Sunt ex Hebræis qui dicunt vocem Hebræam ההרמונה significare *Armeniam*, acsi dicat, *Fugietis ac recipietis vos in Armeniam:* verùm prior lectio verior.

4. *Venite* באו] *Ite.* Ironicè hæc omnia: q. d. Committite illic scelus idololatriæ ad satietatem usque. ¶ *Prævaricari* לפשע] *Ut prævaricemini*: vel, *iniquè & sceleratè agatis*: i. multiplicate prævaricationes & scelera. ¶ *Manè* לבקר] i. Quolibet die. ¶ *Annos* ימים] Ad verb. *dies.* Pro *annis* posuit *dies.* Tertio quoque anno solebant offerre decimas, ut legitur Deut. 14. 28.

5. *Et adolete de fermento confessionem* וקטר מחמץ תודה] Ironicum & hoc. Infinit. Heb. pro imperativo plurali, & מ pro ב acceptum, subaudiendúmque verbi substantivum *incensum*, quod in se includit, & vertendum, *Et incendite incensum in* [vel *cum*] *fermentato confessionem*: i. incensum confessionis, sive gratiarum actionis, in oblatione in qua offertur panis fermentatus: q. d. Offerte sacrificium confessionis quo confiteamini peccata vestra, offerte, inquam, Diis alienis, quasi illi vestra vobis peccata remittere possint, sive quo illis gratias agatis. In sacrificio confessionis offerebatur panis fermentatus ad declarandam naturam corruptam & fermentatam. ¶ *Et indicite oblationes voluntarias* וקראו נדבות] Ad verb. *& proclamate voluntaria*, sub. *sacrificia.* ¶ *Quia sic vultis* כי כן אהבתם] Præt. Heb. pro præs. *quando sic amatis*: vel, *quando sic vobis placet.* Hic quodammodo declarat suam ironiam.

6. *Munditiem dentium* נקיון שנים] Sic circumloquitur Famem. Quidam *penuriam carnium* exponunt, quod mox dicat *& penuriam panis*: verùm repetitio est aliis verbis. ¶ *Et non estis reversi usque ad me* ולא שבתם עדי] *Et nec* sic quidem *conversi estis usque ad me*: q. d. Conversi quidem estis, sed non usque ad me.

7. *Sed & ego* וגם אנכי] Ad verb. *Et etiam ego.* Quidam, *Præterea etiam ego.* ¶ *Prohibui* מנעתי] Præt. Heb. pro futuro, ut quidam volunt, *statui me prohibiturum.* Toto, inquit, trimestri ante messem carebitis pluviâ quâ segetes in spicas evadunt. Videtur rectius ut per præteritum vertas, quòd seq. versu dicat, *Et adhuc non estis reversi.* ¶ *Fundus* חלקה] *Ager.* Significat *territorium separatum ab aliis*, ità dictum à *partitione.*

8. *Et proficiscebantur* ונעו] Fut. Heb. pro præt. Imperf.

9. *Ariditate* בשדפון] *Uredine*: quæ fit à vento perurente. ¶ *Multiplices* הרבות] Infinitivus Heb. pro fut. vel præt. *Multiplicastis*, vel *multiplicabitis.* Potest etiam esse nomen. Si tanquam verbum vertas, subaudiendum erit ו ante יאכל, *at comedet*, vel *comedit*, sub. *ea omnia.* Si per nomen, nihil erit subaudiendum. Quidam vertunt, *Cùm multiplicassetis.*

10. *In via Misraim* בדרך מצרים] Mittebant enim in Ægyptum adolescentes suos ad frumenta advehenda quibus carebant. ¶ *Et excitavi* ואעלה] Ad verb. *& ascendere feci.*

11. *In vobis* בכם] Non dicit *vos*, sed *in vobis*, ut aliquam partem regionis fuisse subversam significet. ¶ *Quemadmodum subvertit* כמהפכת] De se loquitur Deus in tertia persona. *Subversionem feci inter vos, sicut fuit subversio illa quâ subverti Sodomam & Gomorrham.*

12. *Sic* כה] i. Hæc omnia mala.

13. *Qui format*, &c. יוצר הרים וגו׳] Dicitur Deus nunc *formare* & *creare* eò quòd omnia per eum persistant & gubernentur. *Quænam sit meditatio ejus* מה שחו] i. Quid cogitet. Doctus inter Hebræos cum Chaldæo P. *negotium*, *opus* sive *operationem* interpretatur; ut sit sensus, Vos putatis me latere quæ facitis; cùm tamen ego per Prophetas meos vobis annunciem omnia opera, etiam quæ in penetralibus facitis, & quæ in cordibus vestris iniquè cogitatis. ¶ *Qui facit auroram*, &c. עשה וגו׳] i. Qui convertit lumen in tenebras, conculcat omnia terrena, inaccessáque sunt illi pervia.

CASTALIO.

2. Lenunculis auferat] h. e. Per aquam.

6. *Dentium immunitatem*] Famem.

10. *Immisi pestem vobis Ægyptio more*] Ut in Ægyptios, cùm illic essetis. ¶ *Ità ut agmina vestra fœtorem etiam in nares vestras exhalarent*] Vestri milites interficerentur, ac sub dio insepulti jacerent.

12. *Compone te in occursum Dei tui*] Postquam pœnis non sis melior, videris cum Deo certare velle. Vide igitur ut te ad congrediendum pares cum eo qui est, &c.

CLA.

CLARIUS.

1. *Vaccæ pingues*] Sic vocat Propheta hic noster rusticus nobiles illos & delicatos Principes Samariæ. Sicut enim *vaccæ Basan*, i. pingues, ad arandum nihil valent, sed tantùm ad devorandum; sic proceres Regni Israelitici reip. nihil proderant, sed potentes tantùm erant ad edendum & bibendum, atque opprimendos pauperes. Ideo Propheta sanctus aptum dedit illis, & quo digni erant, titulum. ¶ *Quæ dicitis dominis*] Regibus scilicet, qui modò eis suppeditarent quæ vellent, parati erant obsequi, etiam iniqua imperantibus.

2. *In hamis*] i. Sicut piscator extrahit pisces hamo ex aqua, ità extrahent vos ex locis vestris in quibus nunc lascivitis.

3. *Et per aperturas*] Infringet hostis mœnia, ut per interruptiones illas etiam *una vacca post aliam egressura sit.* Vel, tot erunt interrupiones ut *quælibet vacca in prospectu suo egredi possit*, & non sit illi opus ut vadat ad portam ¶ *In Armon*] Alii *Armeniam*, h. e. in longissimam terram, venietis.

4. *Venite ad Bethel*] Ironia est: q. d. Quando omnino decrevistis *esse impii*, *ite* ad impietatis vestræ templa, *offerte* Diis vestris juge illud *matutinum sacrificium* quod mihi debebatur, & apparete ibi *ter per annum*, sicut mihi fieri præcepi; & videbitis quæ vos pœna sit consecutura.

5. *De fermentato laudem*] *Sacrificium laudis de fermentato*; quod Domino offerri prohibetur.

6. *Munditiem dentium*] Quia scilicet non habebitis cibum quo immundos facere illos possitis.

7. *Plui super unam civitatem*] Licuerat, inquit, vel hinc advertere magnum miraculum, & proinde adhortationem meam ad pœnitentiam, quòd *pluviam dedi super unam civitatem*, & *super aliam* illi propinquam *non plui:* unde factum est ut ager unus fructum ferret, & alius *siccitate emoreretur.*

10. *In via Ægypti*] h. e. Sicut etiam feci cùm educeremini de Ægypto, nempe in deserto.

11. *Subverti vos*] Cùm scilicet adhuc essetis in terra vestra, redegi nonnulla loca in solitudinem, sicut olim feci terræ Sodomæ, &c.

12. *Præparare*] Scilicet tandem adhuc.

13. *Annuncians homini opus suum*] Etiam illud quod ipse putat latere. Alius vertit, *quæ sit meditatio ejus.* ¶ *Auroram & caliginem*] Qui facit ut tenebris succedat lux auroræ. ¶ *Gradiens super excelsa terræ*] i. Superbiam hominum qui in terra habitant calcans. Quem dicendi modum & in Michea habes, ubi dicit, *Dominus egredietur de loco suo*, & *descendet* & *calcabit super excelsa terræ.*

DRUSIUS.

1. *Vaccæ Basan*] Ut *tauri Basan* Psal. 22. 12. i. pingues, quales videlicet fert Basan regio Arabiæ fertilis & pascuis læta. Notat autem divites, ex Pinguedinis Metaphora: Nam solitum Ebræis pingues vocare *divites.* Hinc intelliges quid sit Psal. 68. 15. *Mons Dei*, *mons Basan.* Nam sensus est ut si diceret, *Mons Sinai mons est pinguis ac fertilis laudatúsque.* Scio aliter locum illum exponi ab aliis; sed nunc occurrit mihi hæc interpretatio, quæ temere rejicienda non est. *Vaccæ Basan* à Symmacho redditur *αἱ βόες εὔτροφοι.* Significat autem, ut dixi, opulentiores cives Samariæ: Quos fortè *vaccas* appellat ut effeminatam eorum mollitiem innueret. Jonathan reddit עתירי נכסיא *divites opum.* Ebræi omnes, quos vidi, interpretantur de Uxoribus Regum & magnatum; fortè quia sequitur לאדניהם *dominis eorum*, quod exponunt לבעליהן *maritis suis*, ut sit הם pro הן, Enallage haud insolitâ Ebræis. ¶ *In monte Samariæ*] Nam Samaria in monte exstructa erat, sic appellata à *Semer* domino illius montis. ¶ *Quæ opprimitis*] Per vim pérque calumniam. ¶ *Quassatis*] *Percutitis, concutitis.* ¶ *Quæ dicitis dominis ipsorum*] i. Potentioribus, qui domini sunt pauperum. Qui de Uxoribus intelligunt, mutant personam, & legunt, *quæ dicunt dominis suis*, i. maritis: ut Gen. 18. 12. *Dominus meus senex est.* ¶ *Affer*] *Vinum*, aut *pecuniam.* ¶ *Ut bibamus*] Vel, *quod potemus.* Reddi potest *unde epulemur:* nam משתה *epulum.*

2. *Per sanctitatem suam*] i. *Per seipsum*, sive, ut alibi est, *per animam suam.* Malè, meo judicio, exponunt qui exponunt *per cœlum.* Siquidem ea formula jurandi damnatur à Christo Matth. 5. 34. ¶ *Venient super vos*] *Supervenient vobis.* *Dies*] Tempora. ¶ *Et tollet vos*] *Quando tollet vos* in captivitatem: & subintelligitur *hostis*, aut *Deus per hostem.* ¶ *Sentibus*] *Sentes* vocat catenas aut vincula quibus hostes captos constringebant & ducebant in exsilium, dicta eo nomine quòd ex ferreis constarent hamulis uncinulisve sentium similitudinem habentibus, aut quòd, sicut sentes, vinctos ad se traherent. Vocantur & חוחים, sive חחים, i. *spinæ*, Ezech. 19. 9. & 2 Par. 33. 11. Vide quoque, si vacas, 2 Reg. 19. 28. צנה, & formâ Syrâ צנניא, unde *sentis.* Hujus pluralе צנים *sentes* Prov. 22. 5. Hic est בצנות, quod Græci reddunt *ἐν ὅπλοις*, i. *clypeis*, & Hier. *contis.* Porrò צנה צנה *clypeus*, cujus forma oblonga. Unde suspicari quis posset nomine צנה significari naves longas quas vernaculâ linguâ galeyen vocamus, quæ tribus remis aguntur. Ideo etiam *triremes* vocantur. ¶ *Posteritatem vestram*] *Posteros vestros*, i. filios filiásve. אחרית hoc sensu sumitur & Dan. 11. 4. ¶ *Spinis piscatoriis*] i. Hamis; nempe ut pisces solemus hamis trahere: unde sumpta Metaphora, ut videtur. Sic Hab. 1. 15. *Omnes hamo extrahit*, *congregat eos sagenâ suâ*, & *colligit illos reti suo.* Lege sequentia. Sic Jer. 16. 16. *Mittam ad multos piscatores*, *qui piscabuntur eos.* *Hamus* Ebraicè dicitur חח, & חוח, & numero Multitudinis סירות: fortè quòd ex spinis olim fierent. Propriè *hamis spineis.* Hodie ex ferro conficiuntur. Alii סירות pluralem esse volunt à סיר voce *ollam* denotante. Ergò interpretantur *ollis piscationis*, i. lembis lenunculisve, vel, si placet, scaphis piscatoriis. Sanè דוגית est *scapha:* unde in Jure Ebræorum quod *Thalmud* vocant, *Qui vendit navem*, *vendit* & דוגית, i. *scapham*, *navis asseclam.* Usus est & Jonathan, in quo ברוגית צירים *scaphâ piscatorum:* aliàs רגנירי. Hujusmodi navigiis, inquit, hostis vos abducet quò volet.

3. *Per rupturas*] Murorum videlicet, vel quas hostes facient cùm urbem capient, vel quas ipsi facietis inter fugiendum quando portas ipse hostis observabit. ¶ *Et projicietis*] *Postquam abjeceritis supellectilem palatii:* nam id faciebant antequam *per fracturas exirent.* ¶ *Supellectilem palatii*] הרמונה & ארמון differre videntur. Illud significat *palatium*, hoc, ut conjicio, *bona* & *supellectilem*, ut thesauros ibidem reconditos. Sed alii aliter accipiunt. Hier. *projiciemini in Harmon.* Quid *Harmon? Fortè*, inquit Aben-Ezra, *nomen loci erat prope murum Samariæ.* LXX, *εἰς τὸ ὄρος τὸ Ῥομμάν.* Th. *ὑψηλὸν ὄρος.* Sym. *Ἀρμένιαν.* Jon. *Et deportabunt illos ultra montes Armeniæ.* Alius quidam, *projicietis quæ in palatio*, אשר בארמון. Sunt qui post verbum *projicietis* subaudiunt *eam*, quod referunt ad *posteritatem*; itaque interpretantur *liberos vestros.* Sed improbo. Nam ecce præcedit, & *tollet hostis posteritatem vestram.* Alii ergò reposuerunt, *projicietis vos in palatium*, nempe Regis, quod prope mœnia erat, ut aiunt. Sed quis hoc illis dixit? An colligi potest ex 2 Reg. 25. 4? non arbitror.

4. *Ite*, &c.] Sarcasmus est, aut Ironia, ut Ezechiel. 20. 39. *Ite*, *colite sua quisque idola.* Et Cohel. 11. 9. *Lætare*, *juvenis*, *in juventute tua.* ¶ *In Bethel*] Ubi alter Vitulus colebatur. ¶ *Scelerate agite*] A Deo vero deficite ad deos falsos. ¶ *In Galgal*] Etiamne Galgalæ deos falsos colebant? Videtur. Hos. 9. 15. *Omnis malitia eorum in Galgal.* Et 12. 11. *In Galgal boves sacrificant.* R. D. ad hunc postremum locum, *Filii Galgal vicini erant terræ Galaad*, &c. *cœperúntque colere idola sicut Galaaditæ*, & *facere iniquitatem* & *vanitatem*, & *sacrificabant boves idolis suis in loco ubi fecerant altare Deo benedicto.* Hæc Galgal prope Jerichuntem erat. Sunt qui putant aliam Galgalam fuisse prope Bethel. Eusebius De locis, GALGALA, *hæc est quam suprà posuimus* GOLGOL, *ad Orientalem plagam antiquæ Jerichus cis Jordanem*, *ubi Jesus secundò populum circumcidit* & *Pascha celebravit.* Pauló pòst, *Sed* & *juxta Bethel quidam aliam Galgalam suspicantur.* Vide Masii Comment. in Jos. 4. 19. & 15. 7. ¶ *Multiplicate scelera*] Verbum pro verbo *multiplicate scelerate agere*, i. sceleratas actiones vestras. Nihil autem sceleratius quàm pro vero deo falsos colere. Hoc Græci dixerunt *ἐπληθύνατε τοῦ ἀσεβῆσαι.* Alius, *augete defectionem:* & alius, *multùm peccate.* Nam *peccare* etiam dicebant pro *idola colere.* ¶ *Adferte*] הביאו. Hier. *offerte* הקריבו. ¶ *Manè*] Unoquoque manè, vel quotidie manè. Quo diei spatio agnum anniculum offerebant ex lege quæ præscripta Num. 28. 4. dicebatúrque *sacrificium matutinum.* Quò respexit vir Divinus Ps. 5. 3. cùm ità scriberet, *Manè exaudis orationem meam: manè instruo tibi*, & *speculor.* ¶ *Victimas vestras*] *Θυσίας ὑμῶν*, *hostias vestras*, *sacrificia vestra.* ¶ *Post tres dies*] Vel, *in tertium diem*, vel *annum.* Vide Gen. 40. 19, 20. item 42. 17, 18. & Exod. 19. 15. לשלשת ימים Hier. *in tertium diem.* ¶ *Decimas vestras*] Quæ offerri demum debebant post tres annos juxta legem quæ habetur Deut. 14. 28. *Post finem trium annorum proferes omnes decimas proventûs tui.* Aut *dies* dixit ut annos significaret. Sic Lev. 25. 29. *diebus erit redemptio ejus*, i. anno. *Dies* pro *annis dierum*, i. completis. Vide Animadv. l. 1. c. 1. Constantinus in Supplemento linguæ Latinæ, *Bima dies pro*

Biennio,

Biennio. *Pomponius D. lib.* 13. *tit.* 7. *L.* 8. *Si annuâ, bimâ, trimâ die*, i. *anno*, *biennio*, *triennio.* Hæ decimæ non erant ordinariæ, sed extra ordinem dabantur *Levitis*, *peregrinis*, *pupillis ac viduis*, Deut. 14. 28. Et quia non ante exactum annum tertium dabantur, ideo *decimæ triennales* à nonnullis vocantur.

5. *Adolete ex fermentato*] Hoc legitimè fieri alii affirmant, alii negant. Qui affirmant, referunt ad legem quæ habetur Lev. 7. 13. ubi Deus jubet *offerri oblationem super panes fermentatos:* quod in nullo alio sacrificio licebat. Qui negant, rectiùs, meo judicio, sentiunt. Nam ut verum sit quod illi dicunt, tamen Lex non permittit ex fermentato incensum adoleri. Imò disertè hoc vetat Levit. 2. 11. per hæc verba, *Omnis oblatio quæ offertur* DOMINO *absque fermento fiet: nec quicquam fermenti aut mellis adolebitur in sacrificio.* Dupliciter ergò peccabant, primùm quòd *adolerent ex fermentato*, deinde quòd idolis id facerent. Quòd autem dicit *adolete*, non hoc ità seriò præcipit, sed εἰρωνευόμενος loquitur. Similis Ironia Jer. 7. 21. *Holocautomata vestra addite victimis vestris, & comedite carnes.* קטר *adolere* posuit pro קטרו, i. *adolete:* quæ Enallage insolens non est. Sic alibi זכור reddunt *memento*, cùm propriè *meminisse* sonet. ¶ *Laudem*] i. Sacrificium laudis, quod εὐχαριστικὸν sive *gratulatorium* vocant. Dicitur etiam *sacrificium gratiarum actionis*, in quo pro parta salute Deo gratias agebant; & *sacrificium clangoris*, vel, si mavis, *jubili.* Non solùm *eucharisticum* erat, sed ἱλαστικὸν & *expiatorium:* nam ut Camius in libro Radicum docet, *non differebat ab hostia pro Peccato & pro Delicto, nisi quòd hæc offerebatur pro singularibus peccatis vel delictis, illo fiebat confessio iniquitatum omnium per oblationem incensi & fermenti*, Levit. 7. 2. & 22. 29. ¶ *Promulgate*] קראו *indicite*, *proclamate.* Vult dicere, Convocate plebem ad festum, in quo ex more offerebant oblationes spontaneas. Hujusmodi convocatio dicebatur מקרא קדש, i. *convocatio sancta*, quam illi diis falsis faciebant; verum Dei cultum æmulantes. ¶ *Proclamate*] השמיעו *audibiles facite.* ¶ *Amavistis*] Ed. Vetus, *voluistis*, i. חפצתם. Sic è contrario אשר חפץ בבת יעקב *volui filiæ Jacob*, i. אהב אותה *amavit eam:* nam hæc duo verba se invicem explicant. Aut *amastis*, i. libenter fecistis. Dicunt etiam Latini *amat* pro *solet:* quod nescio an hîc locum habeat.

6. *Et etiam ego*] Par pari, ut dicunt. Quemadmodum vos me spoliastis honore debito, tribuentes eum idolis, ità etiam ego privavi vos fructu benignitatis meæ, h. e. rebus ad vitam necessariis. Sic dico; Vestrâ culpâ domus mea pura & vacua fuit ab hostiis & decimis; ego quoque dentes vestros mundos & puros reddidi à carnibus. ¶ *Munditiem dentium*] i. Inopiam cibi. Nam cibo dentes impurari solent. Num. 11. 33. *Adhuc erat caro eis inter dentes.* נקיון è veteribus Th. & Sym. καθαρισμὸν reddunt. Priùs erat γομφιασμόν. Quam interpretationem sequendo Hier. noster vertit *stuporem dentium.* Chaldæus quoque Interpres habet קהיון שנין: cujus radix קהה *obstupesco.* Ab eodem radice putarint esse נקיון. Non assentior. Alioqui sententia in idem recidit: nam in magna fame dentes quasi obstupescunt. *Inopiam*] *Indigentiam*, *defectum*, ἔνδειαν. ¶ *Panis*] i. Cibi. Idem aliter. Aut *panis*, i. frumenti: ut per *munditiem dentium* defectum carnis peculiariter designet. ¶ *In omnibus locis vestris*] Idem cum illo, *in cunctis urbibus vestris:* nam *locus* pro *urbe* ponitur, ut Gen. 12. 6. *Usque ad locum Sichem*, i. *usque ad urbem Sichem*, ut rectè interpretatur Moses Gerundensis. Nihil impedit quò minùs etiam exponi possit *in cunctis domibus vestris.* Sanè *Bethel* redditur à Græcis Τόπος Θεοῦ: sonat autem propriè *Domus Dei.* *Locus* etiam pro *regione* ponitur, ut Exod. 3. 8. *ad locum Chananæi.* Puto orationem defectam esse, *in omnibus locis vestris* pro eo quod est *in omnibus locis habitationis vestræ.* ¶ *Usque ad me*] Pro *ad me.* Contrà legimus *in cælum* pro *usque in cælum.* עד enim & אל se mutuò explicant.

7. *Ego quoque prohibui à vobis imbrem*] Duo ad vitam potissimùm necessaria, Panis, & Aqua. Panis inopia famem gignit, ut aquæ penuria sitim. Nam in illis locis sitim restinguebant & aquâ pluviâ quam cisternis excipiebant. Quanquam non tam sitim prædicit hoc loco quàm sterilitatem, quæ accidit cùm terra humore destituta penitus arescit & exsiccatur. Docent id consequa verba. ¶ *Cum adhuc tres menses* &c.] Quo tempore anni arva maximè indigent imbre ad semina humectanda macerandáque, tum etiam ad terram aperiendam, quæ siccitate adeò constringitur ut nihil ex ea erumpere possit. Cæterùm segetes in Judæa incipiunt maturescere mense Nisan, qui partim Aprili nostro partim Martio respondet. Ab eo tertius est ordine retrogrado Schebat, i. Januarius aut Februarius noster. Imber verò qui eo mense cadit, vocatur peculiari nomine מלקוש, i. *pluvia serior* aut *verna.* ¶ *Superessent*] Hoc adjectum ex ed. Lat. V. nam non legitur in Ebræo. ¶ *Ad messem*] *Usque ad messem.* Vult dicere *ante messem.* Hîc ל pro עד ponitur. ¶ *Et plui*] Vel *demisi pluviam.* Alii, *feci ut plueret*, nempe *cælum* aut *nubes.* ¶ *Super civitatem unam*] Quare super unam & non super alteram? An ut ostenderet nihil in hac re fortuitum esse, nihil casu, nihil temere fieri? Nam si nihil omnino pluisset, minùs cogitassent de providentia Dei. ¶ *Plui*] אמטיר *pluam.* Sic תמטר *compluetur*, & תיבש *arescet:* mutavi tempus cum Hier. sensu ità postulante: nam præcedit ecce מנעתי *prohibui.* ¶ *Pars una*] Partem terræ significat, ut postis reddere *ager unus compluitus est*, aut, ut Jonathan habet, *fundus unus*, vel *prædium unum.* *Pars* חלק dicitur. Ab eo est חקל, inversis literis, quæ vox Syrorum linguâ denotat *agrum:* unde HACELDEMA, *Ager sanguinis.* *Super quam non pluit*] Sub. הענן *nubes.* Nec obstat verbum fem. תמטיר *pluit.* Nam עב nomen est fem. generis: saltem femininè construitur 1 Reg. 18. 44. עב קטנה *nubes parva.* Minùs rectè alii verbum תמטיר ad חלקה referunt, *portio quæ non sinit descendere pluviam super se.* Græci & Hieron. videntur legisse אמטיר, i. א pro ת.

8. *Moverunt*] i. Abierunt aut profectæ sunt. Sanè Hieron. vertit *venerunt*, i. באו. Et *movere* pro *discedere* Latini quoque dicunt. Cicero ad Attic. *Postquam ille Camusio moverat*, i. abierat aut discesserat. ¶ *Duæ tres*] Pro *duæ tresve*, ut 2 Reg. 9. 32. *duo tres eunuchi*, i. aliquot eunuchi. ¶ *Ad civitatem unam*] In quam Deus pluerat. ¶ *Ut biberent aquam*] Quam in cisternis cives illius oppidi collegerant. ¶ *Neque saturatæ fuerunt*] Vel quòd aqua quam collegerant non sufficeret tot civitatibus, vel quòd bibendo satiari non potuerint propter maledictionem Dei. Sic alibi, *Comedetis, sed non saturabimini; bibetis, & non restinguetis sitim.* ¶ *Usque ad me*] *Ad me.* Vide v. 6.

9. *Vos*] Fruges vestras. ¶ *Uredine*] Vitium frugum proveniens ex nimia siccitate, quam in illis regionibus *Eurus* efficit, i. קדים. Ideo Aquila & cæteri Interpretes reddunt ἀνεμοφθορίᾳ, i. *corruptione quæ fit per ventum.* Hoc vitium in arboribus *sideratio* dicitur. Nam est ariditas quæ vapore exsiccato arbores necat. ¶ *Rubigine*] Vitium est frugum ex humore immodico contractum. Græci ἴκτερον vocant, ut Hier. *auriginem:* sed an rectè? Nam ἴκτερος *morbus regius.* Glossæ Philonis, IERACON, *aurugo*, *quam Græci ἴκτερον vocant.* ¶ *Multitudinem hortorum vestrorum*] Sic interpretatur Hieronymus. Nec dissentit Jonathan. Porrò *multitudo* רב dicitur. Hic autem est הרבות, quod Græci reddunt ἐπληθύνατε, & alii *augentibus hortis vestris.* Eadem vox, teste Mercero, complectitur *exornationem* & *culturam.* Idem ניבוי vocem Chaldaicam exposuit *fæcunditatem.* ¶ *Ficus vestras oleásque vestras*] LXX, συκῶνας ὑμῶν καὶ ἐλαιῶνας ὑμῶν, & Hier. *ficeta vestra & oliveta vestra.* ¶ *Eruca*] הגזם, ἡ κάμπη, i. *eruca.* Talis est veterum declaratio. Editio Jonathæ habet זחלא, quod est insecti genus à *rependo* nomen sortitum, ut Grammatici volunt. גזם alii à גז deducunt, quod *volare* sign. alii à גזז derivant, ut videri possit esse χρασονηρίς. Nam id ἀπὸ τοῦ κείρειν dictum, quòd *tondere* significat. R. D. peculiarem ei radicem assignat, גזם. Ut ut sit, ab Hier. interpretatur *eruca*, *extremum*, inquit, *pœnarum omnium, quæ non avolat, ut Locusta, & huc illucque discurrens semesa dimittit; sed permanet perituris frugibus, & tardo lapsu pigrisque morsibus universa consumit.* ¶ *Usque ad me*] *Ad cultum meum*, Jonathan.

10. *Pestem*] דבר *pestis*, quam Chaldæi מותא vocant, i. *mortem*, ut Galli *mortalité.* Nescio an idem voluerint Græci cùm verterent θάνατον quorum æmulatione Hier. quoque edidit, *misi in vos mortem.* *Pestis* alioqui à Græcis λοιμὸς dicitur. ¶ *In via Ægypti*] *Via Ægypti* quæ in Ægyptum ducit. Soliti autem erant ire in Ægyptum vel frumentandi causâ, vel auxilii petendi. Quidam *viâ Ægypti*, i. *more Ægyptio.* Sic alibi, *secundum viam mulierum*, i. consuetudinem. Sensus est, Quemadmodum olim misi pestem in Ægyptios cùm apud eos ageretis. Minùs hoc se probat mihi. ¶ *Cum captivitate equorum*] Vis in hoc sermone ut si diceret, *& captivos abduxi equos vestros.* Nam occisis juvenibus, capti fuerunt equi eorum & aliò abducti ab hoste: quod nunc Deus se fecisse ait, nempe per hostem cujus operâ in hac re utebatur. ¶ *Feci ut ascenderet fætor*] Vide Joel. 2. 20. & Jes. 34. 3. ¶ *Castrorum vestrorum*] i. Militum in castris occisorum, quorum cadavera illic insepulta remanserunt, &, ut fit, fœtorem ediderunt. Nihil obstat quamobrem non possit reddi *turmarum vestrarum*, ut significet turmas juvenum simul euntium in Ægyptum: nam turmatim eo

eò proficiscebantur. מחנה autem quælibet *turma*, ut videre est Gen. 33. 8.

11. *Subverti vos*] Sic Hier. Sed & Lxx κατέστρεψα ὑμᾶς. Alii, *subverti ex vobis*. Verbum pro verbo *in vobis*. Vult dicere *aliquos inter vos*. ¶ *Sicut subvertit Deus Sodomam*] In Ebræo est ad verb. *secundùm subversionem Dei Sodomam*. Verbale cum casu verbi sui. Nos sensum expressimus, quod & Hier. fecit, & ante illum Senes, qui habent καθὼς κατέστρεψεν ὁ Θεὸς Σόδομα, &c. Quæ sic capienda, non quòd Samaria igne cœlitus demisso conflagrarit, sed Hyperbolicè significat extremam vastitatem, ut Jes. 13. 19. *Et erit Babylon sicut Sodoma & Gomorra.* Sanè Babylon Divino incendio eversa nusquam legitur. ¶ *Et fuistis*] Quotquot ex publico incendio evasistis. Vel fuistis pauci qui evasistis, *ut si quis titionem ex incendio eripiat.* ¶ *Veluti torris ereptus ex incendio*] Elegans proverbium, quod etiam invenitur Zach. 3. 1. *Annon iste est torris ereptus ex igne?* Ut *ignis*, ità *incendii* vocabulo innuunt graves calamitates. *Torris* ergò *ereptus ex incendio* dicitur qui ex calamitate aliqua sic evasit ut tamen adhuc horridus & squalidus sit titionique ambusto similis. Vide Adag. class. 1. l. 1. adag. 29.

12. *Ideo sic faciam tibi*] Quia sæpe monitus noluisti redire ad me, ideo *sic faciam tibi* quemadmodum feci Sodomæ & Gomorræ. ¶ *Israel*] O Israel. ¶ *Propterea quòd hoc facturum sum tibi*, &c.] Quia imminet tibi à me tanta vastitas, suadeo & auctor tibi sum ut pares te ad sustinendum impetum iræ meæ, aut ut occurras mihi verâ resipiscentiâ & emendatione vitæ in melius. Sic enim poteris effugere malum quod impendet tibi. ¶ *Propterea quòd*] עקב כי, Lxx πλὴν, i. *veruntamen*. A. ὕστερον, i. *postea*. Th. ἐσχάτως, i. *novissimè*. Hieron. *postquam autem*.

13. *Nam ecce*, &c. Hæc eò pertinent ut ostendat Deo facile esse quæ minatur ad effectum perducere, cùm is sit qui *montes finxerit*, *ventùmque crearit*, &c. Aut declarat fore ut mutet sententiam, si resipiscant, de pœna quâ eos afficere decrevit: quemadmodum res omnes vertit cùm vult in contrarium: ea est natura ipsius. ¶ *Formans*] *Fingens*, *condens*. ¶ *Montes*] Cur *montes* nominat? An quia partes terræ sunt editiores & maximè conspicuæ? ¶ *Ventum*] רוח de *spiritu hominis* alii, alii de *anima* intelligunt, sed minùs rectè, ut opinor. Vide Hieronymum. Cæterùm *ventus* res est fluxa & minimè consistens, ut montes; tum etiam tantâ tenuitate ut fugiat aciem, tantâ efficaciâ ut vel montes dejiciat ac prosternat. Vide Job. 28. 9. ¶ *Quanam sit sermocinatio ejus*] Quid secum sermocinetur, quidve cogitet aut mediteur. שיח *sermocinatio* διαλογισμὸς, *cogitatio*. Dicitur & שׂח per *e* longum. Scholia Ebraica interpretantur *occupatio hominis*, *sive negotium & opera ejus*. Pro *quanam sit sermocinatio ejus*, Hier. edidit *eloquium suum*. Alius, *cogitatum suum*. ¶ *Faciens auroram obscuritatem*] i. Obscuram. Vel, *caliginem*, & est sensus, *ut caliginem*. Sic alibi in hoc libro, *diem ut noctem obtenebrat*. Potest converti ut sit *faciens obscuritatem auroram*: vult dicere, *tam claram quàm est aurora*. Infrà 5. 8. *qui convertit in manè umbram mortis*. Quidam, *faciens auroram & obscuritatem*. Sic Græca editio, nisi quòd עיפה in ὁμίχλην convertit. Est autem ὁμίχλη *nebula*, quæ cœlum reddere obscurum solet. ¶ *Calcans super excelsa terræ*] Vulgò cacumina montium & loca propter altitudinem hominibus inaccessa significari putant, quæ *calcare* dicitur, quia omnia ei subjecta qui rebus omnibus altior & sublimor est. ¶ *Exercituum*] Vel *copiarum*. Et intelligit creaturas omnes tam quæ in cœlo quàm quæ in terra, quæ ad nutum Dei serviunt, & quibus utitur quasi militum loco, itidem ut Imperator cùm apud exercitum est.

IDEM.

1. ΤΗΣ Βασανίτιδος] Sic Rom. exemplar. In cæteris omnibus est τῆς Βασάν. Priorem scripturam expressit Int. V. de qua nos dubitare non sinit Hier. ità scribens, *Pro vaccis pinguibus Lxx posuerunt δαμάλεις τῆς Βασανίτιδος*, i. *vaccæ Basanitidis*. Hujus sing. Βασανῖτις, quæ Græca nominis declinatio est pro Βασὰν, ut alibi Ἀυσῖτις legitur pro Ἂυς sive Ὂυς, i. עוץ. Sic *Moabitis*, regio Moabitarum. Nah. 1. 4. בשן, Lxx, Βασανῖτις. Quod firmandæ lectioni quam secutus sum. ¶ Αἱ ἐν τῷ ὄρει] Plantinus αἱ ὅσαι ἐν τῷ ὄρει. Sed verbum substantivum subintelligitur, etiam in Ebræo. Sic ὁ ἐν τοῖς ὀρανοῖς, sub. ὢν, ἤτοι οἰκῶν potest & hic subaudiri οἰκῦσαι. Sententia non variat: nam *esse* interdum valet Habitare. Deus sanè *in cœlo esse* dicitur quia ibi habitat: Alioqui est ubique. Sic Ruth 1. *Et fuerunt ibi*, i. habitarunt aut commemorati sunt.

2. Κατὰ τῶν ἁγίων] Int. V. *per sanctos suos*. Præfero *per Sancta sua*, ut sit obliquus à recto τὰ ἅγια. Sic olim Hellenistæ Templum vocabant. Scholia Ebr. *per sanctitatem suam*, i. per cœlum. Est autem cœlum aliud nihil quàm domus Dei, i. Templum. ¶ Ἐφ' ὑμᾶς] Veritas scripturæ. Tamen in quibusdam libris ἐφ' ἡμᾶς *super nos*: & mox λήψονται ἡμᾶς *capient nos*. ¶ Ἐν ὅπλοις] צנה clypei genus est. Hujus pluralem צנות præter Lxx etiam Symmachus ὅπλα reddit. Jonathan תריסין, i. *scuta*: unde Græcum θυρεός. Vide nunc Notas in Fragmenta. Ibi observo τὰ ὅπλα dici *scuta*: quo significatu & *armorum* vox usurpatur. Hinc lucem facies Interpreti antiquo, qui vertit *tollent vos in armis*. ¶ Ὑποκαιομένας ἐμβαλῦσιν] Hoc neque Plantinus habet neque Vetus interpretatur. ¶ Ἔμπυροι λοιμοὶ] In plerisque ἔρημοι λοιμοί in C. verò ἔμποροι λοιμοί. Quod postremum secutus fuit Int. V. In quo *negotiatores pestilentes*. Ἔμπυροι λοιμοί exstat in ed. Rom.

3. Ἀποῤῥιφήσεσθε εἰς τὸ ὄρος] Alibi, ῥιφήσεσθε ἐπὶ τὸ ὄρος. ¶ Τὸ Ῥομμὰν] Plantini codex τὸ Ῥεμμὰν scribo Ῥεμμάν. Sic legit & Vet. Interpres. In aliis est τὸ Ἀρμανὰ, propius ad scripturam Ebraicam Ἀρμωνά. Hier. *Et projiciemini*, *inquit*, *in locis Armeniæ*, *quæ vocantur* Armona: *pro quibus Lxx montem Remmam*, &c. *transtulerunt*. Vide Fragmenta Int. Vet. ¶ Κύριος] Alibi, Κύριος ὁ Θεός. Vide suprà 3. 7, & 8.

4. Εἰσήλθατε] Vet. *introistis*. Partim exemplarium καὶ εἰσήλθετε. ¶ Ἐπληθύνατε] Plantinus habet καὶ ἐπληθύνατε. Vet. *in Galgala multiplicastis impiè agere*. ¶ Εἰς τὸ πρωὶ θυσίας ὑμῶν] Bibl. Regia, εἰς πρωὶ θυσίαν ὑμῶν.

5. Ἀνέγνωσαν ἔξω νόμον] Aut codices habuerunt mendosos, aut peccarunt legendo primùm קראו ἀνέγνωσαν pro קטר *adolete*, deinde מחוץ *foris* pro מחמץ *ex fermentato*, postremo תורה *legem* pro תודה *laudem* sive *gratiarum actionem*. ¶ Ὁμολογίας] Plantinus edidit ὁμολογίαν. In Lat. Vet. *confessiones*, i. תודות. Aliud נדבות, quod nunc in Ebræo. Vide Hier. ¶ Ἀναγγείλατε] Idem ἀπαγγείλατε. ¶ Λέγει Κύριος] In aliis est, λέγει Κύριος Κύριος in versione autem quæ in operibus Hier. *Dominus Deus*, Κύριος ὁ Θεός.

6. Γομφιασμὸν] Sic Jonathan אקהיות, i. stuporem: נקיון à קהה deducunt, non, ut alii, à נקה. Int. V. *stuporem dentium*.

7. Τῦ τρυγητῦ] *Vindemiæ* Int. V. Sic etiam legunt Hier. & Theodoretus. Tamen in fonte τῦ θερισμῦ quod præferunt A. B. & Cephalæi. ¶ Ἐφ' ἣν ὁ βρέξω] i. אמטיר. Ità Hier. *super quam non plui*. Cod. Ebræi תמטיר, i. βρέξει, & Jon. *super quam non descendet pluvia*.

8. Τρεῖς πόλεις] Πόλεις malè abest in B. ¶ Καὶ ὁκ] Alibi καὶ ὁδὲ ὅτως.

9. Ἐπάταξα] Perperàm in C. ἐπύρωσα. Int. V. *Percussi*. ¶ Ἐν πυρώσει] Vet. *in ardore*. Hier. πύρωσιν *nos* combustionem *possumus dicere*. Si licet, divino eos legisse שרפון: nam שרף *comburo*. Toties impingunt in Res & Daleth, ut mirum videri hoc nemini debeat. ¶ Ἀμπελῶνας ὑμῶν] Alibi καὶ ἀμπελῶνας lego καὶ ἀμπελῶνας ὑμῶν. Quanquam in versione antiqua *vineas vestras*. Post hoc nomen quædam desiderantur in A. & B. tu supple ex aliis editionibus. ¶ Συκεῶνας] Descripsi ex ed. Rom. Quod noto quia in reliquis habetur συκῶνας ut in Lexico Græco-Lat. V. Συκῶν ὁ τόπος, *ficetum*. ¶ Κατέφαγεν] A Plantino impressi τότως κατέφαγεν. ¶ Οὐδ' ὡς] Legendum ex aliis ed. ὁδ' ὅτως. Lat. V. *ne sic quidem*.

10. Θάνατον] Etiam Hier. *mortem* reddit, & Int. Chaldæus מותא, quod in sermone sacro est דבר. Haud dubiè *pestem* intellexerunt, ex effectu causam. Galli dicunt *mortalité*. ¶ Καὶ ἀπέκτεινα] Ἀπέκτεινα est in C. & in Ebræo. Int. V. *& occidi*. ¶ Ἵππον σε] i. *Equitatum tuum*. Aliàs ἵππων σε, quod ità legit Int. V. referens, *cum captivitate equorum vestrorum*. In editis à Plantino ἵππων ὑμῶν, i. *equorum vestrorum*. ¶ Παρεμβολὰς ἐν τῇ ὀργῇ ὑμῶν] Partim codicum παρεμβολὰς ὑμῶν ἐν τῇ ὀργῇ μȣ. Int. V. hanc lectionem sequendo convertit, *castra vestra in ira mea*. Biblia Regia, παρεμβολὰς ὑμῶν ἐν τῇ ὀργῇ ὑμῶν, verto *propter iram vestram*. אף & *eram* sig. & *nasum*. Ergò hodiè interpretantur ex Ebræo *& quidem in nares vestras*, sententiâ, quoniam *fœtoris* fit mentio, aptiore. ¶ Οὐδ' ὡς] Præter Rom. ed. cætera habent, ut suprà, ὁδ' ὅτως.

11. Ὁ Θεὸς] Int. *Deus*: legit ergò Θεός, & non, ut in C. Κύριος quæ tamen confundi scio. ¶ Ἐγένεσθε] Plant. ἐγενήθητε. ¶ Ἐκ πυρὸς] Int. *de igne*: quod legitur Zach. 3. 2. מאש *ex igne*, ὡς δαλὸς ἐξεσπασμένος ἐκ πυρός. Hic habetur ejus aequivalens משרפה *ex incendio*. Igitur ad Ebr. veritatem aptior lectio

ctio quæ in editis ad E. C. ἀπὸ καύσεως. ¶ Οὐδ' ὡς] A. & B. οὐδ' οὕτως. C. οὐκ.

13. Ἰδοὺ ἐγὼ ςερεῶν] Plant. Κύριος εἶ ςερεῶν. Int. regentior, *Dominus est qui firmat*; Vet. *ecce firmans.* Apud Euseb. pag. 119. editionis R. Stephani, ἰδοὺ ςερεῶν. Noli dubitare quin hæc scriptura vera sit. Versu qui hunc præcedit לקראת εἰς ἀπάντησιν, interpretantur τοῦ ἐπικαλεῖσθαι, ac si esset לקרא, videlicet gerundium à קרא. Βροντὴν] Ausim profiteri eos legisse הרים חרים, & mox משיחו, quod vertunt τὸν χριςὸν αὐτοῦ, pro eo quod nunc legimus מה שחו divisim & duabus dictionibus. Quòd posterius & ante nos alii observarunt. ¶ Τὰ ὑψηλὰ] Libri plerique τὰ ὕψη. In Eusebio τὰ ὕψηλὰ, ut & in R. Int. V. *super excelsa terræ.*

IDEM.

1. פרות הבשן. Sym. αἱ βόες εὔτροφοι] i. *Boves saginatæ.* Sic vertit Hier. Citatur hoc interpretamentum & in ed. Rom. Ps. 22. 12. אבירי בשן. Sym. —*altiles*, σιτιςοὶ, ἢ σιτευτὰς In ed. Rom. *Aq. λιπαροί Sym. σιτιςοί.* הבשן. Aq. & Th. Βασάν. Hier. *Pro* vaccis pinguibus *Lxx posuerunt* δαμάλεις τῆς Βασανίτιδος, *Aq. & Th. ipsum verbum Ebraicum* בשן. *Nos Symmachi interpretationem secuti, qui ait* αἱ βόες εὔτροφοι, *i.* boves saginatæ, vaccas pingues *interpretati sumus.*

2. בקדשו. Sym μετὰ τῆς ἁγιωσύνης αὐτοῦ] Verto *per sanctitatem suam.* Sic etiam vertit Interpres Theodoreti, è quo Romanenses hoc testimonium hauserunt. Κατὰ cum genit. *per*, ut Act. 9. καθ' ὅλης τῆς Ἰουδαίας, *per totam Judæam*: καθ' ὅλης τῆς Ἰόππης, *per totam Joppen.* Idem ב significat in textu Ebræo. ¶ צנות. Aq. *clypeos.* Sym. ὅπλα. Th. δόρατα] Hier. *Pro* contis *quoque, qui Ebraicè dicuntur* צנות, *Aq. interpretatus est* clypeos, *Sym. & Lxx* ὅπλα, *i*, arma; *solus Th.* δόρατα, *quem nos secuti* contos *vel* hastas *interpretati sumus.* CLYPEOS, Θυρεοὺς Sic etiam Jonathan: nam תריסין *clypeis*, i. θυρεοῖς. Videtur esse clypei genus oblongioris formæ, quæ scaphæ aut lembi similitudinem exprimat: nam צנה *scapha* sive *lembus*, si credendum Ebræis. Sed hoc incertum. Similiter θυρεὸς à *janua* oblongæ figura. † Ὅπλα, i. *scuta.* Sic malo interpretari quàm cum Hier. *arma.* Nam *armorum* vox ambigua est: In vocabulo צנות nulla hujusmodi ambiguitas. Vide nunc, si vacas, quæ scripsimus Hos. 11. 8. ad Fragmenta à me collecta. ¶ בסירות דוגה. Aq. *in lebetibus pisciculorum*] Hier. *Pro* ollis ferventibus *in Ebraico scriptum est* SIROTH DUGA, *& apud Aq.* in lebetibus pisciculorum. Ἐν λέβησιν ἰχθυδίων fortè: nam ἰχθύδιον *pisciculus.*

3. והשלכתנה ההרמונה. Sym. *& projiciemini in Armenia*] Hier. *Et projiciemini, inquit, in locis Armeniæ, quæ vocantur* Armona. *Denique Sym. ità interpretatus est*, & projiciemini in Armenia. Fortè hunc locum in mente habuit Eusebius De locis, REMINA, *mons in Esaia pro quo Aquila interpretatur* mons Emona, *Sym.* in Armenia. *In Armeniam* ἴσως, i. εἰς τὴν Ἀρμενίαν. Hier. *Aq.* montem Armona, *Th.* montem Mona, *Quinta autem editio* excelsum montem *transtulerunt.* Est cur malim *Harmona.* Novum non est δασεῖαν cum ψιλῇ, & contrà ψιλὴν cum δασείᾳ permutari. Fit hoc non Interpretum imperitiâ, sed culpâ librariorum. Apud interpr. Theodoreti, ההרמונה, *Sym.* Armeniam, *Th.* excelsum montem. Quid hic statuemus? An legendum in Hieron. *Theod.* excelsum montem; *Quinta autem editio* montem Mona *transtulerunt*? Huic interpretationi adversantur nonnulla. Primùm enim si hoc voluisset Propheta, scripsisset, meo judicio, divisim, הר מונה: deinde scripsisset הר, non autem ההר. Qui Ebraismum probè callent intelligunt quid velim. רם *excelsus*, הר *mons.* Malim ergò *montem excelsum*: nam הר præcedit. In ed. Rom. Εἰς τὸ ὄρος. *Sym.* Ἀρμενίαν, *Th.* ὑψηλὸν ὄρος. Quæ ex Theodoreto suprà Latinè à nobis producta fuerunt.

4. לשלשת ימים מעשרתיכם. Sym. *tertiâ die decimas vestras.* Græcè, ut conjicio, τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ τὰς δεκάτας ὑμῶν nisi magis ut scripserit τὰ ἐπιδέκατα ὑμῶν.

5. תודה. Aq. εὐχαριςίαν, i. *gratiarum actionem*] Priùs erat in Lxx νόμον, i. תורה. Psal. 107. 22. זבחי תודה, Lxx θυσίαν αἰνέσεως, Aq. εὐχαριςίας. Hier. *Pro* laude εὐχαριςίαν, *i.* gratiarum actionem, *interpretatus est Aquila.*

6. נקיון שנים. A. & Sym. *munditiam dentium*] Hier. *Ego dedi vobis stuporem, sive munditiam, dentium, ut interpretati sunt Aq. & Sym. ut per mundos dentes famis magnitudinem demonstrarent.* Hæc Hier. Cæterùm in Theodoreteis, *Sym. & Th. munditiam dentium*: & in ed. Rom. *Sym. & Th.* καθαρισμὸν ὀδόντων. Si rectè, præter Aq. & Sym. etiam Theodotio ità verterit: de quo ampliùs deliberandum censeo.

9. בשדפון. Aq. Sym. Th. ἀνεμοφθορίᾳ] Ex Hier. & ex ed. Rom. Hieronymi verba sunt, *Pro* SUDDAPHON, *i.* vento urente, *ἀνεμοφθορίαν Aq. & Sym & Th. interpretati sunt.* Ἀνεμοφθορία, *corruptione quæ fit à vento.* Sic enim certè Suidas, Ἀνεμοφθορίᾳ, inquit, ἡ πληγὴ τῶν ἀνέμων. Lxx hîc habent ἐν πυρώσει. Alibi utuntur vocabulo ἀνεμοφθορίας, ut Deut. 28. 22. & 2 Par. 6. 28. Similiter Gen. 41. 23. שדופות reddunt ἀνεμόφθοροι, i. *vento perditi*, aut *corrupti.* ¶ ובירקון. Omnes præter Theodotionem ἐν ἰκτέρῳ. Th. ὠχριάσει] Vide sis ed. Rom. Hier. ירקון, *i.* auruginem, *omnes* ἴκτερον *similiter transtulerunt absque Theodotione, qui solus ὠχρίασιν, quæ* pallorem *sig. interpretatus est.* 2 Par. 6. 28. ירקון, Lxx ἴκτερος. Hier. *aurugo.* Dicitur etiam *robigo* sive *rubigo*, &c. ut quidam annotant, *ærugo*, i. ἐρυσίβη, quando segetibus incidit humoris copia, quo vitio spicæ marcidæ fiunt & in pulverem confriatiles. Consule Theophrastum. † Ὠχριάσει, i. *pallore*, qui & ὠχρότης, Deut. 28. 22. בירקון, Lxx τῇ ὠχρίᾳ. Hier. *rubigine.* Hoc vitium in vitibus appellatur *carbunculus.* Pro τῇ ὠχρίᾳ vide num sit legendum τῇ ὠχριάσει· nam ὠχρία pro *pallore* non memini legere.

12. עקב. Aq. ὕςερον. Th. ἐσχάτως] Ὕςερον, *postea*, i. *longo pòst tempore.* Sic Hier. exponit. Idem dicit ἐσχάτως, i. *novissimé.* Verba Hier. עקב *Aq. interpretatus est* ὕςερον, *i.* postea, *& Th.* ἐσχάτως, *i.* novissimé. *In Ebraico sic legi potest*, Quapropter sic faciam tibi postea, *i. multo pòst tempore, & in novissimis seculis: ut rursum ab alio principio versus incipiat*, &c. Hucusque Hier. עקב propriè *calcaneus.* Est autem *calcaneus* extrema pars pedis: unde pro *extremo* ponitur, & interdum pro *mercede*, quæ est extremum operis. ¶ הכון לקראת אלהיך Th. *præparare in occursum Dei tui.* Sym. & V. ed. *præparare ut adverseris Deo tuo*] Hier. *In eo loco ubi LXX transtulerunt*, præparare ut invoces Deum tuum, *& nos juxta Th. posuimus*, præparare in occursum Dei tui, *Sym. & V. editio transtulerunt*, præparare ut adverseris Deo tuo. Ἑτοιμάζου, i. *prapara te.* Abenezra, *Para te ut prodeas obviàm Deo tuo ad bellandum.* Hoc non seriò dicit, sed εἰρωνευόμενος Nam *Deo adversari* οὐκ ἀσφαλές. Scitum illud, *Durum est contra stimulum calcitrare*: & notum verbum θεομαχεῖν, quod Gigantibus olim pessimè cessit. Locus iste pleniùs citatur ex Aquila & Theodotione. Verba Hier. sunt pag. 106. editionis Plantinianæ, *Quòd si juxta Sym. & Aq. legerimus*, Hæc faciam tibi, Israel, *postea*, & cùm hæc fecero tibi, præpara te adversari Deo tuo, *sic intelligendum est*, &c. UT ADVERSERIS, Ἐναντιοῦσθαι.

13. מה שחו. Aq. τὴν ὁμιλίαν αὐτοῦ. Sym. τὸ φώνημα αὐτοῦ. Th. τὸν λόγον αὐτοῦ. V. τὴν ἀδολεσχίαν αὐτοῦ] Hier. è quo hæc descripsi, vertit *eloquium suum*, addens, *cunctos ità quoque interpretatos fecisse*: & mox, postquam recensuit memoratas interpretationes, *Hæc omnia*, inquit, *interpretantur*, quod sit eloquium ejus. Vide, si otium est. In ed. Rom. *Aq.* τίς ἡ ὁμιλία αὐτοῦ, & mox, *Sym.* τὸ φώνημα. *Th.* ὁ λόγος. *V. ed.* ἀδολεσχία. Psal. 55. 2. בשיחי, idem Aq. ὁμιλίᾳ μου, Lxx ἐν τῇ ἀδολεσχίᾳ μου. Rursum Ps. 104. 34. שיחי, Lxx ἡ διαλογή μου, Sym. διάλεξις. A. ὁμιλία. Psal. 77. 3. ואשיחה, Lxx ἠδολέσχησα, Sym. διελάλουν ἐμαυτῷ, Hier. *loquebar in meipso.* Sic בשיחי, quod suprà produximus ex Psal. 55. Sym. idem vertit, *mecum ipse loquens.* Ps. 64. בשיחי, Santes *in sermone meo*, Arias *in loquela mea.* Aliquando sig. *sermonem querulum ex ægritudine ortum*, ut Prov. 23. 29. Suidas sive Sudas, Ἀδολεσχία, παρὰ τῇ γραφῇ ἡ συνεχὴς μελέτη· καὶ Ἀδολεσχήσω, ἀντὶ τοῦ, διηνεκῶς μελετήσω. Quod noto quoniam hæc vox apud Græcos aliam significationem habet.

IDEM in VULG.

1. V*Accæ pingues*] Doctè explicat, *Vaccæ Basan.* Sic apud Davidem *Tauri Basan.* Symmachus εὔτροφοι, id est, *altiles* interprete Hieronymo. ¶ *Quæ calumniam facitis*] Verbum Ebræum significat *opprimere* non tam per calumniam, quàm alio quovis modo. ¶ *Dominis vestris*] Τοῖς κυρίοις αὐτῶν habet editio Græca, non malè; sed malè est in traductione Latina, *Dominis vestris*; quam interpretationem omnino repudiat veritas Ebræa, cum qua consentit editio Chaldæi Jonathæ. ¶ *Afferte*] *Affer* reperi apud Ebræos. Sed & Græci legunt ἐπίδοτε, nempe quia sequitur, *bibemus.*

2. *In sancto suo*] Vel *in sanctitate sua.* Hic IN autem valet *per*, ut sæpe alias. ¶ *Levabunt eos*] *Levabit* est in Ebræo, sive ut alii referunt *tollet.* ¶ *In contis*] Græcus habet ἐν ὅπλοις, id est, scutis. Sic etiam Jonathan habet. Sed alii referunt *aculeis*, ad sententiam hujus loci aptiùs. Quid si, *tollent vos scha-*

scaphis? SENNA *scapha*, à forma clypei, quæ oblonga. Nisi si clypeus SENNA dictus ab eo genere navigii. Nihil adfirmo. Vidi qui verterent, *tollent vos spinis.* ¶ *Et reliquias vestras*] Planè vertendum, *& posteritatem vestram*, id est, *natos vestros*, interprete Jonatha. ¶ *In ollis ferventibus*] Non *ferventibus* legitur in Ebræo, sed DUGA, id est genus naviculæ piscatoriæ: itaque pro *ollis* reponunt *spinis.* Per *spinas* autem intelligunt hamos piscatorios. Jonathan hunc locum sic declarat, *& filios vestros tollent naviculâ piscatoriâ.* Talis navicula in sermone Chaldæorum DUGITH appellatur; vel, ut alia lectio habet, DEGOGITH.

3. *Per aperturas*] Per rupturas sive ruinas murorum. ¶ *Contra alteram*] *Coram se* est in Ebræorum libris, vel è regione sui. ¶ *Projiciemini*] Locum hunc variè interpretantur. Quidam sic, *projicietis palatium*, hoc est, quæ erunt in palatio. Alii aliter, *projicietis vos* aut *mundum vestrum* aut *natos vestros in palatium regis.* ¶ *Armon*] Scriptum hîc HARMON cum nota adspirationis. Quanquam usitatè *palatium Armon* vocatur sine adspiratione. Jonathan hunc locum sic explanat, *deportabunt eos ultra montes Armeniæ.* Sed perperàm, ut puto.

4. *Ad Galgalam*] rectum opinor, *Galgalæ.* Est autem *Galgala* forma nominis Chaldaica pro *Galgal*, quod hodie legunt ac sonant *Gilgal.* ¶ *Et multiplicate*] Abest ab Ebræo codice copula (*&*) quâ deletâ licet hunc locum aliter interpungere. *Venite Beth-elem: & impie agite, Galgalæ multiplicate prævaricationem.* Hanc interpretationem confirmant accentus, qui apud Ebræos. ¶ *Prævaricationem*] Ad verbum, *prævaricari*, sive ut alii referunt, *deficere* aut *sceleratè agere.* ¶ *Tribus diebus*] Maluissem *post tres dies.* *Dies* autem Ebræi dicunt pro annis, & omnino sententia postulat ut hîc exponamus, *post tres annos*, vel, si placet, *tertio quoque anno.* Sic enim legimus Deut. 14. 28. *Post finem trium annorum offeres omnem decimam proventuum tuorum.* Vide & Levit. 25. 29.

5. *Et sacrificate*] *Adolete* est in aliis tralationibus, & rectè, ut opinor. ¶ *Laudem*] Sacrificium laudis sive gratiarum actionis. ¶ *Et vocate*] Proclamate, indicite, prædicate. ¶ *Voluntarias oblationes*] de quibus Levit. 7. 6. ¶ *Et annuntiate*] Interpres addidit copulam *&*, quæ desideratur apud Ebræos & apud interpretes Græcos. ¶ *Voluistis*] Significantiùs legitur in Ebræo *dilexistis.*

6. *Stuporem dentium*] Ità Jonathan explanat. Apud recentiores est, *munditiem dentium*, quæ interpretatio meliùs cum sequentibus cohæret. ¶ *Indigentiam panum*] *Panis*, non *panum* legitur in Ebræo. Id phrasi ejus linguæ valet, ut si dicas, *indigentiam cibi.* Videlicet idem dicit aliis verbis. Nam per *munditiam dentium* aliud nihil significat quàm *penuriam cibi.* Ex eo quod sequitur, id quod antecedit. Mundi enim dentes sunt cùm non est quod mandent, unde immundiores fiant. ¶ *Ad me*] Quidam putant aliud esse, *usque ad me.* Ego parùm referre arbitror hoc an illud dicas. Quin existimo *usque ad* hoc in loco positum esse pro *ad* simpliciter.

7. *A vobis*] vel, *propter vos.* ¶ *Et plui*] vel, feci ut plueret. ¶ *Pars*] Portio agri. ¶ *Super quam non plui*] Videtur vertendum, *super quam non pluit*, ut referatur ad *nubem.* Sine dubio interpres malè vertit. Sunt qui interpretentur, *pars quæ non sivit pluviam descendere super se.* Rectè an secùs videro.

8. *Venerunt*] Plus dicit *evagatæ sunt*, quomodo haud dubiè vertendum ex Ebræo. ¶ *Duæ & tres*] Id est, duæ tresve. *&* pro *vel*, ut in illo, *Qui percusserit patrem & matrem.* Sed copula abest à codice Ebræo, in quo lectum, *duæ tres*, eâdem sententiâ. ¶ *Ad me*] Ad verbum, *usque ad me.* Vide de suprà vers. 6.

9. *Vento urente*] Nupera interpretatio *uredine:* quod est vitium segetum. ¶ *Et in aurugine*] *Et rubigine* alii habent. Est autem rubigo in segetibus, quam Græci vocant ἐρυσίβην: quæ sic definitur à Theophrasto lib. 4. cap. 15. ἐρυσίβη σῆψίς ἐςι τȣ̃ ἐφιςαμένȣ ὑγροῦ, id est, putredo residentis humoris. ¶ *Oliveta vestra & ficeta vestra*] Inverte, *ficeta vestra & oliveta vestra*, & conveniet cum aliis editionibus, & cum ordine verborum, qui in Ebræo.

10. *Mortem*] Id est, pestem: quod dictio Ebraica propriè significat, sed *mortem* interpretatur præter Græcum interpres Chaldæus Jonathan. ¶ *In via Ægypti*] Cùm iretis in Ægyptum ad emendum frumentum. ¶ *Usque ad captivitatem*] *Cum captivitate* legitur in Ebræo, id est, accedente captivitate equorum vestrorum. ¶ *Putredinem*] Melius est apud alios, *fœtorem.* ¶ *In nares vestras*] Addenda copula, ut est in Ebræo, *& in nares vestras:* id valet, *etiam in nares vestras.*

¶ *Ad me*] Jonathan παραφράζει, *ad cultum meum*, & bene, ut mihi videtur.

11. *Gomorrham*] *Gomora* poscit Ebraica scribendi consuetudo: sed *Gomorrha* legitur in antiquis omnibus editionibus. Potest etiam scribi *Gomorra*, deletâ adspirationis notâ, quæ manavit ex consuetudine Græca. ¶ *Sicut subvertit Deus Sodomam*] Ad verbum, *secundùm subversionem Dei Sodomam.* Verbale cum casu verbi sui more Græco.

12. *Postquam autem hæc fecero*] Anton. Cevallerius vertebat, *propterea quòd hoc facturus sum tibi:* & rectè, ut opinor. Sed interpres fortean respexit ad sensum verbi ECEB, quem notamus in observationibus nostris. ECEB enim dicunt Ebræi *nonnunquam*, cùm finem significare volunt.

13. *Eloquium suum*] Puto melius, *meditationem suam.* Et sic Hieronymus interpretatur Psal. 55. 3. In Ebræo est, *indicas homini quænam sit meditatio ipsius.* Videantur commentaria Hieronymi ad hunc locum. ¶ *Matutinam nebulam*] Meo animo non malè transtulit, quod in Ebræo, *faciens auroram caliginem*; sive, ut aliis placet, *faciens auroram caliginis*, id est, caliginosam.

LIVELEUS.

1. **V***Acca*] Proceribus antè exitium denunciavit; Nunc eorum uxores aggreditur, *Vaccis* propter lasciviam & superbiam collatas. Pinguiores enim juvencæ lascivire solent. ¶ *Opprimitis*] Nempe ad id faciendum operâ maritorum suorum abutuntur. ¶ *Dominis suis*] i. Maritis; ut Gen. 18. 12. *Dominus meus senex est*] Est autem hîc affixum masc. כם pro fem. כן, ut seq. versu כם pro כן bis ponitur.

2. *Tollet vos*] i. Tollemini, abripiemini; ut Esa. 8. 4. *tollet opulentiam Damasci*, i. tolletur. ¶ *Posteritatem vestram*] Liberos vestros. Sic Dan. 11. 4. *non posteritati ejus.* ¶ *Hamis piscatoriis*] Verbum è verbo *spinis piscationis*, i. hamis: סיר enim atque etiam צנה *spinam* propriè significat, per Metaphoram *hamum piscatorium.* Quomodo חח etiam utrumque notat, *spinam* atque *hamum.* Metaphora est à Piscatoribus sumpta, quibus hostes comparari solent. Jer. 16. 16. *Immittam in eos piscatores, qui eos piscabuntur.* Hab. 1. 15. *omnes hamo educit.* Ut enim pisces à piscatoribus trahuntur hamis, ità victi ab hostibus olim uncis, i. ferreis instrumentis ad hamotum similitudinem incurvis, in captivitatem ducebantur. Ezech. 19. 4. *Deduxerunt eum hamis in Ægyptum*] i. *Uncis*, ut Tremellius vertit.

3. *Projicietis eam*] Scilicet *posteritatem vestram.* *Vos per rupturas fugietis, filiolis vestris in palatium projectis.* Vel nè exitium eorum viderent, vel ut majori cum celeritate suæ vitæ consulerent, hoc illas facturas significat.

4. *Afferte*] Ea idolis vestris facitote quæ mihi soli fieri mandavi; ac in aliis locis, quæ tantùm Jerosolymæ fieri jussi.

5. *Adolete*] Est enim in hoc infinito קטר Ellipsis unà cum Pleonasmo, ut loquuntur Grammatici, *adolendo* supple *adolete.*

6. *Munditiem dentium*] h. e. Defectum cibi, quo dentes impurari solent. Apuleius in Apologia Magiæ,

> *Misi, ut petisti, mundicinas dentium,*
> *Nitelas oris ex Arabicis frugibus,*
> *Tenuem, candificum, nobilem pulvisculum,*
> *Complanatorem tumidulæ gingivulæ,*
> *Converritorem pridianæ reliquiæ,*
> *Nequa visatur tetra labes sordium,*
> *Restrictis fortè si labellis riseris.*

Eodem effectorum similium argumento Catullus epigrammate XX Furii cujusdam egestatem & esuritionem declarat.

> *Hanc ad munditiem adde mundiorem.*
> *A te sudor abest, abest saliva,*
> *Mucúsque & mala pituita nasi.*

8. *Duæ tres*] h. e. Aliquot; ut 2 Reg. 9. 32. *duo tres Eunuchi.* Asyndeton est conjunctionis disjunctivæ in utroque loco; quomodo Latini etiam aliquando loquuntur. Cicero in Epistolis ad Atticum lib. 10. *Florentissimus sex septem diebus perdita multitudini in odium venit*, pro *vel septem.*

9. *Percussi vos*] h. e. Fruges vestras. Metonymia. ¶ *Vinearum*, &c.] Prout Deus in Lege denunciarat, Deut. 28. 39.

10. *Viâ Ægypti*] Eo modo quo Ægyptios olim peste perdidi, Exod. 9. Horrendæ illæ Ægyptiorum plagæ erant. Itaque

 signifi-

significat se gravissimis pœnis eos affecisse; ad hoc, ut resipiscerent. ¶ *Castrorum vestrorum*] Militum in castris mortuorum. *Castra* enim metonymicῶs exercitum & milites notant. Deut. 23. 9. *Cùm exierint castra*. Esa. 34. 3. & Joelis 2. 20. talis fœtor memoratur.

11. *Quasi torris*] Cujus jam magna pars igne absumpta est. Metaphora ad magnas hominum diu afflictorum calamitates significandum, quibus quasi igne quodam longo tempore exusti fuerint, ut titioni obusto similes videantur. Ezech. 22. 20. *Sufflabo circa vos ignem iræ meæ*. Zach. 13. 9. *Tertiam partem in ignem inducam*. Psal. 66. 12. *Venimus in ignem, & aquas*. Confer hunc locum cum Zach. 3. 2. ubi eadem phrasis hoc sensu occurrit de Josua Sacerdote captivitatis afflictione obtrito, & illorum malorum quasi flammis semiusto.

13. *Venti*] Psal. 135. 7. *Educit ventum e thesauris suis*. ¶ *Excelsa terræ*] h. e. Omnia subjicit, quantumvis munita & excelsa & propter altitudinem inaccessa fuerint. Vide Deut. 32. 13. & 33. 29.

GROTIUS.

1. *VAccæ pingues*] *Vaccæ Basan*, id est, quasi ex Basanitide, ubi pinguissimæ boves: Quibus comparat matronas opulentas. Ostendunt id participia sequentia, & illud אשה [*unaquaque*] 3. unde sequitur bis in sequentibus כם [*vos viros*] scriptum pro כן [*vos f.*:] illud autem אחריתכן [*posteritatem vestram*] secundùm receptam locutionem scriptum. Sic & juvencis Basanis comparantur homines opulenti Psalmo 22. 13. ¶ *Quæ dicitis dominis vestris*] Id est, maritis: Geneseos 18. 12. sic Atticis maritus ὁ κύριος [*dominus*.]

2. *Levabunt vos in contis*] *Auferent vos* quasi *venabulis*, sicut vulneratæ feræ auferri solent. ¶ *Et reliquias vestras*] Reliquos vestrorum. ¶ *In ollis ferventibus*] *Quasi hamis piscatorum*. סירות *spina*, & quicquid spinis simile, ut hami piscatorum. Similis locutio 2 Regum 19. 28.

3. *Et per aperturas*] Non per portas, sed per ruinas mœnium. ¶ *Exibitis altera contra alteram*] *Altera longè ab altera*: seorsum singulæ. ¶ *Et projiciemini in Armon*] *In Armeniam*. Sic sumunt Hebræi. Vetus nomen est ארמ, posterius nomen מנין, id est, *Mons Minyadis*, unde & Græcum Ἀρμενία [*Armenia*] alibi in Chaldaïcis libris per ה scribitur, ut Jerem. 51. 27. Michææ 7. 12.

4. *Venite ad Bethel, & impiè agite ad Galgalam*] Sic distinguendum est: Ità agite quando ità vobis libet; veniet tempus cùm magno ista luetis. *Bethel* & *Galgala* loca sacris idololatricis celebria, Oseæ 4. 15. & 12. 11. ¶ *Afferte manè victimas vestras*] Nam morem Templi Hierosolymitani in illo cultu illicito tamen imitabantur, Exodi 29 38. Numerorum 28. 4. ¶ *Tribus diebus decimas vestras*] ימים [*dies*] pluraliter nonnunquam ponitur ἐλλειπτικῶς [*Locutione defectivâ*] pro שנת ימים *anno dierum*, id est, pleno. Vide Levitici 25. 29. Ità hic rectè interpretaberis *tertio anno dierum*. Lex est Deuter. 14. 28.

5. *Et sacrificate de fermentato laudem*] תודה [*Sacrificium eucharisticum*, seu *gratiarum actionis*,] cujus legem habes Levitici 7. 12, 13. ubi disces in hoc sacro fermentum non respui. Lxx malè legerunt תורה [*legem*.] Chaldæus autem מן interpretatur *rapinam*. ¶ *Et vocate voluntarias oblationes, & annuntiate*] *Vocate cœtum, & ibi* tubarum sonitu *notas facite voluntarias oblationes vestras: cum cantico*, ait Chaldæus, idem significans quod dicitur Matth. 6. 2. De נדבות, id est, *voluntariâ oblatione*, vide Exodi 35. Levit. 32. 18, 21. ¶ *Sic enim voluistis*] *Sic enim vobis libet*.

6. *Unde & ego dedi vobis*] *Ego*, cujus nempe vos obliviscimini. ¶ *Stuporem dentium*] In Hebræo, *Munditiem dentium*. Symmachus & Aquila καθαρισμόν [*purificationem*.] Est χαριεντισμός [*Emollita locutio*,] carnium penuriam significans. indicatur fames illa cujus mentio 2 Regum 8. 1.

7. *Prohibui à vobis imbrem*] Ἀνομβρίαν [*siccitatem*] immissi narratam 1 Regum 18. ¶ *Cùm adhuc tres menses superessent ad messem*] *Tunc quoque cùm tres menses superessent ad messem*: id est, etiam anni tempestate à qua abesse pluviæ non solent, circa finem Aprilis. ¶ *Et pluit super unam civitatem, & super alteram civitatem non pluit*] Eò mirabilior fuit ista ἀνομβρία [*siccitas cœli*] vobis immissa, quòd in urbibus, quæ proximæ erant vestris, pluvia non deerat. ¶ *Pars una compluta est*] Terræ. ¶ *Et pars super quam non pluit aruit*] Pars terræ Israëliticæ vicina aliis regionibus ariditate fuit corrupta.

8. *Et venerunt duæ & tres civitates*] Homines ex urbibus Israëliticis. ¶ *Ad unam civitatem*] Ammonitidis putà, aut Moabitidis. ¶ *Et non sunt satiata*] Satiari nequivere ob longam sitim. Lucanus,

> ——— *nec fervida pestis*
> *Cedit adhuc: sed morbus egens jam gurgite plenis*
> *Visceribus sibi poscit aquas.*

9. *Percussi vos in vento urente*] שדף, ἀνεμοφθορίαν] *venti pestilentiam*] vertunt hoc loco Aquila, Symmachus, Theodotio. Sic & Lxx Deuter. 28. 22. 2 Paralipomen. 6. 28. significat aërem corruptum. *Et in aurugine*] Quæ ἴκτερος Græcis hîc, & 2 Paralip. 6. 28. Jerem. 30. 6. at Deuter. 28. 22. ὠχρία [*pallor*.] *Comedit eruca*] Vermis genus omnia depascens: unde similitudinem sumsit Joël.

10. *Misi in vos mortem*] Pestilentiam, quæ *mors* κατ᾽ ἐξοχὴν [*eximiè*] dicitur. Vide quæ ad Matthæi 24. 7. *In via Ægypti*] *Ad modum Ægypti*: id est, ad modum ejus pestis quam Ægypto olim immisi, Exodi 9. *Percussi in gladio juvenes vestros usque ad captivitatem equorum vestrorum: & ascendere feci putredinem castrorum vestrorum in nares vestras*] Vide 2 Regum 5. 2. & 13. 3.

11. *Subverti vos sicut subvertit Deus Sodomam & Gomorrham*] In Hebræo, *Subverti in vobis*: id est partes aliquas regionis vestræ. Vide dicto jam loco 2 Regum, addito 14. 26. *Et facti estis quasi torris raptus ab incendio*] Cæteri ægrè servati à manu Syrorum. Proverbialis locutio, Zachar. 3. 2. Sic & Græci dicunt σώζεσθαι ἐκ φλογὸς [*servari ex flamma*,] aut ἐκ πυρὸς [*ex igne*.]

12. *Quapropter hæc faciam tibi Israël*] Hæc quæ dixi suprà 2. 6, 13, 14, 15, 16. & 3. 11, 12, 15. hic 3. 4. ¶ *Postquam autem hæc fecero tibi, præparare in occursum Dei tui Israël*] Vel tunc saltem in captivitate Deum placa.

13. *Quia ecce formans montes*] Is quicum tibi negotium est, rerum est Opifex, tum earum quæ conspiciuntur, tum earum quæ conspectum effugiunt. ¶ *Et annuncians homini eloquium suum*] In Hebræo, *consilium suum*, nempe per Prophetas, suprà 3. 7. Lxx pro מה שחו [*quid meditatum*] legerunt משיחו, τὸν χριστὸν αὐτοῦ [*unctum ejus*.] ¶ *Faciens matutinam nebulam*] *Faciens auroram & tenebras*, id est, *res prosperas dans piis*, *adversas improbis*, ut hîc habet Chaldæus. ¶ *Et gradiens super excelsa terræ*] Id est, conterens superbos.

CAP. V.

MUNSTERUS.

1, 2. *QUòd ego levo planctum*] Quia non vultis converti ad me, *audite planctum quem ego facio propter vos*. Et sequitur planctus, *Cecidit*, &c. Vocatúrque Regnum Israel *virgo*, quòd illo tempore adhuc nullus externus Rex ipsum sibi subjugaverat.

3. *Relinquentur in ea centum*] Qui scilicet ducentur in captivitatem, reliquis gladio, fame & peste peremptis.

8. *Pleiadum*] Accipiunt quidam Hebræi כימה pro חבור הכוכבים *collectione stellarum Vergiliarum*, quæ septem numerantur in fine Arietis. Aben Ezra verò putat esse עין השור *oculum tauri sinistrum*, quæ est stella primæ magnitudinis: & כסיל putat esse לב מזל עקרב *cor Scorpii*. Priorem dicit habere vim frigefactivam, & posteriorem vim calefactivam.

11. *Onus frumenti accipitis*] Quicquid pauper magno labore domum portavit, vos vi tollitis ab eo, & ex rapina pauperum *ædificatis magnificas domos*, &c.

12. *Accipientes redemptionem*] h. e. Accipitis munus ab iniquo homine, & condemnatis in judicio eum qui justam habet causam.

16. *Vocabunt agricolam ad luctum*] Quòd scilicet frustrà laboravit in agro, *Domino transeunte per* agros & *vineas*, & omnia devastante.

18. *Væ desiderantibus diem Domini*] Quidam hoc dictum putant de his qui irrisoriè dicebant Prophetis judicium Domini annunciantibus, ימהר יחישה, ut apud Jesaiam legimus, h. e. *Acceleret & festinet*. Alii sic exponunt, *Væ illis qui ob supervenientes calamitates desiderabunt diem Domini*, h. e. mortem ipsam, *putantes sic sese evasuros præsentia rerum discrimina*; *cùm in longè graviora sint lapsuri*. *Quemadmodum enim si fortè quispiam effugerit leonem, & inciderit in ursum sævientem, ac deinde domum revertens mordeatur à colubro, quid proderit*

derit ei quòd antea à leone & urso sit vivus liberatus? Hebræi brevibus verbis sic exponunt, *Ibitis de tribulatione in tribulationem.*

20. *Tenebrosus est dies Domini*] i. Tribulatione plenus.

24. *Revelabitur*] Arguit Kimhi ex Pathah quod scribitur sub Gimel in dictione וִיגַּל, radicem verbi esse גלל, ut sit sensus, *Judicium ultionis meæ, quasi moles aquarum inundantium, affluet & volvetur ad vos.*

26. *Honorastis Siccuth*] Jonathan sic vertit, *portastis Siccuth.* Dicunt autem Hebræi SICCUTH esse nomen stellæ ad cujus honorem patres eorum olim fecerunt imaginem & idolum quod *Regem suum* vocaverunt. Porrò כִּיּוּן quidam putant esse stellam שבתי, i. *Saturni*, quem Persæ quoque vocant כיואן, ad cujus honorem fecerunt imaginem & idolum.

27. *Ultra Damascum*] Sensus est, Non proderit vobis si fugeritis in Damascum, sed longè ultra Damascum ducemini in Assyriam, &c.

VATABLUS.

1. *Quo ego levo adversùm vos lamentum* אשר אנכי נשא עליכם קינה] *Quo ego excito pro vobis planctum*, i. quo ego deploro sortem vestram: vel potiùs, quibus ego verbis casum ac sortem vestram deplorem.

2. *Cecidit* נפלה] Præt. Heb. pro futuro, propter certitudinem, tanquam dicat, *Certissimè corruet Israel.* Metaphoricè significat adversa multa eventura. Quidam malunt præterita narrari. ¶ *Derelicta est* נטשה] *Derelinquetur*, i. relicta est prostrata humi. Alludit ad illud quod dixit, *Cecidit:* q. d. Nunquam à captivitate revertetur.

3. *Ex qua egrediebantur* היוצאת] Ad verb. *quæ egrediebatur.* Verbum neutrum pro transitivo, *quæ egredi faciebat*, i. educebat, sub. *ad bellum.* ¶ *Relinquet* תשאיר] *Residuos* tantummodo *habebit*, i. redigentur illi mille ad centum.

4. *Quoniam sic* כי כה] Acsi dicat, Hoc quod jam dictum est, accidet, aut accidit, domui Israel propter idololatriam: agite igitur pœnitentiam, relictis idolis: vel, Sic enim dixit, volens scilicet revocare Israelem ab idololatria, propter quam mala illa eventura erant nisi resipiscerent. ¶ *Et vivetis* וחיו] Imperat. Heb. pro fut. Sic v. seq.

6. *Findat* יצלח] *Disrumpat*, ut scilicet ignis disrumpit lapides, i. perdat. Per *Joseph* intelligit Ephraim, qui fuit filius Joseph. Per *Ephraim* autem intelligit Decem tribus; quòd qui priùs illis imperavit erat ex tribu Ephraim.

7. *Qui convertunt* ההפכים] Jungi potest verbo *findat*, hoc modo, *Findat, inquam, eos qui convertunt:* vel, *Hi enim sunt qui convertunt.* Quidam, *Qui convertitis.*

8. *Arcturum* כימה] *Vergilias:* vel, *Pleiades.* ¶ *In manè* לבקר] i. In lumen. ¶ *Umbram mortis* צלמות] i. Umbram densissimam.

9. *Qui roborat vastatorem* המבליג שד] *Qui fortificat prædatorem*, i. Reddit vastatorem superiorem forti. *Vastatorem* intelligit hostem qui infert bellum: q. d. Dat victoriam cui vult. ¶ *Veniet* יבוא] *Ingredietur*, i. expugnabit & vi capiet.

10. *Oderunt* שנאו] Sub. *judices qui sedebant in porta urbis.* ¶ *Perfectum* תמים] *Integrum*; *verum*, sub. *verbum.*

11. *Fatigatis* בושסכם] Ad verb. *fatigare vestrum*, vel *onerare:* i. fatigatis, vel oneratis & gravatis. Alii, *conculcatis.* Alii, *opprimitis.* ¶ *Et fascem tritici* ומשאת בר] *Et onus tritici.* Gallicè, *une charge de bled*, i. quicquid pauper magno labore domum portavit, vi aufertis ab eo. ¶ *Incisorum* גזית] Ad verb. *incisionis*, i. lapidum incisorum & quadratorum.

12. *Scio* ידעתי] Præt. Heb. pro præs. ¶ *Et fortia* ועצמים] *Et gravia: copiosa: ingentia.* ¶ *Affligunt justum* צררי צדיק] Ad verb. *tribulatores justi.*

13. *Prudens* המשכיל] *Sapiens*; *doctus.* ¶ *Tacebit* ידום] Fut. Heb. pro præs. *tacet*, vel *silere cogitur:* q. d. Propter injustitiam Judicum & impœnitentiam hominum hujus temporis odientium veritatem Prophetæ tacebunt. Irriderentur enim illi, nec illa prædicatio esset ad correptionem, sed potiùs ad augmentum peccatorum & iniquitatum.

14. *Dixistis* אמרתם] i. Jactastis, vel cogitastis.

15. *Fortè* אולי] Loquitur more hominum cùm dicit *fortè.*

16. *Scientes lamentum* יודעי נהי] *Peritos lamentationis: deditos lamentationi.*

18. *Diem Jehovæ* את יום יהוה] i. Diem in qua Dominus visitaturus est peccata, h. e. puniturus. ¶ *Ut quid hoc vobis?* למה זה לכם] sub. *Desiderium*, vel, *optatis.* Quidam annotant זה & לכם non debere verti Latinè *Cur*, sub. *optatis diem Domini?* ¶ *Tenebræ* חשך] i. Afflictio.

19. *Quemadmodum* כאשר] Sententia truncata. Subaudiendum, *sic continget vobis:* q. d. Periculo uno liberati incidetis in aliud: tam varia erunt pericula.

20. *Nónne tenebræ* הלא חשך] Bis idem dicit, verbis paulò diversis. Subaudiendum *erit vobis.* *Tenebrosa erit vobis*, *non lucida*, *caliginosa*, *carens lumine:* h. e. infelicia omnia vobis afferet, non læta. Ut nomine *lucis* omnia prospera & felicia, sic nomine *tenebrarum* & *caliginis* omnia tristia & infelicia significantur. *Diem Domini* intelligit quando visitat Deus populum suum, & punit propter peccata, ut dictum est.

21. *Solennitatis vestras* חגיכם] *Sacrificia vestra:* vel, *sacrificia festis diebus oblata.* ¶ *Odorabor festa vestra* אריח בעצרתיכם] i. Olfaciam sacrificia in festis oblata. Ad verb. *odorabor in cœtibus vestris.*

24. *Sed decurrat* ויגל] *Sed defluat:* i. Sic multa justitia inter vos. Ad verb. *Et volvat se.*

25. *Obtulistis* הגשתם] Ad verb. *appropinquare fecistis.*

26. *Et portastis* ונשאתם] *Et tulistis.* *Et sustinuistis.* ¶ *Idolum Regis vestri* את סכות מלככם] *Sichuth Regem vestrum*, i. cui tanquam Regi parETis. Nomen erat stellæ quam tanquam Regem venerabantur: ut Jer. 44. 17. *ut sacrificemus Reginæ cœli.* ¶ *Et placentam imaginum vestrarum* ואת כיון צלמיכם] i. Quam offertis imaginibus vestris. Sic Jer. 7. 18. *Ut faciant placentas Reginæ cœli.* Quidam Hebræorum existimant כיון significare *Saturni* stellam, quem Persæ quoque vocant כיואן, in cujus honorem fecerant imagines, & vertunt, *Saturnum imagines vestras.* ¶ *Sidus Dei vestri* כוכב אלהיכם] *Stellam Dei vestri*, i. quæ repræsentat Deum vestrum. Colebant Saturnum & alios planetas.

27. *Ultra Dammesec* מהלאה לדמשק] In regionem remotissimam à vestra.

CASTALIO.

2. *Cecidit non ampliùs surrectura virgo Israel*] Præterito pro futuro utitur ad rem magis exprimendam.

3. *Quæ Israelitica domûs urbs mille emittebat*] In qua erant mille viri.

5. *Bethel fiet nefas*] Ut nefarium punietur.

7. *Qui jus in absinthium vertitis*] In acerbissimam injuriam.

8. *Ferales tenebras*] Noctem.

11. *Farris accipitis onus*] Vos primarii accipitis munera, vetante Lege.

13. *Itaque qui sapiet, hoc tempore tacebit*] *Veritas odium parit.*

18. *Tenebricosus est, non lucidus*] Tristis, non lætus.

24. *Fluat ut aqua jus, & justitia ut fluvius vehemens*] Abundet.

25. *Num mihi victimas*] Quòd vos annis quadraginta defendi, non id feci propter vestra sacrificia, quippe cùm nulla adhuc faceretis: nè fortè putetis nunc profutura, quæ tum non profuerunt.

CLARIUS.

1. *Levo super post planctum*] Quia non vultis converti ad me, *audite planctum quem ego facio propter vos.* Et sequitur planctus, *Cecidit & non adjiciet ut resurgat virgo Israel*, &c.

5. *Nolite quærere Bethel*] Commemorat loca in quibus idola colebant.

8. *Facientem arcturum*] Quidam subaudiunt, *dereliquerunt.* Ejusmodi autem nomina gentilium fabularum non habent Hebrææ literæ, sed hujusmodi dictionibus significantur generaliter astra fulgentia, præque aliis magis cognita. ¶ *Vocat aquas maris*] Cùm scilicet vult diluvium inducere orbi terrarum.

9. *Robur tribuit vastatori*] Excitat hostem contra hominem superbum.

10. *Corripientem in porta*] Hoc est, judices, qui in porta civitatis sedere consueverant.

11. *Prædam electam*] Alius vertit, *cibum electum*, potest & verti, *onus frumenti.* Quicquid pauper (inquit) magno labore paraverat, vos per vim rapitis, & ex rapina pauperum *ædificatis magnificas domos.*

13. *Quia tempus malum est*] Quia loquendo magis exasperat.

14. *Quantum dixeritis*] Hoc est, quantum optare poteritis.

16. *Vocabunt agricolam ad luctum*] Quòd scilicet frustrà la-

boraverit in agro, *Domino transeunte per* agros & *vineas*, & omnia devastante.

18. *Væ desiderantibus diem Domini*] Quidam hoc putant dictum de iis qui irrisoriè dicebant Prophetis judicium Domini annunciantibus, id quod apud Esaiam legimus, *Acceleret & festinet*. Alii sic exponunt, Væ illis qui ob supervenientes calamitates desiderabunt diem Domini, h.e. mortem ipsam, putantes sic sese evasuros præsentia rerum discrimina, cùm in longè graviora sint lapsuri. Quemadmodum enim, si fortè quispiam effugerit leonem & inciderit in ursum sævientem, ac deinde domum revertens mordeatur à colubro, quid proderit ei quòd antea à leone & urso sit vivus liberatus? Hebræi brevibus verbis sic exponunt, *Ibitis de afflictione in afflictionem*.

23. *Tumultum carminum*] In eos dicitur qui labiis Deum honorant, cor autem eorum longè est ab eo.

24. *Et revelabitur quasi aqua*] Hoc est, abundanter. Judicium ultionis meæ (inquit) quasi moles aquarum inundantium affluet. Alius sic legebat, *Quin potiùs reveletur quasi aqua judicium*, &c. ut continuetur sensus præcedentibus verbis, quibus dixerat, ut auferrent cantica & organos, cùm malit judicium & justitiam.

25. *Numquid hostias*] Citatur hic locus Act. 7. videtur autem objicere Judæis, quòd & ipso tempore quo omni humano destituti auxilio nutriebantur à Deo in deserto, pro veri Dei cultu serviebant simulacris.

27. *Trans Damascum*] Non proderit (inquit) vobis si fugeritis in Damascum, sed longè ultra Damascum ducemini in Assyriam.

L. BRUGENSIS.

17. ET *in omnibus vineis erit planctus*] Exemplaria, Hentenii sedecim, nostra viginti tria, legunt *viis*, *Et in omnibus viis erit planctus:* quibus auxiliantur codices Græci, καὶ ἐν πάσαις ὁδοῖς κοπετός· & adstipulantur Glossematici, Autor Glossæ ac Richelius. Porrò octo nostra manuscripta, Lob. O, Q, P, &c. impressáque aliquot, habent *vineis:* quibus suffragantur Hebraici & Chaldaici libri; ובכל כרמים מספר : ובכל כרמיא מספדא, *Et in omnibus vineis planctus* (כרמים enim & כרמיא *vineas* significant, non *vias*.) Et patrocinantur Tractatores, Altisiodorensis ac B. Hieronymus. Hujus verba sunt, *Ut nequaquam in omnibus plateis, sicut suprà dictum est, sed in vineis sit planctus atque luctus: ut ibi quondam fuit materia lætitiæ, sit origo lacrymarum: &* postea juxta mysticum sensum, *In omnibus quoque vineis erit planctus, quia vineæ Sodomorum vineæ eorum*, (hæreticorum,) &c. Epanorthotes itaque legit *vineis: tametsi*, quod ait, *in multis antiquis sit* VIIS, ut certè est Brug. E. L. Pl. m. nostris. Errori occasionem dedisse potuerunt Græcorum librorum lectio, Latinarum vocum affinitas, eáque quæ præcedunt similia, quæ sic habent, *In omnibus plateis planctus; & in cunctis quæ foris sunt*, sive, ut est Græcè, *& in cunctis viis, dicetur væ væ*: unde & Græci libri fortassis corrupti sunt, nisi דרכים Lxx pro כרמים legerint.

DRUSIUS.

1. LAmentum] Ut lamentum. Aut est appositio, *Verbum istud, videlicet lamentum quod ego tollo contra vos. Lamentum* autem dicit Prophetiam lamentabilem, in qua prædicitur exitium Israelis per hæc verba, *Cecidit, non addet surgere*, &c. Ezec. 32. 2. *Fili hominis, tolle lamentum contra Pharaonem Regem Ægypti.* ¶ *Contra vos*] Vel *de vobis*.

2. *Cecidit, projecta est*] Usurpat præterita pro futuris, more apud Prophetas tralatitio. *Cecidit*, i. Incidit in calamitates. Sic *cadere* accipitur in illo, *Septies in die cadit justus, & surgit.* ¶ *Non addet surgere*] Non ampliùs surget. Vult dicere, *non emerget unquam ex illis calamitatibus.* Hanc irreparabilem cladem accepit anno nono Hoseæ filii Ela, cùm à Salmanassare deportaretur in exteras regiones. ¶ *Virgo Israel*] Cur virginem appellat? An quia exterorum jugum nondum adhuc subierat? Fortè *virgo Israel* ut *filia Israel*. Simul ista leguntur quandoque, *Virgo filia Jerusalem*. Huic expositioni firmandæ est Jonathan, qui vertit *Synagoga Israel*; aliàs *filia Israel:* nam exemplaria variant. Reperitur hic sermo & Jer. 18. 13. ¶ *Projecta est*] Prostrata jacet. Verbum נטש usurpatur cùm quid humi projectum relinquitur: unde quidam vertunt *derelicta est*. Prætuli *projecta est:* quod Int. V. edidit. Priùs erat ἔσφαλεν *lapsa est*. Hinc נטשים 1 Sam. 30. *Prostrati, jacentes.* ¶ *Humi* על ארמתה *super terram suam.* ¶ *Qui erigat eam*] Qui restituat eam in integrum. Quod sanè capiendum: Nam Christus eam restituit. Aut ergò loquitur de alia restitutione quàm quæ per Christum facta; aut sensus est, *non est qui erigat eam longo tempore.* Nec obstat illud, *non addet*, cùm non semper Perpetuitas eo verbo significetur, etiamsi addita sit particula עוד; ut 2 Reg. 6. 23. *Non addiderunt ampliùs turmæ Syrorum venire in terram Israel.* Et 2 Reg. 24. 7. *Non addidit ampliùs Rex Ægypti egredi è terra sua.* Vide sis Jer. 37. 5.

3. *Civitas è qua egrediuntur mille*] Ἐξ ἧς ἐξεπορεύοντο χίλιοι. Ad verb. *quæ egreditur mille.* Vult dicere, *quæ mille cives continet*, aut *quæ mille ad bellum educit.* ¶ *Reliquos faciet centum*] Decimus tantùm remanebit, h. e. ex decem unus duntaxat. Ità loquendo significat eos redactum iri ad summam paucitatem.

4. *Quærite me*] Psal. 10. 4. *non quærit*, sub. *Deum*. Scholia Camii enarrant, *non fundit preces coram eo.* דרש magis sonat *inquirite:* & plus est quàm *quærere*, quod בקש dicunt. Græci significantiùs reddunt ἐκζητήσατέ με, *exquirite me. Quærit Deum* qui in adversis eum quæsitum & consultum it, ejúsque opem & auxilium implorat. ¶ *Et vivite*] Pro *vivetis*. Simile, *Hoc fac, & vive*, pro *vives. Vivetis* autem, i. salvi eritis, nec tanto numero moriemini. Aut *vivetis* dixit, pro *ex his malis liberabimini.* Nam *vita* ponitur & pro *vita jocunda*, quæ sit expers calamitatum. Sic, *Vivat Rex:* &, *Rex in æternum vive.*

5. *Bethelem*] Aut Vitulum qui ibi colitur, aut potiùs ipsum locum quem quærebant qui eò ibant cultûs Divini causâ. ¶ *Galgalam*] Suprà 4. 4. *Sceleratè agite Galgala.* Vide quæ scripsimus ad illum locum. ¶ *Ne eatis*] Vel *ne intretis*. Sed בוא etiam *eo* sign. ut Jon. 1. *invenit navem* באה, i. *euntem.* ¶ *Bersabe*] Nam & ibi deos falsos colebant. Id docet primùm locus iste, deinde alius in hoc ipso Propheta, *Vivit via Bersabe*, i. religio quæ ibi viget, 8. 14. Erat autem terminus terræ Sanctæ qua ex parte Ægyptum respicit; unde legimus, *à Dan usque Bersabe.* Dicitur & *Sabaa*; nempe à *septem* agnis. Historia nota est. Nunc *Guiblin* vocatur. Ptolemæus *Barsavan* appellat. Culta verò ibi fuisse idola cùm alii tum Hieronymus testatur, ità scribens, *Pulcre* IN BERSABE, *inquit*, *i.* ad puteum juramenti, NON TRANSIBITIS: *ubi siquando errabat tribus Juda, idola adorare consueverat. In tantum autem simulacrorum cultu furebat Israel ut nequaquam contentus idolis suis ad aliena transiret.* Obiter noto in Hesychio legi, Βηρσαβεὲ, μύρω Σολομῶντος καὶ τέλος περὶ τὴν ὀρεινὴν τῆς Παλαιςίνης. Puto legendum μήτηρ Σολομῶντος, quæ ità vocatur in cod. Græcis. Dico *in Græcis:* nam in Ebraicis est *Bethsabe.* ¶ *Galgal migrando migrabit*] Omnino sive penitus migrabit. *Migro*, i גלה. Allusit ergò ad nomen *Galgal:* Et est figura quam *Paronomasiam* vocant, ut si Gallus dicat, *Paris perira*; aut Belga, **Leyden sal te lyden hebben**; aut Latinus, *Florentia florebit.* Sic alibi עקרון תעקר *Accaron eradicabitur.* ¶ *Redigetur in nihilum*] און *iniquitas.* Interdum idem quod הבל *vanitas.* Hic sumi videtur pro אין. Quem sensum nos expressimus in versione nostra. Etiam Jonathan; nam vertit יהון ללמא. Est autem למא compositum, ut videtur, ex לא & מא *non quicquam*, i. nihil. Cæterùm *Bethel* alio nomine à Prophetis *Beth-aven* vocatur: non ergò dubium quin eò respexerit: nam & *Aven* reperitur pro *Beth-aven*.

6. *Vivite*] *Vivetis.* ¶ *Ne quando*, &c.] Alii, *ne quando findat ut ignis domum Joseph.* Sic ferè Ebræi. Hæc interpretatio rationem habet ex lingua Chaldaica: nam in ea צלח sign. *findere* sive *scindere*, quod בקע dicunt Ebræi. Quod verbum non ineptè Igni tribuitur, qui obvia quæque diffindit ac consumit. ¶ *Erumpat ut ignis*] Deus videlicet, qui vocatur *ignis consumens* Deut. 4. 24. ¶ *In domum Joseph*] *In* domum Ephraim, qui fuit filius Joseph. Significat autem X tribus: nam Jeroboam auctor defectionis ex tribu Ephraim erat. ¶ *Et devoret*] Ignis. ¶ *Ipsi Bethel*] לבית אל *Bethel.* Possumus etiam legere, *& non sit qui exstingnat ignem in Bethel*, ut sit ב pro ל. Quæ Enallage insolens non est. Quidam, *& devoret Bethel, nemine exstinguente.* Probarem si ל abesset.

7. *Qui convertunt*] Vel *qui mutant*. Ed. V. *qui convertitis.* Ad verb. *convertentes*, vel, si placet, *ô convertentes*; ut ה sit Admirandi nota. ¶ *Judicium*] *Jus.* ¶ *In absinthium*] Quo nihil amarius: unde proverbiale, *Tam amarum quàm absinthium.* Similiter injuria quæ fit iis qui injustè damnantur, amarissima est; ut contrà nihil suavius jure ac justitiâ. ¶ *Justitiam in terra relinquunt*] i. Negligunt ac spernunt eam. Sic Dan. 8. 12. *projiciet veritatem in terram.* Plus dicit qui vertit *& justitiam humi collocant*; plus qui dicit *pedibus conculcant eam.* Quod hodie

hodie jaci solet in eos qui justitiam non solùm negligunt, sed etiam quantum in se est impediunt.

8. *Qui facit Vergilias*] Has Græci *Pleiadas* vocant. Sunt autem stellæ numero septem. Quidam sex tantùm recensent. Ipsum sidus Πλειὰς dicitur. Ebraicè כימה, si modò כימה sunt *Vergiliæ:* nam alii *Arcturum*, alii aliter interpretantur. Veteres Ebræi dicunt eâ voce significari *caudam Arietis*, &, ut in Aben-ezræ Commentariis habetur, *caput Tauri*. Plures tamen in *Pleiadum* versione consentiunt, in queis Sym. & Theodotio. Hier. quoque ità vertit Job. 38. ¶ *Et Orionem*] Vel *Oriona*. Est autem signum cœleste quo oriente maximæ excitantur tempestates. Unde Virgilius, Æn. 1.

Cùm subitò assurgens fluctu nimbosus Orion.

In lingua Ebraica vocatur כסיל, nempe ab *inconstantia* & *mutabilitate*. Et crebras aeris mutationes inducit. Cum hoc nomine affinitatem habet *Chasleu* mensis, qui partim Septembri nostro partim Novembri respondet, & appellationem habet ex eo quòd tunc aer instabilis esse & in horas mutari soleat. Vetustissimi Ebræorum כימה & כסיל ità discriminant; Dicunt *in illo esse summum frigus, quo fructus constringuntur; in hoc verò*, i. in Orione, *summum calorem, qui fructus emolliat solvátque & ad maturitatem perducat.* ¶ *In manè*] In claram lucem, qualis manè esse solet. Id fit æstatis tempore, quando dies longi sunt. ¶ *Umbram mortis*] Tenebras crassissimas ac densissimas, quales hieme esse solent quando nox illunis est. ¶ *Ut noctem*] i. כלילה. Desideratur ergò nota Similitudinis, ut in illo Horatii,

Nec excitatur classico miles truci.

Alii Lamed subaudiunt, ut sit ללילה *diem obtenebrat in noctem*. Vult dicere, *ut non dies sit ampliùs, sed nox*. Sanè maxima pars diei æstivi hieme in noctem vertitur, quando noctes longæ sunt, & dies breves. Quidam legunt, *& diem nocte obtenebrat*, i. בלילה. ¶ *Qui vocat aquas maris*] Qui evocat è mari vapores in mediam regionem aeris, ubi in aquas pluvias mutantur, quas deinde in terram effundit. Hoc significat cùm ait, *& effundit eam super terram*. Docet ergò, pluviæ auctorem esse Deum. Instrumentum est Sol, vapores è mari calore suo extrahens & educens; Materia verò aqua marina, quæ cùm naturaliter salsa sit, tamen qualitate mediæ regionis in aquam dulcem resolvitur. Quanquam verius ut dicamus aquæ partem dulciorem sursum tolli à Sole, relictâ eâ quæ salsa est & naturâ suâ gravior sic ut in altum attolli nequeat.

9. *Qui roborat*] Vel, *qui recreat* aut *refocillat*. *Roborat*, i. מחזק. Sic exponunt Scholia Ebraica; itémque Jonathan is qui Prophetas in sermonem Chaldaicum convertit. ¶ *Vastitatem*] Hominem vastatum ac miserum. ¶ *Validum*] *Fortem, robustum*. ¶ *Ità ut vastitas adversùs munitionem veniat*] *Et vastitas contra munitionem venit*. Sensus est, *Adeò eum roborat ac potentem reddit ut audeat munitionem*, i. loca munita, *oppugnare*. Vel *vastitas*, i. homo vastatus, ut suprà. Vel, *ità roborat eum ut vastitas obveniat munitionibus per illum*. Vult dicere, ut loca quantumvis munita & valida vasta faciat. Antiqui videntur legisse יביא, hâc sententiâ, *ità ut vastitatem adducat*, sive *inferat:* quod Græci dicunt ἐπάγων.

10. *In porta*] i. Interprete Jonatha, *in domo judicii*. *Domus judicii* aliud nihil est quàm curia sive locus in quo Judices conveniunt. Conveniebant autem olim in portis urbium. Hinc factum ut *porta* ponatur pro *curia*. Deut. 22. 15. *educent eam ad seniores urbis in portam*. Zach. 8. 16. *judicium pacis judicate in portis vestris*. ¶ *Redarguentem*] Senatorem aut Judicem aut Magistratum, quamvis reprehendentem in judicio eos qui aliquid commiserunt reprehensione dignum. ¶ *Et loquentem integrè*] תמים nomen est vel substantivum, ut Jud. 9. 19. vel adjectivum pro adverbio, ut הולך תמים, *qui ambulat integer*, i. integrè. Moses Ger. ad eundem modum exponit Gen. 6. 9. צדיק תמים *justus integer*, vel *justus perfectè*. ¶ *Abominantur*] Auget orationem. Nam plus est *abominari* quàm *odisse*.

11. *Oneratis*] Aut *fatigatis*. Alii *calcatis*. Alii *diripitis*, ac si esset à שסה: quod ratio Grammatica non patitur. Græci reddunt verbo κατακονδυλίζειν, quod sign. *pugnis percutere*. Qui vertunt *calcatis*, ejus sententiæ fuerunt ut putarint ש pro ס esse: nam בסס *calcare* sign. Idem בשס de illorum opinione. Sic כלס & כלש permutantur. ¶ *Onus tritici*] Aut *sarcinam frumenti*. Vult dicere, frumentum quod pauper domum portat ad alendam familiam. ¶ *Accipitis ab eo*] *Eripitis ei*. ¶ *Caso lapide*] Hier. *quadro lapide*. Lxx λίθους ξεστούς, i. *dolato lapide*. Alibi ἐν μνήματι λαξευτῷ, i. גזית: & Judith 1. 2. ἐκ λίθων λελαξευμένων, i. interprete Hier. *ex lapidibus quadratis sectis*. ¶ *Sed non habitabitis in eis*] Innuit vel immaturam mortem, vel deportationem ipsorum. ¶ *Desiderabiles*] Vel *desideratas*, i. ἐπιθυμητούς. ¶ *Sed non bibetis vinum earum*] Contrà est 9. 14. *Plantabunt vineas, & bibent vinum earum*.

12. *Novi multa scelera vestra*] *Novi scelera vestra quæ multa sunt*, etiamsi occulta fuerint: nihil enim me latet. ¶ *Fortia*] Aut *valida*, i. plurima. Sic alibi, *Validiores fuerunt viduæ ejus arenâ maris*. Sensus est, plures fuerunt. Sic Ps. 139. 17. *quàm valida sunt capita earum!* Puto sensum esse, *quàm multa sunt*. Vide Observ. l. 6. c. 5. ¶ *Hostes justi*] Sic Hier. Similiter Ps. 6. 8. צוררי idem vertit *hostes mei*, ut & Lxx ἐχθροί μου. ubi Sym. θλίβοντές με, & Aq. ἐνδεσμοῦντες, i. *ligantes:* nam צרר *ligare*. Significat etiam *lacessere*; ut verti possit *lacessentes justum:* nisi mavis *oppressores justi*. Cujus causâ justa est in judicio. ¶ *Pretium*] כפר propriè *pretium redemptionis*, Græci λύτρον vocant. Hic sumi videtur pro שחד, i. pro *munere quod datur ad corrumpendum judicem*. Sic etiam accipitur 1 Sam. 12. & Prov. 6. ¶ *Inopes*] Causam inopum. Suprà 2. 6. *inopem pro pari calceorum*, sub. *vendunt*. *Vendunt inopem*, i. causam inopum. ¶ *In porta*] In judicio.

13. *Silebit*] Metu Judicum iniquorum qui *oderunt redarguentem in porta*. Vel *silebit*, i. æquo animo feret castigationes Dei. ¶ *Tempus malum*] Quo malitia prævalebit: aut miserum, adversum, calamitosum. Sic Ephes. 5. 16. ἡμέραι πονηραί *dies mali* sunt, i. tempora difficultatum & asperitatis plena.

14. *Quærite bonum*, &c.] *Bonum quærere* dicitur qui virtuti studet: contrà *malum non quærere*, i. fugere, qui vitia fugit. Hæc duo præcipuè Deus à nobis requirit: unde duplex ordo præceptorum, quorum alia dicuntur Affirmantia, alia Negantia. ¶ *Ut vivatis*] Ut feliciter agatis & bene vobis sit. ¶ *Quemadmodum dicitis*] *Dicitis Deum vobiscum esse*; ut hoc verum sit, debetis virtuti ac pietati operam dare. Nam Deus non est cum improbis.

15. *Odio habete malum*] Plus est *odisse malum* quàm *fugere*. Nam *fugere* potest aliquis ea quæ tamen non odit: Qui *odit* quippiam, & fugit illud & simul odio prosequitur. Sic *amare bonum* plus est quàm *facere*. Nam quandoque invitus quis *facit bonum* quod odit, veluti cùm homo improbus metu Magistratuum templa frequentat; aut cùm avarus stipem confert in pauperes, quod non libenter facit quoniam avarus est; facit autem vel propter legem, vel propter homines, nè ab illis audiat quod revera est. ¶ *Constituite judicium*] Potuisset dicere *facite judicium*; sed elegit *constituite*; quod plus est. Nam qui *constituit*, facit ut in civitate cuique jus reddatur. ¶ *In porta*] In foro, sive in loco Senatorum aut Judicum. ¶ *Miserebitur*, &c.] Rectiùs fortasse, *gratiam faciet reliquis Joseph*. Nam חנן *gratiam facio*. ¶ *Residui*] Vide 2 Reg. 14. 26. ¶ *Joseph*] i. Israel.

16. *Propterea*] Propter ea videlicet quæ commemoravit suprà v. 12. Post quem versum & proximè sequentem eos hortatus est ad emendationem vitæ: Nam sic Deum placari posse: alioqui eventurum illis quod hic prædicitur. ¶ *Heu*] i. הו, quod nunc הו dicitur. Id Græci vertunt οὐαί, & Hier. *Væ*. Jonathan quoque habet וי i. *Veh*. Hinc Græcum οἱ & οἴμοι *hei mihi*. ¶ *Vocabunt*] Accersent. ¶ *Agricolam*] Agricolas. Hunc locum Eduardus Livelæus amicus meus ità vertendum putat, *Et vocabunt agricolæ ad luctum & planctum peritos lamenti. Publicum autem luctum*, inquit, *declarat distributione illius in varia lugentium genera. Primum civium est in plateis urbium ejulantium; secundum agricolarum in villis & agris; tertium vinitorum in vineis. Sic Joel.* 1. Flete, ebriosi, lugent Sacerdotes, erubescunt agricolæ, ejulant vinitores. Hactenus ille. ¶ *Et planctum ad peritos*, &c.] Dictum ordine inverso pro eo quod est, *& peritos lamenti ad planctum*. Simile, *projecerunt civitatem in ignem*, pro *ignem in civitatem*. Inversa oratio, ut notant Grammatici. Figura *Hypallage* quæ vocatur. Quale illud, ירעת כי אז תולד Job. 38. 21. pro אז כי: item קבר שם מקום Ezech. 39. 11. pro מקום שם קבר: ex Camianis. Hunc sensum Hier. expressit, referens, *& ad planctum eos qui sciunt plangere*. Quidam legunt, *& ad planctum cum peritis lamenti*. Alii, *& planctus erit apud peritos lamenti*. Εἰδότας θρῆνον· quales erant *siticines*, qui apud *sitos*, i sepulcro conditos, *canere* soliti erant honoris causâ cantus lamentabiles; & *præficæ*, mulieres in funere conductæ ad hujusmodi cantum. ¶ *Lamenti*] Vel *næniæ:* quod originem trahit ex נהי. Dicuntur

tur & *nugæ* tales cantus. Scaliger in Varronem, NUGÆ *erant propriè quæ canebantur in mortuorum laudem. Plautus Asin.* Hæc sunt non nugæ: non enim mortualia. *Etiam origo id declarat. Nam* NUGÆ *Ebraicum vocabulum est. Id sonat* mœrorem, *sicut* NÆNIA planctum *eâdem linguâ.*

17. *In omnibus vineis erit planctus*] Plangent etiam vinitores, vel quia vini penuria erit, vel quia vineæ non colentur ob publicas calamitates. ¶ *Transibo in medio tui*] Rectiùs *per medium tui*. Pertransibo, inquit, sive pervadam hostili more mediam regionem tuam, perdendo ac vastando cuncta. Sic Exod. 12. 12. *& transibo per terram Ægypti.* Hier. Comment. Hos. 10. *Verbum* transeo, *maximè quando de Deo dicitur, semper plagas & adversa denotat.*

18. *Desiderantibus*] Vel *concupiscentibus.* ¶ *Diem DOMINI*] *Dies DOMINI* appellatur in his literis tempus illud quo vel supplicium sumit de malis, vel præmium confert in bonos, vel denique aliquid facit memorabile quod pertineat ad firmandam opinionem de providentia ipsius in Ecclesia Dei. Hoc posito, videamns nunc quomodo *desiderarint diem DOMINI.* Utrùm verè & ex animo, per *diem Domini* eum quo nos respicit intelligentes? an ridendo & quasi per Ironiam optabant ut veniret dies ille quem venturum Prophetæ quidem ipsis prædixerant, sed non credebant? Unde proverbium illud apud Ezecielem, *Producentur dies, & peribit omnis visio.* Sic Jes. 5. 19. *Qui dicitis, Festinet & citò veniat opus ejus ut videamus,* &c. Jer. 17. 15. *Dicunt mihi, Ubi est verbum DOMINI? adveniat jam.* Vide Livelæum hoc in loco. ¶ *Quorsum hic vobis dies DOMINI?* Sub. *confert.* Possumus etiam legere, *Ad quid hunc vobis? dies DOMINI ipse tenebra & non lux erit.* Lectio hæc haud paulò melior est, & subintelligitur *desideratis.* ¶ *Tenebræ*] i. Tenebricosus, sive tenebrosus. *Diem atram* quoque Latini vocant. Nomine *tenebrarum* multa significant; primùm Mortem sive Sepulcrum, Cohel. 11. 8. deinde Vitam impiam, Ephes. 5. 8. postremò Tempus adversum ac triste acerbúmque. Vide Joel. 2. 2. Sic dicimus, *in tantis tenebris reip.* Horatius,

Testis Metaurum flumen, & Hasdrubal
Devictus, & pulcer fugatis
Ille dies Latio tenebris.

Contrarium significant *lucis* vocabulo. Ideo sequitur *& non lux.* Quod est genus loquendi ut, *Mentitur, & veritas non est in eo.* Vel, *tenebræ, & non lux*, i. continuæ tenebræ, quando malorum finis nullus est, ut cùm ex uno periculo in aliud incidimus. *Quomodo si fugiat quis*, &c.

19. *Quomodo si fugiat quis leonem*] Hinc adagium, *Leonem fugiens in ursum incidit*, h. e. ex uno periculo in aliud. Quod proverbio dicunt, צרה אחר צרה *Calamitas calamitatem sequitur*; &, הורה אחר הורה *Ærumna ærumnæ succedit.* Quale illud in Latio, *Mala malis succedunt.* Vide Jes. 24. 18. Jer. 48. 44. ¶ *Et occurrat ei ursus*] Quod valde periculosum, præsertim si catulis suis orbatus fuerit: nam tunc maximè sævit ursa. Hos. 13. 8. *Occurram eis quasi ursus orbatus.* Sic alibi, *Occurrat homo ursæ orbæ, & non stulto in stultitia sua.* Hier. *Inter omnes feras nihil Ursâ sævius cùm perdidit catulos.* ¶ *Deinde*] Ubi scilicet ursi periculum evaserit. ¶ *Serpens*] Qui veneno suo necat eum quem momorderit. Pro *serpens* in ed. Lat. V. est *coluber.*

20. *Annon tenebra*] Profectò ità est ut dixi, *Dies illa Domini quam desideratis, tenebricosa erit, non lucida; caliginosa, non splendida:* imò lux & splendor omnis ab ea aberit. Sic dico, Lucis omnis expers erit; nihil in ea lucis erit; tota quanta quanta est tenebrosa erit. ¶ *Et caligo*] Sic ed. V. Græci quoque καὶ γνόφος. Alii malunt אפל nomen adjectivum esse, אפל *& caliginosus.* ¶ *Nec est ei splendor*] Vel, *cui non inest splendor.* Dies, inquit, erit adeò caliginosus ut nullum omnino splendorem habiturus sit.

21. *Aversor*] *Sperno, aspernor, reprobo, respuo, rejicio.* ¶ *Festa vestra*] Hostias festorum vestrorum, quas offertis manus impuras habentes & multis sceleribus inquinatas, ac proinde non possum non eas odisse ac aversari. *Festum* pro *hostia festi* sumitur Psal. 118. 27. & Mal. 2. 3. Sed & Exod. 23. 18. & Jes. 29. 1. ¶ *Odoror*] Vel *olfacio.* Ed. V. *non capiam odorem cœtuum vestrorum.* Id Jonathan elucidat, *non accipiam cum benevolentia oblationem Synagogæ:* & rectè, meo judicio. Nam ut modò *festum* pro *hostia festi* posuit, ità nunc *ferias* appellat sacrificia in feriis ac solennitatibus fieri solita. ¶ *Ferias vestras*] עצר propriè *dies cessationis ab opere*, cùm homines vacant orationi & rebus Divinis. Dicitur & עצרה Joel. 2.

15. Aquila *diem collectæ* vocat, i. ἡμέραν συλλογῆς. Alioqui *collecta* σύναξις dicitur. Appellatio à *cohibendo.* Sic ἑορτή. Vetus est præteritum ἔοργα, ἔοργαι, ἔορτα unde ἑορτή, *festum.* Idem עצרת. R. D. ad h. l. חג, *Festum, &* עצרה, *Feria, synonyma sunt.* Hujus pluralis עצרות *feriæ*, in quo nunc Dages positum ornatûs gratiâ. Notabis autem quòd dicit, *festa vestra* & *ferias vestras*, ac si pro suis non agnosceret quæ hoc modo celebrarentur, licèt ab ipso instituta essent. Alloquitur autem vel omnes tribus 12, vel, ut quidam volunt, duas tantùm, videlicet, tribum Juda & tribum Benjamin, in quibus veri Dei cultus tunc adhuc aliquo modo vigebat. Nam Prophetia hæc habita fuit sub principatu Oziæ, quemadmodum ex titulo hujus libri satis liquet. Pro *ferias vestras* sunt etiam qui referant *in feriis vestris*, sive *diebus interdicti vestris:* nam in fonte בעצרתיכם. Sed sciendum talem constructionem esse verbi הריח Exod. 30. 38. Apud Tertull. lib. 5. Adv. Marc. perperàm est, *adorabor in frequentiis vestris*, pro *odorabor.* Vide nunc sodes Animad. l. 1. c. 3. *In frequentiis vestris*, i. ἐν ταῖς πανηγύρεσιν ὑμῶν quod habetur in editione Græca quâ usus est olim Tertullianus.

22. *Quòd si obtuleritis mihi*, &c.] Similis locus est Jer. 1. 11. *Ad quid mihi multitudo sacrificiorum vestrorum*, &c. Sanè quidem Deus animum respicit, non externam illam pompam. תעלו ad verb. *ascendere feceritis.* Ab hac notione est עלה *holocaustum* sive *holocautoma* (nam utrumque rectè dicitur) quia videlicet cùm comburitur, totum in fumum ascendit. ¶ *Munera vestra*] *Oblationes vestras, ferta vestra.* ¶ *Et pingues pro salute hostias vestras*] Sensum reddidi: nam in Ebræo est ad verb. *Pacificum*, sive, ut alii, *eucharisticum, pinguium vestrorum.* Pleniùs hoc diceretur, *sacrificium pacificum pinguium animalium vestrorum:* in quo Enallage numeri pro *sacrificia pacifica.* Hujusmodi sacrificia Josephus χαριςήρια vocat Orig. Judaic. lib. 3. c. 2. Dicuntur & σωτήρια, &, si placet, εἰρηναῖα. Legimus quoque θυσία εἰρηνική eodem sensu. מריא *animal pingue* ac *saginatum*, i. בריא. Nam מ & ב alternant. Aliis est certa species, videlicet *bubalus*, aut animal aliud simile bovi. Auctor Aruch exponit *buste.* Videtur innuere *busalum* Italorum, à quo *bubalum* distinguit Scaliger Contra Cardanum pag. 662. ¶ *Non aspiciam*] *Non respiciam*, sed avertam vultum meum ab eis. Quod est aversantis & fastidientis aliquid.

23. *Aufer*] Vel *Amove.* ¶ *A me*] Ex templo meo. ¶ *Strepitum canticorum tuorum*] Aliàs *multitudinem canticorum tuorum.* Intelligit autem cantica quæ à Levitis in Templo canebantur: E quibus erant Davidis ævo cantorum quatuor millia 1 Par. 23, 24, & 25. Unde colligimus genera quoque canticorum quamplurima fuisse. Malim tamen *strepitum*, sive, ut Hier. habet, *tumultum.* Nam & Græci reddunt ἦχον, & Jonathan אתרגשת, i. *tumultum*, aut *strepitum.* ¶ *Concentum*] *Psalmodiam, melodiam.* ¶ *Nabliorum tuorum*] נבליך, Hier. *lyræ tuæ.* Jon. *citharæ tuæ.* Sed placet magis quod in ed. Græca ὀργάνων σȣ. Nam sig. organa musica in Templo adhiberi solita, speciem pro genere usurpans. Alioqui נבל est *nabla* sive *nablium:* quod musicum instrumentum alii ψαλτήριον appellant. Hier. Præfat. in Psalmos, *Psalterium, Latinè* ORGANUM, *quod Ebræi* NEBEL *vocant.* Sunt qui utricularium fistulam eo nomine significari putant, etymon secuti, quod ab *utre* deducitur. Vide Politianum in Miscell. cap. 14.

24. *Potiùs*] Deus sacrificia non rejicit simpliciter, utpote à se instituta; sed hoc exigit, ut simul judicium exerceatur. Quòd si alterutrum omittendum sit, præstat sacrificia intermittere quàm judicium. Ideo exposui, *Potiùs volvatur*, quod in Ebræo *& volvatur.* Sic ubi legimus, *Benignitatem volo, & non sacrificium*, exponunt vulgò, & rectè ità exponunt, *potiùs quàm sacrificium.* ¶ *Volvatur*] i. Fluat. Nam aqua cùm fluit volvi videtur, præsertim ubi concitatiore cursu fertur præceps in loca declivia. Id Græci κυλίω dicunt, & Ebræi גלל, Latini verò *devolvere.* Livius, *Devolutus monte præcipiti torrens.* Columella, *Huic proximè fluens aqua è montibus oriunda, quæ per saxa præceps devolvitur.* ¶ *Ut aqua*] Aquæ in modum, i. copiosè, abundanter. Vide sis Proverbia mea, Class. 2. lib. 5. adag. 98. ¶ *Judicium*] Jus. ¶ *Ut torrens*] Proverbiale est, quod in Græcorum adagiis χειμάῤῥȣ δίκην. Sallustius Hist. lib. 1. *Ex quo tempore majorum mores non paulatim, ut antea, sed torrentis modo præcipitati*, i. confertim & affluenter. Adito nunc ad Proverbia mea, in adagio, *Torrentis modo.* ¶ *Validus*] *Fortis, vehemens, robustus, rapidus, violentus.* Ità loquendo postulat non ut justitia colatur simpliciter, sed ut passim abundet & ubique vigeat in summa copia & affluentia.

25. *An hostias*, &c.] Sensus hic est, Vel hinc potestis perspicere quàm non admodum moveat vestris sacrificiis, cùm *in deserto*

deserto non sint oblata hostia annis quadraginta, & nihilominus patres ibi vestros alui, omniáque necessaria illis suppeditavi, denique nihil omisi quod ad providam eorum curam pertineret. Cæterùm quod ait *in deserto annis quadraginta non fuisse oblata sacrificia*, aut *ferta*, si propriè accipias verum non est: Nam ex historia illius temporis contrarium doceri potest. Debet ergò accipi figuratè per Synecdochen, ut *quadraginta anni* non integrum illud tempus sed ferè integrum notent. Sic Jud. 9. 56. Abimelech dicitur *occidisse septuaginta fratres suos*, quoniam occîdit ferme septuaginta. Sic Num. 14. 34. legimus, *Et quadraginta annis recipietis iniquitates vestras*, cùm hæc pœna demum inflicta sit post annum unum atque alterum ab egressu eorum ex Ægypto. Possumus aliter nodum solvere. Nam non fieri dicitur quod non fit modo ordinario. Sic *Post Malachiam Prophetam cessasse* dicitur *donum Prophetiæ*, non quòd nulli Prophetæ postea fuerint, sed quòd ordinarium munus ab eo tempore esse desierit. Igitur obtulerunt quidem sacrificia in deserto, sed non eo modo quo postea in Chananæa, ubi stata & ordinaria erat sacrificiorum ratio: Qualis in deserto esse non poterat propter rerum omnium penuriam; nam neque oves neque boves ibi erant in tanta copia ut quotidie sacrificare potuerint. Quidam hunc locum conferunt cum illo Jesaiæ 43. 23. *Non obtulisti mihi pecudes holocaustorum tuorum, nec me sacrificiis tuis honoravisti: quin iniquitatibus & peccatis tuis me fatigasti:* ubi Deus negat sibi oblata sacrificia quæ ei grata non fuerunt. Sic in deserto obtulerant quidem victimas, sed quia ingratæ erant propter idololatriam admixtam, ideo Deus negat sibi fuisse oblatas. Hanc expositionem firmant sequentia, tum etiam concio Stephani Act. 7. 42. Vide, si vacas. ¶ *Munus*] *Fertum*, *oblationem*. ¶ *Admovistis*] הגשתם. Vulgò *obtulistis*, i. הקרבתם. ¶ *Mihi*] Aræ meæ. ¶ *In deserto*] Significantiùs Græci ἐν τῇ ἐρήμῳ, cum articulo, qui etiam in fonte ponitur, nec prorsus otium agit. Nam indicat certum quoddam desertum, videlicet desertum Arabiæ, in quod totos annos 40 oberraverant ex Ægypto egressi.

26. *Et portastis Siccuth*] Utrùm in deserto, an pòst in terra Chanaan? nam ibi etiam astra colebant, i. Solem, Lunam & Stellas, quæ *militia cæli* vocantur: 2 Reg. 17. 16. *& adoraverunt universam militiam cæli*. Act. 7. 42. *tradidit eos servire militiæ cæli*. Quidam legunt *& portabitis*, nempe cùm in captivitatem ducemini: quod non placet. *Portastis*, Humeris sublatum videlicet. Nam ità fieri solebat. Vide Jes. 46. 7. Bar. 6. 3, & 25. *Siccuth Regem vestrum*] Quem *Regem vestrum* vocabatis. Hinc nomen *Molech*, quod *Regem* significat. Sic Soph. 1. 5. *Qui per DOMINUM jurant & per regem suum*. Mos iste manavit à vera pietate, in qua Deus vocatur *Rex populi sui*, & *Rex Israelis*, Esa. 44. 6. Quin David eum aliquoties *Regem suum* appellat. Sunt qui referunt *tabernaculum Regis vestri*, ac si esset סכת מלככם, i. *tabernaculum idoli vestri*. Nam *Molochi vestri*, quod in nonnullis ed. ideo non placet quia *Moloch* nomen est proprium idoli: Siquidem nomina hujusmodi non construuntur cum pronominibus affixis. Vide Camium. ¶ *Et Chiun*] *Chiun* sive *Chion* nomen est idoli. Quidam Herculem fuisse suspicantur, qui à Gigantea statura, quâ olim pingebatur, alio nomine *Repha* dictus sit: nam RAPHAIM *gigantes*. Sanè Herculem Ægyptii *Chonem* vocabant, ut observat Lilius Giraldus ex Antiocho quodam Xenophanis. Ebræi censent hoc nomine significari Saturnum planetam, qui à Persis & Arabibus *Chevan* vocatur: unde fortè *Rephan* commutatione unius literæ, & *Renphan*, insertâ Nun, ut fit, per Epenthesin. Vidi qui vertendum putarent *placentam simulacrorum vestrorum*. Solebant enim placentas conficere in honorem deorum, quas כונים vocabant. Hier. Jes. 57. CHAVONÆ, *placenta sive crustula manu artificis præparata*. Mentio harum *crustularum* Jer. 7. 18. & 44. 19. ubi in Græca editione χαμῶνας, sed puto legendum χαυῶνας. Sanè in exemplari Romano est χαυῶνας. Olympiodorus ait esse τέμματά τινα, Chrysostomus ἄρτες, i. *panes*. Fiebant autem ex simila & adipe sine viris, ut ex citatis Jeremiæ locis patet. ¶ *Imagines vestras*] Dictio *imagines* tam ad *Siccuth* quàm ad *Chiun* referri debet. Sunt qui putant esse Enallagen numeri pro *imaginem vestram*, veluti cùm *Dii* dicimus pro *Deus*, & *Domini* pro *Dominus*, & *Sancti*, i. קדשים, pro *Sanctus*. Figura enim trita est in his literis. ¶ *Sidus Dei vestri*] Locutio est ut *fluvius Euphratis:* pro *sidus Deum vestrum*. Sic alibi, *Sculptilia deorum vestrorum*. כוכב autem Ebræi peculiariter *Saturnum planetam* appellant. Alii *Venerem* significari putant, alii *Luciferum*. Editio Græca, τὸ ἄστρον τοῦ θεοῦ ὑμῶν Ῥαιφάν pro quo in Actis Ῥεμφὰν, 7. 43. Scholia Græca ad hunc postremum locum, *Erat simulacrum Moabitarum cum gemma pellucida & eximia in summa fronte ad figuram Luciferi*. ¶ *Quod fecistis vobis*] Vel, *quæ fecistis vobis*: ut referatur ad totum complexum orationis, h. e. tam ad *Siccuth* quàm ad *Chion* & *sidus*.

27. *Migrare vos faciam*] Vel, *deportabo vos*. ¶ *Ultra Damascum*] 2 Reg. 17. 6. *Et transtulit Israel in Assyrios, posuitque eos in Hala, & in Habor, juxta fluvium Gozan, in civitatibus Medorum*. Sic Int. V. *Hala*, i. חלח. *Colchos* ità dici putant. *Habor* autem *Iberiam*, quod חבור scribunt. Mirum verò cur Græci hic ediderint *ultra Babyloniam*. Quanquam quoad historiam utrumque verum esse potest. ¶ *Deus exercituum nomen ejus*] Qui nominatur *Deus exercituum*, i. Solis, Lunæ, &c. quæ vos adoratis, cùm potiùs Dominum ipsorum deberetis adorare. Turpe enim spreto Creatore ad creaturas confugere, in iisque spem salutis suæ collocare.

IDEM.

1. Λόγον Κυρίε τῦτον] Int. V. *verbum istud*, λόγον τῦτον. Sic est in Ebræo. Biblia quæ Plantinus excudit λόγον κυρίε. Hinc conjecturam capio ex τῦτον culpâ exscribentium initio factum Κυρίε, postea etiam τῦτον accessisse ex emendatioribus libris. Sed hæc ità conjicio, non statuo. Forsan Interpretes adjecerunt aliquid de suo. Notum ut ὁ λόγος ponatur pro λόγος Κυρίε. Sic dicimus *minister verbi*, cùm tamen *verbum Dei* significamus. Nihil tritius. ¶ Ἐφ' ὑμᾶς] Perperàm ἐφ' ἡμᾶς in A. B. & in Cephalæi.

2. Οἶκος Ἰσραὴλ ἔπεσεν] Hæc aliter distinguunt Ebræi: nam in eorum libris οἶκος Ἰσραὴλ claudit versum qui hunc antecedit. Græcam distinctionem secutus est olim Hieronymus, quem te adire volo, si vacas, & si vis. ¶ Οὐκέτι μὴ προσθήσει] Varia lectio ὐκ ἔτι ὐ μὴ προσεθῆ. In nonnullis etiam ἐςι pro ἔτι legitur, vitio, ut reor, impressorum. ¶ Ἐπὶ τῆς γῆς αὐτῦ] Codices aliqui ἐπὶ τῆς γῆς αὐτῆς. Pronomen hoc ad *virginem*, illud ad *Israelem* pertinet. Paulò pòst, ὐκ ἔςιν ὁ ἀνιςῶν αὐτὴν, & in Lat. V. *Non est qui suscitet eam*. Sciendum in fonte utrobique genus fem. esse.

3. Κύριος Κύριος] Alibi Κύριος ὁ Θεός. Sic Int. V. *Dominus Deus*. Semel dicam. In Ebræo ארני יהוה. Id legebant alii *Adonai Adonai*, i. Κύριος Κύριος. Alii *Adonai Elohim*, i. Κύριος ὁ Θεός quomodo legendum esse nos docent critici Ebræorum Massoritæ.

4. Πρὸς τὸν οἶκον Ἰσραὴλ] Aliàs, ἐπὶ τὸν οἶκον τῦ Ἰσραήλ. Καὶ ζήσεσθε] Sic Int. V. *& vivetis*. Biblia Plant. καὶ ζήσετε purus putus Ebraismus, quem retinent & ibi, *Ascende in montem, & morere*. Sic alibi, *Hoc fac, & vive*. Quale illud,

Si fœtura gregem suppleverit, aureus esto.

5. Ἐπὶ τὸ Φρέαρ τῦ ὅρκε] Declaratio ejus loci qui sermone sacro *Beerseba* vocatur. Infrà 8. 14. nomen Ebræum retinent, Βηρσαβεέ. Hier. *Pulcrè*, IN BERSABEE, *inquit*, *h. e.* ad puteum juramenti, NON TRANSIBITIS: & mox, *LXX interpretes in præsenti loco nomen* Bersabee *interpretati sunt* τὸ Φρέαρ τοῦ ὅρκε, *i.* Puteum juramenti. *Est autem locus in quo habitavit Abraham: & ex eo quòd cùm Abimelech datis septem ovibus in fœdus mutuum juraverunt, appellatus est* Puteus juramenti, *sive* Puteus septimi, *propter numerum septem ovium*. שבע *enim utrumque significat*. ¶ Ὅτι] Aliàs διότι. ¶ Αἰχμαλωτευθήσεται] Biblia Regia, αἰχμαλωτισθήσεται.

6. Καταφάγῃ αὐτὸν] Sic ed. R In cæteris est καταφάγεται αὐτόν. Illud autem αὐτὸν de suo addiderunt. Potest etiam esse ex nota marginali. Fortè legerunt אכלה, quæ forma verbi Chaldaici est. Int. V. *devorabit eam*. ¶ Τῷ οἴκῳ Ἰσραὴλ] Est ubi reperiatur τὸν οἶκον Ἰσραήλ· quod Int. V. convertit *domum Israel*. In fonte τῷ οἴκῳ Ἠλ, vel, si placet, τῷ Βαιθὴλ.

7. Ὁ ποιῶν εἰς ὕψος] Non possum hæc conciliare cum Ebræo. Qui poterit, is magnam apud me gratiam inibit. ¶ Ἔθηκεν] Abest in cusis à Plantino. Int. V. *posuit*. In Ebræo ἔθηκαν.

8. Πάντα] כימה reddunt πάντα, ut si esset כל מה *omne quod est*. Aut leg. Πλειάδα, quâ voce Interpretes usi Job. 38. 31. ut & Hieron. Job. 9. 9. ubi Lxx Ἀρκτῦρον. ¶ Μετασκευάζων] Minùs rectè in C. κατασκευάζων. Nam & priscus Int. *transformat*. In Ebræo כסיל, cujus appellatio à *mutabilitate*. Quare sunt qui *Oriona* significari putant, quòd in crebras aeris mutationes inducat: ex quo Virgilius,

—— *Fluctu nimbosus Orion*.

Ab eadem radice *Chasleu* appellatus mensis ut nomine ità reapse insta-

instabilis & inconstans. Job. 9. 9. כסיל, Lxx, ἕσπερον. 38. 31. Ὠρίωνα. ¶ Ἐκτρέπων] Minùs probo quod in nonnullis ςρέφω, i. *convertam*. Int. V. *convertit*. ¶ Σκιὰν θανάτου] *Umbram mortis* Int. V. Nec aliter Ebræi. Malè igitur abest θανάτου in editis à Plantino. ¶ Συσκοτάζων] Int. *contenebrat*. Pars codicum σκοτάζων habet, quod in idem ferme recidit. In VV. Lexicis, Συσκοτάζω, *obnubilo*. ¶ Προσκαλούμενος] Sic etiam Aldus: mendum, ut puto, chalcographiæ pro eo quod in aliis cod. προσκαλέμενος. Int. antiquus, *qui vocat aquam maris*. ¶ Κύριος ὄνομα αὐτῷ] Sic legitur & in R. & in Ebræis cod. In aliis Κύριος ὁ Θεὸς ὁ παντοκράτωρ ὄνομα αὐτῷ, nisi quod in C. abest articulus ante παντοκράτωρ. Int. V. *Dominus Deus omnipotens nomen ejus*.

9. Διαιρῶν] Antverpiæ impressi διεγείρων. Int. antiquus *qui dividit*. ¶ Ἐπὶ ἰσχὺν] Interpretantur עז pro עז, quod magis denotat ἰσχυρὸν, i. *robustum*. In versione antiqua hoc non habetur, sive Interpres illud omiserit, sive, quod magis credo, ipsi librarii & exscriptores. ¶ Ἐπάγων] יבוא pro יבוא, errore non minùs proclivi quàm usitato. Quod fugit, non effugit. Διαιρῶν verior interpretatio quàm διεγείρων: nam בלג mutatione unius literæ פלג, i. *divisit*. Solent autem hæ literæ permutari inter se. Sic reperis הבקר & הפקר pro eodem, & in textu פצע & בצע *vulneravit*. Sic permutantur ברזל & פרזלא *ferrum*. Hoc Chaldaïcum, illud Ebræum.

10. Λόγον ὅσιον] Agnoscis, opinor, דבר, pro eo quod nunc legunt דבר *loquentem*, i. λαλῦντα.

11. Διὰ τῦτο] Sequitur in nonnullis exempl. οὕτως λέγει Κύριος. ¶ Ἀνθ' ὧν κατεκονδύλιζον πτωχὺς] Hæc est scriptura codicis R. cùm in A. & B. & in Cephalæi sit ἀνθ' ὧν κατεκονδυλίζετε πτωχὺς, & apud Hier. in Lat. V. *quia pugno percutiebatis pauperes*. Editi à Plant. ὁ ἄνω ὧν κατεκονδύλιζεν πτωχόν Quid malum movit librarios ut scriberent quod à sensu Prophetæ non modò alienum sed etiam planè impium videtur? ¶ Δῶρα ἐκλεκτὰ] בר ἐκλεκτόν. Radix ברר *eligo*: unde & ברות Neh. 5. 17. ברורות צאן πρόβατα ἐκλεκτά. Sic etiam Hier. interpretatur *pradam electam* Idem in Comment. Zach. 12. BAR filius *appellatur*, *aut* frumenti manipulus, *aut* electus. Hodie reddunt *onus tritici*: quippe בר *triticum*. Appellatio à *puritate*: purum enim est triticum & ab acere secretum. ¶ Παρ' αὐτῶν] *Ab eis* Int. V. sed in Ebræo & in C. παρ' αὐτῦ, *ab eo*. ¶ Οἴκους ξεςὺς] Sic codex R. alibi cusus οἴκους ξυςὺς. Int. V. *dolatis lapidibus*. Erat & ξυςὸς *locus exercitii athletarum*: unde apud Pollucem ξυςὺς δρόμους, & ξεςὺς δρόμους, ἐν οἷς αἱ ἀσκήσεις. ξυςὸς ergò & ξεςὸς synonyma sunt.

12. Πένητας] Plantinus vulgavit πένητα, i. *pauperem*.

13. Καιρὸς πονηρῶν] Hæc est lectio codicis R. cæteri habent καιρὸς πονηρὸς, & Int. V. *tempus malum*. πονηρῶν, i. *malorum*. Quod capiendum ex illo,

Cuique sua hora, suum tempus.

14. Μὴ πονηρὸν] Aliàs, μὴ τὸ πονηρὸν. ¶ Καὶ ἔςαι οὕτω μεθ' ὑμῶν, &c.] Libri plerique καὶ ἔςαι οὕτω Κύριος ὁ Θεὸς ὁ παντοκράτωρ μεθ' ὑμῶν. Int. V. *& erit sic Dominus Deus omnipotens vobiscum*. Vulgati Antverpiæ, καὶ ἔςαι μεθ' ὑμῶν Κύριος, οὕτως εἶπεν Κύριος ὁ Θεὸς ὁ παντοκράτωρ.

15. Ὃν τρόπον εἴπατε] Biblia Regia, ὃν τρόπον εἴπαν. Int. V. *sicut dixistis*. ¶ Μεμισήκαμεν, &c.] Natio Ebræorum totum hunc complexum legit ita, Μισεῖτε πονηρὸν, καὶ ἀγαπᾶτε καλὸν, καὶ ἀποκαταςήσατε ἐν πύλῃ κρίμα. Græci aliter, & malè. Error fluxit ex prava distinctione, quam facilè corriges si verba illa ὃν τρόπον εἴπατε restitues versui proximo antecedenti, cujus sunt clausula. ¶ Περιλοίπυς τῶν Ἰωσὴφ] E. C. περιλοίπυς Ἰωσὴφ cæteræ, h. e. A. & B. cum Cephalæi, καταλοίπυς τῶν Ἰωσήφ.

16. Καὶ κοπετὸν καὶ εἰς εἰδότας θρῆνον] Int. *& ad planctum hi qui sciunt lamentationem*, καὶ εἰς κοπετὸν εἰδότες θρῆνον, optima lectio. Pleraque exempl. καὶ εἰς κοπετὸν καὶ εἰς εἰδότας θρῆνον. In Ebræo est ad verb. καὶ κοπετὸς εἰς εἰδότας θρῆνον. Vide Lectiones meas.

17. Διότι ἐλεύσομαι] Alibi, ὅτι διελεύσομαι. Int. quoque V. *quia pertransibo*. ¶ Διὰ μέσυ συ] Pronomen συ exsulat à quibusdam libris, sed perperàm.

18. Ἵνα τί αὕτη ὑμῖν ἡ ἡμέρα τῦ Κυρίυ;] Int. *Ut quid hanc vobis diem Domini?* A. & B. ἵνα τί αὕτη ὑμῖν ἡ ἡμέρα τῦ Κυρίυ; Plantini ἱνατί αὕτη ἡ ἡμέρα;

19. Ἐὰν φύγῃ ἄνθρωπος] Biblia Antverp. ἐάν τις φύγῃ. Int. V. *si fugiat homo*. Purus putus Ebraismus. ¶ Καὶ ἐμπέσῃ] Justinus in Dialogo cum Tryphone habito καὶ συναντήσῃ. Lat. V. *& incidat*. ¶ Ἄρκος] Ità scribunt hoc nomen editiones Romana, Veneta & Argentoratensis; item ea quæ Antverpiæ cusa. Sola Basileensis ἄρκτος habet. ¶ Εἰς τὸν οἶκον αὐτῦ] Pronomen αὐτῦ nusquam alibi reperi quàm in codice Rom. Videtur etiam Int. V. pro εἰσπηδήσῃ aliud quid legisse. Nam transfert, *& introeat in domum*, καὶ εἰσέρχῃ. ¶ Ἀπερείσηται] Aliquot cod. ἀπερείσῃ habent, in queis & Cephalæi.

20. Οὐχ ἔχων φέγγος αὐτῇ] Int. V. *non habens splendorem*, ὐκ ἔχων φέγγος. Sic ed. Antverp. Videtur aliquando scriptum fuisse ὐκ ἔχων φέγγος αὐτῇ, vel certè, ὐκ ὂν φέγγος αὐτῇ quomodo alii vertunt ex Ebræo, *non est splendor ei*.

21. Ὀσφρανθῶ θυσίας] Sic ed. Rom. A cæteris abest vox θυσίας, quæ nec apud Int. extlat, nec in textu Ebræo reperitur. Latet tamen in sententia: itaque Jonathan παραφράζει, *neque acceptam habebo oblationem Synagogarum vestrarum*: & Scholia Ebraica enarrant בקרבנות עצרותיכם, i. *oblationes festivitatum vestrarum*; ut si Græcè dicas, προσφορὰς ἤτοι θυσίας τῶν πανηγύρεων ὑμῶν.

22. Ἐὰν] Aliàs, ἐὰν ἄν. ¶ Θυσίας ὑμῶν] Alibi, θυσίαν ὑμῶν. Interp V *sacrificia*, sine pronomine, quod tamen in Ebræo. ¶ Σωτηρίυς ἐπιφανείας ὑμῶν] Hæc est scriptura exemplaris Romani. In aliis σωτηρίυ ἐπιφανείας ὑμῶν, ut in Lat. V. *salutare præsentiæ vestræ*. Sacrificia quæ Ebræi שלמים, Latini *pacifica* vocant, ea placuit Græcis σωτήρια nuncupare, & hoc rectè fortasse: Cæterùm ἐπιφανείας ὑμῶν, i. מראיכם, quasi מראיכם à verbo ראה, ineptè sanè; cùm מריא sit nomen animantis, ut norunt qui harum literarum non sunt omnino rudes. Jes. 1. 11. חלב מריאים Lxx ςέαρ ἀρνῶν. Idem nomen eodem modo reddunt 2 Sam. 6. 13. & 1 Reg. 1. 1. Porrò σωτηρίυς, i. *salutares*, & subintelligitur θυσίας *hostias* aut *victimas*.

23. Μετάςησον] In Justino ἀπόςησον. Int. V. *Transfer*.

24. Ἄβατος] *Invius*, Int. V. איתן ab אתא verbo Syriaco, & quasi à contrario sensu.

25. Οἶκος Ἰσραὴλ τεσσαράκοντα ἔτη ἐν τῇ ἐρήμῳ;] Act. 7. 42. ἔτη τεσσαράκοντα ἐν τῇ ἐρήμῳ, οἶκος Ἰσραήλ; Int. V. *in eremo quadraginta annis, domus Israel?* Talis ordo horum verborum in libris Ebraicis.

26. Τὴν σκηνὴν τῦ Μολὸχ] סכת מלך. Nimià licentià ex מלכּכם fecerunt Μολὸχ, omisso pronomine. Est autem in Μολὸχ significatio *Regis*, qui tamen *Melech* non *Moloch* dicitur. Aq. & Th. Μελχὸμ, τυτέςι, βασιλέως αὐτῶν sic enim Græci interpretantur. Horum est & illud, σκηνοποιησάμενοι γὰρ ἔςησαν εἴδωλον, καὶ κεκλήκασι Μολὸχ Editio Hier. ex Ebræo *Moloch vestro*, i. Μολὸχ ὑμῶν. ¶ Ῥαιφὰν] Locus depravatus, in quo corrigendo, nisi quid mihi opis MSS. dant, luserim operam. Tamen conjicio legendum esse Καιφὰν aut Κεφάν. Nam Græci librarii multos similes locos depravarunt. Mirum ni Interpretes ipsos fefellit similitudo quæ inter Res & Chaph, ut legerint רין aliis punctis vocalibus pro כין: quo nomine ex Interpretibus nonnulli *Mercurium* intelligunt, cœleste sidus, quod Arabes & Persæ כיון *Chevan* indigitant. Quod autem præcedit τὸ ἄςρον τῦ Θεῦ ὑμῶν, additamentum est explicationis causâ: etsi tale quid in sequentibus desideretur, ut sit cur illud suspicemur aut librariis ibi excidisse aut indè hoc translatum esse. In Plantini Ῥομφᾶ. Apud Lucam autem Ῥεμφάν. Int. V. *Rephphan* & Ῥεφφάν. Vide Notas in Parallela mea Act. 7. 43. ¶ Τὺς τύπυς αὐτῶν ὓς ἐποιήσατε ἑαυτοῖς] Biblia Regia, τὺς τύπυς ὓς ἐποιήσατε ἐν αὐτοῖς. Apud Lucam, τὺς τύπους ὓς ἐποιήσατε προσκυνεῖν αὐτοῖς. Int. V. *figuras eorum quas fecistis vobis*. Pro αὐτῶν in fonte est ὑμῶν. Quòd autem exemplaria variant in ἑαυτοῖς & ἐν αὐτοῖς, novum non est. Vide Hos. 1. 11.

27. Δαμασκῦ] Βαβυλῶνος Act. 7. 43.

IDEM.

8. כימה. Sym. & Th. Πλειάδα] Hier. *Ipse est creator Arcturi, qui Ebraicè* CHIMA *dicitur, & à Sym. & Th.* εἰς Πλειάδα *vertitur, quem vulgò* Booten *vocant*. Πλειὰς & Πλειάδες, Latinè *Pleiades*. Dicitur & *Pleias*. Ovidius,

Quatuor autumnos Pleïas una facit.

Stellæ sunt septem in dorso Tauri: septimam tamen vix cernimus. De his Germanicus Cæsar in Arati versione,

Septem traduntur numero, sed carpitur una
Deficiente oculo distinguere corpora parva.

Hæ verno tempore oriuntur, & autumno occidunt: unde *Vergiliæ* vocitatæ sunt. Proclus Πλειάδα nominari scribit *stellas in*

tergore

tergore Tauri sitas, *numero sex.* Abenezra de כימה: *Sunt*, inquit, *sex stellæ conspicuæ*, *parvæ tamen.* ¶ כְּסִיל. Sym. *stellas.* Th. *vesperum*] Hier. *Quodque sequitur*, Oriona, *qui Ebraicè dicitur* CHESIL, *Sym. absolutè* stellas, *Th. interpretatus est* vesperum. *Ebræus autem qui nos in Scripturis S. erudivit, interpretari putat* splendorem, *& significari generaliter* astra fulgentia. VESPERUM, ἕσπερον. Job. 9. 9. וכסיל, Lxx καὶ ἕσπερον.

9. הַמַּבְלִיג. Aq. ὁ μειδιῶν] Hier. *Ubi nos diximus* qui subridet, *Aq. interpretatus est* ὁ μειδιῶν. *Propriè autem* μειδίαμα *dicitur quod nos* subrisionem *possimus appellare*, *quando quis irascitur*, *& apertis paululùm labiis subridere se simulat*, *ut ira ostendat magnitudinem.*

10. דֹּבֵר תָּמִים. Sym. *verbum immaculatum.* Th. λόγον ὅσιον] *Verbum immaculatum*, ῥῆμα ἄμωμον, i. דבר. Nunc legunt דבר aliis punctis, & תמים interpretantur *integrè.* Ezech. 46. 13. תמים, Aq. τέλειον. Λόγον ὅσιον, i. *sermonem sanctum.* Sic interpretatur Hier. *Sanctum* autem hîc intellige non ἅγιον, qui Ebraicè קדוש dicitur, sed ὅσιον, i. חסיד, quem Latini *pium* appellant. Adi sis ad Quæst. meas.

12. כֹּפֶר. Omnes, ἀλλάγματα] Hier. *Et accipitis*, *inquit*, *commutationem: pro qua* commutatione *omnes similiter* ἀλλάγματα, *i.* propitiationem, *transtulerunt*; *nos* munus *diximus.* Locus suspectus de vitio. Nam *propitiatio* ἱλασμὸς dicitur, non ἄλλαγμα, quæ vox potiùs *commutationem* sive *permutationem* sonat. Idem Hier. Ἄλλαγμα *autem juxta idioma Scripturarum* pretium *dicitur: quod in Euangelio quoque legimus*, Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? ἀντάλλαγμα. ¶ הִטּוּ. Sym. *oppresserunt*] Hier. *Pauperes quoque in portis declinaverunt*, *sive*, *ut Sym. interpretatus est*, *oppresserunt.*

26. מַלְכְּכֶם. Aq. Μαλχόμ. Sym. & Th. *Regis vestri*] Μαλχὸμ, Deus filiorum Ammon; qui & *Moloch*, i. Μολόχ. Ità scriptum lectum Act. 7. 43. Hier. *In eo loco ubi Lucas posuit* Μολόχ, *& in Ebraico scriptum est* מלככם, *Aq. vertit* Μελχὸμ, *Sym. & Th.* Regis vestri. Oecumenius, Μολὸχ, ἤτοι, Μελχόμ· εἴδωλον δὲ τοῦτο Μωαβιτῶν. Veritas poscit Ἀμμανιτῶν. Theodoretus Quæst. in Gen. τῷ δὲ Μελχὼν ἐδούλευον Ἀμμανῖται perperàm Μελχῷ in vulgatis. REGIS VESTRI] Βασιλέως ὑμῶν. Verior interpretatio: nam *Melchom*, i. מלכם. Vide 2 Reg. 23. 13. Alibi est *Melchom* pro מלכם *Rex eorum*, ut Amos 1. 15. & 1 Par. 20. 2. & Jer. 49. 1, 3. ¶ כִּיּוּן. Aq. & Sym. *Chiun*, Th. ἀμαύρωσιν] Hier. *Pro eo quoque quod in Lxx legitur* Ῥαιφὰν, *Aq. & Sym. ipsum Ebraicum transferentes posuerunt* Chiun, *Th.* ἀμαύρωσιν, *i.* obscuritatem. CHIUN. Talis lectio hodierna: Dubito an olim ità legerint: quin eò labor ut credam ipsos edidisse *Chevan*, i. Χεβὰν sive Χευάν nihil tamen adsevero aut immuto. In ed. Rom. Ῥαιφάν. A. ἀμαύρωσις. Scholia Græca Act. 7. Τὸ ἄστρον Ῥεφφᾶ, ὅ ἐστι, σκοτασμός· εἴδωλον δὲ τοῦτο Μωαβιτῶν, λίθον ἔχον διαφανῆ καὶ ἐξαίρετον; εἰς ἑωσφόρου τύπον ἐπὶ μετώπου ἄκρου. ¶ סִכּוּת. A. συσκιασμός. Sym. τὴν σκηνὴν] Hier. *Rursum pro* סכות *Aq.* συσκιασμοὺς, *i.* umbracula, *Sym. & Lxx* τὴν σκηνὴν, tabernaculum. † Συσκιασμοὺς, סכות *umbracula.* † Τὴν σκηνὴν, סכה quod absque punctis scriberent סכת.

IDEM in VULG.

1. *Verbum*] In Chaldaicis *decretum* exponitur, non quidem absurdè: sed minùs rectè, quandoquidem *verbum* hîc latiùs patet, ut mihi videtur. ¶ *Super vos*] Hoc est, de vobis. ¶ *Planctum*] Est cur malim, *lamentationem.* Nam in Ebræo legitur CINA. Unde Zibe CINOTH, id est, lamentationum. Quidam hîc construunt *verbum lamentationis*, id est, lamentabile. Non probo. Potiùs aliter construam *verbum lamentationum*, ut sit appositio. Figura ipsis pueris nota. Nisi, si magis placet, *Audite verbum istud quia ego tollo super vos lamentationem.* Cæterum *tollere lamentationem*, bene & Latinè dicitur, ut *tollere risum.* Cui simile, *tollere naniam.* ¶ *Domus Israël cecidit*] Verba illa, *domus Israël*, Ebræi omnes referunt ad verbum *Audite:* & est talis interpunctio apud eos, *Audite verbum istud quod ego levo super vos lamentationem domûs Israël.* Deinde sequitur versus alius, qui sic incipit, *Cecidit & non adjecit ut resurgat virgo Israël*, &c.

2. *Virgo Israël*] Hæc verba Jonathan sic declarat, *Synagoga Isra[ël]*. Sed notatum reperio in margine *filia Israel:* quod eundem sensum continet. Vide Quæstiones omnes nostras. ¶ *Projecta est*] Est qui malit, *derelicta est.* Nec injuriâ. Quanquam Chaldæus retulit, *allisa est. Relicta est*, inquit, *in terra sua*, *non est qui erigat eam.*

3. *De qua egrediebantur mille*] Doctè explicat, quæ egrediebatur mille, quod per ellipsin dictum pro eo, quod est cum mille, aut millenis. Et subintelligitur *civibus* aut tale quid. ¶ *Relinquentur in ea*] Codex Ebræus habet, *relinquet centum.* Et mox, *relinquet decem.* Quod dubio procul ad urbem referendum. ¶ *In domo Israël*] *Domui Israël* est in Ebræo, quod eandem sententiam continet.

4. *Et vivetis*] Scire licet in Ebræo esse verbum è verbo, *Et vivite.* Quod positum pro illo, *& vivetis.* Ut alibi, *Hoc fac & vive*, pro, *& vives.* Quidam enarrant, *Quærite me*, *ità vivite.* Prius verius videtur.

5. *In Galgalam*] Delenda præpositio, ut sermo sit latinior. ¶ *Bersabee*] Poscit antiqua scribendi consuetudo *Bersabe* vel *Bersabee.* Ex eadem consuetudine scribi potest *Bersabea*, ut *Hosee* & *Hosea.* Hodiè legunt ac scribunt *Beer-seba.* ¶ *Captiva* ducetur] Hoc verbis Ebraicis enuntiatur GALO IGLEH, id est, *migrando migrabit*, éstque paronomasia, figura familiaris Ebræis. ¶ *Erit inutilis*] In Ebræo est AVEN. Est autem sententia ut si dicas, *erat nihili.* Porrò respexit ad nomen *Beth-aven*, quo appellata *Beth-el* apud prophetas. In collectaneis nominum propriorum, *Beth-aven* domus inutilis.

6. *Et vivite*] Id est, vivetis, ut suprà. ¶ *Ne fortè comburatur.*] Jonathan, *ne ardeat velut ignis ira ejus in domum Joseph.* Alius interpres, *ne erumpat:* alius, *ne pervadat.*

7. *In absinthium*] Ant. Cevallerius vertebat, *toxicum.* ¶ *Qui convertetis*] Vertendum, *Qui convertunt.* Pater ex sequentibus. ¶ *Relinquetis*] Emendant, *relinquunt*, & ità planè vertendum.

8. *Arcturum*] Inveniuntur editiones quæ pro *Arcturo*, *Pleiades* rescribunt. In Ebræo est CHIMA. In scholiis Abenezræ, *sententia majorum nostrorum* CHIMA *est cauda arietis & caput tauri. Sunt autem septem stellæ, quæ licèt parvæ sint, tamen conspici possunt.* ¶ *Tenebras*] Quantò ἐμφατικώτερον est quod in Ebræo, *Umbram mortis.* ¶ *In noctem mutantem*] Non muto. In Ebræo legitur *diem nocte obtenebrantem.* Sententia in idem recidit. ¶ *Qui vocat*] Sensus est, qui attrahit in sublime. Alibi est, *Qui vocat famem*, pro, *qui adducit.*

9. *Qui subridet*] Secutus Aquilam est qui vertebat μειδιῶν. De quo Hieronymus, qui suprà citatus. Inveniuntur exemplaria in quibus lectum, *arridet.* Nisi fallor, Biblia regia ità habent. Camius hunc locum explicat, *qui corroborat.* Ad eundemque ferè modum Jonathan Chaldæus. Vidi qui mallent, *qui recreat:* & sic interpretantur id verbi Psal. 39. ¶ *Vastitatem*] Id est, vastatos, sive, ut Chaldaica editio habet, *debiles.* Genus sermonis ut cùm *captivitas* ponitur pro *captivis.* ¶ *Super robustum*] Malim, *contra robustum.* ¶ *Super potentem*] Melius est in aliis traductionibus, *contra munitionem.* ¶ *Affert*] Non *affert* legitur in Ebræo, sed *venit*, id est, JABO: sed interpres videtur legisse JABI, hoc est, Joth pro Vau, errore quàm proclivi tam frequenti. Hoc vult, *Et vastatio adversus munitionem venit*, ac si diceret etiam munitissimis locis obvenit vastatio. Jonathan aliter declarat, *Dominari facit spoliatos in munitiones robustorum.*

10. *In porta*] Judicum videlicet. ¶ *Perfectè*] Loquentem integrum, id est, integrè. Tale est *Ambulans integer:* proba & antiquæ notæ dictio.

11. *Diripiebatis*] Quidam pro *diripiebatis*, reponunt, *calcatis:* quod non placet. ¶ *Prædam electam*] *Onus tritici* habent nuperæ traditiones: quod magis probo. BAR enim non tam *electum* significat quàm *triticum:* à quo facit constructio verborum, quæ in Ebræo. ¶ *Quadro lapide*] Alii malunt *cæso lapide.* ¶ *Vineas amantissimas*] Id est Phrasi Ebraicâ, *vineas desiderii.*

12. *Fortia*] Id est, *plurima*, ut in illo, *Validiores fuerunt arenâ maris.* Idem verbum in Ebræo scilicet. ¶ *Munus*] In Ebræo legitur CHOPHER. Est autem CHOPHER quod Græci λύτρον, Homerus etiam ἄποινα vocat, id est, *pretium redemptionis.* Sed non eâ significat. hic capi videtur. Itaque rectè est apud interpretem *munus.* Sic etiam interpretantur commentatores Ebræi. Jonathan habet MAMON, id est, *pecuniam.* ¶ *Deprimentes in porta*] Alio verborum ordine legitur in Ebræo, *in porta pervertunt.* Et *pervertunt* pro *pervertentes.*

14. *Et erit Dominus*] In Ebræo est, *& erit ità Dominus:* quod quidam referunt, *& sit ità Dominus.* Sed prius verius.

15. *In porta*] Id est, *in curia.* ¶ *Joseph*] *Regni Ephraim.*

16. *Dominus*] Jehova. ¶ *Dominator*] Adonai: itáque alii reddunt *Dominus.* Et meliùs ut opinor. ¶ *In cunctis quæ foris sunt*] Planè vertendum, *in omnibus vicis.* ¶ *Et ad planctum.*

ctum. In Ebræo est figura quæ ordinem verborum invertit. Sic enim ibi legimus, *& planctum ad peritos lamentationis*. Huic germanum est, *sicut compes ad castigationem stulti*. Extat apud Salomonem in Proverbiis.

17. *In omnibus vineis*] Non *vineis*, sed *uvis* offendi citatum ex manuscriptis. Sed vera lectio, *vineis*.

18. *Ad quid eam vobis*] Libentiùs verterim, *Ad quid vobis hæc dies Domini? ipsa erit tenebræ, & non lux*: vel, *cum ipsa sit tenebrarum & non lucis*, ut subaudiatur *dies*. ¶ *Domini ista*] Valde mecum dubito, num interpres scripserit *dies Domini ipsa tenebræ*. Similis menda irrepsit in Lucullum Ciceronis. Nam ibi vulgò legitur, *Quanti libertas ista æstimanda est*. *Emendatio est* ex manuscripto quem vulgavit Ursinus, *libertas ipsa*.

19. *Vir*] Id est, quispiam. *Ut si quis fugiat*, inquit, *leonem*.

20. *In ea*] Pro *in ea* lectum *ei* in Ebræo. Ac si diceret, *& non inest ei splendor*.

21. *Projeci*] Vel, *aspernatus sum*. ¶ *Festivitates vestras*] *Festa vestra*. Vult dicere, *hostias quas diebus festis immolatis*. *Festum* pro *hostia festi* etiam David dixit in illo, *ligate festum funibus*. Alia expositio, *festa vestra*, dies vestros festos. Non displicet. ¶ *Non capiam odorem*] *Non odorabor* est in Ebræo. Idque Jonathan declarat, *Non accipiam cum benevolentia oblationem Synagogæ vestræ*. ¶ *Cœtuum vestrorum*] Utrùm hoc dicit, *non odorabor diebus cœtus vestri?* an potiùs, *non odorabor cœtus vestros*, id est, sacrificia cœtus vestri? quomodo Jonathan exposuit, ut vidimus: sic etiam Ebræi enarrant.

22. *Non suscipiam*] Non habebo accepta, ut in illo, *Et orationem meam suscepit*. ¶ *Et vota*] Non *vota* est in Ebræo: sed SELEM, id est, genus sacrificii, quod interpres aliàs pacificorum vocabulo significat. Josephus χαριςήρια vocat. Scriptum autem SELEM; non SELAMIM, cujus ea vis ut si diceret, nè unum quidem illorum sacrificiorum acceptum habebo. ¶ *Pinguium*] Subintellige *animalium*, epitheton sine re.

23. *Tumultum*] Melius, *strepitum*. ¶ *Cantica lyræ tuæ*] Verterim, *concentum nablorum tuorum*. Jonathan edidit *melos cithararum tuarum*. Placet ut vertatur *nablorum tuorum*. Nabla autem instrumentum aliud esse à Lyra, colligi potest vel ex hoc versu Sophoclis, ὁ ναῦλα κωκυτοῖσιν ὁ λύρα φίλα. Naula etiam *psalterium* vocatur ut Suidas annotat. NEBEL autem interpres alibi *psalterium* convertit, unde libet conjicere NEBEL & nablam. Ναῦλαν Hesychius ambiguè & *citharam* & *psalterium* exponit, quod planè facit pro Chaldæo. Vox Ebræa est NEBEL, quam alibi reddunt *psalterii* voce. *A nebel* deformata sunt νάβλα & νάβλιον & ναῦλα & *gemalia naula* apud Ovidium.

24. *Revelabitur*] Interpretatur verbum, quod hic in Ebræo, tanquam esset à GALAH. Sic etiam Jonathan interpretatur. Alii malunt *volvetur*, ut sit passivum à GALAL. ¶ *Quasi aqua*] Id est, affatim. *Torrens fortis*] Cujus aqua rapidissimè fluit.

26. *Tabernaculum*] Alii SICCHUTH, ut sit nomen idoli, sed interpres pro eo legit, certè interpretatur ac si scriptum esset SUCCHATH. Nam SUCCHA *tabernaculum*. Sic interpretatur quoque translatè Græcus. ¶ *Moloch vestro*] Ut hodie lectio, vertendum regis vestri aut regem vestrum, ut hoc dicat, Portastis Sicchuth regem vestrum. Aliis vocalibus emergit Moloch, quomodo Græcus etiam legit. Porrò inveniuntur exemplaria, quæ habent *Moloch Deo vestro*, sed perperàm. ¶ *Imaginem idolorum vestrorum*] In Ebræo est CHIUN *imagines vestras*. Pro eo ediderunt CHEVAN autor Græcus, quod mutatum deinde ut fit in Rephan sive Remphan. ¶ *Quæ fecistis*] Vel, *quod fecistis*, ut referatur ad vocem *Sydus*.

27. *Trans Damascum*] Vel, *ultra Damascum*. Miror unde irrepserit in Actis Apostolorum, *Ultra Babylonem*. Pro *Damascus*, ex libris Ebræorum scribi potest *Dammascus* M geminatâ videlicet.

LIVELEUS.

1. L*Amentationem*] Prophetiam de exitio vestro lamentabilem; ut Ezec. 32. 2. *Tolle lamentationem contra Pharaonem Regem Ægypti*. Hoc autem lugubre elegidion versu seq. continetur, quo deflet futuram ruinam eorum, rebus adhuc integris, perinde ac si jam advenisset, more Prophetarum, præterita pro futuris usurpantium.

2. *Projecta est*] Hieron. verbum נטשה ità interpretatur. Jarchius etiam fatetur de *re projecta & dispersa* usurpari. Mercerus quoque, נטשה, inquit, *prostrationem significat*, *cùm quid humi projectum relinquitur*. Rectè quidem, ut mihi videtur, de hujus vocis significatu judicaverunt. Num. 11. 31. *Ventus coturnices ad castra stravit*, vel *projecit*, ויטש. 1 Sam. 30. 16. *Ecce* נטשים *projecti fuerunt super terram*, vel *strati*. *Projectum* autem aliquando dicitur quod jacet, per Metonymiam. Matth. 8. 14. *vidit socrum ejus in lecto* βεβλημένην *projectam*, i. jacentem, *decumbentem*, ut Marcus c. 1. 30. declarat, κατάκειτο. Hæc significatio huic loco rectè quadrat, atque etiam superiori, videlicet 1 Sam. 30. ubi *projecti* vel *strati* dicuntur *jacentes*, ut Castalio ibi vertit.

3. *Urbs egrediens mille*] i. Ex qua mille egrediuntur. Hebraismus, quo per Metonymiam subjecto tribuitur quod adjuncti est. Sic Jer. 9. 18. *descendant oculi nostri lacrymis*, pro *lacrymæ ex oculis*. Joel. 3. 18. *valles ibunt lacte* pro *lac vallibus*. *Ex urbe* verò *mille egredi* dicuntur quæ mille cives vel habitatores continet: qui à communi omnibus exitu dicuntur *egredientes portâ urbis*; Gen. 34. 24. *Auscultabant ei omnes portâ urbis illius egredientes*, h. e. cives. Simili periphrasi etiam *ingredientes portam* dicuntur Gen. 23. 10.

5. *Ne quæratis Bethelem*] h. e. Nè eò quæsitum & consultum eatis. Quo ferè modo *quærendi* verbum à Tremellio explicatur Esa. 11. 10. *Ad eum Gentes consultura venient*: verbum è verbo, *quærent ad eum*. ¶ *Bethel erit in nihilum*] Non erit ampliùs BETHEL, h. e. *Domus Dei*, sed BETHAVEN, h. e. *Domus vanitatis & nihili*, ut vocatur Ose. 4. 15. Allusio in nomine est.

6. *Domum Josephi*] Regnum x tribuum, quod in Osea sæpe intelligitur nomine *Ephraimi*, qui filius Josephi erat. Hujus ratio est, quòd tribus Ephraimi potentissima & populosissima erat, ex qua etiam primus x tribuum Rex Jeroboam sumebatur. Synecdoche.

7. *Humi relinquunt*] Negligunt, spernunt. *Jacent enim ea semper quæ apud quosque improbantur*, ait Cicero. Sic Dan. 8. 12. veritas contempta & spreta *in terram dejecta* esse dicitur.

8. *Qui facit*] Ratio est illius hortationis v. 6. *Quærite Jehovam*, à mirabili illius potentia quâ hominibus reverendus est. Vide cap. 4. 12, & 13. ¶ *Qui advocat aquas*] Pluviæ generationem ostendit. Summus autor Deus est. Mediæ causæ; Materialis, *mare* vapores suppeditans; Instrumentum, Sol, cujus calore vapores è mari extractos tollit & quasi accersit Deus in mediam aeris regionem, à cujus frigiditate fit ut in aquas pluvias resolvantur. Quod Quimquius *ferventis ollæ* similitudine in radice נשא illustrat, ex qua vapores & fumi ad operculum frigidius ascendentes in aquas vertuntur. Gen. 2. 6. *Vapor ascendit*, *& irrigavit superficiem terræ universam*. ¶ *Maris*] 1 Reg. 18. 44. Elias audito *nubem parvam è mari ascendere*, *Junge equos*, inquit, *& abi*, *nè te pluvia intercludat*. *Interea cœlo nubibus obscurato*, *magna pluvia erat*. Lucretius lib. 6.

> *Humorem magno tollunt ex æquore ponti.*
> *Nubes, qui in toto terrarum spargitur orbe,*
> *Cùm pluit in terris.* ——

Hac de re Cicero ex opinione Stoicorum 2 De nat. Deor. ità loquitur, *Sunt autem stellæ naturâ flammeæ: quocirca terræ*, *maris*, *aquarum vaporibus aluntur iis qui à Sole ex agris tepefactis & ex aquis excitantur*, *quibus altæ renovatæque stellæ atque omnis æther refundunt eodem*, *& rursus trahunt indidem*.

10. *In porta*] Porta olim locus judicii erat. Deut. 17. 5. & 22. 15. & hic versibus 12, 15. Sive igitur Propheta, sive quis Judex integer, sive alius aliquis Judicem in porta coargueret, is odio habebatur. Esa. 29. 21. *Peccati reum peragunt propter verbum*, *& corripienti in porta tendiculam ponunt*. ¶ *Integrè*] תמים per Ellipsin præpositionis ב adverbiascit. Psal. 15. 2. הולך תמים *qui ambulat integrè*.

12. *Munus*] Vel *pretium redemptionis*, ut Sam. 12. 3. *A cujus manu pretium redemptionis accepi*.

13. *Tempore illo*] Quo Deus populum suum judicaverit; ut Mich. 3. 4. *Tunc clamabunt*, &c. ¶ *Silebit*] i. Patienter feret Dei ferulas, placidéque se ipsius voluntati submittet: ut Psal. 39. 9. *Obmutui*, *neque os meum aperui*, *quia tu fecisti*. ¶ *Tempus malum*] Adversum & calamitosum, quo Deus judicia sua exercuerit. Psal. 41. 1. *In die mali liberat eum Jehova*.

16. *Accersent agricolæ ad luctum & planctum peritos lamenti*] Nova interpretatio est, at ea quæ quin sit vera mihi persuadere non possum. אכר igitur primùm existimo poni per Synecdochen pro אכרים, & pluraliter *agricolas* significare. Neque enim unius alicujus agricolæ luctum hic agi verisimile est: & hic

& hic tropus vulgatiſſimus eſt quo numerus ſingul. pro plurali dicitur. Deinde, idem nomen verbi קראו ſuppoſitum eſſe judico, *agricolæ accerſent.* Quod ità eſſe Jarchius quoque cenſuit, quanquam aliter exponit, *Agricolarum catervæ occurrent.* Poſtremò, verbum קרא poſt ſe regere præpoſitionem אל in *accerſendi* notione uſitatum eſt. Conferatur hic locus cum Jer. 9. 17. Ubi ad ſimilem ſententiam, de accerſendis ad luctum peritis lamentandi præficis, idem verbum ſimilem habet conſtructionem קראו למקוננות. Nam קרא etiam cum præpoſitione ל ſæpe *accerſere*, h. e. vocare quidem, ſed per alium, ſignificat. Communem igitur luctum declarat, diſtributione illius in varia lugentium genera. Primum Civium eſt in *plateis* urbium ejulantium; ſecundum, *Agricolarum* in villis & agris; tertium, vinitorum in *vineis.* Sic Joelis 1. *Flete ebrioſi, lugent Sacerdotes, erubeſcunt agricolæ, ejulant vinitores.* In ſepultura olim cantores ad luctum flebili cantu excitandum adhiberi ſolitos eſſe, declarat Homerus in fine Iliad. de Hectore ſepulto loquens,

——————Τὸν μὲν ἔπειτα
Τρητοῖς ἐν λεχέεσσι θέσαν, παρὰ δ' εἷσαν ἀοιδὺς
Θρήνων ἐξάρχυς, οἵτε στονόεσσαν ἀοιδὴν
Οἱ μὲν ἄρ' ἐθρήνεον· ἐπὶ δὲ στενάχοντο γυναῖκες.

Horatius De arte poetica,

Ut qui conducti plorant in funere, dicunt
Et faciunt propè plura dolentibus ex animo, ſic
Deriſor vero pluis laudatore movetur.

Hi Latinè *ſiticines* dicti ſunt, *quòd apud ſitos, h. e. vitâ functos & ſepultos,* in honorem mortuorum cantus lamentabiles *canere ſoliti eſſent*, ut ex Attei Capitonis conjectaneis oſtendit Gellius l. 20. c. 2. & Nonius Marcellus.

18. *Deſiderantibus*] Qui ſcilicet verbis præ ſe ferebant diei illius deſiderium, ità ſecuritatem ſuam declarantes, quaſi nihil dubitarent quin à malis denunciatis immunes forent: ut Eſa. 5. 19. *Acceleret Deus opus ſuum, adveniat conſilium ejus, ut ſciamus.* Jer. 17. 15. *Dicunt mihi, Ubi eſt verbum Jehovæ? adveniat jam.* Eſt enim מתאוים participium conjugationis illius quæ non ſemper veram ſed aliquando fictam actionem denotat, ut Elia docet in Grammatica ſua Hebræa oratione 1. cap. 13. ſect. 2. ex Prov. 13. 7. יש מתעשר ואין כל מתרושש והון רב. *Eſt qui ſe divitem ſimulat, cùm deſint omnia; item qui ſe pauperem fingit, cui ſubſtantia ampla eſt.* Sic 1 Sam. 21. 13. התהולל ſign. *ſe inſanum ſimulare.* Ironicῶς igitur videntur hunc diem optaſſe, ut ſuam incuriam oſtenderent, non revera ex animo, ut in illis locis Eſaiæ & Jeremiæ.

20. *Tenebricoſus*] Ad verb. *tenebra.* Metonymia abjuncti. *Dies* autem *tenebroſus* vocatur tempus triſte & luctificum ac acerbum. Metaphora. Tale illud Virgilianum eſt Æn. 11.

———*Mæſtâmque Euandri primus ad urbem*
Mittatur Pallas, quem non virtutis egentem
Abſtulit atra dies & funere merſit acerbo.

Horatius 4. Car. od. 4.

Quid debeas, ô Roma, Neronibus,
Teſtis Metaurum flumen, & Haſdrubal
Devictus, & pulcer fugatis
Ille dies Latio tenebris.

Contrà *lucis* nomine eodem tropo lætitia & gaudium intelligitur. Eſth. 8. 16. *Judæis fuit lux & lætitia.*

21. *Nec ferias veſtras olfaciam*] h. e. Sacrificia feriarum veſtrarum. עצרת enim propriè *diem interdicti feſtum* denotat, vel *ferias*, ut Caſtalio vertit, in quibus ab opere ceſſabatur. Hic verò per Metonymiam illius *diei feſti ſacrificium* deſignat, ut verbum *odorandi* adjunctum arguit, quod de ſacrificiis Deo gratis & acceptis ſæpe uſurpatur, Gen. 8. in fine, *Cùm Noachus holocauſta obtuliſſet, Deus gratum indè odorem odoratus eſt.* 1 Sam. 29. 16. *Si te Jehova contra me incitavit, odoretur munus.* Simili ratione חג proprium *feſti* nomen eſt, & tamen eo modo *feſti ſacrificium* notat Exod. 23. 18.

24. *Fluat tanquam aqua*] Verbum è verbo *volvatur tanquam aqua. Volvi* per Metaphoram dicitur pro *fluere*, quia aquæ, præſertim quæ concitatiore curſu feruntur, volvi videntur. Sic Virgilius Georg. 3 loquitur,

———*Non qui per ſaxa volutus*
Purior electro campum petit amnis.

Columella lib. 1. c. 5. *Huic proxima fluens aqua è montibus oriunda, quæ per ſaxa præceps devolvitur.* Hinc *fluctus* Hebraicè גלים à *volvendo* dicuntur. Quod ad loci ſententiam attinet, ea mihi eſſe videtur quam Hebræi interpretes explicant, nempe *Jehovam externa ſacrificia non morari, ſed hoc ab illis poſtulare, ut juſtitia abundet, & paſſim ab hominibus colatur, & copioſè ubique vigeat.* Conferatur hic locus cum Eſa. 1. 16. & Mich. 6. 8.

25. *Obtuliſtis*] Obtulerant quidem, ſed Deus negat ſibi fuiſſe oblata quia ei grata non fuerunt, quippe quæ & cordis pietate vacua & cum idololatria mixta erant, ut proximus verſus docet. Eſa. 43. 23. ſimilis locus eſt, *Non obtuliſti mihi pecudes holocauſtorum tuorum, nec me ſacrificiis tuis honoraviſti, quin iniquitatibus & peccatis tuis me fatigaſti.* Tali autem cultui prorſus renunciat Deus Ezec. 20. 39. *Ite, colite ſtercoreos Deos, quandoquidem mihi non auſcultatis, neque nomen meum profanate ampliùs donis veſtris.* Deus autem ſolus coli vult, aut non omnino: ſuæ gloriæ participem ferre non poteſt.

26. *Portaſtis*] Idola humeris geſtari ſolita eſſe diſcimus ex Eſa. 46. 7. *Argentum appendunt, conflatorem conducunt, ut faciat ex eodem cui procumbentes incurvant ſeſe, humero ſublatum portant:* & Bar. 6. 4. *Videbitis in Babylonia Deos aureos, argenteos, ligneos, humeris ſublatos.* Ibidem 26. *Carentes pedibus, humeris feruntur.* ¶ *Regem veſtrum*] Idola honore regio culta *Reges* vocitabantur. Soph. 1. 5. *Qui per Jehovam jurant & Regem ſuum.* Ut enim Jehova Rex populi ſui dicitur Eſa. 44. 6. *Sic ait Jehova Rex Iſraelis*; ità idololatræ Deos ſuos *Reges* appellitaverunt. Quòd verò quidam ità interpretantur, *Melechi veſtri*, quaſi proprium ſit idoli nomen, nè veriſimile videatur facit affixum adjunctum. Propria enim nomina cum pronominibus affixis non ſolent componi, ut in capite Specierum docet Eliah. ¶ *Chijunem imagines veſtras*] i. Imaginem. Pluralis meo judicio pro ſingulari ponitur eâ ratione quâ in voce ſequente אלוהכם *Deorum veſtrorum* pro *Dei veſtri.* Frequens Hebraiſmus in nominibus Dignitatis. Sic enim קדושים *ſancti* pro קדוש *ſanctus*, אדונים *Domini* pro אדון *Dominus*, & בעלים *poſſeſſores* pro בעל *poſſeſſor.* Quare autem צלמים inter id genus nomina non ponatur, cùm *imaginem* notet pro Deo habitam & cultam, non video. Hier. in Comment. ad h. l. & libro De nom. Heb. inter ea quæ ex Amoſo interpretatur, pro כיון *Kijun* habet *Rephan*; ut etiam pro eodem Act. 7. 43. Ῥεφὰν in quibuſdam exemplaribus Græcis & tranſlatione Syriaca legitur. Itaque pro כיון in ſcriptura ſine punctis exarata lectum videtur כֵּיוָן *Kevan.* Hinc poſtea *Revan* factum vel ex Græcis (ut divinat Mercerus) vel ex Hebræis literis (ut ego magis exiſtimo) errore nato. Non magnum enim, ſi figuras ſpectemus, inter כיון & ריון diſcrimen eſt. Pro *Ravan* verò *Rephan* dicitur, commutatis illis literis quæ propter affinitatem ſuam alternam inter ſe migrationem habent. Hinc *Dafos* pro *Davus* olim ſcribebatur, & *ſerfus* pro *ſervus*, & in Latino alphabeto *f* eum locum habet quem in Hebræo *Vau.* Quod verò nunc vulgò eo Actorum loco *Remphan* ſcribitur, euphoniæ tribuendem eſt; Cujus gratiâ veteres ante *p* & *b* in multis dictionibus *m* literam interponebant. Hinc *tympanum* à תף; *ſompnus* primùm pro *ſopnus* à Græco ὕπνος; poſtea *ſomnus*; *lampas* à לפיד; *Sambation* pro *Sabbation*; *Ambubaia* à Chaldæo אבובא *abbuba*; κνάπτω κνάμπτω. Adde illud Virgilii Æn. 10.

Et Capys: hinc nomen Campanæ ducitur urbi.

¶ *Sidus Dei veſtri*] h. e. Deum veſtrum. In hoc enim loquendi genere poſterius ſubſtantivum per Appoſitionem in eodem caſu cum priore exponendum interdum venit: ut *expanſum cœli* idem valet quod *expanſum quod cœlum eſt*, ait Aben Ezra ad ult. v. cap. 1 Gen. Similis locutio videtur Eſa. 21. 9. *ſculptilia Deorum ejus.* Sculpta enim ſimulacra ab eis pro Diis culta ibi intelligas licet: vel, ut Tremellius vertit, *ſculptiles Deos.* Tale illud eſt Horatii lib. Epod. od. 2.

Aut herba lapathi.

Et Sat. 4. lib. 2.

Et lapathi brevis herba.

Talia etiam illa, *urbs Antiochiæ* apud Ciceronem, & *oppidum Cumarum* apud Palladium. Hieronymus hic *ſtellam Luciferum* interpretatur, quem ætate ſuâ dicit à Saracenis cultum

t 3 fuiſſe.

fuisse. Nomine verò superiore כיון Aben Ezra *Saturnum* intelligit.

27. *Ultra Damascum*] Act. 7. pro hoc legimus *ultra Babylonem*. Utrumque verum. Abducti enim fuerunt in Assyriam. Sed *Damasci* ob eam causam hîc, ni fallor, mentio fit quòd eâ viâ deportati fuerint per Damascum. Verisimile est Tiglath-Pileserum ab Achabo accersitum contra Israelitas & Syros pugnatum, primùm Israelitas invasisse, ac Reubenitas & Gaditas cum dimidia tribu Manassis & incolis Galilææ ac totius terræ Naphthali victos abduxisse, cúmque ea captivitate Damascum contra Syros profectum esse, quos etiam similiter eodem tempore subjugatos deportavit. Esa. 8. 4. *Tolletur opulentia Damasci & præda Samariæ ante Regem Assyriæ*. Vide 2 Reg. 15. 29. & 1 Par. 5. 26. & 2 Reg. 16. 9. & suprà annotata ad v. 12. c. 3. Nam Achas, qui illum Assyriæ Regem ad id bellum faciendum conduxerat, dicitur profectus esse obviàm Tiglath-Pilesero Damascum, ad gratulandum ei de victoria, ut probabile est, quasi ibi illius belli contra Israelitas & Damascenos gesti finis fuerit.

G R O T I U S.

1. *Quod ego levo super vos planctum domûs Israël*] Ex Hebræo bene vertas, *Quod ego attollo super vos lugubre domui Israël*.

2. *Cecidit, & non adjiciet ut resurgat*] Id est, *non iterum surget*: nempe si ità pergit.

3. *Relinquentur in ea decem*] Vivi.

4. *Quia hæc dicit Dominus domui Israël, Quærite me & vivetis*] *Attamen hæc dicit*, quasi decretis nondum obsignatis, ut loquuntur Hebræi.

5. *Et nolite quærere Bethel, & in Galgalam nolite intrare*] Vide suprà 4. 4. ¶ *Et in Barsabee non transibitis*] Nè transite, nempe in fines Judæ, ubi erat Barsabee, ut notat hîc Hieronymus, & probatur ex 1 Regum 19. 3. Hunc autem locum cultui suo superstitiosi delegerunt, quòd ibi Deus Isaaco apparuerat Genes. 26. 24. ¶ *Galgala captiva ducetur*] In Hebræo est elegans παρονομασία [*Nominum allusio*,] הגלגל גלה יגלה: nam in verbis illis *gal* bis repetitur, ut in nomine *Galgal*. ¶ *Et Bethel erit inutilis*] *In vanum*. Est & hîc allusio ad nomen quod Judæi dederunt Betheli; id autem est בית און [*Domus vanitatis*.]

6. *Domus Joseph*] Regnum Ephraïmi.

7. *Qui convertitis in absynthium judicium*] Judicia recta, res suavis populo; corrupta, mera amaritics. ¶ *Et justitiam in terra relinquitis*] Proculcatam non sublevatis.

8. *Facientem Arcturum*] *Plejadas* potiùs. Vide ad Jobi 38. 31. ¶ *Et orionem*] Vide quæ ad eundem Jobi locum dicta. ¶ *Qui vocat aquas maris*] Nempe extra consuetos terminos, ut terras inundet, sicut sequitur.

9. *Qui subridet vastitatem super robustum, & depopulationem super potentem affert*] Qui roborat vastatorem supra fortem, ità ut vastator etiam loca munitissima superveniat.

10. *Odio habuerunt corripientem in porta*] *Oderunt qui in porta sunt* (id est, Judices) *recta monentem*.

11. *Eò quòd diripiebatis pauperem*] Conculcastis. ¶ *Et prædam electam tollebatis ab eo*] *Onus frumenti abstulistis ab eo*. ¶ *Domos quadro lapide ædificabitis*] Οἴκους ξεςοὺς ᾠκοδομήσατε [*domos struxistis dedolatas*] *Domos struitis lapidibus bene dolatis*. Ità hic Chaldæus. ¶ *Et non habitabitis in eis*] Ex comminatione quæ est Deuteronom. 27. 30. ubi & de vineis loquitur. ¶ *Amantissimas*] Amatissimas.

12. *Et fortia peccata vestra*] Grandia. ¶ *Hostes justi*] *Inimici hominis innocentis*. ¶ *Pauperes deprimentes in porta*] *Et egenos in porta faciunt cadere causâ*.

13. *Prudens in tempore illo*] Hoc tempore. ¶ *Tacebit*] Tacet nè aliis nihil prosit, sibi verò malum adferat.

14. *Quærite bonum*] Date operam probitati. ¶ *Et erit Dominus Deus exercituum vobiscum*] Vobis favebit. ¶ *Sicut dixistis*] Deum vobis adfore.

15. *Constituite in porta judicium*] *Rectum facite*, Chaldæus.

16. *Et in cunctis quæ foris sunt*] In Hebræo: *In omnibus compitis*. Sic & Chaldæus. Lxx, ἐν πάσαις ταῖς ὁδοῖς [*in viis omnibus*.] Vide Matth. 22. 9. ¶ *Eos qui sciunt plangere*] Eos qui lamenta choro præire solent. Vide Matthæi 11. 17.

17. *In omnibus vineis erit planctus*] Ubi læta cantica sonare solebant. ¶ *Quia pertransibo in medio tui*] Ad ultionem, ut Exodi 11. 4. & 12. 12.

18. *Væ desiderantibus diem Domini*] Iis qui dicunt, Utinam Deus veniat; nec considerant quid mali fecerint. Vide Esaiæ 5. 19. ¶ *Dies Domini ista tenebræ, & non lux*] Eversio regni, urbium excidium, populi cædes aut avectio.

19. *Quomodo si fugiat vir à facie leonis, & occurrat ei ursus*]

Incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdin.

De fumo in flammam, ut dicitur. ¶ *Et ingrediatur domum*] Metu ferarum.

21. *Odi & projeci festivitates vestras*] *Festos dies*. *Et non capiam odorem cœtuum vestrorum*] Non erit gratus mihi, Levitici 26. 31.

22. *Quòd si obtuleritis mihi holocautomata*] Ex lege Lev. 1. ¶ *Et munera vestra*] מנחות [*placentas è simila*,] de quibus Levitici 2. ¶ *Et vota pinguium vestrorum*] *Pacifica sacra ex pingui pecore*: quæ Græcis θυσίας σωτήριοι [*sacra ob salutem*,] Levitici 3. 1.

23. *Tumultum carminum tuorum*] Hymnos. ¶ *Et cantica lyræ tuæ*] *Nabliorum* in Hebræo.

24. *Et revelabitur quasi aqua judicium, & justitia quasi torrens fortis*] *Sed jus* (apud te) *ut aqua profluat, & benignitas ut torrens rapidus*. Sensus est, Omnes ritus mihi displicent donec vitam emendaveris.

25. *Numquid hostias & sacrificium obtulistis mihi in deserto quadraginta annis, domus Israël*] *Nónne?* Lxx, μή. *Quadraginta annis*, id est, intra illud spatium annorum 40. Nónne etiam eo tempore *victimas* & μαναὰ [*placentas ex simila*] *obtulistis?* & tamen illi ex Ægypto educti in itinere perierunt, propter malos mores.

26. *Et portastis tabernaculum Moloch vestro*] *Nunc verò etiam tabernaculum*, id est, ναΐσκον [*formulam templi*] *Molochi dei vestri*, sive Saturni, *portastis*, *bini*, ut hîc addit Chaldæus. Tantò pejores estis quàm illi; illi murmurarunt adversùm me: vos alios deos introduxistis. *Portastis* in Græco est ἀνελάβετε [*suscepistis*.] Eustathius ad Iliad. 1. ait fuisse ναοὺς ζευγηλατουμένους [*templa vehiculo portata*,] quomodo & Philo Byblius loquitur. Servius ad 6 Æneidos: ξόανα *simulacra brevia quæ portabantur in lecticis, & ab ipsis mota infundebant vaticinationem, quod fiebat apud Ægyptios & Carthaginenses*. Israelitæ ergò in hoc aut Tyrios imitati, Carthaginensium genitores, aut Ægyptios. סכות, σκηνὴν [*tabernaculum*] vertunt hîc Lxx; nec aliter Chaldæus. ¶ *Et imaginem idolorum vestrorum, sidus Dei vestri quæ fecistis vobis*] In Hebræo: *Et Kiun imaginem vestram stellæ, deos vestros quos fecistis vobis*. Ubi *deos vestros* communiter refertur ad *Molochum* & ad *Kiun*. Lxx: Καὶ τὸ τοῦ θεοῦ ὑμῶν Ῥαιφᾶ (alii libri habent Ῥαιφάν) τοὺς τύπους αὐτῶν, οὓς ἐποιήσατε ἑαυτοῖς [*Et illud dei vestri Rampha* (seu *Raphan*,) *simulacra ipsorum quæ fecistis ipsis*.] Hoc sequitur Lucas Actorum 7. 43. καὶ τὸ ἄστρον τοῦ θεοῦ ὑμῶν Ῥεμφὰν, τοὺς τύπους οὓς ἐποιήσατε προσκυνεῖν αὐτοῖς [*& sidus dei vestri Remphan, simulacra quæ fecistis ut ad ea procumberetis*.] Chaldæus, *Et Kiun imaginem vestram, sidus idolum vestrum, quod fecistis vobis*. Sicut *Moloch* est nomen Ammoniticum, ità כיון [*Kiun*] est Arabicum, & Persicum, quod & כיואן [*Kivan*] scribi ait Abenesdra, & esse eis *Saturnum*. Idem dictus Syris רמן [*Remmon*,] 2 Regum 5. 18. nimirum quòd *altissimo esset orbe*, ut Tacitus loquitur. Sicut כיון [*Kiun*] pronuntiabatur & כיואן [*Kivan*,] ità רמן [*Remmon*] etiam רמון [*Remvan*:] quod Græci, amisso Digammæ usu, scripsere Ῥαμφὰν [*Ramphan*,] aut Ῥεμφὰν [*Remphan*,] quæ scriptura vera est. Dicuntur autem *dii* Moloch, & Kiun vel Kivan, quia quanquam ad idem sidus referebantur, alia tamen habebant nomina habitúmque & cultum, ut Luna & Diana apud Græcos. quin & plures homines ad idem sidus relati apud alias aliásque gentes: & Moloch Regis habebat figuram, Kivan stellæ.

27. *Et migrare vos faciam trans Damascum*] Ideo quia talia fecistis, longè vos projiciam. μετοικιῶ ὑμᾶς ἐπέκεινα Δαμασκοῦ [*transportabo vos ultra Damascum*,] Lxx. At Lucas rem magis spectans quàm verba, ἐπέκεινα Βαβυλῶνος [*ultra Babylonem*.] rectè: nam Assyria & Armenia, in quam transportati sunt Israëlitæ, ultra Damascum & Babylonem sunt. Vide 2 Regum 15. 29. & 17. 6. 1 Paralipomen. 5. 26. & ibi dicta. Per Damascum via erat in Assyriam.

CAP.

C A P. VI.

M U N S T E R U S.

1. *Celebres fuerunt*] Etiam cùm Gentes ante Iſraelitas inhabitarent terram Promiſſionis, *mons Zion* & *mons Samaria* apud eas *fuerunt celebres* præ cæteris locis ob naturalem munitionem; ſicut & poſt omnes civitates in Regno Iſrael devaſtatas ultimò fuit caſtrum Samariæ debellatum, & mons Zion poſt omnia Judææ obtenta loca expugnatus. Ad hæc igitur optima loca cùm Dominus Iſraelitas perduxiſſet, & Gentes ante eos expuliſſet, obliti ſunt ingrati homines beneficiorum Dei, & paſſim ſeſe in omnia conjecerunt vitia, putantes ſe ſecurè habitare, non ob id quòd fiduciam in Deum haberent (cùm in eum non confiderent) ſed quòd *bonis abundarent*, & munita haberent loca, atque ob id neminem timebant; neſcientes nullam potentiam nullúmque robur poſſe contra judicium Dei conſiſtere: id quod exemplis demonſtrat. *Calne* eſt urbs in terra Sinear; de qua Gen. 10. *Hemath* eſt urbs Syriæ, quam Antiochiam eſſe putant. Hæ, inquit, urbes vim hoſtium ferre non potuerunt, cùm & munitiores veſtris eſſent, & *latiores haberent terminos*, & vos *fiduciam habetis in monte Samariæ atque in monte Zion?*

3. *Longè removetis diem malum*] i. Cùm Prophetæ meo juſſu vobis indicant impendere diem ultionis, vos dicitis diem illum adhuc longè abeſſe, & ſtrenuè interim pervertitis judicium eorum qui juſtas habent cauſas; dormitis ſine timore in pretioſis lectis, vacatis omni laſciviæ & libidini.

6. *Primitiis oleorum*] i. Utentes optimo & præcipuo oleo.

7. *Adveniet luctus*] Sic Kimhi exponit. Alii ſic interpretantur, *recedet gaudium illorum qui occupati fuerant deliciis.*

10. *Avunculus ejus*] Eſt מסרפו idem quod אחי אם *frater matris ejus.* Alii exponunt pro שרפה *incendio*; ut ſit ſenſus, Propinquus qui aderit tollet illos qui gladium fugientes peſte in domo interierunt, & comburet corpus ut oſſa efferre poſſit ad ſepulturam. Corpus quidem comburet propter cadaveris fœtorem. ¶ *Quia non eſt recordandum*] Jonathan hunc locum ſic vertit, *Cum viverent, non orabant in nomine Domini.* Kimhi verò ſic exponit, *Tace, & noli plangere; quia non eſt recordandum nominis Domini, quòd magis memoriam fecerimus deorum Baal, id quod cauſa eſt hujus tantæ cladis. Pone ergò digitum ſuper os tuum, & ſuſtine.*

12. *Numquid current equi*] *Vos*, inquit, *pervertitis judicium*, & in hoc ſimiles eſtis inſanis hominibus (ſi modò tales inveniantur) qui *equos in locis petroſis ad curſum incitant, aut boves cogunt arare in fundo ſaxoſo.*

14. *Fluvium campeſtrem*] Kimhi intelligit *mare deſerti.* Alii legunt *fluvium Occidentalem*, h. e. Ægyptium.

V A T A B L U S.

1. *Quietis* השאננים] *Tranquillis*, i. vitam degentibus in ſumma tranquillitate & ſecuritate animi. Quidam *opulentis.* ¶ *Nominatis* נקובי] *Denominatis*, ſub. *locis*, vel *montibus, Sionis* & *Samariæ.* Per appoſitionem dictum. ¶ *A principio* ראשית] A *primitiis*, i. propter priores incolas: q. d. Væ qui vobis habitatis in locis celebratiſſimis & inſignibus propter antiquitatem incolarum. Alii vertunt, *nominatis principium gentium*, i. exiſtimatis, quòd à principio illic habitaverint ſeptem Gentes, fuerítque terra illorum omnium terrarum fertiliſſima, ut doctus inter Hebræos exponit. Alii, qui montes *celebres fuerunt apud primas gentes.* Etiam cùm Gentes ante Iſraelitas inhabitarent terram Promiſſionis, mons Sion & mons Samariæ apud eas fuerunt celebres præ cæteris locis ob naturalem munitionem: ſicut & poſt omnes civitates in regno Iſrael devaſtatas, poſtremò fuit arx Samariæ expugnata, & mons Sion poſt omnia Judææ loca debellatus. Ad hæc igitur optima loca cùm Dominus Iſraelitas perduxiſſet, & Gentes inde expuliſſet, obliti ſunt ingrati homines beneficiorum Dei, & paſſim in omnia vitia proruerunt, freti ſecurè ſe habitare, non ob fiduciam quam in Deum haberent, ſed quòd bonis abundarent & munitiſſima haberent loca. ¶ *Et* tamen *venerunt* ובאו] *Et* tamen *ingreſſi ſunt*, i. ceperunt illos.

2. In *Chalneh* כלנה] Urbem ſcilicet Babyloniæ. Vel accipit pro tota regione. ¶ *Et videte* וראו] Sub. *diligenter illam regionem.* ¶ *An meliores*, &c. הטובים וגו'] Et videre *an meliores ſint Regnis iſtis*, [quæ ſcilicet Deus dedit vobis] *aut major ſit terminus eorum quàm terminus veſter*: q. d. Ingratiſſimi qui colatis idola, quibus Dominus dederit terram hanc quâ nulla ſit fertilior nec amplior.

3. *Qui longinquum putant* המנדים] Sub. *Væ illis qui*, &c. Alii, *Qui repellitis*: vel *Rejicitis*, ſub. *in mente veſtra.* i. Non creditis diem afflictionis venturum: ſed apud vos cogitatis longè abeſſe. ¶ *Et appropinquare faciunt*, &c. ותגישון שבת חמס] i. Interim injuſtè judicant, toto ſtudio ſerviunt injuſtitiæ.

4. *Et extendunt ſe* וסרוחים] *Et diſtendunt ſe indecorè ſuper*, &c. Alii, *& tapetia* [ſive *ſtragula*] *ampliſſima* ſunt *ſuper lectos ſuos.* Utroque modo exponit doctus inter Hebræos. Vide v. 7.

5. *Qui particulatim canunt ad nebel* הפורטים על פי הנבל] Ad verb. *Qui particularizant.* i. Qui peritè canunt ſuam cantici partem. Gallicè, *qui ſcavent jouer leur partie.* Quidam, *Qui cantillant ad vocem pſalterii.* Alii, *Concinentes ad*, &c. Doctus inter Hebræos in eundem ſenſum vertit, *Uniunt ſe* [vel *uniuntur*] *ſecundùm chorum*, & exponit, *Qui canunt cantica ſua ad ſonum pſalterii, elevantes vocem cantici ſui juxta tonum nabli, ità ut ſimilis non ſit unius vox voci alterius.* Quidam ex eis vertunt, *Qui ſolvunt cantica.* Alii deducunt à פרוטה *obolus*, aut *nummus*; acſi dicat, *Qui dant ſinguli obolum* [aut *nummum*] *cantori*, vel *pulſanti nebel.* His ſignificat, totum illorum ſtudium fuiſſe in adinveniendis variis generibus voluptatum, Deo neglecto. Chald. *Qui pulſant*, aut *canunt.* ¶ *Sicut David*, &c. כדויד וגו'] *Sicut ipſi David* [*conveniebant*] *reputant ſibi* [*quoque congruere*] *inſtrumenta muſica*, i. attribuunt ſibi inſtrumenta muſica, ſicut Davidi. Vel, ingenioſè excogitant ſibi nova inſtrumenta muſica quemadmodum David, qui fuit peritiſſimus muſices: q. d. Putant ſe æquare doctrinâ muſicali ipſum Davidem.

6. *In phialis* במזרקי] *In crateris: in guttis.* ¶ *Et electis unguentis* וראשית שמנים] Ad verb. *& primo unguentorum*, i. optimis unguentis, ſive præcipuis. ¶ *Contritionem* שבר] *Afflictionem.*

7. *Nunc* עתה] i. Propediem. ¶ *In capite* בראש] *In principio*, i. inter primos captivi abducentur. ¶ *Se extendentium* סרוחים] Ad verb. *extenſorum*, i. eorum qui ſe extendere ſolent in lectis eburneis: de quibus v. 4. Doctus inter Hebræos etiam exponit *reſiduorum*, i. reſidui populi.

8. *Per animam ſuam* בנפשו] i. Per ſemetipſum. ¶ *Majeſtatem* גאון] *Magnificentiam*, i. id de quo gloriari ſolet, h. e. Templum meum, in quo gloria & majeſtas mea habitat. Vide cap. 8. 7. ¶ *Et plenitudinem ejus* ומלואה] i. Et quicquid in ea eſt, h. e. cum ſuis civibus.

9. *Si remanſerint* אם יותרו] *Si reliqui fuerint.*

10. *Et tollet quemque eorum* ונשאו] Ad verb. *Et tollet eum*, i. ſingulos. Sing. pro plur. ubique. ¶ *Et avunculus ejus* ומסרפו] Quidam Hebræorum vertunt, *& comburens eum*, à שרף, & ſic ס eſt loco ש. Chald. *Et tollet eum propinquus ejus de incendio ad efferendum.* ¶ *Et dicet* ואמר] Sub. *alter illorum.* ¶ *In lateribus domûs* בירכתי הבית] i. In uno è lateribus domûs. Phraſis Hebraica, ut & Jud. 12. 7. *Et ſepultus eſt in urbibus Galaad*, i. in una urbium. ¶ *Et reſpondebit, Nequaquam* אמר אפס] Ad verb. *& dicet, Finis.* ¶ *Non* ſumus aſſueti *commemorare* לא להזכיר] Sub. *ſed potiùs idolorum, quibus inſervivimus, ideo acciderunt nobis hæc omnia.* Alii vertunt, *non* æquum eſt *meminiſſe nominis Dei*, i. non oportet hîc conqueri de Deo. Chald. *quia inter nos nullus eſt dignus qui poſſit meminiſſe Domini.*

11. *Præcipiet* מצוה] Præſ. Heb. pro fut. i. brevi decernet. ¶ *Rimis* רסיסים] *Fracturis.* Deſcribit terræmotum propter quem rimas agerent domus tam magnæ quàm parvæ.

12. *Curréntne*, &c. הירוצון וגו'] Sub. *non*: acſi dicat, Vos perinde facitis acſi in rupe equus curreret, aut bos eam rupem araret: agitis omnia præpoſtero ordine: Quandoquidem juſtitiâ veſtrâ non ſervantur innocentes, ſed velut toxico perduntur; loco juſtitiæ exercetis injuſtitiam.

13. *Abs re* ללא דבר] Ad verb. *in non re.* ¶ *Cornua* קרנים] Quibus ſcilicet vicimus hoſtes. *Cornua* accipiuntur pro inſtrumentis quibus nos noſtráque tuemur. q. d. Nónne induſtriâ noſtrâ peperimus nobis has vires & opes quibus alios invadamus?

14. *Suſcitabo* מקים] Præſ. Heb. pro fut. ¶ *Et oppriment* ולחצו] *Quæ divexabunt*: vel *affligent*, aut *coarctabunt*, i. totam regionem veſtram ſubvertent, & in captivitatem vos abducent. Obiter diſcripſit totam regionem 10 tribuum. ¶ *Hamath* חמת] i. Antiochiæ. ¶ *Uſque ad torrentem deſerti* עד נחל הערבה] i. uſque ad mare deſerti, ſive Occidentale.

CAS-

CASTALIO.

2. NUM *sitis Regnis istis præstantiores*] Qui Regna illa vestro majora delevi, & vestrum delere possum: nè fortè vestris montibus confidatis.

3. *A se triste tempus amovent*] Voluptati indulgent, & injusti sunt.

10. *Et ille, Pax, inquiet: neque enim commemorandum est Jovæ nomen*] Nè tum quidem ad Jovam redibunt.

12. *Num per rupes*] Tam absurdè facitis quàm si quis *rupes bubus aret*, &c.

CLARIUS.

1. NOminatis *à principio gentium*] Illud *nominatis* ablativi casûs est, & refertur ad duos *montes*, & *Sion* & *Samariæ*. Ait ergò, Minimè decere eos superbire de nobilitate illorum montium, qui primatum obtinebant in præcipuis gentibus ad quos occupandos ingressa est *domus Israel*, expulsis beneficio Domini, & non eorum viribus, Amorræis & reliquis fortissimis populis. Atque ut doceat non esse fidendum munitione & opulentiâ locorum, profert exempla urbium quas subdit, quæ vim hostium ferre non potuerunt, cùm & munitiores essent, & latiores haberent terminos.

3. *Longè removetis diem malum*] Qui procul abesse persuadetis vobis *diem malum*, & occasione præsenti speratis vos impunè usuros ad perpetranda scelera.

9. *In domo una*] h.e. Confugientes *in domum unam* metu gladii, *morientur* fame vel peste.

10. *Comburet eum*] Ad tollendum pedorem. ¶ *Finis est*] i. Elati sunt omnes. ¶ *Tace*] Scilicet, nè sciant hostes in quantis malis versamur propterea quòd *desivimus memores esse Domini*.

12. *Arari potest in bobus*] Sub. *inter petras*. Sicut *non solent equi currere in petris, neque agricolæ arare in petrosis locis*, cùm nullus indè fructus sit sperandus, sic ex tam impœnitente vita nequaquam felicitas speranda erit.

DRUSIUS.

1. VÆ *tranquillis in Sion*] Plenum esset, *Væ tranquillis qui habitant in Sion*. Sic mox, *& securis qui habitant in monte Samariæ*. Hæc concio ad omnes Tribus pertinet. *Tranquillis*, i. quietis. Olim erat, *qui opulenti estis*. Et Justinus in Dialogo cum Tryphone habito citat ex Græca editione οἱ κατασπαταλῶντες, i. *lasciviemtibus*. *In Sion*, i. in monte Sion, i. Jerosolymis. Nam ex parte totum significat. ¶ *Securis*] מבטחים *confidentibus*, i. securis. Græci reddunt τοῖς πεποιθόσιν ἐπὶ τὸ ὄρος Σαμαρείας, & Hieron. *qui confiditis in monte Samariæ*. Quæ nonnulli sic accipiunt ac si fiduciam taxaret quam ponebant in monte illo, qui naturâ & situ munitissimus erat. Non ea mens Prophetæ mihi videtur. ¶ *In monte Samariæ*] In urbe Samariæ quæ in monte sita. ¶ *Qui*, &c.] *Qui montes nuncupantur principium Gentium*, i. præcipui montes Gentium. *Principium* enim dicunt non à quo quid incipit, sed quod præcipuum in re quaque. Sic infrà, *principium unguentorum*, i. unguentum primum ac præcipuum præstantissimúmque. ¶ *Nuncupantur*] Imò sunt. Nam inter montes qui in terra Septem gentium celebres, maximi sunt Sion & Samaria: Ille propter Templum, hic propter Regnum Ephraim: nam ibi Reges habitabant. ¶ *Gentium*] Utrùm Septem gentes intelligit an potiùs 12 Tribus? Sanè caput duarum erat Jerosolyma, ut 10 reliquarum Samaria. Sunt qui verba illa *qui nuncupantur* non ad *montes* referunt, sed ad ipsos *Sionios* & *Samaritas*; cùm referri etiam possit ad ipsas urbes *Jerosolymam* & *Samariam*, quæ in montibus illis exstructæ erant. Quod magis probant consequa verba. ¶ *Et veniunt ad eos*] *Veniunt* dixit pro *conveniunt*. Israelitæ, inquit, conveniunt eò vel sacrorum causâ vel judiciorum. Nam in monte Sion non solùm templum erat, sed etiam consessus Judicum LXX qui *Sanhedrim* vocantur. Sic in monte Samariæ & aula erat &, ut credibile, Senatus summus illarum tribuum.

2. *Transite*] *Abite*, *proficiscimini*. Ità suprà locutus est 5. 5. *Beersaben ne transite*. Sic in Latio *transire domum* pro *abire*. Terent. *Transeundum est ad Menedemum*. ¶ *Chalannen*] Regionis erat Babyloniæ, quam posterior ætas *Ctesiphontem*, aut, ut alii volunt, *Seleuciam* appellavit. Hieron. in Quæst. Eb. *Chalanne, quæ postea verso nomine* Seleucia, *vel certè quæ nunc* Ctesiphon *appellatur*. Gen. 10. numeratur inter urbes terræ Sennaar, ubi auctor editionis illius Chaldaicæ quæ *Jerosolymitana* dicitur & ejus quæ *Jonathæ* nomen præfert [illegible] habet, i. *Ctesiphon*. Eusebius De locis: CHALANNE, *civitas Regni Nemrod in Babylone, cujus & Jesaias meminit, dicens*; ET CHALANNE UBI TURRIS ÆDIFICATA EST. Hinc χαλάννης πύργος proverbiale, quod exstat alibi apud Gregorium Nazianzenum. ¶ *Hamath magnam*] Vel *Hemath*, quæ est antiqua lectio Hieronymo familiaris. Sed & Græci habent Ἐμὰθ ῥαββὰ: ità enim legendum potiùs quàm Ἐματραββὰ, quod tamen in ed. Rom. Hemath sive Hamath, quam interpres Josephi vetus *Amathuntem* vocat, creditur esse civitas Cœlesyriæ *Epiphania* aliàs dicta. Ab hac diversa esse putatur Hemath magna: quam alii *Antiochiam*, ut Hieron & R. Salomo, alii *Emesam* esse dicunt. Theodoretus Jer. 4. *Emath magna est Emesa, quæ regio est in qua Reblatha. Alia Emath* Epiphania *dicitur: Sic enim in præsentem diem appellatur, voce illius loci propriâ.* Eusebius De locis, *In Amos* HEMATH RABBA *scribitur, quod apud nos sonat* Emath magna. *Diximus suprà & de hac quod nobis videretur, hanc esse Epiphaniam juxta Emesam, quæ usque hodie Syro sermone sic dicitur.* Dissentit paululùm à Theodoreto, ut & Eucherius, cujus hæc sunt in libros Regum, pag. 189. *Emath, urbs Cœlesyriæ, quæ nunc* Epiphania *dicitur, juxta Emesam, ut suprà monuimus.* Plura de hac urbe aliàs, si Deus permittet. ¶ *Descendite*] Propriè. Nam ad mare *descendebatur*: Erat autem Geth una ex quinque urbibus Palæstinæ, quæ regio maritima erat. ¶ *Geth Palæstinorum*] Cur adjecit *Palæstinorum*? an declarationis causâ? aut potiùs hoc addidit ad differentiam aliarum Geth quarum mentio in Divinis libris, ut sunt *Geth-Hahepher* patria Jonæ Prophetæ, & *Geth-Remmon*, quo nomine duæ olim urbes fuerunt, una Danitarum, & altera Manassensium? Ut ut sit, sæpius vocatur *Geth* simpliciter. Dicitur & מתג האמה, i. *Frænum aquæductûs*, ut quidem Santes interpretatur 2 Sam. 8. 1. Aberat à Joppe urbe maritima 12 milliaribus, in confinio illius tractûs qui Judæ assignatus erat. Unde recensetur inter urbes Juda, quas Jeroboam communiit 2 Par. 11. 8. *Gettam* Plinii quidam esse putant: alii *Anthedonem*; quod negat Masius Coment. in Josuam. Vide, si vacas. ¶ *An sunt meliores Regnis istis?*] Miror Gallicam ed. quæ habet in textu, *an non sunt meliores?* ac si esset הלא טובים; eadem in margine veram interpretationem, ut sæpe aliàs, ponit, *an sunt meliores?* & est sensus, *Non sunt meliores*. Sic, *terminus eorum non est amplior termino vestro.* Antiqui legerunt הטובים *quæ optima sunt ex Regnis istis*. Lectio non optima; quam tamen & Jonathan expressit. ¶ *Meliores*] *Præstantiores*, ¶ *Regnis istis*] Regnis Juda & Israel. ¶ *Amplior*] *Major*, *latior*. ¶ *Terminus eorum*] Regio eorum.

3. *Qui longè*] Repeti debet ex præcedentibus הוי, *Væ*, inquit, *vobis tranquillis & securis, qui diem illum in longum tempus rejicitis*, ut illi apud Ezecielem 12. 27. qui dicebant, *Visio quam hic videt in dies multos est, & in tempora longinqua iste prophetat.* ¶ *Amovetis*] *Repellitis*, *rejicitis*. ¶ *Diem malum*] Vel *diem mali*: & sign. tempus captivitatis. Nam *diem* pro *tempore* ponunt; & *malum* appellant quod adversum & calamitosum. ¶ *Admovetis*] Facitis ut appropinquet vobis: q. d. redditis cum vobis familiatem. Sic alibi, *Populus iste labiis mihi appropinquat*, i. colit me. ¶ *Sedem*] Non *solium* est in Ebræo, i. כסא, sed *sedem*, i. שבת, quo nomine tam *habitatio* potest intelligi quàm *sella Judicum*, in qua sedentes jus unicuique reddebant. Si ergò de *habitatione* loquitur, erit sensus, Væ qui exstruitis domos ex bonis pauperum quæ per fas ac nefas illis adimitis. Si verò de *sella Judicum* sermo est, taxat eos qui rectum in judicio pervertunt pecuniâ corrupti, aut per tyrannidem quam exercent in reos pauperes. ¶ *Violentiæ*] Aut *iniquitatis*. Huic opponitur *sedes justitiæ*, item *solium æquitatis*. Notum illud, *Solium tuum solium æquitatis*, i. מישור, nisi fallor.

4. *Qui cubatis*] Vel, *Qui cubant*: sic mox, *qui lasciviunt, & comedunt*. Ad verb. *cubantibus*; nisi mavis *accubantibus*; ut de lectis intelligatur in quibus olim discumbebant epulantes. Quam interpretationem firmant sequentia. Suprà 2. 8. *Super vestes pignoratitias discumbunt.* Hic est יט in Ebræo. Videndum an שכב eodem usurpetur significatu. ¶ *In lectis eburneis*] Vel ex ebore factis, vel ebore obductis. Cujusmodi lectos Plautus *eburatos* dicit. Sic interpretatus est Jonathan. Ut hic *lecti eburnei*, sic alibi *lectus ferreus*, & Esth. 1. 6. *lecti aurei & argentei*. מטה autem de *lecto* dicitur tam *discubitorio* quàm de *eo in quo dormitur*. ¶ *Lascivitis*] *Diffluitis*, *redundatis*. Scholia Ebraica referunt ad vestes stragulas, quales in ædibus opulentiorum, quæ totam spondam contegunt & in terram usque

que diffluunt. ¶ *In stratis vestris*] *In lectis vestris.* Quidam putant ערש propriè *spondam* significare. ¶ *Agnos è grege*] Selectos è grege, unde Latinum vocabulum *egregius.* Vis ergò in hoc sermone ut si dixisset *agnos egregios.* Nam כר *agnum* significare testis mihi præter Hieronymum Varinus, in cujus Lexico, Κὰρ, *agnus.* Sed & apud Hesychium legitur. Κὰρ, πρόβατον. Unde hauserint nescio. Puto in mente habuisse nostrum כר, ex quo κὰρ, aspiratâ in tenuem versâ. ¶ *Saginarii*] מרבק est *locus in quo saginantur vituli.* רבקא Chaldæi vocant. Græcè dici posset σιτιστήριον. In lingua Magistrorum רבקה appellatur. 1 Sam. 28. 24. עגל מרבק *vitulus saginarii* i. altilis. Hem, ferme exciderat. Ubi legimus *agnos è grege*, Scholia Ebraica supplent *agnos pingues.* Solet enim hoc modo abesse interdum nomen adjectivum, ut Jes. 1. 18. *sicut lana erunt* pro *lana alba*; & 1 Reg. 22. 10. *induti vestibus*, pro *vestibus pretiosis* aut *regiis*; & Mal. 1. 14. *in grege ejus masculus.* Vult dicere *masculus integer & sine macula.*

5. *Qui cantillatis*] Rectiùs, *qui cantillant*, sive, quod idem, *qui minuriunt.* Unde *minuritio*, cùm exili voce canitur. Sed פרט propriè quando carmina dividuntur & quasi in minutos modos conciduntur. Ideo quidam usi sunt verbo *modulantibus.* Significatio vel à פְּרָט, id est, nomen particulare, vel à פֶּרֶט ῥὰξ sive ῥάγα, i. *acinus uvæ.* ¶ *Ad nablium*] על פי נבל verti *ad nablium:* nam פי quandoque est adjectio syllabica. Alii, *ad sonum nablii.* Verbum è verbo, *ad os nablii.* ¶ *Sicut David*] Hic instituisse dicitur musicam quæ olim in Templo usitata, hodie penitus ignota est. Cæterùm instrumenta musica eo tempore adhibita ad laudandum Deum erant Nablia, Citharæ, Buccinæ, Tubæ, & מצלתים quod reddunt *Cymbala.* Vide Camium Ps. 4. 1. ¶ *Cogitarunt sibi*] i. *Excogitarunt*, *adinvenerunt*, *commenti sunt.* Nisi magis ut exponamus *cogitarunt sibi esse.* Quod V. Int. exposuit *putarunt se habere.* ¶ *Instrumenta musica*] Verbum è verbo, *vasa cantici.*

6. *Qui potant*] Qui adeò voluptatibus immersi sunt ut publicis malis non moveantur, nedum ut ægritudinem ex iis concipiant. ¶ *Phialis*] Sic Hier. Græci quoque, ut est apud Justinum, ἐν φιάλαις. Sed & Jonathan vertit בפלין. Est autem Φιάλη poculum planum ac repandum, dictum παρὰ τὸ πιεῖν ἅλις παρέχον. Sed מזרק propriè *pelvim* designat. Majus autem est quàm גביע *scyphus*, aut כוס *calix.* Quidam *craterem* reddunt. Est autem *crater* poculum capacius. Appellatio à זרק *fundo.* Ἐπίχυσιν Athenæus vocat; i. vasis genus sic appellati quòd vinum *funderet* in cyathum aut cratera. Ut ut sit, sign. eos magnis ac capacibus poculis vinum potare. ¶ *Phialis vini*] i. Vino plenis. Aut *vini* dixit pro *vinum.* Quæ figura est quam Grammatici *Antiptosin* vocant, cùm casus pro casu ponitur; ut, *De fructu oris viri satiabitur bono*, i. vir. Quidam putant במזרקי positum esse pro מזרקים. Quod frequens in hac lingua. Vocant *Enallagen:* nam regimen ponitur pro statu absoluto. Exempla invenies apud Grammaticos. ¶ *Præcipuo unguento*] Vel *primario* aut *præstantissimo unguento*, sive, ut vetus editio habet, *optimo unguento.* Quod Græci ediderunt τὰ πρῶτα μύρα χριόμενοι, וראשית שמנים, ad verb. *principium unguentorum*, i. primas tenens inter unguenta. Sic alibi ἀρχὴ γλυκασμάτων, *primas tenens inter dulcia.* Dubito tamen an שמן denotet *unguentum.* Nam quin *oleum* significet nullum omnino dubium est. *Unguentum* autem vocant שמן טוב, i. *oleum bonum.* Dicunt etiam שמן ראש *oleum primum* sive *præstantissimum*, Psal. 141. 5. Porrò unguentis utebantur cùm se ad venustatem componerent, h. e. diebus lætis: unde *oleum lætitiæ:* quibus delibuti suaviùs olebant. Nam ut oleo robur, ità unguento bonum odorem sibi conciliabant. ¶ *Ungunt se*] Id faciebant tam viri quàm feminæ, & quidem in balneis post lavationem ad obstruenda corporis spiramenta, tum etiam in conviviis; ubi caput & barbam ungebant. Luc. 7. 46. *Unguento caput meum non unxisti.* Cohel. 9. 8. *unguento caput tuum ne deficiat.* 2 Sam. 12. 20. *Surrexit David lotus unctusque.* ¶ *Cladem*] Vel, *propter cladem.* Auget crimen à circumstantia temporis. Nam graviùs peccat qui voluptatibus indulget in publica calamitate. Cæterùm *cladis* nomine quidam intelligunt eam quæ accidit ante principatum Jeroboami filii Joas, quo tempore nonnulli ex Israelitis in exsilium deportati fuerunt. Alii significari putant deportationem quæ pòst secuta est, quam Prophetæ aliquoties prædixerant, ut hic noster suprà 5. 27. ¶ *Joseph*] Decem tribuum an potiùs duodecim? Nam eodem nomine comprehenduntur & reliquæ tribus, ut Psal. 80. 1. *Pastor Israel, auribus percipe, qui ducis sicùt oves Joseph*, i. 12. tribus. Quæ duabus potissimùm de causis ità vocantur: Prima est claritas familiæ; altera, jus primogenituræ, quod ademptum fuit Rubeni, & datum Josepho filiorum Jacob optimo, ut & felicissimo.

7. *Jam nunc*] Statim, aut brevi. ¶ *In capite migrantium*] Inter primos exsules: q. d. primi exsulum deportabuntur, primi captivitatis sustinebunt jugum. ¶ *Abscedet epulatio lascivientium*] Locum hunc variè interpretantur. Quidam sic, *& appropinquabit luctus se extendentium in lectis:* nam סר etiam *accedere* sig. Alii, *& recedet convivium funebre extensorum.* Alii, *& recedet clamor lascivientium.* Alii, *& amovebitur designatio redundantium.* Hieron. *& auferetur factio lascivientium.* ¶ *Epulatio*] מִרְזַח propriè *epulatio funebris*, quæ & מַרְזֵחַ Jer. 16. 5. ubi Hieron. *convivium.* Sic interpretatur hoc loco R. S. In libro qui *Siphri* nuncupatur §. *Et sedit Israel in Settin*, לעשות מרזחים est *convivia celebrare.* Reperitur & מרזחין eodem sensu. In Thargum Jonathæ מרזחין exponunt *gaudia.* Huic interpretationi firmandæ est lingua Arabica, in qua רזח significationem habet *clamoris qualem flentes aut gaudentes edunt.* Auctor mihi Camius pater qui *Joseph* nominatur. Videtur is רזח cum צרח confundere. In Lexico Scaligeri, רזח *clamo*, מרזחים *clamores.* D. Camius prætulit *accedit luctus:* quæ declaratio est veterum Ebræorum. Sic בית מרזח iidem exponunt *domus luctûs.* כר autem ità sumitur Ruth. 4. 1. & Exod. 3. 3. Qui epulationem funebrem denotari putant sic accipiunt ac si diceret, deportatos in terra aliena ità morituros ut funeris pompæ & parentalium honore carituri sint. Vide sis Annot. E. Livelæi.

8. *Per animam suam*] Per seipsum, ut Gen. 22. 16. *Per me juravi.* ¶ *Detestor*] *Abominor*, *aversor.* ¶ *Fastum Jacobi*] Alii *excellentiam Jacobi*, & de Templo dictum accipiunt, quod sic vocatur Psal. 47. 4. Similiter Ezec. 24. 21. *Ecce ego profano sanctuarium meum, excellentiam roboris vestri.* Est ubi eandem locutionem exponant de Jerosolyma & terra Judæa, ut Nah. 2. 2. Alibi גאון יעקב est ipse Deus, videlicet infrà 8. 7. Possumus etiam hic exponere de Samaria, ut nomen *Jacob* restringatur ad 10 tribus. ¶ *Tradam*] In potestatem hostium. ¶ *Civitatem*] Civitates. Nam de Samaria peculiariter accipere, cùm non sit articulus in Ebræo, minùs convenit. Tamen si quis hoc malit, nolim cum eo contendere. ¶ *Quod eam replet*] Exponunt *cives ejus.* Sed Ebræus sermo latiùs patet: nam etiam opes Samariæ comprehendit. Verbum è verbo *plenitudinem ejus.*

9. *Et erit si reliqui fuerint*] Vel, *Quòd si relicti fuerint*] Ex publica clade de qua suprà, *Et non dolent cladem Josephi.* ¶ *Decem*] i. Multi, ut Zach. 8. 23. *Decem viri ex omnibus linguis Gentium apprehendent oram viri Judæi*; & Lev. 26. 26. *& coquent decem mulieres panem vestrum in furno uno.* Numerus certus pro incerto. Causam reddunt Interpretes, Quia videlicet est summa numeri, vel, ut Camius annotat, finis omnium numerorum. ¶ *Ut moriantur*] Vel, *morientur.* Peste: docent consequa verba.

10. *Tollet*] Nempe humero suo: quod etiam *efferre* dicitur; sicut hodiéque fieri videmus, quando cadavera humeris vicinorum feretro suppositis efferuntur ad sepulturam. ¶ *Eum*] Cadaver ejus qui mortuus fuerit. Aut *eum* dixit pro *unumquemque eorum.* ¶ *Propinquus ejus*] Sic explicat Jonathan: sed & Hieron. Alii, *patruus ejus*, i. frater patris. Alii, *amicus ejus.* ¶ *Et comburet eum*] Secutus Hieronymum ומסרפו verti *& comburet eum*, acsi esset ומשרפו. Nam ס & ש alternant. Sed fortasse rectiùs alii *& ustor ejus*, ut sit participium pro nomine. Scholia Ebr. *& avunculus ejus.* Is est frater matris. Jonathan מיקדיה *ex incendio.* Videtur legisse משרפו. Interpretationi nostræ adversatur mos Ebræorum, quibus condere non cremare corpora solitum. Id non erat perpetuum: nam leguntur cadavera *combusta* Jer. 34. & 1 Sam. 31. Hieron. annotat idem factum fuisse in hac peste *præ morientium turba:* nam *integra*, inquit, *corpora efferre non valebant.* Ideo carnem domi cremabant: reliqua ossa efferebant ad sepulturam. ¶ *Ut efferat*] להוציא magis sonat *educere.* Sed hic positum videtur pro *efferre*, i. extra domum ferre aut portare. ¶ *Et dicet*] *Propinquus*, vel *ustor.* ¶ *In lateribus domûs*] Intra domum, vel in alterutro laterum. Quale illud Jon. 1. 4. *descendit in latera navis.* ¶ *An adhuc tecum*] *An præterea sunt alia cadavera apud te?* ¶ *Et dicet*] Qui intra domum. ¶ *Finis est*] Nullum restat ampliùs cadaver efferendum. ¶ *Tace*] Vel, *Pax:* quæ est interjectio Silentium imperantis, quâ sæpe Comici utuntur. Terent. Heaut. *Unus est dies dum argentum eripio: pax; nihil amplius.* Eodem sensu Plautus usurpat *st*, *tace*, ut in Curculione. Vide quæ notamus Soph. 1. 7. ¶ *Nam non est commemorandum nomen DOMINI*] Desperantis est, ut quidam volunt, animúmque despondentis. Alii exponunt, *Hæc & graviora passi sunt quia nullam Domini memoriam usurparunt.* Vult dicere, quia prorsus impii fuerunt. Potest etiam sensus esse, In tantis calamitatibus nemo est qui comme-

moret nomen DOMINI: usque adeò sunt à vera pietate alieni. Nam pii DOMINUM in malis invocare solent. Quæ verba sunt Prophetæ, non ejus qui funus efferebat.

11. *Præcipit*] Decernit, ut Ps. 148. 5. *Ipse præcepit, & creata sunt.* Putant autem innui terræmotum de quo suprà 3. 15. *Et percutiam domum hibernam.* ¶ *Domum majorem*] Domum Israel. ¶ *Rupturis*] Aut *fracturis*, quod est רסיסים, *παρὰ τὸ* רסס *frango*, *quasso*, idem videlicet quod רצץ. Hoc sensu usurpant Interpretes Chaldæi. Sed & Deuterotæ, quos *Thalmudistas* vocant. Alioqui רסיסים sunt *ψεκάδες*, quæ est *minuta & rorans pluvia*, & *ψεκάζειν quando minutum & rarum pluit.* ¶ *Domum minorem*] Domum Juda. Vel, *domos minores & domos majores*, ut sit Heterosis numeri. ¶ *Scissionibus*] Vel *fissionibus*. Malè vertunt qui vertunt *rupturis*. Nam *ruptura* potiùs רסיסים dicuntur.

12. *An currunt in petra equis*, &c.] q. d. Minimé. Mens hujus loci, *Qui judicium in venenum, & justitiam in absinthium vertunt, tam absurdè ac præposterè faciunt atque ii qui per rupes aut equis currunt aut bubus arant.* ¶ *Si arabitur bubus*] *Si* pro *An*: hoc primum. Deinde pro *arabitur* in Ebræo est *arabit*, & subintelligitur *arator*. Doctè Hieron. explicat *arari potest.* Sæpe hoc modo verbum personale pro impersonali ponitur. Jer. 19. 11. כאשר ישבר *quemadmodum frangitur.* Levit. 7. 27. אשר יקריב *quæ offertur.* Gen. 48. 1. ויאמר ליוסף *dictum fuit Josepho.* Repete *ἀπὸ κοινοῦ in petra:* nam alioqui bubus arari solet. Petræ autem solum durius est quàm ut aratro proscindi possit. בקרים interpretati sumus *boves*; unde *bucerum pecus*, & *buceræ greges.* Hieron. reposuit *bubalis*, & nihil subaudit: nam hoc genus, inquit, *indomitum est, ut jugum cervicibus non recipiant, & cùm silvestres boves sint, propter feritatem nolunt terram vomere scindere.* Hæc Hieron. ¶ *Quia vertistis in venenum judicium*] *Judicium*, quæ est res salutaris, *vertistis in venenum*, quod mortem adfert, h. e. in oppressionem ac injuriam. ¶ *In venenum*] ראש *venenum* propriè *quod est in capite serpentum:* unde Jonathan exponit לריש חוין. Sed rectiùs opinantur, meo judicio, qui dicunt esse genus herbæ venenatæ: unde מי ראש aqua ex hujusmodi herba expressa, quæ in porum datur iis quos occidere volumus. Hieronymus modò *fel* modò *amaritudinem* reddit. Vide, si otium est, Hos. 10. 4. ubi Lxx, ὡς ἄγρωστις. Est autem ἄγρωστις, teste Hieronymo, *genus herbæ calamo simile, quæ per singula genicula fruticem sursum & radicem mittit deorsum; rursúsque ipsi frutices & virgulta alterius herbæ seminaria sunt; atque ità brevi tempore, si non imis radicibus effodiatur, totos agros veprium similes facit.* ¶ *Fructum justitiæ*] i. Pacem & felicitatem. Sic ait Jes. 32. 17. *Et erit opus justitiæ pax.* ¶ *In absinthium*] Quo nihil amarius: unde proverbiale, *Tam amarum quàm absinthium.* Suprà 5. 7. *Qui convertitis in absinthium judicium.* Significat autem injuriam, quæ amara est iis quibus fit. Contrà jure ac justitiâ nihil suavius, nihil dulcius aut gratius.

13. *De re nihili*] De mendacio ac falso cultu: aut de hac præsenti felicitate, quæ minimè diuturna erit. ¶ *Viribus nostris*] Non Divinâ sed propriâ virtute. ¶ *Sumpsimus nobis cornua*] Comparavimus nobis hoc Regnum, sive hanc potentiam. Tralatio ab animantibus iis quæ se cornibus tuentur. De potentia quæ accessit Israeli sub Jeroboamo juniore vide 2 Reg. 14. 25.

14. *Suscito*] *Excito*, ἐπεγείρω. ¶ *Gentem*] Assyriam & Chaldæam. ¶ *Oppriment*] *Affligent*, *lacessent.* ¶ *Ab introitu Hemath*] A termino terræ qui Orientem respicit Aquilonem versús. Hujus mentio Jes. 13. 5. 2 Reg. 14. 25. Num. 34. 8. & Zach. 9. 2. Hemath autem, quam *Antiochiam* interpretantur, Josephus auctor Ἀμάθη vocari ab accolis, Orig. Jud. l. 1. c. 7. R. David scribit eam fuisse extra limites terræ Promissæ. Utrùm de Hemath magna loquitur, an de parva, quæ est Epiphania? Terminus terræ Israel ad Occasum Meridianum. Vide quæ scripsimus v. 2. ¶ *Usque ad*, &c.] Usque ad terminum adversum qui Austrum respicit Occidentem versús. ¶ *Torrentem deserti*] Sic ed. Lat. V. Chaldaica habet *usque ad terminum planitiei*, & Latinæ aliquot *usque ad terminum campestrium.* Nam ערבה *locus campestris.* Differt à שפלה, quæ vox etiam *planitiem* denotat, quòd hæc magis culta sit, ערבה autem *planities deserta.* Quidam *torrentem deserti* vocari putant quòd è deserto manaret. Hic torrens alibi nuncupatur *Sihor*, & *fluvius Ægypti*, quòd terram Chanaan ab Ægypto disterminaret. Græci legunt ἕως τοῦ χειμάῤῥου τῶν δυσμῶν, i. *ad torrentem Occidentis.* Hier. ad h. l. *ab Hemath usque ad Rhinocoruram, inter quam & Pelusium rivus Nili sive torrens de eremo veniens mare ingreditur. Rivum Nili* dicit qui ab aliis vocatur *fluvius Ægypti*, & alius à Nilo creditur. Sanè Nilus non desterminat Judæam ab Ægypto.

I D E M.

1. Οὐαὶ τοῖς ἐξουθενοῦσι] Int. V. *Væ qui despiciunt.* שאננים *dicterium.* Hujus significationis si credunt esse שאננים, errant graviter. Neque mens Prophetæ neque usus vocabuli id permittunt. ¶ Ἀπετρύγησαν ἀρχὰς ἐθνῶν] Int. V. *vindemiarunt primitias Gentium.* Notaveram è codice Antverp. ἀπετρύγησα, i. *vindemiavi:* nescio an rectè. Prior lectio verior, quanquam & ea corrupta. Quid si ἀπετρύγησαν, i. נקבי? Haud magnâ licentiâ ità emendes. Ebræi nunc legunt נקבי alio sensu. Romanenses laudant è Justino ὠνομασμένοι ἐπὶ τοῖς ἀρχηγοῖς ἀπετρύγησαν ἀρχὰς ἐθνῶν· ubi duæ, inquit, interpretationes esse videntur. Rectè, נקבי ὠνομασμένοι, i. *nominati* sive *nuncupati*, ראשי τοῖς ἀρχηγοῖς, גוים ἐθνῶν. Sic enim legerunt olim, ut conjicio, qui locum illum ità declararunt: sed nihil statuo. ¶ Εἰσῆλθον αὐτοὶ] Verior scriptura in A. & B. εἰσῆλθον ἑαυτοῖς, quam etiam Cephalæus expressit; & Vetus interpretatus est, *ingressi sunt sibi.* Biblia Regia, εἰσῆλθεν εἰς αὐτοὺς, *ingressus est ad eos.*

2. Διάβητε πάντες, καὶ ἴδετε] כל πάντες. כל נא πάντες δή. Sed δὴ sæpe omittitur. Veritas interpretationis εἰς Χαλάννην sive Χαλάννην. Duæ igitur interpretationes coaluerunt apud Theodoretum & Justinum, qui hunc locum ità citant, Διάβητε πάντες εἰς Χαλάννην, καὶ ἴδετε. Libri quoque vulgari quidam, Διάβητε πάντες, καὶ ἴδετε εἰς Χαλάννην nisi quòd in eo qui penès me Καλάννην. In manifesto est Χαλάννην esse urbem ejus nominis; cujus interpretatio πάντες. CHAL Syriacè & Chaldaicè *omnis.* Fortean ex ora libri in contextum irrepsit, extritâ, ut fit, voce Ebraicâ. ¶ Ἐμαθραββὰ] Apud Int. *Emathrabba.* In quibusdam Græcis Ἐμαθραβὰ, unicâ β, in aliis Ἀμμαθραβὰ per θ, quod probo, & scribendum puto Ἀμαθραββά. In Justino εἰς Ἀμὰθ τὴν μεγάλην. Cave spernas, nam רבה μεγάλη. Nihil verius. ¶ Κατάβητε ἐκεῖθεν εἰς Γὴθ] Sic etiam Justinus citat. Libri tamen plerique omnes κατάβητε εἰς Γὲθ, & sic legit olim Int. qui vertit, *descendite in Geth.* ¶ Ἀλλοφύλων] i. *Philisthæorum.* ¶ Ἐκ πασῶν τῶν βασιλειῶν] Int. *ex omnibus Regnis.* Legitur tamen in C. ἐκ τῶν βασιλειῶν. & sic est in Ebræo. ¶ Πλείονα] Alibi πλείονα. ¶ Ἐστὶ τῶν ὑμετέρων ὁρίων] Biblia quæ Plantinus excudit, τῶν ὁρίων ὑμῶν.

3. Ἐρχόμενοι] Eadem εὐχόμενοι. Non omnino displicet: nam fortè legerunt מנדרים. Hoc sensu dictum est suprà 5. 18. οὐαὶ οἱ ἐπιθυμοῦντες τὴν ἡμέραν τοῦ Κυρίου. Tamen retineo ἐρχόμενοι, quasi מנדרים à נוד, h. e. באים. Durum hoc, fateor: itaque malo vertissent βδελυσσόμενοι, quemadmodum vertunt Jes. 66. 5. ¶ Κακὴν] Biblia Regia κἀκεῖνοι, quod librarii scripserunt vel operæ excuderunt pro κακὴν οἱ in quo facilè, opinor, animadvertis duas voces in unam coaluisse. ¶ Σαββάτων] Si legerunt שבת, nunc legunt שֶׁבֶת quæ lectio verior esse videtur.

4. Ἔσθοντες] Plerique ἐσθίοντες. ¶ Μοσχάρια] Int. *lactentes vitulos*, rectè. μόσχος *vitulus* ità diminuitur ut fiat μοσχάριον *parvus* sive *tenellus vitulus.* ¶ Ἐκ μέσου βουκολίων] Plantinus ἐκ βουκολίων. Prius verius. Int. *de medio armentorum.* מרבק *aliis est* σιτιστήριον. ¶ Γαλαθηνὰ] Suprà dixi μοσχάρια Interpretem vertisse *lactentes vitulos.* Fallor. Sequitur enim ecce γαλαθηνὰ, i. *lactentes:* ergò μοσχάρια eidem sunt *vituli*, i. μόσχοι sed sign. propriè id quod dixi. Cæterùm vox γαλαθηνὰ exsulat à textu Ebræo; nec video quid ad sententiam magnopere faciat.

5. Ὡς ἑστηκότα] Scriptura varians ὡς ἑστῶτα, Int. *quasi stantia.* Est hoc quovis ænigmate obscurius. Neque suprà neque infrà quicquam est quo niti conjectura probabiliter possit. Enimvero Ebræa lectio ità se habet, ὡς Δαβὶδ ἐλογίσαντο ἑαυτοῖς εἶναι σκεύη ᾄσματος.

6. Τὸν διϋλισμένον] Int. *defæcatum.* Veritas interpretationis ἐν φιάλαις, quod citatur in ed. Rom. ex Justino. מזרקי φιάλαι. Sic Græci Lxx Neh. 7. 70. ubi מזרקות in Ebræo. Obiter noto, & valde credibile est, Φιάλη purum putum Syriacum: nam Syri Chaldæive פלא dicunt in eadem significatione. Patet hoc ex Thargum hujus loci בפלון *in phialis:* ergò ineptiunt qui etymon ex Græco quærunt, *Phiala* quasi πιεῖν ἅλις παρέχουσα. ¶ Ἐπὶ τῇ συντριβῇ Ἰωσὴφ] Alibi, ἐπὶ τὴν συντριβὴν τοῦ Ἰωσήφ, videlicet in iis quæ Plantinus excudit.

7. Δυναστῶν] Int. *fortium:* sed in Justino δυναστῶν τῶν ἀποικιζομένων. Puto illud τῶν ἀποικιζομένων sumptum ex alia quapiam versione. Nam novum non est ut hoc modo duæ in unam coalescant. ¶ Ἵππων] Est hoc legentium סוסים, ut apparet, pro סרוחים. Editio Plantini quæ ad E. C. ἵππου habet, i. *equitatûs.* Aliter מרזח vox luctûs, item gaudii in lingua Arabica.

rabica. מרזח *compotationes:* propriè *parentalia:* Græci θίασον interpretantur Jer. 16. 5. ἵππων studiosius quispiam annotarat in margine, quia præcedit χρεμετισμὸς vox Equorum propria: indè postea in contextum migravit, expulso participio καταστασταλώντων, quod Interpretum verbum esse, quo מרזח significari putant, arguit qui hunc versum proximè antecedit: ità conjicio. Conjecturam utramque arbitrariam esse volo, non certam.

8. Καθ' ἑαυτοῦ] Optimè declarant PER ANIMAM SUAM, *per semetipsum:* nam alioqui Deus non habet animam. Post hæc verba sequitur in A. B. & in Cephalæi, λέγει Κύριος ὁ Θεὸς τῶν δυνάμεων, & in versione antiqua-vetere apud Hieron. *dicit Dominus Deus virtutum.* ¶ Κατοικοῦσιν ἀυτὴν] Lectio varians κατοικοῦσιν ἐν ἀυτῇ. Eleganter & doctè declarant σὺν πᾶσι τοῖς κατοικοῦσιν ἀυτὴν, sive ἐν ἀυτῇ, quod in Ebræo, *& plenitudinem ejus.*

10. Καὶ ὑπολειφθήσονται οἱ κατάλοιποι, καὶ λήψονται] Verba illa καὶ ὑπολειφθήσονται οἱ κατάλοιποι non habentur in A. B. ut nec in Cephalæi. Absunt quoque à Lat. V. ¶ Καὶ λήψονται, ונשאו. ¶ Οἱ οἰκεῖοι ἀυτῶν] Malim ἀυτοῦ. Sic sanè legit Int. V. nam transfert *domestici ejus.* Ebræum דודו Jonathan interpretatur קריבה, Hieron. *propinquus suus.* S. Jarius קריבו ואוהבו *propinquus ejus & amicus ejus.* ¶ Παραβιῶνται] Hanc scripturam suspicio, ut cum Sallustio loquar, de menda: neque tamen quî eam emendem in præsentia occurrit. Placuit ex Grammaticis ut דוד sit θεῖος πρὸς πατρὸς, & מסרף θεῖος πρὸς μητρός rectè an secùs, ipsi viderint: ego de מסרף non planè assentior. ¶ Ὀςᾶ ἀυτῶν] Αὐτῶν legit quidem Int. V. sed tamen nec est in Ebræo nec in editis ad E. C. Magna alioqui affinitas inter עצמים *ossa* & עצמם ὀςᾶ ἀυτῶν. ¶ Τοῖς προεςηκόσι τῆς οἰκίας] *His qui præsunt domui*, V. Int. Verba Ebraica potiùs sonant τοῖς ἐν κλίσεσι τῆς οἰκίας, *qui sunt in lateribus domûs*, ut Ps. 128. 3. ¶ Σίγα ἕνεκα τοῦ μὴ ὀνομάσαι τὸ ὄνομα Κυρίου] Biblia Antverp. Σιγάτω, οὐ μὴ ὀνομάσαι Κύριον. Int. V. *Tace, nè nomines nomen Domini.*

11. Ἐντέλλεται] In eisdem ἐντελεῖ, ut apud Int. antiquum *mandabit.* Cæterùm ἐντέλλεται magis convenit cum lectione Ebræa. ¶ Ῥάμασιν] Plerique cod. habent ῥήγμασιν.

12. Ἐν θηλείαις] i. *Cum femellas ineunt.* Nihil à mente Prophetæ alienius. Vel IN FEMENIS valet *propter feminas.* Sed ludo operam id dum expono quod pessimè translatum est. Int. V. *si reticebunt ad feminas:* Regia, ἐν θηλείαις ἵπποι. ¶ Ἐξεςρέψατε] Alibi ἐξέςρεψαν.

13. Ἐπ' οὐδενὶ λόγῳ] Sic ed. R. Antverpiensis habet ῥήματι pro λόγῳ· cæteræ ἐπ' οὐδενὶ λόγῳ ἀγαθῷ. Quod ità quoque legisse videtur Int. V. nam vertit *super nullo verbo bono.* Ἐπ' οὐδενὶ λόγῳ valet ut si dicas *de re nihili:* tritus Ebraismus: quem tamen ignoravit qui adjecit epitheton ἀγαθῷ. Imperitia linguarum multos similes locos, qui alioqui non malè versi erant, fœdè corrupit. Οὐκ ἐν τῇ ἰσχύϊ] Plant. διότι οὐκ ἐν τῇ ἰσχύϊ. Vetus, *nónne in fortitudine nostra?* Hæc lectio quadrat cum veritate Ebraica. ¶ Ἔχομεν] Quædam exempl. ἔχομεν· alia εἴχομεν. Int. V. *habuimus.*

14. Ἔθνος, λέγει Κύριος τῶν δυνάμεων] In plerisque cod. Φησὶ Κύριος ὁ Θεὸς ςρατιῶν, ἔθνος. Int. V. *ait Dominus Deus exercituum, gentem.* Talis ordo verborum in fonte. Illud ςρατιῶν sumptum videtur ab Aquila. Totum igitur hunc locum sic restituo, λέγει Κύριος ὁ Θεὸς τῶν δυνάμεων, ἔθνος. צבאות δυνάμεις, i. *exercitus.* ¶ Εἰς Ἀιμὰθ] Alibi εἰς Ἐμάθ. Int. quoque V. *in Emath.* Scribo *Hemath.* Sic pro Ἀιμὰθ, quod in C. & R. est cur malim Ἀμὰθ, quomodo suprà id nomen scriptum offendes: nam Ἀμὰθ ex antiquitate se tueri nequit. Secùs est in Βαιθὴλ & similibus. ¶ Τῶν δυσμῶν] Ps. 68. 4. בערבות Lxx ἐπὶ δυσμῶν. ערבה aliis est *desertum*, aliis *planities.* Sunt qui significare tradunt locum planum, non desertum omnino, nec planè fertilem, sed mediæ cujusdam naturæ, ubi tantùm pabulum jumentis aptum crescat, quod μίγμα nuncupatur; nam ערב *misceo.*

IDEM.

13. לְלֹא דָבָר. Sym. ἀλόγως] Hieron. *Qui hoc faciunt, lætantur in nullo verbo bono, sive* frustrà, *ut Sym. transtulit, i. ἀλόγως, sine ratione*, vel *absurdè, nullam ob causam.*

14. נַחַל הָעֲרָבָה. A. *torrens qui est in planitie.* Sym. *vallis campestris.* Th. *torrens Arabiæ*] Hieron. *Pro* torrente Occidentis *Sym. interpretatus est* vallem campestrem, *Th.* torrentem Arabiæ, *Aq.* torrentem qui est in planitie. VALLIS CAMPESTRIS, Κοιλὰς πεδινὴ, ἴσως. TORRENS ARABIÆ, χείμαῤῥος τῆς Ἀραβίας. Et hoc pono, non statuo: arbitrarium esse volo, non certum. Hier. Ezec. 47. נחל *Græco sermone χείμαῤῥος appellatur.*

IDEM in VULG.

1. QUi opulenti estis] Vel potiùs, *qui tranquilli estis.* ¶ *Optimates capita populorum*] Magìs placet, ut est apud alios interpretes, *qui nuncupantur præcipuum gentium.* Quorum verborum hæc sententia est, qui inter gentes primi ac præcipui sunt. Sermo est de montibus videlicet. Hîc observa *nuncupari* positum esse pro *esse* ut *vocari* in illo, *Minimus in regno cælorum vocabitur.* ¶ *Ingrediente pompaticè*] Cur ità interpretatur? neque suprà neque infrà est quod hanc interpretationem confirmat, nisi si putemus quod alius *veniunt ad eos.* Id interpreti visùm significare *veniunt sibi:* cujus energiam exprimere volens denique verterit *ingredientes pompaticé.* Doctores expendent. Ego nihil adfirmo.

2. *Chalanne*] Poscit hodierna scribendi ac pronunciandi ratio CHALNE, ut sit dissyllabum. ¶ *Emath*] Addenda aspirationis nota in hoc nomine ut sit HEMATH, quod hodie legunt ac scribunt HAMATH. In Græco codice invenitur ἀμμαθ-ῥαββὰ. ¶ *In Geth*] Nunc *Gath.* ¶ *Et ad optima quæque*] Tralatio haud dubiè mendosa, ad hunc modum corrigenda, *An sunt præstantiores regnis istis?* ¶ *Si latior*] Vel, si amplior.

3. *Qui seperati estis.*] Videtur legisse MENUDDIM, cùm scriptum sit MENADDIM, id est, *qui procul summovetis* aut quod idem, *repellitis.* ¶ *Solio iniquitatis*] Alii malunt, *qui admovetis sedem violentiæ.* Sedem autem vocat ipsum judicium. Judices enim in porta sedere dicuntur, cùm sedent pro tribunali ut jus cuique reddant. Hinc illud, *Qui sedes pro tribunali judex justus.*

4. *In stratis vestris*] In Ebræo legitur, *in spondis suis.* Sed interpres cum persona etiam pronomen mutavit sententiâ id postulante. Verterim, *qui dormiunt in lectis eburneis, & lasciviunt*; vel, ut alii, *Diffluunt in spondis suis.* ¶ *De medio armenti*] Non sic est in Ebræo: *sed è medio saginarii.* Est enim MARBEC locus in quo animalia saginantur: σιτιςήριον Græci vocant.

5. *Qui canitis*] Ad hunc fere modum interpretatur Jonathan. ¶ *Psalterium*] Nablii, quod suprà *Lyram* dixit. ¶ *Putaverunt se habere*] Melius, *excogitarunt sibi.* ¶ *Vasa cantici*] Id phrasi Ebraicâ valet, *instrumenta Musica.* *Vas* enim dicunt Ebræi pro instrumento.

6. *Vinum in phialis*] Hoc Ebræus dicit, *in phialis vini*, sive, ut alii reddunt, *in crateribus vini.* ¶ *Nihil patiebantur*] Vel, *non condoluerunt.* ¶ *Super contritione*] Id est, *propter contritionem ac cladem.*

7. *In capite migrantium*] Vult dicere, inter eos qui primi migraturi sunt. ¶ *Factio lasciviemtium*] Pro *factio*, *alii* referunt *gaudium*: alii, *luctus.* Sed hi etiam verbum mutant, & pro *auferetur*, reponunt *accedet*, hàc sententiâ, Quum relegabuntur inter primos exules, tum accedet luctus eorum, qui in lectis suis antea lasciviebant. Videatur Camius in commentariis ad hunc locum.

8. *In anima sua*] Quantò meliùs vertisset *per animam suam*, id est, per seipsum. ¶ *Superbiam Jacobi*] Quidam malunt *excellentiam Jacob*, quod Jonathan μεταφράζει sanctuarium domûs Jacob. ¶ *Domos ejus*] Malim, *palatia ejus.* ¶ *Cum habitatoribus suis*] Angustè explanat, *& plenitudinem ejus.* Nam *plenitudinem ejus*, id est, quicquid eà continetur.

10. *Propinquus suus*] Vertendum, *patruus ejus* autoribus Ebræis. Mihi vulgata interpretatio non displicet. Eámque Chaldæus Jonathan retulit. Posset etiam ità verti, *tollet eum amicus ejus.* ¶ *Et comburet eum*] Crediderim rectius esse, *ustor ejus.* Nisi magìs placet, *avunculus ejus*, quomodo Judas Grammaticus Ebræus accipiendum docet. ¶ *In penetralibus domûs*] Id est, in *alterutro laterum*; vel simpliciter, *intra domum.*

11. *Et respondebit*] *Et dicet* legitur in Ebræo. Cæterùm totum hunc versum Ebræi codices connectunt cum superiore. ¶ *Finis est*] Ac si diceret, minimè, aut nihil omnino est. ¶ *Et non recorderis*] Pro *&* legitur *quia.* Itaque alii elucidant, *quia non memorabunt nomen Domini.*

12. *Ruinis*] Alii, *fracturis.* Jonathan, *plagâ validâ.* Idem pro *scissionibus* retulit, *plagâ debili.* ¶ *Scissionibus*] Vel, *fissionibus.*

13. *Aut arari potest*] *Si arabit* est in Ebræo, & subintelligitur *agricola* aut tale quid. ¶ *In bubalis*] Latinè sic, *aut arari potest bubalis* deletà præpositione IN: quæ ex Ebraismo otium agit. ¶ *In amaritudinem*] Alibi vertit, *in venenum.* Vidi qui inter-

interpretarentur *in cicutam*. Jonathan, *in caput serpentum*, hoc est, *in venenum*. Continens pro contento.

14. *In nihili*] De re nihili, propter nihili. ¶ *Cornua*] Valet *opes* autore Chaldæo.

15. *Suscitabo*] *Suscito* est in Ebræo: non *suscitabo*. ¶ *Super eos*] Pro, *contra vos*. ¶ *Emath*] *Scribe* HEMATH sive *Hamath*. ¶ *Usque ad torrentem deserti*] Μελιας, si credendum Camio, qui exponit *mare occiduum*. ¶ *Deserti*] Jonathan, *planitiei*, alius interpres *occidentis*. In Ebræo est *Araba*. Itaque Theodotio vertebat *usque ad torrentem Arabiæ*.

LIVELEUS.

1. CONfidentibus in monte Samariæ] Sensus est, *confidentibus qui in monte Samariæ habitant*. *Confidentes* autem hîc securos appellat, ut Esaias similiter cap. 32. 11. *Trepidate tranquillæ, commovemini confidentes*. Hoc ob eam causam lectores admonendos putavi, nè vocem *confidentibus* cum sequentibus conjungerent, quasi ii sint intelligendi qui fiduciam suam in eo monte collocaverunt. ¶ *Principium gentium*] ראשית ut *principium* significat, ità etiam *quod præcipuum, primarium & præstantissimum est*. Hîc v. 6. infrà, *unguentorum principio se ungunt*, i. optimis & præcipuis quibuscunque unguentis. Sic igitur *principium gentium* dicuntur primariæ & præcipuæ gentes, ut Num. 24. 20. *Amalec principium gentium*. Cananæorum gentes ità hîc dicuntur à robore & fortitudine sua quâ cæteris præcelluerunt. Deut. 7. 1. *Dejiciet Jehova à facie tua gentes majores, & robustiores te Amorrhæam, Chivæam, Cananæum*, &c. Hujus Prophetiæ c. 2. v. 9. *Amorrhæi roboribus & cedris* conferuntur. ¶ *Ad eos venerunt*] Invaserunt eos Israelitæ, & pulsis successerunt.

2. *Transite*] Conferte vos ad præstantissimas circumquaque urbes, *Seleuciam* in Mesopotamia ad Orientem, indè *Chamatkam* ad Aquilonem, postea *Gathum Philistæorum* civitatem partim ad Occidentem partim ad Meridiem sitam: experientiâ discetis *regionem vestram* excellere. *Regnis istis*] Quæ ab Israelitis tenentur. Erant enim certè multis nominibus laudatissima, ut Deut. 8. 7. videre est, & Num. 14. 7, 8.

3. *Longè repellentibus*] Securitatem hîc eorum arguit quos primo versu appellarat, ex eo quòd mala denunciata ad se minimè tam citò perventura credebant, sed in tempora longiora rejectum iri; ut illi Ezech. 12. dicentes *visionem in dies multos esse & in longinqua tempora*. Hinc factum est ut se iniquitati & violentæ oppressioni tenuiorum dederent, & omne genus voluptatibus securè indulgerent. Rectè enim 2 lib. in Eutropium Claudianus,

> *Sed quàm cæcus inest vitiis amor! omne futurum*
> *Despicitur, suadéntque brevem præsentia fructum;*
> *Et ruit in vetitum damni secura libido,*
> *Dum mora supplicii lucro, serùmque quod instat*
> *Creditur.*

De hujusmodi securitate fugienda utilissimam habemus admonitionem Christi Matth. 24. 42, 48.

4. *Lectos eburneos*] Opulenti & locupletes ad elegantiam & ornatum suas ædes ejusmodi lectis decorabant. Varro in Prometheo,

> *Eburneis lectis, & plagis sigillatis.*

Horatius Sat. 6. lib. 2.

> ——*Ponit uterque*
> *In locuplete domo vestigia, rubro ubi cocco*
> *Tincta super lectos canderet vestis eburnos.*

Chaldæus P. hîc *ebore obductos & ornatos* intelligit, verisimiliter: Eam enim in lectis ornandis consuetudinem fuisse illud Plauti in Sticho arguit, *Lanam, purpuram, lectos eburatos, auratos, Babylonica peristromata, sellas & tapetia advexit*. Varro in Quinquatribus, *Cùm in eborato lecto cubare videas ægrotum*. Sic cap. 3. 15. *domus eburneæ* dicebantur ebore ornatæ.

5. *Modulantibus*] Verbum פרט putatur propriè significare, *speciatim, sigillatim ac particulatim distinguere*. In ea significatione à Rabbinis usurpatur. Atque ità cognatum videtur verbo פרד, quod etiam *dividere, distinguere & separare* notat. Hîc verò *canere* sign. ut Chaldæus, Vulgatus, Calvinus, Castalio, Mercerus, Tremellius interpretantur: Non id quidem sine ratione, propterea quòd in cantu vocis sonus multis modis variatur, multas habet diversorum tonorum, modulorum, numerorum distinctiones. Similem vim habet Latinum verbum *modulor*: Cantare enim significat, ab ea quæ inter canendum adhibetur distinctorum modulorum in discrepantibus sonis varietate. Seneca in Agam.

> *Non qua verno nobile carmen*
> *Ramo cantat querula Edonis*
> *Ityn, varios modulata sonos.*

Hinc Horatius *dividere carmina* dixit pro *distinctè modulari*, interprete Lambino, odâ 15. lib. 1.

> ——*gratáque feminis*
> *Imbelli citharâ carmina divides.*

7. *Amovebitur epulatio extensorum*] מרזח *epulationem funebrem* significare puto, ut nomen ex eadem radice מרזח Jer. 16. 5. Hieronymus intellexit de epulis lugubribus in mortuorum honorem factis. Hoc igitur mihi dicere videtur, Epularum funebrium celebritatem amorum iri cùm mortui fuerint: deportatos in terra aliena ità morituros ut funeris pompâ & parentalium honore cárituri sint: Solet enim hoc improbis quandoque pro gravissimo malo denunciari. Jer. 22. 18, 19. *Non plangent eum: sepulturâ asini sepelietur*. Vide eundem Prophetam, c. 16. 4, 6, 7. Multi interpretes ad lætiores compotationes referunt. De quo etsi non magnopere contenderim, quia Latinè quoque *epulum* cœnam quandoque funebrem in honorem mortui à lugentibus celebratam notat, aliquando latiùs patet; tamen proprietas & usitata illius vocis significatio facit ut priorem interpretationem huic posteriori anteponam.

8. *Gloriam Jacobi*] i. Gloriosum eorum Templum, aliáque similia Dei dona, in quibus gloriabantur. Metonymia, ut Psal. 47. 4. *Elegit nobis possessionem nostram, gloriam Jacobi quam amavit*.

9. *Moriantur*] *Sævam pestem totas domos absumpturam* significat, ait Calvinus in v. sequentem.

10. *Patruus ejus*] Tantam hominum paucitatem relinquet pestis ut præ aliorum defectus vel patruus ipse aliíque cognati hoc genus officii præstare mortuo cogantur. Similis sententia est apud Senecam in Oedipo,

> *Omnis ætas pariter & sexus ruit:*
> *Juvenésque senibus jungit & gnatis patres*
> *Funesta pestis. Portat hunc æger parens*
> *Supremum ad ignem, mater hunc amens gerit,*
> *Properátque ut alium regerat in eundem rogum.*

¶ *Sile*] Eum qui in lateribus domûs relictus negaverat quenquam præterea esse, jubebit patruus vel ultor tacere, & patienter hanc pœnam ferre. *Non enim nomen Jehovæ*, &c.] Desperantis meliorem fortunam vox est, animúmque malorum gravitate despondentis, ut mihi videtur, q. d. Noli Deum querelis tuis & invocatione fatigare. Ipse jam iram suam in nos quasi hostis propter peccata nostra cœpit effundere, neque ulla spes est ut ab ea avertatur, quin vindictam inceptam perficiat. Eò enim homines depressi asperitate malorum rediguntur ut spem liberationis abjiciant. Quo modo illud Lam. 1. 9. *non recordata est finem suum*, exponitur à Calvino.

11. *Rupturis*] רסיסים *rupturæ* dicuntur pro רציצים, à רצץ, quod *quassare, frangere, rumpere* significat, literarum affinium commutatione ס & צ, ut Quimquius in h. l. & libro Radicum affirmat: Quin verè, nihil dubito: Earundem enim literarum permutatione similiter קפיץ, pro קפץ ponitur Ezech. 17. aliáque plura ejusdem rationis inveniuntur, ut taceam apud Chaldæos רסס in ea significatione usurpari.

12. *Num in rupe aut equi current aut bobus arabitur?*] *Arabit* pro *arabitur* Hebraismus est. Verbum enim activum tertiæ personæ impersonaliter usurpatur. Mich. 2. *sumet de vobis parabolam*, i. sumetur. Sensus est, *Eos, dum jus & justitiam in cicutam & absinthium vertunt, perinde facere ac si in rupe bobus araretur, vel equis ibi curreretur*, h. e. præposterè, perversè & absurdè. Tale ferè illud Maronis est Ecl. 3. ad facti absurdi perversitatem notandam,

> *Qui Bavium non odit, amet tua carmina, Mævi,*
> *Atque idem jungat vulpes, & mulgeat hircos.*

¶ *In*

¶ *In cicutam & absinthium*] h. e. In injuriam, oppressionem & crudelitatem, quæ cùm sit amara & exitialis, rectè *cicuta* & *absinthio* confertur: ut Scytharum ejusmodi mores ab Ovidio 3 de Ponto,

Tristia per vacuos horrent absinthia campos,
Conveniénsque suo messis amara loco est.

Eodem modo id dictum ab Osea, *Floret judicium quasi cicuta per porcas agri.*

13. *Sumpsimus nobis cornua?*] Hoc loco & aliis quibusdam *cornua* Vires dicuntur per Translationem. Ità Sulmonensis ille 1 De arte loquitur,

Vina parant animos: tum pauper cornua sumit:
Tunc dolor, & curæ, rugáque frontis abit.

Sic Ps. 75. 10. *Cornua impiorum succidam: justorum verò cornua attollentur*

14. *Flumen campestrium*] Ex tot interpretibus solus, quod sciam, Quimquius certam veritatem attigit, mare Mortuum hîc *flumen campestrium* dici existimans, ex collatione hujus loci cum illis verbis 2 Reg. 14. 25. *Hic restituit terminum Israelis ab aditu Chamathæ usque ad mare campestrium.* Quod enim ibi & Deut. 3. 17. ים הערבה *mare campestrium* dicitur, hic נחל הערבה vocatur, i. *flumen campestrium.* Potéstne igitur, inquit aliquis, flumen vocari *mare?* Certè ab Hebræis stagna & majora fluenta etiam *maria* appellantur. *Lacus Genesareth* Luc. 5. 1. *mare Kinereth* Num. 34. 11. nominatur. Hæc ipsa aqua quæ *Mare Mortuum*, & in Scriptura *mare Salis* sæpe dicitur, & aliquando *mare Campestrium*, *lacus Asphaltites* à profanis scriptoribus vocari solet: *Lacus* etiam *Palæstinæ* & *Sodomæus* dicitur à Galeno libro 4 De simplicium medicamentorum facultatibus, cap. 20. Quocirca nemini mirum videri debet hîc *fluentum* appellari, quamvis alibi *mare* dicatur. Quàm rectè autem huic loco congruat ista interpretatio, ex eo perspicitur quòd eadem inter *Chamatham* ad Septentrionem & mare Mortuum ad Meridiem Orientales angulos oppositio fit 2 Reg. 14. 25. & idem terræ Promissæ Australis ad Orientem terminus aliis in locis statuatur, Num. 34. 3. & Jos. 15. 2.

GROTIUS.

1. VÆ *qui opulenti estis in Sion*] In Hebræo, *quieti*, id est, qui tranquillè vivitis, nihil de peccatorum pœna timentes. ¶ *Et confiditis in monte Samariæ*] Fiditis urbi bene munitæ. ¶ *Optimates capita populorum, ingredientes pompaticè domum Israel*] Placet mihi sensus quem Chaldæus exprimit, *Nomina habentes Principum earum gentium ad quas ventitat* (auxilii obtinendi causâ) *domus Israël.* Præcipui in Juda & Israële nomina sibi imponebant ea quæ habebant viri potentissimi in Syris, Assyriis, & Ægypto, in quorum clientelam se dederant. Sic *Alexandri*, *Antipatri*, *Drusilla*, facti in domo Herodis.

2. *Transite in Chalane*] Nos ex sono nominis *Callinisum* esse putavimus, diximúsque ea de re libro primo de Veritate Religionis Christianæ. Hieronymus ad hunc locum vult esse *Ctesiphonta*. *Transite*, nempe ut videatis illorum terras vestris nihil præstare, si modò res vestras ità ut oportet servare nossetis. ¶ *Ite indè in Emath magnam*] Hieronymus, & alii eum secuti putant eam esse urbem Syriæ quæ *Antiochia* pòst dicta est, diversam ab altera *Emath* cui nomen posterius *Epiphania*. Nos quid videretur diximus ad 2 Regum 17. 24. ¶ *Ad optima quæque regna horum*] In Hebræo & Chaldæo: *an meliora* (sunt illa) *regnis istis?* nempe Regnis Judæ & Israëlis, quorum terra fertilissima. ¶ *Si latior terminus eorum, termino vestro est*] An latiùs illi possident? non sanè. Cur ergò ingrati estis in eum qui plura vobis quàm vicinis dedit?

3. *Qui separati estis in diem malum, & appropinquatis solio iniquitatis*] *Illi longè à se removebunt diem malum: vos autem facitis ut appropinquet solium iniquitatis.* Diutiùs durabunt ista minora regna quàm vestra: ultro enim factis vestris externos dominos in vos accersitis.

4. *Qui dormitis in lectis eburneis*] Vide L. *Labeo.* D. de Supell. legata. ¶ *Et lasciviitis in stratis vestris*] *Latè extendimini.* Sic & Chaldæi & Arabes hanc vocem usurpant. ¶ *Qui comeditis agnum de grege*] Id est, eximium. Sic hostias eximias dictas docebat Veranius eas quæ eximebantur è grege: meminit Macrobius 3. Saturnalium 5.

5. *Qui canitis ad vocem psalterii*] *Qui cantillatis ad sonum nablii.* פרט propriè est Hebræis & Chaldæis quod Græcis μινυρίζειν [*minutim canere.*] Ovidius,

Disce etiam duplici genialia nablia palmâ
Vertere: conveniunt dulcibus illa modis.

¶ *Sicut David putaverunt se habere vasa cantici*] *Adinstar David excogitarunt sibi instrumenta musica.* Privati hoc faciunt quod olim Regum fuerat.

6. *Bibentes vinum in phialis*] Nempe *argenteis*, quod hîc addit Chaldæus. *Phialæ* sunt pocula capaciora: quam ipsam vocem Græcam hîc posuit Chaldæus. ¶ *Et optimo unguento delibuti*] Putà nardinis: ad luxum, non ad munditiem aut sanitatem. ¶ *Et nihil patiabantur super contritione Joseph*] *Dolore non moventur super fractura*, id est, miseriis, *Josephi:* id est posterûm Josephi. Egenos aut ipsi opprimunt, aut oppressos non sublevant. Confer Ezechielis 34. 4.

7. *Migrabunt in capite transmigrantium*] Sicut primi fuerunt in populo, sic primi erunt inter captivos. ¶ *Et auferetur factio lascivientium*] *Cessabunt convivia latè se extendentium.* מרזח *convivium*, non semper lugubre, sed & aliud sumtuosum significat. Apparet id in Midrasch Esther. 1. 2. & sic accipit Rabbi Salomo tum hoc loco, tum illo Jeremiæ 16. 5. Longè aliter habuerunt libri quibus usi LXX, sed minùs rectè.

8. *Juravit Dominus Deus in anima sua*] *Per se.* Chaldæus, *in verbo suo;* ut sæpe. ¶ *Detestor ego superbiam Jacob*] Superbiæ plerumque comes inhumanitas. ¶ *Et domos ejus odi*] Ex rapto structas. ¶ *Et tradam civitatem*] Samariam, de qua suprà 1.

9. *Quòd si reliqui fuerint decem viri in domo una, & ipsi morientur*] Si post vastatam terram in aviam villam aliquam confugerint, ibi pestilentia eos comprehendet, tam sæva ut nemini parcat. Vastitatem sequi solet pestilentia, λιμὸν λοιμὸς [*famem pestilitas*] Vide Jerem. 24. 10. & 44. 13. Ezech 6. 11. & 12. 16. & 14. 21. De villis quod dixi bene convenit cum loco Ezechielis 33. 27.

10. *Et tollet eum propinquus suus*] Ad quem cura funeris de moribus spectat. ¶ *Et comburet eum*] Non pollinciet, neque sepeliet, metu contagii. ¶ *Ut efferat ossa de domo sua*] Ut quamprimum domum repurget, ablato corpore. ¶ *Et dicet ei qui in penetralibus domus est*] In corte villæ, ubi esse solent janitores. ¶ *Numquid adhuc est penes te*] *An quis adhuc tecum* in domo hac vivit?

11. *Et respondebit, Finis est*] Omnes absumti morbo. ¶ *Et dicet ei*] Hoc ampliùs. ¶ *Tace, & non recorderis nominis Domini*] *Tace, quia non est tempus ad commemorandum nomen Domini.* Frustrà essent preces: nam & nobis moriendum est.

12. *Quia ecce Dominus mandabit*] Verba Prophetæ. Assyriis ità utitur ac herus iis quibus imperat. ¶ *Et percutiet*] Per Assyrios. ¶ *Domum majorem ruinis*] Regnum Decem tribuum, ità ut nihil supersit. Tempus Salmanasaris respicitur. ¶ *Et domum minorem scissionibus*] Non exitio sed gravi damno afficiet regnum Duarum tribuum, nempe per Sennacheribum. Non interibit hic populus; Salva enim erunt Hierosolyma, & qui eò confugerint: ex his gens reparabitur.

13. *Numquid currere queunt in petris equi*] *An per abrupta cursare possunt equi?* ¶ *Aut arari potest in bubalis*] In Hebræo, *bubus:* quare repetendum ex præcedenti *in abruptis.* Sicut in locis talibus inutiles sunt equi & boves, ità vos Deo planè estis inutiles. ¶ *Quoniam convertistis in amaritudinem judicium, & fructum justitiæ in absinthium*] Juris specie vis peragitur: pro beneficiis maleficia exhibentur. Vide suprà v. 7.

14. *Qui lætamini in nihilo*] In viribus vestris, quæ levi momento everti possunt. ¶ *Numquid non in fortitudine nostra assumsimus nobis cornua?*] Nónne per vires nostras facti sumus victores vicinorum? Vide 2 Regum 14. 25.

15. *Gentem*] Assyrios. ¶ *Et conteret vos ab introitu Emath*] Is terminus terræ Israëliticæ ad Septentrionem, Numerorum 34. 8. 2 Regum 14. 25. Hieronymus *ad Orientem* dixit; unde intelligitur medio fuisse situ inter Septentrionem & Orientem. Hanc Emath Hieronymus fuisse dicit prope Epiphaniam urbem ab Antiocho Epiphane conditam & dictam, & suo quoque tempore *Emas* vocatam, emollitâ literæ n pronunciatione, quo modo nunc quoque Judæi eam efferunt. ¶ *Usque ad torrentem deserti*] Id est, usque ad rivum Nili, qui ex deserto Arabico veniens inter Rhinocoluram & Pelusium mare illabitur. Confer Numer. 34. 5. Josuæ 15. & quæ hîc habet Hieronymus.

CAP. VII.

MUNSTERUS.

1. **E***cce formabat locustas*] Quidam accipiunt hîc יוצר pro אכיפה *examine locustarum.* Jonathan verò vertit בירית *figmentum* vel *facturam locustarum.* Alii accipiunt pro *Deo formante locustas post resectam herbam.* Et est sensus, Postquam resecta fuerat herba pro Regiis jumentis, & supervenisset pluvia, herbáque repullularet, formavit Deus locustas quæ nascentem arroderent herbam. Quod Propheta videns in spiritu clamabat, *Propitius esto* populo tuo, *Domine*, nè inediâ pereat. Futurum enim est, si tu non succurras, ut *Jacob* calamitatibus pressus & numero imminutus nunquam *resurgat*, sed totus fame & peste absorbeatur. *Misertus est* igitur *Dominus*, & redintegravit collapsum Regnum per Jarobeam filium Joas. De quo 2 Reg. 14.

4. *Ecce vocabat*] Hæc est secunda visio quam Dominus ostendit Prophetæ. Audivit enim Dominum loquentem ad executores judicii sui, ut judicium exsequerentur per ignem in terra Israel. Ubi quidam Hebræorum per *ignem* intelligunt nimium colorem Solis, qui omnem terræ exsiccavit humiditatem, & agros nè germinarent prohibuit.

7. *Dominus stabat super murum*] Hæc est tertia visio portendens devastationem Israelis. Significat enim *murus* populum Israel, quem Dominus voluit habere firmum, planum & rectè mensuratum: sed quia ille incurvatus ruinam minatus est, sustulit Dominus regulam latomi & *perpendiculum* illud.

8. *Nec adjiciam ut ultrà pertranseam*] i. Non infligam eis pœnas sicut hactenus feci, sed unâ vice totum Regnum subvertam. *Devastabuntur* enim *excelsa Isahac*, ישחק pro יצחק, & *sanctuaria* quæ in honorem idolorum erexerunt, & tota terra *redigetur in squalorem.* Vocat autem populum Israel *populum Isahac* (sicut & *populus Abraham* & *populus Jacob* appellari non rarò solet) ob id, ut Kimhi putat, quòd Isahac ligatus & positus fuerat super altare: quod exemplum illi contra prohibitionem Dei imitari multa passim erexerunt altaria & excelsa in quibus & proprios combusserunt filios.

10. *Sacerdos Bethel*] Fuit hic Amazia Sacerdos idolorum in Bethel; & audiens prophetantem Amos, accusat eum apud Regum, quasi qui seditionem populi moliatur in Regno. Et cùm virulentâ linguâ suâ apud Regem impetrare non posset Prophetæ occisionem, jubet eum secedere è Regno Israel in Regnum Jehuda. Respondet verò Propheta, *Se professione non esse Prophetam*, *neque filium Prophetæ*, sed nuper è pecoribus ad hoc vocatum munus; & propterea *magis Deo* vocanti *obediendum quàm hominibus.* Et quoniam me tanquam hæreticum excludere niteris, *audi verbum Domini* quod contra te locutus est; *Uxor tua in civitate fornicabitur*, juxta illam maledictionem Deut. 28. *Uxorem accipies*, *& alius dormiet cum ea*, &c. Porrò dictionem בולס v. 14. quidam exponunt pro לקט *colligere*, alii pro ערב *commiscere.* Commiscuit enim ficus illas silvestres cum aliis rebus in pabulum armentorum suorum.

VATABLUS.

1. **S***Ic ostendit mihi* כה הראני] *Hoc videre fecit me:* כה pro זאת. Describit visiones quasdam in spiritu à se visas. Principio indicat bonitatem Dei invitantis ad resipiscentiam per afflictiones, quæ evenissent nisi Propheta orasset Dominum. ¶ *En* והנה] Ad verb. *Et ecce.* Redundantem *&* omisimus, quòd sensum obscuraret. Ità in sequentibus. ¶ *Congregatio* יוצר] *Creatio: formatio:* & ità Chaldæus P. vel, *fictor*, sive *effictor*, i. Dominus fingens locustas. Acsi dicat quòd viderit in visione Prophetiæ Dominum formantem locustas ipsâ horâ & tempore quo vidit illum. ¶ *Quo ascendit* עלות] Ad verb. *ascendendi*, i. quo succrescit. ¶ *Herba serotina* הלקש] *Cordum*, sive *secunda herba*, i. Autumnale fœnum. ¶ *Post tonsiones ipsius Regis* אחר גזי המלך] i. Post herbam attonsam pro Rege, sive in usum equorum Regiorum: quia equi priore illo fœno gaudent, oves Autumnali fœno.

2. *Cùm finivisset comedere* אם כלה לאכל] *Quando comedendo absumpsit.* ¶ *Quis suscitabit* מי יקום] *Quis efficiet ut consistat.* Subintelligendum ישראל, nisi legas יעשה שיקום. Alii, *qualis consurget*, sub. *post finem ejus tribulationis.* Per *Jaacob* intelligit Israelem: acsi dicat, *O Domine*, *cùm Israelis res jam tenues sint usque adeo*, *cùm numero & robore sit tam parvus*, *qualem existimas eum futurum post illam tantam cladem quam ostendis mihi? Vix sanè resurget.* Alii, *Quomodo stabit?*

3. *Super hoc* על זאת] *Ob id:* vel, *super hoc decreto:* q. d. Revocavit decretum Dominus.

4. *Ad judicium* לריב] *Ut judicaret:* vel *condemnaret.* ¶ *Et consumpsit* ותאכל] *Et devoravit*, sub. *ignis.* ¶ *Partem* החלק] Sub. *agri regii.*

5. *Quis* enim *suscitabit* מי יקום] Ut v. 2.

7. *Super murum*, &c. על חומת אנך] Ad verb. *super murum perpendiculi.*

8. *Pono perpendiculum* שם אנך] *Positurus sum perpendiculum:* Præs. Heb. pro fut. Ut vitia & defectus muri, si quam in partem inclinet, corriguntur ad perpendiculum; ità & peccata emendantur justitiâ: acsi dicat, Posthac justè judicaturus sum populum meum Israel, nec ultrà usurus sum misericordiâ erga ipsum, sed justitiâ; quòd nullum peccandi finem faciat. ¶ *Non adjiciam*, &c. לא אוסיף וגו׳] *Non præteribo illum ultrà*, i. non connivebo ad illius peccata. Ad verb. *præterire illi*, in gratiam illius. Non dissimulabo ultrà propter Patres peccata illius, sed puniam illum.

9. *Isahac* ישחק] i. Filiorum Isaac. Hîc nomine *Isaac* sig. Israelem, ut & Jer. 33. 26. Et ש pro צ positum est. ¶ *Desolabuntur* יחרבו] *In solitudinem redigentur.*

10. *Amasiah* אמציה] Is erat primus Sacerdotum qui colebant Vitulum in Beth-el. Trissyllabum est. ¶ *Sustinere* להכיל] *Ferre.* Alii, *continere.*

12. *O Videns* חזה] *O Propheta.*

13. *Sanctuarium Regis* מקדש מלך] i. Ubi Rex colit Vitulum. ¶ *Et domus Regni* ובית ממלכה הוא] *Et regia.* Samaria domus erat regia: at quia Beth-el non multum distabat à Samaria, ibique Vitulus colebatur, dicta est *regia.*

14. *Non sum Propheta* לא נביא אנכי] Sub. *à natura.* Non sum natus Propheta, sive à juventute mea. ¶ *Neque filius Prophetæ* ולא בן נביא] Qui scilicet docuerit me rationem Prophetiæ. ¶ *Armentarius* בוקר] *Bubulcus.* ¶ *Et colligens sycomora* ובולס שקמים] *Et disquirens fructus sycomororum*, in cibum scilicet boum meorum. Vox Hebræa sig. arborem generis ficuum, cujus fructu armentarii solebant boves alere: illéque fructus non solebat maturescere nisi scalpendo ferreis unguibus.

15. *Euntem post pecora* מאחרי הצאן] Ad verb. *de post gregem.*

16. *Audi* שמע] Sub. *O Amasia.* ¶ *Neque stilles* ולא תטיף] *Neque loquaris.*

17. *Propter hoc* לכן] *Idcirco: Propterea.* ¶ *Polluta* טמאה] i. Aliena. Aliæ regiones à terra Sancta dicebantur *pollutæ.*

CASTALIO.

8. **E***N ego ponam regulam*] Immutabili decreto statuam.

16. *Fluere*] Oracula fundere.

CLARIUS.

1. **E***Cce fictor locustæ* i. Vidi Dominum velle producere agmen locustarum. ¶ *Et ecce serotina*] i. *Postquam demessuerat Rex* herbam suam, cùm supervenisset pluvia, *herbáque repullularet*, *formavit* Deus *locustas* quæ nascentem *arroderent herbam:* quod Propheta videns in spiritu clamabat, *Propitius esto* populo tuo, *Domine*, nè inediâ pereat, &c.

4. *Et ecce vocabat judicium*] Minabatur se vastaturum cuncta igne. Hæc est altera visio quam Dominus ostendit Prophetæ. Audivit enim Dominus loquentem ad exsecutores judicii sui, ut judicium exsequerentur per ignem in terræ Israel. Ubi quidam Hebræorum per *ignem* intelligunt nimium calorem Solis, qui omnem terræ exsiccavit humiditatem, & agros, nè germinarent, prohibuit.

7. *Dominus stans*,] Hæc est tertia visio portendens devastationem Israelis. Significat enim *murus* populum Israel, quem Dominus voluit habere firmum, planum & rectè mensuratum: sed quia ille incurvatus ruinam minatus est, sustulit Dominus *regulam latomi* & perpendiculum illud quod Interpres *trullam* vocavit.

8. *Non adjiciam ultrà*] h. e. Non infligam eis pœnas sicut hactenus feci, sed uno opere totum Regnum subvertam.

9. *Excelsa idoli*] Heb. *excelsa Isaac:* & tamen intelliguntur sanctuaria quæ idolis erexerant. Vocat autem populum Israel *populum Isaac*, ob id quòd Isaac ligatus & positus fuerat super

super altare: Quod exemplum illi perversè imitati multa passim erexerant altaria & excelsa in quibus etiam proprios comburebant filios. Eadem vox ponitur infrà, *Non stillabis super domum Isaac.*

10. *Sacerdos Bethel*] Fuit hic Amasias Sacerdos idolorum in Bethel; & audiens prophetantem Amos, accusat eum apud Regem, quasi qui seditionem populi moliatur in Regno. Et cùm virulentâ linguâ suâ apud Regem impetrare non posset Prophetæ occisionem, jubet eum secedere è Regno Israel in Regnum Juda. Respondet verò Propheta, *Se professione non esse Prophetam, neque filium Prophetæ*, sed nuper è pecoribus ad hoc vocatum munus, & propterea *magis Deo* vocanti *obediendum quàm hominibus.*

17. *Uxor tua*] Juxta illam maledictionem Deut. 28. *Uxorem accipies, & alius dormiet cum ea*, &c.

L. BRUGENSIS.

1. ET *ecce serotinus post tonsorem gregis.*] Remigius Altisiorensis legit, *Et ecce bruchus:* idque ei præfert quod alii codices habent, *Et ecce serotinus.* Verùm id, *bruchus* inquam, Græcæ LXXII, non nostræ editionis est: לקש enim, quod Hieronymus *serotinum* est interpretatus, LXXII βροῦχον intellexere. Porrò Hieronymus in ea lectione quam pòst referemus, bruchum per *tonsorem regis* intellexit. Pro *tonsorem* quidam libri *tonsionem* legunt; MS. qui ex collegii trilinguis bibliotheca est, impressi Venetus (anni 1497.) Basil. Compl. Lugd. (anni 1522.) Quentel. anni 1529.) Paris. cujus & Altisiodorensis (anni 1557, & 1573.) meminit. גז, quod Hebraicè est, Neoterici Interpretes *tonsiones* reddunt, vel *detonsa germina.* Porrò Hieronymus *tonsorem*, sive *tonsuram*, in commentario exponit. Quare servandum id nobis videtur, quod penè omnia scripta antigrapha & primæ typographorum editiones habent, *tonsorem.* Quod pleraque exemplaria scribunt *gregis*, certa res est scribendum *regis*, ut est in manuscriptis, Hunnæi B, & Plantini angusto, atque impressis, demptis Parisiensibus anni 1573, superioribus omnibus quæ *tonsionem* legunt, adstipulantibus enarratoribus Richelio & Altisiodorensi. Hebraica enim vox מלך, quod notum est, *regem* significat, non *gregem.* Quare & LXX, & Chaldæus, & Aquila, quem Hieronymus citat, & denique neoterici translatores, *regem* convertêre. Ac nè quis de Hieronymo nostro Interprete dubitet, commentarius ejus ubique legit atque agnoscit *regis.* *Gregis* substitutum fuit (quod & Lyranus existimat) quòd sermo hic sit de rebus agrestibus, inter quas frequenter in sacris historiis gregis tonsio celebratur. Epanorthotes itaque legit, *Et ecce serotinus post tonsorem regis*: cujus sensus esse possit, descendisse imbrem serotinum post detonsam herbam regis; in quem sensum Chaldæus vertit, *Et ecce repullulatio tenuis postquam tonsa fuit herba regis.* Lobiensis Abbatiæ scriptum habet, *Et ecce post serotinum tonsor sive tonsura regis:* quod ex D. Hieronymi commentario est sumptum, quo id legitur atque explicatur. Mirum verò est, cùm Hebræa, Græco & Chaldæo suffragantibus, non hoc loco scribant præpositionem *post*, sed eo quo à plerisque omnibus Latinis libris, והנה לקש אחר גזי המלך, quod scholiastes Hebraicus traduxit, *Et ecce herba serotina* succreverat *post tonsiones ipsius regis.* Porrò, pro אחר, quod est *post*, LXX אחד legêre, quod est *unus*; & pro גז, quod est à גז *tondere*, גז quod Hieronymo videtur, aut גג: transtulerunt enim, καὶ ἰδοὺ βροῦχος εἷς Γὼγ ὁ βασιλεύς, *Et ecce bruchus unus Gog ille rex:* pro quo malè esse putarim in Complutensi, εἰς Γὼγ τὸν βασιλέα *in Gog regem.* Nam & Hieronymus ità exponit ut *bruchus* Gog rex appelletur, & Gog genti sævissimæ comparetur: adstipulatúrque Theodoritus.

7. *Hæc ostendit mihi Dominus*] Novemdecim nostrorum MSS. Pl. m. Q. L. &c. habent, *Hæc ostendit mihi Dominus Deus:* novem, Lob. O, E, &c. legunt, *Hæc ostendit mihi Dominus:* duo, I & Leodiense, cum uno Hentenii, tribus Parisiensium (Compl. Gc. o. Di. o.) & antiquis Epanorthotæ, scribunt, *Hæc ostendit mihi:* sublatis nimirum *Dominus* & *Deus*, id solum legunt. Primæ lectioni volunt quidam Græci codices, Venetus & Argentoratensis; habent enim, οὕτως ἔδειξέ μοι Κύριος Κύριος, *Sic ostendit mihi Dominus Dominus.* Secundæ suffragantur insigniores Græcorum libri, Basileensis anni 1550, Complutensis & Vaticanus, cum Theodoriti textu, qui alterum Κύριος tollunt. Tertiæ adstipulantur Hebraica ac Chaldaica exemplaria, & textus D. Hieronymi commentariis junctus. Tertiam probarunt Parisienses & Epanorthotes: quorum hic annotavit, *Item b. Hæc ostendit mihi: & ecce Dominus stans super murum. Sic habent Hebræus, & antiqui, & Hieronymus.* Verosimile est hæc *Dominus* & *Deus* ex præcedentibus huic loco addita, aut ex glossa, quæ hunc locum juxta præcedentia exposuerit, in textum relata: bis namque hoc ipso capite præcessit, *Hæc ostendit mihi Dominus Deus* [*Dominus* Gq.] primo & quarto versibus: quæ est eorum locorum celebris ac vera lectio.

D R U S I U S.

1. OStendit mihi] In visione Prophetica. ¶ *Is ecce*, &c.] Scholia Camii, *& ecce examen locustarum.* יצר *examen, collectio.* Non valde probo. Licèt eadem Scholia יצר Gen. 2. 19. exponant ויאסף *& collegit.* ¶ *Formabat*] Fingebat, *creabat.* ¶ *Locustas*] Novè dixit גבי pro גבים. Sic Jer. 22. 14. חלוני *fenestræ*, & Jes. 20. 4 citante Camio, חשופי שת, ubi tamen vulgata exempl. שתים habent. In ed. Chaldaica גובא *locusta.* ¶ *Primum cùm ascenderet*] Vel *in principio cùm ascenderet*, i. succresceret. Sic *ager ascendere* dicitur *spinis* quando spinæ in eo ascendunt, aut proveniunt. ¶ *Herba corda*] Herba serior, quæ post succisam primorem herbam succrescit. Herba, inquam, tritici, non fœnum cordum, ut quidam putant. ¶ *Post detonsiones Regis*] Postquam herba prima Regis detonsa & in usum jumentorum resecta fuisset.

2. *Cùm autem consummasset*] *Absolvisset, finiisset: locusta* videlicet, i. ארבה: ut sit constructio sensu non voce congrua. Nam גבי *locustæ.* Sumitur autem nomen ארבה collectivè. Ideo pluralem non habet. Fortè גבי ejusdem numeri est. Ad quod exemplum occurrunt passim in Divinis libris שדי *omnipotens*, שדי *ager.* Sic דוי *mœstus.* Docti judicent. ¶ *Herbam terræ*] Non fruges modò, sed alias etiam herbas omnes, quas ad radices usque devorat, sic ut regerminare nequeant. Unde solet fames magna consequi: Sæpe etiam pestis. Nam mortuæ tetrum nimis & ultra opinionem pestiferum odorem exhalant. Vide Orosium l. 5. c. 10. ¶ *Propitius esto*] *Parce, condona.* ¶ *Nunc*] Aliàs, *obsecro*, i. נא. ¶ *Quis stet Jacobo?*] Si sic pergis sævire in terræ nascentia, *quis possit stare*, i. subsistere, sive superesse, *Jacobo?* q. d. Omnibus fame pereundum erit. Sunt qui referunt, *Quomodo consistat Jacobus?* ut sit מי pro מה. Nam hæ literæ communem familiam habent. Sic מי ex מה &c. & Jud. 13. 17. מי שמך *quod est nomen tuum?* i. מה. Vide sis Annot. Livelæi nostri. In hoc significatu malim vertere, *Quomodo surgat Jacob?* Nam ut *cadere* est in calamitates incidere, ità *surgere* dicitur qui ex iisdem emergit. Suprà, *Cecidit virgo Israel, non addet surgere.* A me facit verbum קום, quod usitatè sign *surgere.* Nam *stare* potiùs עמד dicitur. Veteres ed. *Quis erigat Jacobum?* i. יקים. ¶ *Parvus*] Ad exiguum numerum redactus. Quod fugerat non effugit. In hoc versu כי valet אשר. Possumus etiam propriè accipere, *Quia parvus est.* Hoc primum. Deinde אם pro כאשר ponitur; ut Gen. 38. 9. אם בא *cùm venerit.* Num. 36. 4. אם יהיה היובל *cùm erit Jubilæus.* Exod. 20. 25. אם תעשה *cùm facies.* Similiter usurpatur *si* in Latio: quod exemplis alibi docemus. Huc refer, *Si Deus pro nobis:* nam sensus, *Cùm Deus pro nobis.*

3. *Pænituit DOMINUM*] Ut Exod. 32. 14. *Et pænituit DOMINUM mali quod locutus fuerat ut faceret populo suo:* & Jon. 3. 10. *Et pænituit Deum mali quod locutus fuerat ut faceret eis, & non fecit.* *Pænitentia* Deo aliud nihil quàm mutatio sententiæ prioris: Quæ etiam sine reprehensione possit admitti in Homine, nedum in Deo, cujus omnis sententia caret culpâ. ¶ *Hujus*] Mali sive pœnæ quam visio prænunciabat. ¶ *Non erit*] Non eveniet unquam. Quidam præcedens membrum legunt per interrogationem, *Pæniteret DOMINUM hujus?* q. d. Minimè gentium. *Hoc nunquam erit*, ut Deus mutet sententiam hac de re. Prius melius.

4. *Vocabat*] Angelos suos videlicet, quorum ministerio utitur tam ad tuendum bonos quàm ad puniendum malos. ¶ *Ad contendendum*] Cum populo suo. לרב pro לריב: ut Prov. 25. 8. & Job. 9. 3. ¶ *Igne*] Incendio. Quo supplicio quondam Sodoma periit. Quidam innui putant immodicum æstum sive ardorem Solis cum siccitate conjunctum, quæ tanta fuerit ut aquæ etiam profundissimæ absumptæ sint. Hoc significat cùm ait, *& devorabit abyssum magnam.* Jes. 66. 16. *DOMINUS igne disceptabit & gladio contra carnem.* Sic Ezec. 38. 22. dicitur *disceptare peste & sanguine*, i. cædibus. ¶ *Agrum*] Agrum Israeliticum. Ad verb. *partem.* Quod significantius Græcè legitur τὴν μερίδα, id nonnulli exponunt *partem terræ*; alii, *partem agri regii.* Nam quia Rex præcipuè deliquerat, adeóque exemplo suo alios peccare fecerat, ideo præcipuè puniri debebat.

5. *Cessa*] *Desiste, quiesce*, κόπασον. ¶ *Nunc*] Δή. *Quis stet*]

flet] Quis posset stare, i. superstes esse? Contrà *cadere* pro *mori* usurpatur.

6. *Istud*] Ista pœna, istud supplicium: Pro, *Quis stet?* rectiùs fortasse vertas, *Quomodo surgat?* Quomodo, inquit, emergat ex hac clade qui adeò est imminutus sive ad tam paucum numerum redactus?

7. *Sic ostendit mihi*] Hanc quoque visionem ostendit mihi Dominus. ¶ *Stabat*] נצב *constitutus erat.* ¶ *Super murum perpendiculi*] Ad perpendiculum sive libellam exstructum. *Perpendiculum* autem אנך dicitur quòd ex plumbo fieret. Unde Gallicè vocatur *niveau ou plomb.* Sanè Arabes *plumbum*, teste Aben-ezrâ, אנך indigitant. R. David annotat, cùm Dages in Chaph habet, significare *plumbum album*, quod nunc *stannum* vocamus. Nam etiam ex hujusmodi plumbo constat libella sive perpendiculum. Quò fortè respexit Hier. cùm ἀλείφασιν (quod est interpretamentum Aquilæ, & propriè *lituram* denotat παρὰ τὸ ἀλείφω, *ungo*, *linio*) *stannaturam* interpretaretur. Idem in Commentariis *murum perpendiculi* vocat *murum stannatum* sive *litum.* Quanquam novè אנך potiùs designari putat *trullam cæmentarii.* Cujus interpretationis rationem quærenti nulla occurrit, nè probabilis quidem, cùm Græca ἐπὶ τείχυς ἀδαμαντίνυ pro se habeat *Anachiten*, quæ vox apud Plinium occurrit pro *Adamante.* Cæterùm à recepta hodie translatione non dissentit Nicolaus, cùm ità scribit, *Ebræi aliam literam habent, quæ est, Ecce Dominus stans super murum lineatum, & in manu ejus linea. Et accipitur hìc* linea *pro* chorda latomi, *in cujus extremitate est plumbum,* ¶ *In manu ejus perpendiculum*] Hæc est libella Divini judicii pravitatem populi sui pœnâ corrigens, quemadmodum ad perpendiculum murus dirigitur, sic ut undique rectus sit nec quicquam obliqui habeat. Vidit hoc Nicolaus ità scribens, *Per lineam designatur Divina justitia tortuositatem culpæ emendans per pœnam: ideo sequitur*, Ecce ego ponam lineam in medio populi mei Israel, *i. rectitudinem justitiæ meæ ejus peccata puniendis.* Aut significat Regnum Israel accuratè & quasi ad libellam destruendum. Vide Lam. 2. 8. & 2 Reg. 21. 13. *Libella* est Divinum judicium ad libellam exactum: sicut dicimus *ad amussim facere judicium*, pro *exquisitâ & exactissimâ curâ.* Tralatio à Fabris, qui funiculo illo regulati operis æqualitatem explorant.

8. *Ecce ego pono perpendiculum in medio populi mei*] Exigam pœnas de populo meo ad perpendiculum, i. quàm exactissimé. *Pono*, i. Brevi ponam. Quale illud, *Ecce ego commoveo cœlum & terram.* ¶ *Præterire ei*] i. Condonare ac remittere, vel potiùs dissimulare & connivere. Quod pleniùs dicunt *præterire scelus*, sive, ut alii reddunt, *transire super scelus.* Prov. 19. 11. *Decus hominis præterire scelus*, i. connivere ad illud. Sic in fine Michææ, *Quis similis tui*, *DOMINE*, *remittens iniquitatem & præteriens scelus?* Hoc sensu construitur cùm ל. Aliter constructum, h. e. cum ב, aliam significationem habet.

9. *Desolabuntur*] *Solo æquabuntur*, *destruentur.* ¶ *Excelsa*] i. Sacella vel ædificia è terra exaltata; quæ & *altaria* vocantur. Prudentius,

Armis profanus præparabat impiis
Altaris aram funditus pessundare,

&,

Altaris aram quod facit placabilem.

Eucherius in libros Regum, pag. 203. *Luce est clarius quòd excelsa nominare solet Scriptura loca in collibus posita frondentibus, in quibus vel Dæmonibus immolabant, vel etiam Domino, locorum amœnitate allecti, contra interdictum, relicto altari quod erat in Templo, hostias offerebant.* ¶ *Isahac*] Alibi est יצחק. Hic & infrà 7. 16. scriptum ישחק per Sin. Sic etiam scribitur hoc nomen Psal. 105. & Jer. 33. Utrumque sign. *Risum.* Ex quo intelliges quod in ed. Græca βωμοὶ τοῦ Γέλωτος nam Artabanus quoque Abrahami filium Γέλωτα vocat. Vide sis Euseb. Προπαρασκ. lib. 9. *Isahac* nomen tam Idumæos quàm Israelitas comprehendit; sed nunc strictiùs accipitur pro solis Israelitis, ad quos propriè concio ista pertinet. ¶ *Sanctuaria*] *Sacraria.* ¶ *Israel*] x Tribuum. Bethel, Dan & Galgal. Sic infrà v. 13. Bethel appellatur *Sanctuarium Regis:* nam ibi erant sacella & fana sive delubra idolorum. ¶ *Et insurgam*, &c] *Postquam insurrexero in domum Jeroboam gladio.* Sensus est, postquam filium ejus Zachariam occidero per Sellum filium Jabes. Historia habetur 2 Reg. 15. 10. In hoc Zacharia Jeroboami filio defecit domus Jehu. ¶ *In domum*] In familiam. ¶ *Jeroboam*] Filii Joas.

10. *Sacerdos Bethel*] Jon. רבא דביתאל, quod reddunt *Præses Bethel.* Sic apud Mosen כהן און *Sacerdos Onii.* Oncelos interpretatur רבא דאון, i. *Princeps Onii.* ¶ *Conspiravit*] קשר est quod barbari dicunt *ligam fecit.* Græci eleganter suâ linguâ exprimunt συςροφὰς ποιεῖται, i. *coitiones facit.* Hier. & Jon. *rebellavit.* Ab hac significatione nomen est קשר *conspiratio*, συςροφὴ *coitio* vel *pactio factiosa.* ¶ *In medio domus Israel*] Scholia Ebraica enarrant *publicè ac palàm.* Similis locus Prov. 5. 14. *Propemodum fui in omni malo, in medio congregationis & cœtûs.* ¶ *Non potest terra*, &c.] Incolæ hujus regionis non possunt diutiùs ferre ipsum talia loquentem.

11. *Gladio morietur Jeroboam*] Calumnia est: non enim hoc dixit, sed, *Insurgam in domum Jeroboam gladio.* Verba habentur suprà vers. 9. ¶ *Migrando magrabit*] Penitus migrabit.

12. *Videns*] O Videns, ô Propheta. ¶ *Abi*] לך *vade*, vel *ito*, i. agé. Hortantis est. ¶ *Fuge tibi*] Pronomen in Latio redundat: ideo Hier. illud omisit; rectè sané; nam satis erat *fuge.* In ed. Græca συγχώρησον σύ. Non dubito quin legendum sit σοὶ pro σύ· nam sic Græci etiam loquuntur. Dicunt γράφου σοι pro eo quod est *scribe.* ¶ *In terram Juda*] Jon. *in terram domûs Judæ*, i. Duarum tribuum. Quæ & *Judæa* dicitur quando nomen hoc angustè sumitur; nam latè sumptum simul regionem x tribuum comprehendit. Putatur autem Judæa huic patria fuisse: nam Thecue oppidum erat tribus Juda, si credimus Hier. ità scribenti in Comment. Hos. 4. *Amos Propheta, qui de tribu Juda erat & de viculo Thecue, cogitur redire in patriam suam.* ¶ *Comede ibi panem*] q. d. Indignus es qui hìc *panem comedas*, sive quem terra hæc alat. ¶ *Prophetabis*] i. Prophetato. Fut pro Imperat.

13. *Sanctuarium*] Aliàs, *sacrarium.* Jes. 16. 12. *& veniet in sacrarium suum ad precandum.* ¶ *Domus Regni*] i. Regia.

14. *Non eram Propheta*] Nempe cùm me assumeret è grege ovium & armentorum. Erat enim non modò *bubulcus*, sed etiam opilio, ut liquet ex principio hujus libri. Cæterùm in aliis ed. est, *Non sum Propheta ego:* quod mutavi, quia tum cùm hæc diceret Propheta erat, vocatus ad hoc Divinitus. ¶ *Neque filius Prophetæ*] i. Discipulus. Τέκνον γάρ ἐςι πνευματικὸν τοῦ διδασκάλε ὁ μαθητής, ait magnus ille Basilius Hom. in Psal. 33. Augustinus Contra Adamantium Manichæum, cap. 5. *Alio modo filii dicuntur secundùm doctrinam, ut filius ejus in ea re quisque appelletur à quo aliquid didicit: sicut filios suos vocat Apostolus qui ab illo didicerunt Euangelium:* & mox, *Judæi vocantur à Domino filii Diaboli, vel quod ab ipso impietatem didicerunt: sicut de ipso Diabolo Apostolus dicit*, Qui nunc operatur in filios diffidentiæ, *vel quòd eum imitantur.* ¶ *Bubulcus*] Aut *armentarius*, i. βυκόλος, quod ediderunt olim Aq. Sym. Th. & auctor editionis illius quam *Quintam* appellant. Priùs erat in LXX αἰπόλος, i. *caprarius* sive *pastor caprarum*, nisi magis ut sit nomen generale. Nam legimus αἰπόλος αἰγῶν. Quod tamen ità dici existimarim ἐκ περισσῦ, ut βυκόλος βοῶν, i. *armentarius boum.* ¶ *Vellicans sycomoros*] Ità Hier. Theodotionem, ut apparet, secutus, qui antea verterat χαράσσων συκαμίνυς, i. *vellicans sycamina.* Idem in Commentad hunc locum, *Quidam ità edisserunt ut Sycamina velint appellari genus arborum quæ Palæstinæ nascuntur in campestribus, & agrestes adferunt ficus, quæ, si non vellicentur, amarissimas cariculas faciunt, & à culicibus corrumpuntur. Nobis autem, cùm solitudo in qua morabatur Amos nullam hujusmodi gignit arborem, magis videtur Rubos dicere, qui adferunt mora, & pastorum famem ac penuriam consolantur.* Hactenus ille. LXX κνίζων συκάμινα, τυτέςι κεντῶν, ὥςε γενέσθαι πέπειρα, inquit Hesychius. Aq. ἐρευνῶν συκομόρυς, i. *scrutans*, *perquirens*, i. בלש in lingua Chaldaica. Sic enarrant & Scholia Ebraica. Sym. ἔχων συκομόρυς. Quidam, *commiscens sycamina.* Nam בלש *misceo*, *confundo.* Hoc significat in lingua Magistrorum. Idem verbum in Arabica lingua sign. *siccare*, ut verti etiam possit *exsiccans sycomoros.* שקמים. Horum mentio 1 Reg. 10. 27. & Esa. 9. 10. Similitudinem habent cum Ficubus, nec reperiuntur in his locis. Arabes vocant גמין גם שקמם. Theodoretus in Comment. Amos 5. *Arboris species est Sycomorus in Palæstina: Cujus mentionem facit Lucas Euangelista, cùm dixit in arborem sycomorum ascendisse Zachæum.* Audivi quendam cùm illum Lucæ locum enarraret, dicentem quòd harum fructus non maturescit nisi priùs illi brevem quandam incisionem admoveris.

15. *Cùm assumeret*] Verbum è verbo, *Et assumpsit me.*

¶ *A*

¶ *A grege quem ſequebar*] Senſum expreſſi: nam ad verbum eſt *de poſt gregem.* Alii maluerunt *à ſequendo gregem*, ovium videlicet. ¶ *Et diceret*] Vel, *tunc dixit.* ¶ *Vade, propheta*] Occultè innuit ſe non victûs causâ prophetaſſe, ſed quia ad hoc munus à Deo vocatus eſſet cùm nihil illi deeſſet rerum ad vitam neceſſariarum. ¶ *Ad populum meum*] Vel potiùs *contra populum meum:* ut ſit אל pro על. Sic Jonathan enarrat. ¶ *Iſrael*] Non Juda. Quomodo igitur dicis, *Fuge tibi in terram Juda?*

16. *Non prophetabis*] *Nè prophetato.* ¶ *Non ſtillabis*] *Nè ſtillato*, vel magis *ne ſtillare facito ſermonem tuum*, ut ſubaudiatur דבר, quod expreſſum Job. 29. 22. *Super eos ſtillat ſermo meus.* Vide quæ ſcripſimus Animadv. l. 1. cap. 11. ¶ *Contra domum Iſahac*] Hic rurſum *Iſahac* pro *Iſrael* ponitur, h. e. pro x tribubus tantùm: licèt ab Iſahac genus duxerint tum Judæi tum etiam Idumæi. ¶ *Scortabitur*] Scortum alterius erit. Hinc major ignominia viro quàm ſi ejus uxori per vim ſtuprum inferretur. Nam ſtuprum inferri poteſt etiam caſtæ: Scortari non poteſt mulier niſi impudica fuerit. Nihil autem gravius homini quàm habere uxorem ſcortum. Unde apud Jobum legimus 31. 10. *Scortum alterius ſit uxor mea.* Ea cauſa eſt cur non poſſim iis aſſentiri qui *ſcortabitur* hoc loco exponunt *per vim ſtuprabitur:* Nam hoc Ebræi potiùs exprimunt verbo ענה. Vide ſodes Thren. 5. 11. ¶ *In urbe*] q. d. Palàm ac publicè. Nam quæ domi fiunt, clàm eſſe poſſunt; non item quæ in urbe. ¶ *Gladio cadent*] In bello occidentur. ¶ *Terra tua*] Vel *humus tua.* Nam eadem vox quæ ibi, *Qui colit humum ſuum ſatiabitur pane*, i. fundum ſuum, ſive prædium ſuum. Aliàs *terra tua*; ut ibi, *Aſcendit gens contra terram meam.* Nam *terra* cujuſque in qua quis degit, quæ ei patria eſt. ¶ *Funiculo*] *Menſorio.* Nam funiculis agros metiebantur, quos deinde inter ſe dividebant. Hoc, inquit, Aſſyrii facient cùm terram tuam occupaverint. ¶ *Polluta*] Aut *profana*, cujuſmodi ſunt *Gentium terra:* Quarum reſpectu Palæſtina vocatur *terra Sancta.* Hoc dicit, Morieris, non in patria, ſed in exſilio ſive in captivitate.

IDEM.

1. Κύριος ὁ θεὸς] A Plantino editi Κύριος, cæteri Κύριος Κύριος. Int. V. *Sic oſtendit mihi Dominus.* ¶ Ἐρχομένη ἑωθινὴ] Plant. ἐρχομένης ἑωθινῆς. Int. *fœtus locuſtarum veniebat matutinus.* Sic Virgilius, *matutinus agebat*, i. *manè.* *Cæterùm in Ebræo* בתחלת עלות הלקש: id valet ὑπὸ τὴν ἑωθινὴν, ἤδη τοῦ ἡλίου ὑποφαίνοντος. ¶ Βροῦχος εἷς] ילק אחר. ¶ Γὼγ ὁ βασιλεὺς] גוז המלך. Quid magis alienum à ſenſu verborum quæ nunc in Ebræo? Plantinus habet Γὼγ τὸν βασιλέα quod non cohæret cum iis quæ præcedunt, niſi legas βροῦχον ἕνα.

2. Συντελέσῃ] Aliquot ed. συντελεσθῇ. Int. V. *ſi compleverit.* ¶ Κύριε Κύριε] Plantinus excudit Κύριε ſemel duntaxat. Int. *Domine Deus*, Κύριε ὁ Θεός. ¶ Ἀναστήσει] יקום. ¶ Ὅτι] Aliàs διότι.

3. Λέγει Κύριος] Alibi, εἶπε Κύριος.

4. Ἔδειξέ μοι Κύριος] Aliquot exempl. ἔδειξέ μοι Κύριος Κύριος. Int. V. *oſtendit mihi Dominus Deus.* Sic variant in hoc verſu paulò pòſt, ubi C. & R. ἐν πυρὶ Κύριος, cæteri πυρὶ Κύριος Κύριος, Int. *in igne Dominus Deus.* ¶ Τὴν μερίδα Κυρίου] Sic Romæ impreſſi. A cæteris abeſt vox Κυρίου, quam nec Ebræi habent, nec Int. V. legit. Jon. *aſſumſit poſſeſſionem:* aliàs *fundum.*

5. Καὶ εἶπα, Κύριε, κόπασον δὴ] Ed. C. Καὶ εἶπα, Κύριος ὁ Θεός, κόπασον· cæteræ, Καὶ εἶπον, Κύριε Κύριε, κόπασον δή. Int. *Et dixi, Domine Deus, deſine.*

6. Λέγει Κύριος] Aliquot, λέγει Κύριος Κύριος. Lat. V. *dicit Dominus Deus.*

7. Ἔδειξέ μοι Κύριος] Aldi & Cephalæi ἔδειξέ μοι Κύριος Κύριος. Vet. *oſtendit mihi Dominus.* ¶ Ἰδοὺ ἑστηκὼς] Plant. ἰδοὺ Κύριος ἑστηκὼς cæteri, ἰδοὺ ἀνὴρ ἑστηκώς. Int. *ecce vir ſtabat.* Vide Notas ad ed. Romanam. ¶ Ἀδάμαντα] אנך, vel Symmacho interprete *adamas.* Hinc fortè *Anachites*, quem Plinius inter Adamantis nomina recenſet. Hier. in Comment. ANACH *ſtannatio eſt ſive trulla cæmentarii, quâ ſolent ſuperinduci parietes.* אנך Arabicè *plumbum*, μόλυβδος, κασσίτερος item *perpendiculum:* ex plumbo enim: Græcè μολύβδαινα. In Pandectis Medicinæ, *Annach, plumbum:* lego *Anach.* Arabes אנך ſcribunt cum Dages in Chaph. Ibid. *Alognoch & Albonoch, plumbum.* Leg. puto *Alanach*, i. אלאנך, Ebraicè האנך. *Al* enim ſive *El* Arabum nihil aliud eſt quàm ה apud Ebræos & articulus apud Græcos. Sylvaticus, *Alannochrabarum, plumbum nigrum.* Legerim, divinationi ſi locus eſſet, *Alanachabar.* *ABAR*

& ALABAR plumbum nigrum, Syriacè אברא. Huc refer *Alababar*, *Aloboar*, *Alaban*, *Alahanbar*, & quæ alia in *plumbi* ſignificatu reperies apud Sylvaticum in Pandectis illis. אנך etiam lapis qui in Divinis literis vocatur שהם. In Adverſariis meis invenio אנך *Onyx.* Vulgò אונכינא, i. ὀνύχιον. Gorionis Fil. Hiſtor. Ebr. lib. 2. c. 11. אבן אנך הוא אוניאן. Ità legunt exemplaria Veneta quæ Antverpienſis Bomberga excudit. Tu expende an non magis ſcribendum ſit אוניכן: nam *Unio* aliud eſt. Addam pro coronide, videri Græcum ὄνυξ potiùs dictum eſſe ab אנך quàm, ut Grammatici volunt, *quia candorem præfert unguis humani.* Ignoratio linguarum multas ejuſmodi etymologias excogitavit, cùm nihil certius ſit quàm innumeras voces, Græcas ſimiliter & Latinas, non aliunde fluxiſſe quàm è Syrorum Ebræorúmve fontibus.

8. Καὶ εἶπε Κύριος πρός με] Lectio varians, Καὶ εἶπε πρός με. In Ebræo, Καὶ εἶπε Κύριος ut fortè legerint אלי pro ארני. Sed potius ut dicamus πρός με additum ab Interpretibus, aut ἀπὸ κοινοῦ repetitum ex præcedentibus. Int. *Dixit Dominus ad me.* ¶ Παρελθεῖν αὐτὸν] Int. V. *ut pertranſeam eum.* Veneta editio, cum qua Cephalæi conſentit αὐτὸ præfert. Mercerus conjicit Interpretes initio ſcripſiſſe αὐτῷ, in dandi caſu.

9. Βωμοὶ τοῦ Γέλωτος] Βωμὸς Ebraicum eſt à במה, τοῦ Γέλωτος verò ex iis locis in quibus nomen proprium per appellativum redditur. Siquidem Ἰσαὰκ à *riſu.* Niſi ſanè legerunt שחק abſque Joth; quod mihi non videtur. Fortè fefellit eos in ſcriptura Ebraica ישחק, cùm aliàs, quando eſt nomen proprium viri, ſcribi ſoleat יצחק per Sade, raró per Sin.

10. Ἱερεὺς Βαιθὴλ] Perperàm in quibuſdam ἱερεὺς εἰς Βαιθὴλ· quod tamen ſi reddas *Sacerdos in Bethel*, ſive *Bethelis*, idem planè cum illo *Sacerdos Bethel.* Sed hoc potiùs ἐν Βαιθὴλ diceretur. ¶ Ὑπενεγκεῖν] Aliàs ὑπενέγκαι.

11. Ἀμὼς] Veneta & Argentoratenſis Κύριος Ἀμὼς, i. *Amoſo.* Vet. *Hæc dicit Amos.* Veritas lectionis.

12. Πρὸς Ἀμὼς] Alibi, πρὸς Ἀμὼς, λέγων. ¶ Ἐκχώρισον σὺ] Pronomen abeſt in editis à Plantino, ut etiam à Lat. Vet. Puto Interpretes ediſſe ἐκχώρισόν σοι. Nihil veriſimilius. Et eſt genus loquendi in omnibus linguis vel pueris notum. ¶ Καταβίου] Int. *vive.* Editio quæ à Plantino, κατάβηθι, *deſcende.*

13. Οὐκ ἔτι προσθήσεις] Plant. οὐκ ἔτι μὴ προσθῇς. ¶ Ἁγίασμα] Malè feriatum caput pro ἁγίασμα exſcripſit olim ἔτασμα, quod hodiéque legitur in editis ad C. nec cauſa erat, niſi quòd ἁγίασμα quid eſſet hoc loco non intelligeret. ¶ Οἶκος βασιλείας ἐςὶ] Int. V *domus Regni:* optima lectio, quam Romanenſibus debemus. Tu ſperne præ illa quod in libris aliis quibuſdam οἶκος βασιλέως ἐςί.

14. Αἰπόλος] Int. *paſtor*, videlicet boum, i. *bubulcus.* Sed *paſtoris* vocabulum latiùs patet. Sic αἰπόλος unde, αἰπόλος αἰγῶν. Sunt qui putant in hoc ſermone otioſum eſſe genitivum, cùm αἰπόλος propriè dicatur *caprarius*, quaſi αἰγοπόλος. Ut ut ſit, uſurpatur interdum pro *paſtore* in genere. ¶ Κνίζων συκάμινα] שקמים συκάμινα. Alius συκομόρους, alius συκαμίνους. Dictio συκάμινα præ ſe fert Ebraicam originem, Græcam συκόμορος. Res eadem videtur, tamen diſtinguunt, ut prior *morum* ſignificet, poſterior *ſycomoron*, quæ arbor inter Ficum & Morum media eſt. Apud Syrum Int. Luc. 17. 6. תותא, συκάμινον. Matth. 21. 19. תאנתא, συκῆ. תות Luc. 19. 4. συκομορέα. In Thalmud ſive Deuteroſi Ebræorum תות μορέα. Nathan Juſtus interpretatur, dicens ſignificare תות, i. *morum*; & rectè. Eſt autem Arabicum: unde nomenclatura plantarum. *Morus* Arabicè TUT vel THUT. Aben Ezra ſcribit שקמים *fructum eſſe ficubus ſimilem, quem Iſmaelitarum natio* שקם *vocat:* item גמז, ut habent libri à Stephano vulgati. Ego verò mendum eſſe aio, legendúmque גמז ex Medicorum libris, ubi GUIMEIZ & JUMEIZ & ALYUMEIZ, *ſycomorus*, ſive *ficus Ægyptia.*

15. Προφήτευσον] Alibi, προφητεύσεις. ¶ Ἐπὶ τὸν λαόν μου] Biblia Regia ἐπὶ τὸν οἶκον. Int. V. *prophetiza ſuper populum meum Iſrael.*

16. Μὴ προφήτευε] Eadem, οὐ προφητεύσεις. ¶ Ἰακὼβ] Codices Ebræi Ἰσαάκ.

17. Ἐν ῥομφαίᾳ πεσοῦνται] O hominem audacem! illum correctorem dico qui veram ſcripturam induxit, & ſpuriam hanc αἰχμάλωτοι ἀχθήσονται in ejus locum ſubſtituit ex fine verſûs. Vide Biblia Regia & ea quæ ad E. C. vulgata. Olim aliter: nunc ità ſentio; Optima eſt ed. Rom. proximum locum obtinent quæ cuſæ ad Aldi exemplar. ¶ Οὕτως ἔδειξέ μοι Κύριος Κύριος] In Plantini ſemel tantùm Κύριος legitur. Idem hæc verba poſuit in principio capitis octavi; optimè & rectiſſimè: nam pertinent ad ſequentia.

IDEM.

1. הִנֵּה לֶקֶשׁ אַחַר גִּזֵּי הַמֶּלֶךְ. Aq. *ecce serotinus post Gaza Regem*] Sub. *imber*. Scribo *Gaze* absque diphthongo, ut sit nomen proprium Regis. Hoc credibilius quàm quod quidam opinatur de *Rege Gazæ*, quæ Ebræis עזה dicitur. Fortean Aquila scripsit Γαζαὶ, quod pòst corruptum sit in *Gaza*. Sic Latini fecerunt *Jessæ* ex Græco Ἰεσσαὶ *Jessai*, quod Ebræi scribunt ישי. Probarem si Ἰῶτα in his exemplis vocalis esset, & non consonans. Similiter peccatum in *Michaias*, quod scribunt *Michæas*, nempe ex Græco Μιχαίας, contra consuetudinem Ebraicam. Verba Hier. *Quid autem voluerit Aquila dicere*, ecce serotinus post Gazæ Regem, *non satis intelligo, nisi fortè ipsum sermonem* גז Gaze *posuit*, *& paulatim in* Gazam *errore corruptus est*: meam conjecturam non solùm juvant, sed etiam perspicuè roborant, confirmant.

7. אֲנָךְ. A. ἀλείφωσις. Sym. ἀδάμας. Th. τηκόμενον] Ἀλείφωσις, interprete Hier. *flagnatura*. Quid *flagnatura*? Nunc scribimus *stannatura*. Nam est *stagnum* sive *stannum*, quod vocant *plumbum album*. Lex. V. *Stagnum*, κασσίτερον. *Stagnea*, κασσιτέρινα. Hinc intelligentiam habet quod in eodem Hier. *Dominus itaque cernitur stans supra murum stagnatum sive litum*, *& in manu ejus stagnatio sive trulla cæmentarii*, *quâ solent superinduci parietes*. Notum ut ἀλείφω sig. *lino*: nam qui calce murum linit dicitur ἀλείφειν. Ergò ἀλείφωσις *linitio*, *ipsa actio linendi*, quæ & ἄλειψις. De אנך vide quæ scripsimus Animad. l. 1. c. 8. Ebræi hodie interpretantur, dicentes in Arabum lingua *Stannum* sive *Plumbum album* אנך appellari. Sic enim certè R. D. in Comment. ad h. l. אנך *est Stannum*; *& sic vocatur in lingua Arabica* אנך *cum Dages in litera Chaph*. Priùs Abenezra scripserat, אנך *in lingua Ismaelitica est Plumbum*. Rursum R. D. in lib. Rad. אנך *Plumbum album in lingua Arabica: item Perpendiculum*, *quod fit è plumbo vel stanno*. † Ἀδάμας. Sic etiam Lxx. Ergò עַל־חוֹמַת אֲנָךְ, ἐπὶ τεῖχος ἀδαμάντινον, *super murum adamantinum*. Quod intelligentiam habet ex illo,

——— *Hic murus aeneus esto.*

Nam ut aeneum sic *adamantinum* ponitur pro *validissimo & cujus robur insuperabile*. Hîc tamen propriè sumi videtur, si modò אנך *adamas*: cui firmando est *Anachites*, de quo Plinius lib. 37. cap. 4. & Agricola De natura fossilium lib. 6. pag. 285. Verba Plinii, *Adamas & venena irrita facit*, *& lymphationes abigit*, *metusque vanos expellit à mente: & ob id quidam eum Anachiten vocavere*. † Τηκόμενον interpretatur Hier. *tabescentem*. Malim ego *liquentem* sive *liquescentem*: nam τήκομαι *liquor*, *liquesco*, *liquefio*. Sunt autem ἐκ τῶν τηκτῶν & Plumbum & Æs. Verba Hier. *Priusquam de Adamante disseramus*, *quem Sym. & Lxx pro eo quod in Ebraico* אנך *scriptum est transtulerunt*, *dicendum est breviter quòd hoc verbum Aq.* ἀλείφωσιν, *Th.* τηκόμενον, *quorum alterum* stagnaturam, *alterum* tabescentem *significat*.

14. בּוֹקֵר. Aq. Sym. V ed. βουκόλος. Hieron. *Pro armentario*, *qui Ebraicè* בקר, *Aq. & Sym. & Th. & V editio* βουκόλον *transtulerunt*, *qui armenta pascit*, *non oves*. Βουκόλος, *Bubulcus*, *armentarius*. Priùs erat in Lxx αἰπόλος, i. *pastor caprarum*: quod bene emendarunt βουκόλος: nam בקר *armentum*: unde *bucerum pecus*, & *buceria greges*. ¶ בּוֹלֵס שִׁקְמִים. Aq. ἐρευνῶν συκομόρους. Sym. ἔχων συκομόρους. Th. χαράσσων συκαμίνους] Hier. *Porrò quod ait* vellicans sycamina, *i.* συκάμινα κνίζων, *quod Aq. interpretatus est* ἐρευνῶν συκομόρους, *i.* scrutans sycomoros, *& Th.* χαράσσων συκαμίνους, *i.* vellicans sycamina, *& Sym.* ἔχων συκομόρους, *i.* habens sycomoros. Vide sequentia, quæ brevitatis causâ omitto. In ed. Rom. *Sym.* ἔχων συκαμίνους. Utrùm error est describentium? Sanè apud Theodoretum, quo usus olim sum, habetur, ut in Hieronymo, *Sym.* ἔχων συκομόρους.

16. לֹא תַטִּיף. Sym. *non increpabis*] An Græcè scripsit οὐκ ἐπιτιμήσεις; nam ἐπιτιμάω *increpo*.

17. תִּזְנֶה. Sym. πορνευθήσεται] Hier. *Uxor tua in civitate fornicabitur; quod melius interpretatus est Sym.* πορνευθήσεται: *non quòd ipsa fornicetur*, *sed quòd passivo genere ab aliis constuprata sustineat fornicationem*.

IDEM in VULG.

1. ET *ecce fictor locustæ*] Verterim, *& ecce formans locustas*, ut subintelligatur *erat*. Erat formans, id est, formabat. ¶ *Germinantium serotini imbris*] Hoc alius verteret ex Ebræo, *In principio cum ascenderet fœnum cordum*. Sensus est, cum primùm succresceret fœnum cordum. ¶ *Serotini imbris*] Interpretatur MALCOS pro LECIS: quæ eo differunt quòd prius sit pluvia serotina, posterius fœnum serotinum, quod & cordum dicitur. ¶ *Serotinus*] Imber videlicet. tu emenda *serotinum fœnum*. Nam eadem vox quæ suprà. ¶ *Post tonsorem*] In quibusdam exemplaribus invenitur *tonsionem*: quod placet. Quanquam in Ebræo lectum *tonsiones* γλυφυντικάς. Significat autem *fœnisecia regis*. ¶ *Gregis*] Libet suspicari scriptum fuisse initio *regis*, quod deinde corruptum propter inscitiam librariorum in *gregis*. Suspicionem meam juvant aliquot vetusta exemplaria, in quibus eo modo scriptum offendimus: ut nè dicam eam scripturam firmari cùm ex Ebræo, tum ex aliis etiam editionibus.

2. *Cum consummasset*] Locusta videlicet. ¶ *Quis suscitabit*] Error lectionis. Legit enim Joth pro Vau. Tu verte, *Quis stabit Jacobo*; Autoribus viris doctis id facies. Ego judicium ampliatum velim super hoc loco.

3. *Misertus est*] Vel *Pœnituit Dominum*.

4. *Vocabit judicium ad ignem*] Non *judicium* est in Ebræo, sed *litem*: nisi potius ut vertamus, *ad litigandum igni*. Quod eò magis probo, quia Jonathan eodem modo interpretatur, *Ecce futurus est judicare sive contendere igni*. ¶ *Multam*] Vel, magnam. ¶ *Et devoravit*] ignis. ¶ *Simul partem*] Τὴν μερίδα legitur in Ebræo, hoc est, *partem quandam terræ*.

5. *Quiesce*] Vel, *cessa*, idque sententiæ aptius videtur. ¶ *Quis suscitabit*] Fortè CAM est, *suscitare*: ut SAB restituere.

7. *Dominus*] In plerisque manuscriptis reperitur *Dominus Deus*. Sed utrumque abest à Codice Ebræo. ¶ *Super murum litum*] Sunt qui emendant ex autoritate Ebræorum, *Ad murum perpendiculi*. Sensus est, ad murum ad perpendiculum, sive amussim extructum. Vox Ebraica ANACH apud Arabes significat *plumbum candidum* sive *argentarium*, quod vulgò *stannum* appellant. In commentariis Hieronymi exponitur *stannatio sive trulla cæmentarii*, *quâ solent superinduci parietes*, laudatúrque Aquila qui verterit ἀλείφωσιν, id est interprete Hieronymo, *stannaturam*. ¶ *Trulla cæmentarii*] Et hic vertendum *perpendiculum* sive *libellam*, autoribus Ebræis. Jonathan habet, *judicium*: & *murum judicii*.

8. *Ponam*] *Pono* habetur in Ebræo, non *ponam*. ¶ *Superinducere eum*] Manifestiùs alii, *præterire ei*, quod est breviter dictum pro *præterire scelera ipsius*. Hoc est, condonare ac negligere, ut non punias ea.

9. *Excelsa idoli*] Libet mirari cur ità transtulerit hunc locum. In Ebræo est *excelsa Isaac*. Græcus habet τοῦ γέλωτος: quæ est declaratio nominis Isaac. Dictus enim Isaac à risu. Josephus Orig. Jud. lib. 1. cap. 10. *Isaac risum significat. Nam eò quòd Sara riserat dicente Deo quòd pareret*, *nec jam speraret præ senectute partum*, *ideo filius ità vocatus est*. ¶ *Sanctificationes*] Sanctuaria, hoc est, templa. ¶ *In gladio*] Sensus est, cum gladio. IN pro *cum* frequens apud Ebræos.

10. *Rebellavit*] Est cur malim, *conspiravit*. ¶ *Beth-el*] Græca consuetudo βαιθήλ. Ex qua scribendum esset Bæthel cum diphthongo. Sed Ebræos sequimur non Græcos cùm quæstio est de nominibus Ebraicis. ¶ *Jerobeam*] Scribi potest *Jarobam* autoribus libris Ebræis.

11. *Captivus migrabit*] Hoc Ebræus enunciat, *migrando migrabit*.

12. *Qui vides*] In Ebræo est, *videns*. Et in Chaldaicis, *propheta*. ¶ *Fuge*] *Fuge tibi* legitur in Ebræo cum pleonasmo pronominis.

13. *Sanctificatio*] Melius, *Sanctuarium*. ¶ *Domus regni*] Cujus regni? haud dubiè Israëlis.

14. *Armentarius*] Vel, bubulcus. ¶ *Sycomoros*] Vel quod idem *sycamina*.

15. *Et tulit me*] Malim, *& assumsit me*. ¶ *Cùm sequerer gregem*] Verbum è verbo, *à post gregem*.

16. *Non stillabis*] Quid si vertamus, *non facies ut stillet*? sic ut subintelligatur *sermo*, quod expressum Job. 29. 22. *Super eos stillat sermo meus*. Hoc verbum alii enarrant, *non prophetabis*: alii, in quîs Jonathan, *non docebis*. Sanè quidem per pluviam, à qua tralatio stillandi, nonnunquam *doctrina* significatur. Sed operæ pretium est audire sententiam Hier. super hac voce, quanquam ea mihi subtilior, quàm verior videtur. Sic usurpatur id verbi Mich. 2. 11. Ezec. 20. 46. & alias sæpe. ¶ *Super domum idoli*] Audacter emenda, *apud domum Isahac*, ut suprà, *Demolientur excelsa idoli*.

17. *In civitate*] Ἐν τῇ πόλει legitur in Ebræo, quasi dicat, in ipsa urbe. ¶ *Metietur*] Planè vertendum, *dividetur*. Locum hunc interpretes nuperi eo modo convertunt.

L l.

LIVELEUS.

2. **Q***Uomodo consistet*] מי aliquando ponitur pro מה Jud. 13. 17. מי שמך. *Quod est nomen tuum?* מה verò interdum significat *quomodo*, ut suo loco, si Deus voluerit, declarabitur. Itaque nihil impedit quò minùs מי etiam in ea significatione hîc capiatur. Quimquio, Calvino, Mercero hæc interpretatio probatur.

4. *Vocavit ad disceptandum per ignem*] Sub. *ministros suos.* Metaphora à Re forensi. Deus enim cùm adversatur populo suo vindictâ & supplicio quasi adversarius causam suam agere videtur. Esa. 66. 16. *Jehova igne disceptaturus est & gladio contra omnem carnem.* Ezech. 38. 22. *Disceptabo cum illo peste & sanguine.* ¶ *Abyssum magnam*] Sic Esa. 51. 10. *exsiccavit mare, aquas abyssi magnæ.* His verbis amplificat ignis illius vim. *Ignem* verò per Translationem vocari puto immodicum ardorem & torrefacientem æstum, ut Joel. 1. 19. *ignis consumpsit pascua deserti*, &c. Vide in eum locum annotationem. ¶ *Portionem illam*] Vel *agrum illum*, regium scilicet, cujus mentio fit v. 1. ut Quimquius interpretatur verisimiliter, propter articulum præfixum, qui ad rem certam, notam & antè memoratam solet referri.

7. *In manu ejus libella erat*] Ut accuratâ mensuratione demoliretur, atque, ut loquitur Tremellius, *Regni destructionem ad libellam exigeret.* Sic Lam. 2. 8. Deus *cogitans muros Sionis corrumpere, extendit lineam* vel *regulam.* Vide 2 Reg. 21. 13.

8. *Præterire ipsi*] i. Ignoscere, condonare. Metaphora ab hominibus ea quæ negligunt & levia ducunt prætereuntibus, quasi non satis digna quæ ad rationem & calculum revocentur. Terentius in Adelphis, *Do, prætermitto, non necesse habeo omnia pro meo jure agere.* Hinc cum verbo *condonandi* Mich. 7. 18. *condonans iniquitatem, & præteriens defectionem.*

9. *Isaaci*] Tam Idumæi quàm Israelitæ ex Isaaco originem traxerunt: Veruntamen per Synecdochen hîc soli Israelitæ hoc nomine intelliguntur, & v. 16. *neque stillaveris contra domum Isaaci.* Eodem modo *Israelis* nomen, quod universis 12 tribubus commune erat, aliquando decem solis, aliquando duabus tribuitur, ut cùm Josaphat *Rex Israelis* dicitur 2 Par. 21. 2. Erat enim Judæorum Rex, sub quibus etiam Benjamitæ continebantur. Hâc ratione *Heber* pro *Israelitis* dicitur Num. 24. 24. & pro *Ephraim Josephus* Apoc. 7. 8.

10. *In medio domûs Israelis*] h. e. Palàm, ut Prov. 5. 14. *Ferme versor in omni malo, in medio cœtûs & congregationis.*

12. *Comede panem*] Ibi vivito, ibi vitam degito.

14. *Filius Prophetæ*] Discipulus à Propheta aliquo institutus & eruditus, ut 2 Reg. 2. 3. *Egressi filii Prophetarum qui agebant Bethele.* ¶ *Sycomororum*] Sycomoris terram Israelis abundasse ex 1 Reg. 10. 27. & Esa. 9. 10. liquet. Quod igitur de *Sycomoris à se collectis & ovibus pastis* dicit, eo significat se rusticum & agrestem hominem conditione fuisse, Propheticæ institutionis expertem, & rudem omnis literaturæ. Ita vocationi suæ fidem facit à priore conditione, & dissimili vitæ suæ genere antequam vocatus esset, ut Paulus Act. 22. 3. & 26. 9.

15. *A sequendo grege.*] *A post gregem*, ad verbum. Sic 2 Sam. 7. 8. *Assumpsi te à caula, à grege sequendo.* Pastores enim gregem sequuntur. Hinc Senecæ pastor in Oedipode,

Illo sequebar monte cornigeros greges.

17. *Propterea*] In communi pœna ostendit quam partem accepturus sit Amasia. Qualis legitur denunciatio Jer. 20. 3, 6. ¶ *Scortabitur*] h, e. Per vim stuprabitur. Theodoretus ità exposuit: *Scito*, inquit, *uxorem quam nunc habes, te visurum publicè & palàm ab hostibus per vim stupratam.* Calvinus etiam violentum stuprum ab hostibus palàm illatum, non voluntariam scortationem, intelligit. Est igitur in hoc verbo *κατάχρησις.* A victore milite vis mulieribus inferri solet. Hoc tam sacræ quàm profanæ literæ testantur. Esa. 13. 16. *Parvuli illidentur, diripientur domus, feminæ vitiabuntur.* Hinc illa querela Jeremiæ Lam. 5. 11. *Mulieres Sione stuprant, & virgines in urbibus Judææ.* C. Cæsar apud Salustium in Conjuratione Catilinæ, *Plerique quæ belli sævitia esset, quæ victis acciderent, enumeravere; rapi virgines, pueros, divelli liberos à complexu parentum, matres familiarum pati quæ victoribus collibuissent.* Port. Latro in sua in Catilinam Declamatione, *Conjuges è complexibus nostris ad libidinem victorum raptæ fuissent. De earum pudicitia hodierna vestra sententia agitur.* ¶ *In terra immunda*] h. e. Profana, nempe Assyria.

GROTIUS.

1. **H***Æc ostendit mihi Dominus*] Etiam hæc quæ sequuntur. Congruunt autem cum Joële. ¶ *Et ecce fictor locustæ*] Deus erat *fingens locustas*, id est, exercitum, quem hîc intellige Phulis. ¶ *In principio germinantium serotini imbris*] Id est, vere ipso. Significat eo tempore statum Israëlis reviresсere cœpisse. ¶ *Post tonsionem Regis*] Postquam detonsi agri fuerant à Benadado, 2 Regum 13. 3. Post clades tunc acceptas reflorescere status Israëlis cœperat, regnante Jeroboamo filio Joasi; ut videmus 2 Regum 14. 25. Pro גזי [*tonsiones*] hoc loco LXX legerunt גוג [*tectum*] in suis libris. Aquila Hebræum Γαζὴ [*Gazi*] retinuit; sed librarii pridem id corruperunt in Γάζης [*Gazæ.*]

2. *Cùm consummassent comedere herbam terræ*] Ingredi terram hostiliter. ¶ *Quis suscitabit Jacob? quia parvulus est*] Quis nisi tu populum servare potest, tenuem adeò præ Phulis exercitu? Hæc Propheta loquitur quasi futuris interesset.

3. *Misertus est Dominus super hoc*] Effecit ut Phul pecuniâ placatus discederet. ¶ *Non erit*] Devastatio.

4. *Et ecce vocabat judicium ad ignem*] *Vindictam advocavit per ignem*, id est, per hostem multò inclementiorem quàm Phul fuerat: is fuit Teglatphalasar. Tales hostes igni comparari solent. ¶ *Et devoravit abyssum multam*] Magnam partem Israëlitarum abduxit. *Abyssus*, magna vis aquarum; *aquæ* populi. ¶ *Et comêdit simul partem*] *Agri* nempe. *comêdit*, id est, vastam fecit, corrupit.

6. *Sed & istud non erit, dixit Dominus Deus*] Non permittetur ei ut totum Israëlem abducat.

7. *Super murum litum*] In Hebræo: *Murum trullæ*, id est, calce oblitum. Is est populus Israël, cujus peccata diu Dominus dissimulaverat. ¶ *Et in manu ejus trulla cæmentarii*] Quæ sæpe muri illius vitia obduxerat.

8. *Ecce ego ponam trullam in medio populi mei Israël*] Id est, *abjiciam.* ¶ *Non adjiciam ultrà superinducere eum*] *incrustare*, id est, excusare peccata.

9. *Et demolientur excelsa idoli*] Omnia, ut nihil restet: per Salmanasarem. ¶ *Et sanctificationes Israël desolabuntur*] *Sanctuaria*, delubra. ¶ *Et consurgam super domum Jeroboam in gladio*] *Domum Jeroboami* appellat Decem tribus, in quibus cùm Propheta hæc diceret regnabat Jeroboam Joasi filius.

10. *Sacerdos Bethel*] Successor eorum quos Jeroboamus Nabati filius instituerat. ¶ *Rebellavit contra te Amos*] *Seditionem concitat.* ¶ *Non poterit terra sustinere universos sermones ejus*] Sine gravi motu. Si ità loqui pergit, civium alii in alios armabuntur.

11. *In gladio morietur Jeroboam*] Non hoc dixerat Propheta; sed morituram domum Jeroboami, id est, multos ex populo cujus ille tunc Rex erat. ¶ *Et Israël captivus*] Qui de cæde erunt superstites.

12. *Qui vides*] Tu qui te Prophetam dicis. ¶ *Fuge in Terram Juda*] Quandoquidem Vituli nostri tibi displicent. Vide suprà 3. 14. ¶ *Et comede ibi panem, & prophetabis ibi*] Ibi te ut Prophetam bene pascent, quippe congruentem cum ipsorum moribus:

——— *illâ se jactet in aula*
Æolus.

13. *In Bethel non adjicies ultrà ut prophetes*] *Noli ultrà in Bethele Vatem agere.* ¶ *Quia sanctificatio Regis est*] *Sanctuarium.* Sedes cultûs. ¶ *Et domus regni*] Sedes etiam Imperii, quam revereri debueras.

14. *Non sum Propheta*] *Non* eram *Propheta.* non me talem profitebar. ¶ *Et non sum filius Prophetæ*] Non eram discipulus alicujus Prophetarum. Quales qui erant, parabant se ad accipiendum donum Prophetiæ. ¶ *Sed armentarius ego sum*] In Hebræo: *ego*, eram scilicet. ¶ *Vellicans sycomoros*] Id est, pauxillo contentus, nè me dapis causâ quicquam facere existimes. *Sycomoros* intelligit agreste ficuum genus, quod, nisi avellatur, corrumpi à culicibus solet. Ita hîc Hieronymus.

15. *Et tulit me Dominus cùm sequerer gregem*] *Assumsit me*, ut mihi daret mandata.

16. *Tu dicis, non prophetabis super Israël*] *Nè vaticinare.* ¶ *Et non stillabis super domum idoli*] *Stillare* Hebræis est Prophetam agere, Ezechiel. 21. 2. Michææ 2. 11.

17. *Uxor tua in civitate fornicabitur*] Symmachus meliùs, ut judicat Hieronymus, πορνευθήσεται, id est, *constuprabitur*, ab hostibus scilicet. ¶ *Humus tua funiculo metietur*] Ut so-

lent

lent dividi terræ bello quæsitæ, Deuteronom. 32. 9. ¶ *Et tu in terra polluta morieris*] Non in terra Israëlis, quam Deus sibi dicaverat. ¶ *Et Israël captivus migrabit de terra sua*] Non aliqua pars ejus, sed totus Israël.

CAP. VIII.

MUNSTERUS.

1. C*Anistrum*] Hæc est quarta Visio. Intelligitúrque per *canistrum æstatis* (sic enim habet Hebraismus) כל מלא פירות קיץ, i. *sporta plena fructibus æstivis*. Significat autem hæc visio Israelis de Terra transmigrationem. Sicut enim fructus maturi tolluntur de arbore, sic aderat tempus ut Israelitæ propter prævaricationes suas auferrentur de Terra. Unde additur, *Venit finis*. Et est in Hebræo pulcra dictionum allusio קיץ & קץ.

3. *Ululabunt cantica*] h.e. Cantus solennis templorum vestrorum vertetur in luctum & ululatum. Nam non erit locus in quem non projicient cadavera interfectorum hominum, dicétque unus ad alterum, הס, i. *Tace*, & noli facere luctum: ferendum est justum Dei judicium.

4, 5, 6. *Facitis cessare*] Scribitur hic לשבית pro לְהַשְׁבִּית. Est enim infinitivus Hiphil, capitúrque pro *delere*. Nam divites excogitabant tot dolos & fraudes ad deglubendos pauperes ut nullus ferè juxta eos manere posset. Per *mensem* intellige festum Novilunii. In noviluniis autem & sabbatis non erat fas aliquid emere aut vendere: quod cùm torqueret divites, dicebant, *Quando transibit mensis*, &c. Kimhi tamen exponit MENSEM pro *mense messis*, quando pauperes inveniebant in agris unde vivere poterant: & SABBATUM docet accipiendum pro *hebdomada*. Cùm enim pauperes venirent ut emerent frumentum, divites differebant venditionem in aliam hebdomadam, quò cariùs illis venderent vitæ necessaria: Et tandem id efficiebant, ut vilissimâ pecuniâ tam agros pauperum quàm pauperes ipsos sibi acquirerent. ¶ De *calceamentis* diximus suprà cap. 2.

7. *Per magnificentiam Jacob*] i. Per seipsum, qui est magnificentia & gloria Jacob. Sunt etiam qui per hanc *magnificentiam* intelligunt בית המקדש *Sanctuarium*, ubi habitabat majestas Domini, quam Dominus jurat auferendam propter malitiam Israel & Jehuda.

8. *Ascendet tota ipsa*] *Tota terra*, h. e. cuncti habitatores terræ Israel migrabunt de loco suo, *perinde atque totus fluvius* sine reliquiis per alveum descendit. *Expellentur & operientur* tribulationibus *haud secus quàm Ægyptus* Nili inundatione opletur. Vel, sicut Nilus suâ inundatione omnia quæ in eo natant in planitiem terræ evomit, ità isti evomentur de terra sua.

9. *Faciam occidere Solem*] Est Prophetis familiare exprimere per Solis obscurationem insignes calamitates & afflictiones.

11. *Non famem panis*] Igitur fames verbi Divini major est quàm fames corporis, sicut & cibus verbi Dei longè superat cibum corporalem, cùm plerumque & animam & corpus cibet: id quod in Mose factum scimus. Est enim verbum Domini in fame cibus, in siti potus, in paupertate robur, in ignominia gloria, in luctu gaudium, in adversis consolatio, in peccatis justitia, & in desperatione spes: ut non frustrà dicat Christus, *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo*, &c.

13. *Deficient virgines*] Quod si *virgines & adolescentes deficiant*, nulla poterit esse spes posteritatis. Significatur igitur per id, totam Israelis posteritatem à Domino abjectam.

14. *Per exsecrandum*] Heb. *per peccatum Samariæ*. Nos sensum expressimus. Porrò per *viam Beersaba* intellige peregrinationem illam laboriosam quam fecerant ab una extremitate terræ ad aliam ut visitarent idolum quod erat in Dan, nonnihil prolixitati itineris tribuentes. Quod genus superstitionum etiam hodie est in populo Christiano.

VATABLUS.

1. S*Ic* כה] Vide c. 7. 1. ¶ *En* הנה] Vide item c. 7. 1. ¶ *Canistrum*, &c. כלוב וגו'] Ad verb. *canistrum fructûs æstatis*. Vox Hebræa קיץ propriè sig. *æstatem*: significat & *fructus qui siccantur in æstate*. Ps. 74. 17. קיץ *Æstatem & hiemem tu plasmasti*. prædicit transmigrationem Israelis in Assyriam.

2. *Finis ipse* הקץ] Sub. *à me præfinitus & determinatus*. Instat finis Israelitici Regni: propediem aliò migrabit. ¶ *Non adjiciam ultrà*, &c. לא אוסיף עוד עבור לו] Vide c. 7. 8.

3. *Et in ululatum*, &c. והילילו וגו'] Ad verb. *Et ululabunt cantica templi*: vel *palatii*, i. palatiorum. Per *cantica* lætitiam intelligit: q.d. Cantica quæ cantabant in templis suis, vel palatiis, vertentur in ululatum & mœrorem. Chald. *Ululabunt vice canticorum in domibus suis*, sive *palatiis*, in quibus scilicet audiri solent cantiones. *Palatia* vocat ædes sumptuosiores. ¶ *Multiplicabuntur cadavera*, &c. רב הפגר וגו'] Ad verb. *multiplicatum est cadaver, in omni loco projecit, tace*. Præterita Heb. pro futuris, multáque subaudienda, hoc modo, *multiplicabuntur* [sive *multa erunt*] *cadavera occisorum peste vel gladio: in omni loco in quem projiciet* [*ea ille qui curam sepulturæ habiturus est, dicet*] *Tace: agnoscendo justitiam Divinam: dicet, inquam, socio suo qui istum juvabit in sepeliendis cadaveribus, Tace, noli conqueri de Domino Deo, quia justè patimur hæc propter idololatriam & pecata nostra*.

4. *Et cogitatis succidere*, &c. ולשבית וגו'] *Et anhelatis perdere mansuetos regionis*. Participium præcedens שאפים repeti debet, sed in alia significatione: nam varia significat: i. qui cupitis è medio tollere pauperes, dolo & fraude rapiendo quod illorum est.

5. *Mensis ille* החדש] *Neomenia illa*. De certo quodam mense sive neomenia loquitur postquam triticum solebat esse carum, nempe de mense messis, in quo pauperes reperiunt in agris quod comedant. Et ità intellexit Chaldæus P. qui vertit, *Quando transierit mensis frumenti?* Depingit mores avarorum qui optant caritatem annonæ ut pluris res suas vendant. חדש & *mensem* sig. & *neomeniam* sive *primam diem mensis*, quo die non licebat illis vendere triticum. Dicebant igitur, *Quando transierit mensis ille in quo solet vile esse triticum?* aut, *Quando transierit primus ille calendarum dies, ut vendamus triticum nostrum?* Quidam Hebræorum intelligunt de mense embolismatico, qui tertio quoque anno adjungebatur anno constanti 12 mensibus Lunaribus: q. d. Quando transierit annus ille longior in quo, aut post quem, solent frumenta cariùs vendi? ¶ *Et hebdomada illa* והשבת] Hæc dictio sig. *septimum diem hebdomada*, & *hebdomadam* ipsam. In septima die non licebat frumentum vendere. Doctus inter Hebræos docet hîc accipiendum esse pro *hebdomada*. Cùm enim pauperes accederent ad emendum frumentum, divites differebant venditionem in aliam hebdomadam, quò cariùs illis venderent vitæ necessaria. Tandémque id efficiebant ut vilissimâ pecuniâ tam agros pauperum quàm pauperes ipsos sibi acquirerent. Idem scribit Chaldæum P. interpretari de anno remissionis septimo in quo terra quiescebat, & non seminabatur: messisque anni sexti & frumentum satis esse debebat pro ipso anno septimo: propterea carius esse solebat. ¶ *Et aperiemus frumentum* ונפתחה בר] i. Exponemus vendendum triticum? ¶ *Secel* שקל] *Pondus*. In his, inquiunt, quæ mensurâ vendi solent, ut modio, utemur mensurâ æquo minori; in his quæ ememus, majore æquo pondere utemur.

6. *Ut emamus* לקנות] *Ut comparemus. Ut acquiramus*, sub. *nobis in servos*, juxta illud Levit. 25. 25. *Si attenuatus fuerit frater tuus, & vendiderit se tibi*, &c.

7. *Juravit* נשבע] Subaudiendum, *Audite, inquam, quæ dicturus sum, nempe hoc, Juravit*, &c. Quæ enim post hæc quarti versûs verba, *Audite hoc*, usque ad istum interseruntur, velut per parenthesin legenda sunt. ¶ *Per majestatem Jacob* בגאון יעקב] *Per dignitatem Jacob*: vel, *per gloriam*, i. per meipsum, qui sum majestas & gloria Jacob, sive is de quo maximè gloriatur Jacob quòd sim Deus ejus; ut suprà 6. 8. *Juravit per animam suam*: vel, *per gloriam Jacob*, i. per domum Sanctuarii, in qua habitabat majestas & gloria Domini; ut suprà 6. 8. *Abominor majestatem Jacob*. Hæc doctus inter Hebræos.

8. *Et lugebit* ואבל] *Et peribit*. ¶ *Ascendétque*, &c. ועלתה וגו'] i. Tota obruetur aquis, & vertetur tota quasi in amnem. Describit gravitatem justitiæ Divinæ. Per *aquam* intelligi debent omnes calamitates quæ vexare solent genus humanum. Alludit autem ad Nilum, qui alluere solet quotannis totam Ægyptum. Videtur autem loco suo *ejici* sive *expelli* terra quando obruitur aquis: q. d. Propter iram Divinam miris afflictionibus vexabuntur Israelitæ, pellentúrque sedibus suis, quia transferentur in Assyrios. Quando Nilus desinit inundare, & videtur quasi *absorberi*.

9. *Occumbere faciam*, &c. והבאתי וגו'] Hebraicum dicendi genus, pro, *Cùm eritis in supremo felicitatis gradu, tunc indè vos dejiciam, & infelicissimos reddam*. Per *lucem* prospera, per *tenebras* infelicia intelligit.

10. *Fa-*

10. *Faciámque ascendere*, &c. והעליתי וגו׳] Hebraismus, efficiam ut omnes induant saccum, in signum maximi luctûs, & capita radant. ¶ *Ponámque eam* ושמתיה] Nempe *terram.*

11. *Et mittam* והשלחתי] *Quibus immittam.*

12. *Et discurrent* ונעו] *Et vagabuntur.* Alii, *Et oberrabunt: movebunt sese.* ¶ *A Mari usque ad Mare* מים עד ים] i. A mari Australi, h. e. Rubro, usque ad mare Magnum, h. e. Mediterraneum & Occidentale. ¶ *Circuibunt* ישוטטו] *Oberrabunt: discurrent.*

13. *Deficient* תתעלפנה] *Deliquium animi patientur*, præ animi scilicet fastidio.

14. *Per delictum Someron* באשמת שמרון] i. Per Vitulum qui colebatur in Beth-el, quæ non erat procul à Samaria. ¶ *Et vivit via Beersheba* וחי דרך באר שבע] Intelliguntur multa, *Et vivit* idolum ad quod itur *viâ Beersheba.* Nam qui jurant, sermone conciso utuntur.

CASTALIO.

3. **E**Julabuntque delubri carmina] Qui in delubro cantant. ¶ *Multis ubique locorum prostratis cadaveribus, pax*] Quæ res stuporem & silentium faciet.

5. *Dicentes, Ecquando præterierit novilunium, quò cibaria venundemus? & Sabbatum, quò far aperiamus?*] Vellent nullas esse ferias ut quotidie lucrum facerent. ¶ *Imminuto ephi, aucto siclo, & fallaciter vitiatâ trutinâ*] Curtis mensuris vendunt, & pondere graviori numos accipiunt.

7. *Jurat Jova de Jacobæorum superbia*] Confer cum cap. 6. 8.

9. *Faciam ut occidat in meridie Sol*] Calamitates & tristia importabo.

11. *Sed audiendi Jovæ dicta*] Oracula. Vide Mich. 3. 7.

14. *Qui per Samaritanum crimen jurant*] Deum in quo crimen inest. ¶ *Vivat Bersabanum iter*] Is Deus qui Bersabam aditur

CLARIUS.

1. **C**Anistrum fructuum] Sporta in qua erant æstatis fructus extremi. Significat autem hæc visio Israelis de Terra transmigrationem. Sicut enim fructus maturi tolluntur de arbore, sic aderat tempus ut Israelitæ propter prævaricationes suas auferrentur de Terra: unde additur, *Venit finis.*

3. *Et stridebunt cardines*] Alius vertit, *Et ululabunt cantica Templi*, h. e. cantus solennis templorum vestrorum vertetur in luctum & ululatum: nam non erit locus in quem non projiciant cadavera interfectorum hominum, *cum silentio*, h. e. stupore. Et hoc est quod ait, *in omni loco projicietur silentium.*

5. *Quando transibit mensis*] Intelligit mensem colligendi fructus: nam tempore messis pauperes de spicis collectis vivebant. Cùm ergò pauperes veniebant ut emerent frumentum, divites differebant venditionem in alium mensem vel hebdomadam (quæ per *sabbatum* intelligitur) quò cariùs venderent. ¶ *Augeamus siclum*] h. e. Libellam, quâ penditur pecunia.

7. *In superbiam Jacob*] Alius vertit *per magnificentiam Jacob*, h. e. per seipsum, qui est magnificentia & gloria Jacob. Si dicas *in superbiam Jacob*, intellige, Dominum jurasse contra Sanctuarium, ubi habitabat majestas Domini, quod jurat auferendum propter malitiam Israel & Juda.

8. *Et ascendet*] Cuncti habitatores terræ Israel migrabunt de loco suo, *perinde atque totus fluvius* sine reliquiis per alveum descendit. *Expellentur & operientur* afflictionibus *haud secus quàm Ægyptus* Nili inundatione oppletur. Vel, sicut Nilus sui inundatione omnia quæ in eo natant in planitiem terræ evomit, itâ isti evomentur de terra sua.

9. *Occidet Sol*] Est Prophetis familiare exprimere per Solis obscurationem insignes calamitates & afflictiones.

11. *Non famem panis*] Igitur fames verbi Divini major est quàm fames corporis, sicut & cibus verbi Dei longè superat cibum corporeum, cùm plerumque & animam & corpus nutriat: id quod in Mose factum scimus. Est enim verbum Domini in fame cibus, in siti potus, in paupertate opulentia, in infirmitate robur, in ignominia gloria, in luctu gaudium, in adversis consolatio, in peccatis justitia, in desperatione spes: ut non frustrà dicat Dominus, *Non in solo pane vivet homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.*

13. *Deficient virgines*] Quod si *virgines & adolescentes deficiant*, nulla poterit esse spes posteritatis. Significatur igitur per id, totam Israelis posteritatem à Domino abjectam.

14. *Qui jurant in delicto Samariæ*] Intelligit exsecrandum Vitulum Samariæ. ¶ *Via Bersabee*] Intelligit peregrinationem illam laboriosam quam faciebant ab una extremitate terræ ad aliam ut visitarent idolum quod erat in Dan, nonnihil prolixitati itineris tribuentes.

L. BRUGENSIS.

5. **Q**Uando transibit messis *, [* *Israel* o.] *& venundabimus merces? & sabbatum, & aperiemus frumentum?*] Latini codices plerique, cum Expositoribus, Altisiodorensi, Ruperto, Autore Glossæ, Lyrano, Carensi & Richelio, legunt *messis.* Unus scriptus Abbatiæ Lobiensis, ac impressi duo, Complutensis & Quentelianus, cum textu D. Hieronymi commentariis juncto, habent *mensis.* Hebraicè est חדש, Græcè μήν, Chaldaicè ירח, quæ omnia *mensem* significant, non *messem.* Parisienses itaque & Epanorthotes scribunt, *Quando transibit mensis? In Hebræo*, subdit Epanorthotes, *expressum est, quòd est ibi* mensis, *i. Kalendæ*; & sabbatum, *ut contractuum rediret tempus: licèt multi antiqui habeant* messis. Porrò intelligunt quidam de mense messis, quo pauperes reperiebant in agris quod comederent: quem, Hebraicus Scholiastes (Montanus) à Chaldæo Paraph. dictum putat *mensem frumenti*; id enim Chaldæus hoc loco dedit ירח עבורא *mensis frumenti.* Quare videri possit Interpretem, secutum hunc sensum, *messis* posuisse pro *mensis.* Cæterùm commentarius Hieronymi *kalendas* exponit; *Qui exspectatis*, inquit, *kalendas, ut negotiemini, & usuras augeatis de usuris; & sabbata, ut aperiatis horrea, desisque frumenta amplius recepturi*, & Dei solennitates, turpis lucri gratiâ, in vestra compendia vertitis. Unde constat eum *mensis* interpretatum esse. Non enim *messis* kalendas significat: sed *mensis* nomine, cujus principium sunt, apud Hebræos kalendæ exprimuntur. Porrò id in Hieronymi enarratione demiror, quòd istos *exspectare* dicat *kalendas ut negotientur, & sabbata ut aperiant horrea:* cùm potiùs id optare videantur, ut kalendæ, sabbata, cæteræque Dei solennitates quibus negotiatio prohibita erat, transierint, ut amato incumbere possint lucro. An fortè Hieronymus *transibit* acceperit pro *erit?* tempus enim, cùm est, transit; nec est, nisi transeat.

7. *Juravit Dominus in superbia Jacob*] Sic unum Parisiensium manuscriptum Ge. p. & 27 nostra Brug. Leod. Lob. E. L. Q. Pl. m. &c. legunt. Quædam *in superbiam* habent, O. A. Pl. ang. pluresque impressi libri, quanquam primi, Mog. Nuren. & Colon. ante annum 1480 excusi, illis consentiant. Hebraicum בגאון utroque modo verti potest. Priorem *in superbia*, quem Rupertus sequitur, Hentenius & Parisienses amplexi sunt: qui propiùs ad id accedit quod alii vertunt, *Juravit Dominus per magnificentiam*, sive *celsitudinem, Jacob.* Porrò Richelii, Carensis, Lyrani, Auctoris Glossæ, Altisiodorensis & Hieronymi commentarii constanter *in superbiam* legunt, unanimitérque *contra superbiam* exponunt: quam tamen expositionem etiam illud, *in superbia*, admittere possit: quòd ejusmodi constructio in antiquis Bibliorum exemplaribus non raró occurrat.

DRUSIUS.

1. **C**Orbis] *Canistrum, calathus.* ¶ *Æstivorum fructuum*] Sensum expressi: nam קיץ propriè *æstas.* Sic accipitur ea dictio & Jes. 16. 9.

2. *Advenit finis*] *Finis* Ebraicè קץ dicitur. Est ergò allusio in vocibus קיץ *æstas* & קץ *finis. Paronomasiam* vocant. ¶ *Præterire*] *Remittere, condonare.*

3. *Ululabunt cantica Templi*] Sic Job. 41. 13. *Coram ipso exsultabit mœstitia.* Aut *cantica*, i. cantores. Scholia Ebraica enarrant, *Cantica Templi vertentur in ejulatum.* Editio Hier. *stridebunt cardines Templi*, i. צירי היכל. ¶ *In die illo*] Quando ultima vindicta instabit, & pœnæ vestræ tempus maturum erit. ¶ *Multum cadaverum*] *Magna vis*, sive *magna copia cadaverum:* & subintelligitur *erit.* ¶ *In omni loco ubi projecerit, Tace*] Ubicunque homo projecerit sive projicientur illa cadavera, ibi audietur *Tace.* Quidam construunt *multum cadaverum in omni loco projiciet*, i. projicietur. Sunt etiam qui השליך accipiunt pro השלך: in queis Jonathan, qui vertit רמי *projice.* הס *Sile, Tace, Pax.* Vide quæ scripsimus Soph. 1. 7. Legitur & suprà 6. 10.

4. *Qui anhelatis egenum*] Qui ad egenum opprimendum omni conatu adspiratis: vel, qui inhiatis bonis ac facultatibus egenorum. Fortè ordo & constructio, *Qui anhelatis delere*

egentum & pauperes terræ. ¶ *Delere*] לְהַשְׁבִּית dixit pro לְהַשְׁבִּית: id sign. *cessare facere*, *delere*, *perdere*, *abolere*. ¶ *Pauperes terræ*] In scriptura est *mansuetos terræ*.

5. *Quando transierit*] Optantis est, ac si dicerent, *Utinam transisset*. ¶ *Novilunium*] Assentior iis qui חדש hic accipiunt pro *novilunio*, ut Hos. 2. 11. חדשה *novilunium ejus*. Est autem *novilunium* primus dies mensis lunaris, quem Græci *neomeniam*, Latini auctores *calendas* vocant. Dicitur etiam *prima Luna*. Hic dies sacer erat apud Ebræos, in quo nefas erat vendendo & emendo mercaturam exercere. Vox eadem sign. *mensem*: unde apud antiquum Int. *Quando transibit mensis*, pro quo in vulgatis *messis* legitur. R. D. interpretatur de mense illo quo messis erat in Judæa, cùm pauperes ex agro victum quærerent, spicas relictas à messoribus colligentes. Græci quoque legunt, τότε διελεύσεται ὁ μήν. ¶ *Et Sabbatum*] Quo item die neque emere neque vendere licebat. Vide Neh. 10. 31. & 13. 15. ¶ *Triticum*] Cellas vel granaria tritici. *Triticum* hoc loco בר dicitur à *puritate*: *Frumentum* autem שבר ab eo quòd *famem frangat*: nam שבר *frango*. *Frangere* tamen, i. sedare, ut *frangere sitim* Ps. 104. 11. *fregerunt onagri sitim suam*. ¶ *Minuendo Epham*] Mensuræ genus hoc est, quod nunc pro quavis *mensura* ponitur: unde Græci reddunt τοῦ ποιῆσαι μέτρον μικρὸν, & Hier. *ut imminuamus mensuram*. Alioqui *mensura* מדה dicitur aut משורה. *Epha* hoc significatu sumitur Deut. 25. 14 Lev. 19. 35. & Zach. 5. 6. *Epham*, i. Mensuram tritici quod vendebant. ¶ *Augendo pondus*] Pondus videlicet argenti, quod olim appendebatur & ad stateram lancémque ponderabatur. Aucto pondere emptores quoque defraudantur. Duplicem igitur fraudem committebant: una erat cùm vendentes frumentum mensuram diminuerent; altera, cùm pondus ipsum pecuniæ quam pro frumento accipiebant auctius justo redderent. *Pondus* שקל dicitur. שקל autem est *Siclus*: unde in ed. Hier. *& augeamus Siclum*, i. genus monetæ Unciæ pondus habens. Hic tamen sumi videtur pro ipso *pondere*: quocirca Græci σταθμίον reddunt. Sanè avari isti non augebant monetam, sed minuebant potiùs. Sic enim facere soliti sunt. ¶ *Pervertendo lances dolosas*] Cùm integræ essent, eas *pervertendo dolosas* efficiebant. Talia sunt Jes. 47. 2. *mole farinam*. Job. 22. 6. *nudos vestibus spolias*. Quanquam *nudus* aliquando dicatur qui non adeò bene vestitus est, ut 1 Cor. 4. 11.

6. *Comparando*] Emendo. ¶ *Argento*] Pecuniâ. ¶ *Tenues*] Tenues enim oppressi egestate, cùm solvendo non essent, seipsos vendebant divitibus. Vide Levit. 25. 39. ¶ *Inopem*] Inopes, egenos. ¶ *Pro pari calceorum*] Pretio vilissimo. Vide suprà 2. 6. ¶ *Et quisquilias frumenti*] מפל בר *deciduum tritici*, i. purgamentum quod è vanno, ventilato tritico, in terram decidit. Columella *excretum tritici* appellat. Græci ἐκχύρισμα. A מפל est *manphula*, panis Syriaci genus, de quo Verrius, *Appellatur manphula, quòd in clibano antequam percoquatur, decidit in carbones cinerémque*. ¶ *Vendamus*] Contra consuetudinem. Nam talia vendi non solent nisi in magna caritate. Sed hi quæstum undique captabant, & ut olim Vespasianus ex lotio, sic illi lucrum faciebant ex hujusmodi quisquiliis. בכסף reddi potest *pro argento* sive *pecuniæ loco*.

7. *Per excellentiam Jacobi*] i. Per seipsum. Malè quidam Templum aut Arcam intelligunt: nam Deus non jurat per res creatas. Christus quoque hujusmodi juramenta damnat, non facturus si Deus Pater iis usus aliquando fuisset. *Jacobi*, i. Jacobæorum, Israelitarum. Vocatur & *gloria Jacobi*. Nam in eo solo gloriari licebat Jacobæis, juxta illud, *Absit gloriari nisi in nomine DOMINI*. Ut hic *excellentia Jacobi*, sic 2 Sam. 1. 19. הצבי ישראל *decor Israel*. Vide suprà 6. 8. ¶ *Si oblivíscar*, &c.] Defecta oratio: deest autem *ne vivam*, aut tale quid. Sic alibi, *Si Davidi mentiar*. *Si introibunt in requiem meam*. ¶ *In æternum*] Unquam. ¶ *Omnia facta eorum*] Vis in his verbis ut si diceret, *Nulla facta eorum oblivíscar*: quod idem cum illo, *Omnia eorum facta recordabor*. *Recordari* autem dicitur quæ punit; contrà *oblivisci*, quæ impunita sinit.

8. *Propter hoc*] Propter hanc iniquitatem quam in pauperes exercetis. Ebræi id genus criminis חמס vocant, quo nullum atrocius esse dicunt. ¶ *Annon commoveretur terra?*] q. d. Deberet commoveri. Affine est quod in mentione nefarii sceleris dictitamus, *Mirum est terram non dehiscere*. Quod sumptum fortè ex historia Dathan & Abiron. Similis locus Jer. 2. 12. *Obstupescite, cœli, super hoc*, &c. ¶ *Et lugeret*] Deberet lugere: ut, *Filius honorat patrem*, debet honorare. Et *lugeret*, i. vapularet: ex eo quod sequitur id quod præcedit: nam cùm vapulant homines etiam lugent. Sanè Ebræi exponunt verbo שחת, quod sign. *corrumpi*, *perdi*, *destrui*. ¶ *Et ascenderet tota ipsa*] Videlicet *terra*. Et est impropria locutio: nam Aqua ascendit, non Terra. *Ascendit* autem cùm restagnat. Sic Herba *ascendere* dicitur cùm succrescit: & impropriè apud Salomonem, *Ascendit ager ejus sentibus*. ¶ *Ut rivus*] Ut Nilus, qui Ægyptum totâ æstate obrutam oppletámque tenet. *Rivus* hoc loco יאר dicitur κατ' ἀφαίρεσιν unius literæ: nam esset יאור si plenè scriberetur. Hoc nomen peculiariter de Nilo usurpatur. ¶ *Propelleretur*] Ut fit cùm limus ab aquis stagnantibus aut à fluctibus, quos venti excitant, propellitur. ¶ *Submergeretur*] In Scriptura est *irrigaretur*. Sic Gen. 13. 10. *& universa ipsa erat irrigua*, i. משקה. ¶ *Ut rivo Ægypti*] Ut Ægyptus Nilo submergitur. *Rivum Ægypti* quidam confundunt cum *fluvio Ægypti*: perperàm: nam *rivus Ægypti* est Nilus: *fluvius Ægypti* alius est circa Rhinocoruram Ægyptum à Judæa disterminans.

9. *In die illo*] Quo animadvertam in vos. ¶ *Faciam ut Sol occidat*, &c.] Inducam meridie tenebras, h. e. tristissima tempora maximásque calamitates. Sic dico, Ex summa lætitia in maximum mœrorem vos conjiciam. Similis locus Mich. 3. 6. *Occidet Sol super Prophetas, & obscurabitur super eos dies*: & Jes. 60. 20. *Non occidet ampliùs Sol tuus*. Vide nunc quæ scripsimus Proverb. class. 2. l. 2. adag. 66. ¶ *In meridie*]. Cùm tempora læta erunt, & vos nihil adversi metuetis. ¶ *In die lucis*] i. Claro ac lucido.

10. *Convertam*] Mutabo. ¶ *Festa vestra*] *Ferias vestras*, *festivitates vestras*. His diebus læti & hilares erant, & choreas ducebant. Unde appellatio nominis חג *festum*, ut quidam volunt. Nam חג *salto*. Erant autem duplices choreæ, Sacræ, Profanæ. Priscos enim Ebræos in Templum apportantes munera, cùm prope altare accederent, saltavisse constat. Alia interpretatio חגיכם *dies latos vestros*. Siquidem חג aliquando dicitur de die læto qui festus non sit, ut 1 Reg. 8: 65. ubi *festum* appellatur septimus dies Dedicationis. Vide Camium Hos. 2. 11. ¶ *In luctum*] In dies luctuosos. ¶ *Inducam super omnes lumbos saccum*] Efficiam ut omnes se accingant sacco, quemadmodum in luctu fieri solet. שק non tam vestis erat quàm cinctus: unde *accingere* & *solvere saccum*. Ezech. 7. 18. *Et accingent se saccis*. Propriè autem lumbi accinguntur: unde ait *super omnes lumbos*. Gen. 37. 34. *Et posuit saccum super lumbos suos*. 1 Reg. 20. 32. *Et accinxerunt saccis lumbos suos*. Jer. 48. 37. *Super omnes lumbos saccus*. *Saccum*, si necesse sit, Latinè vestem lugubrem licet appellare: sed nihil opus est. Ut enim *lacus* pro *puteo*, ità *saccus* pro tali veste aut cinctu satis Interpretum sermone tritum est. ¶ *Super omne caput calvitium*] Ezech. 7. 18. *in cunctis capitibus calvitium*. Alibi est, videlicet Jer. 48. 37. *Omne caput calvitium*. Nam in luctu caput radebant. Sed & barbam Jes. 15. 2. *In omnibus capitibus ejus calvitium, omnis barba rasa*. ¶ *Eam*] *Terram*. Sensus est, Luctu acerbissimo lugebit ut qui luget filium unicum, quem unicè charum habet. *Luctus unici* in proverbio est de luctu gravissimo. Vide Proverbia mea. ¶ *Extremum ejus*] *Finis ejus*, *exitus ejus*. ¶ *Quasi diem amarum*] Sub. *ponam*. Idem aliter. Nam *diem amarum*, teste Camio, vocat tempus illud quo pater luget amissum filium unicum. Potest etiam legi, *extremum ejus quasi dies amarus*: ut sensus sit, *reverà erit dies amarus*. *Dies* autem *amarus*, quo aliquid acerbi alicui accidit. *Amarum* enim dicunt quod triste & acerbum est.

11. *Veniunt*] Venturi sunt brevi. Nova plaga, eáque gravissima, quando verbum DOMINI, quod est animæ pabulum ad vitam æternam, adimitur hominibus: quo sine nihil illis miserius, nihil infelicius. ¶ *Emittam*] Ἐξαποστελῶ. Nec malè alii legunt *immittam*. ¶ *Audiendi verba DOMINI*] Quæ nunc audire non vultis. Sic est profectò; Quæ in copia fastidium nobis pariunt, ea superveniente inopiâ summopere desideramus.

12. *Movebunt se*] *Ibunt*, *proficiscentur*. ¶ *A mari ad mare Mediterraneum*: ità quidam: Alii, *à mari Mortuo usque ad mare Magnum sive Mediterraneum*. *Mare Mortuum* alibi vocatur *mare Salis*; & erat ex terminis terræ Sanctæ, Num. 34. 3. Dicitur etiam *mare primum*, & *mare Orientale*. ¶ *Circuibunt*] In Græcis περιδραμοῦνται, i. *circumcurrent*. Editiones aliquot habent *discurrent*. ¶ *Verbum DOMINI*] Prophetas qui doceant verbum DOMINI. Quòd autem pòst ait, *& non invenient*, in eo agnoscis, opinor, justum judicium Dei, qui desiderium excitarit Prophetarum in animis eorum qui eos primùm expulerant atque adeò occiderant. Usque adeò verum est illud,

Vir-

——Virtutem incolumem odimus,
Sublatam ex oculis quærimus invidi.

13. *Deficient*] Animi deliquium patientur. ¶ *Virgines pulcræ adolescentésque*] Quæ ætas ferè voluptatibus indulget, nec de salute sua admodum solicita est. Quòd si tales deficient præ siti, quid alii facient? ¶ *Siti*] Audiendi verbum DOMINI. Hyperbole.

14. *Per delictum Samariæ*] Per Vitulum qui in Bethel erat. Vocatur autem *Vitulus Samariæ* vel quoniam à Samariis colebatur; Hos. 10. 5. *Vaccas Beth-aven coluerunt habitatores Samariæ:* vel certè vocabulo *Samariæ* significatur regio, in qua & Bethel. Est enim quandoque regionis nomen: unde, *Col. locavit eos in urbibus Samariæ.* Sic intelliges Hos. 8. 5. *Vitulus tuus, ô Samaria:* & mox v. 6. *in scobem redigetur Vitulus Samariæ.* Hier. De locis Actor. SAMARIA, *civitas regalis in vertice montis Somer posita. Sed & omnis regio quæ circa eam fuit à civitate quondam nomen acceperat: media inter Judæam & Galilæam jacet.* ¶ *Deus tuus*] Alter Vitulus qui in Dan. Ecce hic Vitulus אלהים vocatur: quod non fieret, meo judicio, si τὴν Τριάδα eo nomine significare voluissent. ¶ *Via*] *Iter, peregrinatio.* Aut *via*, i. ritus, religio, cultus. Hoc modo Jonathan enarrat. Sunt qui repetant ἀπὸ κοινοῦ, *vivat via Dei Bersabe.* Nam in Bersabe etiam idola colebantur. ¶ *Cadent, & non resurgent*] Incident in mala unde nunquam emergent: irreparabilem cladem accipient.

IDEM.

2. KAὶ εἶπε] Quædam exempl. καὶ εἶπε Κύριος. ¶ Ἄγγος ἰξευτοῦ] כלי יקש. ¶ Τὸν λαόν μου Ἰσραὴλ] Plant. τὸν λαόν μου τὸν Ἰσραὴλ & mox, οὐ προσθήσω οὐκ ἔτι.

3. Ὀλολύξει] Alibi ὀλολύξη. ¶ Τὰ φατνώματα] Int. *laquearia.* שריתא δοκὸς Chaldaicum est: unde על שרית שריתי Gen. 19. 8. *umbra domus meæ:* ad verb. *trabis meæ.* Sic *tectum* pro tota domo quandoque sumitur. In Syriacis Matth. 7. 3. legitur קריה: sed hoc à קורה Ebraicum est. ¶ Ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ] Alibi, ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ. Vet. *in die illa.* ¶ Κύριος Κύριος] Int. *Dominus Deus*, Κύριος ὁ Θεός. Plantinus Κύριος semel tantùm. ¶ Ὁ πεπτωκὼς] Quæ impressa ad Ex C. ὁ πεσετός. Int. *multi cadentes.* ¶ Ἐπιῤῥίψω] Alibi ῥίψω. Interpretantur השליך pro השליך.

4. Εἰς τὸ πρωΐ] Nec in Ebræo legitur nec in editis ad Ex. C. Qui adjecit respexit, ut videtur, ad morem veterum, qui matutinum tempus juri dicundo peculiariter destinabant, unde Jer. 21. 12. *Judicate manè judicium.* ¶ Καταδυναστεύοντες πτωχὸς ἀπὸ τῆς γῆς] Int. *opprimitis egenos de terra.* Ed. C. καταλύοντες ἀπὸ γῆς πτωχόν.

5. Ἐμπολήσομεν] Int. *negotiabimur.* Lectio varians, συνάξομεν, exstat in editis à Plantino quæ *Biblia Regia* vocantur. ¶ Θησαυρὸν] Rectè sanè; & sic Chaldæis אוצרין. Intelligo autem horrea reponendo tritico: ut Joel. 1. ἠφανίσθησαν θησαυροί. Verba Ebræa sonant è verbo *& aperiemus triticum*; ubi perspicuè *triticum* ponitur pro *horreo tritici*, i. אוצר בר, ut enarrant Scholia Ebraica. ¶ Ποιῆσαι μέτρον μικρὸν] Ex. C. ποιῆσαι μικρὸν τὸ μέτρον quod magis se probat mihi. V. Int. *ut faciamus minorem mensuram.* ¶ Μεγαλῦναι σταθμίον] Μεγαλῦναι σταθμὸν est in Antverpiæ impressis.

6. Ἐν ἀργυρίῳ] Plantinus edidit ἀργυρίς. Int. V. *in pecunia.* ¶ Πένητα] Int. *egenum.* In aliis quibusdam libris ταπεινὸν quod minùs probo. ¶ Ἀπὸ παντὸς γεννήματος] *De omni fructu:* nam γέννημα *fructus*, i. פרי, aliquando *proventus*, i. תבואה. Hic manifestè legerunt מכל. Aliquot editiones ἀπὸ πάσης φράσεως. Ità legit Int. V. nam interpretatur *de omni venditione.* Compl. ἀπὸ πάσης παραθέσεως non omnino displicet, ut sit *ab omni eo quod reconditum adservatur:* nam παρατίθεσθαι *recondere.* Suprà בר verterunt θησαυρὸν, i. *horreum.*

7. Κατὰ τῆς ὑπερηφανίας] Alibi καθ' ὑπερηφανίαν Plant. καθ' ὑπερηφανίαν. Euseb. Ἀποδ. l. 10. pag. 302. καθ' ὑπερηφανίας. Int. *contra superbiam.* ¶ Εἰς νῖκος] Int. V. *in finem*, εἰς τέλος. ¶ Ἔργα ὑμῶν] Legendum ex C. ἔργα αὐτῶν. Sic & Ebræi legunt. Secùs Int. V. qui transfert *opera vestra.* In Eusebio quoque ὑμῶν scriptum, non αὐτῶν.

8. Συντέλεια] i. כלה In Plantino & Eusebio ἡ συντέλεια. Est etiam ubi legatur συντέλεια αὐτῆς, videlicet in ed. Basileensi. Credo Aldinam quoque & Argentoratensem ità habere. Int. *consummatio ejus.* ¶ Καταβήσεται] In Ebræo scriptum quidem נשקה, sed Massoritæ annotant legendum esse נשקעה, i. *subsidebit.* Quis jam dubitet quin hanc lectionem secuti sint LXX? Ego certè & pro καὶ ἐπὶ πάντας in initio versûs scripsisse ipsos putarim εἰ ἐπὶ τούτοις. Hoc tamen pono, non statuo.

9. Ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ] Alibi ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ. Sic etiam Eusebius hunc locum citat. ¶ Κύριος Κύριος] Int. *Dominus Deus*, i. Κύριος ὁ Θεός. Plant. & Euseb. Κύριος semel duntaxat. ¶ Ἐπὶ τῆς γῆς] Abest in C. & malè abest. In eadem legitur ἐν ἡμέρᾳ φωτός, ut apud Cyprianum *dies lucis*, & apud Tertullianum, *dies luminis.* Vide Pamelium pag. 186. col. 2. Euseb. ἐπὶ τῆς γῆς ἐν ἡμέρᾳ τὸ φῶς. Int. V. *super terram in die lux.*

10. Εἰς θρῆνον] Sic ed. Rom. & Eusebius. In Compl. est εἰς θρήνους. Basileensis verò εἰς θρῆνος habet, ac si neutrum esset τὸ θρῆνος. ¶ Ἀναβιβῶ] Alibi ἀναβιβάσω. ¶ Ὀσφὺν] Emenda ὀσφὺν mendum, ut puto, chalcographiæ. ¶ Ἀγαπητοῦ] יחיד μονογενής, & per consequens ἀγαπητός, i. חביב.

11. Λέγει Κύριος] Sic legitur in C. R. & in Eusebio. In cæteris λέγει Κύριος Κύριος, & Int. V. *dicit Dominus Deus.* ¶ Ἐπὶ τὴν γῆν] Alibi ἐπὶ τῆς γῆς. Prius habent C. R. & Eusebius. ¶ Λιμὸν ἄρτων] In plerisque λιμὸν ἄρτου. Sic etiam Eusebius citat. Interpres quoque V. *famem panis.* ¶ Δίψαν ὕδατος] *Sitim aquæ* Int. antiquus. Perperàm ergò λιμὸν ὕδατος in quibusdam libris. δίψαν ὕδατος reperies in R. & in Eusebio; in cæteris λιμὸς, nisi fallor.

12. Σαλευθήσονται] Plantinus excudit σαλευθήσεται & mox, ὕδατα θαλάσσης. In cæteris, ut & in Eusebio, ἀπὸ θαλάσσης ἕως θαλάσσης. Dictio ὕδατα plusquam παρέλκει. Sed unde est? unde nisi ex prava lectione מים pro מים? Si me non fallit augurium, hic duæ interpretationes coaluerunt. Una est ὕδατα, i. מים, altera ἀπὸ θαλάσσης, i. מים.

13. Παρθένοι] Παρθένοι ἐκεῖναι est in A. & B. ¶ Ἐν δίψει] Codex Plantini ἐν δίψῃ: nam δίψα dicimus, quod Ionicè δίψη, i. *sitis.*

14. Κατὰ τοῦ ἱλασμοῦ] Sensus de Vitulo: ergò meliùs, *per delictum Samariæ.* Alioqui אשם *victima expiando peccato.* Verbum notissimum in sacrificiis. ¶ Ζῇ ὁ Θεός σου, Δὰν] Desideratur in A. & B. Int. *Vivit Deus tuus, Dan.* ¶ Καὶ ζῇ ὁ Θεός σου] Plantinus edidit καὶ ὁ Θεός σου. Int. *& vivit Deus tuus.* In Ebræo דרך. Putat autem Livelæus amicus noster vir perdoctus Interpretes legisse צר. Potest ità esse. Jonathan interpretatur נמוסי באר שבע. Est autem נמוס Græcum νόμος, nisi fallor.

IDEM in VULG.

1. UNcinus pomorum] Placet ut vertatur *calathus æstivorum fructuum.* In Ebræo legitur ad verbum, *calathus æstatis*, id est, plenus fructibus æstivis. Sed vox Ebræa non *calathum* significat, sed *uncinum*, Autore Hieronymo. Videatur in commentariis ad hunc locum.

2. *Uncinum pomorum*] Ut suprà, *calathum sive canistrum æstivorum fructuum.* ¶ *Ut pertranseam eum*] *Præterire eum* alii convertunt. Et est sensus *condonare crimina ejus.* Ita Jonathan hunc locum illustrat.

3. *Stridebunt cardines templi*] Huic loco lucem facit Jonathan, *Ululatu pro cantilenis utentur domi suæ.* Alii quorum ego me adscribi cupio sententiæ, *Ululabunt cantica templi.* Ut hoc dicat, Cantica templi convertentur in ululatum. ¶ *Multi morientur*] Bene illustrat, *multum erit cadaverum:* quomodo alii reddunt ex Ebræo. ¶ *Projicietur silentium*] Quid hic dicit? Sunt qui referant, *projiciet tacitus:* malim ego, *projiciet, pax.* Ut subaudiatur *& dicet.* Hâc sententiâ passim projiciet ea cadavera, & dicet alteri *pax.* ¶ *Silentium*] Ut si Græcè dicas πάξ Vox imponentis silentium alteri. ¶ *Cardines*] Interpretatur SIROTH per S, Sade.

4. *Qui conteritis*] Vertendum, *qui absorbetis*, autoribus Ebræis. Sed Græcus οἱ ἐκτρίβοντες. Hunc autorem noster secutus videtur. ¶ *Deficere facitis*] In Ebræo est *ad cessare faciendum.* Hic subaudiunt, *anhelatum:* alii positum putant pro illo, *& cessare facitis.* Ac si diceret, facitis ut non amplius sint: quam declarationem perspicuè Jonathan confirmat. Vertit enim, *Et cogitatis irrita reddere sive abolere è terra.* ¶ *Decentes*] Hoc Ebræi legunt in versu proximè sequenti. ¶ *Egenos terræ*] Alii reponunt ex Ebræo *mansuetos terræ*, sed interpretem scilicet legisse ANIE: quomodo legendum esse & Massoritæ annotant, & notæ vocalium planè convincunt.

5. *Messis*] Mendum, ut puto, librariorum pro *mensis:* & ità est in uno manuscripto, & apud Hieronymum. ¶ *Merces*] *Annonam* alii reddunt, & meliùs. ¶ *Et sabbathum*] Id est, hebdomada: ut in illo, *jejuno bis in sabbatho.* ¶ *Frumen-*

mentum] Non muto, præoptem tamen, *triticum*. Et est sensus, *tritici horrea*. Contentum pro eo quod continet, figura quam metonymiam vocant. ¶ *Mensuram*] Epha legitur in Ebræo, quod est Genus mensuræ, sed hic poni videtur pro quavis mensura. Itaque etiam Jonathan enarrat, *Epha mensuram*. ¶ *Siclum*] Id est, pondus. ¶ *Et supponamus*] Melius esse arbitror, *& pervertamus*.

6. *Ut possideamus*] Elegerim, *ut comparemus*, sententiâ mirificè comprobante. ¶ *In argento*] Latinè, *argento*. ¶ *Pauperes*] Non *pauperes* lectum in Ebræo: sed pauperem vel potiùs inopem. ¶ *Pro calceamentis*] Emenda, *pro pari calceorum*. videtur legisse NEALIM pro NAALAIM.

7. *In superbia Jacob*] Hic locus non tam obscurus, quàm absurdus videri posset nisi sciremus in Ebræo esse *Per excellentiam Jacob*. Nam vox Ebraica etiam in bonam partem sumitur. ¶ *Per excellentiam Jacob*] Id est, per Jacobum ipsum. ¶ *Usque ad finem*] Id est, in æternum. ¶ *Omnia opera ejus*] Quasi dicat, minimè obliviscar ulla opera eorum.

8. *Quasi fluvius universus*] Heu pravam declarationem! emenda, *ascendet tanquam fluvius tota ipsa*. ¶ *Et defluet*] Scriptum, *irrigabitur*: lectum, *demergetur*, quo plus dicitur quàm illo priore. ¶ *Rivus Ægypti*] Id est, Nilus.

9. *Dicit Dominus*] *Dominus Deus* est in Ebræo. ¶ *Occidet*] Ebræus codex habet *Occidere faciam solem*. ¶ *Tenebrescere faciam*] potuisset dicere uno verbo, *Obtenebrabo*. ¶ *Die luminis*] Id est, lucido.

10. *In planctum*] Meliùs alii reddunt, *in lamentationem*. ¶ *Super omne dorsum vestrum*] Mirum cùm ità transtulerit. In Ebræo habetur sine ulla verborum ambiguitate *super omnes lumbos*. Et ità postulat consuetudo lugentium, qui se sacco accingebant. ¶ *Calvitium*] Respexit ad morem veterum, quo caput radebant lugentes. Cujus moris meminit præter alios autor *Glossæ*, quam *ordinariam* vocant.

11. *Dicit Dominus*] Omissa vox quæ in Ebræo: in quo lectum, *Dominus Deus*. ¶ *Famem panis*] Verbum è verbo, *ad famem*. Et mox, *ad aquam*. ¶ *Verbum Domini*] Sic Chaldæus habet: sed in Ebræo legitur *verba Domini*. Πληθυντικῶς.

12. *Commovebuntur*] Aptius sententiæ, *vagabuntur*, & ità est in Ebræo. ¶ *A mari usque ad mare*] Autore Abenezra valet *à mari rubro ad mare magnum: quorum alterum situm ad meridiem terræ sanctæ: alterum est in occidente*. ¶ *Circuibunt*] Alius interpres, *discurrent*.

13. *In siti*] Id est, præ siti.

14. *In delicto*] *Per delictum*. Intelligit autem vitulum, qui Bethelis adorabatur. ¶ *Vivit Deus tuus* Dan, ac si diceret, qui jurant per idolum quod in Dan. Nam *Vivit Deus*, formula jurandi. ¶ *Via Bersabee*] Jonathan explanat, *firmæ ac ratæ sint leges Bersabee*. ¶ *Bersabee*] Integrum est Beersabee, sive Beersabea.

LIVELEUS.

1. *Canistrum fructuum æstivorum*] Hâc similitudine pœnæ tempus fuisse maturum significat, & *finem*, i. ultimam vindictam, instare; ut æstas anni finis est & tempus maturitatis fructuum.

3. *Ejulabunt*] In ejulatum, lamentationem & luctum vertentur, ut infrà v. 10. loquitur. ¶ *Plurimum cadaverum in omni loco projiciet*] i. Projicientur, ex hujus linguæ proprietate. ¶ *Sile*] i. Patienter acquiesce judicio tam potentis Dei, ut c. 6. 10. Vide Zach. 2. 13.

4. *Inhiatis egenum*] Magno egenorum servitutis desiderio tenemini suis facultatibus spoliatorum. Sic enim v. 6. dicit, *ad emendum pecuniâ tenues*. שאף verò in illa *inhiandi* sive *desiderandi* significatione cum accusativo sæpe construitur. Job. 7. 2. *ut servus umbram* ישאף *inhiat*, vel *desiderat*. Eorum inhumanitatem hîc arguit.

5. *Quando transibit*] Optantis est, ut illud Psal. 42. 2. *Quando veniam & coram Jehova apparebo?* Horatii item illud in Satyris,

> *O rus, quando ego te aspiciam? quandóque licebit*
> *Nunc veterum libris, nunc somno & inertibus horis*
> *Ducere solicitæ jucunda oblivia vitæ?*

Avaritia hic eorum ostenditur. ¶ *Novilunium, ut vendamus*, &c.] Dies sacer erat primus mensis, ut primus hebdomadæ qui *Sabbatum* dicitur. Hoc Tremellii annotatio non paucis testimoniis probat. Festis verò diebus & feriis sacris vendendo aut emendo mercaturam exercere nefas erat. Neh. 10. 31. *Ambulabimus in lege Dei; à populis regionis merces & annonam afferentibus non ememus sabbato aut die sacro*. Vide caput 13 ejusdem libri, à v. 25 usque ad 22. Hoc igitur istis avaris molestum erat, dies festivos suo quæstui obstare, suúmque lucellum Dei cultui cedere indignè ferebant. ¶ *Aperiamus frumentum*] h. e. Frumenti repositoria, ad vendendum. Metonymia. *Cellæ* enim *frumentariæ* ad vendendum, non ipsum *frumentum* propriè *aperiri* dicuntur, Gen. 41. 56. *Joseph omnia in quibus frumentum erat horrea aperuit, & vendidit Ægyptiis*. ¶ *Ut minuamus Epham, ac augeamus pondus*] i. Mensurâ minutâ, quam Michęas c. 6. *macilentam* vocat, vendamus, accipiamus verò ponderibus majoribus justo. Contra legem Dei id ab illis factum: Deut. 25. 13, 14. *Nè sit tibi diversum pondus, magnum & parvum: sed utrumque justum & integrum esto*. Hîc eorum fraudem accusat. ¶ Quod hîc dicitur *augeamus pondus*, Arias Montanus in suis ad hunc locum Commentariis rectè declarat: *Olim*, inquit, *appensi potiùs quàm numerati argenti usus erat. Unde & antiquissimo Hebræorum, Chaldæorum, & Cananæorum numo nomen sicli factum est, quod Latinè redditum* pondus *significat. Aderat autem iis qui vendebant aurificum statera, quâ recipiendum probaretur argentum*. Gen. 23. 6. *Abraham appendit pecuniam quam Ephron postulaverat. Qua in re duplex esse potuit fraus, ut statera & lances inæquales essent, & pondus ipsum auctius justo. Neque verò semper argento signato utebantur, cùm satis esset rude & incusum, si modò suo pondere redderetur. Hodie etiam Barbari, maximè autem Afri, argentum expensum à nostris mercatoribus pro captivus redimendis exigunt*. Aucto igitur pondere pauperes defraudantur. ¶ *Pervertendo lances dolosas*] i. Integras, ut dolosæ fierent. Metonymia, ut Job. 22. 6. *nudos vestibus spolias*, h. e. vestitos & tectos, ut nudi essent.

6. *Ut emamus*] Premente rerum penuriâ, se in servos vendere homines solebant. Levit. 25. 39. *Cùm attenuatus frater tuus se tibi vendiderit, nè exerceto eum servitute servili*. Hi igitur quæstuosi primùm oppressione & dolo fratrum suorum facultates ad se traxerunt, ut illis exhaustis, se ipsos tandem in servitutem tradere cogerentur. Fame ac siti pressos homines, ut necessitati subveniatur, *aquæ sextarium minâ emere, & immanes jacturas* facere, ex Aristotele docet Cicero 2 lib. Officiorum. Cùm igitur omnibus suis rebus absumptis eò adducuntur ut nullâ aliâ ratione queant, vel ipsâ servitute suâ se à tantis malis liberare non dubitant. ¶ *Quisquilias*] Aliud genus fraudis in ipsa merce. מפל propriè *deciduum* dicitur: Hîc *purgamenta frumenti* de eo dum cribro purgatur *decidentia* notat, à נפל *cecidit*. Sic Latinè *quisquiliæ* dicuntur, *quasi quicquid cadit*, interprete Festo.

7. *Per gloriam Jacobi*] h. e. Seipsum, ut antè locutus est cap. 6. 8. *Juravit Jehova per seipsum*. Deus enim *Israelitarum gloria* Metonymicè dicitur, quia ab eo amplissimam gloriandi materiam habuerunt. Mercerus, Aben Ezra, Quimquius ità intelligunt. Ità illud accipio Ose. 5. 5. *Testabitur gloria Israelis in faciem ipsius*. Vide ibi annotata.

8. *Et ascendet quasi rivus tota ipsa*] Sub. *terra*. Metonymia. Quod enim adjuncto, i. *aquæ*, propriè convenit, hîc subjecto, nimirum *terræ*, tribuitur. Cujusmodi exempla quædam suprà à me allata sunt ad v. 3. capitis 5. Hoc igitur dicit, *aquas ascensuras & totam terram inundaturas*: idque similitudine Niliacæ exundationis illustrat. De qua Cicero 2 De natura Deor. *Ægyptum Nilus*, inquit, *irrigat, & cùm totâ æstate obrutam oppletámque tenuerit, tum recedit. Ascendente Nilo totam Ægyptum operiri & quasi pelagus stagnare* scribit Strabo lib. 17. Ἐν ταῖς ἀναβάσεσι τοῦ Νείλου καλύπτεται πᾶσα καὶ πελαγίζει πλὴν τῶν οἰκήσεων. Hoc ergò est quòd hîc Ægyptus Nilo *mergi* dicitur. ¶ *Et propelletur*] Nullam aliam hîc *propulsionem* probabiliorem video quàm quæ à Scholiaste Jarchio intelligitur, *luti*, & *limi*; qualem ab aquis undantibus fieri docet ex Esa. 57. v. penult. *Improbi erunt ut mare propulsum, cujus aquæ cœnum & limum propellunt*. Cicero enim 2 De natura Deor. dicit *Niló agros oblimari*. Et Seneca cum affirmat *illato limo arenas saturare ac inungere*, lib. 4. Naturalium Quæst. Dionysius Alexandrinus De situ orbis, nullum fluvium cum Nilo projectione limi conferendum esse autumat his verbis:

> Οὐ γάρ τις ποταμῶν ἐναλίγκιος ἔπλετο Νείλῳ,
> Οὔτ' ἰλὺν βαλέειν, οὔτε χθονὸς ὄλβον ἀέξειν.

Propelletur igitur *terra*, h. e. ni fallor, Limus ex ea ab inundantibus

dantibus aquis excitatus more Ægyptii fluvii propelletur. Synecdoche. Jam verò Terræmotus, Inundationes, Tenebræ, Dei in hominum peccata animadvertentis effecta sunt, & iræ ipsius signa, Psal. 18. 7, 11. Itaque hic tempus luctuosum vindictæ significant, ut Matth. 24. & Lucæ 21. *Terræmotus erunt in singulis locis; Sol obscurabitur, nec dabit Luna splendorem suum; resonabit etiam mare ac salum, exanimatis hominibus præ timore.* Vide Joel. 2. 10.

10. *Exitus ejus erit quasi dies amaritudinis*] Ad extremum eveniet ei luctus gravis, qui per Metaphoram ab Hebræis *amaritudo* dicitur: ut etiam à Latinis eodem tropo *amarus* vocatur. Ovidius Metam. 14.

Admonitu quanquam luctus renoventur amari.

Hinc מר in conjugatione Hiphil *amarè lugere* sig. Zach. 12. 10. Itaque *dies amaritudinis* hîc nihil aliud est quàm *dies amari luctûs.* Quo modo Tibullus lib. 2. triste acerbi doloris tempus *diem amaram* vocat,

O ego nè possem tales sentire dolores,
Quàm mallem in gelidis montibus esse lapis!
Nunc & amara dies, & noctis amarior umbra est:
Omnia jam tristi tempora felle madent.

11. *Sitim*] *Sitis* summum desiderium per Translationem ostendit ex inopia & defectu natum. Psal. 42. 3. *Sitit anima mea Deum.* Claudianus,

Tum patriæ festo lætatus tempore vates
Desuetæ repetit fila canora lyræ.
Porrexit Rhodope sitientes carmina rupes.

12. *A mari ad mare*] A mari Mortuo ad Mediterraneum, vel, ut Scriptura loquitur, *à mari Orientali ad mare posterum.* His enim nominibus opponuntur hæc duo maria, Joel. 2. 20. Zach. 14. 8. Atque interdum absolutè absque illis epithetis adjunctis, Psal. 72. 8. *Dominabitur à mari ad mare.* Sensus est, Eos universam illam terram per omnes ejus terminos circumituros ad quærendum verbum Dei. Primùm à mari Mortuo profectos, perambulaturos totum Meridianum tractum usque ad mare Mediterraneum in Occidente, deinde illâ Occidentali plagâ emensâ ad Aquilonalem venturos, ac per eam tandem in Orientalem progressuros. Hoc enim ordine procedit descriptio terræ Promissæ Num. 34. *ab extremitate maris salsi*, quod *Mortuum* vocatur; *per plagam Australem, ad mare mediterraneum,* indè ad *Aquilonem*, & tandem ad *Orientem.*

14. *Vivit via Beersheba*] Lxx Interpretes (ut ex eorum versione conjecturam facio) pro דרך *via* legerunt צרך, unius literæ mutatione. Sic enim interpretantur, ὁ Θεός σου· quæ vera est dictionis צרך interpretatio. צור enim propriè *rupem*, & per Metaphoram *Deum* designat, támque de idolis quàm vero Deo usurpatur, Deut. 32. 31. צורם *Rupes eorum non est ut Rupes nostra*, h. e. Deus eorum non est similis Deo nostro. 1 Sam. 2. 2. *non est rupes ut Deus noster*, h. e. non est Deus, &c. Nam aliis quoque in locis Lxx Interpretes hanc vocem צור ità reddunt per eandem vocem Θεός, quæ hîc in eorum translatione reperitur. Vide eos Deut. 32. 18, 30, 31. Ità me Deus amet, verisimillimam ego hanc eorum lectionem judico: Quia & proclivis in unius literæ mutatione lapsus esse potuit, & voci præcedenti אלהיך *Deus tuus* aptiùs respondet, cum qua etiam aliàs similiter in eadem notione jungitur. Deut. 32. 27. אי אלהימו צור חסיו בו *ubi est Deus eorum? rupes in qua fiduciam posuerunt?* Tremellius nomen אלהים repetens parùm dissidet; *vivit Deus viæ Beersbebæ.* Enumeratur hoc oppidum Jos. 15. inter urbes Judaicas, at ibi cap. 19. tribui Simeonis tribuitur. Superstitioni verò & idololatriæ deditum fuisse, non solùm ex hoc loco, sed etiam eo quod cap. 5. 5. præcessit interdicto patet, *Bethelem nè quæratis, nè adeatis Gilgalem, & Beersbebam nè transeatis.* Hic versus probat nullam illius Regni partem ab ista impietate liberam fuisse. *Dan* enim in una erat extremitate ad Septentrionem, *Beersheba* in altera ad Meridiem: In medio erat *Samaria*, aliæque idolorum cultrices urbes à Samaritanis frequentatæ.

GROTIUS.

1. ET *ecce uncinus pomorum*] In Hebræo, ut Chaldæus exponit, *canistrum æstivorum fructuum.* Eo significatur populum, qui velut fructus est terræ, ab illa terra velut ab arbore auferendum.

2. *Venit finis*] Allusio in voce: nam קץ *finis*, קיץ *æstas.* ¶ *Non adjiciam ultrà ut pertranseam eum*] Id est, impunitum transmittam.

3. *Et stridebunt cardines templi in die illa*] *Ejulabunt cantica palatii:* id est, in ejulatum vertentur læta cantica quæ regiam personare solebant. ¶ *In omni loco projicietur silentium*] *In omni loco injiciet* (hostis) *silentium*, nempe inductâ solitudine.

5. *Dicentes, Quando transibit mensis*] *Veniet mensis.* חדש propriè est ἕνη καὶ νέα [*interlunium*,] sed συνεκδοχικῶς [*per Complexionem*] *mensem* significat: ut Gen. 29. 14. & sic vertitur plurimis in locis tum Græcè, tum Latinè, nec minùs apud Chaldæum. Mensis hic intelligitur τῆς συγκομιδῆς [*comportationis*,] cùm frumentum in horrea portatur. ¶ *Et venumdabimus merces*] Fruges nostras. ¶ *Et sabbatum*] Id est, *Annus sabbaticus*, ut hîc sumit Chaldæus, quo nihil frugis prodibat, arvis quiescentibus. Ideóque eo exacto, ii qui satis pecuniæ non habuerant ut ante eum annum sibi prospicerent, cogebantur ab iis qui apothecas habebant carò emere res ad vitam necessarias. ¶ *Et aperiemus frumentum*] Diu compressam annonam flagellabimus. ¶ *Ut imminuamus mensuram*] In Hebræo, *Epha.* mensuram aridorum faciebant minorem quàm esse debebat. ¶ *Et augeamus siclum*] Ponderabantur sicli, Geneseos 23. 16. Esaiæ 55. 2: Illi autem lanceam alteram faciebant graviorem: ità bis lucrabantur, & in merce & in pecunia. ¶ *Et supponamus stateras dolosas*] *Et pervertamus stateras dolo:* ut sit ἔλλειψις [*defectus*] literæ ב [*in*]

6. *Ut possideamus in argento egenos*] *Ut acquiramus per pecunias egenos*; ideo ut, ubi solvere non poterunt, dent se nobis in servitutem: ut mos erat illarum gentium. ¶ *Et pauperes pro calceamentis*] Proverbiale; id est, vili pretio: suprà 2. 6. ¶ *Et quisquilias frumenti vendamus*] Purgamenta frumenti mixta frumento. In Hebræo מפל : *Mamphale* Festo panis Syriaci genus, Dagesch mutata in ג, & Græcè in μ.

7. *Juravit Dominus in superbiam Jacob*] In Hebræo: *per celsitudinem Jacob*, id est, per benefacta illa quibus Jacobum ejúsque posteros in sublime extulit. ¶ *Si oblitus fuero usque ad finem omnia opera eorum*] Nempe nè habear is qui sum. Dissimulavi, sed ad tempus.

8. *Numquid super isto non commovebitur terra?*] *An propter talia non commoveretur terra?* Id est, status publicus. ¶ *Et lugebit omnis habitator ejus*] In miseriis sit. ¶ *Et adscendet quasi fluvius universus*] Id est, quamvis latè se diffuderit, ut superbus amnis. ¶ *Et ejicietur & defluet quasi rivus Ægypti*] Ità deficiet sicut illæ fossæ in Ægypto, quæ modò aquas habent, modò eas perdunt.

9. *In die illa*] *In tempore illo.* More loquendi Hebraïco. ¶ *Occidet Sol in meridie*] Nemini libebit attollere ad cœlum oculos præ calamitate. ¶ *Et tenebrescere faciam terram in die luminis*] In plena luce terra erit velut nocte obsita: quia nihil ibi apparebit præter ipsam.

10. *Et convertam festivitates vestras in luctum*] Dies festos in dies atros. Vide Oseæ 2. 11. ¶ *Et omnia cantica vestra in planctum*] Suprà 3. ¶ *Super omne dorsum vestrum saccum*] Habitum lugubrem. ¶ *Et super omne caput calvitium*] Vide Jobi 1. 20. ¶ *Et ponam eam*] Supple *gentem.* ¶ *Quasi luctum unigeniti*] Id est, *quasi in luctu.* Solet sic describi luctus gravissimus: ut Jeremiæ 6. 26. Zachariæ 12. 10. Sic Catullus,

Orba cùm flet unicum mater.

¶ *Et novissima ejus quasi diem amarum*] Pars postrema ejus temporis erit longè tristissima, cùm non propinqui tantùm à propinquis, sed & liberi à parentibus, conjuges à conjugibus abstrahentur. Vide ejus mali deplorationem Batavorum verbis apud Tacitum Historiarum 4.

11. *Ecce dies veniunt*] Nempe cùm Salmanasar advenerit. ¶ *Non famem panis neque sitim aquæ*] Supple *tantùm*; loquendi genere Hebræo. ¶ *Sed audiendi verbum Domini*] Prophetiam aliquam, unde consilium capiant in rebus arctis. Similis sensus Jeremiæ 2. 9. Sic Maimonides Ducis dubitantium 2. 37. optimè.

12. *Et commovebuntur à mari usque ad mare*] Ab Asphaltite ad mare Syriacum, ut Joel. 2. 20. Circinum ducit ab Occidente ad Orientem, indè rursus ad Aquilonem, omisso Austro, ubi erat Judæa. ¶ *Quærentes verbum Domini*] Explica ut suprà 2.

13. *Deficient virgines pulchræ, & adolescentes in siti*] Animum despondebunt, destituti ab omni solatio.

14. *Qui jurant in delicto Samariæ*] Per Vitulum qui in Bethel, non longè à Samaria. ¶ *Et dicunt, Vivit Deus tuus, Dan*] Jurant, *Ità ut vivit Deus qui in Dan colitur.* Ibi alter erat vitulus. ¶ *Et vivit via Bersabee*] *Vivat cultus qui est in Bersabee.* Ad quem locum, intra fines Duarum tribuum situm, cursitabant multi Israelitæ, ut superstitionem ibi exercerent, ubi quondam Deus majoribus ipsorum apparuerat; ut diximus suprà 5. 5. Hebræi Dei cultum, sive bonum, sive malum, appellant *viam:* nec aliter sumsit Chaldæus. ¶ *Cadent & non resurgent ultrà*] Nemo eos ab interitu aut captivitate eripiet.

13. *Applicabitur arator messori*] h. e. Tam uber erit messis ut antequam totum frumentum in horreum colligatur, tantum effluxurum sit temporis ut jam ager proscindendus sit ad futuram messem. Significatúrque per hanc Metaphoram mira & maxima abundantia donorum spiritualium quæ Deus in Regno Christi fidelibus suis distribuit, ut jam non sint passuri famem verbi Dei, de qua Propheta suprà dixit. Non igitur loquitur hic Propheta de externa ubertate agrorum & fertilitate montium quòd illi in majori abundantia quàm priùs sint producturi frumentum, vinum, oleum, fructus, pascua, & similia, sed significat spiritualium bonorum, ut diximus, copiam. Idem sentiendum de *captivitatis reductione.* Frustrà igitur exspectant cæci Judæi hæc ad literam tempore Meschiæ adimplenda.

CAP. IX.

MUNSTERUS.

1. P*Ercute superliminare*] Per hanc quintam Visionem significatur destructio cultuum Divinorum qui erant in Samaria. Vocatúrque *superliminare* כפתור, i. *sphærula*, quòd sphærulæ & aliæ cælaturæ essent sculptæ in eo.

2. *Si penetraverint in infernum*] Significatur his verbis, neminem posse effugere Divinum judicium, nec ullas esse latebras tam occultas, nec ullam corporalem fortitudinem tam potentem, nec ullam prudentiam carnalem tam astutam, nec ullum asylum tam tutum, quæ nos à judicio Divino liberare possint. ¶ *Si ascenderint in cœlum*] Jonathan sic vertit, *si ascenderint ad ædificia alta, in cœlum erecta: Et si confugerint ad culmina turrium castrensium: Et si fugerint ad insulas maris*, &c.

5. *Tangit terram*] Chaldæus Interpres sic vertit, *Irato Deo contra terram, devastabuntur omnes habitatores ejus, ascendetque contra eam Rex cum exercitu magno, & operiet eam quasi aquis fluvii; demergetúrque quasi fluvio Ægypti.*

6. *Ascensiones suas*] Ostendit Deum esse Dominum cœli & terræ, nec esse aliquid tam firmum & forte quod commovente Domino stare possit. Soliditas terræ ab eo commoveri potest; quantò magis infirmus homo, qui ut arundo movetur super eam? Porrò per *ascensiones* Hebræi intelligunt *novem* גלגלים *orbes cœlestes*, qui sunt quasi gradus quidam, cùm unus superior & amplior sit altero. Dico *novem*, propter cœlum Stellatum & Nonam sphæram, quæ cum sphæris Planetarum novenarium constituunt: alioquin propter Primum mobile decem numerantur. Per *fasciculum* verò intelligunt tria elementa, nempe Ignem, Aerem & Aquam, quæ circumscribunt Terram, habéntque eam velut fundamentum.

7. *Sicut filii Æthiopum vos estis*] Quidam sic exponunt, *Sicut Æthiopum & aliarum gentium habeo curam, cum quibus tamen non inii fedus, sic non abjeci curam populi mei, si modò voluerint esse filii non degeneres.* Alii verò sic exponunt, *Nihil proderit vobis quòd eduxerim vos de Ægypto, quandoquidem ob id vanam concepertis spem, quasi nunquam de regione vestra sitis expellendi putantes quòd non frustrà ante vos expulerim Chnaanæos, & vobis tradiderim terram in perpetuam possessionem. Nam idem feci aliis multis nationibus quas transposui in meliores regiones, & iterum, demerentibus earum peccatis, expuli & expellam eas ab eis. Nam futurum adhuc erat ut Syri ducerentur in Kir urbem Assyriæ, & indè reducerentur.* Sunt de hac re variæ opiniones apud Hebræos. Vide Commentarium D. Kimhi.

8. *Delebo ipsum*] *Regnum*, inquit, *ipsum delebo*, ut deinceps non habeat Regem, *sed domum Jacob* propterea *non penitus exstirpabo.*

9. *Sicut agitatur granum*] Cùm triticum cribro purgatur, cadit pulvis in terram, *lapilli* autem seu fasciculi aliquandiu agitantur in cribro antequam de tritico separentur: sic in dispersione Israelis multi gladio & peste interierunt, multi etiam expulsi sunt inter Gentes, & illic multis agitationibus tandem fracti.

11. *In die illa suscitabo tabernaculum David*] Redit hìc Propheta post diras & horrendas minas ad suaves consolationes quas fideles à Christo erant suscepturi. Intelligitur enim per *tabernaculum David* Regnum Christi sive Ecclesia, quam Christus collapsam reædificavit; juxta illud, *Numquid restitues Regnum Israel?* Act. 1. Nec ad hoc Regnum illi tantùm pertinebant qui erant Israelitæ secundùm carnem, sed & reliquiæ Gentium erant congregandæ, & diffundenda gratia Christi per universum orbem.

VATABLUS.

1. S*Uper altare* על המזבח] De altari holocaustorum intelligit, quod notum erat & insigne: q. d. *Vidi Dominum in Templo.* ¶ *Superliminare* הכפתור] Sub. *portæ Templi*: nam hoc intelligitur de porta Templi, aut certè de porta atrii Templi. Per hoc prædicebat Deus Templi destructionem, quæ sub Sedecia accidit. ¶ *Et in frusta concidam*, &c. ובצעם בראש וגו'] Tertia persona Heb. pro prima, more Scripturæ, *& in frusta concides*, pro *concidam eos qui sunt in summa dignitate constituti*, h. e. qui primas tenent; *& qui sunt illis inferiores*, h. e. qui secundas tenent. Hoc pertinet ad Sacerdotes & Magistratus. Quidam vertunt posteriorem partem sic, *& posteritatem eorum*, vel *posteros*; Magistratuum & Sacerdotum intelligit: vel populum. ¶ *Neque evadet*, &c. ולא ימלט וגו'] i. Neque superstes eripietur.

2. *In inferno* בשאול] *Usque ad infernum:* i. si cavernam, foveam sive scrobem foderint ut illic se abscondant à conspectu meo. ¶ *Descendere faciam eos* אורידם] *Detraham eos.*

3. *Abscondantur à conspectu oculorum meorum* ויסתרו מנגד עיני] *Subduxerint sese ab oculis meis.* ¶ *In pavimento* בקרקע] *In fundo.* ¶ *Serpenti* את הנחש] De Leviathan intelligit doctus inter Hebræos, qui morsu interfecturus sit eos: acsi dicat, Nusquam poterunt esse tuti contra iram meam.

4. *In captivitatem* בשבי] Sicut hi qui contra verbum Jeremiæ 42. 15. abierunt in Ægyptum, fugientes conspectum Chaldæorum, nè in Babyloniam abducerentur, à Johanan occisi sunt. ¶ *Ponámque oculos meos*, &c. ושמתי עיני וגו'] Hebraismus, malignè, non benignè, animo malevolo, non benevolo aspiciam eos.

5. *Et liquefit* ותמוג] Præt. Heb. pro præs. *liquefacere solet.* Alii, *tacturus est terram, & liquefiet.* ¶ *Lugebúntque* ואבלו] *Peribúntque.* Vide hæc eadem verba c. 8. 8.

6. *Qui ædificat* הבונה] *Qui ædificavit.* ¶ *Sphæras suas* מעלותיו] Ad verb. *gradus suos: ascensiones suas*, i. qui fecit cœlum, quod multis sphæris constat, quæ certum quendam ordinem habent inter se ut gradus. Probat omnipotentiam Dei & sapientiam à rebus creatis. ¶ *Et fasciculum suum* ואגדתו] *Et coagmentationem suam.* Sic vocat tria elementa, Ignem, Aerem & Aquam, quæ sunt inter se coagmentata ità ut alterum sit supra alterum; Terra autem est vice centri & basis. ¶ *Qui vocat aquas maris* הקורא למי הים] Versas scilicet in vaporem per calorem Solis; qui vapor ascendit in mediam regionem aeris, ubi concrescit in nubem, & nubes effunditur in terram.

7. *Velut filii Chusim* כבני כושיים] Variè exponitur hic versus ab Hebræis Doctoribus, etiam doctioribus. Alii, *Vos estis mihi velut Æthiopes qui non mutant pellem*, ut Jer. 13. 23. *Numquid mutabit Æthiops pellem suam?* q. d. Vos, filii Israel, nunquam mutatis mores vestros, ut Æthiopes nunquam mutant colorem. Alii, *Velut Æthiopes nigri, nepotes Chus filii Cham, servi sunt, & in servos venduntur; sic par erat ut essetis mihi servi; quia comparavi vos & eduxi de terra Ægypti; vos autem servi estis idolorum.* Pro fine versùs dicunt præteritum priùs positum, *Nónne ascendere feci*, vel *eduxi, Israel*, &c. repetendum esse, & pro futuro accipiendum. Nam, inquiunt, post hanc prophetiam *Philisthæi* (quorum terram occupaverant *Chaphthorim*, i. Cappadoces, ut legimus Deut. 2. 23) liberati sunt à Deo de manu & servitute Cappadocum. De qua servitute & transmigratione in Cappadociam prophetavit & Jeremias 47. 4. temporibus Sedeciæ Regis Juda. *Aram* autem (i. Syros) liberavit Dominus cùm fuissent abducti captivi in *Cirenen* à Theglath-phalasar Rege Assyriorum, ut legimus 2 Reg. 16. 9. Quomodo autem idem præteritum, revera præteritum apud Israelitas, possit accipi pro futuro de Philisthæis, non video: neque etiam loci intelligentiam hoc juvare potest, sed potiùs obscu-

fcurare. Verùm ſenſus loci talis potiùs eſſe videtur, *Vos, ô filii Iſrael degeneres qui convertimini ad idola, ne exiſtimetis, tametſi Patribus mihi fidelibus progenerati ſitis, apud me vos eſſe in aliquo pretio: non pluris ſanè vos facio quàm Æthiopes.* Occurrit autem illorum objectioni, *Nónne aſcendere vos feci*, &c. acſi dicat, Verum quidem eſt me eduxiſſe vos è terra Ægypti; ſed non propterea chariores: nam & ego Philiſthæos de manu Cappadocum liberavi, & Syros de Cyrene, quos propterea non ſum proſecutus majore amore. Nihil id reſpicio; tanta mea in vos collata beneficia non obſtabunt quominus vos *perdam e terra*, cùm tam gravia in me admiſeritis: tametſi *non ità perdam ut prorſus domum Jacob exſtinguam.* Hæ hiſtoriæ temporibus Amos notæ erant: neque præteritum pro futuro accipiendum. Nam exiſtimo non ſemel fuiſſe liberatos Philiſthæos & Syros à Domino de manu inimicorum: ut de altera liberatione mentionem fieri in libris Regum & apud Jeremiam quàm de ea quæ ab Amos hic narratur, credere vero ſit propius, quantum ad hujus loci interpretationem attinet.

8. *Oculi Domini Jehovæ* עיני ארני יהוה] i. Oculi mei. De ſe in tertia perſona loquitur. Subaudiendum autem *in malum*, ut v. 4. *Ponámque oculos meos adverſùs eos in malum.* ¶ *Quod peccavit* החטאה] Ad verb. *peccans.* Quidam, *peccatis obnoxium.* Alii, *peccatis deditum*, i. idololatriæ. ¶ *Veruntamen* אפס כי] *Niſi quòd:* q. d. peribit Regnum Iſrael: non tamen omnes Iſraelitæ peribunt; nam aliquot ſervabuntur. Seipſum declarat ſeq. verſu.

9. *Præcipio* מצוה] Præſ. Heb. pro fut.

10. *Nec anticipabit* ותקדים] *Præveniet:* vel *accelerabit.* ¶ *Malum* הרעה] Sub. *illud quod nobis prædicitur à Prophetis futurum.* De iis loquitur qui ſibi promittebant peccandi impunitatem.

11. *Suſcitabo* אקים] *Excitabo.* Alii, *inſtaurabo.* Alii, *erigam.* ¶ *Quod cadit* הנופלת] *Quod ruinam minatur.* ¶ *Et ſepiam* וגדרתי] *Et claudam ſepe*, aut *muro*, ſive *maceriâ.* Alii, *obſtruam.* ¶ *Aperturas eorum* את פרציהן] Nempe *Iſraelitarum.* Femineum tamen eſt Hebræis pronomen, quod refert antecedens ſubintellectum femineum, nempe *congregationem Iſraelis:* quo indicat quid per *tabernaculum* ſignificaretur. Mox etiam femineo relativo utitur, ſed ſingulari, *Et ædificabo eam:* retulimus ad *tabernaculum*, vertentes *illud.* ¶ *Et diruta ejus* והריסתיו] *Et ruinas ejus*, nempe *tabernaculi.* ¶ *Suſcitabo* אקימם] *Erigam*; *inſtaurabo.* ¶ *Sicut in diebus ſeculi* כימי עולם] Hebraiſmus, pro, *ut olim erat.*

12. *Reſiduum* את שארית] *Reliquias.* ¶ *Hi ſuper quos invocatum eſt nomen meum* אשר נקרא שמי עליהם] Ad verb. ſuper *quos invocatum eſt nomen meum ſuper illos.* Redundat *illos*, & *ſuper* præcedentibus jungendum, hoc ordine, ut annotat doctus inter Hebræos, *Ut hi ſuper quos invocatum eſt nomen meum, poſſideant reliquias Edom & omnes nationes.* Hebraiſmus, pro, *hi qui de nomine meo vocantur populus Dei*, ſive, *qui dicuntur populus Dei.* ¶ *Faciens* עשה] Præſ. Heb. pro fut. *qui facturus eſt.*

13. *Et accedet arator ad meſſorem* ונגש חורש בקצר] *Et occurrat arator meſſori.* Phraſis Hebraica quæ ſignificat tantam bonorum temporalium copiam ut in meſſe colligenda occupentur uſque ad tempus arationis, & occurrant alter alteri, meſſori arator. Sic Levit. 26. 4. *Et attinget tritura vindemiam, & vindemia pertinget uſque ad ſementem.* ¶ *Et ſtillabunt*, &c. והטיפו וגו] i. Omnia erunt plena muſto & lacte. Proverbium eſt,

Bacchus amat colles. ——

Vox Hebræa עסיס ſignificat omnem *liquorem expreſſum*, vel ex uvis, vel ex pomis, &c. ¶ *Liqueſcient* תתמוגגנה] Sub. *præ copia lactis*, juxta illud Joelis 3. 18. *In die illa ſtillabunt montes muſto, & colles diffluent lacte.*

14. *Et convertam*, &c. ושבתי וגו] i. Reducam populum meum qui captivus erat, h. e. Aſſeram in libertatem.

CASTALIO.

3. *Serpens*] Leviathan, h. e. balæna.

5. *Eſt autem is Dominus Jova armipotens quo tangente terra liqueſit*] Confer cum capite 4. 13.

6. *Suum nodum fundavit in terra*] Terram ſolidam firmámque quaſi nodum quendam fixit, ubi pedes poneret.

7. *Nimirum vos mihi perinde ac Æthiopes eſtis*, &c.] Quamvis tam ſitis improbi quàm nigri ſunt Æthiopes, non tamen vos, ut alios, delebo. Vide Abdiam, & Ezec. 14. & Jer. 30.

9. *Sed curabo quidem agitandum per omnes gentes genus Iſraeliticum, ſicut agitatur vannus, nec tamen cadunt ad terram grana*] Ut acceres èx vanno, non grana, ejiciuntur, ſic ego malos perdens ſervabo electos.

12. *Omnium à me denominatarum gentium*] Jovanarum, h.e. mearum.

CLARIUS.

1. *Percute cardinem*] Per hanc quintam Viſionem ſignificatur deſtructio cultuum Divinorum qui erant in Samaria. Quidam per *ſuperliminaria* intelligunt Principes & divites: quod videtur quadrare cum ſequentibus.

6. *Aſcenſionem ſuam*] Ordinem ſphærarum cœleſtium intelligi volunt; & per *faſciculum*, Aquam, Aerem & Ignem, quæ circumſcribunt Terram, habéntque eam veluti fundamentum. Oſtendit autem Deum eſſe Dominum cœli & terræ, nec eſſe aliquid tam firmum & forte quod commovente Domino ſtare poſſit. Soliditas terræ ab eo commoveri poteſt; quantò magis infirmus homo, qui ut arundo movetur ſuper terram?

7. *Ut filii Æthiopum*] Servi & deformati, & æquè digni eſtis qui perpetuò pereatis atque illi. Quare miſericordiæ meæ aſcribere debebitis ſi non penitus vos perdidero. Variè tamen exponitur ab Hebræis. ¶ *Aſcendere feci*] Nihil, inquit, proderit vobis quòd eduxerim vos de Ægypto; ut ex hoc vanam concipiatis ſpem, quaſi nunquam de regione veſtra ſitis expellendi, putantes quòd non fruſtrà ante vos expulerim Chananæos, & vobis tradiderim terram in perpetuam poſſeſſionem. Nam id feci aliis multis nationibus, quas tranſpoſui in meliores regiones, & iterum ob eorum peccata expuli, & expellam eas ab eis. Nam futurum adhuc erat ut Syri ducerentur in Cyrenem urbem Aſſyriæ, & indè reducerentur.

9. *Non cadet lapillus*] Quidam per *lapillum* intelligit granum: ut ſit ſenſus, Neminem qui cribrandus & affligendus ſumitur evadere poſſe.

11. *Suſcitabo tabernaculum David*] Redit hic Propheta poſt diras & horrendas minas ad ſuaves conſolationes, quas fideles à Chriſto erant accepturi. Intelligitur enim per *tabernaculum David* Regnum Chriſti, ſive Eccleſia, quam Chriſtus collapſam reædificavit: juxta illud, *Num hoc tempore reſtitues Regnum Iſrael?* Nec ad hoc Regnum illi tantùm pertinebant qui erant Iſraelitæ ſecundùm carnem, ſed & reliquiæ Gentium erant congregandæ: & diffundenda gratia Chriſti per univerſum Orbem. ¶ *Sicut in diebus antiquis*] h. e. Multò magnificentiùs quàm hactenus fuerit. Eſt enim Hebraiſmus.

13. *Comprehendet arator meſſorem*] h. e. Tam copioſa erit meſſis ut antequam totum frumentum in horreum colligatur, tantum effluxurum ſit temporis ut jam ager proſcindendus ſit ad ſementem. Significatúrque per hanc Metaphoram mira & maxima abundantia donorum ſpiritualium quæ Deus in Regno Chriſti fidelibus ſuis diſtribuit, ut jam non ſint paſſuri famem verbi Dei, de qua Propheta ſuprà dixit. Non igitur loquitur hic Propheta de externa ubertate agrorum & fertilitate montium, ſed de ſpiritualibus bonis. Idem ſentiendem de *captivitatis reductione.* Fruſtrà igitur cæci Judæi hæc ad literam implenda exſpectant.

L. BRUGENSIS.

1. *Non erit fuga eis* [*ei, ſed* o.] *fugiet*, " *& non ſalvabitur ex eis qui* " *fugerit* (" *& qui fugerit ex eis, non ſalvabitur* o. " *fugerint* o. " *fuerit* o.] Hanc hujus loci genuinam exiſtimo lectionem, quam multa atque emendatiſſima noſtra manuſcripta (Brug. Leod. Lob. O, E, Q, Pl m. &c.) ac prima Coloniæ excuſa Biblia ſervant, & D. Hieronymi, in proximè ſequentium verſuum enarratione, citatio, ac Ruperti Tuitienſis explicatio, probant. *Qui ſupra dixerat*, inquit Hieronymus, *Non erit fuga eis: fugiet, & non ſalvabitur qui fugerit; nunc ipſam fugam in partes ſecat*, &c. Quidam codices, & ſcripti & impreſſi, auferunt τὸ *fugiet*; iniquè. Nam Hebraicè, Græcè & Chaldaicè legitur, quanquam non eâ formâ. Quidam plurali numero ſcribunt *fugient*; malè. Hebræis enim, Græcis & Chaldæis ſingularis eſt numerus. Nonnulli τὸ *fugient* præcedentibus hoc modo jungunt, *Non erit fuga eis qui fugient: & non ſalvabitur*, &c. Pariſienſium duo Ge. o. p. Hentenii unus. Quæ quidem diſtinctio, Hebræorum, Græcorum & Neotericorum interpretum diſtinctioni convenit: ſed non eſt noſtri Interpretis, qui *fugiet* vertit, id quod iis quæ ab ipſo verſa præcedunt jungi nequit. Porrò Hebraicè eſt, לא ינוס להם נס, id quod Græci interpretati ſunt, " ὀ [" καὶ Κ]

 μὴ

μὴ διαφύγῃ ἐξ αὐτῶν φευγων similiter Neoterici Latini, *Non fugiet ex eis fugiens.* Noster interpres maluit ל dictionis להם pro nudo dativi casûs signo accipere, ac *non erit fuga eis* vertere; & נס *fugiens* sequentibus jungere.

DRUSIUS.

1. *Super altari*] Quod in templo Jerosolymitano; Cujus eversionem nunc insinuat, & simul prædicit excidium Urbis populique. ¶ *Superliminare*] *Limen superum*, quod Græci ὑπέρθυρον vocant, *hyperthyrum*. Quâ voce usus est & Vitruvius. Dictum ità quòd in eo poma & flores sculpi solerent. Quidam vertunt *malogranatum*, i. רמון. Sunt qui pomum illud significari putant quod in summo Templi. Alii *sparulam* interpretantur. ¶ *Percute*] Hæc dicit Angelo. *Postes*] i. אמות הספים *antes*, sive *latera ostii*. Huic interpretationi firmandæ est Thargum, in quo סיפיא *postes*, interpretamentum videlicet τῦ אמות. ¶ *Commoveantur*] *Concutiantur*. ¶ *Saucia eos*] i. בצעם. Sic Joel. 2. 8. לא יבצעו *non vulnerabuntur*. Beth enim & Phe communem familiam habent. Alii *concide eos*, & Lxx διάκοψον. In Lexico Chaldaico, בצע *concidit in frusta*. ביצועין *frusta*. Id Ebræi dicunt פרוס. Sed nunc explicant חתך & כרת. Vide Scholia Camii. Cæterùm libri variant: nam in aliis est בצעם cum gemino (-), in aliis בְּצָעֵם cùm (-) & (-). Utrobique (-) in ultima loco (-). Nisi potius ut sit verbum præteritum *& sauciabit eos*: quod impersonaliter sumunt pro *sauciabuntur*. ¶ *In capite*] Ubi sauciari nemo potest quin magnum periculum adeat vitæ amittendæ: Nam ferè lethalia sunt vulnera hujusmodi. Rectiùs exponas, *Vulnera eos qui sunt in capite omnium ipsorum*, i. Principes & Sacerdotes. Hanc interpretationem roborant consequa verba. *Novissimum eorum*] Reliquum populum, vulgus promiscuum. Sic Ezec. 23. 25. *Novissimum tuum gladio cadet.* Scholia Camii, PERCUTE SUPERLIMINARE, i. *Regem & Principes*. SAUCIA EOS QUI SUNT IN CAPITE IPSORUM, *Sacerdotes*. NOVISSIMUM EORUM, i. *plebem promiscuam*. ¶ *Gladio interficiam*] Transit à secunda persona ad primam: quod tritum in his literis. ¶ *Non effugiet ex eis fugiens*] Hoc alibi dicit *Peribit fuga à veloci*, videlicet suprà 2. 14. ¶ *Qui evaserit*] Qui è prælio evaserit aut in fuga peribit, aut ab hostibus capietur.

2. *Si foderint*] Latitandi causâ. *Fodere* est magno conatu quippiam agere aut aliquò contendere. Vide quæ scripsimus Jon. 1. 13. ubi *remigare* exponunt. ¶ *In sepulcro*] Vel, *in inferno*. Similis locus Psal. 139. 8. ¶ *Capiet*] Rapiet, auferet. ¶ *Si ascenderint in cœlum*] *Cœlum* & *inferi* sive *sepulcrum* opponuntur. Ex quo illud, *Ad cœlum exaltata usque ad inferos deprimeris*.

3. *Occultaverint*] *Abdiderint, absconderint*. ¶ *In vertice Carmeli*] Ubi silvæ & speluncæ ad latendum aptæ. Hujusmodi speluncas homines sibi facere solent in montibus Jud. 6. 2. & 1 Sam. 13. 6. Unde *fodiendi* verbum, de quo suprà. Nam antra & speluncæ fiunt effossâ terrâ. ¶ *Serpenti*] De serpente marino vide Munsteri Cosmographiam. Piscis est vastæ magnitudinis, à quo navibus maximum periculum. Reperitur in mari Baltico. Ebræi significari putant cetum illum magnum qui *Leviathan* vocatur.

4. *Si verò abierint in captivitatem*, &c.] Non contentus exsilii pœnâ, eos qui in exsilium ibunt gladio insuper occidam. ¶ *Coram inimicis suis*] Thren. 1. 5. *in captivitatem abierunt coram hoste*. Nam captivos olim ante se ducebant. Alia expositio, *Si iverint in captivitatem ante hostes suos*; vult dicere, priusquam in hostium suorum manus inciderint. Prior expositio verior, meo judicio. ¶ *Ponam oculum meum*, &c.] Jer. 21. 10. *posui faciem meam contra hanc urbem in malum, & non in bonum*. Vide & Jer. 39. 16. & 44. 27. Rursum Jer. 24. 6. *Ponam oculum meum contra eos in bonum*. Sirach. 10. 11. *Oculus DOMINI respexit eum in bonum*.

5. *Qui tangit terram*] *Qui cùm tangit*, i. percutit, *terram, ipsa liquescit, & habitatores ejus lugent*. *Tangere terram*, ut *tangere montes*; ex quo illud, *Tange montes, & fumigabunt*. Catullus, *flos tactus aratro*, i. percussus. ¶ *Liquescit*] Præ metu. Quod & *in aquam abire* dicunt. Psal. 46. 6. *Edit vocem suam, liquescit terra*. Jos. 2. 9. *Liquefiunt habitatores terræ metu*. Aut *liquescit*, i. in aquam resolvitur, aquâ obruitur. Quam interpretationem sequentia comprobant. ¶ *Lugent*] In luctu sunt, vel potiùs pessum eunt, intereunt, delentur. Suprà, *lugebit omnis habitans in ea*. ¶ *Ascendit ut rivus*] Explicatum est suprà 8. 8. Hic locus docet ibi כאור positum esse pro כיאור, tum etiam ונשקעה legendum potiùs quam ונשקה.

6. *In cœlo*] In media regione aeris. ¶ *Cœnacula sua*] Innuere videtur aquas pluvias sive superiores, ut Psal. 104. 13. *Qui potat montes e cœnaculis suis*. Quanquam ibi עליות; hic verò est מעלות, quæ vox potiùs *ascensiones* vel *gradus* denotat. Significat etiam *excellentias*. Nunc accipiunt pro *cœnaculis*, quæ sic dicta ab *ascendendo*: nam, cùm sint in editiore ædium parte, scalis vel cochleis ad ea ascenditur. Radix utriusque est עלה *ascendo*. ¶ *Fasciculum suum*] Aquas inferiores tanquam in fasciculum colligatas. Alii *cuneum* reddunt: alii *turmam* aut *globum*. Aben Ezra hoc nomine significari putat animantia: alii extendunt ad omnes creaturas. Hi legunt referentes *in terra*, quod nos vertimus *juxta terram*. ¶ *Juxta terram*] Alibi dicitur *terram fundasse juxta aquas*, ubi in Ebræo est על מים. Quod vulgò reddunt, *super aquas fundavit eam*. ¶ *Fundat*] Rectè sanè: nam nisi bene fundata esset, universam terram obrueret. Est enim altior terrâ, ut Physici tradunt. Nihil impedit quamobrem non possit legi *super terram*. Nam aquæ alveus terra. ¶ *Qui advocat aquas maris*] Explicatum est suprà, 5. 8.

7. *Nonne ut filii Æthiopum*] q. d. Cùm tales sitis, non pluris vos facio quàm ipsos Æthiopas, qui ex posteris Cham, cui Noe pater ob retecta pudenda olim maledixit. Aliter, *Primâ conditione pares mihi estis cum Æthiopum gente vilissima & abjectissima; nihilominus asserui vos ex durissima servitute. Quod beneficium, licèt incomparabile sit, aliis quoque præstitum à me gentibus, ut Philisthæis, Aramæis sive Syris: Quocirca non est quod eo nomine vos extollatis aut plus æquo efferatis*. Ità Mercerus explicat. *Filii Æthiopum*, i. Æthiopes; ut *filii Græcorum*, ipsi Græci; υἷες Ἀχαιῶν, *Achæi*. Apud Herodotum Αἰθιόπων παῖδες. ¶ *Philisthæos è Chaphthor*] Philisthæos quondam eductos è Chaphthor paret ex hoc loco, tum etiam ex Jer. 47. 4. ubi vocantur *residuum insulæ Chaphthor*. Legimus quoque Gen. 10. 14. *Phatrusim & Chasluchim, unde egressi sunt Philistim, & Chaphthorim*. Vide sis Mosen Ger. ad illum locum. *Chaphthor* antiquis est *Cappadocia*. Sunt qui Cyprum fuisse opinantur. ¶ *Syros e Cir*] Quò translati fuerunt à Theglath-Phalasar, ut habetur 2 Reg. 16. 9. *Cyrene* antiquis Interpretibus. Non Cyrenem intelligit quæ ad Reges Ægypti olim pertinuit, sed regionem Asiæ, ut Beroaldus putat, quem vide, si vacat, Chron. l. 4. c. 6. Vide quæ scripsimus suprà 1. 5.

8. *Ecce oculi Domini*, &c.] Suprà v. 4. *Ponam oculum meum contra eos in malum, & non in bonum*. Significat autem se gravissimè animadversurum in eos. ¶ *Contra hoc Regnum peccans*] Regnum Ephraim intelligit, h. e. x tribuum. Vocat autem *Regnum peccans* cùm ob alia, tum potissimùm propter idololatriam. Nam *peccare* interdum strictiùs accipitur pro *idola colere*: unde, *Peccare fecit Israelem*, de Jeroboamo seniore, qui cultum Vitulorum primus instituit. Vel *peccans*, i. improbum. Nam *peccator* & *improbus* se mutuo explicant. ¶ *Delebo*] *Perdam, disperdam, abolebo, exterminabo*. ¶ *A superficie terræ*] Nam ab anno nono Hoseæ filii Ela nullum Regem habuerunt, nec etiamnum habent. ¶ *Delendo delebo*] Penitus delebo, omnino perdam. ¶ *Domum Jacob*] Domum Israel. Nam aliquos servabo ab interitu, videlicet electos, nè cum cæteris pereant. Vide Jer. 30. 11. & Ezech. 14. 22. infrà v. 11.

9. *Præcipio*] Brevi *præcipiam* Angelis ministris meis, per quos *exagitabo*, i. agitando commovebo ac dissipabo, *domum Israel per omnes gentes*. Aut *præcipio*, i. decerno, statuo. ¶ *Quemadmodum agitatur triticum vanno*] [illegible] similitudine illustrat promissionem illam de servandis reliquiis in populo Dei. Nam *quemadmodum*, inquit, cùm *vanno agitatur triticum*, grana in eo remanent, excussis sordibus & paleis; ità meos agitabo inter gentes dispersos, è quibus tamen nemo electorum peribit: tantùm improbi & peccatores perdentur. ¶ *Lapillus*] Unà cum granis etiam lapilli remanebunt, nè uno quidem ex eis decidente inter aceres & quisquilias. Hujusmodi lapilli quandoque in pane reperiuntur. Unde *panis lapidosus* apud Senecam. Et legimus in libro Proverbiorum, *Suavis est homini panis mendacii, sed tandem repletur os ejus lapillis*. Hîc est צרור in textu Ebræo. צרור propriè *fasciculus simul colligatus*: item *sacculus in quo lapilli ponderum ponuntur*: unde generaliter pro ipso *lapillo* sumitur, *lapillo*, inquam, *ponderis*, & generaliùs pro quocunque *lapillo*, *scrupo* vel *scrupulo*, quales interdum in tritico, dum cribro purgatur, reperiuntur.

10. *Gladio morientur*] Occidentur. ¶ *Omnes peccatores populi mei*] Quicunque improbi sunt in populo meo. *Peccatores* hoc loco dicit ut Psal. 1. 1. *in via peccatorum non stetit*. Et *omnes*, i. major pars. Nam aliqui evaserunt gladium ¶ *Non accedet*] לא תגיש. Novè usurpat verbum הגיש, quod *admovere* sign. pro *accedere*, i. נגש. Alii, *non appropinquabis* לא תקרב.

¶ *Ne-*

¶ *Neque occupabit nos*] Vetus ed. *Non veniet ſuper nos*, לא יבוא עלינו. Alias, *Non obveniet nobis.* הקדים potiùs eſt *anteverto, occupo, præoccupo.* בעדינו autem exponunt עלינו *ſuper nos:* ità Jonathan. Alius *propter nos:* vult dicere, *propter peccata noſtra.* ¶ *Malum*] *Vexatio, calamitas.* Non malè quidam hic legunt *malum hoc*, nempe quod Prophetæ minitantur. Eſt enim הרעה cum articulo, τὸ κακὸν, vel ἡ κακία.

11. *Die illo*] Tempore redemptionis. ¶ *Erigam*] *Excitabo, reſtaurabo.* ¶ *Tabernaculum David*] Eccleſiam Chriſtianam. *David* enim quandoque vocatur ipſe Chriſtus, ut & *Filius David.* ¶ *Collapſum*] *Quod cecidit.* ¶ *Sepiam*] Maceriâ videlicet, quæ גדרה dicitur. Eadem vox *ſepem* notat. Solinus cap. 26. *Inſulam Erythraam Pœni linguâ ſuâ GADIR, i. Sepem, nominarunt.* Propriè *ſepes ex lapidibus.* Alioqui *ſpinea ſepes* potiùs משוכה dicitur. ¶ *Rupturas eorum*] Iſraelitarum. Alii *earum*, & ſubaudiunt *maceriarum.* Mihi videtur הן pro הם poſitum. ¶ *Ruinas*] Loca diruta & deſtructa. ¶ *Ejus*] Populi. ¶ *Erigam*] *Reparabo, inſtaurabo.* ¶ *Illud*] Tabernaculum. ¶ *Ut diebus antiquis*] כימי עולם *ut diebus ſeculi*, i. antiquis, nempe cùm ſub Davide ac Salomone maximè floreret Eccleſia.

12. *Ut poſſideant reliquias Edom*, &c.] Ordo & conſtructio, *Ut illi ſuper quos invocatum eſt nomen meum poſſideant reliquias Edom & omnes gentes.* Aliter, *ut poſſideant* (videlicet *Iſraelita*) *reliquias Edom & omnes gentes ſuper quas invocatum eſt nomen meum.* Sic ferè Græci. Latina vetus, *Ut poſſideant reliquias Idumææ & omnes nationes, eò quòd invocatum ſit nomen meum ſuper eos.* Hic Interpres אשר pro כי accepit: quod etiam Ebræus Salomo fecit. *Edom*, i. Idumæorum. Abd. 18. *Non erit ſuperſtes domui Eſau.* Pugna in his verbis; quam ità concilio. Veri Idumæi omnes delebuntur: Qui autem ſupererunt, quos hìc vocat *reliquias Edom*, ex Idumæis Chriſtiani erunt. Hoc innuit cùm ait, *Super quos invocatum fuerit nomen meum.* ¶ *Et omnes gentes*] Vide Livelæum. ¶ *Ii ſuper quos invocatum fuerit*, &c.] Qui de nomine meo vocabuntur *populus Dei* aut *Chriſtiani.* ¶ *DOMINUS faciens iſtud*] q. d. Cùm opus iſtud non humanum ſed merè Divinum ſit, non eſt de ejus certitudine ullo modo dubitandum.

13. *Et attinget arator meſſorem*] *Quando attinget arator meſſorem:* vel, *eùm occurret arator meſſori.* Duo ſignificat; primùm, ſingula ſuo tempore proventura; deinde, incredibilem omnium rerum copiam & ubertatem fore. ¶ *Calcator uvarum*] Vindemiator. Nam is quoque ex uvis calcando vinum exprimit. Levit. 26. 5. *Et aſſequetur tritura vindemiam, & vindemia aſſequetur ſementem.* ¶ *Trahentem ſemen*] *Portantem ſemen, ſatorem.* ¶ *Muſto*] עסיס hic *vinum* denotat: Alibi eſt *ſuccus e malogranatis expreſſus.* Et notant Grammatici, *quicquid calcando terendóque exprimitur* id rectè עסיס dici. Vide Joel. 1. 5. ¶ *Colliqueſcent*] Lacte: ut Joel. 3. 8. *Montes ſtillabunt muſto, & colles fluent lacte.* Quale illud apud Claudianum,

—Subitis meſſor gaudebit ariſtis,
Rorabunt querceta favis, ſtagnantia paſſim
Vina fluent oleique lacus.

14. *Reducam*] *Revocabo, reſtituam.* ¶ *Captivitatem populi mei*] *Captivos populi mei.* ¶ *Qui ædificabunt*, &c.] Sic Jeſ. 65. 21. *& ædificabunt civitates quas inhabitabunt.* Contrà legimus ſuprà 5. 11. *domos cæſo lapide ædificaſtis, & non habitaſtis in eis.* ¶ *Plantabunt vineas*] Hujus contrarium eſt in loco citato, *Vineas deſiderabiles plantaſtis, & non bibiſtis vinum earum.* ¶ *Bibéntque vinum earum*] In dicto loco Jeſaiæ, *& comedent fructum earum.* Perinde eſt: nam uvæ comeduntur, & vinum ex eis factum bibitur. ¶ *Facient hortos*] i. Exſtruent aut plantabunt.

15. *Plantabo eos in terra ipſorum*] Potuiſſet dicere *collocabo*, ſed elegit *plantabo*, ut ſimul fixam ac ſtabilem habitationem denotaret. Tralatio ab Arboribus. ¶ *Neque evellentur ampliùs*] Et hoc ſumptum ab Arboribus, quæ altiores in terra radices egerunt quàm ut evelli poſſint. ¶ *E terra ſua quam dedi eis*] Periphraſis terræ Promiſſæ ſive Sanctæ. ¶ *DOMINUS Deus tuus*] Alloquitur Prophetam an populum? Grammatici *Apoſtrophen* vocant.

IDEM.

1. ΕΠὶ τῦ θυσιαςηρίυ] Biblia Regia, ἐπὶ τὸ θυσιαςήριον. Int. *ſuper altare.* כפר ἱλάσκεσθαι ex quo כפתור de ſententia horum interpretum, ſed errant, nam neque ab ea radice deſcendit, neque hoc ſignificat. Soph. 2. 14. כפתריה Φατνώματα αὐτῆς, i. *lacunaria* ſive *laquearia ejus.* Qui vertit *præſepia ejus*, malè vertit, כפתור ὑπέρθυρον, ἀνώφλιον. ¶ Ἐπὶ τὸ ἱλαςήριον] Int. *ſuper propitiatorium.* Ed. Antverpienſis τὸ ἱλαςήριον abſque ἐπὶ, *Percute propitiatorium.* Ebræi, *percute limen ſuperum.* ¶ Πρόπυλα] Lectio diverſa in C. προπύλαια. ¶ Καὶ ἐ] Alias ἐδὲ.

2. Κατακρυβῶσιν· κατορυγῶσιν] Miror Romanenſes cur, exturbatâ receptâ lectione, hanc in ejus locum ſubſtituerint, præſertim cùm priſcus Int. verterit ſi *defoſſi fuerint*, & alia omnia exempl. quæ vidi κατορυγῶσιν præferant. His adde quòd verbum Ebraicum חתר propriè ſign. *fodere.* Εἰς ᾅδυ] Sub. οἶκον, aut aliquid tale: & εἰς pro ἐν nota Enallage. ¶ Ἀνασπάσει] Int. *evellet.* Veneta & Argentoratenſis ἀναπαύσει.

3. Ἐγκατακρυβῶσιν] In cæteris eſt κατακρυβῶσιν, & in fonte יחבאו. Puto hinc ſumptum quod habetur v. 2. in exempl. Romano. Int. V. *abſconditi fuerint.* ¶ Εἰς τὰ βάθη] Plant. εἰς τὰ θεμέλια. Int. *in profundum.*

4 Καὶ ςηριῶ] Editio B. ea quæ in octavo folium complicat καὶ θήσω quæ lectio firmatur auctoritate codicis Ebræi. Tamen Int. V. *obfirmabo.*

5. Κύριος Κύριος ὁ Θεός] Alibi Κύριος ὁ Θεός· magis placet. Int. *Dominus Deus.* Dicam nunc quid mihi videatur de hoc loco. Exiſtimo igitur ſcriptum fuiſſe in aliis Κύριος Κύριος ὁ παντοκράτωρ, & in aliis Κύριος ὁ Θεὸς ὁ παντοκράτωρ. Utrumque ſimul excuderunt operæ Romanenſes: aut culpâ librariorum id accidit. Hoc magis crediderim. ¶ Ὡς ποταμὸς συντέλεια αὐτῆς, καὶ καταβήσεται] Hæc omnia deſiderantur in iis quæ Plantinus edidit: συντέλεια αὐτῆς, i. כלה pro כלתה. Sanè כלה eſt *conſummatio.* Vide quæ notavimus c. 8. 8. Int. *& aſcendet ſicut fluvius conſummatio eorum, & deſcendet.* Καταβήσεται, i. נשקעה *ſubſidebit.* Sic legendum eſſe admonent nos Critici Ebræorum Maſſoritæ.

6. Ἐπαγγελίαν αὐτῦ] אגודתו. Abſque magna mutatione in meliorem verſionem pervenias, ſi legas ςραγγαλιὰν αὐτῦ· cui lectioni firmandæ erit, quòd id verbi eo modo reddunt Jeſ. 58. 6. διάλυε ςραγγαλιὰς βιαίων συναλλαγμάτων, ubi in Ebræo אֲגֻדּוֹת: nihil tamen muto in recepta ſcriptura: nam poteſt fieri ut legerint אגודתו tanquam à נגד: unde הגיד *nunciavit, indicavit.* Porrò αὐτῦ deſideratur in iis quæ Plantinus excudit. ¶ Ἐπὶ πρόσωπον] Alibi ἐπὶ προσώπυ. ¶ Κύριος παντοκράτωρ] Int. *Dominus omnipotens.* Bona hæc lectio niſi παντοκράτωρ abeſſet & in C. & in codice Ebræo.

7. Οὐχ] Pro οὐχὶ, i. *nónne.* Sic ſanè Int. V. ¶ Ὡς υἱοὶ Αἰθιόπων ὑμεῖς ἐμοὶ υἱοὶ Ἰσραήλ] Int. *ut filii Æthiopum vos eſtis mihi, filii Iſrael?* optima lectio, ex qua emendabis & quod in A. B. ὡς υἱοὶ Αἰθιόπων ὑμεῖς ἐςε ἐμοὶ Ἰσραήλ, & quod in C. … ἐμοὶ ἐςαι οἶκος Ἰσραήλ. Quanquam *filii Iſrael* & *domus Iſrael* ſe mutuò explicant. Sanè ipſe Jonathan refert hoc loco בית ישראל. ¶ Ἐκ γῆς Αἰγύπτυ] Minùs rectè in C. ἐξ Αἰγύπτυ, *ex Ægypto:* quanquam eadem utriuſque ſententia. ¶ Ἐκ Καππαδοκίας] Hier. *ex Cappadocia.* Jonathan quoque מקפוטקיא. Horum opinio fuit Cappadociam vocari *Caphthor* in lingua Prophetæ. ¶ Ἐκ βόθρυ] Locus qui Ebraicè קיר, quem alii in *Cyrenem* transferunt. 2 Reg. 19. אני קרתי. Thargum Jonathæ אנא חפרית חפר גובן *ego fui fodiens foveas.* Ab hoc verbo quod *fodere* ſign. קיר pro *fovea* non eſt in uſu. Quid igitur ea vox ſignificat? Jam dixi. Cùm eſt nomen proprium, tum denotat urbem quæ ab Hier. *Cyrene*, à Jonatha קירני dicitur. Sic etiam alii interpretantur. Vide Fragmenta à me collecta. Porrò קיר appellativè ſumptum eſt *paries.*

8. Κυρίυ τῦ Θεῦ] Κυρίυ legitur in editis à Plantino: in cæteris Κυρίυ τῦ Θεῦ· quod etiam Int. legit. ¶ Βασιλείαν τῶν ἁμαρτωλῶν] Int. *Regnum peccatorum:* quod idem cum illo *regnum peccans.* Ergò diverſa lectio in C. βασιλείαν τὴν ἁμαρτωλῶν.

9. Λικμήσω] Plant. δεικνύω. Int. V. *ventilabo.* ¶ Ὃν τρόπον λικμᾶται ἐν τῷ λικμῷ] Int. *ſicut ventilatur in ventilabro.* Malè igitur in quibuſdam λικμᾶτε. Editi ad Ex. C. ὂν τρόπον ὅταν λικμᾶται ἐν τῷ λικμητῷ. ¶ Σύντριμμα] Int. *contritio.* Biblia Regia σύςρεμμα. Mihi dubium an hæc ſit vera ſcriptura, Sanè Hoſ. 4. 19. צרר reddunt συςροφή Quod cùm minimè cognitum haberent quidam, factum eſt ut deteriora ſubſtituerint. Veritas, καὶ ὐ μὴ πέσῃ λίθος ἐπὶ τὴν γῆν. צרור λίθος· & ſic interpretantur 2 Sam. 17. 13. ἕως μὴ καταλειφθῇ ἐκεῖ μηδὲ λίθος

10. Οὐδὲ μὴ γένηται] Aliquot exempl. ἐδὲ μὴ ἔλθῃ. Int. *neque venient.* Hoc membrum exſulat in C. & excuſis ad exemplar ejus.

11. Ἀνοικοδομήσω] ובניתי. Lectio diverſa ἀναςήσω אקים. Int. *ædificabo iterum.* גדר propriè *ſepem* vel *maceriam obducere.* Jonathan P. Chaldæus ואבני *& ædificabo.* Alibi reddunt, καὶ Φράξω *quaſi macerie obſtruam.* ¶ Αὐτῆς] Ἤγουν τῆς σκηνῆς. Alibi αὐτῶν τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ δηλονότι. Ebræi legunt αὐτȣ, de *Davide.* Hunc locum citatum invenies Act. 15. 16. & apud Euſeb. Ἀποδείξ. l. 2. c. 3.

12. Ἐκζητήσωσι] Sic eſt in C. & R. Reliqui addunt με, ut Int. V. *quærant me:* quod non legitur quidem in fonte, ſed tamen, ut ſe habet hæc verſio, tale quid ſubaudiri debet. Itaque Lucas Act. 15. 17. τὸν Κύριον ſubaudit. Sed malo ἐκζητήσωσί με, & fortè an אתי legerunt pro את, quemadmodum legunt ידרשו pro יירשו, i. κληρονομήσωσι, & אָדָם pro אֱדוֹם, quod ſign. τῶν ἀνθρώπων. ¶ Ἐφ᾽ ȣ̃ς, &c.] Conſtructio ſenſu congrua, non voce. In Euſebio ἐφ᾽ ἃ ἐπικέκληται τὸ ὄνομά μȣ ἐπ᾽ αὐτά: ubi C. & R. ἐπ᾽ αὐτȣ́ς. ¶ Ποιῶν πάντα ταῦτα] Int. *faciens hæc omnia.* Plant. ποιῶν ταῦτα, & ſic Ebræi.

13. Ὁ ἀμητὸς] Sic ed. R. In cæteris eſt ὁ ἀλοητὸς, & apud Int. antiquum *tritura.* Fortè ſcripſerunt initio ὁ ἀροτὸς. Ebræi legunt ἀρότης ſive ἀρότηρ, i. *arator.* ¶ Τὸν τρυγητὸν] i. *Vindemiam.* Sic Int. V. Alii vertunt ex Ebræo τὸν θεριςὴν, ſive mavis τὸν ἀμητῆρα, vel ἀμῶντα, i. *metentem* ſive *meſſorem.* ¶ Καὶ περκάσει, &c.] Int. *& variabitur uva in ſemente.* Veritas, καὶ πατῆν ςαφυλὰς κομίζοντα τὸν σπόρον, ſub. καταλήψεται. משך ad verb. ὁ ἕλκων. In Ebraiſmo autem valet, βαςάζων, κομίζων, αἴρων, Φέρων eſtque agricolarum ferentium ſemina ad ſerendum. ¶ Γλυκασμὸν] *Dulcedinem*, i. γλεῦκος, *muſtum*, *vinum dulce.*

14. Ἐπιςρέψω] Alibi ἀποςρέψω. ¶ Τὰς ἠφανισμένας] Sic habent C. & R. In aliis τὰς ἠδαφισμένας. Priſcus Int. *diſſipatas.*

15. Ἀπὸ τῆς γῆς] In C. ἐκ τῆς γῆς. ¶ Κύριος ὁ Θεὸς παντοκράτωρ] Plant. Κύριος ὁ Θεός. Int. *Dominus Deus omnipotens.* Veritas, *Dominus Deus tuus*, Κύριος ὁ Θεός σȣ.

IDEM.

7. קִיר Aq. & V. ed. Κείρ ſive Κίρ. Sym. *Cyrene.* Th. *paries*] Hieron. *Pro* Cyrene *Aq. & V. editio ipſum verbum Ebraicum poſuerunt*, *Lxx* foveam, *i.* βόθρον. *Th.* parietem, *Sym.* Cyrenem; *quem & nos in hoc loco ſecuti ſumus.* PARIES. Τοῖχος ſign. cùm appellativum eſt: Hic eſt proprium urbis: quam Chaldæus quoque *Cyrenem* interpretatur.

IDEM in VULG.

1. CArdinem] Verterim, *limen ſuperum*, & mox, *commoveantur poſtes* pro *ſuperliminaria*, ex autoritate Ebræorum. Vocatur autem *limen ſuperum* eo nomine à malogranatis, quæ in eo ſculpi nonnunquam ſolent. ¶ *Avaritia*] Valde, mecum ambigo an legerent BESA decurtatâ voce pro BESAAM. Id valet *concidet eos*, autore Camio. Poteſt etiam verti *vulnerabit eos.* ¶ *In capite omnium eorum*] Hoc vult, Vulnerabit eos omnes in capite, id eſt, lethaliter. Camius explanat, *excindet eos & unà caput omnium ipſorum*, id eſt, ſacerdotes. Minùs placet. ¶ *Non erit fuga eis: fugiem*] In quibuſdam libris reperitur, *non erit fuga eis qui fugient.* Et meliùs, ut opinor. Nam in Ebræo ſcilicet eſſe, *Non fugiet illis fugiens.* ¶ *Non ſalvabitur*] Verterim, *non eripiet ſe.* Et mox, *qui evaſerit* pro *qui fugerit:* ſed hoc leve. ¶ *Ex eis*] præpoſitio abeſt à Codice Ebræo.

2. *Si deſcenderint*] *Si foderint* codex Ebræus habet. Jonathan enarrat *ſi cogitaverint abſcondere ſe tanquam in ſepulchro.*

3. *Scutans auferam eos*] Doctè transfert, *ſcrutabor & auferam eos.* ¶ *In profundo*] Malim, *in fundo.* ¶ *Serpenti*] Marino videlicet.

5. *Et tabeſcet.* Sed magis placet *liqueſit*, *diſſolvitur.* ¶ *Omnis*] In Ebræo eſt, *omnis ipſa*, vel *tota ipſa.* ¶ *Et defluet*] Malim, *& demergetur.* ¶ *Sicut fluvius Ægypti*] Sicut Nilus.

6. *Aſcenſionem ſuam*] Alius, *gradus ſuos*, alius interpretatur *cœnacula ſua.* Sed cœnacula ALLOTH vocantur: non MAALOTH. ¶ *Faſciculum ſuum*] Vel *acervum ſuum.* ¶ *Fundavit*] Ad verb. *fundavit eum.* Ebraiſmus.

7. *Ut filii Æthiopum*] *Filios Æthiopum* dixit pro *Æthiopibus ipſis.* Sic Herodotus etiam locutus eſt. ¶ *Palæſtinos*] Meo animo ſcribendum *Palaſtinos*, deletâ aſpirationis notâ. Iidem & Philiſthæi vocantur. ¶ *De Cappadocia*] Ebraicè, *ex Caphthor.* ¶ *Syros*] Vel, Aramæos. ¶ *De Cyrene*] In Ebræo eſt, *ex Cir:* putant autem diſcrimen eſſe inter *Cir* & *Cyreum*: de quo mihi adhuc non liquet.

8. *Super regnum*] *In regnum* codex Ebræus habet, non *ſuper regnum.* ¶ *Conteram illud*] Verior tralatio, *delebo illud.* ¶ *Conterens non conteram*] Ut ſuprà, delendo non delebo.

9. *Concutiam in omnibus gentibus*] Hoc vult, vagari faciam per omnes gentes. Alii reddunt *exagitabo*, & melius. ¶ *Sicut concutitur in cribro*] Subintelligitur *frumentum* aut tale quid. ¶ *In cribro*] Videtur melius eſſe *in vanno.*

10. *Non veniet ſuper nos*] In Ebræo eſt, *non anteverteт nos hoc malum.* Vidi qui interpretarentur, *propter nos.* Id eſt, propter iniquitates noſtras. Tremellius vertit, *non obveniet hoc malum.* Magis placeret, *non obveniet nobis:* quod Ebræus dicit verbum è verbo, *non anticipabit circa nos.*

11. *Suſcitabo*] Excitabo, erigam. ¶ *Reædificabo*] Verbum, quod hìc in Ebræo, à maceria deductum eſt. Itaque meliùs vertunt qui vertunt, *ſepiam.* ¶ *Aperturas*] Id eſt, rupturas. In Ebræo eſt, *Rupturas eorum.* ¶ *Ea quæ corruerant*] Hoc phraſi Ebraicâ dicitur *demolitiones ejus.* ¶ *Reædificabo eum*] Malim, *illud*, ut referatur ad tabernaculum. Et ſic eſt in Ebræo. ¶ *Sicut in diebus antiquis*] Ad verbum, *ſicut diebus ſeculi.*

12. *Eò quòd invocatum ſit*] Vel, *ſuper quos invocatum eſt nomen meum.* Interpres ſumſit ASER pro CHI. Et ita ſolet aliquando accipi ut neſciam utra ſententia melior ſit. ¶ *Faciens hæc*] *Hoc*, non *hæc*, legitur in Ebræo.

13. *Comprehendet arator meſſorem*] Hoc alius retulit *attinget arator meſſorem.* Et mox, *& calcans uvas*, *trahentem ſemen*, id eſt, ſementem facientem. ¶ *Dulcedinem*] Aut laticem dulcem, id eſt, muſtum. ¶ *Culti erunt*] Quin potiùs, *liqueſcent.* Videlicet præ ubertate.

14. *Convertam captivitatem*] Id eſt, reſtituam captivos. *Captivitas* pro *captivis* frequens eſt in his litteris. ¶ *Et faciens hortos*] Id eſt, colent, & ſic Jonathan habet.

15. *Plantabo eos*] Id eſt, *ſtabiliam*, authore Chaldæo. ¶ *Super humum ſuam*] Alius hoc dicit *in terra ipſorum.* ¶ *Non evellam eos*] Vertendum, *non evellentur.* Ità habetur perſpicuè in Ebræo.

LIVELEUS.

1. ET *ſauciabit eos*] i. Sauciabuntur omnes. Hebraiſmus, quo verbum tertiæ perſonæ imperſonaliter vel paſſivè ſumitur, cùm ſuppoſitum ad quod referatur reticetur. ¶ *In capite*] h. e. Graviter, lethaliter, ut Pſal. 67. 25. *Deus vulnerabit caput inimicorum ſuorum.* Gen. 3. 15. *Ipſum tibi caput, tu ei calcaneum conteres.* ¶ *Interficiam*] Enallage ſive anomalia perſonæ. Antè enim de miniſtro locutus eſt in tertia perſona, *ſauciabit*; hìc de ſeipſo autore, in prima. Similis eſt in ejuſmodi ſententia perſonæ mutatio Eſa. 22. 19. *Depellam te de loco tuo, & deturbabit te de ſtatione tua.*

2. *Si foderint*] Ut ſe illic abdant. Verbum enim *fodiendi* hìc accuratam occultationem notat, ut ſequentia verba ejuſdem notionis verſu proximo arguunt. Solent enim homines quæ ſtudioſè tegunt effoſsâ terrâ obruere. Matth. 25. 18. *Abiens in terra defodit & abſcondit pecuniam domini ſui.* Hinc Latini quæ ità obruuntur *defodi* dicunt: Plautus in Aulularia,

Domi aulam defoſſam cum multis opibus inveni.

Neque altitudinem *cœli* vel *montium*, neque profunditatem *orci* vel *maris*, nec ullam quantumvis magnam diſſitarum regionum diſtantiam homines à conſpectu Dei protegere poſſe declarat. Vide Pſal. 139. 8. Jer. 23. 24. Job. 26. 6.

3. *In vertice Carmeli*] In montibus enim & rupibus altis, ſpeluncis ſibi factis, homines ſe occultaviſſe docemur, Jud. 6. 2. & 1 Sam. 13. 6.

4. *Coram inimicis*] Ea victorum conſuetudo erat, victos ante ſe captivos ducere. Hinc Lam. 1. 5. *In captivitatem abierunt coram hoſte.*

5. *Dominus enim*] Probat quod antecedentibus verſibus dixerat, homines nullibi vindictam Dei effugere poſſe, ab ipſius mira potentia. Cujus enim vel tactu ſolo terra diſſolvitur, quique cùm ei libitum fuerit eam aquis undantibus obruit, &c. quomodo is inimicis ſuis quocunque in loco perdendis par non erit? ¶ *Quo terram tangente liqueſcit*] h. e. Ad cujus tactum & percuſſionem habitatores terræ colliqueſcunt. Metonymia, ut

ut Psal. 46. 6. *Deo vocem suam edente, liquefit terra. Liquefieri* verò dicuntur metu fracti & debilitati, per Metaphoram. Jos. 2. 9, 24. *liquescunt habitatores terræ metu* נמגו. 2 Sam. 17. 10. *cujus animus est ut animus leonis, liquefiet.*

6. *Qui exstruxit in cœlo cœnacula sua*] מעלותיו hîc *cœnacula* interpretor, ab *ascensu* ità dicta: ut simili ratione עליה ab eadem radice sæpe vocantur, quia loca sunt in editiori ædium parte, ad quæ scalis vel cochleis ascenditur. Calvinus & Tremellius idem judicaverunt: Quorum sententiam veram esse mihi persuasit similium locorum collatio: Jer. 22. 14. ubi eadem phrasis reperitur, *Exstruam mihi domum amplam & cœnacula spatiosa:* & Psal. 104. 3: ubi Deus *in aquis contignare cœnacula sua* eodem sensu dicitur quo hîc ea *in cælis exstruere*. Videtur Metaphora à Regibus sumpta, qui (ut ex illo Jeremiæ liquet) ad magnificentiam *ampla & spatiosa cœnacula* sibi in superiore domûs parte ædificabant. Sic enim Deus, qui Rex Regum est, sua quoque in altioribus mundi locis, nempe cœlesti palatio suo, quasi cœnacula exstructa habere videtur. Unde illud est Psal. 104. 13. Deum *montes è cœnaculis suis rigare.* Ennius apud Tertullianum eâdem Translatione utitur eo libro quem contra Valentinianos scripsit: *Primus*, inquit; *omnium Ennius Poeta Romanus*,

——cœnacula maxima cœli

simpliciter pronunciavit, elati situs nomine, vel quia Jovem illic epulantem apud Homerum legerat. ¶ *Cuneum suum*] Vel *globum suum*, vel *turmam*. Ità accipitur Hebræa vox, (ut hîc à Tremellio observatum est) 2 Sam. 2. 25. *Binjamitæ se congregantes post Abnerum, fuerunt in cuneum*, vel *globum*, *unum*, i. confertam turbam, in unum militum collectam turmam & quasi conglobatam multitudinem. Hîc verò, ut mihi videtur, terrestrium creaturarum multitudinem designat, quæ ad eundem modum *exercitus* appellantur Gen. 2. 1. *Perfecti sunt cœli & terra, omnisque eorum exercitus.* Videtur in cœpta à Regibus Metaphora persistere, qui ut ampla palatia & cœnacula habent, ità suis ministris & militibus stipari solent. Similiter Deo suum in cœlo palatium in cœnacula distinctum est, suíque etiam milites & satellites ei more regio sunt, ad voluntatem ejus exsequendam parati. Psal. 103. 21. *Benedicite Jehovæ, omnes exercitus ejus, ministri ejus facientes placitum ejus.* Joel. 2. 11. *Jehova edit vocem ante exercitum suum, quia ampla admodum sunt castra ejus, & robustus qui verbum ejus efficit.* De locustarum caterva id à Propheta dicitur. Jarchius & Tremellius cum Aben Ezra ità ferè intellexerunt. Sed illi generaliùs omnium rerum creatarum turmas, hîc tantùm animalium.

7. *Ut filii Æthiopum*] i. Æthiopes, ut ab Homero sæpe Achæi vocantur υἷες Ἀχαιῶν *Achæorum filii.* ¶ *Syros è Kiro*] Kir regio erat Assyrio Regi subjecta, cujus mentio fit Esa. 22. 6. Eò Syros ab Assyriorum Rege Tiglath-Pilesero abductos fuisse, ut ab hoc Propheta cap. 1. 5. prædictum erat, docemur 2 Reg. 16. 9. Ut igitur Syri in Kirum deportati fuerunt, ità probabile est Regem Assyriæ contrà è Kiro ductos secum ad illud bellum populos in illorum urbibus collocasse, vel indè in Syriam colonias postea traduxisse, quæ finibus commutatis sedes Syrorum jam pulsorum occuparent, quemadmodum Israelitis in Babyloniam, Mesopotamiam, Mediam translatis, novi ex illis locis coloni successerunt, 2 Reg. 17. 24. & Ezræ 4. 9. *Syros* igitur hîc Prophetam dicere Kirenses illos existimo qui jam in Syria, veteribus incolis expulsis, habitaverunt. Ità verum est quod Propheta narrat *Syros è Kiro venisse.* An Davidis Quimquii pater idem senserit pro certo mihi compertum non est; verùm in hæc verba sic scribit: *Ex Kiro*, inquit, *venit Tiglath-Pileser qui eos illuc deportavit*, ut dicitur 2 Reg. 16. 9. Ut contra Philisteos è Caphtore, ità contra Syros similiter è Kiro vastator venit. Hæc nostra interpretatio si vera est, necessariò sequitur Amosum ad tempora Achazi prophetationem suam continuavisse, quo regnante illa Syrorum captivitas contigit. Idem etiam efficitur ex ipsius Tremellii expositione, qui etsi aliter interpretatur, affirmat tamen Syros jam antè in Kirum deportatos fuisse cùm hæc concio à Propheta haberetur. Quod, nisi Amosus Achazi tempore suo munere functus fuerit, fieri non potuit.

8. *Non omnino perdam domum Jacobi*] Gratiosè reliquias servabo ab interitu, nè cum cæteris pereant, pios electos conservabo: at alias nationes improbas prorsus delebo. Sic Jer. 30. 11. *Faciam consummationem in gentibus: In te verò consummationem non sum facturus, sed castigabo te modicè, at mundando non mundabo*, i. te prorsus impunem non relinquam.

9. *Agitabo*] Præcedentem illam promissionem de piis servandis confirmat similitudine sumptâ à Tritico cribro purgato. Ut enim cùm triticum cribro hinc indè agitatur, acere excreto, quod purius est servatur in solidum nè minimo quidem granó excusso: Ità Deus se dicit electos huc illuc *inter Gentes* dispersos, variis exsiliis & afflictionibus *quasi cribro* vexationis *agitaturum*, ut illis exerciti magis magísque purgentur, ità tamen ut nè unus quidem pereat. Quocirca idem hîc dicitur quod aliâ similitudine Zach. 13. 9. *Tertia pars in ea superstes erit, eámque ego in ignem conjectam conflabo ut argentum, & quasi aurum probabo*; h. e. eos malis & calamitatibus quasi aurum igne probabo, ut major in illis puritas, exustis afflictionis fornace scoriis, appareat. Ut illic *ignis*, ità hîc *cribrum* afflictioni notandæ servit. Similísque ferè ad afflictionem designandam sententia est Luc. 22. 31. *Appetiit vos Satanas quos ventilaret sicut triticum.*

11. *Tabernaculum*] Regnum Davidis in Israelitas hîc *tabernaculum* dicitur, quòd eo quasi tentorio ab hostibus tegerentur. Illius verò Regni dissipati restitutionem & instaurationem sub Christo fore significat.

12. *Possideant*] Gentes unà cum Israelitis in unum Regnum & eundem populum coaptatæ Christo subjectæ erunt, & ab eo *hereditario jure possessa*, Psal. 2. 8. *Postula à me, & dabo tibi Gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam extrema terræ.* Quomodo igitur quod Christi unius erat, id Israelitis hîc tribuitur, ut dicantur *heredes Gentium*, quæ pari cum illis jure fraterno & æquali libertate (quod ad Regni cœlestis possessionem attinet) & eorundem bonorum in Christo Capite coheredes fuerunt? Ephes. 2. 14, 19. Ratione variâ Gentes & Christo & Israelitis subigi dicuntur. Christo tanquam Capiti & summo Regi; Israelitis ut ministris Christi, quorum operâ usus est ad Gentes per prædicationem Euangelii subjugandas. Apostoli enim Gentium Doctores Israelitæ fuerunt, quibus Euangelium prædicantibus aliæ nationes se submiserunt, & obtemperaverunt quasi magistris, ut ex eorum doctrina, præceptis & hortatu in se jugum Christi libenter reciperent. Ità igitur quod hîc Israelitas *Gentes possessuros esse* dicit, intelligendum videtur de primis Gentium præceptoribus, qui eas verbo Dei lucrifecerunt Christo. Sic Esa. 14. 2 *possidebunt Israelitæ populos in servos, & eos ducent captivos à quibus in captivitatem ducebantur.* ¶ *De nomine meo vocantur*] *Super quas nomen meum vocatur* ad verb. h. e. *populus Dei* & *filii Dei* dicuntur. Vide Ose. 1. 10. Hæc verò Gentium denominatio hereditariam illam possessionem de qua principio versûs loquebatur secuta est. Tum enim illis hæc appellatio tribui cœpit cùm primùm Christi imperio ac ditioni subditæ fuerunt. Hoc igitur ad eum modum accipiendum est quo illud Dan. 2. 21. *Dat sapientiam sapientibus, & scientiam scientibus intelligentiæ*, h. e. iis qui illo dono Dei sapientes facti sunt, cùm tales antè non exstitissent. Vulgatus Hebraismus.

13. *Attinget*] Quævis negotia ad terræ culturam & frugum perceptionem pertinentia opportunas suas tempestates habitura ostendit, ità ut nulla vis cœli prohibitura sit quin primùm messis tempestiva sit, post eam aratio, arationem sementis, sementem vindemia suo justo tempore consequatur. Ista verò temporum opportunitas ubertatis indicium est. Vide Levit. 26. v. 5. ¶ *Satorem*] Verbum è verbo *trahentem semen*. Periphrasis Satoris est, qui è canistris semen extrahit, & tractim projicit. ¶ *Colliquescent*] Lacte scilicet, ut Joel. 3. 18. *montes stillabunt mustum, & colles fluent lacte.* Mira hoc sermonis genere beati temporis rerum optimarum copiâ affluentis felicitas figuratur, ut etiam à Latinis Poetis. Claudianus lib. 1. in Ruffinum,

——Subitis messor gaudebit aristis:
Rorabunt querceta favis, stagnantia passim
Vina fluent, oleique lacus.

GROTIUS.

1. *Vidi Dominum stantem super altare*] Gloriam Domini (id est, lucem aliquam Dei indicem) ascendentem à Cherubinis, & tenentem se super altare holocaustorum, quasi multas victimas sibi expetentem, sed humanas. ¶ *Et dixit*] Angelo, ut hîc Hieronymus. Visum hoc ad Duas tribus pertinet, ut rectè notatum à Chaldæo. ¶ *Percute cardinem*] Figuram mali Punici quæ in summo erat Templo. Significatur per hoc cædes Josiæ Regis, ut explicat Chaldæus. ¶ *Et commoveantur superliminaria*] *Postes*. Id significat totius gentis ruinam. ¶ *Avaritia enim in capite omnium*] Rectiùs בצע pro verbo accipias, ut Græci cepere: *concidit caput omnium*, hostis

ftis fcilicet: explicat quod de Jofia per ambages dixerat. & ב [*in*] hic πλεονάζει [*abundat*,] ut fæpe. ¶ *Et noviſſimum eorum gladio interficiam*] Faciam ut in plebem plurimæ ac maximæ ſtrages edantur, primùm per Aſſyrios, deinde per Chaldæos. ¶ *Non erit fuga eis*] Id eſt, *effugium*, ut indicant ſequentia.

2. *Si deſcenderint uſque ad infernum*] In abditiſſimos ſpecus. Confer Pſalmo 139. 8. ¶ *Inde manus mea abducet eos*] In exitium, aut captivitatem.

3. *In vertice Carmeli*] Qui mari imminet. Diximus alibi. ¶ *In profundo maris*] Hebræus, *in ſolo maris*. Chaldæus *inſulas maris* intelligit. ¶ *Ibi mandabo ſerpenti*] Monſtro alicui marino, qualia Hebræi & Chaldæi *ſerpentum* & *draconum* appellant nomine. Per talia autem monſtra Reges crudeles intelliguntur, ut Pſalmo 74. 14.

4. *Et ſi abierint in captivitatem coram inimicis ſuis*] *Ubi ante hoſtes ſuos acti fuerint captivi.* ¶ *Ibi mandabo gladio, & occidet eos*] *Ut occidat.* Etiam in Chaldæorum Imperio multi ſenes, infirmi, pueri occidentur, quód homines nullius operæ paſcere non libebit. ¶ *Ponam oculos meos ſuper eos in malum*] Torvùm & hoſtilè eos intuebor.

5. *Et Dominus Deus exercituum qui tangit terram*] *Ubi Dominus Deus exercituum tetigerit terram, ipſa tabeſcet*: id eſt, deſolabitur. ¶ *Et adſcendet ſicut rivus omnis*] Idem eſt quod ſuprà 8. 8.

6. *Qui ædificat in cælo adſcenſionem ſuam*] *Adſcenſionem* vocat ſolium regale, in quod aſcendi ſolet per gradus, 1 Reg. 10. 18, 19. ¶ *Et faſciculum ſuum ſuper terram fundavit*] *Manipulos frugum.* ¶ *Qui vocat aquas maris, & effundit eas ſuper faciem terræ*] *Qui vocans aquas maris, effundit eas ſuper faciem terræ*: id eſt, pro imperio terras inundat.

7. *Numquid non ut filii Æthiopum, vos mihi eſtis, filii Iſraël*] Id eſt, Non pluris vos facio quàm Æthiopas, homines barbaros & feros. ¶ *Numquid non Iſraël adſcendere feci de terra Ægypti, & Palæſtinos de Cappadocia, & Syros de Cyrene?*] Fiditis fortè veteribus beneficiis; ſed talia etiam aliis populis præſtiti. Vos *eduxi ex Ægypto*, ſed & *Palæſtinos eduxi è Cappadocia* (vide Deuteronomii 2. 23. & Jeremiæ 47. 4.) & *Syros è regione ad Cyrrhum*, quò eos retraxit, velut veteres fugitivos, Teglathphalaſar, ſuprà 1. 5.

8. *Ecce oculi Domini Dei ſuper regnum peccans, & conteram illud à facie terræ*] *Ut conteram.* Qualecunque tandem ſit regnum, & qualibuſcunque è majoribus. ¶ *Verum tamen conterens non conteram domum Jacob*] Non delebo internecione, ut delevi populos alios; regnum delebo, non populum.

9. *Ecce enim mandabo ego, & concutiam in omnibus gentibus domum Iſraël*] Mandato meo commovebo huc illuc. ¶ *Sicut concutitur triticum in cribro*] *Triticum* non eſt in Hebræo. Et quod cribrum dicit, potiùs *ventilabrum* eſt in quo lapides ab inutili pulvere ſegregantur. oſtendunt ſequentia. ¶ *Et non cadet lapillus ſuper terram*] Sic etiam viri boni, quamquam communis mali participes, ab exitio ſervabuntur.

10. *In gladio morientur omnes peccatores populi mei*] Homines flagitioſi, qui Prophetis credere noluerunt: ut ſequitur.

11. *In die illa*] Id eſt, *poſtea*, quomodo & τοτε [*tunc*] ſumi oſtendimus alibi. ¶ *Suſcitabo tabernaculum David quod cecidit*] Domum Davidis, in Zorobabele. ¶ *Et reædificabo aperturas murorum ejus*] Græci: τὰ πεπτωκότα, id eſt, *rimas*. Solet enim hoc nomen per πτῶμα, & per κατάπτωμα Græcè verti. ¶ *Et ea quæ corruerant inſtaurabo*] Τὰ κατεσκαμμένα, *diruta*. ¶ *Et reædificabo illud*] *Illam* ſupple *urbem Hieroſolyma.* ¶ *Sicut in diebus antiquis*] Qualis olim fuerat.

12. *Ut poſſideant reliquias Idumææ*] Quod factum Hyrcani tempore, Joſeph. 13. 17. ¶ *Et omnes nationes, eò quòd invocatum ſit nomen meum ſuper eos*] *Omnes nationes ſuper quas eſt invocatum nomen Domini*, penès quas olim fuit veri Dei cultus: Quales ſunt Iſmaëlitæ, Ammonitæ, Moabitæ, quarum non exiguas partes ſubjecere ſibi Maccabæi, Joſeph. 12. 11, 12.

13. *Et comprehendet arator meſſorem*] Id eſt, ſubſequetur ſuo ordine. Poſt meſſem erit aratio. ¶ *Et calcator uvæ mittentem ſemen*] Poſt vindemiam ſatio. ¶ *Et ſtillabunt montes dulcedinem*] *Stillabunt muſto.* LXX, γλυκασμὸν [*dulcedinem.*] ¶ *Et omnes colles culti erunt*] In Hebræo: *fluent*, nempe lacte, ut Joël. 3. 18.

14. *Et convertam*] *Ubi reverti fecero.* ¶ *Captivitatem*] Id eſt, captivos. ¶ *Ædificabunt civitates deſertas*] Alias etiam præter Hieroſolyma.

15. *Plantabo eos ſuper humum ſuam*] Firmis ſedibus locabo, Ezechiel. 17. 5, 22. ¶ *Et non evellam eos ultrà de terra ſua*] Nempe dum in pietate perſtabunt.

ANNOTATA AD ABDIAM.

MUNSTERUS.

INterpretatur OBADIA *Cultor Domini.* Putatúrque à quibuſdam fuiſſe tempore Ahab & Izebelis, qui *abdidit centum Prophetas in ſpelunca* 1 Reg. 17. Alii putant fuiſſe proſelytum ex Ædomæa, eò quòd Viſio ejus potiſſimùm contra Ædomæos prædicta ſit. Subnectit tamen more aliorum Prophetarum in fine Prophetiæ ſuæ ſuccincta verba de Regno Chriſti, quando dicit, *Domini erit Regnum.* Fuit autem Ædom frater Jacobi: Et ſicut ipſe odit fratrem eò quòd ei præripuit benedictionem primogenituræ, ſic tota poſteritas ejus odio habuit, &, ubi potuit, malum intulit poſteritati Jacob, h. e. Iſraelitis, omnibus hoſtibus eorum adhærens, & perfidiam ſuæ mentis declarans. Hic igitur populus Ædomæorum typum geſſit Antichriſti, & falſorum fratrum, qui ubique populo Dei nocere ſtudent.

1. *Auditum audivimus*] Vox eſt Prophetarum; aut, ſecundùm alios, vox populorum qui jam accincti erant ad prælium.

2. *Ecce parvulum dedi te*] Accipiendum eſt præteritum loco futuri. Nam futurum tunc erat ut Ædomæi plurimùm imminuerentur, etiamſi jam à Deo fuerit definitum.

3. *Habitantem in ſciſſuris*] Securi ſibi videbantur quòd habitarent in locis arte & naturâ munitis, ideo licentiùs graſſabantur in filios Dei.

5. *Num fures venerunt contra te*] Senſus eſt, Non devaſtaberis vulgariter, ſicut cùm fures irrumpunt, aut nocturni prædones, qui damno illato aufugiunt, & plurima, quæ ſecum ferre non poſſunt, relinquunt: ſed tu omnibus tuis ſpoliaberis.

7. *Uſque ad terminum ejecerunt te*] i. Longè ſeparabunt te hoſtes tui ab habitaculis tuis, ut pro voto ſuo graſſari poſſint in bonis tuis. Hi autem erunt hoſtes tui in quos tu maxime fiduciam poſuiſti. ¶ *Ponent ſubter te vulnus*] Capitur hîc [illegible] *circumligatio* vel *emplaſtrum* pro [illegible] *morbo emplaſtro fovendo.* Et eſte ſenſus, Ficti amici clàm gravem tibi inferent dolorem ut ſcilicet pœna tua reſpondeat culpæ, quâ fratrem perſequeris

9. *Deſtituentur viribus*] Jon. *Confringentur fortes tui habitantes ad Meridiem.* Et eſt ſenſus, Cùm viderint imminere cædem adeò terrebuntur omnes ut etiam fortiores amiſſuri ſint vires ſuas.

suas. Subditur autem causa hujus horrendæ ultionis: Quia, inquit, cùm fratri tuo Jacob imminerent pericula, non solùm congratulans aspexisti, sed & hostibus eorum manum porrexisti, &c. Et nota quòd omnes isti infinitivi, *non aspicere*, *gaudere*, *magnificare*, &c. in Hebræo scribuntur in secunda persona futuri temporis, sed nos pro commodiori sententia resolvimus futurum in infinitivum.

11. *Stetisti*] Heb. *standi te.* Kimhi tamen putat legendum ביום *in die stationis tuæ.* Verùm nos clariùs reddidimus per præteritum.

14. *Concludere reliquias ejus*] Jon. *tradere*, seu *prodere*, *eos qui evaserunt.*

15. *Propè autem est dies Domini*] Potest per hunc locum facilè eludi Jehudæorum expositio qui in hoc Propheta per ÆDOMÆOS intelligunt *Romanos*, quòd scilicet plurimi Ædomæi illis juncti fuerint in destructione ultima Jerusalem quæ sub Tito facta est: atque ob id totam istam Prophetiam sperant implendam in Imperio Romano, quod exspectant in sui liberatione exstirpandum.

16. *Sicut vos bibistis*] Bibistis, inquit, & exsultastis cùm populum meum affixissetis & interfecissetis, atque idcirco & ego propinabo vobis poculum iræ meæ, quo inebriati confusioni eritis toti mundo.

17. *In monte Zion erit liberatio*] Subditur hîc consolatio Euangelica & liberatio electorum Dei, quæ per Christum facta est in monte Zion atque Jerosolymis.

18. *Erit domus Jacobi ignis*] Hoc aliquo modo impletum est in Apostolis, qui verbo Dei exterminaverunt idololatriam: Sed in die Judicii, quando ipsi prolaturi sunt cum Christo sententiam, perfectiùs hæc adimplebuntur, condemnantes incredulos ad ignem perpetuum. Docet etiam hîc Propheta, Regnum Christi extendendum in omnes regiones, ad Orientem, Meridiem, &c.

20. *Transmigratio autem*] Jon. *Et captivitas populi hujus*, scilicet filiorum Israel, *qui sunt in terra Chnaanæorum usque ad Zarphath; & captivitas Jerusalem quæ est in Hispania, possidebunt civitates terræ Meridionalis.* Et dicunt Hebræi hîc per CHNAANÆOS significari *Germanos*, & per ZARPHATH *Galliam*, & per SEPHARAD *Hispaniam*. Sed nos rectiùs dicimus, salutem Christi à terra Chnaanæorum per Sareptam, aut, si malis, per Franciam, usque ad extremos Hispanos promulgatam, & omnes gentes ad Regnum Christi invitatas.

VATABLUS.

1. VISIO OBADIAH חזון עבדיה] i. Prophetia Abdiæ. Titulus est libri, ut cognoscamus autorem Prophetiæ. Vaticinatur contra Idumæos quòd esset justè animadversurus in illos Dominus. Quâ autem ætate vixerit hic Propheta ignoratur. Quidam Hebræorum & Latinorum dicunt eum esse qui præfectus erat domui Achab, de quo lege 1. Reg. 18. 3. Aiunt etiam eum fuisse Idumæum, & pòst conversum ad Legem Mosaicam, i. proselytum. ¶ *Ad Edom* לאדום] *De Edom*, sive *propter Edom.* ¶ *Auditum* שמועה] Nam *auditum*, i. famam, rumorem, nuncium. Vox est Prophetarum; aut, ut alii, populorum qui jam accincti erant ad prælium. Nisi potiùs fit sing. pro plur. Nam ego Abdias quæ dicturus sum, audivi à Deo & Spiritu ejus: jam Dominus Deus revelavit mihi quæ facturus est. ¶ *Ad Gentes missus est* בגוים שלח] Sub. *à Deo. Gentes* vocat quibus usurus erat Dominus tanquam flagello contra Idumæos. ¶ *Surgite* קומו] Verba sunt gentium illarum per legatum admonitarum. Apparatum bellicum innuit: acsi dicat, *Cohortantur se invicem*, *dicentes*, *Jam præparate vos ad bellum contra Edom.* Vel sunt verba similia illis quibus Jeremias 49. 14. utitur eùm dicit, *Auditum audivi à Domino, & legatus ad Gentes missus est*, *dicens*, *Congregamini*, *& venite contra eam*, &c.

2. *Ecce* הנה] Verba Dei sunt alloquentis Idumæos superbos propter honores & opes. ¶ *Parvulum dabo te* קטן נתתיך] Præt. Heb. pro fut. *Parvulum* vocat abjectum & humilem, ut Gen. 32. 11. קטנתי *Minor sum cunctis miserationibus*, &c. ità doctus inter Hebræos. *Dabo* autem, i. ponam, vel reddam. ¶ *Contemptus eris* בזוי] *Contemptibilis.*

3. *Decepit te* השיאך] Quidam legentes cum ש sinistro vertetunt *extulit.* ¶ *In munitionibus* בחגוי] Ad verb. *in scissuris* [*in fissuris*] *Petræ*, vel *silicis*, ab חגה, i. in loco naturâ munitissimo, invicto, inaccesso & propè inexpugnabili: h. e. in arce inexpugnabili. Alii ab חג deducentes, legunt *in gyris*, vel *circuitionibus.* Significat circumferentiam rupis, i. in cacumine vel fastigio rupis. ¶ In *celsitudine habitationis tuæ.* מרום שבתו] Personæ mutatio Heb. In *ejus*, pro, *in altissimâ habitatione tua.* ¶ *In corde tuo* בלבו] Iterum mutatio personæ Heb. *suo* pro *tuo.* ¶ *Descendere faciet me* יורדני] *Deturbabit me: dejiciet: detrahet.* q. d. *Quis est qui expugnare possit me?*

4. *Si exaltaveris* locum tuum אם תגביה] *Si exaltaveris* teipsum: vel, *Si exaltatus fueris:* acsi dicat, Si ascenderis in locum altissimum, quò scilicet volatu pervenire non possit aquila ipsa altissimè volans, & illic collocaveris sedem tuam. ¶ *Inter stellas posueris* בין כוכבים שים] Imperat. Heb. pro fut. i. in altissimis montibus qui contingere videantur stellas ipsas. Videtur intelligere de stellis quæ apparent in suprema regione aeris.

5. *Introierunt ad te* באו לך] *Ingressi sunt ad te?* sub. *imparatum*, *nec tale quid opinantem* sive *cogitantem?* q. d. Non Omnia per futurum intelligenda sunt. Hîc per interrogationem docet Idumæos Deus de gravitate calamitatis futuræ, licèt utatur præterito ad rei certitudinem. Admirativè legendum, *An hostes te incautum invadent tanquam fures?* Nequaquam: nam venient contra te hostes ad quos misi legatos, qui te non imparatum offendent: resciès enim eorum adventum, qui aperto Marte congredientur tecum, & tamen non poteris resistere. Hæc eadem Prophetia legitur & in Jeremia, 49. 9. ¶ *Quomodo ergò excisus es?* איך נדמיתה] Cùm, inquit, intellecturus sis adventum eorum, tamen non te præparaturus es: unde hoc, ut non præparaturus te sis & prohibiturus nè excidaris? Chald. *quomodo conticuisti?* i. non repugnasti? ¶ *Furati fuissent* גנבו] Quidam per præsens, *furantur*, vel *furari solent.* ¶ *Quæ sufficeissent sibi* דים] Ad verb. *sufficientiam suam*, sub. *alia relinquentes:* q.d. Isti hostes pejùs tractabunt te quàm facerent fures: nam non solùm necessaria sibi sed & non necessaria auferent. Ingens calamitas ostenditur.

6. *Investigata fuerunt* נחפשו] i. Per investigationem, sive ratione investigationis reperta sunt. ¶ *Absconditæ ejus* מצפניו] i. Thesauri: vel quæ delitescent in speluncis & cavernis. Quasi respondeat, Hoc fiet Divinâ voluntate ut omnia quæ erunt ipsorum Idumæorum investigatione inveniantur, etiam ipsorum thesauri.

7. *Dimiserunt te* שלחוך] *Prosecuti sunt te*, sub. *abeuntem in captivitatem*, etiam cum lacrymis, sed fictis. ¶ *Confederati tibi* בריתך] Ad verb. *federis tui.* ¶ *Panem tuum* לחמך] i. Qui comederint panem tuum; convivæ tui, h. e. familiares ac domestici tui. ¶ *Ponent plagam subter* ישימו מזור תחתיך] *Ponent vulnus sub te*, i. infligent vulnus tibi imparato nec opinanti. Hebraismus. ¶ *In eo* בו] Mutatio personæ, *in te.* *Nulla prudentia erit in te*, pro, *in tractandis rebus bellicis.*

8. *Perdam* והאבדתי] Ad verb. *& perire faciam*: ו tantùm convertit.

9. *Et timebunt* וחתו] *Et pavebunt: frangentur animo.*

10. *Propter iniquitatem* מחמס] *Propter injuriam.*

11. *E regione* מנגד] i. Non procul ab Israelitis. ¶ *Captivum ducebant*, &c. שבות זרים חילו] Ad verb. *captivum abducere alieni exercitum ejus.* Alii, *ceperunt* [*diripuerunt*] *Substantiam ejus*, vel *opes ejus.* ¶ *Ingrediebantur portas ejus* באו שעריו] i. Expugnabant urbem Jerusalem.

12. *Non debebas*, &c. ואל תרא וגו'] Futura sunt Hebræis etiam sequentibus versibus duobus. Propterea quidam nonnihil subaudientes vertunt, *Cùm tamen Dominus dicat*, *nè aspicias in die*, &c. ut fini præcedentis versûs jungatur, hoc modo, *Eras tanquam unus ex eis*, *Cùm tamen*, &c. nè læteris de calamitate fratris tui. Alii, ut nos vertimus, *Non debebas latari ob calamitates fratris.* Alii referunt hæc ad paulò præcedentia verba, vers. 10. *Exciderísque in seculum:* & sic jungunt, *Et non aspicies* [sub. *læto animo*] *in die fratris tui* [i. tempore calamitatis ejus] *neque lataberis super filiis Juda die quo peribunt*, *neque magnificabis os tuum* [i. superba verba loqueris] *in die afflictionis ejus.* Eam calamitatem intelligit quâ abducti fuerunt captivi à Chaldæis & Babyloniis. ¶ *Quo alienatus est* נכרו] Infinitivus, i. alienationis suæ, sive, tempore quo fuit alienus, h. e. abductus captivus à patria sua in terram alienam. Alii, *die quod tradidit se*, i. dedidit se hosti, h. e. potestati hostium, ut fieri solet in expugnatione urbium. ¶ *Quo perierunt* אבדם] Ad verb. *perire eos*, i. quo victi fuerunt expugnatâ urbe. ¶ *Nec debebas magnificare os tuum* ואל תגדל פיך] i. Loqui verba magnifica: plena superbiæ & arrogantiæ. Qui impudenter obloquuntur alteri, & subsannant illum, jactando seipsos, dicuntur *magnificare os suum*, i. verba sua, accipiendo instrumentum pro re cujus est instrumentum.

13. *Neque debebas ingredi* אל תבוא] Neque ingredieris, ut v. 12. ¶ *Contritionis ejus* אידם] *Calamitatis eorum*, vel *vastitatis*, *infortunii*, *infelicitatis:* omnia infelicia significat. ¶ *Mittere debebant se* תשלחנה] i. Extendere sese non debebant, sub. *manus*

nus tua. Quidam, *neque extendenda erant.*

14. *Neque stare* ואל תעמד] Futura Hebræis. *Neque stabis*, ut v. 12. *Ut excidere faceres* להכרית] i. Ut perderes, vel interficeres quotquot evaserant. ¶ *Tradere* תסגר] *concludere.*

15. *Retributio tua* גמלך] i. Quod aliis fecisti.

16. *Bibistis* שתיתם] i. Bibendo lætati estis. ¶ *Sanctitatis meæ* קדשי] i. Sancto meo, sive sacrosancto, h.c. mihi sacrato ac dicato. ¶ *Et absorbebunt* ולעו] Sub *substantiam tuam.* ¶ *Eruntque*, והיו] i. Ac tandem prorsus peribunt.

17. *Evasio* פליטה] *Salvatio.* Recensitâ Idumæorum calamitate & eversione, nunc suaviter solatur populum Dei, promittens reditum in Sion à captivitate Babylonica: ac si dicat, Quamvis Sion per Chaldæos & Idumæos expugnata & diruta fuerit, tamen veniet dies quando instaurabitur Sion, & non obruent eam tam horrendæ calamitates: Edom autem peribit in æternum. Vera salus in Sion erit, quæ sanè vera esse non potest nisi sit æterna. Id ad literam compleri cœptum est quando secundum Templum & Urbem instaurarunt, in quod introivit verus Salvator & Redemptor Israel Christus Jesus, Mal. 3. 2. Propheta enim altius quiddam hoc loco more omnium Prophetarum prænunciat, nempe veram & æternam liberationem in Christo. Sion figuram fuisse Ecclesiæ discimus ex Apostolo Gal. 4. 26. Spectans igitur salvationem per Christum futuram, dicit, Non tamen omnes etiam ex Idumæis perituri sunt, sed in Ecclesia Christi salvabuntur nonnulli. ¶ *Sanctitas* קדש] i. Christus, qui omnes sanctificat, apparebit in ipso monte Sion. Exponi potest, *& erit sanctus ipse mons Sion:* nam fideles sancti & consecrati sunt Patri per Christum. ¶ *Domus Jaacob* בית יעקב] Ecclesiam Christi significat, & societatem filiorum Juda & Israel secundùm Spiritum & promissionem, de qua Luc. 1. 33. *Regnabitque super domum Jacob in æternum.* ¶ *Possessiones suas* מורשיהם] *Hereditates ejus.* Sic vocat illos Christus ipse, Apostoli & successores adduxerunt in familiam Jacob prædicatione Euangelii, etiam ex Idumæis. Tales vocat *hereditatem Christi*, quos acquisivit suo sanguine. Vel referendum est ad *domum Jacob*, ut intelligat futurum ut nationes quæ antea juxta carnem possederant Judæos, tandem à Judæis Apostolis & eorum successoribus futuræ essent possessiones domûs Jacob, i. per Euangelii prædicationem in Ecclesiam Christi congregarentur.

18. *Et domus Joseph velut flamma* ובית יוסף להבה] Idem bis dicit, aliis verbis. Verba Christi & Apostolorum sunt verè ignis & flamma, impietates cordium devorantia & prorsus consumentia. *Eloquium Domini ignitum*, Psal. 119. 140. Et Jer. 23. 29. *Numquid non verba mea sunt quasi ignis? & quasi malleus conterens petram?* ¶ *Nec erit superstes*, &c. ולא יהיה שריד וגו'] i. Ad unum omnes consumentur, idque vel gratiâ Domini, vel indignatione. Gratiâ quidem per Christum, dum consumptâ impietate per ignem Spiritûs, ex Idumæis fiunt Israelitæ per fidem, impietas perit, persona conversa manet servata per Christum. Indignatione verò, quando Idumæi patris sui Esau impietatem retinentes, nec Apostolos audientes, in æternum pereunt. Mal. 4. 1. *Ecce dies veniet succensa quasi caminus, & erunt omnes superbi, & omnes facientes impietatem, stipula: & inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, quæ non derelinquet eis radicem & germen*, i. radicitus eos disperdet, nihil reliqui faciet. At de reliquiis Israel, h. e. electis, Jos. 10. 21. *In veritate reliquiæ convertentur, reliquiæ, inquam, convertentur ad Dominum fortem.* ¶ *Quia Jehovah locutus est* כי יהוה דבר] Quidam subaudiunt, *ita eveniet. Locutus est*, i. prædixit fore.

19. *Meridiem* הנגב] *Regionem Australem.* Latitudinem domûs Jacob sive Ecclesiæ Christi describit, quæ per universum orbem diffundenda erat.

20. *Et transmigratio exercitûs hujus* וגלות החל הזה] *Et transmigratio congregationis hujus*, &c. i. filii Israel qui dispersi erunt in transmigratione: h. e. Ecclesia Apostolorum & discipulorum Judæorum qui dispersi erunt per totum orbem propter persecutiones, & venient usque in Galliam: q. d. Postquam ob persecutiones relictâ Jerusalem Apostoli concesserint ad diversas plagas, tunc convertent multos ad Christum. ¶ *Chanaanæos* כנעני] Doctus inter Hebræos exponit de *Alemanis* & *Ascalonitis*, qui ex terra sua metu Israelitarum redeuntium in terram Sanctam fugerunt illuc. ¶ *Sarephath* צרפת] *Galliam*, sive *Franciam* exponunt Hebræi. Alii, *Sarephthan Sidoniorum*, de qua Luc. 4. 26. in qua etiam Jerosolymitæ tenebantur captivi. ¶ *In Sepharad* בספרד] *Hispaniam* Hebræi interpretantur, etiam ipse Chaldæus P.

21. *Salvatores* מושיעים] i. Christus ipse cum Apostolis suis, & iis qui salutem per Christum Salvatorem annunciabunt. ¶ *Ad judicandum montem Esau* לשפט את הר עשו] i. Ut condemnent sive convincant virtute verbi Dei incredulos & impios. ¶ *Ipsi Jehovæ* ליהוה] Hic ut & aliis locis Christum vocat *Jehovam*, qui regnaturus erat in *Regno* illo Davidis.

CASTALIO.

4. **E**Tiamsi te ut aquila evexeris, adeòque nidum tuum posueris inter sidera, indè ego te detraham] Vide Jer. 49. 16.

7. *Tui convictores tibi vulnus subjecerunt imprudenti*] Pro pulvinis, qui solent in conviviis supponi, tibi aliquod durum potiùs, & quod vulneraret, supposuerunt, h. e. te prodiderunt.

12. *Nè verò aspicito fratrum tuorum diem*] Nè gaudeto: nam quæ placent aspicimus, quæ displicent aversamur. ¶ *Cùm alienabuntur*] In alienum solum abducentur. ¶ *Néve ore insolescito*] Verbis.

16. *Ut enim potaveritis in meo sacro monte*, &c.] Ut vos extranei, deletâ Hierosolymâ, lætati fueritis, & in Sione præ lætitia convivati, itâ *gentes* vicissim *potabuntur*, h. e. delebuntur; itâ ut de eis sicut de Hierosolyma potari possit: *& itâ absorbebuntur* ut nè vestigium quidem supersit, nec ullus earum evadet. *At ex Sione erunt qui evadant.* Significat autem se reliquas gentes ob ipsarum peccata deleturum; sed Israelitas duntaxat puniturum, non etiam deleturum: Quam sententiam in Amosi 2. declaratam invenies. Legitur autem hìc ad verbum, *Potabunt cunctas gentes:* quod est per passivum interpretandum, ut sæpe accidit. Qualia sunt illa Christi, *Numquid accendunt lucernam*, &c. pro, *Numquid accenditur lucerna?* &, *Non ponunt vinum novum in veteribus utribus*, pro, *non ponitur.*

CLARIUS.

AB D I A S idem est quod *Cultor Domini.* Putatùrque à quibusdam fuisse tempore Achab & Jezebelis, qui *abdidit centum Prophetas in spelunca* 3 Reg. 17. Alii putant fuisse proselytum ex Idumæa, eò quòd visio ejus potissimùm contra Idumæos prædicta sit. Subnectit tamen more aliorum Prophetarum in fine Prophetiæ suæ succincta verba de Regno Christi, quando dicit, *Erit Domino Regnum.* Fuit autem Edom frater Jacob, & sicut ipse odivit fratrem eò quòd ei præripuit benedictionem primogenituræ, sic tota posteritas ejus odio habuit, &, ubi potuit, malum intulit posteritati Jacob, h. e. Israelitis, omnibus eorum hostibus adhærens, & perfidiam suæ mentis declarans. Hic igitur populus Idumæorum typum gessit Antichristi, & falsorum fratrum, qui ubique populo Dei nocere student.

1. *Auditum audivimus*] Vox est Prophetarum; aut, secundùm alios, vox populorum qui jam accincti erant ad prælium.

2. *Parvulum dedi te*] Jam à Deo fuerat definitum: idcirco de præterito loquitur, cùm tamen futurum adhuc esset.

3. *Habitantem in scissuris petrarum*] Securi sibi videbantur quòd habitarent in locis arte & naturâ munitis, ideo licentiùs grassabantur in filios Dei.

5. *Si fures introissent*] Sensus est, Non devastaberis vulgariter, sicut cùm fures irrumpunt, aut nocturni prædones, qui damno illato aufugiunt, & plurima, quæ secum ferre non possint, relinquunt; sed tu omnibus tuis spoliaberis. Eadem est similitudo *Vindemiatorum.*

7. *Usque ad terminum emiserunt te*] i. Expulerunt te totâ regione tuâ, ut nihil tibi sit reliquum penitus in ea. Hi autem erunt hostes tui in quos tu maximè fiduciam tuam posuisti. ¶ *Subter te*] h. e. In terra tua.

9. *Fortes tui, Theman*] Qui scilicet habitant ad Meridiem, qui cùm viderint imminere cædem, adeò terrebuntur omnes ut etiam fortiores amissuri sint vires suas.

12. *Non aspicere debueras*] Non decebat te cum voluptate spectatorem fieri in calamitoso die fratris tui.

13. *Ingredi portam populi mei*] h. e. Jungere te adversariis illius.

16. *Et erunt quasi non sint*] Tuta tibi erunt tanquam tua nunquam fuissent.

17. *In monte Sion erit liberatio*] Subditur hìc consolatio Euangelica, & liberatio electorum Dei, quæ per Christum facta est.

18. *Domus Jacob ignis*] Hoc aliquo modo impletum est in

in Apostolis, qui verbo Dei exterminaverunt idololatriam: Sed in die Judicii, quando ipsi prolaturi sunt cum Christo sententiam, perfectiùs hæc adimplebuntur.

19. *Qui ad Austrum sunt*] Filii scilicet Joseph. Alius intelligit tribum Juda. Alius vertit sic hunc locum, *Et possidebunt Meridiem unà cum monte Esau, atque planitiem Philistæorum, possidebunt quoque agrum Ephraim & agrum Samariæ.* Ut intelligatur Regnum Christi extendendum in omnes regiones, Orientem, Meridiem, &c.

20. *Et transmigratio exercitûs*] Jon. *Et captivitas populi hujus, scilicet filiorum Israel, qui sunt in terra Chananæorum usque ad Sareptam, & captivitas Jerusalem, quæ est in Hispania, possidebunt civitates terræ Meridionalis.* Et dicunt Hebræi hic per CHANANÆOS significari *Germanos*, & per SAREPTAM *Galliam*, & per BOSPHORUM *Hispaniam.* Sed nos rectiùs dicimus, salutem Christi à terra Chananæorum per Sareptam, aut, si mavis, per Franciam, usque ad extremos Hispanos promulgatam, & omnes gentes ad Regnum Christi invitatas. Per *Civitates Austri* intellige Africam.

21. *Et erit Domino Regnum*] Peculiare hoc erit, inquit, Regnum Domini.

DRUSIUS.

PROPHETAM hunc, à tam multis, tam eruditis ac piis hominibus explicatum, diligentià quoque nostrâ explicandum putavi. Et sicut in tanto Interpretum numero recentiores novi semper aliquid afferre conati sunt, sic ego post illos pro mea etiam mediocritate certè clariorem & illustriorem rerum intelligentiam efficere tentabo, nonnullis partim rejectis quæ minùs idonea, partim additis quæ magis apta propriàque videbuntur, omnibus autem modo & ratione paulò evidentiore traditis, ut sententiarum notitia facilior, & via plenior ad ejus virtutes cognoscendum esse possit.

1. VISIO OBADIÆ] Ut VISIO ESAIÆ; LIBER VISIONIS NAHUM. Jonathan interpretatur, *Prophetia Obadiæ.* Sic *Videntes* vocabant antiqui quos nunc *Prophetas* appellamus 1 Sam. 9. 9. *Qui Propheta hodie, olim vocabatur Videns.* Hieron. Amos 7. *Prophetæ priùs appellabantur Videntes, quia quæ ventura dicebant cordis oculis intuebantur.* חזון Græcè ὅραμα sive ὅρασις, à חזה videlicet, quod est *videre.* Ad quod exemplum רצון dicitur, *voluntas*, ab eo quod est רצה *voluit. Obadiæ* trium syllabarum dictio. Nam in Ebræo עֹבַדְיָה, quod legi poterat *Abdiæ*, cùm puncta abessent, i. עַבְדִּיָה vel עַבְדְּיָה. Ità sanè antiqui legerunt, ut Lxx & alii. Parùm equidem refert utro modo legatur; nisi quòd OBADIA magis sonat *Cultorem Domini*, & ABDIA *servum Domini*, si modò IA in his nominibus *Dominum* significat. De quo dubitari meritò potest. Nam quando Nomen est, quod Interpretes *Dominum* reddunt, scribitur יה JAH per extensam in fine literam; cujus rei index est punctum quod est in ventre sive medio literæ He. Cæterùm Abdiam hunc nonnulli vixisse sub Jeroboamo credunt. Hoc verò maximè probant eorum autoritate qui scribunt eum fuisse σύγχρονον Prophetæ Amos. Quod ex eo colligunt quia illum in ordine proximus consequitur. Sed hoc argumentum prorsus invalidum est ac nullius momenti. Nec verò canon qui ex Hieronymo firmandæ huic sententiæ adducitur, magnum pondus apud me habet. Est enim æquè incertus ac id de quo nunc quæritur. Porrò per id quod incertum est probari nihil potest, meo judicio. Alii ergò autores citant, qui dicant Abdiam prophetasse sub Achabo Rege, mentionémque ejus fieri 1 Reg. 18. 4. Potest ità esse: Tamen cùm hoc disertè proditum nusquam exstet, quædam etiam huic sententiæ adversari videantur, quale est illud quod legitur in dicto loco, *& Obadia Dominum reverebatur*, eò potiùs labor ut credam rectiùs sentire eos qui non constare aiunt quo tempore hic Propheta vixerit aut prophetaverit. Minùs constat quales habuerit majores, aut ex qua gente patriâve fuerit. Unde colligimus aut patriâ obscurum generéque ignobilem fuisse, aut hæc studio prætermissa, ut illi ad quos ista Prophetia spectabat non ab hominum externo splendore penderent, sed ab solo Deo, qui ipsius est autor veritatis, autoritatem & eventûs certitudinem peterent. Tamen Ebræi veteres eum asserunt natione Idumæum fuisse, ac postea veræ religionis luce illustratum, cùm etiam Spiritum Propheticum accepisset, exitium & interitum suis popularibus longè antè denunciasse. De quo & proverbium est apud illos vulgo jactatum, *Cochlear quod sculpsit artifex, adurit ei os.* Quod ut comprobare aut refutare evidentibus argumentis non possumus, ità temere credendum rejiciendúmve non est. Qui volet, pro arbitrio habeat vel adimat fidem. Nam etsi recipiatur nihil absurdi ex eo consequi potest, & res tota pendet ab eorum autoritate qui illud in scripta retulerunt, quos scimus omnes quâ in comminiscendis fabulis fuerint semper audaciâ. ¶ *Sic dicit Dominus*] Referri debet ad versum proximè sequentem, ubi Domini oratio incipit. Reliqua hujus versûs quasi per parenthesin interjiciuntur, quæ partim à testimonio Prophetarum, partim ab efficiente causâ, i. bello ab adjunctis per Prosopopœiam declarato, secuturum exitium Idumæorum confirmant. ¶ DEUS] Scripsi majusculis literis, quia in Ebræo est nomen tetragrammon יהוה: quod legi nunc debet *Elohim*: nam puncta id perspicuè arguunt. Sed cur ità nunc legitur? Hoc quærenti facillimè respondebit qui adibit ad ea quæ scripsimus Observ. lib. 1. cap. 1. ¶ *Ad Edom*] Sic Int. antiquus. Est tamen cur malim *filiæ* vel *domui Edom*, ut בת subintelligatur. Nam *sic dicit ad Edom* parùm Latinè dicitur. Hoc primum. Deinde, in Ebræo non est אל־אדום *ad Edom*, sed לאדום, q. d. τῷ *Edom*, i. *populo Edom* sive *Idumæo.* Sunt qui ediderint *de Edom.* Nam ל hoc sensu interdum usurpatur, ut Gen. 20. 13. אמרי לי, i. *dic de me. Edom* autem & *Idumæam* significat, h. e. terram sive regionem Idumæorum. Ad hanc sententiam Scholia Ebraica enarrant. Cui firmandæ est quod paulò pòst sequitur, pronomen fem. עליה, i. *adversùs eam.* ¶ *Sermonem*] שמועה שמענו, ad verb. *auditionem audivimus*, sive, ut vetus interpretatio habet, *auditum audivimus.* Tale est, *Quis credidit auditui nostro?* i. sermoni. Metonymia. Quidam, *auditione accepimus:* quod idem cum illo, *auditione audivimus*, quod Græcè legitur in N. T. ἀκοῇ ἀκηκόαμεν, ut Ebraicè in Veteri, *audiendo audivimus*, i. שמוע שמענו. Aliud ergò est ab illo, *sermonem audivimus.* Vel *rumorem* ἀκοὴν vocant Euangelistæ, ut Matth. 14. τὴν ἀκοὴν Ἰησοῦ, *famam de Jesu.* Sic Marc. 13. ἀκοὰς πολέμων, *rumores bellorum.* ¶ *Audivimus*] Ego & cæteri Prophetæ qui contra Idumæos vaticinati sunt: In queis Jeremias, apud quem eadem ferè habentur c. 49. Sed cur dicit *audivimus*? Nam Prophetæ potiùs *videre* aliquid leguntur: unde & *Videntes* appellati sunt. An veriùs exponunt qui exponunt, *audivimus nos gentes?* Sic Ebræus David exponit. Sed ei repugnat primùm quod sequitur, *& legatum ad gentes missum*: deinde illud Jeremiæ, *Sermonem audivi à Domino*, 49. 14. nam hoc ad Gentes referri neutiquam potest. ¶ *A Domino*] Profectum scilicet, ac proinde tam certum quàm quæ certissima. Deus enim non mentitur. Hoc videntur velle, *Audivimus hac dicentem DOMINUM in visione Prophetica.* ¶ *Et legatum*, &c.] *Audivimus etiam legatum ad Gentes missum* qui eas ad bellum hortetur contra Idumæos gerendum. Quidam, *& legatus ad gentes missus est*, i. שלח. Probarem nisi apud Jeremiam esset שלוח. Quanquam potest subaudiri utrobique verbum substantivum, quod sæpe in ista lingua hoc modo desideratur. ציר, *legatus*, ἀπόστολος, i. שליח, vel, ut Jonathan interpretatur, אזגד. Græcè πρέσβυς vel ἄγγελος dicitur. Sed ἄγγελος propriè מלאך, i. *nuncius.* Reperitur hoc nomen & Prov. 25. 13. Jes. 18. 2. ¶ *Ad gentes*] בגוים. Hic ponitur ב pro אל, ut Jes. 10. 22. ישוב בו *redibit ad eum.* Quas *gentes* significat? Eas scilicet quæ unà cum Chaldæis vastarunt primum Judæam, deinde Idumæam, incolis partim occisis, partim aliò deportatis. ¶ *Missum*] שלח, participium est generis passivi in Pual. Potest etiam esse præteritum ejusdem conjugationis; idque propter pausam quam hic facit Zakeph caton: Nam is accentus Parach in Camets mutare solet. ¶ *Surgite*, &c.] Est cur ambigatur sintne hæc verba legati, an gentium se mutuò cohortantium ad hoc bellum. Tale est 1 Sam. 9. 9. *Venite, & eamus ad Videntem.* Utrobique inserta copula, quæ in Latio redundat. Item ut hic *Surgite*, sic ibi *Venite* ponitur pro adverbio Hortandi, *agedum.* ¶ *Consurgamus*] Vel *insurgamus.* Ad verb. *surgamus*: simplex pro composito, ut ibi, *multi surgunt in me*: vult dicere *insurgunt.* למלחמה potest esse nomen pro infin. להלחם *ad bellandum. Surgere ad bellum* est Ad bellum se parare, aut Ad bellum proficisci, vel in prælium. Sic etiam Jonathan. ¶ *Adversùs eam*] Pronomen refertur ad לאדום: ubi alii *terram*, ego *filiam* subaudio, i. בת, ut dicat לבת אדום *filiæ Ædom.* Nam tam hoc subintelligi potest quàm nomen ארץ. Posset etiam subaudiri nomen עדה, i. *congregatio, synagoga*, ut Hos. 5. 9. אפרים לשמה תהיה *Ephraim in desolationem erit.* Nam cùm verbum sit fem. תהיה, rectè ibi subaudiunt עדת אפרים, *congregatio Ephraim.* ¶ *Ad bellum*] Ei inferendum. Priùs erat *in prælium.* Sed *prælium* קרב dicitur. מלחמה autem est *bellum*, h. e. totum illud tempus quo hostes in armis sunt. Sic differunt πόλεμος & μάχη apud Græcos. Tamen confundi

di scias. Proinde D. K. ait voces synonymas esse: & Interpres Chaldæus קרבא retulit, ubi in Ebræo est מלחמה, i. *bellum*.

2. Deus loquitur hoc versu; deinde Propheta v. 3. tum ille rursum v. 4. Aut hæc dicuntur in persona solius Dei, usque ad v. 5. ¶ *Ecce*] Hâc particulâ lectorem admonemus, nos aliquid singulare ac inopinatum esse dicturos facturósve. ¶ *Parvum*] Ut ibi, *Cùm esses parvus in oculis tuis*, i. abjectus, humilis, contemptus. Sic enarrant Scholia Camii Ebræi, à quo non longè abit Jonathan Paraphrastes, referens *debilem reddidi te*. חלש enim est *debilis*, *impotens*, *infirmus*. Aliud Scholion, PARVUM, i. *exiguo numero*, *quive regionem incolerent minimè latam aut amplam*. ¶ *Reddidi te*] Ad verb. *dedi te*: simplex pro composito. Nam Ebræi non habent composita verba, nisi admodum pauca. Aliàs *posui te*. Notum ut *dare* & *ponere* vicissim permutentur. Jam illud observo, Positum esse de quorundam sententia præteritum pro futuro, idque more apud Prophetas tralatitio. Reddam te, inquit, omnibus modis miserum & abjectum; siquidem adimam tibi omnia quorum usus in bello necessarius, ut sunt arces editæ ac munitæ v. 3, & 4. opes ad hujusmodi casus asservatæ, v. 5, & 6. federati & amici, v. 7. sapientia & usus rerum, v. 8. fortitudo vel robur corporis, v. 9. Penè exciderat. PARVUM IN GENTIBUS licet exponere *minimum gentium*, q. d. *infimæ conditionis inter gentes*. Tale est, *pulcra in mulieribus*: quod enarrant, *mulierum pulcerrima*. Sic, *parva in Chiliadibus Juda*, minima Chiliadum. Sed de hoc dubitari potest. Illud certum. Cùm dicat *in gentibus*, intelligit gentes profanas; & simul innuit, eum à fœdere quondam rejectum fuisse, secundùm illud, *Jacob dilexi*, *Esau verò habui odio*. ¶ *In gentibus*] Vel *inter gentes*. Mirabile Dei judicium! Major naturæ ratione, quia primogenitus, Esau redditur non solùm fratre Jacobo minor, si electionem spectemus, sed etiam minimus inter gentes alias. ¶ *Contemptus*] V. editio *contemptibilis*: non abjecerim. Nam participia generis passivi aliquando vim habent eorum nominum quæ apud Latinos in *bilis* terminantur, ut נמאס *abominabilis*, נבזה *despicabilis*, κατεγνωσμένος *condemnabilis*. LXX, ἠτιμωμένος *inhonoratus*, *honoris expers*: minùs probo. Nam sine honore aliquis esse potest qui tamen non contemnatur, בזה autem sig. *contemnere*. ¶ *Valde*] Per hanc dictionem circumloquuntur nomina tertiæ collationis ut aiunt. Ergò *contemptus valde*, contemptissimus.

3. *Superbia cordis tui*] Cùm sis minimus populorum & contemptissimus, tamen ea est animi tui elatio ut existimes neminem tibi nocere posse. Fretus enim altitudine munitionum tuarum putas te inexpugnabilem & invictum esse. In quo sanè vehementer falleris. Nam etiamsi in cœlo habitares, tamen Deo facillimum indè te detrahere ac dejicere. Elationem animi tui hanc peperit opinio quam concepisti de arcibus & castellis tuis, quibus nimiùm nimiúmque confidis. Jonathan, *improbitas*. Sed *improbitas* רשע dicitur. זדון potiùs est *superbia*, *fastus*, *elatio*: nomen quale ששון *gaudium*. Sic לצון *sanna*, *irrisio*. Nomina hujus formæ peculiariter (׳) in Scheva mutant in regimine & affixis. Fit hoc contra morem & consuetudinem nominum hujus ordinis, quæ Camets retinent immutatum, ut Tseri & alias vocales longas Quietis indices. ¶ *Decepit te*] Vet. *extulit te*: quod non displiceret si conveniret cum lectione Ebræorum. Nunc cùm & Ebræi aliter legant, & Interpres idem verbum idem infrà *illuserit tibi* reddat, non audeo quicquam contra receptam declarationem statuere. Sic igitur hæc distingues, ut השיאך, quando punctum gerit in dextro cornu, sit *decepit te*, & השׂיאך, quando punctum habet in sinistro cornu, vel si *dentem* mavis appellare, *extulit te*. Hoc modo distinguuntur שָׂם *posuit* verbum & שָׁם *ibi* adverbium. ¶ *Habitans*] Vel *qui habitat*. Mutatio personæ. Est autem שכני positum pro שכן, adjecto Joth per paragogen ut Grammatici tradunt. Mercerus, cujus ego judicium & doctrinam plurimi facio, putat Joth in talibus habitum denotare, ut השכני במרומים *qui habitat continenter*. Sic שכני *qui fixum & statum domicilium habet*. ¶ *In scissuris*] Ità V. Int. Alii *in fissuris*, i. בקיעי. Sic appellant Ebræi loca petrarum aut montium leviter subsidentia in imum, depressáque, & in concavi formam devexa aut declivia, exstruendis castellis vel ædibus accommoda. Græcus, ἐν ὀπαῖς *in foraminibus*. Significare voluit *specus*, in quibus Idumæi, ut ait Hier. *habitatiunculas habebant*, *propter nimios calores Solis*, *quia Meridiana eorum provincia est*, *subterraneis tuguriis utentes*. Scholia Camii, *in circuitibus*. Vult dicere, *in summitate* aut *vertice*, vel potiùs *per circuitum verticis*, חגו: *circuitus* magis חג diceretur. Sed existimat ille חג & חגו eandem significationem habere. Videtur esse metathesis, qualis in שׂלמה & שׂמלה *perversitas*: sic עורון & עורון, i. *vestis*. Est autem sic חגוי nomen plur. à חגו, ut קצוי *fines* à קצה, & משלחי *jactus* à משלח. Jonathan, *Quia tu similis es aquilæ*, *quæ habitat in dentibus petræ*. *Dens petræ* est acumen vel suprema pars, ubi in acutum desinit. Itaque alii reddunt *acumen petræ*. Sic alibi in Jobo *Aquila habitare* dicitur על שן סלע *in dente*, vel *acumine*, *petræ*. ¶ *Petræ*] Aut *petrarum*, per heterosin numeri. Nam petræ in Idumæa montosa regione plures erant. Talia sunt, רב החובל *magister nautarum*, ראש כלב *caput canum*. Aut *petræ*, i. montis Seir. Quò pertinet quòd in Jeremia הסלע cum articulo. Erat & urbs in Idumæa quæ *Petra* dicebatur. Cæterùm ædificia in hujusmodi solo exstructa ut alta ità firmissima sunt. Ex quo natum proverbium, *Ædificat in petra*. Hinc & illud, *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. Hoc ergò ad fiduciam quam de arcibus suis conceperat non parùm faciebat, quòd in altissimis rupibus positæ essent. ¶ *Altissimâ sede suâ*] Ad verb. *altitudine sedis suæ*: quod sive ad *petram* referatur, sive ad *scissuras*, perinde est, nisi quòd ad *petram* relatum verti debeat per genitivum, *altissimæ sedis suæ*. Alioqui per Appositionem jungitur secundùm priorem interpretationem cum *in scissuris*. Quidam subaudiunt ב, idque duplici sensu: Unus hic est, *propter altitudinem sedis suæ*, *dicit in corde suo*, &c. Alter, *in scissuris petræ*, *in altitudine sedis suæ*: ità ferè Jonathan. ¶ *Dicit in corde suo*] Cogitat apud se, quasi hoc palàm non ausit dicere. ¶ *Quis*] q. d. Nemo. Simile est, *Quis inter Deos tui similis*, *Jehova?* ¶ *Dejiciat*] *Deturbet*, *depellat*, *detrahat*: ad verb. *descendere faciat*. ¶ *Me*] Vel arces meas. Germanum est, *Ivit ad Pompeium*, pro *ad ædes Pompeii*. ¶ *In terram*] Nam accipio ארץ pro לארץ.

4. *Si*,] &c. Quantam fiduciam habuerint Idumæi in arcibus suis, colligere licet ex iis quæ jam explicata sunt superiore versu; *Cùm habeamus*, inquiunt, *arces in altissimis rupibus sitas*; h. e. naturâ loci munitissimas, imò inexpugnabiles, *fieri non potest ut aliquis nos indè dejiciat aut expellat*. Respondet DOMINUS argumento à majori, per similitudinem tracto. Comparatio imperfecta est, in qua conclusio deest, quæ expressa præsentis loci tale facit argumentum; *Si te ex altissimo loco*, *atque adeò ex ipso cælo*, *deturbare possum*, *quantò faciliùs id efficere potero ex istis colliculis & verrucis*, *vel potiùs grumis terræ?* Sunt qui legant, *Etiamsi extuleris & posueris nidum tuum inter sidera*: ut sit Hyperbola. Nam Aquila non ponit nidum suum inter sidera; Videtur tamen inter sidera habitare, cùm in altissimis montibus habitat. Huc facit quod habetur Job. 39. circa finem, *Si ad jussum tuum extollit aquila*, *cùm elevat nidum suum: Petram inhabitat*, *& pernoctat in dente petræ*. Vide quæ scripsimus suprà ad verba illa *in fissuris petræ*, v. 3. ¶ *Extuleris*] *Nidum tuum*: Hoc repeti potest ἀπὸ κοινοῦ ex sequenti membro, nec est necesse ut aliunde accersamus שבתך *sedem tuam*, aut aliquid tale. Quidam, *exaltatus fueris*. Ferri potest. Est tamen cur malim illud prius. ¶ *Tanquam aquila*] Si quàm altè volat *aquila*, tam altè *extuleris nidum tuum*, h. e. *si inter stellas*, aut *sidera*, *eum posueris*. Aquila volat altiùs cæteris avibus, usque adeò ut *in cœlum volare* dicatur. Prov. 23. *Omnino parabunt sibi alas*, *& tanquam aquila volabunt in cælum*. Potest verti, *Quamvis extuleris*, & *etiamsi posueris*: ut genus loquendi proverbiale id sit quod dicitur *inter sidera*; sicut cùm dicimus, *Ad cælum exstruxit villam*: ità Cicero locutus est. Sed & Moses Gen. 11. 4. ¶ *Inter stellas*] Vel *inter sidera*. כוכב enim utrumque id significat. Videtur autem innuere altissimos montes, quorum capita sive vertices cœlum ipsum attingere videntur: ex quo illud,

——— *Caput inter nubila condit.*

¶ *Posueris*] Qui שים hoc loco imperativum esse scribit, ipsi profectò imperandum ut taceat. Nam est infinitivus pro futuro, ut & Mercerus admonuit. Sic & aliàs hic modus ponitur pro futuro, ut Ezech. 21. הוציא *educam*, i. אוציא: & 2 Sam. 3. הושיע *salvabo*, i. אושיע: & Psal. 77. האזין *auribus perspiciet*, יאזין. Hæc enallage insolens videri nemini debet, cùm idem modus pro præterito ponatur Psal. 8. תנה *dedisti*; & pro imperativo, ut in Decalogo, *Meminisse diei Sabbathi* זכור, i. *Memento*. ¶ *Nidum tuum*] *Habitationem tuam*. μεθοχὴ sive ταπείνωσις. Eleganter autem quod Avium proprium est ad Homines transtulit. Nam significare voluit, si non animi fallor, per hanc ταπείνωσιν, Tam facile esse sibi arces Idumæorum, quantumvis editas ac munitas, demoliri, quàm est facile homini nidos avium ex arboribus decutere. Sed verius forasse ut dicamus Tralatione hâc usum propterea quòd suprà eum comparaverat cum

cum Aquila, quæ in altissimis petris nidificat, ut dictum est.

5. Hoc versu & proximo adimitur Idumæis fiducia quam collocabant in thesauris suis & opibus reconditis. Argumentum est ab hostium adjunctis dissimili amplificatis. Non quemadmodum fures aut vindemiatores solent aliquid reliqui facere, itâ gentes istæ. Sunt autem verba Prophetæ. Quanquam nonnulli volunt Dei orationem continuari usque ad v. 10. Alii ad finem usque eam extendunt. Mihi aliter videtur. Fruatur quisque judicio suo. ¶ *Si fures venissent ad te*] Sunt editiones in quibus hoc modo legitur, *Numquid fures introierunt ad te?* Nam *si* quandoque interrogat. Ego autem judico melius esse, *Si fures venissent*, ut cohæreat cum illo *nonne furati fuissent?* Sic mox, *Si vindemiatores venissent ad te*, *nonne reliquissent racemos?* Subest autem his verbis hæc sententia, Si fures te invasissent tuáque diripuissent, melior fuisset conditio tua. Cur hoc? Quia fures auferunt quantum sibi sufficit; h. e. non plus auferunt. Nam aliquid semper relinquunt; vel quòd auferre simul omnia non possint, vel quod tam diligenter singula non perscrutentur: Nam timidiores sunt quàm ut ausint hoc facere. Præterea fures rarò quenquam interficiunt. לך accipio pro אליך: nisi malis *venissent tibi*: in quo sermone pronomen redundat, ut Zach. 9. 9. יבא לך *venit tibi*. Vide quæ scripsimus in ℔ pag. 31. circa medium. Jonathan vertit עלך *contra te*. Sic etiam R. S. enarrat. ¶ *Vastatores nocturni*] Quidam eosdem esse putant *fures* & *vastatores nocturnos*, cùm gravius longè sit *vastare* quàm *furari*. Vetus, *latrones per noctem*. Tale est *vigilia per noctem* pro *nocturna*. Dicit autem *latrones per noctem*, propterea quòd sint etiam latrones interdiu grassantes, quos vocant שודדים ביום *vastatores per diem*. ¶ *Quomodo excisus es!*] Hæc cum admiratione dicuntur & parenthesi includenda sunt. Jungi autem debent cum versu 6. tanquam si diceret, *Itá excisus es*, *itá tua omnia perquisita & direpta sunt*, *ut nihil omnino tibi relictum sit*: hostes cum pulvisculo, ut dicitur, cuncta abstulerunt. *Excisus*, i. deletus primùm à gentibus; deinde ab Israelitis. Vide infrà v. 18. Pertinet autem hoc (videtur certè) ad ipsas personas, ut quod sequitur v. 6. ad bona & facultates ipsorum. Porrò autem quod in Ebræo נדמיתה verbum est generis passivi, à דמה *excindo*: quod reperies eodem sensu, & in eadem conjugatione Hos. 4. 6. נדמו עמי *excisus est populus*. 10. 15. נדמה מלך *excisus est Rex*. Propriè sig. *silere*, *conticescere*: indè transfertur aliò, & sig. *exscindere*. Cui affine quòd antiqui *silentes* etiam pro *mortuis* dixere: unde *Regem silentum*, mortuorum; & *regna silentia*, inferos; & *silicernium*, cœnam quæ silentibus poneretur; *Umbras quoque silentes* dixerunt, ut mortuos significarent. ¶ *Nonne furati fuissent*] Hoc itá accipies ac si dictum esset, *non ampliùs furati fuissent quàm*, &c. *Sufficiens sibi*] *Quantum sibi sufficeret*. In fonte est דים, h. e. verbum è verbo *sufficientiam suam*. ¶ *Vindemiatores*] Proprium vindemiatorum subindè redire ad opus: solent etiam relinquere racemos aliquos. In priore gentes illis similes erunt, in altero dissimiles: Nam nihil omnino relinquent Idumæis, diripient abstrusissima quæque. Quod autem subindè ad opus redeant inter vindemiandum, declarat Propheta Jeremias cùm ait, *Usque ad racemum colligens reliquias Israel*; *reduc manum tuam ad cartallum*. Quæ verba duabus præterea de causis adduxi: Una est quia ostendunt discrimen quod inter pœnam Idumæorum & Israelitarum; altera, quoniam elegantissimè utitur hâc comparatione de Israel, quem Scriptura passim *vineam* appellat. ¶ *Racemos*] Quod in messe *spicilegium*, id in vindemia erat *racematio*, cùm racemi colligerentur relicti in vinea. Græci ἐπιφυλλίδας vocant. Relinquebantur autem à vindemiatoribus, vel quòd Lege itá præceptum esset, vel quòd tam parvi ac minuti essent ut conspectum & oculos eorum effugerent. Nam ubi Lex vetat vineam racemari, capiendum de racemis istis qui pauperibus ac viduis cedebant. Hinc factum ut *racemare*, quod Græci ἐπιφυλλίζειν dicunt, sumatur pro *vastare*, *itá quidem ut nihil reliqui facias*, *penitùsque exscindere*. Cæterùm ἐπιφυλλίδες dicti *racemi*, quòd sub foliis plurimùm delitescerent: nam φύλλον *folium*.

6. *Quomodo pervestigati sunt posteri Esau?*] Mutat personam: nam præcessit, *Quomodo excisus es?* Hæc mutatio & festivitatem habet & emphasin. Acriùs enim pungit cùm nominat parentem eorum Esau quàm si per secundam personam simpliciter dixisset, *pervestigatus es?* Quam rem auget sequens membrum, alio verbo idem iterans, quò vehementiùs eum commoveat & vulnus majus efficiat, quasi aliquod telum sæpius perveniat in eandem partem corporis. Festivitas autem in eo est quòd aurium delectus habetur: Est enim versus bimembris, constans pari numero syllabarum: quod commodè fieri non poterat nisi mutatâ personâ nomen *Esau* introduxisset; quod si demas, non erit completa oratio. Sic *Esau* dicit, ut alibi *Jacob*, pro *posteris Esau* & *Jacob*. Eodem recidet si nomen בית subintelligatur. Nam *domus Esau*, i. *posteri Esau*. Sic & aliàs idem nomen subintelligitur: ut Mich. 3. 1. *Audite hæc*, *principes Jacob*. Plenum enim est *domus Jacob*, ut mox in eodem versu, *& duces domûs Israel*. Vide quæ notavimus infrà ad v. 17. Aut *Esau* posuit pro eo quod Græci referunt τὰ τοῦ Ἡσαῦ, *bona & facultates Esau*. Tale est, *quem assiduè exedent*. Vult dicere, *cujus bona & facultates assiduè exedent*. Quidam repetunt vocem ex sequentibus, ut *Esau* genitivus sit, quasi esset τοῦ *Esau*, hâc sententiâ, *quomodo pervestigata sunt & quæsita recondita Esau?* Non recedo à prima declaratione. ¶ *Perquisita sunt* נבעו, Niphal à בעה *quærere*, *perquirere*. Hoc sensu invenitur Jes. 21. 11. Sed & Onkelus eo usus est Gen. 43. 30. pro Ebraico בקש, quod est verbum notissimum in ea lingua. ¶ *Abscondita ejus*) Vel *recondita*, h. e. thesauri reconditi. Vel *thesauri* simpliciter itá dicti à *recondendo*. Nam recondebantur vel in usum honorarium, vel ad casus inopinatos; cùm haberent supellectilem sufficientem ad quotidianos usus. Thesauri *reconduntur* potiùs quàm *absconduntur*. צפן præterea est *recondere*, quod θησαυρίζειν Græci dicunt. Hinc intelliges, *Sapientes recondunt scientiam*: *recondunt*, non *abscondunt*. Nam *abscondere scientiam* hominis est stulti, non sapientis: Nam cui rei talis scientia? Hoc cùm itá sit, tamen est cur malim *abscondita ejus*. Solent enim opes belli tempore abscondi sub terra & occultari, nè ab hostibus inveniri possint. Itaque Jonathan, si modò Jonathan autor est illius interpretationis quam Talmudici in Baba Kamma videntur Josepho Cæco attribuere, quem vocant בני נהור per Antiphrasin, Jonathan, inquam, interpretatur, *patefacta sunt occulta ejus*. Vult dicere, *pecunia & opes quas occultaverat*.

7. Vulgò dici solet, *Ubi amici*, *ibi opes*. Ergò spes relicta Idumæis, cùm haberent adhuc amicos & fœderatos, de recuperandis iis quæ amiserant. Vanam hanc spem esse ostendit hoc versu Propheta. Nam Idumæis, ait, accidet quod ferè infelibus accidere solet, quos amici, qui fuerant rebus secundis, simulac eæ commutatæ sunt, statim deserunt: nec hoc tantùm, sed, quod pejus est, simulatâ quadam humanitate eos decipient & in fraudem pellicient. ¶ *Usque ad terminum*] עד הגבול. Terminus lapis erat in agro qui fines dirimeret. Dicit autem הגבול cum articulo, certum aliquem terminum significans: nec addit pronomen, quia terminus communis erat duobus aut pluribus. Nam qui agrum meum à tuo dirimebat, nôn magis dici poterat meus terminus quàm tuus. Similiter, si plurium fines attingebat, communis erat inter plures. Illud nunc quæri potest, Sitne hic locus intelligendus de termino quem communem habebant cum hostibus, an de illo qui sociorum fines distinguebat ab Idumæa? Hoc cùm non liqueret, itum est ab Interpretibus in diversas sententias. ¶ *Dimiserunt*] *Dimittere* est Officii causâ deducere: *deduxerunt*, inquit, *te*, h. e. legatos tuos quos ad ipsos miseras auxilii causâ. Mos antiquus, qui etiamnum hodie obtinet, ut Principes honoris ergò deduci curent Legatos, cùm discedunt, ad limites ditionis suæ. Hoc vult; Magno quidem honore te prosequentur, ac multa promittent, sed nihil præstabunt cùm ad rem ventum erit: quin hostium more te habebunt, ac dolis circumvenient: Quod tu, quâ es stultitiâ, non animadvertes. Quidam sic hunc locum illustrant, DIMISERUNT TE, h. e. *prosecuti sunt ac deduxerunt ad fines tuos cùm obviam ires hostibus*, *tanquam pugnaturi unà tecum in eos*. Sed huic sententiæ parùm favet verbum *dimittendi*, quod comitari sig. honoris causâ & deducere, non quemlibet, sed eum quem à te dimittis. Itá mihi videtur: fieri autem potest ut fallar. Judicium igitur eruditorum esto. ¶ *Te*] Legatos tuos. Potest sensus esse, Cùm ad eos confugeres patriâ ejectus, non ausi fuerunt recipere te: itaque *te dimiserunt* & jusserunt abire, metu hostium tuorum; aut qui non ex animo tibi volebant. Prior tamen magis placet. ¶ *Omnes*] Emphasin habet quod addidit *omnes*: q. d. Nè unus quidem ex iis tibi fidem præstitit quam debebat. Usque adeò verum est illud,

Τῶν δυςυχούντων εὐτυχὴς οὐδεὶς φίλος,

Infelicium felix nemo amicus. Et illud,

Ἀνδρὸς κακῶς πράττοντος ἐκποδὼν φίλοι,

Cui fors adversa, *huic amici sunt procul*. ¶ *Federati tui*] *Federe tibi conjuncti*. Ad verb. *viri federis tui*. Elegans dictio.

 Fortè

Fortè autem significat Ammonitas & Moabitas. Vide 2 Par. 20. ¶ *Prævaluerunt tibi*] Hoc plus est quàm *deceperunt te.* Nam *decipit* qui quod promisit non servat; Item qui aliquem deserit in periculo constitutum, cùm ab illo auxilium speraret: At isti hostibus se adjunxerunt, & vos socios prodiderunt, atque ità *prævaluerunt*. Sic dico, Hostes virtute, hi proditione vos vicerunt. *Qui tecum pacem colebant*] Usus sum periphrasi ut exprimerem quod in Ebræo ad verbum *viri pacis tuæ*. Licet etiam vertere *pace tibi conjuncti*, aut *pacem tecum habentes*. Est autem character Ebraicæ linguæ elegantissimus. ¶ *Comedentes panem tuum*] Sic לחמך dicit pro אוכלי לחמך *comedentes panem tuum*, ut alibi יין legitur pro שותה יין *bibens vinum*. Jon. *comedentes mensam tuam*, non malè: nam *mensæ* appellabantur epulæ mensis appositæ. Quo sensu Virgilius dixit,

Postquam prima quies epulis, mensæque remotæ.

Pollux, τραπέζας δὲ ἐκάλουν καὶ τὰ σιτία τὰ ἐπὶ αὐτῶν τιθέμενα, mensas *vocabant & cibos in eis appositos*. Fuit tempus cùm existimarem hîc copulam desiderari, legendúmque *viri pacis tuæ & panis tui*: nam repetere aliquid ἀπὸ κοινοῦ quàm subaudire aliunde satius ducebam. Nunc dubito an proba dictio sit *viri panis tui*, pro *qui panem tuum comedunt*. Dubito etiam an verti possit, *panem tuum ponent vulnus sub te*: ut sensus sit, Lautas illas epulas quibus à te excepti fuerunt convertent in tuam perniciem. Expende. ¶ *Ponent*] Aut *posuerunt*, ut conveniat cum iis quæ præcesserunt. Nam futurum induit naturam præteriti si cum præteritis legatur in eodem versu. Quanquam in prophetis præteritum pro futuro poni crebrò solet: nec aliter hæc præterita, meo judicio, accipienda sunt. ¶ *Vulnus*] מזור. Antiquus Int. *insidias* retulit. Idem Græcus. Sed propriè sig. *vulnus*, ut Hos. 5. 13. aut *apostema*, sive *latens ulcus*, quod in interioribus sensim generatur, & cibis in stomachum ingestis quotidie alitur atque augetur. Quin ipsi cibi in pus & saniem degenerant. Sic isti epulas vestras, inquit, converterunt in ulcus, quod vobis extremam perniciem attulit. Dicitur autem vel quòd fasciis *obligetur*, vel quia *frangi deducique*, quò pus extrahatur, vulnus solet, vel si ulcus est מזור: sicut ἀπόστασις & ἀπόστημα vocatur eò quòd partium, in quibus collectio puris facta est, *discessio* contiguique *separatio* fiat. זור enim certè est *recedere* Jes. 1. 5. ¶ *Subter te*] Insidias innuit & verbo מזור, ut dictum est, & eo quod ait *subter te*: nam id valet *clam te*. Sic & aliàs accipitur, ut 2 Sam. 3. 12. תחתו *sub illo*, i. clam illo. ¶ *Non est prudentia in eo*] Adeò stupidus est ut non senserit sibi dolum strui aut insidias fieri. Proprium hujus Prophetæ, ut, quemadmodum in scenis fieri solet, cùm aliquem alloquitur, subitò convertat orationem ad alios. Ità suprà legimus. *Superbia cordis tui decepit te.* Et paulò pòst, *Dicit in corde suo*, *Quis me dejiciat in terram?* Alii *in eo* ad *vulnus* referunt, & תבונה convertunt *intelligentiam*, hâc sententiâ, *supponent tibi vulnus sine intelligentia*, i. sensu carens, sive cujus vulneris nullus est sensus; ac si diceret, *vulnus quod non sentias*. Sic David *intelligere* posuit pro *sentire* Ps. 58. 9. *Priusquam intelligerent ollæ ejus rhamnum.*

8. Amissis castellis, opibus & amicis, poterant fiduciam aliquam concipere ex prudentia suorum. Nam tanti momenti est hæc virtus ut per eam integræ resp. ab exitio, cùm nulla ampliùs spes superesset, sæpenumero servatæ sint. Hanc igitur fiduciam illis adimit hoc versu, cùm ait *se perditurum* non *sapientes* modò quos habebant, sed omnem omnino *prudentiam ex monte Esau*. ¶ *In illa die*] In illo tempore quo de Idumæis pœnas exigam. Priùs erat *illo die*: prætuli *illâ die*. Nam *dies* pro *tempore* hîc sumitur. Asconius Explanatione in 2 contra Verrem Orationem, Dies *fem. genere* tempus: *& ideo diminutivè diecula dicitur breve tempus*, *& mora*: dies horarum duodecim *generis masc. est*: *unde* hodie *dicimus quasi* hoc die. ¶ *Perdam*] והאבדתי. Vau hîc convertit tantùm, ideo à nobis neglecta fuit, aut pro *etiam* ponitur; q. d. Perdam etiam illos qui sapientiæ nomine clari sunt apud eos. Hoc versu reddit rationem ejus quod dixerat, *Non est prudentia in eo.* ¶ *Sapientes*] Viros doctos & multarum rerum peritos. Tales enim consilio plurimùm valent, præsertim si accedat rerum usus. Eadem ferè habes Jer. 49. 7. Τῷ *Edom*, *sic dicit* DOMINUS *exercituum*, *An adhuc sapientia est in Theman? Periit consilium ab intelligentibus*, *corrupta est sapientia eorum.* ¶ *Et prudentiam*] Viros prudentes. Locutio est ut cùm *dolus* pro *doloso* ponitur, & *aviditas* pro *avaro*: aut locutus est propriè. Vulgò enim dicitur, *Quem Deus punire vult*, *ei mentem adimit.* Potest autem id facere ut tamen ille in quo sapientia aut prudentia fuerit superstes maneat. ¶ *Ex monte Esau*] Ex Idumæa. Mons Esau proprio nomine *Seir* vocabatur. Alii sic annotant, MONTEM ESAU *vocat montes Idumææ. Nam regio montosa erat.*

9. Restabat Fortitudo: Quæ duplex est, alia animi, alia corporis. Utramque adimit Idumæis; animi, cùm dicit *percellentur*; corporis, cùm ait *fortes tui*, & aliquantò pòst *ut exscindatur vir*. Nam VIR aliquando *virum fortem* significat. Sed hîc dilogia est. Nam ambiguè dicitur איש, cùm etiam significet *quisque*, *unusquisque*, *quilibet*, quod alii maluerunt, ut mox docebo. ¶ *Percellentur*] *Frangentur animo*, *consternabuntur*. Alii, *conterentur*. Hoc ad corpus, illud ad animum pertinet. ¶ *Fortes tui*] Bellicosi tui milites & robore præstantes. Porrò gens ista viribus admodum valebat & fortissima erat, eà vel maximè causâ quòd ex rapto viveret & continenter latrocinia exerceret, ut prædictum fuerat longè antè ab Isaaco Gen. 27. 40. dicente, *Gladio tuo vives.* ¶ *Theman*] Deest adverbium Vocandi, ut sit ô *Theman*. Intelligit autem Idumæam, quam ità vocabant vel à *Theman* nepote Esau, vel à situ regionis: nam sita erat ad *Meridiem* Judææ, quæ תימן nuncupatur, & ימין, tanquam *dextra* mundi pars. ימין enim propriè *dextra*. Erat & *Theman* mons in Idumæa, & urbis nomen, ut quidam volunt; unde fortè tota provincia appellata postea fuit. Jonathan vertit, *habitatores Austri*. Vocat autem *Austrum* דרומא DAROMA, quod Ebraicè diceretur דרום DAROM. Idem etiam *Idumæam* significat. Hier. in Joelem, *Theman Idumæorum regio*, *quæ & Darom & Nageb dicitur*, *eò quòd Eurum & Austrum Africúmque respiciat.* ¶ *Vir*] Jon. *vir in quo est fortitudo*, & Scholia Jarii Ebræi qui *R. Salomo* vocatur, *omnis vir robustus*. Sed rectum puto, VIR, i. *quisque*, *quilibet*, ut 1 Sam. 4. 10. *fugerunt vir in tabernacula sua*: quæ locutio pro plena habetur; sed si quæras quod integrum est, deest כל *omnis*, ut sit כל איש *omnis vir*. Sic explanant Aben-Ezra, & R. David. Sensus hic est, ut omnes internecione deleantur, nec sit qui superstes remaneat: quod futurum prædicit & infrà vers. 18. ¶ *Propter cædem*] Ob multam cædem quæ ibi patrabitur. *Cædes* usitatè הרג dicitur. Hîc usus est קטל eodem sensu. Est autem קטל pro *occido* verbum notissimum in lingua Chaldæorum. Quidam legunt *præ strage*: quod in idem recidit.

10. De pœna hactenus: Nunc transit ad ejus causas. Commune autem est huic Prophetæ cum aliis, ut Idumæis objiciat peculiariter injuriam populo suo factam, quam Deum puniturum dici, quasi de aliis ipsorum criminibus nulla ei cura esset. *Ob violentiam*, &c. In singulis verbis pondus est. Nam & *violentia* vitii genus atrocissimum est; & major fit cùm in *fratrem* exercetur; Nec caret emphasi pronomen *tuo*: Vis etiam est in nomine *Jacobi*. Nam Jacob & Esau fratres erant gemini, quod plus est quàm si tantùm germani aut uterini fuissent. חמס alii *rapinam*, alii *iniquitatem*, i. ἀδικίαν, reddunt. Ob hoc crimen & Sodoma periit, & Ninivitis denunciatum excidium. Itaque scribunt Ebræi, *Deum*, *cùm alia crimina populi sui puniat*, *tamen Gentes non punire nisi* חמס *commiserint.* ¶ *Illatam fratri tuo*] In Ebræo est ad verb. *ob violentiam fratris tui*. Nos sensum expressimus, & simul quod ambiguum erat in Ebræo sustulimus; nam VIOLENTIA FRATRIS intelligi potest & *quam frater intulit*. ¶ *Teget te pudor*] Eleganter quod proprium est Vestis ad *pudorem* transtulit: q. d. totus, quantus quantus es, pudore suffunderis. Ut hîc *operiet te pudor*, sic Job. 8. 22. *induent pudorem*: & Psal. 35. 26. *induerunt pudorem & ignominiam*. Eadem locutio exstat Mich. 7. 10. *Videbit inimica mea*, *& operiet eam pudor*. Et antea David Ps. 69. 7. dixerat, *Operuit ignominia faciem meam.* ¶ *Et exscinderis in seculum*] *Et* hîc rationem reddit; *Ideo*, inquit, *operieris pudore quia cladem irreparabilem accipies.* Amissam salutem nullo unquam tempore recipies, recuperabis.

11. Hoc versu & tribus seqq. recenset aliqua crimina Idumæorum in Judæos perpetrata; ut, quòd se hostibus ipsorum, cùm regionem eorum vastarent, socios adjunxerint; quòd de exitio ipsorum læti fuerint; quòd facultates ipsorum diripuerint; denique, quòd in itinere fugâ elapsos interceperint ac Chaldæis postea dediderint. Dico *Chaldæis*, quoniam, ut apparet, ista acciderunt cùm Chaldæi post debellatam Judæam & expugnata Jerosolyma ejus incolas & cives Babyloniam deportarent. *Quo stabas ex adverso*] Capiendum ut Psal. 38. 11. *Ex adverso plagæ meæ steterunt*, *& propinqui mei procul steterunt.* Aut *stare* posuit pro *stare in acie*, quod Græci dicunt πρὸς ἀντίδα στῆναι. Vide quæ scripsimus Observ. lib. 10. cap. 7. Hanc sententiam expressit Interpres, qui vertit, *In die cùm stares adversùs eum.* מנגד, i. *procul*. Sic in precatione ea quam

Jonas

Jonas habuit in ventre ceti, Jon. 2. מנגד עיניך *ex adverso oculorum tuorum*, procul ab oculis tuis. Videtur hoc velle, Cùm stares procul spectans calamitatem meam: quod est signum odii. ¶ Nam qui amant propiùs accedunt, & afflicto opem ferunt saltem verbis & oratione, si aliter non possint. In aliis libris עמדך AMODCHA, in aliis עמדך AMADECHA, eodem tamen sensu, legi & affirmare ipsi possumus, & jampridem testatum reliquerat R. David in eo libro quem De verborum significatione conscripsit. Est autem infinitivus in Kal, ad cujus exemplum legi debet secundùm Ben-Aser לַהֲרֹג 1 Sam. 22. pro eo quod alii legunt לְהָרֹג per nudum Scheva sub Gimel. ¶ *Capiebant*] CAPERE hic non est *accipere*, h. e. לקח, sed *prædari*, *diripere*, *captivum ducere*, h. e. שבה, quod Græci αἰχμαλωτεύειν dicunt. ¶ *Alieni*] Chaldæos intelligit & eas gentes quæ Chaldæos in eo bello militabant adversùs Judæos. ¶ *Copias ejus*] *Facultates ejus.* Nomen חיל & *opes* sign. & *robur* & *exercitum*. Nunc ergò *opes* intelligemus cum Chaldæo, qui vertit, *Die quo diripiebant nationes opes ejus*: nisi malis *exercitum ejus*, i. *populum ejus*. *Populum* enim Ebræi חיל vocant, ut infrà v. 20. Vide quæ notamus ad illum locum. Propriè *populum* sign. *exercitûs instar copiosum*. Vel quia captivos abducebant per turmas, ideo eos *exercitum* vocat. Huic interpretationi favet verbum שבה, quod *in captivitatem ducere*, ut diximus, significat. ¶ *Portas ejus*] *Portas* hoc loco vocat urbes, ut Deut. 17. 2. *in una portarum tuarum*, i. urbium. Ponitur eodem sensu Gen. 22. 17. & 24. 60. rursus Deut. 28. 57. Vide quæ scripsimus Ruth 3. 11. ad locum, *Novit omnis porta populi mei.* ¶ *De Jerosolyma*] Vel *pro Jerosolyma.* Significat autem cives Jerosolymitanos bello captos, quos milites factâ sortitione inter se diviserint. Aut intelligit bona & facultates ipsorum. ¶ *Jaciebant*] Sortiendi morem in dividendo antiquum fuisse ostendit Moses Num. 26. 56. *Per sortem*, inquit, *divides.* Eo & milites utebantur in bello, ut hîc; & latrones, ut Prov. 1. 14. Per sortem etiam hereditas dividebatur: ex quo, *Dividere spolia cum superbis.* Nam *spolia* vocabant bona, familias, καὶ πάντα τὰ ἐπιτήδεια πρὸς τὸν βίον. Sortitio fiebat tessellis quibusdam aut taleolis ligneis, quas vel in sitellam urnámve, vel in sinum, vel denique in galeam, ut apud Homerum, conjiciebant. Has tessellas *sortium* vocabulo afficiebant: quæ cùm extraherentur, *educi*, vel *exire*, vel etiam *ascendere* dicebantur. *Cadere* etiam *sors* dicebatur, ut Jon. 1. 7. *& cecidit sors in Jonam*, h. e. sortes eductæ ceperunt Jonam. *Jaciebant*, aut *projiciebant*, hîc est ידו: alibi legitur הפילו eodem sensu. Et Matth. 27. 35. ἔβαλον κλῆρον. Sed Prov. 16. 33. *In sinum projicitur sors*, est יוטל in Ebræo. ידו autem potest esse præteritum in ordine duplicantium, à ידד *projicio*. Quod deductum à nomine יד *manum* significante: nam manu projicimus. Potest quoque esse futurum Piel, à ידה, ut sit ידו pro יידו. Nam quia duæ literæ similes concurrunt, ideo altera abjecta, ejúsque punctum rejectum ad primam, quæ nunc est una ex literis Ethan. ¶ *Sortem*] i. Sortes, ut etiam Interpres Chald. vertit. Non enim ipsam sortitionem significat, sed instrumenta ejus, h. e. calculos vel tesseras, in quibus res sortienda insculpta erat. ¶ *Tanquam unus ex illis*] Fuisti illis par crudelitate ac sævitiâ. *Tanquam* hîc usurpat ut *quasi* usurpatur in illo, *Vidimus gloriam ejus quasi unigeniti.* Sic alibi, *Populus meus sicut contendentes cum Sacerdote.* Item, *fuerunt sicut transferentes terminum.* In his exemplis non est nota Similitudinis, sed potiùs adverbium Confirmandi. Quare Interpretes explanant, *revera fuisti unus ex illis*, alienis videlicet.

12. *Non spectasses*] Non debuisses spectare. Ut mox, *non lætatus fuisses*, non debuisses lætari: *nec magnificasses*, nec debuisses magnificare. Sic & aliàs futurum usurpatur; ut in Malachia, *Filius honorabit patrem*, debet honorare. Sed quia in Ebræo est אל *nè*, inclino ut existimem vertendum potiùs *nè spectes*, *nè læteris*, &c. q. d. Non est causa cur admodum gaudere debeas calamitate fratris tui, cùm tibi major calamitas impendeat. Debent enim ista connecti cum vers. 15, & sequentibus. אל pro לא. Sic τὸ, μὴ, πολλάκις ἀντὶ τοῦ, οὐ, λαμβάνεται. *Spectasses*, aut *vidisses*. *Videre* autem nonnunquam est libenter videre, ut *vivere* jucundè vivere. Nam quæ placent aspicimus, quæ displicent aversamur, oculósque avertimus indè. Græci hoc sensu utuntur verbo ἐπιδεῖν de quo dictum à me in Observationibus. Vide. ¶ *Diem fratris tui*] Diem calamitatis fratrum tuorum, h. e. nobilitatum clade & exsilio Judæorum. *Dies* enim *alicujus* dicitur quem sibi quis novo & inusitato exitio quasi peculiarem ac proprium reddit. Hoc sensu sumitur Mich. 7. 4. Sed & Cohel. 5. 20. *Non multum recordabitur dies vitæ suæ*, Interpretes quidam explanant *ærumnas vitæ suæ*, aut *dies ærumnosos*. Est autem Metonymia: *dies* enim ponitur pro adjunctis diei. Sic apud Davidem nescio quo in loco, *tempus eorum in seculum*, i. *calamitas temporis*, ut ait Theodoretus Theologus antiquus. Rursus Psal. 137. 7. *dies Jerusalem* vocatur quo capta fuit à Babyloniis. ¶ *Alienus factus*] In alienum solum abductus, sive Babylonem deportatus. Quidam, *proditus est*: malè: nam נכר, quod huic sententiæ firmandæ adducunt ex 1 Sam. 23. 7. non significat *prodere*, ac nè *tradere* quidem, nisi quia alienatio fit traditione. Jonathan, *die cladis ipsius.* Nam תבירא *clades*, שבר Ebræi dicunt. ¶ *Interitus ipsorum*] Hic rursus Jon. *cladis ipsorum.* Est autem אבדם infinitivus à verbo אבד *periit*. Itaque alius Int. vertit *die quâ perierunt*: fortasse meliùs. ¶ *Nec magnificasses os tuum*] *Magnificare os* plus est quàm *magniloquum esse*, quod Græci dicunt μεγαλοῤῥημονεῖν: nam sign. *ore insolescere, & verbis arrogantibus ac superbis insultare alicui.* David hoc dixit *magnificare* simpliciter. Psal. 35. 26. *Induantur pudore & ignominiâ qui magnificant contra me.* Vult dicere, *qui magnificant os suum*, i. פיהם. Vide Scholia Camii ad eum locum. ¶ *In die angustiæ*] Tempore adverso ipsorum. צרה alii *adversitatem*, alii *angustiam* reddunt; ejus radix צור, i. *premo*.

13. *Non ingressus fuisses*] Hostili more, sive, ut suprà locutus est, *tanquam unus ex illis.* ¶ *Portas*] Urbem, h. e. Jerosolymam. Quidam *portam* dici putant pro *portas*, ut reliquas etiam urbes Judææ significet. Hanc sententiam secutus est Jonathan P. Chaldæus; Cujus viri autoritas pondus apud me non leve habet. ¶ *Populi mei*] Utrùm hæc verba sunt Dei an Prophetæ? Si Propheta loquitur, tum crediderim Judæum fuisse, eósque qui vel Idumæum vel Israelitam fuisse scribunt falsos esse. ¶ *Non spectasses*] Libenter & cum voluptate, ut suprà, *non spectasses diem fratris tui.* ¶ *Malum ipsius*] *Malum* pro *pœna* hîc posuit, sive pro *miseria* aut *infortunio*. Est enim aliud malum quod vocant *malum culpæ*: de quo aliàs. ¶ *Exitii ejus*] איד propriè *vapor*, qui è terra tepidâ Solis vi attrahitur. Translatè autem sumitur pro *exitio*, *calamitate*. ¶ *Nec immisisses manus*] ואל תשלחנה, *nec immisissent se.* Deest ידך *manus tuæ*. Nam est verbum femininum. Similis defectus Job. 39. 24. יחפרו בעמק *fodiunt in valle*: nam subintelligitur רגליו *pedes ejus*: de Equo enim ibi sermo est. Notatum hoc in Scholiis Ebraicis Aben-Ezræ. ¶ *In copias ejus*] In bona & facultates ejus, in opes ejus. חיל propriè *robur*: *opes* autem significat, quia hominis robur in opibus. Unde & *potentes* vocantur qui opibus valent. Etymologiæ firmandæ est, *Opes divitis sunt ei urbs valida*: de quo vide sodes Proverbia mea. Eadem vox sign. *exercitum*, ut exponi etiam possit de exercitu captivorum. Vide quæ scripsimus vers. 11. ad locum, *die quo capiebant alieni copias ejus.*

14. *In bivio*] פרק *locus* est *ubi via frangitur*, h. e. ubi duæ aut plures viæ concurrunt: itáque non tam *bivium* notat quàm *trivium*, aut *quadrivium*. Latinè vocare posses *divortia* sive *divergia viarum*; sicut *divergia aquarum* dicimus ubi aqua in diversas partes vergit. R. D. in Scholiis appellat אם הדרך *matrem viæ*, & in libro Rad. *capita viatorum*. Sed aliam ibi adfert interpretationem quam magìs probare videtur. Siquidem פרק interpretari ait שבר, i. *fractura*, *contritio*, *clades*. Dictum autem putat *stare ad cladem*, ut *stare ad sanguinem*, pro eo quod est *adstare cladi alicujus*, *nec tamen eum eximere indè aut juvare.* Levit. 19. *nè stes ad sanguinem proximi tui.* ¶ *Elapsos ejus*] Ità emendavi, cùm priùs legeretur *evasores ejus*: quod an Latinum sit valde dubito. Significat eos qui evaserant cùm Urbs caperetur: nam vi capta fuit à Chaldæis. Quo tempore tanta multitudo fugientium fuisse dicitur ut per portam egredi omnes non potuerint: itaque pars muri effracta fuit. Inter fugientes erat ipse Rex cum aulicis, quem ex fuga retractum Chaldæi deduxerunt ad Nabuchodonosorem Regem suum. Porrò autem credibile est eos fugisse ad Pharaonem Regem Ægypti, quicum fedus habebant. ¶ *Nec dedidisses*] Vel *conclusos tradidisses.* Quidam, *non prodidisses*, non omnino malè, cùm agatur de Idumæis, & ad eos qui amici esse debent referatur propriè hoc verbum. Sed הסגיר est *concludere*: Quod fieri potest etiam ab hoste & inimico. ¶ *Superstites ejus*] Reliquos & residuos ex illo bello.

15. *Non propè est*] כי קרוב. Quærendum est quem usum habeat hoc loco particula כי, an Asseverantis est, *sanè*, *itàque*, *profectò*. Scire licet in v. 10. (quod ibi me fugit observare) duas partes esse: Una culpam, altera pœnam continet. De culpa hactenus: Nunc de pœna. Ergò cùm ibi dixisset, *exscinderis in seculum*, nunc ait, *Quia propè est dies Domini.* ¶ *Dies DOMINI*] *Diem* hic posuit pro *die judicii*; ut sensus

sus sit, Prope adest dies quo DOMINUS cognoscet de causa Gentium, sive quo sedebit judicaturus eas. Quidam explanant DIES DOMINI *judicium Domini*: eodem redit. Sic Apostolus *diem humanum* dixit ut significaret judicium humanum. ¶ *Quemadmodum fecisti*] Populo Judæo scilicet. Hæc est justissima talionis lex, ut vulgaris ille declarat versiculus,

Εἰ κε πάθοι τά κ' ἔρεξε, δίκη τ' ἰθεῖα γένοιτο.

Græci uno vocabulo ἀντιπεπονθὸς vocant. Proverbio autem *Termeria mala* in hanc sententiam celebrata sunt, & *Neoptolemi vindicta* dicitur, ubi quis idem patitur quod aliis fecit. Cæterùm lege talionis tenetur non modò qui facinus perpetravit, sed etiam qui perpetrare cogitavit, ut de Hamane impio legimus. ¶ *Retributio tua*] *Retributionem* ità dixit ut Ebræi גמול, quo nomine sæpenumero initium injuriæ significant. ¶ *In caput tuum*] Vide quæ scripsimus Proverb. class. 2. lib. 3. adag. 155.

16. *Quemadmodum bibistis*] Apostrophe ad Israelem. In his verbis videtur hæc sententia subesse, Quæ mala vos passi estis in monte Sion, eadem Gentes patientur, quanquam dispari eventu: Nam pœna vestra temporanea, illarum sempiterna erit. Adhæc, *futuræ sunt ac si nunquam fuissent*, h. e. de eorum vita juxta ac morte silebitur. Alii hæc de Idumæis dicta putant, & *bibistis* accipiunt in significatione *convivii*, quod Ebræi משתה vocant à *bibendo*, ut Græci συμπόσιον. Ergò BIBISTIS, i. *epulati estis*; & IN MONTE, *propter montem*: vult dicere *ob destructum montem*. Sic *bibent Gentes* calicem iræ Divinæ. Nam in verbo *bibendi* homonymia est, ut dicunt. Alio enim modo bibebant Idumæi cùm mons Domini vastaretur, & alio Gentes bibent cùm dies DOMINI advenerit. ¶ *In monte meo sacro*] Aut *sancto*, vel, si placet, *sacrosancto*. Significat montem Sion, quem hoc epitheto exornat eò quòd Templum in eo exstructum esset. ¶ *Bibere*] *Bibere* hìc est mala perferre & pœnam, secundùm illud, *Potestisque bibere calicem quem ego bibiturus sum?* Sumptum à prisco more convivandi. Nam convivis singulis calix dabatur, ut etiam pars sive portio. Unde, *Dominus portio calicis mei*, sive, ut ego arbitror vertendum, *portio & calix meus*. ¶ *Omnes gentes*] *Etiam Idumæa*. ¶ *Jugiter*] *Continenter*, *assiduò*, *sine intermissione*, *perpetuò*. Innuit pœnam eorum sempiternam fore. Est enim *jugiter bibere* semper in pœna esse, h. e. ità perire ut nunquam sis amissam recuperaturus salutem. Pro תמיד quædam editiones habebant סביב, sed minùs rectè. Græci videntur legisse חמר, quod proximè accedit ad תמיד *jugiter*. Adi ad Conjectanea nostra in eam editionem. ¶ *Et absorbebunt*] Auget orationem. Plus enim est *absorbere* quàm *bibere*. Nam qui *absorbet* ità bibit ut nihil penitus reliqui faciat ex eo quod bibit. Proprium autem improborum, cum vino & fæces exhaurire. ¶ *Et erunt*, &c.] q. d. Sic interibunt ut ne memoria quidem eorum ulla futura sit. Unà cum ipsis etiam nomen eorum exstinguetur. ¶ *Ac si nunquam fuissent*] *Ac si nunquam noti fuissent*. Sap. 2. Καὶ μετὰ τῦτο ἐσόμεθα ὡς ἐχ ὑπάρξαντες. Verba sunt eorum qui credebant nihil hominis post hanc vitam superesse.

17. Quæ deinceps sequuntur ad finem usque continent Prophetiam de liberatione Ecclesiæ & Regno Christi: Quæ nos ad literam enarrabimus, tametsi non ignoremus spiritualiter intelligi & posse & debere ab iis qui quæ Christi sunt sapiunt. Sed quoniam ab aliis copiosè & cum cura factum istud est, nec nos addere iis quicquam valemus, inpræsentiarum hoc labore supersedebimus. *In monte Sion erit qui evadat*] Secùs erit in monte Seir: nam in eo nemo elabetur, ut dictum est. *Montem* autem *Sion* vocat Ecclesiam, quòd in eo monte exstructum esset Templum. Vel *in monte Sion*, h. e. in Judæa; sicut dixit suprà *ex monte Esau*, Idumæam significans κατὰ συνεκδοχήν. Annotandus est usus nominis פליטה *evasio*, pro *illis ipsis qui evadent*. Sic *captivitas* pro *captivis*, & *custodia* pro *custodibus* ipsis; res pro hominibus. ¶ *Et erit*] והיה cùm sit verbum masc. ad *montem* non ad nomen פליטה referendum puto, quod femininum est. Alioqui sensus esse posset, *qui evadent in monte Sion, sancti erunt*: Quod est epitheton piorum & fidelium: unde Christiani olim peculiariter *sancti* vocabantur. ¶ *Sanctitas*] i. Sanctus. *Mons Sion*, inquit, *sanctus erit*, h. e. non ampliùs profanabitur ab extraneis. Sic Jes. 52. 1. *Et erit Jerusalem civitas sancta, quia non ampliùs invadet eam incircumcisus aut pollutus*. Joel. 3. 17. *Eritque Jerusalem sanctitas; & extranei non transibunt per eam ampliùs*. ¶ *Domus Jacob*] Pro *Jacobais* ità dicitur, ut *domus Assaraci* pro *Romanis*. Augustinus existimat Latinam locutionem ex Ebraica desumptam esse: Nam frequentissima est apud Ebræos. ¶ *Possessiones suas*] Bello Babylonio amissas. Potest legi *earum*, ut ad gentes referatur quarum mentio in versu qui hunc antecedit. In Ebræo legitur מורשיהם: quod nomen est ex iis quæ servant Camets positum secundo loco in regimine plurali & affixis ei cognatis, ut & Mercerus annotavit. Sic dicimus גנביהם *fures eorum*.

18. *Domus Jacob*] Alii hìc significari tribum Juda duntaxat, alii XII tribus putant. Similiter per *domum Joseph* quidam X tribus, alii duas, Manasse & Ephraim, alii omnes intelligunt, ut idem repetat aliis verbis. ¶ *Ignis*] Tanquam ignis; ut mox *flamma*, tanquam flamma. Sic in Latio,

Nec excitatur classico miles truci:

plenum est *ut miles*. ¶ *Domus Joseph*] Meminit Josephi propter claritatem illius familiæ, ac propter amplitudinem duarum tribuum quæ ex eo prodierunt. ¶ *Stipula*] לקש *in stipulam*, h. c. *stipula*, vel *quasi stipula*. Tale est *fuit ei in uxorem*, לאשה, quod modò significat *uxor* revera; modò *quasi uxor*, aut *uxoris loco*, sive quod idem, *pro uxore*. Sic Act. 7. 21. ἀνεθρέψατο αὐτὸν ἑαυτῇ εἰς υἱὸν, *pro filio*. ¶ *Accensi in eis*] ודלקו בהם *& accendentur in eis*. Ut stipula se habet id ignem; ità hæc domus ad illam. Vult dicere, facillimè ab ea conficietur & consumetur. Nam stipula ignem facilè concipit; & citò absumitur ab eo. ¶ *Consument eos*] ואכלום *& comedent eos*, Israelitæ videlicet. Et rectè *comedent*: nam hoc verbum Igni etiam tribuitur. Comedent ergò ut ignis stipulam: *eos* autem referunt ad *Idumæos*, quos significat per *domum Esau*. ¶ *Superstes*] Aut *residuus*. ¶ *Locutus est*] Decrevit ità. Porrò decretum Dei aut conditionale est aut absolutum. Conditionale inclusam habet conditionem, & revocari potest. Absolutum, quia sine conditione est, revocari non potest. De hoc genere decreti hìc loquitur. De alio intelliges Jonæ 3. 10. *quod locutus fuerat*, i. decreverat, *facere*. Nam utrobique est דבר in Ebræo.

19. *Et hereditabunt Australes Judæi montem Esau*] Non desunt qui vertendum putent *hereditabunt Austrum cum monte Esau*. Sed hi non animadverterunt postea sequi, *Et exsules Jerosolymitani qui in Sepharad hereditabunt urbes Austri*. נגב verbum è verbo sonat *Auster* sive *Meridies*. Sed est figura quam Grammatici *Metonymiam* vocant: Eâ qui utuntur ponunt *terram* pro *habitatoribus terræ*, & *cœlum* pro *cœlicolis*. Eodem planè modo hìc *Auster* ponitur pro *habitatoribus Austri*. Dices, Cur ergò reddis *Australes Judæi*? Respondeo, Quia hìc agit non de Austro simpliciter, sed κατὰ συνεκδοχὴν *Austrum* vocat partem Judææ Australem, sive tractum illum qui Austrum & Idumæam respiciebat. ¶ *Montem Esau*] Idumæam. Synecdoche. ¶ *Et campestres*] השפלה sign. tractum Judææ planum & humilem campestrémque, cujus incolæ eodem nomine hìc insigniuntur. Erat & alius tractus cujus incolæ *montani* dicebantur, eò quòd habitarent in montanis Judææ. Nam pars ea montosa erat. Sic dico; Judæam incolentium alios *Australes*, *campestres* alios, & alios *montanos*, à locis in quibus commorabantur, veteres appellabant. ¶ *Palæstinos* Aut *Philisthæos*; Quorum urbes, Gath, Gaza, Ascalon, Acaron, Azotus. Hos Græci communi nomine ἀλλοφύλους indigetant, i. *alienigenas*. ¶ *Agrum*] *Regionem*. ¶ *Galaad*] Regionem trans Jordanem. *Benjamita*, inquit, qui priùs cis Jordanem habitabant, tunc *possidebunt terram Galaad*, quæ est trans Jordanem.

20. *Exsules*] Aut *deportati*. גלות propriè *deportatio* μετοικεσία. Sumitur autem hoc loco pro ipsis *deportatis*, ut alibi *captivitas* ponitur pro *captivis* ipsis. ¶ *Exercitus istius*] *Populi istius*. Hoc modo Jonathan enarrat. Ebræus quoque David quem *Camium* vocant, Psal. 122. בחילך exponit *in populo tuo*. Sed חיל ibi potiùs *antemurale* denotat. Hìc autem Propheta elegit חיל dicere quàm id quod in consuetudine est עם *populus*, quia de 10 tribubus agit, quæ comparatæ ad reliquas duas numero longè antecellebant. Nam *exercitus* vocatur quævis multitudo exercitûs instar congregata: qua de re diximus antea. Quod ergò Jonathan חיל exponit *populum*, etsi nihil adfirmo, malim tamen *numerosum populum* exponere quàm *populum* simpliciter. החל positum nonnulli existimant pro החיל. Ad quod exemplum legitur ליל *nox* pro ליל Jes. 11. 21. & יין *vinum* pro יין Cant. 7. 9. Rei firmandæ est בחל כבד *exercitu multo*, quod Joth adscriptum habet 2 Reg. 18. 17. Alii חל dicunt esse formæ גר *peregrinus*. Quò referri posset, meo judicio, & חלכאים *turba* sive *exercitus attritorum*, ut sit nomen compositum ex חל & כאים voce *attritos* significante. In חיל autem poni Joth Protractionis, quale in חיק *sinus*, & similibus, iidem affirmant. *Istius* non de nihilo additum.

ditum. Fidem certè facit hunc Prophetam, si non fuit ex aliqua 10 tribuum, saltem inter eas cùm hæc scriberet vixisse. ¶ *Quæ fuerant Chananæorum*] אשר כנענים accipio ac si scriptum esset ארץ אשר לכנענים, & יירשו subaudio, i. *hereditabunt*, sive ex sequentibus id repetatur, sive ex iis quæ præcedunt. Hanc sententiam expressit Lat. Int. per hæc verba, *& transmigratio exercitûs hujus filiorum Israel omnia Chananæorum usque ad Sareptam:* & Græcus, si literâ additâ legas cum Mercero γῆν τῶν Χαναναίων. Quanquam, si locus mihi sententiæ dicendæ, existimo eum potiùs scripsisse τὴν τῶν Χαναναίων, vel τὰ τῶν Χαναναίων· nihil tamen mutari velim contra libros, præsertim cùm Merceri conjecturam adjuvet editio Chaldaica, in qua, referente Camio, *& exsules populi hujus filiorum Israel possidebunt terram Chananæorum.* Non est tamen omittendum, quod etiam Mercerus annotavit, in vulgatis eod. legi, *Et exsules populi hujus filiorum Israel qui sunt in terra Chananæorum.* Quem sensum sequuntur ferè nostrates, nec Ebraica Scholia aliter hunc locum enarrant. Sic enim R. S. QUI SUNT IN CHANANÆIS SAREPTAM USQUE. *Vult dicere, Qui deportati fuerunt in terram Chananæorum Sareptam usque.* Et R. D. *qui exsulant, & sunt apud Chananæos Sareptam usque.* In hoc sensu deest ב, ut בכנענים *inter Chananæos*, ut suprà בגוים *inter gentes.* *Quæ fuerant*, vel *quæ sunt*, *Chananæorum*, τὰ τῶν Χαναναίων. Potest etiam legi *quæ est Chananæorum*, ut de *terra* intelligatur, τὴν τῶν Χαναναίων. *Chananæorum* accipio strictè, ut Judic. 3. 3. *omnémque Chananæum & Sidonium.* Alioqui *Chananæi* dicebantur qui terram Chanaan incolebant, in queis & Philisthæi & Samaritæ. Cæterùm vox Ebræa interdum appellativè sumitur pro *mercatore*, ut Prov. 31. 24. Utrùm ergò hoc dicit, *Exsules Israelitarum, qui negotiatores sunt* (vel *mercaturam exercent*) *possidebunt loca maritima & Tyro vicina Sareptam usque?* ¶ *Sarphath usque*] Vel *Sareptam usque.* Locus est propè Sidonem. A Judæis hodie pro *Gallia* usurpatur, quomodo & hic nonnulli accipiunt: sed malè, ut opinor. ¶ *Qui in Sapharad*] De *Sapharad* nihil alibi legitur. Itaque itum est in varias sententias, aliis *locum Babylonia*, aliis *Bosphorum*, aliis denique *Hispaniam* intelligentibus. Quæ postrema interpretatio à Chaldæo comprobari videtur. Ego *quid fugiam*, ut ille dicebat, *habeo; quid sequar non habeo.* Illud de *Bosphoro*, etsi Hieronymo probatur, mihi, ut verum fatear, non placet. Locum Syriæ aut Babyloniæ potiùs fuisse crederem. *Hispaniam* hodie SEPHARAD vocari scio; sed ex eo non sequitur, eodem significatu usum fuisse hoc loco Prophetam. Est cur ambigatur etiam de voce quam usurpat Chaldæus P: Nam licèt *Hispania* ספרד dicatur, i. Σπανία, tamen potest hic alium sensum habere, præsertim cùm in libris sit ספמיא, & non ספניא. ¶ *Heredtabunt*] ירשו: nam radix ירש. ¶ *Urbes Austri*] Quas Judæi Australes antea possederant.

21. *Servatores*] Liberatores populi Israelitici. Sic Ptolemæus, qui Ægyptum servaverat, dictus est Σωτήρ item Decii, *liberantes Romam.* Spiritualiter autem significat ipsos Apostolos & Ministros verbi, qui *servare* dicuntur eos quibus Euangelium veritatis annunciant, propterea quòd per Euangelium homines servantur. 1 Tim. 4. 16. *Hoc si feceris, & teipsum servabis & eos qui te audiunt.* ¶ *In montem Sion*] Quidam *ex monte Sion*; malè: nam ex monte non *ascenditur.* ¶ *Ad judicandum*] JUDICO & *rego* sign. & *punio*: Hic ergò *ad regendum* intelligemus, sententiâ id mirificè comprobante. ¶ *Montem Esau*] Habitatum tunc à Judæis Australibus: vel *montem Esau* posuit pro *gentibus*, modo locutionis quo à parte totum intelligitur. Concludam verbis Augustini De civit. Dei l. 18. c. 31. *Mons Esau*, inquit, *Idumæa est: Per quam significata est Ecclesia Gentium, quam defenderunt, sicut exposui, resalvati ex Monte Sion, ut esset DOMINO Regnum. Hoc obscurum erat antequam fieret: sed factum quis non fidelis agnoscat?*

DRUSII PRÆFATIO
AD CL. V.
JEREMIAM BASTINGIUM, S. T. D.

ABDIAS *inter Minores Prophetas ordine quartus est, & Jonam præcedit. Prophetavit adversùs gentem Idumæam. Quando autem prophetaverit non planè constat: Nam nec ipse ponit tempus suum, nec in Chronicis Eusebii & Hieronymi, ut Augustinus testis est, quo tempore vixerit invenitur. Funccius eum collocat in Principatu Uziæ, sub quo prophetavit & Heseas. Alii coævum faciunt Prophetæ Amos, quem etiam proximus in ordine consequitur. Hieronymus Ebræos auctores laudat qui dicant hunc esse Abdiam illum qui sub Rege Achabo pavit centum Prophetas in speluncis. Quod si mihi sententiæ dicendæ jus concederetur, dicerem potius, æqualem fuisse Prophetæ Jeremiæ. Nam, ut omittam quòd uterque iisdem pene verbis usus prophetavit adversùs Idumæos, illud me potissimum ut ità sentiam movet, quòd crimina quædam objiciat Idumæis quæ tum perpetrasse videntur cùm* Urbs *caperetur. Ex quo satis probabiliter colligitur, prophetasse demum post captam Jerosolymam. Loquor de Prophetia quæ nunc exstat. Nam potuit alias antea conciones habuisse. Quidquid ejus sit, concio hæc tota dirigitur contra Idumæos: Qui licèt fratres essent Judæorum, tamen captâ* Urbe *hostilem in modum eos habuerunt. Quamobrem Propheta denunciat fore ut paria ipsis quoque accidant. Quæ est justissima lex talionis, quam Græci* ἀντιπεπονθὸς *vocant. Et certè quemadmodum ipsi fratres suos tractaverant, sic eos tractarunt postea aliæ gentes postquam Idumæam in suam potestatem redegissent. Porrò appellati fuerunt* Idumæi *ab* Edom *fratre Jacobi Patriarchæ, qui alio nomine* Esau *dicebatur. Idem quoque* Seir *vocabatur, si vera scribit Hieronymus. De his nominibus, quia aliquoties in hac concione memorantur, aliquid jam dicendum est.* Esau *&* Edom *hoc differunt, quòd* Edom *sit magis cognomen sive cognomentum; quale &* Seir*: sed hoc ab habitu corporis, illud ab eventu inditum: Nam quia spreverat jus primogenituræ præ rufo edulio, ideo dictus est* Edom. Rufum *enim, h. e.* πυῤῥὸν, *Ebræi* ADOM *vocant. Verba Divini hominis hæc de re sunt clara & perspicua Gen.* 25. 29, 30. Coxit autem Jacob pulmentum: Ad quem cùm venisset Esau de agro lassus, ait, Da mihi de coctione hac rufa, quia oppidò lassus sum. Quam ob causam vocatum est nomen ejus Edom. *Quæ verba sine dubio in mente habuit Hieronymus cùm ità scriberet,* In libro Geneseos Esau filium Isaac appellatum fuisse *Edom*, quia propter rufum lenticulæ cibum primogenita vendiderit, manifestissimè legimus. *Venio nunc ad alterum cognomen,* Seir, *quod ab habitu corporis impositum fuisse diximus. Testatur hoc disertè idem Hieronymus, inquiens,* In eodem volumine scribitur, eundem vocatum esse SEIR, i. *pilosum*, quia hispidus erat, & non habebat lenitatem Jacob. *Respexit autem, ut opinor, ad verba illa Gen.* 27. 11. Nosti quòd Esau frater meus homo pilosus sit, & ego lenis: *ubi tamen in Ebræo SAIR hodie legitur. Sed credibile Hieronymum olim, cùm puncta abessent, legisse SEIR. Utut sit, ex eo certum non est quod vult Hieronymus: Nam non dicitur quòd* vocatus fuerit SEIR, *sed quòd* SAIR, *h. e.* pilosus, fuerit. *Fieri tamen potest ut ab hac causa cognominatus sit* Seir. *Atque hinc* mons Seir, *quod ità dicitur ut* mons Esau. *Quanquam sunt qui* Seir *nomen montis esse scribant: In queis Eusebius De locis Ebr. SEIR, inquit,* mons in terra Edom, in qua habitavit Esau, in regione Gabalena: quæ ex eo quòd Esau pilosus esset & hispidus, SEIR, i. *pilosi*, nomen accepit. *His oppono verba Hieronymi modò adducta, tum etiam illa quæ mox consequuntur,* Unus ergò atque idem tribus nominibus appellatur, *Esau*, *Edom*, *Seir*. Posseditque eam regionem quæ nunc *Gebalena* dicitur, & in finibus est Ἐλευθερόπολεως, ubi antea habitaverant Horræi. *Sed tempus est ut ad te veniam, Cl. Bastingi, cujus fidei tutelæque, pro ea qua me non ut amicum sed ut germanum fratrem complexus es humanitate, sic hos meos labores committo ut te illis, si humanitus mihi aliquid contigerit, extremâ cerâ tutorem patronúmve constituam. Bene vale. Ex Musæo nostro, ipsis Kalendis Aprilis* 1592.

I D E M.

ABΔΙΟΥ] Lectio ista est ab Aldo, & ὍΡΑΣΙΣ subaudit, ut & Romana, quæ literâ unâ immutatâ ὈΒΔΙΟΥ edidit. Biblia Antverpiæ cusa à Plantino, ἈΒΔΕΙΑΣ. Placet casus, & est figura Grammaticis nota. ABDIAS pro VISIO ABDIÆ.

1. ὍΡΑΣΙΣ ἈΒΔΙΟΥ] In aliis est ἈΒΔΕΙΟΥ, in aliis ἈΒΔΙΟΥ. Est etiam ubi reperiatur ὈΒΔΙΟΥ. Unde colligimus variè hoc nomen lectum fuisse ab antiquis. Nam & cod. Ebræi hodie ὈΒΑΔΙΟΥ legunt. Cæterùm causa est cur scribi malim ἈΒΔΙΟΥ, penultimâ acutâ, & rectum puto ἈΒΔΙΑΣ potiùs quam Ἀβδειάς, ut Ζαχαρίας, Ἱερεμίας. Sed nihil immutare ausim. ¶ Καὶ περιοχὴν] *Munitionem* interpretatur Hieron. & intelligit de Christo. Ego πολιορκίαν, ut 4 Reg. 24. καὶ ἦλθεν ἡ πόλις ἐν περιοχῇ, i. במצור, ut hoc dicat, *misit qui obsiderent gentes*: vel, *immisit Gentibus hanc mentem ut se accingerent ad premendos obsidione Idumæos*. Sed unde hæc interpretatio? Si rectè divino, quoniam צר est πολιορκεῖν, deductam indè vocem ציר putarunt significare quod vertunt, haud memores eandem Jer. 49. vertisse se ἀγγέλους, qui Ebraicè nuncupantur צירים, cujus sing. est ציר ἄγγελος, *nuncius*, *legatus*. ¶ Ἐξαπέστειλεν] Legerunt שלח, quod absque punctis vocalibus scriptum erat שלח. Eodem modo legit autor ed. Latinæ quam *vulgatam* dicimus. Collocanda autem verba ut sunt in Aldinis, & apud Euseb. Ἀποδείξ. lib. ϛ'. εἰς τὰ ἔθνη ἐξαπέστειλεν.

2. Ἠτιμωμένος] In Jeremia εὐκαταφρόνητος ἐν ἀνθρώποις.

3. Ὑπερηφανία τῆς καρδίας σου] In Jeremia est ἰταμία τῆς καρδίας σου. Est autem ἰταμία *protervia*, *improbitas*, quæ Theophylacto ἰταμότης dicitur Act. 2. ¶ Ἐπῆρέ σε] Pro השיאך *decepit te*, translato puncto à dextro cornu literæ ש ad sinistrum ejusdem, legerunt השׂיאך *extulit te*, sensu sanè, quoniam *superbiæ* mentio, perquam apposito. Cæterùm in ed. Rom. reperi ἐπῆρεσε, unicâ dictione. ¶ Ἐν ταῖς ὀπαῖς τῶν πετρῶν] In Jeremia τρυμαλιᾶς πετρῶν. ¶ Ὑψῶν κατοικίαν αὐτοῦ] In aliis est ὑψῶντα κατοικίαν σου, & mox λέγοντα ἐν καρδίᾳ σου. Pronomen mutarunt, quibus insolens in eodem versu secundæ in tertiam mutatio. Aut Interpretes legerunt Joth in loco Vau, ut sæpe aliás. Quod irà esse omnino mihi persuaderem nisi Græca exempl. inter se variarent. Nam editiones Veneta, Basileensis utraque, & Romana constanter αὐτοῦ exhibent. Agnosco מרום pro מרים, h. e. Vau pro Joth. Quod ità crebrum in his libris ut nihil suprà.

4. Μετεωρισθῇς] תגביה acceperunt passivè, quomodo & Hieron. accepit: nam vertit, *Si exaltatus fueris*. Talia sunt הוביש *puduit*, הלבין *dealbatus fuit*.

5. Πῶς ἂν ἀπεῤῥίφης] Dico legisse eos איך נרדמה, deceptos affinitate literarum Res & Daleth, ut sæpe aliás. Est autem רמא *abjicere* verbum Chaldæis notissimum. Ebræi etiam eo utuntur, sed non ità frequenter. Quinetiam interdum dicunt איכה, quod nos *ubi*, & Chaldæi איכא cum Aleph in fine. ¶ Ἱκανὰ αὐτοῖς] Aliàs ἑαυτοῖς, quod reperies in editis Romæ, & apud Plantinum. ¶ Εἰ τρυγηταὶ ἦλθον πρός σε] Alibi est εἰσῆλθον. Suprà εἰ κλέπται εἰσῆλθον πρός σε. Libri hic nihil variant.

7. Τῆς διαθήκης σου) Jam doctis notius est quàm ut admoneri debeant διαθήκης poni pro συνθήκης. Sic alibi passim in hac editione: & hinc *testamenti* vocabulum usu receptum pro *fœdere*. ¶ Ἄνδρες εἰρηνικοί σου] In nonnullis cod. legitur σοι pro σου. Hic notabis omissam esse ab Interpretibus vocem לחמך, quam alii reddunt τὸν ἄρτον σου, alii οἱ ἐσθίοντες τὸν ἄρτον σου. Vide lectiones meas. ¶ Ἐν αὐτῷ] E. C. ἐν αὐτοῖς. Romana verò αὐτοῖς absque præpositione, quæ abesse potest incolumi sententiâ. Cæterùm in Ebræo est ἐν αὐτῷ.

9. Καὶ πτοηθήσονται] וחתו. Biblia Regia καὶ φοβηθήσονται וראו. Minus hoc est. ¶ Οἱ μαχηταί σου οἱ ἐκ Θαιμὰν] גבוריך אשר בתימן. In editis ad E. C. οἱ πολεμικοί σου ἐκ Θεμάν. Est autem antiquus character, Θεμὰν pro Θημὰν. Pro eodem dicebant Θαιμάν. Sic Βαιθήλ & Βεθήλ, vel, si placet, Βηθήλ. Exemplorum talium pleni sunt libri. ¶ Ὅπως ἐξαρθῇ] Sic & Rom. exemplar. Compl. verò ἵνα ἀποσφάζηται habet.

10. Διὰ τὴν σφαγὴν] Connectunt cum sequentibus hoc sensu, *propter cædem & impietatem quâ usus es in fratrem tuum Jacobum*. Cui sensui hoc repugnat, quòd in Ebræo inter *cædem* & vocem quam nunc *impietatem* reddunt, h. e. ἀσέβειαν, sit distinctio major. *Pausam* vocant. Sed tamen est ubi non dissimilia lector inveniat, vel quia versus malè distincti sunt, vel quia accentus verborum connexionem non dissolvunt. Exempla habes duo in primo capite prophetæ Aggæi. ¶ Ἀδελφοῦ σου] In uno codice duntaxat legitur κατ' ἀδελφοῦ σου quod interpolatum credo ab iis qui quid ἀσέβεια ἀδελφοῦ esset hoc in loco ignorarunt.

11. Δύναμιν] i. *Opes* vel *exercitum*. Pro *opibus* accipitur ibi, Πολλαὶ θυγατέρες ἐποίησαν δύναμιν pro *exercitu* 1 Mach. 3. Καὶ ἔδωκεν ὀψώνια ταῖς δυνάμεσιν αὐτοῦ. Hinc Κύριος τῶν δυνάμεων, i. *exercituum*. ¶ Καὶ ὑμεῖς ἦτε] Ità legendum, non ἦτε. In ed. Rom. καὶ σὺ ἦς. Probo hanc lectionem præ illa priore: nam & cum Ebræo convenit, & præcedit in eodem versu ἀντέστης ἐξεναντίας. Quanquam non ignoro cùm ad populum aut de populo sermo est, promiscuè & singulari & plurali usos fuisse veteres.

12. Ἐν ἡμέρᾳ ἀλλοτρίων] i. נכרים aut נכרי, quod fortè legerunt pro נכרו. Nam proclivis sanè lapsus de Vau in Joth. Dictum autem accipio eo sensu ut *dies Domini*, ut *dies alienorum* intelligatur dies quo alieni vastabant Urbem. ¶ Μεγαλοῤῥημονήσῃς] Μεγαλοῤῥημονῇς est in cod. Rom. ¶ Θλίψεως] Biblia Regia θλίψεως αὐτῶν צרתם. Sed pronomen abest, & à Romana editione.

13. Εἰς πύλας λαῶν] i. עמים. Scribebant interdum עמי cum virgula literam desiderari significante. Alioqui עמי valet λαοῦ μου, quomodo hic legendum esse & veritas Ebraica & ipsa sententia postulat. ¶ Τὴν συναγωγὴν αὐτῶν] Inversis literis, ac si scriptum esset בחילו & non ברעתו, i. ἐν τῇ κακίᾳ αὐτοῦ. Ad hæc, legerunt ר pro ד, ut suprà in נרדמה.

14. Ἐπὶ τὰς ἐκβολὰς αὐτῶν] Rom. ἐπὶ τὰς διεκβολὰς αὐτοῦ. C. ἐπὶ τὰς διεκβολὰς αὐτῶν. Hanc vocem restituo Ezech. 48. 30. Nam ubi vulgò διαβολαὶ τῆς πόλεως, legendum ex Hieronymo διεκβολαί, i. *egressiones* sive *exitus*. Ebræi תוצאת legunt. Eadem vox corrupta Zach. 9. 10. Nam διὰ βολὰς γῆς nullum sensum habet: mihi non dubium quin vera lectio sit διεκβολὰς γῆς. Sunt autem διεκβολαὶ hoc loco *exitus viarum*, sive *diverticula* aut *divortia quæ ex regia via deflectunt*. An ἐκβολὴ eo sensu reperiatur nescio. Legitur quidem certè Act. 27. ἐκβολὴν ἐποιοῦντο, sed alio significatu. ¶ Ἀνασωζομένους ἐξ αὐτῶν] Rom. exemplar ἀνασωζομένους αὐτῶν. ¶ Φεύγοντας ἐξ αὐτῶν] Idem, φεύγοντας αὐτοῦ.

16. Πίονται οἶνον] Pro οἶνον in Ebræo habetur תמיד. An igitur mendum est ex ἀεί? Sed magis ut dicamus Interpretes legisse חמר, quæ vox minimùm differt à תמיד, & Chaldaicè *vinum* denotat. ¶ Καὶ καταπίονται] Sic ed. Veneta. Compl. καταποθήσονται. Rom. καὶ καταβήσονται. In aliis quibusdam καὶ ἀναβήσονται.

17. Καὶ ἔσται ἅγιον] Respexit ad τὸ ἅγιον quod in Templo, ac si diceret, *Mons Sion erit locus sacer & inviolatus*, i. profani eum non violabunt ampliùs. ¶ Κατακληρονομήσουσιν] Toletanum exemplar, κατακληρονομήσει, nempe quia sequitur ὁ οἶκος Ἰακώβ. Sed sciendum in Ebræo esse verbum plurale. ¶ Τοὺς κατακληρονομήσαντας αὐτοὺς] Paulò aliter Jonathan, *opes populorum*, *qui fuerant possidentes ipsos*, i. quorum in potestate antea fuerant. Sed hunc sensum vereor ut probent qui sciunt *heredem* ירש dici, & מורש ipsam *possessionem* sive *hereditatem* denotare. Nam quod nonnulli suspicantur, lectum fuisse ab Interpretibus מורישיהם, parùm solidum est, cùm הוריש in Hiphil non sit *possidere*, sed potiùs *possidentem facere*. Quòd autem convertimus מורשיהם *possessiones suas*, etsi puto rectum esse hoc, tamen moneo verti etiam posse *possessiones ipsarum*, ut pronomen referatur ad *gentes*.

18. Εἰς καλάμην] In quibusdam est καλάμη, & apud Hieron. *erit stipula*, quod pro iis facit qui εἰς ex idiotismo linguæ redundare putant. ¶ Εἰς αὐτοὺς] Refertur ad οἶκος Ἡσαῦ· itaque in aliis est εἰς αὐτὸν, eodem sensu. Prior tamen lectio cum veritate Ebraica magis congruit. ¶ Πυροφόρος] Dicturo quid sit πυροφόρος hoc loco,

Ἔσπετε νῦν μοι, Μοῦσαι.

Hieron. in Comment. ad h. l. *Quos* Agentes in rebus *vel* Veredarios *nunc appellant*, inquit, *veteres* πυροφόρους Frumentarios *appellabant*, ἀπὸ τοῦ πυροῦ *videlicet*, *quod* frumentum *notat*. In hac interpretatione multa mihi non placent. Primùm enim loquitur sine teste, sine exemplo. Deinde ut demus hoc ità esse, quis credat Interpretes; cùm hæc scriberent, eò respexisse? Jam verò quid est, *non erit veredarius domui Esau*? An significat veredarium defuturum qui ferat nuncium hujus cladis ad vicinas gentes? Sed talis deesse potest, ubi tamen non sit excidium universi. Præterea residuus ex clade nuncium perferre potest; qui tamen non sit *veredarius* aut *agens in rebus*. Quid moror Lectorem? Aliquot librorum scriptura est

πυρ-

πυρφόρος: eam confirmat Hieronymus per hæc verba, *Sunt que non πυρφόρον*, *i.* frumentarium, *sed πυρφόρον*, *h. e.* qui gestare possit igniculum, *à Lxx translatum putent.* Hoc posito, quærendum quo sensu hic dictum sit, *Non erit πυρφόρος domui Esau.* Hier. explicat juxta tropologiam, *non solùm frumentarium cessaturum apud hæreticos*, *sed & eum qui lucem Christi habere se simulat. Etenim ipse Satan transfiguratur in Angelum lucis.* Hæc hujusmodi sunt ut in iis acquiescere cui pectus sapit neutiquam possit. In Lexico Hesychii, Πυρφόρος, ὁ πῦρ φέρων, καὶ ὁ μόνος διασωθεὶς ἐν πολέμῳ, i. *flammiger*, *& solus superstes in bello.* Hìc exclamare possem, Ευρηκα. Nam שריד dicitur *residuus in bello.* Sensus ergò idem qui in Ebræo, ac si diceret, *Nemo erit superstes*, aut *residuus.* Ut autem curiosis ingeniis fiat satis, sciendum est parœmiam esse apud Græcos, Οὐδὲ πυρφόρος, *Nè flammiger quidem*: eâ utuntur de exeidio universi. Sic usus est autor antiquissimus Herodotus. Subintelligitur autem *evasit* aut *remansit* vel *relictus est.* Propriè πυρφόρος dicebatur *vates facem gerens ante prima signa*, *quoties procinctæ acies congredi pararent.* Hunc tanquam sacrum, ut Alexander ad Alexandro scribit, *quòd legati munus obiret*, *violare nefas habebant.* Idem accensam facem quam gestabat in hostium terram immittebat, bellùmque denunciabat. Unde πυρσὸν ἀνάπτειν *Facem accendere* proverbio innotuit, pro *bella ciere & contentiones excitare.* Sed satis supérque de his. Qui plura scire cupit, consulat ea quæ scripsimus in adagio, *Nè ignifer quidem supererit*, Classe 1. lib. 3. adag. 43.

19. Οἱ ἐν Ναγὲβ] i. *Habitatores Nageb.* Est autem *Nageb* hoc loco non Idumæa, ut alibi, sed pars ea Judææ quæ ad Austrum vergit. Nam *Auster* Ebraicè Ναγὲβ dicitur. ¶ Τὸ ὄρος τὸ Ἡσαῦ] Est cur legendum putem τὸ ὄρος Ἡσαῦ. Sic enim certè locutus est suprà, καὶ σύνεσιν ἐξ ὄρους Ἡσαῦ. Potest etiam legi τοῦ Ἡσαῦ, ut mox ait τὸ ὄρος τοῦ Ἐφραΐμ. Nam Ἡσαῦ proprium viri est, non montis, nomen. ¶ Οἱ ἐν τῇ Σεφηλᾷ] *Qui planitiem* Judææ *incolunt.* Nam Σεφηλὰ *planities.* Videndum an hoc sensu accipi possit 1 Mach. 12. 38. *& ædicavit Adiada in Sephala.* Hieron. in Comment. ad h. l. IN SEPHALA, *i. in campestribus*, *Lyddam & Emmaus*, *Diospolin scilicet Nicopolinque significat*, *vel omnem illam plagam quæ juxta Actus Apostolorum* Saronas *appellatur. Alii verò putant eam* Sephelam, *i. campestrem regionem*, *quæ circa Eleutheropolin est*, *repromitti*: huc usque Hieron. ¶ Τὸ ὄρος τὸ Ἐφραΐμ] Libri editi ad E. C. τὸ ὄρος τοῦ Ἐφραΐμ habent. In Rom. verò est τὸ ὄρος Ἐφραΐμ. Cæterùm credibilius est Interpretes scripsisse τὸν ἀγρὸν Ἐφραΐμ, vel certè τὸν ὅρον, ut ὅρος hic usurpetur eo sensu quo Ebraicè גבול ponitur, videlicet pro *regione.* ¶ Τὴν Γαλααδῖτιν] Τὴν Γαλαὰδ est in nonnullis cod.

20. Τῆς μετοικεσίας ἡ ἀρχὴ αὕτη] i. Qui primi exsularunt. Nam Israelitæ abducti fuerunt in captivitatem ante Judæos. Hoc notissimum ex historia. Sic Moses quidam homo Ebræus verba Prophetæ interpretatur גלות שהחלו לגלות *exsules*, *qui primi deportati fuerunt.* Cujus rei testis est Abraham qui σοφὸς cognominatur. ¶ Γῆ τῶν Χαναναίων] Hanc scripturam reduces propiùs ad veritatem Ebraicam si legas γῆν τῶν Χαναναίων, quemadmodum ante me Mercerus conjecit. Posses etiam legere τὴν τῶν Χαναναίων, eodem sensu, vel τὰ τῶν Χαναναίων, i. *bona & possessiones Chananæorum.* Sic Græcam scripturam ad Ebraicum textum emendare difficile non est. Lectionem veram & germanam Interpretum indicare, hoc opus, hic labor est: quod absque libris aut collatione locorum fieri non posse judico. ¶ Ἕως Σαρέπτων] Genitivus pluralis à recto Σάρεπτα. In uno codice reperi ἕως Ἀρεφθῶν. Rectum esse puto ἕως Σαρέφθων. ¶ Ἕως Ἀφαρὰθ] Toletana editio ἕως Ἐυφραθὰ malè. Rom. ἕως Ἐφραθά. Quam lectionem confirmat Hieron. per hæc verba, *Ubi nos posuimus* Bosphorum, *in Ebraico habet* Sapharad; *quod nescio cur Lxx* Ephratha *transferre voluerint*, *cùm & Aq. & Sym. & Th. cum Ebraica veritate concordent.* In meo libro (credo etiam apud Aldum ità esse) ἕως Ἀφραθὰ, ex quo non difficile esset restituere veram scripturam, ἕως Σαφαρὰδ aut Σαφραδὰ, nisi nos Hieronymus admoneret de alia, ut dictum est, quam tamen Interpretum esse affirmare non ausim. Potiùs librariis imputaverim, quibus consuetum, cùm duæ literæ similes ità concurrunt, alteram omittere. Ex hoc fonte manavit ἕως Ἀρεφθῶν. Sic alibi ἐν Ὠκὴδ legitur ob eandem causam pro ἐν Νακήδ. ¶ Τὰς πόλεις τοῦ Ναγὲβ] Sic habet & Rom. exemplar; & omnino ità legendum esse patet ex fonte Ebræo, tamen in editis ad Complutense τὸ Ἀγὲβ legitur, duplici errore: primùm enim adest τὰς πόλεις, deinde Ἀγὲβ vox est nihili. Ferrem si esse τὸ Ναγὲβ.

21. Ἀνασωζόμενοι] Σεσωσμένοι ἐν πολέμῳ. Hoc Symmachus emendavit, referens σώζοντες. Vide Lectiones. Superiore versu diximus legendum γῆν τῶν Χαναναίων ità sanè Mercero videtur. Vulgata scriptura est γῆ τῶν Χαναναίων in eam conspirant omnes libri quos viderim: & potest sensus esse, *Exsulum Israelitarum initium erit terra Chananæorum Sareptam usque*; q. d. *initium capiet eorum possessio à terra Chananæorum*, &c. Hoc me fugit ibi annotare: non enim venit in mentem cùm illum locum explicarem. Dices non multùm referre utrùm hæc quis sciat an nesciat. Si ità vis, agè, pergamus ad alia.

IDEM.

1. ציר. Sym. ἀγγελίαν, i. ἄγγελον· est enim quartus casus à recto ἀγγελίας. Potest etiam esse à recto ἀγγελία· sed tunc alium sensum habet. Lex. V. Ἀγγελία, *nunciatio.* Interpretamentum hoc Symmachi est: quod declarat scriptor antiquus Cyrillus, inquiens, Περιοχὴν εἶπεν, ὅς Ἱερεμίας ἀγγέλους, καὶ Σύμμαχος ἀγγελίαν ἐξέδωκεν, Periochen *dixit quos Jeremias* nuncios, *& Sym.* nuncium *retulit.* Vide Theodoretum.

18. שריד. Aq. *reliquus*, Th. & V. *residuus*, Sym. *effugiens*] Hieron. *Sed melius est ut ipsum sequamur Ebraicum*, i. SARID, *quod interpretatur vel* reliquus *juxta Aq. vel* effugiens *juxta Sym. vel secundùm Th. & Quintam ed.* residuus. RELIQUUS, καταλελειμμένος. Theodoretus hoc Theodotioni quoque tribuit. EFFUGIENS, ἐκφεύγων. Suprà v. 14. שרידיו, Lxx τοὺς φεύγοντας αὐτοῦ. Porrò, teste Theodoreto, interpretatus fuit Symm. non ἐκφεύγων, sed διασωζόμενος. Credo ità fuisse in altera Symmachi editione: duas enim vulgavit. Sic Nah. 3. 1. pro פרק מלאה in una legebatur ἀποτομίας πλήρης, in altera verò μελοκοπίας πλήρης.

19. הנגב. Aq. Sym. & Th. ὁ νότος, ἤτοι τὸν νότον] Verba enim Theodoreti ambigua sunt, ubi sic scribit, Ναγὲβ *uno consensu tres Interpretes* Austrum *verterunt*, *quod sic linguâ Ebraicâ Auster vocetur.* Eusebius De locis, NEGEB, *Auster*: *apud Ebræos* NAGEB *dicitur*, *quod Sym. interpretatur* Meridiem. *Sciendum autem quòd eadem plaga apud Ebræos tribus vocabulis appellatur*, NAGEB, THEMAN *&* DAROM, *quod nos possumus* Austrum, Africum, *&* Meridiem *sive* Eurum *interpretari.* ¶ השפלה. Lxx Σεφηλά. A. πεδινή, i. *campestris.* Sym. vallis, κοιλάς] Euseb. De locis, SEPHELA, *sicut scribit Esaias* (leg. *Abdias* fortè) *pro quo Aquila* campestrem, *Sym.* vallem *interpretatur. Usque hodie omnis regio juxta Eleutheropolin campestris & plana*, *quæ vergit ad Aquilonem & Occidentem*, Sephela *dicitur.*

20. ספרד. Aq. Sym. & Th. *Sapharad*] Colligo ex his verbis Hieronymi, *Ubi nos posuimus* Bosphorum, *in Ebraico habet* Sapharad, *quod nescio cur Lxx* Ephratha *transferre voluerint*, *cùm & Aq. & Sym. & Th. cum Ebraica veritate concordent.*

21. מושעים. Aq. σεσωσμένοι. Th. ἀνασωζόμενοι. Sym. σώζοντες] Hier. *Pro eo autem quod nos interpretati sumus*, Ascendent salvatores, *ac Lxx transtulerunt* ἀνασωζόμενοι, *i.* hi qui salvi fuerint, *in Ebraico scriptum est* מושעים. *Qui non*, *ut Aq. & Lxx & Th. passivè* σεσωσμένοι *vel* ἀνασωζόμενοι, *sed juxta Symmachum* σώζοντες, *i. activè*, salvatores, *intelligendi sunt. Siquidem* σεσωσμένοι, *i.* salvati, פליטים *Ebræo sermone dicuntur.* † Ἀνασωζόμενοι, vel σεσωσμένοι. Nam verba Hieronymi ambigua sunt. Elegi tamen ἀνασωζόμενοι, quia Theodotio ut plurimùm cum Lxx concordat. Suprà v. 14. פליטיו, Lxx τοὺς ἀνασωζομένους αὐτῶν.

LIVELEUS.

Dividitur hoc opusculum in duas partes, { Inscriptionem, quæ his verbis continetur, VISIO ABDIÆ. Concionem, indè ad finem.

Inscriptio nos duo docet: Primùm, doctrinæ genus & Prophetiæ modum, nomine *Visionis*, quo intelligitur Divinæ voluntatis de rebus secretis per visionem revelatio. Solebat enim Deus Prophetis hoc modo nonnunquam consilium suum patefacere: Qui ob eam causam ראים 1 Sam 9. 9. & חזים 2 Par. 33. 18. h. e. *Videntes*, vocati sunt. Hinc illa apud Ezech. 7. 26. concinna distinctio, *A propheta visio*, *à sacerdote lex*, *à senibus consilium peribit.* Præter visionem aliæ quoque rationes erant quibus Deus priscis Vatibus arcana sua reclusit. *Multifariam* enim *multisque modis*, ut in ipso limine Epistolæ ad Hebræos scribitur, *Deus olim patribus per Prophetas locutus est.* Mosem familiariùs *facie ad faciem*, *quomodo quis cum amico* suo

suo loquitur, *allocutus est*, Exod. 33. Num. 12. Deut. 34. Quibusdam dormientibus per insomnia apparuit; Num. 12. 6. *Si Propheta inter vos fuerit*, *per visionem aut insomnium cum eo loquar.* Joel 2. 28. *Filii vestri filiaque vestra prophetabunt*, *senes somnia somniabunt*, *juvenes visiones videbunt.* Alii Dei spiritu correpti & afflati de futuris vaticinati sunt: ut Elizæus 2 Reg. 3. 15. Azarias 2 Par. 15. 1. item Jachaziel ibi cap. 20. 14. Cùm igitur Prophetia tot sub se genera, & fortasse plura, comprehendat, Visionem, Familiarem in os collocutionem, insomnium, Divini Spiritûs afflationem, qualis à prophanis scriptoribus ἐνθουσιασμὸς vocatur, sub primo illo hæc Abdiæ Prophetia continetur. *Visio* erat quâ Deus Abdiæ vigilanti, vel in ecstasin rapto hanc doctrinam & vaticinii hujus donum tradidit. Secundo in loco nomen ministri hujus prophetiæ ostendit. Is Abdias dictus est. Verùm quis Abdias fuerit non constat. Qui eum fuisse autumant qui tempore Achabi Prophetas Dei à Jesabelis furore abditos pavit, atque ex Idumæa oriundùm, nihil certi quo id ità esse confirment afferre possunt. Multò quidem rectiùs & verisimiliùs Tremellius eo tempore prophetasse eum judicat quo Esechiel & Jeremias. In quam etiam sententiam Calvinus inclinare videtur, consensu hujus Prophetæ cum Jeremiæ capite 49 ductus. Verùm præter illum consensum horum inter se Prophetarum, alia nobis ratio, eáque, (ut mihi videtur) firmior, ex 11, 14, 16, 20 versibus hujus Prophetiæ suppeditatur; ubi captivitatis Jerosolymitanæ mentio fit, & Idumæorum odii Judaicæ calamitatis tempore declarati: Ea autem Jeremiæ & Esechielis ætate contigit. Itaque si conjecturis hic aliquid tribuendum esset, citiùs profectò existimaverim fuisse eum qui 2 Par. 34. 12. commemoratur opificibus domum Dei instaurantibus præpositus decimo octavo anno Regis Josiæ, cujus tempore Jeremias quoque vaticinatus est, quàm illum alterum qui diu antè sub Achabo floruit. Sed neque illum neque hunc fuisse affirmare ausim, aut à quoquam pro certo credi velim. Prudentis enim est à rebus incertis assensionem suam cohibere. Atque hæc de prima hujus operis parte. ¶ *Sic ait Jehova*] Secunda hic sequitur, nempe Prophetica concio; Quæ ipsa quoque bimembris est. Primùm enim antecedit præfatiuncula, quæ partim autorem hujus vaticinii ostendit, *Sic ait Jehova*, ut ità autoritatem & fidem suis verbis conciliet; partim subjectum, *de Edom*, vel *Idumais*, quorum hic ruina & exitium prædicitur propter eorum magnam crudelitatem & summum odium quo fratres suos Israelitas persecuti sunt. Erat autem Edom Isaaci filius natu major, *Esaw* primùm nominatus. Postea verò ei nomen *Edomo* factum est, ab *edulio rufo* quo primogenituram suam Jacobo vendidit, Gen. 25. 30. *Rubedinem* enim Hebræis ea vox propriè notat. Idcirco hic per Metonymiam pro Esawi nepotibus, nempe Idumæis, ponitur, ut alterum etiam ejus nomen *Esaw* v. 6. eodem modo. ¶ *Auditionem audivimus*] Alterum hic incipit concionis membrum, quo Dei mandata exponuntur: Atque hoc rursum in tres partes tribuitur. Earum prima est Vindictæ denunciatio, ad v. 12. secunda, Dehortatio, indè ad v. 17. tertia, Promissio sive Consolatio, reliquis ab eo loco sequentibus. Denunciationis Propositio his verbis & versu sequente explicatur; *Idumæam* scilicet *ab aliis gentibus contra eam ad bellum congregatis ità vastatum iri ut ejus habitatores præ tanta clade & miseria aliis nationibus contemptui futuri sint.* Eam verò tandem completam & perfectam fuisse discimus ex Mal. 1. 3. & quidem à Babyloniis, ex Jer. 25. 9, 21. ¶ *Et legatum dicentem*, *Surgite*] Hypotyposis est, quâ futuram calamitatem quasi jam præsentem figurat. Sic cùm Jerimias 3. 19, 21. dicit *se sonum buccina & clangorem belli audire*, *vexillúmque videre*, belli jam imminentis signum.

2. *Parvum*] h.e. Vilem, despectum & abjectum, ut Psal. 119. 141. *Parvus ego & contemptus.* Metaphora est Latinis usitata, quia parva ferè despiciuntur. Hinc enim res minimi pretii & contemptæ *parvi fieri* & *parvi esse* dicuntur. Contrariáque ratione honorati, qui in summo pretio habentur, *magni* vocantur. Jonæ 3. 7. *Ex sententia Regis & magnorum ejus*, i. magnatum & principum nobiliorum. Utrumque videre licet Matth. 5. 19. *Quisquis solverit unum ex mandatis his*, *& ità docuerit homines*, *minimus vocabitur in Regno cælorum: quisquis autem fecerit & docuerit*, *is magnus vocabitur.*

3. *Superbia cordis tui te decepit*] Superiorem illam de futura Idumæorum miseria propositionem variis rationibus illustrat & explicat. Primùm verò tacitis ipsorum cogitationibus occurrit, & vanæ fiduciæ quam in regionis suæ defensione posuerunt. Erat enim arduâ rupium altitudine munita, ità ut invia & inaccessa videretur. Indè natam superbam eorum securitatem & inanem confidentiam, quâ se tutos ab hoste fore putabant, duobus hisce versibus confutat comparatione minorum: Quia si vel ipsius cœli altitudine muniti essent, *Deus eos indè dejiceret*, multò igitur faciliùs ex humiliore loco. *Fissuris petra*] Est enim Idumæa regio petrosa & montosa. Ezech. 35. 7. *Tradam montem Seiris desolationi*, *& replebo montes ejus confossis.* Theodoretus in h. l. dicit *Idumaam altorum montium fastigiis munitam esse*; *eóque conscendentes Idumaos evadere ab hostibus solitos esse.*

4. *Exaltares ut aquila*] Sub. *nidum tuum.* Sic enim hac de re loquitur Jeremias c. 49. 16. *Quamvis exaltares ut aquila nidum tuum*, *indè dejicerem te.* Similitudo apta est: Aquilas enim in locis celsis, ac præcipuè saxis arduis & præcipitibus, nidulari, autor est Aristoteles. Quod etiam Jobus 39. 27. confirmat, *An ad præstitutum tuum altum petit aquila? an attolli nidum suum? Rupem inhabitat, & immoratur in scopulo rupis & munitione. Nidum aquila adire difficile est propter altitudines montium in quibus nidificant*, ait Albertus.

5. *An fures*] Comparatione minorum denunciati mali gravitatem amplificat, quòd longè acerbior ab avaris & crudelibus inimicis miseria eos maneat quàm solet afferri vel à furibus & latronibus, qui quædam tantùm surripiunt, non omnia tollunt; vel à mitiore hostium genere, qui vindemiatorum more paucis saltem aliquibus, præsertim è pugna fugientibus, parcunt. Idumæorum enim hostes tantâ inclementiâ fore affirmat ut omnes latebras & recessus scrutaturi sint, nè quicquam omnino relinquant, sive homines sive opes, quin illos in cædem, has in prædam rapiant. Est verò hæc sententia illuminata eâ elocutionis specie quæ *Addubitatio* dicitur, & admirantis exclamatione, figurâ ad animos eorum permovendos efficaci, non vulgaris aut levis alicujus sed mirabilis & incredibilis cladis metu. ¶ *Vastatores nocturni.* Alii, *pradones nocturni.* Hieron. *latrones per noctem.* A Jeremia idem agente id furibus tribuitur 49. 9. *Si fures*, inquit, *noctu venissent*, *perderent quòd satis esset.* *Nocturnos* memorat, quias fures & latrones hoc potissimùm tempore grassari solent. 1 Thess. 5. 2. *Veniet dies Domini ut fur in nocte.* Horatius,

Ut jugulent homines surgunt de nocte latrones.

Virgilius Georg. 3.

———Nunquam custodibus illis
Nocturnum stabulis furem, *incursúsque luporum*,
Aut impacatos à tergo horrebis Iberos.

Hinc (ut Adrianus Turnebus Adversar. lib. 19. cap. 7. observavit) Petronius pro FURIBUS *nocturnos* dixit illis verbis, *Advocati tamen jam penè nocturni*, *qui volebant pallium lucrifacere*, *flagitabant ut apud se utraque deponerentur.* Est autem hoc genus furum atrocius quàm eorum qui interdiu prædantur. Id declarat illa decemviralis Romanorum lex quæ ei qui per noctem furatus esset graviorem pœnam statuit quàm qui interdiu: *Furem enim* vel ob eam causam *occidi permisit*, *si cùm faceret furtum nox esset:* At diurnum, non nisi *se telo cùm prehenderetur defenderet*, ut docet Gellius lib. 11. cap. 18. Cicero etiam in Oratione pro Milone, *Duodecim tabula*, inquit, *nocturnum furem quoquo modo*, *diurnum autem si se telo defenderit*, *interfici impunè voluerunt.* ¶ *Vindemiatores*] Hoc nomine clementius militum genus intelligo, qui non tam avidè sanguinem sitiunt ut neminem fugâ evadere sinant, ut nullos prætereant vel omittant, ut omnes ad necem exquirant & persequantur. Metaphora à Vindemiatoribus sumpta, qui cùm uvas colligunt, non omnes racemos decerpere solent. Deut. 24. 21. *Cùm vindemiabis vineam tuam*, *nè racemato postquam vindemiaveris: peregrini*, *pupilli & vidua esto.* Simili ratione Judic. 8. 2. Madianitarum cædes, à qua multi aufugerant, *vindemia* appellatur; reliquiarum verò persecutio & occisio *racemationi* confertur. Atque Esa. 17. 6. & 24. 13. superstites à gladio *racemis post vindemiam relictis* comparantur.

6. *Pervestigantur Esaw*] h. e. Esawitæ, vel Idumæi, ipsi videlicet homines, ut ad unum omnes intereant. Quod Jer. 49. 10, 11. pleniùs declaratur, *Denudaturus sum Esawum*, *retecturus abdita ejus*, *adeò ut sese abscondere non possit: vastabitur semen ejus*, *fratrísque ejus*, *& vicini ejus*, *adeò ut nullus superstit qui dicat*, *Relinque pupillos tuos.* ¶ *Abdita ejus*] i. Thesauros abditos & repositas opes, quibus Hebræi ab *absconsione* nomen tribuerunt, propterea quòd ab hominibus diligenter & accuratè abdi solent. Vide Matth. 13. 44. Hinc ab Esaia 45. 3. *thesauri tenebrarum* vocantur, aliísque nominibus occultationem denotantibus appellantur, nempe מטמונים Jobi 3. 21. item alibi מכמנים.

7. *Fe-*

7. *Federati tui*] Propositionem illam de calamitate Idumæis ab hoste oppugnante futura, contrariâ ipsorum ad resistendum imbecillitate illustrat, necessariis ad sui defensionem præsidiis ac adjumentis defectorum; Federatorum ac ope, hoc versu; Consiliariorum sapientiâ, sequente; Militum robore & fortitudine, 9. His verò sui contra hostem defendendi rationibus sublatis, decretum ac prænunciatum exitium certò eos exspectare vult, eique contrariam salutem desperare. Simili argumento Rabshake 2 Reg. 18. 20. contra Judæos utitur, negans eos *consilio* vel *fortitudine* suâ vel *Ægyptiorum* adjumento servari posse, ut omnem illis spem salutis adimat, cùm intelligant quæ ad hominum defensionem in bello plurimùm conducunt, sibi vel defutura vel nihil profutura esse. *Locorum* enim *opportunitas*, *sociorum auxilia*, *militum virtus multùm juvant*, ait Orator pro Marcello. Prudentia verò sapientum quantum in bello valet, Agamemnonium illud apud Homerum votum 2 Iliad. facilè ostendit, quo decem Nestoris similes consiliatores optat: Id si sibi contingat, quin Troja brevi peritura sit non dubitat. Tantum autem abesse declarat ut aliquid adjumenti ab amicis sociisque federatis habituri sint, ut contrà eos acerbos & graves adversarios experturi sint. ¶ *Comedentes panem tuum*] h. e. Familiares socii tui, cum quibus tibi mensa & convictus communis erat. Psal. 41. 9. *Vir pacis meæ*, i. amicus, qui mecum pacem colebat, *is cui confidebam*, *qui cibo meo vescebatur*, *contra me calcem sustulit.* Eccl. 20. 16. *Non est amicus mihi: qui comedunt cibum meum vani sunt linguâ.* ¶ *Ponent vulnus sub te*] h. e. Per insidias tibi exitium machinabuntur. Grave erat à federatis deseri; sed à familiaribus, quibus profuerant & victum communicarant, non relinqui solùm sed oppugnari, & eorum inimicitias atque odium incurrere, multò acerbius.

8. *Prudentiam è monte Esawi*] h. e. Prudentes. Metonymia adjuncti, ut Esa. 3. 25. *Homines tui gladio cadent*, & *fortitudo tua bello*, i. fortes tui. Hoc modo *luxuria* pro *luxuriosis*, & *superbia* pro *superbis* ponitur, & *senectus* pro *sene* dicitur à Lucano lib. 2.

——— Sic mœsta senectus
Præteritique memor flebat, metuénsque futuri,

de sene bellorum civilium mala deplorante.

9. *Teman*] Filius erat Eliphazi, & nepos Edomi, Gen. 36. 11. Ejus posteri in aliqua parte Idumææ habitaverunt. Hinc Idumæos designat per Synecdochen, quo modo Israelitæ aliquando *Joseph* & *Ephraim* dicuntur. Amos. 5. 6. *Ut non pervadat velut ignis domum Josephi.* Ose. 4. 17. *Conjunctus est idolis Ephraim; Sine illum.* ¶ *Ab occisione*] Hieron. vertit *propter interfectionem*, & hinc statuit sequentis versûs initium, ut ante eum Interpretes Græci qui *Septuaginta* dicuntur fecerant; *Propter interfectionem* (vel *cædem* & *injuriam*) *quâ fratrem tuum affecisti.* Joel. 3. 19. dicuntur quidem *effudisse sanguinem Israelitarum in terra sua.* Itaque verum etiam illa interpretatio dicit: sed non ob eam causam usitatam & tritam lectionem damnaverim.

10. *Propter injuriam*] Declaratio propositionis à causis quibus ultricem Dei manum accersiverunt. Eæ tres sunt. Prima *injuria* sive *violentia*, i. injusta vis sine causa facta, hoc versu. Secunda, inhumanitas & malevolentia, sequente; quòd miserorum fratrum suorum *ex adverso stantes* spectatores potiùs quàm adjutores fuissent. Tertia, in fine versûs sequentis, hostilis inimicitia; *Eras quasi unus ex illis.* Atrocitas verò horum factorum exaggeratur circumstantiis personæ, *fratris tui*; loci, *cùm stares ex adverso*; temporis, *cùm captiva ejus facultates ducerentur*, & *super Jerosolyma projicerent sortem.* ¶ *Fratris tui*] Amplificatio à personæ circumstantia. Fratres enim Natura ipsa ad se invicem amandos arcto sanguinis vinculo inter se conjunxit. Itàque Deus Deut. 23. 8. cùm Israelitas vetat Idumæos detestari, ab hoc nomine rationem affert; *Ne*, inquit, *Idumæum abominare: frater enim tuus est.* Huc pertinet quod sequitur in fine versûs proximi, *Etiam tu eras quasi unus ex illis. Etiam tu* qui *frater* eras, & propterea quacunque ratione posses illis subvenire debueras, & dolorem potiùs quàm voluptatem ex eorum malis capere. *Frater* enim, ut ait Salomon Prov. 17. 17. *ad angustiam nascitur*, h. e. ut in rebus dubiis & afflictis opem vel solatium ferat. Itaque David cùm suum erga falsò creditos amicos amorem & fidem testatur, dicit se in eorum malis perinde doluisse ac si sibi germani fratres fuissent, aut si sibi propter germani fratris gravissima mala lugendum esset: Psal. 35. 13, 14. *Ego*, inquit, *ægrotantibus illis, pro veste sacco utebar*, & *me jejunio afflixi. Quasi frater mihi esset ambulavi, tanquam lugens matrem atratus curvavi me.* Similiter Ovidius, 1 De Ponto,

Illum ego non aliter flentem mea funera vidi,
Ponendus quàm si frater in igne foret.
Hæsit in amplexu, consolatúsque jacentem est,
Cùmque meis lacrymis miscuit usque suas.

Ex his officiis quæ fratres sibi invicem in periculis amanter præstare solent, Græcis factum illud apud Platonem 2 De repub. proverbium Ἀδελφὸς ἀνδρὶ παρείη. De industria igitur Propheta hoc amabile *fratris* nomen posuisse videtur ad scelus eorum aggravandum: Fratrem enim fratri, misero ipsius tempore, non solùm non adesse, sed insultare etiam & adversari & illudere & lætari, indignum planè & intolerandum est. ¶ *Teget te pudor*] Facies pudefactis rubore suffundi solet & quasi operiri. Hinc Hebræi erubescentes *pudore tegi* dicunt Mich. 7. 10. *Videbit inimica mea, eámque teget pudor.* Psal. 69. 7. *Propter te sustineo opprobrium, operit ignominia faciem meam.* Pacuvius in Periboea ità locutus est, *Nam si te tegeret pudor, sive adeò cor sapientiâ imbutum foret.* ¶ *Exscinderis in seculum*] Quod nonnulli hinc colligunt, aliam eam fuisse Idumæorum cladem quam Jeremias 25. 9, 21. à Babyloniis eos passuros esse prædicit, ab ista quam Abdias denunciat, quòd illi certum tempus præfinitum sit LXX annorum, huic autem nullus sit finis præstitutus, me nihil movet: Nam & Jeremias eam ipsam à Chaldæis inferendam desolationem profanis gentibus æternam fore ostendit v. 9. illius capitis 25. *Adducam*, inquit Deus, *Regnum Babyloniæ contra omnes gentes circumquaque*; *eásque exponam desolationi*, *sibilo ac vastitatibus perpetuis.* Et Malachias 1. 4. de eadem jam antè à Babyloniis consummata loquens, eam perpetuam fore confirmat: *Esawi montes in desolationem redegi*, *possessionémque ejus in habitaculum draconibus deserti. Si verò dixerint Idumæi se rursum vastata loca ædificaturos, sic dicit Jehova, ipsis ædificantibus ego destruam*, & *vocabuntur terra improbitatis*, & *populus cui indignatus Jehova in seculum. Excisi* autem *in seculum* dicuntur, & *vastata* eorum regio *in perpetuum*, non quòd habitata postea non fuerit: (certum enim est tandem incolis eam iterum repletam fuisse) sed quia à solis Idumæis eo quo antè jure, ex quo semel indè migrarant, nunquam possessa fuit. Veteribus Idumæis expulsis novi coloni successerunt, mixti illi quidem, ut probabile est, cum quibusdam Idumæis eò revertentibus: Verùm toti Idumæorum genti ab ea clade superstiti eò iterum redeundi nunquam postea facultas concessa est, ità ut novis illis colonis sibi cedentibus pristinum suum statum recuperarent. Sic Israelitarum in Assyriam deportatorum captivitas *æterna* vocatur, quia etsi eò post illam eorum dissipationem multi redierunt, toti tamen populo revertendi potestas nunquam facta est, ut priore suâ reipublicæ formâ receptum Regnum administrarent. Ità quod dicit Eschiel de Idumæa æternùm desolanda intelligo, c. 35. 9. *Desolationibus perpetuis tradam te*, & *civitates tuæ non restituentur.* Atque Esaias 34. 10. *Idumææ fumus in sempiternum ascendet: à generatione in generationem vastata manebit.* Ità enim quod à Jeremia 25. 9. de aliarum gentium *semper duratura vastitate* prænunciatur. Nam quòd *septuaginta annis Regi Babyloniæ eas servituras* affirmat, servitutis earum finem non statuit, sed Imperii Babylonici modum definit à LXX annis delendi, ut 11 & 12 ejusdem capitis versus monstraverint.

11. *Stabas ex adverso*] Vel *è regione.* Habitus est spectantis alium in malis, opémque suam detrectantis. Tantum enim aberat ut fratrum suorum misererentur, illisve succurrerent, ut etiam ex adverso stantes luctuosam eorum calamitatem læti intuerentur. Id copiosè sequentes versus declarant, *Ne læteris de Judæis in die exitii ipsorum*; *ne aspicias malum ejus die calamitatis ipsius.* Illa enim dehortatione significat hæc ab illis fieri solita esse. Quod etiam Ezechiel 35. 15. testatur, *Secundùm lætitiam tuam de Israelitarum possessione eò quòd desolaretur*, *ità faciam tibi.* ¶ *Quo die captivas abduxerunt*] Exaggeratio criminis ab adjuncto temporis. Miseris enim calamitoso eorum tempore insultare, eósque læto vultu spectare, summam malevolentiam arguit, & extremam hominis nimis immisericordis inhumanitatem. Est enim illud tempus quod lacrymas potiùs elicere ex aspicientium oculis debeat quàm risum illis movere. Paulus Rom. 12. *flere cum flentibus.* Idque postulat illa sympathia quâ *uno membro patiente reliqua unà dolent*, 1 Cor. 12. 26. Hac de re Jobus c. 31. 29. tanquam de atroce scelere se studiosè purgat, *Si lætatus sum in calamitate inimici mei*, & *excitavi me cùm obvenit ei malum.* Ausonius ex Pittaco Mitylenæo eum qui *dolorem infelicium ridet dementem* esse affirmat. ¶ *Projecerunt sortem*] Victores victos eorùm-

rúmque bona inter se factâ sortitione dividebant. Nah. 3. 10. *Abiit in captivitatem, super honoratos ejus projecerunt sortem, denique omnes magnates ejus vincti fuerunt compedibus.* Joelis 3. 3. *In populum meum projecerunt sortem, puerúmque pro meretrice exposuerunt, & puellam pro vino vendiderunt.* Quàm hoc acerbum sit, Hectoris Andromache apud Poetam Æn. 3. declarat,

O felix una ante alias Priameïa virgo,
Hostilem ad tumulum Trojæ sub mœnibus altis
Jussa mori, quæ sortitus non pertulit ullos,
Nec victoris heri tetigit captiva cubile.

¶ *Quasi unus ex illis*] Idumæos enim Judæorum facultates diripuisse, aufugientibúsque obstitisse, eósque qui evaserant prodidisse, ex v. 13 & 14. verisimile fit, ubi eos Abdias dehortatur nè deinceps ità faciant. Eorundem verò instigatione auctus hostium furor est, ad quos clamitabant, *Nudate, nudate ad fundamentum usque*, Psal. 137. 7. ut non immeritò in hostium numero haberi videantur.

12. *Nè ergò*] Secunda hîc incipit mandati Divini pars tribus versibus comprehensa, nempe Dehortatio sive Admonitio, Nè Idumæi in calamitosos suos fratres se insolentiùs aut crudeliùs gerant, quemadmodum antè consueverant, voluptatem ex eorum miseria capiendo, eis insultando & superbè illudendo, eorum opes diripiendo, fugientibus obstando, elapsos prodendo. ¶ *Adspicias*] h. e. Nè læteris in ea, nè capias voluptatem ex illius aspectu, ut ex sequentibus liquet. Sic Psal. 22. 17. *Ipsi verò intuentur & aspiciunt me.* Quæ enim hominibus voluptati sunt, ea cupidè & lætè intuentur; ut contrà ab illis quæ displicent avertunt oculos. Theodoretus ad h. l. id rectè declarat, Τὸ δὲ, Μὴ ἐπίδῃς, ἀπὸ τῆς κοινῆς εἴληφε χρήσεως· εἰώθασι γάρ τινες λέγειν, Ἐπεῖδον τὸν δεῖνα, τȣτ᾽ ἔςιν, ἐφήσθην αὐτῷ κακοῖς προσπαλαίοντι, *Quod*, inquit, *hic dicitur*, NE ASPICIAS, *à communi usu sumpsit. Solent enim quidam dicere, Vidi talem, h. e. eo sum delectatus quòd malis oppugnetur.* Hinc Albinovanus in Epicedio ad Liviam de morte Drusi,

At tibi jus veniæ superest, Germania, nullum:
Postmodo tu pœnas, barbare, morte dabis.
Consistam, lætisque oculis lætúsque videbo
Strata per obscœnas corpora nuda vias.
Hunc Aurora diem spectacula tanta ferentem
Quamprimùm croceis roscida portet equis.

¶ *Diem fratris tui*] *Diem* hîc vocari diem pœnæ & afflictionis idem Theodoretus annotavit: Annotatio verissima. Sic enim Psal. 137. 7. *Recordare contra Idumæos diem Jerosolymæ*, ait Psaltes, diem calamitatis ipsius intelligens. Synecdoche generis est: Quo modo *tempus* etiam pro *tempore adverso & calamitoso* dicitur. Utriusque exemplum est Esa. 13. 22. *Appropinquat tempus ejus, nec dies ejus proferentur.* ¶ *Alieni exitii ejus*] Variis nominibus clades Israelitarum vocatur, ad aggravandum Idumæorum odium & crudelitatem. Primùm נכר, quod quidam *alienationem* interpretantur: Sed potiùs, si ità bona cum Latinorum venia dicere licet, *alienitatem* significare videtur. Eam enim vim habet quam Latina lingua ut propriè & aptè unâ voce exprimat nescio. Nam non tam alienantis actionem quàm ipsam rei alienæ qualitatem & conditionem notat; Strangenesse Anglicé. Hinc per Metonymiam adjuncti *alienam calamitatem* designat, h. e. insolitam & novam quandam calamitatem, mirabilem plagam, & insuetum exitium. Nova enim & insolita ac mirabilia Hebræi *aliena* & *extranea* vocant per Metaphoram. Esa. 28. 21. *Ut in monte Peratsim exsurget Jehova, & ut valle Gibeonis irascetur, ad faciendum factum suum extraneum, & operandum alienum opus suum*, h. e. inusitatum & admirabile genus pœnæ, Sic etiam נכר nomen diversæ quidem formæ, at ab eadem radice & ejusdem notionis, Jobi 31. 3. usurpatur; *An non calamitas pravo, &* נכר *operantibus iniquitatem? Raram quandam & inauditam miseriam* omnes, quos mihi videre contigit, Hebræi Scholiastæ ibi intelligunt. Tremellius etiam *monstrosum exitium* interpretatur. Jam verò hoc excidium Jerosolymitanum mirabile & stupendum fuisse, Jeremias Lam. 1. 9. testatur: *Mirabiliter*, inquit, *dejecta est*, de desolata Jerosolyma loquens. Judæorum ruinam mirabilem fore prædixerat Deus 2 Par. 7. 21. *Si deserueritis mandata mea, exstirpabo vos è terra mea, & domum meam à facie mea abjiciam, & juxta eam transeuntes stupebunt, dicentes, Quare fecit Jehova sic huic terræ & domui?* ¶ *Magnifices os tuum*] *Magnificare os* Hebræum genus loquendi est pro *afflictis superbè & contumeliosè illudere, ac intolerandis probris insultare.* Pro quo *magnificare ore* dicitur ab Ezechiele eandem Idumæorum insolentiam arguente, cap. 35. 13. *Magnificastis contra me ore vestro*, &c.

13. *Neque extendas se manus*] Alii, *nè extendas manum*, eâdem sententiâ. Est verò hîc ellipsis nominis יד post verbum שלח, ut 2 Sam. 6. 6. *Extendit Uzza ad arcam* (sub. *manum suam*) *& tenuit eam.* *Extendi* verò *manus* dicuntur *ad opes* cùm in illis diripiendis versantur. Lam. 1. 10. *Extendit manum ad desideria ejus.* Esth. 9. 10. *Ad prædam verò non miserunt*, vel *extenderunt, manum.*

14. *Ne stes ad rupturam*] Videlicet, ut aufugientibus aditum occupes nè evadant: Per rupturas enim effugia patent. Amosi 4. 3. *Per rupturas exibitis.* ¶ *Profugos ejus*] פליט adjectivum est, Hebræis *eum* denotans *qui effugit* vel *evasit*, h. e. *profugum.* Ut enim *profugio* interdum tantundem valet atque *effugio, evado* (Cicero 7 Ver. *Qui ex prædonum insidiis, qui ex tempestatum periculis profugissent*, h. e. evasissent:) Sic *profugus* dicitur nonnunquam qui ex periculis aut malis evasit. Plinius l. 7. c. 28. *M. Sergius bis ab Annibale captus, bis vinculorum ejus profugus.* Pagninus *evasores ejus* vertit, verbum è verbo aptè, sed non satis Latiné. Tremellius verò, *eos qui evadunt ex eo*, ad sensum verè, Latiniùs etiam; sed minùs ad verbum apté. Rectiùs Castalio, *elapsos ejus.* Nam ELABOR sæpe *evadere* significat, ut vox Hebræa פלט. Virgilius Æn. 2.

Ecce autem elapsus Pyrrhi de cæde Polites
Porticibus longis fugit, per tela, per hostes.

Cicero in Epistolis ad Atticum de Pompeio à Cæsare fugiente, *Elapsus è soceri manibus ac ferro, bellum terrâ marique comparat.* Utraque igitur harum interpretationum proba est, *profugos ejus*, vel *elapsos ejus.* ¶ *Neque prodas*] Per gradus à minoribus ferè malis ad majora & atrociora ascendit; à *spectatione* ad *lætitiam*; indè ad *insultationem* & *superbiloquentiam*: Eam sequitur *direptio*; ac tandem ultimo loco *proditio.* Hoc gravissimum est, & summam malevolentiam arguit, miseros ac ærumnosos homunciones, qui fugâ vitam suam servare quærunt, prodere, ac hostibus ad necem tradere.

15. *Nam propinquus est dies*] Ratio est superioris dehortationis, à metu talionis: Brevi enim Deum ultionem sumpturum esse de omnibus gentibus affirmat, itaque inter eas etiam de Idumæis, eóque tempore eis par pari relaturum: Itaque cavendum illis esse nè se insolentes aut feros contra Dei populum præbeant, si sapiant. Magna enim est eorum inscitia qui ex alienis malis voluptatem capiunt, cùm æquè graves ærumnas sibi ipsis impendere sciant. Nullâque ratio ad homines cohibendos nè tristi ruinâ afflictos ludificentur valentior est quàm si metuant nè ipsi quoque propediem simili casu dejiciantur. Itaque frequens est hoc genus dehortationis. Ovidius,

Quæ tibi res animos in me facit, improbe? cúrve
Casibus insultas quos potes ipse pati?
Tu memor humanæ sortis, quæ tollit eosdem,
Et premit, incertas ipse verere vices.

Tibullus,

At tu qui lætus rides mala nostra, caveto:
Mox tibi non unus sæviet usque deus.

Inter sententias μονοςίχȣς quæ magna ex parte Menandri esse dicuntur, hæc una est,

Μὴ ἔμβαινε δυςυχȣ̃ντι, κοινὴ γὰρ τύχη.

Quare sapienter Ulysses apud Sophoclem in Ajace negat sibi jucundum videri inimici sui Ajacis miseriæ spectaculum, quòd calamitates ejusmodi communes esse sciat. Et meritissimò Jeremias Lam. 4. 22. hanc Idumæorum malevolentiam & insaniam deridet, *Lætare*, inquit, *filia Edomi, & gaude: etiam ad te poculum transiturum est.* ¶ *Ut fecisti, fiet tibi*] Idem confirmat Ezechiel ità fore in fine capitis 35. *Secundùm lætitiam tuam de possessione domûs Israelis, eò quòd desolaretur, ità faciam tibi: desolatissimus eris, mons Seir, & tota Idumæa quantacunque est.* Justissimum verò hoc Dei judicium est ut maleficis par pati rependat. Hinc *talio* dicitur, & Græcè, ἀντιπεπονθὸς: quòd qualia quis fecerit, talia patiatur. Adonibezeco, Jud. 1. 6. id tandem mali quo alios affecerat hâc Divinâ talione repensum est, pollicibus & hallis suis amputatis: quod ille

ille ibi fatetur, *Ut feci, ità mihi Deus retribuit.* Et ejusdem libri cap. 8. 19. qui crudeles se in aliis occidendis præbuerant, æquam tandem mercedem receperunt. Phineus, cùm filios suos novercæ suasu excæcasset, eandem postea cæcitatem expertus est. Ovidius,

> *Quid fodis immeritis natis sua lumina, Phineu?*
> *Pœna reversura est in caput ista tuum.*

Diomedes Rex Thracum equos pavit carne humanâ; idémque ipse tandem passus est, suis ab Hercule pabulum armentis datus. Seneca de inferorum pœnis,

> *Quod quisque fecit patitur: autorem scelus*
> *Repetit; suóque premitur exemplo nocens.*

Judicaverunt scilicet Poetæ Latini talionem improbis justissimam mercedem esse. Neque hoc judicio à vero aberraverunt: Justissimi enim Legislatoris, ipsius Dei, æquissima hæc lex est, Lev. 24. 19. *Quod quis proximo suo fecit, fiet illi; fractura pro fractura, oculus pro oculo, dens pro dente,* &c. Christus etiam ipse talionis metu homines absterret à temerariis & pravis judiciis, Matth. 7. *Quo enim*, inquit, *judicio judicatis, judicabimini; & quâ mensurâ metimini, vicissim metientur vobis.* Similiter ferè hic noster Abdias, *Ne aspicias miseriam Judæorum cum voluptate & gaudio, nè ludificeris, diripias, prodas eos: quemadmodum enim facis, fiet tibi; meritum tuum redibit in caput tuum.*

16. *Nam ut bibistis in monte sancto meo*] Generale illud (de quo versu antecedente locutus est) gentium inimicarum supplicium arguitur comparatione earum cum Israelitis, qui antè castigati fuerant. Si enim Deus suis peccantibus non parcit, quæ potest alienis & extraneis corruptioribus spes impunitatis relinqui? Itaque Jeremias cap. 25. 29. eodem argumento contra alias nationes disputat, *populum meum malis afficere, & vos impunes eritis?* Eodem etiam Petrus, 1 Epist. 4. 17. *Tempus est quo incipiat judicium à domo Dei. Quòd si primum incipit à nobis, quis erit finis eorum qui non parent Dei Euangelio?* In communi verò omnium gentium pœna nulla causa erat quàre Idumæi impunitatem exspectarent; præsertim cùm in consanguineum sibi sacrum Dei populum hostili animo essent, cúmque summo odio prosequerentur. Itaque Jeremias eodem argumento hoc contra Idumæos speciatim utitur cap. 49. 12. *Quorum nullum jus erat bibendi bibunt, & tu impunis esses? non eris, sed bibes.* Apostrophe est ad Judæos, quos deinceps ad finem usque capitis solatur, ut rectè Mercerus & Tremellius post Aben Ezram judicaverunt. Sensus est, *Ut populus meus Sione bibit, ità etiam alii bibituri sunt.* Id facilè probaverit hujus loci collatio cum verbis illis paulò antè allatis ex Jer. 49. 12. *Sic ait Jehova, Quorum nullum jus erat bibendi,* &c. *Bibere* verò ab Hebræis dicuntur qui puniuntur & castigantur. Ezech. 23. 32. *Quia ambulasti in via sororis tuæ, tradam poculum illius in manum tuam, poculum sororis tuæ bibes.* Matth. 20. 22. *Potestísne bibere poculum quod ego bibiturus sum?* Nec verò S. literarum solùm, sed etiam profanarum locutio est. Plautus in Casina,

> *Indè foràs tacitus exeo cum ornatu quo vides;*
> *Ut senex hoc eodem poculo quo ego bibi biberet.*

Metaphora sumpta videtur à conviviorum consuetudine, in quibus quantum quisque, & quo modo temperatum, biberet præscribebat συμποσίαρχος, qui *arbiter* etiam & *magister convivii* dictus est, & à Plauto *dictator*, quia bibendi leges ferebat, quas violari nefas erat, ut docet Muretus in Catullum Epigram. ad puerum suum, in ea verba,

> *Ingere in calices amariores*
> *Ut lex Posthumiæ jubet magistræ.*

& Lambinus ad ea verba Horatii,

> *Nec regna vini sortiere talis,*

& Lipsius lib. 3. Antiq. lectionum. Hoc verò bibentibus multis modis molestum erat; à mensura, si major quàm ferre commodè possent: à potu ipso, si vel tenuior, vel fortior, vel amarior, vel acerbior esset. Itaque liberari illâ ad præscriptum & legem alterius bibendi necessitate, pro magno commodo & beneficio habetur apud Horatium Sat. 6. lib. 2.

> ——— *Prout cuique libido est,*
> *Siccat inæquales calices conviva, solutus*
> *Legibus insanis.* ——

Quo in sensu haud scio an illud si accipiendum Esth. 1. 8. *Potitionem juxta legem nemo exigebat. Rex enim constituerat ut pro uniuscujusque voluntate facerent.* Quia igitur id bibere cogi à quo abhorrebant hominibus grave erat, indè factum ut *poculum* pœnæ merum significet, & supplicio affecti *bibere* dicantur. ¶ *Jugiter*] Hàc voce discrimen inter Judæos & alias gentes statuit. Illis enim ad certum temporis spatium gravissima mala captivitatis perpessis, tandem castigationis poculum ablatum est, nè postea ampliùs biberent; Esa. 51. 22. *Recipiam è manu tua poculum æstûs mei; non perges bibere illud ampliùs:* at aliæ gentes non biberunt solùm, sed perpetuò etiam biberunt. Æterna enim earum desolatio fuit, qualem antè Idumæis speciatim v. 10. minabatur. Utrumque, tam gentium vastandarum numerum, quàm vastitatis continuationem, confirmat Jeremias 25. 9. *Omnes gentes circumquaque vastitatibus perpetuis exponam.* Hîc igitur mirifica Dei potentia & bonitas erga populum suum eluxit, quòd ex tot gentibus profligatis & dispersis Judæos solos, quemadmodum antè per Prophetas promiserat, reduxit. Illi enim post LXX annos expletos, autore Deo, Persarum Regibus permittentibus, in terram suam reversi pristinam suam conditionem recuperaverunt, aliis interea populis in desolatione sua permanentibus. LXX Interpretes pro תמיד *jugiter* hîc οἶνον posuerunt. Ex quo eos חמיר legisse conjicio. חמר enim *merum* denotat. Quæ lectio quanquam rectè huic loco congrueret, priorem tamen illam ei præfero. Quidam verò etiam ex veteribus Hebræis legerunt סביב, *Omnes gentes circumquaque*; ut ex Eliæ Masoreth hammasoreth videre licet, oratione 8 in fine, & Concordantiis Hebræis, ubi hæc lectio manet, & primâ majorum Bibliorum Venetiæ cum quibusdam Rabinis excusorum impressione, quâ ad marginem סביב apponitur. Verùm quin prima & recepta illa lectio sit verior non dubito, cùm non solùm à Masoritis confirmetur, illâ alterâ repudiatâ in illo loco Eliæ, כמוהם ביה׳ כפי׳ לכתב סביב, verùm etiam à veteribus Interpretibus Chaldæo & Hieronymo, ac præterea ejus vestigia in ea quam LXX secuti esse videntur appareant. Propè enim ad תמיד accedit חמיר characterum similitudine. Quod verò ad Venetianas illas Annotationes attinet, earum autore nihil imperitius fuit, ut idem Elias memorato libro, Præfatione ejusdem tertiâ, testatur. ¶ *Absorbebunt*] Totum exhaurient, non paululum bibent, aut guttatim delibabunt. Ad calamitatis magnitudinem hoc pertinet. Magnam afflictionis & vindictæ mensuram eos manere significat, non parvam aut vulgarem aliquam pœnam. Sic Ezech. 23. 32. *Profundum & latum poculum bibes, ebrietate repleberis.* ¶ *Eruntque ac si non fuissent*] h. e. Prorsus peribunt; ità ut non major eorum recordatio futura sit quàm si nunquam omnino exstitissent. Ità loquitur Sirachides c. 44. 9. *Sunt etiam quorum nulla est memoria, qui perierunt quasi non exstitissent, & fuerunt quasi non fuissent.* Job. 10. 19. *Quasi non fuissem, ero.* Idem ferè est Ezech. 26. 21. *In nihilum te redigam, & nusquam eris, quæsitáque deinceps nunquam invenieris.* Quod ità Chaldæus Interpres reddit כדלא הויתא אתנינך *quasi nusquam fuisses ponam te.*

17. *In monte verò Sionis*] Secundum Propheticæ concionis menbrum Dei mandatis expositis, Denunciationem, Dehortationem & Consolationem continere diximus. Priores illæ Minitantis ac Dehortantis partes hactenus absolutæ sunt: posteriores sequuntur, Consolantis sive Promittentis. Ac promissio quidem Euangelica est, quâ Propheta in Christo quatuor potissimùm bona populo Dei pollicetur; Primùm, salutem & liberationem, illis verbis, *In monte verò Sionis erit evasio, eritque sanctus*; tum victoriosam contra inimicas nationes potentiam, v. 18. deinde, restitutionem in veteres possessiones suas plenè recuperatas, atque etiam dilatatas, duobus sequentibus; denique, imperium & dominium in Idumæos, ultimo. ¶ *Erit evasio*] Improbis & profanis æternùm perditis, in Ecclesia fidelium liberatio erit. Joel. 2. 32. *Quicunque nomen Dei invocaverit, salvus erit; & in monte Sionis ac Jerosolymæ evasio erit.* ¶ *Sanctus*] Liberabitur à profanarum gentium ditione & possessione, quâ *profanari* dicitur. Esa. 47. 6. *Efferbueram contra populum meum, possessionem meam profanaveram, & tradideram eos in manum tuam.*

18. *Erit domus Jacobi ignis*] Ecclesiæ potentiam in hostibus vincendis & perdendis declarat, similitudine Ignis stipulam consumentis. Nam præcones Euangelii vi verbi Divini damnationem & exsilium improbis afferunt, ipsorum culpâ, quòd incredul

creduli & contumaces sint, nec verbum prædicatum fide recipiant. Hinc Dei ministri *odor* improbis *mortis ad mortem* esse dicuntur, 2 Cor. 2. 16. & *sermo Dei gladio ancipiti penetrantior* ad Heb. 4. vocatur. Eadem adversùs improbos fidelium Doctorum potentia Mich. 5. 8, 9. ostenditur, *Erunt reliquiæ Jacobi inter populos velut leo inter bestias*, &c. Hoc verò ad plenum implebitur ultimo judicio, quo omnes improbi æterno exitio, prout illis ex verbo Dei denunciatum fuerat, adjudicabuntur.

19. *Et possidebunt pars Australis montem Esavi, & humilis regio Philistæos*] Judæa Jos. 15. in quinque partes divisa est. Ex quibus una ibi v. 21. נגב, i. *Australis, prope Idumæam*; altera שפלה, i. *humilis*, dicebatur, vicina Philistæis 33. versu ejusdem cap. Docet igitur hîc Abdias Israelitas non solùm pristinam hereditatem suam cum sua justa magnitudine & plena integritate obtenturos, tam quod ad longitudinem quam latitudinem attinet; sed etiam eandem amplificaturos. *Australem* enim Judææ regionem *Idumææ* conterminæ, *humilémque* adjacentis *Palæstinæ* adjectione, & *Binjaminem Gileade* auctam fore dicit. Quo nihil aliud significat quàm, Ecclesiam Christianam præ fidelium multitudine mirum in modum dilatatam fore, ut angustiores futuri sint veteris illius Ecclesiæ Israeliticæ termini quàm ut tanto numero capiendo sufficiant. Sic Zacharias c. 10. v. 10. *Reducam eos è terra Ægypti, & ab Assyria congregabo eos, & in terram Gileadis Libanique adducam eos: sed non sufficiet eis.* ¶ *Binjamin possidebit Gileadem*] Propagabit & extendet suam habitationem ultra Jordanem, ac præ maxima multitudini *Gileadem* etiam *tenere & possidere* cogetur. Hieronymus & Hebræi Scholiastæ cum aliis quibusdam ità intellexerunt, quos libenter sequor.

20. *Quod Chananæorum fuit usque ad Sareptam*] Erat oppidum ad Sidonem quod propterea *Sarepta Sidonis* appellatur 1 Reg. 17. 9. In illis verò locis Cananæos habitavisse ex Jud. 1. 31, 32. didiceris. *Asher non expulit habitatores Sidonis: Itaque habitabat inter Cananæos illius terræ habitatores, eo quod non expulit eos.* Item ex Matth. 15. 22. *Egressus illinc Jesus recessit in partes Tyri & Sidonis: & ecce mulier Chananæa à finibus illis egressa clamavit.*

21. *Servatores*] Apostoli, Pastores, aliique Euangelii præcones & doctores hic *servatores* appellantur, quia eorum, sub Christo, ministerio Deus utitur ad suorum salutem, eorúmque operâ fideles servantur. Hinc illi quoque *servare* dicuntur 1 Tim. 4. 16. *Attende tibi ipsi, & doctrinæ: persiste in istis. Id enim si feceris, & teipsum & eos qui te audierint servabis.* Jac. 5. 20. *Qui averterit peccatorem ab errore viæ suæ, servavit animam à morte.* Micheæ verò 5. 6. Christus per eos *eripere* dicitur: *Assyrius cùm venerit in terram nostram, contra eum septem pastores & octo toparchas ex hominibus statuemus: Eripietque ab Assyrio, cùm terminum nostrum calcaverit.* ¶ *Ut judicent*] h. e. Ut Idumææ præsint, Idumæos regant & gubernent, illis jus dicentes: quod imperii signum est. Sic servatores illi quos Dominus quondam Israelitis mittebat ut eos ab injuriis vicinarum gentium defenderent, judices erant & gubernatores populi. Ea Merceri ad hunc locum expositio est: Quam ego ut probem facit, quòd Apostolis & doctoribus eâdem ratione sub Christo *imperium* & *dominium* tribuitur quâ *servatores* nominantur. Esa. 14. 2. *Possidebunt Israelitæ populos, & in exactores suos dominabuntur.* Ps 47. 3. Hanc conversarum ad fidem gentium gubernationem intelligens Propheta dicit *populos Judæis, Gentésque sub eorum pedibus subjectum iri.* Hinc loco illo paulò antè ex Michea citato *pastores* atque etiam *principes* appellantur. ¶ *Et erit Jehovæ Regnum*] Christus per Euangelii prædicationem ubique regnabit. Etenim *Regnum Dei* variè dicitur: POTENTIÆ, quo omnibus creaturis dominatur, easque vel ipsarum ingratiis, pro libito ad nutum suum paratas & subjectas habet. Hujus præclarum elogium & illustre testimonium est 1 Par. 29. 11. *Tua est, ô Jehova, magnitudo & potentia & gloria & æternitas ac majestas; imò omnia in cælo & in terra: Tuum est, Jehova, Regnum, ut qui te extollis supra omnia in caput: Tu dominium habes in omnia, & in manu tua vis ac potentia.* GLORIÆ, quo Deus ab electis in cœlo cum Christo Capite conjunctis perpetuùm glorificabitur: De quo illud accipiendum Gal. 5. 21. *Qui talia agunt, regni Dei heredes non erunt.* GRATIÆ, quo spiritualibus & Divinitus validis armis *captiva ducitur omnis cogitatio ad obediendum Christo*, ut loquitur Paulus 2 Cor. 10. 5. Quo homines ad obedientiam fidei conversos Deus per manum Filii sui in ipsorum salutem regit & gubernat, spiritualibus bonis ad vitam æternam locupletatos. Huic Christi sive (ut vocitatur) Gratiæ Regno Matthæus cap. 11. *vim afferri* dicit, atque de eodem quod hîc legitur intelligendum est. Itaque quod pluribus antè, ratione ipsorum ministerii tributum est, ut *servare* & *judicare*, i. gubernare, decernitur; hîc uni Christo, ut summo Principi, propriè veréque tribuitur. Ille enim solus Ecclesiæ suæ Caput & Pastor unicus est. Ose. 1. 11. *Præponent sibi caput unum.* Ezech. 37. 24. *Servus meus David*, i. Christus, *Rex super eos erit: & omnibus ipsis pastor unicus erit.* Hinc Esaias 19. 20. de Christo singulari numero loquens, *Mittet eis*, inquit, *servatorem & principem qui eripiat eos.*

Brevis Abdiæ Analysis.

Audiæ duæ partes:

- *Inscriptio; quæ duo indicat,*
  - *Genus Prophetiæ fuisse* visionem.
  - *Vatis & Scriptoris nomen*, Abdiam.
- *Concio: hic est*
  - *Præfatiuncula: Ea ostendit*
    - *Autorem*, Jehovam.
    - *Subjectum*, Idumæam.
  - *Mandati Divini declaratio: cujus tria membra;*
    - *Denunciatio belli exitialis*, 1, & 2. *versibus. Quæ variis argumentis declaratur; Comparatione minorum*, 3, 4. *item* 5, 6. *Contrario, proximis tribus; Causis*, 10, 11.
    - *Dehortatio ab insultatione, direptione, & maligna proditione*, 12, 13, 14. *Ejus αἰτιολογία est duobus sequentibus.*
    - *Consolatoria promissio*
      - *Salutis & liberationis*, 17.
      - *Victricis in hostes potentiæ*, 18.
      - *Recuperationis veterum possessionum auctarum*, 19, 20.
      - *Imperii, ultimo.*

GROTIUS.

QUo tempore hic scripserit parùm constat. Hebræorum quidam hunc esse illum Regiæ domûs Dispensatorem existimant qui nominatur 1 Regum 18. Hieronymus coævum Oseæ, Joëli, Amoso, & iis qui sequuntur. Quam sententiam probat horum Prophetarum ordo qui est in Hebræis codicibus omnibus. Multa ex hoc Vaticinio sumsere Jeremias cap. 49. Ezechiel cap. 25. quia Idumæa, qualia hic prædicuntur Sennacheribi temporibus, passa est iterum per Nabuchodonosorem. Itaque in re pari paria usurpantur verba.

1. *Visio Abdiæ*] Id est, Prophetia. ità enim sæpe generaliori significatu hæc vox ponitur. ¶ *Auditum audivimus à Domino*] Decretum quasi pronuntiatum à Deo. Vide dictum Jeremiæ caput commate 14. & sequent. ¶ *Et legatum ad gentes misit*] Angelum incitatorem Assyriorum, ut postea Chaldæorum.

2. *Parvulum dedi te in gentibus*] Infirmum te feci.

3. *Superbia cordis tui extulit te*] *Idolum tuum decepit te*] Vide quæ ad Jeremiam diximus. Id idolum vocabatur Κοζβὲ [*Cozbe*,] excidium hostibus denuntians, quod contrà cecidit. ¶ *Habitantem in scissuris petrarum*] *Eò quod habitas in cavernis rupium*, Arabiæ Petrææ scilicet. ¶ *Exaltantem solium tuum*] *Altitudine habitationis tuæ*: in locis celsis atque sublimibus. ¶ *Qui dicis in corde tuo, Quis detrahet me in terram?*] Ex locis inaccessis.

4. *Indè detraham te*] Fame. Vide quæ ad similia Jeremiæ.

5. *Nónne furati essent sufficientia sibi*] Et iis contenti fuissent. Confer & hîc illa quæ apud Jeremiam 9, & sequentibus.

7. *Usque ad terminum emiserunt te*] *Apud fines tuos emittent te*: nempe in terras exteras. ¶ *Omnes viri fœderis tui illuserunt tibi*] *Illudent tibi*, Assyrii scilicet, quos tibi fidos sperabas, ob commune in Judæos odium. ¶ *Qui comedunt tecum*] Sic & Chaldæus exponit. Est ἔλλειψις [*Defectus*] in Hebræo.

Hebræo. Plena esset locutio איש לחמך [*viri cibi tui.*] ¶ *Non est prudentia in eo*] Populo Idumæo. Transit de persona in personam.

8. *Perdam sapientes de Idumæa*] Jeremiæ 49. 7.

9. *Et timebunt fortes tui in meridie*] *Timebunt fortes tui, Theman.* Vide Jeremiam dicto jam loco, & v. 20. Ezech. 25. 13. ¶ *Ut intereat vir de monte Esau*] *Quia peribit quisque de monte Esau*, id est, in Sehire.

10. *Propter interfectionem & propter iniquitatem in fratrem tuum Jacob*] Hoc refer ad tempus cùm Syri Judæam vastarunt & Hierosolyma obsederunt, 2 Reg. 16. 5. Confer Amos 1. 11. Paria fecere iterum Idumæi in Judæos cùm Urbem cepit Nabuchodonosor, ut docet nos Ezechiel 25. 12. & Psalmus 137. 7. & paria passi sunt ab ipso Nabuchodonosoro.

11. *Quando capiebant alieni exercitum ejus*] Syri. ¶ *Et extranei ingrediebantur portas ejus*] Multas Judææ urbes. ¶ *Et super Jerusalem mittebant sortem*] Utri primas in oppugnanda ea urbe partes haberent, Syri an Israëlitæ. ¶ *Tu quoque eras quasi unus ex eis*] Adjutor eis eras.

12. *Et non despicies in die fratris tui*] *Non spectasses* (cum gaudio scilicet) *ea quæ eveniebant in die* (mala) *fratris tui. Non spectasses*, id est, non spectare debueras: ut, — *at tu dictis, Albane, maneres.* Sic sume & sequentia. ¶ *In die perditionis eorum*] Cùm plurimi eorum in agris & in minoribus oppidis perirent.

13. *Neque ingredieris portam populi mei*] Non irrumpere debueras cum Syris in urbes Judææ ab ipsis captas. ¶ *Neque despicies & tu in malis ejus*] Neque spectator fuisses; ut suprà.

14. *Neque stabis in exitibus*] Ad loca ubi multæ viæ inter se coëunt.

15. *Super omnes gentes*] Vicinas Judæis.

16. *Quomodo enim bibistis super montem sanctum meum*] *Quomodo vos biberitis* (calorem iræ meæ) *propter montem sanctum meum*, propter Judæam à vobis lacessitam. ¶ *Bibent omnes gentes*] Philisthini, Moabitæ, Damasceni; atque alii. Vide Esaiam 14. 15. 16. 17. ¶ *Et bibent & absorbebunt*] *Bibendo absorbebunt:* id est, totum calicem educent. ¶ *Et erunt quasi non sint*] Quasi nunquam fuissent.

17. *Et in monte Sion erit salvatio*] Hierosolyma non capietur à Sennacheribo, ibique multi etiam è vicinis salutem reperient. ¶ *Et erit sanctus*] Manebit ibi Dei cultus. ¶ *Et possidebit domus Jacob eos qui se possederant*] Philistæos Rege Ezechia; 2 Regum 18. 8.

18. *Et erit domus Jacob ignis, & domus Joseph flamma, & domus Esau stipula: & succendentur in eis, & devorabunt eos*] Multos ex eis. Respiciuntur quæ Maccabæi egêre contra Idumæos, Josephus 12. 2. ¶ *Et erunt reliquiæ domûs Esau*] Nempe tales quæ nocere Judæis possint.

19. *Et hereditabunt hi qui ad Austrum sunt*] *Et possidebunt* (Judæi) *Meridiem*, id est, Themanem. ¶ *Montem Esau*] In Hebræo: *cum monte Esau.* Impleta hæc plenissimè per Hyrcanum, ut & sequentia. Idem Josephus 13. 17. ¶ *Et qui in campestribus Philisthiim*] *Et planitiem cum* (terra) *Philisthinorum.* ¶ *Et possidebunt regionem Ephraïm & regionem Samariæ*] Hanc historiam habes dicto Josephi libro 13. 17. ¶ *Et Benjamin*] Conjunctus cum Juda. ¶ *Possidebit Galaad*] Josephus 12. 12. 1 Maccabæorum vers. 17.

20. *Et transmigratio exercitûs hujus filiorum Israël*] *Et deportatæ copiæ illæ filiorum Israël:* nempe ii qui pauci ex Asere, Nephthalimo & Zabolone cum Judæis redibunt à deportatione: *possidebunt* repetendum ex priori. ¶ *Omnia loca Chananæorum*] In Hebræo: *Quicquid Chananæorum* fuit. ¶ *Usque ad Sareptam*] Urbem Sidoniorum, 1 Regum 17. 10. Stulti Rabbini hinc *Franciam*, ex eo quod sequitur ספרד, *Hispaniam* faciunt; audéntque tam fanaticâ expositione eorum Regnorum possessionem sibi spondere. ¶ *Et transmigratio Jerusalem*] Deporati ex Judæa, ubi redierint. ¶ *Quæ in Bosphoro est possidebit*] *Ea quæ sunt Sapharadis possidebunt.* Ità enim legunt Hebræi, Symmachus, Aquila, Theodotion. Puto sic legisse etiam Lxx, & ubi legimus ἕως Ἐφραθὰ [*usque Ephratha*,] scripsisse ἕως Σεφραδὰ [*usque Sephrada.*] Hieronymus hanc vocem Assyriorum linguâ esse ait *terminum:* imò & Hebræorum ספרד est *finis dominatûs.* ¶ *Civitatis Austri*] *Civitatem Austri.* Quia *terminum* dixerat, ostendit quem terminum intelligat, nempe Arabiæ eam partem quæ ad Austrum Judææ objacet; ubi Regnum fuit Saba 1 Regum 10. 1. collato loco Matth. 12. 42. Vide de hac re Josephum dicto loco 12. 12. 1 Maccab. 5. 17, 25.

21. *Et adscendent salvatores in montem Sion judicare montem Esau*] *Salvatores* intelligendi qui semet servaverint ex captivitate. Unde pari sensu Lxx dixerunt ἀνασωζόμενοι [*superstites*,] Aquila & Theodotion σεσωσμένοι [*salvi facti*,] id est, qui *servati fuerint.* Per illos autem qui *servati fuerint* intellige eorum posteros qui Hierosolymis agentes jus Idumæis dixere; Hyrcanus scilicet & successores ejus. ¶ *Et erit Domino regnum*] Non tunc ultrà Judæi externis Regibus, sed Deo parebunt, & erit θεοκρατία, ut olim.

ANNOTATA
AD
JONAM.

CAP. I.

MUNSTERUS

Quis fuerit Jona, & quibus ortus sit parentibus; atque sub quo Rege vaticinatus fuerit, prodit posterior liber Regum, cap. 14. nempe quòd patre *Amitthai* natus, & sub Rege Jaroboam coævus fuerit Amos & Hoseæ. Unde patet illos non rectè sentire qui dicunt eum filium fuisse mulieris Sareptanæ quam Elisa à morti suscitavit.

2. *Perge ad Nineven*] Fuit hæc potentissima civitas, & totius Regni Assyriorum metropolis, exstructa & denominata à Nino, *sita juxta fluvium Lycum*, ut Strabo habet, *in Aturiæ campis*, dictione אתור pro אשור more Chaldaico utens. Cujus urbis area habuisse dicitur 400 stadia, complexáque est in orbem 1500 turres, & mœnia habuerunt in altitudine 100 pedes, in latitudine autem tanta erant ut ternis plaustris essent pervia. Porrò Nini uxor nomine Semiramis post mortem mariti condidisse fertur Babyloniam, quæ postea Regni metropolis est effecta. Sed hæc relinquentes ad Prophetam redeamus. Licet ex hoc loco advertere, Deum nedum Israelitarum tunc habuisse curam, sed etiam Gentilium. Quo argumento Jehudæorum pervicacitas redarguitur, quòd Circumcisio & Legis Mosaicæ observantia ad justitiam consequendam non sunt necessariæ, cùm Ninevitæ absque Lege & Judaismo, solâ fide & pœnitentiâ anteactæ impiæ vitæ Deo placuerint. Data tamen est Jehudæis Lex ad tempus, ut humiliarentur & coercerentur, non ut laudem justitiæ hinc consequerentur, sed ut Christum & Dei gratiam avidiùs sitirent.

3. *In Tharsis*] Sunt qui hîc omnino contendunt THARSIS esse *mare Mediterraneum*, sicut & Jonathan hîc pro *Tharsis* vertit ימא *mare.* Sed horum sententiæ subscribere non possum, cùm hîc תרשישה He habeat adjectum locale, ostendens scilicet Jonam & nautas ad certum locum contendisse. Pro-

inde Gen. 10. 4. dicitur quòd *filii Javan fuerint Elisa*, *Tharsis*, *Cittim & Dodanim*. Constat autem Elisam, Citthim & Dodanim locis nomina dedisse, igitur & Tharsis loco quem usurpavit nomen reliquit. Sic Jirmeiæ 10. 9. ubi in Hebræo habetur, *Argentum attenuatum de Tharsis affertur*, Chaldaica translatio habet מאפריקא *de Africa*. Idem convincit locus Psalmi 72. *Reges Tharsis & insularum munus afferent*. Non enim sunt Reges maris, sed in terris regnant Reges. ¶ Porrò JAPHO est *Joppe*, portus maris in Palæstina. ¶ Sed quare *fugit* Propheta *à facie Domini?* Respondet Kimhi, quòd putaret extra terram Israel se deserendum à Spiritu Prophetico. Grave enim erat redarguere potentissimum Assyriorum Regem, & resistere Regi & tot Principibus in faciem; sed infeliciter, cùm illi conducibilius fuisset ter mortem pertulisse in terra quàm sic projectum fuisse in mare, & trajectum in stomachum ingentis marinæ belluæ.

4. *Levavit ventum*] Est הטיל hic idem quod ארים. Sic enim Chaldæus habet. Radix verbi est טול, eadem scilicet cum נטל. ¶ *Putaretur frangenda*] Hebraismus propriè habet, *Et navis cogitavit frangi*: pro quo Jonathan vertit, *Et navis quærebat frangi*.

6. *Gubernator superior*] Heb. *magister funalis*. Sed מלחים sunt תופשי המשוטים *remiges* ipsi.

V A T A B L U S.

1. VErbum דבר] Chald. *verbum Prophetiæ*. Primus versiculus est vice procemii & tituli, in quo Propheta loquitur de se in tertia persona; ostenditque se esse verum Prophetam ac missum à Domino Deo. Indicatque Dominum non tantùm Israelitarum sed & omnium Gentium esse Dominum. ¶ *Ad Jonam* אל־יונה] Hic fuit de tribu Zabulon. Floruit tempore Jeroboam. Oseam, Amos & Joelem habuit contemporaneos. Hujus plures fuisse Prophetias scribunt Hebræi, quarum hæc sola ad nos pervenit. Aliæ cujusdam mentio fit 4 Reg. 14. 25.

2. *Ascendit*, &c. כי עלתה וגו׳] Hebraismus, Scelera & flagitia eorum nota ac manifesta sunt mihi: q. d. Ipsi gravissimè peccaverunt in me.

3. *In Tharsis* תרשישה] Quidam interpretantur *Tharsum* patriam Pauli. Nonnulli (quod magis placet) *Tunetum*, vel *Carthaginem*, urbes Africæ. A Tuneto facilis est navigatio in Joppen urbem celeberrimam & maritimam, non procul distantem ab Jerusalem. ¶ *Mercedem ejus* שכרה] i. Nempe navis, i. naulum pro deportatione sui. ¶ *Cum eis* עמהם] i. Cum nautis. ¶ *In Tharsis* תרשישה] i. Illuc. Antecedens Heb. pro relativo.

4. *Excitavit* הטיל] Ad verb. *proficisci fecit*; *elevavit*; *movere fecit*. ¶ *Fuitque turbo*, &c. ויהי סער גדול בים] *Factáque est tempestas maxima* [i. oborta est] *in eo*: anteced. Heb. pro relativo. ¶ *Et navis*, &c. והאניה וגו׳] *Et navis cogitavit frangi*. Sic Hebraicè ad verbum. Hâc phrasi nos etiam utimur vulgò, *La navire se cuida rompre*. Est autem continens pro contento, ità ut qui eâ nave vehebantur putarent se mox facturos naufragium.

5. *Instrumenta* את הכלים] *Vasa*, i. quæ in vasis erant, nempe merces, & alia quæ in navi erant. ¶ *Ab his* מעליהם] *A se*. Alii, *bisce*, sub. *rebus*. ¶ *Ad* unum *è lateribus* אל־ירכתי] Ad verb. *ad latera*. ¶ *Dormiebátque*, &c. וישכב וירדם] *Et jacebat*, *atque gravi somno correptus erat præ mærore*, aut *dejectione animi*.

6. *Magnus gubernator*, רב החובל] Ad verb. *magister nautarum*: vel, *princeps rei nauticæ* (si חובל sit nomen) i. præcipuus nauta: *navarchus*. Ità dicitur *nauta* חובל à tractandis *funibus* quibus navis regitur. ¶ *Quid tibi sopor* מה לך נרדם] *Quid tibi* accidit, quòd jam *sopore oppressus sis?* ¶ *Placabitur*, &c. יתעשת וגו׳] *Cogitabit de nobis ut non pereamus*.

7. *Quisque ad proximum suum* איש אל־רעהו] *Quisque ad socium suum*, i. inter se.

8. *Nunc* נא] *Quæso*. ¶ *Quod est opus tuum* מה מלאכתך] *Quænam est ars tua*, i. quam artem exerces? Alii, *quid est tibi negotii hic?*

9. *Timeo* ירא] i. Colo. Nam timor Domini verus est ipsius cultus.

11. *Ut sileat*, &c. וישתק וגו׳] Hebraismus, Ut mari pacato ac tranquillo fruamur: sive, ut tranquillum nobis fiat mare; quod *silens* dicitur. Nam mare iratum edit sonum vehementem. ¶ *Ibat & intumescebat* הולך וסער] *Ibat & tumultuabatur*, i. subindè magis ac magis commovebatur: agitabatur magis, sive major fiebat tempestas.

12. *Et silebit*, &c. וישתק הים מעליכם] i. Et tranquillum fiet vobis mare.

13. *Nitebantur autem remis* ויחתרו] Ad verb. *Et foderunt*, sub. *in mari remis*. Propriè sign. *fodere*: sed quia qui remigant videntur quasi fodere in aqua, accipitur & pro *remos agere*, i. navigare. ¶ *Et intumescebat* וסער] *Et tumultuabatur*, ut v. 11.

14. *Propter animam viri istius* בנפש האיש הזה] i. Quòd privaverimus eum vitâ, fuerimúsque causa mortis hujus, conjicientes eum in mare. Alii PROPTER ANIMAM exponunt *propter culpam* [sive *peccatum*] *hominis istius*. ¶ *Neque ponas*, &c. ואל תתן וגו׳] Jonas erat illis innocens: non enim læserat eos, neque quidpiam damni acceperant ab eo. ¶ *Sicut voluisti*, *fecisti* כאשר חפצת עשית] Præt. Heb. pro præs. *sicut vis & libet*, *ità agis*.

15. *Constititque*, &c. ויעמד הים מזעפו] *Conquievitque mare à furore suo*, i. ab agitatione & commotione sua.

16. *Et immolaverunt*, &c. ויזבחו זבח ליהוה] Sing. Heb. pro plur. & antec. pro relat. *& immolaverunt illi hostias*, animo scilicet ac deliberatione: i. statuerunt apud se & decreverunt se immolaturos hostias in honorem Domini, cùm primùm scilicet reverti possent in Jerusalem. ¶ *Voveruntque vota* וידרו נדרים] Sub. *ipsi Deo*, cujus Jonas se dicebat Prophetam: nam viso tanto miraculo fuerunt conversi ad Dominum: q. d. Obtulerunt in honorem Domini plurima dona.

C A S T A L I O.

14. NE *à nobis sanguinis innocentis pœnas repetas*] Nè nos tanquam insontis interfectores punias.

C L A R I U S.

QUis fuerit Jonas, & quibus ortus parentibus, & sub quo Rege vaticinatus fuerit, prodit 2 Reg. 14. nempe quod patre Amathi natus, & sub Rege Jeroboam, coævus fuerit Amos & Oseæ.

2. *Vade in Niniven*] Fuit hæc potentissima civitas, & totius Regni Assyriorum metropolis, exstructa & denominata à Nino, sita juxta fluvium Lycum, ut Strabo habet, in Aturiæ campis. Cujus urbis area habuisse dicitur 400 stadia, complexáque est in orbem 1500 turres, & mœnia habuerunt in altitudine 100 pedes, in latitudine autem tanta erant ut ternis plaustris essent pervia. Porrò Nini uxor nomine Semiramis post mortem mariti condidisse fertur Babyloniam, quæ postea Regni metropolis est effecta. Sed ut ad Prophetam revertamur, licet ex hoc loco advertere, Deum non solùm Israelitarum tunc habuisse curam, sed etiam reliquarum gentium. Quo argumento Judæorum pervicacitas redarguitur, quòd Circumcisio & Legis Mosaicæ observantia ad justitiam consequendam non sint necessariæ, cùm Ninivitæ absque Lege & Judaismo, solâ fide & pœnitentiâ anteactæ impiæ vitæ Deo placuerint. Data tamen est Judæis Lex ad tempus, ut humiliarentur & coercerentur, non ut laudem justitiæ hinc consequerentur, sed ut Christum & Dei gratiam avidiùs sitirent.

3. *In Tharsis*] Regio est à *Tharsis* filio Javam nomen habens, de quo Gen. 10. scribitur. De hoc loco fit mentio Jer. 10. & Psal. 72. *Reges Tharsis & Insularum munera offerent*. ¶ Sed cur *fugit?* Credunt Hebræi illum propterea id egisse quòd putaret se, cùm extra terram Israel fuisset, deserendum à Spiritu Prophetico, & sic liberandum ab hoc munere: nam grave illi erat redarguere potentissimum Assyriorum Regem, atque illi ac tot Principibus resistere. Vel certè quòd verebatur nè munus Propheticum vilesceret, cùm post intentatas minas, pœnitentiam agentibus Ninivitis, & miserente eorum Deo, videretur minùs verax fuisse. Fusiùs hanc rationem ac subtiliùs tractat Gregorius Nazianzenus in Apologetico, sed Scholiorum ratio non admittit tantam orationis prolixitatem.

12. *Tollite me*] Hic advertere licet pœnitentiam voluntariam Prophetæ, & constantem ejus fidem, qui in tantis periculis liberè se morti exposuit. Sed magis observandum est ingens miraculum, quod majoris longè miraculi signum fuit, h. e. Resurrectionis Domini, quemadmodum ipsemet dixit; miraculum, inquam, ut homo in tam horribilem rictum exceptus, & in viscera usque trajectus, per triduum in profundo maris huc illúcque vivus jactaretur, & in tanto illius ventris æstu viveret. Sed Deo jubente nihil est difficile. Sed observa, cùm efficere posset ut brevissimo tempore piscis illum ejiceret; voluit ut triduo eum teneret ob mysterium Christi.

DRUSIUS.

1. **E**T *fuit*] Priùs erat *Et factum est*, videlicet ex Græco Καὶ ἐγένετο· quod Interpres ità transferre amat. Mihi magis probatur *Et fuit*: In quo *Et* otiosè additum ex Ebraiſmo, ubi tamen minimè otioſum eſt. Nam quamvis nihil copulet, tamen præteritum in futurum commutat. Qui intellexerit quæ dicta ſunt à nobis in principio Estheræ, ad locum, *Et fuit in diebus Aſveri*, nihil hic magnopere deſiderabit. ¶ *Ad Jonam*] Patria ei fuit Gath-Hahepher. 2 Reg. 14. 25. *ſecundum verbum Jonæ filii Amitthai Prophetæ, qui ex Gath-Hahepher.* Id oppidum erat in tribu Zabulon. Euſeb. De locis Ebr. GETH-HEPHER, *in tribu Zabulon.* David Scholiaſtes in Comment. ad hunc locum: *Propheta iſte fuit ex tribu Zabulon, ut videtur. Nam Gath-Hachepher erat nomen civitatis ipſius, quæ ſita in parte Zabulon: quemadmodum habetur Joſ. 19. 13.* GETHA-HEPHER, ETTHA-CASIN. Pro *Hepher* antiqui legebant & *Hopher* & *Chopher*. Euſebius libro memorato GETHA-CHOPHER, *unde Jonas Propheta fuit.* Dicebatur autem *Geth-Hepher* ſive *Hopher* ad differentiam aliarum Geth, in queis & civitas erat Palæſtinæ propriè dictæ; videlicet patria Goliæ. Hier. Procemia in Jonam, *Geth, in ſecundo Sephorim milliario, quæ hodie appellatur* Diocæſarea, *euntibus Tiberiadem, haud grandis eſt viculus: ubi & ſepulcrum ejus oſtenditur. Quanquam alii juxta Dioſpolim, i. Lyddam, eum & natum & conditum velint; non intelligentes hoc quod additur* Hopher *ad diſtinctionem aliarum Geth urbium pertinere, quæ juxta Eleutheropolim ſive Dioſpolim hodie quoque monſtrantur.* Vana ergò regula illa quam idem laudat Præfatione in δωδεκαπρόφητον, *Prophetâ qui memorat nomen ſuum, & non nomen civitatis ſuæ, certum eſt Prophetam Jeroſolymitanum fuiſſe.* Saltem fallit in hoc Propheta, cui patria citra ullam controverſiam quam dixi. Prophetavit ſub Principatu Jeroboami ſecundi, de quo etiam nonnulla prædixit. Vide 2 Reg. 14. Ejus σύγχρονοι fuere, teſte Hier. Eſaias, Hoſeas, Joel, Amos, Abdias, Michaias. Idem prologo in Jonam ità ſcribit, *Tradunt Ebræi Hoſee, Amos, Eſaiam ac Jonam iiſdem prophetaſſe temporibus.* Videndus quoque Auguſtinus De Civitat. Dei lib. 18. cap. 27. Studioſi hiſtoriarum quibus otium ſuppetit (nam mihi nunc non vacat) conferant locum Benjaminis cum Brochardo Monacho, qui in Deſcriptione terræ S. credi ait *ab incolis Ruinæ* (locus eſt ejus nominis) *ſepultum ibi fuiſſe in via, quà itur Sephorone Tiberiadem.* ¶ *Amitthai*] Vetus lectio *Amathi*. Sed cur adpoſuit nomen patris? An διακρίσεως ἕνεκα, & quaſi cognominis loco? an potiùs quia clarus & celebris erat in ea gente? Porrò in nomine AMITTHAI ſignificatio eſt *veritatis*, quaſi *Veracem* aut *Veridicum* dicas: Quod non malè convenit ei qui creditur fuiſſe Prophetes Dei. Sic enim certè legimus apud priſcum Int. in codice MS. 4 Reg. 14. 25. *Filium Amathi Prophetæ.* Cui lectioni firmandæ eſt regula Ebræorum quam Nicolaus memorat, *Genitores Prophetarum quorum nomina in libris ponuntur, etiam Prophetæ fuerunt.* Et D. Camius Procemio in 12 Prophetas, *Dicunt Doctores noſtri f. m. Prophetam qui patris nomen memorat, filium Prophetæ fuiſſe.* ¶ *Dicendo*] לאמר, Latinè *ad hunc modum, in hac verba.* Vetus tranſlatio, *dicens*, i. אמר. Sic etiam Græci.

2. *Surge*] Hîc *Surge* accipiendum aliter quàm ſonat, nempe pro adverbio Hortandi, *Age* vel *Agedum*. Nam Ebræi hoc dicunt *Surge* aut *Veni*, ut, *Venite, faciamus nobis lateres.* Aut *Surge* dixit ut mox, ut *Surrexit Jonas*. Nam ut *ſedere* qui in aliquo loco manet, ità *ſurgere* intelligi poteſt qui indè digreditur. ¶ *Niniven*] Vel *Nineven*, per *e* in media. Scriptores profani *Ninum* vocant. Joſephus Νῖνε βασιλείαν. Strabo Νῖνον πόλιν. Ammianus lib. 23. *In hac Adiabena Ninus eſt civitas, quæ olim Perſidis regna poſſederat, nomen Nini potentiſſimi Regis, quondam Semiramidis mariti, declarans.* Ninus Græcè ἡ Νῖνος, & *Ninive* Νινευὶ ſive Νινευή· unde Νινευΐτης, i. *Ninevita*, qui & ἀνὴρ Νῖνος. Phœnix Poeta vetus apud Athenæum lib. 12.

Ἀνὴρ Νῖνος τις ἐγένεθ᾽, ὡς ἐγὼ κλύω,
Ἀσσύριος, ὅςις εἶχε χρυσίε πόντον.

Nomen Ebræum eſt נינוה, ut apparet, compoſitum ex *Nin* & *Nave*. NIN ἐξελληνιζόμενον γίνεται Νῖνος. NAVE autem in noſtra lingua ſonat *domicilium* ſive *habitaculum*. De hac urbe Benjamin in Itinerario, *Erat Ninive ad Hiddekel ripam adificata, nunc exciſa penitus eſt: pagi tamen & caſtella multa ſunt intra antiqui ambitûs ſpatium. Inter hanc urbem & eam quæ nunc* Almutſal, *quondam* Aſſur *dicta, pons tantùm intereſt. Eſtque Perſiæ Regni initium Mutſal, & habet ſynagogas trium Prophetarum, Abdiæ, Jonæ & Nahumi.* Hæc ille, nomine *Hiddekel* ſignificans Tigrim fluvium: nam ſic vocatur ab Ebræis. Quod diſces vel ex hoc loco. Herodotus, *In fluvium Tigrim, qui Ninum præterfluit.* Plinius l. 6. c. 13. *Fuit & Ninus impoſita Tigri, ad Solis occaſum ſpectans, quondam clariſſima.* Supereſt difficultas, Gen. 10. 11. *De terra illa egreſſus eſt Aſſur, qui ædificavit Niniven.* Ex quo Severus, *Ninive, oppidum ab Aſſur Sem filio conditum, caput Regni Aſſyriorum fuit.* En teſtimonium de conditore omni exceptione majus: quod adduxi propter eos qui à Nino conditam aſſerunt Niniven. Quibus favet etymologia quam ſuprà poſui נינוה Νῖνε οἴκησις. Fortè Aſſur alio nomine *Ninus* dicebatur. Aut Moſis locus per Prolepſin enarrandus, *ædificavit* eam urbem quæ poſtea à Nino Beli filio *Ninus* vel *Ninive* appellata fuit. Nam fieri poteſt ut Ninus eam reparaverit. Aut ſententia eſt, *De terra illa egreſſus eſt Aſſur*, i. Aſſyrius. Hieronymus libro Quæſtionum ſive Traditionum Ebr. *De hac terra Aſſyriorum pullulavit Imperium, qui ex nomine Nini Beli filii Ninum condiderunt, urbem magnam, quam Ebræi appellant Niniven.* Hanc אושריה hodie vocari ſcribunt Sapientes Iſrael qui in Græcia: autor Abenezra. *Ninive adhuc integra ſtabat ævo Ammiani Marcellini*, Scaliger Animadv. Euſeb. 79. 1. *Aſſur*, qui & *Ninus*. Quidam à Cyaxare everſam tradunt. Ejus ſtatus mutatus ab Arbace Medo. ¶ *Civitatem*, &c.] Videtur hoc additum ad diſcrimen alterius Ninives: de qua in hunc modum Euſebius libro De locis Ebr. *Eſt & alia uſque hodie civitas Judæorum nomine* Ninive, *in angulo Arabiæ, quam nunc corruptè* Neneven *vocant.* ¶ *Magnam*] Verè *magnam*. Nam, ut obſervatum à nonnullis, continebat ambitu ſuo ſtadia CDLXXX. Diodor. ¶ *Prædica*] קרא abſolutè ponitur, ut κηρύσσειν Mar. 3. 14. Prædica everſionem ejus, *fore* ſcilicet *poſt quadraginta dies ut ſubvertatur.* Joſephus & alia in hac hiſtoria & hoc non ſatis benè interpretatus eſt, ὅτι τὴν ἀρχὴν ἀπολέσει. Nam *principatum amittere* & *exſcindi* diverſa ſunt, niſi fallor. Deus cùm vellet Ninivitas ad meliorem vitam revocare, denunciat eis excidium, & quidem ſimpliciter, nullâ adjectâ conditione, cùm tamen tacita conditio incluſa ſit minis, quæ ab ipſo: & fortaſſe non latuit hoc Prophetam. Sed quia ei ſimpliciter dictum, *fore ut Ninive ſubverteretur* poſt XL *dies*, itaque juſſus erat has minas proponere, ſciretque Deum clementem eſſe qui reſipiſcentibus facilè ignoſceret, fugit Tharſum, ut apparet, nè falſus Vates haberetur ſi Ninivitæ ad ejus prædicationem de priore vita diſcederent ac pœnitentiam agerent. Hoc Jonæ factum excuſari à culpa nullo pacto poteſt. Eodem modo prophetia eſt, ſeu comminationem propheticam eam malis appellare, 2 Reg. 20. *Præcipe domui tuæ: morieris enim tu, & non vives.* Certum eſt Ezechiam diu pòſt vixiſſe. Itaque cùm dicit, *morieris*, comminatio eſt, & ſubintelligi debet, *niſi à Deo longiorem vitam impetraveris*: quod tamen à Propheta omiſſum fuit, vel quia illud non fuerat ei patefactum, vel quia ſimpliciter juſſus erat hoc modo dicere, *morieris, & non vives.* Scilicet Dei verbo neque addendum quicquam eſſe, neque detrahendum: nefas enim utrumque eſt. ¶ *Contra eam*] עליה. Vetus *in ea*, בה. Quidam *ei*, h. e. habitatoribus ejus, אליה: quomodo locutus eſt infrà 3. 2. ¶ *Quoniam aſcendit*] Sic puto meliùs verti quàm *aſcendiſſe*, utcunque hoc maluerit Tremellius. Nam certè juſſus fuit prædicare aliquid amplius quàm hic dicitur. Colligo ex 4. 2. ¶ *Malitia*] Κακία, *vitioſitas*: quomodo hoc nomen ſæpe ab Interpretibus accipi notius eſt quàm ut probari debeat. Etiam Auguſtinus pro omni *malo vitio*que uſurpat, De Civit. Dei l. 8. c. 24. Alioqui *malitia* eſt vitium contrarium Simplicitati, aſtutiæ fraudúmque mater. Qua de re cui potiùs credemus quàm ipſi Ciceroni ad hunc modum ſcribenti? *Virtuti contraria eſt Vitioſitas: ſic enim malo quàm* malitiam *appellare, quam Græci κακίαν vocant. Nam* malitia *certi cujuſdam vitii nomen eſt*, vitioſitas *omnium.* ¶ *Eorum*] Ninivitarum. Eſt genus figuræ quam Grammatici *Metonymiam* vocant. Eâ qui uti volunt, urbem ponunt cùm ſignificant eos qui in urbe aliqua habitant. Hoc ſenſu V. Int. reddidit *ejus*, nempe *Ninives*, cùm in Ebræo ſit *eorum*: conſtructio ſenſu congrua, non voce. ¶ *Coram me*] Vel *in conſpectum meum*: q. d. *in cœlum uſque.* Crevit, inquit, auctáque eſt malitia ipſorum adeò ut ad me uſque penetraverit. Hoc modo loquendi Scriptura ſignificare ſolet gravitatem ac magnitudinem vitiorum quibus homines dediti ſunt. Tale eſt Gen. 4. 10. *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Et Gen. 18. 21. *Deſcendam & videbo utrùm clamorem, qui venit ad me, opere compleverint.* Intelligit clamorem ſcelerum à Sodomitis perpetratorum. Græci

ci hîc retulerunt, ἀνέβη ἡ κραυγὴ τῆς κακίας αὐτῶν πρός με, *ascendit clamor malitiæ ipsorum ad me.*

3. *Et surrexit*] Profectus sive digressus est è loco ubi sedebat, h.e. habitabat. Ebræis enim *sedere* idem est quod *habitare*, *surgere* quod *proficisci*. Mar. 10. 1. *Et cùm illinc surrexisset, venit in fines Judaæ.* Canon Ebræorum quem v. 1. adduximus alio sensu accipi potest, ut videlicet *Prophetam Jerosolymitanum* intelligamus qui ibidem docendi munere fungitur. Hoc sensu acceptum sequeretur Jonam prophetasse Jerosolymæ. Sed nè hoc quidem verum aut certum esse videtur, cùm de Jeroboami statu vaticinatus sit, qui Israelitis præfuit, & non Judæis. Æquè incertum cùm adseverant eum qui nominat patrem suum, filium Prophetæ esse, etsi negari non possit quin tales clari & celebres fuerint, ut propterea nomen eorum memoretur. ¶ *Ut fugeret*] Causam hujus fugæ indicat ipse Propheta infrà 4. 2. ut non necesse sit operam in ea quærenda ponere, aut anxiè aliam anquirere. Severus, *Verum Propheta prædicationis istius ministerium detrectans, non contumaciâ, sed præscientiâ, quâ videbat Dominum pœnitentiâ populi placandum, navim, quæ longè diversâ regione Tharsos petebat, conscendit.* ¶ *In Tharsis*] Εἰς Ταρσὸν τῆς Κιλικίας, Josephus. Sic Ebræus Saadias, Severus, & alii. Hoc sensu abesse debet præpositio, legique, *ut fugeret Tharsis.* Quidam ipsam *Ciliciam* intelligunt, Josephus Orig. l. 1. c. 7. S. Augustinus THARSEIS *Ciliciam*, THARSUM *urbem metropolim* tradidit. Idem etiam THARSEIS *Carthaginem* potiùs esse putavit in Expositione Psalmi 47. Alii, in queis Mebaser Judæus, *Tunicense oppidum*; alii *Tartessum*, alii *Carthaginem.* Ex hac dissensione Interpretum magna occasio dubitandi quænam ista *Tharsis* fuerit. Ego non improbo, quin præ aliis omnibus maximè probo sententiam Josephi: Quam juvat cognatio inter *Tharsis* & *Tarsus*, quod apud Stephanum *Tharsus*, cum r aspirata. Invenio eodem modo scriptum hoc nomen in Scholiis Ebraicis. Abenezra, *Tharsis est Tharsus, ut ait Saadias.* Ab hoc oppido Paulus Apostolus *Tharsensis* dictus est. Vicinum erat Anchialæ, quas duas urbes Sardanapalus uno die exstruxisse fertur. In 12 Athenæi, Σαρδανάπαλος Ἀνακυνδαράξεω Ἀγχιάλην ἔδειμε καὶ Ταρσὸν μιῇ ἡμέρᾳ, ἀλλὰ νῦν τέθνηκεν. ¶ *E conspectu Domini*] Josephus, ἀποδιδράσκει τὸν Θεόν· malè. Nec meliùs Int. antiquus, *ut fugeret à facie Domini.* Non enim *Deum fugit*, nec *à facie Domini*, i. מפני יהוה (quò enim *à facie Domini fugeret?*) sed מלפני יהוה *e conspectu Domini*, ut si dicas *à coram Domino.* Sermo caliginosus, cui lumen faciet intellecta locutio, *Vivet Dominus, in cujus conspectu ego sto:* sed magis quod in Esther, *Unus ex Eunuchis quos Rex stare fecerat coram illa*, i. quos ei ministros attribuerat. Nihil evidentius. Ergò *stare coram Domino* ministerium significat Dominicum; quod qui obire detrectat, is *fugere* dicitur *e conspectu Domini*, vel, si placet, *à coram Domino.* Huc refer, *Quis stabit in monte tuo sacrosancto?* pro, *Quis ministrabit?* ac si diceret, Quis dignus est ut Sacerdotio fungatur tibi in Templo? Fugit igitur Jonas nè obiret munus prophetandi sibi à Deo impositum; sive, ut Jonathan retulit, *nè prophetaret in nomine Domini.* ¶ *Descendit*] Loquitur ex consuetudine vulgi, qui *descendere* dicunt eos quos ad mare iter facere sciunt. Aut respexit ad situm Jerosolymæ, unde qui discedunt *descendere* dicuntur, & è diverso *ascendere* qui eò proficiscuntur. ¶ *Joppen*] Portus est Judææ, qui Ebræis JAFO, nunc *Jaffa* vocatur. Ptolemæo dicitur Ἰόππη. Ego & Ἰόπη reperio apud Strabonem; sed dubito an sincerè: nam hoc modo cùm scribitur, alium intellectum habet. Sudas sive Suidas, Ἰόπη, ὄνομα κύριον. Ἰόππη, ὄνομα τόπε. Quære ampliùs. De Joppe Plinius l. 5. c. 13. *Joppe Phœnicum, antiquior terrarum inundatione, ut ferunt. Colitur illic fabulosa Derceto.* Mela De situ orbis, *Est Joppe ante Diluvium, ut ferunt, condita.* Vide & Solinum cap. 37. Strabo, καὶ δὴ καὶ ἐπινείῳ τέτῳ κέχρηνται καταβάντες μέχρι θαλάττης οἱ Ἰεδαῖοι. ¶ *Euntem*] Quæ parabat abitum. Sic in 8 ad Atticum, *Qui Italiam relinquit*, interprete Victorio, *relinquere cogitat.* Alibi explico EUNTEM *mox ituram*: rectè sanè. Nam præsens quandoque paulò pòst futuri significationem obtinet. Quale illud Ἰλ. α'.

Νῦν δ' εἶμι Φθίηνδε.——

Nunc abeo Phthiam, & Ὀδ. β'.

Εἶμι γὰρ ἐις Σπάρτην.——

Quod enim mox futurum erat, de eo utitur verbo præsentis temporis: ut Joh. 17. 11. *Ego non sum ampliùs in hoc mundo;* &, *ego ad te venio.* Ad hunc locum pertinent, *Ecce ego commoveo cœlum & terram.* ¶ *Dedit*, &c.] Solvit naulum, h.e. quantum quisque solvebat pro vectura. Non enim assentior iis qui censent ipsum solvisse vecturam totius navis: quanquam verba Ebræa hanc sententiam non penitus aspernantur. ¶ *Mercedem*] Ναῦλον, ἢ ἐπίβαθρον. Hesychius, Ἐπίβαθρον, μισθὸς τῆς βάσεω; τῆς ἐις τὴν ναῦν, τυτέςιν ναῦλον. Lex. Græcolat. V. ναῦλον, *navis vectura, naulum.* Dicitur & ναῦλος, & *sors nautica* vel *trajectitia*, Modestino: item *portorium*, & δάνειον ναυτικὸν, & πορθμεῖον. ¶ *Ejus*] *Navis:* est enim pronomen fem. Porrò naulum solvit antequam navim conscenderet, aut certè se soluturum promisit. ¶ *Et descendit in eam*] Sic loquuntur Ebræi. Latini potiùs dicerent *conscendit eam.* Utrumque bene dicitur; sed diversâ ratione. Nam qui *navim conscendit*, idem *in eam descendit* cùm ex foris in alvum se recipit. Aut aliò respexerunt: nam altior terra videtur quàm aqua. Eucherius in Genesin, l. 3. c. 23. *Altiùs terra sustollitur, ubi habitant terrena animalia.* ¶ *Ut iret cùm eis*] *Ut navigaret cum eis*, Int. Græcus. Non displicet. *Ire* interdum de ipsis Navibus dicitur: ut apud Davidem in illo, *Ibi naves eunt:* aliàs *ambulant.* ¶ *In Tharsis*] In Ciliciam; vel Tharsum, quæ metropolis regionis. Solinus in Cilicia, *Matrem urbium habet Tarson, quam Danaes proles nobilissima Perseus locavit. Hanc urbem intersecat Cydnus amnis.*

4. *Dominus autem*] Docet hic locus non solùm tempestates à Deo excitari, sed etiam ventos ipsius jussibus obsequentes esse. Hanc ob causam vocantur in Divinis literis *ministri Jehovæ.* Quin Deus ipse *Dominus Sabaoth*, h.e. *copiarum* sive *exercituum*, appellatur, quòd imperium exerceat in res omnes creatas, quæ ipsi parent non secùs ac famulitis domino suo. ¶ *Immisit.*] *Projecit*, tanquam ex alto præcipitavit. Tales venti sævissimi sunt & mare maximè infestant. ¶ *In mare*] Magnum sive Mediterraneum. ¶ *Et navis cogitabat frangi*] Adeò ut navis periclitaretur de naufragio. *Se cuida rompre*, Gallicé. καταχρηςικῶς quod Hominum proprium est tribuit Navi. Id enim malo quàm, *adeò ut navem illam cogitarent fractum iri;* quod tamen viris magnis placuisse video. Sed suum cuique judicium. Hæc posterior interpretatio si recipitur, subaudiendum erit, *qui in navi erant cogitabant eam fractum iri.* Alioqui usitatum ut continens ponatur pro contento: Sic *navis* pro *iis qui in navi.* Grammatici *Metonymiam* vocant. Sed, meo judicio, est κατάχρησις, ut Luc. 8. 23. *Et complebantur & periclitabantur:* non enim Discipuli sed navis *complebatur.*

5. *Timuerunt*] Metu periculi perculsi fuerunt. ¶ *Nautæ*] מלחים. Appellatio à *sale.* Porrò autem *sal* vocatur aliquando mare ipsum. Sic Virgilius,

——*spumas salis ære ruebant:*

& alibi,

——*campos salis ære secabant.*

Camii λέξεις, *remiges.* In Scholiis Jarii, *homines qui navem agunt.* Abenezra, *consiliarii navis.* Japheth Ebræus, *nautæ vehentes sal*, qui מלח MELACH dicitur. *Quisque*] In Ebraismo est *vir.* Notabit juventus *vir* poni pro *quisque.* ¶ *Ad deum suum*] In Syria multæ gentes erant: Earum quæque suum quasi peculiarem deum habebat: nam Ammonitæ colebant Moloch τὸν βασιλέα, Sidonii Astarten, Marnan Gazæi, Chamos Moabitæ, Joppenses Derceto, & aliæ alios; qui, ceu patroni eorum ac Domini essent, à cultoribus communi nomine BAALIM dicebantur; nam BAAL κύριος καὶ δεσπότης. Atque hinc perspicimus, non omnes qui in navi erant ejusdem religionis, ac nè quidem ejusdem generis, fuisse. ¶ *Vasa*] Impedimenta, sarcinas, quæ in navi, onera navis. ¶ *Ut levaretur*] Usitatum est in tempestate, præsertim ubi periculum est de naufragio, ut naves isto modo leventur. ¶ *Ab eis*] Vasis. Quidam *à se.* Minùs placet. ¶ *Descenderat*] Ante subortam tempestatem. ¶ *Ad latera navis*] Vel *in latera navis.* Vel dicere *in alterum latus.* Tale est, *Latrones exprobraverunt ei*, alteruter latronum. Potest etiam exponi *intra navem in alvo navis:* ut Deut. 5. 14. *Peregrinus qui in portis tuis.* Sensus est, *intra portas tuas*, quomodo V. Int. edidit. Sic apud Dividem, *in lateribus domûs tuæ*, intra domum. ¶ *Cubabat & sopitus erat*] Jacebat gravi sopore oppressus. Vel *stertebat, arctè & graviter dormiebat.* In verbo Ebræo sensus est *profundi soporis*, quem Aquila vetus Interpres apud Mosen

κάρον

κάρον vocat. Luc. 8. 23. *Navigantibus autem eis sopitus est.* וירדם, ex hoc loco.

6. *Magister nautarum*] Magister navis, gubernator, nauclerus. Ad verb. *magister nautæ*, quod singulariter dici puto pro *nautarum*, ut *caput canis*, pro *canum*. Sic *miles* pro *militibus*. חבל *nauta* dictus à tractandis *funibus*: nam חבלים *funes*. Quidam significare propriè putant *eum qui navim adverso amne trahit fune ductario.* R. Saadias dicit רב החבל *ipsam navim* significare: ut רב החבל sit *magister navis*: ità Ulpianus vocat, qui *nauclerus* à Græcis dicitur. ¶ *Sopite?*] *O sopite? ô qui ità stertis?* In quibusdam editionibus, *Quid tibi sopito?* מה לך נרדם. Per hæc verba Jonam nihil de periculo solicitum, utpote graviter dormientem, arguit nauclerus stultæ securitatis. ¶ *Surge*] Bene ac propriè: jacebat enim somno oppressus. ¶ *Clama ad Deum tuum*] *Invoca Deum tuum*, ut alios vides facere. Es enim in eadem navi, quod dicitur, h.e. in eodem periculo. Josephus, ὁ δὲ Ἰωνᾶς συγκαλύψας αὑτὸν, μηδὲν ὧν τοὺς ἄλλους ἑώρα ποιοῦντας μιμούμενος ad fidem historiæ nescio quàm verè. ¶ *Fortè cogitabit*] Vel, *si fortè cogitationem suscipiat Deus ille de nobis, nè pereamus:* ac si diceret, si fortè nostri memor nos ex his malis eripiat.

7. *Dixerunt quisque ad socium suum*] Dixerunt inter se: alter alteri dixit. Ad verb. *vir ad socium suum*. ¶ *Venite*] *Agitedum*. Vide quæ notavimus ad locum, *Surge, vade Niniven*, v. 2. ¶ *Jaciamus sortes*] Superstitiosâ sed Gentibus usitatâ consuetudine sortiuntur, ut sciant causam hujus tempestatis. Deus tamen, qui elicit bona è malis, sic sortes temperavit ut per eas Jonas deprehensus sit. Scitum illud Salomonis, *Sors in sinum mittitur: sed à DOMINO judicium ejus*. Cæterùm sortes quædam licitæ sunt, ut quæ fiunt litium dirimendarum causâ. De quibus idem Salomo, *Lites dirimit sors.* Josephus hunc locum sic μεταφράζει, Αὔξοντος δ' ἔτι μᾶλλον τοῦ κλύδωνος, καὶ βιαιοτέρας γενομένης ὑπὸ τῶν πνευμάτων τῆς θαλάσσης, ὑπονοήσαντες, ὡς ἐνδέχεται, τινὰ τῶν ἐμπλεόντων αἴτιον αὐτοῖς εἶναι τοῦ χειμῶνος, συνέθεντο κλήρῳ, τοῦτον ὅστις ποτὲ εἴη μαθεῖν. Franciscus Xavier de navibus quæ eum in Japaniam vehebant, *Idolum quoddam secum vehebant, à quo sæpe sortibus sciscitabantur, an eundem esset in Japaniam necne, an venti prosperi cessarent*, &c. Et mox, *Rursus gentiles ad sortes suas conversi sciscitantur à ligno, navisne in Malacam incolumis rediret.* Et pag. 22. *Cùm navarchi filia periisset, interrogantibus idolum, cui toto die noctéque multas aves sacrificaverant, cibum potúmque libaverant, cur periisset filia, sortibus respondet, Si Emmanuel ex casu illo periisset, filia minimè submersa fuisset.* ¶ *Cujus causâ*] Vel *propter quem*. Priùs erat *quare*. Eodem modo Jonathan convertit. Quidam non inerudíti homines vertendum putabant *propter quid* & *propter quem*. Mihi dubium non est quin rectum sit *propter quem*, ut infrà בשלי *propter me*, vers. 12. ¶ *Malum istud*] Tempestas ista. ¶ *Sortes*] גורלות. Ità vocant tessellas sive instrumenta sortitionis. ¶ *Cecidit sors super Jonam*] Sortes deductæ Divinitus ceperunt Jonam.

8. *Nunc*] נא *nunc*, i. עתה. Sic interpretantur Abenezra & Jonathan P. Chaldæus. Alii aliter. ¶ *Cujus causâ*] Jam sortitò didicerant Jonam esse in causa cur hoc malum ipsis acciderit: cur ergò scientes id quærunt? an ut proprio ore confiteretur quem sors declaraverat? Aut veriùs Jonathan edidit, *propter quid?* Sed מי non interrogat nisi de persona tantùm. Juva me hic, erudite Lector, judicio tuo. מי pro מה sumi videtur Jud. 13. in מי שמך *Quod est nomen tuum?* Sic מי החלי pro מה החלה *agrotare fecit.* ¶ *Quod opus tuum?*] Quod artificium exerces? quænam ars tua? ¶ *Quæ terra tua?*] Utrùm capiendum de terra habitationis, an de terra nativitatis? Nam ipsam patriam vocant *terram nativitatis*, vel *terram* simpliciter: quo modo dictum accipio Joel. 1. 6. *Ascendit gens adversus terram meam.* ¶ *Ex quo populo?*] Qua ex gente vel natione? David Scholiastes admonet exponi etiam posse, *Quis ille populus unde tu es?* ac si dicerent, *Estne populus nequam & scelere aliquo adstrictus?*

9. *Et dixit eis*] Non de patria tantùm respondet, sed ad omnia interrogata. Nam *Ebræus ego* & patriam continet, & populum indicat, & locum unde venerat. Artem verò prodit cum ait, *Dominum Deum cœli ego colo*: nam adjecit, ut paret ex sequentibus, se Prophetam esse. ¶ *Ebræus ego*] Cur non dicit, *Judæus*, aut *Israelita, ego?* Scire licet Regnum Ebræorum eo tempore divisum fuisse in duas partis, quarum una *Juda* dicebatur, videlicet tribus Juda & Benjamin; altera *Israel* nominabatur, quæ continebat decem reliquas tribus. Proinde si dixisset *se Judæum esse*, falsum dixisset: erat enim tribu Zabulonita. Sin *Israelita*, visus fuisset consentire in religionem eorum qui tum falsos deos colebant, nempe Vitulos qui in Dan & Bethel. *Ebræus*, nempe ex oppido tribûs Zabulon, quod *Geth-Hahepher* vocant. Si hoc ità est, ut revera est, errant qui putant eum fuisse filium viduæ Sareptanæ quem Elias è mortuis suscitaverat: nam hic certè non *Ebræus* sed Gentilis fuit. Quanquam Hieronymus auctores citat ipsos Ebræos qui hoc affirment. Idem quoque in literas retulit compositor libri De mirabilibus Scripturæ, qui exstat inter opera Augustini. Ac Hieronymi quidem fides apud me sacrosancta; tametsi quod Ebræos affirmare ait, nondum mihi lectum in eorum libris. ¶ *Deum cœli ego timeo*] *Revereor, colo.* Plus est *Prophetam* esse quàm *timentem Dei.* Cur igitur quod minus est dicit, tacito eo quod majus est? Si Josepho creditur, dixit *se Prophetam esse τοῦ μεγίστου Θεοῦ* & certè ex sequentibus apparet ipsum hoc non reticuisse. ¶ *Mare*] Quod nunc adeò sævit. ¶ *Aridam*] Terram. Ità Euangelista τὴν ξηρὰν dixit, ità Homerus τὴν ὑγρὴν mare ipsum.

10. *Timuerunt*] Non tam periculi timore, ut antea, quàm metu Dei potentis, quem Jonas ipsis prædicaverat. ¶ *Viri*] האנשים, οἱ ἄνδρες, *homines illi*, nautæ. ¶ *Timore magno*] Vel *timorem magnum*. Quale est, *gaudere gaudium magnum*. Vide quæ scripsimus infrà 4. 6. ¶ *Quid hoc fecisti?* Ità vetus editio. Santes, *cur hoc fecisti?* Mihi placet cum admiratione hæc dicta accipere. Mirantur enim, cùm Propheta esset, ipsum *fugere è conspectu Domini*. Hoc ità esse ut dico probant sequentia. Neque enim dubito, cùm *se in fuga esse* diceret, quin etiam causam cur fugerit simul illis exposuerit. Est & illud notandum, quod ipsum, si attentiùs consideretur, vehementer juvat opinionem meam, nempe, ad hæc verba nautarum nullum à Propheta datum fuisse responsum. Non ergò interrogantes simpliciter ista dicunt, sed admirantes, tanquam si dicerent, *Si colis Deum cœli & terræ, quemadmodum dicis, quomodo in animum induxisti fugere è conspectu ipsius?* Porrò *quid* admirantis est, eandémque vim habet ut in illo, *Quid homo, ut ejus memor sis?* Puto Santem, qui pro eo *cur* substituit, ut diximus, existimasse מה positum esse pro למה. Ego aliter sentio.

11. *Quid faciemus tibi*] Cognitâ causâ tempestatis, adhibent Jonam in consilium. Nolunt enim quicquam statuere in hac re sine ipso. *Quid*, inquiunt, *te faciemus*, qui causa es hujus tanti mali? Nam fugitivum ira Divina insequitur, quam non effugies. Tantùm vide nè nos, qui extra culpam sumus, propter te unà tecum pereamus. Dic ergò, sodes, quid faciendum nobis esse censeas? Nam cùm sis cultor summi ac potentissimi Dei, tuum est imperare quid opus facto fiet. Tu nosti quâ ratione Dei ira placari possit, es enim Propheta. ¶ *Ut sileat*] *Ut quiescat, ut sedetur.* In Ebræo ad verb. *& sileat.* *Et* pro *ut* passim obvium. *Mare silens* idem est quod *mare tranquillum*, ubi nullum murmur, quale venti excitare solent. Sic Comicus κολόκυμα dixit, i. interprete Eustathio, κωφὸν κῦμα *fluctus surdus* aut *silens*. Hesychius, Κύματι κωφῷ, τῷ μὴ ἠχοῦντι, ἀλλ' ἀρχομένῳ μεγεθύνεσθαι. ¶ *A nobis*] Nè nos ampliùs infestet. ¶ *Ibat & intumescebat*] Magìs magísque intumescebat. Sic, *ibat & magnus evadebat*, major indies evadebat. ¶ *Aquæ ibant & decrescebant*, magis ac magis decrescebant. Locutio merè Ebraica. *Intumescebat*, i. tempestate ac procellis jactabatur. Verbum est ab eo nomine quod suprà *tempestatem*, alii *procellam* referunt.

12. *Tollite me*] Josephus, συνεβούλευσεν αὐτοῖς, εἰ θέλουσιν ἀποδρᾶσαι τὸν παρόντα κίνδυνον, ἐκβάλλειν αὐτὸν εἰς τὸ πέλαγος· αἴτιον γὰρ αὐτοῖς εἶναι τοῦ χειμῶνος. ¶ *Projicite me in mare*] Tanquam piaculum tempestatis. ¶ *Silebit*] *Quiescet, tranquillum erit. Cessabit*, editio vetus. Vide suprà v. 11. Nam mare agitatum vocem edit. Virgilius,

——*fractásque ad littora voces.*

Voces dicit strepitus undarum littoribus illisarum. ¶ *Propter me*] Propter inobedientiam meam. Probè scio me causam esse hujus tempestatis. ¶ *Super vos*] Sub. *venerit*, aut tale quid.

12. *Remigabant*] חתר propriè est *fodere*: Per Translationem autem valet idem quod *remigare*: elegans Metaphora. Sic Poetæ dicunt *Sulcare æquor*. Ovidius 1 de Ponto,

Nos fragili ligno vastum sulcavimus æquor.

Silius lib. 7.

——*Sulcator navita Ponti.*

& Virgilius,

——*Longum maris æquor arandum est.*

Contrà usurpant *remigio alarum uti* pro *volare*. In Syriaca Marci 6. 48. ררין *remigantes*, eâdem figurâ: *nam* רדה *arare*. Est etiam *fodere* Magno conatu aliquid agere. Ut exponi possit *magno conatu moliebantur navim reducere aridam versùs*. Valde hoc se mihi probat, eique firmando est quod in Græco παρεβιάζοντο. ¶ *Ut reducerent*] Sub. *navim*. Vetus, *ut reverterentur*, לשוב. ¶ *Ad aridam*] Ad terram. Priusquam Jonam præcipitem darent, etsi scirent tempestatem exortam ejus morte sedari posse, tamen experiri omnia maluerunt ut navim ad terram reducerent. Id cùm non succederet, tandem adhibent remedium quod in his malis unicum & extremum erat, ipsumque Prophetam in mare præcipitant. Josephus ad hunc locum, Οἱ δὲ nautæ τὸ μὲν πρῶτον οὐκ ἐτόλμων, κρίνοντες ἀσέβημα εἶναι ξένον ἄνθρωπον, καὶ πεπιστευκότα αὐτοῖς τὸ ζῆν, εἰς φανερὰν οὕτως ἀπώλειαν ἐκρίψαι.

14. *Ad* DOMINUM] Non ad *deos suos*, ut antea, sed ad *Dominum cæli & terræ*, quem Jonas tantopere offenderat. ¶ *Quæsumus*] Hîc est אנא Obsecrantis interjectio: quam nonnulli confundunt cum נא, ut in *Hosanna*, quod vulgò interpretantur, *Serva, quæso*; alii, *Serva nunc*. ¶ *In anima*] *Propter animam*. Hoc significat, Ne sinas nos perire propter hominem istum, quem jam præcipitaturi sumus. Vel IN ANIMA valet *ob cædem*. Nam *occidere animam* dicitur qui alteri vitam adimit. Ergò IN ANIMA *ob ademptam animam*, i. vitam. Jonathan explicat *ob debitum animæ viri istius*. Vult dicere, *ob culpam animæ*, *propter crimen viri istius*. Nam peccata Syri *debita* vocant. Quid si exponatur, *Ne pereamus cum anima viri hujus?* Nam ב pro *cum* sumi sic notum est ut nihil magis. Sensus hic est, *ne pereamus cum anima*, i. cum vita, *hominis istius*: cui cùm pereundum sit, rogamus ut nobis sis propitius, nè una cum illo pereamus. Sed hoc arbitrarium esse volo, ut pleraque nostra sunt: nihil temere affirmamus. ¶ *Viri istius*] Jonæ. ¶ *Ne des super nos*] Potest verti, *Ne ponas super nos*. Nam *dare* & *ponere* mutuas vices præstant & vicissim permutantur. Sensus est, *Ne imputes nobis*. ¶ *Sanguinem*] Cædem hominis innoxii & nihil tale erga nos meriti. Notum ut *sanguis* pro *cæde* sumatur. Ità sumitur Matth. 27. 24. *Innoxius ego sum à sanguine hujus justi*: & 25. *Sanguis ejus super nos*: & 6. *quoniam pretium sanguinis est*. Propriè autem *sanguis* appellatur cædes, in qua effusio sanguinis: per abusionem verò sumitur pro quavis *occisione*, ut hîc. ¶ *Innocentem*] Quoad nos: nullâ enim injuria ab eo affecti sumus. ¶ *Sicut voluisti*] A te est hæc tempestas excitata propter hunc hominem: Tu vis ut in mare dejiciatur: Fiat ergò quod vis. Nam voluntati tuæ quis resistat? omnia enim quæ vis, facis.

15. *Tulerunt*] *Sustulerunt*. Quidam, *& ceperunt* ותפו. Non improbo. ¶ *Projecerunt*] *Quasi piaculum tempestatis*, ut habet Severus. ¶ *Et stetit mare*] Josephus, καὶ ὁ μὲν χειμὼν ἐστάλη. Jon. *& quievit mare à tempestate sua*. Alii, *sedati sunt fluctus*, *& cessavit tempestas*. Omnes rectè. Hujus contrarium, *ibat & intumescebat*. ¶ *Ab æstu suo*] *A fervore suo*, Int. antiquus. Sensus est, *à tempestate quâ jactabatur*. Tralatio à ratione præditis: Propriè enim זעף in hominibus dicitur, cùm æstu fervent ac jactantur iracundiâ.

16. DOMINUM] Hoc aberat à v. 10. ¶ *Sacrificaverunt sacrificia* DOMINO] Vetus, *immolaverunt hostias* DOMINO. Eodèm recidit. *Sacrificaverunt*, postquam egressi sunt è navi: nam in navi qui hoc fieri potuit? Interpres Chaldæus, *dixerunt se sacrificaturos*. *Dixerunt*, h. e. promiserunt. Non omnino displicet. Simile est, *dedit mercedem ejus*. Quid si locum exponamus de *sacrificio laudis*, h. e. de gratiarum actione? Nam eam significant interdum *sacrificii* voce. Eandem vocant *vitulos labiorum*: unde illud est, *reddemus vitulos labiis nostris*. Res nota iis qui in his literis hospites planè non sunt. ¶ *Voverunt vota*] Vota Deo nuncuparunt pro salute. Sed quid *voverunt?* an se daturos operam ut aggregentur ad populum Dei? aut potiùs ista cohærent cum præcedentibus, & hoc dicit, *voverunt se hostias immolaturos Deo?* Ego ab iis non dissentio qui prius quidem membrum accipiunt de votis sacrificiorum, posterius verò de aliis votis: tamen nihil statuo; sed quicquid ejus rei est, in medium relinquo.

IDEM.

1. TON τοῦ Ἀμαθὶ] Sic Hieron. *filium Amathi*. Videntur legisse אמתי. Libri ad E. C. Ἀμαθὴ. Sic reperio Νινευὴ & Νινευὴ. Aut est mendum ex Ἀμαθεὶ quale in Ἰωδὴθ nam scribendum Ἰωδεὶθ. Fortè antiquitas lectionis Ἀμαθὴ pro Ἀμαθαΐ. In quo duo notanda: Primùm α pro ε, ut in *Mariam*, *Phasga*, & similibus; Deinde η pro αι, ut *Jerusalem*, *Ephrem*, *Mesrem*, quæ nunc sonant ac pronunciant *Jerusalaim*, *Ephraim*, *Misraim*. Vide Observ. l. 9. c. 3.

2. Νινευὴ] R. Νινυὴ· magis placet.

3. Θαρσεὶς] R. Θαρσὶς, & sic deinceps. ¶ Ἀνέβη] ירד *conscendit*. C. ἐνέβη κα- *ingressus est*. In Ebræo legitur κατέβη.

4. Πνεῦμα μέγα] Dictio μέγα à C. abest, sed malé. ¶ Συντριβῆναι] Διαλυθῆναι. Prius magis placet.

5. Ἔῤῥεγχε] A. AR. ῥέγχε. R. ἔρεγχε, unicâ ρ.

6. Καὶ ἦλθε] C. & R. καὶ προσῆλθε. ¶ Ἀνάστηθι καὶ ἐπικαλοῦ] C. ἀνάστα, ἐπικαλοῦ. R. ἀνάστα καὶ ἐπικαλοῦ. Sed sciendum nullam esse copulam in Ebræo. ¶ Εἰ πως διασώσῃ] Minùs placet quod in C. R. ὅπως· nam dubitantes hæc dicunt.

7. Καὶ ἐπιγνῶμεν] C. καὶ γνῶμεν. ¶ Ἐφ' ἡμᾶς] עלינו. R. ἐν ἡμῖν בנו. C. ἡμῖν quod ut probem facit codex Ebræus: nam in eo est לנו.

8. Ἀπάγγειλον δὴ] Δὴ à C. R. abest, sed perperàm. ¶ Τίνος ἕνεκεν ἡ κακία αὕτη ἐν ἡμῖν] C. τίνος ἕνεκεν τὸ κακὸν τοῦτο ἡμῖν Hoc totum desideratur in R. ¶ Καὶ ποῦ πορεύῃ] Abest à C. & R. bene: non enim legitur in Ebræo.

9. Κύριον τὸν Θεὸν] Dictio Κύριον non est in C. ¶ Τοῦ οὐρανοῦ] C. τοῦ οὐρανοῦ καὶ τῆς γῆς.

10. Ἐκ προσώπου Κυρίου] B. ἐκ προσώπου νῦν mendum operarum, ut suspicor, ex more in epitoma scribendi κῦ pro κυρίου.

12. Καὶ ἐμβάλλετε] R. καὶ ἐμβάλλετέ με. Sic est in Ebraico.

15. Καὶ ἐνέβαλον] R. καὶ ἐξέβαλον. ¶ Ἡ θάλασσα] Desideratur in C.

16. Θυσίαν] C. θυσίας.

IDEM.

2. Ἡ Κραυγὴ τῆς κακίας αὐτῆς] Respexerunt, ut conjicio, ad locum illum Gen. 18. 20. *Clamor Sodomorum & Gomorræ multiplicatus est*. Sic alibi in eodem libro, *Vox sanguinis fratris tui clamat*.

3. Ναῦλον αὐτοῦ] Sub. πλοίου. Hieron. *naulum suum*, ac si esset αὐτοῦ. Sic infrà 2. 2. πρὸς Κύριον τὸν Θεὸν αὐτοῦ, *ad Dominum Deum suum*.

9. Δοῦλος Κυρίου εἰμὶ] Apparet eos legisse עבד י, sumpto Joth pro nomine tetragrammo יהוה, quemadmodum fieri solet in compendiis scripturarum, cùm princeps litera ponitur pro tota dictione. Sed vide sis Quæst. meas.

LIVELEUS.

JONAS ordine quintus numeratur inter 12 Prophetas qui Minores vocitantur; tempore verò illis omnibus prior & antiquior fuit. Id 2 Reg. 14. 25. liquet, ex eo quod de pace & salute Israelitarum sub Jeroboamo futura vaticinatus est antequam calamitosam eorum captivitatem denunciasset per Prophetas suos Deus: Cujus primi prænuncii fuerunt Oseas & Amos, cum Esaia. Itaque temporis ratione cum primo loco collocari oportuit. Est quidem hic Jonæ libellus totus historicus: Continet enim de Jonæ ad Ninivitas missione narrationem, atque eam quidem duplicem: Primâ illius inobedientia declaratur, Secundâ ejusdem obsequium enarratur. Inter Prophetas autem ob eam causam collocatur quia Propheta erat, & hic ejus in Ninivem prophetatio ostenditur. In illam autem urbem, meo judicio, prophetare jussus est ut memorandum exemplum & certum argumentum admirabilis Dei clementiæ exstaret, quâ resipiscentibus Ninivitis pepercit ac denunciatam cladem condonavit. Qui enim tam facilem & lenem se erga profanos homines exhibuerat, de ejus clementia & placabilitate quomodo Israelitæ pœnitentes dubitarent? Istam verò Dei lenitatem testatur hic Vates c. 4. 2. *Sciebam te Deum gratiosum & misericordem, longanimem, & magnâ benignitate, ac pœnitentem mali esse.* Atque ipse Deus eam declarat in fine ejusdem; *Tu parcis*, inquit, *ricino*, *& ego non parcerem tam magnæ urbi, in qua sunt plus duodecim myriades hominum qui suam dexteram à sinistra non noverunt; jumentáque multa?* Quidam mirabilem istam Jonæ à nautis in mare projecti liberationem ab Herodoto ad Arionem fidicinem torqueri scribunt. Sed neque tempus quo vixit Arion, neque patria ejus convenit. Quod verò nonnulli hoc Jonæ scriptum de historia quapiam sacra decerptum fuisse suspicantur, ei tantum tribuerim fidei quantum conjectura meretur. Conjunctio enim copulativa non semper historiæ continua-

tinuationem notat, sed aliquando narrationis initium, ut Ezech. 1. 1. *Et factum est anno tricesimo*, &c.

2. *Clama contra eam*] Hoc scilicet, *eam quadraginta dierum spatio eversam iri*, ut infrà 3. 4. ubi Jonas jussus proclamare in Niniven edictam à Deo proclamationem, hoc proclamasse dicitur, *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur.* Quare verò hoc à Jona proclamari velit, ratio hîc sequitur, *Quia summa eorum malitia in conspectum Dei venerat*, ut jam pro justitia sua vindictam exsequi debeat. Solet enim Deus cum servis suis consiliorum suorum rationem communicare: Gen. 18. 20. *Clamor Sodomæ & Gomorrhæ magnus est: Itaque descendens inspiciam num secundùm clamorem qui pervenit ad me fecerint.* Exod. 3. 9. *Ecce clamor Israelitarum pervenit ad me: itaque te nunc ad Pharaonem mittam.* Gen. 6. 13. Deus Noacho quid sit facturus, & quare; ostendit. ¶ *Ascendit coram me*] h. e. In Cœlum usque suâ magnitudine excrevit, atque eò ad meam notitiam quasi ascendens pervenit. Metaphora ad intolerandam & maximam nequitiam significandam; ut Apoc. 18. 5. *Accumulata peccata ejus in cœlum pertigerunt, & recordatus est Jehova scelerum ejus.* Ezræ 9. 6. *Creverunt iniquitates nostræ supra caput, & magnus in cœlum usque reatus noster est.*

3. *Ut fugeret*] Quare fugerit multæ causæ ab interpretibus afferuntur: Sed vera causa ab ipso Propheta ostenditur c. 4. 2. fuisse Dei lenitas, & ad eladem denunciatam perficiendam tarditas: *Nonne hoc meum verbum erat cùm adhuc in terra mea essem? Propterea anteverti fugiendo in Tharsis. Sciebam enim te Deum gratiosum & longanimem esse*, &c. Verebatur scilicet nè falsus Propheta haberetur. ¶ *Joppen*] Hebraicè *Japho* nominarur, ut à barbaris nunc *Jafa* dicitur. Fuit oppidum in tribu Danis maritimum, Jos. 19. 46. De quo Plinius lib. 5. 14. *Joppe Phœnicum*, inquit, *terrarum inundatione antiquior, ut ferunt.* Idem confirmat Solinus cap. 37. Distitit autem à Gethchephero, unde Jonas fuisse dicitur 2 Reg. 14. 25. circiter quinquaginta milliaria. Erat enim Gethehepher Zabulonis oppidum ad lacum Tiberiadis jacens. ¶ *Euntem in Tharsis*] Verbum è verbo *venientem in Tharsis*, h. e. quæ in Ciliciam itura erat. Nam בוא propriè *venire* significat, hîc verò *ire*, bis in eodem versu. Sic Ruth 3. 7. *Venit cubitum Boaz*, i. ivit. Sic Latinè *venio* nonnunquam est pro *eo*. Terentius in Adelphis, *Nisi Cyprum ad mercatum veniam, damnum maximum est. Venire* & *ire* idem sunt reipsa, solâ ratione differunt. Hine fit ut *eundi* etiam verbum aliquando *veniendi* notionem habeat. Num. 22. 37. *Dixit Balac Balaamo*, *Quare non* הלכת אלי *ivisti ad me?* i. venisti? ¶ *A conspectu Jehovæ*] Ad verb. *à coram Jehova*, i. ab ejus præsentia, nempe ad eo loco in quo Jonas coram Deo se peculiari quadam ratione præsentem exhibente erat. 2 Reg. 6. 32. *Rex misit nuncium* מלפניו *à coram se*, ab eo loco scilicet in quo præsens erat.

4. *Periclitaretur frangi*] Hebraicè dicitur *putaret frangi.* Quod ità intelligitur à quibusdam Hebræis Scholiastis quasi vectores illius navis putarent eam fractam iri: ut Metonymia sit continentis. Ego verò priorem illam interpretationem, quæ Lxx Interpretibus, & Hieronymo, & Mercero, aliisque nonnullis placuit, libentiùs sequor. Metaphora esse videtur ab hominibus qui periclitantur illis malis quæ sibi fore putant.

5. *Projecerunt instrumenta*] Supellectilem & armamenta quibus navis onerabatur. Solet enim à nautis naufragio periclitantibus projectio impedimentorum & onerum fieri illius levandæ causâ, ut Act. 27. 18, 19, 38. patet. Indè illa apud Ciceronem quæstio 3. Off. *Si in mari jactura facienda sit, equíne pretiosi potiùs jacturam faciat an servuli vilis.* Juvenalis Sat. 12. de Catullo periclitante,

> ———*imitatus castora, qui se*
> *Eunuchum ipse facit, cupiens evadere damno*; &c.
> *Fundite quæ mea sunt, dicebat, cuncta, Catullus*, &c.
> *Jactatur rerum utilium pars maxima: sed nec*
> *Damna levant.* ———

¶ *Ad latera navis*] Hieron. *ad interiora* vertit; rectissimè, ut ego opinor. Sic etiam Vulgatus interpretatur hanc vocem 1 Sam. 24. 4. *David cum hominibus suis in interiore parte speluncæ fuerunt*; *in lateribus speluncæ*, ad verbum.

6. *Cogitet de nobis*] h. e. Nobis prospiciat & consulat, nostri curam habeat ad nos liberandos; ut Psal. 40. 17. *Pauper sum & inops: Jehova de me cogitat.* Simili ratione Deus opem suis laturus dicitur eos *meminisse*, *videre*, *respicere*, Gen. 8. 1. Exod. 3. 7, 9.

9. *Et aridam*] Terra dicitur יבשה, atque etiam החרבה Gen. 7. 22. h. e. *aridam* vel *siccam*, κατ' ἐξοχὴν, à prædominante illius qualitate: est enim, ut Philosophi docent, elementum siccissimum. Sic Matth. 23. 15. *Circumitis mare & aridam*, τὴν ξηράν. Similiter aqua absolutè *gelida* vocatur. Horatius 2 Serm. sat. 7.

> ———*Foribúsque repulsum*
> *Perfundit gelidâ* ———

Matth. 10. ult. *Qui uni ex his parvulis poculum frigidæ dederit*, ψυχροῦ.

11. *Procellosum esse pergebat*] Vel *magis ac magis procellosum erat*, ut Tremellius interpretatur. Ad verbum autem dicitur, *ibat & procellosum erat.* Hebræi enim cùm actionis augmentum significare volunt, verbum *eundi* præponunt. Gen. 8. 5. *ire & deficere*, 1 Sam. 17. 41. *ire & appropinquare*, pro *pergere* & *appropinquare*, vel *magis magisque appropinquare* & *deficere.*

13. *Foderunt viri illi*] h. e. Remigaverunt. Metaphora. Aquæ enim remis penetrantibus fodi videntur. Itáque eodem tropo à Poetis Latinis etiam *sulcari*, *arari* & *scindi* dicuntur: Virgilius 5 Æn.

> *Infindunt pariter sulcos, totúmque dehiscit*
> *Convulsum remis rostrisque stridentibus æquor.*

Ovidius 3 Trist. eleg. 2.

> *Non nisi vicinas tutus araret aquas.*

Idem Metam. 11.

> ———*reducunt*
> *Ordinibus geminis ad fortia pectora remos,*
> *Æqualique ictu scindunt freta.*

15. *Destititque mare ab æstu suo*] Vox Hebræa *iram* vel *indignationem* denotat; per Metaphoram *æstum* ac *agitationem fluctuantis & turbulenti maris.* Sic Ovidius loquitur Metam. 1.

> *Nec maris ira manet: positóque tricuspide telo,*
> *Mulcet aquas rector pelagi.*

Horatius lib. Epod. odâ 2.

> *Nec excitatur classico miles truci:*
> *Nec horret iratum mare.*

Hinc tranquillatæ aquæ *placari* & *sedari* dicuntur. Gen. 8. 1. *Transmisit Deus ventum super terram, & sedatæ sunt aquæ.*

G R O T I U S.

ET hunc Oseæ & Amoso coævum ex Hebræorum auctoritate ponit Hieronymus, & ordo suadet, & locus qui est 2 Regum 14. 25. Rex Ninives de quo agit hic liber potuit esse Phul qui postea cum exercitu venit in terram Israëlis; homo nec optimus, nec pessimus.

1. *Filium Amathi*] Etiam apud Græcos fuere vates *Amythonidæ*, potéstque *Jonas* nomen significationem habere *hominis è Græcia orti.*

2. *In Nineven*] Quæ *Ninos* Herodoto, Phocylidi, Straboni, Lucano, Plinio. ¶ *Adscendit malitia ejus coram me*] Tolerari ultrà non potest. Luxus & rapinæ solent in urbibus regnatricibus omnem modum excedere. — κρείσσων Νίνυ εὐφραινέσης [— *Ninus cui cedat opima*,] ait Phocylides.

3. *Ut fugeret in Tharsis*] Josephus *Tharsum* Ciliciæ accipit: Sed & alibi idem Josephus, ut & Hebræi, & hîc Hieronymus, per *Tharsis* intelligit *mare Oceanum*, nempe quòd urbs vetus Phœnicum colonia, non longè ab Oceano, quæ *Tartessus* Græcis, Phœnicibus ipsis תרשיש [*Tharses*] diceretur: *Tarseia* in vetere Romanorum & Cathageniensium fœdere. Quousque navigando pervenerit Jonas incertum puto; neque tacebo tamen Afros ad Mossam eum ejectum credi velle (testis Joannes Leo Afer,) Josephum in ponto Euxino. ¶ *A facie Domini*] Id est, longè è terra Israëlis. ¶ *Et descendit in Joppen*] Nam ἐπινείῳ τούτῳ κέχρηνται καταβάντες μέχρι θαλάσσης [*hoc portu utuntur qui ad mare descendunt*,] Strabo 16. ¶ *Et dedit naulum eis*] *Solent nautæ ab*

ignotis

ignotis vecturam accipere promutuam, *L. ex conducto.* §. *item. D. Locati.*

4. *Dominus autem misit ventum magnum in mare*] In Hebræo: *surgere fecit.*

5. *Et clamarunt viri*] In Hebræo, *vir*: id est, quisque. Et fortè sic scripserat Hieronymus: nam & Græci habent ἕκαστος [*quisque.*] ¶ *Ad deum suum*] *Ad deos suos.* Belum putà, Astarten, Melcartum, Ilum. ¶ *Et miserunt vasa, quæ erant in navi in mare*] Id est, jactum fecerunt. Vide Titulum Digestorum ad Legem Rhodiam. *Vasorum* nomine Hebræi res quasvis mobiles intelligunt. ¶ *Ut alleviaretur ab eis*] *Levandæ navis gratiâ*, ut loquitur L. 1. dicti tituli. ¶ *Descendit ad interiora navis*] In Hebræo: *ad latera navis*, id est, ad laterum alterum. ¶ *Et dormiebat sopore gravi*] Id est, κάρῳ, ut loquuntur Græci. Is torpor sæpe mœrorem comitatur.

6. *Gubernator*] *Magister navis*: *princeps nautarum*, ut Chaldæus hic. ¶ *Deum tuum*] *Deos tuos*, tuæ gentis.

7. *Et dixit vir ad collegam suum*] *Dixit quisque socio suo.* ¶ *Mittamus sortes*] Quod fieri solet ubi spes non est omnes servari posse. ¶ *Et sciamus quare hoc malum sit nobis*] Horatius:

Vetabo qui Cereris sacrum
Vulgarit arcanæ sub iisdem
Sit trabibus, fragilémque mecum
Solvat phaselum: sæpe Diespiter
Neglectus, incesto addidit integrum.

Qui cum Diagora Melio navigabant ingenti ortâ tempestate, causam ad ipsum retulere tanquam ἄθεον [*impium.*]

8. *Quod est opus tuum?*] In quo vitæ genere vixisti?

9. *Hebræus ego sum*] Natus in partibus Zabulonis. ¶ *Deum cœli ego timeo*] Id est, colo. ¶ *Qui fecit mare & aridam*] Hæc nota eum à diis Gentium optimè discernit.

10. *Cognoverunt enim viri quod à facie Domini fugeret, quia indicaverat eis*] Est Retrogressio.

11. *Quid faciemus tibi, & cessabit mare à nobis?*] Infestandis. ¶ *Mare ibat & intumescebat*] Pergebat intumescere.

12. *Et dixit ad eos, Tollite me*] Si *homo unus, ut multos servet, rectè morti se offert*, quod Demostheni dicebat Phocion, multò id faciet justiùs qui se aliis periculi scit esse causam.

13. *Et remigebant viri, ut reverterentur ad aridam*] Sicut Latini dicunt *arare mare*, ità Hebræi *fodere*: idque hic significat remigare, translatione perelegante, *Ut reverterentur ad terram* ideo dicitur quia omnes naves à terra aliqua veniunt. ¶ *Quia mare ibat & intumescebat*] Eadem verba quæ suprà 11.

15. *Et clamaverunt ad Dominum*] יהוה, id est, ad illum Deum Opificem Universi, cujus cultorem se Jonas dixerat. Facti erant in periculo religiosiores: Ὑπὲρ Μαλέαν πλεύσας εὐσεβὴς ἔσῃ [*Pius eris ubi supra Maleum navigabis.*] ¶ *Ne pereamus in anima viri istius*] Id est, *propter homicidium quod in eo commisimus.* Ut hic explicat Chaldæus, & ostendunt sequentia. ¶ *Quia tu, Domine, sicut voluisti fecisti*] Qui tempestatem hanc planè extraordinariam suscitasti, qui sortem fecisti cadere super Jonam, qui ipsum adegisti ut se sontem & causam hujus mali fateretur.

16. *Et timuerunt viri timore magno Dominum*] Iterum יהוה. ¶ *Et immolaverunt hostias Domino, & voverunt vota*] Promiserunt victimas quas offerrent Deo in Templo Hierosolymitano; *& vota voverunt*, nempe de operibus misericordiæ, ut sentit Kimchi.

CAP. II.

MUNSTERUS.

1. **E**T *præparavit Deus piscem*] h. e. Ordinatione suâ fecit mox adesse cetum grandem, qui ejectum deglutiret Prophetam, priusquam ab undis suffocaretur. Est autem hic וימן verbum Piel à radice מנה, pro quo Jonathan vertit וזמן & *paravit.* Hic advertere licet pœnitentiam voluntariam Prophetæ, & constantem ejus fidem, qui in tantis periculis liberè se morti exposuit. Licet & grande videre miraculum, ut homo in tam horribilem rictum exceptus, & in viscera usque trajectus, per triduum in profundo maris huc illùcque vivus jactetur, omni horâ cogitans adesse finem vitæ. Sed opus est Domini, qui solus potens est in cœlo, terra, mari & omnibus abyssis. Præterea quid significatum fuerit hoc mirabili facto Christus ipse docet Matth. 12. 40.

2. *Oravit Jona*] Ad se enim reversus Propheta post immensos illos terrores qui sibi acciderunt, & recogitans se vivum servari in ventre piscis quasi in inferno, aut sicut in sepulcro (id enim sonat שאול) agnovit gratiam & miraculum, sumptóque animo, confidenter *oravit ad Dominum*, certus quòd liberaretur ex præsentissima illa morte.

4. *Fluvius circumdedit me*] h. e. Flumina mare intrantia involverunt me. ¶ Porrò per *illisiones* intelliguntur procellæ quæ in sævienti mari excitantur. Jon. תושבחי *tempestates ejus.*

5. *Abjectus sum*] Quia, inquit, volui fugere faciem tuam, tu in maximis periculis abscondisti faciem tuam à me, & aliquandiu inobedientem periclitari permisisti, imò in fauces ipsas mortis & inferni projecisti; sed mei misertus vivum in hoc vastissimæ belluæ stomacho conservas, unde certissimè scio *me iterum visurum Templum sanctum tuum.* Miror quò hic Lutherus respexerit, ut hanc sententiam negativè verterit, quasi Propheta doluerit se ampliùs non visurum Templum Domini. Hoc Hebraismus non habet, nec Hebræorum expositores.

6. *Carectum junctum est capiti meo*] Exponunt hic Hebræi סוף pro אלגא *alga*, quæ est herba in aquis marinis nascens, cujus folia supernatant, & irretit eos qui in talibus locis natare tentant. Hinc & mare Rubrum putant dictum à talibus herbis ים סוף. Quædam autem crescunt in litore maris, & quædam in fundo maris, præsertim ubi montium radices ingrediuntur mare. Talibus igitur carectis dicit se Propheta obseptum fuisse interim quò in ventre ceti delituit.

7. *Ad terminos montium*] Exponitur hic קצב pro קץ & קרקע, i. *fines* & *basis.* ¶ *Terra cum vectibus suis est circa me in seculum*] h. e. Secundùm Kimhi, *Putabam me à principio, cùm à ceto deglutirer, perpetuò repagulari & clausum teneri in profundo maris à vectibus terræ: sed cùm sanus & vivus in ventre piscis Dei munere servor, firmissimè credo quòd Dominus educes de perditione vitam meam.*

9. *Qui observant vanissimas vanitates*] Jon. *Non sicut populi, qui colunt idola, à loco quo benefactum est eis, ipsi non agnoscunt. Non ego talis ero, se reddam vota mea*, &c Kimhi verò uno modo exponit de nautis qui Jonam in mare projecerunt: *hi*, inquit, *à periculo liberati, pietatem suam, quâ votum Deo cœli fecerunt, relinquent, & ad impietates suas revertentur: Ego autem à periculo præsenti liberatus sacrificabo tibi*, &c. Alii exponunt חסד pro *crimine* & *impietate*, quam illi hic scribuntur *relinquere*, conversuri ad Deum verum.

10. *Evomuit Jonam*] Josephus lib. 9. Antiq. asserit *Jonam ad littus maris Euxini ejectum*: Hinc enim non longum iter pedestre habuit in Assyriam, ut patet intuenti Tabulas Ptolemæi.

VATABLUS.

3. **E**X *afflictione mea* מצרה לי] *Ex quo fuit tribulatio mihi*, i. in tribulatione positus. ¶ *Et exaudivit me* ויענני] Hoc dicit quòd perstitisset illæsus & corpore & mente in ventre illius piscis. ¶ *De ventre inferni* מבטן שאול] Seipsum seq. v. declarat, i. de vasto barathro, h. e. de ventre illius ceti immanis, qui similis erat barathro. ¶ *Clamavi* שועתי] *Vociferatus sum.*

5. *Projectus sum*, &c. נגרשתי וגו׳] Phrasis Hebræa, pro, *Putabam me derelictum à te*: vel, *Quando projectus fui in mare, ferè despondi animum: putabam enim me mortuum.* ¶ *Addam respicere*, &c. אוסיף להביט וגו׳] Loquendi genus Hebraicum, pro, *spero me adhuc aspecturum Templum sanctum tuum* quod est in Jerusalem, cùm videam me permanere vivum & illæsum in ventre ceti.

6. *Usque ad animam* עד נפש] i. Usque ad separationem animæ à corpore: q. d. Periclitatus sum maximè de vita cùm essem in aquis maris. ¶ *Capiti meo* לראשי] q. d. Nunc ago in profundo maris, ubi nascitur *alga*, vel alia quædam herba. Aut per *caput suum* intelligit caput piscis in cujus ventre degebat.

7. *Ad extrema montium* לקצבי הרים] Chald. *Ad radices montium*, i. promontoriorum marinorum, circa quæ solet mare esse altum ac profundum, solétque illic habitare cete grandia. ¶ *Terra clausa*, &c. ארץ בריחיה וגו׳] *Vectes terræ* objecti sunt *mihi in æternum*: i. Videor mihi perpetuò exclusus à terra: aut, Videtur terra quasi repagulis ac obicibus mihi denegata, ut nunquam possim reverti in continentem ipsam. ¶ *Attamen ascendere fecisti* ותעל] *Attamen eduxisti.* Per præteritum,

teritum, verba ſunt ſentientis beneficium Dei; per futurum, ſperantis opem à Deo. ¶ *E fovea* משחת] i. E ventre ceti, qui eſt mihi velut fovea inferni & ſepulcrum: q. d. ab interitu & perditione.

8. *In templum ſanctum tuum* אל היכל קדשך] i. In cœlum ipſum: q. d. admiſiſti orationem meam. Mutatio eſt perſonæ, pro *ſanctitatis ejus.*

9. *Obſervantes vanitates mendaces* משמרים הבלי שוא] i. Qui colunt idola ac ſimulacra quæ nihil ſunt, & nihil poſſunt, ſuóſque cultores fallunt. ¶ *Miſericordiam ſuam derelinquunt* חסדם יעזבו] Fut. Heb. pro præſ. *miſericordiam ſuam deſerunt*; i. eum à quo miſericordiam exſpectare debent. Alii, *abominationem ſuam*, i. idola abominanda: q. d. Nautæ colentes priùs idola, propter miranda facta tua abjecerunt illa.

10. *Confeſſionis* תודה] *Laudis*, quæ eſt index animi. ¶ *Salus* eſt *Jehovæ* ישועתה ליהוה] *Salvatio* pertinet *ad Jehovam*: q. d. Nullus eſt alius qui ſervare poſſit.

11. *Et præcepit* ויאמר] Ad verb. *Et dixit*, ſub. *ut evomeret Jonam.*

CASTALIO.

8. S*Uam relinquunt clementiam*] h. e. Deum, qui alioquin eſſet erga eos clemens.

CLARIUS.

1. D*E ventre piſcis*] Ubi vidit ſe intra tam vaſtam belluam vivum ſervari, agnovit gratiam & miraculum: ſumptóque animo, in preces ac gratiarum actiones converſus eſt.

3. *Flumen circumdedit me*] h. e. Flumina mare intrantia involverunt me.

4. *Abjectus ſum*] Quia, inquit, volui fugere faciem tuam, tu in maximis periculis abſcondiſti faciem tuam à me, & aliquandiu inobedientem periclitari permiſiſti, imò in fauces ipſas mortis & inferni projeciſti; ſed mei miſertus vivum in hoc vaſtiſſimæ belluæ ſtomacho conſervas; unde certiſſimè ſcio *me iterum viſurum Templum ſanctum tuum.*

6. *Terra vectes*] Putabam me à principio, cùm à ceto deglutirer, perpetuis repagulis clauſum teneri in profundo maris à vectibus terræ, ſed eùm ſanus & vivus in ventre piſcis Dei munere ſervor, firmiſſimè credo quòd Dominus educet de perditione vitam meam. Illud verò *in æternum* quidam ſic aptat, *Terræ vectes in æternum duraturi concluſerunt me.*

8. *Miſericordiam ſuam*] h.e. Deum miſericordem eum illis. Per *vanitates* intellige idola.

10. *Evomuit Jonam*] Joſephus lib. 9 Antiq. aſſerit *Jonam ad littus maris Euxini ejectum.* Hinc enim non longum iter pedeſtre abiit in Aſſyriam, ut patet intuenti Tabulas Ptolemæi.

DRUSIUS.

1. P*Raparavit*] Vel *præparaverat.* Deus cujus nutu atque arbitrio hæc omnia geſta ſunt, ità caſtigavit Prophetam ſuum ut tamen eum non planè deſtituerit, ſed in mediis fluctibus præparavit piſcem magnum, qui illum poſt triduum terræ redderet ſalvum & incolumem. In eo piſce cùm Jonas incluſus eſſet, habuit hanc precationem, in qua ex magnitudine periculi ſui, Dei erga ſe benignitatem mirificè amplificat atque exaggerat. In extremo etiam gratias agit, ac quæ vota pro ſalute ſuſceperat ea ſe redditurum Deo pollicetur. ¶ *Piſcem magnum*] Cetum. Nam legimus Matth. 12. 40. *in ventre ceti*, de hoc piſce. Rondeletius exiſtimat fuiſſe Lamiam: de quo ità ſcribit, *Piſcis eſt carnivorus, voraciſſimus, & anthropophagus: cadavera enim mortuorum etiam integra vorat: quod ex diſſectione compertum eſt. Maſſiliæ enim & Niceæ aliquando capta ſunt Lamiæ, in quarum ventriculo homo loricatus inventus eſt.* Et mox, *Vidi quidem in Santonico littore Lamiam cujus os gulàque tantâ erant vaſtitate ut hominem etiam obeſum capere poſſet.* Et pòſt pautò, C E T I *nomine quivis piſcis immanis intelligitur, maximè cùm balanæ pulmonibus ſpirent: quibus, aſperaque arteria cùm cedant ventriculus gulàque, anguſtiores eas partes eſſe neceſſe eſt: id quod etiam ex diſſectione conſtat. Harum verò partium in Lamia ea eſt vaſtitas ut Jonam capere potuerit; quemadmodum cadavera tota in ea inventa fuiſſe experimento compertum eſt.* Hactenus Rondeletius. Quæ de Balæna diſputat eò pertinent ut ſciamus in errore magno verſari eos qui devoratum fuiſſe credunt Jonam à Balæna, cùm is piſcis hominem integrum capere non poſſit. Scaliger contra Cardan. pag. 390. de Balænis, *Neque molem vorare grandiorem licet eis propter gulæ anguſtias: aditus enim vix ſemipedem patet.* ¶ *In viſceribus*] Alibi eſt *in ventre*, בבטן. ¶ *Piſcis illius*] הדג cum articulo. Hîc piſcis promiſcuè & דג & דגה vocatur, quaſi utroque genere. דגה vocatur v. 2. proinde incertum mas an femina fuerit. Quidam affirmant Ebræos non diſtinguere ſexum in piſcibus. ¶ *Tres dies*] Anne plenos? Suſpicor tertio die ejectum fuiſſe, quemadmodum Chriſtus tertio die reſurrexit. Notum illum, *Sicut enim Jonas fuit in ventre ceti tres dies & tres noctes, ità Filius hominis erit in corde terræ tres dies & tres noctes.* Locus eſt Matth. 12. 40. Vide Auguſt. De Euang. l. 1. quæſt. 7. & De conſenſu Euang. l. 3. c. 24. & Epiſt. 49. quæſt. 16. ubi diſputat contra eos quibus hoc ἀπίθανον & incredibile videtur. Joſephi Origines hîc habent, Τὸν δὲ λόγον ὑπὸ τοῦ κήτους καταποθέντα τρεῖς ἡμέρας καὶ τοσαύτας νύκτας εἰς τὸν Εὔξεινον ἐκβρασθῆναι πόντον, ζῶντα καὶ μηδὲν τοῦ σώματος λελωβημένον, ἔνθα τοῦ Θεοῦ δεηθεὶς, συγγνώμην αὐτῷ παρασχεῖν τῶν ἁμαρτημάτων. Verba ſuſpecta de vitio. Certè verum eſſe non videtur quod ait εἰς τὸν Εὔξεινον ἐκβρασθῆναι πόντον· nam hæc potiùs geſta ſunt in mari Syriaco, vel in Cilicio; vel certè in Iſſico ſinu.

2. *Deum ſuum*] Quem ſuperiùs appellat *Deum cœli*, nunc vocat *Deum ſuum*, non eò ſolùm quòd eum coleret ejúſque Propheta eſſet, ſed quia in alvo ceti ſalvum conſervaverat: Quod factum eſt (neque enim aliter fieri potuit) ſingulari quodam beneficio, nec ſine miraculo: unde perſpicere facilè potuit *Deum* adhuc *ſuum* eſſe, h. e. eundem erga ſe qui ſemper fuiſſet. ¶ *E viſceribus piſcis*] q. d. E media anguſtia ſua.

3. *Ex adverſitate mea*] מצרה לי: ad verb. *in adverſitate mihi*: quod ità breviter dictum pro אשר לי *quæ mihi eſt*; idémque planè cum illo מצרתי. Ideo vertimus *ex adverſitate mea.* Hinc capies illud Davidis, *dilatavit in anguſtia mihi.* Senſus eſt, *dilatavit greſſum meum in anguſtia quæ mihi erat*, h. e. mea. ¶ *Et exaudivit me*] ענה propriè eſt *reſpondere*: ſed pro *exaudire* ſumitur hoc in loco & alibi ſæpe. Loquitur autem ut Propheta, de futuro per præteritum, quia certus erat fore ut ſalvaretur, tametſi modum quo id futurum eſſet ignoraret. Sic David cùm fugeret Abſolomum, *exaudivit me*, inquit, *è monte ſuo ſancto.* Quod notandum duxi propter eos qui hinc argumentum promunt ut doceant Jonam has preces fudiſſe demum pòſt liberationem ſuam. ¶ *E ventre ſepulcri*] Vel potiùs *è ventre inferorum*: nam שאול *inferi.* Sic V. editio. Eſt autem ſenſus ut ſi dixiſſet *è mediis inferis.* Nam *Venter* in medio Hominis, ideo pro *medio* ponitur. Jam notum ut *inferorum* voce graviores calamitates deſignent. Aut per *ventrem ſepulcri* ſignificat ceti alvum, quòd in ea eſſet tanquam in ſepulcro. Nam & *ſepulcri* vocabulo maxima pericula deſignant. Dicit autem *è ventre*, ut ſuprà *è viſceribus piſcis*: quod quidam enarrant *in ventre*, ſed fruſtrà: nam ſic David quoque locutus eſt, *E profundis clamavi ad te*: q. d. *e media calamitate.* ¶ *Audiviſti*] *Exaudiviſti.* Simplex pro compoſito. ¶ *Vocem meam*] Preces meas. Opinor vos animadvertere in hoc verſu Enallagen perſonarum. Solens ea figura Ebræis.

4. *Et projeciſti*] Puto melius eſſe *projeciſti* abſque copula, quæ nunc ex Ebraiſmo abundat. Deo tribuit quod à nautis patratum erat, quia Deo autore id fecerant: unde & illud, *quemadmodum voluiſti feciſti*, ſuprà 1. 14. ¶ *In profundum*] Mox ſe explicat cùm ait *in cor marium*: id valet *in medium mare.* Sed cur dicit *marium*? An eſt Enallage numeri? aut *maria* dicit propter flumina quæ in mare influunt? Omnem enim congregationem aquarum *maria* vocant. Fortè verius ut dicamus piſcem illum, poſtquam Jonam abſorpſiſſet, plura maria nando trajeciſſe, putà Phœnicium, Ægyptium, Cilicium, & alia. Ità quidam arbitrantur. ¶ *In cor*] *Cordis* nomen uſurpant pro *medio* cujuſque rei. Figura nota. Sic *cor terræ*, i. medium aut interiores partes. Huc facit Moſes Ægyptius, qui ſcribit *Cor* in medio Hominis eſſe, & ideo pro *medio* ſumi. Scribit hoc in primo Perplexorum. Ut *cor terræ*, ità *terræ viſcera* dixit Ovidius, & *montis medullas* Catullus. Hieronymus quoque dixit *cor voluminis*, ſed neſcio quo in loco. ¶ *Flumen*] Eſt genus figuræ quod Græci μείωσιν, Latini *Extenuationem* aut *Imminutionem* vocant. Eo qui uti volunt, mare *fluvium* vocant. Ea cauſa eſt cur hîc locus accipi poſſit de ipſo mari: niſi potiùs ut ſit ἑτέρωσις numerorum. *Flumen* pro *fluminibus* quæ in mare exundant. Eruditi homines utrum horum verius ſit & ad ſententiam Prophetæ accommodatius expendent, judicabunt. ¶ *Omnes*] Multi. Solens loquendi genus apud auctores. ¶ *Fluctus*] Ebraicè vocantur משברים à *frangendo*, quòd à littoribus frangantur: nam שבר *frangere.* גלים verò dicuntur *undæ* à *volvendo*; quod eſt גלל. ¶ *Undæ tuæ*] Juxta illud,

illud, *mea est terra, & quicquid eâ continetur.* Sic mare, in quo fluctus & undæ. Sed verius arbitror *undæ tuæ*, quæ à te excitatæ per hanc tempestatem. ¶ *Super me*] Super caput piscis in quo inclusus jacco. Totum hunc versum licet etiam aliter interpretari, nempe ἀλληγορικῶς, ut significet gravitatem periculi in quo tum versabatur. Gravia enim pericula significant Ebræi *maris* & *fluctuum* vocabulis.

5. *Tum ego dixi*] In ea cogitatione versabar ut dicerem te abjecisse curam mei. Hoc significat, *abjectus sum è conspectu oculorum tuorum.* ¶ *Abjectus*] *Ejectus, expulsus, exclusus, excisus.* ¶ *E conspectu oculorum tuorum*] Ad verb. *à coram oculis tuis.* Hæc eadem locutio inveniatur Ps. 31. 22. *Ego dixi in præcipiti fuga mea, Excisus sum è conspectu oculorum tuorum. Oculum* pro *cura* & *providentia* usurpari, & protritum jam est, & notatum cùm ab aliis, tum ab Ægyptio Mose Perplexorum l. c. 42. Scitum illud, *In omni loco oculi Domini, speculantur tam bonos quàm malos.* Huc refer, *Pone oculos tuos super ipsum:* nam sensus est, *habe curam ipsius.* Hinc intelliges apophthegma illius qui dicebat, *Nihil perinde equum saginare atque oculum domini.* ¶ *Veruntamen*] Cùm in ea cogitatione versarer, non tamen omnem spem de salute mea abjeci: quin speravi fore ut Templum tuum sacrosanctum denuò oculis usurparem, ibíque gratiarum actiones pro liberatione mea tibi agerem. ¶ *Rursus aspiciam*] Ebraicâ phrasi hoc dicitur *addam aspicere:* & sic est in archetypo. ¶ *Ad Templum*] Vel *intuebor in Templum.* V. Int. *rursus videbo:* minus placet. Nam *videre* ראה dicitur: at הביט plus esse ante nos alii monuerunt. *Denuò*, inquit, *contuebor ad templum tuum sacrosanctum*, h. e. ad cœlum, vel ad templum Jerosolymitanum; nam eò respiciebant precantes. Cœlum autem *templum Dei* vocari notius est quàm ut probari debeat. Vide infrà v. 8. ¶ *Sanctum tuum*] Ad verb. *sanctitatis tuæ.*

6. *Cinxerunt me aquæ usque ad animam*] In tantum periculum deveni ut actum planè videatur de vita mea. *Usque ad animam*, proverbiale periculi. Eadem locutio est Ps. 69. 1. *quoniam aquæ venerunt usque ad animam.* ¶ *Alga*] Quæ in fundo maris. Nam est alia alga quæ in ripis & littoribus provenit. A priore denominatum est *Mare Suph*, i. *algosum.* Dicta autem à סוף, eò quòd *putrescat & deficiat.* ¶ *Caput meum*] Caput piscis in quo nunc sum. Quanquam fieri potest ut aquæ quam piscis hauriebat alga admixta fuerit, quæ capiti Jonæ deinde adhæserit. Quis hoc negare ausit? Certè quod ait, *cinxerunt me aquæ usque ad animam*, non aliter quàm de hac aqua capiendum puto. Pro *alga* Hier. habet *pelagus*, i. ים. Jon. *mare Suph.* Neutrum placet. Locum Hieronymi in quo dicit SUPH *mare* esse alibi abduximus & refutavimus. Mihi crede, falsus est Hieronymus, vir alioqui doctissimus, ut in aliis multis, ità in hoc quoque.

7. *Ad extrema*] Sive *extremitates.* Significat radices montium. ¶ *Montium*] Mari adjacentium promontoriorum, aut scopulorum qui in mari. ¶ *Terra vectibus suis*] Quas appellat *terræ vectes?* an littora marium? Tremellius enarrat de *inaccessis rupibus, quibus terra importuosa efficitur.* Quære ampliùs. Opinor melius esse *terræ vectes circum me.* Vetus, *terræ vectes concluserunt me:* sententiam expressit, nisi fallor. *Terra vectes ejus*, pro *terræ vectes*, constructio merè Ebraica. Ad quam referri posset illud Tobiæ, καὶ Τωβίας εὐλόγησε τὴν γυναῖκα αὐτῦ, ut sensus sit, *& benedixit uxorem Tobiæ:* nam *Gabael* subintelligitur. ¶ *In seculum*] Vel *in æternum.* Ità me conclusum tenent vectes terræ ut nulla prorsus spes sit ex hoc loco unquam egrediendi, nisi tu me quasi è sepulcro eduxeris: quod profectò facies, si te novi: eâ es benignitate. ¶ *Attamen sublevasti*] Nihilominus me vivum è pisce tanquam è sepulcro, mi Deus, eduxisti. ¶ *E corruptione*] E sepulcro. Vocatur eo modo Sepulcrum, quòd in eo cadavera *corrumpantur.* Sensus est, *ex alvo ceti.* Sic locutus est suprà, *è ventre sepulcri.* ¶ *Vitam meam*] Me vivum.

8. *Cùm delinqueret*] Alii, *cùm effunderetur super me.* Hoc vult, Cùm animo delinquerer præ angustia, & jam actum videretur de vita mea. ¶ *Recordatus sum*] Precando scilicet. ¶ *Et venit ad te oratio mea*] Tum exaudivisti preces meas. ¶ *Ad templum tuum sanctum*] Ad cœlum. Explicat quod priùs dixerat *ad te.* Contrà est, *ascendit malitia eorum coram me*, pro *ad cœlum usque.* Hoc sensu acceperim Psal. 11. 4. *Dominus in templo suo sacrosancto:* & 2 Par. 30. 27. *penetravit oratio eorum ad habitaculum ipsius sanctum, ad cœlum.* Figura est quam *Periphrasin* vocant. Eâ qui uti volunt, hoc modo loquuntur. Sed fortè in mente habuit Templum Jerosolymitanum, ad quod antiquitus respiciebant precantes.

9. *Qui*, &c.] Sic hunc locum David Scholiastes enarrat, *Nautæ, qui falsos deos colunt, deserent, scio, pietatem suam, neque vota quæ fecerunt persolvent: at ego*, &c. ¶ *Custodiunt*] *Observant.* ¶ *Vanitates frustrà*] Sic est in ed. antiqua, *i. quæ frustrà sunt.* Ea autem *frustrà esse* dicuntur quæ neque commodum neque detrimentum ullum afferunt. Santes Pagninus emendavit *vanitates mendaces:* malim ego *vanitates vanas.* שוא enim idem valet quod הבל. Et dictum ἐκ παραλλήλε הבלי שוא, ut *Terra pulveris, Lutum cœni*, & alia ejus generis. Circumscribit autem hoc modo loquendi Idola, quibus nihil vanius: itaque אלילים vocantur quasi *dii nihili. Idolum* enim, ut ait Apostolus, *nihil est.* ¶ *Benignitatem suam*] Dum in suis inanissimis vanitatibus manent, sibi injurii sunt: *negligunt* enim *benignitatem* quam Deus illis largissimè offert. Sic vulgò enarrant. Ego (cum pace cúmque venia eorum qui aliter sentiunt hoc dictum sit) existimo non incommodè posse exponi de Deo; ut sensus sit, *deserunt Deum benefactorem suum.* Nam Dei benignitate humana omnia subsistunt. In eo & per eum vivimus: quinetiam Homines quòd sumus ipsi debemus. Meritò ergò vocatur *benignitas nostra:* est enim fons omnis benignitatis, bonorúmque adeò omnium: τἀγαθὸν vocatur à Philosophis, ut αὐτὸ ἀγαθόν. Quidam, *probrum suum deserant*, i. idola sua. Nam חסד aliquando חרף *ignominia, dedecus.* Vide Phelictha fol. 26. col. 2.

10. *Ego autem*] Postquam recensuit pericula sua, item quomodo ex iis certò liberandus, vel potiùs jam liberatus, esset, subjungit gratiarum actionem: quod est animi grati & memoris; quo nihil Deo acceptius. ¶ *Voce laudis*] Gratiarum actione. Potest reddi *cum voce laudis.* Talia sacrificia εὐχαριστήρια vocantur & θυσίαι αἰνέσεως. Dicunt etiam *immolare vitulos labiorum* eodem significatu. Ps. 50. 14. *Immola Deo sacrificium laudis, & redde Deo vota tua.* Mens Davidis, *Lauda Deum.* Eandem sententiam continet hoc loco, *Voce laudis immolabo tibi.* Uterque respexit ad sacrificium quod זבח תודה vocant: id constabat ex *placentâ non fermentatâ in oleo subactâ, crustulâ sine fermento oleo conspersâ, tostâque similâ*, Levit. 7. ¶ *Immolabo tibi*] Pro salute mihi præstita à te. ¶ *Quæ vovi reddam*] Vota quæ nuncupavi persolvam libens meritò. ¶ *Salus DOMINO*] Epiphonema. Non est salus præterquam à DOMINO; & frustrà sunt qui aliunde salutem exspectant. Vetus, *quæcunque vovi reddam pro salute DOMINO.* Ordo ac sensus, *reddam vota mea DOMINO pro salute quam mihi dedit.*

11. *Dixit*] *Edixit, præcepit*, internè movit. Sic Matth. 4. 3. *Dic ut lapides isti panes fiant.* Jube. Porrò aliquid deest, quod supplebis, si legas, *dixit pisci, Evome Jonam:* aut, *jussit ut evomeret.* ¶ *Et evomuit*] Bene ac propriè: nam ex alvo eum foràs projecit. ¶ *In aridam*] i. In littus. Severus, *Ninivitarum littoribus ejectus.* Estne hoc verum? Non videtur. Nam Ninive non erat ad mare sita, sed ad Tigrim amnem. Josephus ità, *Ejectus est ad littus Ponti Euxini. Indè pedibus se Niniven contulit.* Vide Sigonium in Historiam Sulpitii. Nec hoc verum videtur: potiùs dixerim ejectum fuisse in littora sinûs Issici, aut maris Syriaci, unde solverat.

IDEM.

1. KΑτεπιεν] C. καὶ κατέπιεν.

3. Καὶ εἰσήκουσέ μυ ἐκ κοιλίας ᾅδυ κραυγῆς μυ] Κραυγῆς μυ non est in C. & sanè abundare videtur. Sed hic locus ità interpungitur in R. καὶ εἰσήκουσέ μυ ἐκ κοιλίας ᾅδυ κραυγῆς μυ. Res perspicua: legerunt שועתי vice ejus quod nunc legitur שועתי, i. *clamavi.* Est autem constructio ut infrà 8. *venit ad te precatio mea, ad Templum sanctum tuum.* Potest aliter distingui, εἰσήκουσέ μυ, ἐκ κοιλίας ᾅδυ κραυγῆς μυ ut repetatur εἰσήκουσε ex præcedentibus, *exaudivit me, ex ventre Orci clamorem meum*, sub. *exaudivit.* Nisi mavis emendare κραυγὴ μυ quod idem cum illo שועתי *clamavi.* Sed omnes libri quos vidi κραυγῆς habent.

4. Εἰς βάθη] C. εἰς βάθος. ¶ Ἐπ' ἐμοὶ] C. & R. ἐπ' ἐμέ.

5. Τῦ ἐπιβλέψαι με πρὸς ναὸν] C. τῦ ἐπιβλέψαι τὸν ναόν. Sed πρὸς legitur in Ebraico.

6. Ἕως ψυχῆς μυ] Pronomen rectè abest in C. R. ¶ Ἐσχάτη] Non est in C. abest & à N.

7. Ἀναβήτω ἐκ φθορᾶς ἡ ζωή μυ] R. ἀναβήτω φθορὰ ζωῆς μυ. Sic etiam legit olim Hesychius Theologus. ¶ Πρός σε, Κύριε ὁ Θεός μυ] R. Κύριε ὁ Θεός μυ. C. Κύριε Θεέ μυ.

10. Εἰς σωτηρίαν μοι τῷ Κυρίῳ] In C. legitur μυ pro μοι cætera conveniunt. Romanum exemplar, ἀποδώσω σοι σωτηρίυ τῷ Κυρίῳ. Vaticanum, εἰς σωτήριον τῷ Κυρίῳ. ¶ Ἀπὸ Κυρίυ]. Ad-

Addendum libris ad E. C. nam in Ebræo, *& dixit Dominus pisci:* quod idem cum illo, καὶ προσετάγη ἀπὸ Κυρίȣ.

IDEM.

1. ΚΗ'τει μεγάλῳ] Adducor Hieronymi verbis ut credam aliquando abfuisse μεγάλῳ· & sanè abundare videtur. Nam κῆτος generale est ad omnes magnos pisces. Verba Hier. sunt in Comment. ad h. l. *In Ebraico* piscem grandem *legimus, pro quo LXX Interpretes & Dominus in Euangelio* cetum *vocant, rem ipsam brevius explicantes.*

6. Ἐσχάτη] Agnosco סוף pro סוף. Quocirca non rectè abest à quibusdam libris. Porrò סוף est φῦκος θαλάττιον ἢ λιμναῖον.

10. Ἀινέσεως καὶ ἐξομολογήσεως] Alterutrum redundat, meo judicio, an ex ora libri? an ex aliqua versione? Nam ἐξομολογήσεως, i. *laudis & gratiarum actionis.* Nisi sanè utrumque posuerunt, ut Jonathan, qui vertit בתושבחת אודאה, *laude confessionis sive gratiarum actionis.*

LIVELEUS.

1. SUpplicavit *Jonas Jehova Deo suo è ventre piscis*] h.c. Gratias Deo egit, Jehovam laudavit. Gratiarum enim hîc actionem contineri, & pars doctorum Interpretum magna fatetur, & ego inter ea pono de quibus minimè dubitandum censeam. Agnoscit enim se ope Divinâ liberatum fuisse, precésque pro salute sua factas Deum exaudivisse, potiùs quàm salutem & opem alicubi orat. V. 2. *Invocavi*, inquit, *Jehovam, & exaudivit me.* In fine versûs 6, & 7. *Attamen eduxisti è fovea vitam meam, Jehova Deus mi. Cùm obrueretur in me anima mea, Jehova recordatus sum, perveniteque ad te oratio mea, in templum sanctitatis tuæ.* Hæc omnia gratiarum actionem arguunt. Calvinus ad v. 2. *Jonam Deo gratias agere* affirmat. Tremellius *canticum eucharisticum* vocat. Hieronymus in ea verba, *Clamavi*, &c. *non de futuro eum precari, sed de præterito gratias agere* dicit. Quòd verò multi existimant hanc gratiarum actionem fuisse factam postquam è ventre piscis exiisset, longè à vero abesse judico. Etenim mihi persuasissimum est hanc primi versûs veram & genuinam sententiam esse, *Supplicans verò Jonas Jehovæ Deo suo è ventre piscis dixit, Clamavi*, &c. Et propterea in fine hujus capitis liberationem illius à pisce post hanc laudationem memorari; *Tum edixit Jehova illi pisci*, &c. ut intelligamus Jonam eo ipso tempore quo ventri piscis inclusus tenebatur, his verbis, vel certè eorum sensu, Dei laudes prædicasse. Neque verò verbum ויתפלל principio capitis obstat huic sensui: Non enim semper *orare & precibus aliquid postulare* significat, sed aliquando *gratias agere, Deúmque pro acceptis antè beneficiis laudare.* 1 Sam. 2. 1. ותתפלל *Et supplicavit Anna, & dixit, Exsultat animus meus in Jehova*; &c. h. e. gratiarum actione Dei erga se bonitatem laudavit. Est enim tota illius oratio à capite ad calcem eucharistica. Si conferentes hæc inter se loca Interpretes hanc hujus verbi notionem advertissent, minor hîc proculdubio inter eos dissensio contigisset. Ego quidem sic statuo: Jonam in mare projectum, & à pisce absorptum, cùm jam antè precibus à Deo contendisset pro salute sua dum in ventre piscis esset, & mirabiliter se in eo ab interitu conservari videret, certâ indè liberationis spe conceptâ, propterea in hanc Dei laudationem erupisse. Lambertus in suis ad hunc locum Commentariis ità scribit, *Jonas Dominum incessanter oravit, tum cùm in mare mitteretur, à ceto deglutiretur, & dum in ventre ejus esset: Móxque ut in ventre ceti positus se agnovit à Domino exauditum, hæc apud se dixit, quæ magis sunt gratiarum actiones quàm deprecationes.* Verissima, meo judicio, sententia.

2. *E ventre sepulcri*] h. e. Intima parte sepulcri, atque, ut loquitur Ezechiel 32. 21. *è medio sepulcri*, vel *penetralibus mortis*, ut est in proverbiis. Metaphora, quâ significat se fuisse in præsentissimis periculis mortis (ni Deus liberatorem piscem parasset) certissimæ. Eodem modo David Ps. 18. *se dicit vinculis sepulcri circumdatum fuisse*, & Ps. 30. *ex orco eductum.* Qui enim exitialibus periculis & malis ità obsidetur ut ei ante oculos mors præsens & certa obversetur, quasi in communi mortuorum sepulcro positus inter mortuos esse videtur. Hæc verò exitii certa discrimina 4 & 5 versibus declarantur, quibus se dicit longiorem vitam desperavisse & ad animam usque aquis circumdatum fuisse.

3. *Fluvius circumdedit me*] Nomine *fluvii* hîc mare intelligitur. In quo videtur μείωσις. Similiter Homerus Oceanum *fluvium* nominat Ἰλ. ξ.

——Καὶ ἂν ποτάμοιο ῥέεθρα
Ὠκεανȣ̃, ὅσπερ γένεσις πάνεσσι τέτυκται.

Et Odyss. λ'.

Μέσσῳ γὰρ μεγάλοι ποταμοὶ καὶ δεινὰ ῥέεθρα,
Ὠκεανὸς μὲν πρῶτα, ὃν ȣ̓ πως ἐςὶ περῆσαι
Πεζὸν ἐόντ', ἢν μή τις ἔχῃ ἐυεργέα νῆα.

4. *Ego verò dixeram*] Gratiam Dei amplificat à discriminis magnitudine, quâ eò redactus fuerat ut vitam, & fructum illius suavissimum in cultu Dei, desperaret. Gravissima ea afflictio est & acerbissima calamitas quæ etiam spem salutis tollit. Ea enim miseris hominibus in rebus afflictis unico solatio est. Ovidius 1 De Ponto,

Spes facit ut, videat cùm terras undique nullas,
Naufragus in mediis brachia jactet aquis.

Tibullus lib. 2.

Spes etiam validâ solatur compede vinctum:
Crura sonant ferro, sed canit inter opus.

Eodem argumento David Psal. 31. 22. bonitatem Dei celebrat, *Ego quidem dixi me ab oculis tuis excisum esse: verùm vocem deprecationum mearum exaudivisti.* Item Ezechias apud Esaiam 38. 10. *Ego dicebam, Aditurus sum portas sepulcri; non sum visurus Dominum Deum in terra viventium, non intuebor hominem ampliùs inter habitatores mundi.* ¶ *Rursum intuebor*] Verbum è verbo *addam intueri.* Sic Gen. 4. 2. *addidit parere* pro *rursum peperit.* Et Lucæ 20. 12. *addidit mittere* pro *rursum misit*, προσέθετο πέμψαι. Tremellii hîc interpretatio est *pergam intueri*, quæ propter ambiguitatem hoc in loco minùs placuit. Potest enim eâ locutione continuatio actionis inceptæ intelligi: at hîc intermissæ actionis repetitio notatur.

5. *Alga alligata fuit*] Id ei accidere potuit in profundo maris, antequam in piscem venerat, ut herbis marinis implicaretur. Solet enim natantibus & demersis alga involvi atque illigari. Atque indè nomen ab *alligando* apud Latinos invenisse putatur.

6. *Ad extrema* (vel *radices*) *montium*] Maris ipsius, ni fallor, fundum intelligit, quo extremæ promontoriorum radices terminantur. Ità Scholiastes Hebræus Quimquius hunc locum exponit verisimiliter. Fundamenta enim montium *imi aquarum alvei*, ipsúmque eàrum *pavimentum* dicuntur. Psal. 18. 15. *Conspecti sunt aquarum alvei, & fundamenta orbis retecta sunt.* Hinc *demergi* dicuntur *montes* Prov. 8. 25. *propter fundamenta eorum in aquis posita*, ait in eum locum Aben Ezra. ¶ *Terra, vectes ejus super me in æternum erant*] Nominativus absolutus, pro, *Quod ad terram attinet, vectes ejus*, &c. Sic Psal. 18. 30. *Deus, perfecta via ejus est:* & Ose. 9. 11. *Ephraim, gloria eorum avolabit:* pro, *Quod ad Deum attinet, Quod ad Ephraimitas attinet.* Hujusmodi illud est Ciceronis, *Aer verò, qui per mari manaret, eum dixit esse Neptunum.* Significat se oppositis terræ quasi vectibus firmiter conclusum fuisse, ità ut nulla evadendi ratio pateret, quin in perpetuum periret, nisi Deus mirabili ratione succurrisset. בריח in multis in locis *firmam rerum conclusionem* notat. Gen. 7. 16. *occlusit Jehova* ויסגר *super eum.*

8. *Qui observant vanitates mendacii*] Idola vana & mendacia colunt, quæ suâ inutilitate spem suorum cultorum fallunt, ut rectè Tremellius sensit. Sic Psal. 31. 6. *Odi eos qui observant vanitates mendacii*, vel *falsitatis.* In Apocryphis Estheræ 14. 10. *Ad virtutes vanorum prædicandas*, i. idolorum. *Observare* verò dici pro *colere*, antè docuimus ad v. 10. cap. 4 Oseæ. ¶ *Benignitatem suam*] h. e. Deum suum, benignum illis futurum si piè eum colerent, ut Psal. 144. 2. inter alia nomina quæ à Davide tribuuntur Deo, hoc unum est. Eum enim חסדי, i. *benignitatem suam*, appellat, quòd totius illius bonitatis quâ fruebatur fons esset, & omnium beneficiorum autor: *Benedictus*, inquit, *sit Jehova rupes mea, benignitas mea, propugnaculum meum, scutum meum.* Hoc igitur Propheta dicit, *Qui colunt idola vanissima, eos Deum benignitatis suæ fontem deserere:* quia fieri non potest ut Deum colant ejúsque gratiæ participes sint qui ab eo ad idola impiè deficiunt; *Se verò secùs facturum, ut solum Jehovam colat*, cujus solius *salus est.*

GROTIUS.

1. *Piscem grandem*] Τρίτωνος κύνα [*Tritonis canem*,] ut ait Lycophron, qui ab Hebræis acceptam historiam in Herculem transtulit, cui omnia grandia adscribi solebant, ut diximus libro primo de Veritate Religionis Christianæ. ¶ *In ventre piscis tribus diebus*] Etiam triduum in historia illa Herculis sub nomine vulgata ponit ad Lycophronem Tzetzes. Figura Resurrectionis Christi non obscura.

2. *Et oravit Jonas ad Dominum Deum suum de ventre piscis*] Omnis locus pro Templo.

3. *Et dixit*] Hoc carmen postea composuit Jonas, sed conveniens exacto tempori. Vide caput tertium Threnorum. ¶ *Et exaudivit me*] *Exaudiet*. Est enim bene sperantis. sic & statim *exaudies*. Vide infrà. 5. ¶ *De ventre inferi*] *De ventre* qui mihi est vice *sepulchri*. Sic de vulturis ventre Ennius:

Heu quàm crudeli condebat membra sepulchro!

4. *In corde maris*] In medio mari, in alto. ¶ *Flumen circumdedit me*] Fluctus.

5. *A conspectu oculorum tuorum*] Longè à terra Israëlis. Vide suprà 1. 3. ¶ *Videbo templum sanctum tuum*] Furtim id fiebat à nonnullis, Rege Samariæ ignorante.

6. *Usque ad animam*] Ad summum usque vitæ periculum. ¶ *Abyssus vallavit me*] Id est, ingens mare: Geneseos 1. 2. & 7. 11. & 8. 2. Psalm. 33. 7. Apocalypseos 11. 7. ¶ *Pelagus operuit caput meum*] *Alga*, quæ in talibus recessibus multa est.

7. *Ad extrema montium descendi*] Ad specus marinos sub montibus. multum enim maris terram subit. *Per occultos aditus recipitur mare & absconditur*, dixit Seneca, Natur. quæst. 3. 5. & 6. 7, 8. ¶ *Terra vectes concluserunt me in æternum*] *Concludent me*. subintellige *nisi tu impedias*, ut sequitur. ¶ *Et sublevabis de corruptione vitam meam*] *Sed eripies*. שחת, διαφθορὰν [*corruptionem*] frequenter vertunt LXX.

8. *Cùm angustiaretur in me anima mea*] *Quanquam defecit in me anima mea*. Quanquam vitam in extremis labris habeo. ¶ *Ad templum sanctum tuum*] Id est, in cœlum usque, cujus imaginem gerebat Templum Hierosolymitanum. Vide quæ dicta ad Matth. 27. 51. Adde Psalm. 115. 3. Michææ 1. 2.

9. *Qui custodiunt vanitates frustrà, misericordiam suam derelinquunt*] *Qui colunt idola frustrà* sunt: nam *misericordiam* suam, id est, Deum qui eos juvare poterat, *derelinquunt*, suo scilicet malo.

10. *Ego autem in voce laudis*] תודה: quomodo & *gratiarum actio* dicitur, & ipsum *sacrificium*, quod gratiarum actionem comitabatur. ¶ *Immolabo tibi*] Victimas tali causæ debitas ex lege Levitici 7. 12, 13. ¶ *Quæcunque vovi reddam pro salute Domino*] Opera misericordiæ in pauperes, ut suprà 1. 16.

11. *Dixit Dominus pisci*] Imperavit. ¶ *Et evomuit Jonam in aridam*] Ex imperio Dei in terram eum exposuit.

CAP. III.

MUNSTERUS.

3. *Civitas magna*] Retulimus suprà ex profanis historiis, Nineven habuisse in area sua 400 stadia, quæ faciunt ferè 12 milliaria Germanica: & his Propheta quoque subscribens dicit *civitatem illam habuisse iter trium dierum*. Vocatur etiam Hebraico tropo *civitas Dei*; sicut dicitur *mons Dei*, *cedrus Dei*, &c. Id enim quod Hebraismus magnificum vult appellare, vocat *Divinum*. Nostri verò putant vocatam *civitatem Dei* quòd Deo habitatores ejus curæ fuerint, nec eos ex improviso exterminare voluerit, sed misso Prophetâ resipiscentibus veniam condonare.

5. *Crediderunt viri Ninive*] Igitur longè hæc urbs præferenda fuit Jerosolymæ, quam nec Christus, neque Apostoli convertere potuerunt: Nineve autem ad unius Prophetæ externi prædicationem credidit.

7. *Fecit præconem clamare*] Est hìc verbum Hiphil זעק idem quod אכרז, ut Chaldæus vertit, & nos eum secuti sumus. ¶ *Ex consilio Regis*] Jon. מגזרת *ex decreto*. Nos Davidi Kimhi subscripsimus.

9. *Quis scit*] Jonathan hunc locum sic legit, *Qui novit in manu sua esse culpas, is revertatur ab eis, & miserebitur ei Deus*, &c.

VATABLUS.

1. *Secundò*, שנית] Ad verb. *secundâ*, i. alterâ, sub. *vice*. ¶ *Dicendo* לאמר] i. In hunc modum.

2. *Prædicationem* את הקריאה] *Clamorem*. Hanc prædicationem mox expressurus est Propheta.

3. *Valde* לאלהים] Ad verb. *Deo*, i. Quàm maximâ. Nam hoc loco *Deo* est vice particulæ intentionis, ut *Cedri Dei*, pro *excelsis*. ¶ *Itinere trium dierum* מהלך שלשת ימים] Non intelligitur de linea recta quæ ducitur per diametrum, sed de lustratione quæ fit per singulos vicos: q. d. Non poterant vici ejus urbis discurri minori tempore quàm trium dierum.

4. *Itinere diei unius* מהלך יום אחד] q. d. Insumpsit diem unum lustrando partem vicorum ejus urbis. ¶ *Et clamavit, dixitque* ויקרא ויאמר] *Et clamabat, dicendo*. ¶ *Adhuc quadraginta dies* עוד ארבעים יום] Hebraismus, *Post quadraginta dies*: vel, *Elapsis quadraginta diebus Ninive subvertetur*.

6. *Verbum illud* הדבר] Nempe prædicatio Jonæ: vel, *res illa*, quæ scilicet gerebatur in urbe. Talia enim seriùs ad Principes pervenire solent. ¶ *Qui surrexit* ויקם] Ad verb. *& surrexit*. ¶ *Et deposuit* ויעבר] *Et adjecit*. Ad verb. *& transire fecit*. ¶ *Vestimentum suum* אדרתו] Doctus inter Hebræos exponit *vestem suam regiam*. ¶ *In cinere* על האפר] *In cinere illo*, in quo scilicet sedere solebant tempore luctûs.

7. *Et proclamare*, &c. ויזעק ויאמר וגו'] *Et promulgari jussit* voce præconis; *qui dixit in Nineve de sententia* [*juxta decretum*] *Regis & magnatum ejus, dicendo*.

8. *Et ipsa jumenta* והבהמה] Videtur intelligere Equos & Camelos: solent enim ornari pretiosis integumentis. ¶ *Fortiter* בחזקה] *Vehementer*, i. Ex animo. ¶ *Et ab iniquitate* &c. ומן החמס וגו'] *Et ab injuria quæ est*, &c. Chald. *& à rapina*, i. à ratione congerendi opes ac divitias injustè. Prius respicit peccata in Deum, posterius peccata in proximum.

9. *Quis scit*, &c. מי יודע ישוב וגו'] *Forte convertetur & pœnitentiâ ducetur Deus ipse*.

CLARIUS.

3. *Civitas magna Deo*] h. e. Vehementer magna. Hebraismus est, sicut dicitur *mons Dei*, *cedrus Dei*.

5. *Et crediderunt*] Igitur longè hæc urbs præferenda fuit Jerosolymæ, quam nec Prophetæ, nec Christus, neque Apostoli convertere potuerunt: Ninive autem ad unius Prophetæ externi prædicationem credidit.

7. *Et clamavit, & dixit*] h. e. *Fecit præconem clamare & dicere*.

DRUSIUS.

1. *Verbum*] Quo jussus est ire Niniven, & denunciare eversionem ejus. ¶ *Ad Jonam*] Jam terræ restitutum. *Secundò*] שנית. Plenum est פעם שנית *vice secundâ*, i. secundò, iterum, denuó.

2. *Contra eam*] i. עליה, quomodo locutus est suprà 1. 2. אל pro על. Ità Jonathan accipit. V. Int. *in ea*. Santes nihil variat. Atqui *in ea*, i. בה. Malim igitur *ei*, h. e. civibus ejus. Notum genus loquendi. ¶ *Quam ego loquor ad te*] Prædica quod à me jussus es prædicare, & nunc iterum juberis. Cæterùm quidnam illud sit quod prædicari velit sequentia docent, nempe *post 40 dies urbem subversum iri*. Quæ comminatio tametsi conditionem inclusam (haberet), apparet tamen ex filo historiæ conditionem illam à Propheta minimè additam fuisse.

3. *Juxta verbum DOMINI*] Quemadmodum à DOMINO jussus erat. VERBUM hìc valet *jussum*, *mandatum*, *præceptum*; ut ibi, *Secundùm verbum Regis*. Vide quæ scripsimus ad illum locum. ¶ *Civitas magna Deo*] Josephus Gorionis F. Hist. l. 2. c. 9. de Karthagine, *civitas magna Deo*: æmulatus est hunc locum Jonæ. *Magna Deo*, ut ἀστεῖος τῷ Θεῷ, *bellus*, sive *venustus Deo*. Hoc modo locutionis significatur singularis & inusitata magnitudo. Τῷ Θεῷ epitasin habet ut *divinum* & *heroicum* apud Latinos. Homerus,

Ἐς Πύλον ἠγαθέην, ἠδ᾽ ἐς Λακεδαίμονα δῖαν,

i. μεγ-

i. μεγάλην ὑπερμέτρως καὶ ἐξαρτέτως. ¶ *Itinere trium dierum*] Magna profectò urbs si in ambitu tantum spatii continebat; major, si in longitudine. Quidam censent hoc intelligendum esse de viciis ac plateis urbis, quòd eas omnes peragrare nemo potuerit nisi trium dierum spatio. Cæterùm iter unius diei continet X Parasangas, quælibet autem Parasanga quatuor milliaria, ut Poeta Ebræus canit. Qui per vicos ejus ibat, eámque totam perambulabat, conficiebat milliaria CXX, si rectè ineo calculum. Sed fallor? an potiùs muri ambitus aut longitudo ejus tantum spatii complectebatur? Ait enim Strabo de hac urbe scribens, Πολὺ δὲ μείζων ἦν τῆς Βαβυλῶνος, ἐν πεδίῳ κειμένη τῆς Ἀσσυρίας de Babylone autem idem scribit, Ἡ δὲ Βαβυλὼν καὶ αὐτὴ μέν ἐστιν ἐν πεδίῳ· τὸν δὲ κύκλον ἔχει τοῦ τείχους τριακοσίων ὀγδοήκοντα πέντε σταδίων. Et Aristoteles Polit. 3. c. 2. *Babylone captâ ferunt non sensisse tertio die civium partem*. Hoc notandum duxi vel propter eos qui putant Babylonem Nino majorem fuisse. Diodorus lib. 3. in principio de hac urbe, *Muri ambitus stadia complectitur* 480: & mox, *Nulla urbs postmodum tanto ambitu tantâve mœnium magnificentiâ constructa est. Altitudo murorum pedum est centum; latitudo, quam tres currus simul perambularent. Turres mille & quingentæ, quarum altitudo pedum est ducentorum.*

4. *Progredi per urbem*] Ad verb. *ire in urbe*. ¶ *Itinere diei unius*. Confecerat jam XL milliaria eundo per urbem, milliaria, inquam, parva, non magna aut mediocria, qualia Germanica aut nostratia, h. e. Belgica. Iter unius diei quantum contineat fusè docet Casaubonus in Strabon. pag. 19. ¶ *Adhuc*, &c.] i. Post XL dies; non, ut quidam volunt, intra XL dies. Urbi eversionem minatur nullâ adjectâ conditione, cùm tamen minæ quæ à Deo proponuntur conditionem habeant. Et certè ex eventu paret hanc Prophetiam conditionalem fuisse. Cur igitur non adjecit *nisi in viam redieritis*, aut tale quid? Suspicor ità jussum fuisse à Deo simpliciter eversionem denunciare Ninivitis. Suspicionem meam adjuvat quod ait infrà 4. 2. *Propterea occupavi fugere*, &c. Nam quia sciebat Deum clementem ac facilem esse, ideo noluit has minas eo modo proponere: Verebatur enim nè falsus Vates haberetur si resipiscerent. Conditionem autem adjicere nisi jussus à Deo non debuit: unde discimus verbo Dei nihil addendum aut demendum. Cæterùm par comminatio est Gen. 20. 3. *En morieris propter mulierem quam accepisti: habet enim virum*. Sunt verba Dei ad Abimelechum Regem Geraræ, quæ similiter inclusam habent conditionem, *Morieris, nisi mulierem, quam rapuisti, viro suo restitueris.* Augustinus in Gen. Quæst. 43. lib. 1. *Etiam hoc notandum est, quomodo dicat Deus tanquam prædicens sine dubio futurum, quod admonendo dicit, ut à peccato abstinendo caveatur.* Adi Athanasium in Euangelium de passione & cruce Domini. ¶ *Quadraginta dies*] Hic numerus pœnitentiæ olim sacratus videtur. Itaque & XL dies jejuniorum sunt constituti, quibus & Moses, & Elias, & ipse Dominus jejunavit. Eucherius Comment. in Gen. *Jonas Propheta Ninivitis prædicavit*, Adhuc XL dies & Ninive subvertetur; *ut per tot dies accommodatos humiliatio pœnitentium & accepta remissio peccatorum intelligatur.* Pro *quadraginta* Græci legunt *Adhuc tres dies:* quos secutus Severus ità ad h. l. scribit: *Post triduum ferè Ninivitarum litoribus ejectus jussa prædicat, Urbem scilicet ob peccata populi triduo perituram.* Sed & Prosper Aquitanicus carmine De Providentia;

> *Sic Ninive monitis Jonæ sub tempore cladis*
> *Credidit: & tribus in luctu jejuna diebus*
> *Promeruit morum excidio consistere regno.*

Quam interpretationem excusare conatur Augustinus De civit. Dei lib. 18. c. 44. sed frustrà. Neque audiendi sunt qui hoc Vaticinium accipiunt de *eversione vitæ perversæ*, quasi prædicarit fore ut intra triduum mores in melius mutarent. Quin etiam Josephus malè hunc locum intellexisse videtur: sic enim eum vertit, Καὶ σταθεὶς ἐκήρυσσεν ὡς μετ' ὀλίγον πάνυ ἀποβαλεῖ τὴν ἀρχὴν τῆς Ἀσίας. Non enim hic agitur de *imperio Asiæ*, sed de urbe Nini; *cui exitium minatur quale olim Sodomæ & Gomorræ*, ut Severus scribit, *quæ Divinis ignibus conflagrarunt.* Severo adstipulantur Ebræi. In Scholiis Camii, *evertetur quemadmodum eversa fuerunt Sodoma & Gomorra: nam opera eorum similia operibus Sodomitarum.* In lib. musar, cap. 2. fol. 15. pag. 2. *Quadraginta annis distulit DOMINUS iram suam cum illis respectu XL dierum de quibus Jona dixerat. Nam post XL annos redierunt ad opera sua mala, quæ pejora fuerunt prioribus.* ¶ *Subvertetur*] In Ebræo ad verb. *subvertitur:* est enim participium passivum temporis instantis.

5. *Viri Ninives*] Ninivitæ, ἄνδρες Νίνου. ¶ *In Deum*] Deo loquenti per os Jonæ, aut verbo Dei quod locutus est per Prophetam suum. ¶ *Indixerunt jejunium*] Per præconem. Ad verb. *proclamarunt* sive *promulgarunt*. Utrùm hæc gesta sunt ante factum à Rege decretum, an post? Sunt qui hoc censent: alii prius arbitrantur, nempe indixisse primùm Ninivitas jejunium per se, deinde accessisse postea Regis sententiam. Nos libera opinatoris relinquimus. ¶ *Saccos*] More lugentium: de quo mox. ¶ *A magno eorum*] Tam magnus quàm parvus: nam nè infantes quidem excipiebantur. Ambrosius serm. 40 De jejunio Ninivitarum, *Pietas esse creditur in tali causa parvulis quoque cibi substantiam denegare*: & mox, *Mira res! jejunat pro peccato, quem peccati conditio non constringit.* Auctor Severus, *fuisse in urbe cùm ista acciderent* CXX *millia virorum*. Id hausit ex loco qui habetur infrà 4. 11. quem minùs rectè intellexit, ut ibi ostendam.

6. *Verbum istud*] Verbum Domini prædicatum à Jona, aut res ista, videlicet rumor prædicationis Jonæ, indictive jejunii. ¶ *Ad Regem*] Quidam suspicantur fuisse Phul-Belochum, alii, legatum ejus vicarias partes agentem Nini, cùm proditum sit ipsum Belochum Babyloniæ habitasse. Nos hîc certi aut explorati, quod adferamus in medium, nihil habemus: itaque tacemus. Sigonius in Hist. Sulpitii, *Ninive urbs erat regia, Assyriorum caput, ad Tigrim amnem, quod tum tenebat Phulbelochus, qui Sardanapalo occiso Regnum assumpserat.* Liveleus putat hæc accidisse regnante in Assyria Sardanapalo. ¶ *Surrexit è solio suo*] Id faciebant cùm saccum induerent. Sanè apud Persas nè regiam quidam accedere poterat qui saccum induerat. Notum hoc ex historia Estheræ. ¶ *Pallium suum*] Summam vestem. Joh. 13. 3. *surgit à cœna, & deponit pallium suum*, ויעבר אדרתו. *Sacco*] In nonnullis ed. est *cilicio*. ¶ *Et sedit in cinere*] Veterum fuit consuetudo in sacco & cinere lugere. Matth. 11. 21. *cum sacco & cinere sedentes resipuissent:* loquitur de Tyriis & Sidoniis. Esth. 4. 3. *& cinis stratus fuit multis.* Vult dicere, *multi in cinere jacebant.* Sed & in eo se volutabant, quò sordidiores apparerent. Mich. 1. 10. *In domo Aphræ cinere te voluta.* Vide notata ad illum locum. Homerus de Ulysse ex naufragio in Ithacam dejecto,

> Ὣς εἰπὼν κατὰ ῥ' ἕζετ' ἐπ' ἐσχάρῃ ἐν κονίῃσι
> Πὰρ πυρί. ———

Nam hic mos quoque erat calamitosorum.

7. *Proclamare fecit*] Rex præconem misit qui proclamaret & ediceret per Niniven. Trem. *convocavit populum.* ¶ *In Ninive*] In urbe Ninive. ¶ *Ex sententia*] *Ex decreto*. LXX παρὰ τοῦ βασιλέως, *de par le Roy*. Vel, *ex ore Regis*, מפי המלך. ¶ *Magnatum*] Procerum qui ei à consiliis erant. ¶ *Homines*] Sub hoc nomine infantes etiam comprehenduntur. Itaque rectè Severus, *Ac statim jussu Regis exemplóque populus universus, quin & recens nati, cibo potúque abstinere jubentur.* ¶ *Jumenta*] Vel Equi & Cameli. בהמה hoc loco est *jumentum*, alibi generaliùs accipitur. *Armenta*] Boves, Tauri, Vaccæ, buccæ. *Greges*] Pecora: Et Oves & Capras complectitur. Pro *jumenta* quidam substituunt *bestiæ*. Ità locus intelligi poterit de Canibus, & aliis animalibus. Severus, *Jumenta itidem & diversi generis animalia compulsa fame ac siti lamentantium speciem cum hominibus præbebant.* ¶ *Nè gustanto*] Nè illis pabulum præbeatur ad præsepia. ¶ *Nè pascunto*] Nè foris depascant herbas & gramina. Hoc membrum abundare videtur: Nam qui nihil quicquam *gustat* nè *pascere* quidem potest. Sed sententia est quam diximus. Aut hoc vult, *Nè gustanto, homines & jumenta: Nè pascunto, boves & pecora.*

8. *Operiuntor*] Potest verti *operti fuerunt*, vel *operuerunt se.* Quam versionem si recipimus, erunt verba Prophetæ, non præconis: ídque mihi non improbatur. ¶ *Homines & jumenta*] De *jumentis* mirum. Sic Persæ in luctu non seipsos solùm sed etiam Equos & Mulos tondebant: auctor Plutarchus in Aristide: cui fidem hac in re derogare non debemus. Aut proverbialiter dictum *operiri sacco* pro eo quod est *in luctu versari:* ex signo id quod per illud significatur. Signum enim luctûs vestis sacci. Sic alibi legimus de Cœlo quòd *saccum induerit*. Jes. 50. 3. *Induam cœlum sacco.* Cur omisit *armenta & pecora?* an soli *homines & jumenta* in sacco fuerunt? aut vertendum ex Ebræo *homines & bestiæ?* ità quidam vertunt. ¶ *Clamanto*] Vel *clamaverunt*. ¶ *Ad Deum*] Etiam de *jumentis* intelligi potest, ut Psal. 147. 9. *Qui dat bestiis cibum, filiis corvorum, cùm clamant.* Sed plerique Interpretes de Hominibus duntaxat hæc intelligenda esse censent; cum quibus

ego non contenderim. ¶ *In fortitudine*] *Fortiter*, *valide*, *magnâ vi.* Genus loquendi merè Ebraicum. ¶ *Convertuntor*] Vel *conversi sunt.* ¶ *A via sua mala*, *& à violentia*] *Viam* appellat vitæ genus: deinde speciem generi subjicit, more in S. literis protrito. Simile est, *cum liberasset eum Deus ab omnibus hostibus ipsius*, *& à Saule*: &, *universa Judæa & Jerusalem*: &, *dicite discipulis & Petro.* *Violentia*, genus vitii atrocissimi, ob quod etiam Sodoma & Gomorra eversæ leguntur. Ebræi חמס vocant. ¶ *Quæ in manibus eorum*] Quam quotidie faciunt. Nam manus instrumentum est actionum. Sic David, *Si est iniquitas in manibus meis.*

9. *Quis scit*] Dubitantis est, ut in illo,

Quis scit an adjiciant? ———

Eodem modo phrasis est Joel. 2. 14. Fortè, inquit, Deus sententiâ mutatâ gratiam faciet pœnæ quam nobis minatus est. Quidam reddunt, *Quis sciens est? convertatur*, hâc mente, Si quis peritus est pœnitendi, pœniteat, & discedat à malorum pravitate. Prius magis arridet. ¶ *Si convertatur*] An rediturus sit nobiscum in gratiam. Dictio *si* abest à codice Ebræo; nos supplevimus, quòd eam desiderari suspicaremur. Potest legi *si revertatur*, ut sub. *cum miserationibus*, ut Zach. 1. 16. *reversus sum ad Jerosolymam cum miserationibus.* ¶ *Et pœniteat*] *Et ignoscat* Latina vetus; non omnino malè. *Pœnitere* enim dicitur cùm abstinet à pœna quam irrogaturum se dixit. Alioqui legimus alio loco, *Non est sicut homo*, *ut pœniteat ipsum*, nempe humano more. Nam in Deum non cadunt ullæ affectiones. Sed figura est quam ἀνθρωποπάθειαν vocant. Eâ qui uti volunt, sic loquuntur de Deo: dicunt *Deum irasci*, *misereri*, *amare*, *odisse*, &c. Sic *pœnitere.* Quidam legunt, *& mutet sententiam.* Quod intelligi debet non de sententia Dei absoluta, quæ eadem cum *decreto*, & mutari non potest; ut nec nuda voluntas; sed de sententia quæ prolata cum conditione, sive ea tacita sit, sive expressa. ¶ *Et revertatur ab excandescentia iræ suæ*] Et deponat animum iratum erga nos; abstineat à pœna quam inferre statuit. Deus enim *irasci* intelligitur cùm punit scelera nostra. *Excandescentia iræ* παράλληλον, ut טיט *lutum cœni*: aut est ira excandescens, ira vehementior. Nam *iræ* vocabulum generale est & latè patet. ¶ *Et non peribimus*] *Ne pereamus*: & pro ἵνα, ut sæpe alias.

10. *Vidit*] Probavit, accepta habuit. Sic *respicere* usurpatur; *respexit ad munus Habelis*: & *nosse*, ut Psal. 1. 6. *Novit Deus viam justorum.* Joh. 10. 15. *Pater novit me.* Itaque *nosse Deum* & *videre Deum* idem est. Probatur ex Joh. 14. 7. ¶ *Quod reversi essent*] Non dicit *quod jejunium indixissent*; nec, *quod saccum induxissent*: nam hæc Deum nihil movent nisi adsit vera resipiscentia & mutatio vitæ in melius. Frustrà enim jejunat qui vitiis adhæret. ¶ *Mali illius*] Pœnæ illius: ad verb. *super malo.* ¶ *Quod locutus fuerat*] Quod comminatus fuerat. Exod. 32. 14. *Pœnituit Dominum ejus mali quod locutus fuerat ut faceret populo suo.* Quidam *quod decreverat*: dubito an rectè. Nam quæ Deus decernit hujusmodi sunt ut mutari nequeant, nisi statuamus in *decreto* conditionem esse posse, ut in *sententia.* Certè *decretum* & *sententia* nihil aut parùm differre videntur. Si ergò *sententia* mutari potest, poterit & *decretum*: etiam *voluntas*, cùm nuda & absoluta non est. Deus enim nihil loquitur contra animi voluntatem: Mutat autem quæ loquitur; Ergò & quæ vult. Sed hæc Theologi discutiant: A quorum sensu si dissentio, quærens ac dubitans id facio, non affirmans.

IDEM.

2. Ἀνάστηθι καὶ πορεύθ] C. ἀνάστηθι, καὶ πορεύθητι. R. ἀνάστηθι, πορεύθητι, absque copulante, quæ abest & à L. E. ¶ Ἐλάλησα] C. λελάληκα.

3. Ἡ δὲ Νινευὴ ἦν πόλις] Abest ἦν à C. malè.

4. Τοῦ εἰσπορεύεσθαι] R. τοῦ εἰσελθεῖν. ¶ Ὡσεὶ πορείας] C. & R. ὡσεὶ πορείαν.

5. Ἕως μικροῦ] Καὶ ἕως μικροῦ C. Sed & copula legitur in Ebraico.

6. Ἀπὸ τοῦ θρόνου] Ἐκ τοῦ θρόνου C. ¶ Περιεβάλετο] C. ἐνεδύσατο.

7. Καὶ ἐῤῥέθη] Abest in C. ¶ Παρὰ τῶν μεγιστάνων] C. παρὰ πάντων τῶν μεγιστάνων. ¶ Λεγόντων] C. & R. λέγων quod placet. ¶ Μὴ γευσάσθωσαν] V. μὴ γευσάσθωσαν μηδὲν perspicuè rectum. Sanè in L. E. quod ei respondet, est מאומה.

8. Περιεβάλλοντο] C. περιέθεντο. ¶ Ἀπὸ τῆς ὁδοῦ αὐτῶν] C. ἐκ τῆς ὁδοῦ αὐτοῦ.

9. Εἰ ἐπιστρέψει ὁ Θεὸς, καὶ παρακληθήσεται, καὶ ἀποστρέψει] C. εἰ μετανοήσει ὁ Θεὸς, καὶ ἀποστρέψει. Sic etiam R.

10. Μετενόησεν] C. παρεκλήθη.

IDEM.

4. ETI τρεῖς] Theodoretus censet mendum esse scribarum pro τεσσαράκοντα. Idem ego quoque censeo.

5. Καὶ ἐπίστευσαν τῷ Θεῷ] In Ebraico habetur εἰς τὸν Θεόν. Ergò idem est *credere Deo* & *in Deum.* Certè Interpretes non discriminant.

IDEM.

4. עוד ארבעים יום: Aq. Sym. & Th. ἔτι τεσσαράκοντα ἡμέραι. Prius erat in Lxx ἔτι τρεῖς ἡμέραι. Hoc Interpretes illi rectè emendarunt, reponentes τεσσαράκοντα pro τρεῖς. Nam *tres dies*, i. שלשה ימים, quo modo unquam scriptum aut lectum fuisse in ullis codicibus Ebræorum, non fit mihi verisimile.

LIVELEUS.

3. URbs magna Dei] h. e. *Divina.* Hebræos enim genitivum pro epitheto ponere notum est. Ità propter summam illius excellentiam vocatur. Res enim in aliquo genere excellentes ab Ebræis *res Dei* dicuntur. *Montes Dei*, Psal. 36. 6. *Cedri Dei*, Psal. 80. 10. Simili ratione eximiâ & insigni aliquâ qualitate præstantia quævis & mirabilia Latini *divina* appellitant. Græci etiam, ut testatur Eustathius in Homeri Iliad. κ. ad ea verba δῖος Ἀχιλλεὺς, à quo propter vastitatem & magnitudinem mare *divinum*, & Charybdim *divinam* dici affirmat. Ad eundem igitur modum, ni fallor, antiquissimus ille Poetarum etiam de urbe totius Peloponnesi clarissima, Odyss. 3. dicit.

——— πομπῆες ἔσονται
Ἐς Λακεδαίμονα δῖαν.

similiùs & propiùs huic locutioni Hebrææ quâ Ninive urbs Assyriorum maxima *urbs Dei* vel *Divina* dicitur, propter miram illius magnitudinem: Quam multa arguunt. Plus duodecim myriades puerorum continebat, cap. 4. v. ult. Area ejus in ambitu erat quadringentorum stadiorum, Herodoto & Diodoro testibus, h. e. quinquaginta milliariorum. Octo enim stadia unum milliarium efficiunt. In murorum ambitu fuerunt mille & quingentæ turres, ut iidem autores tradidere. Denique, id proxima verba ostendunt; ¶ *Itinere trium dierum*] In quorum tamen intelligentia Theodoreto assentior, *iter* hic non tam viatorum profectione quàm commodâ præconis prædicantis ambulatione æstimanti: eò quòd *Jonas* sequente versu dicatur *cœpisse progredi ad iter unius diei.* Præterea, ea vicorum & platearum ratio est ut si quis totam civitatem obire & perlustrare voluerit, ei sæpius eadem spatia emetiri necesse sit. Neque enim ità accipiendum est *tridui iter* quasi rectâ ei ad eam longitudinem pergendum fuisset. Hæc omnia probant eam raræ cujusdam magnitudinis fuisse, ut non temere *Divina*, & הגדולה *maxima*, cum emphasi & superlativi gradûs nota, Gen. 10. 12. dicatur.

6. *Ad Regem*] Haud scio an hic fuerit Sardanapalus corruptissimus ille Assyriorum Rex. Sed cum temporibus illis in Assyria regnasse Chronologi tradunt: & Assyriæ metropolis erat Ninive, & minimè mirum esset sub tam corrupto Rege malitiam populi in cœlum usque ascendisse, ut v. 2. c. 1. legimus.

7. *Boves & oves ne gustanto quippiam*] Ad gravissimum luctum testandum etiam jumenta à cibo cohibebantur. Virgilius de acerba propter Cæsaris mortem luctu loquens Ecl. 5.

Non ulli pastos illis egere diebus
Frigida, Daphni, boves ad flumina: nulla neque amnem
Libavit quadrupes, nec graminis attigit herbam.

8. *Deum inclamanto* בחזקה *cum robore*] Vel *fortiter*, i. quàm maximè potuerint. Eadem phrasis est in Apocryphis additionibus Estheræ c. 13. 18. *Omnes Israelitæ*, *quia mors ipsorum oculis obversabatur*, *clamaverunt* ἐξ ἰσχύος αὐτῶν *ex robore suo*, pro virili, quantum potuerunt. ¶ *Ab injuria* (vel *à violentia*) *quæ in manibus eorum est*] h. c. Cujus ipsi manibus suis perpetratæ rei sunt, ut Esa. 59. 6. *Opus injuriæ* (vel *violentiæ*) *in manibus eorum est.* Jobi 16. 17. *Nulla in*

ma-

manibus meis injuria est. Hebræi enim scelera quæ homines suis manibus perfecerunt, *in eorum manibus esse* dicunt: Cujusmodi sunt furta, latrocinia, rapinæ, cædes, percussiones, munera, aliáque id genus. Hinc Ezechiel 23. 37. *sanguinem in homicidarum manibus esse* dicit: & David Psal. 7. 3. *iniquitatem*, cujus reus non erat, *in manibus suis esse* negat. Contrariâ ratione *munda & pura* dicuntur eorum *manus* qui talium maleficiorum culpâ & reatu vacant. Psal. 24. 4. *Mundus manibus, & purus corde.* חמס *injuriam* sig. & *violentiam.* Hieronymus & Mercerus *iniquitatem* hic interpretantur. Alii *rapinam* vel *rapacitatem* intelligunt.

9. *Quis scit an revertatur?*] Dubitantis, ut Joelis 2. 14. Vide in eum locum annotata.

GROTIUS.

1. *Secundò*] Illo loco quo expositus fuerat.

3. *Ninive erat civitas magna*] Regia Assyriorum, cujus in ambitu area erat CCCC stadiorum: murus autem CIϽIϽ turribus extuberans, ità ut ex Herodoto & Diodoro x discimus. Post *magna* in Hebræo sequitur לאלהים, quod Græci vertunt τῷ Θεῷ, Chaldæus *coram Deo*, id est, Deo eam augente. *Ninum urbem majorem fuisse Babylone* ait Strabo libro 16. ¶ *Itinere trium dierum*] Si quis omnes illas turres pedibus circumiret.

4. *Itinere diei unius*] Perambulans urbem quantum uno die licebat. ¶ *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur*] *Cum Ninive subvertetur.* De numero hoc dierum 40 diximus ab hac re non aliena ad Matth. 4. 2. Eundem numerum hic posuere Aquila, Symmachus, Theodotion. At in editione LXX sunt τρεῖς ἡμέραι [*tres dies.*] an ex notis numerorum veteribus, & sæpe inter se non multùm distantibus, quæ nunc exoleverunt? Visi sumus & alibi ejus rei deprehendisse vestigia. Intelligenda autem hæc comminatio rebus sic manentibus. Regulam hanc nobis dat Jeremias 18. 8. Quæ tamen regula suam & ipsa habet exceptionem, nisi additum fuerit *non exaudiam eos*, quod interdum Deus facit post diuturna monita, & elusam diu patientiam. Vide quæ ad Lucæ 19. 44.

5. *Et crediderunt viri Ninivita in Deum*] Id est, verbis Dei per Jonam, conscii sibi gravium criminum. ¶ *Et prædicaverunt jejunium*] Indixerunt Rex, & qui ei aderant proceres. ¶ *Et vestiti sunt saccis à majore usque ad minorem*] Ut ipse tam lugubris habitus dolorem magis accenderet.

6. *Pervenit verbum ad Regem Ninive, & surrexit de solio suo*] *Quia pervenerat verbum.* Causam reddit indicti jejunii, modúmque explicat. ¶ *Et abjecit vestimentum suum à se*] *Abjecerat vestimentum*, *regale* scilicet, ut se cæteris in luctu æquaret. ¶ *Et sedit in cinere*] Ἐπὶ σποδοῦ. Vide Matth. 11. 21.

7. *Et clamavit, & dixit in Ninive*] In Hebræo, *proclamari jussit, dicendo.* ¶ *Ex ore Regis & principum ejus*] Vide Esth. 1. 19, 21. ¶ *Homines & jumenta, & boves, & pecora nè gustent quicquam, nec pascantur, & aquam non bibant*] Illud, *non gustent quicquam* ad *homines* refertur, cætera ad pecudes: ut apud Virgilium,

> *Non ulli pastos illis egêre diebus*
> *Frigida, Daphni, boves ad flumina: nulla neque amnem*
> *Libavit quadrupes, nec graminis attigit herbam.*

Factum hoc ut etiam mutorum animantium spectaculo magis commoverentur homines ad dolorem.

8. *Et clament ad Dominum in fortitudine*] Altâ voce, ἐκτενῶς [*intentè*,] Græci. ¶ *Et convertatur vir*] *Quisque.* ¶ *A via sua mala*] Exuat peccandi consuetudinem. ¶ *Et ab iniquitate quæ est in manibus eorum*] Id est, rapta restituat, sine quo non est vera pœnitentia. Vide quæ diximus de Jure Belli ac Pacis libro 3. cap. 10. §. 3.

9. *Quis scit si convertatur?*] An sententiam mutet? Multum hoc in Assyriis hominibus, tanta edere pœnitentiæ signa sub spe incertæ veniæ.

10. *Et vidit Deus opera eorum*] Sanatæ mentis indicia. ¶ *Et misertus est Deus super malitiam quam locutus fuerat ut faceret*] *De malo quod illaturum se dixerat. Malitia* huic Interpreti, ut Matth. 6. 34. κακία, est quævis calamitas, aut triste aliud.

CAP. IV.

MUNSTERUS.

1. *Displicuit Jonæ*] Radix verbi est ירע, id quod Zere arguit sub Jod litera futuri temporis. Est tamen idem quod רעע. Displicuit autem Jonæ quòd Ninivitæ tam facilè pœnitentiam egissent in condemnationem populi Israelitici, in quo tot Prophetæ frustrà laboraverant, qui non valuerunt ingratos homines ad emendatiorem provocare vitam. Alii putant id momordisse animam Prophetæ, quòd Deus etiam Gentibus citra observantiam Judaismi tam facilè veniam condonasset peccatorum. Nam erat firma & constans opinio apud Jehudæos, solum Israelem esse populum Dei, & Omnes Gentes iræ Divinæ esse subjectas. Laborabat igitur Propheta zelo indiscreto.

2. *Oravit ad Dominum*] Expostulatio magis erat quàm oratio.

6. *Cucurbitam*] Est קיקיון species arbusculæ ex semine illico crescentis, & in magna folia sese diffundentis. In regionibus nostris non invenitur; ideo conveniens nomen dare nequimus. ¶ *A malo suo*] i. Ab æstu Solis.

8. *Vehementem*] Sign. חרישית propriè *surdefacientem. Insonuit etiam ventus ille urens tam insolenter ut aures colloquentium quasi surdas redderet.* Hæc Kimchi.

10. *Compateris*] Heb. *pepercisti*, i. parcendum censuisti arbusculæ, *quæ filia fuit unius noctis, & rursum filia unius noctis periit.* Vocat cucurbitam, vel hederam *filiam noctis* eo modo sicut reus mortis vocatur *filius mortis*, & homo viginti annorum vocatur *filius viginti annorum.*

11. *Duodecim myriades*] Est רבו *decem millia:* duodecies autem decem millia efficiunt viginti & centum millia. Hinc æstimari potest magnitudo urbis. Si *centum & viginti millia hominum & ultrà in ea fuerunt* qui innocentes fuerunt & puniri non meruerant (id enim significatur per id quando dicitur *quorum nullus discretionem habet inter sinistram suam & dexteram*) quot, putas, centena millia hominum fuerunt in ea ob quorum flagitia etiam innocentes fuerant interimendi & cum urbe submergendi si rei pœnitentiam non egissent?

VATABLUS.

1. *Displicuit*, &c. וירע אל יונה רעה] *Doluit tamen Jonas magno animi dolore.* Alii, *Contristatus tamen est tristitiâ magnâ*, i. mirum in modum. ¶ *Et iratus est* ויחר לו] *Et excanduit.* Exarsit irâ ob impœnitentiam potiùs Israelitarum quàm ob pœnitentiam Ninivitarum: sciebat enim pœnitentiam illorum cessuram in perditionem Israelitarum. Ad verb. *& ira fuit illi*, sub. *Jonæ.*

2. *Verbum meum* דברי] *Quod dicebam.* ¶ *Et pœnitens super malo* ונחם על הרעה] *Quique sententiam mutas super afflictione*, sub. *inferenda, quam interminatus es.*

3. *Quoniam melior est*, &c. כי טוב מותי מחיי] *Gratior enim mihi est mors quàm vita mea*, i. malo te autore mori quàm vivens videre, &c.

4. *Nónne*, &c. ההיטב חרה לך] *Numquid vehementer indignaris? Multúmne* [*Valdéne*] *iratus es?* Admirativè: q. d. Debebásne tantùm irasci ob pœnitentiam Ninivitarum? non debebas sanè: vel, Fierine potest ut tantùm doleas quòd Ninivitæ resipuerunt? Ad verb. *Numquid benefacere* [pro *benefactum*] quòd *iratus est* furor tuus *tibi?* Num justè tibi irasci videris? Doctus inter Hebræos exponit ut vertimus suprà.

5. *Ejus* לעיר] Ad verb. *civitatis:* antec. pro rel. ¶ *Quid futurum*, &c. מה יהיה בעיר] *Quid fieret in ea urbe*, i. num Ninivitæ perseverarent in pœnitentia sua quam ipsi jam cœperant.

6. *Et præparavit* וימן] i. Germinare fecit. ¶ *Cucurbitam* קיקיון] Herba est lata habens folia quæ facilè crescit in altum. ¶ *Quæ ascendit super Jonam* ויעל מעל ליונה] i. Quæ adeò crevit ut superaret caput Jonæ: vel, quam ascendere fecit Dominus, &c. ¶ *A malo ejus* מרעתו] *Ab afflictione ipsius*, i. à dolore animi: vel, ut protegeret eum ad æstu Solis, sive à radiis Solaribus infestantibus eum.

7. *Præparavit autem* וימן] i. Immisit autem.

8. *Præparavit* וימן] Ad verb. *Et præparavit*, i. immisit, sive excitavit. Redundat &. ¶ *Qui æstuabat* ויתעלף] *Qui penè defecit:* vel, *cœpit destitui animo*, i. qui penè passus est animi deliquium. ¶ *Anima sua* את נפשו] *Ab anima sua.*

9. *Non-*

9. *Nónne vehemens ira est tibi* ההיטב חרה לך] Ut v. 4. q. d. Non debes multùm irasci: nam cucurbita illa erat res vilis. ¶ *Usque ad mortem* עד מות] *Ut etiam mori cupiam.*

10. *Tu pepercisti cucurbitæ ipsi* אתה חסת על הקיקיון] *Tu misericordiâ motus es propter cucurbitam:* q. d. Tu ægrè fers corruptionem sive arefactionem cucurbitæ, quæ labore tuo non provenit, & quæ est res parvi momenti: ego autem multò potiorem causam haberem irascendi in creaturas, nisi essem maximè propensus ad misericordiam erga illas; vel, ægrè ferendi ruinam & perditionem tam multorum populorum. ¶ *Unâ nocte*, &c. שבן לילה היה] Ad verb. *Filia noctis fuit, & filia noctis periit.*

11. *Non parcam* לא אחוס] *Non movebor misericordiâ erga Ninive urbem*, &c. ¶ *Qui non noverunt*, &c. אשר לא ידע וגו׳] Verbum est sing. q. d. *quorum singuli*, &c. i. qui nesciunt differentiam sive discrimen *inter dexteram & sinistram*; h. e. non creverunt ad annos discretionis.

CLARIUS.

4. **E**T *afflictus est Jonas*] Putant displicuisse Jonæ quòd Ninivitæ tam facilè pœnitentiam egissent in condemnationem populi Israelitici, in quo tot Prophetæ frustrà laboraverunt. Alii putant id memordisse animum Prophetæ, quòd Deus etiam Gentibus citra observantiam Judaismi tam facilè veniam condonasset peccatorum. Nam erat firma & constans opinio apud Judæos, solum Israelem esse populum Dei, & omnes Gentes iræ Divinæ esse obnoxias. Sed mihi videtur ex sequentibus verbis colligi quod superiùs diximus, Jonam metuisse nè ob remissam Ninivitis pœnam quam fuerat interminatus, vilesceret Prophetia: quod contra Dei honorem etiam redundasset.

6. *Hederam*] Alii *cucurbitam*. Significat autem dictio Hebræa speciem arbusculæ ex semine illico crescentis.

11. *Centum viginti millia hominum*] Hinc æstimari potest magnitudo urbis, in qua fuerant *hominum plusquam centum & viginti millia* qui innocentes fuerunt & indigni qui punirentur; opinor, tenera ætas, necdùm vitiis assueta. ¶ *Et jumenta multa*] Declarat ingentem Dei benignitatem, cui etiam jumenta sint curæ.

DRUSIUS.

1. **E**T *malè fuit*] Valde ei displicuit ægerriméque tulit cùm videret eventum vaticinio non respondere. Nec se tenuit, quin contra Deum suum querelam etiam institueret, animíque irati signum daret. Cæterùm aliter eventuram rem atque prædixerat certò colligebat ex seria pœnitentia Ninivitarum, qui de morum pravitate jam discesserant, vitámque in melius mutaverant: vel hoc ei Deus per Spiritum antè patefecerat. ¶ *Excanduit ei*] Sub. *ira*. Vehementer iratus fuit: verebatur enim nè in pseudoprophetarum numero haberetur. Augebat iram quòd videbat hanc resipiscentiam Ninivitarum damnationi futuram popularibus suis, qui moniti sæpe à Prophetis non resipuissent. Quanquam hoc conjecturâ probabilius quàm auctoritate certius est.

2. *Et precatus est*] *Preces fudit ad Dominum.* Quanquam non tam *precatio* est quàm *querela*, index animi impatientis ac dolentis ex eo quòd non omnia evenirent ex animi voto. Tamen *precatio* dicitur, quia in hac querela etiam precatur Deum ut se ex hac vita tollat: malle enim se mori quàm vivere. ¶ *Nónne hoc verbum meum*] Sub. *erat*. Nónne hoc est quod dicebam cùm adhuc essem in Judæa? ¶ In *terra mea*] *In patria mea.* ¶ *Occupavi fugere*] Antea erat *præoccupavi ut fugerem.* ¶ *Sciebam enim*] Sententia poscit ut ità mutemus quod in Vulgata *scio enim:* licèt Ebræi per præteritum etiam præsens indicent. ¶ *Deum*] אל *Deum fortem*, *Deum potentem.* ¶ *Gratiosum*] *Clementem*, *beneficum*, *facilem*, *placabilem*, gratiam facientem delicti haud difficulter. ¶ *Patientem*] Μακρόθυμον, *tardum ad iram*, qui non facilè irasceris. Vide Sirach. 2. 11. ¶ *Multæ benignitatis*] Vel *amplæ beneficentiæ*. Quidam, *multæ miserationis*. ¶ *Pœnitentem mali*] Qui ut sententiam mutes super pœna quam irrogare decrevisti facilè adduceris. Ad verb. *super malo.* Quod capiendum de malo pœnæ, quam Int. *malitiam* dicit, sed parùm Latiné.

3. *Cape*] *Aufer à me*, *adime mihi*, recipe ad te. Insignis locus adversùs eos qui Animæ immortalitatem impugnant. Quàm enim foret ridiculum dicere *Cape animam meam*, si ea unà cum corpore interiret. Jam verò quod ait *à me* indicat Animam separatum quiddam esse à corpore. ¶ *Quæso*] נא hîc sumi videtur pro אנה. Certè V. Int. *tolle*, *quæso*. Jon. *accipe nunc*. Sic interpretati sumus suprà 1. 8. ¶ *Animam meam*] *Vitam meam.* Aut est sensus ut in illo, *Spiritus ad Deum redit, qui eum dedit.* Res clara; non eget lumine explicationis. ¶ *A me*] A corpore meo. Sic loquimur cùm dicimus *aliquem sepultum esse:* non enim de Anima hoc intelligi potest, sed de Corpore tantúm. Hoc genus locutionis Theologi κοινωνίαν ἰδιωμάτων nuncupant. ¶ *Bona est*] Sub. *magis*, i. melior. Sic Plautus, *Bona mulier tacita quàm loquax*, & Tacitus, *Claris majoribus quàm vetustis*, & Livius, *Regio consita amœnis quàm necessariis fructibus.* In his omnibus abest dictio *magis*. Ebræi vix aliter loquuntur. ¶ *Quàm vita mea*] Satius est me mori quàm vivere. Posthac enim vita mihi jocunda esse non poterit propter infamiam quam ex hac legatione contracturus sum, si res secùs atque prædixi evenerit.

4. *An bene*] Partim Interpretum hîc *bene* accipiunt pro *rectè*, partim pro *valde*. *Rectène*, inquit, *incanduit tibi animus?* q. d. Minimè: neque enim causa ulla est cur animo sis ità commoto. Potiùs lætari deberes. Est enim viri boni gaudere hominum salute atque emendatione in melius.

5. *Et egressus est*] Jam egressus erat, ut quidam censent, priusquam irâ excandesceret. Nam tum primùm, inquiunt, irati animi significationem dedit cùm jam videret post XL. dies urbem minimè perire. Ego aliter sentio; tamen nihil statuo hac quidem in re. ¶ *Ex urbe*] Ninive. ¶ *Sedit*] Mansit, commoratus est. ¶ *Ab Oriente*] Ad partem urbis quæ Orientem respicit. Hinc firmabis declarationem veterem apud Mosen, *Plantavit Deus hortum ab Oriente:* nam quod alii ediderunt *à principio* minùs sincerum est. ¶ *Umbraculum*] Tabernaculum ex frondibus. ¶ *Quid futurum esset urbi*] *Quid accideret urbi* V. Int. & bene. Nondum ergò exacti erant XL. dies cùm ista fierent.

6. *Ricinum*] Ineptum est dubitare nunc de hac arbore, quam Dioscorides κίκι vocat, Thalmudici קיק. Nam Hieronymus omnem prorsus dubitationem tollit, qui eam in Syria dicit vocari *Elkeroa*. Est certè ELKEROA nihil aliud quàm *ricinus*. Testantur officinæ, & nos id fusè ostendimus in 2 Quæst. nostrarum: ad quem locum te remitto, nè cogar eadem repetere. ¶ *Ut esset umbra*] Ut tegeret umbraculum in quo sedebat. ¶ *A malo suo*] Ab æstu nimio Solis, qui augebat malum ipsius, h. e. dolorem & iram quam conceperat ex metu de eventu Prophetiæ suæ: ac si diceret, Ut ejus animum mœrore affectum variéque turbatum parumper recrearet ac reficeret. Umbra in æstu mirè reficit animum mœstum. ¶ *Gavisus est gaudio magno*] Ut Joh. 3. 29. *gaudio gaudet propter vocem sponsi*, i. vehementer gaudet, mirificam voluptatem percipit. Licet etiam vertere *gavisus est gaudium magnum.* Hoc modò sanè aptior translatio videtur ad veritatem Ebraicam: nam *gaudio*, i. בשמחה. Catullus, *gaudia quæ gaudeas.* Terentius,

Hunc scio mea solidè solum gavisurum gaudia.

Sic Virgilius,

———*Hunc, oro, sine me furere antè furorem.*

Sic *pugnare pugnam*, μάχεσθαι μάχην, & quæ alia Grammatici notarunt.

7. *Et paravit*] Hinc eliciunt, omnia minima maxima gubernari per Dei providentiam, nec quicquam fortuitum esse, quo ad ipsum quidem. ¶ *In ascensu*] Vel *cùm ascenderet*. ASCENDERE hîc valet *oriri:* orto, inquit, diluculo postridie ejus diei, quo enatus vermis arrosit ricinum: itàque exaruit. Pro *cùm ascenderet* quidam exponunt *cùm ascendisset*, minùs bene: nam *cùm ascendisset*, i. בעלות, ut mox כזרח השמש *orto Sole*, cùm ortus esset Sol. ¶ *Qui percussit*] Ad verb. *& percussit*, i. læsit, arrosit: quod etiam *tangere* dicitur; ut *flos tactus aratro*, i. læsus, percussus, nisi fallor.

8. *Ventum Orientalem*] Eurum. Ebraicè קדים *ab Oriente.* Nam *Oriens* קדם dicitur. Græci καύσωνα interpretantur: in quo significatio *urendi*; quod est קדח. Est enim ventus calidus in Judæa, tametsi in his locis ventorum omnium frigidissimus sit. Unde Theodoretus Quæst. 1. in Gen. Εὔρῳ γὰρ ἡ νότῳ πνέοντος τὸ πελαγῶδες ὕδωρ διαλύεσθαι πέφυκεν, ait, *Euro flante glaciem dissolvi*, nempe quia calidus iis in locis. Orientalis enim mundi pars abundat igne elementari: hunc elicit Eurus. Sic Auster calidus est ob eandem causam; cui oppositus Aquilo ob contrariam frigidus est. Sed hæc Physicis discutienda relinquamus. ¶ *Surdum*] Estne ità dictus *ventus surdus*, ut *pallida mors*, quòd adeò vehemens esset ut homines surdos redderet?

deret? Sic *tristes lupinos* dicimus: nam quia homines contristant gustati, ideo sic vocantur. *Fossam cæcam quoque dicimus*, ait Augustinus Tract. 43 in Joh. *quæ latendo non videntes*, *i. cæcos*, *facit*. Aut potiùs *surdus* appellatur quòd eo flante cæteri omnes venti sileant? Aut ex *surdo* mutum intellige, ut sit חרש pro אלם. Nam ista convertuntur interdum. Equidem nihil horum intelligendum esse puto, sed arbitror potiùs epitheto usum Prophetam ut ostenderet ventum hunc *placidum* fuisse, שתיקא reddit Jonathan, miniméque sonorum, qui æstum magis magísque augeret; cùm ventus vehementior eum minuere soleat. Rei firmandæ est quod ex Hesychio suprà produximus, *κύματι κωφῷ, τῷ μὴ ἠχοῦντι*. Nam ut *fluctus κωφός*, qui minimè sonorus, ità *ventus*: tamen nihil decerno. Nam si verum quod Ebræi affirmant & ratio docet, Eurum in iis locis calidum esse, quid absurdi in priore sententia? calidior enim est quò vehementior, si naturâ aut effectu calidus. ¶ *Et percussit Sol*] Ardore ac radiis suis. PERCUTERE præter notam significationem etiam *urere* denotat; ut in illo, *Per diem Sol non uret te:* nam in Ebræo est ad verb. *non percutiet te:* Vide Observ. nostras. ¶ *Deficiebat*] Quasi deliquium animi patiebatur. ¶ *Petivit animæ suæ*] Optavit sibi mortem contingere: vel, quod idem, *petivit ut anima sua moreretur*, h. e. ut vitam cum morte commutaret. *Anima* enim sæpe vocatur vita corporis animati, quæ nobis communis cum Bestiis: itaque & *mori* ipsa rectè dicitur, & *occidere animam* qui vitam alicui adimit. ¶ *Bona est*] *Melior est.* Vide suprà vers. 3. Jonathan vertit, *melius est ut moriar quàm ut vivam*, eâdem sententiâ.

9. *Bene*] *Rectè, jure*, cum ratione. Bona pars Interpretum, in queis Jonathan & David Scholiastes Ebræus, *bene* accipiunt pro *valde*, hâc sententiâ, *Certè irâ valde excanduisti: sed non est cur ità excandescas. Cur enim non parcam civitati pœnitenti? cùm in ea sint propè innumeri qui ab omni culpa immunes sunt. Bene* pro *valde* invenies Deut. 9. 21. & 2 Reg. 11. 18. Vide suprà v. 4. ¶ *Usque ad mortem*] Ut putem vitam mihi acerbam esse, nec quicquam satius ducam quàm mori.

10. *Tu parcis*] Miseret te ricini, doléśque vicem ejus, ac conservatum cupis, quia tibi scilicet umbram præstitit, cùm tamen in eo educando nullum omnino laborem sustinueris, & is repentinò exortus repentè occiderit. ¶ *Filius noctis*] Character Ebraicæ linguæ elegantissimus, quem Interpretes bene declarant, *unâ nocte crevit*, & *unâ nocte periit.* Sic dicunt *filius anni unius* pro *natus annum unum*; *filius annorum centum*, &c. ¶ *Fuit*] Crevit. Nam per diem Jonæ umbram præstitit, alterâ nocte interiit percussus à verme.

11. *Duodecim myriades*] *Centum viginti millia* Int. antiquus; optimè & rectissimé. Severus ex hoc loco de Ninive loquens, *frequens tum incolentium multitudine, alens virorum millia* C & XX. Induxit eum in hunc errorem editio Græca *δώδεκα μυριάδες ἀνδρῶν* nam sic est in nonnullis cod. cùm melior lectio *ἀνθρώπων* referat: hoc primum. Deinde, non advertit ad illud quod præcedit, *plusquam* XII *myriades*. Postremò, si non oscitanter legit hunc locum, certè non intellexit quod sequitur, *qui non internoscunt dexteram inter & sinistram:* nam ex eo indubitanter colligimus numerum habitantium Niniven multò majorem fuisse. ¶ *Qui non internoscunt*] Circumloquitur ætatem parvulorum. Tales enim ignorant quid intersit inter dexteram & sinistram: hic notabis אדם de Infantibus dici. ¶ *Et bestiæ multæ*] Vet. & *jumenta multa*. Sed fallor, aut intelligit omnes bestias quæ in urbe. Non desunt ex Ebræis qui per *jumenta* grandiores intelligant, quorum animus ità belluinus est ut à quo creati sint nesciant.

IDEM.

2. Ὦ Δὴ Κύριε] C. ὦ Κύριε. R. Κύριε. In Ebræo, *obsecro, Domine*. ¶ Ὅτι ὁ Θεὸς ἐλεήμων] V. & R. ὅτι σὺ ἐλεήμων. ¶ Μετανοῶν] C. παρακαλούμενος.

3. Ἡ ζῆν] R. ἢ ζῆν με. C. μᾶλλον ἢ ζῆν.

4. Καὶ εἶπε Κύριος, Σφόδρα] C. & R. καὶ εἶπε Κύριος πρὸς Ἰωνᾶν, Εἰ σφόδρα.

5. Ἀπέναντι] C. κατὰ ἀνατολάς quod placet. ¶ Αὐτῷ ἐκεῖ] C. ἑαυτῷ. ¶ Ὑποκάτω αὐτῆς] Abest ἐν σκιᾷ addendum ex C. ¶ Ἐπίδῃ] C. ἐπειδή. A. & R. ἀπίδῃ.

6. Τοῦ εἶναι σκιὰν ὑπεράνω τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ, τοῦ σκιάζειν] C. τοῦ συσκιάζειν αὐτῷ καὶ περισκέπειν αὐτόν.

7. Τὴν κολοκύνθην] C. & R. κολοκύνθαν. A. & AR. κολοκύνθα. ¶ Ἐξηράνθη] R. ἀπεξηράνθη.

8. Καύσωνι] C. καύσωνος. ¶ Ὠλιγοψύχει] R. ὠλιγοψύχησε. ¶ Καὶ ἀπελέγετο] C. καὶ ἀπελείπετο. ¶ Ἡ ζῆν με] C. & R. ἢ ζῆν.

9. Καὶ εἶπε Κύριος ὁ Θεός] C. καὶ εἶπε Κύριος. R. καὶ εἶπεν ὁ Θεός placet. ¶ Σφόδρα] C. & R. Εἰ σφόδρα rectum est.

10. Σὺ μὲν ἔφείσω] C. Σὺ ἐφείσω. ¶ Οὐκ ἐκακοπάθησας] R. οὐκ ἐκακοπάθησας ἐπ' αὐτήν. C. οὐκ ἐκακοπάθησας ἐπ' αὐτῇ. Οὐδὲ ἐξέθρεψας] A. & AR. οὐδὲ ἐξέθρεψας. In C. & R. abest; nec malè.

11. Ἐν αὐτῇ] Abest in C. & R. ¶ Ἀνθρώπων] C. ἀνδρῶν non probo. ¶ Ἢ ἀριστερὰν] C. οὐδὲ ἀριστεράν sed hoc leve.

IDEM.

2. ὍTι ὁ Θεὸς ἐλεήμων] Puto Interpretes edidisse ὅτι σὺ Θεὸς ἐλεήμων. Adi ad Varias lectiones.

6. Τοῦ σκιάζειν αὐτῷ] להצל verbo ab *umbris* deducto, q. *ad umbrandum* dicas: nam צל *umbra*. Sed nè displiceat τοῦ περισκέπειν αὐτόν. Sic Chald. לאגנא *ad protegendum eum*. Quid si τοῦ ἐκσπάσαι αὐτόν; Vide Hab. 2. 10. ¶ Τῇ κολοκύνθῃ] In Scholiis Abenezræ, *Sapientes Hispaniæ dicunt* CICAION *esse* קרע vel דלעת, i. *ricinum* aut *cucurbitam*. Nam קרע *cucurbita*, quæ & קרעא, & apud Arabes Medicos *Hara* sive *Carrha* dicitur. Alii *cucumerem* exponunt. Cara κολοκύνθη ἐδώδιμος, *cucurbita ventricosa*. Quidam exponunt *cucurbitam longam*, quæ Plinio *anguina* dicitur.

11. Δέκα μυριάδες ἀνθρώπων] Libri ad E. C. ἀνδρῶν, איש: quod rejicio non solùm quia in Ebræo est אדם *hominum*, sed etiam quia sequentia eam lectionem respuere videntur. Et respuunt omnino, nisi accipiantur de iis qui adeò stupidi sunt ut non possint discernere inter bonum & malum. Nam tales proverbio dicuntur *non internoscere dexteram à sinistra*. Nos de Infantibus enarramus; puto veriùs.

IDEM.

6. קִיקָיוֹן. Aq. & cæteri κισσός] Est autem κισσὸς *hedera*. Hieron. in Epistola quadam ad Augustinum, & in Comment. ad h. l.

4, & 9. הֵהֵיטֵב חָרָה לָךְ. Sym. Ἆρα δικαίως ἐλυπήθης; *Jurène tristatus es?* Cæteri, εἰ καλῶς ἐλυπήθης; *An bene tristatus es?*] Priùs erat εἰ σφόδρα eodem redit. Nam *bene* dicimus pro *valde*, ut *bene potus*, *bene doctus*. In ed. Rom. ἆρα δικαίως. Hoc fragmentum debemus Theodoreto, ut & illud quod primo loco adduximus. Si dubitas, adi ad Commentarium ejus in hunc Prophetam.

LIVELEUS.

1. ÆGre fuit ei] Sensus est, *cum graviter & molestè tulisse*. Nam חרה nè semper *irasci* significare putetur, aliquando *displicentiæ* & *doloris* notionem habet. Gen. 45. 5. *Ne tristemini, neque displiceat* ואל יחר. 1 Sam. 15. *Displicuit* (vel *ægre fuit*) *Samueli* ויחר. Vide hîc v. 9.

2. *Propterea anteverti fugiendo*] Causam hîc fugæ suæ ipse Jonas declarat. Cùm enim fore putaret ut Deus pœnitentiâ motus resipiscentibus Ninivitis parceret, neque denunciatum à se malum perficeret, verebatur nè falsus Propheta illis videretur. Vanum verò & mendacem Vatem haberi grave est. Quod Mosem etiam ipsum deterruit, Exod. 4. 1. *Non sunt credituri mihi, sed dicent; Non apparuit tibi Jehova.*

4. *An bene factum quod tibi ægre est?* Ad verb. *An bene tibi ægre est?* i. An rectè & justè hoc à te fit ut graviter id quod feci & molestè feras? Haud dissimile illud Deut. 5. 28. *Quæcunque locuti sunt, bene locuti sunt.* Vide v. 9.

6. *Ricinum*] Ante Tremellium eam esse veram Hebrææ vocis קיקיון significationem tradidit Johannes Mercerus, id doctus (ut fatetur) à Præsule Monspessulani. Drusii vero idem de hac voce judicium erat antequam Merceri Commentarium vidisset, ut de se testatur libro 2 Quæstionum, quæst. 44. ubi copiosè hanc illius notionem & vim declarat. Eam tandem sententiam Arias Montanus in suis ad hunc locum Commentariis confirmavit. Cujus veritas illorum rationibus ità mihi probata & persuasa est ut nesciam quæ confirmatior interpretatio sit, ac mirer si quis tam pertinax versionum veterum defensor inveniri queat qui eas huic novæ non postposuerit. Primùm enim קיקיון Hebræum idem est quod Arabum *Elcherna*. Id ità esse scribit Hieronymus in h. l. קיקיון, inquit, *linguâ Syrâ & Punicâ* ELCHEROA *dicitur*. Idem affirmavit Magister Samuel Hophnides Hebræus, teste hic Quimquio, *herbam esse* הנקרא בלשון ערבי אלכרוע, i. *dictam Arabicâ linguâ* ELCHERNA. Jam verò *elcherna* vel (quod sine articulo idem est) *cherna* Arabibus id esse quod Latinis *ricinus*, Medicorum Arabum interpretes summo consensu tradiderunt. Ex quo effici-

tur קיקיון hic verè *ricinum* dici. Quod etiam ex alio ejusdem nomine in Talmudicis libris Hebræorum usurpato probatur, cùm dicunt קיק בשמן אין *neque oleo Kik*. Nam קיק eo in loco idem valere quod קיקיון, autor est eruditus quidam Lakis. Atque idipsum Quimquius in Grammatica sua, eâ parte quâ varias nominum Hebræorum formas ostendit, judicio suo confirmavit. Cui rei etiam fidem facit ipsius linguæ Hebrææ natura & proprietas: In qua ad formationem nominum illa terminatio ון ad radicem sæpenumero adjicitur. Hoc verò nomen קיק *ricino* significando inservire vel ex eo verisimillimum fit, quòd eadem ferè vox à profanis quoque autoribus ad *ricinum* notandum retenta sit. Dioscorides lib. 4. c. 158. eum κίκι vocavit. Item Plinius l. 15. c. 7. *Proximum*, inquit, *oleum est quod fit è Cici arbore in Ægypto copiosa; alii Crotonem, alii Trixin, alii Sesamum silvestre appellant. Nostri eam Ricinum vocant, à similitudine seminis.* Hæc ille. Eodem verò nomine Hebræorum vicinos Ægyptios olim Ricinum vocavisse, illud ab Herodoto in Euterpe de Ægyptiis memoriæ proditum arguit, Ἀλείφατι δὲ χρέωνται ἀπὸ τῶν σιλλικυπρίων καρποῦ, τὸ καλέουσι μὲν Αἰγύπτιοι κίκι. Indè enim illud oleum κίκι nominatum videtur quòd ex fructu arboris κίκι ab illis vocitatæ, quam Herodotus Græcè σιλλικύπριον dixit, expressum fuerit. Quâ ratione Dioscoridi κίκινον, Plinio *cicinum oleum* dicitur. Denique si ea quæ de קיקיון ab Hebræis & quæ ab aliis de *Cherna* sive *Ricino* dicuntur cum hoc loco ac inter se conferantur, hoc quoque modo eandem plantam utroque nomine ostendi & designari liquebit. קיקיון igitur Quimquius ità hîc describit: *Est*, inquit, *herba longis & altis frondibus umbrosa.* Multis verò ante eum annis quidam Rabba filius Hannæ dixit *eam juxta aquas crescere, & pro tabernarum foribus satam, ad umbram faciendam erigi & educi, ac de granis ejus oleum fieri.* Jam vero Ricini apud Dioscoridem talis descriptio est, *Arbor provenit parvæ ficûs altitudine; folio platani majore, semine in uvis asperis, quod corticibus exutum Ricinum animal repræsentat: ex quo oleum nomine* cicinum *exprimitur, cibis fœdum, lucernis emplastrisque utile.* Herodotus libro paulò antè memorato, *Sillicypria*, inquit, *apud Græcos ultro nascuntur: In Ægypto verò ad oras fluminum stagnorúmque seruntur, multum ferentia fructum, ex quo ad ignem contuso, vel cocto in sartagine, pingue quiddam defluens excipiatur ad lucernas non minùs idoneum quàm oleum, sed graveolentiam exhibens.* Plinius lib. 15. 7. *In Hispania repentè provenit; altitudine oleæ, folio vitium; In aqua coquitur semen ejus, innatánsque oleum tollitur.* Hieronymus in suis ad h. l. commentariis, *Genus est virgulti vel arbusculæ lata habens folia in modum pampini, & umbram densissimam, suo trunco se sustinens, quæ in Palæstina creberrimè nascitur, & maximè in arenosis locis, Miriúmque in modum, si semen jeceris, citò confota consurgit in arborem; & intra paucos dies, quam herbam videras, arbusculam suspicis.* In istis descriptionibus multa sunt quæ huic Jonæ קיקיון aptissimè conveniunt. Primùm altitudo, quæ ab omnibus ferè memoratur, unde à quibusdam eorum etiam *arbor* dicitur, cùm revera potiùs herba sit: Hæc enim Jonæ tam alta erat ut *supra caput ejus ascenderet.* Tum foliorum magnitudo, indéque proveniens umbræ densitas magno illorum consensu confirmata: Nam & hæc quoque *umbrosa* erat. Postremò, quod à Plinio & Hieronymo de nascendi celeritate narratur, decimo hujus capitis versui consentaneum est: Nec tamen dubito quin mirificâ suâ potentiâ Deus in hujus stirpis ortu & interitu tam repentino & momentaneo miraculum ediderit. His ego rationibus adductus eorum sententiam qui קיקיון *ricinum* interpretantur valde probo. Nec moror Tridentinum anathema quo Vulgatam hujus vocis versionem contra non solùm apertam veritatem sed etiam ipsius autoris sententiam stabiliverunt: Hieronymus enim ipse fatetur se *hederam* cum veteribus Translatoribus interpretatum esse, non quòd eam interpretationem probaret; sed quia nomen Latinum quo vera illius significatio exprimeretur ignoraret. At ex Plinio nobis compertum nomen non unum est. Is enim *Cici, Crotonem, Ricinum* vocat: Alii *Trixin & Sesamum silvestre.* Quidam σέσελι Κύπριον, ait Dioscorides. Herodotus σιλλικύπριον dixit.

8. *Percussit Sol caput Jonæ*] Vehemente calore suo ussit & læsit. Sic Psal. 121. 6. *Interdiu Sol non percutiet te.* Metaphora. Sol enim radiis suis quasi percutere videtur. Ovidius Metam. 9. eâdem utitur,

Lux subit, & primo feriente cacumina sole,
Discedunt juvenes.

Sed hoc loco major radiorum Solarium vis significatur.

9. *Rectè doleo*, (vel, *Rectè dolet mihi*, aut *ægre est mihi*) *usque ad mortem*] h. e. Gravissimo quidem dolore afficior, ut parùm à morte absim: Atque in eo rectè facio, tantique doloris mihi justa causa est. *Dolor ad mortem usque* lethalis & mortifer longéque gravissimus dicitur, Matth. 26. 38. *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Eccl. 37. 2. *Tristitia ad mortem usque est, cùm amicus ad inimicitiam convertitur:* h. e. ultimus tristitiæ gradus in eo est cùm id contingit. Eodem sensu *imminui* dicitur *Sampsonis anima ad mortem*, Judic. 16. 16.

10. *Tu parcis*] h. e. Periisse doles. Comparatione minorum Jonam confutat: Tu cùm sis homo parcis: nónne ego magis id facere debeam, qui naturâ bonus & clemens sum? ¶ *Pro quo non laborasti*] Πάντες ἀγαπῶσι μᾶλλον τὰ ἔργα αὐτῶν, ὥσπερ οἱ γονεῖς καὶ ποιηταί, ait Aristoteles Ethic. 4. eo argumento probans eos qui à parentibus opes acceperunt liberaliores esse iis qui suo eas labore quæsiverunt. Quamobrem, si Jonam interitus ricini, qui ejus opus non erat, tanto dolore affecit, quantò majori curæ Deo sua opera; & quidem nobilissima; nempe Homines à se creatos, esse oportuit? Itaque ad amorem Dei declarandum non parùm valet quod Esaias 5. 7. Israelitas vocat *plantam deliciarum ejus*, & David *oves manuum ejus* Psal. 95. 7. ¶ *Quæ unâ nocte exstitit*] Tu moveris herbulæ evanidæ ac momentaneæ jacturâ, atque ejus quidem unicæ: Quantò magis ego de tam magna & clara civitate solicitus ero, præsertim quæ tot in se innocentium puerulorum millia continet? Diuturniora enim brevioribus, & plura paucioribus anteponenda. Talis illa comparatio est Matth. 6. 30. *Si herbam agri, quæ hodie exstat & cras in clibanum mittitur, Deus ità circumvestit, nónne vos multò magis?*

11. *Qui non noverunt*] Parvulorum Periphrasis est, quorum cum *bestiis*, propter eorum innocentiam, mentionem facit.

GROTIUS.

1. *ET afflictus est Jonas afflictione magnâ*] Magno dolore indoluit, de auctoritate sua se periclitari existimans. At non est Legati præstare ne Rex sententiam mutet.

2. *Numquid non est hoc verbum meum*] Hoc ipsum fore cogitaveram. ¶ *Scio enim quia tu Deus clemens & misericors es, patiens & multæ miserationis, & ignoscens super malitia*] *Pœnitens super malo*, quod comminatus es scilicet. Exemplis id didicerat Moses, & ipsius Dei pronuntiato Exodi 34. 6.

3. *Tolle, quæso, animam meam à me*] Vitam. Magna indignatio, non justa ex causa.

4. *Putásne, benè irasceris tu?*] *Ad bonum factum est ira tua? éstne hæc causa justa?*

5. *Et sedit contra Orientem civitatis*] Unde optimus erat in urbem despectus. ¶ *Et fecit sibimet umbraculum ibi*] Tugurium ex virgulto. ¶ *Donec videret quid accideret civitati*] An non aliquo saltem malo puniretur.

6. *Et præparavit Dominus Deus hederam*] In Hebræo est קיקיון [*Kikion*,] ubi ון est addititium: nam nomen Ægyptium est κίκι [*Kiki*,] apud Herodotum Euterpe, Theophrastum 1. 16. Plinium 15. 7. Dioscoridem 1. 38. Galenum de Simplicibus. Herodotus alio nomine σιλλικύπρια vocat. Hieronymus in Commentario ad hunc locum *linguâ Syrâ & Punicâ Elkeron dici* notat: *esse autem genus virgulti vel arbusculæ, lata habens folia in modum pampini, & umbram densissimam, suo trunco se sustinens: quod in Palæstina creberrimè nascitur, & maxime in arenosis locis: mirúmque in modum, si sementem in terram jeceris, citò confotam consurgere in arborem, & intra paucos dies, quam herbam videras, arbusculam te suspicere.* Ostendit autem à se *hederam* translatum, non quòd idem esset, sed quòd nomen Latinis notum, & ad hanc naturam aliquo modo accedens, aliud non reperiret. ¶ *Et protegeret eum* (*laboraverat enim*,)] In Hebræo, *ad liberandum eum à malo*, id est, ab æstu.

7. *Et paravit Deus vermem*] Omnia, etiam quæ naturaliter fiunt, Deus facere dicitur, qui naturam & fecit, & conservat, & eâ pro arbitratu utitur. Vermium multa sunt genera, arboribus, virgultis, herbis infesta. ¶ *Ascensu diluculi in crastinum*] Postridie aurorâ illucescente. ¶ *Et percussit hederam*] Cici illud, radice læsâ. ¶ *Et exaruit*] Humore terræ destitutum.

8. *Et cùm ortus fuisse Sol*] Et jam processisset nonnihil. ¶ *Præcepit Dominus vento calido & urenti*] *Euro silenti.* Sic habet Hebræum & Chaldæum: auræ sine motu, sine frigore, quæ calorem in Sole ortum adjuvaret. ¶ *Et æstuabat*] In Hebræo, *Linqueretur animo*: id est, propè linqueretur. ¶ *Melius est mihi mori quàm vivere*] Descriptio impatientis ingenii.

9. Pu-

9. *Putásne, bene irasceris tu?*] *An bonum factum ira hæc?* ut suprà 4.

10. *Quæ sub una nocte nata est, sub una nocte periit*] Plautus:

> *Quasi solstitialis herba, paulisper fui;*
> *Repente exortus sum, repentino occidi.*

11. *Qui nesciunt quid sit inter dexteram & sinistram*] Id est, ejus ætatis quæ honesti ac turpis discrimina nondum novit, & cui propterea parci æquum est. *Dextera* significat ea quæ recta sunt, *sinistra* ea quæ contraria. Infans ætas describi solet ignorantiâ recti ac turpis. Vide quæ attulimus ad Deuteron. 1. 39. ¶ *Et jumenta multa*] Si hominum te non miseret,

> *Quid fecere boves animal sine fraude dolóque?*

ANNOTATA
AD
MICHÆAM.

CAP. I.

MUNSTERUS

1. AD *Micham*] Vixit Micha Propheta eodem tempore & sub eisdem Regibus quibus Jesaia, Hosea & Amos: id quod indicat titulus suæ Prophetiæ. Vaticinatur contra Reges, Judices, Sacerdotes, & Prophetas falsos, tum in Jehuda tum in Israel; prædicítque perditionem eorum, quod verbum Domini abjecerint, & sine timore Dei vana secuti sint. ¶ *Morasthiten*] Chald. *De Maresa*, quæ scilicet est civitas in tribu Jehuda.

2. *Populi omnes*] Utuntur Prophetæ miris principiis; ut etiam eos qui ad audiendum tardi sunt provocent. Nec tantùm uni genti sed toti orbi loquitur hic Propheta. ¶ Per *plenitudinem terræ* intellige homines qui inhabitant *terram*. *Deum* autem vocat *in testem* omnium eorum quæ dicturus erat, ostendens se non loqui ex spiritu proprio aut maligno.

3. *Dominus egreditur de loco suo*] Hoc est judicium Dei quod vobis insinuo, quòd brevì *recessurus est Deus de loco suo*, & vos relicturus in manu hostium, qui conculcabunt vos & humiliabunt superbiam vestram. Ubi Jonathan sic vertit, *Dominus migrabit de domo Divinitatis suæ, migrabit & conculcabit robustos terræ*. Et quàm terribile sit judicium Dei exprimit sequentibus verbis, *Liquefient montes*, &c. Ea, inquit, quæ firmissima esse videntur, non poterunt ferre iram Dei, sed terra contremiscit à conspectu ejus, montes dissolvuntur, & valles in hiatus rumpuntur sub vestigiis judicii Dei. Ubi igitur manebunt superbi homines, qui hic per *montes* significantur, qui confidunt in viribus suis? Defluent à facie Judicis *sicut cera à facie ignis, & sicut aqua in declivi loco* subsistere nequit, sic nec illi.

5. *Annon Samaria?*] Si quæris quis induxerit in tot & tanta peccata propter quæ terra in desolationem est redigenda, respondeo, *Samaria*, h. e. Reges Samariæ, à quibus tamen justitia conservari debuerat. Hi enim erexerunt duos Vitulos aureos, & *Jerosolymitani* exstruxerunt *excelsa*, h. e. aras in omni colle & subter omnem arborem frondosam.

6. *In acervum agri*] h. e. Domus redigentur in ruinas; loca civitatum erunt squalida sicut campus; & montes in quibus fuerunt exstructa castra, mutabuntur à pauperibus terræ in vineta.

7. *Vestimenta ejus*] Heb. *mercedes* vel *donaria ejus*, qualia sunt vestimenta, aurum & argentum, quæ idolis offerebantur, & veluti pro mercede scortationis, h. e. idololatriæ, contribuebantur. Est enim Idololatria spiritualis fornicatio. Sunt etiam qui dicunt, mercedes meretricum oblatas idolis, & indè facta ornamenta eorum.

8. *Super hoc plangam*] Compatiens populo meo, cui tam dirum prævideo impendere judicium. Vel loquitur in persona populi sui. Porrò clamor *draconum & struthionum* est ululatus quidam, cui planctus humanus similis perhibetur qui ex amaritudine procedit cordis.

9. *Venit usque ad Jehudam*] Cœpit, inquit, malum populi mei in Samaria, & serpuit per totum Regnum usque in Jehudam.

10. *Propter domum Aphra*] Capitur hîc ב pro בעבור. Est autem Aphra, quæ alibi *Ophra* vocatur, civitas in Binjamin. Utitúrque hîc Propheta pulcris allusionibus, quæ in Latino conservari nequeunt. Vocant autem Hebræi talem allusionem לשון נופל על הלשון. Et est sensus, *Habitatores Aphra* (quod *pulverem* sonat) *præ dolore in pulvere se volutabunt: & habitatores Saphir* (quod *pulcritudinem* sonat) *in summo erunt dedecore*. Sic *habitatores Zaenan* (quod *egressionem* significat) *præ anxietate non ausi sunt egredi in auxilium Beth Ezel*, &c. Alii sic interpretantur, *Beth Ezel accipiet à vobis stationem suam*.

11. *Propter stationem*] h. e. Propter magnam moram quam hostis facturus est in terra vestra, diripiet omnia bona.

13. *Liga currum ad veredarium*] i. Dispone te ad celerem transmigrationem. Est enim רכש animal velocissimi cursûs.

14. *Mendaci*] h. e. Mortali & infideli homini cogêris pendere tributa, qui *Regibus Israel*, i. Regibus Jehuda, nullam servavit fidem; quales fuerunt Palæstini, quorum hic meminit. Qualis hîc sit allusio vocabulorum facilè videt qui Hebraicè novit.

16. *Sicut aquila*] Hæc avis in senectute tota *decalvatur*, ut iterum plumæ ejus renoventur, secundùm illud Ps. 103. 5. *Renovabitur, ut aquila, juventus tua*.

VATABLUS.

1. AD *Michah* אל מיכה] Iste Michæas non est Michæas ille filius Jemla cujus mentio fit 1 Reg. 22. 8. ¶ *Morasthiten* המורשתי] Hebræi cum Chaldæo P. *de Maresa*. Erat urbs tribûs Juda, cujus mentio fit Jos. 15. 44. ¶ *In diebus* בימי] i. Tempore: q. d. qui floruit ætate *Jotham*, &c. ¶ *Quod vidit* אשר חזה] Chald. *qui prophetavit*.

2. *Attende, terra* הקשיבי ארץ] Terram sanctam intelligit: aut universam terram alloquitur, ut Esaias 1. 2. ¶ *Et plenitudo ejus* ומלואה] *Ejus* pro *tua*. Est confusio personarum: i. quotquot in te habitant. ¶ *Sitque Dominus*, &c. ויהי אדני וגו׳] q. d. Testor Deum contra vos, nisi resipueritis, quòd præmonuerim vos & invitarim ad pœnitentiam. ¶ *De templo sancto suo* מהיכל קדשו] i. Qui habitat in cœlo, unde prospectat omnia quæ hîc aguntur.

3. *Egreditur* יוצא] Dicitur Deus *egredi è loco suo, & descendere*, quando operatur in istis inferioribus, quando immittit punitionem & vindictam. ¶ *Excelsa* במותי] i. Conculcabit eam partem terræ quæ maximè exstat & altissima est. Per *excelsa terræ* & *montes* intelligit homines superioris ordinis ac status; & per *valles*, homines inferioris ordinis ac sortis: q. d. Nemo est qui virtuti ac potentiæ Dei resistere possit, cujuscunque ordinis, status, sortis aut conditionis fuerit.

4. *Scindent sese* ונבקעו] *Dehiscent*. ¶ *In præcipiti* במורד] Ad verb. *in descensu*, i. in loco declivi.

5. *Et propter peccata domûs Israel* ובחטאות בית ישראל] Tautologia, & repetitio verbis diversis.

6. *In acervum agri* לעי השדה] *In acervum* [sub. *lapidum*] *agri*. Sing. Heb. pro plur. in acervos tales quales visuntur in a-

gris ipsis: q. d. Destruam Samariam, & efficiam ut nihil aliud futura sit quàm acervi lapidum, & locus ubi plantentur vineæ. Doctus inter Hebræos etiam exponit, *in devastationem* sive *solitudinem*.

7. *Et omnes*, &c. וכל אתנניה] *Et omnia donaria ejus.* Dona illa appensa in templo idolorum in honorem ipsorum, vocat *mercedes*. Comparat enim idola meretricibus, & cultores illorum, amatoribus: nam Idololatria vocatur *fornicatio spiritualis*. ¶ *De mercede meretricis* מאתנן זונה] Sing. Heb. pro plur. *de donis meretricum*, i. quæ non sunt absimilia donis quæ dantur scortis, *congregavit* omnes opes has. ¶ *Et usque*, &c. ועד אתנן זונה] Sing. Heb. pro plur. *usque ad dona meretricum*, i. tandem devenient in manus aliorum idololatrarum, nempe Assyriorum, qui quidem dabunt illa idolis suis.

8. *Spoliatus* שולל] More scilicet lugentium: q. d. detraham mihi vestes. Significat enim שולל *cum cui detractæ sunt vestes.* Quidam Hebræorum exponunt *spoliatum mente & cognitione*, i. infatuatum & insanum, cujus mos est ut spoliatus & nudus incedat. ¶ *Velut draconis* כתנים] *More draconum.* Solent enim Dracones terrestres & Struthiocameli feminæ edere vocem maximè lugubrem.

9. *Acerbæ sunt plagæ ejus* אנושה מכותיה] Ad verb. *acerba sunt plagæ ejus.* Sing. partic. junctum nomini plur. Vertere potes, *acerba* utraque *plagarum ejus*: vel, *doloris plena.* Quidam, *valida.* Alii, *insanabilis.* Alii, *desperata.* PLAGAS doctus inter Hebræos interpretatur *bellum*, *famem*, & *pestilentiam*. ¶ *Populi mei* עמי] Erat enim Propheta iste de tribu Juda.

10. *Annuncietis* תגידו] Sub. *calamitatem*, sive *cladem*, *quam accepistis ab hostibus.* Tametsi Gath tum erat in potestate Regum Juda, erant tamen Palæsthini animo à Judæos alieno. ¶ *Flendo*, &c. בכו אל־תבכו] Hebraismus, Neque effusè fleveritis: h. e. nè præ vobis feratis tristitiam, nè scilicet cùm viderint vos Palæsthini flere, magis lætentur. ¶ *Propter domum*, &c. בבית לעפרה וגו׳] Sing. Heb. pro plur. ב pro, *propter domos Ophra in cinere voluta teipsam*, i. consperge te cinere more lugentium. Præposuit ל ipsi *Ophra*; ac si dicat, *propter ædes quæ pertinebant ad Ophra*, h. e. tam ædes quæ erant in ipsa urbe quàm quæ extra urbem: q. d. tam urbanæ quàm rusticæ.

11. *Transi* עברי לכם] Ad verb. *Transi vobis.* Confusio numerorum, pro *Transi tibi.* Cùm enim dicit *Transi*, alloquitur congregationem civium urbis. Cùm verò dixit *vobis* redundat in sermone Latino. Est præterea Imper. pro fut. *Abibis in captivitatem.* ¶ *Pudore* בשת] *Verendis*, i. nudis, sive nudatis verendis: q. d. Tu quæ antea gloriabaris ob elegantiam tuam, abducèris captiva cum magno dedecore tuo. ¶ *Saanan* צאנן] Recenset hic Propheta urbes aliquot suæ patriæ, tribûs scilicet Juda; nomine quarum intelligit & omnes alias ejusdem regionis urbes: & earum futuram deplorat desolationem, & civium ipsarum captivitatem & calamitatem, adhibitis facundis allusionibus ad nomina earum. Dicit igitur, *Cives Saanan non ierunt ut consolarentur fratres & vicinos suos cives Beth-haesel cùm viderent eos abduci in captivitatem tristes ac mœstos.* ¶ *A vobis stationem suam* מכם עמדתו] *A vobis subsistentiam suam*, vel *moram*, i. mercedem temporis quod insumet in obsidione ejus: q. d. Tandem etiam expugnabitur, & ità idem illi eveniet quod & ipsi Beth-haesel.

12. *Qui doluit* כי חלה] *Certè doluit.* Omnia intelliguntur per futurum: sed Prophetia adeò vera est ut ea quæ præterierunt. ¶ *Propter bonum* לטוב] *Propter felicitatem*, sub. *amissam.* ¶ *Descendit malum* ירד רע] *Descendit afflictio.* Hebraismus, immissa est afflictio à Deo, non forte fortunà. ¶ Usque] Expugnatis enim omnibus urbibus ac tota regione Juda, pervenit tandem hostis ad portam Jerusalem, ut etiam expugnaret eam.

13. *Liga quadrigas*, &c. רתום המרכבה לרכש] *Junge currum dromadibus*: vel, *Junge dromades currui*, sive *ad currum*, ut scilicet celeriùs aufugias. Fugâ saluti tuæ consule, alioqui brevi capieris, & in captivitatem abducèris. Prima enim Lachis cœpit colere idola; cujus idololatria postea derivata est in totam Judæam, & usque in Jerusalem. ¶ *Fuisti* היא] Ad verb. *ipsa*: mutatio personæ. ¶ *Prævaricationes Israel* פשעי ישראל] i. Multiplices idololatrias quas didicisti ab Israelitis.

14. *Ipsi Moreseth* quæ est in *Gath* על מורשת גת] Ità doctus inter Hebræos, ut vertimus, qui vult *Moreseth* nomen esse loci in terra Philisthinorum quem ceperit David. Alii nolunt esse proprium, & vertunt *hereditati Geth*, i possessioni sive agro Gethæorum, h. e. Gethæis ipsis & urbibus subjectis illis: q. d. Cogèris mittere munera Palæsthinis ut opem ferant tibi ad adventum Regis Assyriæ. ¶ *Domus Achzib* בתי אכזיב] Sic vocat ædes quæ erant instar arcium in Achzib urbe munitissima tribûs Juda. ¶ *In mendacium* לאכזב] i. Mendaces, sive fallaces: h. e. fallent Reges Israel, qui frustrabuntur spe suâ. ¶ *Israel* ישראל] i. Juda. Nomen universale pro speciali: nam Juda continetur sub Israele.

15. *Heredem* היורש] *Possessorem*, i. qui te possideat, nempe Regem Assyriæ, quem sum instituturus hæredem Regni Israel & bonæ partis Juda, qui te possideat & terram tuam, te abductâ in captivitatem. ¶ *Veniet* heres *gloriæ* יבוא כבוד] i. Qui possidebit omnes urbes munitas & magnificas regionis Juda, ipsis expugnatis. Vide 2 Reg. 18. 13. Ità doctus inter Hebræos. Alii, *venit gloria.* Sic vocat Regem Assyrium ironicè: qui erit maximo dedecori non solùm tibi sed etiam toti Israeli.

16. *Decalva teipsam*, &c. קרחי וגזי הו׳] *Depila te*, & *tonde* cæsariem tuam *propter filios tuos delicatos*: q. d. Habebis justam causam lugendi ac mœrendi, eùmque luctum sive mœrorem ostendendi signo quodam exteriore, ob diram calamitatem & miseriam quæ imminet civibus tuis delicatis, i. tibi charissimis. ¶ *Dilata calvitium tuum* הרחבי קרחתך] Hebraismus, decalva [sive depila] te omnino. Solet Aquila in senectute immutare pennas, & recipere novas, ideo dicitur quasi reviviscere: tunc habet caput ferè implume. *Decalvatio*, ait doctus inter Hebræos, *est evulsio crinium*: *Tonsio autem fit operâ novaculæ*, *aut forcipum.* ¶ *Demigraverunt* גלו] Præt. Heb. pro fut. *demigrabunt*, sub. *filii tui*, & *in captivitatem ibunt.*

CASTALIO.

6. *Samariam in agreste rudus*, *in vinearum plantaria redigam*; *congestisque ejus lapidibus in vallem*, *ejus fundamenta patefaciam*] Eam funditus diruam.

16. *Habe glabretum quantum aquila*] Videlicet dum senium exuit.

CLARIUS.

Vixit Micheas Propheta eodem tempore & sub eisdem Regibus quibus Esaias, Oseas & Amos: id quod indicat titulus suæ Prophetiæ. Vaticinatur contra Reges, Judices, Sacerdotes, & Prophetas falsos, tum in Juda, tum in Israel; prædicitque perditionem eorum, quòd verbum Domini abjecerint, & sine timore Dei vana secuti sint.

2. *Populi omnes*] Utuntur Prophetæ miris principiis, ut etiam eos qui ad audiendum tardi sunt provocent. Nec tantùm uni genti sed toti Orbi loquitur hic Propheta. ¶ Per *plenitudinem terræ* intellige homines qui habitant terram. *Deum* autem vocat *in testem* omnium eorum quæ dicturus erat, ostendens se non loqui ex spiritu proprio, aut maligno; vel quòd nihil eos celaverit eorum quæ dicere sit jussus.

3. *Dominus egredietur de loco suo*] Hoc est, inquit, judicium Dei quod vobis aperio, quòd brevi *recessurus est Deus de loco suo*, & vos relicturus in manu hostium, qui conculcabunt vos, & humiliabunt superbiam vestram.

4. *Liquescent montes*] Ea, inquit, quæ firmissima esse videntur, non possunt ferre iram Dei, sed terra contremiscit à conspectu ejus, montes dissolvuntur, & valles in hiatus rumpuntur sub vestigiis judicii Dei. Ubi igitur manebunt superbi homines, qui hic per *montes* significantur, qui viribus suis fidunt? Defluent à facie Judicis *sicut cera à facie ignis*, & *sicut aqua in declivi loco* subsistere nequit, sic nec illi. Illud tamen *sicut aquæ quæ decurrunt in præceps* sic aptari potest; *Sic finduntur valles ut cùm aquæ* sibi viam faciunt & findunt terram obstantem.

5. *Quod scelus Jacob?*] h. e. Quæ causa sceleris? ¶ *Nonne Samaria?*] h. e. Idola Samariæ. ¶ Sic *Jerosolymitani* exstruxerunt *excelsa*, h. e. aras in omni colle & subter omnem arborem frondosam.

6. *Detraham in vallem*] Erat quippe sita in montibus.

7. *Omnes mercedes*] Qualia sunt, vestimenta, aurum, argentum, quæ idolis offerebantur, & veluti pro mercede scortationis, h. e. idololatriæ, contribuebantur. Est enim Idololatria spiritualis fornicatio. Sunt etiam qui dicant mercedes meretricum oblatas idolis, & indè facta ornamenta eorum: *usque ad mercedem* ergò *meretricis revertentur*, h. e. in nihilum, sive abominationem omnium.

9. *Venit usque ad Judam*] Cœpit, inquit, malum populi mei in Samaria, & *venit* serpendo per totum Regnum *usque in Judam.*

10. *In Geth nolite annunciare*] Nè scilicet rideant vos.

¶ *In*

¶ *In domibus Aphra*] Nomen est civitatis in tribu Benjamin. Utitur hîc Propheta pulcris allusionibus quæ in Latino servari non possunt, *Habitatores*, inquit, *Aphra* (quod *pulverem* sonat) *præ dolore in pulvere se volutabunt*; *& habitatores Saphir* (quod *pulcritudinem* sonat) *in summo erunt dedecore*: Sic *habitatores Sennan* (quod *egressionem* significat) *præ anxietate non ausi sunt egredi*, quia ipsi ex se aliud habuerunt non minùs grave malum.

11. *Dominus vicina accipiet ex vobis*] Hunc locum alius conjungit cum superioribus, sic, *Non est egressa habitatrix Sennam propter luctum Beth-Ezel, accipiet hostis vestra propter stationem*: h. e. propter magnam moram quam hostis facturus est in terra vestra, diripiet omnia bona. *Domum vicinam* intelligunt Jerusalem: & illud sibi ità accipiunt ut videatur esse sensus, *Etiam vicina domus & soror Jerusalem particeps erit vestri luctûs.* Porrò *sibimet* quidam exponunt pro *contra se.*

12. *Infirmata est propter bonum*] Supple *amissum.* ¶ *Quæ habitat in amaritudinibus*] Alius vertit, *habitatrix Maroth.*

13. *Junge quadrigæ veredarios*] i. Appara te ad celerem transmigrationem. ¶ Porrò *Lachis* nomen civitatis est in tribu Juda.

14. *Dabis munera*] h. e. Muneribus conaberis Philistæorum implorare auxilium, qui semper tibi ex animo voluerunt malè.

16. *Sicut aquila*] Alius legendum aiebat, *Projice in altum abrasos capillos tuos, quantum subvolare solet aquila*; i. vehementissimè luge. Ferunt tamen Aquilam in senectute totam decalvari, ut iterum plumæ ejus renoventur, secundùm illud Psal. 103. 5. *Renovabitur, ut aquilæ, juventus tua.*

DRUSIUS.

1. AD *Micham*] Mentio hujus Prophetæ Jer. 26. 18. ubi מיכיה scriptum, sed Critici Ebræorum admonent legendum esse מיכה. Ego causam nullam video cur non possit etiam legi מִיכָיָה, i. *Michaia.* Nam hæc duo nomina promiscuè ponuntur, ut videre est 2 Par. 34. 20. & 2 Reg. 22. 12. Equidem censeo ex Μιχαία Græcâ terminatione factum Μιχαίας, quod Latina consuetudo corrupit in *Michæas.* Nam quoniam in Ebræo Joth non coalescit in diphthongum, scribendum erat *Michajas*, per J consonantem, sicuti scribitur *Banaja* & *Banajas.* Cæterùm Michæ plures fuerunt, sed in Prophetico honore duo. Antiquior claruit sub Achabo Israelitarum Rege, qui 2 Par. 18. aliquoties vocatur *Michajehu* penultimâ correptâ. ¶ *Morasthitem*] *Oriundum ex Moreseth*, qui *vicus* est *Palæstinæ juxta Eleutheropolim*, ut Hier. scribit. Confiteor me ambigere utrùm sit is locus qui infrà v. 14. vocatur *Moreseth-Gath.* Interpretes confundunt cum *Maresa*, quod est oppidum in tribu Juda. Sed à *Maresa*, meo judicio, formaretur *Maresi*, ut à *Jehuda Jehudi*: nisi fortè *Moreseth* idem cum *Maresa*: qua de re ampliùs deliberandum esse censeo. ¶ *Jotham*] Filii Azariæ 2 Reg. 15. 7. qui *Uzia* vocatur 2 Par. 26. 23. Ratione caret, saltem me fugit ratio ejus quod in antiquis libris Ἰωάθαμ, *Joatham.* Cæterùm Græci codices etiam Ἰώθαμ *Jotham* scribunt, puto veriùs: ut suspicari quis possit mendum esse in scriptura priore. ¶ *Ezechiæ*] Scribendum *Ezeciæ*, cum c simplici. Vetus ed. *& Ezechiæ.* Utrùm legit וחזקיה? Nam sæpe hoc modo errat, & est proclivis sanè lapsus in literis. Quanquam nescio an error dici possit, cùm חזקיה reperiatur absque Joth Jer. 26. 18. Nam ex eo conficitur rectum esse חזקיה, unde forsitan *Ezecias.* Aut auribus consulentes scripserunt *Ezecias* pro *Jezecias*, ut *Ezeciel* pro *Jezeciel.* Vide Quæst. lib. 2. qu. 48. *Quod vidit*] Jon. *quod prophetavit.* Non per omnia placet. Nam Visio species est Prophetiæ; & *prophetare* dicitur qui quovis modo futura prædicit. Sic differunt *Videns* & *Propheta.* Nam etiam David Prophetes fuit, quem nemo rectè, ut opinor, appellet *Videntem.* Scias tamen hæc sæpe confundi. Notum illud 1 Sam. 9. 9. *Qui Prophetes hodie, olim Videns vocabatur.* ¶ *Super Samaria*] *De Samaria*: quod Græci reddunt περὶ Σαμαρείας. Possumus etiam interpretari *contra Samariam.* V. Int. *Super Samariam.* Quæ metropolis Regni Israelitarum, ut Jerosolyma Judæorum. Aliquando ità vocatur ipsa regio, in qua mater urbium Samaria: 2 Reg. 17. 24. *collocavit eos in urbibus Samariæ.* Dicit in *urbibus Samariæ*, cùm urbs ipsa jam destructa & eversa esset. Apud Josephum Hist. antiq. l. 8. c. 7. nominatur *Mareon* Μαρεὼν, & paulò sinceriùs *Samaraon* Σαμαρεῶν, cùm legendum sit *Samaron*, vel *Someron.* Vide 1 Reg. 16. 24. ¶ *Jerusalem*] Vide quæ scripsimus de hoc nomine Miscell. cent. 1. cap. 52.

2. *Populi*] Tribus. ¶ *Omnes ipsi*] כלם *omnes ipsi*, ut Job. 17. 10. כלם תשבו *omnes ipsi revertetis*: & 1 Sam. 6. 4. לכלם ולסרניכם *omnibus ipsis, & satrapis vestris.* Id enim malo quàm ut sit Enallage pro כלכם *omnes vos.* Sententiam meam roborat המה omnibus personis conveniens. Sic הנו trium personarum in se significationem repræsentat. Græci ὑποταγματικὸν vocant, Donatus *subjectivum.* Fuit aliquando cùm exponerem כלם *universè*, ut חנם *gratis*, ריקם *frustrà*, אמנם *verè*: in quibus exemplis Mem litera est Heemanthica, ut vocant. Porrò hæc eadem verba habentur 2 Par. 18. 27. ¶ *Attende, terra*] Similiter Jes. 1. 2. *Audi, cælum; & auribus percipe, terra*: & infrà 6. 2. *Audite, montes.* *Terra* restringi hîc debet ad terram Israel & Juda: docent sequuta verba, *sit Dominus Deus in vos testis.* ¶ *Plenitudo ejus*] Vos qui eam incolitis. Posset latiùs sumi, sicut ibi, *Domini est terra, & plenitudo ejus*: cujus sententia, *quicquid eam replet.* ¶ *DEUS*] Scripsi characteribus majusculis, quia hic est nomen tetragrammaton in Ebræo. ¶ *In vos*] Contra vos & terram vestram. Tale est Ruth 1. 21. *quòd testificatus sit DOMINUS in me, & malis affecerit me.* Qui locus valde hunc illustrat. Antiqua versio *vobis* לכם. ¶ *Testis*] Ad verb. *in testem.* Græci referunt εἰς μαρτύριον non malè: nam עד etiam *testimonium.* *Sit in testem* Ebraismus est, qualis in illo, *Ego ero vobis in Deum, & vos eritis mihi in populum.* ¶ *E templo sancto suo*] E cælo. Vide Psal. 11. 4. Qui hæc de Templo Jerosolymitano interpretati sunt, non adverterunt Prophetiam hanc communem esse Judæis cum Israelitis. Quanquam ergò Judæi jactabant penès se esse Templum, tamen de Israelitis hoc verè affirmari non potest.

3. *E loco suo*] E cœlo; ut Hos. 5. 15. *Revertar ad locum meum.* Persimilis locus exstat Jes. 26. 21. *Nam ecce DOMINUS egreditur e loco suo ad visitandum iniquitatem habitatorum terræ.* Hinc fortè est quòd מקום usurpent inter epitheta Dei. Nam ut VERBUM ponitur sæpe pro *verbum Dei*; sic Locus est *locus Dei*, & per Metonymiam ipse *Deus*, nempe ut idem *cælum* vocatur. Sed hoc pono, non affirmo. ¶ *Et descendet*] Vel *descendit.* Deus *descendere* dicitur cùm exserit vim suam vel ad puniendum malos vel ad juvandum bonos. Psal. 18. 9. *Inclinavit cælum, & descendit, & caligo sub pedibus ejus*: & 144. 5. *Domine, inclina cælum tuum, & descende: tange montes, & fumigabunt.* Sic Exod. 3. 8. *Et descendi ad liberandum eum è manu Ægypti.* ¶ *Calcabit super excelsa terræ*] Vel *calcat.* Sic Amos 4. 13. *calcans super excelsa terræ, Dominus Deus exercituum nomen ejus.* Sed Deut. 32. 13. *equitare fecit eum super excelsa terræ*: pronomen refertur ad *Israelem*: ut Deut. 33. 29. *Mentientur tibi inimici tui, & tu super excelsa eorum calcabis.* Rursus de Deo Job. 9. 8. *Qui extendit cælum solus, & calcat super excelsa maris.* Hic allusisse videtur ad loca illa in quibus idolis sacrificabant, quæ *excelsa* vocantur infrà v. 5. *Quis excelsa Judæ? nônne Jerusalem?*

4. *Liquefient*] Aut *dissolventur.* Hoc modo loquendi Prophetæ indicant insignem vastitatem sanguinisque effusionem, ut Jes. 34. 3. *liquescent montes propter sanguinem eorum.* ¶ *Sicut cera igne*] Vult dicere, *quàm citissimè dissolventur*: nam cera igni admota statim liquescit. Sic Ps. 97. 5. *Montes sicut cera dissoluti sunt.* ¶ *Sicut aqua præcipitata per declive*] Quidam ad *montes*, alii ad *valles* referunt. Ego parùm referre arbitror quò referatur. Est autem sensus idem qui suprà. Nam aqua per præceps fertur rapidissimè.

5. *Propter scelus*] Intelligit cultum idolorum institutum in Bethel & Dan. ¶ *Jacobi*] Jacobæorum ἀντονομασία. Aut *domûs* subaudiendum ex sequentibus, ut plenum sit, *propter scelus domûs Jacobi.* Sic infrà 3. 1. *Audite nunc, Principes Jacobi.* ¶ *Omne istud*] Omnis ista calamitas. ¶ *Propter peccata*] Idem alii verbis. ¶ *Quis scelus Jacobi?*] *Quis causa sceleris?* Ut ità exponamus, postulat usus pronominis מי, quod non quærit nisi de persona & qualitate personæ. Vide quæ scripsimus Observat. lib. 6. cap. 1. *Nônne Samaria?*] Ut sedes Regum à Principatu Amri, & deinceps. Nam priùs Thirsæ habitaverant. Videtur autem Amri instaurasse cultum Vitulorum, legésque ea de re latas restituisse, aut certè novas condidisse. Colligo ex iis verbis quæ habentur infrà 6. 16. *Et observantur statuta Amri*, &c. ¶ *Quis excelsa Judæ?*] Quis in causa est ut exstruxerint excelsa in oppidis Juda? ¶ *Nônne Jerosolyma?*] Ubi cum imperio fuit Achaz, quem historia narrat *adolevisse incensum in excelsis* 2 Reg. 16. 4. Postea idem Manasses fecit, de quo legimus 2 Reg. 21. 2. *Et ædificavit excelsa quæ dissipaverat Ezecias pater ipsius.* Porrò autem Jerosolyma per Reges seducta cæteras urbes ad suum errorem facilè pertraxit, ità ut cancer ille Idololatriæ à capite

exorsus per omnia membra longè latéque serperet; juxta illud,

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Jerosolyma, i. Reges Jerusalem: quoniam, ut ait Aristoteles, id civitas facere dicitur quod in ea primarii aut optimates faciunt.

6. Hoc versu prædicit excidium Samariæ, quam Assyrii funditus everterunt, incolis in captivitatem abductis. Nec obstat quod habetur 2 Reg. 17. 24. Non enim ibi lectum *collocavit eos in Samaria*, sed *in urbibus Samariæ*. Nam & *Samaria* dicitur universus ille tractus quem x tribus inhabitabant, cùm hic sermo sit de urbe metropoli duntaxat. *Ideo redigam*] Non dicit, *redigetur in acervum*, sed *redigam*: quo dicto excludit omnem Fortunam. Nam quod à Deo, id fortuitum esse non potest. Jam verò quod Assyrii & Babylonii patraturi erant, id sibi tribuit; nec injuriâ. Sic alibi ait, *Assur virga furoris mei*, &c. ¶ *In acervum*] עי *acervus* & *cumulus lapidum*, (Aquila λιθόριον reddit nescio quo in loco) non tam ex dirutis ædificiis quàm quales in agris reperiuntur purgatis & ad culturam præparatis. Nam eos agricolæ in cumulum aliquem coacervare solent. Quoniam verò ex his lapidibus casulæ exstrui solebant pro custodibus vinearum, ideo Græci referunt εἰς ὀπωροφυλάκιον, quæ est *specula quam custodes pomorum habere consueverunt*, teste Hieronymo. Sed Interpretes utuntur generaliùs pro illis casulis quas dixi. ¶ *In plantationes vineæ*] Aut *vinearum*. Samaria sita erat in monte ejusdem nominis, ut videre est 1 Reg. 16. 24. Montes autem apti vineis plantandis. Ergò ubi nunc Samaria, eâ destructâ, in eo loco vineæ plantabuntur, nec denuo ædificabitur. ¶ *Et dejiciam*] והגרתי, *detraham*, *deturbabo*, *dispergam*. Propriè *diffluere faciam*. Nam נגר *fluere*. Sed transfertur ad arida, & significat id quod dixi. Vide Camium Ps. 63. 10. ¶ *In vallem*] Hoc significat, Dirutis ædificiis, lapides ruderáque ex monte in vallem decident. ¶ *Fundamenta ejus retegam*] Eam funditus evertam ac diruam.

7. *Contundentur*] יכתו anomalon est, ut Jes. 24. 12. יכת *contundetur*: esset enim יכתו analogicé. Consule Grammaticos. Assyrii, inquit, *contundent & concident omnia sculptilia ejus*, nempe propter materiem, quæ plurimùm ex auro & argento. ¶ *Omnes mercedes ejus*] Quidam *donaria ejus*. Id significat dona idolis oblata, quæ Græci *anathemata* vocant. Scholia Ebraica denotari putant *vestes pretiosas quibus simulacra amicta erant*. Cæterùm אתנן *merces*: unde pluralis אתננים *pretium* est propriè *quod scorto datur stupri causâ*. *Capturam* nonnulli vocant. ¶ *Comburentur igne*] Samaria tres annos duravit in obsidione. Ejus pertinaciæ pertæsi milites, cùm urbem cepissent, magnam ejus partem incenderunt. Quod relatum in Scholiis Ebraicis ad h. l. & verum videtur. Cæterùm parùm credibile est donaria templorum à militibus prædæ avidis combusta fuisse. Utrùm ergò potior sententia Ebræorum, qui de *vestibus* eum locum intelligunt? Arbitror ergò, cùm urbs recens capta esset (si is erat militum furor) multa incendio periisse; deinde cùm jam ira deferbuisset, quæ reliqua erant, direpta fuisse, ac in fana Assyriorum illata. ¶ *Idola ejus*] עצביה, Arias *dolores ejus*, i. עצביה: cujus singularis est עצב. Mirum quid moverit virum doctum ut *terricula* hanc vocem redderit. Nam appellatio nominis potiùs à *dolore*, vel certè ab eo quod simulacra manu artificis elaborarentur, vel denique quòd *molestiæ* multum exhiberent cultoribus suis. Nam in curatura facienda, h. e. in iis comendis & ornandis & ad singulas horas salutandis labor non sine molestia impendebatur. Jonathan interpretatur *omnia fana idolorum ejus*. Quod lectum in textu Veneto כל בית דחלתהא: sed in Scholiis Camii Ebræi כל בתי, quæ lectio haud paulò melior est. ¶ *Collegit ea*] *Ea* non habetur in Ebraico. Vet. *congregata sunt*, קבצה. Sensus idem. ¶ *Ex mercede meretricis*] Itâ vocat quæstum quem faciebant ex cultu Deorum falsorum. Nam tales Dii Meretricibus assimilantur. ¶ *Ad mercedem meretricis redibunt*] Utrùm hoc dicit, Diripientur à militibus, qui ea, ut fit, in scorta profundent? an potiùs sententia est, In summum contemptum venient & penitus evilescent? ut ad ipsa idola referatur. Nam nihil vilius meretriciâ mercede. Unde lex est quæ vetat *in templum inferri capturam*, sive *pretium*, *scorti*. Quidam exponit, *redigentur in nihilum, quia Dominus maledicit talibus divitiis quas sibi comparant scorta ex flagitio, dum se prostituunt.* Veritas expositionis, si quid video in his rebus, est hæc, *Ad mercedem meretriciam redibunt*: nam Assyrii ea omnia diripient & in sua fana inferent: itâ redibunt unde venerant. Assyrii enim falsos Deos colebant. Sic dico, Hostes spolia de vestris templis detracta in sua fana referent; atque ità quod vobis erat ab idolorum cultoribus donatum, id illi suis idolis consecrabunt. Solent enim milites spoliis & manubiis suorum Deorum templa ornare.

8. *Super hoc plangam*] Verba Prophetæ: id enim malo quàm in populi persona hæc dicta accipere, cùm sequatur, *Quoniam acerba est plaga ejus*. על זאת, alii *propter hoc*, alii *præter hoc*, i. præterea. Sed non displicet *propterea*: quod tamen referri velim potissimùm ad sequentia. ¶ *Spoliatus*] Vestibus exutus. שולל *spoliatus*, adjectivum, ut עולל *parvulus*. Quidam exponunt *spoliatus mente*, nempe præ animi dolore. Hoc sensu sumitur Job. 12. 17, & 19. *qui incedere facit consultos* SOLAL, i. *absque mente*. Hier. *spoliatis filiis*. Lxx ἀνυπόδετος, יחף. ¶ *Et nudus*] וערום. Hic Vau poni videtur in exegesi, *spoliatus*, *hoc est*, *nudus*. Sed quare *nudus*? an ut significaret populum omni decore spoliandum, quemadmodum ipse vestibus exutus & nudus incederet? Sic Esaias jubetur *solvere saccum* quo accinctus erat, & *calceamentum*, Jes. 20. 2. postea sequitur, *incendio nudus & discalceatus*. Porrò *nudum* intellige non qui nullas omnino vestes habeat, sed qui superiore duntaxat veste careat, cujusmodi erat pallium villosum quo Prophetæ induebantur, ut liquet ex Zach. 13. 4. & 2 Reg. 1 8. Hoc sensu, ut puto, legitur *Saul prophetasse nudus* 1 Sam. 19. Sed & *nudus fugere* dicitur ex bello qui amissis armis sese in fugam dat, Amos 2. 16. ¶ *Faciam planctum sicut draconum*] *Edam planctum similem planctui draconum*. Adito proverbium, *Planctus qualis draconum*, quod invenies class. 2. lib. 3. adag. 75. Potest etiam legi, *faciam planctum sicut dracones*. ¶ *Et luctum sicut pullorum struthionis*] Vel *sicut pulli struthionum*. Vide class. 2. lib. 3. adag. 74. בנות יענה, ad verb. *filiarum struthionis*, quomodo Græci reddunt Jes. 43. 20. θυγατέρες στρουθῶν. Ad quem locum Eusebius, οἱ γεννοὶ, στρουθοκάμηλοι. Sed præstat de *pullis* accipere qui amissam matrem lugeant. Hæc avis à Chaldæis נעמית vocatur. Sic etiam Arabes vocant. Vide Animadv. meas l. 2. c. 4.

9. *Desperata est plaga ejus*] Itâ V. Int. Alii, *ægra est plaga ejus*. Ad verb. *plagæ ejus*: quod enarrant, *unaquaque plagarum ejus*. Tale est, *rectum judicia tua*, unumquodque judiciorum; *Filiæ incedit*, unaquaque filiarum. Quidam subaudiunt *in*, ut sit במכותיה *ægra est plagis suis*: Itâ R. S. Hoc sensu legimus 2 Sam. 12. 15. ויאנש *& æger fuit*. Ad priorem sensum stabiliendum facit quod Jer. 15. 18. ומכתי אנושה *& plaga mea ægra*, vel *desperata*. ¶ *Venit usque ad Judam*] Plaga sive calamitas Israelitarum pervenit ad Judæos vicinos, juxta illud, *Aliquid mali propter vicinum malum*. ¶ *Pertigit*] Vel respexit ad synonymum τῷ מכה, si quod est masculinum, aut est Enallage generum נגע pro נגעה, aut *hostis* subaudiendum, i. האויב. ¶ *Usque*, &c.] Usque ad urbem popularium meorum Jerosolymam. Res ità se habet; Assyrius post devictos Israelitas, progressus ulteriùs expugnavit plerasque urbes Judææ, exercitúmque adduxit ad ipsas usque portas Jerosolymorum. ¶ *Portam*] Urbem; ut Gen. 22. 17. *hereditabit semen tuum portas inimicorum suorum*. Similiter Gen. 24. 60. Sic Deut. 28. 57. *opprimet te hostis in portis tuis*. Abd. 11. *& extranei venerint in portas ejus*. Rursus Deut. 17. 2. *in una portarum tuarum*, i. urbium. Huc referri posset, *novit omnis porta populi mei*, ut sensus sit, *universa civitas*. ¶ *Populi mei*] Judæorum. Hinc colligimus Micham Judæum fuisse, h. e. ex tribu Juda. Nam Jerosolyma sita erat in ea tribu.

10. *Gathi nè indicaveritis*] Pleniùs legitur 2 Sam. 1. 20. *Nè indicaveritis Gathi, nè nunciaveritis in plateis Ascalonis; nè quando lætentur filii Philisthæorum, ne exsultent filiæ incircumcisorum.* Sed quid? nónne hæc nota erant Gathæis? Planè nota erant: verùm est genus loquendi usitatum in threnis & lamentationibus; quod è medio sumptum hanc sententiam continet, Nè hostibus hæc enunciaveritis, nè malo nostro gaudeant. Siquidem nihil homini molestius potest accidere quam si acceptâ clade aut infortunio, ejus rumor primùm inimico innotescat. Itaque sedulò cavet nè is ad eum, si fieri potest, perveniat. בגת *in Gath*. Olim erat *Geth*. Sic variabant in BATH & BETH: quod *filiam* sonat. Vide Animadv. nostras l. 2. c. 31. Erat autem Geth ex oppidis Palæstinæ, quæ assiduè bella gesserunt cum Israelitis. ¶ *Flendo nè fleveritis*] Nè videlicet vicini exaudiant vos flentes, indéque voluptatem ac delectationem capiant. ¶ *In domo Aphra*] q. d. Procul à finibus Philisthæorum. Vel certè hoc vult, Lugete clanculum in ædibus vicinis, nè exaudiamini à vicinis gentibus. בית לעפרה *in domo*, h. e. *in domibus*, *Aphra*, vel potiùs quæ pertinent ad civitatem Aphram, sive in ipsa urbe fuerint, sive extra urbem. Nam in territorio

ritorio multa erant ædificia, quæ rectè dici possunt בתי לעפרה, sed non item בתי עפרה, cùm hoc tantùm iis conveniat quæ in ipsâ urbe contenta. Aphra oppidum est ejus nominis in tribu Benjamin, quod *Ophra* dicitur Jos. 18.23. habet autem παρήχησιν cum voce עפר, quæ *cinerem* designat: éstque Paranomasia elegans, ut si quis diceret, *Vos qui Lutetiæ estis, luto vos conspergite.* Quam ut exprimeret Interpres noster, vertit, *In domo pulveris pulvere vos conspergite.* Sed עפרה proprium urbis est, ut dixi. In hac erat copia frugum. Unde proverbium apud Magistros, כביא הבן לעפריים, *Paleam fert ad Aphraitas:* cujus mens ut si dicas, *Ligna in silvam fert*, aut *in mare aquam:* nam abundabat is locus paleis. ¶ *In cinere te voluta*] More lugentium. Nam lugentes in cinere se volutabant, aut eo se conspergebant, quò fordidiores apparerent. Jer. 6.26. *Filia populi mei accinge te sacco, & volve te in cinere.* Ezec. 27. 30. *in cinere se volutarunt.* Sedebant etiam in cinere. Vide Notas nostras in Jonam. Vetus, *pulvere:* quod huic loco minùs convenit. Alioqui עפר propriè *pulverem* sonat. Sed hîc pro אפר ponitur, quâ voce usus est Jeremias in eo loco quem suprà adduxi. Eodem significatu sumitur Num. 19. 17. *de cinere oblationis pro peccato:* nam ibi est עפר in Ebraico. Scriptum התפלשתי *voluto me*, lectum התפלשי *voluta te.* Prius accipio dictum in personâ Prophetæ, ut suprà, *propterea plangam:* Sed cur, cùm præcedat *flendo nè fleveritis*, cur, inquam, subjicit *in cinere te voluta?* an quia id fieri poterat sine strepitu? verum videtur, & ideo adjecit *in domibus Aphræ.* Nam Aphra procul à Philisthæorum aberat regione, nempe in tribu Benjamin, ut dictum est.

11. *Transi vobis*] Pronomen à quibusdam neglectum; & sanè redundat in sermone Latino. Sic dicimus, *Vade tibi.* Græci etiam ità loquuntur ἐκχώρησόν σοι. Dicit autem עברי *transi* genere fem. respectu totius cœtûs, & לכם *vobis* genere masc. & plurali numero respectu civium singulorum. *Transi*, i. Muta locum, commigra in exsilium. Vetus *transite* עברו: legit Vau pro Joth. *Habitatrix Saphir*] Mentio hujus loci apud Eusebium, per hæc verba, *SAPHIR, villa est in montanis sita inter Eleutheropolim & Ascalonem, in tribu Juda.* Appellatio à *pulcritudine.* Nam שפר *pulcrum esse.* Sed & Chaldæorum idiomate qui *pulcer* est שפיר vocatur. Quod notandum duxi vel propter Interpretem nostrum, qui vertit *habitatio pulcra*; non rectè ille quidem, sed tamen mihi dubium non est quin ad hanc nominis appellationem Prophetes alluserit. ¶ *Nudata pudendis*] עריה בשת. Si recta hæc interpretatio, erit עֶרְיָה pro עֶרְוַת, ut alibi אפרת שערים, quod esset אפרת in regimine: aliter עריה בשת *nudata dedecorosè ac turpiter*, ut sit בשת pro בבשת *cum dedecore.* Hoc vult, Tu quæ nomen habes à *pulcro*, & *Saphir* appellaris, abducêris in exsilium turpificata & dedecore summo affecta. *Pudenda* מבשים vocantur Deut. 25.11. in illo, *prehendit verenda ejus.* Alibi est ערוה, & quasi ἐκ παραλλήλου בשת ערוה *verendum pudendi*, 1 Sam. 20.30. ¶ *Saanan*] צאנן, i. Σαανάν. Ità quidem Græci scripserant, sed librarii existimarunt mendum esse: itaque emendarunt Σεννάαρ, si corrumpere emendare est. Dicta *Saanan* à יצא, ut Ebræi volunt: id sign. *egredi* sive *exire.* Huc respexit Interpres noster, qui vertit, *non est egressa quæ habitat in exitu:* q. d. *Quanquam ab exeundo Saanan voceris, tamen non exibis ad planctum domûs Haezel.* ¶ *Ad planctum*] Nam subaudio אל. Hoc videtur dicere, *In calamitate Beth-haezel, vicini ejus oppidi, nempe incolæ Saanan, non prodibunt consolandi causâ.* Cur? quia communis erit calamitas: ab ea nemo immunis erit. Sic alter alterum consolari non poterit. Alia expositio, *Non egressa fuit habitatrix Saanan: planctus erit in Beth-haezel.* Sensus est, Non prodibit obviam hosti, sed se muniet & obsidionem exspectabit. Hanc expositionem confirmat illud, *accipiet à vobis stationem suam.* ¶ *Domus-Haezel*] Vel potiùs *Beth-haezel.* Quidam hæc nomina propria sic interpretantur ut si appellativa essent, שפיר *loci elegantis*, & צאנן *loci pecorosi.* Nam צאן *pecus.* Jam verò מספד בית האצל id aliter construunt, & enarrant, *planctus erit in locis adjacentibus.* Maneat cuique suum judicium. ¶ *Accipiet à vobis stationem suam*] Hostis *accipiet à vobis* mercedem *stationis suæ*, h. e. moræ quam fecit in vestris oppidis expugnandis. Eò erit in vos durior ac severior, quò illi plus negotii exhibueritis pertinaciter resistendo. Quidam, *discet à vobis* (nam לקח *doctrina*) *stationem suam*, hoc sensu, *Discet à vobis*, ô *incolæ Beth-haezel*, *discet*, *inquam*, *Saanan stationem suam*, h. e. tuo eventu edocta sciet sibi non diu standum esse. Hostem quippe pari felicitate ac facilitate, quâ vos dejecit, & suam urbem expugnaturum.

12. *Acerbè doluit*] חלה. Thema est חול, unde חיל *nixus* sive *dolor parturientium.* Sign. ergò *gravem & acerbum dolorem sustinere.* ¶ *Propter bonum*] לטוב, ob bonum amissum publicâ clade. ¶ *Maroth*] Locus in tribu Juda, cujus meminit Eusebius in libro De locis Ebraicis. Qui appellativè sumunt vertunt *habitatrix asperarum sedium.* Vetus, *quæ habitat in amaritudinibus:* nam מר *amaritudo.* Sunt qui dicunt habere significationem *dominii.* *Dominus* enim *MAR* appellatur: unde *MARAN Dominus noster*, & *MARANATHA*, & *MARTHA domina.* ¶ *A DOMINO*] Declarat malum illud non fortuitò ipsis accidisse, sed à Deo importatum fuisse propter causas suprà commemoratas. Quia verò Deus in cœlo, h. e. supra nos, habitat, ideo ait *descendit malum.* Nam bona pariter ac mala indè veniunt.

13. *Junge currum veredis*] *Abi curriculo*, sive, ut Plautus locutus est, *citis quadrigis*, h. e. numerò ac celeriter, fuge quàm ocyssimè. Nam רכש animal est miræ velocitatis. Quocirca *equos veredos* interpretantur alii, & alii *camelos dromadas.* Vide quæ scripsimus super hac voce Esth 8.10. item Miscell. cent. 2. cap. 75. *Junge*, i. apta, vinci. Constructio sensu congrua, non voce. Nam sequitur יושבת *habitatrix*, participium fem. המרכבה magis est vertere *quadrigam:* nam *currus* alio nomine רכב dicitur. ¶ *Lachis*] Urbs in tribu Juda Jos. 15. 39. Quæ olim peculiarem Regem habuit 10. 3. *misit ad Japhia Regem Lachis.* Hanc nonnulli confundunt cum *Lais*, quæ & *Dan* dicebatur; sed manifesto errore, cùm hæc לכיש vocetur, illa ליש. *Lachis* παρήχησιν habet cum *Reches*, voce quam *veredos* interpretati sumus. *Initium peccati*] Nam prima urbium Juda recepit cultum Idolorum: indè contagio, ut fit, ad alias urbes manavit. ¶ *Filiæ Sion*] Civibus Jerosolymitanis, qui excelsa exstruxerunt ad exemplum Lachisæorum. ¶ *Scelera Israel*] Idololatria Israelitarum.

14. *Munera*] שלוחים *munera*, ut 1 Reg. 9. 16. Appellatio à *mittendo:* propriè ergò *munera quæ mittuntur:* alioqui *munus* מנחה dicitur, & *donum* מתן. Sic *missilia* dicimus, sed restrictiore significatu. Nam *missilia* Latinis, quæ in vulgus spargebantur, ut lintea, odores, unguenta. Vox Ebræa generalior est. Cæterùm התני שלוחים interpretatus sum *mittes munera*, quia vis in eo sermone ut si dixisset תשלחי מתנות. Intelligentes intelligunt quid velim. ¶ *Ipsi Moreseth*] על מורשת *ad Moreseth.* על ponitur pro אל, ut 1 Sam. 2. על ביתו. *in domum suam:* & Jes. 29.12. על אשר לא ידע *ei qui non novit.* Sic Jos. 2.8. עלתה עליהם *ascendit ad eos. Moreseth Gath* nomen oppidi. Quidam *Gath* additum existimant differentiæ causâ: nam fuisse alibi ejusdem nominis locum qui *Moreseth* simpliciter vocaretur: hunc autem situm fuisse in satrapia urbis Gath sive Geth. De qua in hunc modum Hieronymus, *Geth, ut Regnorum quoque testatur historia, una est de quinque urbibus Palæstinæ, vicina Judææ confinio, & de Eleutheropoli euntibus Gazam: nunc vicus est vel maximus, unde fuit Goliath ille Getthæus, quem David occidit in prælio.* Sed cur dona eò missa? an ut auxilio esset Judæis adversùs Assyrios? Scholia Ebr. hunc locum sic enarrant, *mittes munera ad eam quæ heres est, h. e. ad cives oppidi Gath.* מורשת *heres*, sicut dicimus ישבת *habitatrix.* Vide Camium. In lexico מורש *hereditas* ¶ *Domus Achzib*] Aut civium ædes intelligit, aut fana idolorum quæ Achzibi colebantur. *Achzib* ex oppidis Juda Jos. 15.44. Vocatur contractiùs *Chezib* Gen. 38. 5. *& erat in oppido Chezib cùm ipsum pareret:* quod tamen alii aliter enarrant. Appellatio nominis à *mentiendo:* nam כזב *mentiri.* Proinde Hieronymus, *Domus mendacii* retulit: quod mihi non probatur; etsi agnoscam παρήχησιν esse inter *Achzib* nomen urbis & *Achzab* quod *mendacium* sonat. ¶ *Mendaces erunt*] *Fallent exspectationem Regum Israel.* לאכזב verbum è verbo *in mendacium*, sub. *erunt.* ¶ *Regibus Israel*] David Scholiastes annotat *Israel* hîc poni pro *Juda*; ut in hoc testimonio, *Omnes isti filii Josaphat Regis Israel:* item in illo, *propter Achaz Regem Israel:* nam sub nomine *Israel*, quando latè sumitur, etiam Juda continetur.

15. *Heredem*] הירש, i. hostem Assyrium, qui bona ac prædia tua quasi hereditario jure possessurus est. Lusit autem in parechesi nominum *Jores* & *Maresa*, quorum prius *heredem* sive *possessorem* denotat, alterum est nomen oppidi tribûs Juda, quod Jos. 15.44. מראשה scribitur, literâ Aleph insertâ. ¶ *Adducam*] אבי futurum à בוא. Plenum est אביא. Tale est יני *franget* Psal. 141. 5. à נוא. Critici Judæorum annotant isto modo deficientia verba reperiri XIV in universis Bibliis. ¶ *Odollam*] Nunc legunt *Adullam* per *u* brevem. Oppidum erat tribûs Juda Jos. 15.35. situm ultra Jerosolymam, ut ex chartis Geographicis paret. Ergò hoc significant, Ultra Jerosolymam progredietur hostis quem adducam: faciet enim excursiones Odol.

dollam usque, quæ à publica quoque clade non erit immunis. ¶ *Veniet*] Sub. *hostis*. ¶ *O gloria Israel*] Adjeci Vocandi adverbium, quod abest in Ebræo; unde variæ in hunc locum interpretationes, quas recensere longum esset. Vocat autem *gloriam Israel* sive *Israelitarum* ipsam Jerosolymam, quod urbium Israeliticarum, atque adeò totius Orientis, clarissima esset. Et *Israel* nomen latè sumit, ut XII tribus comprehendat. Vel *Israel* Juda, ut suprà v. 13.

16. *Glabra te ac tonde*] Apostrophe ad Terram. Verbum קרח est *novaculâ pilorum germina penitus succidere lævigatâ cute*, quod ξυρεῖσθαι Græci dicunt: גזז autem est *tondere*, h. e. superfluos capillos resecare forficulâ. Cæterùm ad terram transfertur, quæ *glabrere* dicitur ubi satis & germinibus nuda est, nihilque penitus gignit. Unde *glabreta* sunt loca stirpibus nuda, apud Columellam lib. 2. cap. 9. Φαλάκραι à Græcis nuncupantur. Tondebant se lugentes prisco ritu. Quod inter alios Job fecisse legitur Job. 1. 20. Unde Jer. 7. 29. *Tonde cæsariem tuam, & projice, & tolle in locis editis lamentum.* Hic ritus usitatus fuit etiam apud Græcos. Vide Alexandrum ab Alexandro Genial. dierum l. 5. c. 18. Adrianum Junium in comment. De Coma, cap. 5. Sed & Persæ eo utebantur, qui non solùm seipsos, sed, quod mireris, etiam equos & mulos tondebant, ut videre est apud Plutarchum in Aristide. ¶ *Propter filios deliciarum tuarum*] Qui priùs vescebantur delicatis tuis fructibus. ¶ *Dilata calvitium tuum*] Adi sis ad proverbium, *Glabrior quàm est aquila*. ¶ *Migrarunt ex te*] Abierunt in captivitatem, te desertà. Ergò de Terra accipi debet, non de Jerosolyma, cujus incolæ eo tempore abducti non fuerunt.

IDEM.

1. Λόγος Κυρίε ὃς ἐγένετο] Καὶ ἐγένετο λόγος Κυρίε. ¶ Μωρασθίτην] Al. τῷ Μωρασθεί. ¶ Περὶ ὧν εἶδε] Ὑπὲρ ὧν ἴδεν. ¶ Περὶ Σαμαρείας] Al. ἐπὶ Σαμαρείας. ¶ Καὶ Ἱερεσαλὴμ] Καὶ περὶ Ἱερεσαλὴμ.

2. Πάντες] Πάντες λόγες. ¶ Προσεχέτω] Al. καὶ προσεχέτω. ¶ Ὁ Θεὸς ἐν ὑμῖν] Al. ὑμῶν.

3. Ἐπιβήσεται] Ἀναβήσεται.

4. Ὡσεὶ κηρὸς] Ὡς τήκεται κηρός.

5. Ἀσέβεια Ἰακὼβ] Al. ἡ ἀσέβεια οἴκε Ἰακώβ. ¶ Οὐχ ἡ Σαμάρεια;] Οὐχὶ σὺ Σαμάρεια;

6. Καὶ θήσομαι] Καθήσομαι.

7. Κατακόψεσι] Κατασκάψεσιν. ¶ Ἐμπρήσεσιν ἐν πυρὶ] Ἐμπρήσεσιν πυρί. ¶ Πόρνης] Al. Πορνείας. ¶ Ἐπέστρεψεν] Κατέστρεψεν.

8. Πενθήσει] Θρηνήσει.

9. Ἕως Ἱερεσαλὴμ] Ἐν Ἱερεσαλὴμ.

10. Καταστάσασθε] Καταπάσασθε.

11. Κατοικεσα] Κατοικέσας. ¶ Κόψασθαι] Κόψεσθε.

12. Ὀδύναις] Ἐν ὀδύναις. ¶ Πύλας] Πύλαις.

13. Λαχεὶς] Λαχὴς, ut v. 15.

14. Ἰσραὴλ] Ἱερεσαλὴμ.

15. Λαχεὶς] Λαχής. ¶ Δόξα] Ἡ δόξα. ¶ Ἰσραὴλ] Al. Σιών.

16. Ξύρησαι.] Al. ξύρισαι. Ant. ξύρυσαι.

IDEM.

4. Σαλευθήσονται] Τακήσονται & mox pro τακήσονται vertendum σχισθήσονται ex Hebræo.

5. Ἡ ἁμαρτία] Ad verb. οἱ βωμοί sensus, τίς αἰτία τῶν βωμῶν τῶν ἐν τῇ Ἰεδαίᾳ;

6. Ὀπωροφυλάκιον] Sic infrà 3. 12. καὶ Ἱερεσαλὴμ ὀπωροφυλάκιον ἔςαι item Jer. 26. 18. & Ps. 79. 1. לעיים ὡς ὀπωροφυλάκιον. Aq. λιθώριον meliùs sanè: est enim *acervus lapidum*. Hier. in Epist. ad Suniam & Fretelam, Λιθώριον, inquit, *acervus & cumulus lapidum, quibus vineæ & agri purgari solent; ὀπωροφυλάκιον, specula quam custodes pomorum habere consueverunt.* ¶ Εἰς χάος] Εἰς Φάραγγα. Ps. 60. 1. בגיא מלח ἐν τῇ Φάραγγι τῶν Ἁλῶν. גי Φάραγξ, κοιλάς: unde Γεεννὰμ, i. κοιλὰς Ἐννὰμ. In Euangelio γεεννὰ scribitur, nec rectè. χάος quasi ex matrice Hebræa γαι, χαι, χάος. Hoc qui putabit eos putasse dum hoc modo verterent, næ ille sanè haud insanè multùm errabit.

7. Ἐκ μισθωμάτων] Totum hunc locum quà ex sensu, quà ex libris vulgatis sic restituo, καὶ ἕως μισθωμάτων πόρνης ἐπέστρεψεν ex sensu est ἕως μισθωμάτων, ut infrà ἕως Ἱερεσαλὴμ, ubi Antverpiæ excusi ἐν Ἱερεσαλὴμ v. 9. Cætera fide exemplarium omnia nituntur.

8. Πενθήσει] האבל, θρηνήσει. הקינו sic Joel. 1. 5. והילילו καὶ

θρηνήσατε. ¶ Σειρήνων] יענה ςρεθὸς Λιβυκός, ςρεθὸς μεγάλη Λίβυσσα ὄρνις. Levit. 11. ςρεθὸς simpliciter. Ibidem in veteri Latino *struthio*: in Arabicis נעאמה. In Pandectis Sylvaticus, NAAM, *struthio*: *alias* NAHAM. Bellunensis, NHAM, *struthio avis*. Lege NAAM, Chaldaicè נעמיא.

10. Μὴ μεγαλύνεσθε] תגידו vel תגילו. ¶ Ἐν Βαχεὶμ] Βάχω, κλαίειν, verbum est modi infiniti. Κλαίειν μὴ κλαίετε quod falsò crediderunt esse nomen loci. ¶ Ἀνοικοδομεῖτε] תבני pro תבכו: pessimè hunc versum legendo depravarunt. ¶ Ἐξ οἴκε] Ἐν οἴκῳ. ¶ Κατὰ γέλωτα] Hic ratio jacet, judicium silet, quid conjectem nescio. In Hebraicis Ἄφρα, locus est in tribu Benjamin.

11. Κατὰ γέλωτα ὑμῶν] q. d. לשחוק לכם, ut suprà. Ædepol nè per somnium quidem intellexerunt mentem Prophetæ. ¶ Καλῶς] Interpretantur nomen שפיר, cujus significatio est à *pulcritudine*. ¶ Τὰς πόλεις αὐτῆς] Quin vanus habear causam non dicam si non legerunt עָרֶיהָ pro עֶרְיָה, omissâ voce בשת, quæ αἰσχύνην sign. ¶ Κόψασθαι] Antverpiana Biblia, κόψασθε. Ego retineo κόψασθαι, ratus eos legisse ספד, formâ quæ modi infiniti est apud Chaldæos & Syros. ¶ Ἐχόμενον αὐτῆς] Ità sig. האצל, præsertim si rejectâ ad finem literâ principe legas אצלה: sed האצל nomen proprium est, non commune. ¶ Πληγὴν ὀδύνης] Locus hic paululùm æger est: ego etsi qui eum sanare possim nulla in corde meo spes est, tamen remedio inveniendo operam dare nequaquam detrecto.

12. Τίς ἤρξατο] Leg. ὅτι ἤρξατο Errant in significatione verbi חלה: nam ἤρξατο החל, non חלה. ¶ Κατοικέση ὀδύνας] Quis paulò humanior scribendum negabit κατοικέσα; quis non potiùs vertendum judicabit πικρίαν, quod in Hebræo est מרות? Ego sanè totum hunc verborum ambitum ità verterem, ὅτι ἠσθένησε δι' ἀγαθὸν κατοικέσα Μαρώθ.

13. Ψόφος ἁρμάτων) Sic in Vet. Latino, *tumultus quadrigæ*. Verbum רתם, quod Grammatici Hebræi *vincire* interpretantur, alibi nusquam reperitur. Ab eo est Ῥέθμα locus ejus nominis Num. 33. cujus interpretamentum *Sonitus* seu *Juniperus*; Hier. in Tractatu de 42 Mansionibus.

14. Ἕως κληρονομίας Γεθ] Ἕως scriptum pro ἐις, facili lapsu. Aut legerunt עד pro על. κληρονομίας autem, ut Jonathan, לאחסני גת, i. *ad possessores Geth*: id enim Μωρέσχεθ significat. ¶ Οἴκες ματαίες] Οἶκοι Ἀχζὶβ, Hebraicè אכזב. Significatio est à *mendacio*.

15. Ἕως τὲς κληρονόμες] Veritas Heb. ἔτι τὲς κληρονόμες. Animadvertis, opinor, עד pro עוד. ¶ Κατοικεσα Λαχὴς] Vitium, credo, librariorum in nomine Λαχὴς pro Μαρεσά. Quanquam cur potiùs glossema esse putem facit dictio κληρονομία, quæ interpretamentum est vocis Hebraicæ. ¶ Δόξα θυγατρὸς Σιὼν] Lectio Antverpiana δόξα θυγατρὸς Ἰσραὴλ ex qua ego lego δόξα Ἰσραὴλ, extritâ voce θυγατρὸς, quæ remansit ex priore scriptura corrupta.

IDEM.

2. לְעֵד. Sym. *testificans*] Μαρτυρῶν. Hier. *Et sit eis Dominus in testimonium, sive, ut Ebraicè legitur*, in testem, *vel, ut apertiùs interpretatus est Sym.* testificans.

10. בָּכוֹ. Omnes præter Lxx κλαυθμὸν, i. *fletum*, transtulerunt] Quos legisse suspicor בכי, quod verterunt ἐν Βαχεί. Id corruptum hodie in Ἐνακείμ. Nam imperitia quid non depravat? Dicam de hac re plura in loco. FLETUM. Puto vertisse, *fletu nè fleveritis*. Eodem redit. Sic alibi ἀκοῇ ἀκέσετε, *audiendo audietis*. Verba Hier. sunt, BACHIM *in lingua nostra* planctum & fletum *sonat*. *Denique exceptis Lxx omnes κλαυθμὸν*, i. fletum, *transtulerunt*.

11. לֹא יָצְאָה יוֹשֶׁבֶת צַאֲנָן. Sym. *non est egressa habitatio abundans*] Κατοικία. ABUNEANS, i. שאנן. Alter Hier. *Non est egressa habitatrix Sennam, quæ interpretatur Exitus*: nempe à יצא *exivit*. Pro *Sennam*, quod habet versio antiqua, quæ ex Græco, in ed. Rom. legitur Σενναάρ. Ex quo in libro De locis Eb. SENNAAR, *Sym.* uberem *interpretatur*. Glossæ quoque veteres SENNAAR, *fertilis*. Utrobique legendum Σεννὰν, nisi mavis Σεεναν, quod nunc Σαανὰν legunt. Est ubi Σαινὰν scriptum sit, i. *Sanan*.

12. יוֹשֶׁבֶת מָרוֹת. Sym. ἡ κατοικία ἡ παραπικραίνεσα] i. Interprete Hier. *habitatio ad amaritudinem provocans*. Rectiùs *habitatio ad amaritudinem*, si ישבה esset *habitatio*, i. κατοικία. Hier. *Quæ habitat in Maroth, i. in amaritudinibus.* Παραπικραίνω, i. המרה. Sed & מרה eo significatu sumitur. Itaque Psal. 5. 10. מרו בך, LXX παρεπίκρανάν σε, & Hier. *provocaverunt te*.

15. עֹד הַיֹּרֵשׁ וגו'. Sym. Ἔτι κληρονόμον ἄξω καὶ σοὶ, κατοικία Μαρε-

Μαρεσὰ, ἕως Ὀδολὰμ ἥξει τῆς δόξης Ἰσραὴλ, i. *Adhuc heredem adducam & tibi, habitatio Maresa, usque Odollam veniet gloria Israel: h. e. quæ gloriosa es in urbibus Israel*] Hæc Hier. Κληρονόμον, ירוש magis denotat τὸν κληρονόμον. Alius Interpres *hostem*, i. ἐχθρὸν sive τὸν ἐχθρὸν, האויב. Meminit Theodoretus. Scholia Camii Ebræi, *Adducam tibi hostem qui heres erit terræ tuæ, téque ex ea deportabit.* GLORIÆ ISRAEL] Lego *gloriam Israel.* Ordo & constructio, *heres veniet Odollam usque, quæ est gloria Israel*, sive *quæ gloriosa est in urbibus Israel*, ἥξει ἕως Ὀδολὰμ τῆς δόξης Ἰσραὴλ. Hier. *Usque Odollam urbem Judæ veniet Maresa, i. hereditas, quæ Odollam gloriosa est in urbibus Israel.* Idem tamen transtulit *gloriæ*, non *gloriam.* Quod docent hæc ipsius verba, *Et ubi dicitur* gloriæ, *genitivus casus sit numeri sing.* hujus gloriæ, *& non nominativus plur.* hæ gloriæ. De sensu, viderit. Ego indè nullum elicio.

IDEM in VULG.

1. AD *Michæam*] Formâ nominis Græcâ *Michæas.* Sed cùm Ebræum verbum sit, scribi etiam potest *Micha:* quod apud quosdem scriptum legitur *Mica:* sed perperàm. ¶ *Joatham*] *Jotham*, non *Joatham*, libri Ebræi omnes, quos viderim. Sed Græca consuetudo Ἰωάθαμ: quam secutus est interpres. ¶ *Achaz*] Pro *Ahaz*, ut *Rachab* pro *Rahab.* ¶ *Ezechiæ*] Scribendum *Ezecia* cum c simplici ex Ebraicorum librorum autoritate, in quibus est Coph, non Chaph.

2. *Omnes*] *Omnes ipsi* legitur in Ebræo, sed pronomen redundat. Itaque abesse potest interpretationi Latinæ. ¶ *Attendat*] *Attende*, codex Ebræus habet. ¶ *Plenitudo ejus*] Id est, quicquid eam implet. ¶ *Vobis in testem*] Placet ut vertatur *in vos testis.* Quanquam in Ebræo ad verbum legitur, *in testem:* potest etiam verti, *testimonium.*

4. *Consumentur*] Colliquescent, dissolventur. ¶ *Subtus eum*] Vel, *sub eo.* ¶ *A facie ignis*] Sensus est, quando igni admovetur. ¶ *In præceps*] In locum declivem.

5. *In scelere*] Id est, propter scelus. Ebraismus. ¶ *In peccatis*] Id est, propter peccata. ¶ *Quod scelus Jacob*] Emendant, Quis *scelus Jacobi.* Id tantundem valet ac si dicas, Quis causa sceleris commissi à Jacobæis? Sic aliquantò pòst, *Quis excelsa Judæ?* quis causa excelsorum Judæ. Vide hac de re Observationes nostras. ¶ *Samaria*] Vult dicere, rex Samariæ.

6. *Et ponam*] Ideo ponam. *Et* pro *ideo*, ut sæpe aliás. ¶ *Cùm plantatur vinea*] *In plantationes vineæ* est in Ebræo: sive, ut alii, *in plantaria vineæ:* ac si diceret, ubi nunc Samaria est, ibi vineæ plantabuntur.

7. *Ponam in perditionem*] Ponam vastitatem, id est, vasta reddam. ¶ *Omnes mercedes ejus*] Id est, donaria, quæ Græci ἀναθέματα vocant.

8. *Spoliatus*] Vestibus scilicet. ¶ *Velut draconum*] Vel, *sicut dracones.*

9. *Desperata est*] Partim interpretum *ægra* referunt. Sed hi in sequenti voce non consentiunt. Nam quod apud alios, *ægra est plaga ejus*, apud alios legitur, *ægra est plagis suis.* ¶ *Portam populi mei*] Ad verbum, *usque ad portam populi mei, usque ad Jerusalem.* In quo sermone *usque ad*, quod postremo loco ponitur, redundat.

10. *Geth*] Pro *Gath*; ut *Malchisedec* pro *Melchisedec*, ex antiqua pronuntiandi consuetudine. ¶ *Lachrymis*] *Plorando* legitur in Ebræo, sive *lacrymando.* Et est sensus, omnino nè ploretis. ¶ *In domo pulveris*] Id est, Aphræ: nomen urbis in tribu Benjamin, in quo significatio pulveris, quam interpres expressit. Cæterùm *Aphra* hic scriptum offendi, cùm in aliis locis omnibus *Ophra* legatur. ¶ *Pulvere vos conspergite*] Magis probo quod alii habent, *pulvere te voluta*, est verbum singulare.

11. *Transite vobis*] In Ebræo est *transi vobis.* Sed interpres legit, ut vertit, videlicet Vau in loco Joth: quam lectionem sequens pronomen mirificè confirmat. ¶ *Habitatio pulchra*] Malim, *habitatrix pulchri*, ut sit Epitheton sine re, & subintelligatur, pulchri loco: nisi potiùs ut vertamus *Habitatrix Saphir.* Nam fieri potest, ut sit nomen loci sic appellati à pulchritudine. Saphir enim *pulchrum* significat. Hanc sententiam videtur Jonathan firmare. Nam ità vertit, *Transite vobis qui habitatis in Saphir.* Sed posset exponi, in pulchro loco, quod tamen mihi non admodum arridet. ¶ *Confusa ignominiâ*] In Ebræo est, *nuda pudore*, id est, pudendis. & sic intelligendus etiam videtur interpres. ¶ *In exitu*] In Ebræo est, SAANAN per S, Sade. Jonathan transfert, *Non exibunt salvi de habitatoribus Saanan.* Tremellius interpretatur, *habitatrix loci pecorosi*, ut sit adjectivum à SON, id est, pecus. Mihi prior interpretatio magis placet. Est autem elegans paronomasia, si pro *egressa est* reponas *exivit*, vel *exibit.* Eâdem elegantia est apud Ebræos. Nam *Saanan* & JASA affinia sunt. ¶ *Planctum*] Ebræi aliter distinguunt. *Planctus erit in domo vicina*, hoc est, in vicinis locis: accipiet à vobis stationem suam. ¶ *Domus vicinæ*] Ebraicè *Beth haesel*, acsi dicas domus juxta. Nomen loci. ¶ *Quæ stetit sibimet*] *Stationem suam* est in Ebræo. quod cur interpres verteret, *Quæ stetit sibimet*, videre nequeo.

12. *Infirmata est*] Alius, *dolore affecta est.* Alterum significat cùm est ab HUL: alterum cùm est ab HALA. Sed HIL dolor propriè sive nixus parturientium. ¶ *In bonum*] Id est, propter bonum. ¶ *Quæ habitat in amaritudinibus*] Hoc est, in locis inamœnis. In Ebræo, *habitatrix maroth.* locus ab amaritudine sic dictus.

13. *Tumultus quadrigæ*] Videtur melius esse, & verò sic hodie interpretantur, *junge currum dromadi*, id est, dromadibus. pro quo noster posuit *stuporis.* Sed vox Ebræa aliud significat, ut paret ex aliis locis. Quidam putant RECHES dici genus quoddam equorum, ut utebantur Angari Persarum tabellarii. Habitanti *Lachis.* Veritas interpretationis, *habitatrix Lachis.*

14. *Dabit*] Non *dabit* est in Ebræo, sed *dabis.* Fortè in exemplari, quo usus interpres, aliter fuit. ¶ *Emissarios*] Ut nunc sunt vocales, malim, *missilia*, sive, *donaria.* ¶ *Super hæreditatem Geth*] Interpretatur MORESETH *hæreditatem*, suo more nomen proprium per commune. ¶ *Domos mendacii*] Id est, Achzib, quod est nomen proprium loci. ¶ *In Deceptionem*] Maluissem, *in mendacium. In mendacium esse*, id est, mendacem esse, mentiri. Hoc igitur dicit, fallent regem Israel. nisi potiùs, *fallentur*, ut *erunt in vastitatem*, id est, vastabuntur.

15. *Maresa*] Per S, Sin. ¶ *Odollam*] Nunc scribunt, *Adullam* per *u* breve. ¶ *Gloria Israel*] Vidi interpretationem, quæ habebat, *gloriam Israel*, ut hoc dicat, usque ad Odollam quæ est gloria & decus Israel.

16. *Decalvare*] Vel, glabresce. ¶ *Super filios*] Id est, propter filios.

EJUSD. LECTIONES.

1. דבר יהוה] *Verbum Domini quod fuit, quod vidit contra.* i. Minax Dei verbum, quod habitum fuit ad Michæam Moraschiten, res quædam divinitus revelata Micheæ, quæ exitium denuntiet Samaritanis.

מרשתי] Nomen est patrium, cujus rei index est Jod in fine. Simile est נחום האלקשי Nahum Elcesæus.

יותקיה] In Jeremia appellatur חזקיהו.

דבר יהוה אשר חזה] Periphrasis nominis חזון *visio.*

על] Hieron. *super.* LXX περὶ Σαμαρείας, de Samaria, vel, super Samaria. חזה Jonath. exponit ראתנבי על שמרון & pro דבר habet פתגם נבואה *sermo propheticus, quem vaticinatus est contra Samariam.* על signif. *super, contra, de.* Hîc verò certissimè notabit ἐναντίωσιν, quia tota concio habetur in Samaritanos & Jerosolymitanos.

Quæ tituli ambitu continentur, duplicia sunt: Vel enim spectant ad prophetiam, vel ad auctorem prophetiæ. Nam prophetiæ speciem quadam circuitione indicat, nempe visionem, quæ nihil aliud est quàm res visa à prophetis: Deinde eorum exprimit nomina, ad quos visio hæc præcipuè spectat, atque illi erant Samaritani, id est, Israëlitæ (συνεκδοχικῶς) & Jerosolymitani, id est Judæi, eâdem prorsus figurâ, nisi quòd ἐξοχὴν quandam & excellentiam habeat. Ad prophetam pertinent primùm Moroscha patria, sive natale solum, quæ locum indicant: Deinde nomina Regum, quibus floruit in suo munere, & ea temporis sunt. Ergò ad prophetam refer locum & tempus: ad prophetiam, quòd sit visio (concio) minax habita contra &c. Illic sunt adjuncta loci & temporis: Hic verò causa efficiens; & ea vel principalis, Deus, vel adjuvans & ministra, vates Michæas. Adjuncta, visum, & visum tale, quod Samaritanis fatum denuntiat. Quæritur quid causæ sit, cur propheta non meminerit Regum Israëlitarum. Ad quam quæstionem breviter respondeo. Cùm vates fuerit imperio Regum Judæorum subjectus, non debuit externos Reges commemorare, qui jamdudum à vero ac legitimo Dei cultu apertè desciverant. Quanquam mentione factâ Judæorum, facilè colligere est ex historiis & annalibus, quinam illis fuerint ex Israëlitarum Regibus coætanei & coævi. Non prætereundum est, hunc Prophetam sequutum esse in muneris sui functione Isaiam, qui Rege Uziâ ministerium ingressus est, id quod postea obiit Regibus Jothan, Arsac, & Ezechia. Prior quidem fuit huic nostro, sed tamen longo tempore simul vaticinatus est.

2. עמים כלם] *Audite populi omnes ipsi.* Dicunt esse Enallagen tertiæ personæ pro secunda, videlicet כלכם, *omnes vos populi audite.* Quæ figura Grammatices aliàs non est infrequens. Job. 17. כלם תשבו ובאו נא. 1 Sam. 6. לכלם ולסרניכם. Sed cùm hoc durius sit, præstat orationem ità emollire, ut vertamus *ipsi*, quod pronomen est omnibus personis conveniens, ac fortasse idem denotat ם affixum, atque pronomen המה seu הם, quod perinde atque *ipse* seriem personarum seu significationem repræsentat. Græci vocant ἐπιταγματικὸν: Donatus *subjectivum*. Igitur sensus est, Omnes ipsi populi audite, vel vos ipsæ nationes omnes audite. Hier. *audite populi omnes.* Lxx ἀκούσατε λαοὶ πάντες. Nisi hoc posset admitti ם affixum positum esse pro אלה, Audite ista omnia quæ scilicet vobis dicturus sum, quod nescio an Grammaticâ ratione quis defendat.

Ex Hieronymo: *Michas ex ordine 12 prophetarum tertius est juxta* Lxx: *At secundum Hebræam veritatem sextus, & sequitur Jonam Prophetam, qui succedit Abdiæ. Micheas interpretatur humilitas Morasthi usque hodie juxta Eleutheropolin urbem Palæstinæ, haud grandis est viculus. Morasthi autem in lingua nostra pulchrè hæredem sonat.*

שמרון וירושלם] Hunc ordinem notat Hieronymus: *Quantum*, inquiens, *ad historiam attinet secundùm ordinem captivitatis, quia primum capta est Samaria metropolis Israël, postea Jerusalem urbs Juda: Prophetiæ titulus ponitur primùm de Samaria, secundò de Hierusalem.* Lxx לעד] *Et sit Dominus Deus vobis in testimonium sive, ut in Hebraico legitur, in testem, vel ut apertiùs interpretatus est Symmachus, testificans. Samaria erat in monte sita, ubi nunc Sebaste est, in qua & Sancti Johannis Baptistæ ossa sunt recondita.* Hieron. Mich. 1.

מלאה] *Plenitudo terræ*, id est, ut exponit Ezra היושבים עליה, inhabitantes & incolentes eam, quicquid replet terram seu orbem universum: Estque figura quæ Metonymia dicitur in dictione מלא plenitudinis, quam rectiùs *repletionem* possis vocare. Apud Ciceronem est *plenitudo Syllabarum* & *pleniores Syllabæ*. Quicquid terrâ continetur, quicquid terrarum orbis continet & complectitur, omne quod terræ complexu continetur.

ארץ] *Terra.* Synecdoche, pro regione Israël sive Judæa. Nam attentos reddit Judæos & Israëlitas duntaxat, non autem reliquas gentes. ומלאה] Id est, τὸ πλήρωμα αὐτῆς, 1 Cor. 10. 26. infinita rerum copia, quibus plena est terra. Sed ibi sine figura ponitur, pro omnibus rebus in terra creatis. Hîc autem de hominibus tantùm intelligitur; & hominibus non quibusvis, sed duntaxat terræ Judææ: id indicat quod sequitur בכם *in vos.* Lxx igitur non malè vertunt ἡ γῆ καὶ πάντες οἱ ἐν αὐτῇ, omnes qui in ea sunt.

עמים] Utitur plurali propter tribus, quæ duodecim numero duodecim quasi constituebant gentes & populos.

היכל קדשו] Περίφρασις cœli qui appellantur *cærulea templa* apud Poëtas, Dei sacerrimus locus, templum ipsius sacrosanctum.

3. ממקומו] De loco suo, i. quod antè dixit, de templo suo Sacrosancto. Intelligit cœlum. Alii templum intelligunt, quod erat in excelso montis vertice locatum, atque propterea *descendere* dicitur.

במותי ארץ] *Calcabit excelsa terræ*, seu *terræ fastigia supergradietur.* Per במות intelligo excelsos montes & simul arces castellàque in iis collocata. Metaphoricῶς possis intelligere principes & summos magnates. Quod tamen nescio an fieri possit, præsertim cùm de regionis vastitate hîc agatur, quam declarat montium liquefactione ac fissione vallium. במות Reges, principes fastu ac superbiâ elati. Horatius, *feriùntque summos fulgura montes.* Sic Habacuc dicit ידריכני על במותי *collocabit me super excelsa mea*, id est, in locum aliquem sublimem & excelsum, in quo tutus ero ab inimicorum injuriis. Per *excelsa* intelligunt Jerusalem seu montem Sion, in quo templum erat omnium quæ usquam gentium sunt locorum editissimum.

Liquescent montes] Metaphora perpetua seu allegoria de impendente regioni vastitate, simúlque explicare videtur propheta id quod dixit *excelsa terræ*, quasi intellexerit ipsos montes, quibus in terra nihil est altius neque excelsius. Per tralationem optimates intellige & proceres, qui in alto dignitatis gradu collocati à Domino deprimendi sunt ac dejiciendi, ínque imum servitutis locum deturbandi, depellendi. Illustrat rem duabus similitudinibus. Prior est à cera desumpta, quæ admota igni illico liquescit; altera ab aquis ex alto in locum inferiorem defluentibus. במותי ארץ, videtur allusio esse ad במות altaria, in quibus Israëlitæ idolis sacrificabant: Et postea sequitur, ומי במות יהודה, *& quænam sunt excelsa* Juda. Per ארץ porrò intelligunt terram sanctam.

5. *Propter scelus*] *Crimen*, Lxx ἀσέβειαν. Hier. *in scelere*, i. propter scelus, quomodo Græci διὰ ἀσέβειαν.

בפשע] ב pro בעבור propter vel על פשע. defectio à bonis moribus, à vera pietate, quoties desciscimus à lege divina.

יעקב] Ἀντονομασία qua proprium ponitur pro patronymico *Jacobitarum.*

ובחטאות] Ἑρμήνεια sive repetitio ejusdem sententiæ.

מי פשע] Διαλογισμὸς interrogatio, cum interrogatione affirmante. פשע autem hîc ponitur non pro peccato aut scelere, sed auctore sive causa sceleris. Quis in causa fuit ut tantum scelus conciperent Jacobitæ? Quis effecit, causam dedit ut excelsa exstruerent Judæi? Atque hujus expositionis quasi necessitatem imponit vocula מי *quis*, quæ de persona interrogat. Metonymia est non ità usitata, quâ causa ponitur pro affectu. מי פשע, id est מי גרם ליעקב פשע, ità Ezra & Kimchi: Vel ut Rabbi Marinos ונו מי עשה ומי היה שרש פשע quis effecit, aut quis fuit radix & origo sceleris Jacobæi?

שמרון] Intelligit incolas Samariæ qui per Regem seducti reliquas quoque civitates in suas partes trahebant, ità ut cancer ille scelestus à capite exorsus in omnes denique partes longè latéque serperet, juxta illud: *Regis ad exemplum totus componitur orbis.*

6. *Ponam igitur Samariam*] Redigam Samariam in agreste rudus, quod Latinus habet *in acervum lapidum*, Lxx εἰς ὀπωροφυλάκιον ἀγροῦ, in agreste oporophylacion, seu oporothecam agri. Jonathan ליגרי חקלא, in acervos agri, quales solent esse in agris ex lapidibus congesti. Quandoquidem in hanc mentem & voluntatem impulistis Israëlitas, ut à me desciscerent, idola colerent, séque fœdis libidinibus addicerent; Ego tantam inducam regioni vestræ vastitatem, ut urbes vestræ sint futuræ lapidum rudera, & loca in quibus vineæ plantabuntur, id est, vinearum plantaria, loca destinata ad conserendas vites. Distributio est ex subjectis, earum scilicet rerum quæ vastitate deformabuntur. Primò est ipsa Samaria; Tum ejus fundamenta; Deinde sculptilia ejus & simulacra; Postremo res per scortationem acquisitæ & conflatæ.

והגרתי] Congeram in vallem, deturbabo, dejiciam, Præcipitabo ejus lapides dirutos in vallem, locum demissum & planum. Lxx κατασπάσω. Hier. *detraham.*

Ponam igitur] Observanda est ista loquendi formula quâ Dominus se facturum dicit, quæ non ipse quidem, sed eo compulsore Assyrii & Babylonii agent. Atque hinc discimus, nihil nobis accidere adversitatis, cujus Dominus non sit auctor.

7. אתנן זונה] Meretricius quæstus, merces meretricia, quicquid prostibulis ad explendam libidinem datur. In quæstum meretricium redibunt, id est, Assyrii spolia de vestris templis detracta in sua fana Babylonem referent. Atque ità quod vobis erat ab idolorum cultoribus donatum, id illi suis idolis restituent. Solent enim milites spoliis & manubiis suorum Deorum templa ornare. Alii de militibus intelligunt, qui bona ab Israëlitis direpta in meretrices profundent: Sed quia præcedit, *munera eorum igne comburentur*, ideo quidam ità exponit, ut per mercedem meretriciam non ipsam quidem intelligat, sed ejus adjunctum, id est, infelicitatem, amissionem. Nam quæ malè parta sunt, malè dilabuntur. Et cùm hic quæstus Domino sit invisus, ideo ejus cupidos inultos & impunitos rarò relinquit.

עצביה] Intelligunt *delubra idolorum*, Id est, בית העצבים, quo in sensu accipit Jonathan Paraphrastes.

Quis scelus Samariæ] Samaria ponitur pro Regibus & Principibus Samariæ, qui populum impellebant ad peccandum: Quoniam, ut ait Aristoteles, *id civitas aut esse aut facere dicitur, quod in ea primarii & optimates aut esse dicuntur aut facere.*

8. *Propter hoc lugebo & ululabo*] Humani animi affectum indicat, populi sui miseriam lugendo: Nisi hæc per mimesin velis accipere in persona Israëlitarum lugentium ob instantem calamitatem. In quo sensu accipit Jonathan Chaldæus Paraphrastes.

שולל] *Spoliatus*, scilicet vestibus, id est, nudus, quod postea ἐξηγητικῶς subjicitur. *Spoliatum* quidam intelligunt bonis ac fortunis omnibus, *nudum* verò vestibus, vestitu & amictu exutus. Alii verò ad animum referunt & intelligunt mente captum שולל כהרשה. Nam qui gravi aliqua calamitate afficiuntur, tanquam insani & amentes huc & illuc vagabundi discurrunt. Lymphaticus, lymphatus, furiosus, maniacus, μανικὸς, φρενόπληξ, παράπληκτος, dul, rasende, uitsinnigh. Super hoc plangam & ejulabo, lamentabilem & luctuosum fletum edam, me lamentis muliebriter lacrymísque dedam. אילילה significationem habet lugubris lamentationis, fletúsque mœrentis: Plangore & lamentatione omnia complebo. Lamentatio est ægritudo

tudo cum ejulatu lamentabili & queribunda voce aliquid deplorare. Deplorabo, inquit, voce queribunda casum & fortunam Israëlitarum, lamentari, lamentationem facere. Ego me succingam ad deplorandum tum regni & imperii calamitatem, tum regionis vastitatem. Fœmineus plangor, ejulatus, ploratus, lessus, quasi lugubris ejulatio, magnitudine dolorum ejulare. שולל pro *mente capto*, *furioso* & *insano* utitur Job. 12. מוליך יועצים שולל ערום, non quòd omnibus vestibus spoliabatur, sed præcipuis & iis præsertim, quæ superiorem corporis partem tegunt: Ut Isaias dicit se nudum incedere, cùm tantùm sacco seu veste lugubri esset exutus. Sic enim legimus, והנעל תחלץ מעל רגליך ויעש כן הלך ערום ויחף ופתחת השק מעל מתניך. *Nudus* sæpe dicitur cui desunt indumenta ad rem præsentem idonea. Amos 2. miles dicitur *nudus fugere*, i. amissis armis, aliisque militaris disciplinæ instrumentis sese in fugam dare. Et sic *nudus lugere* dicitur, qui non habet vestes lugubres ad luctum comparatas, nempe saccum aut centonem. Id comprobat locus Isaiæ, quem suprà produximus. Is est Jes. 20. 2. jussit Dominus ut iret exutum suis lateribus centonem, calceósque ibi de pedibus detraheret: quod cùm ille fecisset, nudúsque & discalceatus ambulâsset, sic dixit Dominus, *Quemadmodum ambulavit meus Isaias nudus & discalceatus tres annos, quod in Ægyptios Æthiopésque signum prodigiúmque esset: Sic abiget Assyriæ Rex captivos Ægyptios extorrésque Æthiopes juvenes nudos & discalceatos.* Aliàs *nudus* dicitur, qui non ità bene vestitus est, 1 Corinth. 4. *Hucusque esurimus, sitimus & nudi sumus.* 1 Cor. 4. 11. *Ad hoc usque tempus & esurimus & sitimus & nudi sumus, & colaphis cædimur, & incertis sedibus erramus.* Jacob. 2. 15. *Quod si frater aut soror nudi fuerint, egentes quotidiano victu.* Deut. 28. *servies hosti tuo in fame, in miseria, in nuditate.* 1 Sam. 19. Saul dicitur *nudus* prophetâsse. Johan. 21. Petrus *nudus* piscatur, postea ut conveniret Dominum succinxit se amiculo superiore. Et Joannes quoque Apostolus alibi legitur aufugisse *nudus*.

9. אנושה] *Quoniam ægra est unaquæque ex plagis* ipsius. Dicunt habere notionem doloris & contritionis. Latinus, *quia desperata est*. LXX ὅτι κατεκράτησεν ἡ πληγὴ αὐτῆς. Jonath. מכרעא ægra, doloris & ægritudinis plena, dirum vulnus, acerbum, vulnus grave, quod plurimum habet ægrimoniæ & doloris.

10. *In Gath nè nunciaveritis*] Parœmia est lugentibus familiaris, quibus nihil molestius posset accidere, quàm quòd si calamitas & clades, quam acceperunt, hostibus & inimicis innotescat. Itaque sedulo cavent, nè rumor de ea ad illos unquam permanet & perveniat. Atque si idem nobis usu veniat, uti licebit eâdem formulâ loquendi. Legitur 2 Sam. 1. ubi David Saulis & Jonathani mortem luget, *in Gath*, inquit, *nè nunciate, nè nunciate in plateis Askalon, nè lætentur filiæ Philistæorum & exultent filiæ incircumcisorum.*

Flendo nè fleveritis] Néve ploratum ediderítis. Quare? nè scilicet audientes vicinæ gentes vestrum luctum, lætitiam de vestra calamitate capiant.

לְעַפְרָה] Urbs est à Benjaminitis habitata. *Scribitur hoc in loco cum Patach ut scilicet consonet cum עָפָר sitque paranomasia quædam in his vocibus, cùm aliàs scribatur per Kamets catuph* עָפְרָה ait Kimchi. Sensus est, Domus Afra, id est, ædificia quæ spectant ad Afra, sive in urbe sive in pomœrio sita fuerint, conspergantur pulvere ob vastitatem toti regioni impendentem. Meminit potissimùm hujus loci propter παρήχησιν quam habet cum עָפָר pulvere. Atque ideo non malè Hieronymus, *In domo pulveris pulvere vos conspergite.* Quod orationis schema frequens est in lamentationibus, quoties mortem alicujus aut calamitatem ingentem deploramus. עפר vel pro *terra* accipe, quæ est propria vocis significatio; vel *pulvere*, nam hoc etiam aliquando significat. Num. 19. מעפר שרפת החטאת. Jerem. 6. חגרי שק והתפלשי באפר, *volve te in cinere.* Solebant autem veteres, quoties lugebant, cinere sese aspergere vel in pulvere volutari. Jon. 3. legitur Ninivitarum Rex induisse Saccum, & sedisse in cinere.

בבית] Enallage Numeri, pro *in ædibus & domibus Aphra.* Nec omittendum est quod dicit לעפרה per ל. Nam hoc genere loquendi intelligit non solùm ædes quæ intra muri continebantur ambitum, verùm etiam quæ in suburbiis & in vicinis locis urbi erant annexæ. Nam ל possessionem notat, & hæ domus non erant urbis, sed spectabant ad urbem. לעפרה Ezras dicit *esse oppidum in regione Canaan*, & בבית exponit בכל בית in unaquaque domo. Kimchi in עפר subaudit præpositionem ב ut sit בעפר pulvere, dicítque התפלש significare *volutari*, *volvi*, *tegi*, *operiri*, *in luto volutari*, *in pulvere.* Quod autem scribitur התפלשתי est præteritum *volutavi me.* Sed legitur התפלשי in modo imperandi, *voluta* te, *consperge*, *asperge*. Jonathan reddit, *Qui inhabitant domos in pulvere volutent se, & cinere tegant capita sua.* Hier. *pulvere vos conspergite.*

11. עברי] Transi, commigra, muta locum. In fœminino dixit respectu cœtûs & congregationis, quæ Hebraicè appellatur עדה. Quod sequitur לכם redundat in oratione, éstque dictum respectu multitudinis, q. d. Universa civitas cum singulis incolis commigret ac locum mutet. Estque sic allusio non vocis, sed notionis. שפיר enim *pulchrum* significat: unde nomen civitati. Itaque jubet ut quæ priùs erat pulchra, amœna, decora, nunc nudatis pudendis, id est, cum ignominia & dedecore seu turpificata in exilium proficiscatur. בשת hîc ponitur pro pudendis per metonymiam adjuncti pro subjecto. עריה enallage status absoluti pro constructo, ut in illo Ruth. 2. כאיפה שערים.

יקח מכם עמדתו] Hostis accipiet à vobis mercedem stationis suæ, id est, moræ, quam fecit in tuis oppidis expugnandis, eò erit in te durior & severior, quò tu illi negotii plus exhibueris. Sed quia לקח est doctrina, יקח accipiunt pro *discere*, *erudiri*, atque id in hunc sensum, Discet à vobis, ô incolæ Haezel, discet inquam Tsaanan stationem suam, id est, tuo eventu edocta sciet sibi non diu standum esse. Hostem quippe pari felicitate & facilitate, quâ vos devicit, & se suásque urbes excisurum, expugnaturum, eversurum.

12. כי חלה] Dolet ob bonum amissum, in dolore est, mœstitia, mœrore extremè angor, &c. חלה habet significationem חיל & כאב: Atque ità notat non vulgarem dolorem, sed intensum, vehementem, immodicum, acerbum, dirum, gravem, qualis est parturientis, gravem acerbitatem.

לטוב] Propter bonum, ל pro בעבור ut aliàs nonnunquam propter opes, divitias, & thesauros & reliqua, quæ tam fortunæ quàm corporis bona homines admirantur. Bonum autem causa intelligitur doloris, non quia præsens est, sed quia amissum.

רע] *Malum* sc. pœnæ, id est, calamitas, pernicies, lues, pestis, clades. *Non est*, inquit Propheta, *malum in civitate, quod non fecerit Dominus.* Latin. *Quia infirmata est in bonum quæ habitat in amaritudinibus.* חלה sunt qui exponunt *speravit*, *exspectavit*, inter quos est Rabbi Jona. Sed illi duplici ratione possunt convinci. Prima est, quòd חלה alibi non significet expectare, præterquam in Hiphil, unde & תוחלה spes, expectatio. Altera, quòd sequatur כי, *quoniam*, *quia*, cum qua particula ineptè dixeris, *Expectavit bonum quia descendit malum:* Sed contrà aptissimè, *Doluit propter bonum, quoniam descendit malum*, i. quoniam immissâ infelicitate bonum illud evanuit, direptum est, spoliatum ac sublatum. Nisi velimus כי reddere per *quum* vel *cùm*. Tum expectabat bonum quum malum descenderet à Domino. Ità ferè Jonathan. Quæ erat degens in terra amœna & expectans bonum, expectans, inquam, ut benefaceret Legi: quid facietis? quum descendet malum à Domino ut veniat in portas Jerusalem.

יושבת מרות] LXX κατοικοῦσα ἐν ὀδύναις. Hier. *Quæ habitat in amaritudinibus.* Sunt qui dicant habere significationem *dominii:* Alii, *amaritudinis & acerbitatis.* Nec desunt qui civitatis esse nomen contendant, quæ sententia maximè est verisimilis.

13. רתום] Junge currum seu quadrigam, junge, inquam, veredis & equis celeribus: Alliga currum dromedariis. לרכש construunt cum רתום *junge equis.* Sed Jonathan separat atque ecclipticos accipit, *super equum*, sc. ascende, vel conjice te in equum. רמו על רכשא. Quæ verba indicant præproperam & festinam fugam. לכיש paranomasiam habet cum רכש, factâ tantùm unius literæ mutatione. Erat autem civitas in tribu Juda, quæ ab Israëlitis seducta suos populares Judæos in eundem errorem pertraxit. Princeps enim inter civitates Juda cultum idolorum recepit admisítque. Ex Hieronymo: שפיר *Syro Hebræóque Sermone dicitur pulchra: Samaria quippe in pulcherrimo Judææ & uberrimo sita loco, nunc quoque ostenditur.* צאנן interpretatur *exitus*, *sive, ut Symmachus vertit, non est egressa habitatio abundans, & de eadem Samaria dicitur, egredi.* מרות Symm. ἡ κατοικία ἡ παραπικραίνουσα, *habitatio ad amaritudinem provocans. Adhuc hæredem adducam tibi, quæ habitas in Maresa: pulchrè allusit ad nomen* מרשה *hæreditas. Syrum ità transtulit*, ἔτι κληρονόμον ἄξω καὶ σοὶ κατοικία μαρίσα, ἕως ὀδολὰμ ἥξει τῆς δόξης ἰσραήλ. *Hoc est, adhuc hæredem adducam & tibi, habitatio Maresa, usque Odolam veniet gloria Israël: Hoc est, quæ gloriosa es in urbibus Israël. Et ubi dicitur* gloriæ, *genitivus casus sit numeri singularis, hujus gloriæ: & non nominativus pluralis, hæ gloriæ.*

Geth, ut Regnorum quoque testatur historia, una est de quinque urbibus Palestinæ: vicina Judææ confinio, & de Eleuthero-

poli euntibus Gazam, nunc usque vicus vel maximus, unde fuit Goliath, ille Gethæus, quem David occidit in prælio. Lachis *interpretatur πορεία ἐςὶν, id est, ambulatio.* עדלם *odolam, Odolla interpretatur testimonium haustûs vel hauritionis eorum, quod in Græco significantiùs dicitur μαρτυρια ἀντλήσεως αὐτῶν.*

14. שלוחים, dona, munera, missilia, à mittendo ità dicta. על pro אל Vide Kimchi.

16. *Rade te & tonde*] Intellige de Maresa vel Adullam, aut saltem de terra & regione Israël, quia sequitur, *Quoniam migrarunt ex te.*

קרח] Notat evulsionem capillorum. Græcè ξυρεῖσθαι radere. גז verò est tondere, quoties instrumento crines detondentur.

כבוד ישראל] Per appositionem *Odolla, gloria Israël,* quæ vel propter munitionem, vel ob aliam certè causam decus regno adferebat. Abenezra ἀπὸ τῦ κοινῦ repetit יורש, *Adducam possessorem*, seu *qui possideat gloriam Israël*, i. omnem Israëlitarum splendorem & magnificentiam. Ità etiam Kimchi, *usque ad Adullam veniet possidens gloriam Israël.* Possessor autem est Rex Assyrius, nempe Sancheribus, juxta id quod dicitur, *Ascendens Sancheribus Rex Assyriorum, contra munitas Judææ urbes, easdem expugnavit.* Alii antiphrasticè accipiunt, aut certè per ironiam, gloriam pro dedecore, ignominia, probro. Quidam sic, *usque ad speluncam veniet gloria Israel*, i. tam vasta reddetur atque est spelunca. Sunt qui per *gloriam* ironicè intelligant ipsum Assyrium. Sed ego Kimchi sententiam maximè probo.

GROTIUS.

1. AD *Michæam Morasthiten*] Non illum filium Jemlæ 1 Regum 22. 8. Hieronymus viculum esse dicit *Marasthi, juxta Eleutheropolim.* ¶ *In diebus Joathan, Achaz, & Ezechiæ*] Apparet ergò cœpisse eum Prophetiis illustrari paulò seriùs quàm eos quos jam antè habuimus, qui ab Oziæ Regis Judæi tempore cœpere cognosci, & pariter ad Ezechiæ tempora pervenerunt. ¶ *Quod vidit super Samariam*] Unde malum fluxit in Decem tribus. ¶ *Et Jerusalem*] Vnde corruptæ Duæ tribus.

2. *Audite populi omnes*] A Jacobo orti. ¶ *Et attendat terra & plenitudo*] Id est, omnes qui in terra promissa habitatis. *Sit Dominus Deus vobis in testem*] Chaldæus בכון interpretatur *contra vos.* Siquando mala quæ dicam vobis evenient, Deus mihi testis erit me nihil subtraxisse de eis quæ mandata mihi erant. ¶ *Dominus de templo sancto suo*] Qui ex cœlo omnia despectat. Vide suprà Jon. 2. 8.

3. *Egredietur de loco suo, & descendet*] Deus *exire de cœlo* dicitur, cùm in terra beneficia sua, aut judicia facit conspici. ¶ *Et calcabit super excelsa terræ*] Destruet loca munitissima. Vide Deteron. 32. 13. & 33. 29.

4. *Et consumentur montes subtus eum*] Id est, urbes in montibus sitæ, ut Jerusalem & Samaria, incendentur. *Et valles scindentur*] Id est, oppida in vallibus sita diruentur. ¶ *Sicut cera à facie ignis*] Hæc comparatio respicit prius membrum. ¶ *Et sicut aquæ quæ decurrunt in præceps*] Hæc secundum.

5. *In scelere*] *Propter scelus*, ut Chaldæus vertit. Græci, διὰ ἀσέβειαν [*propter impietatem.*] *Quod scelus Jacob?*] Id est, quæ origo sceleris Jacobo, sive Decem tribubus? μετωνυμία [*Transnominatio.*] *Nonne Samaria?*] Solet ab urbibus primariis latiùs fundi exemplum. ¶ *Et quæ excelsa Juda?*] Quæ origo excelsorum in Juda?

6. *Ponam Samariam quasi acervum lapidum*] In Hebræo, *in tumulum agri*, id est, in collem qui aretur. *Cum plantatur vinea*] In vinetum. *Et detraham in vallem lapides ejus*] Dejiciam ex ediro in subjecta. ¶ *Et fundamenta ejus revelabo*] Ità ut fundamenta appareant. Hæc & quæ sequuntur impleta per Salmanasarem.

7. *Et omnia sculptilia ejus concidentur*] Vide Amosi 3. 14. ¶ *Et omnes mercedes ejus comburentur igne*] Donaria Templi, missa illis ab Assyriis, quorum cultum imitabantur. ¶ *Quia de mercedibus meretricis congregata sunt*] Idololatriæ sunt mercedes. ¶ *Et usque ad mercedem meretricis revertentur*] Ibunt Niniven, quæ ipsos idololatriam docuit: hoc erit δίδακτρον [*minerval.*]

8. *Super hoc plangam, & ululabo*] Loquitur Propheta, & dicit se etiam conspicuis luctûs signis confirmaturum quàm certa sint quæ dicat. ¶ *Vadam spoliatus & nudus*] Exutus veste superiore. ¶ *Et luctum quasi struthionum*] *Quasi pullorum ulula.* Sic Hebræum. Vtraque similitudo est apud Jobum 30. 29. unde apparet esse proverbiale.

9. *Desperata est plaga ejus*] Non sanabitur. ¶ *Quia venit usque ad Judam, tetigit portam populi mei usque ad Jerusalem*] Assyrii post destructam Samariam, vastatàmque terram Decem tribuum, etiam terram Duarum tribuum vastabunt, Rege Assyriorum Sennacheribo, & ad portas usque Hierosolymorum pervenient.

10. *In Geth nolite annuntiare*] Vtinam nesciant ista Palæstini, nè nos irrideant. sumtum ex 2 Samuelis 1. 20. ¶ *Lacrymis nè ploretis*] *Nè flendo fleatis:* id est, nè nimium edite ploratum, nè illi veteres hostes gaudeant. ¶ *In domo pulveris pulvere vos conspergite*] *Cùm in domo pulveris pulvere conspergemini.* In textu est התפלשתי [*involvi me,*] sed in margine התפלשי [*involvere.*] Mos est hujus Prophetæ voces vicini soni & communes sumere ad obscurè notanda nomina propria. לעפרה est *pulvis:* sed per eam vocem significatur *Ephraim*, cujus domus erant in pulverem redigendæ.

11. *Et transite vobis habitatio pulchra*] *Et cùm peribit vobis habitatio pulchra.* שפיר, quod *pulchram* significat, hîc *Samariam* innuit, affini, ut diximus, voce. ¶ *Confusa ignominiâ*] *Nuda pudendis*, id est, dejectis muris, quæ velut vestes sunt urbium; fundamentis apparentibus, ut suprà dictum. ¶ *Non est egressa quæ habitat in exitu*] צאנן, quod hîc vertit ab *exitu*, à radice יצא [*egredi,*] alii fortè rectiùs *terram pecorosam* interpretantur, à צאן [*pecore.*] Vicinitate simili iis quas diximus, *Sionem* significat, hoc sensu: illi qui in Sione habitant, nè pedem quidem moverunt ad servandos Ephraïmitas. ¶ *Planctum Domus vicina accipiet ex vobis, quæ stetit sibimet*] *Planctum, ô Bethaëtsel, accipiet à vobis* (*Sion*) *stans sibi.* Bethaëtsel *domum separationis* significat, à Deo scilicet. Indicatur autem Bethel, *domus Dei* olim dicta. Sensus est, Vrbs Hierosolyma planctum quidem à Bethele audiet, sed res suas aget, neque se Bethelis rebus miscebit.

12. *Quia infirmata est in bonum quæ habitat in amaritudinibus*] *Verùm dolebit propter fortem* (id est, *fortes occisos*, ut hîc habet Chaldæus) *habitans* plebs *in Maroth.* מרות, quod hîc *amaritudinem* significat, transpositis literis innuit רמות. Plures erant in Duarum tribuum sorte urbes quibus nomen *Rama*; eæ pluraliter dicuntur רמות. Confer Jer. 31. 15. Judæis nihil proderit quietos se continuisse, cùm Samaria & vicinæ urbes destruentur. ¶ *Quia descendit malum à Domino in portam Jerusalem*] Ad portas usque veniet Sennacherib.

13. *Tumultus quadrigæ stuporis habitanti Lachis*] In Hebræo, *Apta currum velocibus equis, habitatrix Lachis*; currum nempe quo vehantur missi à Sennacheribo feciales ad deposcendam deditionem Hierosolymorum, 2 Regum 18. 17. *Principium peccati est filiæ Sion*] *Es filia Sion*, id est, fuisti. ¶ *Quia in te inventa sunt scelera Israël*] Tu idololatriam ab Israële, id est, Decem tribubus acceptam, transmisisti Hierosolyma.

14. *Propterea dabit emissarios super hereditatem Geth*] *Quin etiam dabit dona heredi Geth. Heredem Geth* vocat Assyrium, qui Philistinorum urbes tum tenebat. ¶ *Domus mendacii in deceptionem Regibus Israel*] In Hebræo, *Domus Achzib in deceptionem* fuit *Regibus Israël.* Speraverunt indè auxilium, sed frustrà. Achzib &, quæ sequitur, Maresas oppida sunt Judæ, non longè à Lachiso. Vide Josue 15. 44.

15. *Adhuc heredem adducam tibi, quæ habitas in Maresa*] *Heredem*, id est, dominum, & est παρωνομασία [*Vocum allusio,*] הירש *heredem*, & מרשה quod *hereditatem* significat. Hostis ille non Philistinas tantùm urbes, sed & Judaicas possidebit. ¶ *Vsque ad Odollam veniet gloria Israel*] Assyrius ille, quo socio olim gloriari sunt Israëlitæ (Vide 2 Regum 15. 18.) *perveniet ad Odollam.* · Est & hoc oppidum in parte Judæ à Lachiso non procul, Josue 15. 35.

16. *Decalvare*] *Evelle tibi pilos.* Ità hîc Chaldæus. nam calvitium sibi ob mortuos inducere, mos quidem erat gentibus aliis, sed Judæis id non licebat per legem Deuteron. 14. 1. Judæ populum hîc alloquitur Propheta, cujus urbes jam aliquot nominaverat. ¶ *Et tondere*] Cincinnos & delicias comarum circumcide. ¶ *Super filios deliciarum tuarum*] *Propter amatissimos filios*, interfectos ab hoste scilicet. ¶ *Dilata calvitium tuum sicut Aquila, quoniam captivi ducti sunt ex te*] Vos quorum liberi non interfecti sed deportati sunt, inducto in caput calvitio dolorem testamini. Lex enim id non vetabat nisi in luctu funebri.

CAP.

CAP. II.

MUNSTERUS.

1. IN *luce matutina*] Jonathan sic reddidit hunc locum, *Væ qui cogitant ut vim inferant, & faciant quod malum est in stratis suis, præoccupantes auroram*, &c. Sensus est, noctes insomnes ducunt, & cogitant quomodo proximo noceant, & mox ut aurora illuxerit surgunt ut exsequantur quod pessimè excogitarunt. Potissimùm autem id illi faciunt in quorum manu est potentia, ut sunt Principes & divites. Advertant hîc Hebraicæ linguæ studiosi tropum כִּי יֶשׁ לְאֵל: nam & is in Proverbiis invenitur: nec capitur hîc אֵל pro *Deo*, ut nostri communiter verterunt, sed pro כֹּחַ.

4. *Planctu lugubri*] Quidam putant hîc נִהְיָה idem esse quod נִהְ. Alii exponunt pro שֶׁבֶר ¶ *Commutabit Deus*] i. Faciet hostem nostrum dominum in hereditate nostra.

6, &c. *Non stilletis*] Usurpat non rarò Hebraismus *stillare* pro *prophetare*. Nolebant igitur ut Prophetæ Domini contra eos Prophetias dicerent, nè ob id ignominia eos apprehenderet. Et nota quòd יַטִּפוּ est à radice נָטַף. Respondet autem Propheta, *Numquid tam contracta est Prophetia Domini* ut eam à vobis repellatis? *numquid hæc sunt opera ejus*, qui *bonus* est? an non magis vos hæc mala cavastis vobis? Et quid mirum est quòd hostis consurgit contra vos, qui jam pridem *hostes* esse cœpistis contra fratres vestros? Nam *extraxistis tunicas & pallia proximis vestris*, & irruistis in eos qui nihil metuebant, *quasi* sanguinarii *è bello redeuntes*. Et nedum in viros sæviistis, quin & in *mulieres* atque *parvulos* tyranni fuistis. Nam *ejecistis mulieres de casis suis*, quæ *deliciæ earum* fuerant, cùm aliud refugium non haberent. Vel *delicias* vocat gratam viri & uxoris concordiam, quam tyranni per separationem eorum sustulerunt.

9. *A parvulis sustulistis gloriam meam*] Vel *decorem meum*. Hunc secundùm Hebræos habet sensum, Ego decrevi servare mundum per legitimam conjunctionem viri & uxoris & filiorum educationem; vos autem hunc ordinem dissolvistis, & magnam confusionem induxistis.

12. *Congregabo te, Jacob*] Respicit hîc Propheta ad Regnum Christi, dicitque *totum Jacob congregandum*, non qui secundùm carnem de Jacob descendit, sed qui secundùm spiritum & fidem est filius Jacob & Abraham. Unde subditur; ¶ *Reliquias Israel*] q. d. Multi peribunt propter impietatem suam qui descenderunt de Jacob, sed reliquiæ salvæ fient, quæ *ut oves Bozra* sub Christo Pastore in maximum crescent numerum, cohabitabúntque pacifici in uno *ovili*, non obstante maximâ *multitudine hominum*, qui non sunt fine *tumultu*, non quidem malo; sicut nec oves pacificæ carent magno strepitu ubi in magna conveniunt multitudine. Erit, inquit, inter veros Christianos mutua conversatio & strepitus quidam, & tamen constabit pax & tranquillitas.

13. *Ascendit dissipator*] Intelligitur per *dissipatorem* Christus, qui *inducit & educit oves suas ut pascua inveniant*, rumpens obstacula omnia quæ ante adventum suum hominem ab ingressu prohibuerunt.

VATABLUS.

1. INiquitatem אָוֶן] *Vanitatem*. ¶ *Et operantibus* וּפֹעֲלֵי] i. Statuentibus apud se opprimere proximos pauperes. In lectis enim maximè licet vacare cogitationibus, quòd sensus occupati non sint. ¶ *Faciunt illam* יַעֲשׂוּהָ] Fut. Heb. pro præs. *Illam*, nempe *cogitationem*. Nomen verbale comprehensum est in חֹשְׁבֵי.

2. *Quòd si concupiere*, &c. וְחָמְדוּ שָׂדוֹת] Ad verb. *Et concupiscent agros, & rapient*. Si, inquit, teneantur desiderio aliquarum rerum, mox occupant illas aut vi aut astutiâ quâdam. ¶ *Aut domos, tunc tulerunt* וּבָתִּים וְנָשָׂאוּ] Ad verb. *& domos, & tulerunt*.

3. *A quo non removebitis* אֲשֶׁר לֹא תָמִישׁוּ וגו'] Ad verb. *quo non removebitis de ibi*. Redundat *ibi* & *de* præcedenti jungendum, *de quo non removebitis*, i. non poteritis subducere: q. d. Non poteritis erui ab illo. ¶ *Erectâ cervice* רוֹמָה] Ad verb. in *altitudine*: i. erecti, more superbientium, & qui sibi nimiùm placent. Chald. *erectâ staturâ*.

4. *Sumet* lamentator, &c. יִשָּׂא עֲלֵיכֶם וגו'] Sing. Heb. pro pl. *assument*. Et geminat verba ad majorem expressionem mœroris animi: i. conscribent multi lamentationes super afflictione vestra, sive propter afflictionem vestram. Lamentationem autem ideo vocavit *parabolam* quòd in lamentationibus utantur parabolis & ænigmatibus, h. e. sermonibus figuratis, quos doctus inter Hebræos vocat *abstrusos*, h. e. difficiles. ¶ *Dicet* אָמַר] Præt. Heb. pro fut. ¶ *Vastando vastati sumus* שָׁדוֹד נְשַׁדֻּנוּ] i. Prorsus actum est de nobis. In lamentationibus omnia confunduntur, & numeri, & personæ, & tempora, & genera: referunt enim verba hominis perturbati. ¶ *Commutavit* יָמִיר] Sub. *Dominus*, i. tradidit possidendam alteri domino, nempe hostibus nostris. ¶ *Quomodo removit*, &c. אֵיךְ יָמִישׁ לִי וגו'] Doctus inter Hebræos sic exponit hunc locum, quem secuti sumus, *Quomodo id fit ut auferat à me hostis quod meum erat? Dum putabam Deum velle nobis restituere agros nostros quos occupabant hostes, tum ipsi detinebant illos, ac dividebant inter se.* Alii vertunt, *Quomodo* ergò *auferet mihi, ut restituat agros nostros quos partitus est* hostis? i. Quomodo id continget ut auferat illam portionem Dominus ab inimicis nostris, restituátque nobis agros nostros quos illi jam inter se diviserunt? Alii, *Quomodo aufert quod meum est, & agros nobis restituendos diu* inter se hostis? Alii, *Quomodo quod ablatum est mihi, vendicabo? agros nostros distribuit*.

5. *Tibi* לְךָ] Alloquitur iniquos illos qui injustè occupabant agros ac domos aliorum. Non habebis, inquit, heredem qui partiatur hereditatem quæ tibi sorte obveniat inter electos, hoc est qui sortiatur hereditatem cum aliis.

6. *Nè stilletis stillabunt* אַל־תַּטִּפוּ יַטִּיפוּן] *Nè loquamini: dicunt*. *Stillare eloquium* dicunt Hebræi pro *loqui*, aut *prophetare*. Plena locutio legitur Job. 29. 22. *Et super eos stillabit eloquium meum*. Futurum secundo loco positum pro præs. *Nè stilletis, stillant*, vel *stillare solent*: aut *dicere* nempe Porphetis: i. dicunt veris Prophetis, Nolite prædicere nobis futuras calamitates ac miserias nostras. ¶ *Non stillabunt*, &c. לֹא יַטִּפוּ וגו'] Sing. יַטִּף pro plur. & *istis* pro *vobis* positum: *non prophetabunt vobis*, propterea *ignominiæ non apprehendent vos*. Vel, ut alii vertunt, quasi si *non loquantur istis, non apprehensura sint* eos *ignominia*. Per Ironiam dictum: q. d. Etiamsi non prædixerint vobis futuras calamitates, nihilo tamen minùs evenient, neque liberabuntur. Alii vertunt, certè *non loquentur istis, nè assequantur eos ignominia*: i. privabo eos verbo meo, & ità ignominiæ non assequentur Prophetas meos, h. e. non afficientur ignominiâ ab illis. Contumeliis enim afficiebantur veri Prophetæ siquando adversa vaticinarentur.

7. *O quæ diceris* הֶאָמוּר] *O quæ dicebaris*, i. O quæ antea gloriabaris de religione & fide. ¶ *Numquid abbreviatus est Spiritus* הֲקָצַר רוּחַ] i. An minor aut contemptior est Spiritus Prophetiæ quàm fuerit olim? ¶ *An ista sunt opera ejus* אִם אֵלֶּה מַעֲלָלָיו] q. d. Non. Hujus versûs hæc est sententia, O vos Israelitæ nomine tantùm, non re, nónne facilè potest Dominus mittere Prophetas ut olim, etiam si illis silentium imponatis? De Spiritu Prophetico hoc intelligitur. Numquid quæ vobis eveniunt mala, à Deo sunt, sive à Spiritu Dei? vel, Num malorum quæ vobis accidunt causa est Deus, sive Spiritus Dei, qui ea prædicit per Prophetas, & non potiùs vos? q. d. Tantùm prædicunt vobis adversa, non autem sunt eorum causa, sed peccata vestra sunt causa adversorum omnium. Nónne Dei est [i. meum: mutatio personæ] prædicere ventura? nónne prædicere soleo bona eventura iis qui observant mandata mea? q. d. Verba Dei neminem malis afficiunt, sed bonis.

8. *Qui antea populus meus* וְאֶתְמוּל עַמִּי] Ad verb. *Et heri populus meus*. Quidam, *Equidem non adeò pridem populus meus*. ¶ *Insurgit* יְקוֹמֵם] Fut. Heb. pro præs. Iterum taxat vehementer avaritiam ac injustitiam eorum. ¶ *Pallium exspoliatis* אֶדֶר תַּפְשִׁטוּן] *Ornamentum detrahitis*. Mutatio personæ, & fut. Heb. pro præs. Alii, *decus detrahitis*: sic dictum *pallium* quòd nos *ornet*: q. d. Populus meus, tanquam sit hostis, conspectâ veste aliquâ pauperis pulcrâ, insurgit ut vi auferat: ornamentum præterea detrahit ab iis qui iter faciunt per regionem suam nihil tale cogitantibus nec metuentibus, tanquam finito bello paceque compositâ. ¶ Qui *revertuntur è prælio* שׁוּבֵי מִלְחָמָה] Ad verb. *reversis è bello*. Quidam vertunt, velut hi qui *revertuntur à bello*. Sunt enim sanguinarii & raptores.

9. *Ejicitis* תְּגָרְשׁוּן] Fut. Heb. pro præs. *expellitis*: interfectis scilicet maritis, aut patriâ pulsis. ¶ *E domo delectationum suarum* מִבֵּית תַּעֲנֻגֶיהָ] i. In qua diu habitaverant cum maritis suis in magna charitate & dilectione conjugali: vel in qua vivebant in deliciis. ¶ *Decus meum perpetuum* הֲדָרִי לְעוֹלָם] Dirimitis conjugium ipsorum parentum, quod est mihi decori perpetuo.

10. *Et abite* וּלְכוּ] Sub. *in captivitatem*. ¶ *Non enim ista* erit

erit *requies* כי לא זאת המנוחה] q.d. De terra veſtra dixeram, Pſal. 132. 14. *Hæc requies mea*, &c. *hic habitabo in ſeculum:* nunc autem propter iniquitates veſtras *non* jam ultrà *erit* veſtra hereditas & *requies*, in qua ſperabatis vos ſemper manſuros: *ſurgite*, *abite* ab ea: non diu habitabitis hic. ¶ *Quia eſt immunda*, &c. בעבור טמאה וגו'] Nam *propter contaminationem corrumpet* vos terra ipſa, *& quidem corruptione vehementi:* vel, *propter pollutionem diſperdet* vos *perditione forti:* vel, *magnâ*, *ingenti*, *& acerbâ:* i. evomet. Metaphora à Stomacho rejiciente cibum quem ferre non poteſt.

11. *Qui ambulet*, &c. הלך רוח] *Qui ambulet* in *vento*. Quidam vertunt, in *vanitate*. Vanum hominem intelligit. ¶ *Et mendacium mentitus fuerit* ושקר כזב] Præt. Heb. pro præſ. *& falſitatem mentiatur*, i. falſum dicendo mentiatur. ¶ *Stillabo*, &c. אטף וגו'] *Vaticinabor:* i. prædicam quod erit tibi conducibile & gratiſſimum, ſi dederis mihi *vinum aut ſiceram:* h. e. Qui prædicet eventura quæſtûs gratiâ. ¶ *Is erit ſtillans* והיה מטיף] *Is erit Vates:* i. Populus iſte ſtolidus habebit eum pro Vate. Ad verb. *& erit ſtillans:* ו loco relativi: niſi per *certè* vertas.

12. *Congregando congregabo* אסף אאסף] Hebraiſmus, Proculdubio colligam, h. e. Efficiam ut cogente hoſte congregemini in urbibus veſtris munitis, quas ille obſeſſurus eſt. Quidam Hebræorum hos duos verſiculos exponunt de conſolatione ob futuram reductionem captivitatis Iſraeliticæ. ¶ *Tumultuabuntur* תהימנה] *Fremens:* q. d. Tanta erit in illis urbibus multitudo hominum obſeſſorum, ut ipſi vocem ac ſtrepitum tumultuoſum edant.

13. *Aſcendet* עלה] Præt. Heb. pro fut. ¶ *Effractor* הפורץ] Qui ſcilicet perrumpit murum, q. d. Efficiam ut tandem cogamini fugere noctu, perrupto muro urbis. ¶ *Portam* שער] Sub. *frangent*, *inquam*. ¶ *In capite eorum* בראשם] Hebraiſmus, antea erat dux eorum & favebat illis; nunc autem propter peccata ipſorum deſerui eos.

CASTALIO.

4. PErditi ſumus] *Periimus*, inquit populus, aut quivis ex populo: Deus aufert nobis, qui populus ſumus, agrum noſtrum & poſſeſſiones: quas non modò non reddit nobis, verùm etiam eas hoſtibus *dividit*, tanquam à nobis alienatas, nè fortè ſperemus nos eſſe recuperaturos. *Itaque non habebitis*, inquit Vates populo, *qui* vobis terram *ſorte dividat* in Iſraelitarum civitate, ut olim diviſit Joſua: h. e. perdetis veſtram patriam. Dicetis hoc oraculum eſſe triſte, quo vobis calamitatem prænunciem: aut *non eſſe vaticinandum*; *aut non ita vaticinandum*, ut vobis triſtia minemur & *probroſa*. Quid ergò? Vultis ut vobis læta nunciem? Non poſſum, niſi mentiri velim: Nam Deus triſtia minatur: nec ideo minatur quaſi læta & fauſta promittere ac præſtare vel nequeat vel nolit. Cur enim minùs poſſit vobis eſſe bonus quàm Jacobo, à quo genus ducitis? *Nec enim eſt contractus* aut debilitatus *ejus ſpiritus*, ut vobis conferre non poſſit quod potuit illi: Neque rurſum mutata eſt *ejus bonitas*, ut nunc nolit quod tunc voluit, atque ità & debilis ſit & inconſtans. Quid igitur obſtat, inquietis, quò minùs læta promittat? Ille verò læta promittit, ſed probis, ut paulò pòſt dicetur. Sed vobis quò minùs læta promittat, facit improbitas veſtra; qui cùm *antea ejus populus* fueritis, nunc facti eſtis ejus *hoſtes* (hoc enim ſignificat *ſurgere in hoſtem:* ut ſi dicas *fruticem ſurgere in arborem*, h. e. arboreſcere) quippe qui *viatores diſpolietis*, *eiſque veſtes honeſtas detrahatis*, nihil tale metuentibus, ſed *à bello ſecurè redeuntibus.* Qui enim hoſtem evaſerunt, nihil jam timent: at vos eis hoſtes eſtis. Nec ſolùm foris tales eſtis, ſed etiam domi in eum ſexum cui maximè parci oportebat, videlicet in mulieres, quas per vim *ex ſuis charis domibus ejicitis*, fœnore & aliis iniquitatibus oppreſſas. Quinetiam earum natos ſpoliatis, & veſtitu, quo erant à me donati atque ornati, privatis; ità ut crudelitate iſtâ oppreſſi nunquam poſſint ex miſeria ac egeſtate emergere. Iſta ſcelera, quibus *polluta* terra eſt, in cauſa ſunt ut ego vobis exſilium diramque calamitatem denunciem. Scio hæc vobis non placere, utpote qui læta poſtuletis. Itaque *ſi quis ventoſus & vanus homo eſſet*, qui *mentiretur*, & vobis *multum vini promitteret*, huic quamvis mentienti crederetis potiùs quàm vera dicenti, hoc ſolo nomine quòd læta prædiceret. Ego quoque bona prædicam, ſed bonis futura. Memineritis enim quòd ſuprà dixi, *mea dicta bona eſſe rectè gradientibus*; nè fortè improbi ſperent hanc quam jam dicturus ſum felicitatem. Prædicam autem non de vino, ſed de re omnium maxima, quæ eſt hujuſmodi. Poſtquam vos in exſilium, ut ſuprà minatus ſum, relegavero, indè vos reducam *qui ſuperſtitis*, & *tanquam generoſas oves* Hieroſolymis *quaſi in caula collocabo*, tanto numero ut vix poſſit ejus iniri ratio *præ hominum multitudine*. Dux autem veſter erit Meſſias, *Rex* veſter, *qui irrumpet*, hoſtéſque vincet, atque ità viam vobis ad beatum Regnum patefaciet, ibi deinceps liberè futuris, *præſide* Meſſia *Rege & Capite* veſtro, *in quo capite* erit *Jova* ipſius Pater. Quoniam *& in Filio Pater*, *& in Patre Filius eſt*. Atque hæc bonis probiſque promitto.

CLARIUS.

1. IN luce matutina) i. Noctes inſomnes ducunt, & cogitant quo pacto proximo noceant, & mox ut aurora illuxerit ſurgunt ut exſequantur quod peſſimè excogitarunt.

4. *Pars populi mei commutata eſt*] Portio tota populi, h. e. terra ipſa, ad hoſtes tranſlata eſt.

6. *Nè loquamini, dicent*] h. e. *Et etiam dicent*, *Nè prophetetis.* ¶ *Non ſtillabit*, &c.] i. Non prophetabunt contra iſtos, niſi malè mulctari velint. Hebræi enim dicunt *ſtillare* pro *prophetare.*

7. *Abbreviatus eſt*] Ut ſcilicet non poſſit futura, ſicut ſolet, prædicere. ¶ *An non ea ſunt cogitationes ejus*] i. Nónne ſic decrevit Dominus vos perdere?

8. *Et quidem heri*] h. e. Non nunc primùm incipit populus opprimere pauperes, ſed ab heri & nudiuſtertius. Porro per *adverſarium* intellige pauperem & viribus imparem. ¶ *Tunicam & pallium*] Pallio & (ſiquam habet) bonâ *tunicâ* illum nihil tale cogitantem *ſpoliatis*, & ablatis ab illo omnibus, tam cogitis nudum abire quàm ſolent *è periculis prælii* vix fugâ elapſi domum *redire.*

9. *Mulieres populi*] *Mulieres* pauperum vi *eripuiſtis de domo deliciarum ſuarum*, h. e. mariti & filiorum. Et illud, *à parvulis earum*, ſub. *eripuiſtis.* ¶ *Tuliſtis laudem meam*] Dehoneſtaſtis matrimonium, quod ego maximè honorabile eſſe volui ſemper.

11. *De vino & ſicera*) h. e. Læta vobis prophetabo, ut bibatis vinum & læti ſitis.

12. *Congregabo Jacob*] Reſpicit hîc Propheta ad Regnum Chriſti: diciſque *totum Jacob*, non illum ſecundùm carnem, ſed qui fide filius eſt, *congregandum.* Unde ſubditur, *reliquias Iſrael*, quæ ubique promittuntur ſervandæ, quæ *ut oves Boſra* ſub Chriſto Paſtore in maximum creſcent numerum. ¶ *Tumultuabuntur*] i. Tanta erit *multitudo* illorum ut civitas eos capere non poſſit, ſed muros frangi oporteat ipſius Jeruſalem novæ, & habitare abſque muro illam, Zach. 2.

13. *Aſcendet tandem*] Videlicet Rex ipſe, qui *inducit & educit oves ſuas*, *ut paſcua inveniant*, rumpens obſtacula omnia quæ ante adventum ſuum ab ingreſſu hominem prohibuerunt.

DRUSIUS.

1. OPerantibus] Animo ſcilicet. Idem aliis verbis repetit. Siquidem *operari animo* & *cogitare* eadem ſunt. ¶ *In cubilibus ſuis*] Ubi alii quieſcere ſolent & diurnas curas ſomno laxare. Porrò autem nox aptiſſima eſt cogitationibus habendis, eùm ſenſus per lucem diei minimè diſtrahuntur. Unde David, *Nocte erudierunt me renes mei.* ¶ *Luce matutinâ faciunt illud*] Non ſolùm cogitant malum (quod tamen leve crimen non eſt) ſed etiam exſequuntur cogitata, idque *luce matutinâ*, h. e. diligentiâ ſummâ. ¶ *Cùm eſt in poteſtate manûs eorum*] Simulac facultas eſt faciendi illud. אל *poteſtas.* Sic accipitur id nomen Prov. 3: 27. *cùm eſt in poteſtate manûs tuæ:* & Deut. 28. 32. *non erit in poteſtate manûs tuæ*, ſub. *liberare* aut *redimere eos.* Frequentiùs אל *Deum* ſign. quem ſenſum expreſſit Hier. cùm verteret, *quoniam contra Deum eſt manus eorum.*

2. *Qui concupiſcunt*] *Simulac concupiverunt*, *diripiunt eos*, uſque adeò ſunt manu prompti ac temerarii ad exſequendum quod ſemel deliberarunt. ¶ *Agros*] Vicinorum, aut pauperum. ¶ *Et adimunt*] ונשאו dixit pro ולקחו: concupitas ædes proximo adimunt quo jure quâve injuriâ. ¶ *Et opprimunt virum*] Per calumniam *opprimunt virum cum ſua domo & patrimonio.* Porrò autem *opprimi patrimonium* intelligitur quod per vim & nullo jure alicui adimitur. ¶ *Hominem*] גבר, *virum* propriè.

3. *Ego cogito*] Dum vos *cogitatis in cubilibus veſtris iniquitatem* alii contra alios, *ego* viciſſim *cogito malum* contra vos, h. e. de pœna infligenda veſtris ſceleribus dignâ. ¶ *Contra familiam iſtam*] *Contra gentem iſtam.* Intelligit autem Iſraelitas vel certè genus hominum nequam & perverſum, in quos peculiariter

liariter hoc capite invehitur. Nomen autem *familiæ* pro *gente* usurpat, ut Amos 3. 1. *contra familiam quam eduxi è terra Ægypti:* & Zach. 14. 18. *etsi familia Ægypti non ascenderit*, i. gens Ægyptia. Jer. 10. 25. *super familias quæ nomen tuum non invocarunt*, i. gentes, ut interpretatur Santes Pagninus. ¶ *Non amovebitis*] *Non poteritis amovere.* Vult dicere, *unde nunquam liberabimini.* ¶ *Colla vestra*] Metaphora à jumentis jugo subditis. ¶ *Erectè*] Plenum est רומה *erectè, elatè.* Nam qui jugum portant, capite incedunt in terram inclinato: quod est signum mœroris. Contrà, qui animo hilari ac læto sunt, iidem erecto vultu incedunt. ¶ *Quoniam tempus malum erit*] Vel, *cùm tempus malum erit.* עת רעה potest verti *tempus mali*, ut רעה sit nomen substantivum.

4. *Tollet*] Quis *tollet*? utrùm lamentator, an alius quispiam? Posset verti; *tolletur de vobis proverbium*, hâc sententiâ, *eritis omnibus proverbio, & quasi vulgi fabula.* Simile, *nuntiavit David*, pro *nuncitatum est.* Sunt qui per *proverbium* sive *parabolam* intelligunt lamentum sequens, sic dictum, ut aiunt, quòd sermo ejus paulò obscurior sit. Nam MASAL sæpe aliud nihil quàm *oratio obscurior & occultior.* ¶ *Lamentum lamenti*] h. e. Lamentabile. Quidam, *lamentum fractum.* Quò respexerit fortè Hier. qui vertit *canticum cum suavitate.* Nam vox fracta in musica etiam suavis est. נהיה *fractum*, participium ab היה. Hoc significatu legimus ונהייתי *& fractus sum. Lamentum* נהי, & aliâ formâ nostris נהיה, unde Latinum *nænia*, q. נניה. Contractiùs legitur ני pro נהי Ezech. 27. Est autem *carmen lugubre.* ¶ *Vastati sumus*] נשדנו: esset נשדונו cum Holem in penultima, ut נכבונו. Ergò Kibbuts est pro Holem, &, quod miseris, in pausa, quæ solet alioqui breves vocales producere. Dicendum igitur, hoc loco longum esse, ut fit quando pro Schurec ponitur. ¶ *Partem populi mei*] *Hæreditatem populi mei*, h. e. terram Israel. ¶ *Immutat*] *Immutat* dominum ejus; & subauditur *Deus* an *hostis*? Hoc videtur velle, Quæ priùs proprium habuit dominum, nunc alienum experietur. ¶ *Quomodo adimit mihi*] Sub. *bona & prædia mea.* Aut לי posuit pro שלי *id quod mihi est*, h. e. meum omne? ¶ *Avertendo agros nostros dividit*] Militibus suis scilicet. Quidam ità exponunt, *dividit agros nostros restituendos*, sive *quos debebit aliquando restituere*: quod non placet. Quid si hoc modo exponatur, *Quomodo adimit mihi? ad restituendúmne?* q. d. Minimè gentium. *Nam ecce agros nostros partitur*: quod argumentum est ipsum nolle eos restituere. *Avertendo*, sc. *à nobis.* שובב *avertere*, ut Jes. 47. 10. דעתך שובבך *scientia tua avertit te.* Hinc שובב *aversus, refractarius*, & בנים שובבים *filii rebelles*, & משובה *aversio.* Hier. *cùm revertitur*, בשוב.

5. *Quocirca*] Quoniam ità tractasti populum meum, ô Assyrie, *non erit tibi pars neque hæreditas in Ecclesia DOMINI.* Quidam pronomen referunt ad lamentatorem, quem putant fuisse unum ex falsis Prophetis. Mihi videtur posse referri non incommodè ad *Israelem*, i. ad decem tribus: ut sensus sit, Non ampliùs recuperabitis ea quæ jam hostis vobis ademit. ¶ *Projiciens funiculum*] Respexit ad morem veterum, qui funiculis utebantur in agris dividundis: unde Deut. 32. 9. *Jacob funiculus hæreditatis ejus*: & apud Davidem, *Funes in amœnis ceciderunt mihi*, pro eo quod est, *Pulcra & amœna mihi obtigit hæreditas.* Hunc morem secutus Josua dux funibus agros metatus fuisse legitur quos populo dividebat. ¶ *In sorte*] h. e. *In cœtu DOMINI.* Nam Ecclesia vocatur *clerus*, h. e. *sors DOMINI*: unde & *Clerici* vocabulum. Aut *in sortem*, h. e. *ad sortiendum in cœtu DOMINI.* Nam post jactos funiculos sortiebantur inter se quis hanc vel illam haberet partem.

6. *Ne stilletis*] Meliùs fortè, *Ne faciatis stillare*, sub. *sermonem vestrum*, ut Job. 29. 22. *super eos stillat sermo meus.* Sententia est, *Ne prophetetis.* Sic Amos 7. 16. *Non prophetabis contra Israelem, neque facies ut stillet contra domum Isahac.* Vide Animad. l. 1. c. 11. Sunt autem, ut quidam volunt, verba populi Prophetis Dei silentium imperantis. Quod autem sequitur *stillabunt*, vel *stillent*, plerique omnes ità accipiunt ut sint verba Dei jubentis ut in munere suo nihilominus perseverent. Alii legunt *stillent isti*, sc. Vates nostri, qui nobis fausta omnia prædicant. ¶ *Non stillabunt istis*] *Prophetabunt*, sed *non pro istis*: q. d. Nihil fausti, aut boni istis prædicent. Cur? Quia *nemo* eorum *recedit ab ignominiis.* לאלה *pro istis.* Posset exponi *de iis*, quod tamen nunc displicet. Quidam *secundùm istos*, nempe falsos Vates vestros: q. d. Alia prophetabunt atque vestri Prophetæ solent. Ità ל sumitur in למינהו, quod reddunt *secundùm genus suum*: alioqui *secundùm istos*, i. כאלה. ¶ *Non recedet ignominiis*] Inverto, & expono, *ignominia non recedent ei*, sive *ab eo*, h. e. ab unoquoque eorum. Tale est, *oculus descendit aquis*: item *ager ascendit spinis.* Porrò *ignominiæ*, i. pudenda & ignominiosa facta, aut pœnæ & dedecora. Aliter, *non assequetur ignominias*, hâc sententiâ, *Non stillabunt istis, ne sibi dedecus & ignominiam adferant*: juxta illud, *Qui corripit stultum, id ei maculæ & dedecori erit.* Qui hæc ità accipiunt ut sint verba populi, hoc modo enarrant, *Stillent*, sc. Prophetæ nostri: *non enim stillant secundum istos*, i. quemadmodum isti prophetant. Quid ergò prophetant? *Non assecuturum populum ignominias.* יסג fut. à נסג *retrocedere*: aut est יסג pro ישג *assequetur*, quod tamen mihi durum videtur. Vet. *comprehendet.*

7. *O dictæ Domus Jacob*] *O qui diceris Domus Jacob*: q. d. Qui nomine tantùm es *domus Jacob*: aut, qui diceris quidem, sed non es, quia degenerasti à tuis majoribus. האמור. Priùs erat *ô dicta*, sive *quæ diceris*, האמורה. Nam בית *domus* in communi sermonis usu femininum est. ¶ *An abbreviatus est?*] *An contractus est?* *Contrahi* autem dicitur *spiritus DOMINI* quando in angustias redigitur, ut cùm præscribitur Prophetis quid vaticinari debeant; aut quando iidem negligentiores sunt, nec funguntur officio suo ut oportet. Ad hunc ferè modum exponunt Scholia Camii Ebræi. ¶ *Spiritus Domini*] Prophetia. ¶ *Si ista sunt studia ejus?*] *An hæc sunt facta ejus?* q. d. Non ipse est causa harum calamitatum, sed vos & vitia vestra. Nam ubi non est culpa, ibi non est pœna. Alii exponunt, *An ista sunt actiones quas lege suâ vobis præscripsit ut secundùm eas vitam vestram institueretis?* ¶ *Nonne verba mea bona faciunt*] i. Prosunt. Prophetæ non comminantur mala nisi iis qui improbè vivunt. Nam rectè viventibus omnia bona denunciant. Est enim Deus bonus erga bonos; juxta illud, *Cum sancto sanctus eris.* Culpa ergò redundat in mores vestros.

8. *Heri*] Antea: non ità pridem: paucis abhinc an diebus an mensibus? Ità sumitur Jes. 30. 33. *Nam instructa est ab heri Thophthe.* Cato de re rustica hoc sensu dixit *pridie* Plenum est, *heri nudiustertius*, χθὲς καὶ πρώην. Adi Adagia mea. Constructio est, *Populus meus heri contra vestes insurgebat*: aut, *Qui heri populus meus erat, nunc insurgit contra vestem.* Cæterum *heri* paulò aliter sumitur in illo, *Christus heri & hodie.* ¶ *Pro hoste*] Tanquam hostis. Verbum è verbo *in hostem.* Simile, *Et fuit domus Esau in stipulam*: quod enarrant, *ut stipula.* Quid si *in hostem*? ut sit Hypallage pro *hostis in populum meum*: quale illud, *miserunt civitatem in ignem*, pro eo quod est *ignem in civitatem.* ¶ *Insurgebat*] Vel *stabat*, aut potiùs *stat.* Nam קום hoc etiam significat. Rectiùs, *statuit* aut *erigit se*: nam est יקומם in fonte. ¶ *Vestis*] Hominis bene vestiti. שלמה propriè *vestis cultior & elegantior quàm quotidiana.* Vocatur & שמלה transpositis literis. Vide Quæst. lib. 1. quæst. 3. ¶ *Pallium*] אדר accipio pro אדרת, quod est *genus pallii* aut *lænæ.* Aliis est idem quod הדר; q. d. *spoliatis ipsum decore*, i. vestitu ipsius decoro, sive qui ipsum decorat & ornat. ¶ *Reversis à bello*] *Ac si reversi essent à bello.* Sensus hic est, Domum redeunt nudi, ut qui ex pugna aliqua effugerunt: nam tales ferè arma & alia impedimenta abjiciunt. Sunt qui legunt *quietis à bello*: quod verbum שוב etiam denotat. Unde השיב *quietem dare*, & משובה *quies*, secundùm nonnullos, Prov. 1. 32.

9. *Populi mei*] i. Pauperum: ut Exod. 22. 25. *Si mutuò dederis pecuniam populo meo pauperi, qui apud vos est.* Sic Psal. 14. 4. *Qui devorant populum meum ac si devorarent panem.* Aut, *uxores populi mei*, i. vestras, nempe quas è populo meo vobis accepistis. ¶ *Expellitis*] Sinitis ut expellant eas, cùm id potiùs impedire deberetis. Aut exemplo vestro populum ad hoc faciendum impellitis. Rectiùs, me judice, Occasionem datis populo meo cur expellant uxores suas, dum maritos spoliatis &, si placet, adulterio polluitis: Quæ causa justissima est marito expellendi uxorem. Hoc significat cùm ait, *à parvulis ejus aufertis decorem meum.* Nam castitas matrimonii sempiternum Dei decus est. Vel, Efficitis ut mariti eas expellant, ut Sirach. 28. 15. Γλῶσσα τρίτη γυναῖκας ἀνδρείας ἐξέβαλε, i. *Lingua tertia fortes mulieres ejecit.* Nam non lingua eas ejecit, sed mariti propter linguam delationum & ἐχθροποιὸν, quæ discordias serit inter conjuges, facitque ut viri uxores suas domo expellant nihil tale promeritas. ¶ *Deliciarum suarum*] Ubi in deliciis vivebant cum charis liberis. ¶ *Ejus*] Uniuscujusque earum. ¶ *Decus meum*] Innuit conjunctionem mariti & uxoris. Nam legitimo conjugio, per quod genus humanum conservatur, Deus perpetuò cohonestatur. Quò pertinet illud Psal. 104. 31. *Sit gloria DOMINI in seculum: Lætetur DOMINUS in operibus suis.* Est enim Matrimonium inter Dei opera sive instituta.

10. *Abite*] In captivitatem videlicet. ¶ *Non hæc erit requies*] *Hæc terra non erit* ampliùs *requies* vestra. Vult dicere, *non manebitis in ea diutiùs, sed indè abducemini aliò.* Huc re-

se.

ferunt, *Hac eſt requies mea in ſeculum ſeculi.* Probarem ſi dixiſſet, *Nam hac eſt requies mea.* Aliter, *Non erit hac requies; neque mea, neque veſtra: mea;* quia eos deſeram, juxta illud, *Revertar in locum meum: veſtra;* quia in captivitatem abducemini. *Locus requietis Dei* vocatur non Templum duntaxat, ſed etiam ipſa urbs in quo Templum erat, h. e. Jeroſolyma. Sirach. 36. 13. Οἰκτειρον πόλιν ἁγιάσματός σȣ Ἱερȣσαλὴμ, τόπον καταπαύσεώς σȣ. ¶ *Propter immunditiam*] Immunditiam operum intelligit. *Immunda* autem *opera* dicit ſcelera & flagitia, quæ terram quoque ipſam polluunt: unde Lev. 18. 25. *Et polluta eſt terra.* Porrò *immunditia* hîc טָמְאָה appellatur; quod eſt nomen ad formam חכמה *ſapientia.* Nam ſcriptum abſque Metheg in libris quos vidi. Quòd ſi legas אֲמְאָה per *a* longum, verbum erit, ac vertendum *eò quòd polluta fuit,* nempe ſceleribus veſtris & flagitiis. ¶ *Perdet*] Ipſa terra *perdet vos*; ut alibi legitur, *& evomuit terra habitatores ſuos.* ¶ *Prævalidâ*] Aut *prædurâ.* In Joſepho Gorionis F. l. 4 c. 18. הם יכתי מכות נמרצות אשר אין בי כח לשאת אותן. Pro quo 2 Macch. 6. 30. σκληρὰς ὑποφέρω κατὰ τὸ σῶμα ἀλγηδόνας.

11. *Vir ambulans,* &c.] Utrùm hoc dicit, *Si quiſpiam ambulans in ſpiritu mendacii?* ut ſit ἐνδιαδὶς, ſive tmeſis, ut vocant: an potiùs, *Si quiſpiam incedens viâ venti & falſitatis?* Quidam, *Si vir ventoſus,* i. vanus, levis, inconſtans. Sic alibi *verba ventoſa.* Adi ſis ad Proverbia mea. הולך רוח *ventoſus,* ut הולך רכיל *delator, ſycophanta.* ¶ *Spiritu*] Deſideratur ב, ut ſit ברוח *in ſpiritu.* Sic explicant nonnulli הולך תמים *ambulans in integritate,* בתמים, i. *integrè.* Pari modo exponas, *ambulans in mendacio* בשקר, i. *mendaciter.* Quale ilud, *Qui ambulat in juſtitia,* i. juſtè. ¶ *Mendacio*] Falſitate. Quidam conſtruunt, *& falſa dicens mentiretur:* malè. Sanè (·) quod ſub Vau in ושקר indicat שקר pertinere ad nomen רוח, non ad verbum כזב quod ſequitur: alioquin eſſet ושקר cum Scheva ſub Vau, *& falſum mentiretur:* quod eò minùs placet quia omne mendacium falſum eſt. ¶ *Stillabo*] Docebo, prophetabo. ¶ *Pro vino ac ſicera*] *Vini aut ſiceræ gratiâ,* ſi videlicet ea mihi ſuppeditaveris: nolo enim id gratis facere. Proprium pſeudoprophetarum quæſtûs causâ prophetare. Sed vide num melius ſit *de vino & ſicera*; ut ſenſus ſit, *Prædicam uberem proventum vini & ſiceræ.* ¶ *Stillator*] Propheta, doctor. Verbum *ſtillo*, quod in Pluvia proprium, ad Sermonem ſive Doctrinam tranſtulit, ut ſuprà, *Ne ſtillate, ſtillent.* Vide Animadv. meas.

12. *Colligam te totum*] Cogam te intra oppida & munitiones, ut fit cùm hoſtilis ingruit exercitus. Nam qui ruri habitant, tum ferè in urbes ſe recipiunt. Et, *colligam te totum,* i. quotquot reſidui erunt ex te. Id ſign. cùm ait *congregando congregabo reliquias Iſraelis.* ¶ *Simul*] *Pariter.* ¶ *Ut oves Boſræ*] *Quemadmodum Boſranæ oves* intra ſepta coguntur. *Boſra* locus Idumææ ubi læta paſcua & greges ovium. Ejus mentio Jeſ. 34. 6. *quoniam victima DOMINO in Boſra.* Græca ed. hîc legit ἐν θλίψει, i. בצרה: eædem conſonantes, aliæ vocales. Dicitur & בצר, quod antiqui *Boſor* legebant. Meminit & Amos Propheta 1. 12. R. S. ſcribit *eſſe urbem regionis Moab ſitam in confinio Idumaæ: unde ei quoque contribuitur.* Ex hac fuit *Jobab* ſive *Juba* 1 Par. 1. 44. ¶ *Ut grex in medio caulæ ſuæ*] Aliàs, *ut gregem in medio ovilis ſui*, ut ad verbum *ponam* referatur: הַדִּבְרוֹ *caulæ ſuæ:* itá ſcriptum in libris quos vidi. R. D. legit הַדָּבְרוֹ per (·) vocalem longam, quam Metheg ſive Gaaja ſequitur, דבר *caula, ovile.* Appellatio à *ducendo*, quòd in eam pecora ducantur: nam דבר *ducere* vel *agere pecus*: quod *minare* dicimus. Hinc & מדבר ſecundùm nonnullos: nam in deſerto paſcua erant, in quæ pecora minabant. ¶ *Perſtrepent*] תהימנה pro תהמינה. Ad quod exemplum eſt תבאינה *venient,* תפוצינה *diſpergentur.* Radix eſt הום. ¶ *Præ hominibus*] מאדם *præ hominum copia*, vel *multitudine.*

13. *Effractor*] Utrùm ipſos hoſtes intelligit Aſſyrios & Babylonios? an potiùs eos qui cum Sedecia fugam capeſſebant? de quibus lectum Ezech. 12. 12. *parietem perfregerunt ad educendum eum.* Hiſtoria habetur 2 Reg. 25. 4. Quidam ipſum Sedeciam denotari putant. Sunt etiam ex Ebræis veteribus qui de Elia, i. de Johanne Baptiſta, hunc locum interpretentur, nempe quia putant hic agi de reſtitutione populi per Chriſtum: In qua ſententia videtur fuiſſe & Jonathan Chaldæus P. ¶ *Perruperunt tranſierunt portam*] Vel, *effregerunt tranſierunt portam.* Vult dicere, *pertranſierunt effractam portam*, ſive, quod idem, *effugerunt tranſeuntes portam.* Nam quà erant multitudine, ſimul omnes per portam exire non poterant: ideo porta effracto muro dilatanda fuit. ¶ *Rex eorum*] Sedecias. Quidam hæc referunt ad expugnationem Samariæ, de qua 2 Reg. 17. 6. Iidem de Hoſea filio Elia locum accipiunt. ¶ *DOMINUS in capite eorum*] *Dominus capitibus eorum impendebat,* vel *imminebat.* Sic enim expoſuerim potiùs quàm, ut alii, *DOMINUS erat dux agminis.* Hoc vult, Cùm fugient, non planè effugient: nam Divina ultio eos perſequetur atque adeò aſſequetur per Chaldæos. Itá ſanè accidit: nam *inſecuti fugientem Regem Chaldæi ceperunt eum in campeſtribus Jericho*, ut habetur 2 Reg. 25. 5.

IDEM.

2. Τὸν Θεὸν) Τὸν Κύριον.

2. Ἥρπαζον] Διήρπαζον. ¶ Ἄνδρα καὶ οἶκον] Τὸν ἄνδρα καὶ τὸν οἶκον.

3. Ἰδοὺ] Ald. *

4. Ὑμεῖς] Baſ. ἡμᾶς. ¶ Λέγων] Λεγόντων. ¶ Λαȣ̃ μȣ] Λαȣ̃. ¶ Ἐν σχοινίῳ] Σχοινίῳ. ¶ Κωλύσαν] Κωλύων. ¶ Αὐτὸν] Αὐτό. *] Αὐτό.

5. Σοὶ βάλλων] Ὁ βάλλων.

6. Δακρύετε] Al. κλαίετε. ¶ Οὐκ] Al. οὐδὲ γάρ.

8. Εἰς ἔχθραν ἀντέστη] Κατέστη εἰς ἔχθραν. ¶ Ἐλπίδαν] Ἐλπίδα. ¶ Συντριμμῶν] Συντριμμόν.

9. *] Διὰ τȣ̃το.

10. Ἀνάστα] Ἀνάστηθι.

11. Εἰς μέθυσμα] Al. μέθυσμα.

*] Σοι.

12. Ἐκδέξομαι τȣ̀ς] Δέξομαι αὐτȣ̀ς τȣ̀ς. ¶ Τȣ̃ Ἰσραὴλ] Τȣ̃ οἴκȣ Ἰσραήλ. ¶ Αὐτȣ̃] Baſ. αὐτῶν. ¶ Ἐξελȣ̃νται] Ἐξαλȣ̃νται.

13. Καὶ κς] Ὁ δὲ κς.

IDEM.

1. Ἐγένοντο] היו pro הוי, i. ȣ̓αί. ¶ Διότι ȣ̓κ ἦραν] Fortè ſcripſerunt ἦσαν χεῖρες αὐτῶν nam ἦραν, i. נשאו: deinde addita negatio, ut ſenſus conſtaret. לאל Ἐν δυνάμει, ἐν ἰσχυΐ. Ex non intellecta iſta voce totus hic locus vertendo corruptus fuit.

2. Ὀρφανȣ̀ς] Abeſt textui Hebræo. ¶ Καὶ οἴκȣς] Sub. ἐπεθύμȣν. ¶ Κατεδυνάστευον] Καὶ ἐδυνάστευον, καὶ ἦραν. Duæ voces in unam coaluerant, ut capite ſuperiore καθήσομαι pro καὶ θήσομαι.

4. Κατεμετρήθη] יכר pro ימיר. ¶ Ἐν σχοινίῳ] Additamentum alicujus ſtudioſi. ¶ Οὐκ ἦν] אין pro איך. ¶ Αὐτὸν] לו pro לי. Antverpienſis αὐτό· ex quo legerim αὐτῷ in dandi caſu, hoc ſenſu, *Non erat qui prohiberet ipſi*, ſub. *hoſtem*: & *ipſi*, i. in gratiam ipſius. ¶ Ἀγροὶ ὑμῶν] Menda eſt in ὑμῶν pro ἡμῶν, quæ inhæſit omnibus libris.

6. Μὴ κλαίετε] Μὴ σαλάζετε, τȣτέστι, Μὴ προφητεύετε. μεταφορικῶς. Sic vertunt v. 11.

7. Παρώργισε] הקציר legunt in tertia conjug. pro הקצר. Alioqui vertiſſent εἰ παρωργίσθη, ut credibile eſt. ¶ Λόγοι αὐτȣ̃] Λόγοι μȣ. ¶ Μετ᾽ αὐτȣ̃] Fallor, an legerunt עמה ישר pro עם הישר, an ſcripſerunt μετ᾽ αὐτῶν οἱ ὀρθοὶ πεπορεῦσθαι;

8. Εἰς ἔχθραν] Unica litera α in ο mutata conſtituit veram verſionem εἰς ἐχθρόν. ¶ Τῆς εἰρήνης αὐτȣ̃] שלמה pro שַׂלְמָה. ¶ Τὴν δορὰν] Lex. Chaldaicum ארורא *pellis*, purum putum ἡ δορά. ¶ Συντριμμῶν πολέμȣ] De hoc loco cogitabunt quibus plus otii eſt quàm mihi. Biblia Plantini συντριμμὸν πολέμȣ, i. שבר מלחמה.

9. Ἡγȣ́μενοι] Peccant largiter in uſum linguæ נשיא ἡγȣ́μενος, in ſecundo numero נשואים ἡγȣ́μενοι at נשי γυναῖκες. ¶ Ἐπιτηδεύματα αὐτῶν] Aliud עלליה, aliud מעלליהם. Poſterius ſignificat quod vertunt. ¶ Ὄρεσιν] הררי pro הדרי.

10. Οὐκ ἔστι σοι ἀνάπαυσις] Codex Antverpiæ excuſus ȣ̓κ ἔστι σοι αὐτῇ ἀνάπαυσις. Ex veſtigio hujus lectionis reſtituo ȣ̓κ ἔστιν αὕτη ἡ ἀνάπαυσις. Sic Veritas legit.

11. Κατεδιώχθητε] Hic locus ex iis eſt quos libenter prætereo: nam qui eum ſanare poſſim, niſi quid remedii manuſcripti duint, nulla in animo meo eſt ſpes. ¶ Οὐδενὸς διώκοντος] לא איש הולך. Primùm לא pro לו, deinde הולך ac ſi eſſet רודף. ¶ Ἐστάλαξε] אטף pro הטף ex Chaldaiſmo: & mox מַטִּיף σαλάζων legunt מִטִּיף ἐκ τῆς σταγόνος quanquam מטה in uſu eſt, non טיף.

12. Θήσομαι] Αὐτὸν ὡς πρόβατα Βόσρα. ¶ Ἐν θλίψει] בְּצָרָה pro בָּצְרָה.

13. Ἀνάβηθι] Ἀνέβη ὁ διαπαιωνίκτης πρὸ προσώπȣ αὐτῶν. פורץ *effractor.* Legunt פרץ διακοπὴ, & עֲלֵה in imperativo pro עָלָה.

IDEM.

I D E M.

6. אַל תַּטִּפוּ יַטִּיפוּן. Aq. *Nè stilletis stillantes*] Hier. *Nè loquamini, inquit, loquentes. Pro quo interpretatus est Aq.* Nè stilletis stillantes, *quodam idiomate Ebraico Eloquium, ab eo quòd fluat & ad aures perveniat audientium in similitudinem pluviæ descendentis*, stillationem *vocans.* STILLANTES] i. כמטפים, vel certè הטיף, ut Matth. 13. 14. βλέποντες βλέψετε pro quo Ies. 6. 9. וראו ראו *& videbitis videndo.*

8. וְאֶתְמוּל עַמִּי לְאוֹיֵב יְקוֹמֵם. Sym. *ante unam diem populus meus quasi inimicus restitit*] Hier. *Quia verbum* אתמול *& contrarium & diem hesternum sonat, Sym. apertiùs transtulit, ut diceret* ante unam diem populus meus quasi inimicus restitit, *ut solveret quæstionem, quòd Deus non præterita vitia imputaret populo, sed recentia, & quæ quasi die commissa videntur hesterno.*

I D E M in V U L G.

1. INutile] *Aven* inutile: ut *Beth-aven* domus inutilis. Sed melius est interpretari, *Qui cogitatis iniquitatem.* ¶ *In cubilibus vestris*] *In cubilibus suis* legitur in Ebræo, & apud alios interpretes. Credo ego interpretem ità quoque vertisse; sed librarios, cùm præcederet verbum *operamini*, mutasse *suis*, *in eorum.* ¶ *Contra Deum est manus eorum*] Longè alia mens apud alios interpretes, qui vertunt, *cùm est in potestate manûs ipsorum.* E L vocabulum ambiguum & *Deum* significat, & *potentiam* sive *potestatem.* Sed hìc *potestatem* significat, ità postulante sententiâ.

2. *Violenter rapuerunt*] Verba transposita videntur, quæ sic leguntur in Ebræo: *agros & rapuerunt: domos & tulerunt*, id est, ademerunt. ¶ *Calumniabantur*] Melius est, *& oppresserunt.* ¶ *Virum & domum ejus*] Hìc est GEBER. ¶ *Virum & hæreditatem ejus*] Hìc est IS.

3. *Superbi*] Jonathan habet, *staturâ erectâ*, id est, elatè.

4. *Sumetur super vos parabola*] Latinè sic, *tolletur contra vos proverbium.* Sed in Ebræo *tollet* legitur, non *tolletur*: & est figura loquendi qualis in illo, *Reputavit ei pro justitia*: quod Græcè redditum ab Apostolo ἐλογίσθη, id est, *reputatum fuit.* ¶ *Cantabitur Canticum cum suavitate*] Verto mecùmque alii interpretes, *lamentabitur lamentum lamentabile.* Neque enim verbum Ebræum canere significat, sed *lamentari.* Itaque ipse interpres *plangere habet* Amos 5. 16. ¶ *Dicentium*] *Dicet* est in Ebræo, non dicentium. ¶ *Depopulatione vastati sumus*] Ad verbum *vastando vastati sumus.* ¶ *Commutata est*] *Commutat* habet Codex Ebræus, & subintelligitur *Deus*, aut tale quid, ut suprà *tollet* pro tolletur. ¶ *Recedet à me*] Suprà vertit, *non auferetis colla vestra*: ex quo emendo hunc locum, *quomodo aufert mihi.* Nisi magis placet, *adimit mihi.* ¶ *Quum revertatur*] Verbum hìc est in Ebræo, à quo nomen quod *aversionem* significat. Itaque verti potest, *ad avertendum agros nostros dividit*, hâc sententiâ, dividit agros ac prædia nostra hostibus, qui ea deinde avertunt ac alienant à nobis, nósque eorum usufructu & possessione privant.

5. *Funiculum sortis*] In Ebræo est ad verbum *funiculum in sorte*, quod exponunt *ad sortem*: malim ego, *cum sorte.* Aut *sorte* ut referatur ad verbum *mittens*, *sorte mittens*, id est, sortiens. ¶ *In cœtu Domini*] In quibusdam veteribus reperitur additum nomen Israël: quod tamen abest à Codice Ebræo: nec est apud alios interpretes.

6. *Nè loquamini loquentes*] Apud alios interpretes, *nè stilletis, stillent*: & sic est in Ebræo. ¶ *Non stillabit*] Vel *stillare faciet.* De hoc verbo plenè dicam, aut potiùs jam dixi in libro meo Animadversorum. ¶ *Super istos*] Vel, istis. ¶ *Non comprehendet confusio*]. Hìc *non* positum pro *nè*: hoc significat, nè afficiantur ignominiâ. ¶ *Confusio*] Id est, ignominia. Sed nomen Ebræum plurale est, ut verti posset, *Non comprehendent eos ignominiæ sive dedecora.*

7. *Dicit domus Jacob*] Planè vertendum, *O dicta domus Jacob*: Vel, *quæ diceris.* ¶ *Aut tales sunt cogitationes ejus*] In Ebræo habetur, Si ista sunt opera ejus? ¶ *Bona*] Id est, utilia. ¶ *Cum eo qui rectè graditur*] Vel, cum eo qui rectus ambulat. ¶ *Rectus ambulat*] Id est, rectè ambulat: ut ambulabat integer pro integrè.

8. *E contrario*] Alii præferunt, *heri*, & rectè, vox Ebraica in communi sermonis usu aliter non significat: sed interpres in mente habuit M U L vocabulum affine, quod significat, *è regione.* Eodem respexit interpres Chaldæus. *In adversarium*] Potest exponi, contra adversarium & inimicum suum. Item exponi potest, insurrexit pro hoste, id est, velut hostis aut hostis revera, ut *fuit illi in uxorem*, id est, uxor: *in nutricem*, id est, nutrix. ¶ *Desuper tunicam*] Quidam, *cùm adesset vestis, pallium detrahebatis.* Sed in Ebræo est ad verbum *è regione vestis.* Id Ebræi exponunt, cùm staretis è regione vestis, non contenti eâ, etiam pallio spoliabatis pauperes. ¶ *Et eos*] *Ab eis* legitur in Ebræo, pro *& eos.* ¶ *Simpliciter*] Rectius, tutò, securè. ¶ *Convertistis in bellum*] Alii, *reversis à bello.*

9. *Mulieres*] Alii, *uxores.* ¶ *A parvulis earum*] In Ebræo est *ejus*, id est, uniuscujusque earum. ¶ *Tulistis*] Malim, *abstulistis.* ¶ *Laudem meam*] Melius, *decorem meum.* ¶ *In perpetuum*] Vel, *abstulistis in perpetuum*: vel, *decorem meum in perpetuum.*

10. *Non habetis hìc requiem*] In Ebræo, *Non hæc est requies.* ¶ *Propter immunditiam ejus*] Pronomen abest à nonnullis tralationibus, & rectè, ut opinor. Chaldæus tamen habet, *Corrumpetur putredine pessimâ*, verterim, *corrumpet & quidem corruptione pessimâ*: sive, ut alii, *præcisâ.*

11. *Utinam non essem*] Verba illa, *non essem* absunt à Codice Ebræo. Itaque assentior iis, qui vertunt, *Si vir habens spiritum*, ut L U hoc in loco significet *si*, non *utinam.* ¶ *Habens spiritum*] In Ebræo *ambulans spiritu*: vel, ut alii malunt, *ambulator venti*, id est, ventosus; sed *spiritum* hìc potiùs significari puto, quàm ventum. ¶ *Et mendacium potiùs loquerer*] Pro *loquerer* est in Ebræo *mentiatur*: itaque approbo magis, *vir ambulans spiritu & mendacio*, id est, spiritu mendacii, ut sit tmesis figura nota. ¶ *Stillabo*] Id est, prophetabo. ¶ *In vinum*] Rectiùs *pro vino.* ¶ *In ebrietatem*] Planè emendandum, *pro sicera*: sed interpretatur vocabulum Ebraicum, quod est S E C H A R. *Sechar* enim *ebrietatem* significat, ut antiquitas prodidit. Appellatur igitur sicera ab inebriando. ¶ *Et erit super quem stillatur populus iste*] Verterim, *& erit stillator populi istius.* Stillator, id est, propheta.

12. *Congregatione*] In Ebræo est, *congregando* ¶ *Jacob*] O Jacob. ¶ *In unum conducam*] *Colligendo colligam* habet Codex Ebræus. ¶ *Quasi gregem in ovili*] Verius est in aliis translationibus, velut oves *Bosræ.* ¶ *Quasi pecus*] Malim, *ut grex.* ¶ *In medio caularum*] Melius, *in medio ovili suo.*

13. *Pandens iter*] *Effractor* est in Ebræo. ¶ *Dividet*] Melius videtur, *effregerunt*, sive *perruperunt*, & mox *transiverunt* pro transibunt. Nam Vau copula hìc mutat futurum in præteritum. ¶ *Transibit*] Non sic est in Ebræo: sed *transivit.* ¶ *In capite ipsorum*] Vult dicere, caput ac dux primi agminis.

E J U S D. L E C T I O N E S.

1. VÆ *excogitantibus iniqua, comminiscentibus iniquitatem*] Mira quædam excogitare genera malefaciendi, motus animi & ingenii celer ad excogitandum, quicquid sceleris fingi & excogitari potest cogitando invenire, meditari, machinari. Hactenus idolorum cultum vates insectatus est, nunc porrò in alia crimina invehitur, nempe in rapinam, calumniam, aliáque maleficia, quæ amplificat ab adjuncto, quòd noctu sedulò excogitata interdiu perpetrentur.

אל] Potestas, facultas. Alibi *fortis* est epitheton Dei. Hujus generis sunt רע malus, malitia & malum, טוב bonus, bonitas & bonum, i. res bona. Observat Ezra in commentariis, טוב *quando signif. bonum virum, tum est* תואר *nomen adjectivum: & quando signif. rem bonam, tunc appellant* שם דבר *nomen substantivum.*

4. *Die illo assumet contra vos parabolam* seu *proverbium*] Assumet, sc. quispiam, i. assumetur. Personale verbum non expressâ personâ pro impersonali. Kimchi subintelligit המקונן qui luget, qui næniâ tuam calamitatem prosequitur. Ezra verò המושל. Ille igitur quisquis tandem fuerit, utetur vulgato contra vos proverbio ac dicto. Kimchi intelligit de falsis prophetis, qui videbunt se frustratos esse, & eventum suis prædictionibus non respondisse.

משל] Ita vocatur hæc nænia, quòd obscuras & allegoricas sententias, dictáque abstrusa & occulta contineat, quæ משלים Hebraicè dicuntur.

נהה נהי נהיה] *Lamentabitur nænia lamento.* Verbum נהה habet significationem luctûs & fletûs. Sunt qui נהיה accipiant pro contritione, ut sit nænia contritionis, id est, fractâ & contritâ voce recitata dictáque. Ezra sic exponit, *Quicunque eo die conteretur & affligetur is* נהה נהי *lamentationem & luctum edet.*

edet. Alii accipiunt נהיה pro ægroto, qui dolore cruciatus voce lamentabili gemit.

לשובב] Idem quod להשיב, *restituendo agros nostros partitur ac dividit*, i. partitur eos agros, quos debuerat nobis restituere, quos sperabamus ad nos pristinos dominos reversuros, atque ità mutationem induxit in portionem ac partem nostram. שבב est frangere, confringere, conterere, vastare: itaque non incommodus videtur sensus, si hoc modo exponamus, Dividit agros nostros vastanti & perdenti, id est, illi, qui eos vastaturus est ac populaturus, qui fructus omnes corrumpet ac depascetur. Vel sic, quomodo aufert à me, an ut restituat? minimè quidem gentium, nam ecce dividit agros nostros, non ergò in animo habet eos nobis restituere.

In cœtu Domini] Lxx *in Ecclesia Domini. Juxta editionem vulgatam sequentis capituli principium est*, ait Hier. לשובב potest ad hostem referri hoc sensu, Quomodo recedet hostes à me, redeundo seu revertendo agros nostros dividet, q. d. non planè sese subducet à nobis, quin reversus prædia nostra & fundos partiatur. Hier. *Ne loquamini loquentes.* יטיפון accipit pro participio, quod aliquando fieri solet, subaudito nomine אשר, qui loquuntur, loqui solent, i. loquentes, vaticinantes, prophetæ, vates. חוטא. Hoc sensu appellatur peccator Diabolus.

תטיפון] Stillandi verbum transfertur ad copiosam orationem, verbis ex ore tanquam stillæ de tecto decidentibus, profluentibus, promanantibus. De longo sermone, locutio prolixa de variis rebus disserens, sermocinans. יטיפון, nihil aliud in ore habent quàm hæc verba, *Nè vaticinemini*, *semper hoc loquuntur* אל הטיפו.

7. *O dicta Jacobi domus*] Quæ diceris domus Jacobi, vel qui diceris domus Jacobi, *Nam abbreviatus est Spiritus Domini.*

לא יסג] Exponunt לשון השגה ut sit, *assequi*, *consequi*, לא יקחו כלמות, non afficientur pudore, confundentúrne? & referunt ad prophetas, quos Israëlitæ reprehensi ab illis vicissim ignominiâ notabant. Alii ad impios & flagitiosos, qui non removebant ignominias suas, id est, ignominiosa & pudenda peccata.

האמור] He vel Emphaseos est, vel vocandi nota. *Spiritus Dei* in Scripturis notat primò tertiam in Trinitate personam: secundò pœnas divinas Jes. 10. *Spiritus ejus velut torrens inundans ad medium usque colli:* Tertiò potentiam quandam, quæ à Deo promanat: Quartò, doctrinam propheticam. Atque ità videtur accipi isto in loco.

10. *Non hæc est requies*] Denuntiat exilium Israëlitis privatione contrarii, scilicet quietis & mansionis in patria, expressâ simul causâ, cur è terra sua forent ejiciendi. Chananæam regionem Dominus Psal. 95. 12. vocat *requietem suam*, vel quòd ipse præsens in ea resideret, vel quòd populo suo ad quietè incolendam assignaverat. *Iratus juravi illis quòd non intrabunt in requiem meam*, Psal. 132. *Elegit Dominus Sionem, expetivit pro habitaculo suo. Hæc requies mea in seculum seculi, hîc habitabo, quoniam concupivi eam. Requies* pro mansione, ubi quis tutò requiescit. Adjunctum pro subjecto. Proverb. 1. *Requies improborum eos occidet:* ubi statum notat felicem & prosperum. Christus dicit Satanam egressum è suo domicilio quærere quietem, i. commodam habitationem, locum ubi commodè moretur. David Psalm 116. 7. מנוחתי quietem suam appellat vel conscientiam pacatam, vel Deum, in quo securus recumbebat. Psalm. 132. 14. *Hæc est requies mea usque in æternum.* Sed hæc requies tantùm fuit sub conditione. Sic enim Psalmus, *Quodsi servaverint tui nati meum fœdus & mandata quæ eos docuero, eorum quoque nati in perpetuum sedebunt in tuo solio. Elegit enim Dominus Sionem, eum sibi sedem optans. Hæc est mea sempiterna requies, quam mihi habitandam concupivi. Cujus & annonam fœcundabo, & pauperes saturabo victu & Sacerdotes salute vestiam & pii ovabunt.*

11. רוח] *Ventus*, dicitur de rebus vanis & inanibus. Job. 16 3. דברי רוח *verba ventosa*, id est, levia, frivola & inania, quæ citò evanescunt. Jerem. 5. 14. הנביאים יהיו לרוח *vates erunt in ventum*, i. vana prophetabunt. Rectiùs, *erunt in ventum*, i. evanescent, in vanum abibunt, consumentur. Ità enim intelligit Kimchi & Ezra. Hos. 12. 1. *Ephraim pascit ventum*, i. consectatur rem inanem & nullius momenti. Prov. 11. 19. *Qui turbat domum suam possidebit ventum.*

איש הרוח] Volunt idem esse quod הנביא Propheta. Sed Jonathan videtur distinguere, ut *vir Spiritus* sit falsus propheta tantùm: נביא verò etiam de vero dicatur. Nam Hos. 9. 7. ubi utrumque reperitur, נביא. vertit נביאי קשטא: Et איש הרוח transfert נביי שקרא.

הלך רוח exponit Kimchi de eo שהולך דרכי רוח והבל, *qui levem, futilem, ac vanam traducit vitam*, quales sunt falsi vates, quorum prædictiones meræ sunt somnia, meræ vanitates & deliramenta hominum fanaticorum.

ליין] *De vino*, על היין, vel, ut Kimchi, *pro vino*, Si nobis vinum & siceram propinaveritis, tum ego vobis fausta & secunda vaticinabor.

12. *Colligendo colligam*] Quidam putant esse orationem falsorum vatum, qui grata Israëlitis pro vino & sicera vaticinentur. Alii verò prophetiam separatam de temporibus Messiæ, & in ea sententia est Jonathan. Kimchi verò continuationem esse putat minarum, exponítque de captivitate Babylonica. Sed huic adversatur, *Et Dominus in eorum erit capite*, licèt ipse ad suum sensum aliquo modo detorqueat. נכרץ exponunt חזק destructione forti ac vehementi, validâ, cruentâ, dirâ. Sic 1 Reg. 2. קללה נמרצת maledictio vehemens. Rabbi Nathan לשון העברה הגבול לצד החוק, *sign. fines transilire in nimio.*

בצרה] Lat. *in ovili.* Lxx ἐν θλίψει, id est, בְּצָרָה. Magna fuit civitas ejus nominis in Idumæa, quæ fœcunda erat & pascua habebat fertilissima.

Dominus in capite eorum] id est, imminebit eorum capitibus.

תהימנה] Perstrepet, tumultuabitur, strepitum, crepitum & tumultum edet. ה & ע quoties ponuntur in fine, ferè eodem modo pronunciant interpretes, id quod fefellit Hieronymum ut Micheæ 2. Circa finem זרח *Zarach* interpretatus sit *semen seu oriens vel ortus*, cùm *semen* dicatur זרע, *ortus* verò זרח.

GROTIUS.

1. *VÆ qui cogitastis inutile*] Hæc est altera revelatio, quæ Prophetæ posterior contigit, regnante scilicet Ezechiâ, post discessum Sennacheribi, ut colligitur ex Jeremiæ 26. 18. quâ cognovit fore ut Hierosolyma non obsideretur tantùm, sed etiam caperetur non minùs quàm Samaria & hic populus non minùs quàm ille deportaretur: quorum malorum etiam causas explicat, inhumanitatem in populares, & impietatem in Deum. און, quod *inutile* hîc vertitur, sæpe significat *injustitiam:* & ità hîc sumit Chaldæus. ¶ *Et operamini malum in cubilibus vestris*] *Operari* hîc positum est pro *constituere*, ut μοιχεύειν [*mæchari*] Matthæi 5. 28. Noctu constituunt, de die exsequuntur, ut sequitur. ¶ *Quoniam contra Deum est manus eorum*] *Si modò res sit in potestate eorum.* Cogitata exsequentur, nisi vires desint.

2. *Et concupierunt agros*] Injiciunt oculos & animum rebus alienis. ¶ *Et violenter tulerunt & rapuerunt domos*] In Hebræo: *& rapuerunt* (nempe *agros*) *& domos* (*concupierunt*, ἀπὸ κοινοῦ [*ex Dicto communiter*]) *& tulerunt:* fecerunt suas, vi, aut dolo. ¶ *Et calumniabantur*] Solet hic Interpres עשק vertere *calumniari*, quod magis est *opprimere.* Vide quæ ad Lucæ 3. 14. ¶ *Virum & domum ejus*] Id est, fundum.

3. *Ecce ego cogito super familiam istam malum*] Id est, super omnem posteritatem Jacobi. Illi mala machinati sunt popularibus, ego ipsis: illi injuriâ, ego jure. ¶ *Unde non aufeetis colla vestra*] *Non eximetis cervices vestras.* ¶ *Et non ambulabitis superbi*] *Erecti.* Jugum impositum impediet nè erecti incedatis. ¶ *Quoniam tempus pessimum est*] *Acerbissimum erit*, nempe tempus deportationis.

4. *Sumetur super vos parabola*] *De vobis proverbium fiet.* ¶ *Et cantabitur canticum cum suavitate*] In Hebræo: *& lamentabitur* (supple *quisque externus ex persona vestra*) *lamentum lamenti*, tristissimum lamentum. ¶ *Pars populi mei commutata est*] Terra mutavit dominum. ¶ *Quomodo recedet à me*] *Quomodo ademit mihi*, agros scilicet, Assyrius sub Teglathphalasaro. ¶ *Cùm revertatur qui regiones nostras dividat*] *Ità ut & revertatur ad agros nostros dividendos.* Idem populus Assyriorum sub Salmanasare.

5. *Propter hoc*] Post id tempus. ¶ *Non erit tibi mittens funiculum sortis in cœtu Domini*] Nunc à persona μιμητικῶς [*imitativè*] expressa canticum illud externorum ad ipsos Hebræos se vertit: & ait, non futurum ut ampliùs illi coram Judicibus, quos ipsi Hebræi vocabant קהל יהוה [*cœtum Dei*,] terras hereditatis jure sibi delatas inter consortes sorte dividant.

6. *Nè loquamini*] In Hebræo, *Nè stilletis:* id est, Nè vaticinemini: nam id significari per נטף vidimus Ezechielis 21. 2. & alibi. Imitatur Propheta verba quibus Hebræi ad Prophetas utebantur; ut videre est Esaiæ 30. 10. Amosi 7. 12, 16. ¶ *Loquentes*] In Hebræo, *stillabunt:* id est, Etiamsi vos nolitis, tamen Esaias, Osee, Joel, & alii, & ego munere prophetico fungemur. ¶ *Non stillabunt super istos*] In Hebræo, *non stil-*

ſtillabunt illis: id eſt, Sed poſteà veniet tempus cùm Prophetæ vobis non loquentur, Pſalmo 64. 9. Ezechielis 7. 26. Amoſi 8. 11. ¶ *Non comprehendet confuſio*] Id eſt, ità fiet ut Prophetæ non ampliùs à vobis ignominiosè tractentur, ſicut factum eſt diu.

7. *Dicit domus Jacob*] In Hebræo, *Hæc ſunt dicta domui Jacobi.* Refer ad illud quod paulò antè præceſſit, *Nè ſtilletis.* ¶ *Numquid abbreviatus eſt Spiritus Domini*] Refellit Propheta malitiam illorum qui Prophetas audire nolebant. *Spiritus Domini* hic miſericordiam ſignificat: An ea, inquit, minor nunc eſt quàm antè fuit? ¶ *Aut tales ſunt cogitationes ejus*] Ut nempe exitio veſtro delectetur, neque ullo modo pœnitentiâ ductos velit reſpicere? quaſi dicat, Non ità intelligendæ ſunt comminationes Prophetarum. ¶ *Nónne verba mea bona ſunt cum eo qui rectè graditur*] Ex Dei perſona jam loquitur Propheta. *Verba* hic intellige *conſilia.*

8. *Et è contrario populus meus in adverſarium conſurrexit*] In Hebræo, *Atqui qui heri erat populus meus*, (hodie) *hoſtiliter inſurgit*, nempe in me. *Heri*, id eſt, paulò antè, ut Eſaiæ 30. 33. ¶ *Deſuper tunica pallium ſuſtuliſtis*] *Super tunicam abſtuliſtis & pallium.* Pauperibus ſcilicet. Proverbialis locutio, ut Matthæi 5. 40. ¶ *Et eos qui tranſibant ſimpliciter, convertiſtis in bellum*] In Hebræo: *tranſeuntes pacificè* ſunt vobis quaſi *reverſi à prælio*, id eſt, bello capti, in quos omnia licent victoriæ jure.

9. *Mulieres populi mei ejeciſtis de domo deliciarum ſuarum*] E villis. ¶ *A parvulis earum tuliſtis laudem meam in perpetuum*] Aſſuefeciſtis idololatriæ parvulos, nè unquam de me colendo cogitarent.

10. *Surgite & ite*] — *Veteres migrate coloni.* ¶ *Non habetis hic requiem*] Hæc regio non ultrà veſtra erit. ¶ *Propter immunditiam ejus corrumpetur putredine peſſimâ*] *Corrumpet* (vos) & quidem *corruptione inſigni.* Senſus idem eſt qui Levit. 18. 25. nomen autem נמרץ [*inſigni*] 1 Regum. 2. 8.

11. *Utinam non eſſem vir habens ſpiritum*] Propheta loquitur: *Si eſſet*, inquit, *aliquis ambulans in vento*, Inania perſequens. ¶ *Et mendacium potiùs loquerer*] *Et mentiens mendacia*, dicens ſcilicet quod ſequitur. ¶ *Stillabo tibi in vinum & in ebrietatem*] *Stillabo tibi pro vino & ſicera*, id eſt, Vaticinabor. ¶ *Et erit ſuper quem ſtillatur populus iſte*] *Is eſſet ſtillator* (id eſt, Propheta egregius) *populo huic.* Is demum accommodatus eſſet eorum ingenio. Talem volunt, talem quærunt.

12. *Congregatione congregabo Jacob totum te*] Imitatur verba Pſeudoprophetarum, ſed alio ſenſu. *Congregabo*, nempe ut obſideantur intra Samariam & Hieroſolyma: nam par ſors utrique populo prædicitur. Per *Jacobum* intellige Decem tribus. Cogam vos in unum deportandos, nec ex parte (ut per Teglathphalaſarum,) ſed omnes, per Salmanaſarum. ¶ *In unum conduceam reliquias Iſraël*] Duas tribus reliquas, idque per Nabuchodonoſorum. ¶ *Pariter ponam illum quaſi gregem in ovili*] *Tityre coge pecus.* — In Hebræo eſt: *quaſi gregem Botzra.* Moabitis, in qua Boſra eſt, Jeremiæ 48. 24. maximè paſcua eſt, 2 Regum 3. 4. At Chaldæus & Græci alia puncta legerunt, & ב ſumſere pro præpoſitione, צרה autem pro *anguſtiis*, id eſt, ovili: quod cum verbis ſequentibus melius convenit. ¶ *Quaſi pecus in medio caularum*] Confertim. ¶ *Tumultuabuntur à multitudine hominum*] *Perturbabuntur*, nempe cùm tot cuſtodes circùm ſe videbunt.

13. *Aſcendet enim pandens iter ante eos*] *Adſcendet effractor coram eis*, miles oppugnans urbes illas. ¶ *Divident & tranſibunt portam, & ingredientur per eam*] *Perfringent* Aſſyrii & Chaldæi mœnia, *& tranſibunt per portam, per quam exire ſolebant* urbani, 2 Regum 25. 4. ¶ *Et tranſibit Rex eorum coram eis*] Inſpectante populo trahetur captivus, 2 Regum 17. 6. & 25. 6. ¶ *Et Dominus in capite eorum*] Nempe Aſſyriorum & Chaldæorum. Deus illis omnia proſperabit.

CAP. III.

MUNSTERUS.

3. R*Apientes pellem eorum*] Taxat inſignem Principum & potentum avaritiam, qui ſubditos nedum expilabant ſed & excoriabant & excarnificabant uſque ad oſſa, atque ſumma inferebant damna.

5. *Mordent dentibus ſuis*] Jonathan ſic vertit, *Qui adfert eis cibos & carnem, huic vaticinantur pacem; & qui nihil eis offert, contra hunc excitant bellum.* Kimhi verò intelligit per MORSUM DENTIUM *adulationem*, aut quòd *falſi Prophetæ frendebant dentibus in Prophetas Domini cùm clamarent adeſſe ultionem Divinam.*

6. *Propter viſionem*, inquit, falſam, quâ populum decepiſtis, *irruet ſuper vos caligo & nox*, cùm advenerit hoſtis; ſummáque tribulatio *obtenebreſcere* faciet *vobis Solem & diem.*

7. *Ponent velamen*] In ſignum magni doloris & mœroris involvent faciem ſuam, tanquam qui confuſionem inducerant coram populo, quod jam demum adverterunt eos falſos fuiſſe Prophetas, cùm *reſponſum Dei* pro voto *habere non poſſint.*

8. *Veruntamen ego plenus ſum virtute*] Verba ſunt Michæ Prophetæ de ſe loquentis, & conteſtantis quod ex *Spiritu Dei* vivi loquatur, & veritatem eis annunciet, intrepidè eis judicia Divina inſinuans, non formidans eorum tyrannidem, ſicut falſi faciebant Prophetæ, qui non loquebantur niſi ea quæ ſciebant populum libenter audire.

10. *Ædificans Zion in ſanguinibus*] Quilibet ex eis exſtruebat domum ſuam in Jeruſalem cum ſanguine pauperum quos opprimebant & diſpoliabant.

11. *Super Dominum innitentes*] Nullam non faciebant impietatem impii homines, & ſceleribus ſuis aliud nihil prætexebant quàm quòd Dominus eos punire vel non poſſet vel non auderet propter Templum ſuum, quod collocaverat *in medio eorum:* ſicut & apud Jirmiam dicebant, *Templum Domini, Templum Domini*, &c. Sed fefellit eos eorum opinio, cùm *mons Zion & locus Templi* in ſolitudinem redacti fuerint.

VATABLUS.

1. D*Ixi autem* ואמר] *Itaque dixi.* ¶ *Capita* ראשי] *Principes.* ¶ *Judicium* המשפט] i. Jus, ſive juſtitiam, id quod æquum & juſtum eſt.

2. Atqui ipſi ſunt *qui odio habent* שונאי] Participia, quæ, ſi ad præcedentia referantur, verti debent in ſecunda perſona; ſi ad ſequentia, in tertia, ubi dicitur, *Et qui comedunt*, ſive *devorant.* ¶ *Qui rapiunt* גזלי] *Qui detrahunt.* Ad verb. *rapientes*, i. detrahentes.

3. *Comedunt* אכלו] Præt. Heb. pro præſ. *Et qui devorant.*

4. *Tunc* אז] Nempe tempore tribulationis, cùm venerit Dominus in judicium cum illis, ſumpturus pœnam de ipſis ob injuriam illatam pauperibus. ¶ *Quemadmodum*, &c. כאשר הרעו מעלליהם] *Sicut malis affecerunt* pauperes *operibus ſuis:* quæ ſcilicet ſuprà recenſui.

5. *Qui errare faciunt* המתעים] *Qui ſeducunt.* ¶ *Qui mordent*, &c. הנשכים וגו'] h. e. Qui ventri & gulæ dediti ſunt, i. qui ventris & quæſtûs gratiâ prædicunt proſpera. In hunc ſenſum vertit Chaldæus P. *Quiſquis dederit illis particulam carnis, prophetant illi pacem.* Alii, *Qui cùm ſimulent amicitiam maximè lædunt ac nocent*, i. revera ſunt inimici: q. d. qui oſculando mordent. *Pacem* vocat proſpera ac felicia. ¶ *Et contra eum*, &c. ואשר לא יתן וגו'] *Et qui non dederit* illis quod petunt *juxta os eorum, mox ſanctificant contra eum bellum.* Fut. Heb. pro præt. *ſanctificant*, vel *præparant.* *Os* capitur pro *verbo*, i. juxta petitionem illorum. *Sanctificare contra aliquem bellum* eſt Eum oppugnare, & adversùs illum tragœdias excitare; vel potiùs Annunciare futurum bellum.

6. *Ex viſione* מחזון] *A Prophetia illa:* i. Pſeudoprophetia veſtra pariet *vobis noctem ac tenebras;* h. e. Qui antea eratis in magna autoritate & proſperitate, eritis poſthac contemptui omnibus & in extrema miſeria. ¶ *Et tenebræ*, חשכה לכם מקסם] *Et obtenebreſcet vobis* Sol *propter divinare*, i. propter divinationem illam veſtram. Eſt enim infinitivus Heb. Per *lucem* ſive *Solem* intelligit felicitatem ac proſperitatem, & per *tenebras* adverſitatem, calamitatem & miſeriam.

7. *Labrum ſuum* על שפם] Scilicet ſuperius. Quidam vertunt, *pilum ſuperioris labri ſui*, i. contegent veſte os ſuum more erubeſcentium aut lugentium. ¶ *Verbum* מענה] *Reſponſum*, ſub. *in ore eorum:* i. quòd ſint mendaces & fallaces.

8. *Ego verò* ואולם אנכי] Ad verb. *Et quidem ego:* q. d. Ego non ſum ejus ſortis ac conditionis cujus vos eſtis. ¶ *Spiritus* את רוח] *A Spiritu:* את pro מן.

9. *Qui abominamini judicium* המתעבים משפט] Ad verb. *abominantes judicium:* q. d. qui eſtis illi qui abhorrent à judicio, h. e. jure & æquitate. ¶ *Pervertitis* יעקשו] Fut. Heb. pro præſ. & mutatio perſonæ: *pervertere ſoletis.*

10. *Qui ædificatis*, &c. בונה ציון בדמים] Ad verb. *Ædificeant Sion in ſanguinibus:* pro, *Quiſque eorum ædificeat in Sion ſanguine*, i. exſtruit domum magnificam opibus & ſubſtantiâ pauperum. Sunt enim illis opes velut ſanguis. Alii, *Sanguine*, i. pretio ſanguinis, h. e. vitæ, quòd faverint homicidis propecunia.

cunia. ¶ *Iniquitate* בעולה] i. Pecuniâ injustitiâ & rapinâ comparatâ & collectâ.

11. *Munere judicant* בשחד ישפטו] Fut. Heb. pro præs. *pro muneribus judicant*, i. pro illo qui affert munus. ¶ *Docent* יורו] i. Pecuniâ acceptâ docent, non veritatem, sed quæcunque placent iis quos docent.

12. *Et mons domûs* והר הבית] i Mons in quo constructum est Templum. ¶ *In excelsa* לבמות] i. Tumulos: q. d. *Sion* omnino destruetur, & tandem *more agrorum arabitur*, *Jerusalem redigetur in acervos* lapidum & in ruinam; & locus Templi similis erit collibus *silvarum*, in quibus crescunt herbæ & arbores: i. erit silva.

CASTALIO.

3. MEorum carnem comedunt] Ex meorum incommodis sua comparant commoda.

6. *Quapropter vos noctes & tenebras absque visis ac divinatione habebitis, occidetque vatibus Sol, & dies obscurabitur*] Nam malis quidem calamitatem, falsisque Vatibus cæcitatem & oraculorum vacuitatem denuncio.

CLARIUS.

1. NUmquid non vestrum] Vos decebat, inquit, æquitatis esse amatores; sed contrà, *odio habetis bonum*, &c.

4. *Tunc clamabunt*] Nempe ii Principes tempore calamitatis.

5. *Qui mordent*] Dum blandiuntur & prospera promittunt, acerrimè re ipsâ mordent. ¶ *Sanctificant super eum prælium*] Hebraismus est, pro, *minantur & apparant bellum adversùs eos qui nihil eis offerunt*.

7. *Et operient omnes*] In signum magni doloris & mœroris involvent faciem suam, tanquam qui confusionem inducunt coram populo, quòd jam demum adverterent eos falsos fuisse Prophetas, cùm *responsum Dei* pro voto *habere non possint*.

8. *Verumtamen ego*] Verba sunt Michææ Prophetæ de se loquentis, & contestantis quòd ex *Spiritu Dei* vivi loquatur, & veritatem eis annunciet, intrepidè eis judicia Divina insinuans, nec formidans eorum tyrannidem, sicut falsi faciebant Prophetæ, qui non loquebantur nisi ea quæ sciebant populum libenter audire.

10. *Qui ædificatis*] *Ædificatis* domos vestras in *Sion* rapinis & oppressionibus pauperum.

11. *Super Dominum requiescebant*] Cùm impiè agerent, hoc suis sceleribus prætexebant, quòd Dominus eos punire vel non posset vel non auderet propter Templum suum quod collocarat *in medio eorum*; sicut & apud Jeremiam dicebant, *Templum Domini*, *Templum Domini*, &c.] Sed fefellit eos eorum opinio, cùm *mons Sion* & locus *Templi* in solitudinem redacti sint.

DRUSIUS.

1. CApita] Primates, Principes. ¶ *Jacobi*] Jacobæorum, sive, quod idem, *domûs Jacob*: ut infrà, *domûs Israel*. Similis defectus Apoc. 3.7. *qui habet clavem David*, pro *clavem domûs David*. ¶ *Cognoscere judicium*] *Cognoscere* dixit pro *cognoscere & facere*. Nam utrumque pertinet ad munus eorum qui in magistratu aut cum imperio sunt. Tale est, *accepit dona in hominibus*, pro *accepit & dedit*.

2. *Qui odio habetis*, &c.] *Bonum*, quod amare deberetis, *odistis*; *& malum*, quod odisse deberetis, *amatis*. Plus autem est *odio habere bonum* quàm fugere illud, aut *amare malum* quàm non fugere malum. ¶ *Bonum*] Virtutem, aut beneficentiam. ¶ *Malum*] Vitium, aut vexationem pauperum. ¶ *Diripitis cutem eorum*] Perinde facitis ac si eorum cutem diriperetis; usque adeo eos vexatis exactione aliisque oneribus. Vide quæ scripsimus Class. 2.l.3. adag. 113. ¶ *Eorum*] Quorum? Mox ait, *Qui comedunt carnem populi mei*. Ergò *eorum*, i. pauperum & piorum. Nam tales vocantur peculiariter *populus Dei*. Vide notata c. 2.9.

3. *Qui comedunt carnem populi mei*] Sic alibi, *Piger complicat manum suam, & comedit carnem suam*, i. bona & facultates suas. Aut sensus est, Qui ità vexant populum meum ut ex mœrore tabem contrahat. Nam in tabe caro absumitur & quasi exeditur. Ps. 14. 4. *comedunt populum meum acsi comederent panem*. Ad priorem expositionem firmandam facit illud, *quem assiduè exedent*: cui prorsus simile apud Salomonem, *Est qui absumitur*. Nam mens horum verborum, *cui res familiaris absumitur*. Quidam referunt, *Et quod comedunt, caro populi mei est*, nescio an meliùs. ¶ *Cutem eorum ab eis nudant*] Cutem à carne eorum detrahunt, sive, ut uno verbo dicam, *excoriant eos*. Scholia Ebraica referunt ad alimentum quotidianum; quod qui subtrahit, videtur quasi *cutem detrahere & ossa diffringere*. Nam alimento hujusmodi ossa robur accipiunt, & pellis incrementum. ¶ *Et ossa eorum diffringunt*] Vires eorum imminuunt ac prorsus debilitant. Ut hic *ossa diffringere*, sic alibi lectum *ossa dispergere*: de quo vide sis Adagia mea. ¶ *Et concidunt*] Aliàs *& dividunt*. Hoc modo enarrat Jonathan. ¶ *Velut in olla*] Ut concidi solet caro quæ lebeti aut ollæ imponitur. קלחת *vas coquinarium*, ut סיר *olla*, ut דוד *ahenum*, ut קדרה *caldarium*, quæ voce tantùm differunt. In Hier. כיר *lebes*, & קלחת *olla*.

4. *Tunc*] Cùm videlicet hostis eorum regionem vastabit, urbes expugnabit, ipsósque adeò in captivitatem abducet. ¶ *Non exaudiet eos*] Jac. 2. 13. *Judicium sine misericordia fiet ei qui non miseretur*. Prov. 21. 13. *Qui obstruit aurem ad clamorem tenuium, etiam ipse clamabit, nec exaudietur*. Vide class. 2. lib. 1. adag. 287. ¶ *Abscondet faciem suam ab eis*] Non ampliùs respiciet eos, non ampliùs erit eis propitius. ¶ *In tempore illo*] Quo ipsis accidet calamitas superiùs commemorata. ¶ *Quemadmodum malefecerunt actionibus suis*] Vel, *quia malas fecerunt actiones suas*. Nam qui pravis moribus est, quamdiu talis est, indignus est qui à Deo exaudiatur. Vel ità, Sicuti pessimis moribus fuerunt, ità digni non sunt qui à Deo, cùm ejus opem & auxilium implorabunt, exaudiantur.

5. *Contra Prophetas*] Hactenus perstrinxit mores Principum: Nunc perstringit mores Pseudoprophetarum, qui quæstûs causâ læta aliis prædicebant. ¶ *Qui mordent dentibus suis*] Dum est quod mordeant, & rumen unde impleant; *pacem prædicant*. Hanc explicationem sequentia maximè confirmant. Tamen Ebræi aliter locum enarrant. Scholia Camii, *dum pacem clamant & populo blandiuntur perinde faciunt ac si morderent eum dentibus*; juxta illud, *Perniciosa sunt oscula osoris*. ¶ *Prædicant pacem*] Vel, *clamant*, *Pax*. Prospera & fausta omnia. ¶ *Si quis non*, &c.] Vel, *& adversùs eum qui non indiderit ori ipsorum sanctificant bellum*; & sub. *quod mordeant dentibus suis*. ¶ *Indiderit ori ipsorum*] Vel *posuerit in ore ipsorum*. Aliàs, *qui non dederit ad os ipsorum*, ad petitionem ipsorum, sive id quod petunt. ¶ *Adversùs eum bellum sanctificant*] Ei bellum indicunt, contra eum bellum parant aut denunciant. Vide Animadv. l. 1. c. 14.

6. *Nox erit vobis*] Capio de nocte rerum adversarum, q. d. Tot mala vobis ingruent, & ea erit rerum vestrarum perturbatio, ut non sitis ampliùs visiones visuri aut divinationes habituri. ¶ *A visione*] *Nè sit visio*, i. Prophetia. Scitum autem illud, *Prophetia non habitat super animum tristem*. Nam ubi est mœror & anxietas ibi non est aptitudo ad recipiendum Spiritum illum qui futurorum notitiam aperire solet. מחזון *nè sit visio*, ut Jer. 48. 2. מגוי *nè sit gens*, & 1 Sam. 15. 23. ממלך *nè sis amplius Rex*. Quidam *propter visionem*. ¶ *Et obtenebrescet*] וְחָשְׁכָה cum Metheg scriptum in exemplari Veneto. Alioqui posset legi חָשְׁכָה per *o* brevem, ut sensus sit, *tenebræ erunt vobis nè divinetis*. Prior lectio eandem sententiam continet, ubi verbum חָשְׁכָה impersonaliter sumitur. Nam ad לילה referri non potest, cùm nomen illud masculinum sit. Quidam tamen eò referunt, sed quàm rectè ipsi viderint. ¶ *Nè divinetis*] מקסם *à divinando*. Sic Hos. 4. 6. מכהן לי *nè ministrares mihi*: ad verb. *à ministrando*. Hier. auctor, *divinationem* semper in malis poni. Potest ità esse: tamen legimus, *Divinatio in labiis Regis*. ¶ *Et occidet Sol super Prophetas*] Sic Jes. 60. 20. *non occidet ampliùs Sol tuus*: ut Jer. 15. 9. *occidit Sol ejus dum adhuc esset dies*. ובאה præt. fem. Alibi est יבוא, videlicet Jes. 60. Cæterùm Jer. 15. scriptum באה, sed lectum בא. Nam שמש nomen masculinum est. Vide class. 2. lib. 2. adag. 66. ¶ *Obscurabitur super eos*] Fortuna ipsorum prorsus commutabitur ex prospera in adversam. Nam per *lucem* denotant res prosperas, ut *tenebrarum* nomine res adversas. ¶ *Dies*] Lux Solis, quæ diem efficit.

7. *Videntes*] Prophetæ. ¶ *Erubescent*] Rubore suffundentur. ¶ *Divini*] Hoc nomen tribuitur Balaamo, qui etiam *Propheta* nuncupatur. Videndum an de Dei quoque Prophetis dicatur. ¶ *Obvelabunt labrum*] Gestus lugentium. Ezec. 24. 17. *Non obvelabis labrum, nec panem hominum comedes*. Vide class. 2. lib. 3. adag. 194. & Animad. l. 1. c. 17. שפם *labrum superius* propriè, non *mystax*, quæ est barba illius labri, non labium ipsum. ¶ *Quia non est responsum Dei*] Propriè. Nam Prophetæ Deum consulebant nomine populi. Unde eis *respondere* dicitur, ut Jer. 42. 4. *& erit, omne verbum quod re-*

responderit DOMIUS *vobis*, *indicabo vobis*. Aut *responsum*, i. verbum; ut ibi, *Responsum molle sedat excandescentiam*. Hoc vult, Verbum eorum non erit verbum DOMINI. id ex eventu patebit. Nam quæ prædicent vana erunt, & hoc populus tandem animadvertet: unde in summum contemptum venient apud eum. Vide nunc sis Animadv. l. 1. c. 16.

8. *Verumtamen*] Ità Hier. Alii, *Verè*, *Utique*, *Profectò*, i. ואולם: quomodo Scholia Camii enarrant. ¶ *Fortitudine cum Spiritu* DOMINI] Priùs erat *fortitudine Spiritus* DOMINI: quod non penitus rejicio. Potest enim constructio esse, ut Jes. 11.9. *Repleta est terra* דעה את יהוה *scientiâ* DOMINUM, i. DOMINI. Verbale cum casu verbi sui. Sic hoc loco כח את רוח יהוה *virtute Spiritûs* DOMINI. Ità Hieron. Alii *à Spiritu* DOMINI, i. מאת. ¶ *Judicio*] *Justitiâ*, *æquitate*. ¶ *Robore*] *Virtute*, *potentiâ*. Aut *fortitudine*, i. constantiâ & magnitudine animi. ¶ *Jacobo*] Jacobæis, vel domui Jacob. ¶ *Scelus suum*] *Scelera sua*, vel potiùs *crimina sua*. Nam פשע etiam de levioribus criminibus usurpatur.

9. *Capita*] Principes, primores. ¶ *Duces*] Ità leg. in Hier. non *judices*. Quod tamen habent antiqua exemplaria. קצין propriè qui à populo dux eligitur ad tempus. ¶ *Abominantur*] Plus est quàm *oderunt*. ¶ *Judicium*] Jus & æquum. ¶ *Omne rectum*] *Quicquid rectum est*. Vel, *omnem viam rectam*.

10. *Ædificat*] Sub. *homo*. Quod reddes non malè, *Ædificatur Sion*. Aut *Unusquisque eorum ædificat*. ¶ *Sionem*] Jerosolymam. Hanc ædificat qui ampliorem reddit, aut qui ædes ac palatia ibidem exstruit. ¶ *Cruoribus*] Cædibus. Nam in cæde cruor effunditur. Innuit autem direptiones bonorum, quæ ferè cædem sequuntur. Aut cædes dicit, quia hominem occidit qui ipsum suis facultatibus spoliat. Est enim sanguis ac vita mortalium Pecunia. ¶ *Iniquitate*] Opibus iniquè partis. Hab. 2.12. *Væ qui ædificat civitatem cruoribus*, *& stabilit urbem iniquitate*. Aut *iniquitate*, quia, ut modò dixit, *abominantur judicium*, *& omne rectum pervertunt*. Loquitur autem ex opinione istorum. Nam revera talibus rebus non *ædificatur* civitas, sed potiùs destruitur.

11. *Principes ejus*] Aut, *Primores ejus*. Ad verb. *Capita ejus*. Intelligit autem Regem & Synedrii consessum, cæterósque qui jus dicebant rémque publicam administrabant. ¶ *Munere*] q. d. *Non judicant nisi accepto munere*. Est autem שחד propriè *munus quod datur ad corrumpendum Judicem*. ¶ *Pretio*] Ad Sacerdorum officium pertinet docere populum: Id isti non faciebant nisi mercedem pro eo accepissent, verè mercenarii, non pastores aut Sacerdotes. Pessimus autem Reip. status hic erat, in quo sacra juxtà ac profana omnia venalia prostabant. ¶ *Docent*] Rectè. Nam Sacerdotum erat docere legem, Deut. 33.10. *Docebunt judicia tua Jacobum*, *& legem tuam Israelem*. ¶ *Divinant*] Hoc verbum passim in vitio ponitur. Unde Balaam *divinus* appellatus. Et sunt divinationes prohibitæ lege Dei. Appositè igitur usus est verbo קסם, cùm de falsis Prophetis loqueretur. ¶ DOMINO *innituntur*] Ore tenus, non ex animo. Hinc discimus vanam esse hujusmodi fiduciam, ubi non viget in corde sincera pietas. ¶ *Nónne* DOMINUS, &c.] Omnino degit *in medio nostrî*, ac proinde non est quod metuamus: nihil enim mali nobis accidere potest. Nam *si Deus pro nobis*, *quis contra nos?* ¶ *In medio nostrî*] Inter nos. Hoc propter Arcam & cultum Divinum qui inter eos exercebatur. Nam in quo populo Deus ritè colitur, *in eo* quoque *esse* aut *habitare* dicitur.

12. *Propter vos*] Propter scelera vestra. Scitum autem illud,

Quicquid delirant Reges, *plectuntur Achivi*.

¶ *Ager*] *Ut ager*. Simile,

Nec excitatur classico miles truci:

nam plenum est, *ut miles*. Quanquam non necesse hîc subaudire notam Similitudinis: nam revera *ager* erit cùm arabitur. ¶ *Acervi erit*] Redigetur in acervos lapidum: quod fit post destructionem. Sunt autem עיין quod regulariter עיים scriberetur (ubi ן pro ם, ut alibi ימין *dies* pro ימים) *acervi lapidum ex dirutis ædificiis*, sive *rudera destructarum ædium*. ¶ *Mons domûs*] Mons in quo domus Dei sive Templum. Erat autem collis alter, ut opinio multorum est, montis Sion, qui peculiari nomine *Moria* vocabatur. Infrà vocatur 4. 1. הר בית יהוה *mons domûs* DOMINI. הבית κατ' ἐξοχὴν *domus Dei*, ut הדבר *verbum Domini*. Sic ἡ ὁδὸς *via Dei*, המצוה *præceptum Dei*. Sic Hag. 1.8. *& exstruite ædem*. ¶ *Excelsa silvæ*] i. Silvosa. Ubi nunc Templum, inquit, ibi arbores crescent ut in silvis. Dicitur autem *excelsa* plurali numero vel propter duos montes contiguos, videlicet montem Ædis & montem Olivarum; vel propter acervos lapidum qui speciem collium præbebant. Aut verba construenda quasi per Hypallagen, *excelsa silvæ* pro *silva excelsorum*, i. celsissima. Tales autem sunt profectò montium silvæ, præsertim editorum.

IDEM.

1. Ἐρεῖ] Al. ἐρεῖ ταῦτα. ¶ Ἀρχαὶ] Αἱ ἀρχαί. Jun. *primores*. ¶ Τοῦ Ἰακὼβ] Al. οἴκου Ἰακώβ.
2. Ὀσέων] Ὀςῶν.
3. Ἀπ' αὐτῶν ἐξέδειραν] Ἐξέδειραν ἀπ' αὐτῶν. ¶ Συνέθλασαν] Συνέτριψαν. ¶ Καὶ ἐμέρισαν] Ald. * ¶ Κρέας] Al. κρέα.
4. Τῷ καιρῷ ἐκείνῳ] Τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ.
5. Εἰρήνην ἐπ' αὐτὸς] Εἰρήνην ἐπ' αὐτῶν. Al. εἰρήνην ἐπ' αὐτόν.
6. Σκότος ὑμῖν] Al. σκοτία ἔςαι ὑμῖν. ¶ Ἐκ μαντείας] Bas. εἰς μαντείας. ¶ Ἡ ἡμέρα] Ἡμέρα.
7. Καταισχυνθήσονται] Al. καταγελασθήσονται. ¶ Καταλαλήσουσι κατ' αὐτῶν πάντες αὐτοὶ] Καταράσονται αὐτῶν πάντες.
8. Κρῖμα] Κρίματα. ¶ Δυναςεία] Δυναςείας.
9. Οἴκος Ἰσραὴλ] Al. τοῦ Ἰσραήλ.
11. Ἀνεπαύοντο] Ἐπανεπαύοντο.
12. Ἱερουσαλὴμ ὡς] Al. Ἰσραήλ.
*] Al. Κυρίου. ¶ Ἄλσος] Τόπον.

IDEM.

1. Οἱ κατάλοιποι] Ἄρχοντες. Isa. 1.10. קציני סדם ἄρχοντες Σοδόμων. 22.3. כל קציניך πάντες οἱ ἄρχοντές σου. Jud. 11.6. εἰς ἡγούμενον.
3. Ὃν τρόπον] Videntur legere כאשר pro אשר. ¶ Ὡς σάρκας] Pro כאשר legunt כשאר, metathesi literarum.
4. Οὕτως] Τότε. ¶ Ἀποςρέψει] יסתר ἀποκρύψει. יכתר ἀποκρύψει.
5. Ἐπ' αὐτὸς] Ἐπ' αὐτὸν est in Aldinis: id rectum puto, quia τὸν λαὸν præcedit. tannimne? Sumptum est ex proximo membro sequente, ubi in ἐπ' αὐτὸν libri omnes consentiunt.
7. Καταλαλήσουσι] Περιβαλοῦσι χεῖλος. שפם propriè *labrum*. Lev. 13.45. ועל שפם יעטה καὶ περὶ τὸ ςόμα αὐτοῦ περιβαλλέσθω. ¶ Ὁ ἐπακούων αὐτῶν] אלהים. Veritas אלהים ὁ Θεός.
9. Τοῦ Ἰσραὴλ] Mendum hæsit in plerisque libris τοῦ pro οἴκου. Suprà erat οἴκου Ἰακὼβ pro τοῦ Ἰακὼβ v. 1.

IDEM.

1. קציני בית ישראל. Omnes, *duces domûs Israel*] Hier. *Pro* reliquis domûs Israel, *exceptis* Lxx, *omnes* duces domûs Israel *transtulerunt*.
12. לכן בגללכם ציון וגו'. Aq. Διὰ τοῦτο χάριν ὑμῶν Σιὼν χώρα ἀροτριαθήσεται, καὶ Ἱερουσαλὴμ λιθολογηθήσεται] Descripsi ex libris Ἀποδεξ. Euseb. pag. 253. Citatur quoque in ed. Rom. Λιθολογηθήσεται, *in acervum lapidum redigetur*. Hujusmodi acervos Chaldæi יגרין vocant, Ps. 79. לעיים, Aq. λιθώριον, i. *acervus & cumulus lapidum quibus vinea & agri purgari solent*, ait Hier.

IDEM in VULG.

1. *Audite*] In Ebræo est, *Audite nunc*: idque & Jonathan transtulir, & interpres Græcus. ¶ *Princeps Jacob*] Ad verbum, *capita Jacob*.
2. *Pelles eorum*] Non sic est in Ebræo: sed *cutem eorum*. ¶ *Desuper eis*] Malim, *ab eis*. Et mox, *ab ossibus eorum*.
3. *Et pellem eorum*] Alii, *& cutem eorum*. Et meliùs. ¶ *Desuper*] Videtur abesse pronomen ut sit *desuper eis*: ità enim suprà locutus. Verterim, *ab eis*. ¶ *Excoriaverunt*] ad verbum, *nudaverunt*, vel *exuerunt eos pelle suâ*.
4. *In adinventionibus suis*] Præpositio redundat, & pro *adinventionibus* melius est apud alios, *factis sive actionibus suis*. Verti potest, *quemadmodum nequam reddiderunt facta sua*.
5. *Super prophetas*] Melius, *contra prophetas*: vel *de prophetis*. ¶ *Quippiam*] Non est in Ebræo. ¶ *Sanctificant*] Hoc significat, indicunt ei bellum. Sic Jonathan explanat. Sic Ebræi ad unum omnes. Eadem sententia est in illo, *Sanctificate*

cate jejunium Joël. 1. 14. Item dicunt *Sanctificare cœtum*, pro indicere cœtum.

6. *Pro visione*] Videtur melius esse *à visione*: ut hoc dicat, nè propheteis. Ità Jonathan enarrat. Alii malunt, *ab hac visione*, id est, prophetia, *erit vobis nox & tenebræ*, hoc est, multa adversa vobis accident. ¶ *Et tenebræ*] Sic legit ut vertit. Hodie legunt ac vertunt, *& tenebras offundet vobis à divinando*: sensus est, nè divinetis.

7. *Qui vident visiones*] Id est, *Prophetæ*: quos Ebræus eodex uno verbo hic appellat *videntes*. Itaque alii reddunt, *Et erubescent videntes*. ¶ *Confundentur*] Pudore afficientur. ¶ *Et operient omnes vultus suos*] In Ebræo est, *& obvelabunt labrum superum omnes ipsi. Obvelare labrum*, signum est lugentium. ¶ *Non est responsum Dei*] Dubito num hoc dicat, quia Deus neminem exaudit, vel quia nulla est exauditio Dei.

8. *Fortitudine Spiritûs Domini*] In Ebræo est, *fortitudine cum Spiritu Domini*. Quanquam alii malunt, *virtute à Spiritu Domini*, id est, MEETH. ¶ *Judicio*] Abest copula, quæ in Ebræo, *& judicio & potentiâ*.

9. *Audite*] In Ebræo, *audite nunc*. ¶ *Et judices*] Suprà posuit *duces*: quomodo fortasse & hîc legendum. Nam idem verbum in Ebræo. ¶ *Omnia recta*] *Omnem rectam*, est in Ebræo quod ἐλλειπτικῶς dictum pro *omnem rectam viam*: nisi potiùs ut exponatur, *omne rectum*. Nam genus fœmininum ponunt Ebræi usurpantes pro neutro.

10. *Qui ædificatis*] *Qui ædificas* lectum in Ebræo, cùm sententia postulet, *qui ædificatis*. ¶ *In sanguinibus*] *Sanguines appellari* ait Camius *pecuniam per vim à pauperibus extortam*. Quod tales extorsiones perinde gravent inopes ac si quis sanguinem eorum effunderet. ¶ *Sion*] Jonathan, *domos in Sion*. Optimé.

11. *In muneribus*] Id est, pro muneribus: nec alius sensus est *in mercede*: in *pecunia*. ¶ *In mercede*] Malim *pretiô*, deletâ præpositione. ¶ *Requiescebant*] *Innitebantur*, codex Ebræus habet, metaphora nota. ¶ *Non venient*] In quibusdam exemplaribus reperitur *nunquid venient?* prorsus inepté. Nam sermo ille, *Nunquid venient super nos mala?* per interrogationem aliud nihil dicit quàm, venient super nos mala.

12. *Quasi ager*] *Quasi* desideratur in Ebræo. ¶ *Quasi acervus lapidum*] Ebræus liber habet acervi lapidum, absque nota similitudinis. ¶ *Mons templi*] In Ebræo, *mons domûs*, id est, templi: vult dicere, mons in quo templum situm erat. ¶ *In excelsa silvarum*] Non *silvarum* est in Ebræo, sed *silvæ*. Est autem iste sensus, in excelsa silvis consita & condensa.

EJUSD. LECTIONES.

D*ixi* ואמר] Vaf redundaret, si non commutaret futurum in præteritum. Redit ad institutam suprà reprehensionem, in qua eos notabat, qui pervertentes omne jus, injuriosé tractabant pauperes.

קציני] Lxx οἱ κατάλοιποι οἴκου Ἰσραήλ. Hier. *Duces*. Jonath. שלטוני רבית ישראל. Jus, ars æqui & boni, fas, lex, justum, pravi rectique partes, id est, juris injuriæque.

שנאי טוב] Bonum exosi, odio habentes bonum, vel, ut sit adjectivum, verum bonum, aut id quod bonum est. Nam טוב & רע & quæ sunt ejus generis, denominantia sunt, ut vocant Dialectici, & denominativa. Ezra intelligit de hominibus quòd faveant ipsi malis, & odio prosequantur bonos & pios.

Mordent dentibus suis] Id est, suâ potentiâ alios opprimunt, & oppressos imperio coërcent, conficiunt, oppugnant, impugnant, contrà arma ferunt, oppugnationem inferunt. Mordendi verbum notat actum lædendi. Dentes verò vires & potentiam, sumptâ metaphorâ à brutis animalibus, quorum in dentibus robur potissimum consistit.

ועטו על שפם] Lugentes olim labrum superius operiebant. Ac propterea Dominus dicit Ezechieli 24. לא תעטה על שפם, non obvelabis labrum, 24. 17. ubi monet prophetam, ut se cohibeat à lugendo. Ezech. 24. 22. על שפם לא תעטו. Lex est Levit. 13. 45. ut labro sint velato. *Leprosus autem & eâ plagâ affectus, vestimentis dissolutis esto, capite comato, labro velato, & pollutum etiam atque etiam clamato*. שפם ibidem Jarchi dicit significare *pilos labiorum*. Alii putant esse *labrum superius*.

מקסם Exponunt pro divinatione & pro visione. Habebitis tenebras plusquam Cimmerias.

8. *Certè ego plenus sum virtute Spiritûs Divini*] כח את רוח יהוה Jonath. אתמליתי בתקוף רוח נבואה Plenus sum vinum à Domini Spiritu, plenus sum Spiritûs Prophetici. Aben-Ezra כן רוח השם Hier. *Verumtamen ego repletus fortitudine Spiritûs Domini*. את reddunt per מן *à Spiritu Domini*. Spiritus me replevit viribus, judicio & potentia. Sed nescio an simili posset exemplo stabiliri.

Judicio] Ezra משפט אמר & Jonath. דין וקשוט Dominus mihi rectum judicium & sincerum impartivit, ut falli non possim, dum reprehendo. Nomine כח virtutis intelligit quidam dotes omnes, quibus oportet instructos esse, qui docendi in Ecclesia munus suscipiunt. Nomine גבורה fortitudinem & magnitudinem animi. Per *judicium* omnem certitudinem. Ego per כח intelligo virtutem, efficaciam seu efficacitatem Spiritûs Sancti, seu ipsum Spiritum Sanctum, qui virtus aliquando dicitur, & opponit hoc illi quod suprà dixerat, *Non est responsio Dei*, i. non ampliùs Spiritu Dei illuminantur, nec responsa ab eo accipiunt: per משפט intelligo rectam muneris fungendi rationem, ut scilicet quod à Deo accepimus, sinceré doceamus, nullâ habitâ commodi aut utilitatis ratione. At illi tantùm ventri serviebant & cuticulam curabant. Itaque qui haberet quod daret, illi pacem annunciabant, qui non habebant, illis indicabant bellum. Per גבורה potentiam seu fortitudinem, intelligo constantiam, quæ in munere nostro facit, ut intrepidè perseveremus. Hanc falsi vates non habuerunt: Nam statim ut viderunt Dei responsum cessare, pudore suffusi flebilem luctum & planctum ediderunt. Ponit ergò adjuncta suæ vocationis & finem, qui est scelera & peccata delinquentibus exponere. Act. 1. 8. *Accipiet virtutem Spiritûs Sancti postquam supervenerit in vos*.

יקסמו] *Divinant argento*, pro argento, acceptâ pecuniâ pro sua divinatione. Hier. *Prophetæ ejus in pecunia divinabant*. Lxx; καὶ οἱ προφῆται αὐτῆς μετὰ ἀργυρίου ἐμαντεύοντο.

GROTIUS.

1. E*T dixit, Audite Principes Jacob*] Quo magis earum quas Deus minatus est pœnarum justitia appareat, ostendit Propheta nullum ordinem exsortem gravium criminum fuisse; imò eos qui aliis ad virtutem præire debuerant, ut Judices & Doctores, primos fuisse in culpa. Pares querelas habes apud Ezechielem 22. *Principes* in Hebræo *capita*, id est, Senatores totius gentis. ¶ *Et duces domûs Israël*] In Hebræo: קציני, i. *gubernatores*: intelliguntur urbium Senatores: infrà 9. Hieronymus *Judices* vertit. ¶ *Numquid non vestrum est scire judicium?* Ipsi alios damnatis: debetis ergò scire & quæ vos pœna maneat, Romanorum 2. 1.

2. *Qui odio habetis bonum*] *Atqui vos virtutem odio habetis*. ¶ *Qui violenter tollitis pedes eorum desuper eis*] Popularibus vestris. Non tondetur pecus, sed deglubitur. ¶ *Et carnem eorum desuper ossibus eorum*] Et *pellis*, & *caro*, & *ossa* hîc *facultates* significant, interprete Chaldæo.

3. *Et ossa eorum confregerunt & conciderunt*] Inter se partiti sunt. ¶ *Sicut in lebete*] Sicut concidi solent quæ in lebetem, aut caldarium conjiciuntur.

4. *Tunc*] Cùm venient ista tempora superiùs indicata. ¶ *Non exaudiet eos*] Obsignata erunt decreta ¶ *Abscondet faciem suam ab eis*] Benevolentiam subtrahet. ¶ *Sicut nequiter egerunt in adinventionibus suis*] In Hebræo: *pro eo quod malefecerunt*.

5. *Hæc dicit Dominus super Prophetas*) Qui se tales dicunt. ¶ *Qui mordent dentibus suis, & prædicant pacem*] Dum illis detur quod edant, omnia prospera pronuntiant. Hanc interpretationem sequitur Chaldæus; & probat eam quod sequitur ἀντίθετον [*membrum oppositum*.] ¶ *Sanctificant super eum prælium*] *Bellum ei indicunt*. Sic Joëlis 3. 9.

6. *Propterea nox vobis pro visione erit*] Pro bonis quæ illi vobis prædicunt, maximas calamitates habebitis; quæ *noctis* & *tenebrarum* nomine apud Hebræos designantur. ¶ *Et occumbet Sol super Prophetas, & obtenebrabitur super eos dies*] Animo vultúque dejecti non audebunt cœlum Solémque adspicere. Explicant hæc apertiùs sequentia. Adde Jeremiæ 8. 12.

7. *Operient omnes vultus suos*] Singuli mystacem suum obtegent, nempe ut solent leprosi, Levitici 13. 45. ¶ *Quia non est responsum Dei*] Nempe id quod ipsi dixerant.

8. *Verumtamen ego*] *At ego*. Opponit se falsis Prophetis. ¶ *Repletus sum fortitudine Spiritûs Domini*] Vi Divinâ afflante plenus sum, non dapibus, ut illi. ¶ *Judicio*] Nempe ut discernam culpas graviores a levioribus, & pro cujusque modo pœnas denuntiem, ut ostendunt sequentia. ¶ *Et virtute*) Constantiâ, nè à mandato dimovear cujusquam reverentiâ aut metu.

9. *Quia abominamini judicium*] Scripsit Hieronymus:

Qui

Qui abominamini. Ità enim est in Hebræo, Græco, & Chaldæo.

10. *Qui ædificatis Sion in sanguinibus, & Jerusalem in iniquitate*] Qui domos exstruitis ex opibus vi ac innocentium damnatione partis, Ezechiel. 22. 27.

11. *Principes ejus in muneribus judicabunt*] Pro donis judicare sunt soliti, Ezechiel dicto loco. ¶ *Sacerdotes ejus in mercede docebant*] Pro mercede docebant, placentia Regibus ac populo, non quæ Deus præscripserat. ¶ *Et prophetæ ejus in pecunia divinabant*] *Pro pecunia*, Ezechielis 13. 9. ¶ *Et super Dominum requiescebant*] *Nituntur*, id est, de ejus favore se jactant. ¶ *Dicentes, Numquid non Dominus in medio nostrûm?*] Nónne apud nos Templum suum habet, & adytum sanctissimum, & Arcam, & Cherubinos? Confer Jeremiæ 7.

12. *Propter hoc, causâ vestrî, Sion quasi ager arabitur*] *Imò propter vos Sion ut ager arabitur.* Propter vestra peccata, Judices, Sacerdotes, Prophetæ, imprimet muris hostile ararum exercitus insolens. Referuntur hæc ipsa hujus Prophetæ verba, & quidem sub ejus nomine, Jeremiæ 26. 18. ¶ *Et Jerusalem quasi acervus lapidum erit*] Vide suprà 1. 6. Lxx tum hoc loco, tum illo Jeremiæ, nec non Psalmi 79. 1. עיים, vel עין vertunt ὀπωροφυλάκιον [*pomorum custodia.*] ¶ *Et mons domûs*] *Mons Templi*, Moria. ¶ *In excelsa silvarum*] Talis erit quales esse montes in silvis solent, arboribus, feris, fruticibúsque & virgultis obsitus.

CAP. IV.

MUNSTERUS.

1. *Erit mons domûs Domini præparatus*] Hæc omnia referuntur ad tempus & ad Regnum Christi. Scribuntúrque hæc eadem Jes. 2. Unde videre licet quàm consonus sibi sit Spiritus Dei per diversa loquens organa.

3. *Usque in longinquum*] Hoc non est apud Jesaiam. Cæterùm Jonathan clariùs expressit mentem Prophetæ, qui sic vertit, *Ipse arguet Reges fortes usque in seculum*, h. e. præsidebit omnibus potentibus hujus mundi usque ad finem mundi.

4. *Qui incutiat terrorem*] i. Intrepidi erunt fideles Christi, etiam adversùm portas inferorum.

5. *Omnes populi ibunt*] Intelligitur id de Gentibus usque ad tempus Christi in errore permanentibus, vel intelligitur de multis incredulis hominibus, qui verbum Euangelii accipere noluerunt. Non enim rarum est in Scriptura ut *omnis* per Synecdochen capiatur pro *multis*.

6. *Claudicantem*] Alludit ad id, *Infirma mundi elegit Deus.* Et nota quòd hic *claudicantem* & *elongatam* scribuntur in fem. genere. Usurpant autem Hebræi fem. genus pro neutro genere; ut sit sensus, Quod est claudum, abjectum & elongatum, hoc excitabo in Regnum magnificum, cui præerit Dominus, qui & *regnabit super suos usque in seculum.* Vides hic, optime lector, quòd יהוה Dominus regnaturus est super fideles suos in monte Zion. Erit igitur Meschias Deus: id quod apertissimè testatur hic locus contra obstinatos Judæos.

8. *Turris gregis*] Per *gregem* accipe populum Christi, & per *turrim* atque *propugnaculum Zion* Ecclesiam Christi, in quam transivit omnis autoritas & dignitas Synagogæ.

9. *Quare ingemiscis & ejulas?*] Heb. *Quare vociferaris vociferatione?* Et est consolatio populi Dei in tribulatione laborantis, & exspectantis redemptionem.

11. *Condemnabitur Zion*] i. Ob impietatem interibit Zion. Unde & Jonathan vertit, תחזי *Impiè aget Zion, & videbit oculus noster ruinam ejus.*

12. *Non cognoverunt cogitationes Domini*] Gentes, inquit, ascenderunt in Jehudam ut illam spoliarent & deprædarentur, *nescientes consilium Domini*, quòd eas vocaverat ad castigandum populum suum.

13. *Tritura, filia Zion*] Videtur Propheta alludere ad illud quod legitur Jes. 14. *Erunt capientes eos qui se ceperant, dominabuntúrque in exactores suos.* Erit, inquit, aliquando ut vos consolationem habeatis, adversarii autem vestri trituris conculcentur. Cujus exemplum patet in Divite & paupere Lazaro. Potest etiam intelligi de Apostolis, ut quos ipsi adversarios senserunt, hos cum opulentia & scientia sua Domino lucrifecerint. Quale exemplum habemus in D. Paulo.

VATABLUS.

1. *Præparatus*] נכון *Apparatus, stabilis, ac firmus.* Manifestissima de Christo & ipsius Ecclesia Prophetia. Similis apud Esaiam 2. 1. Prophetia, quam conferre potes cum ista. ¶ *Et altior erit collibus* ונשא היא מגבעות] Ad verb. & *exaltatus præ collibus*: vel, *elevatus*, i. sublimior erit collibus.

2. *Et ascendamus* ונעלה] *Ut ascendamus.* ¶ *Vias suas* מדרכיו] *De viis suis*: i. docebit nos aliquot viarum suarum, h. e. quid agere debeamus. ¶ *Nam de Sijon* כי מציון] Sunt verba Prophetæ, non Gentium.

3. *Usque in longinquum* עד רחוק] Chald. *usque in seculum*, i. in perpetuum, vel longo tempore. ¶ *Et concident gladios*, &c. וכתתו חרבותיהם לאתים] *Et contundent enses suos in marras*, ut ex illis faciant instrumenta agriculturæ.

4. *Et manebunt* וישבו] *Et sedebunt*: vel *Et habitabunt.*

5. *Dei sui* אלהיו] *Deorum suorum.* Hebraismus, *Ambulare in nomine Dei sui* pro *colere Deum suum.* Ut etiam, inquit, alii populi colant sua idola, sed tamen colemus Deum nostrum perpetuò. Judæorum sunt verba. ¶ *Et ultrà* ועד] *Et in æternum*: vel, *in sempiternum*, ut Psal. 9. 6. & 10. 16.

6. *Claudicantem* הצלעה] Sic vocat Israelem in captivitate, velut infirmum, claudum & dolentem. Qui enim est in angustia perinde est acsi esset claudus. Sic David Psal. 35. 15. *Sed ipsi in claudicatione mea lætati sunt.* Hæc doctus inter Hebræos. ¶ *Et ejectam* והנדחה] *Et propulsam*, vel *expulsam.* ¶ *Et quam afflixi* ואשר הרעתי] *Et cui malefeci*, sub. *eam bonis afficiam*: vel, *ei multa bona conferam.* Alii referunt ad præcedentia, *colligam quam afflixi.*

7. *Ponámque*, &c. ושמתי וגו׳] Hebraismus, Dabo illi prolem magnam ac magnum numerum nepotum.

8. *Turris gregis* מגדל עדר] Annotat doctus inter Hebræos, *Turrim Davidis sic vocari quòd Israel comparetur gregi ovium multis in locis. Sion autem & Jerusalem est locus totius Israel, in quo congregebantur ter in anno, erántque in ea velut grex in medio caulæ suæ; ipsáque erat caput Regni.* ¶ *Primum* הראשנה] *Pristinum*, i. Regnum Davidis restituetur Ecclesiæ; nam ex Davide nasciturus erat Christus. ¶ *Regnum*, &c. ממלכת וגו׳] Istud addidit ad rei corroborationem.

9. *Vociferaris vociferationem* תריעי רע] Fut. Heb. pro præs. Vociferationem luctuosam significat: i. edis vocem lugubrem ac mœstam? h. e. ingemiscis? ¶ *Dolor tanquam parturientis* חיל כיולדה] i. Quòd tanto dolore conficiaris? cur tantopere diffidis & times tibiipsi?

10. *Dole, & ingemisce* חולי וגוחי] Quidam hæc imperativa convertunt in futurum, *Dolebis, ac suspirabis.*

11. *Peccabit* תחנף] i. Futurum est ut peccet, & propter peccata sua peritura sit.

12. *Non cognoverunt* לא ידעו] *Non norunt*; *nesciunt*, quòd scilicet Dominus velit populum suum multas tribulationes pati. ¶ *Congregavit eos* קבצם] *Congregaturus est eos.* Præt. Heb. pro fut. ¶ *Tanquam manipulum* כעמיר] Sing. Heb. pro plur. *tanquam manipulos*, i. quemadmodum congregare solent manipulos ut postea triturent eos in area.

13. *Et tritura* ודושי] i. Calca illos. ¶ *Ponam* אשים] i. Reddam: q. d. Dabo tibi virturem victricem & inexpugnabilem. ¶ *Et interficiam*, &c. והחרמתי וגו׳] *Et tanquam anathema consecrabo Domino opes eorum, & substantiam* [*opes*] *eorum*, &c. Deus de se loquitur in tertia persona.

CASTALIO.

6. *Congregabo claudas, disjectásque & à me afflictas colligam*] Scilicet oves.

8. *Tu verò, ô turris gregis*] Sion omnium Christianorum sedes.

CLARIUS.

1. *Mons domûs Domini*] Hæc omnia referuntur ad tempus & Regnum Christi. Scribuntúrque hæc eadem Esa. 2. Unde videre licet quàm consonus sibi sit Spiritus Dei per diversa loquens organa.

2. *Docebit nos de viis suis*] Aliis videlicet quàm docuerat olim Moses, non contrariis, sed nobilioribus. ¶ *De Sion egredietur*] i. Non concludetur *verbum Domini* intra septa *Sion* vel *Jerusalem*, sed longiùs *progredietur.*

3. *Usque in longinquum*] Jonathas expressit mentem Prophetæ

phetæ hoc modo, *Ipse arguet Reges fortes usque in seculum*, h. e. præsidebit omnibus potentibus hujus mundi usque ad finem mundi.

5. *Omnes populi ambulabunt*] Intelligitur hoc de Gentibus usque ad tempus Christi in errore permanentibus: vel intelligitur de multis incredulis hominibus, qui verbum Euangelii accipere noluerunt. Non enim rarum est in Scriptura ut *omnis* per Synecdochen capiatur pro *multis*.

6. *Claudicantem*] Alludit ad illud, *Infirma mundi elegit Deus*. Et nota quòd hîc *claudicantem* & *ejectam* scribuntur in fem. genere. Usurpant autem Hebræi femininum genus pro neutro; ut & illud, *Unam petii à Domino*, *hanc requiram*. Erit ergò sensus, Quod est claudum, abjectum & elongatum, hoc excitabo in Regnum magnificum, cui præerit Dominus, qui & regnabit super suos usque in seculum. Observa etiam hîc *relinquiarum* fieri mentionem quæ servandæ sint.

8. *Et tu*, *turris gregis*] Per *gregem* accipe populum Christi; & per *turrim* atque *propugnaculum Sion* Ecclesiam Christi, in quam transivit omnis autoritas & dignitas Synagogæ. ¶ *Veniet potestas prima*] *Pristina*: h. e. redibit imperium verum David veri.

9. *Quare mœrore contraheris*] Est consolatio populi Dei in tribulatione laborantis, & exspectantis redemptionem.

10. *Ibi liberaberis*] Tanquam dicat, Hæc erit vera liberatio, quia liberaberis à captivitate & confusione Diabolica, quam elegantissimè describit Abacuc. Nam manifestissimum ex hoc loco captivitatem illam Babylonicam typum fuisse captivitatis Diabolicæ, & liberationem ab ea liberationis per Christum Dominum nobis præstitæ.

11. *Aspiciat in Sion oculus noster*] Quæ scilicet diu optavit. Et quod ait, *Lapidetur*, vel *devastetur*, alii interpretantur *peccavit*, alii *condemnabitur*.

12. *Non cognoverunt cogitationes Domini*] Gentes, inquit, ascenderunt in Judam ut illam spoliarent & deprædarentur, *nescientes consilium Domini*, quòd eas vocaverit ad castigandum populum suum. ¶ *Congregavit eos*] Intellige adversarios. *Congregavit*, inquam, *quasi fœnum*, vel *quasi manipulos areæ*, qui demum ipsi contererentur cùm impleverit Dominus opus suum per eos; sicut dixit Dominus per Esaiam de Assyriis, *Cùm compleverit*, inquit, *Dominus cuncta opera sua in monte Sion & in Jerusalem*, *visitabo super fructum magnifici cordis Regis Assur*, &c.

13. *Surge*, *& tritura*] Videtur Propheta alludere ad illud quod legitur Esa. 14. *Erunt capientes eos qui se ceperant*, *dominabunturque in exactores suos*. Erit, inquit, aliquando ut vos consolationem habeatis, adversarii autem vestri trituris conculcentur. Cujus exemplum patet in Divite & paupere Lazaro. Potest etiam intelligi de Apostolis, ut quos ipsi adversarios senserunt, hos eum opulentia & scientia sua Domino lucrifecerint: Quale exemplum habemus in B. Paulo.

L. BRUGENSIS.

8. ET *tu turris* [*turturis* o.] *gregis nebulosa. filiæ* [o.] *Sion.*] Quidam libri incisum collocant post *gregis*, *Et tu turris gregis*, *nebulosa filia Sion*: id quod eorum versioni convenit qui quod Hebraicè est עפל, *turrem* vel *arcem* interpretati sunt, *Et tu turris gregis*, *turris* [*arx*] *filiæ Sion*; sed non Hieronymi, qui *nebulosam* traduxit, perinde ac si esset אפל. Junxit enim עפל cum מגדל, *nebulosa* cum *turris*: sic namque ipse suam versionem explicat, ut nihil de posterioribus Enarratoribus dicam. Deinceps multi libri habent, *filia Sion*; plures, *filiæ Sion*: ex emendarioribus nostris, Leod. O. Q. Pl. m. *filia*; Brug. Lob. E. *filia* scribunt. Similiter antiquiorum Epanorthotæ quidam hoc, quidam illo modo legunt. Hebræa utrumque admittunt. Lxx, ut quidam libri habent, Symmachus, quod Hieronymus testatur, & inter Neotericos, Pagninus, *filia Sion* transtulerunt. Porrò Hieronymus se *filiæ Sion* transtulisse significat: *Et hæc*, inquit, *turris*, *filiæ est Sion*, *sive*, *ut Symmachus vertit in Græcum*, *ipsa est filia Sion*. Quæ Hieronymi verba in Glossam relata sunt. Parisienses & Hentenius castigatores *filiæ* textu donarunt.

DRUSIUS.

1. ET *erit*] Prophetia de temporibus Messiæ. Vide Jes. 2. 2. ¶ *In extremitate dierum*] *Extremis* sive *ultimis temporibus*, cùm videlicet Euangelium per universum orbem propagabitur. Hoc sensu Apostolus dicit *nos in fines seculorum incidisse*. ¶ *Mons domûs Domini*] i. Ecclesia. Suprà vocavit *montem ædis*. Dicitur & *mons Sion*. באחרית הימים Hieron. vertit *in novissimo dierum*; Lxx ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν, i. *ultimis diebus*. Sign. autem tempus Gratiæ sive Novæ legis, quod & *Messiæ tempus* vocant. Alibi aliter sumitur, ut Gen. 49. 1. ubi accipitur pro *longo temporis intervallo*. Interdum de fine hujus seculi usurpatur, i. de tempore mundi exitio affini aut vicino. ¶ *Paratus*] Vel *constitutus*. ¶ *In vertice montium*] Non erit vertex montium, sed supra alios omnes montes constituetur, eósque antecellet eminentiâ dignitatis & honoris quo eum cunctæ gentes afficient. ¶ *Supra colles*] Nam in collibus & montibus prisci illi veteres, qui falsos deos colebant, olim sacrificabant: nunc autem, relicto errore in quo antea fuerant, ad veri Dei cultum properabunt. Hoc sign. cùm air, *Confluéntque ad eum omnes populi*. ¶ *Confluent*] Current, properabunt. Hinc decursus aquæ נהר appellatur, quod est *flumen* sive *fluvius* in lingua Latina.

2. *Ibunt*] Judæam versùs. ¶ *Multæ*] Vel *amplæ*. ¶ *Venite & ascendamus*] *Agitè dum ascendamus*. לכו Hortantis est; ut apud Mosem, *Venite*, *faciamus nobis lateres*. ¶ *Ad montem DOMINI*] Abest vox *domûs*, ut sit *domûs DOMINI*. Sic Apoc. 3. 7. ὁ ἔχων τὴν κλεῖδα τοῦ Δαβίδ nam plenum esset *domûs David*, i. Ecclesiæ. Eadem ellipsis est Psal. 24. 3. *Quis ascendet in montem DOMINI?* Potest etiam exponi ut nulla sit ellipsis, *mons DOMINI*, in quo *DOMINUS* habitabat; juxta illud Psal. 68. 16. *mons quem desideravit DOMINUS ad habitationem suam*. ¶ *Qui docebit nos de viis suis*] *Viæ Dei* sunt pii mores & legi Dei congruentes, sic dicti quòd per eos ad Deum pervenitur. Dicit autem *de viis suis*, & non *vias suas*, quia, juxta Apostolum, *ex parte cognoscimus & ex parte prophetamus*. Atque hinc Christianismus appellatus postea fuit *via DOMINI*, & simpliciter *via*, videlicet ἡ ὁδός, cum articulo. Aliter; *Via Dei* est ea vivendi ratio quam Deus nobis præscripsit sanctissimis legibus suis, i. pietas, justitia, mansuetudo, omnísque adeò integritas. ¶ *Nam ex Sion*, &c.] Videntur esse verba Prophetæ rationem reddentis cur gentes dicturæ sint, *Venite*, *ascendamus*, &c. *Nam lex*, inquit, *ex Sion prodibit*, &c. ¶ *Prodibit*] *Egredietur*. ¶ *Lex*] Lex nova, quam *Euangelium* vocant. ¶ *Ex Jerusalem*] Nam inde prodierunt Apostoli cæterique discipuli qui Euangelium per totum orbem disseminarunt.

3. *Judicabit iter populos*] Vel, *lites populorum componet*, vel *reget & gubernabit eos*. Nam JUDICARE in his literis *regere* denotat. Sed hîc aliter sumitur, meo judicio. Primùm enim non dicit *judicabit populos*, sed *inter populos*; deinde sequitur *& corripiet gentes validas*: quæ duo priorem explicationem valde stabiliunt. ¶ *Gentes validas*] Non tam robore corporis quàm numero ac multitudine. *Validum* enim dicunt Ebræi pro *multum*, *copiosum*. Vide Observ. l. 4. c. 5. *In longinquum usque*] Referri potest tam ad locum quàm ad tempus, sed magis ut ad locum referatur. ¶ *Contundent gladios suos in ligones*] Arma bellica convertent in usum agriculturæ. Quod fiere solet in longa pace. Contrà, belli tempore ligones & hujusmodi instrumenta in usus bellicos aptantur. אתים *ligones*, ut Jes. 2. Alibi est אתים, videlicet 1 Sam. 13. à singulari את *ligo*, אתו *ligo ejus*. Ergò Dages est pro quiete. Interprete Camio est *marra*, quâ foveas cavamus. ¶ *In gentem*] *Contra gentem*. אל pro על. *Ampliùs*] Vel *ultrà*. Res poscit ut exponamus *aliquammulto tempore*: nam ità sumitur quandoque hæc particula. Quod notatum cùm ab aliis tum à me in De quæsitis per Epistolam.

4. *Sedebunt quisque sub vite sua*] Unusquisque securè fruetur bonis ac possessionibus suis. Vide quæ scripsimus Class. 2. lib. 3. adag. 107. ¶ *Non erit qui exterreat*] Vel, *nemine exterrente*. ¶ *Os Domini locutum est*] Deus hoc ità decrevit, idque per Prophetas suos, qui *os Domini* vocantur, vobis denunciavit. Porrò autem quod absolutè Deus decernit, id revocari non potest.

5. *Omnes populi ambulabunt*] Vel *ambulant*. Verba Christianorum. Et *ambulabunt*, quia Gentes diu in avito errore perseverarunt, Christianis verum Deum colentibus, ejúsque ex præscripto vitam instituentibus. Hoc sign. cùm aiunt, *Nos autem ambulabimus in nomine Dei nostri*, &c. ¶ *In seculum & æternum*] Dictum pro *in seculum sempiternum*. Nam est *seculum* non *sempiternum*, continens spatium certorum annorum. Et bene *in seculum sempiternum*, non ut Gentes, quæ *ambulabunt* quidem *in nomine Dei sui*, sed non *in sempiternum*: Paulatim enim ad fidem Christianam conversæ priscos errores abjecerunt.

6. *In die illo*] Tempore illo. Subtiliùs quidam philosophantur ex sensu nominis *diei*, qualis ibi, *Nox processit*, *dies autem*

autem appropinquavit. ¶ *Colligam*] אאספה *colligam* ab אסף. Sic ויסף *& collegit* 2 Sam. 6. 1. quòd integrè ויאסף scriberetur. ¶ *Claudicantem*] Sign. Israelem miseram vitam agentem in exsilio. Sic David, *In claudicatione mea*, inquit, *lætati sunt.* Vult dicere, *in calamitate mea*, sive *rebus meis adversis.* Ad hunc sensum trahit R. David, *Tunc saliet cervi more claudus*, quod invenies Jes. 35. 6. צולעה autem ità dicitur ut נטרה Cant. 1. 6. *custodientem*, בגדה Jer. 3. 7. *perfidè agentem.* In quibus exemplis (··) pro Scheva ponitur contra consuetudinem. ¶ *Impulsam*] Ejectam domo aut natali solo, vel depulsam in exsilium, vel dejectam in miserrimam vitæ conditionem, in summas gravésque calamitates. Quidam exponunt *depulsam promissione*: de qua Deut. 30. 3. & deinceps. Similis locus Soph. 3. 19. *& salvabo claudicantem, & depulsam congregabo.* ¶ *Et quam afflixeram*] Quam vexaveram & vario genere malorum exercueram per Assyrios & Chaldæos: quod Græci dicerent ἐκάκωσα, unde κακία *vexatio.*

7. *Ponam claudicantem in reliquias*] Efficiam ut claudicantis Synagogæ reliquiæ aliquæ supersint. Vult dicere, nè omnes intereant, sed sint residui ex quibus Ecclesia congregabitur piorum. ¶ *Et disjectam*] הנהלאה τὴν ἀπωσμένην, *depulsam* procul à natali solo, q. *translatam* dicas. Nam est verbum ab הלאה deformatum, quod *trans* sive *ultra* sign. Hieron. *& eam quæ laboraverat*, tanquam esset à לאה *laboravit.* Non assentior. ¶ *In gentem validam*] Numero videlicet; h. e. multam, numerosam, ut suprà, *& corripiet populos validos.* Sic alibi, *validiores fuerunt viduæ ejus arenâ maris*, i. plures. ¶ *In monte Sion*] In Ecclesia. Nam Ecclesia primùm cœpit Jerosolymæ & in Judæa, unde fluxit salutis omnis doctrina, tanquam ex fonte.

8. *Turris gregis*] Cujus *gregis*? An positum pro *gregis Domini*? *Grex Domini* passim vocatur cœtus fidelium. Quin Israel in his literis sæpe Gregi assimilatur, cujus curam agit Deus, qui propterea *Pastor Israel* nuncupatur. Sic loquendo sign. turrim Davidis, ut mox se explicat cùm ait *arx filiæ Sion.* Sed alii legunt *turris Eder.* Erat autem turris ejus nominis, cujus mentio Gen. 35. 21. *fixit tabernaculum ultra turrim Eder.* Vet. edit. *trans turrim gregis.* Quidam putant fuisse eam turrim quæ portæ Gregis imposita erat, per quam greges intromittebantur in forum pecuarium, de qua Neh. 3. 1. ¶ *Arx filiæ Sion*] עפל *arx*, *turris* est מגדל. Sic exponunt Scholia Ebraica. Erat alioqui *Ophel* loci nomen in Urbe, ut possis reddere, *Ophel filiæ Sion.* Hesychius, Ὄφλα, ὄνομα χωρίου, ὅπου ἦν τεῖχος Ἱερουσαλήμ. Neh. 3. 27. *Habitabant in Ophel.* 2 Par. 27. 3. *in muro Ophel.* Josephus Capt. Jud. l. 2. c. 18. *Ipsum autem Manahemum, cùm fugisset in locum qui Ophlas vocatur, atque illic humiliter delitesceret, capientes extraxerunt in publicum, multisque tormentis excruciatum interfecerunt.* ¶ *Filiæ Sion*] Ecclesiæ Jerosolymitanæ. ¶ *Usque ad te*] *Ad te*, עדיך pro אליך. ¶ *Regnum primum*] *Dominatus pristinus*, qualis fuit sub Davide & Salomone cùm Resp. Judæorum maximè floreret.

9. *Quare vociferaris?*] Cur talem questum & clamorem lugubrem edis? ac si res tua planè desperata esset, nec ullus superesset qui te ex his malis eripere posset. רע *vociferatio.* Rarum est in hoc significatu. Usurpatur etiam in gaudio, ut verbum הריע. ¶ *An Rex non est in te?*] An putas te omnino sine Rege esse? Falleris, falleris. Nam Regem habes ipsum Deum; qui te ab omnibus his malis facilè liberaturus est: quare non debes tantopere angi aut mœrore confici. ¶ *Si consiliarius tuus periit?*] q. d. Minimé. Idem aliis verbis. Nam & *Si* pro *An* ponitur. Et *Rex* dictus ab Ebræis מלך à *consilio.* Siquidem מלכא est *consilium* apud Chaldæos: unde & מליכין *consiliarii*, in Sententiis Ben-Siræ. ¶ *Quoniam apprehendit*] Vel, *quòd apprehenderit.* ¶ *Dolor tanquam parturientis*] i. Gravissimus & acerbissimus. Vide Proverbia mea.

10. *Dole & suspira*] Alii, *Parturi & ede partum.* Hieron. *Dole & satage.* Priùs erat ὤδινε καὶ ἀνδρίζου. חולי rectè ità vertunt ὤδινε. Nam חיל *dolor* propriè *parientis feminæ*, quem ὠδῖνα vocant. גחי *extrahe* sive *educ*, & sub. *gemitum*, i. *ingemisce, suspira.* Nam gemitus ex imo pectore educitur. Alii *fœtum* subaudiunt. Hanc sententiam expressit qui vertit *ede partum.* Similitudine sumptâ à muliere parturiente significat fore ut brevì eripiantur ex iis malis in quibus erant, nempe ex captivitate Babylonica. ¶ *Nunc*] Propediem, vel paucis abhinc annis. ¶ *Ex urbe*] Jerosolyma. Nam eâ destructâ omnes indè sunt egressi, ut etiam ex aliis urbibus Judææ. ¶ *Et habitabis in agro*] Κατασκηνώσεις ἐν ἀγρῷ. Id reddunt *habitabis*: aliud est κατοικήσεις. Nam hoc *fixam habitationem* notat, illud eorum est qui *in tabernaculis degunt*: nam σκηνὴ *tabernaculum.* Id noto, quia antiqui quos captos ex urbe eduxerant aliquandiu in agro detinebant sub pellibus, dum reliqua turba captorum advenisset, tum simul omnes in captivitatem abducebantur. ¶ *Babyloniam usque*] i. In Babyloniam. Hoc vult, Ex urbe ducêris in agrum, indè Babyloniam. Nam in Chaldæam profecturis iter faciendum per agros terræ Juda & Israel. ¶ *Ibi liberaberis*] Post LXX annorum captivitatem. ¶ *Redimet te*] Per Cyrum Persarum Regem. ¶ *E manu inimicorum tuorum*] E potestate Chaldæorum, qui erant jurati hostes tui.

11. *Congregata sunt*] Vel, *congregantur.* ¶ *Profanetur*] Optantis est, nisi legas *profanabitur.* Subintelligitur autem *Sion*, quæ cædibus *profanatur*, i. polluitur, contaminatur. Vide Num. 35. 33. Psal. 106. 38. *profanata est terra cædibus* ותחנף. Hinc חנף *homo profanus ac pravis moribus infectus*, & חנפא in N. T. Syro Matth. 6. 7. ἐθνικοί item Matth. 10. 5. באורחא חנפא, εἰς ὁδὸν ἐθνῶν, *in viam Gentium.* Jer. 3. 1. חנוף תחנף, LXX μιαινομένη μιανθήσεται, *contaminando contaminabitur.* Quod sequitur ibidem ἡ γυνὴ ἐκείνη vitium est pro ἡ γῆ ἐκείνη, i. *terra illa.* ¶ *Videat in Sion oculus noster*] Videat exitium ejus & alia quæ libenter vident hostes de hostibus. Licet vertere, *videbit in Sion oculus noster.* Similis locutio Psal. 54. 7. *in hostes videt oculus meus*; & est Pleonasmus, ut Psal. 35. 21. *Euge, euge, vidit oculus noster.* Satis enim erat *vidit.* Observa autem ראה & חזה in hoc sensu cum ב construi: hoc primum; deinde ותחז contractè dici pro ותחזה; nam ità plenè scriberetur. Græca edit. ἐπόψονται ἐπὶ Σιὼν οἱ ὀφθαλμοὶ ἡμῶν. Consule sis Observat. meas in verbo ἐπιδεῖν.

12. *Non cognoscunt cogitationes Domini*] Ignorant quid Dominus ipsis cogitet, quidve animo ac mente agitet. ¶ *Ut manipulum*] Ut agricolæ *manipulos in aream colligunt*, sic Dominus eas colligit comminuendas atque triturandas. Enallage numeri. Aut *manipulum*, i. acervum manipulorum. ¶ *In aream*] גרנה pro אל גרן.

13. *Surge*] Agedum. Hortantis est ut suprà 2. 10. *Surgite & abite, quia non hæc requies.* Aut, *surge* ex calamitate in qua hactenus fuisti. Nam cui res adversæ, is quasi *jacere* videtur. Ità sumitur in illo, *Septies cadet justus, & surget.* ¶ *Tritura*] Tralatio à Bubus frumentum in area triturantibus. Unde & illud, *cornu tuum ponam ferreum.* Nam boves cornibus armati sunt. Sed & *cornu* sæpe Regnum denotat; ut sensus esse possit, Efficiam regnum tuum infractum & invictum. ¶ *Ferreum*] ברזל *ferrum*, i. ferreum. ¶ *Et ungulas tuas*] Mos hic triturandi per boves vetustissimus fuit, quem hodiéque in Asia retinent: De qua re ità scribit Leonclavius in Turcicis, pag. 234. *Solent illarum regionum incolæ, postquam demessæ fruges sunt, non domum eas ex agris more nostro, granis nondum excussis, in horrea convehere, sed in aream quandam sub dio comportare. Deinde sparsis per aream manipulis frugum boves & bubalos immittunt, qui dum pedibus subjectas proterunt, aristis grana nullo negotio excutiuntur. Et solent hæc sub dio fieri extra pagos & oppida. Semper autem mos hic apud Orientales triturandi fuit indè usque ab antiquissimis temporibus; sicut & in S. libris interdictum vetus reperitur, Os bovi trituranti nè obligato.* ¶ *Æreas*] Mutant in *Chalybeas*: malé. Vide Quæst. lib. 1. qu. 71. ¶ *Anathemate devovebo*] Vide Zach. 14. 20. ¶ *Quæstum eorum*] Τὸ κέρδος αὐτῶν ità Sym. κέρδος *lucrum.* Vult dicere, *omne lucrum quod fecerunt*; *quicquid lucrati fuerunt.* Vetere interpretatione בצע est πλεονεξία, i. *avaritia*, sive *plura habendi cupiditas*: ut possis exponere, *quicquid per avaritiam consecuti sunt.* Mox se explicat cùm ait חילם *facultates ipsorum.*

IDEM.

1. Τὴν κορυφὴν] Al. τὰς κορυφάς. ¶ Πρὸς αὐτό] Ἐπ' αὐτά.

2. Τὸ ὄρος] Τὸν οἶκον.

3. Ἐλέγξει] Ἐξελέγξει. ¶ Μαχαίρας] Ῥομφαίας. ¶ Μὴ ἄρῃ ἔθνος πρὸς] Οὐ μὴ ἄρῃ ἔθνος ἐπ'. ¶ Οὐ μὴ μάθωσιν ἔτι] Al. Οὐκ ἔτι μὴ μάθωσιν.

4. Ὑποκάτω ἀμπέλου] Ὑπὸ τὴν ἄμπελον.

7. Ἀπεῤῥιμμένην] Al. Ἀπωσμένην. ¶ Καὶ ἕως τοῦ αἰῶνος] Al. Ἕως εἰς τοὺς αἰῶνας.

8. Αὐχμώδης] Al. Αὐχμώδεις. Bas. αὐχμώδης.

9. Ἡ ἡ βουλή] Μὴ ἡ βουλή. ¶ Ὡς τικτούσης] Τικτούσης.

10. Ὤδινε] Ὠδύνει. ¶ *] Καὶ ἔγγιζε. ¶ Ὡς τίκτουσα] Ἡ τίκτουσα. ¶ Ἐκ χειρὸς ἐχθρῶν] Ἀπὸ χειρὸς τῶν ἐχθρῶν.

11. Συνήχθη] Al. ἐπισυναχθήσεται. ¶ Οἱ λέγοντες] Λέγοντες. ¶ Al. ¶ Ἐπόψονται] Εἰδήτωσαν.

12. Αὐτοὶ δὲ] Al. Καὶ αὐτοὶ δέ. ¶ Τοὺς λογισμοὺς] Al. Τὸν λογισμόν.

13. Ἀλῶα] Ἄλσον. ¶ *] Al. Κατατήξει ἐν αὐτοῖς ἔθνη. ¶ Λεπτυνεῖ] Πατάξεις.

IDEM.

1. Ἐμφανὲς] Ac si legissent נראה, sed non est credibile eos ità legisse: ergò mendum hæret in Græcis cod.

2. Δείξουσιν ἡμῖν] יורנו pro יורנו.

8. Αὐχμώδης] Plumâ haud interest αὐχμώδης legas in primo an αὐχμώδες in altero casu. Hieronymus videtur legisse αὐχμώδης, dum vertit, *turris gregis nebulosa*, sive *squalens: nebulosa*, i. אפל, permutatione unius literæ, pro עפל. Sic etiam Græci 2 Reg. 5. 24. Καὶ ἦλθεν εἰς τὸ σκοτεινόν. אל העפל alibi aliter vertunt, imò fere nomen Hebræum retinent, ut Neh. 3. 26. ἦσαν οἰκοῦντες ἐν τῷ Ὠφὰλ, & vers. 27. ἕως τοῦ τείχους τοῦ ΣοΦλά· emendo τοῦ Ὠφὶλ. Similiter 2 Par. 27. 3. καὶ ἐν τῷ τείχει αὐτῆς ἀπέθετο Ὄφλα· legendum καὶ ἐν τῷ τείχει Ὠφὶλ, &c. ¶ Ἐκ Βαβυλῶνος] Abest hoc à textu Hebræo.

9. Ἔγνως κακὰ] תריעי רע pro תריעי רע. ¶ Βουλὴ] Βουλευτής.

10. Ἀνδρίζου] Quasi גורי effiсto verbo à גר, & Caph loco Gimel: quod mirum videri non debet, cùm sint literæ ejusdem organi, ut loquuntur.

11. Ἐπιχαρέμεθα] Ἠνόμησε vel ἐμιάνθη. Isa. 24. 5. והארץ חנפה ἡ γῆ ἠνόμησε. Jer. 3. 1. μιαινομένη μιανθήσεται ἡ γυνὴ ἐκείνη. Leg. ἡ γῆ ἐκείνη ex Hebræo.

12. Καὶ αὐτοὶ δὲ] Leg. καὶ αὐτοὶ, vel αὐτοὶ δὲ, alterutrâ harum particularum explosâ.

13. Τὸ πλῆθος αὐτῶν] Fortè scripserunt τὸ πλεονέκτημα αὐτῶν, i. *lucra ipsorum*. Hab. 2. 9. בצע בצע τῷ πλεονεκτῶν πλεονεξίαν. Jud. 5. 19. בצע כסף πλεονεξίαν ἀργυρίου. Exod. 18. 21. μισοῦντες ὑπερηφανίαν, leg. πλεονεξίαν ¶ Τὴν ἰσχὺν αὐτῶν] i. *Opes eorum*. Hoc ex proprietate sermonis Hebraici.

IDEM.

8. עפל בת ציון. Sym. *ipsa est filia Sion*] Hieron. *Et hæc turris filiæ Sion*, *sive*, *ut Sym. vertit in Græcum*, ipsa est filia Sion. Locus suspectus. Dubito an verterit, *& hæc turris ipsa est filia Sion*. Expende, qui otio abundas: mihi nunc non vacat.

13. בצעם. Sym. τὸ κέρδος αὐτῶν. Th. δῶρα. Quinta, ὠφέλεια] Hieron. *Theodotio*, *pro* multitudine, munera *transtulit*, *i.* δῶρα, *Quinta ed.* emolumentum, *i.* ὠφέλειαν, *Sym.* lucrum eorum, *i.* τὸ κέρδος αὐτῶν. In notis ad ed. Rom. τὸ πλῆθος] *Th.* δῶρα. *Sym.* τὸ κέρδος. *Lucrum eorum* בצע κέρδος, unde בוצע בצע *lucri avidus*, *lucrio*. Cæterùm pronomen αὐτῶν extendi debet ad sequentia, ut legas δῶρα αὐτῶν, &, ὠφέλεια αὐτῶν.

IDEM in VULG.

1. *IN novissimo dierum*] Alii convertunt, *in extremitate dierum*, & meliùs.

2. *Et properabunt*] Minus est in Ebræo, *& ibunt*. ¶ *De Hierusalem*] Delenda adspiratio ex hoc nomine, scribendúmque perpetuò *Jerusalem*, quoniam ità scriptum habetur in Ebræo.

3. *Usque in longinquum*] Satis erat, *in longinquum*, id est, procul. Dictio *usque* otium agit, ut cùm dicimus *usque* ad *me* pro *ad me* simpliciter. ¶ *In vomeres*] Græcus habet, *in aratra*. ¶ *In ligones*] Græcus εἰς δρέπανα. Vox Ebræa denotat propriè *falces vineaticas* sive appellare navis *putatorias*. ¶ *Non sumet*] In Ebræo est, non *sument*. ¶ *Belligerare*] *Bellum* legitur in Ebræo, non belligerare.

4. *Quia os*] Libri alii hîc inchoant versum proximè sequentem.

5. *Unusquisque*] Ad verbum, *vir in nomine Dei sui*. ¶ *Et ultrà*] Sic Græcus καὶ ἐπέκεινα. Conjicio eos legisse O D pro E D per *e* breve. Jonathan, *in secula seculorum*: malim ego, *in seculum & æternum*.

6. *Consolabor*] Abest à plerisque exemplaribus, & à Codice Ebræo: nec est apud alios interpretes. Itaque non dubito quin sit assutum à librario nescio quo putum putum glossema.

7. *Ex hoc nunc*] *Ex nunc* legitur in Ebræo, id est, ab hoc tempore.

8. *Nebulosa*] Constructio, *turris gregis nebulosa*. Aliter Græcus πύργος ποιμνίου αὐχμώδης. Uterque sic interpretatur tanquam si nihil interesset inter *Ophel* primâ Ain, & *Ophel* primâ Aleph. Et haud scio an Ophel, quod hic scriptum per Ain, sit *arx*, ut quidam volunt. Camius certè *turrim* exponit atque eandem rem repetit aliis verbis. *Nam turris gregis*, inquit, *aliud nihil est*, *quàm turris David*, *sive turris filiæ Sion*. Aliter *Nebulosa*, non turris nebulosa: sed est epitheton absque re, & subintelligitur arx aut tale quid. ¶ *Filiæ Sion*] Partim exemplarium *Filia Sion*. Sed prior lectio verior videtur. ¶ *Potestas prima*] Id est, regnum Davidis. Et sciendum in Ebræo esse *regnum primum*, non *potestas prima*.

9. *Quare mœrore contraheris?*] Jonathan, *cur societatem cois cum populis?* Alius, *cùm ejulationem lugubrem edis*. Qui Ebraicè callent, sciunt tam hoc quàm illud defendi posse. Nam R E A aliquando *socium*, aliquando significat *vocem luctuosam*. ¶ *Tibi*] *In te* est in Ebræo, non *tibi*, & valet, *inter vos*, vel *apud te*. ¶ *Aut consiliarius*] In Ebræo, *Si consiliarius tuus periit? Si*, id est, *an*.

10. *Satage*] Alius interpretatus est, *ingemisce*, quod sententiæ aptius videtur. ¶ *In regione*] Hoc est, *in agro*; & ità Codex Ebræus habet.

11. *Super te*] Contra te. Familiare huic interpreti, ut *super* ponat pro *contra*. Sexcenta loca sunt, in quibus eam particulam ità usurpat. ¶ *Lapidetur*] Est qui mavult, *peccabit*, ego *prophanetur*. Jonathan, *delinquat*. ¶ *Et aspiciat*] Ea videlicet quæ desiderat, hoc est, ruinam & exitium ejus.

12. *Quasi fœnum areæ*] Non *fœnum* est in Ebræo, sed *manipulum*: & *in aream*, non areæ. Manipulum, id est, manipulos sive mergites.

13. *Interficies Domino*] Optimè Græcus καὶ ἀναθήσεις τῷ κυρίῳ, nisi quòd mutat personam. Nam in Ebræo ἀναθήσω, id est, consecrabo velut anathema. ¶ *Rapinas eorum*] Bona eorum per vim ac rapinam parta. Salomo Jarius huic sententiæ consentanea interpretatur, id quod congregaverunt per rapinam ac violentiam. Jonathan simpliciter, *opes eorum*. Alius interpres, *lucrum eorum*: quomodo dictio Ebraica alibi significat. ¶ *Fortitudinem eorum*] Id est, facultates eorum. Ebraismus.

EJUSD. LECTIONES.

1. *POstremis temporibus*] באחרית הימים, ὑπαλλαγὴ pro בימי אחרית in postremitate dierum, id est, diebus postremis, extremis, qualis est in illo, *Beatitudines viri* pro *vir beatus*; Psalm. 1. 1. In Vetusto Fœdere intelligimus hoc dicto tempus Christi: At in Novo, tempus mundi exitio vicinum. Aliquando significat multò pòst, post diuturnum tempus, longo temporis intervallo, transacto jam multorum annorum spatio, cùm tempus multum abiit & præteriit. Gen. 49. 1. Jacob vocatis filiis suis sic eos affatur, *Congregemini ut vobis prænunciem quæ vobis postremis temporibus sunt eventura* אשר יקרא אתכם באחרית הימים, i. multo post me tempore. Tempus Messiæ dicitur ab iisdem Hebræis עתיד לבוא & עתיד.

הר בית יהוה] *Iste est mons Domini*, quem suprà appellabat *montem domûs* & *redigendum* dicebat *in silvestres colles*.

נכון] Lxx ἐμφανὴς, conspicuus. Hier. *Præparatus in vertice montium*. Alii, *fixus*, *constitutus*, *firmatus*, *paratus*. Nam כון habet significationem firmitudinis, stabilis. Chald. מתקן apparatus. בכין יהיה Jonath. Hier. *in novissimo dierum*. Lxx. ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν. הר הבית vocatur הר ציון & הר קדש יהוה. Aut mons Domini הר יהוה ponitur hic pro regno Christi, quod supra regna alia vates prædicit extollendum & elevandum. נשא, non quòd erit altior aut editior sed quòd propter confluxum populorum majore splendore & magnificentiâ sit decorandus. Debet igitur elevatio hæc referri ad adjuncta gloriam & decus, non ad corpus ipsius montis.

מגבעות] Comparativus: *Editior erit collibus*. Solebant autem prisci Diis suis sacrificare in collibus & montibus: sed tunc iis omissis confluent omnes ad montem Domini, atque eorum concursu extolletur.

לכו] Agite dum, ascendamus in montem Domini.

נהרו] Metaphora ducta à fluminibus continuo cursu rapidèque fluentibus, labentibus.

כי מציון] Hæc verba prophetæ quasi per parenthesin explicationis gratiâ interjecta sunt.

תורה] Intelligunt doctrinam Euangelicam, quam statim pòst appellat *verbum Domini* דבר יהוה. Psal. 1. 2. *in lege Domini studium ipsius*. Est ergò hoc in loco nomen generis, non speciei. Nam aliàs propriè lex Mosaica תורה dicitur *Lex*, *Via* & *Semita*: si ad Deum referas, signif. doctrinam, religionem: si ad homines, vitæ institutum & rationem agendi.

[עד רחוק] Vel temporis esse potest, vel loci, ut innuat vel temporis intervallum vel loci distantiam.

5. *Ambulaverunt in nomine Dei sui*] *Nomen Dei* est ipse cultus divinus, religio, atque hîc *ambulare in nomine Dei* idem est atque illud, quod suprà dixit, *incedere in viis ac in semetis Dei*, i. religioni vacare, ipsius cultui studere, deditum esse rebus divinis & ad Dei cultum spectantibus. Christus in Novo Fœdere dicit, *se nomen patris mundo patefecisse*, i. doctrinam. *Sanctificetur nomen tuum*, verè ac sanctè recepta tua doctrina recipiatur atque admittatur. Jerem. 7. *In Silo collocavi nomen meum*, i. institui meum cultum. *Unusquisque*, inquit Propheta, *sequitur cultum suorum idolorum*, *sed nos sequamur Dei nostri verum ac legitimum cultum.*

[לעולם ועד] *In seculum & seculum*, εἰς τὸν αἰῶνα τοῦ αἰῶνος. Heb. 1. 8. i. perpetuò, semper. Nomine עולם non significatur semper perpetuitas, sed diuturnum sæpe tempus & spatium, longum duntaxat spatium. Sed quando additur ועד Synonymia auget in immensum orationis pondus, adeò quidem ut orationis universalis loco sit. Ut ibi, *Ad filium autem* dixit, *Thronus tuus Deus in seculum seculi, virga rectitudinis virga regni tui* Heb. 1. 8.

[כי פי יהוה דבר] *Nam os Domini locutum est*, i. statuit, decrevit, ut ità fieret. Sententia est Prophetis ac vatibus usitata, quoties rem aliquam confirmant, ipsiúsque eventum indubitatum esse ostendunt. Jonath. vertit, *Quoniam verbum Domini exercituum decrevit sic.*

6. *Die illo colligam* הצלעה *claudicantem*] sc. ovem, i. Israëlitas qui in exilio quasi claudicant, & pressi servitute non rectà incedunt. Est autem allegoria sumpta ab ovibus, & claudicantes dicuntur non solùm quorum status nutat & in discrimine versatur, verùm etiam quorum salus afflicta & labefactata est, qui non ea sunt conditione quâ antea fuerunt fortunâ usi adversâ & contrariâ, aut insigni aliquâ calamitate affecti. Ità claudicatio transfertur ad infortunium, incommodum, adversitatem, ut Psalm. 35 ובצלעי שמחו ונאספו, *cum claudicarem gavisi sunt & coiverunt, societatem fecerunt.* Jes. 35. *Tunc cæcorum oculi aperientur, tunc claudus tanquam aries saltitabit.*

[הנדחה] Expulsam, disjectam, amandatam in exilium.

7. [הנהלאה] Ultra fines suos ejectam שהיתה רחוקה כהלאה לארצה, quæ erat expulsa ex suis finibus. Latin. *eam quæ laboraverat.* Deducit à לאה sicut veteres quidam Judæi, quorum sententiam refellit Aben Ezra.

8. [מגדל עדר] *Turris gregis.* Dicunt ità vocari Sionem, quòd esset populi Israelitici, qui nomine gregis appellatur, turris & propugnaculum. Solent autem pii & fideles assimilari ovibus propter puritatem & simplicitatem. Et Judæi alicubi dicuntur *grex Domini.* Hæc tralatio & externis linguis nota est. Nam ποιμένες λαῶν pastores populorum dicunt Principes & Reges, quâ ratione & subditi intelligi debent nomine ovium. Deus quoque pastor est, & rogat David *ut pascat oves caulæ suæ.* Ità Christus sectatores suos *gregem* appellat Luc. 12. *Noliti timere pusille grex.* 1 Pet. 5. *Pascite gregem qui apud vos est.* Mich. 2. *Tanquam gregem in medio ovilis colligam eos.* Mich. 7. *Pasce populum tuum pedo tuo, oves hæreditates tuæ, habitantem solum.* Quidam accipiant in malam partem, quasi appellaret Sionem turrim gregis, eò quòd de eam tanquam oves in caula Israëlitæ essent cogendi atque concludendi, juxta in quod dixit cap. 2. vers. 12. כעדר בתוך הדברו. Ponam eam tanquam in ovili suo gregem.

9. Miratur Propheta cur tantum dolorem concipiat Sion, quasi planè destituta esset Rege & consiliario: Interea tamen concedit ut doleat, & quidem ut graviter doleat, quia in exilium abducenda est, sed non propterea debet de salute desperare. Nam à quo deportata fuerit, ab eodem liberabitur, & quidem propediem liberalitur à manibus omnium hostium & inimicorum. Regnum pristinum, avitum, antiquum, quod quale sit explicat. Regnum inquam puellæ Jerusalem Regnum pristinum fuit imperium Davidis quod politicum fuit. Sed Christi regnum Spirituale est & Ecclesiasticum. Itaque regnum pristinum seu Davidis possis intelligere regnum Davidi promissum, cujus David aliquem jam gustum senserat, regni finibus prolatis atque amplificatis Psalm. 2. *Postula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam & possessionem tuam fines terræ.* Atque Davidi dedit cùm Christo concessit, qui natus est ex semine Davidis.

[תריעי] Significationem habet *clamoris*, qui fit vel mœstitiæ ergò vel gaudii. Hic ad dolorem debet referri. Lxx ἵνατι ἔγνως κακά; למה הריעי רע. Hier. *Quare mœrore contraheris?* Jonath. *Quare tu associata es populis? Quare societatem cum illis inivisti?* רע Sodalis à רעה. Sed oportet ut thema sit רוע.

13. [כבצע] Abenez. הממון. Jarchi בה מצע שכנם ומנולה ממש est lucrum & res quæ quavis ratione lucrata est. Itaque significat se quicquid fuerunt lucrati opes omnes & divitias Domino consecraturum. Atque hæc loquitur in persona ipsius Sionis.

[בת גדוד] Vel activè, *filia turmæ*, i. quæ per catervas seu turmas oppugnatum venis Jerusalem: Vel passivè, *filia turmæ*, i. quæ militibus obsidenda es & expugnanda, quæque obnoxia es impressioni. התגדד aliàs passivè accipitur Jerem. 41. 5. *Venerunt viri de Sichem, de Silo & de Samaria, viri inquam octoginta tonsâ barbâ, vestibus laceris & in turmas collecti* ומתגדדים. Jer. 5. 8. *In domo meretricia* יתגודדו *coëunt per turmas*, turmatim conveniunt. גדודים catervæ & conventus hominum.

GROTIUS.

1. *E*T *erit*] Cohæret sensus cum prioribus: ideóque colligimus sumta hæc ex antiquiore Prophetia Esaiæ 11. non ad significandam rem eandem, sed parem. Nam Esaias hæc dixerat de regno Ezechiæ pleno sanctitatis, justitiæ, ac felicitatis. Michæas verò eadem dixit de temporibus post reditum ex Babylone, quò hoc caput & quod ei cohæret sequens pertinent. ¶ *In novissimo dierum*] Nihil aliud hoc significat quàm *postea*, ut ad comparem Esaiæ locum & alibi diximus. ¶ *Erit mons domûs Domini præparatus in vertice montium*] Id est, supra montes alios. Templa eo tempore ferme erant in montibus: Templum autem Hierosolymitanum ex quo instauratum est, multò fuit illustrius templis aliis. ¶ *Et fluent ad eum populi*] Propter ingens illud beneficium prædictum à Prophetis, & à Deo Judæis præstitum, plurimi alienigenæ, maximè è Persis, qui imagines non habebant, & Græci, qui de Socrate aliquid hauserant, deinde eorum exemplo & alii, venient Deum unum mundi Opificem veneraturi in atrio Gentium, ut erat mos.

2. *Et docebit nos de viis suis*] Per Prophetas primùm, deinde, iis cessantibus, per Sacerdotes & Doctores. ¶ *De Sion egredietur lex*] Unius Dei cognitio indè mirum in modum propagabitur.

3. *Et judicabit inter populos multos*] *Judicia exercebit in populos multos.* ¶ *Et corripiet gentes fortes usque in longinquum*] Per Reges Persas reprimet Samaritas, Ammonitas, Azotios, imò & Arabas, qui Templi Urbísque structuram impedire voluerant, Esdræ 4. 11. Nehemiæ 4. ¶ *Et concident gladios suos in vomeres, & hastas suas in ligones*] Contrarium ei quod habuimus Joël. 3. 10. Sensus est: & Persæ & populi qui sub eorum erunt imperio, infestissimi olim Judæis, ut Assyrii, Babylonii, Syri, Philistini, Ammonitæ, Moabitæ, Arabes, altam pacem cum Judæis colent.

4. *Et sedebit vir*] Id est, *unusquisque*, locutione Hebraïcâ. ¶ *Subtus vitem suam, & subtus ficum suam*] Locutio magnam rerum tranquillitatem exprimens, 1 Reg. 4. 25. ¶ *Quia os Domini exercituum locutum est*] Id est, quia Deus ità decrevit.

5. *Quia omnes populi ambulabunt, unusquisque in nomine Dei sui*] *Ambulant in nomine deorum suorum.* Sensus est, Non mirum est Deum tam singularem nostri habere curam: nam cæteræ gentes ad res agendas deos suos invocant. Loquitur de gentibus secundùm longè majorem earum partem; nam veri numinis cultores inter eas erant paucissimi. ¶ *In nomine Domini*] In Hebræo est יהוה, quo nomine Deus verus ab imaginariis distinguitur. ¶ *Nos autem ambulabimus*] *Ambulamus.* nam Hebræis modò præterita, modò futura sunt pro præsentibus. ¶ *In æternum & ultrà*] Nos id facimus & posteri, ità confidimus, idem facturi sunt. עולם est unius hominis ætas, hoc loco, & alibi sæpe.

6. *In die illa*] *Eodem illo tempore.* ¶ *Congregabo claudicantem*] Lxx, τὴν συντετριμμένην [*contritam*,] pro quo Justinus citat τὴν ἐκτεθλιμμένην [*pressam*,] plebem scilicet. *Claudicare* צלע Hebræis dicitur etiam qui onere pressus rectà nequit incedere: Psalmo 35. 15. & 38. 18. Itaque nomen indè deductum modò ἀσθένειαν [*infirmitatem*,] modò μάστιγα [*flagellum*] vertunt Græci.

7. *Et ponam claudicantem in reliquias*] Dabo illis afflictis progeniem. ¶ *Et regnabit Dominus super eos*] Liberè vivent secundùm Dei leges, nemine prohibente. Vide Abdiæ 21.

8. *Et tu, Turris gregis*] *Turris* עדר *Ader*, id est, *gregis*, est apud Bethlehemum, ut apparet Geneseos 35. 21. Per eam turrim hic intelligitur μεταληπτικῶς [*per Transumtionem*] Bethlehemum, & per Bethlehemum stirps Davidis indè ortum habens;

bens; planéque idem eſt hic ſenſus qui repetitur aliis verbis infrà 5. 1. ¶ *Nebuloſa*] Græci, αὐχμώδης, *ſqualida*; id eſt, ô familia diu neglecta. ¶ *Filia Sion uſque ad te veniet*] Scripſit Hieronymus, *Filia Sion uſque ad te veniet.* Id eſt, civitas tota Hieroſolymorum à te petet jura. Impletum hoc in Zorobabele, ſed ità ut is Chriſti, ex eadem domo orituri, geſſerit imaginem. ¶ *Et veniet poteſtas prima, regnum filiæ Jeruſalem*] Tibi continget Principatus, non quidem cum Regio ſplendore, ſed tamen in animis Hieroſolymitarum majeſtatem Regiam obtinens, ob promiſſa Davidis domo facta.

9. *Nunc quare mœrore contraheris?*] Alloquitur velut præſens populum in exſilio ac ſervitio miſerè agentem. In Hebræo eſt: *Nunc quare vociferando vociferaris?* Quid ità miſerè exclamas? ¶ *Numquid Rex non eſt tibi?*] *An quia Rex tibi non eſt?* nempe è tua gente. ¶ *Aut conſiliarius tuus periit*] *An quia conſiliarius tuus periit?* Senatores tui: eſt enim ἐναλλαγὴ [*Permutatio*] numeri. Græci bene, ἡ βουλή σου [*Senatus tuus.*] ¶ *Quia comprehendit te dolor ſicut parturientem?*] *An hoc eſt cur dolor te invenerit quaſi parturientis?*

10. *Dole & ſatage*] Ingemiſce. non veto te dolere, cauſa juſta eſt, ſed ſolatium adfero. ¶ *Quia nunc egredieris de civitate*] *Egreſſa es.* ¶ *Et habitabis in regione*] *Habitas in agro.* Agros alienos colis. ¶ *Et venies uſque ad Babylonem*] *Perveniſti ad Babylonem uſque.* Nam & illic erant multi Judæorum. ¶ *Ibi liberaberis*] *Sed indè liberaberis.* ¶ *Ibi redimet te Dominus*] *Indè redimet te.*

11. *Et nunc congregatæ ſunt ſuper te gentes multæ*] *Contra te. Gentes* intelligit Chaldæos, & populos qui ſub eorum erant imperio. ¶ *Quæ dicunt: Lapidetur, & adſpiciat in Sion oculus noſter*] In Hebræo: *Contaminetur, inſpectet Sionem oculus noſter.* Polluamus eam, ac pollutam inſpectemus. quaſi de fœmina loquuntur. Senſus eſt: illudamus miſeriis Judaïcæ gentis.

12. *Ipſi autem non cognoverunt cogitationes Domini*] Ignota ſunt ipſis Dei conſilia. ¶ *Quia congregavit eos quaſi fœnum areæ*] *Quòd eos congregavit* (Deus) *quaſi manipulum areæ.* Nempe ad trituram de illis faciendam, quod ſequitur: id eſt, ad eos calcandos atque frangendos.

13. *Surge & tritura, filia Sion*] Proculcate Chaldæos, qui Babylone erant cùm ea caperetur. ¶ *Quia cornu tuum ponam ferreum, & ungulas tuas ponam æreas*] Tutò hoc facere poteritis, armati Perſarum in vos benevolentiâ. ¶ *Et comminues populos multos*] In Hebræo: *Conteres,* nempe interfectos à Perſis. ¶ *Et interficies Domino rapinas eorum, & fortitudinem eorum Domino univerſæ terræ*] In Hebræo eſt: *Et devorabo Domino avaritiam eorum* (quod avarè arripuerunt,) *& facultates eorum Domino univerſæ terræ.* Eſt hic, ut ſæpe, tertia perſona pro prima, ſive nomen pro pronomine: Deus enim loquitur. Simplex ſermo fuerat, *Mihi devorabo*, id eſt, faciam ut ad meos uſus redeant vaſa quæ Chaldæi avarè è Templo meo abduxerant, Eſdræ 1. 7.

CAP. V.

MUNSTERUS.

1. **T***Urmis cingeris*] i. Sicut turmatim potentiores irruerunt in pauperes, ità quoque hoſtes *turmatim obſidebunt te*, & captum *percutient virgis*, nedum vulgares, verùm & *Regem* ipſum, nempe Zidkijam. Mox autem additur conſolatio de Regno iterum reſtaurando, cùm promittitur Dux & *Dominator*, qui *proceſſurus* prædicitur *de Bethlehem*, urbe quidem *parvulâ* ſi mœnia ſpectes, maximâ autem ſi Ducis nobilitatem attendas; ſicut & D. Matthæus hoc ſenſu citavit hunc locum c. 2.

2. *Egreſſiones ejus ab antiquo*] i. Ante conditum Mundum decretum fuit ut hiſce diebus in mundum prodiret, qui ſemper fuit, & qui olim Patribus fuit promiſſus. Siquidem *Abraham exſultavit ut videret diem Chriſti; vidit, & gaviſus eſt.*

3. *Propterea dabit eos*, &c.] i. Antequam Meſchias naſcatur in mundum, tradet Deus Jehudæos in magnas afflictiones, idque *uſque ad tempus* certum, ut interim propter peccata ſua caſtigentur, & in modum *parturientis* doleant. *Et poſtea ſtabit* Meſcias, *& paſcet* ſuos *in fortitudine Domini*, *& nomen ejus dilatabitur uſque ad fines terræ. Ipſe eſt pax noſtra, pacificans cœleſtia & terreſtria. Juſtificati* enim *ex fide pacem habemus per Chriſtum*, Rom. 5. Nec eſt, ſi in pace illius ſumus, ut *Aſſyrium* vel ullum timeamus Tyrannum.

5. *Suſcitabimus contra ipſum ſeptem paſtores*] Promiſſio eſt Dei, qui ſuos non deſerit; ſed cùm videntur eſſe in maximo diſcrimine, ſubitò ſuſcitat liberatores multos & ſufficientes: id enim ſignificat *Septenarius* in Scriptura. Exſtant paſſim multa exempla. Vide quid Moſes egerit contra Pharaonem, Mardochæus contra Haman, Perſæ contra Babylonios, &c.

6. *Terram Nimrod*] Hæc eſt Babylonia.

7. *Sicut ros à Domino*] Electi Dei, ubicunque ſunt in terra, nutriuntur certâ ſpe à Domino. *Sicut herba* tempore ſiccitatis incrementum ſuſcipit à *rore*, & *fiduciam nullam habet in homine*, ſed in Creatore, qui omnibus providet; ſic electi ſui pendent ab eo, & in mediis tribulationibus atque in morte ipſa refrigerium habent ab eo.

8. *Catulus leonis*] Eſt כפיר Leo qui exceſſit catuli ætatem, & tamen ad maturam ætatem nondum pervenit, cùm nondum valeat grandiora proſternere animalia, ut ſunt Urſus, Cervus, & ſimilia, ſed tantùm minora, ut ſunt Oves & Capræ. Significatur autem hâc ſimilitudine, Niſi Deus manu ſuâ protegeret ſuos, ab impiis diſcerperentur & tollerentur omnes ex mundo. Graves enim ſunt juſti impiis.

10. *Exterminabo equos tuos*] Docetur hîc, in nullâ re alia quærendam ſalutem quàm à Domino, nec in aliquo alio quàm in Domino confidendum.

15. *Quæ non audierint*] Jonathan Chaldæus habet, *Quæ non auſcultaverunt doctrinæ Legis.*

VATABLUS.

1. **N***Unc congregabis*, &c. עתה התגודדי וגו׳] *Jam congregaberis, ô filia turmæ*, i. turmarum, legionum, copiarum. Prædicit futuram deſtructionem ſub Tito & Veſpaſiano, quæ ſecuta eſt primam illam perſecutionem Eccleſiæ poſt mortem Chriſti. Alloquitur autem Romam. O Roma, quæ multas habes legiones, congregabis turmas & legiones tuas ut venias oppugnatum Jeruſalem. Quidam vertunt, *Nunc turmis cingeris, ô filia turmæ*, vel *exercitûs:* i. O Jeruſalem, quæ tot millia educebas in prælium: aut, cujus potentiores irruebant turmatim in pauperes. ¶ *Poſuit* שם] Præt. Heb. pro fut. *ponet*, i. cinget vos obſidione Romanus Imperator. ¶ *Maxillam Judicis* על הלחי את שפט] *In gena Judicem.* Sing. pro plur. i. primores & magnates, ſive qui majore pollebunt autoritate inter eos. In gena percuti eſt ignominioſum.

2. *Ephrathah* אפרתה] i. Quæ alio nomine diceris *Ephrath* ſive *Ephrathah* in tribu Juda, ad differentiam alterius Bethlehem quæ erat in tribu Zabulon. Vide Gloſſam noſtram ordinariam in Matth. 2. 6. ¶ *Parvula es*, &c. צעיר וגו׳] Hebraïſmus, minor es quàm ut annumerari debeas inter urbes millium Juda. Numerus certus pro incerto. Matthæus habet, *Nequaquam minima es in principibus Juda*, reſpiciens dignitatem ejus, quòd jam in ipſa natus eſſet Chriſtus; & non quantitatem ſive molem ejus. ¶ *Et egreſſus ejus* ומוצאתיו] Numero plurali dixit propter duos naturas in Chriſto, Divinam & humanam. Priore particulâ *ab initio*, indicavit incarnationem Chriſti, qui jam ab initio mundi promiſſus fuit, ut ſuo tempore ſecundùm carnem naſceretur. ¶ *A diebus ſeculi* מימי עולם] Hebraiſmus, ante ſecula, ante mundum conditum. Hâc poſteriore particulâ ſignificavit emanationem illam à Patre ab æterno & ante ſecula.

3. *Dabit eos*, &c. יתנם וגו׳] Hebraiſmus, tradet ſuos in ſummas afflictiones, ſive, ſinet ſuos affligi non aliter quàm affligi ſolet mulier in ipſo puerperio ſive partu. ¶ *Et reſiduum* ויתר] *Et reliquiæ*, i. reliqui fratres: q. d. Nonnulli Judæi convertentur ad fidem Chriſti cum veris Iſraelitis, Patriarchis & Apoſtolis.

4. *Et ſtabit* ועמד] *Et conſiſtet*, nempe poſt primam illam perſecutionem. ¶ *In ſublimitate* בגאון] *Cum ſublimitate*, i. magnificentia. ¶ *Manebúntque* וישבו] *Habitabúntque:* vel *ſedebunt*, i. permanebunt in fide, ſive in tranquillitate & quiete. ¶ *Magnificabitur* יגדל] i. Augebitur nomen ſive fama ipſius Chriſti.

5. *Et ſuſcitabimus* והקמנו] *Tunc ſuſcitabimus.* ¶ *Septem*, &c. שבעה וגו׳] *Septem paſtores, aut octo*, &c. Numerus finitus pro indefinito; i. multos qui reſiſtent adverſariis.

6. *Et terram Nimrod* ואת ארץ נמרוד] i. Regionem Chaldæorum: q. d. Se ſuis gladiis confodient. ¶ *Eruétque* והציל] *Eripiétque*, ſub. *Chriſtus.* ¶ *Venerit* יבוא] Sub. *Aſſur.* ¶ *Et calcaverit* וכי ידרך] i. Cùm tentabit conculcare fines regionis noſtræ.

8. *Et conculcaverit*, &c. ורמס וגו׳] Redundans ו, pro, *qui ſi tranſierit, conculcabit & rapiet, nec erit qui eripiat. Si tranſierit*, i. loco ſe moverit.

10. Suc-

10. *Succidam equos tuos* והכרתי סוסיך] *Excidam equos tuos*, i. auferam, tanquam tibi inutiles, in quibus tamen antea confidebas. Describit ut prædicato Euangelio fideles nulli rei siderent, sed soli Deo, à quo toti penderent: q. d. Non erit tibi posthac opus omnibus istis, nec ulli usui erunt tibi: nam solo Dei verbo & virtute securus ages.

12. *Et divinatores* ומעוננים] *Et præstigiatores.* Annotat doctus inter Hebræos, dictionem istam significare *illos qui præstringunt oculos*, sive *aciem oculorum.* Affert præterea, alium quendam doctum interpretari de *illis qui considerant tempora & horas, dicentes, Hodie bonum est egredi*, i. peregrinari; *Crastinâ die bonum erit accipere*, i. emere.

14. *Inimicos tuos* עריך] *Civitates tuas.*

15. *Non audierint* לא שמעו] Sub. *Euangelium meum.* Chald. *quia non receperunt doctrinam Legis.*

CASTALIO.

1. JAM *impressionem facies* in hostes, *tu puella* Sion, *in quam nunc fit impressio*] h. e. Israelitæ (qui sunt Christiani) vincent Gogum & Magogum (de quibus vide Ezechielem & Apocalysin) qui nos Israelitas *obsidebunt*, à quibus Israelitis fuerit *Israelitarum Judex* Christus *verberatus* & in crucem actus: quo tamen duce vincentur illi. Nascetur autem is *Bethlehemæ*, sed *erit ejus ortus ab æternis temporibus.* Hoc loco significat Michæas Messiam, quod ad humanitatem attinet, nasciturum Bethlehemæ; quod ad Divinitatem autem, non esse nasciturum, quippe qui sit sempiternus.

3. *Itaque dedit eos*] Causam reddit ejus quod antè dictum est de *verberato Christo.* Quoniam Christum, inquit, repudiaverint ac interfecerint Judæi, deseret eos *donec mater* Ecclesia (sic enim vocatur & Apoc. 12.) Christum *pariat*, h. e. donec Christus reliquis gentibus prædicetur. Atque ità peracto gentium tempore, *reliqui Christi fratres*, h. e. Judæi, *redeant ad Israelitas*, h. e. ad Christianos, qui sunt veri Israelitæ, h. e. fiant Christiani. Id quod fiet *cùm Christus creverit ad extrema terrarum*; h. e. cùm fuerit Christi disciplina toto orbo publicata. Est autem eadem sententia Luc. 21. his verbis, *Conculcabitur autem Hierosolyma à Gentibus donec compleantur tempora Gentium.* Quod idem docet & Paulus ad Rom. 11.

5. *Erit autem is*, videlicet Messias, *pax*] h. e. Tuebitur nos si nos hostis invaserit. Vocat enim *Assyrium* quemvis hostem: ut est illud Maronis,

> *Alter erit tum Tiphys, & altera quæ vehat Argo*
> *Delectos heroas.*

CLARIUS.

1. NUnc *oppugnaberis*] h. e. Sicut turmatim potentiores irruerunt in pauperes, ità quoque hostes *turmatim obsidebunt te*, & captum *percutient virgis*, non solùm vulgares, verùm & *Regem* ipsum, nempe Sedechiam: ut hæc referantur ad præcedentia: q. d. *Hæc quidem felicia suo tempore accident, interim filia vastationis eris.* Mox additur consolatio de Regno iterum instaurando, cùm promittitur Dux & *Dominator*, qui *processurus* prædicitur *de Bethleem*, urbe quidem *parvulâ* si mœnia spectes, maximâ autem si Ducis nobilitatem attendas; sicut & D. Matthæus hoc sensu hunc citavit locum: alioqui videretur contrarius, cùm hîc dicatur, *parvula es*, illic verò, *non parva.* Sunt qui alio modo solvunt, ut hîc per interrogationem dicatur, quâ negatio includitur. Sunt tamen qui illud, *percutient maxillam Judicis Israel*, intelligant de Christo: quod pulcrè quadrat; ut accipiatur illa oppugnatio dicta de persecutione facta contra Ecclesiam, cujus Caput est Christus, & ità conjungas superioribus, *Comminues quidem populos, & demum subiges, verùm priùs oppugnaberis*, &c. Quod ut apertius Propheta faceret, ac significaret de hoc se loqui, etiam seipsum interserit oppugnatis, dicens, *obsidionem posuerunt super nos.* Illud autem *in millibus* quidam vertit *inter civitates principum Juda.*

2. *Et egressus ejus ad initio*] Ante conditum Mundum decretum fuit (sic enim quidam interpretantur) ut hisce diebus in mundum prodiret qui semper fuit, & qui olim Patribus fuit promissus. Siquidem *Abraham exsultavit ut videret diem Christi, & vidit, & gavisus est.* Verùm illud *egressiones ejus* melius est ut referatur ad nativitatem Divinam. Nam quòd ab æterno id ordinatum sit, nihil mirum, cùm non hoc solum verùm & omnia longè antè à Deo prævisa fuerint; neque opus erat ut hoc loco id Propheta admoneret.

3. *Propter hoc dabit eos*] Oppugnari permittet Apostolos & Ecclesiam suam. Propterea enim & ipse nostri similis factus est ut nobis exemplum præberet. Quousque verò? *usque ad tempus in quo parturiens pariet.* Hic est ille Apostolorum partus, quemadmodum Paulus de se ait, *Filioli mei, quos iterum parturio*, &c. Alius verò sic interpretatur, *Antequam Messias nascatur in mundum, tradet Deus Judæos in magnas afflictiones, idque usque ad tempus certum, ut iterum propter peccata sua castigentur, & in modum parturientis doleant: & postea stabit Messias, & pascet*, &c. ¶ *Reliquiæ fratrum*] Sunt qui intelligant Gentes: de quibus Joannes ait, *Ut filios Dei qui erant dispersi congregaret in unum.* Quòd si *filii Dei* erant, etiam *fratres* erant Israelis spirituales.

4. *Et convertentur*] Alius vertit *sedebunt*, i. securi erunt, omnis mali expertes, tanquam sedeant sub ficu & sub vinea, nemine eos exterrente.

5. *Et erit ista pax*] h. e. Hujusmodi atque hujus generis. ¶ *Septem pastores*] promissio est Dei, qui suos non deserit; sed cùm videntur esse in maximo discrimine, subitò suscitat liberatores multos. Id enim significat *Septenarius* in Scriptura, & *Octonarius.* Et ait, *suscitabimus contra eum*, se etiam interserens, ut dictum de fidelibus intelligatur.

6. *Terram Nembrod*] h. e. Babyloniam. ¶ *Ensibus ejus*] *Suis ipsorum*, ut quidam interpretantur, quemadmodum à David Goliath suo ipsius gladio interfectus est.

7. *Quasi ros à Domino*] Electi Dei, ubicunque sint in terra, nutriuntur certâ spe à Domino. Sicut herba tempore siccitatis incrementum accipit à *rore*, & *fiduciam nullam habet in homine*, sed in Creatore, qui omnibus providet; sic electi Dei pendent ab eo, & in mediis afflictionibus atque in morte ipsa refrigerium habent ab eo.

10. *Auferam equos tuos*] Docet hîc, à nulla re alia quærendam salutem nisi à Domino, nec in aliquo alio præterquam in Domino confidendum. Nam promittit Dominus *se ablaturum equos & quadrigas*, &c. eo tempore quo etiam prædicitur summa felicitas.

15. *Quæ non audierint*] Quæ non obedierint doctrinæ Legis Dei.

L. BRUGENSIS.

5. ET *erit iste* [*ista* 1 MS. G.] *pax: Assyrius cùm venerit*, &c.] Sic pleraque nostra MSS. legunt, Brug. Leod. Lob. O. L. Pl. ang. &c. & prima Chalcographorum Biblia, Moguntina ac Coloniensia. Quinque Hentenii, & quatuor nostra manuscripta, cum aliquot impressis libris, scribunt, *Et erit iste pax Assyriis, cùm venerit.* Hebræa ex se ad utrumque sensum ambigua sunt; והיה זה שלום אשור כי־יבא, i. *Et erit iste pax Assur cum venerit.* Cæterùm Hebræi ità distinxerunt ut *Assur*, à præcedentibus separatum, ad sequentia referatur, accentu athnah, qui distinguendi vim habet quam apud nos Colon, dictioni שלום *pax* subjecto. Itaque intelligunt locum omnes Enarratores, antiquiores & recentiores, quos vidi; nimirum ut ad sequentia *Assur* sive *Assyrius* spectet; uno Ruperto excepto, qui utrumque legendi modum agnoscit atque exponit, & posteriorem quidem, qui præcedentibus jungit Assyriis, tanquam ordinatiorem, præfert. Quidam codices, duabus transpositis vocibus ut major sit claritas, scribunt, *Cùm Assyrius* [*Cùm Assyriis* o.] *venerit:* verùm præstantiores eo ordine legunt qui Hebraicè est, *Assyrius cùm venerit.*

DRUSIUS.

1. TUrmatim *invaderis*] *Vastaberis à turmis* sive *globis cuneisve militum* aut *latronum.* Alii ediderunt, *turmatim coito*, nescio an meliùs. Ut ut sit, גדוד est *turma* sive *globus militum.* Et videtur loqui de gente Assyria & Chaldæa; Quam *filiam turmæ* vocat propterea quòd solita sit per turmas alios invadere. Par pati, inquit: Nam quod aliis fecisti, id nunc fiet tibi. Quæ est justissima lex talionis, quam ἀντιπέπονθὸς vocant. ¶ *Filia turmæ*] בת גדוד] *Filia cunei*, i. cuneatim grassari solita. Vat. edit. *filia latronis.* Quidam innui putant cives Jerosolymitanos, aut potiùs ipsam Jerosolymam, quæ plena latronum fuerit, cujus nunc captivitatem prædicit. ¶ *Posuit*] Transitio secundæ personæ, ut fit, ad tertiam. *Filia turmæ*, inquit, quæ obstructis munitionibus nos obsidet & circumvallat. Aut *posuit*, sub. *hostis.* ¶ *Munitionem*] Hieron. *obsidionem.* Lxx, συνοχὴν, i. *coarctationem:* qui sensus est in verbo צור *premo, coarcto.* Sed & nomen quo hîc usus Propheta interdum περιοχὴν, i. *obsidionem*, denotat. ¶ *Contra nos*]

nos] Verba civium Jerosolymitanorum. ¶ *Virgâ*] Aut *baculo.* ¶ *Percusserunt in maxillam*] Pœnam designat cum summa ignominia conjunctam. Vide Class. 2. lib. 3. adag. 114. ¶ *Judicem Israel*] i. Regem. Aut *Judices Israël*, i. gubernatores ac magistratus: q. d. indignis modis eos tractarunt. Nam qui alteri alapam dat, an potest quid facere indignius? aut turpiorem injuriam inferre? Sanè quidem solemus maxillam ferire vilissimorum mancipiorum, quos Galli vocant *des garçons.*

2. *Et tu*] Hic Ebræi inchoant caput quintum, ut ante me Nicolaus annotavit. ¶ *Bethlehem-Ephrata*] Quæ & *Bethlehem-Juda*, nempe ad differentiam alterius Bethlehem quæ in tribu Zabulon, unde Abesan Judex oriundus erat. Ephrata verò alio nomine *Bethlehem* dici paret & Gen. 48. 7. ubi sic legimus, *Et sepelivi eam in via Ephrathæ: ipsa est Bethlehem.* ¶ *Parvula es*] צעיר in Ebræo masc. est. Sic אתה *tu.* Hinc disces urbium nomina non semper feminina esse. Lego autem cum interrogatione, ac sic esset, *Parvuláne es?* quod idem cum illo Matthæi, οὐδαμῶς ἐλαχίστη *nequaquam minima es.* ¶ *Ut sis*] להיות pro להיותך. Videtur hoc dicere, *Tu, Bethlehem, non es adeò parva urbs inter urbes Juda, quæ mille homines habent & Chiliarchum creare possunt. Nam ex te exibit* ἄρχων *non solùm civitatis unius sed etiam totius Israel.* Vel sensus est, *Videris quidem parva adeò urbs ut præfectum mille hominum creare non possis: sed non est*, &c. *Nam ex te egredietur*, &c. Vulgò legunt sine interrogatione hâc sententiâ, *Tu, Bethlehem, licèt prava urbs adeò sis ut mille cives non habeas quos ad bellum educas, tamen ex te exibit Christus Dominator & Princeps totius Israel.* ¶ *In Chiliadibus*] Nam tribus distributæ erant in chiliades, quibus qui præerat cum imperio *chiliarchus* sive *tribunus* dicebatur. Is autem mille cives educebat ad bellum. ¶ *Mihi*] Redundat: aut *mihi*, i. bono meo. Verba Prophetæ an Dei? ¶ *Egredietur*] Orietur ex te secundùm carnem. ¶ *Futurus* להיות *ut sit.* Finem notat, ut ἵνα apud Græcos. ¶ *Dominator*] Rex Messias. ¶ *Egressus*] *Egressiones, exitus.* ¶ *A diebus seculi*] *A temporibus æternis.* Nam & Homo erat & simul Deus. Quatenus Deus erat, ejus origo æterna fuit. Nec movere quenquam debet cavillum Camii Ebræi, qui scribit *Deum fuisse ante tempora æterna.* Quis hoc inficiatur? David alibi ait, *A seculo tu fuisti Deus:* & verè hoc ait, quamvis Deus fuerit ante omnia secula. Sic qui dicit *Christum nobiscum futurum usque ad consummationem seculi*, non negat post illud tempus nobiscum futurum. Siquidem particula *usque* non excludit tempus sequens. Sic præpositio *à* non excludit tempus antecedens. Intelligentes intelligunt quid velim.

3. *Dabit eos*] Tradit eos vexandos & affligendos. Quidam, *exponet eos.* ¶ *Usque ad tempus quo*, &c.] Dum ea cujus afflicta nunc penitus salus est, incolumitatem & salutem consequatur. Usus est hâc similitudine & suprà 4. 10. ¶ *Fratrum ejus*] Cujus? Haut dubiè Messiæ: & *reliquias* Gentium intelligit quas Deus ad salutem vocaverit. Aut *fratrum ejus*, i. Judæorum. Nam *fratres* ejus erant secundùm carnem. ¶ *Cum filiis Israel*] על posuit pro עם, i. *cum*, ut Exod. 35. 22. על הנשים *cum mulieribus.* Licet vertere *convertentur ad filios Israel*, ut veros Israelitas intelligat, quos *filios Abrahæ* vocant.

4. *Stabit & pascet*] Christus. Contractiùs dicas *stans pascet*, vel *permanebit pascens.* Nam STARE est *permanere*, ut in illo, *Terra in perpetuum stat.* Sic, *An starent verba ejus?* i. an in sententia permaneret? Est & verbum eorum qui officio aliquo publico funguntur, putà Prophetæ aut Sacerdotis: unde, *Vivit* DOMINUS *in cujus conspectu ego sto.* Fortè huc respexit. *Pascet*, i. reget Ecclesiam suam quâ optandum est lenitate clementiâque. ¶ *Virtute* DOMINI] *In robore*, sive *fortitudine*, *Domini:* q. d. Non humanâ sed Divinâ virtute gubernabit Ecclesiam. ¶ *In magnificentia nominis* DOMINI, &c.] i. *In nomine Domini Dei sui magnifico.* Pro *magnificentia* quidam ediderunt *excellentia*; alii, ut V. Int. *in sublimitate.* Trem. *excellentiâ, nomine Jehovæ Dei sui*, i. בגאון. ¶ *Dei sui*] Dei Patris, quem *Deum suum* vocat, ut ibi, *Deus mi, Deus mi, cur dereliquisti me?* ¶ *Et sedebunt*] Securè, *quisque subter vitem suam & subter ficum suam.* Vetus ed. *& convertentur* ושבו. Santes *& manebunt:* quod שב quoque interdum sign. ¶ *Magnificabitur*] *Magnum erit*, μεγαλυνθήσεται & sub. *nomen* DOMINI: vel, *magnus erit* ipse Christus.

5. *Et erit hæc pax*] Status hic temporum florentissimus ac felicissimus erit. Alia interpretatio, *& erit iste pax* nempe Messias, à quo tanquam à fonte manabit omnis prosperitas rerúmque tranquillitas. Sic ed. vetus. Quò facit illud Ephes. 2. 14. *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum.* Zach. 9. 10. *Loquetur pacem gentibus.* ¶ *Cùm venerit*] Vel *postquam venerit:* vel potiùs *cùm veniet*; ut ad sequentia referatur, *Quando Assyrius*, inquit, *veniet in terram nostram, tum constituemus super eum*, &c. ¶ *In terram nostram*] *In regionem nostram.* ¶ *Calcaverit*] *Pervaserit* malo quàm *destruxerit* aut *everterit.* ¶ *Super eum*] Assyrium videlicet. Quidam legunt *cum eo*, & pronomen ad *Christum* referunt. Nota ut על pro עם sumatur. ¶ *Septem*, &c.] *Septem & octo*, i. quamplurimos, ut ibi, *Da partem septem, etiam octo.* Locus est Cohel. 11. Usurpant etiam SEPTEM simpliciter pro *multis*, ut Jes. 4. *septem mulieres.* Matth. 12. *spiritus septem nequiores.* Zach. 3. *lapis habens septem oculos.* Ruth. 4. *quàm septem filii.* Ità capies in Euangelio, ubi Maria Magdalena *obsessa fuisse* legitur *à septem dæmoniis.* ¶ *Pastores*] Vel *Reges:* vel capiendum ex eo quod mox sequitur ורעו *& depascent.* ¶ *Principes hominum*] Constructio ut *sapientes mulierum*, *sacrificantes hominum.* Quod genus frequens est apud Græcos; Quorum imitatione Latini quoque dixerunt, *Nigræ lanarum*, *Canum degeneres*, &c. Quidam אדם exponunt de hominibus vulgaribus, ac si diceret, *principes ex infima plebe selecti.*

6. *Pascent*] i. *Depascent.* Similis locus est Apoc. 2. 27. *pascet eos virgâ ferreâ.* Nam *virga ferrea* de quorundam sententia est Gladius. Aliter exponas ורעו *& conterent:* ut Jer. 16. 16. Hoc à רעה, illud à רעע. Cæterùm quia præcedit *septem pastores*, adducor ut credam veriorem esse priorem interpretationem. Est autem Tralatio sumpta à Pecoribus herbam depascendo consumentibus & vastantibus. ¶ *Terram Assyriam*] Regionem Assyriorum. ¶ *Gladio*] Bello. Nam usus Gladii præcipuus in bello. ¶ *Terram Nemrod*] i. Babyloniam. Gen. 10. *Regni ejus caput fuit Babylon*, &c. de Nemrod loquitur. ¶ *In ostiis ejus*] Pronomen ad *terram* pertinet: est enim femininum. Vocat autem *ostia terræ* ea loca per quæ introitus est in terram Assyriam. Nisi legas *intra portas ejus*; quod Sym. olim ἐντὸς πυλῶν αὐτῆ retulit; pòst Theodotio (nam secutus est Symmachum) *in portes eorum*; Scholia Ebraica, *ensibus suis*; Vet. ed. Latina, *in lanceis ejus*; & Quinta olim ἐν παραξίφεσιν αὐτῶν, i. interprete Hieron. *in sicis eorum.* פתחים *enses*, qui apud Davidem פתיחות, *spicula* nonnulli reddunt. ¶ *Liberabitque ab Assyrio*] Messias Rex *liberabit nos ab Assyrio*] ¶ *Terminum nostrum*] Regionem nostram.

7. *Ut ros à* DOMINO] Hîc vult, Ut ros absque humano auxilio terram fœcundat, sic Deus Ecclesiam suam donis spiritualibus locupletabit. Sic dico, Deus tuebitur Ecclesiam suam sine opera & adminiculo hominum. ¶ *Ut imbres super herbam*, &c. Deut. 32. 2. *Stillat ut pluvia doctrina mea, fluit ut ros sermo meus, ut pluviæ super germen, ut imbres super herbam.* כרביבים alii referunt *sicut stillæ*, & alii *sicut tenues pluviæ.* Sed vox Ebræa denotat potiùs *pluviæ copiam majorem.* Nam רב *multum esse* sign. & ab eo רביבים sunt, interprete Camio, *imbres*, sive *pluviæ vis copiosior.* Sic reddunt hanc vocem & nuperi Translatores Psal. 65. 10. & 72. 6. ¶ *Quæ non sperat virum*] i. Hominem. Quæ herba, inquit, non pendet ab humano arbitrio, nec indiget alicujus hominis ope, sed sponte & sine cultura provenit, cœlesti rore ac pluviâ irrigata. Pluvia verò Divinum donum est: unde legimus, *Ego exaudiam cælum*, &c. nempe effundendo quantum satis est imbrium.

8. *Sicut leo*, &c.] Erunt terrori hostibus suis, nec erit ex iis qui se audebit opponere. ¶ *Inter bestias silvæ*] i. Silvestres, ut sunt Pardus, Ursus, Lupus, & similes. ¶ *Leonculus*] *Junior leo*, qui tanto animo præditus non est ut possit bestias silvæ invadere. ¶ *Si transit*] Cùm pervadit greges ovium. ¶ *Non est qui eripiat*] Nam quicquid Leo rapit, etiamsi camelus foret, aufert: tanta est in eo animositas. Unde proverbiale, EX ORE LEONIS, pro, *Ex ingenti periculo.*

9. *Manus tua*] Apostrophe ad Israelem, cui victoriam promittit adversùs inimicos. Potest etiam pronomen referri ad ipsum *Deum.* Reliqua plana sunt, nec egent explicatione.

10. *Exscindam*] Adimam tibi omnia ea in quibus fiduciam ponere solitus es, ut scias tuam salutem à me solo pendere, nec alii quàm mihi victoriam adscribas. Vel hoc dicit quia *equorum & quadrigarum*, item *munitionum & arcium* pacis tempore nullus usus. Scitum illud, *Equus ad bellum aptatur.* ¶ *Equos tuos*] Quibus uti soles in bello. ¶ *Quadrigas tuas*] Currus falcatos.

11. *Urbes*] Urbes muratas intelligit, quibus tunc non egebunt. Nam ubi nulli hostes, quid opus urbibus? Ad hæc, aer ruri salubrior est quàm in urbibus. Sensus ergò est ut si diceret, *Dejiciam muros ac mœnia urbium vestrarum.* Sanè pacis tempore negliguntur mœnia & paulatim collabascunt. Sign. igi-

tur

tur diuturnam pacem; ut Zach. 2. 4. *per vicos habitabitur Jerusalem.* Aut *exscindam urbes vestras* in quibus confidere nimiùm solebatis. Eam fiduciam vobis adimam. ¶ *Destruam*] *Diruam*, *demoliar*, solo æquabo.

12. *Exscindam*] *Auferam.* Ut solida pax sit, debet vigere purus Dei cultus. Ergò & eum, inquit, restituam, deletis omnibus iis artibus quæ ad hominum perniciem inventæ & excogitatæ sunt. ¶ *Maleficia*] τὰ φάρμακα, quod rectiùs *veneficia* reddas hoc loco quàm *venena*. Est autem *veneficium* venefici artificium vel crimen. *Veneficus* autem dicitur qui venena spargit ut homines tollat; item, qui cantionibus quibusdam & malis artibus abutitur ad suam libidinem explendam. ¶ *E manu tua*] q.d. Non ampliùs iis uteris, nec uti alios permittes. Scholia Ebraica enarrant מרשותך *è potestate tua:* ut ibi, *Et accipiet omnem regionem ejus è manu ipsius.* ¶ *Præstigiatores*] מעונן *præstigiator.* Id Magistri dicunt האוחז את העינים. Appellatio ab *oculo*, qui עין dicitur. LXX ἀποφθεγγόμενοι, tanquam à ענה *respondit:* ut sig. eum qui dubitanti de eo quod suscepturus erat responsa dabat. Quod testimonio suo confirmat R. Aquiba præceptor Aquilæ Pontifici, cujus verba invenies apud Camium in Comment. ad h. l. Non dissident Gallici Interpretes, qui vertunt *prognostiqueur*, i. *prognostes* sive *præscius futurorum:* quem Tremellius *planetarium* vocat. Minùs autem placet quod in editione Latina Vet. *divinationes*. Nam *divinationes* potiùs קסמים appellantur: unde & קוסם *divinus*.

13. *Sculptilia tua*] Deos *sculptiles tuos*. פסל tam de ligno usurpatur quàm de lapidibus. ¶ *Statuas tuas*] Fusas ex auro & argento. ¶ *Non adorabis*] Vel, *non procumbes ad opera*. ¶ *Opera manuum tuarum*] Idola facta manibus artificum qui inter vos.

14. *Hostes tuos*] Ità Jonathan. Alii, *urbes tuas*, in queis Hier. Sed quia priùs dixit *exscindam urbes terræ tuæ*, ideo videtur aptius esse ut exponamus *hostes tuos*. Vox Ebræa prorsus ambigua est. Sic variant Interpretes Jes. 14. 21. Singularis est עָר *inimicus*, *hostis*, *adversarius*. 1 Sam. 28. 16.

15. *Cum gentibus*] Alii *in gentibus*, i. בגוים. *Quæ non obaudiverint*] i. *Obtemperaverint*. Nec malè vertunt *quam non audiverunt*, ut ad *vindictam* referatur; q. d. *faciam ultionem inauditam ipsis*, modo inaudito & incredibili ulciscar eos. Prior translatio indicat non universalem fore vindictam, sed tantùm rebellium & refractariorum.

IDEM.

1. HΜᾶς] Al. ὑμᾶς.

2. Βηθλεέμ ὁ οἶκος τοῦ Ἐφραθὰ] Οἶκος τοῦ Βηθλεέμ τοῦ Ἐφραθά. ¶ Ἐν τῷ Ἰσραὴλ] Al. τοῦ Ἰσραήλ.

4. *] Al. καὶ ὄψεται. ¶ *] Al. τὸ ποίμνιον αὐτοῦ. ¶ Ἐν ἰσχύϊ Κυρίου] Al. ἐν ἰσχύϊ Κύριος. ¶ Ὀνόματος] Τοῦ ὀνόματος. ¶ Θεοῦ] Τοῦ Θεοῦ. ¶ Μεγαλυνθήσεται] Al. μεγαλυνθήσονται. ¶ Τῆς] Al. τῆς γῆς.

5. Καὶ ἔσαι αὕτη εἰρήνη Ἀσσοὺρ ὅταν ἐπέλθῃ] Καὶ αὕτη ἔσαι ἡ εἰρήνη ὅταν ὁ Ἀσσύριος ἔλθῃ. ¶ Ἡμῶν] Al. ὑμῶν.

6. Ἐπ' αὐτῶν] Al. ¶ Αὐτῆς] Αὐτοῦ. ¶ Ἐπέλθῃ] Ἔλθῃ. ¶ Ἡμῶν] Ὑμῶν· sic & Aldus.

7. Καὶ ἔσαι] Ἔσαι ¶ *] Al. ἐν τοῖς ἔθνεσιν. ¶ Ὅπως] Ὅπως μή.

8. Ὁ ἐξαιρούμενος] Ῥυόμενος.

10. Ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ] Ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ. ¶ Ἵππους σου] Al. ἵππους.

12. Ἐξολοθρεύσω] Al. ἐξαρῶ.

13. Οὐκ ἔτι] Bas. ἔτι.

14. Ἄλση σου] Al. ἄλση.

IDEM.

1. ΕΜφραχθήσεται] Deducunt à גדד: est autem גדרי interpretamentum vocis גדר Psal. 62. 3. & Coh. 10. 8. Græcè φραγμὸς, i. *sepes*. ¶ Θυγάτηρ ἐμφραγμῷ] Legerim θυγάτηρ ἐμφραγμοῦ. ¶ Τὰς φυλὰς] Quin legerint שבט nulla in corde meo dubitatio est. Porrò שבט & מטה ut *tribum* significent notum est.

4. Καὶ ὄψεται] Arbitror superesse ex prava quapiam versione ejus qui ראה pro רעה legerat. Vera versio, in qua libri omnes consentiunt, καὶ ποιμανεῖ. ¶ Ἐν ἰσχύϊ Κύριος] Non ποιμανεῖ Κύριος, sed ποιμανεῖ ἐν ἰσχύϊ Κυρίου· ergò mendum hæret in plerisque vulgatis, quod restitui debet ex Antverpiensi. ¶ Θεοῦ αὐτῶν] Θεοῦ αὐτοῦ. ¶ Ὑπάρξουσι] Καὶ καθήσονται.

5. Ἐπ' αὐτῶν] Leg. ἐπ' αὐτόν. ¶ Δήγματα ἀνθρώπων] i. נשכי אדם. Sym. χριστοὺς ἀνθρώπων, i. משיחי אדם. Aq. καθεσαμένους. Id valet *graves & constitutos homines*, interprete Hieronymo. Th. & Quinta *Principes homines* (ἄρχοντες ἀνθρώπων) bene sanè: sic etiam Lxx vertunt Jos. 13. 21. נסיכי סיחון ἄρχοντας Σηών· & Ezec. 32. 30. נסיכי צפון οἱ ἄρχοντες τοῦ βορρᾶ· & Psal. 83. 11. כל נסיכמו πάντας τοὺς ἄρχοντας αὐτῶν.

6. Τὸν Ἀσσοὺρ] Τὴν γῆν Ἀσσούρ. ¶ Τοῦ Νεβρὼδ] Scriptum invenio Νεβρὼδ per Daleth Gen. 10. hic ille est qui à Latinis *Nemrod* vocatur.

IDEM.

1. עַתָּה תִּתְגֹּדְדִי בַת גְּדוּד. Aq. Sym. Th. V. ed. *Nunc vastaberis, filia latronis*] Hier. *Hoc juxta Ebraicum: cui interpretationi Aq. & Sym. & Th. & ed. Quinta consentiunt.* Ex his verbis Hieronymi duo colliguntur; Primùm, in Ebræo haberi quod ipse transtulit, *nunc vastaberis, filia latronis*; deinde, Interpretes quos ibi nominat locum illum eodem modo in Græcum transtulisse.

4. וְיָשָׁבוּ. Sym. *& habitabunt*] Hier. *Et convertentur, sive, ut meliùs interpretatus est Sym.* habitabunt. ישבו *enim verbum Ebraicum utrumque significat.* Utrumque significat pro diversitate lectionis. וְיָשְׁבוּ sig. *& habitabunt*, וְיָשֻׁבוּ *& convertentur.* Rectiùs ergò Symmachus ad lectionem quæ hodie obtinet.

5. נְסִיכֵי אָדָם. Aq. καθεσαμένους †. Sym. χριστοὺς ἀνθρώπων *. Th. & V. ed. *principes hominum* †] † Deest ἀνθρώπους, i. *graves & constitutos homines*. Sic interpretatur Hier. Potest fieri ut ediderit καθεσαμένους ἀνθρώπων. Nihil temere statuo. In ed. Rom. δήγματα] *Aq. & Sym.* καθεσαμένοι. Nos secuti nunc sumus Hieronymum; ad quem te remitto. * Hier. נסיכי אדם *Sym. interpretatus est* χριστοὺς *hominum.* Psal. 2. ואני נסכתי מלכי, idem Sym. κἀγὼ ἔχρισα τὸν βασιλέα μου. Vide quæ scripsimus ad illum locum. † Ἄρχοντες ἀνθρώπων. Et est locutio ut, *Nigræ lanarum*, *Canum degeneres*, *Sapientes mulierum*. Jos. 13. 21. נסיכי סיחון, LXX ἄρχοντας Σηών. Ezech. 32. 30. נסיכי צפון, ἄρχοντες τοῦ βορρᾶ. Psal. 83. 11. כל נסיכמו πάντας τοὺς ἄρχοντας αὐτῶν. Sic hodie interpretantur. Ps. 2. 6. נסכתי *Principem constitui:* ubi tamen Hier. post Symmachum *unxi* maluit.

6. וְרָעוּ אֶת אֶרֶץ אַשּׁוּר בַּחֶרֶב וגו׳. Sym. *Et pascent terram Assur in gladio, & regionem Nemrod intra portas ejus*] Hier. *Quod autem Sym. ait,* Et pascent terram Assur in gladio, & regionem Nemrod intra portas ejus, *hoc sentiendum est, quòd in domo sua alligetur fortis, & vulneretur adversarius. Et juxta Aquilam & Quintam editionem*, sicis & lanceis septem pastorum & octo christorum hominum. ¶ בִּפְתָחֶיהָ. Aq. *in lanceis ejus* †. Sym. ἐντὸς πυλῶν αὐτῆς. Th. *in portis eorum* *. V ed. ἐν παραξιφίσιν αὐτῶν.] Hier. *Rursum in eo ubi ego & Aq. transtulimus* in lanceis ejus, *ut subaudiatur* terræ Nemrod, *Sym vertit* ἐντὸς πυλῶν αὐτῆς, *i.* intra portas ejus; *Th.* in portis eorum; *Quinta ed* ἐν παραξιφίσιν * αὐτῶν, *quod nos possumus dicere* in sicis eorum. † Æmulatus est Interpres V. quem vel hic locus evincit Hieronymum fuisse, qui se & Aquilam ità transtulisse ait. * Malim *in ostiis ejus*. Nam שער *porta*, פתח autem est *ostium* vel *janua*, nempe id quod aperitur. Sed confundi scias. Salomo Interpres ordinarius Ebræorum, *in portis provinciarum ejus.* † Emendo παραξιφίσιν. Ejus singularis παραξιφὶς, *gladiolus*, *pugio*. Ab Hesychio etiam μάχαιρα exponitur. Scholia Camii בחרבותיה, i. *gladiis ejus*. Sic Abenezra *Sed sunt*, inquit, *qui ostia terræ significari putant*, i. loca per quæ regionem aliquam intramus. Psal. 55. 21. פתחות, Santes *gladii*, Arias *stricti gladii*; Gallica editio postrema, *coup de poignard*. Lexicon Lat. Gr. V. *Pugio*, παραξιφίδιον.

7. כִּרְבִיבִים עֲלֵי עֵשֶׂב. Aq. ὡς ψεκάδες ἐπὶ πόαν. Th. ὡσεὶ νιφετὸς ἐπὶ χόρτον *.] Ψεκάδες *minutulæ guttæ*, ut in proverbio, ψεκάδες ὄμβρον γεννῶσι. Vide Erasmum in, *Minutula pluvia imbrem parit.* Reperitur & ψακάς. Lex. Gr. Lat. V. Ψακὰς, *gutta*. Hinc fluxit interpretamentum Hier. רביבים *stillæ*. Sic etiam Santes Deut. 32. 2. Idem tamen alibi *imbrem* reddit, ut Psal. 65. 10. ubi Gallici Translatores, *par la pluye menue*. Jonathan Interpres Chaldæus hoc loco convertit רסיסי מלקושא. Fuit aliquando tempus cùm putarem רביבים denotare *pluviam multam & copiosam*, רסיסים verò *pluviam minutam:* nunc ἐπέχω quippe moveor autoritate veterum. Nam etymologia pro iis est qui רביבים interpretantur כטר גדול: inter quos doctissimus Ebræorum R. David. * Haud obscurum unde sumpserit. Deut. 32. 2. כרביבים עלי עשב, LXX ὡσεὶ νιφετὸς ἐπὶ χόρτον. Quid νιφετός; exponit νιφὰς, i. *gutta*. Sanè νιφάδες Suidæ sunt σαγόνες & notatum invenio, Νιφὰς, τὸ μικρότατον, quod & ψακὰς,

κὰς, i. *gutta*, *stilla*. Nihil ergò dissidet ab Aquila. Hic consensus magis me dubium, & Camii expositionem suspectam facit. Nam fallax Etymologia; ei temere credendum non est. ¶ אשר לא יקוה לאיש ולא ייחל לבני אדם. Th. ὃς ὃ μενεῖ ἄνθρωπον, καὶ οὐκ ἐλπίσει υἱὸν ἀνθρώπου, *quæ non exspectat hominem, neque sperat in filium hominis.*] איש cum אדם permutari notius est quàm ut probari debeat.

IDEM in VULG.

1. Vastaberis] Verbum Ebraicum deductum est à catervis militum, ac si diceret, venient copiæ militares, quæ te undiquaque cingent & obsidebunt. ¶ *Filias latronis*] Pro *latronis*, alii referunt, *turmæ*, id est, turmarum, & meliùs. *Filia turmarum*, quam turmæ undique premunt. ¶ *Posuerunt*] *Posuit* est in Ebræo, & *contra nos* pro super nos. ¶ *In virga*] Malim, virgâ: nisi magis arridet, *baculo*. ¶ *Maxillam judicis Israël*] In Ebræo legitur, *percutient super maxillam judicem Israël*.

2. *Beth-lehem*] Ità scribendum perpetuò hoc nomen. Quanquam Græca consuetudo Βηθλεέμ, id est, Bethleem. ¶ *Ephrata*] Libri Ebræi & Græca consuetudo *Ephratha* cum adspirata contra plerosque Codices Latinos. ¶ *Parvulus es*] Non est ullo modo dubitandum quin melius omnino sit, *parvula es*. Nam refertur ad urbem *Beth-lehem*. In Ebræo legitur, *Minor es quàm ut sis*. Sensus est, quàm ut referri debeas. ¶ *In millibus Juda*] Vel, *in chiliadibus Juda*. Vide Exod. 18.25. Matthæus habet, ἐν ἡγεμόσιν, hoc est, inter duces, ac si scriptum haberetur in Ebræo ALUPHE. Nam *Aluph*, id est, chiliarcha. *Eleph*, id est, mille sive chilias. Sententia est, quæ minor es quàm ut haberi debeas inter urbes chiliadum Juda: erat enim populus distributus per chiliadas. ¶ *A diebus æternitatis*] *A diebus seculi* legitur in Ebræo: sed seculum hic valet quod interpres vertit; alibi aliud significat.

3. *Et reliquiæ*] Copula abest multis codicibus, sed perperàm: addenda ex libris melioribus.

4. *In sublimitate*] Alii, *in excellentia*.

5. *Et erit iste pax*] Alii malunt, *& erit ista pax*: quod tamen ambiguè dicitur in Ebræo, quia pacis nomen apud eos masculinum est. ¶ *Assyriis*] Partim exemplarium Assyrius, quod cum sequentibus connectunt hâc sententiâ, *Et erit ista pax: Assyrius quum venerit in terram nostram*, quomodo etiam Ebræi distinguunt. ¶ *In domibus nostris*] Vel, *in palatiis nostris*. ¶ *Primates homines*] Ad verbum, *primates hominum*: ut, *Sapientes mulierum*: *nigræ lanarum*: *canum degeneres*. Alii vertunt, *principes hominum*.

6. *In gladio*] Latinè, *gladio*. ¶ *Terram Nemrod*] Id est, Assyriam: idem dicit aliis verbis. ¶ *Nemrod*] Alibi *Nembrod* insertâ b, ut in *Mambre*, *Jambres* & similibus. In libris Græcis νεβρὼδ. Vera scriptura, *Nemrod*: pro quo hodie *Nimrod* sonant. ¶ *In lanceis ejus*] Alii, *gladiis suis*. ¶ *Liberabit*] Messias. ¶ *Calcaverit in finibus nostris*] Pervaserit fines nostros. ¶ *Et pascent*] Malim, *depascent*; alii, *confringent*, ut Psal. 2. *pasces eos virgâ ferreâ*; alii habent, *confringes*.

7. *Quasi stillæ*] Jonathan, *sicut gutta pluviæ serotinæ*. Alius interpretatur, *tanquam imber*: alius, *tanquam pluvia copiosa*: & certè nomen est à verbo multum sive copiosum denotante. ¶ *Quæ non expectat virum*] Ac si diceret, quæ non solet nec potest irrigari humanâ industriâ. Quidam, *quasi imbres quos non expectat quisquam à viro*. Minùs placet.

8. *In jumentis silvarum*] Omninò vertendum, *inter bestias silvæ*, id est, silvestres: non enim jumenta in silvis degunt, sed feræ. ¶ *Quasi catulus leonis*] Alibi meliùs reddit, *quasi leonculus*. ¶ *In gregibus pecorum*] Inter greges pecorum vel ovium.

9. *Super hostes tuos*] Contra adversarios tuos. ¶ *Interibunt*] Excidentur.

10. *Auferam*] *Excindam* alii reddunt.

12. *Maleficia*] Vidi qui hic referrent, *maleficos*, à quibus facit interpretatio, quæ in libris Chaldæorum, item quod sequitur. ¶ *Et divinationes*] Nam in Ebræo, *divinatores*, vel, ut alii, *præstigiatores*.

13. *Perire faciam*] *Exscindam* est in Ebræo.

14. *Lucos tuos*] Τὰ ἄλση σου. ASER & ESEL, unde ἄλσος, lucus. ¶ *Et conteram*] Malim, *delebo*.

15. *Quæ non audierunt*] Sensus est, quæ non fuerunt audientes dicto, hoc est, interprete Chaldæo, *quæ non receperunt doctrinam legis*.

EJUSD. LECTIONES.

Bethlehem Ephrata] *Dictum putant distinctionis gratiâ, ut ab altera discernas, quæ dicitur Bethlehem Jehuda* Jud. 17. Sic Gen. 48. *Sepeliam ibi in via* אפרת *Ephrat*, *ipsa est Bethlehem*. Hæc Kimchi. At Matthæus non distinguit, quia pro *Bethlehem Ephrata* ponit *Bethlehem Jehuda*.

צעיר להיות] Jonath. כזעיר הויתא לאתמנאה, parva es habita ut numerareris inter myriades Jehuda. Ad verbum, *sicut parva fuisti*. Lxx ὀλιγοστὸς εἶ τοῦ εἶναι ἐν χιλιάσιν Ἰούδα. Hier. *parvulus es in millibus Jehuda*, id est, צעיר היית sine ל, & י pro ו in היית, & videntur scribæ apud Matthæum legisse לא היית *parvula non es*, i. nequaquam es minima. Nam verisimile est eos vel memoriter recitasse, vel saltem singulos apices non ità accuratè expendisse. Unde & *terra Juda* dicunt pro Ephrata. Et quid mirum si memoriter recitantes locum nonnihil aberraverint, aut contrarium etiam sensum dederint, quòd sic eorum sensus magis videtur loco convenire. Quidam vertit צעיר *parum est ut sis inter Chiliadas Juda*, q. d. multò majore honore & æstimatione es digna. Sed repugnat usus vocis צעיר quod adjectivum est. Sunt qui putant Matthæum non tam respexisse prophetæ verba, quàm Bethlehemi statum, qui erat post Christum natum. Sed tum Matthæus verba Michææ referret ex suo sensu, non autem ex sensu Pharisæorum, qui tamen illa ex Michea producunt. Hieronymus super hoc loco ità scribit: *Arbitror Matthæum volentem arguere scribarum & sacerdotum erga divinæ Scripturæ lectionem negligentiam, sic etiam posuisse ut ab eis dictum est.* Sunt autem qui asserant, in omnibus penè testimoniis, quæ de veteri Testamento sumuntur, istiusmodi esse errorem, ut aut ordo mutetur aut verba, & interdum sensus quoque ipsus diversus sit, vel Apostolis vel Euangelistis non ex libro carpentibus testimonia, sed memoriæ credentibus quæ nonnunquam fallitur. Matthæi locus differt ab hoc nostro, primùm, quòd ibi pro *Ephrata* sit *terra Judá*. Deinde, pro *Parva es & sis*; *nequaquam minima es*. Postremò, pro *inter Chiliades* Juda, ἐν τοῖς ἡγεμόσιν Ἰούδα *inter duces Juda*. Adde etiam, *ut sit dominator in Israëlitas*, quod Matthæus dixit, *Ex te exibit dux, qui pascet populum meum Israël*.

באלפי יהודה] *In Chiliadibus*, seu, *inter Chiliades Juda*. Distributus enim erat populus Israël in Chiliadas, ut apparet Exod. 18.25. & Gedeonis oratione Jud. 6.15. Exod. 18. *Delegitque Moses de omni Israëlitarum numero viros fortes, quos populi gubernationi præfecit, & tribunos, centuriones, semicenturiones decurionésque constituit, qui populo jus assiduè redderent*. Jud. 6.15. הנה אלפי הדל במנשה *Ecce Chiliarcha meus inter Menassæos tenuissimus est*. Vel, *Chilias mea in qua ego numeror & recenseor est aliarum Chiliadum minima*.

ומוצאתיו] *Exitus* seu *egressus ejus*, i. cujus erat antiqua origo ab antiquis temporibus, qui egredietur à Patre ante omnem æternitatem. Potest de generatione intelligi, quòd sit genitus ab æterno. Christus apud Johannem dicit, *se exivisse à patre*, id est, ab eo missum, ut carnem assumeret, & totâ illâ legatione, quâ genus humanum redemit, perfungeretur. *Egredi* pro *gigni* non raro ponitur: Ut, *egressus est ex femore Jacobi*. מוצא est principium, origo, rei vel negotii cujuspiam initium. Ut solis primum Arietis gradum tenentis primus ab Oriente motus hoc nomine Hebraicè, Latinè verò *egressus* seu *egressio* dicitur, ut: *à summo cœlo egressio ejus*. Remigius, *Porrò egressus ejus est ab initio, à diebus æternitatis*, i. *ante secula ex mea substantia genitus est, quia in principio erat verbum* &c.

Et tu Bethlehem] Hic Lira dicit esse capitis initium in Hebræo. Per *egressum* intelligit Deum à patre in æternum emanare, quia semper nascitur filius à patre & semper natus est.

Parva es ut sis] In Latina Lxx versione, quæ extat apud Hieron. legitur, *Nequaquam minima es ut sis*, quæ lectio cum Matthæo consentit. Sed Hier. in commentariis dixit Lxx à Matthæo dissentire & convenire cum Hebræo.

3. *Tradet seu ponet eos usque dum parturiens pariet*] i. In summas angustias, dolores, angores & cruciatus eos adducet, qui dolores similes erunt doloribus parturientis mulieris. Dan. 12. *Erit tempus adversum & calamitosum quale non fuit à quo natio fuit usque ad illud tempus.* Ego puto hanc similitudinem sumptam à pariente non solùm denotare cruciatus, verùm etiam felicem & optatum exitum, qui consequetur illas calamitates. Christus id declarat Joh. 16. 21. *Mulier dum parit in dolore est, quippe cujus hora venerit: Sed postquam puerum edidit non jam meminit cruciatûs præ lætitia quod editus est in orbem homo.* Erit igitur sensus, adducet eos usque ad tempus quo ipsi parientis doloribus vexati, parient, i. felicem exitum consequentur. Japhet יתנם exponit ינוחם permittet eos quiescere, dabit quietem, ut in illo על כן לא נתתיך.

4. ועמד]

4. תמד] Notat stabile fore ac firmum hoc Messiæ regnum.

5. *Erit iste pax*] i. causa pacis, auctor & origo & quasi fons ac radix. Christus pax dicitur dupliciter, vel quia nos patri reconciliavit; vel etiam quòd pacatam reddidit conscientiam peccatorum dissidio turbatam ac vexatam. Alii, *hæc erit pax quum Assyrius aggressus fuerit terram nostram.*

עלינ] Contra Assyrium si venerit in nostram regionem.

שבעה רעים] Numerus certus pro incerto. Sic Cohel. 11. תן חלק לשבעה וגם לשמונה, dato partem omnibus septem atque etiam octo. Potest עלינ exponi עמו *cum illo*, *cum* Messia: Addemus illi multos pastores & multos principes.

בפתחיה] Verbum פתח est cœlare, atque ideo volunt à cœlatura gladios appellari פתחים & פתיחות. Est & stringere gladium è vagina extrahere. Unde fortasse eductos enses פתחים appellant.

ורעו] à רעה, vastabunt, perdent. שברו confringent, vexabunt, vel depascent. Metaphora sumpta ab ovibus, quæ terram pascendo spoliant suo ornatu.

ארץ נמרד] Id est בבל terra Babylonia, quam olim occupavit Nimrod ille tyrannus. Genes. 10. ותהי ראשית ממלכתו בבל fuitque principium regni ipsius Babel.

7. *Tanquam ros à Domino*] Sc. descendens, cœlitúsque delapsus. Posset per *rorem* quævis intelligi pluria, ut in Haggeo cùm prohibentur cœli dare rorem. Quidam per *rorem* intelligit pratum roscidum vel ipsam herbam quæ succum & vigorem à pluvia trahit, & hunc reddunt sensum, Deum fovere suum populum, ut terra à cœlesti vigore ac uligine vegetatur. Sed huic sensui multa in Hebræo repugnant. Kimchi hunc sensum expiscatur: Erunt Israëlitæ omnes simul coacti inter gentes tanquam è cœlo demissus ros, quem qui expectar non sperat ab homine datum iri, sed à solo Domino. Sic Israëlitæ spem & anchoram suæ salutis reponent in Deo, neque ab iis pendebunt. Is autem salutem dabit copiosam ac multam instar pluriæ copiosæ. Aben Ez. *Confident*, inquit, *Deo & non gentibus, quemadmodum ros in Dei est manu, non hominum.* Erunt ergò in eo similes rori, quòd à Deo pendebunt. Vel, sicut ros irrigat & humectat terram, ità ipsi gentes suâ Doctrinâ imbuent, qui ità instructi non ampliùs ulli mortalium erunt addicti. Pii assimilantur rori, idque vel respectu Dei vel respectu hominum. Respectu Dei, qui ab eo pendent tanquam ros qui à Deo solummodo proficiscitur: respectu hominum, quia gentes imbuent suâ religione. Sicut ros à Deo accipit efficaciam, quam in herbas transfundit; ità isti Spiritu Dei instructi idonei reddentur ad alios eodem Spiritu imbuendos. Ità Job. 29. *Ros pernoctat in ramis meis*, i. assiduè humectat fructum meum.

9. *Manum elevare*] Gestus est ferientis & percutientis. Ideo ponitur pro consequenti, *verberare*, *punire*, *castigare*, similitudine ab hominibus sumptâ.

תרם] Vel, *elevabis manum tuam*, vel, *manus tua elevabitur.*

אם עבר] *Si transierit*, i. qui obvia quæque per quæ transibit nullo impediente rapiet, lacerabit ac discerpet. q. d. obiter & transeundo conculcabit, nullâ insumptâ operâ aut studio.

12. מידך *De manu tua*] i. potestate מרשותך. Num. 21. *Accepit omnem terram ipsius de manu ejus.* Notat ergò abolendos esse & quasi è manu extorquendos omnes veneficos & præstigiatores.

GROTIUS.

1. NUnc *vastaberis, filia latronis*] Hæc omnia in Hebræo rectè cum præcedente sermone cohærent. Græci malè discerpserunt. *Brevi exscinderis, ô filia exscissoris.* Babylonem alloquitur, ideóque voce utitur Chaldaïcâ: nam גדד Chaldæis est *exscindere*, unde & Arabes pari significatu hanc vocem usurpant. *Filia exscissoris*, id est, ædificata à Nemrodo prædone maximo, ejúsque mores imitata, Geneseos 10. 8, 9, 10. ¶ *Obsidionem posuerunt super nos*] Peribunt *illi qui nos obsederunt.* ¶ *In virga percutiens maxillam Judicis Israël*] *Qui bacillo verberarunt maxillam Judicis Israël*, id est, *Judicum*, ut hîc vertit Chaldæus. *Verberare maxillam* est injuriosè tractare, Psalmo 3. 8. ubi verò *bacillis* adjicitur, id auget contumeliam. Sæpe Prophetæ pro præcipua causa malorum quæ Babyloni evenerunt, referunt immisericordiam in Judæos.

2. *Et tu, Bethlehem Ephrata*] *At tu.* Redit ad id quod dixerat suprà 4. 8. ut sæpe eadem repetunt Prophetæ, quò magis ea animis hæreant. *Bethlehem Ephrata* eadem est quæ & *Bethlehem Judæ*, ut diximus ad Matthæi 2. 6. ¶ *Parvulus es in millibus Juda*] Potest commodè per interrogationem legi, *parvâne sis*, id est, habearis, *à populo Juda?* Quæ loquendi forma vehementer negat, ut ad dictum Matthæi locum notavimus. Potest etiam verti: *parum es ut sis*, id est, locum tuum habeas, *inter Chiliarchas Judæ.* Longè major tibi honor destinatur. ¶ *Ex te mihi egredietur*] Id est, nascetur. Sic enim יצא [*exire*] sumitur Geneseos 17. 6. & 25: 25. Esaiæ 11. 1. *Natus ex Bethlehemo* Zorobabel rectè dicitur, quòd ex Davidis familia esset, quæ orta Bethlehemo. ¶ *Et egressus ejus ab initio, à diebus æternitatis*] *Origo ipsi* (Zorobabeli) *ab olim, à temporibus longis*: id est, originem trahit à domo illustri antiquitus, & per quingentos annos regnatrice.

3. *Propter hoc dabit eos usque ad tempus*] *Certè tradet eos* (Hebræos Deus) *usque ad tempus* in ditionem Chaldæorum. ¶ *In quo parturiens pariet*] Donec liberetur è doloribus. Sicut dolores comparari sunt *parturigini*, suprà 4. 9, 10. ità hîc liberatio ab illis *partus.* ¶ *Et reliquiæ fratrum ejus*] Nempe Zorobabelis: id est, qui de Judæ tribu supererunt. ¶ *Convertentur*] Revertentur. ¶ *Ad filios Israël*] Ità על sæpe sumitur: id est, cum Benjaminitis, Levitis, & nonnullis etiam aliarum tribuum.

4. *Et stabit, & pascet*] Hebraïsmus pro *perget pascere*; id est, regere populum. ¶ *In fortitudine Domini, in sublimitate nominis Domini Dei sui*] Deo ipsum roborante & attollente. *Nomen Dei* pro *Deo* frequens Hebræis. ¶ *Et convertentur*] *Et habitabunt* securè illi reversi. ¶ *Quia nunc magnificabitur usque ad terminos terræ*] *Nunc*, id est, illico postquam reversi fuerint, Dei fama ex isto beneficio longè latèque propagabitur per terras omnes. Vide suprà 4. 1.

5. *Et erit iste pax*] *Et erunt tunc res prosperæ.* זה pro temporis nota sumi solet, ut Numer. 22. 32. שלום pro *rebus prosperis.* Vnde ventura sit ista prosperitas jam dicet. ¶ *Cùm venerit Assyrius in terram nostram*] *Postquam venerit in terram nostram* (id est, Judæam) *Assyrius* nempe cum *Nemrodo*, ut sequitur, id est, cum Chaldæis, in quorum exercitu multi erant Assyrii, imò & ipsa Babylon pars Assyriæ non Poëtis tantùm, sed & Straboni. ¶ *Et quando calcaverit in domibus nostris*] *Postquam calcaverit domos nostras*, captis Hierosolymis. ¶ *Et suscitabimus super eum*] *Tunc suscitabimus contra eum*, nempe precibus nostris ad Deum fusis. ¶ *Septem pastores*] Cyrum cum aliis aliquot Regibus, Jeremiæ 51. 27, 28. ¶ *Et octo primates hominum*] Id est, magnos Satrapas, qui Jeremiæ dicto loco פחות & סגנים.

6. *Et pascent terram Assur in gladio, & terram Nemrod in lanceis ejus*] *In lanceis suis*, id est, armis domabunt Assyriam & Babyloniam: quod est *regere in virga ferrea* Psalmo 2. Ordinem bene servat: nam Cyrus per Assyriam venit in Babyloniam. ¶ *Et liberabit ab Assur, cùm venerit in terram nostram, & cùm calcaverit in finibus nostris*] Hîc כי est *nè*, ut rectè notavit Chaldæus. *Liberabit* (nos Cyrus) *ab Assyrio nè veniat in terram nostram, & nè calcet fines nostros*: nempe ut olim fecit. Hæc est causa prosperitatis Judæorum, quòd Persa omnes illas gentes Judæis infestas continebit in officio.

7. *Et erunt reliquiæ Jacob*] Illi qui è Babylonia redierint. ¶ *In medio populorum multorum*] Populis adspectantibus. ¶ *Quasi ros à Domino, & quasi stillæ super herbam*] *Quasi pluviæ tenues super herbam.* ¶ *Quæ non exspectat virum, & non præstolatur filios hominum*] Sicut ros & pluviæ sine humana ope cœlitus veniunt, ità Judæi securè vivent sine suo labore.

8. *Et erunt reliquiæ Jacob in gentibus in medio populorum multorum, quasi leo in jumentis silvarum, & quasi catulus leonis in gregibus pecorum: qui cùm transierit & conculcaverit, & ceperit, non est qui eruat*] Hoc spectat ad tempora Maccabæorum ac sequentia, per quæ Judæi Idumæam, multa Ammonitidos & Moabitidos, Samariam quoque & circumsita sui juris fecere.

10. *Et erit in die illa*] Illa nempe de qua suprà 1. nam hîc ad Babylonem Dei sermo revertitur. ¶ *Auferam equos tuos de medio tui, & dispergam quadrigas tuas*] Eadem ferme verba apud Jeremiam 50. 37. & 51. 21.

11. *Et perdam civitates terræ tuæ, & destruam omnes munitiones tuas*] Jeremiæ 51. 30, 43. ¶ *Et auferam maleficia de manu tua, & divinationes non erunt in te*] Jeremiæ 50. 36.

12. *Et perire faciam sculptilia tua, & statuas tuas de medio tui, & non adorabis ultrà opera manuum tuarum*] Esaiæ 44. 1. Jeremiæ 50. 2. & 51. 41, 44. Persæ hostes erant imaginum.

13. *Et evellam lucos tuos de medio tui*] Qui τεμένεα Herodoto, ubi mores Babyloniorum describit. ¶ *Et conteram civitates tuas*] Urbes Imperii tui, ut suprà 11.

14. *Ultionem in omnibus gentibus*] Chaldaïci Imperii. ¶ *Quæ non audierunt*] Quæ se Cyro opponent. Confer Esaiæ 45. 1.

CAP. VI.

MUNSTERUS.

1. S*Urge & contende cum montibus*] h. e. Advoca *montes & colles*, cœlum & *terram* in testes *contra populum meum, cum quo ego ingrediar judicium.* Nam pro multis bonis quæ ego eis feci, ipsi reddiderunt mihi malum.

5. *A Sittim usque in Gilgal*] *Recordare*, inquit, qualia bona exhibuerim tibi; *à Sittim usque in Gilgal*, ubi scilicet te traduxi sicco pede ultra Jordanem, *ut cognosceres justitias meas*, & bonas faceres vias tuas.

6,7,8. *In quo præveniam Dominum?*] Quo genere sacrificii placabo Deum, & *quomodo humiliabo me coram illo excelso Domino*, ut veniam peccatorum obtineam? Per *valles pingues* intellige frumentum & oleum, ex quibus fiebat sacrificium MINHA, h. e. *farinacea oblatio.* Alii legunt *torrentes olei*, & non *valles pingues.* Interroganti autem sic, quo sacrificio Deus placetur, respondet Propheta, *Hoc exigit à te Deus, ut facias judicium*, &c.

9. *Vox Domini clamabit ad civitatem*] Clamat Deus per Prophetas ad habitatores civitatis, & *vir quisque electus ad salutem videt* & agnoscit in corde suo *nomen Domini.* Est autem תושיה non *salus*, sed *exsistentia & id quod firmum manet*, quales sunt electi & prædordinati ad salutem. Hebræi tamen exponunt החכמה *sapientiam*, quæ sola in mundo inferiori permanet תוכרות בישותה לעולם. Radix ejus est ישה, unde & יש derivatur. ¶ *Audite virgam*, &c.] Intelligendum est de ultione Divina. Translator noster, & qui eum sequuntur, hic longè aliter sentiunt; & quàm verè, nescio.

10. *Numquid est adhuc*, &c.] Quidam Hebræorum legunt hîc היש *numquid est*, sicut nos vertimus: alii האיש *numquid vir.* Manet tamen sub utraque lectione idem sensus, nempe, *Estne aliquis qui ad vocem Domini pœnitentiam egit, & abjecit thesauros impietate & fraude collectos?* Porrò pro *modius deficiens* in Hebræo est *modius maciei*: est tamen idem sensus.

14. *Apprehendet*] Est hîc Hebraicus textus valde succinctus: habet enim sic, *Apprehendes tu, vir*: vel, *apprehendet mulier, & non salvabit; & quod salvaverit, tradam in gladium*: quod Aben Ezra, & post eum Kimhi, exponunt de *abortientibus mulieribus.* R. S. verò exponit, *Apprehendes tu, pater, filium, & non poteris salvare eum à captivitate: quod si liberaveris eum, cadet in terra sua in gladium.*

16. *Observabuntur*] Licèt, inquit, multis plagis vos percusserim, adhuc tamen *observantur* inter vos impia *decreta Omri, & fiunt opera Ahab*, &c. De quorum impietatibus multa scribuntur 1 Reg. 16.

VATABLUS.

1. E*Xpostula* ריב] Hæc dictio significat *constituere controversiam, judicio contendere, litigare, jurgare, causam agere.* Ingratitudinem populi Israelitici arguit: simul etiam videtur taxare ingratitudinem ejus de non recepto Euangelio. ¶ *Cum montibus* את ההרים] Per *montes & colles* intelligit homines supremi ordinis ac summæ dignitatis. Alii intelligunt de *montibus* ipsis & *collibus*, quòd permaneant, & hâc ratione possint verè testari de operibus Domini.

2. *Expostulationem* את ריב] *Litem: contentionem: controversiam.* ¶ *Et fortia fundamenta terræ* והאתנים מוסדי ארץ] *Et fortia fulcra terræ.* Per Appositionem dictum, ut quidam volunt. Aut erit talis ordo, *& fundamenta terræ fortia*, i. montes & colles ipsi. ¶ *Disceptabit* יתוכח] Quidam per præsens vertunt, *disceptat*, aut *disceptare cupit.*

3. *Laborare feci te* הלאתיך] *Molestus fui tibi?* vel, *fatigavi te?* Alii, *feci ut desponderes animum?* q. d. Quæ præcepta dedi tibi quæ facere non potueris? ¶ *Loquere contra me* ענה בי] Sub. *siquid habes quod dicas*: testificare adversùm me.

4. *Quia* כי] *Nam.* Alii, *Certè.* ¶ *Servorum* עבדים] i. De loco ubi serviebas servitutem duram: vel, *de loco servorum*, i. Ægyptiorum quibus serviebas. Dicunt enim Hebræi, Ægyptios esse servos ratione Cham patris ipsorum, de quo Gen. 9. 25. quò vilior erat servitus.

5. *Nunc* נא] *Quæso.* ¶ *Quid cogitaverit* מה יעץ] *Quid consultaverit*: vel, *quid consilii ceperit.* ¶ *A Sittim* מן השטים] Subaudiendum, *memento, inquam, eorum quæ gesta sunt à Sittim*, &c. Nam illic defecistis à me, & cultui Baalpeor dedidistis vos: nihilominus tamen paulò pòst transmisso Jordane pede sicco introduxi vos in Terram sanctam, fixis primùm tentoriis in Gilgal. ¶ *Justitias* צדקות] i. Ut his rationibus intelligas Dominum veracem esse in promissis, & promissiones ejus certissimas esse.

6. *Cum quo præoccupabo* במה אקדם] *Cum qua re præveniam*, i. excipiam. Subaudiendum, *Si fortè aliquis dicat, Quo*, &c. h. e. Cum quo munere veniam in conspectum Domini? q. d. Nos quidem fatemur ingratitudinem nostram, nec volumus venire in judicium cum Domino; sed quânam ratione poterimus placare illum? *Curvabo me* אכף] More scilicet supplicum offerentium. ¶ *Num præoccupabo eum* האקדמנו] *Præveniámne illum?* i. veniámne in conspectum ejus? Adibóne illum?

7. *Numquid volet*, &c. הירצה יהוה וגו'] *Numquid complacitum est Jehovæ in millibus arietum, aut in decem millibus vallium pinguium?* Hyperbole. ¶ *Numquid dabo primogenitum meum* האתן בכורי] q. d. Si Dominus nolit omnia illa, offerámne primogenitum meum ut condonet ac remittat mihi transgressiones meas & peccata?

8. *Indicavit* הגיד] Præt. Heb. pro fut. ut quibusdam placet: sub. *ille qui indicare poterit*, nempe afflatus Spiritu Dei: h. e. *Indicabo tibi.* Loquitur enim Propheta, ut quidam volunt, de se in tertia persona. Alii, *Annunciavit*, sub. *Dominus per Prophetas suos, nempe meliorem esse obedientiam victimis*, 1 Reg. 15. 22. ¶ *Et quid*, &c. ומה יהוה וגו'] Quidam interrogativè vertunt, *Et quid Jehova requirit à te, nisi ut facias judicium?* &c. i. ut neminem lædas, sed justè vivas, & agas cum omnibus ex æquo & justo, sis liberalis in pauperes, cúmque omni dejectione serves præcepta Dei? Chaldæus P. hanc posteriorem partem vertit, *& sis humilis ad ambulandum in timore Dei tui.*

9. *Jehovæ* יהוה] Prophetarum Jehovæ. ¶ *Ad civitatem* לעיר] *Ad ipsam urbem*, nempe Jerusalem, vel Samariam. Quidam Hebræorum exponunt לעיר pro להעיר, *ad suscitandum eos*, ut scilicet convertantur: ut sit infinitivus cum defectu ה. ¶ *Clamat* יקרא] Fut. Heb. pro præs. ¶ *Et vir sapiens* ותושיה] Ad verb. *& sapientia.* Sic vocavit sapientem, à *permanendo.* ¶ *Videbit nomen tuum* יראה שמך] Hebraismus, habebit præ oculis nomen tuum. Gallicè dicimus, *Il aura Dieu devant les yeulx.* q. d. Clamant quidem Prophetæ; at soli sapientes & qui cordatiores sunt, mox audito verbo Dei afficiuntur gloriâ ipsius, & hortantur alios ad resipiscentiam. *Nomen* pro *gloria.* ¶ *Virgam* מטה] Sub. *ultionis & vindictæ*, i. plagam & afflictionem, ut dicit doctus inter Hebræos. ¶ *Constituerit eam* יעדה] *Indixerit eam*, nempe *virgam*, sive *plagam*: à יעד. Videte, inquit, quæ mala vos maneant, & à quo.

10. *Suntne adhuc*, &c. עוד האש בית רשע] Ad verb. *Adhuc an est in domo impii.* האש pro היש. deficit י & pro eo positum est א. Admirativè legendum, *Suntne adhuc*, &c. auditâ scilicet prædicatione verbi Dei. Quidam Hebræorum exponit, *Adhuc* [i. omnibus diebus] *ignis erit in domo impii propter thesauros impietatis.* Alius ex doctioribus exponit, *Ac si dicat, vir nobilis in civitate adhuc suam retinet impietatem auditâ voce vocationis, sunt in domo ejus impii thesauri impietatis.* ¶ *Et modius*, &c. ואיפת רזון זעומה] Ad verb. *& ephi tenuitatis spretus*, tenuis, macer, macilentus, deficiens, h. e. parvus. Quidam vertunt, *& modius minor æquo* [vel *quàm par sit*] *detestabilis*, sub. *Domino.*

11. *Numquid justificabo stateram* האזכה במאזני רשע] *Numquid mundus ero cum bilance injusta?* Ad verb. *impietatis*: h. e. Possitne aliquis esse justus, habens in domo sua bilances injustas & pondera dolosa? q. d. Non. Loquitur enim Propheta de aliis in sua persona. ¶ *Et sacculum ponderum* ובכיס אבני] *Et cum sacculo lapidum.* Vide Prov. 11. 11. & 16. 11.

12. *Cujus* אשר] Nempe *urbis.* Refertur enim ad initium versus 9. *Vox Jehovæ ad urbem clamat.* ¶ *Repleti sunt iniquitate* מלאו חמס] *Impleverunt* domos suas *rapto*, sive *rapinâ*, i. opibus injustè partis.

13. *Ægrotare faciam* החליתי] Præt. Heb. pro fut. *laborare faciam*, sub. *te.* Prædicit afflictionem quam illaturus erat Deus, ac pœnam delinquentium: acsi dicat, *ità percutiam ut reddam te ægrotum.* ¶ *Desolabo* השמם] Infin. Heb. pro fut. *desolatum reddam*: vel, *stupidos* [*stupefactos, attonitos*] *reddam*, sub. *eos*, i. alios, ob multas & acerbas plagas tuas.

14. *Et humiliatio tua* וישחך] *Et dejectio* [*depressio*] *tua*, i. tu humiliaberis hîc in patria tua tanquam vadas in captivitatem. ¶ *Et tanges*, &c. ותסג ולא תפליט] *Et apprehendet, & non emittet.* Multa subaudienda, hoc modo, *& apprehendet uxor semen injectum, sed non emittet in lucem fœtum vivum & incolumem*; i. concipiet uxor tua, sed non pariet. ¶ *Ejecerit* תפלט] *Emiserit*, i. pepererit.

15. *Sed*

15. *Sed non* ולא] Ad verb. *& non.* Sic mox. ¶ *Et mustum* ותירוש] Sub. *calcabis*, i. uvas ex quibus exprimitur mustum.

16. *Et custodita fuerunt præcepta* וישתמר חקות] Ad verb. *Et custoditum fuerit præcepta.* Verbum sing. junctum nomini plurali, acsi dicat, *singula præcepta custodistis.* Quidam per futurum vertunt, *Et custodientur statuta Omri*: q. d. Nihilominus tamen propter omnes ultiones illas non convertemini, nec resipiscetis, quin potiùs per omnia imitabimini impietatem, perversitatem, mores, studia & opera perdita horum duorum Regum Israel improborum ac sceleratissimorum, meis interim præceptis abjectis ac desertis. ¶ *Et habitatores ejus* וישביה] Nempe *urbis vestræ.* ¶ *Et opprobrium*, &c. וחרפת עמי] *Et probrum populi mei*, i. quo affecistis populum meum, h. e. pauperes & inopes.

CASTALIO.

11. CUm *fisco fraudulentorum lapidum*] Ponderum.

14. *Femina comprehendet, nec edet: aut quod ediderit, id ego gladiis exponam*] Aut abortient feminæ, aut, si pepererint, ego partus necabo.

16. *Observantur Amriana instituta*] Impia: nam impius fuit Amri; 3 Reg. 16. 16. & infrà.

CLARIUS.

1. SUrge, *contende*] Advoca, inquit, montes & colles, cœlum & terram in testes contra populum meum, cum quo ego ingrediar judicium: nam pro multis bonis quibus ego eos affeci, reddiderunt ipsi malum.

5. *De Sethim usque ad Galgalam*] Recordare, inquit, qualia bona exhibuerim tibi *à Sethim usque in Galgal*, ubi scilicet te traduxi sicco pede ultra Jordanem, ob hanc nimirum causam *ut cognosceres justitias meas*, & bonas faceres vias tuas.

6. *Quid dignum offeram*] *Quo genere sacrificii placabo Deum, & quomodo humiliabo me coram illo excelso Domino, ut veniam peccatorum obtineam?* Interroganti sic respondet Propheta, *Hoc Deus quærit, ut facias judicium*, &c. Hoc autem propriè pertinet ad Regnum Christi. Idcirco Paulus volebat ut exhiberent ii qui crediderant, non victimas ratione carentium animantium, sed *corpora sua, hostiam viventem, sanctam, Deo placentem*: quod idem est cum hac Prophetæ admonitione.

7. *Hircorum pinguium*] Pro *hircorum* in Hebræo est *vallium*, vel *torrentium.* Intellexit ergò Interpres valles pingues, pascuosas & gregibus educandis aptas. Ideirco pro *vallibus* vertit *hircos*, & dixit *in millibus hircorum* potiùs quàm *in millibus vallium.* Et quia altera dictio *schemen* significat *pinguedinem & oleum*, idcirco alius vertit *vallium pinguium*, alius *torrentium olei.*

8. *Solicitum ambulare*] Humilem scilicet, modestum, nihil suis fidentem.

9. *Vox Domini ad civitatem clamat*] Clamat Deus per Prophetas ad habitatores civitatis, & vir quisque electus ad salutem *videt* & agnoscit in corde suo *nomen Domini.* ¶ *Audite virgam*] i. Ultionem Divinam, & considerate *quis erexerit eam*: quod alius vertit *& qui testificatur eam*; alius, *qui constituit.*

10. *Iræ plena*] Cui irascitur & quam exsecratur Dominus.

16. *Præcepta Amri*] De hoc habes 1 Reg. 16. ¶ *Opprobrium populi mei*] h. e. Pauperum quos oppressistis.

DRUSIUS.

1. AUdite *nunc*] Verba Prophetæ ad populum. ¶ *Dicit*] aut *dixit*: & sub. *mihi.* ¶ *Surge*] *Agedum.* ¶ *Litiga*] *Contende judicio*, & discepta causam quæ inter me & populum meum. ¶ *Apud montes*] Ut videlicet montes ipsi sint testes disceptationis quam cum populo suscipies. Sic accipitur את in illo, *Satias lætitiarum cum vultu tuo*, i. apud te. Scholia Ebraica enarrant per אל. Quæ Enallage obvias Lev. 13. 49. item Jud. 19. את בית ה׳ *in domum DOMINI.* Sic alibi, *Ego vado* את בית *domum.* Suprà 5. 15. את הגוים *in gentes.* Contrà אל pro את sumi videtur Psa. 2. *Narrabo* אל חק *decretum.* Trem. *cum istis montibus*, &c. i. montosis regionibus Israelis & Judæ. Hæc interpretatio labefactari potest ex versu qui sequitur, ubi, *Audite, montes*, absque articulo. Sic legimus, *Auribus percipe, cœlum, & audiat terra*: & Jes. 1. 2. *Audite, cœli, & auribus percipe, terra.*

2. *Audite, montes*] Ut hic Montes in testimonium adhibentur, sic alibi Terra; videlicet in hoc libro 1. 2. & insuper Cœlum Jes. 1. 2. Deut. 32. 1. & certus Lapis Jos. 24. 27. ¶ *Fortia*] *Firma, valida, edura.* ¶ *Fundamenta terræ*] Scholia Camii per איתנים intelligunt *montes* sive *colles firmiores*, qui sunt quasi *fundamenta terræ*, cùm alioqui *terra fundata sit super nihilum*, ut Job ait. Secundùm hanc sententiam vertendum erit *& robusti*, sub. *montes* vel *colles*, *fundamenta terræ*, per Appositionem. Est autem ellipsis substantivi, ut ferè in hoc nomine. Psal. 18. 15. *Retecta sunt fundamenta orbis*, non ipsi montes, sed imi alvei orbis, quæ sunt terræ pars firmissima & robustissima. ¶ *Disceptat*] יתוכח *disceptabit, argumentabitur, disputabit*: à יכח *arguo*: Unde תוכח *Dialectica.*

3. *Quid feci tibi?*] Ut sic à me & lege mea deficeres? ¶ *Quo fatigavi te?*] *Qua in re tibi molestus fui?* aut quid præcepi quod tibi non facile fuit præstare, quod facienti defatigationem aut lassitudinem attulerit? Huc refer illud, *Onus meum leve est.* ¶ *Testare contra me*] Produc testes contra me, ut ego contra te produxi Montes ipsos. Cur *montes?* An quia in montibus & collibus idola colebant? Sic dico, Habeo testes contra te ipsos montes: tu vicissim testes pro te adduc quorum testimonio convincas te sine culpa esse, & falsum esse quod tibi objicitur. Lxx ἀποκρίθητί μοι, Hier. *responde mihi*, i. לי pro אתי. Santes, *loquere contra me.*

4. *Ascendere feci te*, &c.] Affeci te singulari beneficio cùm te educerem ex Ægypto, quo nomine nihil non mihi debes, nedum ut molestus aliqua in re tibi fuerim. ¶ *E domo servorum*] Ubi servitutem serviebas durissimam: Quam ideo *fornacem ferream* alibi appellat. Fortè Ægyptum *domum servorum* vocat quia Ægyptii erant ex posteris Cham, qui *servi servorum* nuncupantur. Locus est Gen. 9. *Servus servorum erit fratribus suis.* ¶ *Misi ante te*] Qui te præcederent & quasi ductores tui essent. Vel, *ante te*, antequam ex Ægypto exires, *misi Mosen & Aharonem*, qui te educerent. ¶ *Mosen, Aharonem & Mariam*] Moses & Aharon Prophetæ & Sacerdotes fuerunt, Maria Prophetis tantùm fuit, soror Mosi. Vide Exod. 15. 20. item Num. 12. 2. Moses populi dux erat; Aharon sacris præerat; Maria mulieres instituebat.

5. *Quid consuluerit*] i. *Quid consilii ceperit*, aut *inierit.* יעץ *peto consilium & do consilium.* יעץ est *consilium dare.* Utrumque sign. verbum *consulo* apud autores Latinos. Hier. & Santes, *quid cogitaverit* מה יעץ. Lxx, τί ἐβουλεύσατο *quid consilii agitaverit.* Nam βουλεύομαι & βουλεύω *delibero, consulto, consilia agito, cogito.* Historia nota est ex quarto librorum Mosis. Vide sis Num. 22, 23, 24, & 25. ¶ *De Settim*] Vel *Sittim.* Locus est in campestribus Moab. Eadem vox genus *spinæ* denotat: unde pro *vallis Settim* alii legunt *vallis Spinarum.* Sed in Græcis est σχοίνων cujus loco Hier. legendum putat σχίνων, i. *lentiscorum*: nam σχῖνος *lentiscus.* Lxx hîc ἀπὸ τῶν σχοίνων. Est ubi legatur *torrens Settim*, quo nomine quidam ipsum Jordanem significari putant. Ut ut sit, rectiùs scribitur *Settim* duplici *t*, quàm *Setim*, unicà: quod tamen in ed. Lat. vulgata. De *Settim* vide Num. 25. 1. ¶ *Galgalam usque*] Ubi Deus fedus renovavit cum filiis Israel Jos. 5. 9. Quidam hæc verba ità construunt, *Ut cognoscas justitias DOMINI quas exercuit à Settim Galgalam usque.* Alii repetunt ex superioribus *recordare*, & subaudiunt, *quid fecerim tibi à Settim Galgalam usque.* ¶ *Justitias*] *Justa facta*: vel, ut alii, *beneficentias.* Nam in Settim scelus populi expiavit paucorum cæde; Galgalæ autem, cùm sicco pede Jordanem transiisset, fedus cum eo de novo iniit.

6. *Antevertiam*] *Occupabo, præveniam.* Hoc vult dicere, *Quâ re instructus DOMINUM præveniam, eùmque mihi placabo & propitium reddam?* ¶ *Curvabo me*] אכף fut. est in Niphal à כפף. Lat. Vet. *curvabo genu*, quod propriè כרע dicitur. ¶ *Deo altissimo*] Ad verb. *Deo altitudinis* Nam מרום propriè *altitudo.* Aliquando *cœlum* denotat, ut possis reddere *Deo cœli.* Ità capies ἀνατολὴ ἐξ ὕψους, i. *germen ex alto.* Sed verius ut אלהי מרום periphrasis sit nominis עליון, quod unum ex epithetis Dei. Notissimum in vulgus. ¶ *Holocautomatis, vitulis anniculis*] Non *holocautomatis, & vitulis*, sed *holocaustis, quæ sint vituli unius anni.* Hujusmodi holocausta lectissima sunt. Quocirca non possunt non esse Deo grata si puris menibus offerantur. Hæc à populo dicuntur culpam agnoscente, & quâ ratione Deus placari possit anquirente. בני שנה *filiis anni*, i. *anniculis.*

7. *Num accepta habebit*] An potiùs hostiarum placabitur multitudine? ¶ *Millia arietum*] Ut *mille hominum*, sic *mille arietum*, & in numero Multitudinis *millia arietum.* אילים *arietes.* Hujus sing. איל. Alibi est אלים eodem sensu, videlicet

Psal.

Pſal. 29. 1. Alioquin אלים ſunt *Dii* potiùs, cujus ſingularis אל *Deus.* ¶ *Myriadas torrentium olei*] Inſignis Hyperbola, qualis Job. 20. 17 *flumina torrentium mellis & butyri.* ¶ *Pro ſcelere meo*] Aut *crimine meo.* Et eſt defecta locutio, פשעי pro בעבור פשעי *propter ſcelus meum.* Sic mox חטאת נפשי *propter peccatum animæ meæ.* Nam idem iterat aliis verbis. Poſſumus aliter exponere, *An dabo primogenitum meum ſcelus meum?* i. hoſtiam pro ſcelere. Sic *peccatum animæ meæ*, hoſtiam pro peccato animæ meæ. Notum ut *peccatum* pro *hoſtia peccati* ſumatur. Hoc verius eſſe puto.

8. *Indicavit tibi*] Sub. *Deus.* Nec malè vertas, *Indicatum eſt tibi*, imperſonaliter; ut ibi הגיד לדוד *indicavit Davidi*, quod reddunt *indicatum eſt.* Reſponſio ad ſuperiorem interrogationem: q. d. Non tam ſacrificia exigit à vobis quàm opera pietatis. *Bonum*] Cum virtute ac pietate conjunctum. ¶ *Niſi*, &c.] q. d. *Hoc potiſſimum à te requirit, ut judicium facias*, &c. Sic alibi ait, *Benignitatem volo, & non ſacrificium*, i. potiùs quàm ſacrificium. ¶ *Ut facias judicium*] Exponunt, ut *exerceas jus.* Sed latiùs patet. Nam non ad Judices tantùm pertinet, ſed ad eos quoque refertur qui jus æquum ſervant in contractibus, qui ſic vivunt cum aliis ut nemini faciant injuriam. Sanè Lev. 18. 4, & 5. *judicia ſua* etiam vocat leges contra inceſtum latas. In ſumma, *judicii* vocabulo continentur omnia illa quæ præcipiunt quomodo vivendum ſit hominibus inter ſe. ¶ *Ut diligas*] אהבת *diligere:* conſtructum ex אהבה, quod eſt verbum infinitum. Sic דאבה *mœſtum eſſe.* Dicit *ut diligas*, quia opera pietatis debent fieri ex charitate. ¶ *Benignitatem*] Opera benignitatis, quæ ſunt cùm alteri facimus plus quàm æquum eſt, aut quàm jus nobis præſcribit: item cùm grati ſumus accepto beneficio, id vocant גמילות חסדים *remunerationem beneficiorum.* Atque hoc eſt quod Simeon Juſtus dicebat, referente Nathane in Avoth, *Tribus rebus mundus conſiſtit, Lege, Religione, & Gratitudine.* Sic eſt profectò: His tribus præcipuè ſocietas humana conſiſtit, conſervatur. Quæ verò ad Dei cultum pertinent ea ſignificat Propheta cùm ait, *ut modeſtè ambules cum Deo.* Vult dicere, ut Deo te humiliter ſubjicias, eique res tuas committas, & ab eo ſolo pendeas, atque ex præſcripto ipſius vitam inſtituas. Jonathan, *ut ambules humiliter in timore DOMINI.*

9. *Ad civitatem*] לעיר τῇ πόλει, ſive πρὸς τὴν πόλιν. Et articulo videtur innui Jeruſalem, quæ κατ' ἐξοχὴν *civitas* dicebatur. Aut ſign. Samariam, quæ Metropolis erat Regni Iſrael. Quidam compendio dictum accipiunt לעיר pro להעיר *ad excitandum*, ſententiâ commodâ & elegante. *Vox Dei clamat*, inquit, *ad excitandum* eos qui ſomno vitiorum oppreſſi ac ſopiti tenentur. ¶ *Sapientia*] i. Sapiens. Sic *dolus* pro *doloſo* ponitur, & *aviditas* pro *avaro:* item, *amat juſtitias*, i. homines juſtos. Sic תפלה *vir orationi deditus*, היין *vinolentus. Sapiens*, inquit, *ſolus videt ac intelligit nomen tuum*, i. te. Deum novit qui ejus præceptis obtemperat, qui ſe ei committit, & ex ejus præſcripto vivit. Salomo, *In omnibus viis tuis noſce DOMINUM, & ipſe diriget vias tuas.* תושיה *ſapientia.* Radix eſt ישה, unde & יש, *quod nihil ſub Lunæ globo ſtabile perdiret præter Sapientiam*, ait R. David; vel *quod rerum exſiſtentium prima ac præcipua ſit.* Quidam vertunt (*& quod res eſt videt nomen tuum*) quod parentheſi incluſerunt: dubito an benè. ¶ *Audite virgam*] Aut *baculum*, i. pœnam vobis infligendam. Sic Aſſyrius vocatur *virga furoris DOMINI*, quia per eum Deus Iſraelitas ſeveriſſimè puniebat. Vetus ed. *audite tribus:* nam מטה etiam *tribus.* ¶ *Quis conſtituerit*] יעדה: conſtructio ſenſu congrua, non voce: nam מטה maſc. eſt. Sunt qui referant *audite illud*, nempe *decretum Dei de pœna veſtra:* id quod per *virgam* ſign. dicunt. Porrò מטה fem. eſt. Pro *conſtituit* quidam ediderunt *accerſivit.* Quid eos movit? nam יעד *conſtituere*, non *accerſere.* 2 Sam. 20. 5. אשר יעדו *quod ei conſtituerat.* Sign. etiam *deſponſare* Exod. 21. 8, & 9. Scholia Camii, *& quis præparaverit eam.*

10. *Adhuc*] Poſt auditam *vocem DOMINI per civitatem.* ¶ *Suntne*] q. d. Minimè. Vide Theologum hoc in loco. האש *ſuntne?* vel *eſtne?* Quod uſitatè dicunt היש. Joth ergò in Aleph verſa eſt. אש plenè ſcriberetur איש: unde factum איתי *eſt*, quo uſus Jonathan hoc loco. Eadem vox ſign. *virum:* & ſunt qui legant interpretantes, *Adhuc ſuntne viro domus improbi*, &c. Quæ interpretatio nullo modo mihi placet. ¶ *Domus improbi*] Vel *in domo improbi*, ut Beth ſubaudiatur; quæ litera ſæpe hoc modo deſideratur. Pro *in domo* licet etiam vertere *domi*, quod eſt adverbium notum in vulgus. ¶ *Theſauri improbitatis*] Improbè parti. ¶ *Epha*] Genus quoddam menſuræ. Hic autem pro quavis *menſura* ſumi videtur. Hier. certè habet *menſura minor iræ plena.* ¶ *Macilentum*] *Defectum, minutum, diductum, juſto minus.* ¶ *Deteſtabile?*] Deo imprimis. Prov. 20. 10. *Pondus & pondus, epha & epha, abominationi eſt DOMINO utrumque:* & 11. 1. *Abominatio DOMINI, bilances fraudulentæ.* Cæterùm in זעם ſignificatio *iræ & indignationis:* unde זעם יהוה dicitur, *cui DOMINUS ſuccenſet*, ſive *is in quem irato & infenſo animo eſt.* Poſſes reddere, *menſura minor invìſa?*

11. *An purus ero*] Ut Pſ. 51. 4. *ut purus ſis cùm judicaris.* הזכה. Hæc dicuntur in perſona populi, q. d. Quiſque veſtrûm cogitare deberet apud ſe & expendere *an purus eſſe poſſit* utendo *lancibus improbis.* ¶ *Bilancibus improbis*] Quæ *fraudulenta* dicuntur Hoſ. 12. 7. Amos 8. 5. Prov. 11. 1. His opponuntur מאזני צדק *bilances juſtæ* Ezech. 45. 10. *Improbæ* autem vocantur quia qui eis utitur improbè facit, ut cùm mercator aliâ lance vendit merces, & aliâ emit. *Sacculo in quo ſunt pondera doloſa*] בכיס אבני מרמה *ſacculo lapidum doli*, i. *in quo ſunt pondera doloſa*, vel *fraudulenta.* Sic alibi *lapides ſacculi:* Pro quo lectum aliquando fuit *lapides ſe*[illegible]: ſed *ſacculi* legendum vel hic locus declarat, cùm etiam Hier. ediderit *& ſaccelli pondera doloſa.* Quæ alibi vocantur *pondus & pondus*, cùm videlicet aliud majus, aliud minus eſt. Quâ fraude nihil deteſtabilius. De ponderibus & menſuris lex eſt Levit. 19. 36. quam vide, ſi placet & ſi vacas. Sed & Deut. 25. 13. legimus, *Non erit in ſacculo tuo lapis & lapis, major & minor.*

12. *Cujus divites*] Pronomen refertur ad *urbem* de qua ſuprà v. 9. Dicit autem *divites plenos eſſe violentiâ*, quoniam domus eorum plenæ erant, figurâ loquendi uſitatâ etiam autoribus Latinis. Sic ſanè Cicero in Epiſt. ad Atticum *à me* dixit pro *à domo mea.* Vide Petrum Victorium Caſtig. 185. ¶ *Violentiâ*] Aut *iniquitate*, i. opibus iniquè partis. ¶ *Habitatores ejus*] Reliqui, præcipuè pauperes. Tales enim, quia vi nihil poſſunt, utuntur dolis ac fraudibus. Quod Belgæ mei proverbio dicunt, **armoede ſoecht liſt.** ¶ *Doloſa*] רמיה *doloſa*, nomen adjectivum. Ad hanc formam lectum שביה *captiva*, עניה *afflicta.* Maſc. רמי in uſu eſſe deſiit. Sic Pſal. 120. 3. לשון רמיה *lingua fraudulenta.* Eſt etiam רמיה nomen ſubſtantivum, & *dolum* ſignificat.

13. *Et etiam ego*, &c.] *Viciſſim ego tibi ægritudinem attuli percutiendo te*, quemadmodum tu aliis ægritudinem attuliſti fraudando eos. Vetus ed. *cœpi percutere te:* legit החלותי aliis punctis, & Vau pro Joth. ¶ *Deſolando*] *Vaſtando* ſive *perdendo te.*

14. *Comedes, & non ſaturaberis*] Panis quem edes non ſatiabit te. Qui hoc? Quia videlicet Deus *franget baculum panis*, h. e. vim altricem. Duplex ergò fames; una, cùm annona deeſt; altera, cùm cibus quem edimus nos non alit: quod accidit ſingulari Dei maledictone. Vide Hag. 1. 6. ¶ *Humiliatio tua*] *Depreſſio tua* ישחך, nomen eſt ad exemplum ישע *ſalus:* thema autem שחה. Aut vertendum *deprimet te*, ac ſi eſſet יַשְׁחֲךָ à שחח. ¶ *In medio tui*] In terra tua, priuſquam indè in captivitatem abducêris. ¶ *Summovebis*] Sub. *pignora tua*, aut *uxorem prægnantem*, vel certè *bona tua & ea quæ in pretio apud te.* Sed ſequentia indicant de hominibus intelligendum eſſe potiùs. תסג *ſummovebis, transferes.* Idem verbum in illo, *Nè ſummoveas terminum antiquum:* quod alii reddunt, *Nè transfer.* Vetus ed. *apprehendes*, תשיג. Nicolaus *attinges*, & Santes *tanges*, נגע. ¶ *Gladio tradam*] Occidendum dabo. Hoſtis enim interficiet quem unquam à te ſervatum eſſe deprehenderit.

15. *Tu ſeminabis*] Vel, *Tu ſeres.* Hujus contrarium, *Metis quod non ſeminaſti*, quod in proverbio eſt de homine duro ac rigido avidóque. ¶ *Calcabis*] Duplex hìc lectio apud Ebræos. Nam Ben-Aſer legit תִּדְרֹךְ per Holem, & Ben-Naphthali תִּדְרָךְ per (ָ) breve, quod vocant *Camets chateph.* ¶ *Olivam*] *Olivas.* ¶ *Ungêris*] Vel *unges te.* ¶ *Oleo*] Olei frequentiſſimus uſus apud veteres: Quod adhibebant vel propter luxum, ut in conviviis; vel ſanitatis causâ, ut in balneis. Nam unctiones fiebant in balneo poſtquam ſudaſſent, ad obſtruenda ſcilicet corporis ſpiramenta, &, ut Euſtathius in Homerum inquit, πρὸς τὸ ἐμφλάττειν τοὺς σωματικοὺς πόρους. ¶ *Muſtum*] Impropriè loquitur. Siquidem *muſtum* non calcatur; ſed uvæ, unde muſtum exprimitur. *Muſtum* ergò poſuit pro *uvis*, quas Poeta neſcio quis *vinum pendulum* vocat. Contrà eſt apud Hoſeam *lagena uvarum*, i. vini plena. Simile ut *Mole farinam:* nam non *farinam* dicendum erat, ſed *triticum* aut *frumentum*, unde farina conficitur.

16. *Obſervantur ſtatuta*] וישתמר חקות. Vis in hac conſtructione ut ſi diceret, *Unumquodque ſtatutorum Omri à vobis obſer-*

servatur, sive *custoditur*. Vau autem reddi posset per *nihilominus* aut *nihilo secius*; q. d. Tot malis vexati, tamen perseveratis in impio cultu. ¶ *Omri*] Antiquitatis lectione *Amri*. Credibile autem est per hunc Omri cultum Vitulorum, qui priùs à Jeroboamo institutus fuerat, si non restauratum at saltem confirmatum fuisse, propositâ pœnâ si quis veri cultûs ergò Jerosolymam itaret. *Omne opus domûs Achab*] Quicquid domus Achab in rebus ad religionem pertinentibus instituit. *Domus Achab*, familia vel posteri Achab. Achab autem hilo melior non fuit patre suo Omri. ¶ *Ambulastis in consiliis eorum*] Quod Omri & Achab vobis suaserunt, id fecistis; secuti estis consilia eorum. ¶ *Ut ponerem te in desolationem*] Vel, *ut darem te in desolationem*. Non, *ideo*, inquit, *hoc fecisti ut in desolationem te redigerem*, sed, *ideo in desolationem te redigam quia hoc fecisti*. למען est τελικὸν, idem quod Græcum ἵνα significans. ¶ *Ejus*] Samariæ videlicet, quæ condita priùs ab Amri: de quo suprà. ¶ *In sibilum*] *Ponam*, sive *dabo*, *in sibilum*, i. curabo eos exsibilandos: ut Jer. 25. 9. *ponam eos in desolationem & in sibilum & in vastationes æternas*: & 2 Par. 29. 8. *posuit eos in desolationem & sibilum*. Sibilare enim gestus est irridentium & subsannantium. Thren. 2. 15. *sibilarunt, & quassarunt caput*: & 16. *sibilant, & dentibus frendent*: 1 Reg. 9. 8. *Quisquis transibit per eam, obstupescet & sibilabit*. ¶ *Probrum populi mei*] Quod videlicet meis comminatus sum si descivetint ab obedientia mea. Vide 1 Reg. 9. 8. Aut *populi mei*, i. pauperum ac piorum: q. d. Quo probro antea pauperes affecistis, eodem afficient vos gentes. Vel, *probrum populi mei portabitis*, i. pœnam probri quod intulistis populo meo luetis.

IDEM.

2. והאתנים מוסדי ארץ. Sym. *& antiqua fundamenta terræ* †. V. ed. *Ethanim* * *fundamenta terræ*] † παλαιὰ θεμέλια τῆς γῆς. * ἠθανεὶμ vel αἰθανὶμ, i. *fortia*. Sic sanè Hier. *Et fortia fundamenta terræ*.

5. מן השטים. O. *de Settim* †] Hier. *Ubi Lxx* ἀπὸ τῶν σχοίνων, *i. de schœnis*, *omnes* שטים *ipsum Ebraicum transtulerunt*. † Vel *Setim*, unicâ *t*. Nomen est loci. Vide Num. 22, & 25. Hinc *vallis Settim*, quæ à Græcis vocatur χειμάῤῥους σχοίνων aliàs σχοινίων & *ligna Settim*: Hier. Joel. 3. 18. ¶ צדקות. Sym. *misericordias*] i. חסדי. Hier. *Pro* justitiis *sive* justitia, misericordias *interpretatus est Symmachus*.

8. והצנע לכת עם אלהיך. Th. καὶ ἀσφαλὴς τοῦ πορεύεσθαι μετὰ Θεοῦ σου. V ed. καὶ φροντίζειν] Hier. *Verbum* הצנע, *quod Lxx transtulerunt* paratum esse, *i.* ἕτοιμον εἶναι, *& nos diximus* solicitum ambulare, *Th. significantiùs expressit*, καὶ ἀσφαλὴς τοῦ πορεύεσθαι μετὰ Θεοῦ σου, & cave diligenter ut ambules cum Deo tuo: *sive, ut Quinta ed. transtulit*, καὶ φροντίζειν, agere *scilicet* solicitè & hanc habere curam, ut ambules cum Deo tuo. Vide Rom. ed. & Lud. Vivem ad August. De civit. Dei, col. 545.

IDEM in VULG.

1. **A***Udite*] Abest *nunc*, ut sit *audite nunc*: quod alii dicunt, *audite obsecro*. ¶ *Contende judicio*] Alibi habet, *judica*.

2. *Audiant*] *Audite* est in Ebræo: & sic Græcus vertit: sic etiam Chaldæus. ¶ *Judicium Domini*] Id est, litem quæ ei est vobiscum: suprà, *contende judicio adversum montes*, aut litem quæ ei est cum populo suo: ut referatur ad sequentia, quod rectius videtur. ¶ *Dijudicabitur*] Alius interpretatur, *disceptabit*. Jonathan, *faciet reprehensionem*, quod est ἐλέγχειν apud Græcos. Lxx, διαλεχθήσεται.

4. *Servientium*] Vel *servorum*. ¶ *Moysen*] Verior scriptura *Mosen*. ¶ *Aaron*] *Aharon* scribendum, non *Aaron*. Quanquam Græca consuetudo *Aaron*. Sed qui potuit aliter? Cùm in medio dictiones non adspirent. ¶ *Mariam*] Hodie, *Mirjam*, *a* pro *i* more Syro. Sic *Magdal* pro *Migdal*. Exemplorum pleni libri.

Quid cogitaverit] Melius, *quid consultaverit*. ¶ *Balach*] Exscriptorum culpâ *Balac* mutatum in *Balach*. *Balac*, libri Græci, & Ebraica consuetudo. ¶ *Balaam*] Hodie *Bilam*. ¶ *Setim*] Vel *Settim*, nunc *Sittim*.

6. *Quid dignum offeram*] *Qua re anticipabo Dominum*, legitur in Ebræo. ¶ *Curvabo genu*] *Genu* non est in Ebræo. ¶ *Deo excelso*] Ad verbum, *Deo celsitudinis*. ¶ *Nunquid offeram ei*] *Num anteveriam eum?* Ebræus Codex habet. Sed interpres sensum expressit. ¶ *Anniculos*] Ad verbum, *filios anni*.

7. *In multis millibus*] Alii, *myriadibus*. Vox Ebræa appellationem habet à verbo, quod *multum* significat. ¶ *Hircorum*] Græcus χιμάρων. Sed puto legendum χειμάῤῥων, id est, *torrentium*, ità Ebræus Codex habet, ità Chaldæus. ¶ *Hircorum pinguium*] Scribe, *torrentium olei*, & est hyperbole, figura nota.

8. *Indicabo*] Non *indicabo* est in Ebræo, sed *indicavit*, & subintelligitur *Deus*: id Græcus retulit ἀπαγγέλη, id est, indicatum fuit. ¶ *Solicitum ambulare*] Alii, *modestè ambulare*.

9. *Et salus erit timentibus*] Videtur melius esse, *Sapientia videbit nomen tuum*. *Sapientia*, id est, sapiens. Constructio sensui tantùm congrua. Nam verbum Ebræum masculinè hîc legitur. ¶ *Timentibus*] Emend. *videbit*: hoc est IREH, illud IREIM. ¶ *Audite tribus*] Alii, *audite virgam*, & intelligunt de virga iræ divinæ. ¶ *Et quis approbabit illud*] Alii, *& quis constituerit eam*, ac si diceret, considerate pœnas, quas suffertis, & à quo illæ proficiscantur.

10. *Adhuc ignis*] Legit ES pro IS, quod Jonathan accepit pro IES, hâc sententiâ, *Adhucne sum in domo impii?* Græcus cum nostro interprete conspirat: vertit enim μὴ πῦρ. ¶ *Mensura minor*] In Ebræo legitur ad verbum *Epha tenuitatis*, in quo duo notanda: primum *Epha* poni pro *mensura*: deinde notandum quòd *mensura tenuitatis* appelletur mensura minor æquo, sive, plùs æquo deficiens. ¶ *Iræ plena*] Alii *detestabilis*.

11. *Nunquid justificabo*] Videtur melius, *An justus ero per stateram impiam?*] ¶ *Et sacelli pondera*] Emenda, *& sacculo lapidum doli*. *Lapidum*, id est, ponderum, ut rectè interpres exposuit, éstque hypallage *sacculo pon. dol.* pro *ponderibus dolosis sacculi*.

12. *In quibus divites ejus*] *In quibus* redundat ex Ebraismo: verterim, *Qui divites ejus*, id est, divites ejus. Relativum & antecedens pro solo antecedente. ¶ *Iniquitate*] Plus est, *violentiâ*, quod alii hic reddunt.

13. *Cœpi percutere te*] Legit HAHILLOTHI, nunc legunt HEHELOTHI, id est, *ægrotare feci*. Jonathan eleganter παραφράζει, *adduxi super te morbum & plagam*.

14. *Apprehendes*] Assequeris. ¶ *Non salvabis*] Non eripies.

15. *Oleo*] Vel, unguento. Sed placet, *Oleo*. ¶ *Et mustum*] Sub. exprimes.

16. *Custodisti*] Alii, *custodita fuerunt*. In Ebræo legitur ad verbum, *custoditur* sive *observatur*. ¶ *Præcepta Amri*] Est cur malim, *statuta Amri*. ¶ *Amri*] Hodie legunt *Omri* per O breve. ¶ *Et ambulasti*] Utrum legit THELECH pro THELECHU? an scribendum *ambulastis?* sic Græcus ἐπορεύθητε. ¶ *In voluptatibus eorum*] Libri meliores, *in voluntatibus*. Codex Ebræus habet, *In consiliis eorum*.

EJUSD. LECTIONES.

8. **I***Ndicavit tibi homo*] Sunt verba prophetæ, atque nomen אדם quidam accipiunt in vocativo, ô homo, ipsemet Deus indicavit tibi quid bonum sit, & quid à te exigat ac requirat. Alii, Indicavit tibi Propheta Samuel, me non delectari vitulis aut holocaustis, sed probitate, beneficentiâ & imprimis justitiâ.

משפט] De hac voce in hunc locum scribit Kimchi, comprehendere omnia præcepta, quæ quis alteri fert, aut quæ hominum inter homines conservant societatem & amicitiam, ut נזקי ממון damna pecuniaria & quæ sunt ejus generis, etiam incestus hoc nomine continetur. Id quod patet Levit. 11. facietis mea judicia, & postea sequitur de pudendis parentum.

חסד] Est beneficentia, liberalitas, benignitas גמילות חסדים: Jonath. גמילות חסדא.

הצנע לכת] Submissè, modestè se gerere cum Deo, in negotio religionis uniri cum Deo & consociari, eum amare & diligere ex toto animo & ex toto corde. Nam cordi tribuitur humilitas, quæ custos est omnium virtutum & quasi procreatrix actionis honestæ. Veteres Hebræi משפט referunt ad judicia fori: אהבת חסד ad beneficentiam ut suprà: הצנע לכת ad productionem cadaveris & introitionem sponsæ. Huic opponuntur קשי ערף duræ homines cervicis, contumaces, præfracti.

9. *Vox DOMINI ad civitatem clamat*] Auctor Hier. hîc esse initium capitis apud Hebræos, & apud Septuaginta interpretes finem superioris. לעיר *ad civitatem* κατ' ἐξοχὴν Hierosolymas vel Samariam. Sunt alii qui gerundium esse putant להעיר, clamat vox Domini ad excitandas mentes & corda hominum. Ità legitur מעיר pro מהעיר ab excitando in Hosea propheta.

pheta. Nomine עיר licet intelligere quaslibet civitates, conventus & cœtus hominum.

תושיה] Sapientia à יש quòd perpetuò maneat & perduret, neque senio nec adversâ fortunâ amittatur. Ab existentia enim nomen habet quòd illa verè subsistat, miniméque sit fluxa & caduca ut fortunæ & corporis quæ dicuntur bona. Vel à ישש quòd senum sit pollere prudentiâ & sapientiâ.

יראה *Videbit nomen tuum*] i. Considerabit, expendet doctrinam tuam vel institutionem tuam audiet, & rumor de tua fama ad aures ejus perveniet. Nam *videre* pro *audire*, quia visus sensuum præstantissimus est, interdum ponitur, ut in Exod. *Et populus audiebat voces.* Simplicius est hoc modo exponere, *videbit nomen tuum.* Habebit præ oculis suam gloriam, illi obversatur ob oculos sua majestas, potentia, justitia. Ut Belgicè dicimus, **hy sal God voor sijn ooghen hebben.** Ad oculos occurret ei Deus, in oculis erit, ante oculos, in conspectu. Sibi proponet ob oculos Deum ejúsque metum & religionem.

מטה] Synecdoche pro minis, pœnis & flagellis Dei. Virga enim est ultionis & vindictæ, id est, plaga, calamitas, adversitas, afflictio.

יעדה] Id est, הקימה qui indixerit, constituerit eam pœnam. Videte quæ vobis impendeat pœna, & videte etiam quàm potens sit, qui eam est irrogaturus. Sed videndum an מטה sit generis fœminini. Masculini est pro virga Exod. 4. 17. ואת המטה הזה תקח, & 17. 5. ומטך אשר הכית בו & aliàs quod sciam semper. Itaque si eò referamus affixum oportebit sensu non voce congruere, nempe eum nomine מטה, quod μεταφορικῶς designat כשרה virga. Kimchi subaudit גזרה qui juverit istud decretum. תושיה sub. איש תושיה ut Psal. 109. אני תפלה *ego vir orationi deditus*: Et Proverb. 10. מעוז לתום *munimentum integritati*, i. viro integro. Abstractum pro concreto, ut scelus pro scelesto. Ezra in commentariis ait מטה esse tam fœminini quàm masculini generis.

10. האש] אש ut אית valet יש. *Num sunt in domo impii thesauri impietatis & iniquitatis?* Ità Jonath. interpretatur, & Massoritæ notant Jod deficere, id quod verum est, nam integrum foret האיש. עוד præterea, hactenus, ædes civium plenæ sunt rapinis & opibus injustè partis, quod indicat eos contemnere vocem divinam. Potest etiam exponi in propria significatione; Adhuc sanè quisque de domo vel in domo impii opes habet malè partas & mensuram diminutam, quæ Deo invisa & exosa est. Melior videtur hæc sententia, Adhuc an sunt in domo impii? q. d. minimè ampliùs sunt opes partæ iniquis rationibus, quia res sunt apud Deum detestandæ. Ideo non poterit impius purus esse cum trutinis impiis & cum loculis ponderum dolosorum. Vel, An quisquam superest in domo impii? q. d. certè nullus restat. Nam Deus omnes delevit, quia uti thesauros impiè acquisitos & tenuatam Epham detestatur, ità omnibus pœnis persequitur qui ejus criminis convicti sunt. Tum post אוצרות רשע subaudiemus זועמים abominandæ sunt & iram divinam provocantes.

האזכה] Verba sunt impii de sua salute quasi desperantis.

13. החליתי] Infirmabo, debilitabo, infringam הכותך plagam tuam, passivè, quâ tu afficeris plagâ eam ego manu mea reddam majorem, vel activè, eam afflictionem quâ tu alios affligebas, quam aliis inferebas, eam ego reddam infirmiorem & ægriorem. השמם vastando te & perdendo propter peccata tua, vel perdam te, ut sit infinitivus pro prima præteriti voce. Ità Jonath. paraphrastes.

14. ישחך] Corruptio, oppressio tua à שחה cujus thema est ישח. Alii malunt esse futurum à שחח. Et humiliabit, deprimet te in medio tui, prosternet te ipsum.

תסג] Apprehendes, sc. conceptum, vel fœtum & non ejicies, quod si ejeceris, tum ego illud gladio destinabo. Alii referunt ad terram quòd ipsa conabitur suos incolas retinere & conservare, nec poterit, quia Dominus reliquias exstinguet & postrema sicut prima delebit excindétque.

16. וישתמר] *Et servat* sc. unusquisque vestrum *statuta* Omri. Vel, *servatur unumquodque statutorum vestrorum*, id est, כל חוק וחוק, ità enim loquitur Scriptura, quotiescunque singula individua vult denotare.

חרפת] *Probrum populi mei feretis*, i. pœnam luetis ob probrum quod populo meo intulistis: populi mei opprobrium luetis. Per Amriana statuta intelligit impia & nefaria: Impius enim fuit Amri 1 Reg. 16. Feretis probrum quod genti meæ & populo meo intulistis. Vel probrum contra populum meum suscipietis ut in illo חרפה לא נשא על קרבו *non affecit probro proximum suum.* Prior sententia verior: Nam idem ferè sonat atque id quod alibi dicit השב חרפתם אל ראשם Neh. 4. 4. Psal. 69. 8. עליך נשאתי חרפה. Auferre & tollere probrum est חרפה אסף. Jes. 4. 1. vel הסיר חרפה, 25. 8. חרפת עמים לא תשאי עוד Ezech. 36. 15. & לא תקחו עוד חרפת רעב Ezech. 36. 30. בשאת עליה חרפה Soph. 3. 18. Jonath. hoc in loco vertit חסורי עמי תקבלון.

GROTIUS.

1. *Audite quæ Dominus loquitur*] *Audite, quæso, quod dicit Dominus.* Novus est sermo, caussas rursus exprimens imminentium Judæis malorum. ¶ *Surge, contende judicio adversum montes*] Id est, tu Propheta causam meam age contra Judæam: Quæ dicitur *mons* aut *montes*, quia valde montosa est, Ezechiel. 6. 2. & 38. 8. Joël. 2. 1.

2. *Audiant montes judicium Domini*] *Causam Domini.* Hic Propheta incipit quod sibi injunctum erat exsequi. ¶ *Et fortia fundamenta terræ*] Id est, colles, qui velut columnæ sunt terræ. Per *montes* autem & *colles* inhabitatores eorum συνεκδοχικῶς [*per Complexionem*] intelliguntur. ¶ *Quia judicium Domini cum populo suo*] *Lis est Domino cum populo suo.* Græci, κρίσις τῷ Κυρίῳ [*lis Domino.*] ¶ *Et cum Israel dijudicabitur*] *Disputabit.* Magna Dei bonitas, qui cùm sit omnium summo jure Dominus, tamen hominibus, id est, vermibus terræ, si ipsi comparentur, probare vult actionum suarum æquitatem. Vide Esaiæ 5. 3. & 43. 26.

3. *Popule meus, quid feci*] Oratio μάλα περιπαθὴς [*valde affectibus plena*,] qualis & illa similis argumenti apud Jeremiam 2. 5.

4. *Mosem*] Qui leges tibi daret optimas. ¶ *Et Aaron*] Qui pro populo precaretur. ¶ *Et Mariam*] Quæ exemplum esset feminino sexui.

5. *Memento, quæso, quid cogitaverit Balach Rex Moab, & quid responderit ei Balaam filius Beor*] Hoc est quod Balacho responderat Balaam, Non posse te everti nisi Lege Dei contemtâ per idololatriam, aliáque flagitia. Vide 2 Petr. 2. 18 Judæ 2. Apocal. 2. 14. & vide quæ diximus ad Num. 25. & 31. 1. ¶ *De Setim usque ad Galgalam*] Repetendum ἀπὸ κοινοῦ [*ex dicto in commune*] *memento* : & est præterea ἔλλειψις [*defectus vocum*] nempe *eorum quæ fecerim. A Setim ad Gilgalam*, id est, ultra císque Jordanem. *Setim* est is locus cujus mentio Num. 25. *Gilgala* is cujus Josuæ 5. Multa quidem & antè, sed illo tempore insignia Dei beneficia Israelitis contigere, præsertim in Jordanis transitu. LXX hic habent ἀπὸ τῶν σχοίνων sed rectè conjicit Hieronymus scriptum ab iis σχίνων [*Schinorum*,] quod ligni genus non absimile ligno שטים [*Setim*,] unde illi loco nomen. ¶ *Ut cognosceres justitias Domini*] *Ut cognoscas Dei beneficia*, ac dicas quæ sequuntur. Sæpe enim talia subintelliguntur apud Hebræos.

6. *Quid dignum offeram Domino*] קדם Hebræis & Chaldæis & Arabibus inter alia est *coram aliquo apparere. Cum qua re me sistam Domino?* ¶ *Curvabo genu Deo excelso*] *Submittam me Deo excelso.* כפף corporis quidem humilem *flexum* significat, sed & ad animum transfertur; & ità videtur hic cepisse Chaldæus. ¶ *Numquid offeram ei holocautomata*] Quæ dominium Dei in res omnes significant. Levit. 1. ¶ *Et vitulos anniculos*] Qui pro Sacerdote offerri solebant, Levitici 9. 2.

7. *Numquid placari potest Dominus in millibus arietum?*] In Hebræo: *An contentus erit Deus millibus* (aliquot) *arietum?* qualia obtulit Solomon 1 Regum 8. 63. & Ezechias 2 Regum 30. 24. & Josias 2 Paralipomen. 35. 7. ¶ *Aut in multis millibus hircorum pinguium*] Sic & Græci: ἐν μυριάσι χιμάρων πιόνων. Legerunt verò aliter quàm in Hebræo est, ברבבות נחלי שמן, *in denis millibus fluentorum olei.* Quæ lectio si vera est, per *fluenta* intelligenda sunt vasa maximæ capacitatis. Oleum usitatum in sacris Hebræorum, Levitic. 2. 6. 7. præterea multo oleo ad lychnos opus. ¶ *Numquid dabo primogenitum meum pro scelere meo*] In Hebræo: *scelus meum*, id est, λύτρον [*redemtionem*] *sceleris mei.* Solent enim apud Hebræos pœnæ & piamenta *peccatorum* nomine appellari. *Primogenitum*, nempe ut fecit Rex Moab 2 Regum 3. 27. ¶ *Fructum ventris mei pro peccato animæ meæ*] Et hic in Hebræo est *peccatum. Fructum ventris mei*, id est, uxoris meæ, ut Psalmo 132. 11. quasi dicant, Faciemus quod fecit Jephthe, qui filiam suam Deo vovit?

8. *Indicabo tibi, ô homo, quid sit bonum*] In Hebræo: *Indicabit tibi* (Deus scilicet per me Prophetam) *quid bonum sit*, per se scilicet, non tantùm ex instituto, ut alia. ¶ *Et quid Dominus requirat à te: Utique facere judicium, & diligere misericordiam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo*] In Hebræo: *Ecquid Dominus à te exigit, nisi facere quod jus est, amare beneficentiam, & submittere se ubi cum Deo res est?* Egregia

gregia hic est ad Euangelium præparatio, nisi quòd hæc ipsa post Christum tantò implenda perfectiùs quantò & accepimus in triplici hoc genere excellentiora, & in Christi vita ac morte exactissimum exemplar, & præmii æterni revelationem, & majora Spiritùs auxilia, & libertatem à tot ritibus, quò expeditiores rebus his potioribus toti incumberemus.

9. *Vox Domini ad civitatem clamat, & salus erit timentibus nomen tuum*] Ubi vox Domini ad civitatem clamat, *sapientia est, si quis timeat nomen tuum*, majestatem tuam tremat. ¶ *Audite, tribus, & quis approbabit illud*] Alii, *Audite virgam, & eum qui constituit eam:* ut sit מי [*quis*] pro אשר [*qui*,] ut alibi. At Chaldæum apparet legisse שבטי מטה רבי תורה, & מטה, quod est πολύσημον [*plura significans*,] ab eo acceptum pro *sceptro*, & per *sceptrum* Regem intelligit; vertit enim, *Audite, Rex, & proceres, & conventus:* sensu non malo. Ità מי hîc erit in regimine positum vice absoluti, quod exemplis non carere alibi ostendimus.

10. *Adhuc ignis in domo impii*] Legit אש cum Tsere, non cum Hirie: sic & Græci. *Ignis* rectè dici potest quod causa est cur omnia consumantur: Jacobi 5. 3. Si Hebræum sequamur, sensus erit: *Adhucne alicui* (manet) *domus impii*, domus impietate quæsita? nec tot post monitus redduntur quæ rapta sunt? ¶ *Thesauri iniquitatis*] Opes malè partæ. ¶ *Et mensura minor iræ plena*]. *Et Epha minus* justo, quod est *abominabile*. Epha mensura aridorum. Explicat quid suprà significaverit voce *judicii*.

11. *Numquid justificabo*] Approbabo. In Hebræo, *mundabo*. ¶ *Stateram impiam, & saccelli pondera dolosa*] *Leviora ad vendendum, graviora ad emendum*, ut hic Chaldæus. In Hebræo pondera vocantur *lapides:* talibus enim utebantur Hebræi, eósque reponebant in saccum, ut apparet Deuteronomii 25. 13. & Proverbiorum 20. 10.

12. *In quibus*] In Hebræo: *cujus*, nempe *civitatis*, quod repetendum ex commate 9.

13. *Et ego ergò cœpi percutere te perditione super peccatis tuis*] *Ergò & affligam te cadendo & devastando ob peccata tua.* Confer Esaiæ 1. 5.

14. *Tu comedes, & non saturaberis*] Non invenies cùm obsideberis alimenta quæ tibi prosint. ¶ *Et humiliatio tua in medio tui*] *Depressio tua in visceribus tuis*: id est, viscera tua præ fame concidēnt. Ità Chaldæus. ¶ *Et apprehendes*] *Apprehendet femina*, id est, concipiet. Omnes ferme Interpretes putant hîc, ut alibi sæpè, ם poni vice ש. ¶ *Et non salvabis*] *Et non pariet.* Ità פלט sumitur Job. 21. 10. Solent præ fame aut fœdis alimentis abortire mulieres. ¶ *Et quos salvaveris*] *Quos pepererit femina.* ¶ *In gladium dabo*] *Tradam gladio hostili.*

15. *Tu seminabis & non metes*]

> *Impius hæc tam culta novalia miles habebit?*
> *Barbarus has segetes? en queis consevimus agros!*

¶ *Tu calcabis olivam*] Premes. ¶ *Et mustum*] *Uvas*, Chaldæus.

16. *Et custodisti præcepta Amri*] *Ideo quòd observantur* (apud te) *præcepta* (non Dei, sed) *Amri:* de quo 1 Regum 16. 25. Ab Israele ad Judam manarunt mala exempla. ¶ *Et omne opus domûs Achab*] Qui Amri filius, & patrem & progenitores omnes impietate superavit, 1 Regum 16. 30, 31, 32, 33. *Domum* autem *Achabi* rectè dicit, quia posteritas ejus easdem vias institit, ob id per Jehum excisa. ¶ *Ut ambulasti in voluntatibus eorum*] *Sectamini eorum instituta.* ¶ *Et darem te in perditionem*] Est ἔλλειψις [*vocum defectus*,] pro *ità fiet* ut dem te exitio. ¶ *Et habitantes in ea*] *Civitate*, de qua suprà 9. ¶ *In sibilum*] Irrisui. Vide 1 Regum 9. 8. Threnorum 2. 15. ¶ *Et opprobrium populi mei portabitis*] *Portatis.* Omnes dicent in vobis, ô divites, (de quibus actum est suprà 12.) præcipuam esse causam cur respublica ità funditus eversa sit.

C A P. VII.

M U N S T E R U S.

1. **H**EU *mihi*] Putant אללי derivari à verbo ילל, quod *ululare* significat. Est autem sensus hujus loci, *Accidit populo meo quod accidit fructibus æstivis & uvis, qui paucissimi relinquuntur post collectionem & vindemiationem: sic ego in universo populo meo non invenio vel unum pium & rectum hominem, qui non insidietur sanguini & inhiet avaritiæ.*

3. *Malum conantur bonum facere*] Kimhi paulò aliter interpretatur, nempe in hunc modum, *Hoc unum est magnatum studium, ut malefaciant manibus suis* (est enim היטב hic infinitivus Hiphil) *& malum illud bene faciant*, i. egregiè & strenuè malè agant. Explicat autem Propheta qualia fecerint mala: *Judices*, inquit, *& principes postulant munera, & pervertunt judicium, & magni loquuntur* הות, i. *pravitatem & corruptionem animæ suæ*, h. e. quæ perditissimè excogitarunt non verentur in proximi damnum eructare, *atque in hac re prævalent contra omnem æquitatem:* ubi עבת exponitur pro חזק, sicut nos vertimus.

4. *Bonus*] Kimhi sic exponit, *Facilius vir bonus versaretur inter spinas quàm inter perversos illos homines.* Quidam ex nostris intelligunt de hypocritis; ut sit sensus, *Boni, qui inter eos videntur esse boni, sunt spinæ; & quid putas sunt illi qui apertè sunt mali?* ¶ *Dies speculatorum tuorum*] i. Advenit tempus ut ultio sumatur de Prophetis tuis falsis; & hi cum sequacibus suis venient in tantam animi *perplexitatem* ut nesciant quò se vertant.

5. *In fratre*] Jonathan vertit בקריב *in consanguineo*, sicut & רע exponit pro רחים *amico*. Kimhi verò exponit אלוף pro *fratre majore*. Sunt etiam qui accipiunt pro *doctore falso*. Monet igitur Propheta, ab omnibus cavendum, quòd illo tempore omnes essent impii in Deum & in proximum.

9. *Educet me in lucem*] Ut per *tenebras* intelliguntur tribulationes & afflictiones, sic per *lucem* accipimus consolationem, redemptionem & liberationem à peccatis: id quod per solum Christum tunc futurum sperabatur, qui ut lux in tenebris emicuit cùm venisset facere purgationem peccatorum.

10. *Videbunt eam*] Refertur *eam* ad *inimicam*. Et est sensus, Impii, qui contempserunt promissiones Dei, & despexerunt populum illis innitentem, sentient aliquando *confusionem* suam: & qui pii fuerunt videbunt cadavera virorum qui iniquè egerunt contra Deum, *quorum vermis non morietur, nec ignis exstinguetur*, ut Jesaiæ ultimo habetur.

11. *Dies est*] Consolatio est, quâ lenitur præsens afflictio spe futuræ felicitatis. Contra *decretum*, inquit, Gentium, reædificabuntur ruinæ terræ; & undique ex regionibus & *civitatibus munitis veniet populus tuus*, Domine. Et licèt *terra eorum* sit *desolata*, tamen reduces & *pasces* eos, & veluti oves sine admixtione infidelium diriges eos *in silvis* & montibus terræ Promissæ, *virgâ* virtutis *tuæ*, &c.

18. *Dissimulas*] Heb. *transis super peccatum:* quod tamen idem est. Et est promissio Euangelii sicut & omnia quæ in fine hujus capitis scribuntur.

V A T A B L U S.

1. **T**Anquam *collectiones*, &c. כאספי קיץ] *Tanquam collectiones fructuum æstivorum.* Deplorat Propheta desolationem Terræ sanctæ sub persona populi Israelitici: q. d. Heu me miserum quòd redactus sum ad paucum numerum, velut fructus illi qui remanent in arboribus post collectionem fructuum. *Sicut racemi* כעוללת] *Sicut racemationes*, i. sicut racemi illi pauci qui remanent in vineis factâ vindemiâ. ¶ *Botrus* אשכול] i. Nulla hîc jam doctrina sancta quâ alatur animus. ¶ *Primitiva desideravit* בכורה אותה נפשי] Sing. Heb. pro plur. & præt. pro præs. *primitias desiderat. Primitias fructuum*, i. fructus optimos ac suavissimos, h. e. doctrinam illam puram & incontaminatam.

2. *Misericors* חסיד] i. Liberalis: q. d. Pauci admodum sunt qui subveniant pauperibus & egenis, qui liberales sint in pauperes. ¶ *Sanguinis* לדמים] i. Quamplurimi vitæ alterius, aut opibus, quæ sunt veluti *sanguis, insidiantur.* ¶ *Venatur reti* יצודו חרם] Fut. Heb. pro præs. i. *insidiatur reti* non aliter quàm auceps insidiari solet aviculæ, jacto jam reti ut eam decipiat. Verbum est plurale.

3. *Pro malo*, &c. על הרע וגו'] Ad verb. *Super malo in manibus ad benefaciendum*, sub. *illud:* i. Ob injuriam ac injustitiam quam aliqui habent *præ manibus* & tractant, *ut concinnent illam*, *Princeps petit* sibi munera dari. ¶ Judicat] Alii subintelligunt *favet illi.* ¶ *Et magnus* והגדול] *Et magnates*, qui scilicet inferioris sunt dignitatis à Principe. ¶ *Perditionem animæ suæ* הות נפשו] *Perversitatem animi sui*, vel *contritionem:* i. dicit litigatori ut afferat munus Principi, idque contra jus, & animo maligno. ¶ *Et corroborant illam* ויעבתוה] *Et fortificant eam:* quasi triplicant. Quidam, *confirmant eam*, sub. *perversitatem judicii.*

4. *Nunc erit*, &c. עתה תהיה מבוכתם] *Jam erit perplexitas eorum:*

eorum: vel *confusio.* Mutatio personæ. *Optimus*, inquit, hominum generationis hujus nocet aliis *more spinæ pungentis*, *æquissimus inter eos asperior est sepe spinarum: dies tamen* in quo *pseudoprophetæ tui* qui te deceperunt, luent pœnas, *tandem veniet: nam* brevi *veniet tempus quo punieris* propter peccata tua.

5. *In majore* כאלוף] Sing. Heb. pro plur. *majoribus vestris fratribus.* Ad verb. *in principe:* vel *duce.* ¶ *Custodi*, &c. שמור פתחי פיך] *Custodi apertiones oris tui.* Hebraismus, Cave ne dicas illi secretum tuum.

6. *Vituperat* מנבל] *Floccipendit: contumeliam facit patri.*

7. *Ad Jehovam aspiciam* ביהוה אצפה] *Jehovam exspectabo.* Alii, *in Jehovah sperabo:* q. d. Fidant qui volent hominibus; ego totus pendebo à Deo.

8. *Inimica mea propter me* איבתי לי] Babylonem alloquitur Propheta nomine omnium Prophetarum. Noli lætari propter miseriam meam quòd venerim in manus tuas. ¶ *Quod ceciderim*, *surgam* כי נפלתי קמתי] *Quoniam si cecidero resurgam.* Præterita Heb. pro futuris, *cùm cecidero in calamitatem*, *liberabor.* ¶ *Si sedero*, &c. כי אשב וגו'] Repetitio est aliis verbis, & Hebraismus, acsi dicat, Spero Dominum mihi restituturum felicitatem amissam.

9. *Iram Jehovæ feram* זעף יהוה אשא] i. Pœnam mihi illatam à Deo irato feram æquo animo. ¶ *Educet me*, &c. יוציאני וגו'] Hebraismus, spero quòd ipse eximet me è tenebris illis miseriæ in lucem felicitatis: tunc clariùs luce meridianâ cognoscam eum esse justissimum, & promissiones ejus certissimas.

10. *Et aspiciet* ותרא] i. Cùm viderit felicitatem meam, & Deum me tanto favore prosecutum, obruetur confusione. ¶ *Videbunt* תראינה] Sub. *illam confusionem.*

11. *Die quâ*, &c. יום לבנות וגו'] *Dies* illa, erit dies *ad ædificandum macerias tuas*, & *recedent* à te *constitutiones.* Alii, Tunc erit *tempus* aptum *instaurandis maceriis tuis: in illo tempore longè fient* [vel *recedent*] à te *constitutiones*; vel *statuta*, sive *consuetudines*, sub. *Gentium.* Sing. Heb. pro plur. i. Tunc poteris instaurare loca tua diruta: nam tunc eris tui juris, & vives tuis legibus, sublatis legibus Gentium, quibus antea vivebas. Nonnulli versum istum cum sequenti referunt ad Babylonem, & vertunt, *Die* quo cogitabis [vel statues] *instaurare macerias tuas*, [sub. diruptas ab hostibus] *die*, *inquam*, *illo elongabit se tributum:* i. privaberis tributo quod antea tibi pendere solebant. *Die illo*, i. quo tempore Regnum Babylonicum transferetur ad Persas. Tempore quo cogitabis de instaurandis tuis maceriis, in illo tempore expugnaberis.

12. *Die*, inquam, *illâ* יום הוא] Dies illa *dies est:* q. d. Tempus illud est tempus felicitatis, sive felicissimum: interim tamen adhuc affligêris. ¶ *Et ab urbe munita* ועדי מצור] Ad verb. *& à munitione.* Niniven intelligunt Hebræi, præcipuam omnium urbium Assyriæ. Alii volunt esse singulare pro plurali, *ab urbibus munitissimis.* ¶ *Usque ad Flumen* ועד נהר] Ad verb. *& usque ad Flumen.* Euphraten intelligit per excellentiam, qui erat unus ex terminis Terræ sanctæ. ¶ *Et Har montem* והר ההר] Mons iste Har sive Hor non est (ut existimat doctus inter Hebræos) mons Hor in quo mortuus est Aharon: nam is de quo hìc fit mentio est in latere Septentrionali Terræ sanctæ; alter verò, ubi mortuus est Aharon, est in finibus Idumææ.

14. *Pasce* רעה] Imper. Heb. pro fut. ut quidam vertunt, *Pasces*, sub. *O Domine.* Prædicit liberationem filiorum Israel ex captivitate Babylonica. ¶ *Solum* לבדד] *Solitarium*, i. nullas habentem Gentes sibi permistas, cùm reversus fuerit in patriam suam. ¶ *Charmel* כרמל] Significat locum ubi sunt agri frugiferi, vineæ & arbores fructiferæ, & ubi est hominum frequentia: dicit igitur, Pasces gregem tuum non plus sibi timentem *in silvis* ipsis *quàm in agro feraci* & habitato. ¶ *Juxta dies antiquos* כימי עולם] *Juxta dies seculi*, i. ut olim.

15. *Juxta dies egressionis tuæ* כימי צאתך] *Ut tempore quo egressus es.* Sunt verba Dei respondentis Prophetæ precanti. ¶ *Ostendam*, &c. אראנו נפלאות] Hebraismus, Edam etiam multa miracula in ejus liberatione, ut, &c.

16. *Videbunt Gentes* יראו גוים] Hebraismus, pro, *Quæ cùm viderint Gentes, pudebit eas virium suarum in quibus confidebant; tacebant, & obmutescent præ stupore & admiratione.*

17. *Lingent pulverem* ילחכו עפר] i. Videbuntur lingere, sive lambere. Hyperbole: acsi dicat, *Prosternent sese*, *& demittent capita sua in terram usque, honoris causâ, coram Israelitis.*

18. *Et transiens super prævaricationem* ועבר על פשע] Hebraismus, pro, *connivens transgressioni reliquiarum.* Nos quoque dicimus, *Passer une faute à quelqu'un.* ¶ *Non retinet* לא החזיק] Præt. Heb. pro fut. & mutatio personæ: non perpetuò irasceris, &c.

19. *Subjiciet* יכבש] *Subjugabit*, i. supprimet eas, & premet pedibus suis, ut earum perpetuò obliviscatur. ¶ *Et projiciet in profunda* ותשליך במצלות] Mutatio personæ, *& projicies in profunditates*, &c. nè scilicet unquam veniant in conspectum tuum.

20. *Dabis veritatem*, &c. תתן אמת וגו'] Hebraismus, Præstabis quod pollicitus es sanctis Patriarchis. Promissiones Dei vocat *veritatem*, quòd certò præstentur; *Misericordiam* autem, quòd ex gratia factæ sint.

CASTALIO.

4. *Speculatoria dies tua*] Belli, cùm statues in muris speculatores. ¶ *Jamjam futurâ eorum perplexitate*] Mox æstuabunt homines.

5. *Ab ea ipsa quæ cubat in sinu tuo, oris tui ostia custodi*] Ne uxori quidem arcana patefacere tutum est.

10. *Quæ mihi dicit, Ubi est Jova Deus tuus?*] Insultat perinde ac si sim à Jova destitutus.

CLARIUS.

1. *Væ mihi*] Accidit, inquit, populo meo quod accidit fructibus & uvis, qui paucissimi relinquuntur post collectionem & vindemiationem: sic ego in universo populo meo non invenio vel unum pium & rectum hominem, qui non insidietur sanguini & inhiet avaritiæ. ¶ *Præcoquas ficus desideravit anima mea*] h. e. Fructus primos anni venturi; quia hujus anni nihil est reliquum boni. Metaphoricòs hoc dicit, se optare alios mores quàm videbat in suo populo tempore illo.

3. *Perditionem animæ suæ*] Locutus est contra insontes, quod illi cedet in perniciem. ¶ *Prævalent in ea re*] Alius sic legendum aiebat, *ad hunc modum stabiliverunt nequitias.*

4. *Quasi paliurus*] Molesti enim sunt viri boni sceleratis hominibus. Quidam intelligunt de hypocritis; ut sit sensus, *Si iis qui inter eos videntur esse boni sunt spina, quid putas esse illos qui apertè sunt mali?* ¶ *Dies speculatorum tuorum*] h. e. Falsorum Prophetarum & Episcoporum. Venit, inquit, tempus ut ultio sumatur de Prophetis tuis falsis.

5. *Nolite credere amico*] Monet Propheta, ab omnibus cavendum, quòd eo tempore omnes essent impii in Deum & proximum.

8. *Inimica mea*] Babylonia.

9. *Educet*] Sicut per *tenebras* intelliguntur afflictiones, sic per *lucem* accipimus consolationem, redemptionem & liberationem à peccatis: id quod per solum Christum tunc futurum sperabatur, qui ut lux in tenebris emicuit cùm venisset facere purgationem peccatorum.

10. *Videbunt in ea*] h. e. Ultionem injuriæ meæ. Et hic Hebraismus aliquot etiam Scripturæ locis invenitur, ut suprà cap. 4. *Aspiciat in Sion oculus noster.*

11. *Dies ut ædificentur maceriæ tuæ*] Consolatio est, quâ lenitur præsens afflictio spe futuræ felicitatis. Contra leges, inquit, & decreta Gentium reædificabuntur ruinæ terræ, & undique ex regionibus & *civitatibus munitis veniet populus tuus*, Domine.

13. *Et terra erit in desolationem*] Terreni scilicet homines tempore Christi Domini. Alius sic exponit, *Licèt terra eorum sit desolata, tamen tu reduces & pasces eos*, &c.

14. *Habitantes solos*] i. Securos. ¶ *In medio Carmeli*] h.e. *Tanquam in medio Carmeli*, &c.

16. *Videbunt gentes*, *& confundentur*] Hìc est interitus Gentilitatis, & sicut paulò antè dixit, *desolatio terræ unà cum habitatoribus in ea.* ¶ *Aures eorum surdæ erunt*] Vel, *obsurdescent* increduli, quamvis non habeant quid contrà objiciant: hoc enim est *ponere manum super os.* Vel si intelligas de iis qui convertentur, accipe eos tandem intellecturos se hactenus surdos fuisse, &c.

20. *Dabis veritatem*] Id quod pollicitus es præstabis. Et est promissio Euangelii, sicut & omnia quæ in fine hujus capitis scribuntur.

DRUSIUS.

1. V*Æ mi, quia sum*, &c.] Hoc Propheta dicit, an potiùs ipse populus? Quidam Terræ sermonem esse putant. אללי לי. Bene Jonathan interpretatur וי לי, & Hieron. *Væ mihi*, & Græci οἴ μοί. Nam אללי *væ*. In frequentiore usu est הוי hoc sensu, ex quo Græcum οἴ. Latini autores *Hei* dicunt. Est autem אללי hoc loco penacutum; alibi accentum habet in ultima. Moses Camius frater Davidis ejus originem ponit in ילל, quod *ululare* sign. Joth enim & Aleph communem familiam habent. Sic permutantur אישי & ישי, i. *Isai*. ¶ *Sicut collectiones æstatis*]. Sicut fruges quæ æstate colligi solent post demessam segetem. Hæ fruges ferè à pauperibus colligebantur: & erant spicæ relictæ à messoribus: unde *spicilegium*, & *spicas legere post messores*, quod Græci dicunt καλαμᾶσθαι, qui etiam hîc habent ὡς συνάγων καλάμην ἐν ἀμητῷ. Innuit ergò se relictum inter paucos & raros bonos. Nam post collectas fruges terra prorsus nuda est & ornatu suo spoliata. ¶ *Sicut racemi vindemiæ*] Qui vindemiæ tempore relinquuntur in vinea. Græci ἐπιφυλλίδας vocant. Solebant autem relinqui ἐπιφυλλίδες in usum viduarum & pauperum, quibus licebat quantum vellent ex eis domum auferre. ¶ *Non est botrus ad comedendum*] In tota vinea non est botrus quem edam. Videtur hoc velle, Nulli sunt justi quorum facta æmulari possim. Sic alibi, *Vitis vacua Israel*.. ¶ *Præcocem*] Vel *præcoquum*, & *ficum* sub. non *fructum*: nam בכורה fem. est: itaque פרי subaudiri non potest. Hujusmodi gratissimæ sunt & charæ admodum. Hos. 9. 10. *Ut præcocem in ficu vidi patres vestros*. Jer. 24. 2. *ficus bonas valde, & ficus præcoces*. Vide Jes. 28. 4. Lucilius,

Sicuti cùm primos ficus propalam recentes
Protulit, & pretio ingenti dat primitus paucos.

Porrò *præcocem ficum* accipio quæ ante alias maturuit, *ficus præmatura* σῦκον πρώϊμον sive πρώϊον.

2. *Periit sanctus*] Versus iste continet explicationem præcedentis. חסיד ὅσιος, i. *pius*, non ἅγιος, quem קדוש dicunt Ebræi. Vide quæ scripsimus in Quæst. nostris. ¶ *Rectus*] Homo probus. ¶ *In hominibus*] Quidam, *in hominibus istis*. Nam est articulus in Ebræo, quem sæpe ità exprimunt. ¶ *Cruoribus*] Hominibus innocentibus; ut Prov. 1. 11. *Insidiemur sanguini*. Plenum esset *sanguini innoxio*. Aut לדמים *ad cædes*. *Omnes ipsi insidiantur* non tam ut decipiant quàm ut occidant. Notum ut *cruores* pro *cædibus* ponantur: Nam in cæde cruor effunditur. Elegi autem *cruoribus*, quia *sanguinibus* Latinum non est. ¶ *Venatur*] Ut qui pisces aut aves aut feras venantur. ¶ *Reti*] חרם exponitur in Scholiis Ebraicis ברשת, i. *Reti*. Ab aliis redditur *sagena*. Sic etiam Hieron. reddit Hab. 1. 15. Sed hoc nomen angustius est quàm ut huic loco conveniat. Nam σαγήνη propriè *verriculum* quo pisces capiunt; חרם autem est etiam *rete*, quo aves aut feræ capiuntur. Ideo malui legere *reti*. Vetus edit. *ad mortem*: non planè sperno. Nam חרם *anathema*, *cædes*, *occisio*, i. קטלא, ut reddunt Interpretes Chaldæi. Plenè scriberetur לחרם *ad occisionem*, ut suprà לדמים *ad cædes*.

3. *Ut malefaciant manibus bene*] Locus iste diu multùmque me torsit. על הרע accipio ac si scriptum esset להרע: hoc primum. Deinde להיטיב interpretatus sum *bene*. Ad verb. *benefaciendo*. *Bene*, i. valde, admodum. Sic *bene potus*, *bene doctus*. Sic Jon. 4. 4 ההיטב חרה לך, *An bene incanduit tibi?* Doctè Græci, σφόδρα ἢ σφοδρῶς Alia interpretatio, *Malefacere*, i. malefacta, *manuum ut bona faciat*. Vult dicere, ut caussam malam tueatur in judicio. Placet admodum. Licet etiam vertere, *Ad malum manus bonas reddunt*, i. aptas, peritas, idoneas. Sic David ait, *Qui docet manus meas ad prælium*. Vel sic, *ad malum manus aptant*. Nam היטיב *adorno*, *paro*; ut ibi, היטיבו מצבות *adornarunt statuas*. Sic Lxx, ἐπὶ τὸ κακὸν τὰς χεῖρας αὐτῶν ἑτοιμάζουσιν. ¶ *Poscit*] Petit munera. ¶ *Et Judex pro retributione*] Vel *remuneratione*: q. d. non judicat nisi accepto munere: *& judicat* mallem nisi esset השופט in fonte. ¶ *Magnus*] Vel *magnas*, i. μεγιστάν unde *magnates*, גדולים, & μεγιστᾶνες ¶ *Loquitur perniciem animæ suæ ipse*] Loquitur quod sibi exitio est & animæ perniciem adfert. Hoc vult dicere, Semper in ore habet munera. Et observa munera hujusmodi vocari hoc loco *animæ perniciem*. Nihil enim ità ei perniciosum est ut accipere munus ad pervertendum judicium. ¶ *Et corroborant illam*] Vel, *contorquent eam*, nempe *perniciem*. Tralatio à Funibus densis, qui עבותים appellantur: Quos Camius pater dicit *constare tribus loris ad minimum*. Arias vertit *complicarunt eam*; alius quidam *triplicarunt*, juxta illud, *Funiculus triplex haut facile rumpitur*. Sanè tres erant numero quos hîc perstringit, videlicet, *Princeps*, *Judex*, & *Magnas*, qui est infra Principem. Pro *perniciem animæ suæ* Hieron. habet *desiderium animæ suæ*. Id hausit à Græcis, in quorum editione καταθύμιον ψυχῆς αὐτοῦ ἐστιν. Ambo permutarunt He cum Aleph. Nam אוה *desiderare*, non הוה, quod potiùs *habentiam* denotat, ut possis reddere *loquitur habentiam animæ suæ*. Sic Psal. 52. יעז בהותו, interprete Saadiâ, valet *roboratur habentiâ suâ*, i. opibus suis; juxta illud Salomonis, *Divitiæ divitis sunt ei arx valida*.

4. *Sicut lycium*] חדק est Spinæ genus, quæ ab Arabibus *Hadec* dicitur, à Græcis verò λύκιον & πυξάκανθα vocatur. Vide quæ notavimus Quæst. lib. 1. q. 2. Hâc similitudine declarat asperitatem morum ac rapacitatem, quemadmodum Olympio in Casina, qui coquos *sentes* appellat; *Quia*, inquit, *quod tetigere illico rapiunt: si eas ereptum, illico scindunt*. ¶ *Quàm spinetum*] Sub. *asper est*. *Asperior est*, inquit, *spineto*, vel *spineâ sepe*. מסוכה *sepes vinearum ex spinis*. Dicitur & משוכה: & est verbum שך, quod sign. *sepio*, *sepem obduco*. ¶ *Dies*, &c.] Vel, quem speculatores tui vobis prædixerunt; vel, quo Deus in eos animadvertet, & subintelligitur *venit*, quod repetendem ἀπὸ κοινοῦ ex sequentibus. Sic *dies Jacobi* Abd. quo Deus in eum animadvertit, affecítque supplicio debito peccatum ipsius. ¶ *Speculatorum tuorum*] Τῶν σκοπῶν σου, i. Prophetarum tuorum. Tam potest intelligi de veris Prophetis, quàm de falsis. Si de illis, tum sequentia per exegesin commodè expones hoc modo, *dies speculatorum tuorum*, qui dies est *visitationis tuæ* prædictus à Prophetis tuis. Cave spernas hanc interpretationem. ¶ *Visitatio tua*] Visitatio iniquitatis tuæ, animadversio in scelera tua. ¶ *Nunc erit perplexitas*] Brevì adeò involventur Dei pœnis ac judiciis, ut quò se vertant nesciant, neque se ex iis ullo modo extricare poterunt. ¶ *Eorum*] Vel Pseudoprophetarum, vel certè Principum, Judicum & Magnatum, de quibus suprà mentionem fecit.

5. *Nè credite*] Quales erant homines illo ævo, tales sunt & nunc. Ubique regnat Livor & Hypocrisis. Nusquam Fides.

——*Non hospes ab hospite tutus*,
Non socer à genero. Fratrum quoque gratia rara est.

¶ *Amico*] Ad verb. *in amicum*. *Credere in amicum* Ebræa phrasis est; ut, *Crediderunt in Deum & in Mosen*. Nos diceremus, *crediderunt Deo & Mosi*. Vana ergò differentia quam hodie ponunt inter *Credere Deo* & *credere in Deum*. ¶ *Nè fidite duci*] i. Intimo amico, qui sit quasi dux inter eos. Sic Prov. 16. 18. *Susurro disjungit ducem*: & apud Davidem Psal. 55. 23. *dux meus & notus meus*. Utrobique est אלוף in Ebræo. Usurpatur autem de eo qui præcipuum in amicitia locum obtinet.. ¶ *Ab ea quæ cubat in sinu tuo*] Ab uxore, pellice aut concubina. Huc facit adagium illud, *Neque mulieri neque gremio credendum esse*. Nam ut gremio sic mulieri facilè excidit siquid commiseris. Hinc אשת חק *mulier sinûs*; i. uxor, Deut. 13. 6. & 28. 54. γυνὴ τοῦ κόλπου Sirach. 9. 1. & איש חק *vir sinûs tui*, maritus, Deut. 28 56. ¶ *Custodi ostia oris tui*] Vide nè quid ei dicas quod alium scire nolis.

6. *Contumeliam facit patri*] Vel *turpitudine afficit patrem*. Nam נבלה *turpitudo*. Quidam, *vilipendit patrem*. Lxx ἀτιμάζει *dedecore afficit*. Hujus contrarium, *Honora patrem*, &c. ¶ *Insurgit in matrem*] Quam vereri deberet. ¶ *Hominis*] איש pro אדם. ¶ *Domestici ejus*] Ad verb. *viri domûs ejus*.

7. DOMINUM *speculor*] Ut Ps. 5. 3. *manè instruo, & speculor*, i. tanquam in specula constitutus observo unde mihi auxilium à te veniat. Sic ego, inquit, in hoc deplorato reip statu rerúmque omnium perturbatione oculos habeo conversos in Deum, in quo uno spem & fiduciam pono, nihil dubitans quin mihi opem laturus & ex his malis suo tempore liberaturus sit. Cæterùm hæc dicuntur à Propheta in persona pii cujusque. ¶ *Exspecto*] Cum spe certa fore ut meæ salutis rationem habeat. ¶ *Deum salutis meæ*] Qui mihi salutem, ut antea sæpe, ità nunc quoque dabit. ¶ *Deus meus*] אלהי *vindex meus*.

8. *Inimica mea*] Filia Babel aut Edom. ¶ *De me*] De calamitate mea: לי *De mea*, i. בעברי: ut Psal. 3. 2. *Multi dicunt לנפשי de anima mea*. Sic alibi אמרי לי *dic de me* Potest etiam Joth in איבתי paragogicum esse, ut ibi, בצר לי, *in calamitate quæ mihi est*, i. mea. ¶ *Quòd ceciderim, surrexi*] More Prophetarum usurpat præt. pro fut. quod tritum adeò ut nihil magis. Aliter exponas, *Cùm cecidero, surgam*: vel, si mavis, *Quamvis cecidi, tamen surgam*. CADERE est *in calamitates incidere*; & SURGERE, *ex iis emergere*. Adito

sis ad Proverbium, *Septies in die cadit justus, & surgit.* Huc facit, *Multa calamitates justo, sed liberat eum ex omnibus* DOMINUS. ¶ *Quamvis sedero*] Vel *cùm sedero*: & mox, *lux mihi erit*: ut per *tenebras* innuat exsilium quod pòst consecutum. ¶ *In tenebris*] In tenebris calamitatum. ¶ *Lux mihi est*] Præstat mihi lucem in tenebris, i. salutem in adversis. Nam *lucis* vocabulo Salutem designant, ut in illo, *lux affulsit.* Sic Homerus interdum locutus est. Cæterùm אור לי potest reddi *illucescit mihi*, ut sit verbum præteritum, ad instar טוב *bonus fuit. Lucescit mihi*, i. salutem mihi dat.

9. *Iram* DOMINI] Pœnas Dei mei. Ideo suffero has pœnas quia in Deum peccavi. Aut, feram patienter quia commerui. Secutus autem sum antiquum Int. qui זעף *iram* reddit, ut Græci ὀργήν. Alioqui plus designat, videlicet *iræ impetum & commotionem.* Sanè de *æstu maris* dicitur Jon. 1. מזעפו *ab æstu suo.* ¶ *Fero*] *Suffero, porto, tolero.* ¶ *Causam meam*] Quæ mihi cum gentibus, inimicis meis. ¶ *Et fecerit judicium meum*] Et jus reddiderit mihi: aut vindicarit me ultúsque fuerit sumpto supplicio de hostibus meis. Sic alibi, *A te judicium meum prodeat.* Sensus est, *defensio causæ meæ.* ¶ *Educet me in lucem*] E tenebris in quibus nunc sum. ¶ *Videbo justitiam ejus*] Fruar adhuc benignitate ejus: ut Ps. 24. 5. *Accipiet justitiam à Deo salutis suæ.* & 103. 17. *justitia* ejus *erga filios hominum.* Huc pertinet, *Dabo vobis pluviam ad justitiam*, i. largiter, copiosè, affatim. VIDERE autem ut *frui* significet notum est vel ex illo, *Videre bonum*: unde apud Davidem, Ps. 4. 6. *Quis ostendet nobis bonum?* Cæterùm licèt inter *justitiam* & *benignitatem* discrimen sit, tamen justitia in Deo benignitas est, in eo præcipuè apparens quòd nobis quantumvis indignis præster, quicquid ultro pollicitus est.

10. *Operiet eam pudor*] Cùm hæc audierit undique pudore obtegetur: nempe ut homo veste tegitur. ¶ *Dicit*] Dicere solita est. ¶ *Videbunt in illam*] Videbunt de illa quæ cupio, i. videbunt ruinam ejus. Sic apud Davidem, *In hostes meos videbit oculus meus.* Græci hoc exprimunt verbo ἐπιδεῖν. De quo Observ. l. 3. c. 2. *Erit in conculcationem*] Vel *erit conculcationi*, i. conculcabitur ab omnibus. Hoc sign. cùm ait, *ut lutum platearum.* Adjecit autem *platearum*, quia est aliud lutum quod *lutum figuli* vocant.

11. *Quo die*, &c.] Vel sic, *Dies ad reædificandum macerias tuas*, sub. *venit*, aut *instat.* ¶ *Reædificabis*] *Restaurabis* לבנות pro בנות & בנה *restauro, reædifico*, ut Amos 9. 11. ¶ *Macerias*] *Muros*: μεσότοιχος: nam *maceria* propriè horti aut vineæ septum ex lapidibus. Interdum etiam *sepem* notat. ¶ *Tuas*] O inimica. Plerique Interpretes pronomen referunt ad Ecclesiam, quæ *cum restaurabitur*, inquit, *longè abibit decretum*, i. Euangelium; ut Psal. 2. *narrabo decretum.* ¶ *Procul recedet statutum*] Quódnam *statutum*? Utrùm statuta intelligit Babyloniorum lata contra Judæos exsules? ut significet adventare tempus liberationis eorum post debellatos hostes. Sanè quidem deletâ Monarchiâ Babylonicâ, Persæ, qui eam deleverant, potestatem fecerunt Judæis domum redeundi postliminiò in terram patriam. Aut statutum de non reparanda Urbe?

12. *Die illo*] Quo salus Israeli obtinget. ¶ *Ad te usque*] O Jerusalem. ¶ *Veniet*] Qui veniet. Quod Latinè non malè reddas *venietur*, per verbum impersonale. ¶ *Usque ad civitates munitas*] Πόλεις ὀχυρὰς vocat alibi Sirachides. Sed & Interpres Græcus hoc loco. In hoc sensu frequentiùs usurpant מבצר, nempe pro *munitione.* Hîc autem est מצור, de quo mox. ¶ *A munitione*] *A civitatibus munitis.* Videtur Ægyptum innuere, quam *Mesraim* vocant, voce non admodum dissimili. Sed & MASOR pro Ægypto sumitur Jes. 19. 6. *& siccabuntur omnes rivi Masor.* Eodem modo interpretantur 2 Reg. 19. 24. *omnes rivi Masor*, i. Ægypti. ¶ *Usque ad flumen*] Euphratis, qui unus erat ex terminis terræ Israel. Erat autem ad Septentrionem illius terræ oppositus Ægypto, quæ ad Austrum. Vide Animadv. l. 1. c. 15. In Thalmud, tractatu ubi agitur De libellis repudii, *Flumen Euphratis ad Septentrionem.* ¶ *A mari ad mare*] Ab uno mari ad alterum: vel à mari Rubro ad mare Magnum, sive mare Philistæorum, quod situm erat ad Occidentem terræ Sanctæ, cujus respectu mare Rubrum Orientem versùs respiciebat. Quanquam in Thalmud, loco memorato, *mare Rubrum ad Austrum.* Hîc verum, sed alio respectu. ¶ *A monte ad montem*] A monte uno ad alterum. והר ההר alii enarrant *& ab Har monte*, vel certè *& ad Har montem illum. Har* montis nomen, qui & *Hor*, ex terminis terræ Israel; Num. 34. 7. *Et iste erit vobis terminus Septentrionalis. A mari magno statuetis limitem vobis montem Hor. Ab Hor verò monte statuetis limitem usque ad ingressum Hemah.* In hoc monte sepultus traditur Aharon. Situs autem erat in finibus terræ Idumææ prope Petram civitatem, si non fallit nos Comestor.

13. *Eritque terra*] Terra Gentium videlicet. Vel, *postquam fuerit terra* Israel *desolationi*, i. desolata. Sunt qui superiores duos versus aliter exponant quàm nos exposuimus, nempe ut iis pœna denuncietur quam Deus inferre statuit populo suo propter scelera ipsorum. Hanc expositionem sequendo versus iste intelligendus erit de terra Israel. ¶ *Cum habitatoribus suis*] Hic על accipiunt pro עם *cum*, ut suprà 5. 3. *redibunt cum filiis Israel.* Vide notata ad illum locum. ¶ *Propter fructum*, &c.] Eò quòd vexarunt populum Dei, i. Israelitas.

14. *Pasce populum tuum*] Verba Prophetæ ad Deum. ¶ *Virgâ tuâ*] Virgâ pastoritiâ, i. pedo tuo. ¶ *Habitantes solitariè*] Vel, *habitantem solum*, ut ad *populum* referatur. Sunt qui legant *gregem possessionis tuæ habitantem solum.* Qui habitat, inquit, quasi in solitudine aliqua inter gentes barbaras & immanes: vel *habitantem solum*; i. in terra sua. Certè cum inter Assyrios degeret solus non erat. Hîc שכני lectum cum paragoge. Joth. ¶ *In silva in medio Carmeli*] *In silvis quæ in Carmelo.* Nam ibi silvæ erant ad latendum aptæ. Unde alibi, *Si occultaveris te in medio Carmeli.* Aut, *in silva ut in Carmelo*, ubi pascua erant optima. Itaque & appellativè sumitur pro *arvis* quibuslibet: ex quo editio recentior, *in silva medio arvorum.* Carmeli duo fuerunt; unus in quo habitavit Nabal maritus Abigail; alter in Phœnicia, juxta Ptolemaida mari imminens, in quo Elias flexis genibus pluviam impetravit. Meminit hujus Plinius l. 5. c. 19. eis verbis, *Promontorium Carmelum, & in monte oppidum eodem nomine, quondam Ecbatana dictum.* ¶ *Basan*] Vel montem, vel regionem. Erat autem regio pascuis læta: unde *Vaccæ Basan* Amos 4. 1. *Tauri Basan*, pro eo quod est *pingues & altiles*, Ps. 22. 12. ¶ *Et Galaad*] Tam regionis nomen quàm montis, ut *Basan.* Mons autem, Borchardo teste, situs erat in Regno Og Regis Basan. Ipsa verò regio trans Jordanem posita pascua erat ac fertilis, ut ex hoc loco colligitur. ¶ *Ut diebus seculi*] i. Priscis sive antiquis.

15. *Sicut cùm egressus es*] Sensum expressi. Nam in Ebræo ad verb. *ut in diebus egressionis tuæ.* Vult dicere, ut cùm majores tui egressi sunt ex Ægypto. Hîc Deus respondet ad petitionem Prophetæ. ¶ *Ostendam ei mirabilia*] Faciam ut videat miranda facta, ad quæ ipsæ gentes obstupescent. ¶ *Ei*] Populo meo videlicet.

16. *Videbunt gentes*] Facta illa admiranda. ¶ *Erubescent*] Vel *pudefient.* ¶ *Universâ potentiâ ipsorum*] Vel universâ potentiâ suâ. Pudebit, inquit, eos universæ potentiæ suæ quâ confisi putabant se nihil non effecturos. Nunc ergò frustra erunt. Ea res ipsos in ruborem dabit. ¶ *Ponent manum ad os*] Gestus eorum qui sibi aut aliis silentium imperant. Vide Adagia mea. ¶ *Aures eorum obsurdescent*] Nempe ad auditum eorum quæ ego tunc in gratiam populi mea faciam.

17. *Lingent pulverem*] Terram deosculabuntur ad testificandam servitutem. Sanè hodiéque adhuc solent in Asia, cùm ad Regem adeunt, terram deosculari; quod est signum abjectæ venerationis quàm exhibent Principibus. Hoc Ennius dixit, *cubitis pinsebant terram*: & Annal. 10. *pinsebant terram genibus.* Reperitur hæc locutio Psal. 72. 9. *Coram illo se incurvabunt incolæ deserti, & inimici ejus terram lingent.* Et Jes. 49. 23. *Proni in terram adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent.* ¶ *Ut serpens*] Qui super pectus ambulat, ac proinde humum lingit; quam etiam *edere* dicitur. ¶ *Reptilia terræ*] Quæ repunt super terram. Græcis τὰ ἑρπετὰ dicuntur. ¶ *Contremiscent*] *Commovebuntur.* ¶ *E claustris suis*] E clausis oppidis aut ædibus suis. ¶ *Pavidi accurrent*] יפחדו *pavebunt*, i. *pavidi accurrent*, nempe præ nimio salutis recuperandæ desiderio. Sic Hos. 3. 5. *Pavidi accurrent ad Dominum & ad bonitatem ejus.* ¶ *A te*] O Israel.

18. *Tollens*] *Tollens è medio, auferens, condonans*: vel *portans*, ut ibi, *Ecce Agnus Dei qui tollit peccata mundi*, i. portat, vel condonat. Sic Hos. 1. כי נשא אשא להם *quamvis condonaverim eis.* ¶ *Transiens super scelus*] Vel *præteriens crimen.* Nam dictio Ebræa עבר utrumque sign. Porrò *crimen præterit* qui ignoscit; item qui dissimulat se illud animadvertere. Vide Class. 2 lib. 1. adag. 95. ¶ *Residuo possessionis suæ* Vel, *reliquiis possessionis suæ*, i. Israelitis qui reliqui erunt liberationis tempore. ¶ *Non retinet iram suam*] Inter eas proprietates quas Scriptura Deo tribuit, est & hæc, quòd *non retineat iram.* Id uno verbo dicunt *non servat* Psal. 103. 9. Est autem *non servare* deponere memoriam peccatorum nostrorum, nec ea punire, aut ulcisci injuriam sibi factam. Hujus contrarium Nah. 1. 2. *servat hostibus suis*, pro *servat iram.* ¶ *Volens*] Cupidus

dus benignitatis, aut qui delectetur benignitate. *Velle* hic fuerit ut in illo, *Non Deus volens iniquitatem tu es.* Alibi dicitur esse *multa benignitatis.* ¶ *Benignitatem*] *Misericordiam, clementiam.*

19. *Conversus*] ישוב *convertetur*, sc. *ab ira sua.* Aut *revertetur & miserebitur*, i. iterum miserebitur. Quale est *addam & miserebor*, pro *ampliùs* aut *denuo miserebor.* Similis per omnia locus est Hos. 2. 9. *Ideo revertar & recipiam frumentum meum.* Hinc Magistri mutuarunt adverbium שוב, quod valet *denuo, iterum.* Priorem sensum illustrat locus ille Jon. 3. 9. *Quis scit si convertatur, & pœniteat ipsum?* & alius Zach. 1. 3. *convertimini ad me, & convertar ad vos.* ¶ *Subiget iniquitates nostras*] Propriè *hostes subigimus.* Indè transfertur ad *Iniquitates* homini infestissimas. Sic Ben-zoma, *Quis fortis?* inquit, *Qui subigit cupiditates suas: aliàs animum suum*, i. iram. ¶ *Projicies*] Æternâ oblivione delebis memoriam peccatorum nostrorum. Nam quæ mari immersa sunt, eorum non est ampliùs apud nos memoria.

20. *Veritatem*] i. Fidem; sicut è diverso *fides* pro *veritate* ponitur. Adi Observ. l. 1. c. 9. Aut constantiam in servandis promissis. תתן potest esse infinit. paragogicum, ut לתת *ad dandum* ¶ *Jacobo*] Jacobæis, Israelitis. ¶. *Benignitatem*] i. Promissiones factas Abrahamo. Dicuntur autem *benignitas*, quia ex mera Dei benignitate manant. Potest legi *veritatem Jacobi*, & *benignitatem Abrahami*, i. factam Abrahamo, sive quam promisisti Abrahamo: ut, *Benignitates Davidis fideles*, i. Davidi factas. ¶ Porrò autem innuit fore ut restituantur in terram promissam Abrahamo & posteris ipsius. ¶ *Juratus es*] *Jurasti.* Quæst. lib. 3. qu. 37. ¶ *Patribus nostris*] Abrahamo, Isahac, Jacobo. Nam illis tribus tantùm juravit, Exod. 32. 13.

IDEM.

11. חק Sym. & Th. ἐπιταγὴ καὶ πρόςαγμα] Hieron. *In die illa longè fiet lex*, *sive* præceptum & jussio: *ut Sym. & Th. interpretati sunt, dicentes* ἐπιταγὴν καὶ πρόςαγμα *Et est sensus, Nequaquam Babyloniorum imperio subjacebis.* Psal. 2. אל חק, Th. ἰσχυρῦ πρόςαγμα. Legit אל pro אל de qua lectione dixi alibi, quæ non repeto.

12. מצור. O. περιοχὴ καὶ περίφραγμα καὶ πολιορκία] Hieron. *Ubi Lxx interpretati sunt* de Tyro, *sciamus in Ebraico scriptum esse* מצור: *quod verbum, si in præpositionem* מן *& nomen* צור *dividatur*, de Tyro *intelligitur: sin autem unus sermo sit*, munitionem *sonat. Denique omnes* περιοχὴν καὶ περίφραγμα καὶ πολιορκίαν, *non* de Tyro, *ut Lxx, sed* munitionem & ambitum muratæ urbis *transtulerunt.* Lex. V. Περιοχὴ πόλεως ἢ τόπυ, *circuitus, periocha.* Exponitur etiam πολιορκία. Psal. 31. 21. בעיר מצור, ἐν πόλει περιοχῆς, i. *obsessa*: ut 4 Reg. 24. 10. ἦλθεν ἡ πόλις ἐν περιοχῇ vel *munita.* Nam περιοχὴ *munitio.* Ità Hieron. Abd. 1. Περίφραγμα putarem esse Symmachi, qui Psal. 31. 21. בעיר מצור interpretatur ὡς ἐν πόλει περιπεφραγμένῃ, *ut in urbe vallo*, aut *septo circumdata*: ubi Hieron. *in urbe munita.* Nam περίφραγμα *septum quo aliquid circumdatur.*

18. לעד. Sym. *in sempiternum* †. Th. *in finem* *. Quinta, εἰς μαρτύριον †] Hieron. *Pro* ultrà *Sym. transtulit* in sempiternum, *Th.* in finem, *Lxx & Quinta ed.* εἰς μαρτύριον, *i.* in testimonium: *pro quo positum est in Ebræo* לעד: *& tam* ultrà *quàm* sempiternum *&* testimonium *intelligi potest.* † εἰς τὸν αἰῶνα. In ed. Rom. εἰς μαρτύριον] Οἱ λοιποὶ, ἐισαεί. * εἰς τέλος. † Εἰς μαρτύριον, לעד: error lectionis.

IDEM in VULG.

1. *Sicut qui colligit in autumno*] Planè vertendum, *sicut collectiones æstatis.* Porrò *æstatis*, id est, fructuum æstivorum. ¶ *Racemos vindemiæ*] Emenda, *sicut racemi vindemia.* Græcè ἕως ἐπιφυλλίδες.

2. *Omnes*] *Omnes ipsi* legitur in Ebræo: & *sanguinibus*; non *in sanguine.* Jonathan posuit interpretans pro eo, *ad effundendum sanguinem innoxium.* ¶ *Vir fratrem suum*] Id est, alter alterum. ¶ *Ad mortem venatur*] *Venantur reti* alius vertit ex Ebræo: potest etiam verti, *ad interneciomem.*

3. *Malum manuum suarum*] Hoc vult, Pro malo quod in manibus, ut illud bonum faciat, princeps petit munus. ¶ *Judex in reddendo*] *Judex pro retributione* legitur in Ebræo, & est sermo mancus supplendus verbo *judicat*, ut hoc dicat, judex judicat pro mercede. *Locutus est*] Id est, DIBBER, nunc est DOBER *loquitur.* ¶ *Desiderium animæ suæ*] Libet suspicari AVATH pro HAVATH: quod postremum alii reddunt ex Ebræo, *perniciem animæ suæ.* ¶ *Et conturbaverunt eam*] Alius, *corroborant eam*: ad verbum, *condensant.*

4. *Qui optimus in eis est*] Benè explicat, *bonus eorum.* ¶ *Quasi paliurus*] Malim, *sicut Lycium* aut *lycio similis*, & est genus spinæ, quæ Græcè πυξάκανθα dicitur. ¶ *Quasi spina de sepe*] In Ebræo, *rectus quàm sepes.* Subintelligitur autem asperior aut tale quid. ¶ *Speculationis tuæ*] Ut nunc legitur, vertendum, *speculatorum tuorum.* ¶ *Vastitas eorum*] Malim, *perplexitas eorum.* Santes, *desolatio eorum.*

5. *Amico*] Aut, socio: ad verbum, *in amicum.* ¶ *Ab ea quæ dormit*] Id est, ab uxore. ¶ *Claustra oris tui*] Meliùs, *ostia oris tui.*

6. *Consurget*] Rectiùs, *Consurgit.* Nam sic est in Ebræo: & præcedit, *contumeliam facit.* Quare vix dubito, quin interpres ità scripserit. ¶ *Et inimici*] Copula non legitur in Codice Ebræo. ¶ *Hominis*] Ad verbum, *viri. Vir* pro *homo* notius est quàm ut probari debeat. ¶ *Domestici ejus*] Ad verbum, *viri domûs ejus.*

7. *Aspiciam*] alii, *speculabor*, & rectiùs. ¶ *Deum salvatorem meum*] Ad verbum, *Deum salutis meæ.*

8. *Super me*] Vel, *de me.* ¶ *Consurgam cùm sedero*] Interpunge, *quia cecidi, consurgam. Cùm sedero in tenebris.*

9. *Donec caussam meam judicet*] In Ebræo legimus, *donec litigaverit litem meam.* ¶ *Justitiam ejus*] Ebr. *in justitia ejus.*

10. *Et operietur confusione*] *Et operiet eam confusio*, habet Codex Ebræus. *Confusio*, id est, pudor, dedecus, ignominia. ¶ *Videbunt in eam*] Quæ opto, scilicet.

11. *Ut ædificentur*] In Ebræo legitur ad verbum, *ad ædificandum.* Dies ad ædificandum, id est, ædificationi destinatus vel ædificandis maceriis. ¶ *Lex*] statutum.

12. *In die illa*] Malim, *dies illa.* ¶ *Assur*] *Ab Assur* legitur in Ebræo: &, *civitates munitas*, non *usque civitates munitas.* Sed est cur hic intelligi possit *usque*, ex sequentibus. ¶ *Usque ad flumen*] intelligit *Euphratem*: quemadmodum Jonathan reddidit. ¶ *Ad mare de mari*] Jonathan, *mare occidentale.* Non capio rationem hujus interpretationis. ¶ *Ad montem de monte*] Voces *ad* & *de* desiderantur in Ebræo. Itaque alii referunt, *& ad Har montem.* Est enim vocabulum æquivocum HAR. Nam & montem significat, & est nomen montis, qui sic appellatur.

13. *Et propter*] Copula abest à Codice Ebræo. ¶ *Cogitationum eorum*] Vel, *operum eorum.* idque verius videtur.

14. *In virga tua*] Virga tua pastorali vel pedo tuo. ¶ *Gregem*] Vel, *oves.* ¶ *In saltu*] Vel, *in silva.* ¶ *Carmeli*] *Carmelus* formâ nominis Latinâ ex *Charmel*, quod olim *Chermel* sonabant. ¶ *Juxta dies antiquos*] Ad verbum, *juxta dies seculi*, id est, sicut olim.

16. *Super omni fortitudine sua*] Puto vertendum, *pudore afficientur ab omni potentia sua.* ¶ *Ponent manum super os*] Signum silentii.

17. *Sicut serpens*] Ità legendum ex Ebræo, non ut aliis quibusdam exemplaribus legitur, *sicut serpentes.* ¶ *Proturbabuntur de ædibus suis*] Puto rectius esse, *commovebuntur è claustris suis.* ¶ *Desiderabunt*] Emenda, *ad Dominum Deum nostrum trepidabunt*, id est, trepidi confugient. *Et timebunt te*] In Ebræo *à te.*

18. *Qui aufers iniquitatem*] Vel, *qui condonas*: ad verbum, *qui tollis.* ¶ *Et transis peccatum*] Idem repetit aliis verbis. Ebræus dicit, *super scelus.* ¶ *Hæreditatis suæ*] Mutatum pronomen propter ea, quæ antecedunt, cùm in Ebræo sit, *tollens iniquitatem & pertransiens scelus residuo hæreditatis suæ: suæ*, inquam, non *tuæ.* ¶ *Non immittet*] *Non tenebit* sive *apprehendet* reperitur in Ebræo.

19. *Et miserebitur*] In Ebræo est sine copula, *miserebitur.* ¶ *Deponet*] Vel potiùs, *subiget, domabit.* ¶ *Peccata nostra*] *Eorum* legitur in Ebræo, non *nostra.*

20. *Jacob*] Id est, Jacobo: & mox, *Abrahæ* sive Abrahamo.

EJUSD. LECTIONES.

VÆ *mihi*] אללי accentum habet in א: at Jobi 10. accentus est in ל. Idem valet atque אי væ, heu, autore Kimchi. Deplorat enim se contemptum fuisse à populo & monitiones suas contumeliosè rejectas atque repudiatas.

כאספי קיץ] Ea intelligit, quæ in æstate post demessas fruges colliguntur. Vel per קיץ intelligemus fructus æstivos ut alibi. Assimilat se fructibus æstivis, qui quòd nullius sunt pretii & æstimationis, relinquuntur pauperibus colligendi. Ut enim summa est in his fructibus vilitas, ità sui erat apud Israëlitas summa contemptio & despicatio. Quúmque ipse sibi quæreret botrum & præcocem uvam, nequicquam potuit invenire. Vel hæc dicuntur in persona populi, qui conqueratur pios & probos viros nullos ampliùs superesse, sed tantùm remanere reliquias quasdam probitatis & virtutis, & eas quidem perquam viles & abjectas. Est qui ad terram referat in persona prophetæ. בכורה *præcocem* seu *primorem* notat *fructum*.

אין אשכול] *Non est botrus*, i. bonus aliquis & sapiens, per quem discendi desiderium possem explere.

3. על הרע] *De malo* quærunt, satagunt, ac sollicitè student malum quod in manibus habent pejus reddere, augere & amplificare. להיטיב idem quod לחזק הרע intendit & auget rem de qua dicitur: Ut Latinis *bene malus* est valde malus, *bene nummatus*, pecuniosus. Sic 1 Sam. 10 כי ייטב אל אבי את הרעה עליך. Sic Jonæ 4. ההיטב חרה לך. Rab. Marinos accipit ל in להיטיב pro תחת vice, pro ut in illo Geneseos ותהי להם הלבנה לאבן pro lapide. Sed ego non video hic commodum sensum. Potiùs hoc modo, Quod ad malum attinet, princeps sibi manus optat, ut possit illud confirmare & adaptare. כפים *manus* pro muneribus quæ manibus offeruntur. Quòd si quis porrigat, extendat manus & unà porrigat donum & munus, pro eo judex libenter judicia eludit.

אל תבטחו] Nè fidatis principi, nè fidite ducibus, tribunis. Japheth intelligit de גדול magnate. At Ezra mavult ad maritum referre, qui dicitur אלוף נעורים dux juventutis puellæ. Verùm hunc dixisset vates תבטחות in genere fœm. nisi constituas Enallagen.

9. אראה בצדקתו] *Videbo optata de justitia ipsius*. Per *Dei justitiam* intelligunt gratiam, quam Deus confert fidelibus, quæ gratuita est & ex mera Dei benignitate promanans. *Justitiam* pro beneficentia & liberalitate posuit Terent. in Heaut. *Mi Chreme peccavi fateor, vincor. Nunc hoc te obsecro, quantò est tuus animus natu grandior, ignoscentior, ut meæ stultitiæ in justitia tua sit aliquid præsidii.* Psal. 48. ait David *dextram Dei plenam esse justitiâ*, i. beneficentiâ, largâ Dei benedictione. Aben-Ez. ità resolvit, *videbo quòd justus & æquus sit Dominus:* Vel, *videbo justitiam ejus quâ usus est in vindicanda injuria mihi ab hostibus illata.*

GROTIUS.

1. **V**Æ *mihi, quia factus sum sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ*] Id est, restantes post vindemiam diligentem, qui perpauci esse solent. Describit hic Propheta, quæ piis aliquis jure dicturus sit regnante Manasse, quo tempore viri boni vix futuri erant

——— *totidem quot*
Thebarum portæ, vel divitis ostia Nili.

¶ *Non est hortus ad comedendum*] Scripsit Hieronymus, ut ex Commentariis apparet, *non est botrus ad comedendum*, Græcam vocem usurpans, quia Latinis non est una quæ ei respondeat: est enim βότρυς uvarum cohærentia à racemo dependens. ¶ *Præcoquas ficus desideravit anima mea*] Rem hanc quoque raram, Osee 9. 10. subauditur *quasi*.

2. *Periit sanctus de terra*] חסיד *beneficus*, unde Ἀσιδαῖοι [*Asidæi*.] nemo est bonus, id est, vix quisquam, ut Rom. 3. 10. ὑπερβολαὶ [*Superjectiones*] vehementer quod volunt exprimunt. ¶ *Omnes in sanguine insidiantur*] *Ad sanguinem usque.* ¶ *Vir fratrem suum*] Id est, popularem. ¶ *Ad mortem venatur*] In Hebræo; *venatur sagenâ.*

3. *Malum manuum suarum dicunt bonum: Princeps postulat, & Judex in reddendo est*] Non malè hanc partem connectas cum prioribus: *Ad malefaciendum manu utràque venatur* (ut præcessit,) *ad benefaciendum Princeps* (aliquid) *postulat, & Judex* (supple judicat) *retributionis causâ.* Chaldæus pro להיטיב [*ad benefaciendum*,] legit לא היטיב, *non facit bene*, quisquam scilicet. *Et magnus locutus est desiderium animæ suæ*] *Si magnus aliquis eloquatur pravitatem animi sui.* הוה *pravitas:* Psalmo 5. 10. & 38. 12. & 57. 2. ¶ *Et conturbaverunt eam*] Alii, minores scilicet, *contortuplicant idipsum* quod ille voluit. Testes tres sunt, quasi tria fila contorta, quæ rumpi nequeunt.

4. *Qui optimus in eis est quasi paliurus*] Quicquid attigerit, retinens. ¶ *Quasi spina de sepe*] Pungens undique. ¶ *Dies speculationis tuæ*] *Speculationum tuarum:* id est, tempus à Prophetis prædictum. Prophetæ enim vocantur *speculatores* Ezech. 3. 17. & 33. 2, 6, 7. ¶ *Visitatio tua venit*] Qua Deus vos exploraturus est gravissimis tentamentis, an constantes sitis in pietate. ¶ *Nunc erit vastitas eorum*] Nempe *Prophetarum.* Omnes interficientur aut fugient.

5. *Nolite credere amico*] Ubi Reges pietatem pœnis atrocissimis persequuntur, nusquam tunc fides tuta est. Vide Matth. 10. 35. Lucæ 12. 53. *Quibus deerat inimicus, per amicos oppressi*, ait Tacitus. ¶ *Et nolite confidere in duce*] *Nolite fidere capiti familiæ vestræ*, τῷ ἄρχοντι τοῦ οἴκου [*Principi domûs*,] quomodo אלוף explicatur Jobi 22. 14. Ad illos perfugium habere solebant qui ejusdem erant familiæ. Lxx etiam φίλον [*amicum*] verterunt Proverbiorum 16. 28. & 17. 9. *Ab ea quæ dormit in sinu tuo*] Descriptio uxoris, Deuteron. 13. 6. & 28. 54, 56. Lucretius:

——— *in gremium qui sæpe tuum se*
Rejicit, æterno devictus vulnere amoris.

¶ *Custodi claustra oris tui*] Cave quicquam arcani ei credas. Ovidius:

Imminet exitio vir conjugis, illa mariti.

6. *Quia filius contumeliam facit patri*] Patrem vilipendit. Idem est quod dicit Hesiodus:

Αἶψα δὲ γηράσκοντας ἀτιμάσουσι τοκῆας.
[*Mox etiam spernent seros ætate parentes.*]

¶ *Nurus adversùs socrum suam*] Vide dicta loca Matthæi, & Lucæ. Ovidius:

——— *non hospes ab hospite tutus,*
Non socer à genero.

¶ *Et inimici hominis domestici ejus*] *Etiam domestici.* Ovidius:

Fratrum quoque gratia rara est.

7. *Ego autem ad Dominum adspiciam*] Durant adhuc verba pii alicujus victuri illis temporibus.

8. *Nè læteris, inimica mea, super me*] Novus planè est sermo, in quo Judæa gens deportata loquens inducitur. *Inimica est gens Chaldæa.* ¶ *Consurgam cùm sedero in tenebris*] *Ubi sedero* (diu) *in tenebris:* id est, in miseria. ¶ *Dominus lux mea est*] *Erit* causa meæ prosperitatis.

9. *Iram Domini portabo*] Pœnam à Deo inflictam patienter feram. ¶ *Quoniam peccavi ei*] *In eum:* per idololatriam, injustitiam, immisericordiam. ¶ *Donec causam judicet, & faciat judicium meum*] *Donec causam meam cognoscat, & injurias meas vindicaverit*, nempe adversùs Babylonios, qui me irrident atque proculcant, ideo quòd in tantis malis posita uni Deo servire perseverem. ¶ *Educet me in lucem*] In res bonas. ¶ *Videbo justitiam ejus*] *Bonitatem*, quæ sæpe צדקה Hebræis.

10. *Et adspiciet inimica mea*] Gens Chaldæa, ut diximus. ¶ *Quæ dicit ad me*] *Quæ dixit ad me*, cùm captivam me teneret. ¶ *Ubi est Dominus Deus tuus?*] Id est, Adsit nunc ut te liberet. Simile vide Matth. 27. 43. & ibi dicta. ¶ *Oculi mei videbunt in eam*] *Adspicient gentem Chaldæam* sub jugo Persarum. *Nunc erit in conculcationem ut lutum platearum*] Teretur pedibus victoris. Vide simile Psalmo 60. 10. Esaiæ 26. 6.

11. *Dies ut ædificentur maceriæ tuæ*] Id est, Longum erit tempus antequam ruinæ tuæ (id est, urbium tuarum) reparentur. Vertit verba ad gentem Chaldæam ¶ *In die illa*] Conculcationis tuæ, de qua agi cœpit. ¶ *Longe fiet lex*] Longè à te aberit potestas edicta mittendi ad gentes. Par sensus apud Nahumum de Assyriis, 2. 13.

12. *In die illa & usque ad te veniet de Assur*] Ab Assyri ad

ad te Cyrus veniet. Vide suprà 5. 6. *Et usque ad civitates munitas*] Babylonem, Borsippa, & alias urbes firmissimas. ¶ *Et à civitatibus munitis usque ad flumen*] *Flumen* cùm simpliciter ponitur est Euphrates. Sensus est: Cyrus totum Euphratem sui juris faciet,

Euphrates ibit jam mollior undis.

¶ *Et ad mare de mari*] A mari Persico, in quod Euphrates illabitur, vectiet ad mare Syriacum. ¶ *Et ad montem de monte*] A Tauro monte ad Carmelum Syriæ.

13. *Et terra*] Chaldaïca. ¶ *Erit in desolationem propter habitatores suos*] *Cum habitatoribus suis.* Terra erit fine cultu, & homines fine terris. Est σύλληψις [*Comprehensio.*] nam verbum illud propriè terræ, minùs propriè hominibus congruit. ¶ *Et propter fructum cogitationum eorum*] In Hebræo est: *& propter fructum operum eorum*, id est, propter opera quæ pridem ediderunt, cædes, rapinas, impietatem.

14. *Pasce populum tuum, in virga tua, gregem hereditatis tuæ*] Redit ad preces populi deportati, & per *virgam* pedum pastorale intelligit: exigit enim id comparatio cum pecore. id pedum, curam Dei peculiarem pro populo suo significat. ¶ *Habitantes solos in saltu, in medio Carmeli*] *Habitet* (populus ille) qui *solitarius in silvis* fuerat *in medio arvorum. Arva* omnia Hebræi כרמל vocant: præter quod eximiè id nomen adhæsit monti in Syria, & loco in Judæa, ubi habitaverat Nabal. ¶ *Pascentur Basan & Galaad juxta dies antiquos*] Post arva venit ad pascua: & ait, *pascant in Basan*, &c.

15. *Secundùm dies egressionis tuæ de terra Ægypti ostendam ei mirabilia*] Sunt hæc, ut multa apud Prophetas, ἀμοιϐαῖα [*alternatim dicta.*] Hic enim Deus ad populi preces respondens inducitur. Mira, inquit, in Chaldæos designabo, qualia olim in Ægyptios, cùm de Ægypto exiretis.

16. *Videbunt gentes, & confundentur super omni fortitudine sua*] *Pudore afficientur gentes* (sociæ Chaldæorum) *ob* ità subitò *omne robur suum* destructum. ¶ *Ponent manum super os*] Digito compescent labellum. ¶ *Aures eorum surdæ erunt*] *Obsurdescent.* Adeò erunt consternati ut quæ dicentur non exaudiant.

17. *Lingent pulverem sicut serpentes, velut reptilia terræ*] Hîc iterum loquuntur Judæi. *Lingent pulverem*, id est, in terram concident præ metu. De re vide Matth. 17. 6. de locutione Psalm. 72. 9. Esaiæ 49. 23. ¶ *Perturbabuntur in ædibus suis*] *Commovebuntur è claustris suis*: id est, cogentur exire de locis munitis, & ea Persis tradere. ¶ *Dominum Deum nostrum formidabunt, & timebunt te*] Nempe cùm intelligent hæc à Prophetis prædicta, & à Judæis semper credita.

18. *Qui aufers iniquitatem*] Id est, pœnam, ab iis scilicet qui se convertunt, aufers tempore à te constituto. ¶ *Et transis peccatum*] In Hebræo, *Transis super peccatum.* Id est, Græcè, ὑπερϐαίνων ἀσεϐείας. Similitudo à viatore sumta, qui quæ introspicere non vult, præterit. ¶ *Reliquiarum hereditatis tuæ*] Id est, populi tui. Bene dixit *reliquiarum*, ut Virgilius:

Relliquias Danaûm atque immitis Achilli.

¶ *Non immittet ultrà furorem suum*] In Hebræo, *non retinuit in perpetuum furorem suum*: id est, non ostendit se implacabilem. ¶ *Quoniam volens misericordiam est*] *Amat enim bene facere.* Ità hîc Chaldæus. Id ei proprium est ac naturale; pœna & supplicia ei extorquentur:

Et quoties sævus cogitur esse, dolet.

19. *Revertetur & miserebitur nostri*] Id est, *iterum nostri miserebitur*, ut olim sæpe. Hebraïsmus notus. ¶ *Deponet iniquitates nostras*] In Hebræo est, *subjiciet*, sive *sub pedibus ponet*: ut ea quæ adspicere nolumus. ¶ *Et projiciet in profundum maris omnia peccata nostra*] In Hebræo: *eorum*, id est, singulorum de populo. *In mare projici* dicuntur & Græcis & Latinis ea quorum nulla cura habetur. Horatius:

——— *tristitiam & metus*
Tradam protervis in mare Creticum
Portare ventis.

20. *Dabis veritatem Jacob*] *Veritas* hîc & alibi sæpe est fides in præstandis promissis. Præstabis Jacobi posteris quod Jacobo promisisti, Geneseos 35. 12. ¶ *Misericordiam Abraham*] Id est, bonitatem tuam ostendes erga Abrahami sobolem. Solent enim posteri vocari nomine majorum; quomodo & Zorobabel *David* dicitur. ¶ *Quæ jurasti*] Rectè verti potest, *quam jurasti.* ¶ *Patribus nostris à diebus antiquis*] *Jam olim. Patribus*, id est, Abrahamo ipsi, Geneseos 12. 2. & 15. 7. & 17. 7. & sequentibus: Isaaco, Gen. 26. 24. Jacobo, Genes. 28. 13. In hac bonitate promissa & hoc comprehenditur, Ut nunquam intereat illorum Patrum progenies, & ut quoties se universam ad Deum convertat, restituatur in veterem possessionem, Deuteron. 30. 1, 2, 3, 4. Hoc est privilegium uni isto populo propter Patres datum; τὰ δῶρα ἀμεταμέλητα [*dona quorum non pœnitet.*]

ANNOTATA
AD
NAHUMUM.

CAP. I.

MUNSTERUS.

EX Scriptura haberi non potest quo tempore & sub quo Rege Nahum prophetaverit. Autor verò libri Sedar Olam scribit: *Joelem, Nahum & Habakuk prophetasse in diebus Menasse impiissimi Regis: atque ob id quod Rex totus impius fuit, Prophetam obticuisse nomen ejus.* Jonathan quoque autor Chaldaicæ editionis scribit Nahum fuisse post Jonam prophetam, in hunc modum exordiens Chaldæo sermone Prophetam istum, *Onus calicis maledictionis ad potandum Ninevitas, contra quos prioribus seculis prophetavit Jona Propheta de Gath-Haphar; & conversi sunt à peccatis suis. Et cùm denuo peccare adjecissent, prophetavit contra eos Nahum de domo Kosi, quemadmodum scriptum est in hoc libro.* Denunciatur igitur per hunc Prophetam subversio urbis Ninevitica atque totius Regni Assyriorum; Quæ facta putatur à Nebuchadnæsar Rege Chaldæorum, anno primo imperii sui.

1. ONUS NINEVE] Per *onus* intelligitur apud Prophetas prophetia dura, & quæ Dei gravem ultionem habet annexam.

2. *Æmulator & ulciscens*] Jonathan vertit *judex & vindex.* Est autem קנוא propriè *qui irritatus ferre non potest injurias & contumelias sibi & suis illatas.* Sic Deus zelat pro sui nominis honore atque pro fidelibus suis, qui injustè ab impiis opprimuntur. Quod si ad tempus dissimulat, & non illico furorem suum effundit in impios, tamen non tacebit usque in finem, sed reservat ultionem, & cùm sibi placuerit punit sceleratos pro suis demeritis, compensátque tarditatem gravitate supplicii, *nec nocentem faciendo faciet innocentem*, ut Hebraismus habet.

3. *Dominus, in turbine via ejus*] i. Judicium Dei est tam horrendum ut nulla creata potentia illud avertere possit, quippe qui *nubibus veluti pulvere pedum* horrendas excitare potest tempestates in terra. Hinc enim grandines, tonitura, fulmina & imbres oriuntur, quibus Deus omnia terrena prosternere ad solum potest: ut taceam *mare, flumina, montes, colles & valles* in potestate sua esse, &c.

6. *Furor ejus conflatus*] Est hic נתכה passivum Kal. Et licèt ignis, qui pro similitudine usurpatur, non *confletur*, tamen ira Dei conflatur & expandit se in impios. Thargum verò habet מתך in activa significatione.

7. *Bonus est Dominus*] Sicut impiis est severus, ità piis est clemens, protegítque eos *in die tribulationis*, nè absorbeantur.

8. *Per diluvium superveniens*] Sicut diluvium uno impetu submergit omnia, ità Dominus uno bellico apparatu delebit locum Nineve, & extremâ tribulatione, quæ hic per *tenebras* significatur, persequetur habitatores ejus.

10. *Quoniam usque ad spinas, &c.*] Aliâ similitudine eandem exprimit sententiam. *Spinæ* enim *perplexæ*, quæ manibus tolli nequeunt, igne incendi solent, & in universum comburuntur; sic Dominus vice unâ Ninevitas delevit.

11. *Ex te egressus est.*] Hic est Sanherib, vel alius similis in impietate, qui Deum cœli blasphemavit, & suis cultoribus mala inferre instituit.

12. *Si fuerint integri*] Hebræi post Thargum Jonathan hunc locum sic expounnt, *Si Ninevitæ fuerint unanimes*, sive *pacifici*, ut Hebraismus habet, *& si fuerint in maximo numero, in hunc quoque modum simul delebuntur, & nihil proderit eis animus ille concors; Rex autem fugâ transibit: ut etiam si vos Jehudæos voluissem affligere, jam nollem vos affligere per hunc exercitum, quem Angelus meus quasi acutâ falce unâ nocte demetet.*

14. *Præcipiet super te Dominus* [Referuntur hæc verba ad Regem Assyriorum, cujus filii, cùm essent parricidæ, non reliquerunt nomen in Regno Assur: & licèt unus è filiis patri successerit, cùm tamen paulò pòst Regnum illud interierit, prosapia quoque illa Sanheribica deleta est. ¶ *Ponam in sepulcrum*] Sub. *templum deorum tuorum, in quo tu occideris, ponam sepulcrum tuum.*

15. *Ecce super montes, &c.*] Interfecto tyranno & summo Jehudæorum hoste, gaudium magnum nunciatum est per orbem omnibus illis quibus Rex Assyriorum infestus fuerat.

VATABLUS.

1. PROPHETIA משא] Hæc vox propriè sig. *onus*: at in Prophetis ut plurimùm significat *Prophetiam onerosam*, h. e. quâ denunciantur futura mala & infelicia quæque. ¶ NINEVEH נינוה] i. Eorum quæ acciderunt urbi Nineve. Hæc erat urbs metropolis Regni Assyriorum, per quam intelligitur Imperium ipsum. Ninivitis pœnitentiam agentibus ad prædicationem Jonæ non intulit Dominus pœnam interminatam; sed quia postea reversi sunt ad vomitum, tandem destruxit urbem ipsam ac totum Imperium Assyriorum per Nabuchodonosor Regem Chaldæorum. Quónam autem tempore floruerit Propheta iste, nulla fit mentio in S. Scriptura: at in Chronico Hebræorum scribitur, *Joelem, Nahum & Habacuc prophetasse sub Manasse Rege Juda; sed hujus nullam hic fieri mentionem propter improbitatem ipsius.* Asserúntque Doctores Hebræorum ipsum Nabuchodonosor anno primo destruxisse Imperium Assyriorum, anno verò secundo abduxisse captivum Joacim Regem Juda. ¶ LIBER VISIONIS ספר חזון] LIBER PROPHETIÆ. Prooemium libri duplicem habens inscriptionem, in quo declaratur nomen autoris. ¶ ELCOSÆI האלקשי] Nomen deductum ab urbe in qua natus erat, vel certè à familia.

2. *Zelotes* קנוא] *Zelotypus.* Commendat Deum ab amore: q. d. Singulari amore prosequitur Israelem, h. e. suos electos; & ultionem sumere solet de reprobis. ¶ *Et habens iram* ובעל חמה] Ad verb. *& dominus iræ*, i. irà & indignatione præditus. Hæc repetitio facit ad majorem expressionem magnitudinis ultionis Divinæ, & ad terrendum improbos: Mox seipsum declarat. ¶ *Et iram reservans* ונוטר הוא] Hebraismus, Postquam diu exspectavit illos ad pœnitentiam, tandem eos punit.

4. *Longanimis* ארך אפים] Ad verb. *longus iris*, i. tardus ad iram. ¶ *Et magnus potentiâ* וגדול כח] *Et magnus virtute*, i. qui more hominum non ducitur irà impotente, sed eam quamdiu vult cohibere potest. ¶ *Et tamen mundando*, &c. ונקה לא ינקה] *Et absolvendo non absolvet.* Vel per præsens, *absolvit*, sub. *impios.* Metaphora ab iis qui in judicio absolvuntur: q. d. Omnino non parcet impiis, sed tandem puniet. Sic Exo. 34.7. *Auferens iniquitatem & prævaricationem & peccatum, & mundando non mundabit*, sub. *prævaricatorem ab iniquitate, sed puniet. Auferre iniquitatem & non mundare*, contraria. Etiamsi non statim puniat impium, non tamen absolvit, sed tandem de eo sumit pœnas. ¶ *Jehovæ in tempestate*, &c. יהוה בסופה וגו'] Sed *in turbine ac tempestate* est *via illius.* Ad verb. *Dominus, in turbine & tempestate via ejus*: relativum cum antecedente redundante. *Via* pro *ratione & modo agendi.* In puniendo, inquit, hâc ratione utitur Dominus, Siquando constituit sumere ultionem de aliquo, venit, & aggreditur illum cum summo impetu ac vehementia & celeritate, interdum etiam cum multitudine maxima. His ostendit ultionem Domini esse formidabilem ac terrificam. ¶ *Et nubes*, &c. וענן אבק רגליו] *Et instar nubis* est *pulvis pedum ejus*, i. quem excitat pedibus suis, ut facere solet exercitus magnus.

4. *Desolatus est* אמלל] Præt. Heb. pro præs. *infirmatur: infirmus*

firmus ac debilis redditur, h. e. infœcundus ac infertilis præ penuaria imbrium ac pluviæ. ¶ *Et flos*, &c. [ופרח וגו'] Sing. Heb. pro plur. & præt. pro præſ. *floréſque Libani infirmantur*, præ ſiccitate ſcilicet.

5. *Tremuerunt ab eo* [רעשו ממנו] Præterita Heb. pro præſ. ut quidam vertunt, *tremunt ab eo*, i. ſolo verbo ejus: q. d. Autor eſt terræmotuum. ¶ *Diſſolverunt ſe* [התמגגו] *Diſſolvuntur: colliqueſcunt.* ¶ *Exuſtáque eſt* [ותשא] *Flagrátque: ardet: exuritur*, i. videtur flagrare præ nimia ſiccitate & æſtu: vel, autor eſt omnium incendiorum quæ fiunt in terra: quemadmodum accidit Sodomæ & Gomorrhæ.

6. *Effuſa eſt ſicut ignis* [נתכה כאש] *Effunditur tanquam ignis*, i. tanquam res liquefacta ab igne. Alii hoc ordine legunt, *ira ejus*, quæ eſt *velut ignis* è cœlo expreſſus, *effunditur*, ſub. *ſuper hoſtes ejus*: ut intelligatur de fulgetris.

7. *Bonus* [טוב] *Benignus. Mitis. Clemens. Manſuetus.* ¶ *Fortitudo* [למעוז] i. Solet ferre opem & auxilium, ſuppeditátque vires & robor.

8. *Verùm in inundatione tranſeunte* [ובשטף עובר] *Verùm cum inundatione tranſeunte*, i. admodum impetuoſa: h e. aquæ ſummo impetu decurrentis. Per *inundationem* quæ ſecum trahit magnam vim aquarum, quæque obvia proſternens, evertens, proterens ac perdens, & cui omnia cedunt, intelligit exercitum maximum. ¶ *Conſummationem faciet* [כלה יעשה] Hebraiſmus, omnino ac funditus evertet ac perdet urbem Ninive, adeò ut nulla ferè ipſius reſtent veſtigia. ¶ *Et inimicos ipſius*, &c. [ואיביו ירדף חשך] *Efficiétque ut inimicos ſuos perſequantur tenebræ*: i. extremis malis afficiet cives Ninives. Nam per *inundationem*, *conſummationem* & *tenebras* Scriptura intelligit extrema mala.

9. *Facit* [עושה] Præſ. Heb. pro fut. *facturus eſt*, ſub. *de vobis*: i. decrevit vos penitus perdere. ¶ *Non conſurget*, &c. [לא תקום וגו'] Hebraiſmus, non afficiet vos variis aut iteratis afflictionibus: nam primâ afflictione perdet vos. Gallicè dicimus, *Il n'y retournera pas pour la deuxime fois.*

10. *Quia* venient *uſque ad ſpinas*, &c. [כי עד סירים וגו'] Ordo hic inverſus Hebræis, quem noſter Interpres convertit, ut dilucidior eſſet ſenſus. Eſt autem Hebraiſmus, quem quidam ſic vertunt, *Similes enim erunt ſpinis in faſciculum colligatis*, & *ebriis cùm inebriati ſunt*. Aſſyrii, inquit, *ſimiles erunt ſpinis colligatis*, quæ facilè alio tranſportari poſſunt & in ignem conjici; alioqui pungere ſolent ac lædere, & vix teneri poſſunt; *ſimiles item ebriis*, qui ſuâ ſponte & nemine impellente concidunt; nam prorſus deſtituentur viribus. ¶ *Ariditate plena* [יבש מלא] *Sicca & matura*. Ad verb. *plena*, h. e. plenæ ac perfectæ maturitatis, i. quæ pervenit ad maturitatem, ideo facilè concipit ignem.

11. *Egreſſus eſt* [יצא] Præt. Heb. pro. fut. *egredietur*: q. d. meritò hæc patieris, ô Ninive, quia *ex te egredietur* nempe Sennacherib, ut ſcribitur 2 Reg. 19. & in Eſa. 36. ¶ *Contra Jehovam malum* [על יהוה רעה] i. Contra Iſraelem populum Domini. Etiam contra Dominum cogitavit malum in principio quando dixit, 2 Reg. 18. 35. *Quinam ſunt in univerſis diis terrarum qui eruerunt regionem ſuam de manu mea, ut poſſit Dominus eruere Jeruſalem de manu mea?* Chald. *Ex te, Nineve, egreſſus eſt Rex qui cogitavit contra populum Domini mala: cogitavit cogitationem impietatis.*

12. Etiam *ſi pacifici*, &c. [אם שלמים וגו'] Hebræi poſt Chaldæum P. ſic locum iſtum exponunt, *Etiamſi Ninivitæ hoſtes tui fuerint unanimes, & ſummâ pace fruantur, & ità fuerint in magno numero (nam in pace multiplicatur genus hominum, bello minui ſolet) attamen peribunt & occidentur.* Jubet Dominus Iſraelitas bono eſſe animò etiamſi multos habeant inimicos. ¶ *Ac præteribit* [ועבר] Nempe univerſus exercitus eorum ac fortitudo. Unde 2 Reg. 19. 35. *Nocte illâ egreſſus eſt Angelus Domini, & percuſſit in caſtris Aſſur 185 millia.*

13. *Jugum ejus à te*, &c. [מטהו מעליך וגו'] Ad verb. *jugum ejus de ſuper te, & vincula tua*, &c. Relativa interdum ſignificant perſonam agentem, ut, *Jugum ejus*, tibi ab eo impoſitum: interdum perſonam patientem, ut, *Vincula tua*, quibus ligaris. Per *jugum* & *vincula* intelligit ſervitutem impoſitam populo Iſraelitico ab Aſſyriis Alludit autem ad vincula illa quibus alligatur jugum cornibus boum.

14. *Præcipiet autem de te Jehova* [וצוה עליך יהוה] *Mandabit* [*Mandatum dabit*] *de te Jehovah.* Alloquitur Regem Aſſyriorum: q d Suſcitabit Dominus contra te filios tuos qui interficient te in templo Dei tui, & mox à cæde ipſa aufugient in Armeniam: hinc fiet ut nullus ſuccedat tibi in Regnum Aſſyriorum. ¶ *Non remanebit ſemen nominis tui* [לא יזרע משמך] Ad verb. *non ſeminabitur de nomine tuo.* ¶ *Succidere faciam*, &c. [אכרית פסל וגו'] Sing. Heb. pro plur. *excidam ſculptilia & conflatilia*: nam quia cæderis in templo, propterea profanabitur templum illud, & ità nullum poſtea illic colent idolum. ¶ *Deſpectus fuiſti* [קלות] *Vilis factus es: contemptus: contemptibilis*: q. d. Sicut contempſiſti me cùm dixiſti me non poſſe liberare populum meum è manu tua, ità reddam te contemptum.

15. *Evangelizantis* [מבשר] *Annunciantis.* Montes qui ſunt in Judæa, vel quibus cingitur Jeruſalem, intelligit. Jam, inquit, propè adeſt qui annunciet pacem in Judæa. ¶ *Annunciantis* [משמיע] Ad verb. *audire facientis*, i. promulgantis. ¶ *Vota tua* [נדריך] Sub. *Deo*: ob cædem inimici. ¶ *Non addet ultrà ut tranſeat per te* [לא יוסיף עוד לעבור בך] Hebraiſmus, *Poſthac non tranſibit per te*, ſub. *ut vaſtet te.* ¶ *Impius* [בליעל] Aſſyriorum Regem intelligit. Alii reddunt per plurale, *impii*, i. Aſſyrii omnes perierunt. Totum enim Imperium tranſlatum eſt ad Chaldæos.

CASTALIO.

3. Cujus pedum pulvis ſit nubes] *Pulvis*, i. Solum.

7. *Sibi confidentes novit*] Curat ac tuetur.

8. *Tollet ejus locum funditus*] Ninivæ. ¶ *Perſequetur tenebris hoſtes*] Calamitatibus.

9. *Sic internecionem facturus eſt ut non iteretur anguſtia*] Semel Niniven funditus evertet.

12. *Te*] Judæam. ¶ *Illo graſſante*] Chaldæo.

14. *Ac mandante Jovâ de te, non ſeminabitur tuo nomine ampliùs*] Chaldæum alloquitur.

CLARIUS.

Ex Scriptura haberi non poteſt quo tempore & ſub quo Rege Naum prophetaverit: Sunt tamen qui dicant, *Joelem, Naum & Abacuc prophetaſſe in diebus Manaſſe impiiſſimi Regis, atque ob id quòd Rex totus impius fuit, Prophetam obticuiſſe nomen ejus.* Et aiunt Naum fuiſſe poſt Jonam. Denunciatur igitur per hunc Prophetam ſubverſio urbis Niniviticæ atque totius Regni Aſſyriorum: Quæ facta putatur à Nabuchodonoſor Rege Chaldæorum anno primo imperii ſui. ONUS NINIVE] Per *onus* intelligitur apud Prophetas Prophetia dura, & quæ Dei gravem ultionem habet annexam.

3. *Dominus patiens*] h. e. Lentus ad vindictam. ¶ *Et magnus fortitudine*] In compeſcenda ira ſua. ¶ *Et nocentem non faciet innocentem*] h. e. Sic tamen compeſcit iram ut nihil relinquat impunitum. *In tempeſtate*] q. d. *Quis illi reſiſtere poterit, cùm in tempeſtate & turbine*, &c. ¶ *Et nebula pulvis pedum ejus*] h. e. Dum ambulat per locum aliquem, tanto incedit impetu ut pulvis pedibus ejus excitatus denſiſſimam æquare poſſit nubem.

7. *Bonus Dominus*] Sicut impiis eſt ſeverus, ità piis eſt clemens, protegítque eos *in die afflictionis*, nè *abſorbeantur*.

8. *Inundatio tranſiens*] Scilicet per locum hoſtium ſuorum. ¶ *Conſummationem faciet loci ejus*] Nempe Ninive.

9. *Non conſurget duplex tribulatio*] i. Sic ſemel vos perdet ut ſecundò non ſit opus.

10. *Sicut ſpinæ*] Veniet, inquit, ad vos, *tanquam ad ſpinas ſeſe complectentes*, quæ meliùs tolli non poſſent quàm ſi immittatur ignis in eas.

11. *Cogitans contra Dominum*] i. Qui ſibi perſuadebit Dominum non poſſe tueri ſuos. Hic fuit Sennacherib, vel alius ei ſimilis in impietate.

12. *Si perfecti fuerint*] Optimè ſcilicet inſtructi: i. Etiamſi omnia illis proſpera videantur, ut de multitudine militum confidant, quantò tamen plures erunt, tantò peribunt plures. ¶ *Et pertranſibit*] Potentia peribit. ¶ *Afflixi te*] Loquitur ad populum ſuum. Etiamſi vos, inquit, Judæos affligere voluiſſem, jam nollem vos affligere per hunc exercitum, quem Angelus meus quaſi acutâ falce unâ nocte demetet.

14. *Præcipiet ſuper te Dominus*] Referuntur hæc verba ad Regem Aſſyriorum, cujus filii, cùm eſſent parricidæ, non reliquerunt nomen in Regno Aſſur: & licèt unus è filiis patri ſucceſſerit, cùm tamen paulò poſt Regnum illud interierit, proſapia quoque illa Sennacheribica deleta eſt. ¶ *Conflatile ponam ſepulcrum tuum*] Nam occiſus fuit in templo Dei ſui. ¶ *Quia inhonoratus eſt*] h. e. Quod accidit maximè ingloriis & inhonoris.

15. *Ecce ſuper montes*] Interfecto tyranno & ſummo Judæorum hoſte, gaudium magnum nunciatum eſt per orbem omnibus

nibus illis quibus Rex Assyriorum infestus fuerat. Interim tamen signatur liberatio futura per Christum.

L. BRUGENSIS.

12. *Si perfecti* [*perfecti* o.] *fuerunt*, *& ità plures*, *sic quoque attondentur* [*attendetur* o. *attondetur* o. *tendetur* 1 MS.] *& pertransibit* [*transibit* o.] Quidam postremum verbum *pertransibit*, ut prioribus esset conforme, in *pertransibunt* mutavere: nam *pertransibunt* habent 8 Hentenii & 6 nostri codices, cùm Richelio expositore. Cæterùm longè plura nostra & emaculatiora exemplaria, Brug. Leod. Lob. O. E. L. P. &c. *pertransibit*, quod Hebraicè est, ferant, adstipulantibus Tractatoribus Carensi, Autore Glossæ, Ruperto, Haymone, sive Altisiodorensi (nam idem utrique adscribitur commentarius) & B. Hieronymo. *Et pertransibit*, inquit B. Hieronymus, *Assur*, *vel esse desistet*, *sive vastato exercitu suo revertetur ad patriam*, *te sospitem derelinquens*: quod alii ferè secuti sunt. Chaldæus Paraphrasi suæ accommodè, singularem numerum plurali commutavit.

DRUSIUS.

PArtes hujus libri duæ, Inscriptio, & Prophetia. Inscriptio duplex est; prior, PROPHETIA NINIVES: altera, LIBER VISONIS NAHUM ELCOSÆI. In hac continetur patria vel genus Prophetæ.

1. PROPHETIA NINIVES] i. De Ninive. Genus loquendi ut *ἀκοὴ τῦ Ἰησῦ*, quod reddunt *fama de Jesu*. Sic infrà שמעך *ἀκοήν σȣ*, i. *rumorem de te*. Potest etiam exponi *contra Niniven*: nam continet Prophetiam de excidio Ninives. Sic Abd. 10. quod in Ebræo & in nonnullis cod. Græcis *δι᾽ ἀσέβειαν ἀδελφῦ σȣ*, in aliis est *δι᾽ ἀσέβειαν κατ᾽ ἀδελφῦ σȣ*. Hoc loco quæritur ab Interpretibus à quo & quando eversa fuerit Ninive: Quod hactenus controversum fuit non tam rei obscuritate quàm incuriâ Interpretum. Nos primùm dicemus quis eam everterit, deinde agemus de anno quo eversa fuit. Ninum eversam scribunt alii à Cyaxare, ut Eusebius & Herodotus; alii à Nabuchodonosore, ut Hieronymus & Ebræi ad unum omnes. Utrumque verum est: Nam hi duo Reges conjunctis viribus Ninum simul obsederunt, ceperunt & deleverunt. Quæris unde hoc habeam? Ex historia sacra Tobiæ. *Sacram* voco, non quòd Canonica sit (loquor de Canone Ebræorum) sed quia ex eo genere librorum Apocryphorum est quos Ecclesia vetus recepit, & *Ecclesiasticos* vocat. In ea igitur historia sic habetur c. 14. 15. *Καὶ ἤκȣσε πρὶν ἢ ἀποθανεῖν αὐτὸν τὴν ἀπώλειαν Νινευὴ, ἣν ᾐχμαλώτισε* Ναβυχοδονόσορ *καὶ* Ἀσύηρος. Ecce ait *abductam Nineven à Nebuchodonosoro & Asuero*. Nihil verius. *Assuerus* enim iste est quem Eusebius & alii *Cyaxarem* vocant. Cu enim in lingua Persica *Dynastam* vel *Principem* significat; AXARES autem sive OXUARES, i. *Asuerus*. Nam qui Ebræis *Ahasuerus*, à Græcis dicitur *Axuares* sive *Oxuares*, & aliquando *Axares*, vel *Oxares*, unde *Artoxares*, compositum ex *Arta* & *Oxares*. *Cyaxares* ergò Persicè scriberetur קאחשורש. Tolle syllabam Cu, quam diximus *dynastam* significare, manet אחשורש, i. ASUERUS. Cùm otium suppetet, videbimus an *Asuerus* hic idem sit cum *Asuero* Danielis, patre Darii Medi. Videamus nunc quo anno excisa fuerit Ninive. Annum excidii Eusebius conjicit in vigesimum secundum Cyaxaris: rectè sanè. Nam deleta fuit, ut Ebræi tradunt, anno primo Nebuchodonosori magni. In Chronico Ebraico quod *Seder Olam Rabba* vocant, בשנה ראשונה כבש נבוכדנצר את נינוה, *Anno primo subegit Nabuchodonosor Niniven*. Non dicit *delevit Ninivon*: sed tamen deletam eo anno fuisse constat ex Chronico Eusebii. Ex eodem liquet hunc annum Cyaxaris incidere in annum primum Nabuchodonosori, qui quartus erat Joacim Regis Judæorum, ut ex Jer. 25. 1. discimus. Non ausim dicere Interpretem Eusebii Hieronymum hæc latuisse: tamen Procemio in Jonam ità scribit, *Et revera quantum ad historias tam Ebræas quàm Græcas pertinet*, *& maximè Herodotum*, *legimus Niniven regnante apud Ebræos Josia*, *& Astyage Rege Medorum*, *fuisse subversam*. Sed verum est quod dixi, ex eóque facile cuivis Hieronymum confutare, præsertim cùm in hunc Prophetam scribens fateatur Niniven dirutam fuisse à Chaldæis sub eorum Rege Nabuchodonosoro. PROPHETIA hoc in loco משא dicitur. Eadem vox *onus* significat. Ergò Hier. vertit *Onus Ninives*. Nam Prophetia *oneris* vocabulo afficitur, ut ait idem quem modò nominavi Hieronymus, *propterea quòd eum adversus quem videtur premat*, *nec sinat elevare cervicem*. Idem alibi sic scribit, *MASSA nunquam præfertur in titulo nisi cùm grave & ponderis laborisque plenum est quod videtur*. Potest ità esse: tamen *tollere Prophetiam* dicebant ut *tollere proverbium*, *tollere naniam*, *tollere canticum*. Exemplum habes 2 Reg. 9. 25. *sustulit contra eum prophetiam istam*, i. נשא עליו את המשא הזה, q. d. protulit contra eum hoc Vaticinium. Opinor igitur Prophetiam משא dictam esse, vel quòd Prophetæ eam ad populum efferrent, vel quòd sermone vulgi celebraretur, omnésque eam in ore haberent. Quæ dico, iis robur accedit ex testimonio Jeremiæ. Nam cùm quidam odiosas facerent prædictiones Prophetarum ex ambiguo vocabuli MASSA, cùm eas appellarent *onus DOMINI*, Jeremias 23. 36. ità eos refellit ut dicat משא non *onus* tantùm significare, sed *prolatum* sive *verbum*, ac si diceret, *Si verbum cujusque MASSA vocatur*, *multò justius appellari ità potest verbum DOMINI* sive *Prophetia*. *Quare non debetis hoc nomine odium aut invidiam ei conciliare*. Hunc locum ità enarrat doctissimus Ebræorum R. David. Scio ab aliis aliter enarrari. Nos diligentiùs examinabimus ubi eò perventum erit. *Ninive* caput erat Regni Assyriorum, hîc autem pro toto Regno usurpatur; siquidem unà cum Ninive deletum fuit Imperium illud. ¶ *VISIONIS NAHUM*] Ejus quod vidit Nahum. De ætate hujus Prophetæ nihil proditum exstat in Sacris literis. Funccius in Chronologia sua scribit eum floruisse tempore Jothami Regis Juda. Quod scribens nihil à Josepho dissidet, qui addit inter Prophetiam ipsius, quæ ad nos pervenit, & excidium Ninives intercessisse annos xv supra centum: Quod tempus incidit in ætatem Josiæ, sub quo Ninum eversam fuisse nonnulli opinantur. Sed de hâc re aliter sentiendum. Nam eversa fuit non sub Josia, sed regnante in Judæa Joacimo, h. e. anno primo Nebuchodonosori, ut Ebræi tradunt. Hi Nahumi ætatem referunt ad Principatum Manasse. Sic enim certè legimus in Chronico ipsorum parvo, quod vocant *Seder Olam Zuta*, *Post Ezeciam regnavit Manasses*. *Fuitque magnus Sacerdos Hosaias*, *Propheta verò Joel*, *Nahum & Habaccuc*. Ego ut facilè concesserim eum vixisse sub illo Rege, ità crediderim Prophetiam hanc longè antè conscriptam ab eo fuisse. Cur ità credam, autores mihi Interpretes, qui magno consensu primum caput enarrant de clade Sennacheribi, quam in Judæa accepit xiv anno Regis Ezeciæ. Credibile igitur eum præcessisse illud tempus. Jam verò & illud probabile, quod Hier. scribit Procemio in hunc Prophetam, *Michæam sequitur Nahum*, *qui interpretatur* Consolator. *Jam enim x tribus ab Assyriis deductæ fuerant in captivitatem sub Ezecia Rege Juda*; *sub quo etiam nunc in consolationem populi transmigrati adversum Niniven visio cernitur*. *Nec erat parva consolatio tam his qui jam Assyriis serviebant*, *quàm reliquis qui sub Ezecia in tribu Juda & Benjamin ab iisdem hostibus obsidebantur*, *ut audirent Assyrios quoque à Chaldæis esse capiendos*, *sicut in consequentibus hujus libri demonstrabitur*. Hactenus Hier. Quæ si vera sunt, non potest esse obscurum tempus hujus Vaticinii. Nam x tribus deportatæ fuerunt nono anno Ezeciæ, Judæa verò devastata fuit per exercitum Sennacheribi xiv ejusdem regis. Intra quod tempus necesse est ut Nahum ediderit hoc Vaticinium, si credimus Hieronymo. Et cur non credemus? cùm certiora hac de re nemo adhuc, quod sciam, attulerit. ¶ *ELCOSÆI*] Estne familiæ nomen an patriæ? Equidem potiùs nomen patriæ esse putarim, Hieronymo accedens, qui scribit *usque hodie in Galilæa viculum esse*, *parvum quidem*, inquit, *& vix ruinis veterum ædificiorum indicantem vestigia*, *sed tamen notum Judæis*, *& mihi quoque à circumducente monstratum*. Priùs apud Eusebium legebatur, *ELCES*, *de quo loco & Nahum fuit*. *Nam appellatur Elcesæus*. Ità veteres legebant hoc nomen. Critici Ebræorum maluerunt *Elcos* & *Elcosæus*. Thargum hîc in mendo cubat: nam in editis à Roberto Stephano מבירת קש׳. Sed ex Jario legendum מבירת אלקש. Quæ quin germana lectio sit non est ullo modo dubitandum. Etsi autem ambiguè dicatur *è domo Elcos*, & de genere intelligi possit, superiora tamen juvant Jarium modò nominatum, qui *Elcos* de sententia Jonathæ ait hoc nomine civitatem fuisse, unde Propheta dictus sit *Elcosæus*.

2. Hucusque Inscriptio. Sequitur deinceps Prophetia, tribus capitibus comprehensa: In quorum primo Propheta prædicit cladem exercitûs Assyriorum & cædem Sannacheribi; in reliquis duobus vaticinatur de excidio urbis Ninives. Quæ omnia variis circumstantiis exornat, inserens sparsim quæ faciunt ad consolationem piorum, quibus Assyrii multa & gravissima mala intulerant. Exordium autem sumit à natura Dei, cujus potentiam describit à vi quâ pollet in res creatas & ipsa elementa. *Deus*] Appositè usus est hoc loco nomine אל, cùm in animo habeat Deum laudare à *Potentia*. אל enim valet *δυνατὸς*

καὶ ἰσχυρός. Quod exprimere qui voluerunt, verterunt *Deus fortis.* ¶ *Æmulator*] קנוא *Æmulator*, aut, si placet Græco vocabulo uti, *Zelotes.* Quidam *Zelotypus:* quod displicuit propterea quòd tantùm in vitio ponitur. Alibi est קנא eodem significatu. Deus autem *Zelotes* dicitur duabus de causis. Una est, quia non fert in cultu suo rivalem, h. e. Deum alium præter se. Altera causa est, quoniam ægerrimè fert si quis populum suum, quem unicè amat, indignè habeat & injuriâ afficiat. Quo sensu hic accipitur: Sed & Joel. 2. cùm ait, *Dominus zelat pro terra sua:* q. d. animo æstuat ex indignatione de iis concepta quæ indignè facta sunt adversus terram suam & populum in ea commorantem. ¶ *Ultor*] Non solùm indignè fert injurias suis illatas, sed etiam severè ulciscitur eas. Unde אל נקמות *Deus ultionum* vocatur Psal. 94. 1. ¶ *Vehementer excandescens*] In eos scilicet qui malè tractant sibi charos & amicos. בעל חמה ad verb. *Dominus excandescentiæ.* Significat autem *eum qui excandescentiâ graviore commoveatur*; sicut בעל כנף dicitur *qui pennis valeat*, & בעל קרנים *cui magna sint cornua.* ¶ *Servat hostibus suis*] Vel *servans est hostium suorum. Servare* quandoque antiqui sine ulla adjectione dicebant cùm *iram* subintelligerent, aut *memoriam injuriarum*, aut aliquid tale. *Servantem* quoque aut *servatorem* absolutè vocabant qui animum iratum diu retinet, nec memoriam injuriarum citò aut facilè deponit. Psal. 103. 9. *non in seculum servat.* Idem Jer. 3. 5, & 12. Alibi est *retinere iram* eodem sensu; ut Mich. 7. 18. לא החזיק לעד אפו *non retinet in perpetuum iram suam.* Bene *hostibus.* Nam non retinet memoriam criminum quæ sui commiserint, sed tantùm quæ hostes perpetraverint. Aut *servat* quidem, sed non *in perpetuum.* Ità conciliabis hunc locum cum iis quos ex Davide & Jeremia suprà produximus. Cæterùm placet magis prior conciliatio. Nam *in perpetuum* usurpant & pro *in longum tempus.* Deus autem *in longum tempus servat hostibus:* tardè enim eos punit: hanc tamen tarditatem pœnæ gravitate compensat, juxta illud Valerii Maximi, *Lento quidem gradu ad vindictam sui Divina procedit ira, sed tarditatem supplicii gravitate compensat.*

3. *Longanimis*] Μακρόθυμος. Tardè punit eos qui deliquerunt. Hoc eò facit ut habeant spatium resipiscendi. ארך אפים propriè *longus naribus*; sive *longas nares habens.* אפים enim sunt *nares.* Significat autem *lenitatem*, quam Græci μακροθυμίαν vocant, quia qui præditi sunt tardè irascuntur. Contrà קצר אפים dicitur qui citò levique de causa irascitur. Aut אפים in hac phrasi potiùs *iras* designat; ut *longus irarum* dicatur qui patiens est, & injurias fert æquanimiter, nec facilè commovetur. *Longum* enim ponunt & pro *tardo.* ¶ *Magnus*] גדל כח ad verb. *magnus roboris.* Sic Virgilius dixit *dives opem*, & Sallustius *vacuus frugum.* Rursus Virgilius,

Quæ regio in terris nostri non plena laboris?

Sed hæc vetera esse notat Quintilianus, & suo tempore per ablativum dicta. Subest autem his verbis hæc sententia, Quanquam posset improbos perdere, si vellet, uno momento (quippe maximo robore præditus est) tamen differt pœnam, idque ea potissimùm de causa, ut habeant spatium, si fortè se vitámque emendare velint. ¶ *Robore*] Aut *virtute.* Nam *virtus* etiam appellatur robur corporis. Et licèt Deus non habeat corpus, tamen ei *robur* tribuitur, propterea quòd ea faciat quæ sunt propriè robustorum & à viribus valentium. ¶ *Et omnino non absolvet*] Græcè meliùs, καὶ ἀθῷον οὐκ ἀθῳώσει. נקה enim est *absolvere tanquam innocentem.* Dixit modò Deum *patientem* esse sive *tardum ad iram.* Hoc animum addere posset perditis hominibus. Itaque subjicit, *Non penitus absolvet*; q. d. non sinet scelera omnino impunita. Sic quis peccaverit, id ei impune non erit: luet pœnas factis dignas suo tempore. ¶ *DOMINI in turbine tempestatéque via est*] Mens horum verborum, *Pœna Divina turbinis ac tempestatis instar opprimet Assyrios*, h. e. repentè, inopinatò ac improvisò. Prov. 10. 25. *Quemadmodum transit turbo, ità non est improbus.* Vult dicere, *turbine celeriùs transit*, aut *tam citò quàm turbo transit.* Sic alibi in eodem libro, *Exitium vestrum tanquam turbo veniet.* Sirach. 26. 21. via Dei vocatur *procella quam nemo hominum perspicit.* Vide Job. 40. 1. *Deus Jobum è turbine alloquutur* מן סערה. ¶ *Nubes pulvis pedum ejus*] q. d. *Incedit per nubes*, h. e. celerrimè agit quæ agit. Nam veloces nubes. Ergò Jes. 60. 8. *advolant ut nubes*, i. velociter. Rursus Jes. 19. 1. *Ecce Dominus vectus nube levi.*

4. *Increpat mare*, &c.] Dei potentiam describit à vi quâ pollet in res creatas, ut sunt Mare, Flumina, Pascua, Arva, Loca arboribus consita, item Montes, Colles, Terra tum inculta tum culta, cum omnibus inhabitantibus eam. Subest autem vis argumenti à majori. Si potest elementa mutare cùm vult, quomodo non poterit Regnum Assyriorum, cùm volet, evertere? Hoc enim multò facilius est quàm contra naturam *maræ* aut *flumina siccare.* Porrò ut hic *increpat mare:* sic Luc. 8. 24. *increpavit ventum & tempestatem.* Nam sub imperio habet omnes res creatas; ideóque vocatur *DOMINUS Sabaoth*, i. *copiarum* aut *exercituum.* Increpat ergò ut Dominus servum, aut Imperator militem sibi subditum. ¶ *Exsiccat illud*] Hoc accidit mari Rubro cùm Israelitæ siccis pedibus illud pertransirent. Ps. 106. 9. *Et increpavit mare Rubrum, & exsiccatum est.* Vide Exod. 14. 22. יבשהו autem dixit pro ייבשהו: nam est futurum in Piel. Sic Abd. 11. legitur ידו *projecerunt* pro יידו futuro ejusdem conjugationis, à ידה, ut quidam volunt. ¶ *Omnia flumina arefacit*] Cùm vult potest ea exsiccare; tanta est potentia ipsius. Pro exemplo est Jordanis fluvius, quem Israelitæ siccis pedibus trajecerunt, ut patet ex historia Josuæ. ¶ *Elanguit*] Præ siccitate. Rectè dictum est *elanguit.* Nam Ebræi *vires* terræ appellant ipsos fructus quos profert. *Languere* igitur intelliges cùm humore destituta non potest vim suam exercere, h. e. solites fructus edere. Sic Joel. 1. 10. *elanguit oleum:* & 12. *ficus elanguit.* Hoc Ebraicè est אמלל: quod alii convertunt *infirmatus est.* ¶ *Basan*] Ità vocant quemvis locum fertilem & pascuum. Nam Basan regio erat pascuis læta. Unde Amos 4. 1. *vaccæ Basan*, i. pingues, αἱ βόες εὔτροφοι & Psal. 22. 12. *tauri Basan*, corpore obeso & succi pleno. ¶ *Carmelus*] Appellativè interdum *arva* significat. *Libanus* autem mons erat arboribus consitus. Ergò tantam potest siccitatem importare cùm vult, ut & pascua & arva & loca arboribus consita penitus exarescant. ¶ *Flos Libani*] Arborum Libani; aut flores qui in Libano proveniunt. *Elanguit Basan, & flos Libani elanguit*, dictum ut,

Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa.

Hoc genus tropi vel schematis Grammatici *Epanalepsin* vocant.

5. *Concutiuntur*] Vel *commoventur.* Legitur & *contremiscunt.* Si *contremiscunt*, sign. eos metu Divinæ potentiæ contremiscere. Si *commoventur*, sign. Divinitus accidere quòd terræ motus sint. Deus enim est qui terram quatit & motus illos excitat. ¶ *Et valles*, &c.] Quasi præ metu propter tonitrua & fulgura. Psal. 46. 6. *edit vocem suam, dissolvitur terra.* Rursus 97. 4, & 5. *Illuminant fulgura ejus orbem; videt, & impendio dolet terra. Montes sicut cera dissolvuntur à conspectu Domini, à conspectu Domini totius terræ.* ¶ *Dissolvuntur*] Vel *liquefiunt.* Mich. 1. 4. *liquefiunt montes sub eo.* Amos 9. 13. *omnes colles liquefient.* Quidam exponunt *liquefiunt*, i. subsidunt, solo æquantur, ut Hab. 3. 6. *depressi sunt colles seculi.* Sic infrà 2. 6. *palatium dissolutum est*, solo æquatum. Prior expositio verior, meo judicio. ¶ *Attollit se*] Vel *attollitur.* Sic Græci ἀνεςάλη ἡ γῆ: quod reddunt *contracta est terra*; malè: reddi debet *elevata est:* Nam נשא est *elevare.* Idem ἀναςέλλω significat. Ad hæc terra non *contrahitur* in terræ motu, sed *elevatur.* Ex Scholiis Ebraicis legitur apud Interpretes nuperos, *conflagrat terra.* Si rectè, erit sensus, *Deus, si vellet, posset Orbem universum cum habitatoribus incendio perdere*, sic olim Sodomitas perdidit igne cœlitus demissò. Aut *conflagrat*, cùm in magna siccitate & nimiis ardoribus terra ejusque habitatores aduruntur. Sic variant in eodem verbo 2 Sam. 5. 21. nam quod ab aliis *& combussit ea David*, ab aliis redditur *& abstulit ea David.* ¶ *Terra*] Inculta, inhabitata, ¶ *Orbis*] Οἰκουμένη. Aut *terra* tam culta quàm inculta, ut speciem generi subjiciat, more apud Ebræos protrito.

6. *Ante indignationem ejus quis consistat?*] Ea est vis indignationis ipsius ut nemo possit ante eam *consistere*, h. e. in statu suo permanere. Sic dico, Cui Deus succenset, non potest non cadere, h. e. in calamitates varias incidere. ¶ *Quis stet in furore iræ ipsius?*] Idem aliis verbis. Licet etiam vertere, *Quis resistat excandentiæ iræ ipsius?*] Quod Græcè dicas τίς ἀντιςήσεται θυμῷ ὀργῆς αὐτοῦ; Deo irato nemo valet resistere, cùm sit tam potens ut etiam elementa mutet pro lubitu. *Furorem* voco qui à Græcis autoribus θυμὸς, Ebræis autem חרון dicitur. Quòd si displicet hoc vocabulum, per me licet ut legas *in excandescentia iræ ipsius.* Sensus est, *quoties ira excandescit & supra modum irascitur.* Vetus Int. *in ira furoris ejus.* Græci quoque ἐν ὀργῇ θυμοῦ αὐτοῦ. His אף est *furor*, & חרון *ira* Minùs probo. ¶ *Excandescentia ejus*] Aut ignem fulmineum intelligit; aut *excandescentia fundi* dicitur, quia ut ignis metalla, sic obvia quæque fundit ac dissolvit. Hâc figurà

rà loquendi qui utuntur, dicunt *pallidam mortem*, propterea quòd pallidos homines faciat. Aut ſimilitudo refertur non ad verbum *funditur*, ſed ad nomen חמתו. Excandeſcentia enim Igni ſimilis eſt, propterea *ignis* vocabulo afficitur, ut ibi,

Collectùmque premens volvit ſub naribus ignem.

Hinc aliqua loquendi genera fluxere. Nam & *accendendi* verbum, quod in Igne proprium, etiam in Ira dicitur, Jer. 44. 6. & *exſtinguendi* ab iis rebus quæ ignem concipiunt ad Iram transfertur, Jer. 7. 20. item 2 Par. 34. 21, & 25. ¶ *Funditur*] Tranſlatum à Metallis an ab Aqua? Nam Aqua quoque funditur, Exod. 9. 33. *pluvia non eſt fuſa ſuper terram*, לֹא נתך. 2 Sam. 21. 10. *donec funderetur aqua ſuper terram*, עד נתך מים. Job. 3. 24. *fuſi ſunt ſicut aqua rugitus mei*, ויתכו. Ergò *funditur* non malè interpretatur ab aliis *effunditur*, ut Jer. 7. 20. *Excandeſcentia mea fuſa eſt in locum iſtum ſuper hominem * & accendetur, nec exſtinguetur.* Vide & Jer. 44. 6. ¶ *Et petræ deſtruuntur ab eo*] *Ab eo* dixit pro *ab excandeſcentia ejus*; ut Jer. 4. *omnes urbes deſtructæ ſunt à DOMINO, ab excandeſcentia iræ ejus.* Porrò autem igne lapides deſtruuntur, & in fruſta diſſiliunt. Quod etiam de fulgure dici poteſt.

7. Accommodat nunc quæ dixit de Potentia Dei ad propoſitum, h. e. ad Aſſyrios. Ac primùm quidem poſt generalem propoſitionem de excidio Ninives, prædicit cladem quam Aſſyrii acceperunt in Judæa, &, quæ eam ſecuta eſt, cædem Sennacheribi Regis. Nam hæc quaſi præludia fuerunt exitii eorum. Deinde porrò deſcribit adventum hoſtium in Aſſyriam; ac prædicit fore ut Ninive ab iis obſideatur, capiatur & exſcindatur. Quâ everſâ unà Imperium Aſſyriorum deletum fuit & ad Chaldæos tranſlatum. Quia verò Sennacherib multis graviſſimíſque malis affecerat Judæos, ac proinde ejus mors gratiſſima illis accidit, utpote argumentum præbens amoris Divini erga ſuos, ideo dicit, *Bonus Dominus*, &c.] Quanquam formidabilis malis, *bonus* tamen bonis eſt, h. e. mitis ac benignus erga eos. ¶ *Robur eſt in die adverſitatis*] Robur animi ac fortitudinem conciliat bonis tempore adverſo. Explicationem hujus habes in Pheſutha fol. 38. col. 1. לְמָעוֹז *in robur*. Lamed redundat in hoc ſermone. Sic dico *in robur eſſe* valet *robur eſſe alicui*. Aut lege *robori eſt:* quod ità dicitur ab Ebræis ut *auxilio & ſolatio eſſe* dicunt Latini. ¶ *Novit ſperantes in ſe*] In queis Ezecias. Vide 2 Reg. 18. 5. & 2 Par. 32. 8. *Noſſe* autem hìc eſt amare, tueri, probare, curæ habere; q. d. Non ſinet eos perire. Nam quos perire ſinit, eos *non noſſe* dicitur. Ex quo illud, *Non novi vos.* Aut *novit* quatenus immergi eos calamitatum undis conveniat, & quando tempeſtivum indè eos eripere. חוסי בו genus conſtructionis quale Pſ. 5. 11. כל חוסי בך *omnes ſperantes in te:* eſſet חוסים בך. Ejuſdem formæ ſunt הרי בגלבע *montes Gelboe* pro הרים 2 Sam. 1. גמולי מחלב *ablactati lacte* Jeſ. 28. 9. Ex quibus exemplis perſpicuum eſt præpoſitiones non ſemper impedire conſtructionem ſive formam regiminis, ut vocant.

8. *Qui*, &c.] Par pari. Quod aliis fecit, id ipſi nunc accidet. Nam ut exercitu ſuo pervaſit Judæam & alias terras, ſic pervadent ditionem ejus Medi & Chaldæi: Cujus Metropolin Niniven ità delebunt ut nè locum quidem ejus quiſquam agniturus ſit. Hoc ſignificat cùm ait, *conſummationem faciet loci ejus.* ¶ *Diluvio*, &c.] Aut *inundatione tranſeunte. Inundatio* eſt aut pluviæ aut maris ac fluminum. Utraque ſi præter naturam fuerit, gentium hoſtilium adventum portendit. *Aquæ* enim *multæ* populi multi ſint. Quin autores ſunt qui tradant pluiſſe olim in Ægypto paulò ante Perſarum in eam adventum. Hoc accidit contra conſuetudinem: nam in ea regione nunquam pluit. Significabat ergò illa pluvia, cùm inſolita eſſet, inundationem hoſtium quæ paulò pòſt conſecuta eſt. Sic Propheta hoc in loco haud obſcurè innuit Medos & Aſſyrios, qui ſuperatis finibus Aſſyriam ingreſſi, eam penitus vaſtarunt & depopulati ſunt. Rectiùs *inundatione*. Nam diluvium מבול dicitur; *inundatio* autem eſt שֶׁטֶף, ut hìc בְּשֶׁטֶף *inundatione*. Alibi eſt שֶׁצֶף cum quinque punctis. Uſurpatur de Fluminibus quæ extra ripas excurrunt 2 Par. 32. 4. & de Pluvia vehementiore Ezech. 13. 11. ¶ *Prætereunte*] Vel *ripas tranſgrediente*, torrentis inſtar, vel cui nulli obices objecti, nulla obſtacula, quin liberrimè poſſit omnia pervadere. Jeſ. 8. 8. de exercitu Aſſyrio Judæam invadente, *inundabit & pertranſibit.* Eadem verba occurrunt Dan. 11. 10, & 40. ¶ *Conſummationem faciet*, &c.] Deus, inquit, penitus delebit locum in quo ſita nunc Ninive: ac ſi diceret, *Ità eam delebit ut locum ejus nemo inventurus ſit.* Notum illud, *Et locus ejus non fuit inventus ampliùs.* De quo vide ſis Proverbia mea. Plautus dixit *excidionem facere oppidis.* Ezec. 11. 13. *conſummationem tu facis* (Latinè *internecione deles*) *reliquias Iſrael:* & 20. 17. *non feci eos conſummationem in deſerto:* non penitus conſumpſi eos. Legitur & Jer. 4. 27. & 5. 18. item 30. 11. & 46. 28. Alio ſenſu occurrit Gen. 18. 21. Nam CONSUMMATIONEM FACERE ibi eſt *complere menſuram ſcelerum*, ſive *flagitia ad ſummum perducere.* Vel *internecionem.* כלה nomen eſt hoc loco, non verbum. ¶ *Loci ejus*] Τοῦ τόπου αὐτῆς, & ſubintelligitur *Ninives*, quam everterunt Aſuerus ſive Cyaxares anno Regni ſui 22, & Nabuchodonoſor Magnus, cujus annus primus incidit in illum 22 Aſueri, ut ex Euſebio patet. Rectè ergò eſt in Seder Olam majore, *Anno primo ſubegit Nabuchodonoſor Niniven.* Vide ſuprà quæ ſcripſimus ad titulum hujus Prophetiæ. ¶ *Hoſtes ſuos*, &c.] Aſſyrios. Verba hæc ambigua ſunt. Nam ſign. *fore ut tenebræ perſequantur hoſtes Dei, & ut hoſtes perſequantur ipſas tenebras.* Vulgò dicitur, *Quem Deus punire vult, ei mentem adimit.* Ergò tanquam amentes, inquit, perſequentur id quod ipſis exitium ac perniciem adferet. Sed non dubito quin prior expoſitio genuina ſit, ut locus accipiatur de tenebris calamitatum. ¶ *Perſequi faciet*] יְרַדֵּף ità interpretor ex Scholiis Ebraicis. Alii omnes, *perſequetur*, i. יִרְדֹּף.

9. *Quid cogitatis*] Apoſtrophe ad Aſſyrios. Quænam, inquit, veſtra eſt de Deo cogitatio aut opinio? an putatis non poſſe perficere quod minatur per Prophetas? aut non poſſe ſuos liberare è manu veſtra cùm velit? ¶ *De DOMINO*] אל יהוה. Poteſt legi *contra Dominum*, ut ſit אל pro עַל. Nam & aliàs ità ſumitur hæc particula; ut Mich. 4. 3. גוי אל גוי *gens in gentem.* Mens hujus lectionis, Dominus decrevit vos exſcindere. Hoc decretum irrevocabile eſt: Fruſtrà ergò ei vos opponitis. Nam *non eſt conſilium neque ſapientia contra DOMINUM.* ¶ *Facit*] Mox faciet. Talia ſunt; *Invenit navem euntem Tharſis*, mox ituram. *Ecce ego commoveo cælum & terram*, paulò pòſt commoturus ſum. ¶ *Non conſurget bis adverſitas*] Non orietur iteranda calamitas, ſed unâ vice res excidii veſtri tota conficietur. Sic dico, Semel ità excidemini ut non ſitis ampliùs excidendi.

10. *Dum adhuc ſpinæ perplexæ*] Significat fore ut ſimul omnes neci dedantur. Accidet illis, inquit, quod ſpinis perplexis & invicem implicatis, quas, cùm ſolvere non poteſt agricola, ſimul omnes in ignem conjicit. עד hìc accipio pro עוד; ut Job. 1. 16. עד זה מדבר *adhuc iſto loquente.* Sic accipitur eadem particula Pſ. 94. 13. & Jon. 4. ¶ *Cùm inebriati fuerunt*] Significat eos deletos fuiſſe cùm jam temulentiâ occupati ac vino obruti ſterterent, nec de periculo ullo cogitarent. Aut, *Cùm inebriati fuerunt* poculo iræ Divinæ. Sic Abd. 16. *Quemadmodum bibiſtis in monte meo ſacro, bibent omnes gentes jugiter: bibent, inquam, & abſorbebunt, & erunt ac ſi non fuiſſent.* כסבאם accipio ut ſit infinitivus Kal à סבא. Poſſet quidem nomen eſſe ab eodem verbo, ut Hoſ. 4. 18. סר סבאם *receſſit vinum eorum:* ſed malo ut ſit infinitivus, maximè cùm præcedat una ex literis Bachlam. ¶ *Ut ebrii*] Dictio *ut* abeſt in Ebræo. Tale eſt,

Nec excitatur claſſico miles truci:

Vult dicere *ut miles.* ¶ *Conſumpti fuerunt*] Ad verb. *comeſti fuerunt*, nempe ut ſpinas ignis comedit aut ſtipulam aridam. ¶ *Plenè*] מלא novè dixit & adverbialiter pro *penitus, omnino, planè, prorſus.* Vix puto alibi eo ſenſu exſtare. In Latio *plenè ſapiens, plenè eruditus*, i. perfectè, cumulatè. Sic *plenè arida.*

11. *Ex te egreſſus eſt*] Apoſtrophe ad ipſam Niniven. ¶ *Cogitans contra DOMINUM*] Minitans ruinam, incendium & internecionem populo DOMINI. ¶ *Conſiliarius nequam*] Sennacherib, qui per Rabſacem ſuadebat populo ut ſe dederent, quòd Deus eos liberare non poſſet. Hiſtoria refertur 2 Reg. 18. & 2 Par. 32. & Jeſ. 36.

12. *Sic dicit DOMINUS*] Nunc ſermonem convertit ad Jeroſolymam, cui in perſona Dei omnia læta & fauſta, de Aſſyriis autem contraria vaticinatur. *Et ſi in pace fuerint*] Quamvis abſque metu & ſecuri fuerint, aut pacem coluerint ac conſenſerint inter ſe. שְׁלֵמִים enim dixit pro שְׁלוּמִים. Aliàs *perfectos* denotat. אם, *ſi, etſi, licèt, quamvis.* Hoc ſenſu accipiunt nonnulli Abd. 4. אם תגביה *Quamvis extuleris.* Aut Si valet *cùm*; ut ibi, *Si erit Jobilæus*, cùm erit. *Cùm in pace*, inquit, *erunt & abſque metu, licèt multi fuerint, tamen graminis inſtar ſuccidentur.* ¶ *Et ſimiliter multi*] *Atque adeò multi.* Quantus fuerit exercitus colligere licet ex numero cæſorum, de quo Jeſ. 37. 36. ¶ *Sic tamen attonſi ſunt*] i. Succiſi ſunt, perinde videlicet ut ſolet ſuccidi gramen. Quanquam præter Gramen etiam Vellus tondetur: Sed & Pili corporis. Ex quo ſcholion Hieronymi, *Quo*

modo

modo numerus capillorum acuta forcipi non repugnat, ità & numerus adversariorum Dei facili succisione tolletur, & pertransibit Assur, vel esse desistet. Usus est consimili Metaphora Isaias 7.20. cùm ait, *Die illa radet DOMINUS novaculâ mercenariâ, iis qui sunt trans flumen, cum Rege Assyriæ, caput & pilos pedum: sed & barbam consumet.* גזז Dages in Zain indicat esse à themate גזז: alioquin & גז dicimus eodem sensu. גז autem est *tondere:* quod de Gramine usurpant interdum; unde גז *sectio graminis*, & גז המלך *fœnisecia Regis.* ¶ *Et transierunt*] ועבר *& transiit.* Vis in hoc sermone ut si diceret, *quilibet eorum transiit.* Et omnes & singuli perierunt. TRANSIRE enim est *perire.* Et *transiit* de morte dicitur ut *abiit* apud Latinos, qui & *abitionem* vocabant ipsam mortem, ut Festus ait. Ps. 37. 36. de improbo, *Transiit, & ecce non est ipse.* Jac. 1. 10. *sicut flos graminis transit*, vel *præterit.* Rursus Ps. 141. 10. *Ego donec transiero*, i. mortuus fuero. Sed aliter exponi hic locus potest, & fortè meliùs, *donec prateriero*, i. evasero eorum insidias. *Vel transibit Sennacherib, h.e. cæso exercitu domum revertetur, te sospitem relinquens.* Ità Hier. nec displicet. Vide Jes. 37. 37. ¶ *Quòd si affixi te*] *Quamvis afflixerim te* per Assyrios. Nam Assyrii præter Jerosolyma universam ferme Judæam in potestatem suam redegerant ac vastaverant. ¶ *Non affligam te ampliùs*] Per eundem Assyrium videlicet.

13. *Jugum ejus*] Jugum quo Assyrius premit cervicem tuam. מוט & מוטה dicimus, quod *jugum* interpretantur. Aliis est *lorum jugi.* Nam *jugum* על nuncupatur. Sunt qui tradant significari hoc nomine propriè *lignum oblongum jugo insertum.* Porrò מוטה dixit *jugum ejus*, ut אורהו *lux ejus.* Quippe nominibus hujus ordinis adfigitur pronomen הו interdum. ¶ *A te*] מעליך *nè sit super te*, h. e. nè premat te, aut incumbat tibi. ¶ *Vincula tua*] Quibus teneris ab eo constrictus. Notabis autem affixa hæc pronomina, quæ vocant, tam patienti quàm agenti servire. Nam *jugum ejus* dicit quod ab eo impositum, & *vincula tua* quibus tu vinciris: Sic *precatio mea* & quæ mihi habetur, & quam ego habeo.

14. *Quin præcepit de te*] Apostrophe ad Sennacheribum, cujus cædem nunc prædicit. O Rex, inquit, Deus decrevit te perdere, & memoriam nominis tui penitus abolere. Sic dico, *Hoc est decretum ejus de te, Non seretur de nomine tuo*, &c. ¶ *Non seretur de nomine tuo amplius*] Lyra exponit, *Non nascentur tibi ultrà filii.* Probarem si esset *non seretur de te ampliùs.* Nunc cùm dicat *de nomine tuo*, alius sensus quærendus est. Puto igitur hoc potiùs significari, *Non erit semen nominis tui*, h. e. memoria nominis tui prorsus obliterabitur. Vel, *Non seretur sermo de nomine tuo*, quod hactenus horribile fuit vicinis gentibus: quasi dicat, Homines non ampliùs loquentur de te ut hactenus factum est. ¶ *Dei tui*] Nisroch, sive, ut antiqui legebant, Nesrach, ex 4 Reg. 19. 37. & Jes. 37. 38. Idem *Dagon* vocatur Tob. 1. in codice Ebraico Munsteri: dubito an rectè. ¶ *Exscindam*] Per Chaldæos. ¶ *Sculptile & conflatile*] Numina tua quæ ibi adorare solitus es. ¶ *Ponam sepulcrum tuum*] Obscurè innuit eum in Templo interfectum iri. Quod eventus postea comprobavit. Occisus enim fuit in domo Dei sui, quam adoraturus intraverat. Quòd autem quidam annotant, post cædem factam dirutum fuisse Templum ac solo æquatum, ibique monumentum constructum in quo conditus fuerit Sennacherib, autoritate certum non est. ¶ *Cùm evilueris*] Postquam apud omnes in contemptum veneris. Quod accidit post acceptam cladem in Judæa. Porrò cædis tempus definitur Tob. 1. 23. *Καὶ ȣ̓ διῆλθον ἡμέραι πεντήκοντα ἕως ȣ̃ ἀπέκτειναν αὐτὸν οἱ δύο υἱοὶ αὐτοῦ.*

15. *Ecce*] Bene usus est in re subita & improvisa, inopinata. ¶ *Super montes*] Quia è montibus vox longè latèque exaudiri potest: ex quo & illud, *Vox in Rama audita*; quod exponunt, *in loco edito.* Aut intelligit montes Urbi proximos, ut significet nuncium hunc non longè abesse. ¶ *Pedes nuncii*] Potuisset dicere *nuncius* simpliciter, sed elegit *pedes nuncii*, ut advenientem significaret. Per *pedes* enim significant adventum. מבשר propriè *qui læta nunciat*, quem *εὐαγγελιζόμενον* Græci vocant, aut *εὐαγγελιστήν* itaque apud priscum interpretem legitur, *Ecce super montes pedes euangelizantis.* Sed מבשר hoc loco nominascit, ut aliàs ferè fit cùm participium absolutè ponitur. ¶ *Promulgantis*] Et *annunciantis* legitur. Parùm refert hoc an illo modo legas. ¶ *Pacem*] Prospera ac fausta. Nunciabat enim cladem Assyriorum, & cædem Regis quæ eam secuta est. Hæc læta erant & *εὐαγγέλια* Judæis. Sic dicunt, *Pax tibi*, pro eo quod est, *Prosperè tibi omnia eveniant.* ¶ *Celebra festa tua*] Quod hactenus per bellum non licuit. Legitur & *festivitates tuas:* nam utroque verbo idem significatur. In Ebræo est ut si dicas, *Feriare ferias tuas*; quæ est figura Attica, quam LXX eleganter exprimunt cùm reddunt, *ἑόρταζε τὰς ἑορτάς σȣ.* ¶ *Juda*] i. Judæa. Sic alibi, *Ephraim in desolationem erit*, terra Ephraim. Ebræi subaudiunt hic nomen עדת, ut sit עדת אפרים *congregatio Ephraitarum* ¶ *Redde vota tua*] Quæ vovisti pro salute, cùm Assyrii te vexarent & rapinis exinanirent. ¶ *Non reddet ampliùs*] Pleonasmus. ¶ *Transire*] More hostili. Joel. 3. 17. *& erit Jerusalem sanctitas, & extranei non transibunt per eam ampliùs.* Cùm dicit *sanctitas*, respexit ad locum Templi qui solis Sacerdotibus patebat, quem *Sanctum* ideo vocabant quòd ab eo profani arcerentur. ¶ *Nequam*] Sennacherib, ejúsque exercitus. ¶ *Totus excisus est*] Cæsa fuerunt ab Angelo Assyriorum 185 millia. Ipse autem Sennacherib occisus fuit à duobus filiis suis Adrammelech & Sarasar.

IDEM.

1. Ἐλκεσαίȣ] In quibusdam libris Ἀλκεσαίȣ.

2. Καὶ ἐκδικῶν Κύριος, ἐκδικῶν Κύριος] Sic Rom. Veneta & aliæ. Sola Complutensis *καὶ ἐκδικῶν Κύριος*: malé.

3. *Καὶ ἀθῷον ȣ̓κ ἀθῳώσει*] Consentiunt exemplaria quæ vidi. Neque tamen dubito quin Interpretes ediderint *ἀθῷον οὐκ ἀθῳώσει*, h. e. expositore Hier. *nequaquam eos tanquam mundos & innocentes inultos abire patietur.* Verba hæc sonant ad verbum, *innocentem declarans non declarabit innocentem.* Recepta lectio sententiam continet prorsus impiam & alienam à natura Dei. ¶ Ἐν *συντελείᾳ*] Amant בסופה ità transferre ac si esset à סוף *finis*, cùm potiùs significet *λαίλαπα*, i. *turbinem*, & בסופה *ἐν λαίλαπι in turbine.* ¶ Ἐν *σεισμῷ*] Codex Rom. & editi ad E. C. *ἐν συσσεισμῷ* habent: quam lectionem agnoscit Hier. ¶ Νεφέλη] Aldus & Rom. exemplar *νεφέλαι.*

4. Ἐξέλιπε] Ἐξέλιπον legitur in Antverpiæ impressis.

5. Ἀνεςάλη ἡ γῆ] *Sublata est terra.* Nam in terræ motu attollitur. Aliàs *contracta est.* Hoc modo Hier. quondam vertit. Est etiam qui legat *συνεςάλη*· sed in libris quos vidi *ἀνεςάλη* scriptum erat. ¶ Ἡ *οἰκȣμένη καὶ πάντες οἱ κατοικȣ̃ντες*] Ità legendum ex editis ad E. C. ubi tamen dictio *πάντες* desideratur, adjicienda ex aliis editionibus, in quibus ἡ *σύμπασα καὶ πάντες, οἱ κατοικȣ̃ντες.* Quæ sic versa leguntur apud Hier. *universitas & omnes qui habitant in ea.* Ex quo discimus lectionem hanc antiquam esse. Fortè Interpretes illi legerunt הכל pro תבל. Nam parvum discrimen inter has literas.

6. Πρὸ προσώπȣ] Cùm esset לפני in Ebræo, prætuli hanc lectionem, quæ ab editis primùm in Hispania. Nam *ἀπὸ προσώπȣ*, quod in aliis, magis sonat מפני, ut suprà *ἀνεςάλη ἡ γῆ ἀπὸ προσώπȣ αὐτȣ̃.* ¶ Ἀρχὰς] Hic manifestè legunt ראש pro כאש, h. e. Resch pro Caph, ut Amos 5. 26. Ῥεφὰν pro Κεφάν de quo tamen alii aliter sentiunt. Cæterùm כאש ὡς τὸ πῦρ.

8. Πορεύοντι] Magis probo quàm, quod in aliis, *πορείας.* ¶ Τȣ̀ς ἐπεγειρομένȣς] Lectio varians *τȣ̀ς ἐξεγειρομένȣς.* In Ebræo legitur *τοῦ τόπȣ αὐτῆς· τόπος* autem מקום dicitur. Id est nomen ab eo verbo quod in Hiphil significat *ἐξεγείρω*

9. Ποιήσεται] Ποιήσαι est in C. ¶ Ὀυκ *ἐκδικήσει*] Apparet eos legisse נקם, per Dages in Koph, à verbo נקם. Suprà נקם יהוה *ἐκδικῶν Κύριος.*

10 Ἕως θεμελίȣ αὐτȣ̃ χερσωθήσεται] C. E. *ἕως θεμελίων αὐτȣ̃ χερσωθήσονται.* In versione Hier. *Usque ad fundamenta sua redigentur in vepres.* סבך *vepretum* secundùm quosdam. *Usque ad fundamenta sua*, עד יסודם, erratum in Joth & Vau, item in Daleth & Resch. ¶ Ὡς *σμίλαξ*] Aldus & ed. Argentoratensis *ὡς ὁ μίλαξ·* non malé. Nam *σμίλαξ* dicimus & *μίλαξ* pro eodem. Latinum nomen hujus herbæ apud Hieronymum est *volvola.* Sic enim certè ad hunc locum scribit, *sicut volvola, quæ Græcè dicitur σμίλαξ.* ¶ Περιπλεκομένη] C. Περιπλεκόμενος. ¶ Ξηρασίας μεςὴ] Sic legisse videtur & Hier. dum verteret *& quasi stipula ariditate plena.* Compl. tamen exemplar *ξηρανθήσεται.*

11. Ἐναντία] Libri quidam habent *ἀντία*, ut Aldus, & qui ejus editionem expresserunt. Apud Hier. *cogitans contraria.*

12. Κατάρχων ὑδάτων πολλῶν] מושל מים רבים. Confer hæc cum Ebræo, dolebis vicem illius temporis Hier. *regnans aquis multis.* ¶ *Καὶ ἡ ἀκοή σȣ ȣ̓κ ἐνακȣσθήσεται ἔτι*] Infrà 2. 14. *Καὶ ȣ̓ μὴ ἀκȣσθῇ ἔτι τὰ ἔργα σȣ.* Hier. *auditus tuus non audietur amplius.* *ἀκοή σȣ*, i. *rumor de te:* aut *ἀκοὴ*, i. *sermo.* Sic accipitur in illo, Τίς *ἐπίςευσε τῇ ἀκοῇ ἡμῶν; sermoni nostro?* Sed quid viderunt cùm ità verterent? שמע aliquando *exaudire*, aliquando *inchoare sermonem* sign. unde משמע *sermo:*

ex quo capies illud, *Responsum molle frangit iram:* nam sensus est, *sermo mollis.*

13. Τὴν ῥάβδον αὐτῦ] Legerunt, cùm puncta abessent, משהו: nam id sonat *virgam ejus:* nunc legunt מטהו, quod interpretantur τὸν μοχλὸν αὐτῦ. ¶ Καὶ τὺς δεσμὺς] Legitur in C. Καὶ τὺς δεσμὺς σου at apud Hier. *vincula ejus*, i. αὐτῦ.

14. Ἐξ οἴκυ θεῦ σου] Quædam ed. habent ἐξ οἴκυ κυρίυ τῦ θεῦ σου. Quod se mihi valde improbat: nam Κυρίυ nomen, cui יהוה respondet, non solet tribui diis falsis. ¶ Θήσομαι ταφήν σου] Alibi est καὶ θήσομαι ταφήν σου. Sed copula abest in Ebræo. ¶ Ὅτι ταχεῖς] E. C. Ὅτι ἀτιεῖς. Sed Hier. legit ταχεῖς, ut paret ex commentario ipsius. Cæterùm hæc jungi debent cum sequentibus. Quod perspicuum ex Augustino, qui legit, *quia ecce veloces super montes pedes*, &c. Quæ confirmat Hier. ità scribens, VELOCES *nisi ad inferioris capituli* PEDES *retuleris, pendet sententia.*

15. Οὐ μὴ προσθήσωσιν] Sic ed. Rom. In aliis est ὐ μὴ προστεθῶσιν in aliis verò ὐ μὴ προσθῶσιν. ¶ Διελθεῖν διά σου] Διά σου abest in C. & apud August. De civit. Dei l. 18. c. 31. Item abest in versione Lat. quæ in operibus Hier. ¶ Εἰς παλαίωσιν] Glossæ veteres, BELIAL, *vetustas deficiens.* Talis notio in verbo בלה apud Ebræos: unde בלי *vetustas* vel *corruptio ex vetustate.* Sed quid hoc ad בליעל? An legerunt inversè עד בלי, ut sæpe aliàs? ¶ Συντετέλεσται, ἐξῆρται] Sic est in Rom. Aldinum & Germanica habent συντετέλεσται, ἀνῄλωται. Compl. verò συνετλήσθη, συντετέλεσαι. In Augustino, *consummatum est, consumptum est.* Hier. *completum est, consummatum est.* Legunt כלה, quod est Pual ab activo כלה συντελεῖν.

IDEM.

1. משא. Aquila ἄρμα] Fuit tempus cùm existimarem legendum esse ἔραμα. Nunc aliter sentio. Est enim משא nomen à נשא quod αἴρειν significat. Vide quæ scripsimus Observat. lib. 9. cap. 15. Hieronymus prooemio in hunc Prophetam, *Pro λῆμμα, quod Aq. ἄρμα interpretatus est, apud Ebræos MASSA ponitur: id est*, grave onus.

2. ובעל חמה. A. & Sym. ἔχων θυμὸν] Hier. *æmulatus est*, qui vertit *habens furorem.*

5. ותשא A. ἔφριξεν*. Sym. ἐκινήθη, *mota* sive *commota est*] * i. *Horruit.* Nam in horrore pili eriguntur. Notum ut נשא sit *attollere, erigere.* Cæterùm hoc Fragmentum debemus Theodoreto Cyri Episcopo.

6. ומי יקום בחרון אפו. Sym. *& quis sustinebit iram furoris ejus?* Aq. τίς ἀντιστήσεται] Hier. *verbum Ebraicum* יקום *Aq. & LXX similiter transtulerunt* ἀντιστήσεται, *i.* resistet. ¶ נתכה. Aq. συνεχωνεύθη. Sym. & Th. ἔσταξεν] Συνεχωνεύθη interpretatur & Hier. *conflata est*, & ἔσταξεν *stillavit.*

8. ובשטף עובר כלה יעשה מקומה. Sym. *& in diluvio transeunte consummationem faciet loci ejus*] Ex Hier. מקומה *Aq.* ἀπὸ τῶν ἀνισταμένων, *i.* à consurgentibus. *Th.* consurgentibus ei. *Quinta ed.* à consurgentibus illi. *Solus Sym.* τῦ τόπυ αὐτῆς.

9. לא תקום פעמים צרה. Sym. *non sustinebunt impetum secundum angustiæ.* Th. *non consurget secunda tribulatio.*

14. כי קלות Quinta ed. ἔτι ὑβρίσθης, i. *contumeliâ affectus es.*

GROTIUS.

1. ONus Ninive] Id est, Diræ adversùs urbem Ninon, sub qua simul comprehenditur totum Imperium Assyriorum; quod post Jonæ tempora iterum ad veteres mores redierat. Censent Hebræi tam Nahumum quàm Habacucum scripsisse Manassis temporibus: Idque nobis persuadent tum ordo, quo antiquitus positi sunt hi Prophetæ post eos qui Ezechiæ vixere temporibus, tum res ipsæ quæ in eorum scriptis continentur. Nam hæc Nahumi Prophetia impleta est per Nabopallasarum patrem Nabuchodonosori. Strabo libro 16. Ἡ Νῖνος ἠφανίσθη παραχρῆμα μετὰ τὴν τῶν Σύρων κατάλυσιν [*Ninus eversa statim post cladem Syrorum.*] Josephus ad res venturus Nabuchodonosori, Antiq. 10. 6. sic præloquitur: τὺς Βαβυλωνίυς, οἳ τὴν Ἀσσυρίων κατέλυον ἀρχὴν [*Babylonios, qui Assyriorum everterunt Imperium.*] quod evenisse Josiâ apud Hebræos regnante, ait Hieronymus ad Jonam. Huc etiam meliùs hoc Vaticinium referes quàm ad eam calamitatem quæ CV post hunc Prophetam annis evênit: & si rectè consideres cuncta quæ hîc dicuntur, non invenies exeidium urbis, sed deditionem, atque Imperii rerúmque jacturam. ¶ *Elcesæi*] Elkesæi esse Galilææ viculum tradit hîc Hieronymus. Chaldæus enim locum vocat *Bethkeßi:* ità בית hîc fit articulus, ut apud Arabas.

2. *Deus æmulator*] Qui neque amicos suos oppressos neque inimicos florentes diu conspicere possit. ¶ *Ulciscens*] Ter posita hæc vox vehementer affirmat, ut alibi nomina *Sancti, Templi, Terræ*; & gestus ter repetiti. ¶ *Et habens furorem*] In Hebræo, *Dominus iræ*: id est, qui facillimè, si velit, possit iram suam effectam dare. ¶ *Et irascens ipse inimicis suis*] In Hebræo, *reservans*, nempe iram in suum tempus, *adversus inimicos suos.*

3. *Dominus patiens*] Diu dissimulat iniqua acta, speculans quousque homines sint evasuri; deinde (ut Valerius Maximus sapienter loquitur) *tarditatem supplicii gravitate compensat.* Vide Plutarchum, Περὶ τῶν ὑπὸ τῦ Θείυ βραδέως τιμωρυμένων [*De iis qui serò à Deo puniuntur.*] ¶ *Et magnus fortitudine*] Qui illico se ulcisci possit, si velit. ¶ *Et mundans non faciet innocentem*] In Hebræo, *In mundando non mundat:* Græcis ἀθῷον οὐκ ἀθωώσει [*innocentificando non innocentificabit.*] quomodo legisse Hieronymum ex Commentario apparet. Vulgò pessimè editur, ἀθῷον οὐκ ἀθωώσει. Sensus est, Non semper sinet hostes suos impunè ferre quæ faciunt. ¶ *Dominus in tempestate & turbine via ejus*] Hebraïsmus satis frequens. Simplex locutio esse, *Domini via cum tempestate & turbine:* id est, procellas immittit quò ipsi libet. ¶ *Et nebulæ pulvis pedum ejus*] Nubi insistit, sicut homines pulveri: id est, Dominus est nubium, & eis utitur ut vult.

4. *Increpans mare, & exsiccans illud*] *Qui ut increpuit mare, illico idipsum arefacit*, ut fecit mari Rubro. ¶ *Et omnia flumina ad desertum deducens*] *Omnia flumina exsiccat:* nempe ἀπὸ κοινῦ [*ex dicto in commune,*] *ubi ipse increpuit*, id est, imperavit. ¶ *Infirmatus est Basan*] *Sterilescit Basan*, id est, loca maximè apta pascendo pecori, nempe *ubi Deus increpuit*, ut suprà. Chaldæi *Basan* vocant מתנן, gemina mutatione ב in מ æquè labialem, & ש in ת, quod valde frequens Syris & Chaldæis. Exemplum hujus dicti sit in temporibus Eliæ. ¶ *Et Carmelus*] Arva Judææ, aut Syriæ. ¶ *Et flos Libani elanguit*] *Etiam floridissima Libani sterilescunt.* Sic Græci. Post pascua & arva etiam ad arbores venit, ut indicet nihil esse quod durare possit Deo nolente.

5. *Montes commoti sunt ab eo, & colles desolati sunt*] *Montes ejus vi commoventur, & colles liquescunt*, id est, aquam edunt: Psalm. 114. 4, 6, 8. Exod. 17. 6. Numerorum 20. 11. ¶ *Et contremuit terra à facie ejus*] In Hebræo, *Conflagrat terra ab ejus adspectu:* ut terra Sodomorum, & vicinarum urbium. ¶ *Et orbis*] תבל solet dici κατ' ἐξοχὴν [*per excellentiam*] terra Israëlitica, quæ & ipsa fumavit incendiis per Salmanasarem, & Sennacheribum.

6. *Ante faciem indignationis ejus quis stabit?*] Quis populus salvus esse posset ipso irascente, qui tam potentem se tot ostendit documentis? ¶ *Indignatio ejus effusa ut ignis, & petræ dissolutæ sunt ab eo*] *Si indignatio ejus ut ignis se effundat, ipsæ rupes inde frangentur.* Strue lignorum incensâ pervias sibi Alpes fecit Annibal.

7. *Bonus Dominus & confortans in die tribulationis*] *Et præsidium* (suis scilicet, ut sequentia ostendunt) *tempore ærumnoso.* ¶ *Et sciens sperantes in se*] *Novit qui* sint qui *ipsi confidant*, id est, qui Deum ex animo colant, 2 Timoth. 2. 19.

8. *Et in diluvio prætereunte consummationem faciet loci ejus*] מקומה, quod hîc vertitur *loci ejus*, Græci vertunt ἐπεγειρομένυς [*insurgentes*] pro quo malè est in nonnullis codicibus ἐξεγερομένυς. Sic sumit & Chaldæus, ut sit participium femininum, & subintelligatur עם, vel עדה *multitudo.* Velut *diluvio supervadente*, nempe *multitudinem.* ¶ *Et inimicos ejus persequentur tenebræ*] Omnia mala ipsos sequentur. Chaldæus ad *gehennam* id refert; non malè, si sensum non primum, sed abstrusiorem spectes.

9. *Quid cogitatis contra Dominum?*] *Quid cogitaretis contra Dominum?* ad effugiendam scilicet iram ejus. ¶ *Consummationem ipse faciet*] *Exitium immittet.* ¶ *Non consurget duplex tribulatio*] *Calamitas.* Non iteratis ictibus, sed uno vos prosternet.

10. *Quia sicut spinæ se invicem complectuntur*] *Sicut spinæ inter se consertæ*, quæ scilicet pariter in ignem conjiciuntur. ¶ *Sic convivium eorum pariter potantium*] *Aut ut convivium eorum qui compotant:* nempe qui subitò incensâ domo pariter pereunt. ¶ *Consumentur quasi stipula ariditate plena*] Quæ subitò flammam concepit.

11. *Ex te exibit*] In Hebræo, *exivit.* ¶ *Cogitans contra Dominum malitiam, mente pertractans prævaricationem*] *Consiliarius nequam*, id est, Rabsaces: de quo 2 Regum 18. 19, & sequentibus; Esaiæ 36. 4, & sequentibus.

12. *Si perfecti fuerint*] *Etiamsi perfecti sint*, nempe sapientiâ,

tiâ. Ità hîc Chaldæus. Laudantur in oraculo quodam hoc omine

——— Λυδοί τε καὶ Ἀσσυρίων γένος ἀνδρῶν.
[——— *Lydi & genus Assyriorum.*]

¶ *Et ità plures*] In Hebræo, *Et planè multi.* ¶ *Sic quoque attondentur*] *Attamen attondebuntur.* Peribit eorum gloria. Tale illud:

Consiliis nostris laus est attonsa Laconum.

¶ *Et pertransibit*] *Viam sibi faciet* Chaldæus. ¶ *Afflixi te, & non affligam te ultrà*] *Ubi afflixero te, non ultrà te affligam,* ô Ninive: id est, uno ictu te prosternam, ut suprà 9.

13. *Et nunc conteram virgam ejus de dorso tuo*] In Hebræo, *Confringam jugum istius* (Asarchadonis) *à super te*, ne tibi incumbat Rex ille durus. ¶ *Et vincula tua disrumpam*] Quibus ille te adstrictam tenet.

14. *Et præcipiet super te Dominus*] Constituet de te id quod sequitur. ¶ *Non seminabitur ex nomine tuo ampliùs*] *Nè semen* (nempe regium) *exsistat ultrà de tuo nomine.* Id est, nè posthac qui tibi imperabunt appellentur *Reges Ninives*, ut Jonæ 3. 6. nam eo tempore dicti sunt qui ibi imperabant *Reges Babylonis.* ¶ *De domo Dei tui*) Adad. ¶ *Interficiam sculptile*] *Exscindam.* ¶ *Et conflatile ponam sepulchrum tuum*] Id est, *quasi sepulchrum tuum*; ut immundum habeatur quasi sepulchrum. nam victores solent deos suos in locum eorum qui antè colebantur substituere. Euripides Troadibus:

Ἐρημία γὰρ πόλιν ὅταν λάβῃ κακή
Νοσεῖ τὰ τῶν θεῶν, οὐδὲ τιμᾶσθαι θέλει.
[*Nam simul ut urbem vastitas incesserit,*
Malè se deorum res habent, cultus perit.]

¶ *Quia inhonoratus es*] Chaldæus legit fine Camerz in fine, & vertit, *facile enim id mihi.* Ad verbum, *nam facilia*, nempe hæc sunt.

15. *Ecce super montes pedes evangelizantis*] *Ad montes*, id est, ad Judæam subitò ibunt cursores lætum afferentes nuntium. ¶ *Et annuntiantes pacem*] Id est, res prosperas Judæis. ¶ *Celebra Juda festivitates tuas*] Securè age dies festos. ¶ *Et redde vota tua*] Quæ fecisti, si ab Assyriorum metu liberareris. ¶ *Non adjiciet ultrà ut pertranseat in te Belial*] *Non ultrà ad te perveniet ille nequam*, Assyrius, qui Deum despexit. ¶ *Universus interiit*] *Accisus est.* Gloria Imperii ei ablata est.

CAP. II.

MUNSTERUS.

1. **D***Issipator*] Quidam Hebræorum accipiunt per *dissipatorem* Nebuchadnæzar, qui obsidione cinxit Nineven. Jubentúrque Ninevitæ *circumspicere* quâ veniat *viâ*, jubentur *roborare lumbos & vires.*

2. *Avertit Dominus superbiam*] Est sententia ista perquàm obscura, & diversis modis exponitur ab Hebræis. Quidam enim putant hunc subesse sensum, *Reducet Dominus Jacobum in magnificentiam suam post devictum exercitum Sanherib Regis Assyriorum.* Alii sic interpretantur, *Avertit Dominus superbiam Jacob, & castigavit Israelem per virgam Assyriorum: & non restat nunc nisi ut & virga ipsa in ignem projiciatur.* Ob id igitur *clypeus fortissimorum hostium ejus rubricatus est, & bellicosi quique purpurâ induti sunt, & currus ejus* tantâ vehementiâ & celeritate adducuntur ut ferratæ rotæ *ignem* de lapidibus *in morem facium* excutiant. Et hæc omnia scripta sunt ut ostendatur quanto terrore, strepitu & impetu Nebuchadnæzar venerit contra Nineven. Ubi notandum quòd hîc scribitur לפידות pro לפידים. Et הברושים הרעלו R. S. exponit pro הרעדו, quòd scilicet fortissimæ abietes in nemore contremuerint ex impetu advenientis hostilis exercitûs.

5. *Recordabitur*] Numerabit Rex Assyriorum magnates suos, & instituet eos contra hostem, sed illis coram hoste *cadentibus*, obtinebit hostis *mœnia civitatis*, *adaptabitque* sibi machinas & *tegumenta*, nè facilè ab Assyriis lædatur.

7. *Quæ obfirmata fuit*] Putant per הֻצַּב intelligi הֵיכָל *palatium*, *regiam*, vel firmum aliquod *præsidium* quod insuperabile videbatur. ¶ *Ancillæ ejus*] Quidam Hebræorum per *ancillas* intelligunt Principum & nobiliorum virorum uxores, in servitutis coactas conditionem atque in exsilium abductas, quæ priùs mollissimè vixerunt.

8. *Veluti piscina aquarum*] i. *Nineve fuit à diebus* antiquis plena omnibus divitiis & bonis, haud secùs quàm *piscina*, quæ undique accurrentem suscipit *aquam*; sed nihil profuerunt eis congestæ illæ opes, cùm nudi ex civitate *fugerint*, &c.

11. *Habitaculum leonum*] Comparat Propheta Nineven *habitaculo leonum*, quòd illic sedem posuisset sævus Tyrannus, unde in omnes regiones excursiones faciebat. Per *leunculos* verò intelliguntur Principes Assyriorum, & per *catulos leonis* suboles Regia, per *latibula* atque *speluncas* arces & oppida, ad quæ spolia portata sunt à devictis gentibus.

VATABLUS.

1. **A***Scendit dispersor ante faciem tuam* [עלה מפיץ על פניך] *Evanuit dissipator coram te*, i. periit Metaphora sumpta à Fumo sive Vaporibus qui abeunt in auras: q. d. Periit qui dispersit filios tuos tempore quo invasit Judæam. Prosequitur prædictionem interitûs Sennacherib Regis Assyriorum, & liberationem Israel ex Assyria. Alii intelligunt hæc de Nabuchodonosor Rege Babyloniorum sive Chaldæorum, quem Dominus contra Nineven sive Assyrios mittit, ut eos post vastatum ab ipsis Israelem destruat *Ascendit*, inquit, Nabuchonosor, qui *disperdendo* conteret omnia *coram te*, *custodiendo munitionem*: i. obsidendo munitissimam urbem: vel, *ascendit ut custodiat munitionem*, i. ut te obsideat, ô Ninive, locum munitissimum. Sunt infinitivi Hebræis, vel etiam imperativi juxta rationem Grammaticæ Hebrææ: unde quidam vertunt, & exponunt, *Ascendit inimicus, ô Ninive, qui conterendo dispersurus est te: custodi igitur munitionem tuam, & circumspice quid tibi eventurum sit: conforta lumbos*, i. accinge te armis: *robora virtutem valde*, i. *congrega exercitus.* ¶ *Custodi munitionem* נצור מצורה] Sing. Heb. pro plur. *servate munitiones*, i. juxta priorem interpretationem, Revertimini, ô vos Judæi, in urbes vestras munitas quas ceperant Assyrii, & custodite eas diligenter. ¶ *Contemplare viam*, &c. צפה דרך וגו'] *Considera viam, fortifica lumbos, robora*, &c. Quidam verba hujus versûs vertunt per pluralem, *Considerate viam*, per quam scilicet venit vos oppugnatum Rex Assyriorum; quia nunquam per illam reversurus est.

2. *Convertet enim Jehova*, כי שב יהוה וגו'] Præt. Heb pro fut. *Reducet enim Jehovah majestatem Jaacob juxta majestatem Israel.* גאון sign. *magnificentiam*, *magnitudinem*, *dignitatem*, *decus & gloriam*: q d. Restituet Dominus Israeli pristinam suam dignitatem jam labefactatam ab Assyriis. *Jacob* & *Israel* pro eodem posuit. *Revocabit majestatem Jacob, ut fuit olim majestas ipsius Jacob.* Alii vertunt, *Convertit enim Dominus superbiam Jaacob quemadmodum & Israelis arrogantiam*: vel, *Quiescere fecit* [aut *abstulit*] *Dominus superbiam*, &c. q. d. Quia satis habet Dominus per te hactenus fregisse superbas cervices Judæ, ut antea Israelis, ut ultrà non sit opus te illos affligere. Hoc pacto per *Jaacob* tribum Juda & Benjamin intelligunt; ut per *Israelem*, decem tribus. ¶ *Evacuaverunt eos evacuatores* בקקום בוקקים] i. Assyrii Israelitas spoliaverunt & privarunt bonis suis. ¶ *Et propagines eorum corruperunt* וזמריהם שחתו] i. Subindè privaverunt eos bonis suis ac opibus denuo partis. Hoc dicit quòd frequenter ac ferè singulis annis invaderent Assyrii terram Israël.

3. *Clypeus fortium ejus* מגן גבוריהו] Sing. Heb. pro plur. & relativum sine antecedente, i. Nabuchodonosor. Describit quomodo victi fuerunt Assyrii à Chaldæis ¶ *Rubefactus est* מאדם] Part. Heb. pro fut. *ruber erit*, ad terrorem scilicet ¶ *Viri exercitûs* אנשי חיל] i. Milites. ¶ *Induti vestibus vermiculatis* מתלעים] Ad verb. *vermiculati*; *purpurati* ¶ *Currus* הרכב] Sing. Heb. pro plur. *currus*, sub. *falcati* His innuit ingentem celeritatem: q. d. Currus illi falcati è quibus depugnaturi sunt, videbuntur quasi versari in igne & esse in medio ignis: nam ferrum rotarum illorum excutiet ignem è petris super quas transituri sunt. ¶ *In die*, &c. ביום הכינו] Ad verb. *in die præparare se*, pro, *die quâ præparabit sese*, vel *exercitum suum*, ut veniat oppugnatum Niniven. ¶ *Et abietes*, &c. והברושים הרעלו] Præt. Heb. pro fut. i. duces vel principes Ninivæ, qui comparari solent abietibus, *tremore corripientur*, sive *trepidabunt.* Alii, *& hastæ abiegnæ veneno infectæ erunt.* Ad verb. *& abietes venenatæ fuerunt.* Alludit ad materiem hastarum sive lancearum, vel ad magnitudinem aut crassitiem

4. Ascensores *curruum* הרכב] Ad verb. viri *currûs.* Subauditur

ditur איש *vir*, aut רכבי *ascensores*. Quidam vertunt, *In vicis more amentium discurrent ascensores illi equorum*: i. Ninivitæ, qui antea è curribus illis falcatis depugnare solebant, huc illuc vagabuntur inopes consilii: nescient enim quid facturi sint, cùm illis urbe non licebit egredi, ut cum exercitu multo obsidente congredi liceat. ¶ *Festinanter ambulabunt* ישתקשקון] *Obambulabunt: inambulabunt*, attoniti scilicet. Ad verb. *coxabunt*, i. percutient coxam ad coxam præ nimia festinatione. ¶ *Veluti lampades* כלפידים] *Instar facularum*; *lampadum*; *titionum*: præ rubore scilicet quo ipsi perfundentur: ob pudorem quo suffundentur. ¶ *Tanquam fulgura* כברקים] Præ nimia scilicet festinatione: i. quamcelerrimè huc illuc discurrent.

5. *Recordabitur fortium suorum* יזכר אדיריו] Sub. *Rex Assyriorum*: i. Seliget ex militibus suis fortiores qui eant ad tuenda mœnia. Vel intelligitur de Rege Chaldæorum, qui mittet fortiores suos ad diruenda mœnia urbis Ninives. ¶ *Impingent cùm perrexerint* יכשלו בהליכתם] *Corruent in progressione sua*, vel *in incessu suo*, i. dum properabunt ire ad mœnia. ¶ *Et præparabitur operimentum* והכן הסכך] Jam *autem præparata erit testudo ipsa*, sub. *à Chaldæis*: i. admota muro erit testudo; instrumentum bellicum sub quo delitescit aries ad quatienda mœnia: vel *vinea ipsa*; aliud instrumentum bellicum ad suffodienda mœnia.

6. *Portæ fluminum* שערי הנהרות] i. Portæ urbis sitæ juxta flumina, i. eâ parte quâ fluunt amnes, sive quâ urbs alluitur, vi hostium evertentur. ¶ *Aperientur* נפתחו] Præt. Heb. pro fut. *patebunt*. ¶ *Et palatium dissolvetur* והחיכל נמוג] *Et templum dissolvetur*. Præt. Heb. pro fut. quod erat situm juxta portas illas.

7. *Et Husab*, &c. והצב וגו׳] *Et Husab revelata est*, *jubebitúrque ascendere*. *Husab* nomen Reginæ Assyriorum, ità dicta quòd *astaret* sponso suo Regi: ut Psal. 45. 20. *Astat conjunx ad dexteram tuam*. *Revelata*, sive *retecta*, aut *detecta erit*, i. educetur è thalamo suo in quo delitescere solebat, jubebitúrque ascendere currum ut abducatur in captivitatem. Præt. Heb. pro fut. Ità quidam docti inter Hebræos. Alii, *Constitutum autem erat*; & *revelabitur* turpitudo Ninive, atque *evanescet*: vel, *Confirmatum erat*, sub. *palatium*, vel *templum*: i. Steterat jam longo tempore in summa pace ac felicitate: *& patebit Ninive hostibus*, *atque evanescet*, i. evertetur. ¶ *Et ancillæ ejus ducebant* eam ואמהתיה מנהגות] *Et ancillæ ejus sese mutuò concomitabuntur*, i. nobiles & principes feminæ, quæ tum devenient in potestatem hostium & ducentur in captivitatem. ¶ *Gementes*, &c. כקול יונים] Ad verb. *juxta vocem columbæ*. Subaudiendum nonnihil, ut annotat doctus inter Hebræos, cujusmodi, *& vox ejus*, sive *earum*, *erat ut vox* [sive *gemitus*] *columbarum*.

8. *Tanquam piscina aquæ* כברכת מים] i. Aquis plena. Opulentissimam fuisse significat. ¶ *A diebus* מימי] Quia Scriptura frequenter utitur hâc formâ loquendi, omisit hic alteram dictionem, קדם, quæ legitur Esa. 23. 7. Mich. 7. 20. vel עלם *seculi*, quæ est Mich. 7. 14. ¶ *At ipsi* nunc *fugiunt* והמה נסים] Sub. *cives ejus*. ¶ *State*, *state* עמדו עמדו] *Consistite*, *consistite*. *Sistite gradium*.

9. *Diripite* בזו] Verba sunt Prophetæ in persona Dei ad Chaldæos; aut Chaldæorum mutuò sese cohortantium ad prædam. ¶ *Divitiarum* לתכונה] Ad verb. *præparationis*, vel *apparatui*, i. numis apparatis: q. d. Innumeri sunt in ea numi repositi & congesti ad usus necessarios Regni. Chald. *thesaurorum*. ¶ *Supellex ejus*, &c. כבוד מכל וגו׳] Ad verb. *gloria* [vel *honorabile*] *præ omni desiderabili*, i. eximia supellex ejus, sive quæ in eo est, excellentior est omni aliâ supellectile quantumcunque pretiosâ.

10. *Evacuabitur & exinanietur* בוקה ומבוקה] Ad verb. *Vacuitas & evacuatio*, sub. *erit illi*: vel, *Evacuatio & exinanitio*. Geminatio ista omnimodam significat avacuationem: q. d. Prorsus evacuabitur ac spoliabitur privabitúrque bonis suis. ¶ *Et cor liquefactum* ולב נמס] Sing. Heb. pro plur. *corda* civium ejus *liquescent*, vel *intabescent*. ¶ *Et collisio genuum* ופק ברכים] *Et concussio genuum*: i. genua sese mutuò collident: ut accidere solet in magna trepidatione: q. d. animo erunt dissoluto & corpore dissoluto. ¶ *Redigentur in nigredines* קבצו פארור] Præt. Heb. pro fut. *contrahent nigrorem*, præ nimio metu. Propriè significat *ollam*: accipitur tamen pro *nigrore* sive *nigredine*.

11. *Quò se recipiebat*, אשר הלך וגו׳] Sing. Heb. pro plur. Ad verb. ad *quod ivit leo*, *leæna illuc*. Solebant enim antea Assyrii, qui feroces admodum erant, diripere ac spoliare alias gentes ac nationes: vivebant enim furto, & hâc ratione infinitas opes congesserant in Ninive Rex, filii ejus, & Principes reliqui, quos hic vocat *leones*.

12. *Sufficienter catulis suis* בדי גרותיו] Ad verb. *pro sufficientia catulorum suorum*. Potest די particula esse adjectitia, & ב significare pro, *rapiebat pro catulis suis*. ¶ *Et suffocabat leænis suis* ומחנק ללבאתיו] *Et suffocabat leunculis suis*, sub. *alia animalia quæ rapiebat*. Mos enim leonum est ut arrepto collo prædæ raptæ præcludant viam spiritui, & ità enecent eam. ¶ *Rapinâ* טרפה] i. Animalibus raptis.

13. *Ad te* אליך] Sub. *convertam me*: vel *venturus sum*, *ut sumam pœnas de te propter peccata tua*. Prædicit iterum eversionem urbis Ninivæ, ac destructionem ejus, & interitum Principum ipsius. *Igne fumante quadrigas tuas* בעשן רכבה] Ad verb. *fumo curruum ejus*. Subita personæ mutatio: i. succendam igne magnum fumum emittente currus falcatos unde depugnare solebant Principes tui. ¶ *Et exterminabo*, &c. והכרתי וגו׳] Hebraismus, Efficiam ut posthac non diripias in terra alias gentes. Istud ad Regem refertur. ¶ *Nunciorum tuorum* מלאככה] i. Præconum, & aliorum quibus deterrere soles alias nationes, urgendo eas ut dedant se tibi.

CASTALIO.

2. Quos *prædones exhauserint*] Ninivitæ.

3. *Ejus & heroum clypei rubent*, *& milites purpurei sunt*] sc. Nabuchodonosoris. ¶ *Tædis ardente curru*] Tædarum ritu. ¶ *Tetrisque piceis*] Ut ex picea tædæ tetre redolentes.

5. *Recordatur suorum nobilium*] Ninivæ Rex, audito hostium adventu, jubet nobilibus suis ut properent in muros ad propugnandum: quod quamvis velocissimè faciant, tamen offendunt jam paratas ab hoste machinas; & urbs statim capitur, hostibus per fluminum ostia ingressis.

7. *Husaba*] Regina.

8. *State*, *resistite*: *at nemo respicit*] Ità ut neque resistant, neque respiciant.

11. *Ubi est leonum lustrum?*] Periit Ninive, quæ habebat principes.

13. *Nec ampliùs tuorum nunciorum vox audietur*] Nec ampliùs imperabis. Nam nuncios mittere, imperantis est.

CLARIUS.

1. Ascendit *qui dispergat*] Vel, *Ascendit dissipator*. Alius dicebat legendum, *Periit oppressor*: & tunc quod sequitur, *Reddidit Dominus*, &c. interpretandum est hoc modo, *Reddidit Dominus majestatem pristinam Jacob*, *majestatem qualis decet ipsum Israelem*, i. Jacob. Est enim sententia ista perquam obscura, & diversis modis exponitur ab Hebræis. Alii sic interpretantur, *Avertit Dominus superbiam Jacob*, *& castigavit Israelem per virgam Assyriorum*, *& non restat nunc nisi ut & virga ipsa in ignem projiciatur*. *Ob id igitur clypeus fortissimorum hostium ejus rubricatus est*, *& bellicosi quique purpurâ induti sunt*, *& currus ejus tantâ vehementiâ & celeritate adducuntur ut ferratæ rotæ ignem de lapidibus in morem facium excutiant*. Et hæc omnia scripta sunt ut ostendatur quanto terrore, strepitu & impetu contra Niniven venerit Nabuchodonosor: Quem suprà appellavit *dissipatorem*, & jussit Ninivitas *circumspicere quâ viâ veniat*, *& roborare lumbos ac vires*.

5. *Recordabitur fortium suorum*] Rex scilicet Ninives ut hortetur eos ad resistendum: sed *impingent* & cadent coram hoste, qui *velociter ascendet muros*. ¶ *Præparatur* (vel *præparatum erat*) *umbraculum*] h. e. Jam hostes munitionibus suis effecerant nè ii possent ex muris se defendere aut lædere adversarios.

6. *Portæ fluviorum*] Quibus ad fluvios ibatur. ¶ *Et templum*] h. e. Domus Regis.

7. Quod nos, virum quendam doctissimum secuti, diximus, *Regina captiva abducta est*, alius vertit, *Et quæ obfirmata fuit*, *est discooperta atque excisa*. Et putant quidam intelligi ipsam regiam domum, vel firmum aliquod præsidium quod insuperabile videbatur. ¶ *Ancillæ ejus minabantur*] Vel *ducebantur*. Quidam Hebræorum per *ancillas* intelligunt Principum & nobiliorum virorum uxores in servitutis coactas conditionem atque in exsilium abductas, quæ priùs mollissimè vixerunt.

8. *Quasi piscina*] h. e. Tam fuit opibus plena quam piscina piscibus. ¶ *State*, *state*] Sub. *siquis clamet*, *ad vocem ejus nullus respicit*.

11. *Habitaculum leonum*] Comparat Propheta Nineven *habitaculo leonum*, quòd illic sedem posuisset sævus Tyrannus, unde in omnes regiones excursiones faciebat. Per *catulos leonis*

nis verò intelliguntur soboles regia & Principes Assyriorum; per *latibula* & *speluncas* arces & oppida, ad quæ spolia portata sunt à devictis gentibus.

L. BRUGENSIS.

4. IN *itineribus conturbati* . *sunt* [o.] *quadrigæ* * „ *collisæ sunt* [* *ejus* o. " *convulsæ* o. *avulsæ* o. *colliserunt* o.] * *in* [* *ab eis* o.] *plateis.*] Quatuor manuscripta, Germani oblongum, Plantini medium, H, & Busslidianum, pro *conturbati sunt* habent *conturbatæ sunt*, feminino genere, quod ad *quadrigæ* referatur. Hebræa ambigua sunt ex se ad utrumque. Cæterùm Hebræi ità interpunxerunt ut cum יתהללו, quod Interpres noster *conturbari* dixit, הרכב, quod *quadrigæ* transtulit, copuletur: quomodo & Chaldæus ac LXX-viri distinxerunt. Porrò noster Interpres, ut facilè potuit, aliter videtur distinxisse; הרכב ab יתהללו separasse, itáque transtulisse ut primùm protulimus, *In itineribus conturbati sunt: quadrigæ collisæ sunt*, &c. In primis enim sic pleraque exemplaria legunt, etiam præstantissima. Tum Enarratores id explicant, & disertissimè ipse B. Hieronymus, cujus verba sunt, *Rursùmque ad descriptionis ordinem rediens*, *Tanta est*, inquit, *multitudo venientium*, *ut conjunctum agmen sit in itinere*, *& discerni nequeat. Ipsæ quoque quadrigæ*, *dum viam non reperiunt*, *præ multitudine inter se colliduntur in plateis.*

DRUSIUS.

1. DE clade Assyriorum déque cæde Regis hactenus. Sequitur nunc Prophetia de expugnatione urbis Nini. Partes sunt, Denunciatio adventûs hostium v. 1. Descriptio exercitûs eorum v. 3, & 4. Urbis oppugnatio v. 5. Expugnatio 6. Captivitas Reginæ 7. Fuga civium 8. Direptio facultatum 9. Perturbatio & pavor omnium 10. Exclamatio sarcastica, quâ Prophetes captæ urbi amarulenter insultat v. 11, & 12. Clausula continet orationem Dei, in qua se autorem profitetur eorum quæ Assyriis acciderunt; Modum etiam ostendit quo perdendi sint. *Ascendit*] Ineptè hunc locum de Sennacheribo exponunt: & inventi sunt tamen qui hanc expositionem probarent, dicerentque *Ascendit* hic positum esse pro *Abiit*, *Evanuit*, *Esse desiit*, *Exstinctus est*, ut Job. 5. 26. *sicut ascendit acervus frugum in tempore suo*: & Psal. 102. 24 *nè ascendere facias me in medio dierum meorum. Ascendisse* eum dicit, more apud Prophetas tralatitio, qui suo tempore ascensurus erat. *Ascendere* autem usurpant & de iis qui in Assyriam contendunt, ut Hos. 8. 9. *ipsi ascenderunt in Assyriam.* ¶ *Dispersor*] Legitur & *dissipator*. Hoc epitheton tam Asuero competit quam Nabuchodonosoro. Uterque enim Assyriorum Imperium dissipavit: uterque cives Nini, captâ urbe, inter gentes quibus imperabat dispersit. Utrum igitur, inquies, ex his duobus hîc intelligit? Sine dubio Nabuchodonosorum Regem Chaldæorum, ad quos Monarchia Assyriorum translata tunc fuit. Nam qui ad Medos translatam putant, errant graviter, & multis argumentis refelli possunt. Vocat autem *dispersorem* cùm propter causas quas dixi, tum quia hujusmodi nominibus appellari solent Reges. Sic Demetrius dictus est Πολιορκήτης, i. *Urbium destructor & expugnator*. Sic Darius à *coercendo* nomen habuit, quod sonat Ἑρξήεις. Sic מכבי *exstinctor*. Nam כבה *exstinguere*. Quæ tam in laude quàm in vitio accipi possunt. Est & illud annotandum, מפיץ vocem, quam *dispersorem* nunc reddimus, in Salomone poni pro *malleo*. Sic enim certè legimus Prov. 25. 18. *Malleus & gladius*. Jam verò notum ut Babylon vocetur *malleus totius terræ* Jer. 50. 23. Neque sum nescius hoc loco פטיש esse in Ebræo; sed aio, quemadmodum ibi Babylon vocatur *malleus*, ità ejus Regem rectè dici posse מפיץ, sive *malleum* reddas eam vocem, sive *dispersorem*. Nam quia saxa & petras dispergit, ideo hoc nomine *malleus* מפיץ dicitur. ¶ *Contra te*] Ad verb. *contra faciem tuam*. Est autem pronomen, quod in Ebræo, femininum. Ideo vel ad *Niniven*, vel certè ad ipsam *Assyriam* referri debet. ¶ *Custodi*] Hoc εἰρωνικῶς dicit. נָצוֹר usurpat pro נצר, h. e. infinit. pro imp. ¶ *Munitiones*] Loca munita: hîc מצורה posuit pro מצורות. ¶ *Speculare viam*] Hoc quoque dicit εἰρωνευόμενος, & speculatores mitti vult, qui observent quâ viâ hostes venturi sint. ¶ *Fortifica lumbos*] i. Vires. Nam in Lumbis virium sedes. Job. 40. *in lumbis ejus robur ejus.* ¶ *Robora vires*] Idem iterat aliis verbis.

2. Hunc versum interpretatus fui, licèt, ut ingenuè dicam quod res est., eum non intelligerem. Neque me pudet hoc fateri. Malo enim id quod est dicere quàm lectorem fallere & incerta pro certis obtrudere: id quod isti faciunt qui facilia difficilia, nusquam hæsitantes, sine ullo discrimine interpretantur. Nempe cæcorum oculi tantundem intempestâ nocte quantum vel meridie vident. Accusent hi meam in hoc loco inscitiam, dum sciant, quæ ab ipsis adferuntur, minimo negotio refelli posse. *Siquidem convertit DOMINUS superbiam Jacobi*, *sicut superbiam Israelis*] Ità ferè Santes. Priùs erat, *Quia reddidit DOMINUS superbiam Jacob*, *sicut superbiam Israel*, *quia vastatores dissipaverunt eos*, *& propagines eorum corruperunt.* Mens harum interpretationum, *Ità repressit fastum Jacobæorum*, h.e. Duarum tribuum, *quemadmodum antea represserat fastum Israelitarum*, h.e. x tribuum. Nam etsi Duæ tribus tum abductæ nondum fuerant in exsilium, tamen eam pœnam subierant quæ ipsas modestiores pro tempore reddidit. Ergò postquam Deus satis supérque ultus est suos, ordo nunc ad te, ô Assur, pervenit: tuæ jam vices sunt, cui par pœna, vel etiam major, subeunda. Æquum enim certè est ut quod aliis fecisti, idem tibi quoque fiat. Hanc sententiam ad verum proximè accedere judico. Itaque eam nunc recipiemus, dum erit qui meliorem adferet & quam magis probemus. שב usitatè *redire* significat. Sed & activè sumitur interdum, ut Deut. 30. 3. tum sign. *reducere*, *restituere*, *convertere*. An hoc loco ità sumatur non ausim affirmare. Hoc scio, esse qui legant, *Quia reversus est DOMINUS cum excellentia Jacobi*, *ut qui sit excellentia Israelis.* Nam גאון vocabulum est medium, & tam *excellentiam* sign. quàm *superbiam*. את quoque est articulus quarti casûs, & præpositio interdum. Sed literam כ eo sensu quo hic redditur, nempe pro *ut qui sit*, non facilè uspiam invenias. גאון יעקב vocantur aliquando ipsa Jerosolyma, ut Psal. 47. 4. *excellentiam Jacobi*, *quam dilexit.* Quæ de Jerosolymis intelligenda esse, docet alius locus ex eodem Davide, videlicet Psal. 87. 2. ubi sic ait, *Diligit Dominus portas Sion supra omnia habitacula Jacobi.* Sed magis quod Amos 6. 8. *Detestor ego excellentiam Jacobi*, *& palatia ejus odi*. Fuit autem tempus cùm existimarem *excellentiam Israelis* Samariam dici, & allusum esse ad historiam quæ refertur 2 Reg. 6, & 7. ut dicat, *Deus reddidit Jerosolymæ statum talem qualis fuit olim Samaria cùm à Syris obsideretur*, *& præter omnem opinionem liberaretur*. Sed nunc aliter existimo. *Jacobi* se vocabant peculiariter tribus Juda & Benjamin, cùm aliæ decem *Israelis* nomen sibi arrogassent. Id quod accidit post schisma XII tribuum. ¶ *Quia*, &c.] Licet etiam vertere, *cùm evacuarent eos evacuatores*, *& palmites eorum corrumperent.* ¶ *Evacuarunt* [Rapinis exinaniverunt. ¶ *Evacuantes*] Vastatores, depopulatores. Intelligit autem Assyrios, qui Judæam diripuerant ac vastaverant. ¶ *Palmites eorum*] Legitur & *propagines eorum*. Tralatio à Vineis. Solent autem literæ Divinæ populum Judaicum cum Vinea comparare; ut ibi, *Vineam traduxisti ex Ægypto.* Exponunt autem PALMITES EORUM, i. *urbes eorum*. Lyra, *filios ac filias eorum*. Alii, *terræ proventus eorum*.

3. *Clypeus*, &c.] Describitur Babyloniorum exercitus contra Niniven veniens. Posses legere, *Arma fortium ejus rubefacta*. Nam & *arma* vocant Latini Scuta, ut ibi, *Tarpeia necata armis Sabinorum*: & contrà מָגֵן usurparunt Ebræi aliquando pro *armis*, i. נשק. Vide Conjectanea in edit. Græcam ad h. l. Credibile autem est, non scuta modò, sed etiam alia arma quibus corpus protegebatur, rubro colore tincta fuisse. Porrò *clypeus* מגן dicitur à *protegendo*; nam גנן est *protegere*. Usúsque est singulari pro numero Multitudinis. ¶ *Fortium ejus*] Nabuchodonosori videlicet. גבוריהו autem novè dixit pro גבוריו. Et *fortes* vocat δυνατὰς καὶ μαχίμους, quos *bellatores* Latini appellant. ¶ *Rubefactus*] Vel quòd eum colorem olim scuta referrent ad metum incutiendum hostibus, vel quòd antiqui sanguine rubefactos clypeos gestarent. Quod signum esse credebatur boni militis, utpote qui ex hostium sanguine clypeum tinxisset. Sciendum verò per hunc colorem significari Crudelitatem. Itaque perhibent Temirlanem (*Tamberlanum* alii vocant) quoties urbem aliquam obsedisset, altero die usum fuisse tentorio rubro, ut puberum cædem denotaret. Pro *rubefactus* quidam legunt *rubricatus*, dubito an bene. Nam *rubrica* est genus terræ, unde participium *rubricatus*. A quo diversum, meo quidem judicio, מאדם participium ab אדם *rubesco*, *ruber sum*. ¶ *Viri militares*] אנשי חיל nunc appellat quos priùs גברים appellaverat. Sonat autem hic sermo *viri exercitûs* aut *viri roboris*. Nam חיל utrumque sign. sicuti apud Græcos nomen δύναμις modò *exercitum* modò *robur* ac *potentiam* designat. ¶ *Coccineis amicti*] Utrùm armis, an vestibus? Proditum est de Lacedæmoniis quòd vestitu usi sint rubro cùm ad pugnam irent: ídque ob eam maximè causam, nè

ma-

manans cruor per discolorem vestem animum simul ipsis demeret, & hostibus adderet. *Coccus* שני dicitur, & aliquando תולע: unde participium מתלעים *cocco tincti*, quod reddunt *vermiculati*, nempe quia תולע propriè *vermiculum* sonat: ponitur autem pro colore quem vulgò Arabicâ voce *Carmosinum* vocamus, qui vel ex ovis vermiculorum vel ex granis seminibúsque tingitur. Nam hodiéque adhuc granis quibusdam ad cocci tincturam utuntur. ¶ *In igne tadarum currus*] Videbuntur currus in igne esse qualis esse solet tædarum sive lampadum ardentium. Hoc dicit propter rotas quæ ignem excutiunt si per silices aut loca saxosa citato impetu agantur. פלדות alibi non exstat: unde difficile dictu quid eâ voce propriè significetur: mihi quidem certè non liquet. Ebræi putant ex לפידים inversis literis factum פלדות, cujus sing. esset פְּלָדָה, vel certè פְּלָדָה, ut Elias arbitratur. Potest etiam sensus esse, *currus ejus cum tadis ignitis*, ut dicat eos qui in curribus illis erant (falcatos currus intelligit: quorum usus frequens illo tempore) tædas ignitas vel ardentes gestasse. Quod si admittimus, erit Hypallage, *in igne tadarum currus*, pro *in curru tada ignita*. Forsan hæ tædæ serviebant ad nocturnum lumen. ¶ *Quo die apparabit eos ipse*] Vel *die quo instruet ipse*. Vult dicere, *tum cùm Nabuchodonosor instruet prælium*, vel *cùm præparabit se ad expeditionem adversùs Niniven*. ¶ *Abietes*] Alii *proceres Nini*, alii *lanceas abiegnas* exponunt. Sunt etiam qui de ipsis arboribus accipiunt, ut hâc sententiâ, Currus isti tanto impetu feruntur ut abietes ipsáque adeò nemora contremiscant. Vide sequentia. ¶ *Concussa fuerunt*] הרעלו accipio ac si esset הרעדו Nam hæ literæ alternant. Sic *cassila* dicebant antiqui & *cassida*. Sic *lacryma* & *dacryma*, *calamitas* & *cadamitas*. Sic denique ἔδαφος & ἔλαφος, *cervus*. Vulgò *tremuerunt* רעדו. Ebræi ferè accipiunt in significatione *veneni*, quod vocant כוס התרעלה: & eundem sensum esse affirmant in הרעלה: itaque in nonnullis ed. legitur *venenatæ fuerunt*. Iidem per *abietes* intelligunt lanceas. Quo genere loquendi qui usi sunt, *lignum* posuerunt pro *lignea custodia*, & *aurum* pro *aureis vasis*. Solebant autem antiqui ut tela ità lancearum cuspides veneno tingere, quemadmodum Ebræus David observat. Jonathan qui per *abietes* denotari putat *duces exercitûs*, interpretatur ארעילו *amicti fuerunt vestibus purpureis* (purpuratos innuit) nempe quia רעלות amictûs genus est quo mulieres olim ornabantur. Quidam arbitrantur esse velum quo faciem tegebant, oculis exceptis, quod Arabicâ linguâ ברקע dicitur. Sed quid hoc ad vestes purpuratorum?

4. *In vicis insanient currus*] *More insanientium discurrent per vicos*. *Currum* autem dixit cùm ipsos vectores significaret, ut 2 Sam. 10. 18. *interfecit septingentos currus*. Sic Jer. 12. 5. *equus* poni videtur pro *equite* ipso. Contrà Virgilius *equitem* dixit pro *equo*. Qua de re videndus Aulus Gellius l. 18. c. 5. ישתקשקון verbum est à *coxis* deductum. *Coxa* enim שוק dicitur Ebræis. Significat autem propriè *coxas collidere inter se*, quod fit ab iis qui properè iter faciunt. Itaque Santes edidit *celeriter ambulabunt*. ¶ *Aspectus eorum tanquam tadarum erit*] *Similis erit flamma tadarum*: q. d. Ignis ex eorum oculis emicabit. Innuit autem Ferociam & Truculentiam. Alii, quod minùs probo, Pudorem significari putant: Nam in eo facies rubore suffunditur. Hoc sensu dicimus vulgò, *Ità rubet ut ignis*. Et Jesaias quoque dixit, *Vultus flammarum, vultus eorum*. לפדם scriptum in libris pro לפידים. Id alii *tadas*, alii *faces* interpretantur. Quidam *lampades*: Quæ vox orta videtur ex Ebraico לפיד LANPHID, λαμπὰς, ut קרן κέρας, i. *cornu*. Vide Cadmum nostrum. ¶ *Sicut fulgura discurrent*] h. e. Velocissimé. Nihil enim fulgure velocius: cujus ea vis est ut antè oculos feriat quàm plenè cerni aut coeuntibus palpebris vitari possit. Matth. 24. 27. *Sicut fulgur exit ab Oriente, & apparet usque in Occidentem; ità erit adventus Filii hominis*. Luc. 10. 18. *Spectabam Satanam sicut fulgur de cælo cadentem*.

5. *Recordabitur*] *Recensebit: Memorabit*. Quidam legunt, *Recordabuntur inclyti ejus*. Quod si recipitur, erit constructio talis qualis apud Græcos τὰ ζῶα τρέχει. Sic בנות צעדה *filiæ incedunt*, חכמות נשים בנתה *sapientes mulierum ædificant*, בהמות תערוג *bestiæ clamant*. Hujus constructionis ea vis est ut si dicas, *Unusque eorum recordabitur*, nempe officii sui ejúsque quod Rex jusserit. ¶ *Inclytos suos*] Vel *magnificos*. Priùs erat *fortium suorum*, i. גבוריו. ¶ *Offendent*] Præ nimia festinatione videlicet. Scitum illud, *Festina, & impinges*. ¶ *In incessu suo*] הליכותם scriptum, sed puncta docent legendum esse הליכתם numero sing. ¶ *Ad murum ejus*] Murum Ninives intelligit. Nam He punctum habet in ventre. Aliàs posset accipi dictum חומתה pro אל חומתה. ¶ *Postquam paratum erit*] והכן. Hîc Vau accipio pro אחרי ש. Nam priùs vineæ apparantur quàm muros invadant milites. ¶ *Tegumentum*] Sub quo tecti milites murum subeunt. *Vineas* intelligit aut *pluteos*. Quod cognosces ex his Camii verbis, סכך *est tabulatio pellibus obducta, sub qua ceu clypeo quodam tecti milites adversùm missilia oppidanorum urbem invadunt & muros subeunt, submoliunturque ac cuniculos agunt. Caterùm in lingua barbara seu vernacula vocatur Talpa*. Hactenus ille. Vetus ed. *umbraculum*, i. סכה.

6. *Porta fluviorum*] Significat hostes ingressos fuisse per eam partem urbis quam Tigris præterlabitur. Cur dicit *fluviorum*? An plures fluvii urbem præterfluebant? An *fluvios* dicit de uno Tigri? Sic Matth. 2. 20. τεθνήκασι de solo Herode: & Gen. 46. 15. *filiarum ejus* de sola Dina. Eucherius ad hunc postremum locum, *Deinde & illud non dubium est, in una filia filias nominari, plurali numero pro singulari posito*. Idem in libros Regum, *Pluralem numerum pro singulari posuit, more Scriptura usitatissimo; ut in Jesu Nave*, Filii autem Israel prævaricati sunt de anathemate, *cùm Achan solus, & non plures, hoc fecerint*. Solent ad eundem modum & Comici numeros commutare. Plautus Sticho, *Novi ego nostros: exorabilis est*. *Nostros* ait, cùm de solo patre loqueretur: ut alibi, *ego rectè meis dabo*, de uno milite. ¶ *Aperta sunt*] Vel quòd hostes eas effregerint, vel quòd proditione urbis venerint in potestatem Chaldæorum. Nam de hac re certum aliquid affirmare non possumus. ¶ *Et palatium dissolutum*] Tam potest accipi de palatio Regis quàm de templo Nesroch. Quidam putant palatium istud, cùm situm esset juxta portas quas hostes ingressi sunt, illis effractis, simul dissolutum fuisse.

7. *Et Hussab*] Nomen Reginæ, ut apparet. Variè tamen exponitur, neque ego cuiquam hîc præjudico. Afferat alius quod magis probemus, gaudebimus. ¶ *Retecta*] Ex gynæceo in publicum producta. Potest etiam accipi ut intelligamus eam nudatam fuisse iis ornamentis quibus mulieres se velare solebant. Santes *captiva ducta est*, id est, הגלתה. ¶ *Abducta fuit*] העלתה ad verb. *ascendere facta fuit*, h. e. in curru collocata, atque ità abducta in exsilium. Dictam autem volunt eo nomine הצב, vel quòd ad latus Regis staret, juxta illud, *Stat Regina à dexteris tuis*: vel quòd *carpento* sive *lecticâ* veheretur. *Lecticam* enim Ebræi & Syri צב vocant; unde הצב q. *carpento vehi solita*. Potest ità esse: tamen mihi non videtur. ¶ *Deducentes eam ceu voce columborum*] Deest quippiam. Oratio plena erit si legas, *deducentes eam, & gementes ceu voce columborum*, h. e. gementes ut columbi. *Gemere* autem הגה dicitur Ebræis: ut Jes. 38. 14. אהגה כיונה *gemebam ut columba*. Sic 59. 11. כיונים הגה נהגה *ut columbi gemendo gemimus*. Legitur & *comitantes*. *Deducere* autem posuit pro *deducere & gemere*, unum pro duobus. Tale est, *Capies carbones ignis supra caput ejus*, pro *capies & pones*: item Matth. 4. *accepit eum*, pro *acceptum transtulit*. ¶ *Tundebunt pectora sua*] In Ebræo habetur מתופפות. Verbum hoc translatum est ab iis qui tympana pulsant. Nam תוף *tympanum*, quod Euripides appellat βυρσότονον κύκλωμα, quippe membranis utrinque clausum. Hispani *Aduse* indigitans, & Frisii *Dob*, haud obscuro vestigio vobabuli Ebraici. Sonat igitur מתופפות, ut verbum è verbo exprimas, *tympanizantes*. Hujus sing. מתופף *tympanista* sive *tympanistes* vel *tympanotriba*, & fem. מתופפת *tympanistria*.

8. *Et Ninive sicut*, &c.] Significat Niniven hominibus refertam & populosam jam olim fuisse. *Aquæ* enim *multæ* multi sunt populi. Apoc. 17. *Aquæ, quas vidisti, populi sunt & gentes*. Huc respexit Propheta Jesaias 8. 7. cùm ait, *Ecce DOMINUS adducit contra vos aquas fluminis istius, fortes & multas, videlicet Regem Assyriorum, & omnem gloriam ipsius*. ¶ *Piscina aquæ*] Videtur esse Pleonasmus. Nam *piscina* vocatur aquæ receptaculum. Sed non est ità. Nam *piscina* dicitur licèt aquâ careat. *Aquæ* autem *piscina* non vocatur nisi aquam habeat, vel potiùs nisi plena sit aquâ. Ergò *piscina aquæ*, i. aquâ referta. *Piscina* hîc simpliciter pro *aquæ receptaculo* ponitur; cùm potiùs sit lacuna in qua pisces vivi adservantur: nam à *piscibus* dicta. ¶ *A diebus*] Πρόπαλαι. מימי novè dixit pro מימים: aut subintelligitur קדם, ut sit מימי קדם quod dicunt & מקדם, *ab antiquo*, & מימים קדמונים, *à diebus antiquis*. Latinè autem *jam olim, jam longo tempore, jam aliquot seculis*. Fuisse autem Niniven populosam admodum paret ex historia Jonæ, in cujus extremo narratur quòd *fuerint in ea plusquam 12 myriades hominum qui non internoscebant dexteram à sinistra*. Quo dicto circumloquitur ætatem parvulorum. Si ergò tantum erat parvulorum, quantum putas fuisse virorum & feminarum? ¶ *Et ipsi fugiunt*] Cives, inquit, captâ urbe, cùm revocarentur ac stare juberentur, nè quidem semel respexerunt, nedum ut à fuga eos avertere aut retrahere quis-

quisquàm potuerit. ¶ *State, state*] Gradum sistite & viros vos præstate, memoresque pristinæ virtutis patriam defendite. Hæc dicuntur vel εἰρωνικῶς ab ipso Propheta, vel à civibus iis qui judicabant honestius esse occumbere quàm patriam indefensam relinquere & in tanto periculo deserere.

9. *Diripite argentum*] Apostrophe ad victores. Sunt autem verba Prophetæ. Aut hæc milites dicunt se invicem hortantes ad direptionem urbis. ¶ *Et infinitum hunc apparatum*] ואין קצה לתכונה *& non est finis huic apparatui*: q. d. Apparatus iste infinitus est. *Apparatum* autem vocat opes vel ad luxum vel ad usum necessarium præparatas, videlicet pecuniam, thesauros & cimelia Ninivitarum. ¶ *Gloria erit ex omni supellectili*, &c.] 2 Par 32. 27. *Et fuerunt Ezeciæ opes & gloria multa, & thesauros sibi fecit auri & argenti, & lapidum pretiosorum, & clypeorum, & omnium vasorum expetibilium.* Nam gloria hominis ex divitiis, & potissimùm ex supellectili vestitúque pretioso. כלי appellant Ebræi *supellectilem*, in qua & vestes: Unde sæpe pro *vestibus* sumitur. Sed & *arma* significat. Itaque locum illum, *Mulier non induet vas viri*, alii *vestes*, alii *arma* exponunt. Quidam מן comparativè accipiunt, ut dicat, *Major gloria erit ex illa præda quàm ex ulla alia re desiderabili.* Nam כלי חמדה dicitur *quævis res expetibilis*. Unde Avoth נתן לישראל כלי חמדה, i. *Legem*. ¶ *Desiderata*] Aut *desiderabili*, h. e. pretiosa. Nam quæ talia sunt, ea avidè desideramus & expetimus.

10. *Vacua & evacuata*] Ebraica verba בוקה ומבוקה cùm synonyma sint, & ab eodem themate, tamen formam diversam habent. Talis elegantia est Jer. 16. 19. יהוה עזי ומעזי *DOMINUS fortitudo mea & robur meum.* בוקה potest esse Paul; sed melius ut sit nomen formæ פורה *torcular*. Sic מבוקה nomen est formæ מנוחה *quies*. ¶ *Dilacerata*] מבלקה alii *succisa* alii *interrupta*, alii *exinanita*. Quidam *desolata*, *inculta vasta*. Cæterùm בלק in lingua Arabica ex iis verbis est quæ actiones contrarios designant. Nam & *claudere* significat & *aperire*. Sed & בלוקה vocatur locus in quo nihil germinat, hoc est locus squalidus, & vastus, sitúque sentus. Usus est hoc verbo Jesaias cap. 25. *evacuat terram & evastat eam.* ובולקה. Videndus Camius junior in libro Radicum. ¶ *Cor liquefactum*] Præ metu. Ezec. 21. 7. *liquefiet omne cor, & omnia genua ibunt in aquam* Jos. 5. 7. *liquefactum est cor populi & fuit in aquam*, id est aqua. Jesa. 13. 7. *propterea omnes manus remittentur, & omne cor hominis liquescet.* Porrò in magno metu hanc formulam usitatam fuisse docent exempla quæ nunc subjiciam. Deut. 1. 28. *fratres nostri liquefecerunt cor nostrum, dicendo, Populus iste magnus est, & procerus magis quam nos:* & 20. 8. *Qui est meticulosus, & corde tenero, abeat, & revertatur domum, nè liquesiat cor fratrum ipsius, sicut cor ejus.* Item Jos. 1. 11. *Audivimus, & liquefactum est cor nostrum, & non perstitit ultrà spiritus in quoquam:* & 5. 1. *liquefactum est cor eorum, nec fuit in eis ultrà spiritus.* ¶ *Collisio genuum*] Vel *tremor genuum*. Naturale hoc est in magno pavore, ut genua tremor occupet, sanguine confluente ad cor opis ferendæ gratiâ. פק. Deest Joth ut sit פיק. Nam ità scribitur cùm plenè scribitur: notatum hoc à Massoritis. *Collisionem* id est נקיש exponunt Jonathan & Rabbi David. Alii *lapsus genuum*. Nam פוק *offendere*, *labi*, *impingere*. Labant autem genua in metu & debilitate corporis. ¶ *Dolor*, &c.] Jes. 21. 3. *Propterea repleti sunt lumbi mei dolore; tormina apprehenderunt me, sicut tormina parturientis.* Vide & Jes. 13. 8. חלחלה *dolor vehemens & acerbus*. Quidam *cruciatum* reddunt. Ab aliis redditur *invaletudo*, & ab aliis *infirmitas*. Thema est חול *doluit*: unde חיל כיולדה *dolor tanquam parturientis*. ¶ *In cunctis lumbis*] Quid venit in mentem Interpretibus ut hic verterint *renibus*? Sic sanè Hier. vertit, & post eum Santes. Nec Arias id correxit. Scire licet *renes* כליות dici: מתנים autem sunt *lumbi*, sedes roboris ac virium. ¶ *Facies omnium eorum contraxerunt nigrorem*] Ad verb. *contraxerunt ollam*. *Ollam* autem posuit *ollæ speciem* sive *nigritudinem*. Vide quæ observamus ad proverbiale, *Ollam contrahere*. *Olla* פרור dicitur absque Aleph. Idem פארור significat. Aleph ergò inserta per Epenthesin; & radix פרר. Manahem homo Ebræus à פאר derivat, hoc sensu, *& facies omnes contraxerunt pulcritudinem suam.* Sic alibi, *& omnes stellæ collegerunt splendorem suum:* quod idem cum illo, *obscuratæ fuerunt*. Huic sententiæ robur adimit discrimen quod inter אסף & קבץ, observatum olim à Camio seniore: de quo aliàs, si Deus concedet.

11. *Ubi habitaculum leonum*] Hic Assyriis devictis Propheta satis amarulenter insultat, avaritiam & rapacitatem eâdem operâ perstringens. *Ubi nunc*, inquit, Ninive, quæ solet esse quasi quoddam *lustrum leonum*, &c. *Leones* autem eos vocat ob dominandi prædandíve libidinem, vel διὰ τὴν ὠμότητα, h. e. *propter crudelitatem & tyrannidem* quam exercuerunt in devictas gentes. Sic Apostolus Neronem ob sævitiam *Leonis* vocabulo afficit. ¶ *Et pascuum est leunculorum*] Vel, *& quod pascuum erat juvenum leonum* h. e. in quo pasci solebant *juvenes leones* sive *leunculi*. V. Int. *catulorum leonum*. Eodem modo Santes, malè. Nam *catulus* גור dicitur. כפיר autem est λεοντιδεύς, h. e. *leo juvenis*, cui respondet לביא *leo provectæ ætatis*. Ebræi enim Leonum nomina sic distinguunt secundùm ætates: qua de re fusè diximus Observ. l. 10. c. 4. ¶ *Ubi versabatur leo, vetulus leo*] אריה לביא. Has voces ità discriminant, ut אריה *leo* sit nomen generale ad omnes ætates, לביא verò sit proprium exitæ ætatis, ut dictum est; itaque transtulimus *vetulus leo*. Nam qui *leunculum* hîc referunt, vehementer errant. ¶ *Et catulus leonis*] גור אריה ἀσύνδετον. Tale est שמש ירח, *Sol & Luna*.

12. *Leo*] Rex cum satrapis suis. ¶ *Rapiens sufficienter pro catulis*] אריה טורף בדי גורותיו *leo rapiens pro sufficientia catulorum suorum*, h. e. quantum satis erat *catulis suis*, soboli suæ. Licet etiam legere *leo rapiens pro catulis suis*, ut ד sit adjectio syllabica. ¶ *Et suffocans*] Aut *strangulans*; propriè admodum. Mos enim leonum rapta animalia strangulare: Siquidem prenso collo viam præcludunt spiritui, atque ita suffocant ea. ¶ *Pro leænis suis*] Uxoribus suis. ¶ *Antra sua*] Alii *cavernas suas*, alii *speluncas*, alii *foramina sua*. Hoc postremum vox Ebræa propriè sign. ¶ *Habitacula*] *Lustra*, *latibula*. ¶ *Rapinâ*] Raptis ac suffocatis animalibus.

13. *Ecce ego ad te*] Niniven alloquitur *Ego*, inquit, *ad te venio*, pœnas exacturus de prædationibus tuis. ¶ *Comburam*] Vel *Succendam*. ¶ *Fumo*] Combustione fumi, i. luculentâ. In verbo *comburo* inclusum verbale. Quale est, *nè dormiam mortem*, pro *somnum mortis*. Aut *cum fumo*, i. cum ira. Nam *fumare* usurpant pro *irasci*, Prius magis placet; eíque firmando est Jud. 20. 40. *& combustio illa columna fumi cœpit ascendere:* & Scholion Ebræum, FUMO, *i. igne magno, cujus fumus procul conspicitur.* Lat. V. *ad fumum*. Nam quod in quibusdam libris *ad summum*, perspicuè mendum est manu imperita. ¶ *Currus ejus*] *Ejus* dixit pro *tuos*; & *currum*, i. רכב, pro *currus*. Sic alibi, *Non multiplicabis tibi equum*, i. equos. Aut *currus ejus* πλῆθος ἁρμάτων αὐτῆς. ¶ *Leonculos tuos*] Innuit Principes juniores. Aut *leonculos tuos*, i. milites tuos. Hos Ebræi vocant בני חיל *filios exercitus*. Cæterùm pronomen *tuos* referri debet ad *Niniven*: est enim fem. in Ebræo. Sic *currus ejus*, *Ninives* videlicet. ¶ *Comedet gladius*] Facetè, quasi de animali sermo esset. Sciendum verò Ebræos verbum אכל *comedo* non ad Gladium modò, verùm ad Ignem etiam transferre consuevisse. ¶ *Exscindam è terra prædam tuam*] Ea quæ filii tui prædati sunt. Aut lege *prædationem tuam*. Efficiam, inquit, nè posthac urbem deprædaris & rapinis exhaurias. ¶ *Nunciorum tuorum*] *Legatorum tuorum*. Huc accommodari debent quæ de Rabsace memorantur in historia Sacra. Non enim dubito quin eò respexerit Prophetes. Quod attinet nomen Ebræum מלאככה, observatum est ultimum Tsere positum esse loco Camets, in quo quiescit ה: tale quale in אותכה & similibus, ità ut sit pronomen geminum: ac masculum quidem aiunt pertinere ad *Assyrium*, femineum verò ad *Ninive*. Hoc modo R. David opinatur: A quo diversus abit Jonas Grammaticus antiquus, qui scribit Tsere posteriore loco positum esse pro Chiric, & He pro Joth. Nam scribi debere juxta formam usu receptam מלאככי. Ego simpliciter putarim He additum per Paragogen. Nam hujusmodi He non in Camets solùm sed etiam in Segol quiescit, cujus loco hic Tseri ponitur. Nam de facili hæ vocales permutantur.

IDEM.

1. Ἐμφυσῶν] i. מפיח. Non levis error pro מפיץ *dissipator* ἐμφυσῶν, i. *insufflans*, sive *qui insufflat*. Hoc modo reddunt Aug. & Hier. ¶ Ἐξαιρούμενος] i. *Eruens*, ut est apud Hier. sive *eripiens*, ut apud Aug. Videntur legisse נצל, h. e. Lamed pro Resch, ut capite superiore ἐξαίρων erat, i. מושל pro מושר. ¶ Ἐκ θλίψεως] i. מצרה, quod nunc מצורה longè alio sensu & legitur & scribitur. ¶ Σκόπευσον] Sic 1 Reg. 4. σκοπεύων τὴν ὁδόν. Alibi est σκόπευσον. ¶ Ἄνδρισαι τῇ ἰσχύϊ] In editis ad exemplar Toletanum ἄνδρισαι, ἴσχυε. Minùs probo.

2. Ἐκτινάσσοντες] In nonnullis cod. ἐντινάσσοντες Prius verius. Est autem participium pro nomine, ut cùm λέγοντες dicimus ipsos *oratores*, & *discentes discipulos*.

3. Ὅπλα] *Arma*, i. ſcuta; ut, *Tarpeia necata armis Sabinorum*, i. ſcutis: & *ancilia arma*, i. *ſcuta*. Lexicon Græcolat. *V.* Ὅπλον, *telum*, *ſcutum*. Hoc ideo quia in Ebræo eſt מגן, quod propriè *ſcutum* denotat. Aut מגן ſunt ὅπλα, vocabulo latius accepto, ut Jeſ. 21. 5. משחו מגן, ubi Jonathan זינא retulit, i. *arma*. Sic loricæ & galeæ, quia hominem protegunt, מגן dici poſſunt. ¶ Δυναςείας αὐτῦ] Alibi eſt αὐτῶν pro αὐτῦ, i. גבוריהו. Quanquam גבור *fortem*, non δυναςείαν ſignificat. In Hier. *arma potentiæ ejus*. ¶ Ἐξ ἀνθρώπων] מאדם pro מְאָדָּם. ¶ Ἐμπαίζοντας] מתלעים non eſt in uſu: tamen, ut opinor, ſic legerunt, aut mendum eſt in Græca ſcriptura. ¶ Αἱ ἡνίαι] פלדות *habenas* interpretatur quoque Hier. nuſquam alibi legitur, quod ſciam. ¶ Ἑτοιμασίας αὐτῦ] Libri ad E. C. ἕτοιμα αὐτῶν· & mox καὶ οἱ ἱππεῖς αὐτῶν. ¶ Οἱ ἱππεῖς] *Equites*, i. פרשים. Erratum igitur in Beth & Phe. Nam ברשים *abietes*.

4. Ἐν ταῖς ὁδοῖς] Non ὁδοῖς ſed ἐξόδοις eſt in C. & apud Hier. *in exitibus*. ¶ Συγχυθήσονται] Libri ad E. C. συγχυθήσεται.

5. Ἡμέρας] Ἐν ἡμέραις C. ¶ Τείχη αὐτῆς] Αὐτῆς aberat in aliis omnibus ed. ego adjeci ex Romana.

6. Τῶν πόλεων] Libet ariolari. Scripſerunt initio τῶν ποταμῶν: indè fecit poſtea τῶν πόλεων neſcio quis, cùm *portæ fluminum* quænam dicerentur ignoraret. Nam imperitia quod non audet? ¶ Τὰ βασίλεια] i. *Regia*.

7. Ἀπεκαλύφθη] Aldus, & qui ejus editionem ſecuti ſunt ὑπεκαλύφθη. ¶ Καὶ αὐτὴ ἀνέβαινε] Alibi eſt καὶ οὐδεὶς ἀνέβαινε. Præfero prius.

8. Ὕδατος] Aliàs ὑδάτων. ¶ Τὰ ὕδατα αὐτῆς] מימיהא. Sic Latina V. *aquæ ejus*. הא pronomen eſt merè Chaldaicum.

9. Ἐπιθύμητα αὐτῆς] Legerunt חמדה cum Mappic in He, ut paulò antè τῦ κόσμυ αὐτῆς תכונה. Cæterùm in priore loco libri quidam αὐτῶν ediderunt, ſed minùs rectè.

10. Καὶ ἐκβρασμὸς] *Propriè* ἐκβρασμὸς, ait Hieronymus, *in iſtiuſmodi rebus ponitur cùm quod latebat intrinſecùs erumpit in faciem. Unde papulæ quoque quæ poſt ægrotationem naſcuntur in labiis, vocantur* ἐκβράσματα *& ſanitatis videtur indicium, morbum in ſuperficiem prorupiſſe.* ¶ Τὸ πρόσωπον] C. τὰ πρόσωπα. ¶ Πρόσκαυμα] Ità ſcriptum oſtendi in R. & C. In aliis erat πρόκαυμα. Lex. V. Προσκαίω, *aduro*.

11. Τῦ εἰσελθεῖν] לבוא. Error in Joth & Vau. ¶ Σκύμνος λέοντος] In R. reperi σκύμνου λέοντος, quod non diſplicet. ¶ Καὶ οὐκ ἦν] καὶ οὐκ ἔστιν.

12. Ἀπέπνιξε] Libri quidam ἐπέπνιξε. ¶ Ταῖς λέαισιν αὐτῶν] In verſione Lat. Hier. *leænis ſuis*. ¶ Νοσσιὰν αὐτῶν] Hîc νοσσιὰν dixit antrum in quo leones ſtabulant. Dignum notâ.

13. Πλῆθός συ] Vult dicere πλῆθος ἁρμάτων συ. ¶ Ῥομφαία] Aliàs μάχαιρα. ¶ Ἔτι] Rom ὐκ ἔτι. ¶ Τὰ ἔργα συ] Lapſi ſunt in מלאכה *opus* & מלאך *nuncius*: unde eſt; quod hîc occurrit, מלאככה *nunciorum tuorum*: id arguit dictio קול, quæ omiſſa ab Interpretibus.

GROTIUS.

1. A*Scendit qui diſpergat coram te*] Jam deſignatiùs modum eum quo eventura eſt ea, de qua egit, mutatio explicat. *Adſcendit adversùm te diſſipator*, murorum ſcilicet tuorum, Chaldæus. ¶ *Qui cuſtodiat obſidionem*] *Obſeſſum munimenta tua*. ¶ *Contemplare viam*] Chaldæus Interpres ſumſit & hoc infinitivè, *ſpeculatum vias*. Venit ut in omnibus viis ſpeculas ponat, nequis ad ſe penetret. ¶ *Conforta lumbos*] Id eſt, accingere gladio. Vide 2 Samuel. 20. 8. 2 Regum 4. 29. ¶ *Robora virtutem valde*] *Auge copias quamplurimùm*: quaſi dicat, Fruſtrà omnia. Simile habes Eſaiæ 8. 9. 10.

2. *Quia reddidit Dominus ſuperbiam Jacob, ſicut ſuperbiam Iſraël*] *Reponit Deus* (Aſſyrio) *illam ſuperbiam quam ipſe in Jacobo & Iſraële exercuit*, deportando Decem tribus & obſidendo Hieroſolyma. ¶ *Quia vaſtatores diſſipaverunt eos*] In Hebræo, *Quia* (Aſſyrii) *vacuefaciendo vacuefecerunt eos*: planè omnia eripuere Judæis & Iſraëlitis. ¶ *Et propagines eorum corruperunt*] *Oppida & vicos*. Ità Chaldæus Interpres.

3. *Clypeus fortium ejus ignitus*] *Rubet*, nempe à ſanguine. Chaldæos deſcribit. ¶ *Viri exercitûs in coccineis*] *Milites coccinati*. Tali ſago multùm uſos Orientis populos, ex Herodoto etiam diſcimus. ¶ *Ignea habena currûs in die præparationis ejus*] *Igne* quaſi *lampadarum* coruſcant *currus eorum tempore expeditionis*, nempe ſcintillantibus rotis. ¶ *Et agitatores conſopiti ſunt*] *Abietes venenatæ ſunt*: id eſt, tela ex abiete. A Scythis is mos venerat, qui *ſagittas tingebant viperinâ ſanie, & humano ſanguine*, quo *irremediabili ſcelere mortem illico adferri levi tactu* tradit Plinius 11. 53.

4. *In itineribus conturbati ſunt, quadrigæ colliſæ ſunt in plateis*] *In viis perſtrepent currus, concrepabunt per plateas*, nempe *armis*, quod ſubaudiri hîc vult Chaldæus Interpres. ¶ *Aſpectus eorum quaſi lampades*] Oculi ardentes. ¶ *Quaſi fulgura diſcurrentia*] *Quaſi fulgura confringunt obvia omnia*. Sic fulmini Alexandrum comparant Lucanus & Plutarchus.

5. *Recordabitur fortium ſuorum*] Rex Babylonius ad oppugnationem fortiſſimum quemque diliget. ¶ *Ruent in itineribus ſuis*] Quiſque primus eſſe volet in oppugnatione, ità ut feſtinantes alter alterum evertant. ¶ *Velociter aſcendent muros ejus*] *Dum properant ad murum*. ¶ *Et præparabitur umbraculum*] *Teſtudo*, quâ recti ſubruant mœnia.

6. *Portæ fluviorum apertæ ſunt*] *Pontes fluminum diſſoluti ſunt*. Ità Chaldæus Interpres. ¶ *Templum ad ſolum dirutum*] Idem Chaldæus: *Palatium liquefactum*, id eſt, perterriti qui in palatio erant.

7. *Et miles captivus abductus eſt*] *Niſibis captiva abducitur: jubetur adſcendere*. *Niſibis* ſcribebatur Aſſyriis נצב, ut ex Stephano diſcimus, qui *cumulum* interpretatur. Huic nomini additur hic articulus demonſtrativus, quaſi dicas: *Illa Niſibis adeò prædicata jubetur adſcendere*, id eſt, Babylonem versùs abducta plebs. ¶ *Et ancillæ ejus minabantur*] *Minabantur* hîc intellige, *agentur pecorum ritu*: nam hoc ſenſu id verbum ſæpe uſurpat Hieronymus. *Ancillas* intellige oppidula & vicos; per ea autem ipſos qui in iis habitaverant. ¶ *Gementes ut columbæ*] Senſus bene expreſſus. in Hebræo, *juxta vocem columbæ*. ¶ *Murmurantes in cordibus ſuis*] *Percutientes ſuper corda ſua*: id eſt, *tundentes pectora palmis*.

8. *Ninive quaſi piſcina aquarum, aqua ejus*] Chaldæus Interpres, *Ninive antiquitus fuit ut piſcina aquarum*, id eſt, ſupra modum populoſa: nam *aqua*, populi. ¶ *Ipſi verò fugerunt*] *Ipſa aqua*, id eſt, populi. מים Hebræis maſculinum. ¶ *State, ſtate, & non eſt qui revertatur*] Ἔλλειψις [*defectus vocis*.] *Etiamſi clametur eis, State, State, nemo eſt qui reſpiciat*. Id enim מפנה.

9. *Diripite argentum, diripite aurum*] Jam Babylonios quaſi in re præſente alloquitur Propheta. Simile Eſaiæ 50. 26, 27. ¶ *Et non eſt finis divitiarum*] *Quorum* (auri & argenti) *nullus eſt finis* in ponderando. Olim nummi pendi ſolebant, unde *impenſa* & *expenſa*. ¶ *Ex omnibus vaſis deſiderabilibus*] In Hebræo, *magnificentia* (nempe opum Ninives) *ſupra omnia vaſa pretioſa*.

10. *Diſſipata eſt, & ſciſſa, & dilacerata*] *Vacuefacta, inanita, lacerata eſt* Ninive, direptis opibus regiis. ¶ *Et cor tabeſcens*] *Quia cor colliquatum eſt*: id eſt, nihil ipſis fuit animi, quod ſequentibus ſignis confirmatur. ¶ *Et diſſolutio geniculorum*] Obvênit ſcilicet illis, Danielis v. 6. ¶ *Et defectio in cunctis renibus*] Eſaiæ 45. 1. Ezechielis 29. 7. ¶ *Et facies omnium eorum ſicut nigredo ollæ*] Joël. 2. 6.

11. *Ubi eſt habitaculum leonum*] Ubi nunc regia illa Aſſyriorum, plena tot gentium ſpoliis, ut leonum ſpelunca? ¶ *Catulus leonis, & non eſt qui exterreat*] Hebraïſmus, pro *catulus leonis, quem nemo exterreat*.

12. *Leo cepit ſufficienter catulis ſuis*] *Leo qui caperet ſufficientia*. ¶ *Et necavit leænis ſuis*] *Ut ſtrangularet* (pecudes in cibum) *leænis ſuis*. ¶ *Et implevit*] *Impleret*.

13. *Ecce ego ad te*] *Tandem ad te ego veni*. ¶ *Et ſuccendam uſque ad fumum quadrigas tuas*] *Incendi ad fumum uſque currus tuos*, regios ſcilicet.

—— hic illius arma,
Hic currus fuit.

¶ *Et leunculos tuos comedet gladius*] Comedit. nam loquitur ut in re præſente. *Leunculos*, id eſt, milites in caſtellis circumjectis. ¶ *Et exterminabo de terra prædam tuam*] Efficiamnè ullas terras populeris ampliùs. Chaldæus Interpres ad commercia hoc trahit, quæ à Ninive Babylonem tranſiere. ¶ *Et non audietur ultrà vox nuntiorum tuorum*] Edicta ferentium. Vide Michææ 7. 11.

CAP.

CAP. III.

MUNSTERUS.

1. NON *recedit ab ea prædatio*] i. Ninevitæ continuè & fine intermissione vacant prædationibus. *Væ* igitur tibi: ecce hostis advenit cum maximo apparatu bellico. En *sonus flagelli* equos ad cursum incitantis, ecce *instrepunt quadrigæ* falcatæ, *subsilientes* ob nimium cursum, *hinniunt equi*, strepunt arma, candent *lamina lancearum ab equitibus in sublime levata:* & ubi venitur ad pugnam, tanta fit strages hominum ut omnes plateæ Ninive plenæ sint *cadaveribus*, & nemo possit per plateas inoffensè incedere, *cadaveribus* ubique gressum intercludentibus.

4. *Propter multitudinem fornicationum*] Reddit Propheta aliam causam quare Nineve fuerit evertenda, nempe quòd mores *elegantis scorti* imitata, abusa fuerit beneficiis Dei in perniciem aliarum gentium, quas primùm allexit quibus potuit insidiis donec vires imperii obtinuit, tunc pro libidine nationes quasque viciniores sibi subegit vi bellicâ & technis aliis.

6. *Projiciam super te abominanda*] i. Omni genere contumeliarum afficiam te, ut toti mundo fias ludibrio. Porrò ראי exponunt Hebræi pro רבר *stercore & re turpi.*

8. *Alexandria populosa*] Hæc urbs olim vocata fuit *No*, sicut & in Hebræo habetur. אמון autem quidam accipiunt pro Rege, & non pro המון *multitudine*, sicut & Jirmeiæ 46 diximus. Quis verò destruxerit Alexandiam ante excidium Ninevitarum, non constat ex Scriptura.

11. *Inebriaberis*] Scilicet calice maledictionis Dei: aboleberis & *absconderis* perinde ac si non fueris: & quæ à multis annis toti mundo fuisti terrori propter potentiam & tyrannidem tuam, jam in tua necessitate *quæres* externum *auxilium*, licèt frustrà. *Munitiones tuæ concussæ cadent* in terram *haud secus quàm cùm ficus maturæ* levi arboris attactu *decidunt* in terram.

14. *Hauri tibi aquas*] Hæc jubentur facere Ninevitæ, quæ tamen eis nihil prodesse poterunt. Et est Ironia. Jubentur autem *instruere latericium & cæmentum*, ut habeant lapides & *lutum*, quibus muri dejectas partes mox resarciant. Sed cùm hæc omnia fecerint magno studio, & nihil prætermiserint, tamen nihil proderit eis, cùm *ignis* injectus omnia exurere prædicatur, & *gladius* homines quosque *absumpturus sit in morem locustarum* depascentium locum uberem. Nec juvabit si contra hæc *innumeram hominum multitudinem* habueris, cùm omnes effeminatum cor habituri sint contra hostiles impetus, & inutiliores intra urbem quàm *locustæ*, quæ nihil agunt in agro nisi quòd segetem corrumpunt. Sed nec plurimi *negotiatores* illis proderunt, sed mox ut audierint famam belli *avolabunt* cum rebus suis *in morem locustarum.*

17. *Principes tui*] Kimhi in Radicibus putat nomen מנזריך esse à נזר *corona*, & non à *cæsarie*: ponitùrque decoris gratiâ Dages in Nun. Porrò טפסריך exponitur à R. S. pro פחותים *præfectis*: & est sensus, *Principes tui & majores quique, qui in te vixerunt magnâ tranquillitate, cùm supervenerit eis hostis, aufugient & interibunt, & non cognoscetur locus eorum.*

18. *Dormitaverunt pastores*] Dicit in Principibus & consiliariis non superesse aliquod consilium, robur aut opem ad conservandum populum, ideóque futurum ut populus quasi oves errantes dispergatur.

VATABLUS.

1. SAnguinum דמים] i. In qua effundi solet sanguis innocens. Describit causam eversionis Ninives & civium ejus.

2. *Flagelli* שוט] Quo scilicet equites urgent equos suos. ¶ *Commotionis rotarum* רעש אופן] *Impetus* agitationis *rotarum*, sub. *curruum falcatorum*. ¶ *Saltantium* מרקדה] *Subsilientium*, præ festinatione scilicet & celeritate, i. properantium: tunc enim videntur saltare.

3. *Eques*, &c. פרש מעלה וגו] Ad verb. *Eques erigens & laminam ensis & fulgurantem hastam.* *Laminam ensis* vocat ferrum ensis. *Fulgurantem hastam* intelligit ferrum hastæ, à fulgore & splendore: acsi dicat, Alii tenebunt manibus enses evaginatos, alii hastas sive lanceas fulgentes. Describit enim qualiter se habeant milites dum eunt oppugnatum aliquam urbem, & quæ illic faciant. ¶ *In corpora illorum* בגויתם] Sub. *Ninivitarum*, sive *Assyriorum*: q.d. Vix transire aut ingredi poterunt milites præ cadaveribus vel hominibus projectis & vulneratis.

4. *Decora gratiâ* טובת חן] Ad verb. *bona gratiâ*, i. speciosæ & gratæ. Comparat Niniven eximiæ meretrici, quæ arte quadam imponere solet amatoribus suis & allicere eos ad se. ¶ *Quæ vendit* המכרת] i. Quæ propter scelera sua efficit ut Assyrii & alii veniant in potestatem aliorum, quasi eos pecuniâ venderet.

5. *En ego ad te* הנני אליך] Ut c. 2. 14. ¶ *Et revelabo*, &c. וגליתי שוליך וגו] Hebraismus, pro, *revelando injiciam extremam partem vestimentorum tuorum in faciem tuam.* Perstat in Metaphora: i. maximis probris te afficiam. Nullum enim probrum majus isto inferri potest mulieri. ¶ *Turpitudinem tuam* מערך]. *Nuditatem tuam*, i. pudenda tua: h. e. Efficiam ut gentes & Regna videant ac cognoscant flagitia & imposturas tuas.

6. *Abominationes* שקוצים] *Inquinamenta*: i. reddam te turpem & fœtidam ac sordidam. ¶ *Atque contumeliis afficiam te* ונבלתיך] *Et cadaveribus inquinabo te.* ¶ *Tanquam inquinamentum* כראי] *Tanquam stercus.*

7. *Ità ut* והיה] Ad verb. *Et fuit.* ¶ *Elongaturi sint se* ידוד] *Recedent*; *subducent se.* Singulare est: q. d. Unusquisque ex iis qui te viderint recedet. ¶ *Undénam quæram* מאין אבקש] i. E qua regione accersam.

8. *Numquid melior es civitate*, &c. התיטבי מנא אמון] *Numquid præstantior es No multitudinis*, i. Alexandriâ Ægypti, sive, ut Chaldæus P. *Alexandriâ magnâ*: i. Numquid melioris fortis aut conditionis, h. e. fortior. ¶ *Quæ sita est* הישבה] Ad verb. *quæ sedet*; *manet*; *habitat*, i. quæ alluitur fluminibus. ¶ *Cujus antemurale*, &c. אשר חיל וגו] Doctus inter Hebræos exponit, *cujus murus est antemurale maris.*

9. *Chus* כוש] *Æthiopia*, h. e. Æthiopes & Ægyptii solebant ferre illi opem & auxilium, quemadmodum Afri & Libyci solent tibi ferre suppetias.

10. *Projecerunt sortem* ידו גורל] *Miserunt sortem*, ut scilicet facere solent milites in distribuendis spoliis ac prædâ. ¶ *Alligati sunt* רותקו] *Constricti sunt.*

11. *Inebriaberis* תשכרי] Sub. *afflictionibus.* ¶ *Abscondita* נעלמה] i. Abscondes te præ metu ac trepidatione: vel, ut alii, Tollêris de medio, ità ut desinas esse in rerum natura. ¶ *Fortitudinem* מעוז] *Robur*: q. d. Auxilium & opem cogêris quærere ut inimicis resistas.

12. *Ficus cum primitivis* תאנים עם בכורים] i. Velut ficus posteriores & priores quæ jam pervenerunt ad maturitatem.

13. *Apertæ sunt* נפתחו] Præt. Heb. pro fut. *aperientur.*

14. *Aquam obsidionis* מי מצור] i. Aquas quibus tempore obsidionis utaris. Prædicit instare tempus oppugnationis & eversionis Ninive; omnésque Ninivitarum conatus fore irritos & vanos. ¶ *Tene* החזיקי] *Apprehende*, i. versare ut voles circa fornacem in qua fiunt & excoquuntur lateres: q. d. Præpara tibi omnia necessaria ad farcienda mœnia tua.

15. *Illic* שם] i. In munitionibus tuis: acsi dicat, *Incendio absumentur munitiones tuæ, & populus tuus gladio peribit*; *consumetúrque, ut bruchi omnia terra nascentia absumere solent*: *etiamsi collegeris maximum exercitum.*

16. *Bruchus grassatus*, &c. ילק פשט ויעף] Hebraismum istum sic quidam reddunt, *erunt tandem similes bruchis, qui posteaquam grassati fuiti in terram, avolant*, i. mox ab eversione tui aufugient, & non comparebunt.

17. *Majores tui* מנזריך] *Principes tui.* Ad verb. *Coronati tui.* Significat eos qui coronâ insigniuntur. ¶ *Sicut locustæ* כארבה] *Tanquam locustæ*, quamplurimi. ¶ *Et principes tui*, &c. וטפסריך וגו] *Et nobiles tui velut locusta locustarum.* Istud respicit dignitatem: i. sunt similes locustis illis prægrandibus: ut *Rex Regum* significat maximum Regem. ¶ *Quæ castrametantur* החונים] *Quæ manent*: vel *consident.* ¶ *Ubi fuerunt* אים] Interrogativè legi potest, *ubinam sunt* nunc? q. d. non exstant.

18. *Dormitabunt pastores tui* נמו רועיך] Præt. Heb. pro fut. i. Principes tui, qui sunt tibi vice pastorum, erunt quasi dormientes: non enim poterunt te tueri ac defendere. ¶ *Requiescent* ישכנו] Sub. *in sepulcris.* ¶ *Dispergetur* נפשו] Præt. Heb. pro fut. vel *dispersus fugiet ad montes*, more ovium errantium, & quæ pastore carent: solent enim huc illuc vagari.

19. *Fracturæ tuæ* לשברך] *Contritioni tuæ.* Alludit ad fracturam membrorum: q. d. Vulnus tuum est incurabile. ¶ *Doloris plena est* נחלה] *Ægritudine plena est*, *dolorosa est*, *plaga tua*, quam accipies à Chaldæis. ¶ *Famam tuam* שמעך] Ad verb. *auditionem tuam*, i. rumorem. Quicunque intellexerint ruinam tuam, lætabuntur de infortunio tuo: tu enim nocuisti omnibus semper, & omnes assiduè afflixisti.

CASTALIO.

4. PRopter tot meretricis libidines venusta ac lepida] Scilicet hæc fiunt.

11. *Inebriata*] Divinæ iræ poculo.

14. *Vade per lutum*] Abibis in exsilium, & ibi servies in figulina.

15. *Te taurorum scarabeorum more consumet*] Ut conficiuntur & pereunt tauri scarabei.

16. *Explicabunt se bruchi*] Abibunt tui ut solent avolare bruchi.

18. *Dormiunt tui pastores*] Mortui sunt.

CLARIUS.

1. NON *recedet à te rapina*] h. e. Non est spes ut resipiscas unquam; iccirco ecce adversùm te *vox flagelli* equos ad cursum incitantis, &c.

3. *Et corruent*] Inimici impingent *in corporibus eorum*. Tanta erit interfectorum strages.

4. *Propter multitudinem fornicationum*] Reddit Propheta causam quare Ninive fuerit evertenda, nempe quòd mores elegantis scorti imitata, abusa fuerit beneficiis Dei in perniciem aliarum gentium; quas primùm allexit quibus potuit insidiis, donec vires Imperii obtinuit; tunc pro libidine nationes quasque viciniores sibi subegit vi bellicâ & technis aliis.

8. *Numquid melior es Alexandriâ?*] q. d. Non mireris si tu vasteris, cùm idem acciderit Alexandriæ, non minùs florenti olim quàm tu flores nunc.

9. *Et non est finis*] Populi scilicet confluentis ad illam.

11. *Inebriaberis*] Poculo calamitatis.

13. *Mulieres*] Non plus habent animi & virium quàm mulieres.

14. *Aquam propter obsidionem*] Ironia est, & significat omnes conatus & apparatus ejus inanes fore: nam etsi paret lateres & cementum & lapides & lutum, quibus dejectas partes mox resarciant, omnia vorabit ignis.

16. *Bruchus expansus est*] Vel, *grassatus est:* q. d. Tu populata omnia tandem avolasti & ipsa.

18. *Sepelientur Principes tui*] Vel *jacent Principes tui*. Dicit in Principibus & consiliariis non superesse aliquod consilium, robur aut opem ad conservandum populum; ideóque futurum ut populus quasi oves errantes dispergantur.

L. BRUGENSIS.

2, & 3. VOX *flagelli*, & *vox* [o.] *impetûs rotæ*, & *equi frementis*, & *quadrigæ ferventis* [*furentis* o.] & *equitis ascendentis*, & *micantis gladii*, & *fulgurantis hastæ*, & *multitudinis interfectæ*, & *gravis ruinæ*. Sic plerique nostri codices legunt, Lobiensis, Leodiensis, Q, L, A, &c. Duo, Brugensis & Plantini medius, habent, *Vox flagelli*, & *vox impetûs rotæ*, & *equi frementes* [*frementis* o] & *quadrigæ ferventes* [*ferventis* o.] - & [Brug. O. Heb.] *equites ascendentes*, & *micantes gladii*, & *fulgurantes hastæ*, & *multitudines* [*multitudinis* E.] *interfectæ*, & *graves* [*gravis E.*] *ruinæ*. His Hunnæi, E. & O. literis signata, exemplaria ex parte consonant, id quod indicavimus. Notantur quinque Hentenii & duo Parisiensium antigrapha illo omnia modo legere, præter *equi frementes*. Prior autem lectio Hebræo conformior est: quanquam enim tam primo casu quàm secundo verti possit, omnia numero habet singulari. Et is quidem pro plurali accipitur: sed priori legendi modo manifestè Hieronymus, Autor Glossæ, Carensis ac Richelius suffragantur. Hieronymus, *Vox flagelli*, inquit, *crudelis semper & sævientis Imperii: & vox impetûs rotæ*. Vocem *pro sonitu accipiamus*; *rotam ferventem*, *per diversa discursum. Et equi frementis*, & *quadrigæ ferventis*, *subauditur in omnibus*, vox &c.

DRUSIUS.

1. HEU *civitas sanguinaria*] Alibi est *Væ civitas sanguinum*. Oratio autem plena erit si legas, *Veh tibi*, *civitas sanguinaria*. Potest etiam legi *Veh civitati*, ut sit לעיר pro לעיר. Cæterùm ex *heu* Græci fecerunt ὦ, rejectâ aspiratione. Ebraicâ phrasi dicitur *civitas sanguinum*. Sic *vir sanguinum* sanguinarius, homicida. *Sanguines* enim dicunt pro *cædibus*. ¶ *Universa mendacium*] Tota constans ex dolis & fraudibus. Nomine *mendacii* veteres omne genus fraudum designabant. ¶ *Dilaceratio plena*] i. Rapto. Tralatio à Leonibus, qui prædam quam rapuerunt discerpunt ac dilacerant. Id enim Ebræis פרק dicitur Psal. 7. Santes *rapinis plena*, i. גזל: quomodo & Scholia Ebraica enarrant. Ad hunc sensum quidam accommodant illud Abdiæ אל תעמוד על הפרק, interpretantes *non debuisses stare ad rapinam*. Consule Lectiones meas ad illum locum. ¶ *Non recedit præda*] Continenter & sine intermissione prædatur. ימיש accipio ut Exod. 33. 11. לא ימיש מתוך האהל *non recessit de tabernaculo*. Sic etiam accipitur Esa. 46. 7. Alii, *non amovebit prædam*. Nam idem verbum activè sumitur cùm alibi, tum Mich. 2. 3. Rectiùs fortasse *à præda*, ut præpositio מן subaudiatur.

2. *Vox scuticæ*] Vel *flagelli*. Elegans hypotyposis adventantis exercitûs, ut non immeritò exclamet Hier. *Tam pulcra juxta Ebraicum & picturæ similis ad prælium se præparantis exercitûs descriptio est, ut omnis meus sermo sit vilior.* ¶ *Equus sonipes*] Qui pedibus terram quatit, atque ità sonum edit. Talem equum nobis describit Virgilius his versibus,

> ——— *Tum siqua sonum procul arma dedere,*
> *Stare loco nescit, micat auribus, ac tremit artus,*
> *Collectúmque premens volvit sub naribus ignem.*

Quidam legunt *equi terram pede concutientis*, & repetunt *vox* ἀπὸ κοινοῦ ex præcedentibus. Sic mox, *quadrigarum salientium* vel *subsilientium*. דהר est verbum Equorum proprium cùm pedibus validè concutiunt terram, ut R. David ait. Antiqua tralatio, *equi frementis*. ¶ *Quadriga subsultans*] Vel *quadrigæ salientes*. Hoc accidit cùm citato cursu & rapidè feruntur.

3. *Eques elevans & gladium flammantem*, &c.] Vau repetitum valet *tam quàm*, vel *cùm tum*. Ergò posses legere *tam gladium flammantem quàm lanceam coruscantem*. Quidam *educens*, i. שלף, ut quidem sumitur Jud. 3. 22. להב חרב est *flamma gladii*. Sic autem dicitur *flamma gladii*, ut *viriditas herbæ* pro *herba viridis*, & *scelus viri* pro *vir scelestus*. V. Int. *gladium micantem*. Alii *laminam gladii*; Quam aliter *folium gladii* appellant Itali, & Polybius ὀβελίσκον. *Ferrum gladii* quidam reddunt Jud. 3. 22. Sic להב חנית *ferrum lanceæ* Job. 39. 23. Dicitur & להט החרב Gen. 3. 24. Item להבת חניתו *ferrum lanceæ ipsius* 1 Sam. 17. 7. i. mucro, cuspis, acies, spiculum. ¶ *Et lanceam coruscam*] Vel *hastam coruscantem*. Potest etiam legi *spiculum hastæ*, quod à *fulgore* & *coruscatione* ità dicitur. Vetus & Santes *fulgurantem hastam*. Alii *fulgentem lanceam*. Deut. 32. 41. ברק חרבי *acies gladii mei*. Hab. 3. 11. ברק חנית *spiculum hastæ:* quod ברק simpliciter Job. 20. 25. secundùm Camium. ¶ *Multitudo sauciorum*] i. Occisorum. Nam *saucios* dicunt quos interfectos significare volunt, καταχρηστικῶς. Vide quæ scripsimus Miscell. cent. 1. cap. 11. חלל est in Ebræo, pro חללים, i. *sauciorum* aut *vulneratorum*. ¶ *Magnavis cadaverum*] Vel *ingens numerus cadaverum*. Ad verb. *gravitas cadaveris*. Nam פגר *cadaver*. Quod his verbis declarat Ebræus David, *Non vocatur corpus* פגר *nisi fuerit mortuum*. Cæterùm *grave* usurpant Ebræi pro *multo*, ut 1 Reg 3. 9. עמך הכבד הזה *populus iste tuus gravis*, i. multus. Sic חיל כבד *exercitus numerosus*. Ergò *gravitas* כבר, i. multitudo. Hinc capies illud, *In populo gravi laudabo te:* nam sensus est, *in populo multo*, *frequenti*. Vide Miscellanea cent. 11. cap. 10. ¶ *Et infinita sunt corpora*] ואין קצה לגויה & *non est finis corporum*. Sic locutus est suprà 2. 10. אין קצה לתכונה *infinitus est apparatus*. גויה autem hoc differt à פגר, quòd de corpore vivo etiam usurpetur, cùm פגר tantùm dicatur de mortuo, ut dictum est. ¶ *Impingent*] Scriptum in libris יכשלו, in margine autem est nota Massoretica, admonens legendum esse וכשלו & *impingent*. Alioqui dubitari posset haud immeritò sitne יִכָּשְׁלוּ legendum an יִכְשְׁלוּ: nam utrumque usitatum; magis tamen יִכָּשְׁלוּ. Sed in libro Radicum adducitur יִכָּשְׁלוּ ex hoc loco. Quod nè mendum esse putes, scito adduci in Kal, deinde subjici Niphal; ut nihil sit tam certum quàm Camium ità olim legisse.

4. *Ob multitudinem scortationum meretricis gratiosæ*] *Meretricem gratiosam* vocat ipsam Niniven. *Scortationes* autem dicit artes quibus usa finitimis persuadebat, optimè coli Numen secundùm morem & ritum quem ipsa sequebatur: Cujus memorabile exemplum habes 2 Reg. 16. 10. טובת חן *gratiosa*, εὔχαρις. Sic טובת מראה *formosa*. Licet legere *bona gratiâ prædita*. Nam *gratia mala* quoque dicitur. Aut טובת חן *ob venustatem gratiosa*, sive *quæ in gratia est ob formæ bonitatem*. Santes *decora & gratiam habentis* טובת ובעלת חן. Priùs erat apud Hier. *speciosa & grata*. ¶ *Magistra Maleficiorum*] Quæ magicâ ratione homines incantat, occultisque artibus pecuniam resque eorum

eorum intervertit. בעלת כשפים verto *magistræ maleficiorum.* Sic בעל־זבוב antiquâ declaratione valet *magister muscæ* sive *muscarum.* Alii aliter vertunt. כשפים vocantur *artes maleficæ*, quales sunt magarum & veneficarum. Unde *malefica* dicitur quæ hujusmodi artibus cum pernicie aliorum sive ad libidinem explendam utitur. Non enim assentior iis qui Aben Ezram secuti כשפים *præstigias* interpretantur. Quidam *pollentes veneficiis:* non malè. Nam *veneficia* dicebant pro *maleficiis*, ut Græci Φάρμακα. Alioqui *veneficus* propriè appellatur qui venena spargit ad homines tollendos. ¶ *Quæ vendit gentes*] Quæ agit, fert gentes pro arbitrio: q. d. *quæ ità habet gentes ut si essent mancipia sua.* Nam mancipia vendebant olim. ¶ *Et familias*] i. Populos. Idem aliis verbis. Vide quæ scripsimus Mich. 2. 3.

5. *Ecce ego ad te*] Desideratur *venio*, ut suprà 2. 13. *Venire* autem *ad aliquem* dicitur *Deus* vel cùm punit eum; ut ibi, *& venit ad domum furis:* vel cùm bene meretur de eo; ut Psal. 101. 2. *donec venias ad me.* ¶ *Retegam fimbrias tuas*] Verecundè dixit pro, *retegam id quo mulier es*; h. e. extremo dedecore te afficiam. Nam major infamia accidere mulieri non potest quàm si ejus pudenda retegantur & palàm omnibus ostendantur. Ezech. 16. 37. *retegam verenda tua, & videbuntur omnia tua pudenda.* Jer. 13. 22. *Propter iniquitates tuas retecta sunt fimbriæ tuæ, discoopertæ sunt plantæ tuæ.* Ibi. v. 26. *Nudavi fimbrias tuas in faciem tuam, & apparuit ignominia tua. Fimbria* est extrema pars vestis: ea propriè non *retegitur*; dicitur tamen *retegi* cùm id quod tegit, h. e. pudenda, reteguntur. ¶ *In faciem tuam*] Quidam subaudiunt aliud verbum, ut dicat, *retectas replicabo in faciem tuam.* Nam vestibus sublatis supra caput, apparent muliebria, & quas partes natura occultari jubet, omniáque vitia corporis produntur. Sic Jer. 13. 26. *Nudavi fimbrias tuas in faciem tuam*, nudatas replicavi. Ergò *retegam in faciem tuam*, reducam usque ad caput, atque ità pudenda ipsa patefaciam. ¶ *Nuditatem tuam*] מערך, i. ערותך *pudenda tua.* Sic מער איש *nuditas viri.* ¶ *Ignominiam tuam*] τὰ αἰδοῖά σȣ, h. e. *verenda tua*, aut muliebria: ut Jer. 13. 26. *apparuit ignominia tua.* Syri בית בהתא vocant: קלן אתא sunt *pudenda mulieris.*

6. *Abominationes*] *Res obominandas*, cujusmodi sunt Cœnum, Lutum, Stercus, & alia quæ conjici solent in meretrices publicâ infamiâ notatas. Aut hoc dicit, *injiciam tibi vestes abominandas ac turpes.* ¶ *Conspurcabo te*] ונבלתיך verto *conspurcabo te.* Nam נבלה *spurcities.* Potest verti *fœdabo te.* Hoc vult, *res turpes ac fœdas in te conjiciam, deturpabo te.* ¶ *Edam in te exemplum*] Vel *ponam te in exemplum.* Sic Vetus Latina. Græci quoque ἐις παράδειγμα, i. לראי. Cæterùm in Ebræo est כראי, quod alii referunt *tanquam stercus.* Vult dicere, *reddam te stercori parem.* Vide quæ scripsimus Proverb. class. 2. lib. 5. adag. 62. Sed *in exemplum* non displicet. Verbum è verbo reddes *tanquam exemplum*; & *tanquam* accipies eo sensu quo accipitur ibi, *Vidimus gloriam ejus tanquam unigeniti.* Dictum autem *exemplum* ראי à *videndo*, eò quòd omnes in illud oculos conjiciant. Quidam *tanquam speculum.* Sed *speculum* רְאִי dicitur, non רֳאִי: quanquam sublatis punctis nullum inter hæc nomina discrimen.

7. *Fugient à te*] ידוד ממך *fugiet à te*; ac si diceret, *unusquisque eorum fugiet séque subducet te viso.* Hoc loco V. Int. edidit *resilient à te.* ¶ *Quis alloquetur eam?*] i. Consolabitur. מי ינוד לה *quis movebit ei?* Deest quippiam. Hieronymus subaudit *caput*: nam vertit, *Quis commovebit super te caput?* Sed *commovere caput* signum est irridentium, ut Jer. 18. 16. Puto igitur rectiùs subaudiri *labia.* * *Movere labia* est alloqui sive consolari aliquem verbis. Id simpliciter dicunt *movere*, ut Jes. 51. 19. Jer. 15. 5. Job 2. 11. & 41. 11. rursum Jer. 16. 5. & aliás. Plenè autem legitur Job. 16. 5. ניד שפתים *motio labiorum* pro *consolatione.* Vulgò interpretantur *quis condolebit?* Id rejeci, quia *condolere* possumus, ut tamen ne pedem quidem moveamus consolandi causâ, nedum labia.

8. *Numquid meliùs tecum erit quàm cum No*] Putásne meliorem fore conditionem aut fortunam tuam, aut meliùs tecum actum iri? Quidam *Noo* scribunt, sed minùs rectè. Est autem antiquum nomen Alexandriæ, ut Hieronymus credit: cui assensum præbent Ebræi & Chaldæus P. Nos quoque huic sententiæ accedemus dum certiorem & meliorem alius adferet. Quanquam non ignoremus esse qui Diospolin innui putent; quibus favet etymologia nominis *No*: nam id *habitationem* sonat, i. נוה. A M O N autem est *Jupiter* linguâ Ægyptiâ. Herod. lib. 2. Ἀμμῦν γὰρ Ἀιγύπτιοι καλέȣσι τὸν Δία. Sic ergò No A M O N, id est, *Diospolis*, ut C H E M N O *Chemopolis*, *Ninive* Νινόπολις, quam *Ninon* contractiùs vocant. Hæc igitur pro illis faciunt. Sed iisdem adversatur urbis situs, inter duo maria, qualem hîc describit: Diospolis enim procul à mari aberat. Quare non recedo à priore sententia. ¶ *Amon*] i. *Populosa*; ùt אמון hîc accipiatur pro המון, i. *multitudo*, ut Jer. 52. 15. את יתר האמון *reliquam multitudinem.* Nam quod Nicolaus legit *No nutrici*, nullo modo placet. *Nutrix* enim אומנת dicitur, non אמון. Itaque recentiores Interpretes è Germania, viri docti, cùm hanc quam nos sequimur declarationem minimè probassent, illam quoque Nicolai, ut par est, repudiassent, *No nutriciæ* pro *No nutrici* reposuerunt: Quod tamen mihi quibusdam de causis displicuit. Primùm enim videtur epitheton parùm aptum & accommodatum huic urbi. Deinde, si hoc voluisset, dixisset potiùs אמנה. Nam urbium nomina communiter feminina sunt. Quòd si dicas אמון femininè usurpari Prov. 8. 30, respondeo locum illum controversum esse. Nam R. D. exponit, *eram apud eum in educatione*, i. באמון. Elias verò, *eram apud eum qui me nutriebat.* Ego subaudiendam putarim notam Similitudinis, ut dicat, *eram apud eum nutritius.* Quale est,

Nec excitatur classico miles truci.

¶ *Quæ habitat*] Vel *quæ sedet*; quasi de Hominibus sermo esset. Latinè hoc dicas *quæ sita est. Sedere* ad inanima transtulit etiam David eùm ait, *Mons DOMINI in perpetuum sedet*, sed alio sensu. Nam *sedet* hoc in loco, i. *durat*, *permanet.* ¶ *In fluminibus*] Vel quòd plura flumina per eam & circùm eam fluant, vel quòd Nilus in plures alveos divisus mediam urbem secat & quasi plures fluvios efficit. Aut יארים dixit de uno Nilo. Vide quæ notamus ad, *Portæ fluviorum apertæ sunt.* ¶ *Aqua circùm eam*] Vel *in circuitu ejus*, h. e. aquâ cincta undique, aquis circumflua. Strabo lib. 17. de Alexandria, Ἡ δ᾽ ἐυκαιρία πολύτροπος· ἀμφίκλυςόν τε γάρ ἐςι τὸ χωρίον δυσὶ πελάγεσι, τὸ μὲν ἀπὸ τῶν ἄρκτων τῷ Αἰγυπτίῳ λεγομένῳ, τὸ δ᾽ ἀπὸ μεσημβρίας τῷ τῆς λίμνης τῆς Μαρείας, ἣ καὶ Μαρεῶτις λέγεται. Πληροῖ δὲ ταύτην πολλαῖς διώρυξιν ὁ Νεῖλος, ἄνωθέν δὲ καὶ ἐκ πλαγίων, δι᾽ ὧν καὶ τὰ εισκομιζόμενα πολλῷ πλείω τῶν ἀπὸ θαλάττης ἐςίν· ὥσθ᾽ ὁ λιμὴν ὁ λιμναῖος ὑπῆρχε πλυσιώτερος τȣ̃ θαλαττίȣ· quæ sic versa repperi in libris, *Commoditates habet multimodas. Duo maria locum undique alluunt; alterum à Septentrione, quod Ægyptium dicitur; alterum à Meridie, quod Mareia lacus & Mareotis appellatur. Eum Nilus multis fossis tum è superioribus partibus tum è lateribus actis implet, per quas multò plura importantur quàm è mari; adeò ut portus qui ad lacum est ditior sit marino.* ¶ *Cujus antemurale*] i. Munitio aut murus. חיל dicebant ut חיק, cum Epenthesi Joth; quæ pertinent ad formam אל. Aut est חיל pro חיל *robur*, *munitio*, δύναμις. Vide quæ annotamus Abd. 20. Vetus ed. *cujus divitiæ mare.* Nam חיל etiam *opes* designat. ¶ *Mare*] Ægyptium, an lacus Mareotis? Nam lacum Ebræi etiam *mare* appellant. Quod notum adeò ut exemplis id probare velle sit candelam accendere in meridie.

9. *Chus robur ejus*] Confirmabat eam misso auxilio. עצמה *robur ejus.* Ità Hier. Santes & alii. Hoc sensu desideratur Mappic in He, ut sit עצמה. Sic alibi est שכמה *humerus ejus.* Dicitur etiam עצמה in statu absoluto, ut Jer. 40. 29. עצמה ירבה *robur multiplicabit.* Hoc aliis magis placuit, ac præsertim Ebræis, qui legunt, *Chus robur erat ei*, pronomen לה subintelligentes. Quod tamen non est necessarium. Potest enim legi, *Chus valida, & Ægyptii infiniti*, &c. *Valida*, i. numerosa. Nam *validum* hoc sensu usurpatur cùm alibi tum Mich. 4. 3. Vide sequentia. Consule etiam Observ. nostras, si vacat. Retinui nomen Ebraicum *Chus*, quod alii omnes in *Æthiopiam* transferunt, cùm existimarim hîc agi non de Æthiopia propriè dicta, quæ procul aberat ab Alexandria, sed de Arabia Chusæa, quam Jeremias enumerat inter auxillares Ægypti in bello quod contra Nabuchodonosorum gessit. Jer. 46. 9. Vide Ezech. 29. 19. item 30. 6, & 9. Ex hac Æthiopia (nam Interpretes ità semper vocant) creditur fuisse Zara Æthiops cujus mentio 2 Par. 14. 9. *Et egressus est contra eos Zara Chusæus, habens in exercitu suo decies centena millia, & currus trecentos.* Quem locum adduxi ad firmandam interpretationem illam *Chus roboris*, i. valida. Nam meritò hoc epitheton ei tribuitur cùm tantum numerum in bellum educeret. ¶ *Ægyptii infiniti*] ומצרים ואין קצה, *& Ægyptus, & non est finis.* Vult dicere, *cujus est infinitus populus*, sive *quæ gentes habet innumeras.* Notum ut Vau pro אשר sumatur. Mela de Ægyptiis, *Viginti millia urbium Amasi regnante habitarunt, & nunc multas habitant. Earum clarissimæ procul à mari, Sais, Memphis, Syene, Bubastis, Elephantis, & Thebæ* (hanc *Diospolin* suprà vocavimus) *centum portas sive, ut alii aiunt*, * *centum aulas habens*,

totidem olim Principum domos; solitásque singulas, ubi negotium exegerat, dena armatorum millia effundere. ¶ *Phut*] i. *Africa.* Mela de situ orbis, *In littore, Alexandria Africa contermina.* Sunt qui Mauritaniam ità dictam putent à fluvio *Phut*, cujus mentio apud Plin. 5. 1. & alios. Josephus & eum secutus Hieronymus *Lybiam* interpretantur; quo nomine *& Africa pars appellatur, & universa Africa*, ut ait Augustinus lib. 6. Quæst. 15. Hieronymi verba sunt in libro Quæst. sive Traditionum Ebr. *Phut, Lybia: à quo & Mauritaniæ fluvius usque in præsens* Phut *dicitur, omnisque circa eam regio* Phutensis. Glossæ Philonis, PHUT, *Lybia.* PHUTIPHAR, *Lybicus vitulus.* Hoc tamen loco Hieronymus legit, *Africa & Lybies fuerunt in auxilio tuo.* Quam declarationem veram esse arbitror. Nam si PHUT est *Lybia*, quare subjiceret *& Lybies?* ¶ *Lybies*] Vel *Libyes.* Nam usu obtinuit ut *Libya* scriberetur. In antiquis tamen inscriptionibus frequentiùs *Lybia* legitur. Quam scripturam firmat analogia לובים *Lybies*, ut לודים *Lydii.* Horum meminit Jeremias 46. 9. *Chus & Lybies tenentes scutum, & Lydii arripientes & jacientes sagittas.* Quem locum eò libentiùs produxi quòd ibi agat de iis populis qui Ægypto suppetias tulerunt adversùm Chaldæos. Porrò autem etsi *Lybiæ* nomen generale aliquando sit, ut dictum est, tamen hoc loco minùs latè patet, cùm voci subjiciatur quam *Africam* significare diximus, non universam intelligentes, sed eam duntaxat quæ Ægypto & Lybiæ contermina est. De Lybia Eusebius (vel potiùs Hieronymus) in libro ubi nomina locorum enarrat Ebraicorum, *Lybia provincia duæ sunt: Una Lybia Cyrenaica, de qua dictum est*, ET PARTES LYBIÆ QUÆ EST CIRCA CYRENEN. *Hæc porta Ægypti in parte Africæ prima est, & mari Lybico cognomen dedit. Post quam Lybia Æthiopum, usque ad Meridianum pertingens Oceanum.* ¶ *In auxilio tuo*] Fuerunt, inquit, omnes illæ gentes in auxiliaribus tuis, & tamen non valuerunt à Nabuchodonosori te potentiâ vindicare aut asserere.

10. *Etiam hæc fuit deportata*] לגלה ad verb. sonat *in deportationem:* subauditur autem *fuit* vel *erit.* Ego *fuit* elegi, propterea quòd sequitur *abiit in exsilium.* Nam etsi rem narret nondum gestam, tamen usus est præterito verbo. Quod tritum adeò in Prophetis ut nihil magis. Ambrosius De fide l. 1. c. 7. *Hæc consuetudo est Propheticæ ut quæ futura sunt vel quasi præsentia vel quasi facta dicantur. * Deo enim quæ sunt futura præsentia sunt, & ei cui præcognita sunt omnia, ventura pro factis sunt. Sicut scriptum est*, Qui fecit quæ ventura sunt. ¶ *Abiit in captivitatem*] Hoc accidisse crediderim cùm Nabuchodonosor Ægyptum subigeret. Cujus rei autor mihi Prophetes Jeremias ad hunc modum scribens 46. 19. *Instrumenta transmigrationis para tibi, habitatrix Ægypti; quoniam Noph in solitudinem redigetur, & vastabitur ita ut non sit qui eam inhabitet.* Et aliquantò pòst, *Puduit filiam Ægypti: tradita enim est in manum populi Aquilonis. Ait DOMINUS exercituum Deus Israel, Ecce ego animadverto in multitudinem ex No, & in Pharaonem, & in Ægyptum, & in deos ejus.* Sciendum verò ubi nos posuimus *multitudinem*, ibi in Ebræo esse *Amon:* quod mirabiliter confirmat eorum sententiam qui NO AMON interpretantur *Alexandriam populorum* vel, si mavis, *populosam.* ¶ *Parvuli ejus illisi sunt*] Hâc locutione notant extremum genus crudelitatis atque sævitiæ. Exemplis hoc clarum faciam. Hos. 13. 16. de Samaria, *Parvuli ejus illidentur, & gravidæ ejus diffindentur.* Jes. 13. 16. de Babylonia, *Parvuli ejus illidentur, & diripientur domus eorum, & uxores ipsorum violabuntur.* Ps. 137. 9. de eadem, *Beatus qui prehensos parvulos tuos allidet ad petram.* 2 Reg. 8. 12. *Parvulos earum illides, & prægnantes dissecabis.* ¶ *In capitibus omnium vicorum*] *Per compita.* Sic quidam exponunt, &, meo judicio, non omninò malé. Nam in compitis multorum vicorum quasi *capita*, h. e. initia, sunt. ¶ *De honoratis*] Vel *pro honoratis.* Fortè senes notat. Nam talibus præcipuè honos debetur. Sed latè accipiamus, ut etiam alios comprehendat in honore ac dignitate positos. ¶ *Projecerunt sortem*] Per sortem dividebant antiqui, cùm vestes & similes res, tum etiam homines bello captos. ידו verbum præt. temporis à ידד, sicuti dicimus סבו à סבב. Aut est contractio futuri à ירה ידו pro ירו, ut suprà יבשו dixit pro יבישו *exsiccabunt:* in quo periit Joth radicis propter concursum alterius Joth, quæ est una ex literis Ethan. Sic futurum vocant Ebræi. ¶ *Vincti fuerunt*] רתקו. In hoc verbo significatio est *catena ferrea*, quæ רתק dicitur. Vulgò *bojas* vocant: Quæ vox reperitur etiam apud Plautum. ¶ *Catenis ferreis*] Aut *manicis*, i. χειροπέδαις. Vulgò *compedibus*, quæ sunt vincula pedum ferrea. Sed זקים potiùs sonat *manicas.* Quod disces ex iis verbis quæ habentur Jer. 40. 4. *Ecce solvi te hodie è catenis quæ super manum tuam*, מן האזקים, ubi Aleph per Epenthesin inserta: esset enim מזקים. Quanquam R. Jona radicalem eam esse mavult.

11. *Etiam tu inebriaberis*] Convertit nunc sermonem ad Niniven. Quemadmodum, inquit, No Amon inebriabitur poculo iræ Divinæ, sic *etiam tu inebriaberis.* Vehementius quiddam & ἐνεργητικώτερον dixit quàm si *bibes* dixisset, ut Abd. 16. *bibent omnes gentes.* Porrò hujusmodi ebrietas vocatur ἄοινος μέθη, proverbio celebrata, de quo Class. 2. lib. 3. adag. 132. Vide & Jer. 25. 15. ¶ *Eris abscondita*] Abscondes te hostium metu, an pudore? Solent enim qui cladem insignem acceperunt, aut dedecore aliquo affecti sunt, latêre, non ausi prodire in conspectum hominum præ verecundia. Aliter, *eris abscondita*, non ampliùs exstabis. Hoc in Abdia dicitur *eris ac si non fuisses.* Hoc loco תהי est pro יהוי: nisi legendum putes *erit abscondita.* Nam usitatum his literis ut personæ hoc modo permutentur. ¶ *Robur*] i. Auxilium. ¶ *Ab hoste*] Ab eo qui tibi hostis est clandestinus. Potest legi *ob hostem.* Nam מן valet etiam *propter.*

12. *Omnes munitiones tuæ*, &c.] Tam facilè dejicientur & expugnabuntur quàm facilè decidunt maturæ ficus, concussâ arbore. ¶ *Ficus*] *Ut ficus.* Tale est, *Et eram ei alumnus*, ut alumnus. *Catulus leonis, Juda*, ut catulus. ¶ *Cum primitivis*] עם בכורים. Sensus est, *& primitivi.* עם enim pro *&* sumitur interdum, ut 1 Sam. 17. 42. ארמני עם יפה מראה *rufus & pulcer aspectu. Primitivis* epitheton absque *re.* Nam *fructibus* subintelligitur. Tales fructus, si maturi fuerint, nullo negotio *decidunt in os comedentis.* Solent etiam in pretio esse & vehementer expeti, vel eam ob causam potissimùm quòd primi sint. Ex quo illud Hos. 9. *Tanquam primitivum in ficu vidi patres vestros.* Usus est hac comparatione & Jesaias 28. 4. *Erit gloria tua tanquam fructus præcox ante initium æstatis*, i. statim abolebitur. ¶ *Si concutiantur*] Vel *commoveantur.* ¶ *In os comedentis*] Ejus qui comesturus est illos, ac propterea concutit arborem.

13. *Feminæ*] Sic Homerus,

——Ἀχαιΐδες, ὐκ ἔτ' Ἀχαιοι.

& Virgilius,

O verè Phrygiæ, neque enim Phryges. ——

Sic de Artemisia Xerxes, ut est apud Tzetzem, Οἱ μὲν ἄνδρες μοι γυναῖκες ἐγένοντο, αἱ δὲ γυναῖκες, ἄνδρες. Nam *vir* quandoque nomen est ἀρετῆς, *fortem* & *magnanimum* significans. Huic opponitur *femina*, ut hîc & Jes. 3. 12. *feminæ dominatæ sunt in eo.* ¶ *In medio tui*] Ubi deberes te virum præstare. *Quisque* enim, ut proverbio fertur, *in suo nido audax est.* ¶ *Portæ*] Portæ urbium. ¶ *Vectes tuos*] Vectes intelligit quibus urbium portæ communitæ erant. Hos *absumet*, inquit, *ignis*; h. e. incendio absumentur.

14. *Aquam obsidionalem*] Vel, *aquam obsidionis.* Hoc εἰρωνικῶς dictum accipio. Et *aquam obsidionis* intelligo quæ ad obsidionem paratur asservatúrque, nè videlicet obsessis unquam aqua deficiat. Nam eâ deficiente deditio protinus facienda est. ¶ *Subige cœnum*] באי בטיט *ingredere in cœnum*, sive, quod idem, *in lutum.* Nam *cœnum* hîc usurpamus pro *luto.* Cæterùm ex cœno lateres fiebant. Hortatur ergò ut lateres parent ad muniones reparandas firmandásve. Cœno etiam figuli utebantur: Jes. 41. 25. *sicut figulus calcat cœnum*, i. טיט. ¶ *Calca lutum*] Repetit eadem aliis verbis. Nam חמר est *lutum*, idem videlicet quod טיט. Utrumque dicitur & de luto platearum & de luto figulorum. Quidam vertunt *calca argillam.* Minùs probo. Nam ex argilla non conficiebantur lateres, quod sciam. Præterea *argilla* גרגשתא dicitur, vel, si placet, חצשתא: quo modo scriptum hoc nomen in tractatu De cultu idolorum. Glossæ autem enarrant ארדיא linguâ barbarâ. Sed de hac voce aliás. חמר Græcè πηλός, ut possis legere, *subige πηλὸν*, *calca lutum.* Nam *cœni* vox, ut liberè dicam quod sentio, non bene sonat in auribus meis: tamen eâ usus sum, cùm alia non occurreret *luto* synonyma. ¶ *Tene fornacem laterariam*] מלבן propriè *fornax in qua lateres conficiebant:* החזיק autem quod reddidi *tene*, alius *refice* interpretatur, & R. D. בני, i. *exstrue, confice*, vel, si placet, *restaura, refice.* Sunt etiam qui מלבן dicant esse *officinam laterariam.*

15. *Ibi devorabit te ignis*] *Ibi*, h. e. in illis tuis munitionibus. *Ignem* autem vocat hostem, qui tanquam Ignis omnia consumit. Aut per *ignem* significat ultionem Divinam, juxta illud, *Excandescentia ejus funditur tanquam ignis.* Vel *ignem* dicit pestem, ut sæpe autores profani. Contra Virgilius,

——*fer-*

——— *servata à peste earum.*

Pestem vocat flammam quæ naves depopularetur. ¶ *Comedet te*] Eleganter verbum *comedo* ad Gladium transtulit. Sic *os gladii* appellant ipsam aciem. ¶ *Ut bruchus*] *Quemadmodum bruchus* olera despacit, ità te consumet gladius. ¶ *Copiosam te redde*] Hoc videtur velle; Licèt coegeris numerosissimum exercitum, tamen hostibus inferior evades. התכבד accipio ut sit infinitivus pro imperativo התכבדי: nam Niniven alloquitur. ¶ *Ut bruchus*] ילק nomen insecti è locustarum genere, quod *bruchum* reddunt, i. βροῦχον aut βρούκον, nisi mendum in Hesychio, ubi sic ait, Βροῦκος, εἶδος ἀκρίδος. Appellatio à *lambendo*, ut Grammatici volunt. Nam לקק *lambere* sign. Olera enim & fructus quasi lambendo depascit. ¶ *Ut locusta*] Vide quæ scripsimus Proverb. class. 2. lib. 5. adag. 92.

16. *Negotiatores tuos*] רכלים sunt *negotiatores*. Hic autem videtur significare cives Nini, secundùm illud, *quæ vendit gentes scortationibus suis.* Nam qui emit ac vendit aliquid, rectè *negotiator* dicitur. ¶ *Supra stellas cœli*] Vide, *Stellis cœli numerosior*: quod explicamus Class. 2. lib. 5. adag. 69. ¶ *Bruchus grassatus est, & avolavit*] *Simulac grassatus est, avolat.* Hâc Allegoriâ innuit Assyrios brevi dispersum iri. Aut si dictio רכלים accipiatur ut sonat, innuit fore ut Ninive citò deseratur à mercatoribus suis. Nam id genus homines, simulac bellum ingruit, aliò convolant, soliciti nimium nimiùmque de mercibus suis. פשט est *excursionem facere prædæ causâ.* Vetus ed. *expansus est. Ut bruchus*, inquit, *citò expandit se super faciem terræ, & postea citò avolat; ità copia tua, quas stellis numerosiores habes, explicabunt se instar bruchorum, & statim avolabunt.*

17. *Principes tui*] מנזריך propriè *coronâ* vel *diademate insigniti.* Nam נזר *corona.* Dages in Nun ad ornatum facit, quale in מקדש *sanctuarium*, & similibus. Ipsa forma nominis potiùs *diademata* significare arguit. Fieri autem potest ut sit figura loquendi, *diadema* pro *eo qui diadema gestat.* Edito V. *custodes tui*, ac si נזר idem denotaret quod נצר *custodio.* Errat, si hoc putavit, Interpres ille. Quidam ità dictos censent מנזרים à *coma*, quam nutriebant: נזר enim & *comam* significat: itaque vertunt *comatuli tui.* ¶ *Duces tui*] טפסריך videtur fuisse nomen dignitatis apud Assyrios. Quidam putant ità dici propriè *juniores Principes*, & compositum esse ex טף nomine *parvulos* significante, & שר, quod idem sit cum שר *princeps.* Nam ס & ש alternant. Sic גנזר *hortus Principum.* Quod interpretamentum Hieronymi etiam apud veteres Ebræos occurrit. Reperitur hæc vox Jer. 51. sed in singulari, & cùm Chirec sub litera principe Teth. Obiter annoto in Scholiis Jatii, quo in loco explicat hanc vocem, legi הממונים שלך. Id non nemo (vir certè doctus) reddit *pecuniæ tuæ*, sed perperam. Reddi debet *præfecti* aut *præsides tui*, legique הַמְּמֻנִּים, & non, ut ille visus est legere, הַמָּמוֹנִים. *Sicut locustæ locustarum*] Significat locustas prægrandes. Dictum autem *locustæ locustarum* ut *Rex Regum, Dominus dominorum, Canticum canticorum.* גוב *locusta.* Syrè גובא. Usus est hâc voce Paraphrastes Jonathan pro ארבה, i. *locusta.* גובי autem dicitur pro גובים. Quæ forma nominis occurrit & Amos 7. Sic alibi est חלוני *fenestra*, שדי *agri.* Quidam *ut præfocuris foraminum.* Horum opinio גוב *foramina* denotare. Hoc probatione eget. In lingua Chaldæorum גובא *lacus* est, aut *puteus*, vel *cisterna*: pro *foramine* non memini legere. ¶ *Quæ castrametantur*] Locustæ latent, cùm frigus est, in sepibus. Et quia agmina locustarum justi exercitûs speciem exhibent, ideo usus est verbo à re militari desumpto, quod *castra ponere* aut *metari* sign. ¶ *In sepibus*] Vel potiùs *in maceriis.* Nam גדרה propriè *murus ex congestis lapidibus absque calce & cæmento.* Hic autem intelligit septa hortorum & vinearum, in quibus locustæ delitescere solent. ¶ *In die frigoris*) Hieme an nocte? Nam *dies* etiam nox vocatur: Est enim pars diei naturalis, qui constat horis 24. Unde *meridies*, quasi medidies i. μεσονύκτιον. Aut *die frigoris*, i. tempore frigido. Nam *diem* pro *tempore* etiam usurpant. ¶ *Sole orto fugiunt*] *Simulac ortus est Sol fugiunt*, h. e. celeriter abeunt & avolant. Sic ברח sumitur Cant. 8. 14. Sic φεύγειν accipitur apud Græcos & Matth. 10. 23. נדד *fugit*, radix נדד. Sic שלל Thren. 1. Alii à נוד derivant, quod magis *evagari* sign. ¶ *Et non agnoscitur locus ejus ampliùs ubi fuerint*] Dicit *locus ejus*, & postea *ubi fuerint*; nempe quia גוב nomen collectivum est. Siquidem hujusmodi nomina promiscuè vel singulariter vel pluraliter construuntur.

18. *Dormitaverunt*] *Obdormierunt*, mortui sunt. Ut *dormire* ità etiam *dormitare* dicebant de Morte. Ps. 76. 5. *dormitaverunt somnum suum.* ¶ *Pastores tui*] Sacerdotes tui, aut duces ac rectores populi tui. PASCERE enim est *regere.* ¶ *Occubuerunt*] Sensum expressi. In Ebræo habetur ישכנו, i. verbum è verbo *habitaverint*, vel, si placet, *habitabunt.* Quod V. Int. reddidit *sepelientur*; rectè quidem: sign. enim hoc loco *habitare in pulvere*, sive *in silentio*, ut David loquitur Ps. 94. 17. *habitavit in silentio anima mea.* Idem Ps. 7. 5. *Gloriam meam in pulvere habitare facit.* ¶ *Inclyti tui*] Alii *magnificitui*, alii *fortes tui*, alii *principes tui.* ¶ *Dispersus est populus tuus*] Assentior Jonathæ, qui hoc loco נפשו accipit in eo sensu quo usurpant communiter נפצו, i. *dispersi fuerunt.* Nam affinitas & cognatio inter has literas. Hoc ità tamen ut sumatur etiam in sensu Multitudinis, quod propriè פוש sign. q. d. *Populus tuus, qui plurimus erat, nunc dispersus est per montes, nemine colligente: dispersus, inquam, est ut oves gregis dispergi solent quoties pastore destituuntur.* ¶ *Nec est qui congreget*] Nam *pastores & inclyti tui mortem obierunt*, ut dictum est.

19. *Non est curatio fracturæ tuæ*] *Fractura tua curari non potest*, h. e. insanabilis est. Vult dicere, Irreparabilem cladem accepisti. כהה propriè est *contractio.* Sumitur autem hîc & alibi pro רפואה, i. *curatio, sanitas.* Nam cùm incipit curari vulnus, tunc cutis circumcirca corrugatur, h. e. in rugas contrahitur. Jam scimus unde mutuò sumpserit hoc nomen Propheta. Alibi eadem vox adjectivè sumitur, ut Levit 13. 6. נגע כהה *plaga contracta* vel *corrugata.* ¶ *Ægra est plaga tua*] *Plaga* non est *ægra*, sed Homo: *ægra* tamen dicitur quia ægros facit; ut *pallida mors, cæca fossa*, & quæ alia Grammaticis observata. Vel *ægram* dicit, ut duram & doloris plenam significet. Hâc locutione usus est aliquoties Jeremias, ut 14. 17. & 10. 19. & 30. 12. ¶ *Audientes rumorem tuum*] Ad quos perveniet fama sive rumor hujus cladis tuæ. Ut hîc שמעך, i. ad verb. *auditionem tuam*, sic in Euangelio ἀκοὴν τοῦ Ἰησοῦ, i. *famam de Jesu. Auditionem* enim pro *rumore* sive *fama* usurpant, & interdum pro *sermone.* Ergò *Quis credidit auditioni nostræ?* tam exponi potest *rumori de nobis*, quàm, ut vulgò exponunt, *sermoni nostro.* ¶ *Plaudent manu*] Vel *complodent manu.* Gestus lætantium. Hic est תקע in Ebræo, ut & Psal. 47. 1. Alibi legitur הכה, videlicet 2 Reg. 11. 12. & מחא Jes. 55. 12. & ספק Job. 27. 23. ¶ *Super quem non transivit malitia tua semper?*] q. d. Nullus est populus qui non fuerit à te vexatus continenter, quem non assiduis malis & incommodis affeceris. Quocirca quicunque certiores fient de infortunio tuo, plaudent manibus lætantes, & laudantes justum Dei judicium: Cui sit honos & gloria in omne ævum.

Explicit Propheta Nahum cum Lectionibus J. DRUSII, *qui fuit* CLEMENTIS, *qui fuit* JOANNIS, *qui fuit* LAURENTII, &c. VANDEN DRIESSCHE.

IDEM.

1. ΟΥ ψηλαφηθήσεται] Hieron. *non contrectabitur.* Jes. 46. 7. idem verbum reddunt μὴ κινηθῇ *non emovebitur.* Sententia est ut si dicas *non cessabit præda.* Tralatio à rebus quæ manent ubi sunt, nec loco moventur. Cæterùm ימיש non est à משש *attrectavit*, sed à מוש *recessit.* Proinde meliùs reddidissent οὐ μὴ ἀπελεύσῃ. Sic Latinus *non recedet*: & Exod. 33. 11. Lxx οὐκ ἐξεπορεύετο.

2. Ἀναβράσσοντος] Ac si esset מרתח, quod usitatè diceretur רותח. Nam רתח *fervere*, & רתיחה *fervor*: ità ἐξέζεμα, quæ Ebraicè קצף, h. e. *ollæ ferventis spuma.* Cæterùm ut קצף *fervere*, ità transpositis literis קפץ in lingua Chaldæorum est ἐπιπηδᾶν, i. *saltare, subsilire*, quod hoc loco רקד dicitur. Itaque Jonathan interpretatur קפצן *salientes.*

3. Ἀναβαίνοντος] Alibi est ἐπιβαίνοντος. ¶ Ὅπλων] i. *Lancearum.* ¶ Τραυματιῶν] i. *Cæsorum.* Vide Miscell. cent. 1. cap. 11. ¶ Βαρείας πτώσεως] h. e. Interprete Hieron. *gravis ruinæ.* Intelligit autem multitudinem cadaverum, quæ πτώματα vocantur. Sic Amos 8. 3. πολὺς ὁ πεπτωκὼς *multi casi.* Nam פגר *prosternere*: ex quo fortè פגר, ut in Latio *cadaver* à *cadendo*, si Isidoro credimus. ¶ Οὐκ ἦν πέρας] Alibi οὐκ ἔχει πέρας. ¶ Τοῖς ἔθνεσιν αὐτῆς] לגויה, quod nunc legunt לגויה aliis punctis, i. τοῖς σώμασιν, ut mox ἐν τοῖς σώμασιν. Et σῶμα *cadaver*, i. πτῶμα, ut Matth. 5. 29.

4. Καὶ φυλάς] In Rom. ed. καὶ λαούς credo esse scholion alicujus viri docti. Nam φυλὰς dixit pro λαούς. Vide Lectiones meas.

5. Τὰ ὀπίσω σου] i. Nates tuas. Jer. 13. 26. Καὶ ἀποκαλύψω τὰ ὀπίσω σου ἐπὶ τὸ πρόσωπόν σου & v. 22. ἀπεκαλύφθη τὰ ὀπίσθιά σου. Sed שוליך potiùs λῶμα, i. κράσπεδον. ¶ Ἀισχύνην] C. ἀσχημοσύνην. Lex. V. Ἀσχημοσύνη, *inhonestitas.*

6. Κατὰ τὰς ἀκαθαρσίας] Mallem καὶ τὰς ἀκαθαρσίας, nisi codices

codices reclamarent. ¶ Εἰς παράδειγμα] In Ebræo ὡς παράδειγμα. Et elegans sermo, θήσομαί σε εἰς παράδειγμα, pro, *edam in te exemplum*. Qui Magistros Judæos sequuntur, vertunt hic ὡς ἀΦόδευμα *tanquam excrementum*.

7. Καταβήσεται] ירוד pro ידור, h. e. Resch pro Daleth. ¶ Αὐτῇ] לה pro לך, i. σοί. Corrumpendo loco fuit Enallage. Nam præcedit, τίς σενάξει αὐτήν; Sæpe ità mutant personas Ebræi: sed & Græci nonnunquam.

8. Ἁρμόσαι χορδήν, ἑτοίμασε μερὶς Ἀμμών] Rom. ἑτοιμάσαι μερίδα, ἁρμόσαι χορδήν, ἑτοιμάσαι μερίδα Ἀμμών. Hic agnoscis, opinor, מנה pro כנא. ¶ Ἐν ποταμοῖς] Aldus ποταμούς. Sic etiam editiones Germanicæ. ¶ Ἡ ἀρχή] חיל ἀρχή. Ità reddunt hanc vocem & Abd. 20. tanquam si esset à verbo חלל, quod *incipere* sign. Sic dico, החל valet *incepit*, cujus infinitivus החל *incipere*, & חיל *inceptio*, *initium*, ut גיל dicimus pro הגיל. ¶ Καὶ ὕδωρ מים pro מים.

9. Καὶ Αἰθιοπία] Καὶ expungi debet ex *A.* & *C.* ¶ Πέρας] Aldus πέτρας. Suprà οὐκ ἦν πέρας τοῦ κόσμου αὐτῆς. Eadem editio πέτρας habet. ¶ Τῆς Φυγῆς σου] Romæ impressi τῆς Φυγῆς absque pronomine. Porrò videtur additum sententiæ causâ: aut est corruptum ex Φοὺτ (vulgò Φοὺδ, minùs sincerum est) quæ vox abest non solùm in *R.* sed etiam *C.* Hieron. hunc locum ità legit, *& non est finis fugæ tuæ: Phut & Lubyes facti sunt auxiliatores illius.* ¶ Λίβυες] Aldus Λίβες. ¶ Βοηθοὶ αὐτῆς] עזרתה pro עזרתך.

10. Εἰς μετοικεσίαν] Alibi ἐν αἰχμαλωσίᾳ prius melius. ¶ Ἀπαρχῆς πασῶν τῶν ὁδῶν.] *C.* ἐπ' ἀρχὰς τῶν ὁδῶν. *R.* ἐπ' ἀρχὰς πασῶν τῶν ὁδῶν. Pro ἀπαρχῆς puto legendum divisim & duabus dictionibus ἀπ' ἀρχῆς.

11. Παρεωραμένη] *R.* ὑπερεωραμένη. ¶ Καὶ σὺ ζητήσεις σεαυτῇ στάσιν ἐξ ἐχθρῶν] Exemplar Basileense, Καὶ ζητήσεις ἑαυτῇ στάσιν ἐξ ἐχθρῶν σου. Venetum & Argentoratense ἑαυτῆς τασιν Compl. Καὶ σὺ ἐπιζητήσεις σεαυτῇ ἵνα στάσῃ ἐξ ἐχθρῶν σου.

12. Καρποὺς ἔχουσαι] Rom. σκοποὺς ἔχουσαι, i. *speculatores*. Abest in eodem ὡς nota Similitudinis. Compl. ἔχουσαι ὀλύνθους, i. *grossos*. Hieron. *ut ficus quæ grossos habent.* Cæterum בכורים in ficu sunt *fructus primores*, τὰ πρωτόγονα Mich. 7. 1. σῦκα πρώϊμα Jer. 24. 2.

14. Συμπάτηθι] Codex Rom. συμπατήθητι. ¶ Ἐν ἀχύροις] *Aceratum* credo significari, h. e. lutum cum paleis mixtum. Sed בחמר potiùs valet ἐν πηλῷ, quemadmodum reddunt Jes. 64. 8. & Jer. 18. 4. ¶ Ὑπὲρ πλίνθον] מלבנה. Siquidem לבנה πλίνθος *later*: מלבן verò est *lateraria*, h. e. κεραμεῖον.

15. ΚαταΦάγεταί σε πῦρ, ἐξολοθρεύσει σε ῥομφαία] Hæc malè absunt in Aldina & Germanicis editionibus. ¶ Πληθύνθητι ὡς βροῦχος] Addendum cæteris ex E. C.

16. Ὑπὲρ τὰ ἄστρα] In quibusdam libris ὑπὲρ πάντα τὰ ἄστρα.

17. Ἐξήλατο ὡς ἀττέλαβος] *R.* ἀττέλεβος. Sed in *C.* hoc totum desideratur. In Hieron. *exsiluit quasi attelabus.* ¶ Ὁ συμμικτός σου] i. Interprete Hieron. *mixtitius tuus*: de quo in Comment. ità scribit, *Qui Græcè dicitur ὁ συμμικτὸς, & Latinè translatus est in* commixtum, *cum nos possumus vulgus ignobile & de diversis gentibus hinc inde populum congregatum intelligere.* ¶ Ἐπὶ Φραγμόν] In *C.* legitur ἐπὶ Φραγμοῦ, & πάγου ubi alii habent πάγους, & ἀΦείλατο pro ἀΦήλατο. ¶ Οὐαὶ αὐτοῖς] Reddunt אים, quod magis sonat ποῦ αὐτοί; ac si esset אי להם.

18. Βασιλεὺς Ἀσσύριος] Alibi Ἀσσυρίων. ¶ Ἐκοίμησε] ישכב pro ישכנו. In eundem lapidem impingunt Hos. 2. 18. ¶ Ἀπῆρεν] In meo codice est ἀπῆλθεν, & in Hieron. *abiit populus tuus.*

19. Τῇ συντριβῇ] *C.* τῆς συντριβῆς. ¶ Οἱ ἀκούοντες] Ald. οἱ ἀκούσαντες. Sic etiam Germanica. Hier. *omnes qui audierunt.* ¶ Ἀγγελίαν] Bas. ἀπαγγελίαν. ¶ Διαπαντὸς] διὰ παντός.

IDEM.

1. פרק מלאה. A. ἐξαυχενισμοῦ πλήρης †. Sym. ἀποτομίας πλήρης *. Idem in alia ed. μελοκοπίας πλήρης †] † i Interprete Hieron. *excervicatione plena*. Lexicon Constantini, Ἐξαυχενισμὸς, *contumacia pervicax*. Lexicon Græcolat. V. Αὐχενίας, *cervicosus*. *Ἀποτομίας *sævitia*, *crudelitate*. Lex. V. Ἀποτομία, *acerbitas*, *acrimonium*. Ἀπότομος, *immanis*, *acerbus*, *crudelis*. † Μελοκοπία propriè denotat *concisionem membrorum*: μέλος enim est *membrum*. Idem פרק sign. Thesbites פרק *membrum*, i. אבר. Hieronymi verba sunt hunc locum interpretantis, *Ubi nos posuimus* laceratione plena, *Sym. interpretatus est* ἀποτομίας πλήρης, *quod possumus dicere* crudelitate *vel* severitate plena. *In altera ejus editione reperi* μελοκοπίας πλήρης, *i.* sectionibus carnium & frustis per membra concisis: *denique statim subjicit*, ubi indesinens præda est. ¶ לא ימיש טרף. Sym. *ubi indesinens præda est*] Colligo ex loco Hieron. modò citato.

3. יכשלו בגויתם. Sym. *& offendunt in cadaveribus mortuorum*] Hieron. ad h. l. *Tamen gentes istæ de quibus diximus, non cadunt, juxta Ebraicum, nisi in corporibus suis, & non offendunt, ut interpretatus est Sym. nisi in cadaveribus mortuorum.*

4. בעלת כשפים. Aq. & Sym. *habens maleficia*] i. ἔχουσα Φάρμακα.

7. והיה כל ראיך וגו׳. Sym. *& omnis qui viderit te recedet à te, & dicet, dissipata est Ninive: quis lugebit eam ea?*

18. קבץ. Aq. Sym. & Th. ὁ συνάγων] Hoc fragmentum citatum inveni in ed. Rom.

GROTIUS.

1. VÆ *civitas sanguinum*] *Væ civitati sanguinariæ.* Jam causas Deus exponit ademti Assyriis Imperii. ¶ *Universa mendacii dilaceratione plena.*] *Tota plena mendacio & extorsione.* ¶ *Non recedet à te rapina*] A qua *non recessit rapina*, id est, quæ semper ex rapto vixit.

2. *Vox flagelli*) *Sonitus flagri*, nempe equos agitantis, tibi supervenit. ¶ *Et vox impetûs rotæ*] *Sonitus circumvolitantis rotæ.* ¶ *Et equi frementis*] Quadrupedantis. nam

Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum.

¶ *Et quadrigæ ferventis*] Ex Græco ἀναβράσσοντος. Chaldæus Hebræum rectiùs expressit per *subsultantis.* ¶ *Et equitis ascendentis, & micantis gladii, & fulgurantis hastæ*] *Et equitis attollentis tum aciem gladii tum fulgur hastæ.* ¶ *Et multitudinis interfectæ*] Ut in bellis fieri solet. ¶ *Et gravis ruinæ*] *Et molis cadaverum. Nec est finis cadaverum*] *Ità ut finis non sit corporum stratorum.* ¶ *Et corruent in corporibus suis*] *Sed corruant in corpora suorum.* Lucanus?

In fluvium primi cecidere, in corpora summi.

4. *Propter multitudinem fornicationum meretricis speciosæ & gratæ*] *Fornicationes* vocat idololatricos cultus, Regum maximè ut Nini & Beli, de quibus Curtium vide. ¶ *Et habentis maleficia*] Pollentis artibus magicis. Theocritus Pharmaceutriâ:

> Τοιᾶ οἱ ἐν κίστᾳ κακὰ Φάρμακα Φαμὶ Φυλάσσειν,
> Ἀσσυρίω, δέσποινα, παρὰ ξείνοιο μαθοῖσα.
> [*O hera, tam validis plena est mihi cista venenis,*
> *Quæ gente Assyrius quondam mihi tradidit hospes.*]

Quæ vendidit gentes in fornicationibus suis] *Quæ mancipavit gentes scortationibus suis*: id est, idololatriis. Quia receptissimus transferendæ proprietatis modus est venditio; ideo quicquid alicui, etiam rei, mancipatur ei *vendi* dicitur, ut patet 1 Reg. 21. 25. Judic. 2. 14. Exemplum ejus quod hic dicitur vide 2 Regum 16. 10. ¶ *Et familias in maleficiis suis*] Id est, Mancipavit nationes artibus suis magicis; fecit ut eas addiscerent: ut apparet ex producto jam Theocriti loco.

5. *Ecce ego ad te*] Ideo ad te venio, ut suprà 2. 13. ¶ *Et revelabo pudenda tua in facie tua*] *Fimbrias tuas* (id est, imam vestem) *rejicio super faciem tuam*: ut Jeremiæ 13. 26. tractò te non ut matronam, sed ut meretricem. Vide Esaiæ 47. 2, 3. Ezechielis 16. 37.

6. *Et projiciam super te abominationes*] Stercora. ¶ *Et ponam te in exemplum*] *In spectaculum*: εἰς παράδειγμα, Græci. Hoc est quod alii dicerent ἐκθεατρίσω σε [*exemplum te faciam.*]

7. *Vastata est Ninive*] *Spoliata est.* ¶ *Quis commovebit super te caput*] In Hebræo & Chaldæo: *condolebit.* Id autem significari dejecto capite solebat. ¶ *Unde quæram consolatorem tibi?*] Quasi dicat, nusquam inveniam: omnes enim populos offendisti in rebus tuis secundis.

8. *Numquid melior es?* Cur melior esses? cur tua conditio esset melior? ¶ *Alexandria populorum*] *No nutrici populorum*, quæ fuit in Pharo, apud quam postea condita Alexandria: cujus nomen hic, ut & Jeremiæ 46. 25. per πρόληψιν [*Anticipationem*] positum est. *Quæ habitat in fluminibus, aquæ in circuitu ejus*] Plutarchus in ejus loci descriptione: ταινία γάρ ἐστι, ἰσθμῷ πλάτος ἔχοντι σύμμετρον ἐπιεικῶς διείργουσα λίμνην τε πολλὴν καὶ θάλασσαν ἐν λιμένι μεγάλῳ τελευτῶσαν [*tania enim est, terra faucibus quantum oportet satis commodè* di-

dispescens magnum lacum & mare quod in magnum portum desinit.] Homerus:

Νῆσος ἔπειτά τίς ἐστι πολυκλύστῳ ἐνὶ πόντῳ
Αἰγύπτου προπάροιθε· Φάρον δέ ἑ κικλήσκουσι.
[*Præjacet Ægypto, fluctu pulsata marino*
Insula, vicinis Pharos appellata colonis.]

¶ *Cujus divitiæ mare*] Ex mercibus mari advectis. ¶ *Aquæ muri ejus*] Difficiles enim oppugnatu urbes in mari & magnis amnibus sitæ.

9. *Æthiopia fortitudo ejus*] Id est, opulentia ejus, per merces Nilo ferente devectas. ¶ *Et Ægyptus*] A capite ad littus. ¶ *Et non est finis*] Non hàc stetere ejus urbis commercia. ¶ *Africa & Libyes fuerunt in auxilio tuo*] Locutio Poëtica: nam à tertia persona ad secundam κατ' ἀποστροφὴν [*per Aversionem*,] indè iterum ad tertiam sermo se vertit. Quod hic est *Africa* in Hebræo est פוט [*Phut*;] ea vox *Mauros* significat. *Libyes* verò sunt Cyrenaïci & Marmarici Ægypto propiores. Hi omnes populi auxerant urbis illius divitias.

10. *Sed & ipsa in transmigrationem ducta est in captivitatem*] Non tantùm exsules sed & servi facti sunt cives ejus, nempe per Æthiopas, quorum Rex Sabaco Ægyptum invasit, & valida ibi præsidia posuit, ante Psammitichi tempora, teste Herodoto in Euterpe. ¶ *Et super inclytos ejus miserunt sortem*] Æthiopes hoc fecere de captivis Ægyptiis. Notavimus alibi eum morem. accedat illud Euripidis:

Πολλοῖς δὲ κωκυτοῖσιν αἰχμαλωτίδων
Βοᾷ Σκάμανδρος δεσπότας κληρουμένων.
[*Sonat Scamander feminarum planctibus*
Queis Marte captis sors heros adjudicat.]

¶ *Et omnes optimates ejus confixi sunt in compedibus*] Constricti sunt compedibus.

11. *Et tu ergò inebriaberis*] Tu quoque, Ninive, inops eris consilii, ut esse solent ebrii, Jeremiæ 25. 16. 27. ¶ *Et tu quæres auxilium ab inimico*] Salutem ab hoste posces, deditione scilicet.

12. *Omnes munitiones tuæ*] Castella Assyriæ. ¶ *Sicut ficus cum grossis suis*] *Cum ficubus maturis.* Ità hic Chaldæus. ¶ *Si concussæ fuerint cadent in os comedentis*] Ità & tu nullo negotio in potestatem Chaldæi venies.

13. *Ecce populus tuus mulieres in medio tui*].

——— Ἀχαιΐδες, οὐκ ἔτ' Ἀχαιοί.
[——— *nec Achivi nunc; sed Achivæ.*]
O verè Phrygiæ, neque enim Phryges. ———

¶ *Inimicis tuis adapertione pandentur portæ terræ tuæ*] *Aperiendo aperientur*, id est, statim, sine mora. ¶ *Devorabit ignis vectes tuos*] Portas catarractas, quas hostis ussit, nè essent usui.

14. *Aquam propter obsidionem hauri tibi*] Cisternas tibi fac, unde habeas in obsidione quod bibas. Tacitus in descriptione Hierosolymorum: *Fons perennis aquæ, cavati sub terra montes, & piscinæ cisteræque servandis imbribus. Præviderant conditores ex diversitate morum, crebra bella: indè cuncta, quamvis adversùs longum obsidium.* Per irrisum ait Deus, Parate omnia quæ adversùs longum obsidium parari solent: nihil illa proderunt, captis formidine animis. Simile loquendi genus suprà habuimus 2. 1. ¶ *Exstrue munitiones tuas*] Propugnacula urbis. *Intra in lutum, & calca, subigens tene laterem*] In Hebræo: *Intra in lutum, & calca super lutum, & tene* (id est, defende) *lateritium opus.* Sæpe evenit in magnis urbibus, ut, captâ parte, pars aliqua defendatur, structis interioribus munimentis. (Vide Jeremiæ 33. 4. 5.) quæ quidem munimenta eo tempore maximè fiebant è latere; è qua materia & muri erant Babylonis. Ait ergò, Captis jam portis aliquibus recipe te intra nova munimenta è latere, ascende super illa, & illa defende quantum potes. Significat & hanc molitionem brevis temporis & inanem fore. Hæc & alia distinctiùs possemus interpretari si haberemus Abydeni Assyriaca; quæ ut mecum quærant studiosos omnes hortor. Sunt qui dicant delitescere eum librum Florentiæ.

15. *Ibi comedet te ignis, peribis gladio*] Ibi quoque faces & tela ab hostibus jacta te vetabunt consistere. חרב Hebræis omne teli genus significat, vertitúrque & σίδηρος [*ferrum*] & λόγχη [*hasta*]. ¶ *Devorabit te ut bruchus*] Meliùs *ut bruchum*, propter sequentia. Locustæ in cibo Syris, sic & bruchi. ¶ *Congregare ut bruchus, multiplicare ut locusta*] Licèt ingens fuerit numerus militum quos conduxisti. Nam milites *bruchi* & *locustæ* nomine designari diximus suprà Joël. 1. 4.

16. *Plures fecisti negotiationes tuas quàm stellæ sunt cœli*] *Et plures attraxeris mercatores quam cœli sunt stellæ.* ¶ *Bruchus expansus est & avolavit*] *Irruit & avolat.* Ostendit morem bruchi, cui deinde comparabit apertiùs mercenarios illos milites & mercatores.

17. *Custodes tui quasi locustæ*] מנזריך nomen est Assyriacum, & si Græcis credimus, τοὺς συμμικτοὺς significat, *extraneos ex variis gentibus.* Sic dicti, ut videtur, quòd coronam quandam aut laminam, quod hìc posuit Chaldæus, gestarent, per quam à civibus dignoscebantur. ¶ *Et parvuli tui quasi locustæ locustarum*] טפסריך, est alterum nomen Assyriacum: quod ad Σατράπην accedere notavimus ad Jeremiæ 51. 26. Pro *locustis* in Hebræo est non ארבה, quod præcessit, sed גוב גובי. in isto גובי est terminatio Συριάζουσα [*Syriaca*,] aut regimen, ut loquuntur Grammatici, pro absoluto: quemadmodum Esaiæ 19. 9. 20. 4. Jeremiæ 17. 13. Ezechiel. 13. 9. Oseæ 11. 4. & ipsum גוב est Syriacum, aut Chaldaïcum, quod in versionibus antiquis Exod. 10. 14. Levitic. 11. 22. ponitur pro Hebræo ארבה [*locusta.*] Sunt tamen qui insecti genus persimile quidem locustæ, sed paulùm differens putant esse, quale est attelabus. Geminatio vocis multitudinem eximiam denotat. ¶ *Quæ considunt in sepibus in die frigoris: Sol ortus est, & avolaverunt*] *Sole autem orto avolant.* Hieronymus: *Natura enim hæc locustarum est, ut in frigore torpentes per calorem volitent.* Facilè intelligitur ἀπόδοσις [*id quod in comparatione respondet.*] Sic illi tui duces mercenarii, & mercatores in periculo fugerunt. ¶ *Et non est cognitus locus earum ubi fuerint*] Nulla eorum manent vestigia.

18. *Dormitaverunt pastores tui, Rex Assur*] *Dormitarunt:* id est, negligenter se gesserunt pastores tui, præfecti, & duces. ¶ *Sepelientur Principes tui*] *Cubarunt Principes tui*; שכנו. Metaphora par ei quæ præcessit. ¶ *Latitavit populus tuus in montibus*] *Dispersi sunt populus tuus super montes.* Per *populum* hic gregarios milites intellige. ¶ *Et non est qui congreget*] Nemo est qui sic dispersos in agmen recolligat.

19. *Non est obscura contritio tua*] In Hebræo, *Non est ligamen vulneri tuo.* Cùm Ninos sit dedita, milites dispersi, duces torpidi, nónne vides periisse res tuas sine remedio? Græci: οὐκ ἔστιν ἴασις τῇ συντριβῇ σου [*non est medela contritioni tuæ.*] ¶ *Pessima est plaga tua*] Græci, ἐφλέγμανεν ἡ πληγή σου [*inflammatum est vulnus tuum.*] Inflammata vulnera solent exitium adferre. ¶ *Omnes qui audierunt auditionem tuam*] Ἀκοὴν Hellenistæ dicunt *famam*: qui audierunt famam cladis tuæ. ¶ *Compresserunt manum super te*] *Ob te plauserunt manibus*, præ gaudio, ut Psalm. 47. 2. ¶ *Quia super quem non transiit malitia tua semper?*] *Ad quem non pervenerunt injuriæ tuæ omni tempore?* Cui non molesta fuisti? Sensus idem qui suprà 7.

ANNOTATA
AD
HABACUCUM.

CAP. I.

MUNSTERUS.

Sub quibus Regibus vixerit & prophetaverit Habakuk, & quo natus sit patre aut ortus genere, ex Scriptura haberi nequit. Hebræi autorem Seder Olam sequentes putant eum fuisse coætaneum Joeli & Nahum, sub impio Rege Menasse. Prophetat autem contra Nebuchadnæzar Regem Babyloniæ, qui tanta mala intulit superbo animo terræ Jehuda qualia à nullo Tyranno unquam perpessa fuerat. Habet & consolationes atque promissiones de venturo Christo. Vocat proinde Prophetiam suam *onus* quòd infaustum vaticinium & infelix fatum fuerit Regno Chaldæorum.

2. *Vociferor ad te*] Expostulat cum Deo quare permittat Tyrannos usquеadeo sævire in populum suum & locum sanctum, Cujus devastationem in spiritu prævidit futuram.

4. *Aliquando*] Heb. *in æternum.* Loquitúrque de impiis, qui cristas erexerunt cùm viderent Deum malefacta eorum non punire, magísque sævierunt in bonos quosque viros, rumpentes leges Divinas & humanas, & apud quos judicium nullam habuit exsecutionem.

5. *Videte gentes*] Vos, Israelitæ, *aspicite gentes*, & videte quale flagellum miserit Deus super eas, & quàm atrociter punierit eas per Nebuchadnæzar, & videte nè super vos quoque veniat.

6. *Præcipitem*] h. e. Quæ mirâ celeritate & agilitate maximâ conficit bella, & terminis suis non contenta conatur omnes circumjacentes regiones suæ subjicere ditioni.

9. *Ante quorum facies erit*] Exponitur ab Hebræis מגמת pro לקבל & נכח. Et est sensus, Tanta sævitia prodit ex facie & oculis eorum ut putes spirare perniciosum *ventum Orientalem.* Neminem veretur hostis ille totius mundi, *despicit Reges & Principes*, nec curat quantumlibet *munitas urbes* & arces: omnia facilè frangit & dirrumpit. *Quo successu elatus* indies *mutabit seipsum*, graviúsque *delinquet*, & *acceptum feret* quicquid prosperè egerit *Idolo suo.*

12. *In judicium posuisti eum*] i. Tu punies per eum gentes sceleratas, & ad hoc ordinasti eum ut castiges peccata nationum.

13. *Mundioribus es oculis*] Cùm tu, Deus, nihil cernere possis quàm quod est justum & rectum, mirum est quomodo sustineas ut populus Chaldæorum *devoret* Israelitas, qui *justiores* sunt Chaldæis: etiamsi & ipsi impii sint, collati tamen Chaldæis, utpote magis impiis, videntur quasi justiores esse.

14. *Fecisti homines quasi pisces*] Miror, inquit, ut permittas assimilari *Homines piscibus maris*, qui cùm *sine duce* & protectore sint, facilè capiuntur & *extrahuntur* per piscatores ex mari: sic homines à Rege Babel capiuntur & abducuntur, nemine prohibente, etiam qui tuus populus est, & quorum Deus *tu es ab initio.* *Facis* præterea nos *similes reptilibus*, quæ *sine defensore* vagantur per agros, atque ob id facilè *colliguntur*: sic nos prædæ expositi sumus. Nebuchadnæzar, qui pro libidine sua nos capit, abducit & interimit; & non nos tantùm, verùm & *totum quod exsistit* per circuitum Imperii sui, *colligit in sagenam suam.* Et cùm ista faciat atque in operibus suis mirum in modum prosperetur, non tibi fert acceptum, sed viribus suis tribuit atque Deo suo Bel. Nec finem facit prædæ suæ, sed prosperante successu subindè novas repetit excursiones, & sine intermissione sagenam expandit, ut capiat, mactet & disperdet.

VATABLUS.

1. Prophetia illa המשא] Vide Nah. 1. 1. ¶ Habacuc חבקוק] Quo tempore prophetaverit iste Habacuc non meminerunt S. literæ: attamen in Chronico Hebræorum ità scribitur, *Joel, Nahum & Habacuc prophetaverunt tempore Manasse: sed quia is fuit impius, ejus non meminerunt.* Prophetavit autem contra Nabuchodonosor & Chaldæos, qui afflicturi erant populum Israeliticum, & abducturi in captivitatem duas illas tribus; sed tandem devincendi à Persis & Medis, ad quos simul Imperium illud Chaldæorum sive Babylonicum transferendum erat.

2. *Clamabo* אזעק] Præt. Heb. pro fut. i. clamando conquerar apud te. Induit hîc Propheta personam vulgi sive plebis ignaræ judiciorum Dei, & humanâ tantùm ratione nitentis. Initio autem suæ Prophetiæ erumpit in querimoniam sive expostulationem erga Deum, vehementer admirans felicitatem ac prosperitatem impiorum ac reproborum; & contrà, adversitatem piorum ac electorum. ¶ *Iniquitatem* חמס] *Injuriam.* ¶ *Salvabis* תושיע] *Servabis?* i. feres opem mihi?

3. *Ostendis mihi* תראני] Fut. Heb. pro præs. *facis ut videam.* ¶ *Iniquitatem* און] Ad verb. homines *iniquitatis*, i. homines iniquos: q. d. Quare finis ut homines iniqui affligant populum tuum, & non punis? Alii, homines *tristitiæ*, vel *doloris*, i. qui dolorem vel tristitiam mihi pariunt? ¶ *Aspicis* תביט] i. Sustines videre. ¶ *Estque*, &c. ויהי ריב] Quidam vertunt, *& rixam ac contentionem feret?* sub. *Israel.*

4. *Debilitatur* תפוג] Fut. Heb. pro præs. *infirmatur: remissa est*, i. negligitur: q. d. Quia non sumis pœnas de improbis, multi deficiunt à te & à Lege tua. ¶ *Non egredietur*, &c. ולא יצא וגו] *Et non prodibit*, sub. *in lucem.* Hebraismus, Nunquam animadversurus est Dominus in improbos. ¶ *Circumdat* מכתיר] Instar coronæ scilicet, i. circumvenit: h. e. à quovis impio opprimitur justissimus quisque. ¶ *Egredietur* יצא] *Prodibit*, sub. *à Deo*: i. tu videberis in judiciis tuis injustè agere.

5. *Et aspicite* והביטו] *Et considerate*, sub. *quæ sunt illis eventura.* ¶ *Et amiramini*, *admiramini* והתמהו תמהו] *Et obstupescite*, *obstupescite.* Prædicit Dominum tandem sumpturum ultionem de Chaldæis & Babyloniis injustè opprimentibus populum suum: sed priùs Nabuchodonosor maximam partem orbis sibi subjugaturum & occupaturum, non sine afflictione & oppressione multorum.

6. *Amaram* המר] i. Asperam, acerbam, duram. *Amaram & præcipitem* vocat crudelem & temerariam, i. quæ consilia sua præcipitat. ¶ *Quæ perambulabit* ההולך] Præs. Heb. pro fut. i. quæ maximam partem terræ invadet ut occupet.

7. *Et dignitas ejus* ושאתו] *Et Excellentia ejus*: *autoritas*: *majestas*: *magnificentia*: q. d. Propriâ virtute, & non alienâ, consequetur & vendicabit sibi gloriam & dignitatem imperii.

8. *Et acutiores* וחדו] Pro *pernicioribus & velocioribus* positum. Metaphora sumpta ab ensibus acutis, qui facilè pertranseunt. ¶ *Quamplurimi sunt* ופשו] Ad verb. *& multiplicati sunt.* Præt. pro fut. ¶ *Equites ejus qui de longè* מרחוק] Ad verb. *& equites ejus de longe*, &c. ubi ponitur antecedens pro relativo: nam satis erat dixisse ut vertimus, *qui de longe*, &c. ¶ *Ad comedendum* לאכול] *Ut capiat cibum.* Solent enim Aquilæ visâ prædâ è sublimi devolare, ut eam rapiant, idque celerrimè.

9. *Tota ipsa* gens כלה] *Totus*, sub. *exercitus.* ¶ *Propter rapinam* לחמס] i. Ut diripiat vos & vestra omnia. Alii, *ad injuriam*: vel *propter injuriam.* Alii, *ut vim inferat.* Subauditur enim לעשות. ¶ *Oppositio*, &c. מגמת וגו] *Aspectus faciei eorum ventus Orientalis*, i. facies Chaldæorum vobis opposita erunt, vobis intolerabiles, ut ventus Orientalis impetuosus est & intolerabilis habitantibus in Terra sancta. ¶ *Tanquam*

arenam

arenam captivitatem כחול שבי] Quæ nullo numero capi ac comprehendi possunt, comparat Scriptura Arenæ, quæ numerari nequit. Dicit igitur, *Congregabit multitudinem captivorum innumeram*, sive *captivos innumeros capiet*.

10. *Illa quoque* והוא] Sub. *Ninive*: vel, *Ipse quoque*, nempe *Nabuchodonosor*, *parvipendit ac contemnit omnes alios Reges & Principes*, *omnémque potentiam eorum*. ¶ *Urbem munitam ridet* מבצר ישחק] *Munitionem ridet*.

11. *Tunc transibit*, אז חלף וגו׳] Multa hic subaudienda; *Cum videbit se adeò felicem*, *ultra modum efferetur*, *& transgredietur modum*, *non continebit se intra fines modestiæ*, *sed erit supra modum superbus & arrogans*, *ità ut contra Dominum delinquat*, *tribuendo hanc potentiam*, *has suas vires idolo suo*.

12. *Non moriemur* לא נמות] Te scilicet protegente contra Nabuchodonosorem. Verba Prophetæ alloquentis Dominum. Vel juxta antiquam lectionem, & *non morieris*, i. es immortalis & incorruptibilis; idola autem corruptibilia sunt, & homines autores eorum sunt mortales. Est autem hæc dictio una ex 18 quæ fuerunt emendatæ sive correctæ & castigatæ à Scribis, qui fuerunt eâ offensi, nè scilicet putaremus Deum esse mortalem. ¶ *Et fortem*, &c. וצור וגו] *Et petram ut corriperes stabiliisti eum*: nihil enim firmius aut solidius fundamento. Alii, *&*, *ô rupes*, *ut increpes fundasti eum*: vel, *ut arguas* mores corruptos *constituisti illum*: q. d. est tibi vice flagelli quo uteris ut animadvertas in improbos ac reprobos, sumásque de illis pœnas.

13. *Malum* רע] i. Ut cernere non possis alicui malum inferri. ¶ *Pravitatem* אל עמל] Repetitio. ¶ *Contemptores* בוגדים] *Prævaricatores*, sub. *in te*: i. quare fers improbos, & non statim animadvertis in eos? ¶ *Disperdente impio* בבלע רשע] *Dum deglutit* [*absorbet*] *impius*.

14. *Similes repuli cui*, &c. כרמש לא משל בו] Sing. Heb. pro plur. *reptilibus quæ dominatore carent*. Comparat Mundum *mari*, Homines *piscibus*, & Nabuchodonosorem *piscatori*: q. d. Licet omnibus impunè ac nemine prohibente piscari in mari ipso, & homines affligere carentes Principe qui tueatur illos.

15. *Extrahet* העלה] Ad verb. *ascendere fecit*. Præt. Heb. pro fut. *educet*, i. expiscabitur. Perstat in Metaphora sua. Duobus autem modis expiscari solent pisces, *hamo* & *sagenâ* sive *reti*. Quidam hæc verba per præsens vertunt.

16. *Sacrificabit sagenæ suæ* יזבח לחרמו] Hebraismus, omnia tribuet propriæ virtuti, industriæ ac viribus, quæ tamen accepta referre debuerat Deo, & illi gratias agere. Alii referunt ad Deum ejus quem ille putabat esse autorem virtutis & felicitatis ac prosperitatis suæ. ¶ *Pingue* בריאה] *Pinguis*, sub. *evasit*: i. adeptus est imperii dignitatem & autoritatem.

17. *Evacuabit sagenam suam* יריק חרמו] Quos enim pisces attraxerint piscatores, solent è sagenis suis educere foràs, nempe in domum suam, vel aliò: q. d. Debétne pervenire ad finem optatum? Non debet. ¶ *Non parcet?* לא יחמול] i. Non desinet? Declaratio est præcedentium.

CASTALIO.

3. *ASpicis facinora*] Pateris.
7. *Orto ex ipsa ejus jure*] Ea sibi vendicavit imperium, nec ex alterius autoritate pendet.
9. *Faciem habentes occursu similem Euro*] Omnia adventu suo peturentes. ¶ *Captivos arenatim collecturi*] Innumerabiles.
10. *Quamvis munitionem ridet*, *& humo congestâ capit*] Cinctam aggere.
11. *Spiritu gliscens*] Superbiens.
12. *Eum ad puniendum fundasti*] Ideo tantâ potentiâ Assyrium fulcisti ut eum gloriosè perdas.
16. *Everriculo casśique suo sacrificat atque adolet*] Victoriam non tibi sed suis viribus acceptam fert.

CLARIUS.

SUb quibus Regibus vixerit & prophetaverit Habacuc, & quo natus sit patre aut ortus genere, ex Scriptura haberi nequit. Hebræi putant eum fuisse coætaneum Joeli & Naum, sub impio Rege Manasse. Prophetat autem contra Nabuchodonosor Regem Babyloniæ, qui tanta mala intulit superbo animo terræ Juda qualia à nullo Tyranno unquam perpessa fuerat. Habet & consolationes atque promissiones de venturo Christo. Vocat Prophetiam suam *onus*, quòd infaustum vaticinium & infelix fatum fuerit Regno Chaldæorum.

2. *Vociferabor ad te vim patiens*] Vel, *ob violentiam*, sive *iniquitatem*, *quâ premor*. In persona humani generis loquitur: quamvis velint quidam eum expostulare cum Deo quare permittat Tyrannos usque adeò sævire in populum suum. Sed aptius est quod priùs diximus, ut faciat quod & Paulus Rom. 7. *Infelix ego homo*, &c.

3. *Iniquitatem & laborem*] Vel, *malitiam*. Et his duobus vocabulis junctis significatur colluvies omnium peccatorum, ut quidam Hebræi volunt. ¶ *Videre prædam* (sive *iniquitatem*) *& injustitiam contra me*] h. e. Perniciosam mihi: videlicet rixam quæ est inter Spiritum & Carnem. Et Carnis rebellio superavit Spiritum & cedere coegit, quemadmodum paulo post dicturus est. ¶ *Et fuit qui litem*] Vel, *& rixa & rebellio erexit se*. Hoc est quod Paulus ait, *Mente servio legi Dei*, *carne autem legi Peccati*. Et, *Condelector enim legi Dei secundùm interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*, *& captivantem me in lege peccati*, &c. &, *Si autem quod nolo*, *illud facio*, *jam non ego operor illud*, *sed quod habitat in me Peccatum*.

4. *Non pervenit usque ad finem judicium*] Non pervenit ad perfectionem æquitas. ¶ *Quia impius*] Caro prævalet adversùs Spiritum. ¶ *Propterea egreditur*] Justitiæ opus mancum prodit.

5. *Aspicite in gentibus*] Hunc locum Act. 13. sic citat Paulus, *Videte*, *contemptores*, *& admiramini*, *& disperdimini*, *quia opus operor ego in diebus vestris*, *opus quod non creditis*, *si quis enarraverit vobis*. Quale autem sit illud opus, paulò antè exposuerat, *Notum*, inquiens, *sit vobis*, *fratres*, *quòd per hunc vobis remissio peccatorum annunciatur: ab omnibus quibus non potuistis in lege Mosi justificari*, *in hoc omnis qui credit justificatur*. *Videte ergò nè superveniat vobis quod dictum est in Prophetis*, *Videte*, *contemptores*, &c. Qui ad exercitum Babyloniorum referunt, dicunt, *Vos*, *Israelita*, *aspicite gentes*, *& videte quale flagellum miserit Deus super eas*, *& quàm atrociter punierit eas per Nabuchodonosor*, *& videte nè super vos quoque veniat*.

6. *Suscito Chaldæos*] Verè diabolos vel vastatores.

7. *Ex semetipsa judicium*] Quidam sic exponebat, *Suo arbitratu facit omnia*, *& potestate non eget humanâ: potentior enim est omnibus quæ sub Sole sunt*. *Hæc enim est Behemoth ipsius Job*, *bellua multorum capitum*. *Behemoth* Hebraicè *bestia* numero plurali.

11. *Tunc mutabitur spiritus*] Alius vertit, *Tunc ex successu elatus mutabit spiritum: & prævaricabitur delinquétque*, *& hanc virtutem suam ascribet Deo suo*. Et de Rege Babylonis intelligunt, quòd eriget se tanquam sit Deus. Alii *spiritum* vel *decretum mutandum* dicunt, quòd Deus decrevit ut post certum tempus Chaldæorum Regnum transferretur. Qui verò sensum magis spiritualem admittit, sic legit, *Tunc cessit spiritus*, *& abiit*, *& corruit victus*, è cœlo videlicet. Similiter quod sequitur, *Hæc est fortitudo gentis ejus*, *Dei sui*, h. e. Luciferi, qui conabatur fieri similis Altissimo.

12, 13. *Numquid non tu à principio*] Alii, inquit, deos suos habeant; nos te verum atque æternum Deum novimus. ¶ *Domine*, *in judicium*] Tu punies per eum gentes sceleratas, & ad hoc ordinasti eum ut castiges peccata nationum. ¶ *Fortis*] Intellige *Deus*: quod alius vertit, *ut creator*. ¶ Sed miratur Propheta cur id agat Deus ut qui sceleratior est affligat *se justiores*, & ait, *Mundi sunt oculi tui*, h. e. Cùm tu, Deus, nihil cernere possis nisi justum & rectum, mirum est cur hoc patiaris.

14. *Fecisti homines quasi pisces*] Qui, cùm *sine duce* & protectore sint, facilè capiuntur & *extrahuntur* per piscatores è mari.

16. *Immolabit sagenæ suæ*] Concupiscentiæ; i. magnificè illi gratias aget.

17. *Evacuabit sagenam suam*] i. Colliget captos, & iterum expandet.

L. BRUGENSIS.

3. *QUare respicis contemptores*, *& taces conculcante impio justiorem se? & facies homines quasi pisces maris*, *& quasi reptilia non habentia ducem?*] Hanc periodum, quam multi codices, suffragantibus Richelio, Carensi, Lyrano, & Autore Glossæ, tertio versui addunt, post illa verba, *videre prædam & injustitiam contra me*, sex Parisiensium, Di. o. l. Ge. o. p. Mogunt. Compl. septem Hentenii, & novem nostri, Brug. Lob. Leod. O. Q. A. I. Colon. Quent. Ruperto, Haymone, & D. Hieronymi textu adstipulantibus, tollunt. In Hebraicis libris, Græcis & Chaldaicis non legitur. Itaque è textu Pari-

fiensis sustulere. Epanorthotes quoque ait, *Abacuc* 1. *ca.* *Et injustitiam contra me? & factum est judicium. Nihil est interponendum: sed, quod solet hic poni, inferiùs habet locum.* Inferiùs, versibus 13. & 14, legitur ab omnibus, Latinis, Græcis, Hebræis, Chaldæis: & quidem Latinæ editionis hæc sunt verba, *Quare non* [H, G, C.] *respicis super iniquè agentes & taces devorante impio justiorem se? & facies homines* [*hominis* o.] *quasi pisces maris, & quasi reptile non habens principem?* D. Hieronymus, in initio commentariorum hujus capitis, postquam illud, *videre prædam & injustitiam contra me*, & quæ præcedunt, juxta literam & temporis historiam exposuisset; subjecit, *generaliter* etiam *accipi posse*; *quòd ex persona humana impatientiæ videns peccatores in seculo abundantes Propheta loquatur:* ac tum ea recitavit Propheta verba, quia ejusdem sunt argumenti quæ inferiùs 13, & 14 versibus leguntur. Hujus occasione conjecerim ea ab aliquibus initio capitis repetita: nam & eo planè modo sunt scripta quo Hieronymus, LXX duorum majori ex parte editionem secutus, recitat.

DRUSIUS.

1. ONus] Sic Int. antiquus. In fonte est המשא: id Grammatici Ebræi explicant per נבואה aut חזון. Quocirca nos alibi in *Prophetiam* transtulimus. Græci reddunt λῆμμα, quod non *pondus* denotat, ut Hier. opinatur, sed *sermonem à Deo acceptum.* Nam λαμβάνω *accipio.* Lexicon Græc. Lat. V. Λῆμμα, *acceptum.* Scholia Jarii Ebræi, משא *vocatur id quod homo assumit & accipit per Spiritum S.* Porrò eadem vox *onus* denotat: ideo Jonathan interpretatur *onus Propheticum*, & Tremellius *Prophetia onerosa.* Vide quæ scripsimus Nah. 1. 1. Legitur hæc vox Mal. 1. 1. item Zach. 9. 1. & 12. 1. ¶ *Habacuc*] Critici Ebræorum scribunt *Habaccuc*, per duplex *c*. In antiquis verò editionibus est *Habbacuc*, *b* geminatâ. Potest etiam scribi *Chabaccuc*, per *ch*: pro quo est *ls* Heth in scriptura Ebraica. Hic propheta nec suum tempus ipse dicit, nec in Chronicis Eusebii & Hieronymi, ut Augustinus De civit. Dei lib. 18. cap. 31. testis est, quando prophetaverit invenitur. David Scholiastes ait non constare nobis de ætate ipsius, ut nec de familia. Idem sic annotat, *Apparet ejus ævo Regnum Nabuchodonosori cœpisse; quemadmodum dicit respectu coætaneorum suorum*, QUONIAM OPUS OPEROR IN DIEBUS VESTRIS. Hieronymus putat eum prophetasse postquam Duæ tribus abductæ fuissent in captivitatem. Hoc probari posset si ab omnibus reciperetur Historia conjecti Danielis in lacum leonum: nam ad eum Habacuc cum prandio mittitur. Porrò Daniel vixit in captivitate Babylonica. Funccius Chronologus ejus tempus ponit sub Principatu Manasse. Huic sententiæ adstipulatur Historia profana Ebræorum. In Seder Olam Zuta, quod est Chronicon Ebræorum minus, *Post Ezeciam regnavit Manasses* 55 *annis: Fuitque magnus Sacerdos Hosaias, Joel autem & Nahum & Habacuc Prophetæ.* Locus iste pleniùs citatur in Scholiis Camii Ebræi, *Joel, Nahum & Habacuc prophetârunt in diebus Manasse: Et quia Manasses non erat rectus, ideo non memoratur nomen ejus apud dictos Prophetas.* Citatur autem ex Seder Olam. R. Salomo in notis ad Joelem, *In Halachoth Gedoloth invenitur, Joel & Nahum & Habacuc fuerunt in diebus Manasse.*

2. *Quousque*, DOMINE, *clamo*] Hunc versum non malè ità reddes, *Quousque*, DOMINE, *clamabo, & non audies? vociferabor ad te violentiam, & non salvabis?* ¶ *Vociferor violentiam*] Vociferor vim fieri piis in hoc ævo, clamo violentiam exerceri ab improbis. Quidam legunt *vociferor ob violentiam.* V. Int. *vociferor vim patiens.* Legit, ut opinor, חָמָס, aut accepit חמס eo sensu quo alibi תפלה *oratio* ponitur pro איש תפלה *vir orationi deditus.* Sic איש חמס *homo vim patiens.*

3. *Quare ostendis mihi*, &c.] Quare facis me videre iniquitatem horum temporum? Aut *videre iniquitatem* dixit ut *Videre malum, Videre pericula.* Sensus ergò est, Cur pateris & finis ut improbi homines in me iniqua patrent, me iniquè habeant & injuriâ afficiant? Hoc dicit Habacuc in persona sua, an pii cujusque? ¶ *Iniquitatem*] Iniqua. Scholia Ebraica enarrant *viros iniquos.* Sic alibi, *diligit justitias*, i. justos. Mihi prior enarratio magis placet. ¶ *Et laborem aspicis*] Hoc manifestiùs reddas, *cum laborem aspicias.* Sic David ait Psal. 10. 4. *Tu laborem & indignationem aspicis.* Subest autem his verbis hæc sententia, Cùm facta & conatus improborum videas, quid est causæ cur eos non punias? Sic dico, Mirum est nos impunè ab iis vexari, cùm nihil eorum quæ homines faciunt te lateat. Vel *molestiam.* Quod activè sumendum, ut significet molestiam quam mali bonis exhibent. Antea erat *aspicere facis*, sive, quod idem, *facis ut intuear*; sed malè: nam verbum תביט ità nunquam significat. Adhæc, ambigo an sicut dicimus *videre iniquitatem*, sic etiam dici possit *aspicere molestiam* pro eo quod est *ferre* aut *subire molestiam.* ¶ *Vastitas & violentia coram me*] Semper mihi ob oculos versantur *vastitas & violentia*, quæ non possum absque summa ægritudine intueri, nedum perferre. ¶ *Et est contentio*] Significat contentiones & jurgia vigere inter homines, ut fit in statu reip. corrupto, & ubi perditis hominibus omnia licent. ¶ *Et jurgium tollit*] Sub. *homo.* Quod non malè reddes per impersonale *tollitur.* Tale est, *reputavit ei pro justitia*, ab Apostolo quondam expositum ἐλογίσθη *reputatum est.* Sic, *nunciavit David*, sub. *nuncius*, i. nunciatum fuit. Porrò *tollere jurgium* ità dicitur ut *Tollere canticum, Tollere vocem, næniam, proverbium.* Vide Quæst. l. 1. q. 58. Licet etiam legere, *Est qui contentionem & jurgium tollat*, ut אשר subaudiatur, quod in oratione Ebraica sæpe hoc modo desideratur.

4. *Propterea*] Quia malis bene, bonis autem malè est, nec punis iniquè agentes, sed connives ad eorum scelera, *ideo lex penitus cessat*, hominésque negligenter se in ea exercent. ¶ *Cessat*] Vel *intermittitur.* Aliàs, *debilitatur.* Scholion Abenezræ, תנוח *silet.* Sic dicimus, *Silent leges inter arma.* Hoc verbo utuntur de Corde, quando ejus motus cessat, nec vena pulsatilis ampliùs sonat: quod fit emigrante jam animâ. ¶ *Et non prodit unquam judicium*] Judicium aut omnino non exercetur, aut, si exercetur, corruptè ac perversè exercetur. Hoc sign. cùm ait, *ideo prodit judicium distortum.* Ut hic *prodire* dicitur *judicium*, sic Jes. 42. 1. legimus de Messia, *& judicium Gentibus proferet*, יוציא *prodire faciet.* לנצח *in perpetuum.* Hoc Græci referunt εἰς τέλος ex quo Lat. V. *in finem.* ¶ *Circumdat justum*] Ut cidaris aut diadema caput cingit, ità *improbi circumdant justum* lædendi causâ.

5. *Videte in Gentibus*] Deus respondet ad præcedentem expostulationem, & ipsos Judæos alloquitur. ¶ *Admiramini, admiramini*] Germinatio non caret emphasi. Sic cùm dicimus, *Vidi, vidi*, ἐμφατικώτερον est quàm *vidi* simpliciter. התמהו posuit pro התמהמהו. Est autem imperativus in Hiphael, à verbo תמה, quod perfectorum ritu conjugatur, cùm habeat Mappic in He. Vide Grammat. nostram pag. 43. ¶ *Operor*] Brevi operaturus sum. ¶ *In diebus vestris*] Vobis adhuc superstitibus. ¶ *Non credetis cùm narrabitur*] Vel, si placet, *si narraretur.* Nam כי & אם se invicem explicant: Mich. 5. אשור כי יבא בארצנו *Assyrius cùm venerit in terram nostram.* R. S. ad h. l. sic annotat, כי *particula pro* אם *ponitur. Ergò* כי יבא *valet* si venerit: *& est sensus, Si venerit in terram nostram quemadmodum nunc venit.*

6. *Excito*] Propediem excitabo. ¶ *Amaram*] *Acerbam, crudelem.* ¶ *Festinam*] Properantem Imperio suo adjungere nationes & populos. Et rectè *festinam*: nam paucis annis subegit Syriam & majorem partem Asiæ. ¶ *Quæ ambulat per latitudines terræ*] Quæ pervadit terram quàm latè patet. Est autem figura quam *Hyperbolen* vocant. Siquidem Chaldæi non universam terram pervaserunt, sed Asiam duntaxat & partem Africæ. Aut propriè loquitur & sine figura, per *terram*, ut sæpe aliàs, significando Judæam. Aut *latitudines terræ*, i. loca terræ lata ac spatiosa. ¶ *Ad hereditandum*] Ac si diceret, ut heredibus suis posset relinquere. ¶ *Tabernacula non sua*] Ditiones ac urbes alienas.

7. *Horribilis*] *Horrendo aspectu formidolosa.* ¶ *Terribilisque*] *Metuenda*, διὰ τὸ ὠμόθυμον, h. e. *propter crudelitatem.* Quidam hìc legunt, *Formidabilis & terribilis.* Alii, *Terribilis & metuenda.* ¶ *Ab ea*, &c.] Videtur hoc velle, Tantum sibi licere putat quantum lubet: jus, inquam, & autoritatem faciendi quidlibet pro arbitrio à se ipsa sumit. Sunt ex Interpretibus qui pronomen *ejus* non ad *Babyloniam* referunt, sed ad *populum Judæum.* Iidem pro *dignitas ejus* legunt *deportatio ejus*, hoc sensu, Populus ille, de cujus nequitia querelas piorum modò audivimus ab hac gente pœnas luet, & in captivitatem abducetur. ¶ *Judicium ejus*] *Jus ejus.* David Scholiastes ad h. l. sic annotat, *Judicium ejus quod faciet in Gentibus ab ipsa proficiscitur, nec indigebit aliena ope.* ¶ *Dignitas ejus*] שאתו. Est autem nomen à נשא. Hoc sensu legitur Gen. 49. 3. יתר שאת *excellentia dignitatis:* vel, si placet, *excellens dignitate.* V. Int. *onus ejus*, משאו. Vide Hos. 1. 6.

8. *Leviores sunt pardis*] Græca ed. ὑπὲρ παρδάλεις. Est autem πάρδαλις *panthera.* Potes ergò legere, *leviores sunt pantheris.* Quidam à Pardis Pantheras solo candore discernunt. Alii in eo genere Pardum marem esse dicunt. Sed videsis Proverb. nostra, in adag. *Antherâ velocior.* ¶ *Et velociores*] Ὀξύτεροι

Santes

Santes *acutiores*. Sic alibi *acuti pedes eorum ad effundendum sanguinem*. Hoc nonnulli ad Visum referunt. Nam lupi vespertino tempore acutissimè vident. Audiamus quid de hac interpretatione sentiat B. Augustinus De doct. Chr. lib. 2. c. 12. *Quidam codices*, inquit, *habent* acuti, *alii* veloces. Ὀξὺς *enim apud Græcos utrumque significat. Ille ergò vidit sententiam qui transtulit*, Veloces pedes eorum. *Ille autem alius ancipiti signo in aliam partem raptus erravit. Et talia quidem non obscura, sed falsa sunt, quorum alia conditio est. Non enim intelligendos sed emendandos potiùs tales codices præcipiendum est.* Hæc ille. Quod de ὀξὺς ait verissimum est. Idem sentiendum de verbo חדו. Nam & *acutum* & *velocem* sign. Metaphorâ ab acutis gladiis, qui velociter scindunt. Hîc ergò *velocem* intelligemus, ità postulante sententiâ. Lex. Græcolat. V. Ὀξὺς, *acutus*: & mox, Ὀξὺς, ὁ ταχὺς, *pernix*, *velox*. ¶ *Lupis vespertinis*] Qui leget ea quæ scripsimus in proverbio *Lupi vespertini*, nihil hic magnopere desiderabit. Hier. ad h. l. *Equi quoque & equites, qui de longè venient, tam pernices ad persequendum & cuncta populanda erunt, ut pardos superent & lupos vespertinos. Siquidem lupi sæviores esse dicuntur nocte vicinâ & totâ die ad famem rabie concitari.* Vide quoque class. 2. lib. 4. adag. 3. & Observ. lib. 13. c. 1. ¶ *Seque diffundent*] ופשו & *latè se diffundent* prædandi causâ. Alii, *quamplurimi erunt*: ità R. D. Sed assentior potiùs Abenezræ, qui ונפשטו interpretatur. Sic Nah. 3. 18. נפשו *diffusi fuerunt.* ¶ *E longinquo*] *E locis procul dissitis.* ¶ *Volabunt ut aquila festinans ad comedendum*] In singulis verbis pondus est. Nam & *volare* dicitur qui celeriter aliquò iter facit; & *Aquila* volatu omnes aves vincit; & velocior est cùm *ad escam festinat*. Cur autem hanc avem Natura armaverit celeri volatu præ cæteris, docet Ambrosius Hexaem. l. 1. c. 14. cujus verba adduximus in adagio, *Volat ut aquila*. Job. 9. 26. *Sicut aquila volat ad escam.*

9. *Ad violentiam*] Ut violentiæ impetu gentes & populos opprimat. ¶ *Aspectus facierum ipsorum est*, &c.] Semper *ad Orientem respiciunt*, h. e. versùs terram Chaldæam, (nam Chaldæa in Oriente est respectu terræ Sanctæ) ut eò comportent prædam in Judæa partam. Sic quidam hunc locum interpretantur: neque tamen adduci possum ut eam interpretationem per omnia probem. מגמת quidem exponitur à Grammaticis נגד *coram*, & נכח *è regione*; sed pro *aspectu* qui acciperet ex illis neminem adhuc vidi. Sed & dictio קדימה nonnullam parit difficultatem, eò quòd habeat ה in fine, ubi ferè litera illa motum ad locum designat. Alioqui probari posset interpretamentum hoc, *occursus facierum ipsorum est sicut Eurus*. Vult dicere, Perinde ut Eurus omnia vastant. Vidi qui hanc interpretationem sic in viam reduceret, *Occursus facierum eorum, quasi Eurus ebiberet eorum facies; qui ventus est desiccans maximè*. Sed hoc sensu malim legi *absorptio facierum ipsorum*, ut מגמת nomen sit à verbo גמא, quod *ebibere* sive *absorbere* aut *deglutire* sign. Vel est participium generis activi מגמה *potans*, *ebibens*, cujus fem. מגמה in regimine facit מגמת *ebibens facies eorum Eurus*, ut קדימה sit idem cum קדים, & He paragogicum, ut in לילה, quod idem cum ליל. Sententia verò est quam attigi: nam significat faciem obfirmatam & horridam, ac si ventus Orientalis, qui vehementissimus est in iis locis, eam deglutisset. Pro clausula verbum גמא hoc significatu legitur Job. 39. 24. sed cum Aleph in fine יגמא ארץ *deglutit terram*. ¶ *Ad Orientem*] קדימה propriè *ad Eurum*. Nam קדים *Eurus*. Hîc tamen sumi videtur pro *Oriente*, ut Ezec. 11. 1. & 40. 6. Alioqui *Oriens* קדם dicitur: unde קדמה *ad Orientem* Gen. 25. 6. ¶ *Ut arenam*] Significat turbam innumerabilem captivorum. Nam arena præ multitudine numerari non potest, ut habetur Hos. 1. 10. Sed vide sodes Proverbia nostra, in adag. *Arenâ numerosior*. ¶ *Captivitatem*] Captivam turbam. Hîc *captivitas* pro *captivis* ponitur, ut alibi *deportatio* pro *deportatis*, & in Latio *custodia* pro *custodibus* ipsis.

10. *Et ipse*] Rex eorum Nabuchodonosor. ¶ *Illudet*] *Ludibrio habebit*, atque adeò contemnet eos. Usus autem est verbo ultimæ conjug. יתקלס, quo significaret actum continuum, q. d. *perseverabit eis illudere*: non semel id faciet, sed continenter & assiduè. ¶ *Ludibrio*] Vel *irrisui*. ¶ *Omnem munitionem*] *Omnia loca munita*: sive oppida fuerint, sive castella & propugnacula, non refert. ¶ *Coacervato pulvere*] Structo aggere. Vel *pulverem* intelligit quo fossas replebant. Quidam enarrat, *collecto milite pulveris in morem*: quod non ità placet.

11. *Tunc mutabit Spiritum*] Animum. Ex tanto rerum successu crescet ei animus supra modum & insolescet plùs æquo. De hoc usu verbi *muto* aliquid in Quæst. meis, lib. 2. qu. 60. Quidam legunt *mutabitur ut ventus*. Nam Vento nihil mutabilius. Prior interpretatio magis arridet. Olim erat, *mutabitur spiritus*. Verùm חלף activè sumitur cùm alibi tum Jes. 24. 5. ¶ *Transgredieturque*] Transcendet fines ac terminos modestiæ, non factis modò, sed etiam verbis. ¶ *Et delinquet*, &c.] *Quinetiam graviter peccabit, tribuendo hanc suam potentiam Deo suo.* Qui *Bel* sive *Belti* dicebatur. Hunc *Jovem Babylonium* quidam appellant. Eusebius, BEL, *idolum Babyloniorum*. Dan. 4. 8. *Daniel, cujus nomen Beltsçhatsar, juxta nomen Dei mei.* Hinc corriges Isidorum, in quo, BEL, *idolum Ninivitarum.* Nam horum Numen *Nesroch* vocabatur.

12. *Ab antiquo*] Hoc alius dixit *ab initio*, & alius *ab æterno*. Videtur hoc velle, *Cùm tu sis ab antiquo* יהוה, *Deus meus, & Sanctus meus, non permittes, scio, ut Chaldæi nos ad internecionem deleant.* ¶ *Deus meus*] Nomen hic est ELOHIM, quod propriè *Judicem vindicém*que significat: q. d. Tu is es qui me hactenus de Gentibus vindicasti. ¶ *Sanctus meus*] Inter alia epitheta quæ Deo tribuuntur vocatur etiam *Sanctus Israelis*, ut Jes. 12. 6. & 43. 3. Sic ait Jes. 43. 15. *Ego* DOMINUS, *Sanctus vester*: &. 49. 7. *Redemptor Israelis, Sanctus ejus.* ¶ *Non moriemur*] Hæc Propheta dicit in persona populi: ideo præcedit, *Deus meus*, & *Sanctus meus*. Sensus est, Ut es æternus, ità æternùm conservabis nos, nec patieris ut internecio fiat gentis tuæ. *Mori* enim natio aliqua dicitur cùm penitus exterminatur. נמות. Hunc locum ità restituerunt Scribæ, ut Ebræi annotant, cùm priùs תמות legeretur, i. *morieris*. Sunt verò loca hoc modo correcta in universum XVIII. תמות autem aliquando lectum fuisse paret vel ex ed. Chaldaica, cujus autor hic refert, *verbum tuum permanet in secula, ô Domine*: ac si diceret, Tu æternus es & immutabilis, nec ulli mortali conditioni obnoxius. Hoc cùm ità sit, tamen de hac varietate Massoritæ nihil admonuerunt: quod mihi sanè permirum videtur. Cæterùm receptam scripturam expresserunt LXX, Hier. & alii omnes quos vidi. ¶ *Ad judicium*] Ut nos per eum punires & castigares. Vel *ad judicium*, ut de eo tandem supplicium sumeres. Similis locus est Exod. 9. 16. *Utique propterea constitui te ut ostendam tibi potentiam meam, & ut enarretur nomen meum in universa terra.* ¶ *Posuisti*] *Destinasti, constituisti, ordinasti.* ¶ *Et ô Petra*] Vel, *ô Deus.* Nam *Petra* inter epitheta Dei. Sic צורי וגואלי *Petra mea, & Redemptor meus*: alii reddunt *Deus meus*. Vide Proverbia mea, in *Petra* vel *Rupes*. Quidam legunt, *& petram ad corripiendum*: non omnino malè. Nam articulus abest in Ebræo: hoc primum. Deinde, ut *petra scandali* dicitur, in quem aliquis scandalizatur, sic *petra ad corripiendum* intelligi potest Nabuchodonosor, quòd per eum Deus suos corriperet & redargueret. Nihil affirmo. Judicium esto eorum qui judicio valent: nam istos qui eo destituuntur nihil moror, utcunque nomine tenus docti sint, & plausum populi sine controversia obtineant. ¶ *Fundâsti eum*] *Firmiter constituisti eum.* Metaphora ab ædium fundamentis, quæ est firmissima & solidissima earum pars.

13. *Mundior es oculis*] Mirandum esse ait si Deus malos toleret, cùm malum videre non possit, utpote qui puros & mundos oculos habet. Malum enim res est impura & pugnat ex diametro cum natura Dei. ¶ *Quàm ut videas malum*] *Videt malum & non videt*: *videt*, quia tolerat; *non videt*, quia non approbat. Aliter VIDERE interdum est *libenter videre*; ut Abd. 13. *non vidisses malum ipsius*, sub. *cum voluptate*. Hoc sensu enarrat hunc locum Hieronymus. Docent hæc ipsius verba, *Ergò & Habacuc in eadem sententia, Mundi sunt, inquit, Domine, oculi tui, & scio quoniam malum cujusque non libenter aspicias, nec potest quisquam de tua dubitare justitia. Malum*, רע. Ità legendum, non ברע, ut legit Abenezra, quem in errorem induxit codex minùs emendatus. Siquidem, ut omittam codices emendatiores, etiam R. D. annotat abesse debere hoc loco Beth. Sed & Massoritæ nos admonent de locis duobus in quorum uno sit *ne videat malum*, cum Beth, videlicet Jes. 33. 15. in altero מראות רע *ne videas malum*, absque Beth, in XII Prophetis. ¶ *Et aspicere molestiam non potes*] Vel *laborem*. Significat autem molestiam quam mali bonis exhibent. Suprà dixit *cùm laborem aspicias*. Ergò *aspicere laborem* duobus modis dicitur, ut *videre malum*. Nam cum *aspicit*, & qui tolerat, & qui approbat. Aut sensus est; *non potes aspicere libenter & cum voluptate*. Sic alibi, *non habitabit tecum malum*: &, *Non Deus volens iniquitatem tu es*. Vult dicere, qui delecteris iniquitate. Nam si nollet simpliciter, non fieret unquam: nihil enim fit contra Dei voluntatem. Loquor de voluntate absoluta. ¶ *Aspicis*] Toleras, non punis: ac si diceret, Cur pateris homines perditos tantâ impunitate grassari? ¶ *Prævaricatores*]

ricatores] Quidam *perfidos.* Alii hos *iniquè agentes* vocant. Intelligit autem Chaldæos, ut mox, cùm ait, *cùm degluit improbus justiorem se.* Nam ut nequam fuerint plerique Judæi, tamen ad hos comparati Chaldæi multò nequiores erant. ¶ *Taces?*] *Obsurdescis? surdum agis?* ¶ *Deglutit*] *Absorbet, devorat*, penitus opprimit. ¶ *Justiorem se*] Qui ipso in omnes partes melior est. Placet autem accipere potiùs de Judæis in genere quàm de Rege eorum Sedecia. Porrò *impium* dici quidam putant Nabuchodonosorum; in queis Hieronymus. *Cur pateris*, inquit, *ab impio Nabuchodonosor justum opprimi Israel? non quòd perfectus sit qui opprimitur, sed quòd opprimente se justior sit.*

14. *Facis homines ut pisces maris*] *Facis eos similes piscibus marinis.* Quia quemadmodum pisces facillimè hamo aut sagenà extrahuntur, ità Nabuchodonosor minimo negotio homines sub potestatem suam redigit. Igitur *piscator* est Nabuchodonosorus; *mare*, orbis universus; *pisces* sunt homines & mortales in eo commorantes; *rete, sagena, hamus* vocantur copiæ, vires, artes Chaldæorum: Quibus Nabuchodonosor suam fortunam & prosperitatem attribuit, eíque assignat honorem Deo propriè debitum. Cæterùm alio modo genus humanum Piscibus simile est. Nam ut minuti pisces majoribus pro cibo sunt, ità homines infirmi à potentioribus opprimuntur. In quam sententiam exstant versus elegantes apud Varronem,

Naturâ humanis omnia sunt paria.
Qui pote plus, urget; pisces ut sæpe minutos
Magnu' comest, ut aves enecat accipiter.

Sed & apud Ambrosium Hexaem. l. 5. c. 5. quædam idem confirmantia leguntur. ¶ *Sicut reptile*] Vulgò hoc accipiunt de de reptilibus terræ, cùm possit adeóque debeat accipi de Piscibus, ut idem dicat aliis verbis. *Repere* quidem certè, h. e. רמש, de Piscibus dicitur Psal. 69. 34. Sed manifestiùs Psal. 104. 25. *Hoc mare magnum & spatiosum: ibi reptile sine numero.* Vide quæ scripsimus Animadv. l. 2. c. 45. Idem Hier. confirmat cùm ità scribit, *Reptile significantiùs dicitur in Ebræo REMES*, i. κινούμενον, *omne videlicet quod moveri potest.* Sed & sequentia indicant à Piscatoribus eorúmque instrumentis & agendi ratione totam hanc Allegoriam desumptam esse.

15. *Omnes*] *Omnes* quotquot sunt, universum genus humanum. Ad verb. *totum ipsum.* ¶ *Extrahit*] Vel *educit.* Ad verb. *ascendere facit.* Porrò הֵעֲלָה novè dixit pro הֶעֱלָה. Simile est הֵעֲבַרְתָּ *traduxisti* Jos. 7. 7. ¶ *Congregat eos*] Olim erat *traxit eum:* גור est *congregare*, à quo Belgicum **garen**, ut apparet. Idem אגר dicitur. גור hoc significatu occurrit & Psf. 140. 2. ¶ *Reti suo*] Vel *everriculo.* Nam *rete* רשת propriè. מכמרת autem est ἀμφίβληστρον, vel, ut Græci legunt, σαγήνη. Sed σαγήνη potiùs חרם dicitur. Ut ingenuè loquar, mihi nondum claret differentia horum nominum.

16. *Idcirco*] Nempe quia totum mundum tam facilè redegit sub ditionem suam, omniáque ei evenerunt ex sententia. ¶ *Sacrificat*] Divinos honores tribuit. ¶ *Sagena sua*] Jonathan *armis suis.* Scholiastes Ebræus alter *sibi & copiis suis*, alter *fortuna sua.* Ex nostris Hier. & Lyra *idolo suo.* Sanè huic tribuit felicem successum rerum suarum, suprà ver. 11. Hæc interpretatio exstat etiam in Scholiis Ebraicis. Quid si vertamus, *sacrificat propter sagenam suam?* ut sensus sit, *propter felicem capturam sagenæ suæ.* Sic, *suffitum facit propter rete suum.* Aut *sagena sua*, i. militibus suis & solertiæ suæ: & *sacrificat*, non quòd sacra faciat, sed quòd iis tribuat id quod Deo proprium est. Nam juxta Proverbium sacrum, *Equus ad bellum paratur, sed à Domino salus*, i. victoria. ¶ *Per ea*] *Per sagenam ejus & rete ejus.* ¶ *Pars ejus*] Conditio ejus, sors ejus. Et *pinguis*, i. lauta & opulenta. Tralatio à Conviviis. ¶ *Cibus ejus opimus*] מאכלו בריאה, constructio sensu congrua, non voce. Nam מאכל masculinè dicitur, cujus synonymum אכילה. Aut est ellipsis substantivi; ut alibi *tonsarum*, subintelligitur *caprarum* aut *ovium*, Cant. 4. Sic dicit, *cibus ejus pingue*, & subintelligitur, *pecus*, aut aliquid tale.

17. *An propterea*] Hoc videtur velle, *An quò pars ipsius pinguior evadat, & cibus lautior, an ideo finis illum deplere sagenam suam, & sine clementia gentes omnes occidere?* q. d. Non ità fieri oportet, præsertim cùm adcò impius sit ut hanc gloriam sibi tribuat & copiis suis, non autem tibi, cui soli debetur. ¶ *Evacuat sagenam suam*] Deplet & exonerat piscibus, ut postea eam rursum jaciat ad novam capturam. ¶ *Occidendo*] Delendo. *Mori* enim gens dicitur quæ deletur; & *occidere* eam, qui delet. ¶ *Non parcit*] *Non utitur clementiâ* Interpretes nuperi, nec malè. Quidam hunc versum sic interpretantur, *Na propterea evacuat sagenam suam, & jugiter occidendo gentes non parcit.* Sed ה pro Confirmandi adverbio *Na* alibi non invenitur, quod sciam aut meminerim.

IDEM.

1. Ἀββακοὺμ] Sic libri ad Ex. C. In aliis est Ἀββακούμ. in aliis Ἀμβακοὺμ, quomodo semper Eusebius hoc nomen scribit.

2. Ἕως τίνος, Κύριε] C. ἕως πότε, Κύριε. In Aldinis verò est Κύριος pro Κύριε.

3. Κρίσις] i. *Lis, contentio*, ἔρις. Nam *κρίνεσθαι disceptare* ἐρίζειν ut in illo, Κρίθητε πρὸς τὴν μητέρα ὑμῶν. ¶ Καὶ ὁ κριτὴς λαμβάνει] Quædam exemplaria καὶ ὁ κριτὴς λαμβάνει κρίσιν. Veritas, καὶ κρίσις λαμβάνει. *Tollere contentionem* elegans genus loquendi, nec cœlo Latino inauditum est, ut *tollere risum, tollere proverbium*, & alia ejus generis.

4. Διεξάγεται] C. διεξαγάγεται. ¶ Καταδυναστεύει τὸν δίκαιον] Sic editiones Rom. & C. In aliis est ὑπερισχύει κατὰ δικαίου. Eodem recidit.

5. Οἱ καταφρονηταὶ] Legerunt, nisi fallor, בגדים pro בגוים, h. e. Daleth pro Vau. Infrà v. 13. ἵνα τί ἐπιβλέπεις ἐπὶ τοὺς καταφρονοῦντας, valde firmat conjecturam meam. ¶ Θαυμάσατε θαυμάσια, καὶ ἀφανίσθητε] Libri ad Ex. C. ἴδετε θαυμάσια, καὶ ἀφανίσθητε. תמהו magis sonat θαυμάσατε quàm θαυμάσια. Aut respondet verbum ἀφανίσθητε, tanquam à שמם. Versio Hier. *admiramini mirabilia, & disperdimini.*

6. Ταχινὸν] Aliàs ταχυνόν.

7. Ἔσται] Quædam exemplaria ἐστὶ & mox eadem habent ἐξ αὐτῶν ἐξελεύσεται pro eo quod in C. & R. ἐξ αὐτοῦ ἐξελεύσεται.

8. Ἵπποι αὐτοῦ] Libri nonnulli ἵπποι αὐτῶν. Perinde est. ¶ Ὑπὲρ τοὺς λύκους τῆς Ἀρραβίας] Soph. 3. 3. οἱ κριταὶ αὐτῆς ὡς λύκοι τῆς Ἀρραβίας, i. עֲרָב aut עֲרַב, ut 1 Reg. 10. eadem vox unico puncto auctior עֶרֶב, i. ἑσπέρα. Hoc modo legunt cæteri ferè Interpretes: & Grammatici vulgò exponunt de lupis qui sub noctem prædatum exeunt. ¶ Ἐξιππάσονται] Exemplar Basileense quod in quarto folium complicat, ἐξιππεύσονται. Verior interpretatio καὶ πληθυνθήσονται. Ab hoc *Phison* dicitur fluvius Paradisi, cujus declaratio πληθύς apud Josephum Antiq. hist. l. 1. c. 2. ¶ Καὶ ὁρμήσουσι] C. καὶ ἐξορμήσουσι. ¶ Πετασθήσονται] A. & A. περιπετασθήσονται.

9. Συντέλεια] כָּלָה pro כֻּלֹּה. Sic infrà 15. & aliàs nimium sæpe.

10. Ἐντρυφήσει] *Ludos faciet Reges.* Ad verb. *delicias faciet in Regibus*, i. oblectabit se ludificando eos. Idem verbo יתקלס sign. Ebræis.

11. Καὶ ἐξιλάσεται] Sic ed. R. Complutensis edidit καὶ ἱλασθήσεται. Cætera habent καὶ ἐξελεύσεται. Versio Hier. *& propitiabitur.* Nam אשם *victima expiando peccato.* Sed hic ואשם, ut hodie reddunt καὶ πλημμελήσει.

12. Καὶ ἔπλασέ με] וצור magis sonat καὶ πέτρα. Sed cognatum יצר, ut videtur, Interpretes decepit. ¶ Παιδείαν αὐτοῦ] יסרו; talis forma nominis non reperitur: tamen mihi dubium non est quin ità legerint pro יסדתו ἐθεμελίωσας αὐτόν.

13. Ἐπιβλέπειν ἐπὶ πόνους οὐ δυνήσῃ] Libri nonnulli ἐπὶ πόνον ab iisdem abest οὐ δυνήσῃ, sed perperàm. Aldi editio ἐπὶ πονηροὺς οὐ δυνήσῃ. Rom. ἐπὶ πόνους ὀδύνης. Veritas lectionis ἐπὶ πόνον οὐ δυνήσῃ. In Hier. *aspicere super dolorem non poteris.* Nam πόνος etiam *dolorem* significat.

15. Ἐν ἀμφιβλήστρῳ] Compluti cusa ἐν ἀμφιβλήστρῳ αὐτοῦ. Sic est in Ebræo. ¶ Ἡ καρδία αὐτοῦ] Abest in C. & in Ebræo.

16. Θύσει] In C. legitur θυμιάσει, & mox θυμιάσει τῷ ἀμφιβλήστρῳ αὐτοῦ, ubi aliæ editiones habent θύσει, &c. ¶ Ἐκλεκτὰ] Malim λιπαρά. Nam ἐκλεκτὰ, i. ברורה. In Latina tamen Vet. *cibus ejus electus.*

17. Ἀμφιβαλεῖ] C. βαλεῖ. ¶ Ἀποκτείνειν] Codex Rom. ἀποκτέννειν. Aldus & Cephalæus ἀποκτένειν.

IDEM.

1. הַמַּשָּׂא. Sym. & Th. Λῆμμα, Aq. *Pondus*, i. ἆρμα] Vide Observ. meas l. 9. c. 15. item Hier. Comment. Jer. 23. 31. Thema est αἴρω *tollo.* Sic MASSA à נשא. Hier. Prologo in hunc Prophetam, *Ubi LXX Translatores & Sym. & Th.* Λῆμμα, *i.* Assumptionem, *interpretati sunt, in Ebræo ponitur MASSA, quod Aq. vertit in* pondus.

5. רְאוּ בַגּוֹיִם. A. Sym. Th. *Aspicite in gentibus.* Editio ἀνώνυμος, *Videbitis calumniatores.* Alia similiter absque aucto-

ris

ris titulo, *Videbitis declinantes.* ¶ כִּי פֹעַל פֹּעֵל בִּימֵיכֶם וגו׳ Sym. *Quia opus fiet in diebus vestris*, &c.] Verba Hier. sunt. *Sym. pro eo quod diximus*, quia opus factum est in diebus vestris, *interpretatus est*, quia opus fiet in diebus vestris: *cætera similiter.*

7. מִמֶּנּוּ מִשְׁפָּטוֹ וּשְׂאֵתוֹ יֵצֵא. Sym. *Ipsa sibi judicabit*, & *decreto suo egredietur*] Ex Hier.

8. וּפָשׁוּ פָּרָשָׁיו. Sym. *effundentur equites ejus*] Ἐκχυθήσονται. Valet à Patre Hier. *corruent & collidentur in terram.*

9. כֻּלֹּה לְחָמָס יָבוֹא. Sym. πάντα εἰς πλεονεξίαν ἥξει ¶ מְגַמַּת פְּנֵיהֶם קָדִימָה. Idem, ἡ πρόσοψις τοῦ προσώπου αὐτῶν ἄνεμος καύσων] Ex ed. Rom.

11. וְאָשֵׁם. Aq. & Sym. καὶ πλημμελήσει] Hier. ad h.l. *Pro* אשם *Aq. & Sym. transtulerunt* καὶ πλημμελήσει, *i.* & delinquet; *hanc habente Scripturâ S. consuetudinem ut* אשם, *i.* delinquet, *ponat pro eo quod est*, desinet esse quod fuerat. *Tale quid & nos habemus in linguæ nostræ idiomate, dicentes*, Vapulavit exercitus, *pro eo quod est*, interfectus & cæsus est: &, Peccavit vinea & ager, *pro eo quod est*, Vindemia & fruges non habuere proventum. Hucusque Hieron.

12. הֲלוֹא אַתָּה מִקֶּדֶם וגו׳. Sym. *Nônne tu à principio*, DOMINE *Deus meus, Sancte meus, ut non moreremur?* DOMINE, *ad judicandum posuisti eum, fortem ad corripiendum constituisti illum.*

13. תַּחֲרִישׁ בְּבַלַּע רָשָׁע צַדִּיק מִמֶּנּוּ. Aq. Sym. Th. Παρασιωπᾷς, καταπίνοντος ἀσεβοῦς τὸν δικαιότερον αὐτοῦ; i. *taces, devorante impio justiorem se?*] Citatur in Comment. Theodoreti.

IDEM *in* VULG.

1. ONus] alii *prophetia onerosa.* ¶ *Vidit*] videndi verbum hâc in re Ebræis mirè usitatum néque tantum חזה dicunt verum etiam ראה: undè ראה *videns* id est, propheta. ¶ *Habacuc*] cum aspiratione. Quidam addunt alterum *c* ut sit *Habaccuc.* Sed prisca consuetudo *Habacuc*, quam non solicito. Hodiè scribunt Chabakkuk reclamante antiquitate, & Latina consuetudine.

2. *Vim patiens*] ἀδικούμενος. Libri recentiores, *rapinam.* Fortè חמס *vim patiens*, ut תפלה *Orationi deditus.* Utrobique est ellipsis nominis איש, nisi magis ut legerit חָמֻס pro חָמָס. Aut חָמָס *vim patiens:* genus loquendi, ut cum captivitas ponitur pro captivis ipsis; sed tum potius significaret eum, qui vim alicui infert. Sic enim & dolus ponitur pro doloso, & scelus pro scelesto, & poeta ait, *crimine ab uno disce omnes.*

3. *Quarè respicis contemptores, & taces conculcante impio justiorem se? & facies homines quasi pisces maris, & quasi reptilia non habentia ducem*] Hoc totum abest à libris manuscriptis, nec legitur in Ebræo, nec apud Græcos. Videtur autem huc translatum ex vers. 13. & 14. infrà sequentibus. ¶ *Et factum est judicium*] Malè omnino pro *tolleret* interpretatus est *potentior.* Verterim ego, *& fuit qui litem & contentionem tolleret?* alii fortassè aliter. ¶ *Judicium*] Litem. Sic Græci κρίσιν usurpant pro lite.

4. *Lacerata est*] Alii *debilitata est.* Alii, *intermittitur.* Græcus: διασκέδασται. ¶ *Usque ad finem*] Εἰς Τέλος potius denotat *in seculum*, quàm *usque ad finem.* Sed hoc veteres ignorasse videntur. ¶ *Non pervenit*] In aliis, *non egreditur*, in aliis, *non procedit.* ¶ *Non in seculum* valet, nunquam. ¶ *Prævalet adversus justum*] In Ebræo est, *corona cingit justum.*

5. *Factum est*] Utrum legit פֹּעַל forma generis passivi? hîc alii ediderunt *operor*, & melius. ¶ *Quod nemo credet*] *Non credetis* est in Ebræo pro, *quod nemo credet.*

6. *Suscitabo*] In editione viri doctissimi emendatum est, *excitaturus est:* sed magis placeret *suscito* sive *excito.* ¶ *Amaram*] Acerbam. ¶ *Velocem*] agilem, festinam. ¶ *Super latitudinem terræ*] Una littera immutata legitur in Ebræo, *super latitudines.* Quod alii dixerunt, *per latitudines terræ*, id est quàm latè terra patet. ¶ *Tabernacula*] habitacula.

7. *Onus ejus*] Santes, *exaltatio ejus:* Tremellius & Junius, *deportatio ejus.* Thema נשא: Unde & MASSA *onus.* נשא aliquando significat *abducere in captivitatem*, ut ibi, *Tollendo tollam eos* Hos. 1. 6. Hinc interpretamentum Tremellii, nisi fallor, *deportatio ejus*, quod usitatius esset גלותו.

8. *Leviores*] sub *erunt.* ¶ *Velociores*] In recentioribus, *acutiores.* ¶ *Diffundentur*] Santes, *multiplicabuntur.* ¶ *Venient, volabunt*] ἀσύνδετον.

9. *Omnes*] כֻּלֹּה. Recentiores, *tota ipsa.* Et melius. Refertur enim ad gentem. ¶ *Ad prædam*] vel, *ad rapinam*, ut alii habent. Tremellius, *ad violentiam.* ¶ *Ventus urens*] id est, קָדִים. Alii melius *ad orientem*, ut hoc dicat, faciem habent spectantem orientem versus. ¶ *Quasi arenam captivitatem*] innumerabilem turbam captivorum proverbiale.

10. *Triumphabit*] Nam קֶלֶס κλέος. Sed & in malam partem sumitur pro ludibrio. Itaque alii hic referunt, *illudet.* ¶ *Tyranni*] Τύραννοι, id est, principes. ¶ *Ridiculi ejus*] Παίγνια αὐτοῦ. Erunt ei risui ac delectamento. ¶ *Super omnem munitionem*] abundat *super* in sermone Latino. ¶ *Ridebit*] Irridebit. Simplex pro composito. ¶ *Aggerem*] ad verbum, *pulverem.*

11. *Mutabitur*] חלף. De hoc verbo vide quæ notavimus Lib. 2. Quæst. 60. Tremellius, *remeante spiritu ubi regressus fuerit.* Non admodum placet. Nihil temerè affirmaverim, sed, si mihi sententiæ dicendæ locus hîc conceditur, libenter verterim, *Tunc mutatur spiritus*, ut significet eum feliei rerum successu spiritu, hoc est, animo efferri, adeò quidem ut dicant hæc omnia fieri vi ac potentia Dei sui. ¶ *Corruet*] delinquet, in crimine erit. Hic subaudiunt, *dicens* aut tale quid. ¶ *Pertransibit*] præteribit, hoc est peccabit. Santes planius ac manifestius, *transgressus est.* ¶ *Hæc fortitudo ejus*] Tremellius, *prædicans hanc vim suam Dei sui esse.* אמר זו כחו לאלהו.

12. *Et non moriemur*] Copula abest à libris Ebræis. Tamen fieri potest. Et est cur exponi velim, *ideo non moriemur.* ¶ *Moriemur*] ut vivere est in vita conservari: sic mori dicitur qui perit, & mortuus esse qui in grave aliquod periculum incidit. ¶ *In judicium*] ut nos per eum castigares. ¶ *Et fortem*] Verbum è verbo *petram.* Quidam, *& ô rupes ad corripiendum fundasti eum.* Nam SUR inter epitheta Dei.

13. *Mundi sunt*] In Ebræo, *Mundior es oculis quam ut videas malum.* Ut videas, id est, ut ferre possis impunitum. ¶ *Quare non respicis*] Sententia poscit, ut legamus. *Quare respicis* deleta negatione. Deleri etiam posset illud *super* ut sit, *quare respicis iniqua agentes?* ¶ *Taces*] mutescis an surdescis? Nam utroque modo accipitur verbum Ebræum.

15. *In hamo*] Id est, hamo. Ebraismus. ¶ *Traxit illud*] Alii, *congregat illud.* Sed interpres respexit ad sensum verbi גרר. Id enim *trahere* significat, unde proverbium עברה גוררת עברה noxa noxam trahit. ¶ *Super hoc*] idcirco, ea re.

16. *Sacrificabit*] In Ebræo, *suffitum faciet.* ¶ *In ipsis*] id est, per ipsa. Ebraismus. ¶ *Incrassata est pars ejus*] pinguis hoc est opulentus ac potens effectus est. ¶ *Electus*] בריאה tanquam à ברר. Alii, quos sequendos puto, *opimus* à בָּרִיא.

17. *Propter hoc ergo*] velim apponi notam interrogationis, vel hoc modo legi, *propter hoc ergone sagenam suam?* ¶ *Expandet*] Santes, *evacuabit.* Tremellius *educet.* Interpres sensum expressit. ¶ *Semper non parcet*] Id est, nunquam parcet ut *non justificabitur omnis caro. Non omne verbum.* ¶ *Non parcet*] Tremellius *non utetur clementia.* In quibusdam libris manuscriptis, *non cessat.* Sed verior lectio, non parcet.

EJUSD. LECTIONES.

חבקוק, inquit Hieronymus, *interpretatur amplexus, sive ; ut significantius vertamus in Græcum* περίληψις, *i. amplexatio. Ubi est* משא *Aquila vertit pondus:* Lxx *& Symmachus & Theodotio* λῆμμα, *i. assumptio. Quatuor sunt Prophetæ in duodecim prophetarum volumine, è quibus tres in principio* λῆμμα *i. pondus, titulum habent: Nahum Habacuc & Malachias. Porro Zacharias in medio & circa finem duos hujusmodi ponit titulos, è quibus unus est, Onus verbi Domini in terra Hadrach. Alter, Onus verbi Domini super Israël.* ¶ *Quia opus factum est in diebus vestris.* Symm. *Quia opus fiet in diebus vestris: cætera similiter. Rursum in principio capituli, ubi scriptum est* ראו בגוים *& nos transtulimus aspicite in gentibus: & Lxx posuerunt, videte contemptores: Excepto Aquilâ & Symmacho & Theodot. qui cum nostra interpretatione concordant, in aliâ quadam interpretatione anonymâ repperi, videbitis calumniatores.* ¶ ואשם *Aquila & Symmachus transtulerunt, & delinquet* καὶ πλημμελήσει: *Hanc habente Scripturâ Sanctâ consuetudinem, ut* אשם *delinquet, ponat pro eo quod est, desinet esse quod fuerat. Tale quid & nos habemus in linguæ nostræ idiomate, dicentes. Vapulavit exercitus, pro eo quod est, interfectus & cæsus est: & peccavit vinea & ager pro eo quod est, vindemia & fruges non habuere proventum.* ¶ Καὶ ἐξιππάζονται οἱ ἱππεῖς αὐτοῦ, *& equitabuntur equites ejus. Symmachus, Effundentur equites ejus.* ¶ רפש *i.* κινούμενον, *omne videlicet, quod moveri potest.* Hactenus *Hieronymus.*

Prophetia hæc visa est contra Nabuchodonosorem, qui multa mala intulerat Israelitis. Ideò prædicit etiam cladem, quam

quam ejus posteritas acceptura est à Persis & Medis. Sed initio murmurat contra Deum & conqueritur piorum conditionem miseram esse & infelicem, & contra statum impiorum felicissimum & secundissimum maximè in hoc mundo florere. Induit porro personam piorum & fidelium, qui suâ ætate vivebant, vel saltem qui proximè secuturi erant. Nam ejus prophetia est de futuro Nabuchodonosoris regno & imperio & afflictionibus populo Dei inferendis. *Ac videtur mihi ejus ætate initium cœpisse regni Nabuchodonosoris* ait Kimchi, *quia de suæ ætatis hominibus dicit*, *Quia opus fecit in diebus vestris.*

Summa hujus prophetiæ est hæc: Babylonii valido exercitu invadent terram Israel, eámque vastabunt ac depopulabuntur. Ex hoc eventu arripit vates occasionem primùm conquerendi adversus Deum in persona piorum, quod ipsi affligantur, impiis & sceleratis omnibus ad votum affluentibus. Deindè acceptâ responsione invehendi in peccatores, nefarios, flagitiosos, idololatras, aliosque qui Deum suis noxis graviter offendunt. Postremò per modum orationis describendi majestatem & potentiam Dei. Huic subjungit prophetiam de futuro Christo. Quidam hanc querelam esse putant non contra Chaldæos, sed contra Judæos & Israëlitas qui vitam degebant corruptissimam & sceleratissimam omni genere vitiorum fœdatam & inquinatam. Itáque excitato Deo ad puniendos maleficos & ad justitiam stabiliendam, subjungit continuo vaticinium & quæ instabant inferenda per Chaldæos.

המשא inquit Jarchi כה שנשא וקיבל ברוח הקדש *id quod assumpsit & accepit Spiritu Prophetico.*

חמס, inquit Kimchi, valet בעבור החמס *propter violentam iniquitatem & impietatem.* אנה, ait Ezra, *dicitur tùm de loco, tùm etiam de tempore.*

2. לא תשמע] Exauditio est rerum petitarum impetratio: Exaudimur quando exoramus & impetramus ut ea quæ petimus Deus nobis impartiat, ut cùm compotes nostrorum votorum reddimur. Exaudire est desiderata ac petita præstare. Est ergo primò synecdoche, in qua ponitur species pro genere, aut pro simplici compositum, *audire* pro *exaudire.* Deinde ex antecedente consequens intelligitur, valétque idem quod *largiri* & *impartiri*, ipsáque re exhibere quæ petimus. Exaudit porro Deus dupliciter: Primò cùm oraculo aut visione prophetica aliâve revelatione respondet. Secundò, quando suppeditat & donat quæ rogamus. Alterum in revelatione consistit; alterum in actu seu actione.

אזעק חמס] Non est opus quippiam subaudire: Nam *clamare violentiam* seu injustitiam, non est aliud, quàm conqueri apud aliquem violentiam, bonorum direptiones, iniqua judicia, vim, contumeliam, rapinam, &c. Si verba sunt prophetæ, conqueritur deploratum statum suæ ætatis, quâ flagitia, scelera atrocia & nefanda ità vigebant, ut actum jam quasi de fidelibus omnibus videretur: Sin verò verba sunt piorum, erit querela de Chaldæorum crudelitate & sævitiâ.

חמס omne genus flagitiorum notat, quando laxis habenis & effræni licentiâ homines in mutuam perniciem grassantur, spretis legibus tum humanis tum etiam divinis, qualis erat illa rabies plusquam belluina, ob quam Sodomiticæ civitates divinitus conflagrarunt. Hier. *vociferabor ad Te vim patiens*, ac si חמס esset *violenter oppressus.* חמס forte איש חמס passivè, ut איש תפלה pro תפלה.

3. למה תראני] *Videre malum* est sentire. Pati, malum sensum percipere, perferre, sustinere adversa. Videre facere seu ostendere est efficere ut aliquis patiatur, immittere malum, invehere, inducere, affligere. Cur igitur facis sentire malum per Chaldæos, cur pateris & finis ut me vexent, iniqua in me & molesta patrent. Vel potius, Cur tu eorum operâ ita me affligis? Atque hæc si de piis hunc locum exponamus. Sin verò ad prophetam tantùm referamus, simpliciter accipietur verbum *videndi*, Cur Domine pateris, ut ego videam quotidiè tantas indignitates tantásque ferocias? Cur non punis sontes, defendis insontes & immeritos? Cur, inquam, non tollis è conspectu nostro omnem iniquitatem, molestiámque, rapinam & injurias, quæ nobis quotidiè ante oculos obversantur, quæ non sine summa ægritudine diutius intueri, nedum perferre possumus.

ויהי ריב ומדון ישא] Kimchi ita: *Fuitque cōram me qui assumeret litem & iniquum contra me, qui mecum contenderet & litigaret.* Sed nihil opus est repetere לְנֶגְדִּי ex superioribus, nec huc referri potest, quia repugnat accentus. Citat alios qui ad hunc modum exponant, *Rixam & contentionem hostis accipiet, & Israëlita portabunt seu ferent & tolerabunt.* Quasi ישא *accipere, sit acceptum aliquid humeris alterius imponere.* S. Jarchi ויהי reddit ויתקיים, *cur persistit, perdurat, seu existit, ne qui contentionibus & litibus vexat pios.* Jonath. *qui contentione seu disceptatione & fastu confirmantur, roborantur, prævalent.* Ezra ישא transfert יגבה, *cur exaltatur, intenditur, crescit lis.* Vel ישא ראש *cur elevat & attollit caput.* Japhet subaudit איש *vir*, ut sit, *Cur est vir litigiosus & cur contentio excitatur*, vel, *cur contentiosus effertur, elatè incedit.* Lxx, ἐξεναντίας μου γέγονε κρίσις, καὶ ὁ κριτὴς λαμβάνει κρίσιν. Quem sensum refellit accentus Atnack, qui est in לנגדי; Deinde בעל דין non est κριτής. Sed videntur legisse דין ut Abdiæ 1. pro מרום שבתו *altitudo sedis ipsius.* Legerunt מרים שבתו *exaltans solium suum*, ὑψῶν τὴν κατοικίαν αὐτοῦ.

ומדון ישא] *Et disceptationem suscitat, excitat*, sc. איש quisque, i. excitatur contentio & lis. *Reputavit illi in justitiam*, i. reputatum est pro justitia. *Excitare contentionem* est quod Salomon dicit איש חמה יגרה מדון Proverb. 15. 18. Potest passivè exponi, contentionem fert & tolerat, sc. pius, lites sustinet improborum, hominum litigandi cupidorum insanias.

4. על כן *Propterea*] Quia scilicet tu connives ad hominum scelera, non exerces judicium tuum in puniendis impiis & flagitiosis.

תפוג] Remittetur, laxabitur, infirmabitur, cessabit, quiescet lex. Kimchi תרפה תורה, *remittitur exercitium Legis*, friget lex, segnescunt homines & pigrescunt in ejus studio & meditatione. ענין רפיון וחלישות ait Kimchi, qui etiam addit, non esse aliam ejus thematis notionem. Ezra interpretatur חרום *silet*, quasi sit justitia legis & remissio. Ita לפוג לב *cor quiescere* dicitur, quando vena pulsatilis non amplius sonat, vel quando motus cordis cessat, quod fit emigrante anima. Jarchi exponit, *recedit ab illis.*

ולא יצא לנצח] *Non egreditur* seu *perducitur ad finem judicium* sc. impiorum, q. d. Nunquam ô Deus punis impios & supplicium de illis sumis: imò quia justus ab injusto opprimitur, videtur perversum & pravum esse tuum judicium, i. actiones illæ tuæ, quibus mundum regis & gubernas. Quidam hæc accipiunt in persona impiorum, & eorum, qui omnem Dei religionem & pietatem ex mente excusserant. Alii statuunt personam justi sic conquerentis, ut quasi ex impatientiâ & nimiâ animi ægritudine hæc dicantur. Simplicius est si Prophetæ verba intelligas, qui de moribus suæ ætatis queritur, quod neque lex neque jus aut jurisdictio amplius urgeat, & quod reliquum adhuc remanet planè corruptum esse & depravatum.

משפט] Actio jurisdicendi cessat, jurisdictio non ampliùs exercetur, ratio æqui & boni prorsus distorta est & corrupta. judicium est recta ratio sive Dei sive hominum, suum cuique tribuendi, justi & æquí studium. Gen. 19. *Absit Domine, ut occidas justum cum injusto, nequaquam feceris judicium.* Hoc ergo vult in hoc versu, Jurisdictio aut nunquam adipiscitur suum finem, aut, si adipiscitur, certè corruptè & perversè: Aut nunquam judicas mundum, aut si judicas, malè judicas. Prioris propositionis ratio hæc est, quod omnia in mundo sunt confusa, & conturbata. Alterius quod impius prævaleat adversus pium eundémque justum. Si ad homines referas, Aut nullum est judicium, aut si sit, planè confusum & æquitati rationíque & legibus quasi ex diametro repugnans.

מכתיר] *Cingit*, quasi corona circumdat. Jonat. vertit מסכלין עמין quasi dementant & obstupefaciunt. כתר ait Ezra est עגול rotundum quid. Et Kimchi interpretatur מקיף להרע *cingit ut malefaciat.* Notat multitudinem & numerum improborum, quòd frequentes concurrant ad perdendum pium, adeo ut eum coronâ cingere & circumdare possint. Rab. japhet אֶת accipit pro עִם, ut sit רשע מכתיר עם הצדיק. Jarchi exponit מסבב, & citat similem locum Piel, אבירי בשן כתרוני *cinxerunt me.* פשו Kimchi exponit רבו. Ezra verò התפשטו *extensi sunt, longè latéque diffusi.* Turgum Jonathæ, ירדו פרשוי *descendent sine sensu*, ut putat Ezra. Jarchi רבו פרשיו. ¶] מעקל perversum, distortum, corruptum. מעוה minimè æquum & rectum.

5. ראו בגוים] Lxx ἴδετε οἱ καταφρονηταί. Quidam sic scribit. *Non dubium est quin Græci legerint* בגודם (mendum est pro בוגדים) *quià vertunt*, *videte contemptores. Sed in verbis Hebraicis nulla est ambiguitas.* Hæc ille. Nomen בוגדים non significat *contemptores*, sed *perfidos* & *prævaricatores.* Itaque verosimilius est eos legisse בזים à בזה contempsit, sprevit. Latin. *Aspicite in gentibus & videte.*

ראו בגוים] Mimesis est. Inducit enim Deum loquentem & denuntiantem adventum Chaldæorum, quem describit quasi ὑποτυπώσει quâdam & variis cùm adjunctis tùm effectis ob oculos proponit.

התמהו תמהו] *Admirando miramini.* Latin. *Et admiramini &*

& obstupescite. Lxx. θαυμάσατε θαυμάσια admiramini miranda. In Novo Fœdere Act. 15. 41. est ἴδετε οἱ καταφρονηταὶ καὶ θαυμάσατε καὶ ἀφανίσθητε & evanescite. Primum in Hebræo nulla est copula. Deinde prius verbum videtur potius in infinito accipiendum quam in imperativo. ראו בגוים, alloquitur vel Judæos, vel ipsas gentes. Aspicite vos qui degitis inter gentes. ב idem quod בין *inter*. Aliquando notat contemptum. תמהו miror, admiror, demiror vehementer, admirabiliter stupeo. Solet autem in anadiplosi verbum iterari, vel in eadem conjugatione, vel in diversis, ut hoc loco.

6. המר] Jonath. מריר, i. festinum. Videtur legisse מהר. Lxx. πικρόν, & hoc significat verbum Hebræum: *Amara, acerba:* opponitur dulci. Hic dicitur *amarum* ab effectu, quod acerbam populis mortem & perniciem amaram inferat, quæ reddit homines amaros, tristes & mœstos. Metaphora sumpta à saporibus, & relata ad animum notat tristitiam ejusdem, quæ contraria est jucunditati & hilaritati. Unde נעמי commutata sua fortuna volebat vocari מרה amara, mœstitia & dolore plena & affecta. Sed illic passive: hic vero active notat crudelitatem, immanitatem & sævitiam, quæ nauseam moveat & fastidium, sicut ea quæ gustum referunt amarum. Acerbus, habens acerbitatem, austerus, calamitosus, peracerbus gustui. Nihil ad dolorem acerbius potuit accidere. Πικρὸν amarum, linguam detergens, adeo ut etiam exasperet: acerbum & immite, quod contrahit & stipat quodammodo tactum, ἄςομον, ςυφνόν. Homo natura asper, iniquus, paulo servidior atque commotior, non moderatus nec mitis sed asperior ac durior, asperis moribus.

נמהר festinus, citus, citatus, commotus, festinanter ac propere omnia agens. Lxx. ταχινόν. Chald. קליליא. Hier. *velocem.* Præcipitem, quæ impetu fertur ad res agendas, quæ cito quælibet conficit ac perficit.

נמהר] Homines notat præcipitis consilii, quibus ante confectum negotium est quam consultum & perpensum. Latini *temerarios* appellant. Aptissimum genus ad commiscendas & perturbandas res omnes. Notatur temeritas & inconsulta actionum properatio.

ההולך למרחבי ארץ] Vadentem quam late terra patet, in terras remotas & procul dissitas. Est ὑπαλλαγὴ pro ארץ מרחבים in terram longinquitatis, i. longinquam, latam & spatiosam: Et Synecdoche terra pro terris, regionibus. Ps. 1. 1. *Beatitudines viri*, i. vir beatitudinum, beatus & felix. Jonath. דאזיל לפתאי ארעא. Lxx. τὸ πορευόμενον ἐπὶ τὰ πλάτη τῆς γῆς. רחב non signif. remotum, longinquum i. רחוק, sed *latum*, *spatiosum* & מרחב latitudo.

משכנות] Habitacula, habitationes, civitates, urbes, i. קרוי, ut Jonath. vertit. Quod dicit נמהר *festina*, videtur postea clarius exponere cum dicit, *Volabunt tanquam aquila celeriter ad prædam.*

7. ממנו משפטו יצא] *Ex ipso jus ejus egredietur.* Ipse pro sua libidine & arbitrio jus dicet, puniet, absolvet, prout libitum fuerit, tyrannicam prorsus potestatem in devictas sibi gentes exercebit. Indicat ergo Chaldæos in prædis, rapinis, adeoque omnibus suis actionibus libidinis impetum pro ratione secuturos, qua re nihil neque ferocius, neque crudelius excogitari potest, in mentibus maxime temerariis & ingeniis velocibus. Unde & hæc Tyranni vox nocentissima manavit, *Sic volo sic jubeo stat pro ratione voluntas*, privato jure omnia administrabit, nullis legibus sese subjiciet, sed quicquid egerit, pro lege habebit & pro jure. Ipsius judicium non ratio moderabitur, sed voluntas. In judicando non sequetur rectum animi sensum, sed mentis oculos livor & libido obducet.

ושאתו] Lat. *onus ejus.* Lxx. τὸ λῆμμα αὐτοῦ. Chald. וגזרתיה decretum ipsius, q. d. quicquid decreverit, id proprio judicio decernet. Affixum posset referri ad משפט, ut exercitium vel executio judicii seu juris. Jus quod exercebit id ex proprio cerebro exequetur, nulla habita ratione æquitatis. Vel ut sit ἓν διὰ δυοῖν *jus & assumptio ejus*, i. jus assumptum & executioni demandandum, ut, *Pateris libamus & auro*, i. pateris aureis. *Arma virumque cano*, i. armatum virum. Significat ergo Chaldæam gentem arrogantem futuram & insolentem, sibique nimium tribuentem, quippe quæ nullis neque naturæ neque gentium Legibus usura est, nullis hominum consiliis acquietura, sed suo tantum consilio, vel potius sua libidine ac temeritate pro Legibus ac rationibus sit usura. Non alieno, inquit, judicio, sed suo tantum stabit, neque ex naturæ ratione, neque ex æquo & bono judicabit res, sed ex se, i. ex suo impetu, suaque temeritate. Quemadmodum autem judicaverit, sic statuet & decernet, & ex se ipsa judicabit sententiamque pronuntiabit. שאתו Kimchi exponit שינשא על הגוים, quod efferetur supra gentes, superbe nationibus & populis insultabit.

Possumus etiam שאת exponere *condonationem*, ut in Genesi, *Si bene egeris est* שאת *condonatio*, *remissio.* Et משפט erit *condemnatio*, q. d. ipse perdet, damnabit & absolvet pro suo arbitrio. Hos condemnatos morte multabit, illos absolutos & incolumes dimittet. שאת aliquando significat יתרון excellentiam, amplitudinem, celsitudinem, גדולה magnitudinem & תוקף fortitudinem. שאת signif. elevationem, exaltationem. Et condonationem noxæ seu remissionem: item dignitatem, magnitudinem: & combustionem, exustionem. Quæ omnia dicta sunt à significatu elevationis. שאת Vulg. *onus*, quod scilicet aliis imponet. Ita fere Sch. Jarchi, *Ex ipso*, inquit, *Judices, ex ipso Reges, qui imponunt onus & terrorem omnibus.*

שאתו] *Elevatio*, id est, *quod elevabit & evehet ad dignitatem principes, id faciet de sua gente non aliena*, Glossa ordinaria. *Onus* passive accipit Lyra, quasi actiones & facta ejus tanquam onera illi denuo imponentur. Nam sic scribit: *Ex actibus suis crudelibus merebitur finaliter à Domino judicari & puniri.* In Græcis est λῆμμα, id intelligit Theophylactus ad hunc modum, *Lemma ejus*, id est, vaticinium & prædictio de belli eventu non ex alienæ gentis vatibus, & obveniet ex longinquo accitis, sed ex ipso, id est, ex indigenis & suæ patriæ magis, qui præ cæteris gentibus de futurarum rerum prædictione gloriantur. Chaldæis porro in more erat, ante bella consilium ex vatibus petere, & magos arte tentare, ut prædiscerent prælii eventum. Quemadmodum Balaam à Mesopotamia accersitus est à Balac. Vel sic etiam accipi poterit, quod judicium vocet ultionem, quam contra Israeliticum populum Deus decrevit, unde infit, *quod judicium ejus*, id est, Israelitici populi pœna, ad quam condemnatus est propterea quod excitaverit ad iram Deum, & *lemma ejus*, i. prædicta adversus ipsum sententia ex ipso egredietur Babyloniorum Rege, i. finem accipiet & consummabitur.

8. וחדו] Græcus ὀξύτεροι, acutiores. Lat. *velociores*, minus recte. Chald. חריפין. Habebunt dentes acutiores, eruntque ferociores quam lupi vespertini. *Lupi nocturni* dicuntur, quod potissimum eo tempore escas sibi paraturi vagentur & errent. Unde etiam à Græcis νυκτίβιοι & νυκτίοπες appellantur.

מזאבי ערב] Qui cum jam adest vespertinum crepusculum prædatum egrediuntur.

ופרשיו] Integre hæc construenda sunt, Etsi veniant ex remota terra, tamen celeriter adcrunt, qui advolabunt tanquam aquilæ ad prædam. Vau est adversativa particula, *etsi*, *licet*, & post illam altera deficit, nempe *tamen*, quæ illi respondet. Id accidit admodum frequenter. Ut in Psalmo quodam, qui ab Hebraizante Græco scriptus, Græce tantum extat. Οἱ ἀδελφοί μου καλοὶ καὶ οἱ μεγάλοι, καὶ οὐκ εὐδόκησεν ἐν αὐτοῖς ὁ κύριος, *fratres mei pulchri & magni*, *tamen non probavit eos Dominus.*

9. מגמת] Accipiunt quidam in Benoni Piel fœmin. Absorbens faciebus suis instar Euri. Vel, ventus orientalis consumet, perdet & absorbebit facies eorum. מגמת à גמה, pro quo in usu est גמא pro potare, ebibere, haurire. Hier. *Facies eorum ventus urens.* Alii, *faciem habentes occursu similem Euro*, omnia adventu suo perurentes. Ut igitur, quacunque perflat subsolanus ventus, omnia exurit; sic isti obvia quæque populabuntur. Chaldæus vertit כרוח קדומא *tanquam ventus orientalis.* Sed nusquam ostendunt קדימה cum He in fine, quæ motum plerumque denotat, significare *ventum subsolanum.* Quid si exponamus, Quicquid ante se consumunt, rapiunt, diripiunt, hos versus orientem in Babylonem ducunt & asportant, atque ita cogunt arena numerosiores exules & captivos. Veniunt enim plane ad rapinas, prædas & direptiones. Hic erit præcipuus eorum finis, hic scopus, hoc propositum, ut omnes provincias rapinis exinaniant, depopulentur agros, excindant urbes, multosque mortales captivos ante se in suas terras abducant. Supra dixit eos venisse לאכול ad vorandum seu consumendum. Nunc ostendit quid facturi sint rebus illis absumptis & direptis, nempe omnia versus orientem acturos quæcunque ceperint, captivos arenatim seu innumerabiles capturos atque abducturos. Quicquid haurient & prædabuntur, illud abigent in sua lustra. Si de vento posset intelligi non incommodus esset sensus, si eos dicamus secum corrasuros omnia, quemadmodum ventus vi sua arenam in unum solet cumulum cogere. Vulgo interpretes מגמת exponunt נגד *è contra, ex adverso.* Lat. *Facies eorum ventus urens*, *Id est*, inquit Lyra, *sicut ventus urens velociter consumit segetes, sic Chaldæi suo impetu subjicient sibi gentes:* vel, sicut ad flatum venti urentis virentia quæque marcescunt, sic ad aspectum Chaldæorum omnia vastabuntur.

מגמת פניהם] Vertunt, *Oppositio faciei ejus similis erit* ven-

vento orientali. *Est*, inquit Ezra, *dictio extranea & anomala, quæ debuerat esse sicut* צפאא ארץ, *idemque significat quod* נגד vel נכח *coram, contra.* *Sed dictio* קדימה *quæ sequitur, nonnullam parit difficultatem, eo quod He in fine notat motum, & Nabuchodonosor ex parte orientali.* *Ac propterea coactus est Japhet addere* כ *notam similitudinis, ut sit* כקדימה *tanquam ventus Orientalis, sive Eurus, qui validus est ac vehemens.* Sed huic sententiæ repugnat He quod est in fine. Jonath. vertit 'מקבל אפי הון וגו *ex adverso facierum suarum similes sunt Euro, occursus faciei eorum instar venti orientalis.* Jarchi deducit ab הגמיאני נא *pota me quæso*, ut sit גמיאת שאיפת פניהם absorptio facierum eorum, i. quicquid ante se perdent ac vastabunt quasique haurient, perinde erit ac si à vento orientali vastatum foret & desolatum. Græci, *ἀνθεστηκότας προσώποις αὐτῶν ἐξεναντίας.*

כחול] Tanquam arenam, ac si esset arena. Vel, quemadmodum colligitur arena, sabulum & terræ pulvis. Vel colliget exules numerosos, tanquam arenam, quæ numero æquet arenam. Sic in Isaia, *Erunt peccata tua sicut lana*, i. alba & candida, sicut alba est lana; *& rubra sicut coccinum*, id est, rubedine coccini. Comparatio est cum adjuncto rei, non cum ipsa re. כ hic imaginem denotare potest, colligit seu, quasi, velut arenam, i. ac si esset arena. Ubi similitudo est in re. Quæ potest etiam esse in actione, sicut, vel sicut arenam, id est, ac si colligeret arenam. Vel in adjuncto rei, cogit captivos frequentes ad instar arenæ quæ frequens est & numerosa. Vel, congregat captivitatem numerosam sicut arenam. שבי notat ipsos captivos, vinctos & captos per metonymiam adjuncti pro subjecto. Sicuti Paulus alibi refert de Christo, cum *captivam ducturum captivitatem.* Ita גלות ponitur pro iis qui deportati sunt in exilium. Colligere captivitatem non est aliud quam multos mortales captivos in exilium abducere. Ita Apoc. 13. 10. *εἴ τις αἰχμαλωσίαν συνάγει, εἰς αἰχμαλωσίαν ὑπάγει.* Quod minus recte vertit Neotericus interpres, *Si quis in captivitatem ducit, in captivitatem abibit.* Pro, *si quis cogit captivos, is quoque in captivitatem abducetur.*

10. יתקלס] Significat loqui vel in bonum vel in malum. *Vulgo* פרלרין *parler*, ait Sch. Jarchi, כל לשון קלסה לשון דבור. Sed alii exponunt לשון לעג חלף רוח, id est, כמו רוח *tanquam ventus.* Ezra.

יתקלס] Lxx. *καὶ αὐτὸς ἐν βασιλεῦσιν ἐντρυφήσει.* Hier. *Et ipse de Regibus triumphabit.* Jonath. הוא על מלכיא מחליג, ipse Reges deridet, subsannat. Significat sannis aliquem excipere, קלס signif. *sannas, vituperium*, לעג *subsannationem*, & בז *contemptum, despicationem.* In Itpael התקלס subsannare, ridendum propinare. Construitur cum ב 2 Reg. 2. ויתקלסו בו ויאמרו לו עלה קרח, *probro afficiebant & ridebant illum, dicebantque Ascende calve.* Aliquando in laudem ponitur, & idem notat quod laudare, encomiis celebrare, quod est contrarium superioris. Hinc *κλέος* Græcum vocabulum laudem & decus significans. Ezech. 16. לקלס אתנן laudare mercedem meretriciam sicuti ipsa scorta faciunt. Sed nescio an possit in priori notione accipi ut sit *vituperare.* Solent enim meretrices dona sibi ab amatoribus allata elevare. Tamen Kimchi putat & hoc loco verbum in laude accipiendum, ut sit, inter Reges laudem feret. Quam sententiam refellit id quod sequitur, *Et principes illi ludibrio sunt.* In Kadisch legimus יתעלה ויתקלס *exaltetur & laudetur.* Quod עמרם Gaon excellens in ordine precum, reprehendit affirmans hanc locutionem non esse admittendam. Per irrisionem & subsannationem ostendit quam leve illi futurum sit gentes subigere & suæ potestati subjicere, debellareque. Ita David Psal. 2. *Sedens in cælo ridebit, Dominus subsannabit eos.*

במלכים יתקלס] Ad verbum *in Reges ridebit*, i. e. irridebit Reges. Nam Latinæ linguæ ratio postulat ut præpositio jungatur verbo, non nomini, ut in קרא בשם יהוה invocavit nomen Domini.

ורזנים] Lxx. *καὶ τύραννοι παίγνια αὐτοῦ* ludibria ipsius. Notat principes in bonam partem, ut in illo: *Dextram tetigisse tyranni.* Chald. שלטוניא principes, duces, & Latinus vertit *principes* Psal. 2.

ויצבר עפר] Congeret humum, ducet aggerem, cinctam urbem aggere capiet. *Oppidum*, inquit Cicero, *cinximus vallo & fossa, aggere maximo.* Agger est terræ & cujusvis rei coacervatio ad loca munienda aut expugnanda. Nam habet duplicem usum, nempe ad defensionem & ad oppugnationem civitatum, ut cum fossæ civitatis terra complentur. Itaque Chaldaice *agger* dicitur מליתא quod est לשון מלוא ait Sch. Jarchi.

11. אז חלף] Hic est intransitivum, quod satis apparet ex verbo יעבר quod sequitur. Mutatur ergo spiritus & transit, suntque verba synonyma. Rab. Abraham subaudit כ ut sit כרוח tanquam ventus, ita transit & præterit. Lxx. *τότε μεταβαλεῖ τὸ πνεῦμα.* Hieron. *Tunc mutabitur spiritus.* Jonath. *Propterea quod elatus est spiritus ejus in eo ab eo recedet regnum ipsius eoque privabitur & peccabit, amplificando gloriam & decus Dei sui.*

רוח referunt omnes ad Nabuchodonosorem vel ad gentem Chaldæam, quæ elata rerum gestarum magnitudine & felicitate etiam in Deum ipsum insolenter aget, suoque idolo prosperitatem suam acceptam referet. Mutabitur Spiritus in insolentiam & arrogantiam. Sed hic sensus mihi non probatur, quia nusquam legitur miti & modesto animo fuisse Nabuchodonosor. Ego igitur malo exponere de clade quæ accidit Chaldæis eorumque Regi quem Dominus tandem puniet & supplicio afficiet, atque id momento temporis & quam celerrime quasi transeunte vento. Præteribit ergo ventus & ipse transibit, reusque peragetur divinitus. Atque hæc est virtus & potentia Dei ipsius per ironiam & subsannationem, q. d. Deastri quos ipse colebat, & à quibus ipse totus pendebat, nequaquam poterunt eum eripere à pœna, quam Deus noster illi statuit irrogare & infligere Ps. 90. de mutabili hominum conditione, *Mane*, inquit David, *tanquam gramen transit, mane efflorescit & præteritum.* Ut Calidorus adolescens apud Plautum, *repente exortus sum, repentino occidi.* Psal. 78. 39. *Meminit quod caro ipsi sunt, ventus transiens & non revertens.* אָשַׁם cum patach est *peccare*, אָשֵׁם cum tseri *reum peragi, seipsum condemnare, reatu sese obstringere.*

אלוה dicimus & אלהים pro eodem. Nam ita consuetudo obtinuit. Quanquam & in singulari dictum dici possit. דרך קלון *per contumeliam*, Ezra.

12. לא נמות] Sunt octodecim loca in Bibliis, quæ à scribis correcta & emendata sunt. Ex quibus hic locus unus est, auctore Kimchi. *Nam pro* תמות *quod prius erat scriptum, substituerunt* נמות. *Priorem Scripturam secutus & Jonathan, qui vertit* " מימרך קיים לעלמין *verbum tuum permanet in æternum, ô Domine, tu æternus es & immutabilis, neque ulli mortali conditioni obnoxius.* Hæc Kimchi, recte secusne nescio. Venetiani codices notam Massoriticam non ponunt super נמות sed super קדשי, idque tam in editione quæ est impressa cum commentariis Ezræ, quam in illa quæ extans habet commentaria Kimchi.

לא נמות] Argumentum est ex loco dissimilium ipsi vento prætereunte transibunt & interibunt. *πρόθεσις.* At nos non peribimus neque internecione delebimur sed eripiemur ex faucibus mortis. Ipsorum Deus infirmus admodum est, &, imbecillis qui suos cultores non possit eripere ab interitu. Sed Deus noster sanctus est idemque Jehova & petra i. fortis & robustus, qui nos possit à mortis servitute vindicare. *Ἀνταπόδοσις* חלף רוח Sch. Jarchi exprimit, *Præterit ac transit ventus delicti super illum, ut adscribat suam suo Deo felicitatem & fortunam* רוח אשמה. לא נמות, Lxx. *καὶ οὐ μὴ ἀποθάνωμεν.* Hier. *Et non moriemur.*

אלהי קדשי] Emphasis est in affixis, quæ singularia sunt, quia Propheta inducit personam omnium fidelium. Tu ergo mi Deus & mea sanctitas, quem ego compertum habeo & agnosco verum esse Deum, æternum & ab omni temporum exordio existentem, tu, inquam, non patieris, ut nos moriamur crudeli & nefaria manu impiorum, ut penitus intereamus & internecione deleamur. Sanctum se Israel appellat Dominus apud Prophetam Jes. 43. אני יהוה קדושכם *ego Dominus Sanctitas vestra:* Et 49. גואל ישראל קדשו *redimens Israel sanctitatem suam*; populum sibi Sanctum, immaculatum, segregatum abs omni pollutione & immunditia. Dedisti quidem illi vires ut regionem meam vastaret ac perderet, nosque in exilium abduceret, sed non ut internecione penitus nomen meum memoriamque deleret.

למשפט שמתו] *Ad judicium*, i. ad judicandum, ut puniantur per illum rebelles & tuo dicto minus audientes. Judicare est punire, supplicium de aliquo sumere, animadvertere in aliquem. Atque hoc sensu refertur ad gentem Chaldæam quæ à Domino in hunc finem ordinata sit & regioni Judææ immissa, ut peccatorum pœnas de scelerosis exposcat. Alii referunt ad Deum, qui Chaldæos sibi posuerit ad judicium ut eos judicaret & ulcisceretur & vindictam caperet de vastitate suo populo illata per *ἑρμηνείαν* postea dicit, *Tu qui petra es & rupes fundasti eum & destinasti quem corriperes & redargueres.*

צור] Quidam exponunt, tu fundasti ad redarguendum petram, id est, populum Judæum durum & præfractum. Alii, posuisti eum petram, id est, durum, fortem, munitum, inexpugnabilem & inaccessibilem ad probandum & explorandum tuos fideles, effecisti ut sit quasi cos & Lydius lapis quo discerneres spurios tuos cultores à genuinis, veris & germanis.

צור

[צור להוכיח] Kimchi, *Tu qui es petra totius mundi fundasti eum, ad arguendum omnes nationes terræ totius orbis.* Lxx. καὶ ἔπλασέ με τοῦ ἐλέγχειν παιδείαν αὐτοῦ, formavit me ut arguam disciplinam seu castigationem ipsius i. יצרני להוכיח יסרתו. pro צור legendum יצר addito pronomine, & pro יסדתו per ר, יסרתו. Hieron. *& fortem ut corriperes fundasti eum.* Ita Chaldæus, ותקיף לאתפרעא ארח קנתוני fortem ad ulciscendum seu puniendum ordinasti & parasti eum. הוכיח proprie est ἐλέγχειν arguere, redarguere.

13. *Mundior es oculis quam ut videre possis malum*] Confirmat id quod supra posuit, Deum vid. suum populum liberaturum, & de scelerato & crudeli hoc populo supplicium sumpturum, argumento à conjugatis, ab adjuncto ad subjectum: Tu purus & mundus, malum & nefas aspicere non potes: Igitur nec videre poteris perferreque aut pati perversos & nefarios, qui meliores se & probiores devorant & absorbent. *Videre malum* est pati, sinere maleficos connivere ad scelera, impunita & inulta relinquere, dissimulare ac quasi tacitum, conniventerque præterire flagitia. Non ergo cum purus sis & immaculatus, poteris ferre sordes, nævos & maculas eaque quæ naturæ tuæ penitus contraria sunt.

[טהור עינים] Oculi *providentiam* notant, purus igitur est & omni vacat culpa in mundi hujus administratione, integer est, insons, irreprehensibilis, in suæ providentiæ regimine. Munde, juste, legitime, inculpate regit & administrat. כשל qui potentia sua reprimat cædes injuste factas, repressor sit cædis & capturæ piscium.

[צדיק ממנו] Hoc intelligendum est de Israelitis, qui etiam improbi erant & Deum offenderant, tamen comparatione facta cum Chaldæis, multo erant probiores & justiores.

[כבלע] Cum ב. At Isai. 33. est cum Caph כבלע ארח הקרש. Massoreth רין ברק. מראורה R. Abraham videtur legisse ברק, quippe notat ב superfluum esse, ut in illo ואל אראה ברעתי. Sed nihil tale habent nostri codices, qui & ex Massoritica traditione legendum esse, ut nunc legitur, docet Kimchius. Quem, si vacat, consule in commentariis super hunc locum.

14. *Et facis hominem*] Lxx. καὶ ποιήσεις τοὺς ἀνθρώπους ὡς τοὺς ἰχθύας τῆς θαλάσσης, καὶ ὡς τὰ ἑρπετὰ οὐκ ἔχοντα ἡγούμενον. i. Reddis mortales quasi pisces aquatiles qui omnium piscationi expositi sunt nullo prohibente si quis capiat, rapiat & trucidet; & reddis etiam similes terræ reptilibus, qui sine duce, sine principe repunt per terram & ab hominibus conculcantur & conteruntur. Est ἀναστροφὴ & reversio ad superiora, ut dixit, Chaldæos omnia rapere & ad se attrahere, omniaque castella, oppida expugnare; mortales omnes revinctos & captos secum abducere. Id declarat nunc insigni allegoria, i. continuata metaphora, qua comparat homines cum piscibus & reptilibus: Chaldæos cum piscatoribus, eorum prædationes cum sagenis, retibus & capturis. Ezra, *Homines comparantur cum piscibus quod est animal minime politicum, sed in se mutuo grassantur & majores devorant & absorbent minores.* Deinde etiam ut pisces sine gustu sunt, ita hi homines sine consilio, intellectu, prudentia.

[רמש] τὸ κινούμενον *quicquid moveri potest* ait Hieron. Intelligo de piscibus, quibus hoc nomen etiam competit, non autem de reptilibus terrestribus, quia sequentia & tenor orationis indicant à piscatoribus, eorum instrumentis & ratione agendi totam hanc allegoriam desumptam.

15. [חכה] Est hamus. Lxx. ἀγκίστρον. Hieron. *hamum.* Jon. חכה חַכָּתָא interpretantur רשת Kimchi & Ezra. Nisi quod in Kimchianis pro רשתו, corrupte legatur רשותו.

Piscator est Nabuchodonosor, mare est orbis universus, pisces sunt homines & mortales in eo commorantes. Rete, sagena, hamus est exercitus Chaldæorum, cui Nabuchodonosor suam fortunam & prosperitatem attribuit, eique assignat cum honorem, qui Deo proprie debetur. Et hoc declarat Propheta *sacrificandi* verbo & *suffiendi.* Nam ex partibus indicat durum cultum & honorem.

16. [לחרמו] Sacrificat sagena suæ. Jon. לזינה armis suis vel armaturæ suæ in singulari. Et adolet למכמרתו exponit לסמוותה vexillo suo. לחרמו ait Abraham מזלו planetæ sui vel חילו casus, & לחרמו inquit Kimchi, sibi ipsi vel exercitui sui. Vel Deo suo, quo se feliciter piscatum esse putabat.

[בריאה] Non cibus ejus opimus & pinguis, sed subintellecto substantivo שה בריאה cibus ejus, pecus pingue. Nam בריאה est foemininum. Vide Kimchi. Vel potest referri ad מאכלו, ut sit constructio sensu congrua, non voce, & referatur quoad vocem attinet ad formam אכילה quæ est foeminina. Priorem sententiam probant multa exempla, ut כעזי קצוצות *tanquam grex succisarum* sc. caprarum Cant. 4.

17. [היעל כן] Nam propterea exinanietur sagena ipsius. Propterea, inquam, quod abutatur sua fortuna, quod sacrificet reti suo & sagenæ suffimenta adoleat. Quomodo tu Domine hoc pateris, ut, is qui tuum honorem ad alienas creaturas transfert, ita feliciter agat, venetur tam fortunate tamque secunde & prospere, quotidie piscibus repletam sagenam exhauriat & evacuet. Potes arcessere הלא ex sequentibus, ut sit הלא על כן יריק חרמו nonne hæc causa est, cur in singulos dies repleat sagenas suas repletasque evacuet & interficere gentes non parcat? Jon. *An propter hoc emittet, educetque copias suas perpetuo, ut consumat populos & non parcat.* Sunt qui ה accipiant ut admirandi particulam, vel potius confirmandi. *Ne propterea extendit rete suum &c.* Ezra. Quomodo evacuare & exhaurire posset sagenam & everriculum suum, cum quotidie gentes trucidet, & nova captura repleat, ditetur, onereturque; Certe propterea non exinanivit seu inane relinquit rete suum, sed in dies populos capit & mactat. Interrogatio informata negatione affirmat, & figurata affirmatione negat. Quidam, *An tu ô Domine patieris propterea ut ejiciat everriculum suum, utque cædes patrare non intermittat?* Est interrogatio cujus responsio postea in sequenti capite subjicitur. Quandoquidem ita est impius, crudelis & ferus, an patieris illud Domine ejicere retia & sine misericordia interficere gentes? Deplere est exhaurire, deplere sagenam, evacuare & piscibus exonerare. ינוהו à נור habet significationem congregandi & colligendi.

[העל כן] Interrogatio. Quærit eum, num ob eam impietatem & indignitatem sit evacuaturus suum rete. Quod quid sibi velit postea explicat cum dicit, *An non cessabit gentes perpetuo trucidare?* Qui vertunt *extendent* non recte advertunt ad particulas על כן.

[העל כן יריק] Exponunt quidam *educere*, ut הריקותיך & alibi וירק ארח חניכיו quasi dicat Propheta, Certe propterea educit & extendit, ejicit rete suum & perpetuo interficere gentes non parcit. Alii ita, Quomodo ipse vacuam & inanem extrahere posset sagenam, quippe qui lautissimam & maxime opimam prædam secum semper trahat. Ezra, השעם איך יריק חרמו והוא יתן לו כל משמן השעם כי לא תעלה הרשת שלו והפה שלו מן הארץ ריקנית. Et quod sequitur postea יזנח לחרמו interpretatur מזלו או חילו אנשי כחו.

GROTIUS.

HUnc quoque Manassis temporibus scripsisse sentiunt Hebræi, quibus adstipulatur ipse quem ab antiquo obtinet locus inter Nahumum Manassi coævum & Sophoniam, qui sub Josia floruit. Sed & ipsum argumentum ei congruit tempori. Deplorat enim fas & jura eversa, quod nunquam magis quam sub Manasse evenit. Prædicit excidium gentis per Chaldæos, Esaiæ premens vestigia, qui rem candem jam ante Ezechiæ prædixerat, ut videmus II Reg. xx. 17. 18. Simul adversus querelas in quas eruptura erat multorum impatientia, justitiam Dei in apertum producit, & pœnas quas postea victoribus Judæorum Chaldæis erat irrogaturus. Nomen Prophetæ est חבקוק, quomodo hoc nomen scribitur in libris Hebraicis & Chaldaicis: at Græci legerunt חבקום: scribuntque Ἀμβακούμ. Secutos id Latinos notat Hieronymus. Nunc tamen apud veteres Latinos, etiam qui ante Hieronymum scripsere, legimus *Abacuc.*

1. ONUS *quod vidit Habacuc Propheta*] Tum contra Judæos, tum contra Chaldæos.

2. *Usquequo, Domine, clamabo, & non exaudies?*] Id est, *me clamantem non exaudies?* ¶ *Vociferabor ad te vim patiens*] *Vociferabo ad te rapinam:* id est, conquerar vim jure superiorem esse in Judæa. Vide II Reg. XXI. 16. ¶ *Et non salvabis*] Te non impediente.

3. *Quare ostendisti mihi?*] Apparere fecisti mea ætate. ¶ *Iniquitatem & laborem*] Id est, *laborem iniquissimum.* Ἓν διὰ δυοῖν [*Unum per duo expressum*]. Ita & Chaldæus accepit. ¶ *Videre*] Supple *facis.* ¶ *Prædam & injustitiam*] *Oppressionem & iniquitatem*, id est, *iniquissimam oppressionem.* ¶ *Contra me*] *Coram me*, circum me. ¶ *Et factum est judicium & contradictio potentior*] *Est lis*, id est, multa causa querendi: *& judicium abstulit*, Rex scilicet: quod nomen subticet.

4. *Propterea hoc lacerata est Lex*] *Vim suam lex* Divina *perdidit.* ¶ *Et non pervenit usque ad finem judicium*] *Nunquam procedit judicium:* res manet indefinita. ¶ *Quia impius prævalet adversus justum*] *Circumvenit velut corona*, id est, indagine. ¶ *Propterea egreditur judicium perversum*] *Quod amplius est, procedit judicium*, sed *perversum.* Sæpe non judicatur: sæpe, quod pejus est, plane contra jus judicatur.

5. *Adspicite in gentibus, & videte*] *Respicite gentes*, nempe quas contra vos adducam, Chaldæos, ut sequitur, & eorum socios. Hebræi sæpe post vocabula sentiendi subjungunt ב [*in*]: at Lxx & Interpres ἀνώνυμος [*incogniti nominis*], cujus hic meminit Hieronymus, legerunt בגדים, verteruntque illi καταφρονηταί [*contemtores*], hic *calumniatores*, in vocativo scilicet utrumque. Melior mihi videtur lectio hæc Græcorum. Alloquitur Deus Judæos sui numinis contemtores. Et sic citat Lucas Actor. xiii. 41. Ἴδετε οἱ καταφρονηταί [*Videte contemtores*]. ¶ *Et videte: admiramini & obstupescite*] Id est, Erit quod ubi videritis admiremini & obstupescatis. Græci pro תמהו [*obstupescite*] legisse videntur השמו in imperativo Niphal à שמם, quod est ἀφανίζεσθαι [*animo linqui*]: vertunt enim sic hunc locum, καὶ ἐπιβλέψατε καὶ θαυμάσατε θαυμάσια, καὶ ἀφανίσθητε [*& inspectabitis & mirabimini mirabilia, & animo linquamini*]. Mihi lectio, quæ in nostris est libris Hebræis, quam & Hieronymus & Chaldæus sequuntur, non sordet. ¶ *Quia opus factum est in diebus vestris*] *Fiet*, Symmachus, ut hic notat Hieronymus. In Hebræo est *facio*, & in Græco ac in Luca ἐργάζομαι, pro *faciam*. Lucas, aut potius apud Lucam Paulus, optime hæc verba aptat ad excidium simile eventurum per Romanos. ¶ *Quod nemo credet cum narrabitur*] Tam horribile futurum est quod faciam ut narranti nemo fidem sit habiturus. In Hebræo est *quod non credetis*, & in Græco ὃ μὴ πιστεύσητε ἐάν τις ἐκδιηγῆται ὑμῖν [*non credituri sitis, siquis narret vobis*]. Hieronymus hic secundam personam posuit pro indefinita: at in Commentario simplicius, *Opus quod tam grande erit, ut, siquis nunc futurum esse prædixerit, fidem non facile accommodetis.*

6. *Quia ecce ego suscitabo Chaldæos*] Merito mirum quod Chaldæos, qui tempore Ezechiæ, Manassis, Josiæ fœderati erant Judæis: Si quod autem malum metuendum erat, id ab Ægyptiis venturum putabatur. Simile hoc prædictum Esaiæ, qui ab Assyriis, quibus maxime tunc fidebant Judæi, gravissima mala ventura significavit, nihil minus quam hoc opinantibus Judæis, cap. vii. ¶ *Gentem amaram*] Crudelem, Jer. v. 16. 17. ¶ *Et velocem*] Esa. v. 26. 27. non erunt ἀναβαλλόμενοι [*procrastinatores*]. ¶ *Ambulantem super latitudinem terræ*] Late regnatricem. Vide quæ de Nabuchodonosoro protulimus ad iii. librum de Veritate Religionis Christianæ. ¶ *Ut possideat tabernacula non sua*] Judæorum urbes.

7. *Ex semetipsa judicium & onus ejus egredietur*] *Ex ipso illo* (populo Chaldaico) *judicium ejus, & decretum ejus effectum habebit:* id est, decernit quæcunque vult, & dat effecta. משפט *decretum* interpretatur hic Chaldæus, nec aliter Symmachus, teste Hieronymo.

8. *Leviores pardis equi ejus*] Vide Dan. vii. 6. Jerem. v. 6. ¶ *Et velociores lupis vespertinis*] De quibus vide Jeremiam eodem loco. In Hebræo: *acutiores*, id est, *voraciores*. Pro *lupis vespertinis*, *lupos Arabicos* verterunt Lxx. ¶ *Diffundentur equites ejus*] Multi erunt. ¶ *Volabunt quasi aquila festinans ad comedendum*] Vide Ezech. xvii. 3.

9. *Facies eorum ventus urens*] *Ventus Orientalis*, qui pestifer illis in locis. ¶ *Et congregabit quasi arenam captivitatem*] Id est, captivos.

10. *Et ipse de Regibus triumphabit*] Illudet captis aut victis. *Ipse*, id est, Rex eorum. ¶ *Et tyranni ridiculi ejus erunt*] *Deridiculo ipsi erunt.* ¶ *Ipse super omnem munitionem ridebit*] Loca etiam munitissima contemnet. ¶ *Et comportabit aggerem*] Βαλεῖ χῶμα [*jaciet aggeres*], *i.e. aggeres obsidionales excitabit.* Vide Esaiæ xxix. 3. xxxvii. 33. Ezech. iv. 2. xxi. 22. xxvi. 8. Eccl. ix. 14. ii Sam. xx. 15. ii Reg. xix. 32. Dan. xi. 15. ¶ *Et capiet eam*] Irrumpet, aut ad deditionem compellet.

11. *Tunc mutabitur spiritus, & pertransibit*] Hebræis *spiritus transire* sive transgredi dicitur quoties intra modestiæ fines se non tenet: καὶ μὴ κατ' ἄνθρωπον φρονεῖ [*& non humana cogitat*], ut Sophocles loquitur. ¶ *Et corruet*] In Hebræo: ואשם, id est, *graviter peccabit.* ¶ *Hæc est fortitudo ejus Dei sui*] Est ἔλλειψις [*defectus*] participii *dicens* & voculæ *quod*, ut sit sensus, *dicens has suas esse vires, ut qui sibimet ipsi sit pro Deo.* Vide Dan. iii. & confer quæ infra 16.

12. *Numquid non tu à principio, Domine Deus meus*] Id est, *ab æterno.* dii alii aliquando cœperunt. Hebræi non habent vocem propriam qua *æternitatem* explicent. ¶ *Et non moriemur*] לא נמות, ut nunc legitur: olim fuit לא תמות, quod Chaldæus sequitur optime, *non morieris tu.* Sicut nunquam cœpisti, ita nunquam desines. ¶ *In judicium posuisti eum*] Tu Nabuchodonosoro usus es ut judicia tua exsequereris. ¶ *Fortem, ut corriperes, fundasti eum*] *Ut castigares* (nempe populum Judaicum), *stabilisti eum.* In Hebræo pro *fortem* est *petram*, id est, quasi rupem inexpugnabilem.

13. *Mundi sunt oculi tui, ne videas malum*] *Puriores sunt oculi tui*, id est, judicia tua, *quam ut videas*, id est, perpetiaris, *malitiam*, nempe tantam, ut Chaldæi omnia agant pro animi libidine, & idolis acceptas ferant victorias suas. ¶ *Et respicere ad iniquitatem non poteris*] Ferre semper non potes facta tam crudelia. ¶ *Quare respicis super iniqua agentes*] *Quare respiceres?* Nam Hebræi, quia potentialem modum non habent, indicativo abuti coguntur. *Quare ferres* homines tam *sceleratos?* ¶ *Et taces*] *Taceres*, semper scilicet. *Tacere* Hebræi sumunt pro *dissimulare.* ¶ *Devorante impio justiorem se*] In Hebræo: *justum præ se.* Judæi magnis criminibus involuti erant, sed tamen multum in ea re à Chaldæis superabantur.

14. *Et facies*] *Faceres*, id est, haberes. ¶ *Homines quasi pisces maris*] Nempe quos ponis extra curam illam specialem qua homines prosequeris. Ita Maimonides. ¶ *Et quasi reptile*] *Reptilia* Hebræi vocant τὰ νηκτὰ, *natantia*, Ps. civ. 25. ¶ *Non habens Principem*] Id est, defensorem.

15. *Totum in hamo sublevabit*] *Patieris ut omnia velut hamo tollat.* Persequitur per Metaphoras cœptam comparationem de piscibus. ¶ *Traxit*] *Trahat.* ¶ *Congregavit*] *Congreget.*

16. *Propterea immolabit sagenæ suæ, & sacrificabit reti suo*] Id est, suis viribus omnes victorias feret acceptas, ut supra 11. ¶ *Quia in ipsis incrassata est pars ejus, & cibus ejus electus*] *Quasi per ista* (id est, per suas vires) *portio sibi pinguis obtigisset, & dapes delicatæ. Portionem* & *cibum* vocat populos gladio consumtos: nam אכל Hebræis *consumere.*

17. *Propter hoc ergo*] Cum sibi omnia tribuat, non tibi. ¶ *Expandit sagenam suam*] Interrogative. *Et expandet*, id est, expandere semper sinetur *sagenam suam?* ¶ *Et semper interficere gentes non parcet*] *Nunquam finem faciet occidionibus:* hocne ferre tutum sit?

CAP. II.

MUNSTERUS.

1. *STatuam me in munitione*] Repetitio est prioris sententiæ. Et est sensus; Jehudæi in multis constituti calamitatibus, videntes felicitatem Chaldæorum, conturbati sunt, & expostulantes cum Propheta, miserunt illum ut à Domino sciscitaretur quid causæ esset quod impii magis quam justi prosperitate fruerentur hujus mundi. *Stans* igitur Propheta *in custodia sua*, præstolabatur in silentio responsum Divinum. Ubi Chaldæus Interpres pro *correptionem* vertit על בעותי *super postulatione mea.* Jubetur autem Propheta *scribere visionem* in libro & *exarare in tabulis*, ut scilicet nedum qui præsentes erant percurrerent Prophetiam illam, verum & qui futuri erant legere possent ex libris. Unde patet, Prophetas non tantum sui temporis hominibus consuluisse, verum & futurorum habuisse rationem; ut eorum lectio à Christianis hominibus non sit contemnenda. Præsentibus explicuerunt in tabulis, quæ sui seculi hominibus erant necessaria: quæ autem ad posteros transmiserunt, in libris scripserunt, adumbrantes variis figuris, metaphoris & tropis quæ non caperentur nisi à piis, ab impiis vero pro deliramentis haberentur, ut *oculos habentes non viderent*, &c. ¶ *Ut percurrat*] Non enim erat visio suo tempore adimplenda: ideo legentes debebant *percurrere* eam, tanquam quæ post LXX annos à destructione Templi in Rege Babyloniæ erat consummanda. Et hoc est *certum* seu *contestatum* illud *tempus* quod hic exprimitur certissime futurum: *& sic moram fecerit, exspectanda* est ejus adimpletio. Nec carent hæc verba consolatione veræ salutis per Christum fiendæ, quemadmodum in Epistola ad Hebræos cap. 10. citantur.

4. *Putat se munitam esse*] Impius homo, qualis fuit Nebuchadnæzar, in quem etiam hæc verba dicuntur, non habet fiduciam & fidem Dei, sed præsumit de seipso, & tantam sibi pollicetur securitatem ac si in tutissimo & munitissimo esset loco, Deum contemnens & homines. Justus vero de se desperans, in Domino est fortis & securus, *vivitque ex sua fide*, totus quantus est pendens à certissima promissione Dei. Alii exponunt יהיר pro *animo superbo.*

5. *Propter vinum*] Comparat hic Propheta Regem Chaldæorum ebrio & stolido homini, qui nihil agit quam quod est perversum & iniquum. Usque adeo enim sævit in homines ut *Morti & Sepulcro*, quæ omnes devorant homines, comparetur.

6. *Væ ei qui multiplicat*] Illud est proverbium quod ex ejus tyrannide natum fuit, ut de tyrannis & sanguinariis dicerent, *Væ huic qui alter est Nebuchadnæzar.*

7. *Qui*

7. *Qui te mordebunt*] Id intelligendum est vel de vermibus cadaver ejus corrodentibus, vel de hostibus Regnum ejus depopulantibus.

9, &c. *Nidum suum*] i. Munitionem inexpugnabilem, in qua contra totum mundum se putabat tutum esse. Sed hoc *consilium fuit* sibi & posteris suis *in confusionem*, quando magnifica ædificia ejus cum magna ignominia fuerunt diruta. Sed & *lapides de pariete & asseres de tabulatis* quodammodo injuriam gentibus illatam prodiderunt, cum aliunde, spoliatis regionibus & urbibus, in Babylonem essent importati. At *per Dominum exercituum hæc fient*, qui ultionem sumet de Chaldæis, ut *frustra laborarint populi* in exstruendis magnificis Babyloniæ ædificiis, quæ *ignis* per Medos & Persas immissus consumpturus est. Et hujus ultionis Divinæ fama spargetur per totam *terram, cognoscentque* omnes *gloriam Domini*, quæ sese exsereret tam manifeste in tantæ Monarchiæ subversione.

15. *Qui potum præbet*] Quidam sic exponunt hunc locum, ut studuerit Nebuchadnæzar *inebriare* Reges quos captos secum tenebat, *ut videret illusionem eorum*. Alii vero Metaphorice exponunt de calice furoris quo insaniebat in Regna quæque. Et nota quod multi hic accipiunt חמה pro *poculo* seu *calice*, alii pro *potu venenato*.

17. *In Libano*] i. In locis sitis juxta Libanum. Jonathan vero per *Libanum* accipit Templum. Per *animalia* vero intelliguntur homines quos sua depopulatione Tyrannus terruit.

18. *Quid prodest sculptile*] Imminente casu tui Regni, non poterunt te liberare dii tui, *lapides* scilicet & *ligna muta*, &c.

VATABLUS.

1. *Super custodiam meam stabo* [על משמרתי אעמדה] Metaphora à Custodibus urbium obsessarum: acsi dicat, Attente & accurate considerabo quidnam suggerat mihi Spiritus S. circa solutionem hujus quæstionis ac dubii, more vigilum sive excubitorum, qui partem urbis sibi ac fidei suæ commissam diligenter custodiunt, ne hostis obsessos opprimat incautos. Hoc capite solvitur quæstio illa supra à Propheta proposita, quod Dominus interdum sinat pios affligi ad tempus, & impios prospere habere. ¶ *Arguenti contra me* [על תוכחתי] *Ad argumentum meum*: passive, i. mihi propositum à piis & impiis.

2. *Visionem* [חזון] i. Id quod tibi dicturus sum. ¶ *Et explana in tabulis* [ובאר על הלוחות] *Et expone* (*explica*) *in tabulis*: ceratis scilicet, aut buxeis, in quibus scribere solebant. ¶ *Ut percurrat* [למען ירוץ] i. Ut qui legerit eam, cito intelligat quomodo intelligenda sit hæc quæstio.

3. *In tempus* [למועד] Sub. *certum ac statutum à Deo*: q. d. Non implebitur usque ad tempus certum & constitutum à Deo. ¶ *Et loquitur in finem* [ויפח לקץ] *Et loquitur de fine*, i. de re quæ eveniet post multum tempus, idque definitum ac determinatum à Deo: q. d. Tandem inveniet finem, h. e. adimplebitur. ¶ *Exspecta eum* [חכה לו] Nempe *finem*: vel, *illam visionem*. ¶ *Veniendo veniet* [בא יבא] Repetitio verbi facit ad indicandam certitudinem rei, *certo veniet*, vel *omnino veniet*.

4. *Extollit sese* [עפלה] *Exaltat sese: effertur*: i. Certe efferri solet qui perverso animo præditus est. Recenset aliquot scelera Nabuchodonosor, ob quæ tandem animadversurus erat in eum Deus. Primo taxat eum superbiæ & arrogantiæ. Quidam vertunt, *Ecce elatio cordis, non est recta anima ejus in eo*. Alii, *Ponit animam ejus seipsam in arce*: ab עפל *arce, turri & munitione excelsa*: acsi dicat, *Confugiet ad arces & turres à facie inimici, non ad Deum, ut ipse eripiat eum: justo autem arce non est opus, quia fide sua vivet, & eripietur*: ita quidam Hebræorum. Alii, *Arrogantis anima non est recta in eo*, i. diffidit de Deo, nec ad alium confugit. Alii per præteritum vertunt, *Elata est non recta anima ejus in eo*: ut præcise intelligatur de Nabuchodonosor: nam hæc visio præcipue impleta fuit in eo & successoribus ejus; quandoquidem nepos ipsius interfectus fuit à Persis & Medis, ad quos translatum fuit Imperium Chaldæorum: filii autem Israel, qui credebant Deo & fidebant illi, fuerunt liberati & erepti ab illis, servatique in vita, & reducti in patriam suam. Paulus Rom. 1. 17. exponit istud, *Justus fide sua vivet*.

5. *Vino deditus* [היין] Ad verb. vir *vini*. Alludit ad id quod factum est nocte illa qua Balsasar nepos Nabuchodonosor interfectus fuit. Is enim una cum tota familia sua bibit in vasis Templi, & ita prævaricatus est in Deum. ¶ *Nec permanebit in habitaculo* suo? [ולא ינוה] Ad verb. *nec habitabit*. *Habitaculum* vocat Regiam dignitatem, vel Regnum Babylonicum. ¶ *Animam suam* [נפשו] i. Desiderium suum. Inexplebile desiderium ac insatiabilem cupiditatem Nabuchodonosoris comparat *inferno* sive *sepulcro*, quod nulla nunquam respuit cadavera, & *morti*, quæ etiam nunquam satiatur; ita neque ille, qui maximam partem gentium & nationum suppeditavit sibique subjecit. In quo taxatur etiam violentia ipsius.

6. *Super eum parabolam sument*, &c. [עליו משל ישאו ומליצה חידות לו] i. Loquentur contra eum sermone parabolico & ænigmatico? q. d. Fietne tandem fabula illis populis quos subjugavit? מליצה proprie sign. *sermonem facundum*. ¶ *Multiplicanti non sua* [המרבה לא לו] Hebraismus: i. ei qui congregat ingentes divitias ex alieno, nempe spoliis. ¶ *Et aggravabit* [ומכביד] *Et multiplicabit*. Utrumque significat: i. congeret sibi ingentem vim opum, quæ numero æquare possint *lutum* ipsum.

7. *Qui commoveant te* [מזעזעיך] *Qui exagitent te*: i. qui tibi sint molesti.

8. *Propter sanguinem hominum* [מדמי אדם] *Propter cædem* (vel *cædes*) *hominum*: sub. *à te factas*. ¶ *Et violentiam terræ* [וחמס ארץ] *Et injuriam terræ*, i. vim illatam habitatoribus terræ. ¶ *Civitatis* [קריה] Sub. *Jerusalem*. Doctus inter Hebræos dicit esse sing. pro plurali.

9. *Ut ponat*, &c. [לשום וגו'] *Excelsum* vocat locum altum & inaccessum: i. ut exstruat sibi arcem præaltam & munitissimam qua tueatur se ab hostibus. Metaphora ab Avibus. ¶ *Mali* [רע] i. Afflictionis: h. e. ut tutus sit ab injuria hostium.

10. *Consilium iniisti*, &c. [יעצת בשת לביתך] *Captasti consilium pudendum pro domo tua* ædificanda. Alii, ut noster Interpres, *Consilium captasti ad ignominiam domus tuæ*. ¶ In *animam tuam* [נפשך] i. Contra te: q. d. Propter hoc enim tandem sumpsit de te pœnas Deus.

11. *Nam lapides*, &c. [כי אבן וגו'] Ad verb. *nam lapis è muro vociferabitur, & tignum e ligno respondebit ei*. Sing. pro plur. i. lapides furto à te ablati testabuntur injustitiam & rapinam tuam, implorabuntque ultionem à Deo contra te: eadem testabuntur tigna, quod exstruxeris domum tuam materia aliena.

12. *Sanguine* [בדמים] i. Opibus sanguinum effusione partis; i. cædibus, vel concussione, h. e. opibus calumnia & oppressione partis. ¶ *Et ei qui stabilit* [וכונן] *Et ei qui præparat*; *concinnat*.

13. *Laborabunt itaque populi igne* [וייגעו עמים בדי אש] *Laborabunt itaque populi propter ignem*, i. videbuntur frustra laborare circa exstructionem talium urbium quæ tandem incendio absumentur.

14. *Replebitur enim*, &c. [כי תמלא וגו'] i. Tunc cognoscent omnes Deum esse justissimum, qui tandem sumat pœnas de sceleslis: itidem & providentiam ejus, qui omnia curet, regat & moderetur sua sapientia.

15. *Socios suos* [רעהו] Sing. Heb. i. Reges à se captos & superatos. ¶ *Utrem suum* [חמתך] Mutatio personæ, *utrem tuum* pro *suum*. ¶ *Nuditates eorum* [על מעוריהם] i. Pudenda; verenda, & ita illudat eis: quemadmodum accidit ipsi Noe.

16. *Præ gloria* [מכבוד] *Magis quam gloria*: i. Quemadmodum tu ignominia affecisti eos, ita tu quoque ignominia afficieris. ¶ *Bibes tu quoque, & nudaberis* [שתה גם אתה והערל] Imperat. Heb. pro fut. *Bibe etiam tu, & sis discoopertus*: & ita Chaldæus Paraph. Alii, *Bibe tu quoque, & appareat præputium tuum*. Alii per metathesin literarum à רעל *consopivit*, vertunt *& consopire*.

17. *Rapina quam fecisti in Libanon* [כי חמס לבנון] Ad verb. *Quia rapina Libani*: aut, *violentia & injuria*. *Libanum* vocat Terram sanctam. ¶ *Et præda illata à feris* [ושד בהמות] Ad verb. *& vastitas ferarum*, i. illata à feris, sive animalibus, h. e. à militibus tuis: nam quemadmodum feræ versabantur in Libano, ita & Chaldæi, occupata Terra sancta, grassabantur in ea. ¶ *Propter sanguinem*, &c. [מדמי אדם וגו'] Vide v. 8.

18. *Prodest* [הועיל] *Profuit*: q. d. Quid profuerunt Chaldæis idola quæ coluerunt? potueruntne eripere eos de manu Domini? ¶ *Et quod docet mendacium* [ומורה שקר] i. Idolum quodvis, quod falso docet. Videntur enim idola ac simulacra quodammodo sese offerre his qui colunt ipsa, sed falso: prorsus enim falluntur isti. ¶ *Quod speret*, &c. [כי בטח וגו'] Ad verb. *quod speret fictor figmenti sui illi*, i. quod fidere debeat fictor, &c. ¶ *Ut faciat* [לעשות] *Faciendo*.

19. Et *lapidi silenti*, *Excitare* [עורי לאבן דומם] Ordo inversus Hebræis, *Excitare, lapidi silenti*, i. muto idolo ex lapide facto. ¶ *Docet*? [יורה] *Docere potest*? ¶ *Coopertus est* [תפוש] Sub. *lapis*. Vel, *obtectum*, sive *obductum est*, sub. *idolum ex ligno vel lapide factum*. ¶ *In eo* [בקרבו] *Intra illum*. Ad verb. *in medio ejus*, sive *in visceribus ejus*: i. caret omni sensu.

20. *In templo sancto suo* [בהיכל קדשו] i. In cœlo, unde ipse cernit ac videt omnia quæ hic geruntur, omnium curam gerit, cuncta quoque summa sua providentia regit & moderatur. ¶ *Sileat* [הס] *Sile*. Accipitur pro *timere*: quod qui timent, silere solent. *Sile igitur*, i. conticescendo time.

CASTALIO.

6. Q*Uousque?*] Semperne fiet istud? ¶ [*Contra teipsum magnam vim crassi cœni comparas*] Quæ congeris, non magis tibi proderunt quam cœnum, quinimo nocebunt.

11. *Lapis ex pariete occlamabit*] Excitabit Deum ad sumendum de te supplicium injuriæ quam tu facis iis quibus sua extorques ad construenda tua ædificia.

13. *Fiet ut igni laborent populi*] Consumentur quæ elaborant.

16. *Vomitus infamis*] Cogeris turpiter vomere ac amittere quæ rapuisti: dabisque pœnas *crudelitatis* qua usus es in *Libanum*, h. e. in Israelitas: & homines quos *terruisti* tibi erunt *perniciosi*, h. e. propter eos dabis pœnas. Vocat homines *beluas*, ut perstet in Translatione; quoniam Israelitarum partiam vocaverat *Libanum*, *Libaniam crudelitatem* dicens.

CLARIUS.

1. F*Igam gradum super munitionem*] Repetitio est prioris sententiæ; & est sensus; Judæi in multis constituti calamitatibus, videntes felicitatem Chaldæorum, conturbati sunt & expostulantes cum Propheta, miserunt illum ut à Domino sciscitaretur quid causæ esset quod impii magis quam justi prosperitate fruerentur hujus mundi. *Stans* igitur *Propheta in custodia sua*, præstolabatur in silentio responsum Divinum, ut *responderet arguenti contra se*, i. iis à quibus missus erat.

2. *Scribe visum*] Jubetur *scribere visionem* in libro, & *exarare in tabulis*, ut scilicet non solum qui præsentes tunc erant *percurrerent* Prophetiam illam, verum & qui futuri erant legere possent ex libris. *Quæcunque* enim *præscripta sunt*, *ad nostram doctrinam præscripta sunt.* Sed adumbrata figuris & tropis, ut non nisi à piis caperentur, dum ab impiis pro deliramentis haberentur. ¶ [*Ut percurrat*] Ut facile & veluti in transcursu legere possit.

3. *Adhuc visus procul*] Non enim erat visio tunc implenda, sed post 70 annos à destructione Templi in Rege Babylonis: idcirco addit, *Si moram fecerit, exspecta illum: quia veniens veniet, & non tardabit*. Nec carent hæc verba consolatione veræ salutis per Christum faciendæ, quemadmodum Heb. 10. citantur. Nam ista omnia non tam ad liberationem Babylonicæ captivitatis quam ad eam quæ per Christum facta est pertinent.

4. *Qui incredulus*] i. *Qui arrogans est* (nam id significat vox Hebræa hoc loco) & sibi ipsi fidit, ut hac fide opus non habere se putet, *non erit recta anima ejus in eo* apud Deum.

5. *Et quomodo vinum*] Ad Regem Chaldæorum referri putant, qui nihil agat nisi quod est perversum & iniquum, & usque adeo sævit in homines ut *Morti* & *Sepulcro*, quæ omnes devorant homines, comparetur.

6. *Et dicetur*] Illud est proverbium quod ex ejus tyrannide natum fuit, ut de Tyrannis & sanguinariis diceretur, *Væ huic qui alter est Nabuchodonosor*, &c. ¶ [*Densum lutum*] Iniquitates.

8. *Iniquitatem terræ*] Qua scilicet inquinasti terram.

9. *Væ qui sectatur avaritiam malam*] Qui avide cupit perpetrare malum, ut *domui suæ* prospiciat, *& sit in excelso nidus ejus*, h. e. ut munitionem habeat inexpugnabilem, in qua contra totum mundum se tutum putet esse.

11. *Lapis de pariete*] *Lapides de pariete & asseres de tabulatis* quodammodo injuriam gentibus illatam prodiderunt, cum aliunde spoliatis regionibus & urbibus in Babylonem essent importati.

13. *Sunt hæc à Domino exercituum*] Per Dominum exercituum hæc fient, qui ultionem sumet de Chaldæis: ut *frustra laborarint populi* in exstruendis magnificis Babyloniæ ædificiis, quæ *ignis* per Medos & Persas immissus consumpturus est. Et hujus ultionis Divinæ fama spargetur per totam *terram*, *agnoscentque* omnes *gloriam Domini*, quæ sese exseret tam manifeste in tantæ Monarchiæ subversione. Sunt tamen qui tam pie quam ingeniose exponant illud, *Sunt hæc à Domino exercituum*, quod scilicet *lapis de pariete*, *& laquear*, sive *resegmen*, *ligni*, h. e. lignum dissectum, *quo ædificium nitebatur*, *respondeant.* Et hoc respondere illis verbis, *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris:* & huc facere illud Eph. 2. *Medium parietem maceriæ dissolvens*, &c. Nam certum est tenebrosam esse aquam in nubibus aëris; & quo majora sunt eo profundius mysteria delitescere.

15. *Væ qui potum*] Quidam exponunt, studuisse Nabuchodonosor inebriare Reges quos captos secum tenebat, *ut videret illusionem eorum.* Alii Metaphorice dictum putant de calice furoris quo insaniebat in Regna quæque.

16. *Vomitus ignominiæ*] Qua scilicet affecisti *Libanum*, i. terram Sanctam, sive Ecclesiam.

17. *Vastitas animalium*] Per *animalia* intelligunt homines quos sua depopulatione Tyrannus terruit.

18. *Quid prodest sculptile*] Imminente casu tui Regni non poterunt te liberare dii tui, *lapides* scilicet ac *ligna muta*, &c. ¶ [*Imaginem falsam*] Heb. *docens*, vel *annuncians*, *mendacium*.

DRUSIUS.

1. I*N custodia mea*] In loco ubi me observant & quasi obsessum tenent illi qui exspectant quid DOMINUS per me responsurus sit ad quæstionem supra propositam. משמרתי accipio passive, ut fere accipitur in his libris. Unde mandata Domini vocantur משמרות, quod ea *servanda* & *custodienda* nobis reliquerit. Zach. 3. 7. & Mal. 3. 14. Alii active sumunt, acceptumque putant à *vigilibus*, qui per vices & certas horas stationem suam obeunt. Antiqui enim noctem dividebant in quatuor vigilias quas אשמורות vocabant, juxta numerum horarum, quæ duodecim in quadrantes divisæ cum essent, remanebant tres horæ singulis vigilum stationibus. Prima vigilia incipiebat post occasum Solis, durabat autem usque ad conticinium: Secunda à conticinio usque ad mediam seu intempestam noctem extendebatur: Tertia usque ad primum gallicinium: Quarta vero usque ad ortum Solis, quæ vocabatur *vigilia matutina*, perdurabat. Hæc licet vera sint, tamen dubito an eo respexerit Propheta, propterea quod usus est vocabulo משמרת, & non אשמורה vel אשמרת. Quidam ista vocabula ita distinguunt, ut אשמורה sit *tempus vigiliarum*, משמרת vero *officium vigilum*, aut ipse *actus vigilandi.* Quæramus diligentius. ¶ [*In obsidione*] Fingit se quasi obsessum esse ab iis quorum nomine superiorem quæstionem habuerat. Aut hoc dicit quia obsidebatur Carnis tentationibus variisque cogitationibus, quæ ipsum perplexum habebant in meditatione judiciorum Dei. Cæterum מצור est *obsidio*, i. περιοχὴ sive πολιορκία· item *munitio*; unde vulgo, *subsistam in munitione:* q. d. Ut miles qui in arce aliqua vigilias agens exspectat unde auxilium veniat, sic ego tanquam in specula constitutus exspecto tempus illud quo Deus mihi respondeat ad interrogata. Quidam etiam מצור *circinum* interpretantur, hoc sensu, *Stabo in circulo*, vel *gyro*, *nec inde egrediar donec responsum accepero.* Dicam de hac interpretatione plura in notis ad Fragmenta VV. Int. ¶ [*Quid loquatur in me*] Per Spiritum Propheticum. Sic, *Spiritus Domini locutus est in me* 2 Sam. 23. 2. ¶ [*Ad correptionem meam*] Supra enim Deum quasi corripuit & reprehendit, questus de providentia ipsius. Id autem fecit nomine populi, cui nunc responsum dare cupit, quod à Deo avide exspectat.

2. *Scribe visionem*] Id quod visurus es. Vet. *visum*, optime & rectissime. ¶ [*Et explana*] *Describe explanate & perspicue*, באר *explana.* Sunt qui maluerunt *& quidem explanando*, i. explanate ut sit infinit. pro adverbio. Mihi prius magis placuit. ¶ [*In tabulis*] Buxeis. Nam in buxo scribebant antiqui ob materiæ firmitatem. Græci hujusmodi tabulam πυξίον vocant: Qua voce hic usi sunt ejus linguæ Interpretes. ¶ [*Ut percurrat*] Ut nullo impedimento velocitas ejus & legendi cupido teneatur.

3. *Ad constitutum tempus*] Hic subaudio *differetur*, & intelligo tempus certum & constitutum à Deo: q. d. non implebitur ante illud tempus. ¶ [*Effabitur*] Vel, *loquetur.* ¶ [*Ad finem*] Usque ad finem temporis à Deo constituti. Quidam elegerunt *de fine*; quod mihi quoque non displicet. Intelligit autem finem LXX annorum quibus duravit captivitas Babylonica. ¶ [*Nec mentietur*] Nec fallet, sed omnibus modis eveniet quod in ea prædicatur. Ut hic *visio non mentiri* dicitur, sic alibi legimus, *Non mentita fuit aqua ejus.* Item *mentiri oliva* dicitur quando fallit exspectationem agricolarum. ¶ [*Exspecta eam*] Vel *eum*, ut ad *finem* referatur. Potest etiam legi *exspecta illud*, videlicet *tempus à Deo statutum.* ¶ [*Non tardabit*] Ultra diem constitutum.

4. *Extollitur*] Effertur ac superbit tanto rerum successu. עפלה ad verb. *elata est.* Deducunt à עפל: id sign. *locum celsum & munitum.* Græci reddiderunt Ὠφὰλ, & aliquando Ὀφλά, ut Neh. 3. 27. ubi perperam Σοφλὰ in libris impressis. Alia interpretatio, *Ecce superbi non recta est anima ejus in eo.* Id accipio ac si dictum esset, *mens*, aut *anima*, *superba non recte sentit de eo*, videlicet *de eo fine*; vel certe *de illa visione.* עפלה *superba* epitheton absque re: nam *anima* subintelligitur. *Anima superba*, i. superbus. ¶ [*Non recta est*] Depravatissima est. Simile, *Agnoscere personam in judicio non est bonum:* nam id pessimum est. Sic *Non gaudet stulti pater*, vehementer dolet. ¶ [*In eo*] *Nabuchodonosorum* intelligit, aut *populum Chaldæum.* Vide ut hunc locum enarret Albo Serm. 3. cap. 30. ¶ [*Justus*] Israel, qui justus erat, saltem ad Babylonios comparatus. Supra, *absorbente*

te impio justiorem se. ¶ *Fide sua*] Quam habet in Deum. Potest legi *ex fide sua.* Sic alibi בכל לבבך *ex toto corde tuo.* ¶ *Vivet*] Salvus erit; ut Jer. 38. 2. *Qui egressus fuerit ad Chaldæos, vivet.* Versus iste ab aliis legitur, *Ecce extollitur, cujus non recta est anima in eo:* cui lectioni repugnat verbum עפלה, quod fem. est, ac proinde referri debet ad *animam.* Alioqui legendum putarem, *Ecce subducit se, cujus non recta est anima in eo:* ut dicat eum qui pravo animo præditus est sese subtrahere à Deo, minimeque ei credere aut fidem habere. עפלה *subducit se*, i. ὑποστέλλεται. Sic Græci referunt. Proprie dicitur de iis qui se recipiunt in locum aliquem editum ut ibi tuti sint & extra periculum. Ad hunc sensum accommodat Ebræa Moses quidam cognomento *Camius*, frater Davidis.

5. *Quin etiam vinolentus*, &c.] Quatuor præcipue Nabuchodonosori vitia hoc versu notat, Vinolentiam, Perfidiam, Superbiam, & Dominandi libidinem inexplebilem. היין accipio ut si esset איש היין *vir vini*, i. vino deditus. Sic alibi תפלה ponitur pro איש תפלה *vir orationi deditus.* David Scholiastes subaudit שותה, quod in idem recidit. Nam שותה יין *vini potor.* Talis defectus, ut idem ait, Prov. 20. & Zach. 10. Alii maluerunt *ob vinum* על היין. Sunt etiam qui referunt *vino perfidiosus*, ביין. ¶ *Perfidiosus*] Perfidus est quoque in eos qui se ejus fidei committunt & credunt. ¶ *Vir arrogans*] Aut *vir superbus.* ¶ *Non manet in habitaculo suo*] Non potest se continere intra limites Imperii sui. Hæc interpretatio optime congruit cum eo quod sequitur, *qui dilatat*, &c. Quidam legunt, *ideo non manebit in habitaculo*, hoc sensu, Regnum ejus non diu durabit, sed post aliquot annos delebitur. Prior lectio melior est, meo judicio. ¶ *Qui dilatat*] Legitur & *quippe dilatat*, fortasse melius. ¶ *Ut sepulcrum*] Quod nullis cadaveribus expleri potest: itaque recensetur inter *quatuor* illa *quæ nunquam satiantur*, Prov. 30. 16. Sic, *Ideo dilatat sepulcrum animam suam, & aperit os suum præter consuetudinem*, Jes. 5. 14. ¶ *Animam suam*] Hic *anima* ponitur pro ea parte quæ appetitionis origo est, h. e. pro *cupiditate* sive *concupiscentia.* ¶ *Similis est Morti*] Inexplebilis est ut Mors, quæ cum quotidie plurimos tollat è medio, tamen nunquam satiatur. ¶ *Neque satiatur*] Est cur malim *quæ non satiatur*, ut de ipsa Morte accipiatur. ¶ *Colligit ad se*] Redigit sub ditionem & potestatem suam.

6. *Isti omnes*] Populos intelligit quos Nabuchodonosor sibi subjecit. ¶ *Proverbium tollent*] Sic alibi Varro, *antiquum ut tollunt proverbium.* ¶ *Interpretationem & ænigmata*] Abest in Ebræo copula: ut sit חידות. Vulgo *interpretationem ænigmatum.* Quæ scriptura si recipitur, erit מליצת pro מליצה, h. e. status absolutus pro constructo, ut loquuntur. Mihi placet quod prius posui. Porro מליצה & חידה eo differunt quod מליצה sit *oratio apertior*, חידה autem *sermo obscurus & ænigmaticus.* Utrumque *proverbii* nomine venit interdum. E. g. sententia hæc, *Væ multiplicanti non sua*, simul & proverbium est & מליצה, h. e. *interpretatio.* Proverbium, quia omnibus in ore erat; interpretatio, quia plana & perspicua est. Quod autem sequitur, *& aggravanti super se densum lutum*, ænigma est propter obscuritatem, quod usu in adagium abiit. Sic in Proverbiis Salomonicis Ænigmata continentur sub generali nomine משלי, qui est libri titulus apud Ebræos. ¶ *De eo*] Vel *sibi*: ut sit לו pro לה. Sermo πλεονάζων. ¶ *Multiplicanti non sua*] Acquirenti alienas ditiones plurimas. Vidi qui vertendum contenderent *multiplicanti non sibi*; ut innuat eum, quæ acquirit, non tam sibi acquirere quam Persis & Medis. ¶ *Quousque?*] *Quousque* hoc impune faciet? q. d. Non diu. Vel, Quem tandem finem imponet cupiditati suæ? Quousque progredietur prædandi cupido ejus? ¶ *Aggravanti super se*] Bene usus est verbo *aggravandi.* *Lutum* enim, si *densum* fuerit, *gravat* portantem. Pari modo nimiæ opes oneri sunt possidenti. Nam juxta proverbium vulgare, *Magna navis, magna cura.* Aut *aggravanti*, i. congerenti, multiplicanti. *Grave* enim usurpant & pro *multo.* ¶ *Densum lutum*] Accumulatas divitias innuit ex auro & argento: nam hæc è terra eruuntur: propterea *luti* vocabulo afficit. Est autem עבטיט dictio composita ex duobus, videlicet ex טיט *luto*, & עב, quod *densum* sign. Ut hic Propheta *densum lutum* appellat congestas opes, sic vir quidam pius aurum vocavit *fulvam terram.*

7. *Qui mordeant te*] Aut de Nabuchodonosoro intelligitur hoc, aut de Baltasaro. Si de Nabuchodonosoro, significat ejus cadaver corrosum iri à vermibus in sepulcro: quod quidam innui putant per illud, *aggravat super se densum lutum.* Si de Baltasaro, significat Darium Medum, & qui eum secuti sunt, Reges Persarum. Hi enim Babylonicum Regnum non solum labefactarunt sed etiam penitus everterunt. Pro hac interpretatione facit id quod præcedit, *repente consurgent.* Nam cædes Baltasari repentina fuit, & de nocte patrabatur, ut liquet ex Daniele. ¶ *Expergiscentur*] *Excitabuntur, evigilabunt* tanquam è somno. ¶ *Qui commoveant te*] *Qui exagitent* aut *vexent te.* ¶ *Et eris direptionibus eorum expositus*] Sensum expressi ejus quod in Ebræo, *& eris in direptiones eis.* Alioqui non displicet quod in Latina V. *& eris in rapinam eis.* Nam משסה *rapina, direptio.* Tremellius hunc locum sic reddit, *& eris continenti conculcationi eis.* Probarem si esset *direptioni* pro *conculcationi.* Nam שסס *diripere*, non *conculcare.*

8. *Spoliabunt te*] In plerisque cod. reperi ישלך cum Patach sub Schin; in uno autem ישלך cum Camets Hatuph, quod ita dicitur ut יכבך. Nam quia accentus locum mutat, ideo Holem, ut fit, corripitur. ¶ *Omnes reliquiæ populorum*] Qui reliqui fuerint de populis à te spoliatis. Vel omnes reliqui populi à te non spoliati. Intelligit autem præcipue Medos & Persas. Sed in Ebræo habetur ad verb. *omne residuum populorum.* ¶ *Cædes hominum*] Vel *humanas.* *Cædes* autem דמים vocat, quæ vox proprie *sanguines* notat. Nam *sanguis* דם dicitur. ¶ *Violentiam terræ*] Illatam habitatoribus terræ. ¶ *Oppidorum*] Vel *urbis*; ut Jerosolymam significet κατ' ἐξοχήν. Sic *terræ* nomen Jonathan restringit ad terram Israel.

9. *Inhianti lucro malo*] Alii, *dedito quæstui malo.* Perinde est. *Malum* autem *lucrum* dicit, quia est lucrum bonum & honestum. Posset legi, *Væ inhianti lucro, quod malum est domui suæ.* His verbis perstringit avaritiam Nabuchodonosori; & simul declarat eam avaritiam familiæ ipsius perniciem allaturam: id quod eventus postea comprobavit. ¶ *Pro domo sua*] Ut exstruat *domum suam*, h. e. Regiam suam, quæ erat Babyloniæ: Quam propterea *domum Regni* vocabant. Sic vocatur Dan. 4. 30. *Nonne hæc est magna illa Babylon, quam ego ædificavi ut esset domus Regni?* vulgo, *ut esset regia.* Sed quæ *regia* nobis dicitur, eam Ebræi *domum Regis* vocant, nisi fallor. ¶ *In excelso*] In loco celso & edito. Videtur regia Nabuchodonosori sita fuisse in colle aut monte aliquo. ¶ *Nidum suum*] Μείωσις. Sic Abd. 4. *Si extuleris tanquam aquila, & posueris inter stellas nidum tuum.* Loquitur de arcibus & castellis Idumæorum. ¶ *Qui liberetur è manu mali*] Quo tutus sit ab injuria & vexatione hostium suorum. *E manu mali* phrasis est ut *è manu peccati*: quæ posses etiam reddere *à malo, à peccato.* Sic *in manum transgressionis*, in transgressionem.

10. *Consuluisti per ignominiam*] In Ebræo habetur ad v. *Consuluisti pudorem*, sive, quod idem, *ignominiam.* Est autem breviter dictum *consulere pudorem*, ut quidem nonnulli volunt, pro *inire consilium pudoris*, i. pudendum. Talia sunt, *dormire mortem*, i. somnum mortis; *consulere oculum*, consilium oculi, h. e. amicum & fidele. Sed melius est בשת accipere adverbialiter, sicut alibi בטח sumitur pro לבטח, i. *tuto, secure.* ¶ *Domui tuæ*] Alii *pro domo tua.* Vult dicere, ut eam exstrueres & ornares. ¶ *Succidendo*] Vel *succidisti*, ut sit infinitivus pro præterito. ¶ *In animam tuam*] Contra teipsum. Ita capies Prov. 20. 2. *Qui ad iracundiam eam provocat in animam suam peccat:* quod Ebraice dicitur חוטא נפשו, subintelligitur autem ב, ut sit בנפשו. Sed & imperfecta oratio est in חוטא: nam deest היית *fuisti peccans*, i. peccasti.

11. *Lapis è pariete*] Domus tuæ. ¶ *Clamat*] Ipsi lapides clamant regiam tuam è rapinis exstructam esse. Hunc locum explicuimus in adagio, *Lapides clamabunt.* Vide, si placet, & si vacat. ¶ *Et tignum è ligno*] h. e. E contignatione lignea. Alius fortasse mallet *lacunar è ligno*, i. ligneum. Si Hieronymo credimus, est *lignum* illud *quod ad continendos parietes in medio structuræ ponitur, & vulgo apud Græcos appellatur* ἱμάντωσις. Vet. ed. *lignum quod inter juncturas ædificiorum est.* Jon. *frustum è trabe*: nam כשורא *trabs.* Aben-Ezra, *nodus è ligno.* Sym. συνδεσμὸς ξύλινος, *colligatio*, sive *junctura, lignea.* R. D. *tignum*, vel *laquear, è ligno.* Vox Ebræa est כפיס, quæ alibi non exstat: ideo nihil certi adferre possumus de ea. Nam in talibus quis affirmare aliquid ausit?

12. *Cædibus*] *Sanguinibus* legitur in Ebræo & apud priscum Int. Est autem Metalepsis, ex sanguinibus cædes, ex cædibus rapinas, & ex his constructam Babyloniam intelligens. ¶ *Constituenti*] *Condenti, stabilienti, fundanti, munienti.* ¶ *Iniquitate*] Ex opibus inique partis.

13. *Annon ecce à* DOMINO] Videtur hoc velle, Quod gentes frustra defatigentur & inanem operam sumant, id non fortuito accidit, sed certo Dei consilio justoque ipsius judicio. ¶ *Ut laborent populi in igne*] Jer. 51. 58. *Laborabunt populi inaniter, & nationes igne, & fatigabuntur.* Præcedit autem in eodem versu, *Murus ille Babylonis latissimus suffossione suffodietur, & portæ excelsæ igne comburentur.* Unde quidam exponunt IN IGNE *in exstinguendo igne*; ut hoc dicat, Ignem, quo portæ conflagrabunt, populi exstinguere studebunt, sed frustra: Deus enim hunc conatum eorum impediet. Puto rectius exponi *ut laborent igne*, i. incassum & sine fructu, vel etiam cum incommodo

do & jactura. Sic dico, *in igne laborare* est ita laborare ut operis nullus sit fructus, eo veluti igne statim ut confectum est absumpto. Ut si quis telam texat igne supposito, qui telæ fila non abrumpat modo sed etiam plane consumat; atque ita duplex fiat jactura, materiæ primum, deinde operæ sive laboris. Sic Græci proverbio dicunt εἰς τὸ πῦρ ξαίνειν de inani opera, quod Latine sonat *ignem dissecare*. Aut *in igne laborare* est In periculo cum labore versari. Cui affine quod *per ignem incedere* dicunt Latini, & ἐν πυρὶ βαίνειν Græci. Aut significat Operam ponere in re levissima, & quæ statim ut parta est avolat, quemadmodum ignis levitate sua simulac accensus est sursum fertur. Potest etiam dici *in igne laborare* cujus labor brevis est & minime diuturnus, sicuti cum *per ignem incedere* dicimus cum cui celeriter negotium est conficiendum. באש בדי אש dixit pro *in igne*. Nam די est adjectio syllabica sive expletiva particula. Tamen David Scholiastes emphasin habere putat, & noster (intelligo Vulgatum Int.) hoc loco legit *in multo igne*. ¶ *Inaniter*] *Frustra ac nequicquam*. ¶ *Defatigentur*] Vel *delassentur*. In יעפו abest Joth radicis, ut sit ייעפו. Nam radix יעף *fatigatus est*.

14. *Repletur terra ut cognoscat*,&c.] Expono, *repletur terra cognitione gloriæ Domini*. Nisi malis, impletur hominibus, ut tanto plures sint qui cognoscant gloriam DOMINI. Sed placet לדעת accipere pro nudo infinitivo *cognoscere*. Jam vero notum ut infinitivus pro nomine sumatur. ¶ *Gloriam* DOMINI] Quam eo tempore illustrem reddet pœna Chaldæorum. Tunc enim omnes cognoscent Deum justum esse, ut qui malos pro meritis puniat, & suos nunquam indefensos relinquat. ¶ *Sicut aqua*, &c.] Copiam sign. ut Jes. 11. 9. *Nam repletur terra notitia* DOMINI, *sicut aqua mare operientes*. Insigne Vaticinium de temporibus Messiæ. ¶ *Mare*] Alveum maris. Metonymia.

15. *Sociis suis*] Bene annotant Hebræi רעהו hic positum esse pro רעיו *sociis suis*: alioqui sing. est à רע sive רעה *socius*. Sic Job. 42. 10. בעד רעהו sententia poscit ut exponatur *pro sociis suis*. Simile גבורתו *fortium ejus* Nah. 2. 3. ¶ *Applicanti utrem tuum*] Vulgo hunc locum enarrant de Nabuchodosoro, qui *socios suos*, h. e. Reges bello captos, *inebriavit*, quo abuti posset ad explendam libidinem, vel certe ut eos illuderet & ludibrio haberet, aliisque deridendos propinaret. Cæterum חמת *uter*. Dicitur & חֵמֶת. Ab hoc postremo est חֲמָתְךָ *utrem tuum*: quod alii reddunt *venenum tuum*, alii *excandescentiam tuam*; ut sensus sit, *Væ qui inebrias excandescentia tua socios, ut aspiciant homines nuditates eorum*, h. e. ut summo dedecore afficiantur. Nam majus dedecus non potest cuiquam accidere quam si pudenda ipsius retegantur & omnibus pateant. Cæterum *inebriare aliquem excandescentia* legitur & Jes. 63. 6. *inebriabo eos excandescentia mea* i. בחמתי. Vide Lexica in חמם. ¶ *Inebrianti*] Hic שכר est pro משכר, h. e. infinitivus pro participio præsentis temporis. ¶ *Ut aspicias nuditates eorum*] Tanquam voluptatem & delectationem inde capiens. Aut sententia est, *Væ qui socios inebrias, ut amori tuo turpissime ac flagitiosissime inserviant*. Hoc sensu obvium passim *retegere nuditatem*, i. verenda, pudenda. Quæ sic dicta, ut apparet, κατ' ἀντίφρασιν, quod minime nuda conspici debeant.

16. *Saturatus es ignominia*] Significat eum Reges à se devictos ignominia affecisse ad satietatem usque. ¶ *Præ gloria*] Magis quam gloria: q. d. Ignominia qua eos affecisti longe superat gloriam quam ex iis consecutus es. ¶ *Bibe etiam tu*] Æquum est ut tu quoque bibas calicem ignominiæ quem illi biberunt, sive ut parem ignominiam sustineas. ¶ *Et denudare*] הערל proprie *denudare præputium*. Nam *præputium* ערלה dicitur. Quocirca non male vertunt qui vertunt *& appareat præputium tuum*. Est tamen cur malim *denudare præputium*. In utroque enim pondus est. Nam & abominabiles erant Judæis incircumcisi: & *denudare* cum ait, respexit ad illud quod præcedit, *ut aspicias nuditates eorum*; ac si diceret, *Quemadmodum aliis fecisti, ita tibi nunc fiet. Feres ignominiam quam sociis intulisti*. Quæres fortasse, quando fuerit ignominiose tractatus Nabuchodonosor: Et vivo & mortuo ignominia illata fuit. Vivo, cum à consortio humano exclusus inter feras habitaret; mortuo, cum ejus cadaver è sepulcro extractum bestiis dilaniandum projiceretur, juxta prædictionem Prophetæ Jeremiæ. Cæterum antiquus Int. qui vertit *& consopire*, videtur legisse והרעל inversis literis. De qua Metathesi nos admonent & Scholia Ebraica. ¶ *Vertet se*] A gentibus quæ eum hactenus biberunt ad te veniet. Et bene *vertet se*, quia rerum omnium vicissitudo. ¶ *Calix dexteræ* DOMINI] De hoc calice vide Jerem. 25. 15. *Dextera* autem dicit pro *robore* ac *potentia*. Nam robur hominis situm in dextera potissimum. ¶ *Et vomitus ignominiosus ad gloriam tuam*] Desideratur quippiam. Oratio plena erit si subaudias *veniet*, vel tale quid. *Gloriam tuam*, inquit, *vomitus superveniet, & quidem ignominiosissimus*. Apposite autem meminit *vomitus* post verba illa *bibe etiam tu*: siquidem largior compotatio vomitum excitat. קיקלון *vomitus ignominiæ*. Dictio composita ex קי *vomitus*, & קלון *ignominia*.

17. *Violentia Libani*] Quam adhibuisti cum sub potestatem tuam redigeres *Libanum*, h. e. terram Israel. Sic enarrant Scholia Ebraica. *Libanum* autem dici admonent terram illam & Deut. 3. 25. *montem optimum istum & Libanum*. Sed de hoc dubitari potest. Quare alii per *Libanum* significari putant ipsum Templum, quod exstructum erat è lignis Libani. Sic accipitur ea vox ab Interpretibus in illo, *Aperi, Libane, portas tuas*. Quem locum adducens Eusebius in 8. Ἀποδείξ. ad eum sic annotat, LIBANUM *in his verbis more suo Templum ipsum nominat, quoniam in aliis quoque Prophetis ostensum est*, Libanum *ipsum Templum vocari*. Sciendum vero in Libano monte silvas fuisse; & in iis feras, quas venatoribus magna vi & impetu persequi solitum fuit. Sunt ergo qui hunc locum sic illustrent, *Violentia Libani*, h. e. qualis adhiberi solet in Libano cum ibi animalia venantur homines: & *vastitas bestiarum*; h. e. qualis importari solet feris cum à venatoribus capiuntur & jugulantur. Vult dicere, Par violentia tibi accidet, in similem vastitatem redigeris. ¶ *Operiet te*] Plus est quam si dixisset *recidet in caput tuum*. Nam ut vestis hominem undiquaque tegit, ita *violentia*, inquit, *Libani te totum*, quantus quantus es, *operiet* atque obruet. ¶ *Quæ terret eas*] Ante יחיתן subaudio אשר. Quidam *terrefaciens eas* מחיתן. Dicitur & יחתן eodem sensu. Sed hoc à חתת, illud vero à חית. Aut est forma anomala pro יחת. Nam חית alibi non reperitur, quod sciam. ¶ *Ob cædes humanas*] Hæc omnia tibi evenient ob effusum sanguinem humanum & adhibitam violentiam, cum terras & urbes expugnares, earumque incolas tibi subjiceres. ¶ *Urbis*] Vel *urbium*. Si *urbis*, tum Jerosolyma intelligetur; si *urbium*, aliæ civitates, quas plurimas Nabuchodonosor subegit.

18. *Quid podest sculptile*] Idola, sive *sculpta* fuerint ex materia, lapideve aut marmore, sive *fusa* ex metallis, neminem eripere possunt ex calamitate in qua versatur, atque adeo *nihil quicquam prosunt*. Quare frustra sunt qui spem aut fiduciam in iis locant, aut qui eis tribuunt quod veri Dei proprium est. ¶ *Quod sculpseris illud*] Licet etiam legere, *quod sculpsit fictor ejus*, ut כי pro אשר accipiatur per Enallagen particularum. ¶ *Fictor ejus*] *Artifex*, sive *formator*, *ejus*. ¶ *Fusile*] Vel *conflatile*. Hieron. ad h. l. *Ne putemus unum esse quod sculpitur & conflatur. Sculpturam quippe possumus in lapidibus & in marmoribus accipere: Conflatura vero in his metallis intelligitur quæ solvi possunt atque conflari, v. g. auro, argento, ære, plumbo, stannoque*. ¶ *Docens falsum*] מורה שקר *docens mendacium*. Quidam *doctor falsi*. Hoc rejeci, quia מורה in ultima per Segol notatur. Intelligentes intelligunt quid velim. ¶ *Fictor figmenti sui*] *Fictorem* appellat artificem, *figmentum* autem idolum ab eo effectum. ¶ *Deastros*] Vel *idola*. אלילים proprie sunt *dii nihili*, nomine composito ex אל *non* & אלהים, quod *Deos* sign. His opponitur ex contrario *Deus verus*, cum ELILIM sint *dii falsi*, h. e. *dii non Dii*. Nam Dii sunt non revera sed opinione hominum duntaxat. ¶ *Mutos*] Ἀλάλους potius quam κωφούς. Nam κωφὸς etiam *surdum* denotat, qui Ebraice חרש vocatur. *Mutos* autem dicit deos falsos quia nunquam respondent invocantibus ipsos. Notum illud, *Os habent, & non loquuntur*. Quod pugnare videtur cum eo quod præcedit, *docens falsum*. Sed non est ita: Siquidem etiam muti docent quæ falsa sunt, cum Sacerdotes sub eorum nomine persuadeant hominibus quidquid libuerit.

19. *Ligno*] Simulacro ligneo. ¶ *Expergiscere, evigila*] Sic vero Deo dicit David Psal. 35. 23. *evigila & expergiscere ad judicium meum*. ¶ *Lapidi*] Statuæ lapideæ. Synecdoche. Ponitur enim materia pro materia & forma. Sic *lignum* sumitur pro *simulacro ligneo*, ut dictum est. Hoc modo locutionis declarant idolum nihil aliud esse quam lignum & lapidem, etiamsi forma Deum referat. ¶ *Silenti*] Semper silet lapis. Est ergo epitheton perpetuum. Sic dicimus, *Magis mutus quam lapis*. דומם autem nomen est communis generis, ut ריקם, *vacuus & vacua*. Nam אבן in communi sermonis usu femininum est. ¶ *Ipse doceat?*] Cum interrogatione legendum: q. d. *Quomodo posset alios docere, cum spiritu careat*, h. e. anima aut sensu? ¶ *Coopertus est*] *Obductus*, *obtectus*. Sic Ebræi quoque interpretantur. Recentior ed. *continetur*. ¶ *Nullus spiritus est*] In Ebræo habetur ad verb. *& omnis spiritus non est*. *Spiritum* autem dicit, teste Hieronymo, *aut ventum, quod nihil spiret in idolis; aut animam, quod simulacra inanimata sint*. Idem admonet quibusdam voluminibus Ebraicis abesse dictionem *omnis*. Quæ tamen in omnibus libris, quos vidi, hodie legitur, & recte, meo judicio. Nam cum dicit *omnis*, neminem excipit. Sign. ergo nullum spiritum inesse simulacris, ne bestiæ quidem. ¶ *In medio ejus*] In pectore ejus.

20. *In templo suo*] In cœlo. ¶ *Sile ab eo*] Vel *à facie ejus*; ut Soph. 1. 7. *Sile à facie Domini Dei*: & Zach. 2. 13. *Sile, omnis caro, à facie DOMINI, quia excitatus est ex habita-*

culo

culo suo sacrosancto. Scholia Ebraica explicant, time ab eo. Vide quæ scripsimus Soph. 2. 7. ¶ *Universa terra*] Habitatores totius terræ.

IDEM.

1. EΠὶ πέτραν] צור πέτραν, במצור περιοχῇ, πολιορκία.

2. Γράψον ὅρασιν, καὶ σαφῶς] Lectio melior in C. γράψον ὅρασιν σαφῶς. Id Ebræus dicit γράψον ὅρασιν, καὶ σαφήνιζε. Veneta & Argentoratensis, γράψον ὅρασις, καὶ σαφῶς. ¶ Εἰς πυξίον] Eusebius legit ἐν πυξίῳ lib. 6. Ἀποδείξ. ¶ Ὅπως διώκῃ] Διώκειν hic intellige רוץ, i. τρέχειν, δρομέειν, ut in illo διώκει καὶ παλινδρομέει. Alias διώκει est רדף, h. e. *persequi*.

3. Ἀνατελεῖ] Aldi & Cephalæi ἀνατελεῖ, quod non æque arridet.

4. Ἐὰν ὑποστείληται] הנה עפלה ἰδὲ apud Syros tamen הן, i. ἐάν. עפלה anima timida, quæ diffidens Deo aliunde præsidium quærit. Huic opponitur δίκαιος, qui omnem fiduciam suam in Deo collocat. ¶ Ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεώς μου ζήσεται] Hunc locum Apostolus citat absque pronomine Ebr. 10. 38. ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεως ζήσεται. In fonte habetur ἐκ πίστεως αὐτοῦ. Sed scilicet Græcos legisse Joth pro Vau, ut supra ἡ ψυχή μου legitur pro ἡ ψυχὴ αὐτοῦ. Aldina editio, ὁ δὲ δίκαιός μου ἐκ πίστεως ζήσεται. Quod ambigue dicitur: quippe tam reddi potest *ex fide mea* quam *justus meus*. Versio Hier. *Justus autem ex fide mea vivet*.

5. Κατοινώμενος] Talis scriptura in B. quam loco movere mihi sane religio fuit. Romana, cum Aldina & Argentoratensi, κατοινόμενος. Sola Compl. κατιόμενος. Versio Lat. apud Hier. *Qui autem arrogans est*. ¶ Οὐθὲν μὴ περάνῃ] Sic est in R. Editio quæ ex Hispania usque οὐδὲν οὐ περάνει. Cæteræ οὐδὲν μὴ περανεῖ. Vulgo transferunt ex Ebræo οὐ μὴ κατασκηνώσει: id valet *non durabit*: ita Jonathan. Tralatio Vet. apud Hier. *nihil perducit ad finem*. ¶ Οὗτος ὡς θάνατος] Ita legendum: perperam autem in nonnullis cod. οὗτος ὁ θάνατος.

6. Εἰς διήγησιν] In C. est εἰς διήγημα. ¶ Τὸν κλοιὸν αὐτοῦ στιβαρῶς] *Torquem suam graviter*: ita Hier. Libri ad E. C. τὸν παχὺν πηλὸν καὶ ἑαυτοῦ: magis probe. Κλοιὸν αὐτοῦ עלו pro עלי. Et κλοιὸν ut 3 Reg. 12. ὁ πατήρ σου ἐβάρυνε τὸν κλοιὸν ἡμῶν, i. *jugum nostrum*.

8. Διότι σὺ ἐσκύλευσας] Σὺ abest in ed. Ro. sed minus recte. ¶ Ὑπολελειμμένοι λαοί] In C. habetur καταλελειμμένοι λαοί. In aliis nonnullis ὑπολελειμμένοι λαῶ.

9. Τοῦ ἐκσπασθῆναι] Versio Hier. *ut eruatur*. In nonnullis tamen cod. τοῦ σκεπασθῆναι. Jon. 4. 6. להציל לו τοῦ σκεπάζειν αὐτόν.

11. Κάνθαρος] i. כפיס. Arabes dicunt כנפוס, inserta Nun per Epenthesin: quod illis familiare. Simon Januensis in Clavi sanationis, CANFOS, *scarabæus*. Silvaticus in Pandectis Medicinæ, CANFOS *Arabice*, *scarabæus*. Similis figura in *Moncar* & חנך, quorum prius sig. *rostrum*, i. מנקר, alterum denotat *palatum* sive ὑπερῴαν, i. חך.

12. Ἐν αἵμασι] Minus probo quod in quibusdam libris ἐν αἵματι.

13. Οὐ ταῦτά ἐστι] Hic agnosco הנה pro הנה *ecce*. ¶ Ἱκανοὶ ἐν πυρί] Libri ad E. C. πολλοὶ ἐν πυρί. Quam lectionem firmat interpretatio Latina quæ in operibus Hier. Notum ut די sit ἱκανότης. Græci τὰ ἱκανὰ referunt Abd. 6. Sed hic est παραπληρωματικὸν בדי אש ἐν πυρί. ¶ Ὀλιγοψύχησαν] In C. legitur καὶ ὀλιγοψύχησαν.

14. Πλησθήσεται] Codex R. ἐμπλησθήσεται. ¶ Ὡς ὕδωρ πολὺ κατακαλύψει ἐπὶ θαλάσσης] Idem codex ὡς ὕδωρ κατακαλύψει αὐτάς. Compl. ὡς ὕδωρ κατακαλύψαι θαλάσσας. In Hier. *quasi aquam ad operiendum maria*.

15. Ἀνατροπῇ θολερᾷ] Sic Aldus cum editis ad E. C. In aliis est ἀνατροπὴν θολεράν. Exemplar Rom. ἀνατροπῇ θολερᾷ. Huic lectioni firmandæ est interpretatio Latina quæ apud Hier. *Væ qui propinat proximo suo subversione turbida*.

16. Καὶ σείσθητι] Abest in C. & certe redundare videtur ex alia quapiam versione. Solent enim hoc modo binæ versiones coalescere interdum. Cæterum רעל in lingua Chaldæorum sig. *tremere*: origo à רעל verbo Ebræo. ¶ Καὶ συνήχθη] Vocem קיקלון disjungunt, & קי interpretantur ac si esset à קוה. Sic כי *adustio* à כוה *adurere*.

17. Κατοικοῦντων αὐτήν] Aldus & qui eum secuti sunt κατοικοῦντων ἐν αὐτῇ. Parum refert hoc an illo modo legas.

18. Φαντασίαν ψευδῆ] Vetus interpretatio *imaginem falsam*. Infra καὶ αὐτό ἐστι φαντασία. Joel. 2. 23. המורה βρώματα.

19. Καὶ τῷ λίθῳ] Καὶ non legitur in Ebræo, nec in editis ad E. C. ¶ Ὑψώθητι] רומם pro דומם. ¶ Τοῦτο δέ ἐστιν] C. καὶ ἐστιν.

IDEM.

1. 'משמרתי וגו. Sym. *Quasi custos super speculam stabo, & stabo velut inclusus, & contemplabor ut videam quid dicatur mihi, & quid respondeam & contradicam adversum arguentem me*. ¶ מצור Th. *gyrum*. Aq. & V. *circinum*] Potius *circulum*, i. κύκλον καὶ περιφέρειαν. Scholia Camii Ebræi ad h. l. *Doctores nostri, quorum memoria fausta est, dicunt quod facto circulo steterit in ejus medio, dixeritque, Non exibo hinc donec mihi dixeris cur differas pœnam improborum*.

2. חזון. Aq. ὁραματισμόν] Sic etiam reddit idem nomen Dan. 9. 24. ¶ לוחות, Sym. *paginas*.

3. ולא יכזב. Aq. καὶ οὐ διαψεύσεται] Ex Eusεb. Ἀποδείξ. 6. ¶ 'אם יתמהמה חכה לו וגו Idem, ἐὰν δὲ μελλήσῃ, προσδέχου αὐτόν· ὅτι ἐρχόμενος ἥξει, (alias ἐλεύσεται) καὶ οὐ βραδυνεῖ] Ex eodem Eusebio.

4. 'הנה עפלה לא ישרה וגו. Aq. Ἰδοῦ, νωχελευομένου οὐκ εὐθεῖα ἡ ψυχή μου ἐν αὐτῷ. καὶ δίκαιος ἐν πίστει αὐτοῦ ζήσεται. E sexto Eusebii Ἀποδείξ. ¶ צדיק באמונתו יחיה. Aq. Th. V, VI, & VII, *Justus ex fide sua vivet*. Sym. *Justus autem per fidem propriam suam vivet*: quod Græce dicitur ὁ δὲ δίκαιος τῇ ἑαυτοῦ πίστει ζήσει. Ex Hier.

5. ולא ינוה. Sym. οὐκ εὐπορήσει] i. Interprete Hier. *rerum omnium erit penuria*. Vide Comment. Hier. ad h. l.

11. 'כי אבן מקיר וגו. Editio ἀνώνυμος prior, *Quia lapis in pariete clamavit, quasi vermis in ligno loquens*. Editio ἀνώνυμος altera, *Lapis enim de pariete vociferabitur, & σκώληξ de ligno loquetur ea*. ¶ וכפיס מעץ יעננה. Aq. καὶ μάζα *de ligno respondebit*. Sym. καὶ σύνδεσμος οἰκοδομῆς ξύλινος ἀποφθέγξεται αὐτά. Th. καὶ σύνδεσμος ξύλου φθέγξεται αὐτά] Καὶ μάζα, i. *& massa*. Sic interpretatur Hier. & recte, meo judicio. Lexicon Gr. Lat. V. Μάζα, ἡ βῶλος, *massa*. Καὶ σύνδεσμος οἰκοδομῆς, &c. Citant Hier. & Theodoretus in Commentariis ad h. l. Cæterum in Rom. ed. legitur σύνδεσμος ξύλινος, & apud Interpretem Theophylacti *connexio lignorum*.

15. הוי משקה רעהו מספח חמתך. Editio ἀνώνυμος una, Οὐαὶ τῷ ποτίζοντι τὸν ἑταῖρον αὐτοῦ ἄελλαν πετομένην, i. *Væ qui potum dat amico suo turbinem volantem*: altera, *Væ qui potum dat amico suo* ἔκστασιν ὀχλουμένην, i. *amentiam turbidam*. Ex Hier. מספח חמתך, Aq. ἐξ ἐκπέμψεως χόλου σου, i. *de eversione furoris tui*. Sym. Καὶ ἀφιεὶς ἀκρίτως τὸν θυμὸν ἑαυτοῦ, i. *& emittens absque judicio furorem suum*. V. ἐξ ἀποσδοκήτου ἀνατροπῆς τῆς ὀργῆς σου, i. *de subversione insperata iræ tuæ*. חמתך, Th. ἀποχύσεώς σου*, i. *diffusione tua*. * Ita Hier. In Rom. vero ed. legitur ἀπὸ χύσεως θυμοῦ σου· cui respondet in Ebræo מספח חמתך. Puto sincerum esse. ¶ למען הביט על מעוריהם, Sym. & V. *ut videret ignominias eorum*.

18. אלמים. Sym. ἄλαλα] Prius erat κωφά. Id mutatum quia κωφὸς etiam *surdum* significat: hic autem non tam *surda* simulacra quam *muta* intelligimus. Nam *surdus* Ebraice חרש dicitur. Sed confundi scias.

19. וכל רוח אין בקרבו. Aq. *& spiritus ejus non est in visceribus* (sive *in medio*) *ejus*] בבניו.

IDEM in VULG.

1. QUid dicatur mihi] Novitia interpretatio, *quid loquatur in me*. ¶ *Ad arguentem me*] Santes, *Arguenti contra me*. In Ebræo ad verbum *ad reprehensionem meam*. Hoc Tremellius dixit *post correptionem meam*. Sed videndum an על sumatur pro אחר id est, *post*.

2. *Visum*] Alii, *visionem*. ¶ *Percurrat*] Placet magis *percurrat* quam quod in Tremellio *præcurrat*.

3. *Procul*] *Ad constitutum tempus*, novitia tralatio habet & melius. ¶ *Apparebit*] Legit יפיע pro יפיח. ¶ *In finem*] Hoc est, tandem. Tremellius *suo termino*. בקץ ut *suo tempore* בעתו. ¶ *Veniens veniet*] Plane veniet, nec tardabit.

4. *Qui incredulus est*] עפלה Santes, *viri superbi*. Tremell. *ebullat*. Hoc est, bullæ in morem crepat, & sua ipsius imbecillitate rumpitur. ¶ *In semetipso*] Maluissem, *in ipso*. ¶ *In fide sua*] i. Fide sua ex idiotismo Ebraico.

5. *Vinum potantem decipit*] *Vinum potans prævaricatur*, Ebræus textus habet. Quanquam *potans* non legitur ibi, sed tantum *vinum*. Subauditur tamen, ut alias nonnunquam. Posset etiam verti, ac fortasse melius ita verteretur, *vinum prævaricatur*, eadem sententia. ¶ *Sic erit*] Abest à textu Ebræo. ¶ *Decorabitur*] ינוה tanquam à נאה decorum. Alii, *habitabit*, i. *permanebit*. Nam habitaculum נוה dicitur. Prov. 3. *Habitaculo justorum benedicit*.

6. *Parabolam sument*] Vel, *Proverbium tollent*. ¶ *Loquelam*

quelam ænigmatum ejus] Alius, *interpretationem cum ænigmatis de eo.* ¶ *Et dicetur*] ואמר nunc legunt ויאמר. ¶ *Usquequo & aggravat*] Interfere notam interrogationis, *Usquequo? & aggravat.* Quidam includunt parentheſi hoc modo (Uſquequo?) non improbo.

7. *Lacerantes te*] Alii, *commoventes te.* Tremellius, *divexaturi te.* ¶ *In rapinam*] Ad verbum, *in deceptiones*, ſive ut Ebræi enarrant, *in conculcationes.* Tremellius, *eris continenti conculcationi eis.*

8. *Hominis*] Id eſt, humanum. Ob effuſum, inquit, ſanguinem humanum, ob cædes, quas patraſti. ¶ *Terræ civitatis*] Quam appellat, *terram civitatis?* interpunctum abeſt, ut ſit, *terræ; civitatis, & omnium habitationum in ea.* Niſi fallor, Babylonem deſignat.

9. *Qui congregat avaritiam*] Santes, *Væ avare ſectanti avaritiam malam.* Tremellius, *Væ dedito quæſtui malo.* Paullo melius quam Santes. Nam בצע eſt *lucrum, quæſtus*, qui eſſe poteſt etiam bonus, cum avaritia omnis mala ſit. Reperitur eadem locutio Prov. 1. בצע בצע inhians lucro, lucri cupidus, lucrandi avidus. ¶ *Ut ſit in excelſo*] להיות. In Ebræo, *ut ponat in excelſo nidum ſuum.* ¶ *Nidus ejus*] *Domus ejus.* μείωσις. ¶ *Et liberari ſe putat*] Elegerim, *quo liberetur è manu mali.*

10. *Cogitaſti confuſionem*] Non *cogitaſti* legitur in archetypo, ſed *conſuluiſti.* Et eſt ſenſus (Nam in verbo incluſum verbale, ut ſolet) conſuluiſti conſilium pudendum domui tuæ. ¶ *Concidiſti*] קצות, ut Pſal. 8. תנה dedisti. Alii, *concidendo:* alii *concidendi*, ut referatur ad concilium. ¶ *Peccavit anima tua*] Alii, *peccaſti in animam tuam*, id eſt, contra teipſum. Sed חוטא non male etiam redditur *peccavit.* Ad verbum *peccans fuit.* Neque eſt enallage generum cum נפש quandoque maſculine reperiatur.

11. *Lapis è pariete*] Lapis è pariete; ut *aper è ſylva: placenta è melle.* Opes è vanitate. Vel, *clamabit è pariete.* Simile, *lapides loquentur.* ¶ *Lignum quod inter &c.*] Santes, *Tignum arboris teſtimonium feret.* Tremell. *Nodus è ligno teſtificatur illud.* Alius, *rudimentum è ligno reſpondebit ei.* ¶ *Reſpondebit*] Adde pronomen, ut ſit *reſpondebit ei.*

12. *In ſanguinibus*] i. Cædibus.

13. *Hæc ſunt*] An legit הנה pro הנה ? ¶ *In multo igne*] Ad verbum, *in ſufficientia ignis.* Sed ד potius videtur eſſe dictio κατασκευαστική. Itaque alii referunt, *in igne* ſimpliciter. ¶ *Et deficient*] Videtur legiſſe ויעפו hoc eſt Vau pro Joth. Hodie legunt ייעפו deficient laſſi, defatigabuntur, fatigabuntur.

14. *Ut cognoſcant*] *Sciendo gloriam*, id eſt, ſcientia gloriæ Domini. ¶ *Quaſi aquæ operientes mare*] Elegans proverbiale. Sic, *magna ficut mare clades tua.* Sic dicimus, *mare malorum* θάλασσα τῶν κακῶν.

15. *Amico ſuo*] Id eſt, alteri. ¶ *Mittens fel ſuum*] Santes, *Adjungens utrem tuum.* Tremell. *Adhibenti utrem tuum.* ¶ *Mittens*] מספח. Symmachus, ἀφιῶν ἀκρίτως τὸν θυμὸν αὐτοῦ, id eſt, interprete Hieronymo, *emittens abſque judicio furorem ſuum.* Aquila, ἐξ ἐκτέμψεως χόλου σου. ¶ *Fel ſuum*] Aquilam ſequutus videtur, qui prius verterat χόλου σου. Sed in pronomine Symmachum imitatus eſt qui pro θυμόν σου verterat θυμὸν αὐτοῦ contra fidem archetypi.

16. *Pro gloria*] Verior lectio *præ gloria*: quam in uno manuſcripto reperiri certum. *Præ gloria*, i. magis quam gloria. ¶ *Conſopire*] Alii, *nuda præputium.* Santes, *Apparebit præputium.* Minus bene. ¶ *Vomitus ignominiæ*] i. Ignominioſus. ¶ *Super gloriam tuam*] Ad gloriam tuam.

17. *De ſanguinibus hominis*] A cæde humana. Alii, *propter cædes humanas, & rapinam terræ.* ¶ *Iniquitas Libani*] *Violentia Libani.* Vel quam in Libano exercuiſti: vel qualis in Libano à venatoribus in feras adhiberi ſolet.

18. *Quia ſculpſit*] Malim, *quod ſculpſerit illud fictor ipſius.* Ipſius, inquam, non *ſuus.* ¶ *Et imaginem falſam*] *Et docens mendacium.* Alii reddunt ex Ebræo, & melius. Sed interpres מורה accepit tanquam eſſet à radice ראה: cui in eo non aſſentior. מורה eſt doctor, ut infra ורה docebit. ¶ *Speravit in figmento fictor ejus*] Legit יצר יצרו quod nunc legunt יצר יצרו eadem ſententia. Secundum hanc lectionem poſteriorem verti debet, *quod confundat fictor figmenti ſui ipſi.* ¶ *Simulachra*] אלילים deos nihili. Nomen compoſitum ex אל & אל. ¶ *Muta*] Recte. Nam *os habent, & non loquuntur*, ut ait Propheta.

19. *Surge*] קומי. Melius, *evigila, excitare.* Nam in Ebræo עורי. ¶ *Tacenti*] Senſu carenti. ¶ *Omnis ſpiritus*] *Nullus ſpiritus.* Dictio mere Ebraica. ¶ *In viſceribus ejus*] In medio ejus.

20. *Sileat*] In aliis, *ſile.*

EJUSD. LECTIONES.

1. על משמרתי *in cuſtodiam ſtabo*] Vel ſuper cuſtodiam meam. Quærit extricari ex conturbatione & perplexitate qua tenebatur videns felicitatem & proſperitatem Chaldæorum. Itaque nodum quaſi nexum à ſe vult ſolvi, propterea tanquam in ſpecula conſtitutus exſpectat quid Dominus reſponſurus ſit.

משמרת *cuſtodia*] Tractum putant à vigilibus nocturnis, qui ſtationem ſuam per vices & ſtatas horas ſinguli obeunt. משמרת ſæpe vocantur præcepta Legis quæ ſervanda nobis propoſita & præſcripta ſunt, Malach. 3. 14. *Quæ utilitas ſi ſervemus mandata ejus?* מה בצע כי שמרנו משמרתו quod ſervavimus ea quæ nobis ſervanda præcepit. Zach. 3. 7. ואם את משמרתי תשמר. Aliquando φυλακή ſunt ipſi φύλακες cuſtodes καθ' ὑπαλλαγήν, ut volunt, ut *cuſtodia* apud Latinos. Maro, *noctem cuſtodia ducit inſomnem ludo.* Noctem dividebant veteres in quatuor cuſtodias ſive vigilias, juxta numerum horarum; quæ duodecim in quadrantes diviſæ relinquebantur tres horæ ſingulis vigilum ſtationibus. Prima vigilia incepta poſt occaſum ſolis durabat tres horas uſque ad conticinium. Secunda à conticinio uſque ad mediam ſeu intempeſtam noctem. Tertia uſque ad primum gallicinium. Quarta uſque ad ortum ſolis, quæ vocabatur cuſtodia matutina. Ponitur cuſtodia & pro breviſſimo tempore. Hebraice dicitur אשמורת הבקר Exod. 14. 24. אשמורת התיכונה media vigilia Jud. 7. 13. ראש האשמורות Thren. 2. 19. initium vigiliarum i. prima vigilia. Si ad vigiles referamus hunc locum, אשמורת vel אשמרת erit ipſa cuſtodia ſeu vigilia. משמרת vero officium vigilis ſeu vigilandi actus, in quo ſe permanſurum oſtendit, dum reſponſum accipiat à Domino. אשמורה ipſum tempus vigilandi. Rectius hoc modo diſtingues, משמרת eſt cuſtodia paſſive, id quod aſſervatur & cuſtoditur. Unde lex Dei cum præceptis nuncupatur משמרת cuſtodia. Et Propheta ſe hic facit quaſi obſeſſum undique, ab impiis undequaque preſſum, cinctum, circumdatum, ab iiſque diligenter obſervatum, ut eum arguant & corripiant. Itaque על משמרתי valet in loco ubi obſervor, ubi me cuſtodiæ adverſariorum cingunt ac premunt. אשמורת autem eſt cuſtodia active, quæ ſive noctu, ſive interdiu urbes & oppida ſervat. Eſt & ipſum tempus vigiliarum, ut cum dicimus cuſtodia prima, ſecunda, tertia, ipſe etiam actus cuſtodiendi. Quidam interpres in verſione hujus verſus ter lapſus eſt. Nam משמרת convertit ſpeculam cum ſit *cuſtodia:* & מצור arcem, cum ſit *obſidio.* Item מה ידבר בי, Quid loquuturus eſt in me, transfert *quid loquatur mecum*, i. עמי. In commentariis multa verba conſumit in explanatione ſpeculæ & arcis, intelligens de receſſu mentis. Sed ea omnia πάρεργα ſunt & otioſa, cum aliud ſignificent verba Hebræa.

על מצור *conſiſtam in obſidione*] i. In loco ubi obſideor. Erat enim obſeſſus undiquaque à Diabolo carniſque tentationibus, variis cogitationibus diſtractus, & conturbatus, intricatuſque & implicatus in meditatione judiciorum Dei, tum etiam impiorum & ſceleroſorum hominum objectis & argumentis tractatus & impetitus, perinde atque ſi ab hoſtibus corona facta in munita aliqua urbe fuiſſet obſeſſus, exſpectans tempus & auxilium quo ſuos adverſarios repelleret, eiſque vel re vel verbis reſpondendo, ſi verborum ſit contentio, ſatiſfaceret. Jon. reddit עתיד מקמט על כצורי futurus miniſter vel miniſtraturus in obſidione mea. Lxx. ἐπιβήσομαι ἐπὶ πέτραν, i. אעלה על הצור.

ואצפה *& ſpeculabor*] More eorum qui preſſi ab adverſariis ſpeculabundi conſiſtunt, & exſpectant opem aliorum. In ſpecula eſſe collocatum.

ידבר בי] Cum dicimus, *Quid loquetur in me*, locutio eſt interna Dei ad Prophetam ei futura revelantis. Quum vero ſic vertimus *Per me*, Tunc loquutio eſſet Dei per Prophetam ad alios. Quod non videtur convenire. Et tamen ſi quis urgeat non video quin poſſit admitti; ut etiam in illo loco Euangeliſtæ, *Non vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus ſanctus in vobis*, i. per vos. Nam opponuntur loqui hominum & loqui Spiritus Sancti.

בי *in me*] Quod eſt proprie Dei ſpiritus afflatu arcana ſuis revelantis. Et malo vertere, *intra me*, quam *in me.* Illuſtrat autem divinus ſpiritus vatum mentes, & in eorum animos divina oracula occulta ratione & interna vi inſtillat.

על תוכחתי] Ad reprehenſionem, ſeu redargutionem meam, ad eorum argumenta qui reprehendunt, infirmant, diluunt, refutant & confutant, negantque tuam providentiam, qua nos credimus mundum adminiſtrari, eorum qui exagitant & accuſant, ſtudentque labefactare fidem noſtram; qui nos in crimen vocant ac condemnant, quod à te pendeamus, tibi ſoli fidamus, te rectorem mundi & noſtrarum actionum directorem agnoſcamus. Reprehenſor, exagitator, accuſator. Qui meos affe-

affectus turbidos, & mihi quasi bellum inferentes compescat, fedet motus in meo animo excitatos, facemque impietatis accensam restinguat.

Super custodiam meam] Ex Hieron. *Sym. manifestius est persequutus, quasi custos super speculam stabo, & stabo velut inclusus, & contemplabor ut videam quid dicatur mihi, & quid respondeam, & contradicam adversum arguentem me.* ¶ *Pro munitione & petra*] *In cujus locum Sym. interpretatus est conclusum: in Hebræo ponitur* מצור: *quod Theod. gyrum, Aq. & V. Edit. circinum transtulerunt.* Hæc Hieron. Qui *circinum* vertunt, sequuntur fabulam Judæorum quorundam, qui nugantur Prophetam se intra circini figuram conclusisse, statuisseque apud se non egredi priusquam responsum à Domino accepisset. *Speculam* Hieron. interpretatur *prophetiæ sublimitatem.* Vel, custodiam omni diligentia cor meum, & stabo super Christum petram. Et hoc gyro & circino quasi muro sepiar, ne ad me leo rugiens possit irrumpere, & videbo quid mihi post secundam quæstionem respondeat Deus. Sed & hoc notandum ex eo quod dixerat. Ut videam quid loquatur in me, propheticam visionem & eloquium Dei non extrinsecus ad prophetas fieri, sed intrinsecus & interiori homini respondere.

תוכחתי vertunt quidam *arguentem me* i. איש תוכחתי, ut תפלתי in Psalmis.

אשיב *redire facere*] *Referre* dixit Cicero. Quando de sermone dicitur tunc significat *respondere*, ut hoc in loco. Lxx. τί ἀποκριθῶ. Hier. *quid respondeam.*

2. באר] Explanate & distincte scribere, exprimere aliquid in tabulis. Alias est exponere, explicare, explanare & ביאור expositio. Ideo ista duo verba כתב & באר non aliud sibi volunt quam cum explicatione aliquid scribere. Conscribe, scriptis manda, consigna in tabulis, &c.

על־הלחות] Quæ ænigmatice, obscure aut allegorice loquimur ea quoniam in præsentia intelligi non possunt, referimus in libris, consignamusque ad æternam nepotum & posterorum memoriam. At quæ clara sunt certa & perspicua: legi cito & celeriter volumus, ea in tabellis chartisve describimus, legendaque aliis proponimus. In libris non parum temporis insumitur vertendis foliis paginisque, tum etiam litera solet esse minutior. At in tabella quia una pagina omnia expressa sunt characteribus etiam plerumque majusculis, fieri non potest quin vel mediocriter in legendo peritus celerrime citissimeque literas dictionesque percurrat. Ideo etiam pueris ad commodiorem usum tabellas brevesque schedulas comparamus. Deinde quod æternis monumentis consignare volumus, illud libris committimus, quo posteris æque atque nobis prosit; at tabellæ in præsentem usum tantum serviunt, ut cum edictum aliquod promulgare volumus aut decretum rescindi, aut populo aliquid denuntiare, non per libros facimus, sed per chartarum codicillos. Notat præterea visionis brevitatem quæ in tabella depingi possit, & temporis quo eventura est celerem citumque adventum, quia hæc parantur non in alteram ætatem, sed duntaxat in præsentem. Hoc sibi vult cum dicit *scribe super tabellas.* Numerus multitudinis indicat plurimos esse scribendos codicillos, quo per singulas non solum plateas, sed etiam urbes dispergi ac disseminari possit. Ea quæ prolixa sunt longa & copiosa, referemus in libros: quæ brevia, succincta, minimeque longa, in schedulas & tabellas. Est ergo in his verbis significata visionis tum brevitas, tum properus adventus, Isai. 30. *In libro*, inquit, *imprimito eam & erit in tempus futurum.* Vult explanari visionem, ne moram inferat, nectat lectori sive dictio non intellecta, sive sensus minime obscurus. Perficere visionem antequam transigatur, perficiatur.

קורא] Absolute legens i. lector, ἀναγινώσκων, ἀναγνώστης. Kimchi sic habet, כדי שיקרא בו כאנשי דורו שירוץ בו לקראו ולהבינו. Construit etiam קרא cum ב Beth. בו autem intellige in visionem. הקורא בה Qui legit in ea visione. Vertunt *qui legit eam.* Sed est differentia, sicut in *bibere aquam* & *bibere de aqua*: *legere librum* & *in libro.* Legit in libro, etiam qui aliquid legit. Non legit librum, nisi qui totum quasi pervolvit.

קורא בו Jon. בן דקרי בה. Lxx. ὁ ἀναγινώσκων αὐτά legens illa. בה. Hier. *Ut percurrat qui legerit eum*, f. visum. Est item ambiguum ut Hebræum.

בו Ambiguum est, potest enim referri vel ad קורא legens illud, vel ad ירוץ cucurrit. Sed tenor orationis flagitat ut referamus ad ירוץ, ut currat per illud. Tunc idem valebit quod διὰ, per. Aliquando valet אל constructum cum eo verbo Prov. 18. 10. בו ירוץ צדיק ונשגב i. אליו, *eo recurret justus & exaltabitur.* Quum אל est Gen. 24. 29. וירץ לבן אל־האיש *cucurrit ad virum.*

3. כי עוד חזון למועד] Lxx. διότι ἔτι ὅρασις εἰς καιρόν. Lat. *Quia adhuc visus procul.* Jon. ארי עתידא נבואה לזמן sub. למועד futura est esse i. erit tempore constituto, decreto, ordinato à Domino, quando venerit illud tempus, hoc ad effectum perducetur. Adhuc ad tempus pertinet vaticinium seu oraculum, non ante effectum sortietur, eveniet, accidet, quum videritis statum illud & præfixum à Deo tempus. Monet ut patienter exspectemus ea quæ divinitus decreta sunt & per vates revelata. Omnia enim habent suum tempus, sed imprimis illa quæ statis temporibus divina voluntate addicta sunt, devincta, alligata. Ea nos oportet cum omni patientia & benignitate exspectare, certo persuasi, ne gry quidem irritum fieri eorum quæ in consilio Dei certo decreta sunt.

למועד] Hæc est responsio ad interrogationem prophetæ. *Erit adhuc visio* i. durabit, manebit antequam eventus respondeat, usque ad tempus à Deo fixum & ordinatum seu condictum. *Condicere* est dicto convenire & significare statutum, certum, constitutum, statum.

יפח לקץ *Loquetur usque ad finem*] *Non loquetur usque ad statum tempus sed usque ad extremum finem, qui erit post 70 annos a destructa civitate Jerusalem.* Hæc Kimchi. *Non mentietur* i. non fallet. Ut in illo Isai. 58. אשר לא יכזבו מימיו. Finem porro visionis vocat exulum restitutionem & liberationem captivorum, quæ erat anno 70 à destructo templo. Ideo monet si tardet & moretur diutius, ut patienter exspectent, nam *fine ulla mora*, inquit, *adveniet.*

יפח לקץ] Jarchi non male exponit *loquetur de fine* sc. Chaldæorum, de eorum ruina, interitu, pernicie, de casu & excidione regis Babel. Et tunc idem erit atque על הקץ. Volunt esse futur. Hiphil à Themate פוח quod est flare, spirare, & quia sermo emittitur, cum spiritu seu halitu loqui, ut in illo Prov. יפיח כזבים עד שקר efflutit & quasi efflat mendacia, qui loquitur mendaciter, tandem etiam dicet falsum testimonium. Alii deducunt à יפח quod reperitur in significatione differendi, garriendi מוגה ומצפצף quæ non differt a superiore. Unde etiam ויפח חמס fermone suo spirat, efflatque vim & injuriam: Ps. 27. 12. יפח כזבים יאבד Prov. 19. 19. Lxx. ἀνατελεῖ εἰς τέλος, & Hiero. *apparebit in finem.* Tandem videntur legisse הופיע לקץ, unde & הופיע apparuit: & certe pronuntiatione ע cum ח & contra ח cum ע confunditur à quam plurimis. Fabitur de extremo fine על הקץ, ut exponit Abenezra.

ולא יכזב] Revera non longam faciet moram, etiamsi vobis videatur longissima. Alii referunt ad tempus, quo statutum erat venire. Ita Jonathan, *Stato suo tempore veniet, neque cunctabitur aut tardabit, moram imponet.* Sine ulla cunctatione, mora, tarditate. Pater Kimchi exponit, *non intermittet esse, quin veniat suo tempore*, nam אחרית postremum, idem est quod סוף extremum, finis. Et לא יסוף מזרעם Esther 9. cum habet sensum. Per קץ Rub. Abraham intelligit כפלת כשדים ruinam Chaldæorum.

ולא יאחר] Ut לא יסוף memoria eorum dictum, non desinet, non delebitur aut extinguetur, sed erit æterna Esther. 9. 28. Ita Pater Kimchi. Quia אחרית est finis, postremum. Huic sententiæ accedunt, quum vertunt, *sine dubio, procul dubio.*

4. הנה עפלה] *Ecce sublata est*, non recta fuit anima ipsius in eo. Pater Kimchi sic intelligit, *Anima impii quæ non recta est sed prava & obliqua, vacua omni fiducia & fide in Deum viventem, elevatur* i. ponit seipsum tanquam locum excelsum & munitum, & à se quasi tota pendet, suarum virium fiducia intumescit. Sed justus fiduciam suam collocat in Deo benedicto. Itaque in sua fide vitam consequetur, neque opus habebit in se anchoram & arcem suæ fiduciæ collocare. Ita fere Kimchi in suis commentariis. Alii commutant prædicatum in subjectum & contra. Qui fastu & superbia intumescit, ejus anima rectam viam non insistit. Non rectam mentem habet, qui prosperitatis poculo inebriatus nimium sese extollit, hujus mens prava est & animus perversus, superbia inflatus prave insistit. Sed justus similiter & modeste se gerens divinoque timore correptus, præditus, in fide sua vivet, eripietur, evadet ex malo præsenti, & æternam condemnationem evitabit, declinabit. Tales fuerunt Israelitæ qui destructa & vastata urbe Babel, Chaldæisque per Persas devictis, salvi & incolumes evaserunt, Dei ac Syri Regis præsidio. Alii, *Cujus anima non recta est* i. qui est pravo animo & perverso, is semper munitiones aliquas & præsidia, quibus defendatur, sibi quærit, nunquam securus est & tranquillus, sed perpetuo sibi diffidit, itaque quærit semper exaltari i. in tuto poni: At justus in unum Deum curas suas & angores rejicit, ab eo pendere quantus quantus est: quod illi vitam & salutem conciliat. Bened. Aria *animam* accipit pro *vita*: Non erit recta anima ipsius i. rectam vitæ rationem nunquam sequetur, sed incertam, obliquam & lubricam.

עפלה Kimchi ענין גבהות הלב ותוין. Quidam exponit *exaltationem*, sed minus recte, & puto deceptum ab aliis, qui non intelligebant verba Kimchi. Lxx. ἐὰν ὑποστείληται, ὐκ εὐδοκεῖ ἡ ψυχή μυ ἐν αὐτῷ, si retraxerit se, non placabitur anima mea in eo. Lat. *Ecce qui incredulus est, non recta erit anima ejus in ipso.* בו in eo f. קץ fine, eventu visionis & prophetiæ à me recitatæ. עפלה vertunt *superbi, sublati.* Male, *quia fœmininum est, ideo etiam repeti debet* נפש. Ita Abenezra.

נפשו גבהה] Anima ejus. Ex anima ejus exaltatur, & non recta est in eo i. peccat & delinquit nimia sua fiducia. Intelligit autem per pronomen Nabuchodonosorem seu gentem Chaldæam, cujus supra fecit mentionem.

Anima in hoc capite bis ponitur pro appetentia seu appetitu, non enim animæ naturam significat: sed illius partem quæ appetitionis origo est. Ut in illis, *anima nostra arida est:* &c, *esurientem saturare animam*, appetitui satisfacere.

בו] Potest exponi בעצמו in seipso. Quid si accipiamus ut Latini dicunt *elevare fidem* i. minuere. Certe hoc non male conveniet cum vulgato interprete qui reddit *incredulum.* Vel, Extollite animam ipsius, cujus anima seu mens in eo recta non est. Lxx. ὁ δίκαιός μυ ἐκ πίςεως ζήσεται.

Pro tabulis & bucco] Hieron. *Quod Hebraice dicitur* עפלה. Sym. *interpretatus est paginas. Et ubi Lxx posuerunt justus ex fide mea vivet: omnes æqualiter transtulerunt, ex fide sua.* Sym. *Justus autem per fidem propriam vivet, quod Græce dicitur* ὁ δίκαιος τῇ ἑαυτῦ πίςει ζήσει. Hæc Hier.

5. ואף כי] Lxx. ὁ δὲ κατοινώμενος καὶ καταφρονητὴς, ἀνὴρ ἀλαζὼν ὐδὲν μὴ περάνῃ. Jon. *Quin ecce sicut qui dementatur vino, vir superbus in impietate & non permanebit* ולא יתקיים. Supra dixit, *Justi in rectitudine & fide sua* יתקיימון. Lat. *Et quomodo vinum potantem decipit, sic erit vir superbus, & non decorabitur.*

אף כי Etiam certe, utique, quinimo. Adhæc quidem vinum perfidum est, i. reddit homines perfidos, in crimina & noxas impellit & trudit, ut *pallida mors* ab effectu per metonymiam causæ pro effecto. Vel, היין ellipticus ponitur, sub. איש היין vel שותה היין bibens seu potans vinum. Prov. 20. לץ היין *irrisor est seu fit bibens vinum.* Vel certe, vinum est irrisor i. reddit homines irrisores. Zach. שמח לבם כמו יין lætatum est & exhilaratum cor eorum tanquam vini potoris. Sed possis exponere *quasi vino* i. quemadmodum exhilarari solet vino. Kimchi ita exponit, Deus rependit omnibus impiis, quanto magis isti vinolento, qui perfidus est & vir arrogans magnique spiritus, propterea excidet regno neque manebit in mansione sua pristina. De gente Chaldæorum quæ fuit post aliquot annos excisa. Vel de Nabuchodonosore, qui mente privatus, ad agrestes feras relegatus fuit, cum quibus vixit annum integrum. Quidam exponit, *vino transgrediens.* Sed tunc esset בַּיַּיִן & non היין. Quidam sic, *Vinum decipit & fallit virum superbum*, i. היין בוגד בגבר יהיר, sed accentus supra בוגד eam sententiam videtur refellere. Jarchi ita, *Vinum* בוגד בו *intelligens* de Balthasaro. ולא ינוה i. ולא יתקיים הוא ונוהו ipse & mansio ipsius. Ezra sub. איש היין, ut אני תפלה & אל תהי מרי i. איש מרי. Vir deditus vino qui transgreditur superbiens ושתי יהיר: id enim est יהיר. Valde mihi placet, quod sequitur in Ezra לא ינוה בביתו כי כל חפצו ללכת להשחית i. לא ינוה non potest quietus manere in suis sedibus nec in sua ditione sese continere, sed egreditur in alienos limites ad prædandum & diripiendum. Et hoc congruit cum eo quod sequitur, *Qui dilatavit tanquam infernus os suum:* ut Psal. 5. *Sepulchrum apertum guttur ipsius.* Ac notat tria vitia in hoc tyranno; ebrietatem: superbiam: & ambitionem seu prædandi libidinem. Quod illustrat adjunctis & similibus ad indicandum inexplebilem cupiditatem, qua tenebatur.

6. *Nonne isti omnes ipsi* הלא אלה כלם] πλεονασμῶς i. כל אלה omnes isti sc. populi, gentes, nationes, quas ad se coegerit & collegerit. Nonne, inquam, quum videbunt cladem ipsius, omnibus lætitiis incedent, magnoque gaudio perfundentur, de ipsius ruina, proverbia ac dicteria jactabunt. Erit hominibus in proverbium.

Væ multiplicanti non sua.] Proverbium est verbum, dictum aut sententia, quæ in ore omnium fere versatur, aut versata quondam est. Istius iniquitas tunc in ore vulgi, & in communibus proverbiis versabitur. משל etiam est exemplum in similitudine propositum, pro simili addictum, quod in novo fœdere παραβολὴ appellatur. *Dicteria* sunt breviter & acute dicta.

מליצה חידות לו] Vertunt quidam *sermonem ænigmaticum.* Et potest esse ἓν διὰ δυοῖν, sermonem, ænigmata i. ænigmatum instar obscurum. Ut *arma virumque* i. armatum virum. *Pateras libamus & auro* i. aureis pateris. Nam in Genitivo construere non patitur vox מליצה quæ absoluti est status, nisi ita accipias ut sit enallage statuum, quæ interdum usu venit. Vel sic, מליצה לו i. עליו vel בעבורו dictum de eo vel quod de eo dicetur erunt ænigmata. Dicta obscura & difficilia intellectu, quæ propter obscuritatem, acrius illum pungent & mordebunt. Intelligit porro jocos aut sales figuratos & allegoriæ involucro tectos, quæ res & gratiam adfert & leporem dicteriis. מליצה apud Josephum est interpretatio ἑρμηνεία & מליץ interpres ἑρμηνεύς. In bonam partem accipitur Prov. 1. Hic vero poni videtur pro dicterio quo aliquis perstringitur, quodque in contumeliam & ludibrium ipsius adhibetur, dictum contumeliosum & εἰρωνικὸν cum alterius probro prolatum. Jonath. ושוי חוין ישרון ליה sermones ænigmatum proferet de eo. Vel, ut Tremel. *Utentes ænigmatibus dicent de eo.*

ויאמר *& dicet*] f. כל אחד ואחד unusquisque. Sumere parabolam est ex alicujus rei, personæ aut negotii serie & exitu sententiam aliquam vitæ utilem colligere, & quod cuipiam rei contigit, id sequendum fugiendumve proponere. ויאמר ubi exstitit ruina Chaldæorum, gentes quæ eam videbunt de prædonibus & avaris dicent,

Væ qui congerit opes non suas! Hui! qui multa sibi parat!] Sunt qui putant esse deridentis, seu ironiæ interjectionem. *Hui! qui multiplicat non sua*, quamdiu sc. multiplicabit, q. d. statim dilabentur quæ male parta sunt, nec durabunt longum tempus: id quod docet exemplum Chaldæorum, qui prius bona totius orbis diripient. Heu! ecce in quas miserias nunc redacti sint. מרבה qui auget, accumulat, qui multiplices ac varias opes sibi coacervat.

עבטיט *densum lutum*] Magna vis crassi cœni. Intelligit opes quas instar densi futuras luti super se aggregabat & congerebat. Græci quicquid sordidum & impurum est βορβορώδη lutulentum vocant, & βορβοροτάραξιν cœni agitatorem, hominem turbulentum & seditiosum. Vide Adagia Junii. Quidam vir pius aurum vocavit *fulvam terram.* Quod si injustis artibus comparetur, tunc potius lutum dicendum est quam terra, in quo qui speret, vix ac ne vix quidem emergi potest, sed tanquam in magna cœni copia & vi obruitur. עבטיט idem quod עב טיט lutum densum, ut, כל רבים עמים pro עמים רבים. Item, כי ירקיק חרוץ i. בחרוץ ירקיק. Quidam intelligunt de humo sepulchrali, quam instante morte supra se aggregabat, & obtegendo cadaveri magnam terræ vim comparabat. מכביר est aggravare, condensare, aggerere magnum terræ aggerem & gravem. Aggravat se luto & onerat, condensat supra se spissum cœnum, spissum lutum & condensum sibi tanquam onus superjacet.

Densum lutum, inquit Hier. *appellat multiplicatas divitias.*

7. הלוא] Abenezra, *Quia dixit aperit tanquam sepulchrum animam seu spiraculum suum, propterea dicit nunc mortuos quos occiderat surrecturos contra illum. Per mortuos autem intelligo filios defunctorum.* R. Jesua, *Si congesseris in magna copia lutum supra sepulchrum tuum, tunc mortui expergefacti, mordebunt ac dilaniabunt te. Sumentque pœnas de injuriis per tuas copias sibi illatis.* Quidam de vermibus accipiunt cadaver arrodentibus. q. d. Nonne cum ita superbia & fastu turges cogitare debes te aliquando moriturum & escam futurum vermibus, qui exagitabunt ac dilaniabunt te, ac in frusta carnem tuam concindent ac minutatim discerpent. Hæc possunt aptari ad expugnationem Babyloniæ factam per Persas rege Balthasaro, fuit enim subita & repentina quasique inopinata. Malunt alii intelligere de erecto ex monumento Nabuchodonosoris cadavere. Cujus projectionis meminit Esai. 14. *Et tu ejicieris è sepulchro tuo.*

מזעזעיך] Qui te commoveant, examinent &c. Hier. *lacerantes te*, qui te exagitabunt &c.

למשסות] In direptiones ענין בזה. Jon. לבזה in prædam. Habebunt te prædæ, erisque illis prædæ expositus &c.

8. כל יתר עמים] Hyperbaton יתר כל עמים residuum omnium gentium. Intelligit Persas & Medos, quos suis armis non vexaverant neque bello infestaverant.

מדמי] Propter sanguines i. cædes אדם hominum seu mortalium, quia multos mortales trucidasti & necasti, ob factam in homines cædem quam exercuisti in orbem terrarum. ארץ i. ארצות, terrarum, regionum & provinciarum: קריה i. civitatum. Enallage numeri, nisi κατ' ἐξοχὴν intelligamus urbem Jerosolymam, ut facit Jon. & quidam ex Hebræis. Ac tum etiam per ארץ licebit intelligere terram sanctam, quæ peculiariter ad excellentiam hoc nomine venit.

9. *Væ inhianti lucro, qui malum lucrum facit domui suæ*] Malum imprecatur Nabuchodonosori ob inexplebilem avaritiam qua sibi & domui suæ exitium & interitum conflabat. Deinde superbiam notat & animum elatum, quo ductus ædi-

ficia

ficia & palatia sibi exstruebat splendida & magnifica, in sublime elata sibi exstruebat quæ usui esse possent hostibus ejus ditionem irrumpentibus.

אוי בוצע בצע, *Væ qui congregat avaritiam malam*] Lxx. ὦ ὁ πλεονεκτῶν πλεονεξίαν κακὴν τῷ οἴκῳ αὐτοῦ. Jon. ווי דאניס ממון דרשע לביתיה, Væ inique congerenti in domum suam divitias male partas. Quod plurimum lucri facere, quæstum & compendium facere & similia sign.

לביתו] Referendum est ad בוצע concupiscens domui suæ & concupitas divitias congerens in suam domum. Alii ad exitum & eventum respicientes construunt cum רע, ut sit lucrum quod malum est i. exitiosum domui ipsius. Sed minus recte. Sch. Jarchi אתם מכון שהוא רע לו לביתו לבנות לו בירה.

במרום] In sublimi, in alto, in excelso, ita Abd. *Si posueris inter sydera nidum tuum, inde deturbabo te, dicit DOMINUS.*

קנו] Metaphora ab avium loculamentis desumpta. Estque μείωσις sive diminutio, qua urbem Babel nidum appellat. De ea in Daniele dicit Nabuchodonosor, *Nonne ista est civitas illa magna, quam ego ædificavi & extruxi in sedem regni?* Dan. 4. Instauraverat autem eam & plurimis ornamentis decoraverat. Itaque perinde erat atque si de novo exstruxisset.

מכף רע] Intellige vel malum in concreto i. hostis & adversarii, vel in abstracto calamitatis & adversitatis. Lxx. ἐκ χειρὸς κακῶν. Lat. *de manu mali.* Jon. מיד ביש. *Manum mali* appellat pericula, discrimina, res adversas & infelices. Et scimus tyrannos & mundi potentes sibi castella & arces munire adversus omnem fortunæ eventum. כף vola per synecdochen manus, & Metonimycως pro adjuncta potentia. Vel certe idem est quod simplex à malo. Exod. 3. *Descendi ut liberem Israelem de manu Ægyptiorum.*

10. יעצת] Consultasti, in consilium iniisti, deliberasti res pudendas &c.

לביתך] Lamed incommodum notat & perniciem.

קצות] Excindendo, concindendo ענין כריתה וחתוך conficere. קצץ & קצב & קצה apud Hebræos synonyma sunt. Hiero. *Concidisti multos populos.* קצות pro קצוֹת Infinitum pro secunda præteriti persona, ut Psalm. 8. תנה הודך על השמים i. תְּנָה posuisti gloriam & decus tuum supra cœlos. Lxx. συνεπεράνω πολλοὺς λαούς. Chald. בזתא עממין סגיאין. Videntur legisse omnes קצית vel Jod pro Vau קָצִיתָ.

וחוטא נפשך] Pro וְנַפְשְׁךָ in animam tuam, in tuum exitium & interitum, tuncque perpetuum cum excidio & internecione conjunctum dedecus. q. d. Tute delicti tui pœnas aliquando dabis.

11. כפיס] Lacunar, laquear, laquearium, Φάτνωμα, τέραμνον, tignum concamerationis. Jon. שיפא quæ est pars tigni seu trabis, alias כפס dicta. Lxx. κάνθαρος. Et revera. *Causos* apud Arabes, & כנפוסא est scarabæus, quem *pilularium* vocant nonnulli.

Lignum quod inter juncturas ædificiorum est respondebit] Lxx. καὶ κάνθαρος ἐκ ξύλου Φθέγξεται αὐτά i. *& scarabæus de ligno loquetur ea. Manifestius more suo transtulit Symm.* καὶ συνδεσμὸς οἰκοδομῆς ξύλινος ἀποΦθέγξεται αὐτά, i. *& junctura ædificii lignea loquetur ea. Th. quoque* καὶ συνδεσμὸς ξύλου Φθέγξεται αὐτά: *nec non & V. edit.* καὶ συνδεσμὸς ξύλου Φθέγξεται αὐτά. *Quod lingua Hebraica dicitur* כפיס, *lignum significat quod ad continendos parietes in medio structura ponitur, & vulgo apud Græcos appellatur* ἱμάντωσις. *Reperi exceptis quinque editionibus i. Aq. Symm. Lxx. & Theod. & quinta, in duodecim Prophetis, & duas alias editiones: in quarum una scriptum est: Quia lapis de pariete clamabit quasi vermis in ligno loquens: & in altera, Lapis enim de pariete vociferabitur, &* σκώληξ *de ligno loquetur ea. Sed & Aq. aliud quiddam quam nos diximus, posuit* καὶ μάζα *i. & massa de ligno respondebit. Massam autem referimus ad eum sensum, quem DOMINUS posuit in Euangelio, Cavete vobis à fermento Pharisæorum. Id interpretatur Euangelista doctrinam. Recte igitur doctrina hæreticorum de ligno loquitur: aliter enim persuadere non possunt, nisi gloriam ligni suæ perversitati præferunt.* Hæc Hieron.

12. *Væ exstruenti civitatem sanguine*] Heu qui sanguine civitatem exstruis.

בדמים *sanguinibus*] Metalepsis ex sanguinibus cædes, ex cædibus rapinas & prædationes, & demum ex direptis opibus constructas & ædificatas urbes intelligens.

וכונן qui parat urbem. Lxx. ὁ ἑτοιμάζων πόλιν ἐν ἀδικίαις. Nihil aliud est hoc loco verbum כונן, quam fundare, firmare, munire. Ideo Jon. vertit משכלל fundanti urbem, jacienti fundamentum. Quidam interpretatur, *qui condit civitatem iniquitate*, quod idem est atque בנה. Notat hic Abenezra כונן esse transitivum, idem quod מכין: & מכונן esse intransitivum sive activum.

בעולה i. Opibus inique partis.

13. הנה *ecce*] Jon. הא en. הלוא הנה הלא. Lxx. οὐ ταῦτα legunt. הנה istæ, quod pro neutro ponitur ista אלה. Hieron. *Num quid non hæc sunt à Deo exercituum.* Idemque indicat. Lxx. hoc loco vertere *Dominum omnipotentem* κύριον παντοκράτορα.

וייגעו *& laborabunt*] i. Ut laborent שייגעו. Nonne ecce Dominus facit, ut populi laborent & fatigent se igne & ut in cassum fatigentur. In igne laborare est ita laborare, ut operis nullus sit fructus, eo veluti igne statim ut factum est absumpto. Ut si quis telam texat igne supposito, qui telæ fila non rumpet modo, sed etiam plane consumet. Atque ita duplex fiet jactura materiæ & operæ sive laboris. Vide Jerem. cap. 51. ubi idem prorsus tractat argumentum de excidio & vastatione Babel. Ubi sic legitur ויגעו עמים בדי ריק ולאמים בדי אש ויעפו. Inverso ordine pro אש ponit ריק & contra.

בדי] בְּ די est adjectio syllabica. Particula παραπληρωματικὴ expletiva. Idem ergo quod באש & בריק. Alii vertunt, *in ignem, in vanum*, ut idem sit atque לאש. Hoc sensu, Cognoscent aliquando populi & gentes quæ cum Nabuchodonosore bellum gesserint laborem eorum & operam non solum inutilem esse, incassum & infrugiferum, sed etiam in ignem redactum iri. Persas enim & Medos, eorum opes quas congesserant & ædificia quæ exstruxerant, incendio vastaturos & igne absumpturos. At ita ב referunt ad finem, ut in ignem laborare sit impensam laboris insumere in re, quæ res igne conflagrabit. Qui sensus nescio an aptus sit, cum in Hebræo sit וייגעו & laborabunt. יגע πονεῖν laborare, עמל κοπιάζειν seu κοπιᾶν molesto labore torqueri. יעף delassari, lassitudine affici ac defatigari. Cic. in Rhet. *Fatigatus igne.* Vel *in igne* erit in re levissima, & quæ statim ut parta est, ita avolat, quemadmodum ignis levitate sua statim ut accensus est sursum fertur. Proverbio dicunt Græci εἰς τὸ πῦρ ξαίνειν ignem dissecare, de inani opera. Quid si in igne laborare sit in periculo cum labore versari. Cui affine est quod per ignem incedere ἐν πυρὶ βαίνειν dicunt Græci Latinique. Potest etiam dici in igne laborare, cujus labor brevis est & minime diuturnus. Sicut eum per ignem incedere dicunt, cui celeriter negotium est conficiendum. לא יגעו לריק יגעתי לריק Isai. 49. 4. 65. 24. Optima expositio hujus phrasis בדי אש est ea quam habet Jeremias, qui interpretatur בדי ריק & è contra. Nam certe inanem laborem sumit, si quis in igne velit materiam fabricare.

Non sunt hæc à DOMINO omnipotente] Hieron. *A DOMINO Sabaoth, quem nunc Lxx. interpretati sunt omnipotentem.*

14. לדעת את יהוה] *Cognoscere Dominum* i cognitionem Domini. Gerund. pro nomine, ut & infinit. & Gerund. pro infinit. aliquando ponitur.

15. *Væ qui potum dat*] Hieron. *Pro subversione turbida Symm. interpretatus est* καὶ ἀΦιῶν ἀκρίτως τὸν θυμὸν ἑαυτοῦ *i. & emittens absque judicio furorem suum. Theod.* ἀποχύσεως σου, *diffusione sua. V. edit.* ἐξ ἀπροσδοκήτου ἀνατροπῆς τῆς ὀργῆς σου *quod sign. de subversione insperata iræ tuæ. Aq.* ἐξ ἐκπέμψεως χόλου σου, *quod possumus vertere, De emissione furoris tui. In alia editione repperi,* οὐαὶ τῷ ποτίζοντι τὸν ἑταῖρον αὐτοῦ ἀέλλην πετομένην, *quod ipsum in lingua nostra sonat, Væ qui potum dat amico suo turbinem volantem. Sed & alibi translate legi, Væ qui potum dat proximo suo,* ἔκστασιν θολωμένην *i. amentiam turbidam. Hoc propterea ut verbum Ebraicum* מִסְפַּח, *quod transtulerunt Lxx.* ἀνατροπὴν *i. subversionem, sciri posset quanta apud omnes editiones varietate discordet.*

ואף שכר] Hæc possunt construi cum superioribus. Adjungens iram seu excandescentiam tuam, atque etiam inebriare i. inebriationem. Qui ita potas sodalem tuum ut ad ebrietatem adigas, & hoc iracundia impulsus, succenses illi, si se nolit inebriare, vinoque & potu replere. Tu ergo iratus cogis ad bibendum, atque invitum adigis, ut ipsius pudenda conspicias, crimen crimine adaugens. Solent autem ebrii sua pudenda revelare sine ullo pudore aut ignominia, sicuti de Noë legimus, qui vino plenus discubuit retectis verendis. Atque hic simplex est hujus loci sensus. Quem allegoricus quidam accipiunt de Nabuchodonosore, qui ebrius felicitate & fortuna secunda pertrahebat etiam alios reges in suam societatem, atque eodem poculo inebriabat, in eum finem ut terræ eorum nuditatem videret, eaque potiretur, rideret quoque & ludibrio haberet eorum munitiones, iis dejectis incolas sibi subjiceret & in obedientia melius contineret. Atque hanc allegoricam expositionem innuit quod postea sequitur תסוב עליך כוס ימין יהוה.

16. שבעת קלון *Saturatus es ignominia*] Saturatus infamia præ gloria i. יותר מכבוד magis quam gloria: fuisti ignominia quam gloria saturior,

turior, plus infamiæ hausisti & epotasti quàm honoris aut gloriæ. Infamia active qua sc. alios notasti.

הערל] Appareat præputium tuum seu nuditas tua; quemadmodum concupivisti videre aliorum pudenda, ita oportet ut nunc tua ostendas. Vel allegorice per transpositionem litterarum erit idem quod רעל expavescere, sopiri, contremiscere, ut in illo, כוס התרעלה calix pavoris & consternationis. Ac propterea dicit postea, *Vertetur super te calix dexteræ Dei.* Jon. interpretatur, אתערטל denudare, discooperire. Lxx. σείσθητι commovere. Hieron. *consopire.* Jarchi exponit כאשה בשכרון ובהכרון לב.

17. יחיתן] Conteret, consternet eas i. erit illis exitio & contritioni. Vastatio quam inferent pascuis & regionibus. Pro יְחִיתַן vel יַחְתֵּן à חתת in conjug. Hiphil. conteret, franget, consumet.

18. פסל] Lxx. γλυπτὸν sculptum. Ex Hieronymo, *Sculpturam possumus in lapidibus & marmoribus accipere. Consolatura vero in his metallis intelligitur quæ solvi possunt aut conflari. Verbi gratia, auro, argento, ære, plumbo stannoque.* Ibid. *Faciet sibi simulacra muta vel surda: κωφὰ quippe apud Græcos utrumque significat: quanquam Symm. ἄλαλα interpretans, muta magis videatur intellexisse quam surda.*

19. אמר לעץ *dicens ligno*] i. Idolo ligneo. Synecdoche est materiæ pro materia & forma. Interea major emphasis est in figurata locutione quam in propria. Ostendit enim idolum non esse aliud quam lignum, etiamsi Deum referat forma & figura. Similis tropus est in אבן pro lapideo simulachro.

אבן דומם] Epithetum est perpetuum *lapis silens* seu *tacens* seu quiescens qui seipsum movere nullam in partem potest. Vulgo dicimus, *magis mutus quam lapis:* & *lapidi loquimur* quoties nobis res est cum eo qui inexorabilis est & à quo nihil impetrari potest. Posset etiam intelligi de taciturno, cui nihil eorum quæ illi committimus effluit. Alias lapis vocatur stupidus & amens.

20. היכל קדשו] Periphrasis cœli. Cum itaque Domini majestas resplendeat in cœlis, sileant ab eo & obstupescant omnes incolæ terræ.

GROTIUS.

1. S*Uper custodiam meam stabo, & figam gradum super munitionem, & contemplabor*] Amant Hebræi verborum copiam; itaque rem eandem multis verbis exprimunt. Prophetæ speculatoribus comparantur, ut videmus Ezech. III. & XXXIII. Oseæ V. 1. Sicut speculatores in specula sua se tenent, ibique stantes manent, & oculos intentos habent in omnia quæ in conspectum se dant: ita & Prophetæ exspectant patienter quid ipsis Deus sit revelaturus. *Munitio* hic est turris, specula. ¶ *Ut videam quid dicatur mihi*] Intelligam quid Deus mihi significet. ¶ *Et quid respondeam ad arguentem me*] *Ad argumentum meum:* ad objectionem illam quam feci de majoribus Chaldæorum peccatis, infra 12. & deinceps.

2. *Scribe visum*] Id quod tibi dicturus sum. Omnis enim perceptio *visus* Hebræis dicitur. ¶ *Et explana eum super tabulas*] באר est infinitivus pro adverbio, & recte à Græcis hic vertitur σαφῶς [*aperte*], quo sensu invenitur & Deut. XXVII. 8. Pro *eum* pone *istud*, id est, *Visum istud.* Sensus est: *Scribe, & quidem dilucide.* ¶ *Ut percurrat qui legerit eum*] Id est, ut statim assequatur qui illud legerit: *unde de plano legi posset,* dicebant Latini.

3. *Quia adhuc Visus procul*] Visi illius impletio longe abest, à Manassis tempore ad tempora Cyri. Ideo vult *perscribi Visum*, ut bene legi possit & suo tempore cum eventu comparari ad monstrandam Dei providentiam. Simile monitum habuimus Esai. VIII. 16. Jer. XXII. 30. Dan. VIII. 26. ¶ *Et apparebit in finem*] *Sed tandem erumpet*, sicut flatus erumpit. ¶ *Et non mentietur*] *Non fallet hoc Visum.* ¶ *Si moram fecerit exspecta illum*] *Illud*, tu popule Judææ. ¶ *Quia veniens veniet*] *Certo veniet* implementum. ¶ *Non tardabit*] Id est, non semper differetur.

4. *Ecce qui incredulus est, non erit recta anima ejus in semetipso*] In Hebræo, quod nos habemus, *qui arrogans est*; sed cum Lxx habeant, ἐὰν ὑποςείληται, ἐκ εὐδοκεῖ ἡ ψυχή μου ἐν αὐτῷ, quod sequitur divinus Scriptor ad Hebr. x. 38. apparet eos legisse עלפה [*defecerit*] & נפשי [*anima mea*]; sensu optimo. *Si quis defecerit* in exspectando scilicet (nam עלף vertitur Græce per ἐκλείπειν [*deficere*] & ὀλιγοψυχεῖν [*animo concidere*]) *is mihi non placebit.* Dei sunt verba. ὑποςέλλεσθαι est *minus facere quam oportet*, Act. xx. 20. 27. Gal. II. 12. Hinc ὑποςολὴ [*animi despondio*] opponitur τῇ πίςει [*fidei*] dicto capite ad Hebr. 39. ¶ *Justus autem in fide sua vivet*] Scriptor ad Hebræos simpliciter ἐκ πίςεως ζήσεται [*ex fide vivet*]. Eodem modo nunc legimus ad Rom. 1. 17. At tempore Hieronymi ibi legebatur ἐκ πίςεώς μου [*ex fide mea*], quomodo habent Lxx. Notavit id Hieronymus in Commentario ad hunc locum. Legerunt ergo Græci אמונתי *fide mea*, id est, in me. Nam affixa talia Hebræa, ut & genitivi Græci & Latini, modo rem subjectam, modo objectam significant. *Justus in fide mea vivet*, id est, Qui bonus probusque est manebit constans in exspectatione eorum quæ dixi. Ajunt Hebræi omnia Legis præcepta in hoc dicto contineri: nimirum quia nulla est certior ad eam omnem, quæ Deo debetur obedientiam via, quam Dei promissis minisque fidem plenam habere. Et hoc est quod toties inculcat Paulus, *Per fidem homines justos fieri*, id est, pertingere ad eam probitatem ad quam suapte ratiocinatione ac labore pertingere non possent.

5. *Et quomodo vinum potantem decipit, sic erit vir superbus*] Quales Chaldæi, dulci fortuna ebrii. ¶ *Et non decorabitur*] *Non permanebit* in suo statu: sicut nec ebrius manet qui fuit. ¶ *Qui dilatavit quasi Infernus animam suam, & ipse quasi mors, & non adimpletur*] Chaldæi laborant insatiabili quadam regnorum siti; & in ea morti, sive τῷ ᾅδῃ [*Inferno*], optime comparantur: Prov. XXVII. 20. Sic Latini dicunt,

- - - *Regnum insatiabile Ditis.*

¶ *Et congregabit ad se omnes gentes, & coacervabit ad se omnes populos*] *Etiamsi ad se cogeret omnes gentes, omnesque populos ad se contraheret.*

6. *Numquid non omnes isti super eum parabolam sument?*] Nonne æquum est ut tot populi à Chaldæis male tractati aliquando versas vices doctis quibusdam dictis decantent? Omnia dicta acuta, aut lepida, aut sententiosa sunt משלים Hebræis. ¶ *Et loquelam ænigmatum ejus*] In Hebræo: *interpretatione ænigmatum ei*, id est, de eo. *Ænigmata* vocat generales sententias, quas populi Chaldæis aptabunt. ¶ *Et dicetur*] *Dicendo.* ¶ *Væ ei qui multiplicat non sua*] Simile dictum Menandri:

Πλεονεξία μέγιςον ἀνθρώποις κακόν.
Οἱ γὰρ θέλοντες προσλαβεῖν τὰ τῶν πέλας,
Ἀποτυγχάνουσι πολλάκις νικώμενοι
Τὰ δ' ἴδια προςθέασι τοῖς ἀλλοτρίοις.
[*Summum est aviditas generis humani malum:*
Aliena namque pro suis qui vindicant,
Persæpe non tantum improba spe decidunt
Victi, sed apponunt & alienis sua.]

¶ *Usquequo & aggravat contra se densum lutum*] *Ad se*, עליו; quousque ille sibi ingeretur coacervare tantam vim luti, id est, auri & argenti: nam, ut ait Naumachius,

Χρυσὸς τοι κόνις ἐςὶ καὶ ἄργυρος.
[*Aurum atque argentum cinis est.*]

Hebræis הכביד est etiam *multiplicare.*

7. *Numquid non repente consurgent qui mordeant te?*] An non æquum fuit ut *consurgerent* adversus te Medi & Persæ *qui te mordeant?* ¶ *Et suscitabuntur lacerantes te, & eris in rapinam eis?*] *Et ut surgerent contra te qui te lacerarent, ac quibus tu præda esses?*

8. *Quia tu spoliasti gentes multas, spoliabunt te omnes qui reliqui fuerint de populis*] *Omnes populi alii.* Plurimæ enim gentes etiam Scythicæ fuere in Cyri exercitu. ¶ *Propter sanguinem hominis*] Cædes plurimas. ¶ *Et iniquitatem terræ civitatis, & omnium habitantium in ea*] *Et direptionem terræ* (id est, terrarum), *civitatis* (id est, urbium), *& omnium in ea* (id est, in eis urbibus) *habitantium.* Vides non omnia quæ ex gentium jure fieri dicuntur, apud Deum pro licitis haberi; sed spectari causam & modum.

9. *Væ qui congregat avaritiam malam domui suæ*] In Hebræo: *Væ concupiscenti concupiscentiam malam domui suæ*, id est, *corradenti opes injustas domi suæ*, ut interpretatur Chaldæus. Hebræis omnis actio injusta quæ proprium nomen non habet dicitur concupiscentia. ¶ *Ut sit in excelso nidus ejus, & liberari se putat de manu mali*] *Ut ponat in locis celsis nidum suum.* Aves tutæ sunt quæ in rupibus inaccessis nidificant. Sic Chaldæi, qui plurima tenebant loca situ & operibus defensa, putabant se extra periculum esse. *Manus mali* hic est vis hostium.

10. *Cogitasti confusionem domui tuæ*] Id est, consilia cepisti in domus tuæ casura dedecus, id est, patriæ tuæ, ô Chaldæe. ¶ *Concidisti populos multos*] קצה est *decorticare.* Ideo Chaldæus hic vertit *spoliasti.* Lxx, συνεπέρανας [*ad exitium adduxisti*]. ¶ *Et peccavit anima tua*] *Et peccatrix anima tua:* id est, peccare tibi ex consuetudine in naturam vertit.

11. *Quia lapis de pariete clamabit, & lignum quod inter juncturas ædificiorum est respondebit*] *Testabitur.* Nam quia ad interrogationem reddebantur testimonia, ideo ענה [*respondere*] ponitur pro *testari*, etiam in Decalogo. כפיס quid sit? quæritur.

tur. Græci omnes, præter Lxx. transtulere συνδεσμὸν [*colligationem*], idque Hieronymus putat esse quod vulgo Græci vocant ἱμάντωσιν, quam vocem Suidas interpretatur δέσιν ξύλων [*lignorum juncturam*]. Lxx. hic posuere κάνθαρον [*scarabæum*]. Chaldæus vero *segmentum*; quo sensu etiam in aliis libris Chaldaicis sumitur כפיס. Ita sensus erit, Tuæ injustitiæ testimonium reddunt tot muri urbium dejecti, tot ædium fragmenta.

12. *Væ qui ædificat civitatem in sanguinibus, & præparat urbem in iniquitate*] Væ Chaldæis qui ex aliarum urbium, nihil tale commeritarum, ruinis Babylona auxerunt.

13. *Numquid non hæc sunt à Domino exercituum?*] *An non hoc erit à Domino exercituum?* nempe hoc quod sequitur. ¶ *Laborabunt enim populi in multo igne*] *Ut multo igni laboraverint populi:* id est, fiet ut Chaldæi illa Babylonis opera flammæ paraverint. ¶ *Et gentes in vacuum, & deficient*] *Et ut gentes plane in vanum se lassaverint*, ut nulli suo usui ista extruxerint.

14. *Quia replebitur terra, ut cognoscant gloriam Domini, quasi aquæ operientes mare*] Est hic Trajectio, & ἔλλειψις [*defectus verborum*] præterea, quam sic explicare liceat, *Nam sicut aquæ alveum maris operiunt: ita terra Babylonica implebitur exercitibus, ut Dei justitia in Chaldæos omnibus gentibus appareat.*

15. *Væ qui potum dat amico suo, mittens fel suum, & inebrians, ut adspiciat nuditatem ejus*] Variant hic veteres, quia & מספח & חמתך non uno modo sumuntur. Optima expositio hæc videtur: *Væ tibi qui propinas amico conjunctissimo vinum tuum calidum, ut inebries eum, deinde adspicias ejus pudenda*, id est, ut eum prædas; quod illis temporibus satis frequens in Oriente. Sed per hanc ἀλληγορίαν [*tectam locutionem*] intelligitur perfidia Chaldæorum, qui fœderibus illiciebant populos, quos deinde tractabant ignominiosissime.

16. *Repletus es ignominia pro gloria*] Hæc dicunt gaudentes populi, ob domitos Chaldæos gentium domitores. ¶ *Bibe tu quoque*] De calice iræ Dei, ut sequentia explicant: Jer. xxv. 17. & seq. ¶ *Et consopire*] Legit הרעל; at nostri codices habent הערל. Est ערל proprie *abducere præputium:* μεταφορικῶς [*translate*] ad omnem *nudationem* transitur. Sensus est: *nudator & tu*, ut nudasti alios, id est, illuditor. ¶ *Circumdabit te calix dexteræ Domini*] In Hebræo: *Vertet se super te.* Sicut dicimus, *Vertitur œnophori fundus.* Sensus est, Totum calicem ebibes, ita ut siccatus verti possit. ¶ *Et vomitus ignominiæ super gloriam tuam*] *Vomitus fœdus super ornatum tuum veniat:* id est, turpissime te geras in illa calamitate, Jer. xxv. 27.

17. *Quia iniquitas Libani operiet te*] Pœnam feres destructi Templi; quod *Libanus* vocatur, quia maximam partem ex cedris Libani constabat. Apparet id Ezech. xvii. 3. & Zach. xi. 1. nec aliter hic accepit Chaldæus. ¶ *Et vastitas animalium deterrebit eos*] *Vastitas ferarum* (id est, qualem edunt feræ) *conteret illa*, nempe quæ struxerunt Chaldæi, de quibus supra 12. ¶ *De sanguinibus hominum*] *Propter sanguinem humanum*, ut supra 8. nam repetit quæ ibi dixerat, sed specialius aptat ad Judæos, terram Judæam, & Hierosolyma.

18. *Quid prodest sculptile*] Hoc dicent Judæi, Quid profuere Chaldæis imagines deorum? ¶ *Quia sculpsit illud fictor suus, conflatile, & imaginem falsam*] *Quod fecit faber suus, conflatile opus, nempe documentum mendacii.* Recte: quia verum numen non inerat, quod tamen decepti homines putabant. ¶ *Quia speravit in figmento fictor ejus*] *Attamen spem posuit in opere opifex suus.* ¶ *Ut faceret simulacra muta*] *Cum tamen fecisset simulacra muta.*

19. *Væ qui dicit ligno, Expergiscere; Surge, lapidi tacenti*] Merito male erit hominibus tam stultis, qui precibus suis audientiam sperant à rebus surdis. ¶ *Numquid ipse docere poterit?*] *Ipsum illud te docet*, nempe se esse surdum. ¶ *Ecce iste coopertus est auro & argento*] *Obductum quidem est auro vel argento*, Esai. xl. 18. Jer. x. 4. ¶ *Et omnis spiritus non est in visceribus ejus*] *Sed nulla vita est in ipsis.*

20. *Dominus autem in Templo sancto suo*] *At Deus* (non est talis, sed) *in Templo illo sanctissimo habitat*, id est, in cœlo: inde & despicit & gubernat omnia. Vide Psalmo cxv. 3. Jon. ii. 8. Mich. i. 2. Ejus Templi figuram gerebat Templum quod erat Hierosolymis. ¶ *Sileat à facie ejus omnis terra*] Id est, timeat eum: quomodo hic Græci, εὐλαβείσθω ἀπὸ προσώπου αὐτοῦ πᾶσα ἡ γῆ [*metuat à facie ejus omnis terra*]. Locutio est Hebraica, quam reperies & 1 Maccabæorum i. 3.

CAP. III.

MUNSTERUS.

1. *Super ignorantiis*] Movetur Propheta recordatione afflictionum populi sui ad orandum super peccatis per errorem sub Nebuchadnezari persecutione commissis, consolaturque pios, prædicens propediem affuturam veram & æternam salutem; ad memoriam etiam revocans multiplicia beneficia, mirabilia & liberationes quæ Deus populo suo exhibuit ab eo tempore quo eos duxit de Ægypto, &c.

2. *Audivi auditum tuum*] i. Tu indicasti mihi in quam crudelem & diutinam captivitatem abiturus sit populus meus, adversus quam nihil conari possumus, cum & nos demeruerimus eam, & tu jam faciendum decreveris; sed oramus tantum ut *in medio annorum vivifices* populum tuum, ne malis devictus tui obliviscatur, & tu *memor sis* eorum quæ ei promisisti, ut etiam *in ira* tua populus tuus sentiat gratiam tuam.

3. *De Theman veniebat*] Incipit enarrare mirabilia quæ Deus populo suo peculiariter præ omnibus gentibus ostendit. Daturus enim Legem, apparuit de monte *Theman*, qui est mons Seir, & *de monte Pharan:* de quo vide Deut. 33. à principio. ¶ *Sela*] Sunt qui hanc dictionem exponunt pro עד עד *sempiterno:* & sic capitur Ps. 84. 4. יהללוך סלה *Laudabunt te in secula seculorum.* Et sic quoque Jehudæi claudunt epitaphia sua; ut hic Basileæ scriptum inveni in lapide, נשמתה תהא צרורה בגן עדן א א א סלה, h. e. *Sit anima ejus ligata in paradiso, amen, amen, amen, in sempiternum.* Et Heidelbergæ lapis est sculptus ante annos 243, cujus inscriptio in hæc desinit verba, מנוחתה בצרור החיים עם שאר צדקניות א א א סלה, h. e. *Quies ejus sit in fasciculo vitæ cum reliquis justis mulieribus*, &c. Aben Ezra vero exponit vocabulum סלה pro אמת *veritate* seu *vero*. Et D. Kimchi dicit SÆLA esse *elevationem vocis:* id quod hinc colligit, quod nullibi quam in Psalmis & Canticis inveniatur. Scribit autem sic, ענינו הרמה והגבהה כי באותו המקום היה הגבהת הקול בניגון. Et radicem vocabuli putat esse סלל, quæ *elevare* significat. Hæc diffusius hic scripsi, ne in Psalmis denuo ea repetere cogar.

4. *Splendor ejus sicut lux erat*] Verba futuri temporis quæ hic ponuntur accipienda sunt pro præterito imperfecto. Erat, inquit, in monte Sinai gloria Domini splendens quasi ignis: & de potentia ejus factum est ut in Mose cernerentur *cornua* splendidissima. Sed *& in illo loco* visa est majestas Domini & *fortitudo ejus*, quæ hactenus mortalibus fuit *abscondita:* vel ex eo tempore habuerunt apud se *absconditam fortitudinem Domini*, quæ tam mira egit inter filios Israel. Præterea percussit inimicos eorum *peste* & ardore, dedit eis locum, & distribuit eis fecit *terram* in funiculo distributionis: ipse *dissolvit gentes* Chnaan, *& contrivit montes*, h. e. Reges, qui *longo tempore* terram illam inhabitaverant, is, inquam, hæc fecit, qui solus *habet itinera æternitatis.*

7. *Loco iniquitatis*] Orat hic Propheta ut Dominus exserat illam potentiam suam quam Judic. 3. contra *Chusan* ostendit, & cap. 6. contra *Midianitas*; item in *mari* Rubro cum demergeret Pharaonem, in Jordane cum traduceret Israel, ubi non *iratus fuit contra aquas*, sed, ut deterreret hostes populi sui, potentiam suam ostendit perinde quasi adesset *cum equis & curribus*, pugnaturus pro suis.

9. *Fluviis scindes terram*] i. Educis tua potentia fontes & aquam scaturientem de terra sicca. Et hæc signa cum *vidissent montes*, h. e. potentes Reges, *doluerunt:* tantum abest ut gloriam dederint Deo.

10. *Impetus aquarum transiit*] Hebræi exponunt de Jordane exsiccato, quando fundus ejus, qui hic per *abyssum* intelligitur, solidum & sonorosum calcantibus præbuit vestigium. Vel profunda aquarum moles disrupta *vocem* hic *dedisse* refertur, sicut & moles aquarum dicitur *elevasse manus suas*, cum aqua terminum illum ubi transituri erant Israelitæ transgredi non auderet, sed in altum cumulum fuit collecta & in muri speciem stabat erecta.

11. *Sicut Sol & Luna*] Hoc miraculum scribitur Jos. 10. ¶ *Ad lumen sagittarum tuarum*] i. Cum sagittis & fulminibus prosterneres hostes populi tui, per illa fulmina dedisti eidem populo tuo lumen, ut proficiscerentur sine discrimine per viam.

13. *Egressus es*] Sensus est, etiam secundum Hebræos, Sicut olim *egressus es ut salvares populum tuum* ex incidentibus periculis, sic egredere *ad salutem cum Christo tuo* Filio David, ut is liberet populum suum nedum à corporalibus malis, sed multo magis à peccatis eorum: etiamsi Jehudæi illud posterius non adjiciant. Et sicut *vulnerasti* seu *contrivisti* olim *capita impiorum;*

&

& *retexiſti fundamenta* eorum quibus nixi ſunt, ſic age modo contra Antichriſtum & membra ejus. Eandem fere habent expoſitionem verba quæ mox ſequuntur.

15. *Incedere feciſti*] i. Tu virtute tua magna *iter feciſti per mare*, ut populi tui tranſirent.

16. *Audivi, & contremuit venter meus*] Ad tempus Prophetæ putant referendum Hebræi: Chriſtiani vero ad tempus Antichriſti referunt; & per *ficum* aliorumque fructuum privationem intelligunt amiſſionem bonorum ſpiritualium. At pii *exſultantes in Domino* & fiduciam habentes in promiſſionibus Dei, abundant omnibus bonis, etiam in mediis tribulationibus, & *ambulant in excelſis*; juxta illud, *Converſatio autem noſtra eſt in cœleſtibus.*

V A T A B L U S.

1. PRo ignorantiis עַל שִׁגְיֹנוֹת] Sub. *Iſraelis*, ſive *populi Iſraelitici.* Orat enim Propheta Dominum pro popularibus ſuis, orans illum ut non imputet eis ignorantias & errores ipſorum: utque dum erunt in captivitate Babylonica, dignetur clementer agere cum eis, & ſervare eos incolumes. Narrat autem ſigna & virtutes quæ Dominus fecerit ante & poſt egreſſum ex Ægypto, confidens, & velut prædicens idem facturum in exitu captivitatis Babylonicæ. Obiter prædicit captivitatem Babylonicam. Doctus inter Hebræos exponit *ad inſtrumenta muſica.* Hæc enim oratio ad rationem canticorum ſive pſalmorum conſcripta fuit.

2. *Audivi famam tuam* שָׁמַעְתִּי שִׁמְעֲךָ] Ad verb. *audivi auditum tuum:* i. intellexi per Spiritum Prophetiæ quod ſtatueris te conjecturum populum tuum in captivitatem propter peccata ſua. ¶ *Opus tuum* פָּעָלְךָ] i. Populum Iſraeliticum, qui tuus eſt non tantum propter creationem, ſed etiam propter tot & tanta beneficia quæ accepit à te. ¶ *Annorum* שָׁנִים] Sub. *captivitatis ſuæ*, i. tantiſper dum aget captivus Babylone. ¶ *Vivifica* חַיֵּיהוּ] Ad verb. *vivifica eum.* Redundat pronomen: i. ſerva incolumem.

3. *A Theman* מִתֵּימָן] *Theman* & *Paran* montes ſunt vicini monti Sinai, unde Dominus viſus eſt quaſi *venire* cum dedit Legem. Hæc præcedentibus ſic connectuntur, *Id quidem præſtare potes, qui tot ac tanta ſigna & prodigia edidiſti in gratiam ejus, præſertim cum dediſti ei Legem in monte Sinai, poſteaquam eduxeras eum è ſervitute Ægyptiaca.* ¶ *Selah* סֶלָה] Hæc dictio non cohæret ſenſu cum præcedentibus, ſed tantummodo indicat vocem canentium in dictione præcedente exaltari debere. Quidam vertunt לָנֶצַח *in æternum.* Alii, בֶּאֱמֶת *in veritate.* Deducitur autem à סלל *exaltavit.* Vide Pſ. 3.3. ¶ *Et laudis ipſius* וּתְהִלָּתוֹ] *Et ſplendoris ejus:* vel *fulgoris.*

4. *Fuit* תִּהְיֶה] Fut. Heb. pro præt. ¶ *Illi* לוֹ] Relativum ſine antecedente: *illi*, nempe Moſi: i. Dominus reddidit faciem Moſis ſplendidam ac lucidam. ¶ *Abſconſio fortitudinis ejus* חֶבְיוֹן עֻזֹּה] i. Fortitudo Domini, quæ antea abſcondita & tecta erat, detecta fuit in monte Sinai.

5. *Ambulabat* יֵלֶךְ] Fut. Heb. pro imperfecto: q. d. *Cum eſſet introducturus populum Iſrael in Terram ſanctam, perdidit peſte incolas ejus & qui eam occupabant.* Cœperunt enim quamplurimi perire *peſte* & *carbunculo* ad adventum filiorum Iſrael. ¶ *Carbunculus* רֶשֶׁף] *Cauma*, i. febris acuta & ardens. ¶ *Propter eum* לְרַגְלָיו] *Poſt eum:* i. & ſequebatur eum carbunculus. Ad verb. *ad pedes ejus:* erat enim cauſa illius.

6. *Stetit, & menſus eſt* עָמַד וַיְמֹדֶד] *Subſtitit, & menſus eſt*, i. diviſit per menſuras, & diſtribuit. Alludit ad arcam Domini, quæ ſubſtitit 14 menſibus in Galgal, donec diſtributa fuit terra per 12 tribus. ¶ *Et exſilire fecit* וַיַּתֵּר] i. Exire fecit, ſive ejecit: q. d. Solo aſpectu perdidit Gentes illas. ¶ *Montes ſeculi, incurvaverunt*, &c. הַרְרֵי עַד שַׁחוּ גִּבְעוֹת עוֹלָם] *Montes æternitatis, humiliatique ſunt colles antiqui.* Per *montes* & *colles ſeculi* intelligit Reges & Principes, ac nobiles ſive dominos, qui multis ſeculis ac multo tempore imperaverant in regione illa. ¶ *Itinera ſeculi* הֲלִיכוֹת עוֹלָם] *Itinera mundi.* Intelligit motus ſphærarum cœleſtium: q. d. Non ſolum regit ac moderatur mundum iſtum inferiorem, ſed etiam ſuperiorem.

7. *Pro nihilo vidi* תַּחַת אָוֶן רָאִיתִי] Sub. *in Patribus meis:* i. Viderunt majores mei *tentoria Chuſan* Regis Syriæ fuiſſe irrita & vana & nullius momenti: q. d. Eripuiſti populum tuum de manu Chuſan Regis potentiſſimi. Hiſtoria legitur Judic. 3. 10. Quidam vertunt, *Loco iniquitatis vidi.* Alii, *Propter iniquitatem vidi.* ¶ *Trepidaverunt cortinæ* יִרְגְּזוּן יְרִיעוֹת] *Tremuerunt tabernacula* quæ ex pellibus fiebant: q. d. Tu quoque alia vice liberaſti populum tuum à Madianitis per Gedeonem, Judic. 7.

8. *Furor tuus* עֶבְרָתֶךָ] Mutatio perſonæ. ¶ *Quia* כִּי] *Quando.* De Mari rubro loquitur. Alludit ad id quod ſcriptum eſt, *Egreſſus eſt enim eques Pharao cum curribus & equitibus ſuis:* q. d. Tu quoque pugnaſti pro populo tuo contra Ægyptios. ¶ Ad *ſalutem* יְשׁוּעָה] Ad verb. *ſalus*, i. auxilio fuerunt.

9. *Manifeſtatione manifeſtatus*, &c. עֶרְיָה תֵעוֹר קַשְׁתֶּךָ] *Nudatione nudatus fuit:* i. Tunc apparuit notumque fuit ac cognitum auxilium tuum. ¶ *Juramenta* quæ feciſti *tribubus* שְׁבֻעוֹת מַטּוֹת] Sub. *manifeſtata ſunt:* i. adimpletæ fuerunt promiſſiones tuæ factæ Patribus, quibus interpoſito juramento pollicitus fueras te daturum filiis Iſrael Terram illam ſanctam. ¶ *Repromiſſio* אֹמֶר] Per Appoſitionem dictum. Ad verb. *ſermo: verbum:* i. quæ nihil aliud ſunt quàm promiſſio. Alii vertunt *dictum*, & ſubandiunt *ad confirmandum.* Eadem eſt ſententia. ¶ *Selah* סֶלָה] Vide v. 3. ¶ Et in *fluvios*, &c נְהָרוֹת תְּבַקַּע אָרֶץ] i. Et ingentem vim aquarum eduxiſti è terra fracta ac ſciſſa.

10. *Viderunt te* רָאוּךָ] Sub. *venientem.* ¶ *Tremuerunt montes* יָחִילוּ הָרִים] *Doluerunt montes*, i. tremore ſive dolore correpti ſunt. Scriptura Reges ac Principes comparare ſolet *montibus.* Vel eſt hic Hyperbole de Montibus ipſis. ¶ *Tranſiit* עָבָר] i. Decidit in mare. In diviſione Jordanis altera pars aquarum, quæ vergebat ad mare, recepit ſe in illud, & altera perſtitit. ¶ *Vorago* תְּהוֹם] *Abyſſus.* Aquas Jordanis vocat *abyſſum*, quod amnis ille altus ſit ac profundus admodum: dicit igitur, In diviſione illa aquarum obortus eſt ſtrepitus maximus. ¶ In *altitudinem*, &c. רוֹם יָדֵיהוּ נָשָׂא] In *altum manus ſuas levavit*, ſub. *abyſſus:* i. elevavit ſeſe ſive aquas ſuas: q. d. & reliquæ aquæ quæ erant in ſuperiore parte, conſtiterunt in unum locum, & ita factus eſt maximus acervus aquarum.

11. In *habitaculo* ſuo זְבֻלָה] In *regione* ſua, i. cœlo: ſub. *ad preces Joſuæ, quando præliabatur contra quinque Reges Amorrhæorum.* Vide Joſ. 10. 13. ¶ *Sagittarum tuarum* חִצֶּיךָ] i. Grandinis permiſtæ fulguri, quam tu è cœlo demittebas in Ægyptios nocte illa qua inſecuti ſunt Iſraelem. ¶ *Ambulaverunt* יְהַלֵּכוּ] Sub. *filii Iſrael.* ¶ *Fulgoris haſtæ tuæ* בְּרַק חֲנִיתֶךָ] Sing. Heb. pro plur. Alii, *ferramentorum haſtarum tuarum.* Idem diverſis verbis repetit.

12. *In ira*, &c. בְּזַעַם וגו׳] *In ira* contra Chananæos *inceſſiſti* ſuper eos in *terra* ipſorum. *In ira*, i. iratus: q. d. Expulſis ſeptem illis Gentibus è regione ſua propter ſcelera ipſorum, introduxiſti in eam filios Iſrael. Quidam vertunt, *In ira conculcabas terram.* ¶ *Trituraſti* תָּדוּשׁ] i. More animalium triturantium conculcaſti, h. e. perdidiſti. Idem repetit diverſis verbis.

13. *Egreſſus es*, &c. יָצָאתָ וגו׳] i. Liberaſti populum tuum à ſervitute Ægyptiaca *per Chriſtum tuum*, vel, *Chriſto tuo duce*, ſive *Chriſti tui opera.* Hebraiſmus idem cum eo quem Pſal. 77. 21. legimus, *Deduxiſti populum tuum in manu Moyſi & Aaron.* Alii vertunt, Sicut *egreſſus es in ſalutem populi tui*, ita egredieris *in ſalutem* tuorum *cum Chriſto tuo.* Alloquitur Deum Patrem, & obiter prædicit adventum Chriſti. Hebræi quoque hunc locum de Chriſto interpretantur. Quemadmodum, inquit, olim ſervaſti populum tuum, & liberaſti eum à ſervitute temporali Ægyptiorum, ita tempore definito ac determinato ſervaturus es illum ac liberaturus à ſervitute Diabolica per Chriſtum. Prior verſio veritati magis accedere videtur. ¶ *Transfixiſti caput* מָחַצְתָּ רֹאשׁ] *Transfodiſti caput*, i. primogenitum *impii* Pharaonis interfeciſti perinde atque transfodiſſes eum enſe. ¶ *Denudando*, &c. עָרוֹת וגו׳] Quidam per præteritum vertunt, *denudaſti fundamentum* ejus Regni *uſque ad collum.* Intelligit eos qui proximæ ſunt dignitatis à Rege, ſicut Collum proximum eſt Capiti: q. d. Deleviſti exercitum ejus uſque ad duces ipſos ac primores exercitus. Situm eſt autem in exercitu robur totius Regni, quemadmodum fundamentum eſt robur totius ædificii.

14. *Perfodiſti*, &c. נָקַבְתָּ וגו׳] *Perforaſti virgis ejus capita* [ſing. Heb. pro plur.] *copiarum ipſius:* i. Interemiſti atque occidiſti milites Pharaonis perinde atque perforaſſes capita illorum baculis: q. d. Periit univerſus exercitus Pharaonis conſiliis ejus, nempe ut perſequerentur Iſraelem per Mare Rubrum, perinde atque ipſi ſeſe mutuo propriis enſibus trucidaſſent. ¶ *Ut diſpergerent me* לַהֲפִיצֵנִי] *Ut diſſiparent me*, i. perderent me, nempe populum Iſraeliticum. ¶ *Exſultatio eorum* עֲלִיצֻתָם] q. d. Tanta alacritate faciebant quanta facere ſolent qui perdere conantur hominem pauperem omni ope & auxilio deſtitutum.

15. *Calcaſti* דָּרַכְתָּ] *Ambulaſti. Inceſſiſti. Iter feciſti.* i. Tu traduxiſti populum tuum per medium mare, in quo more ſtrenuorum militum validiſſime illum ac potentiſſime proſecutus es. ¶ *Acervum aquarum multarum* חֹמֶר מַיִם רַבִּים] Quæ ſcilicet conſtiterant hinc & inde, ſive ex utraque parte viæ per quam populus incedebat.

16. *Et expavit* וַתִּרְגַּז] *Et commotus eſt*, i. commotum eſt cor meum quod eſt in ventre meo, h. e. in pectore: q. d. Intellexi per Spiritum Prophetiæ quæ tu mihi revelaſti de afflictione quæ eventura eſt Babyloniis. ¶ *Contremuerunt* צָלְלוּ] *Palpitaverunt.* ¶ *Ingreſſa eſt* יָבוֹא] Fut. Heb. pro præt. *invaſit.* ¶ *Et apud*

apud me ותחתי] Ad verb. *& in loco meo*, ut quidam vertunt. ¶ *Quæ eventura est*, &c. לעלות וגו'] Loquitur Propheta in persona eorum qui abducendi erant in Babylonem, & illinc salvi & incolumes reversuri in Terram sanctam. Ad verb. *Ascendere ad populum succidet eum*, nempe Israelem: vel, plurimas copias adducet contra illum. Obscurus locus, quem quidam sic vertunt, *quando ascendet ad populum ut succidat eum*, i. quando ascendet hostis contra populum ut succidat eum, tum demum erit *angustia*. Alii, *ut enim ille ascendat contra populum, colliget se*. Alii, *quiescam, ut ascendat contra populum, ut bello eum adoriatur*. Alii, *quando sese colligent ut ascendant contra populum*. Videtur ea versio quam sumus secuti propius ad sensum Prophetiæ accedere propter sequentem versum.

17. *Ficus*, &c. כי תאנה וגו'] Sing. pro plur. *Ficus arbores non florebunt*. Describit incommoda quæ afferre solet oppugnatio urbis capitalis. ¶ *Mentietur*, &c. כחש וגו'] Sub. *ipsi agricolæ*, vel *hero suo*. Hebraismus, Oleæ non producent fructum suum: non respondebunt votis agricolæ, vel heri sui. Quod præcessit, quodque mox sequitur, exponunt istum Hebraismum. Ad verb. *Negavit oliva fructum*, ut quidam vertunt. Alii, *mentitum est opus olivæ*. Præt. pro fut. ¶ *Abscindetur* גזר] Præt. Heb. pro fut. *abscissum est*, vel potius *abscindet*, sub. *hostis*. ¶ *Nec erit bos*, &c. ואין בקר וגו'] Ad verb. *& non erit bos in bovilibus*, i. nullaque erunt armenta in stabulis.

18. *Salute mea* ישעי] *Salutis meæ*, i. A quo omnem opem & auxilium exspecto: q. d. Cum gaudio & exsultatione canam Domino, & gratias agam illi pro tot ac tantis beneficiis ab eo acceptis.

19. *Et ponet*, &c. וישם וגו'] Hebraismus, *faciet pedes meos velocissimos ut sunt pedes cervarum*: q. d. faciet ut quam citissime revertar in patriam meam: aut, ut doctus inter Hebræos, *faciet ut leves sint pedes mei ad persequendum inimicos*. ¶ *Atque super excelsa mea*, &c. ועל במותי ידרכני] i. Deducet me in Judæam patriam meam montosam. *Excelsa sua* vocat montes Judææ. ¶ *Victori in Psalmis meis* למנצח בנגינותי] Dicamque *præfecto cantorum in pulsationibus meis*, i. in laudem Domini cantabo psalmos quorum initium est, *Præfecto cantorum in Neginoth*. Vide Psal. 4. 1. Quidam vertunt, *triumphantem in musicis instrumentis meis*.

CASTALIO.

3. EX *Themane*] Seir.
4. *Habebat ad manum cornua*] Legem. Vide Deut. 33.
10. *Prætereunte aqua gurgite*] Fontis ex petra excitati.
11. *Sol Lunaque stetit in statione sua*] Josuæ jussu.
13. *Trucidasti caput impiæ domus*] Pharaonem. ¶ *Subruto ad collum usque fundamento*] Regno funditus everso.
14. *Tu ejus ipsius telis caput ejus paganorum transverberasti*] Propter ipsum qui tibi sua culpa quasi tela dederit impellendo ad paganorum ejus militum pœnam.
16. *Ascendetur ad populum qui in eum facturus est impressionem*] Ibitur in captivitatem ad Chaldæos, qui Israelitam invasuri sunt.

CLARIUS.

1. O*Ratio Habacuch Prophetæ*] Movetur Propheta recordatione afflictionum populi sui ad orandum pro peccatis per errorem sub Nabuchodonosor persecutione commissis: consolaturque pios, prædicens propediem affuturam veram atque æternam salutem; ad memoriam etiam revocans multiplicia beneficia, mirabilia & liberationes quæ Deus populo suo exhibuit ab eo tempore quo eos duxit de Ægypto.

2. *Domine, audvi auditionem*] Sensus est, Tu indicasti mihi in quam crudelem & diutinam captivitatem abiturus sit populus meus, adversus quam nihil conari possumus, cum & nos meruerimus eam, & tu jam faciendum decreveris. Sed oramus tantum ut *opus tuum*, i. populum, *in medio horum annorum* malorum *vivifices*, ne malis devictus tui obliviscatur, & *notum facias* quam sis *misericors*, & nunquam sic *irascaris ut misericordiæ immemor fias*.

3. *Deus de Theman*] Incipit enarrare mirabilia quæ Deus populo suo peculiariter præ omnibus gentibus ostendit. Daturus enim Legem, apparuit *de monte Theman*, qui est mons Seir; *& de monte Pharan*: de quo vide Deut. 33. in principio.

4. *Splendor ejus ut lux*] Erat in monte Sinai, inquit, gloria Domini *splendens quasi ignis*; & de potentia ejus factum est ut in Mose cernerentur *cornua* splendidissima. Ferebat, inquit, secum ingentem potentiam, quam etiam signis declaravit. ¶ *Ibi abscondita est*] h. e. Talis ibi erat *adumbratio fortitudinis ejus*: & *mors*, h. e. lues, *ibat ante faciem ejus*, percutiens inimicos.

6. *Stetit, & mensus est terram*] Distribui ei fecit terram in funiculo distributionis. ¶ *Montes seculi*] Intelligi vult Reges; qui multis seculis fuerant firmi. Eodem modo accipe *itinera seculi*. Quamvis alius legat, *Habet enim vestigia æternitatis*.

7. *Pro iniquitate*] Orat hic Propheta ut Dominus exserat illam potentiam suam quam Judic. 3. contra *Chusan* ostendit, & cap. 6. contra *Madianitas*, item in mari Rubro cum demergeret Pharaonem, in Jordane cum traduceret filios Israel, ubi non *iratus fuit contra aquas*, sed, ut deterreret hostes populi sui, potentiam suam ostendit perinde quasi *adesset cum equis & curribus* pugnaturus pro suis. Quod ait *pelles*, intellige *tentoria*. Videtur autem hic esse sensus; *Pro iniquitate*, i. pro ultione iniquitatis nostræ, *vidi tentoria*, h. e. exercitum, *Chusan* contra nos; sed cum probi essemus, *contremiscere solebant cortinæ*, h. e. exercitus, *Madianitarum*. Nam futurum apud Hebræos interdum exponitur per *solet*, ut *contremiscent* pro *solent contremiscere*.

9. 10. *Juramenta*] h. e. *Secundum juramenta*, & *quæ* semper *locutus es*. ¶ *Fluvios scindebas terræ*] Educendo tua potentia fontes & aquam scaturientem è terra sicca. Et hæc signa cum *montes vidissent*, h. e. potentes Reges, *doluerunt*: tantum abest ut gloriam dederint Deo. ¶ *Gurges aquarum transiit*] Exponunt de Jordane exsiccato, quando solum ejus, quod hic per *abyssum* intelligitur, solidum & sonorum calcantibus præbuit vestigium. Vel profunda aquarum moles disrupta *vocem* hic *dedisse* fertur; sicut & *altitudo* sive moles aquarum dicitur *elevasse manus suas*, cum aqua terminum illum ubi transituri erant Israelitæ transgredi non auderet, sed in altum cumulum fuit collecta & in muri speciem stabat erecta.

11. *Sol & Luna*] Hoc miraculum scribitur Jos. 10. ¶ *In luce sagittarum*] Quod illis *lux*, hostibus erat *hasta* & *sagitta*. Cum sagittis, inquit, ac fulminibus prosterneres hostes populi tui, per illa fulmina dedisti populo tuo lumen, ut proficiscerentur sine discrimine per viam.

13. *Egrederis in salutem*] Sicut olim *egressus es*, sic nunc *egredere cum Christo tuo* Messia Filio David, ut etiam Hebræi exponunt. Et sicut *vulnerasti* olim *capita impiorum*, *& denudasti ac detexisti* omnia eorum, sic ages modo contra Antichristum ac membra ejus.

14. *Baculis ejus*] Scilicet Christi.

15. *Cumulo aquarum*] Per aquam scilicet quæ in morem cumulorum utrinque excreverat.

16. *Audivi*] *Auditionem* scilicet, sicut dixit à principio; ut revertatur ad narrationem sui temporis. ¶ *Subter me scatebat*] *Scatebat*, inquit, *quamvis* ab illis malis *sim liberandus*, *qua die ascendet* hostis *ut perdat nos*. Per *ficuum* aliorumque fructuum privationem intelligunt amissionem bonorum & calamitatem ingentem. Nostri hæc referunt ad tempus Antichristi, quo mali spiritualia bona amittent, at pii *exsultabunt in Domino*.

18. *In Deo Jesu meo*] Deo autore salutis meæ.

DRUSIUS.

1. O*Ratio Habaccuci*] Hæc Oratio scripta fuit ad imitationem Odarum Davidicarum: quod testantur voces in ea repertæ Odis illis peculiares, ut sunt *Sigionoth* hoc versu; *Selah* v. 3. *Lamenassea* v. 19. *Neginoth* in eodem versu. ¶ *Pro erroribus*] *Errores* vocat delicta populi. Sed melius ut שגינות accipiamus eo sensu quo legitur apud Davidem Ps. 7. שגיון לדוד, ubi genus est carminis aut cantilenæ. Sermo plenus erit si legas, *Oratio Habaccuci canenda secundum Odas quas* Sigionoth *vocant*. Appellatio à שגה; id sign. *errare*, & aliquando *multum esse in aliqua re*. Utrum ergo שגיון est *Ode erratica*, i. varia, ut quidam volunt? an potius *carmen multa cura elaboratum*?

2. *Audivi auditionem tuam*] h. e. Rumorem de pœna qua nos afficere decrevisti. Vel, *audivi sermonem tuum*, sive id quod Prophetæ prædixerunt de annis exsilii nostri. Tale est, *Quis credidit auditui nostro?* ubi שמועה in Ebræo: & est sensus, *Quis credidit sermoni nostro?* ¶ *Timui*] Veritus sum ut possimus subsistere & salvi permanere interea temporis. ¶ *Opus tuum in medio annorum*] Annos Captivitatis intelligit. *Opus* autem *Dei* vocat Israelem; ut Jes. 45. 11. *De filiis meis & de opere manuum mearum præcipite mihi*. Sic alibi, *Ipse est factor tuus*. ¶ *Vivifica*] In vita conserva. Ita sumitur hoc verbum aliquoties Exod. 1. Alibi est *vitæ restituere*: unde מחיה המתים *vivificatio mortuorum*, quæ & תחיית המתים, i. *resurrectio mortuorum*. ¶ *In medio annorum notum fac*] Aliquid deest. Plena oratio erit si repetas *misereri* ex sequentibus. Dum adhuc in exsilio sumus, inquit, fac experiamur quanta sit misericordia tua. ¶ *In ira*] Dum iratus es: vel *tempore iræ*,

iræ, i. captivitatis nostræ. *Iram* autem hoc loco vocat רגז, quæ est *commotio animi* ex affectu quem exprimit vel metus vel tristitia ¶ *Misereri*] רחם accipio ut sit infinitivus pro nomine. Potest etiam nomen esse ad instar מקל *baculus*: à quo pluralis in crebro usu רחמים *miserationes*.

3. Hoc versu & aliquot sequentibus describit Dei majestatem ac potentiam quam ostendit in monte Sinai cum Legem promulgaret: hoc ideo ut doceat facillimum esse Deo, cum tam potens sit, suos è media captivitate, si velit, eripere. ¶ *Ex Theman veniet*, &c.] Æmulatus est locum Mosis Deut. 33. 2. *DOMINUS è Sinai venit, & ortus est è Seir eis, apparuit ex monte Pharan.* Ubi pro THEMAN *Seir* legitur, quod est nomen montis in terra Idumæa. Alioqui THEMAN appellative sumitur pro *Austro*: unde V. Int. *Deus ab Austro veniet.* Prius Th. ediderat, ὁ Θεὸς ἀπὸ νότȣ ἥξει. Eusebius De locis Ebr. *Sciendum autem quod omnis Australis regio Ebræis* Theman *dicitur.* Glossæ Philonis, THEMAN, *Auster, vel Africus.* Hier. in Comment. in Amos 1. *Theman Idumæorum regio est, & vergit ad Australem partem, quod interpretatur* Theman. Rursum Eusebius Ἀποδείξ. lib. 6. Θαιμὰν, *μεταλαμβάνεται εἰς τὸν νότον.* Cæterum in voce Ebraica significatio est *dexteræ*. Nam ad Orientem respicienti Auster dexter est. Quapropter & ימין vocatur. Vide quæ scripsimus Quæst. lib. 2. qu. 53. ¶ *Sanctus*] i. Deus. Idem *Sanctus Israel* vocatur. Dicunt etiam, *Sanctus ille benedictus ipse sit*, de eodem. ¶ *Ex monte Pharan*] Contiguus erat montibus Sinai & Theman, si modo *Theman* est nomen montis, ut existimare videtur Ebræus David, qui scribit eum alio nomine *Seir* appellari. ¶ *Selah*] Vox Musica obvia passim in Hymnis Davidicis. Ejus usum hodie ignoramus, nisi quod Judæi usurpant in precibus suis pro לעולם *in seculum*, *semper.* Vide Quæst. nostras l. 1. qu. 70. ¶ *Operuit cælum decor ejus*] Vel *majestas ejus.* Olim erat *gloria ejus*, i. כבודו. ¶ *Laudis ejus*] Non displicet quod in Scholiis Ebraicis, *splendoris ejus*, ut תהלה sit *splendor*. Nam significat, fulgura eo tempore illustrasse cœlum & terram. הלל quidem certe *splendere* significat, Jes. 13. 10. & Job. 29. 3. & alibi.

4. *Splendor ut lucis*] כאור verti potest *ut lux*: & *ut lucis*: quod Græce significantius exprimas ὡς τὸ Φῶς, καὶ ὡς τȣ̃ Φωτός. Nam articulus in Ebræo non plane otium agit. Putant autem Prophetam respexisse ad id quod habetur Exod. 24. *Gloria DOMINI ut ignis consumens in vertice montis.* Vel, *lucis instar*, i. Solis. Annotandus est autem usus nominis אור non admodum frequens: eo tamen ad eundem modum usus est alicubi autor libri Job. Hinc Apollo ORUS dictus: i. *Sol.* Vide Cadmum nostrum. ¶ *Erat*] תהיה *erit* pro *erat* vel *fuit*. Nam de præterito loquitur. Sic antea, *Deus è Theman veniet*, i. venit. ¶ *Cornua e manu ejus ei*] *Erant ei* (Deum intelligit) *cornua è manu*, sive *latere*. Nam *manum* & pro *latere* usurpant. Vult dicere, *E lateribus utrinque*, sive hinc inde, *emicabant cornua*, h. e. radii, quales emittere solent cornua splendentia. Puto hanc esse germanam sententiam Prophetæ: alii aliter opinantur: fruatur quisque judicio suo. Scholia Ebraica pronomen *ei* ad *Mosen* referunt, hoc sensu, *Cornua erant ei à manu*, sive *potentia*, *Dei*; vel, si placet, *ab ipso Deo*: q. d. Deus ei hunc splendorem conciliabat. Sane legimus Exod. 34. *Mosi faciem cornutam fuisse.* Quod quomodo intelligendum sit jam pridem docui in primo Quæst. mearum: non opus repetere. Sunt qui per *cornua*, quæ ab Ebræis dualiter קרנים vocantur, binas tabulas Legis denotari putant, ita dictas, ut ajunt, ob radios quos emittebant, sive ob flammarum pyramidalem ac tortuosam figuram. Siquidem lex *ignis* vocatur vel *ignea*, ut, *In dextera ejus ignea lex*, Deut. 33. 2. ¶ *Et ibi absconsio*, &c.] *Ibi*, h. e. in radiis qui ab ipso manabant latebat virtus ipsius occulta. Vel, *ibi*, h. e. in monte Sinai, *abscondita erat fortitudo ejus*, quam eo primum tempore palam faciebat. Vidi qui hunc locum sic interpretarentur, *Cornua ad latus ejus ei, quamvis ibi absconsio esset roboris ejus.* Vide Notas Tremellii ad hunc locum. ¶ *Fortitudinis ejus*] Vel *roboris ejus. Robur Domini* vocatur Arca interdum; ut Psalm. 78. 61. *Tradidit in captivitatem robur suum.* Utrum ergo hoc dicit, *ibi*, h. e. in Sinai, *absconditum erat robur ipsius*, h. e. Arca? Sane formam Arcæ Moses à Deo didicit.

5. *Pestis*] Vel *pestilentia*: quam *mortis* vocabulo alii significant. Alioqui *mors* מות dicitur. *Pestis* autem hic דבר appellatur, παρὰ τὸ דבר quod est *loqui* & *decernere*. Nam non fortuito accidit, sed decreto Numinis flagitia hominum per eam punientis. Cæterum pestilentia grassata fuit in populo cum adhuc in deserto degeret. Sed & gentes terræ Chanaan ad adventum Israelitarum, quasi peste delerentur, ita subito exstinctæ fuerunt. ¶ *Carbunculus*] Vel ἄνθραξ, quod est genus morbi ab Ebræis רשף appellati: nisi potius ut רשף sit *causus*, i. *febris ardens*. Græce καῦσος vel καύσων. David Scholiastes ad h. l. sic annotat, רשף *est febris calida & ardens, celeriterque occidens.* Alioqui ἄνθραξ est *carbo* vel *pruna*. Idem quoque רשף designat; unde בני רשפים *filii prunarum*, i. scintillæ, σπινθῆρες. Verum de hoc alii aliter opinantur. Sunt etiam qui dicant רשף esse ignis sacri speciem, in quo ardor cutem serpentibus minimis pustulis exasperat & urit per artus repens. Qui morbus est à Græcis ἕρπης, i. *serpens*, appellatus. Sed Cant. 8. רשפים LXX ἄνθρακες, firmat interpretationem quam primo loco posuimus. ¶ *Ad pedes ejus*] *Pedum* vocabulo Adventum significant, ut Gen. 30. *Benedixit DOMINUS tibi ad pedem meum*: vult dicere *ad adventum meum.* Vel est Metaphora sumpta à Regibus, quos antecedunt servi à pedibus sive anteambulones. David Scholiastes exponit לסבתו, i. *causa ejus.* Sic apud Mosen לרגלי idem enarrat *propter me.*

6. *Stetit*] Deus scilicet, cujus Numen præsens erat in Arca, quæ substitit annos XIV Galgalis, donec subactam Terram Israelitæ funiculis distribuissent. ¶ *Et mensus est*] Deo tribuit quod ex ipsius jussu factum. Nam ex Dei præscripto Terra inter Tribus per sortes divisa fuit. ¶ *Vidit*] ראה. Vet. *aspexit* הביט. ¶ *Dissolvit*] Distribuit, profligavit. Vel loco ejecit, migrare fecit. ¶ *Gentes*] Gentes intelligit quæ Chananæam incolebant ante adventum Israelitarum. ¶ *Dissipati sunt*] *Dispersi sunt, dissilierunt*, ut cum lapides in frusta dissiliunt cælo cæsi. ¶ *Montes æterni*] Populi habitantes in montibus terræ Chanaan. *Æternos montes* dicit quia perpetuo manent. Et est locutio ut cum *terra* ponitur pro *terricolis*. Sic *colles seculi*, i. perpetui, sempiterni. Alii per *montes* intelligunt Reges & Principes; per *colles* vero eos significari putant qui sunt inferioris dignitatis. ¶ *Depressi*] Incurvati, humiliati. ¶ *Incessus seculi ei*] Vel *itinera seculi*, i. rationes agendi quibus hunc mundum æternum regit ac gubernat: q. d. Omnia illi subjecta sunt & illius imperio parent. Sunt qui pronomen referant non ad *Deum*, sed ad *gentem Chananæorum*, hoc sensu, *Dissipata & depressa est ea gens cujus ambulationes fuerant perpetuæ*, h. e. quæ ab æterno possederat terram Chananæorum, nec unquam sedem aut ambulationem mutaverat. Potest etiam referri ad *Israelem*; ita sensus erit, *Montes isti & colles qui antea inaccessi erant, nunc depressi & humiliati hominum itineribus perpetuo frequentabuntur.*

7. *In loco vano*] Vult dicere, *ubi non diu mansura erant.* Respexit autem ad historiam quæ refertur Jud. 3. ut *Chusan* sit nomen proprium Regis quem Othoniel oppressit. Vocatur ibi *Chusan-rasathaim.* Aliis *Chusan* est diminutivum à CHUS voce *Æthiopiam* significante. Siquidem Nun in fine nominum Ebraicorum aliquando diminuit, ut אישון *virunculus*, שבתון *sabbatulum.* Obiter annoto, nomine CHUS non *Æthiopiam* significari proprie dictam, sed Arabiæ regionem quæ *Chusæa* vocatur à nonnullis, quam Madianitæ incolebant. Unde uxor Mosis, quæ à Madianitis erat, *Æthiopissa* nuncupatur. Vide Lectiones nostras in Nahum. תחת און melius fortasse reddas *sub vanitate*; ut dicat *Arabas Chusæos vanis studiis deditos esse.* Nihil temere statuendum, in hoc quidem loco adeo obscuro. ¶ *Commota sunt*] *Tremuerunt*, vel *trepidaverunt.* ¶ *Aulæa terræ Madian*] Significat tentoria Madianitarum, quæ ex cortinis fiebant, quas Ebræi יריעות vocant. Est ergo genus loquendi ut cum tentoria hujusmodi *pelles* vocantur. Nam ex pellibus conficiebantur. Historia refertur Judic. 7.

8. *An contra fluvios excandescit DOMINUS?*] Deus fluminibus non succenset. Quod autem Jordanem fiderit, id fecit eo fine ut Israelitæ siccis pedibus illum transire possent. Quidam *fluvios* ipsum Jordanem dici putant: quod non est novum in his literis: nam & *filias* legimus de una Dina, & *portæ fluminum* de portis Ninives, quam Tigris solus alluebat. ¶ *An contra mare*] Cum Deus mare Rubrum siccaret, hoc fecit in gratiam populi sui, non quod elemento barbaro succenseret. ¶ *Cum veheretur equis tuis*] Quos appellat *equos Dei?* An Nubes? Nam iis vehi dicitur. Quocirca & *currus Dei* nuncupantur. David Scholiastes Ps. 65. 11. ad locum, ORBITÆ TUÆ STILLANT PINGUEDINEM, *Nubes intelligit, quæ sunt orbitæ Dei benedicti. Vocantur etiam Equi Dei, ut ibi*, CALCAS MARE EQUIS TUIS: *& Currus* Hab. 3. 8. *Currus tui, salus.* Huc usque Scholiastes ille. ¶ *Quadrigæ tuæ saluti erant*] *Saluti erant* populo, demittendo pluviam. Licet etiam legere, *Cum veheris equis tuis, quadrigæ tuæ saluti sunt*: nam in Ebræo nullum est verbum substantivum; quare tam hoc quam illud subintelligi potest. Quidam referunt, *Cum insideres equis tuis, curribus tuis salutaribus.*

9. *Nudus*] ערוה accipio pro nomine adjectivo. Ita sane accipitur Mich. 1. 11. *Nudum* autem *arcum* intelligo qui sit è

co-

coryto eductus, h. e. è theca sua, seu mavis *repositorium* appellare. Hoc videtur dicere, Patefacta est ac manifestata potentia tua contra gentes supra memoratas. ¶ *Suscitatus fuit*] תעור ad verb. *suscitabitur*. Est ergo fut. pro præterito. Hoc primum. Deinde *suscitari arcus* dicitur ut Ps. 80. 2. *Suscita fortitudinem tuam*. Alii *manifestatus*, vel *nudatus*, *fuit*. Sic fere Ebræi. Certe עור hoc sensu legitur Jes. 32. 11. פשטה וערה *exue te*, *& nuda te*. Hinc מערמים, quod vertimus *nuditates eorum* supra in hoc ipso Propheta 2. 15. ¶ *Arcus tuus*] Vis tua, robur tuum. Tralatio à rebus bellicis. Sic, *Arcu meo & gladio meo*, in proverbio est pro *Vi & armis*. ¶ *Ob juramenta tribuum*] Præstita tribubus a te. Tale est *fedus Abrahami* pro *ictum* sive *sancitum cum Abrahamo*. Sic *benignitates Davidis*, præstitas Davidi. Exemplorum talium pleni sunt libri. Utitur autem plurali propterea quod sæpius iteratum fuerat hoc juramentum a Deo. *Tribus* usitate מטות dicuntur. Hic autem מטה vocantur à *virgis* quas gestabant earum Præfecti. מטה enim certe *virgam* denotat. Affine est quod Græci certum quendam Magistratum ῥαβδοῦχον appellaverint. ¶ *Sermonem*] Connecti debet cum præcedentibus per Appositionem, ac si diceret, *ob sermonem promissum ac jurejurando confirmatum tribubus*. ¶ *Selah*] Explicatum fuit antea. ¶ *Flumina scidisti terra*] Ita quidam legunt. Malim ego *fidisti terram*; ut sensus sit, *fidisti terram in flumina*, ita videlicet ut fluvius per eam decurreret, atque sic copia aquæ suppeteret populo in locis aridis. Tangit autem historiam quæ refertur Num. 14. ubi legimus aquam è petra eductam fuisse, quæ exercitum secuta sit fluminis instar, ac potum populo affatim præbuerit. Quo pertinet & illud Ps. 78. 16. *Eduxit fluenta e rupe*, *& descendere fecit ut flumina aquam*.

10. *Viderunt te*, *doluerunt montes*] *Montes* alii proprie, alii Metaphorice accipiunt pro Principibus ac Regibus terræ Chanaan. Si proprie, malim, *Viderunt & tremuerunt*. Sic alibi, *Mare vidit*, *& fugit*. Si Metaphorice, *viderunt* dixit pro *audiverunt*; ut Gen. 42. 1. *Vidit Jacob frumentum esse in Ægypto*, i. audivit: ut Exod. 20. 18. *Et populus videbat voces*: quem locum jampridem indicavimus in Quæst. nostris. Scitum illud, *Auritus testis*, *ubi res certa est*, *par est oculato*. Quod Ebræi sic efferunt, השמועה הברורה כמו הראיה, *Auditio liquida ut visio est*, sive, *Auditus liquidus par habetur viso*. ¶ *Inundatio aquarum*] Vet. *gurges aquarum*. Intelligit autem aquas Jordanis. ¶ *Transiit*] Delapsa est in mare Mortuum. ¶ *Dedit abyssus vocem suam*] Cum Deus finderet aquas Jordanis, vocem ediderunt. ¶ *In altum manus suas extulit*] *Manus suas*, i. latera sua. Intelligit autem alterum latus, nempe quod immotum mansit tantisper dum Israelitæ siccis pedibus transiissent. Quidam ista & ad aquam maris Rubri extendunt, cujus aqua in altum elevata, ut si glacie concreta fuisset, stetit, & transitum in sicco præbuit populo Dei. רום posuit pro לרום, ut alibi בטח positum legitur pro לבטח, i. *tuto*, *secure*. ידיהו nove dixit pro ידיו.

11. *Sol & Luna stetit*] Historia habetur Jos. 10. 13. *Steterunt Sol & Luna donec ulcisceretur se gens de inimicis suis*. Vide sequentia. ¶ *In habitaculo*] In cœlo. Ibidem, *Stetit Sol in medio cœli*, *& non festinavit occumbere spatio unius diei*. Vet. *in habitaculo suo*. In Ebræo est זבלה dictio penacuta: unde patet ה in fine paragogicum esse. ¶ *Ad lucem*] Solis videlicet. ¶ *Sagittæ tuæ*] Fulgetra. Figura plane Poetica. Nam Poetæ fulgur Διὸς βέλος, i. *Jovis telum*, nuncupant. Hoc sensu legitur Psal. 18. 14. *Emisit sagittas suas*. ¶ *Ambularunt*] Emicarunt. Sic Exod. 9. 23. *ambulavit ignis super terram*, de igne fulmineo. Vulgo, *ad lucem sagittarum tuarum ambularunt*, *ad splendorem fulgurantis hastæ tuæ*: quod non admodum probo. ¶ *Ad splendorem*] Solis, ut supra, qui eo tempore noctu etiam splendebat. ¶ *Fulgurantis hastæ tuæ*] Vel *coruscantis hastæ tuæ*. Intelligit autem inter grandinem coruscans fulgur: de qua grandine mentio Jos. 10. 11. Nam una cum grandine ut plurimum fulgur emicat. Vide Exod. 9. 23.

12. *In commotione pervadebas terram*] *Cum fremitu & indignatione*, sive *ira commotus*, *incedebas per terram* Chanaan, *gentes* in ea habitantes *triturando*, h. e. delendo & profligando ejiciendoque. זעם nomen est à verbo quod sign. *rem aliquam stomacho & indignatione aversari*, sive *ad aliquam rem fastidium habere*, *eamque cum ira respuere ac aspernari*. ¶ *Triturabis*] Tralatio ab iis qui fruges terunt in area. Ad quem usum olim boves adhibebant, ut hodieque gentes quædam in Asia. ¶ *Gentes*] Chananæas, quæ septem erant numero.

13. *Egressus es ad salutem populi tui*] De Arca capiendum. Cæterum *processisti* quod in nonnullis est, magis implet aures meas quam *egressus es*. ¶ *Ad salutem*] Potest reddi *ad salvandum*, quod Græci dicunt τοῦ σῶσαι. Simile est לישע *ad multiplicandum*, Jes. 9. 7. Nomen pro infinit. ¶ *Cum Christo tuo*] Cum Jesu Christo tuo, cujus typum gerebat Josua, qui populum introduxit in terram Promissionis. Uterque nomen habuit à verbo quod *salvare* significat. Fieri autem potest ut eo respexerit Propheta. Nomen enim ישע, i. *salus*, & *Jesus*, i. ישוע *Jesua*, una tantum litera differunt. ¶ *Caput è domo impii*] Principes domus Chanaan: Quem *impium* vocat cum ob alias causas tum quia patris verenda nudaverat. ¶ *Nudando fundamentum*] Vel *nudasti fundamentum*, h. e. delevisti domum illam funditus. ¶ *Usque ad collum*] Proverbiale. Vide chil. 2. lib 3. adag. 72. Quidam hunc locum ita construunt, *Transfixisti caput e domo impii ad collum usque*, *nudando fundamentum*. Alii ad Ægyptum referunt, per *caput e domo impii* intelligentes primogenitum Pharaonis. Sunt etiam qui hæc præterita pro futuris capiant, *Egredieris*, *transfiges*, *nudabis*: quæ interpretantur de temporibus Messiæ. Is enim *populo suo salutem attulit*; *caput impii*, h. e. Diaboli, *transfixit*, ejusque Regnum, h. e. Mortis & Orci vim, penitus sustulit.

14. *Baculis ejus*] Vel *tribubus ejus*. Si *baculis*, Metaphora est à re pastoritia; juxta illud, *Baculus tuus & pedum tuum*, *ipsa consolata sunt me*. Si *tribubus*, planum est. Significat enim xii tribus, quæ ingressæ sunt terram Promissionis. Cæterum pronomen *ejus* ad *Christum* refertur. Potest etiam exponi *baculis ejus*, i. armis ejus. Synecdoche. ¶ *Caput*] Capita, duces. ¶ *Paganorum ejus*] Militum ejus: פרזים sunt *pagani*. Vulgo *pagorum ejus*, i. פרזו. ¶ *Turbinem excitarunt*] יסער est *turbinis instar ferri*, h. e. subito, repente, ac magna vi. ¶ *Ac si comesturi essent*] כמו לאכל. Oratio defecta. Plena erit si legas כמו עתידים לאכל, quod Latine redditur *ac si comesturi essent*. Potest etiam legi *ac si parati essent ad comedendum*. Eodem recidit. ¶ *Pauperem in occulto*] Nam major voluptas cum clam aliquid facimus quam cum palam & aperte. Notum illud, *Panis clandestinus suavis est*, *& aqua furtiva dulcis*.

15. *Per mare*] Rubrum, quod vocant *mare Suph*, i. *algosum*. ¶ *Equis tuis*] *Vectus equis tuis*, h. e. velocissime. Nam *equi Dei* vocantur nubes, quibus nihil velocius. Jes. 19. 1. *Ecce DOMINUS vectus nube levi ingredietur Ægyptum*. Quidam legunt, *Calcas in mare equos tuos*, i. nubes: q. d. Aquam ex iis calcando exprimis, quam deinde in terram demittis. Tralatio ab iis qui calcatis uvis vinum ex iis eliciunt. Et est figura loquendi ut cum dicimus, *Capies carbones ignis super caput ipsius*, pro *capies & pones*. Sic *calcas in terram*, pro *calcas nubes*, *& aquam ex iis expressam effundis in terram*. Prior expositio magis placet. ¶ *Per acervum aquarum multarum*] Nam cum traduceret Israelitas, aqua quasi glacie concreta & in acervum molemque collecta utrinque stabat, medium iter siccum præbens populo.

16. *Audivi*] Pervenit ad aures meas fama judicii Divini, sive pœnæ quam irrogare decrevit populo suo. ¶ *Commotus est*] Præ metu aut dolore. ¶ *Venter meus*] *Ventrem* pro *corde* posuit. Ita sumitur hæc vox Prov. 20. 27. Pro eodem *viscera* dicunt, i. מעים Psalm. 40. 8. *legem tuam in medio viscerum meorum*. Græcus habet ἐν μέσῳ τῆς κοιλίας μου, non male. Nam, ut Theophylactus observat, κοιλίαν, τροπικῶς ὀνομάζει τὴν καρδίαν· hoc observat in Comment. super Euang. Joh. ad locum, *flumina ex ventre ejus fluent*: quod valet, eodem teste, *ex corde ejus*, ἐκ τῆς καρδίας αὐτοῦ. ¶ *Ad vocem*] Hujus rumoris. ¶ *Contremuerunt labia mea*] Metum consequitur oris pallor & labiorum tremor. Id fit nativo calore ad interiora regresso, quo membrorum principi Cordi succurratur, externis interim artubus & membris à natura neglectis. ¶ *Ingreditur in ossa mea*] *Invadit ossa mea*. ¶ *Putredo*] Vel *teredo*, sive *cossus*, aut *termes*. Nam id רקב etiam significat. Est autem *teredo* vermis ossa corrodens. ¶ *Subtus me commoveor*] In loco meo, in quo nunc sto, metu concutior. ¶ *Qui requiescebam post diem adversitatis*] Puto melius esse ut legamus *in die adversitatis*; ut sensus sit, *Ego*, *qui temporibus adversis quietus esse solebam*, *ad famam hujus calamitatis penitus consternor*. ¶ *Ascensurus est*] *Hostis* videlicet. In Ebræo est לעלות pro עתיד לעלות: oratio defecta. Solet autem dictio עתיד hoc modo interdum abesse. ¶ *Populum*] Judaicum.

17. *Non florebit*] Aut *florescet*. Vult dicere, *ne florem quidem proferet*, nedum ut fructum proferat. ¶ *Fructus*] Hic *fructus* יבול nuncupatur; ut ibi, *terra dedit fructum suum*, יבולה. Alioqui פרי dicitur. ¶ *Mentietur opus olivæ*] Valet à Patre Hieronymo, *fructum oliva non faciet*. Bene ita explicat Hieronymus. Nam *mentiri* usurpant pro *fallere*. Hoc sensu capies Jes. 58. 11. *cujus aquæ non fuerunt mentitæ*, pro *fefellerunt*. Simile Job. 41. 6. *Ecce spes ejus mentita est*, i. fefellit. Sic dico, *Mentiri oliva* intelligitur cum fallit exspectationem agricolarum.

¶ *Non*

¶ *Non proferent cibum*] i. Fructum. Annotandus autem est usus hic nominis *cibus* non admodum frequens: eo tamen ad eundem modum usus est alibi Propheta Joël. ¶ *Pecus*] Minora pecora intelligit, ut sunt Oves & Capræ. ¶ *Armentum*] Boves: *buceria greges* Lucretio. ¶ *In stabulis*] Alii *in præsepibus*, alii *in bubilibus*. In lingua Magistrorum רפת *bovile*. Grammatici exponunt בית הבקר, i. *stabulum bovis*.

18. *Ego autem in Domino gestiam*] Propheta loquitur in persona pii cujusque è populo; Quamvis, inquit, in gravissimas calamitates inciderim, tamen non dabo me tristitiæ, *sed lætabor & exsultabo in Deo*, *qui mihi toties salutem peperit*.

19. DEUS] Scripsi majusculis literis, quia in Ebræo יהוה, quod legunt nunc *Elohim*. ¶ *Ponit pedes meos tanquam cervarum*] h. e. Velocissimos. Vide Proverbia nostra in adag. *Cervini pedes*, Class. 2. l. 5. adag. 54. ¶ *Super excelsa mea*] Celsos montes Judææ significat? an ipsam Judæam, quæ montosa erat, & altior terris adsitis? ¶ *In Neginothai*] Valet ut si dicas *in meis Neginoth*. Est autem *Negina* genus carminis harmoniæve, aut instrumentum musicum, ut Ps. 6. 1. *Archimusico in Neginoth super octavam*. Quidam *fides* ita dici putant.

IDEM.

2. Κύριε, κατενόησα] Vox Κύριε desideratur in codice Rom. ¶ Ζώων] i. *Animalium*. Lectio diversa ζωῶν, i. *vitarum*. Utramque lectionem enarrat Theodoretus. Vide Rom. edit. ¶ Ἐν τῷ ταραχθῆναι τὴν ψυχήν μου ἐν ὀργῇ] E. C. ἐν τῷ ταράσσεσθαι τὴν ψυχήν μου. Hic abesse vides ἐν ὀργῇ, quod tamen legitur in Ebræo. Eo labor ut credam duas interpretationes coaluisse: una est ἐν ὀργῇ, altera ἐν τῷ ταράσσεσθαι, vel, si placet, ταραχθῆναι· cui deinde scholion, ut fit, accessit τὴν ψυχήν μου. Sed nihil affirmo.

3. Ἐξ ὄρους Φαρὰν κατασκίου δασέος. διάψαλμα] Sic ed. Rom. In alia est κατασκίου Φαράν. διάψαλμα. In aliis, ἐξ ὄρους κατασκίου δασέος. Hanc lectionem antiquam esse patet ex Hieronymo. Ex eodem intelligemus διάψαλμα à LXX positum. Ego existimo Φαρὰν adjectum fuisse ex aliis editionibus. κατασκίου, δασέος, i. *umbroso, condenso*. ¶ Ἡ ἀρετὴ αὐτοῦ] Biblia Regia ἡ δύναμις αὐτοῦ. In uno vetustiss. libro ἡ εὐπρέπεια τῆς δόξης αὐτοῦ. Vide notata in ed. Rom. ¶ Πλήρης ἡ γῆ] C. ἐπλήσθη ἡ γῆ.

4. Καὶ φέγγος αὐτοῦ] Καὶ διαύγασμα αὐτοῦ est in cusis ad E. C. ¶ Καὶ ἔθετο ἀγάπησιν κραταιὰν ἰσχύος αὐτοῦ] Sic liber Rom. Venetus & Argentoratensis. Meus legit καὶ ἔθετο ἀγάπησιν καρδίᾳ ἰσχύος αὐτοῦ. Compl. vero καὶ ἔθηκεν ἀγάπην ἰσχυρὰν τῆς δυνάμεως αὐτοῦ. Vetustiss. quidam liber, ἐκεῖ ἀπεσήρικται ἡ δύναμις τῆς δόξης αὐτοῦ.

5. Εἰς πεδία] Venetus & Argent. εἰς παιδείαν. Utriusque lectionis meminit Theodoretus. Post πεδία punctum est in plerisque ed. quod tamen in iis quas modo citavi abest, & recte quidem. Sic apud Hier. *egredietur in campum post pedes ejus*. In vetustissimo illo, κατὰ πόδας αὐτοῦ ἀκολουθήσει τὰ μέγιστα τῶν πετεινῶν. Quæ descripta puto ex alia quapiam editione.

6. Ἐπέβλεψε καὶ ἐτάκη] R. ἐπέβλεψε καὶ διετάκη. C. κατενόησεν καὶ ἐξήκασεν. Liber vetustiss. κατανοήσας ἐξείκασεν. ¶ Διεθρύβη τὰ ὄρη βίᾳ] Καὶ τὰ ὄρη ἐθραύσθησαν βίᾳ est in C. ¶ Βουνοὶ αἰώνιοι πορείας αἰωνίας] Melior lectio est in R. βουνοὶ αἰώνιοι πορείας αἰωνίας αὐτοῦ. Nec displicet quod in C. βουνοὶ τοῦ αἰῶνος, αἱ ὁδοὶ αἰώνιοι αὐτοῦ.

7. Ἀντὶ κόπων εἶδον σκηνώματα Αἰθιόπων] C. ἀντὶ πόνου εἶδον τὰς σκηνὰς Αἰθιόπων. Vetustiss. codex, ἀντὶ κόπων κατανενόηκα τὰς σκηνὰς τῶν Αἰθιόπων. Vide Rom. ed. ¶ Πτοηθήσονται καὶ αἱ σκηναὶ γῆς Μαδιάμ] Ταραχθήσονται καὶ σκηνώματα γῆς Μαδιὰμ libri editi ad E. C. Vetustiss. codex ταραχθήσονται οἱ κατοικοῦντες τὰς δέῤῥεις Μαδιάμ. Error perpetuus ex Μαδιάν. Talis error est in Ἐδέμ. Nam Ἐδὲν scribendum vel ex libris melioribus.

8. Τὸ ὅρμημά σου] C. ἡ ὁρμή σου. ¶ Ὅτι ἐπιβήσῃ] Ὁ ἀναβησόμενος legitur in Compluti editis.

9. Ἐντείνων ἐντενεῖς] Comp. ἐντείνας ἐντενεῖς. Rom. vero ἐντείνων ἐνέτεινας, & vetustiss. ille οὐ προέβης ἐξηγέρθη. ¶ Λέγει Κύριος] Post hæc verba adde διάψαλμα ex R. & C. ¶ Ποταμῶν ῥαγήσεται γῆ] Scriptum & ποταμοῖς. Hoc notatum in Scholiis Græcis. E. C. ὁ ποταμὸς σχίζεται τὴν γῆν.

10. Ὄψονταί σε, καὶ ὠδινήσουσι] Sic liber Rom. In cæteris est ὠδινοῦσι. In C. vero εἶδόν σε, καὶ συναλγήσουσι. Prior scriptura melior. ¶ Σκορπίζων ὕδατα πορείας] C. διασπερεῖς ὕδατα τῆς πορείας.

11. Ἐπήρθη] Liber C. ὑψώθη. Idem versum finit in hoc verbo, quem alii ab eo incipiunt. Sic dico, ὑψώθη ad præcedentem versum refert, non ad sequentem. ¶ Εἰς φῶς] C. ἐν φωτί· & mox, καὶ ἐν φέγγει ἀστραπῆς. Hier. quoque *in luce: in splendore*. ¶ Εἰς φέγγος] Ita legendum ex ed. Rom. In aliis est εἰς φῶς, sed minus recte. Nam φῶς אור dicitur, נגה autem est *splendor*, i. φέγγος.

12. Ὀλιγώσεις] Legerunt תצעיר, errore nato ex affinitate quæ inter Resch & Daleth. Cæterum in C. est ἐλαττώσεις, & in Hier. *imminues terram*. ¶ Ἐν θυμῷ] Lectio varians ἐν ὀργῇ· hanc invenies in C.

13. Εἰς σωτηρίαν λαοῦ] C. ἐπὶ σωτηρίᾳ τοῦ λαοῦ. ¶ Τοὺς Χριστούς] Codex Rom. σου τὸν Χριστόν σου. Vetus ed. ἐξῆλθον τοῦ σῶσαι τὸν λαόν σου διὰ Ἰησοῦν Χριστόν σου. Hier. *ut salvares Christos tuos*. Idem annotat *Christos Domini* dictos fuisse omnes eos qui egressi sunt ex Ægypto. Quod verum an falsum sit, aliis dijudicandum relinquo. ¶ Ἔβαλες εἰς κεφαλὰς ἀνόμων θάνατον] C. ἔπεμψας ἐπὶ κεφαλὴν ἀσεβῶν θάνατον. R. βαλεῖς εἰς κεφαλὰς ἀνόμων, &c. ¶ Εἰς τέλος] i. *In perpetuum*. C. εἰς τὸ τέλος, pro eo est סלה in fonte. In R. vero διάψαλμα, quod genuinum esse puto.

14. Διέκοψας ἐν ἐκστάσει κεφαλὰς δυναστῶν] Biblia Regia, διεμέρισας ἐν θάμβει τὰς κεφαλὰς τῶν δυνατῶν. ¶ Σεισθήσονται] Eadem Biblia σαλευθήσονται. ¶ Διανοίξουσι χαλινοὺς αὐτῶν] Codex Hisp. ἀνοίξουσι τὰς ἡνίας αὐτῶν· & mox, ὡς τρύγων ἐν ἀποκρύφῳ, ubi cæteri, ὡς ἐσθίων λάθρα, nisi quod in R. sit ἔσθων pro ἐσθίων.

15. Ἐπεβίβασας εἰς θάλασσαν] R. ἐπιβιβᾷς εἰς θάλασσαν. C. ὑπερήγαγες ἐπὶ θαλάσσης.

16. Ἐπτοήθη ἡ καρδία μου] C. ἐφοβήθη ἡ κοιλία μου. Vide Lectiones meas. ¶ Εἰς τὰ ὀστᾶ μου] Alibi est ἐπὶ τῶν ὀστέων. ¶ Ἡ ἕξις μου] Diversa lectio ἡ ἰσχύς μου. Hanc diversitatem notavit Hier. per hæc verba, *Conturbata est fortitudo mea*, *sive*, *ut alibi scriptum est*, ἡ ἕξις μου, *quod nos possumus dicere* habitudo mea. *Diversa quippe exemplaria reperiuntur*. ¶ Εἰς ναόν] Γραφικὸν ἁμάρτημα pro εἰς λαόν. Sic habet ed. Rom. Sed in C. πρὸς τὸν λαόν. Vide quæ scripsimus lib. 2. quæst. 73. ¶ Παροικίας μου] גורו. Resch pro Daleth, & Joth in loco Vau. Talis error frequens est in his libris.

17. Οὐ καρποφορήσει] Οὐ μὴ παραδῷ τὸν καρπόν· ita libri ad E. C. ¶ Γεννήματα] Φυτὰ est in iisdem libris. ¶ Οὐ ποιήσει βρῶσιν] Alibi οὐ ποιήσουσι βρώματα. ¶ Ἀπὸ βρώσεως] Videntur legisse מאכלה, h. e. Aleph pro Mem. In quibusdam libris reperitur διότι ἔφαγον.

18. Χαρήσομαι] Lectio varians, εὐφρανθήσομαι.

19. Ὁ Θεὸς δύναμίς μου] Sic est in R. in aliis, ὁ Θεός μου, δύναμίς μου. C. ὁ Θεὸς ἰσχύς μου. Sic est in R. ¶ Καὶ τάξει] Alias καὶ θήσει. ¶ Ἐπιβιβᾷ] Alibi ἐπιβήσει. ¶ Τοῦ νικῆσαί με] Me abest in C. & R.

IDEM.

1. על שגינות. Aq. Sym. & V. ed. ἐπὶ ἀγνοημάτων, i. *pro ignorationibus*. Th. ὑπὲρ τῶν ἐκουσιασμῶν, i. Hier. interpretante, *pro voluntariis*, *& pro his qui sponte delinquunt*.

2. בקרב שנים חייהו. Aq. Ἀλλ' ἐν τῷ ἐγγίζειν * τὰ ἔτη ζώωσον αὐτό †. Sym. Ἐντὸς τῶν ἐνιαυτῶν ἀναζώωσον αὐτόν *. Th. Ἐν μέσῳ ἐτῶν ζώωσον αὐτόν] Hoc fragmentum debemus Eusebio. Vide illum Ἀποδείξ. l. 6. * Videtur legisse בקרב aliis vocalibus. † In Rom. ed. ζώωσον αὐτόν· sed αὐτὸ legendum liquet ex Hieron. qui vertit, *vivifica illud*. * Sic libri vulgati. Confirmat hanc lectionem ed. Rom. tamen in Hieron. *revivifica illud*, i. αὐτό. Idem ex Theodotione laudat *vivifica illud*, cum in libris sit αὐτόν, non αὐτό.

3. אלוה מתימן יבוא וגו׳. Th. *Eloah* † *ab Austro* * *veniet de monte Pharan*] † Ελωά, quod quidam scribunt Ἐλωέ, sed minus recte. Est autem unum ex epithetis Dei. * ἀπὸ νοτίου. Theodoretus, THEMAN *quidam Africum*, *quidam Austrum interpretati sunt*. Aq. Sym. & V. ed. ἐν Θαιμάν· vel, si placet, Θημάν. Reperio & Θεμὰν in libris antiquis. *Thaman*, *Theman*, ut Αἰλάμ, Ἐλάμ, vel potius Ἠλάμ. Scire licet veteres usos fuisse ε pro η. Hier. *Et Aq. & Sym. & V. ed. ipsum Ebraicum posuerunt* Theman. *Solus Theodotio quid significaret* THEMAN *interpretatus est*, *dicens*, Deus ab Austro veniet, *&c.* ¶ סלה. εἰς τὸν αἰῶνα, i. *in æternum*. Th. εἰς τέλος, i. *in finem*. Quinta ipsum Ebraicum *Selah* retinuit] Autor Hieron.

4. ושם חביון עזו. Aq. *Et posuit* † *absconsionem fortitudinis suæ*. Sym. *Et posuit* † *absconditam fortitudinem suam*. Th. *Et ibi absconsio fortitudinis ejus*] † Legerunt ושם, quod nunc legunt שם, *& ibi*.

5. לפניו ילך דבר. Aq. *Ante faciem ejus ibit pestis*, λοιμός. Sym. *Ante faciem ejus præcedet mors*. V. *Ante faciem ejus ambulabit mors*. דבר Th. λόγον, i. *sermonem*. ¶ רשף. Aq. *volatile*. Sym. Th. & V. ed. *volucrem*] Hieron. *Ubi diximus*, egredietur Diabolus ante pedes ejus, *Aq. pro Diabolo transtulit* vola-

volatile. *Sym. autem & Th. & V. ed.* voluerem, *quod Ebraice dicitur RESEPH. Tradunt autem Ebrai, quomodo in Euangelio Princeps Dæmoniorum dicitur esse* Beelzebub, *ita* Reseph *Dæmonis esse nomen qui principatum teneat inter alios, & propter nimiam velocitatem atque in diversa discursum* avis & volatile *nuncupetur; ipsumque esse qui in paradiso sub figura Serpentis Mulieri sit locutus, & ex maledictione qua à Deo condemnatus est accepisse nomen. Siquidem* RESEPH reptans ventre *interpretatur.* Hactenus Hieron.

9. סֶלָה. Aq. *semper.*

13. יָצָאתָ לְיֵשַׁע עַמֶּךָ לְיֵשַׁע אֶת־מְשִׁיחֶךָ. Aq. Ἐξῆλθες εἰς σωτηρίαν λαῦ σου, εἰς σωτηρίαν σὺν Χριστῷ σου] Euseb. l. 4. Ἀποδείξ. legitur εἰς σωτηρίαν λαῦ σου σὺν Χριστῷ σου. Vera lectio est quam posui. Hieron. *Ubi Lxx posuerunt*, ut salvares Christos tuos, *Aquila transtulit*, in salutem cum Christo tuo. Th. *Egressus es in salutem populi tui, ut salvares Christum tuum.* Sym. *Egressus es salvare populum tuum, salvare Christum tuum.* V. ed. *Egressus es in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo.* VI. ed. Ἐξῆλθες τῦ σῶσαι τὸν λαόν σου διὰ Ἰησῦν Χριστόν σου, i. *Egressus es ut salvares populum tuum per Jesum Christum tuum.* ¶ עָרוֹת יְסוֹד עַד־צַוָּאר סֶלָה. V. ed. *Denudasti* (sive *evacuasti*) *fundamentum usque ad collum, Selah.* Th. *Ornasti fundamentum usque ad collum in finem*] Videtur legisse Daleth pro Resch: nam עדה *ornare.*

IDEM in VULG.

1. HAbacuc] Addendum *Prophetæ* ex libris Ebræis & Græcis. ¶ *Pro ignorantiis*] SIGIONOTH est in Ebræo, quod à Tremellio interpretatur *secundum odas varias.* Est & SIGGAION in Davide carmen varium, vel potius, ut ego censeo, carmen multa cura compositum. Nam שגה *errare* dicitur, qui in aliqua re multus est: unde dictum de vino, *qui in eo errat* pro qui se eo inebriati. Item, *Cur erres in extranea?* id est, consuetudinem habeas.

2. *Auditionem tuam*] Τὴν ἀκοήν σου. Sic in Euangelio, τὴν ἀκοὴν Ἰησῦ, *auditionem Jesu*, i. famam de Jesu. Tremell. *pronunciatum tuum.* ¶ *Timui: Domine*] *Timui Domine:* ita interpungunt hunc locum Ebræi. ¶ *In medio annorum*] Tremellius, *interea temporis*, enarrat: an recte, videris. ¶ *Vivifica illud*] Idem, *Conserva.* Notum ut *vivificare* sit in vita conservare. ¶ *Cum iratus fueris*] *In ira* codex Ebræus, vel, *in commotione.*

3. *Pharan. Semper operuit*] *Pharan semper: operuit.* Distingue ex Ebræis libris. ¶ *Semper*] סלה. Ita vertebat Aquila Ponticus. סלה διαπαντός.

4. *Splendor ejus*] נגה an putavit ה pronomen esse? ¶ *Ut lux*] אור pro sole: unde *Orus*, quem solem dicunt. Id quod efficitur pro eo quod efficit. Metonymia. ¶ *In manibus ejus*] Ad verbum, *e manu ejus ei.* Tremell. habet, *ad latus ipsius ei.*

5. *Mors*] דֶּבֶר pestis. ¶ *Diabolus*] רֶשֶׁף. Arias, *carbo.* Tremellius, *anthrax* (Cant. 8. רשפים Lxx. ἄνθρακες) Symmachus, Theodotio, Quinta editio, *Volucre:* Aquila, *Volatile.* Vide Hieronymum in Commentariis ad hunc locum.

6. *Dissolvit*] יתר. Tremell. *disturbavit.* Santes, *transire fecit.* Alii *transtulit:* alii, *exilire fecit.* Sed *dissolvere* significat. Psal. 146. *Dominus solvit vinctos.* Thema יתר. ¶ *Montes seculi*] עד potius æternitatem significat quam seculum. ¶ *Colles mundi*] עולם pro mundo sumi notum, sed hic pro seculo sumendum. ¶ *Ab itineribus*] Alii, *itinera seculi ei.* Et sic est in Ebræo ad verbum. Tremellius, *cujus fuerant ambulationes perpetuæ.*

7. *Pro iniquitate*] Santes, *In loco iniquitatis vidi tentoria Chusan:* Tremell. *Locum iniquitatis vidi esse tentoria Æthiopia.* ¶ *Æthiopia*] αἰθιόπων interpres Græcus, id est, *Chus*, à quo *Chusan* forma diminutionis, ut apparet. Sic איש vir אישון quasi viruneulus, hoc est, pupilla. Est enim imago parvi viri. Sic שכתון quasi Sabbathulum. נחשתן ænulus. ¶ *Turbabuntur*] *Commovebuntur*, vel potius *commota sunt.* ¶ *Pelles*] Aulæa, cortinæ.

8. *In fluminibus*] Id est, fluminibus. Alii *in flumina*, id est, contra flumina. Eadem sententia. ¶ *Iratus es*] Excanduit tibi ira. ¶ *Aut in fluminibus, vel in mari*] ἢ ἐν ποταμοῖς, ἢ ἐν θαλάσσῃ valet, *si in flumina, sive in mare.* אם pro *sive:* vel interrogat, *si in flumina furor tuus? si in mare indignatio tua?* pro an: ut in illo *visam si domi est.* Et, *si sit rogas?* an sit. ¶ *Qui ascendis*] Libri veteres, *quia ascendes.* Potest legi, *quia ascendis.* Quod omnino rectum esse existimo. Nam prima verb. *ascendis* exclusit ultimum vocis præcedentis, cum eadem esset. ¶ *Quadriga tua salvatio*] Trem. *Curribus tuis salutaribus.*

9. *Suscitabit*] תֵּעוֹר pro תֵּעוֹר. Santes, *manifestabit se.* Arias, *denudabitur.* Tremellius, *Nudus alveus factus est arcu tuo.* Ad verbum, *nudatio nudata est arcu.* ¶ *Quæ locutus es*] אֹמֶר est in Ebræo, id est, sermone; non אָמַרְתָּ. Mirum ni legerit אמר per e longum. Dicens fuisti, id est, locutus es, dixisti. ¶ *Semper fluvios*] Magis placeret *semper: fluvios.* Ut *semper* ad præcedentia referatur. Pro *semper* Ebræus liber habet סֶלָה, de quo vide, si vacas, Quæstiones meas.

10. *Doluerunt*] חיל proprie dolor parturientium. ¶ *Gurges aquarum*] Alii, *inundatio aquarum.* ¶ *Manus suas*] Santes, *locum suum.* Sic *mare latum manibus*, id est, spatiis, spatiosum. Tremell. *latera sua.* Ut in illo, *ad manus portæ*, i. ad latus. Vide Observationes meas.

11. *Sol & Luna*] In Ebræo *Sol, Luna.* ἀσύνδετον. ¶ *Steterunt*] Ad verbum, *stetit.* ¶ *In habitaculo suo*] Ita Santes. Sed in Ebræo est זְבֻלָה habitaculo absque pronomine. Et Trem. *Sol, Luna stetit in habitatione.* Mirum correctores Pagnini hoc non vidisse. An putarunt ה in זבלה pronomen esse? ¶ *In luce*] Alii, *ad lucem sagittæ tuæ itabunt: ad splendorem &c. In luce*, id est, בְּאוֹר. ¶ *Fulgurantis hastæ tuæ*] Ad verbum, *fulguris hastæ tuæ.*

12. *Conculcabis terram*] Ad verb. *gradieris super terram.* ¶ *Obstupefacies*] Alii, *triturabis.*

13. *Denudasti*] עורות denudare pro *denudasti*, ut נתון dare pro *dedisti*, Psal. 8. 1. Alii, *denudando*, in idem recidit. ¶ *Semper*] Sela.

14. *Maledixisti*] Alii *perforasti.* Verbum נקב utrumque significat. Pro *maledicere* sumitur Proverb. 11. *Qui cohibet frumentum, maledicet ei populus.* ¶ *Sceptris ejus*] In aliis, *virgis sive baculis ejus*, & melius. Nam sceptrum שבט dicitur; non מטה. ¶ *Bellatorum ejus*] Santes, *exercituum ejus.* Arias, *paganorum ejus.* Tremellius, *pagorum ejus*, id est, פרזיו. ¶ *Venientibus ut turbo*] Verbum à turbine deductum. Quod Tremellius reddit, *cum procellam excitarent.* ¶ *Sicut ejus qui devorat*] כמו אכל. Alii, *ac si comesturi essent.* Vel, *ut quando voluerunt comedere.*

15. *Viam fecisti*] Latinius esset, *iter fecisti.* ¶ *In mari*] Tremellius, *ad mare usque* עד הים. Et mox, *ad acervum aquarum multarum.* ¶ *In luto*] חֹמֶר & *lutum* & *acervum* signat. Nunc ergo acervum intelligemus sententia id mirifice comprobante.

16. *In voce*] *Ad vocem* habent libri quatuor manuscripti, longe quam vulgati melius. ¶ *Contremuerunt*] Est qui mavult, *palpitarunt.* ¶ *Subter me scateat*] Santes, *& in loco meo expavi.* Tremellius, *denique commoto me in loco meo.* ¶ *Accinctum nostrum*] יְגוּדֶנּוּ. Sed legit יגודנו. Quæst. in Genesin, גד *accinctus.* Santes, *ut succidat eum.* Trem. *turmatim populaturus eum.*

17. *Mentietur*] i. Fallet, non respondebit voto agricolæ. ¶ *Cibum*] Fruges, unde cibus fit. ¶ *In præsepibus*] Quidam, *in bubilibus.* Santes, *in stabulis.* Arias, *in ovilibus.*

18. *Gaudebo*] Melius alii, *exultabo.* Nam *gaudebo*, id est, אשמחה. ¶ *Et exultabo*] In alio, *lætabor:* in alio, *gestiam.* ¶ *Jesu meo*] i. *Salute mea*, sive, ut veteres loquebantur, *salutari meo.*

19. *Quasi cervorum*] In nuperis, pro *cervorum*, scriptum est *cervarum*, ad vocem Ebraicam paullo melius. ¶ *Deducet me*] *Facit ut incedam*, Tremellius. ¶ *Victor*] למנצח. Ut apud Davidem *victori.* Alii melius, *magistro cantorum.* ¶ *In Psalmis canentem*] Quod est נגן unde נגינות NEGINOTH pro quo Ps. 6. 1. Vulgata editio *in carminibus* habet, & *pro carminibus*, Hieron. Santes hoc loco, *in Psalmis.* Arias, *in modulationibus meis.* Trem. *fidium mearum.*

EJUSD. LECTIONES.

1. תפלה לחבקוק *Oratio Habacuci*] ל notat genitivum possessivum, ut מזמור לדוד Psalmus Davidis.

שגינות] Vertunt *ignorantias.* Psal. 7. שגיון לדוד. Jon. exponit in significatione שגגה erroris, ac si oraret propheta Deum, ut sui populi crimina haberet pro delictis & erratis. Ut peccata Israelitarum pœnitentium perinde condonarentur, atque si per errorem commissa essent & perpetrata. Ergo errores appellat scelera & flagitia per anticipationem seu prolepsin, quæ erunt errores proque erroribus habebuntur, si animo & mente resipuerint. Vel oratio quæ in hunc finem habita est, ut tanquam errores peccata Israelitarum leniter punirentur. Hieron. vertit *pro ignorantiis.* Lxx. μετ' ᾠδῆς. Ut שגיון sit species carminis seu cantionis, quæ sententia mihi videtur simplicissima. Nisi dicamus genus esse instrumenti musici. Carmina apud Græcos & Latinos nomina habent, vel ab ipso argumento, ut Heroicum, Elegiacum: vel à musicis quibus cantantur instru-

 mentis,

mentis, ut Lyricum. Vel ab inventoribus, ut Sapphicum: vel à numerorum, pedumve mensura ac modo ut Hexametrum, Pentametrum. Similiter hoc in loco שגינות & apud Davidem genus esset poeseos carminis, quo hæc oratio decantata fuit, ut Phaleucium Catulli, Sapphicum Horatii: ita על שגיון לדוד idem esset quod *ad*, *super*. Nam dicitur vel de instrumento, vel de carminis genere, vel etiam de chordis & fidibus. על השמינית super octavam chordam Psalm. 6. Titulus sive inscriptio argumenti partem seu dicendi genus indicat. Kimchi in Psalmis dicit *Higgajon* speciem esse נגן melodiæ. Quatuor habet in hac oratione voces, quæ Psalmis sunt propriæ ac peculiares סלה Sela, שגיון Siggajon, למנצח & בנגינותי & certe composita est tota ad morem canticorum.

.. *Pro ignorationibus*] Aq. & Symm & V. edit. sicut nos *pro ignorationibus* transtulerunt: solus Theod. ὑπὲρ τῶν ἑκουσιασμῶν i. pro voluntariis, & pro his qui sponte delinquunt. Lxx. *orationem cum cantico*, & ita nullus præterea. In Hebraico habet על שגינות, quod dicitur ἐπὶ ἀγνοημάτων, & nos transtulimus *pro ignorationibus*. Sunt qui putent orationem esse prophetæ ut in adventu Christi error auferatur hominum: unde & prophetæ nomen sit titulo prænotatum, quod prophetico spiritu oret tolli caliginem & reddi lucem, auferri imaginem & tribui veritatem. Hieron. ex Hebræorum sententia locum hunc ita explanat, *Domine audivi pœnas quas Nabuchodonosori & Chaldæis decrevisti irrogare. Quia dixisti, Væ qui multiplicat non sua. Væ qui ædificat civitatem. Et sicut timore perterritus sum, quod Draco ille tantis vulneribus confodiendus sit; sic deprecor Domine, ut quod promisisti expleas, & finito tempore reddas Christum tuum. Vivifica ergo quod pollicitus es i. tuum imple promissum: non moriatur irritus sermo tuus, sed opere compleatur.*

2. *Audivi famam tuam*] i. Rumorem vel famam de te, qui de te rumor spargebatur, vel quem ego Prophetica revelatione futurum concipio. שמע auditio. Sic in novo Fœdere *audivit* ἀκοὴν Ἰησοῦ i. περὶ Ἰησοῦ de Jesu.

פעלך] Opus tuum excitato, instaurato, confirmato & perficito opus, i. pœnam quam decrevisti infligere Chaldæis. Kimchi intelligit Israelitas, de quibus dicit, Isai. 45. על בני ועל פעלי ידי תצוני. Ubi appellat eundem populum opus manuum suarum Deut. 32. Dominus עשך ויכננך fecit te & disposuit te. Potest etiam intelligi ipsa captivitas quam Deus propter eorum peccata effecerat, eam petit restitui in pristinum statum. Metaphora sumpta ab hominibus.

In medio annorum] Quidam referunt ad Balthasarem qui in medio ætatis cursu fuit interfectus. Alii ad ipsius quidem necem accommodant, sed medium intelligunt de annis captivitatis à destructo templo usque ad reparationem ejusdem. Nam à destructo templo usque ad primum annum Cyri fluxerunt anni quinquaginta duo, & inde usque ad ejus reparationem sexto anno Darii quadraginta sex anni Johan. 2. *Quadraginta & sex annos ædificatum est templum hoc.* Balthasar autem in quo Chaldæorum regnum defecit, duobus annis fuit occisus ante primum annum Cyri, quibus regnavit Darius Medus Dan. 5. & sic occisio Balthasar fuit in medio dictorum annorum. Quia quinquaginta sunt ex parte una, & quadraginta octo ex parte altera.

בקרב שנים] In medio horum annorum quibus in exilio affligimur, exilii conditionem & sortem sustinemus, fortunam subimus. Ita Abenezra. Et Kimchi, *in medio annorum quibus futurus est in captivitate.*

רגז] Commotionem notat ex affectu irati vel dolentis. Quam exprimit vel dolor vel tristitia.

3. *Deus ex Theman veniet*, *& sanctus ex monte Pharan.*] Enarrat virtutes & potentias Dei, ejusque majestatem describit, & facta præclara quæ edidit suo populo in monte Sinai cum legem illi traderet. Id autem facit eo consilio ut ostendat suis popularibus, quam potens sit eorum Deus, & quanta majestate insignis, ut cognoscant eundem paratum fore eadem eisdem præstare, ubi tempus advenerit liberationis ecclesiæ. Solent Hebræi hac relatione majestatis divinæ, quæ accidit in Sinai, Dei beneficia populo in memoriam revocare. Deut. 33. in fausta sua precatione Moses, *Dominus de Sinai venit & de Seir ortus est nobis, apparuit de monte Pharan.*

תימן] Civitas est ejus nominis in Idumæa sita in monte, & idem mons, qui alias vocatur *Seir* שעיר Deut. 33. וזרח משעיר למו. Jon. *Cum daret legem populo suo Deus ab Austro apparuit.* Chald מדרומא, quomodo fere semper vertit vocem תימן. Lxx. ὁ θεὸς ἀπὸ θαιμὰν ἥξει. In Latinis codicibus *Ab austro*, ut in Chaldæo. מתימן Hieron. in Comment. *Aq. inquit*, *& Symm. & V. Edit ipsum Hebraicum posuerunt* תימן θεμάν: *Solus Theod. quod significaret, Theman interpretatus est, dicens: Eloas ab austro veniet, & sanctus de monte Pharan, in finem.* Pro ex monte Pharan ἐξ ὄρους κατασκίου δασέος de monte umbroso & condenso.

Pharan] Hier. interpretatur *os videntis* i. פי ראה.

קדוש] Adjunctum vice proprii. Sanctus & augustus pro Deo, qui aliquando dicitur *sanctus Israel*, vel quod ab eo sancte & religiose colendus sit: vel quod ipse solus vere sanctus cum aliis de sua sanctitate communicat. Sancti dicuntur & religionem colentes, qui meritam diis immortalibus gratiam justis honoribus ac memori mente persolvunt.

הודו Kimchi exponit כמו ההדר והוד potentia, decus, splendor. Lxx. ἡ ἀρετὴ αὐτοῦ. Hieron. *gloria*. Jon. זיו יקריה splendor gloriæ ipsius. תהלתו Lxx. αἴνεσις. Hier. *laus*. Jon. תושבחתו. Sunt ex Hebræis qui exponant הודו, lucem, splendorem, illuminationem ejus. Ex illo בהלו נרו עלי ראשי cum accenderet lucernam suam super caput meum. Ut תהלה sit splendor, nitor, claritas, irradiatio, illuminatio q. d. ipsius adventu totum orbem accensum esse & illuminatum.

סלה] Lxx. διάψαλμα. Hiero. *semper*: Symm. εἰς τὸν αἰῶνα in æternum. Theod. εἰς τέλος in finem. V. Edit. ipsum Hebraicum Selah סלה. Aq. *semper*.

4. [ונגה כאור תהיה] *Splendor instar luminis erit*] Hoc est quod dicitur Exod. 24. *Gloria Domini tanquam ignis consumens in montis vertice.* Cum videl. Deus appareret suis in monte Sinai. Eratque splendor ille ut lucidissima & splendidissima lux vel meridiana luce clarior. Per נגה Ezra intelligit ignis columnam quæ tum Israelitis in frequentissimo populi conventu conspicua erat & apparebat.

קרנים מידו לו] Lxx. κέρατα ἐν χερσὶν αὐτοῦ: cornua in manu ipsius. Non consentiunt Interpretes. Hebræi, Kimchi & Ezra referunt ad Mosen, cui dicunt fuisse à Deo radiantem & splendentem instar cornu faciei fulgorem, quemadmodum legimus Exod. 34. כי קרן עור פניו *splendebat cutis faciei ipsius* Ita accipit Jon. dum sic vertit *Scintillæ de curru gloriæ ipsius emicabant, egrediebantur.* (Idem per נגה intelligit זיו יקרה splendorem gloriæ divinæ, & pro אור, lucem primo dici creatam, quam ipse vocat ונהור בראשית, cujus fit mentio, vel cujus creatio describitur in libro illo qui dicitur בראשית liber Geneseos.) Alii referunt ad Deum, quem dicunt habuisse cornua è manu prodeuntia, quibus fortitudo & robur ipsius latebat, tralatione sumpta ab animalibus cornupetis, quæ roboris sui majorem vim in cornibus sitam habent. Benedictus Aria nomine cornuum intelligit binas legis tabulas splendentes & instar radiorum solis micantes, quas *cornua* scribit appellari ob flammarum & radiorum pyramidalem ac tortuosam figuram: Unde & Vulcanum Poetæ claudum finxerunt. Et cornua, lex erit ignea sicuti scribitur in eodem argumento Deut. 33. *Cornua ejus ignea lex.* Locus hic est Deut. 33. 2. מימינו אש דת למו lex & flammam illis.

קרנים] Dicimus & קרנות, hoc plurale est, illud duale. קרנות fere tralatitie de cornibus altaris, קרנים vero de animalium cornibus. *Per cornua*, inquit Kimchi, *intelligimus splendorem vultus propter bina ejus latera; vel tabulas legis, quæ binæ erant, & splendebant palam & occulte* בנראה ובנסתר.

חביון] Lxx. ἀγάπησιν à חבב quod est complecti, diligere. Referunt ad populum Israel, cui Dominus quasi peculiariter asservat suam potentiam, quam exerat dum libet in eorum gratiam. Et hoc quia non tam frequenter suam fortitudinem reliquis populis notam ac testatam reddit. Quemadmodum dicitur *abscondita piis & fidelibus Dei bonitas* Psalm. 131. 20.

Ibi absconsio seu latibula roboris ipsius] i. Ibi in Sinai vel tunc patefactum est robur ipsius quod hactenus nunquam ita manifeste exercuerat. Sunt qui intelligunt de arca in qua repositæ erant tabulæ legis, appellaturque *robur Domini* Ps. 132, וארון עזך.

Ibi abscondita est fortitudo ejus] Ita Hieron. At Lxx. posuit *dilectionem robustam fortitudinis suæ.* Aq. posuit *absconsionem fortitudinis suæ.* Symm. posuit *absconditum fortitudinem suam.* Theod. *& ibi absconsio fortitudinis ejus.* Hiero. *Verbum* שם *pro qualitate loci, & posuit intelligitur, & ibi: magisque in præsenti loco ibi legendum est, quam posuit, ut sit sensus & ordo sententiæ, cornua in manibus ejus, & ibi i. in ejus cornibus absondita fortitudo ejus.*

5. [דבר] Aq. pestis, pestilentia, quod sit res à Deo decreta & ordinata hominum flagitiis vindicandis & puniendis. Lxx. λόγος i. דבר. Alii fere interpretes (ut Symm. V. edit. & Hiero. præterquam Lxx. qui *sermonem* pro morte interpretati sunt) *mortem* interpretantur. Significat morbos perniciosos & pestiferos, pernicies humani generis, quæ omnia suo adventu delet, & exstinguit Id quod accidit quum Populus in terram sanctam duceretur, tunc enim quasi peste & lue arden-

denti omnes incolæ earum regionum internecione exstinctæ sunt ac deletæ. Pater Kimchi intelligit de iis, qui in deserto fuerant necati grassante lue & serpentibus omnia loca venenato morsu inficientibus. Abenezra intelligit de gentibus per Israelitas devictis & debellatis. De quibus DOMINUS Exod. 23. *Mittam ante te terrorem meum & interficiam omnem populum.* Jon. interpretatur מלאך מותא nuncium lethiferum pestilentem & mortem inferentem.

רשף] Hieron. *Diabolus*, & in Comment. ita scribit: *Tradunt Hebræi, quomodo in Euangelio princeps dæmonum dicitur esse Beelzebub: ita Reseph esse dæmonis nomen, qui principatum teneat inter alios. Et propter nimiam velocitatem atque in diversa discursum avis & volatile nuncupetur. Ipsum esse qui in Paradiso sub figura serpentis mulieri sit locutus, & ex maledictione qua à Deo condemnatus est accepisse nomen: siquidem Reseph reptans ventre interpretatur.*

רשף] Aq. *Volatile.* Symm. Theod. V. edit. *volucre.* Lxx. *in campum.* Verbum enim שם pro qualitate loci. Vide Comment. Hieron.

רשף] Exponunt חד genus pestilentiæ, ajunt esse morbum, ardore homines & æstu exiccantem & necantem. καῦσος, καύσων, καυσώδης Causus, febris ardens, febris continua cum maximo incendio & intolerabili siti, quasi continua tertiana. Brandende Koortsen / calor præter naturam in omnibus corporis partibus accensus. Vel potius ἕρπης Herpes, serpens, ignis sacri species, in quo ardor cutim serpentibus minimis pustulis exasperat & urit per artus repens. Vide Hieron. in Comment. רשפי אש significat prunas ardentes & scintillas emicantes ex sagitta de arcu emissa. Seh. Jarchi intelligit מלאכי רשף angelos igniros qui inversis literis שרפים nuncupantur. Jon. *Prodiit flamma ignita verbum ejus.* Per רשף intelligit שלהובית אשתא.

לרגליו *ante pedes ejus*] i. לפניו. Metaphora sumpta à regibus quos antecedunt servi à pedibus sive ante ambulones. Kimchi exponit לסבתו. Ut in illo Gen. 30. ויברך יהוה אותך לרגלי.

6. עמד] Kimchi de area intelligit quæ requievit in Gilgal, donec metata esset ac divisa terra. ¶ התפצץ proprie dissilire, ut cum frustra ex lapidibus cælo cæsis dissiliunt. פצץ est confringere, comminuere, cædere lapides & cæmenta dispergere, dissipare.

עמד] Deus sc. cujus nomen præsens erat in arca.

Mensus est terram] i. Ex ipsius jussu & præscripto terræ partes unicuique per sortes distributæ sunt.

התיר Sig. solvere, removere de loco, profligare. Intelligit septem nationes ab Israelitis profligatas.

Per הררי עד intelligunt reges Chanaan à Jehosua debellatos.

הליכות עולם] Incessus seculi i. rationes agendi quibus mundum hunc æternum regit ac gubernat q. d. omnia illi subjecta sunt & illius imperio parent.

הליכות עולם] Abenezra, "Illi colles propter altitudinem antea, "inaccessibilem nunc depressi virtute divina hominum itineri-"bus, in perpetuum frequentabuntur.

7. תחת און] Vel sub iniquitate i. subjecta pœnis iniquitatis, vel sub vanitate i. vidi tabernacula Cusan evanescere.

יריעות *cortina*] i. Tentoria, quæ tenduntur ex cortinis. Est igitur metonymia materiæ pro materia & forma. Ut aurum pro nummis aureis.

8. *Num in fluvios incanduit seu excanduit Dominus*] Num ea de causa compescuit fluxum Jordanis eumque quasi medium diffidit quod illi succenseret? minime profecto. Sed hæc omnia fecit, ut suam potentiam populo declararet.

אפך] Mutatio personæ passim usitata.

בים] Intelligit mare rubrum seu Erythreum, quod exsiccatum fuit in gratiam Israelitarum.

Quando tuis equitares in equis] Tralatio est à re militari, & hoc dicit respectu Ægyptiorum, qui suis equis & curribus persequebantur Israelem, sed Dominus sua potentia & hunc servavit, & illum superbe glorianrem & exultantem non compressit modo, sed penitus excidit. Ac propterea sequitur *currus tui salus sunt* i. victoriosi. Sine Deo equus fallax est ad salutem, sed cum Deo etiam sine equis certissima & indubitata salus.

רוכב] Ezra intelligit nubes quibus Deus dicitur equitare tanquam in equis. Sicuti dicitur alibi הנה רוכב על עב קל. Sunt enim & equi ipsius & currus quibus vehitur. Juxta hunc sensum præcedentia ita enarranda sunt; Tantum abest ut Deus succenseat fluminibus, ut ea ad irrigandam terram imbre cœlitus dimissa uberrima copia aquarum fecundabit & replebit, idque ad salutem populi sui fame & inopia rerum omnium laborantis. Nam putat idem hanc orationem habitam esse ad deprecandam famem.

9. עריה] Est significationis גלוי revelationis, nuditatis, & ita Jon. exponit hoc in loco, nempe אתגלאה manifestando manifestabis arcum tuum, vel, manifestabitur arcus tuus i. exeretur, in apertum proferetur, palam ostendetur seu ostensus fuit arcus tuus, palam, manifeste arcum educere, extrahere ex sua theca sine coryto retegere, explicare. עריה pro בעריה aperte, manifesto. Kimchi adjective accipit per defectivum substantivi. Nudum fuit sub. זרועך brachium tuum: Solent enim qui manu aliquid agere gestiunt, brachium denudare & manicam removere ne quid impedimenti remaneat. תעור fut. Niphal à עור nudabitur i. exeretur ex theca qua antea opertus erat & tectus.

שבעות] Juramenta tribuum: i. quæ tu jurejurando tribubus promiseras. In שבעות figura est quæ rhetoribus significatio dicitur qua ex antecedente denotatur consequens. Nam primum est jurare, & deinde jurejurando aliquid promittere, promissum confirmare. Utitur autem plurali, quia sæpius iteratum fuerat hoc juramentum à Deo. מטות appellat tribus ab adjuncto, quod earum summus virgam gestaret, quemadmodum illemagistratus, qui apud gentes ῥαβδοῦχος dicitur.

אמר] Dictum, ratum, firmum in omnem æternitatem. Jon. vertit מימרך קיים לעלמין להון sermo tuus ratus est in seculum.

תבקע] Fluviis seu fluminibus terram findis, sulcas. Deest ב ante נהרות quæ instrumenti sit nota, vel findendo efficis terram flumina i. ut flumina totam terram irrigent ad potandum populum tuum.

10. ראוך *viderunt te*] i. Senserunt vocem tonitru tui atque inde contremuerunt & perculsi sunt. Videre pro sentire supra notavimus. Alii accipiunt visum hoc loco pro sensu audiendi: & hoc fit quia visus omnium sensuum acerrimus est. Ita legitur Genes. 42. *Vidit Jacob quod frumentum esset in Ægypto.* Poni videas & pro *odorari* in Canticis. *Vide odorem filii mei.*

יחילו] Dolore instar parturientis fuerunt correpti, tantum doloris sustinuerunt quantum parturiens mulier &c.

זרם מים *inundatio aquarum*] Gurges. Intelligit aquam fontis ex petra exeitati.

רום pro לרום in altum manum suam tulit i. undæ Jordanis in altum elevatæ, concretæ, tanquam glacies steterunt. ידיהו pro ידו. Metaphora ab hominibus petita. Vel רום elevando, in infinitivo.

11. זבלה] In domicilio seu in statione sua i. in cœlo, sicut dicitur Jehos. 10. *Stetit Sol in medio cæli.* ה in fine est paragogica litera, quia caret accentu.

לאור *ad lucem telorum suorum*] i. Fulgurum. Sic enim τοξικὰς appellat fulgura & fulgetra quæ instar missilium telorum è cœlo dimittuntur. Quid si intelligamus radios solis, ut apud Lucretium *Lucida tela diei* appellantur solis radii.

12. בזעם *in ira*] In commotione, æstu, fervore. Verbum זעם sign. aversari aliquam rem cum stomacho & indignatione, offensionem ac fastidium ad aliquam rem habere, aspernari cum ira. עין כאיפה תעף כעס succensere.

בזעם ἐπιζημιατικῶς in iracundia i. iracunde, irate, per iram, cum iracundia, ut postea באף irate. תדוש tralatio ab iis qui fruges terunt in area, nam דוש triturare. Lxx. vertunt κατάξεις & Hier. *obstupefacies.*

13. *Egressus es in salutem Populi tui*] Ostendit Deum in mediatoris persona salutem suo populo præstitisse, nempe eduxisse ex Ægypto per desertum & in terram patribus promissam collocasse. Quæ omnia adumbrabant veram illam liberationem semel per Christi sanguinem faciendam. לישע in salutem, inquit, *una cum Christo tuo.*

ישע Inquit Hieron. *salvatorem* interpretatur. Sed malo ibidem legere ישע. Nam alias ישע & *salutem* significat, & ita interpretatur Hieron. cum vertit, *egressus es in salute populi tui.* Locus hic est Hab. 3. *Quando ergo populi tui vindicabis injuriam, terrena regna calcabis; & omnes gentes admirari facies, quia egressus es in salutem populi tui: & venisti ad eos cum Christo tuo:* licet in Hebraico scriptum sit: *Egressus es in salutem populi tui cum Jesu Christo tuo,* sive, *cum salvatore tuo:* ישע enim *salvator* interpretatur. In manuscripto est *cum Jesu Christo tuo,* sive, *cum salvatore Christo tuo.* Jesus enim *salvator* interpretatur.

Sciendum autem, ut supra diximus, quod ubi posuerunt Lxx. plurali numero, *ut salvares Christos tuos:* ibi esse in Ebraico לישע את משיחך, quod Aq. transtulit, *in salutem cum Christo tuo:* non quod Deus egressus sit ut salvaret populum, & salvaret Christum suum: sed quod in salutem populi venerit cum Christo suo, juxta illud Euangelii, *Pater in me & ego in Patre, & Pater in me manens, ipse facit opera sua.* Sed & V. edit. similiter transtulit: *Egressus es in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo.* Theod. & Symm. judaice trans-

transtulerunt, *Egressus es in salutem populi tui, ut salvares Christum tuum; & egressus es servare populum tuum, salvare Christum tuum.* VI. edit. ἐξῆλθες τοῦ σῶσαι τὸν λαόν σου διὰ Ἰησοῦν Χριςόν σου, egressus es ut salvares populum tuum per Jesum Christum tuum.

ראש] Per *caput* intelligit principes, reges & tyrannos, quos Dominus vulneraverit lethaliter ad liberandum suum populum.

רשע] Kimchi, qui hæc omnia intelligit de tempore sui Messiæ, per impium intelligi vult regem Magog, qui in fine seculi bellum illaturus est sanctis. Alii accipiunt de Pharaone. Verisimilior est eorum sententia, qui non de uno rege aut populo, sed de omnibus sceleratis & regibus & populis hæc exponunt.

ערות] Nudando, vel nudasti ערית per enallagen modorum. Fundamentum appellat pedis plantam à qua usque ad collum una cum capite omnia contrita sunt, confracta atque adeo comminuta. Possumus intelligere infimam plebem una cum mediæ sortis hominibus & regibus fuisse deletam. Etsi alii nomine fundamenti denotari putant quidquid firmum erat, stabile & quasi fundatum in ipsis hostibus, quia videl. in fundamento præter imam partem etiam consideratur firmitas & munimentum. Verum enim vero quod sequitur *usque ad collum* indicat ad prius adjectum debere referri, q. d. sublato capite quod restabat ab imo ad summum fuisse subrutum & eversum. Sunt qui per fundamentum regnum Pharaonis intelligunt funditus eversum fuisse. Ps. 137. ערו ערו עד היסוד בה.

Denudasti fundamentum usque ad collum] Lxx. *Suscitasti vincula usque ad collum.* Theod. *Ornasti fundamentum usque ad collum.* V. edit. *Denudasti sive evacuasti fundamentum usque ad collum.* ¶ Sela i. semper. Notandum quod Lxx. Heb. סלה pro διάψαλμα hoc in loco vertunt *in finem*, ut in suis Comment. observat Hiero.

14. פרזים sunt pagani. פרזות pagi, villæ. יסערו sig. cum fremitu ruere ad perniciem alicujus, instar turbinis prosilire ad aliquem perdendum & nocendum, subito & repentino impetu ferri aliquo. Tralatio dicta à procellis & à turbinibus. Et notat repentinum impetum, vim & celeritatem.

פרזו] Hieron. *bellatorum ejus.* Legit פריץ à פריצי quod *latronem, effractorem* & *bellatorem* sign. Lxx. κεφαλὰς δυναστῶν.

15. דרכת] Hieron. *Viam fecisti in mari equis tuis.* Lxx. ἐπεβίβασας εἰς θάλασσαν τοὺς ἵππους σου. Kimchi sic דרכת בים על סוסך & trajecisti Israelitas Ægyptiis in profundo demersis, q. incessisti per mare tuis equis: Isai. 63. 2. כדורך בגת sicut qui calcat in torculari. דרך est pedibus aliquid conterere & comminuere: & exprimere ut cum calcatis uvis vinum ex iis exprimitur & elicitur דרך כרמך viam incedendo terere, incedere per viam, pedibus comprimere, idem videl. quod Græce πατεῖν, nam πάτος via. De mari dixit Poeta, *Durum calcavimus æquor. Calcare solum & terram* dicimus quod est πεζεύειν. ב locum notat, על autem rem quæ calcatur. Amos 4. 13. דרך על במתי ארץ. *Calcare viam* est incedere per viam, iter facere. *Calcare equos* est insidere equis, iis inequitare, equitare in equis. Translatio sumpta ab itinere pedestri, vel potius καταχρησις. Nec aliud hac phrasi notat quam quod supra dixit כי תרכב על סוסך.

חמר] Per appositionem quod mare erat moles aquarum i. tanquam glacies in acervum, & molem concretum. Vel ut repetatur ב per molem aquarum multarum. Vel statim atque tu equis tuis in mare conscendisti, steterunt aquæ in ingentem acervum concretæ. Per *equos Dei* intelligit Abenezra *nubes.* Ego puto ab equitibus sumptam metaphoram, & talem hic Deum describi quum se ad populi sui salutem armaret. Esai. 29. denuntiat vates Ægyptiis Deum venturum ad eos equitantem in nube levi aut veloci.

חמר] Habet significationem gravitatis, unde & pro difficili ponitur per tralationem. Unde קל וחמר leve & grave est argumentum à minori ad majus apud Dialecticos. Hic notat gravem aquæ molem. Hier. *lutum* vertit i. חֹמֶר.

16. בטני] Trepidavit pectus meum, venter meus & interiora omnia commota sunt, est Synecdoche, qua ponitur venter pro omnibus interioribus. Perturbata & irrequieta animi effectio sive metus sive doloris interiorum partium concussione indicatur. Ea res fit nativo calore ad interiora regresso, quo membrorum principi cordi succurritur, externis interim artubus à natura neglectis, quam rem oris pallor, & labiorum tremor consequitur. Kimchi putat per ventrem denotari cor, contraria Synecdoche qua totum ponitur pro parte. Nam cor nomine interiorum etiam comprehenditur, cujus proprium est commoveri vel ira vel dolore.

לקול] Ad vocem sermonis & auditus hujus calamitatis. Jon. Paraphrastes hæc omnia accipit, quasi dicta sint in persona Babyloniorum, qui audita Dei potentia, quam exercuit in Ægyptios contremiscant propter instantem sibi cladem & perniciem. Alii putant esse ἀνακαίνωσιν & renovationem ejus quod initio capitis dixerat, *Audivi rumorem tuum, timui Domine.*

צללו] Strepunt labia, colliduntur, tremunt præ pavore & terrore, tremere labiis, collisione labiorum strepitum edere. צללת השפתים היא השקרת השפתים זו כזו כרוב שחר ורעדה. Hier. *contremuerunt labia mea.* Lxx. ἀπὸ φωνῆς προσευχῆς χειλέων μου i. צלה à צלו שפתי. Chald.

רקב] Putredo, vel cossus, teredo, nam aliquando genus est animantis. Etiam ossa mea quæ sunt pars corporis solidissima, computruerunt.

תחתי] *Sub me* exponunt במקומי in loco meo. Ubi stabam, ibi stans sub pedibus commotus sum & contremui. Hieron. *Ingrediatur putredo in ossibus meis & sub me scateat.* Lxx. ὑποκάτωθεν μου ἐταράχθη ἡ ἕξις μου. *Conturbata est fortitudo mea*, Sive ut alibi scriptum reperimus ἡ ἕξις μου: quod nos possumus dicere *habitudo mea*: diversa quippe exemplaria reperiuntur. Ezra, במקומי בארץ ישראל.

אשר אנוח] Quando cogitabam me futurum quietum, vel in eo loco in quo sperabam me requieturum, posse quiete & secure degere. Ut referatur ad ירגז nisi obstare dicas accentum Atnach qui est in ארגז. Apud Hieron. *in visione.*

18. אלהי ישעי] Hier. *In Deo Jesu meo.* Lxx. τῷ σωτῆρί μου i. salvatore meo, legerunt יֵשַׁע.

GROTIUS.

1. **O**Ratio Habacuc Prophetæ pro ignorantiis] Carmen Habacuci Prophetæ ad modulos veteris cantici, quod incipiebat שגינות. Carmen esse apparet ex voce סלה [*Selah*] infra, quæ nonnisi in Psalmis invenitur.

2. *Domine, audivi auditionem tuam, & timui*] Respondet Habacuc acceptæ jam revelationi, & ait, *Domine, dicta tua audivi, reveritus sum*, agnoscens summam tuam justitiam adversus Judæos primum, deinde & adversus Chaldæos. ¶ *Domine, opus tuum in medio annorum vivifica illud*] *Illud* Hebræo more πλεονάζει [*abundat*]. Cum Divina revelatione cognosset Propheta intervallum temporis futurum breve inter vastitatem Judææ, & pœnas irrogandas Chaldæis, orat Deum ut *medio tempore conservet opus suum*, id est, populum Judæum. Homines quidem omnes *Dei opus*, sed peculiariter Judæi, quos Deus ex Ægypto deductos populum fecit, legibus instruxit. Græci pro שנים [*annorum*] legerunt hoc loco חיים: vertunt enim ἐν μέσῳ δύο ζώων [*in medio duorum animalium*], quod illi videntur intellexisse de illis cœlestibus Potestatibus quæ חיות [*Animalia*] apud Ezechielem. Quam variis modis Christiani hæc sint interpretati vide Hieronymum. ¶ *In medio annorum notum facies: cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis*] *Medio illo tempore ostende te, quamvis iratum, misericordiæ meminisse.* Ostende hoc, nempe populo tuo.

3. *Deus ab Austro veniet, & Sanctus de monte Pharan*] *Venit.* Reddit causas cur Judæos *opus Dei* dixerit. Et sumtus est sensus, pars quoque verborum, ex Deut. xxxiii. 2. Montes illi qui varia habent nomina, *Seir, Sinai, Pharan*, & inter se cohærent, & Judææ ad Austrum objacent. ¶ *Operuit cælos gloria ejus*] Plenus fuit aër fulgurum, Exodi xx. 18. ¶ *Et laudis ejus plena est terra*] *Plena fuit*, propter egregia quæ dedit præcepta.

4. *Splendor ejus ut lux erit*] *Erat. Lux* ἀντονομαςικῶς [*insigniter sumto nomine*] est Sol: ut Job. xxxi. 26. & alibi. Historiam vide Exodi xix. 18. ¶ *Cornua in manibus ejus*] Id est, *scintillæ*, ut hic sumit Chaldæus. Vide Exod. xxxiv. 29. 30. ¶ *Ibi abscondita est fortitudo ejus*] *Ibi abscondita majestas ejus*, supple *patefecit se*, ut hic Chaldæus.

5. *Ante faciem ejus ibit mors*] *Ibat. Mors*, id est, pernicies certa Chananæorum & vicinarum gentium. Tacite innuit sic & cum Chaldæis acturum Deum aliquando. Græci דבר legêre cum alio puncto: dicunt enim λόγος [*verbum*]. Alii πτῶσις [*ruina*], quod cum Latino convenit. eundem sensum secutos Symmachum & Aquilam ex Hieronymo discimus. ¶ *Et egredietur diabolus ante pedes ejus*] רשף non uno modo vertitur. Videtur esse morbus pestilentiæ affinis, qualis ἄνθραξ [*carbunculus*]: & sic sumsit Chaldæus. Vide Psalmo lxxviii. 50.

6. *Stetit, & mensus est terram*] *Stetit Deus*, id est, Arca ejus quievit in Terra promissa: *& mensus est terram*, id est, distri-

distribuit populo suo, ut mensores solent. Vide Act. vii. 45. Jos. xiii. & seq. ¶ *Adspexit & dissolvit gentes*] Perterruit, Jos. v. 1. ¶ *Et contriti sunt montes seculi*] Id est, homines, qui pridem in montibus illis habitaverant. ¶ *Incurvati sunt colles mundi*] *Submiserunt se colles antiqui:* id est, populi qui diu in illis collibus vixerant. ¶ *Ab itineribus aeternitatis ejus*] In Hebraeo, *itinera seculi ei*: id est, omnia quae in mundo aguntur ipsi subsunt. Ita accipit Chaldaeus.

7. *Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiae, turbabuntur pelles terrae Madian*] *Vidi*, id est, intellexi, *propter scelus* illud quod memoratur Num. xxv. *commota esse tentoria Æthiopum*, id est, *pelles Madianitarum*. Explicat quos voce *Æthiopum* significaverit, nempe *Madianitas* Æthiopibus facie similes: qua de causa & uxor Mosis Madianitis dicitur *Æthiopissa* Num. xii. 1. Horum *tentoria contremuere*, occisis Madianitarum non paucis, Num. xv. 17. Chaldaeus *Chusan* nomen esse putat Regis Madianitarum, & refert haec ad tempora Gedeonis; quod sequentium series aegre patitur.

8. *Numquid in fluminibus iratus es, Domine, aut in fluminibus furor tuus?*] *An contra flumina furor tuus*, accensus scilicet fuit? ¶ *Vel in mari indignatio tua*] *Adversus mare.* Poetice admodum quaeritur an cogitandus sit Deus illis temporibus iratus fuisse aut aquis flumineis, aut mari, quod eorum naturam immutaverit: nempe ut hac causa sublata, alteram fortius ponat, singularem scilicet Dei pro populo suo curam. ¶ *Qui ascendes super equos tuos, & quadrigae tuae salvatio*] *Imo te vecto equis tuis currus tui salutem* attulerunt. Arcam vocat *currum*, Cherubinos *equos Dei*.

9. *Suscitans suscitabis arcum tuum, juramenta tribubus quae loquutus es*] *Educendo eduxisti arcum tuum.* E coryto scilicet, ut facere milites solent ubi hostis prope est. *Juramenta tribubus dicta*, id est, non aliter quam si sacramentum militare ipsis dixisses. Non dissimile illud Virgilii,

> *Actius haec cernens arcum intendebat Apollo*
> *Desuper.*

¶ *Fluvios scindes terrae*] *Fluminibus scidisti terram:* id est, terram fidisti ut erumperent aquae, Exodi xvii. 6. Num. xx. 10. 11. Psalmo cv. 41.

10. *Viderunt te*] Senserunt vim tuam. ¶ *Et doluerunt montes*] *Parturierunt montes.* ὠδινήσουσι [*parturient*] hic Graeci. Ita חיל sumitur Esai. xxiii. 4. xxvi. 18. xlv. 10. liv. 1. lxvi. 8. Jerem. iv. 31. Mich. iv. 10. Habac. iii. 9. in quibus locis Graeci posuere ὠδίνειν [*parturire*]. ¶ *Gurges aquarum transiit*] Quasi partu quodam. ¶ *Dedit abyssus vocem*] Sicut recens nati infantes vagitu se produnt, ita & ex imo erumpentes aquae fremitu quodam. *Abyssus* alibi mare, hic aquae sub terra occultatae, ut Deuter. viii. 7. Psalm. lxxviii. 15. ¶ *Altitudo manus suas levavit*] *In altum manus suas extulit*, nempe *abyssus*. Haec quoque similitudo ab infantibus ducta.

11. *Sol & Luna steterunt in habitaculo suo*] Josue x. 12. ¶ *In luce sagittarum tuarum ibunt*] Iverunt Israelitae, praelucentibus fulgoribus. ¶ *In splendore fulgurantis hastae tuae*] dem est quod praecessit.

12. *In fremitu conculcabis terram*] Iratus terram concutiebas. ¶ *In furore obstupefacies gentes*] *Conterebas* Chananaeos, Amorrhaeos, & alios, Duce Josue.

13. *Egressus es in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo*] Davidi in expeditionibus adfuisti. ¶ *Percussisti caput de domo impii*] Adarezerum Regem Sobae, ii Samuel. viii. 3. ¶ *Denudasti fundamentum ejus usque ad collum*] Neinpe *domus illius*, id est, Regni Sobae, summa & ima demolitus es.

14. *Maledixisti sceptris ejus, capiti bellatorum ejus*] *Baculis pertudisti caput bellatorum ejus*, id est, sociorum ejus, Regem nempe Damasci, ii Sam. viii. 5. ¶ *Venientibus ut turbo ad dispergendum me*] *Qui veniebat ut turbo ad me dissipandum.* Assumit hic Propheta personam populi Israelitici. ¶ *Exsultatio eorum*] Syrorum. ¶ *Sicut ejus qui devorat pauperem in abscondito*] *Pauperem prae metu latentem.* Talia sibi Syri de Hebraeis spoponderant, sed falso Triumphum cecinerant ante victoriam.

15. *Viam fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum*] *Viam fecisti ad mare equis tuis, ad acervum aquarum multarum.* Praeiens Davidi, velut *eques* praemissus *viam fecisti ad mare* Rubrum, expugnatis Moabitis, Ammonitis, Philistinis & Idumaeis, ii Sam. viii. 11. & alia ex parte ad magnum flumen Euphratem, i Par. xviii. 3.

16. *Audivi, & conturbatus est venter meus*] Propheta accepto Dei responso de Chaldaici Imperii exitio, ac simul rerum olim actarum memoria confirmatus, parat se ad patienter ferenda quae per Chaldaeos Judaeis id meritis erant eventura. *Venter quidem meus*, id est, viscera mea, *conturbata sunt*: id est, miseret me quidem popularium. ¶ *A voce contremuerunt labia mea*] Loqui non audeo, ob magnitudinem eorum quae prospicio malorum. ¶ *Ingrediatur putredo in ossibus meis, & subter me scateat*] *Invasit ossa mea putredo, & intra me contremui:* id est, non magis ista cogitans consistere possum quam is cui ossa tabe exesa sunt. tremo totus. ¶ *Ut requiescam in die tribulationis*] *Quia quiescendum mihi erit in tempore calamitoso:* id est, nullis precibus malum tantum potero avertere. ¶ *Ut ascendam ad populum accinctum nostrum*] *Cum ascendet* (nempe Chaldaeus) *contra populum* (Judaicum), *excisurus eum.*

17. *Ficus non florebit*] Esto. *Ne floreant ficus.* Συγχώρησις [*Concessio*]. ¶ *Et non erit germen in vineis*] *Nullus sit proventus in vineis.* ¶ *Mentietur opus olivae*] *Mentiatur oleitas.* Sic *spem mentita seges* apud Horatium. ¶ *Arva non adferent cibum*] Ne ferant arva frugem. ¶ *Abscindetur de ovili pecus*] *Auferatur.* ¶ *Et non erit armentum in praesepibus*] *Ne sit bos in stabulis.*

18. *Ego autem in Domino gaudebo*] *Ego tamen gaudebo in Domino*, fisus Dei promissis. ¶ *Et exsultabo in Deo Jesu meo*] Graeci, ἐπὶ τῷ Θεῷ τῷ σωτῆρί μου [*in Deo servatore meo*]. est enim in Hebraeo ישע, nomen commune, non proprium. explicant id sequentia.

19. *Deus Dominus fortitudo mea*] *Praesidium meum.* ¶ *Et ponet pedes meos quasi cervorum*] Efficiet ut ego evadam istam internecionem. ¶ *Et super excelsa mea deducet me*] *Ire me faciet ad montes meos:* id est, qui me servent. Allusio ad historiam Genes. xix. 17. quo spectat & locus Matth. xxiv. 16. ¶ *Victor in psalmis canentem*] *Magistro fidium mearum*, supple *tradidi hoc carmen aptandum fidibus*: Ps. iv. in principio.

ANNOTATA AD SOPHONIAM.

CAP. I.

MUNSTERUS.

Ostenditur ab initio hujus Prophetiae quis fuerit Zephania, quibus natus sit parentibus, & sub quibus vixerit Regibus. Coaevus autem fuit Jirmeiae Prophetae, & eadem fere quae ille, licet succinctis verbis, prophetavit, nempe urbis Jerosolymitanae & totius Regni Jehuda devastationem. Praedixit & hostium Jehudaeorum exterminium, & subnectit tandem consolationes in Christo, omnia mira & luculenta perstringens brevitate.

2. *Perdendo perdam*] Heb. *Finiendo finiam.* Jonathan tamen habet שיצאה אשיצי, sicut nos vertimus. Et nota quod alterum אסף est à radice סוף, scributurque hic in futuro Hiphil: primum vero est infinitivus à radice אסף. Non enim est rarum ut idem verbum reperiatur in diversis ordinibus. Quod autem Do-

Dominus *se dicit perditurum aves cœli & pisces maris*, Hyperbole est, quam Hebræi הפלגה vocant. Tantam enim minatur Dominus terræ Jehudæ desolationem ut nihil quod spirat in ea vivere possit, etiam pisces in lacubus ob terræ squalorem moriantur.

5. *Jurant per Regem suum*] Hebræi intelligunt hic per *Regem* עבודה זרה, i. *idolum:* ut cum quis nollet acceptare juramentum per nomen Dei veri factum, parati erant increduli homines jurare per idolum quod in terra illa colebant.

7, 8. *Sile à conspectu Domini*] i. Vos qui putatis Dominum opera vestra non videre; quiescite paulisper, & videbitis, sed non sine mœrore, quod Dominus omnia opera vestra perspexerit, quæ cum tanta ulturus est severitate. Nam *præparavit victimam:* h. e. hominum cædem, ad quam *sanctificavit invitatos suos*, nempe aves cœli & bestias terræ, quæ vestra lacerent & dilanient corpora. ¶ Porro per *vestitum extraneum* quidam intelligunt eos qui gestabant vestes ab aliis vi sublatas. Alii exponunt *vestes ad superbiendum factas.* Sunt alii qui intelligunt Pharisaicos homines sive hypocritas, qui peculiari veste *simulabant se coram hominibus justos & sanctos*, cum *ab intra essent lupi rapaces.*

9. *Qui saltat ultra limen*] i. In die illa visitabo eos qui vi irrumpunt in domos pauperum, & hinc sustollunt bona eorum. Pro quo Jonathan sic vertit, *Visitabo eos qui ambulant in legibus Phelistæorum, qui implent domos dominorum suorum rapina & insidiis.*

10, 11. *A secunda*] Hanc putant esse portam Templi ubi docebatur משנה, i. אולפן *doctrina Legis.* ¶ Per *colles* vero docent intelligendas domos nobiliorum, quæ in altiori situ erant quam vulgarium ædes. ¶ Item per *Machtes* Jonathan intelligit torrentem Kidron, locus scilicet Jerusalem demissior.

12. *In lucernis*] h. e. Nullum erit latibulum quod non pervestigabo & ultionem sumam de peccato in eo commisso. ¶ *Conquiescunt in fæcibus suis*] Heb. *qui coagulantur in fæcibus suis:* & est sensus, *qui resident super divitias suas*, ut Chaldæus interpres habet.

17. *Sicut pulvis*] i. Tam copiose: vel, ut Jonathan habet, *Effundetur sanguis eorum in pulverem, & cadavera eorum quasi stercus.*

VATABLUS.

1. V*Erbum Jehovæ*, &c. דבר יהוה וגו'] Hebraismus, Jehovah locutus est per me quæ sequuntur. His verbis indicat se fuisse verum Prophetam. Primum comminatur & terret; postea in consolatione piorum versatur. ¶ *Filium Chusi* בן כושי] Meminit Majorum suorum quod illi fuerint Prophetæ; vel, ut alii volunt, quod clari & illustres fuerint. ¶ *In diebus Josijahu* בימי יאשיהו] Hic ætas & tempus Prophetæ describitur, ut intelligamus Prophetiam esse certissimam. Regis Israel non meminit, quod prophetaret in tribu Juda, sub qua comprehenditur & Benjamin. Decem autem tribus abierant in captivitatem. Floruit autem tempore Josiæ, quo tempore & Jeremias & Olda. Jeremias publice prophetavit & in viciis; Sophonias, in conciliis & synagogis; Olda, in cœtibus mulierum.

2. *Consumendo consumam* אסוף אסף] *Perdendo perdam.* Ad verb. *Finiendo finiam*, i. Diligentissime & exactissime perdam, ita ut nihil supersit. Prius est à סוף, alterum ab אסף. Alii vertunt, *Congregando congregabo:* vel, *Congregando perdam.* ¶ *Terræ* האדמה] Sub. *Israelis.*

3. Erunt *impiis* את הרשעים] *Impios* invenient: vel apprehendent. ¶ *Et succidam* והכרתי] *Et exterminabo*, i. ejiciam alio. Sic seq. versu.

4. *Nomen*, &c. את שם וגו'] *Famam* [*memoriam*] *addictorum cultui idolorum.* כמרים erant cultores idolorum: sic dicti quod *nigris* vestibus induerentur: q. d. Efficiam ut ne memoria quidem supersit non solum idolorum, sed & cultorum ipsorum una cum ministris. Vide 2 Reg. 23. 5.

5. *Militiam cœli* לצבא השמים] i. Stellas, planetas, astra ipsa. ¶ *Per Malcham* במלכם] Erat idolum, sic dictum quod haberent ipsum pro *Rege.* Propterea quidam vertunt tanquam appellativum, *per Regem suum.*

6. Ne cant *post Jehovam* מאחרי יהוה] Ad verb. *de post Jehovam:* i. retrocedunt ne sequantur Jehovam: h. e. qui deseruerunt Dominum, & desierunt invocare ipsum. ¶ *Quærunt* בקשו] Præt. Heb. pro præs.

7. *Tace à facie Domini* הס מפני אדני] *Tace propter Dominum:* q. d. Tu qui hactenus solitus es obloqui Domino, dicens eum non curare terrestria, &c. nunc desiste obstrepere illi, quin potius time tibi ab ipso. ¶ *Sacrificium* זבח] *Hostiam*, quam scilicet ipse sacrificaturus sit: q. d. Non procul abest tempus quo ulturus est Dominus injuriam hanc. Per *sacrificium* sive *victimam* intellige cædem improborum, & per *convivas* feras agrestes & aves rapaces. ¶ *Præparavit invitatos suos* הקדיש קראיו] i. Invitavit convivas. Ad verb. *sanctificavit*, pro *præparavit* positum; quod quæ sanctificantur præparari soleant.

8. *Jehovæ* יהוה] Antecedens pro relat. *mei.* ¶ *Peregrino* נכרי] i. Diverso à reliquo populo. Chaldæus P. intellexit de *vestibus quibus utebantur idololatræ in cultibus idolorum.* Alii, de *ministris nobilium & principum* exponunt: hi enim solent uti veste varia & diversa à veste vulgi.

9. *Omnem transilientem* כל הדולג] Sing. Heb. pro plur. *omnes transilientes*, i. saltu transgredientes, præ lætitia. Intelligit ministros nobilium & Principum, qui ubi injuriam alicui fecerunt mox læti & alacres, onusti rebus rapina & dolo ablatis, sese in herorum domum recipiunt, ut operam suam dominis suis probent: q. d. *Ulciscetur injuriam factam à ministris nobilium.* Alii, de *irrumpentibus in domos pauperum, & vi bona illorum auferentium*, exponunt. Alii, de *idololatris qui superstitione quadam limen suorum idolorum attingere non audentes, transcendebant ipsum intraturi ædem illorum.* Vide 1 Sam. 5. 5. Juxta hanc interpretationem expone sequentia, *qui replere solent templum Dei sui opibus dolo partis.* In hanc sententiam interpretatur Chaldæus P.

10. *A porta piscium* משער הדגים] De hac porta Nehem. 3. 3. Sic fortasse dicta quod illic esset forum *piscium* venalium. Describit quæ accidere solent urbe obsessa ab hostibus. ¶ *A schola* מן המשנה] *A domo disciplinæ.* Ea erat urbis pars in qua dabant operam literis. De hac vide 2 Reg. 22. 14. ¶ *A collibus* מהגבעות] Qui scilicet erant in circuitu Jerusalem, juxta quorundam sententiam. Doctioribus tamen magis placet, de collibus inclusis in Jerusalem intelligi: q. d. Ex variis locis Jerusalem audietur magnus planctus.

11. *Ululate* הילילו] Potest esse imperativus. Alii volunt esse Præt. Heb. pro fut. *Ululabunt.* ¶ *Machthes* המכתש] Locus in imo urbis Jerusalem, à *profunditate* sic dictus & similitudine *mortarii:* nam Chaldæus P. vertit, *Qui habitatis in valle Cedron.* Cæterum in eo loco erat maximum forum rerum venalium, & mercatorum multitudo illuc confluebat. ¶ *Succisus est* נדמה] *Exterminatus est*, i. periit: q. d. Non venient post mercatores ad vos. ¶ *Mercator* כנען] *Negotiator.* Chaldæus P. vertit *terra Chanaan.* ¶ *Ferentes argentum* נטילי כסף] *Latores argenti*, i. mercatores: quod soleant magnam vim pecuniæ secum ferre. Repetitio ejusdem diversis verbis.

12. *Scrutabor* אחפש] Hebraismus, acsi dicat, Exactissime & diligentissime purgabo Jerusalem, non aliter quam qui repurgare solent domum cum lucernis accensis, nequid usquam remaneat. ¶ *Stantes* הקפאים] *Residentes*, i. qui manent & incubant: q. d. Qui instar rerum coagulatarum *stant immobiles super faces suas*, & quasi incubant illis: h. e. qui magna tranquillitate conquiescunt in divitiis suis. Sicut enim se habet fæx ad vinum: ita se habent divitiæ ad divitem. ¶ *Benefacit* ייטיב] Futura Heb. pro præs. i. nulla beneficia confert piis ac justis, nec affligit impios. Verba sunt hominum negantium providentiam Dei.

13. *Habitabunt* ישבו] Sub. *diu*, sive *longo tempore.*

14. *Dies Jehovæ* יום יהוה] i. In quo sumet pœnas de impiis. ¶ *Amara, clamat*, &c. מר צורח וגו'] *Amarum vociferantis, illic fortis:* vel, *amare clamantis, illuc* venient *fortes:* i. vox diei Domini jamjam exaudietur, edituri vocem terribilem ac terrificam: illic fortes aderunt expugnaturi urbem Jerusalem; vel, illuc venient. Alii, *amarum vociferabuntur illic fortes*, i. ibi audietur vox atrox & horrenda fortium expugnantium Jerusalem.

15. *Iræ* עברה] *Excandescentiæ*, i. in qua se ostendet Dominus iratum, & multis ac variis afflictionibus afficiet improbos. ¶ *Angustiæ & afflictionis* צרה ומצוקה] *Angoris & coangustationis.* ¶ *Tumultus & desolationis* שואה ומשואה] *Desolationis & destructionis.* Repetit idem ad rei corroborationem. ¶ *Nubis & tenebrositatis* ענן וערפל] *Nebulæ & turbinis*, i. nebulosus & turbinosus. Ita vocari solet dies tribulationis & afflictionis.

16. *Tubæ & vociferationis* שופר ותרועה] *Clangoris & classici.* Declarat præcedentia: i. dies in quo exaudientur tubæ hostium clangentium in expugnandis urbibus munitis & arcibus excelsis, ad excitandos animos militum. ¶ *Turres* הפנות] Hæc vox propric sign. *angulum:* significat etiam *turrem* & *ædificium*, quod variis angulis fulciatur.

17. *Et angustiis afficiam homines* והצרתי לאדם] *Et tribulabo homines*, i. multis ac variis afflictionibus exagitabo eos qui inclusi fuerint in urbibus munitis. ¶ *Et ambulabunt ut cæci* והלכו כעורים] Præ metu scilicet ac tremore. Videtur enim timor eri-

eripere lumen oculis: q. d. erunt attoniti ut cæci dum ambulant: conjicient se in enses strictos, nec poterunt vitare pericula sibi objecta. ¶ *Instar pulveris* [כעפר] i. Hostes non pluris facient sanguinem eorum quam terram ipsam. ¶ *Velut sordes* [כגללים] *Velut stercora*, i. cadavera eorum jacebunt prostrata humi velut stercora in fimo sive sterquilinio.

18. *Neque argentum*, &c. [גם כספם גם] Ad verb. *Etiam argentum eorum, etiam aurum non poterit*, &c. ¶ *Consummationem* [כלה] *Consumptionem*: q. d. Brevi consumpturus est omnes habitatores in hac regione.

CASTALIO.

6. ET *qui à Jova defecerunt, quique Jovam non curant, neque morantur*] Et qui falsa docent, & qui docentur, & qui Baalem simul & Jovam, & qui neutrum colunt, sunt puniendi. Unus Jova colendus.

7. *Pax adventu Domini Jovæ*] Obstupescatur.

9. *Limen transilientes*] Aliena occupantes.

10. *Ejulatio ab altera parte*] Scilicet urbis.

11. *Ejulate, Molaris habitatores*] Locus erat in urbe, mercatu celebris.

12. *Rimabor Hierosolymam lucernis*] Acutissime. ¶ *Suis concretos facibus*] In suis sordibus demersos.

14. *Clamante ibi milite*] Erit bellum.

16. *Pinnas altas*] sc. Murorum.

CLARIUS.

OStenditur ab initio hujus Prophetiæ quis fuerit Sophonias, quibus natus parentibus, & sub quibus vixerit Regibus. Coævus autem fuit Jeremiæ Prophetæ, & eadem fere quæ ille, licet succinctis verbis, prophetavit, nempe urbis Jerosolymitanæ & totius Regni Juda devastationem prædixit & hostium Judæorum exterminium, & subnectit tandem consolationes in Christo, omnia mira & luculenta perstringens brevitate.

2. *Congregans*] h. e. Perdens, abducens. ¶ *A facie terræ*] Nempe terræ Juda. Quod autem dicit Dominus *se perditurum aves cæli & pisces maris*, Hyperbole est. Tantam enim minatur Dominus terræ Juda desolationem ut nihil quod spiret in ea vivere possit, ut etiam pisces in lacubus ob terræ squallorem moriantur.

5. *Jurant in Melchom*] Vel, *per Regem suum*. Hebræi intelligunt *idolum*: ut cum quis nollet accipere juramentum per nomen Dei veri factum, parati erant increduli homines jurare per idolum quod in terra illa colebant.

7. *Silete à facie Domini*] Vos qui putatis, inquit, Dominum opera vestra non videre, quiescite paulisper, & videbitis, sed non sine mœrore, quod Dominus omnia opera vestra perspexerit, quæ cum tanta ulturus est severitate. Nam *præparavit hostiam*, h. e. cædem magnam, ad quam *sanctificavit*, h. e. præparavit, *vocatos suos*, nempe aves cœli & bestias terræ, quæ vestra lacerent & dilanient corpora.

8. *Veste peregrina*] Quidam intelligunt eos qui gestabant vestes ab aliis vi sublatas. Alii exponunt *vestes ad superbiendum factas*. Sunt alii qui intelligunt Pharisaicos homines sive hypocritas, qui peculiari veste *simulabant se coram hominibus justos & sanctos, cum intus essent lupi rapaces*.

9. *Alacriter transilit*] De potentum ministris dicit, qui oppressione pauperum ditabant dominos suos.

10, 11. *A secunda*] Domo secunda, i. Regia, vel, ut quidam volunt, schola, ubi docebant doctrinam Legis. ¶ Per *colles* docent intelligendas domos nobiliorum, quæ in altiori situ erant quam vulgarium ædes. ¶ Per *Machtes* Jonathan intelligit torrentem Cedron, locum Jerusalem demissiorem.

12. *In lucernis*] h. e. Nullum erit latibulum quod non sim pervestigaturus. ¶ *Defixos in facibus*] Heb. *qui coagulantur in facibus suis*, h. e. qui resident in divitiis suis tanquam vinum in fæcibus conquiescens suis.

17. *Sicut*] Non pluris erit, inquit, hominis sanguis quam pulvis terræ, & tanta copia effundetur.

DRUSIUS.

1. SOphoniam] Talis lectio antiqua. Nunc legunt *Sphanja* διϲσυλλάβως, vel, si placet, *Tsephanja*. Prophetasse creditur primo principatu Josiæ, priusquam Judæi mores in melius commutassent vitamque pravam emendassent. ¶ *Filium Chusi, filii Godoliæ*] Qui hos dicit claros & celebres fuisse in illo ævo, probabilius loquitur quam qui dicit Prophetas fuisse. Hier. *CHUSI interpretatur Æthiops meus*. Hoc correctione indiget. Nam CHUS est *Æthiopia*; *CHUSI*, *Æthiops*. Malim ergo, *CHUSI*, *Æthiops*, vel *Æthiopia mea*. Sed sciendum *Chusi* hoc loco non gentilitium, sed nomen viri proprium esse. גדליה *Godolias*, ut צפניה *Sophonias*. ¶ *Ezeciæ*] Rectius scriberetur *Hezeciæ*, cum aspiratione: nam est *H* Heth in scriptura Ebraica. Aut scriptum *Ezecias* suavioris soni causa pro *Jezecias*, quemadmodum *Ezeciel* scribebant pro *Jezeciel*. Rei firmandæ est quod alibi legitur יקוי, cum Joth in capite, Mich. 1. 1. Jes. 1. 1. Quod qui hinc ablatum putant ϵὐφωνίας ἕνεκα, sciant eodem modo scribi hoc nomen Jer. 26. 18. *Micha Morasthites prophetabat in diebus Ezeciæ Regis Juda*. ¶ *In diebus Josiæ*] Sub hoc prophetavit & Jeremias; item Holda femina. Chronicon Ebræorum minus, *Post Amonem regnavit filius ejus Josias* xxxi *annis. Fuitque Sacerdos Helcia; Sophonias vero, Jeremias & Holda, Prophetæ*. Scholia Camii Ebræi, *Tres prophetarunt in diebus Josiæ, Jeremias, Sophonias & Holda. Dicunt autem Doctores nostri f. m. Jeremiam prophetasse in vicis & plateis, Sophoniam in Synagogis, Holdam vero apud feminas*. ¶ *Amon*] Hujus meminit cum ob Regiam dignitatem, tum quia sub eo vigebat inprimis cultus idolorum; Quorum excidium hac concione prædicitur.

2. *Colligendo*] *Colligere* usurpant & pro *delere*, *perdere*, *consumere*. Ductum ex more veterum, qui ossa mortuorum colligebant: aut à frugibus, quæ absumendæ colliguntur. Jud. 18. 25. *& colligas animam tuam, & animam domus tuæ*. Psal. 26. 9. *Ne colligas cum peccatoribus animam meam*. Ps. 104. 29. *Colligis spiritum eorum, exspirant*. Hos. 4. 3. *etiam pisces maris colligentur*. *Colligi ad patres* etiam dicitur pro *mori* Jud. 2. 10. & *colligi ad populum suum* Num. 27. 13. &, quod haud scio an quisquam adhuc annotaverit, אסיפא de *morte*. ¶ *Collecturus sum*] אסף dixit pro אאסף: ad quod exemplum est אזן *auribus percipiam*. Aut est nomen usurpatum participii loco, quale רצן *volens*, & quæ alia Grammatici annotarunt. Hoc si recipitur, erit vertendum *colligendo colligo*, sive *collecturus sum brevi*. Simile prorsus, *Ecce ego commoveo cælum & terram*, quod explicant, *commoturus sum propediem*. Potest etiam futurum esse à סוף *deficere*: quod verbum aliunde accersiit, cum eandem in Hiphil vim habeat ac illud quod præcedit. Sic Ierem. 8. 13. אסף אסיפם *colligendo perdam eos*, vel, si placet, *deficere faciam*. Hoc postremum puto germanum esse. ¶ *Telluris*] In Ebræo est האדמה cum articulo, cujus ea vis ut si diceret, *hujus telluris*. Innuit autem terram Iudæam.

3. *Et offendicula cum improbis*] *Offendicula* vocat deos falsos, quia occasio sunt ruinæ eorum qui ipsos colunt. Eucherius in libros Regum, *Consuetudinis est Scripturarum* offensionem *idola nuncupare, quia vel in illis offenditur Deus, vel offensionem & ruinam suis afferunt cultoribus*. Vulgo *& offendicula improbos*, sub. *invenient*. Sensus est, Improbi incident in varias calamitates, quæ hic *offendicula* sive *scandala* vocat, qualia sunt Pestis, Gladius, Fames, &c. ¶ *Et succidam homines*] Etiam eos qui non plane improbi sunt.

4. *Extendam manum meam*] Exseram virtutem meam. Alii, MANUM MEAM, i. *plagam meam*: satis anguste. Nam *manus DOMINI* aliquando in bonam partem accipitur, ut ibi, *& manus Domini erat cum eo*. Dicunt etiam *extendere brachium* eodem sensu. ¶ *Super Judam*] Sub hoc nomine comprehendit etiam Benjamin: Quæ duæ tribus solæ tunc restabant, reliquis decem in captivitatem abductis. ¶ *E loco isto*] E Iudæa, & ejus metropoli Ierusalem. Nihil temere affirmandum: tamen quid si dicamus hic prædici ea quæ acciderunt anno 12 Regni Josiæ? Historia refertur 2 Par. 34. ¶ *Reliquias Baal*] Vel *residuum Baal*. Vult dicere, Quidquid post deportatum Israelem, h. e. 10 tribus, adhuc idololatriæ in populo Dei remansit. ¶ *Nomen Camarorum*] q. d. Etiam memoriam eorum delebo. *Camari* sunt Sacerdotes idolorum, sic appellati, ut quidam volunt, à *nigris vestibus*, quibus induebantur. V. Int. *æditQuos* reddit. Sunt qui significari putant proprie ministros Sacerdotum, quos adhuc impuberes per diminutionem *camillos* appellabant. Unde & Mercurius Hetrusca lingua *Camillus* dicitur, q. *minister deorum*. Servius Æn. 11. CAMILLA *quasi* ministra *dicta est. Ministros enim & ministras impuberes* camillos & camillas *in sacris vocabant. Unde & Mercurius Hetrusca lingua* Camillus *dicitur, quasi minister deorum*. M. Varro in libris De lingua Latina, CAMILLA, *administra in his quæ occultiora*. Macrob. Saturn. lib. 3. c. 8. *Romani pueros puellasque nobiles & investes* camillos & camillas *appellabant Flaminicarum & Flaminum præministros*. Plura de hac voce lib. 1. Animadv. c. 19. Vide sis quæ ibi disputamus.

5. *Super tecta*] Tecta Ebræorum plana erant, non in coni formam fastigiata, ut nostra sunt. Itaque in iis commode adorabant.

bant. Sed & sacra ibi faciebant: Jer. 19. 13. *in quarum tectis adoleverunt omni militiæ cæli.* Ab hac figura tectorum natum proverbiale, *Prædicate super tecta:* de quo fuse diximus in Proverb. nostris. Vide, si vacat. ¶ *Militiam cæli*] Vel *exercitum cæli*, sive *copias cælestes*, h. e. Solem, Lunam & Stellas. Credebant enim hæc cœlestia corpora Divinitatem quandam in se habere, tum etiam ipsorum influxionibus regi hæc inferiora: Quapropter iis sacra faciebant, idque in tectis planis ut diximus: nam tecta illa cœli aspectui maxime exposita sunt. ¶ *Qui jurant DOMINO*] Omnes, quos quidem viderim, Interpretes hic legunt, *qui jurant per DOMINUM:* meo judicio, non recte. Nam *jurare per Dominum*, i. ביהוה: Hic autem legitur in Ebræo ליהוה, quod nos primi vertimus *DOMINO. Jurare DOMINO* quid sit disces ex 2 Par. 15 14. Est autem, Jurejurando interposito nontendare pietati, & quasi Deo se addicere & consecrare. ¶ *Per Malcham*] Vox Ebræa sonat *Regem suum.* Utrum ergo est nomen appellativum? an *Moloch* alia forma nominis *Melech* dicebatur? aut Mem in fine tale est quale in *Melchom?* Ut ut sit, certum est priscum Int. legisse *Melchom.* Mihi non dubium quin *Moloch* significetur, sive Mem pronomen sit, sive non. Hunc *Saturnum* quidam fuisse putant, cui humanas hostias immolabant. BAAL autem, quem nos *Jovem* esse didicimus, censent *Martem* fuisse, hac conjectura usi, quod ejus Sacerdotes lanceolis seipsos fodebant, sanguinem elicientes, ut legimus 1 Reg. 18. 28.

6. *A DOMINO*] Ad verb. *à post DOMINUM:* quod posses exponere, *ne eant post DOMINUM*, vel *ne sequantur DOMINUM.* Significat eos qui, licet deos falsos non colerent, ex professo tamen à Deo defecerant, omnemque ejus reverentiam abjecerant. Sic dico, innuit eos qui non ambulabant in viis DOMINI, nec ejus præcepta aut legem observabant. ¶ *Qui non quærunt DOMINUM*, &c.] Isti sunt quos nulla prorsus tenet cura Dei rerumque Divinarum, nulla incessit religio. Quorum ut nullum non seculum feracissimum fuit, ita hoc nostro tempore talium proventus est longe uberrimus. ¶ *Nec investigant eum*] Sic antiquus Int. Sed est cur malim *nec requirunt eum.*

7. *Sile à facie Domini*] הס, ait Hier. *interjectio est Imperantis silentium, qua sæpe utuntur & Comici.* Mens horum verborum, Comicos uti interjectione qua silentium sibi aut alteri indicant. Ea est *Pax:* quam usurpant Plautus & Terentius, ut & Græci Comici. Hesych. Πάξ, ἐπὶ τῷ τὸ τέλος ἔχειν. Posses ergo legere, *Pax à facie DOMINI:* sed interpretes *Sile* prætulerunt. Sic Hab. 2. 20. *DOMINUS in templo suo sacrosancto, sile à facie ejus, omnis terra:* & Zach. 2. 13. *Sile à facie DOMINI, omnis terra:* & Amos 6. 10. *Sile: nam non est memorandum nomen DOMINI.* Aut sententia est ut si diceret, *metue ab eo.* Nam ex silentio metum significant. Silent enim qui in magno metu sunt. ¶ *Propinquus est dies DOMINI*] Imminet illud tempus quo de vobis supplicium sumet DOMINUS. ¶ *Apparavit hostiam*] Innuit cædem improborum & insepultam sepulturam, ut ita loquar. Siquidem *hostiam* vocat cadavera occisorum; *vocatos* autem, animalia carnivora præsertim quæ cadaveribus vescuntur, ut Aquilæ, Corvi, Vulpes, Lupi, & alia. Sic ait Deut. 28. 26. *Et cadaver tuum esca erit avibus cæli & bestiis terræ, nemine exterrente.* Alii *victimam.* Alii *sacrificium.* Hoc nomine veniunt animalia quæ mactantur vel ad sacrificium vel ad convivium. Recte igitur Tremellius, *apparavit DOMINUS mactanda animalia.* Quanquam malim *mactata animalia.* Vide Jes. 34. 6. Jerem. 46. 10. & Ezech. 39. 17. Est autem figura loquendi, *hostia* sive *mactatio* pro *mactatis animalibus*, ut cum *deportatio* ponitur pro *deportatis*, & *captivitas* pro *captivis* ipsis. ¶ *Sanctificavit*] i. Præparavit, vel, si placet, segregavit. Nam *sanctificare* hoc quoque significat, ut ibi, *Antequam exires è vulva, sanctificavi te:* & in illo Jer. 12. 3. *Sanctifica eos in diem occisionis.* Ad quem locum Theodoretus, *Verbum*, inquit, SANCTIFICA *dicit pro* SEGREGA. *Segregat enim se qui vult sanctificari.* Idem in Comm. Joel. 3. ad locum, Ἁγιάσατε πόλεμον, ita scribit, Διεγείρατε τοὺς μαχητὰς, καὶ ἀφορίσατε εἰς πόλεμον. τοῦτο γὰρ ἐκάλεσεν ἁγιάσαι· ἐπειδὴ γὰρ ὁ ἅγιος τῶν ἐναγῶν ἑαυτὸν ἀφορίζει πραγμάτων, πᾶν τὸ εἴς τι ἀφοριζόμενον ἁγιάσαι καλεῖ. ¶ *Vocatos*] Invitatos. *Vocare* enim dicebant simpliciter pro *vocare ad cænam.* Consule libellos meos.

8. *Mactationis DOMINI*] Vel, *hostiæ DOMINI.* Vult dicere, *eo tempore quo DOMINUS mactabit improbos tanquam hostiam.* Cæterum זבח usum habet etiam extra sacrificia: ideo magis placet *mactationis DOMINI:* ita enim latius accipi poterit. *Domini*, i. meæ: nomen loco pronominis, ut Thren. 3. 66. *Exscindes eos è sub cælis DOMINI*, i. tuis. Quale est & illud Num. 10. 29. *Et dixit Moses Hobabo filio Raguelis Madianitæ socero Mosis.* Vide Animad. l. 2. c. 6. ¶ *Animadvertam in Principes*] Alii, *visitabo Principes.* Hoc ambigue dicitur. Hanc ambiguitatem tollit constructio Ebraica, *visitabo contra Principes:* quod antiquus Interp. dixit *super Principes.* Latini dicerent, *Animadvertam in Principes.* Verbum *visito* alium sensum habet quando cum accusativo construitur, ut ibi, *Visitavit populum suum, dando eis panem.* ¶ *Et filios Regis*] Lux huic loco ex Jer. 39. 6. *Et jugulavit Rex Babylonis filios Sedeciæ in Reblatha in oculis ipsius: & omnes nobiles Judæ jugulavit Rex Babylonis.* ¶ *Et omnes qui induti sunt indumento peregrino*] Quos intelligat ambigitur. Quidam significari putant ministros nobilium. Alii Pharisæos & hypocritas, qui vestitu utebantur alio à vulgo. Ego, salvo tamen aliorum judicio, neque hos neque illos peculiariter innui puto, sed potius omnes eos qui exoticis vestibus levitatem animi prodebant. Neque mihi dubium est quin illo ævo alii Ægyptios in vestitu imitarentur, alii Babylonios; prout huic aut illi genti studebant. Dicit ergo, ne illos quidem immunes fore qui in peregrinum habitum transierint, seque ad mores victoris populi composuerint.

9. *Transilientes limen*] Qui alienas domos invadunt, pauperumque bona occupant ac deprædantur. Sic vulgo enarrant. Cæterum nondum clara mihi lux in hoc loco. Quidam *limina pauperum* intelligunt; alii *dominorum limina*, quorum mox meminit. Sic dico, Putant significari ministros nobilium, qui quod præda onusti domum redirent, lætabundi limen transiliebant. Hem, pene exciderat! Limen transiliebant cultores Dagon, quod Numen erat Philisthæorum. Quo haud dubie Chaldæus Int. respexit cum verteret, *Et eos qui ambulant in ritu Philisthæorum.* Vide 1 Sam. 5. 5. ¶ *Violentia & dolo*] i. Opibus per violentiam & dolum partis.

10. *A porta piscium*] Una erat ex portis Jerusalem, cujus meminit his verbis Hier. *Porta piscium ea est quæ Diospolim ducit & Joppen, & vicinior mari erat inter cunctas vias Jerusalem. De qua & Ezras refert* Neh. 3. 3. PORTAM VERO PISCIUM ÆDIFICAVERUNT FILII HASNAA. Ut *porta Piscium* una, sic alia vocabatur *porta Avium*, & alia erat quæ dicebatur *porta Equorum*, cujus mentio Jer. 31. 40. ¶ *A secunda*] *Secundi muri*, ait Hier. *in eodem climate portam significat.* Sed alii aliter de hac re opinantur. David Scholiastes non *portam* sed *scholam* designari putat, fretus autoritate Chaldæi P. qui in libris Regum, ubi hæc eadem vox occurrit, eam interpretatur בית אולפנא, i. *domum doctrinæ.* Eucherius vero partem urbis subintelligit: Cujus hæc sunt in tractatu De quæst. V. T. *Quid est quod scribitur in Paralipomenon*, Quæ habitabat in Jerusalem in secunda? *in secunda scilicet parte. Ezecias enim secundum Jerusalem murum fecit, filiusque ejus Manasses tertium. Habitabat ergo hæc de qua scribitur in secunda parte civitatis.* Idem in libros Regum, *Quid sit hoc quod dicit in* secunda? *In superiori parte libri hujus scribitur de Rege Ezecia*, Ædificavit quoque omnem murum qui fuerat dissipatus, & exstruxit turres, & forinsecus alterum murum. *Meminit hujus loci & Sophonias, dicens*, Vox clamoris ad portam piscium, & ululatus à secunda: *pro qua editio V. quasi proprium nomen loci transtulit in* Masana. MASANA *quippe interpretatur* secunda. *Quod ergo dicitur hæc Prophetissa* habitasse in Secunda, *in secunda muri parte intelligere debemus.* R. S. in eo cum Hieronymo consentit, quod *portam* subaudiat, quam *Avium portam* vocat, eamque secundam fuisse dicit inter portas Urbis. Cui rei firmandæ est quod in ed. Chaldaica legitur מן עופא *ab avibus*, si modo mendum non est in hac lectione. Nam ex Camio apparet leg. עופל. Ea vox *arcem turrimve* aut hujusmodi quid significat. Sed & locus erat Jerosolymæ ejus nominis. Ebræi עפל vocabant. Vide 2 Reg. 5. 24. Neh. 3. 27. & 2 Par. 27. 4. Adduxi plures opiniones: Qui judicio valent, ex his eligent quam potissimum probabunt. Mihi præ cæteris probatur Eucherii. ¶ *Ab ipsis collibus*] Ab ea parte Urbis in qua colles erant. Colles autem fuisse Jerosolymæ, aut in vicinia ejus, docet nos Propheta Jeremias, qui cap. 31. 39. in descriptione Urbis memorat *collem Gareb.* Quidam existimant colles istos fuisse in extremitate tertii oppidi, portam Sterquiliniorum versus, ubi erat Oliverum.

11. *Habitatores Pilæ*] Pila locus erat in Urbe cavus instar pilæ. Nam *pila* vas concavum. Hier. *Pila, quæ Ebraice dicitur* מכתש, *& ab Aquila versa est* εἰς τὸν ὅλμον, *non per brevem syllabam prima legenda est, ne* σφαῖραν *putemus, sed per productam, ut de pila sciamus dici in qua frumenta tunduntur. Vas concavum, & Medicorum aptum usui, in quo proprie ptisanæ fieri solent.* ¶ *Succisus est*] Vel, *in silentium redactus est.* Nam דמה *silere. Silentii* vero nomine Mortem intelligimus, veluti cum *silentes* appellamus ipsos mortuos.

¶

¶ *Populus Chanaan*] Potuisset dicere *populus mercatorum*, sed elegit *populus Chanaan*, ut simul aliud innueret. Quid autem hoc sit disces ex illo, *Semen Chanaan*, *& non Juda*. Porro gens hæc mercaturæ imprimis dedita erat. Quamobrem *Chanaan* vocatur *qui mercaturam exercet*; ut ibi, *Chanaam*, *in manu ejus statera dolosa*. Proprie ita non significat; sed quia tales erant Chananæi, ut diximus, ideo eorum nomen in commune transiit. ¶ *Portantes argentum*] i. Negotiatores. Sic enarrant Scholia Camii Ebræi. Alii *argentarios* significari putant; alii, in queis Jonathan, *pecuniosos* & *opulentos*.

12. *Lucernis*] i. Exactissime. Sumptum ab iis qui accensa lucerna abstrusissima quæque & in tenebris latentia scrutantur. Consule adagium, *Accensa lucerna quærere*. Hier. ad h. l. *Legamus*, inquit, *Josephi historias*, *& ibi reperiemus scriptum*, *de cloacis quoque & speluncis & antris & sepulcris extractos Principes & Reges & potentes & Sacerdotes*, *qui se in eis metu mortis absconderant*. ¶ *Concretos fæcibus suis*] Locus similis est Jer. 48. 11. *quiescit in fæcibus suis*, de eo qui non sentit conversionem temporum, communem vitæ statum eundem constanter obtinens. Quanquam per *fæces* alii Peccata, alii Opes intelligant. Vide quæ scripsimus Proverb. class. 2. l. 2. adag. 57, & 58. ¶ *Qui dicunt in corde suo*] Bene adjecit *in corde suo*. Nam non palam hoc dicunt, sed duntaxat apud se cogitant. Quis enim audet palam negare Dei providentiam? Sic David ait, *Dicit improbus in corde suo*, *Non est Deus*. ¶ *Non benefacit*, *nec malefacit*] Nec prodest bonis, nec obest malis. Sic dico, Nullam penitus curam habet rerum humanarum.

13. *Et erunt opes eorum direptioni*] *Opes eorum* Chaldæis *cedent in direptionem*, *& domus eorum* ab iisdem *destruentur*, *solo æquabuntur*. ¶ *Nec inhabitabunt*] Vel, *quas non inhabitabunt*, vel certe non diu inhabitabunt. Sic mox, *quarum vinum non bibent*. Reliqua facilia sunt & clara, non egent lumine explicationis.

14. *Festinus valde*] Qui valde festinanter adventat. Posses legere *festinans valde*. מהר *festinans*. Quale est שבח *laudans* Cohel. 4. 2. nomen pro participio. ¶ *Vox diei DOMINI*] Quidam hunc locum sic distinguunt, *Vox diei DOMINI amara*, *clamat ibi fortis*. Alii sic, *Vox diei DOMINI amarum clamat*, *ibi fortis*. Priori distinctioni adversatur accentus, qui in nomine יהוה *DOMINI*, is est unus ex majoribus distinguentibus, quem *Zaceph Caton* vocant: alioquin mihi non displicet. Et fortasse hic locum habet regula illa principis Grammaticorum Camii in Comment. Hos. 12. 11. *Non omnis expositio quadrat cum punctatione*. Vult dicere, In explicando Textu non semper habenda est ratio accentuum. Nam accentus etiam punctationis nomine continetur. Dicit ergo, vocem illus diei, quam edent etiam illi qui à viribus valent & animi robore præstant, amaram fore. ¶ *Amare clamat*] i. Clamaturus est. Licet etiam legere *amarum clamantis*; ut sensus sit, *vox diei DOMINI erit vox amarum vociferantis*. ¶ *Ibi fortis*] Hic *ibi* valet *tunc*, ut sæpe apud autores Latinos, & in illo Davidis Psalm. 14. 5. *Ibi pavebunt pavorem*. Sic Homerus

Ἔνθ' ἄλλοι μὲν πάντες, - - -

i. *Tunc*. Aut *ibi*, h. e. Jerosolymæ. Qui notam distinctionis ponunt ante hoc adverbium, aliquid addunt de suo: & sane imperfecta oratio est nisi subaudias *adest*, aut hujusmodi quid. *Ibi fortissimi quique*, inquit, *adsunt*, ad cædem faciendam an subeundam?

15. *Dies iræ*] *Iræ* nomine intelligit calamitates quæ ab irato Deo immittuntur. Ergo *dies iræ*, i. *dies adversitatis*, &c. ¶ *Adversitatis & angustiæ*] Alii, *angustiæ & afflictionis*. ¶ *Tumultus & tumultuationis*] Græce elegantius θορύβου καὶ θορυβήματος. Ebraice est שואה ומשואה. Talis elegantia est in illo בוקה ומבוקה *vacua & evacuata*. ¶ *Dies tenebrarum & caliginis*] Vide quæ notavimus Joel. 2. 2. ¶ *Obscuritatis*] Vel *densarum tenebrarum*.

16. *Tubæ & clangoris*] Alias, *buccinæ & classici*. ¶ *Contra angulos excelsos*] *Angulos* dicit turres, quales in murorum angulis ædificari solent. Interdum *anguli* vocantur homines autoritate præstantes & reip. molem quasi fulcientes, ut 1 Sam. 14. 38.

17. *Arcte premam*] Vel *obsidebo*, aut *in angustias cogam*. ¶ *Homines*] Istos videlicet qui degunt in *civitatibus munitis* & in *turribus excelsis*, ubi se putant in tuto esse & extra periculum. ¶ *Ambulabunt ut cæci*] Nempe in perpetuis tenebris. Cæco enim semper tenebræ sunt. Vide quæ scripsimus Proverb. class. 2. l. 2. adag. 59, & 60. ¶ *Tanquam pulvis*] Mire dictum, quasi de re arida sermo esset. Nam dixisset potius, cum de Sanguine loquitur, *tanquam aqua*. Forte prius elegit propter vilitatem pulveris: nam nihil eo vilius. Hoc proverbiale etiam Copiam significat. Sensus ergo ut si dicas, *Effundetur sanguis eorum copiose*. ¶ *Et caro eorum velut stercora*] Et hoc mire dictum. Nam *caro* proprie non *effunditur*. Significat autem, nisi fallor, corpora eorum projectum iri per agros perinde ut lætamen sive fimus per agrum jacitur quando is stercoratur. Hic *caro* לחומם dicitur; forte quod esca sit vermium. Obiter noto propter Grammaticos, Hoc nomen quando cum pronominibus quæ *affixa* vocant construitur, modo retinet Schurec, ut Job. 20. 23. modo illud resolvit in Kibbuts & Daghes, ut hoc loco.

18. *In die iræ DOMINI*] Supra dixit *in die iræ* simpliciter. ¶ *Igne zeli ejus*] *Ignem zeli* dicit ut Ezech. 38. 19. *In zelo meo & in igne iræ meæ locutus sum*. Nam Zelus non est absque Ira, nec Ira aliud quam ignis. Quocirca & *accendi* dicitur & *exstingui*, quæ sunt verba propria in Igne. Quin Ira interdum *ignis* vocabulo afficitur. Ex eodem fonte manavit & illud, *Funditur excandescentia mea tanquam ignis*. ¶ *Consumetur*] Vel *devorabitur*. ¶ *Tota terra*] Judæa. ¶ *Consummationem faciet*, &c.] Accelerabit ad internecionem delere omnes incolas terræ istius. Sic dico, Propere ac sine mora consumet habitatores regionis hujus. ¶ *Acceleratam*] Vel *properatam*.

IDEM.

1. Ὑιῷ Γοδολίȣ] Ita est in C. Diversa lectio υἱὸν Γοδολίȣ perspicue falsa est, nisi υἱὸν pro *nepote* sumas. ¶ Ἰωσίȣ] Vel Ἰωσία, ut habet E. C. Sic Τωβία Tob. 11. 12. Quædam enim nomina utramque terminationem admittunt, in queis Πυθαγόρας, Ἀρχύτας, Παυσανίας, & item alia consimiliter. ¶ Ἀμὼν] Hoc nomen legitur in quibusdam libris cum duplici μ, sed perperam. Nam Ἀμμὼν, i. עמון: unde *filii Ammon*, i. Ammonitæ.

2. Ἐκλειπέτω πάντα ἀπὸ] Dictio πάντα abest in C. & in versione Lat. quæ in operibus Hier.

3. Τȣ̀ς ἀνόμȣς] Puto scriptum aliquando fuisse τȣ̀ς ἀνθρώπȣς· errorem autem natum ex more per compendium scribendi ἀνȣ̃ς pro ἀνθρώπȣς.

4. Τὰ ὀνόματα τῶν ἱερέων μετὰ τῶν ἱερέων] Hanc lectionem hausi ex C. quam puto veram esse. In R. desideratur illa pars μετὰ τῶν ἱερέων. Aliæ editiones habent μετὰ τῶν ἱερῶν, i. *cum sacris*. Sunt etiam qui legant τὰ ὀνόματα τῶν ἱερῶν μετὰ τῶν ἱερέων. In Hier. *nomina Sacerdotum cum Sacerdotibus*.

5. Προσκυνȣ̃ντας καὶ τȣ̀ς] Hæc absunt in C. sed male. ¶ Κατὰ τȣ̃ βασιλέως αὐτῶν] Hanc lectionem secutus Hier. vertit *in Rege suo*. Reperitur in C. & R. In aliis est κατὰ βασιλείας αὐτȣ̃. Romanenses annotarunt alias duas præterea: Una est κατὰ τȣ̃ κυρίȣ βασιλέως αὐτῶν, altera κατὰ τȣ̃ Μελχώμ· quo modo sane Hier. transtulit ex Ebræo. Vide Theodoretum. Ego hanc postremam lectionem puto ex margine, ubi notata fuerat ex alia quapiam editione, in contextum irrepsisse.

6. Ἀντεχομένȣς τȣ̃ Κυρίου] Sic & Hier. In C. tamen est ἀντεχομένους αὐτοῦ, quæ scriptura convenit cum veritate Ebraica.

7. Ἡτοίμασε] R. ἡτοίμακε. Sic mox ἡγίακε legitur, ubi in C. ἡγίασε.

9. Ἐκδικήσω ἐπὶ πάντας ἐμφανῶς] Dictio ἐπὶ πάντας desideratur in codice R. Hier. *ulciscar supra omnes manifeste*. ¶ Ἐπὶ τὰ πρόπυλα] Libri ad E. C. τȣ̀ς ἐπὶ τὰ πρόπυλα. Hieron. *qui sunt in vestibulis*. ¶ Τὸν οἶκον Κυρίου Θεȣ̃ αὐτῶν] Editio Basileensis ea quæ in quarta folium complicat, τὸν οἶκον Κυρίου. Sed in Ebræo τὸν οἶκον κυρίων αὐτῶν, i. *dominorum suorum*.

10. Ἀποκεντȣ́ντων] Legerunt הרגים: error in Resch & Daleth. ¶ Ὀλολυγμὸς] *Ululatus*, *ejulatus*. In Aldo legitur ὀλυγμὸς, sed inepte, ut videtur.

11. Θρηνήσατε] Alibi est θρηνεῖτε. ¶ Τὴν κατακεκομμένην] i. *Concisam*. Ita legendum ex R. & C. non, ut in aliis, τὴν οἰκȣμένην.

12. Ἐπὶ τȣ̀ς ἄνδρας] Alias ἀνθρώπȣς. ¶ Ἐπὶ τὰ φυλάγματα αὐτῶν] על שמריהם magis sonat *in fæcibus suis*: quæ sic vocantur quia vinum *conservant*: שמר autem *servare* significat. ¶ Καὶ οἱ λέγοντες] In R. est οἱ δὲ λέγοντες. Ego non dubito quin rectum sit in C. τȣ̀ς λέγοντας· apud Hier. *& qui dicunt*.

13. Ἡ δύναμις αὐτῶν] i. *Opes eorum*. Sic alibi ἐποίησαν δύναμιν, *compararunt opes*. Vide libellos meos. ¶ Κατοικήσουσιν ἐν αὐταῖς] *Habitabunt in eis*, ita Hier. Sed abest ἐν αὐταῖς in C. nec legitur in Ebræo. ¶ Καταφυτεύσουσιν] Alibi φυτεύσουσιν.

14. Καὶ ταχεῖα, σφόδρα] Lego ἐγγὺς καὶ ταχεῖα σφόδρα, ex C. & R. tum etiam ex Hieron. qui habet *juxta & velox nimis*.

15. Ἡμέρα ταλαιπωρίας] R. ἡμέρα ἀωρίας. Sed in Hier. *dies miseriæ*, i. ταλαιπωρίας. Solent autem hoc modo reddere vocem שׁר, cum hic sit שׁואה in Ebræo. ¶ Γνόφου καὶ σκότους] Magis probo scripturam Comp. σκότους καὶ γνόφου, i. interprete Hier. *tenebrarum & turbinis*. Lexicon Græcolat. V. Γνόφος, *nimbus*.

17. Ὡς τυφλοὶ, ὅτι τῷ Κυρίῳ ἐξήμαρτον] Libri ad E. C. ὡς τυφλοὶ, οἱ τῷ Κυρίῳ ἥμαρτον. ¶ Εἰς χοῦν] Ex R. legendum ὡς χοῦν. Nam & in Hier. *sicut pulverem*.

IDEM.

3. והמכשלות את־הרשׁעים. Th. καὶ ἀσθενήσουσιν οἱ ἀσεβεῖς*. Sym. *Et scandala cum improbis*†. V. *Et infirmitas cum impiis deficiet*]* i. *Et infirmabuntur impii*. Hoc autore Hier. de Theodotionis editione additum legitur hodie in Lxx. † Sub. *congregabuntur* sive *deficient*. Vide Hier.

11. המכתשׁ. Aquila, εἰς τὸν ὅλμον] Est autem ὅλμος *pila* sive *mortarium*. Videndus Hier. ad h. l.

IDEM in VULG.

1. Sophoniam] Sic etiam Græci legebant σοφονίαν. Nunc legunt Sephania per S, Sade: quod quidam scribunt Tsephania. Ego veterem lectionem retinendam puto, cum parum interesse existimem hoc an illo modo legatur. ¶ *Godoliæ*] *Godolias*, antiquitas lectionis ut *Sophonias*, pro eo quod jam legunt *Gedalia* esset *Godolia*. Sed Græca consuetudo poscit *Godolias*. ¶ *Amariæ*] Trisyllabon. ¶ *Ezechiæ*] Jampridem docui scribendum ex vetusta consuetudine Ezecias, per c, simplex; non Ezechias. Sic Ezeciel, non Ezechiel. Quanquam aliter librarii. ¶ *Josiæ*] Libri Ebræi *Josiahu*, quod sic dicatur ut Jeremiahu, Jesajahu, pro Josia, Jeremia, Jesaia. Ebræa consuetudo.

3. *Congregans*] Vel אֹסֵף, vel si hoc non est, legit אָסֵף: quod nunc אָסֵף, id est, *congregabo*. ¶ *Pecus*] *Jumentum* vel *bestias*. ¶ *Congregans*] *Congregabo*, ut supra. Sensus autem est qualis in illo, *collectus fuit ad patres suos*. Itaque Santes reddit: *desistere faciam*. Trem. *recepturus sum*. ¶ *Ruinæ impiorum erunt*] Santes, *offendicula erunt impiis*: sed emendarunt, *offendicula cum impiis*. Et recte, meo animo. Tremellius, *ruinas cum improbis*. Subintellige recepturus sum. Hoc vult, ne ipsa quidem rudera ab hac pœna eximentur. Ita Tremellius & Junius. ¶ *Terræ*] הארמה cum articulo.

4. *Æedituorum*] הכמרים, id est, Camarorum. Sunt autem Camari, à quo diminutivum camilli, sacerdotes proprie deorum falsorum aut æditui, quos νεωκόρους vocant. De hac voce vide quæ scripsimus Ani. lib. 1. c. 19.

5. *Et adorant & jurant*] Non damno: præoptem tamen, *& adorantes qui jurant*. ¶ *In Domino*] Emendant *per Dominum*. Ego non dubito quin vertendum sit, *jurant Domino*. Est enim LADONAI in textu Ebræo, non BADONAI *in Domino*. Jurare Domino quid sit explicatum à nobis est alibi, sed nescio quo in libro. ¶ *In Melchon*] Per Melchon. Ebraismus. ¶ *Melchom*] Ut *Melchisedec*. Lectio quæ à Massoritis hoc in loco Malchan, alibi est Malchon. Sonat, ut si dicas *Rex eorum*. Dicitur & Moloch, & est Saturnus, cui homines immolabant.

6. *Qui avertuntur*] *Retro aguntur* alii habent; alii, *retrocedunt*. ¶ *De post tergum*] Nomen *tergum* additum ab interprete.

7. *Silete*] Verbum singulare *Sile* mutavit in pluralem: quia sermo ad plures dirigitur. ¶ *Hostiam*] Hoc malo, quam quod Santes habet, *sacrificium*. ¶ *Sanctificavit*] Id est, paravit. ¶ *Vocatos suos*] *Invitatos suos*. Nota locutio *vocare* pro *invitare*. Sic Plautus locutus est aliquoties.

9. *Visitabo super omnem*] Latine, *animadvertam in omnes*: ut supra *visitabo super principes*, animadvertam in principes. ¶ *Qui arroganter ingreditur*] In aliis est, *qui insilit*. In alio, *qui transilit*. ¶ *Domini Dei sui*] Nomen *Dei* abest à multis libris manu exaratis & recte abest. Veritas habet verbum è verbo, *Dominorum suorum*. Dominorum, inquam, non Domini. ¶ *Iniquitate*] Violentia, rapina.

10. *A secunda*] Estne nomen portæ: an quod Santes vertit *à Schola*? Tremell. habet, *à parte secunda*.

11. *Pilæ*] Machthes legitur in Ebræo, quod Santes ita reliquit, cum existimaret esse nomen proprium loci. Sed Tremellius edidit *habitatores cavi*. Vox Ebræa cum appellative sumitur, mortarium significat, Belgice een Mortier. ¶ *Conticuit*] In silentium redactus, hoc est, succisus fuit. Metaphora nota. ¶ *Populus Chanaan*] *Natio mercatorum*, qui Chananim dicuntur, quod Chananæi plurimum mercaturam exercerent. ¶ *Involuti argento*] Santes, *ferentes argentum* habet: sed Tremellius clarius & manifestius, *argentarii*.

12. *In lucernis*] Ex idiotismo Ebraico valet, lucernis. Et est proverbiale sedulitaris. ¶ *Defixos in facibus suis*] Santes, *stantes in facibus suis*. Tremellius, *qui concreti sunt cum facibus suis*.

13. *Fortitudo eorum*] Id est, opes, facultates eorum. חיל enim est in textu Ebræo. ¶ *In desertum*] Melius, vastationi aut desolationi. Nam *in desertum* למדבר. Sed nihil affirmo.

14. *Juxta est*] Vult dicere, prope est. ¶ *Velox*] Festinus, celer. ¶ *Nimis*] i. Valde. ¶ *Tribulabitur*] צרח tanquam à צר. Santes, *clamat*. Tremell. *clamaturo ibi robusto*. Sic etiam Jonathan explanat.

16. *Super angulos*] Hic *super* pro *contra* accipiendum. Angulos autem vocat turres, eo quod in angulis ædificari soleant.

17. *Tribulabo*] Premam, angustiis afficiam. ¶ *Sicut humus*] Vel, *sicut pulvis*. Hoc est, copiose ac viliter, nec sine contemptu.

18. *Consummationem cum festinatione*] Interpretatur אך pro אך, salva tamen sententia. Nam *consummationem cum festinatione*, id est, properatam, acceleratam. Santes, *consummationem profecto festinatam*. Trem. *consummationem utique acceleratam*.

EJUSD. LECTIONES.

1. צפניה] Alii *speculam*, alii *arcanum Domini* transtulerunt.

כושי Interpretantur humilitas vel Æthiops meus. כושי sign. Æthiopem non *Æthiopem meum*, ut vult Hieron. Hæc nomina formata sunt cum accessione nominis Jehovah. Quod nos monet ut pueris nostris nomina imponamus non profana vel ab ethnicis & infidelibus petita ac mutuata, sed quæ vel ipso nomine quadantenus declarent nostram pietatem, qui etiam à profanis & pollutis nominibus abstineamus.

גדליה] Magnitudo Domini.

אמריה] Sermo Domini.

חזקיה] *Fortitudo Domini* ait Hier. Verisimile est unum aliquem magnum & pietate insignem hunc Ezechiam fuisse. At sunt qui sine ullo argumento putant Ezechiam esse regem Jehuda. De hoc Propheta hæc referunt Hebræi. Simul & eadem ætate sub rege Josia vaticinati sunt Jeremias, Sophonias & חלדה. Ita quidem ut Jeremias prophetasse dicatur in plateis & vicis. Sophonias autem in Synagogis, at Holda prope mulieres. Fuitque vaticinium Sophoniæ priusquam rex & populus i. Josias & Judæi pravum vitæ institutum emendassent. Causa omnis ob quam parentes vaticiniis præfigantur, duplex est, altera pertinet ad certitudinem rerum in prophetia contentarum: altera generis claritas & nobilitas. Quemadmodum Paulus dicitur *Aldi filius*, & rursus *Aldus Pauli*, qui nepos erat alterius Aldi.

יאשיהו] Elevatio Domini.

אמון] Filius Manasse. Manassi filius successit in regnum patri annum agens vigesimum secundum. Regnavit Hierosolymis annos duos. Is Deum offendit, quemadmodum fecerat ejus Pater Manasses: eademque cum illo vita grassatus, cultos ab illo stercoreos divos coluit adoravitque: & Dominum Deum majorum suorum reliquit, neque præscripta ab eo via ingressus est. Hic rex Amon à suis domi per conjurationem interfectus est, omnibusque illis conjuratoribus à populo occisis, creatus est rex ab eodem populo Josias ejus filius pro eo. Hic regnavit Jerosolymis annos unum & triginta, matre Idida. Paruit Domino, omnemque rationem vivendi Davidis sequutus, nec ad dextram nec ad sinistram deflexit.

Quærunt quidam cur Ammonis nomen, qui impius fuit & sceleratus, hic fuerit expressum. Respondeo eandem esse rationem quam in aliis locis, nimirum ad patrem indicandum, qui etsi impius, celebris tamen erat ob regiam dignitatem. Verisimile est hoc vaticinium habitum fuisse regnante adhuc Amone, cum populus Deorum & Syderum cultibus esset addictus, interea tamen filii nomen apponi ob insignem ejus pietatem: Vel certe in principio regni Josiæ, quo Dei cultus nondum erat instauratus, ac propterea patris nomen adscribi filio, quia notior erat & illustrior. In primo capite pœnam irrogandam describit: in secundo revocat suos populares ad pœnitentiam. Hanc meam sententiam confirmat, quod sacerdotum & æedituorum

tuorum excidium perniciesidolorum & lucorum accidetit tempore Josiæ regis, quemadmodum refertur 2 Reg. 23. 4. Verba hæc sunt: *Jussit rex pontifici maximo & sacerdotibus ut auferrent ex Domini templo omnia vasa Baal, & luco, & omnibus copiis cœlestibus facta.* Sacerdotes qui à Judeæ regibus instituti in facellis, Baali, Soli, Lunæ, Planetis, cunctis denique copiis cœlestibus adolebant, sustulit & excidit.

Sunt qui totam hanc prophetiam referant ad excidium Babylonicum, quorum ego sententiam approbare nequaquam possum. Potius dixerim referri partim ad instaurationem cultus quæ accidit sub Josia, partim ad exilium Babylonicum ad cladem à Babyloniis factam.

2. [אָסֹף אָסֵף] Alterum est in Kal, alterum in Hiphil. אסף est consumere, finire, internecione delere ut nihil insuper remaneat. Verbum אסף aliquando habet sign. perimendi & perdendi Jud. 18. אספתה נפשך ונפש ביתך perimere, interimere, delere. Cicer. *Si ludi non intermissi sed perempti atque sublati sunt.* Hieron. *congregans congregabo.* Lxx. ἐκλείψει ἐκλειπέτω in Imperat. ac si esset הָסֵף per spiritum asperum. Hos. 4. 3. וגי היָם יאספו, *pisces maris colligentur.* אסף metaphora à frugibus sumpta, quæ collectæ & coacervatæ absumuntur. Unde Ps. 26. *colligere cum peccatoribus animam.* Aliquando est collectum aliquid auferre, figura quæ rhetoribus significatio dicitur sive emphasis, ut cum ex antecedente intelligitur consequens & contra. Ita הסגיר claudere, est occlusum tradere. *Accipere* apud Matthæum est acceptum transferre. Est synecdochica locutio. Generaliter etiam ponitur pro tollere è medio, perimere, occidere quacunque tandem ratione. אסף colligo, constringo, quæ dispersa sunt in unum cogo & quasi sub uno aspectu pono. אָסֵף ter cum defectu Vaf. Massor. אָסֹף ter quoque in eodem sensu, & nusquam alibi quam hoc capite. אסף Sch. Jarchi putat contracte dici pro אֹסֵף ut יהֹוֶה pro אוּהֹוֶה & eo sensu accipiunt fere omnes interpretes.

Verbum Domini] Titulus est seu inscriptio prophetiæ. Continet quatuor. Adjunctum rei quæ tractatur i. prophetia per visionem à Domino declaratam. Administrum prophetiæ, ejus genus: & tempus quo prophetavit. Locutus autem intelligitur Dominus non ore ad os ut cum Moyse sed per visionem & propheticam revelationem.

3. [והמכשלות את הרשעים] Quidam appositionem statuunt *Scandala* seu *impedimenta.* Hoc est רשעים improbos, impios. Alii pro, *cum*, accipiunt. *Offensiones* seu *offendicula una cum improbis.* i. Perdam, abolebo, destruam quidquid impedimenti possunt adferre improbi, omnia obstacula tollam è medio neu quis scrupulus remoretur, neque quo in scopulo hæreat piorum conatus. Omnia studia, consilia, molimenta improborum funditus perdam ac delebo, nec solum ipsa, sed etiam impios una cum illis. מכשלה impedimentum, mora, impeditio, quicquid obstat & causa est moræ.

[את האדם] Lxx. habent ἀνόμους. Sed facile fuit ex ἀνθρώπους facere ἀνόμους, præsertim cum brevibus notis pingitur.

[מעל פני האדמה] Synecdoche est, qua genus ponitur pro specie, nam intelligit regionem Israelis. Quod si כל hic universalem particulam accipias & ejus partes subjici postea intelligas, אדמה hic idem erit quod ארץ ut comprehendat etiam maria & stagna lacusque, in quibus sunt pisces, nec non aerem ubi volitant aves. Videtur posse intelligi de frugibus terræ, ut sit sensus, Vastabo & perdam כל פרי האדמה quicquid ex terra succrescit. Sed rectius hanc locutionem sic exposueris de superficie terræ, non quidquid in terra est, vel super terram graditur; sed quidquid terræ aspectui patet vel è terra conspicitur, ut sunt aves & pisces in stagnis & lacubus.

4. *Extendam manum meam*] i. Exeram meam potentiam, nervos meos, vires & lacertos. Idem est *extenso brachio & projecto.* Quod Statius dixit lib. 1. Theb. *Exertare humeros nudaque lacessere pugnam.* Est ergo summo conatu rem aggredi valida potentia, firmo robore, fortitudine præstanti & singulari, omni virium firmitate, quæ in brachiis maxime consistit.

Baal] Et *Dominum* sign. & *patronum* & *maritum* & *idolum.* Deductum à verbo quod dominium & imperium sua significatione complectitur. Dicimus *Baal* & בֵּל. Unde non dubito *Bel*, quod apud Babylonios erat idolum, appellatum. Celebre fuit apud Accaronitas, à quibus postea Judæi & Israelitæ mutuati sunt. Pluraliter בעלים de quibusvis dicitur idolis. Joseph. lib. 9. c. 6. Ant. Jud. dicit, *Baal fuisse Deum Tyriorum.* Pro quovis idolo ponitur. *Reliqui mihi septem millia qui non curvaverunt genua sua ante Baal.*

Baal, Martem fuisse Hebræi existimant, cujus rei inter alias hanc conjecturam habent quod Sacerdotes ejus foderent lanceolis semetipsos & redderent sanguinolentos, ut legimus 1 Reg. 18. 28. Gentes quædam hanc habuerunt opinionem, ut putarint astra & cœlestia corpora non solum divinitatem quandam in se habere, sed etiam eorum influxionibus regi hæc inferiora omnia. Inde metus quidam incussus fuit, si quando aut obscurantem solem, aut deficientem lunam videbant. Ideo accidit sæpe ut libaminibus, suffitu, sacrificiis, aliisque innumeris placare studuerint. Ad quam rem quia tecta erant aptissima (habebant enim domos planas & æquabiles, non in coni formam fastigiatos) ea conscendebant, ibique suos ritus & ceremonias peragebant. Id testatur Jerem. cap. 19. 13. Idem monet ne à signis cœli terreantur sui populares. Quod enim astrorum nutu vitam istam gubernari existimarent, supplicationibus, incensis atque libaminibus placare illa sibi volebant.

5. [צבא השמים] Exercitus vel copiæ cœlestes. Ita vocantur sydera, stellæ, luna & sol, quæ δυνάμεις dicuntur in Novo Fœdere. Taxat ergo astricolas & eos qui cœlestes creaturas adorabant, quod accidit multis veterum, ut solem, lunamque pro diis colerent, eis suffitum facerent, quemadmodum conqueritur alibi Jerem. *Suffiunt*, inquiens, *operi cœlorum* למלכת השמים quod idem est atque לצבא השמים. Lxx. καὶ προσκυνοῦντας τῇ στρατιᾷ τοῦ οὐρανοῦ. על הגגות ἐπὶ τὰ δώματα. Hier. *Qui adorant super tecta militiam cœli.* Morem exprimit idololatrarum qui in tecta conscendebant, ut ibi cultum exhiberent creaturis cœli. Et erant eorum tecta admodum ad eam rem apposita, quippe plana, & aspectui cœlorum exposita.

Aliud est *jurare Domino* & aliud *jurare per Dominum.* Nam illud est, Deo se dedere, ac vota nuncupare, quod adorantes solent. Unde Psalm. 132. 2. pro eodem accipitur *jurare Domino* & *vovere. Qui juravit Domino vovit Deo Jacob:* hoc est, Deum in testem ac vindicem invocare.

להשבע ליי Est jurare Domino, coram illo juramentum præstare, vota Domino facere. להשבע ביי est per Dominum jurare. Hoc formulam indicat jurisjurandi: illud personam tantum cui juramus. Itaque male vertit Hieron. *Qui jurant in Dominum*, & alii, *qui jurant Dominum.* Et quia juramentum cultum comprehendit divinum, ideo *jurare Domino* non est aliud quam profiteri religionem Dei, atque ita illi qua[si] juramento esse adstrictum & devinctum. Jon. ית סגדין די מקיימין חי ה' i. קיים בשמא דיי ותיבין ויימין בשום פת כרטיהון. Qui dicunt „ vivat Dominus i. qui jurant per nomen Domini, & denuo jurant per nomen idolorum suorum. Exod. 32. 13. אשר נשבעת להם בך quibus jurasti per te ipsum. Jehos. 9. 19. נשבענו להם ביי juravimus illis Dominum dicebant principes Israel. Igitur jurare Domino est fœdus & pactum cum eo inire. 2 Par. 15. 14. *Fœdus inierunt ut Dominum tota mente & toto animo exquirerent:* & quisquis illi non studeret, moreretur à parvo usque ad magnum atque viro usque ad fœminam. Tunc sequitur 'וישבעו ליי בקול גדול וגו Et Domino cum strepitu & voce ingenti jurarunt i. jurejurando sese addixerunt ipsius cultui, juramento polliciti sunt se illum quæsituros.

Per מלכם intelligunt regem Deum quem sibi in regem elegerant. Uti Dominus aliquando dicitur, *Rex Israel* in prophetis. Sunt qui Moloch regem intelligunt, qui utique rex vocatus est, quod pro rege ac summo principe illum cultores haberent. Huic liberos suos sacrificabant per ignem, quare Saturnum quidam fuisse putant. Idolum ejus Hebræi scribunt vituli formam & septem habuisse receptacula, in quorum primo adolebatur simila, in secundo turtures, in tertio oves, in quarto arietes, in quinto vituli, in sexto boves, in septimo pueri. Ab horum, dum cremarentur, rictu Sardonii risus proverbium natum putant nonnulli. Solitum quoque fuit dum adurebantur pueri tympano sonare, ne eorum ejulatus audirentur.

6. *Recedere à Domino* est palam & ex professo à Deo deficere, omnemque semel Dei reverentiam abjicere. Subjicit, *qui non inquirunt nec vestigant Dominum.* Isti sunt quos nulla prorsus tenet cura Dei, nulla incessit religio. Quorum ut nullum non seculum feracissimum fuit, ita hoc nostro tempore, talium proventus est longe uberrimus.

7. הס *Sile*] Metalepsis est, qua per silentium metus, atque metum ineutiens potentia significatur Zach. 2. 13. *Sile à facie Domini omnis terra.* Hab. 2. 20. *Dominus*, inquit, *in templo sancto suo, sile à facie ejus omnis terra*, i. tanquam potentia sua præsentem expavesce.

הס מפני quidam id esse putant, quod Latine dicimus *Quid verbis opus est*, Non est multis opus, Quid multa, Sileamus de istis ac potius ad alia graviora & propriora veniamus.

Sed

Sed huic sententiæ repugnat quod sequitur., *à facie Domini* vel *propter Dominum*. Altera sententia mihi magis arridet. Aut dicamus eum respondere tacitæ objectioni quæ talis esse poterat ab impiis. Quid nobis minitaris iram Dei, jam diu fruimur isto statu, & hac rerum conditione. Nihil adhuc adversi, nihil incommodi nobis accidit. Deus ille tuus res nostras non curat, vel certe segnior est ad res gerendas. Interea nos mors præveneri & ipsius vindictæ eripuerit. Respondet Propheta: Tace, comprime te quia jam instat & imminet judicii dies quo de vobis Dominus supplicium est sumpturus. Ille vos inveniet & celeri suo adventu opprimet. הס sile, tace, silentium fac. Amos 6. 10. הס כי לא להזכיר בשם יהוה *Ne luge, contine te in silentio & quiete*. In epistola Abaminonis Ægyptii ad Porphyrium fit mentio de Deo quodam veluti secundo, cui nomen Ægyptiaca lingua fecerat *Icheon*. Hunc ostendit silentio coli oportere. Quod idem etiam de summi Dei cultu prolixe Porphyrius ἐν τῷ περὶ ζώων ἀποχῆς. Et David alibi לך דמיה תהלה: *tibi silentium lausque Deus in Sion*. Harpocratem Ægyptii suis sacris adhibebant, qui silentio colendum ostenderet summum Deorum. *Silere* per Metalepsin præsentem timorem qui est causa silentii significat. Nam simul ac timor nos occupavit, statim silentio conquiescimus. Dum enim metus omnia tenet & occupat, altum silentium agitur.

הס Sile, i. silebit unusquisque. Imp. pro Fut. ut in illo, *Hoc fac & vive* i. & vives. Ita Lyra exponit.

Silete à facie] Pro eo quod Lxx. transtulerunt εὐλαβεῖσθε i. timete: & nos posuimus *silete*: in Hebræo הס interjectio est, imperantis silentium, qua sæpe utuntur & comici.

8. [ביום זבח יהוה] i. ביום זבחי die qua ego mactabo & sacrificabo. Enallage est 3. pers. pro prima. Quale illud, *Tibi verba: Huic homini verbera*, i. mihi. פקד constructum cum על est punire, animadvertere in aliquem, castigare & animadvertere peccata, Animadversione uti in aliquem & supplicio.

מלבוש נכרי intelligunt eos qui exoticis & extraneis vestiuntur. Quo carmine notatur hodie Gallia & Germania. De Gallis in pictura quadam in arce Blesensi expressum est. Namque ibi Sarcinator Hispano, Anglo, Italo, Germano, suas cuique vestes profert. Gallo autem pannum & forficem porrigit, ut ipse sibi vestem qua velit forma paret. Ego putarim eos notari, non qui varias vestes gestarent, sed eas quæ ab alienæ gentis hominibus essent portatæ. Ut si quis Christianus vellet nunc Turcarum habitu vestiri.

9. [הדלג על המפתן *qui transilit limen*] Transcendit, præterit, transgreditur, trajicit. Intelligunt homines direptores & prædatores qui ad rapinam agendam vel alienæ Domus limites transiliunt, vel suam ingredientes exultabundi limen transcendunt ob nactam pinguem & opimam prædam. Hier. *Visitabo super omnem qui arroganter ingreditur super limen in die illa*. Lxx. ἐκδικήσω ἐπὶ πάντας ἐμφανῶς ἐπὶ τὰ πρόπυλα. Notandum quod Græci hoc loco פקד constructum cum על vertant ἐκδικεῖν quod est ulcisci.

10. *Et erit in die illa*] Dixit supra instare diem Domini, cujus nunc adjuncta ostendit, Clamorem, ejulatum & cladem. Ea dicit futura per totam Hierosolymam, nec ullum locum fore immunem à calamitate & miseria. Quod declarat distributione partium urbis. Nam hic ab una parte & item ab alia, sive orientem spectes sive occidentem, meridiem sive septentrionem, omnia complebunt luctus, planctus, clades, cædes, ejulatus.

[קול צעקה *vox clamoris*] i. Clamor, vel querula vox, sonus quem edunt vociferantes, & clamorem edentes facientesque. Est autem tantum Pleonasmus in eo quod clamor non fit sine voce. Nam alias si dicam קול שמחה vox lætitiæ, nihil ibi redundat. Notat enim sonum & gestum, quem læti homines edunt.

[שער הדגים] Nomen est portæ civitatis Jerusalem, quam dictam putant, vel quod circa illam piscinæ essent, vel quod pisces prope illam venderentur. Ejus fit mentio Nehem. 13. Hieron. meminit *Portam piscium* vocatam, quæ Diospolin & Joppen ducebat, viciniorem mari. Neh. 3. legimus hanc portam ædificasse filios Chesenaah.

[יללה] Flebilis & inconditus clamor. Nam ululo est mœstum sonum edere, more luporum ὀλολύζω, ὀλολυγμός. Hier. *ululatus à secunda*. Lxx. ὀλολυγμὸς ἀπὸ τῆς δευτέρας. *Ejulatus*, inquit Cicero, *ne mulieri quidem concessus*, ejulatio lugubris, ploratus, calamitates ejulantium.

לשון יללה היא הצעקה בקול בכאב הלב magnitudine doloris expressa ejulatio. Tribuitur aliquando deserto & solitudini ut ילל ישימון, quia ibi venti solent strepitum excitare.

[משנה] Quidam volunt portam esse ejus nominis, vel quod ordine esset secunda vel quod fortuito ab eventu ita sit appellata. Alii putant notari eam partem urbis in qua schola erat quæ ab Hebræis מִשְׁנֶה & בית מדרש dicitur. Ejus fit mentio 2 Reg. 22. והיא יושבת בירושלם במשנה. Jon. hunc sensum secutus exponit בבית אולפנא. Cujus authoritatem hac in parte vellem sequi, tum quod antiquior sit, tum quod majorem harum rerum habuerit notitiam. Etsi hoc loco pro מִשְׁנֶה habeat עופיא. Tremel. vertit *à porta avium*. Et fieri potest, ut porta quæ scholæ vicina erat, avium porta dicta sit. Prope hanc scholam habitavit Olda prophetissa ut legimus in lib. Regum. Josephus Hispanus 2 Reg. 22. dicit Jerosolymam tres portiones seu regiones habuisse triplici muro distinctas. Intra primum murum plebem, opifices & omnis generis officinas fuisse. Intra secundum nobilitatem, studiosos & literatos, magistratus & liberalium artium studiosos apud hanc Oldam habitasse. Intra tertium vero mons erat Domino sacrosanctus, qui hic nomine *collium* denotatur.

[גבעות] Locus erat collibus frequens in pomerio civitatis. Ita Jerem. 31. legitur גבעת גרב.

11. [יושבי המכתש] Locus concavus & depressus in urbe Jerosolyma. Jon. interpretatur יתבי בנחלא וקדרון qui incolunt torrentem Cedron. Lxx. θρηνεῖτε οἱ κατοικοῦντες τὴν κατακεκομμένην. Qui subtiliorem expositionem sequuntur dicunt esse טבריא Tyberiadem, quo loco nullus est in terra sancta depressior. Hier. *ululate habitatores pilæ*. *Pila* Plinio idem est quod *mortarium*, seu *mortariolum*. Quidam haud incelebris interpres Genevensis dicit כתש esse *cavare* & מכתש quemlibet locum concavum. Id falsum est. Nam כתש non est aliud quam contundere, unde מכתש mortarium in quo legumina contunduntur. Ad cujus similitudinem loculamenta dentium appellantur מכתשים ut Latine *mortariola* & Græce ὅλμισκοι. Et iste locus ita appellatus est vel ab eventu aut signo, quod ibidem erat vel certe à forma quæ concava erat instar mortarii. מכתש Aq. εἰς τὸν ὅλμον. Pila non per brevem syllabam prima legenda est, ne σφαῖραν putemus, sed productam: ut de pila sciamus dici, in qua frumenta tunduntur, *Vas concavum & medicorum aptum usui, in quo proprie ptisanæ feriri solent*. Hieron. מכתש Bucerus exponit *vicum mercatorium*, ubi mercatores habitabant, in circulum conclusus & demissior, vasis concavi speciem præbens, uti fere in plerisque urbibus habentur. Forte מכתש locus circa vallem Kedron, cui mortarii, nomen inditum vel ob situs profunditatem, vel ob frequentem pilarum ac pistillorum strepitum, quod condimentorum forum ibidem fortasse fuit.

[כנען] Mercator, quia gens Cananæorum semper dedita fuit mercibus vendendis & emendis. Ponitur ergo subjectum pro adjuncto. Isai. 23. כנעניה נכבדי ארץ & כנען בית מאני סוחרה. Quidam volunt ita mercatores appellatos ab obsequio quod invicem præstant dum in congressu se mutuo salutant, officiose se incurvantes, & demittentes humiliter. Lxx. καὶ ὡμοιώθη πᾶς ὁ λαὸς Χαναάν. Hier. *Conticuit omnis populus Chanaan*. Jon. *Quoniam conterentur quorum opera sunt sicut opera eorum qui incolunt terram Chanaan*.

[נטילי כסף] Græca ἐπηρμένοι ἀργυρίῳ, ferentes, portantes argentum i. mercatores, negotiatoresque, περιφρακτικῶς ἀργυροφόροι quia pecuniis fere onusti incedunt, pecuniosi, divites & opulenti. כסף Metonymia, materia pro materia & forma & Synecdoche argentum pro quavis pecunia.

12. *Scrutabor Hierusalem lucernis*] Hieron. *Scrutabitur Dominus cum lucerna omnia abscondita Hierusalem, & nullum inultum patietur effugere*. Legamus Josephi historias & ibi reperiemus scriptum, de cloacis quoque & speluncis, & antris, & sepulchris extractos principes & reges & potentes & sacerdotes: quum se in eis metu mortis absconderant.

[בנרות *lucernis*] i. Acutissime, diligentissime, studiosissime, accuratissime. Sumptum ex consuetudine vulgi qui res amissas accensa lucerna perquirunt, angulos omnes & locos tenebrosos rimantur.

[הקפאים על שמריהם] Qui demersi sunt in suis sordibus, concreti & coagulati in suis fœcibus: i. obstinatæ pravitatis. Lat. *defixos in fæcibus*. Similis phrasis est Jerem. 48. 11. ושקט הוא על שמריו, quievit, resedit super fœces suas. Verba hæc sunt, Opulentus & securus fuit Moab à pueritia sua, & quiescens in fœcibus suis, nec transfusus fuit de vase in vas, nec in captivitatem abiit. Hinc fit quod sapor ejus duret in eo & odor ejus non sit immutatus. Notat statum ipsius semper eundem fuisse, nunquam de gradu à fortuna dejectum, rerum securitate & abundantia felicissime usum. Metaphora sumpta est à vino, quod fæce destitutum debilius fit & infirmius.

[קפאון

קפאון] Est congelatio seu coagulatio קופאים מים sicut aquæ congelatæ, frigore concretæ. החלב הקפיא lac coagulatum, aqua conglaciata frigore, nive pruinaque concreta, constructum, densatum, coalescens. Coagulum quo cogitur spissaturque lac.

13. חילם] i. נכסיהם opes eorum, divitias, facultates, copiæ divitiarum. חיל proprie robur, sed transfertur ad exercitum & ad divitias. Itaque vertimus *copias* Latine, quod utrumque notat. Uti Cæsar Hispaniensi bello Pompeji copias in summas angustias coegit, conjecit, compulit. Et Copiarum hoc potius est quam virturis. Copia etiam in singulari manus, exercitus. Vir copiis rei familiaris locuples & pecuniosus, omnium rerum affluentibus copiis ditari. *Est*, inquit Cicero, *divitiarum fructus in copia, copiam autem declarat satietas rerum, atque abundantia.*

והיה למשסה] Verbum substantivum & nomen mediante Lamed ponuntur pro verbo simplici *Erit in direptionem*, i. eripietur. Erit in vastitatem i. vastabitur. Eris in rapinam i. rapieris. Nam hoc fit in omnibus personis utriusque numeri. Aliquando Lamed omittitur.

14. *Dies Domini* est tempus quo Dominus pœnas exigit de sceleribus, judicium suum exercet pariter in sontes & insontes. Peculiariter sæpe accipitur de die extremi judicii. Aliquando de tempore quo in hunc mundum venit Christus. Hic autem quid intelligat per diem Domini, explicat proximo versu, cum dicit, *Dies excandescentiæ, Dies adversitatis & angustiæ. Ut sitis irreprehensibiles in die Domini.*

מר צורח] Pro מר צורח alta voce clamans. Amarus sc. dies Domini. Verbum צרח sign. exaltare vocem, canora & sonora voce vociferari. Unde & צריח dicitur turris, locus excelsus, è quo speculator magnum clamorem edere solet. Lat. מר refert ad קול vocem, sic enim vertit, *Vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis.* Cui sententiæ accentus qui in Hebræo est, repugnat. Disjungit enim יהוה à מר. Alias hyperbaton est mutato legitimo ordine dictionum qui est צורח מר. Quidam ita ordinant שם גבור צורח מר *ibi miles clamat amare.* Alii ita, *amare clamat* sc. dies, illic videl. esse גבור fortem & strenuum militem, qui internecionem faciat. Vel clamat, ibi fortem interfici & occidi. Has duas postremas notat Kimchi, primam Abenezra.

15. יום עברה] *Dies excandescentiæ*, i. dies quo Dominus in suos excandescet, quo iræ suæ effecta in eos exercebit.

יום שואה ומשואה] Dies calamitatis, strepitus, tumultus, miseriæ. Proprie strepitum significat *crepitum*, sonitum, stridorem ingentem, qualis est aquarum superne dilabentium. Fremitus, fremor, sonor, qualis est fluctuum ex alto mari, sonor βρόμος, κτύπος, ῥοῖζημα, φρύαγμος, φριμαγμὸς: violentus sonus ex impulsu. Significat & vastitatem, sed quæ cum ingenti fremore ingruit, getümpsch/ gedümpsch/ getiet. שאה ergo sonitus, משואה resonitus, quando edito sono alius resonat & respondet. Fremitus fremitui, vastitas vastitati ut תשובה conversio, משובה aversio, resonare, personare, perstrepere. Græci vertunt ἡμέρα ταλαιπωρίας καὶ ἀφανισμοῦ. Hieron. *calamitas & miseria.* Atqui cum omnia peste, fame, gladio & igne pereunt & vastantur, vitæ lux aufertur, & mortis tenebris omnia involvuntur: annon videtur orbis machina corruere iis qui talia patiuntur: annon mortis umbra & inferorum caligine & tenebris omnia plena putantur? Hieron. *Vel de Babylonica captivitate hac accipe, vel de extrema quam passi sunt à Romanis. Nec necesse est nunc describere quantas in utraque captivitate sustinuerint calamitates, & quomodo qui lucem Domini respuerunt, in tenebris & caligine versati sint, & qui noluerunt solennium dierum audire tubas, audierint clamorem bellantium.*

יום צרה ומצוקה] Tempus adversum, triste, minime secundum, calamitosum, miserum, angustum.

יום שאה ומשאה] Tempus turbulentum, concitatum, tumultibus plenum, turbidum, minime tranquillum, in quo omnia turbida sunt ac turbata. Hieron. *Dies calamitatis & miseriæ.*

יום חשך ואפלה] Nunc figurate dicit quod supra simpliciter. Nam dies tenebrosus & caliginosus non est alius quam adversus, incommodus & infelix. Idem est יום ענן וערפל dies nubilosa, nebulosaque. Hieron. *Dies nebulæ & turbinis.* Lxx. ἡμέρα νεφέλης καὶ ὁμίχλης, i. crassus ac humidus aër, nube rarior. Quidam σκότος exponunt & *caliginem*. Judæi ערפל exponunt חשך העבה tenebras densiores, crassioresque. Alii *nebulam* reddunt, & diem nebulæ *diem nebulosum.*

16. תרועה] *Clangorem* vertunt Latini, & Græci κραυγήν. Minus recte. Significat bellicum clamorem quem milites in congressu acierum edunt. *Barritus* Vegerio, Ἀλαλαγμὸς Græce. תרועה habet sign. clamoris, qui editur vel lætitiæ causa vel doloris & mæstitiæ, ut in illo למה תריעי רע: Ac propterea non male Lxx. κραυγὴν vertunt. Alii *jubilum.*

פנות] Intelligunt pinnas murorum quæ & *mina* dicuntur: sunt eminentiæ murorum, quas Græci ἐπάλξεις vocant. Lxx. γωνίας. Hieron. *Angulos.* Kimchi מגדלים turres. Quia munimentum domus præcipuum est in angulis, denominat turres munitas פנות, vel potius quia in angulis murorum construuntur. Sign. & *principes* & *magnates*. Abenezra ut גבורים פנות.

17. והצרתי] Lxx. ἐκτρίψω, affligam, in angustias cogam. Hier. *Tribulabo, angam, in arctum redigam, premam*, à צרר quod *angustias* notat.

לעורים] i. כעורים את ארם. ל pro את articulo verborum transitivorum. *Cæcorum more ambulare* est destitui consilio, nullum exitum reperire, aut rationem evadendi cladem, cœco impetu in exitium ruere quasi voluntarium.

לחומם] Exponunt בשרם caro eorum. לחם panis, cibus, esca, & לחום corpus, quia est esca vermium. Lxx. τὰς σάρκας αὐτῶν ὡς βόλβιτα carnem eorum tanquam lætamen. Legitur & לחום & לחם sæpe numero pro carnibus. Hier. *corpora eorum.* Jon. *cadavera.* Osea. 9. *Panis eorum* pro *anima eorum ne veniat in domum Dei.* Abenez. לחום lingua Ismaelitica *carnem* significat.

GROTIUS.

1. *Verbum Domini quod factum est ad Sophoniam*] Revelario facta Sophoniæ. צפניה est *arcanum Dei*, interprete Hieronymo. Ab eadem origine nomen mulieri Pœnæ apud Livium, Punice צפן איש בה, id est, *Arcanum mariti in ipsa*, supple *manet*. ¶ *In diebus Josiæ, filii Amon, Regis Judæ*] Regis boni, & qui sacra quidem ex Lege restituit, & abstulit publica, quantum poterat, impedimenta; domesticas vero cujusque superstitiones, & mores populi pravos persanare non potuit. Vide Esaiæ LVII. Abstulit Deus omnem excusationem Judæis. Solebant dicere, *Reges nos coëgerunt ad hæc & ista.* Responsio parata est, *Josia vos non coegit; imo quantum potuit vos ab illis moribus avertit: tamen perstitistis male agere.*

2. *Congregans congregabo omnia à facie terræ, dicit Dominus*] Id est, *omnia averram cum pulvisculo*, ut dici solet.

3. *Hominem & pecus, congregans volatilia cœli & pisces maris*] Nam & aves & pisces loca deserunt à cadaveribus fœtentia. Hieronymus ad hunc locum: *Vastatis urbibus hominibusque interfectis, solitudinem & raritatem bestiarum quoque fieri, & volatilium piscium que, testis Illyrium est, testis Thracia, testis in quo ortus sum solum* (id est, Pannonia), *ubi præter cœlum & terram & crescentes vepres, & condensa sylvarum cuncta perent.* ¶ *Et ruina impiorum erunt*] In Hebræo, *ea offendicula cum impiis:* id est, idola cum suis cultoribus. ¶ *Et disperdam homines à facie terræ*] Faciam ut nulli conspiciantur, aliis interfectis, aliis deportatis.

4. *Et extendam manum meam super Judam*] Vim meam ostendam adversus Duas tribus, sicut adversus Decem alias ostendi. ¶ *Et disperdam de loco hoc*] De Judæa. ¶ *Reliquias Baal*] Illas latentes, quas Josias, quanquam multum connisus, auferre non potuerat. ¶ *Et nomina ædituorum*] *Camillorum.* Quod nomen erat Tyrium, à Tyriis ad Tyrrhenos venit, mutata ר in L. Significat *deorum ministros*, interprete Servio, ad XI. Æneidos. Vide II Regum XXIII. 4. ¶ *Cum Sacerdotibus*] *Sacerdotes* vocat eos, qui ex stirpe quidem erant Aaronica, sed clam idolis operam dabant, Ezech. VIII. XXII. 26. XLIV. 10.

5. *Et eos qui adorant super tecta militiam cœli*] Astra colebant in solariis suis, II Regum XXIII. 12. ¶ *Et adorant & jurant in Domino, & jurant in Melchom*] Procumbunt versus Arcam: & procumbunt coram idolis; miscent cultum Dei legitimum cultibus profanis, ut illi de quibus I Reg. XVIII. 21. *Melchom* est *Moloch*, id est, Deum suum: nam ex Regibus Ammonitæ gentesque aliæ deos fecerant, eosque in astra retulerant. Vide Amosi V. 26.

6. *Et qui avertuntur de post tergum Domini*] Qui preces fundunt aversi à Sanctuario, Ezech. VIII. 16. ¶ *Et qui non quæsierunt Dominum, nec investigaverunt eum*] Homines ἄθεοι [*impii*], qui neque institui de Deo volunt, neque ullas preces fundere.

7. *Silete à facie Domini*] Εὐλαβεῖσθε [*Timete*], Græci, ut Hab. II. 20. ¶ *Quia juxta est dies Domini*] Dies vindictæ. ¶ *Præparavit Dominus hostiam*] Delectabitur occidione impiorum magis quam pecudum, Esaiæ XXXIV. 6. Jer. XLVI. 10. Ezech.

Ezech, xxxix. 17. ¶ *Sanctificavit vocatos suos*] *Convocavit convivas suos*, sicut homines ad diem festum convocari solent. Convivæ hic sunt aves, & feræ & canes.

8. *Visitabo super Principes*] *Supplicia in Principes decernam.* ¶ *Et super filios Regis*] Utriusque dicti complementum habes II Regum xxv. 7. 21. ¶ *Et super omnes qui induti sunt veste peregrina*] Græci: *ἐπὶ πάντας τὰς ἐνδεδυμένας ἐνδύματα ἀλλότρια* [*in omnes qui induuntur vestimenta aliena*]. *Aliena* sæpe vocantur quæ lege sunt vetita, qualia sunt vestimenta masculina in feminis, feminina in maribus, quod eo modo idololatræ colerent Martem & Venerem, ut diximus Deuteronom. xxii. 5.

9. *Super omnem qui arroganter ingreditur super limen*] *Qui limen templi transiliunt.* Hic ab antiquo mos Philisthinorum, I Samuel. v. 5. Sic & apud Romanos domuum limina transiliebant novæ nuptæ. Sic sumsit hunc locum & Chaldæus. ¶ *Qui complent domum Domini Dei sui iniquitate & dolo*] In Hebræo, *domum dominorum suorum:* Regum scilicet & Principum domos implent rebus per vim & injuriam quæsitis.

10. *A porta Piscium*] Erit ululatus in tota Urbe quam describit ex tribus partibus nobilissimis. *Porta piscium* erat in urbe Davidis, II Par. xxxiii. 14. ¶ *Et contritio magna à collibus*] A Palatio & Templo.

11. *Ululate habitatores pilæ*] מכתש proprie quidem *pilam*, id est, *mortarium* significat, sed per similitudinem aptatur omni cavitati, ut apparet Judic. xv. 19. *De torrente Cedron* Chaldæus, alii *de valle Siloes* interpretantur. ¶ *Conticuit omnis populus Chanaan*] *Populus mercatorum*, qui in cava Urbis parte habitabant. ¶ *Disperierunt omnes involuti argento*] *Peribunt omnes argentarii*, qui scilicet in eadem illa Urbis erant parte.

12. *Scrutabor Jerusalem in lucernis*] Victores Chaldæi omnia diligentissime pervestigabunt, etiam facibus adhibitis, nequid eos effugiat. Loquendi genus proverbiale, Lucæ xv. 8. ¶ *Et visitabo super viros defixos in fæcibus suis*] Qui tranquille egerant hactenus, ut vinum quod non transfunditur, sed fæcibus suis incumbit. Est eadem similitudo Jeremiæ xlviii. 11. ¶ *Qui dicunt in cordibus suis, Non faciet bene Dominus, & non faciet male*] *Qui dixerunt in cordibus suis*, id est, qui cogitarunt antehac, à Deo non curari res humanas; *forte ac temere humana negotia volvi agique*, ut est apud Curtium.

13. *Et erit fortitudo eorum in direptionem*] *Opulentia eorum.* ¶ *Domus eorum in desertum*] *In solitudinem.* ¶ *Et ædificabunt domos, & non habitabunt*] Id est, *quas ædificaverant domos eas non habitabunt.* ¶ *Et plantabunt vineas, & non bibent vinum earum*] Id est, *earum quas plantarum vinearum vinum non bibent.* Utrumque est ex Deut. xxviii. 30. Idem sensus Amos v. 11.

14. *Tribulabitur ibi fortis*] Conterentur etiam validissimi.

15. *Dies tenebrarum & caliginis*] Atra dies.

16. *Dies tubæ & clangoris super civitates munitas*] Nam ad tubæ sonitum capi urbes solent. ¶ *Et super angulos excelsos*] Id est, turres, quæ esse in angulis murorum solent.

17. *Et tribulabo homines, & ambulabunt ut cæci*] Angustiis afficiam tantis ut non magis quam cæci videant quo se vertere debeant. ¶ *Sanguis eorum sicut humus*] *Sicut pulvis*, qui nullius est pretii. ¶ *Et corpora eorum sicut stercora*] Hic לחם, quod *panem* significare solet, vertitur *corpus*, more Arabum. Vide quæ diximus ad Matth. xxvi. 26.

18. *Sed & argentum eorum & aurum non poterit liberare eos*]. Ezech. vii. 19. ¶ *In igne zeli ejus*] Æstuante Dei ira. Sic & infra iii. 8. ¶ *Consummationem cum festinatione facit*] *Consummationem* hic vocat reipublicæ Judaicæ interitum.

CAP. II.

MUNSTERUS.

1. D*isquirite vosipsos*] Est hic התקוששו de conjugatione reciproca: ideo adjecimus *vosipsos.* Significatque verbum idem quod ששון *scrutari* & *investigare*, derivatum à קש *stipula:* Et est sensus; *Quærite diligenter in vobis* & in aliis maculas quasque, ut illas aboleatis, *priusquam veniat dies Domini* quo constituit exurere peccatores *quasi paleas*, vel in quo peccatores auferentur *sicut cum palea* à vento tollitur. ¶ *Gens quæ nullo teneris affectu*] Jonathan sic vertit, *populus qui non concupiscit redire ad legem.*

3. *Qui exsecuti sunt judicium ejus*] i. Qui fecerunt voluntatem ejus: Quorum aliqui adhuc fuerunt in populo illo impio. Porro ענוה secundum Kimchi est שפלות רוח *depressio mentis.*

4. *Aza*] Hæc est *Gaza.* Et est sensus, Non erit in die illa ut vicinæ gentes vobis vestram congratulentur desolationem, cum & ipsæ eidem subjiciendæ sint calamitati. Utitur autem hic Propheta quorundam nominum allusionibus, quoad fieri licuit, דרך צחות לשון נופל על הלשון. Ut עזה עזובה & עקרון תעקר. Sic *Asdod* ad Meridiem exposita *meridie* & clara luce devastabitur.

5. *In regione maris*] Heb. *in funiculo:* sed capitur hic חבל pro חלק, *mensurans* pro *mensurato.* Chaldæus vertit ספר *terminum & portum.* ¶ *Gens Chrethim*] i. *Gens exterminanda.* Sic vocantur Phelistæi, quod exterminio jam adjudicati essent. Vocantur & *Chnaan*, quoniam terra & satrapiæ eorum annumeratæ erant terræ Chnaanæorum.

7. *Quoniam visitabit eos Dominus*] Consolatio est Euangelica, qua piis promittitur relaxatio captivitatis & restitutio in terram. Sub qua liberatione semper intelligitur vera illa & æterna liberatio quam Christus erat in fine dierum præstaturus.

8. *Opprobrium Moab*] Merebatur intolerabilis illa Moabitarum arrogantia excidium: De qua multa scribunt Jesaia cap. 16. & Jirmeia cap. 48.

13. *Ponetque Niniven*] De hac Assyriorum metropoli peculiarem Nahum texit Prophetiam.

14. *Omnes bestiæ gentium*] Intelligendum est de *bestiis gentium* quæ per circuitum ejus morabantur. Et nota quod Vau in חיתו non est affixum, sed litera superaddita, sicut & Gen. 2. diximus.

VATABLUS.

1. S*Crutamini vosipsos* התקוששו] *Rimamini. Examinate.* Verbum est de conjugatione reciproca, ideo adjectum est *vosipsos.* Translatio à קש, i. *minutis paleis*, atque rebus quæ exactissima egent perscrutatione. Invitat ad resipiscentiam: q. d. Animos vestros & conscientiam vestram scrutamini, ut inde ejiciatis peccata & scelera: deinde scrutamini alios. Primum agite pœnitentiam, deinde eodem provocate alios. Matth. 7. 4. *Ejice primum festucam de oculo tuo*, &c. Chald. *Congregamini, & venite, & accedite.* Sic quidam Hebræorum Interpretes, *Congregate vos, & colligite pariter.* ¶ *Non desiderabilis* לא נכסף] Mutatio personæ. Ad verbum enim in tertia persona legitur pro secunda, quæ *non desideravit*, vel *desideratur.* Quidam vertunt per præsens, *quæ non desideras*, i. quæ nullo hujusce rei desiderio teneris.

2. *Antequam*, &c. בטרם וגו'] Ad verb. *Antequam pariat decretum, similes glumæ præteriit diem.* Ordo verborum inversus & obscurus, quo indicatur animus hominis perturbati; pro, *Antequam decretum pariat diem* quo eritis *similes glumæ* quæ *præterit*, vel *abit*, aut *evanescit*, rapta scilicet à vento: i. Antequam Dominus sententia sua efficiat ut veniat dies quo pereatis. Seipsum declarat mox sequentibus. ¶ *Dies iræ Jehovæ* יום אף יהוה] i. In quo Dominus se iratum ostendet.

3. *Humiles* ענוי]. *Mansueti.* ¶ *Qui judicium ejus operati estis* אשר משפטו פעלו] Sing. Heb. pro plur. & præt. pro præs. mutatioque personæ, *qui judicia ejus facere soletis*, i. qui hactenus præcepta ejus servastis. ¶ *Quærite humilitatem* בקשו ענוה] *Quærite mansuetudinem*, i. date operam ut sitis mansueti. ¶ *Abscondemini vos* הסתרו] *Absconditis vos*, i. hac ratione mortem effugietis.

4. *Derelicta erit* עזובה תהיה] *Deserta erit.* Alludit ad nomen עזה, i. *Futurum est ut Gaza suis privetur civibus.* Quatuor præcipuas Palæsthinorum urbes enumerat. Aliquid autem subaudiendum est, acsi dicat, *Adeo vehementer iratus est Dominus ut non solis vobis timendum sit à futura calamitate; sed etiam Gentibus vobis vicinis.* ¶ *Asdod in meridie* אשדוד בצהרים] Latens allusio ad שדד, quod *perdere* sive *vastare* sign. acsi dicat, *Quemadmodum pestis & alii morbi, qui cito enecant, vastant & perdunt in meridie.* Ita doctus inter Hebræos. Alii exponunt, *Citra ullam fraudem ac dolum, aperto Marte, non nocte, sed in ipso die, puta meridie, cum scilicet homines solent esse vigiles, & magis attendere suis rebus.* ¶ *Ejicient* יגרשוה] Ad verb. *expellent eam.* Redundat *eam.* *Expellent*, sub. *hostes ipsi urbe capta.*

5. *Verbum Jehovæ super vos* דבר יהוה עליכם] Hebraismus, *Hæc dicit Dominus ad vos*, sive *de vobis.* Repetit quod dixerat: nam *gens Cherethæorum* & *Chananitæ Palæsthini* iidem sunt. ¶ *Terra* ארץ] *Terra.* ¶ *Perdam te* והאבדתיך] Ad verb.

verb. *& perdam te.* Hic ו convertit tantum præt. in fut. ¶ *Ita ut non*, &c. מאין יושב] Ad verb. *à non* [sive *absque*] *habitatore*, i. ita ut nullus sit futurus superstes incola.

6. *Regio maritima* חבל הים] *Portio* [*pars*] *Maris*, i. regio illa quæ est ora Maris. ¶ *Caularum* כרות] q. d. Regio illa futura est plane deserta & inhabitata, tantum *caulæ pastorum & septa ovium* illic reperientur. Verti potest, *in habitacula* & *caulas pastorum*.

7. *Residuo* לשארית] *Reliquiis.* ¶ *In eis* עליהם] *Apud eos*, i. in agro eorum. ¶ *Visitabit illos* יפקדם] i. Memor erit illorum in bonum ipsorum, h. e. tandem miserebitur illorum. ¶ *Captivitatem eorum* שביתם] Significat captivos qui abierant in captivitatem.

8. *Probra* חרפת] Sing. Heb. pro plur. ¶ *Et opprobria* וגדופי] *Et convitia*; *blasphemias.* ¶ *Et magnificaverunt* os suum ויגדילו] *Et magnificaverunt* linguam suam. Hebraismus, pro *Magnifice locuti sunt*, i. superbe & arroganter, h. e. pleno ore riserunt & subsannaverunt dum iter facerent per fines ipsorum, cum abducerentur in captivitatem.

9. *Exitus urticæ* ממשק חרול] Sing. Heb. pro plur. *egressus urticarum*, vel *carduorum*, i. locus in quo nascuntur urticæ. *Exitum* vocat locum in quo aliquid nascitur aut oritur: q. d. Locus sterilis erit & infœcundus, ac plane desolatus & desertus. ¶ *Et fodina salis* ומכרה מלח] *Et cumulus salis.* Ita doctus inter Hebræos. ¶ *Usque in seculum* עד עולם] *Seculum* pro *longo tempore* accipit. ¶ *Residuum* שארית] *Reliquiæ*, i. qui ex populo meo superstites erunt post captivitatem Babylonicam. ¶ *Possidebit illos* ינחלום] i. Hereditates illorum possidebunt.

11. *Attenuabit* רזה] Præt. Heb. pro fut. *quasi macie consumet*, h. e. ad summam maciem perducet: q. d. perdet. Macie enim pereunt animantia.

12. *Eritis* המה] Mutatio personæ tertiæ pro secunda. Aut verte, ut quidam, sicut *illi*, sub. *Moabitæ & Ammonitæ.* Doctus inter Hebræos exponit de Babylone.

13. *Et extendet* ויט] Mutatio personæ. Vel sunt verba Prophetæ. ¶ *Super Aquilonem* על צפון] *Super Septentrionem*, i. Babylonem, *quæ est*, ut ajunt Hebræi, *Orientalis Septentrionalis Terræ sanctæ*, h. e. respectu terræ sanctæ est ad exortum Solis vergentem maxime ad Septentrionem, i. ad ortum Solis æstivum. ¶ *Vastitatem* ציה] Et *ariditatem*; vel *in locum sterilem & infœcundum.*

14. *Et omnes bestiæ Gentium* כל חיתו גוי] Sing. Heb. pro plur. Hic ו redundat. ¶ *Commorabuntur* ילינו] *Pernoctabunt.* ¶ *In fenestris* בחלון] Sing. Heb. pro plur. sub. *domorum ejus desolatarum.* ¶ *Cedrum ejus nudavit* ארזה ערה] i. Contignationem ejus cedrinam discooperuit, h. e. exposuit pluviæ ac vento. Alii, *cedrum ejus destruxit.*

15. *Ego sum, & non est præter me*, &c. אני ואפסי עוד] q. d. Ego sum urbs illa excellentissima, cui nulla alia urbs conferri possit, si pulcritudinem spectes aut opes. ¶ *Agitabit manus suas* יניע ידו] *Agitabit manum suam*, præ stupore scilicet & admiratione tantæ ac tam subitæ & inopinatæ desolationis. Sing. Heb. pro plur.

CASTALIO.

4. **A***Zotus in Meridie abigetur*] In captivitatem.

14. *Detecta cedro*] Cedrinis ædificiis.

CLARIUS.

1. **S***Crutamini*] *Quærite*, inquit, *diligenter in vobis* maculas quasque, ut illas aboleatis, *priusquam veniat dies Domini quo* constituit exurere peccatores *quasi paleas*, vel in quo peccatores auferentur *sicut* cum *palea* à vento tollitur.

7. *Et erit ora*] Alius vertit, *Erit proinde hæc regio reliquiarum domus Juda in quibus pascentur*, &c. ¶ *Visitabit eos*] Consolatio est Euangelica, qua piis promittitur relaxatio captivitatis, & restitutio in terram. Sub qua liberatione semper intelligitur vera illa & æterna liberatio quam Christus erat in fine dierum præstiturus.

8. *Opprobrium Moab*] Merebatur intolerabilis illa Moabitarum arrogantia excidium. De qua multa Esa. 16. & Jer. 48.

9. *Acervi salis*] Seu magis *fodina* vel *fovea salis.*

11. *Adorabunt eum viri*] Hebraismus est, pro *unusquisque.*

13. *Niniven*] De hac Assyriorum metropoli peculiarem Naum texit Prophetiam.

14. *Bestiæ gentium*] Fæx gentium, & bestiæ ipsæ gentes potius quam homines. ¶ *Vox cantantis*] Scilicet *avis.* Ingentem vastationem significat, quod aves audeant in fenestris domorum securæ cantare.

DRUSIUS.

1. **I***Nquirite in vosipsos*] h. e. In mores vestros. Hic verbum est in Ebræo quod sign. proprie καλαμᾶσθαι, h. e. *stipulas colligere.* Hinc transfertur ad *seriam & accuratam disquisitionem.* Nam res minutæ, quales sunt stipulæ, egent tali scrutinio. Significat ergo verbum קשש non simpliciter *inquirere*, sed *studiose ac diligenter aliquid inquirere.* Quale est apud Ciceronem in 6 ad Atticum ἐξακανθίζειν, quod usurpat pro *solicite exquirere, ac veluti periculosa quadam cura examinare.* ¶ *Et inquirite*] Primum in vosipsos, deinde in alios. Hinc adagia duo manarunt. Unum est, נקשש גרמין עד לא נקשש אחרנין, i. *Inquiramus in nosipsos priusquam inquiramus in alios.* Alterum, קשט עצמך ואחר קשט אחרים, i. *Orna teipsum, postea ornato alios.* ¶ *Gens vacua desiderio*] Quæ non desiderat redire ad frugem, & mores in melius mutare, aut in delicta propria inquirere. Prius erat *gens non amabilis*, & apud Santem *gens non desiderabilis.* Solus Tremellius vertit *gens vacua desiderio.* Eum secuti sumus, propterea quod in aliis locis idem verbum eodem modo sumatur, nempe pro *desiderare*, ut Gen. 31. 30. & Ps. 84. 2. Hoc notatum & in Scholiis Ebraicis.

2. *Antequam pariat decretum*, &c.] Ordo verborum perturbatior est. Videtur ita construendum, *Antequam dies, quæ transit ut palea, pariat decretum*, h. e. id quod Deus contra vos decrevit. Alii hoc modo construunt, *Antequam decretum pariat diem transeuntem ut palea.* Sunt etiam qui legant *ut palea transit dies*, quæ parenthesi includuntur. PARIAT autem exponunt *effectum sortiatur.* ¶ *Ut palea*] h. e. Quam celerrime. Nam palea à vento vehementiore acta fertur rapidissime. מוץ proprie *palea tenuissima*, cum *palea* תבן dicatur. Vulgo *glumam* interpretantur. Est autem *gluma* proprie folliculus ille quo vestitur granum. ¶ *Transit dies*] Quidam, *antequam pariat*, h. e. effectum sortiatur, *decretum*, quod *ut palea transit die*, h. e. brevi tempore: ut sit יום pro ביום. Vide quæ scripsimus Quæst. lib. 2. qu. 35. ¶ *Cum nondum venit*] Vel, *priusquam venit.* ¶ *Excandescentia iræ*] i. Ira excandescens. Aut est παράλληλον, ut *Lutum cœni*, *Terra pulveris*, & quæ alia Grammatici annotarunt.

3. *Mansueti terræ*] Judæi, ubi inter plurimos malos aliqui boni erunt qui *æquitati & mansuetudini* studebunt. ¶ *Qui judicium ejus operantur*] Mutat personam: quod frequens in his libris. Sensus est, *qui hactenus judicia ejus fecerunt, legemque ac præcepta observarunt.* ¶ *Forte abscondemini*] Forte evadetis ex communi calamitate. ¶ *In die iræ DOMINI*] Bello Babylonico.

4. Prædicit mala eventura populis finitimis. Quorsum hoc? an ut popularibus suis consolationem adferat? Certe dolorem levat communis calamitas. Nam quod universis aut multis accidit, in eo non est præcipue cuiquam dolendum. ¶ *Nam Gaza*, &c.] Urbium Palæstinæ, cum quinque essent, quatuor duntaxat meminit: unam omittit, videlicet Geth. Causam ponunt Interpretes, quod Geth eo tempore esset ditionis Judæorum: recte an secus, viderint queis talia curæ. ¶ *Derelicta*] i. *Azuba.* Allusit igitur ad nomen *Gaza*: quod magis agnosces si scias Ebraice enunciari *Aza.* Id sonat *fortis* vel *munita.* Vide quæ scripsimus de etymo hujus vocis in Quæstionibus. ¶ *Azotum*] i. Cives Azoti. ¶ *In meridie*] Quando Sol maxime fervet. Tempus sane incommodissimum iter aliquo facientibus in æstate & in locis calidioribus. Alii exponunt *clara luce*, aut *vi aperta.* ¶ *Expellent*] Sub. *hostes.* Aut lege, si placet, *Azotus in meridie expelletur.* Sensus est, Cives ejus ex ea expellentur & abigentur in exsilium. ¶ *Et Accaron eradicabitur*] Lusit in etymo nominis *Accaron*, quod ab ACAR *eradicavit.* Quæ ergo alios *eradicavit*, juxta etymologiam, ipsa quoque *eradicabitur.*

5. *Tractus*] חבל. Ea vox proprie *funiculum* denotat: Sed pro *tractu* sive *regione* hic & alibi ponitur. Sumptum à more veterum, qui funiculis utebantur in divisione agrorum. Scholia Ebraica, חבל, i. pars, *ut ibi*, FUNICULUS HEREDITATIS TUÆ. *Vult dicere, pars hereditatis tuæ.* ¶ *Maritimi*] Vel *marini.* *Tractum marinum* sive *regionem maritimam* appellat Palæstinam proprie dictam, quæ sita erat ad mare Magnum sive Mediterraneum. ¶ *Cherethæorum*] i. Philisthæorum. Ita sane Scholiastes Ebræus alter interpretatur. Vide 1 Sam. 30. 14. Alibi est כרתי, gens an familia? ex qua David Rex catervam stipatorum habuit. Cæterum in nomine Ebræo est significatio *excidii*: nam כרת *exscindere.* Ideo qui-

quidam explanant *gens excidii rea*. Innuit ergo hac appellatione, fore ut brevi exscindantur. ¶ *Chanaan terra Philisthæorum*] Lux huic loco ex Jos. 13. 3. ubi sic legimus in ed. antiqua, *A fluvio turbido, qui irrigat Ægyptum, usque ad terminos Accaron contra Aquilonem, terra Chanaan: Qua in quinque Regulos Philisthiim dividitur, Gazæos, & Azotios, Ascalonitas, Gethæos, & Accaronitas.* Porro hæc terra data erat à Deo Israelitis: Quocirca injuste quodammodo à Philistæis possidebatur. Quod hoc loco, quanquam obscure, innuere mihi videtur.

6. *Tractus maritimus*] Terra Philisthæorum. Ad verb. *funiculus maris*: & sic est apud priscum Int. ¶ *Mansiones effossionum pastorum*] i. Effossas à pastoribus. Nam in cavis subterraneis habitabant propter æstum nimium Solis. Alii, *mansiones, effossiones pastorum*. Quibus adversatur נְוֹת positum in forma regiminis, ut mihi quidem videtur. Nam sing. est נוה *habitaculum*; inde נוים & נְוֹת, & permutatione unius literæ נאות, *habitacula*. Proprie נוה dicitur *casa pastoritia*, ut ibi, *Ego assumpsi te è tugurio de post oves* מנוה, 2 Sam. 7. 8. Qui adductam modo interpretationem posuerunt, per *effossiones pastorum* intelligunt puteos effossos à pastoribus ad aquandum greges. ¶ *Septa pecorum*] Alias *ovium*. V. editio, *caulæ pecorum*. Vox Ebræa proprie denotat *maceriam*. *Pecora* vero intellige minoris generis, ut sunt Oves & Capræ.

7. *Tractus*] Vel potius *funiculus*, i. pars, sors, ut Deut. 32. 9. *Jacob, funiculus hereditatis ipsius.* Plenum est *tractus maris*, h. e. regio Philisthæorum. Vult dicere, veniet in eorum potestatem. Melior interpretatio, *Et erit tractus residui domus Juda*, sive, ut V. ed. habet, *ejus qui remanserit è domo Juda.* Sensus est, *Tractus maritimus erit tractus reliquiarum domus Juda: ibi pascent pecora sua.* ¶ *Residuo domus Juda*] Judæis superstitibus ac reversis ex captivitate Babylonica. ¶ *In quo pascent*] עליהם *in ns locis*: nam מקומות subintelligitur. Aut, *in iis*, sub. *regionibus*, i. חבלים. Constructio sensu congrua, non voce. ¶ *In domibus Ascalonis vespere accubabunt*] Pecorane, an pastores? Verbum רבץ proprium est Bestiarum. Sed & de Hominibus usurpatur, ut ibi, *In tuguriis herbidis cubare facit me.* Locus iste habetur Psalm. 23. 2. *In domibus Ascalonis*, destructis videlicet: vel, ubi prius Ascalon erat, ibi pecora stabulabuntur, pastoresque casas exstruent. ¶ *Cum visitaverit eos*] *Visitare* hic accipitur ut in illo, *Quid est homo, ut visites illum?* Sic alibi, *Visitavit populum suum, dando eis panem.* ¶ *Captivitatem*] i. Captivos.

8. *Audivi*] Bene *audivi*: nam qui supra nos est, omnia & audit & videt. ¶ *Moab*] i. Moabitarum. ¶ *Filiorum Ammon*] Ammonitarum. Sic vulgo: alioqui עמונים diversi sunt à *filiis Ammon*. Dicam alias. ¶ *Qua exprobraverunt populo meo*] In bello Babylonico videlicet, cum Chaldæis militarent & una cum eis Judæam vastarent, vel cum Judæi captivi ducerentur per fines ipsorum. ¶ *Magna locuti sunt contra terminum ipsorum*] *Etiam de finibus ipsorum contumeliose locuti sunt.* Quidam præferunt, *magna patrarunt contra terminum eorum.* Nam una cum Chaldæis Judæam vastarunt, ut diximus. Alii, *ampliaverunt* suum *per terminum ipsorum.* Quo significat eos partem Judææ suæ ditioni adjecisse. Vel *magniloqui fuerunt.* ויגדילו enim ita accipio ac si esset וירבו גדלות, ut verbis utar quibus David alibi usus est. הגדיל hoc significatu sumitur Psalm. 35. 26. & infra v. 10. Plene autem legitur Psalm. 38. 16. *contra me magnificarunt os suum:* & Abd. 12. *non magnificasses os tuum.* Vide quæ scripsimus ad hunc postremum locum. Potest etiam legi *extulerunt se contra terminum ipsorum*, nempe cum verbis tum factis, ut הגדיל hic accipiatur pro הרים: quemadmodum sane accipitur apud Davidem Ps. 41. 9. in illo, *magnificavit contra me calcaneum*, i. extulit.

9. *Vivo ego*] Formula jurandi apud Ebræos. Sic, *Vivit DOMINUS.* Sensus est, *Quam vere vivit DOMINUS, tam verum est quod dico.* ¶ *Moab ut Sodoma erit*] Terra Moab similis erit Sodomæ; non quod igne è cœlo conflagrabit, sed quia æternum vastabitur; saltem ad longum tempus inculta & deserta permanebit. Idem dicendum de terra filiorum Ammon. ¶ *Urticetum*] ממשק חרול *locus ubi urtica proveniunt*, aut *locus urticis derelictus.* Quanquam חרול de sententia Jonathæ non est *Urtica*, sed *Halimus.* Holus hoc est salsum in locis desertis proveniens. Ebræi מלוח vocant. ¶ *Et salina*] מכרה מלח & *fodina salis*, i. *salina*, locus ubi sal effoditur. Scribit autem Plinius Hist. nat. l. 31. c. 7. *omnem locum in quo reperitur sal, sterilem esse, nihilque gignere.* Itaque Abimelech, destructa & eversa Sichem, in ejus solo salem seminat, quo perpetuo sterilem redderet, Jud. 9. 45. Hinc *terra salsuginosa* pro *sterili* ponitur Psal. 107. 34. Eodem redit si legamus cum nonnullis & *acervi salis*, ut מכרה sit *acervus.* Sane quidem in lingua Magistrorum *acervus* כרי dicitur. ¶ *Vastitas usque in seculum*] Vel *usque in æternum*, i. æterna. Sed potius ut *seculum* hic accipiatur pro *longo tempore*. Nam hæ terræ non fuerunt æternum desolatæ, sed ad tempus duntaxat, incolis partim occisis, partim in exsilium actis. Sententiam hanc meam firmat Nicolaus ita scribens, *ÆTERNUM hoc loco non importat Perpetuitatem à parte finis, sed Longitudinem temporis.* ¶ *Reliquiæ populi mei*] Qui reliqui erunt ex captivitate Babylonica. ¶ *Diripient eos*] Bona & facultates eorum. ¶ *Et residuum gentis meæ*] Idem aliis verbis. גוי dixit pro גויי; in quo ad vitandum concursum duorum Joth, alterum, ut fit, excidit. Sic גוים dicunt pro גויים.

10. *Hoc eis erit*] Cur hæc omnia mala eis accidant in causa est *fastus ipsorum*, quem ostenderunt *contra populum* Judæum cum is in calamitate esset & rebus adversis premeretur. ¶ *Magna locuti sunt*] Superbe ac contumeliose de eo locuti sunt. Ad verb. *magnificarunt:* quod absolute ita dicitur pro *magnificarunt os.* Quid autem sit *magnificare os* dictum est in Lectionibus in Abdiam. Vide quoque notata ad v. 8. hujus capitis.

11. *In eis*] h. e. In populo suo. Vult dicere, *terribilis est in vindicta eorum.* Aut lege *contra eas*, ut ad *gentes* referatur supra memoratas. ¶ *Emaciabit*] *Macie conficiet*, h. e. paulatim ac sensim perdet. ¶ *Omnes deos terræ*] Omnia idola Gentium. ¶ *Quisque è loco suo*] q. d. Non ibunt Jerosolymam adorandi causa. Vide Joh. 4. 21. ¶ *Omnes insulæ gentium*] *Insulas* vocant quicquid terrarum trans mare Mediterraneum. Imo generalius hic sumitur, ut etiam alias terras comprehendat. Ita sumitur & in illo, *In lege ejus insulæ sperabunt:* quem locum ita citat Tertullianus lib. 5. adv. Marcion. ut pro *insulæ* legisse videatur *nationes:* sic enim eum citat, *in lege ejus nationes credent*, i. ἔθνη. Vide Notas in Parallela mea pag. 89.

12. *Æthiopes*] Intelligit incolas Arabiæ Chusææ; Quos *Æthiopas* vocat, quia eorum regio *Chus* dicitur. Est autem CHUS *Æthiopia*. Sed & Arabiæ regio ex qua fuit Zara Rex, qui bellum gessit contra Asa Regem Judæorum. Historia exstat 2 Par. 14. 9. ¶ *Interfecti gladio meo*] חללי חרבי. Vox Ebræa חלל proprie denotat *saucium.* Hic autem & alibi sign. *interfectum* sive *bello cæsum.* *Gladium* autem *suum* vocat gladium servi sui Nabuchodonosori, aut ipsum Nabuchodonosorum; juxta illud, *Ab impio, qui est gladius tuus.* Sic alibi ait: *Assur virga furoris mei.* ¶ *Ipsi eritis*] Verbum *eritis* scripsi aliis literis, quia non legitur in Ebræo. המה autem pronomen est omnium personarum, ut *ipse.* Quod qui ignorarunt, statuunt hic Enallagen; quæ figura insolens alioqui non est in his literis. Alii sic legunt, *Sed & vos, Æthiopes, interfecti gladio meo cum illis eritis*, videlicet cum Ammonitis & Moabitis, de quibus supra. Similis defectus Psal. 9. 7. Vide, si placet. Dixi המה trium personarum in se significationem repræsentare. Huic sententiæ firmandæ est המו sive המון, quod Chaldæi eodem modo usurpant, & reliquis omnibus pronominibus subjiciunt: unde אנחנא המו *nos ipsi* Ezræ 5. 11.

13. *Ad Aquilonem*] Assyriam versus, quæ ad Aquilonem sita respectu Judææ. ¶ *Assyriam*] Vel *Assyrium*, i. Assyrios. ¶ *Reddetque Niniven desolatam*] In Ebræo est verbum è verbo, & *ponet Niniven in desolationem.* ¶ *Siccam ut desertum*] Ponet eam in siccitatem, h. e. *siccam reddet ut desertum.* Vel *reddet eam siccam, & ut desertum*, h. e. deserto similem: ἀσύνδετον.

14. *Greges*] Tam ovium quam boum. ¶ *Omnes bestiæ gentium*] Dictum pro *bestiæ gentium omnis generis.* Tale est, *Effundam Spiritum meum super omnem carnem*: vult dicere, *super omne genus homines.* Vide quæ scripsimus Animadv. l. 2. c. 18. ¶ *Pelecanus*] קאת πελεκᾶν. Sic Græci referunt Lev. 11. & Deut. 14. Alii, *platea:* quod in idem redit. Nam *platea* Græce πελεκάνος. *Plataleam* vocat Cicero 2. De nat. Deor. Ita dicitur vel à latitudine rostri, vel à verbo Chaldaico פלט, quod *vomere* significat. Sic קאת à *vomendo* nomen habet: nam קוא *vomere.* Siquidem, ut Aristoteles docet, solidas conchas devorat, quas calore concoctas, ob idque dehiscentes, evomit; deinde carnem testis abjectis edit. Vetus Int. hic refert *onocrotalus.* De quo in hunc modum Gesnerus, *Onocrotalus dum pisces venatur, ingluvie repleta aqua, per oris spiramenta illam revomit, atque ita præda vescitur.* Quid nunc statuemus? Nam קאת avis est in locis desertis degens. Vide Psalm. 102. 6. Lex. Græco-Lat. V. Πελεκάνος, θαλάσσιον ὄρνεον, fulica. *Marinam* autem vocat quia in mari victum quæ-

quærit. Sunt qui Onocrotalum cum Pelecano confundant. Ut ut sit, hanc avem Thalmudici קיק vocant, Chaldæi קאתא vel קאקא, Arabes autem קיק, quæ vox affinitatem habet cum *cuculo*, qui κόκκυξ à Græcis dicitur. Plura de his alias, si Deus vitam & otium concesserit. ¶ *Ericius*] i. Ἐχῖνος. Dicitur & *erinaceus*. Lex. V. Ἐχῖνος, *erinaceus*, *echinus*. Idem Lexicon, *Ericius*, ἐχῖνος. Scholia Camii Ebræi, קפד *avis est quæ Arabice* הקנפאד. Quid קנפאד? Haud dubitanter affirmo *ericium* esse. Cur id affirmem autores mihi Arabes, in quorum libris *erinaceus* CANFED vel CENFED vocatur. De Medicis loquor. Consule Serapionem & Silvaticum in Pandectis Medicinæ. ¶ *In superliminaribus ejus*] Ita Santes. Prius erat *in liminibus ejus*. כפתור proprie *pomum* aut *malogranatum*: inde transfertur ad significandum *limen superum*, quod ὑπέρθυρον sive ἀνώφλιον Græci vocant: siquidem in eo poma aut malogranata sculpi solent. ¶ *Vox cantabit in fenestra*] Audietur etiam vox avium cantantium in fenestris ædium destructarum. V. editio, *cantantis*, i. שורר. ¶ *Vastitas in limine*] Limina quoque vastabuntur ac destruentur; nec mortalium quisquam illa calcabit postea. In nonnullis legitur *in poste*: quod si recipias, סף erit *postis*: cum *postes* מזוזים vocentur, סף autem sit *limen*, i. ὑπόθυρον sive האסקופה התחתונה, ut verbis utar quibus usus est R. S. Amos 9. 1. ¶ *Quoniam cedrum ejus*] i. Tabulatum cedrinum. Potest legi *quia cedrum ejus nudaverit*: aut potius, *cum cedrus ejus nudata fuerit*, h. e. domus ex cedro. Nam tecto ablato necesse est reliquas partes quæ in domo, corrumpi, cum expositæ sint injuriæ aëris, h. e. ventorum & imbrium. ארזה dixit pro ארזה, ab eo quod est ארז. Sic alibi שכמה *humerus ejus*, & שמרה *custodivit eam*. ¶ *Nudavit*] Sic vulgo interpretantur: Ego malim *nudata est*. Nam ערה nomen est fem. quod hic participii vim habet, & intransitive sumitur cum alibi tum Cant. 5. 2. In illo ולבי ער *& cor meum vigilat*.

15. *Exsultabunda*] Læta rerum successu; aut gloriosa, superba, lasciva. Est autem figura quam *Metonymiam* vocant, *civitas* pro *incolis*. Ideo sequitur, ¶ *Quæ habitat confidenter*] Quo significat cives ejus secure degere, nec quenquam metuere. Vel, si placet, *quæ habitatur secure*. Verbum enim ישב, quando de Urbibus dicitur, *habitari* significat. ¶ *Dicens in corde suo*] Non palam hoc dicebat, sed *cum animo suo*, h. e. cogitabat apud se. ¶ *Ego sum, nec est alia*, &c.] *Ego sum* sola potens & invicta, rerumque domina, *nec est alia* urbs quæ mecum conferri possit aut certare ausit. Cæteræ enim certe mecum comparatæ vix *urbium* nomen merentur. ¶ *Redacta est in vastitatem*] Ad verb. *fuit in desolationem*. ¶ *Cubile ferarum*] Aut *bestiarum*. Supra, *accubabunt in medio ejus greges, omnes bestiæ gentium*. ¶ *Sibilabit*] Signum irrisionis: 1 Reg. 9. 8. *Omnis qui transierit per eam stupebit & sibilabit*. Thren. 2. 15. *sibilarunt, & moverunt caput*. Ezech. 27. 36. *negotiatores populorum sibilaverunt super te*. Rursus Thren. 2. 16. *sibilarunt, & frenderunt dentibus*. ¶ *Movebit manum*] Id usitatius dicitur, *movebit caput*. Est autem gestus irridentium ac subsannantium.

IDEM.

1. Συνδέθητε] Ex Theodoreto discimus lectum aliquando fuisse συνδεήθητε· quod ipse improbare videtur.

2. Παραπορευόμενον ἡμέρᾳ] Hoc Hier. interpretatur *pertransiens diem*: quod annoto quia in R. non legitur ἡμέρᾳ. Loquor de textu: alioqui notatum ibi in plerisque libris esse παραπορ. ἡμέρα, πρὸ τῦ. ¶ Πρὸ τῦ ἐπελθεῖν ἐφ᾽ ὑμᾶς] Ita recte scriptum in A. C. & R. in aliis est πρὸς τῦ ἐλθεῖν ἐφ᾽ ἡμᾶς.

5. Πάροικοι Κρητῶν] Veneta & Argentoratensis pro Κρητῶν legunt κριτῶν· sed verior scriptura in Κρητῶν. Quod cognosces ex Hieronymi his verbis, *Ubi nos transtulimus* gens perditorum, *illi dixerunt* πάροικοι Κρητῶν, *i.* advenæ Cretensium, *& quod Ebraice scriptum est* גוי כרתים, *pro* גוי, *i.* gente, *legerunt* גר, *h. e.* advenam, *& pro* כרתים, *quod dicitur* perditorum, *nomen* Cretæ *insulæ putaverunt*. ¶ Ἐφ᾽ ὑμᾶς Χαναὰν] Perspicue rectum: nam sequitur ἀπολῶ ὑμᾶς. Hinc ergo emendabis quod in nonnullis cod. ἐφ᾽ ἡμᾶς. ¶ Ἀλλοφύλων] i. Philisthæorum.

6. Κρήτη] Sic interpretantur כרות, omissis iis quæ antecedunt. Quid autem sit כרות diximus in Lectionibus nostris. ¶ Νομὴ ποιμνίων] In contextu versionis Lat. apud Hieron. *pascua gregum*; sed in Comment. legitur *pascua gregis*. In C. vero est νομὴ ποιμένων, i. *pascua pastorum*: quod mihi non placet.

7. Ἀπὸ προσώπυ υἱῶν Ἰούδα] Merum glossema. Audiamus Hier. de hoc loco, *Quod autem*, inquit, *legitur in Lxx*, à facie filiorum Juda, *obelo prænotavimus. Nec in Ebræo enim, nec apud ullum fertur Interpretum, & contextum capituli sensumque conturbat.* ¶ Ὁ Θεὸς αὐτῶν] In quibusdam est ὁ Θεὸς αὐτῦ, sed minus recte. ¶ Ἀποστρέψει] Ita leg. in R. In aliis est ἐπέστρεψε, in aliis ἀποστρέψεται.

8. Ὀνειδισμὸν] In plerisque libris habetur ὀνειδισμὺς, & mox καὶ κονδυλισμὺς, ubi editi ad Ex. C. ὀνειδισμὸν legunt, meo judicio, minus bene. Nam in Ebræo גדפי, & apud Hier. *contumelias*. Lex. V. Κόνδυλος, *colafus*.

9. Ἐκλελειμμένη ὡς θημωνία ἅλωνος, καὶ ἠφανισμένη εἰς τὸν αἰῶνα] Talis lectio codicis Romani; quam confirmat Hier. ita referens, *& Damascus derelicta quasi acervus areæ, & dissipata usque in sempiternum*. Complutensis in hoc variat quod legat καὶ ὡς θημωνία ἁλός. In cæteris est καταλελειμμένη εἰς τὸν αἰῶνα.

10. Αὕτη αὐτοῖς] i. Τῦτο αὐτοῖς, quomodo legitur in C. ¶ Ἐπὶ Κύριον τὸν παντοκράτορα] Codex Hisp. præfert ἐπὶ Κύριον τῶν δυνάμεων. Supra v. 9. λέγει Κύριος τῶν δυνάμεων, i. *exercituum*. Nam *exercitus* δυνάμεις vocantur. In versione Lat. apud Hier. *magnificati sunt super Dominum omnipotentem*.

11. Ἐπιφανήσεται] Ita citat hunc locum Eusebius in 2 Ἀποδείξ. Legitur in C. ἐπιφανὴς ἔσαι. ¶ Καὶ προσκυνήσυσιν] In quibusdam libris est καὶ προσκυνήσει· & mox αὐτῦ pro αὐτῶν. Versio Hier. *& adorabunt eum singuli de loco suo*, facit pro altera scriptura, ut etiam Eusebius loco citato.

12. Ῥομφαίας μυ ἐςὲ] Editi ad Ex. C. ῥομφαία μου ἔσεσθε· cui lectioni firmandæ est apud Hier. *vulnerati gladio meo eritis*.

13. Καὶ ἐκτενεῖ] Libri quidam καὶ ἐκτενῶ. In iisdem καὶ ἀπολῶ τὸν Ἀσσύριον, καὶ θήσω. Quam lectionem antiquam esse paret ex Hier. apud quem, *Et extendam manum meam super Aquilonem, & perdam Assyrium, & ponam Niniven in solitudinem*. Secus legunt C. & R. à quibus facit veritas Ebræa.

14. Χαμαιλέοντες] Λέοντες est in C. sed in versione Hier. *chamæleontes* legitur: quam lectionem ego puto germanam esse.

15. Μετ᾽ ἐμὲ ἔτι] In aliis est μετ᾽ ἐμῦ ἔτι· in aliis μετ᾽ ἐμὲ ἔτι ἄλλη. ¶ Δι᾽ αὐτῆς] Alibi δι᾽ αὐτήν.

IDEM.

5. גוי כְּרֵתִים. Aq. & V. γένος ὀλέθριον. Th. γένος ὀλεθρίας. Sym. γένος ὀλεθρευόμενον.

6. וְהָיְתָה חֶבֶל הַיָּם נְוֹת כְּרֹת רֹעִים Omnes, *& erit funiculus maris requies pastorum*] Ex Hier.

IDEM in VULG.

1. *Convenite, congregamini*] Santes, *Scrutamini vos ipsos & scrutamini*. Sed emendant *colligite vos & congregemini*: quæ interpretatio quadrat cum hac nostra. Trem. *Excutite vos, iterumque excutite*. ¶ *Non amabilis*] Non expetibilis.

2. *Jussio*] Decretum. ¶ *Quasi pulverem transeuntem diem*] Quidam, *quasi pulvis transit dies*. ¶ *Transeuntem*] Legit עבר pro עבר. ¶ *Ira furoris Domini*] In sententia repetita Ebræi legunt, *dies furoris Domini*. Neque dubium quin interpres ita scripserit. Sed quia exemplaria repugnant, ideo nihil mutavi.

3. *Estis operati*] Mutavit personam. Nam in Ebræo *sunt operati*. Figura, quam enallagen vocant. Trem. *qui jus ejus operantur*. ¶ *Justum*] SEDEC. Hieronymus fere *justum* interpretatur. Nec est error lectionis: sed existimavit vocem illam ita significare. Alii, *quærite justitiam*. ¶ *Mansuetum*] Id est, ענו: sed cum sit ענוה hoc in loco, melius alii habent, *mansuetudinem*. Sententia id mirifice comprobante. ¶ *Si quomodo*] *Si forte*, aut *fortasse*.

4. *Destructa*] Alii *derelicta*. In Ebræo, *Aza Azuba*. Paronomasia est Latinæ linguæ inimitabilis. ¶ *In desertum*] Aut, *desolationem*. sub. *erit*. ¶ *Accaron eradicabitur*] Ebr. *Ecron theacer*. Et hic paronomasia est perquam elegans.

5. *Funiculum maris*] *Tractum maris* alii, alii *regionem*, alii *portam maris*. Sed חבל est funiculus proprie. Quod autem pro tractu ponatur, id eo fit quia funiculis olim terram metabantur. Sic Deut. 3. *totius funiculi argob*, id est, tractus. *Et* 32 *funiculus hæreditatis ejus*. ¶ *Perditorum*] Chrethim est in Ebræo. Thema כרת. excindo, perdo. Unde, *gens perditorum*. Hieronymus in Comment. Ezech. 28. *Cherethim*

Græci quandoque corruperunt in Cretarum nomen ob literarum affinitatem, cum alii interpretes vertant ὄλεθρον *sive interfectionem.* In nom. de primo Regum Chereti, *interficientes, qui significantius Græce dicuntur* ἐξολοθρεύοντες.

6. *Funiculus maris*] Ut supra, regio maritima: quomodo ipse interpres eandem vocem edidit Deut. 3. 4. *totius regionis Argob.* ¶ *Requies pastorum*] נות כרות רעים. Santes, *habitacula, caulæ pastorum.* Tremell. *pro caulis, fossuris pastorum.* Nam כרה fodere. ¶ *Caulæ pecorum*] In aliis, *septa pecorum.* In aliis, *pro sceptris gregum.*

7. *Ibi*] Ad verbum, *in eis.* Referturque ad funiculum. Constructio sensu congrua, non voce. ¶ *Ad vesperam*] *In vespera* i. vespere. ¶ *Requiescent*] Accubabunt.

8. *Blasphemias*] Convitia. ¶ *Filiorum Ammon*] i. Ammonitarum. ¶ *Magnificati sunt*] Alii, *magnificaverunt.* Et subaudiunt, *os suum.* Trem. *ut ampliaverint* illud *per terminum illorum.*

9. *Siccitas spinarum*] Santes, *exitus urticæ.* Arias, *stridor urticæ.* Trem. *locus derelictus urticæ.* ¶ *Acervi salis*] *Fodina salis* alii habent, & melius. Valet autem, *fodinæ salis.* Genus loquendi, ut cum *rana* pro ranis ponitur, *miles* pro militibus, & alia ejus generis.

10. *Magnificati sunt*] Santes, *magnificaverunt os suum.* Trem. *Et ampliarunt terminum per populum Jehovæ exercituum.*

11. *Attenuabit*] Tremellius, *emaciabit*, hoc est, macie conficiet. ¶ *Viri de loco suo*] In Ebræo, *vir de loco suo*, i. quisque.

12. *Vos Æthiopes*] Trem. *Etiam vos Æthiopes, confossi gladio meo isti.* Subintellige, adorabitis Dominum. ¶ *Interfecti*] Ad verb. *sauci.* Vide Miscellanea mea.

13. *Speciosam*] i. Niniven. In nom. de Jona, *Ninive, speciosa.* ¶ *Et in invium & quasi*] *Et* copula non habetur in archetypo. Itaque Santes edidit, *inviam quasi desertum:* & Tremellius, *siccam ut desertum.*

14. *Omnes bestiæ*] Id est, omnis generis bestiæ. ¶ *Onocrotalus*] קאת. Arias, *pellicanus.* Trem. *platea.* ¶ *Ericius*] Tremell. *anataria.* ¶ *In luminibus ejus*] Puto mendum esse, legendumque, *in liminibus ejus.* Quanquam כפתר proprie *limen superum.* Arias, *in sphærulis.* Tremell. *in malogranatis.* ¶ *Cantantis*] Id est שור absque Joth. ¶ *Corvus*] Interpretatur ערב pro חרב. ¶ *In superliminari*] כפף alii *in limine:* alii, *in poste.* ¶ *Attenuabo*] ארזה ut supra רזה *attenuavit.* Alii *cedrum ejus.* Nam cedrus ארז dicitur. ¶ *Robur ejus*] עֵרָה legitur עֵרָה nudaverit.

15. *Gloriosa*] Exultans. ¶ *In confidentia*] i. Confidenter, secure, tuto. ¶ *In desertum*] Melius, *in desolationem.* ¶ *Bestiæ*] i. Bestiarum.

EJUSD. LECTIONES.

1. התקוששו fig. diligenter & accurate aliquid inquirere, colligere ut stipula solet, quæ propter exiguitatem summum requirit studium summamque diligentiam. Est eorum proprie qui res aliquas collecturi, minutim & diligentissime disquirunt & scrutantur, ut decussas ex arbore olivas, nuces & alia hujusmodi, quæ nullam omnino legentium indiligentiam patiuntur. LXX. συνάχθητε καὶ συνδέθητε τὸ ἔθνος τὸ ἀπαίδευτον. Hieron. *Convenite, congregamini gens non amabilis.* Jon. *Congregamini & adeste propiusque accedite, ô ætatis hujus natio, quæ nullo redeundi ad legem studio teneris.* Verbum הקושש anxie perquirere, & studiose colligere ut paleas filii Israel acquirebant & colligebant, urgentibus magistris operum Pharaonis.

לא נכסף] Non desiderata, non cupita. Vel quæ se non vult componere ad colligendum & quisquilias congregandum. Apud Rabbinos כסף est confundi pudore & ignominia. Ita erit gens impudens, quæ nullo propter scelera rubore suffundatur.

2. בטרם לדת חק] Antequam pariatur vel eveniat statutum, decretum i. pœna quam Dominus in vos decrevit & statuit: & בטרם antequam dies ille Domini transiverit tanquam gluma, paleave. Vel, בטרם לדת חק יום כמוץ עבר antequam aderit decretum, dies tanquam quisquiliæ transierit. Vel, antequam eveniat statutum diei i. quod à Domino in illum diem decretum est, quisque vestrum tanquam gluma præteribit, estque Hyperbaton, in quo dictiones non suo ordine positæ sunt & collocatæ. Vel בטרם יום לדת חק antequam dies pariat decretum, ritum. Alii, *sicut stipula quæ transit die* i. exiguo tempore & brevi momento. Videtur mihi יום commode accipi posse pro tempore, ut ostendat celeriter præterire diem. Utitur similitudine à palea desumpta quæ à vento impulsa rapide huc & illuc fertur. Antequam Domini decretum in effectum veniat, tempus celerrime præteribit.

חק] i. Priusquam eveniat vobis quod lex est & jus palearum, ut vento sc. disjiciantur & igne exurantur. חק statutum, sed sæpenumero pro cujusvis rei proprietate ac natura accipi solet. Sic Lunæ certas vicissitudines חקות Jeremias appellat, & cœlorum terræque certum ordinem eodem nomine vocat. *Judicium facere* hoc loco & multis aliis est omnia recte & ordine facere, ut nihil justitiæ & æquitatis, nihil modestiæ & bonitatis desideretur.

3. *Quærite Deum*] i. Animo & mente studete Deo, pietatem exercete, cultum illi debitum præstate, omni studio illum inquirite & vestigate. Tantum *inquirite Dominum* i. ex animo & sollicite quærite, ut ipsum rite agnoscatis & colatis, ametis. Prima illa vestra cura sit, totus ab eo pendeat animus vester. Id enim est ipsum inquirere, ejus sc. amore & reverentia teneri, voluntatisque ejus esse sollicitum. Et quærite etiam ענוי הארץ mansuetos & modestos terræ i. eorum rationem habete qui mites sunt, & Domini sententiam exequuntur.

, דרשוהו *non quærunt eum* Deuter. 4. 29. *Illic Dominum Deum vestrum reperietis, si eum modo toto pectore, totoque animo quæretis.* Quærere sæpe est *cupere & expetere aliquid* seu *satagere.* Psalm. 4. *Diligitis vanitatem, quæritis mendacium;* & *conari:* ut, *Quærebant eum interficere.* Hic autem, *non quærebant eum*, exponi potest, non desiderastis, curastis aut estis morari. Quærere Deum aliquando est *consulere*, & tanquam ad oraculum ad eum accedere, ipsiusque sententiam exquirere 2 Reg. 8. *Ito obviam Prophetæ, ut requiras Deum ab eo*, i. ut ipse pro te consulat Deum. Aliquando *invocare*, implorare opem Dei, supplicem ad ipsius majestatem accedere, ut in illo, *Quærite Dominum, dum inveniri potest.* Ps. 9. *Non derelinques quærentes te.* Sed nomine quærendi totum cultum declarat, *Quærere Deum patrum suorum*, est sedulo ac studiose colere. Contra, *non quærere* est negligere, non curare. *Omnes amatores obliti sunt tui, non quærunt te.*

כל ענוי הארץ interpretes omnes in Vocativo accipiunt, ego malo in Accusativo & repetere ἀπὸ τοῦ κοινοῦ quod præcessit.

בקשו ענוה mansuetudo, lenitas, humanitas, modestia, moderatio, mansuetudo morum & facilitas. Mansuetus, mitis, lenis, facilis עני qui mansuefactus est & condocefactus, ad pauperiem tolerandam, modestus, commodus, sui cognoscens. Opponitur superbo & elato עליז גבהת, modestis & commodis moribus. Explicat postea quid velit, nempe cum dicit, *Quærite justitiam & mansuetudinem.* Justitia est Deum inquirere, & comprehendit pietatem erga Deum, quæ mandatur prima parte catalogi, continet etiam alteram partem, qua ex æquo & jure cum aliis vivimus.

Mansuetudine notatur humanitas, qua modeste & quiete cum proximo degimus. צדק in suum cuique tribuendo cernitur, est habitus animi, communi utilitate conservata, suam cuique tribuens dignitatem. Justitiæ partes sunt, non violare hominem, verecundiæ non offendere: ea mansuetudine moderanda est, alias acerbitatem quandam imitatur.

תסתרו] i. Evadetis, eripiemini & liberabimini. Cum quo convenit illud Is. 26. 20. *Recipe te mi populus in tua conclavia, & te tuis ostiis conclude, late paulisper, subito dum transit sævitia.* Nam Dominus ex suo proditurus est loco ad vitia habitantium terras in ipsos vindicanda, detegetque suum terra sanguinem, neque suos amplius cæsos operiet.

4. עזה fortitudo ejus.

עזה fuit olim admodum illustris, etiam postquam expugnata esset à Chaldæis & Alexandro magno. Sed postea ab Alexandro Hircani filio miserum in modum excisa & devastata, postquam annua obsidione ante excruciata fuerat, cœpit esse obscurior. De hac excisione scribit Josephus Antiq. lib. 13. 19. fuit sane non hostium solum, sed & ipsorum civium crudelitate & invicta pertinacia maxime memorabilis.

אשקלון] Ponderata vel ignis homicida. Ascalon ex primoribus Philisthæorum urbibus una fuit, dedit que Antiochum Philosophum: paulo ante Strabonis tempora, forte sub Augusto, ut idem Strabo, lib. 16. meminit.

אשדוד בצהרים יגרשוה] Asdod expelletur, ejicietur, expelletur in captivitatem in meridie i. palam in clarissima luce, qualis esse solet meridiano tempore. Ergo meridies ponitur pro adjuncta luce. Quidam referunt ad hoc quod est in Psalmis קטב ישוד בצהרים excidium grassatur in meridie. Sed & ibi sensus est qui supra. אשדוד, Hier. *ignis generationis.*

5. גוי כרתים] Gens Cherethea. Putant quidam esse celebrem Philisthæorum familiam & hic poni pro tota gente per Synecdochen 1 Sam. 30. Ad Australem plagam Cherethæos irrupisse in Palestinos servus ille Ægyptius referebat. Unde perspicuum est

est differre à Philistæis. Non legitur de Philistæis sed de Amalecitis qui versus Austrum vastaverant Cherethæos. Sed non video rationem cur non possimus exponere cum Kimchi de Philisthæis. Interea tamen egregia allusione indicat eam gentem exitio & excisioni esse destinatam. Nam כרת excindere, perdere, delere. כרתי familia Philistæorum, ex qua David catervam stipatorum & satellitum habuit ut ex פלתי.

[גוי כרתים] Lxx. πάροικοι κρητῶν. Hieron. *gens perditorum*, putatque Lxx. per כרתים Cretam insulam intellexisse. Sed ego depravatum esse non dubito ab imperitis scribis qui κρητέλῳ scripserunt κρητῶν. Aq. & V. editio interpretati sunt γένος ὀλέτριον. Theod. γένος ὀλεθρίας. Symm. γένος ὀλεθρευόμενον.

6. נוס Est recedere, retrocedere: habet post se מאחר vel אחור sed pleonasticos. Ita Virg. *Asper acerba tuens retrocedit.* Item, *Et retro sublapsa referri.* Contra Terent. *Nonne oportuit præscisse me ante?*

[בערב] Vespere i. de nocte ut Gen. 1. *Fuit mane fuit vespera dies primus.* Initium noctis est vespera, ideo sua significatione noctem sæpe secum una trahit. Et nota securitatem, & tranquillitatem, quod etiam de nocte & vespertino tempore audebunt illic cubare Judæi, quia videlicet non timebunt hostes: quia ex illis locis vel exacti erunt vel excisi & sublati. Erit ergo summa quies, summaque pax, nec sub vesperam aliquis verebitur ibi somnum capere. Hos versus quidam intelligunt de tempore captivitatis, quo una cum Judæorum excidio vastata fuit regio Philistæorum, in quam postea qui de captivitate remanserant, remigrarunt.

7. [חבל הים] Funis maris i. tractus marinus, regio maritima, quæ mari adjacet. Nam ut apud Latinos ductu pedis, sic apud Hebræos & Chananæos funibus metatos agros & oppidorum situs fuisse, legimus. Unde *funis* appellatur terra, quæ hæreditaria sorte alicui obtigit. David in Psalmis, *Funes ceciderunt mihi in locis amœnis.* Est ergo primum metonymia qua adjunctum ponitur pro subjecto & Periphrasis terræ Palestinæ à situ ducta. חבל ים quidam regionem occidentalem intelligit, quia ים sæpe ponitur pro ea plaga. Quod mare mediterraneum eo vergat respectu terræ sanctæ. חבל tractus. Collective l. multa prædia, fundi, agri, possessiones, terræ, regiones. Ideo sequitur עליהם super eos i. super unumquemque eorum pascent Israelitæ suas oves.

8. [ויגדילו על גבולם] Superbiloquentia quadam exprobrarunt populo sitos terminos, magnifica verba protulerunt in terminum eorum, superbierunt in eorum fines, contumeliose insultarunt quod viderunt eorum regionem vastatam & destructam. חרף antecedens sign. exprobrare, objicere, probro & vitio dare, vitio vertere, culpæ dare. חרפה probrum, dedecus, convicium, maledictum, afficere aliquem contumelia & maledictis. Potest etiam hoc modo construi הגדילו sive לעשות multa & magna fecerunt contra terminum Israel, cum vid. prædando, rapiendo & spoliando. Joel. 2. 19. & 20. כי הגדיל יהוה לעשות. Infra in hoc Propheta vers. 10. ויגדילו על עם יהוה. Ex quo loco videtur ad convitia & opprobria pertinere: ut sit idem quod superbis verbis sese efferre, multa convicia in aliquem jacere. Ezech. 35. 13. ותגדילו עלי בפיכם. Aliquem contumeliis vexare. Habet significationem contumeliarum verbum הגדיל quoties construitur cum על personæ. Ut, verborum contumeliis aliquem lacessere.

9. *Moab*] Nunc *Areopolis* appellatur.

Ammon] Urbs est Arabiæ secunda, post Bosram *Philadelphia* dicitur.

[כממשק חרול] Kimchi exponit ממצא *eruptio urticarum*, locus ubi multæ urticæ erumpent & crescent. Alii *collisio urticarum*, ubi propter copiam urticæ una alteri vel sibi invicem colliduntur. Pater Kimchi interpretatur *derelictio urticarum* i. locus vastus, desertus & *derelictus urticis*. Ita Jon. כשבש מלחין. Quidam vertunt *urticeta*. Hieron. *siccitas spinarum*. Strepitus, è collisione redditus sonus, & crepitus violentus, sonus ex impulsu ἄραβος, ἀραγμός, ἰαχή, κτύπος, ῥοῖζος. Nam vento flante urticæ, si altæ sunt & frequentes, cum sonitu & strepitu, qualis est in messe, fluctuant.

[ומכרה מלח] Effossio salis, salina. *Omnis locus in quo reperitur sal, sterilis est, nihilque gignit*, ait Plinius lib. 31. cap. 7. Unde Abimelech destructa Sichem & eversa, in cujus solo salem seminavit, quo perpetuo sterilem redderet. Jud. 9. 45. Ps. 107. 34. *Qui felicem terram efficit salsuginosam.* מכרה מלח Hier. *acervus salis.* Non male, nam כרי apud Rabbinos id significat, veluti cum dicunt השולח ברכה בכרי הזה qui in acervum istum mittit felicitatem, intelligunt תל מלח cumulum salis. *Salinæ locus* ubi sal fit. Jon. vocat מחפורין דמלח fossas salis. Salinæ, ubi sal eruitur, aut concrescit, aut excoquitur. ἁλοπήγιον Straboni Soutbak of Put. Salinarum strues Cicer. *acervi salis congesti*, Southopen.

Acervi salis] Lxx. *acervus areæ*, ὡς θημωνία ἅλωνος. Et putat Hieron. ἅλος interpretatos i. salis: sed ab imperitis qui θημωνίαν, hoc est acervum frumenti vel frugum putaverunt, pro ἁλὸς additis duabus literis ω & ν, quasi ad consequentiam frugum ἅλωνος i. areæ positum.

10. [גאון] Verbum est μέσον medium. Nam & *superbiam* notat, arrogantiam, insolentiam, magnos spiritus, fastidium animi, magnitudinem in deteriorem partem. Cicero, *Magnitudinem animi superbia imitatur in animis extollendis.* Et in meliorem partem est magnitudo, granditas, amplitudo, magnificentia, splendor.

11. *Terribilis Dominus super eos*] Describit potentiam Dei, partim ab effectu, partim ab adjunctis. Effectum est, quod ipse macie afficit omnes Deos terræ. Adjunctum quod omnes gentium insulares debitum illi honorem & reverentiam quisque ex sede sua deferent.

[רזה] Lxx. ἐξολοθρεύσει perdet, exterminabit. Hier. *attenuabit.* Nomen est à רזן & sign. macie afficere, ad maciem redigere. רזון corporis magna tenuitas & siccitas, gracilitas, homo grandi macie torridus, corpus macie extabuit &c.

[כל איי גוים] Omnes gentium insulares. *Insulas* vocant Hebræi, regiones omnes quas Oceanus divisit à terra Judææ. Itaque per *Insulas gentium* intelligit Europæ partes, Græciam, Italiam, Hispaniam, Galliam. Significat & maris accolas, populos maritimos, qui oram maritimam incolunt & inhabitant. Hac sectione denuntiatur excidium & pernicies Ammonitis. Id autem fit hoc ordine. Primo crimen & culpa objicitur. Deinde pœna declaratur similibus & adjunctis. Jurejurando confirmatur & divina potentia describitur. Simul etiam vaticinium est de Christi regno & spiritali fidelium adoratione.

12. [חללי חרבי] Meo ense cæsi, vulnerati & saucii meo gladio. חלל, פגר & גויה ita differunt, quod duo priora dicantur de cadavere tantum, posterius aliquando de corpore vivo. Sed & פגר & חלל differunt, quod illud sit simpliciter corpus anima cassum, hoc est, cadaver cæsum & interfectum, violenta morte sublatum. Nam חלל vulnerare, saucium reddere.

[המה] Pronomen est commune omnibus personis. Sic הוא apud Syros trium personarum in se significationem repræsentat, idem quod ipse. Græci ἐπιταγματικοὶ vocant. Donatus subjectivum quod reliquis omnibus pronominibus subjici possit. Quidam hoc loco excusant per Enallagen particularum. Qualis est Job. 17. 10. כלם תשבו ובאו נא, & 1 Sam. 6. 4. לכלם ולסרניכם. Isai. 1. 29. כי בשו כאלים אשר חמדתם. Alii vero subaudiunt Chaph notam similitudinis, ut sit כהמה vos etiam interficiemini sicut ipsi Ammonitæ & Moabitæ. Communiter est ככם. Alii malunt intelligere עם vel את præpositionem cum ipsis. Simile est Psal. 9. 7. אבד זכרם המה periit memoria eorum una cum ipsis.

13. [צפון] Septentrio, Aquilo. Ponitur pro Assyria, nam regio Assyriorum, maxime autem Babylon ad Orientem Judæis exposita ad Boream proprie spectat. In Aquilonis partibus, septentrionalis mundi pars, regio aquilonaris. De eo Kimchi צפון זה בבל שהיא צפונית מזרחית לארץ ישראל.

[אשור] Assur interpretatur εὐθύνων quem multi putant *dirigentem* dici: sed falsum est. Εὐθύνων enim *coarguens dicitur & convincens.*

[לשממה ציה] Lxx. εἰς ἀφανισμὸν ἄνυδρον. Hier. *In solitudinem & in invium & quasi desertum.* Rab. Nathan in concordantiis interpretatur שממה ויבש vastitas & siccitas, solum exuccum, sitiens.

14. [עדרים] Greges i. gregatim, quod aliquando iterata voce est עדרים עדרים. Nam ita circumloquuntur sua adverbia Hebræi, *per greges.*

[כל חיתו גוי] i. Omnis generis animalia. Gentium animalia vocat quæ reperiuntur apud omnes nationes & gentes, quæ passim reperiuntur in omnibus terris.

[קאת] Lxx. χαμαιλέοντες Chamalæontes. Hier. *onocrotalus.* Aliquando *pellicanum* vertit. Ut in Psalmo, *Similis factus sum pellicano solitudinis.*

[קפד] Plane sonat *Herinaceum* ab Arabico קנפאד. Serapion & Sylvaticus voce consona Arabicam *Kapend Herinaceum* interpretantur. Lat. interp. hic & apud Isai. *ericium* vertit. Quidam *testudinem* tardum animal interpretantur, quod Arabice *Kempod* vocetur. Sed non convenit huic loco ita intelligere, quia sequitur קפד habitasse in limine supero. Lxx. hic vertunt ἐχῖνοι.

[כפתר] *Pomum* sign. & *malum* & figuram ἐγκαρπῆ, & quia

quia hujusmodi fructus Hyperthyro in sculpebantur, ab adjuncto nomen translatum est ad denotandum superliminare. Limen superum quod duabus antis sive parastatis impositum portam domus constituit. Antæ sunt ostiorum latera. Postis latus ostii sive arrectarium portæ, unde ostium dependet.

ישורר] Canit, cecinit i. garrit, perstrepit per *κατάχρησιν* abusionem.

ארזה] Pro ארזיה cedrus ejus i. ædes cedrinæ, cedro tectæ, contectæ.

15. *Civitas ista quæ exultat & lascivit*] Comparat priorem civitatis statum cum præsenti, & admirabundus exclamat quomodo illa civitas quæ ita exultabat, tamque fidenter & secure degebat, quomodo, inquam, illa nunc destructa sit & desolata, redacta in rudera & ferarum lustra, ludibrio & sannis omnium exposita.

GROTIUS.

1. CONvenite, *congregamini*] Nempe ad preces, ut vitam saltem salvam habeatis. ¶ *Gens non amabilis*] *Gens nullius pudoris.* Ita enim Chaldæi & Rabbini נכסף usurpant.

2. *Priusquam pariat jussio quasi pulverem transeuntem diem*] *Priusquam decretum* (Dei) *pariat diem velut glumæ transeuntis*, qua gluma separetur à frumento, & frumento salvo gluma pereat.

3. *Quærite Dominum omnes mansueti terræ*] Hic orationem ad alios, id est, paucos in populo bonos convertit. ¶ *Qui judicium ejus estis operati*] Qui Dei leges sectati estis. ¶ *Quærite justum, quærite mansuetum*] In Hebræo, *Quærite justitiam*, id est, beneficentiam; *quærite mansuetudinem*, id est, Dei clementiam exposcite. ¶ *Si quomodo abscondamini*] Id est, *protegamini*, ut hic explicat Chaldæus.

4. *Quia Gaza destructa erit*] Ostendit difficillima fore effugia, omnibus circum locis ab hoste captis. Multos Phœnicum & Syrorum à Nabuchodonosoro captos habes in Berosi fragmento, quod citavimus ad tertium librum de Veritate Religionis Christianæ. ¶ *Azotum in meridie ejicient*] Azotios clara die expellent Chaldæi.

5. *Væ qui habitatis funiculum maris*] *Oram maritimam.* ¶ *Gens perditorum*] *Gens Cerethim.* Pars est Philisthinorum. Vide 1 Sam. xxx. 14. & Ezech. xxv. 16. unde ortos Cretas opinamur. ¶ *Verbum Domini super vos Chanaan, terra Philisthinorum*] Deest copula, *Chanaan & terra Philisthinorum.* partes Phœnices enumerat.

6. *Et erit funiculus maris*] *Ora maritima*, ut modo diximus. ¶ *Requies pastorum, & caulæ pecorum*] Mercatoribus longe abactis.

7. *Et erit funiculus ejus, qui remanserit de domo Juda: ibi pascentur*] *Et erit ora* (ista) *reliquiarum domus Judæ* (id est, eorum qui remanserint cum Godolia), *ut ibi pascant pecora.* ¶ *In domibus Ascalonis ad vesperam requiescent*] Cubabunt in desolatis illis domibus pastores. ¶ *Quia visitabit eos Dominus Deus eorum*] *Quia punierit eos Dominus*, nempe Azotios & vicinos. ¶ *Et avertet captivitatem eorum*] *Repetet.* Ita enim שוב sæpe ponitur. Psammitichus jam ante Azotum ceperat, teste Herodoto Euterpe: captivosque abduxerat multos. Cum tempore rursus habitata Azotus, iterumque inde captivi abducti per Chaldæos sub Nabuchodonosoro. Vide Jerem. xxv. 20. Ezech. dicto loco xxv. 15.

8. *Audivi opprobrium Moab*] Erant enim *superbissimi*, Jerem. XLVIII. 29. ¶ *Et blasphemias filiorum Ammon: quæ exprobraverunt populo meo*] Ezech. xxv. 3. ¶ *Et magnificati sunt super terminos eorum*] Israelitarum terminos invasere, Jer. XLIX. 1.

9. *Quia Moab ut Sodoma erit, & filii Ammon quasi Gomorrha*] Factum id quinto anno post capta Hierosolyma, ut diximus ad XLVIII. Jeremiæ, XLIV. Esaiæ, & xxv. Ezechielis. ¶ *Siccitas spinarum*] *Locus derelictus urticis.* Pro ממשק [*locus sterilis*] Lxx. hic mendose legisse דמשק [*Damascus*] notat Hieronymus. ¶ *Et acervi salis*] *Fodinæ salis.* ¶ *Et desertum usque in æternum*] לעולם, quod pro *aliquanto tempore* & *una ætate* accipi notat hic in Commentariis Hieronymus. ¶ *Reliquiæ populi mei diripient eos, & residui gentis meæ possidebunt illos*] Nempe *terminos*, pro eo quod illi terminos Israelis invaserant, ut jam sequetur. *Reliquiæ* hic sunt, ut modo, Judæi relicti sub Godolia.

10. *Hoc eis eveniet pro superbia sua: quia blasphemaverunt, & magnificati sunt super populum Domini exercituum*] Repetitum ex superiore 8.

11. *Attenuabit omnes deos terræ*] Dagonem, Chamosum, Molochum. Hunc locum ut est in Lxx citat, & ad Euangelica tempora sensu excellentiore aptat Chrysostomus 11 adversus Judæos. ¶ *Et adorabunt eum viri de loco suo*] Per Judæos captivos multi de Gentibus discent unum esse Deum, & quisque domi suæ eum colent. Hi sunt חסידי אומות *sancti ex Gentibus.* ¶ *Omnes insulæ Gentium*] Etiam in locis Gentium transmarinis.

12. *Sed & vos Æthiopes interfecti gladio meo eritis*] In Hebræo, *interfecti ensis mei*: quomodo dicitur διδακτοὶ τοῦ Θεοῦ [*dociles Dei*, id est, *à Deo*] Joh. VI. 45. Hæc cohærent cum dictis supra 8. 9. 10. Impletum hoc cum Æthiopes, qui in auxilio erant Neconis Regis Ægyptii, cæsi sunt à Nabuchodonosoro, Jer. XLVI. 2. Ordinem gentium sequitur Propheta, non temporis.

13. *Et extendet*] Idem Nabuchodonosor. ¶ *Super Aquilonem*] In Medos. ¶ *Et perdet Assur*] Diximus de hac historia ad Nahumum. ¶ *Et ponet speciosam in solitudinem*] In Hebræo, *Ninivem*: eam privabit opibus & commerciis, ita ut magna pars urbis vacua sit ab habitatoribus. excisa enim non est, ut ad Nahumum ostendimus.

14. *Et accubabunt in medio ejus greges*] Id in locis derelictis ab humano cultu fieri solet, ut supra 6. ¶ *Et onocrotalus & ericius*] Ex Esaia XXXIV. 11. pro onocrotalo *pelecanum* ponunt Hebræi, & ipse Latinus alibi, ut ad Esaiæ locum diximus. Verum in Commentariis ad hunc locum Hieronymus *onocrotalorum duo esse* ait *genera, aliud aquatile, aliud solitudinis.* ¶ *In liminibus ejus morabuntur*] In Hebræo: *in malis punicis ejus*, id est, in figuris malorum punicorum, quæ summis ædibus imponi solebant. Vide Amos IX. 1. Talia sunt quæ Græci vocant *ἀκρωτήρια* [*summitates*]. ¶ *Vox cantantis in fenestra*] Aves ibi canent tuto. Ita Chaldæus; & confirmat id Esaias XIII. 21. 22. XXXIV. 11. 15. ¶ *Corvus in superliminari*] Apparet & Lxx & Hieronymum legisse עוב, ubi nos habemus חרב [*desolatio*]. Probat illorum lectionem locus Esaiæ similis XXXIV. 11. Chaldæus חרב legit, vertitque *desolabunt portam ejus.* סף est *limen*, ut apparet Judic. XIX. 27. Ezech. XL. 6. ¶ *Quoniam attenuabo robur ejus*] *Quoniam cedrina ejus nudabit*: id est, Tabulata domuum multarum patebunt corvis aliisque avibus. Activum impersonaliter positum pro passivo.

15. *Hæc est civitas gloriosa*] Supple, *dicent transeuntes, Hæc est urbs illa quæ exsultabat.* ¶ *Habitans in confidentia*] *Quæ habitabatur confidenter.* ¶ *Quæ dicebat in corde suo, Ego sum, & extra me non est alia amplius*] Hæc Esaias de Babylone dixerat XLVII. 8. ¶ *Sibilabit*] Præ stupore, ut 1 Reg. IX. 8. ¶ *Et movebit manum suam*] Ut solent facere attoniti.

CAP. III.

MUNSTERUS.

1. VÆ *sordida*] Est hic מוראה participium præteritum in Hiphil, à verbo ראה, quod uno modo significat idem quod לכלך *inquinavit*, sicut & Nah. 3. invenitur. Objurgat autem Propheta civitatem Jerusalem, quæ tota erat polluta sanguine, adulterio, pauperum oppressione, perverso judicio, &c. Et redarguta à Prophetis noluit audire verbum Domini, neque suscipere disciplinam.

3. *Lupis vespertinis*] Taxat hac Metaphora insignem Judicum avaritiam. Non, inquit, lupi fame accensi tam avide prædæ inhiant, cum etiam totum diem jejunum duxerint & sero ad rapiendum sese proripiant, quantum Judices in hoc incumbant, ut pecuniam per fas & nefas extorqueant. ¶ *Qui ossa non relinquunt usque mane*] Ostendit non vulgarem sed insignem famem, quæ belluam ad hoc adigit ut ossa simul cum carne devoret.

4. *Inconstantes*] Kimhi exponit פוחזים pro *animo leves & futiles.*

5. *Non faciet iniquitatem*] i. *Cum Deus profert judicium suum in lucem*, & sumit ultionem de tantis sceleribus, non *iniquus* sed *justus* merito censendus est, præsertim cum *quotidie judicium suum* contra iniquas gentes, videntibus Jehudæis, *produxerit*, illi autem meliores non effecti sint, *nec iniqui agnoverint confusionem suam.*

7. *Habitaculum ejus*] Sub. *civitatis Jerosolymitanæ.*

8. *Exspectate me*] Pertinent hæc & sequentia verba ad Regnum Christi, cujus Prophetæ in Vaticiniis suis nunquam ob-

oblivifcuntur, fed omnia verba fua huc veluti ad fcopum deftinant, etiam in mediis hiftoriis non raro Regni Chrifti facientes mentionem. Confolatur igitur pios, ut paululum fuftineant adverfariorum rabiem, quoadufque Dominus veniat & ultionem fumat de eis. Et tunc futurum promittit ut electi fui *puro* cum celebrent *labio*, folum *nomen ejus invocent*, atque corde & animo uno colant.

10. *Filia difperforum meorum*] Accipitur hic בת pro עתרי, h. e. *filia* pro *Ecclefia & cœtu fidelium*. In die, inquit, illa, quando electi mei non in uno loco confiftent, fed erunt *difperfi* per totum mundum, erunt etiam apud interiores *Æthiopes qui me colent* & pro Redemptore fuo agnofcent, *offerentes mihi munus*.

13. *Neque loquentur mendacium*] Hoc enim erit *labium* illud *purum* de quo paulo fuperius dixit. Sic quoque Chriftus dixit Mar. 16. 17. *Qui crediderint, linguis loquentur novis*, &c.

15. *Judicia contra te data*] Heb. *judicia tua*, i. mala, ut funt Gladius, Peftis, Fames, &c.

17. *Quietus erit*] Heb. *tacebit*: & eft fenfus, Cum tu Dominum Deum tuum timueris, nihil erit quod Dominum averfari poffit à te, aut quod eum remoretur à dilectione fua, ille erit Deus tuus, & tu populus ejus, *gaudebitque fuper te Dominus Deus tuus.* Reliqua vero quæ fequuntur facile in hunc modum intelligi poffunt, cum omnia plena fint gaudio & confolatione.

VATABLUS.

1. QUÆ *fpoliat* מראה] *Opprimenti*: *vim afferenti*, fub. *aliis*. Continens pro contento: i. cujus cives opprimunt pauperes & infirmos. De Jerufalem loquitur peccatis fœdata.

4. *Contemptibiles* פוחזים] *Viles*: *nihili homines*. ¶ *Viri prævaricationum* אנשי בגדות] Hebraifmus, *prævaricatores*: *tranfgreffores*. ¶ *Sanctitatem* קדש] *Sanctuarium*, i. locum Deo facrum, nempe Templum. ¶ *Tranfgreffi funt* חמסו] Proprie fign. *injuriam facere*. Quidam vertunt *violaverunt*, *vim faciunt*, *corrumpunt*, *pervertunt*: i. non exponunt Legem ut debet exponi. Alii, *fubtraxerunt Legem*, fub. *aliis*: i. non docuerunt Legem populum, prout incumbebat illis.

5. *Non faciet iniquitatem* לא יעשה עולה] i. Non aget impie fi puniat eos. Alii futurum per præfens vertunt, *non facit*, aut *facere folet*, puniendo illos fcilicet. ¶ *Edit* יתן] Fut. Heb. pro præf. *dabit*. ¶ *Nec* tamen, &c. ולא וגו׳] i. Non folet eum pudere: q. d. Perfricuit frontem.

6. *Succidi* הכרתי] *Exterminavi*. *Perdidi*. ¶ *Arces earum* פנותם] *Turres earum*. Vide fupra 1. 16. ¶ *Ita ut*, &c. מבלי איש וגו׳] Ad verb. *à non viro*, *à non habitatore*: i. ita ut fint abfque ullis hominibus qui habitent in illis. Hebraifmus.

7. *Dicebam* אמרתי] Ad verb. *Dixi*. ¶ *Succidetur habitaculum* יכרת מעונה] Ad verb. *exterminabitur habitaculum ejus*. Convertit fermonem ad alios: & fing. pro plur. *habitacula ejus*. Quibufdam videtur mutatio perfonæ, pro *tua*; ut etiam mox. ¶ *Quicquam*, &c. כל אשר פקדתי עליה] Ad verb. *omne quod vifitavi fuper eos*: i. quæ immiffurus fum ei nifi refipifcat.

8. *Quapropter* לכן] Subaudiendum aliquid, cujufmodi, *Invitavi vos ad refipifcentiam, & noluiftis acquiefcere*: *Propterea*. Vel alloquitur pios qui afflictionem patiuntur ab impiis. ¶ *Quo confurgam ad fpolia* קומי לעד] i. Quo die expugnaturus fum improbitatem veftram, & perditurus vos. Metaphora à Victoribus, qui parta victoria folent dividere fpolia. ¶ *Judicium meum* eft *ut congregem* משפטי לאסף] Hebraifmus, pro, *fecundum juftitiam meam congregabo*, vel, ut alii exponunt, *decrevi congregare improbos*.

9. *Tunc enim* כי אז] i. Sub illum diem, vel fub illud tempus. ¶ *Ad populos* אל עמים] h. e. Mutato priore fermone, dabo populis fermonem purum & electum. ¶ *Humero uno* שכם אחד] Hebraifmus, unanimi confenfu, animo eodem & mente eadem. Metaphora tracta à Bajulis qui oneri ex æquo fupponunt humerum.

10. *Chus* כוש] i. *Æthiopia*. Chald. *Indiæ*. ¶ *Atharai*, &c. עתרי וגו׳] *Atharai*, *filia Pufai afferent munus mihi*. Doctus inter Hebræos dicit fuiffe nomen gentis five familiæ trans flumen Æthiopiæ. Chaldæus autem P. dicit Ifraelem vocari *Atharai* quod placabilis & exorabilis illi futurus effet Dominus; & eofdem *Pufai* appellari à Propheta quod effent difperfi in captivitate. Ejus verba funt, *De trans flumina Æthiopiæ revertetur captivitas populi mei qui captivus ductus eft, & adducent eos illuc tanquam oblationes*. Juxta hanc interpretationem prædiceret Propheta liberationem populi Ifraelitici è captivitate. Alii volunt *Atharai* & *Pufai* effe appellativa nomina, פוץ fignificare *congregationem*. Præterea fing. pro plur. & pronomen affixum pro feparato pofitum in עתרי בת פוצי pro בת פוצות, & vertunt, *Ultra flumina Æthiopiæ fupplices mei*, *congregatio difperforum meorum afferent munera mihi*: ut fignificet Propheta futurum ut electi fideles Domini non confifterent uno in loco, puta in Judæa, fed difpergerentur per totum mundum, ita ut etiam apud interiores Æthiopes habiturus effet Dominus qui eum colerent, & pro Redemptore fuo agnofcerent, offerentes illi munera.

11. *Ullius operum tuorum* מכל עלילתיך] Ad verb. *ab omnibus operibus tuis*. Doctus inter Hebræos fic exponit, *Non cogeris erubefcere ob ullum operum tuorum quæ facturæ es: ea enim omnia fient in æquitate, five juftitia ac fide, & non fecundum hoc tempus quo tu cogeris erubefcere propter opera mala quæ tu facis*. ¶ In *fuperbia tua* בגאותך] De *excellentia tua*, i. dignitate, h. e. qui nimium fibi placent ob beneficia quibus dignatus fum te & illos fupra alias gentes. ¶ *De monte fanctitatis meæ* בהר קדשי] *In monte fancto meo*; i. ob Templum quod ædificatum eft intra te in monte Moriah.

12. *Humilem, & pauperem* עני ודל] *Manfuetum* [*mitem*] *& afflictum*: & ita Chaldæus P.

14. *Lauda* רני] *Canta*, i. Prorumpe in laudem Dei tui, ô congregatio. Ratio redditur feq. verfu.

15. *Removit Jehovah judicia tua* הסיר יהוה משפטיך] *Abjecit Jehovah judicia tua*. Hebraifmus, Condonavit tibi omnia peccata tua, propter quæ adjudicanda eras morti & perdenda. ¶ *Ejecit* פנה] Ut fcilicet folent purgamenta & fordes ejici. Significat enim *repurgare*; interdum *ejicere purgamenta ipfa*. ¶ *Videbis malum* תראי רע] Hebraifmus, *Videre malum* pro *affligi*. Alii, *non timebis malum*, i. æquo animo feres.

16. *Ne debilitentur manus tua* אל ירפו ידיך] i. Ne defiftas ab inceptis, & ferva fidem jam fufceptam.

17. *Silebit* יחריש] i. Connivebit ad tranfgreffiones tuas, h. e. condonabit tibi peccata.

18. *Dolore affectos præ tempore congregabo* נוגי ממועד אספתי] *Tædio* [*moleftia*] *affectos propter tempus* [fub. *diuturnum exfilii*] *congregabo*: Præt. Heb. pro fut. i. *revocabo*. ¶ *Super te* עליה] Ad verb. *fuper eam*. Mutatio eft perfonæ: i. Probra quibus tamdiu affecta fueris erunt tibi oneri.

19. *Contufurus fum* עושה] *Compreffurus fum*: *oppreffurus*. Præf. Heb. Metaphora à fructibus ex quibus fuccus exprimi folet. Gallice *efchacher*. ¶ *Affligentes te* מעניך] *Oppreffores tuos*. Vel, *qui te afflixerint*. ¶ *Et fervabo claudicantem* והושעתי את הצלעה] *Et liberabo claudicantem*, i. variis malis affectam. ¶ *Et ponam illos* ושמתים וגו׳] Hebraifmus, faciam eos laudatos & celebres in omni loco in quo probris antea affecti fuerunt.

20. *Dabo enim vos in nomen*, &c. כי אתן אתכם וגו׳] Hebraifmus de quo v. 19. ¶ *Cum convertere*, &c. בשובי וגו׳] i. Cum reduxero captivos veftros.

CASTALIO.

3. JUdices lupi vefpertini, non ad pofterum diem exoffantes] Nihil prædæ relinquentes, h. e. voraces.

6. *Vaftatis earum pinnis*] Muris.

9. *Reftituam populis purum labium*] Orationem. ¶ *Ei fervientes uno humero*] Confenfu.

10. *Phufæa puella*] Gens.

11. *Ex te removebo tui faftus protervos*] Tuos, quæ faftuofa es.

17. *Acquiefcit in amore fuo*] Erga te.

18. *Remotos à cœtu colligam*, *qui ex te erunt*] *Ex te*, i. ex tuis.

CLARIUS.

1. VÆ *fœda*] Objurgat Propheta civitatem Jerufalem, quæ tota erat polluta fanguine, adulterio, pauperum oppreffione, perverfo judicio, &c. & redarguta à Prophetis noluit audire verbum Domini neque accipere difciplinam.

3. *Lupi vefpere*] Taxat hac Metaphora infignem Judicum avaritiam. Non, inquit, lupi fame accenfi tam avide prædæ inhiant, cum etiam totum diem jejunum duxerint, & vefpere ad rapiendum fefe proripiant, quantum Judices in hoc incumbunt ut pecuniam per fas & nefas extorqueant.

5. *Non faciet iniquitatem*] Si videlicet acriter punierit.

6. *Difperdidi gentes*] Ut exemplo illorum refipifcerent.

8. *Exfpectate me*] Pertinent hæc & fequentia verba ad Regnum Chrifti: Cujus Prophetæ in Vaticiniis fuis nunquam oblivifcuntur, fed omnia verba fua huc veluti ad fcopum deftinant, etiam

etiam in mediis historiis non raro Regni Christi facientes mentionem. Consolatur igitur pios, ut paululum sustineant adversariorum rabiem, quoadusque Dominus veniat, & ultionem sumat de eis: & tunc futurum promittit ut electi sui *puro* cum celebrent *labio*, solum *nomen ejus invocent*, atque corde & animo colant, vel, ut textus habet, *humero uno*, i. summo consensu. ¶ *Omnis terra*] Vetus scilicet, i. homines terreni.

10. *Filii dispersorum meorum*] Intelligit cœtum fidelium. In die, inquit, illa, quando electi mei non in uno loco consistent, sed erunt *dispersi* per totum mundum, erunt etiam apud *Æthiopes qui me colent*, meque Redemptorem suum agnoscent, *offerentes mihi munus*.

12. *Populum pauperem*] Totum pondus gloriæ tuæ redigetur in quasdam exiguas *reliquias*, humiles & *pauperes*, in cœtum Apostolicum, suorumque discipulorum, quorum tota gloria & felicitas erit pro nomine Domini pati omnia adversa. Quis hæc intelligeret nisi per Christi adventum hæc aperta cerneremus, cum in ipsa narratione promissæ felicitatis dicat futurum *populum pauperem & egenum*?

15. *Abstulit Dominus judicium tuum*] Judicia contra te data, ut sunt Gladius, Pestis, Fames, &c.

17. *Silebit*] *Non amplius te objurgabit*.

18. *Mortuos*] *Qui videbantur recessisse* à cœtu tuo scilicet, resuscitabo. Promittitur ergo Resurrectio mortuorum. Alius vertit, *Mœrore affectos ob tempus prolixum*. Nos sensum, qui subesse videtur, eruere conati sumus, secuti tamen virum quendam doctissimum & in Hebræa lingua apprime eruditum. Vulgata editio habebat, *Nugas* (vocem Hebræam ponens) *qui à Lege recesserant*, &c. ¶ *Ut non ultra habeas*, &c.] Heb. *qui propter eam sustinuerunt opprobrium*, vel, *onus fuit super eam opprobrii*.

19. *Terra confusionis*] Ubi olim confusi fuerunt.

DRUSIUS.

1. VEH *fœdata*, &c.] Hæc epitheta ostendunt statum Jerosolymæ corruptissimum fuisse illo ævo. מוראה *fœdata*. Verbum est à *stercore* formatum, quod ראי dicitur. Aut ראי est *exemplum*: quod sumptum ab iis mulieribus quæ publica infamia notatæ sunt, & in quas exemplum statutum sit, quod παράδειγμα Græci vocant: unde παραδειγματίσαι *exemplum in aliquem edere, & quasi ostentui habere*. Est autem participium generis passivi, pro eo quod usitate diceretur מֻרְאָה, vel certe מֻרְאָה. Sunt qui nomen esse putant: nam vertunt, *Væ ingluviei*. Hoc sensu sumitur Levit. 1. 16. מֻרְאָה *ingluvies, vesicula gutturis*. Maneat cuique judicium suum. Meum si requiratur, cum ראי vetere interpretatione sit παράδειγμα; censeo rectum esse מוראה παραδειγματιζομένη, h. e. *ostentui habita* vel *infamia exposita*, ut הוראה sit παραδειγματίζειν· ac si diceret, *Veh civitati quæ vitiis ac sceleribus infamem sese reddidit*. Sic apud Plutarchum Archilochus quidam scribitur editis parum honestis versiculis sese παραδειγματίσαι. Cæterum Hieron. olim convertit *civitas provocatrix: quod significantius*, inquit, *Ebraice dicitur* מוראה, i. παραπικραίνουσα, *quod nos possumus dicere*, Deum amarum faciens, *i. suo vitio dulcem Dominum atque clementem vertens in amaritudinem; ut qui misereri vult, punire cogatur*. Hactenus Hieron. ¶ *Inquinata*] Vel *contaminata*. ¶ *Civitati prædatrici*] היונה proprie *quæ fraudat ac lædit alios*. Nam in usu est tam de læsione corporis quam de damno quod rei numariæ infertur. Dicimus autem ינה & הונה pro eodem. Ab illo est יונה participium præsens, quod hic in nominis naturam transit. Eadem vox *columbam* interpretatur: unde antiquis ed. *& redempta civitas, columba*. Scholia quoque Ebraica admonent, *columbam* dici Jerosolymam, ut alibi Ephraim dicitur *columba stolida, carens corde*. Verum ut recte dicimus יונה עיר *civitas columba*, ita dubito an congrue dicatur היונה העיר cum articulo ante duo substantiva. Hæc & alia in causa sunt ut prætulerim *civitas prædatrix*; quomodo vertendum & Jerem. 46. 16. היונה חרב, ubi *columbam* significare neutiquam potest, licet V. Int. referat, *à facie gladii columbæ*.

2. *Non audit vocem*] *Non est audiens dicto*, non auscultat voci doctorum suorum. ¶ *Non recipit disciplinam*] *Non admittit institutionem*. Vult dicere, non patitur se institui aut erudiri. Quod argumentum est stultitiæ, Prov. 1. 7. *Sapientiam & disciplinam stulti despiciunt*. ¶ *Ad Deum suum non appropinquat*] *Deo appropinquat* qui sancte ac pie vivit: contra qui vivit impie, ab eo procul recedit. Jes. 29. 13. *Appropinquat populus ore suo, & labiis suis honorat me: cor autem suum procul removet à me*.

3. *Leones rugientes*] *Ut leones rugientes*. Prov. 28. 15. *Leo rugiens & ursus discurrens est dominator improbus tenui plebecula*. Pares autem erant Leonibus crudelitate ac sævitia, tum etiam qui terrori erant subditis suis. Leo enim rugitu suo terrorem incutit cæteris animalibus. Vide *Rugitus leonis*, Proverb. class. 2. lib. 5. adag. 58. ¶ *Judices ejus*] Præsides ac Senatores ejus. ¶ *Lupi vespertini*] A temporis circumstantia notat lupos sævos ac rapaces, qui vespere grassantur cum pecudes abiguntur in stabula. Tum enim desperatio adest prædæ consequendæ, conclusis intra septa animalibus. Ad hæc præsens urget fames. Accenditur enim rabies in lupis qui toto die nullam prædam egerunt. Sed vide sis quæ scripsimus in adagio, *Lupi vespertini*: nam non lubet eadem repetere. ¶ *Non exossant in mane*] Legitur & *mane*. Si *mane*, erit sensus, *qui mane nihil exossant*, h. e. nulla ossa vorant: ac si diceret, *qui toto die nihil prædati sunt*. Si *in mane*, tum exponendum, *qui non exossant in matutinum tempus*: vult dicere, Ne ossa quidem reservant aut reliqua faciunt in posterum; ea aviditate prædam vorant. Notat autem inexplebilem Judicum rapacitatem. Ut per *vesperam* noctem significant, ita per *mane* diem innuunt Ebræi. Ex quo illud, *Fuitque vespera & fuit mane dies unus*. Ergo *lupi vespertini* qui noctu grassantur. Supra quoque 2. 7. dixit, *in domibus Ascalonis vespere accubabunt*, nomine *vespera* totam noctem comprehendens.

4. *Prophetæ*, &c.] Pseudoprophetæ ejus leves sunt, h. e. inconstantes. Neque enim mendacium sibi unquam constat. ¶ *Leves*] Vel *temerarii*. Alii, *vesani*; alii, *contempti*. ¶ *Viri perfidissimi*] Etiam perfidia insignes sunt, quia videlicet non servant fidem Deo datam. בוגדות ad verb. *perfidiarum*. Ad quam formam reperitur סללות pro *balistis*, aut si quid aliud ea vox significat. ¶ *Sacerdotes ejus*, &c.] Munus Sacerdotum est facere rem Divinam, & docere populum. Utrumque non omissum queritur, sed male administratum. Nam & *sacra*, inquit, *miscent profanis, & Legem* perperam enarrant, *vim ei facientes*. ¶ *Profanant sanctum*] *Polluunt sanctum*, h. e. rem sacram. Non discernunt sacra inter & profana. Id autem fit vel ubi quis res profanas habet pro sacris, vel cum sacra inter profana ponit. Potest etiam exponi SANCTUM, i. *Sanctuarium*. ¶ *Vim afferunt Legi*] Vim adhibent in Lege exponenda. Sic dico, Callida ac perversa interpretatione corrumpunt Legem, ejusque verba intervertunt, ea quasi violenter in alium sensum detorquendo.

5. *DOMINUS justus in medio ejus*] Est quidem *in medio ejus Dominus*, sed *justus*: ac proinde par erat ut justitiam colerent, eique ex animo studerent. ¶ *Non facit iniquitatem*] Vel *non faciet iniqua*, h. e. non committet ut hæc scelera vestra abeant impunita. Nam hoc iniquum esset. Quod alienum à natura ipsius. Deut. 32. 4. *Dei opus perfectum, & omnes viæ ejus judicium: Deus fidelis & expers iniquitatis, justus & rectus ipse est*. ¶ *Mane mane*] i. Unoquoque mane. Sic *die die*, i. quotidie. Porro *mane fieri* dicitur quod cum cura & diligentia fit. Ergo *mane mane*, h. e. diligentissime. ¶ *Judicium suum profert in lucem*] Nempe per Prophetas suos, quorum opera utitur ad docendum populum judicia sua, qui hortando & monendo per singulos dies id operam dant ut eum ad meliorem vitam revocent, sed frustra. Nam licet officio suo probe fungantur, tamen nihil proficiunt. Quidam interpretantur JUDICIUM SUUM, i. *pœnas, quas Gentibus irrogat*. Non damno hanc interpretationem: est tamen cur præferam priorem. Potius, *edit in lucem*. Nam *profert*, i. יציא. ¶ *Nescit perversus erubescere*] Israel perversus, h. e. qui perversi & iniqui sunt in eo populo, adeo callum obduxerunt in nequitia sua ut videantur omnem omnino pudorem exuisse.

6. *Exscidi gentes*] Postquam me sceleribus suis provocassent, *exscidi gentes*, cum alias tum septem illas Chananæam incolentes. Hæc omnia feci ut documentum inde caperent mei; qui si alieno periculo cautiores evasissent, nunquam in has calamitates incidissent. ¶ *Anguli earum*] Eos sign. qui autoritate præstant, h. e. Reges ac Principes. Nam ut anguli molem ædificii, sic illi remp. sustinent & quasi fulciunt. Vide 1 Sam. 14. 38. Esa. 19. 13. & Jud. 20. 2. ¶ *Desertas feci*] *Siccas feci*, h. e. puras ab hominibus. Supra, *Vastitas in limine*, in Ebræo est verbum è verbo *siccitas in limine*. Quod capiendum ex hoc loco. ¶ *Destructa*] *Vastatæ, desolatæ*. ¶ *Ut non sit quisquam*, &c.] Vult dicere, *ut nemo sit qui eas inhabitet*.

7. *Utique timebis me*] Alloquitur Jerosolymam; & tamen mox dicit, quasi alio sermonem convertens, (quod non est insolens in his literis) *habitaculum ejus*. Sane pronomen *ejus*, cum sit fem. in Ebræo, ad eandem urbem referri debet. ¶ *Accipies disciplinam*] Capies documentum ex pœna Gentium. *Accipere disciplinam* hoc sensu sumitur Prov. 24. 32. *Vidi*,

me-

accepi disciplinam. ¶ *Ut non succideretur*, &c.] Videtur hoc velle, *Si me timuisses, & ex alieno malo sapuisses, utcunque in te animadvertissem, non excidissem habitationem*, h. e. urbem tuam. ¶ *Habitaculum ejus*] Urbem in qua habitat. Nam *civitatem* vocant & ipsos cives. Aut *habitaculum* dixit pro *habitaculis*, h. e. ædes ac palatia ejus. Hoc modo enarrant Scholia Ebraica. ¶ *Quidquid animadverterem in eam*] Emergit se sensus haud paulo elegantior, si ante כל אשר subaudias notam Similitudinis, & אכן acceperis pro כן. Sensus iste est, *Quanto magis animadvertebam in eas* gentes, *tanto magis hi* Israelitæ *maturarunt corrumpere vias suas.* Simile est illud, כרבם כן חטאו *Quo plures fuerunt, eo plus peccarunt*, & illud, קראו להם כן הלכו מפניהם, *Quo magis eos vocarunt, eo magis ab illis recesserunt:* ubi similiter abest nota Similitudinis. ¶ *Diluculo surgentes corruperunt*] Ad v. *diluculo surrexerunt, corruperunt.* Quidam legunt, *inde à diluculo corruperunt:* quod se mihi valde probat. Sensus est, *mature ac studiose corruperunt.* Diluculum enim aptissimum est rebus agendis. Ideo seria, & quæ nobis curæ sunt, ante lucem tractamus. Tum enim mens sedata ac tranquilla, nec ita districta ut aliis temporibus diei. Nox enim certe curas diurnas tranquillat.

8. *Exspectate me*] Apostrophe ad pios. ¶ *Ad prædam*] *Ad faciendum prædas:* עד *præda.* Ita sumitur hæc vox Gen. 49. 27. & Jes. 33. 23. ¶ *Judicium meum*, &c.] *Judicium meum*, quod brevi exercebo, hoc erit, *Colligam gentes*, &c. Aut *judicium meum*, i. decretum meum, sententia mea. Forte hoc dicit, *Colligam gentes ad judicium meum*; ut sit ordo verborum inversus. Vide Joel. 3. 7. ¶ *Ut colligam*] Non *ut consumam*, sed *ut cogam.* COLLIGERE enim hic est *cogere:* ideo sequitur, *ut congregem Regna.* Idem aliis verbis. ¶ *Effundam super eas*] Copiam significat: ut in illo, *Effundam Spiritum meum super omnem carnem.* ¶ *Omnem excandescentiam iræ meæ*] August. De civit. Dei, l. 15. c. 25. *Ira Dei non perturbatio ejus est, sed judicium quo irrogatur pœna peccato.* Idem in Enchir. ad Laur. c. 33. *Cum Deus irascitur*, inquit, *non ejus significatur perturbatio, qualis est in animo irascentis hominis; sed ex humanis motibus translato vocabulo, vindicta ejus, quæ non nisi justa est, Iræ nomen accepit.* ¶ *Igne zeli mei*] Alibi est *igne iræ meæ*; Ezech. 22. 31. juxta illud, *Ira Dei ignis consumens. Zelum* autem dicit providentiam illam suam qua non sinit impunitum eum qui suos injuria affecerit. ¶ *Absumetur*] *Devorabitur.* ¶ *Universa terra*] Plerique omnes terricolæ. Sic recte capies, *Et universa terra venit in Ægyptum.*

9. *Tunc*] Ubi supplicium sumpsero de Gentibus. ¶ *Labium populorum in purum*] Torsit me aliquandiu hic locus. In Ebræo est ad verb. *in populis labium purum.* Similis locutio Levit. 13. 3. *& pilus in affectu versus fuerit albus:* vult dicere *in album*, sive, ut alii maluerunt, *in albedinem.* Quidam legunt, *mutabo in populis labium ut purum sit.* Eodem redit quoad sententiam. Forte ordo verborum transpositus, *convertam ad populos labium purum*, pro eo quod est, *convertam populos ad labium purum.* Grammatici *Hypallagen* vocant. Tale est, *projecit civitatem in ignem*, pro, *ignem in civitatem.* Hoc vult, Ita mutabo populos ut de Deo caste & sentiant & loquantur; ut eum sancte & religiose colant. Notum ut *labium* pro *sermone* usurpetur. Ergo Abraham is qui Σοφὸς cognominatur per *labium purum* intelligit linguam sanctam, qua usuri sint mortales in posterum, restituto statu Ecclesiæ. Atque hoc idem esse opinatur, quod ait Esaias 19. 18. *In die illa erunt quinque urbes in regione Ægypti quæ loquentur labio Chanaan.* Potest ita esse: tamen aliud mihi sub manu occurrit. Esth. 1. 22. legimus, *& loquatur quisque lingua populi sui:* quod enarramus, *vivat more patrio, & servet consuetudinem popularium suorum.* Seneca quoque dixit Epist. 13. *Non loquor tecum Stoica lingua, sed hac submissiore*, i. secundum instituta & præcepta Stoicorum. Ex quibus duobus locis facile cuivis alium sensum, eumque fortasse veriorem, eruere. *Populorum*, i. qui reliqui erunt ex publica clade. Aut populos Judæorum, h. e. 12 tribus, intelligit. *Purum:* alias *electum.* Vox Ebræa utrumque designat. ¶ *Humero uno*] i. Summo consensu. Proverbiale. Sumptum à Bubus paribus humeris idem jugum trahentibus. Hoc docent nos Græci: vertunt enim τῷ δουλεύειν αὐτῷ ὑπὸ ζυγὸν ἕνα. Consule Proverbia mea.

10. *E regionibus quæ trans flumina Æthiopiæ*] Usus sum circumlocutione ut exprimerem quod in Ebræo ad verbum *è trans flumina Æthiopiæ.* Significat autem (videtur quidem certe) Ægyptum. Nam inter eam & Judæam media erat Arabia Chusæa, quam Interpretes *Æthiopiam* vocant. De qua & Esaias intelligendus cum ait, *Væ terræ cymbalo alarum quæ est trans flumina Æthiopiæ.* Ad quem locum B. Hier. *Significat sive No Ægypti civitatem, quæ nunc* Alexandria *dicitur, sive Ægyptum ipsam:* & paulo post, *Ipsa est enim terra quæ est trans flumina Æthiopiæ, i. trans rivos Nili fluminis, quem de Æthiopia in Ægyptum fluere nemo dubitat.* Hic, quatenus à me dissidet, non persuadet. Nam Nilus *Ægypti fluvius* dicitur, non *Æthiopiæ.* Persisto igitur in priori sententia, dum aliam edoctus ero quæ melior sit & vero proximior. Interim significo (cur enim celem?) in Chaldaica translatione haberi *è regionibus quæ trans flumina Indiæ*, ac si per CHUS *India* in hoc loco significaretur. Quæ interpretatio non parum firmat Hieronymi suprà adductam expositionem. ¶ *Supplices mei filia dispersorum meorum*] Adductus autoritate Chaldæi Paraphrastæ libenter pro *supplices mei filia* legerim *supplices meos, filiam*; ut significet *munus* quod *Deo adducetur* fore ipsos Judæos *dispersos per loca quæ sunt trans flumina Æthiopiæ.* Sane quidem Propheta Jesaias, cum dixisset, *Væ terræ cymbalo alarum*, &c. subjicit, *Illo tempore deferetur munus DOMINO exercituum, populus tractus & depilatus.* Sed hic locus aliter ab aliis redditus est. Nam in antiqua ed. ita legitur, *In tempore illo deferetur munus DOMINO exercituum, à populo divulso ac dilacerato.* Ut ut sit, Jonathæ verba clara & perspicua sunt, *E transfluvialibus partibus Indiæ per miserationes revertentur exsules populi mei, qui deportati fuerant, eosque adducent velut munera.* Non est omittendum, in quibusdam ed. legi, *Atharai filia dispersorum meorum.* Quod ex Camii Scholiis potius vertendum erat, *Atharai, filia Phusai:* [i. *Atharai & gens Phusæa:* ut ex Ebræis quidam explicant, copulam & subaudientes.] Nam utrumque est proprium gentis ac familiæ. Creditur autem habitasse in transfluviali tractu Æthiopiæ. In antiqua versione erat *filii dispersorum meorum.* Sed *filiam* dicunt pro *Ecclesia* sive *congregatione*, ut *filia Edom, filia Moab, filia Sion.* Forte una innuere voluit sobolem eorum qui per Ægyptum dispersi fuerant. Nihil temere affirmandum. ¶ *Munus mihi*] Ut צרה לי *adversitas mihi* pro צרתי *adversitas mea* dicitur, sic contra hic מנחתי *munus meum* pro מנחה לי *munus mihi* ponitur.

11. *Non pudebit te ullius actionum tuarum*] Hoc in Ebræo legitur ad verb. *non pudefies ab omnibus actionibus tuis.* Ego sensum expressi, nisi fallor. ¶ *Quibus prævaricata es in me*] *Quibus peccasti in me.* Hoc videtur velle, Nihil facies tale quale hactenus fecisti, sive nihil committes eo tempore pudendum, h. e. ob quod pudere debeas. Nam peccata pudorem incutiunt, præsertim iis qui non sunt omnino perfrictæ frontis. Sic igitur dico, Non peccabis tunc in me, ut ante fecisti & etiamnum facis. ¶ *Exsultantes de magnificentia tua*] h. e. de Templo. Mox se explicat cum ait, *deinceps non amplius efferes te ob montem meum sacrum:* nam intelligit montem Sion, in quo Templum. Aut *de magnificentia tua*, h. e. de Jerosolyma: nam ea quoque vocatur *magnificentia* sive *excellentia Jacobi.* Ps. 47. 4. Amos 6. 8. Nah. 2. 2. גאותך alii *fastu tuo:* nam ita fere significat. Sed in bonam partem sumitur Psalm. 68. 34. *Super Israel magnificentia ejus*, i. μεγαλοπρέπεια. ¶ *Deinceps non amplius efferes te*] Ad verb. *non addes efferre te amplius.* Pleonasmus.

12. *Et reliquum faciam*] Alias *relinquam.* ¶ *Populum pauperem*] Non cui *res angusta domi*, sed *pauperem spiritu*, h. e. afflictum humilemque. In quibusdam ed. reperi, *populum mitem:* quod ex Scholiis Ebraicis haustum, non est omnino rejiciendum. Nam opponitur ei quod dixit, *exsultantes de magnificentia tua*, sive, ut alii referunt, *de fastu tuo.* Præterea David Scholiastes admonet עני hic positum esse pro ענו, quod *mitem mansuetum*que proprie designat. Quo significatu sumitur, teste eodem, & Zach. 9. 9. Recte igitur est apud Euangelistam Matth. 21. 5. Ἰδοὺ ὁ βασιλεύς σου ἔρχεταί σοι πραΰς, i. *Ecce, Rex tuus venit tibi mitis.* ¶ *Tenuem*] Animo fractum & attenuatum, malorumque tolerantem. Hujus contrarium גס רוח *crassus spiritu*, i. superbus, fastu turgidus. ¶ *Sperabunt in nomine DOMINI*] Spem salutis suæ ponent in DOMINO, non in Templo, aut in urbe sua metropoli Jerusalem. Cæterum in Ebræo est חסו, quod magis sign. *latere in fiducia & spe sub alicujus præsidio, eoque tegi & abscondi*, aut *recipere se in tutum*, h. e. aliquo ubi tutus sis: unde מחסה *refugium, perfugium*, καταφυγή. Proinde non nemo hic refert, *recipient se ad nomen DOMINI.* Huc pertinet illud, *Turris valida est nomen DOMINI: eo curret justus, & exaltabitur.*

13. *Lingua dolosa*] *Lingua doli*, i. dolosa. Porro *dolus* hic dicitur, quem usitatius תרמית vocamus. Pertinet ad formam תרבית *augmentum, usura.* ¶ *Pascentur*] Vel

pascent,

pascent, nempe ut oves. ¶ *Nemine exterrente*] i. Tuto ac secure: q. d. Nihil periculi erit ab improbis.

14. *Canta*] רני *canta*, *vocem lætam ede.* Alibi est vox Doloris, ut Jes. 43. Dicitur & de Precibus 1 Reg. 8. 28. & de voce Præconum. ¶ *Filia Sion*] Ecclesia Sion. Vide Quæst. meas. ¶ *Filia Jerusalem*] Idem aliis verbis. Nam *Sion*, i. *Jerusalem*, *κατὰ συνεκδοχήν*.

15. *Judicia tua*] Pœnas inflictas tibi à gentibus, sive mala quæ ab iis pertulisti. ¶ *Abstulit*] Nempe ut auferri solent sordes & purgamenta. Siquidem פנה *repurgare*, *complanare*, *everrere.* Nihil temere affirmaverim; sed si quis meam conjecturam antiquus liber adjuvet, libenter pro *avertit* in Vulgata ed. legerim *evertit.* Simile mendum Luc. 15. 8. nam ubi vulgo *evertit domum*, legendum absque ullo dubio *everrit*: & ita legitur in uno ms. ¶ *Inimicum tuum*] Gentes quæ tecum hactenus inimicitias exercuerunt. ¶ *Non videbis malum*] *Videre malum* est In malis versari. Quod ita dicitur ut *Videre periculum*, *Videre mortem*, *Videre corruptionem.* Sic *Videre bonum* dicebant pro *frui bono.* Legitur & *non timebis malum.* Si *timebis*, erit תיראי pro היראי, cujus radix ירא *timuit.* Hoc modo legit Jonathan Interpres Chaldæus.

16. *Dicetur Jerosolymæ*] Alter alteri dicet; aut Prophetæ hoc dicent populo; aut dicetur à gentibus ad fidem conversis. ¶ *Ne timeas*] Cum Regem habeas JOVAM in medio tui, par est ut sis animo tranquillo & metus experte. ¶ *Ne remittant se manus tuæ*] Noli esse segnis in opere pietatis. In verbis illis ירפו ידך vel est constructio voce incongrua, vel nomen יד etiam masculinum est, ut vult David Scholiastes. Pro *remittant se*, alius dixit *debilitentur*, & alius *remollescant.*

17. *Salvabit*] Servabit te ab hostibus tuis, quantumvis potentibus. ¶ *Gestiet propter te lætitia*] Antea erat *gaudebit super te lætitia*: id mutavi primus in *gestiet*: Siquidem שיש plus est quam *gaudebit*, i. שמח. Ad hæc Josephus Gorionides Hist. Jud. lib. 1. c. 3. hoc verbo usus est de canibus gestu corporis affectum suum erga dominos ostendentibus. ¶ *Conticescet*, &c.] Qua est erga te propensione, silebit ad peccata tua, h. e. non redarguet ea. ¶ *In amore suo*] Quo te complectitur. Idem cum illo *præ amore tui.* ¶ *Super te*] *De te.* Locum hunc alii aliter enarrant. Quidam sic, *conquiescet in amore suo.* Sunt etiam qui legant *obtumescet in amore suo*; ac si diceret, præ amore non poterit loqui. Videmus enim eos qui magno amore in aliquem exsistunt, quandoque ita affectos ut loqui non valeant.

18. *Mæstos*] נוגי dixit pro נוגים, cujus radix יגה *mæstus fuit.* Alibi est נוגות *mæstæ.* Editio V. *Nugas*, *qui à lege recesserant.* Hieron. ad h. l. *Id quod diximus* nugas, *sciamus in Ebræo ipsum Latinum esse sermonem*, *Nugæ*, *&* *propterea à nobis ita ut in Ebræo erat positum*, *ut nosse possimus linguam Ebraicam omnium linguarum esse matricem.* Hæc olim me improbare memini. Postea didici *nugas* appellari proprie carmina præsicarum quæ canebantur in mortuorum laudem. Si hoc ita est, ut revera est, quis neget *nugas* vocabulum Ebraicum esse? In eo tamen dissentio à viris doctis, qui NUGAS interpretantur *homines vanos*, cum potius significare videatur *homines nugas canentes in laudem mortuorum.* Nam est figura loquendi, meo judicio, ut cum *scelus* ponitur pro *scelesto*, & *dolus* pro *doloso.* ¶ *Ob solennitatem*] *Ob festa solennia*, quæ רגלים vocant. Vult dicere, *propterea quod non possint celebrare illa festa.* Nam ter quotannis Jerosolymam itabant sacrorum causa: id exsilii tempore facere non poterant: hinc molestia afficiebantur. Quidam *ob tempus*: significari autem volunt tempus exsilii, quod cum longum & diuturnum esset, mæstos reddebat eos, qui alioqui pii & malorum tolerantes erant. ¶ *Congregavi*] i. *Congregabo.* Nam usitatum Prophetis ut præterita pro futuris usurpent. ¶ *Ex te erant*] *Mæsti illi erant ex te*, h. e. ex civibus tuis, ideo eos *congregabo* & adducam eo unde hostes abduxerant, h. e. in patrium solum. ¶ *Oneri fuit opprobrium*] *Probrum* quo affecta fuit in captivitate *ei grave & onerosum fuit.* מַשְׂאֵת *onus.* Hier. videtur legisse מִשְׂאֵת. Quæ lectio mihi placeret si Ebræi codices non reclamarent. Forte Patach sub Mem loco Chirec: nam alternant ista puncta. Si hoc damus, erit vertendum, *ne ferant propter eum* (vel *ob id*) *opprobrium*, hac sententia, Ne probro sit eis longum tempus captivitatis, aut quod non possint celebrare festivitates suas. ¶ *Ei*] *Congregationi mæstorum* videlicet, i. *eis.* Nam hoc modo sæpe loquuntur Ebræi, ut non sit necesse alio confugere. Aut *ei*, i. Jerosolymæ. Mutatio personæ: nam præcedit *ex te erant*: transit autem à secunda ad tertiam: quod in his literis crebrum est.

19. *Conficio*] *Brevi confecturus sum.* ¶ *Claudicantem*] i. Miseram vitam agentem in exsilio. Sic David, *In claudicatione*, inquit, *mea lætati sunt*, i. rebus meis adversis, sive calamitate mea. Vide quæ scripsimus Mich. 4. 6. ¶ *Expulsam*] Ejectam patriis sedibus. ¶ *Conciliabo eis laudem & nomen*] Ebræo ad verb. *Ponam eos in laudem & nomen.* Ego sensum expressi, nisi fallor. ¶ *In omni terra pudoris eorum*] Ubicunque terrarum exsulaverint. Ut *terra pudoris* sit terra captivitatis eorum. Sed quomodo *terra pudoris*? Nam in Ebræo scilicet esse הארץ בשתם. Scito ita breviter loqui Ebræos pro הארץ ארץ בשתם, i. *in tota terra*, *terra*, *inquam*, *pudoris eorum.* Sed hoc coactum nonnullis videtur. Quid igitur? Ut *metus hostium* utroqueversum dicitur, sic *pudor eorum* intelligi potest quem ipsi aliis adferunt. Sic dico, *in tota terra erit pudor eorum*, h. e. *tota terra pudore afficietur simulac laudem & honorem eis conciliavero.* Sed ne hoc quidem omnibus placet. Ergo subaudiunt aliquid: neque enim *pudoris eorum* aut *pudor eorum* legunt, sed *pro pudore eorum*, sive pro ignominia quam subierunt in exsilio.

20. *Adducam vos*] Quo? Nempe in locum cupitum vobis diu ac desideratum, h. e. in terram patriam. ¶ *Et in tempore congregabo vos*] *Postquam in tempore congregavero vos*: Quidam legunt, *& in tempore illo*: minus placet. ¶ *Captivitates vestras*] Captivos vestros. Hoc modo & Latini autores loquuntur. Dicunt enim *servitia* pro *servis*, & *hospitia* pro ipsis *hospitibus.* Sic *deportatio* pro ipsis *deportatis* ponitur. Sed cur usus est numero Multitudinis? potuisset enim eodem sensu dicere *Captivitatem vestram.* Sciendum quatuor fuisse Captivitates Judaicas. In prima Manasses Rex abductus fuit, 2 Par. 33. 11. In secunda Rex Joacim, ibidem 36. 6. In tertia Joachim, qui & *Jechonias*, 2 Reg. 24. 12. item 2 Par. 36. 10. In quarta & ultima Sedecias Rex, in qua Jerosolyma cum Templo diruta est.

IDEM.

2. Φωνῆς σου] Σου delendum ex C. & R. item ex Hier.

3. Οἱ ἄρχοντες ἐν αὐτῇ] Libri meliores *οἱ ἄρχοντες αὐτῆς ἐν αὐτῇ*, & apud Hier. *Principes ejus in ea.*

4. Ἀσεβοῦσι νόμον] Ita legitur perspicue in R. In cæteris est *ἀσεβοῦσιν εἰς τὸν νόμον.*

5. Εἰς φῶς] C. Ἐν φωτί. ¶ Ἀπεκρύφη] Alias *ἐκρύφθη.* ¶ Ἐν ἀπαιτήσει] Sic Aldus: consentiunt exemplaria Rom. & Argent. Unum Basileense habet *ἀπαιτητήσει.* C. vero *ἐν διαφθορᾷ.* Sed apud Hier. *nescit iniquitatem in exactione.* ¶ Καὶ οὐκ εἰς νεῖκος ἀδικίαν] Hoc glossema cum sit, nec in C. reperiatur, tamen apud Hier. exstat versum hoc modo, *nec in sempiternum injustitiam.*

6. Κατέσπασα ὑπερηφάνους] R. Ἐν διαφθορᾷ κατέσπασα ὑπερηφάνους. Sed illud *ἐν διαφθορᾷ* exsulat & ab aliis libris, & versione Hier. ¶ Ἐξερήμωσα] R. Ἐξερημώσω. Sed in Hier. *destruxi vias eorum.* ¶ Παρὰ τὸ μηδένα ὑπάρχειν] Ita codex ille quem modo citavi. In aliis est *διὰ τὸ μηδένα ὑπάρχειν*, in C. vero *διὰ τὸ μηδὲν ὑπάρχειν.*

7. Φοβεῖσθε] C. Φοβηθήσεσθε· & mox pro *ἐξολεθρευθῇ* C. & R. *ἐξολεθρευθῆτε.* Versio quoque Hier. *& non peribitis.* ¶ Ἐπιφυλλὶς αὐτῶν] *Racemi eorum*, i. עוללות.

8. Ὑπομεινόν με] In Eusebio *ὑπόμεινόν με*, l. 2. Ἀποδείξ. ¶ Εἰς ἡμέραν ἀναστάσεώς μου] Sic & Eusebius legit. Sed in C. Ἐν ἡμέρᾳ, & apud Hier. *in die resurrectionis meæ.* ¶ Εἰς μαρτύριον] לעד. ¶ Πᾶσαν ὀργὴν θυμοῦ μου] Sic legunt & distinguunt C. R. cum Eusebio. In B. est *πᾶσαν ὀργὴν θυμοῦ*, omisso pronomine. In cæteris *ὀργήν μου*, *πᾶσαν ὀργὴν θυμοῦ.* Apud Hieron. *iram meam omnem*, *iram furoris mei.* Prior distinctio melior, meo judicio.

9. Εἰς γενεὰν αὐτῆς] i. בדורה. Error exortus ex affinitate quæ est inter Resch & Daleth. Nam *parvo tantum apice distinguuntur*, ut ait Hier.

10. Προσδέξομαι ἐν διεσπαρμένοις] Libri ad E. C. *ὑποδέξομαι τοὺς διεσπαρμένους μου.* Cæterum apud Eusebium l. 2. Euang. Demonst. locus iste plenius legitur, *προσδέξομαι τοὺς ἱκετεύοντάς με· υἱοὶ τῶν διεσπαρμένων οἴσουσι θυσίας μοι.* Sed in textu verb. Sophoniæ, *ἐκ περάτων ποταμῶν Αἰθιοπίας. οἴσουσι θυσίας μοι.* Reliqua omnia desunt.

11. Μὴ προσθῇς] Vel οὐ μὴ προσθῇς· quod vitiose *προσχῇς* legitur in nonnullis codicibus.

12. Λαὸν πολὺν] Scribe audacter, pro *πολὺν*, *πραῢν* vel *πρᾳόν*, i. *mansuetum*: ita enim scriptum in C. & R. Vide Lectiones meas. ¶ Ἀπὸ τοῦ ὀνόματος] Τὸ ὄνομα est in C. Sic dicimus *timere aliquem*, & *ab aliquo.*

14. Χαῖρε σφόδρα] Σφόδρα non est in C. & R. nec in versione Hier. ¶ Κήρυσσε, θύγατερ Ἱερουσαλήμ] Apud Hier. *prædica*

dica filia Jerusalem. Sed in C. κήρυσσε Ἱερουσαλήμ. Ego scriptum initio fuisse putarim, κήρυσσε, Ἰσραὴλ· ex quo deinde factum sit librariorum errore Ἱερουσαλήμ. Sic contra Ἰσραὴλ pro Ἱερουσαλὴμ legitur Mich. 3. 11. Vide quæ scripsimus de hoc loco Quæst. lib. 3. quæst. 32.

15. Ὀυκ ὄψῃ κακὰ οὐκέτι] Sic R. In aliis est ὄψει, & ὄψεται in aliis. Quædam etiam ἐςὶ legunt pro ἔτι, quod cum sequentibus connectunt hoc modo, κακὰ οὐκ ἔςιν ἐν τῷ καιρῷ ἐκείνῳ, &c.

17. Κύριος ὁ Θεὸς ἐν σοί] Lege Κύριος ὁ Θεός σου ἐν σοί. Sic ed. R. apud Hier. *Dominus Deus tuus in te.* ¶ Δυνατὸς σώσει σε] Alibi est ὁ δυνατὸς, i. הגבור. ¶ Ἐν ἡμέρᾳ ἑορτῆς] Libri emendatiores ὡς ἐν ἡμέρᾳ ἑορτῆς. Sic & Hier. *quasi in die solenni.*

18. Συντετριμμένους] C. διεσκορπισμένους. Versio Hier. *contractos tuos.* ¶ Ὀυαὶ τίς ἔλαβεν] Pro מי legerunt אי literis transpositis, & משאת, ubi & שאת pro נשא. Sed in C. abest τίς.

19. Ἐν σοὶ ἕνεκέν σου] אתך למענך. ¶ Λέγει Κύριος] Nec in C. legitur, nec apud Hier. ¶ Καὶ καταισχυνθήσονται] Ita scriptum in R. & C. Sic etiam legunt Hier. & Theodoretus. In aliis est partim καὶ οὐ καταισχυνθήσονται, partim καὶ μὴ καταισχυνθήσονται.

IDEM.

4. פוחזים. Aq. ἐνθουσιαζόμενοι.

8. לעד. Omnes, εἰς μαρτύριον] i. *In testimonium.* Sed *testimonium* עד dicitur, non עד. Melius ergo alii *ad prædam.*

9. כי אז אהפך אל עמים וגו׳. Aq. & Th. τότε στρέψω πρὸς πάντας τοὺς λαοὺς χεῖλος ἐξηλεγμένον, i. interprete Hier. — *labium electum.* Sym. τότε μεταστρέψω ἐν τοῖς λαοῖς χεῖλος καθαρὸν, i. eodem interprete — *labium mundum.*

10. מעבר לנהרי כוש וגו׳. Sym. πέραθεν ποταμῶν Ἀιθιοπίας ἱκετεύοντά με τέκνα τῶν διεσκορπισμένων ὑπ᾽ ἐμοῦ ἐνέγκωσι δῶρον ἐμοί] Hæc citata habentur in Comment. Theodoreti, & apud Eusebium Euang. Demonstr. l. 2.

18. הוי. Aq. οἴ] i. הוי, *quod semper*, ut Hier. annotat, *non pro plangendo, sed pro vocando & inclamando ponit.*

IDEM in VULG.

1. PRovocatrix] מוראה, ut si thema esset מרה: unde המרה provocare. Santes, *fœdata.* Nam ראי stercus, excrementum. Tremellius, *ingluviei*, ut Levit. 1. 16. ¶ *Redempta*] הנגאלה. Est enim גאל redimere. Sed alii, *inquinata*, & *contaminata.* ¶ *Columba*] *Quæ spolias*, Santes habet. At Trem. *opprimenti.* היונה ut sit futurum à ינה: cum alioqui יונה *columbam* denotet.

2. *Non audivit voci*] Non fuit audiens dicto: non auscultavit voci.

3. *Quasi leones*] Abest *quasi* à libris Ebræis. ¶ *Lupi vespere*] Forte ab interpres scripsit, *lupi vespera*, id est, vespertini. ¶ *Non relinquebant*] Ne ossa quidem relinquunt. Notat voracitatem eorum. Tremellius, *non rodunt ossa in matutinum usque.* ¶ *In mane*] Abundat *in.* Trem. *in matutinum usque.*

4. *Vesani*] Santes, *contemptibiles.* Arias, *leves.* Tremell. *rapidi.* ¶ *Viri infideles*] Ad verbum, *viri prævaricationum*, vel si mavis, *perfidiarum*, i. *perfidiosissimi*, ut Tremellius explicat.

5. *Non abscondetur*] Santes, *non deficit.* Trem. *non deest.* ¶ *Confusionem*] Αἰσχύνην; non σύγχυσιν: id est, nescit erubescere.

6. *Anguli earum*] Tremellius, *extremitates earum*, ut Jud. 20. 2. ¶ *Vias eorum*] Maluissem, *vias earum.* Santes, *plateas earum.* Tremellius, *vicos earum.* ¶ *Dum non est qui transeat*] Absque prætereunte, vel, ut non sit qui prætereat. ¶ *Civitates eorum*] Et hic malim *earum* quam *eorum.*

7. *Attamen*] Alii, *utique.* ¶ *Non peribit*] Non excindetur. ¶ *Propter omnia &c.*] Trem. *Utrumque animadverterem in eam.* Ad verbum, omne *quo visitarem contra eam.* ¶ *Cogitationes suas*] In aliis, *actiones suas.*

EJUSD. LECTIONES.

1. VÆ *provocatrix*] Multi putant propter consequentiam sermonis dici adversum Niniven, de qua supra: *Et perdet Assyrium, & ponet Niniven in solitudinem.* מוראה Hieron. *Civitas provocatrix*, quod significantius Hebraice dicitur מוראה i. παραπικραίνουσα: quod nos possumus dicere *Deum amarum faciens*, i. suo vitio dulcem Dominum atque clementem vertens in amaritudinem, ut qui misereri vult, punire cogatur. Est vero מוראה Part. in Hophal à ראה unde ראי fimus, stercus. Ut sit fœdata, deturpata, conspersa fimo & stercore, inquinata. Lxx. ἡ ἐπιφανὴς uti & נוראה exponunt. Hieron. ut sup. *provocatrix*, deducens à מרה quod in Hiphil המרה est provocare aliquem ad iram, irritare, exacerbare.

נגאלה] Polluta. Lxx. ἀπολελυτρωμένη. Hieron. *redempta*, quia גאל redimere. גאל in Kal est redimere: In Piel polluere רחק repellere, detestari, removere. Unde גאל est קרוב propinquus, cujus erat sibi affines redimere, מגאל autem pollutum, detestandum, rejiciendum. נגאלה In Niphal ambigue & *redimi* significat & *pollui.*

העיר היונה] יונה Hier. *Columba*, & notat quosdam intelligere ἑλλάδα Græciam. Quidam putant adversus Niniven dici, sed nunquam scriptura Niniven columbam appellat: Licet in Hieron. *à facie gladii columbæ*, de Nabuchodonosor quidam dictum putent. Sed sciendum quod alii è contrario afferant pro columba ibi posse intelligi ἑλλάδα i. Græciam: Ut sit sensus, *à facie gladii Jona* i. à facie gladii Græciæ: Jona enim tam *columbam* quam *Græciam* sign. Unde & usque hodie Græci *Jones*, & mare appellatur *Jonium*: & apud Hebræos permanet eorum verus vocabulum. Sed & principes Romani apud barbaras nationes antiquum vocabulum retinentes, *Cæsares* appellantur. Ex nota tamen emphatica colligo יונה Adjectivum (participium) esse atque ita non columbam sed direptricem & spoliatricem debere exponi, à Them. ינה cujus Benoni est יונה. Legitur tamen מפני חרב היונה Jerem. 46. & מפני חרון היונה Jer. 25. Itaque nihil affirmo. Verbum הונה sign. fraudare alterum & circumvenire in commerciis, imponere verbis, fallere. Kimchi hic describit ענין הונאה הוא ענין קחת ממון אחרים מקח וממכר וכולמו וגו׳. Ut sit quasi verbis aliquem in desperationem adducere, vel de gradu constantiæ dejicere, deturbare. Ut si quis proselyto dicat, *Esto memor vitæ tuæ anteactæ.* Aut filio proselyti, *Recordare opera majorum tuorum.* Ac propterea dicit scriptura וגר לא תונה Exod. 22. *Peregrino nihil exprobrabis.* Item si quis ei qui pœnitentiam egit dicat, Esto memor tuorum factorum præteritorum. Id dicetur הונאה. Hæc Hebræi.

2. לא שמעה בקול] i. Inobediens, nec obtemperans voci divinæ, quæ dicto audiens non est, non fuit audiens voci.

3. זאבי ערב] Lxx. *lupi Arabiæ.* Sym. *lupi vespertini*, à temporis circumstantia notat lupos sævos & rapaces qui vesperi grassantur, cum animalia abiguntur in stabula, atque ob id duplo sunt sæviores, quia tum præsens urget fames: tum etiam desperatio adest prædæ nocturnæ conclusis intra septa pecudibus. Accenditur enim rabies in lupis qui in die nullam prædam egerunt. Lupi, feri, crudeles, rabidus, rabiosus, omnia rabie appetens & quæ præterea.

לא גרמו לבקר] Qui ita vesperi vorant, ut mane ne os quidem rodendum relinquant. Alii sub. אשר qui non prædati sunt matutino tempore, atque ita famelici sub vesperam ad prædam accinguntur. גרם, quod est ossa frangere, ponitur pro diripere, rapere, vorare, per Synecdochen. Quia dum escam vorant feræ, simul ossa frangunt. Non ad posterum diem exossantes, nihil prædæ relinquentes, hoc est, voraces. לא גרמו refertur vel ad auroram illius diei, vel ad auroram sequentis, hoc sensu: *qui non exossarunt mane*, i. quibus eo mane ne ossa quidem relicta erant, quæ arroderent.

4. פחזים] Hieron. *insanientes* sive *stupentes.* Aq. ἐνθουσιαζόμενοι. Verbum פחז habet significationem diminutionis, unde פוחזים בלי הדעת sunt homines leves, vani, stulti, amentes. Lxx. πνευματοφόροι. Hiero. *vesani.*

חללו קדש] חלל In Piel tria notat, Interficere, polluere & ludere tibia. *Polluere sanctum* est non discernere & distinguere sacra à profanis, miscere polluta cum sacris. Idque fit duobus modis, vel cum quis res profanas habet pro sacris, vel cum sacras inter profanas ponit.

חמסו תורה] Qui callida & perversa interpretatione corrumpunt legem ejusque verba intervertunt, eam quasi violenter ejusque sensum geminum populo præripiunt. Ergo vim adhibent in lege exponenda & fraudem in populo seducendo: Duplex est munus sacerdotis. Administrare rem sacram & docere populum. Utrumque non omissum conqueritur, sed egregie deformatum, ut ipsi sacras ceremonias ritusque, rebus profanis polluerint & populum non ita ut oportet, instruxerint. In prophetis accusat primum lenitatem, tum perfidiam: In principibus & judicibus rapacitatem & vorandi libidinem

gulo-

gulositatemque, in vorandis aliorum opibus. In genere taxat pollutionem & rapinam fraudulentam. Peculiariter quatuor reprehendit, videlicet inobedientiam, contemptum disciplinæ, absentiam fiduciæ quæ est in Deum, & fugam à Deo.

5. *Deus justus, non committet iniquitatem*] Non perpetrabit iniqua, nihil iniquum, aut injustum faciet. Quicquid faciet ex æquo & jure faciet, quemadmodum testatur Moses Deut. 32. *Omnes viæ ejus judicium, Deus verax non est iniquitas, justus & rectus ipse est.* Abenezra ita hunc versum exponit, *Par erat ut nihil iniqui perpetrarent, Deus enim justus est & judicium exercens.* Quod perspici facillime potest quia quotidie judicium suum idque sine ulla intermissione in lucem profert. Et nihilominus *hic populus* עול *iniquus & perversus, non novit pudorem.* Nescit pudefieri, non pudet illum inique agere etsi videat Deum per singulos dies animadvertere in peccata gentium eorumque qui illum suis sceleribus offendunt. Occurrit ergo Propheta tacitæ objectioni, quæ à populo talis fieri poterat. Deus est apud nos, moratur inter Cherubinos in medio nostrum, qui fieri potest ut nos puniat & castiget? Respondet Propheta verum quidem esse quod Deus illic sit, sed tamen ita est ut justus sit & judicium faciat in omnes iniquos & sceleratos.

Mane, mane,] Manifeste & absque ulla ambiguitate faciet de ea judicium, nec erit quod ab eo possit abscondi.

6. [נצדו] Vastatæ sunt, destructæ, in solitudinem redactæ. Chaldaicum est in hac significatione & tantum semel in scripturis ita acceptum reperitur. Alias ענין כוונה significat intente aliquid observare, insidias & dolum struere, insidiari. נצדה insidiis capi & expugnari.

7. [כל אשר פקדתי] Repetunt quidam לא ἀπὸ τοῦ κοινοῦ ut sit, non omne sc. erit seu eveniet quo jam animadvertam in eos, sed paulo durius. Potest subaudiri Caph, ut sit ככל. Quanto magis animadvertebam in eos, tanto ipsi corrumpebant & festinabant corrumpere vias suas, omnes mores suos maturabant corrumpere. Simile est כרבם כן חטאו in Hosea, & illud קראו להם כן הלכו מפניהם, quo magis eos vocarunt, eo magis ab illis retrocesserunt. Hiero. *Et non peribit habitaculum ipsius propter omnia quibus visitavi illam.* Alii, & non excindetur ejus mansio, quæcunque tandem in illam animadverterit, ut in omnibus pœnis & suppliciis, tamen parcerem terræ & regioni ipsius. כל אשר quod omne animadverti jam in illam, i. decrevi in meo consilio ita eam punire ut prorsus excindatur habitaculum ipsius i. locus in quo antea habitabat. Intelligit terram & regionem Judææ, quam *mansionem* appellat κατὰ μείωσιν per diminutionem.

[השכימו] Hieron. *Diluculo surgentes corruperunt omnes cogitationes suas.* Lxx. ὄρθρισον in Imperativo. Nonne diluculi notatur diligentia studium diligens & maturandi voluntas quæ non in meridiem opus differt, sed primo mane simulac sol illuxerit, negotium exequitur?

8. [לעד] Omnes interpretati sunt *in testimonium.* Hieron. *in futurum* εἰς ἔτι edoctus à suo præceptore, dicitque per ע & ר, & ἔτι & μαρτύριον, *i. futurum & testimonium intelligi.* Hæc ille. עד est seculum, עד testimonium. לעד exponunt ad prædam sive rapinam, לשלל ut in illo בבקר יאכל עד. Lxx. εἰς ἡμέραν ἀναστάσεώς μου εἰς μαρτύριον. Jon. interpretatur לדין ad judicandum, ad ferendam sententiam.

[לאסף] Congregare, cogere, colligere. Exponunt quidam *consumere & perdere.* Qui sensus non quadrat hoc loco & eum refellit.

[לקבצי] Quod sequitur, est infiniti modo cum Jod affixo aut certe paragogico.

[באש קנאתי] Igne zeli mei i. igne zeloso vel καθ' ὑπαλλαγήν, zelo ignito, ardenti, flammeo &c. Lxx. ἐν πυρὶ ζήλου μου redundante ἐν.

9. [שפה ברורה] Sermonem purum, mundum, minime pollutum aut profanum labium, quo Dei nomen sancte & caste, non autem idolorum invocabitur. Duo igitur requiruntur ad labiorum puritatem. Primum ut excludantur idola: secundo ut rite & legitime id fiat. Ezra per labium purum intelligit linguam sanctam, quo usi sunt ante confusionem linguarum & usuri in posterum restituto statu Ecclesiæ. Atque hoc est quod ait Esai. 19. 18. *In die illo erunt quinque urbes in regione Ægypti, quæ loquentur labio Chanaan, jurabunt Domino exercituum.* Labium pro sermone per metonymiam causæ pro effectu.

[שכם אחד] Metaphora à bobus paribus humeris idem jugum trahentibus. Sensum exprimunt Græci qui vertunt τοῦ δουλεύειν αὐτῷ ὑπὸ ζυγὸν ἕνα.

10. [עתרי בת פוצי] Abenezra subaudit copulam, Atharæi & gens Phusea, *& propterea*, inquit, *sequitur verbum plurale* יבלון *adducent.* Sunt etiam alii qui intelligunt Israelitas שהם עותרים לשם & שהם נפוצים בגוים.

[מנחתי *munus meum*] Passive, quod tum meum erit ubi ad me adduxerint.

11. *Tunc non pudebit te tuorum omnium facinorum quibus in me peccaveras* &c.] *Non enim pudendo*, inquit Cicero, *sed non faciendo id quod non decet impudentiæ nomen effugere debemus. Respexit humilitatem ancillæ suæ* in Cantico Mariæ, i. ancillam suam humilem. Ita superbos suos exultantes. עליזי גאותך exultantes superbiæ tuæ, i. qui apud te exultabant in superbia, superbos tuos, qui fastidio & contumacia efferuntur. עלז verbum incedendi ad superbiam accommodatum; qui alacriter exultant, tui fastu exultantes, non tuo, nam ipsi non superbiebant alieno fastu sed proprio. *Superbi tui exultantes*, quæ versio non potest stare, nisi intelligas eos in sua superbia gloriatos & extulisse se.

[בהר קדשי] Vel in monte sancto meo συνεκδοχικῶς Jerusalem, vel contra montem sacro-sanctum sese superbe & arroganter efferre. הר קדש περίφρασις montis Sion i. montem meum sacrosanctum, ut supra עליזי גאותך affixum pertinet ad concretum, quoties duo nomina concretum alterum, alterum abstractum conjunguntur, licet jungatur abstracto.

12. [דל] Tenuis, exilis, subtilis, pauper, parum locuples ad amplificandum. *Tenuia* proprie dicuntur, quorum partes distractæ disjunctæque sunt, vel quorum partes non cohærent. His sunt contraria crassa. Tenuissimus opponitur locupletissimo. Tenuiores i. pauperes; tenuis victus cultusque, tenuem victum anteferre copioso, cui tenues opes, exiguæ facultates. Tenuitas dicitur vel in carne, & tum opponitur pinguedini, unde vaccæ appellantur דלות ורעות תאר Genes. 41. 19. *Tenues & deformes:* vel in copiis & robore militari Jud. 6. 6. וידל ישראל מפני מדין attenuatus est à facie Madianitarum: vel in opibus & facultatibus Levit. 14. 21. ואם דל הוא ואין ידו משגת: & tum opponitur עשיר diviti, opulento Ruth. 3. 11. אם דל ואם עשיר. Vel in valetudine & דל significat eum qui ægrotat, tenui & infirma valetudine est 2 Sam. 13. 4. מדוע אתה ככה דל בן המלך. Vel animo & spiritu, qui non habet magnos spiritus neque crassos sed tenues. Itaque דל nihil aliud quam דל רוח, cui opponitur גס רוח crassus spiritu, superbus, tumidus.

[וחסו בשם יהוה] Lxx. καὶ εὐλαβηθήσονται ἀπὸ τοῦ ὀνόματος κυρίου. Hier. *Sperabunt in nomine Domini.* Jon. ויתר חצין בשמא דיי. Dicunt Hebræum esse ענין הסתופף occultari, abscondi. אל כינוי *vulgo*, ait Kimchi, *semper construitur cum* ב. Habet significationem latendi in fiducia & spe, latere sub alicujus tutela, in alicujus præsidio, eoque regi & abscondi.

14. רנן habet significationem clamoris idque vel lætitiæ causa ut hoc in loco, vel doloris & mœstitiæ, fletus & gemitus Isa. 43. כשרים באניות רנתם. Vel orationis sive precationis 1 Reg. 8. 25. לשמע אל הרנה ואל התפלה. Vel officii quod est præconum. Lxx. χαῖρε σφόδρα θυγάτηρ Σιών. Significat clamorem intentum & vehementem. Hieron. *Lauda filia Sion.*

16. [ביום ההוא *die illa dicetur Jerosolymæ*] Dicetur vel à Prophetis vel etiam ab hostibus & gentibus, quibus hæc confessio vel invitis extorquebitur, vel alter alteri dicet:

Verbum רפה sign. remittere, laxare, laxamentum dare & relaxamentum. Remissæ manus & solutæ sunt segnes, pigræ & socordes quæ ab operis contentione aliquid remittunt, decedunt, desciscunt, quæ animum in operando & agendo abjiciunt. Manus pro actionibus per Metonymiam. Aliquando ad animum relatum significat animi magnitudinem inflectere, animum demittere, desperare &c. 2 Sam. 34. 1. *Audiens quod mortuus esset Abner, debilitatæ sunt manus ejus & omnes Israelitæ conturbati sunt.* וירפו ידיו וכל ישראל נבהלו. Opponitur verbo חזק fortis esto. Unde Deut. 15. 17. חזקו אל ירפו ידיכם. Job. 4. 3. ידים רפות תחזק. Nehem. 6. 9. ירפו ידיהם מן המלאכה. Isai. 35. 3. חזקו ידים רפות confirmate manus debiles & remissas. Prov. 18. 9. מתרפה במלאכתו remissus in opere suo. Ceterum quod hic legitur אל ירפו ידיך est enallage generum, vel certe יד etiam est masc. gen. ut putat Kimchi.

17. [גבור יושיע] Fortis qui servabit אשר יושיע fortis servaturus vel servator fortis; qui viribus & robore præstat ad servandum.

[יחריש] Obmutescet præ amore tui, silentio prætéribit omnia tua scelera & peccata, obteret oblivione, tanta est ipsius charitas qua te complectitur. Jon. יכבוש על חובך ברחמתה subiget & supprimet tua peccata præ dilectione sua. Obmutescere Dei duplex est. Alterum est iræ & indignationis quando votis nostris minime respondet: alterum amoris & dilectionis, quando nobis peccata non exprobrat, sed quasi tacito silentio ac prætermissa condonat. Alii paulo aliter intelligunt

hanc

hanc phrasin & יחריש באהבתו interpretantur, acquiescit in amore suo, sese quiete & tacite continebit in ea dilectione. Lat. *silebit in dilectione sua.* Lxx. καὶ καινιεῖ σε ἐν τῇ ἀγαπήσει αὐτοῦ i. יחדש innovabit te in dilectione sua, novo amore te prosequetur. Sch. Jarchi ita reddit יכסה בא חבתו על פשעך charitate obteget tua crimina. יחריש quando de exilio intelligitur, contrarium habet זעק, quando vero de peccatis, contrarium est זכר memor fuit. Alii יחריש באהבתו præ amore non poterit loqui. Videmus enim amantes qui alicujus amore ardent & flagrant tanquam mutos sæpenumero consistere & obmutescere.

18. נוגי ממועד] *Nugas quia lege recesserint congregabo*, ita Hieron. At Lxx. ἐν ἡμέρᾳ ἑορτῆς, καὶ συνάξω τοὺς συντετριμμένους σου. Hebræi deducunt à Them. יגה doluit, ut sit נוגי pro נוגים tristes, mœsti, mœrentes propter tempus הגאולה redemptionis & liberationis ecclesiæ, quæ quotidie mœsti exspectabant diem salutis, tempus divinitus constitutum ac præfixum ad reducendos exules & liberandos fideles, qui quod tardaret nimium in summa erant mœstitia. Thren. I. בתולתיה נוגות. Hæc fere Kimchi. Ceterum Ezra accipit מועד pro templo, loco in quem conveniebant Israelitæ, ut in Psalmis שרפו כל מועדי אל בארץ. Ut sit sensus, mœrentes fuerunt è templo, ex loco in quo simul erant congregati. Alius quidam ita sentit, *ego colligam mœstos & afflictos tuos à tempore* i. post tempus statum & præfixum. Jon. habet, די הוו מעכבין בך זמני מועדך ארחיקית מניך. Trem. vertit, *Eos qui in te tempora solemnitatum tuarum interpellabant profligavi ex te.* Sch. Jarchi נוגי ממועד interpretatur הנואים ממועדי qui remoti sunt à feriis meis i. qui non observant mea sabbatha & festa. Quæ sententia non differt multum ab illa versione quam ex Aq. citat Hieron. qui vertit *translatos.* Deducit Jarchi ab נוה quod est removere. Alii, *remotos à cœtu*, i. procul dispersos in varias terras & regiones, *congregabo qui ex te erant.* Pro *erant* Aq. & Lxx. habent οὐαὶ & οἱ, id quod miratur Hier.

משאת עליה] Onus est super eum probrum i. dedecus & opprobrium illi est oneri. Affixum refertur ad Jerusalem.

19. הנני עשה] Ecce ego conficiam omnes affligentes te. Simplex pro composito. Hebræi exponunt in significatione המיגור והמחישה contundendi & exprimendi, ut Ezech. 23. בעשות מצרים דדיך. Sensum reddit Jon. הא אנא אעביד גמירא עם כל משעבדיך.

הנדחה] Impulsa, dejecta, jactata, concitata, de statu & gradu deturbata, à Them. נדח pulsa, mota, agitata, depulsa fuit.

בכל הארץ בשתם] Abenezra passive exponit, *in universa terra erit pudor eorum* i. de illis עליהם: omnes pudefient, quando videbunt eos florere gloria & honore. Alii, *ponam eos* i. contumeliam & ignominiam eorum ponam & commutabo in laudem & famam. R. Mosche subaudit תחת ut sit תחת בשתם pro pudore & infamia eorum, pro eo quod ignominia notati fuerunt. Graviter porro errant qui vertunt, *in terra pudoris* aut confusionis eorum; siquidem ה emphaticum in הארץ eum sensum non admittit, licet Kimchi in eundem scopulum cum illis impingat. Nisi velis subaudire ארץ בשתם, ut alias fit nonnunquam; sed & hoc coactum est.

20. לעיניכם] q.d. Vosmet ipsi experiemini. Nam videre bonum sive malum est *sentire*, ut supra vidimus.

GROTIUS.

1. V*Æ provocatrix*] *Væ inspectata.* Dici id solet de feminis prostituti pudoris. ¶ *Et redempta*] *Polluta.* nam sæpe גאל est *polluere*, ut Malach. I. 7. Esai. LXIII. 3. Thren. IV. 14. ¶ *Columba*] *Prædatricis* quomodo יונה exposuimus Jerem. XLVII. 6. L. 16. intellige urbem Hierosolyma, ubi diu pauperes à divitibus oppressi fuerant.

2. *Non audivit vocem*] Prophetarum. ¶ *Et non suscepit disciplinam*] Id est, Legem non est secuta. ¶ *In Domino non est confisa*] Sed modo in Assyrio, modo in Ægyptio, modo in Chaldæis, sæpe & in illorum idolis. ¶ *Ad Deum suum non appropinquavit*] Deum non coluit: id enim קרב [*appropinquare*], unde קרבן [*Corban*].

3. *Principes ejus in medio ejus quasi leones rugientes*] Similis querela apud Ezech. XXII. 27. ¶ *Judices ejus quasi lupi vespere, non relinquebant mane*] Lupi vespere avidissimi, Jer. V. 6. Pro *non relinquebant mane* Hebræum habet *non ossa rodunt ad mane:* id est, non differunt rodere, sed statim omnia absumunt.

4. *Propheta ejus vesani, viri infideles*] Ezechiel. XXII. 28. Michææ III. 11. ¶ *Sacerdotes ejus polluerunt sanctum*] Id est, Sanctuarium, Templum. ¶ *Injuste egerunt contra Legem*] In Hebræo: *Legem transgressi sunt*, multis scilicet modis, Ezech. XXII. 26.

5. *Dominus justus in medio ejus non faciet iniquitatem*] *Ejus*, nempe *civitatis.* Deus qui ista omnia præsens videt, nihil agit præter æquum. ¶ *Mane, mane judicium suum dabit in lucem*] Quotidie aliquod insigne edit judicium in illos Principes, Prophetas, Sacerdotes. Allusio ad morem Judæorum & vicinarum gentium, apud quos judicia tantum mane exercebantur. Diximus ad Jobum XXIV. 17. ¶ *Et non absconditur*] *Non deficit*, id est, nunquam omittit talia agere. ¶ *Nescivit autem iniquus confusionem*] *Attamen homo iniquus nescit pudescere.*

6. *Disperdidi gentes*] *Exscidi gentes*, id est, Decem tribus per Teglathphalasarum & Salmanasarem. Deus loquitur. ¶ *Et dissipati sunt anguli earum*] Id est, *turres*, ut supra I. 16. ¶ *Desertas feci vias earum*] *Plateas.* ¶ *Dum non est qui transeat*] *Ut non sit qui transeat.* ¶ *Non remanente viro, neque ullo habitatore*] Id est, ne feminis quidem aut pueris.

7. *Dixi, Attamen timebis me*] *Dixi, Saltem tu timebis me*, civitas Hierosolymorum. ¶ *Suscipies disciplinam*] Legem sequeris. ¶ *Et non peribit habitaculum ejus*] *Ne pereat habitaculum ejus.* Mutatio personæ frequens Hebræis. ¶ *Propter omnia in quibus visitavi eam*] *Omne* (bonum) *quod constitui* (quod in Lege promisi) *super eam*, supple *veniet.* Ita Chaldæus: nec aliter sumitur פקד [*visitare*] II Paral. XXXVI. 23. ¶ *Verumtamen diluculo surgentes corruperunt omnes cogitationes suas*] *Pessima sectati sunt studia. Diluculo surgentes*, id est, diligentissime. Simile loquendi genus Jerem. XI. 7. XXV. 3. XXIX. 19. Esa. V. 11.

8. *Quapropter exspecta me*] *Exspectate me.* Redit ad secundam personam. Idem est quod alibi, *Ego ad vos.* ¶ *In die resurrectionis meæ in futurum*] *In id tempus, cum surgam ad spolium. Surgere* dicitur qui è castris in prælium egreditur. ¶ *Quia judicium meum*] Decretum mihi est. ¶ *Ut congregem gentes, & colligam regna*] In unum compellam ingentem multitudinem Judæ & Benjaminis ex præfecturis plurimis (quas præfecturas sæpe *regna* improprie vocant Hebræi, & Græci verterunt alicubi μητροπόλεις [*urbes matrices*]) nempe intra urbem Hierosolyma. ¶ *Et effundam super eos*] Ita collectos. ¶ *Indignationem meam*] Effectus iræ meæ, per Chaldæos. ¶ *In igne enim zeli mei devorabitur omnis terra*] Judæa, ut supra I. 18. Judæi hæc sensu excellentiore ad diem Judicii universalis referunt, ut præcedentia ad bellum Gog & Magog.

9. *Quia tunc reddam populis labium electum, ut invocent omnes in nomine Domini*] *At tunc* (id est, postea: sæpe enim אז sumitur in significatione multum distantis temporis, ut diximus ad Matth. XXIV. 14. & 30.) *reddam populis labium purum, ut omnes invocent Dei nomen.* Efficiam per gravissimas quas sentient calamitates, & per promissiones additas, ut pœnitentia ducti tales fiant quales olim Davidis temporibus fuere, cum piis verbis ac factis verus Deus coleretur. Pro ברורה, quod est *purum*, Græci legerunt בדורה, εἰς γενεὰν αὐτῆς [*in generationem suam*], ut & Hieronymus notavit. ¶ *Et servient ei humero uno*] Id est, junctim. *Humerus* sive *armus* hic sumendum μεταληπτικῶς [*per Transsumptionem*], pro eo quod armis imponitur, id est, *jugo.* Lxx. hic non male, ὑπὸ ζυγὸν ἕνα [*sub jugum unum*].

10. *Ultra flumina Æthiopiæ, inde supplices mei, filii dispersorum meorum deferent munus mihi*] Diximus ad Esaiam XVIII. ubi de iisdem fluminibus Æthiopiæ agitur, עבר sæpe non *trans* sed *juxta* significare. Vertas igitur non male, *A locis ad flumina Æthiopiæ suis supplices mei, proles dispersorum meorum adferunt mihi* μαναά, id est, *libum è simila.* Neconis bello multi Judæi capti, & in Ægyptum avecti, inde in Æthiopiam usque venditi sunt. Hos quoque Cyrus, fœdere cum Æthiopibus facto, liberari curavit: ita ut & hi cum cæteris in patriam redierint, ibique dona obtulerint. Simile quid vide Es. XI. 11. ubi itidem ab *Æthiopia redeuntium* mentio est. Sic Ptolemæus Philadelphus Judæos plures centum millibus in oris longinquis servientes pretio dato liberavit, & in patriam remisit. testis Josephus XII. 2.

11. *In die illa*] Post id tempus. ¶ *Non confunderis super cunctis adinventionibus tuis*] *Non ultra pudore afficieris propter omnia tua studia vetera:* nempe quia abstinebunt sibi ab idololatria, aliisque pravitatibus. ¶ *Quibus prævaricata es in me*] Ante captivitatis tempus. ¶ *Quia tunc auferam de medio tui magniloquos superbiæ tuæ*] Illi qui olim auctores vobis fuerant extollendi vos contra legem Dei, malo fato mortui,

non

non aderunt vobis. ¶ *Et non adjicies exaltari amplius in monte sancto meo*] *Ne ultra superbias in Templo meo:* nempe illorum exemplo. Superbiæ est Legem contemnere, quod fecerant ipsi Sacerdotes in Templo, supra 4. hoc est quod dicitur peccare ביר רמה [*manu elata*], id est, *per superbiam*, Num. xv. 30.

12. *Et derelinquam in medio tui populum pauperem & egenum*] *Lenum & modestum*, Chaldæus apte ad sensum: nam nominum עני [*pauperis*] & ענו [*mansueti*] significationes permisceri inter se solere alibi quoque notavimus. ¶ *Et sperabunt in nomine Domini*] Qui in Deo, non in semetipsis confident.

13. *Reliquiæ Israel non facient iniquitatem*] Illi reversi non redibunt ad idololatriam, quæ עולה [*iniquitas*] κατ᾽ ἐξοχὴν [*per excellentiam*]. ¶ *Nec loquentur mendacium*] Non decipient alter alterum, ut olim. Per multa mala purgati erunt. ¶ *Quoniam ipsi pascentur*] *Ideo ipsi pascentur*, id est, abundabunt rebus necessariis. ¶ *Et accubabunt*] Id est, secure vivent, ut ille

- - - patulæ recubans sub tegmine fagi.

¶ *Et non erit qui exterreat*] Alta circum pax erit sub præsidio Regum Persarum.

14. *Lauda, filia Sion*] Deo tunc gratias agito.

15. *Abstulit Dominus judicium tuum*] Id est, pœnas tuas. ¶ *Avertit inimicos tuos*] *Vacuefecit inimicos tuos:* id est, vim tibi nocendi adimet Samaritis, Ammonitis, Arabibus, Philisthinis. Vide Nehem. IV. VI. ¶ *Rex Israel Dominus in medio tui*] Deus tibi *pro Rege erit*, id est, te defendet. ¶ *Non timebis malum ultra*] Diu enim fuit post reditum felicissimus Judææ status.

16. *Non dissolvantur manus tuæ*] Perge in ædificatione Templi & Urbis.

17. *Silebit in dilectione tua*] Id est, acquiescet in amore tui. ¶ *Exsultabit super te in laude*] *Exsultabit propter te cum cantico.* Homines cum læti sunt παιανίζουσι [*pæana canunt*]. hinc sumta Translatio.

18. *Nugas, qui à Lege recesserant congregabo, quia ex te erant: ut non ultra habeas super eis opprobrium*] Hieronymus נוגי Hebræum ut sono ita significatu idem putavit esse quod Latinum *nugæ*. Sed valde mihi se hoc loco probat Chaldæus, *Qui impedierunt festos dies tuos, eos procul à te segregabo: væ illis qui portaverunt opprobrium* (id est, arma) *contra illud*, id est, contra libertatem festos dies agendi & sacrificandi: quod sine Templo fieri non poterat. הגה est *removere*. Post ממך [*ex te*] ponenda distinctio. היו pro הוי per *væ* exponunt, præter Chaldæum, etiam Lxx. Illos populos intellige de quibus diximus supra 15. qui Templi ædificationem impedire omni modo voluere.

19. *Ecce ego interficiam omnes qui afflixerunt te in tempore illo*] *Reprimam omnes.* Sic enim עשה sæpe sumitur: & hoc loco idem valet quod supra פנה. ¶ *Et salvabo claudicantem*] *Claudicare* hic significat *incommoda pati*, ut Psalm. XXXV. 15. Itaque Lxx. hic verterunt ἐκπεπιεσμένην [*valde pressam*], ut συντετριμμένην [*contritam*] Mich. IV. 6. 7. ¶ *Et eam quæ ejecta fuerat congregabo*] Quotidie alii atque alii ad reduces accedent. ¶ *Et ponam eos in laudem & in nomen in omni terra confusionis eorum*] Id est, Faciam ut celebre nomen habeant in eis etiam locis ubi contemtui ac ludibrio fuere.

20. *Cum convertero captivitatem vestram*] Redire fecero eos qui velut captivi egerant. ¶ *Coram oculis vestris*] Ita ut alter conspiciatis alterum summo cum gaudio.

ANNOTATA AD AGGÆUM.

CAP. I.

MUNSTERUS.

HAggai, quem nostri *Haggæum* vocant, excitatus fuit à Spiritu Prophetico postquam populus rediit à Babylonica captivitate: Quem Propheta urget ad reædificationem Templi Dei, & minatur, quamdiu illius exstructioni non instarent, nihil illis prospere successurum: non quod Deum tantopere delectaret habitare in templis manufactis, sed quod ea quæ in Lege fiebant umbram gerebant futurorum; juxta illud, *Nescitis quia vos templum estis Spiritus Sancti, qui habitat in vobis?*

1. *Dariaves*] Trisyllabum est *Darjaves*, pro quo nostri *Darius* legunt. Putaturque ab Hebræis filius fuisse Assueri & Esther. Imperii igitur hujus *secundo anno* quo regnavit in Persia, impleti sunt Lxx. anni desolatæ urbis Jerosolymitanæ, & tempus jam instabat ut juxta Prophetarum vaticinium Urbs & Templum reædificarentur: Quorum exstructionem jam ante aliquot annos Jehudæi fuerant moliti, sed frustra, cum tempus præfinitum nondum esset impletum; impediebantur autem per vicinas gentes, ut in Ezra habetur. Cum enim per 52 annos in captivitate fuissent, dimissi sunt à Cyro: Et cum ille tribus duntaxat regnasset annis, illisque non integris, & illi successisset Assuerus, prohibiti sunt Jehudæi ædificare civitatem, præsertim murum & Templum, usque ad secundum annum Darii Regis Persarum: Quo anno impleti fuerunt Lxx anni; & tunc excitatus fuit Haggai Propheta, & monuit populum ut qui sibi jam ædificaverant domos, etiam Domino Templum suum restaurarent. ¶ *Ducem Jehuda*] Est פחה idem quod שליט vel מושל, i. *gubernator* & *rector*. Non enim habuerunt Jehudæi post captivitatem Reges, sed Duces & Rectores, cum non essent sui juris, sed subjecti exteris nationibus, usque ad tempora Hasmonai, i. Machabæorum, qui cum non essent de tribu Jehuda & semine Regio, vi sibi usurpaverunt sceptrum. De quo Gen. 49. diximus.

2. *Tempus nondum advenit*] Cum ante impletionem Lxx annorum frustra conati fuissent exstruere Templum, gentibus illos impedientibus, & Lxx anni impleti essent, desperati dicebant, *Adhuc longe abest tempus ut reædificetur Templum*, Dominus autem ostendere volens se veracem fuisse in Prophetis, objurgat eos de cunctatione.

5, &c. *Super vias vestras*] i. Advertite labores manuum vestrarum & occupationes vestras, & videbitis iram Dei vobis impendere propter peccata vestra, præsertim quod tam ignavi estis in his quæ ad gloriam meam pertinent. Ecce *seminatis multum, & colligitis parum* in messe, etiam contra ordinem naturæ; sic operam impenditis pro aliis cibis parandis, pro potu, pro vestibus, & pro pecunia colligenda, & in omnibus est penuria magna, quia ego reluctor vobis. Et nota quod אכל, שתו, לבוש, hic scribuntur in infinitivo, possuntque reddi pro commoditate sententiæ vel in præterito vel in præsenti. Et quod sequitur, *Respicitis ad multum*, eandem habet sententiam.

VATABLUS.

1. ANno *secundo* בשנת שתים] Ad verb. *Anno duorum*, i. qui è duobus posterior est, h. e. secundo, exactis scilicet Lxx annis à desolationibus, h. e. destructione Jerusalem, post quos instaurandum erat Templum, ut dixerat Jeremias 25. 12. Floruit Aggæus una cum Zacharia sub Dario filio Cambysis, ut sentit Josephus: Tametsi Hebræi dicant ipsum fuisse filium Assueri & Esther. Horum Prophetarum fit mentio in Esdra, c. 5. Initio hujus Prophetiæ increpat Propheta populares suos; deinde cohortatur eos ad instaurationem Templi;

postea Christi adventum denunciat. ¶ *Verbum Jehovæ* דבר יהוה] Sub. *Propheticum:* q. d. Aggæus, qui fuit verus Propheta, sive Propheta Domini insignis & clarus, ac suo tempore notus, actus sive afflatus fuit Spiritu sancto ac Spiritu prophetico. ¶ *In manu Haggæi* ביד חגי] Hebraismus, opera sive ministerio Aggæi. ¶ *Filium Salathiel* בן שאלתיאל] i. Nepotem Salathielis. Erat enim Zorobabel filius Phadaiæ, ut vides 1 Par. 3. 18, 19. Omisit autem patrem Zorobabelis, quod is forsan fuerit obscurus, & substituit avum *Salathielem.* Id quod fecit & Matthæus cum genealogiam Christi c. 1. 12. enarrat. ¶ *Ducem* פחת] *Ducem* vocat, non *Regem:* erant enim Judæi tunc sub potestate Regis Babyloniorum. ¶ *Sacerdotem magnum* הכהן הגדול] *Summum Pontificem.* ¶ *Ut diceret.* לאמר] Ad v. *dicendo.* Quidam vertunt *in hunc modum*, i. in hanc sententiam, hujusmodi quale sequitur.

2. *Dixit* אמרו] Præt. Heb. pro præs. *dicit*, vel *dicere solet:* verbum plur. ¶ *Nondum*, &c. לא וגו'] Ad verb. *non tempus venire* [vel *veniendi*] *tempus domus*, &c. Gallice dicimus, *Le temps n'est point venu que le temps soit venu de*, &c. ¶ *Domus Jehovæ ut ædificetur* את בית יהוה להבנות] Clarius converso ordine vertes, *ut ædificetur domus Domini:* acsi dicerent, *Prophetia Jeremiæ nondum impleta est.* Duæ Prophetiæ fuerunt de LXX annis: Una de LXX annis quibus adimpletis Israelitæ reversuri erant in patriam è captivitate Babylonica: de quibus Jer. 29. 10. Hi adimpleti fuerunt post finem Imperii Babylonici, regnante Cyro. Altera Prophetia fuit de LXX annis quibus adimpletis instaurandum erat Templum, de quibus Jer. 25. 12. Completi autem fuerunt anno secundo Darii. Nam Imperium Nabuchodonosor & posterorum ejus duravit LX annis. A quibus tollendi sunt XIX: nam XIX anno Regni Nabuchodonosor destructa fuit Jerusalem. Addendi igitur XIX alii; qui ita adjicientur; Cyrus regnavit tribus annis, Assuerus XIV. His adde duos Darii, habebis XIX superadditos pro XIX ablatis. Nam posteriores LXX anni sunt numerandi à destructione Jerusalem. Hæc doctus inter Hebræos. Cœperant reædificare Templum tempore ipsius Cyri: deinde intermissum fuit opus annis fere XVII, aut XVIII, populo dicente, *Nondum venisse tempus Templi instaurandi.* Habita est ad Magistratus prior hæc Prophetia.

4. *Numquid*, &c. העת וגו'] *Numquid tempus* advenit *vobisipsis ut habitetis*, &c. i. Debetisne vos habitare, aut, Decetne vos, &c. ¶ *Laqueatis* ספונים] *Habentibus parietes vestitos*, sub. *cedro*, vel *ebore*, aut alia insigni ac nobili & pretiosa materia, *cum Templum hoc* nomini meo dicatum *maneat desolatum?*

5. *Ponite cor*, &c. שימו לבבכם וגו'] Hebraismus, Diligenter considerate negotia vestra: aut, Advertite animum & attendite quam diligentissime rationes vitæ vestræ, i. quæ vobis accidant in vita vestra: Videte incommoda quæ vobis accidunt. Multa enim patimini, ignorantes tamen causam tantorum malorum.

6. *Seminabitis*, &c. זרעתם וגו'] Præt. Heb. pro fut. Quidam præteritum istud & infinitivos sequentes convertunt per præsens, sic, *Seminatis multum, & infertis paucum* in horreum: *comeditis, sed cibus non nutrit vos: bibitis, neque id vestram sitim restinguit: induit se quispiam multis vestibus, quæ tamen non sunt calori illi: & qui alteri operam suam locat, eam locat pro pecunia* quæ decidit *in sacculum perforatum.* ¶ *Saturabimini* לשבעה] Ad verb. *ad saturitatem*, vel *satietatem*, i. non estis satiati. ¶ *Inebriabimini* לשכרה] Ad verb. *ad ebrietatem*, h. e. ad depellendam vel expellendam sitim & exstinguendam: q. d. at ne sic quidem restinguetis sitim. ¶ *Induetis vos* לבוש] Ad verb. *induendo*, sive *induere*, pro *induitis* vel *induetis.* ¶ *In sacculum pertusum* אל צרור נקוב] q. d. Pecunia illa est illi inutilis, peritque illi perinde atque illa conjecta esset in sacculum perforatum.

7. *Ponite cor*, &c. שימו לבבכם וגו'] Vide v. 5.

8. *In montem* ההר] Libanum intelligit. ¶ *Ligna* עץ] Sing. Heb. pro plur. *ligna*, nempe *cedrina.* ¶ *Et complacebo*, &c. וארצה וגו'] Ad verb. *& complacitum erit mihi in ea*, sub. *domo*, vel *in eo templo:* i. erit id mihi gratum & acceptum. ¶ *Et glorificabor* ואכבדה] *Et gloriosum me ostendam*, i. illic ostendam gloriam meam.

9. *Respicietis*, &c. פנה וגו'] Infin. Heb. pro fut. vel præs. Nunc autem *respicitis ad multum, sed paucum quid accipitis.* Ad verb. *& ecce ad parum*, sub. *est respectus vester:* vel *ecce redit ad parum:* q. d. Cum seminatis, speratis vos habituros multa, & tamen pauca accipitis. ¶ *In domum* הבית] i. In horrea vestra. ¶ *At exsufflo* ונפחתי] Præt. Heb. pro præs. i. solo flatu efficio ut pereat, h. e. maledico illi. ¶ *Deserta* חרב] *Desolata:* i. Rem Divinam negligitis, & interim res vestras optime curatis.

10. *Clausit se*, &c. כלאו שמים וגו'] Ad verb. *prohibuerunt sese cæli à rore, & terra prohibuit sese à fructu* [vel *germine*] *suo:* q. d. Nihil demittit super vos, ne imbrem quidem. Per hoc innuit singularem maledictionem Dei. Non solet enim cœlum denegare rorem, quamvis interdum deneget pluviam.

11. *Et super homines* ועל האדם] Tum enim pereunt homines peste, febre & aliis morbis.

12. *Sicut miserat eum* כאשר שלחו] Hebraismus, audita legatione ipsius Aggæi: q. d. *Paruerunt monitis Domini*, sive *Domino monenti eos per Aggæum, cum audissent legationem ipsius.*

13. *In legatione Jehovæ* במלאכות יהוה] i. Legatione qua fungebatur nomine & jussu Domini. Quidam vertunt, *cum illum misisset Dominus Deus eorum.* ¶ *Ego vobiscum* sum, &c. אני אתכם וגו'] Videtur Dominus hic consolari populum suum, acsi dicat, Quia cœpistis timere me, ego vobis in omnibus & per omnia adero & favebo.

14. *Et ingressi sunt*, &c. ויבאו וגו'] *Et ingressi cœperunt operari in structura templi Domini*, &c. *Ingressi*, sub. *locum ubi fuerat Templum.*

CLARIUS.

1. ANno *secundo*] Haggæus excitatus fuit à Spiritu Prophetico postquam populus rediit è Babylonica captivitate: Quem Propheta urget ad reædificationem Templi Dei, etiam minas adjiciens, quamdiu illius exstructioni non instarent, nihil illis prospere cessurum: non quod Deum tantopere delectaret habitare in templis manufactis, sed quod ea quæ in Lege fiebant umbram gerebant futurorum: juxta illud, *Nescitis quod vos templum estis Spiritus Sancti, qui habitat in vobis?* Præterea reædificatio illa Templi animas ad Dei cultum alacriores efficiebat. *Anno* ergo Imperii hujus *Darii* (qui putatur ab Hebræis filius fuisse Assueri & Esther) *secundo*, quo regnavit in Persia, impleti sunt LXX anni desolatæ urbis Jerosolymitanæ, & tempus jam instabat ut juxta Prophetarum vaticinium Urbs & Templum reædificarentur: Quorum exstructionem jam ante aliquot annos Judæi fuerant moliri; sed frustra, cum tempus præfinitum nondum esset impletum: impediebantur autem per vicinas gentes, ut in Ezra habetur. Cum enim per LII annos in captivitate fuissent, dimissi sunt à Cyro: Et cum ille tribus duntaxat regnasset annis, illisque non integris, & illi successisset Assuerus, prohibiti sunt Judæi ædificare civitatem, præsertim murum & templum, usque ad secundum annum Darii Regis Persarum, quo anno impleti fuerunt LXX anni: & tunc excitatus fuit Haggæus Propheta, & monuit populum ut, qui sibi jam ædificaverant domos, etiam Domino Templum suum instaurarent.

2. *Non venit tempus*] Cum ante impletionem LXX annorum frustra conati fuissent exstruere Templum, gentibus illos impedientibus, & postea LXX anni jam impleti essent; desperantes dicebant, *Adhuc longe abest tempus ut reædificetur Templum;* Dominus autem ostendere volens se veracem fuisse in Prophetis, objurgat eos de cunctatione.

5. *Super vias vestras*] i. Advertite labores manuum vestrarum & occupationes vestras, & videbitis iram Dei vobis impendere propter peccata vestra; præsertim quod tam ignavi estis in iis quæ ad gloriam meam pertinent. Ecce *seminatis multum, & colligitis* in messe *parum*, etiam contra ordinem naturæ; sic operam impenditis pro aliis cibis parandis, pro potu, pro vestibus, & pro pecunia colligenda, & in omnibus est penuria magna, quia ego obsisto vobis.

9. *Respexistis ad amplius*] i. Ambivistis multa, & assecuti estis pauca.

13. *In legatione Domini ad populum, dicens*] Exponens legationem sibi commissam à Domino ad populum.

DRUSIUS.

HÆC Prophetia proprie ad Judæos pertinet. Partes habet plures; Quæ sunt vel ἐλεγκτικαὶ, vel προτρεπτικαὶ, vel denique προῤῥητικαί. Culpat enim ac reprehendit securam eorum in promovenda Templi ædificatione negligentiam; Hortatur ut jam cum tempus sit, strenue opus aggrediantur; Prædicitque Templi posterioris gloriam ad prioris magnificentiam comparatam multo fore illustriorem. Genus concionis est deliberativum, Utrum tempus sit ædificandi Templum. Non esse statuit populus: Propheta è contrario asserit esse tempus: itaque suadet quam primum operi manum admoveant, à Possibili, Honesto & Necessario. Occasio hinc nata fuit, quod Judæi privatis intenti commodis de Dei cultu non admodum essent soliciti.

citi. Summa igitur ac princeps propositio; Dux, Pontifex, Populusque adeo universus ad Templi ruinas reparandum operam ac studium conferant.

1. *Anno secundo Darii*] Darium Nothum intelligit, qui post Artaxerxem regnavit cognomento μακρόχειρα. Scio me hic dissentire à viris doctissimis. Sed quid agam? ratio me cogit. Sane quidem Hystaspis filius dictum Artaxerxem annis aliquot antecessit, ut de eo accipi nulla ratione possit. Darii Nothi mentio & Ezræ 4. 24. Creditur habuisse in matrimonio sororem Longimani. Forte *Nothi* appellationem accepit quod natus esset ex uxore non legitima. Nihil temere affirmandum. Fieri autem potest ut secundum Ebræorum sententiam filius fuerit Assueri ex Esthera, i. Xerxis, qui pater fuit Artaxerxes Longimani. Nec obstat matrimonium sororis ex eodem patre: nam licitæ erant apud Persas hujusmodi nuptiæ. Hunc Ebræi *Darjaves* vocant. Apud Ctesiam in Persicis legitur Δαριαῖος. Nomen habet à *coercendo* vel *premendo*: itaque ab Herodoto interpretatur Ἑρξείης, i. *Coercitor*. Sane quidem דרש in Persica lingua est ἔρξις, θλίψις, ut Scaliger annotat. ¶ *Mense sexto*] Qui mensis *Elul* sive *Ellul* vocatur, respondetque Augusto ex parte, qui Atticis Βοηδρομιών. *Sextus* autem dicitur subducto calculo à Nisan, i. Martio, qui Atticorum est Μουνυχιών, primus in anno Ecclesiastico, à quo solitos esse ordiri Judæos indicat Zacharias 1. 7. & 7. 1. ¶ *Primo die mensis*] ביום אחד *die uno*, i. primo. Quod ita dicitur ut Genes. 1. 5. *Fuitque vespera & mane dies unus*. Cicero de Senectute, *qui uno & octogesimo anno scribens mortuus est*, i. primo & octogesimo. ¶ *Per Haggæum*] ביד חגי *in manu Haggai*. Nicolaus explicat *per ipsum Haggæum, tanquam per Dei ministrum*, optime & rectissime. Nam ביד, i. *opera, ministerio*. Hic Ebraismus legitur & exponitur Actor. 7. 35. ἐν χειρὶ ἀγγέλου, i. *ductu Angeli*. ¶ *Ad Zorobabelem*] Admonet Abenezra, Politicum Magistratum ut dignitate ita etiam ordine præcedere Ecclesiasticum. Ergo prius nominat *Zorobabelem*, deinde *Josuam*. Sic alibi *Saul* & *David* nominantur ante *Samuelem*. Sic *Josue* semper præponitur *Calebo*, nisi ubi mentio rerum Divinarum: tunc etsi ætate major esset Josue, posteriorem tamen locum obtinet. Vide sis Ezræ 3. 2. ¶ *Filium Salathielis*] Filium legalem vel adoptivum intellige: nam erat nepos ipsius ex fratre. Salathiel enim & Phadaja, è quo genitus Zorobabel, germani fratres fuerunt. Verba è quibus hoc haurio habentur 1 Paral. 3. 17. *Filii Phadaja, Zorobabel & Semei*. Paulo ante legitur in eodem loco, *Filii Jechoniæ, Assir, Salathiel, & Melchiram, & Phadaja*. Sed hic locus ab aliis aliter accipitur. Nam sunt qui eum legant ad istum modum, *Filii Jechoniæ, Assir: Salathielis, & Melchiram & Phadaja*. Quæ lectio si recipitur, per FILIUM intelligemus *nepotem*, ut Ezræ 5. 1. *Zacharias filius Addo*. Nam Addo ejus avus fuit, Zach. 1. 1. *Fuit verbum Domini ad Zachariam filium Barachiæ, filii Addo, Prophetam*. Ut ut sit, Zorobabel vocatur *filius Salathielis* non hic solum sed etiam Ezræ 5. 2. Matth. 1. 12. & Luc. 3. 27. Cæterum ad priorem sententiam accedit Ebræus Abraham cognomento *Aben-Ezra*, scribens, *filium dici Salathielis quod ab eo institutus & educatus esset. Cui simile*, inquit, *quod Michol appelletur mater eorum liberorum quos enutriverat; siquidem ipsa sterilis & infœcunda fuit*. ¶ *Salathielis*] שאלתיאל, quod nunc legunt *Sealthiel*. Alibi est שלתיאל, i. *Salthiel*. ¶ *Ducem Juda*] Principem ex tribu Juda. Ita V. Int. פחה igitur est *dux*. Græce ἡγούμενος ἤτοι ἡγεμών. Hodie pro *Comite* usurpant. Sic enim certe Elias interpretatur. Persicum hujus rei vocabulum est פרתמים, ait Aben-Ezra. Plura in Thesbite. Vide, si vacat. ¶ *Ad Josuam*] Sic antiqui scribebant hoc nomen. Hodie scribunt *Jehosua*. Parum refert. Idem *Jesus* vocatur Ezræ 3. 2. quod annotandum duxi propter V. Int. nostrum, qui hæc duo nomina promiscue usurpat. Nam & in Ezræ loco citato habet *Josue*, & hic legitur *ad Jesum filium Josedec*. Cave reprehendas. Hinc etiam conficitur CHRISTI nomen proprium idem esse cum nomine Ducis Josuæ. De quo viros quosdam doctos contendere scio & miror. ¶ *Josadaci*] Vel plenius *Jehosadaci*. Antiquum & probum est *Josedec*. Hic cum reliquo populo deportatus fuit à Nabuchodonosoro Babylonem. Vide 1 Par. 6. 15. Josephum Ant. l. 10. c. 11.

2. *Sic ait DOMINUS exercituum, dicendo*] Per me hoc vobis dicit; in hæc verba vos alloquitur. Quidam referunt, *Sic dixit ut dicerem*. ¶ *Populus iste*] Non, ut alias, *populus meus*, sed *populus iste*, ac si populum demonstraret alium quam suum. Nam non meretur dici *populus Dei* qui neglecto ipsius cultu rei faciendæ & opibus accumulandis totus incumbit. ¶ *Nondum tempus venit*] Tempus ædificationis idoneum & opportunum nondum advenit. Quid eum movit ut hoc diceret? Primum segnities & pigritia. Nam *pigro*, juxta Proverbium sacrum, *leo semper foris est*, h. e. nunquam ei deest causa quam prætexat ignaviæ suæ. Deinde studium privati commodi. Sic est profecto: Privata curamus, publica negligimus. Nec ulla sumus in re segniores quam in Divina. Accedebant fors externa quædam, ut edicta Regnum Persarum, & impedimenta allata à vicinis. ¶ *Tempus*] Πλεονασμός. Habet tamen gratiam repetitio illa. Tale est, *ego, quo ego vado?* nam *ego* ex supervacuo iteratur. Quod frequentissimum est in pronominibus Syriaci sermonis.

3. *Fuit verbum DOMINI*] Non ad Zorobabelem & Josuam, ut antea, sed ad populum.

4. *O vos*] אתם. Abest Vocandi nota. Quidam legunt, *heus vos*. Eodem redit. V. Int. omittit. Nisi accentus obstaret, probarem, *vos ut habitetis*, aut *vos in domibus vestris*, ut sit Pleonasmus Ebraicus. ¶ *Laqueatis*] h. e. Expositore Hieron. *ornatis atque compositis, & quæ non tam ad usum sunt quam ad delicias*. ¶ *Et domus ista deserta*] Sub. *manebit?* aut aliquid tale. Nam cœpta ædificari anno primo Cyri Regis, ab eo tempore imperfecta & quasi deserta mansit usque ad hunc annum secundum Darii.

5. *Ponite cor vestrum ad vias vestras*] Advertite animum ad actiones vestras, & considerate quis earum sit eventus.

6. *Seminatis multum*] Proverbio dicitur, *Deus facientes adjuvat*: quo significant omnia eis ex voto succedere qui rite Deum colunt. Secus accidit iis qui Divinum cultum negligunt. Ergo quia ædificatis domos vestras & negligitis domum Dei, ideo omnis labor vester successu caret. Seminatis plurimum, & multo minus quam satum fuerat infertis in ædes vestras. Hinc perspicere potestis Deum vobis infestum esse. Nam terra communiter plus reddit quam accepit: Reddit enim cum fœnore. Summa summarum; Accidit vobis quod iis solet quorum actiones omnes Deus infelicitat. ¶ *Infertis parum*] *In horrea vestra*, sive *in domum vestram*. Vide infra vers. 9. ¶ *Comeditis, sed non ad satietatem*] Vel quia tellus vestra non profert victum sufficientem, vel quia cibus vester maledictus est, nec eum usum præbet quem debebat. ¶ *Bibitis, sed non ad saturitatem*] Secutus sum Ebræos, qui לשכרה hoc loco exponunt לשבירה *ad saturitatem*: alioqui sonat *ad ebrietatem*. Hinc capies Genes. 43. 34. *biberuntque & inebriati sunt cum eo*: nam idem verbum in Ebræo. Significat autem in his locis *vino aut alio potu expleri citra ebrietatem*. David Scholiastes, *Quod שבע in cibo, id est שכר in potu*. Sic μεθύσκω usurpatur Joh. 2. 10. Ergo, *bibitis, sed non ad saturitatem*, h. e. ita ut potu vos expleatis sitimque restinguatis. ¶ *Ut ei calor sit*] Vel *ut se calefaciat*. Vestes, inquit, quas induitis, neminem vestrum calefaciunt. Hoc accidit vel cum non sat vestium habemus, vel cum aeris frigiditas tanta est ut nulla vestimenta sufficiant, vel denique cum interiora frigent plus æquo, ut in senibus fieri videmus ob naturalem corporis frigiditatem. Sane Davidem legimus 1 Regum 1. 1. eo senectutis pervenisse ut *injectis vestibus non calesceret*. Sed quod illi natura attulit, vobis importavit pœna & maledictio Divina. ¶ *Qui vero mercedes congregat*, &c.] *Quicunque etiam vestrum sive negotiatione, sive mercenaria manu mercedes congregavit, frustra labor sine pretio laboris impensus est. Omnis enim, veluti siquis in pertusum sacculum mittat, pecunia dilabitur*. Ita Hieron. Locus iste ab aliis redditur, *Qui vero se locat, locat in sacculum pertusum*: & ab aliis, *Qui quæstum facit, facit in loculos pertusos*. Sunt etiam quibus magis placuit, *Qui negotiatur, negotiatur in sacculum pertusum*. Consule Proverbia mea. ¶ *Pertusum*] Aut *perforatum*. צרור autem est *crumena*, vel *sacculus pecuniæ reponendæ*. Appellatio à *ligando*: nam צרר *ligavit*.

8. *Ascendite*] In hoc versu argumentum latet hujusmodi, Honorabitur Deus, idemque delectabitur reparatione hujus ædis: Igitur reparanda. Quicquid enim Deo gratum, & in ejus cedit honorem, id faciendum est. ¶ *In montem*] Εἰς τὸ ὄρος. Intelligit autem montem Ædis, qui est Moria: q. d. Advecta ligna ex Libano portate in montem hunc, ut ibi Templum exstruatis. Alii significari putant ipsum Libanum. Verum ex hoc monte non Judæi adferebant ligna, sed Tyrii & Sidonii. Vide Ezra 3. 7. ¶ *Acquiescam*] Hoc factum mihi placebit gratumque & acceptum erit, eoque oblectabor vehementer. ¶ *In eo*] Vel ad *ædem* refertur, vel ad complexum orationis. Sed si ad *ædem*, legi debet *in ea*. Eo V. Int. retulit, cum verteret, *acceptabilis mihi erit*. ¶ *Glorificabor*] Vel *honorabor*. Qui est finis cultus externi. Cæterum in אכבד *honorabor* abest litera ה, quæ addi solet vocibus futuri

turi per Paragogen. Judæi, ut ſunt audaces in fabulis comminiſcendis, ſignificari aſſerunt per hunc defectum res quinque (ה enim certe in numeris Quinque deſignat) Templi ſecundi tempore deſideratas. Sunt autem Arca, Urim & Thummim, Ignis cœleſtis, Præſentia Divinitatis, quam שכינה vocant, & Spiritus Sanctus. Sed Arcam ſcribit Joſephus Gorione natus Jeremiam occultaſſe in ſpelunca quadam montis Nabo una cum Tabernaculi cortinis; Ignem vero ſacrum, repertum à neſcio quo ſene, remanſiſſe ad tempus ſecundi exſilii.

9. *Reſpexiſtis ad multum*, &c.] Poſtquam recenſuit id quod eventurum eſt ſi Ædem exſtruxerint, denuo proponit ob oculos incommoda quæ ſuſtinuerunt hactenus eo quod ejus exſtructionem intermiſerint & neglexerint. Siquidem ita comparatum eſt ut homines magis extimeſcant mala quam appetant aut capiant bona. Vel *reſpicitis*, *infertis*. Si ædem meam, inquit, ædificaveritis, bene vobis erit, quibus nunc omnia contra votum & exſpectationem eveniunt. Nam multum ſperantes parum infertis domum veſtram. Quid ita? Quia videlicet meſſis & vindemia vos fallunt, non reſpondent exſpectationi veſtræ. ¶ *Et ecce parum*] Verbum è verbo *& ecce in parum:* ſubaudio enim *eſt*. Ita ergo dicitur *in parum eſſe*, ut Gen. 1. 15. *eruntque in lumina:* & 2. 24. *erunt in carnem unam.* Quod Græce legitur Eph. 5. 31. Matth. 19. 5. εἰς σάρκα μίαν, i. *caro una*. Aut ל redundat, ut in שלישי לאבשלום *tertius Abſalom*, & ſimilibus. Quidam legunt *& ecce ad parum*, & ſubaudiunt *redit* aut *pervenit*. ¶ *Difflavi illud*] *Illud modicum* quod *domum* veſtram *intuliſtis*, *difflavi* ſpiritu oris mei, quaſi ventus folium aut peniculum tectorium: aut quemadmodum homo pluviam à ſe deflat, ſic ego veſtros proventus diſſipavi, ut vobis inutiles plane redditi ſint. Elegans & concinna Metaphora. ¶ *Quæ deſerta eſt*] Quæ à fundamentis jactis uſque ad hunc ſecundum annum Darii Nothi deſerta vacuit per annos, ut Scaliger putat, 107. ¶ *Pro domo ſua*] Vel *pro exſtruenda domo ſua*, vel *pro augenda*; ut dicat, Dum paratis augere rem familiarem, in hoc unum incumbentes ut divitias & opes accumuletis, neglectis interea iis quæ ſpectant ad cultum meum.

10. *Propterea*] *Propter veſtram in rebus Divinis & exſtruendo Templo negligentiam cœlum, quod ſupra vos, ita clauſum eſt ut ne ros quidem ex eo deſcendat.* Vel ſic; *Eadem Templi mei vaſtitas in cauſa eſt cur cœlum hactenus rorem denegavit, & terra fructum ſuum.* ¶ *Supra vos*] In quibuſdam *contra vos:* quæ verſio mihi ſe parum probat. Nam aut vehementer fallor, aut reſpexit ad ſitum cœli, quod ſupra nos eſt. Sic Deut. 28. 23. *Sit cœlum, quod ſupra caput tuum eſt, æreum; & terra, quæ ſubter te eſt, ferrea.* Sunt qui legunt *ſuper vos*, quod exponunt *ſuper terram veſtram*. Simile, *Ivit ad Pompejum*, pro, *ad ædes Pompeji*. ¶ *Cohibitum eſt*] Alii, *clauſum eſt*. ¶ *A rore*] Ne demittat rorem. Non ſolum, inquit, cœli pluviam non dederunt, ſed ne rorem quidem, quo arentes agri ſaltem humore modico temperarentur. Aut *à rore* dixit pro *à pluvia*. Sic Jonathan, *Idcirco ceſſavit cœlum demittere pluviam.*

11. *Vocavi*] Immiſi, invexi, induxi. ¶ *Siccitatem*] Malim *vaſtitatem:* & fallor aut reſpexit ad illud, *domus mea deſerta:* pro quo legi etiam poteſt *vaſta*. Hoc igitur vult, *Quia ædem meam vaſtam relinquitis, ego quoque in omnia veſtra vaſtitatem importabo.* ¶ *Super frumentum, muſtum & oleum*] Hæc tria maximum uſum habent in vita communi: ac duo quidem priora ad vitæ ſuſtentationem pertinent, poſterius ad ejus commoditatem & bonam valetudinem. *Olei* enim *ea vis eſt*, teſte Plinio, *ut corroboret, leniat ac tepefaciat.* Scitum autem illud, *Intus vino, foris oleo.* ¶ *Super homines*, &c.] Nam in aeris nimia ſiccitate homines & jumenta in varios morbos incidunt. Ad hæc ubi defectus alimenti, ibi minuitur vis procreandi, & per conſequens animalia parum generant. Certe nutrimentum ſufficiens requiritur ad multiplicationem hominum & jumentorum, quia ſemen eorum eſt de ſuperfluo alimenti. *Virtus enim nutriens materiam miniſtrat generanti*, ut notatum ex Philoſopho in Gloſſa Nicolai ad h. l. ¶ *Super jumenta*] Alii, *ſuper beſtias:* quod minus probo. ¶ *Super omnem laborem manuum*] Super omnes res labore manuum partas.

12. *Et*] Nunc oſtendit fructum ſuæ concionis. Ubi duo conſideranda, Obedientia, & Timor Numinis. Quod Obedientia præſtandum ſuadet, id Timor ne violes cavet. Illa ſpectat ad res honeſtas faciendas, iſte ad turpes devitandas. ¶ *Auſcultavit*] *Paruit*, *obtemperavit*. *Parent* autem *voci Divinæ* qui ex Legis præſcripto mores formant. Ea vetat Fato quicquam aut Fortunæ temeritati adſcribere, jubet ut temporibus adverſis de pœnitentia & vitæ emendatione ſoliciti cauſas exquiramus ob quas Deus Opt. Max. & iratus ſæviat, & placatus iram deponat. Qua in re populus, quam hactenus intermiſit, diligentiam nunc admonitus cum timore & reverentia præſtat, hortanteque Propheta Numinis edicto paret. ¶ *Omniſque reliquus populus*] Ad verb. *& omne reſiduum populi*, ſive, ut articulum Ebraicum exprimam, τοῦ λαοῦ. ¶ *Voci DOMINI*] *Vox DOMINI* dicitur doctrina Legis, ſed hic ſignificat præceptum Dei de exſtruendo Templo. ¶ *Cum miſiſſet eum DOMINUS Deus eorum*] Vel, *quemadmodum miſerat eum DOMINUS Deus eorum.* Nondum conſtitui utra interpretatio melior ſit. ¶ *Timuitque DOMINUM*] Non timore illo de quo Apoſtolus loquitur cum ait, *Charitas foras mittit timorem*; ſed *timuit*, h. e. reveritus eſt, *DOMINUM*, quod proprium eſt pii & religioſi. Fruſtra ergo eſt Hier. ad h. l. ita ſcribens, *Quia populus erat, nondum ad Dei venerat charitatem, quæ foras mittit timorem.*

13. *Legatus DOMINI*] In antiquis ed. nonnullis *angelus DOMINI.* Quæ interpretatio quoſdam in errorem induxit, qui putarunt Haggæum hunc fuiſſe Angelum, & ob diſpenſationem & juſſionem Dei aſſumpſiſſe humanum corpus, & inter homines converſatum; cum *angelus Domini* nihil aliud hic ſit quam *nuncius DOMINI*, ſive, quod idem, *legatus DOMINI* voluntatem populo annuncians. Itaque ab Ebræis exponitur שליח, i. ἀπόστολος. De Moſe dicitur Num. 20. de Sacerdotibus quoque Mal. 2. 7. ¶ *In legatione DOMINI*] Antiquus Int. vertit *ex nunciis Domini*, i. במלאכי יהוה. *Nuncius ex nunciis* ita dicitur ut *Ebræus ex Ebræis*, *Propheta de Prophetis.* Sed במלאכות *legatio*. Poteſt legi *ex legatione Domini.* Vult dicere, *qua fungebatur nomine* aut *juſſu DOMINI.* ¶ *Ego vobiſcum ſum*] Vel *ero*. Jon. *ero vobis auxilio*, ſive *auxiliator.* Ego, inquit, in omnibus vobis adero, veſterque adjutor ero: Quare ædificate domum hanc intrepide: Nemo ædificationem prohibere aut impedire poterit.

14. *Et excitavit DOMINUS ſpiritum*] Nam excitandi erant propter hoſtes vicinos, qui hucuſque opus impediverant & multum negotii ædificantibus exhibuerant. Porro *excitatio ſpiritus* aliud nihil eſt quam inclinatio voluntatis & animi confirmatio ad aliquid agendum. *Excitavit* ergo *ſpiritum* eorum, h. e. immiſit eis hanc mentem & voluntatem, hoc animis eorum indidit, ut relictis rebus omnibus recta contenderent ad opus faciendum in æde Domini: q. d. Deo duce & autore hanc mentem & voluntatem ſuſceperunt. ¶ *Fecerunt opus in domo Domini*] Præpararunt & adornarunt quæcunque neceſſaria erant ad ſtructuram Templi. *Facere* enim ita interdum ſignificat: nec aliter accipi hoc loco poteſt, cum Templi opus aggreſſi ſint primum *die vigeſimo quarto menſis noni.* Vide infra 2. 10.

15. *Die*, &c.] Hunc verſum plerique ponunt in principio capitis ſecundi: ſed nos, cum ſententia id poſtulare videretur, eum collocavimus in fine capitis primi, codices Venetos autores ſecuti. ¶ *Menſis ſexti*] Aliquid mihi hoc loco dicendum eſt contra eos qui *ſextum menſem* putant Adar fuiſſe. Nam *iſte menſis*, inquiunt, *aptior eſt ad ædificandum.* Solent autem Ebræi annum inchoare vel à Niſan, vel à Theſri. Ab hoc undecimus menſis eſt Ab, ab illo Sabat. Cum igitur Zacharias undecimum menſem *Sabat* appellet, quis neget eum inchoaſſe annum à Niſan? Credibile autem eſt ab eo menſe computaſſe Prophetam Haggæum, cum æqualis ejus fuerit. Proinde ſupra v. 1. calculum ſubducentes ab hoc eodem menſe, *ſextum menſem* diximus eſſe Elul: nec adhuc pœnitet. Hoc poſito, videamus quid reſpondendum ſit ad hoc quod dicunt *menſem Adar aptiorem eſſe ad ædificandum.* Nos id totum concedimus: neque tamen ex eo ſequitur quod illi volunt. Nam ædificatio cœpta eſt non ſexto, ſed nono menſe, qui *Chaſlev* dicitur. Hic menſis reſpondet ex parte Decembri noſtro. Vide infra 2, 11. Jam vero ſciendum aliam rationem anni fuiſſe in Judæa quam hic apud nos ſit. Nam cum meſſis ibi cœperit 16 menſis Niſan, h. e. Martii aut Aprilis, quid abſurdi ſi ſtatuerimus opus ædificationis inchoatum fuiſſe ſub finem Chaſlev, h. e. tribus menſibus plus minus ante meſſem? Neque ſane video quod impedimentum frigus adferre potuerit in regione tam calida, præſertim eo anni tempore quo frigus aliqua ex parte ſe remiſerat.

IDEM.

1. MIᾷ τοῦ μηνὸς] i. Πρώτῃ. Sic μία σαββάτων, quod alibi legitur πρώτη σαββάτου. Eſt autem is *dies*

Dominicus sive *Solis*. Theophylactus, παρὰ γὰρ Ἑβραίοις τὸ, μίαν, ταυτὸν σημαίνει, τῷ, πρώτην. ¶ Ἐκ Φυλῆς Ἰϐδα] Hanc versionem Lxx. Interpretum indicat in suis Commentariis Hieron. Ego non ausim quicquam immutare; tamen suspicor initio scriptum fuisse ἡγϐμενον ἐκ Φυλῆς Ἰϐδα. פחת certe ἡγϐμενον reddunt iidem interpretes Malach. 1. 8. Sic eandem vocem interpretatur hoc in loco Symmachus. Sed Lxx. variant. Nam 2 Par. 9. 14. vertunt σατράπην, & Neh. 2. 7. ἔπαρχον.

2. Κύριος παντοκράτωρ] Editiones ad E. C. Κύριος ὁ Θεὸς τῶν δυνάμεων· quæ lectio in mendo cubat. Nam legendum Κύριος τῶν δυνάμεων· paret ex versione Latina quæ in operibus Hier. Lectio aliorum cod. non est rejicienda. Hier. *Ubicunque nos ponimus* Dominum exercituum, *LXX diverse aut* Dominum omnipotentem *aut* Dominum Sabaoth *aut* Dominum virtutum *interpretantur*, *i.* Κύριον παντοκράτορα, Κύριον Σαβαὼθ, & Κύριον τῶν δυνάμεων. Postremum magis sonat *Dominum exercituum*. Nam δυνάμεις *exercitus*. Adi sis Observ. meas lib. 10. cap. 14. ¶ Ὀυκ ἥκει] Rom. ἐχ ἥκεν.

4. Τϐ οἰκεῖν] Perperam in nonnullis cod. τϐ οἰκοδομεῖν. ¶ Κοιλοςάθμοις] i. *Concavis*, *deorsum sitis & in convalle demersis*, interprete Hier. ¶ Ὁ δὲ οἶκος ἐτος] Ita legendum ex C. & versione Lat. Hier. non, ut in R. ὁ δὲ οἶκος ἡμῶν. In quibusdam reperi, ὁ δὲ οἶκός μϐ ἐτος.

6. Εἰς μέθην] Idem cum illo quod præcedit εἰς πλησμονήν. Sic accipies Joh. 2. 10. ὅταν μεθυσθῶσι. Notatum à viris doctis μεθύειν & apud scriptores profanos de quavis *repletione* tralatitie dici: unde in Dioscuris Theocritus,

Ἔςη δὲ πληγαῖς μεθύων, - - -

de Amyco Bebrycum Rege verba faciens. Nonius quoque Marcellus *ebrios* dici posse qualibet re expletos confirmat autoritate Varronis, qui in Eumenidibus scripserit,

Scholasticas aures scholica dape ebrias,

pro *ad saturitatem refectas*. ¶ Εἰς δεσμὸν] *In sacculum*. Alibi est εἰς ἀπόδεσμον. Gen. 42. צרור כספו ἔνδεσμος ἀργυρίϐ, i. *sacculus pecuniæ*. Appellatio à *ligando*.

8. Καὶ κόψατε ξύλα] Libri nonnulli καὶ κόψατε ξύλα καὶ οἴσετε· ex quo emendarem καὶ οἴσετε ξύλα, i. *afferte ligna*, nisi apud Hier. esset *præcidite ligna*. Quæ lectio eorum sententiam confirmat qui montem Libani hoc loco intelligunt. Vide Lectiones meas.

9. Εἰσηνέχθη] Εἰσηνέγκατε est in C. & in Latina Hier. *intulistis*. ¶ Αὐτὸ] Alias αὐτά. ¶ Διὰ τϐτο τάδε λέγει] Τάδε non legitur in editis ad exemplar Toletanum.

10. Ὑποςελεῖται τὰ ἐκΦόρια] Ita scriptum in C. & R. In aliis est ὑποτελεῖται δϐναι τὰ ἐκΦόρια.

11. Ῥομφαίαν] i. חֶרֶב, quod nunc legunt חֹרֶב. Id sonat *siccitatem*, vel, si placet, *vastitatem*.

12. Ἐκ κεΦαλῆς Ἰϐδα] Verior scriptura est in R. ἐκ Φυλῆς Ἰϐδα. Sed E. C. hoc membrum non habet, nec etiam legitur in Ebræo codice: ut dubitari vix possit quin aliunde huc irrepserit. ¶ Καθότι ἐξαπέςειλεν] In quibusdam legitur, καθότι εἰ ἀπέςειλεν· quod non ita placet. ¶ ἘΦοβήθη ὁ λαὸς] Ex C. legendum ἐΦοβήθησαν. Sed in eadem abest ὁ λαὸς male.

13. Ὁ ἄγγελος Κυρίϐ]. Est cur articulum delendum esse putem: sane non legitur in R. nec apud Ebræos. Occasionem etiam dedit cur hunc Prophetam Angelum fuisse humana figura è cœlo delapsum affirmarint. ¶ Τῷ λαῷ] Liber Compl. εἶπον τῷ λαῷ.

14. Τϐ λαϐ] Recta & germana scriptura est in R. παντὸς τϐ λαϐ· quam etiam Canterus olim notavit ex codice Vaticano. ¶ Εἰσῆλθον] C. εἰσήλθοσαν. ¶ Παντοκράτορος] Idem codex τῶν δυνάμεων.

IDEM.

1. בְּיַד־חַגַּי. Sym. δι' Ἀγγαίου] i. *Per Haggæum*. ¶ פַּחַת יְהוּדָה. Aq. Sym. & Th. ἡγϐμενον Ἰϐδα] i. *Ducem*. Hoc interpretamentum exstat & in Lxx. Mal. 1. 8.

4. סְפוּנִים. Aq. ὠροΦωμένοις] i. *Tectis*. Nam ὀροΦὴ sive ὄροΦος *tectum*.

GROTIUS.

TRes sunt Prophetæ qui populum vidêre reducem, Aggæus, Zacharias, & Malachias, quibus addendus Daniel: Nam & is, multis Regibus superstes, fuisse in Judæa creditur, & tempore aliquo partem fecisse τῆς συναγωγῆς τῆς μεγάλης [*Synagogæ magnæ*], à qua tunc populus gubernabatur. In his quatuor defiit Prophetia usque ad Christi tempora. Voluit enim Deus ista *fame verbi* (ut Prophetæ loquuntur) appetentiores Messiæ facere Judæos, qui Prophetas omnes miraculis esset superaturus. Et quia hi postremi fuere Prophetarum Veteris Fœderis, ideo ad Novum Fœdus, & Ducem ejus Christum, digitum apertius intendunt; nec tantum per medias historias alias eum figurant, sed directe monstrant.

1. *In anno secundo Darii Regis*, *in mense sexto*, *in die una mensis*] Id est, *prima*, more Hebræo; ut Genes. 1. 5. & alibi. Cœpit ergo hic à Deo his visis illustrari septem mensibus ante quam is qui sequitur Zacharias. Utraque hæc Prophetia ea ipsa est, de qua agit Esdras v. Occasio hæc fuit. Concesserat Cyrus, à Deo, qui id per Esaiam prædixerat, motus, Judæis reditum in patriam, cum jure restituendi Templi & Urbis. Ita enim Cyri edictum refert Josephus XI. Redierant è tribu Judæ, Benjaminis, & Levi plurimi, nonnulli etiam ex tribubus aliis, quibus Dei cultus erat cordi, & fundamenta fecerant Templi. Cyro autem per bella occupato, & Cambyse circumvento, vicini Satrapæ invidentes Judæis impedierant ædificationem Templi longo satis tempore. Is Cambyses nomine communi *Artaxerxes* dicitur in Sacris historiis: quo de nomine egimus ad initium Estheris. Dario Hystaspis Regnum adepto Persicum, aperuit Deus Prophetis qui tum in Judæa erant, Aggæo & Zachariæ, velle se ut pergeretur in cœpto opere, quia scilicet constituisset Regis Darii animo indere cogitata Judæis faventia & hoc opus promotura. Erant qui Aggæo crederent; inter quos eminebant Zorobabel Ethnarcha è Davidis stirpe, & Jesus Josedecides Sacerdos maximus. Multi ex plebe, laboris & impensarum fugientes, quidvis malebant credere quam id quod ipsis molestum esset: Satis enim habebant in domibus, quas sibi subito fecerant, bene adversus omnem cœli injuriam tectis, habitare, & agri proventibus frui: quæ tamen spes eos, Deo ita volente, fefellerat. Horum duorum Prophetarum & ad eos se adjungentium duorum virûm, quos dixi, principum auctoritas tantum valuit, ut interruptum diu opus repeteretur: Quod pium studium, Deo sic res dirigente, Darii Regis edicto comprobatum adjutumque est. ¶ *Factum est verbum Domini in manu Aggæi Prophetæ*] Id est, *per Aggæum Prophetam*. Hebraismus satis notus. ¶ *Ad Zorobabel filium Salathiel*] De hujus genere vide quæ diximus ad Luc. III. 23. & sequentibus. ¶ *Ducem Juda*] Ἐθνάρχην, ἡγεμόνα, ἄρχοντα τῶν Ἰουδαίων [*Ethnarcham*, *Ducem*, *Principem Judæorum*]; ut Josephus loquitur. Reverebantur quidem eum Judæi in animo suo quasi Regem; quod ex Davidis familia diu regnatrice ortum duceret, sed Regium nomen ei splendoremque non circumdabant, ne Persarum Regum, sub quorum erant tutela, partim & imperio, animos offenderent. ¶ *Et ad Jesum filium Josedec Sacerdotem magnum*] Natus quidem hic erat ex Aaronis sanguine, sed ad summum Sacerdotium electus à Synedrio; sicut olim à Regibus Judæis fieri solebat. Dicta hæc illis duobus, sed coram populo, ut apparet infra 12.

2. *Populus iste dicit*] Plebs illa pigra & avara. ¶ *Nondum venit tempus domus Domini ædificandæ*] Nullas justas habebant causas Aggæo, qui eos quotidie hortabatur, non credendi, nisi privatos affectus obstantes publicis commodis. Hoc ulcus jam tangit Propheta.

3. *Et factum est verbum*] Attamen verum est Deum mihi quæ dico præcepisse. ¶ *In manu Aggæi Prophetæ*] i. Mea. Ita sæpe Hebræi nomen ponunt pro pronomine.

4. *Numquid tempus vobis est ut habitetis in domibus laqueatis*] In vestris rebus nullum tempus serum est: in Dei rebus omne tempus prematurum creditis. Non ita animatus fuit David, ad cujus verba hic non obscure respicitur. Sunt ea II Samuel. VII. 2. Psalm. CXXXII. בתים ספנים sunt *domus tectæ*. Sic ספינא Chaldæis & Arabibus *navis tecta* sive *constrata*. ¶ *Et ista domus deserta*] *Ista domo manente prostrata*, id est, Templo.

5. *Ponite corda vestra super vias vestras*] Etiam atque etiam attendite quid agatis.

6. *Seminastis multum*, *& intulistis parum*] In horrea, Deo labores vestros non prosperante, & sic ulciscente neglectum sui. ¶ *Comedistis*, *& non estis satiati*] Osee IV. 10. ¶ *Bibistis*, *& non estis inebriati*] Non satis fuit vini unde ad hilaritatem biberetis. ¶ *Operuistis vos*, *& non estis calefacti*] Περιεβάλετε. *Vestivistis vos*, quomodo & Chaldæus. Tam tenuiter fuistis vestiti ut non satis id fuerit bene fovendo corpori. Vide quæ diximus ad Jacobum II. 16. ¶ *Et qui mercedes congregavit*, *misit eas in sacculum pertusum*] Quasi dolium Danaidum, quod semper perfluit. Quicquid opera vestra peperistis, id statim abit in impendia. Ita caro vivitur.

8. A-

8. *Ascendite in montem*] Moria. ¶ *Et acceptabilis mihi erit, & glorificabor*] *Placebit mihi in ea domo ostendere majestatem meam.* Ita optime hic Chaldæus.

9. *Respexistis ad amplius*] Ad rem augendam, dum Templum negligitis. ¶ *Et ecce factum est minus*] Res vestra diminuta est. ¶ *Insufflastis in domum*] Res partas. ¶ *Et exsufflavi illud*] Ita perire feci sicut perit emissus halitus, Job. XI. 20. ¶ *Et vos festinatis unusquisque in domum suam*] Locupletandam. Vestras res tantum agitis. Deum non curatis, nec ille vos curat.

10. *Prohibiti sunt cœli ne darent rorem, & terra prohibita est ne daret germen suum*] Deut. XXVIII. 23.

11. *Et vocavi siccitatem super terram*] *Accersivi sterilitatem.* ¶ *Et super montes*] Id est, terram pascuam. ¶ *Et super omnem laborem manuum*] *Arbores sativas*, Deut. XXVIII. 33. Psal. LXXVIII. 47.

12. *Et verba Aggæi Prophetæ, sicut misit eum Dominus*] Id est, quæ Deus ei dicenda mandaverat: nam שלח [*mittere*] Hebræis sæpe hanc significationem habet.

13. *Et dixit Aggæus nuntius Domini de nuntiis Domini*] *Legatus Domini in legatione Domini.* Dixit hoc quod sequitur, Propheta non suo sed Dei ipsius nomine. Id Hebræo optime convenit: & sic accepit etiam Chaldæus. ¶ *Ego vobiscum sum*] *Auxilio vobis ero*, ut hic vertit Chaldæus. Vide quæ diximus ad Matth. XXVIII. 20.

14. *Et suscitavit Dominus spiritum Zorobabel filii Salathiel Ducis Juda, & spiritum Jesu filii Josedec Sacerdotis magni, & spiritum reliquorum de omni populo*] Animos illis addidit. ¶ *Et faciebant opus*] Id est, materiam congerebant. Hunc sensum exigunt quæ sunt infra II. 19.

CAP. II.

MUNSTERUS.

1. *In die vicesimaquarta mensis*] Scilicet *paraverunt se ad opus.* Ædificium autem ipsum inceperunt 24 *die noni mensis*, sicut prope finem hujus capitis dicitur.

4. *An non respectu illius quasi nihil est*] Hoc dicitur quod seniores populi & Sacerdotes tristes essent, secum expendentes quantum hoc Templum, quod construere incipiebant, à prioris Templi pulcritudine & magnificentia degeneraret. Deus autem in mœrore constitutos consolatur, promittitque *majorem secundi Templi futuram gloriam quam primi.*

7. *Adhuc unum modicum est*] Autor epistolæ ad Hebræos hunc locum sic citat cap. 12. *Adhuc semel, & ego movebo non solum terram, sed etiam cœlum.* R. S. sic exponit, *Adhuc una tribulatio surget contra vos à Græcis, sed quæ modico durabit tempore.* Aben Ezra vero longe aliter exponit, nempe in hunc modum, *Adhuc unum mirabile faciam, sed quod in oculis meis modicum esse censebitur*, vel *quod modico durabit tempore.* Quod vero sit illud mirabile Kimhi hujus Rabi Interpres sic exponit, *Jam cum ædificio Templi operam impenditis, contradictionem Gentium sustinetis; in illo vero tempore honorabunt omnes gentes domum istam muneribus auri & argenti quæ adducent.* Sic quod sequitur, *Ego commovebo cœlum & terram*, &c. hyperbolicum putant esse sermonem, propter multa beneficia quæ Gentiles contulerunt in hoc Templum, potissimum Herodes, qui Templum ampliavit & magnificentissime decoravit. De quo Josephus filius Gorion Historiographus in hunc modum scribit, החיצן הורדוס עם העם ישראל לבנות בית מקדש על סדהו כאשר בנה שלמה מלך ישראל כי השבים מן הגולה בימי כורש התחילו לבנותו על המרה אשר צוה כורש ולא כאשר לפנים · וכאשר שמע כל ישראל כי עם לבבו להרוס את הבית מיקרו ולבנתו לא השיבוהו כי ידאו אולי יהרוס ואחרי כן יתמהמה בבניינו · והוא ידע אשר בלבבם · והשב להם כי לא יתמהמה ולא ישקוט עד אשר יכלה הדבר · ויאמר להוציא מבית גנזיו זהב וכסף לרוב לתת לחוצבים אבנים יקרות ואבני בהט ושש · ולחרשי עץ ואבן וזהב וכסף ונחשת וברזל לעשות את כל העושי למלאכה להיות הבל יתיר ואם יהרוס את הבית יוכל לבנותו מהרה ויעש כן : ויסתור את הבית ויבנהו ויכלהו אורך כאה באמה ורחב מאה באמה וקומה מאה באמה כלו אבני שיש לבן ותפרח דלתות הבית זהב טהור ממולא באבנים יקרות ואותיהם כסף ווים כסף · לא נראה בנין כמוהו בכל העולם כי כלו נפלאות מאד ותשלם כל המלאכה : ויבאו מכל ארץ רחוקה או קרובה לראות את הבית ואת המלך כי לא האמינו עד אשר ראו ויראו והנה לא הגד להם החצי · Ex quibus patet externum hujus secundi Templi decorem certasse cum magnificentia Templi Salomonici. At nos hoc loco magis advertimus magnitudinem Divinarum promissionum, & mentem atque sensum Spiritus Prophetici colligimus non fuisse de externa illa Templi gloria qua per alienigenam & Tyrannum arrogantissimum Herodem est ornatum, sed qua Christus illud admirabile fecit, & quod æternum futurum est in cœlis. Cum hoc à Christo nobis repararetur, *commoti sunt cæli & terra*, & innumera contigerunt miracula. *Sol* enim *obscuratus est* in morte Christi, *petræ scissæ, monumenta aperta.* Et *in die Pentecostes factus est repente de cœlo sonitus*, &c. Sed & *totus mundus* ad prædicationem Euangelii *est commotus*, quidam surgentes ut illud exstinguerent, alii ut pro eo effunderent sanguinem. *Mare* quoque, i. insulani & maritimi, & qui in *arida* vel in *solitudine* (id enim חרב proprie significat) *commoti sunt* & conversi ad auditum Euangelicæ vocis. Quod si Jehudæi omnino contenderint hæc Prophetæ verba accipienda de exteriori Templo, ut facere solent, age, facile convincemus eos, & gladio suo confodiemus, prætertim qui tertium corporale sub Mesehia exspectant futurum Templum. Ut quid enim Propheta dixisset, *Adhuc modicum unum est*, si de tertio Templo voluisset sua intelligi verba? Num *modicum tempus* præteriit à tempore Prophetæ usque ad tempora nostra, quando tertium Templum nondum in terris apparuit? Et huc trahunt verba ista quæ scribuntur Exod. 15. 17. *Sanctuarium Domini, quod firmaverunt manus tuæ. Hoc*, inquiunt, *Templum erit stabile & perpetuum sub Meschia, quod manus Domini fundaverunt: alia autem duo ab hominibus exstructa, destructa fuerunt ab hominibus.* Si hæc de spirituali Templo intelligerent, optime loquerentur. Haud dissimile commentum afferunt quando Propheta dicit, *Major erit gloria domus hujus posterioris quam gloria prioris:* etiamsi inter se dissideant, quibusdam id dictum æstimantibus de tertio Templo adhuc futuro, aliis autem intelligentibus de secundo Templo, quod illud propterea in majori gloria fuerit quod decem annis diutius steterit quam primum. Sed de hac re expostulabimus cum eis Hebraico sermone; הנה אמר הנביא עוד אחת מעט · ואם עדן משיח לא בא שקר אמר הנביא כי מזמן הנביא עד עתה עברו כמה שנים יותר מאלפים : ועוד אמר · גדול יהיה כבוד הבית האחרון מן הראשון · ומה הוא הכבוד הגדול אלא כי משיח בא בבית שני ונראה שם ונעשה שם נסים ונפלאות אשר כמוהן לא נעשו בכל עולם ואף למר את הזמן והראם דרך אל חיי עולם הבא : וא״ת משום שעמד בית שני י׳ שנים יותר מן הראשון נקרא גדול מן הראשון · וי״ל כי אין בשביל מעט זמן הזה הבית הזה היה גדול מאד מאחר בכל דברי אחרי׳ היה קטון מן הראשון כי כלי׳ אשר בבית ראשון היו זהב ובשני היו נחשת · עוד חסרו בו עשר׳ נסי׳ שנעשו לאבתיכם מקדם · כי לא הפילה אשה מריח בשר הקודש · לא הסריח בשר הקדש מעולם · לא נראה זבוב בבית המטבחי׳ · לא אירע קרי לכ״ג ביום הכפורי׳ · לא כבו גשמים אש של עצי׳ המערכה . לא נצח הרוח את עמוד העשן · לא נמצא פסול בעמר ובשתי הלחם ובלחם הפני׳ · עמדי׳ צפופים ומשתחוים רווחי׳ ולא הזיק נחש ועקרב בירושלם · לא אמר איש לחברו צר לי המקום שאלין בירושלם · גם היו בבית ראשון הארון עם כפורת וכרוב אש שכינה רוח הקדש אורים ותומי׳ שלא היו בבית ב׳ · אלא בדבר זה היה בית האחרון גדול מן א׳ כי נהרה בו משיח כשאמרנו : עוד רבותיכם לא כפרשי׳ אמרו לאמר כי עתיד להבנות בית שלישי בא״י ואז יבא משיח כי הנביא אמר פרס הבית הזה האחרון אשר אז נבנה עתיד גדול מראשון ·

8. *Venientque cum eo quod desiderabile est*] Heb. *Et venient desideratione cunctarum gentium:* h. e. venient cum iis rebus quæ desiderantur & in pretio sunt apud omnes gentes, ut sunt aurum, argentum & lapides pretiosi, muneribus suis honorantes domum meam: sicut & Jesaias dixit, *Omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes*, &c. q. d. Singulæ gentes optima sua offerent, seipsos Domino consecrantes & de suis opibus pauperes Christi, h. e. viva Dei templa, ornabunt. Alii referunt *desiderium* ad Christum.

13, 14. *Si portaverit quispiam*] Ostendit Propheta hac similitudine Jehudæos omnes, tam Sacerdotes quam vulgares, deliquisse, quod inobedientes essent præcepto Domini in exstructione Templi, & propterea *omnia opera* eorum Deo tanquam *immunda* displicuisse. Et nota quod hic *sanctificari* capitur pro *pollui*, sicut & *caro sancta in veste portata* capitur pro *immundo reptili*, unde vestis immunditiam quandam contrahit. *Immundus* autem *super anima* est qui corpus hominis mortui tetigit. Kimhi tamen hunc ponit ordinem, Reptile est primum quod polluit vestem; deinde injecta caro sancta in vestem contrahit immunditiam; tertio quicunque cibus tangens hanc carnem quæ tetigit vestem immundam, fit & ipse quoque immundus.

16. *Apponite, quæso, cor vestrum*] i. Potestis ex hoc agnoscere peccatum vestrum: Antequam insisteretis operi Templi, in omnibus sensistis defectum & penuriam me vos percutiente propter inobedientiam vestram. A die autem illa qua opus in-

incepiſtis, quando fere totum ſemen ex horreo in agrum ſerendum expoſuiſtis, ego reſiduum, quod parum fuit, mea benedictione ſic auxi ut nullum ſentiretis defectum. Sic egi cum aliis terræ naſcentibus, quæ cum adhuc in nono menſe, nempe in Kiſleu, nihil protulerint, tamen ego adhuc ea fœcunda reddam.

24. *Ponam te quaſi annulum*] i. Ego diſperdam Regna impiorum: & ſuſcitabo Regnum aliud quod finem non habebit, in quo juſti tantum regnabunt, quos ſervabo magna cura, ſicut is qui magnam curam gerit pretioſi *annuli*, ne de digitis ſuis illum perdat. Sic tu, *Zerubabel*, quia mihi toto corde paruiſti, ego ſervabo te, & omnes tui ſimiles, quos elegi ut poſſideant Regnum meum.

VATABLUS.

1. IN *ſexto* בשש] Sub. *menſe*. Cohæret hæc ſententia fini præcedentis capitis: alioqui ſubaudiendum erit aliquid in fine hujus verſus, nempe, *cœperunt opus ipſum in ea ſtructura Templi*. Quidam exiſtimant hunc menſem eſſe Auguſtum, alii Februarium. Nam annus Hebræorum duo habet initia. Cum enim agitur de Feſtis, incipiunt à menſe Martio; cum autem de aliis rebus, à Septembri, quo menſe putant creatum fuiſſe Mundum. Intelligendum hoc potius de Februario menſe aptiore ad ædificandum.

2. *In manu Haggai* [ביד חגי] *Per manum Haggai*. Id perpetuo facit Propheta iſte, ut intelligamus Prophetiam ſuam eſſe meram legationem qua ipſe functus eſt nomine Domini apud Magiſtratus & reliquam plebem de inſtaurando Templo.

4. *Nonne ſic* eſt, &c. [הלא כמוהו וגו'] *Certe tale tanquam nihilum eſt in oculis veſtris*, i. profecto tale pro nihilo ducitur à vobis: h. e. Si conferatur hoc templum ſecundum cum illo priore, iſtud nihilo æſtimabitur. Templum Salomonis, ſi ſpectes ædificium, fuit multo excellentius ac elegantius Templo ſecundo: Verum ſi ſpectemus dignitatem & honorem, Templum hoc ſecundum cenſebitur inſignius altero, ob præſentiam Chriſti, prædicationem ejus, & miracula quæ edidit.

5. *Robora teipſum* [חזק] *Eſto fortis: confortare*, i. bono ac forti animo eſto.

6. *Quod pepigi* [אשר כרתי] *Quod pacto fœdere pollicitus ſum*, nempe de mittendo Chriſto. Hæc promiſſio ſcribitur Deut. 18. 15. *Prophetam de gente tua & de fratribus tuis*, &c. Vide Act. 7. 37. ¶ *Stabit* [עמדת] Præſ. Heb. pro fut.

7. *Adhuc unum*, &c. [עוד אחת וגו'] Hebraiſmus, Poſt non multum temporis. Poſt breve tempus: q. d. Poſt aliquot annos. Hoc dicit reſpectu annorum qui fuerant à creatione Mundi, vel eorum qui futuri erant uſque ad ſecundum adventum Chriſti. Hyperbole utitur more omnium Prophetarum. ¶ *Commovebo* [מרעיש] *Tremere faciam*.

8. *Et veniet*, &c. [ובאו וגו'] Ad verb. *& venient deſiderium omnium Gentium*. Si ad Chriſtum referas, verbum erit plur. pro ſingulari, *cujus adventum deſiderabant Patres*. Si vero ad Gentes quæ convertendæ erant ad Chriſtum, erit nomen ſing. pro plurali: q. d. *omnes deſideratiſſimæ Gentes venient ad Chriſtum, & ad ipſum convertentur*. Alii vertunt, *venientque cum eo quod deſiderabile eſt cunctis Gentibus*: juxta quos Hebraice legitur, *& venient deſideratio cunctarum Gentium*: h. e. venient cum his rebus quæ deſiderantur & in pretio ſunt apud omnes gentes; ut ſunt Aurum, Argentum & Lapides pretioſi, muneribus ſuis honorantes domum meam, ſicut & Jeſaias dicit c. 60. 6. *Omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes*: q. d. ſingulæ Gentes optima ſua offerent, ſeipſos Domino conſecrantes, & de ſuis opibus pauperes Chriſti, viva Dei templa, ornabunt.

9. *Meum eſt argentum*, &c. [לי הכסף וגו'] q. d. Si hoc Templum non ſit ita ornatum auro & argento ut erat alterum, id non eſt imputandum impotentiæ meæ: Ornare poſſem, ſi vellem, Templum iſtud auro & argento ut ornatum erat Templum Salomonis: at ego volo alia ratione, & ea quidem multo præclariore, hoc Templum illuſtrare, nempe præſentia Chriſti mei.

11. *Noni* [לתשיעי] Menſis nonus ſecundum aliquos eſt November, & ſecundum alios eſt Majus. ¶ *In manu* [ביד] Vide v. 2.

12. *Sic dixit* [כה אמר] *Hæc dicit*: præt. Heb. pro præſ. Hic iterum hortatur populum ad inſtaurationem Templi. ¶ *Nunc* [נא] *Quæſo*: i. Propone Sacerdotibus quæſtiones Legales hunc in modum.

13. *Carnes ſanctificatas* [בשר קדש] Ad verb. *carnem ſanctitatis*, i. oblatas Deo ſuper altare.

14. *Immundus*, &c. [טמא וגו'] Ad verb. *Pollutus anima* in omnibus iſtis. *Anima* pro *cadavere humano*, ut & Lev. 21. 1. Quidam vertunt *ob perſonam*, i. pollutione cadaveris humani.

15. *Cœpit itaque*, &c. [ויען] Ad verb. *Et reſpondit Aggæus, & dixit*. *Reſpondere* pro *loqui* frequens Hebræis. ¶ *Sic populus*, &c. [כן העם וגו'] *Sic* ſe habet *populus iſte*, *& talis eſt gens iſta*, &c. Idem diverſis verbis exprimit. Vel per *populum* intelligit Sacerdotes, & per *gentem* plebem ipſam: q. d. Quod Sacerdotes & populus habeant altare, & oblationes ſuper altare offerant, non propterea ſanctificantur: quia licet altare ſanctificet oblationem, non tamen oblatio offerentem. Sed contra, quod offerentes polluti ſunt (peccato ſcilicet inobedientiæ, quod ſua curent, neglecta ædificatione Templi, quæ fiebat ad gloriam Dei) polluunt oblationem, & oblatio polluit altare. Quoniam ergo polluitis altare propter hanc inobedientiam veſtram, nunc ædificare Templum, parentes Domino. ¶ *Illic* [שם] i. In altari.

16. *Ponite, quæſo, cor veſtrum* [שימו נא לבבכם] Hebraiſmus, de quo ſupra 1. 5.

17. *Ad acervum viginti* [על ערמת עשרים] Hebraiſmus conciſaque oratio, qua deſcribit maledictiones quibus Deus maledicebat tunc illis, & bonis ſive rebus ac operibus eorum. *Antequam*, inquit, *cœpiſſent operari in exſtructione Templi Domini*, jacto antea fundamento, *veniebat agricola ad acervum* manipulorum è quo ille ſperabat ſe habiturum ſive accepturum 20 *modios* tritici, *ſed decem tantummodo reddebat*: erat enim acervus maximus, ſed pauca grana reddebat. *Veniebat quoque vinitor ad prelum ut hauriret quinquaginta cados vini*, ſive *lagenas*, aut *amphoras*, *è torculari* (פורה ſignificat vas illud in quo calcantur uvæ vel liquorem qui ex uvis calcatis exprimitur, Gallice *la mere goutte*) *quod tamen tantum viginti* reddebat: q. d. vinitor non accipiebat mediam partem ejus quod habere ſolebat.

18. *Ariditate & rubigine* [בשדפון ובירקון] Duo morbi ſive vitia ſegetum, alter proveniens ex nimia ſiccitate, alter ex nimio humore. ¶ *Omne opus* [את כל מעשה] Hic את pro ב poſitum, expoſitive, ut annotat doctus inter Hebræos; ut legas *& grandine*, *id eſt omne opus*, &c. ¶ *Et non*, &c. [ואין וגו'] Ad verb. *& non vos ipſi mihi*, i. mei, ut doctus inter Hebræos exponit. Idem etiam ſubaudit, *& non convertebatis vos ad me*, i. & nec ſic quidem revertebamini ad me.

19. *Ponite nunc cor veſtrum* [שימו נא לבבכם] *Ponite, quæſo, cor veſtrum*: i. Conſiderate diligenter quæ vobis antehac acciderint, & quæ poſthac accident. Similis Hebraiſmus & ſupra 1. 5. ¶ *Fundatum eſt templum Jehovæ* [יסד היכל יהוה] i. A die qua cœptum eſt operari in Templo Domini, jacto jam fundamento: *advertite animum & infra*, h. e. & ad ea quæ poſthac vobis accident.

20. *Num adhuc eſt ſemen*, &c. [העוד הזרע וגו'] q. d. Horrea veſtra jam pene vacua ſunt, ſupereſtque vobis paucum triticum: nam magna pars in ſementem inſumpta eſt. Habetis quoque pauciſſimos fructus: nam paucos collegiſtis: & procul abeſt meſſis, & collectio fructuum. Attamen id quod ſupereſt, quantulumcunque ſit, ſufficiet vobis uſque ad meſſem ipſam, & interim nulla re egebitis. ¶ *A die hac benedicam* [מן היום הזה אברך] Sub. *vobis ac rebus veſtris*. *A die hac*, qua ſcilicet cœpiſtis operari in exſtructione Templi Domini. *Benedicere* pro *multiplicare bona*.

21. *Ipſius menſis* [לחדש] Sub. *Novembris*. Bis eodem die & eodem menſe locutus eſt Dominus ad Aggæum.

22. *Commoturus ſum* [מרעיש] Præſ. Heb. pro fut. Vide v. 7, & 8. i. Fere totus orbis, me autore, bellis ac præliis quatietur.

23. *Et deſcendent* [וירדו] Sub. *in ſepulcrum*, vel *in terram*, i. concident & occidentur. Hæc dicunt eveniſſe in tranſlatione Imperii Perſarum ad Græcos, nempe 34 anno ab ædificatione hujus Templi ſecundi.

24. *Tanquam ſignaculum* [כחותם] *Tanquam ſigillum*: i. ſingularem tui curam geram, ut ſolent Principes annuli ſui quo ſigillant: vel, habebo te ſemper præ oculis, ſicut qui annulum jugiter in digito geſtant: i. eris mihi chariſſimus. Quidam hæc interpretantur de bellis quæ commiſſa fuerunt in tranſlatione Imperii Græcorum ad Romanos, quod factum fuit ſub adventum Chriſti: & per *Zorobabelem* intelligunt Chriſtum.

CASTALIO.

23. PRO *annulo habebo*] Chariſſimum & conjunctiſſimum.

CLA-

CLARIUS.

1. IN *die vicesima & quarta mensis*] Scilicet *paraverunt se ad opus:* ædificium autem ipsum inchoaverunt *vigesima quarta die noni mensis*, sicut prope finem hujus capitis dicetur.

4. *Quasi non sit*] Hoc dicitur quod seniores populi & Sacerdotes tristes essent, secum expendentes quantum hoc Templum, quod construere incipiebant, à prioris Templi pulcritudine & magnificentia degeneraret. Deus autem in mœrore constitutos consolatur, promittitque *majorem secundi Templi futuram gloriam quam primi.*

7. *Adhuc unum modicum est*] Citatur hic locus Heb. 12. tanquam ad Christum pertinens. Quare posthabitis Hebræorum interpretationibus, qui, quamdiu *velamen positum est super eorum corda*, non possunt Spiritus qui in Prophetis loquebatur assequi veritatem, dicemus, *Adhuc unum modicum est:* i. Adhuc breve tempus restat (quod etiam quidam Hebræus fuit interpretatus) usque ad Messiæ adventum. Consueverant enim Prophetæ, ut pluribus locis videmus, in ipso ordine historiæ interserere promissiones de Christo: quæ res loca efficit difficiliora. ¶ *Et ego commovebo cœlum, & terram*, &c.] Nam miracula & prodigia multa facta fuerunt circa Christi nativitatem in *cœlo*, & in *terra*. Nam, ut cætera omittamus quæ circa illud tempus accidisse feruntur, mox Christo nato nova ac mirabilis stella illa apparuit quæ ab extremis regionibus ad ejus ortum Magis illis ducatum præbuit. Intelligamus ergo, cum repararetur hoc spirituale Templum Ecclesiæ Christi, *commota* esse omnia, & innumera contigisse miracula. *Sol obscuratus est* in morte Christi, *petræ scissæ, monumenta aperta. In die Pentecostes factus est repente de cœlo sonus. Totus* denique *mundus* ad prædicationem Euangelii *est commotus*; quidam surgentes ut illud extinguerent, alii ut pro eo effunderent sanguinem. *Mare* quoque, i. insulani & maritimi, & qui in *arida* vel in *solitudine* erant *commoti sunt* & conversi ad auditum Euangelicæ vocis.

8. *Venient ad desideratum cunctis gentibus*] Quem alium nisi Christum? Sin legas, ut quidam verterunt, *Et venient cum desiderio cunctæ gentes*, hoc nunquam in secundo Templo factum legitur. Sed de Christo hoc verum fuit ab initio nativitatis ejus, cum primitiæ Gentium Magi venerunt ut eum adorarent. ¶ *Et implebo domum istam gloria*] Quando præsentia Messiæ (ut etiam quidam Hebræorum exposuerunt) Templum secundum illustrandum erat. Quod & Malachias quoque apertius eodem tempore prædixit his verbis, *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad Templum suum Dominus, quem vos quæritis, & Angelus federis, quem vos vultis.* Addit præterea,

9. *Meum est argentum*] Ne de temporali gloria, quam Templum illud secundum habiturum erat, se locutum crederent: q. d. Non argenti & auri copiam me in gloriam æstimare puteris, cum hæc, ubicunque sint, mea sint. Non ergo de temporali gloria Propheta loquebatur, sed de spirituali, qua ob ipsius Messiæ præsentiam Templum illud replendum erat. Quare & subjecit,

10. *Magna erit gloria domus istius novissima plus quam prima*] Alia scilicet ratione quam exornatione auri & argenti: Quod de miraculis quoque quæ Messias sua Divina virtute in Templo illo secundo facturus erat, non solum de ejus præsentia, intelligendum est. In hoc enim vel maxime *secundi Templi gloriam longe majorem quam primi* fuisse constat, quod Deus in primo quidem Templo per Prophetas populo loquebatur, in secundo vero per seipsum locutus est & docuit & miracula patravit. Et observant quod dixerit, *domus istius novissima*, & non *secunda:* ut inde palam fieret, tertium Templum (si negent illud tertium fuisse quod dirutum est) ædificandum non fuisse, Templumque quod per Messiam construendum erat, non materiale, juxta Judæorum juniorum errorem, sed spirituale futurum fuisse. ¶ Postremo addit, *Et in loco isto dabo pacem*] De temporali pace intelligi non potest, cum ab ipsius Templi initio usque ad ejus finem variis semper bellorum ærumnis Judæi ab aliis gentibus affecti fuerint. Quare de spirituali pace intelligendum est, cum Christus inter Deum & Hominem pacem fecit. ¶ Illud autem quod ait, *Venient ad desideratum cunctis gentibus*, alius vertit, *Venient cum eo, quod est desiderabile cunctis gentibus*, h. e. cum iis rebus quæ in pretio sunt: juxta illud, *Omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes*, &c.

12. *Interroga Sacerdotes Legem*] i. Rem de qua in Lege tractatur. Et duo proponit quibus vult sibi responderi; Unum est, *Si quis ala vestimenti qua tetigerat carnem sanctificatam, tangat panem, aut aliquid aliud, num illa res tacta ab ala illa vestimenti sanctificetur. Et respondetur, Non.* Sola enim quæ sacrificii carnes tangebant sanctificabantur; non illa quæ contingebant prius sanctificata per tactum: ut patet Levit. 6. Alterum est, *Si pollutus in anima*, h. e. qui corpus mortui hominis tetigerit, *aliquid tetigerit, num illa tacta res contaminetur. Et responderunt, Contaminari.* Et videtur velle concludere, Eos non tam sanctificari oblatione hostiarum, quamvis ipsæ sanctæ essent, quam contaminari suis ipsorum operibus & inique factis: nam etsi carnes sanctas comedant & offerant victimas, corporeus est duntaxat contactus, qui ad animam non penetrat, & quasi contactus vestimenti, qui non sanctificat; sed contra, opera, quæ proficiscuntur à polluto animo, polluta & ipsa sunt.

17. *Ad acervum viginti modiorum*] Unde scilicet sperabantur viginti modii. Et est sensus, Potestis ex hoc agnoscere peccatum vestrum. Nam antequam insisteretis operi Templi, in omnibus sensistis penuriam, me vos percutiente propter inobedientiam vestram. A die autem illa qua opus incepistis, quando fere totum semen ex horreo in agrum serendum exposuistis, ego residuum, quod parum fuit, mea benedictione sic auxi ut nullum sentiretis defectum. Sic egi cum aliis terræ nascentibus, quæ cum adhuc in nono mense nihil protulerint, tamen ego adhuc ea fœcunda reddam.

22. *Zorobabel*] Quasi *Turbate*, sive *Dispergite, Babel.* Ego disperdam, inquit, Regna impiorum, & suscitabo Regnum aliud quod finem non habebit, in quo justi tantum regnabunt, quos servabo magna cura, sicut is qui magnam curam gerit pretiosi *annuli*, vel *obsignatorii*, ne illum perdat. Sic te, *Zorobabel*, quia mihi toto corde paruisti, ego servabo & te, & omnes tui similes, quos *elegi* ut possideant Regnum meum.

23. *Vir in gladio*] h. e. Mutua cæde conficientur.

DRUSIUS.

CAput hoc divisum est in conciones tres: Quarum duæ priores ad omnes in genere, ultima ad ipsum Zorobabelem peculiariter spectat. Summa est, Templi cœptum opus constanter esse persequendum. Loci confirmationis sunt à Facili, Quia Deum habituri sunt adjutorem; ab Honesto, Quod non vulgaris futurus sit Templi splendor; ab Utili, Quoniam pristina fœcunditas & rerum omnium ubertas, quam Templi neglectus ademerat, restituetur. In fine ponitur Vaticinium de eversione Regnorum & gentium, item de benevolentia Dei erga Zorobabelem.

1. *Septimo mense*] Qui *Thesri* dicitur; respondet autem partim Septembri, partim Octobri nostro.

3. *Quis inter vos reliquus*] *Superstes.* Non ex his sequitur *aliquem tunc reliquum fuisse qui Domum priorem viderit*; sed, Siquis, inquit, *esset qui vidisset, nonne hanc cum illa comparans nihili eam faceret?* Postulat autem ratio temporum ut hunc locum ita exponamus. Nam à destructo Templo usque ad annum secundum Darii Nothi spatium est tantum quantum non cadit in homines illius ævi. ¶ *In gloria sua priore*] Qualis erat Salomonis & Regum sequentium tempore usque ad Sedeciam, sub quo destructa fuit per Babylonios. ¶ *Qualem eam videtis nunc*] Desertam & vastam, cum sub Cyro fundamenta jacta essent. Quo tempore etiam *fletum excitatum* legimus *à senibus qui prius Templum viderant*, Ezræ 3. 12. ¶ *Ut illa*] Ad illam comparata. ¶ *Tanquam nihil esset*] Hoc verum est si accipiatur eo sensu quo diximus, & non de Templi exstructi ædificio. Nam Cyrus edicto sanciverat ut altitudo ejus 60, & latitudo totidem pateret cubitos. Vide Ezræ 6. 3. & 1 Reg. 6. 2. Ad hæc in Josephi Historiarum compendio proditum est, hanc Ædem ad amplitudinem Solomonei Templi reparatam in latitudinem patuisse cubitos centum, in altitudinem totidem, ut & in longitudinem. Cæterum figura est in his versibus quæ *Occupatio* à Grammaticis vocatur. Respondet enim iis qui objicere poterant Ædem hanc magnificentia & splendore, si cum priore comparetur, multo inferiorem esse. Id quod pro illo tempore verum esse concedit: fore tamen propediem, & quidem instare tempus, cum splendidissimus erit & magnificentissimus hujus Templi ornatus, atque talis quidem qui prioris Domus gloriam penitus obscuret. Hujus rei Deum fore autorem, venturumque Messiam longa jam seculorum serie desideratum gentibus & summe expetitum, qui ornamentum sit Templo longe maximum. Hujus adventum, inquit, præcedent cœli & terræ concussio, bellici tumultus, nationum & populorum motus; consequentur Gentium confluxus, auri copia & argenti, rebusque omni-

omnibus anteferenda pax & concordia, non illa solum rerum externarum, sed imprimis conscientiæ firmiter Dei promissis fultæ ac sustentatæ.

4. *Omnis populus terræ*] Ita vocabant plebem & vulgus promiscuum. Vide Jerem. 15. 19. ¶ *Et facite*] *Facite* dixit pro *facite opus*, ut sæpe alias. Locus iste aliter interpretari potest, nempe ut verba illa, *quoniam ego vobiscum sum*, &c. includantur parenthesi, & verbum *facite* referatur ad versum sequentem, hoc modo, *Facite*, (*quoniam ego vobiscum sum dicit DOMINUS exercituum*) *verbum quod pepigi vobiscum*, &c. Quod proinde accipiendum ac si diceret, *Estote animo forti, & servate pactum meum quod vobiscum pepigi cum ex Ægypto egrederemini. Quod si virium vos deterret imbecillitas, habetis me qui vobis usque adsum, & Spiritum meum colloco in medio vestri.* David Scholiastes enarrat, *Si feceritis & servaveritis fedus meum, certe ego vobiscum ero, dicit DOMINUS.* Ubi notabis Imperativum conditionaliter accipi. Sic sane futurum accipitur in illo Mal. 1. 4. *ipsi ædificabunt, & ego destruam.* Sensus enim est, *Si ædificaverint, ego destruam.*

5. *Cum verbo quod pepigi*] *Cum eo quod pepigi*, i. cum fœdere meo: vel magis legendum *in quo pepigi. Ego vobiscum sum*, inquit, *& una verbum in quo* (sive *per quod*) *pepigi vobiscum.* Hunc sensum expressit Hier. per hæc verba, *Ego sum vobiscum, & Spiritus meus, & Verbum, in quo posui testamentum cum egrederemini ex Ægypto. Verbum* in hac interpretatione significat Personam alteram in Divinitate, h. e. Jesum Christum Dei Filium, qui *Angelus federis* vocatur Mal. 3. 2. propterea quod per eum Patres recepti sint in fedus cum Deo Patre. את הדבר significantius Græce exprimas σὺν τῷ λόγῳ. ¶ *Cum exiretis ex Ægypto*] Patrum facta filiis tribuit. Sic Act. 7. 53. *Qui accepistis Legem per dispositionem Angelorum, nec servastis:* nam non ipsi acceperant Legem, sed patres eorum. Plena est ejusmodi scriptura. ¶ *Spiritus meus*] Spiritum significat Propheticum, quo præditi erant Haggæus, Zacharias & Malachias: vel internam vim à Deo manantem quæ animos eorum confirmabat & excitabat ad opus faciendum. Jonathan, *Propheta mei docentes inter vos.* Si vere, figura est quam *Metonymiam* vocant, *Spiritus* pro אנשי רוח *viri Spiritus*, i. Prophetæ. ¶ *Stat*] *Persistit, durat, permanet. Stare* eodem sensu usurpat & Salomo, *terra in perpetuum stat*, i. permanet.

6. *Adhuc unum, parum illud est*] Quidam legunt, *Adhuc semel, parum illud est.* Hi פעם subaudiunt. Sic Græci ἔτι ἅπαξ. Subest autem his verbis hæc sententia, Adhuc semel ditabo hanc Ædem; vel, Adhuc aliquem splendorem ei conciliabo: id quod mihi factu facile erit, cum mei juris sit quicquid usquam terrarum est auri & argenti. Sunt qui elegerunt, *Adhuc unum modicum est:* quod fere ad *tempus* referunt, ac si diceret, *Brevi* (sive *Propediem*) *commoturus sum*, &c. Sed ea vis in participio præsentis temporis *commoveo*, ut mox ostendam. Ergo alii præferunt, *Adhuc unum, pusillum illud erit*, & *Regnum* subintelligunt, hac sententia, *Adhuc unum Regnum.* Vult dicere, *Post unum Regnum.* Simile, *Adhuc quadraginta dies.* Particula enim עוד denotat exactum tempus. Innuit autem Regnum, si *Regnum* appellari potest, Machabæorum, quod *pusillum* erat comparatum ad ea Regna quæ fuerant Templi primi tempore. Aut lege, *modicum illud erit*, i. breve minimeque diuturnum: nam duntaxat annos LXX duravit, ut relatum in Historia Ebræa. Secutum est deinde Regnum Herodis, sub quo natus est Christus; De quo hunc locum omnes qui sane judicant intelligunt. Magna profecto pervicacia Judæorum in ipsa meridie palpitantium, quibus os occludendum semel est. Nolo mihi credant. Audiant Majores suos, qui hos versus exposuerunt de Messia. Inter quos R. Aquiba, qui vixit ante Hieronymum, nominatus in Sanhedrim, capite cujus initium HELEC, ubi agitur de Messia. Hujus sententiam expressit commentator Thalmudicus alter (duo enim sunt) per hæc verba, מעט מלכות אתן להם לישראל לאחר חרבן ולאחר אותו מלכות הנני מרעיש שמים וארץ ויבא משיח, i. *Parum Regni dabo ipsis Israelitis post destructionem*, Templi primi videlicet: *& post illud Regnum ecce ego commoveo cælum & terram, & veniet Messias.* Alter diserte illum nominat cum scribit, מעט כבוד אתן להם לישראל ואני מרעיש את השמים ואת הארץ והבאתי חמדת גוים לירושלים ורבי עקיבא דריש לה לימות המשיח, i. *Parum gloriæ conciliabo Israelitis: postea commovebo cælum & terram, & adducam desiderium* [i. res desideratas & pretiosas] *gentium Jerosolymam, & R. Aquiba exposuit de temporibus Messiæ.* Meminit etiam Nicolaus, cujus hæc sunt, *Huic dicto concordat expositio R. Aquibæ, de quo dicitur in libro Sanhedrim, qui apud Ebræos authenticus est, qui sic exponebat passum istum,* „ *Adhuc unum* „ *modicum est, scilicet Regni venturi Israel post destructionem* „ *primæ Domus, & post illud Regnum commovebo cælum &* „ *terram, & movebo omnes gentes, & veniet Messias. Quia post paucos Reges de genere Machabæorum Christus venit tempore Herodis, omnibus terris sub dominio Romani Imperatoris redactis. Johannes enim Hircanus Simonis Machabæi filius imposuit sibi diadema Regium. Et duravit illud Regnum usque ad Herodem, qui fuit alienigena.* ¶ *Commoveo cælum*, &c.] Per prædicationem Euangelii. Et *cælum & terram*, i. omnes res creatas. Aut significat fore tonitrua & terræmotus. *Commoveo* autem dixit pro *mox commoturus sum*, ut Joh. 7. 33. *Vado ad eum qui me misit:* & 8. 21. *Quo ego vado, vos non potestis venire.* Forte innuit terræmotum qui accidit sub Herodis Regno paulo ante adventum Christi. Refert enim Compositor Historiæ Ebraicæ Josephus, *Judæam tunc ita concussam fuisse & conquassatam ut partim pavore, partim ruina montium & domorum in sola urbe Jerosolymorum interierint ad hominum millia decem.* Addit deinde, *Herodem post illum terræmotum legatos ad vicinas nationes pacis petendæ causa misisse, eosque ab Arabum Rege ad unum omnes cæsos necatosque: ex quo deinde gravissimum bellum inter utramque gentem excitatum sit.* ¶ *Terram*] Toti subjicit partes, *mare & aridam.* Quæ partitio est Terræ quoties generalem habet notionem, ut Gen. 1. 1. Alioqui secretione facta humidi ab arido, ea portio terræ quæ sicca erat *terra* peculiariter dicta est. *Arida* dicitur ea forma qua *dextera* & *sinistra* dicimus. Quidam prætulerunt *aridum*, ut Græce ξηρόν· unde compositiones illæ, ξηροβατικόν, ξηροβιωτικόν, ξηροτροφεῖον, ξηρονόμον. Sed τὴν ξηρὰν dixit Euangelista Matthæus, ut de mari πουλὺν ἐφ' ὑγρὴν Homerus.

7. *Ut veniant*] ובאו. Vau hic est τελικὸν, h. e. pro ἵνα sumitur. Priscus Int. *& venit.* Videtur legisse ובא. ¶ *Ad desiderium omnium gentium*] Planum est. Vocatur autem Christus *desiderium Gentium* quod à Gentibus suo tempore desideratus fuerit. Sic Apostolus eum vocat μακαρίαν ἐλπίδα, i. *beatam spem.* Nam, juxta Esaiæ testimonium in N. Federe laudatum, *in nomine ejus Gentes sperabunt.* Sed forte melior interpretatio, *ut veniant cum desiderio cunctarum gentium*, h. e. cum rebus suis desideratissimis & pretiosissimis. Quo facit illud, *Omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes*, Jes. 60. 6. *Cum desiderio*, i. בחמדת. Abest ב, ut sæpe alias. Quod autem ait, ut *veniant Gentes cum desiderio Gentium*, locutio est ut, *Dixit Moses socero Mosis.* Plena est ejusmodi Scriptura. Græca editio, τὰ ἐκλεκτὰ πάντων τῶν ἐθνῶν· unde posses legere, *ut veniant desiderati omnium gentium*, i. electi ex omnibus gentibus. Sic editio Gallica; quam vide, si placet. *Ad desiderium:* Hic אל subaudio. Talis defectus invenitur Joel. 1. 14. & Ruth 1. 2. ¶ *Implebo domum istam gloria*] Ut 1 Reg. 8. 11. & 2 Par. 5. 14. Vide 2 Mach. 2. 8.

8. *Meum est argentum*] Mei juris, vel à me, hæc sunt omnia, quæ largiri possum satis cumulate & abundanter. Quare non est quod sitis de ulla re soliciti: Et hoc & alia vobis suppeditabo ad ornatum Domus pertinentia, & inprimis pacem æternamque felicitatem; Qua una re hæc Domus aliam longe superabit. Vel sic, Argento & auro, quo instructissima fuit prior Domus, possum & hanc ornare, & ornabo sane suo tempore (nam mei juris hæc omnia sunt) cum his rebus tum imprimis interna pace conscientiæ.

9. *Major erit gloria*] Domus posterior vincet priorem cum aliis rebus, tum inprimis magnificentia spirituali & pace conscientiæ. De externo autem splendore qui Templo accessit sumptibus restaurato Herodis scribit Gorionis F. *Non fuisse simile ædificium in universo terrarum orbe. Nam ad vetera ornamenta addita fuit Vitis aurea, quæ prælongis luxurians sarmentis, aureisque onusta racemis, artis dexteritate vincebat sui generis opera pretiosissima, & pondere æquabat libras auri mille. Item partes argenteas inter ædem & porticum spissitudine sesquipalmi, h. e. dimidii* זרת: *cum janua aurea, in cujus limine supero ensis erat librarum auri duodecim, inscripta habens hæc verba,*

הזר הקרב יומת

Alienus quicunque accesserit, capitale esto.

¶ *Dabo pacem*] Pacem conciliabo & rerum omnium felicitatem tranquillitatemque: qualem videlicet describit Esaias 11. 6. & ex eo Sibylla, vel si quis alius autor illorum versuum qui apud Lactantium leguntur,

Οἱ δὲ λύκοι σὺν ἄρνεσ' ἐν οὔρεσιν ἀμιλλῶνται·
Χόρτον γὰρ λύγκες τ' ἐρίφοισιν ἅμα βόσκονται,
Ἄρκτοι σὺν μόσχοισιν ὁμοῦ, καὶ πᾶσι βροτοῖσι·
Σαρκοβόρος τε λέων φάγετ' ἄχυρον παρὰ φάτναις·
Σὺν βρέφεσίν τε δράκοντες ἀμάτροσι κοιμήσονται.

Quæ

Quæ certo evenisse intelliget qui velit considerare altissimam illam pacem qua fruebatur Oriens cum bello Actiaco confecto Jani templum Romæ clauderetur, & affulgeret toti Mundo salutare illud Sidus JESUS CHRISTUS Servator noster, qui fracta Satanæ potentia dedit tranquillitatem conscientiæ scelerum dissidio graviter turbatæ, sicut & Prophetæ & Sibylla prædixerant illo carmine quod Latine reddidit Virgilius Ecloga 4.

Ultima Cumæi venit jam temporis ætas:
Magnus ab integro seclorum nascitur ordo.
Jam redit & virgo, redeunt Saturnia regna;
Jam nova progenies cælo demittitur alto.
Tu modo nascenti puero, quo ferrea primum
Desinet, ac toto surget gens aurea mundo,
Casta fave Lucina: tuus jam regnat Apollo.
Te duce, siqua manent sceleris vestigia nostri,
Irrita perpetua solvent formidine terras.
Ille Deum vitam accipiet, Divisque videbit
Permistos Heroas, & ipse videbitur illis:
Pacatumque reget patriis virtutibus orbem.

De qua *pace* & Angeli cecinerunt, *Gloria in excelsis, & pax in hominibus bonæ voluntatis*, & ipse Soter loquitur Joh. 14. 27. cum ait, *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis*, &c.

10. Concio secunda; Cujus hæc summa & princeps propositio est, *Quandoquidem Domum hanc cœpistis reparare, posthac sentietis Dei beneficentiam non vulgarem.* Eam auget collatione superioris temporis, quo Templum adhuc vastum erat & destructum. Argumentum est ex loco Dissimilium. Protasis indicit statum præteriti temporis, antapodosis, præsentis & futuri. Protaseos duæ partes, Pollutio, & Infelicitas. Antea, inquit, vestra omnia polluta erant & contaminata, atque adeo plagis affecta quamplurimis. Polluta fuisse docet argumento à Simili; sumpto ab antiquo ritu Sanctificationis & Pollutionis. ¶ *Mensis noni*] Hic mensis *Chasleu* nominatur Zach. 7. 1. respondet autem Decembri nostro ex parte. Hier. ad h. l. *Nonus est mensis, quem nos* Novembrem *vel* Decembrem *dicimus.* NISAN *enim apud Ebræos mensis est primus, qui appellatur* mensis novorum, *eo tempore quo Pascha faciunt, id est incipiente veris exordio: qui secundum Lunæ cursum sæpe quandam partem mensis Martii possidet, interdum incipit in Aprili. Ergo si* NISAN Aprilem *intelligimus, nonus mensis secundum supputationem Ebræorum December erit.*

11. *Interroga Sacerdotes*] Prior pars protaseos; In qua duæ quæstiones proponuntur Sacerdotibus: Una est de sanctificatis, altera vero de pollutis. Ex responsis autem Sacerdotum liquet, pollutionis majorem vim esse quam sanctificationis; siquidem sanctificatio in primo aut secundo subsistit, pollutio serpit latius, & ad tertium quartumve extenditur. Hinc tandem concluditur, Cum ipsi polluti sint ob neglectum opus Templi, actiones quoque ipsorum omnes, omnesque adeo victimas quas immolant Deo in altari, pollutas esse. Cæterum ad officium Sacerdotum pertinebat docere Legem, & respondere sciscitantibus de ea. Deut. 33. 10. *Docebunt judicia tua Jacobum, & legem tuam Israelem.* Mal. 2. 7. *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam; ex ore ejus quærent Legem, quia nuncius DOMINI exercituum est.* Vide quoque Levit. 10. 10. & 11. ¶ *Legem*] h. e. de Lege. Intelligit autem ritum de pollutis & sanctificatis. Synecdoche.

12. *En, tulerit*] Plenum est, *En, si tulerit.* Hoc Ebræus dicit, *En, tollet.* Simile, *Ipsi ædificabunt, & ego destruam:* vult dicere, *Si ædificaverint.* ¶ *Quispiam*] Sacerdos, aut alius è plebe. Hier. *Inter ipsas sanctificatas carnes erat multa diversitas. Alias enim Sacerdotes in Templi adytis comedebant; alias, propinqui eorum domi; alias, hi qui de Sacerdotibus videbantur esse maculati; alias, Israelitæ qui nullam habebant immunditiam. Hujus diversitatis plena ratio in Levitico dicitur.* ¶ *Carnem sanctam*] Vel *sacram.* Ita vocabant carnem sacrificiorum, h. e. eorum animalium quæ in sacrificiis mactabantur. *Sanctum* enim sive *sacrum* dicebant quicquid Divinis usibus consecratum erat. ¶ *In ala vestis suæ*] Ita legendum est, non, ut antea, *in ora vestis suæ:* nam in *ora* nihil gestari potest. Significat autem vestem extremam, sive gremium aut tractum illum qui à cingulo ad ipsam oram. ¶ *Et tetigerit alæ suæ*] Non dicit *carne sancta* (nam ea *rem attactam sanctificabat*, Levit. 6. 27.) sed *ala sua*, quæ sanctificata quidem tactu carnis sanctæ, tamen vim suam ulterius non extendebat. ¶ *Pulmentum*] נזיד *pulmentum*, aut quælibet alia *coctio:* Græce ἕψημα· nomen habet à *coquendo.* Itaque interpretatur ab Ebræis תבשיל, i. *coctio* aut *coctura.* Lex. V. Ἕψησις, *coctura.* ¶ *Aut vinum*] ואת היין. Copula Vau hoc in loco disjungit, ut Exod. 21. 15, & 17. Contra fit in interdicto illo, QUOD VI AUT CLAM, *ubi* AUT *conjunctio pro* ET *apertissime posita est*, ait Justinianus. ¶ *Num sanctificabitur*] Hoc à quibusdam exponitur κατ' ἀντίφρασιν *contaminabitur*, nempe ut *auri sacra fames*, i. profana. Ego non recedo à propria significatione, & refero non ad *carnem*; sed ad *panem*, *aut pulmentum*, &c. h. e. ad quodlibet horum quod quidem ala carnem sacram gestans attigerit. ¶ *Cui respondentes Sacerdotes dixerunt, Non*] Recte respondent. Nihil enim horum sanctificabitur; cum lex hujusmodi sit, *Quicquid tetigerit* Sacerdos *carne ejus, sanctificabitur.* Loquitur de hostia pro peccato sive de victima expiatoria.

13. *Quid si attigerit*] Vel manu, vel ala sua; ut supra. ¶ *Pollutus anima*] i. Tactu cadaveris. Hic perspicue *anima* pro *cadavere* ponitur. Eodem sensu usurpatur Lev. 21. 1, & 11. Firmabo hoc testimonio Hieronymi; *Immundus in anima*, inquit, *dicebatur qui corpus mortui hominis attigerat:* & post paulo, *Pollutus in anima, h. e. qui contagione mortui est immundus effectus.* Nihil certius. ¶ *Ullum istorum*] Quicquam ex supra memoratis. Ad verb. *omnia ista.* ¶ *Polluetur*] Planum est. Pollutio igitur serpit in tertium quartumve. Nam cadaver polluit hominem, homo vestem, vestis cibum aut potum aut pulmentum, aut siquid aliud attigerit. Secus fit in sanctificatione. Ratio est, ut quidem nonnullis videtur, Quia pollutio, quæ à cadavere, in personam cadit, sanctificatio vero in rem inanimatam.

14. *Tunc respondens*] Nemo interrogavit quicquam: sed ex usu linguæ verbum ענה de omni dicitur continuatione sermonis. ¶ *Ita est populus iste*] Similes sunt immundo ex cadavere, qui contactu suo omnia immunda reddit. Dicit autem *populus iste* & *gens ista*, quasi non mereatur dici *populus Dei*; qui sua se immunditie separavit à Sancto Israel, cui nullum cum pollutione commercium. ¶ *Coram me*] Hoc adjecit quia opinione sua mundi & sancti erant. Sed aliter Deus, aliter homines judicant. ¶ *Et quod offerunt*] Non solum actiones eorum pollutæ sunt, sed etiam victimæ quas immolant, atque adeo quicquid offerunt Deo in altari; q. d. Populus iste, qui diruta domo mea hostias mihi offert in altari, & carnibus ejus se sanctificari credit, sciat non tam sanctificari se ex talibus quam contaminari omnia opera & cuncta quæ agit ex eo quod negligit ædem meam, & suas magis ædes exstruere satagit. Sanctum quidem est quod offertur in altari, sed non tam sanctificatur homo ex hostiis quam ex vitiis & neglectu Divini cultus polluitur. ¶ *Illic*] Designat altare quod ædificatum fuerat statim à reditu, videlicet anno primo Cyri Regis, mense ejus anni septimo, ut habetur Ezræ 3. 3. Porro sacrificia quæ in hac ara fiebant non minus erant munda & pura quam in alio loco quovis, donec tempus advenisset domus DOMINI reparandæ: tum enim negligentiæ crimine & socordiæ obstricti Judæi & aram polluebant & victimas in ea oblatas. Hæc germana mens Prophetæ.

15. Sequitur nunc pars posterior in dissimilitudinis protasi. *Ante hunc diem*, inquit, *omnia vobis infeliciter & contra animi sententiam provenerunt. Nam cum ad acervum vicenarium veniretur, erat tantum denarius; & cum ad lacum torcularis veniretur ad hauriendum amphoras quinquaginta, erant solummodo viginti. Adhæc vitia quædam immisi segetibus vestris, quæ eas penitus vastarunt & corruperunt. Vites quoque grandine occidi. Hoc cum ita sit, non tamen ad me reversi, domus mea curam qualem oportuit habuistis.* ¶ *Nunc autem jam*] *Nunc jam* dictum ἐκ παραλλήλου, ut *cito celeriter.* Aut lege, *Nunc autem ponite, quæso*, ut נא idem sit quod אנא. Sic נא שמרה *serva, quæso*, vel *obsecro.* Ita veteres explicant eam vocem. ¶ *Ponite cor vestrum*] Sub. *ad vias vestras.* Antea explicatum est. ¶ *Ab hoc die*] Quo primum cœpistis Templum ædificare, qui est vigesimus quartus mensis noni. ¶ *Et supra*] Vel *ad superius tempus*, h. e. ad eos dies qui hunc antecesserunt. Quod referri debet ad *ponite cor*, & tunc nihil subaudiendum erit. מעלה non modo antecedens tempus notat, sed etiam ad sequens refertur: ut Ezræ 3. 8. *à filio viginti annorum & supra*, h. e. ab eo qui vigesimum ætatis annum excessit. ¶ *Priusquam positus esset*] Vel *priusquam poneretur*, h. e. antequam ædificatio continuaretur: Quæ cœpit quidem sub Cyro, sed impedita fuit usque ad secundum annum hujus Darii. ¶ *Supra lapidem*] אל אבן dixit pro על אבן. Quæ Enallage reperitur & alias, ut Ezech. 18. 11. & Mich. 4. 3.

16. *Ex quo illi fuerunt*] Sub. *dies.* Intelligit autem dies illos quibus Templi opus neglectum jacuit. Alii, *Priusquam illi essent*, & *lapides* subintelligunt, hac sententia, Priusquam lapides illi coagmentati & dispositi essent in suos ordines. ¶ *Ventum est*] בא *venit*, sub. *homo:* h. e. *ventum fuit.* Simile Mal. 1. 4. *vocabunt eos*, i. vocabuntur. Et Gen. 15. 6. *reputavit illi*, repu-

reputatum fuit, ἐλογίσθη. ¶ *Ad acervum viginti*] *Satorum*, aut hujusmodi quid subaudio. ¶ *Ad lacum torcularis*] Prius erat *ad torcular*: sed *torcular* גת dicitur: יקב autem est vas illud in quod vinum expressum recipitur. ¶ *Ad hauriendum*] חשף hoc sensu legitur Jes. 30. 14. ¶ *Quinquaginta*] Sub. *batos*. Est autem *Batus*, teste Eucherio, *amphora una*, i. Modii tres. Hoc vult, Tantum Batus in liquidis capit quantum Modii tres in aridis. Nam Batus mensura est liquorum, quæ & *cadus* & *metretes* secundum nonnullos. ¶ *E torculari*] i. בפורה. Aliis פורה est *lagena*. Jonathan interpretatur גרבין, i. *utres* aut *dolia*. Sed פורה est *torcular*, ut Jes. 63. 3. *Torcular calcavi solus*, ubi eadem vox in Ebræo. ¶ *Viginti*] Hic numerus æquat numerum majorem in frumento. Quapropter? An quia in calidis locis opus vini copia ampliore?

17. *Percussi vos*] i. Vestras fruges & vites. Post se explicat cum ait, *omnia opera manuum vestrarum*. ¶ *Uredine & robigine*] Duo vitia segetum, quorum prius ex nimio ardore provenit, posterius vero ex nimio humore nascitur, quando videlicet eo fruges suffocatæ flavescunt. Scribitur & *rubigine*. Antiquus Int. hoc genus morbi *auruginem* vocat. ¶ *Omnia opera manuum vestrarum*] i. Segetes industria operaque vestra satas, item vites plantatas cultasque à vobis. Ita dico, *percussi uredine & robigine* segetes, *& grandine* vites. Sic Ps. 78. 47. *Occidit grandine vites eorum*. ¶ *Neque tamen vos ad me*] Sub. *reduxerunt illæ pœnæ*. Movi, inquit, omnia mea flagella, sed nihil promovi; conatus sum ad frugem vos revocare, sed sine profectu. Non grando, non robigo, non penuria aut egestas potuerunt istam vobis negligentiam excutere: usque adeo radices egerunt privati amor lucri & mei nominis non ferendus neglectus. Cæterum figura est in Ebræo quæ *Aposiopesis* vocatur, index acerbi doloris; Quem qui sustinet, rei indignitatem plena exprimere oratione non potest. *Vos*, אתכם. Locum hunc alii aliter interpretantur. Quidam sic, *& nullus apud vos ad me convertebatur*. *Apud vos*, i. אתכם. Sic אותם pro אתם ponitur Jes. 59. 21. Alii subintelligunt etiam האיש, hac sententia, *Non ego video vos redeuntes ad me, dicit DOMINUS*. Vetus editio, *& non fuit in vobis qui reverteretur ad me*, אין בכם שב אלי. Sunt qui subaudiunt *convertistis*, & אתכם interpretantur *vos ipsos*, ut Ezech. 34. 8. אותם *seipsos*, & Num. 6. 13. אתו *semetipsum*. Sed cum Propheta dicat Thren. 5. 21. *Converte nos, Domine, & convertemur*, malim, *nec tamen vos ipsi ad me conversi fuistis*. Nam את interdum servit nominativo, videlicet post verba passiva & neutra: Cujusmodi verbum שב, quod hic subintelligitur à nonnullis. Jer. 4. 1. *Si redieris, ad me redito, dicit DOMINUS*. Porro *ad Deum redit* qui Deo paret, seque & vitam suam ad ejus voluntatem componit, h. e. ad præscriptum Legis ipsius; à quo qui recedit *à Deo recedere* dicitur. Unde & pii viri *cum Deo esse* aut *ambulare* leguntur.

18. *Mensis noni*] Quo tempore semina latitant adhuc in terra, nec futura fœcunditas conjectari potest. Vide supra v. 10. ¶ *Quo fundatum fuit Templum*] Quo cœptum est ædificari super fundamentum Templi, quod jactum fuerat anno altero à reditu, post exstructum altare. Vide Ezræ 3. 11. Nihil temere affirmandum; quid si tamen accipiamus hæc ut verba sonant? Nam forte olim exstructa fundamenta rursus destructa fuerant, ut nova jam fundatione esset opus.

19. *An adhuc semen in granario?*] q. d. Nullum restat vobis semen in granariis vestris. Vel, *in horreo*: nam vox Ebræa utrumque significat. Abenezra, מגורה *est locus ædium reponendo frumento*. Pro *horreo* usurpatur in Gemara; ubi præterea & *piscinam* notat, & *conclave parvum in navigio*. Quæ omnes significationes ductæ sunt à *congregando*, quod est גור: unde & ממגורות *horrea*. Vide Joel. 1. 17. ¶ *Hactenus*] i. עתה: ita R. D. explicat. Vel usus est עד pro עוד, ut Job. 1. 16. Sic etiam usurpatur eadem particula Jon. 4. 2. *Et adhuc*, inquit, *vitis non tulit*. Vult dicere, *ante hunc diem vigesimum quartum*. ¶ *Vitis, ficus*, &c.] His abundabat Palæstina. Deut. 8. 7, 8. *Dominus Deus tuus introducet te in terram bonam; terram frumento, hordeo, vitibus, ficubus & malogranatis, terram olivis & melle abundantem*. ¶ *Arbor oleæ*] i. Olea. Quod ita dicitur ut *Herba Lapathi*. Tale est, *Fluvius Euphratis*; item, *Urbs Roma*. ¶ *Non tulit*] Plenum est, *non tulit fructum*, aut *non tulit florem*. Hoc V. Int. dixit *non floruit*. Hactenus, inquit, non floruit ulla harum arborum. Cui sententiæ repugnat ratio temporis in Olea: nam ea fructum ferre consuevit octavo aut nono mense: Flores autem præcedunt. Quare malim *non tulit fructum*. Ac reliquarum quidem arborum tempus nondum advenerat, Olea fortasse cum aliis proventibus earum maledictionem sensit, ut suo tempore proferre fructum non potuerit. ¶ *Benedicam*] Tam quod adhuc in horreo quam quod terræ mandatum est; item ubertatem fœcunditatemque conciliabo vestris arboribus. Huc facit illud, *Benedictio DOMINI ditat, nec adfert secum laborem*.

20. *Postea fuit*] Concio tertia, cujus hæc sententia est, *Te, ô Zorobabel, mihi electum, Regnis & Imperiis eversis, intimo amore & arctissima charitate complectar*. ¶ *Secundo*] *Iterum, denuo*. Bis enim allocutus est Prophetam eo die. ¶ *Hujus mensis*] Mensem nonum intelligit, quem *Chasleu* vocari diximus.

21. *Ego commoveo cœlum & terram*] Vel, ut supra v. 6. vel est proverbiale loquendi genus simile illi, *Cœlum terræ miscet*, & illi, הפך עולם, quo Turcæ utuntur, teste Abenezra, cum bellicis tumultibus cuncta replentur, tristesque ac sinistri rumores audiuntur. Sic dico, *Mundum subverti* dictitarit in summa rerum omnium perturbatione. Nec abhorret ab hoc loquendi genere sermo vulgaris.

22. *Subvertam solium Regnorum*] Nam post devictum Darium Codomannum translata fuit Monarchia ad Græcos. Inde porro ad Romanos transiit, antequam veniret typicus Zorobabel, de quo hæc intelligenda esse vel ista Imperiorum translatio, Regnorumque subversio, & hominum strages, vitæque spatium quod Zorobabelo breve admodum superfuit, apertissime convincunt. Nam anno demum 34. à reparato Templo Persicum Regnum eversum est. Id quod perspicuum ex Templi ætate; De qua in hunc modum Joses quidam homo Ebræus, *Anno exstructi Templi 34 deleta est Monarchia Persarum, quam excipiens Græcorum Principatus duravit annos* 180, *usque dum rerum potirentur Machabæi, qui annos imperarunt* 103; *totidemque qui successerunt ex familia Herodis. Facto calculo sunt anni 420 quibus stetit Templum secundum*. ¶ *Perdam*] Vel potius *exterminabo*. Nam *perdam*, i. ואבדתי. ¶ *Robur*] Alii *firmitatem*, alii *fortitudinem*. ¶ *Descendentque*] Cadent interfecti. Sic olim Jonathan exposuit: vertit enim certe, *occidentur equi, & vectores eorum, alii gladiis aliorum*. Subintelligitur autem *in terram* aut *in sepulcrum*: aut *descendent in gladium*, h. e. se mutuo trucidandos obruerit: quod in congressu acierum fieri solet, ubi promiscuis omnia cædibus fœdantur, alios in aliorum gladiis irruentibus. ¶ *Fratris sui*] i. Alterius.

23. *Assumam te*] *Assumi* dicuntur qui ad honores adsciscuntur, ut Psal. 78. 70. Locum mox adducam. ¶ *Zorobabel*] Cujus avus Jechonias: de quo Jerem. 22. 24. *Vivo ego, dicit DOMINUS, si erit Jechonias annulus signatorius in manu mea dextra*. Huc respexit Sirachides cum ita scriberet, *Zorobabelem vero quo pacto prædicem? qui fuerit quasi quoddam sigillum in dextra manu*. Verba hæc habentur Sirach. 49. 11. quæ sic capienda ut si diceret *in manu dextra Dei*. Neque recte est apud priscum Int. meo judicio, *in dextra manu Israel*. Vide nunc Hier. principio Comment. in hunc Prophetam. ¶ *Serve mi*] Ita vocatur ob munus & officium. Sic Jos. 1. 1. *Moses servus meus mortuus est*. Christo etiam tribuitur Jes. 42. 1. *Ecce servus meus quem sustento*. ¶ *Ponam te tanquam sigillum*] *Annulum signatorium*. Græci σφραγῖδα nuncupant: h. e. charissimum te habebo, erisque mihi in summo pretio, & curam tui geram singularem. Hoc enim vult, ait R. David, *Deum singulari cura & providentia rebus ipsius prospecturum*. Plura de hac locutione in Proverbiis. ¶ *Quandoquidem elegi te*] Nempe ad hanc dignitatem. Erat enim Dux populi, selectus ad hoc à Deo. Sic Ps. 78. 70. *elegit David servum suum*, ad Regnum. Jes. 14. 1. *Eliget adhuc Israelem*, in populum. Joh. 6. 70. *Vos duodecim elegi*, ad Apostolatum.

IDEM.

1. KAὶ ἐλάλησε Κύριος] Καὶ non legitur in R. Sed in C. ἐγένετο λόγος Κυρίȣ· quod cum veritate Ebraica consentit.

2. Τȣ̃ Ἰωσεδὲκ] C. τὸν τȣ̃ Ἰωσεδὲκ.

3. Τίς ἐξ ὑμῶν ὃς εἶδε] Idem exemplar, Τίς ἐξ ὑμῶν ἴδε. ¶ Καθὼς ὑπάρχετε] Locus corruptus: emenda ex C. & R. καθὼς ȣ̓χ ὑπάρχοντα. Nihil verius hac emendatione. Hoc vult, *Nonne videtis eam perinde ac si non exsisteret?*

4. Λέγει Κύριος] In uno exemplari reperitur Κύριος τῶν δυνάμεων.

5. Τὸν λόγον ὃν διεθέμην ὑμῖν ἐν τῷ ἐξελθεῖν ὑμᾶς ἀπὸ Αἰγύπτȣ] Hoc totum desideratur in R. Complutense verò exemplar habet τὸ ῥῆμα ὃ διέθηκα πρὸς ὑμᾶς ἐν τῷ ἐξελθεῖν ὑμᾶς ἐκ γῆς Αἰγύπτȣ. Est etiam ubi pro τὸν λόγον reperiatur ὁ λόγος. Vide Lectiones meas. ¶ Θαρσεῖτε] In Ebræo habetur אל תיראו. Est ergo genus interpretationis quale Johan. 12. 15. Μὴ φοβȣ̃· nam apud Prophetam erat *exsulta*.

6. Ἔτι ἅπαξ] עוד אחת. Subintelligit פעם, *Adhuc una vice*, i. Adhuc semel. Autor epistolæ ad Ebræos citans hunc locum c. 12. 26. simul etiam quid sibi velit ἔτι ἅπαξ exponit his verbis, ἔτι ἅπαξ ἐγὼ σείω οὐ μόνον τὴν γῆν, ἀλλὰ καὶ τὸν οὐρανόν. Τὸ δὲ ἔτι ἅπαξ, δηλοῖ τῶν σαλευομένων τὴν μετάθεσιν, ὡς πεποιημένων, ἵνα μείνῃ τὰ μὴ σαλευόμενα, *declarat rerum instabilium remotionem, tanquam facttitiarum, ut maneant quæ sunt stabilia*, i. ut abolitis Legalium ceremoniarum umbris, maneat Christi solidum corpus & Euangelii perennis doctrina. ¶ Ἐγὼ σείσω] Rectius est in C. ἐγὼ σείω.

7. Τὰ ἐκλεκτὰ τῶν ἐθνῶν] i. *Gentes electa*. Talia sunt, *Nigræ lanarum, Canum degeneres*, & quæ alia Grammatici annotarunt. Quidam exponunt *electi ex Gentibus*, videlicet ad æternam salutem. ¶ Πλήσω τὸν οἶκον τῆς δόξης] In C. & R. πλήσω τὸν οἶκον τοῦτον δόξης quod magis probo.

9. Καὶ εἰρήνην ψυχῆς εἰς περιποίησιν παντὶ τῷ κτίζοντι, τοῦ ἀναστῆσαι τὸν λαὸν τοῦτον] Omnino legendum τὸν ναὸν τοῦτον, ut est in cod. Romano, & apud Hier. qui etiam legisse videtur κτισθέντι nam vertit *qui creatur*. Sed rectum esse puto κτίζοντι & hanc sententiam elicio, *Dabo vobis in hoc loco pacem, pacem, inquam, animi, & conscientiæ tranquillitatem, quam acquirat omnis qui laborat ut huic operi fastigium quam celerrime imponatur.* Verba interpretationis Hieronymianæ sunt hæc, *& pacem animæ in acquisitionem omni qui creatur ut suscitet Templum istud.* Porro idem Hier. censet totum hoc membrum superfluum esse minimeque cohærens. Recte sane: nam nec est in Ebræo, nec legitur etiam in editis ad Ex. C.

10. Τοῦ ἐννάτου μηνὸς, ἔτους δευτέρου] Libri ad Ex. C. τῷ ἐνάτῳ μηνὶ, ἔτει δευτέρῳ.

12. Ἐν τῷ ἄκρῳ τοῦ ἱματίου] Intelligit *extremam vestis partem*. Nam ἄκρον dicitur quod *extremum* in re quaque: unde τῷ ἄκρῳ ἅπτεσθαι δακτύλῳ *extremo digito*, & ἐξ' ἄκρων ὀνύχων βαδίζειν *extremis unguibus*. Huc etiam accommodabit quod apud V. nostrum Int. *& tetigerit de summitate ejus panem.* ¶ Ἢ παντὸς βρώματος] Recte *aut ullum cibum*. Est autem Ebraismus vel ipsis pueris jam nunc notus.

13. Ἀγγαῖος] In C. legitur Ἀγγαίας. ¶ Μεμιασμένος ἐπὶ ψυχῇ] R. μεμιασμένος ἀκάθαρτος ἐπὶ ψυχῇ. Sed alterutrum redundat: ac nescio an sumptum sit ex alia quapiam editione. Num. 5. 2. quod in Græco ἀκάθαρτος ἐπὶ ψυχῇ, Hieron. reddit *pollutus super mortuo*. ¶ Ἀπὸ παντὸς τούτων] Idem codex ἐπὶ παντὸς τούτων. Sed in C. legitur ἀπὸ πάντων τούτων. Sensus est, *ab ullo horum*. ¶ Καὶ ἀπεκρίθησαν] Plerique addunt οἱ ἱερεῖς. Sed Vulgata lectio convenit cum Ebræo.

14. Τὸ ἔθνος τοῦτο ἐνώπιόν μου] Ita legendum, & non τὸ ἔθνος τοῦ, ut est in meo libro. Ex. C. pro ἐνώπιον legit ἐναντίον, quod eodem redit. ¶ Ἕνεκεν τῶν λημμάτων] Hæc omnia usque ad καὶ νῦν θέσθε translata huc videntur ex aliis locis Scripturæ. Versio Hier. *propter munera eorum matutina, dolebunt à facie malitiarum suarum, & oderatis in portis arguentes.* ¶ Τῶν ὀρθρινῶν] In quibusdam est καὶ τῶν ὀρθρινῶν, sed minus recte. ¶ Ὀδυνηθήσονται] Alibi ὀδυνήσονται. ¶ Πονηριῶν αὐτῶν] Liber Romæ impressus, πόνων αὐτῶν. ¶ Ἐν πύλαις ἐλέγχοντα] i. *In portis arguentem*. Ed. C. τοὺς ἐν θύραις ἐλέγχοντας, Jesa. 29. 21. *in arguentem in porta inquirunt*. Cæterum λήμματα *lucra* sunt & *emolumenta*; Quæ *matutina* appellat, quasi summo mane, h. e. studiose ac diligenter, captata: αὐτῶν, i. ἑαυτῶν. Qui hæc adjecit, videtur indicare voluisse causas cur opera & sacrificia eorum polluta fuerint. Causas autem ponit duas, videlicet lucri studium, & monitorum contemptum. Aut λήμματα vocat conciones Prophetarum, quos importunitate & diligentia tantum profecisse ait ut primum mœrorem illis incuterent ex facinorum & delictorum conscientia ortum, deinde contemptum sui: quod solet evenire quoties asperius homines desperatos & sibi male conscios tractamus: αὐτῶν intellige τῶν προφητῶν sine antecedente, in periodo manca & abrupta: ἐν πύλαις, i. *pro concione*, vel *in civitatibus*.

15. Ἐπὶ τὰς καρδίας ὑμῶν] R. εἰς τὰς καρδίας ὑμῶν. C. τὰς καρδίας ὑμῶν quod rectum est: nam subauditur *ad vias vestras*.

16. Εἰς κυψέλην κριθῆς] Dictio κριθῆς abest in quibusdam libris. ערמה vertunt κυψέλην, i. *vas in quo acervus* tritici aut hordei *medimnorum sex*. Nam eam mensuram contineri scribit Cælius lib. 9. Græci definiunt esse *vasis speciem ex testa vel vimine, quæ tritici aut hordei rectam mensuram capiat*, qualis fortasse est *cumera* Horatii. Lex. V. κυψέλη μελισσῶν, *favus alvearium*. ¶ Κριθῆς δέκα σάτα] Alibi est δέκα σάτα κριθῆς. Est autem σάτον mensura aridorum, sesquimodium capiens, quam ter continebat Epha. Hier. pro εἴκοσι σάτα habet *viginti modiorum*. Nam liberum in eclipsi cujusque judicium: ut omittam quod Modius proxime ad Ebræum Satum accedat. Quare μόδιος appellatur Matth. 5. 15. ¶ Πεντήκοντα μετρητὰς] i. *Cados*, sive *Batos*, aut *Amphoras Atticas*, quæ capiebant singulæ Choas duodecim. ¶ Ἐγένετο εἰς εἴκοσι] Ebraismus. Alii cod. habent ἐγένοντο εἴκοσι. Hier. quoque, *& fiebant viginti.*

17. Ἐν ἀφορίᾳ] i. *Sterilitate*. Ita Hier. interpretatur. Quod sequitur ἐν ἀνεμοφθορίᾳ transpositum videtur, & huc pertinere ad שדפון: siquidem eandem vocem similiter transferunt Deut. 28. 22. & 2 Par. 6. 28. Item שדופת vertunt ἀνεμόφθορος Genes. 41. 23. Est autem ἀνεμοφθορία *aeris corruptio*, aut *ventus ardore nimio fruges corrumpens*. Itaque Amos 4. 9. בשדפון iidem Interpretes ἐν πυρώσει, i. *ustione segetum*. ¶ Ἀνεμοφθορίᾳ] In Ebræo est ירקון: pro quo ὤχραν referunt Deut. 28. 22. & ἴκτερον Amos 4. 9. item 2 Paral. 6. 28. Is est *morbus regius*, qui *arquatus* dicitur, & à nonnullis *aurugo*, ab auri flavo colore; qui ירקון Ebræis.

18. Ὑποτάξατε δὴ] Sic Rom. Prius erat in C. τάξατε δὴ; & in aliis καὶ νῦν τάξατε δή. ¶ Καὶ ἀπὸ τῆς ἡμέρας ἧς τεθεμελίωται] C. ἀπὸ τῆς ἡμέρας ἧς ἐθεμελιώθη.

19. Ἐπιγνωσθήσεται] Forte leg. εἰ γνωσθήσεται, i. הזרע; quomodo sane legisse videntur pro הזרע, i. *semen*. ¶ Ἐπὶ τῆς ἅλω] In eodem exemplari ἐπὶ γῆς ἅλως, & apud Hier. *super terram area*. ¶ Καὶ εἰ ἔτι ἡ ἄμπελος] Apud Hier. *& si adhuc vinea*. Lectio varians καὶ ἔτι ἡ ἄμπελος. ¶ Ἡ συκῆ καὶ ἡ ῥοὰ] Alibi, αἱ συκαῖ καὶ αἱ ῥοαί.

21. Ἐγὼ σείω] Minus rectum quod in C. ἰδοὺ ἐγὼ σείσω. ¶ Καὶ τὴν θάλασσαν καὶ τὴν ξηρὰν] Sumptum ex v. 6.

22. Θρόνους βασιλέων] Vox Ebræa magis designat βασιλειῶν. Contra peccatum in libris REGUM. Nam iidem Interpretes Βασιλειῶν, i. REGNORUM: qui titulus est illorum librorum. ¶ Καὶ ὀλοθρεύσω δύναμιν βασιλέων τῶν ἐθνῶν] Hoc totum desideratur in C. Hier. *Lxx minus habent*, & conteram fortitudinem Regni Gentium: *quod plenius ex eorum lectione cognoscitur.* Consule Fragmenta Inter. VV.

23. Λήψομαί σε] Pronomen σε male abest à quibusdam libris. ¶ ᾑρέτισα] C. ᾑρέτικα. ¶ Κύριος παντοκράτωρ] Et hic & alibi semper, in hoc quidem Propheta, pro παντοκράτωρ libri ad Ex. C. τῶν δυνάμεων ediderunt: de quo dixi supra in principio hujus Prophetiæ.

IDEM.

22. והשמדתי חזק ממלכות הגוים. Καὶ ὀλοθρεύσω δύναμιν βασιλέων τῶν ἐθνῶν] Hujus interpretamenti autor incertus mihi est: Suspicor tantum Theodotionem esse: hoc ideo quia exstat in textu editionis Lxx: inde ego descripsi. Additum autem fuisse illi editioni paret ex his verbis Hieronymi, *In Lxx addita sunt*, & mare & aridam: *& minus habet*, Conteram fortitudinem Regni Gentium: *quod plenius ex ipsorum lectione noscitur.* Jam vero sciendum, quæ deerant in Lxx addita olim fuisse ex Theodotione. Testatur hoc diserte idem quem modo nominavi Hieronymus ad Desiderium scribens, epist. 104. cum ait, *Quod ut auderem, Origenis me studium provocavit, qui editioni antiquæ translationem Theodotionis miscuit, asterisco & obelo opus omne distinguens, dum aut illucescere facit quæ minus ante fuerant, aut superflua quæque jugulat aut confodit.* Puto legendum βασιλειῶν, i. *Regnorum*. Sed nihil tamen statuo aut immuto. Nam similiter erratum in Lxx. Vide Notas nostras ad illam editionem.

GROTIUS.

1. *In die vigesima & quarta mensis in sexto mense; in anno secundo Darii Regis*] Hæc connectenda sunt cum capite primo: describitur enim tempus quo primum manus admotæ sunt materiæ, ut diximus, congerendæ. Tempus quo Aggæus alterum sermonem ad Principes populumque habuit jam sequitur, unde initium fieri debet capitis alterius.

2. *In septimo mense*] Hic sermo habitus est paulo ante illum Zachariæ.

4. *Quis in vobis est derelictus qui vidit domum istam in gloria sua prima? & quid vos videtis hanc nunc? numquid non est ita quasi non sit in oculis vestris?*] Nemo superstes esse poterat post annos ferme CLXXX: itaque sic vertas optime, *Si quis ex vobis superesset qui vidisset Templum hoc loco in priore magnificentia* (qualem Solomon & Reges sequentes ei dederant, & descripsit Ezechiel), *certe ea quam nos videmus* (id est, cujus fundamenta adspicimus sub Cyro jacta, multo minora veteribus, 1 Esdræ III. IV.) *videretur judicio nostro res esse nihili.* Fuit enim ἐνδεέστερος ὁ ναὸς τοῦ πάλαι [*templum vetere vilius*], ob tenues populi opes, & ob festinationem, ut ex Josepho notavimus ad Ezech. XL.

5. *Et nunc confortare Zorobabel*] Bono sis animo tu, aliique;

que. ¶ *Dicit Dominus exercituum, & facite*] Id est, ædificate Templum.

6. *Verbum quod pepigi vobiscum cum egrederemini de terra Ægypti*] Præstabo vobis eadem quæ majoribus vestris de Ægypto egredientibus promisi, Exodi xv. 26. Jer. vii. 23. ¶ *Et Spiritus meus erit in medio vestrum*] Id est, Habebitis Prophetas, Aggæum, Zachariam, Malachiam. Ita Chaldæus recte.

7. *Adhuc unum modicum est*] Modicum tempus præ eo tempore ex quo fuit populus Israelitarum. Alioqui per se spatium est non breve annorum circiter quingentorum. Sed si tempora quæ ab exitu ex Ægypto ad hanc structuram intercessere compares, breve videbitur. ¶ *Ego commovebo cælum & terram, mare & aridam*] *Cælum, & terram, id est, mare & siccam humum:* ut hæc duo posteriora sint expositio vocis *terræ*, quæ totum illum orbem ex mari humoque compositum significat. Est autem proverbialis locutio, qua significatur ingens rerum mutatio. Sed & singulæ partes habent hic quod agant. *Commoverat* Deus *cælum* fulguribus excitatis in monte Sinai; *commoverat terram*, ut aquas ederet; *commoverat mare*, ut scinderetur. Et Christi tempore Deus *cælum commovit*, locutus de cœlo; *commovit terram*, ita ut tremeret; *commovit mare*, mari & ventis imperans.

8. *Et veniet desideratus cunctis gentibus*] *Ubi venerit desiderium gentium omnium*, id est, quem desiderare omnes gentes debent. Respicit ad verba Jacobi de *Siloh*, quæ in ore erant Judæis & vicinis gentibus, ut diximus ad Matth. ii. Lxx hic pluraliter legere חמדת cum Holem, *eximia*, τὰ ἐκλεκτά, minus recte. ¶ *Et implebo domum istam gloria*] Magna erit secundi Templi gloria, quod in eo conspicietur Rex ille piorum omnium, & in ipso Templo miracula edet. Vide Matth. xxi. 12. 14. Messiam apparitururm in Templo secundo credidere Judæi omnes qui ante Excidium vixere. Ex eo tempore comminiscuntur interpretationes novas, violentas, varias ad hæc loca clarissima, δίκης χάριν σοφὰ φάρμακα [*litis causa reperta subtilia medicamina*]. Quibus dicere possumus,

Οἶσθα δὲ καί τινα μῦθον ἀμείνονα τοῦδε νοῆσαι.
[*Verba sed his etiam nosti meliora profari.*]

9. *Meum est argentum, & meum est aurum, dicit Dominus exercituum*] Id est, istis rebus non egeo. Simile loquendi genus illi in Ps. l. 10.

10. *Magna erit gloria*] Major ob ea quæ diximus. ¶ *Domus istius novissimæ*] Hebræum אחרון etiam de uno ex duobus dicitur: itaque Latine recte verteris *posterioris*.

11. *In vigesima & quarta noni mensis*] Quo scilicet tempore post materiem congestam iterum manus admota operi est, ut apparet infra 16. 19.

12. *Interroga Sacerdotes legem*] Nam illorum erat de ceremoniis respondere, qui eas optime noverant: Lev. x. 10. Ezech. xliv. 23. Mal. ii. 7.

13. *Si tulerit homo carnem sanctificatam*] Id est, victimalem, quæ sanctificatur per altare. ¶ *In ora vestimenti sui*] In lacinia. ¶ *Dixerunt, Non*] Bene: neque enim tam facile legalis illa sanctitas communicatur quam impuritas legalis. Sic etiam vitiorum multæ sunt viæ, virtutis una ac difficilis:

Ἐσθλὸν μὲν γὰρ ἁπλῶς, παντοδαπῶς καὶ κακόν.
[*Una via est recti, sed mala multa modis.*]

14. *Et responderunt Sacerdotes, & dixerunt, Contaminabitur*] Ex lege Num. xix. 22.

15. *Sic populus iste*] Animo non bene emundato, neque ad omnem obedientiam composito, quæ Deo hactenus obtulere dona super altare illud sub dio ædificatum Cyri tempore (Esdræ iii. 3.), ea illos non fecere *sanctos*, id est, Deo gratos, sed contra impurus animus dona ipsa *contaminavit*, id est, ingrata reddidit.

16. *Et nunc ponite corda vestra*] Animadvertite quid hactenus vobis evenerit antequam huic operi admoveretis manum. ¶ *Antequam poneretur lapis super lapidem*] Lapis à vobis supra lapidem positum Cyri temporibus, Esdræ iii. 10.

17. *Cum accederetis ad acervum viginti modiorum*] In Hebræo: *Ex quo exstitere*, nempe tempora illa negligentiæ vestræ, *veniente aliquo ad acervum viginti*, nempe modiorum, id est, ex quo sperabat se excussurum viginti modios. ¶ *Et fierent decem*] *Ibi fiebant* tantum *decem*. Adeo brevi corrumpebatur pars magna frugum. Idem de uvis sequitur.

18. *Percussi vos vento urente*] *Uredine.* Id enim שדפון, Deut. xxviii. 22. i Reg. viii. 37. Amos. iv. 9. *Vos*, id est, sata vestra, ut jam explicabit. ¶ *Et aurugine*] *Rubigine.* De frugum enim non de hominum morbis hic agitur. ירקון *rubiginem* vertit & Latinus Interpres Deut. xxviii. 22. ubi tamen aurugo non minus recte poterat intelligi. ¶ *Omnia opera manuum vestrarum*]. Sata omnia. Est explicatio illius *vos.* ¶ *Et non fuit in vobis qui reverteretur ad me*] Toto scilicet animo.

19. *A die vigesima & quarta noni mensis*] Id est, Memoria retinete hunc diem quem nunc agimus, à quo omnia deinceps vobis erunt prospera. ¶ *A die qua fundamenta jacta sunt templi Domini*] *Ab hoc die quo incipitur Templum*, strui scilicet super jactis pridem fundamentis. יסד sæpe est *incipere*, & vertitur ἄρχεσθαι [*incipere*] ii Par. iii. 3. κτίζειν [*creare*] Exodi ix. 18. alibi συνάγειν [*conferre*], ἐπισυνάγειν [*accumulare*], καταρτίζειν [*perficere*].

20. *Numquid jam semen in germine est? Nonne adhuc germen in horreo est?*] Id est, nullum adhuc semen terræ mandatum est: erat enim mensis November. ¶ *Et adhuc vinea, & ficus, & malogranatum, & lignum olivæ non floruit*] Videtis nondum florere vitem, ficum, malum punicam, & oleam. ¶ *Ex die ista benedicam*] Id est, jam nunc promitto ubertatem maximam omnium istarum rerum, quarum nulla adhuc initia comparent; ut appareat mihi hoc, non naturæ deberi.

21. *Et factum est verbum Domini secundo*] *Secundo*, nempe eadem die. Nam alioqui tertius hic est sermo.

22. *Ego movebo cælum pariter & terram*] Res magnas efficiam, magnis excitatis in cœlo tempestatibus, in terra bellis. Una tempestas ad montem Athon Dario Regi viginti hominum millia absumpsit.

23. *Et subvertam solium regnorum*] Imperium Persarum in Ægypto Judæis vicina. Vide Herodotum initio libri vii. ¶ *Et conteram fortitudinem Regni gentium*] Maximas clades Darius, Rex plurimarum gentium, à Græcis accipiet terra marique. Vide Herodotum libro vi, Pausaniam Atticis, Justinum libro ii, & Plutarchum Cimone. ¶ *Et subvertam quadrigam & ascensorem ejus, & descendent equi & ascensores eorum*] Id est, cadent. ¶ *In gladio fratris sui*] *Fratres* vocat inter se Persas, Ægyptios, Jonas Asiæ, Græcos, qui omnes erant πολύθεοι [*multorum deorum cultores*].

24. *Assumam te, Zorobabel filii Salathiel, serve meus, dicit Dominus, & ponam te quasi signaculum*] A tantis motibus totius prope orbis concussi, efficiam ut Judæa, te Principe tuta sit, & à nemine infestetur. Annulum signatorium solemus bene custodire. Vide Cant. viii. 6. & quæ dicta ad Jeremiæ xxii. 24. ¶ *Quia te elegi*] Id est, *quia te amo*: σὲ ᾑρέτισα [*te seposui*] Lxx; quod idem valet ac si diceres ἐν σοὶ εὐδόκησα [*in te mihi complacui*], qua locutione hic utitur Chaldæus. Vide quæ dicta ad Matth. iii. 17.

ANNO-

ANNOTATA AD ZACHARIAM.

CAP. I.

MUNSTERUS.

Zecharia eodem tempore quo Haggai vaticinatus est, habétque ferè idem quod ille argumentum, instans pari fervore ædificationi Templi, etiamsi plus loquatur de civitate Jerusalem quàm de Templo. Ostensæ sunt autem ei visiones valde obscuræ, quas Hebræi vocant מראות כתובות, quæ haud dissimiles sunt visionibus Danielis: In quibus explicandis tam Hebræi quàm Christiani sudant.

5. *Patres vestri ubi sunt?*] Jonathan hunc locum sic vertit, *Patres vestri ubi sunt? & si dixeritis, Prophetæ non manent in æternum:* ut scilicet altera sententiæ pars sit responsio populi, q. d. *Non videmus meliorem sortem Prophetarum quàm patrum nostrorum. Patres nostri mortui quidem sunt, sed Prophetæ quoque mortui sunt.* Quibus respondet Deus per Prophetam, *Veruntamen Patres vestros apprehenderunt omnia illa mala quæ per me fuerunt decreta & per Prophetas insinuata*, &c.

7. *Mensis Schebat*] Nomina mensium ante Captivitatem non invenimus in lingua Hebraica, nisi quòd appellantur *Primus*, *Secundus*, *Tertius*, &c. sed post reditum è captivitate usurpantur in Hebraismo nomina Chaldaica, ut sunt *Kisleu*, *Schebat*, *Adar*, *Nisan*, &c. Porrò *Schebat* est lunatio quæ partim Januario nostro & partim Februario respondet.

8. *Vidi nocte*] Sunt qui putant legendum, *Vidi noctem*, quod visio ipsa obscura vocetur *nox*: sed Chaldæus Interpres vertit, *Vidi in nocte.* ¶ Pro *Hadasim* nostri verterunt *myrtus.* Est autem arbor quæ per hiemem est frondosa, sed quæ in regionibus nostris non invenitur. Porrò per visionem *equorum sub myrtis* putant significari Pacem, & ablatam pristinam formidinem quâ Jehudæi semper tremebant quoties equos & equites videbant, multiplici hostium malo castigati; ut etiam formidarent inchoare ædificium Templi, nè crabrones iterum irritarent. Ostensa est igitur visio, & audita vox, quòd *universa terra pacata sederet*, & nullus ampliùs metus habendus. Vocabulum שרקים Kimhi sic exponit, מצויירים כלומר שעינם אדום ולבן ושחור כאילו הם נקודים. Nostri verò accipiunt *spadicem colorem*, vulgò braun.

16. *Funiculus extendetur*] Loquitur more ædificantium, qui funiculum cum perpendiculo adhibent erigendis muris.

17. *Segregabuntur civitates*] Aberit, inquit, omnis metus, ut non cogantur omnes simul habitare, sed tanta erit abundantia boni & pacis ut passim omnia loca inhabitari possint.

19. *Quatuor cornua*] Hæc significabant hostes Jehudæorum, quos in quatuor plagis infestos patiebantur: Sed fabri missi fuerunt qui cornua confringerent & ædificium promoverent. Significat igitur & hæc visio Securitatem. Porrò per hæc omnia intelligitur exstructio Jerusalem spiritualis, quæ est Ecclesia & Regnum Christi, sicut sequens docebit caput. *Viri insidens equo rufo* est Christus in humana natura: Alii verò qui *post eum* fuerunt, sunt Apostoli: *Fabri concutientes cornua* sunt Doctores, qui potentes sunt in verbo contra impios.

VATABLUS.

1. *Darjavès* לדריוש] Trisyllabum est hoc verbum, & *Ja* est una syllaba. Quidam dicunt hunc Darium fuisse filium Astyagis, alii verò Assueri & Esther. Vide Hagg. 1. 1. ¶ *Zechariah* זכריה] Prophetam hunc sub eodem quo & Aggæus floruisse, & eodem tempore prophetasse, ac eodem anno, non eodem mense, hoc proœmio commonstratur. Ille de exstruendo Templo urget; iste, præsertim de instauranda Urbe. De iisdem Prophetis fit mentio apud Esdram, c. 5. Quidam putant hunc eundem fuisse Zachariam de quo fit mentio Matth. 23. 35. ¶ *Propheta* הנביא] Ferunt enim & hunc Addo Prophetam fuisse. Alii referentes ad *Zachariam* vertunt *Prophetam.* ¶ *Dicendo* לאמר] *Hunc in modum.* Vide Hagg. 1. 1.

2. *Iratus est*, &c. קצף וגו'] *Irasci irâ* more Hebraico dictum pro *irasci vehementissimè*: q. d. Gravissimè afflixit Dominus *Majores vestros*, permisitque eos abduci in captivitatem propter peccata eorum, quòd noluerint resipiscere neque ad ipsum per pœnitentiam reverti.

3. *Ad eos* אליהם] Relativum pro antecedente, *Ad Israelitas.* ¶ *Dicit* אמר] Præt. Heb. pro præs. sic in toto isto capite, & sequentibus.

4. *Nunc* נא] *Quæso.*

6. *Verba mea*, &c. דברי וגו'] Per *verba* & *statua* vel *decreta* comminationes Dei intelligit: vel per *verba* promissiones Divinas, & per *decreta* comminationes: q. d. *Nónne comminationes meæ per Prophetas meos prædictæ evenerunt Majoribus vestris?* abierunt enim in captivitatem. ¶ *Conversi enim* וישובו] Ad verb. *& conversi sunt*, &c. sub. *ad se*, vel *ad Deum.*

7. *Sebat* שבט] Januarium significat. Incipiunt Judæi annum à novilunio propinquiore ipsi æquinoctio verno, sive lunatio illa præcedat æquinoctium ipsum, sive subsequatur. Quòd si incidat in ipsum æquinoctium, eodem die incipiunt annum. ¶ *Verbum Jehovæ* דבר יהוה] Propheticum verbum intelligit; ut Hagg. 1. 1. Secunda Prophetia facta Zachariæ à Domino per Angelum suum: quod ex versibus sequentibus datur intelligi, ubi mentionem facit Zacharias *Angeli loquentis secum* v. 9. Sunt enim Angeli ministri Dei.

8. *Vir* איש] Seq. versu vocat *Angelum.* ¶ Erant *equi*, &c. סוסים וגו'] Erant qui insidebant *equis rufis*, *variis*, *& albis.* Quòd de sessoribus intelligatur, colligi potest ex v. 11. Non enim facilè Scriptura brutis loquelam tribuere solet.

9. *Mecum* בי] Ad verb. *in me.* Similis locutio legitur Num. 12. 8. *Ore ad os* פה אל פה אדבר בו *loquar cum eo.* ¶ *Quid sint isti* מה המה אלה] i. Quid ipsi protendant. Refertur enim ad visionem: q. d. Declarabo tibi hanc visionem.

10. *Respondit autem*, &c. ויען וגו'] *Locutus est autem vir ille qui stabat inter myrtos.* Angelus qui alloquebatur Zachariam pollicitus fuerat se declaraturum illi visionem, sed alter Angelus, qui scilicet stabat in myrteto Babylonico, prævenit eum ac anticipavit. ¶ *Et dixit, Hi* sunt ויאמר אלה] *Et dixit his quos miserat*, &c. ut אלה positum sit pro לאלה. Qui sic vertunt subaudiunt, *& interrogavit eos quid ageretur in terra*, Ità doctus inter Hebræos.

11. *Et responderunt* ויענו] sub. *Angeli illi qui insidebant equis rufis*, *variis*, *& albis*, quorum meminit suprà v. 8. & quos miserat Dominus ut exsequerentur mandata ipsius in universa terra, de quo v. 10. Alii vertunt, *Locutique sunt:* ut isti cœperint loqui & dicere illi Angelo qui stabat in myrteto, antequam illos interrogasset, *Perambulavimus*, &c. ¶ *Habitatur*, *& quiescit* יושבת ושקטת] Ad verb. *sedens* [vel *habitans*] *& quiescens:* i. in summa pace, quiete & tranquillitate degit. Quod accidit tempore Darii.

12. *Et respondit Angelus* ויען מלאך] Ille scilicet qui Zachariam alloquebatur, vel qui stabat in myrteto Babylonico. Alii vertunt, *Locutúsque est Angelus.* Alii, *Cœpitque dicere Angelus*, &c.

13. *Verba consolatoria* דברים נחומים] Ad verb. *verba consolationum.* Exponit his verbis quid intelligat per verba bona: q. d. Dixit exauditas esse preces ipsius Angeli, séque daturum Israeli pacem & quietem ac tranquillitatem.

14. *Zelo* קנאתי] Præt. Heb. pro præs. i. Ducor zelo, & eo quidem magno, propter, vel in gratiam Israelitarum: h. e. singulari favore & curâ prosequor populum Judaicum. Meminit autem *Sion* quòd Templum Domini ædificatum esset in monte

te Sion. His ostendit se quidem afflixisse Israelem, non odio, sed amore. Prædicit quidem in hac Prophetia destructionem quatuor Regnorum. Regnum autem Chaldæorum jam destructum erat, tempore scilicet quo hæc dicta fuerunt: sed ut Prophetia illa esset integra ac perfecta, meminit etiam ipsius Imperii Babylonici.

15. *At irâ magna*, &c. קצף גדול וגו'] i. Irascor vehementer contra, &c. q. d. Gravissimè animadvertam in gentes ipsas quæ nunc degunt in summo otio & quiete. ¶ *Iratus eram* קצפתי] Præt. Heb. per imperf. vertendum: sub. *contra Israelem.* ¶ *In malum* לרעה] Sub *pœna*, i. in afflictionem: q. d. Ipsæ gentes afflixerunt eos suprà & ultrà quàm volebam, i. gravissimè afflixerunt eos.

16. *Reversus sum* שבתי] *Revertar:* i. Reconciliabor illi pro clementia & misericordia mea. Prædicit instaurationem Templi & urbis Jerusalem. ¶ *Et perpendiculum extendetur* &c. וקו ינטה על] *Et linea extendetur super Jerusalem.* Antecedens pro relativo *illam*, i. super muros & ædificia illius; h. e. ea instaurabitur. Lineam cæmentarii intelligit quâ dirigere solent murum & ordines lapidum Chald. *filum mensura.*

17. *Adhuc dispergentur urbes mea pra bonis* תפוצנה ערי מטוב] *Interum diffundent sese urbes meæ præ felicitate:* vel, *diffundentur*, aut *dilatabunt se*, præ abundantia scilicet bonorum & incolarum: q. d. Urbes non poterunt capere suos cives & bona. Hoc impletum fuit sub Zorobabele, Nehemia & Machabæis. Possent hæc intelligi de bonis spiritualibus. *Suas urbes*, vocat quòd singulari amore eas prosequeretur. ¶ *Eligétque adhuc* ובחר עוד] *Eligétque rursum*, ut scilicet habitet in ea.

18. *Cornua* קרנות] intelligit quatuor Imperia. Nam per *cornua* solet Scriptura intelligere Robur ac Vires. At præcipua vis Orbis pendet ab imperio; non aliter quàm boum & aliorum animantium cornigerorum robur præcipuum situm est in cornibus. Alia Prophetia est de destructione quatuor Regnorum, nempe Chaldæorum, Persarum, Græcorum & Romanorum: cujus Prothetiæ pars jam adimpleta erat, putà de destructione Imperii Chaldæorum.

19. *Ventilaverunt* זרו] i. Disperserunt huc illuc. Metaphora ducta à Bobus iratis, qui cornibus obvia quæque dispergere solent. Intelligit autem varias demigrationes populi Israelitici. Nam quatuor illa Imperia mirum in modum afflixerunt Judæos.

20. *Fabros* חרשים Chald. *artifices.*

21. *Dicendo* לאמר] Hebraismus. *in hunc modum.* ¶ *Ità ut non levaret quisquam* כפי איש לא נשא] Hic כפי non sign. *secundùm os*, sed *adeò ut*, aut ità ut Gallicè dicimus, *en sorte que nul n' osoit leuer la teste*, i. *ità ut nemo erectâ fronte incedere auderet.* Describit hic gestum hominum tristium ac mœrentium, miserorum & infelicium, qui fronte demissâ incedere solent.

CASTALIO.

15. QUietis gentibus] Bello carentibus. ¶ *Cùm ego leviter irascerer*] Scilicet Israelitis. ¶ *Adjuvere malum*] Graviù eos presserunt quam ferebat ira mea.

CLARIUS.

ZAcharias eodem tempore quo Haggæus vaticinatus est, habétque ferè idem quod ille argumentum, instans pari fervore ædificationi Templi; etiam si plus loquatur de civitate Jerusalem quàm de Templo. Ostensæ sunt autem ei visiones valde obscuræ, haud dimiles visionibus Danielis: In quibus explicandis tam Hebræi quàm Christiani sudant.

5. *Patres vestri ubi sunt?*] Jonathas hunc locum sic vertit, *Patres vestri ubi sunt? & , si dixeritis, Prophetæ non manent in æternum:* ut scilicet altera sententiæ pars sit responsio populi, q. d. *Non videmus meliorem sortem Prophetarum quàm patrum nostrorum. Patres nostri mortui quidem sunt, sed Prophetæ quoque mortui sunt.* Quibus respondet Deus per Prophetam, *Veruntamen patres vestros apprehenderunt calamitates & mala quæ per me fuerunt decreta & per Prophetas annunciata.* Possumus tamen per *Prophetas* intelligere scripta Prophetarum; ut sit sensus, *Patres vestri mortui sunt, at scripta Prophetarum in sempiternum vivent.* Nam illud *numquid* sæpe Interpretes posuerunt pro *nónne.*

6. *Conversi sunt*] Calamitates quibus premebantur coegerunt eos fateri, &c.

7. *Mensis Sabbath*] Ferunt nomina mensium ante Captivitatem non inveniri in lingua Hebraica, nisi quòd appellantur, *Primus, Secundus, Tertius*, &c. sed post reditum è captivitate usurpantur in Hebraismo nomina Chaldaica.

8. *Super equum rufum*] Per visionem *Equorum sub myrtis* putant significari Pacem, & ablatam pristinam formidinem quâ Judæi semper tremebant quoties equos & equites videbant, multiplici hostium malo castigati ut etiam formidarent inchoare ædificium Templi, nè crabrones iterum irritarent. Ostensa est igitur visio, & audita vox, quòd *universa terra pacata sederet*, & nullus ampliùs metus habendus esset.

10. *Et respondit vir*] Angelus scilicet. Sæpissime enim sic loquitur Scriptura.

15. *Ipse verò adjuverunt in malum*] i. Afflixerunt eos magis quàm decebat illos.

16. *Perpendiculum*] Loquitur more ædificantium, qui funiculum cum perpendiculo adhibent erigendis muris.

17. *Adhuc affluent*] Heb. *dispergentur:* h. e. Sic affluent bonis ut civitates illa bona non capiant, sed ipsas extendere & multò facere majores oporteat.

18. *Quatuor cornua*] Hæc significabant hostes Judæorum quos in quatuor plagis infestos patiebantur. Sed *fabri* missi fuerunt qui cornua confringerent & ædificium promoverent. Significat igitur & hæc Visio Securitatem. Porrò per hæc omnia intelligitur exstructio Jerusalem spiritualis, quæ est Ecclesia & Regnum Christi, sicut sequens docebit caput. *Vir insidens equo rufo* est Christus in humana natura: Alii verò qui *post eum* fuerunt sunt Apostoli: *Fabri concutientes cornua* sunt Doctores, qui potentes sunt in verbo contra impios.

L. BRUGENSIS.

12. ISte jam septuagesimus annus est] Adverbium *jam* quidam codices auferunt, duo Parisiensium (Di. l. Ge. p.) tres nostri (O. E. I.) quatuor Hentenii. Brugense manuscriptum supra textum minori ejusdem manûs literâ habet: Atrebatense pronomini *iste* præponit. Hieronymi & Richelii textus non legunt. Nec Græcè additur, aut Chaldaicé. Hebraicè quod legitur pronomen זה, *jam* verti possit, ut Pagninus vertit, *Jam septuaginta annos:* sed Interpres *iste* reddidit. Cæterùm Epanorthotes sententiæ causâ *jam* additum ab Interprete existimat, sicuti est plerisque in libris.

DRUSIUS.

1. MEnse octavo] Qui October vel November apud nos. NISAN enim Ebræorum mensis est primus, quem alii *Martium*, alii *Aprilem* interpretantur. Ergò si *Nisan* Aprilem intelligimus, *octavus mensis* November erit: si Martium, October. Hunc mensem Ebræi *Marhesvan*, Ægyptii verò *Athyr* dicunt. ¶ *Darii*] Persarum Reges tres fuerunt hujus nominis, Darius Hystaspis filius, Darius Nothus, & Darius Codomannus. Quæritur itaque quem horum Prophetes intelligat. Verbo expediam. Darius iste memoratur Ezræ 4. 24. inter duos Artaxatas sive Artaxerxes: Igitur intelligit Darium Nothum: Nam is medius fuit inter Artaxerxem cognomento Μακρόχειρα sive *Longimanum*, & Artaxerxem Μνήμονα sive *Memorem*. Quòd autem Interpretes, quos vidi, Darium Hystaspis filium intelligi aiunt, errant graviter. Nam Hystaspis filius antiquior fuit: præcessit enim Artaxerxem Longimanum, qui edicto prohibuit instaurationem Urbis. Inter hos exstitit Asverus, qui & *Xerxes*, maritus Esthera: Ex qua natum esse volunt Ebræi hunc Darium: sed dubito an verè, aut potiùs non dubito quin falsi in eo sint. Nam Esthera legitima uxor erat Asveri, ex qua qui procreatur *nothus* dici nec debet nec potest. ¶ *Barachia*] Vel *Berechia*, בֶּרֶכְיָה. Sed antiqui videntur legisse בָּרָכְיָה, unde *Barachias.* Tale est שריה *Sarabias.* ¶ *Filii addonis*] In Hier. legitur *filium Addonis.* Quod ut nè credam mendosum esse facit annotatio ipsius ad h. l. *De Zacharia titulo pauca dicenda sunt: Qui cùm sit filius Barachia, quæritur quare dicatur filius Addo.* Proponit quæstionem, quam non solvit. Mihi non dubium quin rectum sit *filii Addo.* Barachias enim pater fuit, & Addo avus. Nec obstat quod legitur Ezræ 5. 1. *Zacharias filius Addo. Filio* enim nomen eo in loco pro *nepote* sumitur, ut sæpe aliàs. ¶ *Prophetam*] Vel, ut quibusdam placet, *Propheta.* Nam Addo quoque Propheta fuisse creditur. Quod tamen valde incertum est, ut illud quod scribit Hier. in Comment. ad h. l. *Nec ambigitur juxta Paralipomenon librum quin ipse sit Addo qui missus sit ad Jeroboam filium Nabat, sub quo altare dirutum est, & manus Regis aruit, rursùmque ad preces illius restituta est.* Intelligit Addonem Videntem cujus mentio 2 Par. 9. 29. & 13. 22. Ego aliter sentio. Pugnat enim certè ratio temporum cum hac sententia. Vide 1 Reg. 13. 1.

2. *Ira*

2. *Iratus fuit irâ*] V. Int. *Iratus est iracundiâ.* Usurpat *iracundiam* pro *ira*, ut aliquando Cicero. In Ebræo est ad verb. *Iratus est iram.* Quod ità dicitur ut *Gaudere gaudium*, *Pugnare pugnam*, i. μάχεσθαι μάχην. Quidam, *Efferbuit irâ fervente:* optimè & rectissimè. Nam קצף *fervere irâ* sive *in spumam effervescere præ iracundia.* Vide quæ scripsimus Observ. l. 1. c. 24. *Contra patres vestros*] Quos permisit Babylonem deportari, Templo everso, Urbéque excisâ funditus.

3. *Quare dices eis*] Sermo DOMINI ad Prophetam. ¶ *Convertimini ad me*] Mox se explicat cùm ait, *Convertimini à viis vestris malis.* Nam qui mores in melius mutat, vitámque pravam corrigit, *ad Deum converti* aut *redire* intelligitur. Unde viri probi *cum Deo vivere* aut *ambulare* dicuntur. ¶ *Et convertar ad vos*] Aut *revertar ad vos:* subintelligitur autem *cum miserationibus*, quod expressum infrà v. 16. Hoc significat, Deponam animum iratum quem in patres vestros propter peccata eorum concepi: reconciliatus vobiscum, adero & benedicam vobis, Mich. 7. 19. Vel, *Qui priùs à vobis recesseram; nunc revertar ad vos, si modò reversi fueritis ad me.* Tale est, *Accedite ad DOMINUM, & accedet ad vos.* Quibus hoc contrarium est, *Recessistis à me, & ego recessi à vobis.* ¶ *Ait DOMINUS exercituum*] Ut iterat sæpe, *Ait DOMINUS exercituum.* Quis credat abs eo temere hoc factum esse? Hier. ad h. l. *Notandum quòd in paucis versiculis brevibusque sententiis semper in Haggæo & Zacharia addatur*, Dicit Dominus exercituum, *ut sciant Dominum esse qui præcipit, & adversus Regis imperium & hostes circumfrementes, & hâc ad ædificationem Templi fiduciâ concitentur.*

4. *Nolite similes esse patribus vestris*] Nè ità vilipendite admonitiones Prophetarum ut patres olim vestri. Cæterùm in quibusdam ed. legitur, *Nè sitis similes majoribus vestris:* quod ut non planè improbo, ità malim *patribus vestris.* Nam etsi latè accipi possit, ut etiam avos & atavos comprehendat, hoc tamen in loco notare videtur peculiariter eos qui vixerunt ante Urbis excidium, h. e. ante ultimam captivitatem. ¶ *Prophetæ priores*] In queis & Jeremias. Vide Jer. 18. 11. *Priores* autem appellat quia prophetarunt ante Babyloniçam captivitatem. Quo sensu Haggæus, Zacharias & Malachias dici possunt *Prophetæ posteriores:* nam secuti sunt eandem captivitatem. Vel *priores*, i. qui nos antecesserunt. ¶ *Et ab actionibus vestris*] *Et* hoc in loco ἐξηγητικῶς ponitur. ¶ *A viis*, h. e. ab operibus sive actionibus. *Via* enim *cujusque* vocatur id quod quisque agit, aut vitæ institutum; sive bonum sive malum fuerit, non refert. In מעליליכם prius Joth redundat. Legi enim debet מעלליכם. Repeti quoque debet præpositio, ut sit ומעלליכם *& ab actionibus vestris.* Hanc vocem Latinus Int. reddit *adinventiones*, & Græci ἐπιτηδεύματα, cùm potiùs *facta* sive *opera* aut *actiones* designet. ¶ *Non audiverunt*] Non fuerunt audientes dicto, non auscultarunt. ¶ *Nec attenderunt*] *Aures* subaudio. Est enim verbum tertiæ conjugationis, quam *Hiphil* nuncupant. ¶ *Ad me*] Ad clamorem Prophetarum meo jussu atque mandato factum.

5. *Patres vestri ubi sunt?*] Minus dicit, plus intelligit. Hoc dicit, Patres vestri non ampliùs sunt, sed perierunt consumpti fame, bello ac peste, quemadmodum ipsis prædictum fuerat à prophetis. Hoc intelligit, Licèt perierint, tamen eorum interitus non debet obliterare memoriam pœnarum quas sustinuerunt: q. d. Pœnæ illæ vos deberent cautiores reddere, juxta illud,

Felix quem faciunt aliena pericula cautum.

Porrò autem versum hunc legit Hier. isto modo, *Patres vestri ubi sunt, & prophetæ? numquid in sempiternum vivent?* Antea in Græcis eod. legebatur, Οἱ πατέρες ὑμῶν πῦ εἰσι, καὶ οἱ προφῆται; μὴ τὸν αἰῶνα ζήσονται; nempe quia olim accentus aberant. Alioqui utrovis modo legas, sententia salva manet. *Ubi sunt?* q. d. Nusquam sunt. *Non esse* autem dicitur qui non est in hac vita, sive qui esse desiit inter homines, ut Jer. 31. 15. *Rachel plorans filios suos noluit consolationem accipere, eò quod non sint.* ¶ *An in seculum vivent?*] *In sempiternum.* Est cur malim *vivunt. Prophetæ*, inquit, *non vivunt in seculum.* Rectè sanè. Nam & priores communem vitæ casum subierunt, & nos quoque, qui secuti sumus, eundem subimus. Quidam hæc verba restringunt ad Pseudoprophetas. Sed non est necesse eò confugere: Nam simpliciter concedit Prophetas & patres eorum communem vitæ exitum habuisse. Debet autem hic versus connecti cum eo qui sequitur, hâc sententiâ, Quamvis Prophetæ non vivant in seculum, tamen verba mea vivunt, & suo tempore effectum sortiuntur. Alia enim conditio hominum, alia doctrinæ quam proponunt. Homines mortales sunt, doctrina immortalis. Intelligo doctrinam veritatis, sub quo nomine comprehendo & vaticinia Prophetarum Dei.

6. *Verba mea*] Innuit prædictiones Prophetarum. ¶ *Statuta mea*] Vel *decreta mea.* Significat ea mala quæ ex Dei decreto evenerunt patribus, putà Famem, Bellum, Pestem, Exsilium & alia hujus generis. ¶ *Quæ mandaveram*] Nempe ut ea referrent ad patres vestros meo nomine. ¶ *Servis meis Prophetis*] Qui nunc obierunt diem suum, nec ampliùs in vivis sunt. ¶ *Nonne assecuta sunt patres vestros*] Nónne ità omnia evenerunt quemadmodum à me per Prophetas meos prædictum fuerat? ¶ *Qui conversi sunt*] Non verâ pœnitentiâ ad Deum conversi sunt, sed rerum eventus hanc confessionem ab ipsis extorsit: ea vis est Veritatis. Veteres ed. *& conversi sunt:* nos *&* mutavimus in *qui:* nam ità sæpe usurpatur copula Vau pro אשר. In quibusdam, *adeò ut reversi sint*, ad saniorem mentem redierunt. Scitum illud, *Virga & castigatio sapientiam conciliant.* Item illud, *Nocumenta, documenta:* quod Græci enuntiant, Τὰ παθήματα, μαθήματα. Eandem sententiam continet, παρὰ τὰ δεινὰ φρονιμώτερος. *Secundùm vias nostras*] Primus gradus ad sanitatem est agnoscere culpam. Sed non satis hoc est: alia insuper requiruntur.

7. *Undecimi mensis*] Januarii aut Februarii. Vide quæ scripsimus ad locum *Mense octavo*, suprà v. 1. Videatur quoque Nicolaus ad h. l. Hic mensis, Hieronymo teste, *ab Ægyptiis Mechir, à Macedonibus* Περίτιος *vocatur.* Quod autem idem ait eundem mensem *in acerrimo tempore hiemis esse*, verum non videtur, cùm messis incipiat apud Judæos altero pòst mense, h. e. mense primo qui *Nisan* dicitur. ¶ *Sabat*] i. Σαβὰτ, quod scribunt שְׁבָט. Talia sunt כְּנַעַן *Canaan*, שְׁלֹמֹה *Salomo*, רְפָאִים *Raphaim.* Intelligens intelligit quid velim. Nicolai hæc sunt, *in Ebræo habetur Sebet*, i. שֵׁבֶט: quomodo sanè legisse videtur olim Hieron. quod colligo ex his verbis ipsius, *Mensis undecimus, qui appellatur* SEBET, *linguâ nostrâ in* virgam *vertitur.* Ita legendum, non, ut vulgò, SEBAT. Nam *virga* שֵׁבֶט dicitur, non שְׁבָט. Est autem nomen Chaldaicum, ut quidam volunt, hoc usi argumento, Quòd non inveniatur nisi in iis libris qui in exsilio Babylonico, aut paulò post, compositi fuerunt. Sed argumentum hoc non satis validum est. Mentio hujus nominis & Zach. 7. 1. item 1 Mach. 16. 14. Eucherius, SABAT, *Januarius, qui apud nos undecimus mensis est. Nam veteres annum incohoabant à Martio.* Sed fortè Eucherius scripsit, *qui apud Ebræos undecimus mensis est:* cogita, erudite lector. ¶ *Dicendo*] In hæc verba.

8. *Nocte*] הלילה. Videtur designare certam noctem, videlicet eam quæ præcessit 24 mensis Sabat, ut sit הלילה *hac nocte*, ut Ruth. 1. 12. Aut הלילה dixit pro בלילה, i. *per noctem:* quod est tempus ordinarium habendis visionibus. Vide Dan. 7. 2. *Videbam in visione mea per noctem:* & v. 7. *videbam in visionibus noctis.* ¶ *Et ecce*, &c.] Hunc *Virum* alii Christum putant, alii Angelum Michaelem, quem præesse dicunt genti Ebrææ. Hieron. in Comment. ad h. l. *Ebræi Michaëlem Angelum putant, qui ultor iniquitatum & peccatorum sit Israel.* Theodoretus in Num. Quæst. 42. Φασὶ δέ τινες τὸν ἄγγελον τὸν Μιχαὴλ εἶναι τὸν τῦ λαῦ προςατεύοντα, *Aiunt nonnulli Angelum Michaëlem populi Præsidem* (aut *Præfectum*) *esse.* Sed hæc & alia ejus generis, quæ Scripturæ non habent autoritatem, quàm facile affirmantur, tam facilè negari possunt. ¶ *Vir*] Angelus in Viri specie, ut Dan. 9. 21. *vir Gabriel.* Nam quia in Viri forma conspiciebatur, ideo *viri* nomine insignitur. Rectéque Hieron. *Non viri sunt Angeli, sed in specie videntur virorum. Sicut Abrahæ ad quercum Mambre tres visi sicut viri*) *qui utique viri non erant*) *è quibus unus adoratur ut DOMINUS.* Sic Jud. 13. 10. *Apparuit mihi vir*, i. Angelus: & mox, *Veniénsque ad virum, dixit ei, Tu es qui locutus es uxori? Et ille respondit, Ego sum.* Angelus à Manue interrogatus num ipse vir ille esset qui uxori antè locutus erat, respondit se illum esse, nempe quia Viri speciem gerebat, & in ea conspectus fuerat. ¶ *Vectus*] Nihil muto: poterat tamen legi *insidebat.* Priùs erat *ascendens*, i. עלה: & in alia ed. *equitans.* ¶ *Equo*] *Equum* ei tribuit, ut celeritatem & diligentiam in obeundo munere significatet. Eandem ob causam Angelis *alas* adfingunt. Omne enim quod movetur velociter dicitur *volare:* Motûs autem causa in avibus sunt alæ. Ergò Alæ celeritatem designant. Adi Observ. nostras l. 4. c. 19. ¶ *Rufo*] Quidam *rubro*, alii *rubeo. Equus rubeus*, ut *bos rubeus*; & *rufus*, ut *vacca rufa.* Nescio an etiam *equum rubrum* dicamus. Sic *barba rufa*, non *rubra*; & *canes rufas*, quas & *rutilas* vocabant, non *rubras.* Has immolabant Sacerdotes apud Romanos

nos ad placandum Caniculæ sidus. Glossa Nicolai, SUPER EQUUM RUFUM. *In Ebræo habetur* rubeum; *& per hoc designabatur vindicta Divina de adversariis Judæorum per colorem sanguineum.* Perspicuè *rubeum* usurpat pro *rubro.* Siquidem *rubrum* indicat maximè animantium sanguis. Thylesius de Rubeo; *Verbum est omnino rusticum; nec prorsus idem color est qui & Ruber, sed ad eum proximè accedit.* Cæterùm *rufus* Græcè πυῤῥός, ut *ruber* ἐρυθρός. Utrumque autem אדם dicitur Ebræis. ¶ *Inter myrtos*] Myrtus umbram facit densam & opacam. Innuit ergò visionem hanc obscuram fore & intellectu difficilem. Quod apertiùs significat per verba illa, *quæ in profundo erant.* De Myrto Nicolaus, *Arbor est faciens pulcerrima & odorifera poma: unde Levit. 23. ubi Translatio nostra habet* fructum arboris pulcerrimæ, *loco* arboris pulcerrimæ *in Ebræo ponitur eadem dictio quæ & hic habetur, & idem significat.* Locus Levitici quem hic laudat habetur v. 40. Scire autem licet loco *arboris pulcerrimæ* in Ebræo esse עץ הדר. Paulus Episcopus Burgensis *citrum* significari putat: nam ea pomum pulcerrimum profert. Ut ut sit, errat Nicolaus, si putavit eandem dictionem quæ ibi ponitur hic haberi. Nam hic myrtus הדס vocatur. Burgensis hoc vidit & notavit: sed dum Nicolai errorem indicat, in alium incidit non dissimilem. Ponam ipsius verba prout habentur Additione secunda, *Levit. 23. ubi dicitur* fructum arboris pulcerrimæ, *non ponitur in Ebraico dictio significans Myrtum, sed alia quæ significat Citrum, quod est pomum pulcerrimum. Et in eodem loco ubi ponitur eadem dictio quæ hic habetur, in Translatione nostra dicitur* lignum densarum frondium, *quod pertinet propriè ad Myrtum.* Nolo καρτερεύεσθαι. Dictio quæ in hoc loco ponitur jam nota est ex iis quæ diximus. In Levitico habetur עץ עבות, ubi Int. convertit *arbor densarum frondium:* quibus verbis Myrtum describit, ut quidam volunt, me non reclamante, præsertim cùm Aquila Interpres Chaldaicus apertè faciat pro hac sententia, referens *arbores myrti.* ¶ *Equi rufi*, &c.] Equos intellige cum equitibus iis insidentes, qui Angeli erant Dei jussu terram peragrantes. Hoc significatu ponitur id nomen & Jer. 12. 5. Contrà Virgilius *equitem* pro *equo* dixit. ¶ *Varii*] Equus *varius* dicitur non totus vel candidus vel niger, sed iis aliisve coloribus distinctus. Arias emendat *nigri.* Hoc hausit ex Scholiis Camii, nisi fallor. Verùm Camius non dicit שרקים *nigros* denotare, sed in visione quatuor curruum legi שחרים *nigros* pro eo quod hîc est שרקים. Visio illa habetur Zach. 6. 2. Quid autem שרקים significare puter, apertè declarat in libro Rad. ubi ait, שרקים *sunt versicolores, putà rufi & albi & nigri, ac si essent respersi maculis minoribus aut majoribus*, i. נקדים או טלואים. Quidam, *balii.* Est autem *balius*, quem & *badium* & *baium* vocant, color spadiceus, qui in equo maximè laudatur, & alio nomine *Phœniceus* etiam vocatur.

9. *Quid sunt isti?*] Quid significant, aut sibi volunt, isti? *equi rufi, varii & albi* videlicet. ¶ *Angelus qui loquebatur mecum*] Non Vir ille qui equo rufo insidebat, sed Angelus qui Prophetæ adsistebat in hac visione, cujus operâ intelligebat quæ Deus ipsum scire volebat. בי *mecum.* Sic Deut. 6. 7. & 1 Sam. 25. 39. ¶ *Ostendam tibi*] אראך *faciam ut videas*, h. e. ut intelligas, vel ut audias. VIDEO enim & *intelligo* significat & *audio.* Aut ostendam tibi alias visiones ex quibus intelliges quid sibi velint hi equi.

10. *Et respondit vir ille*] Nulla præcessit interrogatio. Sic frequenter Ebræi. Verbum enim ענה usurpatur de omni exordio sermonis. Quanquam videtur mihi quòd interrogatus ab Angelo Prophetæ responderit ea quæ mox sequuntur. ¶ *Vir ille*] Equo rufo insidens. ¶ *Ad perambulandum terram*] Ut Job. 1. 7. *Unde venis? Ex peragranda obeundáque terra.* Verba sunt Satanæ ad DOMINUM.

11. *Angelo DOMINI*] Hîc perspicuè *Angelum* vocat quem priùs *virum* dixerat, nempe quia in forma Viri, ut dictum est, apparuit. ¶ *Et dixerunt*] Quinam hoc dixerunt? Absque dubio equi, de quibus suprá. ¶ *Perambulavimus terram*] Missi à Deo ad cognoscendum quid rerum agatur in ea. ¶ *Habitatur & quiescit*] Habitatur quietè, & in tranquillo statu est: q. d. Nulla sunt bella, nulli motus in ea. Joel. 3. 20. *Juda in seculum habitabitur.* Sic infrà in hoc libro 9. 5. *Ascalon non habitabitur.* Utrobique est ישב in Ebræo. Quidam *desidet:* minùs probo. Cæterùm ex hac responsione DOMINI occasionem arripit pro Judæis deprecandi, quorum res eo tempore multùm afflictæ & ipsi in miserrimo erant statu.

12. *Respondit*] Locutus, sive sermonem exorsus est. ¶ *Angelus DOMINI*] Qui stabat inter myrtos. ¶ *Quousque non misereberis*] q. d. Cùm universus orbis quietus sit & pacatus, quousque differes misereri Jerosolymæ urbiúmque Juda, quæ nunc mirabiliter infestantur ac divexantur à vicinis gentibus? *Quibus iratus es*] Iræ signum erat non leve mutatio circa voluntatem Regum Persarum. Nam *cor Regum in manu Domini, quocunquè voluerit inclinat illud.* ¶ *Jam hic agitur annus septuagesimus*] Qui hos annos computant à destructo Templo, in magno errore versantur. Nam Lxx illi anni elapsi erant anno primo Cyri Regis. Testatur hoc disertè Scriptura. Vide 2 Par. 36. 21. Ex hoc loco nunquam se extricabunt qui hos annos numerant ab initio exsilii Babylonici, aut à soluta Captivitate. Quid igitur? Assentior Josepho Scaligero, qui eos numerat ab edicto Asveri. *Septuagesimum* autem annum vocat qui tantùm erat sexagesimus octavus, itaque biennio pòst eundem numerum usurpat, videlicet c. 7. 5. qui erat quartus Darii Nothi. Videtur igitur abesse *circiter* aut aliquid tale. Sed & solitum Ebræis hoc modo numerum rotundum ponere pro alio qui ad eum proximè accedat. Verba Scaligeri sunt in sexto De emendatione temporum, ubi ità scribit, *Annos LXX dicit, qui ad LXVI tantùm pervenerant. Itaque quasi corrigens se, ut ità loquar, quamvis impropriè in Propheta, tamen quasi interpretans, cap. 7. v. 5. anno quarto Darii scribens, ait,* Quomodo vos plangebaris in quinto & septimo mensibus abhinc annos Lxx? *Septuaginta annos nunc numerat, cùm ante biennium totidem numeraret. Quis sanus dixerit hos LXX annos ad solutionem captivitatis pertinere de quibus Jeremias prædixerat? Nam illi Lxx Jeremiæ terminantur Edicto Cyri, ut jam ex illis quæ à nobis disputata sunt constat. Ab eo edicto ad quartum annum Darii Nothi permultos annos fluxisse, & plures quàm ut intra eos illi ab Jeremia prædicti contineantur, quis negare audeat? Locus est illustris. Darius filius Hystaspis expeditionem in Ægyptios rebelles parans, anni XXXIV. Imperii sui filium suum Xerxem Regem declaravit, autore Herodoto. Eo tempore quo Regnum iniit Xerxes, qui priùs vocabatur* Oxyares, *vel, ut Ebræi Critici pronunciant,* Ahasueros, *hostes Judæorum apud Regem adolescentem ac tùm primùm Imperii gubernaculis admotum Judæos accusarunt, ita ut edictum ab eo eblanditi sint quo non solùm templi opus interruptum, sed & Judæorum opes multùm attritæ, & ipsi in miserrimum statum redacti sunt; ut breviter testatur Ezras 4. 6. Sane expeditione Darii Ægyptiaca ad annum quartum Darii Nothi anni sunt LXIX. Septuagesimus ergò annus ab edicto Xerxis contra Judæos erat quartus Darii Nothi, de quo intellexisse Zachariam palàm est.* Hactenus Scaliger. Quæ verba adduxi propter autoritatem viri, & simul quia melius nihil, aut quod magis mihi probetur, occurrit.

13. *Verba bona, verba consolatoria*] BONA *de futurorum promissione,* & CONSOLATORIA *de præsentium necessitate*, Hieron. *Bona*, i. læta, jocunda, suavia, grata. נחמים quidam putant substantivum esse, & breviter dictum דברים נחמים pro דברים דברי נחמים, i. *verba verba consolationum.*

14. *Zelavi pro Jerosolyma*] *Zeli* nomine hoc in loco significatur providentia illa Dei quâ non sinit impunè abire eos qui populum suum injuriâ affecerint. Quidam legunt, *Zelavi* (sive *Zelatus sum*) *Jerosolymam.* Sed aliud hoc, aliud illud dicit. Vide Lectiones nostras in Joel. 2. 18. ad locum, *Deus zelavit pro terra sua.* ¶ *Zione*] Montem sign. in quo Templum. ¶ *Zelum magnum*] *Zelare zelum* ita dicitur ut *Irasci iram, Gaudere gaudium.* Alii, *zelo magno*, i. בקנאה גדולה.

15. *Irâ magnâ irascor*] Ad verb. *Iram magnam irascor.* Ira autem nunc קצף dicitur, quæ vox propriè *spumam* denotat aut *ferventes ollæ bullas*, quas *pompholygas* vocant. Ideo quidam referunt, *Fervore magno ego ferveo.* Nam קצף *ira fervens.* In lingua Chaldæorum רתחא vocatur. ¶ *Quietas*] Tranquillas, pacatas, bello carentes. Id enim malo quàm quod apud nostrum Int. *opulentas.* Suprà v. 11. *ecce tota terra habitatur & quiescit.* Intelligit autem gentes quæ circùm Judæam, item Assyrios & Babylonios. ¶ *Me irascente parùm*] Vel potiùs *effervescente:* nam est קצף in Ebræo. Cùm leviter, inquit, animadverterem in meos, *ipsæ adjutrices fuerunt in malum:* h. e. graviùs eos puniverunt quàm ferebat ira mea. Sic Esaias ait 47. 6. Chaldæam alloquens, *Iratus fui contra populum meum, contaminavi hereditatem meam, & tradidi eos in manum tuam: non es usus erga eos misericordiâ, super senem aggravasti jugum tuum nimis.* Vide & Ezec. 25.

16. *Reversus sum cum miserationibus*] Id suprà dixit *reverti* simpliciter; ut ibi, *Revertimini ad me, & ego revertar ad vos.* Sensus est, Reconciliabor vobis, Redibo vobiscum in gratiam. Vis in numero ut si diceret, *Non uno genere misericordiæ usus sum erga eam:* vel, *Clementer habui eam non semel, sed sæpius.* Respexit autem, ut existimo, ad illud Jesaiæ quod modò produximus, *Non es usus erga eos misericordiâ:* quod

sic in Ebræo legitur verbum è verbo, *Non posuisti eis miserationes.* Vult dicere, Non tractasti clementer; habuisti eos immisericorditer. ¶ *Domus mea ædificabitur in ea*] Cùm hæc scriberet Propheta, cœpta erat ædificatio; sed completa demum fuit anno sexto Darii, mense duodecimo, ut habetur Ezræ 6. 15. Velint ergò nolint hostes, qui hactenus impediverunt opus, quod jam inchoatum, suo tempore perficietur. ¶ *Libella extendetur super Jerosolymam*] Vult dicere, ipsa quoque Urbs ædificabitur. Quod accidit annis aliquot pòst. Vide Neh. 2. Vel *perpendiculum*: ità V. Int. Græci *μέτρον* referunt. Jon. *filum mensuræ*, i. amussis. Est autem funiculus quo exploramus ædificii longitudinem aut latitudinem. Vocatur infrà חבל מדה, i. *funiculus mensorius*, 2. 1. Sed קו alii *regulam* interpretantur, nonnulli etiam *lineam*.

17. *Dispergentur præ bono*] Diffluent bono: h. e. copià & abundantià rerum omnium. Etiam civium tanta frequentia erit Jerosolymæ quantum ambitus murorum non capiet. Infrà 2. 8. *Per pagos habitabitur Jerosolyma.* ¶ *Urbes meæ*] Urbes Judææ intelligit, quas *suas* vocat, ut alibi, *Gens ascendit contra terram meam*, i. contra Judæam. ¶ *Consolabitur Sionem*] Ædificato Templo in Moria, qui collis erat montis Sion. ¶ *Adhuc eliget Jerosolymam*] Nempe ut sedem suam ibi collocet: q. d. Non rejiciet eam in perpetuum, sicut fecit Silo, quam priùs elegerat, videlicet ante tempora Davidis Regis. Nam is Arcam primus Jerosolymam transtulit in montem Sion. Vide infrà 2. 12.

18. *Levavi oculos meos, & vidi*] Formula usitata in visionibus Prophetarum. Reperitur infrà 2. 1. Dan. 8. 3. & 10. 5. Sic Joh. 4. 35. *Levate oculos vestros, & videte.* Matth. 17. 8. *Levantes autem oculos suos neminem viderunt præter Jesum.* ¶ *Ecce quatuor cornua*] Qui hic quatuor præcipua Imperia intelligunt, & primo loco *Babylonicum* recensent, viderint quid respondeant iis qui negant Israelitas (h. e. Decem tribus) dispersos fuisse à Babyloniis. Ego sic potiùs dicerem, Quatuor illa Imperia esse *Assyrium*, *Persicum*, *Græcum* & *Romanum*. Sub *Assyrio* autem *Babylonicum* comprehenderem, ut sub *Persico Medicum*; *Græcum* autem voco quod alii *Macedonicum* dicunt. Sunt qui putant innui omnia illa Regna quæ olim bello vexarunt Israelitas & Judæos, & numerum certum poni pro incerto, ut solet: Aut *quatuor* dici *cornua* respectu quatuor partium Orbis, quo significetur ex omnibus illis partibus populum Dei vexatum fuisse, videlicet ex Aquilone ab Assyriis & Babyloniis, ab Oriente à Moabitis & Ammonitis, ex Meridie ab Ægyptiis, & denique ex Occidente à Philisthæis.

19. *Ista sunt cornua*] i. Regna interprete Hieron. cujus hæc sunt in Comment. ad h. l. *Pro Regnis* CORNUA *posuit, hanc habente Scripturâ sanctâ consuetudinem ut* Regnum *semper interpretetur in* CORNIBUS; & Hab. 3. *Moris est Scripturarum ut semper* CORNUA *pro* Regnis *ponant.* Vide Dan. 7. 24. ¶ *Quæ*, &c.] Dubitari potest de Regno Persico, in quo Judæi satis humaniter habiti videntur. Nam & concessum eis postliminio redire in patriam, & sumptus subministrati ad ædificandum Templum: Quin etiam permissum ut Jerosolymam instaurarent. Hæc cùm ità sint, aliqua tamen perpessi sunt sub Assvero & Artaxerxe Longimano, cùm hi edicta promulgarent adversùs Jerosolymæ instaurationem. Sed & Templi opus impeditum fuit toto Cyri Regis principatu usque ad annum secundum Darii Nothi. Interea temporis à vicinis pertulerunt quæ graviora erant iis quæ in exsilio pertulerant. Unde Propheta de hoc tempore loquens, *Domine*, inquit, *exercituum, quousque misereberis Jerosolymæ & urbium Judæ?* ¶ *Ventilaverunt*] Vexarunt & sparserunt huc illuc. Pòst aliquantò legimus, *ad dispergendum eam*, ubi tamen idem verbum in Ebræo.

20. *Quatuor fabros*] Vel *artifices*; quos Græci *τέκτονας* vocant. Quot *cornua*, tot *fabri*. *Fabri* autem sunt Angeli, ut quidam volunt, qui Regnis & nationibus præsunt. Aut *fabros* dicit Dei in exsequendis ipsius decretis administros; In queis & illi qui quatuor illa Imperia deleverunt & exciderunt.

21. *Quæ ventilarunt Judam*] Ex versu qui hunc antecedit videtur subaudiendum *& Israelem*. Sed nihil affirmo: nam & mox sequitur, *in terram Juda*. *Juda*, inquam, & non *Israelis*. Quid si dicamus unum pro duobus positum esse? ¶ *Adeò ut nemo sustulerit caput*] *Adeò ut nullus elato capite incesserit*, nempe quia unumquemque pudebat sortis suæ. Sic dico, Adeò ut omnes capite demisso & in terram dejecto ambulaverint. Qui gestus est miserorum & infelicium. Vide quæ scripsimus in adagio, *Caput attollere*. Sunt qui ductam Tralationem putant à bajulis gravia onera portantibus, ut Hieronymus cùm ait, *adeò ut nemo eorum gravi malorum pondere depressus levaret caput. Nemo*, Judæorum. ¶ *Ad deterrendum ea*] *Cornua* videlicet; Per quæ Regna designari diximus, non quidem simpliciter, sed quia Gentes cornibus arietaverant in Judæos, hoc ut significaret Deus, ostendit Prophetæ *quatuor cornua, & totidem fabros, qui ea cornua dejicerent & comminuerent.* Ità mihi videtur. ¶ *Quæ sustulerunt cornu*, &c.] More animalium, quæ cornibus feriunt & obvia quæque prosternunt ac dissipant. Similis planè locus est Ezec. 34. 21. *Cornibusque vestris petitis omnes languidas* (sive *infirmas pecudes*) *eousque ut eas dispergatis foràs.*

I D E M.

8. הַהֲדַסִּים. Aq. & Sym. *μυρσινεῶνες*] Citatur in ed. Rom. ex Theodoreto, Ἀκύλας καὶ Σύμμαχος, Μυρσινεῶνας, τὰ ὄρη προσηγόρευκεν. Nam priùs legebatur in Lxx τὰ ὄρη, i. הדרים. Est autem *μυρσινεὼν myrtetum*. Quod ità dicitur ut alibi *συκεὼν ficetum*. In usu sunt apud autores profanos *συκὼν* & *μυῤῥινών*. Sed ut *μυρσίνη* dicimus pro *μυῤῥίνη*, sic dici etiam potest *μυρσινὼν* pro *μυῤῥινών*. Ab hoc postremo est *μυρσινεὼν* quod alibi non facilè invenias; ut multa sunt in his Fragmentis quæ nusquam exstant, quæ frustrà quæras apud Lexicographos.

I D E M.

1. MEnse octavo] Is est October ab Hebræis dictus מרחשון Atticis *πυανεψιὼν* decimus, quia incipiunt à *γαμηλιῶνος* gamelione Januario. ¶ בן עדוא] Potest exponi ad filium Barachiæ filii Iddo, vel ad filium Iddo i. nepotem. Ita in Ezra cap. 3. dicitur Zacharias esse filius Iddo.

הנביא] *Prophetam*, refertur ad Zachariam. Vel etiam ad Addonem Zachariæ patruum, de quo tamen non constat propheta fuerit nec ne. Sunt qui eum dicunt esse qui alibi appellatur עדוא החזה *Iddo videns*. Quin & in Midras legitur עדוא הנביא *Iddo propheta*.

לאמר] Israelitis sc. id quod sequentia indicant, quia scribitur ואמרת אלהם. Aben Ezra putat referri posse ad Prophetam.

2. קצף] Ira iratus fuit i. graviter, vehementer & maximopere iratus fuit, magnâ sævitiâ in illos usus est, succensuit plurimùm. Sed & hic intelligendus est effectus iræ Dei nempè pœnæ & flagella divini judicii. Quorsum enim eos excidit? nisi quia iratus: & quare iratus? nempe quia peccatis suis eum irritaverant, stomachum illi fecit, bilémque commovit & ad iram incitavit Deum prava & perversa eorum vita, fecit ut ira commoveretur, afficeretur, corriperetur, ut excandesceret, ira exarderet & flagraret. קצף proprie est spuma maris vel aquæ bullientis. Chald. רגזא. Hinc ponitur pro fervidâ & acri excandescentiâ & quæ instar ferventis aquæ ebulliat.

4 הנביאים] Quidam accipiunt de falsis prophetis, quos ait unà cum majoribus eorum interiisse & deletos esse. Alii de veris prophetis intelligunt quos dicant quidem morte sublatos esse, sed nihilominus verbum suum immortale esse & æternum q. d. At prophetæ priores potuerunt vivere in perpetuum, ejusque ætatis homines perpetuo corripere? Minimè; sed illi defuncti sunt, & eventu divinorum eloquiorum veritas fuit comprobata. Hujus sententiæ est Kimchi. Superioris ætatis Hebræi exponunt per *μίμησιν*, quasi objectio sit populi ad verba prophetæ, quibus dixit patres eorum propter peccata interiisse vers. 8. & seq. Scopus visionis. Qui apparuerunt equi indicant Dei nuncios citos & celeres, quibus tanquàm equis utitur in rebus humanis perquirendis. Quod ait *conspectos esse equos in myrteto* significat prophetiæ obscuritatem & perplexitatem, quia nondum impletum erat tempus solidæ & claræ revelationis: & hoc quia arbor illa densa & opaca. Est ex angelis unus qui reliquos præit, eum possumus Christum angelorum caput intelligere. Habent varios colores, ut significetur alios ferre Dei beneficia, alios pœnas & flagella ejusdem. Kimchi ita *Vir*, inquit, *iste est Angelus Domini ut Dan. 9.* האיש גבריאל: *quod autem insederit equo, innuit festinationem quæ adhibita fuit in legatione. Ac fieri potest ut colores isti tantum expressi sint* רמזים *ad sensum visionis.* Sed Kimchi patens per equitem rursum intelligit *Nabuchodonosorem* qui Dan. 2. appellatur *caput aureum*. Est autem aurum אדום fulvum seu rubrum, agit autem de excidio Babiloniæ, & postea de aliis quatuor monarchiis. Per הדסים myrtos intelligit *Israelitas*, quorum actiones gratum Deo odorem & suavem instar myrti emittunt. Stat autem inter eos angelos ut opituletur & auxilium ferat iis qui sunt in profundo afflictionum cœno & luto demersi. Per מצלה autem intelligit Babyloniam quæ à confusione nomen sortita est. Quod autem sequitur, *equi rufi*, intelligunt filium & nepotem Nabuchodonosoris. מצלה aliquando notat graves & in-

ingentes calamitates, unde non est facile sese extricare Ps. 69. *Demersus sum* במצולות בטים *in cœno profundissimo.* Secundo designat abstrusum quiddam & occultum, latensque, quod non facile queat humana mens comprehendere 1 Cor. 2. *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei* i. secreta Dei consilia. Ps. 92. *O Domine, profundæ sunt cogitationes tuæ.* ¶ שרקים] Nomen est coloris, pro quo ponitur שרשרים in visione altera. Græci ψαροὶ καὶ ποικίλοι veloces & varii. Hieron. & Pagn. *Varii.* Jon. קוחין, aut ut alii codices habent קוחין. Per equites intelligo legatos Dei, qui missi sunt, quod autem postea equi numerantur sine sessoribus videtur extructam innuere Israeliticam rempublicam, quamvis alii *equites* subintelligant.

16. שבתי] Verbum שב habet significationem pœnitentiæ & animi mutati & reconciliationis q. d. redibo cum illis in gratiam clementer, misericorditerque, pro charitate qua eos complector, reconciliabor illis. Loquendi forma hinc desumpta est, quod in ira Deus consueverit se à nobis subducere & placatus iterum redire.

GROTIUS.

1. IN *mense octavo*] Medio tempore inter sermones Aggæi, primum & duos alteros. ¶ *Filium Barachiæ filii Addo*] *Zacharias* hic ipse Esdræ v. 1. *filius Addo* dicitur, id est, nepos: nam omnes qui in gradibus descendentibus sunt Hebræi *filios* vocant.

2. *Iratus est Dominus super patres vestros iracundiâ*] *Iratus fuit Dominus patribus vestris irâ gravi.*

3. *Et dices ad eos*] Hoc ampliùs dices. ¶ *Convertimini ad me, ait Dominus exercituum, & convertar ad vos*] Est πλοκή [*Copulatio.*] Nam prius illud *converti* est *vitam mutare*, alterum est *pro irato beneficum reddi.* Sensus est idem Michææ 7. 19. & Ierem. 3. 12. & Ezech. 18. 30.

4. *Et non audierunt*] 2 Regum 17. 14.

5. *Patres vestri ubi sunt? & Prophetæ numquid in sempiternum vivent?*] *Vixerunt?* Illi quidem communem iverunt viam: at mea dicta non moriuntur, sed vim suam, quamvis sæpe multo pòst tempore, exserunt, Lamentat. 2. 17.

6. *Et legitima mea*] Sanctiones additæ Legi. ¶ *Numquid non comprehenderunt patres vestros?*] Supervenerunt ipsis: sicut dici solet,

———κιχάνει τοι βραδὺς ὠκύν.
[——— *citum quit prendere tardus.*]

¶ *Et conversi sunt*] Pœnitentiâ tandem ducti sunt, in illis positi malis quæ pridem ipsis prædicta fuerant. ¶ *Sicut cogitavit Dominus exercituum facere vobis*] Sicut decreverat, & decretum significaverat. ¶ *Secundùm vias nostras, & secundùm adinventiones nostras*] Ierem. 4. 18. 17. 10. 23. 2. 32. 19. Ezechiel. 24. 14. 36. 31. Osee 12. 2.

7. *In die vigesima & quarta undecimi mensis*] Tribus mensibus seriùs hæc à Deo patefactio Zachariæ contigit, quæ extenditur ad finem capitis 6. Is sermo qui præcessit εἰσαγωγή [*Introductio*] tantùm quædam fuit. Quæ nunc sequuntur dicta sunt cùm jam populus in opere Templi multùm profecisset, & ad novum laborem muniendæ Vrbis excitari deberet. ¶ *Sabath*] Nomen est non Hebraïcum sed Chaldaïcum. Nominatur hic mensis in Paraphrasi secunda Esther. 3. 7. Incidit ferme in Ianuarium. ¶ *Prophetam, dicens*] *Prophetam qui dixit*, id est, sic recitavit quod sibi obvenerat Divinitus somnium.

8. *Et ecce vir adscendes super equum rufum, & ipse stabat inter myrteta, quæ erant in profundo*] Hunc equitem esse Michaëlem Judææ gentis sub Deo præsidem non malè ex Daniele, & his quæ mox sequuntur 12. colligunt Hebræi, ut ad hunc locum nos docet Hieronymus. *Equus rufus*, sive sanguine coloris, cædes significat, ut videre est Apocalyps. 6. 4. Sed quia myrtus arbor est voluptatis, ideo equus hic *in myrteto*, & quidem profundo, retentus nè indè exiret, significat bellum altâ pace repressum, nempe quàm latè patebat Persarum Imperium. Id congruit initiis Darii. ¶ *Et post eum equi rufi, varii, & albi*] Simul nempe cum suis equitibus, ut apparet infrà 10. Hi significant casus bellorum aliquando sub Dario futuros calamitosos, felices & varios. Calamitosi casus fuere contra Scythas & Græcos; felices contra Thraciam & Macedoniam, qui subacti à Persis; varii contra Jonas & Ægyptios. Vide Herodotum 4. 6. 7.

9. *Et dixi, Quid sunt isti, Domine mi*] Hæc dixit Angelus, ut sequentia ostendunt. Eum Angelum fuisse Gabrielem, solitum mitti ad Prophetas, perquam credibile est. Vide Daniel. 8. 16. & sequentibus, & 9. 21. Eâdem voce, *Domine mi*, Angelum alloquitur Daniel 10. 16. ¶ *Angelus qui loquebatur in me*] *Mihi.* Sic & infrà 13. & ità utroque loco Chaldæus.

10. *Et respondit vir qui stabat inter myrteta*] Gabriele major: nam hic inter Principes est, Gabriel inter Legatos. ¶ *Isti sunt quos misit Dominus ut perambulent terram*] Illi sunt bellorum casus, quos Deus terris solet immittere.

11. *Perambulavimus terram*] Quæsivimus occasionem effecta dandi ea quibus destinati sumus. ¶ *Et ecce omnis terra habitatur & quiescit*] Id est, *quiete habitatur:* nulla sunt bellorum semina. Itaque nihil invenimus agendum hoc quidem tempore.

12. *Et respondit Angelus Domini*] Michaël. ¶ *Usquequo tu non misereberis Ierusalem*] Quæ tunc adhuc jacebat sine mœnibus. ¶ *Et urbium Judæ*] Quæ & ipsæ adhuc in ruinis suis jacebant. ¶ *Quibus iratus es? iste jam septuagesimus annus est*] *Quibus iratus fuisti per annos septuaginta*, id est, toto exsilii tempore quod pertulimus, toto tempore prædicto ab Jeremia. Ideo autem orat Michaël deproperari edicta illa à Dario pro Templi & Vrbis & oppidorum structura, dum alta per Imperium Persicum pax erat, populique Judæis invidentes facilè in obsequio retinebantur, quòd ubi exoritura essent illa bella apud Aggæum in fine, & hoc capite significata, credibile erat neque Regem vacaturum cogitationibus minoribus, & si vacaret, edictis ejus non idem auctoritatis fore.

13. *Respondit Dominus Angelo*] Omnia ordine eunt. Deus Angelo loquitur, Angelus Prophetæ.

14. *Zelatus sum Ierusalem & Sion zelo magno*] Ità Judæos amo, ut injurias ipsis illatas diutiùs perpeti nolim.

15. *Et irâ magnâ ego irascor super gentes opulentas.* In Hebræo: *Pacatas*, gentes illas Imperii Persici quas supra dixerat *quietè habitare.* Judicat Deus illas indignas tam altâ pace. ¶ *Quia ego iratus sum parùm*] *Ad tempus aliquod*, Judæis scilicet. ¶ *Ipsi verò adjuverunt in malum*] Id est, aliquid adjecere ad mala priora, dum impediunt id quod Cyrus permiserat. Vide Esdræ 4.

16. *Revertar ad Jerusalem in misericordiis*] Id est, Oculo benigno respiciam illos posteros Hierosolymitarum. ¶ *Domus mea ædificabitur in ea*] Templum. ¶ *Et perpendiculum extendetur super Jerusalem*] *Regula*, μέτρον hic Lxx, alibi σπαρτίον. Sensus est, Præter Templum etiam urbs restituetur: quod impletum vide Nehem. 2. 3. & sequentibus.

17. *Adhuc affluent civitates meæ bonis*] *Spargent se oppida* huc, illuc, *ob bonitatem*, terræ scilicet. ¶ *Et consolabitur adhuc Dominus Sion*] *Sionem consolabitur*, pœnis inimicorum, ut sequitur. ¶ *Et eliget adhuc Jerusalem*] *Amare perget*, id est, bene facere. Causa pro effectu. Aggæi 2. 24.

19. *Hæc sunt cornua quæ ventilaverunt Judam, & Israël, & Jerusalem*] זרו, quod hic *ventilare* vertitur, quocunque modo *incommodare* significat, vertiturque per ἐναντιοῦσθαι [*adversari*] Proverbiorum 20. 8. & per κατυβρίζειν [*contumeliis afficere*] Jerem. 51. 2. etiam per *ligare* aut *circumdare* Davidi Kimchi, Psalmo 139. 3. Græcis Proverbior. 15. 8. Per *Israëlem* hic intellige Benjaminis & Levi posteros, & si qui ex aliis tribubus se adjunxerant. *Cornua quatuor*, quæ præcipuè *Hierosolymitas* & *Judæos* alios, eisque adjunctos *Israëlitas* impedierunt ob opere, sunt Chuthæi, Ammonitæ, Arabes, & Philisthini, Nehem. 4. 7.

20. *Quatuor fabros*] Cum dolabris ad dedolanda cornua, id est, ferociam istorum populorum. *Quatuor* illi *fabri*, qui Gentibus superbiam illam ademere, sunt Reges Persæ, Alexander, Reges Syriæ, Reges Ægypti: nam hos quanquam in partem venere potentiæ Alexandri, ab Alexandro semper seorsim ponunt Prophetæ, quòd sedem præcipuam Imperii non Pellæ habuerint, ut Alexander, sed Antiochiæ & Alexandriæ.

21. *Hæc sunt cornua quæ ventilaverunt Judam per singulos viros, & nemo eorum levavit caput suum*] *Adeò eos impedierunt ut non esset ullus qui caput suum auderet attollere.* ¶ *Et venerunt isti*] *Sed venient isti, fabri* scilicet, id est, Reges, aut Regum familiæ. ¶ *Deterrere ea*] Illas gentes quatuor. ¶ *Ut dejiciam cornua Gentium*] Vires ipsis accidendo. ¶ *Quæ levaverunt cornu*] Ἐναλλαγὴ [*mutatio numeri*,] id est, cornua. ¶ *Super terram Juda*] *Contra terram Juda*, id est, gentem. ¶ *Ut dispergerent eam*] *Ut impedirent eam.* Est enim idem verbum quod bis suprà.

CAP.

CAP. II.

MUNSTERUS.

4. IN *villis habitabunt*] Textus propriè habet, *Jerusalem absque muris*, vel *sicut villæ non muratæ*, *habitabitur*, *propter multitudinem hominum*; quasi dicat Angelus ad Prophetam, Tu cogitas de angusta civitate Jerusalem; sed ego loquor de Jerusalem amplissima & latissima, quæ futura est, implenda ex hominibus totius mundi, quæ murum alium non est habitura quàm meipsum Dominum, qui *ego per circuitum ejus veluti murus igneus*, & meâ protectione tutissima erit. Falsa igitur est hic expositio quorundam Jehudæorum, qui hunc locum sic exponunt, *Habitabunt multi extra Jerusalem in villis, quos mœnia urbis capere non poterunt.* R. S. tamen rectiùs exponit פרזות per מאין חומה *absque muris*, inquiens, *Habitabitur Jerusalem, ut qui voluerit ingredi possit, augebiturque civitas de die in diem.*

6. *O ô fugite*] Est hîc vox הוי particula Vocativa; quo advocantur Jehudæi ad Jerusalem illam terrenam, ubi incipere debuit Jerusalem spiritualis & diffundi per totum Orbem. Vocantur autem Jehudæi, quia non omnes redierant, sed multi amore uxorum & liberorum in Babylonia remanserunt, parvipendentes promissiones Dei.

8. *Post gloriam*] Jonathan hunc locum sic exponit, *Post gloriam, quam dixit adducendam super vos, misit me ad populos*, ut sit sensus, *Cùm Dominus dixisset se fore in medio populi sui in eorum gloriam, misit me ad gentes quæ spoliaverant populum suum, vindictam sumpturus de eis, & subjecturus populo suo.* Et quidem Jehudæi intelligunt hæc de temporali triumpho reportando ex hostibus: Sed cùm id nunquam factum sit ut ipsi spoliaverint Assyrios, Medos, Persas, & alios populos quos hostes passi fuerunt; consequens est ut hæc de Regno Christi intelligantur; ut sicut Gentes olim Jehudæos nitebantur avocare à cultu veri Dei, ità Christus & Apostoli hostes Jehudæorum conati sunt spoliare religione falsâ. Sunt igitur ex nostris qui hunc locum differunt, POST GLORIAM, *quam Jehudæi habuerunt cùm adhuc Christi exspectarent adventum*, MISIT ME, *Pater scilicet cœlestis Filium suum*, AD GENTES, (*sunt enim verba Dei*,) *sicut & paulò post subditur*, ET ADJUNGENTUR GENTES MULTÆ AD DOMINUM, &c. *Gentes igitur sunt prædæ & spolia. Et quando adjunctæ sunt Jehudæ; tunc Jehuda transiit in veram hereditatem Dei, & exstructa est vera Jerusalem ex Jehudæis & Gentibus collecta. Sileat igitur omnis terra, & nemo huic Dei repugnet ordinationi. Jehuda non dicat se portasse æstum per totum diem*, &c.

VATABLUS.

1. IN *cujus manu* ובידו] Ad verb. *& in manu ejus*; i. qui manu ferebat *funiculum mensorium*. Alia Prophetia, quâ Zacharias prædicit instaurationem urbis Jerusalem, & simul felicitatem ac prosperitatem ejus.

2. *Quanta*, &c. כמה רחבה וגו'] Ad verb. *quot* cubitorum sit *latitudo ejus*, *& quot* cubitorum *longitudo*.

4. *Et dixit ad eum* ויאמר אליו] i. Angelus ille alius dixit ad Angelum illum qui hactenus me est allocutus. ¶ *Ad puerum istum* אל הנער הלז] i. Ad Zachariam. נער dicit ætatem, vel officium sive ministerium, ut Latinè PUER significat *juvenem* & *famulum*. *Fieri potest*, inquit doctus inter Hebræos, *ut Zacharias prophetaverit adolescens, aut fuerit minister alterius Prophetæ.* ¶ Instar *urbium*, &c. פרזות תשב] Tanquam *urbes muro carentes*, quæ scilicet diffundunt ac dilatant sese prout necessitas postulat. ¶ *In medio ejus* בתוכה] Sub. *habitantium*.

5. *Et in gloriam* ולכבוד] i. Ero illi gloriæ & honori: q. d. Afficiam illam maximo honore, meâ quidem præsentiâ, doctrinâ, &c. Quod verum fuit & in figura ipsa, nempe in Jerusalem terresti.

6. *In quatuor ventos* כארבע רוחות] Legitur & בארבע *secundùm quatuor ventos*, i. secundùm quatuor plagas mundi, quæ plurimùm distant abinvicem: q. d. Permisi in varios ac diversos errores incidere propter peccata vestra. Per *Aquilonem* intelligit Babylonem, quòd sita esset inter Orientem & Septentrionem respectu terræ Sanctæ. Et quia Babylonii populus infidelis semper afflixit Israelem, *Aquilo* malè audit in Scriptura.

7. Cum *filia Babel* בת בבל] *Filiam* pro *congregatione* accipit, more Scripturæ: i. inter Babylonios, h. e. inter infideles ac idololatras.

8. *Jehovah* יהוה] Pro *Christo* hic accipitur *Jehovah*: Neque Judæorum expositiones huic loco conveniunt. Cùm enim æqualis sit Patri, idem habet nomen cum eo. ¶ *Post gloriam* אחר כבוד] Quâ scilicet affecero vos meâ præsentiâ & doctrinâ. Alludit ad id quod dixerat priùs v. 5. *Et in gloriam ero in ea.* Prædicit adventum Christi & vocationem Gentium. Hæc autem impleta fuerunt per Christum & Apostolos. ¶ *Mittet me* שלחני] Præt. Heb. pro fut. sub. *Deus Pater*. ¶ *Quæ spoliaverunt vos* השללים אתכם] *Quæ deprædata sunt vos*, vel *diripuerunt*, i. afflixerunt. ¶ *Tangit vos*, *tangit* הנגע בכם נגע] Præs. Heb. pro futuro, ut nonnulli vertunt, *tetigerit vos*, *tanget*, &c. i. sibiipsi nocebit: q. d. Qui afflixerint vos, graviùs affligentur. Quidam referunt pronomen ad *Deum*, vertentes *oculi ejus*.

9. *Levo manum meam super eos* מניף את ידי עליהם] Quidam per futurum vertunt, *elevaturus sum*. Hebraismus, Exercebo potentiam meam contra eos, i. convertam eos ad me per prædicationem Euangelii, idque virtute ac potentiâ Spiritûs mei: illique subdent colla his qui converterint eos & quos priùs afflixerant. Quod legimus impletum etiam in Imperatoribus ipsis. ¶ *Quod Jehovah*, &c. כי יהוה וגו'] i. Me esse verum Messiam missum à Jehovah pro redemptione generis humani. Idem dicit v. 11.

10. *Lauda* רני] *Canta*, *Gaude:* i. Præ ingenti lætitia crumpe in Dei laudem.

11. *Et congregabuntur* ונלוו] *Et adjungent sese*, i. adhærebunt, *Jehovæ*.

13. *Sile* הס] Similis locutio & Hab. 2. 20. & Soph. 1. 7. legitur. ¶ *Excitabitur* נעור] Præt. Heb. pro fut. i. quasi excitatus à somno descendet de loco sancto in quo habitat, veniétque ut judicet vivos & mortuos.

CASTALIO.

8. S*ECTATUM gloriam misit me ad gentes quæ vos dispoliarunt*] Ad pariendam gloriam in eis puniendis. Loquitur autem Christus.

CLARIUS.

2. U*T metiar Jerusalem*] Nam erat reædificanda. Describitur ergò hoc capite ædificatio duplicis Jerusalem. Sed major erat cura illius spiritualis: idcirco mittitur Angelus quâ dicat Prophetæ, *Absque muro habitabitur Jerusalem:* tanquam dicat, Tu cogitas de angusta civitate Jerusalem, sed ego loquor de Jerusalem amplissima & latissima, quæ futura est, implenda ex hominibus totius mundi: quæ murum alium non est habitura quàm meipsum Dominum, qui *ero per circuitum ejus veluti murus igneus*, & meâ protectione tutissimâ erit.

6. *Fugite de terra Aquilonis*] h. e. Ubivis potiùs sitis quàm in Babylone. Advocantur Judæi ad Jerusalem illam terrenam, ubi incipere debuit Jerusalem spiritualis, & diffundi per totum Orbem. Vocantur autem Judæi, quia non omnes redierant, sed multi amore uxorum & liberorum in Babylonia remanserant, par vipendentes promissiones Dei.

8. *Post gloriam*] h. e. Promiserat Dominus se futurum vobis in gloriam, quemadmodum paulò ante dixerat, *In gloriam ero in medio ejus.* Postquam ergò Chriistus fuit *gloria plebis Israel*, ut dixit Simeon, *missus est ad Gentes*, ut esset *lumen ad revelationem Gentium*, & subjiceret eas jugo fidei; ut *quæ* olim Israelem *spoliaverant* & subegerant, nunc ei subjectæ sint. Et quidem Judæi intelligunt hæc de temporali triumpho hostibus reportando: Sed cùm id nunquam factum sit ut ipsi spoliaverint Assyrios, Medos, Persas, & alios populos quos hostes passi fuerunt, consequens est ut hic de Regno Christi intelligantur; ut sicut Gentes olim Judæos nitebantur avocare à cultu veri Dei, ità Christus & Apostoli hostes Judæorum conati sunt spoliare religione falsâ. Sunt igitur ex nostris qui hunc locum sic differant, *Post gloriam*, quam Judæi habuerunt cùm adhuc Christi exspectarent adventum, *misit me*, Pater scilicet cœlestis Filium suum, *ad Gentes*. Sunt enim verba Dei, sicut & paulò pòst subditur, *Et applicabuntur Gentes multæ ad Dominum*, &c. Gentes igitur sunt *præda* & spolia; & quando adjunctæ sunt Judæ, tunc *Juda* transiit in veram *hereditatem* Dei, & exstructa est vera *Jerusalem* ex Judæis & Gentibus colecta. *Sileat* igitur *omnis* terra, & nemo huic Dei repugnet ordinationi. Juda non dicat se *portasse æstum per totum diem*, &c.

L. BRUGENSIS.

8. **Q**Ui enim tetigerit vos, tangit [tanget 15 MS.] pupillam [puellam o.] oculi mei. Pro *mei*, pronomine primæ personæ, quædam exemplaria scribunt tertiæ personæ pronomen *ejus*; unum Hentenii, quatuor nostra, Lob. P. V. C. In manuscripto K literâ signato videtur *ejus* pro *mei* substitutum; porrò in Brugensi antigrapho, omnium præstantissimo, è contrà, *mei* pro *ejus*. Complutensis editio legit *sui*. Hebraicè, Græcè & Chaldaicè tertiæ Personæ sunt pronomina, quæ & *sui* verti possint & *ejus*. Græcus autor Theodoritus *ejus* intellexit. Apud Hieronymum, Glossæ Ordinariæ autorem, ut ea nobis est scripta, & Dionysium Riechelium, legitur *ejus*: quod Richelius quidem exponit pro *sui* (*Tanget pupillam oculi ejus*, i. inquit, *seipsum lædet*:) Hieronymus verò, & ex eo Glossematicus, ad Deum referunt, si tamen id certò legerint, non *mei*, quod & ipsum refertur ad Deum. *Qui enim sanctos Domini tetigerit*, ait Hieronymus, *sic est quasi vexare cupiat pupillam oculi ejus, & illum nitatur clarâ luce privare.* Videri possit *ejus*, quòd minùs intelligeretur, rejecto, *mei* plerisque in libris substitutum: cæterùm Epanorthotes ob literæ consequentiam *ejus* in *mei* mutatum ab Interprete existimat: quanquam mihi minimè id exigere literæ consequentia aut commoditas videatur.

DRUSIUS.

1. **V**Ir] Angelus aliquis in forma Viri. Prædicit instaurationem Jerosolymæ, & simul frequentiam civium ejus, firmitatémque murorum. ¶ *Funiculus mensorius*] i. *Amussis*, vel, si placet, *perpendiculum*, aut *regula lineáve*. Græci vocant σχοινίον γεωμετρικόν.

2. *Ut videam*] Minùs probo quod in nonnullis ed. *ut videant*, sub. *structores* aut *architecti*; vel potiùs non planè improbo: nam verba Ebræa eam interpretationem quoque admittunt. Fruatur quisque judicio suo. De talibus contendere amentia est, meo judicio. ¶ *Quanta sit latitudo*, &c.] Quantæ futura sit latitudinis, quantæ item longitudinis. Vide Ezræ 6. 3. Jerosolyma olim in circuitu habebat 50 stadia: continebàtque hominum centum quinquaginta milia. Josephus ex Hecatæo Contra Appionem l. 1. Cæterùm 50 stadia ferè sex milliaria Germanica constituunt.

4. *Et dixit illi*] Angelo qui mecum loquebatur videlicet. ¶ *Curre*] Celeriter abi, Propera. Hoc modo locutus est aliquoties Cicero in Epistolis ad Atticum; ut ibi, *Currens ad illum Posthumius Curtius venit*: & alibi, *Domitii filius transiit Formias* 8. *Id. currens ad matrem Neapolim*: i. *magnâ celeritate iter faciens*, ait Petrus Victorius. ¶ *Ad puerum istum*] Potest legi *ad juvenem istum*. Nam נער etiam *juvenem* significat, si credimus Aquibæ Ebræo, qui eam ætatem, quam נערים vocant, extendit usque ad annum trigesimum. Alii terminant annis 25. alii 20. Ut ut sit, probabile est Zachariam adolescentem fuisse cùm hæc scriberet. Sanè legimus in Scholiis Abenezræ, *Tres prophetarunt in adolescentia, Samuel, Jeremias, & Zacharias.* Sunt qui putent nomen esse ministerii hoc loco, ut Num. 11. 27. *& cucurrit puer*: ubi *puer* dicitur Josue, i. *minister*. Erat enim *Mosis minister*, Jos. 1. 1. Sic fieri posse aiunt ut Zacharias alicui Prophetarum eo tempore ministraverit. Ego quin id fieri potuerit non nego; sed testimonium quæro quo hoc probetur. Alii *puerum* dici volunt respectu Angeli. *Omnis enim humana natura*, ut ait Hier. *ad comparationem Angelicæ dignitatis pueritia nuncupatur; quia non Angeli in nos, sed nos in Angelos proficimus.* ¶ *Ut pagi habitabitur Jerusalem*] i. Absque muro. Nam pagi muris carent. Id duobus modis intelligi potest: Nam vel non erit omnis murus Jerosolymam ambiens, & sic habitabitur simpliciter absque ullo muro; vel qui fuerat murus manebit ille quidem, sed extra eum degent quotquot urbis ambitus capere non poterit, qui plurimi erunt. Initio cùm urbs ampla & spatiosa esset, exiguus erat in ea populus, Neh 7. 4. Paulatim crevit civium numerus eousque ut murorum ambitus omnes capere non quiverit. Tunc cœperunt domus construere extra muros, h. e. in suburbiis: in quibus tanta frequentia erat *hominum & jumentorum* ut ipsa urbs mœnibus carere videretur. פרזות ad verb. *pagi*. Deest autem nota Similitudinis, quam nos supplevimus. Tale est in Latio,

Nec excitatur classico miles truci.

Sensus enim est, *ut miles*. Plena est ejusmodi exemplorum Scriptura. Priores editiones habebant *per pagos*, i. בפרזות. Quod ità dicitur ut Exod. 8. 14. חמרם חמרים *acervatim* sive *per acervos*. Marc. 6. 39. συμπόσια συμπόσια *per convivia*: & 40. πρασιαὶ πρασιαὶ, *per areolas*.

5. *Murus igneus*] *Pro muro igneo*, sive *ut murus igneus*, ad quem videlicet nemo audebit accedere, nedum ut eum suffodere aut oppugnare quisquam ausurus sit. Videtur sumptum à viatoribus qui noctu circum tentoria sua ignem exstruere solent ut leones arceant. Leones enim supra modum terrentur igne. Videndus hac de re Johannes Leo in Descriptione Africæ. Ut hîc *murus igneus*, ità Jer. 15. 20. legitur *murus aneus*, & simpliciter 1 Sam. 25. 16. *murus* de servitio Davidis, *Pro muro fuerunt nobis tam noctu quàm interdiu.* ¶ *Et gloria ero in medio ejus*] Lucem his verbis adferes si cum iis conferas quæ habentur Jes. 4. 5, 6.

6. *E terra Aquilonis*] E Babylonia, ut Jer. 16. 15. *Vivit DOMINUS qui eduxit filios Israel è terra Aquilonis*: & 6. 22. *populus venit è terra Aquilonis.* Hier. in Comment. ad h. l. *Plaga Orbis, quas Græci appellant κλίματα, juxta situm Jerusalem intelliguntur & Templi. Assyrii ergò & Babylonii, qui Dei populum vastaverunt, habitabant in terra Aquilonis.* ¶ *Ut quatuor*, &c.] Tam latè *expandi vos* quàm sunt latè expansi *quatuor venti cœlorum*, h. e. quatuor plagæ Orbis, sive *partes mundi* eas appellare mavelis: ac si diceret, Licet vobis jam fugere quàm latè patet orbis terrarum, cùm antea Babylonii, apud quos exsulabatis, non paterentur vos exire extra limites Imperii sui. Sic dico, significat licentiam iis factam esse abeundi quò velint. Quod accidit cùm Persæ rerum potirentur, devictis Chaldæis. כארבע per Chaph. Ità legunt Ebræi & Chaldæus P. Hier. videtur legisse בארבע per Beth: vertit enim certè, *in quatuor ventos cœli dispersi vos.* ¶ *Ventos cœlorum*] Plagas sive regiones cœli. *Venti* nomen hoc significatu & in V. in N. Fœdere usitatum est. Vide Ezec. 5. 10. item Matth. 24. 31. ¶ *Expandi vos*] פרשתי אתכם. Priùs erat *dispersi vos*, זריתי אתכם. Sic Ezec. 17. 21. לכל רוח יפרשו *in omnem ventum dispergentur.*

7. *O Sion*] Intelligit tribum Juda, quæ in Sion commorabatur. Sub Juda verò & Benjamin continetur. ¶ *Habitatrix filia Babylonis*] Quæ habitas in Babylonia, sive apud Babylonios. *Filia Babylonis* ità dicitur ut *Filia Sion*, *Filia Jerusalem*, *Filia Edom.*

8. *Sic dicit Dominus exercituum*] Christum intelligit, qui est Dominus rerum omnium, & verus יהוה. *Exercituum*, inquit hoc in loco Nicolaus, *id est*, *Angelorum*. Aliquid dicit, sed non omnia. Nam ità appellatur Deus quòd imperium habeat in exercitus cœli & terræ, h. e. in res omnes creatas. ¶ *Post gloriam*] De qua suprà v. 5. *& gloria ero in medio ejus.* Quidam interpretantur POST GLORIAM, i. *sectatum gloriam.* Alii, *post indictam gloriam.* ¶ *Misit me ad Gentes*] Deus Pater misit me ut de Gentibus supplicium sumerem, & vestras injurias persequerer. ¶ *Qui tangit vos*] i. Lædit aut injuriâ afficit. *Tangere* hoc sensu accipitur in illo, *Nolite tangere unctos meos.* Hier. TACTUM *pro vexatione & injuria posuit.* ¶ *Tangit pupillam*] Lædit id quod charissimum habet. Nam nihil charius pupillâ oculi. Unde est Deut. 32. 10. *Custodiet illum ut pupillam oculi sui*: & Ps. 17. 8. *Custodi me ut pupillam oculi.* ¶ *Oculi ejus*] Vel *oculi sui*. Sic Chaldæus Aquila Deut. 32. 10. quem locum modò citavimus, *custodiet eos ut ipsorum oculi pupillam.*

9. *Agito manum meam*] מניף. Priùs erat *levo manum meam*, i. מרים. Eodem recidit. Sophonias dixit *extendere manum*, 1. 4. Porrò *manus* vocabulo significant singularem virtutem quam exserit Deus vel in pœnam vel in solatium. In solatium; ut ibi, *Manus DOMINI erat cum eo.* In pœnam; ut hoc loco, & Ruth. 1. 13. *egressa est contra me manus Domini.* Sic alibi, *manus Domini adversùm eos.* Vide Act. 13. 11. *Agito* autem posuit pro eo quod est *brevi agitaturus sum.* ¶ *Contra eas*] Contra gentes quæ vos prædatæ sunt. ¶ *Servis suis*] Judæis fidelibus, qui nunc eis inserviunt. ¶ *Cognoscetis*] Per experientiam. ¶ *Dominum exercituum*] Deum Patrem.

10. *Canta*] Alius dixit *Ova*. Olim erat *Lauda*, i. הלל. Id Santes retinuit. ¶ *Filia Sion*] Ecclesia fidelium. ¶ *Venio & habitabo*] *Venio ut habitem*, sive *habitatum*, aut *commoratum*. Nam שכן, est σκηνόω, quod *commoror* interpretantur. Sic ait, *Verbum caro factum est, & commoratum est inter nos.* Vel capiendum ut ibi, *Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Ità Hier. existimat: mihi aliter videtur.

11. *Adjungentur DOMINO*] Vel *applicabuntur ad DOMINUM.* Sic Int. antiquus. Potest etiam legi, *adjun-*

jungent se ad DOMINUM. Quidam *& adhærebunt* DOMINO: quod non placet: nam *adhærebunt* est נלוו. ¶ *Adjungentur*, per fidem videlicet. Ideo sequitur. ¶ *Et erunt mihi populus*, Nam per fidem omnes aggregamur ad populum Dei, *nec est distinctio vel Judæi vel Græci*, ut Apostolus testis est Rom. 10. 12. ¶ *Et habitabo in medio tui*] Conversando & prædicando; sed & miranda edendo: unde *perspicies me à Deo missum esse ad te*.

12. *Judam*] Sig. veros Judæos confitentes & credentes nomini suo. Hos DOMINUS, inquit, *possidebit*, h. e. reget ac tuebitur, ut homo solet res à se possessas: q. d. Gentes non ampliùs eorum domini erunt. ¶ *Partem suam*] Alibi est *hereditatem suam*, eodem sensu. Sic Esth. 13. 16. *Ne despicias partem tuam quam ex Ægypto redemisti*, τὴν μερίδα σε. Sumptum autem ex illo Deut. 32. 9. *Pars enim* DOMINI *populus, & Jacob funiculus hæreditatis ejus*. ¶ *In terra sancta*] *In Ecclesia*: ità Hier. interpretatur. Alioqui *terra Sancta* vocatur peculiariter Judæa, propter Divinum cultum, qui in ea sola exercebatur. Quam ob causam & Jerusalem dicebatur *civitas sancta*. Hier. Epist. 150. quæ ad Hedybiam, quæst. 8. SANCTAM CIVITATEM *Jerosolymam debemus accipere, ad distinctionem omnium civitatum, quæ tunc idolis serviebant. In hac enim sola fuit Templum & unius Dei cultus & vera religio*. אדמה propriè *tellus humusve*. Sed hîc pro ארץ ponitur, ut sæpe aliàs. ¶ *Eliget adhuc Jerosolymam*] Dicit *adhuc* quia semel elegerat eam tempore Davidis Regis: is enim Arcam primus in Sion transtulit. Postea eandem à se rejecit & quasi reprobavit, cùm à Chaldæis exciderctur unà cum Templo. Sed nunc, inquit, iterum eam eliget, & sedem suam ibi collocabit. Vide 2 Reg. 21. 7. & 2 Par. 6. 5. & Tob. 1. 4. nam lux indè huic loco.

13. *Sile*] הס *Sile*, *Pax*, meo judicio, est interjectio Silentium imperantis sibi aut alteri. Alii aliter sentiunt. Vide quæ observamus Soph. 1. 7. ¶ *Omnis caro*] Omne hominum genus. Ità capies Ps. 65. 2. *ad te omnis caro veniet*: item Joel. 2. 28. *effundam Spiritum meum super omnem carnem*. ¶ *Cum excitatus fuerit*] Tanquam è somno. *Dormire* enim dicitur cùm suos vexari permittit impunè; contrà *excitari* & quasi *evigilare de somno* quando consurgit in vindictam eorum, juxta illud quod scriptum est, *Exsurge, ut quid dormis*, DOMINE? ¶ *Ex habitaculo suo sacrosancto*] E templo Jerosolymitano, vel potiùs è cœlo, ut Deut. 26. 15. & 2 Par. 30. 27.

IDEM.

12. אחר כבוד] Post gloriam misit me i. misit me ad pariendam gloriam in puniendis gentibus, sectatum & quæsitum gloriam misit me. Quod supra dixit, *ero in medio vestrum* לכבוד *in gloriam*.

GROTIUS.

1. ET *levavi oculos meos & vidi*] In Viso diurno. ¶ *Et ecce vir*] Nehemias hic præsignificatur. ¶ *Et in manu ejus funiculus mensorum*] Ad designationem faciendam Urbis regionúmque ejus, ut ab architectis fieri solet; Nehem. 2. 13. 14. 15. 20. 3. & sequentibus. Confer Ezech. 40. Apocalypseos 11. 1.

3. *Angelus qui loquebatur in me*] Qui mihi locutus fuerat: de quo in capite præcedente commate 9. 14. ¶ *Egrediebatur*] Quasi peracto mandato à me abibat. ¶ *Et Angelus alius egrediebatur in occursum ejus*] Nova scilicet mandata Gabrieli de adyto referens.

4. *Loquere ad puerum istum*] *Iuvenem*. Sic enim נער sæpe sumitur, atque sic vertit hoc loco Chaldæus. Sic & LXX, περὶ νεανίου ἐκείνου [*circa juvenem istum*,] nempe Zachariam, qui juvenis adhuc à Deo cœpit afflari. ¶ *Absque muro habitabitur Ierusalem*] *Vicatim habitabitur*: id est, Plurimi Hierosolymitæ, quòd ipsi résque eorum Vrbis ambitu teneri non possint, per proximos vicos se dispergent.

5. *Et ego ei ero, ait Dominus, murus ignis in circuitu*] Illis extra Urbem habitantibus ero præsidium invictum. Confer 2 Regum 6. 17. ¶ *Et in gloria ero in medio ejus*] Id est, Illi laudes mihi gratiásque cantabunt.

6. *O, ò fugite terra Aquilonis*] Si qui adhuc restatis in Babylone. Nondum enim omnes in Judæam se contulerant. ¶ *Quoniam in quatuor ventos cœli dispersi vos*] *Expandam vos*: id est, latissimas terras vobis dabo possidendas.

7. *O Sion*] O vos cives Sionis.

8. *Quia hæc dicit Dominus exercituum, Post gloriam misit me ad gentes quæ spoliaverunt vos*] *Quia hoc præcepit Deus repercussioni gloriæ suæ*; id est, Michaëli, ut ille diceret Prophetæ. Michaël vocatur אחר כבוד, quia est ἀπαύγασμα quoddam [*effulgentia* quædam] Dei, Daniel 10. 5. & confer cum Ezechielis 1. 27. 28. & 8. 2. Sic David optat à Deo fieri אחר כבוד, Psalm. 73. 24. id est, *effulgentia quædam lucis Divinæ* per dona ac virtutes. Michaël Judæorum Procurator mandatum à Deo accepit ad graviter puniendas illas gentes Judæis vicinas & infestas. ¶ *Qui enim tetigerit pupillam oculi mei*] In Hebræo, עינו, id est, *oculi ejus*; Græci, τοῦ ὀφθαλμοῦ αὐτοῦ: nam Michaël loquitur ex Dei præcepto. Vide Deuteron. 32. 10. Psalm. 17. 8.

9. *Ecce ego levo manum meam super eos*] *Attollam manum meam contra eos*, ut solent verberaturi, Job. 31. 21. ¶ *Et erunt prædæ his qui serviebant sibi*] Id est, Judæis, quos illi præ se contempserant. Impletum hoc maximè per Judam Maccabæum & fratres ejus, 1 Macc. v. Josephus antiquæ Historiæ 12. 11. 12. & per Hyrcanum; Josephus 13. 17. ¶ *Et cognoscetis, quia Dominus exercituum misit me*] Michaëlem.

10. *Et habitabo in medio tui*] Templum meum ibi habebo.

11. *Et applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa*] Multi venient variis ex locis, ut relictâ idololatriâ uni veróque Deo serviant in atrio Gentium, 1 Regum 8. 41. Nec id mirum, cùm & Cyrus & Darius in Templo pro se orari voluerint: Sic & Lacedæmonii. Alexander Deo in Templo victimas obtulit. Idem fecere Ptolemæus Philadelphus, Augustus quoque & Tiberius: Reges plurimi, ut & Sossius, dona eò misêre.

12. *Et possidebit Dominus Judam partem suam*] *Ut partem suam: ut peculium suum*: ab eo coli volet. ¶ *Et eliget adhuc Ierusalem*] *Amabit*, ut olim, suprà 1. 17.

13. *Sileat omnis caro à facie Domini*] Timeant: nam timorem comitari solet silentium. ¶ *Quia consurrexit de habitaculo sancto suo*] Velut è Templo prodibit, ultiónem sumturus de gentibus inimicis.

CAP. III.

MUNSTERUS.

2, &c. INcrepet te Dominus, *Satan*] Adverte hic mysterium Trinitatis, *Dominus dixit ad Satan*, *Increpet te Dominus*. Dominus locutus est ad Dominum. Utrinque autem in Hebræo scribitur nomen tetragrammaton. Per SATAN intellige Diabolum, qui impedire conabatur opus Domini. ¶ *Nónne iste est titio erutus?*] Sensus est, Satis est quòd Deus ferè totum populum permisit eliminari propter peccata sua, & tu conaris etiam hunc relictum titionem auferre? Non ità erit: sed hinc ædificabitur civitas unde rursum consurget Regnum, & quidem magnificentissimum, Regnum scilicet Christi. ¶ Porrò quòd *Jehosua indutus erat vestibus sordidis*, indicat Sacerdotium post Captivitatem non tam splendidum fuisse sicut antea. Per quod significabatur, illum sibi conscium fuisse de peccato, unde & trepidabat & timebat sibi malè successurum si inchoaret opus. Accepit propterea consolationem, *induitur vestibus* aliis, nempe טהור, i. *puris*, ut Chaldæus Interpres habet, & *amovetur ab eo iniquitas*, &c. Ubi autem vertimus, *induo te*, in Hebræo scribitur hoc verbum in infinitivo Hiphil: quod admonendum duximus propter varias hujus verbi versiones.

7. *Tu judicabis domum meam*] i. Præsidebis populo meo, & gubernabis ipsum verbo meo, ut crescat in Regnum. Et cùm hoc rite ex commissione mea feceris, *dabo tibi transitum inter* Angelos meos, quibus annumerari mereberis; sicut & apud Malachiam Sacerdotes *angeli* vocantur.

8. *Quia viri portenti sunt*] h. e. Viri mirabiles, qui aliquid portendunt. Incipit autem hic explicare quid significaverit Sacerdotium Jehosuæ, dicens, *Audi, Jehosua, ego adduco Servum meum Germen*: ubi Jonathan habet, *Ecce ego adduco Servum meum Meschiam, & revelabitur*. Sic & apud Jeremiam 33. vocatur צמח צדקה *Germen justitiæ*: & apud Jesaiam c. 4. *Germen Domini*, & *Fructus terræ*. Hic igitur adducendus promittitur, qui exstruat veram Jerusalem, & sit *Sacerdos in æternum*; & omnes qui eum suscipiunt & credunt in eum *viri sunt mirabiles*, &c.

9. *Ecce lapis*] Ostenditur per id, quòd interim quò Templum

plum exterius exstruebatur, simul Deus incepit ædificare Templum spirituale; propter quod domus illa externa exstruebatur. Hujus autem Templi *angularis Lapis & Fundamentum* est Christus. Siquidem *fundamentum aliud nemo ponere potest*, &c. *Super* hunc *Lapidem septem oculi* debent esse intenti: h. e. omnes Christiani hunc solum spectare debent, per quem solum remissionem habemus peccatorum, & extra quem meræ sunt tenebræ. Septenarius enim in Scriptura significat Universitatem. Hunc Lapidem *Deus aperuit* variis *sculpturis*, quando eum clavis & lanceâ vulnerari permisit, & sanguinem effundere in *emundationem peccatorum* nostrorum. Hæc autem emundatio peccatorum *uno die* facta hic perhibetur, quæ sufficiens est pro omnibus peccatis quæ ab initio mundi sunt facta, & quæ fient usque ad finem mundi. ¶ *Iniquitatem terræ illius*] Significatur ablatum Sacerdotium Legale, per quod peccata auferri non poterant ad perfectum. Ut autem hæc crederent *Jehosua & socii ejus*, necesse fuit illos *viros* fuisse *mirabiles*.

10. *Vocabit quisque*] i. Ubi pax & securitas est, ibi amici mutuò se invitant: Sic in Regno Christi, in quo ablatum est peccatum, & Deus per Christum reconciliatus, summa est pax & securitas conscientiæ.

VATABLUS.

1. O*Stendit autem* ויראני] Sub. *Jehovah*, ut expressit c. 1. 20. ¶ *Ut adversaretur ei* לשטנו] i. Ut accusaret illum negligentiæ, &c. & hâc ratione volebat impedire ædificationem Templi. Conabatur enim persuadere Michaeli Archangelo hunc Josue esse immundum ac impurum, ideóque indignum sub quo Templum illud reædificaretur.

2. *Increpet* יגער] i. Objurgatum ac increpatum jubeat facessere hinc atque ejiciat, neque audiat te accusantem, &c. vel, Avertat te à voluntate tua, ac prohibeat ne possis accusare summum hunc Sacerdotem. ¶ *De igne* מאש] i Ex incendio. Captivitatem Babyloniceam intelligit: q. d Dominus jam clementer egit cum Josue, ut qui eripuerit eum è captivitate Babylonica: quapropter, ô Satan, non est quòd speres te impediturum ædificationem Templi hâc tuâ accusatione.

4. *Transire feci* העברתי] Hebraismus, pro *Abstuli*: q. d. Scito Dominum condonasse tibi omnia peccata tua. ¶ *Et indui* והלבש] Infinitivus pro præt. & *induere feci*, sub. *ab Angelis mihi subditis*. *Mutatorias vestes* vocat mundas & pretiosas: q. d. Ornavi te variis gratiis ac virtutibus.

5. *Tunc dixi* ואמר] Ad verb. *Et dixi*. Verba sunt Zachariæ. ¶ *Imponant* ישימו] q. d. *Jube imponant*, nempe *Angeli inferiores te*.

6. *Et contestatus est* ויעד] *Et obtestatus est*, i. Testibus admonuit: vel, Sub attestatione jurisjurandi denunciavit illi, nempe Michael.

7. *Custodiam meam* את משמרתי] i. Ceremonias quas per Mosen tradidi filiis Israel custodiendas. ¶ *Judicabis* תדין] i. Ages Judicem in Templo meo, h. e. diu fungeris officio summi Sacerdotis. ¶ *Custodies atria mea* תשמר את חצרי] i. Pontificatus iste diutissimè manebit in domo ac familia tua. ¶ *Dabóque tibi vias* ונתתי לך מהלכים] *Dabóque tibi incessus: itinera:* i. faciam tibi potestatem incedendi inter Angelos, in quorum præsentia hæc dicuntur.

8. *Qui habitant* היושבים] *Qui sedent*. ¶ *Viri prodigiorum sunt* אנשי מופת המה] i. Apti sunt ad facienda prodigia ac miranda. Ut de Stephano & aliis legimus, qui faciebant signa & *prodigia* multa in populo: vel, digni sunt quibus aut in quorum gratiam fiant prodigia. ¶ *Germen* צמח] i. Cujus adventum prædixerunt alii Prophetæ, vocaveruntque eum *Germen*. Esa. 4. 2. *Erit Germen Domini*. Jer. 23. 5. *Suscitabo Davidi Germen justum:* & 33. 14. *Germinare faciam Davidi Germen justum:* quibus locis Chaldæus P. vertit *Masiah*.

9. *Quia ecce* כי הנה] *Et enim*. Alii, *Id enim est*. ¶ *Dedi coram Jehosua* נתתי לפני יהושע] *Dare* pro *ponere*, sive *proponere*, sæpius in Scripturis ponitur. Est autem hic Hebraismus, & mutatio personæ, pro *cujus adventum revelavi tibi*. ¶ *Super quem* על־אבן] Ad verb. *super lapidem*. Antecedens pro relativo. ¶ *Septem oculi* שבעה עינים] Quidam per *septem oculos* intelligunt plenitudinem gratiarum in Christo. Alii malunt oculos Prophetarum & Patriarcharum intelligere intentos in Christum. ¶ *Calabo calaturam ejus* מפתח פתחה] Præs. Heb. pro fut. *sculpam sculpturam ejus*, sub. אבן *lapidis*, quod femineum est. ¶ Perstat enim in Metaphora. Per *calaturas* sive *calaturas* intelligit plagas & vulnera quæ Christus accepit in die passionis suæ.

CASTALIO.

8. H*Omines portentosi*] Qui aliquid portendant.

CLARIUS.

1. J*Esum*] Hoc nomen multò aliter scribitur apud Ezram quàm hîc. Additur præterea hic duplex semper articulus, emphasim habens, ut *ille Sacerdos*, *ille magnus*.

2. *Increpet Dominus*] Adverte hic mysterium Trinitatis; *Dominus dixit ad Satan*, *increpit te Dominus*. Dominus locutus est ad Dominum. Utrinque autem in Hebræo scribitur nomen tetragrammaton. Per SATAN intellige Diabolum, qui impedire conabatur opus Domini. ¶ *Nunquid non iste*] Sensus est, Satis est quòd Deus ferè totum populum permisit eliminari propter peccata sua, & tu conaris etiam hunc relictum titionem auferre? de quo & Amos 4. Non ità erit; sed huic ædificabitur civitas, unde rursum consurget Regnum, & quidem magnificentissimum, Regnum scilicet Christi.

3. *Vestibus sordidis*] De quibus Esa. 63. *Omnia indumenta mea inquinavi*.

4. *Abstuli à te*] h. e. Quam tu fecisti tuam, & in tuos humeros assumpsisti. Qui verò magis literam spectant, dicunt per *sordidas vestes* indicari Sacerdotium post Captivitatem non tam splendidum fuisse sicut antea: Per quod significabatur, illum sibi conscium fuisse de peccato; unde & trepidabat & timebat sibi malè successurum si inchoaret opus. Accepit propterea consolationem, *induitur vestibus* aliis, h. e. puris, & *amovetur ab eo iniquitas*.

7. *Si in viis meis*] Alius legendum aiebat, *Ubi in viis meis ambulaveris*, &c. ¶ *Faciam tibi*] h. e. Cùm hæc rite perfeceris, *dabo tibi transitum inter* Angelos meos.

8. *Viri portendentes*] h. e. Ad magna idonei & ad portentà designanda. ¶ *Servum meum*] Te scilicet, *Germen justitiæ*, ut apud Jeremiam vocatur; & apud Esaiam, *Germen Domini*, & Fructus terræ. Hic igitur adducendus proponitur, qui extruat veram Jerusalem, & fit *Sacerdos in æternum*; & omnes qui eum recipiunt & credunt in eum VIRI sunt *mirabiles* ac *portendentes*, &c.

9. *Ecce Lapis*] Ut fundetur scilicet super eo Templum. Ostenditur per id quòd dum Templum exterius exstruebatur, interim simul Deus cœpit ædificare Templum spirituale, propter quod domus illa externa exstruebatur. Hujus autem Templi *angularis Lapis & Fundamentum* est Christus. Siquidem *fundamentum aliud nemo potest ponere*, &c. Hunc Lapidem *septem oculis* Dominus observat, nequis nocere possit illi. ¶ *Ego calo*] Vel, *aperio aperturam ejus*; quando eum clavis & lanceâ vulnerari permisit, & sanguinem effundere in *emundationem peccatorum* nostrorum. Hæc autem emundatio *uno die* facta hic perhibetur, quæ sufficit pro omnibus peccatis quæ ab initio mundi sunt facta, & quæ fient usque ad finem mundi. ¶ *Iniquitatem terræ hujus*] Significatur ablatum Sacerdotium Legale, per quod peccata auferri non poterant.

10. *Vocabit vir*] Ubi pax & securitas est, ibi amici mutuò se invitant: Sic in Regno Christi, in quo ablatum est peccatum, & Deus per Christum reconciliatus, summa est pax & securitas conscientiæ.

DRUSIUS.

1. O*Stendit mihi DOMINUS Josuam*] Quanquam Prophetarum visiones omnes à Deo sunt, tamen non de nihilo est quòd ait, *Ostendit mihi DOMINUS Josuam*, cùm potuisset dicere, *Sustuli oculos meos*, & *vidi*, & *ecce Josua*; aut simpliciter, *Vidi Josuam*. Fortè ità loquendo exprimere voluit curam ac solicitudinem Dei quam peculiariter de Josua ejúsque dignitate conceperat. In antiquis monumentis *Josue*, & interdum *Jesus* vocatur, qui populum reduxit ab exsilio, Templúmque instauravit: unde typum gerit CHRISTI Servatoris. Mentio hujus Hag. 1. 1. & alibi sæpe. Patrem habuit Josedecum Sarajæ filium, &, ut quidam tradunt, Ezræ fratrem, qui Legem restituit. Præfuit populo cum Zorobabele, qui simul è Babylonia reversi in patriam, Urbem & Templum reficere cœperunt. Quod opus, postquam interruptum fuisset per multos annos, tandem ad finem perduxerunt & absolverunt, regnante apud Persas Dario Notho. ¶ *Sacerdotem magnum*] Quem Græci ἀρχιερέα, Latini *summum Sacerdotem* aut *Pontificem* appellant. ¶ *Stantem*] *Stabat coram Angelo* ut reus coram Judice, accusante Satanâ. Sic di-

co

co, Reus erat *Josua*, Judex *Angelus DOMINI*, actor vel accusator *Satanas*. Vel, *stantem coram Angelo*, i. ministrantem & inservientem ei. *Stare* hoc significatu accipitur Ps. 135. 2. *Qui statis in domo Domini*: & ibi, *Vivit DOMINUS, in cujus conspectu ego sto*. Harum duarum expositionum prior verior est, meo judicio. ¶ *Coram Angelo DOMINI*] Coram Christo, qui *Angelus DOMINI* vocatur, & DOMINUS simpliciter, i. *Jova* vel *Jehova*. *Angelus* vocatur quia *missus* à Deo Patre ad nos: juxta illud, *Et cognoscetis DOMINUM exercituum misisse me ad te*. Siquidem *angelus* Græcè dicitur qui Latinè *nuncius*. Ergò *Angelus DOMINI*, i. *Nuncius* vel *Legatus DOMINI*. Dicitur etiam *magni consilii Angelus* eandem ob causam. Sunt qui non Christum sed Angelum Michaelem significari putant, propterea quòd is præesse creditur populo Judæ, ut dictum est. Nicolai verba sunt ad hunc locum, CORAM ANGELO DOMINI, *scilicet Michaele prælato toti Judæorum populo*. ¶ *Et Satanam*, &c.] *Ostendit mihi DOMINUS etiam Satanam stantem ad dexteram Josuæ, ut adversaretur ei*, h. e. ut per Sanballetum & socios ipsius impediret ædificationem Templi ac Urbis; aut ut cum accusaret de crimine filiorum, qui uxores alienigenas duxerant, ut habetur Ezræ 10. 18. Cæterùm cum judicio legendus Hier. in hujus loci enarratione: nam affirmat Josuam *alienigenam accepisse uxorem: quod in Ezra*, inquit, *& Malachia, qui hunc Prophetam sequitur, plenissimè scriptum est*. Fefellit eum fortasse locus Ezræ quem modò adduxi. Consului etiam Malachiam: nihil tale in eo inveni. Quæramus adhuc diligentiùs. Non temere damnandus ille vir. *Satanam*, ut Job. 1. 6. Græca ed. Διάβολον vocat, Jon. חטאת, i. *Peccatorem*. SATAN vocatur *adversarius*, DIABOLUS tanquam *criminator*. Non enim idem est *adversari* & *criminari*. *Criminatio* absque verbis non fit, *adversari* & verbis & factis possumus. Hier. in Comment. Jes. 27. *Tradunt Ebræi* Diabolum, *i.* Criminatorem, *quod Græcum nomen est, Ebraicè appellari SATAN, h. e.* Adversarium. *Unde & in Zacharia dicitur, STABAT SATAN, i.* Adversarius, A DEXTERIS EJUS, UT ADVERSARETUR EI. Nihil verius. Itaque Job. 1. ubi vulgò καὶ Σατὰν ἐν μέσῳ αὐτῶν, in Theodotione legitur καὶ ἀντικείμενος ἐν μέσῳ αὐτῶν. Theophylactus in Matth Σατὰν λέγεται ὁ Ἀντικείμενος. Eodem modo interpretantur hanc vocem Origenes lib. 10 ad Rom. item Hom. 15 in Jesu Nave. Chrysost. Hom. 26 in 2 Cor. Hier. passim in Collect. Nom. propr. Quorsum ista? Ut ostendam non peccare Interpretes qui vertunt, *Et adversarium stantem ad dexteram ejus*. Tantùm vellim scribi charactere majusculo, *& Adversarium*. Cæterùm *Satan* dicimus & *Satana*. Prior forma Ebraica est, posterior Chaldaica & Dorica. Dicitur etiam *Satanas*; quæ forma nominis Græca est. *Satana, Satanas*, ut *Juda, Judas, Thoma, Thomas*. ¶ *Ad dexteram ejus*] Pronomen referendum, meâ sententiâ, ad *Josuam*. Nam in judiciis, ut plurimùm reus claudit actori sinistram, ac proinde actor ei ad dexteram adstat. Hic locus ab aliis aliter enarratur. Notum commentum Hieronymi, ipso Hieronymo indignum, quod tamen multi pro vero amplexi sunt, *Et rectè STABAT A DEXTERIS ILLIUS, non à sinistris, quia vera erat accusatio, eò quòd ipse cum cæteris alienigenam accepisset uxorem*. ¶ *Ut adversaretur ei*] Allusit ad nomen *Satanæ*, quod ad *adversando* appellatum, ut dictum est. *Adversari* enim Ebræi dicunt שטן.

2. *Dixitque DOMINUS*] DOMINUM vocat, h. e. יהוה, quem suprà *Angelum DOMINI* dixerat. Qui locus valde firmat interpretationem nostram suprà productam. Sanè Christus verus est יהוה, idèmque *Angelus* יהוה, h. e. *Nuncius* sive *Legatus DOMNI*. Qui Michaelem intelligunt, hoc modo excusant; Dicunt Legatum vocari de nomine Principis sui. Ità est sane. Fit sic cùm alibi, tum in historia Samsonis. Sed Theologi *Angelum* ibi Christum interpretantur. Credamus ergò Theologis, quibus adversari in his rebus οὐχ ὅσιον Quod præsentem locum attinet, possums etiam aliter accipere, nempe ut sit locutio cujusmodi apud Mosen, *Et pluit DOMINUS à DOMINO*. Cui similis, *Dixit Moses socero Mosis*. Exemplorum talium pleni sunt libri. *Increpet DOMINUS te, Satana*] גער est *increpare*: sed alias ἐπιτιμᾶν aliàs ἀπολλύειν. Hoc postremum significat quando sine Beth construitur, ut Psal. 9. 5. גערת גוים, i. *perdidisti, profligasti*. Aliàs sign. *verbis reprimere*, ut hoc loco, & in Epistola Judæ, Ἐπιτιμήσαι σοι Κύριος; i. *coerceat*, vel *comprimat, compescátve*. Sic Nah. 1. 4. גוער בים *increpat mare*, i. reprimit ejus impetum. ¶ *DOMINUS*] Deus Pater. ¶ *Qui elegit Jerosolymam*] q. d. Qui in gratiam recepit charámque & in pretio habet Jerosolymam; cujus ædificationem frustrà ac nequaquam impedire studes per tuos ministros. ¶ *Nonne iste torris est erutus ex igne?*] Alibi est *ex incendio*, videlicet Amos 4. 11. Plena oratio erit si legas, *ut torris*. *Iste Josua*, inquit, *similis est torri ex igne erepto*. Quid ità? Quoniam ex Babylonica captivitate quasi semiustus evaserat. Cæterùm auget culpam Satanæ quòd homini misero adversaretur, cujus vicem dolere ac misereri potiùs debuerat. Videtur etiam hoc velle, Iste est Josua ille cujus causam Deus semel tuendam suscepit, ac proinde, quâ est constantiâ, nunquam deseret eam. Aliàs *titio*. Hier. *torris, quem vulgò* titionem *vocant*. Videtur tamen discrimen esse. Lex. V. *Titio*, δαλός. *Torris*, δαλὸς μέγας. Aliis TITIO est *torris exstinctus*. Lactantius, *Titionem vulgus torrem semiustum exstinctum*.

3. *Indutus vestibus sordidis*] More reorum. Rei enim sordidas vestes induebant. Quod notum ex antiquitate non eget probationis. Sed de isto loco alii aliter sentiunt. Hieronymi hæc sunt, INDUTUS ERAT VESTIBUS SORDIDIS, *tripliciter interpretatur. Vel ob conjugium illicitum, vel ob peccata populi, vel propter squalorem captivitatis*. Ante omnia sciendum non legi usquam quòd Josua duxerit uxorem alienigenam. Jam vero sequitur, *Auferte vestes sordidas ab eo*: & statim pòst, *Amovi à te iniquitatem tuam*. Non dicit *iniquitatem* populi, sed *iniquitatem tuam*: hanc ergò significabant potiùs *vestimenta sordida*. Scholia Ebraica de autoritate Jonathæ sic annorant, *Filios habebat qui duxerant uxores non convenientes Sacerdotio, h. e. alienigenas: ipse verò non corripiebat*. Hujus igitur clupæ reus, accusante Satanâ, vestimenta induit sordida, negeligentiæ atque adeò indulgentiæ suæ quasi symbola quædam, si credendum Ebræis. ¶ *Cùm staret coram Angelo*] Intelligit *Angelum DOMINI*, h. e. Christum, vel Michaelem Angelum, ut dictum est.

4. *Qui respondens dixit eis qui stabant coram se*] Angelus DOMINI *respondens*, h. e. sermonem exorsus, *dixit* cæteris Angelis inferioribus, ministris suis. Hoc significat cùm ait *qui stabant coram se*: nam *stare* usurpant pro ministrare, ut Esth. 4. 5. *Et vocavit Esther Hathacum unum ex eunuchis Regis, quos stare fecerat coram se*. Sensus est, *quos ministros sibi attribuerat*. ¶ *Auferte*] *Amovete, Detrahite*. ¶ *Dixitque ei*] Idem Angelus hæc loquitur ad Josuam, postquam cæteri præceptum ejus opere complessent, h. e. postquam *vestimenta sordida ei detraxissent*. ¶ *Vide*] Ἰδὲ. Usurpant adverbialiter pro *ecce*. Rectè igitur Int. V. *Ecce abstuli à te*. Sic Gen. 27. 27. *Vide odorem mei filii*: & 41. 41. *Vide, constitui te*. ¶ *Amovi*, Vel *abstuli*. In Ebræo est ad verb. *transire feci*. ¶ *Iniquitatem tuam*] *Culpam tuam*, quam indicabant vestes sordidæ quibus amictus fuisti. ¶ *Et indui te*] *ut induam te*. Quanquam vix dubito quin, simulac vestes sordidas exuissent, aliis eum induerint. Potest etiam legi, *nunc induent te*, sub. *Angeli stantes coram me ministrantes mihi*. Infrà *& induerunt eum vestibus*. ¶ *Mutatoriis*] מחלצות sunt *vestes elegantiores & cultiores*. Scholia Ebraica interpretantur בגדים נקיים *vestes mundæ*: item בגדים נאים ולבנים *vestes pulcræ & candidæ*, sive *albæ*. Græca ed. habet ποδήρη, *quam nos tunicam talarem possumus dicere, eò quòd usque ad talos & pedes defluat*, ait Hieronymus.

5. *Tunc dixi*] Propteta loquitur. ¶ *Ponant cidarim mundam super caput ejus*] Imponatur cidaris munda capiti ejus. צניף integumentum capitis Sacerdotale. *Mitram* nonnulli vocant. Sunt qui *infulam* reddunt, quæ, teste Servio, *fascia erat Sacerdotum diadematis ad modum accedens, à qua utrinque vittæ dependebant*. Infula, διάδημα ἱερατικόν. Hæc *cidaris* apud Mosen dicitur מצנפת, videlicet Exod. 29. 6. & Levit. 8. 9. Hieronymi verba sunt ad h. l. *Pro cidari in Ebræo legimus SANIPH, quæ mitra à plerisque dicitur. Et in hac volunt intelligi Sacerdotii dignitatem, quod ablatis sordibus peccatorum mundum habuerit Sacerdotium*. ¶ *Posuerunt*] Qui? Absque dubio Angeli illi qui ministrabant Angelo DOMINI. ¶ *Et induerunt eum*] Antea induerant. Suprà, *& indui te mutatoriis*: quomodo ergò nunc dicat, *induerunt eum*? An ibi legendum *induam* vel *induent te*? an potiùs vertendum *postquam induissent eum*? Tale est, *produxit vermes, & putruit*: sensus enim, *ubi putruisset*. Nec dissimile, *Iratus es, & peccavimus*: nam sententia postulat ut exponamus *postquam peccaveramus*: priùs enim certè peccaverant. Sic priùs *vestibus eum induebant*, deinde *cidarim capiti imponebant*. ¶ *Vestibus*] Mutatoriis. Intelligit autem vestes Sacerdotales, cujusmodi erant lineæ Pubucula, Tunica, Baltheus, Superhumerale, & aliæ quibus in consecratione Pontifices induebantur, ut scriptum Exod. 29. & Levit. 8. ¶ *Angelus autem DOMINI adstabat*] Hæc fa-

cta

cta sunt *adstante Angelo DOMINI*: nondum enim evanuerat è conspectu Prophetæ.

6. *Contestabatur*] וַיָּעַד dixit pro וַיָּעִד ob mediam gutturalem. Intelligo mediam futuri, quæ alioqui est prima radicis sive thematis. Licet etiam vertere *contestatus est*.

7. *Si in viis meis ambulaveris*] Si secundùm præcepta mea vitam institueris. ¶ *Mandata mea*] Τὰ προςάγματά μȣ. Hoc Int. V. retulit *custodiam meam*. Sic alibi τὴν Φυλακὴν Κυρίȣ Φυλάξῃ, i. *mandata DOMINI*. Idem nomen eodem significatu legitur & Mal. 3. 14. Vide quæ notavimus ad illum locum. ¶ *Judicabis*] JUDICABIS & *reges* sign. & *punies*. Hic ergò *reges* intelligemus, sensu ità postulante. ¶ *Domum meam*] i. Ecclesiam meam. ¶ *Custodies atria mea*] Idem aliis verbis. Nam *atria mea*, i. *domum meam*. Synecdoche. Porrò ad officium summi Sacerdotis pertinebat custodire domum DOMINI: sed latè capiendum, ac si diceret, Obibis omnia ea munia in Templo quæ Pontifices obire soliti sunt. ¶ *Inter adstantes istos*] Angelos demonstrat; q. d. Post mortem anima tua in eorum consortium recipietur

8. *Socii tui*] *Collega tui*. Significat autem reliquos Sacerdotes. Alii, *amici tui*. ¶ *Qui sedent coram te*] Ità emendavimus quod in Latina V. *qui habitant coram te*. Nam in consecratione Pontificis reliqui Sacerdotes assidebant ei. Quin in consessu Sacerdotum Pontifex summum locum occupabat, reliqui infra & ante illum sedebant. Vel *qui sedent coram te*, ut discipuli coram magistro. ¶ *Quia viri portenti sunt*] Pro *quia* nonnulli *quandoquidem*, alii *quamvis* interpretantur. *Viri portenti* cur dicantur socii Josuæ fateor me ignorare. An quia digni erant per quos signa & portenta fierent? aut potiùs quòd eos ut ostenta & prodigia omnes admirarentur, vel certè aversarentur? Nihil temere statuendum. Græca ed. habet ἄνδρες τερατοσκόποι. Lex. V. Τερατοσκόπος, *hariola*. Jon. *viri idonei quibus miracula edantur* Hunc sequuntur ferè Ebræi. Ego in alteram expositionem magis inclino. Cui firmandæ erit quod legitur Psal. 71. 7. *Ut portentum fui multis*. Vide quoque Jes. 8. 18. Ergò *viri portenti*, h. e. portentosi sive prodigiosi, quòd essent quasi detestabiles. ¶ *Adduco*] *Propediem adducturus sum*. ¶ *Servum meum*] Ità Christus vocatur vel ratione officii, vel propter humanam naturam. Homines enim qui rite Deum colunt ejus *servi* vocantur. SERVIRE enim est *colere*. Vide quæ scripsimus Hagg. 2. 23. ad locum, *Zorobabel serve mi*. ¶ *GERMEN*] i. *Messiam*, ut rectè Jonathan interpretatus est. Pro *germen* in Græca ed. est ἀνατολὴν, & in Latina V. *Orientem*. Hinc lucem facies Luc. 1. 78. ἀνατολὴ ἐξ ὕψȣς. Sed צמח est *germen*. De Christo autem dicitur & infrà 6. 12. Idem vocatur *Germen justum* Jer. 23. 5. & *Germen justitia* 33. 16. Est autem *germen* propriè quod è terra oritur. Quo Christi manifestatio in carne & ortus è virgine Maria haud obscurè innuitur.

9. *Nam ecce lapis*, &c.] Intelligentiam habet ex illo Esa. 28. 16. *Ecce ego fundo in Sion lapidem, lapidem, inquam probatum, in angulo pretiosi fundamenti fundatum*. Qui locus obscurus non est, & ab omnibus de Christo enarratur; Quem Apostolus Petrus *Lapidem angularem* vocat, & *Lapidem offendiculi*, 1 Ep. 2. 6, 7. Vocatur etiam *Lapis abscissus de monte sine manibus* Dan. 2. 45. De eodem capiendum, *Lapis quem reprobaverunt ædificantes, evasit in caput anguli*, Psal. 118. 22. Matth. 21. 42. In Ebræo habetur האבן cum articulo, qui hunc versum cum superiore convertit, hâc sententiâ, *Servus meus GERMEN, quem vobis adduco, lapis ille est quem Josuæ propono, in quo uno lapide septem oculi sunt*, h. e. Dei providentia elucet multis modis. *Oculi* enim Providentiam notant, & Septenarius numerus pro *multo* usurpatur. ¶ *Quem posui coram Josua*] Usus ad hoc operâ Zorobabelis; infrà 4. 10. *Cum latentur videntes lapidem illum & plumbum in manu Zorobabelis septem isti: oculi, inquam, DOMINI, ipsi sunt pervadentes universam terram*. Qui locus tantopere hunc illustrat ut sine eo intelligi ægre possit. ¶ *Super lapidem unum*, &c.] Accipio ac si dictum esset, *Super lapidem illum unum septem oculi sunt*. Quod duobus modis exponi potest: Uno modo sic, *In illo uno lapide sculpti sunt septem oculi*, signantes Dei Providentiam quâ universum mundum regit gubernátque. Altero modo exponi potest, *In lapidem illum unum septem oculi Domini sint*, ut subaudiatur *intenti* vel *conjecti*, aut aliquid tale. Sensus est, Deus unici hujus lapidis singularem curam gerit, eimque providentiâ suâ omnibus modis tuetur ac protegit. Adduxi duas expositiones: Prudens lector eliget quam maximè probabit: nam utraque se tueri potest. Locus iste legi etiam potest, *Ecce lapides quos posui coram Josua, super lapidem unum septem oculi sunt*: q. d. *Inter eos lapides unus est qui septem oculos habeat*, vel *in quem septem oculi conjecti sint*. Sunt qui UNUM exponant *unumquemque*, ut dicat, Deo curæ esse lapides illos non solùm universos sed etiam singulos. Huc pertinet illud, *& amovebo iniquitatem terræ illius uno die*: q. d. Non patiar ut homines nequam vobis ampliùs molesti sint, & ædificantes impediant. ¶ *Septem oculi*] i. Multi. Vide quæ scripsimus Animadv. l. 2. c. 1. ¶ *Cælo cælaturam ejus*] Vel *sculpo sculpturam ejus*. Ità mihi curæ est, inquit, hic lapis ut egomet sculpturâ suâ eum sculpturus sim: q. d. Sculptura ejus Divina erit, h. e. excellens in suo genere. ¶ *Iniquitatem terræ illius*] Relativum sine antecedente. Designat autem Chaldæam an Judæam? Si Chaldæam, erit sensus, *Iniquitatem terra Chaldea*, h. e. mala quæ intulerunt Chaldæi, *auferam uno die*, Templum in pristinum statum, vel certè meliorem, reducendo. Si Judæam, hoc dicit, *Non ampliùs erunt in ea homines iniqui & nequam*. Aut *iniquitatem* posuit pro *pœna iniquitatis*, ut Gen. 15. 16. & Levit. 10. 16. Quas hactenus, inquit, mei calamitates sustinuerunt, eas non ampliùs sustinebunt: posthac non proferent mala & incommoda quæ hucusque pertulerunt. ¶ *Uno die*] Brevissimo tempore.

10. *Vocabitis alter alterum*] h. e. Summâ & optatâ pace fruemini. Pleniùs hoc legitur Mich. 4. 4. *Sedebunt quisque sub vite sua sùbque ficu sua, nemine exterrente*: & 1 Reg. 4. 25. *Habitátque Juda & Israel absque ullo timore, unusquisque sub vite sua & sub ficu sua*. Adi ad Proverbia mea class. 2. lib. 3. adag. 107. ¶ *Subter vitem*] Olim erat *subter vineam*, malè. Nam *vinea* כרם dicitur: גפן autem est *vitis*. Plenum est, *subter vitem suam & subter ficum suam*.

IDEM.

9. מְפַתֵּחַ פִּתֻּחָהּ Aq. διαγλύφω ἄνοιγμα αὐτῆς. Sym. & Th. *sculpam sculpturam ejus*] Laudat Hier. & interpretatur Latinè, *sculpam aperturam ejus*.

GROTIUS.

1. STantem coram Angelo Domini] Michaële, qui Satanæ se opponit, ut videmus Judæ 9. ubi eadem verba habet quæ hic sequuntur, Ἐπιτιμήσαι σε Κύριος [*Increpet te Dominus.*] ¶ *Et Satan stabat à dexteris ejus, ut adversaretur ei*] In tribunalibus latus dextrum erat actoris.

2. *Et dixit Dominus ad Satan*] Est quidem hic vox יהוה [*Dominus*,] sed de Michaële hic intelligenda per μετάληψιν [*Transsumtionem*.] aut ἔλλειψιν [*defectum vocis*,] quia Dei partes agit. ¶ *Increpet Dominus in te, Satan*] Ἐπιτιμήσαι Κύριος ἐν σοί [*Increpet Dominus in te*,] LXX hic; pro quo Ἐπιτιμήσαι σοι [*Increpet te*,] Judas. Sensus est, *Coërceat te*, nè huic viro satis dura passo ampliùs noceas: ¶ *Numquid non iste torris est erutus de igne?*] Nónne ex gravibus periculis eum servavit Deus? Fabulantur Judæi Jesum hunc à Chaldæis in ignem fuisse conjectum, postulantibus id pseudoprophetis Achabo & Sedeciâ, quorum mentio Jerem. 29. 21. ipsum autem ex igne servatum, vestibus tantùm adustis.

3. *Et Jesus erat indutus vestibus sordidis*] Id est, Erat aliquid in eo culpæ: nempe quòd filios suos sineret vivere cum uxoribus externis, contra legem Deuteronom. 7. 3. Ezechiel. 44. 22. Hoc arripiebat Satan, ut jus habens in exleges.

4. *Auferte vestimenta sordida ab eo*] Id est, *è domo ejicite uxores illas externas*. Ità hic Chaldæus. ¶ *Ecce abstuli à te iniquitatem tuam*] Repurgavi te ab eo quod unum tibi objici poterat. ¶ *Et indui te mutatoriis*] Id est, vestibus mundioribus. Id significabat eum à culpa esse liberatum.

5. *Ponite cidarim mundam super caput ejus*] Quia ea quam ante habuerat erat per istam culpam quasi contaminata. *Cidaris* ornamentum capitis proprium summo Sacerdoti, Exodi 28. 4. Levitici 8. 9. & 16. 4. ¶ *Et induerunt eum vestibus*] Novis.

7. *Si in viis meis ambulaveris*] Si Legem sollicitè servaveris. ¶ *Et custodiam meam custodieris*] Id est, partes tibi mandatas bene obieris. Id enim propriè משמרת [*custodia*.] Vide ad Lucam 1. 5. ¶ *Tu quoque judicabis domum meam*] Id est, Templi ceremonias reges, diu scilicet. Id enim munus Sacerdotum, Levitici 10. 10. Ezechiel. 44. 23. Malachiæ 2. 7. ¶ *Et custodies atria mea*] Diu præteris Templo. ¶ *Et dabo tibi ambulantes*] *Qui ambulent tecum*, id est, qui te defendant ac protegant, Psalmo 91. 11. Matthæi 4. 6. ¶ *De his qui nunc hic assistunt*] Velut apparitores Michaëlis. Vide suprà 4. & quæ dicta ad Matthæi 18. 10. Hæc Hebræorum multi referunt ad vitam æternam, ut, quod ipsis difficile est, eam probent

bent in Vetere Fœdere disertè promitti. Sed sensus quem attulimus est planior.

8. *Tu & amici tui qui habitant coram te*] *Assident tibi.* Intellige hunc Zachariam, Aggæum, Malachiam, fortè & Danielem. *Quia viri portendentes sunt*] *Viri portenti*, id est, digni quibus signa rerum futurarum edantur. Id enim מופת [*portentum.*] ¶ *Ecce enim ego adducam*] Huc ad vos. ¶ *Servum meum Orientem*] *Servum meum Germen*, est est, Zorobabelem surculum Davidicæ stirpis, qui צמח [*Germen*] vocatur & Esaïæ 4. 2. Ierem. 23. 5. 33. 15. sic & infrà 6. 12. Chaldæus & Judæi alii de Messia hunc locum interpretantur. Addunt ali צמח esse *ἰσόψηφον* [*paris numeri*] nomini מנחם, quod *Consolatorem* significat, & inter indigetamenta est Messiæ. Id interpretandi genus per numeros pares גמטריא, id est, *συμμετρίαν* [*Commensionem*] vocant. Neque dubium quin mystico quodam modo hic locus ad Christum pacis æternæ auctorem pertineat: sed primum obviúmque sensum si quærimus, agi hîc de Zorobabele evincet locus 4. 10. cum sequentibus, & dictus locus 6. 12.

9. *Quia ecce lapis*] Per *lapidem* intelligit globulum stanneum de perpendiculo dependentem, quo utens Zorobabel super illa jacta sub Cyro fundamenta primum lapidem, ut Princeps gentis, erat positurus, infrà 4. 7. 8. 9 10. Hebræis אבן generalius est quàm *lapis* apud Latinos, & omne *ponderosum* significat; ut Deuteron. 8. 9. ¶ *Quem dedi*] Quem dari volui in manum Zorobabelis, 4. 10. ¶ *Super lapidem unum septem oculi sunt*] Significantes Dei providentiam pervigilem adfuturam isti operi, 4. 10. ¶ *Ecce ego cælabo sculpturam ejus, ait Dominus exercituum*] *Cælavi*: id est, non humana sed mea potentia effecit, ut isti oculi septem in isto globulo subitò apparerent. Hoc est portentum illud quò respiciunt verba suprà 8. *Et auferam iniquitatem terræ illius in die una*] *Pœnam omnem*, id est, sterilitatem: de qua Aggæus 1. 6. 9. 10. 11.

10. *Vocabit vir amicum suum, subter vitem & subter ficum*] Signum pariter ubertatis & tranquillitatis, 1 Regum 4. 25.

CAP. IV.

MUNSTERUS.

2. CAndelabrum aureum] Hæc Visio demonstrata est ad confirmandum Zerubabel Ducem populi, qui adhuc formidabat potentiam Persarum; quæ tamen nulla erat respectu potentiæ Divinæ. Candelabrum illud erat formatum absque manibus hominis, & ardebat atque suscipiebat oleum absque ministerio humano, & repræsentabat Templum spirituale, non virtute humanâ sed Divinâ erigendum. Hujus autem Candelabri talis erat dispositio. Supernè habuit גלה, h. e. כלי עגול *vas rotundum*, formatum in morem מזרק *pelvis*, per cujus circuitum erant *septem lucernæ*, recipientes oleum ex hac pelvi. Porrò ex pelvi procedebant duo צנתרות, i. צנורות *canales* vel *fistulæ aureæ* versùs duas olivas, & in utramque demittebatur spica ab olivis, & premebatur in canalibus, unde oleum stillabat continuò in pelvim, & ex pelvi in lucernas. Vocatur autem surculus olivæ *spica*, quòd plenus esset baccis oleum stillantibus sicut spica frumenti plena est granis. Sed quia aderant & *septem infusoria*, putat Kimhi oleum ex pelvi primùm fluxisse in infusoria, & deinde in lucernas. Et quando dicitur *septem & septem* fuisse *infusoria*, Kimhi exponit pro singulis lucernis unum fuisse infusorium; R. Salomon autem putat singulas lucernas septem habuisse infundibula.

6. *Per Spiritum meum*] Exponitur hîc quid visio Candelabri significaverit, nempe negotium Spiritûs Dei. Spiritus offertur per verbum; *oleum* est gratia Spiritûs sancti; *canales* sunt Prophetæ, qui à Deo sunt docti, per quos verbum Dei derivatur in alios; *lampades* autem sunt *septem*, quia varia sunt dona Spiritûs.

7. *Quis es tu, mons*] Jonathan clariùs in hunc modum vertit, *Quid tu reputaris, Regnum stolidum, coram Zerubabel? nónne quasi planities?* q. d. Non est, Zerubabel, ut timeas grande illud Regnum Persarum. Habes me protectorem quasi montem maximum, cùm Regnum illud vix sit vallis quædam. Vel, Regnum illud, quod hactenus tibi fuit quasi mons terribilis, jam erit quasi planities grata. ¶ *Educet lapidem*] i. *Zerubabel* confortatus *educet* è fundamento *lapidem capitis ædificii*, i. primarium lapidem, cum magno strepitu & applausu populi acclamantis, *Bene succedat.* Ubi תשאות est à radice שאה, quod *strepitum facere* significat.

10. *Qui contempsit diem illum*] Sensus est secundùm Hebræos, *Illi qui prius sugillabant ædificium, & ferè desperaverant se illud posse incipere, ut non dicam perficere, videntes jam animos Principum confirmatos & viriliter in opere progredientes, lætati sunt*, &c. ¶ *Cum septem illis*] *Videbant*, inquit, Ducem habere *in manibus perpendiculum*, & verè illustratum *septem illis oculis Domini* quorum suprà meminit, h. e. omnibus donis Spiritûs sancti; quæ etiam *per totam terram* Deus hominibus tradit, & ex hostibus amicos facit.

12. *Effundant oleum ceu aurum*] Chaldæus hunc locum sic vertit, *Quæ ex se effundant* (vel *evacuant*) *oleum in lampades aureas.* Et pro *duo filii olei* vertit תרין בני רברביא *duo filii magnatum.* Kimhi vero exponit *filios olei* pro *unctis*, quòd Jehosua esset unctus in Sacerdotem, & Zerubabel in locum Regis.

VATABLUS.

1. REversus est autem וישב] Sub. *ad me.* Reliquerat enim eum ad tempus, cùm desiisset eum alloqui, quemadmodum dicit c. 2. 3. *Angelum* illum *à se egressum.* ¶ *Tanquam virum*, &c. כאיש אשר יעור] *Velut cùm quis excitatur.*

2. *Video, & ecce* ראיתי והנה] Hebraismus, Videre mihi videor. ¶ *Et lenticula* וגלה] Ad verb. *& lenticula ejus.* Vas erat amplum, concavum & rotundum in formam lenticularem, perforatum, è quo defluebat oleum in lucernas per infusoria. ¶ *Super caput ejus* על ראשה] *In summitate ejus*, sub. *candelabri*, h. e. stipitis sive membri medii ipsius candelabri. Vel pluraliter vertendum, *lenticulæ erant in summitate illius candelabri, & ità singulis lucernis erant singulæ lenticulæ.* ¶ *Et septem infusoria* ושבעה מוקצות] Latinè vertes; *& totidem infusoria*, sive *infundibula.* Erant singulis lucernis singula infusoria, quæque infusoria erant canaliculæ quædam per quas defluebat oleum in lucernas illas è lenticula ipsa.

4. *Tum respondi, & dixi* ואען ואומר] *Tunc cœpi dicere.*

6. *Ad Zerubabel* אל זרובבל] *De Zerubabel*, i. Christo. Nativitatem Christi prædicit, qui nullâ operâ humanâ sed ex Spiritu sancto conceptus est, & natus ex virgine.

7. *O mons magne*, &c. הר הגדול וגו׳] Destinguere etiam potes, *ô mons magne! coram Zerubabel planities eris*, i. verteris in planitiem, h. e. humiliaberis. MONTEM *Diabolum* exponunt, ZOROBABEL autem *Christum*, ut etiam Chaldæus P. ¶ *Educétque* והוציא] *Proferétque.* i. Deus Pater revelabit ac manifestabit mundo *Lapidem* illum angularem Christum. Hoc pacto erunt verba Prophetæ Si autem fuerint verba Patris, dicemus verbum illud esse infinitivi modi pro verbo futuri temp. primæ personæ, *Proferam. Protulit enim* ille *Lapidem illum primarium*, &c. quando scilicet jecit fundamenta Templi, i. suæ Ecclesiæ. Quidam referunt ad Zorobabelem, qui confortatus *educturus erat lapidem capitis ædificii*, i. primarium lapidem, *cum magno strepitu & applausu populi acclamantis*, *Bene succedat.* תשאות enim est a radice שאה, quod *strepitum facere* significat. ¶ *Gratia, gratia*, inquam, *illi* חן חן לה] Hebraismus, pro, *Multa gratia*, sive *Multus favor Dei sit illi Lapidi. Hosanna Filium David* acclamabant Christo Jerusalem ingredienti, *Benedictus qui*, &c.

10. *Diem parvarum* consolationum ליום קטנות] Alii subaudiunt *acclamationum.* Diem vocat quo jacta fuerunt fundamenta Templi, & cœptum fuit ædificari: quem diem nullus contempsit. ¶ *Cùm videbunt* וראו] Ad verb. *& videbunt.* ¶ *Lapidem stanneum* האבן הבדיל] Sic vocat perpendiculum quo uti solent cæmentarii ad dirigendos muros ædificiorum ¶ *Illa* sunt *septem* שבעה אלה] i. Septem illæ lucernæ ac septem infusoria earum significant multiplicem illam providentiam Dei quâ regit ac gubernat totum mundum. ¶ *Circumeuntes* משוטטים] *Discurrentes, qui exspatiantur.*

11. *Ipsius candelabri* המנורה] Suprà v. 3. dicebat has *duas oleas esse ad dexteram & sinistram lenticulæ.* Sed idem est: erat enim lenticula in candelabro ipso.

12. *Spicæ* שבלי] Sic vocat ramos cum baccis, quòd sint persimiles spicis. Baccas oleæ comparat granis tritici, & virgam sive ramum culmo. ¶ *Quæ* sunt *in medio*, &c. אשר ביד שני צנתרות] Ad verb. *quæ* sunt *in manu duarum ampullarum.* Quidam vertunt, *quæ sunt inserta collo illarum duarum ampullarum aurearum.* Nam *ampulla* vas est parte infimâ latum, parte autem supernâ vergit in arctum, estque collum illi vice manubrii. Unde quidam exponunt *in manubrio*, h. e. intra.

Duæ illæ ampullæ adjectæ erant utrinque ipsi lenticulæ, eam circumstantes, erántque unà perforatæ. Habebant enim foramen in alveo seu ventre; è quo fotamine defluebat oleum in lenticulam ipsam, & ex lenticula in lucernas. Ut ergò lucernis ipsis sufficeret oleum in longum tempus, adjectæ erant ampullæ illæ. ¶ *Quæ effundunt ex se*, &c. [המריקים מעליהם הזהב] Ad verb. *effundentium desuper se aurum*, i. oleum purum ut aurum: vel, oleum coloris aurei: ut referatur ad lumen quod edit oleum ipsum: est enim aurei coloris.

14. *Filii olei* [בני היצהר] h. e. Duo uncti, q. d. Hæc significant duos summos Magistratus, Regem Zorobabel, & summum Sacerdotem Josue: quos dicit *filios olei* quòd & Reges & Sacerdotes oleo sancto ungerentur. ¶ *Qui stant juxta Dominatorem* [העומדים על־אדון] *Qui astant Dominatori*, i. qui semper parati sunt obsequi mandatis Dei.

CLARIUS.

2. *CAndelabrum aureum*] Hæc Visio demonstrata est ad confirmandum Zorobabel Ducem populi, qui adhuc formidabat potentiam Persarum; quæ tamen nulla erat respectu potentiæ Divinæ. Candelabrum illud formatum erat absque manibus hominis, & ardebat atque suscipiebat oleum absque ministerio humano, & repræsentabat Templum spirituale, non virtute humanâ sed Divina erigendum. Hujus autem Candelabri talis erat dispositio: Supernè habuit vas rotundum formatum in morem pelvis, quod nos imitati alios Interpretes *lenticulam* vertimus, per cujus circuitum erant septem lucernæ recipientes oleum ex pelvi. Porrò ex pelvi procedebant duo canales vel fistulæ aureæ versùs duas olivas, & in utramque demittebatur spica ab olivis, & premebatur in canalibus, unde oleum stillabat continuè in pelvim, & ex pelvi in lucernas. Vocatur autem surculus olivæ *spica*, quòd plenus esset baccis oleum stillantibus sicut spica frumenti plena est granis. Sed quia aderant & *septem infusoria*, putant quidam oleum ex pelvi primùm fluxisse in infusoria, & deinde in lucernas. Et quando dicitur *septem & septem fuisse infusoria*, quidam exponit, pro singulis lucernis unum fuisse infusorium; alii putant singulas lucernas septem habuisse infundibula.

3. *Oliva juxta illam*] Silicet *lampadem*.

4. *Qui loquebatur in me*] i. Mecum.

6. *In Spiritu meo*] h. e. Lumine lampadis & infusione assiduà olei, Divinæ scilicet *unctionis* 1 Joh. 2. 20, 27. Exponit hîc quid visio Candelabri significaverit, nempe negotium Spiritus Dei. Spiritus affertur per verbum; *oleum* est gratia Spiritûs sancti; *canales* sunt Prophetæ, qui à Deo sunt docti, per quos verbum Dei derivatur in alios; *lampades* autem sunt *septem*, quia varia sunt dona Spiritûs.

7. *Quis tu, mons*] q. d. Non est, Zorobabel, ut timeas grande illud Regnum Persarum, quod hactenus fuit quasi mons terribilis, jam erit humile: nam me habes protectorem, quasi montem longè majorem. ¶ *Educet*] h. e. Producet *lapidem primarium* sive *caput* ædificii: & maximis astantium *acclamationibus* ponetur lapis, acclamante populo, *Gratia, gratia*, h. e. Bene succedat.

10. *Quis enim despexit*] h. e. Quotquot visum fuit fundamentum lapidei illius Templi indignum magnis acclamationibus, lætabuntur, cùm *viderint regulam stanneam in manu Zorobabel*, i. structuram crescere, & opus cœptum leviter, magnificentissimè procedere. ¶ *Septem isti*] In lapidem illum semper intenti.

11. *Duæ olivæ*] *Duæ olivæ* & *duæ spicæ*, sive *fructus*, *olivæ*, idem significant, sicut duplex somnium Pharaonis, & multa alia. Johannes Apoc. 11. 4. videtur interpretari de Mose & Elia, i. Lege & Prophetis, *duobus testibus* Dominicæ passionis.

12. *Ex quibus*] h. e. In lampades aureas.

14. *Duo filii olei*] h. e. Unctionis Spiritûs sancti pleni. Vel, Jesus erat unctus in Sacerdotem, & Zorobabel in locum Regis.

L. BRUGENSIS.

2. *ET septem infusoria* [*fusoria* O.] *lucernis quæ erant super* [O.] *caput* [O.] *ejus*.] Sic Latini plerique codices, Græcis plerisque suffragantibus, legunt. Porrò unum Parisiensium Latinum manuscriptum Ge. p. unum nostrum, O, & quinque Hentenii, insuper Hieronymi commentariis adjunctus textus, addunt alterum *septem*, *Septem & septem infusoria lucernis*; conformiter Hebræo ac Chaldæo. Conjunctio quam repetunt Parisienses & Hentenius, *Et septem & septem infusoria*, ut non est Hebraicè nec Chaldaicè, ità neque in his quæ nos vidimus Latinis exemplaribus, O, & Hieronymiano textu, nec in Cardinalis Bessarionis libro, qui posteriori hoc modo est castigatus. Hieronymianus commentarius non indicat certò quid legerit; *Septem autem infusoria*, inquit, *in quibus oleum fit quod mittatur in lucernas quæ super candelabro luceant, hoc intelligi volunt* (*Hebræi*) *septem istas gratias* (*Spiritus sancti*) *de cœlo ad homines per Legem descendere.* Ac rursus, *Lucernas septem & effusoria earum, & ipsi* (*ecclesiastici viri*) *gratias Spiritus sancti intelligunt: per quas oleum misericordiæ Dei cunctarúmque virtutum Ecclesia suscipit.* Quidam intelligunt lucernis singulis fuisse singula infusoria: ex quibus Scholiastes Hebraicus est, cujus hæc est versio, *Septem*, inquam, sunt (scilicet *lucernæ*) *& septem infusoria lucernis ipsis quæ* sunt *super caput illius.* Alii intelligunt singulis lucernis septem infusoria fuisse ad olei ministerium destinata. Græca Complutensis editio scribit, *Et septem infusoria septem* [Aliæ] *lucernis quæ super illud.*

14. *Isti sunt* [MS. H. C.] *duo filii olei splendoris, qui assistunt dominatori universæ terræ.*] Unum Parisiensium exemplar (Compl.) quatuor Hentenii, undecim nostra (Brug. Lob. Leod. L. H. &c.) ac nonnulla Epanorthotæ, demunt *splendoris*: id quod apud Tractatores ferè non legitur. Porrò annotavit Hieronymus Hebræam vocem יצהר, quam ipse Symmachum secutus vertit *olei*, Aquilam interpretatum esse στιλπνότητος *splendoris*, LXX duos πιότητος *pinguedinis*, Theodotionem λαμπρότητος *claritatis*. Hinc igitur quidam, ad interpretationis varietatem indicandam, juxta textum scripsere *splendoris*, ut est in Haymonis commentario, & nostra Glossa Ordinaria scripta: quod in textum tandem relatum est, & majorem nunc librorum partem occupavit. Parisienses textu expulere; rectè, nostrâ sanè sententiâ.

DRUSIUS.

1. *ET reversus Angelus*] Alia Visio, ad quam ostendendam *Angelus revertitur* ad Prophetam, qui paululùm sese subduxerat ab eo. Quanquam hoc incertum planè est. Fateor etiam me ignorare utrùm unâ eâdémque nocte an diversis temporibus hæ Visiones omnes ostensæ fuerint. Nihil temere mutandum; tamen quid si legamus *Et veniens Angelus?* Sic Ruth. 1. 22. *quæ reversa erat*, i. venerat. Ità certè Josephus explicat. *Veniens*, i. accedens ad me propiùs. ¶ *Excitavit me*] Vel dormientem revera, vel quia excitandus erat ac si dormiisset. Naturâ enim dormitamus in rebus hujusmodi: quocirca excitandi sumus tanquam è somno pigritiæ & negligentiæ ¶ *Ut virum qui excitatur*] Vel, *ut cùm vir excitatur*, i. aliquis, quispiam. Prius melius. Particula *ut* non tam assimilat hoc in loco quàm indicat rei veritatem; quale illud, *Vidimus gloriam ejus ut unigeniti.*

2. *Et dixi*] Expressi lectionem notatam in margine: nam scriptum in textu ויאמר *& dixit*: subintelligitur autem *Zacharias*. Sed mendum in hac scriptura: non enim dubito Prophetam scripsisse ואמר, ut infrà v. 4. Sic enim certè omnes Interpretes legerunt. ¶ *Lenticula*] Nihil muto. Poterat tamen legi *lenticula ejus*. גלתה pro גלה, ut alibi מנוה *angelus ejus* pro מלאכו. Aut est à גל alia forma nominis. Sic חק dicimus & חקה pro eodem. Sed in גלה *lenticula* Mappic otium agit, ut in בכורה *præcox ficus* Jes. 28. 4. תעלמה *absconditum* Job. 28. 11. גשמה *imber* Ezech. 22. 24. ubi tamen quidam legunt *imber ejus* cum pronomine. גלה *lenticula*: ità Santes. Priùs erat *lampas*, & in Græca ed. λαμπάδιον. Lex. V. Λαμπὰς, *candelabra*, *fax*. Λαμπάδιον, *hæc facula*. Ex hoc vase oleum defluebat in lucernas per infundibula. *Ampullam oleariam* posses dicere, quam putant formam lenticularem habuisse: unde *lenticulam* vocant, quæ vox alioqui Latina non est, hoc quidem sensu. Hinc fortè γύλιος & γύλιον, quod erat *vas oblongum in acutum desinens.* Cami λέξεις, גלה *vas rotundum ad instar pelvis.* R. S. ait *similitudinem habuisse simpuli magni rotundi.* Hem, penè exciderat. Sunt qui existimant in hoc candelabro septem fuisse lenticulas secundùm numerum lucernarum. Si rectè, meliùs legetur *& lenticula in capite ejus.* Notum ut singularis hoc modo pro plurali usurpetur: nihil frequentius. ¶ *In capite ejus*] *In summitate ejus.* ¶ *Et septem lucernæ ejus*] Tot videlicet quot erant in candelabro Mosaico, de quo Exod. 25. 37. Quibus otium est quærant an reliqua cum eo conveniant: quod mihi non videtur. ¶ *In eo*] *Candelabro*: h. e. in stipite ejus. Alioqui *candelabri* appellatione etiam lucernæ comprehenduntur. ¶ *Septem & septem infundibula lucernis illis*] i. Bis septem. Sed vulgò ità accipiunt ac si scriptum esset *septem infun-*

fundibula septem illis lucernis. Rectè sanè, si non plura infundibula erant quàm lucernæ. Quæramus ampliùs. Nam fortean singulæ lucernæ bina infundibula habebant. Porrò *infundibila* vocat per quæ oleum defluebat è lenticula in lucernas.

3. *Oleæ*] Ed. vetus *olivæ.* Id Nicolaus interpretatur *rami olivarum.* ¶ *In eo*] Potest legi *ad illam*, ut *lenticula* subaudiatur: sed nos legimus *in eo*, & *candelabro* subintelligimus.

4. *Et respondi*] Quis hic quicquam interrogavit? Nempe iste locus & alii quamplurimi perspicuè docent verbum ויען *respondeo* non semper ità usurpari ut significet *ad interrogata respondere.* ¶ *Quid ista*] Sub. *sunt*: h. e. significant aut sibi volunt. ¶ *Domine mi*] Vocabulum honoris, quo inferior compellabat superiorem, & aliquando parem. Exempla usquam non obvia. Hujus contrarium *Servus tuus.* Utrumque legitur Gen. 33. 14. *Præcedat, quæso, dominus meus servum suum.* Verba sunt Jacobi Patriarchæ ad fratrem suum Esavum.

5. *Nonne scis*] Alii, *An nescis?* Sed nos prætulimus, *Nonne scis?* quoniam postea sequitur, *Non, domine mi*: alioqui vertendum, meo judicio, *Nescio, domine mi.* ¶ *Quid sint*] מה־אלה usurpat pro verbo substantivo, quod alioqui pronomen est trium personarum significationem in se complectens, ut *ipse* apud autores Latinos.

6. *Hoc est verbum DOMINI*] Visio hæc significat id quod DOMINUS ad Zorobabelem locutus est cùm per Prophetas suos ei diceret, *Non robore*, &c. Hoc videtur velle, Quemadmodum vidisti candelabrum nullâ humanâ ope aut operâ fabrefactum, quippe Divinitus tibi ostensum; ità opus Templi non hominum viribus ac potentiâ sed Spiritu Dei perficietur. ¶ *Non robore*] Vetus, *non exercitu.* Dictio חיל utrumque significat. ¶ *Nec viribus*] Humanis videlicet. Hoc dicit quia vicinis Templi ac Urbis instaurationem impedientibus frustrà ac nequicquam restiterant donec Deus excitasse animum Darii Nothi, qui eis redeundi ad intermissum opus licentiam fecit, sumptúsque ad eam rem necessarios subministravit. ¶ *Spiritu meo*] Indicat eos opus agressos fuisse instigantibus maximè Prophetis illius temporis, qui Spiritu Dei agebantur. Vide Ezræ 5. 1. Aut *spiritum* vocat virtutem à Dei Spiritu manantem, quâ animi eorum confirmabantur & excitabantur ad opus faciendum. Sic legimus Hag. 2. 5. *Spiritus meus persistit in medio vestri; ne timete.*

7. *Qui tu, ô mons magne*;] Montem Ædis, ut puto, intelligit. Quem *magnum* vocat ad comparationem collium qui ei adjacebant, aut quia celsus erat, aut fortè quòd Templum in eo exstructum fuisset à Salomone. ¶ *Coram Zorobabele complanaberis*] Non ipse mons *complanatus fuit*, sed area quæ in vertice, ubi Templum postea exstructum fuit. Id curavit fieri Zorobabel Dux populi: ideo ait *coram Zorobabele.* Potes etiam legere *complanatus es.* Cæterùm in Ebræo est verbum è verbo *in planitiem*, sive *in planum*, & subintelligitur *eris* vel *fuisti.* Vulgò hunc locum aliter enarrant: nam vertunt *in planitiem redigêris*: & per *montem magnum* intelligunt Regem magnum, quem Zorobabel æquum adeò reddiderit Judæis ut Jerosolymam & simul Templum ædificari præceperit, ut habetur 3 Ezræ 4. 43. Alii significari putant Sanballetum & socios; *O Sanballat*, inquit, *qui te confidis esse magnum aliquem montem, ac proinde invictum, coram Zorobabele cades* (sive *depriméris*) *nec poteris ei resistere.* ¶ *Qui educet*] *Qui producet* in medium, ac dabit fabris murariis. ¶ *Lapidem primarium*] Qui primarius & præcipuus est in ædificio. Is autem est lapis in imo angulo, quem Græci ἀκρογωνιαῖον vocant, qui totius ædificii molem sustinet. Alii *summum.* Sed nos elegimus *primarium*: ראש enim & *caput* sign. & *id quod præcipuum est in re quaque.* Hujus fem. ראשה, quo hîc usus est Prophetes adjectivè. ¶ *Cum acclamationibus*] Populo strepente & acclamante. תשאות magis sign. *strepitum* quàm *acclamationes.* ¶ *Gratia gratia*] Obtingat ei gratia multiplex. Sit in gratia apud Deum & homines. *Gratia gratia* ità dicitur ut *pacem pacem.* Quæ geminatio non caret emphasi. Hoc postremum invenies Jes. 26. 3. & 57. 19. ¶ *Ei*] *Lapidi*, non *Zorobabeli.* Notum illud, *Lapis gratiæ est munus in oculis dominorum suorum.* Exstat alibi in Adagiis Salomonicis. *Lapis gratiæ*, i. gratiosus. Proverbiale.

8. *DOMINI*] Christi, ut suprà 3. 2. Nam sequitur, *& cognosces DOMINUM exercituum misisse me ad vos.* Nisi magis ut hæc sint verba Prophetæ: quod video multis placuisse, nec mihi quoque improbatur.

9. *Fundaverunt domum istam*] Sub Cyro, videlicet anno Reditûs altero, ut habetur Ezræ 3. ¶ *Perficient eam*] Sub Dario Notho. בצע est *perficere.* Vide Jes. 10. 12. ¶ *DOMINUM exercituum*] Deum Patrem. Suprà 2. 8, 11. ¶ *Et cognosces*] Unde cognosces, vel certè tunc cognosces, videlicet post perfectum Templum. Res, inquit, tunc docebit me verum Vatem esse, quem Deus miserit ut hæc vobis antè prædicerem. ¶ *Misisse me ad vos*] Alibi, *misisse me ad te.*

10. *Diem parvorum initiorum*] Vel *parvorum operum.* Intelligit autem diem quo cœptum est exstrui Templum sub Dario. *Næ dies iste*, inquit, *spernendus non est, cùm ex eo voluptatem percipiant septem oculi DOMINI, videntes lapidem illum & plumbum in manu Zorobabelis.* Quidam legunt *diem parvarum*, & subaudiunt, *acclamationum*, i. תשאות, hâc sententiâ, *Quis vestrûm contempsit diem* fundati olim Templi sub Cyro? quo die *raræ acclamationes* erant, quòd hostes vicini ædificantes impedirent & cœptum opus disturbarent. Qui ergò diem illum ob causam quam dixi spreverant, *Nunc lætabuntur cùm videbunt lapidem illum unàque perpendiculum in manu Zorobabelis: in quo lapide septem isti*, de quibus mentio suprà, *oculi scilicet DOMINI, totam terram circumeuntes.* ¶ *Cùm lætentur videntes*, &c.] Ebr. ad verb. *Et lætabuntur & videbunt.* Vult dicere, *cùm videbunt*, aut *videntes, lapidem illum & plumbum.* Copula abest in Ebræo, itaque alii legunt *lapidem stanneum*: ità V. Int. *Stannum* vocat quod alii *plumbum candidum.* Sic etiam vocatur ab Italis. Lex. V. Κασσίτερος, *stagnum, cassiterum.* Videtur mendum esse in hoc loco, sed non est. Idem Lexicon, *Stagnum* κασσίτερος, λίμνη, ὑδροστάσιον. Perspicuè confundit *stagnum* cum *stanno*, quorum alterum Græcè dicitur κασσίτερος, alterum verò λίμνη. Sed ad rem. האבן הבדיל reddes verbum è verbo *lapidem stanni*, vel, si placet, *plumbi candidi*: nam *stannum* aliud est. Huic sententiæ duo objici possunt: Primùm enim in Ebræo scriptum est האבן cum articulo: deindè, *stannum*, nihil omnino habere commune cum *lapide.* Ad prius respondetur, sermonem brevem esse pro האבן אבן הבדיל *lapidem lapidem stanni*, i. stanneum. Ad alterum ità respondent; ut dicant nomen אבן interdum sumi pro *pondere*; sive ex lapide sive ex alia materia illud constet, non refert. Ergò *lapidem stanni* cùm ait, significat materiam ponderosam ex stanno sive plumbo argentario. Nam ità vocatur quoque. Hæc adduxi pro Interprete nostro. Cæterùm existimo potiùs ἀσύνδετον esse, nisi mavis reddere *videntes cum lapide illo plumbum*, ut את hic accipiatur pro עם. ¶ *Lapidem illum*] De quo suprà. v. 7. & c. 3. 9. ¶ *Et plumbum*] i. Libellam vel perpendiculum, quod Galli quoque appellant *plomb*, i. *plumbum.* Nam constat ligno transverso, in medio aliud erectum habens è cujus summo filum annexo plumbo dimittitur. Cæterùm Plumbi genera duo sunt, candidum & nigrum. Candidum vocatur בדיל, nigrum עופרת. Ex utroque fit plumbum perpendiculi; quamobrem & אבן עופרת illud nuncupant, i. *lapidem plumbi.* Quod pro iis facit qui האבן הבדיל interpretantur *lapidem stanni*, vel, si mavis, *stanneum.* ¶ *Septem isti; oculi scilicet DOMINI*] Hinc intelliges quid sit, *super lapidem unum septem oculi.* ¶ *Ipsi sunt*, &c.] Significat Dei providentiâ totum mundum regi gubernaríque. Eadem sententia iisdem planè verbis legitur 2 Par. 16. 9. & aliis, sed idem significantibus, Prov. 15. 3. *In omni loco sunt oculi DOMINI, speculantes tam bonos quàm malos.* ¶ *Circumeuntes*] Vel *perlustrantes.* Alii, *discurrentes*; alii, *pervagantes.* Sunt etiam qui *pervadentes* legant. Hîc notabis nomen עין masculinè usurpari.

11. *Respondi & dixi ei*] Continuavi sermonem cum eo, & dixi. Verbum ענה de omni continuatione orationis dici notum est. ¶ *Ad dexteram candelabri*] Suprà erat *ad dexteram lenticulæ.* Eodem redit. Nam lenticula erat in ipso candelabro.

12. *Secundò*] *Iterum, denuo.* Nam Angelus, ut apparet, ad priorem interrogationem nihil respondit. ¶ *Duæ spicæ olearum*] Quomodo, quæso, Oleis *spicas* tribuit? *ramos* potiùs debuisset aut *baccas.* Ebræi dicunt per שבלי significari *ramos cum baccis*, & ità nuncupari propter *teneritudinem.* Horum opinionem roborant Græci LXX, apud quos legitur δύο κλάδοι τῶν ἐλαιῶν. Notabis שבלי scribi hoc loco contra consuetudinem; nam *spicæ* שבלי vocantur. ¶ *In medio duarum* &c.] Vel *juxta duas fistulas.* ביד *in medio*, i. בתוך: vel *juxta*, i. אצל. Sic enarrant Scholia Ebraica. Ad verb. *in manu.* Mirè dictum, quasi fistulæ manum haberent. Sed sciendum יד interdum accipi pro *spatio*, ut Neh. 7. 4. & Ps. 104. 24. & pro *latere*, ut 2 Sam. 15. & Ps. 140. 5. Igitur ביד *in spatio*, i. *in medio*, aut *in latere*, i. juxta. ¶ *Fistularum*] Vel *canalium*, aut *tuborum.* Quidam *ampullarum.* Sed *ampullam* גלה vocari diximus. Hîc potiùs significantur *infundibula*, per quæ oleum è lenticula in lucernas demanabat. Erant autem septem numero. Ex

qui.

quibus duo juxta se habebant totidem ramos olearum. Ità mihi videtur. Fieri autem potest ut fallar: *Si quis melius imò verius dixerit, nos libenter melioribus acquiescemus*, ut verbis utar quibus usus est hoc in loco Hieron. צנתרות ergò *infundibula*, i. מוצקות, affinitatem habet cum צנור voce quæ *canalem* vel *tubum* designat. ¶ *Aurearum*] Vel quia ex auro erant, vel quia colorem auri referebant. ¶ *Ex seipsis*] Nullâ arte aut vi humanâ. Hujusmodi opera, quæ per se aliquid efficiunt, Græci αὐτόματα vocant. מעליהם accipio ut si esset מאליהם, h. e. על pro אל: quæ Enallage harum particularum insolens non est. ¶ *Aurum*] Aurei liquoris laticem, i. oleum purum instar auri. *Aurum* enim dicitur quicquid purum est in suo genere. Sic *calix auri*, i. *vini meri*, ut quidem R. D. exponit. Dicitur etiam de Aere sereno.

13. *Nonne scis quid sint istæ?*] *An ignoras quid sibi velint istæ* duæ oleæ, vel duæ spicæ olivarum? In aliis ed. *quid sint ista?* quod minùs placet. Tamen siquis hoc malit, non contenderim cum eo.

14. *Isti sunt duo filii olei*] Vel potiùs, *Istæ sunt duo filii olei*. Duæ illæ oleæ, inquit, sive duæ spicæ olivarum, quas vidisti, significant *duos filios olei*, h. e. oleo delibutos unctósque. Intelligit autem, ut vulgò existimatur, Josuam & Zorobabelem: Quorum ille unctus fuerat consecrationis tempore; (Nam tum oleum ex more capiti ipsius infundebatur) hic *filius olei* dicitur quòd esset ex stirpe Regum Juda, qui prisco ritu inungi solebant. Quapropter *uncti Domini* passim vocantur. *Judam Machabæum unctum fuisse è cornu* scribit autor Annal. Regum Templi secundi, fol. 37. col. 1. Nam cum *Regem* vocat: Nam sic Barbati Duces suos vocabant. Forsan & Zorobabel unctus fuit cùm Dux crearetur: In qua sententia video esse doctissimum Interpretem Camium. Dicit *eum unctum fuisse oleo lætitiæ in Regem*: quod de vera unctione intellexisse videtur, cùm *eodem Josuam unctum fuisse* dicat *in Sacerdotem*. Quanquam Lyra de auctoritate Ebræorum negat eo tempore unctionem in usu fuisse. Cui adversatur illud, *Non recedet sceptrum de Juda*. Nam per *sceptrum* Regia dignitas designatur, quæ duravit in tribu illa usque ad tempora Herodis Magni. Sed de hoc loco aliás: nam admittit plures expositiones. Quidam opinantur *filios olei* dici eosdem, quòd ab iis multa magnáque bona promanarint in Ecclesiam Judaicam. Sunt etiam qui hunc locum ità legant, *Ista sunt duæ oleosæ*; ut *oleæ* sive *spicæ olivarum oleosæ* intelligantur, quæ multum olei suppeditent. Sic alibi, nescio quo in loco, tamen alibi certè, *filius olei* vocatur locus pinguis & & fertilis. ¶ *Qui adstant*, &c.] Qui inserviunt ac ministrant Deo, parati ad omne obsequium ipsius. Eadem sententia erit si legas, *Qui stant apud Dominum universæ terræ*. Scitum illud, *Vivit DOMINUS, in cujus conspectu ego sto*. Locum hunc æmulatus videtur Johannes Theologus Apoc. 11. 4. ubi agit de duobus Prophetis sive Doctoribus: nam ait: *Hi sunt duæ illæ oleæ & duo candelabra in conspectu Domini terræ posita*. In quibusdam, *qui permanent apud Dominum*. STARE enim & *permanere* sign. ¶ *Domino totius terræ*] Periphrasis Dei. V. ed. *Dominatori universæ terræ*, i. מושל. Int. Chaldæus hunc versum ità convertit, *Isti sunt duo filii magnatum qui stant coram Domino totius terræ*.

IDEM.

14. שְׁנֵי בְנֵי הַיִּצְהָר. Sym. *duo filii olei* †. Aq. --- στιλπνότητος *. Th. --- λαμπρότητος] Hieron. *Isti sunt duo filii olei, ut Sym. voluit, sive στιλπνότητος, ut interpretatus est Aq. i.* splendoris, *vel πιότητος, i.* pinguedinis, *ut verterunt Lxx, aut λαμπρότητος, i.* claritatis, *ut Th. transtulit*. † οἱ δύο υἱοὶ ἐλαίου. Glossæ Philonis, JESSAAR, *μεταφορικῶς oleum*. Cur μεταφορικῶς? Nisi vitium in scriptura: hoc vult, Oleum vocatur ex Metaphora יצהר, quia *nitet* ut pinguia, * Hieron. in epistola quadam ad Sammachium ait Aquilam pro *oleo* στιλβότητα interpretatum esse. Dubito an ibi quoque legendum sit στιλπνότητα. Dubitandi causa quia στιλβότης in Lexicis non reperitur. Sed tamen ἐπέχω. Multa enim in his editionibus quæ Lexicographi non adducunt.

GROTIUS.

1. QUi *loquebatur in me*] Mihi, ut suprà aliquoties. Sic & infrà 5.

2. *Candelabrum aureum totum*] Magnificum opus Templi. ¶ *Et lampas ejus super caput ipsius*] גלה est λήκυθος, *ampulla olearia*, quam *lenticulam* alibi dixit hic Interpres, à formæ similitudine, quæ vocis hujus significatio notata & Plinio 37. 12. Est autem Enallage numeri: *Ampullam* enim dixit pro *ampullis duabus*, infrà 12. ¶ *Et septem lucernæ ejus super illud*] *In eo*. ¶ *Et septem infusoria*] *Infundibula* per quæ de ampullis oleum in septem lucernas fluebat. ¶ *Quæ erant super caput ejus*] Quæ erant in summo candelabro.

3. *Et duæ olivæ super illud*] Arbores stillantes oleum in ampullas. Significabant hæ, semper & Principes & Sacerdotes futuros ad Templi tutelam: quod intelligendum ad Messiæ usque adventum ex vaticinio Jacobi, Divinâ gratiâ ità res administrante, infrà 6. 14. ¶ *Una à dextris lampadis*] *Ad dextram ampullam*. ¶ *Et unà sinistris ejus*] *Ad sinistram illam*, scilicet *ampullam*. Loquitur quasi rem digito monstraret.

6. *Non in exercitu, nec in robore, sed in spiritu meo*] Opes quidem vestræ tenues erunt, sed Deus vim suam vobis adspirabit, Templúmque proteget. Haud obscura Christi in hoc imago.

7. *Quis tu, mons magne, coram Zorobabel*] *Quid tu?* ô Babylon, *mons eras magnus præ Zorobabele*. Ingens tuum erat Imperium, præ isto Zorobabelis. *In planum*] Supple; *dejecta es per Cyrum*. Alludit ad nomen *Zorobabelis*, quod ei bono omine datum fuerat, significans *Babylona dispersum iri*. Simul innuit idem eventurum aliis qui se oppositura essent populo Dei. ¶ *Et educet lapidem primarium*] *Et is profert primum lapidem*, quem scilicet fundamento imponat, operis auspicator, Esdr. 3. 8. ¶ *Et exæquabit gratiam gratiæ ejus*] *Cum acclamatione, Gratia, gratia sit illi*: id est, Populus jacienti lapidem Zorobabeli acclamabit, *Deus illi semper faveat*. Idem sensus qui in Ὡσαννὰ [*Hosanna*,] Matthæi 21. 9.

9. *Manus Zorobabel fundaverunt domum istam*] *Fundabunt*: ut apparet collato loco Aggæi 2. 18. & initio hujus Prophetæ. ¶ *Et manus ejus perficient eam*] Videbit opus consummatum. ¶ *Et scietis quia Dominus Deus exercituum misit me ad vos*] Ut vobis auxilio essem: *me* Michaëlem, ut suprà 2. 11.

10. *Quis enim despexit dies parvos? & lætabuntur, & videbunt lapidem stanneum in manus Zorobabel*] *Si quis despexerit tempus hoc tenuium*, supple principiorum, *ii jam lætabuntur ubi viderint globum illum perpendiculi in manibus Zorobabelis*, nempe Divinitus cælatum *septem oculis*. Hoc ostento intelligent rem magnam ac prosperam cœptari. ¶ *Septem illi oculi sunt Domini, qui discurrunt in universam terram*] Id est, significant multiformem Dei providentiam.

11. *Et respondi & dixi ad eum*] *Et locutus dixi ad eum*. Sic & in sequentibus. ענה sæpe dicitur etiam ubi nullus alterius sermo præcessit.

12. *Quid sunt duæ spicæ olivarum?* Id est, tubuli. ¶ *Quæ sunt juxta duo rostra aurea*] *Juxta duas ampullas auri*. Idem enim צנתרות, quod suprà גלה. Chaldæi pro eodem dicunt צנור.

14. *Isti sunt duo filii olei*] Istæ olivæ significant duplex oleo unctorum genus qui Templo isti non deerunt, Principes, & summi Sacerdotes, quorum curæ pro Templo per *tubulos* istos significantur. ¶ *Qui assistunt Dominatori universæ terræ*] Deo inserviunt in curando Templo, pro mandatis sibi quisque partibus.

CAP. V.

MUNSTERUS.

2. VOlumen] Per *volumen*, quod est charta magna & plicabilis, nostri intelligunt Traditiones humanas, quæ irrita faciunt mandata Dei, auferunt benedictionem Dei, & relinquunt post se maledictionem in tota terra; sicut Pharisæis & omnibus Jehudæis constat contigisse, qui propter traditiones suas usque in hunc diem Dei subjacent maledictioni. Et hi hunc locum qui mox sequitur, *Omnis qui furatur*, sic legunt, *Omnis qui furatur, is secundùm hoc volumen innocens judicatur; & omnis qui iniquè jurat*, i. impiè vivit, *hic secundùm hoc volumen innocens judicatur absolviturque ab ipso perjurio*. Alii verò sic explicant, *Qui furatur etiam in necessitate, aut qui parùm furatur, in hunc æquè & sæpe crudelius animadvertitur quàm in impium & blasphemum*. Sed nescio modo hæc cohæreant cum sequenti sententia, ubi dicitur, *Eduxi maledictionem*, vel *volumen*, *& veniet super domum furis*. Jonathan hunc locum sic vertit, *Omnis qui furatur & negat, ex hoc volumine percutitur; & omnes qui jurat in nomine meo mendaciter, ex hoc percutitur*. Kimhi quoque exponit מזה pro

Pro *ultionem sumere de aliquo*, ut sit passivum. R. S. hunc textum sic legit, *Omnis qui furatur, ab ea ultione, sicut in hoc volumine scripta est, punietur*, &c.

4. *Eduxi maledictionem*] Kimhi sic exponit, *Maledictionem istam eduxi, ut deinceps puniam absque dilatione furem & blasphemum*, h. e. qui impius est in Deum & proximum.

6. *Est Epha*] Hæc est alia Visio, sed quæ ferè eadem significat quæ prior. Jonathan explicatiùs eam in hunc modum reddidit, *Isti sunt populi qui acceperunt & dederunt in mensura iniqua: & ecce ipsi manifesti fiunt coram omnibus habitatoribus terræ.* Kimhi verò dictionem עינם sic exponit, *Oculus Dei est super eos, qui omnia contemplatur in universa terra.*

7. *Talentum plumbi*] Talento plumbi fuit mulier impia in modio punita. *Per quæ* enim *quis peccat, per hæc & punitur.* Hebræi tamen per *os ejus* intelligunt modii aperturam, quæ talento plumbeo fuit clausa, muliere intrà sedente. Chaldæus Interpres intelligit per hanc pœnam abductionem in captivitatem; sicut & per sequentes *duas mulieres alatas* intelligit populos leves & expeditos qui peccantes in mensuris iniquis Dei ordinatione abducunt in omnem plagam mundi, sicut & impiis Jehudæis contigit, qui ducti fuerunt in Babylonem, quæ est *in terra Sinear.* Id quod constat ex Gen. 11. 2.

VATABLUS.

1. CONversus sum autem ואשוב] Ut scilicet me accommodarem capessendæ novæ visioni Divinæ.

2. *Viginti cubitorum* עשרים באמה] Ad verb. *viginti* mensuratum *in cubito*: i. in ratione sive dimensione cubitali, h. e. quæ per cubitos fieri ac designari solet. Referunt hæc Hebræi ad vestibulum Templi, quod quidem habebat in longitudine 20. cubitos, (Sumebatur enim longitudo ipsius secundùm latitudinem Templi) & in latitudine decem cubitos. Quasi Zacharias visus sit sibi videre chartam illam oblongam egredi per vestibulum ipsum. Sed videtur potiùs referendum ad totam terram sive orbem habitabilem, cujus longitudo, sumpta ab Oriente ad Occidentem, multò excedit latitudinem ejus, nempe à Meridie ad Septentrionem. Hàc visione enim innuit totum mundum repletum esse injuriâ sive violentiâ in proximum & perfidiâ in Deum, ob quas brevi immissurus erat Deus *maledictionem* in mundum, i. pœnam debitam hominibus scelestis ac flagitiosis.

3. *Hæc* זאת] Sub *charta*: vel, *Hoc*, nempe *volumen.* ¶ [Est] Si mavis, subaudi portendit. ¶ *Quæ egressura est* היוצאת] Præs. Heb. pro fut. sub. *à Domino.* Concisa enim est oratio, quæ alio loco legitur integra & plena. Hebraismus item, quem Latinè sic reddas, *quam brevi immissurus est Dominus in habitatores terræ.* ¶ *Sicut* scriptum est, &c. מזה כמוה] Ad verb. *hinc sicut ipsa*, i. sicut ex altera parte ipsius: vel, *ex hoc* latere, *ut* in altero latere *ejus*: q. d. Quia utrumque latus scriptum erat: in altero quidem, *Omnis fur*, &c. in altero vero, *Omnis jurans*, &c. Unde sic quidam vertunt hunc versûs partem, mutato ordine verborum, *Nam ex una parte scriptum est, Quicunque furatur, brevi succidetur: & ex altera parte consimiliter, Quicunque jurat* in vanum, *succidetur.* Ità enim exprimitur v. seq. *Qui jurat per nomen meum mendaciter.* Quidam Hebræorum sic legit, *Omnis qui furatur, ab ea ultione sicut in hoc volumine scripta est punietur.*

4. *Domûs ejus* ביתו] i. Domûs utriusque, furis & perjuri.

6. *Quidnam est* מה היא] q. d. *Tu potiùs dicito mihi quid sit.* ¶ *Qui respondit* ויאמר] Ad verb. *Et dixit.* ¶ *Amphora egrediens* האיפה היוצאת] *Modius egrediens*, sub. *è templo*, vel *urbe Jerusalem.* Per *amphoram* sive *modium*, quod est genus mensuræ, intelligit talionem sive pœnam talionis, quam rependere videtur Deus his quos justissimè punit cùm defecerunt à se, & quos affligit postea quam alios afflixerunt, & ità videtur eis reddere mensuram pro mensura. ¶ *Addiditque* ויאמר] Ad verb. *& dixit.* ¶ *Hæc est oculus eorum*, &c. זאת עינם בכל הארץ] *Hæc* portendit *oculum eorum* respicere *in universa terra. Oculum eorum* passivè accipit, qui videt eos, non quo ipsi vident; h. e. oculum Domini ultorem, non misericordem.

7. *Talentum plumbi portabatur* ככר עופרת נשאת] *Massa quadam plumbea ferebatur*, sub. *in amphora illa.* Per gravitatem plumbi intelligit diuturnitatem ac moram transmigrationis sive exsilii decem illarum tribuum. ¶ *Mulier* אשה] Significat congregationem illarum decem tribuum, quæ unanimi & magno consensu per idololatriam defecerunt à Domino Deo.

8. *Eam* אותה] Nempe *mulierem. Lapidem* אבן] Significat & *pondus*, quòd pro ponderibus olim utenentur lapidibus. ¶ *In os ejus* אל פיה] *Mulieris* scilicet, i. ut illic diutiùs detineretur.

9. *Egrediebantur* יוצאות] Sub. *è templo Domini*, vel *ex Urbe*, aut *è terra Sancta.* Hic agit de captivitate Babylonica, quò abductæ fuerunt reliquæ duæ tribus, Juda & Benjamin, quæ hic per has *duas mulieres* designantur: simúlque describit causam ejus transmigrationis. ¶ *Ciconiæ* החסידה] *Struthiocameli.* Alii, *milvi albi.* Sic vocatur Ciconia, quòd sit avis gratissima: fertur enim alere parentes suos seniores. Ità etiam & hâc ratione Milvus albus, quòd scilicet escas suas sociis suis dispertiat. At Struthiocamelus hoc quidem nomine etiam censetur, sed à contrario sensu, quòd sit crudelis. Per *ventum* & alas intelligit celeritatem profectionis: abducti sunt enim Judæi quàm celerrimè Babylonem. ¶ *Et cælum* ובין השמים] *Et inter aerem*, h. e. non procul è terra, ut volare solet Struthiocamelus, cujus alæ cursum ejus tantummodo juvant.

10. *Deducunt* מוליכות] *Deferunt.* Ad verb. *ambulare faciunt*, i. quò proficiscuntur ut dent pœnas propter peccata sua.

11. *Qui respondit mihi* ויאמר אלי] Ad verb. *Et dixit ad me.* ¶ *Ut ædificetur*, &c. לבנות לה בית] *Ut exstruant ei domum.* Sing. pro plur. i. mansiones, ubi diutiùs morentur: q. d. Ut Dominus animadvertat in eas diuturnâ captivitate, nempe per LXX annos quibus detinebuntur captivæ in Babylone. ¶ *Ac constituatur* והנחה] *Ac sistat sese.* Hoc dicit propter eos qui quamvis inviti abducti fuissent Babylonem, posteaquam tamen facultatem accepissent revertendi in patriam, illic ultro remanserunt, quòd ibidem exstruxissent domos & plantassent vineas, &c.

CASTALIO.

3. NAm hinc omnis fur, sicut ea, absolvetur: hinc omnis perjurus, sicut ea, absolvetur] Hunc locum verti ut potui: non enim intelligo.

4. *Eam ego eduxi*] Diritatem.

CLARIUS.

1. VOlumen volans] Hoc volumen duo complectitur, quæ puniat *Furtum*, per quod omnis injuria in proximum quemque significatur; & *Juramentum*, quo intelligitur perjurium, dum homines timore Dei vacui violare pejerando nomen Dei non timent. Dicitur *volare*, per quod celeritas Divini judicii indicatur. Dicitur etiam habere *longitudinem viginti cubitorum, & latitudinem decem*, ut ostendatur magnum & terribile futurum judicium Domini, & *horrendum esse incidere in manus ejus.*

4. *Eduxi illam*] Nempe *maledictionem*, ut deinceps puniam absque dilatione furem & blasphemum, h. e. qui impius est in Deum & proximum.

6. *Mensura egrediens*] *Epha:* Speciem ponit pro genere. ¶ *Hæc est oculus eorum*] i. Quo vident ipsi. Hæc alia est Visio sed quæ ferè eadem significet quæ prior. Jonathas hunc locum sic reddidit, *Isti sunt populi qui acceperunt & dederunt in mensura iniqua, & ecce ipsi manifesti sunt coram omnibus habitatoribus terræ.*

7. *Talentum plumbi*] Talento plumbi fuit mulier impia in modio punita. *Per quæ* enim *quis peccat, per hæc & punitur.* Chaldæus Interpres intelligit per hanc pœnam abductionem in captivitatem; sicut & per sequentes *duas mulieres alatas* intelligit populos leves & expeditos, qui peccantes in mensuris iniquis, Deo ordinante, abducunt in omnem plagam mundi, sicut & impiis Judæis contigit, qui ducti fuerunt in Babylonem; quæ est *in terra Sennaar*: id quod ex Gen. 11. 2. constat.

8. *Massam*] Per *massam plumbeam* intelligit iniqua pondera quibus mulier uti solebat.

11. *Super basem*] h. e. Se dignam.

L. BRUGENSIS.

4. ET commorabitur [*comminabitur* o.] *in medio domûs ejus, & consumet eum, & ligna ejus, & lapides ejus.*] Multi libri scribunt, *& consumet eam*, feminino genere, tres Parisiensium (Compl. Di. I. B.) quinque Hentenii, duodecim nostri (Lob. E. Q. Pl. m. Pl. ang. Ven. &c.) Plures masculinum genus servant, *eum*, tres & viginti nostri, Leod. O. L. P. Mog. Nuren. Colo. &c. In Brugensi MS. ex *eum* factum conspicitur *eam.* Ex Hebræo & Græco utrumque ad modum verti potest: quanquam enim masculina sint pronomina Hebræis & Græcis (non enim omittunt emendatiores Græcorum librorum, Regius & Vaticanus, αὐτὸν) tamen re-

ferri possunt ad *domum*, quandoquidem masculino genere ab utrisque *domûs* (בית οἶκος) efferatur. Quin textûs circumstantiæ id potiùs videntur exigere, ut *eam* Latinè transferatur, atque ad *domum* respiciatur: *consumi* namque *domui* rectiùs videtur quàm *homini* tribui: & ligna lapidésque aptissimè, ex quibus domus constructa est, intelligi. Itaque tum ex Græco tum ex Hebræo Latini Interpretes fere *eam* transferunt. D. Hieronymi textus legit *eum*; commentarius multùm vult alteri, *eam*, *Et commoretur in ea* [*domo*] *& omnia ejus ligna lapidésque consumat*. Epanorthotes legendum censet *eam*, his verbis, *Item d.* Et consumet eam, *i. domum*, *secundùm Hebræum & antiquos*. Parisienses quoque eundem legendi modum amplexi sunt.

DRUSIUS.

1. ET *conversus sum*] Non ut me accommodarem capiendæ novæ visioni; sed, *Conversus sum & levavi*, dictum pro, *Iterum levavi*. Nam antea *sublatis oculis viderat virum in cujus manu erat funiculus mensorius*, suprà 2. 1. Hoc modo locutus est Hoseas 1. 6. *addam adhuc miserebor*, pro, *denuo rursum*, sive *adhuc iterum*, *miserebor*. Sanè quidem Rabbini hinc sumpserunt particulam, שוב, quâ utuntur adverbialiter pro *adhuc*, *iterum*, *ampliùs*, *rursus*, *denuo*. ¶ *Levavi oculos meos*] Qui Divina contemplari vult, debet oculos in cœlum levare attolleréque. ¶ *Et vidi*] In visione Prophetica. ¶ *Volumen volans*] Quod volabat per aera. Ebræi veteres *volumen complicatum*. Non placet.

2. *Et dixit mihi*] *Angelus qui loquebatur mecum* scilicet. ¶ *Volans*] Celerrimè terram pervadens. *Volare* hoc significatu usurpat Cicero cùm ait, *Tu autem fac ut mihi literæ tuæ volent obviæ*. ¶ *Cujus longitudo*, &c.] Ex amplitudine libri licet conjecturam facere de diris & exsecrationibus quæ in eo continebantur. Ebræi annotant volumen hoc egressum è porticu sive vestibulo Templi, cujus longitudo erat, antequam Templum distinctum esset, cubitorum 20, & latitudo 10. Certè aliunde egressum fuit, cùm sequatur, *Hæc est maledictio quæ egreditur in superficiem totius terræ*. ¶ Et paulò pòst, *Eduxi eam*, *dicit DOMINUS exercituum*. ¶ *Viginti cubitorum*] Ebr. ad verb. *viginti in cubito*: & mox *decem in cubito*. Nos sensum expressimus.

3. *Hæc est*, &c.] In hoc volumine continetur *maledictio totius terræ*. Eadem sententia erit si legas, *Hoc est maledictio*. *Hoc volumen*, inquit. Vult dicere argumentum voluminis, sive quod in eo scriptum est, duæ sunt ei exsecrationes in omne terræ solum prodeuntes. Similis locus Ezec. 2. 10. ubi Propheta videt *volumen in quo scripta erant lamenta*, *gemitus atque Væ*. ¶ *Maledictio*] Ἀρὰ, *exsecratio*, *imprecatio*, *diræ*: אלה ἀρὰ, ut κλῶβανος κρίβανος. ¶ *Quæ egreditur*] Vel è Templo, ut volunt Ebræi, vel certè à Deo. Sic alibi, *egressa est manus DOMINI in me*. Notum illud, *An est in urbe malum quod DOMINUS non fecerit?* Amos 3. 6. ¶ *Totius terræ*] Orbis universi, an Judææ tantùm? ¶ *Quicunque furatur*] כל הגנב *omnis qui furatur*. In aliis *omnis fur*, כל גנב. Quòd si furta tantopere puniuntur, quantò magis alia crimina graviora, ut sunt Homicidia & Adulteria? ¶ *De hoc*] Fure. ¶ *Ut de illa*] Terra, in quam egressa meledictio, ut dictum est. ¶ *Supplicium sumitur*] Vel *sumetur*: ἐκδικηθήσεται sic Græci ediderunt. Suspicor autem eos legisse נקם, quod verbum ità referunt Exod. 21. 20. נקם ἐκδικηθήσεται, i. *punietur*, vel *sumetur de eo supplicium*. Sed nihil affirmo: nam verbum נקה idem significare hoc in loco videtur. Certè Jonathan interpretatur לקי, i. *vapulat*, *plectitur*: & Hier. *judicabitur*, i. punietur. Idem verbum eodem modo redditur à Græcis Joel. 3. 21. Quanquam ἐκδικήσω ibi magis sonat *vindicabo*. Est autem נקה verbum præt. temporis in conjug. Niphal. Scholia Ebraica interpretantur נכרת *succisus est*, vel κατ' ἐναλλαγὴν temporum *succidetur*. Si rectè, erit ex iis verbis quæ actiones contrarias designant, ut ברך *benedicere* & *maledicere*, שרש *radices agere* & *evellere*: Sic נקה *absolvere* & *punire*: nam pœna hominem innocentem reddit qui priùs nocens erat: tolit enim reatum. V. g. Qui furtum fecit, quamdiu non luit pœnam, reus est; ubi luit pœnam legitimam, absolvitur, nec ampliùs de eo crimine conveniri potest. Ergò נקה *punire*, vel *succidere*, si credimus Ebræis: qui sic interpretantur & Jer. 30. 11. item Jer. 46. 28. ¶ *Quicunque jurat*] Supple ex versu qui proximè sequitur, *per nomen meum falsò*. Aut *jurare* posuit pro *pejerare*. ¶ *De hoc*] Perjuro. ¶ *Supplicium sumitur*] i. *Succiditur*. Nam, ut ille ait, *perjurii pœna Divina, exitium; humana, dedecus*. Olim hunc locum ità exposui. Nunc puto melius esse ut legamus, *ob hoc sicut illa punitur*. Nam *sicut de illa* כמוה כמו. *Ob hoc*, *furtum* aut *perjurium* videlicet. Tremellius locum hunc sic interpretatur, *Quisquis furatur ex hoc* populo, *ut illa*, *se innocentem asserit*; *& quisquis jurat ex hoc populo*, *ut illa*, *se innocentem asserit*. Mens horum verborum, Qui ex hoc populo, h. e. ex Judæis, aut furtum faciunt aut perjurium committunt, se nescio quo prætextu innocentes planè confirmant esse, licèt gravissimè peccent cùm in secundam Legis tabulam tum etiam in primam: Quæ duo Synecdochicè designantur *furti* & *juramenti* nominibus. *Ut illa*; vult dicere, æquè ac reliqua terra impudentes sunt in defendendo peccato suo, haud secùs ac si veri Dei nullam notitiam haberent.

4. *Eduxi eam*] *Maledictionem*: vel *illud*, *volumen*: & *eduxi* ut Imperator milites suos. Joel. 2. 25. *Rependam vobis annos quos comedit locusta*, *bruchus*, *& Hasil*, *& eruca*, *exercitus meus magnus quem immisi in vos*. ¶ *Et veniet ad domum furis*] Vel *ingredietur domum furis*. Potest legi *ut veniat*. Sic mox *& commoretur in medio domûs ejus*, *& consumat eam*. ¶ *Falsò*] *In vanum*, *mendaciter*. ¶ *Commorabitur*] Vel *pernoctabit*. וְלָנָה dixit pro וְלָנָה. Est enim præteritum fem. in futurum conversum, à themate לן. ¶ *Domûs ejus*] Tam furis quàm perjuri, h. e. ejus qui per nomen meum pejeravit. ¶ *Et consumet eam*] וכלתו pro וכלתהו, sicut dicimus ונלתהו ונלתו *& reteget eum*. ¶ *Et ligna ejus & lapides ejus*] Non solùm familiam & facultates ejus conficiet, sed etiam *ligna & lapides* unde domus constructa: q. d. demolietur eam funditus. Porrò DOMUM dicunt & *familiam*, item *bona* atque *rem*. Esth. 8. 1. *dedit ei domum Haman*. Luc. 20. 47. *devorant domos viduarum*.

5. *Egressus est*] E loco videlicet in quem se subduxerat, ut apparet, post explicatam visionem Voluminis. Aut lege *progressus est*, vel, si mavis, *processit*. ¶ *Quod egreditur*] Quod vides egredi è Templo, vel ex alio aliquo loco. Nam Propheta locum non expressit. Quocirca non debemus admodum de eo soliciti esse. Fortè Angelus ex eodem loco egressus fuit.

6. *Quidnam est?*] Consuetudo Ebræorum est ut quærant aliquando quæ non ignorant. Sed hic interrogat Angelum vel quòd dubitaret quid esset, vel quòd nesciret omnino. ¶ *Hæc est Epha quæ egreditur*] Id quod vides egredi *Epha est*, h. e. mensura continens tria Sata sive decimam partem Cori. Aut amphora capiens tantum quantum Epha capiebat. Interdum EPHA sumitur pro quavis *mensura*. Unde in nonnullis ed. legitur, *Hæc est mensura quæ egreditur*. Cave damnes. Cæterùm proverbium est apud Ebræos *Mensura pro Mensura*. Id nos dicimus *Par pari*. Huc alludere Prophetam putat R. David, q. d. *Actum est vobiscum ex lege talionis*. Quia longo tempore peccastis, ideo longum fuit exsilium vestrum. Peccarit viri docti hoc in loco qui EPHA interpretantur *Modium*: Nam *Epha* longè aliud est. *Modius* autem apud antiquos Interpretes est quem Ebræi סאה vocant, i. *Satum*. Itaque legimus in V. editione Ruth. 2. 17. *Ephi mensuram*, *i. tres modios*. Sed & apud alium Euangelistam *tria Sata*, & in alio legitur *tres Modios*. Quis ergò nunc dubitet idem esse *Satum* & *Modium*, & ab his diversum *Epha*, cùm Epha citra ullam controversiam tria Sata contineat? Adi Notas nostras in Ruth. ¶ *Hic est*, &c.] Vel, *Hæc est oculus eorum in universa terra*. Est autem, inquit, hæc Epha oculus DOMINI, qui videt ipsos, ubicunque terrarum fuerint. ¶ *Oculus*] Non quo ipsi vident, sed qui eos videt. Intelligit autem improbos. Per *oculum* verò significat Divinam providentiam, quâ omnem hunc mundum administrari pietas docet. Adi sis Davidem Psal. 34. 15; 16. Suprà, *septem oculi*: *hi sunt peragrantes totam terram*. Cæterùm pro עינם, quod sonat *oculus eorum*, Græci legerunt עונם: vertunt enim certè ἀδικία αὐτῶν. Sed nihil necesse est, contemptâ Ebraicorum librorum autoritate, quicquam movere. ¶ *Eorum*] Furis & perjuri, omniúmque adeò improborum.

7. *Talentum plumbi*] Massam plumbeam talenti pondo. Erat autem Talentum duplex, Sacrum & Profanum sive Commune. Sacrum duplo majus erat communi: nam habebat libras 120, cùm talentum commune tantùm haberet libras 60. *Libras* voco quas Ebræi ליטרא appellant, i. λίτρας. ¶ *Portabatur*] Ità V. Int. Alii, *allatum fuit*; alii, *tollebatur*. ¶ *Et hoc*] *Etiam hoc* portabatur, videlicet *quædam mulier sedens in media Epha*. Priùs ergò viderat *Epham*, posteavidit *in ea sedentem mulierem*, *quæ portabatur* vel certè *tollebatur* unà cùm *talento plumbi*.

8. *Et dixit*] Angelus. ¶ *Hæc est improbitas*] *Hæc mulier est improbitas* populi, vel, si placet, Pœna quam pertulerunt

pro-

propter improbitatem. *Conjicitur* autem *in mediam Epham*, quia compleverant mensuram patrum suorum. EPHA enim est mensura, ut diximus. ¶ *Conjecitque eam in medium Ephæ*] Deus, aut unus ex Angelis qui aderant, *conjecit eam mulierem in mediam Epham*, in qua visa est sedere cùm primùm apparuit. *Os* autem *Ephæ* occlusit *injectâ massâ plumbeâ*, nè evadere posset. ¶ *Lapidem plumbeum*] *Massam plumbeam:* Quàm suprà *talentum plumbi* dixit. *Lapidem* autem ideo vocat quia אבן Ebræis *pondus* significat, & de quavis *massa* dicitur. Vide suprà 4. 10.

9. *Duæ mulieres egrediebantur*] Vel, *duæ mulieres egredientes*. Egrediebantur autem è loco, ut credibile est, è quo & Epha egressa fuerat. De his Mulieribus, quando mihi non satisfaciunt Interpretes, malo tacere quàm dicere quæ non probo. ¶ *Et ventus alis earum*] Tribuit eis *alas* ob velocitatem, & *in alas* dicit *ventum* esse, qui eas velociores redderet. Nam velociùs volant aves flante vento quam cùm νηνεμία est, h. e. *cœlum tranquillum à ventis*. Et est alioqui Vento nihil velocius: Quapropter ei *alæ* tribuuntur. Vide quæ scripsimus in adagio, *Venti alis vinciri*. Alæ quoque celeritatem designant: unde Angeli *alati* finguntur; & Virgilius dixit.

——*Ventis & fulminis ocyor alis:*

nam Fulmine quid velocius? Siquidem quicquid movetur velociter dicitur *volare*. Motûs autem causa in avibus sunt alæ, ut certè observat Moses Maimonides cognomento Ægyptius, quem consule, si placet & si vacat, Perplexorum lib. 1. c. 48. ¶ *Alas similes ciconiæ*] Tam longas, latas atque amplas quàm sunt *alæ ciconiarum*. חסידה *ciconia:* sic dicta à *pietate*. Est enim avis supra modum pia: quippe parentes senes alere dicitur. Quocirca *pietaticultrix* à Petronio Arbitro, nomine cum re conveniente, appellata fuit. Hier. tamen *milvum* interpretatur. In Comment. autem ad h.l. ità scribit, HASIDA *Ebræi milvum putant avem rapacissimam, & semper domesticis avibus insidiantem*. Potest ità esse. Sed mihi deceptus videtur voce דיה, quæ *milvum* sign. cùm Ebræi scribant HASIDA esse דיה לבנה, i. *milvum album*. *Milvus albus* aliud nihil est, ut apparet, quàm Ciconia. [nisi magìs ut sit *ardea alba*, quam λευκερώδιον vocant Græci.] Colligo ex his verbis Grammatici, חסידה *nostri Doctores piæ memoriæ dixerunt esse Milvum Album. Sed quare nominatur* HASIDA? *Quia videlicet pia est erga socias suas, partiendo cum eis cibos quos nacta fuerit*. Olympiodorus negat *ciconiam* esse quam Ebræi HASIDA vocant: cui an credendum in eo sit nescio. Verba ejus in ed Rom. Job. 39. 13. Ἀσίδα, ὁ ἐρωδιὸς, κατὰ Ἀκύλαν· ἢ πελαργὸς, ὥς τινες ἔφασαν, ὐ καλῶς νοήσαντες, i. HASIDA *est* erodius *secundum Aquilam*; *aut* ciconia, *ut quidam dixerunt*, *non rectè sentientes*. De Erodio sive Erodione Hier. *Erodionum hi qui de volucrum scripsere naturis tria genera autumant, unum album* (חוריא Chaldæis dictum) *aliud stellatum, tertium nigrum, quod & sævissimum est & sanguinarium & pugnans, ad coitum impatiens, ità ut ex oculis eorum erumpat cruor*. Contra Olympiodorum facit Suidas in voce Ἐρωδιὸς, quam *ciconiam esse* aut, *aut avem ciconiæ similem*. Cæterùm HASIDA, ut est in libro Hymnorum Davidis, *construit domum in abietibus:* quod adversari videtur Erodio; De quo in hunc modum idem quem modò nominavi Suidas sive Sudas, Ἐρωδιὸς, ἐλωδιός τις ὤν, παρὰ τὸ ἐν ἕλεσι διατρίβειν, τυτέςι καθύγροις τόποις. Sed non adversatur: nam & Ciconia in paludibus agit, indéque victum quærit, & nihilominus ædificat in celsis domibus. Similiter Erodius, licèt ex aqua vivat, in excelsis tamen arboribus nidificat. Autor Oppianus in Ixeut. Testatur idem Compositor libri De natura rerum; *Ardea*, inquit, *licet in aquis cibum suum quærat, in silvis tamen & altis arboribus nidum collocat*. Nam ἐρωδιὸς est *Ardea*, quàm Stumpsius affirmat *in abietibus nidum construere*. Dicam plura de his avibus aliàs, si Deus vitam & valetudinem concesserit. ¶ *Levaverunt Epham*] *Delaturæ eam in terram Sennaar*. Obiter noto, ubi nos posuimus *Epham*, apud priscum Int. legi perpetuò *amphoram*. Cave culpes. Nam Amphora mensura erat quæ & *Batus* & *Epha* dicebatur, videlicet *Batus* in liquidis; & Epha in aridis. Eucherius; *Batus*, *Amphora una*, *i. Modii tres*. Hoc me fugit suprà, cùm de *Epha* dicerem, observare. Facit autem planè pro Vulgato nostro, cui nos libenter patrocinamur ubi possumus; Est enim Interpres melior opinione vulgi. Utinam qui novas hodie versiones cudunt semper meliora adferrent. *Inter terram & cœlum*] In aera. *Cœlum* hic sumitur pro *firmamento in quo stellæ*. Alibi *cœlum* dicitur ipse Aer: unde *aves cœli*, id est aereæ.

11. *Ad construendum ei domum*] Significat, Improbitatem, quæ per Epham figurabatur, in Babylonia perpetuò mansuram, nec unquam indè migraturam. Nam qui aliquo in loco semper manere statuerunt, domum ibi construere solent. Vel; *ut construerent*, sub. *duæ illæ mulieres*. Vel, *ut construeret*, sub. *Deus*. Quædam ed. *ut construerent sibi domum:* nam verba Ebræa hanc quoque interpretationem admittunt. Hic לה legitur absque Mappic, cùm tamen affixum sit femininum tertiæ personæ. ¶ *In terra Sennaar*] In Chaldæa sive Babylonia, quæ *terra Nemrodi* dicitur apud Michaiam, & simpliciter שנער, i. *Sennaar*, Jes. 11. 11. Terra Sennaar vocatur etiam Gen. 10. 10. idem Dan. 1. 2. ubi Scholion Græcum, Σεννααρ, τυτέςι Βαβυλῶνος. Lxx quoque hìc ediderunt ἐν γῇ Βαβυλῶνος. Hier. hinc corrigendus, quo in loco ità scribit, SENNAAR *campus est Chaldæorum, in quo hi qui moverunt ab Oriente ædificaverunt turrim superbiæ: unde & ipsa civitas appellata est Babylon*. Non *campus*, ô bene, sed terra sive regio in qua campus ille. Vide Gen. 11. 2. ¶ *Reponatur*] Vel *collocetur*. Hic הֻנִּיחָה legitur in Ebræo & contra anologiam & contra consuetudinem: esset enim הֻנָּחָה *collocata fuit*, vel certè הִנִּיחָה *collocavit sese*. R. D. censet compositum esse ex Hiphil & Hophal: cujus compositionis etiam rationem reddit. *Nam Judæi*, inquit, *qui abducti fuerant initio contra animi voluntatem, postea spontè manserunt in Babylonia, & seipsos ibi quasi collocarunt*. ¶ *In basi sua*] Vel *super basin suam*. Tralatio à Columnis, quæ super bases suas collocantur, ut firmiùs consistant. Isidorus, *Bases, fulturæ sunt columnarum, quæ à fundamentis consurgunt, & superpositæ fabricæ sustinet pondus*. Aut *in basi sua*, h. e. in loco ubi firma atque immota maneat. Nam מכון *firmamentum*, *stabilimentum*, quod & מכונה dicitur: unde hìc est מְכֻנָתָהּ, Holem in Kibbutz conversâ. Ità capies Ezræ 2. 68. *ut constituerent eam* (domum DOMINI) *in basi sua:* & Ps. 104. 5. *fundavit terram super bases suas*. Rursus Ezræ 3. 3. *& stabiliverunt altare super bases suas:* & Ps. 97. 2. *Justitia & judicium basis throni ejus*. In libro Nominum Ebr. MECHONOTH (pluralis est à מכונה) *fulcra, quæ Græci* bases *vocant, id est* ὑποθένασα. Locus iste in mendo cubare videtur: mirum ni legendum ὑποθέματα. Lexicon Constantini, Ὑπόθεμα, *quod supponitur, fundamentum & quasi basis*. Sed *& bases* Græci βάσεις dicunt. Lex. V. Βάσις, *basis*. Licet etiam exponere IN BASI SUA *in fundamento suo:* siquidem fundamentum est quasi basis ædificii quod sustinet. Harum expositionum quas protuli ea quæ medio loco posita est mihi maximè probatur.

IDEM.

1. מְגִלָּה. A. & Th. διφθέρα. Sym. κεφαλὶς] Hier. *Volumen, quod Ebraicè dicitur* מגלה, *ab Aq. & Th. versum est* διφθέρα, *à Sym.* κεφαλὶς, *i.* capitulum. Lex. Græco-Lat. V. Διφθέρα, τὸ βιβλίον, *membranum*, *codex*. Psal. 40. 7. במגלת ספר, Lxx Ἐν κεφαλίδι βιβλίυ. Suidas, Κεφαλὶς βιβλίυ, ὅπερ τινὲς εἴλημμά φασιν. Lego εἴλημα. Significat autem Aquilam & Symmachum. Chrysostomus, τὴν κεφαλίδα εἴλημα εἰρήκασιν Ἀκύλας καὶ ὁ Σύμμαχος De Symmacho est cur aliquis dubitet propter Scholion quod in ed. Rom. ἐν κεφαλίδι] A. ἐν εἰλήματι. Σ. ἐν τῷ τεύχει ἄλλος, ἐν τόμῳ. Nihil definio. Ebr. 10. ἐν κεφαλίδι βιβλίυ redditum, *in capite libri*.

8. וַיַּשְׁלֵךְ אֹתָהּ. Th. *projecit sese*, vel *seipsam:* & mox, אבן העופרת, *pondus plumbi*] Colligo ex his verbis Hier. *vel juxta Theodotionem, ipsa se projicit & abscondit in medium amphoræ, ducitque super se pondus gravissimum plumbi, ut obturatum os habeat, & ultrà se jactare non possit*. Græcè, nisi fallor, καὶ ἔῤῥιψεν αὐτήν. Sed nihil hìc statuo.

9. חֲסִידָה. A. Sym. Th. ἐρωδιὸς] Hier. חסידה. *Aq. Sym. Th.* ἐρωδιὸν, *i.* Heriodonem; *soli LXX* ἔποπα, *i.* upupam, *transtulerunt*. Job. 39. 13. in Græcis Bibliis legitur ἀσίδα. Ad quem locum Olympiodorus, Ἀσίδα, ὁ ἐρωδιός ἐςι κατὰ Ἀκύλαν. Sic etiam Lxx interpretantur Psal. 104. 17. ubi Arnobius *fulica*. Lex. Græco-Lat. V. Ἐρωδιὸς, *erodius*, *fulica*. Suidas, Ἐρωδιὸς, εἶδος ὀρνέυ ὁ πελαργὸς λεγόμενος, ἢ ὅμοιος αὐτῷ, ἐλωδιός τις ὤν, παρὰ τὸ ἐν ἕλεσι διατρίβειν, τυτέςι καθύγροις τόποις. De Ciconia dissentit Olympiodorus; Ἀσίδα, inquit, ὁ ἐρωδιὸς, ἢ πελαργὸς, ὥς τινες ἔφασαν, ὐ καλῶς νοήσαντες. Ecce manifestum discrimen ponit inter *Erodium* & *Ciconiam*, & negat חסידה *ciconiam* esse, aut saltem eos errare asserit qui hoc tradunt. De pietate Erodii avis in pullos videndus Ælianus l. 13. c. 22. Hist. animalium.

GROTIUS.

1. **E***T conversus sum*] Verti me ad Visum novum alteri superveniens. ¶ *Volumen volans*] מגלה, est liber ità scriptus ut convolvi possit. Sed illud *volans* significat fuisse apertum, *ἀναπτυσσόμενον* [*evolutum.*] מגל *falcem* significat, & ità hic sumsere LXX, quasi ה esset *παραγωγικόν* [*adjectitium in fine.*] ponunt enim *δρέπανον πετόμενον* [*falcem volantem.*] Quò fortè respexit Apocalyp. 14. 14. & deinceps. Sed *volumen* cepit hic etiam Chaldæus, & id exigunt sequentia. Confer Ezech. 2. 9. Apocalyps. 10. 10.

2. *Longitudo ejus viginti cubitorum, & latitudo ejus decem cubitorum*] Erant volumina illis in locis oblonga. Simul magnitudo libri ostenditur.

3. *Hæc est maledictio*] Hic liber pœnas continet. ¶ *Quæ egreditur super faciem omnis terræ*] Terræ Promissæ, tum illius quam habuerant Decem, tum illius quam Duæ tribus. ¶ *Omnis fur, sicut ibi scriptum est, judicabitur*] Exscindetur. Respondentes omnibus criminibus pœnæ erant in illo libro. Pro נקה, Theodotion legit נכה, *verberabitur.* ¶ *Et omnis jurans*] Id est, *perjurans*, ut exponunt sequentia.

4. *Educam illud*] Excerpam indè decreta in singulos. ¶ *Et commorabitur in medio domûs ejus, & consumet eam, & ligna ejus, & lapides ejus*] Nihil de domo reliquum faciet. Sic & de pœna perjurii oraculum apud Herodotum Erato:

> ——— εἰσόκε πᾶσαν
> Συμμάρψας ὀλέσῃ γενεὴν καὶ οἶκον ἅπαντα.
> [*Impete magno*
> *Advenit, atque omnem vastat stirpemque domumque*]

5. *Egressus est Angelus*] Rediit qui abierat, ad novum Visum explicandum. ¶ *Qui loquebatur in me*] *Mihi*, ut suprà aliquoties. ¶ *Quod egreditur*] E Templo, id est, Deo ordinante.

6. *Hæc est amphora egrediens*] *Epha egrediens:* id est, mensura peccatorum ad summum venit. *Epha* nomen mensuræ aridorum, Modio ferme respondens. Ostenditur res non futura, sed gesta, ut Judæi in posterum caveant similes pœnas in se accersere. ¶ *Hoc est oculus eorum in universa terra*] *Oculus* hîc *formam* significat, Levit. 13. 55. Numer. 11. 7. Ezechiel. 1. 16. Sensus est, Id quod vides figuram gerit eorum quæ fecere Hebræi, quæque passi sunt.

7. *Et ecce talentum plumbi portabatur*] *Massa*: nam ככר omnem *partem magnam* cujuscunque rei significat. ¶ *Et ecce mulier una sedens in medio amphoræ*] Id est, *super Epha*, superba, & nihil mali metuens.

8. *Hæc est Impietas*] Mater scilicet & furtorum & perjuriorum, & omnium scelerum. ¶ *Et projecit eam in medio amphoræ*] Intra Epha. ¶ *Et misit massam plumbeam in os ejus*] Nempe Ephæ, nequis esset exitus.

9. *Duæ mulieres egredientes*] E Templo. Hæ sunt gentes duæ, altera Decem, altera Duarum tribuum, ut hîc sumit Chaldæus. ¶ *Et spiritus in alis earum*] Id est, ex vento ferente propellebantur. Significatur per hoc celeritas deportationum. *Alæ* istæ sunt Assyrii & Babylonii. ¶ *Et habebant alas milvi*] חסידה alii transferunt *ciconiam*, alii *ἐρωδιόν*, alii *upupam*. Chaldæus *aquilam*. Vide quæ diximus Job. 39. 13. *Alæ ciconiæ*, id est, alæ transmigrare facientes. ¶ *Et levaverunt amphoram inter terram & cœlum*] Nempe alæ istæ.

11. *Ut ædificetur ei domus in terra Sennaar*]. In Babylonia. Vide Genes. 11. 2. & quæ diximus in Annotatis ad librum primum de Veritate Religionis Christianæ. Babylonia autem primò sub Assyriis fuit, indè Chaldæorum regia. ¶ *Et stabiliatur, & ponatur ibi super basem suam*] Sicut idola solent, quæ deinde abire non possunt: hoc est, Duæ istæ gentes longissimo tempore detentæ fuêre in locis trans Euphratem. Caveant ergò sibi Judæi nè idem rursus eveniat. Confer quæ habuimus suprà 3. 7.

CAP. VI.

MUNSTERUS.

1. **Q***Uatuor quadrigæ*] Hæc Visio est valde obscura, & diversis modis tam à Christianis quàm à Jehudæis exponitur. Quidam ex nostris interpretantur negotium Euangelicum evulgatum in quatuor Orbis partes per Apostolos, qui quasi per *equos* & *quadrigas* expugnaverunt Orbem & Christo lucrifecerunt, impulsi *vento* seu Spiritu Dei, & varia Spiritûs dona hominibus offerentes. Et hæ quadrigæ *procedere* dicuntur *ex æreis montibus*, h. e. ex Lege & Prophetis, qui firmissimi sunt testes Euangelii. *Equi rufi*, qui non egressi describuntur, putantur fuisse Apostoli & Christiani qui Jerosolymis inter sanguinarios Jehudæos manserunt, & illis Euangelium constanter prædicaverunt, & pro eo mortem oppetierunt. Et quòd *equi nigri*, & deinde *albi*, *procedunt ad Aquilonem*, significare videntur harum gentium mores, quæ nigræ & horribiles fuerunt Jehudæis, sed deinde mitiores, relaxantes captivitatem eorum. Ad has igitur etiam missum est Euangelium Christi per Apostolos. *Maculosi* verò *equi*, *in Meridiem destinati*, significant mores populorum Meridionalium, qui Jehudæis aliquando duri & aliquando lenes fuerunt: id quod patet de Ædomitis, Ægyptiis & Æthiopibus. Porrò per *fortiores equos*, qui *missi* describuntur *in terram*, intelliguntur Apostoli qui Romanum Imperium sunt ingressi, ut Petrus & Paulus.

8. *Tranquillum faciunt Spiritum meum*] Consolatio est Jehudæorum: q. d. *Non est ut ampliùs timeatis hostes vestros Aquilonares, sed Spiritus meus conciliabit eos vobis,* &c. In horum autem omnium robur datur signum *coronæ duplicis*, non quidem pro Zerubabel duce, sed quas *Johosua* solùm in signum semel *ponat super caput suum*, & deinde suspendantur in Templo *pro memoriali* quòd venturus esset Christus Rex & Sacerdos. Et quòd *argentum* & *aurum* colligitur à certis viris qui in captivitate fuerunt, signabat quòd Christus nasciturus erat ex Jehudæis, libaraturus eos de captivitate animarum, &c.

12. *Cujus nomen est Germen*] Jonathan hunc locum sic vertit. *Ecce vir cujus nomen est Meschia futurus est, ut reveletur & magnificetur; & ipse ædificabit Templum Domini.* Accipiendus est igitur hic, sicut & suprà c. 3. 8. Meschias per *Germen*, sicut & in multis aliis locis Scripturæ. Hic igitur *ædificabit Templum*, non materiale, sicut Jehosua & Zerubabel, quemadmodum Jehudæi intelligunt, sed spirituale, in quo *ipse* solus *dominabitur sicut Sacerdos & Rex*, cujus figura fuerunt Jehosua & Zerubabel.

13. *Ipse portabit magnificentiam*] In cujus scilicet fimbria scriptum est, REX REGUM, ET DOMINUS DOMINANTIUM. ¶ *Inter duo illa*] Sensus est, Cum Sacerdotium & Regia potestas apud diversas essent personas, sæpe discordia fuit inter ea: nunc verò, postquam convenerint in unam Christi personam, in summa erunt concordia.

14. *Hen*] Mutantur hîc duarum personarum nomina more Hebraico: id quod frequens est in Hebraismo, nè mysterium aliud subesse suspiceris. In horum itaque quatuor virorum *memoriam* hæ *coronæ* suspensæ fuerunt *in Templo*, quas cùm viderent posteri dicerent, *Tempore Zechariæ hæ coronæ ab illis factæ sunt viris in signum & confirmationem Prophetiæ futuri Regni Christi; quod quidem incipere debuit stante adhuc Templo illo & durantibus coronis illis.*

15. *Qui procul sunt*] Sensus est, Multi *qui remoti sunt* à sanguine Jehudæorum *venient*, *& in ædificabunt in Templo Christi*, doctrinis & exemplis Ecclesiam ejus illustrantes. ¶ *Et erit, si audiendo*, &c.] i. Si audieritis & credideritis futuro Euangelio, intelligetis me verum fuisse Prophetam: Si autem non credideritis, nullo modo credetis mysteria ista, sed obstinati manebitis, hærentes in Templo exteriori.

VATABLUS.

1. **C***Onversus autem* ואשב] Vide c. 5. 1. ¶ *Et ecce* והנה] q. d. *Et statim apparuerunt mihi.* ¶ *Egrediebantur* יוצאות] Sub. *à conspectu Domini*, ut dicit v. 5. De quatuor illis Imperiis agit, Babylonico, Persico, Græco & Romano; quæ quamdiu floruerunt invictissima. Sub quarto autem natus est Christus. *Egredi* & *pergere* dicuntur Imperia, quòd alterum alteri successerit. ¶ *Inter duos montes* מבין שני ההרים] Ad verb. *de inter duos montes.* Per *duos montes* intelligit provi-

videntiam Divinam & ordinem ejus ineffabilem sive regimen Dei. Vel intelligit robur & vires eorum Imperiorum, quæ quidem Deus ipse summâ curâ & providentiâ moderatus est. ¶ *Ærei* נחשת] *Ænei.* Doctus inter Hebræos, *chalybei*, quòd essent duriores ferro ipso. Intelligit virtutem illorum Imperiorum fuisse insuperabilem.

2. *Rufi* אדומים] *Rubri.* Intelligit magnam effusionem sanguinis, maximè Judaici, qui effusus est sub Imperio Babylonico.

3. *Varii fortes* ברדים אמצים] *Maculis albis aspersi*, & *einerei*, vel *rubicundi.*

4. *Tunc cœpi dicere* ואען ואמר] Ad verb. *Et respondi, & dixi.*

5. *Isti* sunt *quatuor venti*, Ac. אלה ארבע רוחות וגו'] *Hæ quadrigæ ad quatuor ventos cœli egrediuntur, à loco in quo astabant Dominatori*, &c. Ad verb. *à stando juxta Dominatorem*, &c. q. d. Missa sunt quatuor illa Imperia à Domino Deo, factâ illis potestate ab eo imperandi universo Orbi.

6. Quadriga *in qua*, אשר בה וגו'] Quadriga *in qua* sunt *equi illi nigri, ipsi egrediuntur.* Hebraismus, pro, *Equi illi nigri qui sunt in secunda quadriga*, &c. i. Persæ descenderunt in Babylonem: quâ expugnatâ, eripuerunt Chaldæis ipsis Imperium illud Babylonicum. Deinde Græci, devictis Persis, eripuerunt eis & Imperium. Postea Romani, superatis Græcis, eripuerunt eis etiam Imperium. Per *equos nigros* intelligit metum ac terrorem quem incusserunt Persæ Judæis tempore Assueri, instinctu ipsius Haman, qui conatus est prorsus delere gentem Judaicam. ¶ *Et equi albi egressi*, &c. והלבנים יצאו וגו'] i. Insequuntur illos. Per *equos albos* intelligit candorem & mansuetudinem quam exercuit Alexander Magnus erga Judæos & Jerusalem. ¶ *Varii autem* והברדים] *Maculosi autem*, i. maculis albis aspersi, ut v. 3. Per *equos qui partim albi erant, partim alterius coloris*, intelligit aliquot Imperatores Romanos mites fuisse erga Judæos, alios verò immites. Per *equos* verò *cinericios* (qui color medius est inter Album & Nigrum) intelligit ipsos Imperatores Romanos fuisse non multùm mansuetos nec nimiùm crudeles erga Judæos. Si interpreteris *rubicundos*, (ut dictum est v. 3.) intelliges aliquot eorum fuisse crudeles tam erga Judæos quàm erga Christianos. Quòd si interpretetis *fortes*, dices Romanos non adeò fuisse fortes ut postea fuerunt.

7. *Fortes quoque* והאמצים] *Cinerei quoque.* Vide v. 3. & 7. ¶ *Perambulaverunt itaque terram* ותתהלכנה בארץ] i. Acceperunt Imperia illa facultatem à Deo imperandi universo Orbi.

8. *Qui egrediuntur* היוצאים] *Qui egressi sunt*, sub. *equi.* Ità quidam præsens vertunt in præteritum. ¶ *Quiescere fecerunt*, &c. הניחו את רוחי וגו'] *Sedaverunt iram meam in terram Aquilonis:* vel, *in eam regionem*, i. in homines ejus regionis, nempe Babylonios, in quos maximè iratus eram: q. d. Operâ Persarum ego justissimé animadverti in Babylonios, qui injustè afflixerant populum meum in captivitate Babylonica.

10. *Ab his qui reversi*, &c. מאת הגולה] Ad verb. *à captivitate.*

11. *Jehosua* יהושע] Hic Josue gessit typum Christi, vocatúrque 1 Esd. 2. 36. ישוע.

12. *In hunc modum* לאמר] Ad verb. *dicendo.* ¶ GERMEN *nomen ejus* צמח שמו] Vide cap. 3. 8. ¶ *Et de loco suo* ומתחתיו] *In loco enim suo:* vel, *apud se enim*, i. in Ecclesia.

12. *Sacerdos* כהן] Sub. *summus:* ità Chaldæus P. ¶ *Et consilium pacis*, &c. ועצת שלום וגו'] Hebraismus, summa pax, maximus consensus ac summa concordia inter Regem & Sacerdotem: quia idem erit & Rex & Pontifex. Quidam vertunt *inter duo illa*, i. inter duas illas dignitates. Alii, *inter utrosque*, i. inter Judæos & Gentiles, qui unanimi consensu recepturi essent Christum.

14. *Helem* לחלם] Qui v. 10. dictus est *Heldai.* Fuit binomius. ¶ *Et ipsi Hen* ולחן] Hic v. 10. dictus est *Josias.* Erat etiam binomius. ¶ *In memoriale* לזכרון] *In monimentum* i. i. significabunt Christum venturum.

15. *Remoti quoque* ורחוקים] *Longinqui quoque. Qui procul sunt*, sub. *à Deo propter infidelitatem.* ¶ *Si audiendo*, &c. אם שמוע וגו'] Hebraismus, *si ex animo parueritis & admonitioni Dei.*

CASTALIO.

8. C*Umque illa terram perambulassent*] sc. Quadrigæ. ¶ *Mentem meam in terra Septentrionali recreaverunt*] Mandata mea exsecuti sunt.

CLARIUS.

1. Q*Uatuor quadrigæ*] Hæc Visio est valde obscura, & diversis modis tam à Christianis quàm à Judæis exponitur. Quidam ex nostris interpretantur negotium Euangelicum evulgatum in quatuor Orbis partes per Apostolos, qui quasi per *equos & quadrigas* expugnaverunt Orbem & Christi lucrifecerunt, impulsi *vento* seu spiritu Dei, & varia Spiritûs dona hominibus offerentes. Et hæ quadrigæ *procedere* dicuntur *ex æreis montibus*, h. e. ex Lege & Prophetis, qui firmissimi sunt testes Euangelii. *Equi rufi*, qui non egressi describuntur, putantur fuisse Apostoli & Christiani qui Jerosolymis inter sanguinarios Judæos manserunt, & illis Euangelium constanter prædicaverunt, & pro eo mortem oppetiverunt. Et quòd *equi nigri*, deinde *albi*, *procedunt ad Aquilonem*, significare videntur harum gentium mores, qui nigræ & horribiles fuerunt Judæis, sed deinde mitiores, relaxantes captivitatem eorum. Ad has igitur etiam missum est Euangelium Christi per Apostolos. *Maculosi* verò *equi in Meridiem destinati* significant mores populorum Meridionalium, qui Judæis aliquando duri & aliquando lenes fuerunt: id quod patet de Idumæis, Ægyptiis & Æthiopibus. Porrò per *ferociores equos*, qui *missi* describuntur *in terram*, intelliguntur Apostoli qui Romanum Imperium sunt ingressi, ut Petrus & Paulus.

5. *Egrediuntur postquam steterunt*] i. Acceptis à Domino mandatis, ut ea exsequantur egrediuntur.

8. *Requiescere fecerunt*] h. e. Exsecuti sunt quod injunctum erat illis feliciter. In horum autem omnium robur, datur signum *corona duplicis*, quas *Jesus* solùm in signum semel *ponat super caput suum*, deinde suspendantur *in Templo in monimentum* ac signum quòd venturus esset Christus Rex & Sacerdos. Et quòd *argentum & aurum* colligitur à certis viris qui in captivitate fuerunt, signabat quòd Christus nasciturus erat ex Judæis, liberaturus eos de captivitate animarum.

12. GERMEN *nomen ejus*] Tanquam dicat, *Ecce virum cui nomen Germen.* Jonathas intelligit *Messiam.* ¶ *Subter se succrescet*] Vel *de loco suo germinabit: & ædificabit* hic Messias *Templum*, non materiale, quemadmodum Judæi intelligunt, sed spirituale, in quo ipse solus *dominabitur sicut Sacerdos & Rex.*

13. *Portabit gloriam*] In cujus scilicet fimbria scriptum est REX REGUM ET DOMINUS DOMINANTIUM. ¶ *Inter duos illos*] Regem & Sacerdotem. Vel, ut alius vertit, *inter duo illa*, h. e. Regnum & Sacerdotium.

14. *Et corona*] h. e. Relinques apud eos. Mutantur autem hìc duarum personarum nomina: id quod frequens est in Hebraismo. In horum itaque quatuor virorum *memoriam* hæ *coronæ* suspensæ fuerunt *in Templo:* Quas cùm viderent posteri dicerent, *Tempore Zachariæ hæ corona ab illis facta sunt viris in signum & confirmationem Prophetiæ futuri Regni Christi, quod quidem incipere debuit stante adhuc Templo illo & durantibus coronis illis.*

15. *Et qui procul sunt*] Multi *qui remoti sunt* à sanguine Judæorum *venient & ædificabunt in Templo Christi*, doctrinis & exemplis Ecclesiam ejus illustrantes. ¶ *Erit autem hoc*] *Si audieritis* & credideritis futuro Euangelio, intelligetis me verum fuisse Prophetam: Si autem non credideritis, nullo modo credetis neque intelligetis mysteria ista, sed obstinati manebitis, hærentes in Templo exteriori.

DRUSIUS.

1. E*T conversus sum*] Iste sensus est tanquam si diceret, *Iterum levavi.* Vide quæ scripsimus suprà 5. 1. ¶ *Quatuor quadrigæ*] *Quatuor currus quadrigarum*, si modò מרכבה est *quadriga*, h. e. *rheda quatuor equis vecta:* nam de eo dubitari potest. Certè Græci LXX ἅρμα interpretantur, i. *currum* simpliciter, cùm *quadriga* ab illis τέθριππον dicatur. ¶ *E medio duorum montium*] E cava profundáque valle quæ inter duos montes, qualis erat vorago *Mello* dicta inter montes Sionem & Moria. ¶ *Et montes illi, montes ænei*] i. Expositore Hier. *insuperabiles atque fortissimi, & qui nullâ possent vetustate consumi.* Scire autem licet hosce montes planè imaginarios fuisse, inter quos vallis extitit, è qua visi sunt exire Angeli quadrigis vecti, ob celeritatem & diligentiam quam adhibent in obeundo munere suo. Quapropter & *alati* finguntur, & suprà 1. 8. visuntur *equis insidentes*; aut potiùs per *equos* ibi significantur, ut hic per *quadrigas.* Quæ figura loquendi non est insolens in his literis. Jam verò notum, obscura, imò

imò inscrutabilia, esse judicia Dei. Quod David significat cùm ait, *Judicia tua, abyssus multa:* vult dicere *ut abyssus*. Nam similes sunt abysso propter causam quam diximus. Ac propterea Angeli qui ea exsequuntur prodeunt è profunda valle quæ *inter duos montes*. Quòd autem montes illi *anei* memorantur, indicat eadem judicia firma ratáque esse, nec revocari semel decreta ullo modo posse, juxta illud,

——*Hic murus aheneus esto*
Nil conscire sibi, &c.

Vel *erei*, i. χαλκᾶ. Quidem *chalybei*. Sed profectò נחשת *as* denotat: Quod ità temperabant veteres ut duritiâ ferro non cederet: Itaque arma ex eo fabricabant, & arcus, qui nunc ex chalybe fiunt. Adi Quæst. meas, si otium est.

2. *Equi rufi*] Vel *rubri*. Torquent se Interpretes in explicandis his coloribus, quos ad quatuor præcipua Imperia, quas *Monarchias* dicimus, referunt. Ego non tam ad Imperia illa referendos puto quàm ad statum populi Dei qui varius exstitit prout erga eum affecti fuerunt qui tunc rerum potiebantur. Nam tristissimus fuit status eorum sub Nabuchodonosoro, Assvero & Artaxerxe Longimano; ut contrà lætissimus sub Cyro primo, Dario Notho, & Artaxerxe Memore. Item Syriæ Reges non uno modo Judæos habuerunt: Quidam enim satis humaniter eos tractarunt, alii duriter ac severè planéque tyrannicé. Idem dicendum de Regibus Ægypti, nec non de Consulibus & Imperatoribus Romanis. Nunc quid singuli colores designent breviter indicabimus. Rubrum colorem indicat maximè animantium sanguis; ac proinde notat Cædes, in quibus sanguis humanus effunditur. Quocirca Temirlanes, qui se *Iram Dei* vocabat, cùm denunciare vellet cædem puberum, rubris tentoriis usus fuisse perhibetur. ¶ *Equi nigri*] Color iste lugentium est. Dicitur & *carbo* שחור qui propriè est ater; & *atramentam* שירו, ab eadem causa. Notat etiam Tristitiam & Horrorem: unde *nigram hiemem* dicimus. Interdum isto colore significatur excidium & interitus universi. Atque ea de causa Temirlanes, cujus modò mentionem fecimus, tertio die obsidionis nigra tentoria usurpabat, innuens, captâ urbe, nulli nec sexui nec ætati parcitum, civésque ad unum omnes internecione deletum iri.

3. *Equi albi*] Color albus designat Lætitiam. Ex quo illud, *Quovis tempore sint vestimenta tua alba*, pro eo quod, *Esto semper animo hilari ac læto*. Temirlanes quoque hoc colore denunciabat civibus quos obsidebat læta faustáque omnia. ¶ *Equi varii, fortes*] *Equi varii*, qui non toti vel albi vel nigri vel rufi sunt, sed iis aliísve coloribus distincti, significant tristia mixta lætis. Sed de his vocibus variæ sunt Interpretum sententiæ; Quas nunc recensebo. *VARII*; ità V. editio. Priùs erat ποικίλοι in Lxx. שרקים interpretati sumus *varii*. Hîc est ברדים: quæ vox deducta videtur à *grandine*. Nam *grando* ברד dicitur. Itaque non nemo hîc legit *grandine guttati*. Quod Arias uno verbo dixit *grandinati*. Ut à *gutta guttatus*, sic à *grandine grandinatus*. Sed Latinum non est. Jonathan reddit פציחין, quod interpretantur *versicolores*, & alibi nescio quo in loco, tamen alibi certè, *maculosos*. R. D. ברוד *color est albis quibusdam maculis interspersus in modum grandinis, qua macula in alio aliquo colore relucent*. Fortè ברוד color est grandinis, inter album & nigrum, quem *aquilum* appellant, vocabulo ab *aqua* derivato. Nam grando nihil aliud est quam aqua frigore concreta in aere. Habes plures opiniones: Si vis ut judicium meum interponam, dico, eam quam produxi ex Scholiis Camii Ebræi mihi præ cæteris maximè probari. FORTES. Sic Int. noster. Priùs Aquila ediderat κραταιοί· aliàs κρατεροί. Secutus est ergò Aquilam; à quo facit verbum אמץ, quod *fortem esse* sign. itaque אמוץ, ut censet Abenezra, *color est fortis sive illustris, qui longiùs conspicitur quàm ullus alius color*. In Græca ed. legitur ψαροί. Ea vox notat ταχὺν, i. *celerem, velocem*. Lexicon Suidæ, Ψαρὸς, ὁ ταχὺς, ὑπὸ τοῦ ψαίρειν ἔνθεν καὶ αἰψηρός. Est & nomen coloris. Idem Lexon, Ψαρὸν, εἶδος χρωμάτων· ψαρὸς γὰρ ἵππος, ὁ τὸ χρῶμα τοιοῦτος. Lexicon Scapulæ, Ψαρὸς ἵππος, *equus varius, cinerei coloris*. Hinc componitur λευκόψαρος, *qui simul ψαρὸς & albus*. Eustathius Iliad. ρ'. in extremo, ὅτι δὲ ἐκ τοῦ ψὰρ, ψαρὸς, γίνεται ψαρὸς ἵππος ὁ κατὰ τὸν ψᾶρα ποικίλος, καὶ, ὡς εἰπεῖν, βαλιὸς, οὐκ ἔστιν ἀμφιβάλλειν Absque ulla dubitatione ψὰρ est *sturnus*. Ergò apud Hier. legitur Græca intepretantem, *equi varii sturnini:* ψαροὶ *sturnini*, h. e. ut utar verbis Eustathii, *varii Sturni in morem ritúque, &, ut ità dicam, balii*. Sed Hier. nos admonet de alia lectione: *Nam quadam exemplaria*, inquit, *male habent* πυῤῥοὺς, *confundentia colorum differentias atque Regnorum, cùm* πυῤῥοὶ, *i.* rufi, *non AMUSSIM sed ADUMMIM appellentur*. Dubito an malè. Nam ex Ebræis nonnulli אמצים interpretantur אדמים, i. *rufi*, qui & חמוצים, ut aiunt, Aleph cum Cheth permutatâ. Propriè אמוץ, ut R. D. scribit, *subrufus* sive *aliquantùm rufus*, h. e. minus habens ex rufo colore quàm אדמים. Hæc adduximus pro interpretatione Græca: à qua in diversum abit Chaldaica. Nam Jonathan vertit קטמנין, i. *cinerei* vel *cineracei*. In tanta varietate difficile est statuere quid sequendum sit, maximè cùm dictio אמוץ in hac quidem forma nusquam alibi, quod sciam, inveniatur.

4. *Quid sunt hac?*] Quid sibi volunt hæ quadrigæ & hi equi quos exeuntes video inter duos montes æneos?

5. *Hi sunt quatuor venti cælorum*] i. Catervæ Angelorum qui à quatuor mundi plagis convenerunt ut se sisterent coram Deo, & indè exierunt ad perambulandum terram. Scholia Ebraica subaudiunt ל, ut sit ארבע pro לארבע, hâc sententiâ, *Ha quatuor quadriga in totidem ventos cæli exeunt à Domino totius terra, cui adstabant*. Talis defectus Psal. 45. 6. & alibi sæpe. Quidam etiam legunt, *Hi sunt quatuor spiritus cæli*. Nam *ventos* pro *Angelis* haud facilè uspiam invenias: mihi sanè durum videtur. *Venti cælorum*, ut suprà 2. 6. Vide quæ observamus ad illum locum: ¶ *Inde ubi se stiterant*] Vel, *è loco ubi constiterant*. Ad verb. *à consistendo:* q. d. *exeuntes à Domino totius terræ, apud quem se stiterant*. Vide 1 Reg. 22. 19. & Job. 1. 6. ¶ *Dominum totius terræ*] Periphrasis Dei.

6. *In qua sunt equi nigri*] i. Quadriga equis nigris vecta. Dicit autem *in qua* singulari numero, & mox *egrediuntur* plurali, quia non tam ipsam quadrigam quàm eos qui quadrigâ illâ secundâ vehebantur intelligit, nempe Angelos qui mittebantur in terram Aquilonis. Quorum adventum tristem ac luctuosum fuisse indicat color *niger* equorum. Nam horrenda ibi judicia Dei exsecuti sunt. Quos sequuntur alii *equis albis* vecti; Quo colore commutata Judæorum fortuna in melius, dum adhuc in ea terra essent, haud obscurè innuitur. ¶ *In terram Aquilonis*] In Babyloniam, ut suprà 2. 6. *fugite è terra Aquilonis*. Adito sis ad illum locum. Alibi Assyria sic vocatur, & rectè. Assyria enim respectu Judææ tota Aquilonalis erat. Babylonia vergebat aliquantùm ad Orientem, h. e. magis Euronotum respiciebat. Hieronymus hîc canonem ponit cognitu necessarium omnibus qui has literas tractant: quocirca non pigebit eum describere; *Et hoc notandum*, inquit, *quòd* κλίματα, *i. plaga Orbis ac Mundi, juxta situm Jerusalem & Templi in Scripturis sanctis appellentur*. ¶ *Egrediuntur post eos*] Secuti sint eos in terram Aquilonis abeuntes. ¶ *Et varii*] Maculis albis respersi ac si grandine guttati essent. ¶ *In terram Austri*] Ægyptum significat, cujus situs, habitâ ratione Judææ, prorsus Australis est. Sic *Rex Austri*, i. Ægypti, Dan. 11. 5. Alii *terram Austri* Judæam interpretantur, quæ respectu Babyloniæ Meridiana est. Sed his adversatur canon ille Hieronymi quem modò produximus.

7. *Fortes autem egressi*] Potuisset dicere, *Hi autem egressi*, sed elegit *fortes autem egressi*, ut simul ostenderet *varios* & *fortes* eosdem esse. Rectiùs *cinerei*, aut *subrufi*, vel certè ψαροὶ, i. *sturnini:* sic tamen ut maculis albis interspersi essent, quæ maculæ similitudinem habebant grandinis. ¶ *Quarebant ire ambulatum per terram*] Non contenti terrâ Austri, ad quam exierant missi à Deo, volebant reliquas partes Orbis peragrare. Aut lege *per terram illam*, ut de sola Ægypto accipiatur. Certè in Ebræo est בארץ cum articulo, ut si Græcè dicas τὴν γῆν. Libet etiam suspicari *varium* colorem distinctum fuisse à *forti*, & equos *varios profectos Austrum* versùs, *fortes* verò, qui eodem in curru juncti fuerant, impetratâ veniâ, postquam ab illis discessissent, *totam terram perambulasse*. Sed hæc suspicio tantùm est, non res certa. ¶ *Itaque dixit*] Sub. *Deus*, aut *Angelus DOMINI*, cujus mentio crebra in Visionibus quæ præcesserunt. ¶ *Et perambularunt terram*] Ut suprà 1. 11. *Perambulavimus terram, & ecce universa terra habitatur & quiescit*. Utitur autem nunc verbo fem. cùm antea usus fuerit masculinis. Quæ est oratio sensu congrua, non voce. Nam *equorum* nomine, ut probabile est, equas intelligit. Contrà evenit apud Græcos, qui *cervum* τὴν ἔλαφον vocant.

8. *Inclamans me*] Altâ voce accersens me ad se. ¶ *Vide*] *Ecce*. Hoc dicit idem qui suprà. ¶ *Requiescere fecerunt*, &c.] Sedarunt animum meum, qui infensior erat Chaldæis propterea quòd tam inclementer habuerant populum meum: nam *cùm ego ei aliquantùm succenserem, ipsi adjuverunt in malum*, h. e. duriùs eum tractaverunt quàm ferebat ira mea, suprà 1. 15. Locus iste aliter exponi potest: & fortè melius ut dicamus hosce Angelos missos fuisse in varias partes orbis, maximè in Babyloniam & Ægyptum, ubi tunc plurimi Judæi commo-

morabantur: ex quibus illi qui in Babyloniam profecti fuerant legati tantum effecerunt ut Judæi aliqui pecuniam conferrent ad instaurationem Templi: ideo dicit, *Qui egrediuntur in terram Aquilonis*, *requiescere fecerunt spiritum meum in terra Aquilonis*. Expende quæso, erudite lector. Nam ista expositio valde se mihi probat, & sequentia mirabiliter eam confirmant. *Requiescere fecerunt*, i. quietum reddiderunt, tranquillarunt, refecerunt. ¶ *Spiritum meum*] *Mentem meam*, vel *animum meum*; ut sumitur ibi, *Animum rege*. *Spiritum* enim appellant Ebræi καὶ τὸ θυμοειδὲς, h. e. animæ partem quæ concupiscentiæ & iræ subjacet. Sic accipitur in illo, *Spiritus ejus velut torris inundans*, *ad medium usque cæli secat*: & Cohel. 7. 9. *Ne properes spiritu tuo irasci*. Hinc locutiones illæ, *Brevis spiritu* pro *iracundo*, & *Longus spiritu* pro *eo qui tardè irascitur*, quem μακρόθυμον vocant Græci.

10. *Accipies*] Vel *Accipe*. In Ebræo est לקוח *accipere*. Inf. pro Imperat. ¶ *A deportatione*] A deportatis. Vix credibile est aliquos tunc superstites fuisse ex iis qui deportati fuerant in Chaldæam. Quid igitur? An *deportatos* vocat filios deportatorum? Credo. Nam quia in Babylonia manserant, aut ex ea redierant, ideo *deportatos* vocat. ¶ *Holdai*] Talis est antiqua lectio: nunc legunt *Heldai*, per *H* geminum, quod vocant *H* Heth. ¶ *Et venies*] *Venies* dixit pro *ibis*. ¶ *Die illo*] Vel cùm *aurum & argentum* ab iis *acceperis*, vel cùm *è Babylonia venerint Holdai*, *Tobias & Idaja*, qui tum nondum venerant, ut quidam arbitrantur, sed in itinere erant. ¶ *Domum Josiæ*] Hier. scribit hunc fuisse *custodem & æditum templi DOMINI*. Potest ità esse: nam ex æditiis janitores erant: janitores sacram pecuniam colligebant, ut liquet ex 2 Reg. 22. Sed tamen mihi non videtur propter ea quæ habentur infrà vers. 14. ¶ *Filii Sophoniæ*] Duo fuerunt hujus nominis. Unus Propheta, & alter Sacerdos. Quærendum igitur uter horum fuerit, si non alius fuit; quod mihi credibilius videtur. Sacerdotis mentio Jer. 21. 1. & 37. 3. ¶ *Qui venerunt*, &c.] Non dicit *qui reverterunt è Babylonia*, (non enim abducti eò fuerant) sed *qui venerunt*: pro quo nonnulli legunt *qui veniunt*, ac si tunc nondum venissent. Sed *qui veniunt* esset הבאים. *Venerunt* autem Josias cum cæteris suprà memoratis. Sunt qui Josiam non recenter venisse, sed diu ibi commoratum fuisse putant: reliquos verò tres, cùm è Babylonia venissent, apud ipsum diversatos fuisse. Itaque jubetur Prophetes ad domum ipsius adire, nempe quia cæteros reperturus erat. ¶ *E Babylonia*] E terra Babylonia. ¶ Vel *è Babylone*, h. e. ex ipsa urbe.

11. *Accipies*, *inquam*, *argentum & aurum*] *Cape*, inquit, *argentum & aurum* quod illi contribuerunt ad instaurationem Templi DOMINI. ¶ *Conficies coronas*] Coronas duas, unam videlicet Regni, & alteram Sacerdotii. Nam is cujus typum gerebat Josua simul & Rex erat & Sacerdos. Significat ergò conjunctionem utriusque dignitatis in Christo. Quod David Prophetes longè antè prædixerat, inquiens, *Dixit DOMINUS Domino meo*, *Sede à dextris meis*: & aliquantò pòst, *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedec*. Coronam Sacerdotii [aut potiùs *coronam pilei Pontificii*. Nam præter communem cum reliquis Sacerdotibus pileum Pontifex alterum habuit consutum ex hyacintho variatum, quem corona aurea circumdedit, quæ tribus ordinibus distincta fuit. Cujus rei autor est Philo Judæus] accipio quam suprà *cidarim mundam* vocavit. Nam *corona* dicitur quicquid aliquem ornat. Nihil autem magis ornabat Pontificem quàm hæc cidaris, sive etiam *mitram* aut *tiaram* placet appellare. Quidam Regni coronam impositam fuisse putant capiti Zorobabelis: sed hoc probatione eget. Sunt qui non duas coronas, sed unam tantùm confectam arbitrantur. Sanè Jonathan hunc locum sic reddit, *Sumptóque argento & auro*, *facito coronam magnam*, sive, ut alius convertit, *coronam Principis*, h. e. Regiam. Fortè locutio est *conficies coronas* pro *unam aliquam coronam*. Sic dicimus *pullus asinarum* pro *unius alicujus asinæ*. Sed hoc mihi non placet. Persisto igitur in sententia quam primo loco posui, quam veram puto. ¶ *Quas pones*] Ad verb. *& pones*. Vau pro אשר, ut Mal. 3. 1. *Ecce ego mitto nuncium meum*, *& parabit*. Quod Matth. 11. 10. redditum ὃς κατασκευάσει, *qui parabit*.

12. *GERMEN nomen ejus*] *Cujus nomen est GERMEN*, sive, *qui GERMEN nominatur*. Hujus mentio suprà 3. 8. Jonathan hîc legit, *Ecce vir cui nomen MESSIAS patefiet*. Sanè antiqui Ebræi inter nomina Messiæ & צמח recensent, i. *Oriens* vel *Germen*. Hier. *Oriens i.* ἀνατολὴ, *vel* ἀναφυὴ, *sive* βλάστημα, *vocatur*, *i.* Germen, *quia ex se repentè succrescet*, *& ex radice sua in similitudinem germinis pullulabit*. Ebræi recentiores Zorobabelem innui putant, quem GERMEN vocari dicunt quòd ejus dignitas germinis instar succrescens paulatim ad summum gradum pervenerit. Locum autem qui sequitur, *& erit Sacerdos in solio suo*, sic interpretantur ut legant, *& erit Sacerdos ante solium ejus*. Quippe particula על interdum valet לפני, i. *ante* sive *coram*, vel, si placet, *apud*, ut suprà vers. 5. Porrò Sacerdos versabatur assiduè coram Rege, admonens ac erudiens eum siquando à Lege deflectebat. Quò pertinet illud 1 Sam. 2. 35. *& ambulabit coram Uncto meo omnibus diebus*. Nam de Sacerdote loquitur, & *unctum suum* Regem vocat. ¶ *E loco suo germinabit*] Quia GERMEN, ideo dicit *germinabit*. Et, *è loco suo*, h. e. è Bethlehem, sive è Jerosolyma: aut, *è loco suo*, è solo suo: Nam germen è terra oritur; Christi autem origo terrena fuit quoad humanam naturam. Aut, *è loco suo*, è Judæa: Nam indè Christi fama longè latéque propagata est. Ad verb. *de sub se*. ¶ *Ædificabit templum DOMINI*] *Exstruet templum DOMINI* spirituale, h. e. Ecclesiam Christianam.

13. *Reportabit decus*] Ità administrabit Regnum & Sacerdotium ut indè decus sit reportaturus. ¶ *Sedebit & dominabitur in solio suo*] Accipio ut si dictum esset *dominabitur sedens in solio suo*. Esth. 1. 2. *cùm sederet Rex Asverus in solio Regni sui*. Vide quæ notamus ad illum locum. *Et erit Sacerdos in solio suo*] Non dicit *sedebit*, sed *erit*. Ergò Ebræi hunc locum aliter interpretantur, ut diximus. Quibus favet membrum sequens, *& consilium pacis inter illos ambos*, videlicet inter Josuam Pontificem & Zorobabelem Ducem: Quorum uterque typicè significabat personam Christi. Sed fortè melius ut repetamus ex præcedentibus *& sedebit*, hâc sententiâ, *Et erit similiter Sacerdos sedens in solio suo*. ¶ *Et consilium pacis erit*] Optimè inter ipsos conveniet; alter alteri, ut fit, non invidebit, nec dissentient animis aut sententiis. ¶ *Inter illos ambos*] בין שניהם, h. e. inter Pontificem & Regem. Quidam, *inter illa duo*, h. e. inter Sacerdotium & Regnum. Sed hoc coactum videtur. Nam *inter illa duo*, i. בין שתיהם.

14. *Et coronæ erunt*] In Ebræo habetur ad verb. *& corona erit*: quod exponunt, *unaquaque coronarum*. Simile, *Bestia clamat*, i. *clamant*, aut *unaquaque bestiarum*. ¶ *Pro Helemo*, &c.] Non ut Helemo reddantur, sed ut *memoriale* sint DOMINO, aut apud posteros. Falluntur ergò qui hic legunt *Et coronas habebit Helemus*, &c. Hic suprà v. 10. *Holdai* vocatur. Erat ergò διώνυμος ut *Hen*, qui eodem in loco *Josia* nuncupatur. ¶ *Memoriale in Templo DOMINI*] Vel *memoriale coram DOMINO*, ut Exod. 30. 16. *& erit pro filiis Israel memoriale coram DOMINO*. Vel *memoriale*, h. e. monumentum apud posteros: q. d. Posteri, vel quicunque audient eas coronas Templo donatas, usurpabunt memoriam eorum qui argentum & aurum eò contribuerunt. Sunt qui putant nomina horum quatuor virorum coronis illis inscripta fuisse. Ebræi quoque nonnulli asseverant eas in Templo repositas fuisse in perpetuam memoriam, & ut alii ad similem munificentiam hâc ratione incitarentur.

15. *Longinqui*] Gentes è longinquo. ¶ *Venient*] Jerosolymam. ¶ *Et ædificabunt*] Vel *ut ædificent*. Et notandum quòd non dixerit *ædificabunt Templum*, sed *in Templo*: i. in ipso Templo munera offerent, quibus non solùm exstrui poterit, sed etiam ornari intus & decorari. *Et cognoscetis DOMINUM exercituum*, &c.] Cùm hæc omnia quæ dixi evenerint completáque fuerint, *cognoscetis me à Deo missum*, h. e. verum Prophetam esse. Nam id signum erat à Deo præscriptum Deut. 18. 22. ¶ *Si auscultando auscultaveritis*] Hæc vobis obtingent si quidem per omnia *Deo auscultaveritis*, éique audientes dicto fueritis. Potest legi *cùm auscultaveritis*. Nam *si* valet *cùm* quandoque, ut ibi, *Si erit Jobilæus*, i. *cùm erit*. Et hoc notandum, quòd dixerit *voci DOMINI Dei vestri*, i. mandato aut Prophetis DOMINI Dei vestri, qui etiam *os DOMINI* nuncupantur. Hoc igitur dicit, Si cœptam ædificationem absolveritis, & opus Templi ad finem perduxeritis.

IDEM.

3. אמצים. A. κρατεροὶ] Hier. *Pro* fortibus, *quos* Aq. κρατερὸς (malè κρατέρως in editis à Plantino) *Lxx* ψαροὺς *transtulerunt*. In ed. Rom. κραταιοί. Utrumque sign. *fortes*, *validi*, *robusti*. Hier. AMUSSIM, *i.* fortes *atque* robusti.

12. צמח. * ἀναφυή. * βλάστημα] Priùs erat ἀνατολὴ, quod pro *germine* usurpatur & Luc. 1. 78. ἀνατολὴ ἐξ ὕψους, *Germen ex alto*. Vulgò minùs rectè *Oriens*. Porrò ἀνατέλλειν idem quod ἀναφύειν. Hier. *Qui idcirco* Oriens, i. ἀνατολὴ *vel* ἀναφυὴ, *sive* βλάστημα *nuncupatur*, i. Germen.

13. הוד. Alius, ἐπιδοξότης alius, ἐκπρέπειαν alius, δόξαν alius,

alius, ἀρετὴ] Hier. *Qui vir ædificabit templum Domini: cùmque illud exstruxerit, ipse quoque portabit gloriam, i. coronam alteram: quæ Ebraicè* הוד, *& ab alio ἐπιδέξιος, ab alio ἐπιπρέπεια, ab alio ἀρετὴ, ab alio δόξα scribitur, quæ vel* inclytum *vel* virtutem *vel* gloriam *sonant.*

IDEM.

6. ארץ צפון] Terra septentrionalis borealisque. *Innuit*, Sutore Ezra, *Babyloniam*, *Elam & Persarum Medorúmque regnum.* Erat autem Babylonia sita inter orientem & Septentrionem respectu terræ sanctæ. Propter eam *Aquilo* male audit in scripturis sanctis.

GROTIUS.

1. **E**T *conversus sum*] Ut suprà v. 1. ¶ *Ecce quatuor quadrigæ*] *Currus quatuor* sunt *quatuor Imperia*, ut hîc explicat Chaldæus. ¶ *Egredientes de medio duorum montium: & montes, montes æres*] Portas Ciliciæ intelligit, inter montium ardua, per quas Babylonii & Persæ, Alexander quoque & duces ejus in Syriam, Judæam, Ægyptum transire soliti.

2. *In quadriga prima equi rufi*] Vel *equæ*, cujus generis verbum est infrà 7. *Equi rufi* Chaldæos significant valde sanguinarios. Vide Lamenta Jeremiæ. Horum obiter memini oridinis servandi causâ, & ut præterita futuris conferat; postea verò nihil de illis dicet: nimirum quia Imperium id jam transierat cùm hoc Visum Prophetæ obtingeret. Confer quæ suprà 1. 20. ¶ *Et in quadriga secunda equi nigri*] *Equus niger* famem significat, Apocal. VI. 5. 6. & per μετωνυμίαν *Transnominationem*] vastitatem, quam plurimis terris intulere Persæ. Vide quæ diximus ad Dan. 8. 5. Apparet id ex Darii & Xerxis historia

3. *Et in quadriga tertia equi albi*] Id signum triumphi perpetuas Alexandri victorias significat. ¶ *Et in quadriga quarta equi varii & fortes*] *Currus quartus* est pariter Syriæ & Ægypti Regum; quos conjungunt Prophetæ, quòd Judæi modò sub his modò sub illis fuerint, & ipsa genera sæpe matrimoniis permixta, possessionésque translatæ vi aut pactionibus. Pro *fortes* Chaldæus transtulit *cinereos*, Græci ψαρὸς [*sturni colore.*] *Varii* sunt Reges Ægyptii, quibus fortuna belli modò favens modò adversa, ut ex Daniele didicimus. *Cinerei* verò Reges Syriaci, occultantes sua consilia, ut ex Antiochi rebus discere est.

5. *Isti sunt quatuor venti cœli*] Imperia in diversis climatibus. Ventis eorum impetus comparari solent. ¶ *Qui egrediuntur ut stent coram Dominatore omnis terræ*] *A standocoram Domino omnis terræ.* Steterunt coram Deo, id est, mandata accipient: iis acceptis ibunt quò Deo visum.

6. *In qua erant equi nigri egrediebantur in terram Aquilonis*] Egressi sunt Persæ in Chaldæam, quæ Aquilonaris Judæis. ¶ *Et albi egressi sunt post eos*] Venit Babylona etiam Alexander. ¶ *Et varii egressi sunt ad terram Austri*] Illi Lagidæ Ægyptum tenuere, quæ ad Austrum Judæis.

7. *Qui autem erant robustissimi*] *Cinerei*, ut suprà. ¶ *Exierunt, & quærebant ire, & discurrere per omnem terram; & dixit, Ite & perambulate terram: & perambulaverunt terram*] Seleucidæ modò Ægyptiis bellum intulere, modò Judæis & Arabibus eorúmque vicinis, modò Armeniæ Medisque & Parthis, ità ut nihil intactum sinerent, sapiente Dei permissu.

8. *Ecce qui egrediuntur in terram Aquilonis*] *Qui egressi sunt*: nam id jam transierat. ¶ *Requiescere fecerunt spiritum meum in terra Aquilonis*] Id est, ibi iram meam contra Chaldæos susceptam abunde satiarunt. *Spiritus* modò iram, modò benevolentiam significat. Ex materiæ diversitate varianda interpretatio.

10. *Sume à transmigratione*] Id est, ab iis qui nunc recens ab exsilio veniunt. ¶ *Ab Holdai*] Qui infrà *Helem*: nisi erratum est scribæ hoc vel illo loco. ¶ *Et à Tobia, & ab Idaja*] Quorum infrà nomina eadem. ¶ *Et venies tu in die illa, & intrabis domum Josiæ filii Sophoniæ*] *Ingressus hoc ipso die domum Josiæ*, in qua illi divertunt. Incertum est an hic *Josias* idem sit qui infrà *Hem filius Sophoniæ*; an verò Hem frater illius sit, & comes illorum qui à Babylone venerant. ¶ *Qui venerunt de Babylone*] Interpretatio ejus quod præcessit *à transmigratione.*

11. *Et sumes*] *Sume, inquam.* ¶ *Aurum & argentum*] Quod illi ex collatione exsulum ferunt in Templi, quod jam struetur, ornatum. ¶ *Et facies coronas*] Complures, quæ deinde suspendentur in Templo. *Et pones in capite Jesu filii Josedec Sacerdotis magni*] Vnam scilicet earum. Nam & summi Sacerdotes coronam ferebant in diebus lætis.

12. *Ecce vir*] Hæc Deo dirigente Pilatus ad Christum aptavit dicens: Ἴδε ὁ ἄνθρωπος [*Ecce homo.*] ¶ *Oriens nomen ejus*] *Germen nomen ejus*, id est, Surculus velut renatus ex stirpe Davidis. Vide suprà 3. 8. & ibi allata. ¶ *Et subter eum orietur*] *Per eum germinabit.* Est allusio ad nomen צמח [*germen*] renascetur Templum, sicut in illo domus Davidis renata est. ¶ *Et ædificabit Templum Domino*] *Templum Domini quod ipse ædificaturus est*, cujus primum positurus est lapidem.

13. *Et ipse portabit gloriam*] *Ipse quoque portabit gloriam*, id est, coronam, nempe Principis. Vide 1 Samuelis 12. 30. ¶ *Et sedebit & dominabitur super solio suo*] Id est, in solio sedens, simul cum Senatoribus jura dicet. ¶ *Et erit Sacerdos super solio suo*] Etiam Sacerdos in eodem illo Senatu solium suum habebit. ¶ *Et consilium pacis erit inter illos duos*] Id est, optimè inter illos conveniet, ut olim inter Mosem & Aaronem. Felix respublica ubi concordant officiúmque bene faciunt & Princeps & Sacerdos.

14. *Et coronæ erunt Helem, & Tobiæ, & Idajæ, & Hem filio Sophoniæ memoriale in templo Domini*] Suspendentur in Templo, annotato nomine eorum qui ea ritè dicarunt. Non retinuere sibi coronas aut Sacerdos aut Princeps. Nam eâ ætate nefas habebatur, extra summam & inevitabilem necessitatem, Deo devota in privatos usus vertere: neque is qui nunc contemtus Numinis rerúmque sacrarum invaserat animos.

15. *Et qui procul sunt venient, & ædificabunt in templo Domini*] Etiam extranei aut materiam suppeditabunt, aut in opere vobis erunt adjutores, Esaiæ 40. 10. Adde quæ suprà 2. 11. ¶ *Et scietis quia Dominus exercituum misit me ad vos*] Nempe ubi eventus prædictis congret ¶ *Erit autem hoc, si auditu audieritis vocem Domini Dei vestri*] Nè hæc quidem promissio sua carebat conditione.

CAP. VII.

MUNSTERUS.

2. **P**Ostquam *scilicet*] Sic Hebræi putant hunc locum legendum, אחר שׁלח. Sunt etiam qui שׁלוח legendum putant pro שׁלח. Qui hos viros miserunt Textus non indicat. Sunt etiam qui בית אל putant hic esse nomen viri. Hi igitur missi fuerunt ex captivitate, ut Hebræi putant, postquam Templum fuit exstructum, ut adorarent Jerosolymis, & interrogarent Legisperitos & Prophetas num adhuc deberent servare jejunia illa & abstinentias quas fecerant certis mensibus per LXX annos Captivitatis. In quinto mense, qui est אב, habebant jejunium Desolationis Templi & Civitatis; & in septimo, qui est תשרי, jejunium Gedaliæ; in decimo, jejunium Obsessionis. Habebant & alia jejunia; utpote in Tamuz jejunium Tabularum, & in Adar jejunium Ester. Propheta tamen meminit hîc tantùm duorum jejuniorum. Et nota quòd הנזר est hic infinitivus passivus: & est sensus, אם אנזר מאכל ותענוג, *Non continebo me à cibis & deliciis?*

5. *Numquid jejunastis propter me?* i. Non jejunastis ex præcepto meo, quia ego non præcepi id vobis, nec curo sive jejunatis sive comeditis. Sed vos semper præposuistis traditiones vestras præceptis meis, etiam *cùm Jerusalem adhuc staret*, & ego mitterem ad vos *Prophetas meos*, &c. Et idem quod tunc vobis feci prædicari jam moneo faciendum scilicet ut *faciatis judicium æquum, & quisque bene cupiat fratri suo*, & succurrat necessitatibus ejus. Hæc cùm patribus vestris intimari curassem, illi *noluerunt audire*, sed magis ad iracundiam me provocaverunt.

VATABLUS.

1. **M**Ensis *noni*, &c. לחדש הת׳] Ad verb. *mensis noni in Chisleu.* Sic vocat Novembrem, qui nonus erat secundùm rationem festorum, incipiendo annum à Martio.

2. *Posteaquam* captivitas *misisset* וישלח] *Miserat autem* Israel *ad*, &c. i. populus qui remanserat Babylone. ¶ *Et viros ejus* ואנשיו] *Cum viris ejus*, i. comitibus vel servis & famulis ejus Sareser, qui erat princeps legationis; vel, *eorum*, ut sit sing. pro plurali: q. d. *utriusque*. Doctus inter Hebræos vult relativum referre *Regem-melech.*

3. *In hunc modum* לאמר] Ad verb. *dicendo.* ¶ *Quinto* החמשי] Intelligit Julium. Instituerant Judæi jejunia quædam mense quinto & septimo, quòd his mensibus ingentem cladem accepissent, nempe mense quinto destructionem Templi & Urbis,

bis, & menſe ſeptimo cædem Godoliæ, quam quidem ſecuta fuerat diſperſio populi qui remanſerat in Judæa. Vide infrà 8. 19. Hæc autem jejunia aſſerit Propheta non multùm probari Domino, quòd ea non inſtituiſſet, illáque obſervarentur à Judæis ipſis citra pietatem.

4. *Fuit*, *inquam* ויהי] Epanalepſis ſive Repetitio propter longum Hyperbaton quod præceſſit.

5. *Jejunaſtis propter me?* &c. צמתני אני] h. e. Jejunaſtis in honorem mei, quòd hæc jejunia inſtituerim? q. d. *Vos ipſi illa inſtituiſtis propter calamitatem quam accepiſtis veſtrâ culpâ. Præcepine ego ut ſic jejunaretis?* Ità exponit, ſubaudito verbo, doctus inter Hebræos. Alii nihil ſubaudiunt, ſed utrumque pronomen conjungunt, vertentes, *jejunaſtis mihi ipſi?* i. meo commodo ac in meam utilitatem: q. d. *Percepine ex jejunio veſtro fructum aliquem ac utilitatem? Non, ſed vos ipſi.* Hæc expoſitio magis convenit ſequenti verſui. Illud *mihi ipſi* etiam exponi poteſt *propter me*, ut vertimus.

6. *Aut bibitis* וכי תשתו] Ad verb. *& quando bibitis.* ¶ *Nonne propter vos*, &c. הלא אתם וגו'] *Nonne eſtis ipſi qui comeditis & qui bibitis?* q. d. *Voſipſi ſoli capitis fructum & utilitatem ex cibo & potu, non ego.*

7. Hæc ſunt] Subaudire potes, videtis jam impleta eſſe *verba*, &c. ¶ *Quæ prædicavit* אשר קרא] *Quæ prædicabat*, vel *clamabat*, ſive *proclamabat.* ¶ *Cùm* adhuc, &c. בהיות וגו'] Ad verb. *dum eſſet Jeruſalem ſedens*, vel *habitans*, i. cùm ſederet & pacifica eſſet. Alii, *quieta eſſet aut tranquilla*, i. habitaretur in ſumma pace, otio, tranquillitate & confidentia. ¶ *Illi circumſtantes* סביבותיה] Ad verb. in *circuitibus ejus.* ¶ *Habitaretur* ישב] *Sederet?* Alii, *pacata eſſet?* i. habitaretur in ſumma pace & otio? Per *partem Meridianam* ſive *Auſtralem* intelligit eam partem quæ naturà non erat munita: q. d. Habitabant confidenter & in magna fiducia étiam in ea parte quæ erat maximè debilis & infirma.

9. *Cum fratre ſuo* את אחיו] *Cum proximo ſuo.*

11. *Et dederunt*, &c. ויתנו וגו'] *Et dederunt humerum*; i. averterunt humerum ab onere præceptorum meorum, nolentes illis ſupponere colla. Metaphora à Bajulis. ¶ *Aures quoque*, &c. ואזניהם הכבידו] Hebraiſmus, ſimulaverunt ſurditatem.

12. *Unde facta eſt* ויהי] Ad verb. *& fuit.* Hebraiſmus, *Ea de cauſa vehementer iratus eſt in eos Dominus exercituum.*

13. *Clamaveram* קרא] Præt. tertiæ perſ. eſt Heb. *clamaverat*, ſub. *Dominus*, ut v. 7. Loquitur enim Dominus de ſe in tertia perſona: nam mox ſequitur *audiam.* Vel ſing. eſt pro plur. *clamaverant*, ſub. *Prophetæ in nomine Domini.* ¶ *Clamabunt*, &c. יקראו וגו'] Quidam futura convertunt in præt. *clamaverunt* poſtea, *& non audivi.*

14. *Poſt eos* אחריהם] i. Poſt diſceſſum eorum, h. e. poſteaquam abducti fuerunt captivi in Babylonem. ¶ *Ità ut nemo*, &c. מעובר ומשב וגו'] Ad verb. *à tranſeunte, & redeunte*; vel *revertente.* ¶ *Poſueruntque terram*, &c. וישימו ארץ וגו'] Hebraiſmus, Peccatis ſuis effecerunt ut terra illa optima, cujus deſiderio omnes priùs tenebantur, prorſus deſolaretur ac deſerta redderetur.

CLARIUS.

2. MISERUNT] Ii ſcilicet qui adhuc erant in Babylone. Hi ergò miſſi fuerant ex captivitate, ut Hebræi putant, poſtquam Templum fuit exſtructum, ut adorarent Jeroſolymis, & interrogarent Legiſperitos & Prophetas num adhuc deberent ſervare jejunia illa & abſtinentias quas fecerant certis menſibus per Lxx annos Captivitatis. In quinto menſe habebant jejunium Deſolationis Templi & Civitatis; In ſeptimo, jejunium Gedoliæ; In decimo, jejunium Obſeſſionis.

5. *Jejunaſtis mihi?* h. e. Ex præcepto meo non jejunaſtis quia ego non præcepi id vobis: Sed præceptum meum eſt, ut *faciatis judicium æquum*, &c.

13. *Sicut clamavit*) *Quemadmodum*, inquit, *quoties ille clamavit non audierunt, ſic clamabunt & non exaudiam*, &c.

DRUSIUS.

1. ANNO *quarto Darii*] Hoc anno adhuc ædificabant; ſed fortè Templum eò perductum erat ut in illo ſacrificare poſſent. Nam qui planè abſolutum fuiſſe putant vehementer errant. Vide Ezræ 6. 15. ¶ *Quarto menſis noni, qui eſt Chaſleu*] *In quarto menſis noni, in Chaſleu*, legitur in Ebræo. Eſt autem *Chaſleu* nomen peregrinum. Quidam Perſicum, alii Syriacum eſſe tradunt. Pro his facit compoſitor hiſtoriæ Machabæorum. Vide 2 Mach. 15. 36. Conſule etiam Annot. in Eſth. pag. 99. *Nonus* autem dicitur quoniam à Niſan in ordine nonus eſt. Sæpius reſpondet Novembri noſtro; quandoque in Decembrem incidit.

2. *Cùm miſiſſet*] וישלח *& miſit.* Duplex archaiſmus: primùm *&* pro *cum*, i. poſtquam; deinde *miſit*, ſub. *populum*, i. miſſi ſunt. Miſſi autem hi legati fuerunt à populo qui remanſerat in Babylonia, vel certè ab iis qui redierant. Niſi legendum *& miſit Bethel*, i. Eccleſia quæ in Bethel. Nam ut pro nomine viri accipiatur minùs placet. Hæc interpretatio valde ſe mihi probat, & tamen, quòd mea eſſet, non auſus fui recipere in contextum. Sic autem legendum eſt, *Cùm miſiſſet Bethel Saraſareum & Regemmelechum & viros ſuos*, ut *&* in hoc poſtremo loco ſit ἐξηγητικόν, *id eſt viros ſuos:* vult dicere cives ſuos. Ergò Saraſar & Regem-melech cives erant oppidi Bethel, non Babylonii, aut Perſæ, ut quidam autumant. ¶ *Ad domum Dei*] Ad Templum, quod jam aliquouſque perductum erat, adeò ut certiſſimam de eo conciperent ſpem, qui antea planè animum deſponderant. Quærendum an Sacerdotes ac Prophetæ reddere ſoliti ſint reſponſa in Templo, item, an Templum alibi בית אל vocetur: nam hoc nomen propemodum infame erat propter cultum deorum falſorum qui olim in Bethel exercebatur. ¶ *Saraſar*] Nomen eſt Aſſyrium, ut apparet, aut Babylonium. Sanè Sennacheribi filius alter (duo enim patrem occiderunt) Sarraſar dictus eſt. Fuit etiam hujus nominis princeps quidam in exercitu Nabuchodonoſori cùm Jeroſolyma obſideret, quem noſter Interpres *Sereſer* vocat. Videtur compoſitum ex *Sar* & *Aſar*, quod nunc legunt *Eſer*, & *Sareſer.* ¶ *Regem-melech*] Antiqua lectio habet *Rogom-melech*, niſi mendum in ed. vulgata. Nomen compoſitum ex duobus ſimplicibus *Regem* & *Melech.* Utrumque Ebraicum eſt. Vide 1 Par. 2. 47. & 8. 35. ¶ *Et viros ſuos*] Nam miſſi erant à populo. Aut leg. *viros ejus*, ut pronomen referatur ad *Regem-melechum*, qui aliquos ſecum adduxerit; quos ideo vocat *viros* ſive *homines ipſius.* Poteſt etiam legi, *Saraſar & Regem-Melech & viros ipſius.* Sed profectò magis arridet quod ſuprà poſui, *miſit Bethel viros ſuos*, i. cives ſuos. Neque aliud obſtat huic lectioni quàm genus verbi שלח *miſit*, quod maſculinum eſt, cùm Urbium nomina in communi ſermonis uſu femininè conſtruantur. Fortè Saraſar & Regem-melech peregrini erant, quibus adjuncti propterea fuerunt aliquot cives. Nihil adſevero. Hem! penè exciderat. Quid ſi *viros ejus*, i. utriuſque eorum? nam ſic loquuntur interdum, imò ſæpe. ¶ *Ad deprecandum faciem DOMINI*] Duplex finis erat hujus legationis. Unus, ut in Templo, in quo jam ſacra fieri incipiebant, Deum deprecarentur: Alter, ut conſulerent Sacerdotes ſuper quæſtione de jejunio quinti menſis. Hoc ſignificat cùm ait, *ut dicerent Sacerdotibus*, &c.

3. *Sacerdotibus*] Nam eorum erat ad interrogata populi reſpondere. ¶ *Qui in domo DOMINI*] Hoc breviùs dici poterat *domus DOMINI.* Hic ל pro ב uſurpatur: nam eſſet בבית יהוה. ¶ *Et Prophetis*] Qui tum erant tres numero, videlicet Haggæus, Zacharias & Malachias. Jon. *& Scribis*, i. Legum & Juris peritis. ¶ *An*, &c.] Menſe quinto jejunabant in memoriam deſtructi Templi. Cùm autem Templum jam ferme inſtauratum eſſet, meritò quæri poterat an adhuc jejunandum eſſet eo menſe. Nam *ceſſante cauſâ ceſſat effectus*, ut dicunt Philoſophi. ¶ *Flebo*] In luctu ero, jejunabo. Minus dicit, plus intelligit. Nam jejunii tempore flebant & lamentabantur. Joel. 1. 8. *Lamentare ſicut virgo accincta ſacco:* & 13. *plangite, ululate:* & 2. 12. *cum jejunio, fletu & planctu.* ¶ *Menſe quinto*] Templum exuſtum fuit die ſeptimo, ut habetur 2 Reg. 25. 8, 9. aut decimo hujus menſis, ut ſcriptum Jer. 52. 12. Videtur tamen jejunium tranſlatum fuiſſe in diem nonum. Itaque legimus in Scholiis Camii ad h. l. *An jejunabo die nono menſis Ab?* Nam quintus menſis *Ab* dicitur. Reſpondet autem Julio noſtro ut plurimùm. ¶ *Separando me*] A cibo ac potu, item à deliciis & voluptatibus. Rectéque Jonathan hoc loco, *An me à deliciis continebo?* Vide Joel. 2. 16. ¶ *Quemadmodum feci jam multis annis*] Quidam, *jam aliquot annis.* Minùs placet. Nam anni ſunt à deſtructo Templo uſque ad hunc annum quartum Darii pluſquam Lxx ſuprà centum. Sed vide ſis ſequentia.

5. *Univerſo populo terræ*] Significat plebem & vulgus promiſcuum. Quidam legunt *terræ hujus.* Sed ſive hoc ſive illo modo legas, non poteſt accipi de alia terra quàm de Judæa, de qua hîc ſermo eſt. Alibi reſpub. Ebræorum dividitur in *Sacerdotes*, *Principes* & *Populum terræ*; hic in *Sacerdotes* & *Populum terræ* tantùm. Cur *Principes* omiſerit ampliùs quærendum puto. Quærent autem per otium qui eo abundant: mihi

mihi nunc non vacat. ¶ *Et Sacerdotibus*] Hæc dici volo etiam iis qui consulti fuerunt à populo. Nam cùm in Lege nihil hac de re præceptum esset, de voluntate Dei per Prophetas, h.e. extraordinario modo, cognoscendum fuit. ¶ *Et septimo*] Jejunarunt hoc mense ob cædem Godoliæ: de qua 2 Reg. 25. 25. Facta est ea cædes, ut Ebræi scribunt, primo die mensis. Sed quia is dies festus erat, ideo translatum fuit jejunium in diem sequentem. Si verum hoc, errat Sigonius, qui *eos jejunasse* tradit *propter mortem Godoliæ die tertio mensis Thesri sive Septembris*. Sed fortè Ebræi hallucinantur. Mihi hîc tenebræ adhuc: itaque taceo *καὶ ἐπέχω*. ¶ *His septuaginta annis*] Suprà dixerat: h.e. biennio ante hoc tempus, *quibus iratus fuisti hos Lxx annos*. Locus iste habetur cap. 1. 12. vide quæ ibi observamus: nam non dubium quin eosdem annos designet. Sed quid? An cúm Asverus Xerxes edictum promulgasset contra Judæos, an tum primùm instituta fuerunt hæc jejunia? Aut si antè instituta fuerunt, cur nunc dicit *his Lxx annis*? ¶ *An jejunando jejunastis mihi*] Hoc malui quàm quod in aliis, *an jejunium jejunastis mihi?* צום enim hoc in loco verbum est inf. modi, non nomen, ut nonnulli arbitrantur. צמתני dixit pro צמתם לי: ut alibi יגורך pro יגור עמך *habitabit*, sive *commorabitur*, *tecum*. Vel *mihi*, vel *propter me*. Si *mihi*, significat nullum fructum ex jejuniis ipsorum ad se redire. Si *propter me*, sign. eos jejunare non in gratiam Dei, aut ex jussu ipsius, sed propter peccata quæ commiserunt. Sanè propter peccata eorum & Godolias cæsus fuit & Templum destructum atque exustum. ¶ *Mihi inquam*] Novè dixit אני pro אתי; qui est casus rectus pro obliquo. Hoc ut novum ità mirum est in oculis meis.

6. *Nónne vos qui editis & bibitis*] q. d. Non ego comedo aut bibo, sed vos. Meà nihil interest sive editis sive jejunatis. Vobis hîc seritur, vobis metitur, vobis denique fructum & utilitatem parit hæc actio, non mihi.

7. *Nónne hæc sunt verba*, &c.] De hac re vos antea Deus monuit per Prophetas suos, cùm adhuc Jerosolyma staret, & urbes Judæ circùm illam quietè ac tranquillè habitarentur. Vult dicere, ante deportationem Babylonicam. ¶ *Quæ clamavit*] Aliàs *prædicavit*. ¶ *Per Prophetas priores*] Qui vixerunt tempore Templi primi. ¶ *Quieta*] Alii *tranquilla*, alii *opulenta*. ¶ *Urbes ejus circùm illam*] Urbes Judææ quæ circùm Jerosolymam. Vocat cum *urbes Jerosolymæ*, quia Jerosolyma metropolis erat illarum urbium. ¶ *Auster*] Tractus Judææ Australis. Hinc *urbes Austri* dicebantur qui in eo tractu erant, Abd. 20. Vide Jos. 15. 1. ¶ *Planities*] Regio plana & campestris. In duas partes Judææ: Reliqua pars montosa erat, cujus hîc non meminit. Fortè quia in ea parte sita erant Jerosolyma. Sunt qui tradant montes Judææ expositos fuisse ad Meridem Jerosolymorum. Si rectè, vox Ebræa נגב quam suprà *Austrum* convertimus, non universum tractum Australem significabit, sed partem aliquam Judææ ad Austrum vergentem, vicinam montibus. Sanè inter *montes* & *Austrum* discrimen esse patet ex Jos. 10. 40.

9. *Sic dicebat*] Patribus vestris. ¶ *Judicium verum judicate*] Jus suum cuique tribuite sine respectu personarum. ¶ *Benignitatem & misericordiam*] Quæ exercemus erga eos quibus obstricti aut devincti non sumus. Sed *misericordia* propriè miseros respicit; *benignitas* ad alios etiam extenditur. Aliàs *miserationes*. ¶ *Alii in alios*] Ad verb. *vir cum fratre suo*. Ebraismus notus.

10. *Et viduam & pupillum*] i. *Tam viduam quàm pupillum*: vel, si placet, *viduam aut pupillum*. Sic *advenam & pauperem*, i. aut *pauperem*; & enim pro *aut* sæpe usurpatur. ¶ *Advenam*] *Peregrinum*, *proselytum*. ¶ *Pauperem*] Afflictum. ¶ *Nè opprimite*] Per calumniam aut alio quovis modo. ¶ *Malum nè cogitate*] Si *malum cogitare non licet*, *nec facere licet*. Nam minus est *cogitare* quam *facere*. Ex hoc loco refelluntur qui negant in nuda cogitatione peccatum esse: In qua sententia creditur fuisse, ut alios omittam, Flavius Josephus.

11. *Præbuerunt scapulas refractarias*] Alibi est *humerum refractarium*. Tralatio à Bobus jugum recusantibus eíque obnitentibus: cui contrarium, *humero uno*. Aut *præbere scapulas* dixit pro *tergum obvertere*, ex habitu corporis innuens impatientiam & contemptum admonentium. Solent enim qui admonentes contemnunt, eorúmque imperia respuunt, dorsum vertere; juxta illud quod scriptum est, *Verterunt ad me dorsa, & non facies suas*. Priùs erat *scapulam*: quod nescio an Latinum sit. Alii *humerum*: alii, *tergum*, i. νῶτον. Sed *humerus* שכם dicitur, & *tergum* גו. ¶ *Aures suas aggravarunt*] Ut Jes. 6. 9. *aures ejus aggrava*, i. fac eum surdastrum. Græci βαρυηκόους tales vocant. Apud Euangelistam Matthæum *καὶ τοῖς ὠσὶ βαρέως ἤκουσαν*, i. *auribus graviter audiverunt*. Loquitur autem de animi surditate affectata.

12. *Cor suum posuerunt adamantem*] Plenum esset *ut adamantem*, i. adamantinum, sive tam durum quàm est adamas, qui nè ferro quidem cedit. שמיר *adamantem* significat, quando nonnulli dubitant, probabo duobus testibus. David homo Ebræus in Comment. ad h. l. שמיר *est lapis fortis quem ferrum non potest incidere*. Hieron. *Adamas lapis fortissimus, qui Ebraicè dicitur* שמיר, *in tantum durus est ut omnia metalla confringat, & ipse non confringatur ab ullo. Unde à Græcis ἀδάμας, i.* indomabilis, *dicitur*. Plura de hoc vocabulo in proverbiis nostris: quære igitur *Adamantinus*; item *Cor adamantinum*. ¶ *Verba quæ miserat*] Verba increpationum quæ prædicaverat per missos à se Prophetas. ¶ *Spiritu suo*] Spiritum Propheticum intelligit. *Suum* autem vocat quia hoc Spiritu loquebatur cum Prophetis suis. ¶ *Itaque fuit*, &c.] Propter hanc animi pertinaciam & in malis obstinationem DOMINUS vehementer succensuit patribus vestris. ¶ *Ira*] Ira fervens. Adito ad ea quæ observamus cap. 1. 2.

13. *Fuit enim quemadmodum*, &c.] Versus iste ità quoque legi potest, *Nam quemadmodum clamavit, & non audiverunt, sic clamaverunt, & non audivi*. ¶ *Clamavit*] Unusquisque Prophetarum, aut Deus per Prophetas suos, ut suprà v. 7. *Nónne hæc sunt verba*, inquit, *quæ clamavit DOMINUS per Prophetas?* ¶ *Et non audiverunt*] Imò *quò magis clamarunt, eò magis recesserunt ab eis*, ut habetur Hos. 11. 1. ¶ *Ut sit clamaverint*] Aliter clamat Deus, aliter nos. Deus *clamat*, cùm nos ad meliorem vitam revocat per ministros suos. Nos *clamamus*, cùm ejus opem & auxilium imploramus in angustia constituti. ¶ *Et non audiverim*] Par pari, sive, ut Ebræi loquuntur, *Mensura pro mensura*. Similis locus est Mich. 3. 4. *Tunc clamabunt ad DOMINUM, & non respondebit eis*, nempe quia clamantes pauperes contempserant, eorúmque preces surdâ aure prætererant.

14. *Disjeci eos*] Verbum סער, quo hic usus est Prophetes, à *turbine* deductum, significat *aliquid disjicere turbinis in morem*: h. e. repentè ac de improviso. Nam turbo celerrimè fertur, paleámque & res hujusmodi secum aufert, ac per aera huc illuc disjicit. Hinc de Deo dicitur Nah. 1. 3. *In turbine ac tempestate via ejus*. Vide quæ ibi annotamus. Adi etiam ad Proverbia nostra, class. 2. lib. 5. adag. 91. Cæterùm in ואסערם anomalia est non vulgaris: esset ואסערם, vel certè אסערם. R. David optimæ notæ Grammaticus Ebræus putat futurum esse compositum ex Kal & Niphal. Alii aliter sentiunt. Relinquamus ista Grammaticis. ¶ *In omnes gentes*] Multas gentes. Simile *omnes fluctus tui*, i. multi aut plerique. ¶ *Quas non noverant*] Chaldæi enim, Persæ & Medi ante Nabuchodonosorum Judæis ignoti erant. ¶ *Post eos*] Post deportationem eorum. ¶ *A transeunte ac redeunte*] Ità ut nemo per eam transiret aut rediret. Hyperbole. ¶ *Terram desiderabilem*] ארץ חמדה *terra desiderii*, i. desiderabilis aut expetenda. Sic loquendo sign. Judæam, quæ Dan. 11. 16. ארץ הצבי, i. *terra elegans*, vocatur, & Tob. 14. 4. ἡ ἀγαθὴ γῆ, i. *terra optima*. ¶ *Posuerunt in desolationem*] *Redegerunt in vastitatem*. Qui? Chaldæi & gentes qui sub illis militarunt. Potest legi *redacta est in vastitatem*.

GROTIUS.

1. IN *anno quarto Darii Regis*] Anno eunte altero post cœptam à Zorobabele Templi structuram. ¶ *In quarta mensis noni qui est Casleu*] Post restitutum Templum etiam nomina mensium Hebraïca reperi cœperunt.

2. *Et miserunt*] Judæi illi qui extra Hierosolyma in vicis villísque habitabant. Vide suprà 2. 4. ¶ *Ad domum Dei*] Id est, ad Sacerdotes, qui in rebus controversis consuli debebant, ex lege Deuteronomii 17. 9. Ipsi autem Sacerdotes, si quæstio esset juris nondum definiti, aut ad Synedrium referebant, aut Prophetas, si qui eo essent tempore, consulebant. ¶ *Sarasar & Rogommelech*] *Sarasarum & Rogommelechum*, viros de se primarios. ¶ *Et viri qui erant cum eo*] *Viros qui erant cum eo*, minores aliquos, illorum comites. ¶ *Ad deprecandum faciem Domini*] Ad preces faciendas in Templo.

3. *Ut dicerent Sacerdotibus*] *Et simul dicendum Sacerdotibus*. Deest copula. ¶ *Numquid flendum est mihi in quinto mense, vel sanctificare me debeo, sicut jam feci multis annis?*] *Numquid lugendum est mihi in quinto mense, vel separare me debeo* (ab omnibus rebus delectantibus) *mense quinto, ut jam feci multis annis?* Dies jejunii anniversarios non Deus tantùm instituerat, sed addiderat aliquos populus in rerum tristium memo-

moriam. Quod an populo liceat, disputari hoc seculo mirarer, nisi contradicendi libido omnia de certis incerta faceret. In jejunii autem diebus omnia luctûs signa ostendebantur, demisso capite, nudis pedibus, vestitu vilissimo, adsperso & cinere, & quæ alia sunt ejus generis Esaiæ 58. 5. Abstinebatur verò à cibis delicatioribus, & vino, ab usu conjugum. Tales autem dies quatuor instituerant Judæi exsules: *mense quarto*, in memoriam perrupti muri, Jeremiæ 52. 6. *mense quinto*, in memoriam combusti Templi, Jeremiæ 52. 12. *mense septimo*, in memoriam interfecti Godoliæ, Jeremiæ 41. 2. *mense decimo*, in memoriam cœptæ obsidionis, 2 Regum 25. 1. Hos dies observaverant non tantùm in exsilio, sed etiam in Judæa intra Cyri tempora & Darii Hystaspis filii. Nunc restituto Templo quæstionem instituunt Judæi illi in agris habitantes, non absurdam, de illo præcipuè die qui luctuosus fuerat ob Templum incensum. *Dignus vindice nodus.* Poterat enim hæc quæstio probabiliter in utramque partem tractari. Cessat causa; cesset & effectus. Contrà dici poterat, Malorum toleratorum utilem esse memoriam. Propheta miro temperamento rem definit: Retinendos dies, verùm ad gratias Deo agendas, eòque cum gaudio, non cum luctu; infrà 8. 19. Sed antequam eam sententiam promat, utilissima præfatur de recto Jejunii usu, de causis malorum, & quomodo in rebus prosperis gerere se debeant.

5. *Loquere ad omnem populum terræ*] Tum ad hos missos ex agris, tum ad urbanos. ¶ *Per hos septuaginta annos*] *Per illos septuaginta annos*, nempe durante Exsilio. ¶ *Numquid jejunium jejunastis mihi?*] An ex illo jejunio aliquid ad me boni rediit? Hoc dicit contra stultam persuasionem, Jejunia Deo per se ac sine aliis rebus placere.

6. *Et cùm comedistis ac bibistis*] Quantum libebat, & quæ libebat, ut extra jejunii dies. ¶ *Numquid non vobis comedistis, & vobismetipsis bibistis?*] Sicut ex epulis vestris nihil ad me accedit; ità nec ex jejunio. Illa, si per se ac nudè spectentur, mihi ex æquo sunt.

7. *Numquid non sunt verba quæ locutus est Dominus in manu Prophetarum priorum*] Nónne eadem pridem vobis dixit Jeremias? ¶ *Et ad Austrum*] Quæ regio montosior, ut hîc notat Hieronymus. ¶ *Et in campestribus habitaretur*] Id est, cùm nulla pars terræ esset inculta.

9. *Judicium verum judicate*] Sine sordibus, aut gratia, aut odio. ¶ *Et misericordiam & miserationes facite unusquisque cum fratre suo*] Populari. At in Euangelio omnis homo frater.

10. *Et viduam, & pupillum, & advenam, & pauperem nolite calumniari*] *Nolite opprimere.* Id enim עשק. Vide quæ dicta ad Lucam 3. 14. ¶ *Et malum vir fratri suo non cogitet in corde suo*] Nè in animum quidem sibi venire patiatur consilium cuiquam nocendi. At LXX strictiùs sumunt de vindictæ cupiditate privata inhibenda, *Καὶ κακίαν ἕκαςος τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ μὴ μνησικακείτω ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν* [*Et malitiam quisque fratris sui in corde suo nè recordetur in malum.*] Quod convenit cum eo quod habemus Levitic. 19. 18. Et hoc sensu hunc locum adducit Tertullianus adversùs Marcionem 4. *Malitiam proximi sui unusquisque nè recogitet.* Sed prior sensus simplicior est, quem & Chaldæus hic sequitur.

11. *Averterunt scapulam recedentem*] *Recedendo.* Terga obverterunt monentibus.

12. *Et cor suum posuerunt ut adamantem*] De שמיר [*Schamir*] vide Jeremiæ 17. 1. Eadem durities animi aliis similitudinibus exprimitur Ezech. 11. 19. & 36. 26.

13. *Et factum est sicut locutus est, & non audierunt: sic clamabunt & non exaudiam, dicit Dominus exercituum*] *Sicut me loquentem* (id est, monentem) *non audierunt: ità nec ego clamantes* (id est, pœnam deprecantes) *exaudiam.*

14. *Per omnia regna quæ nesciunt*] In Assyriam usque. ¶ *Et terra desolata est ab eis, eò quòd non esset transiens & revertens*] *Ità ut nemo esset transiens aut rediens.* ¶ *Et posuerunt terram desiderabilem*] Unde ea terra dicta צבי [*Decoris*] 2 Samuel. 1. 19. Dan. 11. 16. ¶ *In desertum*] Verè dictum. Vide 2 Paralipom. 36. 21.

CAP. VIII.

MUNSTERUS.

3. C*Onversus*] Consolatur rursus Propheta Jerosolymitanos, & hortatur ad exstructionem Civitatis & Templi, promittens insignia Dei beneficia, nempe benevolentiam, relaxationem furoris, cohabitationem, pacem, multiplicationem hominum.

6. *Si id mirabile videbitur*] h. e. Difficile & impossibile: q. d. Si hæc vobis impossibilia videntur, & contradicat ratio vestra, apud me tamen id non est impossibile, cùm mihi omnia sint possibilia. Possum enim *adducere populum meum ab Oriente & Occidente, ut habitent in Jerusalem*, & serviant mihi, *& sim ego eorum Deus, & ipsi sint populus meus, in veritate & justitia*, ut veram & rectam atque sine hypocrisi ducant vitam, & justi sint erga proximum.

10. *Non est facta merces hominis*] Sensus est, Cùm ante hos dies homines & jumenta laborarent, merces tamen & proventus terræ non respondit labori eorum, cùm semper minus meterent quàm speraverant: de quo Haggai multa scribit c. 1.

19. *Jejunium quarti*] Præcedenti capite dixit tantùm de *jejunio quinti* & *septimi mensis*: hic quoque facit mentionem de *jejunio quarti mensis*, in quo per Chaldæos interrupta fuit Civitas; & de *jejunio decimi mensis*, qui est Tebeth, in quo jejunabant propter obsessionem Urbis. Et cùm Urbs esset reædificata, dicit Deus mœrorem illum quem in jejuniis habebant propter gaudia auferendum, & quòd propter multiplicia beneficia quæ eis erat impensurus omnes afflictiones oblivioni traderent. Atque iterum hortatur ad *pacem*, loco cujus suprà posuit *justitiam*, & ad *veritatem*, ut veritatem vitæ servent erga Deum, & pacem ad proximum.

21. *Ibunt habitatores*] Hæc omnia ex Euangeliis etiam patent adimpleta, quando multi Gentiles leguntur venisse ad Templum Jerosolymitanum, juxta Prophetiam Haggai, *Erit domus illa posterior in majori gloria*: quod certum signum fuit præsentiæ Meschiæ. Et cùm post captivitatem Babylonicam adhuc multi Jehudæi in dispersione manerent, sicut & D. Paulus ex Tharso oriundus erat, & in Damasco multi erant Jehudæi, sicut & Romæ, multi Gentiles per illos ad verum Deum conversi adhæserunt illis Jerosolymam porrecturis, & postquam adorassent illic in magnis solennitatibus, iterum reversi sunt in loca sua. Et hoc est quod Propheta hîc dicit, *Apprehendent fimbriam* (seu *alam*) *vestis viri Jehudæi*, &c.

VATABLUS.

2. Z*Elatus sum Sijon* קנאתי לציון] *Zelavi propter Sion*, i. Zelotypiâ maximâ prosequor Sion, & propter zelotypiam illam maximam quâ affectus sum erga eam ego vehementer succensui in eam quòd defecerit à me. Alii referunt hæc ad hostes Sion, in quos Dominus gravissimè postea animadvertit propter zelum illum magnum quo ipse erga eam tenebatur.

3. *Revertar* שבתי] Præt. Heb. pro fut. q. d. Ego jam statui ac decrevi me reversurum. Hæc omnia intelligunt Hebræi de Christo & Sione spirituali. Condonabo illi culpam suam & omnia peccata. ¶ *Veritatis* האמת] i. Citra omnem simulationem & hypocrisim.

4. *Et viro erit baculus in manu* ואיש משענתו בידו] Ad verb. *& vir scipio ejus in manu ejus*: pro, *& singuli manu suâ scipionem tenebunt*, ut solent senes præ senio.

5. *In plateis ejus* ברחבתיה] Antecedens pro relativo, *in illis.*

6. Si hoc] Sub. *quod dixi me facturum.* ¶ *Difficile videatur* יפלא] *Mirum videatur*: arduum, imò impossibile. ¶ *In oculis reliquiarum populi hujus* בעיני שארית העם הזה] Hebraismus, huic reliquo populo tempore illo. Vocat *reliquum populum*, quòd minima pars ejus reversa sit, tam propter eos qui remanserant Babylone, quàm propter omnes illos qui priùs interierant tempore obsidionis.

7. *Salvum facio* מושיע] Præs. Heb. pro fut. *servaturus sum.* ¶ *Occasus Solis* מבוא השמש] Ad verb. *introitus Solis*: ità dicitur Occasus Solis Hebræis, quòd cùm occidit Sol, ingredi quasi videatur Oceanum.

8. *In veritate & justitia* באמת ובצדקה] Hebraismus, pro *verax in præstandis promissis, & justus*, sive *justificans eos per fidem.*

9. *Confortentur manus vestræ* תחזקנה ידיכם] *Roborentur manus vestræ*: i. Estote forti, constanti ac strenuo animo in exstruendo sive instaurando Templo. ¶ *Qui locuti sunt à die*, &c. אשר ביום יסד] Doctus inter Hebræos subauditis nonnullis vertit, *quia à die quâ cœpit ædificari domus Jehovæ exercituum, ut Templum ipsum instauraretur, cœpit benedictio venire super vos.*

10. *Ante dies istos* לפני הימים ההם] *Ante hoc tempus*, i. antequam cœpissetis laborare in exstructione Templi. ¶ *Merces*

homi-

hominis non fuit שכר האדם לא נהיה] Hebraismus, acsi dicat, *Labor tam hominum quàm jumentorum erat inutilis, irritus & inanis:* h. e. maledictus à Deo. Vide Agg. 1. 6. ¶ *Quin & exeunti*, &c. 'ולַיוצא ולבא וגו] Sing. Heb. pro plur. *quin & egredientibus ac ingredientibus nulla erat pax*, i. & qui abibant, & qui revertebantur, angustiis premebantur. ¶ *Commisi enim* ואשלח] Ad verb. *& immisi*, i. permisi ut omnes homines in seinvicem insurgerent ac impetum facerent.

11. Faciam] Facturus sum, si pergant operari in exstructione Templi.

12. *Sed semen pacis* כי זרע השלום] *Quia semen* magnæ *pacis*, sub. *erit illi.* Hebraismus, Tantum seminis colligent quantum colligere solent tempore summæ pacis ac tranquillitatis, h. e. magnam copiam frugum colligent. Minùs rectè quidam exponunt, *Quia semen erit in pacem*, i. in benedictionem: q. d. Servabuntur fruges. Benedictionis Dei signa describit. ¶ *Fructum suum* יבולה] *Germen suum: proventum suum.* ¶ *Et possidere faciam* והנחלתי] Nomine *possidendi* significat diuturnam possessionem: acsi dicat, Longo tempore benedicam eis & omnibus bonis ac rebus ipsorum, si perseveraverint operari in exstructione Templi mei.

13. *Maledictio* קללה] i. In maledictionem, h. e. infelicissimi. Vel, formula maledictionis: cùm enim volebant exteræ gentes imprecari malum alicui, dicebant, *Eveniat tibi sic ut evenit Judæis illis,* ¶ *Nè timeatis* אל תיראו] *Nolite timere*, i. Nè dubitetis hæc omnia vobis eventura: vel, Nè timeatis vobis ab hostibus vestris quòd impediant vos ab opere cœpto. ¶ *Confortentur* תחזקנה] *Corroborentur.* Solent Prophetæ eâdem particulâ finire suas exhortationes quâ eas inceperunt. Sic cœperat v. 9.

14. *Malefacere vobis* להרע לכם] *Ut affligerem vos.* ¶ *Neque me pœnituit* ולא נחמתי] Sub. *earum afflictionum*, sed feci quæ cogitaveram. Quidam, *& non mutavi sententiam.* Alii, *& non sum misertus*, vel, *non peperci.*

16. *Veritatem ac judicium pacis* אמת ומשפט שלום] Hebraismus, judicium verum, & non secundùm acceptionem personarum. Tale enim judicium lites dirimere solet, efficitque ut pax inter litigantes ipsos componatur. Sunt qui per *judicium pacis* intelligant judicium non captiosum nec obscurum, unde lites aliæ subinde exoriantur. ¶ *In portis vestris* בשעריכם] i. In urbibus vestris. Solebant enim reddere jus in portis.

17. *Malum* את רעת] i. Perniciem, damnum. ¶ *Mendax* שקר] *Falsum.*

19. *Quinti* החמישי] De hoc jejunio *quinti mensis*, h. e. Julii, & *septimi*, Septembris, vide cap. 7. 3. Judæi dicunt jejunium institutum fuisse *mense decimo*, i. Decembri, quòd eo mense Rex Babylonis oppugnare cœpisset Jerusalem; *mense quarto*, quòd in eo capta fuisset Civitas; *quinto*, quòd in eo eversa fuisset; *septimo*, quòd eo mense interfectus sit Godolias. Hanc rationem & caussam jejuniorum horum colligunt Hebræi ex Ezech. 24. 1, 22. quorum sententia potior est quàm Latinorum. Cæterùm hic servavit seriem numeri Propheta, non ordinem rei gestæ. Nam decimo mense cœpit civitas Jerusalem oppugnari; quod omnium est primum. ¶ *Et in solennitates præclaras* ולמועדים טובים] *Et in statas ferias jucundas.* Ad verb. *bonas.* Gallicè *en bonnes festes.* ¶ *Veritatem igitur* והאמת] *Sed veritatem:* q. d. jejunia vestra vertentur in gaudium, si *veritatem & pacem dilexeritis*, si publicè & privatim dissidia vitaveritis.

20. *Magnarum* רבות] *Multarum.*

21. *Eamus eundo* נלכה הלוך] Hebraismus, Properè eamus.

22. *Robusta* עצומים] *Multa:* quòd qui multi sunt, fortes esse soleant.

23. *Oram* בכנף] *Fimbriam.* ¶ *Ibimus* נלכה] *Eamus.*

CASTALIO.

19. QUarti mensis jejunium] Capta est Urbs. ¶ *Quinti*] Eversa est. ¶ *Septimi*] Godolias necatus est. ¶ *Decimi*] Urbis excidium Babylone nunciatum est.

CLARIUS.

2. INdignatione] Videlicet contra hostes pro illa. Consolatur rursus Propheta Jerosolymitanos, & hortatur ad exstructionem Civitatis & Templi, promittens insignia Dei beneficia.

3. *Civitas veritatis*] h. e. *Stabilitatis* vel *fidei.*

8. *Ero eis in Deum*] h. e. Fide verâ.

11. *Nunc autem*] Ad tempus Christi referenda sunt hæc, quemadmodum & Judæi fatentur.

19. *Jejunium quarti*] Præcedenti capite dixit tantùm de jejunio *quinti* & *septimi mensis*; hic quoque facit mentionem de *jejunio quarti mensis*, in quo per Chaldæos interrupta fuit Civitas; & de *jejunio decimi mensis*, in quo jejunabant propter obsessionem Urbis. Et cùm Urbs esset reædificata, dicit Deus mœrorem illum quem in jejuniis habebant propter *gaudia* auferendum, & propter multiplicia beneficia quæ eis erat impensurus fore ut omnes afflictiones oblivioni traderent.

21. *Ibunt habitatores*] Hæc omnia ex Euangeliis etiam patent adimpleta, quando multi Gentiles leguntur venisse ad Templum Jerosolymitanum, sicut prædixit Haggæus, *Erit domus illa posterior in majori gloria*, quod certum fuit signum præsentiæ Messiæ.

23. *In diebus illis*] Sub. *hæc fient.* ¶ *Apprehendent fimbriam viri Judæi*] Hoc significat, Cùm post captivitatem Babylonicam adhuc multi Judæi in dispersione manerent, sicut & D. Paulus ex Tharso oriundus erat, & in Damasco multi erant Judæi, sicut & Romæ, multi Gentiles per illos ad verum Deum conversi adhærebant illis Jerosolymam perrecturis, & cùm adorassent illic in magnis solennitatibus, iterum revertebantur in loca sua.

DRUSIUS.

1. FUit verbum DOMINI] Oratio plena erit si addideris *ad me*, quòd hoc loco desiderari annotant Critici Ebræorum Massoritæ. Ità Jonathan habet, *Fuit sermo Propheticus à DOMINO exercituum mecum, dicendo:* adjecit de suo עמי *mecum*, quod idem cum illo אלי *ad me.* Admonent nos quoque Massoritæ de hac particula, quod in isto modo nusquam alibi præterea desideretur.

2. *Zelatus sum pro Sione*] Vel, *Zelavi pro Sione*, ut suprà 1. 14. *Zelavi pro Jerosolyma.* Vide quæ scripsimus ad illum locum. ¶ *Zelo magno*] *Zelum magnum* est in Ebræo. *Zelare* autem *zelum* ità dicitur ut *Gaudere gaudium*, *Irasci iram*, & alia ejus generis. Sic *zelare excandescentiam.* Nam in zelo vehementer excandescimus contra eos qui injuriâ affecerint nobis charos. ¶ *Excandescentiâ magnâ zelatus sum*] Vis in his verbis ut si diceret, Vehementer iratus fui ob vexationem populi mei, & hanc meam iram effudi super gentes quæ ipsum vexaverant.

3. *Revertar ad Sionem*] Redibo cum Sione in gratiam clementérque ac misericorditer eam habebo. Suprà 1. 16. *revertar ad Jerosolymam cum miserationibus.* ¶ *Et habitabo in medio Jerosolymæ*] Ut suprà 2. 11. Hinc Divinitas שכינה vocatur quia *inter nos habitat.* Aut hoc dicit propter cultum Divinum qui tunc ibi vigebit. Nam ubi Dei cultus legitimè exercetur, ibi Deus *habitare* dicitur. Hinc autem pendet omnis nostra felicitas. Quocirca David in Hymnis suis, *Deus* inquit, *in medio ejus; non commovebitur.* ¶ *Vocabitur*] i. Erit; ut ibi, *minimus vocabitur in Regno cœlorum.* Ità etiam sumitur in illo,

Sine me vocari pessimum, ut dives vocer.

Nam non vocari tantùm vult dives, sed esse. ¶ *Civitas veritatis*] Nam in ea vigebit veritas, exsulabit autem mendacium & omnis fraus. Sic ait Soph. 3. 13. *Reliquiæ Israel non facient iniquitatem, nec loquentur mendacium, nec invenietur in ore ipsorum lingua dolosa.* Hic confer quod infrà v. 16. *Hæc facietis; Loquemini verum alius cum alio*, &c. E contrariò legitur Nah. 3. 1. *Heu civitas sanguinaria; tota mendacium est.* Vide & Jes. 1. 21. ¶ *Mons DOMINI.*] Qui & *mons Ædis.* Proprio autem nomine *Moria* dicebatur. ¶ *Mons sanctitatis*] Erit *mons sacer* vel *sanctus*; h. e. extranei non ampliùs violabunt aut profanabunt ipsum. Nam id sign. קדש, ut Joel. 3. 17. *Eritque Jerusalem sanctitas, & extranei non transibunt per eam amplius.* Ante exstructum Templum Sion dicebatur *mons DOMINI sanctus*, nempe quia in eo reposita erat Arca, quæ postea translata fuit in montem Moria, ubi Templum ædificaverat Salomo. Igitur *mons DOMINI* breviter dictum pro *mons domus DOMINI.* Sed hoc pono, non statuo.

4. *Adhuc sedebunt*] Sedebunt securè, ut Mich. 4. 4. *sedebunt quisque sub vite sua sùbque ficu sua, nemine exterrente.* V. ed. *Adhuc habitabunt:* quod minùs placet. ¶ *Multitudine dierum*] Longævâ ætate.

5. *In plateis ejus*] Pleonasmus Ebraicus: satis erat *in eis.*

6. *Quòd si mirabile erit in oculis*, &c.] Si vos, qui reliqui estis ex captivitate Babylonica, putatis hoc quod dico fieri difficulter aut omnino non posse, erratis graviter. Nulla enim res est quæ mihi difficilis sit, aut quam facere non possim cùm volo. *Mirabile* igitur hic valet *nefas* καὶ ἀδύνατον, ut Gen. 18. 14. aut *difficile*, ut habet Int. antiquus. Vide Luc. 1. 37. Abest in Ebræo אם, ut sit כי אם *quòd si*. Aut כי posuit pro אם, ut contrà אם sæpe pro *in* vel אשר, i. *quàm*, ponitur. Cæterùm particula אם *si* desideratur & in illo, *Ipsi ædificabunt*, *&* *ego destruam:* nam sensus est, *Si ædificaverint*. ¶ *Residui populi hujus*] *Residui* est genitivus à *residuum*, non à *residuus*. Itaque in aliis ed. legitur *reliquiarum populi hujus*. Potest etiam legi *reliqui populi istius*; nam sensus in idem recidit. ¶ *In diebus illis*] Temporibus Messiæ. ¶ *Etiam in oculis meis mirabile erit?*] Hoc pronunciatione juvandum: proinde adjecimus notam Interrogationis, quæ in Ebræo desideratur, ut Gen. 27. 24. *Tu es iste filius meus Esau?* aut *fili non:* & Jer. 49. 9. *non reliquos facient racemos?* 2 Reg. 19. 11. *&* *ut liberaberis?* & Job. 41. 1. *Extrahes Leviathan hamo?* Sic rectè leges, meo Judicio, Mich. 5. 2. *Parva ut sis in chiliadibus Juda?* Nam in Euang. Matthæi, *Nequaquam minima es*.

7. *Salvum facio*] מושיע *salvo*, i. salvabo propediem. Antea erat *salvabo*, אושיע. Est autem sermo brevis *salvo* pro *salvum educo*, aut *salvo educendum*; ut alibi, *vendiderunt in Ægyptum* pro *vendiderunt abducendum*. ¶ *E terra Orientis*] è Persia & Media: aut è Babylonia. Nam Babylonia sita erat ad Euronotum Judææ. Consule sis Ezs. 7. ¶ *E terra occasûs Solis*] E Palæstina propriè dicta. Aut sensus est, Servabo meos ex omnibus partibus Orbis, ubicunque aut exsulant aut captivi detinentur. Hoc sensu legitur Matth. 8. 11. *ab Oriente, & Occidente venient*. Pro quo Luc. 13. 29. *ab Oriente & Occidente & Borea & Austro*.

8. *Et habitabunt*] Legitur in nonnullis cod. *ut habitent:* neque mihi hoc displicet. ¶ *Populus*] *In populum* est in fonte. Sic mox, *ero eis in Deum*. Nos sensum reddidimus. ¶ *In veritate & justitia*] Vide Hos. 2. 19, & 20.

9. *Roborentur manus vestræ*] In opere Templi, quod jam cœptum & aliquousque perductum est. ¶ *Diebus istis*] Quibus cœpistis ædificare. ¶ *Verba ista*] Bona & plena consolationum. ¶ *Prophetarum*] Haggæi & Zachariæ. Vide Ezr. 5. 1. ¶ *Quia eâ die*] Sub. *fuerunt*, aut *prophetarunt*. Si *prophetarunt*, velim legi paulò pòst *Templum ædificandum esse*. Alii, *in die quâ*, ביום Alii, *ex quo die* מיום, tempore. Ideo scripsi *eâ die*. Nam cùm Tempus denotat, magis femininum est. ¶ *Fundata est domus DOMINI*] Fundata fuit anno secundo Darii, die 24, mense nono, uti testatur Propheta Haggæus. Possumus hunc versum etiam sic interpretari, *qui audistis diebus istis verba ista ex ore Prophetarum qui fuerunt die quâ fundata est domus DOMINI, videlicet Templum ædificandum esse*. Vehementer probo hanc interpretationem.

10. *Ante dies illos*] Ante tempus fundati Templi sub Dario Notho. ¶ *Merces hominum non erat*] Non planè carebant mercede; sed quam accipiebant pro labore, ea inaniter & sine fructu dilabebatur. Hoc indicat Prophetes Haggæus cùm ait, *Qui verò mercedes congregat, eas congregat in loculos pertusos*, 1. 6. ¶ *Nec merces jumentorum erat*] *Merces jumentorum*, ut opinor, est merces quam homines capiunt ex locatione jumentorum suorum. Hæc quoque, inquit, peribat absque fructu, perinde ac si nulla omnino fuisset. Sic dico, Adeò infelices erant actiones omnes vestræ ut etiam jumenta vestra sine fructu mercedis opus facerent. ¶ *Egredienti & ingredienti*] Obeunti vel munia publica, vel negotia sua privata. Est autem proverbiale, *Exire & introire:* quod explicamus Class. 2. lib. 3. adag. 97. ¶ *Pax*] *Tranquillitas*. ¶ *Ab hoste*] Vel *propter hostem*. V. ed. *præ tribulatione*, h.e. propter res adversas, sive, ut Santes habet, *præ angustia:* צר enim utrumque significat: sæpius tamen *adversarium*. Quomodo & Jonathan interpretatur. Nullam, inquit, pacem habebatis propter hostes vicinos, qui res vestras turbabant & actiones omnes impediebant. ¶ *Committebam alium cum alio*] Vel, *immittebam alium in alios*, nempe ut invicem nocerent ac malefacerent: ut Joel. 2. 25. *exercitus meus ingens quem immisi in vos*. Sic alibi ait, *immisi in vos bestias agrestes:* quod posses etiam exponere *commisi vobiscum*.

11. *Juxta dies priores*] Ut fui diebus prioribus, cùm videlicet fundamenta Templi nondum jacta essent, & vos penuriâ rerum omnium laboraretis: q. d. Tum sæviebam in vos, nunc mitis & clemens ero.

12. *Semen pacis erit*] Et seretur in pace, & tanta erit copia seminis quanta solet esset pacis tempore. ¶ *Dabit*] *Edet*, *proferet*. ¶ *Proventum suum*] Alii, *fructum suum*; alii, *germen suum*. ¶ *Cæli*] i. Aer. Nam ros generatur in infima regione aeris, qui mox resolvitur in aquam cùm decidit. ¶ *Possidere faciam residuum*] *Faciam ut possideant reliquiæ*, vel *dabo possidenda reliquiis*. Hæc completa demum fuerunt temporibus Messiæ: quod arguit versus qui hunc sequitur. Nam Israelitæ ista omnia non possederunt ante illa tempora.

13. *Maledictio in gentibus*] Ità legitur in ed. antiqua: & ἐμφατικώτερον videtur, quàm, quod apud nonnullos, *maledictioni in gentibus*. קללה *maledictio*, κατάρα, *exsecratio*. *Sicuti fuistis*, inquit, *exsecrabiles inter gentes*, *sic vos ità servabo ut omnia bona dicant* & loquantur de vobis optimè atque honestissimé. Quidam interpretantur ERATIS MALEDICTIO IN GENTIBUS; *Quando Gentes maledicebant alicui*, *dicebant*, *Contingat tibi sicut miseris Judæis*. Scholia Camii Ebræi, *Gentes diris devovebant vos*; *& quando fames aut infortunium aliquod accidebat in terra ipsarum*, *dicebant*, *Hæc accidunt nobis propter iniquitatem Israelitarum apud nos habitantium*. ¶ *Domus Judæ*] Plenum esset, *ô domus Judæ*. ¶ *Sic salvabo vos*] Vel, *ut sic salvaturus sum vos*. Nam præcedit *& erit:* quò absque dubitatione referri debet. ¶ *Et eritis benedictio*] Ut Gen. 12. 2. *& eris benedictio*. Quod duobus modis exponitur: Uno modo sic, ERIS BENEDICTIO, *Gentes in te benedicentur*, h.e. fortunabuntur. Sic ait, *Benedicentur in te familiæ terræ*. Alio modo exponitur, ERIS BENEDICTIONI, h.e. *fortunatus ac felix*. Licet etiam exponere, *ità fortunaberis ut futuris sis aliis exemplo*. *Nam benedicturus alicui dicet*, *Faciat Deus tibi sicut Abrahamo: eveniat eadem felicitas*. ¶ *Nè timete*] Nolite timere Sanballetum & alios vicinos qui vobis hactenus molestiam exhibuerunt, Templi & Urbis ædificationem impediendo. ¶ *Confortentur manus vestræ*] Explicatum & suprá.

14. *Malefacere*] Vos in exsilium agere, terram vastare, Urbem destruere, Templum incendere. ¶ *Vobis*] Patribus vestris. Nam illi quos alloquitur tunc nondum in rerum natura erant. Est autem genus loquendi simile illi Haggæano, 2. 5. *Verbum quod pepigi vobiscum cùm exiretis ex Ægypto*. ¶ *Cùm me ad iram provocassent*] Sceleribus & flagitiis suis. ¶ *Nec pœnituit me*] Contrà Jon. 3. 10. *& pœnituit Deum super malo quod decreverat facere illis*, *& non fecit*. V. ed. *& non sum misertus*, ולא נחמתי. Alii, *nec mutavi sententiam:* quod placet. Nam *pœnitere* in Deo nihil aliud est quàm Sententiam mutare de eo quod facere statuerat, non quidem absolutè, sed, ut fit, cum conditione; sive ea expressa sive non expressa fuerit, nihil refert.

15. *Conversus*] Reconciliatus. Plenum esset, *conversus ad vos*, Aut *reversus sum cogitavi* (sic est in Ebræo ad verb.) dixit pro *Iterum cogitavi*. Tale est *addam miserebor* pro *denuo miserebor*. Suprà quoque legebatur, *Reversus sum & vidi*, pro *Iterum vidi*. ¶ *Domui Juda*] Non *domui Israelis*. Nam 10 tribus in exsilio adhuc erant. Sed tamen & illis benefecit suo tempore. Vide suprà v. 13.

16. *Hæc sunt quæ facietis*] In aliis, *Hæc sunt verba quæ facietis*. In aliis, *Hæ sunt res quas facietis*. ¶ *Loquimini veritatem*] Idem Apostolus præcipit Ephes. 4. 25. *Quapropter*, *deposito mendacio*, *loquimini veritatem quisque proximo suo: nam sumus alii aliorum membra*. ¶ *Alis cum aliis*] Vel *alter cum altero*. Hoc Ebræus dicit *vir cum socio suo*. Noster reddit *unusquisque cum proximo suo*. Quid autem *proximus* in hoc sermone intelligatur, indicat Hier. per hæc verba, PROXIMUM *omne hominum genus accipiamus*, *quia ex uno sumus parente generati*. *Alioquin si* PROXIMUS propinquus *accipitur*, *peregrinis & alienis mentiendum est*. Adi, si vacat, Observ. meas l. 7. c. 11. ¶ *Veritatem & judicium pacis judicate*] In judicio prima sit veritas atque justitia. *Judicium pacis*, i. æquum ac justum. Nam tali judicio conciliati litigantes, ut plurimùm pacem inter se colunt: ideo *judicium pacis* vocatur. Aut hoc vult, Date operam non solùm ut ex *vero*, h.e. ex ipso jure, judicetis, sed etiam ut discordes concilietis, *pacemque* inter eos faciatis & in concordiam redigatis. ¶ *In portis vestris*] Olim in portis sedebant Seniores urbis, ibique jus reddebant populo. Hoc ità notum ut nihil magis. Vide Deut. 22. 15. Porrò ut Ebræorum judicia in portis, ità Romanorum in foro fiebant. Ergò non dissimili figurâ loquendi usus est Cicero cùm *forum* posuit pro *judiciis* lib. 12 Epist. ad Att. Epist. 21. *Quid enim mihi*, inquit, *cum foro sive curia?*

17. *Quisque malum socii sui nè cogitate*] Alter alterius *malum*, h.e. damnum aut perniciem, nè excogitate. Suprà 7. 10. *Quisque malum fratris sui nè cogitate in corde vestro:* ubi ordo verborum perturbatior איש את רעת, sic autem collocan-

dus est hoc loco, איש רעת אחיו, *vir malum fratris sui.* Aut constructio est, *Malum vir contra fratrem suum*, &c. Verbum è verbo *malum viri.* Cui simile, *De fructu oris viri vescetur bono*, pro, *Vir vescetur bono:* utrobique enim casus genitivus ponitur pro recto. Quale & illud, *Præ superbia viri persequitur pauperem:* nam esset, *Præ superbia vir persequitur pauperem.* Sed ista Grammaticis relinquamus. *Socii sui*, i. contra socium suum. Quod ità dicitur ut, *Violentia fratris tui* κατ' ἀδελφῦ σ8. Sic, *Visio Ninives*, contra Niniven. ¶ *Juramentum mendax*] i. Falsum: quod uno verbo *perjurium* dicitur. ¶ *Ne diligite*] Ità ab eo abstinete ut etiam odio maximo prosequamini. Est autem locutio ut; *Non gaudet stulti pater:* cui similis, *Non prosunt thesauri improbè parti:* &, *Suscipere personam in judicio non est bonum.* Consule Observ. l. 1. c. 22. *Ista omnia sunt quæ odi*] Ac propterea illa quoque odisse debetis. *Ista omnia* refertur tam ad hunc versum quàm ad proximè antecedentem. Nam etiam mendacia odit DOMINUS, itémque hypocrisin, atque omnem injustitiam.

19. *Jejunium quarti*] Sub. *mensis:* & eodem modo in sequentibus. Hic mensis ab Ebræis *Thammuz* nuncupatur, cujus die non *septimo & decimo*, ut Camius ait, sed *nono*, ut habetur Jer. 39.2. capta fuit Urbs; itaque jejunium eo die institutum fuit, quod *jejunium quarti* dicebatur, nempe quod hic mensis quartus esset in ordine mensium à Nisan incipientium. ¶ *Quinti*] Hic mensis AB dicitur; Quo mense jejunabant nono die ob conflagratum Templum. Hujus mentio facta in præcedentibus. ¶ *Septimi*] Propter mortem Godoliæ; cujus suprà meminimus. Quære, si placet, & vide quæ ad illum locum annotamus. ¶ *Decimi*] Qui *Tebeth* appellatur. Jejunabant autem decimo hujus mensis in memoriam obsidionis Nabuchodonosor, qui eo die Jerosolymam obsedit, ut disertè scriptum est 2 Reg. 25. 1. & Jer. 52. 4. ¶ *Erit*] Unumquoque illorum jejuniorum. ¶ *Domui Judæ*] Judæis. ¶ *In gaudium & lætitiam*] Vel *gaudio & lætitiæ*, vel *gaudium & lætitia*, i. dies gaudii & lætitiæ; ut Esth. 8. 17. *Gaudium & lætitia erat Judæis.* Dies, inquit, illi jejuniorum convertentur in dies lætos ac festos: q. d. Non jejunabunt illis diebus ut antea, sed hilaria celebrabunt; tanta erit felicitas quam eis conciliabo. Atque ità solvitur quæstio proposita de jejunio quinti & septimi mensis. ¶ *In solennitates bonas*] Aut epitheton hoc perpetuum est, aut *solennitates* quædam erant non *bonæ*, h. e. lætæ ac hilares. De hac re nihildum mihi constat. *Solennitates* autem vocant statas ferias, quæ ab aliis *festivitates*, ab aliis *festa* nuncupantur. Has nonnunquam per *diem bonum* significant. Thesbites Eliæ, DIEM BONUM *appellant solennitates & festa, quæ* REGALIM *nuncupantur.* ¶ *Tantummodo veritatem* והאמת *& veritatem illam*, nempe de qua dictum est. Cæterùm & hic valet *tantummodo*; ut Gen. 42. 10. ועבדיך באו *tantummodo servi tui venerunt.* ¶ *Et pacem* והשלום *& pacem illam:* ut pronomen sit ἀναφορικὸν, h.e. ut ad superiora referatur.

20. *Adhuc erit cùm venient*] עד אשר יבאו *adhuc quo venient.* Oratio defecta, quam hoc modo supplebis, *Adhuc erit tempus quo venient.* V. Int. *Usquequo veniant.* Videtur legisse עד pro עוד. ¶. *Multarum*] Santes *magnarum.* Malim *amplarum.* Nam רב interdum sign. *amplum. Magnus* autem גדול dicitur.

21. *Unius*] *Civitatis.* ¶ *Eamus eundo*] Hunc Ebraismum quidam reddunt, *Eamus continenter.* ¶ *Deprecandum*] *Precandum*, *orandum.* ¶ *Quærendum*] *Consulendum.* ¶ *Ibo etiam ego*] Alter alteri dicet, *Ibo etiam ego*, vel, *Eam ego quoque.*

22. *Gentes validæ*] Validæ numero, h. e. numerosæ. Sic alibi nescio quo in loco, *Validiores fuerunt viduæ ejus arenâ maris.* Adito sanè Observ. meas l. 6. c. 1.

23. *Cum apprehendent*] Dictio אשר videtur hic redundare, ut & suprà v. 20. עד אשר יבאו *adhuc venient.* Sed nos ibi eam interpretati sumus. Hic verò Scholia Ebraica enarrant, *Quæ dixi & modò commemoravi, ea vobis accident tum cùm homines apprehendent alam viri Judæi*, &c. אשר pro כי, i. *cùm*, contrà כי pro אשר quandoque ponitur. ¶ *Decem homines*] i. Multi: ut Levit. 26.26. *Coquent decem mulieres panem vestrum in clibano uno.* Numerus certus pro incerto. ¶ *In omnibus linguis gentium*] Gentibus diversâ linguâ utentibus. Parùm solidum est quod quidam annotant, *linguas esse LXX, quæ multiplicatæ per Decem efficiunt* 700. Et, ut *vara vibiam sequitur*, juxta proverbium, addunt, *in palliis Judæorum fuisse quatuor alas sive fimbrias.* Multiplica 700 per Quatuor, habes 2800. Quot homines sequentur unum Judæum. Quando, inquies? Ubi ἠλειμμένος, quem exspectant, advenerit, h. e. ad Calendas Græcas. O nugatores! quis vos ità excæcavit ut in clara luce tam parùm videretis?

¶ *Alam*] Pallii partem extremam, aut potiùs tractum illum vestis qui à cingulo ad oram usque. V. ed. *fimbriam*; alia *oram*, alia *gremium.* ¶ *Ibimus vobiscum*] Vel, *Eamus vobiscum.*

IDEM.

17. רעה. O. κακίαν] Hier. רעה, *quod omnes voce consonâ κακίαν, i. malitiam, interpretati sunt, dupliciter accipere possumus, & pro* afflictione, *& pro* malo. *Pro* afflictione; Si est malitia in civitate quam Dominus non fecerit: *&*, Sufficit diei malitia sua. *Pro* malo, *In Jona Propheta loquitur Deus*, Ascendit clamor malitiæ eorum ad me. *Et in Apostolo legimus*, Repleti omni iniquitate & malitiâ. *Utroque igitur modo nec affligit amicum suum, nec malum adversùm eum cogitat in corde qui sanctus est.*

19. צום הרביעי וגו'. A. Sym. Th. νηςεία ἡ τ8 τετάρτ8, καὶ νηςεία ἡ τ8 πέμπτ8, καὶ νηςεία ἡ τ8 ἑβδόμ8, καὶ νηςεία ἡ τ8 δεκάτ8] In ed. Rom. καὶ ἡ τ8 ἑβδόμ8 καὶ ἡ τ8 δεκάτ8. Nos supplevimus quod deesse videbatur ex Theodoreto, cujus Interpres Latinus, *Jejunium quarti & jejunium quinti & jejunium septimi & jejunium decimi.* Hinc Scholion; οἱ γ' valet οἱ τρεῖς, videlicet Aquila, Symmachus & Theodotio. Nihil verius.

GROTIUS.

2. Z*Elatus sum Sion zelo magno*] Pro Sione excandui adversùs ejus oppressores.

3. *Reversus sum ad Sion*] Amorem ei meum restitui. ¶ *Et vocabitur Jerusalem. Civitas veritatis*] *Fidelis*, Deo scilicet. *Vocabitur*, digna erit quæ vocetur. ¶ *Et mons Domini exercituum mons sanctificatus*] *Mons sanctus*, ob puri cultûs ceremonias.

4. *Adhuc*] Et hoc tempore & post. ¶ *Habitabunt senes & anus*] Ad magnam ætatem pervenisse illorum temporum homines, ipsæ res Zorobabelis, Jesu Sacerdotis, Esdræ & Nehemiæ declarant. Simile habes apud Esaiam 65. 20.

5. *Et plateæ civitatis complebuntur infantibus, & puellis ludentibus in plateis ejus*] Magnam temporum securitatem describit, quæ ad Antiochi ferme tempora duravit. Vide 2 Macchab. 3. 1.

6. *Si videbitur difficile*] *Si videtur hoc difficile*, aut mirum. ¶ *In oculis reliquiarum populi hujus*] Quia pauci adhuc erant numero; sed restituto Templo, deinde & Urbe munitâ, multi, qui in locis externis cunctati antè fuerant, adfluxere. ¶ *In diebus illis*] *In his diebus.* ¶ *Numquid in oculis meis difficile erit*] Cui scilicet nihil difficile: nam, ut Linus cecinit,

Ῥάδια πάντα Θεῷ τελέσαι, καὶ ἀνήνυτον οὐδέν.
[*Quidvis nempe Deo facile est, superabit eum nil.*]

7. *Ecce ego salvabo populum meum de terra Orientis, & de terra Occasûs Solis*] Id est, educam.

8. *Et erunt mihi in populum, & ego ero eis in Deum, in veritate & in justitia*] Illi mihi, ego illis, promissa præstabimus.

9. *Confortentur manus vestræ*] Perseverate in cœptis operibus. ¶ *Qui auditis*] Audivistis. ¶ *In his diebus*] Ante annos ferme duos. ¶ *Sermones istos per os Prophetarum*] Aggæi primùm, deinde meum, deinde iterum Aggæi. ¶ *In die qua fundata est domus Domini exercituum*] *Structa est.* Ut suprà Aggæi 2. 19. ubi idem verbum, & suprà 4. 9.

10. *Siquidem ante dies illos merces hominum non erat*] Id est, Nulla utilitas ex labore. Idem sensus Aggæi 2. 16. 17. 18. ¶ *Et dimisi omnes homines unumquemque contra proximum suum*] *Vicinum suum.* Passus sum multas vobis inferri molestias à vicinis.

11. *Nunc autem non juxta dies priores ego faciam reliquiis populi hujus*] Aliter eos tractare volo.

12. *Sed semen pacis erit*] *Erunt gens tranquilla.*

13. *Sicut eratis maledictio in gentibus*] Dicere solebant imprecantes; *Tam malè vobis sit quàm est Judæis.* ¶ *Et eritis benedictio*] Dicent homines: *Ità felices sitis quàm sunt Judæi isti reduces.*

14. *Et non sum misertus*] *Non me pœnituit:* Id est, multo tempore perstiti vos punire.

15. *Sic conversus*] Mutato animo, sicut vos mutati estis.

16. *Loquimini veritatem*] Abstinete à dolo malo. ¶ *Veritatem & judicium pacis judicate in portis vestris*] Vos, Judices,

dices, quærite veritatem ex testibus, ac judicate secundùm legem, quæ est causa pacis in populo.

17. *Et unusquisque malum contra amicum suum nè cogitetis in cordibus vestris.*] *Contra popularem*: nam hîc in Hebræo רע [*proximus*] est idem quod אח [*frater.*]

19. *Et in solemnitates præclaras*] In Hebræo, *bonas*. Solent autem Hebræi dies bonas appellare eas quæ lætitiæ dicantur. ¶ *Veritatem tantùm & pacem diligite*] Præparatio ad Euangelium.

20. *Usquequo veniant populi*] *Adhuc* erit *ut veniant populi*, nempe Judæi ex ultimis oris, ut suprà 7.

21. *Deprecemur faciem Domini*] Deo preces fundamus in Templo, ubi Arca. ¶ *Et quæramus Dominum exercituum*] Discamus ea quæ sunt Legis ex Prophetis & Sacerdotibus.

22. *Et venient populi multi & gentes robustæ*] Id est, externi. Vide quæ dicta suprà 2. 11.

23. *Apprehendent fimbriam viri Judæi*] Fimbriam illam præceptam in lege Numer. 15. 30. Deuteronom. 22. 12. Hâc notâ Judæi à gentibus aliis dignoscebantur, ut diximus ad Matth. 9. 20. ¶ *Audivimus enim quoniam Deus vobiscum est*] Intelleximus quàm miris modis, & quidem ex prædicto, vos in patriam restituerit, Templum vobis reddiderit, hostes vestros aut vobis amicos fecerit, aut represserit: unde credimus Deum, qui hæc & prædixit & fecit, verum esse Deum. Idem sensus est ad eadem hæc tempora pertinens Psalmo 126. 2.

CAP. IX.

MUNSTERUS.

1. ONus] *Onus* apud Prophetas est fatum triste & Prophetia infelix, quæ denunciat devastationem & interitum. Sic igitur Propheta denunciat hic regionibus quæ erant circa Jerusalem desolationem & humiliationem, ut sicut hactenus Jehudæis intulerant multa mala, sic tempore Christi fierent ex inimicis amici. Per *terram Hadrach* intellige Syriam, vel civitatem aliquam insignem in Syria, in qua, sicut & *in Damasco*, hæc Prophetia *quiescere* ac sese demittere prædicitur. Sunt etiam inter Hebræos qui dicunt tempore Meschiæ extendendam Jerusalem usque ad urbes illas quæ hîc enumerantur, ut sicut Dominus requiem suam in Jerusalem habuit, sic etiam in locis illis habere dicatur, quæ Jerusalem incorporata dicuntur. Futurum quoque dicit Propheta ut illo tempore *oculi omnium hominum*, & non tantùm *Israelitarum*, *respiciant ad Dominum*, & abjiciant cuncta idola.

2. *Quoniam sapiens valde fuit*] i. Licèt Tyrus multùm olim polleret in sapientia seculari, tamen tempore Meschiæ nihil proderit ei sapientia sua, nec fiduciam habebit in eam, postquam humiliata fuerit à Deo.

6 *Habitabit alienigena*] Heb. *Habitabit spurius in Asdod.* Pro quo Jonathan vertit, *Habitabit familia Israel in Asdod, qui fuerunt in ea sicut extranei.* Potest etiam esse ut obstinati Jehudæi Jehudæos conversos ad Christum vocaverint *spurios*, atque omnes gentes per illos ad Christum conversos; sicut & hodie tales vocant משומדים, & de Christo ore impio dicunt, שהיה ממזר בן נידה בן הזונה בן יוסף פנדירא שהיה מגלה ערוה של מרים אמו.

7· *Sanguines ejus*) h. e. Ex Phelistæis, qui Jehudæorum hactenus acerrimi fuerunt hostes, faciam amicos, & conciliabo eos in una fide, ut & me agnoscant sicut Jehudæi, & instituam ex eis *duces* qui verbum Euangelii plantent. Jonathan tamen vertit אלוף pro רברבין, ut sit sensus, *Non erunt inferiores Jehudais ipsis.* Per *Jebusæum* intellige Jerosolymitanum, sicut & Jonathan vertit.

8. *Militiam*] Scribitur hîc צבה pro צבא. Est autem sensus, Nulla potentia adversariorum nocere poterit Ecclesiæ meæ, quia ego ero protector ejus.

9. *Ecce Rex tuus veniet tibi*] Quis sit *Rex* iste D. Matthæus ostendit cap. 21. quando in Christo hanc *Prophetiam* dicit *impletam*. R. S. quoque scribit super hunc locum, א׳ אפשר לפתרו אלא על מלך המשיח, h. e. *Impossibile est ut interpreteris de alio quàm de Meschia, cùm in nullo alio hoc videamus impletum, Dominabitur à mari usque ad mare.* Recentiores autem plurimùm offenduntur quando dicitur, *Pauper*, vel *mansuetus*, & *sedens super asinum*, quasi præ paupertate non habeat equum cui insideat. Sunt igitur qui putant de Ezra accipiendum; & rursum alii de Machabæo intelligunt. Sed omittamus errores eorum, cùm veritas sit manifesta. ¶ *Justus & salvator*] In Hebræo propriè est *justus & salvatus*. Unde si in contentionem veneris cum Jehudæo, objice hunc locum Jirmeiæ 2. הנני נשפט אותך *Ecce ego judico te.* Sic Joelis 3. ונשפטתי עמם שם, ubi passivum capitur pro activo. Potest etiam נושע accipi pro *salute circundatus*, vel pro *invicto*. Ubique enim salvatus est ab insidiatoribus suis.

10. *Eliminabo currum*] Sensus est, Regnum Christi non constabit armis, sed pace.

11. *Tu in sanguine testamenti tui*] Scribuntur hæc verba in fem. genere, ideo referenda ad *Zion*, h. e. Ecclesiam. Et putant Hebræi hîc deficere verbum *salvata es*, ut sit sensus, *Meschias salvatus est in justitia sua; Ecclesia autem salvata est in sanguine testamenti sui*: ubi ipsi errantes accipiunt *sanguinem testamenti* pro *circumcisione*. Nos verò scimus Prophetam locutum de alio sanguine, de quo Christus dicit; *Hic est sanguis novi Testamenti, qui pro vobis & pro multis effundetur*, &c. ¶ *Dimisi vinctos tuos*] Sunt etiam verba Dei, sicut præcedentia, quibus ostenditur, Christi sanguine redempto omnes qui erant *in lacu aquâ* salutari *destituto*, & qui *vincti spem habuerunt* sese hoc sanguine liberandos, omnes isti veluti in *munitionem* firmissimam sunt constituti, & acceperunt *duplicia* de manu Domini, remissionem scilicet peccatorum, & liberationem à jugo Legis.

13. *Expandi Jehudam*] Docet salutem fuisse ex Hebræis, & Apostolos ex Jehudæa *veluti arcus extensos* missos in Orbem, sagittantes verba efficacia, *cor & medullam penetrantia.* Porrò *implere Ephrajim* idem est quod dare arcum & jacula in manus.

14. *In turbinibus Austri*] Turbo ab Austro excitatus est vehementior aliis tempestatibus: sic prædicatio Apostolorum fuit quasi magna tempestas, quasi tonitrua & *fulgura*, quando annunciaverunt iram Dei manere super omnem impium, & bona opera non salvare hominem, sed fides quæ est in Christum, &c. Et quia mundus hæc tonitrua ferre non potuit, narratur consequenter quomodo Deus suos *protegat*, donec infideles *devorent* & lucrifaciant Christo, & donec eos verbo Dei veluti *fundâ* prosternant. Ibunt, inquit, pauperes & dispecti illi nuncii Dei per orbem, & intrabunt Regna potentissima, & veluti *ebrii* non à *vino* exteriori, sed gratia Spiritûs sancti, constanter exsequentur ministerium Dei, & nullis deterrebuntur injuriis, &c.

17. *Succrescere faciunt*] Sensus est, *Panis & vinum* Euangelicum, mox ut ea gustaverint homines, reddunt fortes & alacres in spiritu.

VATABLUS.

1. PRophetia משא] *Onus.* Sic dicitur Prophetia quæ gravia prædicit. Cæterùm hæc de Christo Prophetia dicitur *onus*, quòd onere gravissimo Legis nos ipse liberavit. Nam Propheta hîc prædicit fore ut omnes Gentes sese submittant verbo Domini: Quæ hîc adumbrantur per aliquot urbes vicinas Terræ sanctæ, tunc notas & admirabiles Judæis ipsis, per quas intelligit omnes totius Orbis regiones. ¶ *Requie ejus* מנחתו] Quæ erit *requies ejus*: i. habitatio, in qua Dominus habitabit, h. e. coletur. Sic dicitur quòd in loco habitationis soleamus conquiescere. Alii, *& Damasci requiei ejus*, sive *habitationis ejus.* Alii, *& Damascus erit requies ejus*, i. erit habitatio ejus per fidem. Quia hæc Prophetia erat de vocatione Gentium, ideo dicitur facta in *Damasco* regione Gentili. ¶ *Quia ad Jehovam*, &c. כי ליהוה וגו] Redundat כי. Nam hæc est Prophetia, *Ad Jehovam*, &c. ¶ *Oculi hominum* עין אדם] Sing. Heb. pro plur. Per *homines* intelligit Gentes ipsas infideles. ¶ *Atque omnium* וכל] Quidam exponunt, *quantò magis omnium*, &c.

2. *Terminos habebit in ea* תגבל בה] i. Erit intra terminos Terræ sanctæ.

3. *Munitionem* מצור] *Arcem*, i. mœnia fortia ac insuperabilia. Describit ea quæ reddere solent urbem inexpugnabilem.

4. *Ecce* הנה] *Profectò.* ¶ *Expellet eam* יורישנה] i. Ejiciet habitatores idololatras, & tradet eam habitandam fidelibus. His indicat vim ac potentiam verbi Dei, cui nihil quantumcumque forte resistere potest. Alii vertunt *possidebit eam.* ¶ *Fortitudinem ejus* חילה] *Robur ejus.* Alii, *exercitum ejus*, Tyrus tota circundabatur mari: quæ ab Alexandro addita fuit continenti. Describit quæ incommoda sequântur expugnationem alicus urbis.

5. *Videbit* תרא] Sub. *actum esse de Tyro & robore ejus*, h. e. eam conversam ad Christum. ¶ *Aspectus ejus* מבטה] *Spes ejus*, i. Tyrus cui fidebat, & à qua tota pendebat. ¶ *Non habitabitur* לא תשב] Sub. *ab iis à quibus modo habitatur*, i. ab infidelibus, sed à Christianis.

6, Spu-

6. *Spurius* ממזר] *Alienus*, i. Advena sive peregrinus: i. fideles ac Christiani, qui nunc habentur apud infideles tanquam spurii sive alieni, h.e. advenæ & peregrini.

7. *Sanguinem ejus* דמיו] Nempe Palæsthinæ. Sing. pro plur. *eorum:* i. tollam de medio idololatriam eorum, & carnes victimarum quas edere solent cùm immolant idolis. ¶ *Et relinquentur*, &c. ונשאר וגו׳] Sing. Heb. pro plur. i. adjungentur Deo nostro & cultui ejus. ¶ *Et Ecron* ועקרון] i. Accaron erit colonia, habitabúntque Accaronitæ in Jerusalem tanquam cives ejus.

8. *Præterea castrametabor* וחניתי] i. Tanquam castris muniam, circundabo ac cingam ministerio Angelorum meorum. ¶ Nè timeat] Vel subaudi, *nè noceat illi exercitus*, i. nè lædatur ab aliquo exercitu superveniente, *neque à quoquam transeunte aut redeunte.* ¶ *Per eos* עליהם] *Super eos: ad eos*, sub. *qui sunt de domo mea.* ¶ *Vidi* ראיתי] i. Quæ facturus sum jam vidi futura, & ea vobis prædico. Si verò sunt verba Prophetæ, significat, *Quæ vidi futura, jam prædico vobis.*

9. (*Justus servabit seipsum*) צדיק ונושע הוא] *Justus, & salvum faciens se erit.* Observanda Parenthesis. Prædicit Propheta obscurè mortem & resurrectionem Christi his verbis, *Justus, & servabit sese:* nam videri poterat Christus nocens & injustus, quòd adigeretur in crucem: sed revera innocentissimus; justus enim erat: q.d. Morietur quidem in cruce, sed injustè: *servabit* autem *seipsum*, i. resurget propriâ virtute. Vertere potes *& servetur*, sub. *à se:* pro *servans se.* ¶ *Mitis* עני] *Mansuetus.* Propriè significat *pauperem.* Potest etiam significare *mansuetum.* Sunt enim עני & ענו ab eadem radice, quæ utrumque significat, & *pauperem esse* & *mansuetum.* Præterea significatione ipsâ sunt inter se affinia vocabula: nam qui pauperes sunt, maxima ex parte mansueti sunt & mites. ¶ *Asinæ* אתנות] Ad. verb. *asinarum*, i. unius ex asinabus.

10. *Quadrigas* רכב] *Currus*, sub. *falcatos*, è quibus depugnare solebant: q. d. Tempore Christi non erit opus curribus falcatis, neque equis, aut quibusvis instrumentis bellicis: Summa pax erit ac tranquillitas. Sing. Heb. pro pluralibus. ¶ *Et loquetur pacem* ודבר שלום] Hebraismus, Verbis pacificis alloquetur Gentes, ut eas ad se convertat. ¶ *A mari*, &c. מים עד ים] i. A Meridie usque ad Septentrionem. ¶ *Et à Fluvio* ומנהר] i. Ab Euphrate. Sic dicitur per Antonomasiam: i. Ab Oriente usque ad Occidentem: erat enim Euphrates à parte Orientali terræ Sanctæ.

11. *Fœderis tui* בריתך] Autoris *fœderis tui*, i. Christi, qui fœdus tecum iniit. ¶ *Emisi vinctos tuos* שלחתי אסיריך] Præt. Heb. pro fut. *emittam*, i. liberaturus sum te. Intelligit Patres qui decesserunt ante adventum Christi, & in fide ipsius Christi venturi mortui sunt.

12. *Spei* התקוה] *Exspectationes:* i. Vos qui obnoxii estis peccatis, speratis tamen vos per Christum salvos fieri. Alii exponunt, *ô vos qui summo desiderio exspectatis Christum.* ¶ *Etiam hodie annuncians*, &c. גם היום מגיד וגו׳] *Hoc quoque tempore annuncians duplicem gratiam*, quam *reddam tibi* [i. præstabo] *tempore suo.*

13. *Quoniam tetendi mihi*, &c. כי דרכתי לי וגו׳] Præt. Heb. pro fut. *Tendam enim mihi Judam*, & *arcu implebo manum Ephraim: excitabóque filios tuos*, &c. i. Utar operâ Judæ tanquam arcu tenso (oportet enim priùs tendere arcum quàm nervo sagittas imponere) & ipsi Ephraim ponam arcum in manu: acsi dicat, Utar operâ Judæ & Ephraim in expugnandis Gentibus, i. in superandâ infidelitate earum, non quidem armis, sed gladio verbi mei. Per *Judam* autem & *Epraim* intelligit Apostolos & discipulos Christi qui converterunt Gentes ad fidem in Christum. ¶ *Javan* יון] *Ioniam* posuit pro tota *Græcia.* ¶ *Et ponam te* ושמתיך] Pronomen refert *Sion.* ¶ *Fortis* גבור] *Potentis*, vel *robusti*, qui omnia perdere solet.

14. *Jehovah enim* ויהוה] Ad verbum *Et Jehovah*, i. Dominus aderit illis, pugnabítque pro eis. De se loquitur Dominus in tertia persona. ¶ *Cum turbinibus* בסערות] Vel si legas כסערות *velut turbines:* q. d. Veniet cum impetu maximo. Solent turbines oriri in parte Australi.

15. *Et absument* ואכלו] *Et devorabunt*, sub. *hostes suos.* ¶ *Ac subjicient lapides fundæ* וכבשו אבני קלע] i. Homines noxios. Comparat *lapides fundæ lapidibus coronæ*; quòd *lapides fundæ* viles sint, neque habentur in pretio, sed ad id tantummodo valent ut noceant. Alii, *subjicient lapidibus fundæ*, i. autoritatibus S. Scripturæ. ¶ *Bibéntque* ושתו] Sub. *sanguinem inimicorm suorum.* ¶ *Tumultuabunt*, &c. המו כמו יין] Ad verb. *perstrepent sicut vinum*, i. more eorum qui vinum potaverunt. Similis locutio & c. 10. 7. ¶ *Et replebuntur*, &c. ומלאו כמזרק וגו׳] i. *Et replebuntur* sanguine *tanquam pelvis* in qua victimarum sanguis excipiebatur, *ac velut anguli altaris*, ad quos effundi solebat victimarum ipsarum sanguis.

16. *Lapilli coronæ* אבני נזר] i. Lapides pretiosi quibus ornari solent coronæ ac diademata.

17. *Bonitas ejus*, &c. מה טובו ומה יפיו] Relativa pro antecedentibus posita, pro, *Quanta enim bonitas fructuum terræ ejus, & quanta elegantia eorum?* Verbi Dei copiam, excellentiam & utilitatem significat. ¶ *Cantare faciet* ינובב] *Exhilarabit; lætificabit. Vinum lætificat cor hominis*, inquit David Ps. 104. 15.

CASTALIO.

1. Hadraci] h. e. Syriæ.
2. *In cujus finibus*] Terræ Hadraci.
8. *Hisce oculis intuente*] Diligenter curante ac defendente.
11. *Per sanguinem tui fœderis*] Agni Paschalis, qui Christus est.
12. *Vincti spei*] Sperantes salutem.
16. *Velut ovile populi sui*] Suas oves, h. e. populum.

CLARIUS.

1. Onus verbi Domini] Denunciat Propheta his regionibus quæ erant circa Jerusalem, quòd subjiciendæ sint Regno Messiæ. Nam & à Judæis hoc caput de eo exponitur. Per *terram Adrach* intelligunt Syriam, vel civitatem aliquam insignem in Syria, in qua, sicut & in *Damasco*, hæc Prophetia *quiescere* dicitur. Quidam Judæi interpretantur compositum vocabulum *Adrach* de Messia, qui acer futurus sit in hostes, & clemens in suos.

2. *Assumpserunt quippe*] Licèt Tyrus, inquit, multùm olim polleret *sapientiâ* hujus seculi, tempore tamen Messiæ nihil proderit ei sapientia sua, nec fiduciam habebit in ea, postquam humilis facta fuerit coram Deo.

4. *Et ipsa igni*] Vetus illa scilicet.

6. *Habitabit alienigena*] Jonathas vertit, *Habitabit familia Israel in Azoto, qui fuerunt in ea sicut extranei.*

7. *Auferam sanguinem*] h. e. Ex Philistæis, qui Judæorum hactenus acerrimi fuerunt hostes, faciam amicos, & conciliabo eos in una fide, ut & me agnoscant, sicut Judæi, & instituam ei *duces* qui verbum Euangelii plantent. Per *Jebusæum* intellige Jerosolymitanum.

8. *Et agminatim*] Alius vertit, *Et castri loco ero domui meæ contra militiam:* ut sit sensus, Nulla potentia adversariorum nocere poterit Ecclesiæ meæ, quia ego ero protector ejus.

9. *Ecce Rex tuus*] Quis sit *Rex* iste D. Matthæus ostendit cap. 21. quando in Christo hanc *Prophetiam* dicit *impletam.* Quod & quidam antiquior Hebræus ait, *Impossibile esse de alio quàm de Messia dici, cùm in nullo alio hoc videatur impletum.* ¶ *Salvator*] Hebraicè habetur *salvatus:* sed re ipsâ eadem est sententia: quòd quibus ipse salvus sive victor evasit, non sibi, sed nobis victoriam illam peperit. Præterea ni Hebræo passivum invenitur pro activo. Potest & accipi pro *salute plenus*, vel *salute circundatus.*

10. *Dispergam*] h.e. Regnum Christi non constabit armis, sed pace.

11, 12. *Tu quoque*] Scribuntur hæc verba in fem. genere, ideo referenda ad *Sion*, h. e. Ecclesiam. Et putant Hebræi hic deesse verbum *salvata es. Ecclesia* ergò *salvata est in sanguine testamenti sui.* De quo Christus ait, *Hic est sanguis novi Testamenti, qui pro vobis & pro multis effundetur*, &c. ¶ *Emisi vinctos tuos*] Sunt etiam verba Dei, sicut præcedentia; quibus ostenditur Christi sanguine redemtos omnes qui erant *in lacu aquâ* salutari *destituto*, & qui *vincti spem habuerunt* sese hoc sanguine liberandos: omnes isti veluti in *munitionem* fortissimam sunt constituti, & acceperunt *duplicia* de manu Domini, remissionem scilicet peccatatorum, & liberationem à jugo Legis. Appellat ergò VINCTOS SPEI *conclusos in eam spem quæ revelanda erat.* ¶ *Hodie quoque*] h. e. Eodem tempore. ¶ *Annuncians duplicia reddam tibi*] Alius legendum dicebat, *Interpretem Deuteronomii adducam tibi.*

13. *Extendi mihi*] Docet *salutem ex Judæis fuisse*, & Apostolos ex *Juda* veluti *arcus extensos* missos *in* Orbem, jaculantes

lantes verba efficacia, *cor & medullam penetrantia.* Porrò *implere Ephraim* idem est quod Dare arcum & jacula in manu; q. d. Summo conatu tetendi, ut violentiùs jaculari possit.

14. *In turbine*] *Turbo ab Austro* excitatus est vehementior aliis tempestatibus; sic prædicatio Apostolorum fuit quasi magna tempestas, quasi tonitrua & *fulgura*, quando annunciaverunt iram Dei manere super omnem impium, &c. Et quia mundus hæc tonitrua ferre non potuit, narratur consequenter quomodo Deus suos *protegat* donec infideles *devorent* & lucrifaciant Christo, & donec eos verbo Dei veluti *fundâ* prosternant. Ibunt, inquit, pauperes & despecti illi nuncii Dei per Orbem, & intrabunt Regna potentissima, & veluti ebrii, non à *vino* exteriori, sed gratiâ Spiritûs S. constanter exsequentur ministerium Dei, & nullis deterrebuntur injuriis.

15. *Et subjicient*] Alius legebat, *Subjicient sibi lapides fundæ*, h. e. Græcos, nihili lapidibus similes. ¶ *Ut phialæ*] Quibus excipitur sanguis immolatorum. ¶ *Et quasi cornua altaris*] Super quæ sanguis victimarum fundi solet.

16. *Lapides speciosi*] h. e. Gemmæ, quibus coronæ exornari solent: Opponitur illi quod suprà dixit, *lapides fundæ*.

17. *Quod enim*] Scilicet populi: h. e. Quid præstantius illi populo contingere poterit quàm ut terra ejus *frumentum* alendis *juvenibus*, & *vinum*, quod *exhilarat virgines*, proferat? Panis ergò & vinum Euangelicum, mox ut ea gustaverint homines, reddent fortes & alacres spiritu.

L. BRUGENSIS.

9. I*Pse pauper & ascendens super asinum & super pullum filium asinæ.*] Multi codices legunt *Ascendens super asinam* feminino genere: quibus B. Hieronymi textus adstipulatur, ac commentarius satis convenit; *Et ascendens*, habet, *super asinam subjugalem, sive, super pullum novum, utrumque videlicet populum, Circumcisionis & Præputii.* Porrò quatuor Parisiensium & quinque nostra lectissima MSS. Ge. o. p. Di. l. o. Brug. Lob. Leod. O. E. cum tribus aliis vulgaribus, insuper antiqui Epanorthotæ libri, scribunt, *Ascendens super asinum.* Hebræa vox חמור, quæ Chaldaicè eadem est חמרא, *asinum* plerumque significat. Asina אתן dicitur, quæ vox est in fine hujus versiculi, ubi dicitur *filium asinæ.* Græci ex חמור hic ὑποζύγιον *subjugale* transtulerunt, id quod & *asinum* & *asinam* admittit. Castigatores, Hentenius & Parisienses, *asinum* textu donarunt: quibus suffragatur Epanorthotes; *Item d.* Ascendens super asinum & super pullum. *Hebræus & antiqui habent* asinum. *Require Judicum v.* (v. 10.) *& I Paralip. xxvij.* (v. 30.) *ubi Jadias dicitur esse* super asinos *regis*, *Hebræus habet* super asinas: *quia aliquando pro utroque sexu accipitur* asinus *etiam in vulgari.* Quibus verbis id insuper docere videtur, tametsi legatur *Ascendens super asinum*, *asinam* posse intelligi; quemadmodum illis in locis quibus *asinos* legitur, quamvis in Hebræo disertè sit *asinas*, האתנות. Euthymius, Matthæi enarrans Euangelium, eundem intelligit *asinum*, quem *pullum filium asinæ*; ità ut sensus sit, Ascendens super asinum qui ætate pullus est. Cui sensui multùm vult ita D. Joannis citatio Joan. 12. 15. *Sedens super pullum asinæ.* Matth. 21. 5. Ubi hæc prophetia etiam citatur, Latinè legitur *asinam*, narratúrque cum pullo asinam fuisse adductam; cujus loci occasione possit hic *asinum* cum *asinam* esse mutatum.

DRUSIUS.

1. I*N terra Hadrach*] Vel *de terra Hadrach*; vel *in terram*, i. contra, *Hadrach.* Locum hunc difficilem & obscurum reddit nomen *Hadrach*: quod cùm nusquam alibi reperiatur, non possumus pro certo affirmare sitne loci an hominis proprium. Qua de re diversæ sunt Interpretum sententiæ; quas nunc recensebo, meum illud mihi servans, ut de re incerta, h. e. cujus certam non habeo scientiam, nihil affirmem. Igitur Jonathan reddit *in terra Meridionali.* Nicolaus *Syriam* denotari ait: R. D. *terram Israel.* Videtur in eadem sententia fuisse cum illis, qui censent *Hadrach* esse epitheton Dei. Quà de re sic legimus apud Hier. *Et est ordo verborum*, Assumptio verbi DOMINI, *acuti in peccatores*, mollis *in justos. HADACH quippe hoc resonat, ex duobus integris nomen compositum.* HAD acutum, RACH molle tenerúmque *significans.* Consentanea his leguntur in monumentis τῶν διδασκάλων, *Ait R. Banaia*; *HADRACH iste est Messias, qui acutus est in nationes, & mollis erga Israelem.* Quà expositione offensus Joses quidam Damascenus (quippe enim sequitur, *Damascus requeis ejus*) sic Banaiam alloquitur, *Quousque tu detorquebis contra nos Scripturas? Testificor ego per cælum & terram, me oriundum esse Damasco, & locum ibi esse qui* Hadrach *nominatur.* Hucusque Joses ille. Immanuel Tremellius, cujus ego cruditionem, ut par est, plurimi facio, tametsi in multis locis ab eo dissentiam, scribit participium esse חדרך, cui additum sit pronomen affixum, ut vocant: itaque interpretatur *in terram circumstantem te.* Est autem verbum Syrum hoc significatu. Quod disces ab Interprete N. Fœderis, qui eo usus est Matth. 8. 18. Loquor de Interprete Syro. Hæc ferè sunt quæ ad hunc locum notata comperi. Qui otio abundant, operam sument ad pervestigandum quænam ex his sententia vero quàm proximè accedat: ego operæ non parcam meæ. ¶ *Et Damascus requies ejus*] Pronomen in Ebræo masc. est: quapropter non potest referri ad *terram*: debet autem referri vel ad *Deum*, vel ad nomen *Hadrach*, ut sit proprium viri. Fortè Princeps aliquis ità nominatus olim fuit, à quo Syria Damascena *terra Hadrach* appellata sit; quemadmodum Babylonia *terra Nimrodi* vocatur quòd Nimrodus in ea quondam regnavit. Quod si conceditur, erit sensus, *Onus verbi DOMINI contrà terram Hadrachi, quamvis requies ejus Damascus.* Vult dicere, *quamvis fretus munitione Damasci, in ea penitus acquiescat, nec quenquam metuat.* Qui per *Hadrach* Messiam denotari putant, Vau accipiunt propriè & ut sonat, hâc sententiâ; *Spiritus Domini Propheticus adhuc erit in terra Hadrachi*, h. e. In terra Israel, *& Damascus erit requies ejus*, h. e. in Damasco ejus doctrina & religio vigebit. Quis non animadvertit in Christo ejusque Discipulis completum esse? Quocirca libenter amplector expositionem, si non certam, saltem piam & fidei consentaneam. Alius fortasse certiora adferet: hæc mea symbola est. ¶ *Oculus hominum*] i. Qui homines videt. Similis locus est suprà 5. 6. quem vide, si placet, & lege quæ ad eum annotavimus. ¶ *Et omnium tribuum Israel*] Locutio est ut, *Universa Judæa & Jerusalem*: cui similis, *Dicito discipuli ejus & Petro.* Intelligentes intelligunt quid velim. *Israel* latè capiendum, ut etiam tribum Juda & Benjamin comprehendat.

2. *Hamath*] i. Epiphania, vel, ut quidam putant, Ituræa. Sed HEMATH *Epiphaniam* esse Syriæ Cavæ civitatem testantur, ut alios omittam, Theologi veteres Hieronymus, Theodoretus & Eucherius. Hieronymi verba sunt in Comment. ad h. l. HEMATH *quæ interpretatur* Χόλος, *i.* Indignatio, *ipsa est quæ ab Antiocho Epiphane* Epiphaniæ *nomen accepit, & nunc Syriæ Cœles civitas est.* Theodoreti hæc sunt Jer. 49. HEMATH MAGNA *est Emesa*, (aliis *Antiochia*) *quæ regio est in qua Reblatha. Alia HEMATH Epiphania dicebatur. Sic enim præsentem diem appellatur voce illius loci propriâ.* Eucherius in libros Regum, *HEMATH urbs Cœles-Syriæ, quæ nunc* Epiphania *dicitur, juxta Emesam, ut suprà monuimus.* ¶ *Terminus*, &c.] i. תהיה גבול לה, *erit terminus ei.* Sic explicat R. D. in lib. Rad. Quædam ed. *terminos* habet *in ea.* Vetus, *in terminis ejus*: vult dicere, *è terminis ejus erit.* Recentior è Germania, *Chamatham terminabit illâ.* Quis terminabit? Oculus Dei. Nam verbum quod in Ebræo femininum est. Quid si, *Hamath terminabit eam?* h. e. limites ejus. ¶ *In ea*] In terra Hadrach. Favet iis qui terram Israel his verbis significari putant: nam ea extendebatur Hamatham usque, ità tamen ut Hamath extra terminos ejus sita esset. Vide Jos. 19. 35. ¶ *Tyrus & Sidon*] Non Hamath solummodo verùm etiam Tyrus & Sidon intra limites ejus comprehenduntur. ¶ *Quamvis sapiens sit valde*] Quamvis sibi pulcrè sapere videatur: q. d. Sapientia quâ pollet non proderit ei. Hoc peculiariter ad Tyrum restringunt: de cujus sapientia vide Ezec. 28. 3, & deinceps.

3. *Munitionem*] i. Munitiones. Fortè turres urbis, *quas præaltum mare*, ut Curtius ait, *ambiebat.* Nam plures unà exstruxerat, ut credibile est. Erat enim certè urbs munitissima cùm naturâ & situ loci, tum operibus humanis. Sed hæc omnia, inquit, nihil ei proderunt. Velit nolit in ditionem veniet Hadrachi, & colla subdet jugo Christiano. D. Camius, מצור *turris valida.* ¶ *Sicut pulverem*] Proverbiale, quod adhibetur in similitudine rei copiosæ; ut Ps. 78. 27. *Pluit carnes sicut pulverem.* Significat etiam magnam fore vilitatem argenti, ut in copia fieri solet. Hoc meliùs intelliges si dixero non copiam solùm sed etiam vilitatem significare: nam pulvere nihil vilius. ¶ *Aurum*] Quod usitatè זהב dicitur; sed hoc loco חרוץ appellatur, nempe ab *exscindendo.* Nam è terra exscinditur, h. e. effoditur. Quocirca non nemo vertit *effossum aurum.* ¶ *Sicut lutum platearum*] Idem aliis verbis. Nam luti magna copia ubique: præterea nihil eo vilius. Adjecit autem *platearum*, quia est aliud lutum non æquè obvium & vile, videlicet *lutum*

figuli, quod vocant שם היוצר. Hinc lucem facies Hab. 2. 6. *aggravat super se densum lutum*, h. e. aurum copiosum instar luti.

4. *DOMINUS expellet eam*] Spoliabit eam omni decore & claritate, quâ antecedebat omnes urbes Syriæ: aut ejiciet cives ejus in exsilium. ¶ *Robur ejus*] Classem ejus validam. *Robur in mari*, i. maritimum. Aut lege *percutiet in mare*, i. percussam demerget aut deturbabit. Quæ conveniunt cum iis quæ leguntur apud Curtium lib. 4. *Nec Tyrii*, inquit, *quanquam classem habebant, ausi navale inire certamen. Triremes omnes ante ipsa mœnia opposuerunt, quibus Rex invectus, ipsas demersit.* חיל etiam *antemurale* significat: unde est in nonnullis ed. *percutiens deturbabit in mare præmunitionem ejus.* ¶ *Et ipsa igne absumetur*] Curtius libro citato, *Alexander, exceptis his qui in templa confugerant, omnes interfici, ignémque tectis injici jubet.*

5. *Videbit*] Excidium Tyri. *Videbit* positum videtur pro *audiet*; ut ibi, *Et populus videbat voces.* Sic Gen. 42. 1. *Et vidit Jacob alimentum esse in Ægypto.* Augustinus alibi scribit *VIDERE omnium sensuum esse. Nam dicimus*, inquit, *Vide quid sonet, quid oleat, quid sapiat, quid valeat.* Aut *videbit*, intelliget rumore nuncio, vel ex literis aliorum. ¶ *Ascalon*] Oppidum Palæstinæ, vel, ut Josephus ait, Idumææ. ¶ *Gaza*] Vel *Aza*. Olim Phœniciæ oppidum, nunc Palæstinæ. Stephanus, Γάζα, πόλις Φοινίκης, νῦν δὲ Παλαιςίνης, πρὸ τῆς Αἰγύπτε ἐκλήθη καὶ Ἄζα· καὶ μέχρι νῦν Σύροι Ἄζαν αὐτὴν καλᾶσιν. ¶ *Accaron*] Nomen alterius civitatis in Palæstina, quam alii *Turrim Stratonis*, alii *Portum Jamnetorum* esse volunt. ¶ *Quod eruberit*, &c.] Alii, *quia pudefiet spes ejus.* Sed verbum præteritum in Ebræo. Etiam Accaron, inquit, dolorem concipiet ex Tyri excidio; nam dolebit vicem ejus: hoc primum: deinde propter viciniam metuet sibi.

Tum tua res agitur, paries cùm proximus ardet.

Erubuerit, i. excisa fuerit, aut desierit esse. Simile, *Puduit mustum.* Sic alibi nescio quo in loco, *Erubuit oleum.* ¶ *Spes ejus*] Ad verb. *aspectus ejus.* Significat autem Tyrum, in quam respiciebat. Omnium enim oculi conjecti in eam erant, belli & obsidionis eventum solicitè exspectantes. ¶ *Non habitabitur*] Inculta & vasta erit.

6. *Spurius*] Homines contempti ac viles, cujusmodi erant spurii: quibus propterea non licebat *ingredi Ecclesiam Dei, ad decimam generationem usque.* ממזר certè *spurius* sive *nothus* Deut. 23. 2. in edit. antiqua *Mamzer, id est, de scorto natus.* Hoc vocabulo & Juris Pontificii autores utuntur. Cæterùm Græcus Interpres habet ἀλλογενεῖς. Quod mihi quoque non displicet, ut ממזר sit *alienus*, *peregrinus*, i. זר. In qua sententia video esse ex Ebræis, qui putant utrumque Mem Heemanthicum esse, ut in ממגורות *horrea.* Nam ut *spurium* accipiamus Alexandrum Regem, qui ex adulterio natus sit, alienum videtur. ¶ *Azoti*] Ebræis *Asdod* dicitur: ex quo *Azotus*, q. *Asdotus*, literâ *d* in *t* versâ. Hanc posterior ætas *Palmin* nuncupavit. Benjamin Jonæ F. homo Judæus, *Unde tribus peractis leucis Palmin me contuli, olim* Asdod *sive* Azotum *appellatam, Palæstinorum celeberrimam quondam urbem, nunc verò dirutam. In ea Judæus nullus est.* Hæc Benjamin in Itinerario. ¶ *Fastum Philisthæorum*] Vel *superbiam*, h. e. ea propter quæ nunc superbiunt & animo efferuntur. Potest etiam legi *magnificentiam Philisthæorum.* Nam גאון verbum est μέσον. Fortè innuere voluit Dagonis templum quod Azoti erat. Sic Templum Jerosolymitanum, ut quidam volunt, גאון יעקב vocatur, i. *magnificentia Jacobi*, sive *Jacobæorum.* Sed non recedo à priore sententia. Similis locus est Levit. 26. 19. *frangam fastum roboris vestri.*

7. *Amovebo sanguinem*, &c.] q. d. Non ampliùs bibet sanguinem, h. e. non ampliùs se satiabit cædibus aliorum. Ad verb. *sanguines*, i. *cædes*, quod in recentissima editione. Ego antiquam retinui propterea quòd sequitur *ex ore ejus.* Nam sanguis ore sumi potest, non cædes. ¶ *Ejus*] Quidam interpretantur *uniuscujusque eorum*, & subaudiunt *Philisthæorum.* Sed existimo potiùs referendum alio. Nam paulò pòst ait, *& erit sicut Dux in Juda.* Hoc de singulis Philisthæis accipi commodè non potest. Fortè per *fastum Philisthæorum* significat Regem eorum. Ratio hujus appellationis in mundo est. Nam quia in eo gloriabantur, séque efferebant plùs æquo, ideo sic dicitur. Rei firmandæ est quod suprà legitur, *peribit Rex è Gaza:* nam ex eo indubitanter colligimus Palæstinos Regem habuisse. ¶ *Abominationes*] Prædas abominandas. ¶ *E medio dentium ejus*] Ad verb. *ex inter dentes ejus.* Metaphora à feris, quæ prædam quam ceperunt dentibus lacerant & discerpunt. ¶ *Et relinquetur*, &c.] Remanebit superstes, ut Deo nostro nomen dêt, eique serviat per omnem vitam. Alii, *& qui reliquus erit, etiam ipse Deo nostro*, sub. *relinquetur.* Minùs placet. ¶ *Etiam ipse*] Non populus solùm, sed etiam ipse Rex. ¶ *Et erit sicut dux in Juda*] Vel annumerabitur Ducibus Juda, vel in pretio & honore erit sicut illi. Quidam *ducis* nomine tribum significari putant, ut Jud. 6. 15. ubi tamen non habetur אלופי *Dux meus*, sed אלפי, i. *chilias mea*, ut rectè Arias interpretatur. ¶ *Accaron*] Cives Accaronis. ¶ *Ut Jebusæus*] Degent inter nos ut olim Jebusæi. Nam de Areuna accipere non placet: nimis longè petitum hoc, nimis durum & coactum est.

8. *Castrametabor ad domum meam*] Ad verb. *domui meæ. Castris*, inquit, *circumdabo domum meam*, h. e. vallo eam muniam instar castrorum, aut ponam circùm eam castra, tuebórque copiis Angelicis adversùs hostes. *Domum meam*: i. Ecclesiam meam. Nimis carnaliter sapiunt qui hæc ad Templum secundum restringunt. Nam hoc militibus custodiebatur, quibus qui præerat ςρατηγὸς τȣ͂ ναȣ͂, aut simpliciter ςρατηγὸς dicebatur. ¶ *Propter exercitum*] Hostium videlicet: V. ed. *ex his qui militant mihi.* Vult dicere, *circumdabo eam militibus meis*, qui eam protegant ac tueantur. Sed tum esset מצבא in Ebræo. Fortè ità legendum, *Castris positis defendam domum meam ab exercitu, ab transeunte & redeunte.* Sensus est, ab justo exercitu hostium, & ab excursionibus eorum. Nam qui excursiones faciunt, subindè eunt ac redeunt. מצבה posuit pro מצבא propter cognationem quæ inter has literas. ¶ *Propter transeuntem & revertentem*] Nè timeant posthac hostes excursiones facientes in terram suam. ¶ *Transibit super eos*] Vexabit eos, vel transibit per terram eorum. ¶ *Exactor*] Qui fructus prædiorum, nomina & pecuniam, vel qui tributum exigat: q. d. Liberabitur à jugo Gentium. Vel *exactor*, i. oppressor. Nam נגש etiam *opprimere* sign. i. לחץ. ¶ *Vidi oculis meis*] Sub. *vexationem eorum*; ut Exod. 3. 7. *Vidi, vidi vexationem populi mei.* Sic accipies Exod. 2. 25. *Et vidit DOMINUS filios Israel:* nam sensus est, *vidit oppressionem ipsorum.*

9. *Filia Sion*] Ecclesia Sion. Sic *filia Jerusalem.* Idem aliis verbis. ¶ *Rex tuus*] Christus. ¶ *Veniet tibi*] h. e. Tui commodi causâ, vel ad tuam salutem. ¶ *Servans ipse est*] נושע *servans.* Nam participia generis passivi quando nominascunt actionem designant. Talia sunt רכוב *equitans*, אסור *colligens*, נושע ὁ γνῶμας. Hanc interpretationem firmant antiqui, maximè LXX, qui referunt σώζων ἀυτός. Chaldæus quoque, in quo פרק, i. *redimens*, sive *liberans.* Sed & Hieronymus, si modò is autor Vulgatæ versionis, referens, *justus & salvator.* Alii, *servans seipsum*, h. e. propriâ virtute resurgens. Alii, *salvatus.* R. D. *& servabitur ipse:* legit enim נושע cum Patach in ultima. Nos in libris quos vidimus Camets invenimus: hos secuti sumus. ¶ *Pauper*] Ita V. Int. In aliis est *mansuetus:* nec malè. Nam עני pro ענו quandoque ponitur, ut Ebræi annotant. Sic Soph. 3. 12. *Relinquam in medio tui populum* עני, i. *mitem*, teste Camio. His adde Chaldæum P. qui vertit ענותן hoc in loco; & Græcos, in quorum editione πρᾳῢς & πρᾷος legitur, variantibus libris. ¶ *Equitans super asinum*] *Vectus asino*, aut *insidens asino*, vel, si placet, *asinæ.* Nam asinum feminam fuisse cui Christus insidebat cùm Jerosolymam intraret; paret ex Euangelio secundum Matthæum. Vide Notas in Parallela, Matth. 21. 5. ¶ *Et super pullum unius alicujus asinæ*] Sensum expressi, cùm in Ebræo legeretur ad verbum, *super pullum filium asinarum*, h. e. natum unâ aliquâ asinâ. Genus loquendi ut, *Sepultus est in urbibus Galaad*, pro, *in unâ aliqua urbium Galaad.* Consule Quæst. meas. Quidam explicant: *hoc est, super pullum:* sed perperàm. *Pullo* autem *vectus* dicitur quia junctus erat asinæ pullus, ut liquet ex Euangelio. Vide sis Matth. 21. 2. Quapropter alii Euangelistæ ipsum *pullo insedisse* dicunt, nullâ factâ mentione *asinæ.* Pullis enim certè vehebantur antiqui. Itaque legimus Jud. 10. 4. *habens triginta filios, qui equitabant super totidem pullos.* Intelligit autem pullos asinarum, nisi fallor.

10. *Exscindam currus*] Intelligit currus, non ad vehenda onera, sed quibus in bello utebantur veteres, quos *currus falcatos* appellabant. Eos, inquit, tunc *exscindam:* rectè sanè. Nam quis usus curruum tempore pacis? Sic Mich. 5. 9. *Et erit die illo, dicit DOMINUS exercituum, exscindam equos è medio tui, & perdam currus tuos.* Simul innuit Regnum Christi non esse propagandum armis bellicis. ¶ *Ex Ephraim*] Idem cum illo *ex Israel.* Nam post defectionem X tribuum Isreal *Ephraim* dictus est, propterea quòd autor defectio-

ctionis Jeroboam ex tribu Ephraim erat. ¶ *Et equos*] Nam equorum usus præcipuè in bello. Unde illud Salomonis, *Equus paratur ad bellum*; *sed à DOMINO salus.* Cæterùm in Ebræo habetur verbum è verbo *currum & equum.* Sic alibi, *non multiplicabis tibi equum*; i. equos. Aut *equum* posuit pro *equitatu.* Sic fortè *currum*, i. ἁρμάτων πλῆθος. Nihil statuo. ¶ *E Jerosolymis*] E Juda & Benjamin. Nam Jerosolyma in utraque tribu erant. Est autem figura loquendi quam *Synecdochen* vocant, in qua pars pro toto ponitur. ¶ *Exscindetur arcus bellicus*] Cessabit etiam usus omnium bellicorum instrumentorum, quæ nomine *arcûs* nunc significantur, ut Psal. 44. 6. *Non arcu meo fretus ero.* Quin hæc instrumenta convertentur in usum agriculturæ. Hoc significat Michaias 4. 3. per hæc verba, *Contundent gladios suos in ligones*, *& lanceas suas in falces putatorias.* Videndus quoque Jesaias c. 2. 4. ¶ *Loquetur pacem gentibus*] Conciliabit gentes discordes, loqueturque ea quæ ad pacem facient, ad pacem, inquam, conscientiæ, quàm Christus suis peculiariter promittit. Sic ait, *Pacem meam do vobis*, *pacem meam relinquo vobis.* *Loqui pacem* hoc sensu legitur Esth. 10. 3. *quærens bonum populo suo*, *& loquens pacem cuncto semini suo.* Olim exposui *consulens saluti ac prosperitati seminis sui.* Sed fortè melius ut exponatur *concilians populares suos dissidentes*, *eósque ad concordiam revocans*, *& loquens ea quæ ad pacem pertinent.* Expende. ¶ *Dominium ejus*] Vel *dominatus ejus.* Ad verb. *dominari ejus.* ¶ *A mari usque ad mare*] Ab uno mari ad alterum, h. e. à mari primo usque ad mare novissimum, sive ab Oriente usque ad Occidentem. Meliùs fortasse intelligetis si dixero, à mari Mortuo usque ad mare Syriacum. ¶ *A fluvio*] Euphratis, ut Exod. 23. 31. *Ponam terminos tuos à deserto usque ad fluvium:* quo in loco Euphratem designari ipsemet Nicolaus attestari potest, qui autoritatem non defugiet scio: nam sic ibi scribit, USQUE AD FLUVIUM, *i. Euphratem*; *qui est terminus terræ Sanctæ à parte Aquilonis.* ¶ *Usque ad fines terræ*] Usque ad desertum: nam ibi erat *finis terræ* habitatæ. Loquor de terra Israel. Porrò desertum habità ratione illius terræ, Austrum respiciebat, sicut & mare Rubrum. Ergò *à fluvio ad fines terræ* tantundem valet ac si diceret *à Septentrione ad Meridiem.* Cave aliter accipias Ps. 72. 8. *à flumine usque ad fines terræ.* Non est tamen omittendum, Ebræos aliter hunc locum enarrare. Nam Abenezra, ut est apud Camium, *A MARI*, inquit, *USQUE AD MARE*, *vult dicere*, *A MARI Australi*, *quod vocatur* mare Sodomeum, *USQUE AD MARE Septentrionale*, h. e. *usque ad Oceanum: ET A FLUVIO Eden*, *ubi est principium Orientis*, *USQUE AD EXTREMA TERRÆ*, *qui est finis Occidentis.* Hactenus Abenezra.

11. *Tu quoque*] Convertit sermonem ad Ecclesiam Judæorum. Nam pronomen fem. est. *O filia Sion*, inquit, *ego tuos emisi* ac liberavi *è carcere* Babylonico, in quo hactenus detenti & quasi *vincti* fuerunt. Quibusdam placet ut sit oratio defecta; itaque subaudiunt *servata es*, dictionem *etiam* referentes ad צדיק ונושע, quod interpretantur *justus & servatus*: q. d. *Quemadmodum ille servatus fuit*, *ità etiam tu*, &c. ¶ *In sanguine fœderis tui*] De quo Exod. 24. 8. Sunt qui Agnum Paschalem intelligunt, qui est Christus. ¶ *Vinctos tuos*] Captivos tuos. ¶ *E fovea in qua non erat aqua*] Circumloquitur carcerem aut exsilium Babylonicum. V. ed. *de lacu in quo non est aqua.* *Lacum* vocat quem Græci λάκκον. Lex. V. Λάκκος, *laccuna*, *lacus*, *cisterna.* בור certè *cisternam* sign. propriè. Ergò in aliis ed. legitur *è cisterna aquâ carente*; non malè. Hoc tamen loco designat foveam in carcere in quam rei conjiciebantur.

12. *Revertimini ad munitionem*] Redite ad urbem, quæ jam eò perducta ut possit esse vobis munitionis loco; aut quæ nunc munita, h. e. muro ac mœnibus cincta est. ¶ *Vincti spei*] Vos qui hactenus sperastis emissionem è vinculis quibus constricti fuistis, h. e. captivitate Babylonica. Quidam legunt *vincti sperantes*, *salutem* aut *redemptionem* scilicet: eodem redit. ¶ *Etiam hodie*, &c] Dictio *hodie* referri debet ad participium *annuncians*, non autem ad verbum *reddam.* *Hodie*, היום. Quædam ed. *illo die* ביום ההוא: non placet. ¶ *Annuncians*] Vel *annucio*, si hoc mavis. ¶ *Duplum reddam tibi*] Pro eo quod amisisti *duplum tibi restituam.* Locum hunc alii aliter enarrant. Quidam sic, *Redite ad munitionem*, h. e. ad Deum, qui est munitio vestra; *vincti spei*, vos qui peccati vinculis constricti estis, & speratis fore ut liberemini ab iis vinculis per Christum; *etiam hodie annuncians* quod sæpe antea, nunc quoque denuncio; *duplum reddam*, duplicem gratiam, aut duplicia bona, h. e. non solùm temporanea, sed etiam æterna; *tibi*, h. e. cuilibet vestrûm.

13. *Tetendi mihi Judam*, *arcum implevi*] Talis distinctio in cod. Ebræis: quod arguit accentus in nomine *Juda:* est enim unus ex distinguentibus sive pausis, ut vocant. Alioqui magis placeret distinctio quam secuti sunt antiqui, quæ talis est, *tetendi mihi Judam arcum*, (vult dicere *ut arcum*) *& implevi Ephraimo*, sub. *manum meam*; ut 2 Reg. 9. 24. *Et Jehu implebat manum suam arcu.* Sensus est, *Utar Judâ & Ephraimo pro arcu*, q. d. Erunt mihi arcus & instrumenta belli: nam per eos conficiam hostes meos Græcos. Hoc impletum esse volunt in bello quod Machabæi contra Græcos gesserunt. ¶ *Ephraim*] i. Ephraimo; ut arcus sit Juda, & Ephraim sagitta. *Impleri* autem *arcus* intelligitur cùm sagittæ crebræ per eum emittuntur. *Ephraim*, i. filiis Israel. ¶ *Filios tuos*, *Sion*] Commutat personam: ex quo pondus orationi non leve accedit. *Filios* autem *Sion* vocat fideles Judæos aliósque, h. e. cuncta Ecclesiæ, quæ *Sion* dicitur, membra. ¶ *Contra filios tuos*, *Græcia*] *Filii Græciæ* sunt ipsi Græci, qui & *filii Græcorum.* Per *Græcos* autem sig. omnes Gentiles; ortâ nimirum hâc loquendi consuetudine ex eo quòd plerque pars Orientis olim Græcè loquebatur. Sic accipies apud Apostolum 1 Cor. 1. 22. *Judæi signum petunt*, *& Græci sapientiam quærunt:* & alibi. Vide Rom. 1. 16. *Judæo simul & Græco.* Augustinus Epist. 200. *Quos dixit Græcos*, *hos etiam Gentium nomine significavit*, *eò quòd hæc lingua maximè excellit in gentibus.* Idem in Quæstionib. l. 7. qu. 37. *Græcorum nomine Apostolus omnes gentes significat*, *cùm dicit*, Judæo primùm & Græco, *&*, Judæis & Græcis; *sæpe ità commemorans Circumcisionem & Præputium*, *quòd in linguis Gentium Græca ità excellat ut per hanc omnes decenter significentur.* ¶ *Ponam te*] O Sion. ¶ *Sicut gladium robusti*] *Efficiam te quasi gladium robusti* militis, qui acutissimus est & obvia quæque perimit.

14. *DOMINUS*, &c.] Aderit illis & juvabit pugnantes. Simile, *In monte DOMINUS apparebit:* quod alii reddunt, *In monte DOMINI videbitur*, i. providebitur. Jonathan hunc locum sic interpretatur, *DOMINUS illis patefiet*, h. e. interprete Tremellio, *se declarabit stare à partibus eorum.* Apparuit etiam in specie viri bellatoris. Vide Gorionidem fol. 39. col. 2. item 2 Mach. ¶ *Illis*] Judæis. Quidam *contra eos*; & pronomen ad *Græcos* referunt; sed minùs rectè. ¶ *Apparebit*] *Videbitur*, *conspicuus erit.* ¶ *Sicut fulgur*] h. e. velocissimè. Sic Nah. 2. 4. *ut fulgura current.* Fulguris ea celeritas ut antè oculos feriat quàm cerni aut conniventibus palpebris vitari possit. ¶ *Sagitta ejus*] Jon. *verba ejus*, i. decreta ejus. ¶ *Tubâ clanget*] Animos eorum ad pugnam accendet, & quasi classicum canet, h. e. signum dabit quo milites prælium ineant. Nam id tubâ fieri solet. Tubâ certè clangebant processuri contra hostem. Vide Num. 10. 8. Alius hic retulit *buccinâ*; meliùs, ut apparet. Scribit enim ecce Hier. in Comment. Hos. 5. 8. *Buccina pastoralis est*, *& cornu recurvo efficitur: unde propriè Ebraicè SOPHAR*; *Græcè κερατινὴ appellatur. Tuba autem ex ære efficitur vel argento*, *quæ in bellis vel solennitatibus concrepabant.* Sed dicendum nomina [illegible]c confundi. Nam & ipse Hieronymus *SOPHAR tubam* sæpe reddit; & cùm ait *quæ in bellis concrepabant*, satis indicat de *tuba* hunc locum intelligendum esse. Alioqui *tuba* חצוצרה dicitur, & Græcè σάλπιγξ. *Buccina* verò etiam βυκάνη appellatur. ¶ *Ambulabit in procellis*] Sic ait, *in turbine & procella est via ejus.* Hoc vult, Invadet eos subitò, vel inopinatò, improvisò. Vide Lectiones nostras Nah. 1. 3. ¶ *Austri*] i. Australibus, sive ab Austro venientibus, quales videlicet Notus, qui ventus est ab Austro; excitare solet. Silius lib. 17.

Ecce imorta Noto, *veniénsque à rupe procella.*

Job. 37. 9. *E penetrali venit turbo:* vult dicere, *ab Austro*, sive *e penetralibus Austri.* Capella, *dira procella Noto.* Sunt etiam *procellæ Aquilonia* dictæ, quòd ab Aquilone veniant.

15. *Eos*] Judæos pugnantes cum Græcis. ¶ *Comedent*] Conficient, devorabunt. ¶ *Subjicient*] Vel *Subigent.* *Comedent* alios, & alios sibi *subjicient*, in servitutem redigent. ¶ *Lapides fundæ*] Quibus utuntur fundibularii. Tales lapides viles sunt & nullius pretii: nam è plateis ferè sumuntur. Innuit igitur Græcos hoc nomine per contemptum. Contrà Judæos vocat lapides *coronæ*: nam hujusmodi lapides in pretio habentur. Aut *lapides fundæ*, i. Græcos funditores. ¶ *Bibent*] Sanguinem hostium. Jes. 49. 26. *ut musto sanguine suo inebriabuntur.* ¶ *Perstrepent*] More ebrii. Sic alibi, *Inebriabunt se*, *sed non vino*; *perstrepent*, *sed non siceрâ.* ¶ *Replebuntur*] Sanguine hostili,

ut supra. ¶ *Ut pelvis*] Vasis genus hoc est in quod recipiebatur sanguis victimarum. ¶ *Ut anguli altaris*] Qui sanguine hostiarum aspergebantur. V. Int. *quasi cornua altaris*.

16. *Ut*, &c.] *Ut decet salvare gregem populi sui*. Chaph enim hic est Confirmandi particula; ut si quis dicat, *Castigavi eum ut filium meum*, de eo qui sit verè filius. Sensus est, Castigavi eum ut decet patrem castigare filium. Sic *castigavi eum ut pater*, i. ut me decet, & pro mea autoritate, qui sim ei pater. Ità sumitur hic in illo, *Vidimus gloriam ejus ut unigenitis*, i. unico Dei Filio dignam. ¶ *Gregem populi sui*] Ità V. Int. Atqui צאן non *gregem*, sed *pecora* vel *oves* designat. *Grex* enim potiùs עדר dicitur. Quocirca alii legunt *ut oves populum suum* per Appositionem. *Salvabit eos*, videlicet *populum suum*, eà curà & solicitudine quà bonus pastor *pecora* salvat cùm in periculo versantur. ¶ *Lapides coronæ elevabuntur*] Plenum est *ut lapides coronæ*; & *elevabuntur*, i. extollentur, in pretio erunt. Scholia Ebraica LAPIDES CORONÆ interpretantur *Judæos*. Nam ut suprà Græcos dixit *lapides fundæ*, qui vulgares sunt & obvii passim; ità hic Judam & Benjamin vocat *lapides coronæ*, qui rari sunt & maximi pretii. Nam sig. gemmas ex quibus coronæ conficiebantur, vel potiùs quæ coronis inserebantur. Usitatum autem ut *lapidis* vocabulum hoc modo ad Homines transferatur. Sic Christus vocatur *lapis angularis*. De quo & illud capiendum, *Lapis quem reprobarunt ædificantes, fuit caput anguli*. Priùs erat *lapidis sancti*, & apud Græcos λίθοι ἅγιοι, & in editione Jonathæ *ut lapides Ephod*. De his lapidibus consulendus est Moses. Interim scies antiquum declaramentum τῦ NAZER esse ἅγιον, i. *sanctum*. Docet hoc Eusebius per hæc verba, NAZER *ipsos quidem LXX sequentibus* Sanctum *erit*; *ipsum verò Aquilam*, Separatio, ἀφωρισμένον, i. separatum; *Symmachum autem* ἄθικτον, *i.* intactum. *Itaque ex his* NAZIRÆUM *nomen significabit aut* sanctum *aut* segregatum *aut* intactum. Vel *gemmæ*. Nam dictio Ebræa etiam *gemmas* denotat. Quo significatu sumitur cùm alibi, tum Exod. 28. 11. מתנוססות *elevantes sese*, sub. *erunt*; i. מתנוססות. Sic enarrant Scholia Ebraica. Quidam *pro vexillis erunt*. Siquidem *vexillum* Ebraicè נס dicitur: nempe quia in altum elevatur. Non ergò verbum à nomine deducitur, sed potiùs contrà nomen à verbo. Sed hæc Grammaticis relinquamus. ¶ *Super terram ejus*] *In terra ejus*. Vult dicere, in terra Israel, quæ *terra Dei* & *terra Sancta* nuncupatur. Pronomen enim referri debet ad *Deum*.

17. *Ejus*] Breviter dictum pro *terra ejus*. ¶ *Et mustum*] Juxta illud, *Vinum lætificat cor hominis*. Et rectè *mustum*: nam feminæ inprimis musto delectantur. ¶ *Cantare facit*] Alii, *crescere facit*. Alii, *facundas facit*. Notum illud,

Fæcundi calices quem non fecere disertum?

Sed nescio an hoc accommodari possit ad præcedentia. Nam *frumentum* non *reddit hominem disertum*. Sunt etiam qui legant *fæcundat virgines*. Duo hoc versu prædicit, copiam boni quæ futura est temporibus Messiæ, & lætitiam quam percepturi sunt homines ex ea abuudantia.

IDEM.

1. מַשָּׂא דְבַר יְהוָה. A. *Onus verbi Domini*] Hieron. *Hæc visio, sive* pondus *&* onus verbi Domini, *ut interpretatus est Aquila, ad vocationem Gentium & exstructionem Ecclesiæ pertinent.* Procem. in Nahum, MASSA *Aq. transtulit* ἆρμα & in Habaccuc, MASSA *Aq. vertit in* pondus. Vide quæ scripsimus Observ. lib. 9. c. 15. ¶ וְדַמֶּשֶׂק מְנֻחָתוֹ. Aq. καὶ ἐν Δαμασκῷ ἀνάπαυσις αὐτοῖς] Habeo ex ed. Rom. & puto Aquilam edidisse αὐτῷ potiùs quàm αὐτοῖς sed tamen hoc pono, non statuo.

10. וְדִבֶּר שָׁלוֹם וגו׳. A. Sym. Th. καὶ λαλήσει εἰρήνην τοῖς ἔθνεσι καὶ ἡ ἐξουσία αὐτῦ ἀπὸ θαλάσσης ἕως θαλάσσης, καὶ ἀπὸ ποταμῦ ἕως περάτων τῆς γῆς] Eusebius Pamphili Ἀποδείξ. Pag. 255. Καὶ λαλήσει εἰρήνην τοῖς ἔθνεσιν. Paginà quam citavi, Ἀκύλας καὶ οἱ λοιποὶ ἑρμηνευταί. Pag. 285. οἱ λοιποὶ ἑρμηνευταί, ἀπὸ θαλάσσης ἕως θαλάσσης. Ibid. ἀπὸ ποταμῶν. Prius melius. Vide Rom. ed.

17. תִּירוֹשׁ. A. οἰνίω] Hieron. *Pro vino, quod Ebraicè dicitur* תירוש, *Aq.* οἰνίαν *interpretatus est: quod & ipsum ad ubertatem vindemiæ referri potest.*

GROTIUS.

1. *Onus verbi Domini*] Prophetia tristis. ¶ *In terra Hadrach*] Non displicet eorum sententia, qui חדרך sumunt pro nomine communi, non proprio, ut sensus sit: *Super terram quæ te* (ô Judæa) *circuit*, id est, Syriam. ¶ *Et Damasci requiei ejus*] *Et Damascus requies ejus*: id est, quæ terra in Damasco urbe valida ac bene munita fiduciam suam habet. Omnia hæc impleta temporibus Alexandri, qui & Damasco & Syria omni potitus est. Vide Curtium libro 3. & 4. ¶ *Quia Domini est oculus hominis*] Spectator hominum. Est ἔλλειψις [*defectus vocabuli.*] ¶ *Et omnium tribuum Israel*] Id est, *non minus quàm omnium tribuum Israel*: Judex est universarum gentium, non unius populi.

2. *Emath quoque in terminis ejus*] Id est, *intra terminos ejus*, nempe tristis Prophetiæ. De *Emath* Syriæ urbe diximus ad 2 Regum 17. 24. Hieronymus ad hunc locum eam esse vult quæ dicta est postea *Epiphania* in Syria Cœle. Curtius lib. 4. *Jam tota Syria, jam Phœnicia quoque, exceptâ Tyro, Macedonum erat.* ¶ *Et Tyrus*] Multo labore capta. Vide Curtium libro 4. ¶ *Et Sidon*] Cui Regem Alexander imposuit Abdolonimum: id est, עבד עלימים, quæ vox Syriacâ linguâ *Deorum cultorem* significat. ¶ *Assumserunt quippe sibi sapientiam valde*] In Hebræo: *quanquam fuit sapiens.* Phœnices vafri semper.

3. *Et ædificavit Tyrus munitionem suam*] *Sibi.* & repete *quanquam* ex superiori. Neque Sidonem sua vafrities servavit, neque muri & opes Tyrum. De illis vide Curtium dicto libro, & Ezechiel. 26. 4. ¶ *Et coacervavit argentum quasi humum, & aurum ut lutum platearum*] Simile vide 2 Regum 10. 21. De opibus Tyri vide Ezechiel. 26. 12. & 27. 27. & 28. 4.

4. *Ecce Dominus possidebit eam*] *Ejiciet eam*: id est, habitatores ejus. Ità Chaldæus appositè. ¶ *Et percutiet in mari fortitudinem ejus*] *Et projiciet in mare vires ejus*: id est, classem & classiarios. Vide Curtium. ¶ *Et hæc igni devorabitur*] *Et ipsa igne devorabitur.* Curtius de Alexandro: *ignem tectis injici jubet.*

5. *Videbit Ascalon, & timebit: & Gaza dolebit nimis*] Speraverant istæ urbes, si Tyrus resistere posset Alexandro, se quoque posse ejus manus evadere. ab hac spe decidère captâ Tyro *Et Gaza*] Quæ statim post Tyrum capta, Joseph. 11. 8. Plutarchus Alexandro.

6. *Et sedebit separator in Azoto*] In Hebræo, *Mamzer*: quomodo vocantur nati ex congressu cui pœna mors, aut כרת, ut ad Deuteronomium diximus. Impropriè sic vocantur omnes qui non jure heredes sunt. ἀλλογενεῖς [*alienigenæ*,] hîc Lxx; nec Chaldæus aliter.

7. *Et auferam sanguinem ejus de ore ejus*] Id est, Efficiam nè ampliùs Philisthinus cædes minetur, ut facere solebat. ¶ *Et abominationes ejus de medio dentium ejus*] Ut paupertate pressus non ampliùs epulas instruat τοῖς εἰδωλοθύτοις [*immolatitiis.*] ¶ *Et relinquetur ipse Deo nostro*] Impletum hoc quo tempore multas τῶν ἀλλοφύλων [*alienigenarum*] (ità eximiè vocantur Philisthini, solèntque Lxx Philisthinos hoc vocabulo vertere) urbes cepere Maccabæi: Josephus 12. 12. 1 Maccab. 5. 66. Idem Josephus de temporibus Alexandri Judæorum Regis: Κατὰ τὸν τῦτον καιρὸν ἤδη τῶν Σύρων καὶ Ἰδυμαίων, καὶ Φοινίκων πόλεις εἶχον Ἰυδαῖοι, πρὸς θαλάσσῃ μὲν Στράτωνος πύργον, Ἀπολλωνίαν, Ἰόππην, Ἰάμνειαν, Ἄζωτον, Γάζαν, Ἀνθηδόνα, Ῥαφίαν, Ῥινοκόλυραν· ἐν δὲ τῇ μεσογείᾳ, κατὰ τὴν Ἰδυμαίαν, Ἄδωρα καὶ Μαρίσσαν, καὶ Σαμάρειαν, Καρμήλιον ὄρος, καὶ τὸ Ἰταβύριον ὄρος, Σκυθόπολιν, Γάδαρα, Γαυλανῖτιδα, Σελεύκειαν, Μωαβίτιδας Ἐσσεβὼν, Μήδαβα, Λεμβᾶ, Θρώνας, Γελίθωνα, Σαρὰ, Κιλίκων αὐλῶνα, Πέλλαν. ταύτην δὲ κατέσκαψαν, ὐχ ὑποσχομένων τῶν ἐνοικούντων εἰς τὰ πάτρια Ἰυδαίων ἔθη μεταβαλέσθαι, ἄλλας τε πόλεις πρωτευύσας τῆς Συρίας, αἳ ἦσαν κατεστραμμέναι [*Circa hæc tempora, Syrorum, Idumæorum & Phœnicum urbes tenuere Judæi, ad mare Stratonis turrem, Apolloniam, Joppen, Jamneam, Azotum, Gazam, Anthedona, Raphiam, Rhinocoluram; in locis interioribus ad Idumæam Adora, Marissam, Samariam, montes Carmelum & Itabyrium, Scythopolin, Gadara, Gaulanitida, Seleuciam, Moabiticas Essebon, Medava, Lemba, Thronas, Gelithôna, Sara, Cilicum vallem, Pellam: hanc everterunt, ideo quòd ejus habitatores ad ritus Judaïcos se transduci non paterentur; Sed & alias principes Syriæ urbes ceperunt, quæ itidem fuere eversæ.*] Inter urbes ab Judæis superatas habes hic nominatim & *Azotum* & *Gazam*. ¶ *Et erit quasi dux in Juda*] Nam Proselyti honorum apud Judæos erant capaces: ut docet exceptio ejus regulæ Deuteronom. 23. ¶ *Et Accaron*] Urbs Palæstinæ suprà

etiam

etiam nominata. ¶ *Quasi Jebusaus*] Quo jure fuerunt Proselyti Jebusæi, ut Areuna 2 Samuel. 24. 16. & sequentibus.

8. *Et circumdabo domum meam ex his qui militant mihi euntes & revertentes*] *Castra metabor circa domum meam contra exercitum, contra euntes & revertentes*: id est, Dabo Angelos qui custodiant Templum, nè aut ab hoste obsideri possit aut etiam incursibus infestari. Magna & minora pericula à Templo avertam, nempe ad tempora usque Antiochi. ¶ *Et non transibit super eos ultrà exactor*] Id est, tyrannus, ut hic Chaldæus: nam mos est tyrannorum tributis populum opprimere. ¶ *Quia nunc vidi in oculis meis*] *Quia nunc* (id est, antehac) *oculis meis vidi*: id est, apparet mihi multas esse vicinas gentes quæ Templum invaderent hostiliter aut prædonum more diriperent, nisi ego miris modis obstarem.

9. *Exsulta satis*] In Hebræo: *valde*. ¶ *Ecce Rex tuus veniet tibi justus*] Optimè verti potest *vénit*, nempe cùm ex Babylone veniret. Nam præterita Hebræi sæpissime verbis futuris, quæ pro præsentibus sumuntur, exprimunt. Pertinétque locus primo & maximè obvio sensu ad Zerobabelem, qui Rex appellatur etiam Jeremiæ 23. 5. & Ezechielis 37. 22. 24. nimirum quia quanquam nomen sibi Regium pompámque Regiam non assumsit, nè in Persarum Regem offenderet, à suis tamen, ob ortum quem trahebat à Davide, ità cultus observatúsque fuit quasi Rex esset. Ad Messiam autem sublimiore quodam sensu hæc referri agnoscit Rabbi Salomo. Sed dubitare ait se Abenesdra de utro Messiarum hoc intelligendum sit. Nam cùm duplicem statum Messiæ describi viderent, contemtum alterum, alterum gloriosum, ex his duos Messias fecere, quorum illum vocant *filium Josephi*, hunc *filium Davidis*: & ad Josephi quidem filium Messiam hæc referunt Judæorum plerique. At doctissimus Rabbi Saadia Gaon ad Danielem ait de eodem hic agi qui denotatur Psalmo 72. & Danielis 7. 14. Is autem est *triumphator Messias*, ut ipsi fatentur. *Justus*, id est, æquus, *φιλόπατρις* [*amans patriæ*,] non tyrannus, de quali modò actum. ¶ *Et Salvator*] Mirum est non Latinum tantùm sed & Græcos & Chaldæum in hoc consensisse, ut *Salvatorem* verterent: nam in Hebræo legitur נושע [*salvatus*.] Aut ergò in codicibus melioribus quàm quibus usi sunt Masoretici scriptum fuit מושיע [*salvans*,] aut (quod mirum est) omnes in eo convenerunt ut passivum positum crederent pro activo; quomodo נדברו [*locuti sunt*] sumitur Psalmo 119. 23. Zorobabel *Salvator* populi suo modo, & ad tempus, justo scilicet regimine: Christus perfectè & in perpetuum. ¶ *Pauper*] Sine satellitio pompâque Regiâ, ob eam quam diximus causam. Ipsa corona ei dicis causâ imposita penes eum non mansit, sed in Templum perlata est. ¶ *Et adscendens super asinam, & super pullum filium asinæ*] *Et* pro *id est*: & in Hebræo חמור est *asinus*, ut rectè verti possit *vectus asino*, id est, *pullo nato ex asinis*; non mulo, sed asino planè, tam ex patre quàm ex matre. Id significabat non tantùm modestiam ipsius, sed & pacis studium: nam

Bello armantur equi. ———

Asinus pacis animal. Illustrant id sequentia.

10. *Et disperdam quadrigam ex Ephraim*] Auferam è Judæis & Israëliis, qui cum eis redière, omnem currum hostilem. ¶ *Et equum de Jerusalem*] Equitatum hostilem. ¶ *Et dissipabitur arcus belli*] *Incidetur*: id est, non magis ipsis nocebit quàm si incisus esset nervus. ¶ *Et loquetur pacem gentibus*] Nempe civitas Jerusalem fœdera faciet cum Regibus, cum Lacedæmoniis, cum Romanis. ¶ *Et potestas ejus à mari*] Rubro. ¶ *Usque ad mare*] Syriacum. ¶ *Et à fluminibus*] In Hebræo: *a flumine*, id est, ab Euphrate. ¶ *Usque ad fines terræ*] Nempe Patribus promissæ: nam sub imperium Hierosolymorum venit Samaria, Galilæa, Galaaditis, & alia quæ à temporibus Jeroboami distracta fuerant. Ad hæc verba intelligenda repete Josephi locum quem modò produximus.

11. *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu in quo non erat aqua: convertimini*] In Græco, *ἐξαπέστειλας* [*emisisti*.] at in Hebræo & Chaldæo, *emisi*; ità ut cum Chaldæo hæc sic vertere liceat, *Tu ergò*, ô posteritas Abrahami (nam גם את [*Et tu*] femininum est,) *cujus vinctos propter sanguinem fœderis tui* (promissum sancitum Paschali victimâ) *emisi* (nempe ex Ægypto, & emisi) *de cisterna in qua non erat aqua* (id est, ex siticulosissimis Arabiæ locis,) *redite* ad me: memores veterum beneficiorum ac novorum, mihi confidite.

12. *Ad munitionem, vincti spei*] *Ad munitionem*, id est, ad me qui sum rupes, *convertimini*, *vos* qui cùm *vincti* essetis (captivi in Babylonia) *fiduciam habuistis*, in me scilicet. ¶ *Hodie quoque annuntians duplicia reddam tibi*] *Et hodie annuntio vobis*, per Zachariam, *me dupla redditurum tibi*. Id est, non reditum tantùm salvum ac tutum, sed & insignes victorias latissimámque possessionem.

13. *Quoniam extendi mihi Judam quasi arcum*] *Tendam quasi arcum*: eo utar contra hostes mei nominis. ¶ *Implevi Ephraim*] Id est, Pharetras Israëlitarum, qui se Judæis adjunxerint, implebo sagittis. ¶ *Et suscitabo filios tuos, Sion, super filios tuos, Græcia*] Mirus transitus à persona secunda ad alteram secundam per subitam *ἀποστροφήν* [*Aversionem*.] Sensus est, Animabo Sionis populum contra copias Antiochi, qui è *Græco*, id est, Macedonico, erat sanguine. Hebræi omnes illos Syriæ Ægyptique Reges מלכי יון [*Reges Græciæ*] vocant. ¶ *Et ponam te quasi gladium fortium*] *Viri fortis*. Ità te utar, ut bellator gladio.

14. *Et Dominus Deus super eos videbitur*] Pugnabit pro Judæis tanquam ex arce aliqua. A secunda ad tertiam personam transit, ut sæpe. ¶ *Et exibit ut fulgur jaculum ejus, & Dominus Deus in tuba canet*] Id est, & adjutor erit & incensor belli. ¶ *Et vadet in turbine Austri*] Turbinis more disperget hostes. Auster vehemens illis in locis, Psalmo 78. 26.

15. *Et devorabunt*] Opibus hostium fruentur. ¶ *Et subjicient lapidibus fundæ*] Obruent eos, quamvis velitariter instructi, ut David contra Goliathum. ¶ *Et bibentes inebriabuntur quasi à vino*] Gaudebunt ultione expletâ, ut ratio ferebat illius Fœderis. ¶ *Et replebuntur ut phialæ, & quasi cornua altaris*] *Replebuntur* bonis hostium, *sicut phialæ* plenæ similâ & oleo, Numer. 7. 19. & ità hic Chaldæus. Satiabuntur etiam sanguine hostium non minùs quàm *cornua altaris* sanguine victimarum, Levitici 4. 25. & 16. 18.

16. *Et salvabit eos Dominus Deus eorum in die illa ut gregem populi sui*] *Ut gregem populum suum*. Expositio pronominis *eos*: Sicut pastor curam gerit gregis, ità Deus Judæorum. ¶ *Quia lapides sancti elevabuntur super terram ejus*] In Hebræo: *lapides coronæ*, id est, corona ex lapidibus. Solent pastores lapides in orbem disponere, quo gregem includant nè evagetur.

17. *Quid enim bonum ejus est, & quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines*] In Hebræo non est *nisi*. *Quanta enim bonitas ejus, & quanta pulchritudo ejus* (terræ? scilicet) *frumentum proveniet, & vinum cantare faciet virgines*: ut sit ינובב à נבב [*vociferatus est*.] Juvenes lætum carmen canent ob messem, & puellæ ruris ob felicem vindemiam.

CAP. X.

MUNSTERUS.

1. *Serotino*] Est *pluvia serotina* pluvia ultima quæ in Nisan descendit & fœcundat frumentum. Intelligitúrque hic per eam doctrina Euangelica, quæ *postulanda est à Domino*, nè humanæ traditiones irrumpant, & pro frumento zizania crescant. Porrò חזיזים, quod nos *nubes candidas* vertimus, quidam exponunt pro בברקין *fulguribus*, quæ tonitruum antecedunt, & alii pro עב ענן *nube densa*, quæ pluviam promittit. Non igitur ineptè hic verti posset pro *irradiationibus. Divinis*; quæ eum pluvia Divini verbi necessariæ sunt, nè homo à simulacris vanis, à somniatoribus & pseudo-prophetis seducatur, quos Propheta hic tam egregiè taxat: Quales Pharisæi fuerunt, qui *per traditiones suas irrita fecerunt mandata Dei*.

3. *Hircos*] Qui *pastores* in grege esse debuerant, facti sunt *hirci*, gregem in devia ducentes. Jonathan paulò clariùs sic reddidit hunc locum, *Ego visitabo contra eas culpas eorum, quoniam recordatus est Dominus exercituum populi sui*, &c. ¶ Per *equum gloriæ ejus* intellige Apostolos, qui pro gloria nominis Divini pugnaverunt contra impietatem mundi, tanquam equus ad bellum paratus.

4. *Ex ipso est angulus*] Ex grege, inquit, domûs Jehudâ procedent armati illi equites qui bellum indicent toti mundo, non corporale, sed spirituale: In hoc erant *anguli*, h. e. capitanei, quales fuerunt Apostoli, & *clavi*, i. פקידים, quos Apostoli instituerunt. Significat enim *clavus* fidelem & constantem hominem, Jes. 22.

6. *Faciam habitare eos*] In Regno spirituali.

8. *Sibilabo eis*] i. Afflabo eos Spiritu meo.

9. *Et seminabo eos*] Sicut semen sparsum in terram multiplicat fructum, sic spargam eos inter gentes, ut doctrinâ suâ plurimum proferant fructum: & cùm aliquandiu *vixerint cum filiis suis* quos Christo genuerunt, *revertentur*, ut & aliis nationibus annuncient Regnum Dei.

10. *Non sufficiet eis locus*] Heb. *Non invenietur eis.* Nos Chaldæum P. hic sumus secuti. Est autem sensus, Adeò multiplicabuntur fideles ut, si in terram Israel ducerentur, Regnum illud eos minimè capere posset. Non enim arctatur Regnum Christi in tam angustum locum sicut olim Regnum Israel.

11. *Transibit tribulatio*] Videtur hunc habere sensum, Dominus compescet fluctus maris, ut etiam Euangelici nuncii pervenire possint ad interiores & remotiores insulas maris, &c. Alii sic vertunt, *Transibit per angustiam maris*, &c.

VATABLUS.

1. FAciet עשה] *Facturus est*, *editurus est*: Præs. Heb. pro fut. Decidit pluvia serotina circa ver, pluvia autem tempestiva sive temporanea in Autumno. ¶ *Atque pluviam imbris* ומטר גשם] Synonyma sunt hæc duo vocabula, *pluviam pluviæ*, pro *pluviam abundantem*. Hebraismus. ¶ *Vobis* להם] Ad verb. *eis*: mutatio personæ.

2. *Profecti sunt* נסעו] Quidam subaudiunt *in captivitatem*. Alii exponunt, *abducti sunt in varios errores*, *instar ovium pastore carentium.* ¶ *Humiliati sunt* יענו] *Afflicti sunt*. ¶ *Carerent pastore* אין רועה] Ad verb. *non pastor.*

3. *Iratus est furor meus* חרה אפי] *Indignatus est* [vel *exarsit*] *furor meus.* Pro eodem posuit, *Iratus est furor meus contra pastores*, *& visitabo pastores*: nam utroque significat se animadversurum in Doctores Gentium & in Duces ipsos. ¶ *Visitabit* פקד] Hic in bonam partem accipit *visitare*, pro *memor erit gregis sui.* Præt. est Heb. pro fut. ¶ *Tanquam equus cujus gloria est in bello* כסוס הודו במלחמה] Ad verb. *tanquam equus gloria ejus in bello.* Hebraismus, pro, *tanquam equum cujus gloria conspicitur in ipso conflictu*, h. e. generosum, animosum & bellacem.

4. *Ex ipso* ממנו] Sub. *Juda.* ¶ *Angelus* פנה] i. Caput populi. 1 Reg. 14. 38. *Statuite huc omnes angulos populi.* Sic vocat Christum qui est *lapis angularis.* Nam sicut angulus conjungit duos parietes, ità Christus *fecit ex utroque populo unum*; ex Judæis enim & Gentibus fecit unam Ecclesiam. Chald. *Rex ejus.* ¶ *Palus* יתד] *Paxillus*: *clavus.* Ità etiam dicitur Christus. Nam sicut paxillus sustentat ac confirmat tentorium, ità Ecclesia omne fulcimentum suum accipit à Christo. Chald. Messias ejus. ¶ *Omnis præfectus simul* כל נוגש יחדו] *Omnis exactor pariter*, i. quotquot erunt exactores, quotquot urgebunt operarios Euangelicos ac prædicationem ipsius Euangelii.

5. *Tanquam fortes* כגבורים] *Tanquam robusti*: *potentes*, i. tanquam strenui milites. ¶ *In luto platearum* בטיט חוצות] Quædam exempl. legunt כ Similitudinis pro ב præpositione, *velut lutum platearum.* ¶ *Ascensores equorum* רוכבי סוסים] *Qui insident equis.* Robustos & arrogantes intelligit, qui innituntur auxiliis humanis superatos à fidelibus. Qui equis magnis & generosis insident, solent alios habere contemptui, qui tamen erubescent ubi viderint se victos à peditibus, hoc est ab hominibus infirmis ac debilibus.

6. *Convertámque eos* והושבותים] Doctus inter Hebræos annotat dictionem istam posse à duabus radicibus deduci: si legas והושבתים, erit à ישב: si verò והשיבותים, à שוב, propterea vertendum esse; *eósque conversos* ad me *collocabo*, vel *habitare faciam*, vel ut alii vertunt: *& reversus collocabo.* ¶ *Miserebor eorum* רחמתים] Præt. Heb. pro fut. Quidam vertunt, *diligam enim eos.* ¶ *Eruntque acsi non repulissem eos* והיו כאשר וגו'] *Eruntque sicut fuerunt quando non projeceram eos.*

7. *Et erunt* filii *Ephraim*, &c. והיו כגבור אפרים] Ad verb. *Et erunt tanquam robustus*, *Ephraim.* Inversus est ordo, pro, Filii *Ephraim erunt tanquam potentes*, i. strenui athletæ. ¶ *Sicut* bibentis *vinum* כמו יין] Ad verb. *sicut vinum*, i. ut cor ejus qui exhilaratur vino.

8. *Sibilabo eis* אשרקה להם] Tanquam sibilo accersam eos. Per *sibilum* intelligit prædicationem Euangelicam. Prædicitur enim congregatio fidelium in Ecclesiam. ¶ *Redimam eos* פדיתים] Præt. Heb. pro fut.

9. *Et in locis remotis* ובמרחקים] Ad verb. *& in longinquitatibus.*

11. *Angustia* צרה] *Afflictio*: i. Infideles, qui ob multitudinem comparantur Mari, affligentur. ¶ *Et percutiet* והכה] i. Et sedabit Dominus, ac conquiescere faciet *fluctus*: h. e. tumultus qui excitabuntur à Gentibus initio prædicationis Euangelii. Doctus inter Hebræos exponit, *percutiet mare & fluctus ejus.* ¶ *Et desiccabuntur* והובישו] *Et erubescent.* ¶ *Profunda* sive *profunditates fluminis* intelligit superstitiones & errores quibus detinebantur Gentes illæ. ¶ *Et dejicietur* והורד] *Et deprimetur*: *præcipitabitur*, *deturbabitur*: Ad verb. *cogetur descendere.* ¶ *Recedet* יסור] i. Auferetur.

12. *Et roborabo eos*, &c. וגברתים] i. Dabo illis spiritum meum & virtutem quâ constanter nomen meum ac gloriam ubique terrarum portare & prædicare queant.

CASTALIO.

2. ABeunt ut oves, *miseri qui pastore careant*] Scilicet qui falsos deos sequuntur.

10. *Ità ut eis parùm sit*] Scilicet loci, præ multitudine.

CLARIUS.

1. IN tempore serotino] Est *pluvia serotina* pluvia ultima, quæ descendit, & fœcundat frumentum. Intelligitúrque hic per eam doctrina Euangelica, quæ *postulanda est à Domino.* Hæc dabitur cum *irradiationibus Divinis.* Verùm ad literam sic dicit, *Dabit pluviam tempestivam & copiosam*, *qualis in æstate cadere solet cum tonitru & fulgure.*

3. *Super hircos*] Qui *pastores* in grege esse debuerant, facti sunt *hirci* gregem in devia ducentes. ¶ *Equum gloriæ*] Equum generosissimum. Intellige Apostolos, qui pro gloria nominis Divini pugnaverunt contra impietatem mundi tanquam equi ad bellum parati.

4. *Ex ipso angulus*] Ex grege, inquit, domûs Juda procedent armati illi equites qui bellum indicent toti mundo, non corporale, sed spirituale. In hoc erunt *anguli*, h. e. duces, quales fuerunt Apostoli, & *paxilli* vel *clavi*, fideles & constantes homines, ut Esa. 22.

5. *Conculcantes lutum*] Hostes tanquam lutum.

8. *Sibilabo eis*] Vocabo eos, & afflabo Spiritu meo.

9. *Et seminabo eos*] Sicut semen sparsum in terram multiplicat fructum, sic spargam eos inter gentes, ut doctrinâ suâ plurimum proferant fructum: & cùm aliquandiu *vixerint cum filiis suis* quos Christo genuerunt, *revertentur*, ut & aliis nationibus annuncient Regnum Dei.

10. *Non invenietur eis*] Satis amplus videlicet. Adeò, inquit, multiplicabuntur fideles ut, si in terram Israel ducerentur, Regnum illud eos minimè capere posset. Non enim arctatur Regnum Christi in tam angustum locum sicut olim Regnum Israel.

11. *Et transibit per mare*] h. e. Per multitudinem hostium turbulentorum instar maris. Alius sic interpretatur, *Dominus compescet fluctus maris*, *ut etiam Euangelici nuncii pervenire possint ad interiores & remotiores insulas maris*, &c. ¶ *Sceptrum Ægypti*] Scilicet ab Ægypto.

DRUSIUS.

1. PEtite à DOMINO] Continuat sermonem de beneficiis Dei conferendis in Ecclesiam. Monet autem ut ea *à Deo petamus.* Rectè sanè. Nam hoc pertinet etiam ad honorem ipsius. ¶ *Serotinæ*] Vel *serotini.* Hic *imber*, ibi *pluvia* subintelligitur. Est autem *pluvia serotina*, vel *serior*, quæ post factam sementem decidit in Martio, h. e. post *pluviam primorem*, quæ מורה dicitur. Hâc pluviâ maturescunt mox mettendæ segetes: quocirca gratissima est agricolis. ¶ *Faciet coruscationes*] Faciet ut cœlo coruscante pluvia decidat copiosa. חזיז *coruscatio*: sic dicta à *cernendo*: nam in ea ignis cernitur absque tonitru. Aut חזיז *fulgetrum.* Cui firmando quod Job. 38. 25. לחזיז קלות *fulgetro vocum*, i. tonitruorum. Ut הגות *meditatio*, ab הגה, sic חזיז. V. Int. *faciet nives.* Puto scripsisse *faciet nubes*: nam חזיז *nubes.* Ità exponebant antiqui. R. D. in lib. Rad. *Doctores nostri exposuerunt* חזיז *Nubem. Dicunt enim quinque nomina esse Nubem significantia*, *ex quibus unum sit* חזיז, *reliqua sunt ista*, עב & אד & ענן & נשיא. ¶ *Pluviam imbris*] i. copiosam. Nam *imber* est pluvia copiosa. Aut *pluviam imbris* dixit ἐν παραλλήλῳ, ut alibi *Terra pulveris*, & *Lutum cœni*, & si quæ alia Grammatici annotarunt. ¶ *Eis*] i. Vobis. Mutatio personæ. ¶ *In agro*] בשדה ἐν τῷ ἀγρῷ, ac si diceret *in agro suo.* Non solùm omnibus, inquit, sed etiam singulis benefaciet. Eâ est benignitate.

2. *Nam imagines*, &c.] Pertinet ad illud, *Petite à DOMINO*: q. d. *non à simulacris aut à divinis*: & rationem

addit,

addit, *Quia illa vanitatem loquuntur, & illi mendacium vident.* Vel *simulacra*, quæ תרפים Ebræi vocant, & Aq. μορφώματα. Indicabant autem res futuras. Item loquebantur humano more: quod fiebat arte Astronomicâ, vel certè Magicâ dæmoniacâ. Tales imagines Arabes & Ægyptii fabricabant, in iisque spiritus stellarum includi putabant. Quod testatur Marsilius Ficinus in libro De vita cœlitus producenda, cap. 13. cùm ait, *Arabes & Ægyptii tantum statuis & imaginibus attribuunt arte Astronomicâ & Magicâ fabricatis ut spiritus stellarum in eis includendi putent.* Spiritus autem stellarum intelligunt alii quidem mirabiles cœlestium vires, alii verò Dæmonas etiam, stellæ hujus illiusve pedissequas. *Spiritus igitur stellarum, qualescunque sint, inseri statuis & imaginibus arbitrantur, non aliter ac Dæmones solent humana nonnunquam corpora occupare, pérque illa loqui, moveri, movere, mirabilia perpetrare. Similia quædam per imagines facere stellarum spiritus arbitrantur*, &c. ¶ *Vanitatem*] i. Vana. Nam quæ prædicunt nullum effectum habent, aut si effectum sortiuntur, nihil tamen in iis est Divini. Quidam aliter hæc convertunt cum superioribus, nempe ità, Ex eventu eorum quæ vobis acciderunt cognovistis vana esse quæ vobis prædixerunt imagines, quas antea consulere solebatis: Similiter cognovistis falsa esse quæ divini, à quibus responsa petere consuestis, præsignificarunt: Item cognovistis vos à somniis, quibus nihil non tribuebatis, & à quibus toti pendebatis, non semel deceptos esse. ¶ *Cernunt*] Per visionem. ¶ *Mendacium*] *Falsa*, h. e. ea quæ non ità eveniunt ut videntur, ac proinde fallunt eos qui in ipsis spem ponunt. ¶ *Somnia vanitatem loquuntur*] Præsertim quæ à Diabolo immittuntur; Cujusmodi erant somina illa quibus futura cognoscebant incubantes pellibus hostiarum; quod ætate Hieronymi in fano Æsculapii adhuc fiebat. His adde somnia naturalia, quæ plerumque incerta sunt, & ab incerta causa proficiscuntur. Quocirca eorum observationem prohibuit Deus Deut. 18. Et 2 Par. 33. Rex Manasses reprehenditur quòd *somnia observaret*. De his Sirachides Eccl. 34. 1. *Somnia pennas erigunt amentibus:* ubi *amentes* appellat eos qui hæc observarent; & rectè. Nihil enim stultius quàm hujusmodi somniis addictum esse. Sunt alia quæ *Divina* dicuntur, quòd à Deo immittantur, & alia *semantica* sive *divinatoria*, quæ ex sympathia quæ inter corpus humanum & sidera. Tale fuit Nabuchodonosoris, Astyagis, & aliorum quorundam. De his duobus generibus dicam alio tempore, si Deus volet. Vel *insomnia*, i. ἐνύπνια. Macrobius In Somn. Scip. l. 1. c. 3. *Insomnium est quoties cura oppressi animi vel corporis sive fortunæ, qualis vigilantem fatigaverat, talem se ingerit dormienti.* Vide Cohel. 5. 3. ¶ *Vanitate*] Rebus vanis ac futilibus. Aliàs *vane:* הבל *vanè* ut בטח *securè:* nomen loco adverbii. ¶ *Propterea profecti velut pecus*] Videlicet in exsilium. Vel abierunt vagi ac palantes ut pecora pastore carentia; & *propterea*, i. quia falsos deos coluerunt. ¶ *Humiliati sunt*] יענו. Ità sumitur hoc verbum Jes. 31. 4. Quidam, *testificati sunt nullum esse pastorem:* minùs placet. Infrà עניי הצאן *humiles ovium.* Nam עני *humilis.* ¶ *Quia nullus erat pastor*] *Eò quòd non esset pastor*, h. e. Rex aut Princeps aliquis qui eos regeret. Fortè respexit ad historiam quæ habetur 2 Reg. 25. 25. Nam post interfectum Godoliam, qui populo relicto in Judæa præerat, plerique omnes in Ægyptum abierunt metu Chaldæorum. Quin jejunium institutum fuit in memoriam hujus cædis, quod *jejunium septimi* & *jejunium Godoliæ* dicebatur. Jam verò qui jejunant se humiliant & animam affligunt abstinentiâ. Quocirca in lingua Chaldæorum *jejunium* תענית vocatur, nempe à ענה *humilio.* Ergò *profecti sunt* in Ægyptum & *humiliati sunt* jejunando; *eò quòd non esset pastor*, & quòd esse desiisset Godolias ipsorum pastor, h. e. Præfectus ac Præses. Hoc pono, non statuo. Judicium penès eos esto qui has res intelligunt. Meum si requiritur, existimo eum potiùs præsignificare statum Judææ qualis fuit sub Regibus Syriæ ante tempora Machabæorum. Vide sequentia.

3. *Contra pastores istos*] Contra Reges Syriæ. Alii Sacerdotes notari putant; per *hircos* autem gubernatores populi, ut Ezec. 34. 17. ¶ *In hircos istos animadvertam*] Reges *hircos* vocat, quia hirci gregem præcedunt & quasi ducunt. Sic Dan. 8. 5. Alexander vocatur *hircus caprarum:* & Jes. 14. 9. ubi in Ebræo legimus *omnes hirci terræ*, Santes vertit *omnes Principes terræ.* ¶ *Visitavit*] Liberando ac salvando eum. ¶ *Posuit eos*; &c.] Effecit ut essent similes equo generoso & ad prælium incitato: vult dicere, *reddidit eos bellaces*, sive *bellicosos.* ¶ *Ut equum decoris sui*, &c.] Alias, *ut equum cujus laus in bello.* Nam הוד ἔπαινος, *laus.* Vel, *cujus decus*, i. robur, *in bello.* Nam in prælio potissimùm vires suas ostentat Equus. Vide Job. 39. 21. Vel, *majestatis suæ.* Sumptum à Regibus qui certos equos alebant ab usum proprium in bello. Tales equi suo genere excellebant, & non tam ad decus comparabantur. ¶ *In bello*] In prælio. Hem! penè exciderat. *Contra pastores istos*, Deus loquitur; *Nam visitavit gregem suum*, Propheta.

4. *Ex ipso*]. Vult dicere *Angulus eorum* non ex Græcis erit, sed ex Judæis, h. e. *ex ipsomet grege Dei.* ¶ *Angulus*] i. Dux. Nam Duces & primores populi sic vocantur sæpe, ut 1 Sam. 14. 38. & Jes. 19. 13. & Soph. 3. 6. Vide quæ scripsimus ad hunc postremum locum. Aut *angulus*, i. Magistratus qui eos reget. ¶ *Clavus*] i. Præfectus, ut Jes. 22. 23, & 25. Sic interpretatur R. D. Metaphora sumpta est ab Ædificiis. Scimus clavis compingi trabes inter se & reliquas partes domûs. Suprà, *visitavit domum Juda.* Hoc vult, Semper erunt ex ipsis qui remp. gubernent populúmque in officio contineant. Aut *ex eo Præfectus*, i. Tribuni, Centuriones, &c. qui militum præfecti erant, eósque in officio continebant. ¶ *Ex ipso arcus bellicus*] Non aliunde petent arma sua, nec indigebunt milite externo. ¶ *Exactor*] Is, credo, qui fructus prædiorum, nomina & pecuniam exiget. Alii, qui tributum exiget à gentibus devictis & imperio suo subjectis. Minus placet.

5. *Similes robustis*] Sub. *militibus.* Nec absurdè legeris *similes militibus.* Nam גבור *miles*; propriè tamen *miles fortis ac robustus.* Sed cur dicit *similes militibus?* Puto melius esse, *Erunt sicut milites conculcantes*, vel *sicut fortes*, i. revera fortes. Simile, *Erunt sicut contendentes cum Sacerdote:* ὡς pro ὄντως. Vult dicere, *Ità se gerent ut decet fortes milites, qui hostes in luto platearum conculcant ac pedibus proterunt pugnæ tempore.* ¶ *Conculcantes in luto*] Plena oratio erit si subaudias *hostes suos.* Alii tamen maluerunt *conculcantes lutum.* Sic etiam Int. antiquus. Notatum in quibusdam cod. legi כטיט per Chaph. Id valet *sicut lutum.* Hanc lectionem firmat Jonathan, referens, *quasi lutum vicorum.* ¶ *In bello*] *In prælio.* Alioqui *prælium* קרב dicitur; מלחמה autem est *bellum.* ¶ *Pudefient insidentes equis*] *Insidentes equis* dicit pro *equitibus*, sc. hostium: & *pudefient*, quia vincentur à peditibus. Alius hoc diceret *vecti equis.* Perinde est. V. Int. *ascensores equorum.*

6. *Roborabo*] *Robur conciliabo, confirmabo.* ¶ *Domum Josephi*] Intelligit 10 tribus, quæ & *domus Israel*, & interdum *Ephraim* appellantur, propter Jeroboamum, qui è tribu Ephraim fuit & è domo Joseph. Videndus Hier. in Amos 1. ad locum, *nè fortè comburatur ut ignis domus Joseph.* ¶ *Restitutos*, &c.] *Restitutos* in integrum *collocabo* in pristinis sedibus unde ejecti fuerunt. Porrò constat 10 tribus nunquam restitutas fuisse. Ergò locus iste intelligi debet de restitutione spirituali & de temporibus Messiæ. Verbum והושבותים creditur compositum esse ex duobus diversis ordinibus, videlicet ex הושבתים *collocabo eos*, & ex השיבותים *reducam* sive *restituam eos.* Priùs est à ישב *habito*, alterum à שוב *redeo*, quod in tertia conjug. facit השיב *redire facio, restituo.* Nos utrumque significatum expressimus. ¶ *Collocabo eos*] *Faciam ut habitent*, & subintelligitur *quietè ac securè.* ¶ *Misertus sum eorum*] Vel *intimè diligam eos.* Ex amore Dei erga nos tanquam ex fonte manant omnia bona quæ percipimus tam in hac vita quàm in futura. *Erunt ac si non*, &c.] Tam læti & felices ac si nunquam abjecti fuissent. Nam præ copia boni obliviscentur mala præterita. Quidam, *erunt ut cùm non projecissem eos*, h. e. ut fuerunt antequam projecissem eos. Vult dicere, ut fuerunt tum cùm adhuc Judæa habitaretur & quieta esset, ¶ *Repulissem*] *Projecissem, repudiassem.* Alibi hoc dicitur *reprobare:* cujus contrarium *eligere.* Porrò, abjecerat eos in exsilio Babylonico.

7. *Et erit tanquam robustus*] i. Robusto militi similis. Vel, erit robustus revera, ut Chaph sit ἀληθινόν. Suprà, *Et erunt sicut robusti conculcantes in luto platearum.* Vide quæ notamus ad illum locum. ¶ *Ephraim*] Israel, i. 10 tribus, quæ sic vocantur propterea quòd Jeroboam autor divortii ex tribu Ephraim fuerit. ¶ *Lætabitur cor eorum quasi vino*] Ut cor vino exhilaratum. Quod sæpe fit citra ebrietatem: unde Eccl. 31. *Vinum ad jocunditatem creatum est, & non ad ebrietatem.* Hæc hilaritas ex vino initium est ebrietatis, non ebrietas. Ergò Esth. 1. 10. *Cùm bonum esset cor ejus vino*, i. lætum, hilare, jocundum: & malè vertit qui vertit, *cùm post nimiam potionem vino incaluisset.* Jon. *ut qui vinum bibunt.* Hunc secuti Ebræi exponunt *quasi vinum bibentis.* Sententia in idem recidit. Talis defectus est in illo, *Irrisor vinum*, qui vinum bibit. Sic alibi יין redditur à Græcis κατοινώμενος, i. *vinolentus.* Sic חמדות *desideriorum*, sub. *vir.* Sed Ellipsis hoc in loco minùs necessaria

ria est. *Lætabitur tanquam vino*, i. supra modum. Vinum enim vehementer exhilarat. Scitum illud, *Vinum lætificat cor hominis.* Et *lætabitur* ob partam victoriam de hostibus. ¶ *Videbunt & lætabuntur*] Rectè sanè. Nam gloria filiorum ex honore parentum. *Videbunt* autem dixit pro *audient:* nam ipsi, ut credibile est, prælio non intererant, sed de eo cognoscebant vel rumore nuncio, vel ex relatione militum. ¶ *In DOMINO*] Quod proprium est piorum. Nam etiam impii *exsultant*, sed non in *DOMINO.*

8. *Sibilabo eis*] Alius hoc dixit, *Sibilabo ad eos.* Est autem sensus ut si diceret, *Sibilo advocabo eos.* Ità sumitur hoc verbum Jes. 5. 26. *sibilabit illi ab extremo terræ:* & 7. 18. *Sibilabit DOMINUS ad muscam*, i. edito sibilo advocabit ad se. ¶ *Et congregabo illos*] Dispersos eo tempore ob persecutiones, aliâve de causa, in unum cogam demùmque reducam. Hæc omnia referri possent, ac forsan debent, ad tempora Messiæ. ¶ *Quoniam redemi eos*] Vel *redimam eos* sanguine Filii mei. Vel *redemi eos* idem cum illo, *elegi eos.* Nam quos *eligit*, eos etiam *redimit.* *Elegerat* autem Israelem in populum peculiarem: Qui fons est omnium beneficiorum quæ in eos Divinitus collata sunt. Quidam, *cum redimam eos:* non displicet. ¶ *Sicut multiplicati fuerant*] Olim in Ægypto scilicet.

9. *Seminabo eos in populis*] Hoc videtur velle, *Quos disseminavero per populos, mei memoriam usurpabunt in terris longinquis, & vivent ibi cum filiis suis, posteáque revertentur in patriam.* ¶ *In longinquis*] Sub. *locis.* Quidam legunt, *ut in longinquis meminerint mei:* q. d. *Ideo eos disseminabo ut memoria mei exstet apud nationes procul hinc dissitas ac remotas.* ¶ *Recordabuntur mei*] Cultum meum retinendo & præcepta observando; vel, si placet, Euangelium annunciando prædicandóve. ¶ *Et vivent*] Bene ac feliciter agent. *Vivere* dicebant pro *jocundè vivere*; ut, *Rex, in æternum vive.* Sic, *in benevolentia Regis, vita*, vita jocunda. Aut *vivent*, i. salvi erunt. Talis sensus in verbo Latino *Have*, i. *Vive:* nam Ebraicum est origine. ¶ *Cum filiis suis*] Propriè: vel *cum discipulis suis*, nempe quos genuerint recordatione mei.

10. *In terram Galaad*] Quæ trans Jordanem Orientem versùs. ¶ *Libanique*] Vel *Libanumque.* Si *Libani*, repeti debet *terra ἀπὸ κοινοῦ. Terra Libani*, si credimus Ebræis, appellatur Judæa, saltem is tractus qui Libanum respicit. Sunt qui *Libani* nomine Templum significari putant. Causam iidem addunt, quia Templi materia ex arboribus Libani. Certè Jonathan interpretatur *& ad Sanctuarium:* similiter Oncelus, sed alio in loco. Hier. quoque, ità scribens, *Per* LIBANUM, Zach. 11. 1. *perspicuè templum intelligitur Judæorum.* Vide quæ notamus ad hunc postremum locum. ¶ *Et non sufficiet eis*] Ad verb. *non invenietur eis.* Terra, inquit, Galaad & Libani non poterit omnes capere: tanta erit multitudo redeuntium.

11. *Per mare*] *Per mare* populorum, sive per multitudinem gentium. *Aquæ* enim *multæ* populi sunt multi. Quocirca Ninive appellatur *piscina aquarum*, i. refecta populis, vel, si placet, populosa. Huc pertinet illud Hier. Jes. 21. ad locum, ONUS DESERTI MARIS, ità scribentis, *Perspicuum est quod* DESERTUM MARE *Babylon appellatur:* & paulò pòst, MARE *autem propter multitudinem habitantium dicitur.* Vulgò hunc locum ità enarrant ac si diceret, *Exseret potentiam suam in hostes Ecclesiæ, quemadmodum olim exseruit in mari Rubro cùm Israelitæ siccis pedibus illud transirent, & Ægyptii in eodem submergerentur.* ¶ *Adversitas*] *Angustia, calamitas, pressura.* Quondam erat *in maris freto*, sive *in mari angusto*, i. בים צרה. Hìc observare est nomen fem. cum verbo masc. quæ est constructio sensu tantùm congrua. Ergò Ebræi subintelligunt דבר, quod est nomen masc. ut sit דבר צרה, i. *res adversitatis.* ¶ *Percutiet*] Quis *percutiet?* *Deus* subintelligitur. Aut vertendum *percutientur in mari fluctus.* Eodèm recidit. ¶ *Fluctus*] Copiæ innumerabiles. Nam fluctus numerari nequeunt præ multitudine. Unde adagium, *Fluctus numerat*, de inani & casso labore. ¶ *Et pudefient*] והבישו. Alii, *& arescent*, ויבשו, ad sententiam non malè. Nam *pudefient*, i. arescent, siccabuntur. Sic *puduit mustum*, i. defecit. ¶ *Fluminis*] Ità priscus Int. Ergò יאר *flumen.* Verum videtur. Certè Moses Ger. ait יאר & נהר idem esse. Porrò נהר est *flumen.* Dicitur de Tigri Dan. 12. 5. & sæpius de Nilo, ut Amos 8. 8. item 9. 5. ubi אר pro יאר. Vulgò *rivum* interpretantur, i. ῥεῖθρον, assentiente Hier. quem vide, si placet, in De quæstionib. Ebr. ¶ *Dejicietur*] Quasi ex alto deturbabitur. Nam superbi animus elatus celsúsque est. ¶ *Superbia Assur*] i. Assyriæ vel Assyriorum. Potest etiam legi *magnificentia Assur.* Nam גאון verbum est μέσον, & tam in bonam quàm in malam partem accipitur. ¶ *Septrum*] Regnum. Ità sumitur ibi, *Non recedet sceptrum de Juda*, i. Regia dignitas, aut reip. administratio, quæ penès Judices erat quos *Sanhedrim* vocabant. ¶ *Ægypti*] Vel *Ægyptiorum.* ¶ *Recedet*] Auferetur, abolebitur. Meminit autem peculiariter *Assyriorum* & *Ægyptiorum* quia hæ gentes præ cæteris vexarunt populum Judæum.

12. *Roborabo in DOMINO*] Genus loquendi, ut, *Dixit DOMINUS, Ascende ad DOMINUM.* Pleni sunt libri talium. ¶ *Eos*] Veros Judæos. ¶ *Ambulabunt*] Quidam *ambulabunt continenter*, sive διηνεκῶς. Non displicet: veruntamen dicam quod res est, non omnino placet. Nam הלך *ivit*, התהלך *itavit* vel *ambulavit.* Nam qui *ambulat*, continenter it. Quod autem hoc in loco *in nomine DOMINI ambulabunt*, hoc alibi dicitur *ambulabunt cum Deo.* Puto enim eandem utrobique sententiam esse. Porrò *cum Deo ambulat* qui sapienter & piè vitam instituit. Sic est profectò. Qui secundùm voluntatem Dei vivit is *cum eo ambulare* dicitur.

IDEM.

4. נוגש. A. εἰσπράσσων] Hier. *Ex ipso omnis exactor simul; quod in Ebraico scriptum est* נגש, *& Aq. interpretatus est εἰσπράσσων.* Ità legendum, & non, ut in libris Antverpiæ impressis, εἰσπάσσων, quod nihil significat. Εἰσπράσσων, *exactor*, i. εἰσπράκτωρ. Sic λέγων *orator.* Sic *discentes*, i. discipuli. Nihil frequentius in lingua Ebraica: רופא *medicus*, מושל *dominator*, הורג *occisor.* Sic נוגש *exactor.*

6. וְהָיוּ כַּאֲשֶׁר לֹא זְנַחְתִּים. Sym. καὶ ἔσονται ὡς ἂν εἰ μὴ ἀπωσάμην αὐτοὺς] Sumptum ex Theodoreto. Latinè, *& erunt ut si non repulissem eos.* Ὡς ἂν εἰ μὴ scriptum in ed. Rom. Alibi legitur ὡσανεὶ μή, videlicet apud Interpretem Theodoreti.

GROTIUS.

1. PEtite a Domino pluviam in tempore serotino] Nè magnifica illa quæ præcesserunt promissa crederentur eventura quovis modo viventibus, addit Propheta, Ità demum ea suo tempore exspectanda si Judæi, & qui ex aliis tribubus eis se adjunxerant, Deum colerent ac precarentur: ubi verò iterum relaberentur ad veteres culpas, præstò fore mala qualia antea. *Pluvia serotina* Hebræis est quæ segetem jam adultam promovet. Vnius autem speciei vocabulo genus totum intelligitur, id est, res prosperæ qualescunque. ¶ *Faciet nives*] *Vota arborum communia sunt, frugúmque, nives diutinas sedere*, Plinius 17. 2. ubi & causas reddit. ¶ *Et pluviam imbris dabit eis*] Id est, largam. ¶ *Singulis herbam in agro*] עשב Hebræis tam generale est ut ea quæ in humano sunt victu comprehendat. Sensus est, Deum daturum fruges, tum quæ homini tum quæ animantibus usum sui homini præbentibus conveniunt.

2. *Quia simulacra locuta sunt inutile* Vana sunt quæ idolorum nomine respondent sacerdotes. Hæc omnia ideo repetuntur ut in posterum caveant sibi Judæi. ¶ *Et somniatores locuti sunt frustrà*] Divini falsa locuti קוסמים Græcè reddi solet μάντεις [*vates*,] at Esaiæ 3. 2. στοχασταί [*conjectores.*] ¶ *Vanè consolabantur*] In mediis peccatis prospera spondebant populo, Ezechielis 13. 9. 10. ¶ *Idcirco abducti sunt*] Judæi. ¶ *Quasi grex*] Tam facilè quàm pecudes aguntur. ¶ *Affligentur, quia non est eis pastor*] *Malè tractati sunt, nullo ipsis existente Principe.* *Pastorum* nomine hìc tum Reges tum Principes intelliguntur; ut Chadæus explicat.

3. *Super pastores iratus est furor meus*] Id est, Regibus & Principibus implacabiliter iratus sum, quia illi ad idololatriam duces populo fuerant; Itaque & filios Regis & Principes alios interimi à Chaldæis volui: Regem verò Sedeciam orbatum oculis, tandem mori sine prole, 2 Regum 25. 7. 19. 20. ¶ *Et super hircos visitabo*] Græci, ἐπὶ τοὺς ἀμνοὺς ἐπισκέψομαι [*super agnos inspectabo*,] non malè: nam per עתודים, id est, *hircos*, συνεκδοχικῶς [*per Complexionem*] hìc intelligitur *grex* omnis, & per *gregem* populus. *Visitabo* autem hoc loco valet *miserebor.* Regibus & Principibus excidium immisi; at populum premi quidem volui, sed non radicitus exstirpari, ut aliquando videns se à Regibus & principibus deceptum, Divinâ ope in patriam rediret, & cautior esset in posterum. ¶ *Quia visitavit Dominus exercituum gregem suum*] Modò Propheta, modò Deus loquens inducitur. Hic Propheta probat hæc verissimè à Deo esse dicta. *Visitavit*, id est, *misertus est*, ut diximus. ¶ *Domum*

Judæ]

Judæ] Quæ scilicet per *hircos* illos, sive, quod idem est, *gregem*, in antecedentibus Dei verbis erat intelligenda. ¶ *Et posuit eos quasi equum gloriæ suæ in bello*] Vt aliquando, temporibus scilicet Antiochi & deinceps, Judæis illis uteretur sicut Reges habere solent equos ad prælia reservatos.

4. *Ex ipso angulus*] *Angulus*, id est, coagmentatio tribuum, quæ per Judam facta est. Nam quicunque redire voluerunt ii Judæ tribui se applicuerunt, ejusque imperio se subdidere. Sic urbs Hierosolyma dicitur *lapis angularis* Ezechiæ temporibus Esaïæ 28. 16. ¶ *Ex ipso paxillus*] *Firmitas status*. Nam omne quod firmandis aliis rebus adhibetur *paxilli* nomine denotatur, similitudine à Tentoriis desumtà, ut videre licet Exodi 27. 19. & 35. 18. & 38. 20 Judic. 4. 21. Esaïæ 33. 20. & 54. 2. ideóque & per στήριγμα [*stabilimentum*] vertitur Esdræ 9. 8. Sic Eliacim dicitur paxillus domûs Regiæ, Esaïæ 22. 23. ¶ *Ex ipso arcus prælii*] Ex eadem tribu præcipuum militiæ robur. ¶ *Ex ipso egredietur omnis exactor simul*] *Recedet ab ipso omnis tyrannus*. Idem quod suprà 9. 8.

5. *Et erunt quasi fortes conculcantes lutum viarum in prælio*] Est Transpositio sic explicanda: *Et erunt* (illi de tribu Judæ) *fortes conculcantes in prælio* (hostem) *quasi lutum viarum* esset. ¶ *Et bellabunt, quia Dominus cum eis*] Deo adjutore. ¶ *Et confundentur adscensores equorum*] Antiochi equitatus, Ezechiel. 38. 4. Daniel. 11. 40. Descriptio hujus equitatûs ex Polybio est apud Athenæum.

6. *Et confortabo domum Juda*] Ut quæ præcipua erat in bello, sicut jam dictum est. ¶ *Et domum Joseph salvabo*] Israëlitas qui se Judæ tribui addiderunt. ¶ *Et convertam eos*] *Redire faciam*, salvas scilicet è præliis. ¶ *Et erunt sicut fuerunt quando non projeceram eos*] Id est, In statu florente, quales erant primis Davidis temporibus, infrà 11. 7.

7. *Et erunt quasi fortes Ephraim*] *Ephraimitæ* (iidem qui modò *Joseph* dicti) *erunt quasi heroes* illi Davidis temporibus: de quibus vide 11 Samuel. 23. 8. & deinceps. ¶ *Et lætabitur cor eorum*] De victoria. ¶ *Quasi de vino*] Quod *homines lætificare* dicitur. ¶ *Et filii eorum videbunt & lætabuntur*] Pueri ipsi & adolescentes nondum bello habiles participes erunt gaudii parentum.

8. *Sibilabo eis, & congregabo illos*] Revertitur ad similitudinem de grege sumtam. *Sibilabo*, id est, fistulâ pastorali canam: nam & συρίζειν Græcis utrumque significat; & sibilum plebis *pastoralem fistulam* dixit Cicero. Agit de iis qui nondum redierant, sed postea redire: qualia illa centena millia redemta à Ptolemæo Philadelpho, ut diximus.

8, 9. *Quia redemi eos, & multiplicabo eos, sicut antè fuerant multiplicati, & seminabo eos in populis, & de longè recordabuntur mei, & vivent cum filiis suis & revertentur*] *Liberabo eos, & multiplicabo eos in eum numerum quo olim fuere* (Davidis, ut diximus, temporibus,) *qui, cùm dispersissem eos inter gentes, tamen in illis locis longinquis memores fuere mei: ideo superstites erunt cum filiis suis, & revertentur domum*. Conjunctio [&] hic sumitur pro causativa. Sensum hunc Chaldæus prudenter sequitur.

10. *Et reducam eos de terrâ Ægypti*] Per Ptolemæum Philadelphum & alios. ¶ *Et de Assyriis congregabo*] Per Alexandrum Antiochi Epiphanis filium, & per Demetrium utrumque. Vide Josephum 13. 4. 5. 7. 8. ¶ *Et ad terram Galaad & Libani adducam eos*] De Galaaditide capta Maccabæorum armis habes apud Josephum 12. 12. de Syriæ urbibus captis ab Hyrcano & Successoribus 13. 17. 23. ¶ *Et non invenietur eis locus*] Tanta erit multitudo ut veteres fines eos non capiant.

11. *Et transibit in maris freto, & percutiet in mari fluctus, & confundentur omnia profunda fluminis*] *Et transeunte* (illo populo exsule, cùm hæc loqueretur Zacharias) *per maris angustias, percutiet* (Deus, id est, ἐπιτιμήσει [*increpabit*,] ut habemus Matthæi 8. 26. reprimet vi suâ) *fluctus* qui erunt *in mari* illo: *deinde etiam siccabuntur omnes alvei fluminis. Flumen* cùm simpliciter appellatur, intelligendus Euphrates. Ex hoc loco desumitur & ille qui est in Apocalypsi 16. 12. ἐξέχεε τὴν φιάλην αὐτοῦ ἐπὶ τὸν ποταμὸν τὸν μέγαν Εὐφράτην καὶ ἐξηράνθη τὸ ὕδωρ αὐτοῦ [*effudit phialam suam in flumen illud magnum Euphratem: & siccata est aqua ejus*.] Subjicetur *quasi*: sensus enim est, Euphratem tam pervium ipsis fore quàm si totus ab aquis destitutus esset. Vide Esaïam 11. 15. Maris fauces hoc loco designatas Hebræi, quos Hieronymus consuluit, interpretabantur *Bosphorum Thracium* inter Byzantium & Chalcedonem: non malè, si consideres Nabuchodonosori Imperium pertinuisse etiam ad dexteram Ponti oram, id est, ad Daciam; cujus rei testis est Abydenus. Unde & in Thracia partem fuisse Hebræorum ex Aristophanis Scholiaste observavimus. His ergò quos illa in loca aut Nabuchodonosor, aut, si eousque Assyriorum venit imperium, Salmanasar deportaverat, Deus, cùm in patriam redirent, primùm placidum mare Bosphori, deinde & faciles eos qui in itinere ad Judæam sunt Euphratis alveos præstitit. Ex hoc loco fluxit fabula quæ est in libro fabularum plenissimo, qui *Esdræ quartus* dicitur, 13. 40. ¶ *Et humiliabitur superbia Assur*] Id est, Antiochi Epiphanis, qui inter cætera Assyriam tenebat: nam ad Armeniam usque regnasse Seleucidas, ex Appiano, Josepho aliisque discimus. Pari modo idem hic Antiochus *Gog*, id est, Gygæus dicitur Ezechieli, quia Lydiam tenebat, ut ibi diximus. ¶ *Et sceptrum Ægypti recedet*] Nempe à Judæis. Fuerant Judæi sub Ptolemæo Lagi filio, & sub aliis quibusdam Ægypti Regibus, ut discere est Josephi 12. 1. & sequentibus. Post Maccabæorum tempora id non evênit ampliùs. Est hic idem planè loquendi genus quod Gen. 49. 10. Unde apparet interpretationes ejus loci, quas Judæi ab aliquot jam seculis comminisci cœpere non modò novas esse, quod ostendunt Chaldæi Paraphrastæ & Interpretes Græci, sed & à nativo loquendi genere dissentaneas.

12. *Confortabo eos in Domino*] Id est, in me ipso. Nomen pro pronomine, more Hebræo, de quo alibi egimus. ¶ *Et in nomine ejus ambulabunt*] Sub prædio Dei res suas agent. nam הלך sæpe est Hebræis *res agere*.

CAP. XI.

MUNSTERUS.

1, 2. *DE flagret ignis in cedros tuas*] Ostendit hîc Propheta destructionem Jerusalem & totius populi Jehudaici, qui nolebant acceptare novum Regnum Christi, sed mordicus tueri conabantur vetus illud Regnum suum. Porrò per *Libanum* intelligitur hic Templum, ex *cedris Libani & quercubus Basan* constructum. ¶ Per *magnifica* intellige ædificia præclara. Sunt etiam inter Hebræos qui scribunt portas Templi 40 annis ante destructionem Templi apertas suâ sponte: Quâ re perterritus R. Johanan increpavit eas, dixitque, *Ego cognosco imminere tui desolationem, juxta vaticium Zechariæ, qui dixit*, APERI, LIBANE, PORTAS TUAS.

3. *Ululatus pastorum*] Hi sunt summi sacerdotes & Legisperiti. Per *leones* verò intelliguntur divites & potentes cives Jerosolymitani. ¶ *Devastata est superbia Jordanis*] Quidam sic exponunt, *devastata est superbia eorum qui habitant ultra Jordanem*. Alii sic, *tumor Jordanis exinanitur est, ut nemo potuerit esse tutus à Romanis, qui facilè trajicere potuerunt Jordanem*.

4. *Pasce oves occisionis*] Verba sunt Dei Patris ad Christum: Enumerantúrque hic tria peccata propter quæ Jehudæi exterminari meruerunt. Primum est, Quòd Sacerdotes & Pharisæi mactabant & *perdebant* populum falsâ doctrinâ & traditionibus suis: alterum, Quòd omni avaritiæ studebant, ementes & *vendentes oves*, h. e. omnibus modis expilantes subditos.

6. *In manum Regis sui*] Per hoc insinuat multos & varios fuisse Reges in Jehuda qui pro Regno contendebant. Lege, si libet, Josippum, quem superioribus annis juxta Hebraicum vertimus, & invenies horribiles trucidationes quæ acciderunt in Jehuda sub Machabæis & post eos.

7. *Ego nutrivi*] Hic est bonus ille Pastor qui *venit propter oves quæ perierunt in domo Israel*. Ostendítque hic Propheta tertium peccatum, Quòd scilicet negaverunt & vendiderunt Christum. Porrò *virga pastoralis* significat verbum quo erudiuntur & diriguntur oves Christi, juxta illud, *Virga tua & baculus tuus, ipsa me consolata sunt*. Hic autem duæ sunt *virgæ*: Una vocatur *Elegantia* seu *Amœnitas*; & est salubris doctrina Christi. Altera verò vocatur *Perditores*; & significat Legem, quæ multiplicibus suis præceptis damnat, terret & punit hominem, præsertim qui in suam confidit justitiam, sicut Pharisæi fecerunt.

8. *Tres pastores*] Fuerunt inter Jehudæos tempore Christi *triplices pastores*, nempe Sacerdotes, Sapientes seu Magistratus, & Legisperiti, quos Christus *unius mensis spatio abolevit*. Eo enim incipiente docere, debuit cessare Lex.

9. *Non pascam vos*] Nolentes enim eum audire, derelicti sunt ab eo, & mortui in peccatis suis.

10. *Ut dissolverem pactum meum*] i. Cùm me & doctrinam meam nollent acceptare, conversus sum ad Gentes, ut illis

illis offerrem gratiam meam: etiamsi interim *pauperes* & abjectiores, qui erant inter Jehudæos, *agnoscerent* verbum Christi esse *verbum Dei* viventis, & non offenderentur quòd Sacerdotes & Legisperiti Christum & doctrinam ejus condemnaverunt.

12. *Afferte mercedem meam*] i. Postquam hoc unum apud vos decrevistis ut me abjiciatis & *mensuram patrum vestrorum impleatis*, *afferte* (vel *date*) *mercedem* proditori alicui iniquo qui me tradat in manus vestras, &c. Quomodo autem hæc in Christo sint impleta, pulcre ostendit Matthæus cap. 27.

14. *Succidi baculum secundum*] i. Abolevi Legem Mosaicam, per quam Jehudæi ad invicem ut *fratres* colligabantur, & secludebant omnes Gentiles.

15. *Vas pastoris stulti*] Per hoc significabatur ut illi qui Christum rejicerent auscultarent somniatoribus & vaniloquis, quales erant Pharisæi, qui traditiones humanas populo obtrudebant, & sua commoda quærebant.

17. *Gladius*] Per *gladium* intellige ultionem Divinam, quæ consumet robur *brachii* & versutiam *oculi dextri*.

VATABLUS.

1. O *Lebanon* לבנון] Prædicit quæ eventura erant Judæis post ascensionem Christi & prædicationem Apostolorum. Initio prædicit destruendam per Romanos secundum Templum, quod vocat *Lebanon*, quòd exstructum esset cedris Libani. Crescebant enim in monte illo cedri altissimæ: q. d. O Templum exstructum tabulis cedrinis, aperi Romanis venientibus portas tuas: quia non poteris illis resistere. Chaldæus P. pro *Lebanon* vertit *Templum*.

2. *Ulula, abies* הילל ברוש] q. d. Dolorem animi tui ostende aliquo signo externo ac visibili. Per *abietem* intelligit homines inferiorum ordinum, & per *cedrum* summi ordinis homines. Seipsum mox declart. ¶ *Magnifici* אדירים] *Admirabiles*, i. homines admiratione digni. ¶ *Quercus Basan* אלוני בשן] Regio Basan quercubus insignibus abundabat. His homines opulentos ac divites significat Scriptura, ut per *saltum munitum* urbem Jerosolymam, quòd populosa esset admodum & munitissima. ¶ *Dejicietur* ירד] Præt. Heb. pro fut. Ad verb. *descendit*, ut c. 10. 11.

3. *Vastata sit* שודדה] Præt. Heb. pro fut. ut v. 2. ¶ *Superbia* גאון] *Gloria: excellentia. Leones*, Principes & magnates; *Jordanis*, Judæa, quæ sita est ad Jordanem parte Orientali.

4. *Pasce oves illas occisionis* רעה את צאן ההרגה] Sub. *doctrinâ & exhortatione. Oves occisionis* vocat quæ occidendæ erant à Romanis, h. e. populum Judaicum jam destinatum cædi & occisioni decreto ac sententiâ Dei. Legi potest *Pascam*, ut רעה sit infinitivus qui accipiatur pro futuro: *Pascam* verbo meo Euangelico, ut convertam ac reducam eas ad me, & tandem miserear earum.

5. *Possessores earum* קניהן] i. Romani, in quorum possessionem venient. ¶ *Nec tamen delinquent* ולא יאשמו] Sub. *opinione suâ*: i. non arbitrabuntur se peccare. Vel, *revera non delinquent*: erunt enim Romani tantummodo instrumentum justitiæ Divinæ: q. d. *& justissimè quidem*. ¶ *Benedictus Jehovah*, &c. ברוך יהוה ואעשר] i. Gratias agimus Domino, ingentem pecuniam accipiemus ex captivis istis. ¶ *Pastor autem earum* ורעיהם] i. Deus. Plurale est Heb. pro sing. Sic Psal. 149. 2. *Lætetur Israel in factoribus suis*. Sic Gen. 42. 30. *Locutus est vir domini terræ nobiscum dura*. ¶ *Non parces eis* לא יחמול עליהן] *Non miserebitur earum*.

6. *Nam ecce ego traditurus sum* והנה אנכי ממציא] Ad verb. *& ecce ego invenire facio*. Præs. pro fut. Quidam vertunt, *sed brevi traditurus sum*. ¶ *Proximi sui* רעהו] *Socii sui*, vel *sodalis*. ¶ *Regis sui* מלכו] i. Principis factionis. ¶ *Et contement* וכתתו] *Contundentque*, i. perdent.

7. *Profectò* לכן] *Certè*. Alii, *scilicet*. Alii, *quantomagis*. ¶ *Et assumam* ואקח] Præt. Heb. pro fut. ¶ *Noam* נעם] i. *Jucunditatem*, sive *Suavitatem*. ¶ *Hobelim* חובלים] i. *Corruptores*, sive *Destructores*. Quidam vertunt *Colligationes*, quòd HOBELIM significet *funes*. ¶ *Pascam, inquam* וארעה] Ad verb. *& pavi*. Præt. Heb. pro fut.

8. *Et succidam*, &c. ואכחד וגו] *Et exterminabo tres pastores illos*; i. Tollam ab eis tres illos ordines magistratuum, nempe Principes, Sacerdotes, & Prophetas. ¶ *Mense uno* בירח אחד] i. Brevi tempore, sive intra paucos dies. ¶ *Affligeturque*, &c. ותקצר וגו] Præt. Heb. pro fut. Quidam vertunt, *contrahetúrque anima mea in eis*: vel, *contrahet sese animus meus in eis*, i. in ovibus illis: h. e. imminuetur affectus sive amor meus erga illos Judæos. ¶ *Abhorrebit* בחלה] Præt. Heb. pro fut. Alii, *detestata est me*, i. quemadmodum ipsi deseruerunt me, ità ego deseram eos.

9. *Dicamque* ואמר] Præt. Heb. pro fut. i. Abjiciam omnem curam, regimen & solicitudinem vestri. ¶ *Quæ moritur* המתה] *Quæ*, scilicet *ovis*: q. d. Non avertam à vobis, sed permittam in vos flagella mea: per me non stabit quin moriamini. ¶ *Et quæ succiditur* והנכחדת] Innuit gladium, sive bellum.

10. *Tollam itaque*, &c. ואקח וגו] Præterita Heb. pro futuris, *Tollam itaque*, &c. *& abscindam*, sive *concidam*, *illam*: q. d. Non pascam, neque moderabor eos posthac cum mansuetudine ac clementia illa solita. ¶ *Pactum meum* בריתי] *Fœdus meum*, ne scilicet læderent eos atque illis nocerent: q. d. Permittam Gentibus ut Israelitas invadant. Priùs videbar quasi fœdus iniisse cum Gentibus, ne Israelitas læderent & affligerent; nunc verò fœdus illud irritum faciam, permittendo eis ut illos affligant.

11. *In die illa* ביום ההוא] *Eo tempore*, quo scilicet invadent eos Romani. ¶ *Qui observant me* השמרים אתי] i. Qui diligenter servant præcepta mea. ¶ *Quòd verbum Jehova est* כי דבר יהוה הוא] i. Prophetiam nomine meo ac verbis meis prædictam, adimpletam esse.

12. *Et dicam* ואמר] Præt. Heb. pro fut. ¶ *Si bonum est in oculis vestris* אם טוב בעיניכם] Hebraismus, *Si lubeat*. Taxat Judæos ingratitudinis. ¶ *Afferte* הבו] *Date*. ¶ *Mercedem meam* שכרי] Sub. *pro tanto labore quem insumo in vobis pascendis*. ¶ *Cessate* חדלו] *Desistite*: q. d. Quòd si nolitis, non multùm curo. ¶ *Appenderunt autem* וישקלו] Præt. Heb. pro fut. q. d. Tantum abest ut parem mihi gratiam relaturi sint, ut vili pretio, nempe triginta numis argenteis, vendituri sint me ut me in crucem adigant.

13. *Dixitque*, &c. ויאמר יהוה אלי] i. Visus est mihi Dominus hæc dicere. Hic autem jussus est Propheta dicere quæ Judas Iscariotes dicturus erat. ¶ *Projice illos ad thesaurarios* השליכהו אל היוצר] Ad verb. *Projice illam* (nempe *mercedem*) *ad thesaurarium*: vel, *ad fictorem*, *plastem*, sive *statuarium*. *Thesaurios* vocat Principes Sacerdotem & Seniores. Locum istum explicavimus pluribus verbis in Glossa nostra ordinaria in Matthæum, c. 27. 9. Mutavit autem Propheta א in י in dictione יוצר, quæ per י significat *figulum*, per א verò *thesaurarium*; significans fore ut Judas referret xxx argenteos illos, & projiceret ad pedes Sacerdotum & Seniorum, ex quibus ager figuli emeretur. ¶ *Magnificentiam gloriæ* אדר היקר] Per Appositionem dictum; i. pretium illud magnificum vel decorum. Ironicè autem hæc dicta sunt.

14. *Præcidam quoque* ואגדע] Præt. Heb. pro fut.

15. *Vas* כלי] *Instrumentum*. Sing. Heb. pro plur. i. omnia instrumenta pastori necessaria. Per hæc doctus inter Hebræos intelligit peram pertusam ac perforatam, quæ continere non potest quæ necessaria sunt & pastori & ovibus ipsis.

16. *Nam ecce*, &c. כי הנה וגו] Præs. Heb. pro fut. *Ego enim brevi suscitaturus sum*. ¶ *Succisas* הנכחדות] i. Moribundas, gravissimè ægrotantes & afflictas. ¶ *Quod parvum est* הנער] Sub. *in pecoribus*. Alii, *quod juvene*, sive *juvenile*, *est*, i. agnos. Solent agni propter ætatem secedere à grege, & ità aberrare. ¶ *Et quod contritum est*, &c. והנשברת וגו] *Neque confractas* [i. læsas aliquo casu] *curabit*. ¶ *Quod consistit* הנצבה] i. Eas oves quæ resistunt, sive movere se loco non possunt. Gallicè, *qui demeurent toutes picquees*. ¶ *Sed carnes*, &c. ובשר הבריאה] Ad verb. *& carnem pinguis*, sub. *pecoris*. ¶ *Confringet* יפרק] *Dissolvet*, pedo scilicet sive baculo. Magnam crudelitatem pastoris stulti per hæc innuit.

17. *Brachium ejus* זרעו] *Brachium* pro *potentia* accipit & *viribus*: sicut *oculum dextrum* pro *prudentia ac providentia consiliòque in rebus agendis*. Alii intelligunt *fallaciam* ac *versutiam*. ¶ *Caligando caligabit* כהה תכהה] *Rugando rugabit*, i. penitus rugabit: ut *arescendo arescet* pro *prorsus arescet*. Hebraismus.

CASTALIO.

3. P*Eriit Jordanis fastigium*] Saltus silvæ.

8. *Contracto meo erga eos animo*] Diminutâ meâ erga eos benevolentiâ.

16. *Suscitabo pastorem in terra, qui nec abscissas curabit*] sc. Oves.

17. *Heu pastorem stultum*] האויל videtur legendum, ut paulò antè, non האליל.

CLA-

CLARIUS.

1. A*Peri, Libane*] Putant hoc loco accipiendum *Libanum* pro tota Terra: quod ex contextu orationis valde videtur verisimile. Alii per *Libanum* intelligunt Templum ex *cedris Libani & quercubus Basan* constructum. Ostendit hic Propheta destructionem Jerusalem & totius populi Judaici, qui nolebant recipere novum Regnum Christi, sed mordicus tueri conabantur vetus illud suum Regnum.

3. *Ululatus pastorum*] Hi sunt summi Sacerdotes & Legisperiti. ¶ Per *leones* verò intelliguntur divites & potentes cives Jerosolymitani. ¶ *Superbia Jordanis*] Opulentia eorum (ut quidam volunt) qui habitant ultra Jordanem. Alii sic, *tumor Jordanis exinanitus est, ut nemo potuerit esse tutus à Romanis, qui facile trajecere Jordanem.*

4. *Pasce pecora occisionis*] Verba sunt Dei Patris ad Christum. Quanquam alius legebat *pascere pecora*, ut sit sensus, *Ego ipse cogar pascere pecora occisionis*, &c. Sic illud, *& pastores eorum non parcebant eis*, legebat, *quare pastor eorum non parcet eis*, videlicet pastoribus, h. e. ego non parcam.

7. *Unam vocavi Decorem*] Amœnitatem pascuorum. ¶ *Alteram, Funiculum*] Sive *Correptiones*, vel *Pestes*: ut significet contrarium illius quod significabat prior. Prior significat salubrem doctrinam Christi; altera, Legem, quæ terret & punit hominem.

8. *Succidi tres pastores in mense uno*] h. e. Parvo tempore. Videtur orationis contextus requirere ut per *tres pastores* intelligamus Principes Gentium, ipsius Israel, & Judæ; quorum trium Imperiorum hic mentionem facit, ut sententia sit, Abjectâ curâ malorum omnium, verè pauperes pascendos Christus Dominus suscepit. Alii sic interpretantur, *Fuisse tempore Christi inter Judæos triplices pastores, nempe Sacerdotes, Sapientes seu Magistratus, & Legisperitos.*

10. *Ut irritum facerem fœdus*] Sensus est, Cùm me & doctrinam meam nollent accipere, conversus sum ad Gentes, ut illis offerrem gratiam meam; etiamsi interim *pauperes* & abjectiores qui erant inter Judæos *agnoscerent* verbum Christi esse *verbum Dei viventis*, & non offenderentur quòd Sacerdotes & Legisperiti Christum & doctrinam ejus condemnaverint. ¶ *Quod percussi cum omnibus populis*] Nè scilicet molestæ essent reliquæ nationes eis: quare nunc expono eos direptioni omnium.

11. *Qui custodiunt mihi*] Qui observant & venerantur me.

12. *Et dixi ad eos*, (Judæos scilicet) *Afferte mercedem*] Sensus est, Postquam hoc unum apud vos decrevistis ut me abjiciatis & *mensuram patrum vestrorum impleatis*, *afferte* (vel *date*) *mercedem* proditori alicui iniquo qui me tradat in manus vestras. Quomodo autem hæc in Christo sint impleta, pulcre ostendit Matthæus cap. 27.

13. *Decorum pretium*] Ironicè dictum est. ¶ *Projeci illos*] Sicut interpretatur D. Matthæus, *in emptionem agri figuli.* Mirum quomodo à Prophetis ità particulatim prædicta sint quæ in Christo erant implenda.

14. *Dissolverem germanitatem*] Consensum & veluti conjurationem quandam contra Dominum. Videbantur namque inter se certare utri alteros superare possent idolorum culturâ & flagitiis reliquis. Alius sic, *Abolevi legem Mosaicam, per quam Judæi invicem ut fratres colligabantur, & secludebant omnes Gentiles.*

15. *Pastoris stulti*] De Antichristo putant dictum.

16. *Ungulas eorum dissolvet*] *Franget*; i. non solùm nihil juvabit, sed etiam nocebit, frangens baculo suo pastorali teneras ungules.

17. *Gladius*] Ultio scilicet Divina, quæ consumet robur *brachii* & versutiam *oculi dextri*, vel oculum cordis, juxta illud, *Cor sapientis in dextera ejus.*

L. BRUGENSIS.

10. E*T tali virgam meam qua vocabatur Decus*] Sex nostri codices pro *Decus* legunt *Decor*; eo nomine quo prius virga hæc appellata est, vers. 7. *unam vocavi decorem.* Cæterùm ut plerique; ita & emendatissimi quique libri, cum Tractatorum textibus, posteriori hoc loco *Decus* habent, tametsi idem utrobique in Hebræo sit nomen נעם! & quidem etiam נעם *decorem* potius quam *decus* significat, *pulcritudinem* enim notat; sed Interpretem pro eodem hæc accepisse, ideòque, quam priùs *Decorem* vocaverat, postea *Decus* appellasse, Epanorthotes docet.

DRUSIUS.

1. A*Peri, Libane*] q. d. Non poteris resistere copiis quæ veniunt ad vastandum te. Per *Libanum* alii Judæam, alii terras Gentium significari putant. Certè Jonathan interpretatur, *Aperite, populi, portas vestras.* Sunt etiam qui de ipso Templo accipiunt, cujus fores spontè apertæ fuerunt XL annis antequam à Tito destrueretur: Cujus rei autor Josephus & alii. Scholia quoque Ebraica hujus mentionem faciunt. Favet eidem expositioni membrum sequens, *& comedat ignis cedres tuas.* Nam materia Templi magnâ ex parte cedrina, quam ignis incendio absumpsit cùm illud conflagraret. His adde, si placet, autoritatem Hieronymi, cui etiam Nicolaus adsensum præbet, scribentis, *per Libanum perspicuè Templum intelligi Judæorum, quod instauratum, imò ædificatum à Zorobabel, rursum à Vespasiano & Tito canitur subvertendum.* Confirmat eandem sententiam Johannes quidam cognomento *Zachæus*, Hillelis senis quondam discipulus, cujus hæc sunt è tractatu qui vocatur *MASSECHETH JOMA*, *Templum*, *Templum*, *quousque teipsum turbas aut perditum is? Novi ego tandem destructum iri te, quemadmodum autor prædixit Zacharias Propheta inquiens, APERI, LIBANE, FORES TUAS.* Hæc cùm ità sint, tamen, salvo meliori judicio, eos nunc sequemur qui locum enarrant de terra Judæa. ¶ *Fores tuas*] Claustra tua & loca munita quæ arcent adeuntes ad te. Nam ad hunc montem non licebat cuivis accedere. Erat enim certus custos qui aditus observabat, constitutus ibi à Regibus Persarum, ut liquet ex Neh. 2. 8. ¶ *Et comedat*] Vel, *ut comedat*, i. consumat, devoret. ¶ *Ignis*] Hostis, tanquam ignis omnia consumens. Nunc locus non occurrit, tamen scio & alibi per *ignem* Hostem designari. ¶ *Cedros tuas*] Aliàs *in cedris tuis*: q. d. consumat interiora cedrorum tuarum. Viros innuit in rep. illa eminentes. Cedri enim in arborum genere eminent non solùm proceritate sed etiam crassitudine & præstantiâ materiæ. In libro Formularum, *Cedri vocantur excelsioris potentiæ viri; & in malam partem, superbi, elati.* Ut Cedrus inter arbores excellit, ità inter cedros quæ in Libano proveniunt Plinius l. 16. c. 40. *Maxima hæc arbor in Libano provenit: unde Cedri Libani. Ægyptus & Syria feruntur usæ ad classes inopiâ abietis.* Idem meminit *cedri Cxxx pedum, crassitudinis ad trium hominum complexum.* Theophrastus l. 5. c. 9. *Alibi celsis*, inquit, *alibi cedrus miranda assurgit, ut videre in Syria licet. Illic enim cedri in montibus cùm longitudine tum crassitudine præstantissima exeunt, quippe adeò crassescunt ut sint quas ulnæ hominum quatuor nequeant amplecti.* Sed hæc ἀπροσδιόνυσα fortasse quibusdam videbuntur. Non pertendo.

2. *Ulula*] Fortè melius, *Ejula.* Certè magis hoc facit ad salivam meam. ¶ *Abies*) Homines inferioris gradùs. ¶ *Quia cecidit cedrus*] i. Cedri. Causa, inquit, vobis ejulandi ex eo quòd Principes & summi ordinis viri exstincti sint: nempe se mox explicat, cùm ait. ¶ *Quia magnifici vastati sunt*] i. Inclyti, potentes. ¶ *Quercus Basan*] Vel humiles, vel potentes. Humiles significari hoc nomine patet ex Jes. 2. 13. siquidem arbor humilis est ad Cedrum comparata. Ad hæc Basan regio plana & campestris. Sed & *Quercuum robur* in proverbium abiit. Unde appellatio *roboris*, quæ est arbor ejus nominis glandifera. Itaque non nemo hîc vertit *robora Basan.* Vide Adagia nostra class. 2. lib. 4. adag. 102. *Basan* regio est trans Jordanem fertilis & pascuis læta. *Quercuum Basan* mentio & Ezec. 27. 6. ¶ *Succisa est*] Ita V. Int. Alii, *dejecta.* Alii, *prostrata.* Quidam *concidit.* In Ebræo est ad verb. *descendit.* ¶ *Silva munita*] Silva arborum quæ in Libano. *Munitam* autem vocat quia januis & claustris circùm munita erat, ut præcedentia indicant. Potest legi *silva vindemiæ*: nam בציר *vindemia.* Videndus Tremellius. Summa huc redit; Si potentibus non parcitur, non est quòd sibi promittant impunitatem homines plebei ac vulgares: Si loca munita non queunt resistere, quid facient ea quæ minùs munita sunt? *Munitionis* est in Ebræo: quod ità dicitur ut *Terra vastitatis*; i. vasta. Nam si adjectivum esset בציר, ut nonnulli volunt, dixisset היער הבציר. Porrò *munitio* nomine ab eadem radice deducto usitatiùs מבצר dicitur.

3. *Ululatûs*] Est cur malim *ejulatûs.* ¶ *Pastorum*] Tam Regum quàm Sacerdotum; Quorum hi Ecclesiam, illi Remp. utrique autem simul populum pascebant, h. e. regebant. ¶ *Magnificentia eorum*] Robur ac decus eorum. Quidam Templum innui scribunt, alii populi frequentiam. Nam in hac situm est decus Principum, juxta illud Salomonis Prov. 14. 28. *In mul-*

multitudine populi decor Regis. Posset etiam accipi de Jerosolyma, quæ passim vocatur גאון יעקב, i. *excellentia Jacobæorum.* Sed eò labor ut putem significari potiùs ipsam Judæam, quæ terra elegans erat, quam cum decore incolebant Judæi. Quocirca in Daniele vocatur ארץ הצבי, i. *terra decoris*, 11. 16, & 41. ¶ *Rugitûs*, &c.] i. Βρυχήματος τῶν λεονίσκων. Nam βρύχημα *rugitus*, vox Leonum propria. Interdum sumitur pro *questu* & *lamento.* Græci ὀδυρμὸν vocant. *Leones* autem nominat Principes διὰ τὸ ὠμόθυμον, i. *propter crudelitatem*, vel quia Leo inter bestias principatum obtinet. Adito sis ad Proverbia mea. ¶ *Juvenum leonum*] Vel *leonculorum.* Perperàm est apud Santem *catulorum leonum.* Nam *catulus leonis* est גור אריה. Nec melius apud alios *rugitus leonum*, i. אריות. ¶ *Superbia Jordanis*] Vel *excellentia Jordanis*, i. Judææ, cujus flumen maximum atque præcipuum Jordanis. Aut lege *elatio Jordanis*, ut Jer. 12. 5. *quomodo facies in elatione Jordanis?* Sic Psal. 89. 9. גאות הים *elatio maris*, i. mare intumescens fluctibus: quod fit in tempestate. Hîc intelliges exundationem Jordanis, quæ fiebat circa tempus messis. Valde mihi placet ista expositio. Jordanis exundans alveos deserti vicinos implebat; Indè leones sumebant ad sitim restinguendam. Si Hieronymo credimus, גאון הירדן est *fremitus ac sonitus aquæ decurrentis, qui Ebraicè*, inquit, גאון *dicitur.* Fides esto penès autorem. Aiunt circa Jordanem solitudines esse, & in iis leones. Quod probari potest ex historia Johannis Baptistæ. Sed & Hieronymus id innuere videtur cùm ità scribit, *JORDANI fluvio, qui maximus in Judæa est, juxta quem morantur leones, FREMITUM juxsit LEONUM, propter ardorem sitis, & ob deserti viciniam, & latitudinem vastæ solitudinis, & arundineta, & carecta.*

4. *Pasce*] Hoc dicit Prophetæ; aut, ut alii volunt, Christo. Sed ad Prophetam potiùs sermonem dirigi, versus ab hoc tertius indicare videtur. Quibusdam placet ut רעה sit infinitivus pro gerundio, in queis Josephus cognomento *Camius* pater Davidis, qui hunc locum sic enarrat, *Edixit* mihi *Deus meus ut pascerem oves occisionis.* Alii existimant infinitivum positum esse pro futuro, quod mihi tamen non placet, ut sint verba Dei, *Pascam oves occisionis*, nempe populum meum, quem pastores, quos ei dederam, non modò negligunt, sed etiam enecant & occidunt. ¶ *Pecora occisionis*] Occisioni sive mactationi destinata.

5. *Quorum possessores occidunt ea*] Vel, si mavis, *quæ possessores eorum occidit.* Non malè etiam legas *emptores eorum.* Nam קנה tam *emo* quàm *possideo.* *Occidunt*, & quoad animam & quoad corpus. ¶ *Nec delinquunt*] Nec putant se delinquere. Aut lege *nec rei habentur*: tum sensus erit ac si diceret, Impunè illis sunt hujusmodi facinora. ¶ *Vendentium ea*] O miseras oves, quæ in manu ementium & vendentium, quas ementes occident, & vendentes gratulantur sibi de lucro quod ex pretio venditionis! ¶ *Benedictus DOMINUS*] Mos iste vulgi ut etiam de improbo lucro Deo gratias agant. ¶ *Nam pastores eorum non parcunt eis*] Magis arridet, *nam pascentium ea nemo parcit eis.* Nam in Ebræo ad verb. *non parcit eis*: quod non nemo interpretatur, *non utitur clementiâ erga eas*: q. d. valde inclementer eas habet. Sunt qui referant, *& pastor eorum non parcit eis*, de Deo hoc intelligentes. רעיהם *pastor eorum.* Enallage numeri. Sic alibi, *Deus Factor meus* עשי, & in alio loco, *Lætetur Israel in Factore suo* בעשיו, Ps. 149. 2.

6. *Ultrà*] *Adhuc, ampliùs.* ¶ *Terræ*] Terræ hujus. Significat autem Judæam. ¶ *Trado*] *Brevi tradam.* ממציא *trado.* Sic Levit. 9. 13. המציאו *tradiderunt*, sive *obtulerunt.* Santes ibi retulit *paraverunt.* Et hîc Scholia Ebraica מכין *præparo*: ad verb. *facio inveniri*, sive *ut inveniantur*, i. ut sint. Nam *inveniri* dicunt pro *esse*; ut ibi, *Non inventus est in ore ejus dolus*: & Esth. 1. 5. הנמצאים *qui inveniebantur*, i. erant. ¶ *In manum*] In potestatem. Non abjecerim *in manu.* Hoc vult, Efficiam ut intestinis cædibus se mutuò conficiant. ¶ *Regis sui*] Herodis & aliorum, qui id operam dederunt, ut eos qui autoritate aliquâ præstabant inter Judæos è medio tollerent. Quod notissimum perito historiarum. Quidam interpretantur *Regis sui*, i. principis factionis: rectè, si accipias de excidio Templi secundi. ¶ *Contundent terram*] i. Incolas Judææ. Olim erat *concident* pro *contundent.* Parùm refert hoc an illo modo legas. ¶ *Et non eruam*] Nam ità meruerunt peccata ipsorum.

7. *Pecora occisionis*] Suprà exposuimus *pecora occisioni destinata.* Sed quid si *pecora occisa*, i. afflicta? Nam *occidere* dicitur qui aliquem supra modum vexat. Favet huic expositioni Santis Pagnini interpretatio, *pecora afflicta.* Nam quasi se explicat & emollit Metaphoram quæ in verbo *occidendi.* Huc referri posset, *quæ pastores eorum occidunt*, ut sensus sit, quæ ad mortem usque vexant & affligunt. Affine est Hos. 6. 5. *Occidi eos verbis oris mei.* ¶ *Propter hoc*] Vel quia Deus sic voluit, vel quia ità vexabantur à dominis suis. His objici potest accentus qui in voce ההרגה *occisionis.* Respondeo, non semper habendam esse rationem accentuum. Fatentur hoc ipsi Ebræi, quorum doctissimus Hos. 12. 11. ità scribit, *Non omnis expositio quadrat cum punctatione*: vult dicere *cum ratione accentuum*: nam accentus *punctationis* nomine continentur. Quocirca posses etiam legere, *Igitur pavi pecora occisionis: propter hoc, ò pauperes ovium, accepi mihi duos baculos.* Nam Vau in otio cubat interdum, h. e. non semper copulat, sed convertit tantùm: tum in Latino sermone redundat, ac proinde omitti potest. Hoc cùm ità sit, malim tamen hunc locum ità converti, legique, *Igitur pavi oves occisionis, verè pauperes oves*; ut לכן hic accipiatur pro אכן, sive כן, Lamed redundante, ut in לכל *ex*, ליחד *pariter*, aut adverbium indicante, ut in לבטח *securè.* Rei firmandæ est quod in Scholiis D. Camii, לכן *verè, utique, certè*, i. באמת. Sunt qui referant, *Itaque pavi pecora interfectionis, vos, inquam, ò pauperes gregis.* In hac interpretatione peccatum multis modis. Primùm enim, *vos* אתם dicitur, non לכן, quod magis sonat *vobis*; quanquàm nè hoc quidem sonat, ut docti sciunt. Deinde, לָכֵן scriptum, non לָכֶן. Hoc pronomen est, illud adverbium. Postremò, cùm sermo sit de maribus, dicendum potiùs fuisset לכם *vobis.* Scio genera permutari; veruntamen hoc quidem certè nemo mihi persuadebit, לכן positum esse hoc in loco pro אתם *vos.* ¶ *Pauperes ovium*] Sermo Ἑλληνίζων. ut *Canum degeneres, Nigra lanarum.* Frequens est hic sermo apud Ebræos. In aliis habetur *pauperes gregis*, i. עני. ¶ *Accepi*] In manus sumpsi. Vel comparavi, emi: nam quod quis emit, id ab alio accipit. Atque hinc מקח i. *emptio.* ¶ *Mihi*] Redundat in Latio. Talia sunt *Vade tibi*, Γράφου σοι, & alia ejus generis. ¶ *Duos baculos*] Cur duos acceperit causam mox intelliges: alioqui pastores uno contenti sunt. Hinc disces מקל significare *baculum pastoritium* sive *pedum pastorale*: quod *agolum* Latini vocant. Festus, *AGOLUM, baculum pastorale, quo pecudes aguntur.* ¶ *NOAM*] Scribunt נעם mediâ Ain. Ipsa vox sign. *amœnitatem*, aut tale quid: unde *NOOMI, amœna, jocunda.* Cujus contrarium *MARA, amara, tristis.* Partim Interpretum *Elegantiam* reddunt: nonnulli etiam *Decorem.* Debet autem scribi *Decoris* aut *Amœnitatis*, & repeti *baculus* ἀπὸ κοινοῦ. *Baculus* sive *pedum amœnitatis* figurat Dei erga suos bonitatem & clementiam; juxta illud, *Funes ceciderunt mihi in amœnis.* Sic ait, *DOMINUS pastor meus, nihil mihi deerit. In pascuis herbidis cubare facit me, secus aquas quietas* (i. leniter fluentes) *agit me*, ¶ *HOBELIM*] חבלים per *H*, Heth. Vertunt *Funiculos* alii, & alii *Dissipantes.* Neutrum est ad salivam meam. Nam *funiculi* חבלים dicuntur, & *dissipantes* מחבלים. Quid igitur? Ezec. 27. חבלים sunt *nautæ*, dicti, ut volunt, à tractandis *funibus.* Verùm iste significatus non quadrat huic loco: alius igitur quærendus est. Cur in mora sum? Assentior iis qui convertunt *Devincientium.* Facit huc vers. 14. sed & ratio. חבל est *funis.* Hinc חבר *qui funibus aliquid vincit*, & מחבל *qui ea quæ funibus vincta sunt dissolvit*, Dabo simile, שרש est *radix.* Ab eo שרש verbum quod sign. *radices agere*, & in Piel שרש *eradicare, radices evellere.* Non ovum ovo magis simile. Qui his rationibus non acquiescit, adferat meliora: libenter audiemus. Porrò *baculus vincientium* figurat concordiam & societatem quæ inter tribus Juda & Israel. ¶ *Quibus pavi pecora*] Alii, *pavi, inquam, pecora.* Ebr. ad verb. *& pavi pecus.* Intelligit autem *pecora occisionis*, ut liquet ex principio hujus versûs. Quocirca rescribi velim *pecora illa*, ut ticulus hic sit ἀναφορικός.

8. *Tres pastores*] Haud facile est dicere quos intelligat. An Reges Judæorum, h. e. principes factionis in bello Judaico? Hi erant Johannes, Simon & Eleazar. Sed fortè numerum certum pro incerto posuit. Nihil in tanta caligine affirmare audeo. Scholia Camii enarrant de tribus filiis Josiæ, *Joachaz, Joacim* & *Sedecia*, qui spatio paucorum annorum exstincti fuerunt, & quidem *morte*, ut ait, *miserrimâ & calamitosissimâ.* Sunt qui significari putant ordines eorum qui populum pascebant, h. e. partim regebant, partim docebant; Quorum primus erat Principum, secundus Sacerdotum, tertius Prophetarum. Alii accipiunt de tribus sectis Judæorum, de Pharisæis, inquam, Saducæis, & Essæis, vel, si placet, Herodianis: nam horum crebra mentio in Euangelio. Sed hanc sententiam destruit verbum *excidi*: nam ex his duæ sectæ in hodiernum diem perdurant. Vide Quæst. meas lib. 1. qu. 44. Saducæi *Caraim* vocantur, quorum magnus numerus in Africa. Johannes Leo lib. 2. in descriptione montis Demensera, qui Atlantis

pars

pars quædam est, *Innumeri*, ait, *hic reperiuntur Judæi qui sub Principe aliquo stipendia merent, suntque continuò in armis. Hi à cæteris Judæis Africanis hæretici reputantur, dictique sunt eorum linguâ CARAIM.* Idem in descriptione Hautetæ montis, *Multi hic Judæi habitant, quorum quilibet suam exercet artem. Numerant hujus montis principi magnam auri vim. Quod ad fidem attinet, eorum potissimum sententiam sequuntur qui CARAIM sunt vocati.* ¶ *Mense uno*] Propriè. Aut *mensis* ponitur pro *exiguo tempore*, ut Hos. 5. 7. *consumet eos mensis.* Vult dicere, *breve spatium temporis.* Hoc postremum verius videtur; mihi certè magis placet. ¶ *Contracta est anima mea*] i. Tædio affecta: q. d. cœpit me tædere illorum pastorum. Eadem phrasis obvia Jud. 10. 16. & Num. 21. 4. ubi V. Int. quem nunc sequor, *tædere cœpit populum itineris & laboris*; eleganter. In Ebræo erat, *Contracta est animia populi propter viam.* Aliàs *anima contrahi* dicitur in angustia & rebus adversis. Sunt etiam qui referant, *imminutus est animus meus propter eos*: Quo sensu? *Animus* Latinè sæpe pro *ira* ponitur. An etiam Ebraicé? Dubito. Ira *Spiritus* dicitur, i. רוח: unde *contractus spiritu*, i. iracundus. Sic fortè, *imminutus est animus meus*, h. e. non tantùm alienatus est ab illis, sed etiam exacerbatus & irritatus. Cur? *eò quòd anima eorum me odisset*, vel potiùs *sprevisset* aut *nauseasset.* Non recedo à prima expositione. ¶ *Propter eos*] בהם *in illis.* Pronomen autem pertinet vel ad *pastores*, vel ad *oves occisionis.* Si ad *pastores*, erit sensus quem suprà posui. Si ad *oves*, hoc dicit, propter laborem & molestiam quam sustinuerunt à pastoribus. Facit huc locus modò citatus, *& contracta est anima ejus ob laborem Israelitarum.* Item alius qui habetur Ezec. 23. 18. *Et recessit anima mea ab illa, sicut recesserat à sorore ipsius.* Sed hic magis stabilit priorem sententiam. ¶ *Spreverat me*] Vel *nauseaverat.* Et bene *nauseaverat*: nam ideo tædio ac fenio mihi fuerunt. Quidam, *eò quòd anima eorum odisset me.* non abjecerim. In Jure Ebræo, quod *Thalmud* vocant, בחל vocatur *filia grandior parenti spreta & exosa.* Alioqui verbum בחל in his libris non invenitur, nisi fortè apud Salomonem, ubi legitur מבחלת, i. *properata.* Scribitur autem מבחלת, i. *spreta* aut *neglecta*, Prov. 20. 21.

9. *Non pascam vos*] Abjiciam curam vestri, & derelinquam vos: ità eritis expositi omnibus malis, & peribitis nemine opitulante. Sic ait Deut. 31. 17. *Derelinquam eos, & abscondam faciem meam ab eis, & erunt in devorationem* [*devorabuntur & consumentur:*] *invenient eum omnia mala & afflictiones, ità ut dicat in die illo, Verè quia non est Deus mecum, invenerunt me hæc mala.* ¶ *Quæ moritur*] *Quæ inibi est ut moriatur*, aut *quæ brevi moritura est.* Simile, *invenit navem euntem*, i. mox ituram. Nam participio significant paulò pòst futurum, quo alioqui carent. ¶ *Quæ exciditur*] *Quæ mox excidenda est*: & subintelligitur *ovis.* Alii legunt *exscindendum*: & *pecus* subaudiunt. Eodem recidit. ¶ *Excidatur*] Gladio pereat. *Et reliquæ*] Vel *quæ reliquæ sunt*, aut *quod reliquas attinet.* Nam accentus distinguens in hoc loco. ¶ *Devorent unaquæque carnem sociæ suæ*] Aliæ alias devorent præ fame. De hujusmodi fame Jes. 9. 20. *Et declinabit ad dexteram, & esuriet; & comedet ad sinistram, & non saturabitur: unusquisque carnem brachii sui vorabit.*

10. *NOAM*] Qui NOAM, h. e. *Amœnitatis* aut *Jocunditatis baculus*, vocabatur. Vetus editio, *virgam meam quæ vocatur Decus.* Priùs erat in LXX, καὶ ῥάβδον μου τὴν καλήν. Maluissem τὴν ῥάβδον μου τὸ Κάλλος. Sed hæc aliena: non enim propositum nunc mihi corrigere antiquos Interpretes. ¶ *Concidi*] *Fregi*, *confregi*, συνέθλασα. In aliis *abscidi*: quod minùs placet. ¶ *Ut irritum facerem*] להפר *ad irritum faciendum.* Quidam prætulerunt *irritum faciendo.* Suum cuique: Ego sic sentio, Fractio hujus baculi non reddebat irritum pactum, sed significabat hoc fore: erat enim quasi symbolum irriti fœderis. Judæi baculum *Noam* interpretantur Josiam Regem, qui in bello quod contra Pharaonem Nechao gestum occubuit. Quod si recipitur, vertendum erit, *Prius sumpseram baculum meum NOAM, & concideram eum*: narratur enim res gesta ante *excisos tres pastores* de quibus suprà. Sed hæc quæ dixi valde obscura sunt, & sequentia aliam expositionem postulant. Nam Prophetiam continent de Christo vendito à Juda proditore, quo tempore Judæa in provinciæ formam redacta Romanis suberat & à Procuratoribus administrabatur. ¶ *Quod pepigeram cum cunctis populis*] Cum Romanis quibus parebant omnes populi Judæis antea infesti. Perinde igitur erat ac si cum illis omnibus fœdus pepigisset. Intelligit autem fœdus pacis; pacis, inquam, quæ erat inter Judæos & populos ante bellum Judaicum. Aut *populus* dicit ipsas tribus, cum quibus fœdus olim pepigerat, quod antiquatum postea fuit per Novum Fœdus à Christo institutum.

11. *Et irritum factum est*] *Fœdus* illud. ¶ *Die illâ*] Eo tempore quo excisa fuit Jerosolyma. ¶ *Sic*] *Verè*, *rectè.* ¶ *Pauperes ovium*] Afflicti Christiani. ¶ *Qui observant me*] Qui colunt me. Simile, *Qui observant vanitates vanissimas*, *benignitatem suam derelinquunt.* Vel, *qui servant verba mea*, h. e. qui memoriâ retinent ea quæ prædicta à Prophetis meis hâc de re. Tale est, *& pater ejus servabat verbum illud*, Gen. 37. 11.

12. *Et dixi eis*] Verba sunt Prophetæ loquentis in persona Dei, qui mercedem poscit pro eo quòd paverit oves occisionis. ¶ *Si bonum est in oculis vestris*] Si vobis placet, vel, Si ità videbitur. ¶ *Desistite*] Nè date: q. d. Non sum de mercede admodum sollicitus, licèt jure mihi debeatur. Similis locus exstat Ezec. 2. 5. ¶ *Et appenderunt*] More veterum, qui pecuniam pondere non numero exponebant. Disces hoc ex locis quos nunc producam. Gen. 23. 16. *Et appendit Abraham Ephroni argentum de quo locutus fuerat.* Ezræ. 8. 25. *Appendi eis argentum & aurum.* Esth. 3. 9. *Appendam ad manus facientium opus.* Etiam privati appendebant argentum. Patet ex loco Geneseos modò allegato. Cui alium adjungam rei firmandæ, Exod. 22. 17. *argentum appendet juxta dotem virginum.* Et errant qui aliter sentiunt. ¶ *Triginta argenteos*] *Siclos*, an *Libras*? Si *libras*, erit legendum *triginta argenteas.* Apud Eusebium legitur τριάκοντα στατῆρας. Est autem Stater idem cum Siclo. Sed *libras* potiùs intelligendas esse probari potest ex historia Euangelistarum, qui scribunt isto pretio *emptum fuisse agrum figuli ad sepulturam hospitum*, Matth. 27. 7. Quis credat triginta siclis vænire potuisse agrum prope Jerosolymam urbem tam populosam? Eliæ viro optimo Deus optimus benefaciat. Scribit nomine *argenti* cujus mentio fit in Prophetis *libras* intelligi, i. מנים, sive λίτρας. Hoc ex sententia τῶν διδασκάλων. Verba ejus sunt in libro ubi Rabbinicarum vocum sensa colligit, *Dixerunt Doctores nostri felicis memoriæ, Omne ARGENTUM memoratum in Lege simpliciter* Siclos *denotare*; *quod verò in Prophetis commemoratur* Libras *esse, & in Hagiographis* Talenta. *Hinc excipitur argentum appensum Ephroni cujus mentio Gen.* 23. 16. Hactenus ille. Quæ si vera sunt; verum est profectò quod dixi de *argenteis libris*, aut falsum Zachariam è numero *Prophetarum* esse.

13. *Ad figulum*] *Ad emendum agrum figulinum*: quod alii exponunt, *ut emat sibi lateres* (vel *tegulas*) *ad reficiendum Templum*, alienum videtur à mente Euangelistarum. Vetus ed. *ad statuarium.* Priùs erat in Aquilæ πρὸς τὸν πλάστην, i. *ad fictorem*, sive *figulum*, *Statuarius* ἀγαλματοποιὸς dicitur: sed & θεοπλάστης. Hoc sensu legitur יצר Hab. 2. 18. *Sculptorem* reddunt. Hîc potiùs *figulum* notat, nisi positum יצר pro אצר, quæ vox denotat *custodem thesauri.* *Thesaurarium* convertunt; rectiùs fortasse *Gazophylaca.* Chaldæi dicunt אמרכלא. D. K. in suis Comment. גזבר. Ego nihil innovandum censeo. Qui tamen hanc sententiam recipiunt, dicunt numerum sing. poni pro plurali, & per *gazophylacas* intelligunt principes Sacerdotum & Seniores. Vide Matth. 27. 5, 6. Sed cur taceo? Ego *thesaurum* אצר dici scio: *thesaurarium* יצר adhuc quæro. Ad hæc dubito an pecunia sacra fuerit in custodia plurium. Potiùs crediderim unum aliquem præpositum fuisse gazophylacio, quem Jesaias סכן 22. 15. Græci Interpretes ταμίαν τοῦ ἱεροῦ, i. *Quæstorem Templi*, vocant. In hac opinione me ampliùs confirmat Josephus ità scribens, *Stola Pontificis sub sigillo Gazophylacis tenebatur; à quo etiam & cætera ornamenta Templi adservabantur.* ¶ *Decorum pretium*] Vel *honestum pretium.* Hoc dicit εἰρωνευόμενος, ut videtur. ¶ *Quo æstimatus sum ab illis*] Quo me meámque operam æstimarunt.

14. *HOBELIM*] Qui HOBELIM, i. *Vincentium baculus*, dicitur. ¶ *Germanitatem*] Aut *fraternitatem*, i. fraternam conjunctionem quæ inter XII tribus. Aut per *Judam* sign. Judæos secundùm carnem; & per *Israelem* eos qui ex Israelitis in Christum crediderant. Expositionem hanc firmat quòd Nathanael dicitur *verus Israelita.* Nam tales segregabant se à societate reliquorum Judæorum.

15. *Vas*] *Instrumentum* alii. Significat autem *peram pastoralem* an *vestem*? כלי enim pro *veste* ponitur Deut. 22. 5. Sed & *peram* denotat 1 Sam. 17. 40. *Posuit eos in vase pastoritio, quod habebat.* Loquitur autem de lapidibus quibus David Goliæ frontem percussit. Sunt qui legant *vasa pastoris stulti.* Et eo nomine intelliguntur omnia instrumenta pastorum, cujusmodi sunt Baculus, Pera, Lagena, &c. quibus opus habebant in deserto pecora pascentes. ¶ *Pastoris stulti*] אולי idem quod אויל. Cæterùm jubetur Propheta hujusmodi sumere instrumenta. Cur? Ut hoc quasi symbolo designetur gubernatio stulta quæ

quæ fuit post Christi tempora: quæ tandem populo Judæo exitium attulit. Docent id sequentia verba.

16. *Suscito*] *Brevi suscitaturus sum.* ¶ *Pastorem*] Alii Agrippam, alii Herodem intelligunt. Ego non unum aliquem significari puto, sed omnes eos qui postremis temporibus remp. Judæorum administrarunt. ¶ *Succisas*] Cum periculo ægrotantes ac si succisæ essent. Alii *abscissas*, nempe à reliquo grege. Sed huic interpretationi minùs quadrat verbum sequens *visito*. V. Int. *derelicta*, i. נכחדות. Potest etiam legi *succisa*, ut *pecora* subintelligantur. ¶ *Non visitabit*] Nullam curam earum habebit. Visitare pecus ægrum pertinet ad officium boni pastoris; & contrà mali pastoris est illud negligere. ¶ *Adolescentem*] Vel *ætate teneram*, i. agnum. Nam agni aberrare solent à grege interdum. ¶ *Fractam*] Cui membrum aliquod fractum aut luxatum. ¶ *Stantem*] Manentem in loco suo, h.e. apud gregem. ¶ *Non sustentabit*] Vel potiùs *non alet*, *non pascet*. Vet. *non enutriet*. ¶ *Carnem pinguis*] Si quæ pinguis erit in grege & obesa, eam culinæ suæ devovebit. ¶ *Et ungulas earum diffringet*] q. d. Summam in eas exercebit crudelitatem.

17. *Pastori nihili*] Vel *pastori nequam*. Siquidem *nequam* dicitur qui nequicquam valet, ἀχρεῖος, *inutilis*. Idem אליל sign. voce ab אל deductâ. Quidam censent compositam esse ex אל *non* & אל *Deus*: nam de Idolis usurpatur. *Idolum* autem *nihil est*, nedum ut sit Deus. Sed paulò aliter usurpatur hic & Job. 13.4. רופאי אליל *medici nihili*. Hic רעי legitur pro רעה, He in Joth verso. Id autem fit vel propter communem familiam harum literarum, vel propter regimen. Ad quod exemplum dicimus פי ex absoluto פה. Aut est Joth paragogicum, & litera He, ut fit, eliditur. Tale Joth est in עזבי, quod mox sequitur. *Gladius*] Propè est ut credam vertendum *siccitas*, vel *ardor*, aut καῦμα. Nam sequitur, *brachium ejus arescendo arescet*. Ità sumitur hoc nomen Deut. 28. 22. ובחרב *& ariditate*. Sed nihil immuto. Scholia Ebraica enarrant כליון *internecio*. Potest etiam exponi *pernicies*, *exitium*, *vastitas*. ¶ *Super brachium ejus*] *Brachium* dixit ut Robur significaret. Sunt qui legant, *imminet brachio ipsius*: nempe על interdum valet *juxta*, *prope*, *secus*. ¶ *Super oculum dextrum ejus*] Sensum expressi: alioqui habetur in Ebræo ad verb. *super oculum dexteræ ipsius*. Capiendum autem de Mentis judicio, sive de Intellectu & Consiliis. ¶ *Brachium ejus*, &c.] Et viribus & judicio mentis destituetur.

I D E M.

7. ¶ לאחד שני מקלות * *duas σκυτάλας*] Vide Hier. p. 261. ¶ קראתי נעם ולאחד קראתי חבלים. Aq. τὴν μίαν ἐκάλεσα Εὐπρέπειαν, καὶ τὴν ἑτέραν ἐκάλεσα Σχοίνισμα. Sym. τὴν μὲν ἐκάλεσα Εὐπρέπειαν, τὴν δὲ μίαν ἐκάλεσα Σχοίνισμα.

8. ותקצר נפשי בהם. Ἀκύλας, Καὶ ἐκολοβώθη ἡ ψυχή με ἐπ' αὐτοῖς. Σύμμαχος, Καὶ ὠλιγοψύχησα ἐν αὐτοῖς. Θεοδοτίων, Καὶ ὠλιγοψύχησεν ἡ ψυχή με ἐπ' αὐτοῖς. ¶ וגם נפשם בחלה בי. Ἀκύλας, Καίγε ἡ ψυχὴ αὐτῶν ἐπέρκασεν ἐν ἐμοί. Σύμμαχος, Καὶ ἡ ψυχὴ αὐτῶν ἤμμασεν ἐν ἐμοί.

10. ואקח את מקלי את נעם ואגדע אתו. A. καὶ ἔλαβον τὴν ῥάβδον με τὴν Εὐπρέπειαν, καὶ περιέκοψα αὐτήν.

12. וישקלו את שכרי שלשים כסף. Sym. Καὶ ἐςάθμισαν τὸν μισθόν με τριάκοντα ἀργυρᾶς. A. καὶ ἔςησαν τὸν μισθόν με τριάκοντα ἀργυρᾶς.

13. ויאמר יהוה אלי וגו'. Aq. Καὶ εἶπε Κύριος πρός με, * Ῥίψον αὐτὰ πρὸς τὸν πλάςην· ὑπερμεγέθης ἡ τιμὴ, ἣν ἐτιμήθην ὑπὲρ αὐτῶν] * Sequitur in Eusebio, Κάθες αὐτὰς εἰς τὸ χωνευτήριον, quæ superesse putamus ex alia quapiam editione: nam Aquilam aliter vertisse certum est. In ed. Rom. εἰς τὸ χωνευτήριον. Aq. πρὸς τὸν πλάςην. Apud Euseb. Ἀποδείξ. l. 10. pag. 299. ¶ השליכהו אל היוצר. Sym. Ῥίψον αὐτὸ εἰς τὸ χωνευτήριον. Hier. יוצר, i. τὸν πλάςην, *quem nos fictorem & figulum possumus dicere*. Et mox, *Pro πλάςῃ atque fictore statuarium olim interpretatus sum, verbi ambiguitate compulsus, quod statuarium fictorémque uno sermone significat*. ¶ ואשליך אתו בית יהוה אל היוצר. Aq. καὶ ἔῤῥιψα αὐτὸ ἐν οἴκῳ Κυρίε πρὸς τὸν πλάςην. Sym. καὶ ἔῤῥιψα αὐτὸ εἰς τὸν οἶκον Κυρίε εἰς τὸ χωνευτήριον.

15. אויל. A. Sym. Th. ἄφρονος] In ed. Rom. ποιμένος ἀπείρε. Schol. οἱ λοιποὶ ἑρμηνευταὶ, ἄφρονος.

G R O T I U S.

1. *Aperi, Libane, portas tuas*] *Libanus* est Templum, quomodo Ezech. 17. 3. Habac. 2. 17. Postquam res prosperas plurimas Propheta prædixerat, ostendit interventura & mala; quorum malorum causas ostendit comparatione rerum veterum. Portæ Templi, inquit, patebunt externis. Idem est quod de Antiocho dicitur 1 Maccab. 1. 23. Καὶ εἰσῆλθεν εἰς τὸ ἁγίασμα ἐν ὑπερηφανίᾳ [*& intravit in Sanctuarium cum superbia*.] & Esdræ 12. 7. ¶ *Et comedat ignis cedros tuas*] Id est, cedrina palatia circa Templum, dicto 1 Maccab. 1. 32. 33. Καὶ ἐπέπεσεν ἐπὶ τὴν πόλιν ἐξάπινα, καὶ ἐπάταξεν αὐτὴν πληγὴν μεγάλην, καὶ ἀπώλεσε λαὸν πολὺν ἐξ Ἰσραήλ. Καὶ ἔλαβε τὰ σκῦλα τῆς πόλεως, καὶ ἐνεπύρισεν αὐτὴν πυρὶ, καὶ καθεῖλε τὰς οἴκες αὐτῆς καὶ τὰ τείχη αὐτῆς κύκλῳ [*Et irruit super Civitatem repentè, & percussit eam plagâ magnâ, & perdidit populum multum ex Israël. Et acceptis spoliis Civitatis succendit eam igni, destruxitque domos ejus & muros in circuitu*.]

2. *Ulula abies*] Oppida minora plangite & timete. ¶ *Quia cecidit cedrus*] Urbs Hierosolyma magnâ parte incensa. Vide 1 Maccab. 1. 33. & ibi dicta. ¶ *Quoniam magnifici vastati sunt*] Illi magnificè habitantes exuti sunt suis ædibus. ¶ *Ululate quercus Basan*] Idem significatur quod modò per *abietem*. *Quoniam succisus est saltus munitus*] Urbs illa tantis instructa mœnibus, quæ ob altitudinem ædium silvæ comparatur.

3. *Vox ululatus pastorum*] Principum: nam & hos *pastorum* nomine simul cum Regibus significari diximus 10. 2. ¶ *Quia vastata est magnificentia eorum*] Superba habitacula. ¶ *Vox rugitûs leonum*] *Pastores* enim dicebantur, revera erant *leones*, ὁημοβόροι [*populi voratores*,] quod explicant sequentia. ¶ *Quoniam vastata est superbia Jordanis*] Gloria Judææ. Solent enim amnes pro regionibus nominari, ut *Euphrates* pro *Babylone*.

4. *Hæc dicit Dominus Deus meus*] *Hæc dixit mihi*, nempe Zachariæ. ¶ *Pasce pecora occisionis*] Instrue & solare populum hunc, quem ob suam ambitionem Jason, Menelaus, Lysimachus, objicient cædibus & rapinis. Vide Josephum 2. 6. & 2 Maccab. 4. 13. & sequentibus.

5. *Quæ qui possiderant occidebant*] Qui eos regendos accipient, hi erunt causa occisionis ipsorum. Facere dicitur qui causa est cur quid fiat. ¶ *Et non dolebant*] Non movebantur tantis populi malis, dum suo animo morem gererent. ¶ *Et vendebant ea*] Prodebant eos partim occidendos, partim diripiendos externis. ¶ *Dicentes, Benedictus Dominus, divites facti sumus*] *Dicent* quisque, *Laudatus Deus quòd dives factus sum*: quasi dicat, Nihil plebem curo, dum ego ex sacerdotio magnos quæstus faciam. Ità etiam Dei nomine ad prava vota abutebantur. Et quàm multi hodie sunt qui Deo gratias agunt de scelerum suorum successu! *Et pastores eorum non parcebant eis*] Adeò *quisque* eorum *pastor non parcebat eis*.

Hic alienas oves pastor bis mulget in horâ.

6. *Et ego non parcam ultrà super habitantes terram*] Illo populo non parcunt, & ego ipsis non parcam, & iis qui facta illorum erunt approbaturi. ¶ *Ecce ego tradam homines unumquemque in manu proximi sui*] Inter se mutuis cædibus sævient. Multi enim Judæi Antiochi partes sectabantur 1 Maccabæor. 1. 55. Josephus dicto libro, Ezechiel. 39. 26. Danielis 11. 30, 32. ¶ *Et in manu Regis sui*] In manus Antiochi. ¶ *Et concident terram*] *Ut terram feriant*, cadentes scilicet. ¶ *Et non eruam de manu eorum*] *Non eruam* talium consiliorum approbatores *de manu* aut Antiochi aut Maccabæorum.

7. *Et pascam pecus occisionis propter hoc, ô pauperes gregis*] *Per hoc, nempe mites de grege*, instruam miseram plebem à rectoribus objectam tot cædibus ac malis egregio documento: quod jam sequitur, ut scilicet & causas malorum intelligant, & sibi caveant. ¶ *Et assumsi mihi duas virgas*] Sæpe apud Hebræos narrationes incipiunt per ו [*Et*,] ut Judicum 1. 1. Hoc est quod hic dicit Deus, *Jam olim duo mihi assumsi pedа*, id est, duas rationes populum feliciter gubernandi, Protectionem à malis externis, & internam Concordiam. ¶ *Unam vocavi Decorem*] *Dulcedinem*: nihil enim dulcius quàm à malis liberari. ¶ *Et alteram vocavi Funiculum*] Sic & Græci Σχοίνισμα unde apparet vocem חבלים ab iis lectam cum vocalibus aliis quàm quas asscipsere Masoretici. Nam eadem vox aliter lecta aut *dissipantes* significat, aut *funes*. Posterior autem hæc lectio planè sensui congruit, & significat curam Dei ad retinendum in concordia populum, ut patet infrà 14. Sicut Masoreticorum diligentiam spernere non debemus, ità nec superstitiosè nimis ac Judaicè nos alligare ipsorum conjecturæ, ubi aliæ suppetunt meliores. ¶ *Et pavi gregem*] Feliciter per Davidem.

8. *Et*

8. *Et succidi tres pastores in mense uno*] *Sed succidi.* Cùm populus ingratissimum se in Deum & Davidem ostendisset, In scelerata factione Absolomi, uno in mense abstuli illi tres Principes egregios, Davidem ipsum, Adoniam Regis filium, & Joabum fortissimum ducem. ¶ *Et contracta est anima mea in eis*] Amor in eos meus multùm imminutus est. ¶ *Siquidem & anima eorum variavit in me*] Fidem mihi non exhibuit. Id significat verbum בחלה, ex Arabico בחל, alibi in Hebræis libris non reperitur.

9. *Et dixi, Non pascam vos*] Dixi, Nolo vestri ultrà curam paternam gerere. ¶ *Quod moritur moriatur*] Quod morbidum est, morbo intereat. De grege enim sumitur similitudo. Respicitur pestilentia ingens sub finem Davidis. ¶ *Et quod succiditur succidatur*] *Quod* à lupo *abripitur*, *abripiatur*: Lupi isti sunt Adad & Razon 1 Regum 11. 14. 23. ¶ *Et reliqui vorent unusquisque carnem proximi sui*] *Et reliquæ* (pecudes nec morbo intermortuæ, nec à lupo raptæ) *devorent alteræ alterius carnem*: rabie quadam agentur in mutuam perniciem.

10. *Et tuli virgam meam quæ vocabatur Decus*] *Dulcedo.* Abstuli protectionem illam specialem. ¶ *Et abscidi eam*] *Scidi* in fragmenta, corrupi. ¶ *Ut irritum facerem fœdus meum, quod percussi cum omnibus populis*] *Populos* hîc intellige Tribus, ut Judic. v. 14. *Irritum facere fœdus suum* Deus dicitur; cùm ruptis à populo fœderis conditionibus, ipse quoque à sua parte promissa non implet.

11. *Et in irritum deductum est in die illa*] Cùm Solomon apertè in idololatriam prorupit ¶ *Et cognoverunt sic pauperes gregis, qui custodiunt mihi, quia verbum Domini est*] *Et cognoverunt rectè mites gregis, qui attendebant mihi, quod res hæc esset Domini*, id est, à me facta. Viderunt mala ista non frustrà sed meritò evenire. *Mites* habet hic & Chaldæus: nam permiscentur, ut sæpe diximus, עני [*pauper*] & ענו [*mitis.*] Lxx hîc pro כן עניי [*sic afflicti, mites*] legerunt unâ voce minùs rectè כנעני [*Chananæi:*] quod & Hieronymus notavit.

12. *Et dixi ad eos*] Causam derelicti à se populi ampliùs redditurus, ostendit per egregiam figuram quantopere ipse à populo contemtus fuerit; Quod olim quidem verum exstitit, sed multò clariùs Christi temporibus: cujus vetera omnia imaginem gerunt. ¶ *Si bonum est in oculis vestris*] Nisi id iniquum prædicatis. ¶ *Afferte mercedem meam*] Pro opera quam impendi tamdiu vobis protegendis. Loquitur ut pastor loqueretur domino gregis. ¶ *Et si non, quiescite*] Si nihil me meritum putatis, nihil date. ¶ *Et appenderunt mercedem meam 30 argenteos*] Hoc Zachariæ in viso ostensum putat Maimonides, & sequentia quoque in viso expleta per Zachariam. Hoc dicit: operam pastoralem exhibitam per annos quingentos (tot enim ferme sunt ab exitu ex Ægypto ad finem Solomonis) æstimarunt 30 *siclis*, id est, pretio iniquissimo. Operæ diurnæ æstimatio erat Denarius, ut ex Euangelio etiam discimus. Is non multùm excedit drachmam Atticam: quatuor drachmæ Atticæ siclum faciunt: ergò centum & viginti, aut paulò ampliùs, diebus poterat aliquis ex operis suis lucrari 30 siclos. Vides iniquum æstimationis. Moratur in comparatione pastoris. Vilis hæc merces significat victimas & ritus sine pietate solida.

13. *Et dixit Dominus ad me*] Ut facto aliquo sibi imperato Zacharias rem magis etiam animo imprimeret. ¶ *Projice illud ad statuarium*] *Ad figulum*, id est, apud figulinam. Erat enim ibi area in quam projiciebantur fracta Templi fictilia. Vide quæ diximus ad Jeremiam 19. 2. *Projice*, inquit, tamquam rem nihili, non pluris Deo faciendam quàm fractum fictile. Pro היוצר [*figulum*] hoc loco Chaldæus legit האוצר [*thesauri custodem.*] Sed à recepta lectione stant Lxx, & Matthæi Interpres. ¶ *Decorum pretium quo appretiatus sum ab eis*] Est Irrisio, qualis illa apud Tacitum, *egregium pretium laboris cepi*, Historiar. 5. ¶ *Et tuli triginta argenteos, & projeci illos in domum Domini ad statuarium*] In Hebræo est *domum*, sine Præpositione. Rectius est subaudiri *prope*. Vide quæ ad dictum modò locum Jeremiæ. deinde *ad figulum*, ut modò. Paruit Zacharias Dei præcepto; sive id reipsa factum sit, sive, ut quosdam existimare diximus, ἐν ὀπτασίᾳ [*in Visione.*] utrumque fieri potuit. Nulla enim hic mentio spectatorum coram quibus res facta sit. Fuit tantum hoc documentum Zachariæ ipsi.

14. *Et præcidi virgam meam secundam*] Hic continuatur intermissus κατὰ παρένθεσιν [*verbis interjectis*] Dei sermo. Pro *præcidi* rectè pones *scidi*, ut suprà 10. *Scidi*, nempe cùm viderem tam parvi me ab ipsis fieri, ut dictum jam est. ¶ *Quæ appellabatur Funiculus*] Concordiam tribuum inter se, ut diximus. ¶ *Ut dissolverem germanitatem inter Judam & Israël*] Inter Duas & Decem tribus, per factum Jeroboami per me in id instructi.

15. *Et dixit Dominus ad me*] Usum ostendit antedictorum: Nempe etiam nunc post Reditum, si quid simile eveniat, pios id referre debere ad causas similes. Vide suprà 7. 11. ¶ *Adhuc*] Etiam hoc tempore. ¶ *Sume tibi vasa pastoris stulti*] Ut pedum ferratum, cujus incussu pecudes occiduntur; peram in qua nihil sit ovibus utile, & similia.

16. *Quia ecce ego suscitabo pastorem in terra, qui derelicta non visitabit*] *Qui latentem* (pecundem: durat enim comparatio) *non investigabit.* ¶ *Dispersum non quæret*] *Agnum non quæret*, nempe qui gregem præ ætate sequi nondum potest. ¶ *Et contritum non sanabit*] Admorsum à feris. ¶ *Et id quod stat non enutriet*] *Quod integrum est* (in grege) *non enumerabit*: quod faciunt diligentes.

Bisque die numerant alter pecus, alter & hædos.

Sic יכלכלו [*numerati sunt*] sumitur 1 Regum 20. 27. ¶ *Et carnes pinguium comedet*] *Sed carnes pinguium comedet.* Sui causâ faciet omnia in Republica. ¶ *Et ungulas eorum dissolvet*] Reliquos ità fatigabit itineribus ut ungulæ dirumpantur. Qui hic ἀλληγορεῖται [*rectè innuitur*] est Manasses designatus Nehemiæ 13. 28. nominatus autem Josepho 11. 7. & 8. Jeroboamus populum sciderat, Deo sinente. Sanaverat diuturnum dissidium Deus dato reditu Judæis & ex aliis tribubus qui se iis adjungerent. Mansit concordia per tempus aliquod. Sed iterum vilescente Dei cultu excitavit Deus Manassem, hominem vanum, qui Sambelleten hominem sibi similem nactus socerum, ut se quoque Sacerdotem summum, & quidem contra fratrem suum faceret, novum struxit Templum in monte Garizitano; & quos potuit de populo Judaïco attraxit ad se. Ità rursus *ruptus est funiculus.* Meritò autem dixi causam etiam hujus mali fuisse neglectum Dei cultum: Nam quicunque ob cibos vetitos, Sabbatum violatum, aliásve culpas inter Judæos pœnas metuebat, ei confugium patebat Sicimis apud novum illud Templum.

17. *O pastor & idolum*] *Væ pastori vano*, qui *Pastor* sive Princeps populi dici vult, sed reipsa nihil minùs est. Sic רפאי אליל *medici* nomine, non re, Jobi 13. 4. ¶ *Derelinquens gregem*] Cœtum illum legitimum qui erat in Templo Hierosolymitano, facto ex Dei oraculo, Regis auctoritate, quem secutus fuerat gentis totius consensus. ¶ *Gladius super brachium ejus, & super oculum dextrum ejus, brachium ejus ariditate siccabitur, & oculus dexter ejus tenebrescens obscurabitur*] *Gladium* vocat omnem è Deo pœnam. *Brachium dextrum* Manassis fuit socer ejus Samballetes. *Brachium aridum*, ut *manus arida* Matth. 12. 10. dicitur quæ vigore omni destituta est, ut ramus nullum de arbore succum trahens. *Brachium* Manassis *siccatum est* cùm omnes Samballetæ milites ab Alexandro Magno abducti sunt in Ægyptum, & tam tenuis ei apud Alexandrum fuit gratia ut suis Sicimitis obtinere non potuerit immunitatem tributi anno Sabbatico, quam Judæis Alexander concesserat, Joseph. 11. 8. *Oculis* autem *dexter qui* Manassi *caligavit*, est cognitio rerum Divinarum; sicut oculus lævus, humanarum. Hic ei constitit; alterius usum perdidit, ut ferme ambitiosi & avari omnes. Vide Matth. 6. 22.

CAP. XII.

MUNSTERUS.

2. Pono *Jerusalem calicem*] Sunt qui hoc caput putant intelligendum de pauperibus Jehudæis qui Christum agnoverunt, sicut præcedenti dicitur capite; qui multas passi sunt persecutiones ab incredulis Judæis & Gentibus. Et hoc modo per *calicem ebrietatis* intelliguntur Discipuli Christi, quos hostes eorum devorare contendebant quasi *calicem* vel, ut Hebraismus habet, quasi *scyphum plenum mero*, aut *inebriativo potu*, ut Jonathan habet. Nomine igitur *Jerusalem* videntur hic accipiendi Apostoli, & nomine *Jehuda* reliqui Christiani.

3. *Lapidem onerosum*] Hâc similitudine idem ostenditur quod in præcedenti, videlicet quòd Christiani ab infidelibus extingui non poterunt: sed qui id annixi fuerint, opprimentur ab hoc lapide, quidam in commodum suum, & alii in damnationem.

4. *Percutiam omnem equum stupore*] i. Potentia mundana non

non superabit populum Christianum confidentem in Domino exercituum.

6. *Quasi focum ignis*] Christiani, inquit, igne sancti Spiritûs accensi, erunt inter Gentiles quasi *ignis in lignis*, aut *flamma in stramine*, multósque *devorabunt*, & Christo incorporabunt, *& manebit Jerusalem* illa spiritualis *in loco suo*, non obstante persecutione infidelium.

7. *Non magnificabitur gloria domûs David*] i. In Ecclesia Christi non erit discrimen illud personarum sicut in Synagoga, in qua nati de semine *David* & *cives Jerosolymitani* nobiliores existimabantur reliquis *Jehudæis*.

8. *Qui infirmus fuerit*] Inter Christianos, inquit, quidam aliis fortiores & constantiores invenientur: Et hi erunt *sicut* אלהים *Dii* sive *magnates*, & *quasi Angelus Domini* coram hostibus suis, tyrannis scilicet intrepido animo usque ad mortem occurrentes. Alii autem, qui *infirmiores* censebuntur, erunt etiam firmi *sicut David*, qui cùm pusillus esset, dejecit tamen fortissimum Goliath.

9. *Quærum delere*] i. Ultionem sumam de Gentibus.

10. *Aspicient ad me quem transfixerunt*] Per totum mundum erunt qui *me aspicient*, & agnoscent quòd propter eorum peccata *transfixus* & mortuus sum. Ubi innuitur Divinitas & Humanitas Christi. Nam cùm dixisset, *Effundam Spiritum gratiæ*, quod non est nisi Dei, mox subjicit, *Aspicient ad me quem transfixerunt*. Quem locum Jehudæi hâc perversâ expositione conantur involvere, שאם יורץ שידקרו אחר כהם. ¶ *Plangéntque super eum*] Mutatur persona loquentis. Nam Propheta ostendere volens quantus luctus consecuturus erat crucifixionem ejus apud propinquos ejus & omnes Christi fideles, comparat dolorem illum mœrori qui nascitur ob mortem *primogeniti* & *unigeniti*, & item qui natus fuit ob mortem pientissimi Regis Josiæ in campo Megiddon, 2 Par. 35. Jonathan Chaldæus hunc locum sic vertit, *Magnus erit planctus in Jerusalem juxta planctum Ahab filii Omri, quem interfecit Hadadrimmon filius Tabrimon; & sicut planctus Josijahu filii Amon, quem occidit Pharao claudus in planitie Megiddon*.

12. *Lugebit terra & cognationes seorsum*] i. Juxta exemplum Christi quilibet patienter ferre debet propriam crucem; juxta illud Pauli, *Si compatiemur, & conregnabimus*.

VATABLUS.

1. PRophetia, &c. משא וגו׳] *Onus verbi Dei super Israelem*: h. e. Prophetia adversùs Israelem de afflictione futura ex ordinatione Divina. Vide Mal. 1. 1.

2. *Pono* שם] Præs. Heb. pro fut. *brevi positurus sum*. ¶ *Soporiferum* רעל] Ad verb. *soporis*, vel *stuporis*, aut *tremoris*. Alii, *ebrietatis*. Alii, *veneni mortiferi*: q. d. Malè perituri sunt quicunque fideles meos affligent ac persequentur, & Ecclesiam oppugnaturi sunt, non aliter quàm qui hauserint calicem plenum veneno mortifero repentè cadere solent. ¶ *Ipsi quoque Jehudah* וגם על יהודה] Innuit aliquot ex Judæis secundùm carnem etiam oppugnaturos Ecclesiam ipsam Christianam: q. d. Non solùm perituræ sunt Gentes quæ oppugnaverint pios, sed etiam ipsi Judæi qui fuerint in obsidione quâ oppugnabitur Jerusalem.

3. *Ponam*, &c. אשים וגו׳] Hebraismus, pro *Reddam Jerusalem immobilem ut à nullis populis transferri possit*. ¶ *Quotquot*, &c. כל עמסיה וגו׳] *Quotquot eum transferre conabuntur*, *gravissimè incident sese*, ut scilicet solent asperitate saxi gravis incidi manus ejus qui illud aliò transferre nititur.

4. *Omnem equum* כל סוס] Sing. pro pluralibus, *omnes equos*: & mox, *ascensores eorum*. Nomine *equorum* superbos intelligit & incredulos, ut per *domum Juda* congregationem fidelium. *Ascensores* autem *equorum* vocat eos qui præsunt illis superbis, regunt, ac moderantur eos.

5. *Robur mihi* erunt אמצה לי] Sing. Heb. pro plur. *Robori nobis*, sub. *erunt*: vel *fortitudini*: i. adjuvabunt nos.

6. *Tanquam prunas* כביור] *Tanquam carbonem*. Alii, *lampadem*.

7. *Initio ipso* כראשנה] Quidam subaudiunt כ Similitudinis, sicut *in principio*. ¶ *Ne magnificetur*, &c. למען וגו׳] *Ut non sit major gloria domûs David & gloria domûs habitatorum Jerusalem*, gloriâ ipsius *Judæ*. Per *domum David & habitatores Jerusalem* intelligitur Synagoga ipsa, & per *Judam* Ecclesia Christiana. Quidam vertunt, *propterea non magnificabitur*, &c.

8. *Proteget Jehovah habitatorem* יגן יהוה וגו׳] *Defendet Jehovah pro habitatore*, i. tuebitur partes habitatoris, & illum defendet. Quidam, *Jehovah erit protectio circa habitatorem*.

¶ *Qui infirmus fuerit* הנכשל] *Qui debilis erit*. ¶ *Sicut David* כדויד] Qui scilicet fuit vir fortis & robustus. ¶ *Et domus David* ובית דויד] Intelligit Christum, qui nasciturus erat de domo sive familia David. Ità interpretatur de Rege Messia doctus inter Hebræos. ¶ *Tanquam Deus*, &c. כאלהים וגו׳] Ex doctioribus Hebræorum alter dicit istud, *tanquam Angelus Jehovæ*, expositionem esse præcedentis, *tanquam Deus*. Declarat enim quid vocaverit *Elohim*.

9. *Quæ veniunt* הבאים] Præs. Heb. pro fut.

10. *Et precum* ותחנונים] *Precationum*. Alii, *& miserationum*. ¶ *Quem confixerunt* את אשר דקרו] i. Quem clavis cruci affixerunt. ¶ *Super eum* עליו] Christus de se loquitur in tertia persona. ¶ *Ac amaritudine afficientur* והמר] Est infinit. i. & mœrore afficietur.

11. *Juxta planctum Hadadrimmon* כמספד הדדרמון] i. Sicut luxerunt luctu perpetuo Josiam Regem, qui interfectus fuit à Pharaone Neco in loco qui dicitur *Hadadrimmon*. Fuit autem Rex ille vir pius admodum, qui restituit cultum ac religionem Dei. Vide 2 Par. 35. 22, 24. Quidam tamen ex doctioribus Hebræorum existimat *Hadadremmon* esse nomen cujusdam viri insignis ac clari. ¶ *In campo* בבקעת] *In planitie*: *in valle*.

CLARIUS.

2. CAlicem ebrietatis] Intelligunt de iis qui crediderunt in Christum, qui multas passi sunt *persecutiones ab incredulis Judæis & Gentibus*. Et per *Jerusalem* videntur accipiendi Apostoli, reliqui verò Christiani nomine *Juda*; quæ Juda bibet ex illo poculo & ab inimicis domesticis, quos Paulus *falsos fratres* vocat, libera non erit.

3. *Lapidem oneris*] Hâc similitudine ostenditur quòd Christiani ab infidelibus exstingui non poterunt, sed *qui levabunt eum*. i. transferre illum de loco suo *conati fuerint*, opprimentur ab hoc lapide, quidam in commodum suum, ut Paulus, alii in damnationem.

4. *Percutiam omnem equum*] h. e. Potentia hujus mundi non superabit populum Christianum fidentem Domino exercituum.

5. *Robur mihi*] Scilicet *erunt*. Tanquam dicat, Cum illis audebimus nos quibuscunque hostibus opponere: habent namque propitium *Dominum Deum suum*.

6. *Sicut caminum ignis*] Christiani, igne Sancti Spiritûs accensi, erunt inter Gentes quasi *ignis in lignis*, aut *flamma in stramine*, multósque *devorabunt* & in Christi corpus trajicient; *& manebit Jerusalem* illa spiritualis *in loco suo*, non obstante persecutione infidelium.

7. *Ut non magnificè glorietur*] h. e. Nullus invidebit alii. Erunt felicissimi omnes, & minimus felicior quàm fuit olim in suo Regno David.

8. *Et domus David*] h. e. Messias Christus Dominus erit, inquit, quasi Deus.

10. *Et precum*] h. e. Propitiationis. ¶ *Ad me quem confixerunt*] Vide Joan. 19. Per totum mundum erunt, inquit, qui *me aspicient*, & agnoscent quòd propter eorum peccata *transfixus* & mortuus sum. Ubi invenitur Divinitas & Humanitas Christi. Nam cùm dixisset, *Effundam Spiritum gratiæ*, quod non est nisi Dei, mox subjecit, *ad me, quem transfixerunt*. ¶ *Plangent eum*] Mutatur persona loquentis. Nam Propheta ostendere volens quantus luctus consecuturus erat crucifixionem ejus apud propinquos ejus & omnes Christi fideles, comparat dolorem illum mœrori qui nascitur ob mortem *primogeniti* & *unigeniti*, aut qui fuit ob mortem piissimi Regis Josiæ *in campo Mageddon* 2 Par. 35. Jonathas Chaldæus hunc locum sic vertit, *Magnus erit planctus in Jerusalem, juxta planctum Achab filii Omri, quem interfecit Hadadrimmon filius Tabrimon; & sicut planctus Josiæ filii Amon, quem occidit Pharao claudus in planitie Mageddon*.

12. *Plangent terra*] Sensus est, Juxta exemplum Christi quilibet patienter ferre debet propriam crucem; juxta illud Pauli, *Si compatimur, & conregnabimus*.

L. BRUGENSIS.

8. ET *domus David quasi Dei, sicut angelus Domini in conspectu eorum*] Multi hic scribunt *in conspectu eorum*; plures *in conspectu ejus*: duo Parisiensium (V. Compl.) & sedecim nostri (Lob. Leod. L. P. H. &c.) illo modo; duo & viginti nostri (Brug. O, E, Q, Pe. m. Mog. Nuren. Colon. &c.) ac plerique Epanorthotæ, hoc. Rupertus, Carensis & Richelius

lius, Enarratores, exponunt *eorum*: id quod Hebraici ac Chaldaici codices legunt; Græci etiam integriores, Vaticanus, Regius, Basileensis anni 1550. cum Theodoriti textu: nam Aldinus & Argentoratensis pro αὐτῶν, αὐτοῦ habent. Quare Hentenius & Parisienses castigatores in textum id, *eorum* inquam, retulerunt. Porrò Epanorthotes pluralem numerum ab Interprete mutatum, atque *ejus* scriptum existimat. Atqui Hieronymi & textus legit, & commentatius exponit, *eorum*. *Et qui de domo regia erat*, habet commentarius, *fit quasi de domo Dei*, i. *quasi nuncius Domini & angelicæ dignitatis, in conspectu eorum qui eo tempore fuerint resalvati.* Vertit igitur Interpres noster Hieronymus, ut Hebraicè est, *eorum*: nisi dicas eum vel Græcæ editionis pronomen *eorum* exposuisse (legit enim *eorum*, non *ejus*, & ea quæ D. Hieronymo adscripta est LXX-virorum editio) vel priusquam commentaria scriberet aliter transtulisse, *eorum* nempe, quod Hebraicè; cum *ejus* commutasse, ità ut subaudiretur *Domini*.

DRUSIUS.

1 O*Nus verbi DOMINI*] Hoc capite læta denunciat Jerosolymæ. Cur ergò in titulo est *Onus*? Ebræi dicunt nomine משא innui quamvis *Prophetiam*. Alii dicunt inscriptionem pertinere ad eos Israelitas qui in exsilio manserunt; Quibus pœnam denunciat ob ignaviam & ingratitudinem. Nam spreverant Dei gratiam, cui exsilium, prætulerunt, nec se socios præbuerant iis qui domum reversi Ecclesiam ibi collegerunt. Sunt etiam qui referant, *Assumptio verbi DOMINI*, i. Λῆμμα. ¶ *De Israele*] Alii, *contra Israelem*. Alii, *pro Israele*. Vetus ed. *super Israel*. Quod ambigue dicitur: nam intelligi potest & *contra Israelem* & *de Israel*. ¶ *Extendens cœlum*] Alibi est, *qui extendit cœlum sicut pellem*. Hinc appellatio nominis רקיע, quo cœlum significatur: q. d. *expansum quid*. ¶ *Fundans terram*] Super bases suas, vel, ut alibi legitur, *super nihilum*. Nam Terra non aliâ re sustinetur quàm propriâ mole. Seipsam enim sustentat, ità Naturâ volente. Quod autem apud Davidem legimus, *super aquas fundavit eam*, id rectiùs leges hoc modo, *juxta aquas fundavit eam*. Nam loquitur de terra Judæa fluminibus & maribus cincta. ¶ *Fingens spiritum Hominis*] Creans animam Hominis. Tralatio à rebus corporeis: nam propriè corpora *finguntur*. Quædam editiones *firmans spiritum hominis*. Eodèm redit. ¶ *In eo*] בקרבו *in medio ejus*, h. e. in corde. Nam Cor in medio Hominis. Alii ponunt sedem Animæ in Cerebro. Sed hic locus favere magis videtur priori sententiæ. D. K. annotat *fingendi* verbo usum Prophetam ob sedem animæ, quæ corporea & sub sensus cadit: nam alioqui non usurpari nisi de rebus talibus.

2. *Pono*] *Reddo*. Sensus est, *brevi redditurus sum*. Sic *Posuit mihi semen pro Habel*, i. dedit. Contrà *dare* usurpatur, ut Ps. 8. 2. *dedisti decus tuum suprà cælos*, i. posuisti. ¶ *Scyphum venenatum*] Quidam *pestem contritionis* probarem si רעל id significaret. Non res obscura, sed voces. Eas igitur explicabimus. סף *scyphus* vel *crater*. Ex *Saph* fit σαφ, i. σκύφα vel σκυφά, unde σκύφος, quod & σκύπφος. Magna certè cognatio inter has voces. Nomenclator Eliæ, סף *patera*. Non solùm pro *scypho* sumitur, sed pro *aliis vasis vinariis ac domesticis*, ut D.K. annotat. Jonathan alibi interpretatur קולא, quâ voce Oncelos utitur pro כד, quod est *vas aquarium*. Vidi qui referunt hoc loco *pelvim soporiferam*: dubito an rectè. Nam *sopor* תרדמה dicitur, & *pelvis* סף: à quo סף distinguitur 1 Reg. 7. Ad hæc ex *pelvi* non bibitur. Tamen apud Nicolaum, *In Ebræo habetur* BACINUM AMARITUDINIS. Gallicè *bacin*. Vetus ed. *superliminare crapulæ*. Santes emendat *calicem ebrietatis*. Sed *ebrietas* שכרון dicitur, *Calix* autem כוס, & *superliminare* משקוף sive כפתור. Nihilo meliùs Græci πρόθυρα σαλευόμενα: maluissem ὑπόθυρα. Quanquam סף potiùs *postem* denotat. Argumentum huic rei est ספים *postes de una janua*. רעל autem est *tremere*, ut quidam censent, i. רעד, *d* in *l* versâ, ut *dacryma, lacryma*; *cassida, cassila*. Sed רעל *venenum mortiferum*. Appellatio fortè à *tremendo*: nam quædam venena frigida sunt: frigus autem tremorem inducit. Nihil affirmo, sed tamen quid si ad hanc originem referamus *veneni* vocabulum Belgicum Regal? רעל *Regal*, ut רעואל *Raguel*. *Venenatum*, i. veneno infectum. Aut breviter dixit רעל pro יין רעל. Potest etiam per *scyphum* intelligi ipsa Potio: quæ est figura sermonis quam *Metonymiam* vocant. ¶ *Ipsi Juda, qui erit in obsidione*, &c.] Vel *Judais, qui erunt in obsidione*: Vult dicere, *qui unà cum populis finitimis Jerosolymam obsidebunt*. Hic על accipio pro ל, & אשר subaudio.

3. *Ponam Jerosolymam lapidem onerosum*] *Reddam quoque Jerosolymam similem lapidi ponderoso*, qui portantem non solùm gravat, sed etiam artus ei ac nervos frangit. ¶ *Concidendo concidentur*] An rectiùs *lacerando lacerabuntur*? V. Int. utroque verbo usus est, referens *concisione lacerabuntur*. Prisci Ebræi asserunt שרט & גדד se mutuò explicare. Est autem גדד non *lacerare*, sed *incidere*, *concidere*, *succidere*. ¶ *Et congregabuntur adversùs eum*] Puto rectum esse, *licèt congregentur adversùs eum*.

4. *Omnem equum*] *Omnes equos*. ¶ *Ascensorem ejus*] *Sessores eorum*, equites. ¶ *Amentiâ*] *Amentia* & *stupor* ad Cor pertinent, *cæcitas* ad Oculos. ¶ *Super domum Juda aperiam oculos meos*] Respiciam eos benignè misericorditerque: videbo vexationem eorum. Suprà 9. 8. dixit, *vidi oculis meis*, cùm idem significare vellet.

5. *Tunc dicent duces Juda in corde suo*] *Tunc dicet unusquisque ducum apud se*. Ità exponendum esse docent sequentia. ¶ *Robur mihi habitatores*] Hunc locum quidam ità corrigunt, *Robur mihi & habitatoribus*. ac si esset in Ebræo ליושבי. Sed puto rectiùs nos vertisse, *Robur mihi habitatores*: subaudio autem *erunt*. Nam quia viriliter populis resistent, eorúmque conatus frangent ac irritos reddent, ideo hæc dicent. Jam verò quoniam non propriis viribus sed ope & auxilio hæc victoria ipsis obtinget, sequitur *in DOMINO exercituum Deo ipsorum*. *Duces Judæ*, Machabæus, Jonathan, Simon, & alii: quibus annumerari debet Eleazar. אמצה *robur*, *fortitudo*. Pertinet ad formam כבשה *agnus femina*. Sic עולה *perversitas*.

6. *Ut focum ignis in lignis*] Mens horum verborum, *Ut ignis qui in foco ligna consumit facilè, ità Duces Judæ populos conficient sine ullo negotio*. Dictum autem κατ' ὑπαλλαγὴν *focum ignis* pro *ignem foci*. Nam כיור *focus* vel, ut quidam volunt, *foculus*, i. ἐσχάριον sive ἐσχαρίδιον. ¶ *Ut facem ignis*] Λαμπάδα: ut facem ardentem, quæ manipulo frugum immissa cum facillimè comburit. Sic legimus. Abd. 18. *Et erit domus Jacob ignis, & domus Joseph flamma, & domus Esau stipula, ardebúntque in eos & consument ipsos*. ¶ *Ad dexteram & ad sinistram*] Vel *dexterâ sinistrâque*. Vult dicere, *ex omni parte*, *undiquaque*. Locutio est quasi proverbialis. Sic Ps. 91. 7. *Cadent ad latus tuum mille, & ad dexteram tuam decem millia*. ¶ *Populos circum*] Vel *populos circà*, ut Livius dixit, *circà saltus peragrare*. *Saltus circà*, qui circà sunt. Sic *populus circà*, qui nos circumdant & undiquaque cingunt, aut nobis vicini sunt ex omni parte. ¶ *In loco suo Jerosolymæ*] h. e. In illo ipso loco in quo nunc habitatur & hucusque habitata fuit.

7. *Tabernacula Juda*] *Urbes Judæorum* interpretantur Jonathan. Alii accipiunt dictum de tentoriis eorum qui unà cum populis Jerosolymam obsidebant. Sunt qui putant Prophetam in mente habuisse Rechabitas, qui in tabernaculis perpetuò degebant. ¶ *Primùm*] *rim o loco*, *inprimis*. Vult dicere, *antequam Jerosolyma servet*. Græcus Int. καθὼς ἀπὸ ἀρχῆς legit Chaph loco Beth. Sic etiam legit noster Vulgatus. ¶ *Magnificet*] *Extollat*: הרים & הגדיל se mutuò explicant. Psal. 41. 9. *magnificavit contra me*, *calcem extulit*. Contrà Prov. 14. 29. *extollens stultitiam*, magnam stultitiam designans. ¶ *Decor*, &c.] Non plenè idem est *decor domûs David* atque illud *domus David*. Sic *virtus Catonis* aliud est & aliud *Cato*, Nam non sic diximus *virtus Thersitis*. Item, *excellentia Jacobi, quem dilexit* Ps. 47. 4. differt ab illo, *Jacobum, quem dilexit*: differt, sed non multùm: nec facile est ut oratione exprimam. Opinor tamen sensum esse quem Int. V. expressit, *nè magnificè glorietur Domus David*. Aut *decor domus David*, i. familia Davidis honorata & inclyta. ¶ *Domûs David*] Nam ea Jerosolymæ commorabatur. ¶ *Decor habitantium Jerosolymæ*] תפארת *decor*. Priùs erat *gloria*, & in aliis *decus*. Sed *gloria* כבוד dicitur, & *decus* הוד vel הדר.

8. *Proteget habitatores*, &c.] Teget eos scuto benevolentiæ suæ, ac tutos præstabit ab injuria hostium qui eos cingunt undique. ¶ *Qui offenderit*] Est cur malim, *invalidus in illis*, *lapsabundus*, *ad lapsum propensus*: נכשל *invalidus*, *debilis*, *infirmus*, ἀσθενής. Sic Græci. Sic Chaldæus P. Scholia quoque Camii Ebræi. Participium est παρὰ τὸ כשל *offendo*, *impingo*, *corruo*. Ergò נכשל propriè *qui facilè offendit*. Jam intelligis causam nominis. Nam æger qui est, aut à viribus parùm firmus, levi momento impingit. Sunt qui emendent *abjectissimus ex illis*. Hier. ad h. l. *In tantam felicitatem ac beatitudinem omnia mutabuntur ut qui vilissimus putabatur sit quasi domus regia, & qui de domo regia erat sit quasi de domo Dei, i. quasi nuncius Domini & Angelicæ dignitatis, in con-*

spectu eorum qui eo tempore fuerint reservati. ¶ *In illis*] Ex illis, *inter illos.* ¶ *Sicut David*] Erit alter David, h.e. bello fortis ac summus. Proverbiale. Considera num sensus sit, *qui offenderit ex illis*, qui infeliciter egerit, ejus fortuna ità commutabitur ut *futurus sit Davidi similis*, h. e. tam felix ac fortunatus quàm David, qui ab infimo loco ad summum dignitatis gradum pervenit. *Offendere* hoc sensu usurpat Cicero in Verr. *Cum*, inquit, *multi viri fortes & terrâ & mari offenderint.* ¶ *Domus David*] Qui de familia Regia, vel potiùs ipse Rex. Sic alibi, *Audite, domus David*, de Achaz Rege. D. K. Regem Messiam intelligit, & sic Vatablus. ¶ *Sicut Deus*] Mox se explicat cùm ait, *sicut Angelus Domini.* Nec malè reddunt qui reddunt *sicut dii.* Nam Angeli *dii* vocantur. V. Int. *quasi Dei.* An *domus* subintelligitur? Similis locus est Ps. 8. 6., ubi per ELOHIM alii *Deum* ipsum, alii *Angelos* intelligunt. ¶ *Coram eis*] Præcedens eos in acie.

9. *Quæram*] *Studebo: annitar.* Dabo, inquit, operam ut eas exterminem. Esth. 3. 6. *quæsivit exterminare omnes Judæos.* Exod. 2. 15. *quæsivit occidere Mosem.* 1 Sam. 19. 2. *Quærit Saul interficere.* Latini, *studet*, *conatur*, *in id operam & studium adhibet.* ¶ *Exterminare*] *Delere, perdere.*

10. *Effundam*] Usurpant in sensu Copiæ & Largitatis; ut ibi, *Effundam Spiritum meum super omnem carnem.* Tralatio à Liquoribus, qui propriè *effunduntur.* Sic *effundi pluvia* dicitur quæ larga & copiosa. ¶ *Spiritum gratiæ*] Quo qui præditus est plurimùm gratiâ potest apud Deum & homines. Sic Apostolus passim *gratiæ* nomine intelligit gratuitam illam benevolentiam quâ Deus nos complectitur & in Christo sibi conciliavit. ¶ *Deprecationum*] In antiquis ed. partim *precum*, partim *miserationum*, i. רחמים. Sic Chaldæus. Nec divertunt ab eo Græci, apud quos καὶ οἰκτιρμοῦ *& miserationis.* *Gratia*, ut dictum est, vocatur Dei in homines benevolentia. Hanc *misericordia*, i. gratuita salus, consequitur. Sed tamen nihil muto. Nam certè תחנונים *deprecationes* interpretatur: & potest accipi de Spiritu quo delicti veniam petimus, ejúsque pœnam deprecamur à Deo. Joseph Kimchi, pater Davidis hunc locum sic exponit, SPIRITUM GRATIÆ, *in gratia erunt apud omnes homines:* ET PRECATIONUM, *& preces*, sive *deprecationes*, *eorum acceptæ erunt apud me.* ¶ *Aspicient me*] Rectiùs fortasse *intuebuntur me.* Vulg. *aspicient ad me.* Adi sis Parallela mea. ¶ *Quem confixerunt*] Quem in crucem sustulerunt, adactis in singulas manus & singulos pedes singulis clavis. Quod Græci declarant verbo προσηλῶν: sed & Latino verbo *suffigendi* idem planè indicatur. Vel magis, cujus latus lanceâ transfixerunt. Hoc etsi factum fuerit à milite Romano, tamen Judæi factum approbarunt, ac proinde illis non malè attribuitur. Locum hunc laudat Euangelista Joh. 19. 37. ut dubitare de sententia nemo possit. ¶ *Secundùm planctum de unico*] Quemadmodum homo plangit de unico. Sensus est, *ob amissum unicum filium.* De *planctu unici* consule Proverbia mea. Porrò *unicus* à Græcis μονογενὴς vocatur, & aliquando ἀγαπητὸς, i. interprete Hier. *charissimus.* ¶ *Amarè*] *Graviter, acerbè.* ¶ *Dolebunt*] Vel *lugebunt.* ¶ *De primogenito*] Ebraicè בכור dicitur, is est propriè *qui vulvam aperit.* Nec opus ut plures sint. Hunc amissum dolemus gravissimé. Vide Proverbia mea. Nequeo reticere. In Scholiis Jarii Ebræi (vulgò *R. Salomo* vocatur) notatum, *priscos R R. exposuisse locum istum de Christo Josephi filio in Massecheth Succha.*

11. *Qualis planctus Hadadremmon in campo Mageddon*] De campo Mageddon habes 2 Par. 35. 22. *Verùm perrexit* Josias *ut dimicaret in campo Mageddon: ibique vulneratus est à sagittariis.* De *Hadadremmon* sive, ut nunc legunt, *Hadadrimmon* nihil mihi adhuc lectum nisi apud Hier. & Chaldæum P. Quorum ille scribit urbem esse prope Jezraelem quam posterior ætas *Maximinianopolim* appellavit, in campo Mageddon: Hic verò ait proprium viri esse qui Achabum Amri filium occiderit, unde plangor secutus sit qui ab eo casu dictus fuit *Plangor Hadadremmonius:* quem distinguit ab eo qui ob vulneratum Josiam in campo Mageddon. Itaque insertâ copulante legit, *& in campo Mageddon*, ut duos diversos plangores indicaret. Ego potiùs accedo priori sententiæ, in qua me confirmat absentia copulæ. Hoc primum. Deinde auctoritas Hieronymi, cujus ego viri eruditionem, ut par est, plurimi facio, nec ab eo libenter discedo nisi ubi manifesta veritas illi adversatur. Tunc enim valet apud me illud, *Amicus Plato, amicus Aristoteles, sed magis amica Veritas.* *Hadadremmon* capiendum in casu gignendi, ac valet ut si dicas *planctus Hadadremmonius.* Dictus ab urbe *Hadadremmon*, vel quòd in ea primùm cœptum plangi de morte Josiæ, vel quòd prope illam commissum sit prælium in quo vulnus accepit, ex quo vulnere postea obiit pius ille Rex. Hic plangor publicus fuit, & progressu temporis in proverbium abiit. Regem autem defunctum cùm populus universus luxit, tum Jeremias næniam condidit, in qua sic de eo scribit, *Spiritus narium nostrarum, unctus Domini captus est in foveis istorum: de quo diximus, In umbra tua vivemus inter gentes*, Thren. 4. 20. Hujus næniæ mentio 2 Par. 35. 25.

12, 13. *Terra*] Habitatores terræ. ¶ *Familiæ familiæ*] Explicant & ità reddunt, *singulæ familiæ*, cùm potiùs reddendum sit *per familias.* Quod genus sunt, *Areæ areæ*, per areas; *Acervi acervi*, per acervos; *Convivia convivia*, per convivia. ¶ *Uxores eorum*] Priùs erat *mulieres eorum.* Sic γυνὴ & *uxor* & *mulier.* Sed quare addit *seorsum?* An per hoc significare voluit planctum publicum qui in Templo fiebat, ubi feminæ à viris separatæ? ¶ *Domus Nathan*] An Prophetæ? Credibile est: quidam de *Nathane* Davidis filio capiunt, quos sequi nolim. Observa nominari hic familias præcipuas populi Judaici; Primò, Regum, cùm ait, *Familia domûs David*; secundò Prophetarum, si liceat per *Nathan* omnes Prophetas intelligere; tertiò, Sacerdotum & Levitarum, ibi *Familia domus Levi.* ¶ *Familia Semei*] Non dicit *familia domûs Semei*, ut antea, *familia domûs David*, *Nathan*, &c. sed *familia Semei.* Ad hæc legitur in Ebræo non שמעי sed השמעי, ut suspicari quis possit de nomine gentilitio. Nam articulus non solet præponi propriis nominibus. Itaque Jos. 13. 7. המנשי D. K. scribit esse gentile pro מנשה. Quod si conceditur, erit vertendum *familia Semeæorum.* Nihil statuo. Editio Chaldaica habet בית שמעי *domus Semei.* Hier. ad h. l. scribens, *In* DAVID, inquit, *Regia tribus accipitur, h. e. Juda: In* NATHAN *Prophetalis ordo describitur:* LEVI *refertur ad Sacerdotes, ex quo ortum est Sacerdotium: In* SEMEI *Doctores accipiuntur: ex hac enim tribu Magistrorum agmina pullularunt. Reliquas tribus tacuit, quæ non habent aliquod privilegium dignitatis.*

IDEM.

5. אמצה לי. A. κάρτυνόν μοι] i. *Conforta mihi.* Sic interpretatur Hier. Suprà אמצים. A. καρτεροὶ aliàs κραταιοί. Sed prior lectio robur accipit ex hoc loco.

10. דקרו. A. Sym. Th. ἐξεκέντησαν] i. *Compunxerunt* sive *confixerunt.* In quibusdam libris editionis LXX legitur εἰς ὃν ἐξεκέντησαν, quod Interpretum aliorum esse vix dubito. Infrà 13. 3. ודקרהו. A. Sym. Th. *confixerunt eum.*

GROTIUS.

1. ONus verbi Domini super Israel] Post illud factum per Manassem dissidium, ex eadem causa, id est, neglectu Legis Divinæ, alia superventura mala pergit prædicere; ipsa quoque novam *funiculi rupturam*, id est, novum dissidium, tractura secum, Antiochi nempe temporibus. *Israelem* hic intellige majorem eorum qui ex Israële orti erant partem, quæ sicut olim erat penes Samariam, ità tunc futura erit penes Hierosolyma, Sicimitis partem obtenturis minorem. Hæc ad tempora *Gog* referunt Hebræi; rectè, si per Gog ipsum Antiochum intelligerent, ut nos ad Ezechielem: sed ipsi Gogum & Magogum paulò ante Mundi finem exspectant: quod, ut ab ipsis creditum, arripit Apocalypsis, & sensu ἀλληγορικῷ [*obvelato*] verum esse ostendit. ¶ *Dominus extendens cœlum*] *Qui cœlum extendit*, quasi tentorium. Vide Geneseos 1. 6. ¶ *Et fundans terram*] Qui terræ fixum dedit locum in ipso aëre. ¶ *Et fingens spiritum hominis in eo*] Qui spiritum vitæ primo homini indidit.

2. *Ecce ego ponam Jerusalem superliminare crapulæ omnibus populis in circuitu*] *Craterem ebrietatis*, Chaldæus non malè. Populi vicini adjungent se Antiocho, & adversùs urbem Hierosolyma indecorè se gerent, ut ebrii solent. ¶ *Et Juda erit in obsidione contra Jerusalem*] צור interdum quidem *obsidere* significat, sed sæpissime *malis afficere:* ideóque plurimis locis per θλίβειν [*angustiis afficere*] vertitur. Rem miram dicit, Fore ut etiam ex Judæis sint qui se in Hierosolyma hostiliter gerant: quod factum nunquam antè fuerat. Hi sunt Menelaus & Tobiæ filii, qui parati, dum ambitioni suæ morem gererent, Dei cultum sanctissimásque leges exuere, in exitium patriæ suæ ac legum, ultro Antiochum acciverunt, Joseph. 12. 6. 2 Maccabæorum 4. 5.

3. *Et erit in die illa, ponam Jerusalem lapidem oneris cunctis populis, omnes qui levabunt eam concisione lacerabuntur*] *Sauciando sauciabuntur.* Experientur quidem in ea vires suas, at non impunè. Optimè hanc locutionem explicat Hierony-

mus,

mus: *Mos est in urbibus Palæstinæ, & usque hodie per omnem Judæam vetus consuetudo servatur, ut in viculis, oppidis & castellis rotundi ponantur lapides gravissimi ponderis, ad quos juvenes exercere se solent, & eos pro varietate virium sublevare, alii ad genua, alii ad umbilicum, alii ad humeros, & caput, nonnulli super verticem, rectis junctisque manibus, magnitudinem virium demonstrantes, pondus attollunt.* In tali nisu evenit ut aliis lædatur pars aliqua corporis, aliis rumpantur venæ. De Roma Claudianus:

Hanc urbem insano nullus qui Marte petivit
Lætatus violasse redit.

¶ *Et colligentur adversùs eam omnia regna terræ*] *Quamvis colligantur adversus eam omnia regna terræ.*

4. *In die illa*] Id est, *postea*, ut sæpè. ¶ *Percutiam omnem equum in stupore*] Hoc ideo quia Antiochus equitatu maximè valebat. Vide suprà 9. 10. ¶ *Et super domum Judæ aperiam oculos meos.*] Miserebor piorum qui restabunt impolluti. ¶ *Et omnem equum populorum percutiam cæcitate*] Metu, qui causa sit nè quid rectè faciant. Exempla 1 Maccabæorum 3. 30. & 4. 20.

5. *Et dicent duces Juda in corde suo*] Nempe Maccabæi. ¶ *Confortentur mihi habitatores Jerusalem in Domino exercituum Deo eorum*] *Confortabuntur per me.*

6. *Sicut facem ignis*] Batillum, qui, exiguus licèt, sufficit tamen ad totas urbes incendendas. Sic à copiis perexiguis initium factum. *Et devorabunt ad dexteram & sinistram omnes populos in circuitu*] Ammonitas, Idumæos, Tyrios, Ptolemaïdenses. ¶ *Et habitabitur Jerusalem rursus in loco suo in Jerusalem*] In loco vetus nomen retinente, non in nova colonia, 1 Maccabæorum 4.

7. *Et salvabit Dominus tabernacula Juda, sicut in principio*] Restituet Urbem & oppida, non per Hierosolymitas, sed per Maccabæos ex Modin. ¶ *Ut non magnificè glorietur domus David*] Cujus posteri nullam in hac gloria partem habuere. Vide infrà 12. ¶ *Et gloria habitantium Jerusalem contra Judam*] Olim Urbis habitatores cæteros in omnibus oppidis & vicis Judæos præ se spernebant.

8. *In die illa proteget Dominus habitatores Jerusalem*] Post reditum in Urbem. ¶ *Et erit qui offenderit ex eis*] Qui imitatione aliorum lapsus fuerit contra Legem. ¶ *Quasi David*] Tam gravi pœnitentiâ tangetur quàm David ob peccata in Uriam. ¶ *Et domus David quasi Dei*] Domus posterûm Davidis ità plena erit pietatis quasi Templum esset. ¶ *Sicut Angelus Domini in conspectu eorum*] Quasi Angelum aliquem Dei semper apud se conspicabilem haberent.

9. *Quæram conterere omnes gentes quæ veniunt contra Jerusalem*] *Quæ venerant*: quæ erant in Gorgiæ Lysiæque exercitu.

10. *Et effundam super domum david*] Multi enim ex Davide adhuc restabant, quorum partem nominatam habes in Matthæo & Luca. ¶ *Et super habitatores Jerusalem Spiritum gratiæ & precum*] Animum illis dabo quo gratiam meam submissis precibus implorent: *cor mundum, contritum & humiliatum*, Psalm. 51. 11. 19. ¶ *Et adspicient ad me quem confixerunt*] Legit אלי [*ad me*,] ut nos habemus. Alii libri habent אליו [*ad eum*:] sed perinde est. Nam prima persona, sequente maximè relativo, sæpissime per tertiam in his libris exprimitur. *Quem confixerunt*, אשר דקרו εἰς ὃν ἐξεκέντησαν, ut habuere Græci Interpretes quidam, & Johannes Euangelista ad Christum μυστικῶς [*mystico sensu*] hæc applicans 19. 37. at LXX, commutatis literis perquam similibus, legerunt רקדו ἀνθ' ὧν ἐξωρχήσαντο [*quia debacchati sunt*, aut *absilierunt.*] Noster sensus optimus est. Nam *configere Deum* dicuntur qui eum probris lacessunt: nam sic & נקב, quod propriè est *perforare*, ponitur pro βλασφημεῖν [*blasphemare*,] Levit. 24. 11. Referunt hæc vulgò Rabbini ad Davidem filium Josephi, quem occubiturum ajunt in prælio contra Gog. At Hadarsan in Genes. 28. de Messia filio David intelligit. *Et plangent eum planctu quasi super unigenitum*] In Hebræo, *Plangent de eo*, nempe ob contumelias quas Deo intulere. *Planctus super unigenitum*, proverbiale, Jerem. 6. 26. Amos. 8. 10. ubi dicta vide. ¶ *In morte primogeniti*] Aliud loquendi genus proverbiale. Solent enim, ubi plures sunt liberi, primogeniti ardentiùs diligi, Jerem. 31. 9.

11. *Sicut planctus Adadremmon in campo Mageddon*] In Hebræo est *Hadarrimmon*. *Mageddon* constat esse campum in quo occisus cum multis suorum Rex Josias, 2 Regum 23. de quo gravissimum fuisse planctum discimus 2 Paralipom. 35. 24. Cujus historiæ & Herodotum meminisse annotavimus ad librum 3 pro Veritate Religionis Christianæ. In eo campo fuisse urbem dictam *Hadarrimmon*, postea dictam *Maximianopolim*, docet nos, ut multa illorum locorum, Hieronymus: ità ut eadem clades gemino indicetur nomine, sicut illa Darii ad Arabella ab Arbellitide regione, & ad Gaugamela, ex oppido aut vico propinquo. Chaldæus autem existimavit *Hadarrimmon* esse Regis Syri qui Achabum cecidit, de quo historia est 2 Reg. 22. 31. 2 Paralipomen. 18. 30. non improbabiliter. Nam Rimmon erat idolum Syrorum, ut apparet 2 Regum 5. 18. Solebant autem Reges Syri nomina ab idolis sumere, ut à *Bel*, *Nabo*, *Merodach*, *Sach*. Et nomen הדר adjunctum, aut seorsim positum, frequens Syris cum altero nomine הדד in libris confundi solet: neque mirum, cùm non literæ tantùm sint affines, sed & sensus, nam הוד, unde Syrorum more repetitâ literâ est הדר, *gloriam* significat, & הדר Syris est *laudare*. Existimavit itaque Chaldæus *planctum Hadarrimmon* dici eum qui editus fuit ob cladem acceptam ab Hadarrimmon; quomodo dicitur *vulnere tardus Vlyssi*. Mihi Hieronymi, cui locus ille ad Mageddonem notior fuit quàm Chaldæo, sententia magis placet. LXX legerunt רוני הדר ῥοῶνος [*Rhoonis*,] & מגדון putarunt esse nomen non proprium, sed commune, à גדד, quod interdum est *incidere*: vertunt enim, ἐν πεδίῳ ἐκκοπτομένε [*in campo incisi*.]

12. *Et planget terra*] Tota terra plena erit planctu. Pauci enim erant qui non blandimentis, aut metu, malis exemplis abrepti essent. ¶ *Familiæ & familiæ seorsum*] Nempe ex præcepto Synedrii, indictis pœnis huic familiæ gravioribus, illi levioribus, prout graviùs aut leviùs peccassent. Quæ ἀναλογίᾳ [*proportio*] exemplo Judæorum optimè servata à Synodo Nicæna. ¶ *Familiæ domûs David seorsum*] Non privati tantùm peccaverant, sed & illi qui ex domo erant Regia. ¶ *Et mulieres eorum seorsum*] Nam in luctûs aut pœnitentiæ tempore secubabant viri à mulieribus, mulieres à viris, Joël. 2. 16. Quod, ut omnia proba quæ apud Judæos erant, imitandum proponit Paulus 1 Corinth. 7. 5.

13. *Familiæ domûs Nathan seorsum, & mulieres eorum seorsum*] Nimirum etiam Zorobabelis, viri tam pii, posteritas peccavit, & sic indignam se fecit Regno; quod non recepit nisi in Domino Jesu, modo sublimiore. ¶ *Familiæ domûs Levi seorsum, & mulieres eorum seorsum*] Etiam Sacerdotes multi peccaverant. Docet id oppositio 1 Maccabæorum 4. 42. Vide & 2 Maccabæorum 4. 13. & nota, cùm Mattathias causam sacrorum armis (ut illa tempora tum ferebant) tuendam suscepit, neminem ex collegis ei adfuisse. ¶ *Familiæ Semei seorsum, & mulieres eorum seorsum*] Ex hac familia plurimos fuisse Doctores testatur hoc loco Hieronymus. Et fortè ex illis fuit Sameas posterioribus temporibus memoratus Josepho, & Hieronymo ad 8. Esaïæ, sed & Talmudicis & Rabbinis sæpe.

14. *Familiæ & familiæ seorsum, & mulieres eorum seorsum*] Postquam illustriores familias nominavit, designat cæteras καθ' ὁμάδα [*per universitatem*,] ut intelligatur ingens fuisse eorum qui peccaverant numerus. Alii sacrificaverant diis Græcis, alii ἐπεσπάσαντο [*præputium adduxerant*,] alii suillas in Templo obtulerant, alii libros Legis tradiderant iis qui eos incensuri erant.

CAP. XIII.

MUNSTERUS.

1. *Ad abluendum peccatum & immunditiam*] Potest hic per *fontem apertum* intelligi Baptismus, qui delet peccatum proprium & originale. Potest quoque intelligi *aqua* illa *viva* de qua Christus loquitur Joan. 5.

3. *Et confodient eum*] Non gladio corporali, sed gladio Spiritûs, qui est verbum Dei.

4. *Chlamyde pilosâ*] Hoc dicitur quòd Pseudoprophetæ olim imitabantur amictum & mores verorum Prophetarum, quibus sanctimoniam simulabant & impostores agebant. Sic in N. Testamento non attendendus est victus vel amictus, cùm plerumque *lupi rapaces lateant sub vestibus ovillis*, sed qui verbum Dei rectè docent hi sunt audiendi. Proinde verus Christianus non gloriabitur se esse Propheram, sed gloriosius ducet sibi esse ut vocetur *cultor terræ & pastor pecorum* quàm quòd jactet Spiritum, quandoquidem ille bene ambulat qui simpliciter ambulat.

6. *Quid sunt plagæ illæ*] Sensum hunc nostri hinc eliciunt;

Christianus percussus & castigatus ab amicis, non ægre feret correptionem illam, cogitans *meliora esse verbera amici quam fraudulenta oscula inimici*, præsertim cùm habeat tam præclarum exemplum Christi, qui innocens subiit plagas.

7. *Excitetur gladius*] Vel, *Excitare, ô gladie*. Sensus est, Vos, Jehudæi, hactenus sæpe intentastis mortem Christo Filio meo; sed quia ego nolui, nihil efficere potuistis: nunc autem permitto ut gladium stringatis in eum: *percutite* ergò *pastorem*, postequam à proposito vestro revocari non potestis, *& virum propinquum meum:* ubi עמית idem est quod חבר *socius, conjunctus & propinquus*. Et quis est Patri in cœlis propinquior & conjunctior quam Filius, qui est in sinu Patris? Porrò Prophetiam istam dicit Christus in se *impletam* Matth. cap. 26.

8. *Reducam manum meam*] Sensus est, *Parvulos*, & quos mundus abjicit, suscipit Deus.

9. *Ducam tertiam partem per ignem*] Hunc habet sensum, Ex multis hominibus qui sunt in terra pauci eligentur, & hi quidem *per multas tribulationes ibunt in Regnum cœlorum.*

VATABLUS.

1. V*Ena* מקור] *Fons*. Quidam latus Christi apertum, è quo fluxit sanguis & aqua, intelligunt. Alii, Baptismum. ¶ *In expiationem peccati* לחטאת] Ad verb. *in peccatum*, i. in purgationem peccati. ¶ *Et in aspersionem* ולנדה] Ad verb. *& in menstruum*, i. & in emundationem menstruatæ. Per has sordes intelligit quæcunque peccata.

2. *Auferam* אעביר] Ad verb. *transire faciam.*

3. *Cum prophetaverit* כי ינבא] *Si prophetaverit.*

4. *Piloso* שער] i. Pilis confecto: q. d. Posthac non utentur pallio quod induere solebant veri Prophetæ, ut habitu mentiantur Prophetiam ipsam.

5. *Quoniam Adam*, &c. כי אדם וגו'] Ad verb. *quoniam Adam acquirere fecit me* [i. docuit me ut possiderem] *pecora, & colerem terram*, h. e. ut essem pastor & agricola. Quidam vertunt, *docuit enim me quidam artem pastoralem à juventute mea.*

6. *Plagæ istæ* המכות האלה] *Livores isti.* Solen enim manicæ ferreæ relinquere post se livores quosdam in brachiis. ¶ *Percussus sum* הכיתי] i. Castigatus & coercitus nè versarer in pseudopropheia.

7. *O gladie, suscita te* חרב עורי] *O framea, excitare*, sub. *ut venias super*, &c. Acerbam afflictionem intelligit. ¶ *Percute* הך] Vox est Patris dantis potestatem ut percutiatur Christus: q. d. Israel, percuties Pastorem illum meum Christum. Hæc Matth. 26. 31. exponuntur de Christo & dispersione Apostolorum. ¶ *Convertam quoque* והשבתי] *Reverti quoque faciam*. Hic *parvulos* vocat quos priùs vocavit *oves:* h. e. subinde & identidem ac diversis frequentibúsque afflictionibus exercebo Apostolos ipsos.

8. *Partes duæ* פי שנים] Ad verb. *portio duarum*, sub. *partium*. ¶ *Succidentur* יכרתו] i. Peribunt gladio: q. d. Ex his qui fuerint post passionem Christi *duæ partes* morientur morte violentâ, *& deficient* sive afflabunt animam morbo: residua pars servata quidem est à Tito in expugnatione Jerosolymitana, sed tamen afflictionibus *probata ut aurum.*

9. *Et conflabo eos sicut conflatur* וצרפתים כצרף] *Et examinabo eos sicut examinatur*, vel *sicut examinare solent*, sub. *aurifices:* i. ceu igni repurgabo. ¶ *Ipse* הוא] i. Quilibet eorum. Quidam vertunt, populus *ipse* fidelis. ¶ *Dicámque* אמרתי] Præt. est Heb. pro fut.

CASTALIO.

4. N*Ec villosum gestamen induent*] Id solebant gestare Vates, ut apparet in Elia.

CLARIUS.

1. F*Ons patens*] Nimirum Baptismus, vel *aqua* illa *viva* de qua legis Joan. 5.

4. *Ex visione sua*] Quia nihil eveniet eorum quæ prædixerunt. ¶ *Pallio villoso*] Hoc dicitur quòd pseudoprophetæ olim imitabantur amictum & mores verorum Prophetarum.

5. *Non sum Propheta*] Verus Christianus non gloriabitur, sed in humilitate delectabitur. Et qui mendaciis priùs gaudebant, nunc illa deponent.

6. *Quid sunt plagæ istæ*] Quare adhæres patibulo? Et respondebit, se non ægre ferre afflictiones, cùm ità edoctus sit à domesticis fidei; præsertim cùm habeat tam præclarum exemplum Christi, qui innocens subiit plagas.

7. *Framea, suscitare*] Vos, inquit, Judæi, hactenus sæpe intentastis mortem Filio meo Christo; sed quia ego nolui, nihil efficere potuistis: nunc autem permitto ut gladium stringatis in eum. *Percutite* ergò *pastorem*, postea quàm à proposito vestro revocari non potestis, *& virum propinquum meum*, &c. Et quis est Patri cœlesti propinquior & conjunctior quàm *Filius, qui est in sinu Patris?* Porrò Prophetiam illam dicit Christus in se *impletam* Matth. 26. ¶ *Ad parvulos*] Quos mundus abjicit, accipit Christus.

9. *Ducam tertiam partem per ignem*] Pauci enim sunt qui servantur, & ii *per multas afflictiones intrant in Regnum cœlorum.*

DRUSIUS.

1. F*Ons apertus*] Intelligit Gratiam Dei, unde tanquam è *fonte* manat Remissio peccatorum. *Apertum* autem dicit, quia nemini non patebit & exposita erit hæc gratia si modò per fidem apprehenderit eam. Porrò respexit ad consuetudinem veterum quo sordes omnémque adeò immunditiem aquâ abluebant. Atque hinc ritus Baptizandi. Videndum an de hoc fonte loquatur Propheta Joel, cùm ait 3. 18. *Et fons è domo Domini egredietur, qui irrigabit vallem Settim.* Quòd autem *fontis* vocabulo usus sit, per hoc significare voluit gratiam abundantem & perennem: nam aqua fontis non deficit. Ad hæc nomen istud usurpant pro *abundantia* de re qualibet: unde *fons lacrymarum* Jer. 9. 1. i. πηγὴ δακρύων. Sic & πηγὰς λόγων dixit Æschines: &, *Ipse sibi mali fontem reperit. Fons malorum* ex quo mala nova tanquam novi ex fonte rivi subindè manant. ¶ *Domui Davidis & habitatoribus Jerosolymæ*] Locutio est, ut, *Dicite Petro & discipulis ejus*, Nam familia Davidis Jerosolymæ commorabatur. Innuit autem membra Ecclesiæ Christianæ, quæ *domus Davidis & filia Jerusalem* vocatur. ¶ *Pro peccato*] In ablutionem peccati. ¶ *Et pro immunditia*] נדה propriè *immundities ex mensium profluvio.* Itaque usurpant & pro *femina cui menses profluunt*. Unde legimus apud nostrum Interpretem, *in ablutionem peccatoris & menstruatæ*. Appellatio à *separando*: nam talis, quamdiu immunda erat, à Templo & Sanctuario separabatur.

2. *Idolorum*] עצבים *idola*. Quidam *terricula*. Et causam reddunt, *quia iis terrentur animi superstitiosorum, non instituuntur*. Rectè sanè. Sed an עצב *terrere?* עצב est *dolor* aut *labor*. Hinc עצבים: fortean à *molestiâ* quam exhibent suis. Nam in iis comendis & ornandis & ad singulas horas salutandis labor non sine molestia impendebatur. Veteres hoc dicebant *curationem facere*. Tertullianus de jejuniis, *Unde & qui in idolis comendis, & in hac re ornandis, & ad singulas horas salutandis adulantur, curationem facere dicuntur.* ¶ *Et non memorabuntur*] Nemo eorum memoriam usurpabit. Sic David ait Psal. 16. 4. *neque tollam nomina eorum labiis meis:* & Propheta Hoseas, *non vocabis me amplius Baal*. Nam BAAL nomen commune *marito* cum *idolis*. Quid ad hæc Christiani, quibus quotidie nominatur *Jupiter, Hercules*, &c. Parùm hoc esset nisi etiam per idola jurarent. Tertullianus De Idololatria, *Consuetudinis ritum est* Mehercule *dicere*, Medius fidius, *accedente ignorantiâ quorundam, qui ignorant jusjurandum esse per Herculem.* Vide sequentia. Non malè etiam leges *ut nè memorentur amplius*. Ideò, inquit, *exscindam nomina idolorum, nè ulla sit amplius eorum memoria:* q. d. Homines nè quidem eos nominabunt ultrà: vel, nè nomina quidem eorum nota erunt. Sic legimus apud Apostolum, *Et ejusmodi scortatio quæ nè inter Gentes quidem nominatur.* Vide quæ scripsimus Observ. l. 3. c. 7. ¶ *Prophetas*] Falsos videlicet. Quod Hier significat, referens *Pseudoprophetas*. ¶ *Et spiritum immunditiæ*] *Spiritum immunditiæ* sive *impuritatis* vocat motum in animis nostris à Spiritu immundo, h. e. à Satana, excitatum. Vel intelligit impuram Pseudoprophetarum doctrinam à spiritu impuro profectam. In Scholiis Ebraicis habetur, SPIRITUM IMMUNDITIÆ, i. יצר הרע *figmentum hominis malum*. Sensus est, cupiditas ejus prava, & inclinatio ad peccatum, quæ ei adnata. *Auferam*] *Amovebo, amoliar.*

3. *Prophetaverit*] Futura prædixerit in nomine Domini: aut falsam doctrinam propagaverit. ¶ *Adhuc*] *Denuo, amplius*; videlicet post *excisos Prophetas*. ¶ *Qui genuerint eum*] *Genitores ejus*. Hoc adjectum videtur nè quis putaret hìc agi de Doctoribus, qui sunt quasi parentes quidam. Certè *patres* vocantur: Sic *filii* dicuntur ipsorum discipuli. Hoc notum jam pueris. ¶ *Non vives*] Vis in hoc sermone ut si diceret, *Morieris*,

rieris. Talia sunt, *Non gaudet stulti pater*, pro *Dolet.* *Non prosunt thesauri improbitatis*, pro *Nocent*, *Obsunt.* *Non est bonum accipere personam in judicio*, i. *Pessimum est.* ¶ *Quia mendacium locutus es*] Auget crimen quod sequitur, *in nomine Domini.* Nam minùs peccat, meo judicio, qui mendacium loquitur in nomine idoli. Certè minus periculi ab eo. Quanquam etiam idololatræ veri Dei nomen prætexunt sceleribus & flagitiis suis. Atque hinc proverbium illud, *In nomine Domini fit omne malum.* Quod verissimum esse hæc ætas luculenter comprobat. ¶ *Confodient*] Occîdent, vel plagis contundent ad necem usque. Nam quod alii exponunt, *conficient cum stimulis verborum*, *quò ad saniorem mentem adducant*, non se probat mihi, & apertè adversatur, *Non vives.* Cæterùm de occidendis falsis Prophetis lex obstat Deut. 13.6.

4. *Pudefient quisque à visione sua*] Ubi parentum judicio condemnati fuerint, *pudebit eos visionis* quam habuerint. Quâpropter? Quia vaticinii falsitatem contrarius eventus comprobabit, quia se ab omnibus sperni videbunt, quia nè à parentibus quidem ipsis parcetur. Ergò à vaticinando abstinebunt penitus, deterriti partim pœnâ, partim pudore & infamiâ. ¶ *Nec induent*] Malim *itaque non induent.* Propterea, inquit, non ampliùs accipient habitum Prophetalem, nè sub eo vestitu simplices decipiant. ¶ *Pallium villosum*] Assentior iis qui putant fuisse vestem Prophetalem: pro quibus facit locus 2 Reg. 1. 8. Quanquam איש בעל שער non tam *homo villosus* quàm *vir pilosus.* שער enim ὁμώνυμον est ad *villos* & ad *pilos.* Hi propriè in corpore sunt, illi verò in veste. Itaque legimus apud nostrum *vir pilosus*, *& zonâ pelliceâ accinctus renibus.* Sed est cur malim *villosus*, i. pallium habens villosum. In hac sententia me confirmat collatio illius loci cum isto: tum etiam quod habetur Jes. 20. 2. *Solve saccum de lumbis tuis:* nam *saccus* vestis erat villosa. Hier. *cilicium* vocat. Sed eo duntaxat usos fuisse scribit Prophetas quando populum ad pœnitentiam provocabant: an verè, nescio. Dubito etiam an vestis sacci eadem prorsus fuerit cum villoso habitu Prophetarum. D.K. ad h. l. *Mos Pseudoprophetarum & indui sacco & pallio villoso.* Quid audio? An tantùm *Pseudoprophetarum?* Falsum, falsum. Verius noster Nicolaus de Lyra, *Nec cooperientur pallio saccino* (ità V. editio habet) i. *veste asperâ. Tali enim veste utebantur antiquitus Prophetæ*, *saltem aliqui*, *ut patet de Elia* 4 *Reg.* 1. 8. *Et consimilem habitum accipiebant falsi Prophetæ*, *ut magis crederetur eis.* ¶ *Ut mentiantur*] Vel *ad mentiendum.* Vult dicere, *ut Prophetias mendaces habeant*, sive, *ut loquatur mendacium in nomine Domini.* Ità locutus est suprà 5. 3.

5. *Vir agricola*] איש עבד אדמה *vir colens humum*, sive *operans terram*, ἐργαζόμενος τὴν γῆν, i. agricola, agricultor. Porrò autem *Vir agricola* ità dicitur ut *Mulier ancilla*, *Homo Sacerdos*, *Vir piscator.* Locutio notata jampridem à me in libris editis. ¶ *Nam homo*, &c.] Video esse qui emendarint *Adam docuit me artem pastoralem:* sed an bene? Certè Adam primus noster parens Agricola fuisse legitur, non Pastor ovium. V. editio, *Adam exemplum meum.* Videtur legisse הקנני: error ex affinitate quæ inter He & Thau. Alia recentior, *homo comparavit me*, i. emit, & subintelligitur *ad agriculturam faciendam.* Hæc interpretatio si recipitur, erit הקנני pro קנני, i. *emit*, vel *emptum possedit*, *me.* *Homo*, i. aliquis, non nemo. אדם pro איש. Nam hæ voces alternant. Sic ἀνὴρ & ἄνθρωπος. Contrà *vir* pro *homo.* Ps. 1. 1. *Beatus vir*, i. *homo.* Sub quo nomine & Femina comprehenditur. ¶ *Instituit me*] *Docuit me* terram colere. Quod autem sequitur, ¶ *A pueritia mea*] Hanc sententiam continet ut si diceret, *Non jam primùm cœpi agricola esse*, *sed à pueris eam artem dedici.* Aut probat se non esse Prophetam ex eo quòd institutus ab hominibus fuerit. Nam Prophetæ à Deo instituebantur, non ab hominibus: sanè Spiritûs afflatu prædicebant futura. Ars aut institutio humana nullum hîc locum habuit. הקנני ad verb. *fecit ut compararem mihi*, sub. autem *sapientiam agricolandi*, aut aliquid tale.

6. *Et dicetur ei*] ואמר אליו *Et dicet ei.* Plenum est, *Quòd si dixerit ei aliquis.* Similis defectus in illo, *Ipsi ædificabunt*, *& ego destruam:* nam sensus est, *Si ædificaverint.* ¶ *Quid plagæ istæ?*] Si non es Propheta, ut dicis, *quid sibi volunt plagæ istæ*, h. e. vulnera aut vibices, vel, ut quibusdam placet, signa manicarum, h. e. vinculorum, quibus *manus* constrictæ fuerunt cùm à parentibus tuis vapulares? q. d. Licèt neges te Prophetam esse, tamen hæ vibices & verberum signa contra te testimonium dicunt, & falsi arguunt sermonem tuum. *Plagæ*, i. vulnera sive ictus. Aut *verbera*, i. signa verberum. Hic locus favet iis qui CONFIGENT EUM exponunt *plagis contundent ad necem usque*, ver. 3. ¶ *Inter manus*] Vel, *in manibus.* Certum mihi, hoc additum fuisse non tam propter manicas quàm quia manus retectæ & nudæ vestigia plagarum verberúmque statim ostendunt, quæ alioquin in reliquo corpore latent sub vestibus. ¶ *Quibus percussus fui domi*, &c.] Hæ vicibes signa sunt verberum *quibus cæsus fui domi amicorum*, vel plagarum *quas accepi domi amantium me*, cùm ignaviam meam castigarent, neque ad opus faciendum in agro vel invitum ac reluctantem cogêrent. ¶ *Diligentium*] Amicorum, vel parentum & cognatorum. Scitum illud, *Pater filium quem amat castigat.* Item illud, *Meliora sunt vulnera amantis quàm oscula odio habentis.* Bonæ indolis est agnoscere pro amico eum qui ipsum corripiat, atque adeo, si opus, verberibus castiget, ut sic errantem in viam reducat. Hunc versum ità non malè reddes, *Et dixerit ei aliquis*, *Quid plagæ istæ in manibus tuis? dicet*, &c. Sic eleganter legas, *Et ædificaverint ipsi*, *ego destruam*, pro *Si ædificaverint.* Tale est,

Græculus esuriens in cœlum, *jusseris*, *ibit.*

7. *Framea*] Retinui vocem usitatam Interpreti nostro pro *ense* sive *gladio.* Augustinus Epist. 120. cap. 16. ad locum Davidis, *ERUE A FRAMEA ANIMAM MEAM*, *Framea gladius est.* Arnobius in Comment. supra Ps. 17. 13. *FRAMEAM humanæ literæ specialiter dicunt lanceam Regis: nos autem FRAMEAM generaliter Gladium in Scripturis S. accipiamus.* Lex. V. Latino-Gr. *Framea*, ῥομφαία & Græco-Lat. Ῥομφαία, *Framia*, *gladium.* Scribitur & *Phramea;* cui principium dari posset Aramæum: nam פרם *perimo* apud Aramæos. ¶ *Evigila*] *Evigilamus* propriè è somno: Sed transfertur ad inanima. Ps. 57. 8. & 108. 3. *Evigla*, *nabla & cithara.* Jes. 51. 9. *Brachium Domini*, *evigila.* Porrò ut *dormire* negligentem esse significat, ità *evigilare* dicitur qui rerum suarum satagit. Jud. 5. 12. *Evigila*, *evigila*, *Debbora*, *evigila*, *evigila.* ¶ *Contra pastorem meum*] Contra eos qui pascunt oves meas, h. e. contra Magistratus & Doctores populi mei. ¶ *Contra virum socium meum*] Idem repetit aliis verbis. *Socios* autem *suos* dicit quia idem munus obeunt secum. Deus enim Pastor est populi sui. Quò facit quòd Principes ei qui cum imperio sunt *Dii* vocantur. Notum illud, *Dixi*, *Vos Dii estis:* &, *Deus in medio Deorum*, i. Judicum. Porrò *vir socius* ità dicitur ut *Mulier ancilla.* Quidam *contra virum proximum meum:* ità olim Theodotio. Sed *proximus* קרוב dicitur, עמית autem est *socius*, i. חבר aut *popularis.* Hoc postremum Symmachus secutus erat referens *virum populi mei*, i. עם. Nec dissidet Aquila, vertens σύμφυλόν μου nam φῦλον *gens.* Quanquam Hier. interpretatur *contribulem meum.* Idem ex Ebræo convertit *virum cohærentem mihi*, i. προσκεκολλημένον. Nicolas de Lyra, *VIRUM COHÆRENTEM MIHI*, *in Ebræo dicitur VIRUM MIHI ASSOCIATUM.* ¶ *Percute Pastorem*] הרעה, τὸν ποιμένα, i. *Pastorem illum*, ut articulus sit ἀναφορικός. Hoc testimonium citatur ab Euangelistis de Christo; rectè sanè. Nam inter Pastores populi Ebræi Christus primum locum obtinet. Sic, *Prophetam excitabit DOMINUS è medio vestri*, h. e. cùm alios Prophetas, tum imprimis Christum Prophetarum caput & complementum. ¶ *Et reducam manum meam*] Phrasis ista media est: nam & in bonam partem, & in malam sumitur. In bonam partem sumitur Ezech. 20. 22. & Jes. 1. 25. si finem respicias. In malam verò Ps. 81. 15. Sed & *MANUS DOMINI* ambiguè dicitur; siquidem *favorem Numinis* denotat, & sæpius *plagam ab eo importatam.* Sic dico; *Manus DOMINI* singularis quædam virtus est quam exserit Deus vel ad puniendos malos vel ad castigandos bonos. ¶ *Ad parvulos*] Vel ad eos qui sunt inferioris dignitatis (ità ferè Ebræi post Chaldæum P.) vel ad pios humiles ac modestos. Si illos accipis, vertes *postea reducam;* si hos, *sed reducam.* Quibusdam hoc placet, mihi illud magis arridet. Ac, ut liberè dicam quod sentio, *reducere manum* cum על constructum pro *recuperare* & *recuperatum conservare* non memini legere. *Reducere manum*, ut hîc construitur, non sumitur pro *conservare*, h. e. in partem meliorem. Inclino igitur potiùs ad Ebræorum expositionem, nisi hoc velit, Cùm de pastoribus supplicium sumpsero, tum veniam ad humiles & plebeios, h. e. ad vulgus promiscuum, qui communem calamitatem non evadent, sed eandem cum aliis sortem subibunt: Hoc ità tamen ut ex tribus partibus tertia conservetur. Vide sequentia.

8. *In universa terra*] Israel: vel, in toto terrarum orbe. ¶ *Partes duæ*] פי שנים *os duorum*, i. שני חלקים *partes duæ.* Ità explicant Scholia Ebraica; item Int. V. Sed & Græci ediderunt τὰ δύο μέρη αὐτῆς. Nec vidi adhuc qui hanc interpretationem mutaret. In Notis Vatabli, *PORTIO DUARUM*,

 sub.

sub. partium. Sed *portio* מנה vocatur. פי in hoc loco potiùs denotat שיעור, l. *mensurarum*, ut 2 Reg. 2. פי שנים ברוחך *duæ partes de spiritu tuo:* & Deut. 21. להת לו פי שנים *ad dandum ei duas partes*, i. שיעור שני חלקים, ait R. D. in libro ubi vocum sensa collegit. Sic *primogenitus*, ut Elias ait, *ex hereditate auferebat* פי שנים] h. e. *partes duas*, sive *duplum.* ¶ *Succidentur, exspirabunt*] Pars una *succidetur* gladio, & pars altera *exspirabit* peste aut alio genere mortis. ¶ *Relinquetur*] Remanebit superstes.

9. *Et inducam in ignem*] Vel, *traducam per ignem.* Intelligit autem *afflictionis*, h. e. duras vexationes. Quas ideo *ignem* vocat, quia metalla igne purgantur: Similiter homo probatur rebus adversis. Usus est eâdem Metaphorâ nobilissimus Prophetarum Jesaias 1. 25. *Et convertam manum meam ad te, & auferam omne stannum tuum.* ¶ *Tertiam istam*] Tertiam partem terræ, quæ in vita remanebit. ¶ *Excoquam*] *Conflabo, examinabo, explorabo.* ¶ *Ut excoquitur argentum*] In fornace aut catino. ¶ *Ipse*] *Quilibet ipsorum*, vel *ipse* populus eo modo excoctus & probatus.

IDEM.

1. יִהְיֶה מָקוֹר נִפְתָּח לְבֵית דָּוִיד. Sym. ἔςαι ἀνοιγομένη πηγὴ τῷ οἴκῳ Δαυὶδ] Ex. ed. Rom.

3. וְדְקָרֻהוּ. Ἐξεκέντησαν. - - -] Hier. *Pro eo quod nos diximus* configent eum, *idem est verbum in Ebræo quod suprà*, דקר. *Quâ ergò ratione Lxx ibi κατωρχήσαντο*, i. insultaverunt *sive* illuserunt, *& , ut verbum de verbo exprimam*, contra eum saltaverunt, *& hic συμποδίσαι transferre voluerunt*, *i.* compedient; *cùm Aq. & Sym. Th. & ibi & hic similiter verterint* confixerunt.

7. חֶרֶב. A. Sym. μάχαιρα] i. *Gladius*, sive *mucro*, Hier. ¶ עַל גֶּבֶר עֲמִיתִי. A. *super virum contribulem meum.* Sym. *super virum populi mei.* Th. *super virum proximum ejus*] קרובו: legit, ut apparet, עמיתו, i. Vau pro Joth. Sic etiam Lxx legerunt. Vide Hier.

GROTIUS.

1. IN *die illa erit fons patens domui David*] Continuans cœptum sermonem ostendit luctum illum, & susceptæ pœnitentiæ signa non futura sine fructu. *Fons patens* hîc veniam peccatorum significat. Similis locutio Psal. 51. 8. Esaiæ 41. 18. *Domum Davidis* specialiter nominat, quia & ipsa graviter deliquerat. ¶ *Et habitantibus Jerusalem*] Quorum pauci intacti à crimine. ¶ *In ablutionem peccatoris & menstruatæ*] In Hebræo: *in peccatum & menstruum*, id est, tam facilè abluentur gravia illa peccata idololatriæ (cujus nulla in Lege ablutio promittitur) quàm facilè abluitur contaminatio ex cadavere (nam & id dicitur חטא [*peccatum*] Numer. 19. 17.) aut ex profluvio sexûs muliebris. Atqui in Lege nihil tale proditum. Fateor, pro singulis. At quoties populus peccasset (pro populo autem habetur pars major populi, quæ in culpa erat hoc tempore) & pœnitentiam ageret, veniam Deus paratam promiserat propter Patres, Deuteronom. 30. Hæc sunt τὰ χαρίσματα τὰ ἀμεταμέλητα [*dona quorum non pœnitet Deum,*] Romanorum 11. 29.

2. *Disperdam nomina idolorum de terra*] Nihil verius. Nam post id tempus nulla fuit inter Judæos idololatria. Hoc ipsum disertè multis sequentibus verbis Propheta exsequitur. ¶ *Et pseudoprophetas*] Quales multi antehac fuerant. Nullus *Prophetæ* nomen sibi arrogare ausus est ab hoc tempore ad Christum. Vide 1 Maccab. 4. 46. & 9. 27. & 14. 41. Josephus, Ἀπὸ δὲ Ἀρταξέρξου μέχρι τῶν μεθ' ἡμᾶς χρόνων γέγραπται μὲν ἕκαστα· πίστεως δὲ οὐχ ὁμοίας ἠξίωται τοῖς πρὸ ἑαυτῶν, διὰ τὸ μὴ γενέσθαι τὴν τῶν προφητῶν ἀκριβῆ διαδοχήν [*Ab Artaxerxe ad nostra tempora perscriptæ quidem sunt res singulæ; at non pari auctoritate quâ res anteactæ, ideo quòd non fuerit evidens Prophetarum successio.*] ¶ *Et spiritum immundum auferam de terra*] Sic vocantur dæmonia, Matth. 10. 1. & 12. 43. Marc. 1. 23. 26. 27. & 3. 11. 30. & 5. 2. 8. 13. & 6. 7. & 7. 25. & 9. 25. Lucæ 4. 33. 36. & 6. 18. & 8. 29. & 9. 42. & 11. 24. Actor. 5. 16. & 8. 7. Ab his sæpe accipiebant pseudoprophetæ, quæ Dei nomine efferebant. Vide 1 Regum 22. 20.

3. *Et erit cùm prophetaverit quispiam ultra*] Ostendit cessaturam eam quæ à Deo est Prophetiam. ¶ *Dicent ei pater ejus & mater ejus qui genuerunt eum*] Ipsi hoc dicent parentes, si alii non dixerint: nec per adoptionem parentes, sed per naturam, quorum tenerior est affectus. Confer mentionem paris ardoris pro Lege, omnem alium affectum superantis. Deuteronomii 13. 9. ¶ *Non vives, quia mendacium locutus es in nomine Domini*] Falsò te à Deo missum dicis: ideóque mors tibi debetur, Deuteronom. 18. 20. ¶ *Et configent eum pater ejus & mater ejus, genitores ejus cùm prophetaverit*] *Si perstiterit prophetare, transfodient eum pater ipse, vel mater ejus:* nempe ut Phinees Zambrin, Numeror. 25. 8. 14. Hoc intellige de pseudopropheta, populum volente abducere ad cultum falsorum deorum: nam in tales quemvis Judæum lex armabat Deuteron. 13. 8. 9. quæ lex expressè addit in tali crimine nec *filio* parcendum. Hæc & alia quædam stultè Rabbini referunt ad tempus post Resurrectionem.

4. *Confundentur prophetæ unusquisque ex visione sua cùm prophetaverit*] Ferre non poterunt præ pudore mentionem fieri eorum vaticiniorum, quæ ante generalem hanc indulgentiam temere evulgarunt. ¶ *Nec operientur pallio saccino ut mentiantur*] *Pallio hirto*, qui habitus ut verorum Prophetarum, 2 Regum 1. 8. ità & veros imitantium.

5. *Non sum Propheta*] Nomen quod affectari solebat longè à se abjiciet. ¶ *Homo agricola ego sum*] Non fucum plebi faciendo, sed meo labore victum mihi quæro. ¶ *Quoniam Adam exemplum meum ab adolescentia mea*] *Nam homo* aliquis *docuit me à pueritia mea*, nempe *agriculturam*, ut hîc explicat Chaldæus. Sicut קנה est *discere*, Proverbior. 4. 5. 7. & 17. 16. & 18. 15. ità הקנה est *docere.*

6. *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?*] Id est, stigmata inusta manibus: per quæ solebant diis gentium se mancipare, inscripto eorum signo, nomine aut numero, Apocal. 13. 16. 17. *Sphragitidas & stigmata* vocat Prudentius. ¶ *Et dicit, His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me*] In Hebræo est *domus*, non *in domo:* id est, Hæc stigmata non ad deum aliquem pertinent, sed ad honorem domûs alicujus potentis, quæ me ut clientem suum dilexit, & cujus patrocinio me dedi.

7. *Framea, suscitare super pastorem meum*] Pergit narrare futura. *Pastor* hîc est Judas Maccabæus, qui in prælio cum Bacchide interiit, Joseph. 12. 19. ¶ *Et super virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum*] *Super virum proximum*, id est, quem maximè amo. Quoties viri boni violentâ morte perierunt, toties apud pios crevit fides Resurrectionis. Fuitque hæc οἰκονομία [*dispensatio*] à Legali differens, præparatio ad Euangelium. ¶ *Percute pastorem, & dispergentur oves.*] Tu Bacchide, Judam percute, & fugiet ejus exercitus. Vide Joseph. dicto loco. ¶ *Et convertam manum meam ad parvulos*] Paucos faciam sospites

8. *Et erunt in omni terra, dicit Dominus, partes duæ in ea dispergentur & deficient*] Magnas enim clades Bacchides non isto tantùm prælio, sed & aliis antecedentibus intulerat Judæis, ut Josephi capite 18. videre est: per eas multi interiere, multi fugère.

9. *Et ducam tertiam partem per ignem, & uram eos sicut uritur argentum, & probabo eos sicut probatur aurum*] Id est, Per multa mala eorum explorabo constantiam: Psalmo 66. 10.

> *Scilicet ut fulvum spectatur in ignibus aurum,*
> *Tempore sic duro est inspicienda fides.*

¶ *Ipse vocabit nomen meum*] Ille populus reliquus de cladibus.

CAP. XIV.

MUNSTERUS.

1, 2. DIvidentur *spolia tua*] Plerique hoc caput exponunt de Antichristo, & probatione fidelium, quæ suo tempore futura est, quæque adventum ejus præcedet. *Tunc enim erit tanta afflictio qualis non fuit ab initio mundi.* Alii verò, quibus hæc expositio non ubique satisfacit, putant Prophetam hic loqui de ultima devastatione Jerusalem quæ facta est per Romanos. Et hi hunc locum, *Residuum autem populi non exterminabitur de civitate*, sic intelligunt, *Medietas in captivitatem ducetur, & residui non extra civitatem sed intra mœnia famo & peste atque gladio exterminabuntur.*

3. *Pugnabit contra gentes illas*] Hæc *pugna* videtur fuisse prædicatio Euangelii, quâ Apostoli & successores eorum Romanum Imperium & ferè omnes gentes expugnaverunt. Et hoc *prælium* incipit à *monte Olivarum*, super quo *pedes Christi steterunt* cùm in cœlum ascenderet, & diceret, *Ite in orbem universum, & prædicate*, &c. Et tunc *scissus fuit mons Oliva.*

varum, h.e. Ecclesia Christi in monte illo collecta, divisa est in quatuor mundi plagas, ut prædicaret verbum Christi omni creaturæ. Sicut enim in superioribus Ecclesia significatur per *Jerusalem* & per *Zion*, sic quoque hîc intelligitur per *montem Olivarum*. Ex hac autem dispersione Apostolorum relictus est *hiatus magnus*, infelix scilicet Jehudæa deserta & derelicta, à qua *fugerent* Jehudæi quique Christiani facti, nè & ipsos apprehendat ultio Divina in perfidos sæviens Jehudæos. De *terræ motu facto in diebus Uzijahu* habes 2 Par. 26. & Michæ 1.

5. *Omnésque sancti tecum*] Hoc dicitur, quòd *Dominus* ipse cum Apostolis Euangelicum negotium inter Gentes promovit. Et nota quòd hîc עמך non est fem. generis, ut quidam hîc scribit, cùm Caph affixum masc. in pausa quoque sicut in fem. genere habeat Scheva.

6. *Lux clara*] Referendum est hîc אור ad יקרות, quod sonat *lucem honorum* vel *decorum*: sic enim vocat lucem splendidissimam; sicut è converso diluculum vocat *lucem concretam* seu *coagulatam*. *Erit*, inquit, *dies illa Domini neque serena, neque obscura*; quia erit dies spiritualis, quem nemo videre poterit præter *Dominum*, sed fide tantùm agnoscimus illum. At cùm *vespera*, h.e. finis mundi, advenerit, tunc cessabit fides, & affulgebit *lux* perpetua.

8. *Egredientur aquæ vitæ*] Hæ sunt aquæ Spiritûs sancti jugiter fluentes de medio Ecclesiæ.

10. *Redigetur omnis terra*] Sensus idem est cum hac sententia Jesaiæ, *Erunt prava in directa, & aspera in vias planas*, & tunc *elevabitur Jerusalem, & posita erit* super montem, qui est Christus, & portæ ejus apertæ erunt in omnibus plagis mundi, &c.

12. *Contabescet caro*] Persecutores, inquit, Ecclesiæ, euntes & stantes in seipsis deficient & emarcescent. Id quod in Romano Imperio impletum videmus; quod cùm haberet provincias & regiones multas, valeret acumine intellectûs & eloquentià linguæ, tamen sensim contabuit & omnes ferè amisit vires.

14. *Jehuda contra Jerusalem*] Hoc de hæreticis Ecclesiam impugnantibus accipe, atque de tyrannis qui Euangelium Christi persequuntur; & emungunt per fas & nefas *aurum & argentum*, sed quæ tandem auferentur ab eis, & destituentur eis, sicut & possessione *equorum*, &c.

16. *Ad celebrandum solennitatem Tabernaculorum*] Hoc dicitur quòd fideles qui ex Gentibus credunt, sciunt se in hac mortali vita esse peregrinos & veluti in tuguriis habitare, exspectantes futuram immortalitatem, ad quam veluti ad festivitatem nunc quotidie ascendunt fide & spe. Et qui ingrati Domino *hanc solennitatem non celebrant, ab illis aufertur pluvia* verbi Divini: & hæc est magna *plaga*, ubi nihil boni crescere potest, sed omnia sunt perversa, cogitationes, verba, & opera.

20. *In collariis equorum*] Per *collaria equorum* & *ollas* intelliguntur hîc varii status hominum Christianorum, qui omnes & ex æquo *sancti* esse debent in Ecclesia, sicut olim *pelves* & vasa *in Templo Domini consecrata*. Et *qui sacrificare* voluerit, *accipiat* unum ex *lebetibus, & coquat in eo*: h.e. cui amplior concessa est gratia, alium instruere & docere debet in fide, & gratissimum offeret Deo sacrificium.

21. *Non erit Chnaanæus*] Non, inquit, ut olim Chnaanæi aliqui remanserunt inter Jehudæos, sic inter Christianos manebunt impii & hæretici, sed seipsos prodent, & segregabunt ab Ecclesia.

VATABLUS.

1. V*Enit* בא] Præt. Heb. pro fut. *ventura est*. ¶ *Ipsi Jehova* ליהוה] i. In qua Dominus ostensurus est potentiam suam, sumendo vindictam de impiis Judæis & ingratis qui Christum noluerunt recipere. Quidam de excidio Jerosolymitano tantùm, alii de tempore Antichristi exponunt hoc caput. ¶ *Spolia tua* שללך] *Prædæ tua*, i. prædæ in te captæ, ô Jerusalem. Est sing. pro plur.

2. *Et capietur* ונלכדה] *Expugnabiturque*.

3. *Juxta diem*, &c. כיום הלחמו וגו'] *Sicut præliatus est die certaminis*, sub. *ad mare Rubrum*. Alludit ad historiam quæ legitur Exod. 14. 14.

4. *Et scindetur* ונבקע] *Et dividet sese*, ut sine impedimento ullo defluant *è Jerusalem aquæ* illæ *vivæ* de quibus infrà v. 8. q. d. Dominus tollet omnia impedimenta quæ remorari possent cursum verbi sui. ¶ *Vallis Magna valde* גיא גדולה מאוד] Quidam subaudito ב vertunt *in vallem magnam valde*, i. ità ut fiat vallis maxima. ¶ *Et recedet* ומש] Sub. *è loco suo*, i. separabitur.

5. Ad *vallem montium* גיא הרי] Vallis erat magna non procul ab Jerusalem.

6. *Lux pretiosa & coagulata* אור יקרות וקפאון] Ad verb. *lux pretiositatum & coagulationis*, i. primâ parte illius diei sive temporis gratiæ non erit lux splendida, clara aut conspicua, neque densa ac spissa. Cùm enim lux nebulis fœdatur, videtur quasi coagulari. Totum tempus gratiæ quod dividit in tres partes, comparat tribus partibus diei, nempe ipsi Manè, Meridiei & Vesperæ. Hic loquitur de prima parte, per quam intelligit tempus primitivæ Ecclesiæ, in qua non fuit omnimoda cognitio Christi ac S. literarum, neque omnimoda ignorantia illarum. Fuerunt enim eo tempore multæ hæreses, & quamplurimi manserunt in infidelitate sua.

8. *Æstate* &c. בקיץ וגו'] i. Omni tempore, & sine ullo impedimento. Solet enim aqua æstate siccari, & hieme congelari. Quidam vertunt, *erúntque tam in æstate quàm in hieme*.

10. *Vertetur* יסוב] *Versa fiet*: i. Tota terra circùm Jerusalem, quæ nunc est montosa ac plena montibus, fiet tunc plana & æquabilis. ¶ *Et habitabitur*, &c. וישבה תחתיה] Ad verb. *& sedebit sub se*, vel *apud se* i. in loco suo. ¶ *Usque ad portam angulorum* עד שער הפנים] Eadem habes & Jer. 31. 40. ubi singulari numero legitur *Porta anguli*. Notand est oratio concisa, pro, *& habitabunt in magna tranquillitate in ea, à porta Benjamin usque ad locum portæ prioris, & à loco portæ prioris usque ad portam angulorum, & à porta angulorum usque ad arcem Hananeel, & ab arce Hananeel usque ad torcularia Regis*. Is erat locus in Jerusalem.

11. *Et excidium* וחרם] Hæc vox sign. *occisionem, interfectionem, exterminium & perditionem*: i. ipsa nunquam desolabitur aut destruetur. ¶ *Sed habitabitur*, &c. וישבה וגו'] Ad verb. *& sedebit Jerusalem in confidentia*. Alii, *sed habitabit Jerusalem confidenter*; h.e. cives Jerusalem, filii Ecclesiæ, habitabunt in magna confidentia & securitate ac tranquillitate animi.

12. *Liquefiet caro eorum*; &c. המק בשרו וגו'] Infinit. cum præsenti, pro futuris, *tabescet* (*intabescet*) *caro ejus, & ipse stabit super pedes suos*, &c. Sing. pronomina pro plur. Alii vertunt, *tabescere faciet carnem eorum*. ¶ *Tabescet* תמק] *Dissolvetur*.

13. *Siquidem* והיה] Ad verb. *Et erit*. Ideo autem mutatum, quòd continuò rursum sequatur *erit*. ¶ *Quispiam* איש] Ad verb. *vir*. ¶ *Et evanescet* ועלתה] *Et deficiet*. Quidam *succidetur*.

16. *Quotquot autem*, &c. והיה כל הנותר] Ad verb. *Et erit, omne residuum*, &c. ¶ *Singulis annis* מדי שנה] Ad verb. *de anno in annum*.

17. *Qui verò non ascenderint* והיה אשר לא יעלה] Ad verb. *Et erit, qui non*, &c. Quidam vertunt, *Fiet autem ut qui*, &c. ¶ *Terra ipsius* הארץ] Sub. *Sanctæ*: i. ex hominibus habitantibus in terra Sancta. Propheta Metaphoricè loquens exprimit ea quæ sunt spiritualia N. Testamenti per ea quæ erant temporalia V. Testamenti. Dividit autem totum mundum in duas familias familiam Israeliticam, & Gentilem, quæ per *Ægyptios* significatur. ¶ *Non erit super eos* ולא עליהם יהיה] Ad verb. *& non super eos erit*. Redundat *&*, nisi vertas *tunc non erit*, &c. Quidam vertunt, *non descendet*: q. d. Nisi Christi prædicationem susceperint, privabuntur postea beneficio illius prædicationis & gratiæ Christi quâ mens fœcunda redditur ut bonos fructus faciat. ¶ *Imber ipse* הגשם] *Pluvia ipsa*, optatissima ac desideratissima, quâ fœcunda redditur terra ipsa.

18. *Nec venerit* ולא באה] Sub. *in Jerusalem*. ¶ *Neque ascenderit super eos* ולא עליהם] Multa fuerunt repetenda ex versu præcedente.

20. *Super tintinnabula*, &c. על מצלות הסוס] Quasi id insculptum fuerit super tintinnabula illa: q. d. *Tintinnabula ipsorum equorum sanctificabuntur*, sive *consecrabuntur, Domino*; *nam ex eis fient lebetes ad coquendum in domo Sanctuarii*. Intellige omnia ornamenta superflua consecranda Domino, & eroganda pauperibus. ¶ *Eruntque lebetes* והיה הסירות] Ad verb. *& erit* numerus *lebetum*, sive *ollarum*, q. d. erunt multi: plurimæ enim victimæ offerentur Domino, & coquentur in illis. Pelvibus excipiebatur sanguis victimarum.

21. *Sanctitas ipsi Jehova* קדש ליהוה] Hebraismus qui & præcedenti versu, pro, *Omnes lebetes in Jerusalem & Juda erunt sanctificati Domino*. Non enim erant omnes lebetes apti coquendis carnibus victimarum, sed hi tantùm qui consecrati erant Domino. ¶ *Marcator* כנעני] Sub. *boum & ovium*: q. d. Ultrà non erit opus victimis illis externis: erunt enim tunc

omnia

omnia spiritualia, *adorabúntque* fideles *Patrem in spiritu & veritate.*

CASTALIO.

5. *Comitantibus eum sanctis*] Heb. *comitantibus te.* Sed meliùs legisse videtur Vetus.

6. *Non erit chara dies*, &c. Nulla erit diei noctísque vicissitudo, quæ efficit ut dies post noctem sit charior. ¶ *Aut concretio*] i. Nox, quæ erassa & concreta est.

7. *Neque dies neque nox*] Perpetua lux erit, nullâ diei noctísque vicissitudine.] *Vespertino tempore erit lux*] h.e. Cùm nunc vesper & nox est. Vide Sibyllæ lib. 3. ad finem prioris partis de Bonorum præmiis.

13. *Ut alter alterius manum prehendat, sudúmque manum imponat alterius manui*] Comspirent inter sese.

15. *Clades erit illi cladi similis*] Hominum quam paulò antè dixit.

18. *Illi verò clade afficientur*] Ægyptiis non, ut cæteris, minatur pluviæ penuriam, quippe quâ premi non possent, utpote Nilo, non pluviâ utentes.

CLARIUS.

1, 2. *Dividentur spolia tua*] Plerique hoc caput exponunt de Antichristo, & probatione fidelium quæ suo tempore futura est, quæque adventum Domini præcedet. *Tunc* enim *erit tanta afflictio qualis non fuit ab initio mundi.* Alii verò, quibus hæc expositio non ubique satisfacit, putant Prophetam hic loqui de ultima devastatione Jerusalem quæ facta est per Romanos. Et hi hunc locum, *Et reliquum populi non auferetur ex urbe*, sic intelligunt, *Medietas in captivitatem ducetur, & residui non extra civitatem, sed intra mænia, fame, & peste atque gladio exterminabuntur.*

3. *Præliabitur contra gentes illas*] Hæc *pugna* videtur fuisse prædicatio Euangelii, quâ Apostoli & successores eorum Romanorum Imperium & ferè omnes gentes expugnaverunt. Et hoc *prælium* incepit à *monte* super quo *pedes Christi steterunt* cùm in cœlum ascenderet, & diceret, *Ite in orbem universum, & prædicate*, &c. Et tunc *scissus fuit mons Olivarum*, h.e. Ecclesia Christi in monte illo collecta divisa est in quatuor mundi plagas, ut *prædicaret verbum* Christi *omni creaturæ.* Sicut enim in superioribus Ecclesia significatur per *Jerusalem* & *Sion*, sic quoque hic intelligitur per *montem Olivarum.* Ex hac autem dispersione Apostolorum relictus est *hiatus magnus* infelix scilicet Judæa deserta & derelicta, à qua fugerunt Judæi quique Christiani facti, nè & ipsos apprehenderet ultio Divina in perfidos sæviens Judæos. De *terra motu facto in diebus Oziæ* habes 2 Par. 26. & Mich. 1. ¶ *Sicut præliatus est*] Olim contra Pharaonem.

5. *Ad vallem montium*] Vallem Josaphat, sive Judicii. ¶ *Usque ad Azel*] Locum extra montem illum Oliveti. Aliùs sic vertit hunc locum, *Fugietis per vallem montium, eò quod vallis montium pertingat usque ad Azel.* Videntur hæc esse tutiora loca: quibus significatur id quod suprà diximus, subduxisse se fideles à Divina ultione quæ Judæis imminebat. ¶ *Omnésque sancti cum eo*] Hoc dicitur quòd Dominus ipse cum Apostolis Euangelicum negotium inter Gentes promovebit.

6. *Claritas cum obscuritate mixta*] Heb. *Pretiosa coagulata.* Appellant enim diluculum *lucem concretam* seu *coagulatam. Erit*, inquit, *dies illa Domini neque serena, neque obscura*, quia erit dies spiritualis, quem nemo videre poterit præter *Dominum*, sed fide tantùm agnoscimus illum. At cùm *vespera*, h.e. finis mundi, advenerit, tunc cessabit fides, & affulgebit *lux* perpetua.

8. *Exibunt aquæ vivæ*] Hæ sunt aquæ Spiritûs sancti jugiter fluentes de medio Ecclesiæ. ¶ *Ad mare Orientale*] Hoc est quod suprà dixit, *Dominabitur à mari usque ad mare.* ¶ *In æstate*] *Tam in æstate quàm in hieme*, h.e. perpetuò; ut nec calore siccentur, nec frigore constringantur. Videtur ergò dicere, nec futuram æstatem nec hiemem.

9. *Erit nomen ejus unum*] De quo Joannes, *In principio erat Verbum:* & Psal. 33. 6. *Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum.*

10. *Tanquam planities*] Juxta illud Esaiæ, *Erunt prava in directa*, &c. Tunc *exaltabitur Jerusalem, & posita erit* super *montem*, qui est Christus, & *portæ* ejus apertæ erunt in omnibus plagis mundi, &c.

11. *Anathema*] *Vastatio.*

12. *Tabescet caro*] Persecutores Ecclesiæ tandem cum potentia sua omni succumbent, & Ecclesia Christi emerget illustrior.

14. *Judas pugnabit adversus Jerusalem*] Hoc de hæreticis Ecclesiam impugnantibus accipe, & de tyrannis qui inter Christianos sæviunt, quorum tandem bona auferentur ab eis, & destituentur illis, sicut & possessiones *equorum*, &c.

16. *Festivitatem Tabernaculorum*] h.e. Protectionis ab omnibus malis. Vel, Fideles agnoscent se peregrinos in terra; quod qui non fecerint, *ab illis auferetur pluvia* verbi Divini.

19. *Peccatum Ægypti*] h.e. Pœna peccati.

20. *Quod super frænum equi est*] Per *ornamenta equorum* & *ollas* intelliguntur hic varii status Christianorum hominum, qui omnes *sancti* esse debent in Ecclesia, sicut olim *pelves* & vasa *Templo Domini consecrata.* Et *qui sacrificare* voluerit, *accipiat unum ex lebetibus, & coquat in eo:* h.e. cui amplior concessa est gratia, alium instruere & docere debet in fide, & gratissimum afferet Deo sacrificium.

21. *Non erit mercator*] Vel *Chananæus.* Non, inquit, ut olim Chananæi aliqui remanserunt inter Judæos, sic inter Christianos manebunt impii & hæretici; sed seipsos prodent, & segregabunt ab Ecclesia.

L. BRUGENSIS.

10. *Exaltabitur & habitabit in loco suo*] Quod quidam codices, impressi præsertim, post primas illas quas sæpe commemoravimus editiones, legunt *habitabitur*; admittere & hoc possit fons Hebraicus: sed ut pleraque omnia, ità emendatiora manuscripta, *habitabit* habent; nec nostra tantùm; verumetiam Parisiensium; neque non Hentenii, qui cum Parisiensibus in textum *habitabit* recepit: id quod D. Hieronymi, Altisiodorensis & Ruperti commentaria probant.

DRUSIUS.

1. *Dies venit DOMINO*] *Venit* dixit pro *jam brevi veniet.* Est enim בא verbum temporis præsentis quod *Benoni* vocant: id poni solet pro paulò pòst futuro. Hoc primum. Deinde *DOMINO*, sive *à DOMINO*, i. Divinitus: q. d. Hoc minimè casu aut fortuitò vobis accidet. Non malè etiam legas, *Ecce dies venit* DOMINI; ut sensus sit, Dies quo DOMINUS de Jerosolyma pœnas exiget; sive quo gloriam suam patefaciet, supplicium de improbis sumendo, & suos ex eo mirabiliter eximendo liberandóque: יום ליהוה *dies à DOMINO*, ut ישועה ליהוה *salus à DOMINO:* quod sic etiam exponitur, *salus* DOMINI. ¶ *Et dividentur*, &c.] Antè *urbs capta fuit* quàm *spolia dividerentur.* Priùs ergò narrat quod tempore posterius erat: nam sequitur certè, *Et capietur civitas.* Vel, *quo dividentur*, ut sit ו pro אשר. ¶ *Spolia tua*] Facultates & bona domestica; item captivi tui. Nam etiam captivos factâ sortitione inter se dividebant. Ex quo illud, *Et de Jerosolyma projecerunt sortem.* Sensus est, *de civibus Jerosolymitanis*, aut *de bonis eorum.* ¶ *In medio tui*] Alloquitur Jerosolymam. Dicit autem *in medio tui*, quia qui securi sunt victoriæ prædam dividunt in urbe quam ceperunt: qui sibi metuunt, idem faciunt in agro, aut in solitudine, aut ubi domum redierunt. Sic dico. Non dividunt prædam nisi cùm in tuto sunt & extra periculum.

2. *Et congregabo*, &c.] Excitabo plerasque omnes gentes ut bellum inferant Jerosolymæ, & veniant obsessum eam. Similis locus exstat Hab. 1. 6. & Ezec. 39. 2. Atque hinc discimus Deum esse primum autorem à quo mala & infortunia omnia quæ nobis eveniunt belli tempore. Hoc qui cogitat, simul etiam cogitabit nihil temere ab eo fieri. Quosdam punit ut perdat, alios ut emendet, omnes ipsorum merito & culpâ. Quòd si peccata non essent, pœnæ nullæ essent. Hæc igitur corrigamus, si à malis immunes esse volumus. ¶ *Omnes gentes*] *Omnes* dicit cùm aliquæ gentes ei bello non interfuerint. Cave aliter accipias quàm Jon. 2. 3. *Omnes fluctus tui & undæ tuæ super me transierunt.* Ità sæpe Ebræi. Aut *omnes* dixit pro *omne genus gentes.* Nam & leves erant & rapaces & crudeles. Vide Animadv. meas. ¶ *Ad Jerosolymam*] Vel *contra Jerosolymam:* ut sit אל pro על. ¶ *Et capietur urbs*] Dan. 12. 1. *Et erit tempus adversum, quale non fuit ex quo gens existit.* ¶ *Diripientur*] ונשסו. V. int. *& vastabuntur.* Videtur legisse ונשמו, h. e. Mem pro Samech: nam affinitas aliqua inter has literas. ¶ *Et mulieres*] Tam nuptæ quàm innuptæ. ¶ *Violabuntur*] *Stuprabuntur, comprimentur:* q. d. Nec filiarum nec uxorum suarum pudicitiam defendere poterunt. Locus planè similis occurrit Jes. 13. 16. *Infantes eorum allidentur in oculis*

lis eorum, diripientur domus eorum, & uxores eorum violabuntur. Possumus etiam hic legere, *& uxores eorum violabuntur.* Nam אשה & *uxor* & *mulier*: sic γυνή. Hujus plurale נשים *feminæ, uxores.* Cæterùm in Ebræo scriptum habetur תשגלנה, quod verbum obscœnum fuisse crediderim: itaque legerunt pro eo תשכבנה, in quo significatio *concubitûs.* Fit hoc & alibi: R. D. annotavit duos præterea locos. Unus est Deut. 28. 30. alter Jer. 3. Elias adjecit tertium à nobis suprà productum. Atque hinc שגל *regina uxor*, vel, ut alii, *concubina.* Nomen est honestum: itáque & legitur & scribitur. Tale quid est in lingua Belgica. Nam Bruidt *Sponsa* & Bruidegom *Sponsus* vocabula sunt honestissima, à verbo obscœno: quod ideo à me silebit. ¶ *In exsilium*] גלה magis *deportationem* sign. quàm *exsilium*; Quæ sic differunt: *deportat* (*transportare* alii dicunt) qui patriis sedibus eductum aliò transfert: *Exsulat*, qui simpliciter solum vertit. *Deportatio* à Græcis μετοικεσία dicitur. Interpretes *transmigrationem* convertunt; minùs propriè. Nam *transmigratio* spontè sedem mutantibus magis convenit. Igitur בגולה Græcè reddam eleganter & propriè εἰς τὴν μετοικεσίαν. ¶ *Media pars civitatis*] Duæ partes interibunt peste vel gladio, tertia remanebit. Et hujus partis pars dimidia deportabitur, alia relinquetur. Hoc significat cùm ait, ¶ *Et residuum populi non exscindetur ex civitate*] Nam sensus est ac si diceret, *neque occidetur, neque transportabitur.* De his loquitur Propheta Esaias 26. 20. inquiens, *Absconde te ad exiguum momentum donec transierit ira æstuans.* Hieron. ad h. l. *Quomodo autem media pars capta sit civitatis, & reliquus populus in urbe permanserit, & illo tempore & aliis approbatur, Septentrionalem urbis & inferiorem partem esse captam, montem autem Templi & Sion, in quo arx erat, integra remansisse.*

3. *Egressus*] *Egressus è loco suo*, h. e. cœlo, ut Mich. 1. 3. aut procedens ad bellum. Locutio sumpta mutuò ab antiquo populo, qui ab bellum ituri Arcam circumducebant. Jes. 42. 13. *DOMINUS ut miles procedit, ut vir belli*, i. bellicosus. Hab. 3. 13. *Egressus es ad salutem populi tui, ad salutem cum Christo tuo.* Ps. 60. 10. *Non es egressus, Deus, cum exercitibus nostris.* ¶ *Pugnabit*] *Bellabit, prœliabitur.* ¶ *In gentes illas*] Quæ Jerosolymam ceperant. Hic *in* valet *contra.* Claudius Quadrigarius lib. 1 Annal. *Postquam nunciatum est ut pugnatum esset in Gallos, id civitas graviter tulit.* Citat Gellius l. 17. c. 2. ¶ *Ut quo die pugnabat ipse*] In quibusdam *pugnavit*: quæ interpretatio mihi quidem magis probatur: subintelligo autem *pro vobis.* Et IN DIE PRÆLII explico, *cùm prælio vobiscum decertaretur*: &, quod priùs dictum oportuit, PUGNAVIT, i. *pugnare solitus est.* Vulgò aliter: referunt enim ad historiam quæ habetur Exod. 14. 14. atque ità explicant, *ut eo tempore quo pugnavit pro vobis ad mare Suph, cùm vos eduxisset ex Ægypto.* ¶ *Prælii*] *Pugnæ, conflictûs.* Ebraicè קרב. Nec obscura Etymologia. Nam קרב *accedo, appropinquo.* Sanè קרב nihil aliud est quàm *congressio acierum*: *conflictum* vocant. *Græce* μάχην. Differt autem à *bello*, quod propriè מלחמה dicitur, & Græcè πόλεμος, quia *bellum* esse potest sine *prælio*: nam totum illud tempus quo hostes in armis sunt *bellum* vocatur. Sciendum tamen hoc discrimen non esse perpetuum: nam מלחמה & קרב se mutuò explicant. Sic קרבא apud Chaldæos pro *bello* usurpatur. Sic πόλεμος pro ipsa μάχη apud Homerum. Exemplis ideo supersedeo quia res minimè controversa est.

4. *Stabunt pedes ejus*] Innuit Deum exseruisse virtutem suam primùm in monte Olivarum. *Pedes* enim pro *adventu* ponuntur; ut ibi, *Benedixit Deus tibi ad pedem meum*, τουτέστι διὰ τῆς ἐμῆς παρουσίας· πόδα γὰρ, ait Theodoretus Quæst. 87. in Gen. τὴν παρουσίαν ἐκάλεσεν. Scribit eadem Augustinus Quæst. in Gen. lib. 1. qu. 92. ¶ *Super montem Olearum*] Vel *Olivarum*, i. Ἐλαιῶν. Dicitur & *mons Oliveti*, Ἐλαιῶνος. Utrumque obvium apud Euangelistas. ¶ *Qui est in conspectu Jerusalem*] i. Prope Jerusalem, ità ut ex Urbe conspici facilè potuerit. Josephus autor dissitum fuisse à Jerusalem quinque stadiis, Orig. l. 9. c. 11. Ex testimonio veritatis minimè dubio constat *abfuisse itinere Sabbati.* Verba clara hâc de re habentur Act. 1. 12. *Tunc reversi sunt Jerosolymam à monte qui vocatur Oliveti, qui est prope Jerusalem, distans itinere Sabbati.* Ubi in Græco ἐγγὺς Ἱερουσαλὴμ, quod hic על פני ירושלם. Vetus tamen ed. *contra Jerusalem.* Priùs erat in Græca τὸ κατέναντι Ἱερουσαλὴμ, quod valet *è regione*, sive *ex adverso Jerusalem.* Sic legimus Marc. 13. 3. καὶ καθημένου αὐτοῦ εἰς τὸ ὄρος τῶν Ἐλαιῶν κατέναντι τοῦ ἱεροῦ, i. interprete Theodoro, *ex adverso Templi*: antiquitus erat *contra Templum.* ¶ *Ab Oriente*] A parte Urbis quæ Orientem respicit. Euseb. *Mons Olivarum, ad Orientem Jerusalem, in quo discipulos erudiebat Jesus.* Hieron. *Mons Oliveti, ad Orientem Jerosolymæ, torrente Cedron interfluente, ubi ultima vestigia DOMINI humo impressa hodiéque monstrantur.* ¶ *Scindetur medius*] *Findetur à medio ipsius*, h. e. à parte ipsius dimidia. Hæc scissio figurat fugam Gentium. Nam Deo pugnante pro suis omnes in fugam se dabunt, alius aliò dilabetur. Ità mons, in quo Urbem obsidentes castra posuerant, quasi in partes diffindi videbitur. ¶ *Et Occidentem versùs*] וימה *& mare versùs.* Notum ut *mare* pro *Occidente* sumatur. Capies autem de mari Magno sive Mediterraneo, quod Judæam ab Occidente alluit. ¶ *Valle magnâ*] Fisso monte in duas, non, ut quidam existimant, in quatuor partes, *vallis* emerget *insanè magna*, quæ media erit inter partes abscissas. *Scissio* autem *fiet versùs Orientem & Occidentem*, ità quidem ut *pars media*, propter vicinam urbem, *ad Aquilonem*, pars altera ad *Austrum recessura sit.* ¶ *Nimis*] Valde. ¶ *Dimidium montis*] *Pars dimidia.* Quidam *pars montis* simpliciter: quod non probo. Nam *pars* חלק dicitur, חצי autem est *dimidium*, i. τὸ ἥμισυ τοῦ ὄρους. ¶ *Recedet*] ומש *& recedet*, i. יסור: ità explicant Scholia Ebraica.

5. *Fugietis ad vallem*] ונסתם גיא. Abest אל, ut sit אל גיא *in vallem.* Quidam legunt *fugietis vallem*, i. מן גיא. Similis locus apud Davidem, in quo similiter Interpretes variant. Ebræa sunt הרריכם נדו: Id ab aliis interpretatur *in montem vestrum*, & ab aliis *è monte vestro.* Vide Joseph. Orig. l. 9. c. 11. Mercerum in Amos, pag 255. ¶ *Montium*] Legitur & *montium meorum.* Sic Græci τῶν ὀρέων μου. *Montes Dei* dicuntur Sion & Moria. Inter hos vallis erat media quæ *Mello* nominabatur. Hîc fugietis, inquit, cùm Olivarum mons in partes dissilier. Alii per *vallem montium* intelligunt vallem quæ inter duas sectiones montis Oliveti. Ut liberè loquar, minùs se probat mihi hæc interpretatio: sed tamen non penitus rejicio. הרי *montes.* Talia sunt חלוני *fenestræ*, שדי *agri*, גבי *locustæ*, & alia quædam. ¶ *Vallis montium*] Hic גיא legitur in quibusdam libris, sed malè: legi debet גי sine Aleph; primùm ex libris melioribus, deinde ex Massora magna. Vide, si placet, Jos. 18. 16. ¶ *Ad Asal*] Nomen loci. Ebraicè אצל per *s* Sade. Veteres legebant, cum puncta nondum adscripta essent, partim Ἀσὲλ per *e* brevem literam, h. e. אֶצֶל, partim Ἀσὴλ per extensam, videlicet אָצֵל. Isto sanè modo Theodotio, illo Aq. olim legit. Sym. verò interpretatus est *ad proximum*, ac si appellativum esset, non proprium: quod etsi placuerit Interpreti nostro, tamen commodum sensum non habet; ac proinde potior, meo judicio, interpretatio prior. ¶ *A terræmotu*] Vel *propter terræmotum.* Hujus terræmotûs memoria usurpatur Amos 1. 1. *in diebus Uziæ Regis Judæ, & in diebus Jeroboam filii Joas Regis Israel, biennio ante terræmotum.* ¶ *Uziæ*] Vel *Oziæ.* Prima syllaba brevis est, non longa. ¶ *Et veniet*] *Postquam venerit*, Suprà v. 3. *Et egressus est DOMINUS*, &c. Vide num legi possit *postquam veneris, DOMINE Deus mi*, ut בא sit Benoni, quod pro mox futuro poni solet. ¶ *Omnes sancti tecum*] Abest copula, ut sit *omnesque sancti tecum*: hoc primum. Deinde mutata persona, quasi ex improviso convertit sermonem ad Deum. Quod temere abs eo factum non est, nec emphasi caret. Quâ de re consule alios Interpretes. *Sancti*, i. Angeli. Nam his commissa piorum salus. Itáque legimus apud Davidem, *Angelis suis præcepit de te, qui manibus suis tollent te, nè offendas ad lapidem pedem tuum.* Et alibi, *Descendere fac, DOMINE, fortes tuos.* Scholia Ebraica pronomen referunt ad *Jerosolymam*, & ità hunc locum explicant, *O Jerosolyma, tunc veniet DOMINUS Deus meus, & omnes ipsius sancti tecum erunt*, h. e. *stabunt à partibus tuis.* Valde placet animo meo ista explicatio. Cæterùm עמך *tecum* V. Int. retulit *cum eo.* Sic Græci μετ᾽ αὐτοῦ. Sic Chaldæus Jonathan עמיה. Omnes videntur legisse עמו. Diversa quoque lectio erat in principio hujus versûs. Nam ונסתם, cùm puncta abessent, ab Hieron. & aliis legebatur וְנִסְתַּם, ut hodiéque legitur, ab aliis verò וְנִסְתַּם *& concludetur.* Isto modo legerunt Græci & Jonathan. Quin admonet nos David Ebræus de hac lectione, quam ait Orientalium Judæorum esse, & in quibusdam libris adhuc reperiri. Est autem sensus, *concludetur vallis montium*, ac si diceret, Partes montium rursum coalescent. *Nam pertinget vallis montium ad Asal*, h. e. in sublime perveniet & ad cacumen ipsius montis: q. d. Mons totus coalescet, non ex parte aliqua duntaxat.

6. *Pretiosa*] i. Clara, ut Job. 31. 26. *& Lunam pretiosè incedentem.* V. ed. *clarè incedentem.* Sic interpretantur Scholia Ebraica. ¶ *Concreta*] *Spissa, densa, nebulosa.* Cæterum *denso* propriè *rarum* opponitur. *Pretiosum* autem & pro *raro* sumitur, ut ibi, *Pretiosum fac pedem tuum in domo amici tui.*

Quid si ergò *aer neque rarus erit neque densus?* Nam *aer* Ebræis אויר, tanquam ab אור *luce*. Certè affinitas magna inter has voces: sed nihil mutemus. *Lux densa* parùm abest à tenebris. Significat igitur tempus illud nec planè lucidum, h.e. lætum, nec planè tenebrosum, h.e. triste, futurum, sed tempus medium, in quo tristia lætis miscebuntur. Idem indicat per verba illa, *nec dies nec nox*.

7. *Dies unus*] i. Singularis. Hic dies *notus erit DOMINO*. Vult dicere, *curam ejus geret DOMINUS*. Alii, *dies unus erit DOMINO*, in quo die *ipse innotescet* & virtus omnibus manifestabitur. Sunt etiam qui referant, *qui agnoscetur à DOMINO, non ex die & nocte.* לא ביום ולא בלילה. In Genesi legimus, *Et vocavit lucem Diem, & tenebras Noctem.* Non ergò *dies* propriè quæ lucida non est. Sic *nox* dici non potest quæ aliquid lucis habet, propriè loquendo scilicet. ¶ *Nec dies nec nox*] Erit ergò dies non dies. Nam per *diem* significant aliquando res secundas, ut per *noctem* adversas. ¶ *Et erit tempore vespertino, erit lux*] Hîc & valet *nam:* siquidem causam reddit ejus quod dixerat *nec nox*. Nec ulla, inquit, verè nox erit, quia vesperi lucebit luce mediâ, h. e. clarâ penitus, nec omnino densâ & obscurâ ut cùm nox est. Huc refer, *Non occidet Sol tuus*.

8. *Aquæ vivæ*] h.e. Perennes sempérque fluentes. Intelligit autem doctrinam Euangelii, secundùm illud, Joh. 4. 14. *Si quis biberit ex aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ viventis & salientis in vitam æternam:* & Joh. 7. 38. *Qui crediderit in me, sicut dicit Scriptura, de ventre ejus egredientur flumina aquæ vivæ.* Huc pertinet & illud, *Repleta sunt omnia scientiâ DOMINI, sicut aqua multa operiens mare.* ¶ *E Jerusalem*] Jes. 2. 3. *è Sion egredietur Lex, & verbum DOMINI è Jerusalem.* ¶ *Dimidium earum*] Vel, *quarum media pars:* & subauditur *exibit*, sive *fluet*. ¶ *Ad mare Orientale*] Quod *mare primum* vocatur, & vulgò *mare Mortuum*, eò quòd nihil in aquis ejus vivat. Dicitur & *lacus Asphaltites*, Græcè λίμνη Ἀσφαλτῖτις. Hieron. Joel. 2. 20. *Mare primum, quod juxta solitudinem est & vergit ad Orientem* (Hinc disces cur *Orientale* vocatum fuerit) *illud intellige in quo fuit quondam Sodoma & Gomorra, Adama & Seboim: quod nunc mare Mortuum nominatur, eo quòd nulla ibi vivant animalia.* Vocatur etiam *mare Salis*, & *lacus Sodomenus*. Perperàm autem D.K. illud confundit cum *stagno Gennesareth:* nam id procul à Sodomis distabat ut notum perito locorum. ¶ *Ad mare novissimum*] Vel *postremum*. Hoc mare Palæstinam alluit. Vocatur & *mare Magnum*, & aliquando *mare* κατ' ἐξοχήν. Nos *mare Mediterraneum* appellamus. Erat autem in plaga Occidua. Hieron. loco allegato, *Mare novissimum hoc est quod ad Occidentem est, & quod ducit in Ægyptum; in cujus litore Gaza, & Ascalon, Azotúsque, & Joppe, & Cæsarea, & cæteræ urbes maritimæ sitæ sunt.* ¶ *Æstate & hieme*] Nec æstate siccabuntur, nec hieme congelascent sive gelu constringentur. Aut, *æstate & hieme*, h. e per totum anni tempus. ¶ *Erunt*] Fluent. Quidam, *æstate ac hieme erit*, sub. *hic fluxus*.

9. *Rex super omnem terram*] Non in Judæa solùm, sed ubicunque locorum Ecclesia erit Christiana, ibi regnabit, coletur & invocabitur. ¶ *DOMINUS unus*] q. d. Nulli erunt dii præter ipsum. ¶ *Et nomen ejus unum*] Idem aliis verbis. Sic ait, *Et erit in die illa, dicit DOMINUS, exscindam nomina Idolorum è terra, & non memorabuntur amplius.* Nam olim Deus variis nominibus colebatur; *Moloch, Chamos, Astarte, Dagon, Marnas, Bel* sive *Baal*. Sic *Jupiter, Apollo, Neptunus*, &c. Aben-Ezra restringit hoc membrum posterius ad nomen Joth, He, Vau, He, quod legunt *Adonai*, & quando juxta se habet *Adonai*, legunt *Elohim*. *Sed illo tempore*, inquit, *legetur semper secundum scripturam ejus*, nempe JAHO, vel JOVA, vel JEHOVA. Hæc adduxi ut ostenderem non peccare eos qui hodie sic legunt. Nam etiam cùm habet puncta nominis *Elohim* legi potest *Jehova*. In qua lectione ratio habetur literarum, non punctorum: nam secundùm puncta legi debet *Elohim*. Peccant enim, & graviter peccant, qui legunt *Jehovi*: quæ vox nihili est. Vix risum contineo cùm ità legentes audio.

10. *Uniniversa terra*] Quæ circùm Jerosolyma. Tantum latet in verbo יסב *vertetur*. Nam סביב *circùm, in circuitu*. Itaque Scholia Camii enarrant, *Omnis terra circùm Jerusalem, quæ nunc montosa, quemadmodum dicitur*, JERUSALEM MONTES IN CIRCUITU EJUS, *tunc plana erit & campestris.* ¶ *Quasi in planitiem*] כערבה *tanquam planities:* nam ערבה *planities.* Usitatiore vocabulo eam מישור vocamus. Dicitur & מישר, & à Chaldæis מישרא: quâ voce hic usus est Jonathan. ערבה etiam *solitudinem* denotat: unde V. Translatio, *usque ad desertum*, & Græca καὶ τὴν ἔρημον. Sæpe ità variant Interpretes in hac voce. ¶ *A Geba*] Oppidum tribûs Benjamin. Antiquitas lectionis *Gaba* vel *Gabae*. Etiam *Gabe* scribebant, ut *Phase*, quod nunc פסח. Sic Græci ἀπὸ Γαβὲ ἕως Ῥεμμών. Mentio hujus oppidi Jos. 21. 17. Jes. 10. 29. & 1 Reg. 15. 22. ubi *Gaba Benjamin* vocatur, ac si esset ejus nominis in alia tribu: de quo ampliùs quærendum esse puto. ¶ *Usque Remmon*] לרמון *ad Remmon*. Latina exemplaria hic variant: nam quod in aliis *Collis ad Remmon*, in aliis legitur *collis Remmon*. Hinc emendare poteris Collectanea Nominum propriorum, REMMON, *vallis apud Zachariam* cap. 14. Me audies si leges *collis apud Zachariam: collis* dico, non *vallis*. Nam גבע *collis*. Videtur fuisse oppidum in tribu Judæ: colligio ex Jos. 15. 32. Eusebius De locis Ebr. REMMON, *in tribu Simeonis vel Juda: hodiéque est vicus Remmon juxta Æliam* (h.e. Jerosolymam) *contra Aquilonem in quintodecimo ejus milliario.* Alibi reperies in eodem libro, REMMON, *in tribu Simeonis vel Zabulon.* In Collectaneis suprà memoratis, REMMON, *civitas in tribu tam Juda quàm Simeonis.* Hæc indigent diligentiore disquisitione. Sequitur, *Item petra in tribu Benjamin*, Jud. 20. 47. Nec hoc satis exploratum aut certum. Legimus quidem in eo loco *petra Remmon*, sed fortè hæc petra ità dicta quòd sita esset prope Remmon civitatem. Nihil temere statuendum. ¶ *Ad Austrum*] Ad Australem plagam. ¶ *Et extolletur*] Corrigo *quæ extolletur*, & pronomen refero ad *Jerosolymam*, quæ est Ecclesia fidelium. Ea *extolletur*, inquit, & *regio circum deprimetur, complanabitur.* Sic ait, *In die illo paratus erit mons Domini in capite montium, & elevabitur supra colles:* evehetur, exaltabitur. Notabis ראמה cum Aleph lecto pro רמה: nam radix, vel si thema mavis appellare, רום. Sic קאם *surrexit*. Sed in hoc exemplo Aleph quiescit. ¶ *In loco suo*] Eò loci habitabitur ubi nunc est. Vide suprà 12. 6. ¶ *A porta Benjamin*] Cujus mentio Jer. 20 2. & 37. 13. ¶ *Usque ad portam angulorum*] עד שער הפנים. 2 Reg. 14. 13. vocatur שער הפנה *porta anguli*, & 2 Par. 25. 23. שער הפונה *porta respiciens.* ¶ *A turri Hananel*] Jer. 31. 38. *à turri Hananeel usque ad portam anguli.* Meminit quoque Nehemias 3. 1. & 12. 38. ¶ *Ad torcularia Regis*] Vox Ebræa יקבי magis denotat *lacus torcularium* quàm *torcularia:* itaque Jonathan interpretatur שיחי מלכא, & Græci ὑπολήνια τοῦ βασιλέως. R. S. יקב *est lacus ante torcular, in quem vinum defluit:* בור *lacus*, i. λάκκος, *cisterna.* Cave aliter accipias verba mea.

11. *Habitabunt*] In æternum. ¶ *Anathema non erit amplius*] Non ampliùs excidetur, ut Jer. 31. 40. *non evertetur neque destruetur ampliùs in æternum.* חרם, quod ἀνάθεμα reddunt, propriè denotat *excidium*. Nam החרים, *excindo, eversionem facio*. Græci convertunt Ezech. 44. 29. ἀφόρισμα, i. *separatio*. Quò pertinet illud ἀνάθεμα ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ. Verba sunt Apostoli quibus *optat pro Judæis fratribus suis anathema fieri & separari à Christo ut res exitio devota*, Rom. 9. 3. Cùm sit יהיה in Ebræo verbum masc. videtur melius esse ut legamus *non erunt:* q. d. *nemo eorum erit.* ¶ *Et habitabitur*] Quinetiam *habitabitur securè* & sine metu hostium.

12. *Tabefaciet*, &c.] Non desunt qui legant, *Tabescet caro ejus*, i. המק: meo judicio, minùs rectè. ¶ *Carnem*] Corpus, membra. ¶ *Ejus*] Uniuscujusque eorum. ¶ *Ipso adhuc stante super pedes suos*] Vel ipso adhuc stante in acie & pugnante. Nam *stare* usurpant pro eo quod est πρὸς ἀντίδα ζῆναι. Vide Observ. l. 10. c. 7. Vel ipso adhuc vivente. Contrà *cadere* dicunt pro *mori*; ut ibi, *Cecidit coram fratribus suis*. Quidam enarrant, *momento uno, antequam sedere aut recumbere ex infirmitate possit.* ¶ *In foraminibus suis*] Foramen oculi ab aliis vocatur *cavum oculi*, ab aliis *sinus*, ab aliis denique *pelvis oculi*, i. κοιλίς. ¶ *Contabescet*] Vel *liquefiet*, videlicet præ metu. Vide Proverbia mea.

13. *Tumultus DOMINI magnus*] *Commotio DOMINI magna*, Sensus est, *à DOMINO*; q.d. *DOMINUS* hunc tumultum, hanc perturbationem, castris eorum immittet. Aut locutio est ut *Flamma DOMINI, Civitas magna coram Deo.* Quidam *contritio DOMINI*, i. מהומה; alii *vexatio*, מהומת. Jon. *fragor cladis coram Domino*, si modò שבר est *fragor*, ut vult Tremellius. ¶ *Vir manum socii sui*] Alter manum alterius. Ebraismus. ¶ *Ascendet manus*] Hieron. in Comment. *conseretur manus ejus cum manu alterius, præ formidine & malorum pondere quæ supervenient.* Idem paulò pòst *conserent dexteras, & mutuâ fide ac necessitudine copulabuntur.* Ebræi aliter. ASCENDERE enim in eorum lingua valet *defici, esse desinere, succidi.* Ergò Santes eos secutus convertit

vertit

vertit *succidetur.* Jonathan quoque, interpretante Tremellio, *manus ejus cum manu commilitonis sui avelletur.* Loca quæ producit huic rei firmandæ, si quis forte requirat ea, sunt Job. 5.25. *Ut ascendet acervus frugum in tempore suo.* Gen. 49.4. *stratum meum ascendit.* Santes, *excisum fuit.* Exod. 16. 14. *Ascendit cubatio roris.* ¶ *Super manum*] Vel *cum manu.* על enim & *cum* sign. i. עם. ¶ *Socii*] Commilitonis.

14. *Pugnabit in Jerosolymam*] Supra 12. 2. *atque etiam ipsi Judæi qui erunt in obsidione contra Jerosolymam. In*, i. contra, adversus. ¶ *Colligetur exercitus*] Alii, *congregabuntur opes.* חיל & exercitium & *opes* denotat. *Opes* ideo quia in iis sita potentia hominis; juxta illud, *Divitiæ viri sunt ei urbs valida:* חיל enim propriè *potentia*, *robur*, *vires.* ¶ *Gentium circà*] Vide quæ scripsimus suprà 12. 5. ¶ *Vestes multæ* בגדים לרב *vestes ad multitudinem*, i. multæ. Affine est, *Canes ad venandum*, pro *venatici.* Aut לרב *multùm* adverbialiter. Simile לבטח *ad securitatem*, *securè.* *Vester multùm*, i. multæ; adverbium loco nominis. Sic dicimus, *Via longè* pro longinqua; *Metus repentè* pro *repentinus*; *Mors è manu*, i. subita. ¶ *Nimis*] *Valde*, *admodum.* Pro *colligetur exercitus* quidam, ut dictum est, maluerunt *colligentur opes.* Id enarrant hoc modo; Judæi qui unà cum Gentibus Jerosolymam oppugnabunt, ubi viderunt Deum stare à partibus obsessorum, socios prodent, eorúmque opes coacervabunt, &c. Vide suprà 12.6. In hanc ferè sententiam Jonathan, *Sed & Judæos*, inquit, *pertrahent populi tanquam invitos ut prælium ineant adversus Jerusalem, qui congregabunt opes & facultates omnium nationum*, &c.

15. *Et sic erit plaga equi*, &c.] Locus iste planior & manifestior erit si legas, *plaga equorum*, *mulorum*, *camelorum*, *& asinorum*, *denique omnium jumentorum quæ in castris illis fuerunt.* Nos verbum è verbo expressimus. ¶ *Omnis jumenti*] Nam etiam Elephantis utebantur antiquitus. Sed & Boves erant in castris, & alia animantia ad culinam necessaria. ¶ *In castris illis*] Castra hostium intelligit quæ circùm Jerosolymam. ¶ *Sicut plaga hæc*] Similis erit plagæ quâ homines afficientur, de qua v. 12. Hoc vult, *Ut homines ità etiam jumenta contabescent:* q. d. *ne jumentis quidem parcetur.* Potest legi, *& omnis bestia quæ in castris illis:* Nam בהמה etiam *bestia.*

16. *Erit*] *Accidet.* ¶ *Quæ venerint*] הבאים, *quæ veniunt* i. quæ venturæ sunt propediem. Priùs erat *quæ venerunt* אשר באו. *Ut ascendant*] *Jerosolymam*, quæ est Ecclesia Christiana, ad quam se aggregabunt *omnes gentes ad celebrandum festum Tabernaculorum*, h.e. ritus Novæ Legis & Euangelii. Vide Jes. 66. 19. Atque hinc est quòd Ebræi veteres dixerunt *Jerosolymam dilatatum iri sub Messia usque ad fines terræ.* ¶ *De anno in annum*] Quotannis. ¶ *Regem*] Jon. *Regem seculorum*, i. sempiternum. ¶ *Ad celebrandum festum Tabernaculorum*] Græci elegantiùs, τῷ ἑορτάσαι τὴν ἑορτὴν τῆς σκηνοπηγίας. Hoc festum celebrabatur die 15 mensis Thesri, quem nos *Septembrem* appellamus. Sed cur non meminit aliorum festorum. Ebræi scribunt circa hoc tempus accidisse victoriam quam Propheta hìc prædicit. Meo judicio, non sunt hæc intelligenda κατὰ τὸ ῥητὸν sive *ad literam*, ut loquuntur. Quâ de re consulendi sunt Interpretes nostri ad h. l. nam nolo eorum scrinia compilare.

17. *Si qui non ascenderint*] Ebr. ad verb. *qui non ascenderit:* nos numerum mutavimus propterea quòd sequitur, *super eos erit imber.* ¶ *E familiis terræ*] E nationibus terræ. ¶ *Non erit imber*] *Non pluet.*

18. *Familia Ægypti*] Gens Ægyptia. ¶ *Neque venerit*] *Ad festivitatem Umbraculorum* videlicet. ¶ *Nec super eos erit*] Sub. *imber.* *Imbrium* Ægypti mentio apud Davidem Ps. 105. 32. *Reddidit imbres eorum grandinem.* Cæterùm quia in Ægypto non admodum necessarii sunt imbres ob incrementum Nili, ideo Ebræi hunc versum sic convertunt, *Quòd si familia Ægypti non ascenderit*, *neque venerit*, *super quos non est* imber, [Nam in superiore Ægypto penitus non pluit, Herod. l. 3.] *erit plaga quâ afficiet DOMINUS gentes quia non ascenderent ad celebrandum*, &c. Id enarrant de plaga quam paulò antè dixit v. 12. & verba illa *quia non ascenderunt* referunt non ad *gentes*, sed ad *Ægyptios.* Jon. *Quòd si Regnum Ægypti non ascenderit*, *neque venerit*, *non ascendet eis Nilus.* Nili enim incrementa Ægyptiis erant imbris loco. ¶ *Quæ non ascenderint*] Legitur & *quia non ascenderunt.* Si *quia*, erit אשר pro כי. *Propterea*, inquit, *afficientur & plagâ Ægyptii quia non ascenderunt Jerosolymam ad celebrandum festum Tabernaculorum.* Hæc interpretatio legitur in Scholiis Camii; nec est spernenda, me judice.

19. *Peccatum*] *Pœnâ peccati.* Sic alibi, *quia nondum erat completa iniquitas Amorræorum.* Vult dicere *pœna iniquitatis.* ¶ *Tabernaculorum*] סכות *tabernacula*, *tentoria*, *umbracula.* Ruffinus *attegias* alibi vocat. Ætate Hieronymi dicebantur *papiliones*, *à similitudine parvulæ avis quæ Papilio dicitur.* Appellatio a tegendo סכך *tegere.*

20. *Erit super tintinnabula*] *Inscriptum erit tintinnabulis* SANCTUM DOMINO. Hoc vult, *Tintinnabula equorum Deo consecrabuntur.* מצלות *tintinnabula.* Dicta sic παρὰ τὸ צלל *tinnio.* Sub צ autem est Chiric parvum. Cùm notæ vocalium abessent, etiam מצלות legebatur per ս brevem: id sonat *profunda equorum.* Ego commodum sensum non elicio ex hac lectione. Præfero igitur receptam Ebræorum, quam firmat Hieron. ità scribens, מצלות *soli Lxx*, τὸν χαλινὸν, i. frænum *transtulerunt: quos & nos in hoc loco secuti sumus, nè novum aliquid in quæstione vulgata videremur afferre. Quod cum ab Ebræo quærerem quid significaret, ait mihi, non debere nos legere* MESULLOTH, *sed* MESELLOTH, *quod significat* phaleras equorum *& ornatum bellicum; & excepto hoc loco in nullo penitus S. Scripturarum volumine hoc verbum reperiri.* ¶ *Equorum*] Vel mortuorum in hoc bello, vel quibus illi vecti fuerint qui ad festum Tabernaculorum venient. ¶ *Lebetes*] *Ollæ*, *cacabi*, *ahena.* ¶ *Ut pelves coram altari*] Vult dicere *tam multi erunt.* Innuit fore plurimos eo tempore qui Deo sacra facient & victimas offerent. Maxima sanè copia erat pelvium in quibus recipiebatur sanguis hostiarum. *Phialæ* alii, & alii *crateres.*

21. *Nam erit omnis lebes*, &c.] Dixerat *lebetes* fore in Templo quamplurimos. Ejus dicti causam nunc reddit. Nam quotquot erunt *lebetes*, inquit, *in Jerusalem & in Juda*, convertentur in usus sacros, aut iis utentur homines perinde ac rebus sacris. ¶ *Sacrificantes*] Tam Judæi quam Gentes quæ in Templo sacrificabunt. ¶ *Sument ex eis*] Sument indè carnes quas coxerint. ¶ *Et coquent in eis*] Sententia postulat ut legamus *postquam coxerint in eis.* Nam priùs coquent carnes in lebetibus, postea extrahent coctas ad cibum. ¶ *Non erit ampliùs Chananæus*] Respexit fortè ad Gabaonitas, qui Chananæi erant & Levitis in Templo ministrabant, ligna findebant, aquam hauriebant, carnes coquebant, & deinde ex olla educebant: Sed tunc, inquit, id gentes facient & aliæ. Proinde opera eorum supervacua erit: Quocirca ministerium ipsis abrogabitur, nec ampliùs eo fungentur. Vetus versio, *mercator.* Priùs Aquila sic verterat: quo sensu nescio, nisi per *mercatorem* significari dicas vendentes & ementes quos Christus è Templo ejecit, ut testatur historia Euangelica. Jon. *nec erit qui mercaturam faciat ampliùs*, &c. Scholia Ebraica explicant, *Non erit ultrà qui lebetes emat, ad æs ad libetes conficiendos in usum Divinum. Quapropter? Quia Gentes sat superque donabunt Templo.* Sic dico, Spontè offerent quantum satis erit rerum talium. In Notis Vatabli, NON ERIT AMPLIUS MERCATOR, *sub.* boum & ovium: *q. d. Ultrà non erit opus victimis illis externis: erunt enim tunc omnia spiritualia*, &c. Sed improbo hanc expositionem: in causa est quia præcedit, *sument ex illis & coquent in illis.* Nam quid *coquent* si nullæ erunt victimæ? Sunt qui CHANANÆUM hic accipiant pro *homine profano & impuro.* Quo sensu in N. Fœdere legimus, *Erit tibi tanquam Ethnicus & Samaritanus:* q. d. Nulli tum arcebuntur à rebus sacris & à Templo: nam ipsæ quoque Gentes, quæ hactenus immundæ fuerunt, tunc mundæ & sanctæ erunt coram DOMINO. Vide 1 Ezr. 9. 1. & 3 Ezr. 8. 69.

IDEM.

5. ונסתם גיא הרי וגו׳. Sym. καὶ ἐμφραχθήσεται ἡ φάραγξ τῶν ὀρέων μου, καὶ ἔτι ἐγγιεῖ ἡ φάραγξ πρὸς τὸ παρακείμενον †, καὶ ἐμφραχθήσεται] ונסתם, quæ lectio est Orientalium Judæorum. Vide quæ scripsimus Observ. l. 14. c. 23. Hieron. *Pro eo quod nos diximus* fugietis, *Lxx & reliqui Interpretes* ἐμφραχθήσεται, i. obturabit *sive* replebitur, *transtulerunt.* Ergò etiam Aq. & Th. ità legerunt. Cave spernas. † Hieron. *Aquila ipsum verbum Ebraicum posuit* Ἀζὲλ *per e brevem literam; Th. per extensam* Ἀζήλ· *solus Sym.* proximum *interpretatus est: quem & nos secuti sumus.* Cæterùm hæc descripta sunt ex Euseb. Ἀποδείξ. l. 6. p. 180.

6. והיה ביום וגו׳: 7. והיה יום וגו׳. Sym. Καὶ ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ οὐκ ἔσαι φῶς, ἀλλὰ ψύχος καὶ πάγος. 7. Ἔσαι μίαν ἡμέραν ἥτις ἔγνωσαι τῷ Κυρίῳ, οὐκ ἡμέρα οὐδὲ νύξ· ἀλλ᾽ ἔσαι τὸ πρὸς ἑσπέραν φῶς] Ex. Ἀποδείξ. pag. 181.

10. וראמה. A. Sym. Th. *exaltabitur*] Hieron. *Quódque sequitur*, Rama autem in loco suo permanebit, *melius interpretatus est Aq. & cæteri, qui posuerunt* exaltabitur. ὑψωθήσεται. In libro De locis Ebr. RAMALE, *pro quo Aquila* exaltabitur.

Emen-

Emendo hoc loco, RAMA, sive RAAMA, *pro quo Aquila*, &c. Nihil certius.

17. ולא עליהם יהיה הגשם. A. Sym. Th. οὐκ ἔςαι ἐπ' αὐτοῖς ὑετὸς, *& non erit super eos imber*] Ex Hieron.

20. מצלות. A. Th. βυθὸν †. Sym. περίπατον σύσκιον *] † *Profundum*, i. מצולה. * *incessum umbrosum*, à צל.

21. כנעני. A. *mercator*] Hieron. *Pro* כנעני *Aq. interpretatus est* mercatorem: *quem & nos secuti sumus.*

GROTIUS.

1. ET *dividentur spolia tua in medio tui*] In ipsa Judæa passim à Græcis spolia dividentur capta de Judæis.

2. *Et congregabo omnes gentes ad Jerusalem in prælium*] Centum millia peditum, xx millia equitum, elephantes XXXII, sub Antiocho Eupatore. Scriptor 1 Maccab. 6. 29. de hoc tempore, Καὶ ἀπὸ βασιλέων ἑτέρων καὶ ἀπὸ νήσων θαλασσῶν ἦλθον πρὸς αὐτὸν δυνάμεις μισθωταί [*Etiam ab aliis Regibus & locis maritimis venêre ad eum agmina mercede conducta.*] ¶ *Et capietur civitas*] Judæi in Templum se recipere sunt coacti, Joseph. 12. 14. Est retrogressio non magna, quò magis intelligatur imminutio in populo facta. ¶ *Et vastabuntur domus, & mulieres violabuntur*] Ut & antè factum fuerat in Antiochi Epiphanis adventu. ¶ *Et egredietur media pars civitatis in captivitatem*] Propter famem se dedent. Josephus, πολλοὶ τοιγαροῦν τῶν πολιορκουμένων ἀπεδίδρασκον διὰ τὴν τῶν ἀναγκαίων ἀπορίαν [*multi eorum qui obsessi transfugêre ob penuriam rerum necessariam.*] ¶ *Et reliquum populi non auferetur ex urbe*] Defendent Templum.

3. *Et egredietur Dominus, & præliabitur contra gentes illas*] Has. Sæpe enim feliciter erupere obsessi, ut tradunt dicti jam scriptores; idque non parùm profecit ad pacem. ¶ *Sicut præliatus est in die certaminis*] Id est, ad mare Rubrum, cùm Pharaonem ejúsque copias prostravit.

4. *Et stabunt pedes ejus*] Bacchidæ, qui gentibus illis præerit. Ità sæpe ex sensu subauditur persona. ¶ *In die illa super montem Olivarum*] Qui commodus ponendis castris. ¶ *Et scindetur mons Olivarum ex media parte sui ad Orientem & ad Occidentem, prærupto grandi valde*] In Hebræo, *grandi admodùm convalle*: id est, Multa humus egeretur, ità ut hiet mons magnâ sui parte. ¶ *Et separabitur medium montis ad Aquilonem, & medium ejus ad Meridiem*] Id est, ità humus egesta de monte feretur partim ad oppugnanda Aquilonaria, partim ad oppugnanda Australia Templi.

5. *Et fugietis ad vallem montium eorum, quoniam conjungetur vallis montium usque ad proximum*] Chaldæus אצל, quod hic *proximum* vertitur, sumsit pro nomine proprio: nec minùs Græci. Iidem Græci & Chaldæus hoc loco, Græci etiam in verbis sequentibus, ונסתם non sumunt in secunda plurali à נס [*fugit*,] sed in tertia singulari à סתם [*obstruere*:] vertunt enim, καὶ ἐμφραχθήσεται ἡ κοιλὰς τῶν ὀρέων μου, καὶ συνάψεται ἡ φάραγξ τῶν ὀρέων ἕως Ἀσαήλ [*& obstruetur vallis montium meorum, & aspicietur vallis montium adusque Asaël.*] Nomen proprium *Azel* posuere & Symmachus & Theodotion. Putant quidam Latinum Interpretem scripsisse *montium meorum*, quia in Hebræo est הרי; sed potest esse regimen pro absoluto. Qualem permutationem & alibi notavimus, maximè in his Scriptoribus, qui non rarò Συριάζουσι [*Syros imitantur.*] Sensus mihi videtur hic esse: *&* (post discessum hostium) *obstruetur vallis montium* (quia egesta humus ex uno monte Oliveti velut duos fecerat,) *ità ut vallis illa montium adæquetur ad altitudinem*, nempe montis. אצל *altitudo* etiam Ezechieli 41. 8. ¶ *Et fugietis sicut fugistis*] *Obstruetur*, inquam *sicut obstructa fuit*, nempe vallis olim eodem loco facta. ¶ *A facie terræ motûs*] Id est, propter terræ motum, qui in eodem monte hiatum fecerat. ¶ *In diebus Oziæ Regis Juda*] Cujus terræ motûs meminit Amos 1. 1, ubi dicta vide. adde Esaïam 1 6. Hæc παρενθετικῶς [*sensu interjecto*] dicta sunt, quia vallis ab hoste factæ inciderat mentio, nè quis eam in perpetuum mansuram putaret. ¶ *Et veniet Dominus Deus meus, omnésque sancti cum eo*] Nempe ad opem ferendam Templo, & obsessis in Templo. *Sancti* sunt Angeli, Danielis 8. 13. ¶ *Et erit in die illa*] In tempore illo obsidionis: nam Hebræi tempus *diem* vocant. ¶ *Non erit lux, sed frigus & gelu*] Non erit gaudium, sed tremor & horror.

7. *Et erit dies una quæ nota est Domino, neque dies, neque nox*] *Tempus* illud *quod à Domino notum*, id est, præfinitum est (sic προέγνω [*præscivit*] sæpe etiam in Novo Testamento sumitur,) *neque* lætitiam *diei* habebit, *neque noctis* quietem. ¶ *Et in tempore vesperi erit lux*] Cùm minimè sperabitur, adveniet liberatio, pace factâ.

8. *Et erit in die illa*] Post illa calamitosa tempora. ¶ *Exibunt aquæ vivæ de Jerusalem*] Aquæductus fient egregii, ut in alta pace. Idem est quod dicitur Ezechiel. 47. & Joël. 3. 18. ubi dicta vide. ¶ *Ad mare Orientale*] Asphaltiten. ¶ *Ad mare novissimum*] Sic dicitur mare Syriacum, Deuteron. 11. 24. & 34. 2. quia Occidens Hebræis *pars posterior* appellatur. ¶ *In æstate & in hieme erunt*] Erunt perennes aquæ; non ut torrentium, quæ æstate deficiunt.

9. *Et erit Dominus Rex super omnem terram*] Judæi ab externis imperiis liberi Deum suo arbitratu colent. Id eò evênit, quia Reges vicini inter se infensi studiis ac beneficiis in Judæos certabant. Quæ historia est apud Josephum 13. 4. & 5. ¶ *In die illa erit Dominus unus, & nomen ejus unum*] Unus Deus coletur, & jurando advocabitur.

10. *Et revertetur omnis terra usque ad desertum*] In Hebræo: *Circumdabitur terra*, id est, circumquaque habitabitur, *usque ad desertum*, id est, etiam in locis non habitatis antehac; nempe affluentibus ad res prosperas ex omni orbe Judæis. ¶ *De colle Remmon*] In Hebræo, *à Gaba ad Remmon*. Sic & Græci & Chaldæus. Gaba est in fine Judææ ad Septentrionem, oppidum Benjaminis, 1 Samuelis 13. 2. ¶ *Ad Austrum Jerusalem*] Id est, Quæ *Rimmon* est *ad Austrum* Judæis, ut apparet Jos. 15. 32. & 19. 7. ¶ *Et exaltabitur*] Supple, *Jerusalem*, turribus & mœniis. ¶ *Et habitabit in loco suo*] *Habitabitur* ubi olim. ¶ *A porta Benjamin*] Quà itur in agrum Benjaminis, Jerem. 37. 13. Hæc erat Urbi ad Septentrionem. Eadem *porta Ephraim* 2 Paralipomen. 25. 23. ¶ *Usque ad locum portæ prioris*] In Hebræo: *prima*, id est, *veteris*, Nehemiæ 3. 6. ea erat ad Occasum. ¶ *Et usque ad portam Angulorum*] 2 Paralip. 25. 23. *Porta angulorum* dicitur ob turres ibi factas. Vide Soph. 1. 16. & 3. 6. & ibi dicta. Ea porta erat ad Ortum. ¶ *Et à turre Hananeel*] Quæ erat ad Meridiem, Nehemiæ 3. 1. Chaldæus turrem Pekos vocat, mutato per ætatem nomine. Confer locum similem Jeremiæ 31. 38. ¶ *Usque ad torcularia Regis*] Ubi vineta Regum fuerant. Vide Cant. 8. 11. Ibi quoque habitabitur. Is locus erat in urbe intima apud Sionem.

11. *Et habitabunt in ea*] Tutò, post pacem cum Bacchide & Regum sequentium fœdera. ¶ *Et anathema non erit amplius*] חרם, id est, ut Chaldæus vertit, *occisio non erit amplius*. Sic verbum חרם sumitur Josue 11. 11. ¶ *Sed sedebit Jerusalem secura*] *Sedebit Jerusalem cum fiducia.*

12. *Et hæc erit plaga quâ percutiet Dominus omnes gentes quæ pugnaverunt adversus Jerusalem: Tabescet caro uniuscujusque stantis super pedes suos, & oculi ejus contabescent in foraminibus suis & lingua eorum contabescet in ore suo*] Id est, fame peribunt Macedones qui erunt in arce Hierosolymitana: 1 Maccab. 13. 49. Ovidius Metamorphoseos 8 Famem paribus notis depingit.

> ——— *cava lumina, pallor in ore,*
> *Labra incana situ, scabri rubigine dentes,*
> *Dura cutis, per quam spectari viscera possent.*
> *Ossa sub incurvis exstabant arida lumbis.*
> *Ventris erat pro ventre locus: pendêre putares*
> *Pectus, & à spina tantummodo crate teneri.*

13. *In die illa erit tumultus Domini magnus in eis*] Deus vehementer illos populi sui hostes perturbabit; & meritò: quod explicant sequentia. ¶ *Et apprehendet vir manum proximi sui, & conseretur manus ejus super manum proximi*] Sensus est, Incerta erunt eo tempore fœdera. nam qui manum alteri adjungit, is per eam *manum* (id est, societatem) exscindetur, *Manum complodere* est signum societatis, Proverb. 6. 1. Est autem עלה hoc loco *evelletur*; quomodo vertit Chaldæus: & quod sequitur על est *per*. Nihil potuit de isto tempore congruentius dici, quo omnia plena perfidiæ. Vide Josephum 12. 16.

14. *Sed & Judas pugnabit adversus Jerusalem*] Quod suprà dictum fuerat de temporibus Antiochi 12. 2. idem hic tempora proxima Antiocho describens repetit. Vertes autem rectè *bellabit*, ut intelligas quanta futura sit perfidia. Multi ex Judæ tribu, ut olim Antiocho, ità tunc Bacchidæ aderunt. ¶ *Et congregabuntur divitiæ omnium gentium in circuitu, aurum & argentum, & vestes multæ satis*] Multæ erunt divitiæ in castris Nicanoris, Joseph. 12. 17. 2 Maccabæorum 8. 30.

15. *Et sic erit ruina equi, & muli, & cameli, & asini, & omnium*

omnium jumentorum quæ fuerint in castris illis, sicut ruina hæc] מגפה, quod hîc *ruinam* vertit, *plagam* significat. Dicit cladem non minorem fore animantium aliorum quàm hominum, nempe ob causas jam explicatas.

16. *Ascendent ab anno in annum ut adorent Regem Dominum exercituum, & celebrent festivitatem Tabernaculorum*] Id est, multi ex gentibus, conspectis tantis Dei beneficiis in populum Judaïcum, fient Proselyti: & cùm longiùs positi, annuos dies festos celebrare non possint, ut Judæi, certè semel anno, Autumni tempore, quod ad itinera commodissimum, venient ad celebrandam memoriam ducti per loca deserta populi, nutritique miris modis per annos XL. quod tempus pignus quoddam & figura fuit omnium beneficiorum, quæ postea secuta sunt.

17. *Et erit qui non adscenderit de familiis terræ*] Id est, de Judæis qui in illis locis erant unde Hierosolyma semel anno veniri sine nimio incommodo posset; putà qui erant in Syria, Cilicia, Cypro, Creta, Arabia. ¶ *Non erit super eos imber*] Quod per comparationem dicitur Oseæ 6. 3. id hîc per μεταφορὰν [*Translationem*,] quæ curtata Comparatio est, demonstratur. Nam per *imbrem* intelligitur Divinus favor: quia & imber vocari solet εὐλογία [*benedictio*.]

18. *Quòd & si familia Ægypti non ascenderit*] Repete ex superiore, *familia terræ*, nempe Judææ, *quæ in Ægypto*. Intelligit eos qui cum Onia in Ægyptum iverant, & ibi sibi templum fecerant: de quibus Josephus Antiquæ Historiæ 13. 6. & Belli Judaïci 7. 37. ¶ *Nec super eos erit*] Nempe *Dei favor*, ἀπὸ κοινοῦ [*ex eo quod in commune dictum erat*.] verè, ut ex dictis Josephi locis cognosci datur. Et præviderant id Ægypti Rex Ptolemæus & Regina Cleopatra, qui siquid in hujus templi exædificatione esset contra Dei legem, Deóve ingratum, id non in se, sed in Oniam ejúsque socios vertere voluerant. Id ex Epistola apparet quam adfert Josephus. Demetrius in Edicto constituit, Ἵνα μηδὲ εἷς Ἰουδαῖος ἄλλο ἔχῃ ἱερὸν προσκυνεῖν ἢ μόνον τὸ ἐν Ἱεροσολύμοις [*Ne quis Judæus precandi causâ aliud Templum accederet quàm Hierosolymis*.] *Sed erit ruina*] ¶ *Plaga*, ut suprà 15. est enim idem nomen in Hebræo. ¶ *Quia percutiet Dominus omnes gentes*] Intellige Judæos in gentibus dispersos. Sic & Tribus vocari nomine *gentium* aut *populorum* ostendimus jam aliquoties.

19. *Hoc erit peccatum Ægypti*] Judæorum in Ægypto. ¶ *Et hoc peccatum omnium gentium*] Judæorum dispersorum. ¶ *Quæ non adscenderint ad celebrandam festivitatem Tabernaculorum*] Saltem hanc, si alias celebrare non possint. Et intellige cum cautione quam suprà addidimus 16.

20. *In die illa erit quod super frænum equi est sanctum Domino*]. Vox Hebræa מצלות significat *tintinnabula*, quæ equis appenduntur. Et על est *cum*: id est, quod cohæret equi tintinnabulis Deo sacrabitur, cinctus nempe equorum, qui solebat esse ex materia pretiosa, & ornatus gemmis. Vide Claudiani Epigrammata de cinctu tali. Hæc qui domum redibunt donaturos Templo dicit. ¶ *Et erunt lebetes in domo Domini quasi phialæ coram altari*] Ingens erat phialarum numerus, tum ad offerendam similam & oleum, de quo usu diximus suprà 9. 15. tum ad fundendum sanguinem victimarum circa altare, & ad vinum suffitúsque: *lebetes* multo pauciores. Nunc tantam dicit fore copiam victimarum, ut quot olim *phialæ* fuere tot futuri sint *lebetes*. Verum est: nam & Reges & Principes Orientis ferè omnes liberalitate in Templum certarunt. Antiochus magnus solus XX mille nummos argenteos misit in usum victimarum Templi, olei, & thuris, teste Josepho 12. 3. Demetrius parium nummûm ad victimas CL millia annua, Josephus 13. 5.

21. *Et erit omnis lebes in Jerusalem & in Juda sanctificatus Domino exercituum, & venient omnes immolantes, & sument ex eis, & coquent in eis*] Hic bis deest *quasi*. Sensus enim est, *quasi sanctificatus*, & *quasi immolantes*: nimirum quia tanta futura erat advenarum liberalitas, ut præter victimas alia edulia apud se cocta missuri essent ad Sacerdotes & Levitas. ¶ *Et non erit mercator ultrà in domo Domini*] Nempe qui vendant Sacerdotibus lebetes, phialas, vinum, oleum, thus, & similia. Omnia enim ista, inquit, ab advenis dono dabuntur plusquam satis.

ANNOTATA
AD
MALACHIAM.

CAP. I.

MUNSTERUS.

MAlachæus Propheta apud Hebræos *Angeli* ſortitus vocabulum, putatur à quibuſdam fuiſſe Angelus & non Homo. Rabini autem Hebræorum communiter ſentiunt illum fuiſſe Ezram Scribam. Unde Jonathan Chaldæus principium hujus Prophetiæ ſic vertit, *Onus verbi Domini ſuper Iſrael in manu Malachi, cujus nomen vocatur Ezra Scriba.* Sive autem fuerit Ezra ſive alia perſona parùm refert, cùm libri ejus autoritas nullâ laboret ſuſpicione, ſed ab Euangeliſtis in rebus magnificis in teſtimonium veritatis citetur. Oſtendit autem quàm inutiles fuerint Sacerdotes Legales, ducitque nos ad unicum illum & verum atque Deo gratiſſimum Sacerdotem Chriſtum, cujus Sacerdotium manet in æternum.

3. *Eſau odio habui*] Hoc dicit Deus ut oſtendat ſe longè majora beneficia exhibuiſſe populo Iſrael quàm Ædomitis aut aliis gentibus; & tamen illi ingrati tam pientiſſimum Patrem & beneficum Dominum non agnoverunt.

7. *Panem pollutum*] Quis ſit ille *panis pollutus* oſtendit cùm ſubdit, *Offertis cæcum, claudum, & infirmum*, quod nullus dominus terrenus dignaretur acceptare.

9. *Nunc igitur deprecamini*] Ironica eſt locutio ſecundùm aliquos; q. d. *Vos Sacerdotes, eſtis in culpa quòd tot mala nos inveniunt, & quid igitur valet oratio veſtra pro nobis ſi pœnitentiam non egeritis?* Patet hinc quòd Sacerdotes mox poſt Templi erectionem in damnatam illam ceciderint avaritiam quam Chriſtus quoque tantopere in ſuo tempore redarguit.

11. *In omni loco incenſum offertur nomini meo*] Patet hinc, ceremonias Legis tempore Chriſti abolendas fuiſſe, & quòd omnes fideles per totum mundum *puram* orationis *hoſtiam* Deo erant ſacrificaturi, quæ per מקטר hic ſignificatur: juxta illud Davidicum, תכון תפלתי קטרת לפניך, i. *Adaptetur oratio mea velut incenſum ante conſpectum tuum.* Errant igitur hic Jehudæi qui ſic hanc torquent literam, *Si præcepiſſem Gentibus, ſicut vobis præcepi, obtuliſſent nomini meo incenſum.* Errant & Chriſtiani illi qui hic ſtatuere conantur ſacrificium Miſſæ. Nec ſuffragatur eis dictio מנחה, quæ in Lege *farinaceam* ſignificabat *oblationem*, cùm eadem dictio Pſal. 141. capiatur pro *oratione veſpertina.* Poteſt quoque eſſe ut Gentes ſint *oblatio* illa *munda*, quæ fide Chriſti ſuſceptâ in populum Dei ſunt cooptatæ, dimiſſis immundis Jehudæis: unde dicit, *Magnum eſt nomen meum in omnibus Gentibus.*

12. *Verbum eſt*] Relativum Vau hîc ad *Sacerdotem* referendum Hebræi dicunt, qui ſcilicet dicebat, *Contemptibilis eſt cibus ejus.* Alii ſic legunt, *& proventus ejus*, nempe cibus ejus, *vilis.*

13. *Ecce fatigatio*] Querela eſt Iſraelitarum, quibus faſtidioſum erat adducere hoſtias pro honore Divino. Malè hîc legunt qui מתלאה ſic vertunt, *de fatigatione*, cùm Mem non ſit præpoſitio. Sunt etiam qui מתתם exponunt pro הראיבו, ut ſit ſenſus, *mœrore afficitis eos qui ſacrificaturi adveniunt.*

VATABLUS.

1. PRophetia verbi Jehovæ* משא דבר יהוה) A quibuſdam vocatur *Onus*, i. Prophetia oneroſa. Hebræi tamen dicunt ſignificare quamcunque *Prophetiam.* Propriè enim ſignificat *aſſumptionem.* Unde *aſſumere* pro *loqui*. Job. 27. 1. & 29. 1. *Et addidit Job aſſumere parabolam ſuam*, i. locutus eſt. Lxx Interpretes verterunt *Aſſumptio.* Verbum נשא ſign. *portare* & *accipere.* Vide Zach. 12. 1. *Prophetia* igitur *verbi Jehovæ ad Iſrael*, i. Prophetia quam dixit Jehovah ad Iſraelem. Hic *Iſrael* pro Duabus tribubus accipitur, Juda & Benjamin; aut certè pro toto Iſraele è captivitate Babylonica reverſo, quòd ex omnibus tribubus junxiſſent ſe illis. ¶ *In manu Malachi* ביד מלאכי] Hebraiſmus, *per Malachiam.* Tempore ſecundi Templi ſcripta eſt iſta Prophetia, quo tempore prophetavit Aggæus & Zacharias. Et à tempore Malachiæ nullus fuit Propheta, ut ait quidam ex doctis Hebræorum.

2. *Et dixiſtis* ואמרתם] Ad verb. *Et dicetis*, i. Quòd ſi dicatis. Alii, *Sed dicetis.* ¶ *Nónne*, &c. הלא אח וגו'] Reſpondet Dominus. Ordo autem turbatus eſt apud Hebræos; pro, *Nónne Eſau* erat, vel, fuit, *frater ipſius Jaacob?* Non meminit beneficii reductionis è captivitate; ſed longiùs repetit beneficia collocata in majores, ut oſtendat ſummam ingratitudinem. In eo enim, inquit, eos dilexi, quòd cùm Jacob & Eſau fratres fuerint uterini, dilexerim ipſum Jacob, à quo ipſi deſcenderunt; & ipſum elegerim, non autem Eſau.

3. *Montes ejus ſolitudinem* הריו שממה] *Montes ejus* in *vaſtitatem. Montes* vocat montem Seir, qui patria erat Eſau. Dicit autem *montes* pluraliter quòd illa patria eſſet montoſa: q. d. *Reddidi regionem ejus montoſam deſolatam operâ Nabuchodonoſor, & ità feci locum aptum draconibus, qui ſolent habitare in diſertis.* ¶ *Et hereditatem ejus*, &c. ואת נחלתו לתנות וגו'] *Et hereditatem ejus in dracones deſerti*, i. Poſui dracones deſerti in poſſeſſione ejus.

4. *Si dixerit* כי תאמר] *Quando dixerit*: vel, *Cùm. Edom* vocat Idumæam. ¶ *Pauperes effecti ſumus* רששנו] *Attenuati ſumus*, i. ad extremam paupertatem redacti ſumus. ¶ *Deſolata* חרבות] *Deſolationes*, i. urbes everſas à Nabuchodonoſor. ¶ *Vocabuntque* וקראו] Sub. *poſteri*: i. Poſteri vocabunt patriam eorum, patriam cujus populus impius fuit, atque ob id deſolata eſt patria. ¶ *Eos* להם] i. Regionem eorum.

5. *Videbunt* תראינה] Sub. *quæ dicta ſunt de deſolatione Idumæorum.* ¶ *Super terminum* מעל לגבול] *A termino.*

6. *Honorat* יכבד] Fut. Heb. pro præſ. i. *honorari tenetur*, vel, *naturâ honorare ſolet.* ¶. *Honor mei* כבודי] i. Mihi exhibitus, vel quo me proſequi debetis. ¶ *O Sacerdotes* הכהנים] Hucuſque allocutus eſt Iſraelitas Dominus generaliter: nunc Sacerdotes ſpecialiter.. ¶ *Et dixiſtis* ואמרתם] *Et dicetis*: vel, *Sed dicetis* ut verſ. 2.

7. *Panem* לחם] Significat etiam interdum *carnem.* Hic accipi videtur pro *ſacrificio* ſive *oblatione*, quòd meminerit *altaris. Panis* enim imponebatur menſæ, non altari. Chald. *ſacrificium.* ¶ *Et dicitis* ואמרתם] Ad verb. *Et dicetis.* Quod per præſens vertit noſter Interpres. ¶ *Menſa* שלחן] i. Eſca, caro nempe & ſanguis; q. d. Quia vos exſtimatis cibum mihi oblatum eſſe vilem, tametſi à me præceptum: atque ità peccatis mente & cogitatione, poſtea & opere. ¶ *Deſpecta eſt* נבזה] *Spreta eſt*: *vilis*, vel *contemptibilis.*

8. *Offertis* תגישון] Fut. Heb. pro præſ. ¶ *Nónne eſt malum?* אין רע] Sub. *ſic eſt, & tamen non eſt malum in oculis veſtris.* Si abſolutè legas, ſubaudiendum erit verbum *dicitis*, hoc modo, *dicitis non eſſe malam.* ¶ *Aut languidum* וחלה] i. *Oblationem cæcam, claudam & languidam.* ¶ *Nunc* נא] *Agè*: vel, *obſecro.* ¶ *Numquid complacebit ſibi*, &c. הירצך וגו'] Ad verb. *numquid volet te*, aut *ſuſcipiet faciem tuam?* Hebraiſmus, Numquid benevolentiâ complectetur te, & grato atque hilari animo ſuſcipiet munus tuum? Exponit Hebraiſmum qui continuò ſequitur.

9. *Et miſerebitur noſtri* ויחננו] Id dixit modeſtiæ gratiâ, quòd annumeret ſe inter peccatores. ¶ *De manu veſtra* מידכם] i. Propter opera manuum veſtrarum profecta eſt hæc maledictio, quæ dicetur in ſequentibus. ¶ *Numquid ſuſcipiet*, &c. הישא מכם פנים] Hebraiſmus, pro, *an facies veſtras ſuſcipiet*, h. e. an grati illi eritis, cùm veneritis in conſpectum ejus ut

offe

offeratis munera? Quod proxime præcessit, exponit istud.

10. *Qui claudat* ויסגר] Ad verb. *&* *claudat.* Redundat *&*. ¶ *Et non incendatis* ולא תאירו] q.d. *Nisi resipueritis, nihil est quòd offeratis munera, ut non incendatis,* &c. i. Quis etiam est inter vos, Sacerdotes, cui curæ sint sacrificia mea, & claudat ostia Templi, nè illic offerantur sacrificia Lege prohibita ¶ *Frustrà* חנם] Quidam vertunt *gratis*, & præcedenti verbo jungunt, *claudat ostia gratis?* ¶ *Non est mihi voluntas in vobis* אין לי חפץ בכם] Hebraismus, *non estis mihi grati.* ¶ *Non volam* לא ארצה] *Non lubens accipiam.* Videtur hæc particula versùs causa esse alterius præcedentis particulæ, *Non estis mihi grati, quia sacrificium quod offertis, mihi gratum non est.*

11. *Incensum offertur* מקטר מגש] *Suffitus offertur.* Alii, *suffumigatur & offertur.*

12. *Pollutis* מחללים] *Violatis; contaminatis.* ¶ *Et verbum ejus,* &c. וניבו נבזה] Ad verb. *& fructum* [i. sermo] *ejus, vilis panis ejus,* h.e. *sermo eorum* [sub. *Sacerdotum:* sing. pro plur. vel *ejus* pro *uniuscujusque vestrûm*] *est, quòd cibus altaris,* vel *Dei, est contemptibilis:* q.d. *Quisque vestrûm dicit, Adeps qui offertur Domino, item caro & sanguis, sunt res vilis.* Alii volunt hunc sensum, *Etiam quod contemptibile est, inquit Sacerdos, potest Deo offerri.*

13. *Dixistis autem* ואמרתם] *Dicitis præterea:* ut sit præt. pro præs. & sub. *quisque ad proximum suum.* Rursum carpit vulgus non Sacerdotes. ¶ *Labor* מתלאה] *Fatigatio est*, i. id fuit mihi labori cùm afferrem: vel, quam fessus sum quòd attulerim agnum istum tam pinguem? Alii, *de labore:* h.e. & ità מ erit præpositio cum Pathah pro Hirec. Illud est quod labore meo mihi paravi. ¶ *Et projecistis* והפחתם אותו] Præt. Heb. pro præs. *& dejicitis*, vel *excutitis*, sub. *in terram illud quod affertis*, per contemptum scilicet, Deum & ejus sacrificia contemnendo. Alii, *& contristastis*, vel *dolore affecistis illum*, nempe dominum agni, cui illum rapuistis: nam sequitur, *Et intulistis raptum.* Alii, *& exsufflastis illud:* q.d. Præ se ferunt lassitudinem præ onere tam pinguis victimæ quam attulerint, cùm tamen præ macie possint illam flatu solo dejicere in terram ¶ *Intulistis item* והבאתם] *Attulistis* [vel *affertis*] *præterea.* ¶ *Acceptabône* הארצה] *Num libenter excipiam.*

14. *Masculus* זכר] Integer, immaculatus, & absque ullo vitio: nam mox *corruptum* opponit.

CASTALIO.

8. NON *est malum*] Negatis esse malum.

13. *Dicitisque, Vah, quàm onerosum est? cùm id vel difflare possitis*] Quàm pinguem victimam affero? cùm ità macilentas afferatis ut eas difflare possitis.

CLARIUS.

MAlachias Propheta apud Hebræos *Angeli* fortitus vocabulum putatur à quibusdam fuisse Angelus & non Homo. Plurimi putant fuisse Ezram Scribam. Sed non refert quis fuit, cùm constet hunc ab Euangelistis in rebus magnificis in testimonium veritatis citari. Ostendit autem quam inutiles fuerint Sacerdotes Legales, ducitque nos ad unicum illum & verum atque Deo gratissimum Sacerdotem Christum, cujus Sacerdotium manet in æternum.

2. *Nónne frater erat*] Etiam major natu. Hæc autem dicit Deus ut ostendat se longè majora beneficia exhibuisse populo Israel quàm Idumæis aut aliis gentibus, & tamen illi ingrati tam pium Patrem & beneficum Dominum non agnoverunt.

3. *In dracones deserti*] h.e. Inhabitabilem.

7. *Panem pollutum*] Quis sit ille *panis pollutus* ostendit cùm subdit, *Offertis cæcum, claudum & infirmum*, &c. ¶ *Mensa Domini despecta est*] q.d. Ideo *panis* fit *pollutus* quia vos judicatis *mensam Domini* rem ridiculam, & *contemnitis* eam.

8. *Si offeratis cæcum*] h.e. Si offeratis aliquod caprum oculis corporis, aut pedibus parùm validis, omnium vestrûm judicio mala & ingrata erit oblatio, non Deo solum, sed & Principi cuivis: Nónne ergò multò ingrata erit magis, si animus offerentis impurus sit, etiam si pecus ipsum integris sit membris?

9. *De manu enim vestra*] h.e. Si quid patimini adversi, culpâ vestrâ accidit, id Deo jubente.

10. *Quis est in vobis*] Utinam quisquam vestrûm potiùs *claudenda* judicet *ostia* atrii mei, h.e. utinam potiùs abstineatis in universum à mactatione hujusmodi pecorum, quàm eo maëctis animo quo nunc mactatis.

11. *In omni loco sacrificatur*] Patet hinc, ceremonias Legis tempore Christi abolendas fuisse, & quòd omnes fideles per totum mundum, *puram* Orationis *hostiam* erant sacrificaturi.

12. *Et quod superponitur*] Potest & sic verti, *Et sermo ejus est, contemptibilis est cibus ejus:* ut illud *sermo ejus* referatur ad *Sacerdotem*, qui diceret *cibum Domini contemptibilem.*

13. *Ecce fatigatio*] Contra populum hoc dictum volunt Judæi, cui molestum fuit adducere victimas ad atrium Domini, & se lassum portandis illis querebatur, atque ità indignabundus in terram projicere solebat.

14. *Horribile*] *Augustum, honorificum.*

DRUSIUS.

1. AD *Israelem*] Notatum est, post reditum populi è Babylone Duas tribus appellatas fuisse nomine *Israel.* Ità certè appellantur cùm hoc loco tum Ezræ 2. 20. & 7. 10. Sed sciendum ante Captivitatem hoc nomen tributum fuisse tribui Juda, ut Mich. 1. 14. Ex hac consuetudine Josaphat vocatur *Rex Israel* 2 Par. 21. 2. item Achaz 2 Par. 28. 19. Vide & 2 Par. 12. 6. Adito quoque ad Lectiones nostras in Michaiam. ¶ *Per Malachiam*] Ait Hier. Proœmio in Malachiam, *Malachi autem Ebræi Ezram existimant Sacerdotem:* & Præfat. in XII Prophetas, *Malachiam Ebræi Ezram Scribam Legisque Doctorem autumant.* Hoc ità esse testis D. K. inquiens, *Doctores nostri f. m. dixerunt Malachi Ezram esse.* Horum opinionem secutus est Jonathan, referens, *per Malachiam, qui nominatur Ezras Scriba.* Et Elias filius Aser in libro Masora. Verba sunt,

עלה עזרא הוא מלאכי
דומה אלי מלאך השרת
כהן ורב לסופרים אב
אם למקרא ולמסורת

Ascendit Ezras. Ipse est Malachi;
Par Angelo ministranti Deo,
Sacerdos, & Doctor, & Scribarum pater;
Mater Scripturæ juxtà ac Massoræ.

Sed dubito. Dubitandi causa duplex: una est, Quia è libris Canonicis non habet autoritatem; altera, Quia Ezras non *Propheta* sed *Scriba* passim vocatur. Aliud Scriba & aliud Propheta: Hic Divinam voluntatem populo prænunciabat, illius officium erant Legem interpretari: quocirca & *Legisperitus* dicebatur. Ævum tamen non repugnat. Nam prophetavit Malachias, ut credibile est, sub Dario Notho; aut aliquantò pòst, h.e. sub Artaxerxe cognomento *Memore:* Quo tempore Ezram vixisse certius est quàm ut probari debeat. Adhæc scriptum est in Seder Olam parvo, *Haggæus, Zacharias & Ezras, Prophetæ:* & mox, *Mortui sunt Haggæus, Zacharias & Malachi.* Vixit post exstructum Templum secundum. Id colligo ex ordine: nam sequitur Haggæum & Zachariam, qui vixerunt cùm jam Templum ædificaretur. Sed hoc argumentum minùs firmum est: Aliud ergò adferamus. Infrà v. 10. *Quis etiam inter vos claudat fores* atrii?

2. *Quòd si dixeritis*] Alii, *Et dixistis.* In fonte est ואמרתם. Vau convertit præt. in fut. Hoc primum. Deinde *&* pro *si* ponitur, vel potiùs subintelligitur hoc, ut sit, *Et si dixeritis.* Simile, *Ipsi ædificabunt:* nam sensus, *Si ædificaverint.* Vide notata ad h.l. v. 4. ¶ *Frater*] Uterinus & natu major. ¶ *Jacobo*] Vel *Jacobi.* Ordo & constructio, *Nónne Esau frater Jacobi?* Historia nota est. ¶ *Dilexi Jacobum*] Nam meâ curâ & providentiâ consecutus est benedictionem paternam quæ fratri debebatur. Adhæc obtinuit, me ità decernente, Jus primogeniti, cùm esset pòst natus. Sed & eum ejúsque posteros elegi ut essent mihi populus peculiaris; Quos etiam singulari favore semper prosecutus sum: Unde postea secuta est electio ad æternam vitam eorum qui ex illo populo ad hoc destinati erant; quæ est summa hominis felicitas, & omnium bonorum finis.

3. *Esau autem odio habui*] i. Non dilexi. Nam *odium Dei* aliud nihil est quàm Privatio boni ac favoris quo suos prosequitur. Aut *odio habui* revera. Nam ademi quæ jure primogenituræ ipsi debebantur; deinde rejeci eos nè essent mihi populus; postremò reddidi terram ipsorum æternùm desolatam. His adde, si placet, Reprobationem, quæ contraria Electioni, quam æternam vocant. Quanquam non omnes posteri Esau reprobati: Multi enim ex iis electi post hanc vitam obtinuerunt præmia justo-

justorum. ¶ *Posui*, &c.] Reddidi desolatos. ¶ *Montes ejus*] Regionem ejus montosam. Synecdoche. Hier. *montes ejus, qui appellantur Seir. Seir* montis nomen esse scio; an plures montes fuerint dubito. ¶ *Desolationem*] שממה. Alii, *in desolationem*, לשממה. Eodem recidit. ¶ *Possessionem ejus*] Regionem ab eo possessam. Idem aliis verbis. ¶ *In dracones deserti*] *In habitationem draconum deserti*: q. d. *Faciam regionem ejus desertam & à draconibus obtineri*. Utar verbis Hieronymi. Dicit autem *draconis deserti* differentiæ causâ. Nam sunt dracones marini. תנים enim Ebræi vocant omnes pisces majores: *cetos* reddunt. Aut *dracones deserti* dixit pro *desertum draconum*. Figura est quam vocant *Hypallagen*: Eâ qui utuntur dicunt, ut exempli causâ, *Viriditas herbæ* pro *herba viridis*, *Superbia viri* pro *vir superbus*; sic *Dracones deserti*, desertum in quo dracones degunt. Nam erat desertum in quo urbes & pascua. Alibi est *desertum desolationis*, eodem sensu. Nam Dracones versantur in locis vastis ac desolatis.

4. *Edom*] Non *Idumæa*, ut V. Int. habet, sed resp. Idumæorum. Nam *Edom* usurpatur & pro עדת אדום, quæ est *congregatio Idumæorum*. Hoc sensu rectè capies Abd. 1. *Sic dicit DOMINUS ad Edom*. Sequitur enim mox, *Agite, consurgamus adversùs eam*. ¶ *Depauperati sumus*] רששנו. Olim erat *destructi sumus*. Nomen est רש quo *pauperem* significant. Hinc רששנו *ad pauperiem redacti sumus*. Talium autem ædes & urbes destructæ sunt. Minùs ergò dicit, plus intelligit. Ex consequenti antecedens, ut loquuntur. ¶ *Revertemur & ædificabimus*] *Iterum ædificabimus*. Verbum pro adverbio. Ebr. *Et revertemur*. Putant copulam in otio cubare. Alii aliquid subaudiunt, ut Jonathan, qui transfert, *Jam dilati rursum ædificabimus vastata*. ¶ *Destructa*] *Loca* subaudi. חרבות *loca vasta & destructa, parietinæ, ædium & urbium ruinæ*. ¶ *Ipsi ædificaverint*] Abest *si*, ut sit, *Si ipsi ædificaverint*. Similis defectus in illo,

Graculus esuriens in cœlum, jusseris, ibit:

nam plenum est, *si jusseris*. ¶ *Vocabunt*] Qui *vocabunt*? Absque dubio homines illius ævi. Non malè reddes etiam *& vocabuntur*. ¶ *Eos*] Regionem eorum. Simile, *Ivit ad Pompeium*, pro *ad ædes Pompei*. ¶ *Terminum improbitatis*] Regionem improbam & scelestam. Vel *improbitatem* posuit pro *pœna improbitatis*. Sic *peccatum* ponitur. Sic *iniquitas*, pœna iniquitatis. Ità capies, *Ab improbo prodit improbitas*. Hoc tritum. Illud minùs; *Improbi* epitheton peculiariter tribuunt τῷ Esau: nam dicunt *Esau improbus*. Sed & Romanos, quos *Idumæos* appellant, sæpe hoc cognomine afficiunt. Hinc intelliges quid sit in eorum scriptis מלכות רשעה, i. *Regnum improbum*: nam ità vocant Imperium Romanum: fortean ex hoc loco. ¶ *Iratus est*] *Succenset, indignatur*. Alii, *quem detestatus est*. Psal. 7. 11. זעם Sym. ἐμβριμώμενος. 38. 3. מפני זעמך ἀπὸ προσώπου ἐμβριμήσεώς σου. Est autem ἐμβρίμησις vel ἐμβρίμημα (nam utrumque dicitur) τὸ μετ᾽ ὀργῆς λάλημα. Porrò autem *loqui* cùm de Deo usurpatur sæpe idem quod *facere*. ¶ *Usque in æternum*] Idem cum illo *in æternum*. Sic alibi, *Convertimini usque ad me*. Satis erat *ad me*. Et is sensus verborum quæ in Ebræo, עד pro אל. Hic mutat vocem cum ל. Est enim עד עולם pro לעולם. Intelligentes intelligunt.

5. *Oculi vestri videbunt*] Idem cum illo, *Videbitis oculis vestris*. Non est Pleonasmus. Non *videt* etiam qui intelligit; quod est *oculis animi videre*. Hic loquitur de oculis corporeis. *Videbunt*, excidium Idumææ. ¶ *Magnus est DOMINUS*] Vel, *Magnus sit*. Hâc formulâ utebantur cùm Deus singularem virtutem exseruisset vel liberandis bonis, vel puniendis & supplicio afficiendis malis. Legitur Psal. 35. 27. & 40. 16. & 70. 4. Huc refer ex Psal. 104. *Domine Deus mi magnus es valde: gloriam & decorem induisti*. ¶ *Supra terminum Israelis*] Olim *intra*, nunc *supra*, h. e. ultra, *terminum Israelis*. מעל לגבול verto *ultra terminum*. Hoc præter alios Interpretes. Quid faciam? res clamat ità vertendum esse. Vet. *super terminum*, על גבול. Trem. *ex termino*, מגבול. Verum ac certum est quod posui.

6. *Filius honorat patrem*] Ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον. Aut *honorat*, i. debet honorare. Tale est, *Non vidisses diem fratris tui*, non debuisses videre. ¶ *Et servus dominum suum*] Repete *honorat* ἀπὸ κοινοῦ ex præcedentibus. Quem *honorat*, eum etiam *veretur*: nam conjuncta hæc sunt. Ut una copula & custodiam & militem detinet, ità simul qui *honorat* dominum, *timet*. Ideo sequitur, *Si Dominus sum, ubi timor mei? Honor meus*] Qui mihi debetur. ¶ *Dominus*] אדנים. Sic אלהים de uno *Deo*. Honoris causâ ità loquuntur. ¶ *Timor mei*] Latinæ aures maluissent *reverentia mei*. Nam *timet* superstitiosus, *veretur* pius. Sed Interpretes hæc confundunt. ¶ *Vobis, ô Sacerdotes*] Oratio defecta. Plena erit si addas *hac dico*, aut aliquid tale. ¶ *Quod si dixeritis*.] Ità vertendum, non, ut V. Int. habet, *Et dixistis*. Nec melius est in aliis ed. *qui dicitis*. Vide quæ scripsimus ver. 2. ad locum, *Quod si dixeritis*. ¶ *In quo contempsimus nomen tuum?*] q. d. *Nulla in re, quod quidem sciamus, contempsimus nomen tuum*.

7. *Admovetis altari meo*] Ut, *admota altaribus victima*. Verbum est sacrorum. Id Ebraicè dicitur מגישים. Vulgò reddunt *Offertis*, מקריבים. Nonnulli etiam, *Affertis*, מביאים. ¶ *Panem pollutum*] *Hostiam impuram*, h. e. claudam aut cæcam aut morbidam. Ità exponendum esse hunc locum docent sequentia. Certè qui de *Panibus propositionis* capiunt, inde refelli possunt; tum etiam ex eo quòd panes illi non admoverentur altari. Cæterùm hostia vocatur *panis Dei* Levit. 3. 11. & 21. 8. Quanquam non tam *hostiam* designat quàm *oblationem* quamlibet. Itaque legimus Num. 28. 2. *oblationem meam, panem meum*: ac si diceretur, *quæ est mihi panis loco*. Notum ut *panem* Ebræi usurpent pro *esca* vel *cibo*. ¶ *Te*] h. e. *Altare tuum*. Sed est emphasis aliqua in hoc sermone. Nam qui sacra violat, *Deum* violat, qui ea instituit. Videtur autem ordo verborum perturbatior: nam sic potiùs dixisset, *Contemnitis me*. *Cur? Quia dicitis mensam meam despectam esse. Hoc dicitis quando admovetis victimam impuram & immolationi ineptam*. ¶ *Mensa Domini*] Altare. Ezec. 41. 22. *Hæc & mensa, quæ ante Dominum*. Vide item Ezec. 44. 16. ¶ *Despecta*] Habetis eam despectui, atque ideo hostias offertis absque delectu, quæ fortè ad manus venerint, etiamsi nec puræ nec idoneæ fuerint ad offerendum. Sed quid causæ esse dicemus cur *despicatui habuerint mensam DOMINI?* An sanguinem & adipem, quæ res viles sunt & contemptæ, cùm non perpenderent quare Deus ea adhiberi voluerit in sacris? Aut fortè altari, licèt exstructum jam esset Templum, nondum erat pristinus splendor, nondum ea ornamenta quæ olim fuerant; ut propterea in contemptum venirent apud Sacerdotes, qui *putabant deesse religionis sanctimoniam* (verba sunt Hieronymi) *quia deerat ædificationis ambitio*.

8. *Admovetis*] Altari. ¶ *Cæcum*] *Animal* aut *pecus* videlicet. Levit. 22. 22. *Si cæcum fuerit*, &c. *non offeretis eam DOMINO*. ¶ *Ad immolandum*] Ità V. Int. Alius mallet *ad mactandum*; alius, *ad sacrificandum*. ¶ *Non malum est?*] Pronunciatione juvandum, ut si diceret, *nónne malum est?* Sententia est, *Certè malum est*: & ideo malum quia illicitum: nam Deus vetuerat offerri. Qua de re admonendi fuissent à vobis, qui Sacerdotes estis, & Legem populo enarratis, sacrificantes. Sed potior lectio ac distinctio, me judice, *non est malum*, absque nota Interrogationis: quod referes ad præcedentia. Polluitis, inquit, me & altare meum, cùm dicitis offerenti hostiam illicitam, *Non est malum*. *Nam altare contemptum est; ac proinde talis hostia in eo sine crimine offerri potest*. ¶ *Claudum*] Vide Deut. 15. 21. ¶ *Ægrotum*] *Morbidum*. Vet. *languidum*. Hier. *variâ debilitate confectum*. *Hoc est enim*, inquit, *quod dicit* languidum, *uno cuncta sermone complectens*. ¶ *Jam*] נא *nunc*, aut *quæso*. ¶ *Duci tuo*] Cujusmodi erat Zorobabel, qui Hag. 1. 1. *Dux Juda*. Græcè apud Int. posteriores ἡγούμενος. Dignitas erat infra Regem. Hodie *Comites* hoc nomine afficiunt: & sic interpretatur Elias, nescio quo in loco. In Thesbi, credo. ¶ *An placebis ei*] An gratus & acceptus ei eris cum tuo munere? q. d. Minimè: quin respuet illud, & sibi putabit factam injuriam. Pro *Placebis ei* quidam legunt *placebit ei*: minùs rectè. Nam est pronomen secundæ personæ, ac referri debet ad offerentem, non autem ad munus quod offertur. ¶ *An suscipiet vultum tuum?*] *An acceptabit faciem tuam?* Vult dicere, *An rationem tui habiturus est si aliquid abs eo petieris? An in pretio te habebit ob datum munus? aut an ideo te honorabit grato animo accipiens oblatum?* In hac significatione acceperim Thren. 4. 16. *facies Sacerdotum non acceptarunt*. Vetus certè Int. explicat, *Non sunt reveriti Sacerdotes*. Similiter 2 Reg. 3. 14. *Nisi faciem Josaphati Regis ego susciperem*. Sensus est, *nisi eum honorarem*. Atque hinc, *Suscipere faciem in judicio*, quod est Habere rationem aut respectum personæ, eique favere non propter æquitatem causæ, sed quia ex. gr. vel dives, vel nobilis, vel pauper est, vel denique familiaris aut amicus.

9. *Nunc jam*] Ἐκ παραλλήλου. Sed malim, *nunc quæso*. נא enim & *quæso* significat: ut HOSANNA, *Serva, quæso*, vel *obsecro*, Σῶσον δή. ¶ *Deprecamini faciem Dei*] Nam vestrum est deprecari Deum pro populo: estis enim Sacerdotes. Non malè etiam legas *precamini*. Orate, inquit, Deum ut nostri misertus avertat mala quæ patimur. Alia expositio, *FA-*

CIEM

CIEM DEI, h. e. *Deum iratum*. *Facies* enim pro *ira* ponitur; ut ibi, *Facies Dei divisit eos*. Et bene ad hanc mentem est in V. ed. *deprecamini*. Nam *deprecamur* propriè mala, quæ à Deo irato. Id autem fiebat sacrificiis; sed & muneribus. Unde legimus, *Filia Tyri cum muneribus, deprecabuntur faciem tuam divites populi*. Locus est Psal. 45. 12. ¶ *Ut misereatur nostri*] Quidam legunt, *& miserebitur nostri*: non ex mente Scriptoris, ut videtur qui hoc potiùs dicit, Cùm preces ad Deum facietis, non suscipiet eas, nec exaudiet vos, quamdiu nomen ejus hoc modo polluetis. Loquitur ergò εἰρωνικῶς; cùm dicit *deprecamini*. Potuisset dicere *vestri*, sed maluit dicere *nostri*, nè se videretur eximere, licèt culpam hac quidem in re nullam haberet. Sic Moses locutus est Exod. 34. 9. *condonabis iniquitatem nostram*. *Nostram* dicit, quæ populi erat: nam ipse non peccaverat. Hunc loquendi modum concionatores imitari debent cùm populum reprehendunt, ut dicant *nos*, non *vos*, aut *illi*, cùm nemo sit immunis à crimine. ¶ *E manu vestra fuit hoc*] Quòd populus illicita sacrificat, ejus rei autores illi fuistis, cùm diceretis, *Non est malum*. Nam hæc verba Sacerdotum erunt ad populum, cùm hostiam immolarent Lege prohibitam, ac proinde impuram. ¶ *Ex vobis*] *Cujusquam ex vobis*: q. d. *Nullius vestrûm preces suscipiet; etiamsi Sacerdotes sitis*. Nam non est acceptio personarum apud Deum.

10. *Quis inter vos qui claudat fores? Atrii* videlicet. Videtur hoc velle, Utinam aliquis vestrûm pio zelo accensus fores Templi clauderet, & hujusmodi hostias illegitimas excluderet. Satius enim non sacrificare omnino quam talibus victimis facere. Similis locutio Hag. 2. 3. *Quis inter vos qui viderit domum istam in gloria sua priore?* Sensus est, *Utinam aliquis esset qui eam vidisset*. ¶ *Incenderetis altare meum*] *Incensum faceretis in altari meo*. יאר *illumino*, item *incendo*, *accendo*. Hoc significatu sumitur Num 8. 2. & Jes. 27. 12. ¶ *Gratis*] *Frustrà*. Nam oleum & operam perdit qui hoc modo sacrificat. Sacra ex Dei præscripto peragenda sunt. Nam litat qui nec licita immolat. ¶ *Delectatio*] *Voluntas* erat in olim editis. Sic alibi, *Non Deus volens iniquitatem tu es*. Sensus est, *qui delecteris iniquitate*. Nam si nollet simpliciter, non fieret iniquitas. Deus enim omnia quæ vult facit. ¶ *Acceptum habebo*] Placebit mihi, libens suscipiam. ¶ *E manu vestra*] A vobis oblatum.

11. *Ab ortu Solis ad occasum*] Per totum orbem habitabilem. Similis locutio Psal. 113. 3. quod notatum & ab aliis. ¶ *In Gentibus*] *Gentes* vocat qui Judæi non erant, cùm Christiani essent oriundi à Gentibus. Nam est illustre Vaticinium de Imperii Christiani per Euangelium ubique terrarum propagatione. ¶ *Suffietur*] *Suffimentum incendetur*. Ubique, inquit, suffitus fiet aromatum, & admovebuntur aris victimæ puræ, & *munus* vel *sacrificium mundum* Deo offeretur. Quibusdam placet ut מקטר sit nomen: itaque legunt *suffimentum admovebitur*. Sic Græcè θυμίαμα. Ità legendum; non, ut est apud Justinum, θυσία nam θυσία זבח dicitur. Jonathan hunc locum sic interpretatur, *Quo tempore cunque feceritis voluntatem meam, ego suscipiam preces vestras, atque ità nomen meum magnum sanctificabitur per vos, & preces vestræ ut oblatio munda erunt coram me*. ¶ *Munus*] *Fertum ex simila*. *Sacrificium* vocant alii, & alii *libamentum* Quod autem ait *etiam munus purum*, subest his verbis hæc sententia, *Non solùm nomini meo immolabuntur hostiæ puræ, sed etiam munus offeretur ex farina mundissima*, sine fermento, oleo, &c. nisi verior interpretatio, *suffimentum admovebitur & sacrificium purum*.

12. *Profanatis*] מחללים bis reperitur. In altero loco sign. *tibia canentes*: nam חליל *tibia*. Hoc indicatur in Masora parva per hæc verba, *Duo sunt in significatione diversa*. ¶ *Illud*] *Nomen meum*. ¶ *In eo quod dicitis*] Vel, *cùm dicitis*. ¶ *Et proventus contemptibilis est, nempe cibus ejus*] *Proventus ejus, qui est cibus ejus*. Utrùm *Dei*, an *altaris*? *Cibus DOMINI*, ut *panis DOMINI*. Id generale est ad omnem oblationem. *Proventus* autem *altaris*, quia indè vivebant Sacerdotes ministri altaris. Vel *proventus Dei*, ut *cibus Dei*. V. ed. *id quod superponitur contemptibile est cum igne qui illud devorat*. Sententiam expressit. Nam *proventus ejus*, sub. *altaris*, h. e. id quod imponitur altari. Sunt autem holocausta & victimæ; item ferta ex simila. *Cum igne qui illud devorat*, עם אש אכלו. Sed nomen *ignis* abest in fonte. Præterea אכלו ibi scriptum, non אכלו. Fortè Hier. aliter legit. Lxx τὰ ἐπιτιθέμενα ἐξουδενωμένα βρώματα αὐτοῦ, i. *imposita esca*. Minùs longè recedunt à veritate Ebraica. Sic voco lectionem usu receptam. ניב *proventus*: item *sermo*; ut ibi, ניב שפתים *proventus labiorum*. Hoc significatu accipiunt qui legunt *sermo ejus*, i. cujuslibet eorum, *est contemptibilem esse cibum ejus*.

Potest etiam legi, *ideo proventus ejus*. Nam quia *mensa Domini polluta*, ideo sacrificium quod in ea fit pro vili & despectui habendum.

13. *Fatigatio*] Vel *lassitudo*, h. e. pecus pingue & obesum, ac proinde onerosum, unde lassitudo portantibus; si modò מתלאה est *lassitudo*, ut D. K. censet. Nam Jonathan prætulit *de lassitudine*, & noster V. *de labore*, & Lxx. ἐν κακοπαθείας. Sunt etiam qui legant *quantum fatigationis*, ut sit compositio vocis ex מה & תלאה. Sententia est. *Quàm pingue, quàm onerosum est hoc pecus quod affero! cùm tam macilentum sit ut difflare possis*. מה זה pro מה זה Exod. 4. 2. מלכם pro מה לכם vertunt *de lassitudine* aut *labore*, si non legerunt מהלאה, se tueri possunt exemplis duobus in quibus (.) loco Hirek sub Mem. Unum est Psal. 55. 22. מחמאת *supra butyrum*. Alterum legitur 1 Par. 15. 13. למבראשונה *à principio*. ¶ *Et difflatis illud*] Cùm illud difflare possitis præ macie. Vide num sensus sit, *Ecce de labore suo afferentem victimam difflatis*, h. e. contemnitis: aut, *de labore victimam deflatis*, i. respuitis cum fastu. *Deflare* sive *difflare* gestus est contemnentium & superbè aliquid à se repellentium. Psal. 10. 5. *Omnes adversarios suos difflat*, ii interprete Hier. *despicit eos*: quanquam hic יפיח in Ebræo. Suetonius, *Prolata Divorum Julii & Augusti diplomata, ut vetera & obsoleta deflabat*, h. e. flatu à se rejiciebat ac respuebat. Hanc interpretationem firmat, *nam affertis raptum*, &c. q. d. mavultis raptum & maculam habens Deo afferre quàm integrum ac labore acquisitum. Hier. admonet in Ebræo legi posse, *& exsufflastis me*, i. אתי. Hic est correctio Scribarum. Vide Biblia Veneta. ¶ *Adducitis*] Vel *affertis*. ¶ *Raptum*] Contrarium ejus quod labore quis acquisivit. Suprà vers. 8. erat *cæcum* pro eo. ¶ *Et adducitis munus*] *Affertis illa munus DOMINO*: aut *affertis præterea munus*, h. e. fertum è simila, quod μανα vocant.

14. *Maledictus*] *Exsecrandus*, *detestabilis*. ¶ *Machinator*] נכל *qui dolo malo utitur*, sive *qui fraudulenter agit*, aliud vultu & oratione præ se ferens, & aliud in pectore clausum tenens: *qui dolum in pectore struit*. Scholia Ebraica נכל *qui malum cogitat facitve alteri*. Vet. *dolosus*. ¶ *Masculum*] Incorruptum. Substantivum sine adjectivo. Quale est, *alba erunt sicut lana*. Sensus, *sicut lana alba*. ¶ *Et vovet*] *Vovet etiam quod corruptum est & maculam habet*. Sacrificii genus est quod נדבה vocant: id significat spontaneam sive ultroneam oblationem. In hac licitum erat immolare, quæ vovere non licebat. Vide, si placet, Levit. 22. 23. ¶ *Corruptum*] Maculum habens. ¶ *Rex magnus*] Hinc intelligentiam habet Ps. 48. 2. *civitas Regis magni*. Nam innuit Jerosolymam. *Regem* autem *magnum* vocat ipsum Deum. Alii Davidem significari putant: nam hoc epitheton tribuitur etiam Regibus, ut Persæ apud Herodotum, & Assyrio in historia Judith, & Jes. 36. 4. Sed prius verius. Sic Matth. 5. 35. *quia civitas est Regis magni*. De Deo etiam dicitur Tob. 13. 15. εὐλογείτω τὸν Θεὸν τὸν βασιλέα τὸν μέγαν. ¶ *Timendum in gentibus*] i. Reverendum: & *in gentibus*: quod meritò pudorem vobis incutere debet. Nam vos, cùm sitis populus meus, non reveremini me: At gentes hoc faciunt.

IDEM.

מלאכי. οἱ λοιποὶ, Μαλαχί. Hier. Procem. in Malachiam, *Exceptis Lxx, alii Interpretes nomen Malachi ità ut in Ebræo legitur transtulerunt*.

1. משא. A. Ἆρμα. † Sym. Th. Λῆμμα. *] † Hier. *Quid significet* onus, *i.* pondus, *quod Ebraicè* משא, *& ab Aq.* ἆρμα *dicitur*. Olim aliter: & non dubito quin legendum sit ἆρμα. Idem Procemio in Nahum, *MASSA Aq. transtulit* ἆρμα & in Habacuc, *MASSA Aq. vertit in* pondus. Vide Hier. Comment. in Jer. 23. 31. * Idem Hier. *quid* λῆμμα, *i.* assumptio, *quod Lxx & cæteri Interpretes transtulerunt, in aliis Prophetis diximus*.

7. מגאל. A. Sym. μεμολυσμένος] Citatur in ed. Rom. Sumptum autem ex Theodoreto, unde & nos olim descripsimus.

GROTIUS.

Nomen hoc in Hebræo sonat *Angelum*, addito Jod paragogico: & Lxx, qui ut commune id nomen sumsere, in principio libri vertunt, ἐν χειρὶ ἀγγέλου αὐτοῦ [*in manu Angeli ipsius*.] Atque isto nomine *Angeli* citare solent hunc Prophetam Clemens Alexandrinus, Græcique alii, interdum & Tertullianus. At Græci Interpretes, præter Lxx, nominarunt Ma-

Malachiam: atque ità Justinus & Latini ferme omnes. Hebræi quidam hunc scriptorem Esdram esse existimant, ac *Angelum* dici, quia infrà Sacerdos Domini [qualis Esdras fuit] vocetur *Angelus*. Sed Esdras & *Sacerdos* & *Scriba* appellatur, nusquam autem *Propheta*. Veriùs ergo *Malachiam* nomen proprium esse Prophetæ, qui σύγχρονος [*coævus*] Aggæi & Zachariæ, sed post eos à Deo afflari cœperit. Quod non ordo tantùm indicat, quem post omnes Prophetas postremum ab antiquo obtinet, sed & argumentum. multa enim corrigit quæ structo jam Templo peccabantur.

1. *Ad Israël*] Ad eos de omnibus tribubus qui in patriam redierant. Sic Zachar. 12. 11.

2. *Dilexi vos, dicit Dominus*] Nempe non tantum ut homines, sed & præ cæteris hominibus, præque aliis tum Abrahami, tum Isaaci posteris. Quare æquum erat (quod hic subintelligitur) eximium amorem mihi rependi. ¶ *Et dixistis, in quo dilexisti nos*] *Quòd si dixeritis*: ità Chaldæus. *In quo dilexisti nos*, id est, Quo argumento apparet amor ille tantus in nos? ¶ *Nónne frater erat Esau Jacob?*] Hic *Esau* & *Jacob*, ut alibi *Edom* & *Israël*, posteritatem totam significant ortam ab Esavo, qui & *Edomus*, & à Jacobo, qui & *Israël*. Sic *David*, id est, posteritas Davidis. *Nónne frater Esau Jacobo?* supple, *est*: id est Nónne Idumæi & vos ortum trahitis ex Abrahamo, & Isaaco? Eodem sensu Idumæus dicitur *frater Israëlis*, Deuteronomii 23. 7.

3. *Et dilexi Jacob, Esau autem odio habui*] Id est, vobis benefacere volui, illis non item. Utitur hoc etiam loco Paulus cap. 9. ad Romanos, ut ostendat Deum cùm aliis peccata condonat, aliis non condonat, & cùm beneficia quædam eximia his confert, illis non confert, nulli in eo facere injuriam: neque ad rationes vocandum, quanquam suæ ipsi non desint causæ, nobis sæpe absconditæ. Peccaverant gravia Judæi non minùs quàm Idumæi: poterat jure utrosque Deus aut internecioni addicere, aut in summis relinquere malis. Poterat itidem pro summo suo arbitrio Idumæos in felicem statum reponere, sicut Judæos reposuit. Libuit illi aliter agere, propter Jacobum, & promissa ei facta. Est quòd gratias agat Jacob: non est quòd queratur Esau. Hæc ut typos futurorum ad Synagogam & Ecclesiam refert Paulus. Synagoga prior nata est, Ecclesia longo pòst tempore. Peccaverant gravia Hebræi; peccaverant graviora idololatræ in toto mundo, ex quibus maxima pars Ecclesiæ collecta. Justitiam illam spiritualem, quæ æterna habet promissa, per fidem contulit Deus Ecclesiæ, & simul dona sanationum, Prophetiæ, linguarum, & ejiciendi dæmonas: eisque signis ostendit peccata ipsis, quamvis gravia, remissa. Synagogæ per Legem talem justitiam non contulit, dona etiam abstulit, eòque ostendit peccata ipsorum retenta. Si quis adversùs hæc tam clara, tam manifesta velit obloqui, opponetur ei jus Dei liberum, & in peccatis condonandis, quantumvis gravibus, & in beneficiis conferendis; de cujus juris usu causas Deus reddere nemini tenetur:

——— Οὐχ ὑπεύθυνος κρατεῖ.

[——— *Regnat ille nulli obnoxius.*]

& tamen habet causas, non quidem cur necessariò ità agat, sed causas quæ ipsius sapientiam bonitatémque deceant, & hominibus magis magísque sanandis sint aptissimæ. Verùm Paulus etiam aliud adfert, quod ad hunc Malachiæ locum non pertinet: *nempe nondum natorum infantium* discrimen factum, ut *major*, id est, ex majore ortus populus, aliquando *esset infra minorem*. Hic quoque rerum majorum figuram Paulus observat. Synagoga major natu multùm infra Ecclesiam. Ecclesia dona illa possidet quæ Synagoga nunquam tanta habuit, & quæ habuit, amisit. Unde hoc? Ex decreto Dei antequam nascerentur: illa ex Ægypto evocata, hæc è Mundo. Judæi veteres isto Geneseos loco ad aliud utebantur; nempe ut ostenderent quibusdam virtutum quædam semina, ἀρετὰς φυσικὰς [*virtutes nativas*,] ut Aristoteles loquitur, parari nondum natis; ut de se agnoscit Jeremias. Ἐνίας ὁ Θεὸς καὶ πρὸ τῆς γενέσεως καλῶς διαπλάττει [*Quosdam Deus etiam antequam nascantur bene format*,] ait Philo de Allegoriis: & mox adfert Isaaci primùm nativitatem, deinde de Jacobo dicta. Et in libris de Caïno ait, *in duobus istis infantibus significari* δύο φύσεις ἀγαθοῦ καὶ κακοῦ [*duas naturas boni & mali*,] *quorum hoc tempore, illud dignitate præcedit.* Idémque repetit libro De expergefacto Noë, addens, *agnatam nobis ignorantiam, boni verò appetitum serius inseri. Boni est ingenii*, ait, *mala contagia avertere* καὶ πτερνίζειν [& supplantando evertere,] *quod fecit Jacob; neque animo deficere ob ebullientes appetitus, ut fecit Esau, sed pultem istam coquere cum Jacobo*; quæ sunt in dicto libro de Caïno: *recedere etiam ab improbis, ne per insidias noceant*, quod habet idem Philo libro, Pejores Insidiari Melioribus: *imperium deberi optimis: aliis pro bono esse si non teneant quà malè usuri sint libertate*, quod est in libro ejusdem Philonis de pietate. Qui & in libro de Præmiis & Pœnis *feritatis imaginem esse* ait *in Esavo humanitatis in Jacobo*. Hæc, quanquam ad Malachiæ intellectum non necessaria, argumento tamen connexa aliquatenus, adferenda huc consui, ut hoc specimine intelligatur quales fuerint veterum Hebræorum in tractandis historiis ὑπόνοιαι [*sensus absconditi*]. Quem morem sequuntur Apostoli, & maximè Paulus, sed ità ut omnia non ad imperfectam illam bonitatem quæ secundùm naturam, aut etiam secundùm Legem est, sed ad illam Divinam quæ in Euangelio & præcipitur & monstratur & datur, referant. ¶ *Et posui montes ejus in solitudinem*[Vastata enim Idumæa quinquennio post Judæam. Vide Jeremiæ 49. 7. Lam. 4. 22. Ezech. 25. 13. & 35. 2. ¶ *Et hereditatem ejus in dracones deserti*] *Draconibus deserti*, nempe exposui. Simile loquendi genus Esaiæ 34. 13. Jeremiæ 9. 11. & 51. 37. sed quia hic in Hebræo est תנות, quod alibi de *draconibus* non reperitur, LXX verterunt δώματα ἐρήμου [*domus deserti*,] Chaldæus *vastitatem deserti*. In lingua Chaldæa תננא est *fumus*, interdum & *fœtor* Is sensus huic loco non malè convenit.

4. *Quòd si dixerit Idumæa, Destructi sumus, sed revertentes ædificabimus quæ destructa sunt*] Quod & fecere, ut ex historiis liquet. ¶ *Hæc dicit Dominus exercituum, Isti ædificabunt, & ego destruam*] *Ego quæ ædificaverint destruam*, per Judam Maccabæum primùm, deinde per Hyrcanum, ut alibi diximus. ¶ *Et vocabuntur termini impietatis*] Vocabitur *impiorum patria*, eòque meritò desolata.

7. *Et vos dicetis, Magnificetur Dominus super terminum Israël*] *Super terminum Israëlis*, nempe *prolatum* in Idumæam usque. Ità Chaldæus optimè.

6. *Filius honorat patrem, & servus Dominum suum, si ergò Pater ego sum, ubi est honor meus? & si Dominus ego sum, ubi est timor meus?*] Bene cohæret cum superioribus. Non *Dominus* tantùm vester sum, communi jure creationis, sed & *Pater*, ob illa beneficia minimè cum cæteris communia. Ut *Domino metum* debetis; ut *Patri*, *honorem* & amorem. ¶ *Ad vos, ô Sacerdotes, qui despicitis nomen meum*] Qui primi ad me honorandum esse debueratis, in id electi, in id constituti, primi estis ad me despiciendum: ἰχθὺς ἀπὸ κεφαλῆς ὄζειν ἄρχεται [*Piscis à capite incipit malè olere.*] ¶ *Et dixistis, In quo despeximus nomen tuum?*] *Si dicatis*, ut suprà 2.

7. *Offertis super altare meum panem pollutum*] לחם hic sunt non panes προθέσεως [*propositionis*,] qui in usus Sacerdotis cedebant, sed μαναὰ [*libum ex simila*,] *oblatio* scilicet illa quæ cum jugi sacrificio bis de die fiebat, Exodi 29. 38. 40. & Numerorum 28. 24. quo in loco hoc ipsum vocatur לחם *cibus Dei*. *Pollutum* intellige, quod non erat tale quale Lege præcipiebatur, putà ex tritico non purgato, aut sine oleo. ¶ *Et dicitis, In quo polluimus te?*] *Et si dicatis, In quo polluimus te?* id est, despicatui habemus. Subintellige, *responsum præsto est*. ¶ *In eo quid dicitis, Mensa Domini despecta est*] Prætexitis avaritiæ vestræ, quòd *mensa Domini* (id est, altare: sicut quod offertur in eo est *cibus Domini*, ut jam diximus) à plebe *despiciatur*, id est, quòd non multum ad eam afferatur similæ & olei; idéoque detrahitis aliquid eorum quæ Lege jussa sunt. Fiebat hoc improbè admodum, cùm reditus quos habebant ex victimis & Regum liberalitatibus (de quibus vide Esdræ 6. 9. 10.) ad illas impensas quotidianas facilè sufficerent.

8. *Si offeratis cæcum ad immolandum*] In Hebræo: *Præterea si offeratis cæcum, pecus* scilicet. Est enim hæc altera accusatio. Lege vetatur offerri victima vitium habens: inter vitia cæcitas exprimitur Levitici 22. 22. ¶ *Et si offeratis claudum*] Vetitum & hoc Deuteronomii 15. 21. ¶ *Et languidum*] חלה, id est, *morbidum*, quod hic ἄῤῥωστον [*infirmum*,] alibi νοσερὸν [*morbidum*] vertitur. Ejus species enumerantur Levit. 22. 22. & sequentibus. ¶ *Offer illud Duci tuo*] *Mitte tale quid pro munere Ethnarchæ.* Mox vide quomodo id sit interpretaturus. ¶ *Si placuerit ei*] Est ἔλλειψις [*defectus vocum*,] pro vide *an sit ipsi placiturum*. ¶ *Aut si susceperit faciem tuam*] An ei gratus sit futurus tuus adventus tali cum munere.

9. *Et nunc deprecamini vultum Dei*] Coram Deo orare. *Ut misereatur vestri*] Ut condonet contra Legem admissa. ¶ *De manu enim vestra factum est hoc*] Fecistis enim quæ dixi: vosmetipsi negare non potestis. ¶ *Si quomodo suscipiat facies vestras*] Non desperare jubet; sed ostendit veniam esse difficilem tam aperti ac diuturni contemtûs legum Divinarum. Similis locutio Actor. 8. 22. & alibi.

10. *Quis*

10. *Quis est in vobis qui claudat ostia, & incendat altare meum gratuitò?*] *Quis vestrûm qui claudat ostia* gratis? *imò nè altare quidem meum accenditis gratis.* Sensus est, Omnia illa quæ avaritiæ vestræ prætenditis inania sunt. Ità bene Lex prospexit non Sacerdotibus sed & Popis & Janitoribus, ut abunde mercedem habeant operæ. Græca hîc obscuriora sunt, quæ ut in nostris codicibus habemus citat Chrysostomus sermone CHRISTUM ESSE DEUM. ¶ *Non est mihi voluntas in vobis*] Non amo homines quæstui tantùm suo intentos, quales vos estis, & unde maxima vobis mala nascentur. ¶ *Et munus non suscipiam de manu vestra*] *Gratum non habebo*, ut hic Chaldæus.

11. *Ab ortu enim Solis usque ad Occasum magnum est nomen meum in Gentibus*] In Hebræo non legitur *est:* supplebitur ἔλλειψις [*defectus vocis*] rectiùs per *erit*. Objici poterat: Si nostræ oblationes gratæ tibi non sunt, nullas habebis. Respondet Deus, Aliud se cogitare, ut scilicet ab omnibus gentibus colatur, non operosè, sed mundo animo. Hoc est consilium quod per Christum ejúsque Legatos plenè exsecutus est Deus. Omnis autem dispersio Judæorum inter Gentes, illustris in patriam reditus, linguæ Chaldaicæ, Persicæ, Græcæ, Romanæ apud Judæos cognitio, discordes Magistrorum sectæ, rituum curæ in anilem superstitionem, fœdos quæstus & veræ emendationis neglectum versæ, viam huic rei stravere. ¶ *Et in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda*] Hic etiam *quasi* intelligendum, ut Zachar. 14. 21. Supplevit hunc defectum hoc loco etiam Chaldæus. Cætera quoque sic vertas optimè: *in omni loco offeretur nomini meo quasi suffitus & μαννὰ pura.* *Quasi suffitus* sunt piæ preces, Apocalyp. 5. 8. μαννὰ [*libum ex simila*] verò sunt oblationes fidelium, ex quibus & Eucharistia fiebat, & alebantur pauperes. ¶ *Quia magnum est nomen meum in Gentibus*] Iterum *erit*. *In gentibus* omnibus, non in Judæa, aut inter Judæos tantùm.

12. *Et vos polluistis illud*] *At vos polluitis illud* quotidie. ¶ *In eo quòd dicitis, Mensa Domini contaminata est*] Idem significat quod suprà 7. *despecta est.* Sic & suprà 7. *In quo polluimus te?* idem est quod paulò antè 6. *In quo despeximus nomen tuum?* ¶ *Et quod superponitur contemtibile est, cum igne qui illud devorat*] *Et reditus ejus vilis*, nempe *esca ejus*. Reditus quem habemus ex altari nullius est pretii, quia quantum datur id totum cedit igni: nihil nobis restat. Ità homines sunt πρὸς τὰ θεῖα μικρολογούμενοι [*ad res divinas praparci*,] ut dicebat Alexander.

13. *Et dixistis*] *Quòd si dicatis.* Ità Chaldæus. ¶ *Ecce de labore*] Ecce victimæ, quas mactamus Deo, non sunt à plebe donatæ nobis, sed comparatæ ex pretio *laboris* nostri, id est, ex Decimis. ¶ *Et exsufflatis illud*] והפחתם. At LXX legerunt והפחתי, καὶ ἐξεφύσησα αὐτά [*& exsufflavi ista.*] ità enim est in editione Sixtina omnium emendatissima, optimo sensu: *at ego ista* (sacrificia) *exsuffo*, id est, non curo. Est idem verbum tum in Hebræo tum in Græco eodem sensu Aggæi 1. 9. ¶ *Et intulistis de rapinis*] *Raptum infertis* in Templum, id est, θηριάλωτον [*raptum à feris*,] quod nec edere licebat, multò minùs offerre, Exodi 22. 31.

14. *Maledictus dolosus*] Sicut Sacerdotes reprehenderat qui in jugi sacro non proba offerebant, ità nunc & voti reos reprehendit qui victimis morbidis aut vitiosis defungebantur. Lex contrà jubebat ut & victima esset *mascula*, & *sine vitio morbóque*, Levitici 22. 19. 20. ¶ *Et votum faciens*] *Et voto facto. Immolat debile*] *Corruptum*, id est, morbidum, aut vitiosum, aut femininum. ¶ *Et nomen meum horribile in gentibus*] *Etiam inter Gentes.*

CAP. II.

MUNSTERUS.

2. *Maledixi eam*] Sensus est secundùm Hebræos, *Maledicam deinceps benedictionibus vestris, sicut & hactenus maledixi benedictionem vestram.*

3. *Et tollet vos ad se*] h. e. Moriemini in peccatis illis vestris quæ impiè committitis in Ministerio meo. Et cùm ultio mea in vos sævierit, *tunc scietis quòd miserim ad vos mandatum* ut officio vestro vitam gereretis meo nomine dignam, h. e. haberetis timorem, zelum, veritatem & justitiam, à me autem exspectaretis *vitam & pacem*, juxta *pactum* cum Levitica initum tribu.

6. *In ore ejus*] Hebræi putant hæc dici de Phinehas nepote Aharon.

7. *Angelus Domini est*] Hebræi exponunt שליח *nuncium*; Chaldæus verò Interpretes vertet שמש *ministrum.*

9. *Accipitis faciem in lege*] Hebraismus est pro, *accipitis personas in causis legis:* Ut, Si magnus aliquis adducat animal ineptum ad immolationem, dissimulatis, non dissimulaturi si pauper & abjectus illud adduceret.

10. *Numquid non Pater tuus*] Redarguit hîc Sacerdotes de alio crimine, nempe quòd super uxores Israelitidas ducebant uxores alienigenas, & illas plùs diligebant quàm priores legitimas. Dicit ergò, *Numquid unum patrem omnes nos habemus*, nempe Jacob? *an non in unum Deum omnes* credimus, qui *nos creavit?* *Ut quid ergò prævaricatur unusquisque in proximum suum*, cujus sororem aut filiam habet uxorem, & tali injurià eum afficit ut superinducat alienigenam mulierem?

12. *Suscitantem & respondentem*] i. Eliminabit Deus totam illius hominis familiam, ut nè quidem in domo remaneat qui alterum è somno *suscitet*, aut qui clamanti è domo *respondeat*, aut obsequatur monitori.

13. *Secundò facitis*] Primum peccatum est insaturabilis Avaritia vestra, cui prætextu cultûs mei inhiatis: Et *secundum* peccatum quod huic superadditis est Impietas illa quam ostenditis uxoribus vestris, quæ *lacrymantes* veniunt ad *altare meum* & conqueruntur injuriam.

15. *Qui unus erat*] Hebræi post Jonathan hunc locum intelligunt de Abraham, *qui unus* quidem superinduxit Hagar, sed non causà libidinis id egit, cùm *abundaret Spiritu Dei*, quin magis interventu uxoris hoc fecit, *quærens semen Dei.*

16. *Qui operit injuriam*] Sensus est, Minùs malum est si *dimittas uxorem pubertatis tuæ*, quam *odio habere* cœpisti, ut illa alteri nubat, & tu libidini tuæ satisfacias, quàm quòd cum injuria illam apud te retineas, & *odium* in corde veluti maculam sub *veste abscondas.*

17. *Fatigatis Dominum*] Metaphorica est locutio, cùm Deus non *fatigetur:* est autem sensus, Satis diu ille per patientiam & longanimitatem vos pertulit, &c.

VATABLUS.

1. *Nunc autem* ועתה] *Nunc igitur.* Ad verb. *Et nunc* ¶ *Ad vos* אליכם] Sub. *pertinet*, vel *spectat.* Hortatur Sacerdotes ad suum munus, & ad religionem, ut hostiam mundam offerant. ¶ *Mandatum hoc* המצוה הזאת] *Præceptum istud*, sub. *quod sequitur de sacrificiis ac victimis offerendis.*

2. *Posueritis super cor* תשימו על לב] PONERE SUPER COR, vel IN CORDE, est *adhibere mentem*, sive *advertere animum*, *ad ea quæ dicuntur aut præcipiuntur.* Hebraismus. ¶ *Benedictionibus vestris* ברכותיכם] i. Iis quæ benedictionibus meis possidetis. Seipsum continuò exponit. ¶ *Et etiam maledixi ei* וגם ארותיה] *Quin maledixi illi.* Alii, *jam autem cæpi maledicere illi*, sub. *benedictioni vestræ:* sing. pro plur. *singulis benedictionibus vestris.*

3. *Corrumpo* גוער] *Perdo.* Præs. Heb. pro fut. *corrumpam; perdam; putrere faciam.* ¶ *Et dispergam stercus* וזריתי פרש] i. Permittam vos affici summo probro & ignominià, quasi *spargerem stercus super faciem vestram.* ¶ *Sollennitatum vestrarum* חגיכם] i. Victimarum vestrarum illegitimarum quas offerre soletis in solennitatibus vestris magnis. ¶ *Et assumet*, &c. ונשא וגו] Sub. *stercus ipsum*, ut sitis contempti & spreti sicut ipsa sunt. Alii vertunt, *& feret vos ad illud*, sub. *probrum iniquitas vestra*, sive *ad illam ignominiam & dedecus:* q. d. Iniquitas vestra erit causa probri hujus.

4. *Miserim* שלחתי] Sub. *per Mosen.*

5. *Cum eo* אתו] i. Cum tribu Levi: q. d. Cùm ultio mea in vos sævierit, tunc *scietis quòd miserim ad vos mandatum*, ut in officio vitam viveretis meo nomine dignam, h. e. ut haberetis timorem, zelum, veritatem & justitiam: à me autem exspectaretis *vitam & pacem*, juxta *pactum cum Levitica tribu initum.* ¶ *Vitæ & pacis* החיים והשלום] Sub. *pactum, inquam.* ¶ *Illi* לו] Hebræi referunt hæc ad Phinees nepotem Levi, cui Deus sanitatem corporis dederit & longam vitam, quòd zelatus esset honorem Domini: vixit enim plùs quàm CCC annos. ¶ *Et à facie:* &c. ומפני וגו] Hebraismus, *propter nomen meum contritus fuit ipse*, i. corde contrito: nam occidit Zamri scortantem cum Madianitide, quòd videret me ignominià affici.

6. *Lex veritatis* תורת אמת] Hebraismus, doctrina vera, sancta

ſancta & pura, non fucata. Quidam vertunt, *Lex non ficta.* ¶ *Et iniquitas* ועולה] i. Doctrina falſa. ¶ *Ambulavit mecum* הלך אתי] Hebraiſmus, ſtuduit præcepta mea adimplere, ſervando pacem & æquitatem cum proximis.

7. *Cuſtodiunt ſcientiam* ישמרו דעת] Fut. Heb. pro præſ. *cuſtodiunt cognitionem:* q. d. Sacerdotum eſt callere Legem ac S. Scripturam, & alios illam docere. ¶ *Legatus* מלאך] *Nuncius.* Sicut enim legatus exponere ſolet quæ accepit à mittente, ità & Sacerdos exponere ac declarare debet aliis quæ ipſe accepit à Spiritu Dei in literis Sacris.

8. *Offendiculo fuiſtis multis in Lege* הכשלתם רבים בתורה] *Scandalizaſtis multos in Lege*, i. in ſacrificiis Legis: vel, *impingere feciſtis quamplurimos in Legem ipſam.* ¶ *Levi* הלוי] Hic gentile eſt: i. pactum quod pepigit Dominus cum Levitis; h. e. non eſtis functi vero officio Levitarum.

9. *Reddam* נתתי] Ad verb. *dedi.* ¶ *Et accepiſtis*, &c. ונשאים וגו׳] *Et ſuſcipitis faciem in Lege ipſa*, i. in ipſis ſacrificiis Legis: quia aliquorum probabant ſacrificia, aliorum rejiciebant, plus uni quàm alteri deferentes. Nam SUSCIPERE vel ELEVAEE ſive EXTOLLERE FACIEM eſt *accipere*, i. reſpicere, *perſonam*, cùm ſcilicet huic magis favemus quàm illi, non ob ipſius rei ſed perſonæ diſcrimen.

10. *Spernit quiſque*, &c. נבגד וגו׳] Ad verb. *ſpernemus vir fratrem ſuum:* vel, *prævaricabimur quiſque in fratrem ſuum.* Fut. Heb. pro præſ. ¶ *Pactum Patrum noſtrorum* ברית אבותינו] i. Vinculum illud conjugale quod ſanctè ſervarunt Patres noſtri. De adhæſione ac cohabitatione mutua viri & uxoris loquitur, quam Dominus inſtituit Gen. 2. 21.

11. *Sprevit Jehudah* בגדה יהודה] *Prævaricata eſt Jehudah* In utroque genere eſt in hoc verſu. ¶ *Sanctum Jehovæ* קדש יהוה] *Sanctitatem Jehovæ*, i. Matrimonium, quod ſanctificavit Dominus. ¶ *Diligit* אהב Præt. Heb. pro præſ. ¶ *Cùm in uxorem duxit* ובעל בת] i. Cùm mulieres colentes deos alienos duxerunt in uxores. Alii, *rem habuit cum filia*, &c.

12. *Succidet* יכרת] i. Exterminabit. ¶ *Vigilantem & reſpondentem* ער ועגה] i. Quemcunque viventem, qui non dormiat ſomnium mortis; & eum qui reſpondere valeat vocanti ſive acclamanti vel pulſanti. Alii vertunt *excitantem & reſpondentem.* Et exponunt, EXCITANTEM, ſub. *verba*, vel *diſcipulos*, i. arguentem: *magiſtrum* ſive *præceptorem* & *doctorem* ſignificat. RESPONDENTEM autem vocat *diſcipulum*, quòd reſpondere debeat præceptori interroganti. ¶ *Et offerentem*, &c. ומגיש] i. Qui aliquando offerre poſſit: q. d. filios quoſque Sacerdotum.

13. *Et hoc ſecundo facitis* זאת שנית תעשו] Fut. Heb. pro præſ. Ad verb. *Et hoc ſecunda* [ſub. *vice*] *facietis:* i. hac re ſecundò peccatis. Primùm enim offerebant victimas illegitimas. Quidam vertunt, *Hanc autem ſecundam* [ſub. *abominationem*] *facitis.* ¶ *Operitis* כסות] Eſt infinitivus: i. eſtis in cauſa ut mulieres veſtræ *obruant lacrymis altare Domini:* q. d. Mulieres veſtræ, fuſis in magna copia lacrymis ante vel juxta altare meum, queruntur de vobis. ¶ *Neque accipiam*, &c. ולקחת] Eſt quoque infinitivus. Ad verb. *ad accipiendum:* pro, *& accipiam beneplacitum*, i. munus acceptabile ſive gratum. Negatio præcedens repeti debet.

14. *Teſtificatus ſit* העיד] Nempe quòd eam non diligas. ¶ *Adoleſcentiæ tuæ* נעוריך] i. Quam duxiſti adoleſcens. ¶ *Quam tu deſpexiſti* אשר אתה בגדתה בה] Ad verb. *quàm tu prævaricatus es in eam*; pro, *in quam prævaricatus es*, ſub. *ducendo aliam*, *& eam quidem alienigenam.* ¶ *Fœderis tui* בריתך] *Pacti tui*; i. cum qua iniſti fœdus, contrahendo cum illa matrimonium.

15. *Unicus ille* והאחד] Qui ſcilicet carebat liberis. ¶ *Quæſivit* מבקש] *Quærebat.* Particip. præſ. i. Quærebat procreare liberos juxta ſanctam Dei inſtitutionem, unde Semen Dei Chriſtus deſcenderet. ¶ *In ſpiritu veſtro* ברוחכם] i. Nè ſpiritu quidem fornicemini. ¶ *Et in uxorem*, &c. ובאשת וגו׳] Iſtud quidam jungunt præcedentibus, ut redundet *&*, hoc pacto, *Cavete in ſpiritu veſtro prævaricari in uxores veſtras.* Gallicè dicimus, *Donnez vous garde ne voſtre eſprit, ou cueur de faire un mauvais tour a voz femmes.* Singularem clauſulam junxit plurali præcedenti, more Hebraico. ¶ *Nè prævariceris* אל יבגד] Ad verb. *ne prævaricetur.* Tertia perſona pro ſecunda.

16. *Oderit* שנא] Sub. *uxorem ſuam.* ¶ *Dimittat* שלח] *Amittat, ejiciat*, ſub. *illam*, *dato libello repudii*, ¶ *At operit*, &c. וכסה וגו׳] i. *Unuſquiſque veſtrûm nititur tegere injuriam* quâ uxorem affecit, retinendo eam; ut ſcilicet homines intelligant illam ab ipſo amari, cùm res ſecùs habeat: *tegere*, inquam, nititur *quemadmodum veſtimento* aliquid tegere ſolemus. Quidam illam injuriam in uxores fuiſſe ſcribunt, quòd eas quidem rejicerent, ſed non dato libello repudii: unde fiebat ut alteri nubere non poſſent.

17. *Et dicitis* ואמרתם] *Sed dicitis:* q. d. *Quòd ſi rogetis me.* ¶ *Et in illis*, &c. ובהם וגו׳] *Et erga illos eſt benevolus.* Ad verb. *& in illis eſt beneplacitum.* ¶ *Judicii* המשפט] i. Qui ſeverè deberet in eos animadvertere. Verba adhuc ſunt hominum blaſphemantium in Deum & juſtitiam ejus, ſic argumentantium: *Si male agerent, animadverteret in eos: At non animadvertit: Ergò non malè agunt.* In hac autem re potiùs laudare deberent longanimitatem Dei exſpectantis peccatorem ut reſipiſcat.

CASTALIO.

2. *Veſtras felicitates infelicitabo*] Vos pro felicibus reddam infelices.

5. *Cum quo mihi fœdus interceſſit vitæ atque pacis*] Quo fœdere ei vitam ac felicitatem dedi.

11. *Peregrinique dei puellam maritat*] Uxorem ducit.

12. *Vigilantem & reſpondentem ex Jacobeis tabernaculis, & fertum armipotenti Jovæ obmoventem*] Sacerdotis deſcriptio.

15. *Quòd ſi unus fecit*] Abrahamus qui unus eſt parens veſter, ut ſuprà dictum eſt, duxit quidem peregrinam in matrimonium Hagarem Ægyptiam: ſed id fecit inſtinctu Dei, nec ideo fuit in priorem uxorem perfidus.

17. *Ubinam eſſe Deum æquum?*] Cur non punit Deus nocentes? Vide cap. ſequens.

CLARIUS.

3. *PRojiciàm propter vos ſemen*] Vel, *projiciam vos unà cum ſemine.* ¶ *Aſſumet vos ſecum*] *Perducet vos* peccatum veſtrum *eò*, i. ad eam ignominiam. Sic enim quidam vertendum putabat.

4. *Et ſcietis*]. h. e. Scire debetis has oblationes eſſe tantùm umbras & ſigna quædam extera pacti mei inter verum Levi Chriſtum & me.

6. *Lex veritatis*] Hæc ſunt officia veri Sacerdotis, quæ nec Aharon nec Phinees præſtitit.

7. *Angelus Domini*] *Legatus Domini.*

9. *Accepiſtis faciem*] h. e. Non rectà ſecundùm Legem ambulaſtis, ſed potentibus blanditi eſtis, & pauperes gravaſtis.

11. *Habuit filiam Dei alieni*] h. e. Ultra legitimas uxores, alienigenas domum duxit, Ez 9.

12. *Magiſtrum & diſcipulum*] Heb. *Suſcitantem & reſpondentem.* Quod quidam interpretantur, *eliminaturum Deum totam illius hominis familiam, ut in domo non remaneat nec qui alterum è ſomno ſuſcitet, nec qui clamanti è domo reſpondeat.*

13. *Operiendo lacrymis*] Nempe uxorum veſtrarum, quæ lacrymantes veniunt ad altare meum, & conqueruntur injuriam.

15. *Non unus fecit ſic*] Adam non conſtitutum eſt facere ſic, neque fecit, ſed cùm plùs haberet ſpiritûs ingenuitatis, uxorem non voluptatis causâ habuit, ſed ut ſemen ſuſciperet ex ea. Vide Matth. 19. Alii intelligunt de Abraham, *qui unus quidem ſuperinduxit Agar, ſed non causâ libidinis id egit, cùm abundaret ſpiritu Dei, quin magis interventu uxoris hoc fecit, quærens ſemen Dei.* ¶ *Et quid unus*] Quid primus ille quærebat ex uxore, &c.

16. *Cùm odio habueris*] Alius ſic legebat, *Odio habens dimittere ſolebat, dicit Dominus Deus Iſrael: nunc autem quiſque horum tanquam veſtimento celat nequitiam ſuam*, dum retinet, miſerè interim eam affligens. *Hoc propter duritiem cordis Moſes permiſit*, q. d. Minor erat olim injuria cùm repudiarent uxores ſuas, quàm ſi tractaſſent eas quemadmodum nunc tractantur ab iis qui nequitiæ ſuæ prætexunt quòd eas retineant, licèt miſerrimè afflictas. ¶ *Cuſtodite ſpiritum*] Perpendite quàm ſit hoc iniquum.

17. *Laborare feciſtis*] h. e. Maximâ moleſtiâ affeciſtis. ¶ *Aut certè*] h. e. Si non placent, quare fert illos?

L. BRUGENSIS.

10. *QUare ergò deſpicit unuſquiſque noſtrûm fratrem ſuum?*] D. Hentenius correxit *unuſquiſque noſtrûm:* ſic enim multi codices legunt, & quidem emendatiores noſtri, Brug. Lob. Leod. O. L. Pl. m. atque antiqui Epanorthotæ. Alii multi ſcribunt *unuſquiſque veſtrûm:* quidam & *noſtrûm* omittunt & *veſtrûm, unuſquiſque fratrem ſuum?* Græcè eſt, *Quid quod reliquiſtis unuſquiſque fratrem ſuum?* id quod is adſtipulatur qui

habent

habent *vestrûm*: cujus personæ pronomine cæteras omnes hujus versûs partes Græci legunt, cùm Hebræi, Chaldæi melioresque Latini, primæ. Hebraicè est pars ista, מדוע נבגד איש באחיו quod si vertas, *Cur despicitur unusquisque à fratre suo?* nec *nostrûm* continetur, nec *vestrûm*; si verò, quod Chaldæus sequitur, & Cambio probatur, *Cur despicimus unusquisque fratrem suum?* manifestè continetur *nostrûm*, Latinéque exponatur, *Quare ergò despicit unusquisque nostrûm fratrem suum?* Quam Hieronymi esse translationem & commentarius disertè loquitur; *Propheta se ipsis annumeravit qui deliquerant, ut correctionem eò faciliùs susciperent.*

DRUSIUS.

1. PRæceptum istud] De legitimo cultu meo, sive de honore mihi exhibendo. Deum enim qui honorat, ritè colit, & sacris operatur ità ut oportet.

2. *Nisi posueritis super cor*] *Ponere super cor* phrasi Ebraicâ dicitur qui animum ad aliquid adjicit vel applicat. *Cor* enim pro *animo* ponunt. Nam sedes Animæ in Corde secundum Ebræos. ¶ *Ut detis honorem*] Vel, *ad tribuendum honorem*. Huc pertinet, *Honora Deum de operibus tuis*, & quæ sequuntur. *Deus* enim juxta proverbium *facientes adjuvat: facientes*, h. e. ritè sacris operantes. Contrà evenit iis qui in rebus Divinis negligentes sunt, nec officium faciunt suum. ¶ *In vos*] Sive qui adfertis vitiosum DOMINO, sive qui admittis illud. ¶ *Maledictionem*] Plus est quàm *imprecatio*. Nam *imprecatio* verbis tantùm fit; *maledictio Dei* etiam effectum habet: itaque non malè quidam exposuit interpretans *infelicitatem*. Nam *infelicitas* est effectus imprecationis. ¶ *Benedictionibus vestris*] Rebus omnibus quibus Dei benedictione nunc fruimini. Porrò Deus *benedicit* cui benefacit: Nos *benedicimus* Deum cùm ipsum laudamus. ¶ *Atque etiam maledixi eis*] *Ut jam maledixi eis*. Veritas Ebræa *maledixi ei*, i. *cuilibet earum*, & subintelligitur *maledictionum*.

3. *Corrumpo*] Non משחית, sed גער, propriè *increpo*: quemadmodum sumitur ibi, *Increpasti gentes, perdidisti improbum*. Ut MALEDICO sign. *infelicito*, ità INCREPO valet *corrumpo, profligo*; hoc, quando habet post se casum quartum, sive articulus את interponatur sive non. Aliqui quando cum ב construitur, tum sign. ἐπιτιμᾶν, i. *verbis aliquem increpo*; ut *Increpet te DOMINUS*. ¶ *Vobis*] Vestro malo, vel בגדכם *propter vos*. ¶ *Spargam stercus in faciem vestram*] Summo dedecore vos afficiam, ut si quis stercus conjiceret in facies vestras. Quod plus est quàm si alias partes corporis conspurcaret, cùm Facies omnium aspectui exposita sit. ¶ *Festivitatum vestrarum*] Sive *festorum vestrorum*, h. e. hostiarum vestrarum; Quæ quia diebus festis ut plurimùm mactabantur, ideo *festa* sive *festivitates* vocantur, vel, ut V. Int. habet, *solennitates*: quod tamen rejeci, quia *solennitates* מועדים dicuntur. Sic accipies illud, Ps. 118. 27. *ligate festum funibus*, i. agnum hostiam festi. Item Exod. 23. 18. *Adeps festivitatis meæ*, agni mei. Et Jes. 29. 1. *festa jugulent*, aut *jugulabuntur*. ¶ *Auferet vos ad se*] *Stercus illud rapiet ad se*: h. e. reddet vos totos stercoreos. Quam expositionem probo præ illa quæ habetur in Scholiis Ebraicis, *Contemptus nominis mei adducet vos ad istum contemptum*: q. d. Par pari, sive, ut Ebræi loquuntur, *Mensura pro mensura*.

4. *Quòd miserim*] Per Mosen, cujus operâ usus ad hoc sum. ¶ *Cum Levi*] Cùm tribu Levi: In qua Aharon & Phinehes. De quo Num. 25. 12. *Ecce ego do ei pacem fœderis mei. Et erit tam ipsi quàm semini ejus pactum Sacerdotii sempiternum, quia zelo zelatus est pro Deo suo, & expiavit scelus filiorum Israel*. Hæc verba descripsi ex antiqua translatione. Quod moneo, nè quis mihi diem dicat, & in jus vocet, si fortè rivulus à fonte unde manat, ut fit, recesserit.

5. *Cum eo*] Præcipuè cum Aharone, unde vos genus ducitis. Hic quòd primus Sacerdos fuerit, ab Ebræis vocatur *caput Sacerdotii*. ¶ *Vita*] Futuræ an præsentis? Ebræi peculiariter accommodant ad Phinehes, qui vixit annos trecentos aut eo plus. Sed sciendum VITAM dici & pro *vita beata*, ut ubi, *In serenitate vultûs Regis, vita est*. Unde & illud, *Vivat Rex*. Consule libellos meos. ¶ *Et pacis*] Non quæ contraria Bello; sed *pacem* vocant S. literæ omnem externam felicitatem, atque adeò tranquillitatem conscientiæ, quam εὐθυμίαν Græci vocant. ¶ *Eas*] *Vitam* & *pacem* videlicet. ¶ *Propter timorem*] In Ebræo abest dictio *propter*: ego supplevi, cùm ità sententia postularet. Nam qui eos sensum pervertere scribunt qui hoc faciunt, næ illi nesciverunt in fonte esse, conentientibus libris, *dedi ea illi*, & non, ut ipsi legerunt, *dedi illi timorem*. Nam hic error est Interpretis antiqui: quem is qui familiam ducit, non explicare sed corrigere debuisset. Tantum refert ex fonte haurire sententiam autoris. ¶ *Contritus*] Animo fracto & contrito. Idem aliis verbis. Nam qui *timet* humiliter de se sentit.

6. *Lex veritatis*] Doctrina vera ac sincera, miniméque hominum commentis aut traditionibus vitiata. ¶ *Iniquitas*] *Falsitas*. Non aliud ore loquebatur & aliud in pectore clausum habebat. Adhæc orationi vita consentanea erat. *Iniquus* sermo est quem culpa redarguit. ¶ *Non est inventa*] Idem cum illo *non fuit*. Simile, *nec dolus inventus est in ore ejus*. Esth. 1. 5. *populo qui inventus est in Susan regia*, qui erat. ¶ *In pace*] Ut Jes. 27. 5. *faciat pacem mihi*. Nam qui sanctè vivit, cum Deo pacem colit. ¶ *Et in æquitate*] ובמישור *& in rectitudine*: i. rectè, sincerè, sine fuco ac simulatione. Porrò qui sic cum Deo vivit, & cum hominibus rectè vivit: nam conjuncta hæc sunt, nec separari à se invicem ullo modo possunt. ¶ *Ambulavit mecum*] *Ambulare* CUM DEO Augustinus explicat *secundùm Deum vivere*. *Cui è contrario respondet*, ut ait, AMBULARE SECUNDUM HOMINEM *aut* SECUNDUM CARNEM. Quod ut non improbo, ità manifestiùs explicat qui sic dicet. *Cum Deo ambulat* qui piè ac religiosè vitam instituit, h. e. ex præscripto verbi Divini. Gen. 6. 9 *Cum Deo ambulavit Noe*. 1 Reg. 3. 6. *ambulavit coram te* David *in veritate & in justitia, & recto corde tecum*. Idem dicitur *ambulare in viis Domini*, 1 Reg. 3. 14. *Si in viis meis ambulaveris, custodiendo statuta mea & præcepta mea, quemadmodum ambulavit pater tuus*. ¶ *Reduxit ab iniquitate*] Dum legem docuit populum, multos in viam reduxit & à peccando avertit. Hoc autem extendi velim ad totam tribum Levi: quanquam vulgò de solo Aharone intelligunt. Suum cuique judicium.

7. *Labia Sacerdotis custodiunt*] i. Sacerdotum: & *custodiunt* debent custodire. Simile, *Filius honorat patrem*. Sic, *Legem ex ore ejus requirunt*. Aut hoc dicit quia communiter ità fit & ut plurimùm; vel quia ad eorum munus pertinet hoc; Levit. 10. 11. *Ad docendum filios Israel omnia statuta quæ locutus est DOMINUS per Mosen*. Deut. 33. 10. *Docebunt judicia tua Jacobum, & legem tuam Israelem*. Eorundem erat respondere ad interrogata populi cùm de Lege ejúsque genuino sensu dubitaret. Hag. 2. 11. *Interroga nunc Sacerdotes de Lege*. Itaque sequitur, *& Legem requirunt de ore ejus* ¶ *Scientiam*] Legis. ¶ *Legem*] Interpretationem Legis ¶ *Requirunt*] Populus ¶ *Angelus*] i. *Legatus* aut *nuncius*: & ideo *nuncius* quia populum certiorem reddit de Dei voluntate patefacta in Lege. Jon. *quia minister DOMINI exercituum est*: Hoc epitheton tribuitur etiam Prophetis, ut Hag. 1. 13. *Haggæus nuncius Domini*: & Num. 20. 16. de Mose, *Misit angelum, qui eduxit nos ex Ægypto*.

8. *A via*] Legisne, an Sacerdotum veterùm? Aut τὴν ὁδὸν dicit ipsam Legem: nam in Ebræo ast הדרך cum articulo. Sic vocatur etiam ὁ Χριστιανισμὸς interdum. ¶ *Impingere fecistis multos*] Contrarium illi, *multos reduxit ab iniquitate*. *Fecistis*, inquit, *ut impingerent multi*, h. e. peccarent. Sed Vetus refert *scandalizastis*: & alius nescio quis, *offendiculo fuistis*. Minùs probo: nam *offendiculo esse* possumus ut tamen is cui offendiculo sumus non *impingat*, i. peccet. ¶ *In Lege*] Vel potiùs *in Legem*, i. contra Legem. ¶ *Corrupistis*] *Violastis, irritum fecistis*. ¶ *Pactum Leviticum*] *Pactum vitæ ac pacis*, de quo suprà. הלוי hic est nomen gentile: ideo articulum habet.

9. *Reddidi vos contemptos*] Juxta proverbium vulgare, כהני שקרי אגריהו זילי, i. *Testium fallacium merces vilis*: quo significant, Nullo præmio honoréve dignos esse qui fallaciter munus suum obeunt aut administrant. Vel, *contemptibiles*. ¶ *Humiles*] *Abjectos, viles*. ¶ *Vias meas*] Præcepta mea. ¶ *Suscepistis faciem*] Cùm aliquis peccaret aut illicita immolaret, non ausi fuistis ipsum reprehendere, veriti vel potentiam ipsius vel dignitatem. Atque ità habuistis respectum personarum, quod est *suscipere faciem* ex idiotismo linguæ Ebraicæ. ¶ *In Lege*] In negotio Legis. Quidam, *attollitis faciem contra Legem*, h. e. protervè ac pervicaciter legem à Deo datam infringitis. Sed his probatio incumbit hujus explicationis, cùm *suscipere faciem* in aliis locis hoc non significet.

10. *Pater unus*] Jacob Patriarcha. Sumus omnes fratres ab eodem patre: Igitur non debemus aliis alios fallere, aut fidem conjugii cum sororibus nostris initi violare. ¶ *Nonne Deus unus creavit nos?*] Is qui nos creavit, etiam uxores nostras creavit: Cur ergò ità spernimus eas, superinducta aliâ?

¶ *Cur*

¶ *Cur perfidi sumus*] נבגד *perfidè agimus*, *pravaricamur*, *fidem fallimus*. Futurum in Kal. Sunt qui putant esse præteritum Niphal; sed falluntur; primùm quia verbum illud in conjug. Niphal alibi non reperitur; deinde quia *verba conspirandi*, teste Camio, *carent Paul & Niphal*. In his est בגד, quod sig. *fidem frangere*, & *vinculum quo alicui devincti sumus dissolvere*: itaque de iis dicitur *qui fidem conjugii violant*, item de iis *qui deficiunt à dominis suis*. Hinc transfertur ad *peccatores*, qui בגדים vocantur, vel quòd à Deo deficiant tanquam à Domino cui subsunt, vel quòd par ratio sit inter Ecclesiam & Deum quæ inter Maritum & Uxorem. ¶ *Quisque in fratrem suum*] Potuisset dicere *in sororem suam*, sed elegit *in fratrem suum*, propter parentes uxorum quas duxerant, qui cùm Judæi essent, meritò eos vocat *fratres ipsorum*. Sed & perfidi erant in ipsos non minùs quàm in uxores suas. Nam stipulatio etiam ad parentes pertinebat. ¶ *Profanando*] *Violando*. Sacrum enim fœdus Conjugii, quod ideo *profanat* qui violat. ¶ *Patrum nostrorum*] Abrahami, Isaaci, Jacobi, qui acceperunt uxores ex gente sua, nec alios duxerunt nisi de consensu legitimæ ac primariæ. Hunc versum nonnulli accipiunt ut sint verba eorum qui duxerant uxores alienigenas, qui excusant factum suum hoc potissimùm argumento, quòd *hominum communis Pater sit Deus*, *qui omnes in æquo creaverit*: q. d. Si Gentiles communem nobiscum Patrem habent, cur non licet nobis ducere filias ipsorum?

11. *Perfidus fuit*] Vel, *Perfidè egit*. ¶ *Abominatio facta est*] Crimen abominandum commissum est. ¶ *Et in Jerusalem*] *Etiam Jerosolymæ*, ibi Templum, quæ *Urbs sancta* nuncupatur & *Civitas Dei*. ¶ *Sanctitatem DOMINI*] Matrimonium legitimum, quod sanctum & à Deo institutum. Scholia Ebraica, *Adhæsio viri & uxoris vocatur* Sanctitas Domini: *quemadmodum scriptum est*, PROPTEREA ADHÆREBIT UXORI SUÆ, *&c.* Aliquando *Sanctitas DOMINI* vocatur ipse Israel; ut ibi, *Israel DOMINO*. Locus est nescio ubi, tamen alibi certè. ¶ *Quam dilexit*] Quondam, ut Patriarcharum ævo, & aliis temporibus. ¶ *Maritavit*] *Uxorem habuit*, aut *duxit*. ¶ *Filiam dei alieni*] Feminam colentem deum alium à vero. Contrarium illius, *Nónne Deus unus creavit nos?* *Alieni*, i. ignoti, peregrini. *Alienus* זר dicitur, נכר magis est *peregrinus*. Dictus ità κατ' ἀντίφρασιν, ut volunt: nam הכיר *cognovit*. Sic *lucus* quòd minimè luceat: מדבר *desertum*, quòd ibi nemo sit qui humano sermone utatur.

12. *Viro*] לאיש. V. Int. & post eum Santes, *virum*, את האיש. Quidam transpositis vocibus legunt, *vigilantem & respondentem viro*: quos sequi non ausim. ¶ *Hoc*] *Illam abominationem*. ¶ *Vigilantem & respondentem*] i. Interprete Hieron. *magistrum & discipulum*. Sed alii aliter interpretantur. Jon. *filium & nepotem*. Scholia Camii, VIGILANTEM *viventem*: cui opponitur *dormiens*, i. mortuus. DORMIRE enim *mori* sign. ut notum perito rerum sacrarum. Antiquissimi Ebræorum, *Si fuerit discipulus Sapientis*, *non erit ille vigilans inter Sapientes*, *nec respondens inter discipulos*: *si verò Sacerdos fuerit*, (nam etiam Sacerdotes duxerant alienigenas) *non erit ei filius offerens munus DOMINO exercituum*. *Vigilantem*, i. Doctorem, Sacerdotem, Legisperitum. Ideo autem *vigilantem*, quia tales debent perpetuò vigilare. *Vigilat* autem qui rerum suarum satagit. *Respondentem*, ad interrogata magistri, h. e. discipulum. ¶ *E tabernaculis Jacobi*] Jonathan explicat *ex urbibus Jacobi*. Sed *tabernaculum* dicunt pro qualibet *domo*: nam antiquitus in tabernaculis habitabatur. Similis locus Ps. 52. 5. *evellet te è tabernaculo*. ¶ *Et admoventem munus*] *Exscindet etiam offerentes munus* ad altare, sive pro se illud offerat sive pro iis qui nuptias illicitas contraxerunt. Pro *admoventem* rectiùs fortasse legeris *offerentem*, ut sit מגיש pro מקריב. Nam qui offert munus, etiam admovet illud altari.

13. *Rursum facitis*] Præter crimen superiùs commemoratum, aliud insuper committitis. Quodnam illud est? *Facitis ut* uxores vestræ *tegant lacrymis suis altare DOMINI*. Quapropter? Quia ipsas contemnitis, quia diversæ religionis uxores superinducitis, *quia Deus non respicit ampliùs ad munera vestra*. ¶ *Ut tegant*] Uxores vestræ. Potest legi *tegitis*: qui loquendi modus insolens non est. *Tegitis*, i. causam præbetis uxoribus vestris ut tegant. Sic intelligendus Int. V. qui vertit, *operiebatis lacrymis altare DOMINI*. ¶ *Gemitu*] אנקה *gemitus*, i. στεναγμός, qui & אנחה. Alii *clamorem* reddunt, & alii *mugitum*. Sed qui hic *mugitum* interpretatur, alibi convertit *gemitum*, ut Ps. 12. 5. Quò fit ut credam hunc locum in editione V. interpolatum esse. Sed nihil affirmo: nam novum non est Interpretem illum hoc modo variare. Camii λέξεις, אנקה *clamor*, *vociferatio*. ¶ *Eò quòd non ampliùs respiciam*] Non malè etiam legas, *eò quòd non ampliùs respiciat*, ut *Deus* subintelligatur. ¶ *Ad munus*] *Ad munera* quæ offertis. ¶ *Nec recipiam benevolè*] ולקחת recipio pro ואין לקחת, & *munus* subaudio. רצון, i. לרצון, ut alibi nescio quo in loco בטח ponitur pro לבטח. Aut רצון posuit pro קרבן רצון, quæ est *oblatio accepta & grata Deo*. Licet etiam legere *ad recipiendum beneplacitum è manu vestra*: ità Vau otium aget.

14. *Propter quid?*] Quare propter rem uxoriam non recipit munera nostra? ¶ *Testificatus est inter te*, &c.] Deo enim teste matrimonium contrahitur: aut testificatur *te cum illa perfide agere*, tum verò *ipsam esse sociam tuam & uxorem fœderis tui*. ¶ *Uxorem* [illegible]*escentia tua*] Quam adolescens duxisti. ¶ *Et ipsa est socia* [illegible]] Licèt eam non duxeris in adolescentia, tamen ex quo matrimonio cum ea junctus fuisti, *socia tua* fuit, h. e. socia vitæ & consors thori. ¶ *Fœderis tui*] Fœderata tibi per connubium.

15. *Unum fecit*] *Unum hominem*, h. e. masculum & feminam: sicut ait; *Creavit Deus hominem*, *masculum & feminam creavit eos*. Alii, *Nónne unum fecit?* q. d. *Si Abraham unus pater noster*, *qui Prophetes fuit*, *id fecit*, *cur nobis non liceat facere?* Notum ut Abraham duxerit uxorem ancillam suam Ægyptiam. Prior sententia nostrorum est, Posterior Ebræorum. ¶ *Cùm residuum spiritùs esset ei*] Cùm potuisset plures feminas uni viro dare, si voluisset. ¶ *Quid unum?*] Quid sibi vult quòd unum hominem fecerit, masculúmque & feminam ità conjunxerit ut una caro essent? ¶ *Quæsivit semen Dei*] Cùm institueret Conjugium unius hominis (nam duo quasi unum sunt) aliud nihil spectavit quàm ut ex eo matrimonio, sive ex duobus hoc modo unitis, legitima soboles progigneretur. Sunt qui ad hunc sensum accommodant Gen. 6. 2. *Videntes autem filii Dei filias hominum*, ut *filii Dei* sint qui ex una uxore, *filia hominum* quæ ex pluribus aut ex meretrice. ¶ *Spiritu vestro*] Vobis ipsis. Quæ sequuntur, hunc sensum continent, Nè datam fidem primæ uxori violetis, aliâ superinductâ.

16. *Cùm oderit*, *dimittat*] Præstaret eam dimitti, si odio est, quàm hoc modo haberi. Dimissio fiebat olim per libellum repudii. Qua de re lex exstat Deut. 24. 1. Hanc corrigit Christus Matth. 5. 31. In libello isto promittebat maritus se nunquam cum ea consuetudinem habiturum. Cæterùm repudium concessum lege Mosis, nunquam Deo aut Sapientibus probatum fuit. De Deo liquet ex institutione Conjugii, & ex verbis Christi quæ habentur apud Matthæum loco modò adducto. De Sapientibus planum est ex scito sive oraculo Ben-Siræ, *Os quod cecidit in sorte tua*, *rode illud*. Consule, si vacat, illius Scholiasten. Quidam hoc membrum ità reddunt, *Sibi odio esse dimissionem dicit DOMINIS*: an rectè dubito: nam id potiùs diceretur, *Odi dimissionem*, *dicit DOMINUS*. Verùm dubito, non affirmo. Fortassis rectius, *Cùm oderit dimissionem*, *operit violentiam veste suâ*: q. d. Præstaret eam dimittere, quàm ità lacessere. De hoc loco respondi Arnoldo Tebbing. Vide. *Odisse* quoque dicitur quam quis minùs amat. Sic *Lea exosa fuit Jacobo*, non quòd eam odio prosequeretur, sed quòd magis amaret Rachelem. שלח pro שלוח, h. e. Infinit. pro fut. Solens Enallage Ebræis. ¶ *Operit violentiâ vestem suam*] Qui minùs amatam aut exosam temere ac sine causa dimittit, perinde facit ac si *tegeret vestem suam* quâ indutus est *violentiâ* & iniquitate. Sunt qui legunt *operit violentiam veste suâ*, sorte melius. Plane, inquit, mihi videtur *tegere violentiam veste suâ*, dum uxorem sororem contemnit, & peregrinam ei præfert. Hoc cùm ità sit, *cavete spiritui vestro*, &c.

17. *Fatigatis Dominum*] Deus non *fatigatur*, sed tamen humanitus loquendo *fatigat* eum cui multus sermo impius de Deo, ut *qui dicit ei placere acceptósque esse maleficos*, &c. ¶ *Bonus est in oculis DOMINI*] *Placet DOMINO*. ¶ *Illis ipse delectatur*] Contrarium illius, *Non Deus qui delecteris iniquitate tu es*. ¶ *Aut ubi est Deus judicii?*] Aut delectatur maleficiis, aut non est Deus æquus, quia bonis malè & contrà malis bene est.

IDEM.

3. הִנְנִי גֹעֵר לָכֶם וגו. Aq. *Ἰδοὺ ἐγὼ ἐπιτιμῶ ὑμῖν σὺν τῷ βραχίονι, καὶ λικμήσω * κόπρον ἐπὶ πρόσωπα ὑμῶν, κόπρον ἑορτῶν ὑμῶν*] Hausi ex eodem Theodoreto, unde & Rom. Σὺν τῷ βραχίονι, אֶת הַזְּרֹעַ: nunc legunt הַזֶּרַע, *i. semen*.

4. בְּרִית. Α. συνθήκη] Hier. *Notandum quòd* ברית *verbum Ebraicum Aq. συντήκην, i.* pactum. *interpretatur*, *LXX semper διαθήκην*, &c. pag. 279.

8. וּבְשָׁלֹחַ.

8. הִכְשַׁלְתֶּם. A. Sym. ἐσκανδαλίσατε] i. Scandalizastis. Ex Theod.

9. נֹשְׂאִים פָּנִים בַּתּוֹרָה. Sym. ἐδυσωπεῖσθε πρόσωπα ἐν νόμῳ.

GROTIUS.

2. ET si nolueritis ponere super cor] Animum advertere monitis. ¶ Ut detis gloriam nomini meo] Ut debito honore me afficiatis. ¶ Nittam in vos egestatem] Bene explicavit μετωνυμίαν [Transnominationem.] in Hebræo enim est exsecrationem. ¶ Et maledicam benedictionibus vestris] Sacerdotum erat bene precari populo. At Deus dicit se effecturum ut hæ faustæ preces dirarum eventum habeant. Ità Chaldæus.

3. Ecce ego projiciam vobis brachium] Legit ut Græci זרע cum Holem ante Ajin. Nostri libri habent cum Patach ante Ajin, זרע, id est, semen. Sed sensus Græcus est optimus. Sacerdotibus ex Lege cedebat armus victimæ & ventriculus, Levit. 7. 32. Deuteron. 18. 3. Projiciam, nempe in facies vestras, ut sequitur. Hoc solent facere qui importuno flagitatori aliquid indignabundi concedunt, quasi dicentes, En habe quod vis. ¶ Et dispergam super vultum vestrum stercus] Potuit dicere ventriculum, sed maluit ignominiosiùs dicere stercus, quod adhærescere ventriculo solet. ¶ Solemnitatum vestrarum] Victimarum vestrarum: nam חגים vocantur non tantùm festi dies, sed & victimæ ipsæ, Psalm. 118. 27. Esai. 29. 1. ¶ Et assumet vos secum] Id est, ut tamquam fœtidi ejiciamini è Templo per Antiochi milites.

4. Et scietis quia misi ad vos mandatum, istud] Scitote misisse me hoc mandatum ad vos, per Prophetam meum. ¶ Ut esset pactum meum cum Levi] Quia pactum meum est cum Levi. Ex pacto vos convenio, non illo tantùm communi quod cum Populo feci, sed proprio ac peculiari, quod cum Sacerdotibus ac Levitis, Numer. 8. 14. & 18. 19.

5. Pactum meum fuit cum eo vitæ & pacis] Cum Phinea & ei successuris in Sacerdotium, Numerorum 25. 13. nam sermo hic peculiariter ad Sacerdotes dirigitur. Omnia ipsis felicia promisi, si imperata facerent. ¶ Et dedi ei timorem] Id est, Legem sacerdotalem: ex cujus præscripto me timeret, id est, coleret. ¶ Et timuit me] Præstitit officium Phinees, & multi post eum. ¶ Et à facie nominis mei pavebat] Magna cum religione accedebant ad sacra.

6. Lex veritatis fuit in ore ejus] Docebant populum Legi congruentia. ¶ Et iniquitas non est inventa in labiis ejus] Nihil ad suum quæstum comminiscebantur. ¶ In pace & æquitate ambulavit mecum] In Hebræo, In pace & rectitudine: id est, amicitiam meam retinuit, rectà agendo. ¶ Et multos avertit ab iniquitate] Piis monitis.

7. Labia enim Sacerdotis custodient scientiam ejus] Custodiebant. Sacerdotis, id est, summi Sacerdotis, qui Phineæ successerat. ¶ Et legem requirent ex ore ejus] Requirebant Hebræi ab ipso sensum Legis. Levitici 10. 10. Ezechielis 44. 23. ¶ Quia Angelus Domini exercituum est] Erat. Angeli preces hominum ad Deum, Dei mandata ad homines deferunt. Idem faciebat in Lege summus Sacerdos, qui semel anno expiationem faciebat populi, Levit. 16. 1. & qui in controversiis de Legis sensu ortis consulebatur, Deuteron. 17. 9. Ejus locum implet in Christiana Ecclesia Episcopus, Angelus ob id ipsum dictus in Apocalypsi. Diodorus Siculus de Judæis apud Photium, Ἀρχιερέα τοῦτον προσαγορεύουσι, καὶ νομίζουσιν αὐτοῖς ἄγγελον γίνεσθαι τῶν τοῦ Θεοῦ προσταγμάτων [summum Sacerdotem eum vocant, & existimant eum esse Angelum sive nuntium jussorum Dei.]

8. Vos autem recessistis de via] Ab institutis majorum deflectitis. ¶ Et scandalizastis plurimos in Lege] Causa fuistis, cur multi impingerent, recipiendo homines alienigenas in interiora Templi, profanando Sabbatum, Nehem. 13. 4. 5. 6. 7. 15. & sequentibus. ¶ Irritum fecistis pactum Levi] Nom implendo promissa, me quoque liberastis ab iis quæ Levitis, ac nominatim Phineæ ejúsque successoribus, promiseram. Vide Zachar. 11. 10.

9. Propter quod & ego dedi vos contemtibiles, & humiles omnibus populis] Faciam vos viles & obnoxios omnibus populis. Externis illis, qui cum Antiocho, eritis prædæ ac despicatui. ¶ Et accepistis faciem in Lege] In Judiciis, quæ secundùm Legem exercere debebatis, locum dedistis gratiæ, & ad potentium vota aptastis sententias. Favistis feneratoribus.

10. Numquid non pater unus omnium nostrûm?] Nónne omnes à Jacobo orti sumus, ac proinde in libertate pares sumus? Numquid non Deus unus creavit nos?] Formavit nos in populum, educendo patres nostros ex Ægypto? Sic vox ברא [creavit] sumitur Esaiæ 43. 1. & 45. 8. 9. Psalmo 102. 19. ¶ Quare ergò despicit unusquisque nostrûm fratrem suum] Opprimitis pauperes fenore? Tangitur historia quæ est apud Nehemiam 5. 3. 4. & sequentibus. ¶ Violans pactum patrum nostrorum] Legem quæ usuras à popularibus vetat accipi, Exodi 22. 25. Levit. 25. 36. 37. Deuteron. 23. 19 20.

11. Transgressus est Juda] Tribus Judæ domum reversa. ¶ Di abominatio facta est in Israël] In Benjamine & iis qui ex aliis tribubus ad Judam accesserant. ¶ Et in Jerusalem] Etiam in urbe primaria, in conspectu Templi. ¶ Quia contaminavit Judas sanctificationem Domini] Cujus pars non exigua in hoc posita erat, nè Judæi cum idolorum cultoribus matrimonia copularent. Nam quod Lex constituerat adversùs feminas ex septem populis à Deo devotis, Deuteron. 7. 3. id justa interpretatio ad alias feminas idolis adhærentes protulerat. ¶ Et habuit filiam dei alieni] Id est, cultricem. Nam sicut dii à suis patres dicuntur, Jerem. 11. 27. ità qui eos colunt, filii. Habuit, בעל, id est, in matrimonio habuit. Tangitur historia quæ est Esdræ 9. & 10. Nehemiæ 13. 23.

12. Disperdet Dominus virum qui fecerit hoc] Nempe de tabernaculis Jacob, id est, extorrem faciet, Esdræ 10. 8. ¶ Magistrum] Id est, Sacerdotes, qui tam malo exemplo præibant aliis. Nehem. 13. 28. In Hebræo, vigilantem: nam magistrorum est vigilare pro discipulis. ¶ Et discipulum] Plebem. In Hebræo, Respondentem: nam id interrogata magistrorum respondebant discipuli, Lucæ 2. 47. ¶ Et offerentem munus Domino exercituum] Id est, Quamvis munera magna offerat, nihil hoc ei proderit.

13. Et hoc rursum fecistis, operiebatis lacrymis altare Domini, fletu & mugitu] Ampliùs etiam facitis: nam altare Domini oppletis lacrymis, fletuque & clamore, nempe feminarum Judæarum, quas in gratiam illarum extranearum tractatis quasi mancipia, duris operibus eas prementes, fraudantes justo victu, vestitu, concubitu: Quæ tam malè tractatæ cum ploratu ac planctu advolvuntur altari. Vide de hoc more 1 Samuelis 1. 10. ¶ Ut non respiciam ultrà ad sacrificium, nec accipiam placabile quid de manu vestra] In Hebræo: Ut jam ultra non respiciam μαναὰ (ista è simila, Levit. 2.) neque accepiam habeam voluntatem (id est, voluntarium sacrificium, de quo Levit. 7. 16.) de manibus vestris: quasi dicat Deus, istæ lacrymæ, isti gemitus ità me turbant ut læto animo vestra dona victimásque accipere nequeam.

14. Et dixistis, Quam ob causam?] Si dixeritis, Quam ob causam non potes grata habere dona nostra? ¶ Quia Dominus testificatus est inter te & uxorem pubertatis tuæ] Videt quæ agatis εἰς κουριδίην ἄλοχον [in uxorem ductam puellari ætate.] Amastis puellas; flore ætatis decerpto eas proculcatis. ¶ Et hæc participes tua] Particeps sacrorum. ¶ Et uxor fœderis tui] In eodem Dei fœdere est in quo tu.

15. Nónne unus fecit, & residuum spiritûs ejus est?] An unus ille (Abrahamus) ità egit, cujus de spiritu residuum nos sumus? ל hic nota est genitivi. Nos de spiritu illius spiritum trahimus, secundùm sententiam scilicet eorum qui cum semine animam derivari putant: quæ & veterum Christianorum non paucis placuit. Unus dicitur Abraham etiam Esaiæ 51. 2, principium scilicet generis. ¶ Et quid unus quærit nisi semen Dei?] Et quid ille unus fecit? Erat quærens semen Dei. Hoc unicè agebat ut liberos haberet qui Deum colerent; vos autem eas præfertis matres quæ filios ad idola deducant: quantum abestis ab Abrahamo? Semen Dei, ut modò filiæ deorum. ¶ Custodite ergò spiritum vestrum] Iram cohibete. Nam spiritus est θυμὸς, Job. 15. 13. Proverb. 18. 14. & 29. 2. Ezechiel. 39. 29. Zachar. 6 8. ὀργὴ, Proverb. 16. 32. Esaiæ. 59. 19.

16. Cum odio habueris, dimitte] Si oderis, dimitte, potiùs quàm ità vexes. Hoc Lex permittit Deuteronomii 26. 1. sævitiam prohibet. Non poterant autem mulieres Hebrææ à maritis discedere nisi maritorum permissu. ¶ Operiet autem iniquitas vestimentum ejus] Chaldæus vertit, & ne operias peccatum vestimento tuo: legit nimirum cum Interrogatione, Operiátne (aliquis hoc faciens) iniquitatem vestimento suo? Id est, adhúcne tam apertæ injustitiæ velamenta aliquis quærat? Hoc est quod modò prætextum modò obtentum dicunt Latini, Græci πρόφασιν. ¶ Custodite spiritum vestrum] Repetit, ut valde necessarium, quod dixerat 15. ¶ Et nolite despicere] Uxorem conjunctam religione & fœdere, ut suprà.

17. Laborare fecistis Dominum in sermonibus vestris] Præteritum pro futuro, more Hebræo. Molestiam exhibebitis Deo verbis vestris: provideo futurum ut id fiat ità. ¶ Et dixistis] Et si dicatis. ¶ In quo eum fecimus laborare?] Quâ re molesti ei

sti ei sumus? Ità Chaldæus. ¶ *In eo quod dicitis, Omnis qui facit malum bonus est in conspectu Domini, & tales ei placent: aut certè ubi est Deus judicii?*] *Dicitis*, id est, cogitabitis *Deum malis favere*, cum homines sceleratos permittit ad principatum ac sacerdotia provehi: quasi dicerent, *In quo Deus ostendit se hoc tempore hominum esse Judicem & Arbitrum?* Hoc ideo dicturi erant homines impii quia per annos propè quingentos cessatura erant miracula & Prophetiæ, ut diximus ad Zachar. 13. 2. Ea res non Sadducæismo tantùm occasionem dedit, sed & impietati, quæ Antiochi temporibus maximè apparuit. Sed *non est nostrum nosse tempora & occasiones* talia faciendi, *quæ Deus in thesauris* sapientiæ suæ *custodit*. *Habebant Mosem* tot miraculis clarum, *habebant Prophetas* veteres; *iis crederent*, donec novam lucem Deus allucerct.

CAP. III.

MUNSTERUS.

1. MItto *Angelum meum*] Docet Christus Matth. 11. de quo Prophetia hæc sit intelligenda; nempe de Præcursore suo, qui Angelum egit in vitæ sanctimonia & officii dignitate. *Repurgavit viam*, tollens è medio impedimenta pietatis, qualia sunt Ebrietas, Libido, Superbia, Incredulitas, Solicitudo hujus seculi. Unde & à Jesaia vocatur *Vox qua clamat in deserto, Parate viam Domini, & rectas facite in solitudine semitas Dei nostri.* ¶ *Veniétque repentè*] Cùm Joannes sex mensibus præcessisset Dominum, & cum magno zelo prædicasset in populo illo Jerosolymitano, qui tot vitiis unà cum Sacerdotibus erat corruptus, *repentè*, veluti lux in tenebris, apparuit Salvator mundi, *ingrediens Templum suum* verus ille & summus Sacerdos, ut oraret pro suis, & impios magno perderet zelo. Duo autem sunt adventus ejus: & in utroque Sacerdos atque Judex fuit & erit, mitis scilicet suis, & severus adversariis. Primi adventûs certum indicium fuit Præcursoris præsentia. ¶ *Angelus fæderis*] Quod scilicet fœdus seu testamentum fecit Deus nobiscum, & in sanguine Christi erat consummandum. Vocatur *Angelus* quòd à Patre in mundum esset missus. Hebræi per *Angelum fæderis* intelligunt Eliam, quòd ille zelum habuerit pro fœdere Circumcisionis. Et hinc est quod in omni circumcisione quam Jehudæi hodie faciunt adornant Elijæ sellam, putantes spiritum illius adesse & *zelare pro lege Domini exercituum*; cùm tamen Propheta hic longè aliud insinuaverit, ut diximus.

2. *Quis sustinere potest diem*] Gravis erat persona Christi Pharisæis & justitiariis atque impiis omnibus in primo adventu; sed multò gravior erit in secundo, quando *triticum segregabit à paleis, & paleas comburet igne inextinguibili.* Hic tamen aliâ similitudine comparantur electi *auro & argento probato*, & reprobi scoriæ atque rubigini.

3. *Oblationem in justitia*] Post Christi in cruce immolationem sacrificium aliud non est necessarium fidelibus suis quàm *sacrificium justitiæ*: Imò *à diebus seculi* hoc unum *Deo placuit sacrificium.*

6. *Ego Dominus non mutor*] h. e. Quod ultio mea non illico in malos sævit, non putetis propterea nullum futurum judicium: Nam ut promissio mea evacuari non potest, sic nec minarum obliviscar, cùm ego mutari non possim ut Homo, sed quod semel locutus sum, necesse est ut illud eveniat. Et hæc dicuntur juxta Divinæ prædestinationis consilium, alioqui quæ Deus minatur non semper facit, cujus exemplum habes in Ninevitis. Minatur enim sæpe, ut præmoneat.

7. *Convertimini ad me*] Non quòd initium pœnitentiæ sit ab Homine, sed monet ut homo vocantem, & trahentem sequatur.

8. *Numquid vim facit homo*] Verba sunt Dei: & est sensus, *Homo non audet offendere Judicem terrenum, & vos parviducitis offendere universorum Dominum?* ut Kimhi exponit יקבע pro ישלל *spoliare*, & Jonatham vertit ירגז *offendere*, sicut & pro אלהים transtulit דיינא *Judicem*. ¶ *In decimis & primitiis*] Patet hinc, sicut & ex Euangelio, ubi Pharisæus gloriabatur se quotannis solvere dicimas, multos eo tempore decimas non solvisse, & præterea opera pietatis subtraxisse indigentibus. Decimæ enim debebantur ministris verbi Divini, pauperibus, viduis, pupillis & peregrinis.

9. *Maledictione*] Hæc maledictio fuit in victualium penuria, quam Dominus immisit quòd tota gens Jehudaica illum & membra sua defraudaret decimis.

14. *Frustrà servitur Deo*] q. d. Nulla est merces bonorum, etiamsi dederimus decimas, si jejunaverimus, & alia bona fecerimus, non augebuntur opes nostræ: Et interim videmus *impios & superbos*, qui nihil boni faciunt, frui gloriâ, opibus & voluptate; stipantur amicis, *ædificantur* & propagantur: sed & *tentantes Deum* per transgressiones nihil incommodi sentiunt. At *qui ex corde timent Deum* longè aliter *loquuntur*: agnoscunt enim verum Dei judicium, & quòd *Deus* opera hominum *advertit & veluti in librum memorialis conscribit*, ut suo tempore *unicuique reddat secundùm quod operatus est.* Tunc, *videbunt* electi Dei quanta distantia est *inter justos & impios*, &c.

VATABLUS.

1. ECce *ego mitto* הנני שלח] Præs. Heb. pro fut. *Brevi missurus sum*: vel *paratus sum mittere.* Verba sunt Christi respondentis ad interrogationem factam, *Ubi est Deus judicii?* ¶ *Legatum meum* מלאכי] *Nuncium meum*, i. præcursorem. Qui vertunt *Angelum meum*, dicunt Johannem ità vocatum ob puritatem vitæ & excellentiam doctrinæ. Locum istum etiam Judæi de Christo interpretantur. ¶ *Et verret* ופנה] *Et repurgabit: emundabit*: i. invitabit homines ad pœnitentiam, tollétque omnia scandala, ut populus dignè Christum recipiat. ¶ *Veniet* יבוא] Christus de se loquitur in tertia persona. ¶ *Ad templum suum* אל היכלו] Templum dicebatur *templum Jehovæ*: hic autem *templum Christi* dicitur, ut significetur Divinitas ipsius Christi. ¶ *Et legatus fæderis* ומלאך הברית] i. Qui suo sanguine Novum fœdus confirmatus est.

2. *Diem adventûs ejus* יום בואו] i. Tempus quo ipse veniet. ¶ *Poterit stare* העמד] Præs. pro fut. *consistet*: *subsistet*: propter afflictiones scilicet quæ tempore illo suscitabuntur. ¶ *Conflans* מצרף] *Purgans*: *excoquens*: i. adurens omnes sordes & scorias. ¶ *Et tanquam borith fullonum* וכברית מכבסים] *Et sicut sapo fullonum*, i. quo utuntur fullones ad purgandas maculas. Est autem בורית herba quam Medici docti vocant *Radiculam*, barbari *Saponariam*. Habet autem vim abstersivam. Alii putant significare *saponem*, quo etiam repurgantur maculæ.

3. *Conflans* מצרף] *Excoquens*, i. excoquendo repurgans. ¶ *Conflabitque* וזקק] *Colabitque*, vel *fundet.*

4. *Et placebit* וערבה] Ad verb. *Et dulcescet*, vel *dulcè erit*, i. gratum. ¶ *Seculi* עולם] i. Priscos, h. e. sicut olim & antea temporibus Patriarcharum.

5. *Velox* ממהר] *Promptus*: *festinans.* ¶ *Mendaciter* לשקר] Ad verb. *ad mendacium.* ¶ *Et pervertentes* judicium *peregrini* ומטי גר] Ad verb. *& pervertentes peregrinum.*

6. *Non muto* לא שניתי] Sub. *sententiam.* Alii *non mutor*, i. non soleo mutari: q. d. Comminatio mea firma est & verax, impleo quæ dixi: vel, Nolite dubitare de duplici illo adventu: id enim adimplebitur: siquidem ego non muto sententiam, sed sto promissis, quemadmodum vos hactenus beneficio meo ac clementiâ meâ servati estis, & non periistis. ¶ *Non estis consumpti* לא כליתם] Sub. *sed meâ misericordiâ usque ad hæc tempora servati.*

8. *Rapere debet homo*, &c. היקבע אדם וגו'] *Spoliare debet homo Deum*, *quòd vos me spoliatis?* Dicit Dominus *sua* quæ sunt suorum ministrorum strenuè officio suo fungentium. ¶ *Et dixistis*, &c. ואמרתם וגו'] Quidam vertunt per futurum, nonnulli per præsens, ut etiam sequens verbum, *Sed dicetis*, *Quo spoliamus* [vel *spoliare solemus*] *te?* ¶ *Decimis*, &c. המעשר וגו'] Ad verb. *decimâ & elevatione*, i. oblatione: quòd oblatio elevaretur: i. decimis & primitiis quibus alebantur Levitæ & Sacerdotes.

9. *Et vos mea rapitis* ואותי אתם קבעים] *Et vos mea spoliatis.* Quidam & exponunt *sicut*: q. d. Maledictio causa est famis & inopiæ & penuriæ, imbris & pluviæ (ut paulò pòst dicitur) ô vos universi. Alia peccata prædictâ non admittuntur ab omnibus; hoc autem ab omnibus vobis.

10. *Thesauri* האוצר] *Horrei*, i. ad horreum meum: q. d. Ad locum deputatum excipiendis decimis. ¶ *Esca* טרף] *Victus*, i. quibus alantur Sacerdotes mei. ¶ *Cataractas* את ארובות] *Fenestras*: i. demisero vobis imbrem in magna copia. Hebraismus. ¶ *Et evacuavero* והריקתי] i. Effudero in magna copia; h. e. immisero ac largitus fuero vobis abundantiam omnium bonorum. ¶ *Adeò ut non*, &c. עד בלי די] Ad verb. *usque ad non sufficientiam*, sub. *vasorum & horreorum*, i. adeò ut non sint vobis sufficientia vasa & horrea.

11. *Vobis* לכם] i. In gratiam vestram: q. d. Præcipiam locustis ut non perdant fructus terræ vestræ.

12. *Beatos*

12. *Beatos quoque vos dicent* ואשרו] Ad verb. *Et beabunt*, vel *beatificabunt*. ¶ *Desiderabilis* חפץ] Ad verb. *beneplaciti*, i. eritis homines habitantes regionem fertilissimam & amœnissimam.

13. *Invaluerunt*, &c. חזקו עלי] Hebraismus, Magis ac magis malè & sinistrè de me loquimini: vel, *Soletis obloqui mihi:* In hunc sensum exponi debet verbum נדברנו, quod in ea conjugatione *assiduitatem* significat *& consuetudinem obloquendi*.

14. *Vanum* est שוא] *Frustrà* est, sive *Frustraneum*. ¶ *Quòd custodierimus custodiam ejus* כי שמרנו משמרתו] *Si custodierimus custodiam ejus*, i. adimpleverimus præcepta ejus quæ custodire præcepit nobis? ¶ *Humiliter* קדרנית] Ad verb. *obscurè*, i. cum quadam tristitia vultûs.

15. *Ædificatur* נבנו] Præt. Heb. pro præs. *ædificantur*, sub. *à Deo*, i. summâ felicitate fruuntur in hoc mundo. ¶ *Præterea*, &c. גם בחנו אלהים וגו] Præterita Heb. pro præs. *præterea tentant Deum, & liberantur*, vel *servantur*, i. non pereunt.

16. *Locuti sunt* נדברו] i. Loqui soliti sunt, ut v. 13. Comparat verba impiorum verbis piorum. ¶ *Et attendit* ויקשב] Sub. *ad ea quæ locuti sunt impii*. ¶ *Liber memoriæ* ספר זכרון] i. Liber in quo scribuntur quæ quotidie geruntur: q. d. Dominus semper est memor eorum quæ pii gesserunt in gratiam ejus. ¶ *Et cogitantibus* ולחושבי] *Et iis qui animo perpendunt*. Alii, *& in pretio habentibus*, h. e. in gratiam eorum qui timent Dominum & in pretio habent magnificentiam ejus.

17. *Quâ ego facio* אשר אני עשה] Sub. *judicium*, vel *mirabilia*. Alii, *quam facio*, i. quam adductūrus sum, h. e. in qua puniam improbos. ¶ In *peculium* סגלה] i. Tanquam res gratissima. Refertur illud ad principum versûs ¶ *Servienti sibi* העבד אותו] *Obsequenti sibi*. Quidam vertunt, *inter colentem Deum & eum qui non colit ipsum*. Sub. *& tunc non dicetis me injustum esse*. Per hæc innuit futuram Resurrectionem.

CASTALIO.

11. *Consumentia ità profligabo*] Quæ fruges consumunt.

CLARIUS.

1. *Mittam Angelum*] Docet Dominus Matth. 11. de quo Prophetia hæc sit intelligenda, nempe de Præcursore suo; Qui Angelum egit in vitæ sanctimonia & officii dignitate. *Repurgavit viam*, tollens è medio impedimenta pietatis, qualia sunt, Ebrietas, Libido, Superbia, Incredulitas, Solicitudo hujus seculi. Unde & ab Esaia vocatur *Vox quæ clamat in deserto, Parate viam Domini, & rectas facite in solitudine semitas Dei nostri*. ¶ *Et statim veniet*] Cùm Joannes sex mensibus præcessisset Dominum, & cum magno zelo prædicasset in populo illo Jerosolymitano, qui tot vitiis unà cum Sacerdotibus erat corruptus, *repente*, veluti lux in tenebris, apparuit Salvator mundi, *ingrediens Templum suum* verus ille & summus Sacerdos, ut oraret pro suis, & impios magno perderet zelo. Et nota hic duo: Primò, quòd ait *ad Templum suum*; & Templum erigitur Deo; Ergò Messias Deus est. Deinde, quòd stante illo Templo venturus erat. Duo autem sunt adventus ejus; & in utroque Sacerdos atque Judex fuit & erit, mitis scilicet suis & severus in adversarios. Primi adventûs certum indicium fuit Præcursoris præsentia. ¶ *Angelus testamenti*] Rom. 15. Paulus Christum vocat *ministrum Circumcisionis ad confirmandas promissiones patrum*. Vel, *Angelus testamenti* quod fecit Deus nobiscum, & in sanguine Christi erat consummandum. Vocatur *Angelus*, quòd à Patre in mundum sit missus.

2, 3. *Quis poterit ferre*] Gravis erat persona Christi Pharisæis & impiis omnibus in primo adventu; sed multò gravior erit in secundo, quando, *triticum segregabit à paleis, & paleas comburet igni inexstinguibili*. Hic tamen aliâ similitudine comparantur electi *auro & argento probato*, & reprobi scoriæ atque rubigini. Ait autem *purgandos filios Levi*, per quos Sacerdotium intelligitur, *A domo* enim *Domini incipiendum est*.

4. *Sicut dies seculi*] Longè magis quàm unquam antea. Hebraismus enim est.

6. *Et non mutor*] Quòd ultio, mea non illicò in malos sævit, non putetis propterea nullum futurum judicium. Nam ut promissio mea irrita esse non potest, sic nec minarum oblivisear. ¶ *Non estis consumpti*] Promisi enim futurum ut *semen vestrum sit sicut stellæ*. Et quia est immutabilis hæc promissio, firma vobis erit.

8. *Si deprædatur homo Deum*] Alius vertit, *Numquid vim faciet homo Judicibus*, &c. ut sit sensus, *Homo non audet offendere Judicem terrenum, & vos parvipenditis offendere universorum Dominum*. ¶ *In decimis & primitiis*] Patet hinc, sicut & ex Euangelio, ubi Pharisæus gloriabatur se quotannis solvere decimas, multos eo tempore decimas non solvisse, & præterea opera pietatis subtraxisse indigentibus. Decimæ enim debebantur Ministris Dei, pauperibus, viduis, pupillis & peregrinis.

9. *Et in penuria*] h. e. Videtis vos hâc laborare penuriâ propter maledictionem Dei, & tamen non respicitis.

14. *Vanus est, qui servit Deo*] q. d. Nulla est merces bonorum. Etiam si dederimus decimas, si jejunaverimus, & alia bona fecerimus, non augebuntur opes nostræ: Interim verò videmus *impios & superbos*, qui nihil boni faciunt frui gloriâ, opibus & voluptate; stipantur amicis, *ædificantur*, & propagantur: sed & *tentantes Deum* per transgressiones nihil incommodi sentiunt.

16. *Tunc locuti sunt timentes Deum*] Qui ex corde, inquit, *timent Deum* longè aliter *loquuntur*: agnoscunt enim verum Dei judicium, & quòd *Deus* opera hominum *advertit ac veluti in libro memoriali conscribit*, ut suo *tempore unicuique reddat secundum opera sua*. Sic Job. 17. *Stupebunt justi super hoc, & innocens contra hypocritam suscitabitur. Et tenebit justus viam suam, & mundis manibus addet fortitudinem*.

18. *Et convertimini*] Sic enim tandem aliter judicabitis: res enim ipsa vos tum docebit.

DRUSIUS.

1. *Ecce ego*] Quædam exemplaria vetusta caput hoc inchoant à versu superiore: non omnino malè: nam est responsio ad præcedentes blasphemias. ¶ *Mitto*] *Brevi missurus sum*. ¶ *Angelum meum*] Τὸν ἄγγελόν μου Matth. 11. 10. ubi etiam exponitur de Johanne Baptista: Quem *angelum* vocat vel *propter Angelicam vitam*, ut Theophylactus vult, vel potiùs quia *nunciavit* & prædicavit Christum. ANGELUS enim & *nuncium* designat. Cæterùm hæc dicuntur in persona Patris Filium alloquentis. Petita autem sunt à Principum consuetudine, qui per certos homines, quos præmittunt, adventum suum nunciare solent, ut ipsis majore cum pompa accurratur. Adhæc sciendum, quod *Angelum meum* reddunt, id in Ebræo dici MALACHI; Quo nomine & hic Propheta insignitur. Nam *Malachi* vocatur, non *Malachias*. Illud sonat *Angelum meum*, hoc *Angelum DOMINI*. Dico *Angelum meum*, nisi Joth litera Heemantica, qualis est in כיש & similibus. ¶ *Qui præparabit*] ופנה ὃς κατασκευάσει ità Matthæus explicat. ¶ *Viam*] Τὴν ὁδόν σου legitur in Matthæo: sed pronomen abest à Syra editione. In eodem est ἔμπροσθέν σου, לפניך. ¶ *Subitò*] *Repentè*. ¶ *Ad Templum suum*] *Ad Ecclesiam suam*. ¶ *Dominus ille*] Christus. ¶ *Quem vos quæritis*] Nam dixerant, *Ubi est Deus judicii?* ¶ *Angelus federis*] Vel, *Legatus federis*. Intelligit autem Fedus Novum, quod Christus proprio sanguine obsignavit. ¶ *Vultis*] *Cupitis:* aut, *quo vos delectamini*.

2. *Quis est qui consistat?*] Vel, *Quis consistat?* ¶ *Ipse*] *Dies* videlicet. ¶ *Conflatoris*] מצרף χωνευτής. Alii, *sicut ignis conflans:* quod minùs probo. LXX ὡς πῦρ χωνευτηρίου, i. מצרף *conflatorii*. ¶ *Herba fullonum*] Sic ed. Vetus. Malim *lanaria fullonum*. Priùs erat in Græca ποὰ πλυνόντων. Eâ fullones utebantur pro sapone. Unde *Saponaria* dicta. Vocatur & *Lanaria*. Sed in officinis audit *Herba fullonum*. Ejus usus in eluendis vestimentorum maculis & sordibus lanarum.

3. *Sedebit*] Vel ut judex, vel ut aurifex. *Sedet* Judex cùm jus dicit pro tribunali; aurifex, cùm metalla expurgat. ¶ *Purgabit filios Levi*] Ut aurifex argentum à scoriis, ità ille Ecclesiam ab improbis repurgabit. Est autem Synecdoche: nam per *filios Levi* significat totam Ecclesiam, videlicet à parte totum. Nam Sacerdotes præcipua membra Ecclesiæ. ¶ *Defæcabit eos*] זקק *fæco, defæco*, διϋλίζω unde מזקק *defæcatum*, διυλισμένον, interprete Aquilâ Ps. 12. 6. In antiquis est *colabit eos*. ¶ *Admoventes*] *Offerentes*. ¶ *In justitia*] *Justè*, ritè, legitimè, sine macula; aut *justè*, i. largiter, benignè.

4. *Dulcescet*] Gratum erit, placebit: ut Jer. 6. 20. *nec sacrificia vestra dulcuerunt mihi*. Sic Hos. 9. 4. Tralatio à cibis grati saporis, qui dulcescunt in ore cùm eduntur. Hinc & illud, *Suavis est viro panis mendacii*. ¶ *Sicut diebus seculi*] *Sicut olim*, vel *diebus priscis*. intelligit ea tempora cùm Templum staret, & Dei cultus in Judæa vigeret.

5. *Ad judicium*] Dictum pro illo *ad judicandum*, sive *ut judicem*, h. e. jus exerceam; vel puniam vos. Tale est Jes. 9. 7. לםרבה *ad dilatandum*. Similia sunt in Latio, *Habebat in-*

dutui, amictui, cinctui: quæ sic resolvuntur, *ad induendum, amiciendum, cingendum.* Varro De re rustica, *oleas esui optime condi scribit Cato*, i. ad edendum. ¶ *Testis*] Non solùm *judex ero*, sed etiam *testis*, & quidem oculatus. Nam nihil meum conspectum fugit. ¶ *Festinans*] *Promptè ac festinanter testificans contra maleficos.* ¶ *Vidua & pupilli*] Vel, *viduam & pupillum*: & עשקים non tam *fraudantes* quàm *opprimentes. Fraudantes mercedem mercenarii, & opprimentes viduam ac pupillum.* ¶ *Peregrinum*] *Advenam*, proselytum. Dictum autem *qui pervertunt peregrinum* pro *jus peregrini.* Ad verb *pervertentes peregrini.* Quale est, *Appetens vini, Fugitans litium.*

6. *Non muto*] *Non sum mutabilis.* Quod eorum est qui sibi non constant in sententia, sed nunc hoc nunc illud volunt, dicunt aut faciunt. Locus est qui huic lucem adfert Num. 23. 19. ad quem te adire jubeo. ¶ *Et vos*] *Ideo vos.* Vel, *Ut ego non mutor, ità vos non estis consumpti.* Sic enarrant Scholia Ebraica. ¶ *Consumpti*] *Consumpti penitus*, ut reliquæ gentes, de quarum vita juxtà ac morte siletur. Idem *mori* dicitur. Hab. 1. 12. *Nonne tu ab antiquo DOMINUS Deus meus, Sanctus meus? non moriemur.* Vide quæ notavimus ad hunc locum.

7. *A diebus*] *à diebus*, ut לכימי *à seculo*, למרחוק *à longinquo.* In his exemplis videtur ל redundare: nam satis erat dicere מימי, &c. ¶ *Patrum*] *Majorum.* ¶ *Revertimini ad me*] Redite in viam, & mores vestros in melius mutate. ¶ *Revertar ad vos*] Cum miserationibus. ¶ *In quo reverteremur?*] De qua re vis nos præterea agere pœnitentiam? q. d. Admonuisti nos de Hostiis impuris, item de re Uxoria: an aliquid de quo admonendi simus restat? Sequitur.

8. *Spoliet*] *Diripiat, vi auferat.* ¶ *Homo Deum*] Vel *Deos*, i. Judices: ut, *Deus in medio deorum*: & *homo*, unus è plebe ac vulgo promiscuo: ut *filii hominis*, plebei & vulgares; *filii viri*, nobiles ac patricii. ¶ *Spoliatis me*] Ministros meos. Tale est Prov. 3. 9. *Honora DOMINUM de opibus tuis, & de primitiis omnium frugum tuarum.* Nam primitiæ usui cedebant Sacerdotum, qui erant ministri altaris & simul Dei. ¶ *Oblatione*] Priùs erat *primitiis*, & in Græca ed. ἀπαρχαί. Sed vide sis Neh. 10. 39. & 13. 5. Erant autem duo genera oblationum: unum quod תרומה vocabant, ab *elevando*; alterum quod est תנופה, dictum, ut putatur, παρὰ τὸ נוף *agito.*

9. *Quia me*] ואתי *& me.* Hic *&* valet *quia, quoniam, eò quòd.* ¶ *Gens tota*] q. d. Omnes in culpa estis: neminem excipio.

10. *Omnem decimam*] *Omnia genera decimarum.* Quæ tria nonnulli enumerant: Sed plura fuisse testatur Hier. in Comment. Ezech. 41. quod probari etiam potest ex c. 1. Tobiæ. Nam cùm tres decimæ ibi recenseantur, tamen nulla mentio ejus quam ex decimis suis Levitæ dabant Sacerdotibus quæ appellabatur δευτεροδεκάτη. De hac Num. 18. & Neh. 10. 38. ¶ *Ad domus thesauri*] Locus erat in Templo amplus in quo etiam primitiæ reponebantur. Meminit Nehemias loco modò citato, ubi Vetus noster Int. *in domo thesauri*: alibi aliter reddit. Hic locus etiam *horreum Templi* & *gazophylacium* dicebatur. ¶ *Alimentum*] טרף *cibus, alimentum*, τροφή· propriè *animalium esca ex rapto viventium*: nam טרף *rapio.* Hinc הטריפני *ciba me.* ¶ *Cataractas cœli*] ut Gen. 7. 11. ¶ *Benedictionem*] Pluviam copiosam & largam. ¶ *Plusquam abundantem*] עד בלי די. Id Joseph Kimchi explicat, *adeò ut non sufficiant vobis vasa & horrea.* Jon. *ut dicturi sitis, Sufficit.* V. ed. *usque ad abundantiam.* Sed Græci ἕως τοῦ ἱκανωθῆναι. Alia recentior, *adeò ut non sufficiatis.*

11. *Increpabo*] *Compescam*: ut *Increpet te DOMINUS*, Compescat ac reprimat. Sic, *increpuit mare.* ¶ *Vobis*] Redundat in Latio. Aut *vobis*, i. vestrâ causâ, propter vos. ¶ *Devorantem*] Vel, *Comedentem.* Intelligit autem locustam exedentem & absumentem omnem terræ proventum. ¶ *Ne orba sit*] *Orbam* dixit pro *sterili.* Potest legi, *nè orbet sese.* Quidam, *nè orbet vos vitis.* Alii, *nè orbet vobis vitem*: quod referunt ad *devorantem.* Neutrum horum mihi arridet; & causas habeo, quas non commemoro, nè prolixior sim. Scholia Ebraica, *nè orbet vitis fructum suum.* Aliquid omnino subaudiendum, si non recipitur interpretatio quam posui: de qua me ambigere profiteor. Nam שכל *orbo & abortio.* An etiam sign. *orbus sum* quærendum puto diligentiùs. V. ed. *nec erit sterilis vinea in agro*, planè à me est.

12. *Omnes gentes*] Quæ antea vos probris afficiebant. ¶ *Eritis terra desiderabilis*] Sensus est, *Terra vestra erit terra desiderabilis*: hoc propter fertilitatem. Sic vocatur Judæa Dan. 11. 16. & Zach. 7 14. Sed hìc in Ebræo ארץ חפץ, ibi vero ארץ הצבי. In præsenti autem loco est ארץ חמדה, quod Græci reddunt γῆ θελητή, i. *cupita, expetita, desiderabilis.* Sic etiam reddit V. Int. Latinus. Alioqui posset exponi *terra delectabilis*: nam חפץ *delectatio.* Sed tamen in idem redit. Quod attinet locutionem *eritis* pro *terra vestra erit*, ei similis est in Latio, *Ivit ad Pompeium* pro *ad ædes Pompei.*

13. *Invaluerunt*] *Multi fuerunt*: quod tamen usitatiùs diceretur עצמו, cùm hic sit חזקו in Ebræo. ¶ *Quid locuti sumus*] Hic quidam legunt *oblocuti sumus.* Sed נדברנו, si non fallunt nos Grammatici, magis sign. *frequenter locuti sumus.* Cujusmodi verba Latini *Frequentativa* nuncupant. Sic Ezec. 33. 30. הנדברים בך *qui frequenter loquuntur tecum.*

14. *Præcepta ejus*] Ad verb. *custodiam ejus*: nisi mavelis, *cùm observaverimus observationem ejus.* משמרת dicitur quicquid nobis Deus custodiendum reliquit. ¶ *Atrati*] Vel *atrati*, sive, quod idem, *pullati*, h. e. pullis vestibus induti. Qui habitus est lugentium. Vide Ps. 38. 6. item 42. 9. & 43. 2. ¶ *Propter DOMINUM Sabaoth*] Vel, *metu DOMINI exercituum.*

15. *Superbos*] Jon. *improbos.* ¶ *Ædificantur*] Augentur, ornantur. Tralatio ab Ædificiis. Ità sumes Prov. 24. 3. *Sapientiâ ædificatur domus.* Nam sensus, *instruitur, ornatur, augetur bonis.* ¶ *Probant*] *Tentant.* Nam hæc duo se invicem explicant. Sic בחן & נסה. *Tentat* autem *Deum* qui temere se periculis exponit: quod Græci dicunt ῥιψοκινδυνεῖν. Vide Observ. meas. ¶ *Evadunt*] Ex periculis in quibus se conjecerant Deum tentantes.

16. *Locuti sunt*] Frequenter. Vide notata ad ver. 13. ¶ *Attendit*] Ad sermones eorum qui talia loquuntur. ¶ *Scribitur*, &c.] Quidam, *conscriptum est in libro memoriæ.* Sensus hujus interpretationis, Quicquid ab iis fit aut dicitur id commentario excipitur & in acta refertur. Dicta factáque hominum omnia scribuntur in libro memoriæ coram DOMINO. Humanitus dictum. Vide Annot. nostras Esth. 2. 23. Intelligit, nisi fallor, librum in quo scripta nomina electorum. Qui *liber DOMINI* vocatur Exod. 32. 32. & *liber Viventium*, sive, quod idem, *Viventium*, Ps. 69. 28. & *liber Vitæ* Apoc. 3. 5. & *liber* simpliciter, sed cum articulo, הספר, Dan. 12. 1. ¶ *Liber memoriæ*] Qui memoriæ causâ conficitur. Græcè ὑπόμνημα, *commentarius ad juvandam memoriam conscriptus.* Dicitur & ספר זכרונות *liber memoriarum*, & Ezr. 4. 15. ספר דכרניא. ¶ *Timentibus DOMINI*, &c.] In quo nomina tam *eorum qui Deum timent* quàm *eorum qui de nomine ipsius cogitant*, h. e. sapientum, qui non solùm Deum verentur, quod commune illis cum omnibus piis, sed etiam de nomine ipsius solliciti, vias ejus ac judicia rimantur, in eóque studiosè dies noctésque occupant & exercent. ¶ *Cogitantibus*, &c.] חשבי שמו. Alii, *reputantibus nomen ejus*, i. æstimantibus & in pretio habentibus. ¶ *De nomine ipsius*] De ipso. Nam *nomen Dei* pro ipso *Deo* poni amat. Unde dicunt, שמו הוא והוא שמו *Nomen ejus ipse est, & ipse nomen ejus est.* Jon. *qui cogitant glorificare nomen ejus.*

17. *Die quâ ego facio*] *Facturus sum propediem.* Infrà 4. 3. eadem locutio reperitur. *Facere* dicunt pro *facere opus*: sed hic accipi videtur pro *facere judicium. Quo die*, inquit, *judicium facturus sum* de reprobis, tunc illi de quibus suprà *mihi erunt* eo loco quo solet esse hominibus *peculium*, h. e. erunt in magno pretio & valde chari. Quidam legunt, *die quo confecturus sum peculium.* Iidem pro *erunt mihi* referunt *erunt mei.* Cui simile לי הזהב *meum est aurum.* Nolo interponere judicium meum. ¶ *Peculium*] סגלה. Aq. περιούσιον cæteri περιποίησιν. Legitur & עם סגלה, & λαὸς περιούσιος Tit. 2. 14. *populus peculiaris ac proprius*, cujus possessio non alium attingat, ejusque unius censeatur, & λαὸς εἰς περιποίησιν 1 Pet. 2. 9. *populus quem sibi DOMINUS ut proprium vendicat.* Nam סגלה *quod cuique proprium.* Itaque Dialectici Ebræi quintum Prædicabile, nempe Proprium, סגלה vocant. Quidam κειμήλιον interpretantur. ¶ *Parcam eis*] Ità V. Int. Alius recentior, *utar clementiâ erga eos.* Hoc vult, Non exterminabo eos unà cum improbis. Sic dico, Conservabo in vita, levitérque atque indulgenter habebo eos. ¶ *Qui colit ipsum*] Hoc non temere adjectum. Nam cùm erga omnes liberos suos utantur indulgentiâ parentes, tum potissimùm iis indulgent qui officiosè ipsos observant & colunt.

18. *Conversi*] Ad meliorem mentem. Vel, *revertemini & discernetis*, etiam discernetis. ¶ *Discernetis*] Videbitis quid intersit. ¶ *Justum*] Virum bonum. ¶ *Servientem Deo*] Cultorem Dei.

IDEM.

IDEM.

8. הֲיִקְבַּע אָדָם אֱלֹהִים וגו׳. A. & Sym. Μὴ ἀποστερήσῃ ἄνθρωπος Θεόν; ὅτι ὑμεῖς ἀποστερεῖτέ με καὶ εἴπατε, Ἐν τίνι ἀπεστερήσαμέν σε;] Interpres Theodoreti, *Num fraudabit homo Deum, quia vos me fraudastis? & dicitis, In quo fraudavimus te? Si fraudat homo Deum, quia vos me fraudastis*, Hier. quem vide pag. 284.

10. וּבְחָנוּנִי נָא בָּזֹאת. A. *& periculum facite in hoc*] Πειράσατε. Exstat in ed. Rom. *In hoc*, ἐν τούτῳ.

17. סְגֻלָּה. A. περιούσιον. Alii, περιποίησιν] Hier. *Pro* peculio *in Ebræo legitur* סגולה, *quod Aq.* περιούσιον, *& cæteri* περιποίησιν *interpretati sunt.* ¶ וְחָמַלְתִּי עֲלֵיהֶם כַּאֲשֶׁר יַחְמֹל אִישׁ עַל בְּנוֹ. Aq. Φείσομαι ὡς φείδεται ἄνθρωπος τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ.

GROTIUS.

1. ECce ego mitto Angelum meum ; & præparabit viam ante faciem meam] Hoc est quod dicit, Explorabo vos etiam atque etiam : neque ullum Prophetam vobis dabo ante eum qui anteambulo erit Messiæ. *Ante faciem meam* dicit, quia in Messia vivit Deus multò pleniùs ac perfectiùs quàm in ullo Prophetarum, διὰ τὴν ἕνωσιν τὴν ὑποστατικὴν, ἀχώριστον, ἀδιάλειπτον [*propter unionem hypostaticam, inseparabilem, nunquam intermissam*]. ¶ *Et statim*] Ubi ille venerit. ¶ *Veniet ad Templum suum*] In hoc *Templum* secundum, quod ad exidium usque Vespasiani armis factum semper *Templum secundum* בית שני Judæi vocant. In id Templum venire debuisse Messiam ante natum Dominum Jesum firmâ fide omnes Judæi tenuere; & idem jam apertissimè dixerat Aggæus 11. 8. ¶ *Dominator quem vos quæritis*] Ille promissus Siloh, qui vobis maxima bona etiam in statu publico allaturus est si ei pareatis, & vestrorum bonorum etiam gentes exteras (de quibus dictum suprà. 1. 11.) faciet participes; *Dominator* Davidis ex stirpe, Rex mysticus populi Dei, qui reipsa ostendet se *Regem Regum & Dominum dominantium.* ¶ *Et Angelus testamenti quem vos vultis*] Legatus ille magnus; qui non quavis de re mittetur; sed ad pangendum Fœdus Novum, melius Vetere, cum Judæis & Gentibus. De Messia hæc accipienda consensit Kimchi. ¶ *Ecce venit, dicit Dominus exercituum*] Veniet haud dubiè stante hoc Templo: exspectate eum.

2. *Et quis poterit cogitare diem adventûs ejus?*] *Quis ferre poterit tempus adventûs ipsius?* Ità Chaldæus: & Lxx, τίς ὑπομενεῖ. Quare hoc? Quia crucem perferet ipse ut ad Regnum veniat, eandemque viam suis monstrabit. *Adventus Christi*, cùm de Judæis agitur, est à Prædicatione ejus ad exeidium Urbis. ¶ *Et quis stabit ad videndum eum?*] *Quis consistet ubi ille apparebit?* Ità Chaldæus. Idem quod præcessit. ¶ *Ipse enim quasi ignis constans*] Hoc est quod ipse Christus Lucæ 12. 49. dicit, venisse se ignem mittere in terram, ignem nempe exploratorium, ut sequentia apud Lucam indicant. Vide quæ suprà Zachariæ 13. 9. ¶ *Quasi herba fullonum*] In Hebræo, בורית. Ea in Palæstinæ locis virentibus & humectis nascitur, & ad sanandas sordes eandem vim habet quam & nitrum. Ità nos docet qui in illis locis vixit Hieronymus ad Jeremiæ 2. 22.

3. *Et sedebit constans & emundans argentum. & purgabit filios Levi*] Est hîc, ut sæpe, ו pro *ut*, quod & Chaldæus vidit; *Sicut constator sedet ad mundandum argentum* (vide hujus rei ὑποτύπωσιν [*Descriptionem*] Ezechielis 22. 18.) *ità purgabit filios Levi.* Nam multi de familia Sacerdotum post Resurrectionem Christo se addixere, Actorum 6. 7. ¶ *Et colabit eos quasi aurum & quasi argentum*] Purgabit eos, abjectis scoriis, de quibus conqueritur, Matt. 15. 9. & 23. 23. 28. & Lucæ 10. 31. ubi nominatim tanguntur Sacerdotes. ¶ *Et erunt Domino offerentes sacrificia in justitia*] *Ut Domino offerant sacrificia Justa*, Id est, pio animo, sicut fecit Zacharias.

4. *Et placebit Domino sacrificium Juda & Jerusalem*] In Hebræo, מנחה, μαναὰ, id est, *donum.* Sumitur enim ea vox modò pro genere, modò pro specie. Tali animo data dona probabit, etiamsi pretii sint exigui, ut Luc. 2. 24. Matth. 8. 4. & 10. 42. Actorum 21. 26. ¶ *Sicut dies seculi, & anni antiqui*] *Sicut diebus olim exactis, id est, annis veteribus:* sicut temporibus Abrahami, Isaaci, Jacobi, Samuelis, Davidis, Eliæ.

5. *Et accedam ad vos in judicio, & ero testis velox maleficis & adulteris, & perjuris, & qui calumniantur mercedem mercenarii, viduas & pupillos, & opprimunt peregrinum, nec timuerunt me*] Respondet seriò Deus isti dicto suprà 2. 17. *Ubi est Deus judicii? Veniam*, inquit, *ad vos, & ero testis* (Deus enim solus est & Testis & Judex) *propriè contra maleficos* (Φαρμακοὺς [*veneficos*], sive Φαρμακέας, Apoc. 21. 8. & 22. 51. crimen Φαρμακεία [*veneficium*], Gal. 5. 20. Apoc. 9: 21. & 18. 23.) *& adulteros* (de quibus vide Lucæ 18. 11. 1 Cor. 6. 9. Hebr. 13. 4. Matth. 15. 19. Marc. 7. 21. Gal. 5. 19. Roman. 2. 22.), *& perjuros* (de quibus agitur Rom. 1. 31.), *& qui subtrahunt mercedem mercenario* (hi comprehenduntur nomine ἁρπάγων [*raptorum*,] Luc. 18. 11. 1 Cor. 5. 10, 11. & 6. 10.), *& qui viduam, pupillum & peregrinum opprimunt* (hi sunt ἀνελεήμονες [*immisericordes*,] Rom. 1. 31.), *& qui me non timent*, qui ἀσεβεῖς [*impii*] passim in Nov. Testamento. *Velox* autem illud *judicium* fuit interitus sceleratorum hominum simul cum Urbe, in quo interitu & Mundi interitus & Judicium illud æternum figurabantur. Nimirum omnes isti per Christum & Apostolos non correcti ἐθησαύριζον ἑαυτοῖς ὀργὴν εἰς ἡμέραν ὀργῆς [*thesaurizant sibi iram in die iræ*], Romanorum. 2. 5.

6. *Ego enim Dominus, & non mutor*] Inexorabilis sum pertinaciter pravis. ¶ *Et vos, filii Jacob*] Vos pii inter Judæos. ¶ *Non estis consumti*] *Non consumemini.* Dabo vobis exitum ex Urbe. Vide quæ dicta ad Matth. 24. 16. 22. 23. Sicut Nabuchodonosori tempore exemti sunt communi exitio qui *notati erant* (ut Ezechiel ἀλληγορεῖ [*tectâ locutione loquitur*] *literâ Thau*: ità Vespasiani tempore qui crucem gerebant in animo. Loquendi genus simile vide Lament. 3. 22.

7. *A diebus enim patrum vestrorum recessistis à legitimis meis, & non custodistis*] Non est *enim* in Hebræo. Sermo omissis piis ad impios revertitur: quasi dicat, Ità vivitis sicut vixistis cùm deportationem estis commeriti; & paria rursum commereri vultis. ¶ *Revertimini ad me*] Per pœnitentiam, & emendationem vitæ. ¶ *Et revertar ad vos*] Per vestri curam. ¶ *Et dixistis, In quo revertemur?* Si quæritis quid opus sit corrigi in vobis, dicam.

8. *Si affiget homo Deum: quia vos configitis me*] *An quisquam spoliet* (id est, spoliare ausit) *Judices suos, ut vos me spoliastis?* קבע est *spoliare*, Proverb. 22. 23. קבע *spoliator* Chaldæis. אלהים pro *judicibus* etiam Chaldæus hîc accepit. ¶ *Et dixistis, In quo configimus te?*] *Si dixeritis, In quo spoliamus te?* dicam: ¶ *In decimis & in primitiis*] Quod hîc vertitur *primitiæ*, תרומה est in Hebræo, Græcis ἀφαίρεμα. Erat pars non minor sexagesimâ de frumento, musto, oleo: quæ pars dabatur Sacerdotibus, Deuteron. 18. 4. Hæ quidem obventiones erant Sacerdotum, ut & decimæ decimarum Leviticarum. At Sacerdotes cùm deberent ex illis obventionibus jugia sacrificia facere, id non faciebant, aut faciebant profunctoriè, ut videmus 1. 4. Præterea decimas omnes ad se trahebant, neque patiebantur earum partes novem ad Levitas deferri, Nehem. 13. 10. Quod Sacerdotes etiam fecisse ante excidium Vespasianeum docet nos Josephus. Duobus ergò modis Deus spoliabatur suo jure, tum quòd non præstabantur ipsi, quarum rerum causâ institutæ erant obventiones; tum quòd Levitæ fame diffugerent, ut dicto Nehemiæ loco videre est.

9. *Et in penuria vos maledicti estis*] In Hebræo, *Maledictione maledicti vos eritis.* ¶ Magna vos mala hinc sequentur. ¶ *Et me vos configitis gens tota*] *Spoliatis*, ut modò. *Gens tota*, quia cùm plebs videret Levitas non ali, abstinebat adferre decimas.

10. *Inferte omnem decimam in horreum*] *In horrea*: nempe sub fidis custodibus qui Sacerdotibus & Levitis suas partes erogent. Hoc Prophetæ monitum secutus est Nehemias 13. 12. 13. ¶ *Et sit cibus in domo mea*] טרף *rapinam* propriè significat. Ità hîc vocatur id quod altare abripit de victimis. Illi Præfecti apothecæ curent ut de obventionibus illis sit quod detur in altare secundùm Legem. Vide suprà 1. 12. 13. 14. ¶ *Probate me super hoc*] *Periculum de me facite.* ¶ *Si non aperuero vobis catarractas cœli*] An non largum daturus sim imbrem, 2 Reg. 7. 19. ¶ *Et effudero vobis benedictionem usque ad abundantiam*] Hoc ideo dicit quia jam esuriri cœperat, Nehemiæ 5.

11. *Et increpabo pro vobis devorantem*] Locustam, & animalia alia nocentia frugibus. *Pro vobis*, id est, vestro bono.

12. *Eritis enim vos terra desiderabilis*] *Terra* & *gentis* nomina inter se permiscentur συνεκδοχικῶς [*per Complexionem.*]

13. *Invaluerunt super me verba vestra*] Obtunditis me.

14. *Et dixistis*] *Et si dicatis*: ut suprà aliquoties. ¶ *Dixistis*] *In animis* vestris, ut *insipiens* ille in Psalmo 14. 1. Vide & Psalm. 73. Fuit præclarus sanè status Judaïcæ Reipublicæ Zorobabelis temporibus, sed Deo corda inspicienti apparebant semina quædam ejus impietatis quæ posteriore ætate vi magnâ erupit. Vide suprà 1. 14. ¶ *Et quia ambulavimus tristes coram Domino*] קדרנית significat *vultu mœsto.* Ità sumitur ver-

bum unde hæc vox derivata est Psalmo 38. 6. & 42. 10. & 43. 2. ubi Græci σκυθρωπάζειν [*mæstus vultu*,] hoc loco ἐπορεύθημεν ἱκέται [*ivimus supplices*,] Chaldæus *in depressione spiritus*. Est descriptio habitus jejunantium. Vide Matth. 6. 16.

15. *Ergò nunc beatos dicimus arrogantes*] Id est, eos qui contumaciter leges Dei contemnunt: *impias* hîc Chaldæus. ¶ *Ædificati sunt*] *Florent sobole.* Ità בנה [*ædificare*] sumitur Geneseos 16. 2. & 30. 3. ubi Græci τεκνοποιεῖν [*liberos quærere.*] ¶ *Et tentaverunt Deum*] *Irritarunt.* Est idem verbum Psalm. 95. 9. Lxx hîc ἀντέστησαν τῷ Θεῷ [*obstiterunt Deo.*] ¶ *Et salvi facti sunt*] Evaserunt pericula.

16. *Tunc locuti sunt timentes Dominum unusquisque cum proximo suo*] *At verò pii alter alterum sic alloquentur.* Impii clàm, pii palàm. ¶ *Et scriptus est liber monumenti coram eo*] *Liber memoriæ*, in Hebræo. Solent Reges eorum qui ipsis commendantur indiculum facere, ut eorum curam habeant singularem, & ut, si qui honores vacent, illos provehant. Indè sumta similitudo: non dispar translatio Daniel. 7. 10. Græci dicunt, ἐγράφη ἐν Διὸς δέλτοις [*scriptum est in Jovis tabulis.*]

17. *Et erunt mihi, ait Dominus exercituum, in die quâ ego facio, in peculium*] *Cùm ego faciam*, nempe prodire ista, de quibus suprà, *erunt mihi ut res sepositæ*: tanquam lapides pretiosi, qui diligenter adservari solent: Ita enim סגל sumunt Hebræi, quod Lxx hîc vertunt εἰς περιποίησιν [*in acquisitionem raram*] Aquila, ut & Lxx alibi, περιούσιον [*quod extra facultates habetur.*] ¶ *Et parcam eis sicut vir parcit filio servienti sibi*] Quem amat & ut filium, & ut obsequentem.

18. *Et convertemini*] *Sed convertimini*, supple, *vos alii*: nam ad impios sermo convertitur. ¶ *Et videbitis quid sit inter justum & impium*] Videlicet in tempore Judicii, quantùm diversa sit sors pii & impii.

CAP. IV.

MUNSTERUS.

1. *Superbi*] Qui hîc ad humilitatem inclinari non possunt, nec incurvari ad observantiam mandatorum Dei, hi erunt in judicio Dei veluti infirmissima *stipula* in conspectu ignis, & veluti arbor inutilis quæ nec *radices* habet nec *ramos*. Nemo tunc patrocinabitur damnatis conscientiis, nihil erit quo se excusabunt, nemo redimet, & nemo miserebitur. Dejicientur veluti *stipula* in ignem, perpetuò in illo arsuri.

2. *Sol justitiæ*] Hic est Christus, qui *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*; cujus oculi sunt splendidiores Sole: videt enim omnia, nec ab ullo falli poterit. Sed *& in alis hujus Solis* sola invenitur *sanitas* & justitia quâ electi salvantur. *Alæ Solis* sunt radii circumquaque diffusi, &c.

3. *Pessundabitis impiòs*] Commutabuntur tunc rerum vices: Nam Tyranni & impii qui persequebantur & conculcabant bonos in hoc mundo, in judicio Dei subjacebunt pedibus electorum.

4. *Recordemini Legis Mosi*] i. *Recordemini* quid *Moses* in *Lege* de Christo scripserit, & quid adumbraverit variis illis *ceremoniis & judiciis*. Non dicit, *Servate Legem Mosi perpetuò in ceremoniis & judiciis* ut hinc Jehudæi colligunt, & contra Christianos arguunt, Legem Mosaicam esse invariabilem juxta omnia statuta & judicia in ea expressa.

5. *Ecce ego mitto vobis Elijam*] Dictum est de Joanne Baptista ut Christus ipse testatur Matth. 11. & Angelus Domini Luc. 1. Dicitur autem primus Christi adventus *dies terribilis*, propter excæcationem Jehudæorum: Quæ excæcatio hîc vocatur חרם *anathema & abolitio*. Porrò Judæi qui hunc textum ineptè pro suo errore citant, asserunt Elijam præcessurum adventum Messiæ tribus diebus, & convocaturum Judæos ex omnibus finibus mundi. Scribunt autem sic, עתיד הקב״ה לבשרת לאדום בשעה שהוא גואל את ישראל הנסים בי שלשה ימים קודם שיבא משיח יבא אליהו בתחלה ויעמד על הרי כנען וצועק במר ובוכה וסופד עליהם ואומר עד מתי תהיו חרבים ׃ וקול בכיהו נשמע מסוף העולם ועד סופו ׃ ואחר כך יאמר יבא בשלום שנ׳ מה נאוו על ההרים רגלי מבשר משמיע שלום מבשר טוב משמיע ישועה׃ ביום השני יעמד על הרי ישראל ויאמר טובה באה לעולם ואפילו הרשעים ישכחו׃ ביום השלישי יבא ויאמר ישועה באה לעולם שנ׳ משמיע ישוע׃ Habet stultus ille populus & alias stultas opiniones de suo Meschia: Confinxeruntque signa quædam alia quæ asserunt adventum Meschiæ præcessura; & quoniam illa nondum vident impleta, concludunt Christum nondum venisse. Scribunt autem in hunc modum, יקום מלך ברומי ומחריב מדינות גדולות וחוזר באפו על ישראל ומשליך עליהם מס גדול ורוצה לאבדם מהעולם ׃ באותה שעה יוצא הקב״ה משיח בן יוסף ושמו נחמיה ועמו גבורי יהודה ויבא ויהרוג במלחמה עם מלך אדום והשאר יברחו ויבאו לירושלם וילכדוה וישמעו כל ישראל ויקבצו אליו ומלך מצרים ישלים עמו ׃ אז יצא ארמילוס מצלם נקבה של אבן שברומי וארכו שתים עשרה אמות ובין שתי עיניו זרת והוא משיח של בני עשו ויקבוץ את כל האומות ויאמר לבני עשו הביאו לי התורה שנתתי לכם׃ כיד יתכהו כל ישראל ויבא נחמיה ושלשים גבורים וכלי מלחמתם תחת בגדיהם ויקחו ספר תורה ויקראו לפניו לא יהיה לך אלהי׳ אחרים על פני ויאמר להם לא יהיה זה כלום ויאמר לו נחמיה לא אלוה אתה אלא שטן ׃ מיד כועס ויעשה עמו מלחמה ויכו בהם ישראל מכה גדולה ויהרג המשיח ויכם לב ישראל וכיתתו ויהיו נחבאים כ״ה יום במערות והנשארים נהגרים בתוך ירושלם ׃ בעת ההיא יעמד מיכאל השר הגדול ויבא אליהו עם משיח בן דוד לקיים מה שנ׳ והשיב לב אבות על בנים ולא יצטרך המשיח להלחם אלא נותן עיניו בארמילוס ומאבידו מן העולם שנ׳ וברוח שפתיו ימית רשע ׃ אז יבקש המשיח מהקב״ה להחיות מתים ויחיה המשיח בן יוסף ראש כל החיים וישלחהו משיח בן דוד מכל הארץ שיהיו שם ישראל ומקבצם מכל פאות וכוציא י׳ השבטים ויוציא כלי בית י״י מן רומה ׃ וכל מקום שיכנס משיח בן יוסף ויש עם מתי ישראל יחיה אותם ויבאו כלם עמו ׃ His figmentis & falsa Scripturæ interpretatione Rabini Judæorum dementant animos simplicium, cæcúsque cæco ducatum præbet, ut tandem omnes in barathrum perditionis ruant. Sed necesse est ut, ubi Scripturæ aperta veritas relinquitur, homo vanis cogitationibus & mendaciis exuberet.

EPILOGUS.

משפט האל בא על העולם למען שרואים לא יראו ושומעים לא ישמעו אשר נתקיים ביהודים אשר להם תורה ונביאים ואין להם עוד מחשבה גם השועה היא רחוקה מהם והאל יתעלה סר מהם ואין להם שום נחמה אין נביא ולא חזון ׃ לקחה מהם מלמם הי ונתנה לגוים העשים תשובה כי אור בא בעולם והם אהבו את חשך מאור . משיח מושיע העולם כבר בא וכל שמאמין בו אותו יושיע ונגלו לו סודות ומלכות האלהים ואשר לא יאמינו הם יאבדו לעולם וישלטו לחשך החיצון ׃ אבות היהודים ראו כמות נסים ומעשים נפלאים אשר עשה משיח ואמרו כי על ידי הכישוף עשה אותם ומי הוא בעל זבוב ובשמו ובכח השדים ר״ל בכישוף עשה את הדברים האלה ׃ אב כל הנסים והנפלאות אשר עשה השם במצרים ע״י משה ע״ה גם כן נעשו ע״י כישוף ׃ אלא כל האומר כן מין הוא ואין לו כפרה הה״נ כל האומר כן מין הוא ואין לו כפרה עד שיסיר העון מלבו ׃

VATA-

VATABLUS.

1. Neque ramum ullum ענף] Ad verb. *& ramum.* Subaudienda negatio præcedens. In hoc capite ampliorem describit fore cognitionem quâ discernantur pii ab impiis.

2. *Orietur autem*, &c. וזרחה וגו'] i. Apparebit vobis Christus, qui est lux vera, & per quem vos justificabimini, afferétque vobis omne gaudium ac omnimodam lætitiam, condonatis omnibus peccatis vestris. ¶ *Et sanitas* erit *in alis ejus* ומרפא בכנפיה] *Et medicina erit in alis ejus*, i. radiis. ¶ *Et multiplicabimini*, &c. ופשתם וגו'] *Atque dissilietis* [i. discursabitis huc illuc] *more vitulorum saginatorum.* Solent enim cùm solvuntur, huc illuc præ gaudio discursare: q. d. Vos egrediemini ex hoc seculo cum summo gaudio ac summa lætitia animi.

3. *Et diruetis* ועסותם] *Et conculcabitis*, h. e. Tanto gaudio tunc afficiemini, quanto nunc afficeremini si pedibus vestris calcaretis inimicos vestros: q. d. Eritis tunc voti compotes: videbitis enim ultionem ac vindictam de impiis inimicis vestris.

4. *Cui mandavi* אשר צויתי אותו] Ad verb. *cui mandavi ei.* Hebraismus, altero relativo redundante Latinis. ¶ *Statuta* חקים] *Ceremonias: legitima.*

5. *Eliam Prophetam* אליה הנביא] Vide Matth. 11. 14. & 17. 10. ubi locus iste explicatur.

6. *Et convertet*, &c. והשיב וגו'] Locus iste explicatur in Glossa nostra ordinaria in Lucam, c. 1. 17. ¶ *Excidio* חרם] Vide Zach. 14. 11. annotationem de hac voce.

CLARIUS.

1. *Omnes superbi*] Qui hic ad humilitatem inclinari non possunt nec incurvari ad observantiam mandatorum Dei, hi erunt in judicio Dei velut infirmissima *stipula* in conspectu ignis, & veluti arbor inutilis quæ nec *radices* habet nec *ramos*. Nemo tum patrocinabitur damnatis conscientiis: nihil erit quo se excusent; nemo redimet, nemo miserebitur; dejicientur veluti *stipula* in ignem, perpetuò in illo arsuri. Et Christiani homines, quibus tanta veritas ob oculos versatur, interim aliud cogitant.

2. *Sol justitiæ*] Christus Dominus, qui *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Et *in pennis hujus Solis erit sanitas*; h. e. illustratio ejus erit saluberrima. *Alæ* enim vel *pennæ Solis* radii sunt circumquaque diffusi.

3. *Calcabitis impios*] Commutabuntur tunc rerum vices. Nam tyranni & impii, qui persequebantur & conculcabant bonos in hoc mundo, in judicio Dei subjacebunt pedibus electorum.

4. *Mementote legis Moysi*] *Recordamini* quod *Moses in lege* de Christo scripserit, & quid adumbraverit variis illis *ceremoniis* & *judiciis.* Non dicit, *Servate legem Mosis perpetuò in ceremoniis & judiciis*; ut hinc Judæi colligunt, legem Mosaicam esse invariabilem juxta omnia statuta & judicia in ea expressa.

5. Et quia *Lex & Prophetæ usque ad Joannem*, quem Dominus fuisse dixit *Eliam* in spiritu & virtute, promittit *se missurum Eliam prophetam.* ¶ Dicitur autem Christi adventus *dies horribilis*, propter excæcationem Judæorum. quæ hîc vocatur *anathema.* Quanquam videtur, sicut sub uno *Eliæ* nomine intelligimus & Joannem Baptistam & Eliam ipsum, sic uterque adventus hîc includi.

DRUSIUS.

1. *Dies ille*] De quo suprà 3. 2 ¶ *Ardens ut clibanus*] Ibid. *nam ipse* (*dies* videlicet) *sicut ignis conflatoris.* ¶ *Malefici*] Ad verb. *facientes improbitatem.* ¶ *Stipula*] *Ut stipula*, quæ facillimè ignem concipit. Abd. 18. *& domus Esau stipula.* ¶ *Radicem aut ramum*] *Nec radicem nec ramum relinquet*, Proverbiale excidii, quod sumptum mutuò ab Arboribus. Jon. *nec filium nec nepotem.* Scholia Camii Ebræi, *Filius primus similis est radici, & qui ex eo nascuntur similes sunt ramis.*

2. *Timentes nominis mei*] Desideratur adverbium Vocandi, ut sit, *ô timentes nominis mei.* Olim, *timentibus nomen meum:* quod minùs placet, esset enim certè יראי שמי. ¶ *Sol justitiæ*] Sol benignè largiens lucem suam. Notum ut *justitia* Benignitatem denotet. Sic *pluvia justitiæ*, i. larga, copiosa. Interpretes Christum innui scribunt; quibus ego non adversor. ¶ *Sanitas*] *Medicina*, *remedium*, *medela*, *curatio.* Græcè ἴασις καὶ ἴαμα. ¶ *In pennis ejus*] *In alis ejus:* Ità vocat radios Solis. Sic alibi, *Sicut aurora expansa super montes.* Nam ut aves expandunt alas, ità Sol lumen & radios. ¶ *Salietis*] Sic antiqua ed. Latina. Priùs erat in Græca καὶ σκιρτήσετε. Verbum Ebræum est ופשתם, quod ità dicitur pro ופשיתם, Phathach in Chirec versâ: nam cognatio inter hæc puncta. Partim Interpretum reddunt *& augescetis.* Arias, *& crescetis.* Santes, *multiplicabimini.* Alius nescio quis *lasciviєtis.* Scholia Camii, *crescetis & multiplicabimini.* R. Abraham, *diffundemini*, vel *dilatabimini.* Legitur & Jer. 50. 11. ubi priscus Int. *effusi estis sicut vituli super herbam.* ¶ *Instar vitulorum saginarii*] h. e. Sicut vituli altiles. עגלי מרבק sunt *vituli qui in saginario inclusi tenentur:* מרבק enim *saginarium*, h. e. locus in quo saginantur simul animalia. Græcè σιτιςόμοι.

3. *Conculcabitis*] ועסותם. Ab hoc verbo *mustum* עסיס dicitur: nam calcando exprimitur ex uvis. Usurpatur etiam de succo malorum Punicorum. ¶ *Cum fuerint cinis*] Rectiùs fortasse, *nam erunt cinis*, i. pulvis. Nam אפר & עפר se mutuò interpretantur. Aut *cinis* propriè, quia dies Judicii, quem Igni assimilant, eos consumet & in cinerem rediget. Hoc germanum videtur. ¶ *Die quo ego facio*] *Quo die ego facturus sum*, quo brevi erit, *judicium*, h. e. sumpturus supplicium de reprobis. *Facio* dixit pro *mox facturus sum*, & subintelligitur *judicium*, ut suprà 3. 17. Qui locus ex isto explicari debet.

4. *Recordamini*] Interim *recordamini*, nempe dum adveniat dies Domini. Nam hæc ad Judæos propriè pertinent. De hoc loco alias prolixiùs dicam, Deo juvante. ¶ *In Horebo*] Montis nomen, qui & *Choreb* & *Sina* vel potiùs *Sinai.* Hieron. *in monte Horeb*, *qui est Sina.* Alii tradunt hos montes diversos esse, sed vicinos invicem. Euseb. De locis Ebr. CHOREB, *mons Dei in regione Madian*, *juxta montem Sina*, *supra Arabiam in deserto: Cui jungitur mons & desertum Saracenorum*, *quod vocatur* Pharan. *Mihi autem videtur quòd duplici nomine idem mons nunc* Sina *nunc* Choreb *vocetur.* Hucusque Eusebius. ¶ *Statuta & judicia*] *Lex* propriè ad mores pertinet; *Statuta* ceremonias designant; *Judicia* sunt quæ ad forum spectant.

5. *Eliam Prophetam*] Johannem Baptistam intelligit. Testis ipsa Veritas, quæ nunquam erravit. Nam Matth. 11. 14. ait Christus, *Ipse est Elias qui venturus erat.* Cur autem *Elias* vocetur docet Angelus Luc. 1. 17. *Ipse*, inquit, *præcedet in conspectu ejus cum spiritu & virtute Eliæ*, *ut convertat corda patrum ad filios.* Ergò *Elias*, quia *instructus virtute ac spiritu Eliæ.* Quale est illud Virgilii,

Atque iterum ad Trojam magnus mittetur Achilles.

Sed Judæi alium Eliam exspectabant, nempe ipsum Thesbitem. Credebant enim animas migrare in alia corpora; quam μετεμψύχωσιν vocant Græci. Quam opinionem refert D.K. in Comment. ad h. l. ità scribens, MITTO VOBIS ELIAM. *Sensus est*, *quòd redibit anima ipsius*, *quæ in cælum ascenderat*, *in corpus creatum simile corpori primo. Nam corpus ipsius primum reversum erat in terram*, *nempe quodque elementum ad elementum suum. Sed postquam vita restituerit eum* Deus *in corpore mittet eum ante diem Judicii*, &c. Hucusque Rabbinus ille. Rectè igitur ὁ βαπτιςὴς *se* negat *Eliam esse* Joh. 1. 21. Non enim revera erat Elias ille quem Judæi exspectabant. Scholastici hunc locum interpretantur de die ultimi Judicii, quo die credunt venturos Eliam & Henochum, quos sibi persuadent adhuc vivere. Itaque Nicolaus ex eorum sententia ità scribit, ECCE EGO MITTO VOBIS ELIAM PROPHETAM, *qui ad hoc reservatur in vita cum Enoch ut prædicent contra perfidiam Antichristi. Ideo subditur*, ANTEQUAM VENIAT DIES, *dies judicii: quam diem præcedet persecutio Antichristi.* De qua sententia quid sit sentiendum aliis dijudicandum relinquo ¶ *Dies DOMINI*] Quo Deus apparebit in carne, in humano corpore. ¶ *Terribilis*] Magis placet quàm quod apud antiquum Int. *horribilis.* Sed est cur malim *timendus*, aut *verendus.* Verbum enim Ebræum hoc potiùs significat.

6. *Qui convertet*] Vel, *ut convertat*, ut Vau sit τελικόν. Huic interpretationi firmandæ est locus suprà productus ex Euangelio Lucæ. ¶ *Cor patrum ad filios.*] Animos eorum dissentientes conciliabit, ipsósque in concordiam rediget & unitatem fidei. ¶ *Nè percutiam*, &c.] Vult dicere, *ut aliqui sint residui.* ¶ *Terram*] Habitatores terræ. ¶ *Anathemate*] *Internecione*, *excidio*: ut Zach. 14. 11. *anathema non erunt ampliùs.* Vide quæ notavimus ad illum locum. Porrò autem respexit, ut apparet, ad secundum genus Excommunicationis, חרם appellatum: de quo in primo Quæst. mearum. Ubi etiam

fff 3 noto

noto, חרם aliquando latè sumptum reliqua duo genera sub se comprehendere, ut cùm Apostolus dicit, *Anathema Maranatha.*

IDEM.

1. כל זדים. A. *omnes superbos.*

GROTIUS.

1. Ecce enim dies veniet] Dies judicii ultimi in Judæos, & imago judicii ultimi in humanum genus. ¶ *Succensa quasi caminus*] *Ardens velut furnus.* Ita Chaldæus. LXX, ὡς κλίβανον [*ut clibanus.*] Parùm interest inter *clibanum* & *furnum.* Vide quæ ad Matthæi 6. 30. Respicitur incendium Templi & Urbis. ¶ *Et erunt omnes superbi*] De quibus suprà 3. 15. ¶ *Stipula: & inflammabit eos dies veniens*] Peribunt in istis calamitatibus. ¶ *Quæ non derelinquet eis radicem & germen*] Nè liberos quidem habebunt superstites, quorum causâ tot injusta facinora fecerunt.

2. *Et orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ*] Spiritus sanctus, ille quem Christus in se credentibus impetrabit, lucebit in corde vestro. Vide Ephes. 5. 14. ¶ *Et sanitas in pennis ejus*] Id est, radiis. Radii ejus sanitatem summam animo adferent. ¶ *Et egrediemini*] Deus vos velut manu educet ex urbe ruitura. Vide quæ suprà 3. 6. ¶ *Et salietis sicut vituli de armento*] Læti pace conscientiæ, & similem olim liberationem communi Judicio præsumentes animo: Act. 8. 8. & 13. 52. & 15. 3. & 20. 24. Roman. 5. 3. & 14. 17, Gal. 5. 22. Philipp. 1. 4. Coloss. 1. 11. 1 Thessalon. 1. 6. 1 Petri 1. 8.

3. *Et calcabitis impios, cùm fuerint cinis sub planta pedum vestrorum*] Si quando redibitis Hierosolyma, ibi *calcabitis* in urbe incensa multorum *impiorum cineres.* Post excidium in urbe modicè instaurata, dictâque Æliâ, fuit Ecclesia Christianorum sub Episcopis, Simeone, Justo, Zacchæo, Tobiâ, Benjamine, Johanne, Matthiâ, Philippo, Senecâ, Justo, Levi, Ephre, Jose, Judâ, qui omnes ex Circumcisione fuere, ut testatur in Chronico Eusebius. ¶ *In die quâ ego facio*] Explica ut suprà 3. 17.

4. *Mementote Legis Moysis servi mei, quam mandavi ei in Horeb ad omnes Israël præcepta & judicia*] Nempe donec Lex melior affulserit, 2 Petri 1. 19. Galat. 3. 23. 24. Fœdus scilicet Novum, cujus mentio jam facta. 2. 1.

5. *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam*] Prophetis destituemini ad tempus. Primus Propheta post me erit ille Messiæ monstrator, de quo suprà 3. 1. Hoc sensu verum est quod dicunt Judæi, *Messiam ungi debere ab Elia*, id est, quasi in possessionem muneris sui introduci, quod olim per unctionem fiebat. *Elias* hîc dicitur Johannes Baptista, quia *in spiritu venit Eliæ*, nec populo, nec Regibus parcens, Luc. 1. 17. Matth. 11. 14. & 17. 11. 12. Johannes sic *Elias* dictus sicut Hebræis Elias ipse *Phinees*; ob parem in Dei rebus ardorem. Bene autem *Prophetam*, ut Matth. 11. 9. Is vobis dicet quæ præter Legem facienda sunt, & Christum monstrabit cætera dicturum. Ità hîc connexio est Veteris Novique Fœderis per Johannem, Matthæi 11. 13. ¶ *Antequam veniat dies Domini magnus & horribilis*] Judicii scilicet ultimi in Judæos, Act. 2. 20.

6. *Et convertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum*] Post tempora Maccabæorum ad Christi tempora agitata fuerat Judæa non discordiis tantùm, sed & bellis civilibus: quorum brevis memoria apud Tacitum est Historiarum 5. exactior apud Josephum. Sectæ præterea Sadducæos à Pharisæis, & inter hos novæ sectæ Hillelis & Sameæ populum distraxerant. Johannes incipiet his malis adferre remedia, Charitatis instillans præcepta, Lucæ 3. 11. & ad unum Magistrum omnes remittens, Matt. 3. 11. Marci 1. 7. Lucæ 3. 16. Johan. 1. 15. Ità ubi desinunt Prophetæ, incipiunt quatuor Euangelia, ut in Marco apertissimum est. Quæ autem præmittuntur in Matthæo, Luca & Johanne, sunt προλεγόμενα [*anteloquium*, *præfationes*,] ad designandas personas Johannis & Messiæ ipsius. Euangelii initium apud omnes idem est unde Marcus incipit. Vide quæ de hoc loco dicta ad Lucam 1. 5. ¶ *Nè fortè veniam, & percutiam terram anathemate*] Id est, nè ubi venero, omnes qui in Judæa sunt funditus perdam: id enim est חרם. *jam* enim *securis ponebatur ad radicem*, Matth. 3. 10. Luc. 3. 9. Per hanc missionem Johannis, & monstrati à Johanne Christi, multi pœnitentiam egêre; & sic communi gentis exitio erepti sunt. Hoc est quod dicit Paulus Roman. 9. 29.

Finis Annotatorum ad PROPHETAS.

Addi-

Additamenta ad J. DRUSII Annotata in 3. priora Capita Jeſaiæ, ex MS.

CAP. I.

SUmma capitis primi. Duas habet partes præcipuas ac primarias ad quas reliqua omnia referri poſſunt. Altera quod populi hujus ſtatus ſit miſerrimus & calamitoſiſſimus, idque propter gravia eorum peccata, quibus Deum ad tam ſeverum judicium exercendum commoverant & excitaverant. Altera pars conſolatoria eſt in qua Deum deletis & conſumptis improbis priſtinum ſtatum in Iſraelitarum republica inducturum prædicit. Ac prioris quidem partis cauſam primo loco aſſignat, eandem poſtea amplificans, variis argumentis ſumptis cùm ex diſſimilium loco tum ex effectis partim Dei partim Iſraelitarum.

Eſaias] Incertum eſt quo tempore primùm cœperit Iſaias propheticum munus obire. Sunt qui ad obitum Oziæ עזיה regis initium muneris illius referunt, quod infrà ſcribatur. *Quo anno mortuus eſt rex Oſias, vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum.* Alii ſentiunt regnante illo Iſaiam vaticinatum, ex quo hic ſcriptum eſt *Temporibus Oziæ.* Συγχρόνες coætaneos prophetas habuit Joelem, Amos, Oſeam, Micheam. Præterea dubium eſt Ezechiáne regnante an Manaſſe defunctus ſit. Sunt qui ſerra diſſectum à Manaſſe tradunt, Hebræorum Cabbalam ſequuti: Quò alluſum volunt in Epiſt. ad Hebr. *alii inſuper lapidati, alii diſſecti ſunt*; Aben Ezra vult hunc prophetam anno quo עזיה ex vivis exceſſit ſuum prophetandi munus inchoaſſe, eundemque temporibus יחזקיה vitâ functum eſſe, alioqui Manaſſes in principio ſuæ prophetiæ mentionem facturus, quamvis Hieron. poſt Hebræos impietatem & idololatriam in cauſa fuiſſe affirmet quo minus cum reliquis fuerit recenſitus.

בן אמוץ] Notant Hebræi quoties ſit mentio nominis paterni ex eo conſequi illum clarum fuiſſe in populo vel prophetico dono vel alia quavis dignitate. Hinc colligunt hunc prophetam fuiſſe, In cujus confirmationem citant illum locum ישעיהו בן אמוץ הנביא *Iſaias filius Amots propheta*, quamvis ad Iſaiam & fortaſſe rectiùs referri poſſit, præſertim cùm in alio loco reperiatur ישעיהו הנביא בן אמוץ. Hunc de ſtirpe regia fuiſſe volunt qui אמוץ & אמציה fratres conſtituunt. Sed hoc tantùm מסורה traditione Judaica nititur.

על יהודה] *Super Judam.* Theod. *contra Judæam & Jeruſalem*, per יהודה quo ſignantur propriè duæ tribus totam terram Judæam intelligendo, reliquas decem una comprehendit ut obſervat Gloſſa ordinaria. Sym. vertit, *de Juda & Hieruſalem* abſolutè, quia tam proſpera quam adverſa vaticinatur propheta. Gloſſa ordinaria in hunc locum teſtatur Ezechiam in Jeruſalem duodecimo anno Romuli regnare incepiſſe.

2. *Audite cæli*] Quid Deum commoverit ut tam atroces de Iſraelitico populo ſumeret pœnas, primum declarat quod nimirum peccatis toti eſſent dediti & ſceleribus inquinati. Quod amplificat hoc verſu ab adjunctâ ingratitudine, quia tantis beneficiis acceptis tamen nè minimam quidem grati animi ſignificationem edebant. Rem exaggerat appellatione corporum inanimatorum, quibus per proſopopœiam ſenſum tribuit, ut enormitatem ſcelerum pathetica quadam exclamatione proponat. Quos ut attentos reddat, Dei vocem inducit de populi ingratitudine conquerentis, quam ad majorem amplificationem comparat cum ſuâ erga eos benignitate. Argumentum eſt ex loco contrariorum q. d. Ego Clemens fui & mitis: illi è contrà rebelles ac refractarii. Deinde ex relatis, Ego paterno affectu & lenitate eos enutrivi, quemadmodum parens gnatum, quem diligit, ſummâ curâ educat; ipſi verò tanquam degeneres filii & refractarii curam meam non agnoverunt, ſed rebellione factâ à me deſciverunt & hoſtes facti ſunt. Ego præſtiti officium patris, eos fovi, omnique beneficiorum genere cumulavi, debuiſſent ſaltem debitâ obedientiâ reſpondere. Sed cùm nihil minus fecerint, imo indignis modis me tractarint, quid mirum videri debet, ſi ita afflicti & oppreſſi meritas ſuorum operum pœnas luunt. שמים Lyran. μετωνυμικῶς accipit pro angelis qui ſunt cives cœleſtes &, *terram* pro incolis terræ.

Filios educavi mihi] Argumentum eſt complexionem habens perſonarum, quæ Hermogenes τὰ πρὸς τὰ πρόσωπα vocat, & rei. Filius eſt & à me enutritus, ergo mihi obtemperans eſſe deberet. Sed potiùs argumentum eſt ex contrariorum loco per diſſimilitudinem tractatum. *Ego eos educavi, ſed illi mihi rebellarunt. Filios genui & exaltavi*, Symm. & Theod. *Filios enutrivi & exaltavi.* גדלתי ורוממתי Epizeuxis ſive iteratio numeri; In ſignificatione eſt metaphora à parentibus ducta, quâ proprie filios ſuos educare & enutrire dicuntur.

3. *Bos agnovit præſepe Domini ſui*] Diſſimilitudine amplificat eorum ingratitudinem. Protaſis præcedit à brutis animantibus deſumpta, quæ hac in parte longe populum meum antecellunt. Antapodoſis ſequitur. Non quemadmodum bos agnoſcit Dominum ita populus iſte agnovit me.

חמור אבוס] Quidam conſtructè, *Aſinus præſepis* i. qui ſtat juxta præſepe. Alii adjectivè *aſinus ſaginatus*, ut ſit ſing. à ברבורים אבוסים capones altiles. Hoc ſenſu, Aſinus adſtans præſepi vel ſaginatus novit dominum ſuum. Jon. אוריא דמרוהי *novit præſepe dominorum ſuorum* i. domini ſui, pro dominum præſepis ſui. Ἐναλλαγὴ καὶ ἐναλλαγὴ numeri, ſicut in Heb. בעליו pro בעלו. Lxx ὄνος ἔγνω τὴν φάτνην τοῦ κυρίου αὐτοῦ.

4. הוי] Oecolamp. mavult *Heu* exponere quàm *væ*, quia non condemnantis ſed dolentis eſt & vocantis.

משחיתים] Corrumpentes i. מרכבם. υἱοὶ διαφθείροντες. i. qui naturæ bonum ſuo vitio perdiderunt, ut explicat Hiero.

נאצו] Ab. Ezra, הכעיסו Irritarunt. Lxx παρωργίσατε, ut in meo codice Baſileenſi legitur (fortè παρώργισαν) ad iracundiam provocarunt. Jarch. קצו ברוחלתא תגו' נאצו Chald. ארגיזו בזרעם אתכניאו רחימם irritarunt ſemen dilectum.

נזרו אחור] Lxx ἀπηλλοτριώθησαν εἰς τὰ ὀπίσω, etſi Hieron. hæc verba à Lxx verſa eſſe neget. נזרו ſeparati ſunt vel ſepararunt ſe, à נזר. Alii in Niphal à זר abalienati ſunt. Hiero. *abalienati ſunt* retrorſum.

5. על מה תכו] Exponit Ab. Ezra כל קח אשר quantò magis percuſſi eſtis, eò magis addidiſtis inſuper rebellionem. Lxx τί ἔτι πληγῆτε quid ultrà percutiemini &c. על מה תכו deſperatam prorſus populi malitiam declarat, qui nullis pœnis aut flagellis ad frugem redire potuerunt. Argumentum eſt ex loco parium. Quantò magis vos percuſſi, tantò magis peccata veſtra auxiſtis; quare non mirum ſi ita deformatus ſit.

Totum caput morbidum eſt &c.] Vel eſt confirmatio ſuperiorum perpetua metaphora ſumpta à corpore ægroto & exitialibus & peſtilentibus morbis affecto. Vel declaratio erit primæ partis hujus capitis ſub allegoriâ plagis ſaucii & vulneribus confecti corporis ſtatum deploratiſſimum oſtendens.

6. לא זרו ולא חבשו] Auget morbi gravitatem ex adjunctis, eò quòd vulneribus illis nulla curatio fuerit adhibita. Id declarat auferendo ſpecies aliquot, quas in medendis ſauciis & vulneratis adhibere ſolent, puta exprimere ſaniem, deinde obligare, item oleo plagam recentem illinire.

7. *Terra veſtra deſolata*] Secundum argumentum prioris partis à terræ vaſtatione quam probat ab adjunctis ſimilitudine illuſtratis ſecundùm ſubverſionem extraneorum i. prout hoſtes externi & alieni regiones & urbes evertere & diruere ſolent, quo notatur barbarica feritas & immanitas.

8. נותרה ציון] Confirmatio ſuperiorum argumento ſumpto ab adjunctis per ſimilitudinem tractatis ad deſolationis & calamitatis magnitudinem amplificandam. Sicut tugurium in vineto exſtructum elapſo vindemiæ tempore deſeritur ac derelinquitur à cuſtode, & quemadmodum caſa in quâ cucumerarii cuſtos pernoctare ſolet, ab eodem certo collectis cucumeribus vaſtatum ac deſolatum relinquitur, quod & de urbe fieri ſolet quæ ab hoſtibus deſtructa & ſolo æquata fuerit. Sic cum civitate veſtra Jeruſalem agetur, ea evacuata & exinanita ſuis cultoribus & incolis inque ſolas terras deportatis, deſerta erit ab omnibus. Tripartitâ igitur ſimilitudine rei gravitatem adauget.

Pro Hebreo מלונה vertit Jon. ערסל מבתותא, quid ſit ignoratur, ego verò caſam pernoctatoriam eſſe conjicio à לן pernoctatus fuit, ſed levis eſt ratio.

9. Appellatio eſt increpationis plena, quæ tranſnominatione ſeu paronomaſia amplificatur. Vel ſynecdoche ſpeciei, quæ quoniam continens eſt, allegoriam conſtituit. Principes enim *Sodom* appellat libidinoſos, impios, omnibus ſcelerum & peccatorum ſordibus inquinatos. Item populum Gomorrhæ appellat. Notat eos vitæ improbitate nullâ ex parte Sodomitis cedere, ſed eiſdem ſceleribus obnoxios eſſe, & non tam ovum ovo ſimile eſſe, quàm Iſraeliticum populum Sodomæ & Gomorræ. Peccatorum gravitatem exaggerat collatione cum Sodomitica impietate facta, quod prius attigerat à Dei bonitate, longanimitate & clementia, qui in pari facto parem pœnam non irrogaverit.

10. & 11. תורת אלהינו] Hic propheta eos revocat ad veram legis interpretationem quæ non tam externas illas cæremonias quam

quam animi puritatem & simplicitatem requirebat, simul etiam innuit eos sine lege fuisse quum externam duntaxat legis pompam & splendorem haberent, & literam mordicùs observarent neglecta mente legislatoris. Si ergo hæc est vera & genuina germanaque Dei lex quam propheta adfert, & ea cum populi lege quam tunc observabant ex diametro pugnat, sequitur eos vera lege caruisse quæ commutata erat in externos ritus, & cæremoniarum sacrificiorumque observationes vacuas pietate, justitiâ, timore Dei & charitate erga proximum, ad quæ collatæ cum Dei lege in fumum statim abeunt & evanescunt. Argumentum à pari: si lex Dei non est externa rituum observatio, quæ justitia & pietate destituatur: Nec Euangelium dici potest, sacramentorum participatio aut in externis institutis & cæremoniis permansio, quæ verò Dei timore & charitate erga proximum careat, non secùs atque anima sejuncta à corpore, integrum hominem constituere non potest. Ab exemplo aliud: Esaias revocat abusum legis ad verum & rectum usum, ergò idem nobis faciendum in Euangelio, & recurrendum ad verbum Dei & non ad hominum commenta aut placita. Ipse legislatorem ipsum Deum adhibet legis suæ interpretem, cùm dicit, *Ad quid mihi multitudo holocaustorum vestrorum dicit Dominus.* Ita Christum citare debemus, siquando de re aliquâ dubitatur, omnis controversiæ disceptatorem & arbitrum & mentis suæ fidelissimum interpretem.

12. *Quærere quippiam à manibus alicujus*] est requirere ut quis faciat quippiam. Synecdoche est manus pro toto homine, quæ figura in hac voce frequens est quùm de operibus agitur, quia actionis instrumentum præcipuum est manus.

Conterere atria est frequentando templum quasi lapides ipsos atterere. Synecdoche est atrii pro templo. Ex hoc versu discimus, externam illam speciem cultûs, quâ totos dies in templis desidemus: nullam habere pietatem si reliqua desint, nimirum justitia & vera cordis sinceritas. Interrogatione ἐρωτήσει detegit eorum simulatam & hypocriticam pietatem quâ ea studiosè observabant, de quibus nullum præceptum à Domino habebant: reliqua autem quæ à Domino injuncta erant, supinâ quâdam socordiâ negligebant.

13. Hic omnem illum externi cultus splendorem rejicit ab adjunctâ illi vanitate, quia merum erat Dei ludibrium, cùm sine fide & cordis sinceritate hæc omnia Deo exhiberentur, quare ut rem abominandam & detestandam se ferre non posse testatur. *Oblatio vanitatis* & *suffitus abominationis* dicuntur non quod vanum quippiam aut detestabile in iis inesset, ut quæ ritè ex præscripto legis afferrentur, sed quòd offerentis animus impurus & pollutus ea vana redderet & detestanda.

שבת] *Sabbathum* pro observatione sabbathi. Adjunctum pro subjecto metonymicῶs. Sic *Neomenia* pro calendarum celebratione.

קרא מקרא Inf. pro nom. *convocationem conventus non potero ferre.* Constructio nonnihil perturbata est (per Hyperbaton) quæ sic ordinanda קרא מקרא ועצרה Convocationem conventuum & retentionis non potero ferre. *Vanitas* sub. *sunt*, i. res vanæ.

14. Confirmat ostendere quo animo sit affectus erga eorum cærimonias, quas sibi odiosas & molestas esse profitetur, adeo ut non possit diutiùs sustinere. Declarat igitur ab effectis Dei cultûs illos qui in oblationibus, victimis, holocaustis, suffimentis atque adeo dierum & festorum observationibus, non modò esse inutiles, sed penitùs impios, quia sejuncta spirituali veritati exteriùs duntaxat color & fucus refulgebat. Argumentum est à repugnantibus. Deus eos odio prosequitur, non igitur piè celebrari & observari possunt.

15. *Cum expanderitis manus vestras*] Ab effectu declarat, seu potiùs à consequenti sibi illorum zelum displicere, quia favorem suum ab illis subducet, nec preces eorum suscipiet, adjungens postea causam *Quia*, inquit, *manus vestræ sanguine plenæ sunt. Extendere manus* i. precari & vota ad Deum facere. Synecdoche est pars pro totâ actione orandi: Vel potiùs Metonymia adjuncti pro subjecto, quia sublatis in cœlum manibus vota concipiuntur. כפיכם Synecdoche *Vola* pro manu

Abscondere oculos est nolle intueri, aspicere circulatorios illos hypocritarum gestus & manuum expansiones. Dicitur autem *occultare oculos* qui vel claudit vel aliò avertit, nè rem sibi visui objectam cogatur aspicere. Ex quo notat Metonymicῶs se vota eorum non exauditurum, sicut in sequenti versu καθ' ἑρμηνείαν se declarat. Per oculos hic *favorem* intelligere nihil obstat, nam oculis benè aut malè nos velle alicui innuimus.

תרבו תפלה]. Κατάχρησις. *Multiplicare orationem* i. prolixam reddere & copiosam.

דמים] Sanguines pro cæde, idque passivè tantum respectu ejus qui interficitur. *Manus* pro actionibus i. instrumentum pro re instrumento effectâ. Jam *sanguinibus* dicuntur *plenæ manus ejus* quando cædibus est pollutus homo.

16. *Lavate* (mundamini)] Sc: vos ipsos. *Lavandi* verbo notat spiritualem sordium ablutionem, quæ qualis esse debeat sequenti verbo declarat, dum dicit, *mundemini.* Non enim prodest lotio, nisi penitùs puri & mundi per eam efficiamur. *Malitia operum*, Hypallage est pro opera malitiæ, ubi rursus Hebraismus i. opera mala & scelerata.

מנגד עיני] Alludit ad id quod sup. dixit, *cùm venitis ut conspiciamini* vel compareatis coram facie meâ. Quare prohibet, ne vitiorum sordibus inquinati in templis appareant, si se precesque suas exaudiri cupiunt.

17. Περίοδος est πεντάκωλος quinque habens membra, quæ ferè constant ex pari numero syllabarum quare compar πάρισον seu ἰσόκωλον efficiunt, estque ἐπιστροφή conversio ejusdem soni in singulis clausulis incisorum & ἀσύνδετον nullis nexum vinculis particularum.

היטב] Ἀντιμερία Verb. pro adverb. (Videtur schematis genus quod ἐπεξεργασίαν expolitionem vocant, nam in eodem loco manens idem pluribus verbis inculcat) Rectiùs pro Infinit. accipias, *discite benefacere.*

אשרו חמוץ] i. rem iniquam & depravatam corrigere & emendare. Metaphora sumpta à viatoribus qui propriè gressus suos dicuntur dirigere eò quò tendunt. Metonymia violentia seu iniquitas pro rebus violentis & iniquis.

18. Continuat propheta in persona Dei Israelitas ad frugem revocare, argumento sumpto à misericordia divina, quæ adjunctis similitudine illustratis amplificatur.

לכו] Antimercia Imp. pro adverb. ad hortandi ex more Hebræorum.

כשנים] Similitudo est Metaphorica. q. d. si rubedine similes fuerint vestimentis cocco dibaphico tinctis. Metonymia ponitur tincturæ genus pro materia quâ illa tincta fuerit, deinde materia pro materia & forma Synecdochicῶs pro vestibus vel panno cocco infecto. Metaphoricè porrò *rubra* appellantur peccata quæ sanguinis effusione quasi rubedinem sibi contraxerunt, quod supra dixit ידיכם דמים מלאו *manus vestra sanguinibus plenæ sunt.*

אם יאדימו] Repetitio superioris sententiæ κατ' ἑρμηνείαν, συνωνυμίαν vel ἰσοδυναμίαν sententiarum.

כצמר] Synecdochicè ponitur genus lanæ, pro lanæ forma alba. Sensus est, tam alba reddentur atque lana est nullo colore infecta. Declarat igitur similitudine peccata eorum etiamsi gravissima fuerint & (sceleratissima) maxime sanguinaria: tamen se condonare velle & remittere. Observanda præterea metonymia, peccata dicuntur *alba* reddi, quando homines peccatores mundantur & purgantur. Vel mundata intelligentur ea delicta, quæ etsi in se polluta sint, tamen ut munda à Domino reputantur. Ch. Parap. pro כצמר יהיו habet כעמר נקי יהוי *tanquam lana pura* i. alba & candida, nam quæ purgantur & mundantur ea fere alba redduntur, & eum colorem referunt. Quam sign. satis arguit oppositum illi אם יסמקון si rubea fuerint videl. de colore. Hic agitur non de puritate aut munditie lanæ: Potest tamen prior sensus retineri, ut lana munda intelligatur, color lanæ purgatæ & carminatæ puræ putæque. Metonymia subjecti pro adjuncto, quæ figura in Hebræo conspicitur.

19. אם תאבו ושמעתם] Ἓν διὰ δύο i. si volueritis audire & obtemperare meis monitis & præceptis.

תאכלו] Metaphora ab animato ad inanime.

Duo verò his præcedentibus versibus promisit, eorum prius ad animum spectans securitatem affert de peccatorum remissione: alterum partim ad corporis, partim ad externa bona, cum dicit *bonum terræ comedetis.* Notanda illa Paranomasia quæ fit in flexione vocis activæ in passivam תאכלו in Benedictione, & תאכלו in pœna & maledictione.

21. Convertit orationem ad Dei vindictam proponendam, sed priùs scelera eorum recenset & enumerat, quâ misericordem alioqui Dominum & clementem ad judicii tamen severitatem & rigorem excitarunt. Orditur per interrogationem admirandi affectu pronuntiatam, quia obstupefactus vir Dei subitam hanc & extraneam metamorphosin & commutationem populi sui admiratur; Est autem contentionis genus constans ex contrariis in quibus unum reliqua pondere suo sustinet, nempe מרצחים cui ea adversò opponitur *civitas fidelis plena judicio, & justitia pernoctans erat in ea.*

זונה] *Scortum* appellat civitatem quæ non in cultu extraneo solummodo sed aliis moribus à vero Deo defeciverit. Nam quotidiana peccandi licentia nos pietate & omni opere bono sejungit

ungit ac separat; fidelem opponit meretrici quæ summa levitate & inconstantia violata fide conjugali se cum aliis vitis miscere solet.

נאמנה] Itaque Synecdoche erit gen. pro forma i. ea quæ fidelis est marito suo. Metaphoram explicat seq. tribus membris. *Plena* dicitur *civitas judicio* i. hominibus qui exerceant judicium, qui jus dicunt pupillis & viduis. Sic *justitia pernoctat in civitate*. *Pernoctandi* nomine firmam & constantem habitationem intelligimus positâ specie pro genere, & *justitia* sunt homines justi qui eam incolunt per immutationem.

מרצחים] Synecdoche nomine homicidii reliquas iniquitatis species intelligens. Homicidas porrò vocat quia cum fraudibus & dolis aliorum bona diripiebant.

22. כספך] Similitudine declarat eorum defectionem, quâ ostendit omnem illam speciem pietatis in merum fucum & hypocrisin commutatam esse, ut aurum quod in scorias evanescit, aut vinum quod aquâ dilutum corrumpitur. Hic *argentum* vocat & *vinum* meram fidem & justitiam majorum per Metaphoram. *Scoriam* vero & *vinum aquâ dilutum*, religionis cultum depravatum & adulteratum, spurcitiem cultuum falsorum. Omnia genera vitiorum quæ in virtutum loco successerant. Breviter ostendit eos plurimùm abesse ab ea puritate cujus speciem præ se ferebant. Quidam simpliciter accipiunt de argenti adulteratione & vini corruptione, quod aquâ infusâ lucri causâ ab œnopolis dilui solet.

23. Paranomasia in his vocibus שרים סוררים, ac si quis Episcopos vocet Aposcopos, vel Canonicos cenonicos, præpositos præposteros, sacerdotes κακοκέρδεις, Catholicos κακολύκους, primos pravos.

סוררים] Vinum Hos. 4. dicitur סור recedere quoties insipidum redditur & acidum, qua translatione סוררים appellari possunt, quod pristinum illum justitiæ & æquitatis saporem amiserint, vino eorum diluto & corrupto aquâ pravitatis & injustitiæ. סוררים etiam dici possunt Metaphora viciniore à rebellibus sumpta, qui à vero Dei cultu & præceptorum ipsius observatione desciscunt.

חברי גנבים] Appellat quod fures imitentur, dum munera à litigantibus ad pervertendam causam accipiunt. Id postea per ἐξήγησιν declarat cum dicit *totus ipse* i. quilibet eorum totus & integer deditus est accipiendis muneribus. Est autem maxima vis similitudinis in חבר sicut alias in רע sodalis, & אח frater q. d. prorsùs similes furibus, omnes ipsi amant munus. Argumento itaque à simili judicum corruptelas exaggerat & amplificat.

כלו] Enallage cujus mutationis hæc videtur ratio quod כל signii plurale, terminationem habeat singularem, cujus respectu sequentia in diminuto numero ponuntur.

שלמנים] Remunerationes vocat eas pecunias quas litigantium pars absoluta judicio & causâ obtentâ judicibus compensationis loco offerre solet, estque repetitio ejusdem sententiæ καθ' ἑρμηνείαν, ita tamen ut incrementum sit αὔξησις in verbis posterioribus: plus enim רדף quam אהב, illud enim studium hujus declarat & שלמנים sonantior vox & plenior quam שחד.

24. לכן] Summa seq. versuum hujus cap. est, Dominum statuisse civitatem repurgare & deletis reprobis ad pristinam puritatem reducere. Ad hanc rem cum majore authoritate exprimendam, Deum inducit loquentem, quem variis epithetis ornat partim à dominio & majestate, partim etiam à potentia desumptis, ut terrorem improbis incutiat. Argumenta sunt vel ab effectis Dei, quorum enumeratio per species aliquas majorem hujus loci partem consumit, vel ab adjuncta improbis ruina ac interitu, & eorum qui residui manserunt ignominia & confusione.

Exordium sumptum est partim à persona Dei, cujus potentiam prædicando simul innuit quàm sit facile futurum effectu complere quæ jam minatur, partim à persona Israelitarum, quos hostes vocat & adversarios, ac propterea sine ulla misericordia in eos grassabitur.

נאם האדון] Elegans est & peraccommoda periphrasis Dei, constans ex variis Dei attributis seu proprietatibus.

הוי] Exclamatio est παθητική. הוי cum gemitu eis minatur, ut ostendat se invitum cogi ad pœnas de illis exigendas, nam sententiam pronuntians ingemiscit, & singultu testatur quam sibi sit cordi eorum salus.

אנחם] i. *Superabo, & vincam hostes meos*. Synecdoche est ex consequente, intelligens id quod præcessit, nimirum victoriam, quæ consolationem adfert.

צרי] προσηγορικὸν appellativum, quod Israelitarum notationem habet, sceleratam eorum vitam innuens, ob quam inimici Dei redditi fuerunt.

25. עליך] Et in seq. conversio est [ἐπιστροφὴ] in clausulis incisorum. *Reducere manum super aliquem* propriè Medicorum est qui ad partem adfectam in curatione crebrò manum reducere solent. Hîc verò notat sedulitatem & diligentiam quam Dominus adhibebit ut eos ad pristini status integritatem reducat, quod declarat propheta partim ab effectis Dei, quæ enumeratis aliquod purgationis speciebus exponuntur, partim ab adjunctis civitatis quæ prius cloaca fœdissima, nune perpurgata domicilium erit omnis justitiæ & fidelitatis.

כבור] Similitudo est Metaphorica. Nam sapone vestes (panni) propriè mundantur. Hic vero ad argentum & scoriam transfertur q. d. sapo mundat vestes, ità ego purgabo & excoquam scorias tuas, quas suprà dixerat pro argento successisse. *Removere stannum* est putare argentum, quod stanno incuso ita adulterari solet, ut interea non facilè à vero argento discerni queat. Sensus est, omnes nævos & vitiorum sordes delebo & purgabo.

26. Ostendit nunc simpliciter ἀνεὺ τρόπε, quid superioribus verbis intellexerit, se nimirum judices eorum & consiliarios quos suprà argenti nomine intellexit, tales redditurum, quales erant quum religio integra & pietas in eorum ecclesiis vigebat, justitia & æquitas in judiciis & curiis resonabat. Atque hujus restitutionis effectum aut eventum confirmat ab adjunctis, quod à Judicum æquitate Jerusalem civitas fidelis sit appellanda. Unde postea salus & redemptio consequetur.

27. *Sion in justitia redimetur*] Justitiam possumus intelligere vel Dei, quia sine subsidio humano solâ Dei justitiâ redemptionem & salutem consequentur: vel hominum quos ob vitæ integritatem Deus liberabit & conservabit, quanquam hoc videtur durius. ציון Metonymia continentis pro contento.

ושביה] Syllepsis num. & gener. nam in seq. membro pluraliter & mascul. repeti debet.

28. Post piorum liberationem nunc improborum excidium & interitum describit, quod deinde per expositionem ἐπεξεργασίαν ex adjuncta illorum ruinæ confusione amplificat & variis similitudinibus illustrat.

29. כי יבשו] Conversio est & ejusdem soni consonantia in clausulis membrorum. Deinde enallage personæ innuit impios non solùm pudore & ignominia afficiendos, verùm etiam pios qui jam in justitia redempti erubescent & pudorem contrahent, quum videbunt se hujusmodi vanitatibus addictos fuisse.

גנות] Intelligit Idola, quibus in lucis & paradisis sacra facere solebant. Metonymia loci pro eo quod continetur loco.

30. Concinna hîc est Paranomasia seu annominatio inter אלים & אלה, גנות & גנה q. d. Expetivistis vobis אלים Deos. Vel, quod fortassè aptius est, quercus sub quibus aras construere & rem divinam facere solebant propter umbræ opacitatem, quam præbet Hos. 4. *Sacrificant*, inquit, *& suffitum faciunt* תחת אלה *sub ulmo, quia grata est umbra ejus* כי טוב צלה. *Jucunda & densa*, ut vertit Chald. Paraph. ארי משפי טלה. Expetivistis igitur vobis אלים ulmos, quare eritis כאלה tanquam ulmus, cujus folia defluunt ac marcescunt i. sensim peribitis & consumemini: Similiter elegistis vobis גנות, concedentur vobis, sed vos eritis illi horti sicci & aridi omni aquæ humore destituti i. potentia illa vestra & splendor, quo antea florebatis, nunc sensim infirmabitur & extinguetur. Quod sequenti versu aliis similitudinibus magis perspicuè declarat.

Eritis tanquam glumus] Similitudines sunt quatuor adhibitæ συμφωνείας ἕνεκα κατὰ συντομίαν brevitatis causâ, nam πρότασις præpositio cum ἐφαρμογῇ seu ἀποδόσει redditione conjungitur.

והיה החסן] Descendit, à Thesi ad ὑπόθεσιν, & quod generaliter de omnibus dixerat, nunc ὑποθετικῶς ad fortes & robustos restringit, similitudine declarans interitum cum omnibus eorum consiliis & machinationibus. Sed ecliptica est oratio quæ majore expresso, quod minus est per Synecdochen intelligendum relinquit. Nam si valentissimi quique & robustissimi consumendi sunt, quantò magis infirmiores & viribus minus pollentes. Similitudinis partes ita exprimentur: Quemadmodum stipula admotâ flammâ statim conflagrat: ita fortissimi eorum cum adventavit judicium Dei statim consumentur & peribunt.

C A P. II.

הדבר אשר חזה] Periphrasis est visionis seu prophetiæ in somnis revelatæ. Ὅρος ἀντὶ τοῦ ὡρισμένε Visio prophetica est res visa à prophetis: חזון enim non quod visio Latinis, sed res quæ videtur. Itaque versus iste breviter exprimit argumentum καθ' ὑπόθεσιν.

יהודה וירושלים] Mos est scripturæ eximiam aliquam speciem generi vel partem quampiam excellentem & præstantem toto adjun-

adjungere, nec refert quo loco quidque ponatur Gen. 1. 21. piscium creationem describens, prius תנינים cæterorum mentionem facit ut in iam vastis & immanibus belluis Dei potentiam nobis commendaret.

2. והיה] Vaticinium est de temporibus Messiæ quod Euangelium in Sion enuntiandum & omnibus gentibus divulgandum prænuntiat. Declaratur id ab adjunctis & effectis gentium, quæ cùm aliter tùm per prosopopeiam prolatis eorum verbis exornat.

באחרית הימים] Descriptio temporis Christi ab adjunctis, quia finis ætatum & complementum omnium eorum quæ prædicta à patriarchis & prophetis fuerant in illud tempus incidit. Nam à Christi adventu rerum omnium restauratio pendebat. Appellatur & עתיד quia futurum semper Judæi exspectabant.

הר בית ה'] Periphrasis montis Sion, qui à contento mons domus Domini appellatur. Duobus attributis eum nobis commendat, firmitudine & celsitudine, quorum posterius comparationem reddit illiustriorem. Per נכון non tam paratum, quam stabile & firmum futurum Messiæ regnum declarat & impedito loco positum in omnium conspectu, quo obvium erit omnibus Euangelium & expositum, atque ita excelsum, ut ab omnibus nationibus, quantumvis procul remotis, tamen facilè cerni possit.

ונהרו] Metaphora à fluminibus.

3. ואמרו] Accessus ad Prosopopeiam qui modò per infinit. לאמר modò per aliud tempus verbi אמר fieri solet. Gentium enim orationem repræsentat, ut liquidiùs studium eorum exprimatur.

לכו ונעלה] i. agitedùm ascendamus. ἀντιμερία. Verb. pro adverb. adhortandi.

אלהי יעקב] Periphrastica Dei descriptio κατὰ πρόσωπον ejus à quo colebatur.

ויורנו מדרכיו] Domini est docere, præcipere, suas agendi rationes proponere; nostrum discere, parere & ad eas percipiendas accuratum studium adferre. Ipse ducit, nos sequimur præit nos, vestigiis ejus insistimus. *Docere de via Domini* est præscribere quî sit incedendum in via Domini, ostendere quomodo à nobis coli debeat. *Via Domini* appellantur præcepta vel potius ea, quæ in nobis operatur per spiritum & verbum suum, cujus generis sunt justitia, spes, patientia, fides.

Est itaque Metaphora à semitis sumpta, à quibus nisi, præmonstret eas peritus aliquis itineris, aberrare, & deflectere solemus. Ut ergò viæ ignarus ductorem suum & ὁδηγὸν debet sequi, ita Christiani omnes à Dei unius ore pendere.

ונלכה] Utitur verbo eundi ad Metaphoram de viis sumptam accommodatissimo. Ut indicet in opere & actu non in vana aliqua & inani cognitione cultum Dei consistere.

De viis Domini Hos. 14. 10. מי חכם ויבן אלה נבון וידעם כי ישרים דרכי יהוה וצדקים ילכו בם ופשעים יכשלו בם׃ Ubi Chald. Parap. *Justi qui incedent in illis viis, vivent eis in vitam æternam, Impii vero tradentur in Gehennam eò quod non incesserunt in illis.*

וארחותיו] Ἐναλλαγὴ nomen συνώνυμον repetitum pro affixo בם Hoc versu declarat frequentem gentium confluxum ratione subjecta τέλος ἀτιώτικον. *Quoniam ex Sion egredietur lex*, &c.

תורה] Synecdoche speciei pro genere. Lex תורה, quæ propriè ad legem Mosaicam spectat pro Euangelica & quavis alia doctrina cœlesti.

4. Pacem tempore Messiæ futuram declarat hoc versu, primùm ab efficiente causâ Dei, qui componet omnes lites & controversias, & solus ecclesiæ suæ judex præsidebit: Deindè ab adjunctis pacis seu effectis hominum illius seculi qui bellica sua instrumenta in vomeres cudent & putatorias falces, quia securè jam pace parta terram poterunt colere. Postremò remotione contrarii quod est studium rerum bellicarum.

5. Æmulatione gentium hortatur Judæos ad simile studium, ut eos sopitos jam somno iniquitatis & idololatriæ excitet ad orientem Euangelii lucem obviis, quod ajunt, ulnis amplectendam. Atque ita erunt verba Prophetæ. Vel si contumaci malimus gentium prosopopeiam, non leviter perstringetur Judæorum socordia, qui quos excitare debebant & inflammare eos habent instigatores & hortatores.

בית] Metonymia continentis pro contento. Domus pro familia non viventium modò sed & posterorum qui ab uno capite aut parente defluxerunt.

באור יהוה] Metaphora & Metonymia. Sic enim vocatur via Domini seu Euangelii doctrina ab adjuncta illi luce. Vel potiùs ab effectu quod homines illuminet & radiis suis corda eorum illustret. Effectus pro causa. Johan. 1. *Ipse est qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Et David in Psal. 119. 105. *verbum tuum lucerna pedibus meis.*

6. כי נטשתה] Occurrit tacitæ objectioni quæ fieri poterat à Judæis ad proximam adhortationem: Mones nos ut ambulemus in luce Domini, quasi verò id non ante à longo tempore fecerimus? Respondet Propheta, ἀποστροφῇ factâ ad Deum à cujus effectis efficiente causa illustratis declarat eos jam desertos fuisse à Deo.

עמך בית יעקב] Geminatio καθ' ἑρμηνείαν, per interpretatio.

כי מלאו וגו'] Efficiens causa cur Deo derelicti fuerint declaratur collatione minorum & similitudine, ea est scelerata & impia eorum vita, quam proponit enumeratione facta per singulares aliquot species vitiorum, inter quas potissimùm elucent avaritia & idololatria.

מקדם] Metonymia Oriens pro moribus orientis nefariis & impiis, quod si sequamur מלאו translatum erit à corpore ad animum. Quænam porro illa fuerit repletio sequentibus versibus declarat.

ובילדי נכרים ישפיקו] Quidam ad catamitos referunt & cynædos. Alii ad instituta & ritus gentium quibus acquieverunt Judæi. Alii ad conjugia quæ declarentur ex consequenti polluta fuisse & illegitima, quod spurii & alieni ex iis prognati fuerint. Alii filios alienos accipiunt pro exteris gentibus, quorum ut gratiam captarent vitiis sese implicarint.

7. ותמלא] Ἀναφορὰ relatio ter recurrens. Eadem dictio in principiis membrorum.

ארצו] sc. עמך בית יעקב pro terra Judæa per ἀντονομασίαν.

ואין קצה] Notat ad infinitum excrevisse auri & argenti copiam, nec numero certo equos & currus ejus comprehendi potuisse.

8. Enumeratis generibus aliquot vitiorum quæ inoleverant antea in populo, pergit nunc describere (& temporis præsentis venturique diei, dissimilitudinem ostendit ex Deorum & hominum adjunctis) diem illum Domini supra memoratum. Refellitque populi falsam opinionem, qui se castissimos esse & ab omni sceleris contagione liberos putabant. Argumentum est per dissimilitudinem tractatum, non ut olim, ita nunc in Domini adventu. Ratio antapodoseos sumitur ex Dei & hominum adjunctis ex temporum circumstantia declaratis: Deus solus elevabitur & exaltabitur, homines autem deprimentur, qui superioribus temporibus superbia & fastu erant turgidi. Ex adjunctis contrariis Deorum falsorum & veri Dei.

אלילים] Κατὰ μείωσιν ita denominantur idola quod res sit vacua & inanis. *Idolum enim nihil est* ait Apostolus. sub. אלהים אלילים: ut metonymia adjuncti sit pro subjecto, vel compositum ex אל & אל Deus, ut sit definitio κατ' ἀφαίρεσιν τοῦ ἐναντίου.

לאשר עשו אצבעתיו] Συνώνυμον est & ἰσοδυναμεῖ illi quod supra dixit למעשי ידיו. Estque ἀντονομασία vel periphrasis idolorum ex causa efficiente.

9. וישח אדם] Antapadosis dissimilitudinis, quæ ex contrariis sumitur. Priùs homines divitiis & opibus suis superbiebant: at nunc deprimentur & humiliabuntur, quam depressionem auget effectis Dei, qui sine ulla misericordia & remissione cum illis aget. *Non enim*, inquit, *condonabis illis*, vel *ne condones illis*, Ut sit apostrophe ad Deum prophetæ, pro zelo precantis, ut honoris sui rationem habeat. Docet itaque Dei judicio divitiarum illum splendorem nunc esse obscurandum, & Deos illos fictitios, qui ante pro veris colebantur & exaltabantur, esse penitùs consumendos. Ejus dissimilitudinis antapodosis hac unica ratione stabilitur quod Dominus solus sit efferendus.

10. בוא בצור] Rationem illam confirmat ab adjunctis Dei & hominum, cujus tantus erit timor, tantaque majestas, ut homines ad petrarum cavernas adeundas & in terræ latibula ingredienda moneat Propheta.

בעפר] Pulvis pro terra. Synecdoche partis pro toto, & terra pro specu aut latibulo aliquo subterraneo contraria Synecdoche.

11. עיני גבהות] Antapodosis dissimilitudinis κατ' ἀντιπαράθεσιν προσωπικήν. *Fastus hominum prosternetur ut solus Dominus emineat.* עיני גבהות אדם שפל est conglobatio nominum diversorum in Genitivo casu. Præterea Hebraismus, ubi adjectivum שפל non ad עיני refertur sed ad proximum nomen אדם. Vide Syntaxin.

ונשגב יהוה] Antapodosis similitudinis, quod ex contrariis adjunctis rerum creatarum ostenditur, quia omnia præ illo deprimentur & dejicientur, quod probat per enumerationem specierum, recensens res aliquot sublimes & eximias, quibus Dominus celsior atque sublimior reddetur.

18. והאלילים כליל] Altera pars redditionis. Idola quæ prius in honore

honore erant & pretio ; jacente gloria Domini, nunc eàdem restauratâ & restitutâ, falsi Dei penitùs consumentur.

19. ובאו] Illustratio antapodoseos ab adjuncto timore hominibus illius ætatis, qui declaratur effectis & causa.

20. ביום ההוא] Exornatio illustriora reddens illa effecta ab adjunctis. Tantum nimirum ac tam festinum studium erit, ut ne Deorum quidem curam sint habituri. Nam simulachra eorum penitùs abjicient quo expeditiùs se possint conferre ad speluncas petrarum & terræ latebras.

22. חדלו לכם] Suprà dixit omnem elatum ac superbum esse deprimendum, ut solus Deus exaltetur, quare nunc monet ut non fidamus hominibus anima spirabili præditis, quùm in æstimatione & pretio habentur.

כי במה נחשב הוא] Quum plurimi reputatus fuerit. Estque quasi epiphonema superioris capitis.

C A P. III.

Summa hujus capitis est, Miserrimum & tristissimum impendere omnibus ordinibus & ætatibus statum, eorumque temporum conditionem, ut qui prius erant florentissimi & felicissimi, nunc in extremam calamitatem & miseriam sunt redigendi. Argumentum est ab effectis Dei qui author & effector hujus mutationis constituitur. Res primo generaliter θετικῶς proponitur, à qua deinceps recessus fit ad ὑπόθεσιν enumeratis speciebus aliquot tum pœnarum & calamitatum, tum ejus generis hominum qui instantium malorum pondus sustinebunt.

1. משען ומשענה] Primum argumentum calamitatis genericum est & universale, omnium rerum privationem denuntians, quibus reipublicæ status tanquam basibus & fulcimentis consistebat. Ab effectu enim appellantur annona & qui populo præsunt, fulcra sive sustentacula aut scipiones, eò quod illa corpus, hi reipublicæ statum fulciant ac conservent.

כל משען לחם] Ad species descendit ac dividit fulcimenta illa in annonam seu cibaria & personas dignitate aliqua vel authoritate in Republica pollentes. Cibaria rursus partitur in esculenta & poculenta i. ea omnia se adempturum minatur. Scipio panis, interna vis quæ corpus alit & per omnes partes vigorem transmittit.

2. גבור ואיש] Recenset aliquot species hominum quorum opera & adminiculo Reipublicæ conditio salva & incolumis (integraque) conservatur. Lev. 26. 26. *Frangere baculum panis*, dum panis comestus nullam adfert saturitatem, ubi panis & vini copia ad alendum corpus nihil prosunt. Dupliciter autem adimit vigorem panis & aquæ, vel dum penitùs cibariis nos privat & annonæ non solum penuriam, sed defectum inducit, & cum illis eripit vim educandi. Initium porro facit à victu & alimentis, quæ primum locum obtinent ad tuendam hominum vitam. Deinde hominum subsidia recenset, quo civitas fulta sustinetur.

17. פתהן יערה *Pudenda eorum denudabit*] Quidam exponunt פאתהן angulos capitis eorum, sed prior magis arridet, quia antea mentionem fecit cervicis quæ est suprema & eminentissima hominis pars, cui nates ipsas seu pudenda adjungit ut omnibus modis deformandas esse pronuntiet. Sch. Jarchi interpretatur כלי הן vasa eorum evacuabit, effundet. Qua in significatione legitur apud Chaldæos, cum dicunt פתיא אוכמא nigredine obductum vas, quod nos Flandri *pot* & Gall. *un pot* dicunt, originis hujus esse videtur. Jon. vertit ירוהן יעדי Decus eorum removebit. Nam פתא est לשן רוהב לשן גדול q. latam & amplam eorum gloriam & decus latè patens. פתיא אוכמא Aruch interprete est טפיח & כבין רלישחור species situlæ atræ coloris similis גריה & idiomate sapientum appellatur נטל forte à portando. חריטים autem & קירות sunt vasa quovis ministerio destinata, Authore Aurch. Χοριαμὸς Hesychio est arca, casta ἀπὸ τοῦ Χωρεῖν à capiendo.

23. קרטסין] In Heb. כרינן, κάρτον apud Græcos genus est vestis, forte à Cretensibus nominis originem sumens.